T III
17/m
35217/D/2
Vols I–II (in 1) only



11/4/99
1034

20H 4692

H. Lit

JOANNIS JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

BIBLIOTHECA

SCRIPTORUM MEDICORUM,

VETERUM ET RECENTIORUM:

In Quatuor Tomis comprehenſa,

CUM VARIIS ICONIBUS.



B. Guillibaud pinxit. J. G Seiller Scaffhusianus ſculpsit

JOANNIS JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

Et Sereniſſimi ac Potentiſſimi REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDICORUM, VETERUM ET RECENTIORUM:

IN QUA

SUB EORUM OMNIUM QUI A MUNDI PRIMORDIIS ad hunc uſque Annum vixerunt, NOMINIBUS, ORDINE ALPHABETICO adſcriptis; VITÆ compendiô enarrantur; OPINIONES, & SCRIPTA, modeſtâ ſubinde adjectâ ἐπικρίσει recenſentur; ac SECTÆ præcipuæ, ſub quârumque propriâ appellatione explicantur:

SICQUE

HISTORIA MEDICA VERE UNIVERSALIS EXHIBETUR.

OPUS DOCTIS OMNIBUS, MAXIMEQUE MEDICIS UTILE, ac perjucundum:

Pro quô concinnandô, neceſſaria undique: Sive ex ipſis SCRIPTORIBUS MEDICIS ANTIQUIS, quorum OPERA ad noſtra uſque tempora pervenerunt; aut aliis, tùm iiſdem contemporaneis, tùm etiam ſubſequentibus, qui de Illis verba fecerunt: Sive variis Dictionariorum Compilatoribus, & Scriptorum Medicorum Catalogis; Miſcellaneis, præterea, Germanor. Curioſis; Actis Bartholinianis; Actis Lipſienſib. Ephemerid. per totam Europam jam à multis annis, variis linguis emiſſis, &c. non mediocri labore ac curâ, ſunt exquiſita.

TOMUS PRIMUS: PARS PRIMA.
continens Litt. A - B.



GENEVÆ

Sumptibus PERACHON & CRAMER.

M. DCCXXXI.

J. JACOBUS MANGETUS
LECTORI HUMANISSIMO SALUTEM.

SUpervacaneum prorsùs multis videbitur, aliquid huic præfari Bibliothecæ, ex cujus Titulô, non tantùm quid in eâ exquirendum veniat; ſed etiam origines unde ejuſdem materiæ deprompta fuère, illarumque diſpoſitio, ac ordinatio abundè manifeſtantur. Interea tamen obſervationes aliquot præmittere neceſſarium credimus, quibus noſtra in hiſce omnibus peragendis geſtio, geſtionis ſucceſſus, aliaque plura, pauló dilucidiùs explicentur.

Primò itaque obſervabimus, quòd cùm jamdudum Scriptorum Medicorum Hiſtoriam litteris conſignare meditaremur in Illuſtriſſimi, atque Eruditionis conſummatiſſimæ Viri, *Joh. Alberti Fabricii*, Bibliothecæ Græcæ Volumen XII. Hamburgi, Annô 1724. editum, incidimus, ibique vidimus Clariſſimum Authorem, ubi de *Georgii Abrahami Mercklini*, D. Reipublicæ Norimbergenſis, Domûſque Teutonicæ ibidem Medici Ordinarii, & Academici Curioſi, Chironis, *Lindeniô* renovatô, auctôque, verba facit, continuò addere: Hunc utiliſſimum, & locupletiorem hactenùs, in iſthôc genere librum, ab Virô aliquô doctô recenſeri, ſuppletumque, & emendatum continuari, in præſens uſque tempus, utique operæ pretium fore. Votis tanti Viri, aliquatenùs, & pro virili ſatisfacturi; nos prædicti Clariſſ. *Mercklini* opere, pro telâ, jam per ſe non parum ornatâ, ac locuplete, adhibituri, ei omnia noſtra, ad pleniorem hujuſce Bibliothecæ confectionem, inſuere ſtatuerimus. Verùm ſic in non mediocrem difficultatem devenimus, pro ejuſdem vitioſâ diſpoſitione immutandâ. Nam cùm hic Author ordinem Alphabeticum, à Celeberrimô *Lindeniô* inſtitutum, proſequeretur, & Nominum Propriorum locô, Prænominibus uteretur, v. g. pro Galenô, *Claudium*, pro Sylvaticô, *Benedictum*, pro Malpighiô, *Marcellum*, in ſuô ordine uſurparet, ſicque exquiſitionem Scriptorum Medicorum, ſi non impoſſibilem, difficillimam ſaltem faceret: Illum ordinem invertere, & Prænominibus Nomina Propria ſubſtituere coacti ſumus. Præterea idem *Mercklinus*, dum de unô eôdemque Authore, ſub variis ipſius Nominibus, eadem pluries repetit, ut cùm (multis aliis brevitatis gratiâ omiſſis) de *Berengariô*, ſub legitimô, ac verô hujus Nomine, & de ipsô rursùs ſub Carpi appellatione, verba facit; non parum importunum Lectori ſuo ſe exhibet. Prætermittimus menda Typographica, quæ illic reperiuntur innumera, quibuſque forſan non ſatis accuratè hic proviſum videbitur, idque vel Amanuenſium, vel Operarum, imò Correctorum culpâ.

2. Fateri debemus, quòd eorundem Amanuenſium ulteriori culpâ, ac eorum etiam quibus, ſub largâ remuneratione, totius Apographi recognitio demandata erat, quandoque omiſſiones ſyllabarum, vocabulorum, imò & linearum integrarum, præprimis in iis quæ ex Actis Lipſienſibus fuère exſcripta, irrepſère: Quibus tamen, & nos ipſi quandoque, & ſpeciminum typicorum correctores, maximâ ex parte ita medicati ſumus, ut nihil ſic de periodorum verâ ſententiâ diſpereat.

3. Quòd quantâcunque cum diligentiâ noſtræ hujus Bibliothecæ Editionis conſilium, ex ipſô ejus Titulô, ab aliquot annis emiſſô, vulgaverimus; adjectâ etiam Schedulâ invitatoriâ, quâ omnes Medicæ Artis Cultores, ſive qui illam integram, ſive qui aliquam tantùm ejus partem edocent, aut exercent, obnixè rogantur, Commen-

tarios Latinè conſcriptos, de ſuâ, ſuorumque Vitâ, & de Scriptis à ſe ac ſuis editis, aut edendis, impertire nobis vellent, ut convenienti locô, cum debitô elogiô inſcribi quirent: Imò hic ipſe Titulus, & invitatio, licèt in pluribus Litterariis Ephemeridibus inſerta ſint; nihil tamen ſic in Operis illuſtrationem, ac augmentum, à Medicis Gallis, Hiſpanis, Anglis, Belgis; pauciſſima à Germanis, obtinere valuimus: Sed multa ab Italis: inter quos etiam non mediocri ſubſidiô nobis fuère Præclariſſimi Viri, *Antonius Valliſnerius*, Primarius Medicinæ Practicæ in Patavinô Collegiô Profeſſor; *Franciſcus Maria Nigriſoli*, & *Joſephus Lanzzonus*, Ferrarienſes itidem Profeſſores: Sed præprimis *Johannes Fantonus*, Facultatis Medicæ Taurinenſis Præſes digniſſimus, & Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Sardiniæ Archiater meritiſſimus; nec non *Joh. Baptiſta Bianchi*, in Taurinenſi Lyceô Profeſſor percelebris, qui non tantùm opibus propriis nos ditavit, ſed etiam perplures alias, ex omnibus Amicis, per totam Italiam reſperſis, abundè, in majus compilationis noſtræ ornamentum, collegit. Sub hiſce autem conſiderationibus, ſperamus nos excuſatos fore, apud omnium Nationum Viros Doctos, ſi dum ſubmiſſæ noſtræ petitioni ſatisfacere recuſârunt, ſe aut ſua Opera hic non videant recenſita, quando de iis nihil reperiimus, vel in noſtris Bibliopoliis, vel in variis Litterariis Ephemeridibus, quibus uſi ſumus.

4. Præter origines, unde hauſimus quicquid Operi huic concinnando idoneum viſum eſt, & de quibus generaliora quædam in ejus Titulô reperiuntur, innumeræ aliæ nobis fuere apertæ, quarum præcipuas hic recenſebimus, nimirùm *Nicolai Antonii* eximiam Bibliothecam Hiſpanam fol. 4. Vol. *Antonii Mongitoris* Bibliothecam Siculam, fol. 2. Vol. *Nicolai Comneni Pappadop.* Patavini Gymnaſii Hiſtoriam, fol. 2. Vol. *Franciſci Peregrini*, *Antonii Orlandi*, Scriptorum Bononienſium Notitias, 4. pluriumque aliarum Academiarum hiſtoricas enarrationes: *Bartholomæi Corte* Medicorum Mediolanenſium recenſionem, 4. *Hyacinthi Gimmæ* Italiam Literatam 4. 2. Vol. Præclariſſimorum præterea Virorum Medicinæ Hiſtorias, *Danielis* nempe *Le Clerc*, (Clerici) *Godofredi Goëlicke*, *Joh. Freind.* &c. &c. Quod autem ſpectat obſervationes è Miſcellaneis Curioſis exſcriptas, conſtitueramus non nudos tantùm earum titulos, ad *Mercklini* imitationem, tradere, ne Lector ſic non ſatis edoceretur ea quæ ſub hiſce titulis exquirenda haberet: Conſtitueramus, inquam, præcipuarum inter illas aliquot, integras exhibere, ut Authorum ſuorum Ingenium ſic pateſceret, & inquirenti pleniùs ſatisfieret. Verùm cùm per iſtiuſmodi additionem opus nimiùm excreſceret, earum permultas ſenſim decidimus, ac tandem omnes prorsùs in duabus ultimis Partibus ſuppreſſimus. Quæ eadem methodus à nobis non fuit adhibita in obſervationibus contentis in Magni *Bartholini* Actis Haffnienſibus, quæ cùm perrara hactenus fiant, & perdocta multa in paucis voluminibus comprehendant, tantùm abeſt ut Opus gravatura ſint, quin potius uberrimè ditent. Actorum itidem Lipſienſium nullas Librorum Medicorum deſcriptiones omiſimus, ne illorum nudum tantùm Catalogum emitteremus, qualem nobis exhibent Bibliopolæ in ſuis officinis; Sed ſic noſtris Lectoribus, eorundem Librorum ideam, non parum accuratam, eximiis hiſce voluminibus abundè complexam, præberemus: Quod itidem in aliis multis, ibidem non reperibilibus, aut per nos ipſos, aut per alios, perfecimus.

5. Aliqui forſan exiſtimabunt, nos plurium Recentiorum, atque etiam Veterum Vitas, fuſiùs deſcribere; & in ſpecie illas, quas è Miſcellaneis Curioſis, ex Illuſtriſſimæ Societatis Imperialis mandatô exaratas, deprompſimus. Intereà tamen ex iis quæ tam eleganter, & accuratè commentata inibi reperiuntur, ſuper methodô à doctiſſimis hiſce Viris, in ſtudiis ſuis adhibitâ, ac ejus ſucceſſû; ſuper Magiſtris quibus in id ſunt uſi; ſuper eorumdem peregrinationibus, ac cum aliis itidem Viris Doctis, Litterariis Commerciis; ut & ſuper Libris, ab iiſdem editis aut edendis; pauca tantùm excindere viſum eſt, ne aliquid detraheretur illis, quibus intimiùs cognoſci queunt, atque exemplar præbent, quod alii cum fructû ſibi proponant imitandum. Vita præterea *Galeni*, à *Chartheriô* pluribus deſcripta, eruditione ita eſt referta, & tam eximiè explicat quicquid edocere valet methodum hujus Medicinæ Principis, rationeſque, ac fundamenta quibus illam ſuperſtruxit, ut aliquid ex eâ reſecare, piaculum nobis fuerit. Vita *Malpighii*, quam ipſe exaravit, quæque etiam *Galeni* vitâ longior eſt, nihil prorsùs inutile Lectoribus exhibet; Sed è contra ubique ſufficit explicationes admirandas, ſuper omnibus quæ Magnus hic Anatomiæ Rationalis, ac probatiſſimæ Animalis Oeconomiæ fundator, per continuam, atque aſſiduam experimentorum, in multos annos protractorum, inſtitutionem invenit.

Jam autem quamcunque demùm adhibere diligentiam conati ſimus, non negamus multa eſſe prætermiſſa, ac minimè ſperamus, fore ut tam vaſti argumenti Opus hoc, perfectum evaſerit; in id etenim neceſſarium fuiſſet, ut omnium Europæ Scholarum Medicarum Hiſtoria, ſubinde renovata, nobis fuiſſet ſuppeditata; eâ v. g. ratione

ratione, quâ illa Gymnaſii Patavini, ex doctiſſimi *Comneni* curâ, traditur. Ut uniuſcujuſque Regni, ac Regionis varii Scriptores fuiſſent enarrati, eâ v. g. methodô, quâ Hiſpani, in Bibliothecâ Hiſpanâ *Nicolai Antonii*; Siculi, in Bibliothecâ Siculâ *Antonii Mongitoris* enarrantur. Ut Regum, ac Principum, Medicorum Primariorum Vitæ, vulgatæ fuiſſent, eâ, v. g. diligentiâ, quâ Archiatrorum Pontificiorum à *Mandoſiô* accuratiſſimè deſcriptæ ſunt, &c. Imò quamvis hiſce aliiſque etiam auxiliis, abundè frueremur, pro Opere ad uſque tempora noſtra perficiendô, Omiſſiones in ſequentibus non minùs venirent reſtituendæ, & addenda plurima quæ de novô incurrerent: Eademque neceſſariò hujuſce Dictionarii erit ſors, quæ aliorum omnium: Cujuſmodi, ſcilicet, fuit illa Dictionarii Hiſtorici D. *Moreri*, quod totum in unô volumine, cùm primùm ederetur, concluſum; ita poſtmodùm illuſtratum, ac auctum prodiit, ut jam in noviſſimâ Pariſienſi Editione, ad ſex grandiora volumina aſcenderit. Quod idem itidem propè evenit, Dictionario D. *Hofmanni* Hiſtorico, atque D. *Bayle* Critico, Societatis Regiæ Pariſienſis; Abbatis *Fureterii*, & *Richeletii*, Dictionariis Gallicis, &c.

Additiones autem, & Correctiones, in poſterum huic noſtræ Bibliothecæ attexendas, quod ſpectat, illæ à me, in nonô ſupra ſeptuageſimum ætatis annum, multùm provectô, & valetudine non parum querulâ, ac precariâ utente, nullatenus expectari poſſunt. Jam etenim tempus attigi, quô annis, laboribus, ac multis ærumnis fractus, & penè attritus, novarum ejuſcemodi perquiſitionum, & meditationum curam, legitimè abjiciam, aliiſque vegetiori corpore, & feliciori ingeniô præditis, relinquam.

CATALOGUS

CATALOGUS LIBRORUM
MEDICORUM, & MISCELLANEORUM,
Qui reperiuntur GENEVÆ, Anno MDCCXXXI.

Apud PERACHON & CRAMER;
Ut & eorum qui majori in copia apud Ipſos proſtant.

ANatomia Corporis Humani à Verheyen cum addit. 4. 2. *Voll. cum fig.*
——— Authore Dionis 8. *cum fig.*
——— Munnicks 8. *cum fig.*
Albinæi Bibliotheca Chymica 8.
Atrium Medicinæ & Pharmacopœia Helvetiorum 12.
Augurelli Chryſopoeia *ſive* Tract. de Auro &c. 8.
Barbette, [*Pauli*] Opera Medica & Chirurgica aucta & illuſtrata à Joh. Jacob. Mangeto 4.
Bayle Inſtitutiones Phyſicæ, *cum fig.* 4. 3. *Voll. Francof.* 1703.
Boneti Sepulchretum *ſive* Anatomia Practica ex Cadaveribus morbo denatis, nova Edit. cum multis addit. f. 3. *Tom.* 1700.
——— Polyalthes, *ſive* Theſaurus Medico-Practicus f. 3. *Voll.*
——— Medicina Septentrionalis f. 2. *Voll. cum fig.*
——— Labyrinthus Medicus extricatus. 4.
de le Boë Sylvii Caſus Medicinales f. *ſeparatim.*
Boyle Opera omnia Philoſophica & Chymica 4. *cum fig.*
——— Tractatus varii *ſeparatim* 4.
Baglivi Opera Medica 4. *An. v.* 1715.
Burneti Theſaurus Medicinæ 4. 1703.
Beguini Tyrocinium Chymicum 8.
Bicaiſe Manuale Medicorum 12.
de Buſſieres Hiſtoria Gallica 4. 2. *Tom.*
Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum ordine Alphabetico digeſta *fol.* 6. *Tom. ſub prælo.*
Cenſura Celebriorum Authorum *ſive* Tractatus in quo varia Virorum Doctorum de Clariſſimis cujuſque ſæculi Scriptoribus Judicia traduntur, per Th. Pope Blount. 4.
Ciceronis Opera *cum notis* Variorum 4. *Voll. IV.*
Catalogus Authorum qui librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum Literat. Elogia, Vitas, Orationes funebres, ſcriptis conſignarunt: ab Ant. Teiſſerio, adornatus cum Phil. Labbei Bibliotheca Nummaria & Auctuario 4. 2. *Voll.*
Cardani Opera omnia f. *X. Voll.*
Chaſſanei Catalogus Gloriæ Mundi, f.
Charas Opera Medica & Pharmacop. 4. *cum fig.* 3. *Voll.*
——— Hiſtoria Naturalis Animalium, Plantarum & Mineralium, nec non Theriacæ Andromachi Compoſitionis Ingredientium, cum Experimentis circa Viperam 4. cum *fig.*
Chabræi Icones Stirpium *ſive* de Plantis f.
Crollii Baſilica Chymica 8.
Chalmetei Enchyridion Medico-Chirurg. 8.
Celſus de re Medica 16.
Caſſiodori Opera 4.
Cozzandus de Magiſterio Antiquorū Philoſophorū. 12.
Cordemoy Tractatus Phyſicus de Corpore & Mente & de Loquelæ diſtinct. 12.
Diemerbroeck Opera omnia Anat. & Medica 4. 2. *Voll. cum fig.*
——— Opera Medico-Practica *ſeparatim* 4.
——— Appendix ad Anatomiam *ſeparatim cum fig.* 4.
de la Fond de Hydrope Tympanite 12.
Dictionarium Hiſtoricum, Poëticum, Geographicum à Carol. Stephano inchoatum, ad incudem verò revocatum innumeriſque locis auctum & emaculatum per *Nic.* LLoydium 4.
Dionis Anatomia Corporis Humani 8. *cum fig.*
Euſtachii Tabulæ Anatomicæ cum Præfatione, explicatione *& notis* Clar. Lanciſii f. *cum fig.* 1716.
Fracaſtorii Opera Medica 8.
Fabritii Hildani Opera Medico-Chirurgica f.
Ferrarii Lexicon Geographicum *cum notis* Baudrand &c. f. 2. *Vol.*
Fernelii Opera Medica f. 4. & 8.
Fortis Conſultationes Med. f. 2. *Voll.*
Ferretii Methodus Medendi 8.
Guilielmini (*Domin.*) Opera omnia Medica, Phyſica & Mathematica, 4. *cum fig.*
Gaveti Nova Febris Idea, ſeu Novæ conjecturæ Phyſicæ circa febris natur. 12.
le Grand Philoſophia 4. *cum fig.*
Hofmanni Lexici univerſalis Continuatio, Philolog. continens f. 2. *Tom.*
Hippocratis Opera cum Oeconom. Fœſii f. 3. *Tom. gr. & lat.*
——— Oeconomia Fœſii f. *ſeparatim.*
Hollerius in Aphoriſmos Hippocratis 8.
——— Practica Medica 4.
Herediæ Opera Medica f. 3. *Tom.*
Henao de Scientia Media f. 3. *Tom.*
Heurnii Opera Medica f.
Hartmanni Praxis Chymiatrica 8.
Hiſtoriæ Romanæ Scriptores f. 2. *Voll.*
Herculis à Saxonia Opera Medica f. *Patavii.*
Indices Librorum Prohibitorum f.
Kircheri China Illuſtrata f. *cum fig.*
Lemery Curſus Chymicus 12.
Lanzonus de Balſamatione Cadaverum ſine Eviſceratione 12.
Liber Mutus in quo tamen tota Philoſophia Hermetica figuris Hieroglyph. depingitur, autore cujus nomen eſt Altus f.
Mangeti Theatrum Anatomicum cum Euſtachii Tabulis Anatom. f. 3. *Voll. cum fig.*
——— Bibliotheca Medico-Practica f. 4. *Voll.* ſub prælo.
——— Bibliotheca Chymica Curioſa f. 2. *Voll. cum fig.*
——— Bibliotheca Pharmaceutica Medico-Chymica f. 2. *Voll. cum fig.*
——— Bibliotheca Anatomica f. 2. *Voll. cum fig.*
——— Bibliotheca Chirurgica, f. 4. *Tom. cum fig.*
——— Bibliotheca Scriptorum Medicorum, Veterum ac Recentiorum, ab orbe condito ad hunc uſque annum, cum variis Iconibus f. 4. *Tom.* 1731.
Munnick Chirurgia ad praxin hodiernam adornata 4.
Maroja Opera Medica f.
Naudæi Quæſtiones Medico-Philologicæ 8.
Muſitani Opera omnia ſeu Trutina Medica, Chirurgica, Pharmaceutico-Chymica &c. cum Tract. de Morbis infantum, de Luxationibus, & de Fracturis, *cum addition. ſub prælo* f. 2. *Voll.*
de Mayerne de Arthritide & Praxis Medicinæ 12.
Muſitanus ad Mynſicht Armamentarium Med. Chym. cui acceſſit Battimelli Auctuarium & Piperi Corollariū 8.
Morelli Methodus Remediorum 8.
Morton Opera Omnia Medica, cum novis Tractatibus, 4. 1727.
Magni Philoſophorum Arcani Revelator 12.
Mynſicht Armamentarium Medico-Chymicum cum Mantiſſa Muſitani 8.
la Medecine Domeſtique, contenant, le Gouvernement de la Santè, l'Apoticaire, le Chirurgien, & le Medecin Charitable 8.
Novum Lumen Chymicum 8.
Pharmacopœa Schrodero-Hoffmanniana illuſtrata & aucta f. *cum fig.*
Paracelſi Opera Omnia f. 2. *Vol.*
Pharmacopœa Helvetiorum 12.
Ramazzini Opera Medica & Phyſica 4. *cum fig.* 1716.
Renodæi Pharmacopœa 8.
Rondeletii Opera Medica 8.
Riverius Contractus 8.
Scapulæ Lexicon *gr. & lat.* f.
Scaliger de Emendatione Temporum f.
Sennerti Inſtitutiones Medicæ 8.
Sylvatici Conſilia Medica f.
Sinapii Paradoxa Medica f.
Schmitzii Compendium Medic. 12.
Sylvii (*Jacobi*) Opera Medica f.
Schedulæ, *ſeu* Inſcriptiones pro Aromatariis & Pharmacopolis f.
Tractatus de Potu Caffé, Thé & Chocolata 12. *cum fig.*
Theſaurus Secretorum Curioſorum Medicinæ &c. 4.
Varandæi Opera Medica f.
Virideti Tractatus Medico-Phyſicus de Prima Coctione 8.
Willis Opera omnia Medica 4. 2. *Voll. cum fig.*
Zacchiæ Quæſtiones Medico-Legales, f. 3. *Tom.* 1726.

INDEX

INDEX OMNIUM AUTORUM

In hâc BIBLIOTHECA contentorum.

In Parte primâ primi Tomi, quæ continet Libr. I. & II. ſeu Litt. A. B.

Aron, *Presbyter.* pag. 1.
Abano, *Petrus de* ibid.
Abbas, *vide* Catelan *Abbas de* 2.
vide Haly *Abbas* ibid.
Abbatius, *Baldus Angelus.* ibid.
Aben-Ezra, *Abrahamus* ibid.
Abenzoar, *Abohaly* ibid.
Abhomeron ibid.
Abercrombius, *David.* ibid.
Abethencourt, *Jacobus* — 3.
Abhengnefit, *ſeu* Albengnefit ibid.
Abhomeron, *vide* Abenzoar, *Abhomeron* ibid.
Ablunus, *Johan. Petrus* ibid.
Abrech, *Joſuel* ibid.
Abſyrtus. 4.
Academia Cæſar.Leop.Carol. Nat. Curioſ. 553.
Acampus, *Simon.* 4.
Accoltis, *Franciſcus de* ibid.
Accorombonus, *Fœlix* ibid.
Hieronymus ibid.
Accurſinus *ſeu* Accurſinius *Barthol.* ibid.
Aceſias. ibid.
Achillinus, *Alexander* ibid.
Achmetes *Filius Seirim* ibid.
Acidalius, *Chriſtianus* ibid.
Acoluthus, *Johannes* ibid.
Acorombonus, *vide* Accorombonus 14.
Acron. ibid.
Acta Medicorum Berolinenſium. 15. & 557.
Eruditorum Lipſienſium. 22.
ſeu Commentaria Pariſienſia Societatis Regiæ Scientiarum. 33.
Actuarius, *Johannes* 42.
Acuna, *Chriſtophorus Diaſtriſtan. de* ibid.
Adami, *Tobias* ibid.
Adams, *Archibaldus* 558.
Adamus, *Melchior* 42.
Adelardus. 43.
Ader, *Guilielmus* ibid.
Adimantus. ibid.
Adolphus, *Chriſtianus Michaël* ibid. & 558.
Adria, *Joh. Jacobus* 47.
Ægidius, *Everhartus* ibid.
Monachus Benedictinus. ibid.
alius, itidem Monachus Benedict. ibid.
Ægimius. ibid.
Ægineta, *vide* Paulus ibid.
Ælianus, *Claudius* ibid.
Meccius 48
Æmilianus, *Johannes* ibid.
Æmilius. ibid.
Campolongus, *vid.* Campolongus. ibid.
Æneas, Macer, *vid.* Macer. ibid.
Æſchines, *Marcus Antonius* ibid.
Æſchrio. ibid.
Æſculapius. ibid.
Ætho, *Johannes* 49.
Aetius, *Amidenus* ibid.
Medicus Siculus 50.
Aetius *Cletus* pag. 50
Ætſema, *Julius ab* ibid.
Afineus, Henricus ibid.
Agapius, ibid.
Agatharchides. ibid.
Agatus, *Petrus Angelus* ibid.
Agerinus, *Johan. Henricus* ibid.
Nicolaus ibid.
Aggregator, *Guilielmus* ibid.
Jacobus de Dondis, vide Dondis ibid.
Petrus, vide Pictor *Petrus* ibid.
Agnodice. ibid.
Agnoſtus, *Irenæus* ibid.
Agricola, *Georgius* ibid.
Georgius Andræas 51.
Johannes 52.
Johannes Ammonius 53.
Johannes Georgius ibid.
Agrippa, *Henr. Cornel.* ibid.
Aguado, *Mancedo* 54.
Aguear, *Thomas de* ibid.
Aguilar, *Franciſcus* ibid.
Aguilera *Antonius ab* ibid.
Aiala, *Gabriel de* ibid.
Aicardius, *Paulus* ibid.
Aichol, *Johannes* ibid.
Aidoun. ibid.
Aiellus *Sebaſtianus* ibid.
Aignan ibid.
Ailaki. 54
Aimar, *Ozias* ibid.
Akakia *Martinus* ibid.
Martinus filius præcedentis. ibid.
Alanus. 55.
Alardus Amſtelredamenſis. ibid.
Auletius ibid.
Lamp. ibid.
Alari, *B.* ibid.
Alatinus, *Moyſes* ibid.
Alaymus, *Marcus Antonius* ibid.
Albaneſius, *Guido Antonius* 56.
Albanus, *Bartholomæus* ibid.
Albatenius. ibid.
Albergus, *Johannes* ibid.
Alberius. ibid.
Albericus, *Claudius* ibid.
Alberizzi, *Petrus Joſephus* 560.
Alberti, *Julius Gothofredus* 56.
Valerius ibid.
Albertinus, *Annibal* ibid.
Albertus, *Aloyſius* 57.
Jacobus ibid.
Michael ibid. & 192. & 560
Magnus 192.
Salomon 64.
Albicus Archiepiſcopus. ibid.
Albineus, *Nathan* ibid.
Albinius, *Conſtantinus* ibid.
Albinus, *Bernhardus* ibid. & 562.
Bernhardus Siegfried. 562.

Albinus *Jacobus* pag. 64.
Eleaſar ibid.
Chriſtianus Bernhardus 562.
Alboſius, *Johannes* 65.
Albrectus, *Johannes Petrus* ibid.
Albucaſis, *vide* Alſaharavius 100.
Albulcaſis, *ſive* Albulbaſis. ibid.
Albuleizor, *ſive*, Algovazir. ibid.
Albumazar, *vel* Alboaſſar. ibid.
Alcadinus, *ſeu* Alcadimus. ibid.
Alcanamoſalus, *ſeu* Camameſalus de Baldach. ibid.
Alcaſar, *Andreas* ibid.
Alcazar, *Ludovicus del* ibid.
Alchindus, *Jacobus* ibid.
Alcinous, *Platonicus* 101
Alcmæon ibid.
Aldegrettus *Aldegrettus* ibid.
Aldes, *Theodorus* ibid.
Aldinus *Tobias* ibid.
Aldrovandus, *Ulyſſes* ibid.
Alemannus, *Adrianus* 102.
Alexander, *vide* Benedictus, *Alexander* ibid.
Trallianus vid. etiam *Trallianus* & in Tom. II. part. 2. p. 396. ibid.
Alexandri, *Franciſcus* 103.
Alexandrinus. ibid.
Georgius ibid.
Johannes ibid.
Julius ibid.
Alexandro, *Antonius de* ibid.
Alexius *Alexander* ibid.
Alfon 562.
Alghiſi, *Thomas* 104. & 562.
Alideus, *vide*, Padoanis, *Helideus de* ibid.
Alidius, *Carolus Antonius* 562.
Aliptice pars Medicinæ 104.
Alitophilus ibid.
Alkindus, *vide*, Alchindus. ibid.
Allaxinus, *Jacobus* ibid.
Allegrus, *Hieronymus* ibid.
Allen *B.* 562.
Allen, *Johannes* 106. & 562.
Alliot, *Johannes Baptiſta* 563.
Petrus ibid.
Allmacherus, *Joh. Fridericus* 106.
Almeloveen, *Theodor. Janſſonius ab* 108. & 563.
Almenar, *Johannes* ibid.
Alpago, *Andreas* 109.
Alphanius, *Franciſcus* ibid.
Alpherio, *Hiacynthus de* ibid.
Alpinus, *Proſper* ibid. & 563.
Alprunus, *Joh. Baptiſta* 110.
Alſaharavius. ibid.
Alſarius à Cruce, *Vincentius* ibid.
Alſtedius, *Joh. Henricus* 111.
Altomari, *Donatus Antonius ab* ibid. & 563.
Altus. 112.
Alvarez, *Antonius* ibid.
Chacon, *Didacus* ibid.
de Miraval, *Blaſius* ibid.
Alvernia, *Petrus de* ibid.
Alvetanus, *Cornelius* ibid.
Amabilis, *Joh. Siſinius* ibid.
Amando, *Johan. de Sancto* ibid.
Amatus, *Joh. Carolus* ibid.
Leonhardus ibid.
Luſitanus. ibid.
Amboiſe, *Jacobus de* 113.
Ambroſinus, *Bartholomæus* ibid.
Hiacynthus ibid.
Amelungius, *Petrus* 114.
Amicus *Diomedes* ibid.
Amidenus, *vide* Aëtius. pag. 114
Amman *Joh. Conradus* 563.
Ammannus, *Paulus* 114. & 563.
Ammonius, *vide*, Agricola, *Johannes* 114
Ampſingius, *Joh. Aſſuerus* ibid.
Amtor, *Caſparus* ibid.
Amwald in Durnhorſt, *Georgius* 115.
Amyandus 563.
Ananias, *Joh. Laurent.* 115.
Anaſtaſius. ibid.
Anatolius. ibid.
Ancantherus, *Claudius* ibid.
Andalorus *ſeu* Andalbrus *Andreas* ibid.
Andla, *Anchiſes ab* ibid.
Andernacus, *Joh. Guntherius* ibid.
Andoſilla, *Valentinus de* 116.
Andrea, *De S.* ibid. & 563.
Andreæ, *Samuel* 118.
Tobias ibid.
Johannes 564.
Andreas 119.
Franciſcus 564.
Andreghettus, Andreghettius, *vide*, Aldegrettus &c. 120.
Andrillus, *Michael Angelus* ibid.
Androcydes. 121.
Andromachus ibid.
Andry, *Nicolaus* ibid. & 564.
Anel, *Dominicus* 123.
Angelellus, *Nicolaus* 125.
Angelinus, *Facoyndinus* ibid.
Fulvius ibid.
Angelis, *Johannes ab* ibid.
Angelus ibid.
Daniel ibid.
Victorius ibid.
Angelutius à Belforte, *Theodorus* ibid.
Anglicus *Bartholomæus* ibid.
Gilbertus, vid. Gilbertus. ibid.
Johannes ſeu *Johannes de* Gaddeſden. ibid.
Richardus, vide, Richardus. 126.
Anguibertus, *Theobaldus* ibid.
Anguillara, *Aloyſius* ibid.
Anguiſola, *Antonius* ibid.
Anhardus, *Elias* ibid.
Anhorn de Hartwiſſ, *Sylveſter Samuel* ibid.
Anonymi varii 144. & 564.
Anryquez, *Henr. Georgius* 169
Anſelmus, *Aurelius* ibid.
Antarvetus, *Johannes* ibid.
Antonellus, *Hippolytus* ibid.
Antonius. ibid.
Franciſcus ibid.
Johannes ibid.
Antylus 170.
Aphricanus. ibid.
Conſtantinus, *vide* Conſtantinus, *Aphricanus* ibid.
Aphrodiſeus, *Alexander* ibid.
Apinus, *Joh. Ludovicus* ibid.
Apitius, *Cœlius* 176.
Apollinaris, *Quintus* 177.
Apollodorus ibid.
Apollonides. ibid.
Apollonius ibid.
Apomazar. ibid.
Apono, *de*, *vide* Abano. ibid.
Appellatus, *Daniel* ibid.
Apulejus, *Celſus*, vid. Celſus, *Apulejus* ibid.
Lucius ibid.
Aquapendens, *Hieronymus Fabricius* ibid. & 550.
Aquæus, *Stephanus* 178.
Aquila *Johannes del* 565.

Aquilanus, *Sebaſtianus* pag. 178
Aquinas, *Thomas* ibid.
Arantius, *Julius Cæſar* 179
Aras, *Georgius* ibid.
Aratus. ibid.
Arcæus, *Franciſcus* ibid.
Johannes ibid.
Arcella, *Juſtinianus* ibid.
Arcerius, *Sixtus* ibid.
Archagatus. ibid.
Archedemus. ibid.
Archelaus. ibid.
Archidemus, *vide* Archedemus ibid.
Archigenes. ibid.
Arciſſewski, *Chriſtoph.* 180
Arculanus, *aliàs* Herculanus, *Johannes* ibid.
Arcularius, *Johannes* ibid.
Ardern, *Johannes* ibid.
Ardizzonus, *Fabricius* ibid.
Ardoynis, *Santes de* ibid.
Aretæus. ibid. & 565
Aretinus de Accoltis, *Franciſcus*, vid. Accoltis. 181
Aretius, *Benedictus* ibid.
Argenterius, *Jacobus* ibid.
Johannes ibid.
Argentinus, *Richardus* 182
Argilata, *Petrus de* ibid.
Argolus à Tagliacozzo D. Marci, *Andreas* ibid.
Arias de Benavides, *Petrus* ibid.
Arioſtus, *Franciſcus* ibid.
Arislaus 183.
Ariſtogenes. ibid.
Ariſton. ibid.
Ariſtoteles. ibid.
Arlenſis de Scudalupis, *Petrus* ibid.
Arlunus, *Joh. Petrus* ibid.
Arma, *Joh. Franciſcus* ibid.
Armbruſterus, *Johannes* ibid.
Arnaudus, *Alexander* ibid.
Arngrim, *Torkill* ibid.
Arniſæus, *Fridericus* 184.
Henningus ibid.
Aromatariis, *Joſephus de* ibid.
Arquatus, *Joh. Franciſcus* ibid.
Arredondo, *Martinus de* ibid.
Arrivabenus, *Ludovicus* ibid.
Arteſius. ibid.
Artemidorus, *Daldianus* ibid.
Artiſta, *Helias* ibid.
Artocophinus, *Henricus* ibid.
Artomius, *Chriſtophorus* ibid.
Aſchmole, *Elias* ibid.
Aſclepias. ibid.
Aſcoli, *Alexander* 567.
Aſellius, *Caſparus* 185.
Ash, *Georgius* 567.
Aſpaſia. 185.
Aſſelinæus, *Petrus* ibid.
Aſſettato, *Camillus* 567.
Aſſonville, *Guilielmus* 185.
Aſtarius, *Blaſius* ibid.
Aſtrampſicus. ibid.
Aſtruc, *Johannes* 567.
Athanaſius, *Dyoniſius* 185.
Athenienſis, *Stephanus*, vide *Stephanus* Athenienſis ibid.
Athenius, *Guilielmus* ibid.
Atrocianus, *Johannes* ibid.
Avanzini, *Joſephus* 567.
Avantius, *Carolus* 185.
Aubel, *Thomas* ibid.
Avellinus, *Franciſcus* ibid.
Avenius, *Johannes* ibid.
Avenzoar, *vide*, Abenzoar. 186.
Averroes. pag. 186.
Augenius à Monte Sanctô, *Horatius* ibid.
Auguſtbertus, *Theobaldus* 187.
Augurellus, *Joh. Aurelius* ibid.
Auguſtis, *Quiricus de* ibid.
Avicenna. ibid.
Avila, *Ludovicus de* 189.
Auletius, *Alhardus* ibid.
Avola, *Franciſcus* ibid.
Avolus, *Cæſar* ibid.
Aurelianus, *Cælius* ibid.
Aurelius, *Gaudens* 191.
Aurifaber, *Andreas* ibid.
Ausfeldus, *Joh. Chriſtophorus* ibid.
Auſtriacus, *Johannes* ibid.
Auſtrius, *Sebaſtianus* ibid.
Auzotius, *Adrianus* ibid.
Axtius, *Joh. Conradus* ibid.
Ayala, *Gabriel* ibid.
Ayrerus, *Chriſtoph. Henricus* 192.
Joh. Chriſtophorus ibid.

LIB. II.

Baccanellus, *Johannes* 193.
Baccerus, *Janus* ibid.
Bacchius. ibid.
Baccius, *Andreas* ibid. & 567.
ſeu de Back, *Jacobus* 194
Bachetti, *Laurentius* 567.
Backmeiſterus, *Matthæus* ibid.
Backtishua, *Georgius* ibid.
Baco, *Rogerius* ibid.
Baconus de Verulamiô, *Franciſcus* 195.
Bacquere, *Benedictus de* 196.
Badius, *ſeu*, Baldus, *Sebaſtianus* ibid.
Baduellus, *Claudius* ibid.
Baersdorp, *Cornelius à* ibid.
Bagellardus à Flumine, *Paulus* 197
Baglivus, *Georgius* ibid. & 567.
Baierus, *Joh. Jacobus* 220
Baillifius, *Rochius* 223
Baiſneſius, *Fauſtus Neronus* ibid.
Balamius, *Ferdinandus* ibid.
Balbian, *Juſtus* ibid.
Balcianellus, *Johannes* ibid.
Baldach, *Canalmuſalus de* ibid.
Balde, *Jacobus* ibid.
Baldeſius, *Antonius* ibid.
Baldi, *vide* Baldius. ibid.
Baldinius, *Baccius* ibid.
Baldinus, *Bernhardinus* ibid.
Baldit, *Michael* ibid.
Baldius, *ſeu* Baldi, *Baldus* ibid.
Baldovinus. 224
Balduinus, *Chriſt. Adolphus* ibid.
Baldus, *Camillus* ibid.
Sebaſtianus, *vide* Badius 225
Baldutius, *Valerius* ibid.
Baleſtrini, *Philippus* ibid.
Balianus, *Joh. Baptiſta* ibid.
Balliſta, *Chriſtophorus* ibid.
Ballonius, *Guilielmus* ibid.
Balthazar, *Theodorus* 229
Baniſter, *Johannes* 567
Banzerus, *Marcus* 229
Baravalle, *Chriſtophorus* ibid.
Barba, *Petrus* ibid.
Barbarus, *Hermolaus* ibid.
Barbatus, *Hieronymus* ibid.
Barberius, *Ludovicus Maria* ibid.
Barbette, *Paulus* ibid.
Barbeyrac, *Carolus* 230
Barckhauſen, *Joh. Conradus* 231. & 567
Bardus, *Hieronymus* 236

Bargæus, *Petrus Angelius* pag. 236
Barham. 567
Baricellus, *Julius Cæſar à St. Marcô* 236
Barilius, *Johannes* ibid.
Bariſanus, *Franciſc. Dominic.* ibid.
Barlandus, *Hubertus* ibid.
Barles. 567
Barnerus, *Jacobus* 236
Baroccius, *Alphonſus* 237
Baronius, *Theodorus* ibid.
Vincentius ibid.
Barreda, *Gondiſalvus* ibid.
Barrelierus, *Jacobus* ibid.
Barrera. 567.
Barrow, *Iſaacus* 238
Barry, *Eduardus* 567
Barthius, *Michael* 238
Bartholus, *Georgius Theodorus* ibid.
Bartholinus, *Albertus* ibid.
Caſparus ibid. & 569.
Caſparus, Thomæ Filius 239
Eraſmus 241
Laurentius 242
Thomas ibid.
Thomas, Thomæ Filius 245
Bartius, *Jeremias* ibid.
Bartoletus, *Fabritius* ibid.
Bartolus, *Sebaſtianus* 575
Bartſchius, *Jacobus* 245
Barziziis, *Chriſtophorus de* ibid.
Baſcarinus, *Johannes* ibid.
Baſius, *Antonius* ibid.
Baſſianus, *Baſſianus Landus* 246
Baſſinus, *Joh. Antonius* ibid.
Baſſo, *Sebaſtianus* ibid.
Baſſus & Sextius Niger. ibid.
Joh. Jacobus ibid.
Baſtellus, *Andreas* ibid.
Bate, *Georgius* ibid.
Bateus, *vide*, Salmon. ibid.
Battier, *Samuel* 575
Battus, *Conradus* 246
Levinus ibid.
Bauderonus, *Bricius* ibid.
Baudiſius, *Joachimus* ibid.
Baverius de Baveriis, *Johannes* ibid.
Bauheſius, *Petrus* ibid.
Bauhinus, *Caſparus* ibid.
Johannes 248
Baviſanus, *Franc. Dominic.* ibid.
Baunannus, *Gerhardus* ibid.
Joh. Nicolaus ibid.
Bauſchius, *Jo. Laurentius* 249
Leonhardus ibid.
Bauſnerus, *Bartholomæus* ibid.
Bautzmannus, *Jo. Chriſtophor.* ibid.
Bayerus, *Jo. Michael* 253.
Bayfield, *Robertus* ibid.
Bayle, *Franciſcus* ibid.
Baynard. 576
Bayro, *Petrus de* 255.
Bazicalva, *Aſcan. Maria* ibid.
Be, *Paulus du* ibid. & 576
Beatus, *Georgius* 255
Beaumontenſis, *Clem. Guil.* 576
Bebelius, *Henricus* 255
Becherus, *Jo. Joachimus* ibid. & 576
Bechius, *Philippus* 256
Becke, *David von der* ibid.
Beckerus, *Jo. Conradus* ibid.
Nicolaus Guilielmus 257
Daniel ibid. & 576
Beckettus. 578
Beddevole, *Domin.* ibid.
Beguinus, *Johannes* pag. 274
Behrens, *Conradus Bertholdus* 258
Belida, *Johannes* 274
Belleus, *Theodorus* ibid.
Bellingerus, *F.* ibid.
Bellinus, *Laurentius* 275. & 578
Belliſarius, *Ludovicus* 278
Belloeatus, *Aloyſius* ibid.
Belloforto, *Johannes à* ibid.
Bellonius, *Paulus* ibid.
Petrus ibid.
Belloſte, *Auguſtinus* 279
Bellunenſis, *Andreas* ibid.
Bellus, *Honorius* ibid.
Below, *Bernhardus* ibid.
Belus de Rocca Contrada, *Lucianus* 280
Benancius, *Licetus* ibid.
Benciis, *Hugo de*, vid. Bentius. 281
Bendelius, *Balthaſar* ibid.
Bendinellus, *Matthæus* ibid.
Benedictus. ibid.
Alexander ibid.
Germanus Johan. ibid.
Regius, *Johannes* ibid.
à Guelfalione, *Julian. Cæſar* ibid.
Liberius ibid.
Benetti, *Joh. Dominicus* ibid.
Benettus, *Chriſtophorus* 283
Benevolus, *Antonius* 282
Benexia, *Berſanus* 283
Benimiranus, *Iſaacus* ibid.
Benivenius, *Antonius* ibid.
Bentius, *Hugo*, vid. Benciis. 284
Benzonus, *Nicolaus* ibid.
Berengarius, *Jacobus* ibid.
Berga, *Antonius* ibid.
Bergamius, *Cæſar* ibid.
Bergenſis, *Gerhardus* ibid.
Bergerus, *Jo. Gothofredus* ibid. & 578
Claudius 578
Simon 289
Bergius, *Johannes* ibid.
Bergomas, *Guido* ibid.
Berigardus, *Petrus* ibid.
Beringer. 578
Bernabeus, *Antonius Nicolaus* 289
Bernerius, *Franciſcus* 290
Johannes ibid.
Sylveſter 292
Bernerus, *Gottlieb Ephraim* ibid.
Bernhardi de Bernitz, *Martinus* 293
Bernhardinus, *Franciſcus* ibid.
Bernhardus, *Florius* ibid.
Nicolaus ibid.
Bernouillius, *Johan.* ibid. & 578
Daniel 578
Beroaldus, *Philippus* 294
Berrelarius, *Elpidius* ibid.
Bertacchius, *Dominicus* ibid.
Bertaldus, *Joh. Ludovicus* ibid.
Bertapalia, *aliàs* Prædapalia, *Leonhard.* ibid.
Berthiolus, *Antonius* ibid.
Bertholdus, *Andreas* ibid.
Bertini, *Antonius Franciſcus* ibid.
Bertinus, *Georgius* 296
Bertocius, *Alphonſus* ibid.
Bertrandus. ibid.
Bernhardus 297
Bertrucius & Bertuccius, & *etiam* Bertracius,
Nicolaus ibid.
Beſardus, *Joh. Baptiſta* ibid.
Beſlerus, *Baſilius* ibid.
Michael Rupertus ibid.
Beſſe. 579

Beſſo-

Beſſonus, *Jacobus* pag. 297
Beſſus, *Jacobus* ibid.
Betarmen, *aliàs* Betarnem. ibid.
Betera, *Felicianus* 298
Bethatz, *Johannes de* ibid.
Bettus, *Antonius Maria* ibid.
Johannes ibid.
Beverovicius, *Johannes* ibid.
Beughem, *Cornelius à* ibid.
Beutherus, *David* 579
Beyer, *Ezechiel* 299
Beyerus, *Joh. Hartmannus* ibid.
Beza, *Theodorus* ibid.
Beze. 579
Bianchi, *Andreas* 299
Bianchus, *Jo. Baptiſta* ibid. & 579
Bicaiſius, *Honoratus* 305
Bickerus, *Johannes* ibid.
Bidloo, *Gotofredus* ibid. & 579
Bidloo, *Lambert.* 579
Nicolaus ibid.
Biel, *Gabriel* 307
Bierlingius, *Caſparus Theophilus* ibid.
Biermannus, *Martinus* 309
Bieſius, *Nicolaus* ibid.
Bifrons, *Jacobus* ibid.
Bilgerus, *Johannes* ibid.
Billerez. 579
Billichius, *Antonius Guntherus* 310
Billingerus, *Fr.* 309
Bilſius, *ſive* de Bils, *Ludovicus* 310
Bimius, *Leonhardus Franc.* 311
Binabiollus, *Hannibal* 310
Binder, *Udalricus* 311
Bingesla, *Buhabylya* ibid.
Binningerus, *Jo. Nicolaus* ibid.
Birbeck, *Chriſtophorus* ibid.
Birellus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Birrius, *Martinus* ibid.
Biſellus, *Agapitus à Saxôferratô* ibid.
Biſogno, *Gennaro del* 579
Biſſus, *Franciſcus* 311
Biumi, *Paulus Hieronymus* 579
Blackmore, *Richardus* 312 & 579
Blacvodæus, *Henricus* 314
Blair *Patrick* 580
Blancardus, *Stephanus* 314. & 582
Blanchellus, *Menghus* 318
Blandinus, *Petrus* ibid.
Blaſius, *Armegandus* ibid.
Gerardus ibid.
Blaw, *Joh. Frider.* 319
Matthias 320
Blaven, *Andreas de* 329
Blawenſtein, *Salomon de* ibid.
Blazeri *G.M.* 582
Blegny, *Nicolaus de* 329
Bliſcher, *Vitus de* 330
Blochwitius, *Martinus* ibid.
Blondel, *Franciſcus* ibid.
Blondellus, *Petrus* ibid.
Blondus, *Michaël Angelus* ibid.
Petrus 331
Bloſſius, *Sebaſtianus* ibid.
Blumentroſt, *Laurentius* ibid.
Boatus, *Gerhardus* ibid.
Bocangelius, *Petrus* ibid.
Bocaudius, *Johannes* ibid.
Boccacini, *Antonius* 582
Boccangel, *Nicolaus* 331
Bocconus, *Sylvius Paulus* 332
Bochalinus, *Joh. Franciſcus* 331
Bochartus, *Samuel* 337
Boczavotra, *Joh. Antonius* ibid.
Boddinus, pag. 337
Bodeckerus, *Johannes* ibid.
Bodenſtein, *Adamus à* ibid.
Boderius, *Thomas* ibid.
Bodinus, *Johannes* ibid.
Boeckelmannus, *Joh. Friderici* 338.
Boeclerus. ibid.
Boerhaave, *Hermannus* ibid. & 582
Boeſſius, *Dionyſius Salvagnius* 341
Boetius de Boodt *Anſelmus* ibid.
Boetticherus, *Joh. Gottlieb* ibid.
Bogardus, *Adamus* 343.
Bogdanus, *Martinus* ibid.
Bohmius, *Johannes* ibid.
Bohnius, *Johannes* ibid.
Boiſotus. 347
Bokelius, *Johannes* 348
Bolignius, *ſeu*, Bologninus, *Angelus* ibid.
Bollingerus, *Ulricus.* ibid.
Bolneſtus, *Eduardus* ibid.
Bolognetti, *Pompejus.* ibid.
Bolzetta, *Angelus.* ibid.
Bompartius, *Marcellinus.* ibid.
Bon, *Johannes le* ibid.
Bonaciolus, *Ludovicus* ibid.
Bonacoſſius, *Hercules* 349
Bonacurſius, *Bartholom.* ibid. & 583
Bonafides, *Franciſcus* 349
Bonagentibus, *Victor de* ibid.
Bonamicus, *Franciſcus* ibid.
Bonannus, *Philippus* ibid.
Bonaventura, *Fredericus* 352
Boncore, *Thomas* 583
Bonetus *Pariſienſis.* 352
Theophilus 353
Bonfilius, *Onuphrius* 356
Boniporſus, *Hieronymus* 360
Bonnetius, *Claudius* ibid.
Bonnius. ibid.
Bonominus. 361
Bonomus, *Joh. Coſmus* ibid.
Bononienſis, *Berytius* ibid.
Bononius 583
Bontekoe, *Cornelius* 361. & 583
Bontius, *Jacobus* 366
Bonvinius, *Elias* ibid.
Bonus, *Joh. Philippus* ibid.
Boodt, *vide* Boëtius.
Bootius, *Arnoldus* ibid.
Bordingus, *Jacobus* ibid.
Bordonus, *Benevenutus* ibid.
Borellus, *Joh. Alphonſus* ibid. & 584
Petrus 370
Borgaruccius, *Proſper* 371
Borgeſius, *Johannes* ibid.
Bornettus, *Duncanus* ibid.
Borrichius, *Olaus* ibid.
Borro, Branda, *vide* Burrus 439
Borromeus, *Antonius Maria* ibid.
Boſche, *Guiliel. van den* 440
Boſchettus, *Bartholomæus* 584
Boſcius, *Joh. Lonœus* 440
Boſco, *Johan. Jacobus Manlius* ibid.
Boſcus, *ſeu* Boſchi, *Andreas* ibid.
Hyppolitus ibid.
Boſellus, *Franciſcus* ibid.
Boſſ, *Joh. Henricus* 441
Botallus, *Leonhardus* ibid.
Botin 584
Botterus, *Henricus* 441
Botticher, *Joh. Guil.* 584
Bottonus, *Albertinus* 441
Dominicus ibid. & 584
Boucardus, *Claudius* 442

Bouchardus, *Franciſcus* pag. 442
Boudowyns, *Michael* ibid.
Boulduc 584
Boulton, *Richardus* 442 & 584
Bourdelin, *Claudius* 584
Bourdelotius, *Petrus* 445
Bourdon 584
Bourg Dieu, *Carolus Valeſius du* 445
Bourgogne, *Ludovicus de* ibid.
Bourſier, *Domina* 584
Bourſuetus, *Franciſcus* 445
Boutherove, *Michaël* ibid.
Boutnaud 584
Bowerus ibid.
Bowiz, *Joh. Caſparus* 445
Boxbergerus, *Joh. Caſparus* ibid.
Boyle, *Robertus* ibid.
Boymus, *Michaël* 457
Boys, *Johannes du* ibid.
Bozerus, *Johannes* ibid.
Bozzavotra, *Antonius* 584
Bra, *Henricus à* 457
Brabus Chamicus, *Johannes* ibid.
Braceſcus, *Johannes* ibid.
Brachelius, *Hier. Triv.* ibid.
Brachius, *Jacobus* ibid.
Bradley, *Richardus* 458. & 584
Braems, *Johannes* 461
Brahe, *Tycho* ibid.
Brambachius, *Johannes* ibid.
Branchaleon, *Johan. Franciſcus* ibid.
Brancatius, *Franciſcus Maria* ibid.
Brand, *Fridericus* ibid.
Paulus ibid.
Brandolinus. ibid.
Braſavola, *Hieronymus* 462
Hieronymus alter ibid.
Braſavolus, *Anton. Muſa* ibid.
Braſſicanus, *Joh. Alexander* ibid.
Braun, *Nicolaus* ibid.
Hieronymus ibid.
Braunius, *Salomon* ibid.
Braunſchweig, *Hieronymus* ibid.
Bravo 584
Bravo de Sobremonte Ramires, *Caſparus* 462
Johannes 463
Petrus ibid.
Brechtelius, *Chriſtophorus Fabius* ibid.
Brechtfeldius, *Joh. Henricus* ibid.
Brechtius, *Clemens Joſephus* 469
Brendelius, *Adamus* ibid.& 584
Joh. Philippus 470
Zacharias ibid.
Brenggerus, *Joh. Georgius* ibid.
Brentzius, *Andreas* 471
Breſon *Carolus le* ibid.
Breton *le* 584
Breynius, *Jacobus* 471
Joh. Philippus ibid.
Briſſault, *Jacobus* 475
Brigantius, *Annibal* ibid.& 585
Briggs, *Guilielmus* 475
Brigthus, *Timotheus* 477
Briſianus, *Hieronymus* ibid.
Briſſæus, *Briſcaw.* ibid.& 586
Briſſotus, *Petrus* 478
Britannus, *Robertus* ibid.
Brixienſis, *Guilielmus* ibid.
Brocardus, *Marinus* ibid.
Broeckuiſen, *Benjamin à* ibid. & 586
Broen, *Johannes* 478
Broncorus, *Thomas* 479.& 586
Bronzerius, *Joh. Hieronymus* 479
Broiſſe, *Guido de la* ibid.
Brotbeck *Joh. Conradus* pag. 586
Brouchuſſius, *Daniel* 479
Brown, *Eduardus* ibid.
Browne, *Johannes* 481 & 586
Richardus 482
Joſephus ibid.
Andreas 586
Brownius, *Thomas* 483
Brucæus, *Henricus* 486
Bruckmannus, *Franciſc. Erneſtus* ibid. & 586
Brudus *Luſitanus* 487
Bruele, *Gualterus* ibid.
Bruheſius, *Petrus* ibid.
Bruitſma, *Regnerus* ibid.
Brumanus, *Sigiſmundus* ibid.
Brunacius, *Gaudentius* 488
Brunen, *Joh. Chriſtophorus* ibid.
Brunn *Joh. Jacobus à* ibid.
Brunnerus, *Balthazar* ibid.
Joh. Conradus 489 & 586
Bruno, *Jacobus Pancratius* 518
Chriſtophorus ibid.
Brunsfelſius, *Otto* ibid.
Brunus. 519
Vincentius 587
Bruſchius, *Franciſcus* 519
Bruun, *Johannes* ibid.
Bruxius, *Adamus* 520
Bruyerinus, *Johannes* ibid.
Bryllus de Lendenariâ, *Hippolitus* ibid.
Bſcherer, *Daniel* ibid.
Bua, *Joſephus* 523
Buccaferrea, *Ludovicus* ibid.
Buccella, *Nicolaus* ibid.
Buccius, *M. Auguſtinus* ibid.
Buchwald, *Johannes de* ibid.
Bucius, *Dominicus* ibid.
Bucoldianus, *Gerhardus* ibid.
Bucretius, *Daniel* ibid.
Budæus, *Guilielmus* ibid.
Theophilus 524
Buecherius, *Adamus* 528
Bufalus, *Annibal* ibid.
Buiſſon, *Ludovicus du* ibid.
Bulengerius, *Julius Ceſar* ibid.
Bulengerus, *Petrus* ibid.
Bulgetius, *Attilius* ibid.
Bulckley, *Eduardus* 587
Bulſtrode, *Whiteloche* 528
Bumaldus, *Joh. Antonius* 529
Buncken, *Chriſtianus* ibid.
Bunellus, *Guilielmus* ibid.
Burcell, *Johannes* ibid.
Burchelatus, *Bartholomæus* 531
Burckhardus, *Jacobus* ibid.
Joh. Rudolphus ibid.
Burgenſis, *Conſolentaneus* ibid.
Claudius ibid.
Ludovicus ibid.
Burggravius, *Joh. Philippus* 532
Joh. Erneſtus 534
Burgius, *Johannes* ibid.
Calatajeronenſis, *Johannes* 542
Burgo, *Janus de* 543
Burgos, *Alphonſus de* ibid.
Johannes de ibid.
Burgowerus, *Johannes* ibid.
Burgundus, *Vincentius* ibid.
Burlet. 587
Burlinus, *Jacobus* 543
Burnet, *Thomas* ibid.
Burrhus, *Franc. Joſephus* 544 & 587
Burrough *Jacobus* 587
Burſerus, *Joachimus* 544

Buſæus,

Buſæus, *Johannes* pag. 544.
Buſchius, *Sebaldus* ibid.
Buſennius, *Antonius* ibid.
Buſſiere, *Paulus* ibid. & 587.
Buſſcoſius, *Hermannus* 547
Buſtamente de Paz, *Benedictus* ibid.
Buſtumantinus de la Camare, *Johannes* ibid.
Buſtus, *Angelus* ibid.
Butinus, *Johannes* ibid.
Butius, *Vincentius* 548
Butnerus, *Johannes* ibid.
Buttners, *David Sigiſmundus* ibid.
Butzius, *Johannes* 549
Petrus 550
Buxbaum. ibid.
J. C. 587
Byetius, *Thomas* 550
Bylerus, *Lucas* ibid.
Byngeſla, *Buhytyla.* ibid.
Bzovius, *Abrahamus.* ibid.

In Parte II. Primi Tomi, quæ continet Libros III. ad VIII.

ſeu Litt. C. H.

CAballis, *Carolus*, Comes de pag. 1.
Caballus, *Franciſcus*, ibid.
Cabæus, *Nicolaus* 2.
Cabrera, *Franciſcus de* ibid.
Cabreſra, *Gundiſalv. Rodriquez de* ibid.
Cabrolius, *Bartholomaus* ibid.
Cachetus, *Chriſtophorus* ibid.
Cælius, *Antonius* ibid.
Apitius, vid. Apitius.
Cæſalpinus, *Andreas* ibid. & 52.
Cæſar, *Longinus* ibid.
Cæſarius, *Johannes* ibid.
Cæſius, *Bernhardus* 3
Cagnatus, *Marſilius* ibid.
Cahagneſius, *Jacobus* ibid.
Caimus, *Pompeius* ibid.
Zacharias ibid.
Caius, *Bernhardinus* ibid.
Johannes. ibid.
Calafattus, *Georgius* 4.
Calaminus, *Georgius* ibid.
Calander, *Stephanus.* ibid.
Calanus, *Mauritius* ibid.
Proſper ibid.
Calceolarius, *Franciſcus* ibid.
Caldarone, *Jacobus* 5
Caldera de Heredia, *Caſparus* ibid.
Caleſtanus, *Hieronymus* ibid.
Calid Filius Jarichi. ibid.
Calliſthenes. ibid.
Calmette, *Franciſcus* ibid.
Calonymos. ibid.
Calopetræus Carthuſius, *Thomas* ibid.
Calvinus, *Innocentius* 6
Calvo, *Johannes* ibid.
Calvus, *Marcus Fabius* ibid.
à Salonia, *Michael* ibid.
Calzavelia, *Vincentius* ibid.
Camannes, *Petrus* ibid.
Camelius. ibid.
P. ibid.
Camenicenus, *Jacobus* ibid.
Camerarius, *Elias Rudolphus* 7
Elias ibid.
Joachimus 17.
Joachimus, Joach. filius ibid.
Rudolphus Jacobus ibid.
Rudolphus Johannes 23
Campanella, *Thomas* pag. 23.
Campegius, *Johannes* ibid.
Symphorianus ibid.
Campen, *van Chriſtophorus* 25
Campenſis, *Johannes Antonius* ibid.
Campenſius, *Claudius* ibid.
Campo, *Benedictus de* ibid.
Campolongus, *Æmilius* ibid.
Campus, *Balthaſar* ibid.
Franciſcus ibid.
Camutius, *Andreas* ibid.
Canamuſalus, *ſeu*, Alcanamoſalus de Baldach. ibid.
Cananus, *Anton. Maria* 26
Joh. Baptiſta ibid.
Canapus, *Johannes* ibid.
Candidus Decembrius, *Petrus* ibid.
Caneparius, *Petrus Maria* ibid.
Caneſius, *Bernhardus* ibid.
Canevarius, *Demetrius* ibid.
Canonherius, *Petrus Andreas* ibid.
Cant, *Arent.* ibid.
Cantonius, *Vincentius* 27
Capella, *Michael de* ibid.
Capellanus, *Johannes* ibid.
Capellutus, *Rolandus* ibid.
Capitaneus, *Petrus* ibid.
Capivaccius, *Hieronymus* ibid.
Cappella, *Joh. Antonius* 777
Cappocius, *Franciſcus* 28
Capra, *Marcellus* ibid.
Caprilius, *Pius Æneas* ibid.
Capuanus, *Leonhardus* ibid.
Caranes, *Bernhardus* 33
Caranta, *Jacobus* ibid.
Caravantes, ibid.
Carcanus, *Archelaus* ibid.
Joh. Baptiſta ibid.
Ignatius 777
Carceus, *Martinus* 33
Carcheſius, *Valentinus* ibid.
Cardanus, *Hieronymus* ibid.
Joh. Baptiſta 35
Cardelinus, *Victor* ibid.
Cardenas, *Johannes de* ibid.
Cardilucius, *Joh. Hiskias* ibid.
Cardoſus, *Ferdinandus* ibid.
Ferdinandus Rodericus ibid.
Carellis, *Vincentius de* ibid.
Carenus, *Petrus* ibid.
Carerius, *Alexander* ibid.
Caretanus, *Johannes* ibid.
Carillo, *Alphonſus* ibid.
Carinus, *ſeu* Carinus, *Ludovicus* 36
Carl *Joh. Samuel* ibid.
Carmenius, *Daniel* ibid.
Carmona, *Johannes de* ibid.
Carnarius, *Johannes* 37
Carnevala, *Johannes Baptiſta* ibid.
Carolus, *vid.* Stephanus, *Carolus*
Theodorus ibid.
Carpentarius, *Jacobus*; vid. Berengarius. ibid.
Carpinetus, *Tarquinius* ibid.
Carpus, *Jacobus*, vid. Berengarius ibid.
Carr, *Richardus* ibid.
Carranza, *Alphonſus à* 38.
Carrarius de Monte Silice, *Petrus* ibid.
Vincentius ibid.
Carrero, *Petrus Garcias* 38. & 437
Carronus, *Jacobus* 39
Carroza, *Johannes* ibid.
Cartagena, *Antonius* ibid.
Petrus de ibid.
Carterius, *Melchior* 39
Stephanus ibid.

Cartes, *Renatus des* pag. 39
Carvinus, *Johannes* ibid.
Caſæus, *Johannes* ibid.
Caſalenus, *Johannes Antonius* 40
Caſalis, *Vincentius* ibid.
Caſander, *Fridericus* ibid.
Caſcales, *Franciſcus Peres* ibid.
Caſe. ibid.
Caſearius, *Johannes* ibid.
Caſelius, *Johannes* ibid.
Caſerta, *Joh. Antonius* ibid.
Caſmannus, *Otto* ibid.
Caſpius, *Georgius* ibid.
Caſſanus, *Ferdinandus* ibid.
Franciſcus ibid.
Caſſelius, *Joh. Durantius* ibid.
Caſſerius, *Julius* ibid.
Caſſianus 41
Caſſius *Andreas* ibid.
Felix ibid.
Caſſola, *Scipio* ibid.
Caſtagnerus, *Jacobus* ibid.
Caſtalio, *Joſephus* ibid.
Caſtallus, *Pomponius* ibid.
Caſtanea, *Chriſtophorus* ibid.
Caſtellanus, *Honoratus* ibid.
Johannes ibid.
Petrus ibid.
Caſtelli albi, *Joh. Fridericus* 42
Caſtellionius, *Petrus Maria* ibid.
Caſtello, *Tura de* ibid.
Caſtellus, *Bartholomaus* 43. & 777
Edmundus 43
Felix ibid.
Johannes ibid.
Petrus ibid.
Philotheus ibid.
Ludovicus 777
Caſtelvitreus, *Jacobus* 43
Caſtiglione, *Petrus Maria* ibid.
Joh. Honoratus ibid.
Caſtillo Ochoa, *Thomas del* 44
Caſtnerus, *Johannes* ibid.
Caſtor, *Antonius* ibid.
Caſtrenſis, *Franciſcus* ibid.
Caſtrius, *Jacobus* ibid.
Caſtro, *Andreas Antonius de* ibid.
Ezechiel de ibid.
Petrus à ibid.
Rodericus à ibid.
Stephanus Rodericus, vulgo *Rodriguez* 45
Caſulanus, *Prothus* ibid.
Caſus, *Johannes* ibid.
Catalanus, *Arnoldus* ibid.
Cataneus, *Jacobus* ibid.
Catania, *Franciſcus* ibid.
Catanutus, *Nicolaus* ibid.
Catelan, *Abbas de* 46
Catelanus, *Laurentius* ibid.
Cato, *Marcus Porcius* ibid.
Catoſius, *Matthaus* ibid.
Cattier, *Iſaac* ibid.
Cavalcantibus, *Guido de* 47
Cavallarius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Cavallus, *Franciſcus* ibid.
Caufunger, *Georgius* ibid.
Cavigiolio, *Joh. Baptiſta de* ibid.
Cauliaco, *Guido de* ibid.
Cauſe, *de* ibid.
Caxanes, *Bernhardinus* ibid.
Ceckius, *Johannes* ibid.
Cella nova, *Andreas à* ibid.
Cellarius, *Salomon* ibid.
Cellius, *Erhardus* 48
Celſus, *Apuleius* pag. 48
Aurelius Cornelius 49. & 777
Centannius, *Valerianus* 51
Cephalus, *Arioponus* ibid.
Ceraſarienſis, *Tricaſtus* ibid.
Cerda, *Emanuel de la* ibid.
Cereti, *Daniel* ibid.
Cerf, *Petrus le* ibid.
Cermiſonus, *Antonius* ibid.
Cervienſis, *Theodoricus* ibid.
Cerutus, *Benedictus* ibid.
Ceſalpinus, *Andreas* 2. & 51
Ceſtonus, *Hiacynthus* 777
Ceſtrenſis, *Raſes* 52
Chabræus, *Dominicus* ibid.
Chacon, *Dionyſius Daza* ibid.
Chæreas. ibid.
Chalin de Vinariô, *Raymundus* ibid.
Chalmeteus, *Antonius* ibid.
Chambre, *Marinus Cuneus de la* ibid.
Chameau, *L.* ibid.
Chamicus, *Joh. Brabus* 53
Chapuſius, *Claudius* ibid.
Charas, *Moſes* ibid.
Charenſius Toſettus, *Ludovicus* ibid.
Charicles. ibid.
Charleton, *Gualtherus* 54
Charriéres, *Joſephus de la* ibid.
Charſtædius, *Valerius* 56
Chartarius, *Jo. Ludovicus* ibid.
Charterius, *Renatus* ibid.
Chartierus, *Johan.* ibid.
Chatel, *Petrus du* ibid.
Chemnitius, *Johan.* ibid.
Cheſelden, *W.* ibid.
Cheſnau, *Nicolaus* 57
Chicotius, *Johannes* ibid.
Chiffletius, *Johan.* ibid.
Johan. Jacobus ibid.
Chioccus, *Andreas* ibid.
Chilian, *Balthaſar* ibid.
Chirac, *Petrus* ibid.
Chmielecius, *Martinus* 58
Chomel, *Franciſcus* ibid.
Choul, *Joh. du* ibid.
Chriſtianus. ibid.
Andreas ibid.
Wolffgangus ibid.
Chriſtiernus, *Johannes* ibid.
Chriſtinus à Juvellinâ, *Bernhardinus* ibid.
Chroſczieyoioskii, *Johan.* ibid.
Chrouet, *Warnerus* ibid.
Chryſæus, *Bartholomaus* ibid.
Chryſippus, *vid.* Cryſippus ibid.
Chryſogonus, *Fridericus* ibid.
Chuden, *Fridericus* ibid.
Chytræus, *David* 59.
Nathanael. ibid.
Ciaconius, *Petrus* ibid.
Ciaſſus, *Joh. Maria* ibid.
Ciccarellus, *Alphonſus* ibid.
Ciconia, *Flaminius* ibid.
Cigalinus, *Franciſcus* ibid.
Paulus ibid.
Cigogna, *Strozzius* ibid.
Cinus, *Julius* 60.
Citadinus, *Henricus* ibid.
Citeſius, *Franciſcus* ibid.
Cittadinus, *Antonius* ibid
Ciuccius, *Anton. Philippus* ibid.
Civininus, *Laurentius* ibid.
Claſ, *Ciriacus Lucius de* ibid.
Clapiceus, *Jacobus* ibid.
Claramontius, *Scipio* ibid.
Clarck, *Guilielmus* ibid.

Clar-

Clarkius, *Timotheus* pag. 60
Claromontius, *Carolus* ibid.
Clarus Mons, *Hieronymus* ibid.
Clavariis, *Joſephus Phavorinus à* ibid.
Clauderus, *Chriſtianus Erneſtus* 61
Fridericus Guilielmus 62
Clauderus, *Gabriel* 63
Claudinus, *Julius Caſar* 76
Clavena, *Nicolaus* 77
Clavenna, *Jacobus Antonius* ibid.
Claveronus, *Hyacinthus* ibid.
Claveus, *ſeu* Gaſto Dulco. ibid.
Clavius, *Claudius* ibid.
Clauſſius, *Matthæus* 78
Cleempus ibid.
Clemens, *Julius* ibid.
Clementinus, *Clementius* ibid.
Cleon. ibid.
Cleopatra. ibid.
Cleophantus ibid.
le Clerc Medicus Regius 78 & 779
Daniel 79
Cletus *Aëtius* 81
Cleyer *Andreas* ibid.
Clivolo, *Bartholomæus à*, vid. Viottus 84
Clodius *Balduinus* ibid.
Cloke *Thomas* ibid.
Clos, *Dominicus du* ibid.
Cloſius, *Paulus* ibid.
Clozius, *Joh. Antonius* ibid.
Clueyrats, *Ludovicus* ibid.
Cluſius, *Carolus* ibid.
Clutius, *Augerius* 87
Cnœffelius, *Andreas* ibid.
Cnutius, *Juſtus* 88
Coberus, *Tobias* ibid.
Coboldus, *Johannes* ibid.
Cocanarius, *Fabritius* ibid.
Cocchius, *Anton. Caleſt.* 779
Cockburn, *Guilielmus* 88
Cocles, *Bartholomæus* 91
Codronchius, *Baptiſta* ibid.
Cœli, *Antonius* ibid.
Cogollus, *Vincentius* ibid.
Cogroſſius, *Carol. Franc.* 779
Cohauſen, *Joh. Henricus* 91. & 779
Coiterus, *Volcherus* 93.
Coittarus, *Thæræus, Joh.* ibid.
Coivart, *G.* ibid.
Colbath, *Johannes* 94
Colbius, *Joachimus* 97
Cole, *Guilielmus* ibid.
Colerus, *Johannes* 100
Coles, *Eduardus* ibid.
Colius, *Jacobus* ibid.
Collado, *Ludovicus* ibid.
Theodorus ibid.
Collardus, *Adrianus* ibid.
Colle, *Johannes* ibid.
Collenutius, *Pandulphus* 101
Colleſſon, *Johannes* ibid.
Collimitius, *Georgius* ibid.
Collinus, *Sebaſtianus* ibid.
Collius, *vid.* Colius ibid.
Collutius, *Franciſcus* ibid.
Colmenerus de Ledeſma, *Antonius* 101.
Columba, *Gerhardus* ibid.
Columbus, *Franciſcus* ibid.
Michaël 102.
Realdus ibid.
Columella, *Lucius* Junius *Moderatus* ibid.
Columna, *Fabius* ibid.
Colutius, *Phylander* ibid.
Combachius, *Johannes* ibid.
Combachius *Ludovicus* pag. 102
Comenius, *Joh. Amos* ibid.
Comercio, *Julius Caſar* 779
Comitibus, *Ludovicus de* 102.
la Commare 103.
Commelinus, *Johannes* ibid.
Caſparus 105.
Commintius, *Andreas* ibid.
Conciliator, *vid.* Albano ibid.
Concoregis, *Johannes de* ibid.
Conde, *Joh. Baptiſta de* ibid.
Condeeſyanus, *Hermannus* ibid.
Confalonerius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Conflentia, *Pantaleon de* 106.
Confortus, *Hieronymus* ibid.
Coningius, *Antimus* ibid.
Connor, *Bernhardus* ibid.
Conradi, *Caſparus* 110.
Conradinus, *Balthaſar* ibid.
Conradus Medicus Regius ibid.
Iſrael 111.
Conringius, *Hermannus* ibid.
Conſalvus, *Ferrandus* 112.
Conſentinus, *Petrus Matthæus* ibid.
Thomas Cornelius 113.
Conſtantinopolitanus, *Manlius* ibid.
Conſtantinus, *Antonius* ibid.
Aphricanus ibid.
Robertus ibid.
Contarenus, *Caſparus* 114.
Contarinus, *Angelus* ibid.
Contecillis, *Joh. Angelus de* ibid.
Contulus, *Joh. Baptiſta* ibid.
Cophon, ibid.
Copus, *Guilielmus* ibid.
Martinus 115.
Coq, *Paſchalis le* ibid.
Coquillatus, *Scipio Sebaſtianus*, ibid.
Corado, *Ludovicus* ibid.
Corbeus, *Hermannus* ibid.
Theodorus ibid.
Corbiſerius, *Joh. Bernhardus* ibid.
Cordæus, *Mauritius* ibid.
de Cordemoy ibid.
Cordicius, *Petrus* 116.
Cordo, *Simon à* 115.
Corduba, *Alphonſus de* ibid.
Cordus, *Euricius* ibid.
Valerius 116.
Corella, *Alphonſus de* ibid.
Cornachinus, *Horatius* 117.
Marcus ibid.
Thomas ibid.
Cornarius, *Diomedes* ibid.
Janus ibid.
Cornarus, *Aloyſius* 118
Ludovicus ibid.
Cornax à Medelâ, *Matthias* ibid.
Corneio, *Johannes* ibid.
Cornelius, *Aloyſius* ibid.
Mechelburgenſis ibid.
Thomas ibid.
Cornicius, *Jacobus* ibid.
Cornutus, *Jacobus* 119.
Cortacius, *Georgius* ibid.
Corte, *Hieronymus* ibid.
Bartholomæus ibid.
Cortes, *Johannes* 120.
Petrus ibid.
Corteſius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Petrus 120 & 780
Cortillo, *Sebaſtianus* ibid
Cornummius, *Juſtus* ibid.
Corvinus, *Joh. Petrus* ibid.

Corvus, *Andreas* pag. 121
Coſchwitz *Georgius Daniel* ibid.
Coſta *Chriſtophorus à* ibid.
Johannes 122
Joſephus à ibid.
Nonnius da ibid.
Romanus à ibid.
Coſtæus, *Johannes* ibid.
Coſterus, *Johannes* ibid.
Coudenbergius, *Petrus* ibid.
Couleus, *Abrahamus* ibid.
Courcellus, *Franciſcus* ibid.
Courtin, *Germannus* ibid.
Courvée, *Johannes Claudius de la* 133
Coward, *Guilielmus* 122
Cowper, *Guilielmus* 123
Craanen, *Theodorus* ibid.
Craft, *Juſtus* 136
Craftius, *Joh. Jacobus* ibid.
Cramerus, *Caſparus* ibid.
Fridericus ibid.
Gabriel ibid.
Johan. Iſaacus ibid.
Craſſus, *Carolus* ibid.
Hieronymus ibid.
Junius Paulus 137
Craterus. ibid.
Cratevas ibid.
Crato à Craffthein, *Johannes* ibid.
Crauſius, *Rudolphus Wilhelmus* 138
Cregutus, *Frider Chriſtian.* 141
Crellius, *Jacobus* 142
Crema, *Liberalis* ibid.
Cremerus, 143
Cremonenſis, *Gerhardus* ibid.
Otto ibid.
Cremoninus, *Cæſar* ibid.
Creſçentius, *Franciſcus* ibid.
Petrus ibid.
Nicolaus 780
Crinitus, *Petrus* 143
Crinous, *Paulus* ibid.
Crippa, *Bernhardinus* ibid.
Criſpus, *Antonius* ibid.
Johannes 144
Petrus ibid.
Criton ibid.
Crolachius, *Henricus* ibid.
Crollius, *Oſwaldus* ibid.
Cronæus Croone, *Guilielmus* ibid.
Cronenburgius, *Bernhardus Deſſenius* ibid.
Croone, *vid.* Cronæus 145
Croquerus, *Johannes* ibid.
Croſſ, *Franciſcus* ibid.
Cruce, *Antonius de* ibid.
Joh. Andreas à ibid.
Vincentius Alſarius à ibid.
ſeu Crucius, *Vincentius Alſarius à* ibid.
Cruciger, *Caſparus* 146
Crugerus, *Daniel* ibid.
Crugius, *Theodorus Chriſtophorus* 154
Cruſerius, *Hermannus* ibid.
Cruſius, *David* ibid.
Cruſus, *Johannes* ibid.
Cryſippus ibid.
Cubito, *Winceſlaus Payer de* ibid.
Cucchus, *Gaſparus* 780
Cuellar, *Henricus à* 155
Cuffarus, *Joh. Jacobus* ibid.
Culman, *Johannes* ibid.
Cumanus *Marcellus* ibid.
Cummenus, *Albardus Hermannus* ibid.
Cunea, *Martinus* pag. 155
Cunelius, *Georgius.* ibid.
Cuneus, *Gabriel* ibid.
Cuno, *Clemens Johan.* 156
Curæus, *Joachimus* ibid.
Curio, *Jacobus* ibid.
Johannes ibid.
Curtius, *Benedictus* ibid.
Matthæus ibid.
Nicolaus ibid.
Cuſa, *Nicolaus de* 157
Cuſpinianus, *Johannes* ibid.
Cynalochus, *David* ibid.
Cynthius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Cyprianus, *Abrahamus* ibid.
Cyrus. ibid.
Czanakius 158
Czaſchelius, *Tobias* ibid.

LIB. IV.

DAca, *Alphonſus* 159
Dacier, *Nicolaus* ibid.
Dagronettus, *Hieronymus* ibid.
Daillæus, *Petrus* ibid.
Daldianus, *Artemidorus* ibid.
Dale, *Samuel* ibid.
Dalechampius, *Jacobus* 160
Damageron, ibid.
Damaſcenus, *Janus* ibid.
Johannes ibid.
Damianus, *Tertius* 161
Damocritus, Democritus, *vel* Damocrates ibid.
Dampier *Georgius* ibid.
Dandinus *Hieronymus* ibid.
Danielis, *Daniel* ibid.
Danielli, *Stephanus* ibid.
Dantzius, *Johannes* 162
Dariottus, *Claudius* ibid.
Davidis, *Gottofr.* ibid.
Davinus, *Joh. Baptiſta* 162 & 780
Daviſſonus, *Guilielmus* 163
Dauſten, *Johannes* ibid.
Daza Chacon *Dionyſius* ibid.
Deanus, *Edmundus* ibid.
Decembris, *Angelus* ibid.
Decembrius; *Petrus Candidus* ibid.
Deckerus, *Fridericus* ibid.
Dee, *Johannes* ibid.
Arthurus ibid.
Deetzius, *Johannes* ibid.
Deidier, *Antonius* ibid.
Delaſſus, *Raymundus* 165
Delphinus, *Julius* ibid.
Delrius, *Martinus* ibid.
Demetrius Conſtantinopolitanus ibid.
Pepagomenus ibid.
Democedes, ibid.
Democlides, ibid.
Democritus, ibid.
Demoſthenes, 166
Denſthonius ibid.
Deodatus, *Alexander* ibid.
Claudius ibid.
Derebecque, *Jacobus Conſtantius* ibid.
Derham, *Samuel* 167
Deſiderius, *Guido* 168
Deſſenius Chronemburgius, *Bernhardus* ibid.
Derhardingius, *Georgius* ibid.
Deucerus, *Johannes* 169
Deventer, *Henricus à* ibid.

Deuſingius,

Deuſingius, *Antonius* pag. 171
Dexippus. 173
Diagoras. ibid.
Diatriſtan de Acuna, *Chriſtophorus* ibid.
Diaz, *Franciſcus* ibid.
Didymus. ibid.
Diemerbroeck, *Iſbrandus de* ibid.
Dienheim, Jo. *Wolffgangus* 174
Dies Daza, *Alphonſus* ibid.
Dieterici, Jo. *Conradus* 175
Dietericus, *Helvicus* ibid.
Jo. *Daniel* ibid.
Digbæus, *Kenelmus* ibid.
Digopius, *Johannes* ibid.
Dilectus, *Luſitanus* ibid.
Dillenius, Jo. *Jacob.* ibid.
Juſtus Frider. 176
Philippus Eberhardus 178
Dinghemius, *Leonh. Franciſcus* ibid.
Dinkelius, *Johannes* ibid.
Dinus de Garbo, *vid.* Garbo ibid.
Diocles. ibid.
Diodorus. 179
Diogenes. ibid.
Dionis, *Petrus* 179 & 780
Dionyſius, *aliàs* Muſſaphia, *Benjamin* 181
Paulus ibid.
Diophanes, Nicæenſis 182
Dioſcorides. ibid.
Pedacius ibid.
Dipelius, *Chriſtianus* ibid.
Diſſaldeus, *Franciſcus* 183
Diverſus, *Petrus Salius* 184
Diurius, *Johannes* ibid.
Dobrſensky, *Jac.* Jo. *Wenceſlaus* ibid.
Dodartius, *Dionyſius* ibid.
Dodonæus, *Rembertus* 185
Doebelius, Jo. *Jacobus* 186
Doeringius, *Michaël* ibid.
Dogmatica Medicina, *vid.* Empirica Medicina. ibid.
Doionus, *Julius* ibid.
Dolæus, *Johannes* ibid.
Jo. *Daniel* 192
Doldius, *Leonhardus* 193
Domergius. ibid.
Donatellus, *Johannes* 194
Donatius, Jo. *Baptiſta* ibid.
Donatus, *Bernhardinus* ibid.
Marcellus ibid.
Donckers, *Laurentius* ibid.
Dondis, *Jacobus de* 195
Johannes de ibid.
Donduzzi, *Hieron. Mar. Laur.* 780
Donia, *Matthæus* 195.
Donius, *Auguſtinus* 196
Jo. *Baptiſta* ibid.
Donoli, *Alphonſus* 196 & 780
Donzelinus, *Joſephus Anton.* 196
Donzellinus, *Hieronymus* 197
Donzellius, *Joſephus* 197 & 785
Dordonus, *Georgius* 197
Dornæus, *Gerardus* ibid.
Dornavius, *Caſparus* 198
Dorncreilius, *Tobias* ibid.
Dorſtenius, Jo. *Daniel* ibid.
Theodoricus 199
Dortomannus, *Nicolaus* ibid.
Douglas, *Jacobus* ibid.
Doute, *Philippus* 200
Dovynetus, *Jacobus* ibid.
Drageus, *Guilielmus* ibid.
Dragoiævus, *Johannes* ibid.
Drake, *Jacobus* ibid.
Drake *Rogerius* pag. 202
Drawiz, *Johannes* ibid.
Drebelius, *Cornelius* ibid.
Drelincurtius, *Carolus* ibid.
Dreſſerus, *Matthæus* 203
Dreyerus, *Abrahamus* ibid.
Droetus, *Petrus* ibid.
Druſianus, *aliàs* Turriſanus de Turriſanis ibid.
Dryander, *Johannes* ibid.
Dubravius, *Janus* ibid.
Duccinus, *Joſephus* 203. & 785
Duchat, *Stephanus de* 203
Ducretus, *Tuſſanus* ibid.
Dudithius, *Andreas ab Horecoviza* ibid.
Dugo Philonius, *Johannes* ibid.
Dulco, *ſive*, Claveus, *Gaſto* 204
Dumbelius de Angliâ, *Johannes* ibid.
Duncan, *Daniel* ibid.
Dunus, *Thaddæus* ibid.
Dupré. ibid.
Durandus, *Raymundus* ibid.
Durans, *ſeu*, Durantes, *Caſtor* ibid.
Durantius, *Johannes* 205
Duraſtantes, *Janus Matthæus* ibid.
Duratius, Jo. *Franciſcus* ibid.
Duretus, *Claudius* ibid.
Ludovicus ibid.
Durrius, *Georgius Tobias* ibid.
Duſus, *Æmilius* 208
Dutemplæus, *Stephanus* ibid.
Duval, *Balthaſar* ibid.
Duvalius, *Johannes* ibid.
Duvallius, *Guilielmus* ibid.
EBelius, *Henricus Chriſtophorus* 209
Eben, *Rodan* ibid.
Ebeneſus. ibid.
Ebenus, *Philippus Ludovicus* ibid.
Eberhardus, *Johannes* ibid.
Ebersbach, *David Laurent.* ibid.
Eberus, *Paulus* 210
Eblchius, *Johannes* ibid.
Echtius, *Johannes* ibid.
Eck, *Paulus* ibid.
Eckardus, *Fidelis* ibid.
Eckoldus, *Jacobus* ibid.
Eclectica Medicina. ibid.
Efferrarius. ibid.
Egberbus, *Sebaſtianus* ibid.
Eggerdes, *Alardus Mauritius* 211
Eglinus, *Raphaël* 212
Egnatius, *Baptiſta* ibid.
Eichſtadius, *Laurentius* ibid.
Eiſinſchmidius, Jo. *Caſparus* 213
Eiſlingerus, *Balthaſar* 214
Elama, *Regnerus ab* ibid.
Elianus Montalto, *Philotheus* ibid.
Elimitar, *Ellucbaſem* ibid.
Eliſius, *Johannes* ibid.
Ellain, *Nicolaus* ibid.
Ellebodius, *Nicolaus* ibid.
Ellingerus, *Andreas* ibid.
Elsholtius, Jo. *Sigiſmundus* ibid.
Elsnerus, *Joachim Georgius* 215
Elyſius, *Johannes* ibid.
Embitar. ibid.
Emericus, *Franciſcus* ibid.
Valentinus ibid.
Empedocles. ibid.
Empirica Medicina. 219
Encelius, *Chriſtophorus* 221
Engelbertus de Wenhoven, *Hermannus* ibid.
Wernerus ibid.
Entius, *Georgius* 222
Eobanus, *Helius* ibid.

Eraſt

Eraſmus, *Deſiderius* pag. 227
Epheſius, *Ruffus* 223
Michael ibid.
Epicharmus. ibid.
Epiphanius. 226
alter, *vide* Ferdinandus 227
Nicolaus ibid.
Epiſcopus, *Theobaldus* ibid.
Epiſynthetica Medicina. ibid.
Eraſiſtratus. ibid.
Eraſtus, *Thomas* 228
Ericius, *Ericus* 229
Erndl, *Chriſtianus Henricus* ibid.
Erndtelius, *Chriſt. Henricus* 787
Erneſti, *Johannes* 234
Ernius, *Andreas* ibid.
Ernſtius, *Jo. Georgius* 235
Erotes. ibid.
Erotianus. ibid.
Erotis, *aliàs* Trotula. ibid.
Eſculo, *Saladinus de* ibid.
Eſdra. ibid.
Eſpich, *Valentinus* ibid.
Eſtanove, *Petrus* ibid.
Eſteve, *Petrus Jacobus* ibid.
Eſthius, *Lubertus* ibid.
Franco ibid.
Etshenreuterus, *Gallus* ibid.
Ettmullerus, *Michael* 236
Mich. Erneſtus 239
Etzelerus, *Auguſtus* 241
Evandrophylax. ibid.
Evax. ibid.
Euchyon, *Diodorus* ibid.
Evelynus, *Johannes* ibid.
Everhardus, *Ægidius* ibid.
Antonius ibid.
Evesham, *Hugo de* ibid.
Eugalenus, *Severinus* ibid.
Eugenus, *Lactantius* 242
Eumelus. ibid.
Eunapius Sardianus. ibid.
Evonymus *Philiat.* ibid.
Euſtachius, *Bartholomæus* ibid.
Ferdinandus 244
Euthius, *Jo. Ægidius* ibid.
Ewicius, *Johannes* 245
Eyſelius, *Jo. Philippus* ibid.
Eyſenmengerus, *Johan.* ibid.
Chriſtophorus ibid.
Evſſonius, *Henricus* ibid.
FAba, *Antoninus* 246
Auguſtinus ibid.
Faber, *Albertus Otto* ibid.
Claudius ibid.
Georgius ibid.
Honoratus ibid.
Joachimus ibid.
Jo. Matthias ibid.
Petrus Johannes 247
Johannes 248
Bambergenſis, *Johannes* 249
Fabra, *Aloyſius della* 249 & 786
Fabri, *Laurent. Cajet.* 786
Fabricius, *Balthaſar* 249
Erneſtus Fridericus ibid.
Franciſcus ibid.
Georgius ibid.
Fabricius Hildanus, *Gulielmus*, vid. Hildanus 249
ab Aquapendente, *vid.* Aquapendens ibid.
Jacobus ibid.
Johannes 254
Fabricius, *Septimus Andreas* pag. 254
Wolffgangus Ambroſius ibid.
Fabrotus, *Carolus Annibal* ibid.
Fackhius, *Andreas* ibid.
Falco, *Jaimus de* 255
Johannes ibid.
Falconeus, *Aymarus* ibid.
Fallopius, *Gabriel* ibid.
Faneſter, *Andreas Marcolinus* 256
Fanianus, *Jo. Chryſippus* ibid.
Fannus, *Palamon Rhemmius* 257
Fanoiſius, *Guido* ibid.
Fantaſti, *Franc.* 787
Hieron. Caſar ibid.
Fantonus, *Johannes* 257
Farra, *Graſſinus* 258
Farvacius, *Robertus* ibid.
Faſchius, *Auguſtinus Henricus* ibid.
Faventinus de Victoriis, *Leonellus* 259
Fauliſius, *Joſephus* ibid.
Fawlerus, *Johannes* ibid.
Fealdus, *Laurentius* 260
Federerus, *Jo. Jacobus* ibid.
Fehrius, *Jo. Laurentius* ibid.
Jo. Michael 264
Felde. 272
Feldnerus, *Caſparus* ibid.
Felicianus, *Jo. Bernhardus* ibid.
Felix, *Antonius* ibid.
Caſſius, vid. Jatroſophiſta 273
Feltmannus, *Gerhardus* ibid.
Fendius, *Melchior* ibid.
Fenota, *Jo. Antonius* ibid.
Ferdinandus, *Epiphanius* ibid.
Jacobus ibid.
Ferg, Fergus, *Chriſtophorus* ibid.
Fernandæus, *Franciſcus* ibid.
Fernandez, *Franciſcus Matthæus* ibid.
Fernelius, *Johannes* ibid.
Feroldus, *Hieronymus* 281
Ferrandus, *Conſalvus* ibid.
Jacobus ibid.
Johannes ibid.
Ferrantus, *Ludovicus* ibid.
Ferrara, *Gabriel* ibid.
Ferrari, *Ferrantes.* 787
Ferrarius, *Jacobus* 282
Jo. Baptiſta ibid.
Omnibonus ibid.
Frater ibid.
Jo. Paulus 787
Ferrerius, *Augerius* 282
Ferriolus, *Petrus* ibid.
Ferrus, *Alphonſus* ibid.
Jo. Paulus 787
Michael 282
Feuillée, *R. P. Ludovicus* ibid.
Fevinus, *Robertus* 283
Feynius, *Gallicè* du Feynes, *Franciſcus* ibid.
Fichardus, *Johan.* 284
Ficinus, *Marſilius* ibid.
Fickius, *Jo. Jacobus* ibid.
Fidelis, *Fortunatus* ibid.
Fideliſſimus, *Raynerus* 285
Fienus, *Johannes* ibid.
Thomas ibid.
Fiera, *Baptiſta* ibid.
Figueroa, *Franciſcus de* ibid.
Figulus, *Benedictus* ibid.
Carolus ibid.
Nicolaus 286
Fileſacus, *Johannes* ibid.
Filhott, *Raymundus* ibid.
Fincelius, *Johannes* ibid.

Finckius

Finckius, *Jo. Vincentius* pag. 286
Thomas ibid.
Finella, *Philippus* 287
Fiochettus, *Jo. Franciſcus* ibid.
Fioravanti, *Leonhardus* ibid.
Firens, *Petrus* ibid.
Fiſchhartus, *Johannes* ibid.
Fiſcherus, *Lævinus* 288
Jo. Andreas ibid.
Flacht, *Fridericus* ibid.
Flacius, *Matthias* ibid.
Flamellus, *Nicolaus* ibid.
Flavius, *Camillus* ibid.
Fleckius, *Melchior* ibid.
Fleiſchmannus, *Chriſtianus* ibid.
Fleſſellius, *Philippus* ibid.
Florembenus, *Pamphilus* ibid.
Florentia, *Gentilis de* ibid.
Florentinus. ibid.
Florentinus, *Nicolaus* 289
Florentius, *Henricus* ibid.
Florianis, *Horatius de* 787
Floridus, *Ambroſius* 289
Florius, *Marc. Anton.* ibid.
Florus, *Jo. Fridericus* ibid.
Floyerus, *Johannes* ibid.
Fludd, *aliàs* de Fluctibus, *Robertus* 298
Fœniſeca, *Johannes* 299
Fœno, *Ægidius de* ibid.
Foeſius, *Anutius* ibid.
Fogelius, *Martinus* ibid.
Fogerolæus, *Franciſcus* ibid.
Foglia. ibid.
Jo. Antonius 787
Fogueda, *Johannes de* 299
Follinus, *Hermannus* 300
Johannes ibid.
Follius, *Cæcilius* ibid.
Franciſcus ibid.
Fonſeca, *Antonius* ibid.
Gabriel de ibid.
Rodericus ibid.
Font, *Carolus de la* 301
Fontana, *Alexander* ibid.
Fontanonus, *Dionyſius* ibid.
Fontanus, *Carolus* ibid.
Gabriel, Jac. F. ibid.
Jacobus ibid.
Johannes ibid.
Nicolaus ibid.
Fonte, *Lælius à* 302
Fontecha, *Jo. Alphonſus à* ibid.
Forbergius, *M. G.* ibid.
Forellus, *Dominicus* ibid.
Foreſius. ibid.
Foreſterius, *Thomas* ibid.
Foreſtus, *Petrus* ibid.
Thomas 303
Forge, *Ludovicus de la* ibid.
Forget, *Johannes* ibid.
Formius, *Samuel* ibid.
Fornerus, *Fridericus* ibid.
Forneſius, *Antonius* ibid.
Forolivienſis, *Jacobus* 304
Forſtius, *Angelus* ibid.
Fort, *Jo. Amedeus le* ibid.
Fortanerius, *Carolus* 305
Fortis, *Raymundus Johannes* ibid.
Decius 787
Fortolus, *Antonius* 305
Fortunatus, *Julius Pomponius* ibid.
Fottich, *Theobaldus* ibid.
Fovetius, *Claudius* ibid.
Foxius, *Sebaſtianus* 306
Fracaſſatus, *Carolus* pag. 306
Fracaſtorius, *Hieronymus* ibid.
Fragoſus, *Johannes* 310
Frambeſarius, *Nicolaus Abraham* ibid.
Francancianus, *Antonius* ibid.
Franchimont, *Nicolaus* ibid.
Franchinus, *Franciſcus* ibid.
Francionus, *Salvator* ibid.
Franciottus, *Georgius* ibid.
Franciſcis, *Franciſcus de* ibid.
Franciſco, *Jo. Franciſcus de* ibid.
Franciſcus Phrygius, *Petrus* 311
Franco, *Franciſcus* ibid.
François, *Alexander le* ibid.
Francus de Franckenau, *Georg. Frideric.* 314
de Franckenau, *Georgius* 319
Johannes 334
Franzius, *Wolfgangus* 337
Franzoſius, *Hieronymus* 338
Fraſcata, *Gabriel* ibid.
Fraundorfferus, *Philippus* ibid.
Freherus, *Paulus* 340
Freigius, *Jo. Thomas* ibid.
Freihauſen, *Jo. Jacobus Schweigkardus à* ibid.
Freilas, *Alphonſus de* ibid.
Freinch, *Johannes* 341
Freind, *Johannes* ibid.
Freinshemius, *Johannes* 346
Freitagius, *Arnoldus* ibid.
Johannes ibid.
Jo. Henricus ibid.
Freitas, *Alphonſus de* ibid.
Frejus, *Janus Cæcilius* ibid.
Freudenberg, *Aetho Johannes* ibid.
Fribe, *Melchior* 347
Friccius, *Melchior* ibid.
Fridævallius, *Hugo* 348
Friderici, *Joh. Arnoldus* ibid.
Friedelius, *David* 349
Frigimelica, *Franciſcus* ibid.
Friſius, *Gemma* ibid.
Jacobus ibid.
Joachimus ibid.
Joh. Jacobus ibid.
Laurentius ibid.
Fritſchius, *Abaſverus* 350
Fritzſchius, *Bartholomæus* ibid.
Frizimelica, *vid.* Frigimelica. ibid.
Frolichius, *Joachimus* ibid.
Fromanus, *Conradus* ibid.
Fromannus, *Joh. Chriſtianus* ibid.
Fronto. 352
Frundeck, *Johannes Ludovicus à* ibid.
Fuchſius, *Johannes* ibid.
Leonhardus ibid.
Remaclus 353
Samuel 354
Fuenta Pierola, *Hieronymus de la* ibid.
Fuhrmannus, *Jacobus* ibid.
Petrus ibid.
Fuiren, *Georgius* ibid.
Henricus ibid.
Fulginas, *Gentilis* 359
Lucius Lælius ibid.
Fullerus, *Franciſcus* ibid.
Thomas 360
Fumanellus, *Antonius* 361
Funccius, *Chriſtophorus* ibid.
Furichius, *Joh. Nicolaus* ibid.
Furlanus, *Daniel* ibid.
Furnerius, *Andreas* 362
Furno, *Vitalis de* ibid
Furſt, *Joh. Zacharias* ibid.
Furſtenau, *Joh. Hermannus* ibid.

Fuſcus, *Plaudus* pag. 364
GAbelchoverus, *Wolffgangus* 365
Gabella, *Philippus à* ibid.
Gabrielius, *Gabriel* ibid.
Andreas ibid.
Gabriellius, *Pyrrus Maria* ibid.
Gabucinus, *Hieronymus* 367
Gadaldinus, *Auguſtinus* ibid.
Beliſarius ibid.
Gadeſden, *Johannes de*, alias, *Joh.* Anglicus; *vid.*
Anglicus, *Johannes* ibid.
Gœringus, *Philippus* ibid.
Gaffarellus, *Jacobus* ibid.
Gagliardus, *Dominicus* 367. & 787
Joh. Antonius 367
Gaglio, *Joh. Martinus* ibid.
Gagna *Petrus Michael* ibid.
Gahrliep, *Guſtavus Caſimirus* ibid.
Gailhardus, *Johannes* 374
Gaionus, *Bartholomæus* ibid.
Gaius. ibid.
Galaratus, *Joſephus* ibid.
Galbanus, *Dominicus* ibid.
Galea, *Petrus* ibid.
Galeanus, *Joſephus* ibid.
Galenus, *Claudius* 376
Galeo, *Petrus Paulus* 429
Galerus. ibid.
Galeſius, *Bartholomæus* ibid.
Galfredus, *Antonius* ibid.
Gallaratus, *Auguſt. Lomenus* 788
Gallego, *Geneſius Paſtor de* 429
de la Serna, *Johannes* 430
Gallegus, *Antonius* ibid.
Gallina, *Franciſcus* ibid.
Galluccius, *Carolus* ibid.
Gallucius, *Joh. Paulus* ibid.
Gallus, *Andreas* ibid.
Antonius ibid.
Arragoſius ibid.
Auguſtinus ibid.
Carolus ibid.
Marbodeus ibid.
Paſchalis ibid.
Strabus 431
Ganivetus, *Johannes* ibid.
Gantius, *Joh. Ludovicus* ibid.
Garanciers, *Theophilus de* ibid.
Garbo, *Dinus de* ibid.
Thomas de ibid.
Garcias Carrero, *Petrus*; vid. Carrero; *Petrus Garcias*
Gardinius, *Ludovicus* ibid.
Gardinus, *Hieronymus* 432
Garetius, *Henricus* ibid.
Gariopontus ibid.
Garlandius, *Johannes* ibid.
Garmannus, *Chriſtianus Fridericus* ibid.
Garmerus, *Johannes* 437
Garnerus, *Georgius* ibid.
Garzia, *ſeu* Garſia, *Marcus* ibid.
Carrero, *Petrus* 38. & 437
Garzoni, *Fabricius* 437
Gaſparis, *Stephanus de* ibid.
Gaſſarius, *Achilles Pirminius* 438
Gaſſendus, *Petrus* ibid.
Gaſtaldus, *Joh. Bapt.* 788
Gaſto, *Flaminius* 438
Gatinaria, *Marcus* ibid.
Gavaſſetius, *Michaël* ibid.
Gaubius, *Johannes* ibid.
Gaudinus, *Alexis* ibid.
Gavetus, *Jacobus* ibid.
Gaukes, *Yvo* ibid.
Gauricus, *Lucas* 439
Pomponius 440
Gaza, *Theodorus* pag. 440
Gazius, *Antonius* ibid.
Gazola, *Joſephus* 440 & 788
Gebaverus, *Georg. Chriſtianus* 441
Gebelius, *Johannes* 442
Geber ibid.
Gehema, *Janus Abrahamus à* 443
Gehlerus, *Michaël* ibid.
Geiger, *Malachias* ibid.
Geilfuſius, *Joh. Chriſtophorus* ibid.
Geiſler, *Fridericus* ibid.
Geitzcofler à Geilenbach, *Zacharias* ibid.
Geleinen, *Georgius Phadro de* 444
Gelenius, *Sigiſmundus* ibid.
Gellius, *Johannes* ibid.
Gello, *Joh. Baptiſta de* bid.
Geminus, *Thomas* ibid.
Gemma, *Cornelius* ibid.
Friſius. ibid.
Joh. Baptiſta ibid.
Gemuſæus, *Hieronymus* ibid.
Genathius, *Joh. Jacobus* ibid.
Gendre, *Antonius* ibid.
Gendron, *des Haies* ibid.
Genga, *Bernhardus* 447
Gengerus, *Jacobus* 448
Genova, *Georgius* ibid.
Genſelius, *Joh. Adamus* ibid.
Genſonius, *Antonius* 454
Gentilis, *Matthæus* ibid.
Albericus ibid.
Gentilis ibid.
Genuenſis, *Simon* 455
Geocrinus, *Franciſcus* ibid.
Geopretius, *Robertus* ibid.
Georgius, *Matthæus* 455. & 788
Geppingenſis, *Johannes* 455
Gerardius, *Gelenus* ibid.
Gerardus de Carmonna ibid.
Johannes ibid.
Joh. Conradus ibid.
Gerardus, *Theodoricus.* 456.
Gerbezius, *Marcus* ibid.
Gerhardus, *vid.* Gerardus. 463.
Gerlachius, *Joh. Chriſtophorus* ibid.
Germain, *Carolus de St.* 464.
Claudius ibid.
Germannus, *Didacus* ibid.
Gerſdorf, *Johannes* ibid.
Gervaſius, *Auguſtinus* ibid.
Nicolaus ibid.
Geſſerus, *Johannes* ibid.
Geſnerus, *Conradus* 465.
Geuderus, *Melch. Frider.* 466.
Geuſſ, *Wolffius* 468.
Geyerus, *Joh. Daniel* ibid.
Geygerus, *Joh. Daniel* 469.
Gherli, *Fulvius* 788.
Ghiareſchus, *Joh. Marianus* 469.
Ghinus, *Lucas* 470.
Gianninius, *Thomas* ibid.
Giardinus, *Claudius* ibid.
Gibaltus, *Hector* ibid.
Gibſon, *Thomas* ibid.
Gibſſ, *D.* 471.
Gieſwein, *Joh. Philippus* ibid.
Gigard, *Antonius* ibid.
Gilbertus, *cognomine* Anglicus, ibid.
Guilielmus 472.
Gilinus, *Coradinus* ibid.
Gillius, *Petrus* ibid.
Gipſon, *Thomas*, vid. Gibſon. ibid.
Giraldus, *Joh. Baptiſta* ibid.
Girardetus, *Petrus* ibid.
Giſcaferius, *Guilielmus* ibid.
Giſelerus, *Laurentius* ibid.
Giſelinus, *Victor* 473.

Giurius, *Petrus*
Glacanus, *Nellanus* pag. 473
Gladbach, *Bernhardus* ibid.
Glandorpius, *Matthias Ludovicus* 475. & 788.
Glaſerus, *Arn.* ibid.
Joh. Henricus ibid.
Glauberus, *Joh. Rudolphus* ibid.
Gliſſentius, *Fabius* ibid.
Gliſſonius, *Franciſcus* ibid.
Globiez de Bucinâ, *Joh. Daniel* ibid.
Gluckradt, *Chriſt. Ludov.* 476.
Gockelius, *Chriſtian. Ludov.* ibid.
Chriſtoph. Ludov. ibid.
Eberhardus ibid.
Joh. Georgius 481.
Goclenius, *Rudolphus* 485.
Goebelius, *Severinus* ibid.
Goecenus, *Georgius* 486.
Goedartius, *Johannes* ibid.
Goelicke, *Andr. Ottomar.* ibid.
Goellerus, *Georgius Chriſtophorus* ibid.
Goetz, *Sigiſmundus à* 493.
Goetzius, *Joh. Chriſtoph.* vid. Stahlius. ibid.
Goldaſtus, *Melchior* ibid.
Gomedi, *Ciricus de* ibid.
Gomeſius Miede, *Bernhardinus* ibid.
Emmanuel ibid.
Gomez de la Parra & Arevalo, *Alphonſus* ibid.
Pereira, *Georgius* ibid.
Gregorius ibid.
Gomezius, *Alphonſus* ibid.
Gonzalez, *Alphonſus* ibid.
Gordonius, *Bernhardus* 494.
Goris, *Gerhardus* ibid.
Goritzius, *Joh. Adamus* ibid.
Gornia, *Joh. Baptiſta* 496.
Gorræus, *Johannes* 497.
Petrus ibid.
Gorus, *Camillus* 498.
Goſius, *Joh. Vincentius* ibid.
Goſvinus *Carolus* ibid.
Gottardus ibid.
Gottofredus, *Nicolaus* 788.
Gottus, *Ant. Dom.* 498.
Gottwald, *Joh. Chriſtoph.* 789.
Gould, *Wilhelmus* 498.
Goupylus, *Jacobus* 499.
Gourmelinus, *Stephanus* ibid.
Gourraigne, *Hugo* 500.
Goynæus, *Joh. Baptiſta* 789.
Gozar, *Laurentius* 500.
Graba, *Joh. Andreas* ibid.
Gracchus, *Sempronius* ibid.
Grâdi, *Antonius de* ibid.
Grapibus, *Joh. Matthæus de* ibid.
Græbnerus, *David.* ibid.
Gramannus, *Johannes* 501.
Grambs, *D. Johan. Jacob.* 502.
Grammatæus, *Henricus* 789.
Grammius, *Cæſo* 502.
Granado, *Chriſtian.* ibid.
Grand, *Antonius le* ibid.
Grandi, *Lazarus* ibid.
Grandius, *Jacobus* 503.
Grangerius, *Bonaventura* ibid.
Granitus, *Conſtantinus* ibid.
Grapaldus, *Franciſcus Marius* 503. & 789.
Graphæus, *Benventus* 503.
Gras, *Henricus* ibid.
Graſeccius, *Georgius* ibid.
Graſſius, *Erneſtus Sigiſmund.* ibid.
Lic. Sigiſmund. ibid.
Samuel 505.
Samuelis filius ibid.
Graſſus, *Beneventus* pag. 507.
Gratarolus, *Guilielmus* ibid.
Gratianus. 508.
Joh. ibid.
Gratioſus, *Andreas* 512.
Gratius. ibid.
Gravius, *Ludovicus* ibid.
Georgius ibid.
Gregora, *Nicephorus* ibid.
Gregorius, *Martinus* ibid.
Greiffenhagen, *Johannes* ibid.
Greiffius, *Fridericus* ibid.
Greiſelius, *Joh. Georgius* 513.
Grembs, *Franciſcus* ibid.
Greverus, *Jodocus* ibid.
Grevinus, *Jacobus* ibid.
Greulichius, *Joh. Georgius* ibid.
Grew, *Nehemias* 514.
Grillus, *vulgò* Gril, *Laurent.* vid. Gryllus 523
Grimaldus, *Franciſcus Maria* ibid.
Hiacynthus ibid.
Grimanus, *Johannes* ibid.
Grimbergh, *Nicolaus* ibid.
Grimm, *Hermannus Nicolaus* ibid.
Grimmius, *Joh. Caſparus* 525
Sigiſmundus 526
Grinæus, *Simon* ibid.
Griſignanus, *Paulus* ibid.
Griſleus, *Daniel* ibid.
Groenevelt, *Johannes* ibid.
Gropretius, *Robertus* 527
Groſſchedelius ab Aicha, *Johan. Bapt.* ibid.
Groſſius, *Joh. Georgius* ibid.
Thomas ibid.
Grovius, *Robertus* 528
Grube, *Hermannus* ibid.
Grubelius, *Joh. Georgius* ibid.
Grudius von Tours, *Joan.* 532
Gruhlmannus, *Joh. Godofr.* ibid.
Grulingius, *Philippus* 533
Grunbeckius, *Joſephus* ibid.
Grundelius, *Joh. Benedictus* ibid.
Grunewaldt, *Blaſius* 535
Grutinius, *Andreas* ibid.
Gryllus, *Laurentius* ibid.
Gryphius, *Andreas* ibid.
Guainerius, *Antonius* ibid.
Gualtherius, *Marc. Anton.* 789
Gualtherus, *Rudolphus* 535
Guarganthus, *Horatius* ibid.
Guarinonus, *Chriſtophorus* 536
Guarinonius, *Hippolytus* ibid.
Guaſtavinus, *Julius* ibid.
Guelfalione, *Julius Cæſar Benedict. à* ibid.
Guenellon, *Petrus* ibid.
Guericke, *Otto de* ibid.
Gueroaldus, *Guilielmus* ibid.
Guerra, *Joſephus* 789
Guevara, *Alphonſus Rodericus* 536
Guibertus, *Nicolaus* ibid.
Philibertus ibid.
Guichardus, *Petrus* 735
Guidius, *Johannes* ibid.
Guido, *Bergomas* ibid.
Guidotius, *Thomas* ibid.
Guidus, *Clemens* 538
Guiffartus, *Petrus* 539
Guigonius, *Iſoardus* ibid.
Guillandinus, *Melchior* ibid.
Guilielminus, *Dominicus* ibid.
Joſephus Ferdin. 789
Guillemæus, *Carolus* 547
Guillemau, *Jacobus* ibid.

Guintherius, *Johannes* pag. 547
Guiotus, *Joannes* 548
Guiſlonius, *Petrus* ibid.
Guillmannus, *Benedictus* ibid.
Gundelfinger, *Henricus* 549
Guntherus, *Albertus* ibid.
Simon ibid.
Guriſch, *D. Martinus* ibid.
Gutberleth, *Henricus* ibid.
Gutierrez, *Joh. Lazarus* ibid.
de Codoy, *Johannes* ibid.
de Toledo, *Julianus* ibid.
de Angulo, *Nicolaus* ibid.
Gwin, *Matthæus* ibid.
Gymnaſtica Medicina, *vid.* Herodicus ibid.
Gyraldus, *Lilius* Gregorius ibid.
HAan, *Laurentius* 550.
Habdaramahnus, ibid.
Habernfeld, *Andreas à* ibid.
Haesbaertus, *Martinus* Johannes ibid.
Hafenrefferus, *Samuel* 551
Hagecius, *aliàs* ab Hayck, *Thaddæus*, 552
Hagendornius, *Ehrenfridus* ibid.
Hagerus, *Abrahamus Achatius* 560
Hain Paterſonius, *Johannes* ibid.
Hali, *Jeſus* ibid.
Haller, *Albertus* ibid.
Haly, *vel* Hali ibid.
Roboam, *aliàs* Eben Rodan 561
Hambergerus, *Georgius* ibid.
Hamed, *Hebuades* ibid.
Hamel, *Joh. Baptiſta du* ibid.
Hamilton, *David* 564
Hammen, *Ludovicus von* ibid.
Hampius, *Joh. Hardovius* ibid.
Han, *Balthaſar* ibid.
Hanhardus, *Joh. Udricus* ibid.
Hannæus, *Georgius* ibid.
Hannemannus, *Barth. Joh. Otto* 567
Joh. Ludovicus ibid.
Petrus Joh. Chriſt. Fried. Reich. 588
Hapellus *Nicolaus Niger* 589
Harcerus ibid.
Harchius, *Jodocus* ibid.
Harderus, *Chriſtophorus* ibid.
Joh. Jacobus ibid.
Matthæus 593
Johannes 594
Harduinus, *Philippus* ibid.
Harris, *Gualterus* ibid.
Hartmannus, *Johannes* 598
Philippus Jacob. 599
Hartzius, *Philippus* 603
Harvetus, *Iſraël* ibid.
Harvey, *Jacobus* ibid.
Harveus, *Gedeon* ibid.
Gulielmus 606
Haſfurtus, *Johannes* 607
Haſius, *Nicolaus* ibid.
Haſlerus, *Johannes* ibid.
Haſſardus, *Petrus* ibid.
Hatleius, Griff. ibid.
Havenreuter, *Joh. Ludovicus* 608
Havers, *Cloptonus* ibid.
Haupaſius, *Nicolaus* 614
Hauptmannus, *Auguſtus* ibid.
Hauſmannus, *David* ibid.
Haw, *Conradus de* ibid.
Hawkins, *Johannes* ibid.
Hayck, *Thaddæus ab*, vid. Hagecius, *Thaddæus* ibid.
Hebbererus, *Jacobus* 614
Hebenſtreit, *Georgius* ibid.
Hebenſtreit, *Joh. Baptiſta* 615
Heberling, *Johannes* ibid.
Hechſtetterus, *Philippus* ibid.
Heckelius à Stegneck, *Henricus Chriſto.* pag. 615
Heckius, *Johannes* ibid.
Hecquet. ibid.
Hedeneccius, *Erhardus* 620
Hedenus, *Eraſmus* ibid.
Heer, *Henricus ab* 621
Martinus ibid.
Hegendorphinus, *Chriſtophorus* ibid.
Hegnerus, *Joh. Henricus* ibid.
Heide, *Antonius de* ibid.
Heideneccius, *Eckerdius* 623
Heil, *Chriſtophorus* ibid.
Heiland, *Michaël* ibid.
Heilmannus, *Joh. Jacobus* ibid.
Heimreich, *Erneſt. Frider. Juſtinus* ibid.
Heinius, *Chriſtophorus* 624
Nicolaus ibid.
Heinſius, *Daniel* ibid.
Erneſtus ibid.
M. Uldar. ibid.
Heinſtius, *Johannes* ibid.
Heintkius, *Georgius* ibid.
Heiſterus, *Laurentius* 627
Helbigius, *Joh. Otto* 642
Helblinus, *Joh. Caſparus* ibid.
Heldius, *Gothofredus* ibid.
Matthæus 644
Heldt, *Moyſes* ibid.
Helias Monachus. ibid.
Artiſta. ibid.
Hellingus, *Martinus* ibid.
Hellwigius, *Chriſtophorus* ibid.
Helmont, *Joan. Bapt. van* ibid.
Franciſcus Mercurius ab 648
Helvetius, *Hadrianus* ibid.
Joh. Fridericus 650
Helvigius, *Johannes* ibid.
Helvings, *Georg. Andreas* 651
Helwichius, *Chriſtianus* 654
Helwigius, *vid.* Helvigius 662
Hemmerlin, *Felix* ibid.
Hemminus, *Nicolaus* ibid.
Hemſterhuys, *Siboldus* ibid.
Henaut, *Guilielmus de* ibid.
Henckelius, *Joh. Fridericus* ibid.
Elias Henricus 664
Henerus, *Johannes* 665
Renatus ibid.
Heniſchius, *Georgius* ibid.
Hennickius, *Gottofredus* 666
Henningerus, *Joh. Sigiſmundus* ibid.
Henricus, *Erneſtus* ibid.
Martinus ibid.
Henriques, *Georgius* ibid.
Henriquez, *Franciſcus* 667
Henzius, *Nicolaus* ibid.
Heraclides Medicus Erythræus. ibid.
Ponticus. ibid.
Tarentinus. ibid.
Heraclitus. ibid.
Heras ibid.
Herculanus, *Johannes* ibid.
vid. Arculanus, ibid.
Herden, *Balthaſar ab* ibid.
Heredia, *Caſpar Caldera de*, vid. Caldera de Heredia
Caſpar ibid.
Petrus Michaël de ibid.
Heresbachius, *Conradus* 668
Herfelt, *Henr. Gerhardus* ibid.
Herilaclus, *Pamphilus* ibid.
Heringius, *Honorius* ibid.
Herlicius, *David* ibid.
Herlovius, *Martinus* 673
Herls, *Cornelius* ibid.
Hermannus, *L. Auguſtinus* ibid.
Comes à Nevenare ibid.

Hermannus *Benedictus* pag. 673
Daniel ibid.
Gualtherus ibid.
Johannes ibid.
Paulus ibid.
Hermes, *vid.* Triſmegiſtus 679
Hermogenes. ibid.
Hermophilus. ibid.
Hernandez, *Henricus* ibid.
Franciſcus ibid.
Hernando Villarino, *Franciſcus* ibid.
Herodicus *Leontinus.* ibid.
Selymbrianus. ibid.
Herodotus. 680
Heroldus, *Hieronymus* ibid.
Herophilus. ibid.
Herrera, *Chriſtophorus Perez de* ibid.
Hertius, *Joh. Chriſtophorus* ibid.
Joh. Henricus 681
Hertodius, *Matthæus Franciſcus* ibid.
Hertodt à Totenfeld, *Joh. Ferdinandus* ibid.
Hertogue, Hertogius, *Ægidius de* 68
Hery, *Thierry de* ibid.
Herzog, *Chriſtianus* ibid.
Heſſus, *Johannes* 684
Martinus ibid.
Paulus ibid.
Heſtole. ibid.
Heunius, *Johannes* ibid.
Heurnius, *Johannes* ibid.
Otto 685
Heyden, *Hermannus van der* ibid.
Heyl, *Chriſtophorus* ibid.
Heyne, *Joh. Chriſt.* ibid.
Heyſeus, *Erneſtus Gothofredus* 686
Hiarna, *Urbanus* ibid.
Hiceſius. 687
Hidalgo de Aguero, *Bartholomæus* ibid.
Hieblinus, *Chriſtophorus* 688
Hiera. ibid.
Hielius, *Laurentius* ibid.
Hierne *Urbanus* ibid.
Hiero, *Jola* 689
Hierocles. ibid.
Hieronymus ibid.
Hierovius, *Bartholomæus* ibid.
Highmorus, *Nathanael* ibid.
Hilario, *à S.* 790
Hildanus, *Guilielmus Fabricius* 689
Hildebrand, *Andreas* 691
Hildesheimius, *Franciſcus* ibid.
Hillerus, *Johannes* ibid.
Hillingius, *Gregorius* ibid.
Himerius. ibid.
Hippocrates aliquis ibid.
Cous ibid.
Hire, *Philippus de la* 711
Hiſpalenſis, *Rodogerus* ibid.
Hiſpanus, *Petrus* ibid.
Hitzlerus, *Georgius* ibid.
Hobokenus, *Nicolaus* ibid.
Hodges, *Nathanael* 712
Hoeckelius à Steineck *Henr. Chriſtoph.* vid. Heckelius. ibid.
Hoechſtetterus, *vid.* Hechſtetterus. ibid.
Hoeck, de Brackenau, *Wendelinus* ibid.
Hoefferus, *Wolffgangus* ibid.
Hoenn, *Joh. Cornelius* 713
Hoeſchelius, *David* ibid.
Hoffmannus, *Caſparus* ibid.
Caſparus alius ibid.
Conradus 716
Fridericus Pater ibid.
Fridericus, Frid. filius ibid.
Hoffmannus *Joh. Mauritius* pag. 732
Laurentius 743
Lic. Daniel ibid.
Mauritius 744
Petrus 745
Hogeland, *Cornelius ab* ibid.
Hogelande, *Ewaldus ab* ibid.
Hogſtraten, *David van* ibid.
Holderhoff, *Engelbertus* ibid.
Hollandus, *Iſaacus* ibid.
Philemon 746
Hollerius, *Jacobus* ibid.
Hollerus, *Blaſius* ibid.
Hollingus, *Edmundus* ibid.
Holſtius, *Jacobus* ibid.
Holt, *Carolus* ibid.
Holtzachius, *Joh. Coſma* 747
Holtzemius, *Petrus* ibid.
Hommeius, *Antonius* ibid.
Honain ibid.
Honeſtis *Chriſtoph. Georgius de* ibid.
Honuphriis, *Franciſcus de* ibid.
Honuphrius de 748
Hoogſtraten, *vid.* Hogſtraten. ibid.
Hookius, *Robertus* ibid.
Hope, *Richardus* ibid.
Hopfnerus, *Henricus* ibid.
Hopperus, *Marcus* ibid.
Horatianus, *Octavianus* ibid.
Horchius, *Chriſtophorus* 749
Hordanus, *Petrus* 751
Horlacherus, *Conradus* ibid.
Hormannus, *Guilielmus* ibid.
Horn, *Bartholomæus* ibid.
Horne, *Johannes van* ibid.
Horneius, *Conradus* 753
Hornius, *Caſparus* ibid.
Chriſtophorus ibid.
Georgius ibid.
Hornungus, *Johannes* ibid.
Horozco, *Chriſtophorus de* ibid.
Horſtius, *Giſbertus* ibid.
Gregorius, Senior. ibid.
Gregorius, prioris nepos. 762
Jacobus ibid.
Joh. Daniel ibid.
Hortenſius, *Martinus* 763
Horto, *Garcias ab* & vid. Orto. ibid.
Hottingerus, *Joh. Henricus* ibid.
Hotton, *Petrus* 765
Hovel, *Nicolaus* 766
Hovius, *Jacobus* ibid.
Houft, *Philippus le* 767
How, *Guilielmus* ibid.
Howen, *Petrus van der* ibid.
Hoyerus, *Joh. Georgius* ibid.
Huarte de San Juan, *Johannes* 772
Hubnerus, *Bartholomæus* ibid.
Hucherus, *Johannes* ibid.
Hueber, *Georgius Ludovicus* ibid.
Huggelius, *Joh. Jacobus* ibid.
Hugo *Guilielmus* ibid.
Senenſis, vid. Bentius, *Hugo* ibid.
Huldenreich, *Joh. Fridericus* ibid.
Humain, *aliàs* Johannitius. ibid.
Humelbergius, *Gabriel* 773
Hunauld. ibid.
Hund, *Magnus* ibid.
Hunerwolffius, *Jacobus Auguſtinus* ibid.
Hurterus, *Leonhardus* 776
Huſſovianus, *Nicolaus* ibid.
Hutten, *Ulricus de* ibid.

In Parte primâ ſecundi Tomi, quæ continet Lib. IX. ad XVI. ſeu J-Q

JAcchæus, *Gilbertus* pag. I.
Jacchinus, *Leonhardus* ibid.
Jackſon, *Joſephus* ibid.
Jacobæus, *Matthias* II.
Oligerus III.
Jacobi, *Johannes* X.
Jacobus VI. M. B. Rex. ibid.
vulgò Jaime Eſteve, *Petrus* ibid.
Jacotius, *Deſiderius* XI.
Jacoz, *Simeon* ibid.
Jaeger, *Herbertus de* ibid.
Jaegerſchmidt, *Joh. Victor* ibid.
Jæniſius, *Johannes* ibid.
Jalon, *Paulus* XXI.
Jamotius, *Fridericus* ibid.
Janichius, *Petrus* ibid.
Januenſis, *Simon* ibid.
Janus, *Jacobus* ibid.
Jarchi, *Samuel* ibid.
Jaſolinus, *Julius* ibid.
Jater, *Alexander* ibid.
Jatroſophiſta, *ſeu* Caſſius Felix ibid.
Jens, *Petrus* XXII.
Jervinus, *Chriſtophorus* ibid.
Jeſſenius à Jeſſen, *Johannes* ibid.
Illefonſus, *Gabriel* ibid.
Illeges, *Joachimus* ibid.
Illmerus, *Frider. Ferdinandus* ibid.
Imperatus, *Ferrantes* ibid.
Imperialis, *Franciſcus* ibid.
Johannes ibid.
Imperialis, *Joh. Baptiſta* XXIII.
Indagine, *Johannes de* ibid.
India, *Franciſcus* ibid.
Ingolſtetterus, *Johannes* ibid.
Ingraſſia, *Joh. Philippus* ibid.
Innocentius, G. XXV.
Inſulanus Menapius, *Guilielmus* ibid.
Inveges, *Antonius* ibid.
Joachimus, *Angelus Maria* ibid.
Joannicius, *vid.* Humain. XXVI.
Joannius, *Johannes* ibid.
Jodon, *Antonius* ibid.
Joel Pater, *Franciſcus* ibid.
Filius, *Franciſcus* ibid.
Nepos, *Franciſcus* ibid.
Joepferius, *Jacob. Joſephus* ibid.
Johnſonus, *Guilielmus* ibid.
Thomas ibid.
Johrenius, *Conradus* XXVII
Joncquet, *Dionyſius* ibid.
Jones, *Johannes* ibid.
Jongius, *Jacobus* XXIX.
Jonſtonus, *Johannes* XXIX & 561
Jordanus, *Hieronymus* XXIX
Hyacinthus ibid.
Johannes ibid.
à Clauſoburgô, *Thomas* ibid.
Joſepho, *Angelus à S.* XXX.
Joſſelinus, *Johannes* ibid.
Joſſius, *Nicander* XXXI.
Joſtreriis, *Joſtrerius de* ibid.
Joubertus, *Iſaacus* ibid.
Laurentius ibid.
Joviſe, *David* XXXII.
Jovius, *Paulus* ibid.
Iſaac Iſraëlita XXXIII.
Iſaacus, *Johannes* ibid.
Iſla, *Ludovicus de* ibid.
Iſraëlita, *vid.* Iſaac ibid.
Iſraelita, *Paulus* pag. XXXIII.
Itrenſis, *Johannes* ibid.
Ittigius, *Thomas* ibid.
Jubera, *Alphonſus à* ibid.
Judæus, *Abrahamus* ibid.
Judex, *Grumerus* ibid.
Julianus. ibid.
Juliarius, *Paulus* ibid.
Julius, *Henricus* XXXIV.
Juncken, *Joh. Helfricus* ibid.
Juncker, *Johannes* ibid.
Johannes, alius. ibid.
Jungermannus, *Ludovicus* XXXIX.
Jungius, *Auguſtus* XL.
Georg. Sebaſtianus ibid.
Jacobus XLI.
Joachimus ibid.
Junior, *Valentinus* ibid.
Junius, *Hadrianus* ibid.
Joachimus XLII.
Juſſieu, *Antonius de* ibid.
Juſtinianus, *Alexander* ibid.
Juſtinus, *Franciſcus* ibid.
Juſtus, *Johannes* ibid.
Paſchaſius ibid.
Philippus ibid.
Wolffgangus ibid.
Juvellina, *Bernhard. Chriſtinus à* ibid.
Juvenis, aliquis ibid.
Johannes ibid.
Kæmpfferus, *Engelbertus* XLII. & 561.
Kallen, *Bernhardus à* XLIII.
Kamintus ibid.
Kanold, *Johannes* XLIV. & 561.
Karthan, *Johannes de*, vid. Ketam. XLV.
Katſchius, *Johannes* ibid.
Keil, *Jacobus* ibid.
Kellæus, *Edoardus* XLVIII.
Keller, *Samuel* ibid.
Kellnerus. ibid.
David ibid.
Kempſius, *Johannes* ibid.
Kennedy, *P.* ibid.
Kentmannus, *Johannes* XLIX.
Theophilus ibid.
Keplerus, *Ludovicus* ibid.
Kepſerus, *Sixtus* ibid.
Kerckringius, *Theodorus* ibid.
Kergerus, *Joh. Guilielmus* L.
Martinus ibid.
Kernerus, *Arnoldus* ibid.
Ketam, *Johannes de* ibid.
Ketelaer, *Vincentius* ibid.
Keufnerus Trochoreus, *Johannes*, vid. Kueffnerus ib.
Keyſerus, *Joh. Georgius* ibid.
Khern, *Joh. Frider.* Jun. ibid.
Kheunius, *Johannes* ibid.
Khonius, *Alphonſus* ibid.
Khunrath, *Henricus*, vid. Kunrath. LI.
Kikanus Rex Perſarum ibid.
Killing, *Petrus* ibid.
King, *Edmundus* ibid.
Kircheim, *Fridericus Guntherus* LII
Kircherus, *Athanaſius* ibid.
Kirchmaierus, *Georg. Caſparus* ibid.
Kirſtenius, *Georgius* ibid.
Petrus LIV.
Kiſnerus, *Joh. Georgius* LIX
Kiſwetter, *Balthaſar* ibid.
Klaunig, *Godofredus* ibid.
Klein, *Balthaſar* LX.
Johannes ibid.
Kleinfeld, *Nicolaus* ibid.
Kleinius, *Franciſcus* ibid.
Klobius, *Juſtus Fidus* ibid.

Klopfin-

Klopſingerus, *Johannes* pag. LX
Knaut, *Chriſtianus* ibid.
Knauths, *Chriſtophorus* ibid.
Koeringius, *Volffgangus Theedoricus* ibid.
Knof, *Guilielmus* ibid.
Knipſmacoppe, *Alexander* LX & 561
Knoblochius, *Tobias* LX
Kobenhauptius, *Joh. Sebaldus* LXI.
Koberus, vid. Coberus ibid.
Kochmaiſter, *Samuel* ibid.
Kooleſerius de Keres-Eer, *Samuel* ibid.
Kohlerus, *Maternus* LXVI
Kohn, *vid.* Kohnius. ibid.
Kolhans, *Tobias Ludovicus* ibid.
Kolichen, *Caſparus* ibid.
Kolnerus, *Johannes* LXXVI
Kolreuterus, *Sigiſmundus* ibid.
Konig, *Emanuel* ibid.
Sigiſmundus LXXIX
Korndoeffer, *Bartholomæus* LXXXI
Kornmannus, *Henricus* ibid.
Kovacs Tatai, *Georgius* LXXXII
Kozak à Prachien, *Joh. Sophronius* ibid.
Kozimero, *Joh. Michael* ibid.
Krafft, *Johannes* LXXXIII
Kragius, *Andreas* ibid.
Kraitz, *Henricus* ibid.
Kramer, *Theodor. Valent.* ibid.
Kraptius, *Joh. Wolffgangus* ibid.
Kraut, *Georgius* ibid.
Krieſmannus, *Guilielm. Chriſtoph.* ibid.
Krugius, *Theod. Chriſtoph.* ibid.
Kruck, *Georgius* LXXXIV.
Kruppelius, *Eitel Joachimus* ibid.
Kryſingius, *Balthaſar* ibid.
Kueffnerus, *Johannes* ibid.
Kufnerus, *Georgius* ibid.
Kulmus, *Joh. Adamus* ibid.
Kunckelius à Loëvenſtern *Johannes* LXXXVI.
Kunratus, *Henricus* ibid.
Kunſtel *Joh. Wolffgangus* ibid.
Kyberus, *David* ibid.
Kyllingius, *Petrus* ibid.
Kynalochus, *David* LXXXVIII.
Kyperus, *Albertus* ibid.
Kyranus Kyranides, ibid.
LAbbeus, *Philippus* 1
Lachmund, *Fridericus* ibid.
Lacinius, *Janus* 2
Lacumarcino, *Jac. Cataneus de* ibid.
Lacuna, *Andreas* ibid.
Lacy, *Nathan.* 4
Laderus, *Johannes* 6
Lægerus, *Joachimus* ibid.
Lælius, *Joh. Laurentius* ibid.
Laet, *Johannes de* 7
Lafage, ibid.
Lafitau, *Joſeph. Franciſcus* ibid.
Lagneus, *David* 8
Laguna, *Andreas* ibid.
Lahme, *Chriſtianus* ibid.
Laib, *Joh. Georgius* ibid.
Lalamantius, *Johannes* ibid.
Lamandus, *Johannes* ibid.
Lambſpringk, *Germanus* ibid.
Lamelin, *Engelbertus* ibid.
Lami. ibid.
Lamoniere, *Johannes* 9
Lamperiere, *Johannes de* ibid.
Lampugnanus, *Jacobus* ibid.
Lampſweerde, *Joh. Baptiſta* ibid.
Lanæus, *Johannes* 11
Lanceanus, *Sylvius* ibid.
Lancellotus, *Antonius* ibid.
Lanciſius, *Joh. Maria* ibid.
Lancius, *Joh. Carolus* pag. 24.
Lanckiſch, *Godofredus à* ibid.
Landavus, *Adamus* ibid.
Landriano, *Bernhardinus de* 25
Landrinus, *Galatius* ibid.
Landſberg, *Jacobus* ibid.
Landulphus, *Blaſius Cæſar* ibid.
Landus, *Baſſianus* ibid.
Conſtantius ibid.
Lanfrancus. ibid.
Lange. ibid.
Langelottus, *Joël* 29
Langenmantelius, *Hieronymus Ambroſius* ibid.
Langius, *Chriſtianus* 30
Carolus Nicolaus ibid.
Johannes 37
Chriſtian. Joh. 38
Langlius, *Guilielmus* ibid.
Languerus, *Andreas* ibid.
Langwedelius, *Bernhardus* ibid.
Lanzanus, *Nicolaus* 38 & 561
Lanzonus *Joſephus* ibid.
Laphanchinus, *Damianus* 44
Largus, *Scribonius*, vid. Scribonius Largus ibid.
Laſnioro, *Johannes de* ibid.
Latinius, *Janus* ibid.
Lavaterus, *Henricus* ibid.
Laubius, *Georgius* ibid.
Hieronymus ibid.
Lavellius, *Jacobus* ibid.
Laverentzen, *Johannes* ibid.
Lavininius, *Wenceſlaus* ibid.
Launay 45
Lauredanus, *Paulus* ibid.
Laurembergius, *Petrus* ibid.
Guilielmus 46
Laurendiere, *Martinus de* ibid.
Laurentianus, *Laurentius*, ibid.
Laurentio, *Auguſtinus de* ibid.
Laurentius, *Andreas* 47
Georgius Fridericus ibid.
Ludovicus ibid.
Rodomontus ibid.
Lautenbachius, *Joſephus* ibid.
Lautier, *Honoratus Maria* ibid.
Lazarus, *Joh. Jacobus* ibid.
Lazius, *Simon* ibid.
Wolffgangus 48
Lealis, *Lealis* ibid. & 561
Lebenwald, *Adamus à* 48
Lebſelter, *Jacobus* 51
Lechelius, *Johannes* ibid.
Ledelius, *Sigiſmundus* ibid.
Samuel ibid.
Ledeſma, *Mich. Hieronym. de* 53
Anton. Colmenerus de 54
Leeuwenhock, *Antonius à* ibid.
Leffeladius Livelaticus, *Georgius*, 63
Lefort, *Joh. Amedeus*, vid. Fort, *Joh. Amedeus le* ibid.
Legatus, *Laurentius* ibid.
Legius, *Leonhardus* ibid.
Legleus, *Gilbertus* ibid.
Leibniz *Godofr. Guilielm.* ibid.
Leibnutzius, *G. G.* ibid.
Leichnerus, *Eccardus* ibid.
Leigh, *Carolus* ibid.
Leiva, *Franciſcus* 66
& Aguilar, *Franciſcus de* ibid.
Lemery, *Nicolaus* 66 & 561
Lemmichius, *Henricus* 69
Lemnius, *Andreas* ibid.
Guilielmus ibid.

Lemnius, *Levinus* pag. 70
Lemonniere *L.* ibid.
Lemort, *Jacobus* 71. 363. & 561.
Lemos, *Ludovicus de* 71.
Lendenaria, *Hippolytus Bryllus de* ibid.
Lentiis, *Mundinus de* ibid.
Lentilius, *Roſinus* ibid.
Lentulus, *Paulus* 73
Leo, *Ambroſius* ibid.
Dominicus ibid.
Leon *Andreas de* ibid.
Leone, *Ambroſius de* ibid. & 561.
Leonardus, *Camillus* ibid.
Leoni, *Petrus* ibid.
Leonicenus, *Janus* ibid.
Nicolaus ibid.
Leonida 74
Leonis, *Dominicus*, vid. Leo, *Dominicus* ibid.
Joh. Bapt. Carcanus, vid. Carcanus. ibid.
Leonius, *Petrus* ibid.
Leonorus, *Vldaricus* ibid.
Leontinus, Leopold, *Johan. Frid.* ibid.
Lera, *Matthaus de* 76
Leſſius, *Leonhardus* ibid.
Leveronius, *Juvenalis* ibid.
Simon Anton. ibid.
Leydeckerus, *Melchior* ibid.
Libantius, *Johannes* ibid.
Libavius, *Andreas* ibid.
Liberatis, *Liberatus de* 77
Licetus, *Fortunius* 78
Liddelius, *Duncanus* 79
Liebaultius, *Johannes* ibid.
Liebknecht, *Joh. Georgius* 80
Liebſtadt, *Georgius Maregravius de* 80. 259. & 262.
Liens, *Cornelius* ibid.
Lignamine, *Joh. Philippus de* ibid.
Lignaridus, *Hermannus* ibid.
Limanus, *Horatius* ibid.
Limborch, *Gilbertus* ibid.
Limprechtus, *Joh. Adamus* ibid.
Linacer, *vid.* Lynacer *Thomas* ibid.
Linden, *Antonius vander* ibid.
Antonius Antonides van der ibid.
Joh. Antonides vander ibid.
Linder *Johannes* 82
Lindnerus, *Caſparus* 83.
Linſing, *Petrus* ibid.
Lionet, *vid.* Lyonet *Robertus* ibid.
Liparis, *Michaël* ibid.
Lipenius, *Martinus* ibid.
Lippus, *Laurentius* 84
Lipſienſia Acta, *vid.* Acta Lipſienſia. ibid.
Lipſius, *David.* ibid.
Lipſtorius, *Chriſtophorus* ibid.
Liſter, *Martinus* ibid.
Litorius, *Beneventanus* 95
Livelaticus, *vid.* Leſſeladius ibid.
Lobelius, *Matthias* ibid.
Lobera, *Aloyſius* 96.
de Avila, *Ludovicus* ibid.
Loberus, *Samuel* ibid.
Valentinus id.b.
Lobettus, *Antonius* ibid.
Locatellus, *Ludovicus* ibid.
Lochnerus, *Michaël Fridericus* ibid.
Lodettus, *Joh. Antonius* 113.
Loeberus, *Valentinus* ibid.
Loenius, *Rutgerus* ibid.
Lombardius, *Carolus Philip.* ibid.
Lombardus, *Joh. Franciſcus* ibid.
Petrus Bonus ibid.
Lommius, *Jodocus* ibid.
Lonæus Boſcius, *Johannes* ibid.
Lonerus, *Johan. Philippus* pag. 113
Longinus, *Cæſar*, vid. Cæſar, *Longinus* ibid.
Longoburgenſis, *Brunus* ibid.
Longolius, *Gisbertus* 114
Lonicerus, *Adamus* ibid.
Johannes ibid.
Lopez, *Alphonſus* ibid.
ſeu Lupeus, *Alphonſus* ibid.
de Hinnoioſô *Alphonſus* ibid.
Caſparus ibid.
Didacus ibid.
Garſias ibid.
Lopez de Tudelâ, *Johannes* 115
Petrus ibid.
de Leon, *Petrus* ibid.
Lopis, *Johannes* ibid.
Lopus, *Alphonſus* ibid.
Loredo, *Franc. Bern. de* ibid.
Lorenzini, *Stephanus* ibid.
Lorme, *Carolus de* ibid.
Lornl, *Joan. Franc.* ibid.
Loſelius, *Johannes* ibid.
Loſellus, *Guilielmus* ibid.
Loſpichlerus, *Joh. Adamus* ibid.
Loſſius, *Fridericus* ibid.
Lotichius, *Joh. Petrus* ibid.
Petrus 116
Lovitz, *Simon de* ibid.
Low, *Andreas.* ibid.
Joh. Franciſcus ibid.
Lowenwald, *Franciſcus* ibid.
Lowerus, *Richardus* ibid.
Lubinus, *Eilardus* ibid.
Lublinus, *Valentinus* ibid.
Lucas, *Conſtantinus*, ibid.
Coſtaben ibid.
Lucena, *Ludovicus de* 117
Luchis, *Andreas de* ibid.
Luchtenius, *Adamus* ibid.
Lucianus, *Samoſatenſis* ibid.
Lucio, *Maximilianus de* ibid.
Lucius de Claſ. *Cyriacus* ibid.
Ludovici, *Daniel* ibid.
Ludovicus, *Antonius* 118
Luyſinus, *Aloyſius* ibid.
Lullius, *Raymundus* 119
Luna Vega, *Johannes de* 120
Lupeus, *Alphonſus* ibid.
Lupus, *Chriſtianus* ibid.
Jacobus Antonius ibid.
Johannes ibid.
Luſitanus, *Amatus*, vid. Amatus, *Luſitanus* ibid.
Brudus ibid.
Dilectus ibid.
Luſſaula, *Carolus* ibid.
Lycius, *Herodotus* ibid.
Lycus. ibid.
Lydiat, *Thomas* ibid.
Lygæus, *Johannes* ibid.
Lymbiſanus, *Horatius* 121
Lynacerus, *Thomas* ibid.
Lynceus, *Joh. Terentius* ibid.
Lyonnet, *Robertus* ibid.
Lyſerus, *Michaël* ibid.
MAaſus, *Frid. Otto.* 122
Macaſius, *Joh. Centurio* ibid.
Joh. Georgius ibid.
Paulus ibid.
Macchellus, *Nicolaus* ibid.
Macer. ibid.
Æmilius ibid.
Machaon. ibid.
Macheronus, *Petrus* 123
Mackius, *Jo. Chriſtianus* ibid.
Andreas ibid.

Macol-

Macollone, *Johannes* pag. 123
Macowſki, *Samuel* ibid.
Madathanus, *Henricus* ibid.
Theophilus ibid.
Maetſius, *Carolus* ibid.
Magatus, *Cæſar* 124
Jo. Baptiſta 126
Maggius, *Bartholomæus* ibid.
Hieronymus 127
Maginus, *Jo. Antonius* ibid.
Magirus, *Johannes* ibid.
Magiſter, *Rudolphus* ibid.
Stephanus ibid.
Magiſtrat, *Guilielmus* ibid.
Magliocca, *Jo. Dominicus* ibid.
Magnenus, *Jo. Chryſoſtomus* ibid.
Magnetta, *Georgius* ibid.
Magninus ibid.
Magnol, *Petrus* 128
Magnus Μάγνος. ibid.
Alexander ibid.
Nicolaus ibid.
Petrus Paulus ibid.
Mago. ibid.
Maichanquez ibid.
Maierus, *Michaël* ibid.
Maigre, *Nicolaus le* 129
Maimonides, *Rabbi Moyſes* ibid.
Mainetti, *Mainettus* ibid.
Maiolus, *Anton. Vincent.* ibid.
Laurentius ibid.
Paulus ibid.
Simon ibid.
Major *Jo. Cæſar Æſchaſius* 130
Jo. Daniel ibid.
Majoragius, *Johannes* 135
Maitrejan, *Antonius* ibid.
Majus *Johannes* 137
Jo. Henricus ibid.
Henricus ibid.
Mallinius, *Caſparus* ibid.
Malpighius, *Marcellus* ibid.
Malvicius, *Julius* 216
Malus, *Johannes* ibid.
Mamertus, *Claudius* ibid.
Mamfredus, *Hieronymus* ibid.
Manara, *Camillus* ibid.
Manardus, *Johannes* ibid.
Mancedo Aguado, *Petrus* ibid.
Mancinellus, *Aſcanius* ibid.
Mancinius, *Celſus* 216
Mancinus, *Jacobus* ibid.
Julius ibid.
Mancuſus, *Joſephus* ibid.
Mander, *Carolus van.* 217
Manectis, *Janotius de* ibid.
Manelphus, *Johannes* ibid.
Manenſius, *Joſephus* ibid.
Manfredus, *Hieronymus* ibid.
Paulus ibid.
Mangenus, *Joh. Chryſoſt.* ibid.
Mangetus, *Johan. Jacobus* ibid.
Manggus, *Victor* 257
Mangoldus, *Jo. Caſpar.* ibid.
Manialdus, *Stephanus* ibid.
Manitius, *Samuel Gotthilff.* ibid.
Manliis, *Jacobus de* ibid.
Manlius Conſtantinopolitanus. ibid.
de Boſco, *Jo. Jacobus* ibid.
Johannes ibid.
Mannagetta, *Zacharias* ibid.
Mannius, *Victorius* ibid.
Mannus, *Jo. Jacobus* ibid.
Mantegarrius, *Cyprianus* ibid.
Mantelus, *Jacobus* ibid.
Mantinus, *Jacobus* ibid.
Mantinus *Julius* pag. 257.
Manunccius, *Vincent.* ibid.
Mappus, *Marcus* ibid.
Maraſiotus, *Hieronymus* ibid.
Maranta, *Bartholomæus à* 258
Marcellanus, *Sebaſtianus* ibid.
Marcellini, *Jo. Petrus Ayroldus* ibid.
Marcellinus, *Pancratius* ibid.
Marcellus Pamphilius. 259
Empiricus Medicus. ibid.
Ang. ibid.
Maregravius de Liebſtad, *Georgius* 80. 259. & 262
vid. etiam Liebſtad. ibid.
Marchant, *Jacobus* 259
Marchantius, *Johannes* ibid.
Marchettis, *Dominicus de* ibid.
Petrus de ibid.
Marchettus, *Alexander* 259 & 562
Marchinus, *Philibertus* 259.
Caſparus ibid.
Marci à Kronland. *Jo. Marcus* ibid.
Philippus Marcus 260
Marcucius, *Caſparus* ibid.
Marellus, *Guilielmus* ibid.
Marenci, *Jo. Franciſcus* ibid.
Mareſca, *Joſephus* ibid.
Mareſchalius, *Marcus Antonius* ibid.
Mareſcotti, *Alphonſus* ibid.
Cæſar ibid.
Marſinus, *Johannes* 262
Marggravius, *Chriſtianus* ibid.
de Liebſtad, *Georgius* 80. 259. & 262
Maria Prophetiſſa. 264
Antonius de ibid.
Franciſcus ibid.
Johannes ibid.
Michaël Petrus ibid.
Marianus, *Andreas* ibid.
Sanctus ibid.
Marin, *Janus Ælianus* 265
Marinellus, *Curtius* ibid.
Johannes ibid.
Marinus. ibid.
Andreas ibid.
Mariottus, *Carolus* ibid.
Mariſcottus, *Jacob. Antonius* ibid.
Marius Grapaldus, *Franciſcus*, vid. Grapaldus. ibid.
Georgius ibid.
Marlianus, *Johannes* 266
Maroldus, *Juſtinus Ortolphus* ibid.
Maroltus, *Ortolphus* ibid.
Maroneas, *Nicolaus* ibid.
Maroxa, *Cyprianus* ibid.
Marquard, *Johannes* ibid.
Marquart, *Antonius* ibid.
Marquis, *Guilielmus* ibid.
Marra, *Pius de* ibid.
Marradon, *Bartholomæus* ibid.
Marſchalcus, *Johannes* ibid.
Nicolaus ibid.
Marſilius, *Anton. Felix* ibid.
Ludovicus Ferdinandus 266. & 562
Martelius, *Jo. Petrus* 268
Martellus, *Claudius* ibid.
Martha, *Jacobus Antonius* ibid.
Martianus. ibid.
Franciſcus ibid.
Julius 269.
Proſper 269 & 562.
Martinengus, *Celſus* 269
Martinez, *Emanuel* ibid.
Michaël ibid.
Martini, *Georgius* ibid.
Jacobus ibid.

Martini, *Matthaus* pag. 269
Martinius, *Franciſcus* ibid.
Henricus ibid.
Valerius ibid.
Martino, *Petrus Antonius de* 270
Martinus, *Alphonſus* ibid.
B. ibid.
Bernhardinus ibid.
David ibid.
Gregorius ibid.
Dominicus ibid.
Johannes Senior. ibid.
Johannes Junior. ibid.
Johan. Jacobus ibid.
Martius, *Galeottus* ibid.
Jeremias 271
Martorellus, *Antonius* ibid.
Martyr, *Petrus*, vid. Tronus. ibid.
Maruccius, *Gaſpardus* ibid.
Marucinus, *Laurentius* ibid.
Masbachius, *Georgius* ibid.
Maſer-Jawaihus. ibid.
Maſerius, *Jo. Baptiſta* ibid.
Maſierus, *Philippus* 271 & 563
Maſinus, *Nicolaus* 271
Maſſa, *Nicolaus* 272
Maſſacus, *Ræmundus* ibid.
Maſſardus, *Jacobus* ibid.
Maſſarias, *Alexander* 273
Maſſarius, *Dominicus* 274
Franciſcus ibid.
Hieronymus ibid.
Maſullus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Matamorus Hiſpanus. ibid.
Benedictus Vaſquez ibid.
Mataratius, *Didacus* ibid.
Materenſis, *Euſtachius* ibid.
Matheatius, *Jo. Baptiſta* ibid.
Matheſianus, *Jo. Carolus* ibid.
Mathiſius, *Conradus Henricus* ibid.
Matte. ibid.
Mattenburgius, *Johannes* ibid.
Matthæi, *Johannes* 275
Matthæolus de Matthiolis. ibid.
Matthæus, *Philippus* ibid.
Matthiæ, *Daniel Meno* ibid.
Matthiolus, *Petrus Andreas* ibid.
Maubec, *M.* 276
Mauchartus, *Jo. David* 277
Burc. David ibid. & 563
Maudray, *Johannes* 278
Mauriceau, *Franciſcus* 279
Mauricius, *Ericus* 280
Maurocordatus, *Alexander* ibid.
Mauſſacus, *Philippus Jacobus* 281
Maxuellus, *Guilielmus* ibid.
Mayernius, *Theodorus Turquetus* ibid.
Mayerus, *Godofred. David.* 286
Maynardus, *Petrus* ibid.
Maynerius, *Johannes* ibid.
Maynwaringius, *Eduardus* ibid.
Mayow, *Johannes* 287
Mayr, *Franciſcus* ibid.
Mayrola, *Bartholomæus* ibid.
Mazinus, *Jo. Baptiſta* ibid. & 563
Paulus ibid.
Jo. David ibid.
Mazzuchellus, *Carolus* ibid. & 565
Mead, *Richardus* 287
Meara, *Dermutius de* 293
Edmundus de ibid.
Mechelburgenſis, *Cornelius* ibid.
Medeira, *Edoardus* ibid.
Medicis, *Johannes de* ibid.
Mediolano, *Johannes de* ibid.
Meeckeren, *Jobus van* pag. 293
Meermannus, *Thomas* 294
Megerlin, *Amad.* ibid.
Megiſerus, *Hieronymus* ibid.
Megobachius, *Johannes* ibid.
Mehung, *Johannes à* ibid.
Meibomius, *Henricus* ibid.
Jo. Henricus ibid.
Meierus, *Cornelius* ibid.
Jo. Jacobus ibid.
Johannes ibid.
Michaël, vid. Majerus ibid.
Meiſſonerius, *vid.* Meyſſonerius. ibid.
Melampus. 295
Melanchton, *Philippus* ibid.
Melanellus, *Matthias Theodorus* ibid.
Melchiodus, *Petrus Philippus* ibid.
Melchior, *Paulus* ibid.
Melderus, *Johannes* ibid.
Meletius. ibid.
Melguitius, *Dominicus* ibid.
Melichius, *Georgius* ibid.
Melioratus, *Paulus* ibid.
Remigius ibid.
Mella, *Jo. Baptiſta* ibid. & 565
Mellus, *Sebaſtianus* ibid. & 565
Memmius, *Petrus* 295
Mena, *Ferdinandus* 296
Menabenus, *Apollonius* ibid.
Menapius, *Guilielmus* ibid.
Menecrates Syracuſanus. ibid.
alius. 297
Menjotius, *Antonius* ibid.
Mennens, *Guilielmus* 299
Mennus, *Jo. Henricus* 300
Menon. ibid.
Mentelius, *Jacobus* ibid.
Mentzelius, *Chriſtianus* ibid.
Jo. Chriſtianus 305
Menzinus, *Benedictus* ibid.
Merbitzius, *Jo. Valentinus* ibid.
Mercado, *Petrus de* ibid.
Mercatus, *Ludovicus* 306
Michaël ibid.
Mercenarius, *Archangelus* 310
Mercenne, *Petrus de* 311
Merckel, *Martinus* ibid.
Merckerus, *Johannes* ibid.
Mercklinus, *Georg. Abrab.* Senior ibid.
Georg. Abrah. Junior ibid.
Mercurialis, *Hieronymus* 314
Maximilianus 316
Mercurii, *Hieronymus* ibid.
Mercuriis, *Scipio ex* ibid.
Merenda, *Jo. Petrus* ibid.
Meriana, *Maria Sybilla* ibid.
Merianus, *Matthæus* 317
Merindolus, *Antonius* ibid.
Merinus, *Didacus* ibid.
Merletus, *Johannes* ibid.
Merlingerus, *Bartholomæus* ibid.
Merlinus. ibid.
Mermannus à Schonberg, *Thomas* ibid.
Merrettus, *Chriſtophorus* ibid.
Mertzius, *Nicol. Balthazar* 328
Merve, *Johannes* ibid.
Merula, *Gaudentius* ibid.
Georgius ibid.
Mery, *Johannes* ibid.
Mery, *Antiochus de* 321
Meſſahala. ibid.
Meſues, *Johannes* ibid.
Methodica medicina, ſeu Secta; de eâ vid.
Aurelianus *Cælius* ibid.
Metius, *Jo. Michaël* ibid.

Metro-

Metrodorus. pag. 321
Meurerus, *Christophorus* ibid.
Wolfgangus 322
Meurſius, *Johannes* ibid.
Meuve, *de* ibid.
Mey, *Johannes de* ibid.
Meyen, *Phil.* ibid.
Meyerus, *Sebaſtianus* ibid.
Meyſſonerius, *Lazarus* ibid.
Mezgerus, *Georg. Balthaſar* 323
Chriſtoph. Daniel ibid.
Michaëlis, *Philippus* ibid.
Gregorius ibid.
Johannes ibid.
Juſtus Conradus 329
Michaelius, *Johannes* ibid.
Michaut, *Johannes* ibid.
Michelius, *Joſephus* ibid.
Michelottus, *Petrus Antonius* ibid.
Michelspacherus, *Stephanus* 336
Michinus, *Franciſcus* ibid.
Michovius, *Matthias* ibid.
Micon, *Franciſcus* ibid.
Miconius, *Achatius* ibid.
Micreris. ibid.
Micyllus, *Jacobus* ibid.
Middleton, *Congers* ibid.
Miede, *Bernhardinus Gomeſius* 337
Mignotydus. 338
Milichius, *Jacobus* ibid.
Laurentius ibid.
Milius, *Daniel* ibid.
Joſephus ibid.
Julius ibid.
Minadous, *Aurelius* ibid.
Jo. Baptiſta ibid.
Jo. Thomas ibid.
Mindererus, *Raymundus* 339
Minerva, *Paulus* ibid.
Minus, *Paulus* ibid.
Minutius, *Gabriel* ibid.
Mirandulanus, *Jo. Franc. Picus* ibid.
Miſtichellus, *Domin.* 566
Mithobius, *Conradus* 339
Mithridates, Ponti ac Bitiniæ Rex ibid.
Mittlacherus, *Zacharias* ibid.
Miverius, *Daniel* ibid.
Mizaldus, *Antonius* ibid.
Mneſitheus. 340
Moegling, *Jo. Ludovicus* ibid.
Jo. Burckardus ibid.
Mocha, *Caſar* ibid.
Mochingerus, *Georgius* 341
Moebius, *Gottofredus* Pater ibid.
Gottofredus Filius. ibid.
Mœglingius, *Daniel* ibid.
Jo. Wolfgangus ibid.
Mœllenbrock, *Valentinus Andreas* ibid.
Mœren, *Jo. Theodorus* 342
Mohrius, *Nicolaus Conradus* ibid.
Mohy, *Ericus* ibid.
Moibanus, *Johannes* ibid.
Moinichen, *Henricus à* ibid.
Moivre, *Abrahamus* 344
Molanus, *Johannes* ibid.
Moldenarius, *Chriſtianus* ibid.
Moles, *Bartholomaus* ibid.
Vincentius ibid.
Moletius, *Joſephus* ibid.
Molina, *Rodericus de* 345
Molinæus, *Johannes* ibid.
Molinettus, *Antonius* ibid.
Michaël Angulus ibid.
Molitor, *Jo. Horatius* ibid.
Mollerus, *Fridericus* 346
Mollerus, *Johannes* pag. 346
Juſtus ibid.
Mollinius, *Antonius* ibid.
Molpeus, *Johannes* ibid.
Monachus, *Conſtantinus* ibid.
Monantholius, *Henricus* ibid.
Monardes, *Nicolaus* ibid.
Monavius, *Fridericus* ibid.
Petrus ibid.
Moncæus, *Franciſcus* 347
Monedulatus, *Petrus* ibid.
Moneglia, *Jo. Andreas* ibid.
Monginot, *Franciſcus* ibid.
Mongius, *Jo. Paulus* ibid.
Monhemius, *Johannes* ibid.
Monnier, *L. le* ibid.
Montagnana, *Marc. Anton.* 349
Bartholomaus ſenior. ibid.
Bartholomaus junior. 350
Montalbanus, *Ovidius* ibid.
Montalto, *Philippus* ibid.
Philotheus Elianus ibid.
Montaltus, *Hieronymus* ibid.
Montanna, *Bernhardinus* ibid.
Montanor, *Guido de* ibid.
Montanus, *Comes* ibid.
Johannes ibid.
Jo. Baptiſta ibid.
Maturinus 352
Nicolaus ibid.
Petrus ibid.
Robertus ibid.
Monte Catino, *Hugolinus de* ibid.
Monteſaurus, *Natalis* ibid.
Montesdoca, *Johannes de* ibid.
Montiſianus, *Marcus Antonius* ibid.
Montius, *Pamphilus* ibid.
Sebaſtianus ibid.
Joſephus 566
Montuus, *Hieronymus* 353
Moor, *Bartholomaus de* ibid.
Moræus, *Franciſcus* 356
Morales, *Gaſpar de* ibid.
Moralis, *Georgius* ibid.
Moranus, *Didacus* ibid.
Moraſch, *Jo. Adamus* ibid.
Morbachus, *Achatius* ibid.
Moreau. ibid.
Renatus ibid.
Morellus, *Fridericus* 357
Gregorius ibid.
Johannes ibid.
Petrus ibid.
Moreſcottus, *Alphonſus* ibid.
Moreſinus, *Thomas* ibid.
Morgagnus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Morhardus, *Johannes* 359
Morhofius, *Daniel Georgius* 360
Morienus, *Romanus*, vid. Romanus *Morienus* ibid.
Morinus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Ludovicus ibid.
Nicolaus ibid.
Moriſcianus, *Carolus* ibid.
Moriſon, *Robertus* ibid.
Moriſotus, *Johannes* 361
Morlandus, *Samuel* ibid.
Morley, *Chriſtophorus Levi* 362
Mornius, *Petrus* ibid.
Moronus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Matthias ibid.
Morſius, *Joachimus* ibid.
Mort, *Jacobus le* 71. & 363
Morton, *Richardus* 366
Morus, *Horatius* 370

Morus, *Michaël Angelus* pag. 370
Moſanus, *Jacobus* ibid.
Moſchion. ibid.
Moſerus, *Bartholomaus* ibid.
Motatinellus, *Cechinus* ibid.
Moth, *Paulus* ibid.
Mouffetus, *Thomas* ibid.
Movius, *M. M.* ibid.
Moulins, *A.* ibid.
Mouſſacus, *Philippus Jacobus* 372
Moxius, *Jo. Raphael* ibid.
Moya, *Johan. Perez de* ibid.
Moyſes, *Rabus* ibid.
Mugamet, *Abuchare* ibid.
Mullerus, *Carolus Joſephus* ibid.
à Löwenſtein, *Fridericus* ibid.
Jacobus ibid.
Jo. Georgius 373
Jo. Matthias ibid.
Joſephus 374
Philippus ibid.
Theophilus ibid.
Muncerius, *Paulus* ibid.
Mundella, *Aloyſius* ibid.
Mundinius, *Mundinius* ibid.
Mundinus, Anatomicus 375
de Lentiis ibid.
Vincentius ibid.
Mundius, *Henricus* ibid.
Munierus, *Jo. Alcidius* ibid.
Munnicks, *Johannes* ibid.
Munnus, *Alphonſus* 376
Munſterus, *Johannes* ibid.
Sebaſtianus ibid.
Muntingius, *Abrahamus* ibid.
Muntingus, *Henricus* 383
Muralto, *Johannes de* ibid.
Muraltus, *Jo. Conradus* 385
Muratorius, *Franciſcus* ibid.
Ludov. Anton. 766
Muſa, *Antonius* 385
Muſchel de Moſchau, *Joſeph. Ignatius* ibid.
Muſgravius, *Guilielmus* ibid.
Muſitanus, *Carolus* 388 & 567
Muſſaphia, *aliàs* Dionyſius, *Benjamin* 391
Muſtelius, *Vincentius* ibid.
Mutiliana, *Jo. Ronconius de* ibid.
Mutiis, *Donatus à* ibid.
Muton, *Nicolaus* ibid.
Muykens, *Theodorus* ibid.
Muys, *Johannes* 392
Wyerus Guilielmus 394
Mye, *Franciſcus van der* 400
Fridericus van der ibid.
Mylius, *Jo. Daniel* ibid.
Martinus ibid.
Myndius, *Alexander* ibid.
Mynſicht, *Hadrianus à* 401
Myrepſus, *Nicolaus* ibid.
Myreus, *Ludovicus* ibid.
Myrica, *Johannes* ibid.
Myrrhen, *Andreas* ibid.
Myſius, *Forbergius* ibid.
NAaldwyck, *Petrus à* 402
Nabaſques, *Johannes de* ibid.
Nabothus ibid.
Nævius, *Johannes* 403
Naironus Baineſius, *Fauſtus*, vid. Baineſius. ibid.
Naldius, *Matthias* ibid.
Nancelius, *Nicolaus* 404
Nardius, *Johannes* ibid.
Narvatius, *Matthias* ibid.
Naſius, *Sebaſtianus* ibid.
Naſo, *Publius Ovidius* ibid.
Naſſavius, *Ludovicus* pag. 404
Natalis, *Johannes* ibid.
Natus, *Jo. Paulus* 405
Petrus ibid.
Navarro, *Michael* ibid.
Naudæus, *Gabriel* ibid.
Navarrus, *Jo. Baptiſta* 406
Neander, *Johannes* ibid.
Michaël ibid.
Theophilus ibid.
Nebelius, *Daniel* ibid.
Wilhelmus Bern. 407
Needham, *Gualtherus* ibid.
Nehemia, *Abrahamus* ibid.
Nemeſius ibid.
Nemicus, *Thaddaus ab Hageck* ibid.
Nennius, *Gerhardus* ibid.
Nenter, *Georg. Philippus* ibid.
Nerius, *Nereus* 408
Nerus, *Antonius* ibid.
Neſterus, *Jo. Matthias* ibid.
Neucrantzius, *Johannes* ibid.
Paulus ibid.
Nevenare, *Hermann. Comes à* ibid.
Nevenhaus, *Chriſtianus* ibid.
Neuhauſen, *Guernerus* ibid.
Neuhaſius, *Edo* ibid.
Nevianus, *Marcus* 410.
Neumannus, *Caſpar* 409
Neydeckerus, *Johannes* 410
Nicander Colophonius ibid.
Robertus ibid.
Nicolai, *Johannes* ibid.
Nicolaus, Florentinus ibid.
Henricus ibid.
Nicolinis, *Annibal de* ibid.
Nicolinus, *Joh. Baptiſta* ibid.
Nicolus, *Nicolaus* ibid.
Niconiſius, *Franciſcus* ibid.
Nidepontanus, *Johannes* ibid.
Nierembergius, *Joh. Euſebius* ibid.
Niger Hapellus, *Nicolaus*, vid. Hapellus 411
Sextius. ibid.
Nigris, *Sillanus de* ibid.
Nigriſolus, *Franciſcus Maria* ibid.
Hieronymus 412
Sigiſmundus 413
Niphus Philotheus, *Auguſtinus* ibid.
Nitſchius, *Chriſtianus* ibid.
Fridericus ibid.
Noble, *Carolus le* ibid.
Nocera, *Joſephus* ibid.
Nocitus, *Gerhardus* ibid.
Nogarola, *Ludovicus* ibid.
Noguez, *Petrus* ibid.
Nola, *Franciſcus* ibid.
Joh. Andreas ibid.
Nollius, *Henricus* 414
Nonnius, *Alverus* ibid.
Ambroſius ibid.
Emanuel ibid.
Ludovicus ibid.
Nonus, ibid.
Normannus, *Theobaldus* 415
Norre, *Erhardus* ibid.
Nortonus, *Samuel* ibid.
Thomas ibid.
Noſet, *Joh. Jacobus* ibid.
Noslerus, *Georgius* ibid.
Novareſius, *Jacobus* ibid.
Noues, *G. des* ibid.
Novocampianus, *Albertus* 416
Nuck, *Antonius* ibid.
Nuneſius à Zamora, *Antonius* 420
Hieronymus ibid.

Nuneſius, *Ileſonſus* pag. 420
Nunnez, *Ambroſius* ibid.
Alphonſus ibid.
Alvarus ibid.
Chriſtophorus ibid.
Emmanuel ibid.
Franciſcus ibid.
de Oria, *Franciſcus* ibid.
Nunno Ramirez, *Hieronymus* ibid.
Nurſia, *Benedictus de* ibid.
Nuvoletti, *J. Pellegr.* ibid. & 566
Nuyſement, *de* 420
Nymmannus, *Gregorius* ibid.
Hieronymus ibid.
Nyſſenus, *Gregorius* ibid.
OBel, *Matthias del* 412
Oberndofferus, *Johannes* ibid.
Obert, *Antonius* ibid.
Obicius, *Hippolytus* ibid.
Occo, *Adolphus* 422
Ochoa, *Thomas à Caſtello* ibid.
Ochus, *Hieronymus* ibid.
Ocioſus, *Vincentius de Petrogone* ibid.
Oclerius, *Franciſcus* ibid.
Ocyorus, *Tarquinius* ibid.
Oddis, *Oddus de* ibid.
Oddus, *Marcus* 423.
Odomarus. ibid.
Odonus, *Cæſar* ibid.
Raynaldus ibid.
Odoricus, *Johannes* ibid.
Odry, *Guilielmus* ibid.
Oellingerus, *Georgius Eraſmus* ibid.
Oethæus, *Georgius* ibid.
Offredus, *Carolus* ibid.
Paulus 424
Ohacan, *Didacus Alvarus* ibid.
Ohimonius, *Criſtiſtella* ibid.
Olaus, *Petrus* ibid.
Oldenburgius, *Henricus* ibid.
Olearius, *Adamus* ibid.
Olhafius, *Joachimus* ibid.
Nicolaus ibid.
Olhmb, *Carolus* ibid.
Olivarius, *Jacobus* ibid.
Olivus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Olympius, *Marc. Aurelius* ibid.
Onchalcus, *Joh. Baptiſta* 425
Opfferus, *Benedictus* ibid.
Oporinus, *Johannes* ibid.
Oppianus. ibid.
Opſopeus, *Johannes* ibid.
Optatus, *Cæſar* ibid.
Orchamus, *Janus* ibid.
Ordonnez, *Andreas* ibid.
Orellus, *Joh. Petrus* ibid. & 566
Oribaſius 425
Origanus, *David* 426.
Orme, *Carolus de L'* ibid.
Oroſcius, *Chriſtophorus* ibid.
Ortholanus. ibid.
Orthon. ibid.
Ortlobius, *Joh. Fredericus* 427
Orto, *Garſias de* & vid. Horto. 426
Oslevius, *Carolus* 427
Oſtenfeld, *Chriſtianus* ibid.
Otto, *Andreas* ibid.
Johannes ibid.
Ovidius, *Publius*, vid. Naſo, *Publ. Ovidius* ibid.
Oviedo, *Ludovicus* ibid.
PAcchionus, *Petrus* 428
Pachequus, *Petrus* 433
Pacificus, *Lepidus* ibid.
Pacinus, *Jacobus* 434
Pacius, *Fabius* ibid.
Padoanis *Helideus de* pag. 434
Padovanus, *Johannes* ibid.
Paduanus, *Fabricius* ibid.
Petrus ibid.
Paepp, *Johannes* ibid.
Paiſenius, *Matthias* ibid.
Paitonus, *Jo. Maria* ibid.
Palamedes, *Julius* 436
Palatius, *Johannes* ibid.
Philippus ibid.
Palazzolus, *Aurelius* ibid.
Palea, *Angelus* 437
Palfyn, *Johannes* ibid.
Palladius Sophiſta. ibid.
Pallierius, *Paulus Franciſcus* ibid.
Pallu, *Victor* 438
Palma, *Georgius* ibid.
Palmarius, *Julius* ibid.
Petrus ibid.
Paltronius, *Carolus Lanc.* ibid.
Paludanus, *Bernhardus* ibid.
Pamphilus. ibid.
Lucidas ibid.
Panarolus, *Dominicus* ibid.
Pancirollus, *Guido* ibid.
Pandolphinus, *Joſephus* ibid.
Paniza, *Ludovicus* ibid.
Panſa, *Martinus* 439
Pantaleon, *Henricus* ibid.
Nomen fictitium. ibid.
Pantheus, *Jo. Antonius* ibid.
Jo. Auguſtinus ibid.
Panthonus, *Ludovicus* ibid.
Pantinus, *Guilielmus* ibid.
Pantius, *Alexander* ibid.
Papa, *Joſephus de* 440.
Paparella, *Sebaſtianus* ibid.
Papinius, *Nicolaus* ibid.
Papinus, *Dionyſius* ibid.
Papius, *Johannes* ibid.
Paracelſus, *Aureolus Philippus Theophraſtus* ibid.
Paræus, *Ambroſius* 443
Paravicinus, *Fabricius* 444
Jo. Petrus ibid.
Parent, *Guilielmus* ibid.
Pariſanus, *Æmilius* ibid.
Pariſienſis, ſeu, de Pariſiis, *Johannes* 445
Richardus ibid.
Pariſius, *Petrus* ibid.
Parkenſon, *Johannes* ibid.
Parma, *Hippolytus* ibid.
Parmenſis, *Rogerius* ibid.
Parolinus, *Antonius Maria* ibid.
Parre, *Thomas* ibid.
Parthenius. 446
Parthinus, *Franciſcus* ibid.
Partibus, *Jacobus de* ibid.
Partlicius de Spitzberg, *Simeon* ibid.
Paſchalis, *Johannes* ibid.
Michaël Johannes ibid.
Petrus ibid.
Paſchalius, *Carolus* ibid.
Johannes ibid.
Paſchaſius, *Henricus* 450
Paſchettus, *Bartholomæus* ibid.
Paſcoli, *Alexander* ibid.
Paſienus, *Antonius* 451
Paſinus, *Antonius* ibid.
Ludovicus ibid.
Paſſæus, *Criſpinus* ibid.
Paſſera, *Felix* 452
Paſſerus, *Jo. Petrus* ibid.
Paſtor de Gallego, *Geneſius* ibid.
Paternus, *Bernhardinus* ibid.
Patina, *Benedictus* ibid.

Patinus, *Carolus* pag. 452
Patricius, *Franciſcus* 469
Paviſius, *Jo. Jacobus* ibid.
Pavius, *vid.* Pauw, *Petrus* ibid.
Pauli, *Tobias Ferdinandus* ibid.
Simon ibid.
Jo. Wilhelmus 470
Michaël 471
Paulinus, *Chriſtianus Franc.* ibid.
Fabius 475
Fabricius ibid.
Paulli, *Jacob. Henricus* ibid.
vid. Pauli, *Simon* ibid.
Paullini, *vid.* Paulini *Chriſt. Franc.* ibid.
Paulus, *Ægineta* ibid.
Petr. Franciſcus ibid.
Pauſanias. ibid.
Pauw, *Petrus* 476
Paxamus. ibid.
Paxmannus, *Henricus* ibid.
Paxton, *Petrus* ibid.
Payer de Cubitô, *Wenceſlaus* 477
Paz, *Benedictus de Buſtamente* ibid.
Peccana, *Alexander* ibid.
Peccettius, *Franciſcus* ibid.
Pecelius, *Chriſtophorus* ibid.
Pechey, *Johan.* ibid.
Pechlinus, *Jo. Nicolaus* ibid.
Pecquetus, *Johannes* ibid.
Pedemontanus, *Alexius* 480
Pedemontio, *Franciſcus de* ibid.
Pedroſa, *Ludovicus Rodriguez de* 481
Peirce, *Robertus* ibid.
Pelagius. ibid.
Pelagonius. ibid.
Pelecyus, *Johannes* 482
Peletarius, *Jacobus* ibid.
Pelicanus, *Daniel* ibid.
Peliegrinus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Pellegrinus, *Pompeius* ibid.
Pelleterius, *Caſparus* ibid.
Pellicia, *Paulus* ibid.
Pellinigerus, *Actius Philippus* ibid.
Pelops. ibid.
Pelshoferus, *Jo. Georgius* ibid.
Pena, *Petrus* ibid.
Penicher, *Ludovicus* ibid.
Penna, *Johannes de* 482 & 566
J. J. W. de 482
Penotus, *Bernhardus G.* 485
Pepagomenus, *Demetrius* ibid.
Pepulis, *Odardus de*, vid. Angelus, *Daniel* ibid.
Peramato, *Petrus de* ibid.
Percis, *Heliophilus à* ibid.
Perdulcis, *Bartholomæus* ibid.
Pereda, *Petrus Paulus* 486
Pereira, *Gomezius* ibid.
Peregrinus, *vid.* Peliegrinus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Perellus, *Franciſcus* ibid.
Perez Caſcales de Guadalàxara, *Franciſcus* ibid.
Antonius ibid.
de Moya, *Johannes* ibid.
de Morales, *Garſias* ibid.
Laurentius ibid.
Perla, *Franciſcus* ibid.
Perlinus, *Hieronymus* ibid.
Pernaverus, *Georg. Ferdinandus* ibid.
Pernis, *Euſtachius de* ibid.
Pernumia, *Jo. Paulus* ibid.
Perſius, *Philippus* ibid.
Perſona, *Jo. Baptiſta* ibid.
Peruſcus, *Camillus* 487
Peruſinus, *Matthæolus* ibid.
Petermannus, *D. Andreas* ibid.
Peterſen, *Franciſcus* pag. 487
Petit, *J. L.* ibid.
Petitæus, *Antonius* 488
Petitus, *Petrus* ibid.
Petraalba, *Carolus Wittenſtein à* ibid.
Petræus, *Henricus* ibid.
Petraficta, *Sebaſtianus* ibid.
Petreus, *Nicolaus* 489
Petreius, *vid.* Pietreus, *Simon* ibid.
Petri, *Cornelius* ibid.
Fridericus ibid.
ab Hartenfels, *Georg. Chriſtophorus* ibid.
Petrichus. 492
Petrina, *Caſparus* ibid.
Petrogone, *Vincentius de* ibid.
Petron, *ſeu* Petronas. ibid.
Petrone, *Anton. Vincentius de* ibid.
Petronius, *Alexander Trajanus* ibid.
R. P. 567
Petroſa, *vid.* Pedroſa, *Nicolaus Rodriguez de* 493
Petruccius, *Joſephus* ibid.
Petrutius, *Antonius* ibid.
Petzoldus, *Juſtinus* ibid.
Peu, *ſeu*, Paucus, *Philippus* ibid.
Peucerus, *Caſparus* 494
Peutingerus, *Chriſtophorus* ibid.
Peyerus, *Jo. Conradus* ibid.
Jo. Jacobus 498
Peyſſonnel, *Johannes* ibid.
Pezoldtus, *Adamus Fridericus* ibid.
Pezoldus, *Caſpar* ibid.
Pfannerus, *Johannes* ibid.
Pfautius, *Johannes* ibid.
Pfeifferus, *Sieg. Auguſt.* 566
Pfifferus, *Rudolphus* 498
Pfitzerus, *Jo. Philippus* ibid.
Phædro de Geleinen, *Georgius* ibid.
Phæmon. 499
Phavorinus à Clavariis, *Joſephus* ibid.
Pheill, *Johannes* ibid.
Pherecydes. ibid.
Phil, *Stephanus* ibid.
Philagrius. ibid.
Philaletha. ibid.
Philalethes, *Ayreræus* ibid.
Eudoxus ibid.
Philalthæus, *Lucillus* ibid.
Philaretus. 500
Gilbertus ibid.
Philarius, *vid.* Philagrius. ibid.
Philes, *Manuel* ibid. & 567
Philemon. 500
Philetas. ibid.
Philinus. ibid.
Philiſtion. ibid.
Philo. 501
Philochemicus, *Hermophilus* ibid.
Philologus, *Thomas* ibid.
Philonides Catanenſis. ibid.
Ennenſis. ibid.
Philonius. ibid.
Johannes Duge 502
Philopiſtius, *Agricola* ibid.
Philotheus, *vid.* Theophilus Græcus. ibid.
Auguſtin. Niphus. ibid.
Philumenus. ibid.
Phrygius, *Jacob. Anton.* ibid.
Petrus Franciſc. ibid.
Piazzonus, *Ægidius* 567
Picciolus, *Antonius* 502
Piccolhominus, *Archangelus* ibid.
Piccolus, *Stephanus* ibid.
Pichonius, *Antonius* 503
Pichot, *Petrus* ibid.

Picinus, *Maxentius* pag. 503
Piccolominus, *vid.* Piccolhominus. ibid.
Pictorius, *Georgius* ibid.
Picus, *vid.* Mirandulanus, *Jo. Franciſcus* 504
Pidoux, *Franciſcus* ibid.
Pielat, *Bartholomæus* ibid.
Piens, *Franciſcus* ibid.
Pierius, *Georgius Petrus* ibid.
Pietreus, *Simon* ibid.
Pigræus, *Petrus* ibid.
Pijart, *Franciſcus* ibid.
Pilarinus, *Jacobus* 504 & 567
Pilas, *Johannes* 505
Pilleterius, *Caſparus* ibid.
Pillingen, *Matthias Zacharias* ibid.
Pinæus, *Antonius* ibid.
Severinus ibid.
Pincier, *Johannes* ibid.
Pindemontibus, *Aleardus de* ibid.
Pindemontius, *Franciſcus* 506
Pinellus, *Hieronymus* ibid.
Flaminius 568
Pingnia, *Hildegard. de* 506
Pintianus, *Ferdinandus* ibid.
Pintor, *Petrus* ibid.
Pinus, *Petrus Matthæus* ibid.
Piperellus, *Cæſar* ibid.
Pipernus, *Petrus* 568
Piraſſus, *Laurentius* 506
Piribachius, *Tobias* ibid.
Pirrus, *Antonius* ibid.
Piſanellus, *Balthaſar* ibid.
Piſanus, *Petrus Paulus,* ibid.
ſeu de Piſis, *Barthol.* 507
Joh. Jacobus ibid.
Piſida, *Georgius* ibid.
Piſis, *H. de* ibid.
Piſo, *Carolus* ibid.
Guilielmus ibid.
Homobonus 508
Nicolaus ibid.
Piſſinius, *Sebaſtian.* ibid.
Piſt., *Robertus* ibid.
Piſtor, *Simon* ibid.
Piſtorius Siculus. ibid.
Niddanus, *Johannes* ibid.
Nemauſenſis, *Johannes* ibid.
Pitcarnius, *Archibaldus* 509 & 568
Pithopæus, *Chriſtophorus* 512
Pitorius, *Peregrinus* ibid.
Pitt, *Chriſtophorus* 513
Pitzlerus, *Andreas* ibid.
Pizimentius, *Dominicus* ibid.
Pizzornus, *Jacobus* ibid.
Pizzutus, *Paulus* ibid.
Placentinus, *vid.* Caſſerius ibid.
Ruſticus ibid.
Placitus, *vid.* Sextus ibid.
Placotomus, *Johannes* ibid.
Plaia, *Melchior* 514
Plana, *Jo. Baptiſta* ibid.
Planerius, *Joannes* ibid.
Planerus, *Andreas* ibid.
Plantinus, *Chriſtophorus* ibid.
Plantius, *Guilielmus.* ibid.
Platea, *Petrus de* ibid.
Platearius, *Johannes* ibid.
Platerus Senior, *Felix* ibid.
Junior, *Felix* 516
Platina, *Baptiſta* ibid.
Plato. ibid.
Platonicus, *vid.* Apuleius. ibid.
aliàs, Placitus ibid.
Sextus, vid. Sextus. ibid.
Plazzonus, *Franciſcus* ibid.
Pleierus, *Cornelius* pag. 517
Pleigni, *Theobaldus de* ibid.
Plempius, *Franciſcus* ibid.
Vopiſcus Fortunatus ibid.
Pleſeus, *Carolus Arturus* ibid.
Pletius, *Nicolaus* ibid.
Plinius, *Baſilius* ibid.
Secundus, *Caius* ibid.
Valerianus 520
Pliſtonicus. ibid.
Plukenetius, *Leonhardus* ibid.
Plumatius, *Bernhardinus* 521
Plumerius, *Carolus* ibid.
Plutarchus Chæronenſis 522
Pneumatica Medicina ibid.
Pogatſchnig, *Georg. Sigiſm.* ibid.
Polanus à Polandorff, *Amandus* ibid.
Polcaſtrus, *Sigiſmundus* ibid.
Polemon. ibid.
Polichius, *Martinus* ibid.
Poliſius, *Gottofredus Samuel* 523
Politianus, *Angelus* ibid.
Anton. Laurentius ibid.
Politius, *Antonius* ibid.
Poll, *Michaël* ibid.
Nicolaus ibid.
Pollux, *Julius* ibid.
Polybus 524
Polycletus Meſſanenſis. ibid.
Polydamus, *Valentinus* ibid.
Polynierius, *Petrus* ibid.
Pomaretus, *Dyoniſius* ibid.
Pomarius, *Samuel* 525
Pomet, *Petrus* ibid.
Pomis, *David de* 526
Pomius, *Joſephus* ibid.
Pona, *Franciſcus* 527
Johannes ibid.
Joh. Baptiſta ibid.
Ponce, *Antonius* ibid.
Pons, *Jacobus* 528.
Pontadera, *vid.* Pontedera ibid.
Pontanus, *Georg. Bartholdus* ibid.
Johannes ibid.
Johannes Jovianus ibid.
Pontedera, *Julius* ibid.
Ponzetus, *Ferdinandus* 537.
Popardus, *Oliverius* ibid.
Poppius, *Hamerus* ibid.
Popus, *Illefonſus* ibid.
Porcel, *Joh. Thomas* ibid.
Porcol, *Thomas* ibid.
Poroſius, *Joh. David* ibid.
Porralius, *Claudius* ibid.
Porras, *Matthias de* ibid.
Porſchon, *A.* ibid.
Port, *Franciſcus du* 539.
Henricus van der 540
Porta, *Johan. Baptiſta* ibid.
Caſparus ibid.
Portal, *Paulus* ibid.
Portaleonis, *Abrahamus è* 541
Porteſius, *Johannes* ibid.
Portius, *Lucas Antonius* ibid.
Scipio 543
Simon ibid.
Portus, *Antonius* 544
vid. Port, *Franciſcus du* ibid.
Portzius, *Joh. David.* ibid.
Poſidonius. ibid.
Poſſevinus Senior, *Antonius* ibid.
Junior, *Antonius* ibid.
Poſtellus. ibid.
Poſthius *Johannes* 545
Poſthumus, à Grafenberg, *Andreas* ibid.

Poterius, *Petrus* pag. 545
Potier, *Michaël* 546
Pozzi, *ſeu* Pozzius, *Julius Cæſar* ibid.
Pozzis, *Antonius de* ibid.
Prædapalia, *Alias* Bertapalia *Leonhardus* 547
Præfectus, *Jacobus* ibid.
Præpoſitus, *Nicolaus* ibid.
Prætorius, *Joachimus* ibid.
Prævotius, *Johannes* 547 & 568
Pratenſis, *Jaſon* 548
Praxagoras. ibid.
Preibiſius, *Chriſtophorus* ibid.
Prennerus, *Sebaſtianus* ibid.
Prevotius, *vid.* Prævotius. ibid.
Preuſſius, *Godofr. Benjamin* ibid.
Maximilianus ibid.
Preyſer, *Joh. Wolff.* 550
Prezatus, *Gabriel* 551
Primeroſius *Jacobus* ibid.
Priſcianus, *Theodorus* ibid.
Privatus, *Teucer Annæus* ibid.
Probſt, *Andreas* ibid.
Proby. ibid.
Procaccinus de Monte Sto vito, *Caliſtus* 552
Procerus, *Marcus* ibid.
Prodicus. ibid.
Profectus, *Jacobus* ibid.
Promotus, *Ælius* idid.
Proſimus, *Joh. Dominicus* ibid.
Protoſpatharius, *Theophilus* 553
Prottenius, *Daniel* ibid.
Provancherius, *Simon* ibid.
Provenzalis, *Hieronymus* ibid.
Pruckelius, *Joh. Petrus* ibid.
Pruggmayerus, *Martin. Maximil.* ibid.
Pruſenſis, *Abſyrtus* ibid.
Pſellus, *Michaël* ibid.
Pſychreſtus, *Jacobus* vid. *Trallianus* 554
Ptolothæus, *vid.* Philotheus. ibid.
Puerarius, *Daniel* ibid.
Pulcharellius, *Conſtantinus* ibid.
Pulverius, *Joh. Hieronymus* ibid.
Purmannus, *Matthæus Godofr.* ibid.
Purpanius, *Pontius Franciſcus* 555
Puteanus, *Guilielmus* ibid.
Puteo *Zacharias à* ibid.
Puteus, *Franciſcus* ibid.
Pye, *Samuel* 568
Pylander, *Georgius* 555
Pyrkmair, *Hilarius* ibid.
Pythagoras. ibid.
QUacelbenus, *Guilielmus* 556
Quatrammus, *Evangeliſta* ibid.
Quatrocchus, *Albertus* ibid.
Queccius, *Gregorius* ibid.
Quercetanus, *Euſtachius* ibid.
Joſephus ibid.
Quercu, *Leodegarius à* ibid.
Quertenus, *Joachimus* ibid.
Queſtellius, *Ambroſius* ibid.
Quincy, *Johannes* ibid.
Quinquaborræus, *Johannes* 560
Quintiis, *Camillus Eucherius de* 569
Quintianus, *Johannes* 560
Quintilius ibid.
Alexander ibid.
Quiricus, *Auguſtis de*, vid. Auguſtis, *Quir.* ibid.

In Parte II. Tomi II. quæ continet Lib. XVII.-XXIV. ſeu Litt. R.-Z.

RAbbi, *Nicolaus* 1
Rabelæſus, *Franciſcus* ibid.
Raberius, *Antonius* ibid.
Raedt, *Franciſcus de* ibid.
Raei, *Johannes de* ibid.
Raicus, *Johannes* ibid.
Rain, *Joh. Fridericus à* pag. 1.
Rainaudus, *Spiritus* 2
Raius, *Johannes* ibid.
Rallius, *Georgius Fridericus* 9
Ramazzinus, *Bernardinus* ibid.
Ramirez, *Hieronymus Nunno* 34
Ramos, *Simon* ibid.
Rampulla, *Angelus Maria* ibid.
Ramſaius, *Carolus Aloyſius* 35
Ranchinus, *Franciſcus* ibid.
Rangonis, *M. C. T.* ibid.
Ranta, *Maria* ibid.
Rantzovius, *Henricus* ibid.
Rapardus, *Franciſcus* ibid.
Raphael, *Salomon* ibid.
Rapinus *Renatus* ibid.
Rapitius, *Jovita* 36
Raſarius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Raſch, *Johannes* ibid.
Rattray, *Sylveſter* ibid.
Ratzenbergerus, *Matthæus* ibid.
Rau, *Joh. Jacobus* ibid.
Ravelin, *Franc. Martinus* ibid.
Ravennas, *Petrus* 37
Rauwolfius, *Leonhardus* ibid.
Rawlin, *Thomas* ibid.
Raygerus, *Carolus* ibid.
Raynaldus, *Franciſcus* 42
Raynaudus, *Theophilus* 43
Recalcus, *Julius* ibid.
Recchus, *Nardus Antonius* ibid.
Rechembergius, *Jamiſchius* ibid.
Recorde, *Robertus* ibid.
Rectorius, *Livius* ibid.
Recupitus, *Julius Cæſar* ibid.
Redekerus, *Conradus* ibid.
Redus, *Franciſcus* ibid.
Reede tot Draakeſtein, *Henricus van* 45
Rega, *Henricus Joſephus* 47
Regemorterus, *Ahaſſuerus* 49
Reggio, *Nicolaus de* ibid.
Regio, *Gregorius de* ibid.
Regius, *Henricus* ibid.
Joh. Benedictus ibid.
Reicheltus, *Julius* ibid.
Reichius, *David* ibid.
Reidanus, *Petrus* ibid.
Reies Franco *Gaſpar de los* ibid.
Reimannus, *Joh. Adamus* ibid.
Reina, *Placidus* ibid.
Reineccerus *Fidejuſtus* 50
Reineſius, *Thomas* ibid.
Reiſelius, *Salomon* ibid.
Reiſkius, *Johannes* 54
Remboldus, *Eraſmus* 55
Remmelinus, *Johannes* ibid.
Renatus, *Vegetius* ibid.
Rendellus, *Proſper* ibid.
Renealmus, *Paulus* ibid.
Renerius, *Johannes* ibid.
Renodæus, *Johannes* ibid.
Reſchingeder, *Theodoricus* ibid.
Reſcius, *Rutgerus* 55
Reſerius, *Horatius* ibid.
Reſtaurant, *Raymundus* ibid.
Reſtifa, *Paulus* 56
Reuchlinus, *Erneſtus* ibid.
Reudenius, *Michael* ibid.
Reverhorſt, *Mauritius van* ibid.
Reuſchius, *Joannes* ibid.
Reuſnerus, *Bartholomæus* ibid.
Chriſtianus Gottlieb. ibid.
Hieronymus ibid.
Reutzius, *Stevelinus Adam* 57
Rex, *Sigiſmundus* ibid.

Reyſingh, *Joh. Hannemannus* pag. 57
Reyſtavarez, *Emanuel dos* ibid.
Rhaſez, *Abubeter* ibid.
Abbas. ibid.
Rheede, *vid.* Reede, *Henricus* 58
Rheginus, *Bernard. Bertrandus* ibid.
Guilielmus ibid.
Nicolaus 59
Rhenanus, *Johannes* ibid.
Rhodion, *Eucharius* ibid.
Rhodius, *Ambroſius* ibid.
Johannes ibid.
Nicolaus 62
Rhumelius, *Joh. Conradus* ibid.
Joh. Pharmundus ibid.
Rhyne, *Guilielmus ten* ibid.
Ricchi, *Auguſtinus* 64
Ricciardus, *Antonius* ibid.
Riccius, *vid.* Ricchi ibid.
Richa, *Carolus* ibid.
Richardus Anglicus 66
Pariſienſis. ibid.
Andreas ibid.
Richier, *Johannes* ibid.
Richierus de Belleval. 66
Richtius, *Thomas* ibid.
Ricius, *Paulus* ibid.
Ridley, *Henricus* ibid.
Rido, *Nicolaus à* 71
Riedlinus, *Vitus* ibid.
Rietmakers, *Hubertus Arnoldus* 76
Riettmannus, *Vlricus* ibid.
Rigaltius, *Nicolaus* ibid.
Righius, *Alexander* ibid.
Rihelius, *Philippus* ibid.
Riif, *Gualter. Hermann.* vid. Hermannus *Gualterus* ibid.
Rincius, *Cæſar* ibid.
Ringelbergius, *Joach. Fortius* ibid.
Rinius, *Benedictus* ibid.
Riolanus, *Johannes* ibid.
Riolettus, *Johan.* 78
Ripleus, *Georgius* ibid.
Riquinus, *Simon* 79
Riſerus, *Carolus* ibid.
Riſica, *Vincentius* ibid.
Ritius, *Hieronymus* ibid.
Rittershuſius, *Conradus* ibid.
Ritzenius, *Johannes* ibid.
Riva, *Guilielmus* ibid.
Rivalieiz, *Petrus* ibid.
Riverius, *Lazarus* 80
Stephanus ibid.
Rivettus, *Georgius* ibid.
Rivinus, *Andreas* 81
Andreas Quirinus ibid.
Auguſtus Quirinus ibid.
Rixingerus, *Daniel* 83
Robertus, *Johannes* ibid.
Robin, *Johannes* ibid.
Robinſon *Nicolaus* ibid.
Veſpaſianus ibid.
Robinus, *Petrus* 85
Roborettus, *Octavianus* ibid.
Rocardus, *Claudius* ibid.
Rocca Contrada, *Lucianus Bellus* ibid.
Rocheus, *Nicolaus* ibid.
Rochus, *Antonius* ibid.
Rodan, *vid.* Eben. ibid.
Rodargirus, *Lucas* ibid.
Rodericus, *Joan.* vid. Caſtelli Albi, *Joh. Roder.* ib.
Rodewald, *Franciſcus* ibid.
Rodoam, *Haly*, vid. Eben Rodan. ibid.
Rodolphus, *Joh. Gabriel* ibid.
Rodriguez, *Nicolaus*, vid. Petroſa ibid.
Rodriguez Cardoſo, *Ferdinandus* pag. 85
de Tudela, *Alphonſus* ibid.
de Cabreira, *Gundiſalvus* 86
Roelſius, *Tobias* ibid.
Roeſlerus, *Chriſtophorus* ibid.
Roet, *Iſaacus* ibid.
Roffredus, *Philippus Maria* ibid.
Roganus, *Leo* ibid.
Rogerius Parmenſis. ibid.
Joh. Nicolaus ibid.
Rogerſius, *Johannes* ibid.
Rolandus à Belebad, *Jacobus* ibid.
Rolfincius, *Guernerus* ibid.
Romain, *G. B. de St.* 89
Romanus, *Ægidius* ibid.
de Cordoua, *Alphonſus* ibid.
Franciſcus 90
Guilielmus ibid.
Morienus ibid.
Romatetus, *Carolus* ibid.
Romberg, *Joh. Wilhelmus* ibid.
Romerus, *Jacobus* ibid.
Rommelius, *Petrus* ibid.
Ronconius de Mutiliana, *Johannes* 91
Rondeletius, *Guilielmus* ibid.
Ronſſeus, *Balduinus* 92
Roonhuyſen, *Henricus* ibid.
Roquetius, *Johannes* ibid.
Rorarius, *Hieronymus* ibid.
Roſarius. ibid.
Roſcius, *Abel* ibid.
Vitruvius ibid.
Roſenbachius, *Zaccharias* ibid.
Roſenbergius, *Joh. Jacobus* ibid.
Roſinus 93
Johannes ibid.
Roſlerus, *Andreas* ibid.
Roſlin, *Heliſæus* ibid.
Roſſellus, *Joh. Franciſcus* ibid.
Timotheus ibid.
Roſſetus, *vid.* Rouſſetus. ibid.
Roſſi, *Joh. Maria* ibid.
Roſſius, *Joh. Victorius* ibid.
Matthæus ibid.
Petrus Matthæus ibid.
Roſtinius, *Johan. & Petrus* ibid.
Rota, *Joh. Franciſcus* ibid.
Julius Martianus ibid.
Michael Angelus ibid.
Roth, *Sebaſtianus* 94
Rothius, *Jacobus* ibid.
Rothmannus, *Johannes* ibid.
Rotmundus, *Joh. Caſparus.* ibid.
Roverellus, *Joh. Antonius* ibid.
Rouhault, *Petrus Simon* ibid.
Rovillaſco, *Philippus à* ibid.
Rovillius, *Guilielmus* ibid.
Rouſſeau Abbas. ibid.
Rouſſetus, *Franciſcus* ibid.
Rubeis, *Alexander de* 95
Ruberus, *Antonius* ibid.
Rubeus, *Franciſcus* ibid.
Hieronymus ibid.
Rubigerus, *Johannes* ibid.
Ruckerus, *Michael* 96
Rudbeck, *Olaus* ibid.
Rudelius, *Sigiſmundus* 97
Rudius, *Euſtachius* ibid.
Rudnicius, *Chriſtianus* ibid.
Rueff, *Jacobus* ibid.
Ruellius, *Joannes* 98
Rueus, *Franciſcus* ibid.
Rufus Epheſius. ibid.
Henricus ibid.
Rulandus, *Joh. David* ibid.

Rulandus, *Martinus* pag. 98
Martinus, Filius *Martini* 99
Rumbaum, *Chriſtophorus* ibid.
Rumelius, *Joh. Conradus*, *vid.* Rhumelius ibid.
Rumlerus, *Joh. Udalricus* ibid.
Rumphius, *Chriſtianus Conſtantinus* ibid.
Rumphius, *Georg. Everhardus* ibid.
Rungius, *Johannes* 102
Rupeſciſſa, *Johannes de* ibid.
Rupeus, *Hieronymus* ibid.
Ruſchius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Ruſius, *Laurentius* ibid.
Ruſtici, *Johannes* ibid.
Ruſticus, *Petrus Antonius* ibid.
Rutti, *Guilielmus* ibid.
Ruyſch, *Fridericus* 103
Ruzenentus, *Mich. Angel.* 115
Ryffius, *Gualter. Herman.* vid. Riif *vel potius* Hermann. ibid.
Rymerus, *Johan. Henricus* ibid.
Rylandus, *Valentinus* ibid.
Rzaczynski, *Gabriel* 116
SAa, *Georgius à* 119
Sabodienſis, *Baldovinus* ibid.
Sabuco de Nantes Barrera, *Oliva* ibid.
Sacchius, *Joſeph. Pompeius* ibid.
Sachetus, *Hieronymus* ibid.
Sachs, *Philipp. Jacobus* ibid.
Sachſius, *Paulus Ludovicus* 146
Sadlerus, *Johannes* ibid.
Sagittarius, *Thomas* ibid.
Saignier, *Johannes* ibid.
Saint Romain, *vid.* Romain *de St.* ibid.
Sala, *Angelus* ibid.
Salandus, *Ferdinandus* 147
Joſephus ibid.
Salat, *Franciſcus* ibid.
Salatus, *Eraſmus* ibid.
Salernitana Schola, *vid.* Schola Salernitana 148
Saliceto, *Guilielmus de* ibid.
Salicetus *dictus* Widman, *Johannes* ibid.
Salius, *vide* de Saliis, *Hieronymus* ibid.
Salmanus, *Claudius* ibid.
Salmon, *Guilielmus* ibid.
Salmuthus, *Philippus* 149
Salomon Rex 150
Salpe, Obſtetrix. ibid.
Saltzmannus, *Joh. Rudolphus* ibid.
Salvator, *Hieronymus Vincentius* ibid.
Salvianus, *Hippolytus* ibid.
Saluſtius ibid.
Salzmannus, *Johannes* ibid.
Sambucus, *Johannes* ibid.
Samonicus, *vid.* Serenus. ibid.
Samoſatenſis, *Lucianus*, vid. Lucianus ibid.
Sampſonius, *Henricus* ibid.
Sancaſſanus, *Dionyſius Andreas* ibid.
Sanchez de Oropeſa, *Franciſcus* 153
Luſitanus, *Franciſcus* ibid.
Sancta Cruce, *Alphonſus de* 154
Sancto Jacobo, *Didacus* ibid.
Sanctorius Sanctorius. ibid.
Jo. Donatus 155
Vitalis ibid.
Sanctus, *Marianus* ibid.
Sandæus, *Maximilianus* ibid.
Sanden, *Henricus à* ibid.
Sanderus, *Johannes* ibid.
Sandri, *Jacobus* ibid.
Sangallus, *Petrus Paulus* ibid.
Sanginettus, *Dominicus* ibid.
Sangmaiſter, *Joh. Paulus* 157
Santacruz, *Antonius Ponce* ibid.
Santalbinus, *Jacobus* ibid.
Santinellus, *Bartholomæus* pag. 157
Santorellus, *Antonius* ibid.
Santorini, *Joh. Dominicus* 158
Saporitus, *Anton. Maria* 159
Saporta, *Antonius* ibid.
Johannes ibid.
Saracenus, *Janus Antonius* ibid.
Sarazenus, *Philibertus* 160
Sardianus, *Oribaſius* ibid.
Sartorius, *Joh. Georgius* ibid.
Sattlerus, *Joh. Jacobus* ibid.
Wolffgangus ibid.
Saviis, *Joh. Jacobus de* ibid.
Saviolus, *Octavius* ibid.
Savona, *Philippus* ibid.
Savonarola, *Michaël* ibid.
Savotius, *Ludovicus* 161
Saure, *Johannes* ibid.
Sauvageon, *Georgius* ibid.
Saxonia, *Henricus de* ibid.
Hercules ibid.
Sbaraleas, *Jo. Hieronymus* 162
Scacchus, *Durans* 163
Scala, *Dominicus la* ibid.
Joſephus 164
Joſephus, præcedent. Filius ibid.
Scalichius de Lixa, *Paulus* ibid.
Scaliger, *Julius Cæſar* ibid.
Juſtus Joſephus 166
Scanorolus, *Antonius* 167
Scarabicius, *Sebaſtianus* ibid.
Scaramuccius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Scaranus, *Lucius* 169
Scarella, *Felix* ibid.
Scarmilionius, *Vidus Anton.* ibid.
Scarrock, *Richardus* 170
Schabour-Ben-Sahel. ibid.
Schaccus, *Franciſcus* ibid.
Schacht, *Lucas* ibid.
Schachtius, *Theod. Philippus* ibid.
Schafferus, *Carolus* 172
Schallerus, *Hieronymus* ibid.
Iſaacus ibid.
Schallingius, *Jacobus* ibid.
Schamsky, *Alexander* ibid.
Scharandæus, *Jo. Jacobus* 173
Scharffius, *Benjamin* ibid.
Scharpius, *Georgius* ibid.
Schaw, *vel* Shaw, *Petrus* ibid.
Scheffelius, *Chriſtian. Stephanus* 174
Schefferus, *Jo. Erneſtus* ibid.
Matthias ibid.
Sebaſtianus ibid.
Schegkius, *Jacobus* 176
Scheid, *Jo. Valentinus* 177
Scheiderus, *Balthazar* ibid.
Scheinerus, *Chriſtophorus* ibid.
Schelig, *Albertus* ibid.
Schelhammerus, *Chriſtophorus* ibid.
Gunther Chriſtophorus 178
Schelhaſſius, *Erneſt. Fridemannus* 187
Schelling, *Conradus* 188
Schenckelius, *Ramberius* ibid.
Schenckius, *Johannes* ibid.
Johan. Georgius ibid.
Johan. Theodorus 189
Schenfelder, *Philip. Jacobus* 191
Scherbius, *Jacob. Chriſtoph.* ibid.
Scherlerus, *Jo. Henricus* ibid.
Scheuchzerus, *Jo. Jacobus* ibid.
Johannes 199
Scheunemannus, *Henningus* ibid.
Scheurl, *Chriſtoph. Theoph.* ibid.
Schiffman, *Joſephus* 200
Schillerus ab Herderen, *Joachimus* ibid.

Schillerus *Johannes* pag. 200
Schillingius, *Henr. Sigiſmundus* ibid.
Chriſtophorus ibid.
Schirlæus, *Thomas* ibid.
Schitlerus, *Johannes* ibid.
Schladius, *Matthias* ibid.
Schlathom, *Guilielmus* ibid.
Schleern, *Hermannus* ibid.
Schlegelius, *Jo. Andreas* ibid.
Paulus Marquartus ibid.
Schleirmachers, *Joh. Bartholomæus* ibid.
Schmaus, *Leonhardus* ibid.
Schmid, *Jacobus* ibid.
Schmiderus, *Salomon* ibid.
Schmidt *Henricus* 201
Ludovicus 202
Schmiederus, *Sigiſmundus* ibid.
Schmiedtius, *Johannes* 206
Schmitzius, *Jo. Andreas* 207
Schmollius, *Gottofredus* ibid.
Schneiderus, *Conradus Victor* ibid.
Schnellin, *Henricus* 208
Schnitzerus, *Sigiſmundus* ibid.
Schoberus, *Gottlob* ibid.
Schoenbornius, *Bartholomæus* 210
Samuel ibid.
Schoenfeld, *Victorinus* ibid.
Schoenfelder, *Philippus Jacobus* ibid.
Schoenveld, *Stephanus à* ibid.
Schola Salernitana. ibid.
Scholl, *Jacobus* 211
Scholtzius, *Laurentius* ibid.
Simon 212
Schon, *Michael* 214
Schonbornius, *Samuel* ibid.
Schonlinus, *Jo. Theodorus* ibid.
Schoockius, *Iſaacus* ibid.
Martinus ibid.
Schopffius, *Abrahamus* ibid.
Schophius, *Philippus* ibid.
Schoringerus, *Henricus* ibid.
Schotanus, *Petrus* ibid.
Schraderus, *Fridericus* ibid.
Juſtus ibid.
Schratembergius, *Aſcanius* 215
Schreiber, *Johan. Frider.* ibid.
Schreiberus, *Hieronymus* ibid.
Schribonius, *Guilielmus Adolphus* 216
Schriverius, *Petrus* ibid.
Schroeckius Pater, *Lucas* ibid.
Filius, *Lucas* 217
Schroederus, *Arnoldus* 220
Johannes ibid.
Schroedterus, *Chriſtophorus* ibid.
Schroeterus, *Carolus* ibid.
Johannes ibid.
Johan. Fridericus 221
Mauritius 222
Philip. Jacobus ibid.
Schroverus, *Joachimus* 222
Schubartus, *Gottofredus* ibid.
Schuchmannus, *Chriſtianus* ibid.
Schultzius, *Balthazar* ibid.
Gottofredus ibid.
Schulzius, *Jo. Henricus* 229
Schurfius, *Auguſtinus* 231
Schurigius, *Martinus* ibid.
Schuyl, *Florentius* 236
Schwabus, *Johannes* ibid.
Schwalbacius, *Janus Georgius* ibid.
Schwalbe, *vid.* Schwalve, *Bernardus* ibid.
Schwalierus, *Jo. Georg. Joſephus* ibid.
Schwammerdamius, *Johannes* 237
Schwartzenwald, *Jo. Valentinus* ibid.
Schwartzius, *Jo. Caſparus* ibid.
Schwelingius, *Henricus* ibid.
Schwenckfeltius, *Caſparus* 237
Schylander, *Cornelius* pag. 238
Schyronius, *Johannes* ibid.
Scipio, *Sebaſtianus Coquillatus* ibid.
Sclafanus, *aliter* Scroſano, *Jo. Anton.* ibid.
Sclanovius, *Hector* ibid.
Sclanus, *Salvus* ibid.
Sclegelius, *vid.* Schlegelius. ibid.
Scotus, *Jacobus Martinus* ibid.
Michaël ibid.
Screta Schotnovius à Zavorziz, *Henricus* ibid.
Screta, *Johannes* 239
Scribonius Largus, *vid.* Schribonius, *Guil. Adolph.* ib.
Scriverius, *vid.* Schriverius. ibid.
Scrofa, *Sebaſtianus* ibid.
Scrota, *vel*, Scrofa, *Tremellius* ibid.
Scultetus, *Bernhardus* ibid.
Ulmenſis, *Johannes* ibid.
Noribergenſis, *Johannes* 240
Scutellarius, *Jacobus* ibid.
Seberus, *Wolfgangus* ibid.
Sebizius, *Jo. Albertus* ibid.
Melchior ibid.
Segarra, *Jacobus Jaimus* 242
Seger, *Georgius* ibid.
Seidelius, *Bruno* 243
Jacobus ibid.
Johannes ibid.
Seippius, *Jo. Philippus* ibid.
Seitz, *Alexander* 244
Seliger, *Chriſtophorus* ibid.
Senalis, *Robertus* ibid.
Sendivogius, *Leſchus Michaël* ibid.
Michaël ibid.
Seneca, *Lucius Annæus* ibid.
Senenſis, *Alexander* ibid.
vid. Bentius, *Hugo* ibid.
Senex, *Hieronymus* ibid.
Senguerdius, *Arnoldus* ibid.
Senis, *Franciſcus de* ibid.
Hieronymus, vid. Senex. 245
Sennertus, *Daniel* ibid.
Septalius, *Ludovicus* 253
Sepulveda, *Ferdinandus de* 255
Seraphinus, *Guilielmus* ibid.
à Surrone, *Polydorus* ibid.
Serapion, *Johannes* ibid.
Seraſus, *vel*, Siraſus 256
Serenus, *Quintus* ibid.
Sermes, *Johannes* 257
Gerardus ibid.
Sermoneta, *Johannes* 258
Sermundus, *Caſparus* ibid.
Serna, *Jo. Galego de la* ibid.
Serrano, *Lupus* ibid.
Serre, *Johannes de* ibid.
Serrier, *Trophimus* ibid.
Servetus, *Michaël* ibid.
Servius, *Petrus* 259
Seſſa, *Hieronymus* ibid.
Placidus ibid.
Sethi, *Simeon* ibid.
Severinus, *Marcus Anton.* 260
Marcus Aurel. ibid.
Petrus 261
Severus. ibid.
Sextus Placitus. ibid.
Seylerus, *Abrahamus* ibid.
Sgambalus, *Jo. Andreas* ibid.
Sgobbis, *Antonius de* ibid.
Shaw *vid.* Schaw, *Petrus* ibid.
Shipton, *Johannes* ibid.
Sibiliſta, *Wendelinus* 262
Sibyllenus, *Petrus* ibid.

Siccus, *Joh. Antonius* pag. 262
Siclenſis, *Franciſcus* 263
Siderocrates, *Samuel* ibid.
Sidites, *Marcellus* ibid.
Sidobre, *Antonius* ibid.
Siegfried, *Johannes* 265
Sigiſmundus, *Johannes* ibid.
Silcber, *Bartholomaeus* ibid.
Silentarius, *Paulus* ibid.
Silento, *Petrus de* ibid.
Sillerus, *Johannes* 266
Silva & Olivera, *Franciſcus de* ibid.
Silvaticus, *vid.* Sylvaticus, *Joh. Baptiſtà* ibid.
Simbenius, *Johannes* ibid.
Simeon *Antiochenus.* ibid.
Simlerus, *Joſias* ibid.
Simocatus, *Theophylactus* ibid.
Simon, *Balthazar* ibid.
Genuenſis ibid.
Leonhardus ibid.
Simoneta, *Petrus Paulus* ibid.
Simonius, *Simon* ibid.
Simſon, *Thomas* 267
Sinapius, *Johannes* 268
Michaël Aloyſius 268. & 292
Singkeler, *Sebaſtianus* 269
Sinibaldus, *Joh. Benedictus* ibid.
Siraſus, *vid.* Seraſus. ibid.
Sitonus, *Jo. Baptiſta* ibid.
Skekius, *Jacobus* 270
Slare, *Fridericus* ibid.
Slegelius, *Paul. Marquatus* 278
Slevogtius, *Joh. Hadrianus* ibid.
Sloane, *Johannes* 279
Slotzius, *Samuel* ibid.
Smetius *Henricus*, ibid.
Smitzius, *vid.* Schmitzius ibid.
Smollius, *vid.* Schmollius ibid.
Smutzius, *Michael Raphael* 280
Snebergerus, *Antonius* ibid.
Snellen, *Henricus* ibid.
Snipendalius, *Johannes* 282
Snoyus, *Reinerus* ibid.
Socius, *Nobilis* ibid.
Soers, *Martinus* ibid.
Sola, *Ferdinandus de* ibid.
Solanus, *Narciſſus* ibid.
Soldevilla, *Philippus de* ibid.
Soldus, *Jacobus* ibid.
Solenander, *Reinerus* ibid.
Solerius, *Hugo* ibid.
Solingen, *Cornelius* ibid.
Solo, *Gerhardus de* 284
Someren, *Cornelius à* ibid.
Sommentius, *Thomas* ibid.
Sommerhoff, *Jo. Chriſtoph.* ibid.
Sommerus, *Fabianus* ibid.
Jo. Georgius ibid.
Sonerus, *Erneſtus* 285
Sophia, *Nicolaus de* Stâ 291
Galeatius ibid.
Marſilius de Stâ ibid.
Johannes à Stâ ibid.
Bartholomaeus de Stâ 292
Sophiſta, *Adamantius* ibid.
Soranus ibid.
Sorapan de Rieros, *Johannes* ibid.
Sorbait, *Paulus de* 293
Sorberius, *Samuel* ibid.
Sorbinus, *Arnoldus* ibid.
Sori, *Iho. Baptiſta* ibid.
Soria, *Didacus de* 294
Sorianus, *Hieronymus* ibid.
Sorranus, *Ludovicus* ibid.
Soſa, *Johannes* ibid.
Soſimenes. ibid.
Soter, *Chriſtianus* ibid.
Sotion pag. 294
Sotira ibid.
Soto, *Johannes de* ibid.
Lazarus de ibid.
Sebaſtianus de ibid.
Sovirolius, *Guilielmus* ibid.
Spachius, *Iſraël* ibid.
Spado, *Chariſius Thermarius* 295
Span à Spanavv, *Laurentius* ibid.
Spangenbergius, *Johannes* ibid.
Sparr, *Joh. Caſparus* ibid.
Specht, *Petrus* ibid.
Spechtius, *Johannes* ibid.
Speratus, *Bonus* ibid.
Sperberus, *Julius* ibid.
Sperlingius, *Johannes* ibid.
Otto ibid.
Spezioli, *Romulus* ibid.
Spielman, *Cornelius* 296
Spigelius, *Adrianus* ibid.
Spilenbergerus, *David* 297
Spina, *David de* ibid.
Petrus de ibid.
Spinaeus, *Franciſcus* ibid.
Spindlerus, *Paulus* ibid.
Spinellis, *Joh. Paul. ex* ibid.
Spithovius, *Johannes* ibid.
Spitzberg, *Simeon Partlicius de* ibid
Spleiſſius, *David* ibid.
Stephanus 298
Sponius, *Carolus* ibid.
Jacobus ibid.
Spontonus, *Joh. Baptiſta* 300
Sporiſchius ab Ottenbachaw, *Johan.* ibid.
Sporlinus, *Georgius* ibid.
Sprat, *Thomas* ibid.
Sprecchis, *Pompejus* 302
Sprengerus, *Phil. Steph.* ibid.
Sprogelius, *Joh. Chriſtoph.* ibid.
Sprye, *Nathanaël* ibid.
Spuntonus, *vid.* Spontonus. 303
Squarcialupus, *Marcus* ibid.
Stabe de Caſſina, *Joh. Paulus* ibid.
Stabilis, *Franciſcus* ibid.
Staechelinus, *Joh. Jacob.* ibid.
Stahlius, *Georg. Erneſtus* ibid.
Stainer, *Bernhardinus* 304
Stalpartius, *Cornelius* ibid.
Stamlerus, *Johannes* 306
Stang, *Franciſcus de le* ibid.
Stapedius, *Henricus* ibid.
Stapel, *Joh. Bodaeus à* ibid.
Staphort, *Nicolaus* ibid.
Starckey, *Georgius* ibid.
Starckius, *Joh. Henricus* 307
Stathmio, *Chriſtophorus* ibid.
Staudigelius, *Udalricus* ibid.
Stechanus, *Andreas* ibid.
Steebius, *Joh. Chriſtoph.* ibid.
Steechius, *Gottofredus* ibid.
Steenefeld, *Chriſtianus à* ibid.
Steffecius, *Stephanus* 308
Stegmannus, *Ambroſius* ibid.
David ibid.
Steigerus, *Andreas* ibid.
Steinpeiſius, *Martinus* ibid.
Stella, *Eraſmus* ibid.
Stelliola, *Nicolaus* ibid.
Stellutus, *Franciſcus* ibid.
Stengelius, *Carolus* ibid.
Georgius 309
Johannes ibid.
Stenglius, *Lucas* ibid.
Stenius, *Simon* ibid.
Steno, *Nicolaus* ibid.
Stephani, *Robertus* 319
Stephanus Athenienſis. ibid.
Johannes ibid.
Carolus 320

Stephanus *Henricus* pag. 320
Nicolaus ibid.
Sterpinus, *Johannes* ibid.
Sterre, *Dionyſius van der* 321
Stetterus, *Joh. Conradus* ibid.
Steve, *Petrus Jacobus* ibid.
Steurlinus, *Samuel* ibid.
Sthaar, *Joh. Bernhard.* ibid.
Stieberus, *Bernardus* 322
Stiſſerius, *Joh. Andr.* ibid.
Stokerus, *Johannes* 323
Laurentius ibid.
Stokhamerus, *Franciſcus* ibid.
Stocklinus, *Auguſtinus* 324
Conradus ibid.
Stockuſius, *Samuel* ibid.
Stoius, *Matthias* ibid.
Stolphinus, *Antonius* ibid.
Stollius, *Johannes* ibid.
Strabus ibid.
Stratenus, *Guilielmus* ibid.
Strato. ibid.
Strauſſius, *Laurentius* ibid.
Streſtes, *Paulus* ibid.
Streitter, *Joh. Huldericus* ibid.
Strobelbergerus, *Joh. Steph.* ibid.
Strom, *Chriſtianus* 325
Stromayerus, *Hieronymus* 326
Joh. Henricus ibid.
Petrus ibid.
Sebaſtianus ibid.
Thomas ibid.
Stromerus, *Henricus* ibid.
Strother, *Eduardus* ibid.
Struppius, *Joachimus* 330
Struthius, *Joſephus* ibid.
Struvius, *Erneſt. Gottholdus* ibid.
Stubendorfius, *Johannes* ibid.
Stuckius, *Joh. Guilielmus* ibid.
Stullius, *Johannes* ibid.
Stupanus, *Antonius* 331
Joh. Nicolaus ibid.
Emanuel ibid.
Sturmius, *Johannes* ibid.
Joh. Chriſtophorus ibid.
Reginaldus ibid.
Rolandus 332
Samuel ibid.
Sturtiades, *Georgius* 332
Suardus, *Paulus* ibid.
Suavius, *Leo* ibid.
Suchten, *Alexander à* ibid.
Sueppius, *Daniel* ibid.
Suevus, *Bernhardus* ibid.
Sullius, *Johannes* ibid.
Surdis, *Horatius de* ibid.
Surianus, *Hieronymus* ibid.
Suſenbetus, *Lazarus* ibid.
Suſius, *Joh. Baptiſta* ibid.
Suter, *Jacobus* ibid.
Swalbacius, *vid.* Schwalbacius. ibid.
Swalve, *Bernhardus* ibid.
Swammerdamius, *vid.* Schwammerdamius 333
Swedenborgius, *Em.* ibid.
Sweigkardus à Freihauſen, *Joh. Jacob.* 334
Swertius, *Emmanuel* ibid.
Sybillenus, *Petrus* ibid.
Sydenham, *Thomas* ibid.
Syen, *Arnoldus* 337
Sylvanius, *Bartholomæus* ibid.
Sylvaticus, *Benedictus* ibid.
Joh. Baptiſta ibid.
Matthæus 338
Nicolaus ibid.
Sylveſtrius, *Rudolphus* ibid.
Sylvius, *Dithlerus* ibid.
Sylvius *Franciſcus de le Boë* pag. 338.
Jacobus 348
Jacobus alius 349
Johannes 350
Zacharias ibid.
Symphorianus ibid.
Syneſius ibid.
Syngrapheus, *Polyonymus* ibid.
Syſſenbach, *Melchior* ibid.
TAbacologia, *Johannes* 351
Tabernæmontanus, *Joh. Theod.* ibid.
Tackenius, *Otto* ibid.
Tackius, *Johannes* 352
Taddæus ibid.
Tadinus, *Alexander* 353
Tagaultius, *Johannes* ibid.
Tagliacotius, *vid.* Taliacotius. ibid.
Taiſnerius, *Johannes* ibid.
Talduccius à Domô, *Philippus* ibid.
Talentonius, *Johannes* ibid.
Taliacotius, *Caſparus* ibid.
Talpa, *Petrus* 354
Tamaro, *Jacobus* ibid.
Tamburinus, *Hieronymus* ibid.
Tanchius, *Joachimus* ibid.
Johannes ibid.
Tancredus, *Latinus* 355
Tandlerus, *Tobias* ibid.
Tappius, *Jacobus* ibid.
Taranta, *Valeſcus de* ibid.
Tardinius, *Johannes* ibid.
Tardy, *Claudius* ibid.
Tarentinus, 356
Targirus, *Joachimus* ibid.
Tarraga, *Gabriel de* ibid.
Tatai, *Georgius Kovacs* 357
Tauladanus, *Robertus* ibid.
Taurellus, *Nicolaus* ibid.
Taurerus, *Mauritius* ibid.
Tauriſanus, *Bernhardinus* ibid.
Taurus, *Palladius Rutilius* ibid.
Taut, *Tobias* ibid.
Tauvry, *Daniel* ibid.
Tectander, *Joſephus* 363
Tectoriis, *Fr. Maria de* ibid.
Teichmeyerus, *Marcus Aurel.* ibid.
Herman. Frider. ibid.
Teleſius, *Bernhardinus* 364
Tencke, *Henricus* ibid.
Tennet, *Chriſt.* 365
Tentzelius, *Andreas* ibid.
Tenzelius, *Wilhel. Erneſt.* ibid.
Terelius, *Dominicus* 366
Terentius, *Johannes* ibid.
Terenzonus, *Joh. Ant.* ibid.
Terillus, *Dominicus* ibid.
Termarius, *Nicolaus* ibid.
Terraneus, *Laurentius* ibid.
Terrer Moreno, *Petrus* 368
Tertius, *Julius* ibid.
Teſta, *Leonhardus* ibid.
Teſti, *Ludov.* ibid.
Teuberus, *Johannes* 369
Textor, *Benedictus* ibid.
Thaddæus, *vid.* Taddæus. 370
Thæreus, *Joh. Coyttarus* ibid.
Thalius, *Johannes* ibid.
Thaumullerus, *Georgius* ibid.
Thaurerus, *Cornelius* ibid.
Thebaldus, *Hieronymus* ibid.
Thebeſius, *Adam. Chriſtian.* ibid.
Thedeſcus, *Hannibal* 371
Themiſon ibid.
Theobaldus. ibid.
Theodoricus ibid.
Theodorus. ibid.

Theodorus, Sebaſtianus pag. 371
Theodoſius, Joh. Bapt. ibid.
Theomneſtus. ibid.
Theon. ibid.
Theophilus Græcus. 372
Chriſtianus 374
Vid. Protoſpatarius ibid.
Theophraſtus. ibid.
Theſaurus de Corneto, Camillus 375
Theſſalus, Hippocratis filius. ibid.
Medicus Methodicus. ibid.
Thevart, Jacobus ibid.
Thiermairius, Franc. Ignatius ibid.
Thileſius, Gottofredus ibid.
Thomas, Simon ibid.
Thomaſius, Franciſcus 375
Jenkinus ibid.
Godefridus ibid.
Thomaus, Camillus ibid.
Thomſon, Alexander ibid.
Thomſonus, Georgius 376
Thonerus, Auguſtinus ibid.
Thorius, Raphael ibid.
Thornburgius, Johannes 377
Thriverius, Dionyſius ibid.
Hieronymus ibid.
Thruſton, Malachias ibid.
Thuanus, Jacob. Auguſtus ibid.
Thummigius, Ludov. Philippi ibid.
Thurinus, vid. Turinus 379
Thurneiſſerus, Leonhardus ibid.
Thurrianus, vid. Turrianus ibid.
Thileſius, vid. Tileſius ibid.
Tiberius ibid.
Antiochus ibid.
Tidicæus, Franciſcus 380
Tigeon, Thomas ibid.
Tiemannus, Johannes ibid.
Cous ibid.
Tilingius, Matthias ibid.
Tilli 381
Timæus ibid.
von Guldenklee, Balthaſar ibid.
Timariſtus. 382
Timonius, Emanuël ibid.
Timplerus, Clemens 383
Tinellus, Zoroaſter ibid.
Tinskerus, Georgius ibid.
Tiraquellus, Andreas ibid.
Tirellus, Mauritius ibid.
Titelmannus, Franciſcus ibid.
Titis, Placidus de ibid.
Todarus, Jacobus ibid.
Toletanus, 384
Gerhardus ibid.
Marcus ibid.
Toletus, Franciſcus ibid.
Petrus 385
Petr. Jacobus ibid.
Toll, Adrianus ibid.
Tollius, Jacobus ibid.
Tomitanus, Bernhardinus ibid.
Topelſtein, Henricus de 386
Torella, Caſparus ibid.
Toreus, Aloyſius ibid.
Toriglia, Mauritius ibid.
Torinus, Albanus ibid.
Tornamira, Johannes ibid.
Tornator, Anton. Domin. ibid.
Toro, Ludovicus de 387
Torræus, Georgius ibid.
Torreblanca, Franciſcus ibid.
Torres, Alphonſus de ibid.
Petrus de ibid.
Torretus, Alexander ibid.
Torrinus, Bartholomæus ibid.
Torti, Franciſcus ibid.
Toſettus, Ludov. Charenſius 388
Toſius, Antonius ibid.
Tovar, Hieronymus à ibid.
Simon è ibid.
Tournefort, Joſeph. Pitton de 389
Toxites, Michaël 391
Tozzius, Lucas ibid.
Traber, Zacharias 395
Trabona, Hiacynthus ibid
Trabuccus, Marius ibid.
Trachyenus, Nicol. Nancelius 396
Tragus, Hieronymus pag. 396
Trallianus Alexander ibid.
vid. etiā Alexander Trallianus in Tom. I. part. II. p. 102
Tramenus, Ludovicus 396
Trapolinus, Petrus ibid.
Travaginus, Franciſcus ibid.
Travus, Sebaſtianus ibid.
Trefurth, Joh. Frid. ibid.
Tredvvey, Robertus ibid.
Treviſius, Andreas 397
Trevus, Perſius vid. Servius, Petrus ibid.
Trevv, Abdias ibid.
Trillerus, Joh. Maurit. ibid.
Dan. VVilhelm. ibid.
Trimarchi, Andreas ibid.
Trineavellius, Victor ibid.
Triſmegiſtus, Hermes 398
Triſſinus, Aloyſius ibid.
Triſtan, Caſparus ibid.
Trithemius, Johannes ibid.
Trivelius Brachelius, Hieremias 399
Triviſanus, Bernhardin. ibid.
Triumphettus, Joh. Baptiſta ibid.
Trochoreus, Joh. Keuſnerus 400
Trombetti, Philippus ibid.
Tronus, Petrus Martyr ibid.
Trotula, vid. Erotis ibid.
Trublerus, Joh. Fridericus ibid.
Trullerius, Joſephus ibid.
Trumphius, Joh. Georgius ibid.
Trunconius, Jacobus ibid.
Tſchirnhauſen, D. ibid.
Tucca, Paulus 401
Tudeccius de Monte Galea, Simon Aloyſius ibid.
Tulpius, Nicolaus ibid.
Turcis, Antonius de 402
Turcus, Franciſcus ibid.
Turinus, Andreas ibid.
Turnebus, Adrianus ibid.
Guilielmus 403
Turnerus, Daniel ibid.
Turquetus, vid. Mayernius 404
Turre, Franciſcus de ibid.
Georgius à ibid.
Johannes à ibid.
Turrianus, Bartholomæus ibid.
Hieronymus ibid.
M. Antonius 405
Joh. Paulus ibid.
Turriſanis, vid. Druſianus ibid.
Turtus, Georgius ibid.
Tuſſignanus, Petrus ibid.
Tylkovski, Adalbertus ibid.
Tyſon, Edvardus ibid.
VAcherius, Horatius 416
Vadianus, Joachimus ibid.
Vadis, Ægidius de ibid.
Vænius, Erneſtus ibid.
Vaez, Petrus ibid.
Vaget de Leon, Gerardus ibid.
Vagetius, Johannes ibid.
Vaillant, Sebaſtianus ibid.
Vairus, Leonhardus 422
Val, Johannes du ibid.
Valcazer, vid. Alcazar ibid.
Valcaſſar, Franciſcus ibid.
Valdanius, Joſephus ibid.
Valderrama, Emmanuel de ibid.
Valdes, Ferdinandus de ibid.
Valdivia, Andreas de ibid.
Valemont, Abbas de ibid.
Valentinius, Valentinus 423
Valentinus, Baſilius ibid.
Michaël Bernardus 424
Chriſtoph. Bern. 433
Valeriis, Valerius de ibid.
Valeris, Hieronymus ibid.
Valerius, Petrus ibid.
Valeſius, vulgò Valles, Franciſcus ibid.
Valetius, Antonius 434
Valetta, Ludovicus ibid.
Valgius, Caius 436
Valla, Georgius ibid.
Vallade, J. F. 437
Vallambertus, Simon ibid.
Valle, Hector ex ibid.
Joh. Franciſcus ibid.
Vallenſis, Robertus ibid.
Valleriola, ſeu Variola, Franciſcus ibid.
Valleſius, Nicolaus 438
Valleſius, vid. Valeſius 439
Valliſnerius, Antonius ibid.

Valliſnerius, *Antonius* pag. 439
Valſalva, *Antonius Maria* 454
Valtherus, *David. Chriſtian.* 457
Valvaſon, *Jacobus* ibid.
Valverdus, *Iohannes* ibid.
Vannius, *Iulius Ceſar* ibid.
Vannotius, *Franc. Maria* ibid.
Varandæus, *Iohannes* 458
Vareſius, *Aloyſius* ibid.
Varignana, *Bartholom.* ibid.
Guilielmus ibid.
Variſmannus, *Johannes* ibid.
Varolius, *Conſtantius* ibid.
Varro Romanus 459
Marcus Terentius ibid.
Varus, *Antonius* ibid.
Vaſco Caſtello, *Petrus* ibid.
Vaſquez, *Auguſtinus* ibid.
Matamoro, *Benedictus* 460
Vaſſæus, *Johannes* ibid.
Ludovicus ibid.
Vaſſeur, *Ludovicus le* ibid.
Vatablus, *Franciſcus* ibid.
Vaterus, *Abrahamus* ibid.
Chriſtianus 461
Vatzerus, *Matth.* ibid.
Uberte, *Marcellinus* ibid.
Uberus, *Georgius* ibid.
Udenius, *Vies* ibid.
Veay, Tholoſanus, ibid.
Vecchius, *Paulus* 462
Vechnerus, *Matthæus* ibid.
Vega, *Chriſtophorus à* ibid.
Vege, *Petrus de* ibid.
Vegetius ibid.
Veiga, *Thomas Roder. à* ibid.
Velaſquez, *Andreas* ibid.
Velez de Arciniega, *Franciſcus* ibid.
Vella, *Georgius* 463
Velſchius, *Georgius Hieron.* ibid.
Velſius, *Juſtus* 484.
Velthuſius, *Lambertus* ibid.
Vendelinus, *Gottofredus* ibid.
Venerius, *Joh. Antonius* ibid.
Veneroſius, *Hieronymus* ibid.
Venetus, *Michaël* ibid.
Ventura, *Laurentius* ibid.
Venuſtus d. *Anton. Maria* ibid.
Verbezius, *David* ibid.
Vercellonus, *Jacobus* ibid.
Verde, *Franciſcus* 489.
Verderius, *Petrus* ibid.
Verdries, *Joh. Melchior* ibid.
Verduc, *Joh. Baptiſta* 491
Laurentius 492
Vereycken, *Gottofredus* 494
Vergerius, *Hieronymus* ibid.
Vergilius, *Marcellus* ibid.
Verheyen, *Philippus* ibid.
Verhoofd, *Lucas* ibid.
Veridicus, *Theophraſtus* ibid.
Verignaneus, *Guilielmus* ibid.
Verle, *Joh. Baptiſta* ibid.
Vermoſtius, *Daniel* ibid.
Verna, *Joh. Baptiſta* ibid.
Vertua, *Joh. Baptiſta* 502
Vertunianus, *Franciſcus* ibid.
Verulamius, *vid.* Baconus ibid.
Verzaſcha, *Bernardus* ibid.
Veſalius, *Andreas* ibid.
Franciſcus 512
Veſlingius, *Johannes* ibid.
Veſti, *Juſtus* 513
Veter, *Johannes* 514
Vetranus, *Andreas* ibid.
Veſalus, *Fabricius* 515
Uffenbachius, *Petrus* ibid.
Ugo. ibid.
Viana, *Antonius de* ibid.
Johannes de ibid.
Viardel *Coſmus*, ibid.
Vicarius, *Bartholomæus* ibid.
Joh. Jac. Franciſcus ibid.
Vicecomes, *Matthæus* 517
Vicentinis, *Alexander de* ibid.
Victoria, *Petrus de* ibid.
Victoriis, *Leonellus de* 518
Victorius, *Angelus; Benedictus; Franciſcus; Petrus* ibid.
Vida, *Marcus Hieronymus* ibid.
Vidius Senior, *Vidus* ibid.
Junior, *Vidus* 519
Viduſſi *Joſephus Maria* ibid.

Victor, *Petrus* pag. 520
Vieuſſens, *Raymundus* ibid.
Viganus, *Joh. Franciſcus* 530
Vigianus, *Æneas* ibid.
Vigierius, *Johannes* ibid.
Vigirius, *Johannes* 531
Vignatus, *Joh. Antonius* ibid.
Vigne, *Michaël de la* ibid.
Vigo, *Johannes de* 531
Vigoræus, *Nicolaus* ibid.
Villacorta, *Franciſcus Henriquez de* ibid.
Villacotra, *Henricus* ibid.
Villafranca, *Blaſius* ibid.
Villalobos, *Franciſcus de* ibid.
Villanova, *Arnoldus de* ibid.
Villanovanus, *Michaël* 532
Villareal, *Johannes de* ibid.
Villarinus, *Franciſcus* ibid.
Vinario, *Raymundus Chalynde* ibid.
Vincentius, *Nicolaus* ibid.
Vincquedes, *Gerald. Arnold. de* 533
Vindanionius. ibid.
Vindicianus, ibid.
Vindingius *Paulus* ibid.
Violetus, *Fab.* ibid.
Viottus à Clivolo; *Bartholom.* ibid.
Virdungus, *Hieronymus Conradus* ibid.
ab Hartung, *Philipp. Guilielm.* ibid.
Paulus ibid.
Viridetus, *Johannes* ibid.
Viringus, *Joh. Matthæus* 534
Viſcherus, *Hieronymus* ibid.
Johannes ibid.
Viſna, *Dominicus* ibid.
Vitalianus, *Antonius* ibid.
Vitalis, *Hieronymus; Ludovicus; Sanctorius* ibid.
Vitellius, *Cornelius* 535
Vitriedlinus. ibid.
Viviani, *Vivianus* ibid.
Vizani, *Æneas* ibid.
Ulackveld, *Johannes* ibid.
Ulierdenus, *Daniel* ibid.
Ulmus, *Fabius* ibid.
Franciſcus ibid.
Marcus Antonius ibid.
Ulſtadius, *Philippus* ibid.
Ulſtenius, *Theodoricus* ibid.
Ultralæus, *David.* ibid.
Unger, *Bernhardus* 535
Untzerus, *Matthias* ibid.
Vochs, *Johannes* 536
Voet, *Daniel* ibid.
Voetius, *Giſbertus* ibid.
Vogelius, *Evvaldus* ibid.
Voglerus, *Valentin. Henricus* ibid.
Vogli, *Joh. Hyacynthus* 537
Vogter, *Conradus Burcardus* 540
Voigt, *Joh. Caſp. Ignatius* ibid.
Voigtius, *Gottofredus* ibid.
Volaterranus, *Raphaël* ibid.
Volckamerus *Joh. Chriſtoph.* ibid.
Senior, *Joh. Georgius* 541
Filius, *Joh. Georgius* 545
Volckmannus, *Georg. Anton.* ibid.
Volder, *Burcherus de* 546
Volgnadius, *Henricus* 547
Volſchovius, *Mœvius* 554
Vorm, *Obius vander* ibid.
Vorſtius, *Ælius Everhardus* ibid.
Adolphus ibid.
Vervvaltnerus, *Joh. Menradus* 561
Uranius, *Henricus; Michaël* ibid.
Uratiſlavienſes Collegæ. ibid.
Urbe Veteri, *Barthol. ab* 562
Uroom, *Radegundus de* ibid.
Urſinus, *Johannes* ibid.
Urſo, *Nicolaus Andreas d'* ibid.
Urſtiſius, *Emanuel* ibid.
Uſenbenzius, *Joh. Andreas* ibid.
Uterverius *Joh. Cornelius* 563
Vulpinus, *Joh. Baptiſta* ibid.
Joſephus ibid.
WAgnerus, *Joh. Jacob; Michaël; Paulus;* 565
Reinholdus ibid.
VVainevright, *Jeremias* 566
VValæus, *Johannes* ibid.
VValdſchmidius, *Joh. Jacobus* ibid.
VVilhelm. Hulderic. 568
VValdungus, *VVolfgangus* ibid.
VValleus, *Richardus* ibid.
VValtherus, *Auguſt. Friederic.* ibid.
Bartholomæus; Joh. Georgius 577

VValvviik.

Walvviik, *Paulus &c.* pag. 578
Warenius, *Henricus* ibid.
Warlizius, *Chriſtianus* ibid.
Warmbold; *Simon* 579
Warren, *Martinus* ibid.
Warthonus, *Thomas* ibid.
Warvaziovinus, *Jacobus* 580
Warvvick, *Johannes* ibid.
Weber, *Joh. Cornelius* ibid.
Weberus, *Philippus* ibid.
Wechtlerus, *Joh. Conradus* ibid.
Weckerus, *Hieronymus*; ibid.
Joh. Jaco bus ibid.
Wedelius, *Georg. Wolffgang.* 581
Weickardus, *Arnoldus* 603
Weidenfeld, *Joh. Segerus* 604
Weidnerus, *Johannes* ibid.
Wegelius, *Marſilius* ibid.
Weinhart, *Ferdinandus Carolus* ibid.
Wenrichius, *Martinus* ibid.
Weinſenerus, *Adamus* ibid.
Weisback, *Chriſtianus* ibid.
Weiskopf, *Stanislaus* 605
Weiſmannus, *Immanuel; Joh. Fridericus* ibid.
Weiſſenfelſus, *Fabianus* ibid.
Weizius, *Jacobus* ibid.
Welſchius *Georg. Hieronym.* vid. Velſchius. ibid.
Gottofredus ibid.
Chriſtian. Ludovicus ibid.
Welſted, *Robertus* ibid.
Wenck, *Caſparus* 607
Wenckh, *Joh. Baptiſta* ibid.
Wendelinus, *Marc. Frider.* ibid.
Wepferus, *Joannes* ibid.
Johann. Jacob. ibid.
Joh. Conradus 612
Werdenbergius, *Joh. Frider.* ibid.
Werdmuller, *Otto* ibid.
Werloſchnigg, *Joh. Baptiſta* ibid.
Wernerus, *Johannes*; *Georgius* 613
Weſenerus, *Wolffg. Chriſtoph.* ibid.
Weſenfeldius, *Conradus* ibid.
Weſterburgius, *Johannes* 614
Weſthoven, *Hermannus Wernerus Engelbertus de* ibid.
Weſtphalus, *Joh. Caſp.* ibid.
Whitakerus, *Tobias* 616
White, *I.* ibid.
Wiburgius, *Petrus Johannes* ibid.
Wichmand, *Nicolaus* ibid.
Widemannus, *Johannes*; *Marcus* ibid.
Widman, *Johannes*, vid. Salicetus 616
Johannes, dictus Meichinger ibid.
Widmannus, *Carolus* ibid.
Joh. Guilielmus 617
Wiel, *Cornel. vander*, vid. Stalpartius ibid.
Wierus, *Henricus* ibid.
Johannes ibid.
Wigandus, *Joachimus Vitus* ibid.
Wilde, *Jeremias*; *Simon* ibid.
Willer, *Stephanus* ibid.
Willichius, *Jodocus* ibid.
Williſch, *Chriſtian. Gottofr.* 620
Williſius, *Thomas* 618
Timotheus 620
Johannes ibid
Willius, *Joh. Valentinus* ibid.
Willughbæius, *Franciſcus* 632
Wilſon, *Georgius* 633
Wimpinæus, *Joh. Albertus* 634
Winants, *Theodorus* ibid.
Winckelmannus, *Chriſtianus* ibid.
Wincklerus, *Daniel* ibid.
Daniel Junior 635
Gottofr Chriſtian. ibid.
Nicolaus 636
Winſemius, *Menelaus* ibid.
Winſlou. ibid.
Winsperger, *Wolffgangus* 638
Winterus, *Georgius Simon* ibid.
Johannes ibid.
Wintringham, *Cliftonus* 639
Wirdig, *Sebaſtianus* 641
Wirſungus, ſeu Wirſungius, *Joh. Georgius* ibid.
Wirzburgenſis, *Ortolphus* 642
Wiſemannus, *Richardus* ibid.
Witakerus, *vid.* Whitakerus 643
Witte, *Henningus* ibid.
Wittenbergius; *Burchardus* ibid.
Witteſteyn ſeu à Petra albâ *Carolus* ibid.
Wittchius, *Johannes* ibid.
Witzelius, *Joh. Ludovicus* ibid.
Wittus, *Eduardus* ibid.
Wogau, *Joh. David* pag. 643
Wolfartus, *Petrus* ibid.
Wolfius, *Chriſtianus* 644
Jacobus 645
Johannes 648
Ido; *Joh. Chriſtianus* 649
Pancratius 652
Wolfſtrigelius, *Laurentius* 650
Wolphardus, *Marcus* ibid.
Wolphartus, *vid.* Wolfartus ibid.
Wolphius, *Caſparus* ibid.
Chriſtianus ibid.
Woodvvard, *Johannes* 653
Woolhouſe, *Johannes* 657
Wormius, *Olaus* ibid.
Guilielmus 667
Wottonus, *Eduardus* ibid.
Woyna, *Johannes* ibid.
Wrahoroskius, *Johannes* ibid.
Wrightius, *Johannes* ibid.
Wurffbainius, *Joh. Paulus* 668
Wynants, *vid.* Winants 674
XEnocrates. Xenophon 675
Ximenes, *Hieronymus*; *Franciſcus* ibid.
de Carmona, *Franciſcus* ibid.
Guillen, *Franciſcus* ibid.
Savariego, *Johannes*; *Petrus* ibid.
Yonge *Jacobus* 676
ZAbarella, *Jacobus* 677
Zaccagninus, *Lælius* ibid.
Zacchias, *Paulus* ibid.
Zacharius, *Dionyſius* 678
Zacutus. ibid.
Zadith 681
Zæmannus, *Jacobus* ibid.
Zahn, *Johannes* ibid.
Zaluzanius à Zaluzaniis, *Adamus* ibid.
Zambeccarus, *Joſephus* ibid.
Zamora, *Antonius de* 682
Zamperius, *Joſephus M.* ibid.
Zanardus, *Michaël* ibid.
Zanellis, *Franciſcus de* ibid.
Zanetinis, *Hieronymus de* ibid.
Zannichellus, *Joh. Hieronymus*, ibid.
Joh. Jacobus 684
Zantuliete, *Johannes de* ibid.
Zapata, *Joh. Baptiſta* ibid.
Zapfius, *Guilielmus* ibid.
Zara, *Antonius* 685
Zarini, *Santi* ibid.
Zarottus, *Cæſar* ibid.
Zechius *Andromachus*; *Hercules*; *Johannes* ibid.
Zeffiri, *Sylvius* ibid.
Zeidlern, *Sebaſt. Chriſtian.* ibid.
Zeigerus, *Antonius* 687
Zeiſius, *Matthias* ibid.
Zeiſoldus, *Johannes* ibid.
Zelator, *Jonas* ibid.
Zeno. ibid.
Zendrini, *Bernardinus* ibid.
Zenon, *Antonius* ibid.
Zerbis, *Gabriel de* ibid.
Zieglerus, *Adrianus*; *Chriſtophorus* ibid.
Zimalia, *Ludovicus* ibid.
Zimara, *Marc. Anton.* ibid.
Zinckius, *Johannes* 688
Zinerus, *Nicolaus* ibid.
Zirondis, *Horatius de* ibid.
Zittmannus *Fridericus* ibid.
Zoar. ibid.
Zobelius, *Fridericus* ibid.
Zollerus, *Joh. Wernerus* ibid.
Zollicofer, *David, Maxim. Honori* ibid.
Zollicofferus, *Hector* ibid.
Zomerius, *Johannes* ibid.
Zonca, *Joh. Maria* ibid.
Zonellus, *Dominicus* ibid.
Zorrin, *Bartholomæus* ibid.
Zoroaſter. ibid.
Zovellus, *Petr. Jacob.* 689
Zozomenus, *Johannes* ibid.
Zuccano, *Domin. de* ibid.
Zuccarus, *Maria* ibid.
Zuihlius, *Gerhardus* ibid.
Zuingerus, *Theodorus* ibid.
Jacobus ibid.
Theodorus; Junior 690
Joh. Rudolphus ibid.
Zvvelferus, *Johannes* 699
Zynthus, *Hieronymus* ibid.
Zypæus, *Franciſcus* ibid.

JOH. JACOBI

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ
SCRIPTORUM MEDICORUM
VETERUM AC RECENTIORUM
LIBER PRIMUS.

In Quo illi recenſentur quorum Nomina incipiunt à Literâ

A

AARON, (*Presbyter*) Alexandrinus, ac Chriſtianus. Fuit Mahometis contemporaneus, circa annum ſcilicet 622. Scripſit Syriacâ Linguâ Libros 30. quos præcipuè ex Autoribus Græcis collexerat, quoſque Medicinæ Pandectas vocat.

ABANO, *ſive*, ABBANO & APONO (*Petrus de*) Natus eſt anno C. 1250. in Vico Abano, Urbi Patavinæ vicino; ubi reperiuntur Balnea illa calida, tantoperè jam ab antiquioribus temporibus celebrata, quæque à Theodorico Gothorum Rege, in aliquâ ex ſuis Epiſtolis, deſcribuntur. Patrem habuit Conſtantium de Abanô, Notarium publicum. Fuit Medicinæ Profeſſor Bononiæ, & Philoſophus, Medicus, atque Aſtrologus clariſſimus, qui herbarum & lapidum virtute, certô cæli aſpectu, ſtatiſque horis uſus, homines, ut credebant, faſcinabat. Unde etiam Magiæ ſuſpectus, & ab Inquiſitoribus in jus vocatus: Sed pendente lite mortuus eſt. Nec tamen ſic è manibus Judicum elapſus, in effigie ſupplicium tulit; quæ Patavij in forô, lectâ condemnationis ſententiâ, flammis tradita. Quia Philoſophiam cum Medicinâ, & Aſtrologiam cum naturali Magiâ copulavit, ideò Conciliatoris nomen ſibi ipſe arrogavit. Narratur de eo, quod nunquam valetudinis cujuſquam curandæ gratiâ, ad ægros extra urbem prodierit, niſi conſtituto dietim 50. Coronatorum ſtipendio: Et cum ad Summum Pontificem Honorium IV. aliquando ægrotantem accerſeretur, pactum priùs eſſe, ſingulis diebus, ſoſtri loco, 400. Coronatos. Lac natura ſic abhorruit, ut nec illud comedentes, ſine nauſeâ aſpicere poſſet. Obiit A. C. 1316. ætatis ſuæ 66.

De eô hæc eſtant

Hippocratis Coï, de Medicorum Aſtrologiâ Libellus in Latinum verſus.

Tractatus de Venenis. Mantuæ, 1473. 4.

Conciliator differentiarum Philoſophorum, & præcipuè Medicorum; Papiæ, apud Gabrielem de Graſſis 1490. fol. Venetiis apud Octavianum Schotum 1496. & 1504. fol. Apud Juntas 1565. fol.

De Venenis, eorumque remediis, Liber. Marpurgi apud Cerviconum 1537. 8. Venetiis, apud Joh. Gryphium, 1550. 8. Poſtea etiam, hâc eadem formâ, impreſſionis Autore, loco, tempore, non expreſſis. Cui quidem Editioni addita ſunt: Conſilium de præſervatione à Venenis, Grataroli: Hermanni à Nuenare Comitis περὶ τοῦ ὑδρωπυρέτου, id eſt, ſudatoriâ Febre: Item curatio ſudoris Anglici in Germaniâ experta: Joachimi Schilleri, de Peſte Britannicâ Commentariolus: Guilielmi Grataroli Opera omnia, ex manuſcriptis exemplaribus collata, aucta, atque illuſtrata.

Supplementum in Meſuem; de Curatione Morborum à membris nutritionis ad cor. Extat cum operibus Meſuæ.

Expoſitio Problematum Ariſtotelis, cum tranſlatione duplici, antiquâ ſcilicet, & eâ quam Theodorus Gaza edidit. Addita his Tabula à Petro de Tuſſignano confecta, quâ cuncta notabilia quæ in Petri Apponi expoſitionibus continentur, facilia inventu ſunt. Adjunctis prætereà Alexandri Aphrodiſæi, & Plutarchi Chæronæi Problematis. Venetiis, apud Octavium Schotum, 1519. fol.

Quæſtiones de Febribus. Extant operis Veneti de febribus, pag. 218.

Excerpta ex Conciliatore de Balneis. Extant pag. 222. operis Veneti de Balneis.

ABBAS (*de Catelan*) vide CATELAN (*Abbas de.*)

ABBAS (*Haly.*) vide HALY (*Abbas.*)

ABBATIUS (*Baldus Angelus*) Eugubinus.

Ex eô habentur

De admirabili Viperæ naturâ, & de mirificis ejus facultatibus, Liber. Urbini, 1591. 4. Noribergæ apud Sebaſt. Heuſlerum, 1603. 4. Hagæ-Comitis, apud Sam. Broun, 1660. 12.

Opus præclarum Concertationum diſcuſſarum, de Rebus, verbis, & ſententiis controverſis, ex omnibus ferè Scriptoribus, Libri XV. Piſauri, 1595. 4.

ABEN-EZRA, (*Abrahamus*) Natus in Hiſpaniâ, Judæus Rabbi. Clarus A. C. 1180. Obiit in Inſulâ Rhodo, ubi celebris vixerat.

De eô extat

De Luminaribus, & Diebus Criticis, Liber. Lugduni, apud Joh. Trechſelium, 1496. 4. Francof. apud Nicolaum Hoffmann. 1614. 12. Utrobique cum Joh. Ganiveti Amicô Medicorum, Romæ apud Fratres de Nicolinis, 1544. 4. Extat etiam cum Michaëlis Angeli Blondi de Diebus Criticis Libello, ejuſdemque recognitione. Lugduni 1550. 8.

ABENZOAR, ABOHALY, (*Arabs.*)

Ex eô habetur

De Regimine Sanitatis Liber, editus à Johanne Georgio Schenckio. Baſileæ, apud Ludovicum Konig, 1618. in 12.

ABENZOAR (*Abhomeron.*) Arabs, Medicus & Scriptor. Floruit circa A. C. 1130. *vel* 1160. Anno demùm ætatis ſuæ 40. Medicinam exercere incepiſſe, & vitam ad 135. annos produxiſſe fertur. Natus eſt Hiſpali, Andaluſiæ capite, & inter primarios ſuæ Gentis Medicos recenſeri, legitimè meretur. Patrem ac Avum habuit, Medicos celeberrimos.

Ex eô habentur ſeqnentia.

Liber *Thaiſſer Dahalmodana, Vahaltabir:* Cujus hæc eſt interpretatio; Rectificatio medicationis & regiminis. Venetiis, apud Octavianum Schotum, 1496. fol. Ibidem, apud Gregorium de Gregoriis, 1514. fol. Rurſus, additis Antidotario ejuſdem, & Averrhois Colliget, Lugduni, 1531. 8.

Excerpta de Balneis, extant cum Opere Veneto de Balneis, in fol. pag. 434.

De Febribus Liber. Extat cum Opere Veneto de Febribus, pag. 106. Venetiis, apud Gratioſum Perchacinum, 1576. fol.

ABERCROMBIUS (*David*) Medicus Anglus.

Ex eô habentur ſequentia.

Tuta ac efficax Luis Venereæ, ſæpè abſque Mercurio, ac ſemper abſque ſalivatione Mercuriali, curandæ methodus. Autore Davide Abercromby M. D. Londini, apud Samuelem Smith, 1685. 8.

De hoc Tractatu ſic in Act. Lipſ. Ann. 1685. pag. 24.

Cùm boni Medici ſit, non citò ſolùm & tutò, ſed imprimis jucundè curare morbos; ſummoperè laudandus eſt conatus Autoris noſtri, qui omnem nervum intendiſſe videtur, ut illam adeò familiarem hodiè curandæ Luis Venereæ per ſalivationem Mercurialem methodum, tanquam crudelem juxta ac periculoſam explodat, locoque ejus aliam magis convenientem, & minùs tædioſam communicet. Quâ ratione verò id præſtiterit, judicabit B. L. ex ſummâ contentorum præſentis tractatûs, quam nunc exhibere placet. Cap. I. omnium in genere Medicorum, qui huc uſque circa explicationem Luis Venereæ deſudarunt, hypotheſes, & ſpeciatim Kircheri & Palmarii, minùs tutas, nulliuſque in Praxi uſûs, pronunciat. Novam idcirco hujus mali theoriam proponit, ſtatuendo, naturam venereæ luis in frigido quodam humidoque vapore, attracto, vel pulſo à partibus genitalibus ad corpus, conſiſtere. Cap. II. demonſtrat modum operationis frigidi illius vaporis. Cap. III. Mercurium examinat, Unzerique opinionem de ſulphureâ, viſcidâ, ac acri hujus metalli naturâ confutans, potiùs naturam ejus ſummè frigidam ac humidam eſſe, aliis perſuadere allaborat. His præmiſſis, Cap. IV. concludit, adverſus luem hanc, in mercurio nullam poſſe latitare vim alexipharmacam, quoniam ipſe totus frigidus, autorem morbi, frigidum vaporem emendare, aut deſtruere haud potis ſit. Curam itaque per mercurialia palliativam ſolùm, hoc eſt, producta morboſa, bubones putà ac tophos removentem, neutiquam verò radicalem eſſe ſperandam, audacter affirmat. Cap. V. curandi veram methodum exhibet; ſcilicet per calida. Quo fine concedit lue venerea correptis vini lymphati, æquè ac meri potum, nulliſque de cætero aliis medicamentis; niſi quibuſdam catharticis ex rhabarbarô, ac ſennâ, decoctiſque ligni guaiaci, ſalſaparillæ ac cinnamomi cum vino, & ſyrupo aliquo ex aromaticis ingredientibus parato, cumque theriacâ exhibito. Præter hanc ſine mercurio medendi rationem, aliam inſuper per infuſum mercurij, ligni guaiaci & pulveris alabaſtri, Cap. VI. edocet: Jubet tamen tum ſingulis alternis diebus, purgans ex mercurio dulci interponere. Adeoque ex toto mercurium non reſpuit. Cap. VII. recenſet topica remedia pro præcipuis luis hujus ſymptomatibus; Cap. VIII. ſigna luis venereæ in fieri; Cap. IX. autem affinitatem & differentiam ſcorbuti, venereique morbi exponit. Cap. X. agit de gonorrhæâ virulentâ, bubonumque venereorum curâ; ſicuti Cap. XI. & XII. de remediis contra ſymptomata gonorrhæam concomitantia, & de differentiâ gonorrhææ ſimplicis ac virulentæ. Cap. tandem XIII. & ultimo, huic propoſitæ hypotheſi ſuæ, medicamenta hactenùs recenſita apprimè convenire commonſtrat.

Nos hic addimus Syſtematicis iſtis Autoribus parùm fidendum, & experientiam ipſis ut plurimùm non multùm favere: ut per millenas obſervationes, in hoc ipſo argumento, ſi ita vacaret, nobis facile eſſet demonſtrare. Præterea Palmarius erroneè admodum à noſtro citatur Auctore, ut omnibus, qui Scripta ſummi hujuſce Viri legerint, vel illa tantùm quæ ex eo, in noſtrâ Bibliothecâ Medico-Practicâ, ſub titulo Lues Venerea, *recenſuimus, viderint, abundè patebit.*

DAVIDIS ABERCROMBII, M. D. De variatione Pulſûs Obſervationes. Acceſſit ejuſdem Autoris, nova Medicinæ, tum ſpeculativæ, tum practicæ clavis. Londini, apud Samuelem Smith, 1685. 4.

De hoc rurſus Tractatu ſic Lipſ. Act. Ann. 1686. p. 215.

Innotuit jam jam Abercrombius literario orbi, ex *Luis Venereæ, ſine ſalivatione curâ;* nunc verò magis ejus nomen inclareſcit ex duplici hoc novo, experientiâ ac obſervatione multifariâ referto ſcripo. Primum ex his de variatione & varietate Pulſûs, duabus partibus conſtat, quarum prima variationem pulſûs examinans in genere, ordinarium motum arteriarum, quem pulſum dicimus, conjunctim ab arteriarum, muſculorum ac ſpirituum motû dependere, ſect. 1. probat. In ſeptem autem inſequentibus ſectionibus, quomodo

clima,

clima, tempus, temperamentum, ætas, diæta, paſſiones animi & morbus, inæqualem & inordinatum reddant arteriarum motum explicat. Altera pars varietates pulſuum ſiſtit cum ſignis prognoſticis. Initium facit Sect. I. à generali diviſione pulsûs, in æqualem ac inæqualem; inæqualem rursùs dividens in celeriorem & pigriorem, fortiorem ac debiliorem. Sect. II. de pulsû agit continuo & interrupto. Sect. III. de intenſo ac remiſſo. Sect. IV. de profundo ac ſuperficiali. Denique Sect. V. de ſaltatorio, tremulô ac erraticô. Quod prognoſin ſingulorum attinet, docet Autor pulſum fortiorem ac debiliorem nunquam præſentaneô periculô carere; interruptum, deficientem, profundum, tremulum & erraticum, vires jam attritas, brevique inſequentem mortem, vel ſaltem animi deliquia, apoplexiam & paralyſin indicare. Intenſum tamen pulſum, ſolummodò intemperiem corporis calidam, ſuperficialem ac ſubſultorium, robur naturæ, humorum commotiones, aut partium obſtructiones ſignificare.

Sequitur nova Medicinæ, tum ſpeculativæ, tum practicæ Clavis: Suo in ſcriptô Autor noſter unicè occupatus eſt, ut vires materiæ Medicæ hactenùs non niſi ſummo labore, ex Medicorum obſervationibus, vel propriâ experientiâ addiſcendas, compendioſiori viâ, ſcilicèt ſolô guſtû, inveſtigari poſſe demonſtret. Decem verò & octo propoſitionibus negotium hoc abſolvit: Potiſſimùm in illis acerba, auſtera, acida, dulcia, ſalſa, amara, acria ac inſipida ad examen vocans, inque ſingulorum naturam, ac facultatem medicamentoſam ſtudioſè inquirens. Oſtendit inſuper de ſingulis ſaporibus, quomodo qualitates ſuas ſapidas organo guſtûs imprimant. Acerbum namque tantùm deſiccare ac contrahere linguam, ſed acidum præterea exaſperare, dulcia & pinguia inungere, ſalſa detergere & abluere, amara detergere, exaſperare & corrodere ipſam, acria denique mordicare, ac caloris ſenſum ſimul communicare perhibet. Univerſus tamen hic labor ſuperſtruitur hypotheſi quatuor qualitatum primarum, à quarum diverſâ combinatione, tum naturam ſaporum, tum operandi rationem poſtmodum eruit. Sic v. g. acerba, & quæ gradû ab iis differre dicit, auſtera & acida, frigida pronunciat, adeoque vim adſtringendi, repellendi, æſtum compeſcendi, reliquoſque frigiditatis effectus ipſis aſſignat. Amara è contra & acria pro calidis venditat, hincque contrarias virtutes de ipſis prædicat: Similiter explicat naturam dulcium, ſalſorum, pinguium & reliquorum ſapidorum; ſed recenſere iſta ſuperſedemus, cùm ſcripti hujus exiguitas vix prolixiorem relationem requirat.

Addimus hic, prætermiſſa pulſuum doctrinâ; quòd circa ea quæ de ſaporum effectibus adducuntur, *nemo unquam adnotavit per guſtum vim Quinæ-quinæ febrifugam, hypecacuhanæ hæmorrhagiarum ſuppreſſivam, jalappæ, ſennæ, rhei, mannæ, laxativam, gratiolæ, ellebori albi, ac præcipue antimonij emeticam &c. ac propterea ſaporibus pro eorum, quæ materiam medicam conſtituunt, virtutibus eruendis, minimè fidendum.*

Davidis Abercrombii Opuſcula Medica hactenùs edita. Londini, Impenſis Samuelis Smith. 1687. 12.

De hôc Librô ſic Act. Lipſ. ann. 1687. p. 508. Quatuor tractatus hic habentur; *primus* de luis venereæ ſine ſalivatione curâ; *ſecundus* de modô curandi bubones venereos, & tutiore ſalivationis methodô; *tertius* de varietate & variatione pulsûs; *quartus* de dignoſcendis Medicis plantarum & corporum quorumcunque virtutibus ex ſolô ſapore. Primi, tertij & quarti contenta jam recenſuimus: Secundi itaque, nunc primùm editi, unicè nos dabimus. Exhibet autem ipſe, poſt definitionem bubonis, ejuſque cauſam, brevem methodum medendi; poſtmodùm perſtringit eos, qui venæ-ſectionem pro curâ rejiciunt: In bubone enim candicante admodùm proficuam illam eſſe, juxta ac cathartica exhibita, refert. Deindè diſſerit, quibus cautelis, & quomodo emollientia, attrahentia & digerentia externè ſint adhibenda. Hæc de bubonum curâ. De tutiore ſalivationis methodô; primò inquirit, quænam ex ſubjectis lue venereâ infectis, apta ſint ad ſuſtinendam ſalivationem, rejectiſque phthiſicis, & humidioris ac frigidioris temperamenti, ſolùm calidioris ac ſiccioris conſtitutionis, diſpoſita docet. Quæ deindè de modô ſalivationem excitandi annectit, nova non ſunt; mercurij namque dulcis ope, omnium optimè negotium hocce peragi poſſe tradit. Reliqua, quæ ſequuntur, ſymptomata putà ſupervenientia, medendi rationem, aliorumque Medicorum ſalivationem promovendi modos, omittimus, cùm anguſtia Diſſertationis hujus, quam unica tantum pagella capit, prolixitatem majorem haud exigat. Unicum tamen de ultimô in ordine ſcriptô adhuc adjicere placet, ſcilicet clar. Autorem, in ejus præfatione, aliquoties pro novis, anteaque non cognitis habere, quæ de ſaporum naturâ inibi diſſerit: Sed incidentes in Joh. Bapt. Montani Medicinæ univerſæ Partem III. p. 731. 732. exactè concordantem animadvertimus ſententiam. Quam tamen Abercrombium, in vetuſtô, & ante ſeculi ſpatium jamjam divulgatô librô, nec legiſſe, nec ſuſpicatum eſſe, facilè admittimus.

ABETHENCOURT (*Jacobus*,) Rhotomagenſis.

Ex eô habetur

Nova pœnitentialis Quadrageſima, nec non Purgatorium in Morbum Gallicum, ſive Venereum: Unà cum Dialogô Aquæ Argenti, ac Ligni Guaiaci colluctantium ſuper dicti morbi curationis prælaturâ, Opus fructiferum. Paris. apud Nicol. Savetier, 1527. 8.

ABHENGNEFIT, *ſeu* Albengnefit. *Autor Arabs.*

De eô extant ſequentia.

De Virtutibus Medicinarum & Ciborum. Reperitur cum Meſues operibus: Item cum Elluchaſem Elimithar Tacuinis Sanitatis, de Sex Rebus non naturalibus. Hunc Gerhardus Cremonenſis ex Arabicâ Linguâ in Latinam vertit. Argentorati, apud Joh. Scottum, 1531. fol.

De Balneis, Sermo in Appropinquatione Medicinæ ex Corpore. Extat cum Opere Venetô de Balneis, p. 429. facie aversâ. Venetiis, apud Juntas, 1553. fol.

ABHOMERON, *vid.* Abenzoar (*Abhomeron.*)

ABLUNUS (*Joh. Petrus,*)

Ex eô habetur

Commentatio, Vinum ne mixtum, ân meracum obnoxiis Juncturarum Doloribus conveniat. Peruſiæ, 1573. 8.

ABRECH (*Joſuel,*) Hunebæus.

Ex eô habetur

Ὀνειρομαντεῖος Liber novus, mirificus, & eruditione refertus, omnibuſque iis, qui præſertim Medicinæ vel Philoſophiæ, adeoque ipſi ſapientiæ Theologicæ, vel ſaltem pietati ac timori Dei, ipſiuſque cognitioni ſtudent, perquam utilis. In quo videlicet, omnes imagines cerebro dormientium conceptæ evolvuntur, haud quaquam futili,

li, ſed genuinâ ac verâ, partimque ex arcanarum ſcripturarum fontibus hauſtâ, partim verò ex veterum probatiſſimorumque Medicorum vel Philoſophorum ſcriptis depromptâ, partim denique ſagaci atque omninò fidâ ipſius Autoris Exegeſi. Cum præfixâ inſtructione de variis ſomniorum generibus, eorumdemque definitionibus, cauſis, ac circumſtantiis, ſimulque de legitimâ ipsâ Interpretationum ratione. Tremoniæ, apud Arnoldum Weſthovium, 1607. in 8.

ABSYRTUS. Pruſenſis. Floruit circa ann. C. 330. Renatus Moreau de V. S. in Pleuritide.

Ex eo habentur ſequentia.

De Malâ Medicinâ capita aliquot. Extant inter Veterinariæ Medicinæ ſcriptores, qui editi ſunt, Græcè quidem, Baſileæ, apud Joh. Valderum, 1537. in 4. Latinè autem ex interpretatione Joh. Ruellii, *Sueſſionenſis.* Pariſiis, apud Simonem Colinæum, 1530. in 8.

De Re Ruſticâ fragmenta aliquot. Extant cum Γεωπονικῶν, ſive de Re Ruſticâ ſelectorum Libris XX. Græcis, Conſtantino quidem Cæſari nuncupatis, Johan. Alex. Braſſicani Operâ in lucem editis. Baſileæ, apud Robert. Winter, 1539. in 8. Latinis autem, Jano Cornario interprete. Ibidem, apud Frobenium, 1538. in 8.

ACAMPUS. (*Simon*) NEAPOLITANUS.

Ex eô habentur

Commentaria in Libros Galeni de differentiis febrium in Textus XIII. nempe à Textu XLVI. uſque ad Textum LVIII. tertii Libri artis Medicinalis. In Librum de Tumoribus præter naturam. Quæ Theoricè ac Practicè ad Febres, Vulnera & Tumores præter naturam pertinent, mirâ rerum novitate tractantur. A Simone Acampo, juniore, recognito & in lucem edito. Neapoli, apud Secundinum Roncaliolum, 1642. in 4. apud Dominic. Marcaranum 1647.

Ejuſdem in varios Galeni Libros Commentarii. Neapoli, 1647. in 4.

ACCOLTIS (*Franciſcus de*) Aretinus.

Ex eô habetur

De Thermis Puteolorum & vicinis in Italia, Liber. Neapoli, 1575. in 4.

ACCOROMBONUS (*Fœlix*)

De eô extant

Annotationes in Librum Galeni, de Temperamentis. Romæ, 1590.

ACCOROMBONUS (*Hieronymus*) Eugubinus, Profeſſor Medicinæ Practicæ Patavii doctiſſimus. Vixit ann. C. circiter 1534. Juſtus in Chronologiâ Medic.

Ex eô habentur ſequentia

Tractatus de Putredine. Venetiis, ap. Andream de Arivabenis 1534. in 8.

Tractatus de Catarrho. Venetiis, apud And. de Arivabenis, 1536. in 8.

Extat quoque cum Sexto Pacito Papyrienſi de Medicinâ ex animalibus. Baſileæ, 1538. 4.

Tractatus de Lacte. Venetiis, apud Andr. de Arivabenis, 1536. in 8. Noribergæ, apud Petreium, 1538. in 4.

ACCURSINUS, *aliàs* ACCURSINIUS (*Bartholomæus*) Conſignanenſis.

De eô extat

Tractatuum & Conſultationum Medicinalium Tomus prior. In quo præter multa, quæ in Tractatibus à nemine hactenus ex profeſſo examinata, habentur; in paucis etiam Conſultationibus generoſiorum præſidiorum materiarum formulæ, quæ omnibus penè morbis inſervire poſſunt, continentur. Ravennæ, apud Petrum de Paulis, 1622. in 4.

ACESIAS. Imperitus Medicus, qui, dum cuidam podagrico mederi vellet, morbum & dolorem exacerbavit. Ui de proverbium *Aceſias medicatus eſt.* Eraſmus in Adagiis.

ACHILLINUS (*Alexander*) BONONIENSIS Philoſophiæ & Medicinæ Doctor; Publicus Medicinæ Lector Patavii ac Bononiæ, ab ann. 1484. uſque ad ann. 1512. Fuit Poëta & Philoſophus famoſiſſimus; Argumentator præterea acerrimus: Unde iis in locis ubi ignotus diſputabat, vulgò dicebant: Hic aut diabolus, aut Achillinus eſt.

Ex eô habentur

In Mundini Anatomiam Annotationes. Extant cum Johan. de Ketam Praxi, Faſciculus Medicinæ inſcripta. Venetiis, apud Cæſarem Arrivabenum, 1522. in fol.

De Humani corporis Anatomiâ. Venetiis, apud Johan. Antonium & FF. de Sabio, 1521. in 4.

De ſubjecto Medicinæ, cum annotationibus Pamphili Montii. Venetiis, apud Hieron. Scotum 1568. in fol. cum reliquis ejus operibus.

ACHMETES (*Filius Seirim.*)

Ab eô extant

Oneirocritica nunc primùm Græcè in lucem edita, ex Bibliothecâ Regis Chriſtianiſſimi. Lutetiæ, apud Marcum Orry, 1603. in 4. Extant cum Artemidori Oneirocriticis.

ACIDALIUS (*Chriſtianus*) WISTOCHIENSIS.

Ex eô habetur

De Pleuritide, Diſputatio. Extat Decade III. diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jacobus Genathius, 1620. in 4.

ACOLUTHUS (*Johannes*) PHYSICUS Vratiſlavienſis, Academicus curioſus.

Hæ extant ejus obſervationes in Germanorum Miſcellaneis curioſis.

Decur. II. ann. III. Obſerv. n. 178.

De Pleuritide ſuppuratâ.

Civis & ſartoris Vratiſlavienſis filia decennis erat, ad quam mihi anno 1681. primo Novembris vocato, dolor lateris dextri punctorius, tuſſis continua, ſine ullo ſputo, febris acuta, pulſus durus, & inæqualis, difficili in ſanum latus decubitui juncta, Pleuritidem veram ſiſtebant. Duæ jam effluxerant hebdomades, ex quo res anguſta domi, domeſticis morbum pertinacem debellare remediis, malo conſilio, optimis parentibus perſuaſerat. Vires, diuturno cruciatu, inediâ, multâque inſomni nocte adeò attritæ, ut ægræ vix ſtando ſufficerent pedes, & ſpumoſarum dejectionum copia parum boni ominabantur. Aſthma puellæ à primâ nativitate perpetuum, & tanta præcordialium viarum anguſtia, ut nihil unquam, vel in ſano ſtatu, vel morboſo, tuſſi interdum correpta, ſcreatu efferre potuerit, augebat anguſtias, & pro obtinendâ felici expectoratione, parum ſpei relinquebat. His magni ſenis noſtri acceſſit præſagium, quod, pleuritide laborantibus niſi intra 14. dies ſupernè per ſputum repurgentur, in empyema fiat tranſmutatio, cujus eventui, tot malis cincta patiens, vix par futura videbatur. Venæſectioni, expoſitæ circumſtantiæ, jam nullum amplius locum dabant, eo nihilominus animo curam aggredieba-

aggrediebamur, ut nihil intentatum relicturi, aut Çollectam, ſi poſſibile adhuc foret diſcuteremus materiam aut laudabilia ſputa obtineremus. Dum hæc, infirmâ ſpe noſtrâ præſide, aguntur, parentum, ad Thoracis perforationem admittendam præparabatur animus, unicum, quo ex orci faucibus eripi poſſit filia auxilium, locum ei deſtinandum tantillo tumore, & dolore fixo, inter quintam & ſextam coſtam demonſtrante. Fluctuaverat ambigua parentum ſollicitudo, nobis interim incaſſum laborantibus, donec ſub finem quartæ, à principio morbi, hebdomadæ, emolliens & maturans, tanto cum effectu, ordinaremus cataplaſma, ut aliquoties per diem & noctem renovatum manè cùm auferremus, non dictum tantùm tumorem ad juglandis magnitudinem auctum deprehenderemus, ſed inſuper novum miraremur, qui propè Claviculam exoriens, Gallinaceum ovum referebat, utroque tactu explorato, præſentiam puris promittente. Tunc inferiori tumori juſſu meo ſcalpellum adegit chirurgus. Non promptiùs reſerato Epiſtomio, aqua proſilit, quam hic purulenta materia ad libram unam tanquam ex canaliculo protrudebatur cum lipothymiæ metu, turundâ vulnuſculum obturandum ſuaderem. Mox ſuperior tumor decreſcens, cum inferiore comunicationem oſtendit. Sic, per 16. hebdomadas apertum latus, ultra ſexaginta puris libras ploravit. Tum, quoties inſpiraret, admota vulnuſculo flammula, violenter versùs cavitatem pellebatur, repulſa ſæpiùs ad extinctionem uſque, cùm ſpiritum emitteret, indicio, quantum pus occupaverit ſpatium, ex quo tantùm aëris, tantâ cum violentiâ potuerit extrudi. Id enim ad cavitatem thoracis non penetraſſe, pleuræ, quâ eandem ſpectabat, teſtabatur integritas, quippe, cujus fibræ ſi fuiſſent eroſæ, in cavum pectoris pus admiſiſſent. Interim hectica inſignis, appetitus nullus, dejectiones, ut ſuprà, ſpumoſæ, tuſſis per vices ferina, & emortualis ferè corporis emaciatio. Cunctis debita obviavere remedia uſque dum paulo poſt eorundem pertæſa, omnia ægra averſaretur. Tandem ſimplicis pulveris continuato uſu ex Antihectico Poterii, & lap. Cancr. præparat. (Cùm modò myrrhæ rubræ electæ modò exigentibus cicumſtantiis anodyni pulveris aliquid jungebatur, modò pilulæ de Styrace Sylvii interponebantur) inter frequentes vulnerarias injectiones, Guttam Balſami Sulphuris therebintinati recipientes, tantum profeci, ut, auxiliante Deo, ſanam parentibus ſtiterim filiam; ad hunc uſque diem, tantâ calamitate ſuperata, viventem & vegetam.

Ibid. Obſerv. num. 179.

De Idio-Syncraſia Singulari.

IDio-ſyncraſias eſſe, quæ inviolabiles Medicis actionibus leges præſcribunt, ij ſuorum experiuntur diſpendio, qui eundem omnibus aptare Cothurnum contendunt. Hæ, à priori inſcrutabiles, per experientiam detectæ, obſervantis Medici conſilia multum nobilitare norunt. Talem curæ meæ commiſſa Sexagenaria fœmina Chirurgi vidua, offerebat, quæ hyſtericâ paſſione, difficili reſpirationi, appetitui proſtrato, crebriſque vomitibus combinata, ultra tres menſes, alius ſub inſpectione torta cùm fuiſſet, ad incitas ferè redacta, noſtrum auxilium imploravit. Secundabat cœpta Deus, ut dimidio menſe exacto, in integrum reſtituta videretur, viribus quoque in dies magis magiſq; ſuccreſcentibus. Nemo jam amplius de ipſius ſalute incertus erat, cùm derepentè novum Symptoma patientis æque animum ac corpus concuteret. Omnimoda urinæ ſuppreſſio aderat, de quâ tamen conſternatam, optimè ſperare juſſimus. Nullus dolor, nulla circa pubem tenſio, nullus ibidem obſervabilis tumor, veſicam ab omni culpâ abſolvebant. Ad renes itaque meditatio noſtra reflexa, in ſpaſmos pronas internarum partium fibras intuebatur, quibus factum judicabam, ut ſeri ſecretioni dicati renales tubuli, à quocunque hoſtili nonnihil irritati, ora ſua occluſerint, viam tranſcolando lotio negantes. Sic antiſpaſmodico diureticus pulvis propinatus, qui Cinnabaris nativæ, Lap. Cancror. & ſalis volatilis ſuccini *a a.* ℈ß. recipiens, felici adeò operatione ſeſe commendabat, ut non tantùm iſchuria ſoluta copioſo jam rivo manaret, ſed & alvus hactenus pertinacior octies repetitâ aſſellatione reſponderet, ejectâ ſimul foliorum ſennæ integrorum, & corticum Citri groſſo modo inciſorum farragine, quorum illa, muliebri conſilio ſtatim, ſub initium morbi aſſumpta, hi ante duos deglutiti menſes, tàm diu indigeſti intra corpus delituerant. Hæc foliorum & corticum ſaburra num inteſtinum cæcum, an Coli cellulas, aut aliud tàm diuturnum obtinuerit hoſpitium, diſquirere nunc non vacat. Inſolitum autem pulveris hujus effectum mirari ſubit, purganti nulli, Energiæ ſuæ promptitudine cedentis. Neque ſubjecto huic purgandi intentione aliquoties oblatus, me poſt hæc unquam deſtituit, quin fibrarum ſenſiliſſimæ texturæ irritationem à reſinoſis purgantibus, reveritus, illis eum ſemper prætulerim, & hodiernum, purgans à me fœminâ dictâ exigente, illum repetito experimento feliciter exhibeam. Qui præter idio-ſyncraſiam, ſubjecto noſtro ſingularem, potiſſimas rari effectûs cauſas in ſal volatile oleoſum rejecerit, fortè non aberraverit à ſcopo, confirmaverit certè aptum connubium quod purgantia cum ſalibus volatilibus quandoque inire jubet Excell. Pechlinus de purgantibus pag. 137.

Ibid. Obſerv. num. 180.

De Remedio Calculi, ex Remediorum Suſpenſione.

NOn propinare tantùm, ſed & ſuo quævis deſtinare tempori, loco, ſubjecto, imò nonnunquam removere prudenter remedia, inſigne artis Medicæ opus. Priùs, triobolari, cuivis ciniſloni & Empyrico, cætera non niſi conſcientioſo Medico, quem juncta Doctrinæ experientia & ratio ſtipat, licet verboſus eſſem, ſi eos hic notare tantùm errores contenderem, qui ab indoctâ grege, circa Bezoardicorum uſum commiſſi, plurimos jugulant, dum, quæ in acutorum ſtatu cum ſucceſſu ferri poſſent, principio, nimiùm verò tùm invalida, opponit, præcipitem medendi occaſionem manibus avolare patiens. Quid præcipitantia in febribus intermittentibus, nimio apparatu à nonnullis exhibita, præſtant aliud, quàm ut in continuas eas tranſmutent, aut ſimplices duplicent, ſaltem ventriculi tonum proſternant, per ſe debile ejuſdem fermentum magis obtundant, hinc appetitum reſcindant omnem, cachexiæ ponant fundamenta, & vel recidivis valvas aperiant, vel tardè ſuperabili virium ſuppreſſione ægros porro fatigent, miſeris, dum vitia vitant, in contraria currentibus. Nobiliſſimorum medicamentorum cenſui ſalia volatilia, ſimplicia, atque oleoſa meritò adſcribas, quibus

quibus contumacia morborum Chronicorum colla ſubjugare novimus, quantas verò & illa turbas cieant, ſi hypochondriaco malo, Scorbuto, menſium reſtagnationi, ſimilibus infenſiſſimis hoſtibus obviam iturô agmini præmittas, quantas humorum ebullitiones, efferationes acutorum ſalium, dependentes inde phlogoſes vagas, arthritides erraticas, vertigines, Epilepſias, Apoplexias ipſas, alia mala ſuſcitent, norunt qui circumſpectè praxin exercentes, alienis ex periculis ſapere diſcunt. Ipſe, de quo agimus, calculus, accuratas ſibi medendi leges depoſcit, niſi præpoſtero diureticorum uſu ipſum impingere quandoque magis magiſque ureteribus, eorumdem magis ſtimulare ſpaſmos, ſicque duro concreto viam, ægro vitam intercipere velis. Rara tamen curandi illius methodus eſt, in emotione medicamentorum, medicamentum quærere, à nobis ſequenti quoque in caſu repertum. Vitriarii filiolus quartum annum nondum aggreſſus, à multo tempore, linguâ officium ſuum adhuc non exequente, ubi in dextrum latus devolveretur excitato protinus clamore, doloris aliquid eâ ſubeſſe in parte, manifeſtè oſtendit. Locum deſignare accuratiùs, parentes neſciebant, donec in certos modos flectere linguam edoctus puſio, eo ſpatio infeſtum oſtenderet, quod ſub coſtis ſpuriis, lumborum regionem & umbilicum interjacet. Conſultus eâ de re Medicus, neſcio quod hepati vitium adſcripſit, eique removendo, prolixum tempus fruſtra inſumpſit. Operam omnem eludente malo, puer abſque medicamento diu relinquitur, interim, ſi in hypocauſto nonnihil pro ætatis hujus more oberraſſet, de dolore priſtino, laſſitudine pedis dextri, & reſpirationis difficultate, querelus conſidebat. Tum fortè ad alium, eâdem in domo decumbentem ægrum, vocor, offertur ſimul puer & à me conſilium expetitur. Primò ambiguus, mox tamen de calculi præſentiâ decerno. Quamvis enim dolor verſus medium abdominis protenderetur, ex conſenſu partium adjacentium, eodemque ex fonte reſpirationis difficultatem (ob partes reſpirationi dicatas, leviter convulſas,) oriri judicavi. Committitur curæ noſtræ puer, quam, quo potui remediorum moderamine, ita ſuſcepi, ne Calculus, quem grandiorem, ex mora penè per triennium protracta judicabam, præproperè nimis motus, periculum tenellulo inferret. Ubi duæ hebdomades, continuo exquiſitiſſimorum ſub remediorum uſu, nihil adhuc dum levamenti oſtenderent, exemplo Epiphanii Ferdinandi Hiſtoriarum Medicarum 54. inductus, ferias naturæ à medicamentis indicere ſtatuimus. Conſilio feliciſſimus aderat ſucceſſus. Quarta enim illarum, quæ inſequebatur nox, doloroſa puero contingebat. Dolor in regione pubis, urinæ difficultas, & moleſtiſſima parciſſimarum Guttarum emiſſio, atque teneſmus, authorem ſuum non obſcurè loquebantur. Mirabar, calculum teneras atque anguſtas vias tacito adeo perrepſiſſe ſenſu externoque fotu ſubveniebam. Duabus horis elapſis, circa Glandem latens obſervatus hoſtis, unde ad imitationem Borelli digitis blandè mulgendo, ejectus, magnitudine & formâ os dactili minus, pondere XII. grana æquabat. Lætus, de Chronico ſuperato malo puſio, nunc quaquaverſum ambulat, currit, ſaltat, nullo amplius impedimento, vel latus vel reſpirationem, vel pedem affligente. Salvo accuratiùs ſentientium judicio, non dubito, quin per medicamentorum vires, commotum ad exitum diſpoſuerim calculum, vix tamen abſque nervoſarum partium aliquali irritatione, ortaque inde ſtricturâ, cui avertendæ, quamvis molliſſima tractatio, & antiſpaſmodica, cæteris juncta remediis, contra fuerint niſa, fieri tamen ſub hâc exquiſitiſſimâ tenerrimarum fibrarum ſenſibilitate, non potuit, quo minùs ſubtiliora diureticorum leviter perciperent ſpicula, donec tandem his cum illa remotis, imminens, aperto ſub hâc naturæ quiete, uretheri, *duelech*, proprio pondere verſus veſicam pedetentim delaberetur, &, quod adhibita moverant, ſuſpenſa remedia promoverent.

Ibid. Obſer. 181. *De affectû rarô & variô.*

Vir Theologus, præcipuis Eccleſiaſticis muneribus fungens, ſtudiis & meditationibus deditiſſimus, à multis annis, variis inter concatenatos labores morbis vexatus, modo phlogoſes poſt paſtum vagas, modo calculi dolores, cum nonnullorum excretione, modo Catarrhos, modo capitis Gravitates, modo vehementem cordis ſpaſmum paſſus eſt, adeo ut ex hoc ipſo ante quindecim, & quod excurrit, annos, mortem ſibi imminere crediderit. Ceſſerunt moleſtiſſima hæc mala, maximam partem tùm, cùm Scaturigini proximus acidulas Egranas biberat, repullularunt quandoque tamen, uſu Martialium, ſalium volatilium oleoſorum, & ſtomachicorum ſedata; Enematis ſimul multum conferentibus. Tandem anno 1682. qui patienti noſtro ætatis quinquageſimus quintus erat, adeo hydra hæc Lernæa ſuum extulit robur, ut, quo fortiùs ipſius capita reſcinderes, eo majore proventu deteſtanda nova propullularent. Tum enim catarrhi frequentiſſimi, dolores, circa regionem renum obtuſi magis quàm acuti & phlogoſes ibidem aſſurgentes, ſine calculi (cujus tamen renibus impacti, ſuſpicio, firmiter adeò patientis inſederat animo, ut nulla argumenta, perſuaſiones nullæ, illi exturbandæ eſſent) excretione ceſſantes, cordis palpitatio inæqualiter gravis, nocte declinante, certis modo, modo incertis periodis, cum magnâ virium labefactatione, diutiùs, breviùſve moleſta. His accedebat ſalſedo in ore ſæpius adeò manifeſta ut linguam tantùm non doloroſè afficeret, tædioſiſſimi ſymptomatis author, quod publicè perorantis laryngem (accedente imprimis hiberni aëris inclementiâ) exquiſitiſſimâ ſenſatione titillabat, unde irritati muſculi contracti, vocis interceptionem minitabantur. Porrò jungebatur illis, aliquot à paſtu horis, digeſtione ferè peractâ, de die pariter atque nocte, præcipuè circa diluculum, nunc nauſea & ad vomitum proclivitas, nunc, paroxyſmo vehementiùs urgente, mucaginoſæ, inſipidæ aquæ vomitus, nunc, idque quotidie, ventriculi convulſio, ſubitò abſque nauſea invadens, ſtatim atque deſinens exprimente id ægro.

Ructuum quoque ſemper fœcunda progenies edebatur, alvo, quæ officio ſuo fungebatur, ſalva exiſtente. Sic appetitus proſtratus, corpus aliàs euſarcum decrementa capiebat, vires maniſeſtiſſimè collabebantur. Urina conſiſtentiæ tenuis erat, juſto pallidior, eoque repleta ſedimento, quod puriforme à Drawitzio tr. de ſcorbutô deſcriptum; Moto nonnihil urinali, mox diffiliebat, liquorem quaſi lacteſcentem relinquens. Breves quandoque malum dabat inducias, quas tamen, vel ſponte ſuâ rumpebat rurſus natura, vel officiorum ratione exacti animi motus, vel prolixior ſolummodo brevi poſt prandium aut cœnam ſermo, ſtatim tollebant. Ego, quem capiti huic infenſos debellare hoſtes decebat, nullis peperci laboribus, quibus in adyta intricati mali penetrarem, eidemq; eradicando idonea remedia eruerem. Tandem, quin hypochondriacæ affectionis nomine inſigniendus eſſet hic in tot formas ſe ſe tranſmutans Protheus, non dubitabam, luctuoſo

tuoſo dramate; tot ferè larvas ſiſtere ſolitæ, quot partes humani corporis impetit, quæ in functionibus ſuis à communi licèt cauſâ læſæ, diverſos tamen morbos mentiantur. Thorum infauſtæ hujus ſobolis genialem, ventriculum eſſe, ſymptomata edocebant. Hujus quippe fermentativus liquor, à naturali ſuâ ſalinâ volatili craſi, ad fixiorem acidam deſciſcens, acquiſito ſapore alieno, ingeſtorum ciborum poros ubi permeare ſubtiliter, attenuare, fermentare, eoſque, pro adaptatione illius, cui præeſt, individui, reddere idoneos deberet, in liquamen viſcidius vitioſè ſolvit, quod accuratiore fermentatione minus volatiliſatum, maſſæ ſanguineæ infunditur, magna eandem cruditatum farragine replet, producta exindè vitia ventriculo rurſus communicantem, ita ut perpetuo circulo miſera labes mutuas ſibi porrigat manus. Nullus igitur admirationi locus, ſi alimenta in viſcidiorem reſoluta paſtam, liquidiore ejus parte, aliquot ab aſſumptione horis, per pylorum amandata, tenaciorem mucum ventriculi parietibus impingant, qui acrimonia ſua ſuperiùs ejuſdem ſi afficiat orificium, nauſeam & vomitum, fundi ſi irritet fibras, convulſivum ſtomachi motum producat, tædioſaque ſui præſentia appetitum proſternat. Ventriculus interim nunquam otioſus relictas ſordes viſcido acidas fermentando aggreſſus, laboris præmium, infinitam ructuum copiam nanciſcitur. Saburra hæc crudior & acidior, maſſæ ſanguineæ admiſta, vitioſo eam charactere ſignat, undè cæteri corporis ſucci, maximè lympha, acrior reddita, crebriorum catarrhorum mater exiſtit. Sic ſanguis, rigidis particulis ſquallens nutritioni penitus ineptus, corpus extenuari jubet, ad requiſitam verò ſpirituaſcentiam hâc ratione non evectus, quid, niſi torpidiores, & pauciores evibrat ſpiritus, quorum inopia, & ad motum inhabilitas, virium poſt ſe defectus trahit. Ad hæc, ubi crudiore chylo referta ſanguinea maſſa eſt, eundem ſubigere neſcia, ad excretoria renum vaſa rurſus depoſitum, cum urinâ ſimul ejicit, eidemque puriforme tribuit ſedimentum. Illa, libero ſi elabatur curſu, nulla lumbarem regionem manet moleſtia, tranſcolandæ verò per renales tubulos particulæ ſi ſint aſperiores, dolorem, & à criſpaturâ adjacentium nervoſarum membranoſarumque partium, per conſenſum irritatarum, phlogoſis ſpeciem conſtituunt. Ipſum verò liquorem Tinctura, quod deſtituerit, oleoſis maſſæ ſanguineæ particulis à volatili ejuſdem ſale (præpediente viſcidorum humorum miſturâ) ritè non penetratis, adſcribendum. Palpitationem autem cordis quod attinet, familiare hypochondriacis malum, eam à nervis partim cardiacis, per conſenſum cum hypochondriis, irritatis, partim à vitio M. S. dependere judico, ideò quod non, niſi corpore per aliquot horas quietè decumbente, appareat. Illa enim viſcidior, adeoque per ſe ad motum ineptior, tanto magis promovetur in eô, quantò totius corporis motus ipſi eſt adminiculo, motu locali; inteſtinum motum, adeoque rarefactionem adjuvante. Nunc, ubi corpus ad quietem compoſitum eſt, primis ſomni horis diurnorum motuum beneficio ſanguis fruitur, quo ſenſim ceſſante, ipſe rurſus compactior, circa cordis vaſa appulſus, quâ decebat celeritate illud non tranſit, hinc probabiliter illius irritatio, & in motu ataxiæ.

Exagitabant autem calamitates hæ ægrum noſtrum dum meditatio quotidiana, variæque curæ ex officio ipſi contingentes, ſpiritus conſumebant, unde neceſſarius eorum radius digeſtioni primæ, ritè peragendæ, ſubtrahebatur, quod, quo fiebat magis, eò mendoſa magis digeſtio, majorque imminebat moleſtia, dum quævis ſimul animi pathemata, ſpiritus diſſipantia, paroxyſmos exacerbabant, imò prolixa poſt paſtum loquutio, ſpiritus ad cerebrum revocans, notabilem ſtatim poſt ſe relinquebat noxam. Sociabatur illis debita ſtudiis ſedentaria vita, obſtans, quominus M. S. ventilaretur debitè, & congeſta inquinamenta vel per inſenſibilem difflarentur tranſpirationem, vel alias à naturâ deſtinatas vias citiùs tranſirent; capientia eo majus virium, quo diutiùs latebant. His tandem ſuam adjiciebant Symbolam ingruentes anni, quibus cum juvenilis ſenſim decederet vigor, ob anteactos, ac præſentes labores labefactatis omnium digeſtionum officinis, ſuccos craſſos, viſcido acidos, id eſt, melancholicos, copioſiùs coacervabant.

Cauſarum nexu cum effectibus ſuis hâc ratione optimè penſitato, quamvis inveterati morbi diuturnitas, declinantes à priſtino robore anni, & inevitabile vivendi genus, ſanitati ab omni parte perfectè recuperandæ, nullam ſpem relinquerent, mitigare ſaltem, cùm eradicare non liceret, malum, omni niſu allaboravi. Tandem, cùm noſtra conſilia adeò proficerent parum, ut ſufflamen quidem, nullâ tamen conſtantiâ munitum, affectui imponerent, ad Gratioſiſſimam Lipſienſium facultatem Medicam (inſignes alios ut Medicos taceam) noſtra ſe ſe fiducia convertit, firmius fundamentum huic ſubſternendum valetudini exorans. Hæc aſſenſu ſuo latum de morbo judicium meum cùm confirmaſſet, eundemque juſſiſſet porro calcare, cui hactenùs inſtiteram, tramitem, evacuata autem jam tum, naturâ duce, blandum per vomitorium, ventriculi ſaburrâ, contendere perrexi, ut fixior digeſtivi fermenti, & dependentium inde humorum omnium acor, contemperaretur, in primis viis ſtabulantes viſcidæ Sordes, & ad M. S. tranſmiſſæ cruditates, inciderentur, atque per Epicraſin, per convenientia loca, alvum, urinam, ſudorem, evacuarentur; inſtauraretur ſic ſanguinis deficiens inteſtinus motus, tandemque ſtomachus corroboraretur. Mite namque cum Hæcſtetero obſervationum Medicarum Decadis Quintæ, caſu (huic ex parte analogo) ſecundo —— hunc morbum tractandum ſtatuimus. Hoc verò quâ fieri accuratiſſimâ potuit curâ, per efficacia præcipitantia, aperitiva, ſtomachica actum eſt.

Selectiſſima martialia, coralliata, animalium partes duræ, ſalia volatilia oleoſa, & enixa fixiora, aromatica, balſamica interne & externe adhibita, vix tamen ultrà Ephemera malo armiſtitia injunxere: Hoc interim notari meretur, quod inter omnia, Graviſſimæ Symptomatum trigæ cohibendæ, maximè contulerit. Illi enim, quæ perorantis vocem interceptura erat, titillationi, omnibus anticatarrhalibus internè fruſtrà adhibitis, frænum injecit eſſentia anodyna cum ſale volatili oleoſo ſuccinato extracta, atque externis laryngis partibus illita; vehementiſſimos palpitantis cordis paroxyſmos ſpiritus carminativus de Tribus, eſſentiæ Caſtorei tartariſatæ miſtus, manifeſtè alleviavit; Vomiturientem verò ſeſeque convellentem ventriculum, arcano duplicato, lapidibus cancrorum, coralliis, aut concharum pulvere Sociis, ante omnia conſolatum eſt.

Quota, quantaque autem fuerint, quæ ars præſidia excogitabat, minora tamen cuncta erant, quàm ut conſtans rebelli morbo obſequium imperare poſſent, donec de acidularum Egranarum potu (quas experimento hic Vratiſlaviæ facto, debiliſſimus quamvis, commodiſſimè tamen ventriculus ferebat) ad fontes hauriendo, omnibus indicationibus ſatisfacturo anno 1683. conſilium iniretur. Non obſtabat executioni illius prolixa lo-

corum intercapedo, quin magno emenſo itinere, ſalutifera lympha debito cum regimine, variiſque ſtomachicis interjectis, ſorberetur. Domum reverſus patiens noſter, multum quidem levaminis, magnas tamen adhuc pertinacis affectus reliquias ſenſit, uſque dum tribus vel quatuor à reditu menſibus exactis, eaſdem, ſuis expulſum finibus, natura inſurgeret, ſedaliumque venarum oſtenderet tumorem, quâ portâ, moleſtam ſibi humorum ſarcinam, ulterius ejectam vellet, indicatura. Molientis conatum, tanto cum ſucceſſu provexêre hirudines, ut ab eo tempore renovatis gaudens viribus, mitigatum triumphet hoſtem afflictiſſimus olim æger, ipſiuſque maturè ſuccidat brachia, dum continua ſtudia illi novum quandoque ſuggerere robur ſatagunt, laborioſiſſimis de cætero integerrimè fungatur officiis, Deoque beneficentiſſimo immortales rependat Grates, quem, ut ſub virium integritate, vitam hanc ad ſeros explicare annos dignetur, ardentibus votis fatigo.

DECURIA SECUNDA ANN. IV.

Obſerv. num. 168.

De Febre Acutâ, Sudore Croceo particulari finita.

Ibid. Obſerv. num. 169.

De Potu vini in Malignis.

Ibid. Obſerv. num. 170.

De Senili fœcunditate.

Ibid. Obſerv. num. 171.

De Abortibus, omni lochiorum fluxi deſtitutis.

Decuriâ II. ann. VI. Obſerv. num. 21.

De vomitû ſanguinis horrendô.

RArò tranſcendit impunè oras ſuas vitalis unda quin laxatis licentioſiùs repagulis, facilè cum eâdem & ipſa vita elabatur. Non artificioſas ſanguinis depletiones, neque naturales illos memorabo orgaſmos, quibus per uterina vaſa, aut ſedales venas, aut naſi arterias, aliavè loca, nimio ſe liberare onere natura modeſtè ſatagit, cùm exorbitantes illius conatus nobis perſequi contingat, dum purpureum laticem ad illud impetuoſius regurgitare ſacrarium cogit, in quo ſanitatis & morbi, imò vitæ & mortis limites conſtituit. Ventriculum volo, cui, quo magis anteà erant amica, quæ ſtudioſè ex aſſumptis evolvebat cruoris Elementa, eò nunc adverſiora ſunt, ubi maturitatis aſſecuta gradum, priſtinam officinam turbant, ut in furorem indè actus archæus, conquieſcere non poſſit, donec intempeſtivum hoſpitem validè excuſſerit. Quamvis verò varios fluxus, deficientes aut imminutos, modico ſanguinis vomitu innocuè compenſatos, non ignoremus, nullibi tamen ultimum abeſt periculum, ubi in vehementiores hæmorrhagias ſeſe exſolvit.

Vidimus id in honeſtâ fœminâ, habitûs gracilioris, 49. annos nata. Hanc à biennio menſes, abſque ullo tamen ſanitatis incommodo, deſtituebant, cùm ineunte anni octuageſimi ſexti vere, varios in abdomine dolores perſentiſceret, quos colicos ſeu hyſtericos eſſe rata, aquis variis ſpirituoſis, muliercularum ex conſilio, ſedabat. Decimo Martii, cùm ab aliquot jàm tùm diebus omnis conticuiſſet appetitus, vaga obreperet nauſea, & Cardialgia ingraveſceret, inter phlogoſium viciſſitudines, ægrè domeſticis rebus ſatisfaciens, maturè ſe cubitum confert, ſtomacho priùs forti hauſtu, eoque adhuc repetito, aquæ alicujus carminativæ ſpirituoſæ, denuò perfuſo. Tum inter mille gemitus obrepens ſomnus, ipſam ad duodecimam uſque detinuerat, ubi urgente malo expergefacta, triplici vomitu tantùm non animam exſpuebat. Marpeſiæ cautis inſtar rigentis maritus, horrido mox clamore viciniam implet; quæ advolans, proprio immerſam cruori, ſemi exanimem, tollit. Si in ſuâ arte credendum artifici, marito lanioni fidem adhibere licebat, aſſerenti, tantum ſanguinis, mactatum vix eructare bovem, quantum, totum ferè cubile tùm inundaverat. Variis refocillata analepticis ægra, cùm ſibi ipſi rurſus conſtaret, quartâ matutinâ idem denuò fatum experiri, quamvis, deficiente jam undâ, mitius. Horâ ſeptimâ demùm conſultus, pulverem ſtyptico- reſolventem opiatum, à meridie repetendum, cum miſturâ Sylvii in caſibus ejuſmodi commendandâ, præſcribo, quibus ipſis per diem fluxus cohibitus, octavâ veſpertinâ tantò vehementiùs inſtabat. Excreti ultimo impetu ſanguinis oculatus teſtis, ternarium librarum medicarum ſuperaſſe, judicavi. Tum vitæ paucisſimæ reliquiæ, quas omni fulcire ſtudio annitebamur, donec mentem rediiſſe comperiremus. Affectus urgentia nihil non tentatum relinquere jubebat, hinc externis quibuſcunque (exceptâ V. S. quam immenſa pariter ejecti cruoris copia, atque famæ obſervatio negare videbantur) ſupra allegata ulterius ſociare medicamenta meditabar. Deprecante autem pulverem ægrâ, quem, cum aliis ingredientes Biſtortæ & Tormentillæ radices, ipſi reddiderant inviſum, anaticâ portione miſtâ Corall. præp. terr. ſigill. ſtrig. cc. uſt. Lap. 69. præp. cùm grano ſemis Laudani ſubſtituebam. Nox inſequuta quietior. Manè melius, quamvis omninò fractis viribus ſe habens, eodem fruitur præbio, parciore tamen manu Laudanum offerente, ſcilicet ad grani tertiam partem. Eundem pulverem, paucis nonnunquam miſturâ martialium immutatis, ter, quilibet inſequentium quinque dierum vidit, eam, ſub refractâ hac doſi, Laudani continuationem, patiente, magno cum ſucceſſu ferente. Cum alvus per biduum obſtructa ſollicitationem ſui flagitaret, injectum clyſma magnam congrumati ſanguinis copiam eliciebat, indicio, ipſum, per utrumque ventriculi oſtium, elabendi viam, ſibi quæſiviſſe. Hoc ulterius alleviati auxilio, tribus vel quatuor ex ordine diebus illud revocabamus, donec natura conſuetos repetere tramites, proprio motu, magnoque ſpei noſtræ augmento, inciperet. Hanc tamen infirmo ſtare talo, quamvis appetitu ciborum, ſomno, ad actiones omnes integritate, pro conditione graviſſimi morbi, ſufficientibus, ſuffultam, infelix octava morbi dies oſtendit. Omnia enim tranquillo reddita ſtatui ulterioribus demulcere Laudani blandimentis inconſultum arbitratus, ſeptimâ die, abſtinere ab eodem conſtitui. Nihil erat, quod notabilem hanc redderet, neque ſequentis dimidium quicquam ſiniſtri experiebatur, cùm momentaneo orgaſmo rurſus inſurgens ſanguineus latex (nihil minùs metuente ægrâ) per ſuperiora, aliquot librarum pondere ſeſe præcipitem daret. Si unquam anteà tùm certè morti proxima, ejuſdem quoque præ ſe imaginem ferebat. Adeò luridus vividiori reduci ſucceſſerat faciei color, Genæ erant collapſæ, retroceſſerant oculi, ceſſaverat arteriarum pulſatio, ut imminentibus

tibus fatis nemo certius quid ominaretur. Quartum tamen ſuas inſtaurabat copias, exquiſitorum confortantium firmatâ robore naturâ, quorum veſtigia laudatus ſupra pulvis per duodecim dierum curſum degebat. Hoc, omni malo ſopito, ſi qua in vaſis minoribus reſtitarent (impedito ſanguinis circulo, extravaſationi ejus anſam præbentibus) obſtructionibus reſerandis, liquor Martis ſolaris commendabatur, cujus paulo poſt continuato uſu, hucuſque conſtans, pro deploratâ habitæ, recuperabatur valetudo.

Ibid. Obſervatio num. 21.

De Pœdarthrocace.

Ibid. Obſerv. num. 23.

De Delirio gravi, cum impotentiâ ſponſi ex faſcinô.

Dec. II. An. IX. Obſerv. num. 160.

De Graviſſimis ex ſolâ cerebri concuſſione Symptomatibus.

DIgnoſcendi difficultatem, illos exercentem, quibus externâ violentiâ tacti capitis cura commendatur, magis accuſat experientia, quàm ut noſtrâ deductione indigeat. Tantò cautiores autem in eo tractando, ultrà Hippocratis monitum & ſana nos jubet eſſe ratio, quò abſtruſior læſionis eſt formalitas, ne quandoque intentato magis noceamus auxilio, vel flocci pendendo ſymptomatum levitatem, ſolâ morâ, graviora, cum morte, accerſamus. Hinc nec exitioſè metuendum, nec præcipitanter admovendum trepanum, ne, vel illo, hoſtilia cerebro corpora (fluida fuerint iſta, ſeu ſolida) perniciosè relinquantur, vel hoc, exquiſitiſſimo cruciatu, miſerorum ſenſibus inutiliter abutamur; Quantâ verò accidentium ambiguitate capitis læſiones dubios nos reddere norint, ſequentia quoque docebunt.

Civis Vratiſlavienſis, ex linteorum mercaturâ victum quærentis, filius, cupediarii ſervus, annô 1689. die 31. Martii, præeuntes laſcivos equos incautè ſequens, vehementi calcanei ictu proſternitur, unde turbatus mente, ſurgens, paucis greſſibus, inter multos ejulatus factis, propè murum rurſus concidit, atque ſemianimis domum portatur. Hæc, ubi ad noctem inclinante die facta ſunt, advocatus ſolùm Chirurgus tum temporis urbis ordinarius, *Raſper*, venam ſecat, cætera craſtino relicturus. Hoc accerſitus ego, puerum heri biliosa vomentem, nunc maximam partem membris reſolutum video, adeò connivebant palpebræ, ut, nonniſi ab adſtantium manibus illis deductis, ad oculos pateret acceſſus, maxilla inferior alienum ſequebatur motum, & quo ille volebat, poſitu, conſtans, linguam pariter immobilem, cum omnimodâ aphoniâ, claudebat. Ne liquidis quidem, niſi cum ſuffocationis metu, ad interiora dabatur aditus, cùm reſoluti & faucium muſculi, nullam deglutitioni opem conferre poſſent. Erecti caput, mortui inſtar ad latera ruebat, eodem fato, infimas quoque corporis partes, manente. Præter pedum enim motum abolitum, veſicæ ſphincter paralyticus, urinam dimittebat, & dehiſcens inteſtinum rectum, paria de ſe teſtabatur. Mediis adhuc partibus ſuus reſtabat motus, dum manus liberè agitare, & vehementium abdominis dolorum indicio, idem, modò ſpaſmodicè quaſi attollere, modò impetuoſiùs retrahere, obſervaretur. Reducem tamen per intervalla, rationis uſum, ſimul mirari dabatur, cujus ope, interrogatus, manibus monſtrando, ſatis congruè reſpondebat. De læſionis ratione ſolliciti, fruſtra, quantacunque etiam adhibitâ diligentiâ, inquiſivimus, levi & vix cutem penetrante frontis vulnere, aliquali ſugillationi juncto, parum lucis nobis accedente. Mox raſum, juſſu noſtro, caput, accuratè contrectabatur, ubi parum aberat, quin aſperior ſulcus, natura oſſi bregmatis ſiniſtro, duorum circiter digitorum intervallo, à commiſſurâ ſagittalis & lambdoideæ ſuturæ, inductus, ægro, exquiſitum, imprimis circa hæc loca ſenſum, indicante, fiſſuræ ſuſpicione, nobis imponeret. Quod pro eâ certius indagandâ autores conſilii, de chordâ dentibus tenendâ, oſſe ceraſino iiſdem frangendo, cataplaſmate ex farinâ fabarum &c. ſuppeditant, vel faucium immobilitas, vel moræ ulterius, quam par erat, jam tum tractæ, impatiens affectus urgentia, excludebat. Et quod offuſas oculis noſtris tenebras augebat, illud erat, quod frontis vulnuſculum, num ab equi ictu, an prono caſu fuerit natum (ex poſteriore proceſſiſſe, ſano demum ægro indicante) prorſus ignoraremus, vel ex hâc circumſtantiâ certiùs de vi illatâ, & dependente hinc internâ læſione, judicaturi. Dum hæc animo volveremus, ſecuriùs res ægri agi non poſſe, ſtatuimus, quam ut ordinatis eum in ſcopum ſacculis, ſimplicia nervina continentibus, vino & aqua ãã. incoctis, totum caput & colli vertebræ, aſſiduè foverentur. Alvo acrius injiciebatur clyſma, ſpinæ dorſi unguentum nervinum, huic, & inferioribus partibus fortes, cum pannis aſperis, frictiones, & linimentum ſpirituoſum deſtinabatur, internè, quantum affectus patiebatur conditio, eſſ. caſtorei volatili, aquis ſpirituoſis cephalicis & reſolventibus miſtâ, propinatâ. His, ad veſperam uſque ſedulò continuatis, ægrum ſuâ ſponte palpebras aperientem, reperio, imò & pedes ſine ſenſu & motu paulo ante torpidos, nonnihil moventem. Lætior de ſucceſſu fiducia, ulteriorem ægri curam urgebat, quam adſtantium ſufflaminatura videbatur ſomnolentia, unde veritus, ne ſacculi rariùs mutati, contracto frigore, majora commodis nocumenta parerent, noctu removeri eos volui, totumque caput multum commendato Hæchſteteri, ex cerato de Betonicâ & Gumm. Tacamahaca, cum oleo Majoranæ malaxatis, Emplaſtro obtegi. Nullus dubitabam quin ſecutura dies ſpes noſtras eſſet auctura, obſtupui tamen, cùm mane advolans nuncius, ægrum ſurrexiſſe, loqui, edere, ambulare, ſolitiſque muniis obeundis intentum eſſe, conteſtaretur, vix penes me fidem promeritus, antequam oculi mei eam confirmaſſent: Conſtans poſt hæc valetudo, ex ſolâ cerebri commotione vehementiore indeque natâ delicatiſſimarum fibrarum circa principia nervorum intortione & diſlocatione aliquali, debitum ſpirituum animalium circulum, & ad partes, radium intercipiente, graviſſima hæc genita fuiſſe mala, clarè demonſtravit.

Ibid. Obſervatio num. 161.

De Magnâ capitis contuſione abſque ullis Symptomatibus.

QUæ præcedenti obſervatione, graviſſima annotavimus, ex leviore capitis læſione, ſymptomata, contrario penitus, eoque lethali excipiuntur capitis vulnere, accidentibus tamen omnibus experte, ut ſuperius aſſertam, diagnoſeos, capitalium læſionum difficultatem, tanto magis eamus comprobatum. Murarius, cùm largiore mero

mero perfuſus, lubrico ſtaret pede, hoc derelictus præcipiti caſu altiorem ſcalam emetitur. Sociorum Miniſtrâ manu erectus, optimè ſibi non conſtabat tantum, ſed & cum comitibus, pedes, longè diſſitam inde domum ſuam repetebat. Moderata erat hæmorrhagia, quæ ex vulnere frontis, ſiniſtrum latus recipientis, ſcaturiebat, applicato à Chirurgo Emplaſtro, facilè acquieſcens, cùm ſiniſtræ claviculæ fractura, repoſitionem atque deligationem quoque ſibi depoſceret. Sequenti die inſpectum vulnus ad cranium uſque penetrabat, eo majore hiatu illud denudans, quod integumentorum portio, duos digitos latitudine, æquans, penitus eſſet avulſa. Reliquum capitis, inſignis ambiebat tumor, ipſis oculis eodem occluſis. Paulo poſt impetuoſiſſimus ſanguinis fluxus ab arteriâ temporali lacerâ, Chirurgis terrorem incutiebat, primâ quidem vice iſchæmis, alterâ tamen ligaturæ demum attendens. Tum quotidie aliquot unciæ puris horrendo cum fœtore excernebantur, manifeſti indicis, magnam ſubeſſe cavitatem, in quâ tantum colligi poſſet. Hanc, proximo tempore, cum tactu, dextri etiam occipitis, declivior apertura teſtabatur, mox verſus ſiniſtrum occiput, copioſa ſaniei velut in ſacco collectio, ſic, ut tota quanta calvariæ peripheria, horrendâ contuſione læſa, turpes puri latebras conſtitueret. Decimo quinto circiter die, cùm jam quatuor oſtiis, duobus ſcilicet circa bregmatis oſſa, uno in fronte, ultimoque ſiniſtro in tempore, ſeſe ſanioſus alveus exoneraret, Chirurgus partem pericranii corruptam ſeparaturus, illud per poſteriorum aperturarum alteram, blandè prehendens, ductum ſponte ſequi animadvertebat, eoque cautiſſimè continuato, tandem omne rei novitate attonitus, extrahebat. Notabilis non erat, dum hæc agerentur, ægri ſenſus, parcior autem ab hoc puris proventus, & omnimodum tumoris decrementum. Interim nullus ſymptomati vel leviori, locus, ſi rariſſimum, vixque notabile delirium, atque inter deligationem doloris acumine excitatos aliquales brachiorum tremores, excluſeris, uſque dum attritis, maximam partem, recenſitâ ſuperius vitalis liquoris jacturâ, viribus, tranquilliſſimâ morte, ulterius rimandum caput offerret. Diviſa cruciformi inciſione integumenta, ſeparatione à cranio aliâ non indigebant, adeò quippe contuſas undique fibras putredo abſumpſerat, pericranium autem, præter os frontis atque muſculos temporales omnes, deſtituebat. Neque crotaphites ſiniſter, totus lividus, immunis à contuſione fuerat, tantò notabiliorem pravorum ſymptomatum abſentiam conſtituens. Cætera cum cerebro ipſo, omnis expertia noxæ, ad fractæ claviculæ inſpectionem nos ablegabant. Cute, nulla qualitatis mutatæ ſigna, præ ſe ferente, adactum ſcalpellum mox duæ circiter unciæ puris ſunt ſecutæ, licèt ægrum de partis hujus dolore nunquam querulum adſtantes audiverint. Tumorem autem, decubitum perpetuo ſupinum, præveniſſe, mihi videbatur non abſque ſuſpicione, purulentam materiam per cuniculos ad cavitatem pectoris penetraſſe, cum multis ante obitum diebus, frequenti anacatharſi viſcidiſſimæ ſaburræ copia fuerit ejecta. Maluit tamen paterno parcere corpori agnatorum religio, quam noſtro nos dubio eximere, unde retractâ manu, inſpectioni finem imponebamus.

Ibid. Obſerv. num. 162.

De Fiſtulâ pectorali.

HOneſtiſſima, primarij Mercatoris vidua, vere, anni 1686. continuâ correpta febre, criticam materiæ corruptæ metaſtaſin, ad ſubmammarias dextri lateris partes, cum remiſſione cæterorum ſymptomatum, experitur, ita, ut punctoriæ inde natæ moleſtiæ, dolorem pleuriticum mentiantur. Ineptis tranſpirationi particulis, tanto fixior ibidem parabatur ſedes, quod intempeſtivâ verecundiâ malum ſupprimeretur, uſque dum ad ſuppurationem tendentes, manifeſtum tumorem elevarent. Rumpente caſtitatis hujus damnoſæ repagula neceſſitate, manibus noſtris tumor conceditur, quem parato gravidum pure, accerſitus Chirurgus Hulſtius, ſcalpello aperiebat. Neque deſtituebat evacuatas ſufficiente quantitate ſordes, triſtis ſenſus lenimen, cum ſpe curationis brevi ſubſecuturæ. Hâc tamen paulo poſt cecidimus cùm copioſus ex fundo abſceſſus, emanans ichor, bonum mali autoris indicem, præberet. Quo duce, intima ulceris ſpecillo explorantes, ab aſperitate coſtæ, inductam, diu latentis materiæ acrimoniâ, cariem, ſumus ominati. Pro eâ removendâ, quicquid, cum accito in conſilii communionem Socio D. Schultzio, moliretur Chirurgus, impetrare tamen non poterat, quin ſæpius, ſurgentibus ab infimâ cavitate fibris carneis, exactè claudi viſum ulcus, breve turbaret gaudium, & latentem in herbâ anguem, eroſis obſtaculis, copioſo ſaniei profluvio, manifeſtaret. Incaſſum adhibitis, quæcunque ars ſuggerebat, remediis infinitis, ipſa, decantata adeò fermentata antimonialia, nihil proficiebant, elapſoque à morbi principio, annô, citius vitam ſuam, quàm ulcus hoc, infelix Chirurgus claudebat. Curâ tunc univerſâ, ægrotæ neminem aliàs admiſſuræ, ad me devolutâ, de cruciformi, pro denudatione oſſis, ſectione, mecum deliberaſſem, niſi inſignis corpulentia, & manûs latitudinem excedens pinguedo, obſtitiſſet. Opportunè tamen in mentem venit Conſilium Agricolæ, Chirurgiæ Parvæ cap. de fiſtulis, injectionem ex Mercurio dulci, aquâ plantaginis, coctione ſoluto, tantillo ſpiritûs Nitri acuatam, commendantis, nobiſque ita proficuam, ut tertio ab applicatione die, ſquamulæ oſſis nigræ recederent, & ſeptimana tertia pleniſſimè reſtitutam ægram, magno ſuo ſuorumque ſolamine præſtaret.

Ibid. Obſerv. num. 163.

De Iſchuriâ ex caſu ab altô.

ZYthopolæ ſervus annos circiter 24. natus, ruſtici habitus, anno 1689. D. 25. Martii, veſperi lectô compoſitus, neſcio quô tentabatur inſomniô, ut dormiens, ſtragulis relictis, per arctam feneſtram quadratum cogeret corpus, illudque à tertia altioris domûs contignatione, ſeminudum, poſt mediam noctem, in plateam præceps daret. Fortunæ ipſius erat quod nix eâ nocte copioſior cælo lapſa, cadentem, pulvinaris inſtar, exciperet, rarioris tamen, quàm ut impreſſionem ſubjacentium Lapidum ponderi tanto ruenti, evitare potuerit. Hinc à prætereuntibus excubitoribus repertus, totus algens, ſenſu motuque deſtitutus, ad priſtinum defertur hoſpitium, ipſiuſque cura Chirurgo noſtrati Purmanno, committitur. Omnibus corporis partibus bene luſtratis, notabili læſione carebat caput, niſi quod ſugillatione inſigni dexter circumfunderetur oculus, ejuſdem autem lateris brachium, duplex fractura fædaret. Circa nates, cum ecchymomate cutis nonnihil ſeceſſerat, idemque pedis dextri malleolus fuerat expertus. Commodè ipſi Chirurgus ſecuit venam, brachio, cæteriſque partibus debitè proſpexit, dum mulierculæ aquis ſpirituoſis,

rituoſis, calidis frictionibus, ſimilibuſque refocillare miſerum allaboraverunt. Ultrà trihorium hoc in opere deſudatum eſt, antequam, cum calore nativo & ipſe rationis uſus reverteretur. Tum ignarus, quæ de ipſo agebantur, omnium, caput brachiumque faſciis ligatum miratur, ſimulque in vehementium, quos tum demum perſentiſcebat, dolorum, originem inquirit. Circa meridiem ſequentis diei invitatus, notatis anteà malis anheloſam ex punctorio pectoris dolore, reſpirationem, omnimodamque acceſſiſſe urinæ ſuppreſſionem deprehendo, cum ſputo cruento & tanto ſcroti tumore, ut maximum hominis caput dimenſione ſuâ excederet. Non dubitabam quin poſticâ corporis parte & procurrentibus inde nervis ob pronum caſum omni læſione expertibus, extravaſato ſanguine ureteres cum veſicâ obſtruerentur, pectus idem gravaret, pulmones, ex ruptis tam violento motu vaſculis, cruorem eructarent, ſcrotum autem ille impleret ſanguis, qui per proceſſus peritonæi ad inferiora hæc loca deſcendiſſet: Unde pro grumis ſanguineis reſolvendis, de obſtruendiſque occluſis hinc ductibus, atque læſarum partium reſtitutione militaturus, externè emollientia atque reſolventia recipientibus, balneo, ſacculis, linimentiſque partes fovebam, infuſo clyſmate, plurimum congelati cruoris educebam, internè verò tincturâ Bezoardicâ Ammoniacali Ludovici, Eſſentiâ Traumaticâ reſolvente, Cinnabarinis, aliis reſolventibus junctis, item per vices ſorbendâ potione ſequente duplici, ſublevare ægrum annitebar. I. ℞ *Rad. Rubiæ Tinct.* ℥. *i. Herb. Charef. Arthemis. Bellid. min. c. flor.* āā. *m. j. incis. coqu. in ſ. q. Aquæ. f.* in fine coctionis addendo *Rhabarb. elect.* ʒ. *ij.* ſalis Tartari ℈*j.* ß. *Colatur.* ℔*iß.* in quâ calidâ *diſſolv. ſperm. Cet.* ʒ*ij. Syr. de Arthemis.* ℥*ijß. M.D.S.* 2. ℞. *aquæ charefol. Arthemis. Plantag.* āā. ℥*ij. aceti deſtill.* ℥*j. ſp. junip.* ʒ*iij. Lap. canc. præp.* ʒ*ij. Syr. de Arthemis.* ʒ*vj. M.D.S.* in vanum adhibita, repetita quoque remedia, duo dies viderant, cùm immenſum tumentibus, & putredinem jam tum concipiente ſtagnantium extra vaſa humorum, colluvie, hypogaſtrii partibus, inſuper ſpermatis Ceti drachmam unam pro doſi, in juſculo calido propinarem, ſequenti Apozemate ſtipati; *Rec. Herb. Hederæ Terr. Veronic. Charefol.* āā. *m. ij. Rad. Rubiæ tinct.* ℥*iß. inciſ. & contuſ. g. m. coqu. in ſ. q. Aquæ S. Rec. colatur.* ℔*iß.* adde, alio prius in vaſe ad efferveſcentiæ ceſſationem commiſtorum *lap. cancr.* ʒ*iij.* Aceti vini acerrimi ℥*ij. Syr. de Heder. Terr.* ℥*iij. M.f. Potio. D. S.* Duplici vice cetaceam hanc hauſit pinguedinem, potioniſque maximam partem abſumpſit, antequam circa veſperam aliquot ſanguinis guttæ, per urinarias vias excretæ, eorundem Medicamentorum continuationem craſtino quoque ſuaderent. Tum verò hic & ſubſequentes ex ordine dies aliquot menſuras ſemiputridi ſanguinis evacuabant, cum remiſſione ſymptomatum omnium, & omnimodâ jamjam crepaturi ab extenſione nimiâ ſcroti, detumeſcentiâ, reliquum curationis ſpiritu ſalis Ammoniaci juniperino, eſſentiæ vulnerariæ miſto, & ob diarrhœam nimio potu contractam, paucis ſtomachicis atque carminativis die decimo quinto Aprilis feliciter abſolventibus.

Ibid. Obſerv. num. 164.

De Urinâ viſcidâ.

Ibid. Obſerv. num. 165.

De Inveteratô affectû ſcorbuticô, tandem Salivatione curatô.

Virgo honeſta, annum agens vigeſimum ſecundum, ſucci plena, ſatiſque pro conditione ſexus lacertoſa, ante hos novem ferè annos febre corripitur quotidianâ, quæ eſurina dicta, Germanis *das freſſ Fieber* audit. Hâc per aliquot ſeptimanas defuncta, tumores pedum œdematoſos, videt, comite dolore, omnes artus inſigni lancinatione lacerante. Tum à barbitonſore per ineptas ulterius fatigata V. S. tandemque paralyſi omnium extremorum correpta, ultra triennium hæc pertulit mala, donec mulierculæ ſuaſu per lignorum decocta intra menſem ità allevaretur, ut manibus pedibuſque officii obeundi copia reſtitueretur. Nunquam tamen perfectè reconvaluit, quin temporum mutationes, quaſdam inferrent puncturas: ante quinquennium per conceptum ex ſpectro viſo terrorem, iterùm continuas redditas, tumore pedum uſque conſtante, quamvis, ſub tolerabilitate mali, vario, tum periodi, tum excretorum (modo ſanguineorum, modo ſeroſiorum) reſpectu, catameniorum fluxu, & accidente nonnunquam lividarum ſcorbuticarum macularum eruptione, domeſtica munera ſatis agilis obiret. Rurſus autem crudeliorem experta eſt circa anni octuageſimi Octavi Martium, quo omnia denuò in pejus ruêre, artuum dolorifica augeri pathemata, eaque ſemper à ſomno tanto vehementiora, ad quemvis corporis motum, animi mox imminere deliquia, ſicque miſella lecto affigere cæperunt. Tum præmiſſis univerſalibus purgatione, atque V. S. externè pro ſpinâ dorſi Linimenta nervina, pro artubus aquæ articulares ſalinis ſpiritibus fætæ, tandem quoque thermæ artificiales ex ſulphure, ſuccino, & calce vivâ; internè abſorbentia præ cæteris Martialia, Cinnabarina, iiſque ſociata anodyna. Arc. duplic. Mynſ. Eſſentia pini antiſcorbutica. Eſſ. Lign. compoſita, ſpir. cochleariæ comp. ſpiritui Sal. Armon. & liquori anodyno combinatus, ſucceſſivè ordinata ſunt. His nihil proficientibus Decocto ex

Lign. juniperin. ℥vj. *Buxi.* ℥iij.
Sanct. ℥ij. *Saſſafr.* ℥j.
Rad. Bardan. ℥iij. *Helen.* ℥ij.
Strobilor. Pinaſtr. ℥iv.
Baccar. juniperin. ℥ij.

Hoſtem ità aggreſſus ſum, ut ter de die ægra aliquot ejus uncias exhauriret, mane calidas, cum ſudore in Laconico excitato, à meridie & veſperi, ne vires nimium attererentur, frigidas, abſque eo, ex remanentia Bochetum fieret, loco cereviſiæ bibendum. Nil minus tamen quàm votis reſpondebat ſucceſſus, cùm ſperati levaminis locum maximi languores & varii partium ſpaſmi occuparent. Tum enim oculi ſæpius contorquebantur, lingua in globum convolvebatur, cum loquelæ abolitione, manus per intervalla rigebant, & terebrante in volâ dolore fodiebantur, duos ex inciſoribus maxillæ inferioris acutiſſimus corripiebat ardor, hypochondria tendebantur immenſum, ventriculus & mammæ inflabantur, cum exquiſitiſſimo imprimis circa papillas ſenſu. His malis obicem rurſus ponebant Caſtorina Spiritui antiſcorbutico, vel etiam volatilibus ſalinis juncta; & veſicatorium nuchæ applicatum. Notabile enim erat, nullum, opiatorum, largâ licèt manu exhibitorum, neque hic, neque in artuum anteà recenſitis doloribus, fuiſſe effectum. Jam verò, ubi hæc

hæc conſopita nonnihil videntur, priſtinæ membrorum lancinationes actam anteà fabulam magno conamine repetunt, cui accedunt tubercula in manibus & capite, abſque cutanei coloris mutatione, modò ſurgentia, modò diſparentia, quorum unicum in capite, per porum ſponte apertum, nonnihil purulenti ichoris fudit, ægrâ ſimul de tetro ſapore querulâ, quem vomitorium ſufflaminare per diem, non verò penitùs auferre valebat; irrito pariter tentamine per duplex veſicatorium cute ſupra genua exulceratâ. Cæteris igitur omnibus remediis majus malum cùm videretur, refractario morbo heroicam tandem opponere manum decretum eſt. Inibatur de ſalivatione Conſilium, quod inter tardos licet ſucceſſus, quo executi fuerimus modò, ſequentia Diarii noſtri excerpta, prout illa tum temporis tumultuariè notata, communicabunt. Deſtinabamus autem primò intentioni noſtræ internum Mercurii dulcis uſum, ut vulgatiſſima tonſorum unguenta evitaremus, ſicque die 16. Maij ſub introitum lecti veſpertinum, formatas cum extracto ſcorzoneræ aquoſo Pilulas quinque ex ipſius ℈ß. offerebamus. Tum inter ſolita membrorum tormina, accedente nauſeâ noctem conſumpſit. Die 17. Maij, idem manè præbium, quod decem ſedes excepe-runt. Die 18. eadem eodem tempore doſis, ſeptem comitata ſedibus. Veſperi ſumptâ Eſſ. Bezoardicâ anodynæ maritatâ ſine dejectione tolerabiliter quievit. Die 19. matutino tempore pilulæ, doſi pomeridianâ notatæ jamjam mixturæ, ſedes præveniente. Die 20. mane idem medicamentum. Poſt meridiem teter in ore ſapor, gingivarum intumeſcentia, menſtruorum apparitio, ſedes duæ. Veſperi doſin conſuetæ eſſentiæ cepit. Die 21. abſtinuit à Pilulis. Partium, oris eadem conditio. Ptyaliſmi principium. Magni languores oborti ſunt, artuum intenſiſſimi dolores, tremores, momentanei ſpaſmi, cum momentaneâ rationis & loquelæ abolitione. Eſſentia Caſtorei aliquoties de die repetita, ſpaſmodica pathemata ſopiebat, omnem tamen noctem, dolores artuum reddiderunt inſomnem. Die. 22. Maij. Poſtquam præcedente die circiter libram ſalivæ reddidiſſet, hâc, ferè duas ejecit. Nox inſomnis languores eſſentia Caſtorei inhibiti ſunt. Die 23. Maij cùm ſalivatio plurimum imminueretur, rurſus pilulas quinque deglutivit, & elapſa horâ, ad præcavendas ſedes, primam ex Eſſentiâ Bezoardicâ & anodynâ miſturam. Hâc nocte crurum dolores mitiores, ſomnum tamen oborta tuſſis turbavit. Triginta ſex horarum ſpatio libras duas exſpuit. A die 24. Maij rarus adeo ſalivæ proventus, ut vix libram dimidiam pondere, nycthemeri periodo, æquaret, tanta verò internorum medicamentorum ſolidâ imprimis formâ exhibitorum nauſea, ut omni illorum uſu excluſi, quam anteà repudiaveramus inunctionem, jam inviti accerſere cogeremur. Quater igitur per diſtincta duorum, trium, vel pro ſymptomatum, eodem tenore procedentium, conditione, quatuor dierum intervalla, ſequenti ſimplici linimento articulos brachiorum & pedum horumque plantas, ipſa inunxit: ℞. *Mercur. Viv.* ʒij. *Axung. Suill.* ℥ß. Vix tamen aucta ſalivatio, ſed fluor uterinus albus, anteà virgini nunquam viſus, copioſus ſucceſſit. Diſparuit autem maximam partem die 4. Junii, cum metu ulcerum in vaginâ uterinâ ab acrimoniâ humorum facilè gignendorum, per topica jamjam ſiſtere eum decrevimus. Die 5. Junii, ubi conceſſa hactenus abſtinendi à Medicamentis venia, illorum tædium nonnihil demulſerat, veſperi bolum ex Diaſcordii Fracaſtorii ʒß. & *Mercur. D.* ℈j. *accepit.* Ab hoc die 6. & 7. Jun. magis quidem faucium tumebant glandulæ, largiore tamen imbre minùs irriguæ. Decoctum ſpecierum emollientium pro collutione oris ordinatum. Negotio tardis adeò greſſibus procedente, alius Mercurialis Medicamenti uſum in auxilium vocaſſem, niſi proprium intra Laboratorium parati fortuita tum inopia, afflictæ Virginis vitam, neglectim ſæpiùs obſervatis officinarum laboribus exponere diſſuaſiſſet. Hinc die 8. Junii trochiſcorum ſublingualium ex Maſtichis ℈j. *Mercur. D.* ℈ß. *c. ſ. q.* mucilaginis Tragacanthæ formatorum, frequens maſticatio commendabatur. Sed & hâc vix ſputi ℥vij. per 24. horas eliciente, die 10. Junii Bolum ex *Merc.* D. ʒß. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒj. cubitum itura repetiit. Die 11. Junii cum torminoſis aliquot ſedibus, decem libras excedens urinæ colluvies, quàm copioſiſſimus viridis mucus, non ex glandibus uterinis, ſed veſicâ (ut accuratè juſſu noſtro obſervaverat ægra,) progrediens, ſtipabat. Die 12. idem muci, ſed albi cum urinâ profluvium, eadem quæ ſupra ſalivæ quantitas. Die 14. Junii aſſumpto rurſus Bolo, ingrati Diaſcordii loco, conſervâ roſarum blandiore reddito, quietem nocturnam invitabat. Die 15. menſtrua apparebant, atque inter continuos â meridie languores, hypochondriorum abdominiſque dolores, parciori ſalivationi ſeptem quoque ſedes nectebantur. Die 16. Junii ad vigeſimum uſque tertium repetitæ ſæpiùs virium Eclipſes, & ſalivæ fluor, libram quotidie vix attingens. Die 24. Junii, cùm nox doloroſa ex hypochondriis eſſet prægreſſa, & ceſſante lunaris tributi curſu, eadem fluoris albi, quæ ſalivæ quantitas manaret (abſque ullo tamen genitalium vel excoriatione vel pruritu) evacuationis diuturnitate, educendorum humorum parcitatem compenſaturus, denuò unguenti ex *Mercur. Viv.* ℥j. *axung. ſuill.* ℥ij. quartâ parte, hâc veſperâ artus illiniri volui. Proxima ab hâc dies, ſalivæ libram unicam obtulit, cum ſolitis languoribus, & nocte copioſas maculas lividas ſcorbuticas parturiente. Sequentibus per intervalla diebus reliquum linimenti ceſſit, ſputo ut plurimum libræ uni reſpondente, ut raris ab ægrâ annumeraretur contingentibus, cùm ter vel quater, libris duabus æquiponderaret. Eadem gelatinoſi recrementi congeries, moleſto quem jam muliebribus inferre ſenſu incipiebat, majores illorum minitata læſiones, ſuffumigium ex maſtice recepit. Mox ſubſtitit fluxus, notabiles autem præcordiorum anxietates, & dicatarum reſpirationi partium, ſpaſmi, adeò pectus conſtringebant, ut funibus quaſi coactæ, aperto interdum ore auram captaret. Spiritus Sal. Armoniaci aniſatus, Eſſentiæ anodynæ miſtus, aliquid ſolatii ferebant, cùm poſt octo vel decem ab ultimâ inunctione, dies, alvus unâ nocte viginti quatuor vicibus ſponte, cum aliqualibus tamen torminibus, & viſcidiſſimæ ſaburræ exitu, ſolveretur, quo ipſo pectoris ſymptomata maximam partem evaneſcebant. Circa idem tempus ordinarius catameniorum reditus. His finitis, dives rurſus glutinoſæ lymphæ per pudenda proventus. Artus nihilominus variæ lancinationes, imprimis pedum plantas, digitorum omnium, naſi atque labiorum extremitates, nonnunquam vellicabant. Tandem tot ſuperatis tædiis, à vigeſimo die Julii rigores veſpertini, cum inflatione ventriculi ſuperpondii loco, fortè ex ſalivâ incautè deglutitâ, has partes onerante, acceſſerant, quibus vomitorio ex Tartari emetici granis quatuor obviam itum. Triplex ab eo provocatus vomitus adeo humores commovit,

vit, ut illâ die ſaliva duas libras exceſſerit, poſteà tamen mox imminuta. Non procul aberamus, quin ſymptomatum rariore decreſcentiâ perſuaſi, de ſucceſſu laboris impenſi deſperaremus, unde remoto omni remediorum auxilio, ſub commendato laudabilis diætæ imperio, ſpectatores potius eſſe ſcenæ malebamus, tandem tamen læto fine, moram compenſantis. Per multas enim adhuc hebdomades, ægra quoque liberiore jam tum aëre fruente, liberè, quamvis lente reptans Ptyaliſmus, ſic exſpectationi noſtræ reſpondit, ut tandem cruciatu omni extincto de non pœnitendo patientiæ ſuæ fructu, patiens noſtra ſibi adhuc dum gratuletur. Antequam verò de tabula manus, hoc notari velim, toto recenſiti temporis curſu, inter tot dolorum atque ſalivationis moleſtias, nihil unquam vel pleniori habitui vel florido extra lipothymias ægræ colori deceſſiſſe, magnâ quidem admiratione noſtrâ, ſimul tamen & certitudine, tam roboris conſtantiam, ferendo diuturno huic oneri ſemper parem exiſtere. Congruus autem naturæ intentioni adeo fuit evacuandi modus, ut ab eo tempore, qui tam artificialis erat, nunc ſibi proprium reddens, vitioſa pro ſexus genio, diæta, novis inquinamentis maſſæ humorali illatis, ſpontaneam quotannis inſtante Majo excitet ſalivationem, eò uſque cum euphoria ſubjecti procedentem, ut gingivarum, linguæ, atque palati inductæ exinde fiſſuræ, gargariſmis indigeant, donec periodo ſuâ abſolutâ liberum morboſâ ſarcinâ corpus, rurſus derelinquat.

Ibid. Obſerv. num. 166.

De Salivatione Mercuriali Epilepſiæ habitualis averrunca.

MOrbi, qui puerilis ætatis tranſgreſſi limites, ipſam ſine mutatione pubertatem comitantur ut difficultate ſuâ Hippocrati jam tum ſuſpecti, ſic triſte perennitatis ſuæ fatum, communiſſimo omnibus exemplo quotidie adhuc dum docent. Præ aliis, lugubri facie notabilis Epilepſia, quàm raro, radices ubi firmiores egit, extirpetur, vel horrenda platearum oſtendunt ſpectacula, dum quos juvenes olim convelli videris, nunc ſenes quoque torqueri palam cernas. Eſt tamen ea temporum noſtrorum felicitas, ut, quos antiquitas, deſperatæ incurabilium gregi adſcripſit, eos Pomæria ſua divinis auſpiciis glorioſius hodie extendens Medicina quotidie reſtituat. Sedecim annorum juvenis, dicti veritatem vindicabit, qui à primis vitæ annis, ad illum uſque ætatis terminum, crebriore Epilepſiâ, plurimorum Medicorum conſilia in vanum fatigaverat. Sentiebat autem imminentis mali præſagum ſiniſtri hypochondrij dolorem, cùm incipientes ibi meſentericorum plexuum lienarium ex parte & ſtomachicorum ſpaſmi, mox nauſeam parerent, tandemque altius ad nervorum principia pergentes, ipſam rationis arcem turbarent, atque confuſo ibidem inquilino ſpiritu fortiſſimas convulſiones inducerent. Tum verò canis inſtar ringebat, ſimul & dentibus quodcunque obvium lacerabat. Non ſumptibus miſeri parentes, neque ſtudiis pepercerant Medici, quibus infenſum omnigenæ optimi juvenis fortunæ morbum, propellerent, cunctis hâc ratione in caſſum adhibitis præſidiis, nihil mihi de triſti hoc ſtatu conſulto, in vulgaria Antiepileptica, Cephalica, Splenetica, Antihypochondriaca &c. fiduciæ, quin, ſi quicquam opis ſperare liceret, à potentiore id expectandum rhizotomo, pronunciarem. Annuentibus, quorum intererat, parentibus atque conſanguineis cæteris,

præmiſſo ſolùm purgante, ſalivationi deſtinatum juvenem, ſimplici ex Mercurio & axungiâ porcinâ unguento illiniri juſſi, nec quicquam notabilis totum curationis obtulit ſtadium, niſi quod ſalivationem ſegnius quandoque ſe gerentem, Mercurio dulci ſtimulaverimus. Ventriculi pathemata ex muco, tempore ſomni, eò delapſo, nata vomitorio ſuſtuli, loco cereviſiæ autem, quo Ptyaliſmus tempore durabat, ſequens decoctum hauriendum ſuaſi.

℞. *Lign. juniperin.* ℥ij.
Buxi.
Coryli ā̄ā. ℥j.
Saſſafr. ℥ß.
Rad. Pæon. mar. ℥iß.
Sarſaparill. ʒvj.
Fol. Betonic. m.j.
Chamædr.
Chamæpyt.
Verben. ā̄ā. *m.* ß.

inciſ. & contuſ. g. m. macerentur in aquâ Comm. ℔. xij. loco calido per diem & noctem, poſt coqu. ad med. in fine decoctionis nonnihil liquiritiæ pro gratiâ ſaporis addendo. Medio ferè ſputationis curriculo, leviore acceſſu, convulſiones valedicebant, nunquam per elapſum, quo hæc ſcribo, biennium, vel leviſſimis notatæ indiciis, juvene non tantum ſaniſſimo, ſed & in aſſiduis, quibus ſe conſecravit ſtudiis, inoffenſo pede alacriter progrediente.

Decur. III. ar. IV. Obſerv. n. 56.

Typocele Cancroſa, cum extirpatione teſticuli curatâ.

SEnſerat à multo tempore, Theologus, in Ducatu Olſnenſi nobis vicino, vir probus & doctus, annorum 46. habitus obeſioris, tuberculum in dextrâ ſcroti parte enatum, quale deſcriptum videre licet in Marc. Aurel. Severini aureo de recondita abſceſſuum natura, tractatu *lib. IV. cap. IX.* §. 18. Concolor idem reliquæ ſcroti ſubſtantiæ, parum ſollicitudinis ab optimo viro ſibi vindicaverat, uſque dum anno 1692. Menſe Decembri, mutata ejus facies, in nigrum vergeret. Tum malè ſecum agi auguratus, ad Medicum properat, ex cujus ſenio, uberes prolixæ experientiæ fructus ſe lecturum, confidebat, ejuſque conſilio nixus, fila cruda ex lino contorta, (*rohes Garn* ,) lacti incocta, ſedulus affecto loco applicabat. Tum verò, quieſcens intra tuberculi (vel penitus non attingendi, vel orbiculatim mox exſcindendi) parietes, malignum fermentum, intempeſtivè motum, oras tranſcendere atque in majorem molem extolli. Ejuſdem Medici juſſu, cùm validè compreſſus tumor, crepaſſet, aliquot libris emetienda hæmorrhagia ſucceſſit quam horrenda labiorum inflatio, livor, & cum intolerabili fœtore mortificatio, exceperunt. Tam demum ad ægrum evocatus, ad adſpectum ſcroti capite humano majoris horreo, labia ulceris inverſa, aliquot pervia foraminibus magnam partem omnis expertia ſenſus, varios inſuper offerebant ſinus, ichorem fundentes, turpiſſimæ ſentinæ fœtore, graviorem. Nulla hic efficacis Medicinæ præſidia admittebat remotus ab urbe locus, ad quam negotia eadem die me revocabant, uſque dum propior, mihi æger, conſiliis accuratè ſublevari poſſet. Juſſus itaque ad urbem deferri, requiſitis pro circumſtantiarum ratione medicamentis, interea ſuſtentabatur ulcus decocto abſinthij, Centaurij minoris,

Myrrhæ, Aloës, Olibani, Camphoræ &c. ſinubus injecto, eluendo, cavitateſque plumaceolis eodem imbutis, implendo, tota poſtmodum mole, linteis, decocto nigro, cui ſpiritus vini partem addideram, impræ gnatis involuta, internè humores acriores temperantia, reſolventia, Balſamica blanda &c. propinabantur. Moram non ferente malo ulteriorem, ad urbem ubi deventum, quidquid ſphacelati aderat labij, omne, quàm profundè licebat carnem aggredi ſanam, reſcindi jubeo, quaquaverſum candente ferro applicato, ut inſigniorem hæmorrhagiam compeſcerem, & ſi quà abſconditæ laterent cancroſi fermenti reliquiæ, radicitùs evellerentur. Eſcharæ unguentum digeſtivum Hildani ſubveniebat, Emplaſtro defenſivo rubro tectum, ambiente partes univerſas decocti nigri fotu. Cruſta poſt aliquot dies ſponte decidua, pus laudabile, cum colore carnis debito, comitem ducens, ſpes noſtras erexit, ſic, fore ut brevi ſanatio ſuccederet, niſi caro teſticulum dextrum involvens inferiore ſui parte excreſcentia fungoſa deturpata, omnia medicamenta, ipſum denique ferrum ignemque, ſuſque deque habuiſſet. His igitur, irrito conatu per aliquot hebdomadas adhibitis, totum illud teſticuli velamen reſecandum ſtatuo, ne ſerpente ulterius ad interiora malo, hoſpitij culpam infelix hoſpes lueret. Tum judice viſu, quantitas lymphæ ſubflavæ, uncias tres excedens cum impetu proſiliebat, inferior autem teſticuli pars arctè integumento, eo, quo caro luxuriabat, loco adhærens, cautè erat ſeparanda. Denudatus hâc ratione teſtis nihil monſtroſi alere videbatur, unde balſamico fomento ab injuriâ aëris ſtudioſè præmunitus, eam exſpectabat fortunam, aliis ſui generis obtigiſſe, Hildanus cent. 5. obſerv. 76. Thiermayer Conſ. I. p. 1. p. 106. Timæus à *Guldenſlec* L. VI. Caſ. 32. Borellus cent. 3. obſerv. 17. recenſuit. Contrariam autem rerum faciem poſtera exhibebat dies, quâ, non teſticulum tantum inſigniter tumentem, ſed cancroſo inſuper fungo, per noctem enato, deformem, conſpiciebamus, manifeſto indicio, malignum hoſtem, ad ſecretiora hæc penetralia, jam tum fuiſſe admiſſum. Conſilio proinde ex arenâ depromto, (cùm ab exſtirpatione teſticuli ferro perficiendâ, nimiâ ejus ad inguina facta retractione, excluderemur) ligamento ſericeo rotundo, vaſa præparantia pedetentim conſtringebamus, nodo in dies arctiore reddito, uſque dum nutrimentum omne interceptum teſticulum penitus deſtitueret, brevi ſequente illius aridura; & caſu. Interim ab externo balſamico partium fotu nunquam receſſimus, tenſum autem, ab exquiſito, quem ligatura inferebat ſenſu, abdomen, oleo chamomillæ, caſtorei, verbaſci, Hyperici, Roſarum &c. aſſiduè unximus, emplaſtrum defenſivum viride, illique ſacculos, herbis anodynis atque reſolventibus, refertos, calidè ſuperimponentes. Difficiliùs tamen interna medicamenta ægro admittente, evitari non poterat quin ex diuturno decubitu, largioreque ſanguinis profuſione, cachecticam diatheſin, tumore pedum œdematoſo notabilem, corpus acquireret, quam medicamenta Salino Balſamica, imprimis eſſentia mumiæ Clauderiana, de Methodo Balſamandi corpora. p. 196. deſcripta, interpoſitis amaricantibus atque martialibus, raro evacuantibus, tandem levabant. Sic magis magiſque priſtino redditus ſtatui æger, vires colligebat, ablati teſticuli veſtigium, firmâ carne obliterabatur, continuatus decocti nigri uſus, reliquum ſcroti tumorem diſcutiebat, ut pro deplorato ab omnibus habitum Paſtorem, feſto Paſchatos, ad obeunda ſacra munia, Eccleſiæ ſuæ, omnium cum admiratione, ſalvum & incolumem reddere per Dei gratiam licuerit.

Ibid. Obſerv. num. 57.

De Horrendâ Epulide.

HOrrendam jure dixero Epulidem quâ fœmina, triginta circiter annos nata, miſera, ex Poloniâ 1693. ad nos deferebatur. Maxilla ſiniſtra ſuperior, dentis ineptâ evulſione fiſſa, primam malo originem dediſſe videbatur, inde tumor parvus, ex evulſi dentis alveolo enatus, intra biennium in tantam excreverat molem, ut duplicis pugni magnitudine, totum ferme os occuparet, genâ illius lateris, ad proximè imminentem crepaturam extensâ magnaque tumoris parte extra os productâ, ut à multo tempore labiorum clauſura, & dentium commiſſio interciperetur. Notabile verò à paucis hebdomadis ipſi acceſſerat augmentum, adeo ut, vel ſuffocatum, vel fame & ſiti brevi periturum eſſet hoc miſeriæ humanæ exemplar, niſi ſubitaneô auxiliô ſublevaretur. Hoc ut Chriſtiana charitate moti pro viribus præſtaremus, accuratius oris rimabamur deformem hanc maſſam duriſſimam, & maximæ palati parti pariter, atque maxillæ ſuperiùs dictæ connatam, ità ut univerſi ſiniſtri lateris dentes arctiſſimè includerentur, oſtendentia. Sic omni ſpatio, quod cultrum admitteret, excluſi, transversâ inciſione malam dividebamus, ab angulo oris incipiendo, mox falcato cultro denudatum aggredientes tumorem, qui cornea cartilagine, (ex quâ maximam partem conſtabat) pertinaciſſimè renitens, omnes ferè Chirurgi atque ferri vires exhauriebat. Tandem cedere coactus tres, quatuorvè dentes, firmiſſimè ſibi implicatos, cum carioſi oſſis maxillaris parte inſigni, comites extrahebat. Hâc verò operâ, illa tantùm Epulidi dimidietas, quæ extrorſum ſpectabat, ſeparabatur, plus negotij adhuc faceſſente alterâ, quam cavitas oris circumſcribebat. Hæc ineptiore poſita loco, quàm ut uno tractu reſcindi poſſet, per partes extrahebatur, operatione adeò laborioſâ & crudeli, ut parem omni vitâ non viderim. Quà, vel hæmorrhagia urgebat, vel fungoſa caro videbatur, candente ferro probé adurebatur, eô ſucceſſû, ut brevi omnia lætiores acquirerent vultus, ſolo loco, qui natales malo dederat, carne fungoſâ luxuriante. Ferrum igniſque hanc aliquoties in vanum ſuſtulerant, cùm tandem attentiſſima inveſtigatione deprehenſæ relictæ carioſi oſſis feſtucæ ac ſquamæ eximerentur, preſſo pede, felici ſanatione, illas inſequente.

ACOROMBONUS, (*vide*) ACCOROMBONUS.

ACRON, nobilis Agrigentinus Xenonis filius, Orator, Philoſophus & Medicus præſtantiſſimus. Athenis unà cum Empedocle concive, Philoſopho celeberrimo, publicè, non ſine laude, Rhetoricam docuit: ita Suidas *Lex. tom. I.* & Laſcaris apud Maurolycum *in Compend. hiſt. Sicil. lib.* 1. additque Carolus Stephanus in dict. & alij, quòd ibi cum eodem Empedocle philoſophatus eſt, & à Gerardo Jo. Voſſio *de Philoſophiâ cap.* 11. §. 16. inter illuſtres Philoſophos recenſetur, Petrus Caſtellanus *in Vitis illuſt. Medic.* Voſſius, aliique teſtantur, quòd graſſante apud Athenienſes peſtilentiâ, accenſis propè urbem ignibus, ſalutarem attulit opem ægrotantibus: ſuffitu enim aërem purgavit, quod ab Ægyptiis acceperat. In tres dividunt claſſes nonnulli totam Medicinæ facultatem, nempè in Empyricam, quæ experimentis tantummodò inhæret: Jatroleptieam, quæ unguenta adhibet, & fricationes; & Pharmaceu-

maceuticam medicamina apponentem. Harum prima ab Acrone originem traxit, Plinio teſte *hiſt. nat. lib.* 29. *cap.* 1. & Galenus, aut quiſquis eſt auctor libri Galeno adſcripti, *de ſubfiguratione empyrica cap.* 1. ubi addit, quòd Empyricæ ſectæ cultores Acronei vocabantur ab Acrone primo Empyricæ diſciplinæ ſcriptore. Sed idem Galenus, vel quiſquis auctor eſt libri, quem Galeno attribuunt, cui titulus: *introductio ſive Medicus cap.* 4. ait, quòd Empyricæ præfuit Philinus Cous, qui primus eam, à rationali medicina ſeparavit, occaſione ab Herophilo ſuo præceptore accepta. Cùm autem hæreſim ſuam principem eſſe vellet, & prædicaret empyricam rationabili vetuſtiorem, Acronem Agrigentinum eidem primordia dediſſe dixit. Quæ omnia retulit Tiraquellus *de nobilit. cap.* 31. *nu.* 58. nec reprobare audet ſententiam quòd Acron empyricæ fuerit parens: idipſum habet Fuchſius *de Empyrica* apud Cozzandum. Fazellus *de reb. Siculis dec.* 1. *lib.* 6. *c.* 1. Goltzius *in Sicil. hiſt. poſt.* & Alexander Sardus *de rer. invent. lib.* 1. hujus inventionis gloriam Creoni Philoſopho Agrigentino concedunt: ſed à vero deflectunt, dum Acronem à Creone diverſum ſcribunt; cùm Acron idem ſit ac Creon. Hinc licèt in aliquibus Plinii codicibus Creonis nomine notetur empyricæ inventor, ut videre eſt in Veneta editione an. 1519. attamen in caſtigatis & recentioribus editionibus, ut in illa Coloniæ Allobrogum ann. 1615. cum annotationibus Sigiſmundi Gelenii, Acronis nomen habetur, cujus lectionem ſequutus eſt Ludovicus Domenichi, qui italicè vertit, *Acrone.* Hinc rectè Tiraquellus *cit. cap.* 31. ſcripſit eundem fuiſſe Acronem & Creonem, ubi aſſerit: *Creon Agrigentinus, ſunt enim qui ita vocant Acronem, de quo num.* 58. *in ſucceſſione Medicorum.* Vide de hac re quæ ſcripſit Vincentius Auria *in Sicilia inventrice cap.* 6. *ſ. i.* & obſervationes meas ad ipſum, quibus addo Cozzandum cit. & *Fuchſium de Empyrica,* qui Acronem vocant, & Plinii textum, in quo *Creon* legitur, exhibent. Hinc non modò Fazellus, & Goltzius; verùm etiam Ab. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Agrig.* & Hieronymus Raguſa *in Elogiis Sicul.* & *in Sicilia Biblioth. vet. f.* 9. & 70. non fuerunt errore immunes, dum duos fuiſſe Creontem & Acronem voluere, ac ut de duobus diſtinctè loquuti ſunt; in alium haud abſimilem errorem cecidit Carolus Stephanus *in dict.* qui de Acrone ſcribit; inde de Agrone, ut de diverſo, cùm idem ſit. Acronis diſcipulus fuit Crito Medicus inſignis, teſte Voſſio *de Philoſophia cap.* 11. §. 25. floruit ante Hippocratem ex Suida, Volaterrano, Geſnero in Bibl. f. 4. & aliis: & propè olymp. 84. ante Chriſtum natum an. 440. nam cùm vixerit tempore Empedoclis, hic olymp. 84. inclaruit teſte Laertio cit. ſub Artaxerxe Longimanô vixiſſe, circa an. 310. Romæ Coronelli *cit.* & Konigius *in Biblioth.* Præter auctores ſupra allatos Acronis meminere Matthæus Silvagius *de Trib. peregrinis c.* 46. Leander Albertus *in inſulis.* Chriſtophorus Scanellus *in Chron. Sicul.* aliique ex Fazello cit. *Pleraque doricâ linguâ in Medicina & Philoſophia ſcripſit volumina,* idipſum habet Pirrus cit. ait & Laſcaris: *multa doricè ſcripſit de Medicina.* Carolus Stephanus, Volaterranus, & Hofmannus ſcripſiſſe volunt: *de Medicina librum unum.* Suidas *verò* & Geſnerus *cit.* edidiſſe teſtatur.

De Arte medica libros doricâ linguâ.
De ſalubri victûs ratione librum unum.

Adduntque *hic etiam eſt unus de illis, qui quædam de ventis notarunt.*

Anton. Mongitor in Biblioth. Siculâ.

Mangeti Bibl. Script. Medic. Tom. I.

ACTA (*Medicorum*) BEROLINENSIUM.

De illis excerpta hæc ex actis Lipſienſibus tradimus.

Acta Medicorum Berolinenſium in incrementum Artis & ſcientiarum collecta & digeſta. Volumen I. & II. Berolini, apud Godofredum Gedickium 1717. & 1718. 8.

Indefeſſus quidem eruditorum labor deprædicandus eſt, qui Reipublicæ literariæ ſtatum ſingulis vel annis vel menſibus publicè commendant, parvum verò eſſe numerum eorum, qui rem Medicam eodem modo evehere allaborant, dolendum eſt. Qui enim huic ſtudio inſudarunt hactenus, vel aliis Miſcellaneis ſuas adjecerunt obſervationes, vel de fervore mox remiſerunt, aut penitus in opere ceſſarunt, vel idiomate peregrino, paucis cognito, rem expreſſerunt, maximè verò hiſtorias morbi tanquam in ſcholis tritas, planè neglexerunt, relationes, quas cadaverum ſectiones ſubminiſtrant, rariùs conſignarunt, ſimpliciumque vires, quid in curandis certis morborum ſpeciebus valeant, expiſcari omiſerunt. Hæc perpendens Clariſſimus Joannes Daniel Gohlius, Med. D. & Practicus Berolinenſis, ad veritatem & incrementum Medicæ ſcientiæ ac artis promovendum, acta hæc inchoare quæ nullas alias niſi Philoſophico-Phyſicas, atque Medicas res pertractarent, ſategit, omneſque Medicos, ut ſocias ſibi jungerent manus, & obſervationes ſuas, vel experimenta Phyſica, vel Phyſico-Chymica, Practico-Clinica, Anatomico-Practica, Botanico-Therapeutica, Chirurgo-Practica pro continuandis hiſce Actis communicare non dedignarentur, in præfatione volumini I. præmiſſa invitavit. Quod inſtitutum quemadmodum laudibus celebrari ſatis non poteſt, ità majus emolumentum in Artem ſalutarem redundaturum inde confidimus, ſi majori in poſterum curâ mendæ & ſphalmata typographica, mentem & ſenſum Autoris ſubindè invertentia, evitentur. Binorum igitur voluminum potiora argumenta ſuppeditabimus.

In volumine I. 1.) ſtatus epidemicus anni 1716. ſpeciatim Hiſtoria febrium petechialium, tum temporis graſſantium, delineatur; 2.) in cauſam morbi & mortis Reverendi G. F. Schnaderbachii, Regii Conſiſtorii Conſiliarii, Paſtoris & Præpoſiti Eccleſiæ Colonienſis ad D. Petri, inquiritur; 3.) ſectio militis ſubitanea morte perempti deſcribitur, qui à longo anteà tempore de dolore preſſorio in radice frontis & de perpetua narium ac faucium ſiccitate conqueſtus, poſt obitum, in capite magnam portionem inſtar induratæ, ſcirrhoſæ, & conglomeratæ glandulæ proceſſui falciformi, ubi intra radicem frontis oſſe ethmoideo firmiùs connectitur, accretam exhibuit, quæ excreſcentia polypoſa fronti uſque adeò cohærebat, ut digito violenter ſeparari opus habuerit, 4.) efficacia herbæ Arnicæ ſanguinis extra vaſa ſuâ factas diffuſiones, & ſtagnationes reſolvendi & diſcutiendi directè magis per excretionem vel diureticam vel diaphoreticam, indirectè verò quando ſanguis à caſu ab alto in ventriculum deſcendit, per emeticam admodùm commendatur, 5.) ſal mirabile vel, ſi mavis, epſonienſe per gelu ex urina & vitriolo productum deſcribitur, 6.) modus inculcatur ſulphur minerale ignem ex aere concipiens extra mineras producendi. Quod ſi ſcilicet alumen crudum vel uſtum cum re quadam combuſtili (camphorâ exceptâ) miſcueris, & in capellâ vacuâ vel aperto igne ad plenam uſque incandeſcentiam tractaveris, orificium autem vaſis ſub refrigeratione ejus occluſeris, nè aer interea accedat, habebis ſulphuream maſſam, quam aer accendit, eidem expoſitam, & hanc ob cauſam pyrophorum dictam; 7.) Denique nonnulla de libris re-

cens editis, prætervifis & furreptis adduntur; inter quæ commemoratur compendium novæ & ſuccinctæ Praxeos clinicæ G. M. Bazero, M. P. T. (Blazeri ei nomen eſt,) 1715. editum, laborem eſſe ſupra laudato Gohlio ſurreptum, huncque ea propter opuſculum illud ſibi non ſolum vindicare, ſed & magis reviſum & correctum, imò novis experimentis auctum, proximè editurum.

In volumine II. 1.) Hiſtoria morborum Berolinenſium per annum 1717. panditur; 2.) ſectiones corporum morbis, ſcilicet purpurâ miliari, febre catarrhali cum gravi aſthmate ac tuſſi humoroſâ, atrophiâ hypochondriacâ, hectica, phthiſi, hæmoptyſi, hydrocephalo, ſcirrho pancreatis defunctorum delincantur; 3.) Depoſitiones Medico Legales à Medico Præſidiario Regio, & 4.) à Phyſico ordinario exhibitæ recenſentur, ſcilicet de vulnere capitis per accidens lethali, de vulnere manus periculoſo; de vulnere viſcerum thoracis abſolutè lethali; de ambuſtione, de infanticidio dubio, de abortus vitalitate, de abortu per epilepſiam concitato, de infanticidii exculpatione, de infanticidio aperto; de vulnere Thoracis per accidens lethali, de abortu ex veneno, de vulnere capitis abſolutè lethali, de vanâ dati veneni præſumptione, de infanticidii ſigno probabili, de morte fœtum mortuum ex gravi lapſu enixæ, & de infanticidii ſignis ambiguis. 5.) Teuerium verum ſeu Chamædrys fœmina deſcribitur, ejuſque uſus ſub infuſi formâ commendatur. 6.) Denique binæ hiſtoriæ ſectionum calculi veſicæ ab Eiſenbarthio & Joachimo Ludovico Bude peractarum commemorantur.

ACTA (*Medicorum*) BEROLINENSIUM.

In incrementum artis & ſcientiarum collecta & digeſta volumen III. Berolini, apud Godofredum Gedickium 1718. 8.

In volumine hoc III. Medici Berolinenſes N. I. & II. Hiſtoriam morbi & ſectionem anatomicam B. Lichtſcheidii, Mathematici & Theologi celeberrimi, Collegæ quondam noſtri exhibent, quem laborem ſuſcipere eo magis neceſſarium judicarunt, quo minùs Medici, quamdiu aura vitali frui licuit ægro, morbum cognoſcebant. Cùm enim plerique crediidiſſent, ſuccum fuiſſe nutritium, qui ex thorace per paracentheſin aperto exſtillaverat, quam etiam ſententiam tueri conatus eſt Johannes Erneſtus Leidenfroſt, in diſputatione inaugurali Halæ Magdeburgicæ anno 1704. ſub præſidio D. Friderici Hoffmanni, habita, ſectio nihilominus, poſt fata viri eruditiſſimi celebrata, ductum thoracicum integrum, ex empyemate verò poſt vomicam pulmonis ruptam eum defunctum eſſe, manifeſtavit. Huncque morbum dignum æſtimarunt Medici Berolinenſes, quem variis analogis caſibus N°. III. illuſtrarent N°. IV. de Arte parandi vaſa Porcellanica Extractum ex Literis Rev. Patris d'Entrecolles, Miſſionarii Chinenſis, & Diarii Trevoltienſis anni 1717. Januario Artic. 5. inſertis exhibent. N°. V. ancillæ mentionem faciunt, enſe lato vulneratæ, qui in regione epigaſtricâ tribus digitis latis ſiniſtrorſum magis ſupra umbilicum dorſaleſque thoracis vertebras inter primam & ſecundam ad ſpurias coſtas pertinentem penetraverat, uſu aquæ vulnerariæ, *l'eau d'arquebuſade* dictæ, curatæ. No. VI. caſum recenſent ruſtici, cujus inteſtinum colon barbitonſor, tumorem hypogaſtricum, quem pro inflammatorio & ſuppurato habuerat, incidens, graviter læſerat, ut fæces alvinæ copioſè exindè effluxerint, quod tamen vulnus feliciter curatum fuit. N°. VII. certam aquæ gryſeæ efficaciam in ſiſtendo fluxu ſynoviæ circa juncturarum læſiones deprædicant, cujus deſcriptio hæc eſt: Rec. Mercurij vivi, aquæ fortis ana unc.j. ſolve & repone aliquandiu in loco frigido, ut congeletur quaſi in cryſtallos, ſeorſim paretur ſequens decoctum. Rec. Herb. rut. hortens. ſolani hortens. ariſt. long. Rad. chelidon. maj. flor. roſ. ana Manip. j. inciſa coque cum ſuff. quant. aquæ ſimplicis, Colaturæ Menſ. ij. calentibus adde priorem ſolutionem, atque tum abibit decoctum anteà fuſcum in colorem gryſeum, deponens ſenſim ſedimentum, ſub uſu commovendum. No. VIII. febrifugum chirurgorum, quod ex arſenici partibus tribus & nitri parte una conflatur, certiſſimum ſed & nequiſſimum vocant. De cætero plagii crimine notant librum, qui anno 1697. Pariſiis ſub titulo: *De l'art de Verrerie, &c. par M. Haudicquer de Blancourt.* i. e. Tractatus de Arte vitraria Autore Blancurtio, prodiit, nil verò novi referentem quod in opere Runckelii non habeatur, nulla tamen facta vel hujus, vel Neri, vel Meretti mentione.

ACTA (*Medicorum*) BEROLINENSIUM.

In Incrementum artis & ſcientiarum collecta & digeſta Volumen V. & VI. Berolini, apud Godofredum Gedickium 1710. & 1720. 8.

In voluminis V. ſectione I. imputatum errorem circa denominationem rubricæ diſſertationis Leidenfroſtianæ, quæ agit de caſu Beati Lichtſcheidii, modeſte declinant Medici Berolinenſes. In ſectio- II. Hiſtoria ægrotorum, qui per æſtate m anni 1718. fontem ſalutarem Freyenwaldenſem frequentarunt, nectitur, & in III. caſus quidam memorabiles de calculis tam folliculi fellis, quam renum deſcribuntur. Lites, quæ in ſectione I. agitantur, noſtras non facimus, ex aquarum Freyenwaldenſium uſu ſalutarem effectum experti perhibentur illi, qui pſorâ pudendorum, contracturâ & aridurâ brachii, menſium defectu, partium & artuum imbecillitate poſt ſuperatum morbum acutum, aſthmate ex metaſtaſi febris acutæ, affectione hypochondriaco-ſpaſmodico-flatulentâ, rheumatiſmo & inde oriundo ſerpiginoſo affectu cutaneo ex febre acutâ, faucibus exulceratis venereis cum topho in pede, carie tibiæ ex menſium imminuto fluxu, glaucomate, aſthmate periodico hypochondriaco-ſpaſmodico, polypo narium cum ozæna & exoſtoſi maxillæ ſuperioris, aridurâ, cephalæâ, aſthmate humido hypochondriaco-flatulento, panno oculorum ex achoribus, morbillorum metaſtaſi ad artus & cutem, rheumatiſmis, decubitu ex menſium ſuppreſſione ad pedes, malo hypochondriaco, ſtupore utriuſque brachii ex purpura alba, ophthalmia cum pannis oculorum, nephritide calculoſa cum œdematibus pedum, raucedine cum retroceſſione ſudoris, arthritide vagâ, podagrâ, inflatione doloroſâ lienis ex aſthmate ſpaſmodico, atonia juncturæ pedis ex febre relictâ, tæniis & ſcabie laborarunt. Inter calculos, qui ultimo loco commemorantur, notandi ſunt lapilli numero 37. coloris albi, variegati, ſplendentis in folliculo fellis mulieris reperti, quæ per duos annos de periodico & frequenter recurrente dolore in hypochondrio dextro cum aliquali pedum intumeſcentia conqueſta fuerat. Commendant Medici inſimul Berolinenſes in hoc volumine echium minimum contuſum oculis inflammatis rubentibus inter duplicatum linteum applicandum, fimum tauri ſimul cum urina tumentibus in arthritide & dolentibus locis admovendum, frumenti prima ſtamina viridia ad menſium ſuppreſſionem, interiorem tunicam ventriculi ciconiæ nigræ ad febrem quartanam; atque thermarum Carolinarum aquas ad diſſita loca pro uſu interno ſalutariter tranſportari poſſe, exiſtimant.

In volumine VI: tribus pariter ſectionibus circumſcripto Hiſtoria morborum anno 1719. Berolini obſervatorum deſcribitur. Caſus nonnulli chirurgici, & ſectiones cadaverum recenſentur. Morbos quod attinet, poſt Solſtitium brumale ob repentinam aëris mutationem ortæ ſunt febres catarrhales, benigniores æquè ac maligniores, utræque ad diarrhœas proclives, miliares albæ, peripneumonicæ, rheumaticæ, continuæ, petechiales, affectus ſpaſmodico-convulſivi, pluresque analogi, vel ad catarrhos vel rheumatiſmos referendi. Circa æquinoctium vernale repurgationes humorum ſponte natura inſtituebat, quæ ubi patulas & humoribus lentis nondum obſeſſas offendebant vias, ſatis ſalutariter procedebant, inque febrium variè formatarum figuris conſiſtebant; ubi verò ex prædiſpoſitione vitæ minùs ordinatè tranſactæ offendebant impura & cachectica corpora, ſimul ſenio fracta, morbi eveniebant chronici, ac refractarii, conſpiciebantur etiam variolæ & febres verminoſæ, item lentæ, aſthmata chronica. Sub ſolſtitium æſtivum dyſenteria, cujus hiſtoria prolixiùs recenſetur, populariter graſſabatur, & febres quotidianæ in continuas plus minus petechizantes abeuntes obſervabantur. Poſt æquinoctium autumnale febres curſum ſuum continuabant ad ſolſtitium hybernum uſque, morem anomalum varia ſchemata, vel catarrhalium, vel tertianarum continuarum, vel duplicium, vel potiſſimum quartanarum induendi conſervantes. Circa finem anni variolæ infantes non admodum malignæ, rheumatiſmi, pulmonum affectus & uteri adultos adoriebantur. Caſus chirurgici, qui hic recenſentur, gangrænam fracturæ pedis ſupervenientem, aliamque ex ulcuſculo digiti minimi pedis ortam, amputationem pedis carioſi, empyema per paracentheſin curatum, extirpationem tumoris ſteatomatoſi in femore funeſtam, herniam malè pro abſceſſu habitam, abſceſſum umbilicalem, ex quo acicula prodiit, & tumorem chronicum in genu, cui caries oſſium superveniebat, reſpiciunt. Sectioni denique ſubjecta ſunt cadavera repentinâ morte ex ventriculi foramine defuncti, phrenetici, puellæ hydropicæ ex quartana per chinam ſuppreſſa, duorum peripneumonicorum, phthyſici, hydrope pectoris extincti, aſciticorum duorum, ubi in alterutrius abdomen lympha ex vomicâ pulmonis per foramen diaphragmatis præternaturaliter factum deſcenderat, & pleuripneumonici. Annotant inſimul Doctores Berolinenſes, febres rheumaticas venæ-ſectionem haud benè ferre; muſcum corallinum cum Mercurio dulci febres verminoſas profligare, herniam per dyſenteriam fuiſſe curatam, fœminamque, quæ ex febre tertianâ duplici anomalâ in febrem lentam & infarctum lienis inciderat, fruſtum Glanduloſum, quod æri inciſum viſitur, per alvum rejeciſſe.

ACTA (*Medicorum*) BEROLINENSIUM.

In Incrementum artis & ſcientiarum collecta & digeſta Volumen VII. & VIII. Berolini, apud Godofredum Gedickium 1720. & 1721. 8.

In voluminis VII. Sectione I. caſus memorabiles, qui per æſtatem anni 1719. ad fontem ſoterium Freyenwaldenſem obtigerunt, commemorantur. In II. III. & IV. ſectiones Anatomicæ corporum variis morbis in noſocomiis militaribus, & Fridericiano ut & extra illa defunctorum deſcribuntur. In V. ſectiones maniacorum. In VI. ſectio Anatomica publica ſuſpenſi communicatur. Et in VII. neceſſaria notanda circa editiones Beutheri chimici adduntur. Ex fontis Ereyenwaldenſis uſu ſalutarem dicto anno experti ſunt effectum, qui paralyſi, atoniâ univerſali ex ſuppreſsâ febre & mercurii uſu, tremoribus artuum ex argenti vivi tractatione, arthritide cum aridurâ vel nodoſa, vel tophoſa, iſchiadico malo, varicibus cum doloribus ſpaſmodicis pedis, rheumatiſmis ex menſium ceſſatione, podagrâ, calculo, articulorum morbis & contracturâ ex febrium metaſtaſibus, ophthalmiâ, glaucomate, ulceribus antiquis laborarunt. In noſocomiis militaribus hydropici, aſcitici, aſthmatico phthiſicorum quinque, morbo chronico diu laborantis, in quo propriæ membranæ lienis portio in parte gibbâ cartilaginoſa fuit, hernioſi poſt operationem feliciter peractam pulmonum inflammatione mortui, atrophico-hectici, ſubitanea morte extinctorum duorum cadavera fuerunt aperta. In noſocomio Fridericiano febre lenta demortuorum duorum, atrophicorum duorum, phthiſici, febre continuâ extincti, aſthmatici ſcrophuloſi; Extra noſocomium verò infantis febre continuâ cum infarctu pectoris defuncti, peripneumonici, hæmoptoici, & in partu difficili demortuæ corpora cultro Anatomico fuerunt ſubjecta. In maniacorum cadaveribus inter alia anæmia notabilis fuit obſervata; in uno enim ſubjecto vena cava admodum inflata adeoque ampla fuit, ut binos digitos commodè recipere potuerit, & ab auriculâ cordis uſque ad ſuam in iliis divaricationem aperta nil niſi flatum & parum ſanguinis continebat, in arteriis paulo plus ſanguinis notabatur. In altero vaſa ſanguinea majora, præſertim arteria magna, ita erant vacua, ac ſi aquâ fuiſſent eluta; vaſa tamen gaſtro-epiploica & meſaraica ſanguine turgebant. In cadavere hominis ſuſpenſi ſequentia fuerunt notata: duplicatura omenti infrà æquè ac ſuprà diviſa, ventriculus & colon in tam arctum ſpatium conſtricta, ut tenuis inteſtini faciem repræſentaverint, veſica fellea quaſi bifurcata, & in tantam molem extenſa, ut limbum hepatis tranſcenderit, cum omento firmiter connexa; arteria ſiniſtra emulgens duplicata; vena ſpermatica ſiniſtra in exortu bifida, cor tribus arteriis coronariis cinctum, muſculi palmaris & plantaris deficiebant, nerveæ autem expanſiones aderant. Quod denique editiones Beutheri chymici attinet, prodiit Hamburgi anno 1718. curâ Johannis Chriſtophori Sprœgelii, Med. Doct. & Acad. Natur. Cur. Collegæ, libellus ſub titulo: *Davidis Beutheri univerſalia & particularia de Tranſmutatione metallorum ignobilium in nobiliorem auri & argenti naturam.* Quoniam autem hæc editio, æquè ac quævis aliæ, nævis & defectibus laborat, monent Medici Berolinenſes, ut ſi quis M. ſta Beutheriana poſſideat, eademque cum jam editis conferre, & demùm, ut completius edantur, curare non gravetur, ſuum, quod poſſident, apoſpaſma Beutherianorum lubentes volenteſque ſe tradituros, polliciti. Notandum inſimul, quod in hoc volumine foliorum caryophillatæ ad ulcera antiqua virtus mundificans admodum commendetur; urticam minorem urentem in gravi infantis ophthalmia plus urendo vel rubefaciendo præſtitiſſe, quàm veſicatoriorum uſum, perhibetur, ad corruptionem exulcerati eryſipelatis unguenti aurei efficacia deprædicatur, modò fuerit ritè præparatum, ſumendo ſcilicet ceræ, potiùs viridis, lib. ſem. terebinthinæ, reſinæ pini genuinæ, non picis, ana unc. duas, maſtiches elect. thuris, ana drachm. duas, croci pulveris. drachm. ſem. olei hypericonis, q. ſ.

In Voluminis VIII. ſectione I. II. & III. abortus ſeptimeſtris monſtroſus ſine cerebro & cranio natus, ac per undecim horas vivens, deſcribitur & depingitur; in IV. & V. depoſitiones legales; in VI. ſectiones extrajudiciales communicantur; in VII. inquiſitio Anatomica in ſedem albæ, & quidem lacteæ, Cataractæ, quâ canis

canis per annum laboraverat, ſuppeditatur, in IIX. Obſervationes nonnullæ Anatomico Pathologicæ notabiles exhibentur, & in IX. Series longævorum, qui per annum 1719. in ditionibus Boruſſo-Brandenburgicis annum ætatis 90. & plures impleverunt, texitur. In abortu ſeptimeſtri cranium quoad oſſa frontis, bregmatis, & occipitis deerat, ſupra baſin cranii membrana rubicunda & ſanguine ſuffuſa erat expanſa, quâ decuſſatim diſſectâ nihil in anteriore baſeos cranii parte, ubi aliàs bina cerebri hemiſphæria cubare ſolent, comparebat, membrana venoſis tractibus turgida, ſanguine quaſi ſuffuſa, in occipitio verò medulla ſpinalis ſtatim in conſpectum veniebat, inter quam & os ſphænoides bifidum bina cerebroſa hemiſphæriola cum interjacente conariolo ſtrata fuerunt, quæ reclinata uni quartæ, ſegmenti cutanei in crucem facti, parti adhærebant, ex medulla ſpinali plerorumque nervorum vulgarium propagines utrinque emergebant, ſoli optici cum proceſſibus mammillaribus deſiderabantur. Cæterum duo nervi exiles utrinque ad latera oſſis ſphænoidis ab hac medulla ſuper anteriorem cranii baſin procedebant ad oculos, pluraque filamenta nervea in prædicta, ſanguine ſuffuſa, membrana obſervabantur, quæ ſuas circa criſtam galli habebant inſectiones, fœtus hic nihilominus per undecim horas omnia vitæ habuit indicia, oculos & artus movit, reſpiravit, quiritavit, mammas autem ob debilitatem non ſuxit, hinc ſacro Baptiſmatis fonte fuit initiatus, quâ occaſione aliorum fœtuum ſine cerebro & calvaria natorum tam vitalium, quàm non vitalium, ab aliis autoribus recenſitorum, conſpectum exhibent, certaſque ſubjungunt Poſitiones Medici Berolinenſes, quibus evictum dant, maximam, ad vitam, menyngum eſſe neceſſitatem, inſimulque quem uſum cerebrum ejuſque ventriculi ac calvaria præſtant, explicant. Depoſitiones Medico-Legales reſpiciunt vulnus per thoracem, diaphragma, & abdominis viſcera tranſiens, vulnus ſclopetarium per mediam pulmonum ſubſtantiam, vulnera hepatis, & folliculi fellis, per ſe & abſolutè lethalia, infanticidium ob funiculum umbilicalem non deligatum, fœminam variis ictibus circa caput per ſe & abſolutè lethalibus trucidatam, & virum phthiſi, non verberibus mortuum. In cadaveribus binis theatro Anatomico illatis ſequentia fuerunt obſervata. In uno quidem ſiniſter teſticulus intra proceſſum peritonæi latens; arteriæ ſpermaticæ è regione emulgentium vaſorum ortæ, renum ſuperficies inæqualis, inque multos lobulos, inſtar recens natorum, diſcerpta. In altero verò ſubjecto, muſculus pyramidalis ſiniſter deficiens, dexter ureter duplex, cujus alter meatus cæcus, nec ex ipſo rene procedebat, utriſque circa introitum in veſicam in unum canalem coaleſcentibus, ſinus ureterum extra renes protuberantes. Secta pariter fuit infanticida, eo tempore, quo menſium fluxum patiebatur, decollata, cujus uteri parietes interiores ſanguine conſpurcati, grumoſoque cruore erant obducti. Sectus fuit repentina morte defunctus, cui, ob congeſtionem ſanguinis ſtagnatoriam circa pectus ac inſolitam pinguedinis intra præcordia collectionem, reſpiratio fuit turbata, cui acceſſerat hydrops pericardii. Tacemus ſectiones aſthmatico-peripneumonici, atrophico-hectici, pueri ab infantiâ valetudinarii. In ſedem ſuffuſionis, qua canis laboraverat, inquirentes Medici Berolinenſes, nec humorem aqueum vitiatum, nec pelliculam quandam, ſub cryſtallini verò tunica propria humorem lacti ſimilem offenderunt, quo effuſo lens cryſtallina opaca & ſublutei coloris in conſpectum venit, obſervationes rariores, quæ adduntur, concernunt mortem inopinatam ex uteri prægrandi mole, aliam ex ruptura vaſis ſanguinei intra pericardium, malum hyſterico-hypochondriacum ſolis clyſteribus curatum, & abſceſſum cum inteſtino communicantem.

ACTA (*Medicorum*) BEROLINENSIUM.

In incrementum artis & ſcientiarum collecta & digeſta volumen IV. Berolini, apud Godofredum Gedickium 1719. 8.

In hoc IV. volumine I. Hiſtoria morborum Berolinenſium per annum 1718. panditur, qui fuerunt poſt ſolſtitium hyemale catarrhi, febres catarrhales, rheumaticæ, & inflammatoriæ, peripneumonicæ, variolæ, petechiæ, febres miliares & maculæ volaticæ. Poſt æquinoctium vernum morbilli graſſari cæperunt, quos diarrhœæ & dyſenteriæ exceperunt, nec febres quartanæ, tertianæ, quotidianæ & tertianæ duplices, quibus catarrhales ſe intermiſcuerunt, defecerunt. Superato ſolſtitio brumali peripneumoniæ, febres catarrhales, rheumatiſmi, pleuritides ſpuriæ, variique affectus arthritici, imò & petechiæ fuerunt obſervatæ. Inter alios ægros ileo defuncti pag. 55. mentio fit, cujus cauſa fuit portio inteſtini ilei duplicata in loco proceſſus vaginalis impacta, quam ità incluſam tanto firmiùs tenebat carnoſa & cuneiformis ad latus excreta portio, cujus mucro ſimul ibi inſerta erat, prout ſectio manifeſtavit. II. Inter caſus practicos rariores commemorare convenit excretionem ſinceri ſanguinis in juvene plethorico nocturno tempore ſub erectione penis cum aliquo ſtrepitu factam, qualis hæmorrhagia per vices poſteà cum erectione, ſed ſine ſtrepitu recurrebat, menſes in ſtatu ſupra ſcrobiculum cordis in interſtitio mammarum ex integris cutis poris guttatim deſtillantes, & crines in plica per alvum rejectos. IV. Depoſitiones Medico-Legales à Medico Præſidiario exhibitæ agunt de vulnere oculi abſolutè lethali, de vulnere capitis per ſe lethali, de fœminâ in campo reperta ex plagis non mortuâ, de vulneris thoracis in milite ab exploſa bombarda, ſemet ipſum globulo plumbeo trajiciente, inſpectione. Quas verò Phyſicus exhibuit, concernunt abortus vitalitatem negatam, vulnus ſclopeto inflictum abſolutè lethale, falſam veneni præſumptionem, infanticidium ex non deligato funiculo umbilicali, ſubitaneam mortem ex caſu ab alto, vulnus abdominis non lethale, fœminam ex colica hyſterico-flatulenta mortuam repertam, vulnus juguli non lethale, & fœminam melancholia laborantem. Præter has Depoſitiones Caſus Medico-Legales tranſmiſſi leguntur de infanticidio per ſtrangulationem, de alio ob abdominis ſtrictiores ligaturas in matre. VI. Inter Operationes Chirurgicas, quæ feliciter ceſſerunt, notari merentur ſectiones meliceridis ſub aure excretæ, nodi palmæ manus, calculi veſicæ unciam unam cum drachmis tribus pendentis, extractio fœtus mortui, ſectio hydroepiplocelis, & hydrocelis, amputatio pedis ob gangrænam inevitabilem, vulnus ſiniſtri hypochondrii feliciter ſanatum, & ſcarificatio oculorum inflammatorum per inſtrumentum ex vili aliquo vegetabili præparatum, mediantibus cujus tenerrimis denticulis minuta vaſa ſtringendo dilacerabantur.

Hæc omnia de Actis Medicorum Berolinenſium excerpta ex actis Eruditorum Lipſienſibus, adducimus: è quibus etiam jam alia ſubſequuntur.

ACT.

ACT. (*Lipſienſ.*) ann. 1722. p. 443.

Acta Medicorum Berolinenſium in incrementum Artis & ſcientiarum digeſta & collecta in volumen IX. & X.

Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1721. & 1722. 8.

In voluminis IX. Sect. I. Hiſtoria morborum Berolinenſium anni 1720. recenſetur, & annotatur, poſt ſolſtitium hybernum non admodum graſſatos fuiſſe morbos, febres malignas rarius, Catarrhales verò & rheumaticos affectus frequentius eveniſſe, ſparſim comparuiſſe variolas, ſed benignas, itnerque has ſpurias icteros & pathemata hæmorrhagica, approximante magis Æquinoctio verno rheumaticos & catarrhales affectus cum tempeſtatis ſtatu ſymbolizantes ſtationes ſuas ſervaſſe, & ſimul febrium ſcenam fuiſſe apertam. Poſt ſolſtitium æſtivum febres denuo anomalas atypicas ſurrexiſſe, magis tamen continuas quam intermittentes, vagis interim caloris & frigoris viciſſitudinibus per ſingulos dies cum multis angoribus ægros exercentes quæ niſi tempeſtivè ſudoribus ſolvebantur, ad chronicum valde habitum inclinabant, lethaliter verò facilè terminabantur. Æquinoctium hybernum febres magis tertianas continuas apportaſſe, variis ſymptomatibus pro ſubjectorum diſpoſitione ſtipatas, ut & quartanas intermittentes, quarum recentes curationi congruæ, chronicæ verò admodum rebelles fuere, frequenterque recidivantes. Cum ſolſtitio hyberno repentinas mortes, apoplexias, febres catarrhales varii moris, tuſſes, anginas, lippitudines & rheumatiſmos fuiſſe annotatos. In qua morborum Hiſtoria ſimul mentio fit convulſionis ex delirio periodico per remedium ex hyperico curatæ, & peripneumoniarum, quibus ſeptimo, quo morbi ſolutio per ſudores, qui non defuerant, expectari ſolet, diarrhœa, quæ in acutis pectoralibus funeſta alias eſſe ſolet, ſalutaris ſupervenit. In ſectione II. quædam ſuper indicem Mortuorum Berolinenſium anni 1720. Reflexiones Medico-Practicæ adduntur. Ex quo enim ultima vice peſtis Berolini graſſata fuit, ſingulæ parochiæ ſuos notare mortuos, quo morbo exſtincti ſint, ſignificare, indicemque illis exhibere, qui rem publicam gerunt, tenentur, quem morem dudum Londini receptum fuiſſe conſtat. Laudant hoc inſtitutum collectores horum Actorum, utpotè quod non ſolum ad tempeſtivam morborum regnantium, imprimis contagioſorum & malignorum, perceptionem, ſed & ad exquiſitiorem inquilinorum & ex aeris, aquæ, locorumque ſtatu pendentium indaginem ducat, imò Medicis, qui penitiùs in rerum cauſas & nexum introſpicere avent, non parum lucis fœneretur tragicus tot variantium morborum exitus. Dolent tamen, ejuſmodi indices juſtam non obtinere ἀκρίβειαν, ſiquidem ex ipſis defunctorum ædibus mortis ratio ad æditum deferatur, & qui deferunt ipſi ſæpè neſciant, quale nomen morbo ſit tribuendum, nec qui relata conſignant, noſcant, quid falſi ſubſit. Obſervarunt interim, plures ſemper mortuos eſſe circa cardinalia anni tempora, & mirantur cur arthritide vaga & podagra novemdecim homines obierint, id quod contra illud pugnat dicterium, podagricos fieri annoſos, putantque culpam tribuendam eſſe vulgari methodo medendi quâ ad venæ-ſectionem in ipſis paroxyſmis, partim ex inſcitia, partim ex præjudicio, ruitur, quibus dein, ſi dolorum exacerbatio preſſo pede ſequatur, indiſpenſabilis anodynorum jungitur uſus, cùm tamen hic curandi proceſſus è diametro contrarietur morbi genio, omnemque debitum materiæ excernendæ progreſſum ſufflaminet, huncque potius intra viſcera incarceret, præſertim cùm motus, neceſſaria ſecretionis inſtrumenta, ſimul præpoſtere conſopiantur. In III. Sectiones corporum deſcribuntur atrophia, hectica, lethargo, gelu, calculo mortuorum, & ſimul de membranis in oſſeam ſubſtantiam mutatis diſſeritur, virque ſenex commemoratur, cujus ſiniſtrum pectoris latus tredecim gaudebat coſtis. In IV. caſus quidam Medico-Legales infanticidium concernentes communicantur, ex quibus natantes in aqua pulmones infallibile ſignum, fœtum in partu vixiſſe, exiſtere evincitur. In V. Hiſtoria recenſetur Chirurgi, 38. annorum, qui poſt varios febrium tam continuarum quàm intermittentium inſultus inſignem viſcerum labem ſibi contraxerat, ut pro phthiſico habitus tandem in aſcitidem inciderit, undè paracentheſin admiſit, & quia aquæ iterum collectæ fuerant, poſt 14. dies reiteravit, ſub quibus operationibus omnes aquæ ſimul ac ſemel fuerunt evacuatæ, & ne tonus partium læderetur, abdomen ejus linteis quadruplicatis, ſpiritu vini madidis, fovebatur ac faſciis conſtringebatur. Quanquam autem abdominis tumor intra paucos dies fuerit auctus, poſt mixturæ catarctico-diureticæ tamen uſum magna aquarum vis per ſeceſſum fuit evacuata, ita ut æger hic etiamnum orthoſtadius vivat. In VI. monſtrum acephalum & hermaphroditicum deſcribitur & delineatur. In VII. Excreſcentiæ verrucoſo-criſtoſæ, copioſæ in inteſtinis craſſis dyſenteriam paſſi commemorantur & depinguntur. In VIII. Duplica ad Reſponſionem Sectioni XI. & ultimæ Bibliothecæ Noviſſimæ Hallenſium inſertam de morbo Lichtſcheidiano legitur. In X. circa obſervationes chirurgico-Practicas D. Georgii Clacii, an. 1718. Hanoveræ editas, monetur, eſſe has ipſas Collegium chirurgico-caſuale à clariſſimo Stahlio, olim habitum, ſed mancum mutilumque.

Voluminis X. pleræque ſectiones hydropem variaſque ejus ſpecies concernunt, ſiquidem in I. de hydrope pectoris, ejuſque frequenti cauſa polypis cordis agitur, & quòd ſerum intra cavitatem thoracis extravaſatum penetret per parenchyma pulmonum propter attractionem cordis evincitur. In II. orthopnœa, ex hydrope pectoris, ut judicatur, inducta deſcribitur, ubi ſimul monetur, poſt uſum arnicæ veræ in hoc aliiſque caſibus ad congrumatum ſanguinem reſolvendum exhibitum, ubi repagula motus humorum progreſſivi amoveri nequeunt, inſecutum fuiſſe ſputum cruentum, per ſolutionem lapidum cancrorum mox iterum ſiſtendum. In III. cautelæ practicæ nonnullæ circa hydropem pectoris adduntur, ubi paracentheſis tempeſtivè inſtituta, purgantia, reſolventia, & aperitiva, quibus radix oſtrutii & arnica vera annumeratur, item ſpecifica ex ſquilla, vel mixtura ex oxymelite ſquillitico, manna & oleo amygdalarum dulcium commendantur, diuretica verò potentiora, diaphoretica & pectoralia damnantur. In IV. de efficaci ſucci iridis noſtratis uſu in hydrope, annexis Medicorum reſponſis diſſeritur, ac de cauſa contrariarum tam Medicorum quam Facultatum Medicarum ſententiarum judicium fertur. In V. Sectio Anatomica hydrope pericardii cum venæ pulmonalis ruptura defuncti deſcribitur, qua occaſione iterum iterumque arnicæ veræ uſus ad ſtaſes internas ſanguinis reſolvendas, hæmorrhagias uterinas, menſium obſtructionem poſt febres ſuppreſſas, anchyloſin genuum ex menſium ataxia contractam, infarctus lienis, oppreſſiones præcordiales ex vaginæ uterinæ prolapſu, imo prolapſum ipſum, inveteratas motuum humorum tranſlatoriorum conſuetudines & partium atonias laudatur, & in quo illa ab arnica ſpuria differat,

differat, inculcatur. In VI. Epiſtola communicatur à D. Cornelio *Bontekoë* ad *Conerdingium* data, in qua non utilem tantum, ſed & omni metu ac periculo exemtum cenſet potum Theæ, in iis qui eo utuntur in dies ſatis copiosè. In VII. denique femoris luxatio extrorſum ac ſurſum facta ſine colli fractura, & feliciter repoſita deſcribitur, ac perrara vocatur, non ſolùm, quia vulgò ejuſmodi luxatio rariſſimè ſuccedere perhibetur, ſed etiam quia talis pro colli fractura potius venditatur. Abſoluta ſic Decade prima Actorum horum indicem ejuſdem ſubnectere viſum fuit Medicis Berolinenſibus clariſſimis, quibus ut ad continuandam hanc operam laudatiſſimam vitam ſanitatemque concedere velit Deus, omnes ſcientiarum incrementum optantes nobiſcum precantur.

Ibidem anno 1724. *pag.* 68.

Decadis II. Actorum Medicorum Berolinenſium in Incrementum Artis & ſcientiarum collectorum volumen I. & II. Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1723. 8.

Abſoluta Decade I. Actorum Medicorum Berolinenſium ad II. divulgandam nunc fit progreſſus, & quemadmodùm ſingulis prioribus voluminibus effigies ſemper Medici cujuſdam veterani, ſectam quandam condentis, fuit appoſita, Hippocratis puta, Apollonii, Ruffi, Celſi, Galeni, Avicennæ, Paracelſi, Helmontii, Patini, & Bontekoe, ità ſequentibus pariter Medici cujuſdam, in Marchia licèt non nati, ibidem tamen quondam celebris, icon præfigetur, cum annexâ ejuſdem vitâ. In binis igitur hiſce voluminibus, quæ nunc commendamus, icones Leonhardi Thurneiſſeri Zum Thurn, Helvetii, Archiatri Brandenburgici & Franciſci Hildesheimii, Franciſci Neumanni, ordinis Equitum S. Johannis olim Magiſtri, ex filia Nepotis, Archiatri Brandenburgici, conſpiciuntur. Prætereà volumen I. ſectiones continet V. Quarum I. *Hiſtoriam morborum Berolinenſium per annum* 1721. ſiſtit, & ſequentes obſervationes annotat: Febris tertianæ typum referentis repentè in apoplexiam terminantis, hemiplegiæ ex hæmorrhoidum translatione, apoplexia ex podagra tranſlata, febris petechialis circa diem criticum judicatæ, arthriticorum moliminum ex narium hæmorrhagiis non procedentibus, febrium corruptarum, colicæ hiſterico arthritico apoplecticæ, & choleræ in gravida in icterum terminantis, ſimulque arnicæ veræ efficaciam hyſtero-catarcticam, abortum præcaventis, deprædicat. In II. *Caſus nonnulli Clinico-Practici notabiliores* referuntur, ut incontinentiæ urinæ & impotentiæ virilis ex remedio antinephritico contractæ, mictus cruenti ex hæmorrhoidū tranſlatione; hæmorrhoidum externarum cum rheumatiſmô & catarrhis metaſchematiſmi; anginæ nothæ in arthritidem vagam ſcorbuticam tranſeuntis, & hæmorrhoidum cœcarum cum morbo articulari ſymbolizantium. In III. *Reflexiones fiunt Medico-Practicæ ſuper indicem mortuorum Berolinenſium anni* 1721. inſimulque monetur, ſcorbutum Berolini non eſſe morbum endemicum, phthiſin verò & epilepſiam ſibi jura civitatis vindicare, ità tamen, ut illa adultam maximè, hæc infantilem potiſſimum adoriatur ætatem. In IV. *Caſus quidam Chirurgici* commemorantur palliativæ ſcilicèt fiſtulæ in perinæo curæ, vulneris cum deperditione proceſſus oſſis humeri interni & eluxati radii per trepanum ablatione, fiſtulæ ani cum hæmorrhagia feliciter curatæ, ſphacelati pedis in ſene curati per corroſivum Gundelsheimeri, quod Rec. Antim. crud. calc. viv. & ſal. alcalic. ana libram j. hinc maſſa coquitur cum larga quantitate aquæ ſ. colatura inſpiſſatur ad ſiccitatem, demùm funditur in crucibulo, & reponitur ad deliquium, deniquè vulneris cum fractura oſſis frontis, duræ menyngis ruptura, & cerebri ſubſtantiæ læſione lethalis. In *V. bini caſus Anatomico-Pathologici*, exhibentur, quorum alter tumorem Lumbarem cum ſpina bifida, pudendum muliebre referentem, alter inſolentem calculi veſicæ figuram deſcribit & in figuris repræſentat.

In volumine II. in ſex claſſes diſtributô I. inquiritur, *quid de variolarum Inſitione Medico-Practicâ ſit ſentiendum?* ubi ante omnia variolæ veræ à ſpuriis diſtinguuntur, illæque morbus eſſe dicuntur, quô ſinguli homines aliquando per ſuam vitam laborare debent, adultis magis funeſtæ quàm infantibus, eas mediante fermentatione erumpere, pro diverſa aëris & loci, incolarumque habitudine, diverſis quoque benignitatis vel malignitatis gradibus gaudere, interna viſcera æquè occupare ac habitum, maligna non omnes ſed pauciſſimos ægros ex ſua natura trucidare, mortis verò cauſam apud plurimos in incongrua medicatione aut inadæquato regimine quærendam eſſe, aſſeritur, quibus accedit quod ſemel tantum hominem adoriantur variolæ veræ. Quibus poſitis negatur conſtanter, puris recentibus vulnuſculis inſerti mediô tanquam per fermentum eandem excitari poſſe fermentationem, qualis à variolis ſpontè obortis contingit, quia fermentum puris inferendi iners eſt, pigrum & humorale, imo ſuppoſitam & ſperatam energiam tranſcendit, ità, ut loco eventus admodum facilis & periculi expertis, eventus & exitus ſequatur admodum anceps, imo funeſtus. Arte factæ igitur variolæ pro ſpuriis habentur. Fidem verò circa novi inventi veritatem, quòd ſcilicèt inoculatos ab ulteriore contagio præſervet, ſuſpendendam eſſe exiſtimatur, donec tempora futura eventuum certitudines edocuerint. In II. Claſſe *de Methodo B. Gundelsheimeri, Archiatri Brandenburgici, curandi variolas per emetici repetitum uſum* diſſeritur, quæ per ſequens exemplum omnium optimè cognoſci poteſt. Anno 1713. die 12. Aprilis invaſerunt variolæ Comitem de L. 14. annorum, circa veſperam, cum horrore, die 14. præſcribebatur gr. j. tartari emetici cum mannæ unc. j. in aqua theriacali ſolutum. Unicus ſequebatur vomitus cum euphoria & aliqua ſalivatoria ſputatione. Die 17. fauces dolebant, & nox prægreſſa inquietior fuit, hinc dabatur iterùm vomitorium ex tartari emetici gr. ij. cum ſale digeſtivo & extracto pimpinellæ ſicco; ad fauces verò extracti pimpinellæ eſſentificati drachm. ij. cum ſyrupi viol. unc. j. Die 18. æger animo & corpore iterum erat alacrior, appetebat cibum, ſyrupus continuabatur. Die 21. ſuppuratione optimè ſuccedente, Eſcharis hinc indè decidentibus, alvoque clauſa exiſtente, tertiò dabatur emeticum, ſicque cura intra 15. dies cum magna ægri orthoſtadia, variolis non confluentibus, fuit abſoluta. De cetero non abſimilem huic Gundelsheimeri fuiſſe methodum febribus petechialibus medendi, innuitur, ita tamen ut tartari emetici loco ſal vitrioli fuerit præſcriptum. In III. *Depoſitiones Medico legales à Phyſico ordinario, Glockengieſſero, judiciis exhibitæ*, leguntur: de vulnere ſcilicèt thoracis per hepar, ſiniſtrum ventriculi orificium in lienis ſubſtantiam tranſeunte lethali, de commotione & ruptura vaſorum cerebri cum inflammatione pulmonum lethali, à ſacco lana repleto ſuper verticem cujuſdam de alto delapſo facta, de vulnere capitis cum fractura oſſis temporum ex præcipiti lapſu, confeſtim lethali, de infanticidio per projectionem & ſuffocationem

cationem in cloaca. Quibus ſubjungitur ſectio in delirio febris acutæ extincti. In IV. *ſectiones Cadaverum* delineantur, atrophico-hectici, atrophici, diarrhœa torminoſa defuncti, viri apoplexia ſeroſa, & pueri atrophici ex potû frigidô repentè exſtincti. In V. *Caſus Chirurgici* recenſentur; abſceſsûs videlicèt volæ manûs periculoſi, calculi renalis ex urethra ſectione exemti, & extirpationis ſchirrhi Cancroſi labium inferius occupantis. In VI. deniquè binis documentis, *morbum in Polonia annis* 1719. *&* 1720. *graſſantem non veram peſtem*, ſed morbum Hungaricum ſeu Caſtrenſem Brabanticum fuiſſe, probatur.

Ibidem pag. 537.

Decadis II. Actorum Medicorum Berolinenſium in Incrementum Artis & ſcientiarum Collectorum volumen III. & IV. Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1724. 8.

In fronte binorum horum voluminum conſpiciuntur effigies D. Martini *Weiſe*, trium Electorum Brandenburgenſium Conſiliarii & Archiatri, & Chriſtiani Menzelii, Conſiliarii & Archiatri Brandenburgici, eorumque vitæ breviter deſcribuntur. In voluminis III. in VII. ſectiones diviſi, *ſectione I.* Hiſtoria morborum Berolinenſium per annum 1722. conſpicuorum pertexitur. Variolæ ſcilicèt, quæ per annum præcedentem ſatis copioſè graſſatæ erant, curſum ſuum favente tempeſtate inconſtanti continuabant, nec ullus præterlabebatur menſis, quo iiſdem infantes non fuerint mortui. Febres inſimùl catarrhales malignæ, morbi catarrhales chronici, & morbilli cum ſtomacace & diarrhœa ſociati conſpiciebantur. Menſe Majo febres intermittentes. Auguſto inflammatoriæ. Septembri diarrhœæ, tuſſes, anginæ ſpuriæ, rheumatiſmi, hiſtericæ paſſiones. Novembri affectus Catarrhales, Ophthalmiæ, Tuſſes, Eryſipelata, & Febres catarrhales benignæ. Decembri iidem morbi unà cum affectibus ſoporoſis & apoplexia fuerunt obſervati. Præter variolas & morbos catarrhales epidemicè graſſati ſunt nulli, fluor verò albus ob aquam ex ſolo paludoſo ſcaturientem & in vulgarem uſum abeuntem endemicus pronuntiatur. *In ſect. II.* Meditationes Medico-Practicæ ſuper indicem mortuorum Berolinenſium 1722. leguntur, ubi chronicis morbis majorem incolarum numerum, quàm febribus acutis periiſſe, annotatur, atque Inſitionis variolarum infidus ſucceſſus variis exemplis probatur. In ſect. III. Caſus Anatomico-chirurgici communicantur; ſectio ſcilicèt fœminæ aquis ſubmerſæ, duorum maniacorum & ſuſpenſi, operatio felix herniæ incarceratæ, ſine amputatione; ſiniſtri brachii amputatio; operationes felices fiſtulæ ani; vulnus ſclopetarium in femore cum fractura oſſis; operatio embryulciæ; fiſtula genæ cum carie profunda oſſium. Monetur inſimul, aquâ ſubmerſos commodè in vitam mediante excutia ventriculi revocari poſſe. In ſect. IV. Depoſitiones Medico Legales referuntur circa Infanticidium ex neglecta funiculi umbilicalis deligatione; vulnus profundum in thorace ſecuri inflictum, curatum; homicidium per alapam & infanticidium ob gravem in capitis vertice contuſionem, aſſeritur quoque, in vulnere thoracis ad mitigandam febrim vulnerariam aquam veronicæ cum vino & pulveres reſolventes multum præſtitiſſe, reliquam verò curationem Infuſum herbarum pectoralium cum multâ arnicâ vera abſolviſſe. In ſect. V. Anatomicæ ſectiones deſcribuntur, viri atrophiâ cum hectica denati, puellæ ex rupturâ peritonæi & inteſtini jejuni defunctæ, & cholerâ ſiccâ ab excreſcentia ad ſiniſtrum inteſtini recti latus intrinſecùs ſitâ mortui. *In ſect. VI.* Magica Aſtronomiæ inferioris cum ſuperiori harmonia & vinculum, ſeu planetarum terreſtrium motus & aſpectus, necnon ipſorum conjunctiones, exaltationes, influxus, & variatio ſecundum rectas planetarum celeſtium & naturalis Philoſophiæ regulas exponuntur, & Hermetis ſententia probatur, quod eſt ſuperius, eſt, ſicut quod eſt inferius, & quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius. *In ſect. VII.* deniquè veſicatoriorum in tenera etiam ætate ſalutarem uſum occaſione morbi varioloſi annotatum & theſibus deductum ſiſtit Theodorus Valentinus Kramer, Med. Doct. & Phyſicus Provincialis Circuli Prignizenſis.

Volumen IV. tres continet ſectiones, in quarum I. de nova quorumdam circa Chordaplum theoria, qua motus inteſtinorum antiperiſtalticus in dubium vocatur & cum hernia ventriculi confunditur, agitur. Primi ſcilicèt, qui motum inteſtinorum inverſum ſeu antiperiſtalticum, quem pro ordinaria Iliacæ paſſionis cauſa venditarunt Medici, dari negarunt, fuerunt Hagnenotius, ſocietatis Montis-peſſulanæ, & *de St. Andrè*, ſocietatis Anglicanæ ſocii, violentam potiùs muſculorum abdominis contractionem, ob quam viſcera abdominis per diaphragma vel ruptum vel dilatatum in thoracis cavitatem urgeantur, accuſatum eſſe ſtatuentes. Contra horum aſſertum in hâc ſectione diſputatur, & dari omnino talem inteſtinorum volutationem præternaturalem, quæ impedita per obſtacula quæcunque præcipitetur, & recedat, ità ut fiat revolutio ſeu converſio motus ſurſùm, qua demùm & ipſa excrementa cum aſſumptis non diſtributis per os rejiciantur, ex autopſiâ & ſtructura anatomica ventriculi & inteſtinorum multis aſſeritur, atque integra de Ileo theoria, ſiſtitur, exempliſque explanatur, cujus Conſectaria huc redeunt. I. Cordaplus eſt morbus ad metaſchematiſmum recipiendum admodùm aptus, 2. & quandoque periodicus, id eſt, qui non uno tenore ſemper ægrum excruciat, ſed ſuis intervallis dolorumque induciis gaudet, nec 3. ſemper, etiamſi ſuprema attigerit ſymptomata, unico excepto ſtercorum vomitu pro cauſa proxima agnoſcit inteſtinorum vel invaginationem vel convolutionem vel incarcerationem, alias enim tam multi, etiam qui ad extrema pervenerunt, non evaderent, 4. Vomitus ſimplices aut bilioſi, multò minùs ſtercorei, haud inſeparabilia ſunt ſigna Chordapli, 5. tormina potiùs volventia inteſtinorum tenuium, circa umbilicum hoſpitantium, cum immani de effero ſæpius dolore ſtipata, pro idiopathicò ejus ſigno ſunt reputanda, quorum feralis & ſupremus demùm gradus eſt ſi conjunctus ſemper vomitus eò uſque intendatur, ut fæces ſpiret, aut ſimùl efferat. 6. Chordaplus ex febre natus ſemper malignior eſt, quàm qui eandem ſubſequutam habet, 7. interim tamen morbus nondùm ſalutariter evictus eſt, ubi dolorum torminoſorum & vomitus ſit remiſſio, cum fæcum alvinarum rejectione, ſed tum maximè de vita metuendum eſt. *In ſect. II.* Sectio Anatomica deſcribitur malefici ſuſpenſi, in cujus ventriculo fragmenta lignea, numero 7. (quæ æri inciſa conſpiciuntur) ab eo, ut atrociſſimam mortem ſubterfugeret, deglutita, muco obducta, circa infimam partem colore ſubnigro tincta & penetrantem ſubacidum odorem ſpirantia, ſunt reperta. *In ſect. III.* Georgii Clavij, Med. Doct. & Practici Hannoverani obſervationes Medico-Practicæ communicatæ leguntur de methodo curandi febrem quartanam per decoctum reſolvens & Eſſentiam Caſcarillæ cum Eſſentia radicis gentianæ rubræ maritatam; hæmorrhagia uteri funeſta; tumore pedum ſcorbutico;

Iliaca

Iliaca paſſione hirudinum uſu ſoluta, ſulphuris aurati, antimonii purioris efficaciâ, & arnicæ vi contra atrophiam & hecticam.

Ibidem anno 1726. *pag.* 479.

Decadis II. Actorum Medicorum Berolinenſium in Incrementum Artis & ſcientiarum collectorum & digeſtorum, volumen V. & VI. Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1725. & 1726. 8.

Præmittuntur voluminibus Thomæ Pancovii & Johannis Sigiſmundi Elſholzii, Friderici Wilhelmi, Elect. Brandenb. Aulæ Medicorum, Icones & vitæ. Quibus adduntur Ottonis Botticheri, Georgii Wilhelmi & Caſparorum Marchiorum, Patris & filii ejuſdem Electoris Archiatrorum vitæ, ſed ſine Iconibus. Volumen V. quatuor continet Partes, quarum I. conſtituit Allocutio Epiſtolica ad Chriſt. Godofr. Stenzelium, Med. Doct. & Pract. Wittebergens. de ſtentomate aortæ cum polypo cordis in Diſputatione quadam an. 1723. deſcribitur, ubi inter alia aſthma hypochondriaco ſpaſmodicum motû corporis ablatum & podagra, poſtquam ad manuum pedumque digitos, non ſaltem in articulis ſed etiam in apicibus nodi, initio rubentes non albeſcentes eruperunt, & ubi rumpebantur, vel aperiebantur, molle & albeſcens mucido-terreum coagulum, ad ignem obdureſcens & topheſcens fuderunt, ſoluta legitur. In III. Epicriſis additur in indicem Berolini per an. 1723. defunctorum; & in IV. nonnullæ ſectiones & operationes Anatomico-chirurgico-Pathologicæ commemorantur. Secti ſcilicèt fuerunt atrophiâ verminoſa, febre catarrhali continua in lentam abeunte, ſarcomate cancroſo in vagina uteri, hydrope, fluxu hepatico denati; ſic labium Cancroſo-Scirrhoſum extirpatum fuit, ſed ſine ſucceſſu felici; & hydropica poſtquam bis paracentheſin admiſerat, aquarumque colluviem ſimùl & ſemel abſque ulla lipothymia aut noxa evacuaverat, tribus interjectis menſibus, poſt tertiam operationem ſupremum obiit diem.

Volumen VI. quinque pàrtibus circumſcribitur, quarum I. exhibet informationem de morbis, in quibus aquæ & Balnea Freyenwaldenſia proficua vel noxia fuerunt obſervata. Solos oculorum morbos quod ſpectat, maximam eorum fuiſſe in debilitate viſus, ſuffuſione, cataracta incipiente, glaucomate recente, ophthalmia chronica, & guttâ Serena, utilitatem, exemplis probatur. Nocere verò dicuntur in Epilepſia idiopathica, paralyſi puerorum ex epilepſiâ orta, hemiplegia ſenum, aſcite, amauroſi, cataracta matura, faucium exulceratione, luxatione artuum, ariduris, articulorum anchyloſibus inveteratis, fungorumque concretionibus, exoſtoſibus, & tophis arthritico-venereis, paronichya, ſpina ventoſa & excreſcentiis præternaturalibus. In II. nonnullæ Hiſtoriæ Clinico-Practicæ necrologicæ, ſeu morborum, quos non reſtitutio ſed mors excepit, recenſentur, convulſionis putà hyſtericæ, in duabus fœminis, ac morbi inteſtinorum ſpaſmodici ad hæmorrhoides reſpectum habentis. In III. de morbo ſpaſmodico-epidemico à pane ex clavis ſecalinis piſto & comeſto orto relationes hiſtoricæ leguntur. In IV. monſtrum Berolinenſe deſcribitur bicorporeum, duorum ſcilicèt puerorum, quoad partes anticas coalitorum, cui ſimile adjicitur Wrizenæ editum, pueri & puellæ, à ſcrobiculo cordis ad umbilicum ſibi invicem cohærentium, necnon puer cum bronchocele natus. In V. depoſitiones Medico-legales per an. 1723. à D. Glockengieſſerô, Poliatrô Berolinenſi, exhibitæ ſiſtuntur, de repentinâ videlicèt morte ex Helleboro albo, & puellæ, quæ cultrô pro calamis aptandis parato aſperam arteriam ſibi præſciderat & vulnere conſolidato ſuffocata obierat, quoniam aſperæ arteriæ pars interior carne luxuriante repleta & coarctata fuerat.

ACTA LIPSIENSIA.

In iis ſequentia reperiuntur artem Medicam ſpectantia, ſine alicujus auctoris Nomine. ann. 1682. *p.* 20.

Obſervationes quædam Anatomicæ ſtructuram Vaſorum Biliariorum, & Motum bilis ſpectantes.

Folliculi fellis cervicem propagines notabiles, præter illam, cujus *Gliſſonius, Collegium Amſtelodamenſe, & Blaſius* mentionem faciunt, ad ſubſtantiam hepatis ſpargere ſeu potius indè recipere, imò harum quaſdam cum ductu hepatico communicare, perſuadent mihi ſequentia.

1. In Epate bubulo flatum, per ductum cyſticum, ad turgeſcentiam uſque veſiculæ, immiſſum & epatis cavam partem diverſis tractibus tranſeuntem, per porum epaticum redire, aliquoties obſervavi. Bis vel ter equidem eundem nominati experimenti ſucceſſum expectavi fruſtrà in talibus ſc. ſubjectis, quorum epar calculis atque tartareâ materia refertum: in aliis tamen poſtmodum felicior, & idem, cum priſtino, eventus expectationi meæ reſpondebat; quibus nempe epatis conſtitutio naturalis magis contigerat.

2. Ex vitulini epatis cyſti felleâ omnem emulſi bilem, ligavi hujus ductum, ubi poro epatico inoſculatur, ut per illius orificium nihil liquoris veſiculam ſubintrare poſſe certus eſſem, hinc epatico, ope ſiphonis, aquam tepidam immiſi, cujus tandem aliqua portio ad folliculum flacidum divertebatur, hunc notabiliter diſtendebat, ac per vulnus ipſi inflictum effluebat.

3. Aperto hominis, canis, & bovis ductu cyſtico, illa in parte qua is epati continuus eſt, plura deprehendi foramina (ab Amſtelodamenſibus & Blaſio in bove ſaltem notata) tanquam totidem vaſorum biliariorum oſcula; ita quidem, ut hujus generis aliquando in cane tria, in humano cadavere quinque, in epate bovino plura, v. g. duodecim, interdum pauciora, V. G. octo, nuperrimè quinque tantum comparuerint. Tractus eorum, modò longiores, modò breviores, obliquè ſatis meatus cyſtici tunicas ut plurimùm penetrant, in cane & homine ſtylum equidem admittentes, hincque vaſorum peculiarium emanationem aut inſertionem promittentes: quorum tamen ulteriorem progreſſum, propter exilitatem moleſtiſſimam, nec detegere hactenus, nec inveſtigare licuit. Aſt in ſubjecto quodam bubulo, quod commodioris magnitudinis cauſâ eligebam, præter reliquos folliculi canalis meatus, ad epatis interiora decurrentes, duo patentiorum orificiorum vaſa, ex lateribus illius oppoſitis prodeuntia, epatiſque ſubſtantiæ, ſaltem leviter, immerſa, ad ſinum ductus epatici ſic tendebant, ut flatui & ſtylo, à cervice folliculi uſque ad porum epaticum, aditum liberrimum concederent. In epate alio, pariter bovino, unus ſaltem horum ductuum ſe manifeſtabat, cujus orificio ceram liquefactam injiciebam: quæ per ſinum pori epatici rediens inſertione ductus, cyſtico atque epatico communis ac intermedii, apertè oſtendebat, Imò leviter tantum excarnato epate, totum illius tractum & ramificationem, cum propagine notabili epaticum ad ductum tendente, conſpiciendam exhibebat. An communicatio hæc canalium

nalium biliariorum ordinaria ac univerſalis ſit, dubium equidem ideò videri poſſet, quod pro ut ſuperius conquerebar, illam interdum planè non, ſemel duntaxat duplicem, frequentiùs ſimplicem deprehenderim: quia nihilominùs ſemper, cadaveribus, modò epar induratum exhibentibus, exceptis, aliquid ejus obſervavi, à conformatione illam naturali dependere, probabiliter ſatis infero; quamvis eam aliàs majorem, aliàs minorem, modò multiplicem eſſe, & epatis ſubſtantiam nunc profundius, nunc ſuperficiariè tantùm, jam pluribus, jam paucioribus propaginibus ſubire lubens concedam.

In ductu Gliſſoniano ad folliculi cervicem annotavi, ſtructuram hujus atque inſertionem non ſemper eandem eſſe. Cùm aliquando ipſius orificio binos ſimiles ductus adjacentes, ſtylumque ab intra recipientes viderim; rarius in fundi extremitate, ut plurimùm in cyſtici canalis principio illius inſertionem deprehenderim, imò aliquoties ne veſtigium ejus obſervare potuerim quod poſterius quidem etſi hactenus oculorum meorum caligini exiſtimavi tribuendum; nuperrimum tamen ſubjectum bubulum me docuit, luſum potius naturæ, etiam in hujus canalis ramificatione atque inſertione interdum contingere poſſe. Quamvis enim omnibus in hoc evolvendo uſus fuerim enchiriſibus neceſſariis, minimè tamen vel hujus oſculum in ſolennioribus ipſi locis, vel ejus radices ex epate progerminantes, conſpicere mihi licuit donec tandem in ipſius ductus cyſtici latere hiatus manifeſtiſſimus adparuit, per quem impulſa cera, adhibita lèvi excarnatione, canalem, digitum ferè ſua longitudine, craſſitie verò calamum ſcriptorium mediocris magnitudinis æquantem, diverſiſque ramulis inſtructum exhibebat, quem ipſum non ſine omni ratione Gliſſoniano ductui ſuccenturiari auguror.

Quid hæc pro officina,& motu bilis,ſatis aliàs ambiguis, determinandis facere poſſint, aliis, pluribus forſan experimentis inſtructis, judicandum nunc relinquo. Ab epate tamen omnem forſan bilem, folliculo fellis non tantùm per canales ſuperius recenſitos, ſed epaticum quoque porum, infundi, obſervatio ſequens teſtatur, ſcil. canis vivi, præſentibus pluribus ſpectatoribus, dilaceravi veſiculam uſque ad cervicem, tentaturus, an aliquid bilis per hanc verſus fundum laceratum deflueret. Reſpondebat expectationi eventus, i. e. non tantum bilis, quaſi turgeſcentia quadam, ex anguſtiore ductu cyſtico per latiorem cervicem copioſiſſimè eructabatur, ſed cyſticus, poſt injectum ipſi vinculum, notabiliter ſic intumeſcebat, ut nihil, parum ſaltem bilis, per dictam cervicem amplius promanaret.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS, ann. 1682. p. 126.

Obſervatio circa proportionem partis purpureæ ac ſubſtantiæ ſeroſo-gelatinoſæ ſanguinis, intra vaſa animalium fluctuantis.

Maſſa ſanguinea tria involvit, ſerum aqueum, ſubſtantiam gelatinoſam ſeu fibroſam, ac Tincturam rubicundam i. e. ſanguinem κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum. Quoniam verò in ſanguine per venæ ſectionem educto & coagulato gelatinoſa dicta portio partim tincturæ purpureæ intertexta eſt & ſpiſſitudinem huic confert, partim à ſero aqueo diſſolvitur atque diluitur, duplex tantum, ſeroſa ſc. ac purpurea, ſubſtantia hactenus obſervata & credita fuit, donec ſub medium præſentis ſæculi accuratius fluidi hujus animalis examen gelatinam illam nutritiam detegeret quidem, qualis tamen ſit has inter ſanguinis partes integrantes, proportio ulteriori inveſtigationi deſtinaret. De ſanguificationis proin organo ac modo aliquando ſollicitus ambigebam, aut potius augurabar, tantillum forſan Purpuræ ſanguineæ eſſe, quod tantas, de ſui cauſa efficiente atque productionis ratione, turbas & contentiones inter Anatomicos magnæ famæ excitaſſet, tantamque viſcerum αἱματοποιητικῶν, ſc. epatis, lienis, cordis &c. compagem ac ambitum poſtulaſſet. Porro per microſcopium in ſanguine obſervabilium globulorum rubicundorum, ſero limpido innatantium, molem ubi cum ſeri mole comparabam, illam huic maximè diſparem & longè minorem dignoſcebam: quia tamen multum adhuc gelatinoſæ ſubſtantiæ eoſdem globulos purpureos implicare probabile, imò certiſſimum erat, ſolo oculo, quantum Tincturæ rutilæ liquori ſanguinis vitali adhuc ſubeſſet, diſcernere; ac determinare me poſſe haud præſumebam. Aſt aliis encheiriſibus in ſubſidium vocatis, in diverſis animalibus, diverſiſque pariter individuis humanis, deprehendi, quod tincturæ hujus partem unam modò decem,modò undecim, modò plures, nunquam pauciores, ſeri atque gelatinæ partes comitentur: ultimum autem quod in ſanguine hominis optimè valentis hujus theoricæ cauſa adornabam experimentum erat ſequens. Uni nempe aquæ calidæ libræ tantum ſanguinis ex aperta vena proſilientis influere permittebam, donec aquam pondere unciarum trium & drachmæ unius auctam, hinc tantumdem ſanguinis ab illa abſorptum &dilutum fuiſſe obſervabam. Solutio hæc filtrata, in filtro gelatinæ ſpiſſioris unciam dimidiam cum drachma una relinquebat, dum ejus reliquum leni deſtillatione ſubſtantiæ aqueæ libram unam cum uncia una & drachmis ſex fundebat, remanentibus in fundo retortæ grumi ex rubro fuſci drachmis duabus cum ſemiſſe, ita ut ſubſtantiæ aqueæ drachmæ tres cum dimidia, vel à charta filtri hauſtæ fuiſſe, vel inter deſtillandum in auras exhalaſſe viderentur. Quia tamen diverſus hujus cruoris color, quem microſcopio adjutus conſpiciebam, aliquid gelatinæ adhuc complecti cruorem evincebat, maſſulam iſtam, quo gelatinam omnem eluerem, denuò cum aqua tepida macerabam, poſtmodum filtrabam: & poſt lenem exſiccationem grumi ejuſdem ſex tincturæ ſanguineæ drachmæ nonniſi duæ cum granis tribus, i. e. vix duodecimæ maſſæ ſanguineæ pars, reſtitabant, adeò-que exile admodum eſſe quod ſanguini ſpeciem atque nomen dat, declarabant.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS. ann. 1682. p. 316.

Obſerv. Medica I. De crinonibus ſeu comedonibus Infantum.

Incognitus & indictus Antiquioribus fuit Morbus, cujus paſſim ſuperiori ac hodierno ſeculo à Medicis non minùs, quàm medicaſtris mulierculis fit mentio, & ab iſtis quidem Morbus Pilaris infantum communiter appellatur, ſpeciatim autem *Crinonum*, item *comedonum*, nomine venit; Germanis *Witeſſer* audit. Contabeſcunt infantes paulatim, inſomnes redduntur, & inquieti, & inſignem ſimul pruritum corporis pati videntur: quod ſi in balneo ritè tractentur,corpuſcula pilorum craſſiorum inſtar denſa & ſpiſſa (unde ſimilitudinis ratione, Crinonum) è poris corporis prominent, quæ pro animalculis intercutanea loca inhabitantibus (unde comedonum nomen quaſi vermium alimentum infantum depaſcentium) ab aliis habiti fuerunt, quibus unâ alterave vice ablatis, melius habere infantes obſervantur. Utrum itaque cenſui

cenſui excrementorum ſpiſſiorum tertiæ coctionis, an verò animantium generi adſcribendum ſit iſtud extra cutim prominens, diutius controverſum fuit, prout ſcil. fieri in naturalibus amat, ubi ſolis rationibus, citra experientiæ armaturam pugna inſtruitur. Hæc tandem rerum magiſtra litem diremit, oſtendendo Microſcopiorum ope manifeſtè, eſſe revera animalcula viva, quicquid ſpiſſorum iſtorum capillorum facie ſubindè compareat, Coloris obſervantur ſubcinericii & plus minus nigricantis, cornubus ſeu potius antennis binis longè prominentibus inſtructi, oculis rotundis grandiuſculis cum cauda oblonga in fine villoſa, paucis, aſpectu ſatis horridi. Nam non tantum propter moroſitatem puerorum, difficulter ſeparari poſſunt, ſed ob exilitatem etiam ac teneritudinem vix integri obtineri, quin facillimo attritu vitientur; Pueri ſunt & infantes in quibus frequentius naſci ſolent, quorum brachia, & in primis dorſum, ſive totum, ſivè interſcapilium tantum crura, maximè tamen ipſam ſcapularum regionem ſolent occupare. Sed quæ huc ſpectant alia, curioſo lectore digna, prolixius pro uſu in primis Medico, expoſuit Erud. *Georgius Hieronymus Velſchius* in Exercitatione *de vermiculis capillaribus infantum*, in qua omne id quicquid pro uſu tam theoretico, quam practico deſiderari poteſt, ex quibusvis ſcriptoribus in unum faſciculum concinne collectum exhibetur, adeò ut unus hic autor quorumvis aliorum vices commodè ſupplere queat. Annexa eſt dicta Exercitatio iſti *de vena Medinenſi* laborioſe & accuratè conſcriptæ, & anno 1674. Auguſtæ Vindel. in quarto primitus, ſub auſpiciis Claudiæ felicis Imperatricis, luci publicæ expoſitæ.

Obſervatio Medica II.

De Sironibus.

ALii longè à *Crinonibus* ſunt *ſirones* ſeu *Cirones*, vermiculi ſcilicet minuti quaſi pediculares, in puſtulis ſeroſis prurientibus, ſub Cuticulâ manuum imprimis & pedum, ſubſiſtentes. Germanis *Seuren*, item *Reitlieſen* vocari ſolent. Minus de his diſceptatum fuit, animalculorum claſſi an aſſociandi, ſiquidem hoc jam olim ſubtili *Scaligero Exerc.* 194. *de ſubtil. num.* 7. extra dubitationis aleam poſitum fuit: qui tamen ipſis formam nullam expreſſam eſſe aſſerit, quæ Microſcopiorum ope diſtincte ſatis & accurate conſpici poteſt, ſecundum eam faciem quam obtinent. Colore ſunt albicante, & pedibus exceptis, qui propius intuenti nigricare videntur; pedibus ſex inſtructi ſunt, binis utrinque mox juxta caput poſitis, quibus talparum ritu cuniculos ſub cuticulâ agere, & oblongos non rarò ſulcos trahere, ſimulque moleſtiſſimum pruritum excitare videntur. Num dorſum ſit ſquamoſum, ſeu ſquamis coopertum, prout quidem affirmat *Dn. Rohaultus Tract. Phyſic. part.* 1. *c.* 21. definire nolumus, illo præſtantiore dubio procul microſcopio inſtructo. Mirum de cætero eſt, quantas moleſtias tam puſillum animal homini excitare queat, quas ſtupenda hiſtoria pluribus explicat *Mouſetus in Theat. Inſect. lib.* 2. *cap.* 24. *&c.*

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS ann. 1682. p. 344.

Obſervationes quædam de Calculo in Equo quodam reperto habitæ, & Regali ſocietati exhibitæ, ab H.P.M.D. & R.S.S. Ex collectionibus Anglicanis num. 7. *a.* 1682. *p.* 191.

Cùm non ita pridem honoratiſſimæ huic ſocietati, rerum rariorum ſtudioſiſſimæ, immenſæ molis calculum in villa *Lambethana*, ex equi viſceribus exemptum obtuleram; in mandatis tunc habui, ejus & equi pleniorem hiſtoriam indagare, & exponere. Sunt, qui magno conamine & faſtu rationes expediunt, quare res ſit, cùm tamen ea, ſi ſtrictiori examine probetur, minimè ſit. Omnia quæ tunc fuerunt acutiora torſit ingenia pueri dens aureus, cùm non eſſet niſi deauratus. E contra etiam Cl. Salmaſius, vir in re literaria primi nominis, ſedulo cauſas quærit, quibus *Ariſtotelici Problematis* fidem firmet, nullum animalium calculoſum eſſe, præter hominem. Quippe in cæteris animalibus, majoribus præſertim, veſicæ meatus laxiores ſunt, per quos terrenus, & craſſior humor facilius & liberius exiret, & inde ait mulieribus & puellis Calculos rarius naſci, quàm in viris & in pueris. Atque inde inſuper pueros frequentius Calculo laborare quàm ſenes. Calculo autem Renum quadrupedes non eſſe obnoxios argumento probat, ab ipſo eorum ſtatu, & poſitura ducto, qua ſemper in terram prona ſunt; unde humor ille corporis ſaccatus, qui per Renes eorum tranſitum habet non ibi moratur, nec deſidet, ſed quaſi ſuſpenſus vix ibidem poteſt inhæreſcere. Tam verſabile autem eſt ingenium hominis ut alii, cùm jam conſtet calculos etiam in quadrupedibus gigni, non ſolum has rationes nihil hic valere probent, ſed etiam ex altera parte ſtare, & in eam ſententiam, quam firmare videntur, è diametro prorſus pugnare. Patentiores enim qui ſunt in majoribus animalibus, quam in homine meatus craſſius admittunt ſabulum, & acinis confertim confluentibus liberiorem aditum faciunt, quæ ſeſe in itinere arripiunt & prehendunt, & in eam tandem in veſica accreſcunt molem, ut pote cui per meatus urinarios minimè pateat exitus. Quod alteram partem ſpectat humor iſte in corpore lixivialis in animalibus, quæ prono inceſſu pergunt, aptior eſt concreſcere, quia mora & otio torpeſcit, & inde viſcoſus evadit, in homine autem erecto ſerum ſanguinis citatiori itinere quaſi ex alto in renes defluit, nec inde in arenas coaleſcit. Sed hæc obiter: redeo ad id, quod in me ſuſcepi. Erat Calculus pondere quatuor librarum, & totidem unciarum, magnitudine quaſi capitis humani, & figura non multum abſimili, oblonga quidem, non tamen tam rotunda quam ſima. Ea quæ quotidie & conſtanti lege fiunt, negligimus prorſus; in quibus aut errat, aut ludit Natura, hæremus, & planè cæcutimus, ut autem huic rei, in tenebris licèt peractæ, aliqualis ſaltem lux affulgeat, rogo de calculi ſitu, de equi conditione, ætate, & an aliquo indicio conſtaret de ſanguinis mictione, de urinæ difficultate, ſtillicidio, aut omnimoda ſuppreſſione. Vulgus autem hominum ſemper ferè in his rebus incurioſum eſt; jumenta ſi in eo opere, quod ſevere exigunt, fideliter perſiſtant, nihil ultrà quærunt, nec aliud quicquam penſi habent. Ille, qui Calculum exemerat, partium opinor earumque ſitus ignarus, aſſerit illum inventum eſſe inter veſicam & inteſtinum. Et tamen fortaſſe non totus à ſcopo & rei veritate aberravit. Calculus quippe ex una parte planus erat & lævigatus, utpote per quam urina continuo curſu non ſine lucta & nixu, propter anguſtum illi relictum locum colata pertranſierat; ex altera parte, quæ veſicæ incumberet & adhæreret, aſper & rugoſus, lapidem bibulum referens, qui cum mole & pondere quotidie creſceret, inſtar lapidis molaris totam tandem corruperat teneram veſicæ tunicam, ut ejus nullum prorſus maneret veſtigium. Et forte, ſi quis attentè adverteret, ipſum fimum propter pondus, inteſtino recto

recto incumbens in aliam, quam qua ſolet, figuram compreſſam etiam cum difficultate excerni notaret. De equo dominus, ſub quo per duodecim annos fido obſequio & labore meruerat, hæc retulit. Erat ſtatura quindecim palmarum, deſtinatus pannis vehendis, & revehendis, nunc ſinceris, nunc coloribus infectis. In iis, quorum nulla certa conſtat ratio, omnia ſuſpecta habentur. In pannis tingendis plurima petuntur ex mineralium familia, calcanthum, alumen, variique ſales, & alia etiam cognatæ ſortis ex animalium & vegetabilium claſſe, quorum etiam hic frequens uſus eſt.

Panni his rebus infecti, & calentes ex puteis extracti in equum coacervantur, qui ſub hoc onere gemit, & fatiſcit; Hic fortaſſe non inepte quæri poteſt, annon ex his tam arctè preſſis & cohærentibus ſubtiliora exeant effluvia quæ furtiva inſpiratione attracta, aliquid ſaltem faciant ad calculi concretionem, & particulas ſalinas glutine quodam congregent & uniant? Non parum momenti habet in fide huic conjecturæ facienda, quod liquor iſte, quo tinctores ſæpius utuntur, ſpiritu vitriolico fœtus concretionem maximè promovet. Quod videre eſt in pluribus Angliæ locis, ubi ſpiritus iſte obtinet, qui quicquid illi obviam fit, arripit, ligna, teſtas, paleas, cruſta lapidea involvit. Magna ſæpe fiunt ex minimis, diuturna præſertim conſuetudine repetitis. Niſi hodie exoleſceret prorſus opinio, quæ diu apud antiquos immota ſtetit, Renum ſcilicet calorem eaſdem in calculo faciendo partes habere, quas ignis habet in lateribus coquendis, hic imprimis valeret, cùm equus ſub monte quidem pannoſo, etiam dorſi regioni impoſito, quotidie laboraret, & anhelaret.

Tam religioſe olim cavebant Veteres, ne intenſus calor renes adureret, ut lumborum regionem laxo ſolummodo linteo defenderent, ita ut dorſum non pectus feneſtratum gererent, Affirmat Salmaſius, ſe pleroſque vidiſſe, qui calculum in Renibus ſolummodò contraxerant, quod menſæ adſiderent obverſo ad ignem tergo. Alio quidem reſpectu renibus in primis nocet fervidior æſtus, qui tamen calculo, niſi materiam inveniat, quæ apta ſit concreſcere, ſuum haud confert ſymbolum. Ab itineribus per aliquot annos equus deſueverat, ità ut nec ephippium nec ſeſſorem ſine ſummâ luctâ & proterviâ admitteret, quaſi rectius & levius ſederet ſolitum & quotidianum onus, novum autem maximè irritaret: aut provido ſenſu præſagiit, ſi ad iter ſe accingeret, onus, quod jam quaſi in pulvinar, dum pedetentim pergit, quietum reclinabat, citatioris curſus exagitatione graviores cruciatus, & moleſtias daturum. Id quod ſæpe videre eſt in hominibus, calculum filamentis quibuſdam in æquilibrio ſuſpenſum diu ſine magno incommodo geſtari, illis autem vehementi aliquâ luctâ & contentione ruptis in collum veſicæ prolapſum, unde acerrimus in tam tenera & ſenſili parte dolor, quem miſera mors excipit. Erat inſuper equo pro pabulo quotidiano fænum aridum; herboſis & liberioribus paſcuis per aliquot annos raró aut nunquam gaudebat, in quibus aut commune remedium inveniret, aut fortaſsè ſingulare aliquod ſeligeret, cujus vim & virtutem ſenſus & experientia comprobaſſent. Quidni enim eandem cum aliis animalibus demus ſolertiam? Canis cibis diſtentus & gravatus ſedulò diſcurrit, & inter mille alia peculiare ſuum quærit & eligit gramen, quo vomitu provocato ventriculum onere ſuo liberet & relevet. Cervus ſagittâ ſauciatus ad ſuum ſtatim feſtinat probatiſſimum in hoc caſu dictamnum. Felis, ſive malè ſive benè ſe habeat, nepetâ ſuâ ſe relevat & recreat, quæ ideo de ſuo nomine cattaria, & menta felina nuncupatur. Equus etiam hic bis quotannis, verno ſcilicet, & autumnali tempore, macreſcere, & in partibus poſterioribus præcipuè ità hebes & languidus fieri ſolebat, ut ægrè & vix pedes expediret, & poſt ſe traheret. Gravi ſcilicet onere oppreſſi fatiſcunt ſpiritus. Ita ſæpe videre eſt membrum aliquod graviori ictu contuſum, & ſpiritibus deſtitutum atrophiâ tabeſcere, & inutile fieri pondus. Octo autem aut decem ante mortem dies urinam minimè reddidit, calculo ſcilicet ità omnem capacitatem opplente, ut nullus daretur urinæ tranſitus. In ſolum jam ſe projicit, ſe verberat, volvit, revolvitque, terram pedibus proſcindit, & omni, quâ poteſt, vehementiâ, acutiſſimi doloris exprimit ſenſum. Sed quod magis adhuc mirum eſt, per totum illud tempus, quo urina non profluxit, etiam oblatam aquam pertinaciter averſatus eſt. Quaſi ex ipſo Naturæ inſtinctu ſentiret, aquas, ſi non tranſeant, altiores aſſurgere, & longè graviora creare tormina. Cùm miram hanc calculi hiſtoriam pro unicâ propemodum haberem, omnibus ferè numeris occurrit eadem in libro cui titulus, *le Journal de Scavans*, Gallico idiomate ſcripto. Hæc ſi raritatem minuat, talem tamen calculum dari poſſe firmat fidem.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS, ann. 1682. p. 386.

G. G. L. Meditatio de ſeparatione ſalis & aquæ dulcis, novoque ſeparationum Chymicarum genere.

Separatio aquæ dulcis, ſaliſque in ea contenti duplicem ſcopum habere poteſt: vel enim quærimus aquam dulcem, neglecto ſale, ut navigantibus ſuccurramus, vel contrà quærimus ſalem neglectâ aquâ dulci, ut ſumtus minuamus, qui in ignem ſunt impendendi, cujus vi aqua evaporat, quod non exiguum in illis regionibus uſum haberet, quibus ſol hoc miniſterium non ſatis præſtat.

Quod primum attinet, aquam dulcem potui ſatis aptam ex marinâ obtineri poſſe diſtillatione, non Linſchotani tantùm, ſed & aliorum multorum relatione conſtat. Et putem eum in uſum furnos inveniri poſſe admodum compendioſos, & exiguæ materiæ combuſtilis indigos, quales nondum adhibentur. Præcipitari ſalem poſſe ſcio zinco, lapide calaminari & ſimilibus, quin etiam Saturnus hic aliquid præſtat. Sed ſimpliciſſimam obtinendæ aquæ dulcis rationem eſſe puto percolationem, experimentis enim conſtat, etiam vino & urinæ aliiſque liquoribus repetitâ per ſimplex ſabulum tranſmiſſione adimi non tantum colorem, ſed & ſaporem. Et cùm in Galliis eſſem, vidi genus lapidis, qui primâ ſtatim vice, liquores inſipidos tranſmittebat; credoque adhuc vivere, qui locum indicare poſſit. Et ut aqua ſalſa faciliùs per majorem ſabuli copiam percolaretur, & perindè ſtatim primâ vel, ad ſummum, alterâ vice purificaretur, poſſet adhiberi machina comprimens vel ſugens. Quòd ſi cui placeret loco ſimplicis ſabuli adhibere Lithargyrum, vel alium Saturni calcem, res fortè adhuc meliùs ſuccederet. Cæterum ex his occaſio mihi nata eſt cogitandi *de novo quodam ſeparationis Chymicæ genere.* Ponamus liquorem per ſabulum vel commune vel peculiare, aliudve corpus ſæpè tranſmitti, donec vim amiſerit: dubium nullum eſt, quin ſabulum aliquo ſale, ſi ita dicere licet, eſſentiali ipſius liquoris futurum ſit imprægnatum. Eliciatur ſal iſte rurſum ex ſabulo, ſuperfuſâ aquâ communi, & aquæ defuſæ parte deinde evaporante, conge-

congeletur in cryſtallos, aliâve ratione ad ſiccitatem revocetur. Ne verò putet aliquis fruſtrà aquam ſali, ex ſabulo eliciendo, reddi, quam percolatione priùs ab eo ſeparavimus, ſciendum eſt, hâc ratione magnam ſalis copiam anteà in multo liquore diſperſam, nunc concentrari in tam exiguum, quantus ad eum ſolvendum ſufficit; deinde multùm intereſſe inter aquam priorem ipſi vino vel alii liquori ingenitam, quæ ſalem hunc ſibi cognatum non ità facilè dimiſiſſet, & inter aquam communem, nunc affuſam, quæ ſalem hunc eſſentialem, ut nunc primum attraxit, ita mox libenter derelinquit. Si quis etiam omiſsâ elixatione experiri volet, quid diſtillando ſalem ex ſabulo, aut ſabulum vitricando, eſſet proditurum, multa haud dubiè nova deprehenderet, quaſdam etiam fortè peculiares terras produceret. Ità ope hujus ſubtilis percolationis, novam multorum corporum analyſin habebimus, ingentemque materiam utilium experimentorum.

Supereſt ut de ſecundo capite dicam, ſeparatione ſcilicet ſalis ex aquâ, ipsâ aquâ neglectâ. Hæc ſeparatio pluribus modis reddi poteſt facilior, quorum partem jàm attulimus, nam illi ipſi furni compendioſi minore ſumptu aquam in vaporem vertent, deinde ſi percolatione ſal in ſabulo relictus habeatur, elixatione concentrabitur in aquam multò priore ditiorem, adeòque faciliùs incoquendam. Sed ut nunc mittam ſolis aeriſque auxilium non ſatis adhibitum, ſuffecerit dici, quomodo aqua ſequeſtrari poſſit ſimplici motu, ſine ullo igne. Fundamentum hujus meditationis mihi præbuere illæ ſalinæ, quas vocant LECK-WERCKE, ubi magna aquæ ſylveſtris ſive heterogeneæ pars, ſulciæ ſive ſolæ quam vocant mixta, motu lapſuque diſſipatur. Sed perfici operationem poſſe cogitavi, cùm conſiderarem folles illos notos, qui à vento ex aqua per lapſum generato, flatum habent. Inde enim manifeſtè ſequitur, ſi aqua ſalſa ſemel delapſa & per machinam iterum elevata, denuò decideret, denique omni aquâ in vaporem versâ, ſolum ſalem in fundo remanſurum. Has meditationes, quas alij fortè ſecretas haberent, ex multis aliis excerptas, publico impertiri volui, ne forte caſu aliquo intercidant.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS. *ann.* 1683. *p.* 126.

Obſervatio circa bilis motum ab epate ad veſicam biliariam & inteſtinum.

Circa officinam humoris fellei ut ſcriptores varient, cunctis Anatomicis conſtare arbitror. Ego quemadmodum, ſi non omnem, certè maximam ejus partem in epate elaborari, hujus verò notabilem portionem folliculo fellis infundi, aliis concedo, ita haud parcâ manu per ductum epaticum & cyſticum hoc contingere hactenùs ſuſpicatus fui; prout ſuperioris anni calendæ Januarij horum Actorum pag. 20. ſeqq. teſtari potuerunt. Quæ E. poſteà huc facientia annotavi, publico pariter exponere volui. Scilicet aperto vivi canis abdomine, ex veſiculâ biliariâ omnem expreſſi hujus humorem, ligavi ductum cyſticum, expectaturus, an nihilominus, ſi ſubjectum aliquandiu ſuperſtes foret, aliquid bilis, non obſtante hoc vinculo, denegatoque folliculo fellis cum poro epatico commercio, in illo colligeretur; proin conſuto denuò abdomine animal per 24. horas vivum conſervavi, vivumque reſecui. Et per ductum equidem communem Cholodochum, bilis ad inteſtinum confluere videbatur, præter modum tamen inſimul tumente extremitate canalis cyſtici filo intercepta; nihil autem fellis, ſed loco hujus tantillum ſanguinis congrumati & ſapore amaricante, ſine dubio à bilis expreſſæ reliquiis, tincti deprehendebam. Quo ſanè experimento in eo confirmatus fui, in cane, homine, ſimilibuſque animalibus, quibus pori epatici & cyſtici adæquata contingit communicatio, notabilem bilis quantitatem, ab epatico ad cyſtin, per hujus meatum, ſecedere, adeòque ex hâc bilem ad inteſtinum non continuo ſed interpolato motu ferri, eum forſan in finem, ut in diverticulo hoc ſtagnans fermentativam magis induat potentiam.

Quod præter affluxum illum, effluxum ex veſicula neceſſario interdum impedientem, comprobare videtur, quòd quæ per ductum inteſtinalem in ſubjectis vivis continuo motu emanat, bilis aliquoties epaticæ bili ſimilis à me obſervata fuerit, i. e. talis, qualem ligato ductu cyſtico, aut planè reſciſsâ veſiculâ, in aliis deprehendimus, nempe dilutioris flavedinis, conſiſtentiæ fluidioris, ſaporis minùs amaricantis & aliquando dulcedinem ſaccharo Saturni æmulam in lingua guſtantium relinquentem, cùm è contra bilem ex eorumdem ſubjectorum folliculis extractam ſpiſſiorem longè, coloris ſaturatioris & amaritiei intolerabilis deprehenderem.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS. *ann.* 1683. *p.* 153.

Obſervatio atque experientia circa uſum ſpiritus vini externum, in hæmorrhagiis ſiſtendis

Neminem illorum, quos inventa hujus ſeculi Phyſica atque Medica ſollicitos tenent, uſus *liquoris* illius *ſtyptici* latet, quem Colonellus quidam Gallus, *Vivien* dictus, ſuperioribus annis invenit, quique per Galliam, Angliam, Daniam, Germaniam, aliaſque provincias, non ſine inventoris ſingulari famâ, & marſupij turgeſcentiâ circumlatus fuit, ita quidem, ut hoc per varios ſucceſſus comprobato, remedij hujus conficiendi rationem Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Rex 5000. imperialibus comparaverit, ex vitriolo, & alumine medicamentum hoc conſtare, plerique augurabantur; an benè vel malè, impræſentiarum haud diſquiram: licet, quem ante octennium, circiter ex gratioſâ manu Generoſiſſimi cujuſdam viri, cum ſummâ aſſeveratione, eum ab ipſo inventore Gallo immediatè prodire, acceperam, liquor per varias circumſtantias ingredientia hæc teſtaretur. Aſt cùm ſanguinem in grumum condenſando, & obice hoc vaſa ſauciata ſeu lacerata obturando illum ſtypticam virtutem exerere, multi tunc temporis aſſererent, ſimileque ex illius applicatione mihi quoque phænomenon conſpicere contingeret, cogitabam annon ſpiritus vini quoque idem præſtare, i. e. fluxus ſanguinis compeſcere poſſet? Obſervabunt ſiquidem mecum cuncti, qui experimenta phyſica non abhorrent, aut forſan, me haud monitore: obſervarunt, ſpiritum illum ſulphureum, ſanguinem, quem excipit fluidiſſimum è vena eductum, coagulare, ſeu in grumum ſpiſſum maximè & carnem compactiorem referentem cogere; ut illius potentiæ coagulatoriæ taceam, quam in bilem quoque exercere, mechanica docet: adeoque non planè paradoxam theoriam illam meam judicabunt, qua ſimili modo eundem in ſanguinem vitalem quoque forſan acturum, i. e. hujus aliquam portionem coagulaturum, hinc hæmorrhagias vulnerum, vaſorum etiam notabiliorum, ſtiturum, augurabar. Dum autem & hic experiebar, rationem ſine experientiâ,

pariter ac navim ſine rectore fluctuare, & à dubiorum infinitorum procellis agitari, varia in canibus hunc in finem adornabam experimenta, horumque vaſa non tantum minora, V. G. in tibia, ſed majora quoque, ſc. cruralia & jugularia, venoſa æquè ac arterioſa, aliquando arteriam ſolam, interdum ejus ſociam venam ſimul, modò ſecundum longitudinem findebam, modò transverſim reſecabam; & à ſolâ ſpiritûs vini ad pauca momentula applicatione conſtipabantur hæc, ſanguiſque ſtabat, ac nunquam expectationi ſucceſſus haud reſpondebat. Quamvis autem in diſcindendis ac lacerandis vaſis, nec in applicando ſtegnotico unâ eâdemque ratione me uſum fuiſſe recorder, nihilominùs repetitis tentaminibus cuncta removere dubia, cunctaſque penitùs explorare circumſtantias haud detrectavi, inter operandum ſequentes obſervant encheiriſes, ſc. *primò*, ſufficienter, ac probè removi integumenta externa, cutem ſc. cum pinguedine, &, qui interdum obſtabant, muſculis, ut nuda conſpicerentur vaſa diſcindenda, neque illorum moles aut contractio hæc aperta comprimendo, obſtruendo, aut quocunque modo obturando id præſtarent, quod liquori meo adſcripſiſſem. *Deinde* ſecundum longitudinem frequentiùs, rariùs per tranſverſum, vaſa ſauciavi, pariter ne horum extrema vel ſpaſmis propriis corrugata, vel à partibus adjacentibus, in quas retrahuntur, compreſſa, ſine ullius etiam medicaminis uſu, hæmorrhagiam ſupprimerent: quemadmodum ex Chirurgiâ notum hic ſuppono vaſorum in partibus muſculoſis laceratorum, hinc hæmorrhagiæ remedium, ſc. ut reliquis cunctis irritis illa per tranſverſum diſcindantur. Fiſſuras tamen has *tertiò* ſatis longas, & nuperrimè in venâ jugulari externâ, quæ in cane longè eſt interna major, harum unam digiti latitudinem æquantem paravi, deſiderato tamen cum ſucceſſu. *Quartò* in applicatione ſpiritûs vini ità me geſſi, ut priùs aliquid ſanguinis, qui de verâ vaſis laceratione teſtaretur, emiſerim; Hinc, ſine ullâ, vel arteriæ in parte ſuperiore vel venæ inferiore, compreſſione, ſplenium, modò ſimplex, modò duplex, liquore illo imbutum plagæ impoſuerim, digitis vel propriis vel ab uno adſtantium mutuatis hoc quam leviſſimè opprimendo, i.e. vix potentiorem, quàm quæ pulſui explorando ſolemnis, compreſſionem adhibendo. *Quintò* fluxu ſedato, interdum animal cum plumaceolis iiſdem, ſpiritu vini de novo impræegnatis, & faſciis commodis deligavi, ac per aliquot horas quietum detineri curavi: crebriùs tamen ſine ullâ faſciatione dimiſi, ne ſtillicidium quidem ſanguinis in eo obſervans, ut ut variè ſe volutaret, ambularet, &c. *Tandem* ultra quadrantis horæ ſpatium me compreſſionem liquoriſque admotionem nunquam continuaſſe, teſtabuntur, qui obſtetricantes manus his meis experimentis commodarunt; imò poſt pauca horæ minuta ſæpiùs ad deambulandum martyres hos chirurgicos dimiſiſſe, memini: ſemper ſpiritum vini magis dephlegmatum celerioris efficaciæ deprehendens.

Aſt de experimenti fide certo, modum quoque operandi indagare placuit, i. e. an ſpiritus vini, prout quidem olim opinabar, ſanguinem congrumando, an vaſa potiùs conſtringendo, effectum illum præſtaret; ubi remotis plagulis circa vulnus vix me unquam aliquid coaguli ſanguinei vidiſſe recordor: quid tamen proximè ſuperioribus diebus in cane, cujus primò arteriæ cruralis, ſtatim ſub abdomine, truncum, & hâc conſtipatâ poſtmodum venam jugularem externam aperueram, quemque his factis mox ſtrangulari curaveram, deprehenderim, referre lubet. Nempe poſt trihorium ſufficienter luſtratâ plagâ conſolidatâ, nulloque circà hoc viſo grumo, per ſuperiorem & intra abdomen reconditam partem immittebam ſtylum tentaturus, an hic ad inferiora detruſus vulnus vaſis rumperet: aſt quamvis eum ſurſum ac deorſum agerem, ſine laceratione tamen, quam metuebam, hoc contingebat. Aperiebam arteriæ ejuſdem partem inferiorem, ut per hanc ſtyli prodiret apex globoſus, qui tamen nullum ſanguinis grumulum protrudebat. Hinc locum ipſum affectum, qui reliquâ arteriæ parte durior & rubedinis obſcurioris erat, incidebam: nec intra labia, nec meatum hujus aliquid ſanguinis deprehendi. Venæ jugularis vulnus, pariter nullâ grumoſitate externâ ſtipatum, ab immiſſo à parte ſuperiore ſtylo promptius hiſcebat, forſan, vel quòd ſpiritus vini contactum breviùs longè ac arteria dicta, ſuſtinuerat, vel quod tenuior longè exiſteret, ejus ſubſtantia, vel impetuoſiùs forſan inſtrumentum adigeretur, per vulnus autem recrudeſcens cum ſanguine fluido tantillum quoque congelati prodibat, quem effectum ſpiritus vini ſuſpicatus fuiſſem, niſi mox in aliis partium internarum venoſis vaſis, v. g. venæ portæ ſimiles grumorum ſanguineorum molleculas mecum vidiſſent adſtantes. Alterius cujuſdam ſubjecti arteriæ & venæ crurali dextris tranſverſim reſciſſis ac intra pauca minuta conſolidatis, itidem immittebam ſtylum, hunc ad extremitates illarum deſuper movendo: ubi ſingularem obſervabam harum anguſtiam, inſtrumentum non niſi difficulter admittentem; imò hujus apex per aperturam protruſus, membranulam quandam tenuiorem videbatur ſimul promere, ſimilem forſan pelliculæ tenerrimæ, quam vaſorum plagis liquorem ſtypticum Gallorum inducere *Acta Hafnienſium* perhibent. Quibus accedit, quod ſpiritus vini non ſtatim & ex tempore ſanguinem in grumum cogat, è contra momentaneo quaſi contactu partibus corporis ſolidioribus, V. G. carni, cerebri & epatis ſubſtantiæ, nervis &c. firmitatem notabilem, imò tractu temporis duritiem cum denſitate commutando. Et ultra quadriennium aſſervo cor in muſæo meo, è cadavere humano extractum, quod poſt aliquot tantùm dierum in ſpiritu vini ſimplici macerationem, oſſeam ferè ſoliditatem induit, omniſque ideò putredinis adhuc expers cernitur: ità ut veroſimiliter augurari liceat, liquorem conſtringendo ſeu denſando in vaſa potiùs, quàm ſanguinem agere, ſicque hæmorrhagias compeſcere, quod illis minùs paradoxum videbitur, quibus illius virtus in vulneribus conſolidandis & gangrænâ arcendâ maxima innoteſcit.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS. ann. 1684. p. 360.

Caſtor Mas.

Gedani diſſectus, ann. 1684. *Menſe Aprili, ab E. G. H.*

CUtis non adeò firmiter cohæret cum Panniculo Carnoſo, qui membranoſus ſaltem & pauca pinguedine, niſi circa inguina, ubi paulo copioſior, munitus.

Abdomen ampliſſimum, pectus exiguum, & ſternum brevius.

Pancreas ultra ulnam longum, ſed gracile. Ductus tamen Virſungianus pennam anſerinam amplitudine æquabat circa inſertionem, quâ ferè $\frac{3}{4}$ partibus ulnæ diſtat ab inſertione Ductus Cholodochi.

Omentum invenimus ſat inſigne, quod nullum obſervavit Schraderus in Caſtore apud Blaſium Anat. Animal. p. 49.

Circa orificium ſuperius Ventriculi primò tunica communis, deinde Muſculoſa, poſteà totum orificium inſtar coronæ cinctum invenimus corpore glanduloſo in varias eminentias fabricato, quarum ſingulæ interiùs cavæ ductu quodam ſtylum ſatis craſſum admittebant, à Ventriculi cavitate intruſum, exteriùs verò convexæ apparebant, niſi quòd in centro convexitatis, foveam aliquatenùs concavam, quaſi collapſæ quodam modo, ſiſterent, unde Wepferus apud Blaſium anat. animal. p. 45. extremitates illas canaliculorum cæcas appellat. Corpora hæc, quâ ventriculi cavitatem reſpiciunt, pelliculâ quadam, totam eorum circumferentiam ambiente, dum extenditur ventriculus, claudi videntur, & vera deprehendi, quæ Wepferus apud Blaſium cit. loc. notat.

Lien ſpithamam longus, ſed gracilis, & vix digitum latitudine & craſſitie æquans.

Epididymides admodum Varicoſæ & Vaſis turgidæ.

Capſulas duas ſuperiores,quæ utrinque in unum orificium & rimam hiant, ac in quibus Caſtoreum reperitur, uterum eſſe credidimus, quia illas Medicus quidam, qui aderat, in Caſtore ſtatim poſt partum diſſecto inſigniter amplas invenit & cavas inſtar pugni. Accedit, quod animal hoc binos tantum fœtus unâ vice generet. Ejuſmodi verò animalia, quæ duplicem tantùm prolem producunt, maſculum gignere & fœmellam ſolent. Duo verò embryones, ex Caſtoris abdomine à venatore (neſciebat verò, utrùm ex his capſulis, an alio ex loco) exciſi, ſexu non diſtincti fuerunt ab eodem Medico. Reſtat quòd idem in pluſ-quam XV. Caſtoribus à ſe diſſectis, & Penem, & Teſticulos, & Capſulas Caſtorei retentrices, & Corpora Glanduloſa his capſulis ſubjectis ſubjecta, quæ mammas mox nominabimus, repererit; unde animalium hoc genus in hermaphroditarum numero conſtituere tum temporis probabile videbatur.

Capſulis dictis Caſtoreum continentibus duo adjacent, inferiora verſus, corpora extra abdomen, quæ Veſiculas vulgò Auctores vocant. Sed deprehenduntur corpora glanduloſa interiùs notabiliter cava, in quibus materia ſubflava caſeum putridum redolens, inſtar Lactis coagulati, reperitur. Corpora hæc circa extrema ſua in rimam dictam papillâ quâdam terminantur, à quâ verſus interiora proceſſus ſtyli non datur ab extra: ſtylus verò à cavitate intruſus per dictam papillam exitum facilem ſortitur: unde mammas hæc corpora eſſe credidimus,

Vaſa Spermatica ad Teſticulos tendebant, quorum venæ admodùm pampino-formes.

Deferentia vaſa utrinque duplicia, conjunctim quatuor. Quorum duo interiores rami, poſtquam ſub fundo Veſicæ ampliati fuerunt longitudine digiti tranſverſi, ſe conjungebant, donec ab hinc longitudine dimidij digiti tranſverſi rami duo exteriores etiam huic trunco ſe aſſociarent, & communi tandem papillâ diverſis orificiis prædictâ in vretram terminarentur.

Ventriculi ſaccus, quaſi bifidus, in cujus parte priore, quæ cum Gulâ connectitur, materia fluida, in alterâ poſteriore, quæ membranaceo circulo, à primâ diſtincta eſt, multò craſſior apparet.

Renes ſuccenturiati corpora ſunt triangularia, intùs cava & exilia.

Coſtas animal 12. veras, 3. ſpurias ab uno latere habet.

Muſculos maxillæ inferioris validos habet, ut temporalem & Maſſeterem imprimis, quia & alimentum ſolidius, lignum ſcilicet, comminutione validiori opus habet.

Sub maxillâ inferiore & mento in corpus conglomeratæ glandulæ ab unâ maxillæ parte ad alteram, conſpicuæ ſunt, quarum ductus excretorii in cavitatem oris terminantur, pro commodiore ſiccioris alimenti digeſtione.

Os non nimis extendere & aperire valet animal, ſed rodere ſaltem poſſe inciſoriis quaternis dentibus, ſatis prominentibus videtur. Molaribus verò ſerpentinas admittentibus flexuras, conterit ſarmenta, dum maxillam extrorſum introrſumque movere valet,

Epar ſex lobis conſtat.

Quæ notanda circa inteſtina occurrunt, ruptura & dilaceratio eorundem à globo plumbeo facta non permittebat.

Caſtoris fœmellæ Diſſectio, inſtituta ab eodem.

IN alio Caſtore mediocris magnitudinis, Muſculum obſervavi ſub cute ſtatim totum abdomen & pectus cingentem. Oritur ab utroque latere pollicis unius latitudine, à lineâ albâ: & Muſculis Rectis ſuperſternitur, fibriſque tranſverſis ab uno abdominis latere per tergum decurrit, donec in oppoſito latere pollicis latitudine à lineâ albâ, in membranam exiguam, quæ lineam albam cum aliis muſculorum tendinibus conſtituit, terminatur, atque ità veluti cingulum totum corpus ambit. Muſculus hic in tergo cuti arctiſſimè adhæret, & natus videtur eſſe, pro abdomine: quod ampliſſimum eſt, conſtringendo, cùm reliqui abdominis muſculi minus valentes & ſatis flaccidi deprehendantur.

Capſulæ, in quibus Caſtoreum reperitur, multas ramificationes vaſorum ab Hæmorrhoidalibus accipiunt, ut & Mammæ ſubjectæ.

Cartilago enſiformis Muſculos accipit à Pectoralibus, qui in eam terminantur, ac in inſpiratione elevant.

Fruſtum inſtar muſculi glanduloſum, quod ſub mento, anteriorem, & laterales colli partes velat, plurimos ductus ſalivales emittit, inprimis ab utroque maxillæ inferioris latere unum grandiorem, qui Maſſeterem tranſcendens, inter hunc & Muſculum, totum animal involventem, decurrit, donec papilla, cujus extremitatem valvula claudit, in buccâ propè maxillares dentes inferiores Lympham ſuam exoneret.

Alii duo ductus in medio colli Laryngem tranſcendentes, variis flexuris abſolutis, uno tandem trunco conjuncti ſub linguâ, poſtquam valvulas robuſtiſſimas pro reflexu ſalivæ impediendo formârunt, unâ papillâ liquorem ſuum deponunt.

Circa ſitum viſcerum in Abdomine obſervavimus Epar in medio jacens.

Inteſtinum cæcum horrendæ molis in hoc animali & plus quam ulnam longum, palmam latum, bis abdomen ab uno Epigaſtrio ad alterum emetitur.

Colon lòngiſſimum non totam modò abdominis regionem à tergo circuli inſtar cingit, ſed in dextro primùm latere, varias flexuras admittit, hinc per tranſverſum abdominis decurrens ad ſiniſtrum latus ſcandit, ubi iterùm abſolutis ſerpentinis gyris tandem in Rectum terminatur. Cellulatum valdè eſt & ligamenta nervea fortiſſima habet, tam ad Rectum quam Cæcum tendentia.

Ramificationes Vaſorum admodùm notabiles erant, inprimis illorum, quæ à Cæliacâ arteriâ ortum trahunt, ut Pancreatica, Gaſtrica, Splenicaque.

Ductus

Ductus Cholodochus prægrandis pennam minorem anſerinam referebat.

Pancreaticus ductus ulnæ ferè longitudine à ductu Cholodocho notabili, qui plurimas valvulas admittebat, inter tunicas inteſtini decurrens, inſerebatur.

Subjectum noſtrum verè fœmininum fuiſſe conſtat ex præſentiâ uteri cum 2. cornubus, uti in canibus, ac ovario adjacente. Uterus ſitum obtinebat naturalem inter Veſicam & inteſtinum, neque penis aderat, vaſa ſortitur uterus ut & veſica ab Hypogaſtricis, ſpermatica Vaſa ad Ovarium tendentia ſe oculis objiciebant.

In utero nihil occurrebat ſingulare, niſi quòd utraque Tuba ſeù cornu, cùm ad regionem fundi uterini accederet, ſuo ductu ultra duorum digitorum latitudinem cum ſemiſſe ſigillatim & ſeorſim ſerperet, duplici per ſubſtantiam uteri cavitate formatâ, quam paries membranaceus diſtinguebat, donec circa orificium uteri internum, duplici papillâ Cartilagineâ in Vaginam terminaretur: ità ut nullus in utero fundus aut cavitas pyriformis in eo obſervaretur, niſi quòd, ubi fundus eſſe debebat, cornua continuata paulò ampliora deprehenderentur.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS. *ann.* 1684. *p.* 419.

Experimentum ad circulationem ſanguinis pertinens, propoſitum Venetiis in Academia, cujus Dn. Sarrotti Secretarius Venetus fundamenta jecit.

Excerptum ex Ephemerid. Gall. Menſis Martij, anno 1684. *n. VII.*

Hoc experimentum ope machinæ, quæ aëri è vaſe extrahendo ſervit, capitur; Lamellæ applicatur magnum orificium vaſis recipientis, quod ſuperiùs parvam aperturam oſtendit, veſicâ porcinâ claudendam. Per hujus veſicæ medium tranſit tubulus, ita quidem ut altera ejus pars è vaſe recipiente emineat, altera arteriam emulgentem ſubintret renis alicujus, iſta arteria adeò arctè applicatur & alligatur tubulo, ut, cùm recipiens aëre vacuum eſt, liquores tubo infuſi potiùs renem ſubeant, quàm in vacuum recipientis delabantur. Itaque ad probandam circulationem ſanguinis ratione ſat evidenti, tubus, ope cæmenti, ſuperiori parti vaſis conferruminandus & poſtmodum aquâ eo uſque replendus eſt, ut minor tubus eâ tegatur. Tum vacuefacto ab aëre vaſculo, aqua tubi per tubulum & arteriam emulgentem illabitur, & per renem circulatus ex vena prodit, ità quidem ut ejus nihil ex uretere deſtillet. Si autem contrà immiſſo in venam emulgentem tubulo, arteria ad vas recipiens propendeat, quantumvis aër omnis è recipiente extrahatur, ne guttula aquæ ex arteria emanabit. Id quod luculenter probare videtur; Naturam ità hæc diſpoſuiſſe, ut ſanguis ex arteriis in venas progrediatur, per eandem autem viam reverti nequeat. Quod ſi obturamentum cannabi cæmentovè involutum ſuperiori parti tubuli ad exactiorem clauſuram immittatur, & Ren inflatus, in vacuo per unum alterumque diem relinquatur, particulæ aëris magis evolutæ & rarefactæ vaſcula illius ſeparabunt, ut per apertum poſteà tubum, ren magis inflari queat, hincque manifeſtè appareat, viſcus illud nihil eſſe aliud quam glomum vaſorum, quorum ſubtilitas carnis glandulosæ ſpeciem ipſis conciliat.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS an. 1686. p. 386.

Relatio deſumpta è Diario Societatis Dublinenſis; de Evacuatione Sanguinis periodica per extremitatem digiti factâ.

Traducta ex Tranſact.

Angl. M. Maij, 1685. *num.* 171. *p.* 989.

Gualterus Walſh, caupo *Trymenſis*, natione Hibernas, homo temperatæ diætæ, complexionis ſanguineæ & jucundi ingenij, circiter Paſchatis tempus anni 1658. ætatis ſuæ 43. correptus fuit ingenti dolore totum brachium dextrum occupante, unà cum intenſo calore & rubore manus dextræ, & compunctione in apice indicis, in quo ipſo apparebat exigua macula, haud ſecùs ac ſi exilis ei ſpina eſſet infixa: id quod etiam credens homo cùm aperturam ibidem feciſſet, ſanguis inde promicuit fluxu violento, ſed tenui: ſedato dein aliquantiſper impetu ceſſare videbatur ad tempus, ac tantùm ſtillabat; rurſum verò poſtmodò cum violentiâ proſiliebat, continuato ſic per 24. horas profluvio, donec tandem ſecuto animi deliquio ſanguis ſponte ſiſteretur, doloreſque relinquerent ægrotum. Ex iſto tempore per reliquum vitæ ſpatium (quod 12. adhuc annis duravit) ſimilibus paroxyſmis frequenter infeſtatus fuit, inducias expertus raró plus quam bimeſtres, nunquam tamen tribus hebdomadis breviores. Haud minus ferè ſanguis qualibet vice mittebat quatuor libris, (*then à Pottle:*) copiâ ſcilicet ſanguinis minore erumpente, quo frequentiores paroxyſmi: majore quo pauciores contingebant. Quotieſcunque tentabant ſanguinem ſiſtere, exquiſitiſſimos in brachio cruciatus experiebatur, nec ulla remedia, qualia qualia adhiberet, vel minimum eum juvabant. Non alio cæteroqui morbo vexabatur; nec anni, nec tempeſtatum viciſſitudines quicquam in eo operabantur. Exterius nihil ipſi accidit, quod profluvio huic primam dediſſe cauſam dici poſſet; cæterum cùm conſuetum demenſum bibendo exceſſit, perſenſit ſemet ad ſanguinandum procliviorem. Sobolem non procreavit, ex quo primum hoc affectu correptus eſt: cujus frequentes acceſſiones eum tandem adeò debilitarunt, ut etiam verſus vitæ finem nonniſi parùm ſanguinis funderet, qui inſuper aquæ ſolùm ſanguine dilutæ ſimilis apparuit. Deceſſit denique ex hoc morbo die 13. Februarii, anno 1670.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS, *Ibidem pag.* 387.

Relatio de Cochleæ putamine reperto in Rene mulieris cujuſdam à D. Peierce Bathoniâ ad ſocietatem Regiam tranſmiſſa.

Traducta ex iiſdem Tr. Angl. M. Maij 1685. *p.* 108.

Mulier quædam nobilis, annorum circiter 28. obeſa valde ac corpulenta, conflictata per multum tempus frequenti & violento quandoque vomitu, incidit tandem in febrem, initio quidem non admodum pravis ſymptomatis comitatam; ipſa tamen intra paucos dies deceſſit, idque repentè; Ad inſtantiam ejus propinquorum cadavere aperto, ac examinatâ prius inferiore regione, mox reperi id quod cauſa fuiſſe dici poſſet longorum ejus vomituum, (ac fortè febris etiam & mortis inſecutæ)

tæ) ulcus videlicet in pancreate, quod ſphacelatam reddiderat partem ſtomachi ac inteſtinorum, quæ proximè adjacebat. Quandoquidem verò defuncta varia adhibuerat contra calculum directa, (cùm plures Medici, æquè ac alii, vomitus ejus iſti affectui, imputaſſent,) videre ſtatui, quonam in ſtatu renes ipſius eſſent, Obtecti hi erant prodigioſâ adipis quantitate; quam cùm manu removiſſem, ac unum è renibus prehenderem, acuti quid offendere digitum meum perſenſi in inferiore renis parte, quâ ureter inſeritur, id credens calculum eſſe mox arripui, ac viâ mihi dein ope cultelli eò aperta exemi (circumdatum abundanti materia muſcoſa & ſanguinolentâ) ac ſepoſui; apertis renibus, nec ſabulum quidem ibi (nedum calculum) inveni in utroque. Examinatâ verò ulterius materiâ prædictâ, (quam pro calculo habueram) abluto nempe muco ipſam ſtipante, deprehendi eam eſſe exiguam cochleæ teſtam pulchre admodum elaboratam, in cujus cavo erat materia muſcoſa & viſcida, quantum ad conſiſtentiam non multum abſimilis ipſi cochleæ cujuſdam ſubſtantiæ, coloris tamen ſanguinei.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS
ann. 1687. *p.* 138.

Obſervatio anatomica circa poros in piſcium cute notandos.

Dari poros in cute hominum aliorumque animalium in aere libero viventium, factos ad tranſpirationem; extra controverſiam eſt, egregiiſque modernorum obſervationibus quam maximè illuſtratum. At verò in Aquatilibus tale quid notari, curioſius eſt, ſiquidem id genus brutorum, quod undis innatat, vix ac nè vix quidem tranſpirare, multò minùs ſudare videtur, ob aquæ ambientis continuum frigus. Cùm itaque Cl. Steno in raja primum, deinceps in cane, carcharia & anguilla iſtiuſmodi poros meatuſque cutaneos reperiret, non malè ſuſpicabatur, ſe offendiſſe fontes, è quibus prodeat unctuoſus ille humor, ſuperficiem piſcium lubricans. Liceat Cl. Viri obſervationibus noſtras ſuperaddere qualeſcunque, inprimis concernentes pororum in piſcibus cutaneis ortum, progreſſum, ſitum, numerum & magnitudinem. Circà ortum præcipuè notandum eſt, poros illos non eſſe cutis proprios, ſed longè altiores interdum radices agere, atque in ipſam quoque oſſium ſubſtantiam longius abire. Manifeſtum id eſt in piſcium capitibus, nam & in cranio, qui proſequi meatus hos ac denudare velit, neceſſum habebit, ad medietatem oſſa ut dividat, non ſine cultri difficultate, præſertim ſi annoſiora tentaverit ſubjecta: in mandibulis autem, ſpeciatim lucii, eoſdem abſque ullo negotio ſpectare quivis poterit, ſi modò cum piſce conferat mandibulas, quales in officinis noſtris aſſervantur. Progreſſus diverſus eſt: videas alios profundiores, alios magis ſuperficiales, longiores nonnullos, quoſdam breviores: alios rectos, atque viciſſim tortuoſos alios. Situm quod attinet pororum, deprehendimus equidem cùm hinc indè ſatis regularem, præſertim ſi jam dictam intueamur lineam, quæ in utroque latere piſcium à capite ad caudam uſque decurrit, nihilominùs qui diverſas piſcium ſpecies inter ſe conferre amat, videbit non obſcurè ſingulis peculiarem eſſe ordinem, ità ut, & nonnunquam ſitus illorum quodam modo confuſus ac minùs regularis exiſtat.

Exempli loco ſit lucii caput, ut non modò ſeries pororum in ſuperiore, ſed & inferiore parte oculis perluſtrari queat. Et quemadmodùm ſitus omnium non eſt æqualis, ità certè & numerus multùm occurrit diſſimilis. Paucos vidimus in carpionis capite, adhuc pauciores in percâ, quanquam ſatis ponderoſâ, copioſiſſimas autem in tincâ. Interim fatemur ultrò, certum nullibi determinari poſſe numerum, quoniam non pauci adeò ſunt exiles atque latentes, ut oculorum quoque aciem non parùm eludant. Scilicet in piſciculis junioribus minoribuſque vix certus illorum eris, niſi fortè microſcopii beneficio, in majore piſce nihil jucundius, in ſpecie ſi lucium ſumas, quippè cujus pori non modò ſetam admittunt, ſed & majorem ſtylum, quod ſi igitur flatus per tubulum immiſſus fuerit, pergit idem ex uno foramine ad reliqua communi ductu inter ſe ſe connexa, ut ſine oblectatione ſingulari ſatis ſpectari non valeat.

ACTA LIPSIENSIA
ann. 1687. *p.* 284.

Obſervationes anatomicæ circa congreſſum, conceptionem, geſtationem, partumque ranarum.

Quamprimum veris hujus initium poſt ſuperatum brumale frigus ſalutavimus, vidimuſque ex hybernaculis ſuis prodire ranas, elegans profectò nobis occaſio oborta eſt inquirendi penitius in prima naſcendarum ranarum initia, curioſa omnino, ſed hactenus à nemine ſatis accuratè deſcripta. Dies erat Martii menſis undecimus, qui primam ſuggerebat fœmellam utero jam jam gerentem, à quo tempore ad præſentem uſque horam innumeræ occurrunt fœminæ pariter ac mares. Inter illas aliæ quidem jamjam pepererunt, aliæ adhuc utero geſtant, aliæ nondum compreſſæ ſunt: hi autem vel deprehenduntur in ipſo coëundi actu vel ad congreſſum proni, vel etiam exhauſti Venere atque languentes. Sunt enim mares circa veris acceſſum excreſcentiâ quadam in pollice utriuſque pedis anterioris calloſa, quæ mirabili & ex holoſerico quaſi confecto integumento occultatur, typhæ aquaticæ quoad ſubſtantiam & colorem non multum diſſimili. Atque hæc ipſa macula firmiter primùm adhæret in iis, qui congreſſum appetunt: laxiùs adhæret ac detrahi poteſt in his, qui Venerem exercuerunt crebriùs: decidit denique ſuâ ſponte poſtquam robur virile proſtratum eſt. Interiora ſi ſpectes, notabis præcipuè veſiculas ſeminales in viris ante coitum adeò intumeſcere à lacteſcente ſpermate, ut non rarò ſexies & ultrà ſuperare magnitudinem viſæ ſint: qui in congreſſu capiuntur, non unius magnitudinis veſiculas oſtendunt, ſed modò majores, modo minores pro diverſitate ſcilicet vel ejecti vel iterum collecti ſpermatis: qui verò ſuo jam ſatisfecerunt officio, iis unà cum pene atque pollicum callis minuuntur veſiculæ ſeminales ità ut vix ac ne vix quidem conſpiciantur, niſi quis per ureteres apertos flatum immittat. Fœmellæ contrà & graciles in pedibus pollices ubique ſervant, & veſiculis illis ſpermaticis penitùs carent; aſt teſticuli longè ampliſſimi ſunt, multis modis teſtes marium ſuperantes, & oviductus cum duplici utero adeò ſunt aſpectu jucundi, ut nihil in ranâ elegantius cernatur, quàm applicato ad Tubæ ſuperius orificium tubo, ſi flatu diſtendatur. Ovula verò in fœmellarum ſic dictis teſticulis ſeu potiùs ovariis reperta, ab initio exiliſſima ſunt & pellucida, ſucceſſu temporis accreſcunt eadem pedetentim, coloremque ſuſcipiunt ex lacteſcente lividum, in quibuſdam nonnihil viridem: poſtmodùm ovaria planè variegata deprehenduntur, aliis quidem ovulis lividis aut quodam modo vi-

reſcentibus, aliis ex toto, atque aliis ex parte fuſcis, donec tandem nigra prorſus evadant maturitate, atque tum demùm ad concipienda intra uterum ovula admodùm propinquæ ſunt ranæ. Nimirùm & ranas obſervavimus cum maribus ſuis congredientes eo etiam tempore, quo ovula non omninò nigra, ſed variegata comparuerunt, tumque non modo fœmellarum tergo, quod ſolemnius eſt, ſed & abdomini incumbunt mares. Qui primus congreſſus dubio procul ad imprægnanda ovula idem valet, quod in Gallinis e. g. galli coitus, h. e. ut plura ſimul ova fœcundentur. Nam & analogia partium genitalium ſimilem cum avibus congreſſum ſuadet, & alteratio illa notabilis, quam circà fœmellæ compreſſæ anum videre licet, idem confirmat; ut taceamus ab iis, quos captandi ranas ergo emiſimus, non imperitis rerum naturalium, ſanctè conteſtatum, non ſemel ranas obveniſſe juxta conſuetudinem volucrum vere exeuntes junctis podicibus. Verùm longè curioſior eſt alter ille congreſſus, ranis peculiaris, qui nempe tum demùm contingit, quando matura jam ova utero excipienda veniunt. Id verò nullibi clariùs, quàm die 18. Martij vidimus in ranâ ex ulnis mariti ſurreptâ. Cùm enim abdomen ejus aperiretur, occurrebant primùm in dextro latere ovula ſaltem bina, liberè inter cor, & pulmones oberrantia, in ſiniſtro latere plus quam triginta reperiebantur ſimilia, illæſis tamen & ovariis atque ovulis. Elevato igitur ſterno, cùm ad oviductus initium properaſſemus, viſus eſt dexter ad duorum circiter tranſverſorum digitorum latitudinem planè vacuus, in cujus tamen progreſſu plura hinc inde notabantur ovula, ejuſdem magnitudinis & coloris cum his, quæ libere in thorace volutabantur. In ſiniſtro autem latere principium oviductus adeò erat repletum, ut cùm tubulum applicare voluiſſemus, unum alterumque redierit ex oviductu compreſſo ovulum, & reliqua flatum immittendum omnino ſufflaminarint, in reliquo oviductus progreſſu nonniſi tria obſervare licuit ovula, quanquam utrumque ovarium ſemi exhauſtum, & uterus ex utraque parte ſemiplenus occurreret. Quapropter dubium non eſt quin ovula ex ovario in oviductum atque per hunc porrò in uterum uſque deferantur, favente imprimis maris compreſſione in ranis. Neque enim amplexus ille adeò fortis ac diuturnus de nihilo eſt, ſiquidem inde etiam natas in pectore ſuggillationes cum excoriatione ſæpiùs monſtrarunt fœmellæ, indicantes hâc ratione & locum atque vires in compreſſione à maribus factâ. Videlicet quia oviductûs extremitas, ſecùs ac in aliis obſervatur brutis, immobilis exiſtit, longiuſque ab ovario diſtat, factum eſt egregio naturæ inſtituto, ut cùm venter ranæ cum ſterno mobili à ranâ comprimeretur, ovula ex ovario delapſa verſus ſuperiora adigantur, ab oviductus adæquato ore excipienda. Juvat autem ovulorum ingreſſum non parùm cordis motus & pulmonum, ſiquidem inter inſpirandum cùm pulmo elevatur, hoc ipſo ovula quoque attolluntur verſus cor, dum verò hoc attingunt, impelluntur continuò, ac partim à pulmonis, partim à cordis auricularumque motu tamdiu redduntur inquieta, donec foramen oviductus ingrediantur. Tum verò quæ ſemel ingreſſa ſunt, ad uterum uſque deducuntur, virtute canalis propriâ, quippè qui inteſtinis admodum ſimilis ſine dubio ſimili quoque motu periſtaltico gaudet. Hunc in finem fibris inſtruitur variis, tenuibus, ſed egregio diſpoſitis ordine, quæ in oviductu aperto non obſcurè conſpiciuntur, nudo etiam oculo, niſi quis forte hebetudine laboret enormi. Reſtat itaque unicum ut expediamus, nimirum unde prodeat albumen illud ſeu pellucidus liquor ſummeque viſcidus, qui nigra circumdat ovula. Etenim quæ recenter utero excepta ſunt, ab initio tantillum liquoris illius admixtum habent; augetur nihilominus hic ipſe in dies adeò ut tandem pondus oculorum omne ſuperet. Ad hæc mirum eſt, viſciditatem eam non tam accreſcere cum numero oculorum in uterum delapſorum, quàm ſupervenire potius, poſtquam exhauſtis ovariis uterus omninò plenus eſt: ne dicam obveniſſe nobis ranam, in cujus ſiniſtro utero perfectum jam ex omni parte ſperma detinebatur, in dextro tamen nuda ferè apparebant ovula, fortaſſe tardius huc delata ob inæqualem maris compreſſionem; ſiquidem ejus luculentum in pectore matris vidimus teſtimonium, excoriationem putà non in utroque ſed ſiniſtro ſaltem latere conſpicuam. Sed ad rem: à mare injici liquor hic viſcidus non videtur, quia talis in ejus veſiculis ſpermaticis non invenitur, ſed fluidus magis & lacteus. Neque ex altera parte maternus id promittit uterus, ut potè cujus ſubſtantia purè membranacea eſt & tenuis admodum, ſi duplicaturam ejus, qua lumbis annectitur, excipias. Nec denique ovulis vel in ovario, vel dum in cavo ventris fluctuant, quicquam accreſcit, ergo ſupereſt unice, ut in oviductum inquiramus. Favet autem huic primò, quod reperiamus, non quidem ubique, ſed hinc indè pellucidum liquorem inter ovula trajicienda permixtum. Secundò majorem illius humoris copiam vidimus circa inſertionem oviductûs ovulis affuſam, minorem in reliqua uteri cavitate. Tertiò ſi aperiatur oviductus, occurrit ibidem glutinoſus humor, qualem in reliquo corpore nuſquam reperire licet. Denique quartò extra omnem dubitationem nos collocavit microſcopii uſus: hujus etenim beneficio vidimus non obſcure glandulas omnem oviductus cavitatem undique contegentes. Et quemadmodum canalis ille poſt partum miris modis attenuatur, tum amplitudine, tum ſubſtantia, ita & glandulæ hæ tum temporis longè exiliores ſunt. Eædem ante ingravidationem multùm majores ſpectantur, quando & conſpectiores & craſſiores ſunt oviductus. Aſt ſuaviſſimum planè ſpectaculum præbent ranarum utero gerentium oviductus, quippe qui aperti non modò glandulas offerunt ſatis conſpicuas, ſed & è glandularum poris manantem lympham. Quas enim ibidem ſpectandas fibras ſuprà memoravimus, eæ glandulis his concatenatis teguntur miro naturæ artificio: interjectæ autem ſtriæ (quales ferè in extremitate digitorum noſtrorum cernimus) decurrentem inde humorem & colligunt & provehunt ulterius. Poſito igitur maximam requiri hujus liquoris copiam, ad fovendam ac fortaſſis enutriendam etiam ranarum ſobolem longè numeroſiſſimam, non deterremur, attamen à jam declaratis fontibus; quandoquidem ſufficere poteſt, & glandularum illarum immenſa frequentia & ipſius canalis longitudo, quæ ſi à meſenterio ſuo liberentur hæc inteſtinula, in minoribus etiam ranis dimidiam, in majoribus integram fere ulnam noſtratibus uſitatam attingit. Adde his diuturnitatem temporis quo ranæ utero gerunt, non hora aut die, nedum ſeptimana circumſcriptam, & res omnis ſalva erit.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS ann. 1707. p. 278.

Bericht en opmerking wegens de ſtaat van een Buitengewoone, zo genaamde ſlaapziekte de ſtolwijk voorgevallen, i. e.

Relatio de affectu Soporoſo extraordinario, Stolvici obſervato. Roterod. apud Eliam Yvans & Petrum Van der Veer 1707.

MUlta hactenus in Relationibus publicis de ruſtico per multos menſes dormiente fuerunt ſignificata, quoniam autem plenariam fidem illis ſemper habendam non eſſe, in comperto eſt, rarus autem hic caſus omninò meretur, qui cum orbe literato communicetur, brevem ejus hiſtoriam ex ſcripto hoc, in quo quatuor Doctores Roterodamenſes, ſcilicet Paulus Walwiik, Cornelius Van der zee, Henricus Snellen, & Abraham Salomon Van der Voort, eum viſitantes, quæ vel ipſi viderunt, vel ab adſtantibus audiverunt, conſignarunt, delineabimus.

Dirk Klaasz Baker Baker Stolvici propè urbem Goudam degens, annorum 32. vir probæ vitæ, & in tectis arundine contegendis ſtrenuam navans operam, poſtquam ſub initio anni 1706. poſt patris mortem, deteriorem hæreditatis conditionem, quam ſperaverat, invenerat, melancholiæ ſe dedit, ita ut quotidie magis magiſque ſolitudinem amaret, & ab omnium hominum frequentiâ remotiſſima quæreret loca, tempuſque in libro, quem ſemper ſecum geſtabat, legendo tereret, ſæpius etiam de die lectum petens ut plurimùm dormiret, ſubindeque evigilaret. Cogitationibus interim ſuis admodum inhærebat, nec ad quæſita niſi magno temporis intervallo interjecto reſpondebat, inſtar eorum, qui ex profundo ſomno ſunt excitati. Cujus rei cauſam manifeſtare detrectabat, ſicque tres conſumſerat menſes, i. e. ad finem uſque Martii, ubi ingraveſcentibus ſymptomatibus iſtis, plerumque temporis in lecto traducebat, ſubindè tamen laboribus etiam vacabat. Sudorifera interim dantur, ſanguis aliquoties ex venâ educitur, qui bonæ conditionis obſervatur, clyſmata injiciuntur, ſed omnia abſque ſucceſſu. Die 24. Junij ſomno profundo ſepeliebatur; hinc veſicatoria nuchæ appoſita magnam quidem ſeri copiam elicuerunt, ſed abſque euphoriâ. Die 29. Junij emeticum infundebatur, inde non ſolùm magnam pituitæ copiam evomuit ille, ſed & exſuſcitatus & cum adſtantibus locutus fuit. Pauca verò poſt minuta iterùm obdormivit, ſomnumque ad 13. Julij continuavit, quo ſubito exclamando aquam popoſcit, quâ avidè, clauſis licèt oculis, epotâ, eundem ſoporem repetiit, & ad 11. uſque Januarij diem anni currentis ſub eodem gradu & abſque ullo ſtertore protraxit. A die 29. Junij uſque ad medium Auguſti præter dictam aquam nihil alimenti aſſumſit, ſi vini Hiſpanici circiter uncias tres vel quatuor excipias. Ab illo tempore ſorore ejus ſingulis ſex diebus unicum bolum panis & carnis ori ingeſſit; tandem ſingulis diebus fere bis vel ter oblatum cibum ſub eâdem quantitate, clauſis tamen ſemper oculis, deglutivit ille, ità ut tam paucum alimentum infanti recens nato pro vitâ ſuſtentandâ vix ſufficeret. Uno tempore faciliùs deglutiebat eadem, quàm alio, de potu præter dicta nihil aſſumebat. Inſenſibilis tranſpiratio, exilis admodùm, ex arido habitu judicabatur, ſudor nullus, fæces alvinæ paucæ, donec die 27. Julij ſequentibuſque 14. diebus poſt Elyxir Propretatis infuſum quotidie egereret dormiens, ſed abſque morbi levamine. Cùm verò cibus ei præberetur, ut dictum, quotidie vel ſingulis binis diebus lectum urina & fæcibus commaculavit. Quæ ſordes ut evitarentur, ſellæ fuit impoſitus, foramine pro illis tranſmittendis inſtructæ; hæque ſemper viſcidæ, fuſcæ, duræ, ſubindè liquidæ excernebantur. Pulſus erat æqualis, ſed parvus & tardus, niſi quòd poſt ſpirituum naribus admotorum uſum ille acceleraretur. Ut plurimùm abſque motu jacuit dormiens, rariùs ab uno latere in alterum volvebatur, palpebras quandoque movebat, oculos tamen non aperiebat, collum etiam extendebat, tuſſiebat. Poſtquam igitur ultrà 6. menſes dicto modo dormiverat, die 11. Januarij hor. 10. matutinâ poſt tuſſim, ſomno plenariè excuſſo, oculos aperiebat, de nullo conquerens dolore, ſed ſolum lumen oculis moleſtum eſſe pronuntians. Laſſitudinem verò membrorum & capitis gravitatem accuſabat, corporiſque marcorem mirabatur, vixque, ſe tamdiu dormiviſſe, ut crederet, à ſe impetrare poterat. Famelicus cibum poſcebat, potum hauriebat, & prudenter loquebatur. Cepit poſt hæc quidem aliquotiès iterùm ſomnum, ſed interruptum, & cum ſtertore. Die 12. Januarij horâ 8. matutinâ arctè & graviter & priſtino modo dormitare denuo cæpit, & die 22. Februarij, quo ſupra nominati Doctores ſcriptum hoc ſubſignarunt, adhuc dormivit.

Ex ACTIS LIPSIENSIBUS. ann. 1715. p. 456.

D. S.S. obſervatio de Polypo æſophagi vermiformi rariſſimo, à nimio pulveris Hiſpanici ſternutatorii, vulgò Spaniol, uſu excitato.

CAupo quidam in pago *Poſſewitz* propè Pirnam, *Joh. Gottfried Groſſe* Vir annum quadrageſimum tertium agens, temperamento ſanguineo, habituque ad cacochymiam admodum proclivi, ac ſat notabili corporis mole gaudens, mirumque in modum pulveris ſternutatorii Hiſpanici, vulgò *Spaniol* deliciis effaſcinatus, anno ſuperiori 1714. circa tempus vernale, dolorem quemdam urentem, à nimiâ dicti pulveris aliquando facta per nares attractione in medio œſophagi percepit, inopinatoque, non ità multo poſt deglutitionem, non nihil animadvertit impeditam. Quamobrem auxilium quærens, Medicum quendam convenit, de dolore, nunc quidem ſopito, at in deglutitionis impedimentum mutato, queritur, cujus affectus cauſam, in pituitoſâ quadam ac viſcida materia, interioribus œſophagi partibus adhæreſcente, Medicus ponens, convenientia pro iſta incidenda atque educendâ ægro præſcribit remedia, irrito tamen ſucceſſu, maloque in dies in dieſque adhuc ingraveſcente. Hinc ad alium ſe confert, ejuſque opem implorat, ſimulque affectus cauſam, infrà ſuo loco paulò ſpecialius afferendam, ſibi probabilem, ipſi refert, quam verò hic flocci æſtimans, aliamque ſubeſſe aſſerens ægro remedia, pro neſcio quo acido, ſpaſmodicam fibrillarum affectionem hanc generante, corrigendo atque eliminando equidem exhibet, at iterum abſque ſucceſſu ſperato. Nullum igitur ſecunda vice effectum ſalutarem, hactenus tam anxiè exoptatum, æger obſervans, in auxilium rurſum vocat alium, & quidem medicaſtrum ruſticum, qui, prioris veſtigia legens, pituitoſam acremve materiam genuinam hujus impeditæ deglutitionis liberioris cauſam exiſtere, pariter aſſerit, certo citoque, ut id genus hominum ſolet, impedimentum hoc ſe ablaturum, deglutitionemve liberiorem redditurum, pollicetur. Varia huic ægro porrigit, quorum uſus, inſignis licèt pituitæ fuerit educta copia, planè denuò fuit inanis atque nullus, cùm nec minima levaminis cujuſdam pars

ægro inde fuerit allata. Deſerens ergo & hujus hominis medelam patiens, naturæ & tempori ſeſe tantum committere animum induit, ſponteque ſua fortè an hoc malum iterùm ceſſaturum, firmiter ſperat. Interim verò Peniculum ventriculi, vulgò *die Magen Borſte*, de quo inſtrumento multa hactenus audierat, conſulit, iſtud applicat, ejuſque ope ſat notabilem equidem educit pituitoſæ materiæ copiam, nullo tamen inde ſubſequente levamine. Ad quæſtionem, nùm ex applicatione peniculi ſenſerit dolorem? reſpondit: eum quidem ſe non ſenſiſſe, interim tamen difficilem, imo in ventriculi cavitatem ejus penetrationem omnino impoſſibilem, ob quoddam in gulâ obſtaculum perceptum, plenarium peniculi ingreſſum prohibens, fuiſſe. Paulo poſt loco ſperati effectus ſalubris, magis magiſque malum augeri animadvertit æger, adeo ut ſolida tandem alimenta haud amplius aſſumere valeret, ſed liquidis tantum, V. G. lacte, juſculo avenaceo tenui &c. famem ſedare, corpuſque nutrire cogeretur. Imo, tantum demum hic affectus ſumſit incrementum, ut recenſita jam liquida tenuia liberè exinde deglutire haud valuerit, ſed mediante calamo ſtramineo iſta abſorbere neceſſe habuerit miſer.

Quamprimum enim paulo liberius largiuſque ea ſorbere voluit atque deglutire, ſtatim ea cum ſonitu regurgitarunt, præſentaneam ægro ſuffocationem minata. Tandem hic, de cætero ſanus, liberaque reſpiratione gaudens, denuo Medici auxilium implorat, petitque, ut ſibi ſuppetiæ ferantur. Hic, in affectus hujus admirandi cauſas occaſionales paulo accuratius inquirens, variaque ex eo quærens, inter alia quoque hæc ſequentia, de quibus ſuperius jam nonnihil fuit adductum, audit: ægrum nempè nimis in uſum vocaſſe Pulverem ſternutatorium, eundemque dubio procul miſerandi hujus mali primam extitiſſe cauſam occaſionalem. Et quò evidentior veriorque cauſa hæc appareat, factum fuiſſe refert æger, quo pulvis hic, præſertim ſicciſſimus, ſummeque volatilis, corpore aliquando calefacto, & ſudoribus propè diffluente, naribus copioſè intruſus, fortiterque inſpiratus, non ſolum in aſperam arteriam, verum etiam in fauces & gulam uſque penetrarit, tuſſimque, eamque frequentem, necnon in gula ardorem, unà cum dolore primum obtuſo, ſanguiniſque ſputo, excitarit. Ex quo tempore ſtatim dolorem haud levem, & hoc evaneſcente, deglutitionis impedimentum fuiſſe exortum, ulterius confeſſus eſt æger, ſanctèque affirmavit, nunquam in vita ſimile, nec etiam vel leviſſimum in œſophago percepiſſe deglutitionis impedimentum. Hæc omnia Medicus percipiens, excreſcentiam quandam cartilagineam, ex læſione œſophagi obortam, adeſſe, ægrumque in extremo vitæ periculo conſtitutum pronunciat, cujus terminum inevitabile nunc fatum, cui æger ſolum relinquendus erat, ipſi accelerare viſum fuit. Ob nutritionis debitæ enim defectum corpus obeſum adeò fuit extenuatum ut magis τȣ Σκελετȣ quàm hominis vivi faciem repræſentarit, Ultimo liquidorum etiam ne guttulam quidem amplius aſſumere potuit, quo evenit, ut poſt aliquot dierum ſpatium, menſe Aprili anni currentis, fame ſitique incredibili emaciatus atque fractus, miſere tandem perierit. Cadaver quo aperiretur, cauſamque tam ſtupendi affectus detegeretur, vivens adhuc æger petiit,hac tamen conditione ut abſque ſumtibus ſectio inſtitueretur, quod etiam ità factum fuit. Aperto itaque nunc cadavere ventriculus parteſque internæ à ſtatu naturali adeô remotæ non fuerunt inventæ, excepto tantùm œſophago, qui nonnihil contortus & Pharyngem verſus ſolito tenuior atque acuminatior apparuit, & quidem adeo, ut apertura ejus, alias ſatis ampla, vix piſum admittere viſa fuerit. Quo autem, quæ intus forte laterent, nunc quoque detegerentur, ille inciſus fuit, quo facto, inſignis ad omnium ſtuporem conſpectui ſeſe præſens ſtitit excreſcentia carnea per medium diviſa, quæ in mediâ œſophagi parte, eaque poſtica, quà ſpinæ dorſi adjacet, initium (circà quod aliquid cujuſdam materiæ cruoris inſpiſſati ad inſtar cernebatur) ſumens, ad Pylorum uſque fere ſeſe extendens, longitudine ſpatium ſex digitorum tranſverſalium, craſſitie verò lumbricum inſignem, æquabat cujus etiam faciem aliquo modo mentiebatur. Subſtantia hujus excreſcentiæ, rectius Polypi, erat carnoſo-fibrilloſa atque mollis, color verò ex albo rubicundus. Cultro anatomico & quidem facillimè, cùm vel digitorum jam attactui cederet, auferebatur Polypus hic rariſſimus, quo oblato, pedes ejus, vel potius radices, quibus ſe in gulæ ſubſtantiam inſinuaverat, in conſpectum veniebant, quarum veſtigia ob nimiam brevitatem ſuam, multò elegantius in œſophago aperto quàm ipſo in Polypo, utpote qui arcte tunicæ interiori adhærebat, conſpici poterant, uti luculenter patet. Et ſic impeditæ deglutitionis cauſa, de qua nemini hactenus quicquam in mentem venerat detecta, conſpiciebatur, dignaque judicabatur, quæ rarioribus Medicorum obſervationibus inſereretur, publiceque proponeretur. Hæc itaque fuere, quæ hiſtoricè ſaltem recenſere volui, paulò ſpecialiorem hujus caſus evolutionem atque phænomenorum rationes in peculiari diſſertatione propediem daturus.

ACTA, SEU COMMENTARIA Pariſienſia

Societatis Regiæ Scientiarum.

Præter ea quæ in rebus Medicis ex hiſtoria hujuſce Societatis, à Joh. Baptiſtâ du Hamel, conſcripta excerpuntur & ſub titulo Hamel (Joh. Bapt. du) *traduntur, ſequentia, circa eandem artem in illis Commentariis enarrata, hæc reperiuntur in Actis Lipſienſibus.*

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, année 1710. &c. h. e.

Hiſtoria Academiæ regiæ ſcientiarum. Annus 1710. *cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem Anni.*

Amſtelodami, apud Petrum de Couſt, 1713.

EPiſcopus Sagienſis Academiam Regiam certiorem fecit, in ſuâ diœceſi fœminam, quæ anno ætatis octuageſimo tertio nupſerat viro nonaginta quatuor annos nato, enixam eſſe puerum. Memoratu dignus eſt caſus, quem *Philippus de la Hire* refert. Cùm ſcilicet piſtor quidam Carnuti prunas ex clibano in cellam profundam & fornicatam deportaſſet filius ejus, homo robuſtus alias deportaturus vix per ſcalam deſcenderit, cum magno clamore aliorum auxilium imploraret. Ipſo tamen mox ſilente, nec redeunte, frater ejus deſcendit ſimili prorſus fato, quod etiam mater, ancilla, homo quidam vicinus, alius peregrinus, ruſticuſque piſtori amicus experti. Prohibuit itaque magiſtratus, ne quis amplius in cellam deſcenderet, antequam Medici, Chirurgi ac fabri murarii in cau-

in cauſam inquiſiviſſent. Hi adeò judicantes, à prunis non ſatis extinctis ob abundantiam ſalis petræ in cellis Carnutenſibus excitatum fuiſſe vaporem malignum, magnam aquæ quantitatem in cellam effundi curarunt: quo facto poſt aliquot dies ſecurè rurſus in eam deſcendere licuit. Cùm cadavera mortua ex aqua extraherentur, adeò corrupta apparebant, ut ea ſecare non liceret. Ruſticus ſtatim extrahebatur, ex quo mortuus fuerat, & cadaver aperiebatur. Erat autem cerebrum exſiccatum, meninges extraordinario modo tenſæ, pulmones maculis nigris conſperſi, inteſtina valde inflata, inflammata & inſtar ſanguinis rubra, muſculi denique brachiorum, coxendicum & crurum à reliqua ſubſtantia quaſi ſeparati. *Johannes Scheuchzerus*, qui anno 1710. Pariſiis egit, in Academia regia legit diſſertationem de lapidibus figuratis, quos in ſuo per Flandriam atque Galliam itinere obſervavit. Narrantur quoque nonnulla de Herbario ejus diluviano Tiguri an. 1709. impreſſo, de quo diximus in Actis an. 1710. p. 451. & ſeqq. Prolixè deſcribitur tentamen phyſicum circa hiſtoriam maris, quod illuſt. Comes, Marſigli MS. ad Academiam Regiam miſit, opus publica luce quàm digniſſimum. Hiſtoria hæc in quinque partes diviſa, quarum prima de fundo maris, ſecunda de natura aquæ, tertia de motu ejus, quarta de plantis, & quinta de piſcibus marinis agit: quinta tamen nondum ad umbilicum perducta tùm erat, cùm opus ad Academiam mitteretur. *De la Hire* obſervationes meteorologicas recenſens monet, ſe d. 24. Decembris declinationem acus magneticæ occidentalem obſervaſſe 10. gr. 30. quam obſervationem cùm compararet cum anterioribus, declinationem ſingulis annis eadem propèmodum quantitate augeri didicit. Ex obſervationibus ejuſdem *De la Hire* atque *Scheuchzeri* conſtat altitudinem maximam Mercurii in barometro & Pariſiis & Tiguri fuiſſe d. 19. Februarii. Non tamen eodem tempore alibi fuiſſe maximam Mercurii altitudinem, vel exinde intelligitur, quod Cl. *Wolfius* eam Halæ obſervavit maximam d. 20. Jan. minimam d. 21. Oct. Illa erat $30.\frac{7}{16}$ hæc verò $28.\frac{5}{16}$ digitorum pedis Londinenſis. Vir illuſtris *Bonnius*, Præſes in curiâ rationum fiſci Monte-peſſulanâ & Academicus honorarius ſocietatis Regiæ Monte-peſſulanæ, primus obſervavit, araneas nere ſericum, & inde tibialia atque chirothecas anno 1709. fieri curavit. Cùm chirothecas ad Academiam Regiam Pariſios mitteret, Dn. de Reaumur cura demandata eſt, ut inquireret, annon ex hoc invento aliqua utilitas in publicum redundare poſſit. Primum itaque de eo ſollicitus fuit, quomodo nutriri poſſit ſufficiens aranearum copia. Deprehendit autem tot muſcas in tota Gallia non dari, quot araneis nutriendis ſufficerent, ut Serici aliqua quantitas haberi poſſet. Herbis & foliis araneas non veſci, lumbricis verò paſci didicit. Eaſdem carnem ferarum reſpuere; ſed ſucco in apicibus pennarum recenter creſcentium & ex alis volatilium evulſarum in primis delectari obſervavit; quod adeo pabulum omnium optimum judicat, quia pennis ex alis volucrum evulſis, intrà aliquot dierum ſpatium mox novæ procreſcere ſolent. Quoniam verò expertus, quod aranea una alteram devoret, ità ut, cùm 50. in eodem vitro aſſervaret, vix duæ ab aliquo tempore reſtarent; neceſſarium eſſe reperit, ut ſingulis araneis ſingulæ officinæ deſtinentur, nunquam inter ſe committendis, niſi quando coitum celebraturæ. Didicit denique, quod 12. araneæ idem opus perficiant, quod unus bombyx abſolvit. Quare cùm bombyces omnes ſericum conficiant, inter araneas verò tantum fœmellæ, 24. araneæ æquiparandæ ſunt demum uni bombyci, conſequenter 2304. bombycibus unam ſerici libram nentibus, ut eandem ſerici quantitatem obtineas, alenda ſunt aranearum 55296. Immo minores araneæ, quales in Galliâ ut plurimum reperiuntur, eidem operi abſolvendo vix ſufficient juxta computum Auctoris, niſi fuerint numero 663552. Quamvis adeò operæ pretium non videatur, ut araneæ Gallicæ alantur; non tamen ſpem omnem abjiciendam eſſe arbitratur, antequam experimentum capere licuerit in araneis Americanis, quæ Europæis multò ſint majores. Et hæc de obſervationibus ad Phyſicam generalem ſpectantibus dicta ſufficiunt. Progrediamur ergò ad alias, quæ Phyſicam ſpecialem illuſtrant, Anatomicas putà, Chymicas, & Botanicas.

In Anatomicis docuit *Mery*, conchas fluviatiles alimenta recipere per anum, & per eandem reſpirare, quando nimirum anus aperitur, aquam intrare, unicum conchæ nutrimentum. Eas carere venis atque arteriis; hermaphroditas eſſe, ovaria & veſiculas ſeminales habentes, ſpeciemque ſuam per ſe ipſas multiplicantes. Idem *Mery* hypotheſin ſuam de dilatatione pupillæ in Actis an. 1706. p. 441. indicatam adverſus objectiones *Philippi de la Hire*, quas in Commentariis anni 1709. propoſuerat, defendit: ſcilicet quòd fibræ Indis longiores fiant, dum à ſpiritibus animalibus inflantur, breviores autem, dum in ſitum naturalem redeunt. Quia enim in oculo mortuo fibræ conſtrictæ apparent; ideò hunc earum ſtatum naturalem judicat. *Hombergius* paradoxum propugnat, rheumatiſmum æquè per balneum frigidum, ac per calidum aut ſudorem, ſanari poſſe. *Littre* in infante mortuo ſeptimo à nativitate die vidit inteſtinum rectum in duas partes diviſum, quæ per exiguum tantum filamentum, digitalis nempè magnitudinis, cohærebant. *Chomel* Academiæ oſtendit 22. calculos in corpore fœminæ octuagenariæ repertos, quæ, cùm in ſummo adhuc vigore pro ratione ætatis eſſet, apoplexiâ extincta. Per experimenta Chymica didicit, quod ex materiâ purè terrea concreverint. Reperti ſunt in ſacculo quodam, quem non diverſum eſſe obſervavit ab extenſione membranarum duodeni. Senſit autem, longo ante obitum tempore, continuò dolorem quendam in eo latere, ubi ſacculus erat, duabus à prandio horis. *Godofredus* in tineâ admodum ſana tæniam $2.\frac{1}{2}$ pedes longam reperit, ſimilem propemodum iis quæ in corpore humano inveniuntur: quod hactenus ab alio obſervatum eſſe non conſtat. *Mery* aperiens hominem in inſtanti mortuum aortam adeò dilatatam vidit, ut à corde abrupta fuerit. *Godofredus* junior lapidem bezoardicum; *de Reaumur* inſectorum quoddam genus deſcribit, quod limaces infeſtat.

In Chymicis haud pauciora notatu digna occurrunt. Rhabarbarum examini ſubjecit *Boulduc*, reperitque, vim purgativam majorem ineſſe tincturæ aquâ extractæ, quam ſpiritu vini, unde concludit, eam magis in ſalibus quàm ſulphuribus reſidere. Immò ſuſpicatur, nonniſi phlegma, in ſpiritu vini etiam rectificato, adhuc reſiduum ſalia purgantia extrahere. Et generatim notat, infuſa vegetabilium purgantium majorem efficaciam habere, quàm decocta. Monet denique, nullam rhabarbaro ineſſe vim adſtringendi. *Hombergius* identitatem ſulphuris vegetabilium & mineralium defendit, tum quia metalla ſulphure & proptereâ fuſibilitate ſuâ privata cum ſulphure vegetabilium & fuſibilitatem & formam metalli-

cam

cam recuperant, tùm quod ſulphur metallicum abire poteſt in materiam vegetabilem, & inde fieri oleum, ſulphur verò vegetabile mutari in materiam metallicam, & inde produci metallum. Prius experimentis comprobavit in commentariis anni 1709. poſterius aliis evincit in commentariis, quorum argumenta nunc recenſemus, Illuſtr. Comes *Marſigli* multum operæ impendit in analyſin chymicam plantarum marinarum, & præcipuè coralliorum rubrorum. Tantam autem ſimilitudinem deprehendit, ut per eam ipſa diſtinguere difficillimum judicet. Notat inter alia ſpiritum vini nihil rubedinis contraxiſſe intra duos menſes integros; lac tamen recens vaccæ ad ignem lentum ſenſim ſenſimque extraxiſſe omnem rubedinem, ut corallia fierent alba, quod tamen citiùs præſtetur ope ceræ albæ, quemadmodum etiam *Lemery* propriis experimentis didicit, quæ tamen nova non ſunt, ſed quoad ſingulas circumſtantias paſſim jam obvia. Addit *Lemery* quomodo color ruber à cerâ iterum ſeparari debeat, nempè vi aquæ vitæ ſale tartari imprægnatæ per digeſtionem calidam decem dierum. Idem monet, ceram flavam ex corallio quoque rubedinem extrahere, ſed ipſum ſimul flavedine ſuâ inficere. *Hombergius* novum phoſphori genus invenit, quod ſive noctu, ſive interdiu aeri expoſitum duorum circiter minutorum intervallo flammam concipit, eandemque combuſtibilibus contiguis communicat. Paravit eum in ſubſtantia pulveris non ejuſdem ſemper coloris ex materiâ fecali, ſed methodum ipſam adhuc premit, quam in poſterum ſe daturum promittit. Idem varia vegetationum artificialium genera deſcribit; quarum aliæ conſtant ex metallo puro & ſolido, aliæ ex metallo in menſtruo ſoluto, aliæ denique ex materiis ſalinis, terreis ac oleoſis.

In Botanicis *Godofredus* parciram bravam deſcribit, radicem ex Braſilia in Portugalliam, & indè an. 1688. ab Amelotio, Regis Chriſtianiſſimi ad Portugalliæ Regem Legato, in Galliam deportatam, & virtutes ejus ad examen revocat, Cùm in Actis an. 1712. p. 351. Cl. *Lochneri* de eâ Diſſertationem breviter recenſeremus; ipſam certiſſimum eſſe contra calculum remedium annotavimus. Idem in examine ſuo obſervavit *Godofredus*: primi autem eandem virtutem detexerunt Braſiliæ incolæ, ſibi perſuadentes, (quod tamen minimè concedit *Godofredus*) calculos in renibus & veſicâ ab eâ conteri. Ipſe nimirum tantùm quod glaream diſſolvat, undè calculi generantur, cùm ab ejus uſu multum ſabuli cum urinâ excernatur, feliciſſime eâdem radice uſus eſt in ulceribus renum atque veſicæ, cùm urina redderetur purulenta & glareoſa, necnon in ſuppreſſionibus urinæ, & (quod eo notatu magis dignum) in aſthmate humorali & ictero. De ejus præparatione jam diximus in Actis hiſcè loc. cit. Hic tantùm obſervamus, doſin à Godofredo definiri duobus groſſis, quorum 8. abſolvunt unciam unam; ad præſervationem à calculo 24. granis per 8. dies ſingulis menſibus aſſumendis. Et hanc quidem doſin præſcribit pro decocto; pro pulvere autem ſufficiunt grana 12. aut 18. Cur hyems extraordinaria, quæ an. 1709. per Europam ſævit, tantam arborum multitudinem proſtraverit, rationem hanc reddit *Caſſinus*, quod cortex ſeparata fuerit à pulpâ. Aſt *Chomel* eandem à fibris, ſucco conglatiato, diſruptis petit. Atque hæc poſterior ratio convenit cum obſervationibus Wolfii in diſſertatione de hyeme iſtâ (cujus in Actis an. 1712. p. 350. facta eſt mentio) p. 26. relatis. Cùm enim is ſtatim ab æquinoctio, ubi nive liquata & glacie reſoluta in hortos aditus patebat, ſegmenta ramorum, qui præteritâ æſtate adoleverant, microſcopiis ſubjiceret, fibrillas hinc indè diſruptas non ſecus ac in ligno putrido conſpexit. Cùm *Noël*, Chirurgus Aurelianenſis noſocomii, ad Academiam Regiam gangrænæ quandam ſpeciem perſcriberet, quâ multi homines, præſertim pauperes, inficiebantur; *Fagon*, Archiater Regius & Academicus honorarius, cauſam hanc eſſe arbitratur, quod à ſecali non ſeparaſſent frumenti quoddam nigri ac cornuti genus quod Galli *Ergot* appellant, quia calcar galli gallinacei figura ſuâ refert, & hâc occaſione datâ in geneſin ejus inquirit. *De la Hire* junior à quodam amico, qui rure degit, didicit, quod in agris humidis ac frigidis, & in annis pluvioſis magna granorum iſtiuſmodi copia naſcatur; quod gallinæ eadem reſpuant, à deglutitis tamen nihil damni patiantur; quòd terræ commiſſa non germinent. *Parentius* explicare conatur motus externos plantarum, veluti quod truncus vel caulis perpendiculariter excreſcat, quod flores nunc aperiantur, nunc claudantur, quod heliotropium verſus ſolem conſtanter convertatur &c. Ex hiſtoriâ Illuſtr. Comitis *Marſigli* plantæ marinæ deſcribuntur: ubi notatu dignum occurrit, quod, præter algam, omnes radicibus deſtituantur, unde *Marſigli* opinatur, reliquas omnes totas eſſe radices, hoc eſt, per poros, undiquaque conſpicuos alimentum attrahere. Obſervavit enim partim oculis nudis, partim armatis, ſubſtantiam earum eſſe congeriem glandularum ſeu exiguarum fiſtularum per quas aqua marina filtratur; partemque aquis non immerſam areſieri, demersâ adhuc virente. Cùm à 1709. multis in locis frumenti ſeges frigore periiſſet, multi agricolæ menſe Aprili aliud ſemen terræ committebant. Sed cùm ſpicas nullas proferret, quidam herbam circa feſtum S. Johannis demetebant, & agros vertebant, quidam verò herbam non demetebant, aut ſaltem agros non vertebant. Poſterioribus favebat eventus: anno enim ſequente 1710. ſpicæ prodibant, 12. diebus citius quam alias ordinariè fieri ſolet, maturitatem adeptæ. Monet autem Hombergius, hoc eſſe medium certiſſimum plantarum annuarum vitam prorogandi: id quod etiam in his Actis an. 1709. p. 172. jam annotavimus.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, année 1711. h. e.

Hiſtoria Academiæ regiæ ſcientiarum. Annus 1710. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1715.

IN Anatomicis Winſlow detexit, quod vaſa ſecretoria in glandulis lanugine admodum tenui veſtiantur, cui primas in filtratione partes tribuit. Supponit autem, à primâ formatione lanuginem iſtam imbutam eſſe liquore quodam particulari, veluti bile, ſi bilem ſeparare debent. Et hinc vaſa ſecretoria particulæ panni vel goſſypio comparat, quæ oleo imbuta nonniſi oleum attrahit. Liquorem ſeparatum per canales ex glandulis exire ſtatuit. Idem deprehendit, cor non eſſe muſculum unicum, ſed ex duobus ad minimum componi, ità ut quilibet ventriculus cum ſuâ auricula ab altero ſeparari poſſit, pariete intergerino in duas laminas diviſibili, *Littre* in 40. cadaveribus maſculinis gonorrhœam virulentam examinavit. Reperit autem ſedem ejuſdem vel in veſiculis ſeminalibus vel in proſtratis, vel in glandulis *Cowperi*. Ob priorum viciniam gonorrhœam plerumque compoſitam invenit: ſed *Cowperianæ* cùm longius inde diſtent, malum difficilius cum iiſdem communicatur

nicatur. Tertiam gonorrhoeæ ſpeciem rariſſimam ſtatuit, minuſque noxiam, & quæ facillimè curari poſſit. De hac ex profeſſo nunc agit: de reliquis tractationem accuratam promittit. *Jeaugeon* memorat ſcrotum adeò prodigioſæ magnitudinis, ut ad 60. librarum pondus acceſſerit. *Fauvel* Chirurgus oſtendit Academiæ Regiæ foetum ſine cerebro, cerebello & medulla ſpinali, qui duas à nativitate horas vixit & ſacro lavacro aſperſus. Idem in ovario foeminæ hydatides tantæ magnitudinis monſtravit, ut ovula mentirentur? Duo operarii foſſam reparantes ob foetorem putridum viſu orbati, quem ipſis intervallo 24. horarum reſtituit *Chomel*, uſus liquore ſpirituoſo ex thymo, lavendulâ, ſalviâ, ſerpyllo, amaraco, & rore marino (floribus pariter ac foliis in aquâ mellitâ maceratis) in balneo ſabuli deſtillato & poſteà oleo eſſentiali retento rectificato, tum externè, tum internè ſingulis horis quatuor elapſis applicato. Goſſipium eodem liquore maceratum cùm inderet auribus ſurdorum, non neglecto, ut antè, uſu interno, auditum intra octo dierum ſpatium reſtituit. *Littre* uno ictu findens capita canum ſugentium ſtomachum plenum reperit lacte quodam acri & coagulato, quòd adeo coagulatum conjicit per fermentum quoddam naturale illius viſceris. Et hinc digeſtionem ſolâ trituratione abſolvi negat. Aquam etiam in ventriculis cerebri & pericardio deprehendit: undè eam uſibus naturalibus inſervire ſtatuit, nec morbis adſcribendam eſſe ejus originem concedit. *Lemery* obſervans, quod variolæ prodire nollent, ægrum balneo calido immiſit: quo facto, magno numero eruperunt.

In *Chymicis Boulduc* analyſin tradit radicis *Mechoacan*, quæ vi purgandi gaudet, atque ex novâ Hiſpaniâ in Europam defertur. Reperit autem, quod duodecies plus ſalis, quàm reſinæ contineat, nec ſalia, nec reſina adeò purgent, nec adeò leniter, quemadmodùm radix ipſa. Remedium hoc majorem in praxi uſum mereri credit. *Lemery* filius præcipitationum chymicarum rationem declarare conatur. Contendit autem, in omnibus diſſolutionibus metallicis particulam acidi diſſolventis quamlibet eſſe exiguum quoddam telum, altero ſui extremo particulæ metallicæ infixum. Hinc in nonnullis diſſolutionibus, ubi telum iſtud non adeò firmiter infixum, quâlibet exiguâ aquæ agitatione ſeparationem fieri poſſe, in aliis verò opus eſſe alcali, ut acido eripiatur ſpolium. Fingit particulam metallicam uni extremo teli infixum eſſe globulum majorem, quàm qui poros alcali ſubingredi poſſit. Quare dum liberum teli extremum in eos adigitur globulos, tandem per continuum alcali impulſum adeò protruditur, ut teli extremum alterum relinquere cogatur. Idem novas coralliorum ſolutiones inſtituit. Cùm enim ea in aceto vini deſtillato atque in ſpiritu Veneris, qui eſt acetum vini particulis quibuſdam volatilibus & ſulphureis cupri impregnatum, ſolvere ſoleant: ipſe eadem ſolvit in ſpiritu vitrioli, aluminis, ſalis, nitri. In caſu poſteriore calor & effervefcentia major fuit, quàm in priore. In uſum tamen medicum ſolutionem priorem commendat, quia acetum deſtillatum & ſpiritus veneris non omnem exhauriunt virtutem alcalinam, quæ coralliorum unica eſt. Corallia in ſpiritu vitrioli diſſoluta ſpeciem quandam vitrioli formant. Si oleo tartari præcipitantur, in pulverem album admodum ſubtilem ſubſidunt, qui cum acidis fermentat. In eodem multæ particulæ ferreæ deteguntur ope cultri magneticâ virtute imbuti. Sed operæ pretium faceret *Lemery*, ſi aliis experimentis doceret, particulas à cultro attractas eſſe revera ferreas. Quid ſi enim præter ferreas adhuc alias traheret magnes nobis nondum cognitus? Addit cryſtalliſationem palingeneſiæ ſimilem. *Renaume* obſervavit, gallas eſſe præſentiſſimum contra febrem remedium. Commendat eas ob virtutem adſtringentem eo potiſſimum in caſu quandò fibræ ventriculi ſunt nimium laxatæ, aut irregulariter tenſæ: in altero autem, quandò non ſufficiens quantitas bilis cum chylo permiſcetur, chinam chinæ præfert. *Hombergius* confirmat, ſe gallis ſæpius cum ſucceſſu uſum eſſe. *Boulduc* tamen aſſeverat, ſe ſexies in tertiana & quartanâ eaſdem fruſtrà ægris exhibuiſſe. *Lemery* uterque, parens ſcilicet atque filius, itemque *Godofredus* notarunt quòd ventrem moveant, quòdque febris earum ope fugata redeat, nec niſi chinæ chinæ cedat. *Hombergius* denique prolixiùs nunc ediſſerit, quomodo ad novum ſuum phoſphorum (cujus in Actis anni ſuperioris p. 198. facta eſt mentio) pervenerit, deſtillando ſcilicet fæces alvi, notatu dignum eſt, quòd, cùm earum uncias 10. vel 12. (quantùm nimirùm eſt pondus unâ ſede ejectarum) in balneo Mariæ exſiccaret, nonniſi uncia una remanſerit, etiamſi præter aquam limpidam & inſipidam, odoris tamen fæcium tenacem, nihil deceſſerit. Cæterùm in analyſi materiæ iſtius maximâ uſus eſt circumſpectione, eumque in finem conduxit homines quatuor, robuſtos, juvenes ac ſanitatis integræ, eos extrà hortum & ædes, ubi cum ipſis per tres menſes commorabatur, egredi non paſſus, nec permiſit, ut quicquam cibi vel potûs caperent, ſe inſcio vel invito.

In *Botanicis Godofredus* junior accuratius examinat *tubera ſubterranea teſticulorum formâ* (Galli *Truffes* appellant) quæ neque radicem, neque filamenta, neque caulem, neque folia, neque flores, neque ſemina habent, adeòque plantis prorſus diſſimiles videntur, licèt inter eas à Botanicis referantur. Inquirit adeo in ſtructuram & principia chymica eorumdem, ut ſimilitudinem cum plantis detegat. Priori inſtituto inſerviunt microſcopia, poſteriori analyſes chymicæ. *Marchant* cùm acer ſerrâ deſecari juſſiſſet menſe Februario, pars caudicis reſidua per æſtatem multùm ſucci nutritii effudit. Circa finem menſis Auguſti 25. circiter tubercula in ima caudicis baſi obſervavit quæ cùm uſque in finem Novembris creviſſent, contra vim frigoris per hyemem obtexit & menſe Martis an. 1709. cum portione ligni ſeparavit. Hanc vegetationem ad quamnam plantarum ſpeciem referret, ſub initium dubitavit. Enim verò poſtquam advertit, magnam inter ejus ſtructuram & lithophyton, (quæ planta marina eſt) conformitatem intercedere, niſi quod grana in cavitatibus reperiret, quæ in lithophyto vacua ſunt; lithophyton terreſtre digitatum nigrum appellat. *Parentius* exemplis arborum cortice denudatarum & per quinque ferè annos folia & flores protrudentium probare nititur, cortici parùm, aut nihil, in nutritione plantarum tribuendum eſſe. Addit eundem in finem argumenta quædam alia. Ad ſingula reſpondet *Renaume*, ſententiam receptam defenſurus. Sed prolixum nimis foret omnem controverſiam recenſere. Miramur tamen, quod *Fontenellius* tracheas plantarum & arborum in dubium vocet, cùm in vite vel oculus nudus eaſdem diſtinguat, nedum armatus. *Godofredus* junior pulveri ſtaminibus adhærenti foecundationem ſeminis aut fructus ſtylo concluſi adſcribit, ſtamina, membro virili, pulverem liquori ſeminali & ſtylum ſeu piſtillum vulvæ æquiparans. Rationum, quas adducit, fortiſſima hæc eſt, quod grana ſint infoecunda, ſi ſtamina reſerentur, antequam pulvis in ſtylum decidere potuerit. De

Reaumur

Reaumur flores & ſemina detexit in fuco ſeu Algâ latifoliâ dentatâ Raii, quam *Tournefortius* in Inſtitutionibus Botanicis inter plantas refert flore ac granis deſtitutas. Flores ex foliis erumpentes cernuntur menſe Juniô & Juliô. Iis decidentibus foliorum extremitates intumeſcunt à liquore viſcosô granis rotundis plenô, quæ ſunt capſulæ ſimili liquore repletæ, & alia granula minora, verum fuci ſemen continentes. *Parentius* adverſus *Magnolium* probat, ſuccum nutritium in plantis utiquè non modò aſcendere, verùm etiam deſcendere, quemadmodùm *Perrault* in primis, ac *Mariottus* operosè oſtenderunt. *Fontenellius* commemorat mala aurata, quorum partes aliquæ reliquis interjectæ ſunt citreæ. *Hombergius* verò autor eſt, ſe in hortis Wilhelmi Magni, Electoris Brandenburgici, vidiſſe poma, quæ ſimili modô fuerint ſimul pira.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, ann. 1713. &c. hoc eſt.

Hiſtoria Academiæ regiæ ſcientiarum anni 1713. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem anni.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1717.

IN *Anatomicis* ſingulare exemplum tumoris præternaturalis ab aere per vulnus pulmonis producti, & totum ferè corpus, nonniſi volis manuum, plantis pedum & vertice capitis exemtis, occupantis producit, & affectûs hujus rarioris cauſas rationemque formalem deſcribit *Littre.* Deſcenſum veſicæ in ſcrotum ter obſervavit *Mery*, quem à nullô autore annotatum meminit, & producit is tumorem herniæ ſimilem. *Littre* tympanitidis ſyſtema multarum obſervationum auxiliô condit; adſcribit eam aëri ab alimentis in ventriculô, & inteſtininis ſeparato. Quid poſſit imaginatio matris in fœtum, *Rouaut* exemplô ſingulari docet. Fœmina ſcilicet gravida circa dimidium quarti menſis renem bubulum appetens, nec voti compos facta manum dexteram fronti applicans, digitis verticem attingentibus, ſtatutô à naturâ tempore peperit filium membris integris, capite nonniſi exceptô, quod, oſſibus extra ſitum ſuum dimotis, nec magnitudinem, nec figuram convenientem habebat, verticem tumore occupante, qui & colore & figurâ renem bubulum referebat. Infans quaſi ſtupidus jacebat, & motû languidô gaudebat. Cùm, ſex à nativitate horis elapſis, decederet; & cerebrô & cerebellô carere deprehendebatur, nec medulla ſpinæ dorſi niſi cum tertiâ vertebrâ colli incipiebat. Ex ſcripto, quod *Anellius* Societati Regiæ de fiſtulâ lacrymali dedicavit, & de quo nuperrimè locuti ſumus in Actis, nova recenſetur methodus fiſtulas lacrymales curandi, ab hoc Chirurgo inventa, hactenûs uſitatis multùm præferenda.

In *Chymicis* limaturam Martis ſubtilem croco ejus præfert *Lemery*, quem materiâ oleosâ privatum capiti mortuo confert, ſicque vi ſua contra obſtructiones deſtitutum cenſet. Ob laxitatem pororum Martem arbitratur abſorbentem. Arborem quoque Martis olim à ſe detectam in praxi Medica utilem reperit. *Godofredus* methodum generalem invenit præparandi tincturas metallorum, quatenùs hactenùs in poteſtate ſunt, in uſum medicum. Cryſtallos ſolares cum duplo terræ foliatæ Tartari in mortariô vitreô contundit, donec maſſa in ſpiſſum abeat liquorem, ſpiritu vini imprægnatum. *Chomel* aquas minerales Galliæ varias ſub examen revocat. *Lemery* junior actionem ſalium in materias inflammabiles expendit. Varii generis olea mortario candenti infudit, ùt naturalem inflammabilitatis gradum obſervaret. Commiſcuit deinde varii generis ſalia, & ab iis flammam imminutam vidit, ſolô nitrô exceptô, quod ſulphuri cuicunque admixtum flammam notabiliter auxit atque intendit, ſolùm tamen in mortariô candenti inflammari non potuit. Inquirit adeò in rationem trium horum phænomenorum. 1. cùr nitrum ſulphurum inflammabilitatem augeat. 2. cùr reliqua ſalia eandem imminuant, 3. cùr nitrum & ſpiritus nitri adeò diverſos in aliquot caſibus producant effectus. Utitur tanquàm principiô experimentô, quod in his Act. ſupplem. Tom. V. p. 125. ſeq. recenſuimus, & in Hiſtoriâ Academiæ Regiæ ſcientiarum anni 1701. ab *Hombergio* quoque deſcribitur. Infert indè acidum nitri ſeparari, & elevatum in aere in partes olei non inflammatas incurrere, eaſque accendere. E reliquis ſalibus difficiliùs ſeparari acidum, adeòque nullum ampliùs oleum in aëre offendere, cùm elevatur. *Quinquinæ* uſum ac proprietates exploravit *Reneaume.* Eam ob amaritudinem ſuccos acres corrigere reperit: ex amaro enim & acri fit dulce. Eadem cùm ſit abſorbens, actionem acidorum impedit, & hinc fluiditatem liquorum ab acidis coagulatorum conſervat. Cùm ſit adſtringens, fibras corroborat, earumque tonum intendit. Ob amaritudinem denique calefacit, & tranſpirationem juvat, quia fluiditatem promovet. Ex his principiis rationem reddit *Reneaume* uſûs ipſius, quem inter alia in corrigendis ſtomachi malis extra febrim deprehendit. *Godofredus* aquam adſtringentem ex ferro parare docet. *Hombergius* deſcribit præparationem ſalis cujuſdam ſingularis, & materiæ cujuſdam bituminoſæ metallicæ, quorum illud ferrum, hæc verò argentum penetrat, ùt nulla tranſitûs veſtigia relinquantur, nec maſſa metallorum alteretur: quô ipsô pororum exiſtentia in corporibus ad ſenſum valdè compactis in apricô ponitur. *Godofredus* junior menſe Januariô aëri frigido expoſuit duas uncias aquæ, & totidem ſpiritus vini, donec, thermometrô teſte, eundem frigoris gradum acquiſiviſſent. Cùm liquores invicem miſcuiſſet, ſpiritus in thermometrô immersô per integrum digitum aſcendit, ibique perſtitit, quamdiù efferveſcentia duravit. Casû detexit *Hombergius* novam quandam auri ab argento ſeparationem, quæ tamen hactenùs receptæ non æquiparari, nedùm præferri meretur. Idem accidens quoddam ſingulare circa ſublimationem Mercurii annotavit.

In *Botanicis* contra communem Botanicorum opinionem *Marchant* in illâ plantâ, quæ *Lichen petreus ſtellatus* appellatur à *Caſpare Bauhino*, flores & ſemina detexit, atque ideò novum plantarum *Marchantiarum* genus conſtituens, mutatô nomine, *Marchantiam ſtellatam* appellat. Rationem denominandi inde petit, quòd parenti ipſius, cùm Academicus ſcientiarum an. 1666. crearetur, Botanici vices demandatæ fuerint. *Reaumur* prunorum ſylveſtrium figuram (quæ aliàs ad rotunditatem ſphæricam accedit) menſe Juniô an. 1623. per intervallum quinque leucarum Gallicarum ovalem reperit, qualis ferè amygdalarum juniorum eſſe ſolet, licèt fructus reliquarum arborum figuram ordinariam haberent, nec per 25. leucarum intervallum ultrà progreſſus pruna ſylveſtria monſtroſa reperire potuerit. Idem novam quandam plantam deſcribit, quam *Boletum ramoſum Coralloidem fœtidum* vocat. *Juſſieu* deſcribit arborem fructum *Cafè* ferentem, quam *Jaſminum Arabicum Lauri folio* dici poſſe exiſtimat, occaſionem commodam nactus, poſtquam *Pancras*, Conſul Amſtelodamenſis, iſtiuſmodi arborem Regi Galliarum obtulit, in horto regio Pariſienſi plantatam. Circa characteres Botanicos conſentientem habet *Johannem Chriſtophorum Volckamerum*, in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum Cent. 4. p. 329. ubi ramus cum baccis delineatur, quem liberalitate. L. B. à *Munnickhauſen* ex hortô ipſius *Swebbertianô* propè *Hamelenſe* fortalitium magnificentia verè regiâ exſtructô acceperat.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, an. 1716. *hoc eſt.*

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum ann. 1716. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem anni.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup. 1719. 12.

IN *Anatomicis* herniam umbilicalem monſtroſam deſcribit *Mery*. Obſervata fuit in infante, quæ 15. horas auram vitalem hauſit. Etſi apertura umbilici non haberet diametrum 15. lineis majorem, hernia tamen includebat pulmones, jecur, ventriculum, & inteſtina omnia. Monſtroſam appellat herniam, quòd, ipſo judice, fuerit vitium conformationis. Quæ de arte præparandi uniones adulterinos commentatus eſt de *Reaumur*, inter Anatomica locum habent, quia colorandis iſtis adhibetur materia à ſquammis albulæ, qui eſt piſciculus Sequanæ incola, ſeparatim, atque hâc occaſione de ſquammarum formatione generatim diſſeritur. Idem reſpondet ad difficultates, quas contra ipſius hypotheſim de formatione concharum limacum an. 1709. propoſitam objecerat *Mery* annô proximè ſequente. *Deslandes* ſiſtit fœtum omni oſſium articulatione, conſequenter motû indè pendente, carentem. *Morinus* alium deſcribit fœtum monſtroſum, qui conſtabat ex duobus truncis communi umbilicô gaudentibus, & ultra umbilicum non continuatis. Scilicet videbantur quaſi duo fœtus planô horizontali per umbilicum diſſecti & partes ſuperiores in unum truncum coaluiſſe. Pedes verò cum femoribus averſâ parte jungebantur ad angulos rectos. Intùs omnia erant geminata, quemadmodùm extrà. Fœtum extra uterum formatum, placentâ ad primam, ſecundam & tertiam vertebram lumborum adhærente; *Martinus* junior, Chirurgus, in ſcenam producit: fœtum verò difformem *Petitus*, qui idem ſuas de functionibus oris meditationes continuat. *Littre* deſcribit difficultatem deglutiendi ortam ex ſpinâ Cyprini deglutitâ, & poſt quatuordecim menſes fatalem, nutrimentô deficiente. Aperuit poſt mortem cadaver, & varia ſingularia in eodem notavit. *Petitus* machinam communicat, quam invenit, ad oſſa diffracta ſitui priſtino reſtituenda commodam, cùm eam hactenùs uſitatas non uno nomine antecellere exiſtimet. *Rouhout* ſtructuram placentæ uterinæ illuſtrat, obſervans inter alia, eam contineri inter duplicem chorii membranam expanſam, & arterias venis perpetuò ſociari, perindè ac in chordâ umbilicali obſervamus. Tandem *Petitus* obſervationem de fiſtulâ ſtomachi exhibet.

In *Chymicis* primô locô occurrunt conjecturæ quædam de origine ſalis Armoniaci, quod ex Ægypto ad nos defertur. *Lemery* diverſitates annotat, quæ in ſalium diverſorum diſſolutione ſe ſe offerunt.

In *Botanicis* ad præcavendam & ſanandam lepram arborum commendat *Reſſonius*, ut in cortice à ramis uſque ad terram inciſio rectilinea fiat menſe Martio vel Aprili, & quidem in facie à ſole averſâ. Idem experientiâ domeſticâ fretus artem inſerendi arboribus gemmas fructiferas perficere ſtudet. Jubet ſcilicet eas immittere cortici ſeniori, non juniori, atque ex ramis, quos inter ſteriles & fructiferos medios ſtatuit ex multiplici folio uni nodo adhærente dignoſcendos, ſumi illas, quæ triplicatæ comparent. Mediam enim eſſe ramificationi aptam, binas verò laterales primô ſtatim annô fructus proferre. Immiſſionem fieri poſſe circà initium autumni, quandò arbores fructibus graves, & ramos veteres demùm anno ſequente, gemmis progerminantibus, amputandos eſſe. *Juſſieu* deſcribit plantam, quæ *Cereus Peruvianus Tabern.* icon. 705. dicitur; *Iſnardus* verò novum plantarum genus, quod Evonymoides appellat.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences ann. 1717. *hoc eſt.*

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum ann. 1717. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem anni.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup 1720. 12.

IN *Anatomicis* contendit *Petitus* herniam veſicæ, quam vitium conformationis dixerat *Mery* in Hiſtoriâ an. 1713. poſſe proficiſci à cauſis accidentalibus, quales ſunt urinæ ſuppreſſio & graviditas. *Winslow* novam detexit valvulam in venâ cavâ inferiore, quam *valvulam Euſtachii* vocat, quia eam jam antè vidit, etſi non ſatis agnoverit *Euſtachius*, Anatomicus ante 150. annos celebris. Monſtrat uſum in circulatione ſanguinis in fœtu. *Littre* uſum clyſterum nutrientium liquidorum, ubi alimentis ſolidis, propter præternaturalem œſophagi ſtatum, non eſt locus, rationibus à Mechanicâ inteſtinorum petitis, impugnat, in primis quod valvula *Bauhini* liquidis neget tranſitum ex inteſtinis craſſis in tenuia, quibus plurimæ venæ lacteæ adhærent, chyli ſecernendi receptacula. Contrarium tuetur *Lemery*: ſed non malè judicat *Fontenellius*, quòd forſan ſibi mutuò prorſùs non adverſentur, cùm *Littre* non omnem uſum neget, *Lemery* autem demonſtrare non poſſit, quantus idem ſit. Quid ſi enim uſus, quem ille exiguum vocat, idem foret, quem ſuis rationibus hic ſtabilivit? De *Reaumur* in formationem unionum inquirit, quos effectum alicujus morbi eſſe ſuſpicatur, factâ extravaſatione ſucci in conchâ margaritifera. *Sivert* Chirurgus, aperiens tumorem in manu fœminæ, quæ pondus ingens attollens ante biennium contraxerat, 200. circiter corpuſcula rotunda, candida & oblonga inſtar fabarum, longitudinis 4. latitudinis 2. linearum in cavitate internâ reperit, quæ Academicis viſa fuêre glandulæ, amiſſô uſû naturali, induratæ. *Duverney* autor eſt, quòd, ſi ovum colubrinum aperiatur, cùm ſerpens excludi debet, fœtus hic in ſpiram contortus, omnique motû deſtitutus in eodem deprehendatur, quem tamen admodùm vivacem mox adipiſcitur, ubi aërem bis vel ter hauſit. *Littre* deſcribit fœtum monoculum, naſô deſtitutum. Oculus erat in medio faciei infra frontem & duobus humoribus cryſtallinis gaudebat, ſed choroïde deſtituebatur. Aderat etiam nervus opticus geminus, retina gemina, iris gemina, humor vitreus geminus &c. ità ùt duo oculi globos rotundos referentes unô viderentur concluſi. Solus humor aqueus erat communis. Craniô apertô, cerebrum liquidum apparuit. Manus ſiniſtra ſex digitis inſtructa erat, pollice in duos veluti diviſô.

In *Chymicis* in originem nitri inquirit *Lemery*, negans ejus fontem eſſe aërem atque terram: ſed potiùs ex plantis & animalibus idem derivat, cùm *Reſſons* oſtenderit dari plantas, ex quibus nitrum extrahere licet, & in vulgus notum ſit, terram nitrô imprægnatam eſſe, in quâ animalia excrementa depoſuêre. *Godofredus* junior & *Lemery* docent, arte chymicâ effici poſſe, ùt ſalia acida in alcalina abeant.

In *Botanicis* deſcriptionem Kali Hiſpanici ſupini, annui, ſedi foliis brevibus dedit *de Juſſieu*; duarum novarum ſpecierum Lamii *Danty d'Iſnard*.

Hæc omnia, quæ hactenùs adduximus, ex Actis Lipſienſibus fuere excerpta. Illis jam alia ſubjungimus ex iiſdem Actis deprompta.

Act. Lipſ. ann. 1724. p. 12.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences de Paris. i. e.

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum ann. 1718. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem anni. Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1723. 12. reg.

IN *Anatomicis* defendit *Rouhault*, qui in ſtructurâ placentæ uterinæ ſummo cum ſtudio inquiſivit, ſanguinem matris in fœtum ex placenta ipsô cordis & arteriarum fœtûs impulsû propelli. Etſi *Malpighius* in anatomiâ pulmonum nihil poſteris, quod detegant, reliquiſſe videatur; *Helvetius* tamen filius in ſtructuram hujus viſceris novâ ſolertiâ inquirens, varia vidit hactenùs non obſervata, quæ breviter commemorabimus. Membranas pulmonum eſſe continuationem pleuræ, & externam quidem pulmonis ab internâ pleuræ, internâ pulmonis ab externa pleuræ ortum trahere, atque internam eſſe magis tenuem externâ, quæ aëri tranſitum neget, quandiù viſceri ſuo adhæret, ab eodem verò ſeparata eundem permittat. Fibras, quas vulgò carneas ſeu muſculoſas eſſe perhibent, ſecundum longitudinem arteriæ aſperæ ac omnium ejus ramificationum protenſas inſigni tenacitate ac elaſticitate gaudere, colorem verò rubrum trahere à vaſis ſanguiferis admodùm ſubtilibus, quæ iiſdem ſociata communi quâdam membranulâ involvantur; Ab elaſticitate harum fibrarum, quæ etiam poſt mortem animalis conſervatur, pendere motum pulmonum. Membranam bronchiorum internam cum externâ tandem coire, nequaquam verò in veſiculas abire. Subſtantiam pulmonis eſſe ſpongioſam, cellulis innumeris ſed admodùm irregularibus ac magnitudine differentibus per tenuiſſimas membranas formatis. In has cellulas deſinere ſubtiliſſimas arteriæ aſperæ ramificationes, quas nè per microſcopium quidem diſtinguere ſatis liceat, Lobulos eſſe portiones texturæ ſpongioſæ membranâ involutas & interſtitia (quâ in re cum *Malpighiô* ſentit) repleri membranulis valdè tenuibus. Singulas unius lobuli cellulas aëre unà repleri, iterùmque depleri. Aërem non tranſire ex lobulô unô in alterum; tranſire tamen in interſtitia; ex quibus nonniſi lentiſſimè iterum egrediatur, ità ùt in exſpiratione in nonnullis perſiſtat. Interſtitiis nullam eſſe in ſtatu naturali inter ſe communicationem, quæ locum non habeat niſi ruptis vi flatûs violenti membranis. Ramos arteriarum ex unô lobulô non progredi in alterum, ſed unumquemque per ſuum lobulum ramificari, donec tubuli capillares cum vaſculis capillaribus venarum congredientes forment reticulum illud admirandum à *Malpighiô* detectum. Anatomia pulmonum eundem *Helvetium* ad difficultatem quandam circa circulationem ſanguinis enodandam adduxit. Nè ingurgitatio accidat in alterutrô vaſorum ſyſtemate, tantundem ſanguinis eôdem momentô in arterias propelli debet, quantùm à venis effunditur. Ventriculus cordis dexter cum annexo venarum per corpus diſperſarum ſyſtemate ſuperat capacitatem ventriculi ſiniſtri, & annexi arteriarum ſyſtematis: contrariâ autem ratione, obſervante *Helvetio*, ſyſtema arterioſum in pulmonibus ſuperat ſyſtema venoſum. Ipſe igitur venas pulmonales cum ſiniſtro cordis ventriculo & annexo arteriarum ſyſtemate concipit inſtar vaſis unius anguſtioris, & arterias pulmonares cum dextro ventriculo & annexo venarum ſyſtemate inſtar vaſis alterius capacioris. Ut autem appareat, utrumque vas & anguſtius, & capacius, eandem quantitatem ſanguinis conſtanter continere, in anguſtiori ſanguinem eſſe denſiorem ſumit ob aërem in pulmonibus admixtum, in capaciori verò rariorem ob aërem ſucceſſivè perditum. *De Reaumur* de Cancrorum exuviis, quas quotannis deponunt, ſingularia annotat. *Marchant* ſiſtit lacertum duplici caudâ inſtructum, qualem reperiri & olim *Plinius* & recentiùs *Jonſthonus* obſervavit. *Morandus* ovum monſtroſum deſcribit, quod in gallina ægrotante, inciſione factâ, reperit. Pondere ova maxima ſepties ſuperabat, albumen erat induratum, & in eo 36. pulli ſatis diſtinctè cernebantur. Idem caſum ſingularem hydropis commemorat, ubi factâ punctione, aquæ nihil egrediebatur, niſi extractô corpore oblongô longitudinis duarum ulnarum. De *Juſſieu* confirmat, quod *Lemery* obſervavit, ſperma ceti, quod vulgò dicitur, non eſſe niſi cerebrum ceti certô modô præparatum. *Wolhouſius* duo exempla Cataractarum membranacearum producit. *Diſſez* Caſum ſingularem recenſet fœminæ unô oculô objecta proprio in loco cernentis, ſed ambobus in peregrino verſus lævam remoto ad diſtantiam 8. aut 10. circiter paſſuum. Oculus ſiniſter caſû quôdam debilitatus aliquantulùm conſtanter rubet. *Deslandes* monſtrat pulmonem quinque lobis conſtantem juvenis 27. annos nati. De *Juſſieu* in ſcenam producit puellam, quæ à nativitate linguâ deſtituta diſtinctè locuta, ſapores diſtinxit, cibos maſticavit & deglutivit, quale exemplum ante complures annos in Agloſſoſtomographiâ dedit *Rolandus*, Chirurgus Salmurienſis. Linguæ locum exigua quædam eminentia carnoſa occupabat. *Petitus* hydrocephalen ſeu tumorem aquoſum capitis deſcribit & novum inſtrumentum chirurgicum ad ſuſpendendam circulationem ſanguinis in membro corporis donec operatio fuerit peracta, ubi Mechanicæ in Chirurgiâ uſum commendat. Deſcribit etiam novum pyxidis genus in uſum crurum fractorum. *Rouhault* ad injectiones anatomicas præ cæteris commendat ichthyocollam in aquâ ſolutam. *Littre* per rationes à ſtructurâ corporis petitas & experimenta inquirit utrùm in caſû neceſſitatis alimenta liquida per nares aſſumere liceat ægrotis, necnè.

In *Chymicis* de examine ſpiritûs vini & aquæ vitæ diſſerit *Godofredus*. Reperit majorem phlegmatis quantitatem in ſpiritû vini rectificatiſſimô quàm facilè quis ſuſpicatus fuerit, & quòd duo ſpiritus vini, quæ per examina conſueta ejuſdem virtutis cenſentur, admodùm differre poſſint. Novem unciis ineſſe deprehendit duas uncias cum 3. granis phlegmatis; immò examine delicatiori dimidiam quantitatem phlegma eſſe invenit. Notum eſt in Chymicis, corpus unum alteri unitum, v. gr. metallum menſtruo, in quo diſſolvitur, ab ipſo rursùs deſtitui, ubi obvium fuerit aliud, cum quo unitur. Quòd ſi ad experimenta chymica attendamus, per ea liquet, corpus unum idemque magis eſſe diſpoſitum ad unionem cum hoc, quàm cum iſto corpore atque hujus diſpoſitionis diverſos dari gradus. Has diſpoſitiones ad examen revocavit *Godofredus* & Tabulam condidit pro materiis, quæ Chymicorum experimentis ſubſunt, ùt effectum ex mixtione reſultaturum prævidere quôdam modô liceat. Tabula iſta ulteriorē perfectionem à perfectione chymiæ expectat. Cùm *Boulduc* perpenderet, *Sal* ſic dictum *Ebſomienſe* quod ex Angliâ affertur, nequaquam illud eſſe poſſe, quod *Grewius* in tractatû an. 1697. edito ex Aquâ minerali Ebſomienſi extrahere docuit, cùm nonniſi $\frac{1}{128}$ quantitatis aquæ, undè extrahitur, conſtituat; in ejus præparationem inquirens, tandem multiplici experimentô factô didicit, ipſum ex alumine & ſale Tartari ſeu oleô Tartari per deliquium optimè parari. Monet autem pro candore ſuô, ſe præparationem iſtam poſteà reperiſſe apud *Hartmannum*, cùm ſe crederet eſſe inventorem. Deſcribit ſalis *Ebſomienſis* in Anglia præparationem, quam ipſi communicavit *Mendez*, Medicus Regis M. Britanniæ. In

In *Botanicis* primo locô occurrit celebris illius plantæ Sinenſis, quæ in patriâ maximô in pretio habetur & *Gin-ſeng* appellatur, hiſtoria. *Bourdelin* an. 1697. de eâ nonnulla communicavit cum Academiâ Regiâ Scientiarum, quæ aliorum fide retulerat, ſcilicet quòd creſcat in locis umbroſis Provinciæ *Leautonenſis* in Tartaria Orientali, quæ Sinenſi imperio ſubeſt, ſub arbore *Kiacha*, proximè ad ſycomorum accedente, & quòd habeat virtutem purificandi ſanguinem, fortificandi ſtomachum, accelerandi pulſum debilem, renovandi calorem naturalem, & unà augendi humidum radicale an. 1713. in litteris Miſſionariorum Jeſuitarum, quæ ſub titulô *Lettres edifiantes & curieuſes* prodierunt, lucem publicam adſpexit epiſtola R. P. *Jartoux* de hac herba, qui an. 1709. à Sinenſium Imperatore in Tartariam miſſus, ad mappam geographicam conficiendam, agmen 10000. Tartarorum offendit, plantam iſtam conquirentium, cujus duas uncias Capitationis locô accipit Imperator, pro eô, quod ſupereſt æquale pondus argenti puri ſolvens. Suſpicatus fuerat ob affinitatem ſylvarum *Canadæ* & *Tartariæ*, ſub eôdem penè climate ſitarum, eandem quoque in *Canada* creſcere. Et R. P. *Joſephus Franciſcus Lafitau*, Jeſuita Miſſionarius, eam ſibi reperiſſe viſus, quam incolæ *Garent-gouen* vocant an. 1712. dubia quædam contra plantam R. P. *Jartoux* ex *Kampſeri* Germani librô moverunt nonnulli, quod ea non ſit vera planta *Gin-ſeng*, & eadem urſere contra plantam P. Lafitau. Sed cùm is an. 1718. Pariſios veniret editô librô dubia omnia ſuſtulit. *Vaillant* plantam hanc ſub novo genere collocat, quod *Araliaſtrum* appellat. Eam in *Canada* inter plantas regionis ſingulares numeravit *Sarraſinus*, Conſiliarius & Medicus Regius, eamque ſub nomine *Araliæ humilis fructû majore ad Fagonium* ann. 1704. in ornamentum horti regii miſit, antequam conſtaret eſſe plantam *Gin-ſeng*. Ejuſdem meminit *Rajus* ſub nomine *plantulæ Marilandicæ foliis in ſummo cauliculo ternis, quorum unumquodque quinquefariam dividitur, circa margines ſerratis* Planta quotannis ex radicum nodis recentibus progerminat, caulem fert annuum & per ſemina difficillimè propagatur. *Reneaume* aſſeverat, *hepaticam nobilem Tragi*, plantam in Medicina uſualem, ſed parùm æſtimatam, præcipuas plantæ *Gin-ſeng* virtutes habere. Idem nonnulla annotavit de perficiendo ſyſtemate botanicô *Tournefortii*: *Marchant* plantam deſcribit, quam vernacula lingua *L'indigolier* vocat. *Vaillant* nonnulla de novis characteribus plantarum annotat, & *Danty d'Iſnard* novum plantarum genus condit ſub *Cynogloſſoidis* nomine.

Ibidem p. 498.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, ann. 1720. hoc eſt.

Hiſtoria Academiæ regiæ ſcientiarum. Annus 1720. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem anni, Pariſiis, typis Regiis, 1722. 4.

IN *Anatomicis* monſtrum, quod diſſecuit *Mery*, in ſcenam producit. Erat puella menſe ſexto in utero mortua ſine capite, corde, pulmonibus, ventriculo, renibus, inteſtinis tenuibus, hepate, veſiculâ fellis, liene, pancreate. Nata fuit cum alia, tunc temporis adhuc vivâ. Utraque iiſdem involucris fuit involuta, eadem placenta, & unicus ex eadem progrediens funiculus umbilicalis in duos deſinens ramos in umbilicis fœtuum terminatos. Mater gravida hydrope laborare credebatur; ſed in partû inſigni quantitate aquæ effuſâ nulla hydropis ſuſpicio remanebat. Medulla aderat ſpinalis in monſtro, etſi cerebrô cum capite careret. Circulatio ſanguinis ſine corde probat, infantem in utero tanquàm partem matris ſpectandum eſſe, & ſanguinem matris per eundem circulari. In inteſtinis craſſis nullum erat meconium, quod *Mery* mixturam eſſe hinc colligit ex ſuccô glandularum inteſtinorum tenuium, bile & ſuccô pancreaticô. *Littre* evidenter docet, ſanguinem menſtruum non ex vagina, ſed ex matrice ſola provenire. Etenim in fœminis tempore evacuationis menſtruæ mortuis matrix fuit craſſa & tenſa, vaſa ſanguifera fuere turgida, quorum aliqua ſanguinem in cavitatem uteri effundebant, ſuperficies interior matricis foraminibus admodùm conſpicuis obſita & ſanguine arterioſô plena, ità ùt uterô extus compreſſô ſanguis per ea intùs exſtillaret. In gravidis mortuis foraminula illa ob exilitatem vix conſpicere licuit, & compreſſa non ſanguinem, ſed liquorem lacteum reddidere. In fœminis neque gravidis, neque tempore purgationis menſtruæ denatis foraminula iſta tantùm non prorsùs imperceptibilia fuere & nonniſi pauca quantitas liquoris tenuis & limpidi exprimi potuit. *Winslow* de actione muſculorum nonnulla meditatur; arbitratur enim, hoc argumentum hactenùs ab Anatomicis non fuiſſe pro dignitate expenſum. ex. gr. omnis motus dicitur fieri muſculorum contractione; ſed hoc principium non eſſe univerſale per inſtantias probat. Pertinet huc capitis demiſſio, quæ fit propriô pondere muſculis relaxatis, quibus erectum tenebatur. Vera hæc cùm ſit actio, quæ muſculorum relaxatione peragitur, nutrimentis exactiſſimè conveniens, nova hinc naſcitur difficultas circa imperium animæ in corpus. Idem contendit, in omni actione, ubi muſculi ſoli agunt abſque ullâ virtute peregrina, omnes muſculos ad eandem partem pertinentes in motum influere. v. gr. dum brachium flectitur, actionem non tribuendam eſſe ſolis flectentibus, verùm etiam extendentibus, adducentibus & abducentibus. Extendentes enim relaxari pro ratione contractionis flectentium, adducentes & abducentes brachium in æquilibrio tenere. Prope *Veſuntium* in Comitatu *Burgundiæ* duo rivi confluunt, quorum unum *Bougeaille*, alterum *Craye*, linguâ vernaculâ incolæ appellant. Hujus aqua cruſtâ lapideâ obducit corpora, quæ alluit, illius aqua has cruſtas iterum ſolvit, undè poſt confluxum evaneſcit vis petrificandi. *Billereſius*, Medicinæ Doctor *Veſuntinus*, factô experimento didicit calculos veſicæ in illa ſolvi, ità quidem ùt materia ſoluta aquam obnubilans primùm præcipitetur, deinceps autem præcipitata inſtar ſalis imbibatur; in hac autem, quæ cruſtas lapideas inducere ſolet, eoſdem calculos ab omni mutatione immunes perſiſtere. *Deslandes* vermes marinos deſcribit navibus adeò infeſtas, cùm magnâ copiâ ſimul irruentes lignum erodant. Ex Archipelago *Americano* à navibus ex *Antillanis* inſulis reducibus ante 50. circiter annos in noſtra maria allati ſtupendô numerô ſe ſe multiplicarunt. *Petitus*, Medicus, *Namurci*, hermaphroditum deſcribit, qui haſtâ virili inſtructus, ſed teſticulis carens, eoſdem cum matrice in infimo ventre reconditos poſſedit. Idem meminit viri per penem ſanguinem menſtruum evacuantis; quem fortè perindè matricem in infimô ventre habuiſſe ſuſpicatur. *Winslow* obſervationes quaſdam circa oſſa corporis humani communicat, quibus aut corrigit aliorum errores, aut defectus ſupplet. ex. gr. Mechanicam & uſum coſtarum in reſpiratione declarat, quem *Borellus* atque *Bellinus* cum *Aquapendente* in obſcurô reliquerint, quantamcunque ad hoc argumentum enodandum ſolertiam attulerint. *Mery* manum monſtroſam ſpectandam ſiſtit.

In *Chymicis* Tabulam ſuam, cujus in Actis hujus an. p. 16. mentionem fecimus, ab objectionibus vindicat *Godofredus*, & ope ejuſdem ſolvit problema à *Stahliô* amico cuidam ſuo propoſitum, quô poſtquam acidum Vitriolicum ſale Tartari ſaturatũ & cryſtallisatum fuit, acidum à ſale fixo in inſtanti abſque igne & in vola manùs ſeparari jubetur; id enim futurum cenſet, ſi primum principium oleoſum, deindè novum acidum addatur, in cujus gratiam alcali ſeu ſal Tartari ſecedat à principio oleoſo. *Lemery* continuat ſuas obſervationes de analyſibus chymicis ordinariis poſtquam ad examen revocavit ingentem numerum analyſium à *Bourdelino* methodô ordinariâ factarum, quas Academia ſcientiarum conſervat. Multa annotavit de falſis conſequentiis, quæ indè deduci poſſunt, de defectibus operationum & de remediis adhibendis. E. gr. Experimenta chymica, quibus dignoſcuntur acida & alcalina, ut per ſyrupum violarum, ſolutionem Mercurij ſublimati, &c. non habere locum, niſi cùm fuerint à ſe invicem ſeparata, ſalia in materiis animalibus & vegetabilibus eſſe concreta & per ignem acidum ab alcalino ſeparari ùt adeò de proprietatibus concreti non liceat judicare ex proprietatibus ſeparatorum. Dari acida in plantis & animalibus, quæ per analyſes ordinarias non appareant. Non plus acidi dari in plantis quàm in animalibus, etſi contrarium vulgò appareat. *Reneaume* deſcribit aquas minerales an. 1719. haud procul *Pariſiis* detectas. *Godofredus* junior in originem *Salis Armoniaci* inquirit, & id ex urina extrahere docet, adjectô ſale marinô aut ſpiritû ſalis. Immò idem extrahi poſſe monet ex oſſibus, ungulis, cornubus, pilis, ſanguine. Hâc ratione invenit, quod optaverat *Dodartus*, quomodo ſalibus animalibus odor & ſapor moleſtus demi poſſit, convertendo ſcilicet eadem in ſal Armoniacum per additionem ſalis marini ſive culinaris & demendo poſteà acidum ope ſalis Tartari. Sal ſuum Armoniacum artificiale idem eſſe cum orientali, experimentis probat. Et originem orientalis, quam divinavit, confirmarunt litteræ, quas de eadem ad Academiam Regiam dederunt *Lemereus*, Conſul *Cairæ* & *Sicardus Miſſionarius* è Societate Jeſu in Ægyptô. Etenim in Ægypto ob ligni raritatem ſtercora animalium paleis admixtis comburunt. Ex fuligine & ſale marino per ſublimationem præparatur ſal *Ammoniacum*. *Lemery* deſcribit præparationem Antimonii; quæ ſub nomine *pulveris Carthuſiani* (*poudre des Chartreux*,) ab aliquot annis inclaruit, & quæ jam à *Glaubero*, ſed per modum ænigmatis, proponitur; *Boulduc* verò præparationem *Magneſiæ*, in noſtris oris ſatis notam.

In *Botanicis* mentio fit libri de gramine, quem Johannes *Scheuchzerus* ſub titulo: *operis Agroſtographici idea* an. 1719. editum ad Academiam ſcientiarum miſit. *Vaillant* enumerationem plantarum (quas vocat) *Corymbiferarum* continuat, in Commentariis an. 1719. edi ceptam. *Iſnardus* novum plantarum genus conſtituit, cui *Euphorbii* nomen imponit.

Ibidem anno 1725. *p.* 109.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences ann. 1721.

hoc eſt.

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum ann. 1721. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem anni. Pariſiis, ex typographia Regia 1723. 4.

IN *Anatomicis* tunicam internam inteſtinorum tenuium examinat *Helvetius* una cum nervoſa & carnoſa. Internam negat eſſe villoſam; affirmat eſſe papilloſam. Villos nonnullis viſos eſſe papillas diſſectas. In tunica carnoſa præter fibras circulares deprehendit etiam longitudinales, ſed valdè tenues; quæ ratio cur vulgò non fuerint animadverſæ. Circulares quæ dicuntur, integram perimetrum non abſolvunt, nec in ſe redeunt, ad ſpiram accedentes. Membranam nervoſam non ex fibris nervoſis, ſed tendineis eſſe contextam, obliquè ſe mutuò interſecantibus. *Winſlow* ſiſtit puerum ex imaginatione matris abſque oculis natum. Idem obſervationes aliquot circa mechaniſmum muſculorum oculi, de iride & poroſitate tunicæ corneæ communicat.

In *Chymicis* alcali ſalis Armoniaci volatilis eſſe docet *Lemery* phlegmate ſive aquâ, immò ſpiritû vini. Salia autem volatilia alcali cum acidô unita volatilitatis minorem gradum acquirere ità ùt volatilitati aquæ æqualis fiat, nec ipsâ vi caloris niſi cum hoc elevari poſſunt. Quòd ſi verò ab acidô liberentur, eadem ante phlegma in formâ ſiccâ elevari. *Godofredus* junior ſalia plantarum eſſentialia ſub examen revocat. Miram hìc occurrere notat naturæ varietatem, cùm ſal eſſentiale non in integrâ plantâ, ſed nunc in radice, nunc in cortice, nunc in floribus, nunc in fructibus reperiatur, immò nè in his quidem partibus integris, verùm in aliis minoribus. Imprimis autem notatû dignum eſt, quòd oleum eſſentiale, undè odor corporis pendet, perindè ac pinguedo in animalibus, veſiculis ſeu cellulis concluſum contineatur. Ut unâ operatione citra rectificationes iteratas ſæpius idem obtineas, mixtum in ſpiritu vini menſtruô ſpatiô macerari, deindè in balneo Mariæ deſtillari jubet. Reperit etiam quæ hâc methodô præparantur, per annos complures minimè alterari.

In *Botanicis* nova genera plantarum cum floribus compoſitis condit *Vaillant*, & aliud *Iſnardus*, quod Monoſperma *Althæa* ab ipſo appellatur.

Ibidem pag. 268.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, an. 1722.

hoc eſt.

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum an. 1722. cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejuſdem anni, Pariſiis, ex typographia Regia, 1724. 4.

IN *Anatomicis* novam morbi ſpeciem deſcripſit *Petitus* ſub nomine *Carnificationis oſſium*, quam pluribus obſervationibus confirmat. Oſſa ſcilicèt duritiem amittunt; fibris eorumdem carneis propè modum aſſimilatis. Notatu verò dignum eſt, quòd oſſa ſæpius abierint in carnem, immutatâ prorsùs Cartilaginum ſubſtantiâ. *Morandus* obſervationes nonnullas de oculorum ſuffuſione communicat. *Littre* caſum ſingularem recenſet, ubi uterus & difficultas reſpirandi eandem habuere cauſam. Vulgi opinione conſtat, ſoleas à carabis gigni. *Deslandes* cùm inſignem caraborum multi-

multitudinem in labro ligneo aquâ marinâ plenô aſſervaret; tredecim diebus elapſis octo vel decem ſoleas exiguas deprehendit. Repetitô ſæpius experimentô, idem ſemper fuit eventus. Re tandem accuratiùs examinatâ, vidit ovula ſolearum inter pedes caraborum magnô numerô obvia, in quibus ope microſcopii embryonem diſtinguere licuit, ut adeò carabi excludant ovula Solearum. *Godofredus* commemorat menſtrui ſanguinis anno ætatis 40. ob fœtum tubarium defectum, qui tandem in maſſam irregularem excrevit, & annô decimô quintô mortem intulit matri. *Freſier*, Architectus militaris Regius in inſulâ S. *Dominici*, refert, natum ibidem fuiſſe vitulum, cui ſquamæ pilorum loco fuerint. Fertur eſſe effectus imaginationis vaccæ gravidæ metuentis ſibi â Crocodilo vaccis infeſto. Denique *Lemery* auctor eſt, virum religioſum ſtatô tempore per octo jam annos vomitus pati, materiâ excretâ urinæ ſimili. Cæterum an. 1722. *Helvetius* edidit *Ideam generalem œconomiæ animalis & obſervationes de variolis*, cujus argumentum *Fontenellius* recenſet. In ſolis commentariis extant duo ſchediaſmata *Petiti*, Chirurgi, alterum, de luxatione cruris; alterum de rupturâ tendinis, cui *Chordæ Achillis* eſt nomen. Ibidem quoque reperies obſervationes *Morandi* de hydatidibus & obſervationes Miſcellaneas *Winslovii*. Explicat hic ex principiis anatomicis, quî fieri potuerit, ùt præſtigiator per nares clavos adigeret, & vas aquâ plenum, fune mediante, indè ſuſpenſum teneret. Deſcribit ſtructuram cranii ſingularem & alia ad Oſteologiam ſpectantia. *Morandus* verò in cadavere militis reperit ſaccos membranoſos pluribus viſceribus infimi ventris annexos & hydatidibus innumeris plenos.

In *Chymicis* vegetationes artificiales expendit *Petitus*, Medicus, eas præſertim, quæ nihil metallici continent, ſed tantùm ex materiis ſalinis, ſulphureis, ac terreis fiunt. Uſus eſt potiſſimùm nitro depurato, cryſtallô minerali, ſale Armoniacô, ſale marinô, ſale de duobus, ſeu ſale ex capite mortuô aquæ fortis, ex nitrô & vitriolô paratæ extractô, & menſtruis, aquâ communi, vinô, aquâ calcis, variis ſpiritibus, ſubindè cum oleô Tartari per deliquium commixtis. *Godofredus* de impoſturis Alchymiſtarum diſſerit, & *Fontenellius* omnem Philoſophiam hermeticam rejicit, negans, unquàm metallum imperfectum, nedùm aurum arte fuiſſe productum, vel radicaliter ſolutum. Prodiit an. 1722. liber, quem *de Reaumur* conſcripſit, ſub titulo Artis convertendi ferrum cuſum in chalybem, & artis emolliendi ferrum fuſum, cujus argumentum prolixè recenſet *Fontenellius*. Liber utiliſſimus, cùm opera ex ferrô longè minori ſumtu parare doceat, quàm vulgò fieri ſolet.

In *Botanicis* Florem terræ ſeu cœli, quem *Magnolius* & *Tournefortius* primi inter plantas retulerunt, deſcribit de *Reaumur*. *Godofredus* ſibi videbatur reperiſſe radices, ſed *de Reaumur* perſuaſus eſt, nullas dari. Hiſtoriam naturalem *Vagnillæ* exhibet *Juſſieu*, quam obtinuit à *Partietio* Conſule Gallo Gadibus in Hiſpaniâ. Affertur enim ad nos ex Americâ ab Hiſpanis, qui nomen indiderunt fructui. *Vaillantius* in condendis novis plantarum generibus pergit & ſtricturas quaſdam in methodum Tournefortii edit.

ACTUARIUS (*Johannes*,) filius dicitur Zachariæ, & nomen Actuarij procul dubio ex eo petitur quòd Primarij inter Imperatoris Medicos munere fungeretur. Vixit ſeculo decimo tertio, quamvis *Renatus Moreau* ſub finem ſeculi undecimi, *Lambertus* verò, contrà ſub initia decimi quarti, floruiſſe contendant. Medicinam cum magnâ celebritate Conſtantinopoli exercuit, & multa conſcripſit, politiori ac non parùm caſtigatiori Stylo, quàm fuerit alicujus eorum omnium, qui ipſum conſequuti ſunt.

Ex eo habentur ſequentia.

Opera Pariſiis, apud Morellum, in 8. Lugduni, apud Joh. Tornæſium, 1556. in 8. tribus tomis. Lutetiæ, apud Henric. Stephanum, 1567. in fol. inter Medicæ Artis Principes.

Continentur autem his operibus.

De Actionibus, & ſpiritûs animalis affectibus, ejuſdemque nutritione, lib. II.
De Urinis lib VII.
Methodi Medendi lib. VI.
De Medicamentorum compoſitione lib. I.

Seorſim extant.

De Actionibus, & affectibus ſpiritûs animalis, ejuſque victu lib. II. nunc primùm in lucem redierunt, Jacobi Goupyli beneficiô, Græcè. Pariſiis, apud Martinum Iuvenem, 1557. in 8.

De Urinis Libri ſeptem, Ambroſio Leone, *Nolano* interprete Venetiis, apud Laurent. Vitalem 1519. in 4. Baſileæ, apud Andr. Cratandrum, 1529. in 8. Jacobus Goupylus hanc Nolani interpretationem ad Græcorum exemplarium fidem recognovit, adnotationibuſque; & Scholiis illuſtravit. Pariſiis, apud Johannem Rogni, 1548. in 8. Ultrajecti, 1570. in 8.

Methodi Medendi libri ſex. Quibus omnia, quæ ad Medicinam factitandam pertinent, ferè complectitur. Corn. Henricus Matthiſius, *Brugenſis*, nunc primùm vertit. Venetiis, 1554. in 4. Acceſſit.

De Victus ratione in ſpiritu animali Libri duo, Julio Alexandrino interprete.

De Puerorum Educatione Liber, verſibus, eodem Auctore. Venetiis, apud Petrum de Nicolinis, de Sabio, 1567. in 8.

De Medicamentorum compoſitione, Johan. Ruellio interpr. Pariſiis, apud Conrad. Neobarium, 1539. in 12. Baſileæ, apud Bogardum, 1546. in 8. apud Rob. Winter, 1540. in 8. Huic adjecta in Medicinæ Candidatorum gratiam, ſuccedaneorum medicamentorum tabula, quorum uſus habetur reciprocus, Græcè & Latinè, per Conr. Geſnerum, *Tigurinum*.

De febribus lib. extat cum Opere Veneto de febr. pag. 176. Venetiis, apud Gratioſum Perchacinum, 1553. in fol.

ACUNA (*Chriſoſtophorus Diaſtriſtan. de*)

De eo extat.

Antitheſis ad repetitionem tertiam, pro Medicinâ Iberorum, Lovanij, apud Jacob. Zegers. 1644. in 4.

ADAMI (*Tobias*) Thomæ Campanellæ Libr. de ſenſu rerum recenſuit & evulgavit.

ADAMUS (*Melchior.*)

Ex eo habentur.

Vitæ Germanorum Medicorum, qui ſeculo ſuperiori, & quod excurrit claruerunt: congeſtæ, & ad annum 1620. deductæ. Heidelbergæ, apud Jonam Roſam, 1620. in 8. Et poſteà in 4.

Elenchus

Elenchus Medicorum, quorum hic vitæ habentur, nomina juxta Alphabetum, recenſens.

A

Achilles Pirminius Gaſſarus.
Adamus Bodenſtein.
Adamus Lonicerus.
Adolphus Occo.
Adrianus Junius.
Albanus Torinus.
Andreas Ellingerus.
Andreas Grundlerus.
Andreas Mirica.
Andreas Planerus.
Andreas Richilus.
Andreas Veſalius.
Antonius Niger.
Auguſtinus Schurfius.

B

Balthaſar Brunnerus.
Bernhar. Deſſ. Cronenburgius.
Bruno Seidelius.
Burchardus Mithobius.

C

Carolus Cluſius.
Caſpar Nævius.
Caſpar Peucerus.
Conradus Battus.
Conradus Geſnerus.
Cornelius Gemma.

E

Eraſmus Stella.
Euricus Cordus.

F

Felix Platerus.
Flaminius Gaſto.

G

Gemma Friſius.
Georgius Agricola.
Georgius Laubius.
Georgius Marius.
Georgius Pyſander.
Georgius Sturcius.
Georgius Wirthius.
Gerhardus Bontius.
Gervaſius Marſtallerus.
Gisbertus Longolius.
Gregorius Pictorius.
Guilielmus Copus.

H

Henricus Brucæus.
Henricus Cornelius Agrippa.
Henricus Fabricius.
Henricus Munzingerus.
Henricus Smetius.
Henricus Stromerus.
Hermannus Cruſerius.
Hieron. Tragus, *vulgò* Bock.
Hieronymus Wildenbergius.

I

Jacobus Bordingus.
Jacobus Curio.
Jacobus Milichius.
Jacobus Scheckius.
Jacobus Theod. Tabernæmontanus.
Jacobus Zuingerus.
Janus Cornarius.
Jeremias Thriverus Brachelius.
Joachimus Camerarius.
Joachimus Curæus.
Joachimus Vadianus.
Johannes Crato à Craftheim.
Johannes Echtius.
Johannes Goropius.
Johannes Guintherius.
Joannes Heurnius.
Joannes Hubertus.
Johannes Lud. Havenreuterus.
Johannes Ingolſtetterus.
Johannes Kentmannus.
Johannes Langius.
Johannes Megobachus.
Johannes Moibanus.
Johannes Munſterus.
Johannes Nævius.
Johannes Obſopœus.
Johannes Pfeil.
Johannes Poſthius.
Johannes Schenckius.
Johannes Schroterus.
Johannes Sinapius.
Johannes Straubius.
Johannes Viſcherus.
Johannes Weinmannus.
Johannes Wierus.
Jodocus Lucius.
Jodocus Willichius.

L

Laurentius Gryllus.
Leonhardus Fuchſius.
Leonhardus Rauwolf.
Levinus Battus.
Levinus Lemnius.
Lubertus Eſthius.
Ludovicus Gravius.

M

Martinus Hunnus.
Martinus Polich. Mellerſtadius.
Matthæus Heuſlerus.
Melchior Fendius.
Melchior Guilandinus.
Michaël Meurerus.
Michaël Toxites.

N

Nicolaus Bieſius.
Nicolaus Möglinus
Nicolaus Taurellus.

O

Oswaldus Berus.
Otto Brunsfelſius.

P

Paulus Lutherus.
Paulus Ricius.
Petrus Foreſtus.
Petrus Lotichius.
Petrus Monavius.
Petrus Pavius.
Petrus Raichſpalt.

R

Reinerus Solenander.
Rembertus Dodonæus.

S

Samuel Siderocrates.
Sebaldus Havenreuterus.

T

Theodoricus Meſchede.
Theodorus Plateanus.
Theodorus Zuingerus.
Theophraſtus Paracelſus.
Thomas Eraſtus.

V

Valerius Cordus.
Victor Giſelinus.
Volcherus Coiterus.

W

Wernerus Wolflinus.
Wolfgang. Lazius.
Wolfgangus Meurerus.

ADELARDUS Anglus, ſcripſit Quæſtionum Naturalium libr. 1. & in Re medicâ quoque plurimos. Claruit ann. 1130.

ADER (*Guilielmus.*)

De eo extant.

Enarrationes de ægrotis, & Morbis in Evangelio. Opus in miraculorum Chriſti amplitudinem Eccleſiæ Chriſtianæ elimatum. Toloſæ, apud Dominicum & Petrum Boſcios, 1620. & 1623. in 8.

De Peſtis Cognitione, Præviſione & Remediis. Toloſæ. 1628. in 8.

ADIMANTUS quidam citatur apud Plinium, qui multa ex eô in lib. 13. Hiſt. Natur. tranſcripſit.

ADOLPHUS, (*Chriſtianus Michael*) Archiater Ducalis Saxo Cizenſis, & Medicus Lipſienſis, Academicus Curioſus.

De eo hæc habentur.

Ephemer. Germanic. Centur. III. & IV.

Obſervatio 96.

De capite gallinæ lapideo.

Ibid. Obſervatio 97.

De Convulſione reciproca.

Ibid. Obſervatio 98.

De Criſi ſingulari.

Ibid. Obſervatio 99.

Vermes referri poſſunt ad morbos Epidemios.

EX longâ obſervatione mihi conſtat, aëre, ventis, tempeſtate occidentalibus, maximè verò auſtrinis, humido-tepidis, calidis exiſtentibus vermes ut plurimum corpora infeſtare. Idem conſtat mihi aliiſque non modo de hominibus, ſed & de equis, canibus, lignis, ſeminibus &c. quæ ci-

tius tunc ab iis roduntur, atque exeduntur. Palam enim eſt vermes, ejuſmodi aëris conſtitutione humido-calidâ ſcilicet ad putredinem diſponente, quâ generantur, foventurque, maximè gaudere.

Centur. V. & VI. Obſervatio 14.

De mirâ odontalgiæ causâ.

FŒmina Lipſienſis ſucci plena aliàs mihi optimè nota, ſi non ſingulis ſeptimanis digitorum ungues præcidat, quod diebus Sabbati ordinariò fieri ipſi conſuetum eſt, Odontalgiâ ſequentibus diebus vexatur; præcisis verò unguibus, mox iterùm remittit odontalgia. Rationem nondùm adſequutus ſum.

Ibid. Obſervatio 15.

De Nævis, obſervata notanda.

NOtabilia ſequentia de nævis obſervatâ mihi ſunt: ſcilicet Nævi materni ut plurimùm certum velut ordinem, relationem inter ſe & cognationem ſervant, pro partium ratione, per quas ſunt ſparſi, ut iis conſenſus quoque intercedit, certus quoad earum magnitudinem, craſſitiem, longitudinem &c. Secundum naturam & præter naturam in morbis quoque, ubi una pars, quæ laborat, facilè aliam ſibi cognatam in conſenſum trahit. Partes ſuperiores reſpondent eô intuitû inferioribus, dextræ ſiniſtris, imò menſura ratione partium, à quibus recedit, aut ad quas accedit.

Exempli gr. ſi nævus in frontis parte dextrâ conſpiciatur, conſpicietur quoque alius in pectoris latere dextro, & vice verſâ ſibi ſimilis, quoad faciem, colorem, latitudinem &c. ſi ad aures, circa tempora verſuſque occiput adſint, in humero aut dorſo etiam aderunt. Si in genâ habeatur, habebitur & alius in coxâ ejuſdem lateris. Ille, qui labro inferiori inſidet, comitem in abdomine, qui menti extremâ in parte, in inguine habebit. Rurſus ubi in brachio dextro is obſervatur ſupra cubitum duorum, v.g. digitorum tranſverſorum latitudine, juxta genu ejuſdem lateris ejuſdemque ſpatiô, alter reperietur, & ſi in poſteriori parte brachij, in ſuris, & vice versâ. ſi manûs digitos nævus occupat, occupabit ſine dubio & alius pedis; & ſic porrò. Dein obſervata quoque adduco & viſa: nævos maternos etiam habere multotiès certas ſuas variationes certis temporibus: ut nævorum cerasa referentium color ex pallido & flaveſcente in lividum & rubicundum eô tempore, quô cerasa matureſcunt, ſæpè mutatur. Nævus qui ortus erat ex matris terrore conſpectô mure, murem referebat colore & formâ, imò (quod erat valdè notabile) odorem ſpirabat eundem ac mures ſolent.

His addo, quod vidi in ægroto convulſionibus atrocibus excruciato, nam his remiſſis, in partibus ſic contorſis nævi ſublividi, ceraſi magnitudinem æquantes, apparuerunt, nec ullô remediô hucuſque deleri potuerunt.

Ibid. Obſervatio 16.

De ſubito fœtore putredinoſo in juvenis variolis extincti cadavere.

Ibid. Obſervatio 17.

De alvi ſegnitie pertinaciſſimâ.

VIvit hìc Lipſiæ Juvencula quædam, ſanguinea aliàs, & ſatis robuſta, quæ tantâ, ab ineunte ætate, alvi ſegnitie prædita eſt, ùt vix per 4. 5. aut 6. dies ſemel alvus deponatur, ut plurimùm nulla incommoda ſentit exindè, ſæpiùs tamen mala ſatis ſymptomata, malumque pejus minantia, tormina, abdominis diſtenſio, vertigo, cibi faſtidium diuturnum, cephalalgia &c. emergunt. Hæcque alvi pigrities adeò pertinax eſt, ùt nullis cedat remediis, quamvis varia varioque modô per plures annos adhibita ſint, internè pariter & externè, ut purgantia leniora fortioraque, imò vomitoriis rarefacta in doſi mixta, præmiſſis præmittendis, diuque continuatis, digeſtivis, ſalinis, præcipitantibus, acetum p. n. invertentibus, lenientibus, liqueſcentibus, lubricantibus, oleoſis, pinguibus, butyraceis. Imperata eſt diæta humida imprimis ante cibos alios inſtituenda ex modò recenſitis, item vinoſa, deglutivit copioſos ſyrupos; ſuaſa eſt deambulatio ſuper pavimentum lapideum frigidum nudis pedibus, volutatio in lecto (certiſſimum aliàs remedium,) & ſimilia varia benè multa, aliàs maximè proficua, item antihypochondriaca ac ea, quæ ſpaſmodicæ nervorum contractioni debentur, deobſtruentia, amara &c. Tartarea, imprimis Cryſtall. Tartari, aliàs egregiæ in hoc caſu virtutis, V. S. quoque in auxilium vocata eſt. Injunctus eſt ipſi in latere ſiniſtro decubitus. Neque externa omiſſa ſunt, ut inunctiones, balnea, clyſteres, cataplaſmata, ſuppoſitoria, fotus, inſeſſus, ſed omnia fruſtrà hucuſquè impenſa ſunt. A variis Medicis per multos annos & multis medicaſtris, res tentata eſt, at nihil effecerunt, quare & gloriatur hæc juvencula, neminem poſſe ipſi alvum movere. Non parùm adjuvat pariter hanc alvi ſegnitiem, ac curam impedit, vita ejus ſedentaria, parcus potus, cibi non ſatis ſaliti (conſuetudo ut communiſſima apud Lipſienſes, fœminas maximè, ità peſſima) vix nam intra 2. aut 3. dierum ſpatium ſemel bibit, neque ùt meliorem diætæ rationem inſtituat, ullô modô poteſt adduci.

Inter omnia alia, optima hæc in hoc ſubjecto mihi experta ſunt fotus, & inſeſſus ex Decoctô agrimoniæ cum Cereviſiâ Torgavienſi, & Decoctum propinatum malvæ, quibus à periculoſiſſimô malô bis liberata eſt.

Reliqui ei tamen prognoſticum gratum, ſpeque erexi eam, fore ùt ſucceſſu temporis liberaretur ab hoc incommodo, ſecundum Aph. Hippocratis 2. lib. 20. *Quibus adhuc juvenibus alvus humida eſt, iis ſeneſcentibus ſiccatur; quibus verò adhuc juvenibus alvus ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humidior.*

Ibid. Obſervatio 18.

De Acidularum quâdam operatione notata.

ACidulis inter alias hæc potiſſimùm eſt peculiaris operatio, ùt alvum laxent iis, quibus aliàs eſt obſtipata, & obſtipent eam iis, quibus aliàs eſt laxa. Exindè fortè quia diureticæ ſunt, & ſerum omne per vias urinarias excernunt, ùt debitum deficiat in inteſtinis atque conſuetum, quod lubricare deberet inteſtina & excernenda diluere. Alterâ verò ex parte quòd obſtructiones fortè bilis vaſorum auferant, ut à bile in inteſtina influâ, ad excretionem ſtimulentur ea.

Ejuſmodi

Ejuſmodi aliis quoque medicamentis commune eſt.

Ibid. Obſervatio 19.

Sternutatio ſtato tempore rediens.

IN Scorbuticis maximè non rarò obſervare licet, dari ſternutationem periodicam, ſtatas horas & tempora ſervantem; natura enim noſtra facilè motibus repetitis, aliquotiès adſueſcere ſolet, quod quotidie videmus atque experimur.

Ibid. Obſervatio 87.

De mirâ idioſyncraſiâ fœminę cujuſdam ratione purgantium.

SI quid medicam praxim difficilem reddit, certe idioſyncraſia eſt, & complicatio affectuum. Prioris exemplum præbet fœmina Lipſienſis 50. annorum circiter, habitû corporis aliàs ſat convenienti prædita, nec de hyſtericâ paſſione unquam conqueſta. In hâc autem ea deprehenditur idioſyncraſia, ùt nulla purgantia, etiam minùs fortia, poſſit perferre, ſed ex eorum exhibitione maxima ſemper & peſſima ſequantur ſymptomata, eaque pertinaciſſima: Nimirùm cùm ferè ſemper per vitam alvô adſtrictâ laboraverit, à diverſis Medicis diverſa præſcripta ipſi ſunt purgantia; ſed ſemper infauſtô ſucceſſû, inſecuta namque ſunt plurima mala, ut ſumma virium proſtratio ad animi deliquium uſque, languor totius corporis diù affligens, inappetentia, ſitis enormis, facies lurida &c. Inter alia ipſi præſcriptus eſt nodulus purgans vinô infundendus, ex quô immaniſſima tormina ſequuta, & quater alvum dejecit & (quod notabile fuit) quarto die tumor lateris ſiniſtri ortus, humani ferè capitis magnitudinem æquans, cum gangrænâ accedente; & alvô adſtrictâ pertinaciſſimâ per duos menſes durante, adeò ùt vix clyſteribus ſæpiùs injectis ſolvi potuerit, ad quam curandam & ventriculi tormina ſedanda varii advocati ſunt Medici; qui omnes convaleſcentiam deſperârunt. Alius aliâ vice alvum ſolvere tentabat, pulvere quodam purgante, ex quô irritô conatû exorti potiùs vomitus enormes, præcordiorum ſumma anguſtia, tormina ventriculi immania &c. & res viſa eſt omnibus periculi plena. Hinc Medici ipſi non audent adhuc purgans præſcribere, nec ipſa ejuſmodi aſſumere. Nimirùm Purgantia ſubtili ſale cauſticô naturæ inimicô partes ſolidas rodunt & ſpaſticis contractionibus, quas efficiunt, (ad quas ſuſcipiendas fœminæ viris proniores ſunt, in primis hyſtericæ paſſioni obnoxiæ;) ventriculi & Inteſtinorum tonum & motum periſtalticum deſtruunt, & non modò ſpaſticis paſſionibus ſternunt viam, ſed & alvi conſtrictionem relinquunt. Quare laudandus in eo Aſclepiades eſt, quòd omnia purgantia ex Medicinâ expulerit; Celſo teſte lib. 1. cap. 3. quia (ut alio in loco legere eſt) malum ſuccum fovent & naturam debilitant. Idcircò & parciſſimus & circumſpectus earum ſit uſus, etiam in ſanis aliàs, ſi præſervationis gratiâ exhibeantur. Suaſû meô, cùm neque mannam, neque ſalia deterſiva, ut Liq. terræ fol. tartari, cryſtal. tartari & ſimilia ſatis ferre poſſit, ſyrupum roſarum ſolut. in largiori quantitate aſſumſit cum Decocto malvæ, quæ ipſi ſemper præſtant liberiorem alvum.

Ibid. Obſervatio 88.

De Venæ Sectionis in ſenibus utilitate.

VAna eſt Medicorum multorum perſuaſio; minimè ſenibus conferre Venæ ſectionem, quia vires proſternerent, quæ tamen hâc imprimis ætate maximè ſint conſervandæ. Verùm non video, cur iis venæ ſectio ſit interdicenda: cùm multi dentur ſenes, quibus vires ſunt integræ, qui benè appetunt, copioſo chylo & ſanguine turgent, excretiones verò per alvum & tranſpirationem iis ſunt ordinariò ſegniores, quia motio corporis non adeò frequentiùs inſtituitur, hinc ſanguis facilè fit craſſus ac tenax, qui viſcera dein infarcit & lentam corruptionem infert, cujus generis ipſe maraſmus ſic dictus ſenilis eſt, qui Venæ ſectione poſſet longiùs præcaveri. Vivit apud nos vetula 84. annum agens, quæ ſi adhùc non ſingulis vernali & autumnali temporibus Venæ ſectionem admittat, vel tantùm protrahat, quàm à juventute inſtituit, malè ſe habet, & ſymptomata ordinaria incurrit, quæ ejuſmodi ſanguinis retentionem ſequuntur.

Ibid. Obſervatio 89.

De Venæ Sectionis in febribus intermittentibus uſu.

Ibid. Obſervatio 90.

De Vomitoriorum neceſſitate.

NEc deſunt Medici, qui vomitoria penitùs ex Medicinâ proſcribunt, ſiquidem ſingula ferè præſertim generoſiora remedia ſuos habent contemptores atque oſores. v. gr. præter recenſita, mercurialia, ſalivantia, ſudorifera, diuretica, opiata &c. ſed rem tentant ſolis purgantibus vel laxantibus, ſi evacuanda ſit materia peccans in ventriculo & inteſtinis hærens, ſed irritô ſæpiùs conatu, cùm iis contenta è ventriculo ejicienda ſunt in febribus, quoniam fomes febrilis plerumquè latitat in inteſtino duodeno. Dicti veritatem ſequens hiſtoria declarat. Vir fruſtum carpionis, piſcis grandioris, ſed crudioris adhuc & non ſatis ſaliti, comedens, exindè ſenſit ſtatim ventriculi gravitatem, inciditque in febrem quartanam. Medicus præſcribit reiterata purgantia & laxantia, digeſtiva &c. ſed febris magis exacerbatur, quàm minuitur aut ſiſtitur. Advocatur alter, qui præſcribit vomitorium, durantibus adhuc doloribus gravativis ventriculi, æger evomit totum ferè fruſtulum piſcis, comeſum ante 6. circiter ſeptimanas, durum ad inſtar caſei, & ſtatim exindè febre liberatur.

Ibid. Obſervatio 91.

De malô hypochondriacô hæreditariô.

Ibid. Obſervatio 92.

Herniæ quoque pertinent ad morbos hæreditarios.

OBſervationibus benè notum eſt atque perſpectum, morbos hæreditarios maximè eſſe ſpaſmodicos, i. e. ubi vitium latet in cerebro, nervis & vitioſo ſpirituum animalium motu, V. gr. Epilepſia; Sic omnes affectus dolorifici, ut arthritis,

thritis, ejuſdem ſunt familiæ, item qui fundamentum ſuum habent in humorum vitio, ſanguinis magnâ impuritate, nec excludendi ex hâc claſſe ſunt ii, qui nidulantur in vitio partium ſolidarum,in conformatione. & diſpoſitione p.n.ut phthyſis,calculus, imò ſtrumæ, ſcrophulæ, cataracta,cœcitas ſunt ejuſmodi.Rarum eſt, quod tamen de puerô ex viciniâ notavi hernioſô, cujus avus & proavus herniâ umbilicali laborarunt, ut & omnes maſculi ex iis geniti.

Centur. VII. & VIII. Obſervatio 33.

De præſtantiſſimô & facilè parabili contra calculum remediô.

QUamvis infinitus penè remediorum contra calculum ſit numerus atque novum illud exoticum Herba ſcil. Parera-brava, adeò prædicetur, facilè tamen multis aliis (nè quid audaciùs dicam) palmam præripere poteſt pulvis teſtarum cochlearum ſubtilis ſæpiùs à ℈ß. ad ℈j. in vehiculô commodô ſumtus, quoniàm potentiſſimè materiam & glaream, ex quâ generantur calculi, diſſolvit, namque ex ejus uſu multùm ſabuli cum urinâ excernitur.

Ibid. obſervatio 34.

De inediâ notabili.

PAracelſus, Licetus, Cardanus, Hermolaus Barbarus, Olympiodorus, Joubertus, aliique plures, varia & incredibilia exempla eorum, qui per plures annos ſine cibo & potu vitam traxerunt, referunt, unde & multi credebant, eſſe in aëre occultum vitæ cibum ac nutrimentum fabulam ſapit, quod Ficinus, Crollius, & Rondeletius recenſent de Aſtomaribus dictis (populô prope Gangem fluvium habitante) eſſe eos omnibus deſtitutos cibis, atque vivere ex ſolo aëre odoreque per nares hauſto. Quod hi de hominibus proferunt, alii de animalibus aliis quoque perhibent. Nam ſimile de Manucodiatâ Aldrovandus, de capris in Gimantâ Ælianus, alij de chamæleonte ſcribunt. Ad horum veritatem inquirendam equidem jam non momentum afferam; attamen non ignotum mihi eſt, eos, quibus ſanguis valdè eſt temperatus, per longum tempus vivere ſine alimentis; quamvis non ſine alimento, quoniam perſuaſum mihi habeo, eſſe in aëre humidum quoddam, quod cum ſanguine communicatur, inſtaurans.

Præter hæc quotidiè experimur, illos, qui frequenter ſpiritum vini bibunt, aut fumant tabacum, inediam per longum ſat temporis ſpatium poſſe perferre, quod de ſe ipſo Wilh. Piſo in H. N. & M. utriuſque Indiæ L. 4. cap. 43. refert, ex illius uſu per totum in deſertis iter ſe neque laſſitudinem neque famem percepiſſe. Licèt etiàm non in eâ opinione ſim, ac ſi hauſtus ore tabaci fumus nutriat, ſed potiùs cum Helmontio in Tr. de mort. occaſ. & B. Etmull. ſentiam, illum hoc vi ſuâ narcoticâ præſtare. Notabile ejuſmodi diuturnæ inediæ exemplum in puellâ annorum undecim Sileſiacâ ex honoratiori familiâ natâ, habui. Hæc per 9. menſes ne hilum quidem, per 6. autem menſes ſubſequutos rariſſimè quoddam, neque in eâ quantitate, quæ ad vitam ſuſtentandam ſufficere potuiſſet, aſſumſit. Per totum hoc tempus immota planè ac mortua quaſi, in lecto procubuit. Cauſam in arſenicum conjiciunt in fornace cum lignis ex errore concrematum, pro gliribus enecandis ibi poſitum, nam & aliàs puellæ, quæ in eodem conclavi erant, idem ferè factum, quamvis non adeò diuturnum & grave, ſunt expertæ.

Ibid. Obſervatio 35.

Singularis febris tertianæ typus.

IN fœminâ quâdam Lipſienſi notavi febrem tertianam quandam, ſingularem typum ſervantem. Scilicet fœmina 26. an. maritata, tenera ſpongioſioris texturæ, ſanguineo-phlegmaticæ conſtitutionis, ad iram aliàs prona, poſteaquàm ea inter prandendum erat commota, febre corripitur tertianâ per menſem integrum durante; quæ per 4. annos hucuſque ſtatô circa medium Martii rediit die, per dictumque ſpatium ſæviit. Hôc præſente annô aut medicamentorum pertæſa, aut curioſitate ducta, nulla adhibuit contra eam remedia, ſponte ſuâ eam elapſis menſe paucisque diebus deſeruit. Ex quo haud obſcurè intelligitur, miram eſſe morborum ſpaſmodicorum, febriumque naturam ut aliô ità etiam hôc in casû facile certum ordinem poſſe ſervare, atque in conſuetudinem abire.

Ibid. Obſervatio 36.

De Morbô quôdam incongruô.

VArias hinc inde Pathologi adducunt morborum differentias, ſed negligunt plurimi (nè de omnibus dicam) eam inter morbum congruum atque incongruum. Nimirùm vocatur morbus incongruus, ſi vir vel ſenex corripitur variolis aut morbillis, ſi infans afficitur vigiliis nimiis aut fluxu hæmorrhoidali &c. utpotè qui ætati huic vix congruunt. Hujus exemplum obvenit mihi in arctiſſimâ neceſſitudine mecum conjuncti filiolo, qui tertium annum agens hæmorrhoidalibus paſſionibus & fluxibus primùm vexatus eſt, certiſque temporibus ac ſtatis jam per tres annos experitur eos. Ejuſmodi quid (ut alia paſſim nota jam non adducam) refert Blanchardus de puellâ menſium fluxum paſsâ ſecundô à nativitate menſe vid. Collectanea Med. I. p. 111. de aliâ ſeptem annorum. p. 115. I. c. &c.

Ibid. Obſervatio 37.

De mirâ idioſyncraſiâ.

NOta hîc mihi eſt fœmina quædam 40 circiter annorum, tenera aliàs & ſucci plena, quæ omnia medicamenta ex regno animali & vegetabili petita minimè poteſt perferre, ex quo enim ea aſſumpſit, nauſeâ, conatû vomendi, ipſô vomitû, animi deliquiô, palpitatione cordis, artuum tremore afficitur. Remedia verò ex regno minerali parata omnia fert optimè, quando ægrotat, ægrotat autem ſæpiùs ex ſtrangulatione faucium, vomitû cruentô, infrigidatione, & ſtupore ſubitaneô omnium membrorum, inappetentiâ per plures dies, purpuratis excretionibus cutaneis, ſcorbuticis &c.

Ibid. Obſervatio 38.

De filis ſic dictis meteoricis.

FIla hæc albicantia, lanuginoſa, plantis & arborum frondibus vernali & autumnali maximè tempore adhærentia, â phyſicis communi aſſenſû

ſenſu dicuntur eſſe è nebularum partibus fibroſis & glutinoſis, quæ filamentorum adinſtar coaleſcerent, quod, me judice, conceptû difficile eſt. Obſervanti autem mihi atque ex propinquo examinanti, conſtat, hæc fila nihil aliud eſſe, niſi telas parvularum araneolarum in terrâ, agris, pratis humidioribus latitantium, quæ ventis ſupervenientibus tùnc temporis frequentioribus, vernali ſcilicet, autumnalique, compinguntur perducunturque hìnc indè.

ADRIA (*Joh. Jacobus.*) Mazarienſis Hiſtoricus, & Medicus celebris. Humaniores litteras didicit Mazariæ, Rhetoricam Panormi, Philoſophiam, & Medicinam Neapoli, ſub diſciplinâ celeberrimi viri Auguſtini Niphi: & Doctoris lauream accepit Salerni anno 1510. Doctrinâ apprimè excultus claruit; ideòque Carolus V. Imperator in Medicum ſuum delegit, quem Medici, & Equitis Imperialis titulò inſignitum voluit: & Regni Siciliæ Archiatrum conſtituit. Floruit magnâ cum laude Panormi, ubi ex privilegio, ejuſdem Urbis Civis renunciatus eſt, & eximiâ æſtimatione fuit proſequutus. Fato ceſſit annô 1560. & in Eccleſiâ S. Franciſci Ord. Min. Conventualium tumulatus eſt, ubi hoc legebatur epitaphium.

Hic jacet in ſuo ſepulchro excellens Artium & Medicinæ Doctor Johannes Jacobus Adria de Paulo Siculus, & Mazarienſis Miles, & Medicus Imperialis, Siciliæ Proto-Medicus, & Concivis Panormitanus, anno 1560.

Edidit

Topographiam inclytæ Civitatis Mazariæ Panormi apud Johan. & Antonium Paſtam 1515. in 4.

Epiſtolam ad Conjugem. Ibidem apud Antonium de Maydâ 1516. in 4. Carminibus concinnatam.

Scripſit etiàm

De ſitu Vallis Mazariæ, ad Hectorem Pignatellum Pro-Regem. Hoc opus m. ſ. ſervatur, manû ipſius auctoris exaratum, in Bibliothecâ Marchionis Madoniæ Panormi, ut Auguſtinus Inveges *in annal. Panorm. Tom. I. pag.* 82. & Vincentius Auria *in obſervat. ad Batillum pag.* 331. teſtantur. Scripſit etiam ex Pirro & topographiâ edita hæc alia, quæ inedita reliquit, nempè.

De laudibus Mazariæ, illud forsàn opus citatum à Johanne Vigintimillio *in ſuis Poëtis Siculis. pag.* 437.

Legendam SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ ad Mazarienſes.

De laudibus Chriſti, & laudibus B. Mariæ V. ad Clementem PP. VII. Panormi, typis Antonij de Maydâ 1529. in 4.

De præſervatione Peſtilentiæ ad Antonium Filium.

De Medicinis ad varios morbos hominum.

De Phlebotomiâ ad Carolum Imperatorem. Authographum m. ſ. in 4. ſervatur Panormi, apud Ludovicum de Miceli.

De Balneis Siculis ad Antonium filium.

Addit Stephanus Maurus *in ſuâ Meſſanâ. c.* 2. *p.* 13. ſcripſiſſe.

Hiſtoriam Siculam, quæ m. ſ. plurimorum manibus teritur, eamque citat Albertus Piccolus de Mamertinis immunitatibus. p. 130. *Anton. Mongitor in Biblioth. Siculâ.*

ÆGIDIUS (*Everhartus*) ANTVERPIENSIS.

De eo extant.

De Herbâ Panaceâ, quam alij Tabacum, alij Petum, aut Nicotianam vocant, brevis Commentariolus. Quo admirandæ, ac prorsùs divinæ hujus Peruanæ ſtirpis facultates, & uſus explicantur. Antverpiæ, apud Johannem Bellerum, 1587. in 16. Acceſſerunt huic Libello, ut aversâ tituli facie eſt videre, ejuſdem Autoris operâ editi ſeqq. Libb.

Compendioſa Narratio de uſu, & praxi radicis Mechoacanæ, ex Hiſpaniâ novâ Indiæ Occidentalis nuper allatæ.

Gerhardi Bergenſis Medici de Peſtis Præſervatione Libellus ad S. P. Q. Antverpienſem. Vid. Gerhard. Bergenſis.

Galeni Pergameni libellus de Theriacâ ad Piſonem, interprete & commentatore Johanne Juvene, Medicô Iprenſi.

Ejuſdem de Antidotis Libri II. ab Andrea Lacuna in compendium redacti.

Johannis Juvenis Opuſculum de Medicamentis Bezoardicis, quorum uſus à Peſte præſervat.

ÆGIDIUS (*Monachus Benedictinus.*) Athenienſis, Græcus, Medicus & Philoſophus. Mox Divi Benedicti ſectam profeſſus, ſub Tiberio ſecundo, A. C. 700. multa ſcripta poſteritati reliquit, ut, *de Pulſibus* librum unum, item *de Venenis* unum: Vulneratus à venatore ſagittâ, noluit vulnus ſanari, ùt aſſiduis doloribus exerceretur. Bergomenſis, & Volaterranus, L. 21. & Vincentius, L. 23.

Sic præterea de ejus ſcriptis in Merckl. Linden. Renov.

De urinarum judiciis lib. I. de Pulſibus lib. I. cum expoſitione & commento Magiſtri Gentilis de Fulgineo. Venetiis 1494. in 8. Lugduni 1505. in 8. Poſteà verò pluribus locis correcti per M. Avenantium de Camerino. Baſileæ, apud Th. Wolffium, 1529. in 8.

ÆGIDIUS *alius*, (*itidem Monachus Benedictinus.*) Ægidium hunc dicunt Philippi Auguſti Gallorum Regis Medicum fuiſſe, circa finem ſeculi duodecimi. Compoſuit librum *de virtutibus Medicamentorum, de urinis & de Pulſibus*, verſibus hexametris, ſine multâ attentione ad quantitatem ſyllabarum.

ÆGIMIUS *priſcus, ſive* Velinus, *ſive* Elienſis, *Medicus. Eum Galenus de Pulſuum different. lib.* I. *cap.* 2. ait primum ſcripſiſſe *de Pulſibus*, etſi de *Palpitationibus* librum ſuum inſcripſerit; quòd eo tempore Pulſus & Palpitatio unum & idem ſonarent. Quô vixerit tempore ignoramus, at ex illius libri titulo eum ante Hippocratem ſcripſiſſe veriſimile eſt, quippe iſte variis in locis de Pulſibus ſermonem habet, licèt non videatur ſtrictiùs ab illis indicia depromſiſſe, ut Medici ab eô ſeculô fecerunt. *Plinius libro ſept. cap.* 48. *Hiſt. Nat.* de quodam *Ægimio* meminit, quem 200. ann. vixiſſe, ait. An idem ſit aliuſvè planè neſcimus. Cleric. Hiſt. Medic.

ÆGINETA, *vid.* (PAULUS.)

ÆLIANUS (Cognomine *Claudius*) Præneſte oriundus, Sophiſta Romanus, à Philoſtrato maximè laudatus quòd, Romanus homo, tam probè Atticiſſaverit, tamque eleganter peregrinam à Patriâ vocem retinuerit. Scripſit de Animalibus, de variâ hiſtoriâ, de Re Militari, quæ omnia ad nos pervenêre. Fuit Auditor Pauſaniæ ſub Adriano Imperatore, Græcis ob eloquentiam Μελίγλωσσος, & Μελίφθογγος dictus, itemque *Facundus* à Martiale lib. 12. Epigr. 24.

Hic

Hic habetur ejus liber Medicinam ſpectans.

De Animalium Naturâ lib. 17. Petrô Gilliô, *Gallô*, & Conradô Geſnerô, *Helvetiô*, interpretibus. Græco-Latinè. Tiguri, apud Geſneros FF. 1555. in fol. Genevæ apud Jacobum Stoër 1616. in 12. Latinè. Quos ex veteri exemplari Græcô Petrus Gillius vertit. Lugduni apud Guiliel. Rouillium, 1562. in 8. Coloniæ Allobr. 1616. in 12.

ÆLIANUS (*Meccius*) Italus Medicus, qui, peſtilentiâ ingruente, auctor fuit, ùt Theriacâ uterentur homines; eâ multos ſervavit, plurimos præſervavit: eum commendat Galenus: *Lib. de uſu Theriacæ*, ob experientiam & humanitatem.

ÆMILIANUS (*Johannes*) Ferrarienſis Medicus.

De eo extat.

Naturalis de Ruminantibus Hiſtoria. Venetiis, apud Franc. Ziletum, 1584. in 4.

ÆMILIUS; quem alij Hiſpanum, alij Africanum fuiſſe volunt.

Ex eo habentur.

De Mulomedicinâ Capita aliquot. Reperiuntur inter Veterinariæ Medecinæ Scriptores, qui Græcè extant Baſileæ, apud Johan. Valderum, 1537. in 4. Latinè ex interpretatione Joh. Ruellij. Pariſiis, apud Sim. Collinæum. 1530. in fol.

Æmilius (*Campolongus.*) Vid. ſub titulô, Campolongus.

Æmilius Macer, *vid. ſub titulô*, Macer.

Æmilius (*Marcus Antonius*) ſcripſit de Thermis Milzanelli. Brixiæ 1576. 4.

ÆNEAS quidam. Illius ad capitis dolorem Pharmaca, Galenus lib. 2. cap. 2. de compoſitione Medicament. ſecundum locos recenſet.

ÆSCHINES Medicus. Citatur apud Plinium, qui in lib. 28. Nat. Hiſt. multa ex eô mutuatus eſt.

ÆSCHRIO, Medicus Empyricus, de quô *Galenus*, *de ſimplicium Medicam. Facult. lib.* 11. mentionem agens, eum Concivem nominat ſuum, præceptoremque, ut & Medicamentorum peritiſſimum. Ipſe Galenus locô citatô remedium exhibet adverſus canis rabidi morſum, quod ab Æſchrione tenebat. Nimirùm patella erat æris rubri, in quam impoſitis cancris viventibus, eos hactenùs uſſit, dum facilè ad pulverem redigi poſſent. Hic Æſchrio paratum ſemper in ædibus hoc habebat medicamen, urens eos poſt ortum canis, quando ſol in Leonem tranſiſſet nonniſi Lunâ decimâ octavâ. Porrò bibendum hoc medicamen iis, qui à cane rabido fuiſſent morſi, præbebat quotidie diebus quadraginta, menſurâ Cochlearij magni, aquæ inſperſum. At ſi non protinùs ab initio, verùm aliquos poſt dies curam cæpiſſet demorſi, tunc quotidie duo cochlearia aquæ inſpergebat. Ad ipſum verò vulnus Emplaſticum applicabat medicamentum, quod ex pice Brutiâ, & Opoponace, acetoque conficitur, habens picis libram unam, unum aceti acerrimi ſextarium Italicum, Opoponacis verò uncias tres.

Galenus hoc remedium magnoperè commendat. Vixit Æſchrio Chriſti ſeculô ſecundô; Mundi verò juxta *Clericum Hiſt. Medic. lib.* 11. *cap.* 8. ſeculo XLII.

ÆSCULAPIUS; Apollinis ex Coronide Nymphâ fil. quam Ovid. dicit è Lariſsâ fuiſſe, & Plegyæ filiam, l. 5. *Met.* Homer. *in Hymn.* 15. v. 1.

Ἰητῆρα νόσων Ἀσκλήπιον ἄρχομ' ἀείδειν
Υἱὸν Ἀπόλλωνος, ὃ ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύου βασιλῆος.

Quæ Coronis poſteà rem habens cum Æmonio juvene, cui Iſchys nomen fuerat, ab Apolline ſagittis confoſſa eſt. Sed is poſteà facti pœnitens, ſectô ejus uterô, conceptum ex ſe eduxit infantem, eumque Æſculapium appellavit, tradiditque Chironi, ſub quo Medicinæ ſtuduit. Plut. in *Conviv. l.* 9. *q.* 14. Pindarus, *ode* 3. Pauſan. *l.* 2. Lactant. inſtit. *l.* 1. *c.* 10. Ovid. Met. *l.* 2. *fab.* 9.

Non tulit in cineres labi ſua Phœbus eoſdem
Semina, ſed natum flammis, uterôque parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.

Jamque hujus artis peritus, Dianæ precibus Hippolytum ab equis diſcerptum vitæ reſtituit. Quâ re motus Jupiter fulmine eum occidit. Virg. Æn. *l.* 7. *v.* 770.

Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.

Porrò Æſculapium fulmine occiſum fuiſſe à Jove teſtantur Pindarus, & Euripides *apud Clem. Alex. in Protreptico.* ubi etiam addit. Οὗτος μὲν οὖν κεῖται κεραυνωθεὶς ἐν τοῖς Κυνοσούριδος ὁρίοις. Marcus autem Tullius de Natur. Deor. *l.* 3. paulò aliter hæc tradit, ubi tres Æſculapios fuiſſe refert. Primus Apollinis fil. fuit, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inveniſſe, primuſque vulnus obligaviſſe dicitur. Secundus, ſecundi Mercurij frater; Is fulmine percuſſus dicitur humatus fuiſſe Cynoſuris. Tertius, Arſippi & Arſinoës, qui primus purgationem alvi, dentiſque evulſionem, ut ferunt, invenit, cujus in Arcadiâ non longè à Luſiô fluv. ſepulcrum & lacus oſtenditur. Sunt autem, qui Æſculapium Meſſenium fuiſſe tradunt, ſed Epidauri manſiſſe, unde *Epidaurius* dictus. Cæterùm Romam accitus urbem ipſam gravi peſtilentiâ liberavit, in cujus honorem inſigne templum in inſulâ Tiberis, de quâ Sueton. *in Claudio. c.* 26. illi conſtruxerunt, colueruntque eum in ſpecie ſerpentis. Nam Romanis in Epidaurum profectis tempore peſtilentiæ, ùt Æſculapium Romam portarent, ſerpens grandis navem ingreſſus eſt, quem illi, Deum Æſculapium eſſe rati, ſecum duxerunt. Ovid. Met. *l.* 15. Veteres gallum gallinaceum ei immolabant. Cyrenenſes capram. Duos habuit filios arte Medicâ præſtantes, Machaonem, & Podalirium, filias verò Hygiæam, Æglen, & Panaceam. Medicinam plurimùm ampliavit, ob eamque rem in Deorum numerum receptus eſt. Duo ejus filii bellô Trojanô Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus attulêre. Æſculapium ait Pauſanias *in Achaïcis*, nihil aliud eſſe quàm aëra, cujus filia fuit Hygiæa, i. e. bona valetudo. Eſt enim aëris temperies, non homini ſolùm, ſed cunctis animalibus ſaluberrima. Jure optimô igitur antiqui Apollinem Æſculapij patrem eſſe finxerunt, atque ipſum Æſculapium ſalubrem vim de ſole, animis, corporibuſque mortalium ſufficientem, i. e. ſanitatis artificem, quia ſolis calor univerſis elementis dominatur. Non defuerunt autem, qui locum datum fuiſſe fabulæ de Æſculapio tradiderunt, quòd mortuos ab inferis revocaret, quia nonnullos, quorum conclamata ſpes eſſet, vitæ ac ſanitati reſtituerit per vim medicamentorum, undè fabulati ſunt antiqui.

qui, Plutonem apud Jovem conqueſtum fuiſſe, quòd ſuum imperium mortalis Medicus exinaniret: Idcircò fulmine percuſſum fuiſſe à Jove inquiunt, quod accidit paulò ante Trojana tempora. De nomine ſic Bochart. *part.* 1. *Hieroz. l.* 2. *c.* 55. *Æſculapius*, inquit, fortaſſis Phœnicè dictus eſt, איש כלבי *Is calabi*, *h. e. vir caninus. Feſtus in Inſulâ Æſculapio &c. Canes adhibentur ejus templo, quòd is uberibus canis ſit nutritus.* Cæterùm *de Æſculapio*, librum ſingularem ſcripſit doctiſſimus Juvenis *Thomas Guidottus* Med. Bac. Coll. Wadh. Oxon. quem ex variis auctoribus, Græcis juxtà ac Latinis, multô labore ac judiciô compilavit. Fabuloſam Æſculapii hiſtoriam egregiè exponit Alex. Roſſæus *in Myſtagog. Poëtico.* Ut verbum addam de oraculis, ab *Æſculapiô*, ſeu potiùs ipſius prophetis Antiſtitibus, uſque ad tempora Antoniorum, Romæ editis, teſtatur literatus lapis ſivè tabella marmorea, quæ creditur olim ſtetiſſe in templô illius ſuprà memoratô, quæque etiamnùm in ædibus Maffæanis ſervatur, à Gruterô *Theſaurô ſuô* inſerta, pag. 71. ubi & verſionem ejus Latinam ex Græco habes. Idem verò & templum & oraculum Ægis in Cilicia habuit, teſte Euſebiô *de vitâ Conſtantini. l.* 3. Pergami quoque & alibi paſſim, in quibus illius templis Fatidicis, vel omnibus, vel ſaltem in plurimis, *inſomnia captari* ſolita conſtat. Quod ridiculè imitatur Ariſtophanes in *Plutô*, ut notum. De conſcriptis autem curationibus ac miraculis, inſcriptio tabellæ retrô memoratæ videri poteſt, apud Gruterum, d. l. & Anton. van Dalen, Med. Doct. *de oraculis Ethnicorum Diſſertat.* 1. *p.* 100. 101. Adde eandem *Diſſertat.* 2. p. 328. 329. A Celsô docemur tantam Æculapii famam multô minori pretiô ei ſtetiſſe, quàm refertur. Medicina, inquit Celſus libr. 1. nuſquam quidem non eſt. Siquidem imperitiſſimæ etiam gentes (inquit ille,) herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum, morborumque noverunt. Verùm tamen apud Græcos aliquantò magis, quàm cæteris nationibus exculta eſt hæc ſcientia, ac nè apud nos quidem à primâ origine, ſed paucis ante nos ſeculis: utpotè cùm vetuſtiſſimus autor Æſculapius celebretur: Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paulò ſubtiliùs excoluit, in Deorum numerum receptus eſt. Hujus deindè duo filii Podalirius & Machaon bellô Trojanô ducem Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt: Quos tamen Homerus non in peſtilentiâ neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodò, ferrô & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quô apparet, has partes Medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſque eſſe vetuſtiſſimas. Eôdem modô cenſet Plinius Hiſt. Nat. l. 29. c. 1. his verbis, Auxit Medicina famam crimine, ictum fulmine Æſculapium fabulata, quoniam Tyndariden revocaviſſet ad vitam. Nec tamen ceſſavit narrare alios revixiſſe operâ ſuâ, clarâ Trojanis temporibus, quibus fama certior, vulnerum tamen duntaxàt remediis.

Sextus etiam Empyricus obſervat vocem Græcam ἰατρὸς, Medicus, prodire, ab ἰὸς, quæ vox telum ſonat, ſeu ſagitta, propterea quòd priores Medici fuerint Chirurgi.

Cæterùm Galenus ait, vel quiſquis eſt Auctor *Introductionis*, ſeu *Medici*, quòd perfectam Medicinam, & omnibus numeris abſolutam, nimirùm divinam, Æſculapius ſolus invenit. Medicinæ, pergit idem, primus ab Apolline patre inſtitutus, hominibus eam tradidiſſe dicitur, & inventor extitiſſe apparet. Porrò ante illum Medicina nondùm hominibus fuit cognita, niſi quòd veteres medicamentorum & herbarum, qualia apud Græcos Chiron, Centaurus, & ab eo eruditi Heroës noverant: ad hæc quæcumque Ariſteo, Melampodi & Polyido adſcribuntur, experientiam habuêre. Apud Ægyptios ſanè præter herbas aliam quoque Medicamentorum rationem in uſu fuiſſe, Homerus hunc in modũ teſtatur.

Fertilis Ægyptus rerum medicamina miſta,
Optima, ſimul deterrima plurima gignit.

Porrò ex cadaverum confectione, quam in condiendis iis, ſervandiſque habere moris erat, multa etiam quæ manu adminiſtrantur, apud primos Medicos inventa eſſe dicuntur.

De eô extat in Lindeniô Renovatô.

De Morborum, infirmitatum, corporiſque accidentium, origine, cauſis, deſcriptionibus, & curâ liber. Argentorati, apud Schottum, 1544. in fol. cum Trotula, aliiſque.

ÆTHO (*Johannes*) à Freudenberg.

De eô extat.

De abuſu, & impoſtura Medicantium libellus, perquàm utilis, ac jucundus futurus quibus cum Medicis erit negotium. Marpurgi, apud Cervicornum, 1538. in 8.

AETIUS (*Amidenus*) Medicus Græcus clari nominis, ex Amidâ Meſopotamiæ urbe oriundus, Alexandriæ in Medicis inſtitutus, Opſitii ſeu Obſequii, ut vocat, comes. Vixit, ut manifeſtè ex ejus patet ſcriptis, ſub finem ſeculi quinti, imò ſub initia ſeculi ſexti: Non tantùm etenim Cyrillum, Patriarcham Alexandrinum, qui anno 444. obiit, citat, ſed etiam Petrum, Theodorici Archiatrum, & Jacobum Pſychreſtum magni nominis Medicum, ac multæ pietatis virum, qui ante annum 474. Leonis Thracenſis Medicus fuit Primarius. Is in Lindeniô Renovatô tanquam vetuſtior recenſetur, ex hôc forſitan, quòd confundatur cum aliô Aetiô Antiocheno, qui ſub Imperatore Juliano vixit, &, ut aliqui dicunt, ex aurifabro Theologus, Arrianâ hæreſi inquinatus, factus eſt. De illo prætereà Janus Cornarius, ejus ex Græcâ in Latinam linguam Interpres, ſic habet in ſuâ Præfatione. Quiſquis es, rerum Medicarum ſtudioſe, ſi totum Galenum contractum, ſi totum Oribaſium explicatum, ſi Paulum ampliatum, habere voles, Aëtium habes, unde totum hoc petere potes: cùm tamen Paulum, & eô etiam vetuſtiorem Alexandrum, manifeſtè præiverit. Dom. Freind celeberrimus Autor Anglus, in ſuâ accuratiſſimâ ac verè doctâ Hiſtoriâ Medicinæ, à temporibus Galeni, ad uſque initia ſeculi 16. continuatâ, animadvertit poſt Fabricium, quòd ipſius librorum diviſio, ex ſedecim, in quatuor fuerit contracta, idque Modernorum alicui imputandum cenſet. Verùm id ab interprete Latinô factum hic declarat, dum ſic habet in Præfationis fine. Totum opus in quatuor Tetrabiblos, hoc eſt, Quaterniones univerſales, ſingulos quatuor ſermones, ſivè libros partiales, continentes, diſtinxi, velut Autorem ipſum ab initiô feciſſe apparet.

De hujus Autoris operibus, hæc habentur in Lindeniô Renovatô, Mercklini.

Librorum Medicinalium Tomus primus, primi ſcilicet libri octo nunc primùm in lucẽ editi. Græcè, Venetiis, apud Aldum & Aſulanum, 1534. in fol.

Contractæ ex Veteribus Medicinæ Tetrabiblos, hoc eſt, Quaternio, id eſt, libri univerſales quatuor: ſinguli quatuor ſermones complectentes: ùt ſint in ſumma quatuor ſermonum quaterniones, id eſt, ſermones XVI. Latinè, ex interpretatione Jani Cornarii, ſine nominatione loci, anni aut impreſſoris in fol. Venetiis, ex Offic. Farrea. 1543. in 8. ex verſione Ejuſdem & Johan. Bapt. Montani. Baſileæ, apud Hieronymum Frobenium, 1535. in fol. ex integrâ Cornarii verſione. Baſileæ, apud Eundem, 1542. & 1549. pari formâ Lugduni, apud Godofr. & Marcellum Beringorum, 1549. in fol. apud Sebaſt. de Honoratis, 1560. in 12. vol. 4.

Quibus duabus poſtremis editionibus acceſſerunt in duos priores libros (quos de ſimplicibus ſcripſit) ſcholia, rei Medicæ ſtudioſis plurimùm profutura, per Hugonem Solerium, Sanionenſem. Pariſiis, 1567. in fol.

Excerpta de Balneis extant pag. 482. operis Veneti de Balneis, in fol. De febribus liber extat operis Veneti de febr. pag. 58. in fol.

Reperitur prætereà totum Aëtii opus, in pergrandi volumine de Medicæ Artis Principibus poſt Hippocratem & Galenum, ab Henricô Stephanô, ann. 1567. in fol. editô.

AETIUS (*Medicus Siculus.*) Cujus meminit Andreas Tiraquellus *de Nobilitate cap.* 31. *p.* 253. eôque teſte ſcripſit librum *de Atrâ bile ſive Melancholiâ* ex quô & aliorum libris excerptus eſt tractatus de Atrâ bile, Galeno adſcriptus. Extat hic liber inter ſpurios Galeni libros ex editione Venetâ apud Juntas 1586. in fol. pag. 114. Habetur & inter eadem opera, Galeno attributa pag. 19. tractatus hôc titulô prænotatus. *Galeni attributus liber, de Dynamidiis cenſura, liber magna ex parte ex Aëtio deſumptus, erroribus tamen plurimis ſcatens.* Sed an ſit noſtri Aëtii, an verò Aëtii Amideni, haud ſatis liquet. Sanè opus inſcriptum: *Contracta ex veteribus Medicinæ Tetrabiblos*, Lugduni ex offic. Godefridi & Marcelli Beringorum fratrum 1549. in fol. Aëtio Medico Amideno adſcribendum putant, quod in dubium revocari poſſet.

AETIUS (*Cletus,*) Signinus

Ex eô habentur

Dilucidatio in Aphoriſm. XXII. primæ ſect. pro defenſione interpretationis Marſilii Cagnati, nuper edita per Philandrum Colutium. Romæ, apud Barth. Zannettum, 1621. in 8.

Dodecaporion Calcanthinum. Romæ, apud Barthol. Zannettum, 1620. 14.

De Morbo ſtrangulatorio opuſ. Romæ, apud Lud. Grignanum, 1636. 16.

ÆTSEMA (*Julius ab,*) Friſius. Tractatum de Peſte conſcripſit, qui Hanoviæ editus eſt, ann. 1611. in 8.

AFINEUS (*Henricus*) ſcripſit Quæſtiones Medicas & Naturales, editas Antverpiæ. ann. 1517. in 4.

AGAPIUS, Alexandrinus. Medicus inſignis, qui Byzantij ejus Facultatis ludum aperuit. Scripſit Commentarios in Medicinam. *Suidas.*

AGATHARCHIDES, Hiſtoricus & Philoſophus, vixit ſub Ptolomæô Philometore, qui annô Mundi 3770. regnare inchoavit, primus ille veram Niliaci incrementi cauſam litteris mandavit. Quòd huic inter Medicos locum demus, quamvis artem iſtam profeſſus non fuerit, ratio hæc eſt, ſcilicet ſcripſerat Hiſtoriam, in quâ differebat de quôdam Morbô, de quô Hippocrates, & ſubſequentes Medici, qui ante ipſum Agatharchidem fuêre, nè hilum quidem dixerant, teſte Plutarchô Sympoſiac. lib. 8. quæſt. 9. ubi circa hanc rem hunc de Agatharchide ſermonem tradit. *Populi, qui circa mare rubrum degunt, morbô ſingulari laborant. Minimi, puſillique dracones, ſeu colubri, intra eorum crura, ſive & brachia reperiuntur, qui partibus illis veſcuntur. Hinc quandoque exeuntibus his animalculis caput efferunt parumper, ſed ſi vel minimùm tetigeris, regredi videaris, tuncque in carnibus ſe condentes, vel undiquaque ſe convertentes, horrendas ibimet inflammationes producunt.* Hunc itidem morbum noverunt tractaveruntque à Plutarchi temporibus Medici; Nondùm etenim diſparuit hoc morbi genus, ut voluit Plutarchus: Siquidem hodiè quoque viget in locis ab Agatharchide notatis, pluribuſque aliis.

AGATHUS (*Petrus Angelus,*) Matheſas.

Ex eô habentur

Scholia marginalia, & nobiles quædam Exercitationes ad Gabrielis Fallopii, de Morbo Gallico, librum. Extant cum hôc ipſô. Patavii, apud Lucam Bertellum, 1564. in 4.

Arcanorum liber. Extat cum Gabr. Fallopii opuſculis. Patavii. ap. Luc. Bertellum, 1566. in 4.

Hieron. Capivaccii opuſculum, de Doctrinarum differentiis, ſeu de Methodis edidit.

AGERIUS (*Joh. Henricus*) ſcripſit Diſputationem Inauguralem de varicibus; editam Argentor, ann. 1671. in 4.

AGERIUS (*Nicolaus*)

De eô extant

Theſes Medicæ Phyſicæ de homine ſanô: item de Dyſenteria. Argentorati, 1593. in 4.

AGGREGATOR (*Guilielmus,*) Brixienſis. Medicus eruditus, vixit A. C. 1472. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Ad unamquamque ægritudinem à capite ad pedes, Practica. Ejuſdem de Febribus tractatus. De Peſte. De Conſilio obſervando tempore peſtilentiali: ac etiam de curâ Peſtis tractatus. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1508. in fol.

AGGREGATOR (*Jacobus de Dondis.*) Vide ſub titulô Dondis. (*Jacobus de.*)

AGGREGATOR (*Petrus.*) vide ſub titulô Pintor (*Petrus.*)

AGNODICE, Virgo, Medicinam diſcere cupiens, abſciſsâ comâ, habitu virili ſumptô, ſe Hierophilo cuidam tradidit in diſciplinam, à quô probè edocta parturientium mulierum morbis medebatur, quas ſexûs ſui clam certas faciebat. Tandem à Medicis dolentibus, ſe ad fœminas non ampliùs admiſſos, in judicium protracta, quòd dicerent hunc eſſe illarum corruptorem, coram Areopagitis, tunicâ allevatâ, ſe fœminam eſſe oſtendit. Tunc Athenienſes legem emendantes artem Medicam diſcere mulieribus ingenuis permiſerunt. Higinus fab. 174.

AGNOSTUS (*Irenæus*) *de eô extant*

Vindiciæ Rhodoſtauroticæ. 8. 1619.

AGRICOLA (*Georgius*) natus Glauchæ, Miſniæ oppidô A. C. 1494. In Valle Joachimicâ Medici munere functus eſt: inde Chemnitium migravit. Rei Metallicæ ſtrenuus ac indefeſſus indagator: ſcripſit aliquando ad Duces Saxoniæ, partem Regionis eorum ſubterraneam eſſe pretioſiorem omnibus iis, quæ ſupra terram poſſiderent. Obiit Chemnitii Hermundurorum. A. C. 1555. ætatis ſuæ 61.

De eô extant

De Ortu & Cauſis ſubterraneorum, lib. V. De naturâ eorum, quæ effluunt ex terrâ lib. IV. De naturâ Foſſilium lib. X. De veteribus & novis Metallis lib. II. Bergmannus, ſive de re metallicâ, Dialogus, lib. I. Interpretatio vocum rei metallicæ. Conjunctim Baſileæ, 1546. apud Frobenium, 1558. in fol. Wittebergæ, apud Zachar. Schurerum, 1612. in 8. Acceſſerunt de Metallicis rebus & nominibus obſervationes variæ & eruditæ, ex Schedis Georgii Fabritii, quibus ea potiſſimùm explicantur, quæ Georgius Agricola præteriit. Joh. Sigfridus in certa capita hæc omnia diſtribuit. Capita argumentis, & nonnullis Scholiis marginalibus illuſtravit.

De naturâ eorum, quæ effluunt è terrâ, lib. 4. Extant pag. 273. operis Veneti de Balneis.

Lapis

Lapis Philoſophicus. Coloniæ, 1534.

De Re Metallicâ, libri duodecim. Quibus officia, Inſtrumenta, Machinæ, ac omnia denique ad Metallicam ſpectantia non modò luculentiſſimè deſcribuntur, ſed & per effigies ſuis locis inſertas, adjunctis Latinis Germaniciſque appellationibus, ità ob oculos ponuntur, ùt clariùs tradi non poſſint.

Accedit ejuſdem de Animantibus ſubterraneis liber, ab Auctore recognitus, Baſileæ, apud Frobenium, 1561. in fol. Wittebergæ, apud Zachariam Schurerum, 1614. in 8. à Johanne Sigfrido Scholiis marginalibus illuſtratus. Schweinfurti, apud Kemlinum, 1607. in 8. Baſileæ apud Ludov. Regem 1621. in fol.

Opus de Foſſilibus, cum Georg. Fabricii, de Metallicis rebus ac nominibus, Obſervationibus variis. Baſileæ, 1657. in 8.

De Menſuris & Ponderibus Romanorum atque Græcorum lib. V. de externis Menſuris & Ponderibus, lib. II. Ad ea, quæ, Andr. Alciatus denuò diſputavit de Menſuris & Ponderibus, brevis defenſio, lib. I. De Menſuris, quibus intervalla metimur, lib. I. De reſtituendis ponderibus atque menſuris, lib. I. De Pretio Metallorum, & Monetis, lib. III. Baſileæ, apud Frobenium, 1550. in fol.

Libri quinque de Menſuris & Ponderibus. In quibus pleraque à Budæo, & Portio parùm animadverſa diligenter excutiuntur. Pariſiis, apud Chriſt. Wechelum, 1533. in 8.

Bergmannus, ſive, de re Metallicâ, Dialogus. Baſileæ, apud Frobenium, 1549. in 8.

De Animantibus ſubterraneis liber, in certa Capita diviſus, & nonnullis marginalibus exornatus à Joh. Sigfrido, Wittebergæ, apud Zachariam Schurerum, 1614. in 8.

De Peſte libri tres, Baſileæ, apud Hieronymum Frobenium, & Nicolaum Epiſcopium, 1554. in 8. Schweinfurti, apud Caſp. Kemlinum. 1607. in 8. operâ Leonhardi Bauſchii denuò adornati. Gieſſæ, 1611. in 8.

NAGRICOLA (*Georgius Andreas.*) *De hôc Autore ſequentia in Actis Lipſ. ann.* 1717. *paginis* 84. *&* 583. *recenſentur.*

Verſuch der Univerſal Vermehrung &c.

hoc eſt.

Agricolæ (*Georgii Andreæ*) *Phil. & Med. Doct. & Phyſ. Ord. Ratisbonenſ. Tentamen multiplicationis univerſalis omnium arborum, fruticum & florum.*

Ratisbonæ, ſumtibus Auctoris, 1716. in fol.

Cùm anno ſuperiori Cl. Auctor inventum quoddam ſuum circa vegetationem arborum pro certa pecuniæ vi curioſis offerret, omnium ferè oculos in ſe convertit, animoſque in admirationem rapuit. Pollicebatur nimirùm methodum certam, quâ ope ignis & mumiæ, (quam appellabat) vegetabilis à ſe inventæ ex ſingulis foliis, gemmis, ramulis ſtirpis atque ramis arbores perfectæ exiguô temporis intervallô producere liceat, ita ùt ſexaginta arbores laborem nonniſi unius horæ depoſcant. Immò addebat, diurnô labore 315. arbores fructiferas altitudinis 5. 6. & 9. pedum, ſylveſtres altitudinis 10. 15. & 17. pedum, numero 1126. obtineri poſſe. Arcanum hoc nonniſi 160. perſonis revelare conſtituerat, ſolutô à ſingulis pretiô 25. florenorum, earum tamen animas graviſſimô juramenti vinculô obligans, ne idem, ſe invitô, propalarent. Non defuêre, qui ſub hâc conditione inventum coëmerunt: plerorumque tamen expectationem fefellit eventus, qui celerem arborum vegetationem ſomniaverunt, cùm Auctor nonniſi doceret, quòd radicibus arborum perindè ac truncis (quod hactenùs in uſu fuit) ramulos inſerere liceat. Equidem animus ipſi erat non ante publicare meditationes ſuas, quàm eas experimentis ſufficienter comprobaſſet: quoniam tamen non nemo ſacramenti religionem inſuper habens, ipſô invitô in publicum emiſerat, quæ in ſcriptô ſecretô, cum curioſis communicaverat, mentem mutavit, & partum ante diem in lucem edidit, rogans Lectores, nè, ſi fortè quiſpiam quædam minùs ſuccedere experiatur, ipſum publicè refellat: ait enim, ſe ipſum errorem, ſi quis admiſſus fuerit, animadverſurum & correcturum, ubi ad experimenta deſcendet. Antequam verò ſua de multiplicandis arboribus conſilia in medium profert; multa alia ad doctrinam de vegetatione ſpectantia præmittit. Scilicet Sect. I. C. 1. de principio movente vegetabili arboris in ovô, ſeu ſemine diſſerit. Vocat idem magnale magnum, ſpiritum mundi ſeu catholicum, ſpiritum architectonicum. Immateriale eſſe ſuſpicatur & rationale; quod tamen certè definire non audet. Mavult defendere, quod materiale ſit & ex materiâ lucidâ æthereo-aëreâ conſtet. Probat, quia radix in plures partes diviſa producit arbores multas, ſingulique ſurculi truncis aliarum immiſſi in arbores degenerant. C. 2. ſitum embryonis arboris in ovô ſeu ſemine conſiderat, exempli locô amygdalam ſumens. Ubi ſimul diſputat de diſcrimine utriuſque ſexûs in ſemine plantarum, de accelerandis incrementis plantarum, de ſeminis duratione. C. 3. ad exitum & productionem partium ſimilarium & diſſimilarium arboris ex ovô, & introductione in ovum digreditur. Prolixè defendit, omnem plantam ſuam habere radicem, etiam muſcum, fungos, lenticulam paluſtrem, & malabatrum, provocans ad obſervationes microſcopicas, eaſque domeſticas. Radiculam primò omnium ex ſemine progerminare experimentô didicit. Eam à Truncô ſub initium diviſam reperit, nonniſi ſucceſſu temporis cum eôdem coaleſcentem. Tot eſſe radiculas ſuſpicatur, quot ſunt in ramis folia atque gemmæ. Nec parùm incrementum arboris promoveri, ſi ſemen terræ ità committatur, ùt radicula deorsùm vergat. De truncis obſervationes Malpighii propriô Marte repetit & Schematiſmis illuſtrat. Uſum medullæ eſſe credit, ne truncus nimiùm exſiccetur, nec ventorum vi frangatur. C. 4. de humoribus, ſuccô nutritiô, & augmentatione arboris in ovô & extra ovum tractat. Succum nutritium heterogeneum eſſe docet, conſtantem ex particulis aqueis, ſalinis, ſulphureis, balſamicis & terreis. Varietatem in diverſis plantis pendere à varietate proportionis. Nutritionem fieri à ſpiritu architectonico juxta rationem à Deo in primâ creatione ipſi præſcriptam. Sub finem diſquirit, cur arbores hyeme folia deponant, & cur ſuccus nutritius aſcendat. C. 5. de morbis & morte arboris intra & extra ovũ agit & hanc in ſeparatione animæ à corpore conſiſtere putat. Inter morbos refert rubiginem, nimiam vaporationem, uredinem cùm externam, tùm internam, (quam poſteriorem oriri arbitratur ex læſione radicum in transplantatione, improbans ſcilicet morem communem hortulanorum) carbunculationem, vermiculationem, defluvium, maraſmum, ſterilitatem, icterum album, ſcabiem, muſcum, vulnerationem &c. C. 6. palingeneſiam ſeu reſuſcitationem arboris in ovô extra ovum impugnat.

Sect. II. C. 1. inſcribit de multiplicatione naturali univerſali omnium fruticum & florum à Deô & Natura in natura ordinatâ: ubi motorem univerſalem agnoſcit lucem primævam, quam ex ſubſtantiâ ſpirituali & elementari unà componi ſtatuit. Promittit etiam, ſe in poſterum ope ſalis ſui Mercurialis celerem vegetationem tentaturum. C. 2. docet modum antiquum multiplicationis arborum & fruticum Adamo & Patriarchis uſitatum, nempe

nempe per ſemina. C. 3. ex variis Autoribus colligit varias vias & modos hodiernos multiplicationis arborum & fruticum, nempe 1. ex ſeminibus, 2. ex foliis, 3. ex ſurculis, & gemmis, 4. ex radicibus in partes plures diſcerptis. Monet, *Fridericum* quendam, hortulanum Auguſtanum, primum arborem educaſſe ex foliô cum gemmâ terræ commiſſô, aquâ aſſiduè adſpersâ. Singulare autem experimentum eſt viri generoſi de *Munchhauſen*, qui ex foliô citrinô (*Itali Limonia Rivo* vocant) arbuſculum produxit pomô gravidum, etſi gemmâ careret.

Section. 3. tandem ad ſua inventa progreditur. C. 1. præliminaria quædam præmittit, quæ parùm aut nihil ad rem faciunt. C. 2. enarrat, quâ occaſione ad ſua pervenerit: ubi ſurculorum & gemmarum inſitionem declarat, hancque rationem reddit, quòd inventum ſuum vendiderit, nè deeſſent ſumtus in editionem operis præſentis faciendi. C. 3. varias vias & modos artificialis multiplicationis univerſalis cum omnibus requiſitis & adminiculis deſcribit. In omni plantâ fieri jubet, quod hactenùs particulariter in nonnullis tentatum. Oſtendit itaque tentamine primô, quomodò per diviſionem radicum arbores multiplicandæ, cùm experientia doceat à radicibus ſtolones emitti. Tentamine tertiô peculiarem methodum tradit radices iſtas promptè eliciendi. Tandem tentamine quartô & quintô de ſurculis arborum radicibus immittendis agit, & compoſitionem Mumiæ, quam vocat, vegetabilis, deſcribit, quæ eſt ceræ quædam præparatio, arbores contra humores defenſuræ. Capite ultimô uſum hujus multiplicationis arborum in viridariis, prædiis ruſticis & ſylvis commendat.

Verſuch der Univerſal Vermehrung.

hoc eſt

Tentaminis Multiplicationis univerſalis omnium arborum, fruticum & florum Tomus ſecundus. Autore Georgio Andreâ Agricolâ Philos. & Med. Doct. & Phyſ. Ordin. Ratisbonenſ. Ratisbonæ, ſumptibus Auctoris, 1616. in fol.

CUm Cl. Auctor ſua de multiplicatione univerſali arborum cogitata, de quibus in his Actis menſe Februario p. 85. diximus, in lucem publicam proferret, non defuêre, qui vel avaritiæ, vel ambitionis, vel jactantiæ, vel philautiæ labem ipſi adſpergere conati ſunt. Contra eorum accuſationes ſe in præfatione tuetur, & rationem, cur partum immaturum in lucem protruderit, invidiam eſſe fatetur, veritus ſcilicet, nè alius ipſum in publicandô inventô præcurreret. Addit, ſe pecuniam ab iis, quibuſcum inventum communicavit, popoſciſſe, non ut laboris præmium, ſed ut depoſitum, ne deeſſent ſumtus ad experimentandum ac opus ſuum edendum. Et quoniam non diffitetur, methodum, quam univerſalem commendaverat, univerſalitatis laudem minimè mereri, idcircò phraſin diſtinctione inter univerſale collectivè & diſtributivè ſumptum ſalvat. Modos univerſales collectivè ſumtos ſe exhibuiſſe ait in Tomô primô. Univerſalem diſtributivè acceptum ſe proponere confidit in hôc alterô, cujus decem ſunt capita. Eorum primô in compendiô repetit modos multiplicandi arbores, quos parte primâ deſcripſerat, à nobis in Actis anni præſentis p. 87. indicatos. Obiter notamus, experimentum arboris ex foliô citrinô producendæ primum in Italiâ ſumſiſſe *Auguſtinum Mandirolam*, Ordinis Minorum S. Franciſci, & cum aliis circa hortorum culturam curioſis obſervationibus patriô idiomate deſcripſiſſe, Noſtrô referente. Occaſionem experimento dedit Opuntia, quæ hâc ratione propagari ſolet. Capite ſecundô Cl. Autor modum deſcribit multiplicandi arbores, quem ubivis ſucceſſurum eſſe confidit. Jubet ſcilicèt ramos dividi in annua arboris incrementa, hoſque ſurculos mumiâ, (quam vocat) vegetabili, hoc eſt, reſinâ vel pice liquatâ contra humorem munitos terræ committi. Monet autem c. 3. teſte *Mandirolâ* antè laudatô, Italos hôc modô citros propagare, eundemque *ab Hohbergio* in Georgic. curios. part. 1. lib. 6. c. 36. p. 615. commendari. C. 4. oſtendit, quomodo hâc ratione arbores cùm in ſylvis, tùm in hortis multiplicari poſſint. Tempus labori maximè commodum eſſe cenſet autumnum. Inprimis etiam c. 5. methodum iſtam commendat ad lignorum in ſylvis multiplicationem, cujus ideam ſibi à ruſtico veniſſe notat, qui aſſeruerat, ſe vidiſſe arbores ex ramis & truncis in terram defoſſis prognatas. Eandem c. 6. applicat ad vineas condendas, eique alteram jungit radicum diviſioni innixam. C. 7. docet, quomodò diverſarum arborum trunci ità conjugari debeant, ùt in unam arborem coaleſcant fructus diverſæ ſpeciei edituram. Tandem c. 8. & 9. methodum ſuam transfert ad pumiliones & monſtra arborum gignendum. C. 10. ſive ultimô, tomum tertium operis promittit, in quô candidè relaturus eſt quomodò experimentis juxta Theorias nunc in publicum evulgatas ſumtis reſponderit eventus, rogans intereà alios, ùt unà in arenam deſcendant, & naturæ vires hâc in re experiantur. Ad calcem libri adjicitur Index locupletiſſimus rerum memorabilium in utroque tomô occurrentium.

AGRICOLA (*Johannes*,) Naunburgus.

De eô habentur

De Helotide, ſivè, Plicâ Polonicâ, Diſputatio. Extat Decade IV. Diſputat. quas collegit & edidit, Baſileæ, Joh. Jac. Genathius, 1620. in 4.

Ex Actis Lipſienſibus, Supplem. Tom. I. p. 106.

Joh. Agricolæ Ph. & M. D. deutliche und wohlgegründete Anmerkung über die Chymiſche Arzneyen. Johannis Popii. &c. h. e.

Joh. Agricolæ notæ in Poppii medicamenta Chymica, auctæ animadverſionibus Dn. Joh. Helfrici Jungkens Medic. Lic.

Noribergæ, Impenſis Joh. Ziegeri. 1686. in 4.

CUm notiſſimus jampridem ſit hic Agricolæ liber, quô non ſolùm proceſſus multos Chymicos, ſed & non paucas hiſtorias ad Medicinam pertinentes complexus eſt, non opus eſſe videbatur, ùt ejuſdem à nobis aliqua injiceretur mentio, quoniam tamen augmentum non contemnendum eidem acceſſit, Jungkenii nimirùm ſtricturæ, novam hanc acceſſionem non duximus omninò prætereundam ſilentiô. Totum ergò Agricolæ opus in genere quod attinet, notatur ab animadverſionum auctore in eô, quòd nimis magnificis titulis ſæpè exornentur medicamenta, & tantùm non pro myſteriis venditentur præparationes ſatis vulgares; præterea parùm eidem arridet medendi methodus, quâ Agricola uſus eſt, dum ægrum medicamentorum numerô obruit, ùt, licèt convaleſcat, neſciat tamen, cuinam ſanatio accepta ferenda ſit. Porrò ubi proceſſus Chymici ſub examen vocantur, rejiciuntur quidam tanquam inepti, in melius alii mutantur, tandemque nonnulli à recentioribus inventi ſubnectuntur.

ctuntur. Ut pauca tantùm delibemus, ex quibus notarum harum ingenium poſſit perſpici. *Parte Primâ cap.* 1. negatur Medicinæ univerſalis poſſibilitas, aurique radicalis ſolutio abſque corroſivo, ridenturque qui Soli veſtem exuere, h. e. aurum tincturâ ſuâ ſpoliare laborant. Porrò auri ſolutiones pleraſque non ratione metalli admixti, ſed menſtrui operari aſſeritur, atque hinc duo communicantur menſtrua Jungkenio multùm deprædicata, quorum primum alcalinum eſt, & ex ſpiritu & ſale volatili urinæ cum ſale ejus fixô per crebra cohobia combinatô, & analyticæ ſpiritûs vini parti per circulationem conjunctô conſtat; alterum verò acidum volatile ex capite mortuo vitrioli & ſale ammoniaco paratur. *Cap.* 3. Heſlingij Azoth. deſcribitur, & ex Polemanno viridis ex ære ſpiritûs elaboratio docetur. *Cap.* 4. Spiritus fumigans ex ſtanno & mercurio quomodo paretur, oſtenditur. *Parte ſecundâ, cap.* 2. ſulphur & mercurius ex principiorum numero expunguntur, antimonij diaphoretici non edulcorati uſus commendatur, & quâ ratione per Regulum Antimonij Venereum ſtanno ſonus pariter atque color argenti conciliari poſſit, aperitur. *Cap.* 3. culpatur Agricola, quòd acidum ſulphuris ſpiritum in melancholiâ hypochondriacâ & affectibus pulmonum præſcribat, ſubjiciturque modus ſingularis tincturæ ſulphuris antimonialis ex ejuſdem balſamô parandi. *Cap.* 4. varios exhibet modos cuprum dealbandi, mediante arſenicô. *Parte tertiâ cap.* 4. ubi de nitro agitur, modus affertur rubrum nitri ſpiritum obtinendi, eumque, qui aliàs fumi ſemper ſpeciem retinet, mediante camphorâ, ad ſtatum liquoris reducendi; Et cùm ſalia volatilia iis plerumque laborent defectibus, ut vel urinoſô odore ingrata ſint ægris, vel addita vehiculis aquoſis, dimittant olea ipſis admixta. Suam methodum *Cap.* 6. impertit auctor appendicis, quæ neutri ex his obnoxia eſt. Quomodo talco per certam calcinationem ea friabilitas introducatur, ùt facilè in ſubtiliſſimum pulverem poſſit comminui, monſtratur. *Cap.* 21. Elixir proprietatis duplex, alcaliſatum & acidulatum habetur. *Cap.* 23. quorum illud ſalis cujuſdam volatilis oleoſi, hoc verò acidi volatilis additione paratur. Tandem *Cap.* 24. quod de medicato potu agit, varia non minùs jucunda, quàm utilia proponuntur, quæque alibi de potu Caffé, Theæ, Chocolatæ, & Sorbet prolixiùs leguntur, hìc in compendio traduntur.

AGRICOLA (*Johannes Ammonius*) Germanus, Medicinæ & Græcæ linguæ Profeſſor Ingolſtadij. Doctiſſimus ſuæ ætatis Medicus. Emicuit annô C. 1496. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extant

Scholia copioſa in Therapeuticam Methodum Galeni, Auguſtæ, 1534. in 8.

In Artem Medicinalem Galeni, Commentarii. Baſil. ap. Bartholom. Weſthemerum, 1541. in 8.

In Galeni lib. ſex de locis affectis, commentarij. Noribergæ, apud Catharinam Gerlachin, 1637. 1638. in 4.

Hippocratis Coi, Medicinæ & Medicorum omnium Principis, Aphoriſmorum & ſententiarum Medicarum libri ſeptem, in eum ordinem, in quem antehàc nunquam diſpoſuit quiſquam, digeſti. Juxta quem facilè quivis materiam quamcumque Medicam, quam inquirere cupiverit, extemplò inveniet. Adjecta inſuper enarratione ſententiarum ſingularum perquàm familiari ac compendioſâ.

Accedit liber ſextus Epidemiorum Hippocratis ex Tranſlatione Leon. Fuchſii, eôdem ordine atque etiam difficiliorum ſcrupulorum brevibus expoſitiunculis, atque Annotatiunculis enarratus. Ingolſtadij, apud Alex. Weiſſenhorn, 1537. in 4.

Nicolai Alexandrini, Medici Græci, liber de compoſitione Medicamentorum ſecundum loca, Tranſlatus è Græco in Latinum à Nicolaö Rhegino, Calabro. Cum breviſſimis Annotatiunculis locorum difficilium *Joh. Agric. Ammonii*. Ingolſtadij, apud Alexand. Weiſſenhorn. 1541. in 4.

Medicinæ herbariæ, libri duo. Quorum primus habet herbas hujus ſeculi Medicis communes cum veteribus, Dioſcoride videlicet, Galeno, Oribaſio, Paulo, Aetio, Plinio, & horum ſimilibus. Secundus ferè à recentibus Medicis inventas continet herbas, atque alias quaſdam præclaras medicinas, ut quæ poſt Galenum vel inveſtigatæ ſunt, vel in uſum Medicum pervenerunt. Baſileæ, ap. Bartholom. Weſthemerum, 1539. in 8.

Oratio de præſtantiâ corporis humani. Extat Tomô primô Orationum Ingolſtadienſium.

AGRICOLA (*Joh. Georgius.*)

De eô habetur

Cervi excoriati & diſſecti in Medicinâ uſus; Ambergæ, 1603. 4.

AGRIPPA (*Henr. Cornel.*) *à Nettensheym.* Natus ex nobili familiâ à Nettensheim Coloniæ Agrippinæ A. C. 1486. Maximiliano I. Imperatori à ſecretis, & Caroli V. Imper. Conſiliarius, ac Hiſtoriographus, necnon Reipubl. Metenſis Syndicus, Advocatus & Legatus fuit. Ante autem hos aliquot annos, nempe 1509. Dolæ Burgundiorum in Gymnaſio publicè cum omnium ſtupore docuit. Juris & Medicinæ Doctoris gradum tum demùm aſſumpſit, cùm jam anteà Equitis aurati dignitatem virtute bellicâ fuiſſet meritus. Medicinam fecit tum in urbe Gebennarum, tum etiam Friburgi Briſgoiæ, & in Galliâ. Amicitiam coluit cum Joh. Trithemio, Abbate Herbipol. & Eraſmo Roterodam. Magiæ & Necromantiæ ſuſpectus, cùm appropinquante morte ad pœnitentiam urgeretur, cani ſuo nigro, quem velut Cacodæmonem circumduxiſſe ferebatur, collare Magicis inſcriptum notis indignabundus cum his verbis exſolvit. Abi perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti: nec unquam familiaris ille Canis ac aſſiduus itinerum omnium comes poſteà conſpectus eſt. Præcipiti enim fugæ ſaltû in Ararim ſe immerſiſſe, nec enataſſe ab his, qui vidiſſe aſſerebant, dicebatur, uti Paulus Jovius in Elogiis vitor. doctor. refert. Sed quod Johann. Wierus libr. 2. c. 5. de Præſtig. Dæmon. merum figmentum eſſe affirmat. Obiit Gratianopoli in Galliâ egeſtate extremâ. A. C. 1554. ætatis ſuæ 48. duarum uxorum nobilium maritus, & liberorum aliquot parens.

Ex eô habentur

Occulta Philoſophia, Lugduni, 1533. in fol.

Contra Peſtem Antidota ſecuriſſima ad D. Theodoricum Cyrenenſem, Colonienſis Archipræſulatûs a ſuffragiis, in ſacris Adminiſtratorem. Extant Operum ejuſdem Tomo II. pag. 588. edit. Lugduni apud Beringos F. F. R. 1535. in 8.

De Medicina in genere; Cap. De Medicina operatrice, Cap. De Pharmacopolia, Cap. De Chirurgia, Cap. De Anatomiſtica, Cap. De Veterinaria, Cap. De Diætaria, Cap. De Arte Coquinaria, Cap. De Alcumiſtica, Hæc Cap. extant

tant eodem tomo, p. 234. & ſeqq.

Appendix Apologetica, pertinens ad ſecundam ejus operum Lugduni editorum partem. Lugd. apud Beringos F. F. R. 1605. in 8.

AGUADO (*Mancedo*) Hiſpalenſis, ſcripſit de Melancholia, Xereſij, 1626.

AGUEAR (*Thomas de*) ſcripſit Apologiam contra Ilefonſum Nunez. Marcenæ, 1621. 4.

AGUILAR, (*Franciſcus*) ſcripſit de Febrium putridarum curatione, adversûs Berrichardum Caxanes. Valentiæ, 1593. 8.

AGUILERA (*Antonius ab,*) Doctor Medicus, *Inunquera* natus, quod ad diœceſim Sedis oppidum pertinet, in Guadalaxara urbe commorabatur.

De eo habentur

Rudimentorum Medicinæ lib. 8. Compluti apud Johannem de Villanova, 1571. in folio.

Vernaculâ quoque linguâ

Expoſicion ſobre las preparationes de Meſue. Compluti, 1569. 8.

Reperitur etiam hujus nominis tributum homini opus, *de variâ curandi ratione.*

AIALA (*Gabriel de*) Antverpienſis Medicus cognomine Hiſpanus eſt, Balthaſaris Aialæ Antverpienſis civis, qui *de jure Belli* elegantem librum procudit, pater-ne, quod magis credo, an germanus frater, propinquuſvè? celebratur à Valerio Andreâ *Bibliotheca Belgica* authore, & Johanne Antonio Van der Linden de ſcriptis Medicis, Verderio in *Geſnerianô ſupplementô*, propter hæc ſcripta.

Popularia epigrammata Medica; item *Pro verâ Medicinâ carmen*; His adjungitur *de Lue peſtilenti* liber, cui notas addidit. *Elegiarum* tandem librum, omnia hæc ſimul edita Antverpiæ, apud Guilielmum Sylvium, 1562. in 4.

AICARDIUS (*Paulus*)

De eo habemus

Hieron. Mercurialis tractatum, de Morbis Cutaneis & omnibus corporis humani excrementis, quem in quinque libros digeſſit & edidit.

AICHOL (*Johannes*)

De eo extat

Conſilium in Hydrope monſtroſa, quod habetur eô in opere, quod edidit Laur. Scholzius, Hanoviæ, 1610. in fol.

AIDOUN *Aboul Haſſan, Al Mekhtar Ben Aidoun.* Medicus Bagdatenſis. Author *Taſevim al-ſchat*, ſive tractatûs de Morbis, eorumque medicaminibus, ordine alphabeticô reductis, & in varias claſſes diſtinctis, juxta Aſtronomicarum tabularum Methodum *Herbelotius, in Biblioth. Orient.*

AILAKI. Avicennæ Diſcipulus, Author libri, cui titulus Asbabu Alamat: id eſt, cauſæ & ſigna ſeu Prognoſtica morborum. *Sic Herbelotius.*

AIMAR (*Ozias,*) Gratianopolitanus.

De eo extant.

Obſervationes Medicæ cum Obſervationibus Laz. Riverii. Londini, apud Milonem Fleſcher editæ; 1646. in 8. pag. 438.

AKAKIA (*Martinus*) Martini Akakiæ filius Catalauni natus eſt ſuper Matronam, ad Doctoratûs in Medicinâ gradum in Facultate Pariſienſi anno 1572. provectus eſt. Patronos habuit *Triſtan à Roſtaing* ordinis D. Michaëlis Equitem, atque *Amyotum* Antiſſodorenſem Epiſcopum, per quos à Carolo IX. anno 1574. Lectoris Chirurgiæ primarii, Profeſſoriſque Regii munus obtinuit. Anno 1578. Henrici III. Medicus ſecundus evaſit. Hoc munere cùm nimiùm occupatum ſe videret, Regem ſupplicatus eſt ùt Johanni Martino id ipſum tribuere vellet, Iſtô honore nempe digniſſimo. At is aliis diſtractus negotiis, ob quæ tempus in lectionibus dandis terere non licebat, illud iterùm munus Akakiæ noſtro retulit, quô deinde ipſe Generum ſuum donavit Petrum Seguinum. Paulò poſt vitâ deceſſit anno ſcilicet 1588. annos natus 49. Duos reliquit natos, filiamque unicam, quæ nupta eſt Petro Seguino, inter peritiſſimos Facultatis Pariſienſis Medicos annumerando, qui & Profeſſoratum in Collegio Regio ab anno 1588. exercuit, ad annum uſque 1599.

Ex eô habentur I.

Martinus Akakia de Morbis Muliebribus, item *Conſilia Medica*, quæ Patri quoque ſuo vindicata fuere.

De eô præterea, ſeu potiùs ipſius Patre, in Lindeniô Renovatô hac extant.

Cl. Galeni, *Pergameni*, Ars Medica, quæ & Ars parva. Mart. Akakiâ interprete, enarratore. Lugduni, apud Guiliel. Rouillium, 1548. in 16. Venetiis, apud Felicem Valgriſium. 1587. in 8. In officina Eraſmi 1549. in 8.

Cl. Galeni, *Pergameni*, de ratione curandi ad Glauconem libri duo. Mart. Akakiâ Interprete. Commentarii ejuſdem in eoſdem libros. Pariſiis, ap. Simon. Colinæum 1538. in 4. Lugd. ap. Guilielm. Rouillium 1551. in 16.

De Morbis Muliebribus, libri duo. Extant in Gynæciorum libris ab Iſr. Spachio editis. p. 745.

Synopſis eorum, quæ quinque prioribus libris Galeni de Facultatibus ſimplicium Medicamentorum continentur. Pariſiis, apud Andr. Wechium 1555. in 8.

Conſilia Medica extant eô in opere, quod Laurentius Scholzius edidit Francofurti, apud Andr. Wecheli Hæredes 1598. in fol.

AKAKIA (*Martinus*) præcedentis filius, Medicinæ Doctor creatus eſt Pariſiis anno 1598. Chirurgiæ & ipſe Profeſſor Regius anno ſequenti factus eſt per Petri Seguini ſororis ejus mariti renunciationem. Romam iter fecit, mortuuſque eſt Pariſiis, nullis relictis liberis anno 1605. Frater ejus *Johannes Akakia* Doctorali Laurea donatus eſt Pariſiis anno 1612. Ludovici XIII. Medicus fuit. De vita migravit in Sabaudia anno 1630. Natos plures reliquit, nimirum *Martinum Akakiam*, Regium Chirurgiæ Profeſſorem circa annum 1644. qui ſuum depoſuit munus, in gratiam *Mathurini Denyau*, fatôque, paucis poſt annis, functus eſt, anno 1677. filium relinquens, qui unus è ſummi ærarii præfectis fuit; filiamque *Vairo à Bouligny*, Pariſienſis Parlamenti Conſiliario, nuptam; *Rogerius Akakia* Johannis filius ſecundus, adminiſtrationes varias præſtantiſſimas adimplevit, qui etiam Secretarius Legationis in Polonia cùm eſſet, Polonos impellere conatus eſt ùt pro Rege ſuo Ducem Longavillæ eligerent, cùm Regem Michaelem de Regno dimovere vellent. In conficiendâ pace Olivenſi multùm contulit, mortemque in Poloniâ obiit. *Nicolaus Akakia*, Johannis filius alter, notus eſt ſub nomine Domini *Du Lac.* Johannes Akakia alios plures etiam habuit liberos.

ALANUS, (*Philoſophus.*)

De eô extant

Dicta de Lapide Philoſophicô. Quæ habentur cum Jodoci Greveri ſecretô, editô à Juſtô à Balbian. Lugd. Batav. apud Chriſtoph. Raphelengium, 1599. in 8. & vol. III. Theatri Chymici, in 8.

ALARDUS, Amſtelredamus.

De eô extant

Hippocratis Coi ad Damagetum Epiſtolæ, cùm primis eruditæ, juſta ac ſalutaris Interpretatio & Paraphraſis. Salingiaci, apud Johan. Soterem, 1530. in 8.

Scholia in Marbodæi Galli Cænomanenſis de Gemmarum lapidumque pretioſorum formis, naturis, atque viribus eruditum opuſculum. Coloniæ, apud Heronem Alopecium, 1539. in 8.

ALARDUS, (*Auletius,*) Leovardienſis.

Ex eô habetur.

Monitio ad illuſtres & ampliſſimos Dominos Ordines Friſiæ, de reformandâ praxi Medicâ. Franekeræ, apud Ægidium Radæum, 1603. in 4.

ALARDUS (*Lamp.*) ſcripſit Pathologiam ſacram, editam Lipſiæ, ann. 1635. 12.

ALARI (*B.*)

De eô ſequentia extant in Actis Lipſienſibus ann. 1685. p. 332.

La gueriſon aſſurée des fievres tierces, doubles tierces, en deux jours; quartes & doubles quartes en quatre, par le remede Provençal en tablettes, que le Sieur B. Alary, Maître Apoticaire de la Ville de Graiſſe en Provence, fait & diſtribue par privilege du Roy. 12. Paris chez l'Auteur ſur le Pont S. Michel, vis-à-vis le Quay des Auguſtins 1685. *id eſt.*

Certa Febrium Tertianarum, duplicium non minùs ac ſimplicium intra duos dies, quartanarum verò itidem ſimplicium & duplicium intra dies quatuor, curatio, ope remedij cujuſdam Provincialis in formâ Tabellarum à Dn. B. Alary Pharmacopæô Provinciali confecti, ac ex privilegiô Regiô diſtributi.

Hôc decennio (ùt Clariſſ. Sponii Medici Lugdunenſis & Polyhiſtoris celeberrimi, verbis utamur, qui litteris Lugdunô nuper ad nos datis, & indicium libelli primus fecit, & argumentum ejus ſequentem in modum deſcripſit.) plus fortè inquiſitum in febrifuga, quàm omnibus anterioribus ſeculis, nec ſine fructu. Præter enim ſtupendam corticis illius Peruviani toties decantati vim, in febrili fermentatione ſedandâ pleniùs detectam, varia varij produxêre, inter quos non minimum meretur locum Provincialis Galliæ (*Provence*) Pharmacopæus iſte B. Alary, qui nuper Lutetiam Galliæ metropolim petens inſigni hôc febrifugô celebratur. Cujus quidem notitia cùm ad Chriſtianiſſimum Regem pervenerit, artium liberalium Mecænatem, is juſſit in noſocomiis experimenta fieri: comprobatâque ipſius efficaciâ, arcanam compoſitionem reſcire voluit, tùmque authorem Alarium munificô regiôque donô compenſavit; ùtque ipſamet plebecula emolumentum indè percipere poſſit, pretium uniuſcujuſque tabellæ aſſium duntaxàt quinque eſſe voluit. Tabellæ ipſæ (ſeu Trageæ) commodiſſimæ ſunt; abſque ullo enim faſtidio aſſumuntur, utpotè gratiſſimæ. Duæ in febribus tertianis & dupl. tert. ſufficiunt; quatuor aut quinque in quart. Jejunô ſtomachô comeduntur, ſeptem horis antè paroxyſmum, ſi longa ſit intermiſſio, ſin minùs ineunte paroxyſmô. Superhauritur ſemicyathus aquæ aut vini, dein per quinque horas abſtineat æger à cibo ac potu, exactis verò quinque illis horis juſculum aut prandium ſumat. Effectus varii ſunt pro variis temperamentis, variiſque, quos in corpore reperiunt, humoribus. Quandoque enim vomitum, quandoque ſeceſſum excitant, ſæpe utrumque. Aliàs per urinas, ſputum aut inſenſibilem agunt tranſpirationem, ſemper autem ſine ullâ vi. Prægnantibus enim tutò dantur, imò & pueris ad mediam doſim. Solita doſis eſt circiter unius ſcrupuli. Diutiſſimè ſervari poſſunt, ſed in loco ſicco: in humido enim liqueſcerent. Undequaquè mittuntur in pyxidibus furfuri admixtæ: aſſeritque Autor in ſuô libellô Regi dicatô, Dominum Marchionem de Louvoy intra duos menſes viginti mille in caſtra miſiſſe. Sic cuivis in exteris regionibus non difficile fuerit, præſtantiſſimum hoc remedium experiri, debitaſque Deo Medicinæ Autori gratias reddere, cùm priſtinam ſanitatem recuperaverit.

ALATINUS (*Moyſes.*) Galeni Commentarium in Hippocratem de Aëre, Aquis, & Locis interpretatus eſt.

ALAYMUS (*Marcus Antonius*) non Alcaimus, ut perperàm Morerius, *in dict. t. 1. p. 118. & Coronellus in Biblioth. univerſ. to. 2. n.* 3512. *pag.* 685. Ragalbutenſis Philoſophus, ac Medicus celeberrimus. Racamultenſem vocat Antonius Van der Linden *de Scriptis Medicis pag.* 774. ſed falsò; Racalmutum enim à Ragalbuto, oppidum in Siciliâ, diverſum. Natus ann. 1590, ab ineunte ætate litteras coluit eô animi ardore, ùt in humaniorum literarum curriculô nimiùm profecerit: inde Philoſophiæ addictus, egregiâ cumulatus doctrinâ, inter Philoſophos præcipuos cooptatus eſt. Tandem Medicam facultatem amplexus, præſtantiſſimi ingenii ac ſtudiorum ope, ad inſigne doctrinæ faſtigium pervenit; ideòque Meſſanæ anno 1610. Doctorali donatus laureâ, indè Panormi 1616. domicilium fixit, ubi munere tuendæ ac inſtaurandæ valetudinis functus eximiâ cum doctrinâ, ac maximâ felicitate; adeò ùt magnam comparaverit ſibi nominis famam, ac ingentem ſui æſtimationem excitaverit. Principibus, ac Siciliæ Moderatoribus acceptiſſimus fuit, qui ad ipſum in gravioribus ſanitatis negotiis tanquam ad Medicinæ oraculum, confugiebant. Pluries etiam ad remotiſſimas urbes accerſitus eſt magnis precibus, magnâve auri vi illectus, ùt ad jam conclamatas ægritudines ſalutarem manum adhiberet: pluries etiam è diſſitis Regionibus per internuncios, ac epiſtolas conſultus, ut in graviſſimis, tenaciſſimiſque morbis oculatiſſimam proferret ſententiam. At excellentiùs refulſere doctrinæ ſuæ ſplendores anno 1624. cùm graſſante peſtilentiâ Panormi, & in aliis Siciliæ locis, urbes, oppidaque depopulabantur; in illius temporis ærumnis, nullâ ductus mercede, Panormi indefeſſô labore deſudans, innumeros è morbi faucibus eripuit, & ſanitati reſtituit. Et nedùm Panormi, verùm etiam alibi egregiam attulit opem: in multos enim Siciliæ locos à Siciliæ Prorege miſſus, eximiam tum doctrinam, tum ſedulitatem mirificè detexit; ac non ſine maximô emolumentô expertæ ſunt Caſtrum novum, Muſulmelis, Bisbona, Calatanixecta, aliæque Siciliæ urbes, ubi magnô labore aliorum ſanitatem conſtantiſſimè propugnavit. Hinc meritò maximâ veneratione proſequutus: nominis enim præclariſſimi fama extra Siciliæ limites pro-

greſſa, omnem explevit Europam. Panormi fuit unus ex fundatoribus Academiæ Medicorum, in quâ quatèr ad Principis gradum fuit evectus. Pluriès Panormitani Prætoris Conſultor, & in rebus ad ſanitatem ſpectantibus, ut vocant, Deputatus. Bononiam accerſitus, & magnæ mercedis ſpe allectus, ùt in eâ celeberrimâ Academiâ primam Medicinæ Cathedram haberet, ac doctrinâ illuſtraret, oblatum honorem, ne Siciliam desereret, reſpuit: eamque ob cauſam nec dignitatem ultrò oblatam à Johanne Alphonſo Henriquez, Magno Caſtellæ Architalaſſo, & Neapolis Prorege, accepit, qui Regni Neapolitani Protomedicum delegerat. Doctrinam pietate illuſtravit, virtutibusque adaugere ſtuduit: ideòque in pia loca beneficus ac profuſus fuit. Nec prætermittenda Panormitana Eccleſia S. Mariæ Agonizantium, quam & ipſe cum aliis ad Deiparæ cultum excitavit, & exornavit; quâ in Eccleſiâ tum ſodales, tum Cives omnes ad ipſum confluentes mirâ pietate pro omnibus animas agentibus preces fundunt. Ad hujus Eccleſiæ ſplendorem amplificandum, uſque ad vitæ extrema tenerrimi animi ſtudia fovit. Tandem annum agens 72. mortalitatem explevit Panormi, 29. Auguſti 1662. & in eâdem Eccleſiâ Agonizantium ſepultus eſt, additâ hâc inſcriptione.

En humi ſternitur, qui ab humo ipſe totam Siciliam dirâ ſæviente peſte liberavit. Proh dolor! Ipſe eſt mirabilis ille Doctor D. Marcus Antonius Alaymo Nob. ſalutaris Academiæ Panor. Inſtitutor & Princeps; Perilluſtris Deputationis ſanitatis Deputatus, & Perilluſtris Præt. pluries Conſultor; venerabilis hujus congregationis ſacri templi fundator vigilantiſſimus, virtutibus clarus, pietate inſignis requievit, 4. kal. Septembris 1662. ætat. 72. Sacerdos Doctor D. Joſeph. Patris obſequent. monumentum hoc *lacrymabundus poſuit.*

Panormitana Medicorum Academia tanto viro juſta perſolvit, ſuamque doctrinam, virtuteſque funebri oratione exornavit Andreas Vetranus, Medicus Panormitanus; multique alii nonnullis ingenij monumentis, quæ ſimul collecta prodiere Panormi typis Auguſtini Boſſii 1662. in 4. Marci Antonij cum laude meminêre Michael Juſtinianus *in literis memorab. pag.* 1. *pag.* 401. P. Michael Frazzetta *in vita P. Aloyſii Lanuſa l.* 1. *c.* 13. *pag.* 109. *& lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 279. Jo. Hofmannus *in Lexic.tom.I. pag.* 986. Van der Linden *de ſcriptis Medicis.* Morerius *loc. cit.* Coronellus *loc. cit. & n.* 2574. *pag.* 460. ex iis, quæ ipſi ego tranſmiſi, ſed perperam exſcriptis, in oppido enim Siciliæ, cui nomen Hagalboſto, pro Ragalbuto natum ait.

Edidit

Dialecticon, ſeu de ſuccedaneis medicamentis, opuſculum nedum Pharmacopolis neceſſarium, verùm etiam Medicis, Chymiciſve maximè utile, in quo nova. & admiranda naturæ arcana *reconduntur,* Panormi apud Alphonſum de Iſola 1637. in 4.

Conſultationem pro ulceris Syriaci nunc vagantis curatione. Ibidem apud Petrum Orlandum 1632. in 4.

Italicè.

Diſcorſo intorno alla preſervatiòne del morbo contagioſo, e mortale, che regna al preſente in Palermo, & in altre città e Terre del Regno di Sicilia. Ibidem apud eundem 1625. in 4.

Conſigli Medico-Politici compoſti d'ordine dell'Ill. Senato Palermitano per l'occorrenti neceſſità della peſte. Ibidem apud Nicolaum Buam 1652. in 4. Horum conſiliorum regulis Hiſpani, Neapolitani, Januenſes, Romani, aliæque Nationes urbium regimen direxere in cohibendâ peſtilentiæ ſævitiâ.

Prælo parata hæc alia reliquit operas, nempe.

Opus aureum pro cognoſcendis, curandiſque febribus malignis.

Conſultationes Medicas pro arduiſſimis profligandis morbis.

Commentaria in hiſtoriam ab Hippocrate in Epidemicis Conſtitutionibus obſervatam. Antonius Mongitor. in Biblioth. Siculâ.

ALBANESIUS (*Guido Antonius*) PATAVINUS.

Ex eô habetur

Aphoriſmorum Hippocratis expoſitio Peripatetica. Patavij, apud Paulum Frambottum, 1649. in 4.

ALBANUS (*Bartholomæus.*)

De eô extat

De Balneis oppidi Bergomatis Tranſcheri. Habetur cum aliis ejuſdem argumenti. Bergomi, 1582. in 4.

ALBATENIUS, Medicus, Galeni libros in Arabicum ſermonem vertit, teſte Johanne Serapione, qui eôdem ferè tempore vixit, annô videlicet 1070. Scripſit quoque de Simplicibus. *Volaterr.*

ALBERGUS (*Johannes*) Ex oppido S. Stephani Vallis Mazariæ, Medicinæ Doctor, adhuc ſuperſtes, Medicam facultatem in patriâ non ſine laude exercet.

Evulgavit

Summam Tractatuum Chirurgicæ Praxeos; in quâ continentur duo capita chirurgicæ Praxis. In primo diſcurritur de morbis capitis ſolutæ unitatis. In ſecundo de morbis externis humani corporis; comprehendendo quinque Tractatus, de Tumoribus, de Ulceribus, de Vulneribus, de Fracturis, & Luxationibus, Panormi apud Felicem Marinum 1703. in 12.

ALBERICUS, Medicinæ Doctor, qui vivebat circa ann. 1160. Hippocratis Aphoriſmos latinitate donavit, ac multa etiam alia, ut aiunt, magni momenti in Medicis conſcripſit.

ALBERIUS (*Claudius,*) Triumcurianus.

De eô extat

De Concordiâ Medicorum, Diſputatio exoterica. Genevæ, apud Johan. le Preux, 1585. in 8.

ALBERTI (*Julius Godofr.*)

De eô habetur

Diſputatio Inauguralis, ſub præſidiô Henr. Meibom. de Ulcerum naturâ & curatione, in genere, Helmſt. 1674.

ALBERTI (*Valer.*)

De eô extat

Diſputatio de figuris variarum rerum, in Lapidibus, & ſpeciatim Foſſilibus Comitatûs Mansfeldici, Reſpondente Joh. Amandô Brunnerô. Lipſiæ, 1675. 4.

ALBERTINUS (*Annibal*) Cæſenas.

De eô extant

De Affectionibus Cordis, libri tres. Quorum I. agit de Naturalibus: II. & III. de Præternaturalibus:

turalibus: de Palpitatione nempe, & Syncope, atque earum curatione. In quibus multa Problemata ſcitû digniſſima enodantur, & præcipuè de membrorum principatu: ſede Animæ: primis Morborum generibus: de Peſte, ac de ſcopis mittendi ſanguinem, exactè diſputatur. Venetiis, apud Johan. Guerilium, 1618. in 4. Cæſenæ, apud Nerium, 1648. in 4.

ALBERTUS (*Aloyſius*) Patavinus.

Ex eô habetur

De Nutritione, Augmento, & Generatione, Diſputationes. In quibus Ariſtoteles defenditur adverſus Galenum. Venetiis apud Variſcos, 1627. in 4.

ALBERTUS (*Jacobus*,) Vindo.

Ex eô habentur

De Metallorum ortu & cauſis, contra Chymiſtas, brevis & dilucida explicatio. Lugduni, apud Johan. Berion. 1575. in 8.

Duæ Apologeticæ Reſponſiones ad Joſephum Quercetanum. In priore de Paracelſicorum Ladano, & calcinatis Cancrorum oculis diſſeritur. In poſteriore Chymiam eſſe vanam, oſtenditur. Lugduni, apud Joh. Auſultum, 1576. in 8.

Progymnaſmata in Johan. Fernelii librum de abditis Rerum Naturalium & Medicamentorum cauſis: quibus adduntur quorundam graviſſimorum morborum curationes. Baſileæ, apud Sebaſt. Henr. Petri 1579. in 8.

Σημειωτική, ſive, ratio dignoſcendarum ſedium malè affectarum, & affectuum præter naturam. Lauſannæ, apud Joh. Chiquellæum, 1587. in 8. Lugduni, apud Choüetum, 1596. in 8.

Libellus de Peſte, Lauſannæ 1571, in 8.

ALBERTUS (*Michaël*) Profeſſor Publ. Extraordin. Halenſis & Reipubl. Noriberg. Phyſicus Ordinarius, Academicus Curioſus &c.

De eô hæ extant obſervat. in Ephemeri. German. Cent. III. & IV.

Obſervatio 100.

De morte criticè dilatâ.

ULtimum hominis fatum mortem eſſe, res naturæ Divinæ revelationis eſt: cur verò homines moriantur, & cur non in perpetuum vivant, dum quinquaginta, imò octoginta annos tranſigant, res nullius phyſicæ demonſtrationis eſt: tantò minùs verò humanæ rationi conſonum, nedùm fidæ & indubitatæ experientiæ congruum eſt, exquiſitum mortis terminum prædicere; intereà reſervatos & accuratos naturæ ordines & terminos in dimittendâ machinâ corporis, ut res facti obſervare & deſcribere, negotium non modò conſideratu dignum; ſed & dijudicatu utile ſcribere, cujus rei variæ hiſtoriæ occurrunt: ſed & criticæ mortis dilationis lectu digna practicâ obſervatione mentionem facere. Vocatus fui Bitterfeldam ad ægrotantem virum honeſtum, quadraginta annorum, Cholerico-Melancholici temperamenti, admodùm activæ indolis, iracundiæ multùm expoſitum, conſpicuum Plethoricum, antehàc & Rheumatiſmis & Eryſipelaceis pathematibus frequentiùs obnoxium, in diætâ lautâ & plenâ conſtitutum; commovebatur hic aliquando poſt prandium, quô pingue aſſatum comederat, & recentem cereviſiam Regiæ Lutteræ coctam, quam *Duckſtein* appellant, ſuperbiberat, graviſſimæ iracundiæ œſtrô, quô verò non exſatiatô, tandem circa veſperam de inſuetis capitis vertiginoſis perturbationibus conquerebatur, ſuperveniente Cardialgiâ, & gravi virium & appetitûs dejectione. Ad inſolita hæc pathemata mitiganda ante decubitum in lectum, ſub perſuaſione nimiùm oppleti ventriculi & turbati appetitûs, largam doſin Elixirii Proprietatis cum hauſtulô vini boni excepit, ſed ſequentem noctem maximè inquietus ſub horroribus & ardoribus internis, æſtû verò externô tranſegit: aderat perfecta febris Cholerica, anxietas præcordialis enormis, ſitis intenſa, ſiccitas faucium multa & moleſta, alvus erat firmiter adſtricta. Commendabantur ante meum acceſſum Bezoardica & ſpirituoſa, necnon Eſſentificata, urgebatur ſudor, per remedia & regimina calida, qui tamen ſub horroribus intercurrentibus parùm ſucceſſerat; nihil inde meliorabatur totus ſtatus, ſed in dies augeſcebat, donec quartô die anxius & parcus vomitus acerrimæ materiæ eveniebat, qui, cùm vix notatu dignus fuerit, parùm levabat patientem; ordinabantur adhuc ante adventum meum eadem Bezoardica terreis uſtis, aliiſque abſorbentibus, ità dictis, præcipitantibus mixta. Quintô die emicuit Eryſipelas capitis, quod tamen ſextô iterùm diſparuit; cùm ſextô hôc die acceſſiſſem, rem periculoſiſſimam deprehendi & prædixi, ità ùt nè tum quidem ad commendanda auxilia perſuaderi potuerim, à quibus tantò magis abſtinui, cùm jam deliria imminentia advertiſſem; Acceſſit ſeptimus funeſtus dies, ubi omnia ſymptomata ſub deliriorum ſextô jam die enatorum gravi & furibundâ perſeveratione, ad mortem properabant, quæ verò & conjugi ægrotantis mariti, & infantibus inopinata, imò incredibilis fuerat; incidit pomeridianâ tertiâ in agonem, cum facie, ità dictâ, Hippocraticâ. Hanc tragœdiam advertens anxia conjux, cùm jam emori vellet maritus, unà cum pluribus infantibus horridos clamores, ejulatus & ſtupendas lamentationes inſtituit effuditque, unde morituriens maritus oculos anteà ſemi-clauſos quaſi è ſomno expergefactus attollere, & adverſô quôdam vultû conjugem intueri cœpit; aderat jam aphonia, expectabat intereà anxia familia mortem domini; qui verò ab hâc horâ, hôcque die per ſeptem ſuccedentes dies ſine loquelâ, ſub auditûs privatione, ſine cibô & potu, cum confractis oculis, facieque Hippocraticâ, ſub levi & debili reſpiratione, pulſu inæquali modò, modò caprizante, modò ità dicto myuro, ſine alvi depoſitione & urinæ excretione, ità ſemimortuus decubuit, donec circum-actis hiſce ſeptem diebus appropinquante horâ pomeridianâ tertiâ, in quâ antehac per enormes clamores adſtantium quaſi revocatus fuit, placidè obdormivit.

Ibid. Obſervatio 101.

De fluxu Menſtruo per ſudorem ſanguinis è pedibus.

QUamvis non inauditum ſit, menſes per inſolitas etiam vias ſucceſſiſſe, nunquam tamen ſæpe quid dicitur, quod non ſemel diſcitur, ſecundum Senecæ effatum, ùt propterea quam maximè hæ obſervationes penitiorem attentionem mereantur, tantò magis quoad ætiologicam earundem explicationem, & illuſtrationem, cùm non ſatisfaciat, hos eventus gravitati aut ponderoſitati ſanguinis, aut acriori craſi ejuſdem adſcribere; cui tamen univerſaliori deductioni repugnare videntur hæc

hæc phænomena, quî fiat hanc ſuppoſitam qualitatem decimô tertiô aut decimô quartô ætatis annô oriri, efficacem eſſe, quinquageſimô verò ceſſare, & inefficacem eſſe? quî animi pathemata; præcipuè verò terror has phyſicas qualitates alterare poſſet? quî hæc qualitas ſingulis menſtruis periodis activa deprehendatur? quî extra corpus & non intra corpus operoſa occurrat, ut ſanguis non in cavitatem Thoracis, mæandros cerebri, & capacitatem abdominis effluat &c? Quam verò rem ut ætiologicam miſſam facio, & notabilem inſuper caſum practicum, hoc negotium concernentem, fidâ manû recenſeo. Obtigit mihi ancilla hìc loci, in ſuburbio, quod Glaucham appellant, quæ inſerviebat officiis ſpirituum ardentium deſtillationibus dicatis, hæc cùm aliquando fæces fervidas, ab aliquâ tali deſtillatione reſiduas, negligentiùs tractaret, utroſque ſuos pedes, tunc nudos, cum illis fervidis fæcibus graviſſimè aduſſit, ex quâ vehementi ambuſtione circa illud tempus, quô proximè menſtruus fluxus recurrere debuerat, commiſſâ, non modò in graviſſimum terrorem, ſed intenſiſſimum dolorem, prolapſa eſt, imò cùm juſtus metus proximæ ſphaceloſæ corruptionis advenerit, ex eo miſera hæc ancilla maximoperè moraliter anxia reddita eſt. Fuit verò hæc famula & activæ anteà indolis & notoriè Plethorica, ſubſiſtebant ab hâc ambuſtione menſes per ſeptem circiter ſeptimanas: cùm verò intereà cura ità feliciter ceſſiſſet, ùt non modò corruptela talis præoccupata, ſed & pedes optimè reſtituti fuerint, ità poſthæc, menſium ſuppreſſio, anguſtia præcordialis & reſpirandi difficultas hanc ſervam anxiam iterùm detinebant. Accidit verò brevi poſt, ùt eô tempore, quô hic fluxus recurrere debebat, dolores quoſdam tenſorios, oppletorios & leviter ſpaſticos in pedibus experiretur, donec tandem circa malleolum & ſub ſuris ex utroque pede per recenter natam & tenerrimam cuticulam floridus ſanguis in notabili quantitate, guttatim tranſtillaret, iterùmque poſt aliquam moram effluere ſponte ceſſaret, mitigabatur anguſtia illa præcordialis & dyſpnœa moleſta. Ab hinc poſt tres, cum dimidiâ, ſeptimanas eadem ſcena in ancillâ ludebatur; quem fluxum cùm inſolitum menſtruum diſcernerem, cum convenientibus remediis & conſiliis, aſſiſtente divinâ benignitate, in juſtas vias juſtùmque ordinem efficaciter tranſtuli.

Ibid. Obſervatio 102.

De Experimento Letali, in ſe ipsô temerarii Empyrici Balneatoris.

Animum humanum perquam facilè extra choream ſaltare & ſphæram ſuam tranſgredi, res quotidianæ obſervationis eſt. Occurrunt hujus rei aperta teſtimonia in multis Chirurgis & Balneatoribus, qui non ſuô officiô contenti per meras temeritates Medicorum officia affectant, & pharmaceuticam opem, circa interna occupatam, non modò audacter promittunt, ſed & impunè urgent; qualibus verò cum eventibus & ſucceſſibus, luctuoſæ obſervationes affatim conteſtantur. Tranſcripſit ad me Medicinæ Doctor & Practicus Hexapolitanus litteras, quibus judicium meum circa præſentem caſum efflagitavit. Puerpera ſenſibilioris animi & corporis incidit in impeditiorem ſucceſſum Lochiorum, è quô non modò varias inquietudines in abdomine experiebatur, ſed febrilibus motibus affligebatur: alvus intereà ſolitô magis ſicca, imò clauſa fuerat: admittebat hæc perſuaſionem alicujus balneatoris, fortè conſanguinei, qui promtâ manû pulverem adverſum maximè, & mediocriter per initia arrodentem ſalinum obtulit, ſub tentamine reſerandi alvum, quô obtentô faciliorem reliquorum pathematum mitigationem imperitè prædixit: Puerpera ſub ſpe infallibilis futuræ ſanitatis, quam ex Rhetoricâ ſuâ balneator promiſerat, promtè hunc pulvillum ominoſum aſſumſit, undè in graviſſimam Diarrhœam prolapſa eſt, quæ per biduum ſine mora durans, tandem cum morte ægrotantis deſiit. Familia hujus demortuæ balneatorem inculpabat, hic verò pertinaciter ad aliud ſymptoma adventitium (pro more ſolito) provocabat, & ut credebat, auream ſuam medicinam ſemper defendebat, quæ familia verò per hunc Doctorem informatorium petiit, cui ſatisfaciendi promtus, apertè indicavi, hunc fuiſſe pulvillum Colocynthiacô- Mercurialem, cum ſale quôdam vegetabili, ità dictô eſſentiali remixtum. Balneator exauditô hôc judiciô quod iniquum reputaverat, ſinceritatem & certitudinem ſuam ſuô cum exemplô confirmare voluit, ſed tam debili judicio inſtructus, ùt concluderet, ſi ipſe hunc pulverem ſine noxâ tolerare poſſet, mortem puerperæ ex hôc pulvere procuratam eſſe minimè judicari poſſe: Fiduciâ plenus excepit ſuum pulverem mortiferum; ſed brevi poſt ſub maximis anguſtiis, alvi fluxu peſſimô, & ut poſteà ultrò percepi, cum Convulſionibus miſerè periit, & ſic ſibi ipſi juſtiſſimus judex fuit.

Ibid. Obſervatio 182.

De Salia media, viâ humidâ, parandi ratione.

Quamquam fortè ſuperfluum videri poſſit, de materiâ ſivè productô vulgari pluribus diſſerere & velut recoquere, quæ ſæpius appoſita & expoſita ſunt, ſemper tamen plurimùm aliquid ſuppetit, & ſuccurrit, quod illuſtrandæ, magiſque inculcandæ tali materiæ inſervire poteſt. Valet hoc de ſpecimine quôdam atque productô Chymiæ Pharmaceuticæ abundè cognitô, quod verô Dogmaticô - Experimentali Chymiæ multùm lucis affundit, ſi rectè obſervatur, connectitur & ad alia affinia experimenta Chymica peritè & prudenter applicatur. Loquor de ſalibus mediis, quæ propterea hanc ſignificationem nacta ſunt, quia ex duobus diverſis ſalibus generantur, & tertium ſive medium quoddam conſtituunt, quæ aliàs etiam à Medicis ex effectu Phyſicô Medico- digeſtiva appellari ſueverunt. Quamvis verò horum ſalium, quoad diverſas denominationes, multa occurrant, ſunt tamen illa quoad fundamentum & eſſentialem ſuam conſtitutionem conformia, nimirùm Acida cum terrâ alcalinâ diverſæ tenuitatis, & ex variis aliis nexibus & mixtionibus deſumpta, ſufficienter ſaturata, & imprægnata. Tale acidum verò eſt illud, quod potentiâ ſuâ reliqua omnia in Chymiâ Pharmaceuticâ, cognita & uſitata acida, ſuperat, & Vitriolicum eſt, aut quod non alterius niſi vitriolicæ indolis exiſtit, ex quô nimirum certa encheireſi vitriolum vel Martiale, vel Venereum arte parari poteſt; ſiquidem contrà, ex acido vitrioli cum terrâ cretaceâ, aut limoſâ, Alumen, & cum principio inflammabili verum ſulphur arte parari poteſt. Ejuſmodi acida ſi ſufficienter cum terrâ alcalinâ, ſive tali, quæ ſimplex, & extra combinationem cum aliis ſalibus eſt, ut cineribus clavellatis, vel ſale tartari, ſive aliâ cum acidis alterius indolis connexâ, & in Nitri & ſalis communis corpore comprehensâ, ſaturantur, ſubminiſtrant

ſal quoddam medium, quod aliàs enixum, & quoad virtutem ſuam digeſtivum nuncupatur, quale in vulgari *Tartarô Vitriolatô* occurrit, de cujus genealogiâ non multa diſſerere placet, nè poſt Homerum Iliada canere, aut ſcribere videar, libet tamen aliquas encheireſes circa ejuſdem præparationem occurrentes & obſervatione dignas in medium producere, aut allegare. Quæ enim à multis temporibus more receptô Tartarum vitriolatum conficiendi methodus fuit illa quantiſpèr pretioſa, & ad uſum Medicum tantiſpèr poſtponenda, quia talis Tartarus vitriolatus, ùt pretioſus, propterea etiam parciùs præſcribi potuit debuitque, nè ægrotantibus propter impenſas majores odioſum reddatur remedium; unde alia methodus præter Chymicum uſum, practicum etiam illum, & civilem habet, ut talis Tartarus vitriolatus viliori pretiô paratus, & copioſiùs & ſæpiùs, ubique tamen cum magnô fructu uſurpari queat: Innotuit & placuit hinc methodus Tacheniana conficiendi hoc ſal medium cum vitriolô, ut Auctor quidem vult, Martiali in ſimplici aquâ ſolutô, & ſolutione cinerum clavellatorum, quæ methodus quidem præ aliis moderatior videtur, ſed adhuc vilioris pretii eſt illâ, quæ locô vitrioli Martis vitriolum Germanicum Goſlarienſe, venereum, adhibet; ubi in genere falſa eſt illa ſuſpicio atque perſuaſio, quaſi tali modo paratus Tartarus vitriolatus efficaciâ ſuâ inertior & debilior exiſtat, ac ſi cum ſpiritu vitrioli & oleô Tartari per deliquium paratus eſſet, in quâ opinione nonniſi illi verſantur, qui rerum Chymicarum inſufficienter & vix in ſuperficie gnari, nedum quidem periti ſunt: fruſtraneus verò eſt ille ſpecialis Tachenii metus, quaſi vitriolum venereum ad præparationem hujus ſalis non admodum tuti uſûs ſit dum ſecundum perſuaſionem molleculæ cupreæ, quæ Tartaro vitriolato adhæreſcere creduntur, dicuntur, ſed ſanè etiam aliquô modô finguntur, productum infidum reddere ſupponuntur, ùt propterea vitriolum martiale cum majori ſecuritate in uſum trahi queat: eſt verò hic metus omninò umbratilis, modò ſolutio vitrioli veneris ſufficienter cum alcalinô ſale ſaturetur, & mox nominanda encheireſis dextrè applicetur: alias ſi eædem encheireſes in ſolutione vitrioli Martis negliguntur, remanent in Tartarô vitriolatô molleculæ martiales, quæ illum adulterant. Eſt interim Tartarus vitriolatus ſal vitriolico-alcalinum, hinc extemporaneô experimentô confici & viſui & guſtui ſubjici poteſt, ſi in oleum vitrioli ſucceſſivè oleum Tartari per deliquium inſtillatur, ità contingit, ùt quandò acidum Vitrioli, in oleô vitrioli concentratum, cum ſale alcalinô, in oleô Tartari comprehenſum mox imprægnatum eſt, ad fundum vaſis copioſum ſedimentum obſcurioris coloris ſalinum ſecedat, quod nihil aliud eſt, quàm Tartarus vitriolatus, ſapore amaricans, effectu abſtergens & digerens, licèt quantiſper obſcurus (ob ſeceſſionem unà factam & inter fluctuationem corpuſculorum metallicorum martialium, quæ verò in mixtionem ſalini illius ſedimenti non abeunt, ſed cum affusâ aquâ ſub moderatâ agitatione & tractatione ſeparari poſſunt, quod ſedimentum, abſtractâ hâc aquâ, magis albicans evadit, & ſalinam ſuam conſiſtentiam釋 externô aſpectu abundè conteſtatur.) Quando ſpiritus vitrioli vel in Balneô Mariæ, vel in arenâ dephlegmatus, & quantiſper concentratus, (ubi ſpiſſior, conſiſtentior, & ponderoſior evadit, & re ipsâ nihil aliud quam oleum vitrioli repræſentat, quod verò non tantâ ubertate inhæreſcentium ſubtilium terreſtrium ſubſtantiarum, aut mollecularum martialium gaudet, unde neque ità obſcurus, nedùm nigricans eſt talis concentratus ſpiritus vitrioli) cum oleô Tartari per deliquium aut ſaturato aeri Lixiviô purô imprægnatur, tunc notabilis etiam quantitas hujuſmodi ſalini ſedimenti ad fundum decidit. Si verò ſpiritus vitrioli communis venalis ità tractatur, vix multa copia hujus ſalis ex tempore generatur, quia hoc acidum in tali ſpiritu obvium, cum multâ aquoſitate dilutum eſt, quæ impedit promptam, copioſam, & extemporaneam hujus ſalini ſedimenti geneſin. Hæc methodus generandi & producendi Tartarum vitriolatum Chymica magis eſt, quàm ad praxin Medicam applicanda & conferenda, quia nimis pretioſa eſt; methodus verò Tacheniana, quoad fundamentum ſive eſſentialia requiſita, non alia exiſtit, licèt majorem temporis moram requirat. Si enim vitriolum veneris ſolvitur, & miſcetur cum ſolutione cinerum clavellatorum, ad ſufficientem ſaturationem, ùt nihil ampliùs præcipitetur, ubi etiam nihil nocet, aut impedit, etiamſi ſolutio cinerum clavellatorum ſuperfluè effundatur, quoniam ſuperfluum ſal alcali non cryſtallizatur, ſed in liquore reſiduô ſubſiſtit, ùt propterea conſultius ſit, magis i. e. ſufficienter, quàm minùs i. e. defectivè, ſaturare acidum illud vitriolicum; tunc factâ primâ filtratione liquor non ſtatim evaporationi exponendus eſt, ſed ſtet ille per unum aut alterum diem, ità communiter eveniet, ùt teneriores quædam ſordes terreſtres, quæ molleculas ſubtiles venereas conſtituunt, ad fundum vaſis intereà ſecedant, & tali ratione ſuſpectæ illæ cupreæ particulæ, quæ anteà filtrum penetrarunt, tandem ex liquore ſeparari queant, (id quod tantò facilius contingit, ſi liquor primò leviter incaluit, iterumque refriguit,) quin ſub hac mora illud adhuc contingit, acidum hoc vitriolicum cum ſuperfluè effuſô alcali magis ſeſe ſaturet, & poſteà in Cryſtallis magis amareſcat, magis abſtergat, & digerat, imò Cryſtallos candidiores & ponderoſiores præbeat. In illô verò magmate pultaceô, obſcurè virideſcente (quod ſub ſaturatione acidi vitriolici cum ſale alcali deceſſit per modum præcipitationis, & nihil aliud eſt, quàm pulpamentum cupreum, ſive paſta ſcobis cupreæ, & quod magma in filtro remanſit, multa adhuc quantitas hujus Tartari vitriolati ineſt, ùt propterea hoc magma poſt primam filtrationem cum diſpendiô quôdam rejiciatur, (ubi hîc non agere placet, an verum & rationi & experientiæ conſentaneum ſit, quòd in hâc ſcobe cupreâ, veſtigia auri reperiantur) ſi verò huic magmati vel fervida aqua affunditur, vel ſi illud cum effusâ denuò aquâ moderatè decoquitur, extrahitur ità promptè quantitas illa non exigua Tartari vitriolati, quæ anteà adhuc inhæſit, unde poſthac liquor hic etiam filtrandus, ad quietem per unum aut alterum diem ſeponendus, denuòque filtrandus, aut circumſpectè cohobandus, & tandem cum priore aſſervatâ ſolutione cryſtalliſandus erit, ita eveniet, ùt ſi libram unam vitrioli ad hunc proceſſum ſumpſeris, ad minimum duas uncias hujus ſalis plus acquiras, quàm ſi hoc magma ſtatim projeceris. Non minùs efficaciter hic Tartarus vitriolatus parari poteſt eâdem methodô cum Aluminis & ſalis alcali ſolutione: ſed quia hæc methodus præ modo dictâ iterùm pretioſior eſt, dum vitriolum veneris vilioris pretii exiſtit, quàm alumen, ità cedit etiam priori: interim ſi experimenti locô aluminis ſolutio ad talem proceſſum adhibetur, tunc contingit, ùt acidum aluminis ſeſe cum additâ terrâ alcalinâ remiſceat, & ſaturet, atque ita à prægreſſo connubio diſcedat, & priſtinam ſuam ſaxeam cretaceam ſubſtantiam, cui adhæſit, dimittat, ubi proficit, pro commodiori filtratione, quòd hic liquor cum ſufficienti aquæ quantitate diluatur, alias non modò hoc recrementum

mentum ſaxeum cretaceum difficulter ex reliquo liquore diſcedit, & nonniſi poſt aliquot dies ad fundum vaſis ſecedit, ſed & filtri poros ità opplet, ùt liquor tardè & impeditè transfluat, quod impedimentum verò cum ſufficienti dilutione liquoris ſive ſolutionis, & levi incaleſcentiâ eidem inductâ corrigitur. Mutata quantiſper eſt methodus præparandi Tartarum vitriolatum.quamZwolfferus commendat, quæ veroſimiliter pretioſa exiſtit; nimirùm jubet auctor, ùt ex ſpiritu vitrioli aut ſulphuris & ſale Tartari conficiatur, quô locô imprimis Tartari ſal commendat, certæ perſuaſioni ſive opinioni innixus, nimirùm aſſerit, quòd, quia oleum Tartari liquidum eſt, ſi cum hôc Tartarus vitriolatus præparetur, hoc ſal propterea facilè iterùm deliqueſcat, id quod verò juxta opinionem Zwolfferi non facilè metuendum eſt., modò miſcella illa ſpiritûs vitrioli cum oleô Tartari, deinde cum ſufficienti quantitate aquæ diluatur, aliàs idem contingeret, aut metuendum eſſet cum ſale Tartari, quod æquè ac alia ſalia alcalina, facilè deliqueſcit; unde prout Tartarus vitriolatus, cum ſale Tartari paratus, non facilè deliqueſcit, ità cum oleô Tartari ritè paratus, in nullum deliquium abit: nam obſervatione & attentione utique dignæ ſunt illæ circumſtantiæ, quòd utraque hæc ſalia, tàm vitriolicum, quàm alterum alcalinum, quando ſtatum combinationis, ſive unionis ſubiere, priſtinas ſuas qualitates penitùs amittunt, & dum tertium quoddam concrementum ſalinum compoſitum conſtituunt, tertias etiam qualitates exerunt, dum enim (1.) vitriolicum acidum ſaporem acidum, & ſal alcali lixivioſum, acrem, ſaponarium, frementem habet, quamdiu extra mutuam connexionem, & ſui juris, ſive ſimplicia ſunt, ita poſt ea quàm primùm cohærent, amaricantem ſaporem exerunt. (2.) Dum acidum vitriolicum per ſe cauſticum exiſtit, & alcali itidem acredinem continet, & in cauſticitatem inclinat, (teſtimoniô illius lixivii concentratioris, quô ſaponarii utuntur, quod ex cineribus durioris ligni & calce viva conſtat, vulgò die *Seiffen Sieder-Lauge*, & cum quô fonticuli parari poſſunt,) tunc utraque quando convenere, hunc effectum penitùs amittunt; & abſterſorium digerentem, incidentem &c. cum multô fructû Medico offerunt. (3.) Dum anteà acidum vitriolicum cùm omni ſiccitate caret, ſed vaporoſæ, halituoſæ, nebuloſæ conſtitutionis eſt, (teſtimoniô vulgaris ſpiritûs vitrioli fixi, qui ut nebula ſive halitus albicans ſub deſtillatione tranſcendit, & in præpoſitâ aquâ demùm colligi debet, nedum quidem aliquid dicam de ſpiritu vitrioli, verè volatili, qui fermè inviſibiliter tranſcendit, dum deſtillatur) alcali etiam totâ ſuâ indole in liquidam conſiſtentiam propendet, ità nunc quando utraque commixta ſunt fluiditatem maximoperè reſpuunt & ſiccitatem ſolidam atque durabilem induunt. (4) Dum anteà tam vitriolicum acidum, quàm ſal alcali, ſi ſimplicia ſunt, facilè aquæ ſe inſinuant, ità poſteà ſi connexa ſunt, diu ſolutionem reſpuunt, ùt quadrupla aut ſextupla aquæ quantitas requiratur ad Tartari vitriolati ſolutionem. (5) Dum anteà acidum Vitriolicum valdè ad volatilitatem inclinavit, ita nunc ſi cum alcali ſaturatum eſt, fixum admodùm exiſtit. (6) Dum anteà tam acidum Vitriolicum, quàm ſal alcali motu igneo facilè fundi potuerant, ita nunc quandò utraque convenere, diù ſine alteratione in potenti etiam & ad intenſam incandeſcentiam illius ſalis medii auctô igne perdurant, atque difficillimè fluunt, ùt propterea artificiô non ineleganti, aut ſuperficiariô, licèt ſimplici opus ſit, quomodo bina hæc ſalia mediante igne ſeparari queant. (7) Dum anteà acidum vitriolicum ob inhæreſcentes terreſtres ſubſtantias, præ aliis quidem ponderoſius eſt: Alcali verò ſal in ſuâ ſimplicitate & libertate, ratione ponderoſitatis & gravitatis, nullam prærogativam præ aliis ſalibus habet,ita ſub mutuâ complicatione conſtituunt productum, quod ponderoſitate ſuâ alia ſalia ſicca, ſalinâ conſiſtentiâ prædita multum ſuperat; & quæ plures adhuc differentiæ, ſi ſcopus ferret, allegari poſſent.

Fruſtraneus propterea metus eſt, quaſi Tartarus vitriolatus, cum oleô Tartari paratus facilè deliqueſcat, modò acidum vitriolicum rectè & ſufficienter cum oleô Tartari ſaturetur: præterea in *Animadverſionibus ſuis Zwolfferus*, alium ſcrupulum, facilè tamen ſolubilem, injicit, nimirùm quaſi Tartarus vitriolatus ex ſpiritu vitrioli & ſale Tartari paratus, vomitus excitet, & multam nauſeam moveat, id quod impuritati ſalis Tartari adſcribere vult, cùm tamen culpa non hæreat in Tartaro, ſed in inſufficienti imprægnatione & ſaturatione acidi vitriolici cum ſale Tartari; unde ſi Tartarus vitriolatus ex ſpiritu vitrioli & ſale Tartari paratur, proſpiciendum eſt, quò ſufficiens hujus ſalis quantitas, acido illi inferatur, & communicetur, ita nunquam Tartarus vitriolatus fiet emeticus aut nauſeabundus: contrà verò ſi hoc acidum vitriolicum cum oleô tartari, aut aliô ſale alcali inſufficienter imprægnatur, ſimiles nauſeabundos, & vomibundos effectus, Tartaro alcali nè per ſomnium quidem adſcribendos exeret Tartarus ille vitriolatus. Gratis etiam atque fruſtrà *Junkenius* in ſuâ *Chymiâ Experimentali* de Tartarô vitriolatô ita ſimpliciter & indiſcretim aſſerit, quòd ſuſpectas tales conſecutiones, videlicèt cardialgicas & nauſeabundas, poſt ſe trahat, quod de ritè paratô tali ſale nunquàm metuendum eſt. Illud adhuc annotare lubuit, quòd hic Tartarus vitriolatus tam fixum ſal conſtituat, quod ſub fortiori etiam evaporatione, & ad cryſtalliſandum præparatione; non ita facilè diſcedat, ſi verò in vaſibus figulinis non ſpiſſiùs Lithargyrô obductis, ſolutio illa, cui ſal hoc medium ineſt, evaporatur, tunc multùm hujus ſalis ſeſe ollæ aut figulino vaſi inſinuat; (unde nihil nocet, ſi ſolutio talis in vaſe ferreô ad criſtallizandum aptatur) quòd ſi vas illud comminuitur, cum aquâ calidâ, iterùm extrahi poteſt; hoc ſal etiam vaſi figulino immerſum, cum morâ temporis ex eôdem vaſe effloreſcit, ſtriarum, aut bullularum ſalinarum inſtar. Tandem illud etiam adjiciendum eſt, quod quô magis ſolutio hujus ſalis medii cum aquâ diluta fuit, & quò tardiùs & remiſſiùs evaporatur, eò majores præbeat cryſtallos, ità ùt ſi ſolutio talis per æſtatem calore ſolis ſucceſſivè, vel hyeme ſuper fornacem lentè evaporatur, cryſtalli admirandæ magnitudinis obtineantur. Aliàs cryſtalli Tartari vitriolati octaëdram figuram, extremitate ſuâ ſuperiori & inferiori apices pyramidales ſimul ſiſtentem, formant. Quæ ſingula ſunt vera fundamenta & potiores encheireſes ſal tale medium humidâ viâ parandi & producendi, quod ipſum etiam ſiccâ viâ multis modis, & ſub variâ encheireſi parari poteſt, de quô ultimô modô fortè aliô tempore, volente Deô, agere licebit, quamvis de præſenti obſervatione adhuc variæ utiles Chymicæ obſervationes & conſiderationes commendandæ eſſent, quas verò nunc differre teneor.

Centur. VI. Obſervatio 43.

De genealogiâ ſalium mediorum per viam ſiccam paratorum.

DUm in Centuriæ quartæ obſervatione 82. animadverſiones quædam in præparationem ſalium mediorum, quæ neutra vulgò dicuntur, commemoratæ fuêre, quatenùs eadem per humidam viam producuntur, ità placet jam ſtare promiſſis,& debitô me liberare, videlicèt aliquot annotationes circa geneſin horum ſalium viâ ſiccâ ſuccedentem explicare & indicare. Jam conſtat, quòd hæc ſalia propterea media dicantur, quia ex acidô & alcali mixta ſunt, & mediam indolem præſentant, unde neutra vocantur, quia neque purum atque liberum ampliùs acidum, neque nudum alcali, ſed ex utroque conflata exiſtunt: non neutra dicuntur, quaſi nullum acidum & nullum alcali ampliùs contineant, & ità ad Philoſophiam Ariſtotelis, circa mixtionem Phyſicam verſantem, privationem priſtinæ & inductionem novæ formæ ſiſtant, cùm contrarium per reductionem & analyticam methodum ipſis ſenſibus demonſtrari queat, quomodo nimirùm ſalia media in acidum & alcali priſtinum verti & promoveri poſſint, licèt laborioſâ atque difficili, tamen poſſibili & demonſtrativâ methodô atque encheireſi, de quâ re placet aliâ obſervatione diſſerere. Et horum itaque ſalium geneſis ſuccedit etiam tali modô atque proceſsù, ùt ad ipſum actum combinationis acidi cum alcali nulla humiditas propriè ſic dicta, aut nullum vehiculum & adminiculum aquoſum requiratur. Acidum verò, quod ad hæc ſalia pertinet, vitriolicæ eſſe debet indolis aut proſapiæ; alcali quodvis fixum, ſaturatum, & benè acre ſatisfacit, & quô acrius, ſubindè etiam tenerius tale eſt, eô meliùs inde redundat ſal medium: hinc ipſa hæc ſalia bonitate, utilitate & efficaciâ inter ſe differunt, prout principia, ex quibus conflantur, puriora, concentratiora & teneriora exiſtunt: quemadmodùm de ſalibus alcalibus tenerioribus conſtat, quantum colliquativam, abſtergentem, incidentem, ſubindè etiam planè laxantem efficaciam habeant, etiam ſimpliciora, ſine connubio alterius ſalis, id quod in famoſâ illâ Magneſiâ albâ occurrit, quæ nihil aliud eſt, quàm ſuperflua in nitro, calcareo-alcalinâ ſubſtantiâ, vix ac ne vix quidem cum acidô nitroſô reſiduô remixta. Unde principia horum ſalium mediorum in diverſô licèt proceſſû, non tamen ſunt diverſa, ſed eadem, modò ex diverſis ſubjectis, aggregativam connexionem præbentibus & continentibus, petita. Familiariſſima & maximè cognita methodus ſal tale medium viâ ſiccâ generandi & producendi occurrit.

I. In proceſſu deſtillationis ſpiritûs nitri ad inſtitutum *Glauberi*, *Kesleri*, quin certô reſpectu ipſius *Ludovici*, quando nitrum cum vitriolô miſcetur, & convenienti modô tractatur & diſtillatur, prodit indè non vitrioli ſpiritus (niſi exceſſiva quantitas vitrioli nitro addita, & gradus Ignis nimiùm unà auctus fuerit) ſed nitri; interea in reſiduô capite mortuô inter duo corpora genitum eſt illud productum mediæ indolis, quod non ampliùs eſt acidum, ſed amarum, non corroſivum, ſed abſtergens, non metallicum, ſed ſalinum, quod quidem jam actû generatum eſt, ùt non niſi ultima ſeparatio & repurgatio ab aliis metallicis terreis quiſquiliis neceſſaria exiſtat: dicitur hoc ſal ità genitum arcanum duplicatum, ſanè minimè arcanum aut methodô arcanâ generatum, uti appoſitè, luculenter & ſufficienter demonſtravit *Stahlius in opuſc. Chym.* Evenit verò hæc genealogia, dum acidum in Vitriolô, ut præ reliquis potentiſſimum & efficaciſſimum, nitro corpus alcalinum aufert, abripit, abſumit, & ſeſe cum eôdem jungit, miſcet & ſaturat, adeòque acidum Nitri nunc denudat, eidemque veſtem quaſi exuit, quod ità liberum, nunc igneum motum ſubiens, poſt perpeſſum hoc divortium, tranſcendit & ſpiritum nitri conſtituit, remanet in retortâ ſal illud fixum, videlicèt acidum vitriolicum, quod metallum ſuum priſtinum deſeruit, (quoniam cum terris ſimplicioribus & imprimis alcalinis faciliùs congreditur, teſtante experientiâ & obſervatione Chymicâ) & terram alcalinam calcaream Nitri amplexum eſt, unde jam medium tale ſal eſt, quod arcanum vocatur, ſive, quod adhuc magis eſt, Panacea, deindè Holſatica, quod ſal ſiccâ viâ atque methodô; (propriè proceſſum advertendo & diſquirendo) genitum conſtat. Idem fuit, ſi locô vitrioli crudi, alumen crudum leviter calcinatum recipitur, & cum Nitrô remiſcetur; habet enim alumen idem illud acidum vitriolicæ indolis ad generandum ſal tale ſufficiens & ſatisfaciens.

II. Et ſimile quidem ſal,ita dictum arcanum,hâc viâ generari poteſt, ſi vitriolum calcinatum cum æquali portione Nitri miſcetur, & non in vaſe occluſô,videlicèt Retortâ, cum præpoſitô recipiente, in quô deindè ſpiritus Nitri colligitur; ſed in vaſe apertô, nimirùm crucibulô, funditur, evenit ſub hâc tractatione, ùt ſpiritus Nitri intensè olidus atque fulvus cum reliquô fumô vaporoſô Aquoſô vitrioli tranſpiret, reſiduum verò acidum vitrioli remanentem Nitri alcalino-calcaream terram arripiat, & tale ſal medium, quod arcanum denotat,conſtituat: *conſ. Stahlii Menſ. Julius cap.* 3. Tali quidem modô procedit etiam hâc viâ coalitio principii acidi, cum alcalinô, ex aliis ſubjectis ſine ſulphure ſeparativô *à Ludovicô à Frundek* ſuppoſitô, ſegregatô.

III. Enaſcitur porrò hoc ſal hâc viâ, ex Hepate ſulphuris, quando hoc leniter calcinatur, & à ſuô principiô inflammabili, flagrante & ſubtiliter flammante liberatur, remanet ſic in pulvere gryſei coloris ſal illud amarulentum, quod tantùm à ſuperfluâ terrâ & adhæreſcentibus ſordibus removendum & ſeorſim colligendum eſt: quod ſal hôc modô paratum & Medicis & Pharmaceutis, nomine Polychreſti Glaſeri, venire ſolet: poteſt etiam pulvis ille gryſeus medianti bus carbonibus iterùm in antiquum hepar ſulphuris converti; ſicuti ſal hoc cum eôdem additamentô denuò in verum eſſentiale & perfectum ſulphur reduci poteſt, juxta novum experimentum prælaudati *Stahlii*: *l. c. conf. Index Opuſc. ejuſdem Chymicorum.* Contingit hæc geneſis hujus ſalis in hoc proceſſu, dum acidum ſulphuris, quod non aliud quam vitriolicum eſt, ſe ſe cum ſale alcali cinerum clavellatorum ſaturat, cui miſcellæ tamen ſuperficie tenus adhæret portio ſulphuris inflammabilis & deflagrabilis, quæ propterea ſub levi calcinatione exuri & ſemoveri poteſt remanente illô ſale mixtô, ex acidô vitrioli & alcali, undè ſal illud neutrum ſiſtitur.

IV. Generatur etiam hoc ſal quandò vitriolum præcipuè mundum, cum cineribus clavellatis, imprimis puris, candidis, aut ſale Tartari, ad minimum, portione anaticâ, in crucibulô funditur per dimidiam horam, per initia lentè & circumſpectè, ità maſſa inde prodit obſcuri coloris in nigredinem proni, cui jam ineſt hoc ſal, quod ſub hâc fuſione genitum fuit, dum acidum vitrioli ſuum metallum deſeruit & alcali cinerum clavellatorum apprehendit, unumque mixtum cum hôc conſtituit; quale ſal deinde iterùm modò è tali maſsâ ſa-

lino-metallicâ ſeparari debet; remanet ſic plurimùm, præter alias ſordes terreſtres, metallum vitrioli; ad quam geneſin nè ulla quidem humiditas contribuit, cùm proceſſus inſtitui poſſit, cum vitriolô intenſiùs etiam calcinatô, & exhalante omni humiditate.

V. Idem accidit, quando ſal Tartari cum Alumine tali modô tractatur, videlicèt per fuſionem in crucibulô ad dimidiam, imò integram horam, maſſa indè provenit ſpumoſa, cretacea, albicans, ab empyreumate ignis vel leviter flaveſcens, vel parciùs in cæruleum colorem inclinans, ubi acidum aluminis, quod ſimiliter vitriolicæ proſapiæ eſt, cum ſale alcali Tartari ſaturatur, & medium tale ſal conſtituit Tartaro vitriolato æmulum, amarum, digeſtivum, remanente cretaceâ aluminis ſubſtantiâ pulverulentâ, macrâ & ſterili, quæ integræ maſſæ pumicoſam conſiſtentiam conciliavit, dum à ſuô acidô liberata eſt, & huic maſſæ confusè ſine mixtione, ſed ſuperficie tenùs tantùm inhæret, & ex hâc maſſa ſal illud neutrum, jam tum ſub fuſione genitum, modò educi debet, i. e. ſequeſtrari, non verò produci aut generari cum humidô vehiculô.

VI. Ità ſiccus porrò proceſſus eſt, quando Nitrum cum parte dimidiâ ſulphuris funditur, dum nimirùm ſucceſſivè ſulphur adjicitur fluenti in crucibulô Nitro, cum quô ſplendidam & fulgurantem flammam concipit, evenit indè, ùt, dum ſub momentaneâ hâc accenſione utriuſque ſubjecti tam Nitri, quàm ſulphuris mixtio ſolvitur, in illo principium ſubtile inflammabile & alterum acidum à Terreô ſuô corpore, in hôc & inflammabile & acidum, hoc videlicèt ſulphuris acidum potentius, inter ſingula hæc liberè fluctuantia reliqua principia, Nitri corpus alcalinum arripiat, & cum eôdem in fixiorem ſalinam conſiſtentiam abeat, atque hôc modô ſal illud medium efficiat, quanquàm aliquando de acidô Nitroſô quiddam huic ſalino magmati interſperſum hæreat, inflammabile verò tum Nitri, tum ſulphuris, deflagravit & deceſſit: vocatur hoc productum Nitrum ſulphuratum, ſivè juxta pharmaceuticum appellandi modum, lapis Prunellæ, non aliud ſal eſt, quam tale digeſtivum, cum tantillô acidi nitri remixtum, quod acidum certâ encheireſi & quidem continuatâ uſtulatione & fuſione vegetiori quantiſper ſegregari poteſt.

VII. Quando ſal commune mediocriter crepatum in crucibulô cum vitriolô funditur, igne efficaciori, tranſcendit ſub fuſione vapor nebuloſus obſcurè pallidus, qui præter reliquam transhalantem & ad operationem nihil contribuentem humiditatem aquoſam, ſpiritum acidum ſalis communis exhibet, in crucibulô verò generatur illud ſal medium ex acidô vitrioli & alcalinâ arenoſo-terreſtri ſubſtantiâ ſalis communis conſtans, & illud mirabile *Gaubleri* ſal repræſentans: maſſa verò, ubi de metallicâ portione vitrioli crudi, quod anteà ad hunc proceſſum receptum fuerat, participat, ità non aliô ulteriori labore indiget, niſi ùt hoc jam genitum ſal indè educatur, & ab heterogeneitatibus terreſtribus ſeparetur.

VIII. Simili modô ſuccedit hæc geneſis, quando vitriolum calcinatum cum ſale communi crepatô ex retortâ deſtillatur in recipientem capacem, prodit indè ſpiritus ſalis communis, & tenet in capite mortuô hoc ſal mirabile, quod itidem ex eôdem capite mortuô modò educi debet: commendat *Glauberus Cent.3.num.* 89. hujus ſalis præparationem, quando oleum vitrioli (quod nu. 86. pro univerſali acidô & reliquis potentiſſimô laudat) cum ſale communi miſcet & deſtillat: hujus ſalis medij digeſtivi differentiam ſpecialiſſimam à Tartarô vitriolatô expoſuit laudatus *Stahlius l.* 1.*cap.6.*

IX. Idem accidit quandò alumen leniter calcinatum cum hôc ſale communi vel in crucibulô funditur, vel ex retortâ deſtillatur, ubi ſimilis ſaturatio acidi aluminoſi cum terrâ arenoſâ alcalinâ ſalis communis contingit, ſpiritus verò ſalis tranſcendit; remanente hôc ſale mediô, è Capite mortuô ſeparandô.

X. Ità ſi ſulphuris partes duæ, cum Nitri & ſalis communis anâ parte unâ in crucibulô deflagrantur, fit ùt ad proceſſum VI. acidum ſulphuris terram alcalinam tum Nitri, tum ſalis communis, arripiat, & cum eâdem tale ſal medium efficiat, ſuperficietenus inhærente levi quantitate acidi & Nitroſi & ſalis communis: cryſtalli, quæ indè formantur, ſunt maximè irregulares, quia corpus cryſtalliſationem ſubiens, & in hôc productô aſſumens, nimirùm alcalinum cum acidô mixtum, in illô ſale combinatum, irregularis quantitatis eſt.

Et quid quæſo XI. illud ab aliquot annis peroratum ſal Anglicanum, ſivè Epſomenſe, aliud eſt, quàm tale ſal medium ex acidô vitrioli & terrâ alcalinâ ſalis communis conſtans, ſive jam ex lixiviô ſalis communis & capite mortuô vitrioli ſive Colcothare paratum fuerit, (ubi illud ſolùm notandum eſt, quòd vitriolum extremè exuſtum ad hujus ſalis præparationem non inſerviat, ſed illud Colcothar, ex quô ſpiritus vitrioli nondum regeneratus eſt, aut in quô adhuc aliquid hujus acidi inhæret) ſive ex ipſô genuinô ſale communi & vitriolô quôvis, ſive ex ſale marinô, aut foſſili, aut gemmæ, & vitriolô paratum fuerit: cardo rei vertitur in combinatione acidi Vitriolici & alcalinæ terræ ſalis communis aut huic germani alterius ſalis, unde enaſcitur tertium ſive medium illud ſal digeſtivum: potentiùs verò jam tale ſal abſtergit, quia efficaciori & ſubtiliori terrâ calcareâ gaudet, quæ effectum abſterſionis & colliquationis promovet, uti ſuprà monitum: deinde etiam in geneſi hujus ſalis non requiritur acida ſalis communis ſubſtantia, ſed alcalina altera illa arenoſo-calcarea terra, unde non cum ſpiritu ſalis & acidô vitrioli ſal tale produci poteſt, ſed vel cum lixiviô ſalis, cui terrea illa ſubſtantia magnâ quantitate ineſt (quemadmodum in matrice illa, ſive lixiviô, quod vocant *die Muter-Lauge*, longè plus terreſtris materiæ, quàm acidæ inexiſtit) vel cum ipſô genuinô ſale communi; ineſt verò huic lixivio terreſtris alcalina portio maximè acris concentrata, & ſuô ſale alcalinô perquàm ſaturata & imprægnata præter reliquam paucam inſipidam, quippe quòd ſal alcalinum terra illa intimius & ſubtilius poſſidet, unde non ſemper craſſo ſenſui tam lixivioſa obvenit, niſi paucâ humiditate deinde diluatur: quamobrem de Magneſiâ albâ ſuperiùs dixi, quòd plurimâ parte & potiori efficaciâ operetur ob terream illam radicalem & ex reliquâ quantitate ſuperfluam alcalino-calcaream ſubſtantiam, quæ ſimiliter potenter colliquat & abſtergit, atque hâc ratione alvum laxat & educit.

XII. Non minori aut aliâ ratione atque promptitudine fit tale ſal medium, ſi cum alumine ſal foſſile, aut marinum in fodinis ſabuloſis collectum, aut ſal gemmæ, quod multùm de terreâ, rupeâ & petroſâ ſubſtantiâ continet, in crucibulô funditur (ubi tamen monendum, quod alterius ſalis plus quàm aluminoſi recipi debeat, quia hæc terrea ſubſtantia alcalina non multâ, aut ad minimum non ſufficienti quantitate ineſt ſali foſſili, petroſo, gemmeo, aut marino, quanquam aliquid hujus ſalis alcalini contineant,) ità evenit, ùt acidum aluminoſum obſaturetur cum tali terreâ ſubſtantiâ, unde ſal illud neutrum generatur, Tartaro vitriolato & ſapore & effectû æmulum, licèt paulò faciliùs igneo motui obtemperet, ùt fundi queat, quàm Tartarus ille vitriolatus.

XIII. Ex

XIII. Ex capite mortuô Mercurii ſublimati educi poteſt ſimile ſal medium : ſicuti enim hoc corroſivum productum ex vitriolô calcinatô, ſale communi & Mercuriô currente generatur (ubi nihil Nitri additamentum contribuit) ita notandum, quòd Mercurius ſublimatus ſit concretum quoddam ex acidô ſalis communis & Mercuriô currente conſtans, (quanquam hôc etiam proceſſû, locô corroſivi, dulcis Mercurius præparari queat, ſi quantitas additi Mercurii currentis augetur) quando videlicèt hæc quantitas hujus acidi non penitùs obſaturatur, aliàs dulcis inde emergit Mercurius ; quò verò hoc acidum ſalis communis ſui juris fiat & à compedibus terreo-alcalinis liberetur, ùt Mercurium aggredi, & ſe ſe cum illô ſociare queat, additum fuit vitriolum calcinatum, hoc verò ſaturatur cum terreô corpore ſalis communis, atque certâ quantitate ſub ipsâ hâc operatione ſal hoc medium viâ ſiccâ generat, quod poſteà ex hôc capite mortuô educendum eſt.

XIV. Quando apta proportio ſulphuris, Nitri & tartari crudi deflagratur, & maſſa reſidua benè calcinatur, generatur ſtatim in crucibulô hoc ſal medium, dum ſulphuris inflammabile & Tartari pingue principium cum Nitrô detonat, atque exuritur, ùt potentiùs ſulphuris acidum & Nitro & Tartaro terreum ſuum corpus alcalinum ſurripiat, & cum hôc ſeſe jungat, unde illud ſal provenit.

XV. Idem fit, ſi locô Tartari, ſaccharum finiſſimum commiſceatur cum reliquis materiis, & ſucceſſivè adhuc aliquid Nitri adjiciatur, ubi ſacchari corpus calcareo-alcalinum perindè ab acidô ſulphuris aſſumitur, & in illam mediam conſiſtentiam convertitur, ùt amaricans inde ſal abſtergens proveniat, quod ſimul Nitri corpus terreum continet.

XVI. Si vitriolum, aut Alumen cum Tartarô calcinatô in crucibulô vegetè funditur & aliquandiu Calcinatur, evenit etiam hôc proceſſu, ùt accidum vitrioli, aut aluminis terram alcalinam Tartari amplectatur, & cum hâc in ſal illud medium viâ planè ſiccâ tranſeat.

XVII. Si antimonium crudum cum Nitrô detonatur, ût antimonium diaphoreticum inde prodeat, ſivè cum duplâ aut triplâ Nitri parte operatio inſtituta fuerit, emergit inde præter diaphoreticum illum pulverem, ſive communem, ſive ex lixiviô præcipitatum, & ſub nomine ceruſſæ antimonii venientem, Nitrum Antimoniatum, quod eſt ſal mediæ indolis, ubi acidum ſulphuris Antimonii unionem ſubit cum terrâ alcalinâ Nitri, atque ſal illud, non hexaëdrum haſtatum, ſed conicum format, mediocriter amarulentum, ſed ſufficienter digeſtivum, & cum acidô Nitri tantiſpèr impraegnatum, quod non penitùs ſub detonatione prægreſsâ diſperſum fuerat, huic inhæret aliàs tantillum regulinæ ſubſtantiæ tenerioris, quæ tamen reliquam miſcellam acido-alcalinam nihil alterat (quoad eſſentialia nimirùm requiſita & ipſam ſubindè efficaciam) unde cryſtallis inde formatis ſubtiliſſimi ſabuli aut pulvilli inſtar ſuperficie tenus adhæret: ùti etiam ex lixiviô hujus ſalis ſive Nitri antimoniati hic tenerrimus pulvis regulinus, mediante acidô quôdam præcipitari poteſt, ùt ceruſa illa inſtar pulvilli nebuloſo-limoſi ad fundum decidat.

XVIII. Si antimonium crudum cum cineribus clavellatis aut ſale Tartari funditur, producitur inde Hepar antimonij, maſſa obſcurè rutilans, & in nigredinem vergens, cui jam hoc ſal medium inexiſtit, quod ex acidô ſulphuris antimonij & terrâ alcalinâ adjectâ generatum : hinc per elixationem ex hâc maſsâ educi & ſeparari poteſt, modò eadem maſſa leviter calcinata fuerit, ùt inflammabile ſulphuris antimonii deflagraverit, nè ſal hoc medium ex eôdem alterationem aliquam ſubeat.

XIX. Idem contingit, quando ſulphur antimonii ſeorſim jam collectum cum Nitrô remixtum in crucibulô detonatur, enaſcitur inde iterùm hoc ſal amarulentum Tartaro vitriolato ſimile, quandò utraque ſubjecta tam ſulphur illud quàm Nitrum ſub hâc miſcellâ per deflagrationem quoad principia ſua reſolvuntur, ità mox diſcedit maximè volatilis illa tàm ſulphuris quàm Nitri inflammabilis ſubſtantia, neque parùm etiam de acidô utriuſque ſubjecti principiô tranſhalat, aliqua verò quantitas ſulphuris Antimonij reſiduam terram alcalinam Nitri comprehendit, & cum hâc in novam mixtionem tranſit, conſtituitque illud ſal amarulentum, neutrum, abſtergens, incidens & digeſtivum.

XX. Ità etiam evenit, quando ſulphur Antimonij cum ſale communi crepatô in crucibulô ſub intenſiori & diuturniori igne tractatur, emergit indè aliquid hujus ſalis, licèt ſub paulò difficiliori & tardiori geneſi, quando inflammabile principium ſulphuris antimonij exuritur, & reſiduum acidum ſulphuris ſali communi terram aut corpus alcalinum aufert, ità continuatô igne liberatum ſalis communis acidum evaporat & nidoroſum fumum albicantem nebuloſum format, remanente acidô ſulphuris cum terrâ ſalis communis, ſal hoc medium hâc connexione præbente.

XX. Si terra Bolaris rubicunda cum Nitrô mixta vegetô igne deſtillatur, tranſcendit ad vulgarem methodum ſpiritûs Nitri, parum concentratus, ſed dilutior, in capite mortuô verò remanet ſal hoc amaricans paucâ licèt quantitate, tamen ex utrôque ſubjectô genitum, dum nimirùm ejuſmodi terris ad *Becheri* & *Stahlii* obſervationem, aliquid acido vitriolico apprimé congenerum ineſt, quod cum terreô Nitri corpore jungitur, ſecedente acidô Nitri. Quemadmodùm itaquè acidum vitrioli facilè cum Marte coaleſcit, & in ſuâ craſsâ aggregatâ cryſtallinâ conſiſtentiâ cum marte combinatum multâ parte occurrit, ità terræ rubicundæ de ferriferâ proſapiâ eſſe judicantur. *Conf. Menſis Septembr. Stahlii :* quô locô merito ſuperſedeo demonſtrationi, quòd nimirùm hæc terra bolaris de acidô vitriolicô participet, qui labor non præſentis ſcopi eſt.

XXII. Similiter generatur hoc ſal medium quandò minera martis ſolaris Haſſiaca cum Nitrô aut ſale communi, cineribus clavellatis aut ſale Tartari miſcetur, & in crucibulô vel retortâ tractatur, ità minera illa, (dum acidum vitriolicum non exiguâ quantitate poſſidet, præter ferri mineram & terreas macras interpoſitas ſubſtantias) per ſuum acidum vel Nitro aut ſali communi addito corpus alcalinum aufert, vel cum ſale tartari aut cineribus clavellatis ſeſe ſociat, atque ſaturat, & ſal illud neutrum gignit.

XXIII. Quando ſulphur cum calce vivâ in crucibulô uſtulatur per dimidiam ad minimum horam, ità evenit, ùt conflagratô inflammabili ſulphuris, reſiduum acidum amplectatur terram calcaream, quæ eſt indolis alcalinæ, cum quâ ſeſe tantiſper ſaturat, ùt in amaricans quoddam tertium ſalinum productum, viâ ſimpliciter ſiccâ abeat, ùt nullâ ulteriori encheireſi opus ſit, niſi modò è reſiduô pulverulentô cramate ſal illud genitum educatur.

XXIV. Unum adhuc placet verbum monere circa ſalium vegetabilium conſiderationem : occurrunt inter illa quædam, quæ mediæ hujus indolis ſunt, quanquam minimè hoc de omnibus indiſcretim prædicari queat; ubi omninò diſcretione opus eſt, inter ſalia vegetabilia acceſſoria & eſſentialia, ſive intrinſeca : unde multæ ſpecies de vegetabilibus gaudent ſale Nitroſô adventitiô, illæ præprimis quæ in locis

locis Nitroſis ſucculenter & luxurioſè accreſcunt, quale ſal poſthac tales herbæ etiam conſpectui offerunt, ſi videlicet eædem exprimuntur, ſuccus verò clarificatus & repurgatus in mellagineam, aut oleoſam conſiſtentiam inſpiſſatur, deinde in locum frigidum reponitur, communiter in eôdem concreſcunt cryſtalluli ſemihaſtatæ, & ſapore & figurâ, ſal Nitroſum prodentes; omiſſis variis aliis demonſtrationibus, quæ non ſunt hujus loci; id quod imprimis valet de herbis ex muris maximè vetuſtis, progerminantibus, uti Parietariâ. Quemadmodum de Bardana refert *Hainius in Miſ. N. C. Dec. I. An.* 3. *obſ.* 222. ad cujus experimenti imitationem ſimili proceſſu inſtituendam, inſervit herba Nicotianæ: & tales quidem herbæ nihil hujus medii ſalis præbent: contrà verò quando vegetabilia ex terris lutoſis, limoſis, rubicundis excreſcunt, quod etiam valet de arbore Quercu, polypodio querno, Filice & diverſis muſci ſpeciebus &c. tunc participant talia vegetabilia non de acidô Nitroſô, ſed vitrioliçô, & combuſtæ exhibent ejuſmodi ſal medium; Quemadmodum hoc in tranſitu de helleborô nigrô obſervare poſſum, ſi hujus extractum per aliquod tempus, per dimidium nimirum aut integrum annum, ſteterit, ùt ſucceſſivè magis inſpiſſetur, generantur in eôdem cryſtalluli amaricantes, & ſapore & figurâ Tartaro vitriolato ſimiles. Plura hâc vice adjungere non placet, nè terminum conſcribendarum obſervationum tranſgrediar: demonſtravi in compendiô diverſos modos producendi ſal medium viâ ſiccâ: & quanquam adhuç varii alii ſimiles proceſſus conſtent, notandum tamen eſt, quod iidem ad tales à me deſcriptos & indicatos commode referri queant: undè paucis hanc materiam commendaſſe, & de eadem diſſeruiſſe ſuffecerit.

ALBERTUS (*Salomon.*)

De eô extant

Galeno adſcriptum Græcum librum de Urinis ab innumeris mendis repurgavit, & latinitate donavit. Wittebergæ, apud Hæredes Johannis Cratonis, 1586. in 8.

Hiſtoria plerarumque humani corporis partium membratim ſcripta, & in uſum Tyronum retractatiùs edita. Wittebergæ, apud Zachariam Leheman, 1583. in 8. Ibidem apud Zachar. Schurerum 1602. in 8. Ibidem apud Eundem 1630. in 8.

Tres orationes I. de cognitione Herbarum, Tyroni Medicinæ apprime neceſſariâ, II. de Moſchi, aromatis pretioſiſſimi, naturâ & efficaciâ, III. de diſciplinâ Anatomicâ, quô orſû cœperit, & quomodò ſenſim aucta, & ad poſteros tranſmiſſa ſit: tum de Galeni libro, qui de oſſibus inſcribitur, & Tyronibus nuncupatur. Annexa ſunt I. Themata Medica de Morbis Meſenterii: Ardore ſtomachi: ſingultu: & de Lachrymis. II. Structura ureterum Renis dextri mirifica. III. adumbratio & deſcriptio ſurſûm nútantium membranularum σιγμοειδῶν in venis brachiorum & crurum. Norimbergæ, apud Catharinam Gerlachiam, 1585. in 8.

Orationes quatuor I. de ſtudio doctrinæ Phyſicæ. II. de Felle ad inteſtina reſtagnante, neque tamen vitalem ſuccum è ventriculo demiſſum contagione depravante III. de ſudore αἱματώδει, ſeu cruento. IV. de Medendi ſcientiâ, Profeſſoribus ejus; imprimis de Raſis libro nono Manſori Arabum Regi dicato. V. Quæſtio cur pueris non ſit interdicendum lacrymis: & cur in lacrymis ſuſpiria & gemitus ferè conjungantur. VI. Quæſtio, num Metallica & Mineralia, ſi carbonibus aboleantur, ſuô nidore ἄσθματι ſive ſuſpirio conferant? VII. Præfatio in librum Galeni περὶ οὔρων, ſive de lotiis. Wittebergæ, apud Matthæum Welack, 1590. in 8.

Oratio, de ſurditate & mutitate. Quæſtio, an & quid grandini in ſue, cum ſcorbutô in homine, ſit commercii: pronunciata ad gradum Doctoratûs M. Erneſti Hettenbachii. Norimbergæ, apud Catharinam Gerlachiam, 1591. in 8. Wittebergæ, iiſdem formâ & annô.

Scorbuti Hiſtoria. Cui inobſervatum, vel ſaltem indictum hactenùs ſymptoma acceſſit, Genarum coarctatio, Genuum contractioni germanum, & quaſi conſanguineum. Wittebergæ, apud Georg. Mullerum 1594. in 8. Extat etiam cum Dan. Sennerti de ſcorbuto tractatu. Wittebergæ, apud Zachariam Schurerum, 1624. in 8.

Conſilia aliquot Medica extant eô in Opere, quod Joh. Phil. Brendelius collegit & edidit. Francof. apud Palthenium, 1615. in 4.

Obſervationes Anatomicæ Wittebergæ, 1620. in 8.

ALBICUS (*Archiepiſcopus,*) Pragenſis.

Ex eô habetur

Praxis medendi. Regimen ſanitatis. Regimen Peſtilentiæ. Lipſiæ, apud Marcum Brand. 1484. in 4.

ALBINEUS (*Nathan.*) Medicus Genevenſis proximè *præteritô ſeculô celeberrimus.*

Ex eô præcipuè hæc habentur

Bibliotheca Chemica Contracta. Genevæ apud Johan. Anton. & Sam. de Tournes, 1654. in 8. Ibidem apud Eoſdem, 1673. in 8.

Novum lumen Chymicum. Ibidem.

Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ. Ibidem.

ALBINIUS (*Conſtantinus,*) Villanovenſis.

De eô extat

Magia Aſtrologica, hoc eſt, Clavis ſympathiæ ſeptem Metallorum & ſeptem ſelectorum Lapidum ad Planetas, pro majori illius elucidatione. Pariſiis, apud Car. Sebeſtre, & Davidem Gillium, 1611. in 8.

ALBINUS (*Bernhardus*)

De eô habetur in Miſcell. Curios. German.

Decur. II. *Ann.* 4. *obſervat. n.* 94.

De ovo humano, è dextro teſte pendente.

Die 15. Octobr. 1685. ad puerperam juvenculam, quæ pridie puellam enixa, alium adhuc mortuum in utero habebat fœtum, accerſebar; quæ, cùm ſequente die fatis conceſſiſſet, à me ſecta, exhibebat teſtes, ovis turgidulis, pellucidis & copioſis refertos: è dextro teſte pollicis latitudine, mediantibus vaſis ſanguiferis, verſus tubam Fallopianam ovum pendebat, quod magnitudine piſum majus adæquabat, & vaſis ſanguiferis copioſiſſimis refertum erat, analogum illis ovis, quæ gallina per aliquot dies incubavit, in quo miram vaſorum ſanguiferorum texturam reticularem, (adhuc enim illud aſſervo) cum admiratione videre licet, & liquor in eo contentus non adeò ut reliquorum pellucidus, ſed turbidus erat.

ALBINUS (*Jacobus,*) Hamburgenſis.

Ex eô habetur

De ſcorbuto Diſputatio. Extat Decade IV. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jac. Genathius, 1620. in 4.

ALBINUS (*Eleaſar.*)

De eô extat in Actis Lipſ. ann. 1722. *pag.* 18.

A Natu-

A Natural Hiſtory of English Inſects. i. e.

Hiſtoria naturalis inſectorum Anglicorum, figuris æneis centum ad vivum expreſſis illuſtrata.

PErgratam rerum naturalium ſtudioſis operam præſtitit Autor maximè induſtrius, editô hôc opere ſplendidiſſimô, quod à manu Autoris, colores figuris inducentis, ſingulare pretium nanciſcitur. Nam cùm is à Daudridgiô, virô ingenioſô, qui in obſervandâ inſectorum generatione ingentem operam poſuit, tùm à fœminis nonnullis illuſtribus ſæpe adhibitus fuiſſet, ùt papilionum varia genera in chartâ nitidè deſignaret, & coloribus exornaret, tantâ harum rerum voluptate captus eſt paulatim, ut ſpecies papilionum circiter ducentas adnotaverit, quas omnes hìc in tabulis æneis nitidiſſimè repræſentat. Exhibet verò non modò ovula, vermem, papilionem, utriuſque ſexûs, tùm maſculum, tùm fœmellam, ac denique chryſalidem, variaſque adeò inſectorum transformationes, verùm etiam fruticum, arborùm ac plantarum folia, quibus adrepere ac delectari inſecta hæc ſolent. Atque hæc deinde additâ ſuccinctâ deſcriptione ita explicat Cl. Albinus, ùt ſimul, quibus potiſſimùm in regionibus quævis ſpecies commoretur, quô tempore ovula excludat, vermemvè producat, vel in papilionem ac chryſalidem tranſeat, diligenter oſtendat, ſubindè quoque Autores idoneos, Goëdartium, Rajum, Iohnſtonum, Mouſetum, Liſterum, Merianum, alioſque adducens. Cæterùm cùm oculos potiſſimùm oblectare voluerit Autor, excerptis è deſcriptionibus haud prolixis ſuppeditandis ſuperſedemus.

ALBOSIUS (*Johannes*,) Heduus.

Ex eô habentur

Obſervatio Lithopædii Senonenſis, ſive Embryonis in uterô maternô petrefacti, quod vivâ hiſtoriâ memorabili contexuit. Adjectâ levi & ſuccinctâ exercitatione Simonis Provancherii, *Lingonenſis*, de cauſis naturalibus. Senonis, apud Johannem Savine, 1582. in 8. Baſileæ, 1588. in 8. Extat etiam cum Franciſci Rouſſeti de Exſectione Fœtûs vivi ex matre &c. libro. Francofurti, apud Nicol. Baſſæum, 1601. in 8. Item cum Collectaneis de Diuturnâ graviditate. Amſtelodami, apud Petrum Van den Berge, 1662. in 12.

ALBRECTUS (*Johan. Petrus*,) Phyſicus Hildesheimenſis & Academicus curioſus.

De eô extant in Miſcellan. Nat. Curioſor. German.

Decur. 2. ann. 1. Obſervatio 77.

De Verme per meatum urinarium excluſô.

IN corde, Pulmonibus, epate, aliiſque corporis humani partibus ſæpiùs vermiculos naſci, exemplis & authoritatibus Medici paſſim confirmant. Admiratione percuſſus magis obſtupui, cùm legerem apud Cl. Schenckium, vermes ex veſicâ urinali nonnunquàm cum lotio exiiſſe. Simile quid annô 1678. d. 5. Aprilis notare mihi licuit in milite noſtri præſidii, cujus uxor ſummopere mecum conquerens, de pertinaci mariti ſui iſchuriâ precibus me invitabat, ùt ipſum inviſerem, urinæque tandiu ſuppreſſæ per medicamenta idonea priſtinum fluxum redderem: Ego officii mei memor poſtulationi hujus deeſſe nolui, & ægrotum miſerè afflictum deprehendi, ſeptimus quippe jam agebatur dies, quô ne guttulam urinæ excreverat: Querelas de ſummis circa umbilicum cruciatibus, deque tenſione circa veſicam inſtituebat, taliſque aderat tumor abdominis, ùt aſcitico miſer non abſimilis videretur. Ego diligenter, tam interna quàm externa ordinavi, nihil intermittens eorum, quæ ad adipiſcendum optatum hujus mali exitum admoveri ſolent. At inani diu me torquebam labore, neque ſucceſſus tam citò ex animi ſententiâ procedebat. Meditanti igitur mihi de immiſſione catheteris accurrit ægroti uxor, apportans vermem craſſitie calami ſcriptorij, &, longitudine trium digitorum, referenſque, ejectô hôc per uretram animalculô poſt multos conatus laboreſque, marito ſuo tandem priſtinam facultatem pro lubitu veſicam exonerandi eſſe redditam. Fœtûs hujus inopinati excluſionem lochia quaſi inſequebantur, nectariſque vitalis fluxus cum urinâ per aliquot dies pro-pullulabat, qui tamen exhibitâ emulſione terebinthinatâ feliciter eſſe deſiit. Vermis poſt emiſſionem vitali quidem fruebatur aurâ, paulò poſt autem exſpiravit. Notandum me ſuaſorem anteà extitiſſe, ægrotus ùt diligenter comederet amygdalas amaras, quæ uti egregiâ pollent virtute diureticâ, ità eas ratione amaritiei vermiculi ex veſicâ propulſionem maſculè adjuviſſe, nulla mihi hæret dubitatio, cùm experientiâ conſtet, quàm ſalutarem in morbis verminoſis aliàs præſtent operam, poſſetque hoc remedium tanquàm euporiſton catalogô medicaminum veſicæ vermibus reſiſtentium inſeri, modò certa ſigna pathognomonica ipſorum præſentiam indicarent. Admiratione me detinuit & hoc imprimis, quâ ratione vermes in veſicâ degere poſſint, quî fiat, quòd non enecentur, aut convertantur in putrilaginem ab acri, mordaci, ſalſôque lotiô? Admirari autem deſii conſiderans, in acerrimô acetô innumerabiles ſæpiùs vermiculos reperiri, inque illô vitam tranſigere ſatis commodam, quanquam non faciam cum aliis, qui acetum nihil eſſe aliud quàm congeriem minutiſſimorum vermiculorum mordicantium, àque horum morſibus omnem aceti acrimoniam dependere. Hâc ratione enim quis inſtare poſſet, bilem, ſalem culinarem, aliaque acria ſalina & acida, quæ linguam acrimoniâ ſuâ feriunt, eſſe corpora ex atomis & particulis verminoſis mordentibus conflata &c. quod abſurdum, cùm optima microſcopia contrarium etiam in ipſô acetô nos edoceant, niſi quis mentis ſuæ phantaſmatibus nimiùm obblandiendo ſe ipſum decipere amet, non ſecùs uti illi, qui pulverem ex particulis chordarum rubrarum, quales teſtudinibus adaptari ſolent, ab impoſtoribus præparatum aſſumentes, à plurimis vermiculis ſe poſteà liberatos eſſe firmiter ſibi perſuadebant, uti literis prodidit *Felix Platerus*, *Quæſt. Therapeut. Appendic. Prax. p. m.* 192.

Scholium.

Obſervationi huic reſpondet illa, quam *Bald. Ronſæus*, *Epiſt. medic.* de ſene quodam refert, qui urinæ difficultate graviùs laborans, per ſomnum excrevit vermem cum maximâ ſanguinis copiâ, ſalvuſque evaſit; cui addere licet alteram illam *Edmundi de Meara*, videlicèt de puerô ſemel in menſe, & aliquandò ſæpiùs, poſt duorum vel trium dierum dyſuriam, multos lumbricos per virgæ canalem excernente; ut & *Joh. Rhodii cent.* 3. *obſ.* 36. de adoleſcente poſt 5. dierum difficilem mictionem tæniam vivam emingente. Quænam verò jam in præſenti caſu exiſtat diri illius adfectûs cauſa, determinare eſt difficile. Aut enim vermis ille orificium veſicæ urinariæ corpore ſuô obturâſſe, ſicque unà urinæ egreſſum inhibuiſſe, dici poſſet, aut, quod credibilius, idem veſicæ

veſicæ collum, rodendo ſugendove nervoſam ejus partem lædens, ad convulſivam contractionem irritaverat, unde fibræ ejus contractæ meatum unà urinarium occludere potuerunt; quâ dolorificâ ceſſante lumbrici adhæſione, eôdem nempe ab amygdalorum amarorum virtute, cum ſanguine ad veſicam delatô, vel quâcunque demùm aliâ à causâ excuſſô, non fibræ tantùm luxatæ denuò fuerant, ſed & apertum vulnuſculum ſanguinem aliquandiù, priuſquam iterùm conſolidaretur, ſtillaverat. Quin & vermis ille, ſi primò non ipſâ in cavitate veſicæ delituerit, ſed mediante ſanguine ipſas inter cervicis membranas depoſitus fuerit, ſenſim adauctus tumorem illô in locô excitare, ac tenſione iſtâ quandam membranæ internæ excreſcentiam mentiri, ſicque tandem orificium omninò obturare valuit, uſque dum membranâ divulsâ exitum ſibi paraverat, ſicque non tantùm hæc denuò ſe contrahens meatûs libertatem reſtituerat, ſed aliquandiù etiam apertura iſta ſanguinem emiſerat.

Ibid. Obſervatio 78.

Meatus ab inteſtino cœco ad veſicam.

DIſſectio viri ob maleficia decollati inſtituta eſt Francofurti ad Viadrum annô 1667. *à D. D. Garliep.* Medicô Colbergenſi: Adfuit ſpectator *Conradus Veſenfeld*, Profeſſor olim Academiæ Viadrinæ inſignis, & acutus rerum naturalium rimator, cujus in primô ætatis flore extincti mors, uti mihi valdè adhuc exiſtit acerba, ità emptionis jure ipſius quondam mihi comparavi manuſcripta, quæ inter alia curioſa accuratam commemoratæ diſſectionis deſcriptionem exhibent: Majuſculis autem literis ſequentia notavit: *caſu factum*, verba ſunt *Veſenfeldii*, *ut offenderemus aliquot ductus ab inteſtinô cæcô deorsùm ad veſicam vergentes: Per hos ergo meat materia lotii potatoribus tam ſæpè & copioſè excernendi, hi autem ductus inveniebantur abradendo pinguedinem, circa cæcum inteſtinum ſitam.* Urinam omnem à ſanguine in renibus ſeparari, uti non adeò liquet, ità in deſignandâ viâ, per quam illa ad renes defertur, excellentiores Anatomici dubii incertique hactenùs titubârunt; Omnem ſcrupulum evellerent omnemque tollerent dubitationem prædicti ductus, ſi ipſorum veritas conſtaret. Monendi ſunt Anatomici, ùt in inveſtigatione horum nonnihil operæ ac diligentiæ impendant experianturque, an vel hos vel Cl. *Diemerbrockii* chyloſa, vel alia ad renes aut veſicam tendentia vaſa invenire queant.

Scholium.

Uti non facilè ullius viri boni & eruditi Anatomici fidem in dubium vocare debemus, ſi varios Naturæ luſus & errores conſiderare velimus: ità etiam hanc de ductibus ab inteſtino cæco ad veſicam vergentibus obſervationem eòdem referemus. Sed hoc utiquè rariſſimum quid fuiſſe dicemus. Neque etiam tantoperè iiſdem, pro demonſtrandâ viâ celerioris & copioſi tranſitûs materiæ potulentæ ad veſicam in potatoribus opus eſſe, videri nonnullis poſſet, ſi viam ex ventriculô ad renes per omentum eruditiſſimè à noſtro Celeb. D. *Helianthe Ephemer. Nat. curioſ. ann.* 9. *obſ.* 17. propoſitam admiſerint, aut ſaltem Exc. *Rich. Loveri in tract. de corde cap.* 3. *& Guil. Cole cap.* 13. *de ſecret. anim.* diſcurſum adprobaverint.

Ibid. Obſervatio 79.

Hydropicæ cujuſdam aqua ex hypochondriis profluens morbum ſolvit.

VIdua quædam 60. annorum hìc loci ſedem rerum ac fortunarum ſuarum habens, poſt varios in diætâ commiſſos errores ſeptem abhinc annis hydrope aſcite corripiebatur: Quô in dies ingraveſcente, accerſitus Medicus nullô ad ſanandum appoſitô remediô neglectô, curationem tentabat: ſed quodvis incaſsùm adhibebatur, neque medicamentorum virtute vires morbi frangere, ejuſque radices evellere licitum erat. Superfuit Paracenteſis, cujus tamen adminiſtrationem omnimodè recuſavit, nulliuſque perſuaſionibus eò impelli potuit, ùt dicto medio locum daret, quin potiùs mortem appetiit. At præter omnium opinionem morbus ad exoptatiorem longè eventum provectus eſt. Ægrota namque vi morbi fermè conſumpta, ſenſit aquam ex utriuſque lateris hypochondriis, ubi pori cutis mirum in modum aperti conſpiciebantur, promanare: Cui fluxui, quod mirum, natura quaſi non neſcia unâ vice hydropicorum aquam non educendam eſſe, præcluſis poris, moram interdùm imperabat, quæ tamen aliis temporibus, remotis obſtaculis, ſponte ſolvebatur. Fluxu igitur hôc per intervalla aliquot menſes durante, abdomineque ſenſim detumeſcente, ægrota morbi gravitate magis magiſque levabatur, donec tandem aquâ præternaturali ex corpore ejus ejectâ, integritatem priſtinæ valetudinis recuperaret, quâ etiam, dum hæc ſcribo, ſatis bellè atque commodè fruitur.

Scholium.

Naturam reverà in hoc caſu fuiſſe morbi medicatricem conſtat, quæ ſæpiùs, quod nullus miniſtri ſui, Medici, labor & diligentia efficere valet, promptè ſaluti ſuæ feliciter proſpicit; idque in hydropis curâ non ſemel præſtitit, rarô etiam hìc molimine ex hypochondriis aquarum ſarcinam expellens; vi imaginationis fortè compulsâ dum metu dolorificæ ipſi creditæ, crudelis, multis tamen perſuaſionibus ſollicitatæ Paracenteſeos, copioſiorem ſeri ſuperflui fluxum ad loca ſectioni viciniora magno impetu amandavit; quod in glandulis ſubcutaneis ibi ſubſiſtens, nec in vaſa lymphatica promptè receptum, ſed excretorios ſudoris tubulos diſtendens, per illa exitum ſibi paraverat, ſicque ſenſim reliquum etiam ſerum alibi extravaſatum, & deìn paulatim in vaſa effluxû illô inanita regreſſum, patente iſtô in locô ſucceſſivè evacuaverat; ceſſante tamen nonnunquã fluxû illô à frigore aëris ambientis diutiùs admiſſi, ſerum naturâ glutinoſum in tubulis diſtentis incraſſante, eoſque obſtruente, donec eôdem iterùm rarefactô, àque majore ſeri noviter ſupervenientis collectâ quantitate ulteriùs expulſô, novum tranſitum ſibi paraverat, in confuſionem illos conjiciens, qui ſæpè præ aliis prudentioribus magis ſapere ſibi viſi, hydropicos vehementi evacuatione ab aquarum ſarcinâ, brevi & unô quaſi impetu, liberare infeliciter ſtudent, quale quid contigiſſe aliquando novi, dum ex cachexia quidam factus hydropicus, à diureticô nimis liberaliter propinatô, parvô quidem temporis ſpatiô, ab inſigni ſui ſeri ſtagnantis pondere, non ſine triumphô, ante tamen victoriam, decantatô, fuit liberatus, paulò poſt tamen, ſpiritibus unà exhauſtis, præter exſpectationem ſubitò placidè exſtinctus eſt.

Ibidem Obſervatio 80.

De flatibus corporis humani, cur tàm difficulter nonnunquam diſcutiantur.

MEmini me quondam ex *Cl. Sylvio*, cùm in Noſocomiô Lugdunenſi ægroti paſſione colicâ decumbentis rationem haberet, audiviſſe, hoc malum cujuſvis medicaminis nonnunquam vires eludere, difficiliſque medelæ cauſam conſiſtere in copiâ bullarum ex pituitâ valdè glutinosâ conflatarum, flatus intùs habentium: Bilem autem tum temporis ſale lixivioſô, acuatum plegma rarefacere nimis, quô rarefactô hujus latera magis diſtenſa, flatuſque recipientia, dictas bullas producere; non ſecùs quàm aquam ſmegmatis beneficiô glutinoſiorem redditam pueri in ſphæricas bullas conflare atque formare ſolent: Quicquid enim ibi præſtat ſmegma, illud in corpore humano efficere pituitam; & ſicuti à ſpiritu calido ſmegma rarefactum in bullas effertur, ità bilem tanquam humorem calidum in pituitam agentem hoc munere defungi cenſebat. Quæ omnia, uti non à rectâ ratione aliena omnimodè cenſenda, ità quoque dictis experientia fidem fecit anno 1677. accerſitus ad hujus civitatis incolam, qui per 5. dies cum paſſione colicâ conflictatus erat, ipſius abdomen mirum in modum diſtenſum deprehendi; Quibuſlibet medicamentis fruſtrà exhibitis, incaſſùm diù ſudavi, incertuſque fui, quî fieret, quòd probatiſſimis pharmacis hocce malum non cederet. Cùm autem in uſu clyſmatum diligenter perſiſterem, ægrotus poſt aliquot dies horum auxiliô excrevit maſſam ex multis veſiculis contentam, quarum majores juglandium, minores nucum avellanarum magnitudinem excedebant. Hæ veſiculæ tam tenaciter ſibi adhærebant, ùt nullâ operâ divelli poſſent, quin potiùs diſrumperentur mephitimque flatulentam cum fœtore adſtantibus valdè moleſtô emitterent. Hocce ſpectaculum quamvis ſordidum non tamen ſine animi voluptate diu intuitus ſum, omnemque mihi evulſit hæc obſervatio admirationem, quare tam infelici Marte contra tympanitidem, Colicam flatulentam (quam meritò à colicâ convulſivâ, ſolis humoribus acribus adſcribendâ, diſtinguo) bella geramus, cùm de verô remediô dictarum veſicularum rupturam promovente adhuc ſimus incerti. Sanatus hôc modô noſter ægrotus valet adhuc pancraticè, liber ſuis ex paſſione colicâ cruciatibus, cum quibus antea tam frequenter ipſi confligendum erat. Simili modo fabri cujuſdam ferrarii uxori 66. annos habenti, conſiliô meô quondam præfui, quæ à longô tempore aſthmatica & anheloſa ſuffocationis periculum incurrebat. Hinc perterrita omnes nervos intendebat, ùt per tuſſim obſtacula liberum aëri tranſitum denegantia removeret, & hac ratione poſt conatus Herculeos laboreſque incredibiles ejecit interdùm veſicam magnitudine pomi Borſtorffiani flatû plenam, qui tamen, veſicâ propter ſummam glutinoſitatem rupturam difficulter admittente, evocari vix poterat. Hôc peractô aliquot horas liberô fruebatur ſpiritû, donec præterlapſis illis, regeneratâ novâ veſicâ, novi laboris faces incenderet, quibus tamen cùm ægrota in dies magis defatigaretur, factum eſt, ùt exhauſtis conſumptiſque illius viribus, brevi pôſt naturæ ſatisfaciens, ſomnô conſopiretur æternô.

Scholium.

Tympanitis & Colica flatulenta licèt abſque tenacis ejuſmodi & viſcoſæ pituitæ in bullas diſtentione multotiès producantur, à ſolâ utpotè humorum variorum præternaturali agitatione vel effervescentiâ ortæ, quæ tamen veſiculas iſtas unà conjunctas habent, difficiliorem curam utiquè ſuſcipiunt, cùm enim mater earum, pituita viſcidiſſima, quam vitream adpellare quibuſdam libuit, ob illam ipſam glutinoſitatem, difficulter eradicari queat, eò magis productæ ex eâdem veſicæ, magis utpotè condenſatæ, & induratæ, ac quaſi membranoſam naturam indutæ, medicamentorum operationi reſiſtunt; quæ ideò non tam phyſagoga propriè dicta, calida & aromatica; quam potiùs majori penetrandi, incidendi & reſolvendi, imò corrodendi vi prædita requirere unà videntur; quâ ratione fortè v. g. nitri ſpiritus, aliàs jam dudum anticolicorum in numerum receptus, hîc vim ſuam exſerere valebit.

Ibid. Obſervatio 81.

De Stercorum egregiâ in nonnullis virtute.

SOcer meus Quæſtor Epiſcopatus Hildesheimenſis, ante aliquot annos paſſionibus colicis valdè obnoxius erat, quibus tantoperè affligebatur, ùt paralyſis dextri lateris cum amiſſione loquelæ ſuccederet. Circumſtantes abſente Medicô cùm neſcii eſſent, quid faciendum, accurrit fœmina quædam recens ſtercus ſuillum, quod manibus gerebat, ægroti naribus intrudens; Quô vix peractô ſubitò ille in hæc erumpit verba: O GOtt, wat ſtinckt dat Sau? & hâc ratione non tantùm aphonia ceſſavit, ſed & paralyſis, cruciatuſque colici extemplò remisêre. Ruſticis aliiſque vilioris conditionis hominibus ſæpiùs autor fui, ùt ſuccum fimi equini cum cereviſiâ calidâ contra colicum morbum aſſumerent, externè autem dicti fimi portionem cum cineribus calidis commixtam tepidè regioni circa umbilicum apponerent, quod euporiſton nunquàm non ipſis exſtitit ſalutare. Cæterùm hoſce ſtercorum effectus non eſt quòd valdè miremur, cùm & in aliis morbis illa non mediocriter prodeſſe & experientiâ & Excellentiſſimorum virorum teſtimoniis diſcatur noteturque. Sic antidotum napelli ſtercus humanum eſſe affirmat Cl. *Hoffmannus animadverſ. in Schroder. p. m.* 664. fœtoremque hujus naribus attractum matutinô tempore præſervare à peſte refert *Minderer. Medicin. militar. p.* 125. Pleuriticis alii gallinarum, alii columbarum ſtercora commendant. Proſtat in noſtrâ officinâ aqua antipleuritica ex fimo equino deſtillata, quam uti cum fructu ſæpiùs exhibui, ità laudibus illam ſufficienter prædicare nequeo. Infallibile fermè remedium ad conſtringendum fluxum menſtruum eſſe ſtercus aſininum, ejuſque ſuccô plurimos de ſorditie parùm ſollicitos feliciſſimè ſanatos aſſerunt, *Finckius, Enchirid. Dogmat. Hermet. c.* 34. *Zacut. Luſit. Prax. Hiſt. l.* 9. *c.* 11. *Solenander. Conſil. Med. ſect.* 4. *conſ.* 8. *Schonborn. Mannal. Med. p.* 184. pluresque alii. Stercoris ſuilli in narium hæmorrhagiâ ſiſtendâ, anſerini in ictero, aliiſque morbis curandis efficaciam, etiam tyrones Medicinæ vix ignorant. Videatur ann. 9. & 10. obſervatio LVI. ſalibus excrementa animalium ſunt plena, quibus volatilium ſtercora præ cæteris abundare, quia acres ſeroſoſque humores non emingunt, à curioſis animadvertuntur. Hiſce igitur dictas operationes adſcribendas uti non dubito, ità inſignem inter hæc intercedere differentiam ex virtutum diſcrepantiâ liquet: veroſimile enim eſt, ſtercus, quod ſtipticâ gaudens qualitate hæ-

te hæmorrhagiis medetur, vi ſalis cujuſdam nitroſi, acidi &c. illud præſtare: Aliud aphoniam cum paralyſi ſolvens beneficiô ſalis alkalici volatilis vappeſcentis (uti Excellentiſſ. *Hannemannus in proœmio de uſu & abuſu inebriaminum* de apoplexiâ judicat) priſtinum vigorem reſtituere. Sed de hâc materiâ liberam cuilibet philoſophandi poteſtatem relinquo.

Scholium.

Quamvis σκατοφάγοι, uti eos vocat quidam, Medicaſtri malè audiant *Joh. Petr. Lotichio theſ. 6. de Caſei nequit.* & reverà, ubi delectum remediorum habere poteſt, ſordidis ejuſmodi Medicus elegans abſtinere teneatur, in neceſſitatis tamen caſu, ubi non, quod decorum magis, ſed quod utile eſt, expetitur, ſi alia pari efficaciâ prædita eum deſtituant, cur non ſimilia in uſum trahere liceat, ſufficiens cauſa nulla ſubeſt. Uti verò in ipſis excrementis ſpiritûs vitalis præſentiam agnoſcere tenemur (undè vivere eadem, *Guil. Maxuellus de medic. magnet. pag.* 27. ſcribere ſuſtinuit, & *Joh. Bapt. Helmontius cap. de lithias. p.* 35. ſpirituum vitalium comparticipationem excrementa ſervare prodidit) quam *Exc. D. Jo. Conr. Peyerus exerc.* 1. *de glandul. inteſt.* de ſpiritu non minùs animali verè deprædicat; ità cur recenter adhibita præſtantiores quandoque edant effectus, hinc edocemur. Licèt & aliàs diverſimodè prodeſſe poſſe, præter multorum experientiam, ipſa quoque ratio dictitet, ſulphure & ſale volatili, ut & fixô quandoque in iiſdem manifeſtè ſe exſerentibus, & partim ab adſumtis cibis &c. partim ab internô principiô, bile & lymphâ, ortum trahentibus, ſicque etiam eorum diverſitatem in ipsâ operatione multiplicem & quaſi ſpecificam oſtendentibus.

Ibid. Obſerv. 82.

De Lochiis aquoſis.

UXor cujuſdam Mercatoris, expletis menſibus abſque laborioſô nixûs puerperiô, naturâ ipsâ obſtetricante, partum abſolvebat. Circa fœtus excluſionem mirum & inſolitum quid contigit: Conficiebatur enim abſque ullâ ſanguinis profuſione, cujus nè guttula in conſpectum venit, ſed locô ipſius lympha viridis non abſimilis ſolutioni vitrioli commun. cum aquâ ſimplici factæ præter propter pondere 20. librarum lochia conſtituebat. Aqua erat limpida, dulcis, omnis acrimoniæ expers, duravitque ejus fluxus integrum menſem ſatis copioſus abſque ullius ſanguinis veſtigiô: Neque puerpera hinc malè habebat, ſed uti feliciter enixa erat, ita reliquô tempore puerperii abſque multis torminibus aliiſque incommodis traductô in hunc uſque diem vivit, ſanâ, optimâque utitur valetudine. Notandum, quòd ſecundinæ, quanquam dilaceratæ & cultelli acie multotiès diſciſſæ, nihil ſanguinis, ſed ſimilem liquorem limpidum & aquoſum profuderint. Haſce ob cauſas fœtus non eſt excluſus juſtô infirmior, ſed uti integris viribus mundum intravit, ità iiſdem adhuc abſque ullô ſanitatis vitiô benè fruitur. Hinc evidenter apparet, quàm lubrica ſit illorum opinio, qui ſuſtinere conantur, lochia eſſe reſiduam ſanguinis partem pro nutritione & augmentô fœtûs ad uterum delatam.

Scholium

Cùm humorem fœtûs nutritium à matre ſuppeditatum non purpureum illum eſſe, ſanguinis nomine propriè venientem, compertum ſit, verùm albicantem aliquem & ſeroſum, ſimilem ſeri evacuationem ex oſcillis uterinis hìc contigiſſe, & cùm ſanguis puerperis à partu recenter exſtillans non aliam originem agnoſcat, quàm vaſorum ſanguineorum in uteri ſubſtantiâ radices agentium, à prægreſſô enitendi conatu, ſive uteri forti commotione, & hinc ſubſequente placentæ ſeparatione violentam reſerationem, in hôc autem caſu abſque laborioſô nixu puerperium ſucceſſerit, & ita oſcula vaſorum ſanguifluorum non dilacerata fuerint, porulos iſtos, qui liquorem nutritium graviditatis tempore ex arteriis uterinis in placentam derivaverant, ulteriorem ſaltem ſeri iſtius à ſanguine ſeparati fluxum conceſſiſſe, craſſioribus autem cruoris particulis exitum denegâſſe, foret credibile, niſi & ipſa placenta diſciſſa, ſanguinis locô ſimilem aquoſum liquorem ſuppeditâſſet; Unde potiùs in hôc ſubjectô ipſi ſanguini tincturam purpuream omninò defuiſſe dicendum erit. Qualem rubedine deſtitutum ſanguinem in aliis quoque fuiſſe deprehenſum novimus, exempla promentibus, *Joh. Rhodio Cent.* 1. *obſ.* 36. *cent.* 3. *obſ.* 72. *Petr. Borello cent.* 1. *hiſt.* 25. *Thom. Williſio de febb. cap.* 1. *Henr. Oldenburgio Act. philoſoph. Angl. Num.* 6. *ſ.* 4. 10. & *Num.* 8. *ſ.* 8. *Ephemeredibus Nat. Cur. ann.* 11. *obſ.* 210. & *ann.* 12. *obſ.* 123. &c.

Quæ tamen dum vel recenter è cibô comeſtô prolectum & nondum cum ſanguine intimiùs permiſtum chylum proponunt, vel ſaltem ſanguinem illum in cachecticorum, febricitantium, aut aliô morbô laborantium corpore exſtitiſſe innuunt, quid hìc decernere liceat, haud video. Chylum enim non fuiſſe, nec puerperæ fœtûſque ſanitatem admodùm laborâſſe, ipſa hiſtoria loquitur. Sanguinis equidem in genere conſiderati eſſentiam in purpurâ non conſiſtere, vel *Hippocrates lib. de Glandul.* teſtis eſt, illud album, quod ex glandulis diſſectis erumpit, ſanguinis nomine deſignatum, per hunc ipſum tamen ſanguinem album nil niſi ſerum intellexiſſe, *Hier. Barbatus tr. de ſang. & ejus ſer.* benè interpretatur, ut potè cujus ſeri quoddam quaſi promptuarium ſunt glandulæ; idipſum verò ità ſolitarium in humanô corpore pro ſanguine vitali & ſanô nemo facilè agnoverit. Licèt enim imperfectiorum quorumdam animalium, uti cochlearum, (Vid. Exc. *D. Joh. Jac. Harderi examen. anat. cochl. terr.*) liquorem vitalem albicare certum ſit, in homine tamen ſimilis ubi occurrit, aliquid præternaturale, & ità morboſum, à quâcunque demùm causâ, ſulphur ſanguinis rubicundum ſubjugante, ortum habuerit, evincit.

Ibid. Obſerv. 83.

Ex abſceſſu renum ſubſtantia per urinam expurgata.

QUintus jam agitur annus, cùm Nobilis quædam Matrona, quæ à longo tempore jam fuerat nephritica, inflammatione renis dextri corriperetur, huic abſceſſus ſuccedebat, hinc puris mictio. Semper autem cum urinâ purulentâ excernebat aliquot caruncul as, fruſtula ſcilicet rubra, craſſiora, pinguedine interdùm obducta, magnitudine phaſeolorum. In tantâ copiâ per aliquot menſes hæcce renis corpuſcula dubiô procul à ſanie acri eroſa exierunt, ùt non dubitem, totâ hujus renis ſubſtantiâ corpore tenùs eliminatâ, illam functionem, quam natura utrique renum injunxerat, in ſolum ſiniſtrum

ſiniſtrum cecidiſſe, qui rectiſſimè quidem officii rationem hactenùs perſolvit; creavit autem hiſce ultimis diebus dictæ Matronæ acutiſſimos cruciatus, videturque hic nimii forſan laboris pertæſus fraterculi emortui officium ampliùs repudiare; an medicaminibus exhibendis poſſit reconciliari, inque meliorem ſtatum deduci, tempus docebit. Cæterùm non poſſum quin hiſce apponam obſervationem anatomicam non malè hùc quadrantem, quam non ità pridem Excellentiſſimus *Dn. Julius Georgius Behrens* Sereniſſ. & Potentiſſ. Duc. Brunſvic. & Luneb. in Aulâ Guelphicâ Archiater præclarus ſequentibus mihi communicavit verbis: Meretrix quædam, quæ per multos menſes hîc captiva fuit; peperit gemellos maſculos: Unus erat ſanus & bonæ conſtitutionis, alter habebat anum clauſum, crura diſtorta, & tumorem ſpongioſum in ultimâ vertebrâ dorſi, de cæterô erat tenerrimæ conſtitutionis infans, ùt brevi illum moriturum prædicerem: Ani apertio à Chirurgô hujus loci feliciter peragebatur, excrementaque alvi naturaliter iterùm fluebant. Sed poſt aliquot dies cùm infans mortuus eſſet, à Magiſtratu mihi permiſſum eſt, ùt cadaver ejus anatomiæ ſubjicerem. Abdomine apertô non aderat omentum. Inteſtina tenuia, & albicantia, & ſplendida erant; craſſa inflata, & colorem gangrænoſum referentia: Colon omnibus cellulis carebat, reliqua omnia ſana. Ad renes autem ubi deventum, ſiniſter tantùm aderat, ſed ſatis magnus in tenellô iſtô corpore. Circa vaſa quoque natura non omiſerat luſum, aderat enim unus ureter, & unum vas ſpermaticum, ſed ambo ſatis ampla. Ille inſerebatur veſicæ: Hoc obvolvebat teſticulum, qui quoque ſolitarius erat & ſubſidio carebat &c.

Ibid. Decur. ij. ann. vj. Obſervatio 10.

De inſigni cerebri ſuppurati quantitate ex naribus fluente.

SEnatoris hujus Civitatis unica filia undecim annorum ante decennium de acerbiſſimâ cephalalgiâ querebatur. Vocatus in conſilium auras tum temporis vitales adhuc carpens *D. F. Lachmund,* exploratis omnibus morbi circumſtantiis, eorum, quæ contra hunc proficua cenſebat, nihil non tentavit. Tertiô morbi die, id ità prælaudatô Medicô volente, & ego ad ægrotam accerſitus ſum, ubi amicè de ejus affectu conſultavimus, variaque ſecundum præcepta artis, tum interna, tum externa, at ſine ullô adjumentô, ordinavimus medicamina: Febris, quæ ab initio ad hoc uſque tempus perſtiterat continua, in dies intendebatur, doloribuſque capitis incrementum capeſſentibus, paulatim deſipere, furioſaque loqui incipiebat. Degenerabat quintô die hæc phreneſis in Carum, profundô namque ſopore obruebatur, oculis perpetuò clauſis, nec tamen ità ſenſus perierat, quin, ſi pungeretur, ſentiret, unde verò nec oculos aperiebat, nec aliquid verborum fundebat. In hôc ſtatu ad decimum uſque permanſit diem, qui tragicam morbi cataſtrophen ſiſtebat: Circa nonam enim matutinam poſt multas jactationes, ſpaſmodicoſque corporis motus, puris albiſſimi quantitas ad aliquot libras cum impetu ex utrôque naſi foramine profiliebat, promanante ſcilicèt, quotiès exſpiraret, ejus præter propter unciâ unâ. Fruſtula plura faciem cerebri colliquati præ ſe ferentia materiæ purulentæ permixta erant. Quid multis? Exeunte è naribus pure & ipſa mens ad cæleſtem habitationem tranſmigrabat, relictô domiciliô materiali, quod exanimum adhuc per aliquot horas non exiguam puris ſtillabat quantitatem. Nonnullos veterum in dubium vocâſſe conſtat, an cerebrum ipſum apoſtemari queat? de quâ materiâ pluribus tractat *Gregor. Horſtius part.* 2. *lib.* 2. *obſ.* 4. Exemplôque *lib.* 4. *obſ.* 4. affirmativam illuſtrat. Vid. quoque *Dodonæus obſ. Med. cap.* 7. *Foreſtus lib.* 10. *obſ.* 40. & alij. In noſtrô caſu ipſum cerebrum ſuppuratum fuiſſe, ejus portiunculæ cum pure egredientes teſtabantur, veritaſque rei, niſi Parentes neſcio quâ religione erga defunctam filiam permoti, apertionem cranij nobis interdixiſſent, meliùs forſan in apricum veniſſet.

Scholium.

Cerebrum abſceſſus pati poſſe præter exempla adducta, & gravia capitis vulnera, ſæpe cerebri ſuppurationem oculis manifeſtè ſiſtentia, (quale inprimis *Wolcherus Coiter in. obſ. Anat. & Chirurg.* notavit) ipſa quoque ratio dictitat, cùm ſubſtantiam obtineat ex tenellis glandulis, arteriis, venis & lymphæ ductibus &c. conflatam; quarum partium textura, ſive ab externâ, ſive internâ cauſâ ſi lædatur, atque ruptura aliqua vaſorum iſtorum fiat, vel aliô modô naturalem ſanguinis aut lymphæ per ea motum impediri contingat, glandularum ſubſtantia à ſtagnantibus illis liquoribus & acrioribus redditis erodi, inque putrilaginem converti poterit. Quamvis etiam cerebri per nares exitum quandoquè abſceſſus, vel materia purulenta, alba, craſſa, juxta cerebrum vel aliâ in capitis parte generata, perque vias iſtas evacuata mentiri queat; id quod ex clar. *Nicol. Stenonis* teſtimoniô, *in Act. Med. Hafn. Bartholin. volum.* 1. *obſ.* 131. facilè credimus; propterea tamen de omnibus illis hiſtoriis, quibus narratur, ipſius cerebri partem per naſum exiiſſe, dubitari haud debet; quod judicium confirmat oculata experientia celeberr. noſtri *Herculis*, qui, ùt *Sect.* 3. *Phyſiolog. cap.* 24. teſtatur, in epilepticis tenellulis infantibus recens natis, cerebrum quaſi liquatum per nares particulatim fuiſſe excretum, ipſe vidit; ſicut & in Matronâ proceſſum mammillarem cum cerebri notabili portiunculâ per narem dextram, immani epilepſiæ ſævitiâ expulſum, cum aliis quatuor Medicis *Henricus ab Heers* vidit, Plautinum illud in fabulâ, cui *Caſſina* titulum fecit, nimirùm: *at-tu ne cerebrum per nares emungas*, tandem ſe jam intelligere, *in obſerv. Med.* 24. referens, atque *Eraſtum* teſtem advocans, ſimile quid in magnâ inſultûs epileptici violentiâ, ſe præſente, factum, *Tom.* 4. *diſp.* 2. *contra Paracelſum* ſcribentem. Cerebrum autem inſtar pultis diffluere poſſe, Excell. noſter *Pæon.* in *Apiario ſuo, pag.* 149. exemplô docuit.

Ibid. Obſervatio 11.

De Inteſtinô Colô mirum in modum à flatibus diſtentô, hydropem aſciten mentiente, deque Liene ſphacelatô & corruptô.

ALebat quondam Reverendiſſimus ac Gratioſus Dominus J. E. Baro de Brabeck, Eccleſiæ, quæ hîc eſt, Cathedralis Decanus, Electoriſque Colonienſis in noſtro Epiſcopatu Vicarius digniſſimus, hominem ſimplicem, de ſtatu mentis dejectum, facetiiſque ridiculum, cui nihil quoad victum & amictum deficiebat, ſed omnia neceſſaria ex ſolitâ commiſeratione ac gratiâ Reverendiſſimi Domini largiter exhibebantur. Hic

cùm

cum ſeptem, ni fallor, abhinc annis morbo obiiſſet, noſtræ ſocietatis Æolus, Collega mihi amiciſſimus, ſalutaribus remediis multis tum temporis hìc loci ſubveniens me invitabat, inciſioni cadaveris ùt adeſſem. Celeritate, quâ poteram, cùm advolarem, inque conſpectum intumeſcentia ventris inferioris ſive abdominis veniret, hydrope utriculariô hocce corpus laboràſſe exiſtimavi, unde pro informatione Chirurgi, ùt neceſſitate urgente paracenteſin ritè inſtituere poſſet, deſignatô huic operationi locô idoneô, eôque perforatô cannulam intruſimus, ex quâ vix duæ vel tres guttæ ſeri ſanguine permixti promanârunt. Qui ſiniſter operationis eventus fecit, ùt ſententiam extemplò mutarem, illumque, quem ex errore (morbi namque curſus, cùm curæ non præfuiſſem, ignotus mihi erat) antè aſciticum judicâram, jam tympaniâ affectum fuiſſe ſuſpicarer; quam opinionem ſubſequens diſſectio confirmavit. Remotis enim abdominis integumentis uter quaſi globoſus mirè à flatibus expanſus cum impetu proſiliebat, primôque intuitû nihil fermè de cæteris inteſtinorum partibus vidimus, ità namque ille ſuperiorem abdominis regionem vaſtâ ſuâ mole adimpleverat. Hunc igitur globum flatulentum, dum accuratiùs ſcrutaremur, admirandi anſa dabatur præſertim, cùm ſolam, quæ factô ſub epate flexû, tranſverſim ſub fundô ventriculi pergit, inteſtini coli portionem tam intensè dilatatam eam produxiſſe, reliqua verò inteſtina ſana, ac ità extenuata conſpiceremus, ùt flatus, qui in illis forsàn commorari potuiſſent, ad dictum diverſorium, quaſi omnes refugiſſe viderentur. A nimiâ diſtenſione tunica exterior in nonnullis locis rupturam gangrænamque minabatur. Pertuſô hôcce globô flatus teterrimum odorem redolentes, cumque ſibilô egredientes, totum conclave fœdô fœtore inficiebant. Cadaver ulteriùs perluſtrantes cætera viſcera deprehendimus ſana, exceptô liene ſphacelatô, putridô ac nigrâ amurcâ diffluente. Ex dictis luce meridianâ clariùs patet, I. Non, uti *Williſius* docet, inſpectionem Anatomicam poſt obitum vix quicquam magis in cadaveribus à tympaniâ, quàm ab aſcite defunctorum detegere, cui aſſerto, & aliorum Obſervationes, quas ex variis Autoribus *Bonetus Anatom. Pract. lib.* 3. *ſect.* 21. congeſſit, reclamant. II. Ex lienis vitiô hunc morbum propullulare poſſe, quod uti confirmant quôdam modô ea, quæ *Antonius de Pozzis. obſ.* 30. *Miſcellan. cur. ann.* 1674. *Nicol. Tulp. obſerv. lib.* 2. *cap.* 35. & alii poſteritati reliquerunt, ſic etiam nos adeò à veritate non aberrare putavimus, ſi in præſenti caſu Tympanitis cauſam in ſplenem corruptum conjiceremus, ſtante ſcilicet illâ opinione quâ Excellentiſſimus *Bohnius Progymnaſm.* 28. *p. m.* 290. *&* *Autor des Eſſais d'Anatomie Diſcours dixneuvieme* cum *Malpighio* functionem lienis bili in epate ſecernendæ miniſtrari, ſuſtinent: Hâc igitur præpeditâ facilè patet, bilem ratione tùm quantitatis, tùm qualitatis in inteſtinis ſine ſuô fruſtratam fuiſſe, hincque reliquos juſtô acriores humores excitatis enormibus fermentationibus flatuum generationi uberiori occaſionem præbuiſſe. Hôc rerum ſtatû, annè ad pandendam flatibus viam abdomen cum inteſtinô tumefactô acu perforare licitum ſit, quanquam parùm difficultatis huic operationi obſtare, plurimaque hodie Batavorum lumina ad hanc inclinare videam, ſcrutinio tamen ulteriori Curioſorum eam relinquo.

Scholium.

Quamvis acû Tympaniticorum abdomen cum inteſtinô tumefactô perforari poſſe, ſine præſentaneô ſubſecuturæ mortis periculô, haud dubitem, cùm & majori violentiâ, imò & latiori cum diſceſſione inflicta inteſtinis vulnera, haud eſſe ſimpliciter letalia, tot obſervationes Medicorrum clariſſimorum confirment; ſi tamen morbi iſtius cauſam perpendamus, num perfectam curam ſibi Medicus hinc ſpondere queat, multùm hæreo: ſivè enim ab humorum, bilis nempè ac lymphæ, à naturali ſuâ temperie recedentium, vitioſâ effervescentiâ oriatur, ſive cum Clariſſ. *Th. Williſio ſect.* 2. *pharmac. ration. cap.* 4. à lymphâ nerveâ viſcidiore redditâ, ſpiritus animales, fibras inteſtinorum nerveas majori impetû ingreſſos, ibi quaſi irretiri, ſicque fibras inflare, & extendere, quarum dein ſpatium humor in eo contentus, inque vapores vel flatus rarefactus impleat, ſtatuere alicui libeat, nulli ſcopum optatum perfectè obtineri arbitror. Ibi etenim licèt generatis jam flatibus, per iſtam perforationem exitus ſic paretur, quia tamen morbus nova incrementa brevi, inteſtinô iterùm conſolidatô, caperet, causâ quippè nondùm ablatâ, & ità novam flatuum generationem neceſſariò daturâ, ægrotum fruſtrà puncturæ, non omni planè diſcrimine & incommodô vacanti, ſic exponi, nemo non videt. Si verò medicamentis, humorum illam dyſcraſiam emendantibus recidivæ huic obicem tunc poni poſſe, quis regerat, iiſdem etiam, ſine puncturæ iſtius adminiculô, morbum profligari, atque ità flatuum uberiorem generationem, prioribus ſponte ſenſim ex inteſtinis diſparentibus, præcaveri poſſe, ſequeretur. Hic autem cùm per puncturam iſtam extenſio fibrarum nullatenùs auferatur, quin ab irritatis hâc ratione magis ſpiritibus, pertinacior potiùs evadere queat, fruſtraneam eſſe hanc medelam facilè pateſcit. *Hieron. Fabricius ab Aquapendente equidem tract. de Chirurg. operat.* cum quô etiam facit *Dan. Sennertus lib.* 5. *Inſtitut. Med. part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 7. non tantùm aſciti, ſed aliis etiam hydropis ſpeciebus, paracenteſin convenire judicat, ſed hanc non aliâ ratione iidem admittunt, quàm quòd flatuoſo huic morbo etiam aqua utplurimùm ſit permixta; atque ità non tam ad flatuum quàm aquæ emiſſionem prodeſſe eandem innuunt; quâ de re tamen ſermo hic nobis non habetur.

Ibid. Obſervatio 12.

De Sternutatione exitiali.

Ritum ſalutandi ſternutantes quidam rem ſuperſtitioſam atque Chriſtianô alienam arguunt. Satis vetuſtum illum eſſe conſtat; Nam Græcos ſternutantibus, Ζεῦ σῶσον, Euſtathius autor eſt: Latinos verò *ſalvare juſſiſſe Petronius* docet: *Gython*, inquit, *collecti ſpiritûs plenus continuo ità ſternutavit ùt grabbatum concuteret, ad quem motum Eumolpus, converſus ſalvere Gythona jubet.* Originem hujus prodit *Siffridus Chron. Epitom.* à *Fabricio* excerpta, *pag.* 281. *Romæ*, inquiens, *peſtis inquinaria fuit; erat autem hæc apoſtema ſive inflatura in inguine tam ſæva, ùt homines in menſâ, in ludis ac colloquiis ſubitò morerentur. Itaquè cùm quis ſternutabat, ſæpe cum ſternutatione ſpiritum exhalabat. Unde cùm aliquem ſternutantem quis audiebat, ſtatim accurrens, Deus te adjuvet, acclamabat. Hinc adhuc conſuetudo ſervatur, cùm aliquem ſternutantem audimus, ùt, Deus te adjuvet, acclamemus.* Hæc ill. Vid. Beverovic. Epiſt. Quæſt. p. 73. & ſeq. Ex hiſce uti veterum intentionem non adeò pravam fuiſſe eluceſcit, ità quid, quô minus huic mori inſiſtamus, non video, præſertim, cùm charitas Chriſtiana, ùt alter alteri proſpera quæque precetur, ſeriò

ſeriò jubeat. Pluribus quidem ſternutatio auſpicatò fuit; morbique vim non rarò fregit; at quàm multis contrà extremam perniciem ipſamque mortem attulit? uti curioſa obſervatio *Miſcellan. Academ. Ann. tertiò* pluribus illuſtrata egregiè docet. Ter centiès & ultrà ibi ancilla quædam ſternutationibus correpta legitur: Nos filiolum Conſiliarii cujuſdam in noſtro Epiſcopatu ſiſtimus, quem ſi ſex milliès intra aliquot dies ſternutâſſe affirmaremus, nondum tamen omnes ſternutamentorum vices nos enumeraſſe omni jure edicere poſſemus; verminoſâ malignâ febri cùm hic per tres dies afflictus fuiſſet, quartò morbi die ſternuendo initium faciebat, qui motus narium ſpaſmodicus ſingulis horis vel centiès advertebatur. Nec interna Bezoardica, orgaſmumque humorum temperantia, nec veſicatoria, nec alia ex lacte, mucilaginibus &c. naribus externè indita quicquam proficiebant, ſtatû ægroti ſemper in deterius vergente. Interim ſternutatio cum totius corpuſculi concuſſione ad decimum morbi diem continuabat, ità, ùt ſi quis ſæpius, *Deus te adjuvet*, ex commiſeratione intonâſſet, nullô modô ſuperſtitioſus habendus fuiſſet. Cæterum dictô die, qui fatalis ipſi fuit, inter ſæpiſſimè iteratas ſternutationes exſpiravit, haſque tandem cum ipſa vita finivit.

Scholium

Confer quæ de more ſalutem precandi ſternutantibus copioſe diſſerit *Excell. D. Stalpartius cent. 2. obſerv. rarior. Schol. obſ. 6.*

Ibid. Obſervatio 13.

De fœtû nigrô à matre pulvere pyriô aduſtâ excluſô.

FŒtum vi imaginationis ab aſpectu rei nigræ ſimili colore præditum nonnunquam in lucem veniſſe, ex hiſtoriis paſſim conſtat. Non talem, ſed quendam longè aliâ ratione atrô infectum colore in ſcenam producendi animus eſt. Tragœdia, ex quâ ſuas hæc obſervatio ſumſit natales, ante aliquot annos hìc loci ſequenti modô agebatur. Depoſuerat ille, qui pulveris tormentarii conficiendi apud nos munere fungitur, ejus ad ulteriorem exſiccationem obtinendam duodecim libras prope fornacem in cellam, vix ædibus, aliorum, quæ ipſi facienda incumbebant, negotiorum cauſâ egreſſus erat, cùm ſcintillulâ ex fiſſurâ fornacis profiliente, dictumque pulverem incendente domus funditùs & cum intenſô fragore everteretur. Duobus filiolis cum matre partui vicinâ in ſuperiori cubiculô placidô fruentibus ſomnô hìc caſus exiſtit funeſtus: diſperſis enim illorum corporibus in præterlabentem fluvium, Innerſta dictum, vi fluminis ſuffocati, necabantur; Mater verò trabibus, aliiſque ædium partibus oppreſſa, miſerè aduſta, ſemimortua, inſtarque carbonis nigra extrahebatur. Admotâ igitur ſolitâ contra ambuſtionem curatione, refectiſque ità viribus, ùt fœtus motum ſatis fortem ſubindè perſentiſceret, inſequenti menſe filiolus nigerrimus, Æthiopem crediſſes, lucem aſpiciebat, qui tamen vix Baptiſmate tinctus, ſomnô conſopiebatur ſempiternô, ipsâ matre tum terrore ac animi dolore, tum cruciatibus ex aduſtione & partu ortis confectâ, paulò pòſt ſimile fatum ſubeunte.

Ibid. Obſervatio 14.

De Imaginatione Gravidarum.

VIm imaginationis in gravidis à pluribus antehac demonſtratam ſequens, quam N. Paſtor Eccleſiæ Lambertinæ quondam mihi retulit, hiſtoria non parùm illuſtrare videtur. Matrona quædam ad pariendum vicina, cui præcedenti die auctoritate Divinâ, prævià confeſſione, peccatorum remiſſionem annunciaverat dictus Sacerdos, eô, qui ſequebatur, cum aliis Eccleſiæ Chriſti civibus apud menſam Domini ſe ſiſtit. Vini ſacri igitur parte porrectâ, atque ab hâc aſſumptâ abire recuſat, gradumque ſuſtinet. Quæritanti Sacerdoti, an forſan vini nihil accepiſſet? reſpondet, ſe quidem ejus portionem deguſtâſſe, ſed ſecundâ vice idem expetere. Annuit Sacerdos, atque iterum delibandum id Matronæ præbet. Quô factô tertiâ vice calicem deſiderat, quô recuſatô triſtis domum petit, quartòque inſequenti die tres filios enixa eſt, quorum duo priores ſani ac vivi erant, tertiô mortuô mundum ingrediente. Si ultimâ vice in ſacrâ ſynaxi vinum ipſi non fuiſſet denegatum, firmiter, ſe omnes filios vivos peperiſſe, ſibi habuit perſuaſum, quod non adeò abſurdum imaginationis efficaciam in ejuſmodi mulieribus ponderanti videri poteſt.

Scholium

Huc referri poteſt hiſtoria à *Marc. Donato lib. 4. Med. hiſt. mirab. cap.* 1. memorata, gravidæ, morſû viri cujuſdam toroſi & ſucculenti armos adpetentis, atque poſt primam avulſam carnem à novâ lanienâ cùm repulſa fuiſſet, præ mœrore ac dolore gemellos, unum vivum, alterum mortuum parientis. Cui ſimilem obſervationem de aliâ habet *Joh. Hellwigius. obſ. Phyſ. Med.* 137. quæ poſt unum à viro conceſſum ſuræ nudæ morſum, cùm ſecundus denegaretur, mœſta abiens, paucos poſt dies gemellos itidem peperit, viventem unum & alterum demortuum; Atque *Joh. Langius* aliam, duos humero piſtoris denudato morſus cùm infixiſſet, tertiô non conceſſô, tergeminos fœtus fuiſſe enixam, duos vivos, & tertium mortuum, *lib. 2. Epiſt. Med.* 12. refert. Cujus eventûs cauſa uti ſatis eſt obſcura, ita etiam fortuitum eſſe poſſe in *Scholio ad d. obſ. Hellwig.* monui; ni fortè ex abdominis mole, aut fœtûs motu &c. gravidam, geſtationem gemellorum ſuſpicatam, vi imaginationis alteri fœtuum ſic nocuiſſe dicendum ſit.

Ibid. Obſervatio 15.

De Fœtu in uterô maternô ſingultiente.

FŒmina quædam ultimis geſtationis menſibus de moleſtô admodùm, ſæpiuſque reciprocante fœtûs motu conquerebatur, præſertim cùm ità indè fatigaretur, ùt non rarò animi deliquiis proxima eſſet. Hic motus ſubſultorius ſuos quaſi rhythmos obſervans, quotiès percipiebatur, totiès totum matris abdomen concutiebat. Singulis diebus ter ad minimum hunc paroxyſmum illa ſuſtinebat. Vocatus igitur in conſilium, manûque abdomini admotâ diligenter cunctas circumſtantias perpendi, embryonemque ſingultû à nutrimentô nimis acri contractionem diaphragmatis violentam ac reciprocam concitante, laborare judicavi: Hinc ùt tum fœtûs tum matris moleſtia tolleretur, irritationiſque ſenſus obtunderetur, medicamentis idoneis ad temperandos humores acres curam tam

felici

felici ſucceſſu direxi, ùt ceſſante motu convulſivô, fœtus hic poſtea abſque tantâ violentiâ naturaliter ſeſe moveret, ſanusque poſt aliquot ſeptimanas in lucem mitteretur. Hâc occaſione varii modi mentem ſubeunt, quibus ſingultum brevi coercitum vidi. Nuper cùm aliquis eô mirè vexaretur, intrante ex improvisô fele quâdam hypocauſtum, ſubitò ex perturbatione mentis (abhorrebat enim à felibus) ſingultire deſiit. Noſtrates ſingultû affectis ſuaſores ſunt, ùt immiſſô cereviſiæ cultrô ejus novem hauſtus unô inſpirationis actû deglutiant, quod, quanquam cultri intruſionem ſupervacaneam arbitrer, non raro ex ſententiâ ceſſiſſe novi. Infantum ſingultus oſtenſis virgis, ſoliſque comminationibus, ſubitò curatos memini. Conſtrictionem minimi digiti filô arctiſſimè inſtitutam, imò ſolam ſpiritûs retentionem motus ſingultuoſos feliciter refrenâſſe, in recenti memoriâ hæret. Neque, uti notum, excitata ſternutatio, quin & collutio faucium ex aquâ frigidâ, non rarò eoſdem depulerunt. Alios coërcendi ſingultus modos paſſim apud Autores videre licet, qui quidem, quando hi, ex vitiô in diætâ commiſſô oriuntur, auſpicatò nonnunquam ceſſiſſe viſi ſunt; at ſi à detorſione coſtarum ad ventriculum, uti apud *Schenkium* legitur, vel ab humoribus nimiùm corroſivis ac æruginoſis originem trahant, vel etiam quicquam proficere, ſed quoad cauſarum varietatem curam quoque variandam, irritationiſque ſenſum in diaphragmate aliis ſopiendum eſſe; imò omnibus licèt ſalutaribus tentatis non raro ſiniſtrô eventû morbum terminari, nullus non novit.

Ibid. Obſerv. 16.

De curâ doloris Iſchiadici.

SEnex 63. annorum, cùm dolore iſchiadicô jam 14. ſeptimanas integras domi detentus fuiſſet, fruſtràque ex Medicorum conſilio Emplaſtrum Oxycroceum, aliaque gummata calefacientia geſtâſſet, tandem ſuaſû cujuſdam Civis eôdem remediô cum aliis ægris antehàc ſanati, ſequens cum ſucceſſu uſurpavit. Primò tegulæ ignitæ ſuperfundit acetum, pedibuſque excepit fumum; Deinde linteamen quadruplicatum tegulæ circumvolvit, iterumque acetum ſuperfudit, quod linteamen mox pedi inferiori infrà & ſuprà malleolum applicatum per ſemi-horam retinuit. Deinde ſumſit allium tenuiter inciſum, hoc miſcuit lacti equino, & hâc mixturâ totum crus ſibi fricari curavit, quantùm id tolerare poterat: Quod cùm veſperi factum eſſet, eâ ſtatim nocte pacatiùs dormivit, dolorumque levamen ſenſit. Repetiit idem ſecundô & tertiô die circà veſperam, ſemperque inde meliùs habuit, ùt tandem incedere iterum poſſet, qui anteà ſemper deſidere cogebatur. Affirmabat ſenex, primâ & ſecundâ frictione dolores quaſi ad pedem tractos eſſe, unde circa malleolum tumor enatus, qui tamen tertiâ frictione peractâ, impoſitôque tumori aliô cum lacte equinô ſubitò diſcuſſus eſt.

Ibid. Obſervatio 17.

De mirâ cordis palpitatione.

SEquentem non puto reticendam eſſe hiſtoriam, quam Beatus *Sylvius* quondam in Noſocomiô Lugdunenſi hôc modô enarrabat. Piſtoris cujuſdam filius mirô ingentique cordis pulſû, unde coſtæ etiam extrorſùm propulſæ à naturali figurâ receſſerunt, angebatur. Vocatus cum aliis præſtantiſſimis Medicis etiam N. ad eum, qui dubius admodùm de hôc miſerabili affectu ægrum reliquit. Carpſit quidem aliorum ſententias, ſuam verò non dedit, nec conſilium, nec ullum, quod alii non præſcripſerant, medicamentum ſuppeditavit. Quia autem vehementem hanc cordis palpitationem, quæ ad notabile ſpatium, imò diſtantiam aliquot domuum audiebatur, præceſſerat cardialgia, idcircò ab aliô quôdam emeticum ægrotò exhibitum eſt, unde hoc acceſſit denuò novi mali, ùt præter palpitationem ingentem ſumma ac extrema ipſum quoque premeret reſpirandi difficultas, quæ tanta erat, ùt vix obſervari poſſet pulſus, imò & interdùm planè ad ſenſum abolitus videretur. Quotidiè ipſi & vicini & Medici aderant cum commiſeratione malo huic intenti, exſpectantes inſuper hujus mortem & interitum omni momentô. Medicorum ad ægrum hunc vocatorum decimus fuit *D. Sylvius*, qui judicavit ſcatere corpus juvenis pituitâ viſcidâ ſtabulante, partim in ipſô corde, illudque ità inflante, ùt etiam pulſus percipi nequiret; partim in aliis partibus hærente, halituſque ad cor per venas lacteas mittente. Præcedentem pulſationem, etiam anxietates, à bile acri in pituitam continuò agente & cor mordicante, deduxit. Propinavit primâ vice mixturam aromaticam, carminativam, unde intrà 24. horas magnâ ſui parte remiſſius factum eſt malum. Bis, terve hâc mixturâ iteratâ pilulas Phlegmagogas, quarum formulæ in praxi copioſè exſtant, ordinavit. Harum uſû juvenis ſenſim ſibi aliquid quaſi à corde ad regionem inteſtinorum trahi dixit, brevique cum omnium admiratione priſtinam recuperavit ſanitatem.

Scholium

Palpitationis cordis tanta vis eſt, ſcribente *in lib.* 5. *de partium morb. cap.* 14. *Joh. Fernelio*, ùt ſæpè ſit animadverſa thoracis vicinas coſtas effregiſſe, ſæpè & eas, quæ ſuprà mammam ſunt, de propriâ ſede depuliſſe. Sic *Nicolaus Tulpius lib.* 2. *obſ. Med. cap.*25. tantum cordis impetum refert, ùt verberantis ictus diſtinctè nonnunquam præ foribus conclavis audirentur. Similem validum motum etiam *Chriſtophorus à Vega lib.* 3. *de arte Med. ſect.* 6. *cap.* 8. *Petr. Foreſtus lib.* 17. *obſerv.* 1. *& Bald. Timæus lib.* 2. *Epiſt. Med.* 23. notârunt. In Moniali duas coſtas locô motas vidit noſter *Phil. Hochſtetterus dec.* 9. *obſerv. Med. caſ.* 9. *& Gregor. Horſtius lib.* 3. *obſerv. Med.* 13. coſtas cum ſternô extuberantiam hinc contraxiſſe memorat. Miram cordis palpitationem cum coſtarum fracturâ, quam per annos quinquaginta ſuſtinuit *Philippus Nerius, Florentinus*, uberiùs exponit *Angelus Victorius conſultat. Medic.* 97. quam tamen ſupra naturæ ordinem fuiſſe demonſtrare conatur.

Ibidem Obſervatio 18.

De homine, pro Dæmoniacô habitô, ſapâ vomitoriâ Sylvii curatô, deque rectô Antimonialibus utendi modô.

HOmo quidam robuſtus jam ab aliquot annis graviſſimis affectibus obnoxius erat: omnis generis belluæ inſtar devorabat cibos, nec ſaturabatur. Excrementa cum lotio abſque omni ſenſu ſedens, cubanſque emittebat, delirabat, grunniebat, inſtar porci, nec quicquam loquebatur, niſi valdè mutilatè & abſque ratiociniô. Hunc alii Medici Dæmoniacum cenſuerunt: At ſuperveniens *D. Garliep.* hâc eum reſtituit ratione. Doſin ſapæ vomitoriæ ipſi exhibuit, unde non vomuit, ſed dejecit aliquotiès, ſicque per 14. dies eum quieſcere paſſus eſt: unde nihilô meliùs habuit, ùt adſtantes

ſtantes quoque de ſucceſſu curationis deſperarent, hancque irritam pronunciarent. At *D. Garliep.* perſpectum, exploratum habens, Antimonium non ſtatim allevare, nec ſemel tantùm exhibitum omne opus abſolvere, ſed iteratâ imminutarum doſium in morbis pertinacibus & chronicis exhibitione opus eſſe, exactis illis 14. diebus, iterùm doſin iſtius ſapæ propinavit, unde rurſus abſque ullô vomitu alvum aliquotiès depoſuit. Elapſô iterùm 14. dierum ſpatiô, denuò doſin vomitoriæ ſapæ deglutiendam dedit ægroto, hinc rectiùs quôdam modô habere viſus eſt. Tandem poſt 14. dies quartâ eandem obtulit vice, unde plenè planèque reſtitutus eſt patiens; qui poſteà integrâ ratione ac bonâ valetudine fruens, aliquot liberorum, contractô matrimoniô, Parens factus eſt. Hæc ſatis memorabilia prælaudatus Medicus *D. Sylvio* tranſcripſit, qui reſpondit, eum jam rectè edidiciſſe medicamentorum Antimonialium uſum, ſi noverit idem medicamentum Antimoniale iteratis vicibus imminutâ ſemper doſi exhibere, ſe hâc ratione mirabilia præſtitiſſe, hancque medendi methodum ſibi hactenùs in arcanis fuiſſe, longâ enim ſibi experientiâ compertum eſſe, minori quantitate & ſæpiùs exhibita antimonialia cum admiratione ſe humorum diſpoſitioni accommodare, ſic, ùt expellenda expellantur, alteranda alterentur, roboranda roborentur &c. hocque, quod magis mirandum, unum idemque facere medicamentum. *Dominus Garliep*, qui hâc ſapâ etiam in pueris & infantibus, felici ſemper cum ſucceſſu utitur, ſe parùm attendere retulit, an multùm illa evacuaret, hoc verò ſe ſcire, tantum ejus uſu educi, quantum requiritur, eandemque ſapam pro medicamentorum Antimonialium more jam alvum, jam ventriculum, jam utrumque, jam etiam ſudorem pro humorum diſpoſitione movere, nonque raro hæc tria ſimùl præſtari: Narravit quoque illam primâ vice vomitum, ſecundâ alvum, tertiâ verò aliiſque vicibus ſudores tantùm, vel etiam ſudores & dejectiones ſimul commoviſſe. Ex hâc obſervatione liquet, medicamenta quædam Chymica hoc habere, ùt non unicâ, 2. 3. aut quatuor vicibus uſurpata omnem, quam intendimus, operationem abſolvant, ſed tùm demùm optatô ſucceſſu nos potiri faciunt, quando ſæpiùs iteratiſque vicibus exhibita fuerint. V. G. *Schröderus lib. 3. pag.* 328. de Antimonio diaphoretico memorat, quod *Baſilius Valentinus* illud unô eôdemque die ad gr. XV. vel quinquies exhibuerit, & *Sylvium* quondam non ſemel docuiſſe memini, Antimonii diaphoretici operationem lentam quidem eſſe, ſed ſatis potentem, ſi que quid operari deberet, neceſſe eſſe, ùt aliquoties non tantùm exhiberetur, ſed & in ejuſdem uſu diutiùs perſiſteremus. Sic etiam Mercurium dulcem ritè præparatum, alterniſque diebus in exiguâ quantitate ad tempus aliquod uſurpatum, quem uſum in Chronicis nonnullis morbis præſtet, quis ignorat? Non raro hujus minùtiori doſi exhibiti medicaminis beneficiô abſque ullâ inſequente ſalivatione luem veneream feliciter profligavimus, totumque artificium in quantitatis debitâ imminutione, medicaminiſque certis diebus repetitione conſiſtere, experti ſumus.

Ibid. Decur. II. ann. VIII. Obſervatio 165.

De difficultate abortum vel directè vel indirectè provocandi.

Directè provocare abortum apud Jure-conſultos idem eſt ac ſi dicas: propoſitâ ſibi hâc intentione medicamenta ad eam aſſequendam præbere: Indirectè, eſt porrigere medicamenta ad aliquem morbum ſanandum ab ipſo morbo requiſita, etiamſi ex eorum uſu timeatur abortus, uti ſunt medicamenta ventrem ſolventia, venæ ſectio, &c. Priori modô dicunt, etiamſi proponatur matris ſalus, quæ periclitetur, niſi provocetur abortus, ejus tamen provocationem nunquam licitam eſſe: Indirectè tamen abortum non prohibent, proque matris ſalute cauſam abortiendi dari poſſe aſſerunt, dummodò totis nervis innitamur, ùt præter noſtram fiat intentionem. *Vid. Zacchiæ Quæſt. Med. leg. lib. 6. tit. 1. quæſt. 7. ſ. 16.* Nos neutrô modô hunc finem adeò facilè obtineri, ùt credamus, ſequentibus adducimus hiſtoriis.

I. Undecimus jam, ni fallor, agitur annus, quô ad mulierem quandam, hìc loci benè notam, quæ poſteà relictâ patriâ Brunſwigæ fortunas ſuas conſtituit, accerſebar. Vix ædes mihi intranti obviam facta abdominis intumeſcentiam monſtrabat ita inſignem, ut libertas reſpirandi parùm ipſi concederetur. Erat illa circiter 45. annorum, ſymptomatibuſque hydropi adeſſe ſolitis maximè urgebatur. Manibus aliquatenùs ejus ventrem contrectans comprimenſque fluctuationem aquæ auribus accuratè percipiebam, ſic, ut hancce ægrotam hydrope uterinô laborare nulla mihi eſſet dubitatio. Ad ipſam igitur me accingens curam nihil intermiſi, quod ad morbi radices evellendas rationalis medendi methodus injungit. Cùm verò, remediis licèt præſtantiſſimis, alioquin & probatiſſimis, nihil planè proficerem, oleumque ac operam in curatione omnimodè perderem, tumore interim abdominis notabile incrementum quotidie ſumente, illa clanculum, meque inſciô aliûs Medici operâ utebatur; undè neſcio an hujus inconſtantiæ, an verò motûs peregrini, qualis à fœtu in uterô maternô excitari ſolet; quique vix à ſolâ aquâ in abdomine fluctuante cieri poteſt, cauſâ permotus, ipſâ curatione me abdicavi, ægramque variis aliis occupationibus tùm temporis detentus, novi Medici operâ liberè frui paſſus ſum. Quanquam enim de præſenti hydropis ſpecie ſatis certus eſſem, ſuſpicionem tamen factæ ſimul conceptionis mihi adimere non potui, cùm varia menti occurrerent, quæ idem antehàc in aliis contigiſſe confirmant, recentique adhuc memoriâ tenerem, quæ apud *Hildanum Cent. 2. obſ.* 55. non ità pridem legeram, ubi hydropis uterini in propriâ uxore ſimùl gravidâ obſervati mentionem injicit. Sed, ùt in viam redeam, dictô Medicô nihil non ad curationem hydropis fruſtrà itidem tentante, ab hôc ad Empyricorum, nec perniciem hominum, nec Numinis iram æſtimantem cohortem, tranſiit mulier, certam ſibi ex hominibus, impunè ità in hominum vitam peccantibus, ſalutem promittens, inprimis vetula quædam tùm temporis artis Medicæ peritiam cum plurimorum damnô mentiens conſulebatur, quæ tot purgantibus miſeram ſæpiſſimè excruciabat, ùt mirum eſſet, quâ ratione tot dejectionibus enervata, vitali ampliùs aurâ frui poſſet. Præcipuum ejus remedium erat decoctum ex Radicibus Sambuci & Ireos noſtratis, cujus in operando vehementia nullum Medicorum fugere poterit: Neque eundem effectum aliter ipſa ægrota experiebatur totiès, quotiès hocce catarcticum à vetulâ ipſi propinaretur. Tandem & hiſce nihil proficientibus, cùm ultimâ vice beatus D. Hiſpertus, Superintendens hîc loci quondam religioſiſſimus, preces pro ſalute hujus hydropicæ in templo ad Deum fudiſſet, vix finitis ſacris, templi limina relinquenti plebi rumor obviam ibat non inanis, hydropicam feliciter filiolum enixam eſſe. Quid multis? Puerperæ aquâ, quæ hactenùs in uterô ſtagnave-

ſtagnaverat, ſimul cum lochiis expurgatâ, illa paulatim novas vires recuperans vivit in hunc uſque diem cum filiô ſatis robuſtô, quam ex ſingulari Dei providentiâ tot cacatoria, tot fortiter purgantia, corrumpere non potuerant, bellè & ſanitate fruitur firmiſſimâ.

II. Simile quid affirmare poſſum de nutrice quâdam, cujus operâ utebatur uxor Viri Maximè Reverendi N. antè aliquot annos ad lactandum infantem recens natum; Ex cujus continuô ploratû cùm defectum neceſſarii alimenti pro filiolô mater animadverteret, id quod perpetuis lachrymis hic innuere videbatur, eam iterùm dimiſit. De hâc poſteà compertum eſt, quòd fuerit imprægnata, adque abigendum fœtum ab empyrico vicino fortiora purgantia & expellentia præſcripta aſſumſerit, ſed fruſtraneô adeò effectû, ùt omnibus incaſſùm adhibitis, tandem conſuetô & lege naturæ confirmatô tempore, fœtum ſanum vitali exponeret auræ.

III. Gravidas febre malignâ correptas non ſemper abortionis periculo obnoxias eſſe, uti in multis obſervavi, ſic præ cæteris pluribus exemplis, vel tribus hìc ſaltem meminiſſe lubet. Vidua beati Domini D. Friderici Lachmunds &c. Medici quondam apud noſtrates inſignis, quæ poſt hujus obitum gravida ſuperſtes, febre tum temporis hìc graſſante epidemicâ malignâ cum omnibus liberis ac domeſticis atrociter infeſtabatur, itâ, ùt vix acerbiùs unquam in aliud ſubjectum malignitatis virus deſæviiſſe recorder. Interim ab hôcce truculentiſſimô morbô feliciter liberata aliquot poſt ſeptimanas ſine multis difficultatibus, filiam peperit optimè conſtitutam, cum matre adhuc quoad corporis valetudinem exoptatiſſimam degentem vitam.

IV. Ut taceam, in dyſenteriâ epidemicâ, quâ ante triennium tùm in urbe, tum in totô Epiſcopatu Hildeſienſi plures miſerrimè tentabantur, me non ſemel gravidas vidiſſe, quæ hôcce teterrimô morbô fermè confectæ non tantùm ſingulari Dei beneficiô eundem ſuperârunt, ſed etiam ſuô tempore fœtum robuſtum mundo ſtiterunt; De teneſmô ſaltem addere placet, neque hunc ſemper ad fœtum intempeſtivè excludendum ſatis virium habere. Quale quid quondam obſervavi in honeſtâ quâdam hujus urbis Matronâ, quæ primâ vice fœtum jam tùm ſeptimeſtrem uterô gerens, ulcere inteſtini recti cum ſummis cruciatibus continuôque, fruſtraneô licèt, egerendi conatû corripiebatur. Quanquàm autem atrocia hæc ſymptomata ad aliquot ſeptimanas inſtarent, adque ſanandum ulcus quotidie aliquot clyſmata injicerentur, nihilominùs cum fœtu poſteà & quidem nonô menſe feliciter in lucem editô, ſervata eſt mater.

V. Venæ ſectionem etiam ſexiès, imò octiès in gravidis repetitam non ſemper intuliſſe abortum, uti Hiſtoriæ, quas *Zacutus Luſitanus Prax. admirand. obſ.* 43. 44. & 45. refert, ſufficienter comprobant; itâ memoriâ nondum excidêre ea, quæ circà virginem falsò ſic habitam aliquando hìc loci acciderunt: Illa enim, cùm per aliquot menſes tributum lunare non fuiſſet experta, Medicum, penes quem nulla defloratæ virginitatis ſuſpicio vel propterea erat, quòd non infimô locô natam, anteà ſatis honeſtam vixiſſe vitam ſciret, eò adegit, ùt venæ ſectionem etiam in talô multotiès iteratam admitteret, deobſtruentia calidiora propinaret, pilulas fœtidas præſcriberet, acriora peſſaria & ſuffumigia præſtantiora in uſum vocaret, nihilque eorum prætermitteret, quibus obſtructioni menſium mederi ſolemus. Sed hiſce non obſtantibus, fœtus, cujus præſentiam Medicus ignorabat, in ſuô domiciliô permanebat, nonô demùm menſe egregiâ præditus ſanitate in lucem prodiens.

Quæ hic loci curioſis propoſitæ ſunt hiſtoriæ, quanquàm ejuſdem farinæ paſſim in Medicorum ſcriptis plures inveniri non negem, continent tamen nonnulla ulteriori examine digna. Primò enim quæſtio inſtitui poteſt cur à purgantibus, emmenagogis, venæ ſectionibus, abortus non illatus? cur à memoratis anteà morbis acutis pariter ac doloroſis, è gremiis gravidarum intempeſtivè fœtus non fuerit expulſus? Si quid in cauſâ difficili, quod maximè probabile eſt, afferre licet; ſalvis aliorum hâc de re ſententiis, quoad primam hiſtoriam puto, hydropicam illam, cujus ibi incidit mentio, ſingulari ſpirituum robore præditam fuiſſe; quod ſufficienter plurimæ corporis functiones, quæ ipſi integræ ità erant, ùt ambulare, nonnulliſque negotiis domeſticis liberè præeſſe poſſet, confirmabant; unde veroſimile eſt, ſpiritus tali vigore gaudentes uteri orificium tam arctè contraxiſſe, vel ſaltem ad talem conniventiam diſpoſuiſſe, ùt periculum abortionis, ſi quod à purgantibus extitiſſet, maſculè reprimere potuerit. Notum enim eſt, ante apertionem clauſuræ uterinæ, quæ fundô matricis coarctatô ſubſequitur, nec partum, nec abortum, locum habere. Accedit & hoc, quòd dubiô procul ſpicula medicaminum purgantium, ſi quæ ad generationis aulam penetrârunt, ab ibidem ſtagnante latice obtuſa atque ita immutata fuerint, ùt omnem purgandi vel alterandi efficaciam amiſerint, inermeſque ac ſolitâ activitate orbæ, fœtûs ejectioni nullô modô inſervire potuerint. Prior forſan etiam ratio alicujus valoris eſſe poteſt in ſcortis & vulgaribus proſtibulis, quæ totiès abſque ullo effectu poculis abortivis, ſive ex purgantibus, ſive ex emmenagogis fortioribus concinnatis utuntur; quanquàm de purgantibus dubitari jure queat, an unquam eorumdem qualitas purgans ad loca muliebria, quibus fœtus continetur, pertingat? Anque non potiùs, ſi quid ad abortum ciendum faciunt, illud particulis eorum ſalinis, alkalicis, ſummâ alterandi venarumque orificia reſerandi facultate præditis, vel ſaltem egerendi ab illis inductis fortioribus conatibus, à quibus & ipſa uteri taberna per conſenſum ſuam patitur compreſſionem, adſcribendum ſit? De quâ materiâ hìc loci ulteriorem diſquiſitionem inſtituti ratio non permittit. *Phlebotomiam* quod attinet, non video ullas rationes tam prægnantes, quæ ab illâ moderatè & cum cautelâ adminiſtratâ gravidas neceſſariò abortûs periculum incurrere comprobent; Dico autem notanter, moderatè: Dudùm enim apud Medicos cordatiores in deſuetudinem abiit ille mos, quô non ad uncias, ſed ad aliquot libras, imò ad animi deliquium largiſſimas nectaris vitalis profuſiones, inſtituere ſolebant: Quò forsàn *Hippocrates* reſpexit *Aphor.* 31. *ſect.* 5. affirmans, quòd mulieres uterum ferentes ſectâ venâ abortiant: Hodiè verò tale incommodum à parciori ſanguinis emiſſione non ſemper expectandum eſſe, & recta ratio confirmat & ipſa loquitur experientia. Si enim quid ad intempeſtivam fœtûs excluſionem conferre debet venæ ſectio, hujus effectûs certè eatenùs tantùm cauſa fuerit, quatenùs in pede præprimis inſtituta, pro remediô ſuppreſſionis menſium habetur: At quàm raròexpectationi in tali caſu ſatisfaciat, mecum affirmabunt illi, qui totiès ſine ullô incommodô eam adminiſtratam viderunt: ubi ſimùl non immeritò hocce exoritur dubium, annè, ſi poſt venæ ſectionem hujus vel illius mulieris profluvium menſtruum ſeſe iterùm ſiſtat, talis effectus potiùs ab exhibitis utplurimùm ſimul medicamentis attenuantibus, remoraſque menſium obſtructorum tollentibus, quàm ab ipſâ venæ-

venæ ſectione, derivandus ſit, cujus in gravidis ad abortûs metum inducendum non adeò magnam vim eſſe, vel exindè arguere licet, quòd occaſione imprægnationis ſubſiſtentiumque propterea menſium, ſanguis in ipſorum corporibus tali modô coacervetur, ùt diſpendium modicis ejus emiſſionibus factum, nec matri, nec fœtui adeò inſignem noxam inferre queat. Hinc etiam tantô cum ſucceſſû venæ ſectio ad abortum præcavendum in gravidis præſertim robuſtioribus quotidie adminiſtratur. Quam in rem *vid. obſ. Rar. Clariſſ. D. Stalpart. van der Wiell. cent.* 1. *obſ.* 65. ubi communicatâ hiſtoriâ de muliere quâdam, cui unô eôdemque fœtû gravidæ quadrageſiès ac noviès vena ſciſſa fuit, egregia de hâc materiâ curioſorum oculis exponit, notabilis autem præ cæteris illa eſt obſervatio, quam ex *Zacuti Luſitan. Prax. admir. l. c. obſ.* 144. hiſce verbis recenſet; Mala quædam mulier, juvenis, bilioſa, & gracilis, cùm ſeptimi menſis fœtum in uterô gereret, ob metum abſentis mariti abortum procurat, plurima auxilia parat, aſſumit purgantia valida, applicat utero fortiſſima unguenta, apponit peſſaria violenta, & alia fœtum enecantia medicamenta per os devorat. Demùm omni prorsùs deſtituta auxiliô exactiſſimâ inediâ, incaſsùm tamen, corpus macerat. Tandem quaſi deſperata, viribus licèt invalidis, ad ſaphænæ phlebotomiam deciès & ter celebratam & hirudines in ſede ter applicatas ſe convertit, ſed nunquam voti ſui compos evadere potuit, imò geminos nonô menſe obeſos & ovantes (mirum dictu) edidit in lucem. Imò, ùt hoc ſaltem dictis adjungam, ſi, uti doctiſſimè innuit *Mercklinus in Tract. de Transfuſ. ſang. pag. m.* 48. ille ſanguis potiùs per inflictam venæ plagulam nunquam non prodire videtur, qui reliquum activitate, integritate, motûque ſuperat, nonnè meritò dicendum eſt, relictam in venis maſſam craſſiore quâdam diatheſi imbui, & per conſequens ad ſui proruptionem ex uterô moliendam, ſinè quâ rarò datur abortus, ineptiorem reddi? Quam etiam cauſam ùt hîc eâdem operâ unôque colore duos dealbem parietes, ſubeſſe ſuſpicor, quare in morbis acutis febribuſque malignis tam rarò ſubſequatur immaturi fœtûs excluſio: Lis enim adhuc ſub judicè eſt, an ſanguinis textura in illis rarior, an craſſior & compactior peccet, utrâque ſententiâ ſuos non temnendis rationibus munitos Patronos inveniente: Præſuppoſitô autem in talibus (quæ opinio maximè mihi hactenùs viſa eſt probabilis) ſanguine tenaci, compactiori, paulatim ad majorem coagulationis gradum tendente, quid obſtat, quò minùs conjecturare liceat, eundem ita affectum vix ſatis potentem eſſe, ùt orificia venarum uterinarum perrumpere vel fœtum ad ſui excluſionem cogere poſſit. Ex dictis forſan ratio etiam peti poſſet, quare dyſentericæ gravidæ tam rarò abortiant, quin potiùs nonnullos ſingulare in iiſdem deprehendiſſe robur legitur apud *Heidenreichium Diſſertatione de dyſenter. & Kaldenbach. Diſſ. de abortu ſub umbone Excellentiſſimi viri D. Irenæi Vehr, Præceptoris quondam mei æternùm colendi habit. S.* 39. Sed ad alia.

Secundò de poculorum abortivorum eorumque medicaminum efficaciâ, quæ vulgò ad fœtûs intempeſtivam ejectionem facere creduntur, operæ pretium duco, ùt ſequentia addam. Notum eſt, quotquot eum in finem, ùt pudicitiæ occurratur, quæ ex imprægnatione periclitatur, quod non rarò tum in illis uſû venit, quæ verecundiam (uti P. *Mullerus Diſſ. de jure prægnant. p. m.* 120. loquitur) cum virginitatis dote amiſerunt, virgines tamen adhuc videri volunt; tùm in Maritatis, quæ in longâ virorum abſentiâ, ſe aliis ſubmittunt, quotquot, inquam, talia aſſumunt, tanquam homicidas, ſummô ſuppliciô capiteque ſecundum rigorem juris puniri: Cùm verò in ejuſmodi caſu Jureconſulti ſtent Medicorum judicio, hiſque onus deponendi incumbat, an ſcilicet hoc vel illud pharmacum aſſumtum directè abortum ciere potuerit; Quæſtionem paucis ventilandam mihi ſumo, an nimirùm Medicus, ſi aliquod remedium in eum finem, ùt fœtus abigatur, uſurpatum ſit, infallibiliter ac certò determinare queat, ejus uſui ſubſequentem fœtûs ejectionem aſſignandam eſſe? Certè in re arduâ, ùt liberè, quæ ad veritatem maximè accedere videntur, loquar, propter ſequentes rationes non poſſum adduci, ùt affirmativè ad datam quæſtionem reſpondeam. I. Quia nullum medicamentum hactenùs inventum eſt, quod gravidis propinatum ſemper eundem abortionis effectum ſteterit. Non dè fortioribus purgantibus, reſerantibus, aperitivis, menſes cientibus; Non de oleis deſtillatis juniperi, ſabinæ, ſuccini &c. Non de Croco, Artemiſiâ, Caſtoreo, Myrrhâ, & talibus, quibus ut plurimùm fœtûs enecandi ejiciendique causâ ſceleſtæ ejuſmodi mulieres utuntur certò quis teſtari poterit, nunquam non ex talibus adhibitis abortûs periculum illatum eſſe, id quod ex parte hiſtoriæ ſuprà memoratæ, tùm etiam quæ paſſim apud Auctores Medicos leguntur, ſufficienter probant. Sic *Thom. Bartholin. Ephem. N. C. ann.* 1. *dec.* 1. *obſ.* 52. geminarum gravidarum lue venereâ laborantium mentionem facit, quæ à Chirurgô neſciô eas prægnantes eſſe ope Mercurii curatæ, fœtus ſuos ſalvos ac ſanos poſteà enixæ ſunt. Sic mulierem quandam centum guttas olei deſtillati juniperi per viginti dies omni mane ad menſes provocandos uſurpâſſe, poſteà tamen filiam peperiſſe refert, *D. Joh. Georg. Sommer. Dec.* 2. *ann.* 3. *obſ.* 106. Hinc *Mich. Boudewin. Ventilabr. Med. Theol. part.* 1. *quæſt.* 26. *p. m.* 176. Pro compertô, inquit, habeo, omninò falſum eſſe, per fortia quantùmvìs medicamenta certum fore abortûs periculum, id quod pluribus exemplis expertus ſum, in quibus à ſcurris & nebulonibus nequiter, à Medicis imprudenter, à mulierculis temerariè, efficaciſſima gravidis pharmaca propinari vidi, tàm matre, quàm fœtû illæſis. Et dùm hæc ſcribo, pergit, ſupereſt honeſta Matrona cum puerô ſanô & vigoroſô, cui gravidæ propter horrenda morborum ſymptomata, tùm præſentiſſimum mortis periculum, non matri ſolùm, ſed propter diuturnitatem & vehementiam quoque fœtui imminens, etiam quæ pro abortu dari poſſent, obtuli & adhibui, ùt alterutrum ſalvarem; & ad quod maximè adſpirabam, convaluit uterque, & benè habent. Et *paulò inferiùs,* etiamſi, inquit, talis morbus daretur, cujus adæquatum remedium eſſet fœtûs exſtirpatio, non tamen aſſignabunt in universâ medicinâ medicamentum tale, ad quod neceſſariò & infallibiliter ſequatur abortus &c. Neque eſt, quòd dicas, aliquandô tamen abortionem ex ejuſmodi pharmacis ſubſecutam eſſe; Etiamſi enim hoc ità ſe haberet, non tamen putem adeò rigoroſè in rebus, quæ capitalem reſpiciunt pœnam, procedendum eſſe, ùt ex iis, quæ nonnunquàm fiunt, univerſalem ſemperque veram concluſionem inferamus. Sed (2) ponamus, uſum medicamentorum fœtûs immaturi abigendi gratiâ exhibitorum ipſum excepiſſe abortum, quis tamen audacter aſſeverabit, hunc à dictis pharmacis, non verò ab aliis cauſis concitatum fuiſſe? Quot non quotidie aliæ occurrunt circumſtantiæ, quæ neglectô omni poculorum abortivorum uſû, ſatis potenter ante debitum tempus exitum fœtûs maturare valent? Quantoperè id turbidi animi motus mentiſque ægrotationes præſtent, uti ignotum eſt nemini, ſic egregiè id docet *D. Joh. à Muralto*

Ephem. S. R. J. A. N. C. Dec. 2. *ann.* 1. *obſ.* 100. & ſuprà laudatus D. *Sommer. l. c. ann.* 2. *obſ.* 62. meminit mulieris fœtum quatuor menſium poſt effuſam iram cum inſigni ſanguinis effuſione abortientis. Ipſe novi fœminam hujus loci, quæ ex irâ vel ſepties jam abortum paſſa eſt. Sic Nobiliſſ. *Dolæus Encyclop. Med. lib.* 4. *p. m.* 920. refert, Schaumburgi degere fœminam, quæ ſi fœtus æſtatis tempore non fuerit ſeptimeſtris ab auditô tonitru ſemper abortiatur. Ex ſingultu abortum concitatum eſſe, narrat *Tiling. Ephem. cit. ann.* 2. *Dec.* 1. *obſ.* 62. Sic à ſolâ veſtium arctâ conſtrictione, planchettarumque ſic dictarum uſu, abortum fieri poſſe, aſſerit ſuprà cit. loc. *Dolæus.* Abortûs ex percuſſione gravi lumborum ſupra renes propter ſubſequentem uteri ligamentorum relaxationem facti exemplum vid. ap. *Zacchiam l. c. Tom.* 3. *conſil.* 47. Et ſanè ſi omnes cauſas, quæ citra ſuprà memoratorum medicaminum uſum, hanc calamitatem aliquando induxiſſe obſervatæ ſunt, hìc enumerare vellem, metuendum eſſet, nè prolixitas tædium pareret lectori. Poſitô igitur, fœminam quandam vel ſabinam vel Crocum, vel farinam Muſci terreſtris, vel fortius aliud medicamen ùt fœtum habitaculô ſuô ejiceret, aſſumſiſſe, quô judice ſi abortus poſtmodùm fiat, determinabitur accuratè, culpam omnem uſurpatis medicaminibus, non verò ſuprà dictis & aliis circumſtantiis, quarum forſan ipſa mulier non ampliùs recordatur, imputandam eſſe? Vomitus fortaſſe, qui gravidas non raro in primis menſibus excruciare ſolet, vel ſublevatio ponderoſi cujuſdam oneris, corporis motio vehementior, ſaltatio, excandeſcentia animi, terror, & talia id præſtiterunt, quod innocenti pharmaco præter meritum adſcribitur: Et quid vetat, quominùs credamus, ipſam imaginationem etiam in hôc caſu potenter admodùm operari? Non enim ignoramus, quòd tales mulieres omnes nervos ad infamiam, quæ ex propalatione defloratæ virginitatis exoritur, declinandam intendentes, nihil tam ſedulò ſecum agitent, nihil altiùs meditentur, quàm quô pactô vitam meretriciam celare, àque factâ conceptione liberari queant. Quantam tales cogitationes, imaginationes atque impreſſiones vim in fœtum habeant, nullus Phyſicâ ac Medicâ ſcientiâ imbutus, inficiari poterit, confirmatque dicta *Fortunat. Fidel. Relat. Med. lib.* 2. *p. m.* 216. ubi, inquit, ſola ex medicamentis aſſumtis enata ſpes immaturi fœtûs ad abortum ſatis eſt; In iis ſcilicet, quæ animi paſſionibus facilè valdèque permoventur. Puellam novi florenti ætate, quæ cùm de fœtu ante tempus abjiciendô Medicum conſuleret; hic ùt impium illius inſtitutum falleret, piâ ſimulatione promittit, ſe daturum quidem, quod ſuam expectationem abundè expleret; verùm antidotum ex iis miſcuit, quæ fœtui robur ac firmitudinem adjicerent: Puella tamen, dum illô hauſtô jam tùm pariendi deſideriô vehementer incenſa eſſet, ac certò ſibi, quod falsò promittebatur, eventurum ſperans, tota in hanc curam incumbens non multò poſt elapſum eſſe fœtum ſenſit, ac abortivit. Nam vehemens illa abortûs concipiendi imago & medicamenti vim vicit, & Medici operam eluſit. *Hactenus ille.* Quanquam autem dicta ſe habeant, ac propterea rariſſimè admodùm huic vel illi medicamini aſſumto, neceſſaria abortum cauſandi vis aſſignanda ſit, imò vel propterea pœna homicidii ſummumque ſupplicium vix locum invenire videatur, non tamen hanc litem facio meam, neque falcem in JCtorum meſſem immitto, utpotè qui benè, vel me non monente, ſcient, quouſque illa regula *Benedicti Carpzovii* (*vid. Prax. Criminal. Part.* 1. *Quæſt.* 1. *ſ.* 17.) in delictis animum ac voluntatem attendendam eſſe, non exitum, ſit limitanda.

Scholium.

Non ſine cauſâ ſuſpicatur Doctiſſ. auctor, purgantium facultatem ad loca muliebria non pertingere, quippe quæ propriâ vi nihil quicquam pellunt, nè humores quidem, ſed vel fermentando ſanguinem, vel reſolvendo, fundendoque duntaxàt agunt, minimè verò omnium expellunt fœtum. Quin, ſi quid hìc video, in acutis non vi morbi, multò minùs vi medicamenti cujuſdam draſtici abortiunt mulieres, ſed fractô naturæ robore, & quòd illatâ vi omnes corporis partes ac viſcera fibris ſuis laxantur, ipſe etiam embryo debilitatur, ùt ſuſtinere ſe non poſſit, ſed concidat languens, & in uterô collabatur: indicio eſt, quòd detumeſcit venter, ſi grandior ſit, & ad inferiora totus prolabitur, quod etiam inſtante partû legitimô contingit. Tum verò etiam umbilicalem placentam abrumpit, unde erumpens ſanguis magis laxum orificium internum reddit, ſicque tandem elabitur. Hæc vera cauſa eſt cùr abortus ab his non accidat, quoties in robuſtum corpus incidunt; idemque ſentiendum de venæ ſectione.

Ibid. Obſervatio 166.

De Impraegnationis veritate aſtutiâ nonnumquam detegendâ.

ANſam dant ea, quæ obſerv. anteced. num. 5. recenſui, inquirendi, *an Medicus de impragnatione mulierum ſemper certus eſſe queat?* Quam quæſtionem ventilare vel ideo hìc loci poſſem, quia nullus ignorabit, totiès mulieres clàm in meretricio more viventes Medicorum fores pulſare, remediaque contra prætextam menſium ſuppreſſionem ex iis ſollicitare, ſaltem ùt acquirant, unde fœtus perdatur, præcipuè etiam quoniam, ſi qua in re, certè quoad hanc, ad ambas uſque aures in difficultatum undis hærent Medici, eſtque hic ſcopulus, quem incauti, raro illæſis navibus, prætervehunt. Sed nolo de hâc materiâ novas movere lites, cùm ſatis doctas de eâ ratiocinationes contexerit *Zacchias l. c. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 1. Ubi ſufficienter evictum dedit, plurima ſigna, quæ conceptionem arguere vulgò traduntur, in conjecturis conſiſtere, hancque propterea concluſionem ſubnectit, quòd certa prægnantiæ cognitio ex nullis ſignis indubitatò haberi poſſit, ſed benè conjecturalis & dubia &c. Quæ verba tamen ad priores conceptionis menſes reſtringenda eſſe putem, cùm vix motus fœtûs, abdominiſque intumeſcentia, cæteris paribus, Medici prudentis judicium poſteà eludere queant. Interim quæ ex artis præceptis nonnunquam indagari nequeunt, ſæpiùs ſingulari aſtutiâ ſtratagematibuſque licitis innuiſſe, lepidæ, quæ ſequuntur, comprobant hiſtoriæ. Quintus jam agitur annus, quô Ruſticus cum filiâ viro ſatis aptâ, meas ædes intrabat, obnixè petens, ùt hujus urinâ examinatâ, idoneis medicamentis ipſius morbo ſubvenirem. Relictâ filiâ, in Muſeum intromittens ſolum patrem, cùm ex fallaciſſimô lotiô, uti fieri ſolet, nihil certi determinare poſſem, inſtabam, ùt ad nonnullas quæſtiones reſponderet, ſed irritô valde conatû; Ipſe namque me ex urinâ cuncta meliùs proſpecturum eſſe, quàm ſuis verbis proferre poſſet, regerebat. Neſcio, quomodo factum, quòd, lotiô ſatis naturali apparente, fortè fortunâ de obſtructione menſium facerem mentionem, quô factô ille ſtatim, morbum me benè divinâſſe, aſſerebat; ſed cùm ulteriùs, annè cum ſervô fami-

familiariter filia hactenùs vixiſſet? quærerem, ille me omnia ex lotiô videre putans, ſummoperè meam ex hôc divinandi peritiam admirabatur. Sed ego, heus amice, inquiebam, tua filia eſt gravida, neque aliô morbô, quàm quem ex concubitu cum ſervô contraxit, tenetur; ùtque ſcias, non gratis me de eâ tale quid dicere, ipſius propriam confeſſionem ſuis percipies auribus. Datô igitur campanulæ ſignô ipſam filiam adduci curabam, quam in præſentiâ patris ità alloquebar: quænam, amica, te cauſa movet celandi illud, quod Medicô, datâ ipſi poteſtate inſpiciendi urinam, ignotum ampliùs eſſe nequit? ad quæ verba ſæpiùs ingemiſcentis facies rubore ſuffundebatur inſigni, pulſuſque quem veritatis indagandæ cupidus ſtudiô attingebam, talis fermè erat, qualem in Antiocho, cùm amore uxoris Seleuci captus eſſet, fuiſſe legitur ap. *Speidel. ſpecul. Jurid. Polit. pag. m.* 76. Sed quænam, pergebam, hæc tua eſt audacia, quâ parentes, imò ipſum Medicum eludere conaris? O ſtulta, ſi me tuam prægnantiam complexuſque venereos, quibus ſervo patris tui juncta es, latere voluiſſes, cur tuæ mihi conſpectum conceſſiſti urinæ, quæ talia me ignorare ampliùs non ſinit? Hiſce à me dictis, quanquam ita timidam obſtupefaceret pudor, ùt vix cogitata proloqui poſſet, nihilominùs, ſe neque cum ſervô, neque cum aliô unquam rem habuiſſe, conſtanter negabat. Mihi tùm fortè ad manus erat capſula quædam luſui infantum inſerviens, in quâ teſtudo artificialiter facta ad quemvis levem impulſum caput pedeſque tremulô motû concutiens deliteſcebat. Arreptâ hâc occaſione acriter negandi ejus pertinaciam deteſtabar, addens, ſi ſpontaneam confeſſionem ulteriùs recuſaret, hujus animalculi ope veritatem facilè detectum iri: quod cùm attonitô vultû ſuis oculis ſubjiceret, neſcio quid mali inde ſibi ominans victas dabat manus, defloratamque à ſervô virginitatem ultrô & propriis verbis confitebatur, ſic, ùt eam hôc ſolatiô ex ædibus meis dimitterem: Abi in nomine Domini; ſuppreſſioni tributi lunaris, de quâ anteà conqueſta es, non aliud invenies remedium, quàm patientiam præter propter triginta ſeptimanarum, quô tempore abundanter ſe illud dabit iterùm in conſpectum.

Sic memini antè aliquot annos ancillam quandam Chirurgum hujus loci N. Venæ-ſectionis adminiſtrandæ gratiâ adiiſſe: Ille ſectâ medianâ ſanguinis quantitatem emittit. Tempore pomeridianô ancilla revertens Chirurgo quærit, quid de ſanguine emiſſô ipſi videatur? Hic neſcio quâ ſuſpicione commotus audacter eam uterô gerere aſſerit, multiſque ejus impudentiam increpat verbis, dicens, ſi anteà ejus impprægnatio ſibi fuiſſet nota, nunquam ad venæ-ſectionem hôc in caſu illicitas ſe manus adhibiturum fuiſſe: Quinimò ad majorem verbis fidem conciliandam petit, ùt nulli hominum ancilla de venæ-ſectione inſtitutâ quicquam aperiat, famæ aliàs ſe jacturam inſignem pati poſſe &c. Ad quæ verba illa ſtatim effatur: Bone Deus! eſtne poſſibile, Te Tuique ſimiles ex conſpectu ſanguinis imprægnationem mulieris detegere poſſe? verum eſt, cepit uſuram corporis mei amicus: Tuum erit, ùt erga nullum de hôcce meô ſtatu verba facias, qui ſuô tempore ſufficienter in apricum veniet: Quibus prolatis abiit triſtis, eventuſque uti ex relatione aliorum habeo, teſtimonij locô fuit, ultima verba ab ancillâ non fruſtrà facta eſſe.

Addo & hoc, me utplurimùm, ſi ejuſmodi ſuſpectæ perſonæ ſub prætextu obſtructi menſium fluxûs meum auxilium implorant, neque adeò certa prægnantiæ indicia ſe ſe offerunt, præſcriptis initiô aliquot confortantibus talem vel ſimilem loquendi formulam ſuperaddere: En! amica, quanquam, rationem quare tuis verbis fidem denegem, non habeam, neceſſe tamen judico, ùt ſcias ordinata medicamina, ſi ex verâ præternaturali menſium ſuppreſſione labores, magno uſui tibi futura eſſe. Si verò, de quô tamen dubitare me cogit pudicitiæ tuæ fama, cum virô occubâſti, venereâque voluptate fruita es, te non ignorare velim, pharmaca aliàs ſaluberrima veneni induere naturam, ſatiſque & jam à me conſignata virium habere, ùt in lethalitatis periculum te conjicere queant. Quibus verbis non rarò id effeci, ùt medicamentorum in pharmacopolio præparationem ſtudiô neglexerint, ſatis firmô indiciô, eas non extra omnem læſæ virginitatis ſuſpicionem poſitas eſſe.

Ibid. Obſervatio 167.

De veritate hiſtoriæ, quæ de Cultrivorô Pruſſiacô proſtat.

Rectiſſimè *Anton. le Grand Apolog. contra Parkerum nuper in lucem edit. cap.* 3. Cognitionis, inquit, penitùs expers eſt, imò nequaquam noſſe quis dicendus eſt, qui priùs non dubitaverit: Hinc cum celeberrimo *Carteſio* ſaniores Philoſophi omnem veritatis à dubitatione incipiunt inquiſitionem, imò ipſi Ariſtoteli hancce dubitandi rationem arriſiſſe, adque probè judicandum utilem ac neceſſariam viſam eſſe, laudatus *le Grand, l. c.* pluribus oſtendit. Uti autem cum ipſô per philoſophicam dubitationem nihil aliud intelligo, quàm univerſalem quandam eorum omnium, quæ infantiæ & juventutis tempore judicavimus, ad examen revocationem, ùt, quæ rectæ rationi conſona ſunt, reſumantur, & adverſa ablegentur; ſic deteſtamur meritò illos, qui, cùm Scepticis, omnibus rebus, quanquam benè & accuratè perceptis, omnem omninò fidem omnemque aſſenſum denegandum eſſe ſuſtinent. Eandem de dubitatione ſententiam, cùm olim beatum *D. Cranerium* nobilioris Philoſophiæ in Academiâ Lugdunenſi antiſtitem ſolertiſſimum foviſſe, publicèque tum privatim diſcipulis ſuis, quibus & ego olim annumerari potui, diligenter inculcâſſe recorder; Maxima tamen me tenuit admiratio, quare vir illuſtris Hiſtoriam de Cultrivoro Boruſſienſi, tot documentis atque indiciis hactenùs verificatam, tanquam futilem, fictam, ac falſiſſimam explodere ſategerit. Annô 1672. ipſe doctiſſimum alioquin virum publicè in Cathedrâ contra veritatem hujus hiſtoriæ diſputantem audivi, quæque tum temporis ore tenùs profitebatur in *Tract. Medico-Phyſiolog. de Hom.* hôc ipſô annô, qui lucem primùm vidit, confirmata deprehendi. Imò prodiit Anonymi cujuſdam ſub Titulo *Oeconomiæ Animalis annô* 1685. *Goudæ* impreſſus libellus, in quo ad *quæſt.* 31. *part.* 1. Quid de Cultrivorô Pruſſiacô ſit ſentiendum, ſequentibus verbis reſpondetur: Extat, inquit citatus Autor, libellus Medici cujuſdam de ruſticô Pruſſiacô, qui cultrum ſpithamæ longitudinis devorâſſe dicitur: Poſtmodùm ventriculo inflictum fuit vulnus & culter ope Emplaſtri Magnetici extractus eſt, quô factô, vulnere curatô, illum multos poſt annos ſupervixiſſe dicunt: Sed nos putamus iſtam hiſtoriam eſſe impoſſibilem & omninò falſam &c. Quanquam verò ipſum Cultrivorum *D. Menzelius*, uti Ephem. A. N. C. Dec. 2. ann. 5. obſ. 1. refert, anno 1646. adhuc ſuperſtitem ſuis oculis viderit, ùt tamen poſt ejus obitum omnis ſcrupulus de veritate hujus hiſtoriæ ejuſmodi incredulis adimatur, ſiſto teſtimonium publicum, quod Chartæ Pergamenæ inſcriptum, ſolitôque Se-

natûs Regiomontani ſigillô ſubſignatum, ex donatione condiſcipuli quondam mei Domini Davidis Schlemüller, Filii Superintendentis ibidem Regiomontani, in meâ jam eſt poteſtate, quodque, uti cuilibet id deſideranti, legendum in originali poſſum offerre.

Sed cùm etiam ratiunculis nonnullis Auctor anonymus veritatem hujus hiſtoriæ dubiam ac ſuſpectam reddere conetur, paucis earumdem valorem ac pondus luſtrandi animus eſt. *Primò* igitur obſtare, inquit, conſtructionem oris anatomiçam, proindeque cultrum tam longum, rigidum, & cedere neſcium, per palati foramen & œſophagum haud pervenire, multò minùs ipſum ventriculum intrare potuiſſe. Reſpondeo verò, niſi alia exempla obvia eſſent, quæ talia & ſimilia peregrina ſæpiùs innoxiè deglutita eſſe teſtarentur, forſan hancce inſtantiam alicujus momenti videri poſſe. Extant autem illa in tantâ copiâ ùt lectori tædioſus forem ſi in ſingulis enarrandis operam collocarem. Cui placet, ipſos adeat Auctores, præprimis verò *Olaum Worm. lib. 6. Muſ. ſui cap. 9.* 9. *Schenck. obſ. Med. lib. 2. pag.* 232. *& ſeq. Cornel. Stalpar. van der Wiel. Cent.* 1. *obſ.* 21. 22. *&* 23. *Blancardi Collectan. Med. Phyſ. cent.* 1. *obſ.* 31. *Hellwig. obſ.* 62. *Sennert. lib.* 3. *Prax. ſect.* 1. *Part.* 2. *cap.* 3. *Marcell. Donat. lib.* 3. *c.* 7. *&* 8. Quibus aliquot ab hinc annis quod in patriâ urbe contigit, annectere jubet: Libripendis cujuſdam filiolus 4. circitèr annorum cum ſuæ ætatis aliis pueris colludens fortè laminam plumbeam, cujus longitudo trium pollicum latitudinem, ipſa verò laminæ latitudo acûs orichalceæ mediocris longitudinem præter propter æquabat, non ſine anxietate ſudoriſque frigidi eruptione deglutierat, quæ tamen ſymptomata, cùm in ipſum lamina ventriculum irrepſiſſet, ſubitò remittebant. Parentes anxii de tantô filioli infortuniô me in conſilium vocabant: Ego oleum amygdalorum dulcium cum ſacchari penidii tantillô permixtum diligenter lambendum injunxi; quô factô quintâ demùm inſequente luce, uti inter ludendum ſuperius guttur intrârat; ſic ex inferiori dum infans in hypocauſto luſui operam daret, feliciter iterùm procedit. Certè ſi tale quid in hâc tenerâ ætate contingere potuit, quis negaret cultrum à dictô ruſticô, cujus organa deglutitioni inſervientia robuſtiora ac majora dubiô procul fuerunt, deglutiri potuiſſe? Neque ſatisfacit curioſis animis, quod Auctor innominatus prætexat cultrum rigidum & cedere neſcium fuiſſe: ſufficit enim partes deglutitioni dicatas, ipſumque œſophagum ejuſmodi gaudere ſtructurâ, quâ cedere ac ad miraculum uſque dilatari queant: Cui aſſerto robur addit obſervatio Curioſiſſimi Domini *Paullini*, quam *Append. ad Dec.* 2. *An.* 5. *Obſ.* 54. de morione quôdam, qui ovum gallinaceum integrum deglutitione infelici ventriculo immiſerat, ſiſtit. Ad *ſecundam* objectionem, quâ omnia vulnera ventriculi eſſe lethalia juxta Hippocratem aſſerit, reſpondetur; quanquam à doctiſſimis textûs Hippocratici Commentatoribus jamdudum annotatum ſit eum non ſimpliciter & abſolutè talia aſſerta *pro veris* hominibus obtuliſſe, ſed plerumque illud, *ut plurimum* ſubintellexiſſe, & in tali ſenſu de lethalitate vulnerum ſtomachicorum cum ipſô facere cogamur: Docuit tamen experientia non ſemel ventriculi punctim vel cæſim factas læſiones feliciter ſanatas eſſe. Talium obſervationum integrum ferè catalogum ſiſtit ſupra laudatus *van der Wiel. Cent.* 1. *obſ.* 39. *& Sennert. l. c. lib.* 3. *par.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 16. Quibus illa adde, quæ *Menzelius* l. c. ex relatione Sereniſſ. Electoris Brandenburgici de fure quôdam memorat, qui venabulô, in dextrô abdominis latere prope hepar, tranſverſim latô vulnere ſauciabatur; poſteà fugâ nemus petens graminibus & muſcô vulnus obſtruit, quô poſteâ in callum abeunte alimenta ex eôdem exprimere potuit, ita ùt dictus fur lucri causâ ſpectaculum fieret vulgi. Sed nè in re ſatis notâ ac perſpicuâ nimis diu morer, ad Tertiam ultimamque innominati Auctoris inſtantiam ſaltum facio, quâ Magnetem in pollinem redactum, & pinguedini admixtum, non ampliùs vim attrahendi ferrum poſſidere, curationemque memoratam propterea impoſſibilem ac falſitatis ſuſpectam eſſe iterum concludit. Sed reſpondeo, quoad Magnetis pulveriſati, emplaſtriſque vel aliis pinguioribus inviſcati, operationem fruſtraneam me innominati Auctoris ſententiæ quidem accedere: Etiamſi enim *D. Daniel Beccherus in deſcript. Cultrivori Puſſiaci cap.* 7. magnoperè contrarium probare annitatur, obſtat tamen recta ratio, ipſaque experientia ejuſmodi emplaſtra magnetica nihil in receſſu habere ſufficienter evincit: Propter pororum enim contuſionem vim ferrum attrahendi neceſſariò amittere magnetem, rectiſſimè *B. Ettmüllerus in dilucid. Schrod. p. m.* 26. docet. Id quod hiſce verbis *Stephanus Blancardus*, amicus mihi præ multis charus, *inſtit. Med. Cartes. cap.* 26. pag. 32. confirmat. *Maar het is een ſotte klap, dat men de geſtoote Magneet mengt onder de Pleiſters die men ſegt te ſullen trekken. Ik ſeg, het is een raſerrcie: Want de Magneet onder zoo veel oliagtige en haarts agtige deelt jes als in banden geboeït engesloten, heeft de minſte ruimte niet om te trekken; Want ſot de trekkinge van de Magneet behoort een ruime lugt en plaats. Ten andern, als de Magneet gebryſelt is, verlieſt hy de trekkende Kragt, altans ik hebſenoyt beſpeurt.* Sed conceſſis hiſce ambabus manibus, non tamen indè hiſtoriæ veritas annihilatur: Quid enim obſtat, quominùs, etiamſi additus magnes pulveriſatus parùm ad deſideratum ſcopum collimârit, cætera adhibita medicamenta in Cultrivori conſervationem oppidò conſpirârint, exoptatumque virium poſſederint valorem? Quis inficiabitur, uti olim, ſic adhuc hodiè multos errore hôcce communi duci, dum formulis medicamentorum ſæpe talia inſerunt, quæ vix alicujus efficaciæ ſunt, parùmque morbi centrum penetrant, aliis interim eidem formulæ additis ex aſſe deſiderio atque expectationi ſatisfacientibus, cùm tamen non pluralitas, ſed bonitas remediorum in morbis reſpicienda veniat, quæ Medicum verâ celebritate ac felicitatis famâ unicè exornat. Sed de his plura addere inſtituti non permittit ratio, eòque faciliùs hôc labore ſuperſedeo, quô ſæpiùs à conſummatiſſimis viris talia monita prodiiſſe recordor.

Ibid. Obſerv. 168.

De febre malignâ uſu ſpiritûs vini curatâ.

Reverendus Dominus N. quem propter ſingularem candorem, eximiamque, quam præ ſe fert, probitatem, charum ſemper habui, à multis annis tantô vini aduſti amore flagraverat, ùt dies non daretur quô non cupiditas inſignem liquoris hujus quantitatem aſſumendi ipſum ſollicitaret. Incidebat hic, præteritô annô, in febrem malignam, deliriô graviſſimô, ſiti inexplebili, anxietatibus, tamque periculoſis ſymptomatibus ſtipatam, ùt non ſine vitæ periculô decumbere videretur. Morbô interim in dies aggraveſcente, cunctiſque medicaminibus ſine fructu adhibitis horum ulteriorem uſum reſpuebat, ſolumque ſpiritum vini anxiè expetebat ægrotus. Quid fit? Propinquorum nonnulli ad me confu-

confugientes quærebant, an ſalvâ conſcientiâ ægroto hoc potûs genus concedere poſſem? Anne ipſi ex ejus uſu multùm periculi futurum foret? Non abs re, fateor, initiô hæſitabam, benè mecum perpendens ingratiſſimæ plebis indolem, quæ, ut Excellentiſſimus *D. Schrockius Schol. in Hellwig. obſ.* 19. egregiè innuit, ut plurimùm culpam mortis innocenti ſoſpitatori imputat, quam vel morbi truculentiæ vel ægroti intemperantiæ acceptam referre deberet: Spretis interim talibus inſtantiis, hâc vice rationum momentis adducebar, ùt illi, cujus res jam ad extremum deducta videbatur, aliquot dicti liquoris ſpirituoſi cochlearia abſorbenda offerrem, ſed hic poſt meum diſceſſum tam exiguâ doſi non contentus, precibus ex vetulâ quâdam adſtante majorem quantitatem extorſerat, idque impetraverat, ùt ægroti manibus vitrum decem circiter unciis ſpiritûs vini repletum committeret. Morbi atrocitate ſummè debilitatur æger, in exſiccandô hôcce vitrô nullô modô languidus viſus eſt, quin potiùs omnem calidiſſimi potûs quantitatem perpetuô ſpiritu hauſit, membriſque vi morbi enervatis infudit. Sic autem refecto miſſa ad caput æſtuantis potionis caligo ſomni cupiditatem fecit, effecitque, ùt blandô undiquaquè propullulante ſudore, ille, qui per aliquot dies nullam nec noctis nec diei partem requieverat, jam minimè gravem ſomnum caperet. Ad primam auroram ſubſequentis diei, cùm illum reviſerem, ſuprà memorata ſymptomata maximam partem evanuerant: Pulſus erat quidem debilis, non tamen, ut anteà, frequenti ſuô inſultu febris malignitatem indicans: animus erat pacatior & qui præcedenti die omnes ſtultos, ſtolidos ac fatuos ridiculis geſticulationibus, mentiſque alienatione antecellere videbatur, jam ad omnia prudenter & diſtinctè reſpondebat: Utque epilogum hujus morbi pauciſſimis expediam verbis, ægroto ſpes reſtitutionis non affulgebat inanis; tale namque vires incrementum iterùm capiebant, ùt poſt quatuor vel quinque dies officio ſuo præeſſe, atque in hanc uſque lucem firmiſſimâ ſanitate frui potuerit.

Non immeritò hâc occaſione quæritur, *an uſus vini ejuſque ſpiritus in febribus ardentibus ac malignis concedendus ſit interdùm?* De vinô res in apricô eſt, obſervationeſque ac rationum pondera paſſim à doctiſſimis hujus ſæculi luminibus tradita ſatis evicerunt, quàm ſalutare in hiſce morbis modicè ſumtum nonnunquam exiſtat, quæ opinio tam doctè à doctis demonſtrata meam hic loci non deſiderat declarationem. Interim, qui vult, videat, *Ephem. A. N. C. Dec.* 2. *Ann.* 6. *obſ.* 95. *& Ann.* 4. *obſ.* 169. *Waldſchmid. Epiſtol.* 3. *ad Dolæum p.* 94. 95. *Lang. miſcell. Med. pag.* 38. *Sachſium Ampelograp. pag.* 277. *Ettmull. comment. Ludovic. pag.* 233. *& ejuſd. Pyrotechn. Rat. p.* 108. *Laur. Donekers. de febr. Petechial. p.* 405. & alios. De ſpiritu verò res videtur intricatior, plurimiſque vel ideò difficultatibus implicita, quoniam tùm ratione dicti ſpiritûs, tum ratione febrium malignarum plurimi in contrarias eunt ſententias, aliis illius efficaciam ex acidâ, aliis ex volatili alkalicâ proſapiâ derivantibus. Simili modô febrium malignarum eſſentiam quoſdam à ſanguinis nimiâ rarefactione, ebullitione & orgaſmô, alios verò præprimis Neotericorum nonnullos eandem ab illô quôdam modô coagulatô juſtôque compactiori deducere quis neſcit? Quæ contrariæ opiniones animos non poſſunt non in diverſas trahere partes, & proùt cuique ſua eſt ſententia, ſic etiam hic in febribus malignis ſpiritum vini nocivum exclamabit, cenſebitque eum, qui tali morbô laborans illô fruitur, incendij remedium è flammâ petere: Ille contrà ejus uſum tolerabilem judicabit, quatenùs ſcilicèt volatili ſuâ virtute ſanguinem ad priſtinum fluorem revocare queat. Sed defendat, quod quiſque ſentit: Me quod attinet, liberô judiciô utor nullâ ejuſmodi adſtrictus neceſſitate, ùt, velim nolim, ſit certa quædam tuenda ſententia. Non auctoritate, ſed rationibus moveor, quod *Cicero lib.* 1. *de Nat. Deor. p. m.* 7. elegantiſſimis hiſce verbis inculcâſſe videtur: » Obeſt, inquit, plerumque iis qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur: Deſinunt enim judicium ſuum adhibere, idque habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec verò probare ſoleo id, quod de Pythagoricis accepimus; quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex iis quæreretur, quare ità eſſet? reſpondere ſolitos: *Ipſe dixit.* Ipſe autem erat Pythagoras. Tantùm opinio præjudicata poterat, & etiam ſine ratione valeret auctoritas. » *Hactenùs ille.* Non igitur detrahens judiciis aliorum integritatis famam: ſequentibus rationibus convincor, ùt poſteriori ſubſcribam ſententiæ, validèque probabile putem, ſpiritum vini modicè ſumtum nonnunquam in febribus ardentibus & malignis præſtans eſſe remedium. Nam I. inſigni pollet virtute diaphoreticâ, ſudoreſque egregiè movet: Quantùm autem ſudorifera in talibus morbis valeant, ſi hìc loci prolixiùs declarare vellem, totiès actum agerem, inque ſylvam, ut aiunt, ligna ferrem, cùm neminem in Medicorum ſcriptis tam peregrinum hoſpitem eſſe cenſeam, qui non facilè omnes hactenùs idem docuiſſe animadvertat. Hinc etiam vir judicioſiſſimus *J. Dolæus*, Collega honorandus *Encyclop. Med. lib.* 4. *p.* 770. quanquam ſudorifera calidiora in febribus malignis fugienda eſſe putet, fatetur tamen, ea, ſi quid juvent, diaphoreſeos beneficiô id præſtare, quatenùs ſcilicet particulæ acriores ſanguinem vitiantes ac moleſtantes diſſlentur & eliminentur. II. Quis eſt, qui in ſpiritu vini inſignem non deprehendat vim diſſolventem, quâ non tantùm humores in coagulum abeuntes à mutuâ nimiſque arctâ particularum ſuarum cohæſione liberare, ſed etiam obſtructiones paſſim in mæandris ſubtilibuſque meatuum anguſtiis occurrentes potenter reſerare poteſt? ſivè jam quoad febres malignas priori opinioni cum *Blancardo*, *Overcampio*, *Waldſchmidio*, aliiſque calculum addas; ſivè cum *Henrico Screta*, virô in arte Medicâ citra ſupercilium eruditô, obſtructiones pro cauſa radicali dictarum febrium agnoſcas, utrique indicationi ſpiritus vini maſculè ſatisfaciet: Quæ ſanè, nè gratis dixiſſe videar, quid aliud eſt ſanguis, quàm humor ſeroſo- gelatinoſus, qui facillimô negotiô ob contractam vel ex alimentis, vel etiam ex aëre præſertim frigidiori, particulis acidis ſupra modum impræ gnatô, dyſcraſiam acidam naturali fluore privatur, adque concreſcendi promptitudinem, prout cauſa condenſans intenſiùs operatur, magis vel minùs inclinat? Ejuſdem ſcilicèt conditionis videtur ſanguis cum ſuccis partium animalium gelatinoſis, qui longè glutinoſiores cum acidô quôdam liquore, e. g. ſuccô citri, berberis &c. parati obſervantur, quàm ſi abſque illis eorundem inſtituatur præparatio. Affunde autem ejuſmodi gelatinæ e. g. carnis vitulinæ, (uti nuper animi relaxandi gratiâ experimentum hocce feliciter tentavi) ſpiritum vini, & videbis in momentô ejus compagem conſtrictiorem ita diſſolvi, ùt fermè aquæ limpidæ conſiſtentiam præ ſe ferat. Quòd ſi idem experimentum aquâ fontanâ, vel aliâ minùs ſpirituoſâ aggrediaris, incaſſùm laborabis, vixque eum, quem anteà à dictô liquore vivente impetrabas, obſervabis effectum. In quô experimentô & hoc phænomenon notatû dignum judico,

judico, quòd dicta gelatina ſoluta præterlapſis aliquot horis, avolantibus ſcilicèt paulatim ejus particulis ſpirituoſis, volatilibus, magiſque activis in auras, remanenteque ſolò aquæ vitæ phlegmate iterùm priſtinam recuperet ſpiſſitudinem: Quod dubiô procul exindè oritur, quia ſpiritus ſuâ activitate anteà humoris glutinoſi particulas ramoſas magis magiſque ità extricabant, ùt ſe invicem arctè implicare non poſſent; poſteà verò, ſubſequente illorum per exhalationem jacturâ, hæ magis ſui juris factæ, ſine impedimento priſtinum concreſcendi negotium ſubeunt. Unde ſanè conſtat, quicquid ſpiritus ille flammeus, ad ſolutionem ſpiſſioris ſanguinis, in febribus confert, id non aquoſis ſed ſpirituoſis ejus particulis attribuendum eſſe. Sed regerit quiſpiam, dicta falſæ inniti hypotheſi, quâ nimirùm eſſentia febrium malignarum ex ſanguine compactiori, adque coagulationem tendente eruitur, minùſque firmô vel ideò ſtare talô; Cùm viri doctiſſimi hactenùs nimiam ſanguinis rarefactionem, ebullitionem, efferveſcentiam &c. in memoratô morbô haud temnendis ſuffulti rationibus accuſârint. Fateor autem, quanquam eruditiſſimè omnia ſe habeant, quæ hunc in finem ab ingenioſis viris publicè prodierunt, eſſe tamen plurima, cur meam de ſtatu ſanguinis craſſiori in febribus malignis opinionem deſerere nequeam, quæ ſanè à ſuprà memoratis Neotericis tam acutè demonſtrata ſunt, ùt veritate coactus aſſenſum ipſis denegare hactenùs non potuerim. Et, poſitô maſſam ſanguinis in talibus morbis à fermentô quôdam urinoſô, lixiviô alcalicô, vel quô nomine etiam illud indigitare velis, ad ſummam ebullitionem, ac rarefactionem diſponi, Nonne ejuſdem coagulatio, tanquam epilogus hujus tragœdiæ ſemper ſubſequitur? quæ certè, quò majus imminet periculum, quòque mors propiùs ante fores ægroti, eò intentior in oculos quaſi incurrit. Hinc eſt, quòd ipſe *Williſius,* acerrimus aliàs dictæ ebullitionis ac rarefactionis in malignis defenſor, *Tract. de Febr. cap.* 12. huic ſententiæ quôdam modô ſubſcribere cogatur, dum ſanguinis coagulationem, vel ultrò, hiſce admittit verbis: Particulæ, inquit, craſſiores ſe mutuò implicant, & inſtar lactis ab infuſô coagulô, aut ſpontaneâ aceſcentiâ invicem coagulantur: Hinc cruor in vaſis grumeſcit, ùt minùs promptè in iis circuletur. Hujus portiones coagulatæ interiùs in cordis ſinum delatæ illicò ſtagnare aptæ ſunt, adeòque crebras ſyncopes, lipothymias, pariunt; Exteriùs verò adductæ, & inter circulandum in cute defixæ, modò uberiùs congeſtæ, per totum habitum nigredinis ſuffuſionem inducunt, modò parciùs diſperſæ maculas tantùm, aut vibicum inſtar ſtigmata purpurea cæteraque malignitatis phænomena efficiunt &c. Et *l. c. cap.* 19. expreſſis verbis concludit, malignitatis rationem in coagulatione, putredine ſanguinis & humorum conſiſtere. Suffragatur quoque huic ſententiæ Chilonenſium illud decus, *D. Daniel Major*, qui *Chirurg. Infuſ. p. m.* 10. quæſtioni, quare multi ægrorum ſuperatâ quantumvis criſi unâ aut alterâ, nonnunquam, opinione celeriùs, fatô ſuô rapiantur, & prope portum ſalutis naufragium vitæ faciant? doctiſſimè ſatisfaciens, non obſcurè id, quod volo, ediſſerit: Cauſa enim, inquit, hujus rei videtur derivanda à viſciditate ſanguinis, quam is contraxit à miaſmate maligno, utpotè quod brevi temporis ſpatiô, eum ſic diſponere ac alterare poteſt, ùt fiat ſeroſi laticis à fibroſis partibus ſecretio, factâque imprimis ſpirituum per prægreſſas quaſdam efferveſcentias, & æſtum febrilem deflagratione, modò dictus ſanguis in venarum & arteriarum primùm capillaribus, inde majoribus etiam, ac tandem maximis concreſcat, inſtar gelatinæ moveri inæqualiter admodùm & cum languore inchoet, uſque dum pulſus planè deficiat. &c. Poſitô igitur initiô febrium malignarum ſpiritum vini majores in ſanguine turbas ciere, cur tamen progreſsû temporis eôdem ad nocivam illam plurimiſque lethalem coagulationem & grumeſcentiam tendente ad ejuſmodi remedium ſummâ reſolvendi vi præditum recurrere non liceat, haud video. III. Quid hypnotica & opiata, quæ à Deo omnipotente in plurimarum miſeriarum ſolamen maximè conceſſa videntur, in febribus malignis præſtent, omnibus notum eſt. Reſpectû igitur virtutis anodynæ, quô pollet ſpiritus vini modicè ac medicè uſurpatus, non poteſt non prodeſſe, quem effectum etiam in ægroto, de quo hiſtoria conſcripta eſt, feliciſſimè præſtitit, qui abſorptâ dicti ſpiritûs vini quantitate circa veſperam ſopore non adeò inquietô opprimebatur, quô alterô manè excuſſô ſpes recuperandæ ſanitatis non fruſtranea affulgebat. IV. Si ea, quæ fermenti maligni mordacitatem acrimoniamque penitùs demunt, vel, ut cum laudato *D. Screta* (*vid. de Febr. Caſtrenſ. malign. ſect.* 3. *cap.* 1. *ſ.* 11.) loquar, quæ acidum volatile, corrodens, efferum, ſulphureum ſeu realgarinum ſal invertunt, infringunt, temperant, &c. maximum ad curationem febrium malignarum conferunt ſymbolum, certè & ſua ſpiritui vini laus manebit, utpotè dictas virtutes egregiè poſſidenti: Id quod ſufficienter comprobant experimenta illa cuilibet etiam Pharmacopolæ nota, quibus additione hujus liquoris ſpiritûs acidi & fermè cauſtici ità dulcificantur ac edomantur, ùt innoxiè & cum fructu interdùm propinari queant. V. Neque aliter judicare poſſumus, dùm abjecta omni præconceptâ opinione, comparationem aliorum morborum cum febribus malignis inſtituimus, accuratiùſque ſymptomaticarum præcipuè febrium cum his affinitatem ponderamus. Sic e. g. quotiès febres eryſipelatoſas ejuſmodi ſpirituoſis radicitùs extirpatas, imò ipſam partem eryſipelate affectam ſolò vel ſimplici, vel camphoratô vini ſpiritû illitam ſubitò vidi ſanatam? Idem de Pleuritide aſſerere poſſum, affricatô ſcil. lateri affectô ſpiritû vini non raro ſine adhibitione aliorum medicaminum cunctos dolores punctorios citò evanuiſſe. Sic inflammationes faucium anginoſas, cum febre continuâ, ſoli gargariſmati ex ſpiritu vini concinnato victas ſæpè dediſſe manus recordor, quod remedii genus etiam tantoperè à *Frider. Decker. Exerc. Med. Pract. p. m.* 109. deprædicatur, imò *Joh. Walæus method. Med. p.* 112. ſcribit, in anginâ omniſque gutturis inflammationis initiô gargariſma ex ſolô ſpiritu vini confectum dictos affectus intra trium horarum ſpatium curare. Quòd autem in his morbis humorum lentorem potenter ità reſolvere deprehenditur, ùt reſtitutô ſanguini priſtinô fluore ſanitate quoque ægrotus gaudeat priſtinâ; quô jure idem effectus in febribus malignis ei denegari queat, non capio: ùtque VI. & hoc addam, cui plebeium illud ignotum eſt Euporiſton, quô ſæpiùs deſperatas febrium intermittentium contumacias tollunt, earumque radices funditùs evellunt, aſſumendo ſcil. aliquot vicibus modicum Piperis longi, cum inſigni quantitate ſpiritûs vini Rhenani, corpuſque ad ſudorem componendo: Quô factô, plurimos ſanitatem, quam tot ſuſpiriis anteà exoptabant, feliciter recuperâſſe non ſemel teſtis αὐτόπτης fui. Jam verò ſi fides adhibenda Domino *Sydenham* Anglo, ac Medico multis numeris abſoluto (uti certè in pluribus fidem vir egregius meretur,) ſi, inquam, omnes febres ſunt intermittentes, continuæque, non aliô reſpectû ita vocari debent, quàm quatenùs in his paroxyſmorum

paroxyſmorum alter alterum tam celeriter inſequitur, ùt ſenſibus noſtris diſtinguere novos inſultus non liceat, ſequetur neceſſariò, quoad cauſam proximam eas utplurimùm convenire, omneque diſcrimen in intenſiori, aut remiſſiori operationis gradu poſitum eſſe: ſi hoc; quare non æquè continuis ſic dictis ac intermittentibus ſpiritus vini medelæ locô adhiberi queat, non video. VII. ùt ſilentio prætercam inſignem ſpiritûs vini efficaciam, quâ corpora à corruptione ac putredine tuetur, (ſæpiùs namque canes, aliaque bruta in hoc liquore per aliquot annos integra atque omni libera putredine ſervavi) ſi teſtimoniis aliorum pugnare fas eſt, non omni eorumdem aſſenſû deſtitui videtur hæc opinio. Sic in beati *D. Weſenfeldii*, Profeſſoris quondam Franco-furtani ac ſeduli rerum naturalium ruſpatoris, Manuſcriptis, quæ emptionis jure in meâ ſunt poteſtate, alicubi ſequentia verba ſedulò innotata invenio: ſpiritus vini ſimpliciſſimus abſque oleo fieri poteſt ſimplici artificiô: ſecundum Sylvium nihil aliud, quàm lentiſſima in blandô igne deſtillatio requiritur, ùt ſpiritus abſque ſtriis tranſcendat. Talem uſurpat D. *Göttwald* in acutiſſimis affectibus non abſque fructu, & hoc ex eô fundamentô Sylvianô; quòd pura volatilia temperent utrumque acre. Sic B. Dominus *Sachſius Ampelogr. ſect. 7. cap. 2. p. m. 499. cum Fonſecâ* in febre malignâ ſpiritum vini remedium præſtantiſſimum eſſe annuit. Hinc eſt, quòd moderni Bataviæ Medici in dictô morbô ſpiritus e. g. Lil. Convall. Roſar. Meliſſ. & hujus farinæ alios, non ad guttas, ſed ad aliquot uncias cum ſucceſſu ægrotis præſcribant; uti paſſim in eorum ſcriptis, id quilibet ſuis luſtrare poterit oculis. Hinc eſt, quòd trium ille quondam Imperatorum Medicus *Crato* Aquam vitæ compoſitam, *conſil.* 275. deſcriptam, in ipsâ peſte medicamentum regium vocet. Hinc Nobil. *Screta l. c. p.* 288. camphoram ſubtiliſſimô ſpiritû vini ſolutam, ac crocum eôdem vinô ſublimatô extractum, abſque ullô ſanitatis detrimentô, in morbis hiſce acutis, etiam criſeos tempore, inter commixta, integris cochlearibus exhiberi poſſe fatetur. Quem denique latent tot Aquæ vitæ ſic dictæ, quæ in febribus epidemicis ſummô cum fructu præſervationis ergò parari ſolent? Quid autem aliud eſt, præſervare hominem ab inſultu febris malignæ, quàm conſervare ejus humores in debitâ craſi decentique fluore ac motu? Quòd ſi præſtat ex parte ſpiritûs vini, quare, ſi à cauſâ aliquâ peregrinâ humorum craſis invertatur, idem remedij munus obire nequeat, mente vix comprehendo. Sed inſtat aliquis, quòd & illi, quorum animi vinô aduſtô quotidiè incaleſcunt æquè minùs eidem debeant eſſe obnoxii; cùm tam præſtanti potû ſedulò ità ac alacriter ſe ingurgitent: Contrarium tamen loqui ipſam experientiam, imò miratû dignum eſſe, quòd ægrotus noſter, cujus fecimus mentionem, vinô ſublimatô, qui tam indefeſsô ſtudiô ſe toties obruerat, ipſa hujus morbi tela effugere non potuerit; Deinde mirum vixque veritati conſentaneum videri, quòd idem ſimul cauſa & remedium alicujus morbi exiſtat; Hoc tamen de ſpiritu vini fatendum eſſe, ſi febrem (uti in ægrotô noſtrô factum) priùs accenderet, poſteà verò profligaret. Antequam autem ad ipſam hujus dubii ſolutionem me accingam, hocce præmonendum duco, me peſſimam illorum conſuetudinem meritò deteſtari, qui ita vinum ſublimatum in deliciis habent, ùt non ſanitatis ergò, ſed ex merâ aſſuefactione, generoſum hunc laticem liberalioribus hauſtibus ventriculô quotidiè infundant. Peſſimè hos ſanitati ſuæ conſulere, teſtatur inſequens viſcerum atonia, cachexia hydropica, aliaque mala, acerbitate ſuâ antecedentem dulcedinem crudeliter compenſantia. Deinde neque me tam audacem eſſe, ùt temeritate quâdam, quæ non omnibus feliciter cadit, hancce de ſpiritûs vini uſu in morbis malignis opinionem, tanquam indubiam, omnique ſcrupulô carentem eruditis obtrudam, præſertim cùm longô rerum uſû tot volatilia alexipharmaca innotuerunt, ùt ſpiritu Vini, de quo in contrarias adhuc partes diſputari poteſt, carere queamus. Sufficiat ſaltem me vel proptereà ejus patrocinium aliquatenùs ſuſcepiſſe ùt non adeò graviter peccare Medicum innoteſcat, ſi forſan in locô quôdam medicamentorum aliorum apparatû deſtitutus, cochlearibus aliquot ſpiritûs vini (concedentibus tamen ejus uſum aliis quoque circumſtantiis) vel per ſe, vel vehiculi locô, dum ſcil. cum eô hoc vel illud Medicinæ appropriatæ genus propinat, appetitui ægroti ſatisfaciat: Quoad cætera verò merentur ea ulterius ſcrutinium; quod tenuitatis meæ mihi bene conſcius, felicioribus ingeniis extricandum relinquo. Hiſce præmiſſis, ùt datam inſtantiam breviter conficiam, reſpondeo (1.) Conſequentiam ab abuſu ad uſum parùm habere in receſſu. Sic e. g. aliquot abhinc ſeptimanis, miles quidam ex crapulâ, in febrem acutiſſimam incidebat, poſteaquàm nimirùm cum aliis totum diem acerrimis compotationibus, avidiſſimâque ingurgitatione ſic dictæ Breihanæ tranſegiſſet, ſiti intenſſimâ excruciabatur, (quam, ùt obiter hoc moneam, aſſumtô unô vel alterô cochleari vini aduſti, aliis decoctis, vel potulentis nihil, vel parùm proficientibus, feliciter fallebat) dubio procùl Breihanæ potum immodicum ſitis ſymptomaticæ cauſam remotam fuiſſe, inficiabitur nemo: Quis autem tam obtuſi ingenii eſſet, qui proptereà negaret dictam noſtram Breihanam modicè, ſecundum præcepta Medicorum, ſumtam ad ſitim naturalem compeſcendam eſſe ineptam? Idem de ſpiritu vini judicium eſto, quod modicè, ſecundum præcepta Medicorum, ſumptum, quemlibet lentorem vitioſumque indè emergentem humorum motum, corrigere aptum eſt: Quòd autem plenis buccis nimiſque copioſè ac frequenter ingurgitatum, contrarium edat effectum, id vel indè eſt, quia corporis nimis aperiendo poros occaſionem præbet, ùt ſeroſitates lacticeſque ſanguini in ſtatu naturali permixti, ejuſque mixturam in debito motu ex parte conſervantes, juſtô copioſiùs expellantur, unde non poſſunt non reſiduæ particulæ craſſiores arctiùs coire, jactôque ſic febris cujuſdam fundamentô, ſanitatem hominis labefactare (2.) Hiſce benè conſideratis non adeò mirabilis ille effectus cenſendus eſt, quò idem ſubjectum interdum nocet & prodeſt, morbos parit, & iiſdem medetur. Nec deſunt alia in hâc immenſâ rerum univerſitate, in quibus ſimile quid obſervare licet. Ictus ſcorpionis oleum ejuſdem ſanat: Atrocia ex morſibus viperarum, quæ homines exagitant, ſymptomata, medicaminibus ex ipſis viperis deſumtis, mitigantur. Sed uti in his alius modus nocendi, alius ſanandi deprehenditur; ſic etiam in ſpiritu vini, ratione ejus uſûs, & abuſûs operatio exiſtit valdè diverſa. Quod noſtrum ægrotum, de quo hiſtoria habet, concernit, puto illum ab hauſtô ſpiritu dictô adjuvari potuiſſe, vel *primò*, quatenùs ejus virtute, ùt ſuprà jam monitum in vappam & lentorem quôdam modô concreti humores iterùm diſſoluti ſunt, quod vel ideò ad verum accedere videtur, quia idem experiuntur illi, qui crapulâ ex vinô laborantes, alterô die ad eandem diſcutiendam doloreſque capitis & aliâ ex ebrietate prodeuntia mala tollenda remediû in vinô quærunt juxta illud Scholæ Salernitanæ,

Si noctur-

Si nocturna tibi noceat potatio vini &c.

Uti verò in hôc caſu maximè probabile eſt, enumerata ex crapulâ ſymptomata acidis vini particulis poſt ſpirituoſarum evaporationem relictis, ſanguiniſque circulum ſufflaminantibus attribuenda eſſe, alterô verò die cum portione vini novos ſpiritus, corpus ingredientes ac penetrantes, humorum remoram tollere; ſic & ſpiritum vini, noſtro ægroto alterum in cymba Charontis fermè pedem habenti, inſigni fuiſſe emolumento, eventus docuit. Non autem *ſecundò* hic loci excludo conſuetudinis efficaciam, cui quantùm in morbis etiam dandum ſit, ſæpiùs non ſine fructu ægrotorum ſum expertus, eòque faciliorem ratione hujus deſiderati potûs ignei à me conſenſum impetravit dictus ægrotus, quò diligentiùs hocce monitum, Conſuetudinem nimirùm tùm mutandam, cùm valent homines, non cùm ægrotant, aut de ſe queruntur, inculcatum legi apud *Galen. lib.* 8. *Method. cap.* 9. *Bertin. lib.* 8. *Med. cap.* 12. *Fuchſ. lib.* 2. *Inſtit. ſect.* 2. *cap.* 5. Ratio in pororum diſcrepantiâ materiâque ſubtili æthereâque conſiſtit, quæ, ut *Laurent. Donckers in Ideâ Febr. Petech. pag.* 250. egregiè demonſtrat, cum particulis aſſueti cujuſdam alimenti aut potûs in ſanguinem appulſa, facilè blandèque intruditur ac ad ſingulare ægroti commodum, ſuas abſolvit operationes; ſic ſingularem conſuetudinis vim non ità pridèm in muliere partui fermè vicinâ obſervavi, quæ inſigni ventriculi anxietate detinebatur, ita, ùt per aliquot dies, quicquid vel alimenti vel medicamenti aſſumeret, ſubitò iterùm evomeret. Narrabant adſtantes eam vinum aduſtum ab aliquot annis liberaliter admodùm bibiſſe, unde ſuaſor eram, ùt pulveres, aliaque ex arte præſcripta, cum hôc latice generosô aſſumeret; Quô factô medicamenta, ipsô vomitû ceſſante, ad exoptatam debitamque activitatis ſuæ operationem perducebantur, ità, ùt brevi dicta mulier priſtino ſanitatis reſtitueretur vigori.

Scholium.

Hôc ipſô annô, primô ſtatim vere, cùm peripneumoniæ valdè eſſent familiares, & epidemicè graſſarentur in vicinô pagô, Ruſtici non pauci potû ſpiritûs vini ſe morbô liberârunt. Notavi tamen, multò diutiùs eos cum eô conflictâſſe, quàm qui medicinâ ex præſcriptô uterentur.

Ibid. Obſerv. 169.

De ſingulari quorumdam hominum idioſyncraſiâ.

ANnô 1680. Mulier quædam ex lochiorum retentione in febrem continuam incidebat, cùmque curæ ſucceſſus feliciſſimus & ex votô mox abſolutus eſſet, illa tamen de nimiâ virium jacturâ querelas adhuc inſtitueret; ſequens potio analeptica ipſi à me ordinata fuit:

R. Aq. Lil. Convall. ſ. v.
Flor. Til.
Acac rec.
è Typh. C.
Roſar. a ℥j.
Cinam. ℥ß.
Spiritus Ceraſ. nigr.
Lil. Convall. a. ℥j.
Pulv. Cord. Dorſon. ℈ij.
Sacch. perlat. parùm ad grat. M. D.

Vix unum vel alterum cochlear aſſumſerat, cùm citiſſimè ùt advolarem, auxiliatriceſque manus ferrem ægrotæ, ab uſu potionis valdè calamitoſæ redditæ, ancilla ejus domeſtica conſtanter me rogaret, dubitans, an domum revertens ipſam adhuc vivam deprehenſura ſit. Quantùm igitur potui ad eandem feſtinans, non quidem tam periculosè, uti ancilla narraverat, illam vidi decumbentem, at adſtantes referebant graviſſimô eam animi deliquiô correptam fuiſſe. Dicta interim mulier loquelæ mentiſque iterùm compos facta, verbis lachrymiſque ſummas circa præcordia, quas ſentiret, anxietates, ſatis vix poterat exprimere, omnem culpam in notatam potionem conferens, utpotè à quâ in hunc miſerrimum ſtatum iterùm incidiſſet. Suſpicabar initiô, fortè aliquem errorem ratione præparationis in pharmacopolio fuiſſe commiſſum: neque tamen, antequam Pharmacopæi fidem tot documentis hactenùs ſatis mihi comprobatam in dubium vocarem, cuncta potionem ingredientia mentis acie luſtrare deſtiti: Quærens igitur ex ægrotâ, an unquam ipſi contraria ac nauſeoſa extiterit aqua cinamomi, roſarum &c? parùm aberat, quin ad mentionem ſaltem de aquâ roſarum factam, novis animi deliquiis corriperetur illa, quæ nunquam ſe vel odorem, vel ſaporem Roſarum impunè tuliſſe, debili voce teſtabatur. Tum ego erectô ejus verbis animô ſtatim ſchedulam, cui potionis forma inſcripta erat, deletâ ſaltem aquâ roſarum, ad pharmacopolium denuò miſi, ùtque medicamentum reiteratum iterùm uſurparet, ſedulus fui ſuaſor: cui monito dicta Matrona morem gerens, brevi priſtinam recuperavit valetudinem. Talia idioſyncraſiæ exempla hactenùs mihi obſervare licuit plura. Sic inter noſtræ urbis cives primarios duos amicitiâ & conſanguinitate mihi quôdam modô junctos novi, qui ſtatim atque Aniſum deguſtant; Cardialgiam, aliaque ſymptomata incurrunt; neque id priùs mihi innotuit, quàm in morbis pectoralibus flatulentis & aliis, quibus nonnunquam decubuerunt, medicamenta aniſata, quæ ægrè ſemper tulerunt, præſcripſiſſem. Sic non ità pridem fatis ceſſerunt duo viri, quorum alter Paſtor ad S. Lamberti, cibum maci aromatiſatum, nunquam abſque inſequente paſſione Colicâ capiebat; Alterô eandem, & quidem intenſiſſimos inteſtinorum cruciatus, ex uſu Corticum Aurantiorum patiente. Neque ſilentiô prætereundum cenſeo, uxorem Conſulis quondam hujus urbis ante aliquot annos è vivorum numerô ſublatam, quæ, quotiès medicamentô purgante opus haberet, aſſumtis ſaltem juſculi carnis vitulinæ aliquot cochlearibus, eum experiebatur effectum, qui aliàs ab aloëticis, ſcammoniatis, & aliis catharticis expectari ſolet.

Similis farinæ ab aliis Auctoribus copiosè hactenùs communicatæ ſunt obſervationes: Cui placet, vid. *Samuel. Pomarium de Conſenſ. & diſſenſ. Corp. natur. diſp.* 10. *Joh. Mich. Schwimmer. Curioſit. Phyſ. diſp.* 14. *Theor.* 3. & alios. Notabile quoque & admiratione dignum eſt, quod *Ballon. lib.* 1. *Epidem. pag.* 38. de illuſtri quâdam, quæ olim Lutetiæ Pariſiorum fuit; refert familiâ, in quâ multi fuerunt liberi, quorum alii aliquid retinuerunt nativum à patre, alii à matre: Pater minimô medicamentô repurgabatur: Idem liberis paternum quid habentibus accidit. Qui maternum quid habuerunt, nonniſi validis medicamentis, cùm mater ſimile quid paſſa fuerit, commoti ſunt: Quod exemplum vel ideò hùc transferre lubuit, cùm memoratam Conſulis uxorem ſe à matre quaſi hæreditariò hancce juſculi vitulini efficaciam poſſidere, non ſemel retuliſſe recorder: Quoad cætera autem ſuprà exhibita exempla probabile eſt, eorundem æthiologiam ex impreſſionibus derivandam eſſe, quæ in organo memoriæ ab hoc

vel

vel illô obiectô, quod nocivum, vel ſaltem ingratum animæ viſum fuit, relictæ ſuperſunt, unde ejuſmodi averſionis ideæ ac conceptus adeò vividè cerebro partim propter ejuſdem teneritudinem impreſſæ, partim ob ipſius affectûs commoti vehementiam, haud adeò facilè poſteà obliterantur. Sic de me ipſo teſtari poſſum, cùm, puer adhuc, aliquotiès pulvere purgante ex Rad. Gialap. Diagridiô & olei deſt. Cinamom. guttulâ concinnatô, uſus fuerim; me ab illo tempore in hanc uſque, quam dego, ætatem, neque medicamentis neque alimentis Cinamomô conditis abſque averſione, nauſeâ, inſequentique utplurimùm alvô laxiori frui. Neque tamen in ſimilibus caſibus particularem ſanguinem alioſque corporis humores conſtituentium differentiam ſpecificam, ſecundum peculiarem cujuſque individui proprietatem pororumque diverſitatem excludendam eſſe puto: Nulla enim (doctiſſimè inquit *D. Benjamin Broeckhuyſen Relat. Med. Theoret. Pract. cap.* 1. *pag. m.* 11.) corpora in principio generationis tam denſa potuerunt formari, quin ſemper derelicta fuerint interſtitia, ſeu pori remanſerint; per quos materia mundi ſubtiliſſima indefinitè alia atque alia tranſeat. Quæ corpora cùm non eôdem modô ſint fibris intertexta ſuis, ſed indefinitè alia, ac proin poris etiam diſcrepantia, quid, obſecro, aliud tunc ubi ſibi invicem obviam fuerint facta hæc vel illa, quàm bellum aliquod inteſtinum, luctam, mutuamvè pugnam experieris. Vid. quoque de hâc materiâ eruditiſſimè diſſerentem, *Ludovic. de la Forge de Mente Hum. Cap.* 22. *& Renat. Des-Cartes Epiſt.* 36. *volum.* 1. qui ingenioſè ſatis judicat, objecta, quæ ſenſus noſtros afficiunt, movere quaſdam cerebri noſtri partes nervorum ope, certaſque in eo plicas facere, quæ, quando ab agendo ceſſat objectum, evaneſcant; ſed partem eam, in quâ receptæ fuerint, manere poſtmodùm diſpoſitam ad plicas eôdem pactô denuò recipiendas ab aliô quôvis objectô, quod priori, licèt non per omnia quadantenùs tamen, ſit ſimile. Sed de his ſatis: Hoc ſaltem ex dictis fluens monitum, ſiccô pede tranſeundum non eſſe puto; Medicus ſcil. quantâ circumſpectione, quantâ cautelâ circa ægrotos verſari debeat: Neque enim ſatis eſt ſcire, eſſe in genere corpori non exitioſa hæc vel talia medicamenta, ſed mentis acumine ſedulò ſimul examinandum, an etiam huic corpori in ſpecie conveniat? Quam in rem prudenti Medico vitio vix vertetur, ſi antequam formulam animô conceptam ſchedulæ committat, diligenter inquirat, an e. g. Aniſum, Roſas, Cortices Aurantiorum, vel talia, quæ aliàs ægroto profutura judicat; hic ferre queat, vel an unquam aliquid incommodi ex talibus perceperit? Id quod nemo Medicorum, ſit etiam præſtantiſſimus, prævidere poteſt: ſolius enim Dei eſt noſſe pororum diverſitatem, de quâ nullus (uti doctè loquitur *Henr. Gerhard. Heerfeld. Philoſophic. Homin. p. m.* 57.) niſi per experientiam ex effectu informatus, certitudinem ſibi polliceri poteſt. Hinc namque eſt, quod una medicina in hôc ægrô effectum purgantem, in aliô adſtringentem contrà exſerat; Hinc huic quod eſt excrementum, alteri eſt fermentum, quod in fæcibus cereviſiæ apparet, quæ eandem cereviſiam non fermentabunt denuò ob pororum immutationem, ſed aliam fermentare faciunt, ut & panem, ob eandem rationem. Hinc quoque Excellentis. *Dolæus Encyclop. Med. lib.* 5. *p.* 885. *doctiſſimè monet*, circà ægrotos non obtineri optatum finem, niſi vis remediorum nunquam eandem in ſingulis efficaciam habentium ritè obſervetur, & ſubjectum patiens cum objectô agente benè conferatur; in quô ſenſu illud Germanorum proverbium, *Es iſt nicht eine Natur wie die andere,* veriſſimum eſſe docet.

Decur. II. *ann.* 9. *Ibid. Obſerv.* 78.

De periculosâ artuum in aquâ frigidâ immiſſione à febricitante quodam inſtitutâ.

Mentionem facit Celeberrimus D. *Hannemannus* amicus ac collega honorandus *Miſcell. Dec.* 2. *Anno* 6. *obſerv.* 69. viri cujuſdam febre ardente laborantis, qui, regulari medendi methodô relictâ, corpus denudatum lodici in aquam frigidam intinctô involvit, aſſumtôque inſuper cyathô ſpiritû vini repletô priſtinam recuperavit valetudinem. *An forſan errorem per aquæ frigidæ* applicationem commiſſum evacuata poſtea ſpiritûs vini quantitas emendârit, utpotè quem liquorem in febribus non adeò exitialem exiſtere, Anni præteriti obſervatione 168. prolixiùs declaravi, inquirendi jam non eſt animus, veritati enim conſentaneum videtur impeditam à frigidâ aquâ tranſpirationem, humoreſque aliquatenùs incraſſatos virtute ſpiritûs vini attenuante ad priſtinum ſtatum redactos eſſe, ipſamque hæmatocycloſin tardiorem anteà redditam, ſanitatis vigorem recuperâſſe. Similiter forſan ſe res habet cum Braſilianis Americæ incolis quorum his verbis *Eraſmus Franciſci in dem Neuporlirtem Kunſt-und Sittens-Spiegel ausländiſcher Volcker*, pag. 1227. meminit. Stöſſet den Braſilianern ein Fieber an, ſo tauchen ſie den Patienten, wenn es ihn am hefftigſten plaget, in das kalteſte Waſſer, und baden ihn weidlich ab, hernach wird Er gezwungen, um ein ſtarckes Feuer bey 2. Stunde hin und wieder zu lauffen, endlich bringt man ihn in ein Schlaff-Beht und läſſet ihn ausruhen: hiedurch werden ihrer viele geſund, &c. Cæterùm ſicuti talis curandi methodus, uti doctiſſimè laudatus ſupra D. Hannemannus innuit, plus mali ſæpiùs quam boni continet, ſic non omnibus æquè feliciter cadere temeritatem inconſultam, ſuô exemplô aliquot ab tunc annis docebat juvenis quidam N. de P. Erat hic 26. annorum, robuſtus, corpore ſolidô & ſucci plenô præditus; undè, cùm febris tertianæ intermittentis aliquot ſuſtinuiſſet paroxyſmos, ſuis viribus nimiùm fidens in quarto (ni fallor) conflictu, cùm corpus febrili calore ſummoperè exæſtuaret, lectô ſe ſubducens culinam ingrediebatur, pedes atque manus denudatos vaſis aquâ frigidiſſimâ repletis immergens, eaſque in illâ ultra integram horam detinens, ſuaviſſimum verò, ubi initiô ipſi accidit hocce refrigerium, ſic paulò poſt, tanta gaudii commutatio facta eſt in luctum! vix enim lectum repetierat, cùm membra frigidæ immiſſa undæ, omni motû privata conſpicerentur. Terminus paroxyſmi, qui aliàs ſextâ vel ſeptimâ horâ cum ſudore ad tempus intermiſſionem à febre ægroto indulſerat, non ampliùs in conſpectum veniebat, & ùt paucis multa dicam, ægrotus ex parte jam paralyticus factus, non ampliùs tertianâ intermittente, ſed febre continuâ malignâ ad aliquot ſeptimanas detinebatur ità ùt deliriô, atrociſſimis convulſionibus, aliiſque periculi plenis ſymptomatibus de ipsâ periclitaretur vitâ, quam tamen, Divinâ adſpirante gratiâ, virtute ſalutarium medicaminum ex tot anguſtiis tantôque emergens periculô ſervavit ſanam ac integram, ſic ùt poſteà proſperrimâ utens valetudine facilè concederet, cauta conſilia cum ratione conjuncta temeritati longè anteferenda eſſe, præcipuè ſi de hominis vitâ agatur, utpotè quæ ſemel

ſemel erepta nunquam ampliùs redimitur.

Ibid. Obſervatio 79.

De peſſariorum uſu egregiô in immodicis uteri hæmorrhagiis.

SI menſes ſtatô tempore & legitimâ menſurâ effluunt, mulierum corpora bene habere, notum eſt; ſi verò menſtruum hocce profluvium vel ſuppreſſum ſit, vel uberius prodeat in conſpectum, quot inde mala propullulent quotidiana loquitur experientia, ſic ut tales mulieres non malam, ſed peſſimas, imò miſerrimas ſeptimanas ſuſtinere, jure dicere poſſim. Hinc rectè Excell. *D. Dolæus Encycloped. Med. libr. 5. cap. 3.* qualis ſanguis menſtruus, talem affirmat eſſe mulierum ſanitatem. De nimiô menſium fluxu, ut quæ titulus obſervationis promittit exſolvam, ſequentes ſiſto hiſtorias. I. Honeſta quædam matrona G. C. L. cùm per aliquot menſes tributum lunare non reddidiſſet, gravidam ſe eſſe autumans, ideòque omnem medicamentorum uſum negligens in ſubitaneam uteri hæmorrhagiam incurrebat, eamque tam vehementem, ùt propter magnam ſpirituum cum ſanguine profuſionem frequentibus animi deliquiis corriperetur. Facti abortûs nullum aderat indicium, ſed ſanguinem ſolum, eumque purum ac floridum,uberiori copiâ excernebat; neque ceſſavit hæc nectaris vitalis ex matricis climate rejectatio ante decimam quintam, quæ inſequebatur, ſeptimanam, quâ tandem contumax ejus effluxus, quò dicta matrona fermè contabuerat, victas dabat manus. Intereà verbis effari nequeo, quantâ dexteritate optima ac heroica planè medicamenta, ſub quorum dominio aliàs tales ſanguinis effuſiones evaneſcere ac ſuccumbere feliciter ſolent, ægrotæ noſtræ fuerint porrecta, quibus tamen, cùm nihil quicquam perfici poſſet, illaque intereà magis magiſque redderetur calamitoſa, duro nodo durum quærendum cuneum putavi: ſequentia igitur in pharmacopolio noſtrô meô juſſu parata ſunt medicamina:

(1) *R. Aq. plantag.*
Sperm. Ran. āā ℥jv. *In his mixtis.*
Alum. crud. *ſolve.*
Vitriol. Goslar. āā. q. ſ. ad ſaporem fortiter *adſtringentem D. ſ.*
Cüfferliche Mixtur.

(2) *R. Pulv. Rad. Biſtort.*
Conſol. maj.
Tormentill.
Gallar. a. ʒiij.
Suc. Acat. Sang. Drac.
Thur. Maſtich. āā. ʒij. *Mixta excipiantur* album Ovor. & Mucilag. Tragacanth. c. Aqu. fol. querc.factâ, fiantque peſſaria ſynd. rubr. obduc. D. cum annexis filis. Quibus impetratis modum iiſdem utendi talem injunxi: In portione mixturæ ſuper carbonibus ignitis calefactâ unum peſſariorum per quadrantem horæ detineatur, calidumque ſic vaginæ uteri, quouſque fieri poteſt, injectum, ibidem per tres horas inhæreſcat, quibus præterlapſis, eximatur, & vel novâ mixturæ portione impræegnatum denuò immittatur, vel recens peſſarium hujus loco ſubſtituatur, ad aliquot horas, vel tamdiù in pudendis relinquendum, donec acrimonia, aut vellicatio quædam in iiſdem percipiatur. Vix precibus impetrare potui, ùt verecunda Matrona, cujus animum & timor & pudor intempeſtivis valdè onerabant ſcrupulis, hocce conſilium amplecteretur: Interim perpendens, inutilem eſſe pudorem, ubi neceſſitas urget, ſedulò tandem meis monitis locum dabat, cujus quoque facti illam poſteà non pœnituit: Nam ablatô primô peſſariô ſanguis ſimul egrediens craſſioris compactioriſque texturæ formam bonô ominé induerat, qui poſteà, quotiès aliud eximebatur peſſarium, grumoſior apparebat. Qui paulatim poſteà minori copiâ prodiens, intra paucos dies, continuatô diligenter peſſariorum uſû, fluxûs ſui ferociam totaliter, non ſine matronæ gaudio, deponens, quod ut perpetuum eſſet, neque ullum recidivæ pertimeſcendum foret periculum, illa peſſos, dictô modô, etiamſi nihil cruoris uterus amplius emitteret, conſtanter per aliquot ſeptimanas (me etiam inſciô) geſtavit, inſimulque utens decoctis traumaticis aliiſque internis curam ex voto abſolvit, de novo poſteà impræegnata debitô tempore maritô ſiſtens filiolum ſanum, optimôque corporis habitu præditum.

II. Paulò poſt, cùm hæc facta eſſent, aliæ duæ fœminæ (quarum altera illuſtriore locô nata, in Ducatu Grubenhagenſi ſedem ac domicilium ſuum habet, altera verò hic loci æditui cujuſdam uxor eſt) meas in ſimili morbô pulſabant fores, quô hæc per aliquot menſes, illa fermè per quatuor aunos, datis exiguis admodùm fluxûs intervallis, miſerrimè excruciata erat. Implorantibus igitur meam opem vix quicquam remediorum propoſui, quod non ab aliis Medicis, quanquam in caſſum oblatum jam anteà fuiſſet. Hinc tot fruſtrà adhibitis, peſſariorum memoratorum cum mixturâ uſum ùt admitterent, autor fui, fœminarumque obſequiô meo favente conſilio, & hæ morbi victoriam cecinêre: Et ſic ab illo tempore in hunc uſque diem plurimas morbô tam gravi ac diuturnô nonnunquam fermè conſumtas, aliis medicamentis nihil quicquam auxilii afferentibus, citò tuto ac jucundè per Dei gratiam priſtinæ reſtitui ſanitati, teſtarique poſſum, nunquam dicta peſſaria cum mixturâ uſurpata expectationem meam fefelliſſe, niſi in ſubjectis annoſioribus, quorum vaſa, uti benè à Neotericis annotatum eſt, temporis diuturnitate calloſiora reddita omnem poſteà adſtrictionem repudiant.

Scholium.

Peſſariorum, quæ aliàs non ineptè ſuppoſitoria uterina voçant, inſignis uſus in multis morbis, qui partibus generationi dicatis in ſexu ſequiori familiares eſſe ſolent, innotuit, à plurimis ſeculis ità, ùt nihil novi me in ſcenam producere, quilibet, qui unquam in libris Medicorum perluſtrandis operam navavit, facilè perſpiciat. Interim cùm multæ fœminæ uſque adeò verecundæ ac pudibundæ ſint, ùt vel ad ſolam hujus remedii mentionem terrore perfundantur,ejuſque uſum non niſi difficulter admittant, indè forſan factum eſt,ùt paulatim in deſuetudinem abierit: At cùm indulgendum pudori ità ſit, ùt interim morbi medela non negligatur, ego quidem, qui toties plùs, quàm aliis medicamentis, in uteri præprimis nimiâ hæmorrhagiâ peſſorum intruſione effici expertus ſum, non poſſum, quin ſedulò eorum uſum commendem: Sicuti enim in fluxu narium cruentô, ſtypticum aliquod aluminoſum aut vitriolicùm externè adhibitum non rarò totam abſolvit curam, quid vetat, quominus ſimili modô uteri ejectiones cruentas compeſcere annitamur? Hinc eſt, quòd peſſi ex ſtercore ſuillo confecti, decoctôque Aluminis inebriati ab aliis in hôc caſu tantopere deprædicentur; Vid. *D. Dolæi Encyclop. l. c.* pag. 898.

Dicis verò, menſtruam eluviem, per uterum naturaliter, non verò per vaginam expurgari, ideòque peſſaria in tali caſu vix quicquam prodeſſe, cùm non

non ad aperta venarum orificia pertingant. Reſp. Non me latet *Regnerum de Graff. libr, de Mulier. Organ. cap.* 9. cum aliis hanc de profluviô mulierum menſtruali fovere ſententiam, cui tamen Magnificus Academiæ noſtræ *Celſus in ſchol. ad obſ.* 141. *Hellwigii* doctiſſimè contradixit, cum quò & alii hodie faciunt (*vid. Dolæus l. c. lib.* 5. *cap.* 3. *ſ.* 3. *Bonet. Anatom. pract. lib.* 3. *ſect.*35 *obſ.*1 *& acutiſſimi Domini Geuderi Diatrib. de fermentis cap.* 12. *pag. m.* 262.) qui vaſa hypogaſtrica etiam ad cervicem & vaginam uteri deferri, hincque geſtationis tempore non rarò mulieres ſine ullâ noxâ fluxum menſtruum pati, tum rationibus, tum exemplis probant. Si verò cujuſdam animus adhuc in contrariam diſtrahatur ſententiam, cogitet ille, quotiès intempeſtivus uteri fluxus vel ſolâ aceti in regione ſupra lumbari applicatione, vel pediluviis ex acetô paratis & talibus externis juſtô celeriorem ſanguinis motum ſufflaminantibus curatus fuerit: quod cùm à nemine negatum iri credam, exindè apparet, in hiſtoriis memorata peſſaria, quoniam propiùs, ad partem affectam efficaciam medicinalem deferunt, citiùs ac feliciùs curationem aggredi, mulierumque ſaluti ſubvenire poſſe.

Sed dicat forſan alius, mixturam, quâ imbuuntur tales peſſi, nimis acrem, auſteram, proptereaque verendum eſſe nè vel ratione acrimoniæ in partibus generationi inſervientibus pariat exulcerationes, vel auſteritate acidâ ſanguinem ita grumoſum reddat, figatque ùt rugis vaginæ fortiter impactus novas creet moleſtias, vel etiam in vaſis circumjacentibus cum ſanitatis diſpendiô motûs ſui jacturam patiatur.

Ad prius objectionis membrum reſpondeo, ſine ullâ vanitate me poſſe affirmare, etiamſi totiès dictam mixturam cum peſſariis in uſum vocaverim, id ſemper ſine ullô ſanitatis detrimentô factum eſſe; nulliuſque me fœminæ recordari, quæ exindè aliquô affecta fuerit damnô. Fateor quidem nonnullas paulò poſt injectos peſſos, de acrimoniâ ac exiguâ mordacitate, quam in vaginâ perceperunt, querelas inſtituiſſe, quæ tamen, immerſis iiſdem in lacte atque iterùm locis muliebribus inditis, facilè evanuerunt. Potiùs aſſerere queo, quotiès peſſaria exitum ſanguinis, quem venarum ora copioſè fundebant, extemplò non repreſſerint, tum demùm morbi contumaciam feliciter ſublatam eſſe, cùm major vitrioli & Aluminis quantitas in aquis diſſolveretur; Quæ quanquam ſæpiùs tanta eſſet, ùt linguæ acerrimum ſenſum imprimeret, ſine ullâ tamen moleſtiâ à fœminis utplurimùm tolerari potuit. Cujus forsàn rei hæc eſt ratio, quòd in talibus, tùm à ſanguine vaginæ ſuperficiem continuò illinente, tum etiam à ſuccô illô, quem hujus loci glandulæ continuò plorant, quique olim pro materiâ ſeminali habebatur, tum denique ab ipſis peſſariorum particulis mucilaginoſis, vis acrimoniæ in mixturâ latitantis coërceatur, obtundaturque ità, ùt hæ mulierum partes ſine ullâ inſequente earum læſione ejus impreſſiones facilè ferant. Circa poſterius objectionis membrum non diù moror: Talia enim ſymptomata traumaticis & balſamicis, qualia ſunt mumia, ſperma ceti, ocul. 69. &c. ipſiſque decoctis, quæ ad ſanguinis grumoſitates tollendas comendari ſolent, facilè præcaveri poſſe, etiam tyrones Medicinæ norunt.

Non immeritò etiam hìc loci quæritur, an in virginibus peſſariorum uſus concedendus? Negativam forſan darent nonnulli, putantes religionem eſſe, ſi talia virginalibus clauſtris ſubdantur propter metum, ne hymen, membranula illa transverſim ſupra urethram extenſa, ex cujus ruptione primus congreſſus acerrimus accidit, violenter & cum dolore diſrumpatur. Lubens hâc vice quæſtionem præteriens, an reverà talis membrana in mediô perforata in ſinu virginum muliebri detur, & annon potiùs membranoſæ illæ corrugationes ſive inæqualitates (quas carunculas myrtiformes dicunt) vel etiam ipſa vaginæ uteri coarctatio pro hymene ſit habenda? brevibus ſaltem, ùt priori ſatisfaciam quæſtioni, ſuſpicor ipſa peſſaria in hæmorrhagiis virginum uterinis, vel propterea tutò adhiberi poſſe, quoniam tùm temporis, dictæ partes, quæ hymenis nomine vulgò inſigniuntur, à copioſô ſanguine delibutæ ità relaxantur, ùt peſſorum intruſionem facili negotiô admittant. Hinc rectè *Regnerus de Graff. l. c. p.* 55. contra eos, qui ex præſentiâ hujus membranæ infallibiles virginitatis notas deſumunt, diſputans, fieri poteſt, inquit, ùt menſes fluant, vel paucis ante diebus fluxerint, ex quo genitales partes humectari & relaxari contingit, ſic ùt minimô negotiô & nullô ferè dolore dilatentur, cedantque ſubeunti mentulæ potiùs quàm dilacerentur. Quibus poſitis, quid obſtat quominùs eædem partes, ut anteà dictum, à ſanguine tantâ copiâ in vaginæ margines irruente eandem affectionem patiantur, ſic ùt peſſulis liberiorem tranſitum concedant. Quanquàm & hoc reticendum non eſt, rarò admodùm inſignes uteri hæmorrhagias virginibus accidere, cujuſmodi exempla, ùt ingenuè fatear, in totâ meâ praxi rariſſimè obſervare licuit: Ad minimum ſi tale quid videre contigit, factum id eſt utplurimum in perſonis, de quibus non temerè aliud quid ſuſpicari potui, quod tamen citra ullius perſonæ diffamationem ſcriptum volo.

Ibid. Obſervatio 80.

De lapidis Ætitis virtute contra abortum.

QUartus jam agitur menſis, quô noſtram Hildeſiam attingebat *Excellentiſſimus Dominus D. Schellhammerus, Helmſtadienſis quondam, nunc verò Jenenſis Academiæ Profeſſor digniſſimus:* uti verò adhuc doleo, propter feſtinationem, quam alia negotia laudato viro imperabant, parùm temporis ad diuturniores collocutiones, mecum inſtituendas ipſi fuiſſe, ſic inter ſermones ſuaviſſimos, quibus tantillùm illud temporis mecum tranſigebat fortè mentio de lapidis Ætitis contra abortum virtute incidebat: Rogabat me Collega honorandus, ùt, quæ tunc ex ore meô audiiſſet proximi anni miſcellaneis infererem publicique juris facerem: Cui deſiderio eò lubentiùs morem gero, tùm ùt videat vir doctiſſimus, quanti ipſum faciam, tum ùt curioſus Lector perſpiciat, citra meritum multa ab antiquis tradita pro fabulis anilibus haberi.

Uxor Præfecti cujuſdam D. B. cùm aliquot vicibus abortum, non obſtantibus contra hunc datis remediis, perpeſſa fuiſſet, de novo imprægnata, ac valdè metuens nè ante conſuetum & lege naturæ confirmatum tempus fœtum iterùm abjiceret, remedia idonea ex me quærebat, quibus auxiliantibus longius ſpatium omnimodamque ſui in uterô maturationem exſpectare illa poſſet. Promptè ipſi adfui, venæ ſectione, aliiſque efficacibus remediis intempeſtivi fœtûs excluſionem maſculè aliàs declinantibus ejuſdem conſervationem tentans: At incaſsùm omnia facta ſunt, ſicque infelix Matrona ſpe ſuâ dejecta eſt, ùt quartô geſtationis menſe, fœtum è gremiô ſuô elabi mœſta iterùm videret. Septimâ igitur vice, cùm ſe rurſùs gravidam ſentiret, locô aliorum medicaminum lapidem Ætiten ſindoni rubræ incluſum meô juſſû de coilô ſuſpendit, ſic ùt nudam pectoris partem inter mammillas attingeret: Geſtavit hanc in nonum uſque ingravidationis menſem, de omni abortionis periculô ſecura. Sed quid fit? Abſolutô ordinariô

ordinariô partûs naturalis terminô, ingruentibuſq; doloribus fœtûs in lucem emiſſionem præcedentibus, per aliquot dies omnis labor, omniſque pariendi conatus erat fruſtraneus, ſic ùt miſera in vitæ diſcrimine poſita meum iterùm imploraret auxilium. Citò igitur cùm me ad ipſam contuliſſem, omnibus circumſtantiis bene examinatis, alligatum adhuc amuleti ratione Lapidem Ætiten, deque collô ſuſpenſum deprehendi, hinc juſſi, ùt obſtetrix eundem extemplò, ſolutô ejus filô, cruri parturientis in alterutrô latere alligaret; unde factum ùt finitô vix unius horæ ſpatiô mater laborioſi nixûs puerperiô admodùm enervata fœtum maſculum optimâ ſanitate in hoc uſque tempus fruentem ederet in lucem, adque paucos redactam familiam ab interitu ſic vindicaret.

Lubet etiam ſimilis farinæ hiſce annectere obſervatiunculam. Vix tempus bimeſtre præteriit, cùm generoſâ ac illuſtri ſtirpe orta Matrona de L. uterô gravis hùc loci appelleret, ipſôque adventûs die, quô ſcilicèt in curru iter ſex milliariorum confecerat, ſtillicidium ſanguinis ex uterô cum doloribus in regione lumbari ſentiret. Ego in conſilium vocatus, non neglectis aliis, lapidis Ætitis, quem à memoratâ Præfecti fœminâ haud infructuosè geſtatum ſciebam, appenſionem commendavi; quô factô à ſanguinis ſtillicidiô in 14. tum diem libera permanſit, quô demùm ſanguis de novô in conſpectum veniens, intolerabileſque dolores parturientibus familiares imminentem abortum indicabant, qui tamen factus non eſt, donec die ſequenti, cùm fœtum nullô modô conſervari poſſe viderem, prædictum abjiceret amuletum; ubi verum deprehendi, abortum à cauſâ violentâ, ut ictû, caſû corporis, immodicâ concuſſione, per hunc lapidem vix præcaveri poſſe, ſicuti beatus D. *Bauſchius Schediaſm. de Ætit. cap.* 5. doctiſſimè innuit, ubi, quid de hiſce Ætitis viribus doctiores ſentiunt, pluribus oſtendit.

Ibid. Obſervatio 81.

De Guttâ Serenâ in puerperâ feliciter curatâ.

QUam de fœminâ quâdam B. *Sennertus Prax. lib.* 1. *p. m.* 853. ſiſtit obſervationem, quæ poſt conceptionem occæcata ad tempus uſque partûs ità permanſit, in memoriam illa revocat, ſubitaneam viſûs in puerperâ abolitionem, quæ hìc loci ante aliquot annos accidit; quale exemplum, cùm nullibi niſi apud *Tulpium lib.* 1. *obſ. cap.* 10. me legiſſe recorder, non indignum judicavi, ùt Curioſorum oculis ſiſterem.

Uxor ſcil. Domini B. H. Chirurgi hujus loci dexterrimi probitatem & ingenuitatem præ ſe ferentis, cùm novem lunæ curſibus exactè maturuiſſet fœtus, quem uterô gerebat, partû non adeò laborioſô filiolum omnibus numeris abſolutum vitali exponebat auræ, ipſaque mater primam puerperii ſeptimanam bellè & inoffenſâ valetudine tranſigebat: Quâ præterlapſâ viſio obſcurari cœpit, inſequente ſubitò omnimodâ utriuſque oculi cæcitate. Tam atroci malô conterritus maritus, meas ingreditur ædes obnixè rogitans, ùt ipſius uxori in tantâ calamitate conſtitutæ meô auxiliô præſtò eſſe velim. Comitem me igitur ei junxi, & inſtitutô examine de omnibus, viſum quidem in uxore abolitum, nil verò vitii oculos accuratè inſpiciens in iiſdem deprehendi, unde pro Amauroſi, quam aliis guttam ſerenam vocare placet, hunc morbum habui. Feci propterea quod potui, præmiſſiſque univerſalibus poſteà ſpecificis volatilibus, aperitivis, deobſtruentibus nervi optici vel ſaltem ejus filamentorum obſtructiones, ſi quæ fortè adeſſent, reſerantibus, vel ſi forſan humores extravaſati eadem comprimendo cæcitatis culpam ſuſtinerent, ſelectioribus diſcutientibus curationem aggreſſus ſum: Externè verò veſicatoriorum, cucupharum, imò ipſorum ſternutatoriorum, quæ (monente ſic acutiſſimo *D. Theodoro Craanen. Praxi Med. Reform. cap.* 30.) in hôc caſu omni ſuſpicione carent, cùm graviora evenire nequeant, quàm ipſa cæcitas, uſum non neglexi. Diligenter igitur & indefeſſô ſtudiô, cùm medicamenta uſurparet dicta fœmina, curæ ſucceſſus tamen felix fuit, ùt poſt aliquot ſeptimanas recuperatâ gratiſſimi luminis uſurâ pernicioſiſſimam evaderet cæcitatem, verumque eſſe, ſuô teſtaretur exemplô, amauroſin ſubitò factam citò quoque non rarò perire: Quòd cùm contingit, uti in dictô exemplô, vix mihi perſuadere poſſum, nervos opticos à materiâ quâdam viſcidâ obſtructiones pati, cùm tùm demùm diuturniorem magis deſperatam, ſæpiùſque vix ſuperabilem eſſe putem: Quin potiùs filamentorum, vel ipſorum nervorum opticorum ab extravaſatô in ipſô partûs labore ſanguine, aut lymphâ magis magiſque accumulatâ, compreſſionem in cauſâ fuiſſe, ùt defectu ſpirituum oculorum lux ad tempus extincta ſit, plura ſunt, quæ me credere cogunt. Sanguinis autem extravaſationem in partu nonnunquam fieri poſſe, exindè ſuſpicor, quòd non ſemel ex parturientium naribus in ipſô partûs nixu ejus portiunculam promanaſſe viderim: Quid verò obſtat, quò minùs ſimile quid in ipſô cerebrô propter ſummos conatus ac labores, quibus fœtus ex uterô quaſi exprimendus eſt, contingere queat.

Ibidem Obſervatio 82.

De extraordinariâ vomitûs diuturni cauſâ.

TAntùm nos in curandô, quantùm in cognoſcendô valere, veriſſimum quidem eſt: At utinam multa intelligentiæ noſtræ vim notionemque non fugerent, quæ ſæpiùs in ægrotorum corporibus occultata ita latent, ùt omnem ingenii humani aciem eludentia de ſui præſentiâ nil quicquam moveant ſuſpicionis! Feliciùs ſic dubiô procul plurimi ægroti ſublevarentur ex ſuis ærumnis: Quod uti plura, quæ ſublimioris Medicinæ Antiſtites ſuis ſcriptis inſeruerunt, teſtantur exempla, ſic ex enarratione ſequentis hiſtoriæ itidem luculenter apparebit. Uxor civis Hildesheimenſis. M. B. jàm per octodecim dies de anorexiâ, amarôque oris ſapore conqueſta fuerat, cùm ad eandem opis ferendæ gratiâ accerſerer, præſenſque non ſolùm querelas de dictis ſymptomatibus, ſed inſuper ex ejus ore audirem, quòd non tantùm totô morbi tempore à prandiô æquè ac cænâ tam liquida, quàm eſculenta, verùm quoque aliàs materiam viſcidam amaramque frequenter evomuiſſet; qui crebri vomendi impetus in ſextam uſque ſeptimanam continuabant. Omnia quidem ex arte adminiſtrabantur, ſed morbô omnem induſtriam eludente, de recuperandâ ſanitate ſpes fermè vacillabat, idque eò magis, quoniam à propinatis quibuſlibet medicamentis fibræ interioris ventriculi tunicæ magis irritari, inque ſpaſmos emeticos agi videbantur, ſic, ùt quicquid medelæ locô ingereretur, indignabundus ſtomachus per vomitum ſubitò iterùm ſuô ejiceret domiciliô. Fateor modò ſuſpicionem calculi renum, modò pylori ab aliquâ cauſâ præternaturali occluſi, modò aliarum rerum, quæ ad inducendos enormes vomitus ponderis non parùm obtinere ſolent, fuiſſe obortam, ad quos tamen in hâc perſonâ talia ſuum ſymbolum contuliſſe exitus docuit. Nam collabentibus magis magiſque viribus, corporeque ob inopiam alimenti ad extremam maciem redactô vomitum tandem vomitu curare tentavi: Neque tamen ſtibialia fortiora in hunc finem, nè animam vomitu continuô enervata mulier

mulier ſimul exſpueret, in uſum vocare placuit, ſed ùt methodô tutiſſimâ rem ipſam aggrederer, ſingulis tribus horis Olei Amygdalorum dulcium tria cochlearia calidè aſſumenda ægrotæ exhibui, quæ, etiamſi paulò poſt aſſumtionem ventriculus ſemper redderet, tamen, me jubente, in ejus uſu perſtitit tamdiù, donec tertiô demùm die tria grandia fruſta (quorum quodlibet fermè exigui pomi Borſtorffiani magnitudinem æquabat) mucô fœtidiſſimô obducta vomitû rejiceret, quæ improportionata illa irritamenta fuerant ſtomachum mole ſuâ laceſſentia, inque contractiones excretorias tandiù urgentia. Ejectas maſſas examini ſubjiciens, vidi eas anteà in ſtomachô cohæſiſſe, unamque maſſam conſtituiſſe, id quod veſtigia recenter factæ ſeparationis partis unius ab alterâ indigitabant; Cui negotio forſan oleum amygdalorum virtute ſuâ emolliente plurimùm inſervierat. Internam maſſarum ſubſtantiam luſtrans, deprehendi, eam nihil aliud eſſe, quàm farciminis infumati, quod noſtrates *eine Mettwürſt* vocant, portiunculas incoctas, crudas & fortiter compactas, ita, ùt vix baculis ab invicem ſeparari poſſent. Juramenti inſtar, quod mirum, ægrota mihi aſſeverabat, intra 24. hebdomadas ſe illius farciminis nil quicquã comediſſe. Cæterùm vix ſtomachus crudô hôcce edulîô purgatus erat, cùm vomituum enormium nixus extemplò ceſſarent, ipſaque ægrota paulatim ad ſanitatem rediret exoptatiſſimam.

Scholium.

Mihi valdè adhuc juveni cùm ſingulô mane nauſea quædam & ad vomendum proclivitas eſſet moleſta, ex celeberrimi Rolfincii, cui domeſticus tum adhærebam, conſiliô vomitorium ſumſi, quô ejeci mox fruſtum ſalmonis, ante menſem avidiùs devorati.

Ibid. Obſervatio 83.

De pulverum cordialium effectu nonnunquam purgante.

N. n. Paſtor Eccleſiæ temperamenti calidi & ſicci, cujus ſanguinem particulis acidis ſulphureis ac ſalſis abundare, vel ipſe rubor cum tuberculis naſum, ipſamque faciem ità defœdantibus, ac ſi guttis roſeis conſperſa eſſent, præteritô annô meas intrabat ædes, ſummoperè de inſigni cordis palpitatione, laſſitudine corporis, viriumque jacturâ in dies incrementum ſumente, conquerens. Ex omnibus circumſtantiis concludere facilè erat, morbô hypochondriacô cum ſcorbutô conjunctô hunc virum laborare, idque ideò agendum putavi, ùt corpus acribus, acidis & vitioſis aliis humoribus liberarem, ſanguiniſque mixturam ad meliorem motum redigerem. Sed antequàm manus operi admoverem, obnixè Dominus Paſtor rogabat, ùt parcus admodùm in ordinariis medicamentis eſſem, præprimis verò nulla ipſi porrigerem purgantia, quorum uſum nunquam ſibi profuiſſe experientiâ edoctus affirmabat. Cùm igitur relictis iis, quæ per alvum ſe expedire, atque ab impuritatum ſarcinâ corpus liberare ſolent, pulverem ſaltem cordialem Dorncreilii, additis paucis Cinnabaris Antimonii granis, ordinâſſem, poſt aliquot dies per nuncium mihi ſignificat, ſe ab aſſumtô pulvere totiès dejeciſſe tamque defatigatum eſſe, ùt, ſi diutiùs in ejus uſu perſiſtat, metus ſit, nè in ipſius vitæ periculum incurrat, ſummoperè mihi exprobrans, quòd ejus petitioni tam parùm detuliſſem, cùm tamen expreſsè mihi anteà dixiſſet, ex purgantibus ſemper ſe malè habuiſſe, nimiaſque excretiones ex eorum uſu, quàm blanda etiam ordinata fuerint, nunquam non expertum fuiſſe. Nuncium igitur cum aliô medicamentô ex Aquâ Menth. Theriacal. Diaſcord. Frac. Confect. de Hyacinth. & talibus concinnatô ad dictum Paſtorem remiſi, ſeparatimque ſolum pulverem cordialem Dorncreilii ſine additione Cinnabaris ei transferendum vel propterea tradidi, ùt certus eſſem, an culpa effectûs cathartici in Cinnabarim ſit rejicienda. Uſurpavit mixturam cum proſperrimô ſucceſſu ægrotus ità, ùt frequentes ejectiones ceſſarent; Quæ tamen prælaplis aliquot diebus, cùm, me ſuadente, pulvere cordiali uteretur, ità recruduerunt, ùt reiteratione mixturæ ſummoperè opus haberet, cujus beneficiô etiam egerendi frequens deſiderium iterùm evanuit. Cùm poſteà, quicquid vel ſub ſpirituum, tincturarum, vel extractorum &c. formâ ipſi porrigeretur, eundem effectum cacatorium ſiſteret, nolui tenerum hocce corpus plurimis medicamentis excruciare, ſed potiùs, ùt in externorum uſu acquieſceret, ſedulus fui ſuaſor, quoad interna monens, optimum ejus medicamentum futurum, ſi nullô medicamentô, ſed ejus locô, niſi ſumma neceſſitas aliud requirat, optimô vitæ regimine uteretur. De Abſorbentibus, quâ ratione alvum nonnunquam laxent, doctiſſimus diſſerit *Dolæus Ephem. dec. II. an.* 7. *obſ.* 131. in ſpecie legi quoque meretur, de pulveris cujuſdam, quē Cinnabaris antimonii ingreditur, effectû purgante obſervatio Clariſſ. *D. Johannis Helfrici Jungken in Not. ad comment. Joh. Agricol. in Popp. part.* 2. *cap.* 2. *pag. m.* 77. Diſcimus interim ex adductâ obſervatione, non ſatis eſſe, (monente ſic *Ballonio apud Bonet. Labyr. Med. Extric. p.*3. *ſ.* 8. confuſam animô tenere medendi effigiem, niſi quâ ratione huic, aut illi in ſpecie ſecundum peculiarem cujuſlibet conſtitutionem medicina facienda ſit, intelligatur.

Ibid. Obſervatio 84.

De ſudore ſabuloſô.

VEtulam quandam viduam M. D. vultû membriſque ad venuſtatem parùm compoſitam, morumque urbanitate non adeò limatam quondam hìc loci juvenis 27. annorum (*om haer Gelleken, niet om haer velleken*, ùt Batavi loquuntur) ſibi ſponſam elegerat. Nuptiis certi dies definiebantur, quibus in lætitiâ finitis cæteri, qui inſequebantur, perpetuis rixis ac altercationibus conſumpti ſunt. Neque tantùm maledicis verbis, ſed verberibus vetula cum juvene maritô quotidie concertabat; Qui contra parùm uxoris ingratæ cervicibus parcens repetitis ictibus non raró in eam deſæviebat. Inter ærumnas igitur ac miſerias durante infelici hôcce matrimoniô ad aliquot annos, vetula tandem, priſtinæ libertatis jacturâ factâ, maritique imperio ſuccumbens arcanô animi & paulò pòſt manifeſtô ſatis corporis morbô quatiebatur, ſic ùt fermè biennium variis accidentium generibus in lectô detineretur, quæ inter primaria erant tumor abdominis aſciticus & procidentia ani cum fluxu hæmorrhoidum. Uti verò raró iis, quibus animus pacatus & tranquillus non eſt, corporis medicamenta proſunt, ſic in hâc muliere idem evenit, quæ tandem tùm animi tùm corporis ægrotationibus magis magiſque contabeſcens, tædioſam cum morte comutavit vitam. Notandum verò id eſt, cujus gratiâ præprimis hanc obſervationem ſiſto, quòd tribus ejus obitum præcedentibus menſibus, effuſiſſimum ſæpiùs ex poris corporis emiſerit ſudorem, eumque non quidem aquoſum, ſed modò viſcidum ac pinguem inſtar ſevi, modò arenoſum. Quod nè gratis dixiſſe videar, ſanctè teſtor, ſæpè vetulæ maritum, me præſente, erumpentem ſudorem acie cultri abraſiſſe, eumque in calidam aquam injeciſſe, ubi ſtatim ſabulum interdùm rubrum, aliàs flavum, vaſculi fundum petiiſſe obſervavimus, propriiſque id ipſum manibus palpavimus: Quod verò cùm faceremus, illud in-

tra pugillos detentum paulatim diſſolvebatur: Hinc non potui non pro tartarô aut ſabulô ſcorbuticô in venis & ipſô ſanguine generatô haſce arenulas habere. Similes hiſtorias *ex Horſtio*, *Schneidero*, & aliis tradit *Bonet. Anat. pract. ſect.* 24. *libr.* 3. *ſ.* 4. ubi induſtrio quondam Philoſophiæ naturalis Profeſſori D. *Sperlingio* in morbô, qui demùm ipſi lethalis exiſtit, idem accidiſſe, poſtque ſudorem copioſas arenulas cuti in diverſis partibus adhæſiſſe legitur. Plura exempla de ſabuloſô ſudore, ſuppeditat Clariſſ. D. Paullini Ephem. Dec. 2. An. 6. Appendic. Obſ. 1. & An. 5. Append. Obſerv. 85.

Ibid. Obſervatio 85.

De Febre malignâ correptâ Concionatrice.

Cùm haud ita pridem *Ephem. An.* 7. *Dec.* 2. *Obſervationem* 144. Nobiliſſ. *Domini Heintkenii*, quæ epilepticum concionatorem exhibet, legerem, jucundas mihi illa dabat recordationes ſimilis fermè hiſtoriæ, quam ante triennium hìc loci accidiſſe memini. Virgo quædam N. S. annorum fortè 23. graviſſimâ febre malignâ laborabat. Mater, cui res anguſta domi curtaque ſupellex, morbo periculoſiſſimo filiæ nil remedii oppoſuerat, quæ tamen, ægrotæ ſtatû ſemper in deterius vergente, decimô tertiô morbi die me accerſi curavit. Adfui & inveni illam in tantâ mentis alienatione conſtitutam, ùt ſibi in templô concionandi munus injunctum eſſe firmiter crederet; unde etiam nullis in contrarium factis perſuaſionibus locum dans, in futilem quandam ac deformem loquacitatem incidebat, inani citra delectum congeſtâ vocum turbâ auditorum aures onerans, ac modò de inferno, modò de cælo ſermones contexens, modò etiam dictionibus inquinatiſſimis utens, ac ut ſues in cæno & luto, ſic in orationis ſordibus hærens. Poſt meum acceſſum, cùm mater eam hôc modò compellaret: En! dilecta filia, Medicum tibi ſiſto, quem totiès deſiderâſti (ſed malè hæc poſt vulneratam cauſam remedium quærebat) qui brevi priſtinæ te reddet ſanitati &c. Illa fœdiſſimis detonans verbis, ac propterea fortiſſimô colaphô in vultum matris deſæviens, abi, dicebat, in malam crucem, ſceleſta meretrix, perpetuos tibi Deus det cruciatus quæ miniſtræ verbi divini in publicâ concione obloqui audes &c. Neque propiùs eam accedere lubebat, metuens nè ab inſanâ mente captâ concionatrice ſimili modô exciperer, à quô propoſitô tamē cùm ab aliis adſtantibus in lectô detenta impediretur, egoque ſudorem frigidum ac pulſum fermè deficientem ſentirem, prædixi, finitâ concione & finem vitæ inſtare. Dictum quoque factum: Nam cùm aliquot horas concionando tranſegiſſet, viribus contritis, linguâque paulatim deficiente, fatis conceſſit.

Hùc illa referenda eſt obſervatio, quam Dec. 2. An. 5. n. 52. de fœminâ quâdam communicat Celeberrimus *D. Hannemannus*, quæ febre malignâ affecta in ipſô deliriô primò meditatas cantilenas dulci melodiâ canebat. Cæterùm verbis exprimere nequeo, quantam delirii varietatem in ejuſmodi morbis acutis ſæpè expertus ſim. Quartus jam agitur annus cùm uxor chariſſimi mei fratris D. Joachimi Henrici *Albrecht*, Conſulatûs munere hic loci fungentis, in febrem acutiſſimam ſummô deliriô ſtipatam incideret. Inter alia abſurda & incongrua phantaſmata menti oblata & hoc numerandum erat, quòd ſibi imaginaretur, ſe vaſa, ſive ollas fictiles in culinâ ædium mearum confregiſſe: Quotiès igitur ipſam inviſebam, totiès obnixè rogabat, ùt commiſſum errorem in diffringendis fictilibus condonarem. Hanc occaſionem tum temporis utiliter arripiens, ſimulabam, ac ſi omnia vera eſſent, quæ diceret, non parùm impudens factum exaggerans, promittenſque ſi à continuis ſermonibus deſiſteret, ſeque per aliquot horas quieta ad ſomnum componeret, me ad ignoſcendum futurum propenſum: ſin minùs, culpam admiſſam non tam facilè me condonaturum eſſe. Paruit illa meis monitis, atque cùm per aliquot noctes nihil ſomni cepiſſet, jam ad evitandam meam indignationem molliſſimis plumis corpus tranquillè immergens, ſuavi obruta ſomnô, imminentem noctem exegit pacatiſſimam, paulatimque priſtinæ ſanitatis recuperavit vigorem. Longè periculoſior deliri ſpecies in milite quôdam olim à me obſervata eſt, qui febre malignâ cum deliriô correptus, abſentibus aliis, forfice jugulum ſibi præſcindere allaborabat, vulnereque haud exiguô collo jam inflictô ipsâ ſe privaſſet vitâ, niſi opportunè propinquorum aliqui accurriſſent delirantis conatibus reſiſtentes. Ex hôc, ſanitati poſteà reddito, ſæpiùs quæſivi, annè ex inflictô vulnere dolorem percepiſſet? Sed ille nec facti ſe recordari, nec de doloris ſenſu quicquam narrare poſſe, conſtanter aſſeverabat. Sic ſcilicet æternæ veritatis eſt Hippocraticum illud effatum: *Qui dolorem non ſentiunt, illis mens laborat.* Cæterùm de cauſis delirii in febribus malignis, quomodò nimirùm ex ſanguine præter naturam fervente concitatiùs & ſecundum inæqualem ſuam intemperiem valdè inæqualiter erumpentes ſpiritus animales in multos & varios cerebri poros ſine ordine & regimine mittantur, varias hìnc, diverſas, confuſas ac perturbatas in mente paſſiones ac imaginationes excitantes, h. e. ægros delirare facientes, eleganter diſſerentem, vid. Excellent. ac judicioſum *D. Laurentium Donckers in Ideâ febr. petechial. cap.* 6.

Ibid. Obſervatio 86.

De Lacrymis lacteis, fluxûque oculorum chyloſô in infante recens natô.

Initiô hujus anni uxor viri, plurimùm Reverendi N. B. Paſtoris ad S. P. vigilantiſſimi, felici partû filiolum in lucem edebat quoad omnes corporis partes optimâ ſanitate præditum, niſi quòd in vertice capitis ad ſiniſtram tumor ſolidus & quaſi carnoſus inſtar ovi anſerini conſpiceretur, abſque tamen ullô rubore ulliſque ſignis futuræ ſuppurationis: Ab obſtetrice filioli caput in ipſô partu rudiùs contrectante, illum originem duxiſſe ſuſpicabar. Interim etiamſi impoſitione vini calidi cum linteis huic tumori proſpicerem, autumans indè eundem diſſipatum iri, parùm tamen finem aſſecutus ſum, dictô tumore in eodem ſtatu conſtanter permanente. Dùm hæc ita fiebant, ſeptimô, ni fallor, à partu die oculorum defluxionem incidiſſe videbatur infans, ſic, ùt ſordibus glutinoſis quandoque palpebræ arctè admodùm cohæreſcerent, quam moleſtiam impatienter ferens, frequentioribus ſe dabat lacrymis, quæ initiô quidem aquoſæ, poſteà verò per aliquot ſeptimanas ratione coloris & conſiſtentiæ lacteæ obſervabantur: imò ſucceſsû temporis cùm palpebras regionemque ſub cantho majori leniter comprimeremus, lactea hæc materia copioſè effluxit. Suſpicio quidem in exulcerationem glandularum lacrymalium cadebat, quam tamen fruſtraneam eſſe, humoris propullulantis nullis puris qualitatibus præditi externa facies lacti omninò conformis docebat: Accedebat, quòd nec febriculæ ſymptomaticæ ullum veſtigium deprehenderetur, ſed filiolus durante hôcce lacteô oculorum fluxû, quoad cætera, ſatis ſanus exiſteret, niſi quòd propter frequentiorem oculorum agglutinationem miſerabiles ploratus nonnunquàm ederet. Hic rerum ſtatus igitur, internè ſaltem talibus, quæ lactis congrumationem ac aceſcentem familiaremque infantibus epilepſiam impedire valent; externè verò infuſô Croci metallorum cum Aq. fœnicul. & talibus concinnatô

ſæpius

ſæpius de die adhibitô in tantùm ſucceſſu temporis mutatus eſt, ùt paulatim nullô in oculis vel palpebris vitiô relictô, priſtinam filiolus recuperaret ſanitatem. Sed, quod notandum, quò magis lacteus ac chyloſus hicce oculorum fluxus ceſſabat, eò magis tumor in vertice capitis diminuebatur, cujus quoque totalem ablationem, cùm nihil ampliùs lactei humoris glandulæ lachrymales plorarent, conſpeximus, ſed quænam hujus rei ratio? Nutrimentum certè chyloſum ex matris mammis exſuctum ad verticis tumorem appellens, ibidemque propter poros ac canaliculos obſtructos, compreſſos minùſque pervios, ingreſſum non inveniens, per metaſtaſin ad glandulas oculorum demigrâſſe videtur. Sed ſi hoc, per quas vias hæc translatio facta eſt? cur non ſtatim à partu lachrymarum lactearum in conſpectum venit effluvium? De quibus meæ tenuitatis mihi conſcius, malo tacere, quàm probabilibus ſaltem conjecturis Curioſi Lectoris animum implicare.

Ibid. Obſervatio 87.

De laridô non ſine periculô faciei variolis laboranti impoſitô.

Cum formoſa facies muta ſit quaſi recommendatio, virgoque eleganti vultu prædita abundè jam dotata videatur, vitio quis vertet matribus honeſtis ſi in variolis peſſimâ ſæpè fœditate filiarum formas deturpantibus de conſervandô tantô theſaurô valdoperè ſint ſollicitæ, inque eum finem ſelectiora nonnunquam offerant remedia. Sed caveant tales, nè perpetuando fragili bono curioſius invigilantes, ipſas in vitæ periculum præcipitent filias. Parum abfuit, quin tale quid hiſce diebus accidiſſet filiæ viri N. N. in quam variolarum confluentium peſſimæque indolis virus tantâ acerbitate deſæviebat, ut facies tota iiſdem obſita & obducta deformi ſpectaculô videretur. Cùm igitur ab uſurpatis Bezoardicis & aliis, quæ in hôc morbô conducere ſolent, mediocriter haberet, egoque per aliquot dies aliis impeditus negotiis, eam viſitare non poſſem, poſteà & quidem nonô variolarum die revertens, ipſam inveni in ſummas anguſtias redactam: Tenebatur quippe febre ardentiſſimâ cum deliriô & ſummâ reſpirandi difficultate. Neſciens undè tantum repentini periculi ipſi acceſſiſſet, faciemque ipſam inſpiciens, nec crudas, nec maturas, nec exſiccatas variolas in eâdem reperire licuit, à quibus tam libera ac nitida erat, ac ſi nunquam hôcce morbi genere laborâſſet. Quærenti mihi ex ancillâ adſtante, unde tam ſubitanea eſſet mutatio? hæc monſtrabat larvam ex pannô confectam, laridôque interiùs obductam, quâ dies noctesque in meâ abſentiâ faciem puellæ contectam fuiſſe affirmabat. Mirabar inconſultam hominum audaciam, atque omnibus viribus allaborans, ùt innocentem puellam ex periculi fluctibus extricarem, tandem, Deô annuente, prudenter & cautè adminiſtratis feci, ùt ſanitate reſtauratâ in portu navigaret, hunc demum ex commiſſô errore fructum reportans, ut facies, quæ dubiô procul plura aliàs variolarum veſtigia retinuiſſet, non adeò deformaretur, ſed venuſtô aſpectu oculis ſatis gratioſô iterum incederet. At quis tanti pœnitere amet? Quis ad fugacem conſervandam formoſitatem ſe & vitam ſuam in diſcrimen offerret? *Fugiendum eſt* (*docente Tulliô lib.* 1. *offic.*) *ne offeramus nos periculis ſine causâ quô nihil eſſe poteſt ſtultius.*

Non poſſum, quin hìc loci mentionem faciam tutioris remedii, cujus nuper generoſa quædam Matrona variolis decumbens me faciebat participem. Laminas dicebat ferreas ignitas ſæpius de die faciei è propinquô, quando variolæ matureſcunt, admovendas eſſe, ità, ùt facies bene incaleſcat, ſic enim fieri, ùt nullæ fermè à variolis foſſulæ relinquantur; id quod ex narratione Sereniſſimi cujuſdam Principis ex Italiâ reducis habebat, qui Venetiis cum fructu vilioris hujus remedii effectum non ſemel viderat ſaluberrimum: Cujus quoque dicta Matrona cum tribus filiabus variolis copioſiſſimis tum temporis correptis egregium edebat ſpecimen, quæ omnes faciei venuſtatem ſolô ferrô ignitô conſervarunt, effectûs ratio dubiô procul in exſiccatione celeriori materiæ in variolis latitantis conſiſtit, quæ quò citiùs contingit, eò minùs humor acris texturam cutis corrodere, deformeſque foveolas fabricare poteſt.

Ibid. Obſervatio 88.

De pediculis abortum præſagientibus.

Pediculorum, quibus variæ corporis partes, non raro in prædam cedunt, abundantiam phthiſicorum mortem imminentem denuntiare, teſtis eſt ſuprà laudatus *D. Dolæus Encyclop. Med. lib.* 2. *pag.* 299. In moribundis & defunctis eoſdem fugam capeſſere, ipſe non ſemel vidi. De talibus verò, cùm ex principiis naturalibus rationes facilè ſuppeditari queant, non tanta admirandi anſa datur. Eſt autem non ſaltem mirabile, ſed prodigio fermè ſimile illud, quod hiſce diebus in Clariſſimi Domini Præfecti Schladenſis D. S. uxore obſervare licuit. Hæc aliquot liberorum mater quidem facta feliciter, aliquoties tamen & quidem ter abortum perpeſſa eſt. Nonâ, ni fallor, jam vice uterum gerens, erga me triſtis conquerebatur de inſtante abortu, dicens, ſe quidem certò ſcire, hunc fore inevitabilem, ùt tamen nihil ad conſervandum fœtum neglexiſſe videatur, meo ſe relinquere arbitrio, ſi medicinam ipſi factitare velim. Ego nullum ſignum deprehendens, quibus aliàs abortum imminere probabiliter concluditur, quæſivi tandem ex illâ quidnam eſſet illud, quô tam certum de immaturi fœtûs excluſione formare poſſet augurium? Prophetas, regerebat, tibi ſiſto pediculos: Scias enim, nunquam me in ullâ corporis parte illa animalcula deprehendiſſe, quotiès gravida ad naturalem partûs terminum, fœtum uterô geſtavi; quæ tamen numeroſa caput occupare ſolent, cùm fœtus intempeſtivè edendus eſt. Fruſtrà autem, ùt hoc dixiſſe non videretur, iteratis juramentis non tantùm rem haud aliter ſe habere, verùm etiam vaticinium à pediculorum præſentiâ deſumtum: tertiâ jam vice ſe ipſum approbâſſe affirmabat, vix dubitans, cùm iterùm ingratos illos hoſpites, in capite alat, quartâ jam vice ſe ſimile fatum experturam eſſe. Erexi ejus animum, quantùm potui, pluribus oſtendens, nihil periculi in tali caſu pediculos portendere poſſe: Quibus omnibus verò, cùm conceptam ſemel de iis opinionem ipſi excutere non poſſem, nonnulliſque medicamentis ejus deſiderio ex parte ſatisfeciſſem, inter ſpem & metum conſtitutam dimiſi etiam atque etiam petens, ùt de eventu me certiorem faciat, de quô cum Excellentiſſ. Dominis Collegis forſan ſequenti annô, ſi Deus vitam largiatur, communicandi dabitur occaſio.

Ibid. Obſervatio 89.

De Metallorum palingeneſiâ.

VIx mihi perſuadeo, quemdam dari, qui exhauſtas venas metallicas poſt aliquod temporis intervallum fœcundas iterùm reddi, metalliſque repleri poſſe, in dubium vocet, cùm tum rationibus phyſicis, tum experientiâ illud perſpicuum fiat. *Klufft und Gänge* (ſunt verba *Nobiliſſ. Domini Lohn Eiſen, in dem Bericht von den Bergwercken*, p. 20.) *haben noch heute zu Tage ihre ſamhaffte Art, die GOtt durch ſein Sprechen in die Erde geſchaffen hat, daraus Er natürlicher Weiſe noch täglich Ertz wachſen läſſet : Denn GOtt hat im anfange nicht alles Ertz geſchaffen, wie Er auch nicht alles Korn und Früchte auf einmahl wachſen laſſen, beſondern mus die Erde noch jährlich in Frühlings-Zeit ihre Früchte heraus geben, &c. Wer des Samens viel hätte der könte reich werden, &c.* Uti autem probabile eſt, ſeminale illud principium metallicum contineri à particulis ſulphureis, ſalinis & mercurialibus ex profundô terræ fumorum unctuoſorum inſtar (German. *die Witterung* vocant) beneficiô ignis ſubterranei elevatis, quæ ſucceſſû temporis humidum aliquod viſcoſum conſtituunt, poſteà à materiâ quâdam terreſtri aut lapidoſâ interceptum in verum metallum abiens ; ſic, datis talibus, aliiſque concurrentibus principiis non rarò in fodinis, quis metallorum defectum novâ generatione denuò reſarciri poſſe inficiabitur? In Inſulâ Sardiniâ (referente ſic *Bernard. Caſ. Mineralog.l.* 5.*part.*2.*cap.*5.*p.m.*620.) eſt locus, ubi ferrum foditur, qui tametſi valdè excavetur, nihilominùs tempore repletur idem ferreâ ſcaturigine, perindè ac ſi nunquam fuiſſet defoſſum : Et quanquàm profundiſſimum in modum excavatæ ſint foveæ, poſt annos tamen iterùm replentur. Plura exempla videantur apud *Sennertum de Chym. Conſenſ. & Diſſenſ. cum Galen. & Ariſtotel. cap.* 9. *Georg. Agricol. de Ortu & Cauſ. ſubterraneor. lib.* 5. *Johann. Matheſ. Sarept. Concion.* 3. & alios qui omnes unô ore confitentur, cuniculos (*die Stollen*) interdùm in anguſtum ità venire, ùt aliquâ ſui parte nullum, aut admodùm difficilem præbeant tranſitum, cùm tamen eos ſatis latè ſoleant agere foſſores, nè tranſituros impediant. In tales autem anguſtias eos acceſſione novæ materiæ mineralis eſſe redactos, experientia docuit. Quæ omnia quanquàm liquidò ità conſtent, ùt ſuperfluum judicem de re apertiſſimâ plura afferre, non poſſum tamen, quin in rei veritatem non ſemper obvium teſtimonium Curioſorum oculis ſiſtam. Accidit nimirùm non ità pridèm, cùm Reverendiſſimo ac Celſiſſimo Epiſcopo Hildesheimenſi, Domino meo Clementiſſimo adeſſem, ùt de Mineralibus atque Metallis ſermo incideret. Monſtravit mihi tum temporis Princeps, ut omnibus virtutum numeris abſolutiſſimus, ſic in perveſtigandis rei metallicæ arcanis verſatiſſimus, aliquot maſſas mineræ cupri, quas nuper ex ſuis æris fodinis in Archiepiſcopatu Colonienſi ſitis, obtinuerat : Inter quas duæ præprimìs admodùm curioſæ erant veritatem palingeneſiæ metallorum ad oculum exprimentes. Altera enim maſſa duo ferramenta (*Schleis Eiſen, vel Schlegel.*) Altera ipſum malleum (*Hand Pauſchel, Feuſtel*) continebat, quibus æris minera tam arctè adhærebat, ùt ſine ferreorum inſtrumentorum læſione ab his non ſeparari poſſet. Suſpicatus ſum initiô, à poſſeſſoribus ferramenta, quibus duriſſimas venas ſic findere ſolent, ùt nimis fatiſcant, fruſtraneô conatû in has adacta ibique relicta poſt aliquot annos cùm portione materiæ metallicæ iis adhærente ab aliis exſciſſa eſſe : ſed malleus ſeparatim efflorefcente metallô conſpicuus, qui propter extrèmitatem utrimque obtuſam venis, quâ violentiâ etiam uſus fuiſſet foſſor, intrudi non potuit, contrarium edocuit. Quod idem altera maſſa egregiè præſtitit ; quippè ferramentorum, quæ continebat, extremitates omni terrâ metallicâ denudatæ erant, partibus ſaltem obtuſis eidem totaliter immerſis. Accedebat, quòd Celſiſſimus Princeps, dicta inſtrumenta in fodinarum fundô liberè jacentia à foſſoribus inventa eſſe aſſereret. Imò oculorum acies rem ipſam comprobat, ita ùt contiguitatem æris cum inſtrumentis arctiſſimam deprehendere liceret, nullumque dubium eſſet, illa à foſſoribus in Fodinis quondam relicta cum terrâ metallicâ noviter ibi generatâ paulatim in unam compagem concreviſſe. Dictas maſſas ſicuti ſæpiùs, non ſine delectatione, oculis meis luſtravi, ſic, poſteaquàm Reverendiſſimus Princeps me iiſdem clementiſſimè donavit, illas inter rariora mea ſervans cuilibet monſtrare poſſum.

Ibid. Decuria 3. *An.* 2. *Obſerv.* 201.

De erucis per vomitum rejectis.

ANni præteriti menſe Januariô Ruſtica quædam in Ducatu Cellenſi domicilium habens ad me accurrit, etiam atque etiam petens, ùt marito, per aliquot jam menſes acutiſſimis ventriculi doloribus excruciato, opem feram. Fruſtrà hic miſer plurimis hactenùs uſus erat medicamentis ; utpotè quibus malum ſemper exaſperatum fuiſſe mulier referebat. Ego ponderatis omnibus circumſtantiis, benèque conſiderans, quòd ruſticus à dictis ventriculi cruciatibus intra tot menſes liber vix fuiſſet, quin potiùs, ſi vel tantillùm induciarum conceſſerunt, paulò poſt tam atroces iterum apparuerint, ùt non rarò ſudor frigidus copiosè erumperet, periculoſiſſimaque animi deliquia ipſam minitarentur mortem, mali hujus fomitem, quicumque etiam ille fuerit, vomitoriô quôdam eliminandum duxi ; Hinc cum ☐. emet. Myns. aliquot granis ægroto propinandis, additâ ſimul potiunculâ ex ſtomachicis, anodynis & cordialibus conflatâ, poſt abſolutam vomitorii operationem cochleatim exhibendâ uxorem dimiſi, lætô vultû, præterlapſis aliquot diebus, memorata mulier ipſum in meis ædibus ſiſtit maritum, emetici virtutem ſummoperè deprædicantem, cujus beneficiô viginti circiter evomuerat erucas, quas in pyxide lamineâ ſtudiosè aſſervatas, partim vivas adhuc, & celerrimè repentes, partim emortuas, meis exponebat oculis. Erant coloris nigerrimi, magnitudine & figurâ proximè ad illud erucarum genus accedentes, quod ſolertiſſimus Dominus *Johannes Goedartius Metamorph. & Hiſt. Nat. inſect. Part.* 2. *Experim.* 39. depingit, niſi quòd glabræ, pluribusque inſtructæ eſſent pedibus. Ruſticus poſt ejectionem tam ingratorum hoſpitum multò quidem meliùs habebat : Afflictus nihilominùs per vices priſtinis ſymptomatibus, ùt doſin pulveris emetici ad expellendas, ſi quæ forſan reſtitiſſent, erucas, ipſi communicarem : Annui, & facilem me præbui, quanquàm de effectu nihil hactenùs certi reſciſcere potuerim.

Ibid. Obſervatio 202.

De febribus alapâ curatis.

ALapas ſæpiùs homicidiorum multarumque calamitatum cauſam extitiſſe, nullus eſt, qui ignoret :

ignoret: Nihil autem tam malum, quod interdum non inſignem ſui uſum præbeat, ſic legitur in *Letzneri Chronic. Daſſel. & Eimbec. libr.* 3. Imperatorem Maximilianum aliquandò omnes captivos morti traditurum, prohibuiſſe, nè quis pro illis intercederet, ſecùs facientem alapam accepturum. Tandem verò felici auſû Ducem quendam Imperii ſuſtinuiſſe blandam, & amicô vultû ab Imperatore inflictam alapam, hujus miſericordiam ità commoviſſe, ùt in cuſtodiis detentos dimitteret, ac libertate ſuâ frui pateretur. Sed quid hæc ad nos, quibus potiùs talia conſideranda veniunt, quæ de alapis ad rem Medicam facientia, e. g. de ſingultu, ſurditate, odontalgiâ, & aliis palmâ curatis morbis paſſim in Ephemeridibus noſtris illuſtres annotârunt Machaones? Sic maxillæ inferioris luxationem alapâ dextrè adhibitâ feliciter tolli, ipſe non ſemel oculatus fui teſtis, & nota eſt lepida illa hiſtoria, quam B. Eraſmus Franciſci ex Georgii Anderſen & Volquardi Iverſen Itinerariis alicubi de Gubernatore quodam Indiarum Regis adducit, qui in urbe Agrâ aliquot Batavos conviviô excipiens, dum latrantem ſtomachum placandi animus eſt, appoſitam orizam in tantâ copiâ ori miniſtravit, ùt hoc nimis apertum claudere rursùs non poſſet. Batavorum quidam ex hoſpitiô ſuô Chirurgum advocat, qui accelerans celerrimam, ſi ſaltem remedium æqui bonique conſulatur, pollicetur medelam: Quâ excuſatione præmiſsâ Gubernatori alapam cum ſonitu infringit, unde maxilla inferior extemplò priſtinum recuperavit motum: Quô factô miniſtri huncce medicandi modum ſiniſtrè interpretantes, non leviter ejus caput conſauciârunt, parùmque abfuit, quin lucis uſuram ipſi eripuiſſent, niſi Gubernator morbô ſe levatum agnoſcens, plenariam inhibuiſſet cædem, qui porrectâ manû gratias, pro acceptô beneficiô, cum quingentis Thaleris locô ſoſtri exſolvebat Chirurgo, crudeliter poſteà in ejus percuſſores animadvertens. Terrore febres nonnunquam evictas eſſe, docent Practicorum libri; At in ſpecie alapis earum vim fractam fuiſſe, forſan non adeò obvium eſt: Fuit tamen ante aliquot annos hîc loci quædam ancilla, cujus operâ uxor Domini R. D. in rebus domeſticis utebatur. Inciderat illa in febrem tertianam ſatis moleſtam, quâ ità per aliquot hebdomadas emacerabatur, ùt nullis ampliùs par eſſet negotiis. Hera id ægrè ferens ex me intelligit, poſſe illam levi operâ ſuô liberari morbô, ſi ſaltem medicaminis aſſumptioni non refragetur: Pulverem igitur à me præſcriptum tantillô juſculi permixtum imminente, uti injunxeram, novo paroxyſmo ancillæ abſorbendum offert, eandemque cùm natura ab omni medicamentorum uſu abhorrens ipſius voluntati quôvis modô reſiſteret, his ſeriò alloquitur verbis: Aut utere, aut recede è meô conſpectu, aliudque tibi quære hoſpitium, cùm tua ſaltem pertinacia te ſanitatem priſtinam attingere haud permittat, mea verò negotia non infirmas, ſed ſanas requirant miniſtras. Ancilla hiſce comminationibus permota, manû prehendit cochlear, nauſeanſque admodùm, ori infundit medicamentum, quod tamen vix primoribus labris deguſtatum rejicit, inſigniter ſimul conſpurcans heræ veſtimenta: Hæc iracundiâ excandeſcens, Heus, inquit, ſcelesta! Si benignitatem meam non agnoſcis, palatoque tuo talia non arrident medicamina, neceſſe eſt, ùt aliis ſalutem tuam quæram: Quibus prolatis verbis, manibus in faciem inſilit, egregiis aliquot alapis obſtinatas ejus actiones vindicans. Neque ſine ſucceſſu novum hocce antidotum exhibitum eſt, utpote cujus efficaciam, dictâ ancillâ ab illô in hunc uſque diem ſine febrili inſultu ſatis bellè vivente, eventus comprobavit. Aliô tempore Domini D. F. celebris quondam hujus urbis mercatoris famulo, febre quartanâ in quintum jam menſem laboranti, ineptum hocce dabatur conſilium, ùt brevi ante paroxyſmum cretâ albâ camino nomen ſuum inverſô ordine, incipiendo ſcilicèt à cognomine, inſcriberet, adque quadrantem horæ hùc illùc in ædibus ambulando, corpus in continuô ſervaret motu, ſedulòque caveret, ne intereà verbum loqueretur, vel aliquid reſponſi ad interrogata rependeret, hâc enim ratione ſine dubiô morbi ſui pervicaciam expugnatum iri. Conſentit ille accuratè omnia ex conſiliô perficiens; dum interim ſic de locô in locum movetur, quoſlibet ædium receſſus perluſtrans, filiæ heri ſui primùm obviam venit; quæ diligenter inquirens, quid ipſi modò hìc, modò illic negotii eſſet, nilque reſponſi ferens, rem refert ad parentem, dicens, ſe vereri, nè famulus rationis uſum amiſiſſet, inſtar deſipientis enim quælibet ædium loca pervagari, nullumque interrogando ex ipſo elici poſſe reſponſum. Parens hypocauſtô egrediens, conſpectô hìnc indè oberrante famulô, cauſam hujus ſuæ deambulationis multis interrogatiunculis expiſcari conatur, additiſque minis hunc ad reſponſionem urget; At omnia incaſsùm proponebantur illi, qui inſtar muti & elinguis, propoſitum ſilentium rumpere neutiquàm in animum induxerat; undè Herus irâ commotus, prætereuntem aliquot excipit alapis, quas ille patienter tolerans, tandem horæ quadrante præterlapſô cauſam ſuæ diſſimulationis fideliter exponit, hunc ex eâ fructum reportans, quòd à moleſtiſſimô morbô ſuô revaluerit: Qui effectus, an forti imaginationi, an inflictis alapis tribuendus ſit, aliis dijudicandum relinquo.

Ibidem Obſervatio 203.

De occultâ verminatione diuturnæ dyſuriæ causâ.

GEneroſus adoleſcens de S. ex W. annum jam, ni fallor, decimum nonum agens, ab incunabulis quoad omnes corporis functiones benè habuit, niſi quòd frequenti & intempeſtivâ mictione ſubindè urgeretur: Hôcce malô per 16. annos valdè affligebatur, doloresque inter mejendum, noctû præſertim, ſatis moleſti ipſum fatigabant, ſic ùt ſuavem interrumperent ſomnum, & experrectum ad matulam adigerent. Intereà temporis plurimi in auxilium vocati ſunt Medici, quorum alter urinæ acrimoniâ, alter exulcerationem renum, calculû veſicæ alter hujus morbi cauſam eſſe judicabat, unde quilibet ad peculiarem attendens; ſingulari quoque modô excretionem aggrediebatur, aliô talia, quæ acres humores cicurare, aliô, quæ renum, vel etiam veſicæ ulcus ſanare, aliô denique, quæ calculum frangere, comminuere & expellere queant, ſub variis ſubminiſtrante formis. Brevi, nec pus, nec ſabuloſa materia poſt talia in copiâ propinata cum urinâ conſpectui ſeſe obtulerunt, nec quicquam levaminis ſe ex tot uſurpatis medicaminibus percepiſſe unquam gloriari potuit ægrotus, quin potiùs hic, difficultate mingendi cum maximis doloribus ad tot annos conſtanter perſeverante tot pharmacorum ſine fructu adhibitorum, Medici verò laboris fruſtranei pertæſi, totum negotium ad tempus naturæ commiſere. Non diù autem in tali permanſit ſtatu, longè aliam morbô faciem aſſumente: Tranniô enim ab hinc, neſcio quas ani ſenſit moleſtias, pruritû & puncturis excretionis neceſſitatem ſtimulantes, ipſumque teneſmum creantes: Excreta inſpiciens ægrotus, viva quaſi

deprehendit, innumeris vermiculis cucurbitinis referta. Tanta horum animalculorum adfuit copia, ùt vix præ his intermixtum ſtercus intueri licitum eſſet. Ejectâ hâc ſaburrâ verminosâ, ratione chronicæ illius dyſuriæ extemplò levamen ſenſit Generoſus Adoleſcens: Aliqualis nihilominùs ad notabile tempus ſuperfuit urinæ difficultas, quæ tamen excluſis anthelminticorum usû plurimis ejuſmodi vermiculis feliciter ceſſit, ægrô jam multò meliùs habente, niſi quòd latis illis geniculis ac circulis inſtructis lumbricis, quos Tænias vocant, quibus communiter cucurbitini conjuncti eſſe ſolent, affligatur; ubi præ cæteris hocce notandum venit, quòd, etiamſi fruſtulatim hiſce ultimis annis tæniarum aliquot ulnas excreverit, totaliter tamen, quoniam dubiô procul ob longitudinem & latitudinem anfractibus & plicis inteſtinorum tenaciter implicatæ adhærent, exturbari hactenùs haud potuerint, quin potiùs hodiè adhuc non rarò notabiles earum portiones egerantur ejicianturque. Generoſus Dominus interim corpore ſatis carnoſô & vegetô præditus, ſine gravioribus ſymptomatibus optimè vivit, niſi quòd aliquot diebus, antequam tæniarum pars de novô excernitur, nova quoque micturiendi difficultas ſentiatur, poſt modum expulsâ illâ ſponte evaneſcens.

Scholium.

Nobil. Dn. Autori in literis ad me ſcriptis, quomodo in hôc caſu vermes mictionis difficultatem excitare potuerint, dum quærit? inteſtini recti aut veſicæ quandam partem perforatam, exulceratam aut aliô modô læſam fuiſſe, haud videtur, cùm nullum indicium tale quid detexerit; an verò peculiare quoddam involucrum eos detinuerit, unà quærit? quòd auctô vermium numerô propter nimiam molem, inteſtinum vicinamque veſicam premendo, dictas mejendi moleſtias creaverit? Uti verò dubium vix eſſe poteſt, difficultatem hanc à vermibus fuiſſe inductam, cùm excretis illis ipſa ceſſaverit: ità inteſtinis adnaſci quandoque tumores verminoſos eò minùs improbabile eſt, cùm ſimiles in canibus ſæpiùs obſerventur; quod etiam *D. Joh. Theod. Schenkius* teſtatur, in canibus ſæpiſſimè obſervâſſe ſe, in Exercitat. anatom. pag. 334, ſcribens non ad ventriculum modò, ſed & ipſorum gracilium inteſtinorum parietes veſiculas carneas, ſeu glanduloſas extrinſecùs ſeriatim adnatas, in quibus diſſectis teretium vermium rubicundorum aliquot conſpexerit glomeratim ibi degentes, capitibus verſus inteſtini cavum, quâ parte foraminatæ erant glandulæ, converſis, ùt indè alimentum à præterlabente chylo ſibi allicerent. Quale quid etiam *Illuſtr. D. Joh. Jac. Wepferus* noſter, nuperrimè magnô cum rei medicæ detrimentô vivorum conſortiô exemtus, deprehendit, ac curioſiſſimè pro more ſuô, in Ephem. noſtris Dec. II. ann. VII. obſer. 16. illuſtravit. Fuiſſe autem vermes, in præſenti obſervatione memoratos, alicui receptaculo peculiari incluſos, non autem in ipsâ cavitate inteſtinali hæſiſſe eò magis probabile mihi videtur, cùm hìc tam longum per temporis ſpatium, unicô locô in veſicæ viciniâ ſubſiſtere vix potuiſſent, quominùs eorum in tantâ copiâ obviorum aliqui ſubindè è corpore egreſſi fuiſſent, aut in vicina reliqua inteſtina ſe diffudiſſent, aliaque incommoda excitaſſent. Cùm tamen non crebrior ſolùm, ſed difficilis quoque ac dolorificus mictus hìc contigerit, neceſſariò aliud aliquid, moleſtum ſenſum inferens, unà adfuiſſe ſequitur; dum ſola veſicæ à vicinô tumore preſſio & anguſtatio ad urinam frequentiùs, ſine tamen dolore, emittendam incitare potens fuit; quale quid in hiſtoriâ à *Baldaſſ. Timæo lib. 3. caſ. med.* 44. recenſita evenit. Hinc nidulantes in tumore circa inteſtinum rectum enatô vermes, mordendo vel ſugendo nervoſas partes, triſti ſensû adfeciſſe arbitrari liceat, quæ læſio veſicæ etiam, ob nervorum in hôc inteſtinô & veſicâ communionem, per conſenſum imprimi, eamque ità ad crebriorem contractionem irritare potuerit.

Ibid. Obſervatio 204.

De faſcinationis rarioribus quibuſdam exemplis.

SOror Domini de S. cujus in præcedenti obſervatione facta eſt mentio, puella, ſc. 13. annorum, uti à primâ ætate ad hoc uſque tempus hæſitantiâ linguæ laboravit, vixque verbum ſine ejus titubantiâ exprimere potuit, ſic aures quoque hebetiores obtinuit, ſurdaſtra admodùm, vixque aliorum ſermones percipiens, niſi vox loquentis intendatur, vel proximè ad aurem verba ſuggerantur. Generoſæ Matri ante aliquot annos variolis graviter decumbenti cùm medicandi gratiâ adeſſem, cum luctu & gemitu illa huncce filiæ ſuæ alias ſatis formoſæ & optimâ ſanitate fruentis deplorabat ſtatum, diligenter rogitans, ùt, ſi quid ſalutare huic malo opponere poſſem, ſtudioſè id facerem. Promiſi quicquid in meâ poteſtate eſſet, linguæ & aurium conditionem ſedulò explorans; Quoad illam omnia in ſtatu naturali deprehendi, in quamlibet partem liberè eam movebat, neque frenulum juſtô brevius erat, cujus tamen ſectionem aliquotiès fruſtrà à Chirurgis reiteratam fuiſſe, ex matre intelligebam. Ad aurem perveniens ſiniſtram, in ejus cavitate interiori aliquid latitare notavi quod, cùm viſu quid eſſet, diſcernere non poſſem, ſubtili volſellâ, quæ fortè ad manus erat, apprehenſum extraxi; Erat autem filum lineum, flavi coloris, ad longitudinem fermè unius ulnæ, ſuſpicio oriebatur, fortè fortunâ filum inter ludendum ab aliâ ſorore auribus intruſum eſſe, unde nihil mali metuens ad cœnam me accingebam, quæ variis ſermonibus ad aliquot horas producta aurem dictæ puellæ de novô curioſè luſtrans, ex eâ iterùm longiſſimum filum, non lineum, ſed laneum, non flavi, ſed albiſſimi coloris eduxi. Uti verò inſolitum hocce ſpectaculum in animis cunctorum quotquot aderant, non parùm admirationis pariebat, ſic magis omnes obſtupeſcebant, cùm inſequentibus temporibus totiès aurem, modò ex lanâ, modò ex lino, modò ex utrôque contexta fila in notabili quantitate ſuppeditare animadverterent, quorum in aliquot annos tam ferax deprehenſa eſt, certa perſona conſtituta ſit, quæ ſtatis temporibus ea depromat, eliciatque. Non dubitavi, malum hoc ex faſcinô præſtigiiſque diabolicis originem habere, ideoque non neglectis precibus plurima, quibus incantationem edomare conantur, præſcripſi medicamina, quæ tamen, ùt ingenuè fatear, parùm vel nihil hactenùs ad maleficii ſublationem contulêre. Nolim interim annumerari illis, qui morbos ex incantatione naturalibus remediis nullô modô levari poſſe autumant; Contrarium præ cæteris *Epheme. A. C. L. N. C. Dec. 2. An.* 4. *obſ.* 136. *An.* 5. *obſ.* 18. *An.* 7. *obſ.* 91. alibique docetur. Mihi quid hâc de re obſervare licuerit, breviter tradam. Paucis abhinc annis ad ſcriniarii cujuſdam filiolum accerſor, cujus corpus mirum in modum poſteriora versùs convellebatur, pedeſque præprimis retrorsùm ad lumbos contorquebantur. Ego, qui incantationi, cui interdùm nimiùm tribuit mortalium credulitas, non ſtatim fidere ſoleo, medica-

menta

menta cinnabárina aliis antiſpaſmodicis permiſcenda præſcripſi. Quæ dum in pharmacopolio præparantur, dictus ſcriniarius cum ejulatu meas iterum pulſat fores, referens, filiolum natû ſecundum eôdem, quô alter, malô miſerrimè excruciari, uude me eò conferens non ſine commiſeratione, quæ verbis anteà expoſuerat, oculis meis intuitus ſum; Pedes in utroque filio lumborum vertebras attingebant tam arctè, ùt manibus disjungi non poſſent, tantaque oſſium femoris incurvatio conſpiciebatur, ùt capita eorum ſuis cavitatibus extruſa viderentur, Quæ omnia cùm faſcini non levem excitarent ſuſpicionem; mutatô ſuperiori conſiliô, pulverem ex Antirrhin. Hyperic. Bacc. herb. Parid. &c. pro fumô excitandô ſuppeditavi, ex cujus uſu uterque filius intra horulæ ſpatium feliciter convaluit, in hæcce uſque tempora pancraticè vivens. Licuit aliàs mihi ſalutarem balnei efficaciam non ſemel experiri, quod ex Ononid. ſpinoſâ Hyperic. & Rad. ſyderit. grumoſæ cum aquâ ſimplici componitur, cujus ope ante 8. ſi rectè memini, annos filiolam civis cujuſdam C. H.O. curatam recordor, cui præ foribus parentis cum aliis colludenti à vetulâ quâdam mendicante & ignotâ, pomum manducandum porrigebatur, quô devoratô acutiſſimis capitis doloribus correpta, vix membrum commovere poterat; ſuccedebant convulſiones horrendæ ac tanta ſubitò atrophia, ùt, quæ ante tres dies optimô corporis habitû prædita, ſatisque carnoſa conſpiciebatur, jam præter cutem & oſſa nihil monſtraret; Ter vel quater hanç dicto balneo immerſam celeriter priſtinam recuperâſſe ſanitatem mecum plures adhuc in vivis, qui ſuperſunt, teſtari poſſunt. Aliô tempore ſenex quidam civis, piſtor hujus urbis, vir multâ probitate conſpicuus, egregiâque vitæ ſinceritate clarus, tales dæmonis experiebatur deluſiones ùt in ædibus propriis vix ex unô in aliud conclave ſe conferre poſſet, quin variis lapidibus peteretur, qui tamen, uti corpori nullam læſionem nullamque noxam inferebant, ſic impoſſibile erat divinare ex quô locô & cujus manibus in eum conjicerentur. Hic ex conſiliô cujuſdam Medici pulvere ex ſuperioribus aliiſque ingredientibus conflatô carbonibuſque ardentibus injectô in quôlibet domûs receſſu fumum excitavit; vix tertiâ peractâ ſuffumigatione ejus ancilla, cujus miniſteriô in negotiis familiaribus per aliquot menſes uſus fuerat, clanculùm ſe ſe ſubduxit, abiit, evaſit, exceſſit, neque ubi locorum degat, hactenùs experiri licuit, de cujus fugâ quoque herus minùs ſe præbuit ſollicitum; tranquillô ſatis animô eam, vel propterea ferens, quòd poſt ancillæ abitum ſine talibus moleſtiis domui ſuæ præeſſe potuerit, utpotè quæ extemplò cum illâ evanuêre. An conſcientiæ morsû, vel metû pœnæ, an, quod ſatis probabile videtur, excitatô fumô in fugam data ſit, uti determinare nequeo, ſic de eô cuilibet, quod velit, judicare liberum eſto.

Ibid. Obſervatio 205.

De virulentis paſtinacæ annoſæ qualitatibus.

SEx fermè effluxere anni, cùm illâ die, quâ jejunium incipit quadrageſimale, piſtor hujus loci H. O. meam ſollicitaret præſentiam. Maturavi aditum, virumque poſt fornacem lectulo recubantem, anxium quôdam modô, mente captum, deque ſanitate non leviter deturbatum deprehendi, Dum hic multis abſurdis ſermonibus morbum ſuum exponere ſatagit, ejulatum filii, quintum qui nondùm impleverat annum, menſæ prandendi gratiâ poſitæ adhuc aſſidentis, matriſque implorantis operam audio, ùt ſcil. anguſtiis ſubitò correpto opem ferat; Quæ attonita cùm, quomodò & utri horum primum ſubveniret, hæſitaret, filius natû primus, ſcholæ alumnus & ſymphoniacus, qui cibum, ùt choro muſico intereſſet, maturiùs ſumpſerat, domum repetit malè ſanus, adque eaſdem abiens ineptias. Ipſe, fateor, horum inſulſis actionibus obſtupui: Ponderatis verò pulsû celeriori & continuâ ad vomendum in quôlibet propenſione; non dubitavi, inter prandendum ſuſpectum quendam cibum hanc corporum paulò ante rectiſſimè valentium turbationem excitaſſe; undè conjectis in appoſita fercula oculis, & conſpectis paſtinacæ ſativæ radicibus, in has mali culpam transferendam putavi; quam opinionem ſuô non caruiſſe fundamentô, ſequentia ejuſdem argumenti enarrati jure annectenda comprobant: Tribus ſcilicet poſt diebus mihi ad viduam quandam tum temporis in ædibus non adeò lautis juxta Templum S. Crucis degentem accerſito, ſpectaculum terrorem partim, partim riſum movens obtigit: Hoſpitam enim illius domûs, ancillam & tres, quos alebat, convictores unà prandentes conſpexi tumultuosè, dementer & ineptè ità inter ſe agentes, ùt deliramentorum varietatem calamô exprimere nequeam, Modò in hominum altercandi cupidorum incidebant inſanias, modò quaſi arctiſſimô amicitiæ fœdere juncti, lætitiæ exultabant effuſiſſimè ſine prævìis cauſis in riſum concitati; Mox querelis, & fletibus ſuam proſequentes calamitatem angoribus confici videbantur. Corpora eorum, quòd præprimis notari velim, non modicô æſtuabant calore, unde quoque accenſô bibendi deſideriô ad pocula frequentiùs exſiccata ſe invicem invitabant. Alter alterum ſedulò monebat, ùt quietè ſederet, neque corpus ità in gyrum moveret, ſic namque vertigine preſſi cuncta circumrotari judicabant. Non hìc quidem, uti olim convivas in epulis feciſſe teſtatur Cicero *Tuſcul. lib.* 1. ad tibicinem canebatur, frequentiores tamen eructationes, quibus, ut abſonô admodùm concentû hypocauſtum perſonabat, ſic ventriculus indignatione ob cibos incongruos ſibi miniſtratos haud obſcurè declarabat, muſices penſabant vicem. Converſis, hôc rerum ſtatû, oculis in cibos, quibus menſa inſtructa erat, ſtatim paſtinacæ radices carni bubulæ incoctæ ſub aſpectum cadebant, quas radices ab eâdem muliere, quæ ſuperiùs memorato piſtori ſuas vendiderat, coemtas comperi. Dum igitur cogitationes meæ in ſuppeditandis medicamentis verſantur, vir quidam advolat, annuncians mulierem, quam prædicta vidua, ùt linteamenta juxta fluvium, Inneram, lavaret, certâ conduxerat mercede, inſtar deſipientis in plateis oberrare; Inter alia enim pranſoria miſſa huic per famulam erat portio memoratarum radicum, quas, ut lotione peractâ, conſumpſerat, corbem linteaminibus refertam humeris imponit viæ ad ædes viduæ ferenti ſe committens. Vix aliquot paſſus proceſſerat, cùm perniciosum alimentum virus paulatim de ſe ſpargens ac animalem microcoſmi aulam penitiùs occupans, eaſdem, quales in ſuperioribus, ludere inciperet tragœdias, ipſaque lotrix, projectis undiquaquè ſudariis, induſiis & aliis linteaminibus, quaſi ex crapulâ vacillans incertis progrederetur pedibus, quam variis porrò agitatam deliramentis alii ad ædes dictæ viduæ deduxerunt. Quemlibet ex hac delirantium grege præmiſſô vomitoriô Antimoniali, propinatiſque poſteà Theriacalibus adeò difficulter ad ſanitatem revocavi, neque ullum in hâc mentis perturbatione ultra 24. horas perſtitiſſe recordor. Cæterùm non pauca fuere, quæ

initiô

initiô me ſuſpicari fecerunt, cicutæ radices dictis perſonis oblatas fuiſſe, utpotè quas Paſtinaçæ latifoliæ radicibus non adeò diſſimiles eundem fermè cum his ſaporem ſubdulcem referre noveram; At incidens poſteà in politiſſimum *Jacobi Conſtantii de Rebecque,* quem de Medicinâ Helvetiorum conſcripſit, libellum, obſervationumque hic annexarum quinquageſimam primam ſimilis farinæ legens, ſententiâ mutatâ, cum doctiſſimô Autore ſtatuendum judicavi, Paſtinacæ radices carni bubulæ incoctas fuiſſe annoſas, venenataſque qualitates longâ, ſub terrâ, morâ induiſſe.

Ibid. Decur. III. ann. 3. *Obſerv.* 124.

De cuticulæ univerſi corporis, unguium & capillorum binâ, intra ſemeſtre ſpatium, depoſitione.

ANni 1694. die 1. Auguſti ſtil. vet. *Catharina Elizabetha Lüders*, puella nonum ætatis annum agens, filiaque Domini N. *Lüders*, Capitanei inter præſidiarios hujus urbis milites locum tenentis, cùm ante aliquot dies pyrum bufonum (uti parentes ſuſpicabantur) ſic dictô lotiô conſpurcatum comediſſet, frigore febrili cum inſequenti aliquot dierum æſtu, frequentiori pulſu, ſiti, anxietatibus circa præcordia & aliis, quæ continuas comitari ſolent, ſymptomatibus corripiebatur; Quibus ad conſilium vocatus, idonea oppoſui medicamenta, non neglectis alexipharmacis & talibus, quæ ſi forſan ſuſpicioni in pyrum comeſtum cadenti aliquid ſubeſſet veri, virus bufonium edomare poſſent. Sextô morbi die, cùm ſine ſudore, vel aliâ notabili excretione febris remitteret, puellæque melior jam valetudinis adſpiraret aura, hinc indè in corpore ejus maculæ efflorescebant ſcorbuticæ, pruritû admodùm moleſtæ: quæ rubellô colore initiô conſpicuæ, mox ad album accedebant, limpidiſſimam aquam cum aliquali cuticulæ ab eâdem elevatione præ ſe ferentes. Lymphæ hujus ſingularem acrimoniam, uti inſignis pruritus confirmabat, ſic ab eâdem epidermidis cum cute nexum ita ſublatum eſſe, eventus docuit, ùt fruſtratim eandem ſine moleſtiâ detraheret, malôque paulatim ulteriùs ſerpente, quicquid cuticulæ in extimâ çorporis ſuperficie oculis ſe ſe ſubjecerat, intra paucos dies exueret. Sicuti autem nulla hujus pelliculæ pars ſuam à cute ſeparationem ſubterfugere poterat, ſic quæ digitos plantaſque pedum ambit, præ cæteris tenaciùs adhæſit. Integras portiones chirothecarum digitis ſimiles, integraſque pedum plantas ſatis craſſas inter rariora mea domi ſervo, quas non ſine ſtupore plurimi conſpexerunt. Quamprimùm cuticula abſceſſerat, ſtatim nova adfuit prioris naturam ſervans, cutemque tam accuratè defendens ùt ratione tactûs vix quicquàm moleſtiæ ſenſerit puella. Totâ corporis peripheriâ novâ epidermide obductâ, puella ſatis commodè vivens, nilque mali metuens paulò poſt præter opinionem à regeneratis jam novis unguibus veteres hoſpitiô ſuô detrudi experiebatur: Quô ipſô etiam tempore capilli cuticulæ prioris adminiculô deſtituti, vel ſponte defluebant, vel ſcopulis ſetaceis leviter ſaltem pexi ſtationem deſerebant. Obſtupui, fateor, ad inſolitum hocce ſpectaculum dubius præprimìs hærens an ejus cauſa liquori illi, quem vulgus urinam bufonum eſſe credit (quô jure, vide apud *Thom. Browne*, *Pſeudodox. Epid. lib.*3. *cap.* 13. *p.m.* 612.) an verò lymphæ ſcorbuticæ, acri, corroſivæ & forſan peculiari modô corruptæ ſit aſſignanda. Prius exactiorem ſcrutationem vel propterea mereri putabam, quoniam certus eram dari venena, quæ certis ſaltem partibus, illæſis aliis, exitialia exiſtunt: ùt enim Cantharidum & ſimilium non faciam mentionem, in recenti memoriâ adhuc tenebam quæ ex *Linſchotano & Salmutho* Doctiſſimus *Segerus Ephemer. Cur. Dec.* 1. *an.* 4. *obſerv.* 88. de milite, qui poſt hauſtum Colocynthidis decoctum, deque Batavis, qui ex uſû hepatis urſi albi univerſalem cutis depoſitionem experti erant, refert: Forſan in dictô bufonum liquore ſimilem cuticulæ vim deleteriam, quæ hujus ſaltem, aliis partibus intactis, deſtructionem moliretur, latitare poſſe, ſuſpicio mihi erat, de quâ tamen cùm non omnes ad ſtabiliendam hanc conjecturam circumſtantiæ adeſſent, nihil certi ſtatuere volui. Satis autem apertè eandem refellebant illa quæ poſtmodùm circa dictam puellam obſervare licuit. Elapſô enim menſtruô poſt cuticulæ renovationem ſpatiô, incidit in quartanam, cujus pervicaciam cùm remediis expugnaſſem, illaque per aliquot menſes ſana vixiſſet, die 22. Januarii anni labentis febris continua ejuſdem, ut ſupra notavi, indolis, iiſdemque ſymptomatibus ſtipata eam invaſit, quâ decedente cuticulam univerſi corporis, intermediâ aquâ limpidâ mordicante, à cute ſeparatam cum unguium capillorumque inſequenti jacturâ, non ſine admiratione plures iterùm viderunt, utque ſerpentes poſitis exuviis in novam redire dicuntur juventutem, ſic noſtra puella depoſitô hôcce corporis integumentô, illius locô nitidiorem ac teneriorem, quæ faciei venuſtati non leve addebat incrementum, obtinuiſſe viſa eſt, cùmque hâc vice pyrum bufoniô venenô inquinatum non aſſumſiſſet, ſecundâ hâcce epidermidis renovatione docuit, noſtras de illô conjecturas fuiſſe lubricas, potiùſque ſcaturiginem mali ab humoribus acribus ſanguini anteà immerſis & per metaptoſin quaſi criticam ad peripheriam cutis in continuæ febris declinatione protruſis derivandam eſſe: Cùm autem humoribus acribus latum concedendum ſit imperium, diverſique effectus ſummam eorum differentiam arguant, quali ſpecificô charactere aut ſingulari texturâ in noſtrô ſubjectô præditi fuerint, cujus vi intra tam paucos menſes illud bis ſuâ privare potuerint epidermide, uti determinatû perquàm difficile videtur, ſic, ſi in re obſcurâ conjecturis inhærere licet ad veſicantium naturam proximè acceſſiſſe, non immeritò quis ſtatuere poſſet, cùm ſimili planè modô, uti poſt externum illorum uſum, ſic & in noſtrô caſu intermediâ quâdam aquâ cuticula abſceſſerit à cute. Cæterùm, quemadmodùm dubiô procul exoticæ ac acris illius materiæ aliquid in inſidiis remanſit, cujus occaſione recidivum ſecundâ vice malum de novô claſſicum cecinit, itâ parùm abeſt quin credam, ſi diutiùs in vivis manſiſſet dicta puella, eam ſæpiùs recrudeſcentiam hujus mali experiri, inque eandem ſcyllam incidere potuiſſe: Circa finem enim præteriti menſis Septembris denuò febre continuâ aliquot dierum detenta, illô fermè tempore, quô aliàs remittente æſtû febrili humores peccantes ad cuticulam motû criticô ſuccedere ſolebat, ſine ſuô forſan fruſtrati, ac propterea ad præcordiorum culinæque corporis regionem magis vergentes roſione partium nervoſarum ductuumque ſanguiferorum id efficiebant, ùt puella per aliquot dies atrociſſimâ cardialgiâ, vehementi ſanguinis vomitu, continuis fermè convulſionibus, cum aphoniâ & nonnullarum partium paralyſi conjunctis, miſerrimè excruciata, diem ſuum obiret.

Ibidem

Ibid. Obſervatio 125.

De variolis optimè jam ſuppuratis in veſiculas aquoſas ſubitò tranſmutatis.

Ibid. Obſervatio 126.

De variolis ex aëris calidiori regimine in anthraces quaſi & ſphacelationem totius corporis abeuntibus.

Ibid. Obſervatio 127.

De inſigni Enematum antipyreticorum uſu.

PRodiit non ita pridem in lucem ſcriptum doctiſſimi *Helvetii*, cujus titulus hic eſt: *Methode pour guerir toutes ſortes de fievres ſans rien faire prendre par la bouche i. e. Methodus quaſlibet curandi febres ſine ullius medicamenti per os exhibitione.* Qui jucunditate materiæ ad legendum huncce libellum invitati ſunt, illis ignotum eſſe nequit, Nobiliſſimum Autorem febrium, quibus inter morborum iliada corpora noſtra immenſâ phalange undique obvallantia vix occurrit frequentior, curationem ſolô ac frequenti ex famoſô illô cortice Peruvianô præcipuè concinnatorum enematum uſu, maſculè aggredi, eorumque ope contumaciſſimarum etiam certiſſimam polliceri medelam. Fateor, me ad primum hujus ſcripti conſpectum incerti admodùm fuiſſe animi, vixque comprehendere potuiſſe, quomodò tanta corticis moles, quam ad febres radicitùs evellendas, aliàs requiri novimus à craſſis inteſtinis ad maſſam ſanguineam, alioſque febrium nidos, penetrare queat. Interim ad exactiorem rei conſiderationem allectus cùm non viderim, quid periculi ejuſmodi clyſmatibus ſubeſſe poſſit, viro methodicè ſatis ea quæ ipſi anteà in arcanis fuerant edocenti, ac (quo nomine de omnibus cordatis decentes meretur gratias) publici juris facienti fidem nullô modô derogandam putavi, remque ipſam in diverſis ſubjectis tentans eandem quoad omnia cum promiſſis laudati Auctoris conveniſſe expertus ſum. Sex autem præcipuè fuêre perſonæ, in quibus non ſatis laudandum horum enematum effectum comperi; quarum primò N. N. Decanus alicujus Capituli apud Noſtrates quinquagenariô major, poſteà duæ fœminæ juniores, tres tandem diverſæ ætatis infantes optimô cum fructu iiſdem uſi ſunt. Quibus Perſonis vel propterea dictis clyſmatibus ſuccurrendum putavi, vel quod partim internorum medicaminum uſum reſpuerent, vel quòd profligatis toties quoties earum febribus, ſæpiſſimè tamen eædem non ſine medentis æque ac ægrotorum tædiô recurrerent. Tertiô vel ad ſummum quartô injectô clyſtere, paroxyſmus primâ diſparuit vice, ex quorum indefeſſâ continuatione (ſunt enim intra duodecim dies, 18. vel 20. ad minimum applicandi) tam perfectè omnis febrium fomes exſtinctus eſt, ùt quod ſanctè teſtor cum incrementô virium & ſine ullis recidivis, quarum aliquam nulli hactenùs accidiſſe recordor, perfectiſſimam omnes recuperârint ſanitatem. Quibus verbis uti quilibet bonâ fide accredere poteſt, (nullum enim ſecundùm Domini Helvetii methodum procedentem, de fruſtrà ſuſceptô labore unquam querelas moturum eſſe, cum illô & ego polliceor) ſic dicta de febribus ſaltem intermittentibus intelligi velim, cùm in continuis, benè memor, in his medicamenta ex dictô cortice parata, haud ſemper cum optatô propinata fuiſſe ſucceſſu, hujus experimenti ùt periculum facerem, cauta, quæ in Medicis requiritur, hactenùs permittere noluerit circumſpectio. Interim & hoc fateri cogor, cùm ad obtinendum in adultis febricitantibus finem ſalutarem, inque omnem recidivarum metum planè amovendum 16. vel 18. Cortic. de Peru unciæ conſumendæ ſint, hæ, utique notum, haud adeò parvi vendantur, non paucos, vel ob nummorum penuriam, vel ob majorem erga hos, quam corporis ſanitatem propenſionem à talibus pretioſis injectionibus fuiſſe alienos, hincque factum eſſe ùt in pluribus eorum vires experiendi occaſio hactenùs ſeſe non obtulerit. Ut autem penuriæ illorum, quibus curtior erat ſuppellex, aliquô modô conſulerem, omiſſô Peruvianô Cortice ex variis aliis, quæ paſſim contra febres ab Auctoribus commendantur, decocta fieri, eaque ſæpiùs ægrotantium inteſtinis infundi curavi, in quem finem præ cæteris Decoctum illud amarum, cujus aliàs uſum internum celeberimus ille Anglus *Richardus Morton Pyretolog. Exercit.* 1. *cap.* 6. *pag.* 110. non ſine causâ tantoperè extollit, elegi, ex cujus (omiſſô tamen ſale abſinthii ne juſtô citiùs ejiceretur) per ſyringam manè & veſperi ad 14. interdum 18. dies continuatâ injectione nonnunquam febres ad tempus ceſſârunt, paulò poſt tamen concitatiori motu reſurgentes; nonnunquam verò in eodem tenore perſeverantes eluſerunt quaſi omne, quicquid hôc modô in eorum interitum paratum eſſet, egregiô ſic documentô comprobantes, ex vegetabilium claſſe, præter memoratum corticem nondùm innotuiſſe, quod citiùs, tutiùs & blandiùs cunctarum indiſcriminatim intermittentium nodos ſolvere poſſit, ſubque cujus dominiô inſidioſæ alias & graviſſimæ febres evaneſcere ac ſuccumbere certiùs cogantur. Prodeat jam Helmontius cum Paracelsô, aliiſque clyſterum oſoribus; Glorietur ille *Libr. de Febr. cap.* 7. *ſ.* 8. *Nullum unquam per clyſteres eduxiſſe febres, quia loca febrili materiâ obſeſſa nec adire nec ſolari poſſunt*, ſanè uti Illuſtris ſocietatis noſtræ Præſes in doctiſſimô ſcholiô ad obſ. Helwig. 23. p. 83. nec minùs D. *Fridericus Hoffmannus*, vir poſt mortem etiam quôvis honore digniſſimus in *Meth. Med. lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 132. *& ſeq.* contra Helmontium & alios Enematum cauſam egregiè tutantur, ſic in ſpecie ſuperius ejus aſſertum ab hodiernâ ſufficienter refellitur experientiâ. Neque opus eſt, propterea valdè angamur, quòd illa febres non educant? credo enim plures mecum id non adeò expetere, haud ignorantes, educendi munus aliis evacuantibus ſuô tempore in febrium curatione non negligendis competere, eundem verò effectum in clyſteribus antipyreticis non deſiderari, qui ſufficienter ſuô funguntur officiô, ſi materiam morbi ab Educentibus intactam, vel etiam invincibilem aggrediantur, ejus texturam invertant, ità ùt fermenti vel fomitis febrilis naturam exuat, adque magis naturalem mixturam redacta turbas febriles denuò excitare nequeat. Talia autem à noſtris clyſmatibus optimè præſtari, ipſe loquitur effectus, ùt proindè non videam, ſi idem Helmontio olim notus fuiſſet, quomodo inficiari potuiſſet *quòd adeant loca materiâ febrili obſeſſa &c.* Per vaſa lactea & alia dubiô procul cognitionem noſtram adhuc fugientia ſubſtantiam cort. Peruviani à calore inteſtinorum magis attenuatam iter ſuum ad varias corporis partes inſtituere, atque ſic ad febrium ſedem ac genuinum locum pertingere, quid dicere vetat? Et ſi ratione viarum dubii adhuc eſſemus, ea tamen reverà adeſſe, certiſſima, quæ poſt talium enematum uſum effulget, teſtatur

tur ſanatio. Poſt injectum clyſtere vinum in muliere quâdam obortam fuiſſe inebriationem, notat *Borellus cent.* 1. *obſ.* 56. Pintam ſpiritûs vini per clyſmata infuſam homines fatuos & ebrios reddidiſſe, legitur *in Act. Ang. an.* 1668. Et quod magis mirandum, ſuppoſitoriis ex elleboro albo factis, eadem ſymptomata excitata fuiſſe,quæ iis, qui Elleborum ſumpſerunt, evenire ſolent,imò vitri antimonii granis tribus glandi inditis non ſolùm alvum copioſè motam, ſed & vomitus excitatos fuiſſe, jamjam laudatus *Hoffmannus loc. cit. pag.* 126. refert. Medicamentis catarticis umbilico ſaltem impoſitis multos benè purgatos eſſe quis neſcit ? Et quis cunctorum Amuletorum virtutes refragante experientiâ in dubium vocare audebit ? Quid, quòd ipſe cortex Peruvianus ſubtiliſſimè pulveriſatus cum ſapone nigrô in cataplaſmatis conſiſtentiam redactus ac febricitantium carpis admotus (referente ſic *Guilielmo Cole de febre intermit. cap.* 8. *p.* 209.) febres curare dicatur ? De talibus qui vel propterea dubitare vellet, quòd viarum, quæ tamen rerum naturalium ac Anatomiæ peritis haud adeò obſcuræ eſſe poſſunt, ignarus ſit, per quas ad morbi focum, vel veram operationis ſuæ ſedem eorum particulæ activæ transferantur, is ſanè adverſus Solem loqueretur, iiſque repugnaret, quæ ipſô effectû ſatis conſpicua negari nequeunt. Cæterùm de clyſteribus illis tam certò de quâvis intermittente febre victoriam reportantibus hoc ſaltem annectere placet,ea jucundam ulteriùs inquirendi anſam præbere, anne in poſterum ab aliorum,non quidem purgandi, ſed alterandi intentione ex ſpecificis in quôvis morbô concinnatorum frequentiori uſû plus auxilii, quàm hactenùs exſpectare liceat, præprimis ſi eidem methodo, quam Nob. Helvetius circa clyſmata ſua antipyretica nobis inculcat, cum debitis cautelis inſiſtamus ? Et ſanè cur aliorum ſpecificorum particulæ ſalutares eaſdem, vel ſimiles alias, quas cortex antifebrilis per Enemata injectus, permeare deprehenditur, penetrare nequeant, non video. Maximum certè curationis momentum in decenti erga quantitatem morbi remediorum proportione ſitum eſt,tantaque ſemper medicaminis debet eſſe copia, quantus affectus ; jam verò in morbis chronicis, aliiſque,in quibus propter varia obſtacula non adeò citò radices eorumque mineras evellere licet, quàm facilè ad medicamentorum internorum farraginem nauſeant ægroti, quàm tædioſus & moleſtus ipſis eorum continuus uſus exiſtit ? Utque non dicam, ex copioſis pharmacis faſtidium non poſſe non oriri, imò etiamſi in iis ſumendis faciles ſe præbeant ægroti, ventriculi tamen aliarumque annexarum partium functiones, vix ac ne vix quidem diuturnam eorum innoxiè ferre continuationem, parùm abeſt, quin planè mihi perſuaſum habeam, morbos tales vel propterea, quòd neceſſaria & cauſis eorum proportionaliter reſpondens quantitas medicamentorum exhiberi nequeat, refractarios demùm fieri, ſic ùt diuturniori morâ, magis radicati ad mortem uſque non rarò comitentur ægros. In ejuſmodi caſibus idoneis remediis per clyſmata frequentiùs ac copiosè miniſtratis plurimos ex ærumnis ſuis citiùs ac jucundiùs ſublevari poſſe, & recta ratio, & Enemata, quorum in hâc obſervatione facta eſt mentio, ùt fermè credam, ſuadent.

Ibid. Decur. III. ann. V. & VI. Obſerv. 20.

De Cyani virtute antihydropicâ.

GRatus ille orator, qui rem pauciſſimis expedire callet verbis; grati libri, qui reciſis iis, quæ minùs ad rem pertinent, tribus, ùt cum Plauto loquar, bolis & ſummatim lectorem inſtruunt. Sic Medici ipſi commendatiores habendi, qui, ſimplicibus ubi locus eſt, compoſitorum farragine ægrotis minùs exiſtunt moleſti. Reperiri autem ex illis talia, quæ maſculè, quod non rarò fruſtrà ab his expectatur, præſtant, ipſa loquitur experientia, ſolôque cortice peruvianô, & inventô non itá pridem remediô antidyſentericô, Ypecacuanhâ dictô, ſatis probari poteſt. Meminiſſe ſaltem hâc vice placet vulgaris illius cyani cæruleis floribus æſtivô tempore inter ſegetes copioſiſſimè creſcentis. In oculorum rubedine, inflammatione, lippitudine, morbô regiô &c. egregia hanc plantam ſuppeditare medicamina notum eſt iis, qui ejus unquam uſi ſunt operâ. Vim diureticam in eâ ſapor amarus ac nonnihil acris arguit: unde jam tum *Fridericus Hoffmannus*, Medicus quondam celeberrimus *commentar. in Pharm. Schrod. lib.* 4. *ſect.* 1. *p. m.* 464. ejus decoctum in hydrope incipiente propinatum aquas per diureſin eduxiſſe teſtatur. Eundem effectum nonnulli in confirmatô jam hydrope & quidem annô 1694. Ludeke *Hollberg.* molitor in *Kribbenaw*, & annô 1695. Thomas *Marck*, ruſticus pagi Dujen maximô ſuô commodô experti ſunt, referente ſic Henricô Buteniô dicti pagi Dujen æedituô, qui præteritâ æſtate faſciculum Cyani in manibus tenens, & propriæ infirmitatis ergô remedia ex me quærens interrogatus, quid cum cyano ipſi eſſet negotii, hoc regerit reſponſi: Domine Doctor: hanc herbam aurô quôvis judico cariorem. Noti enim mihi ſunt duo viri, qui hydrope aſcite graviter decumbentes ob ingentem pedum, ſcroti & ipſius abdominis tumorem incedere, vel domeſticis negotiis nequaquam ampliùs vacare poterant, imò quibus ſub ingenti ventris aquâ tumidi mole vix reſpirare licitum erat. Hi ſolô hujus plantæ decoctô ad plures dies in notabili quantitate calidè aſſumtô difficillimi aliàs morbi indolem refractariam optimô ſucceſsû edomuêre, colluvie nimirùm aquoſâ hinc in tanta per vias urinarias ſubductâ copia ùt uterque jam ex ærumnis ſuis ſublevatus integerrimâ fruatur ſanitate. Hinc, annectebat, notabilem hujus herbæ quantitatem colligere ſoleo, ùt, cùm de hydrope & ipſe metuam, illam, neceſſitate ejus exigente uſum, ſemper habeam in promtu. Hiſce quidem æditui verbis fidem habens, nomina tamen pagorum, ipſorumque ruricolarum, quos ope Cyani ab hydrope liberatos fuiſſe aſſeruerat, diligenter annotavi, ac datis occaſionibus in rei veritatem ſedulò inquirens ipſum ex animô & verè omnia retuliſſe comperi.

Ibid, Obſervatio 21.

De leuccorrhoeâ atrociſſimâ cum hæmorrhagiâ uteri alternatim affligente, deque Opiô in inſigni quantitate ſine noxâ ſumtô.

DEcennium fermè effluxit, cùm honeſta hujus loci Matrona, uxor Dn. H. C. D. annorum 46. temperamentique ſcorbutico-ſeroſi, fluore albô non interpolatô, ſed continuô, miſerè premeretur, ſingulis ferè diebus illuviem quandam tenuem per loca muliebria in notabili copiâ excernens. A multis jam huic malo ſubjecta annis parùm

parùm tamen ſollicita fuerat de ejus occaſione tollendâ: jam verò, cùm res manifeſtò in deterius inclinaret, poſt cauſam vulneratam remedia ex me, & aliis, anxiè quærebat, Medicis. Primâ vice cûm ipſi in hypocauſtô circumambulanti adeſſem, pavimentum, purgamentis albis undique conſpurcatum non ſine ſtupore vidi, quæ etiam, mirum ſanè dictu! in meâ præſentiâ ad aliquot, partitis vicibus, profluebant cochlearia. Præmiſſis talibus, quæ ab impuritatum hacce ſarcinâ ægrotam liberare, quæque aliquotiès iterata (neque enim tale Augiæ ſtabulum tam facili negotiô expurgatur) illam per cloacam corporis amovere poſſent, ad corroborantia, abſorbentia, ſubadſtringentia &c. tranſitus factus eſt, non neglectis ſuffumigiis contra uteri Rheumatiſmum longô aliàs uſû comprobatis. At quotquot etiam convocati ſunt Medici, contumaciâ ſcilicet morbi efficaciſſimorum medicaminum vim conſtantèr eludente, operam & oleum in curatione mecum perdidêre. Cunctis igitur ex votô parùm ſuccedentibus paulatìm dicta uteri purgamenta majorem acquirentes acrimoniam dubiô procul lacerando & rodendo partes genitales atrociſſimum excitârunt dolorem, quem haud diù pôſt horrenda excepit uteri hæmorrhagia, quâ durante ille mitior viſus eſt, qui verò ſtatim ac locô ſanguinis alba iterùm excernerentur menſtrua, ſemper recruduit, miſerèque miſeram tamdiù afflixit, donec novis quibuſdam ab humore acerrimô corroſis & reſeratis vaſibus ſanguis denuò quâ datâ prorueret portâ certiſſimas iterùm dolorum inducias, eaſdemque tot dierum, ſiſtens, quot ſcilicet Nectaris vitalis advertebatur effluxus. Et ſanè tantam noſtra ægra torturam, tot perſentiſcebat cruciatus, ùt jure eam tribus illis afflictis, de quibus *Tulpius obſ. lib. 3. c. 1. 2. 3.* fatetur, quòd eorum ferox calamitas & formidabile tormentum lacrymas vel infenſiſſimo hoſti excutere potuiſſent, adjungere queam; ardentibus hinc illam ſuſpiriis ſæpiùs expetiiſſe recordor, ùt, ſi in noſtrâ eſſet poteſtate, profluvium ſanguinis uterinum in perenni ſtatu conſervaremus, ſe malle cum hôc ipſam amittere vitam, quàm vel unicum momentum ineffabilibus illis ac ſæviſſimis angi doloribus. Ratio hujus dolorum remiſſionis non adeò obſcura poterat eſſe conſideranti, quòd ſanguis particulis ramoſis, chyloſis abundet, quibus uteri lymphæ admixtis, hujus acrimonia exedendi vim ad tempus depoſuit. Quæ forſan etiam cauſa eſt quare clyſmata ex cujuſvis animalis ſanguine in dyſenteriâ, & balnea ex ſanguine humanô in elephantiaſi tam ſalutaria nonnunquam exſtiterint, ut de his *Ballonius ap. Bonet. Labyrinth. Med. extric. ſ. 299. p. 610.* de illis verò illuſtris *Wedelius de Med. Extemp. Comp. ſect. 2. Cap. 5.* p. m. 83. teſtantur. Sed ùt ad propoſitum revertar, noſtra ægrota, cùm, quod in votis habebat, à Medicis præſtari non poſſe videret, nullumque ex tot remediis perciperet fructũ, conſtanti animô hujus mali in nonum uſque menſem tolerabat tyrannidem, quô tempore enormi & ſubitaneâ iterùm correpta hæmorrhagiâ è vivorum emigravit contuberniô. Doleo adhuc, mihi & aliis corpus aperiendi denegatam fuiſſe libertatem, quâ aliàs impetratâ uterum cancroſis & phagœdenicis ulceribus defœdatum, pluraque curioſa nos reperturos fuiſſe nullus dubito. Cæterùm cùm in decurſu hujus morbi ad intenſiſſimos dolores mitigandos opiatorum opus eſſet uſû, de iis ùt annectam operæ pretium duco, quòd ægrota initiô ex granô unô laudani quotidiè aſſumtô aliquantulum levaminis ſenſerit, ſingulis verò hebdomadibus, ſi quicquam emolumenti exindè capere deberet, dicta doſis unô granô augenda fuerit, ita ùt paulò ante obitum ad ℈j. vel grana XXVI. dictô Laudanô ſingulis fermè diebus uteretur, non majorem nunc indè, quam initiô ex granô unô percipiens utilitatem. Quâ occaſione Baronis de F. arthriticis doloribus perpetuò fermè obnoxii recordor, qui olim in diverſoriô hujus loci ſub ſignô aurei Angeli ad aliquot commorans dies, mecum de morbô ſuô communicabat, interque alia referebat, ſe jam viginti duorum Medicorum in diverſis degentium locis operam imploràſſe, exque variis ab ipſis propoſitis remediis nullũ Opiô ſalutarius deprehendiſſe; hoc unicũ eſſe illud, quod ferociam ſui mali edomare poſſet, unde à longô tempore ſe ita illi aſſueviſſe, ùt, ni quotidiè bis, manè nimirùm & veſperi, XXXIII. grana Opii crudi deglutiret, nil certiùs quam acerbiſſima artuum tormenta ipſi expectanda eſſent, vix ùt dicta crederem adduci potuiſſem, niſi me præſente tribus vicibus conſuetam opii doſin devorâſſet, ex quâ benè habens id ſaltem incommodi ſentiebat, quod nunquam niſi ope clyſmatum deponeret alvum. Sed cùm ſimilis farinæ obſervationes in hiſce Ephemeridibus paſſim reperire liceat, plurà de hâc materiâ non addo.

Ibid. Obſer. 22. De Abſceſſu hepatis ex temeràriô Opii uſu feliciter tandem curatô.

Ibid. Obſer. 23. De inſigni hepatis fruſto in ipſa bombardæ exploſione per exiguam plagam extra Corpus proſiliente.

Ibid. Obſervatio 24.
De Hæmoptyſi periodicâ plurium annorum.

Ibid. Obſerv. 25. De ſanguinis ſputo ex neglecto venæ ſectionis & cucurbitularum uſu.

Ibid. Obſerv. 26. De miſeriis ex Podagra recurrente illatis.

Ibid. Obſer. 27. De Puerperæ cujuſdam epilepſiâ funeſtâ ex ſonô campanarum.

QUanta ſoni in corpora animantium ſit efficacia, beatus *Morhoſius* (cujus præmaturum ex hâc vitâ diſceſſum meritò totus luget adhuc orbis eruditus) eleganter ſatis in *Diſſ. de Scyphô vitreô per certum humanæ vocis ſonum ruptô* oſtendit. Ipſa bruta nonnunquam à ſonis mirè affici notum. Tubarum & tympanorum ſonô in conclavi excitatô inſequenti die ſatis moleſtam aliàs gryllorum turbam exanimem inventam eſſe, doctiſſimus teſtatur *Lidelius Dec. 2, ann. 7. obſ. 46.* Ipſe canem jam in ædibus meis alo, qui ad quemlibet chelys vel alîus inſtrumenti muſici ſonum lamentabili ejulatû tamdiù hinc indè diſcurrit, donec vel fuſtibus abigatur, vel ipſius muſicæ adſit finis. Ridiculum, quod nonnulli ad lyræ ſonum ab urinæ redditione ſe continere non potuerint, uti id aliquot exemplis *Dec. 1. ann. 1. obſ. 134.* confirmatur. In ſpecie verò ùt de campanarum ſonô nonnulla addam, quendam quotiès eundem audiebat, hæmorrhagiâ narium correptum eſſe, teſtatur Excell. *Blancardus Collect. Phyſ. Med. Cent. 6. Num. 74.* Alios exindè in animi deliquia, alios in Epilepſiam incidiſſe paſſim apud fide dignos legitur Auctores. Exitialis præteriti anni Menſe Februariô fuit hic loci honeſtæ cuidam puerperæ campanarum ſonus, quæ ex difficillimis partûs laboribus mirum in modum enervata acutâ admodùm febri malignitatis præ ſe ferente notas detinebatur. Omni induſtriâ neceſſaria morbo oppoſui medicamenta; neque ſpes de ipſô feliciter tollendô vacillavit, præſertim cùm in nonum uſque diem ſymptomata vel mitiora apparerent, vel ſi quæ graviùs ægrotam afficerent, eorum tamen furor adhibitis adhibendis haud adeò operosè infringeretur. Accidit autem circa quartam pomeridianam dicti noni diei, ùt in vicinô templô vix

vix trigintá paſſuum intervallô à cubiculô, in quô illa decumbebat, diſtante, ad feſtum ſequentis diei populô intimandum, omnes ſubitò pulſarentur campanæ, quarum ingenti ſtrepitû & ſonô non parùm commota noſtra puerpera in acerbiſſimas totius corporis incurrit convulſiones, ſpumâque copioſâ ex ore prorumpente, tam dirum patitur morbi comitialis paroxyſmum, ùt viribus exin magis labefactatis ab illô tempore ejus calamitas ingraveſceret, omniaque interitum minari viderentur. Ego totô pectore conſternatus, ſedulò ſaluti ejus invigilans, ſollicitâ medicaminum exhibitione epilepticos quidem inhibui inſultus, non tamen impedire potui, quin inſequenti die, admodùm campanis iterùm concrepantibus, delirans & valdè anxia ægrota, etiamſi aures ſibi obturari curâſſet, ter quatervè terribiliter convelleretur, proſtratôque ſic omni virium robore paulò pòſt inter preces & ſuſpiria adſtantium placidè obdormiret. Cæterùm uti initiô hujus obſervationis memorata exempla ad nonnullorum idioſyncraſiam referenda ſunt, ſic hoc, quod addidit, terroris potiùs arguere efficaciam, quilibet videt.

Ibid. Obſervatio 28.

De Repentinâ ex terrore cæcitate cum inſequenti epilepſiâ feliciter ſanatâ.

Ibid. Decur. III. ann. IX. & X. Obſerv. 1.

De Febre Lethargicâ in ſtrabiſmum utriuſque oculi deſinente.

Ibid. Obſervatio 2.

De Herniâ pubis ab obſtetrice quâdam pro utero habitâ, ac peſſimè tractatâ.

Nocivos inter errores, quos ab imperitis obſtetricibus ſæpiùs committi quotidiana docet Praxis, meritò ille, quem jam referendi animus eſt, locum habet, dignus ſanè, cujus hic aliqua fiat mentio. Mulier quadraginta circiter annorum, venditione Malorum Citriorum hic loci victum quærens, anno 1694. incidit in contumaciſſimam alvi conſtipationem ac torminibus colicis miſerè torquetur, ſuccedente mox continuô vomendi conatû cum anxietatibus præcordiorum. Prout igitur mos obtinuit, ùt mulieres in ſuis morbis priùs vetulas ac obſtetrices, quàm expertos ad auxilium vocent Medicos, ſic & illa, de quâ nobis ſermo eſt, earundem quandam accerſi curat, remedia ex eâ anxiè expetens. Obſtetrix plurima de uterô malè affectô blaterat, ac ipſi unicè cauſam morbi adſignat; id quod audaciùs multò affirmat, dum denudatô abdomine in inguine ſiniſtrô protuberantiam quandam gallinacei ovi magnitudine advertit, quâ conſpectâ, uterum à ſede naturali diſceſſiſſe, eumque ob id indignabundum, tormina & alia ſymptomata ciere imprudenter exclamat, addens ſui jam officii eſſe ùt eundem contrariô motû ad naturalem redigat locum, quô factô futurum, ut quævis mala iterùm evaneſcant. Quid fit? Ægrota dictis obſtetricis verbis aures præbens hujus fidei & curationi ſe committit, at infauſtô admodùm eventû, Illa enim ter quatervè quotidiè infirmam accedit, repoſitionique putatitii uteri operam dans, tumidam partem premit, fricat, vellicat, trudit, pellitque verſus interiora, nihil interim remittente malô, quin potiùs eôdem magis magiſque in deterius ruente. Hinc permotus maritus, meum efflagitat auxilium, ùtque citò citiùs ad ejus me conferam uxorem ſummoperè petit. Adſum ſtatim ac miſeram in deplorandô invenio ſtatu, fœtidas jam & ſtercoreas copioſè evomentem ſordes, Quæro ex maritô, num in uxore unquam vel umbilici, vel pubis obſervaverit herniam. Reſpondet ille, planè ſibi ignotum eſſe, quid herniæ nomine veniat, (*Er wiſſe nicht, was ein Bruch zu ſagen ſey?*) benè quidem ſe ſcire, quòd uxor ab aliquô tempore quendam in pube ſenſerit tumorem, haud tamen ſe credere eundem adhuc adeſſe, cùm adhibita obſtetrix illum nil aliud quàm uterum fuiſſe perhibuerit, qui ſede ſuâ naturali relictâ ſiniſtrorſum verſus oberraverit, cuncta præterea enarrabat, quæ ab illâ ad reponendum uterum hactenùs peracta erant, annectens, juratô fermè eandem edixiſſe quòd ille jam debitum iterùm occupet locum, factisque omnibus quæ ſui muneris eſſe putaverit, Medicus jam ſit conſulendus, qui cæteris accidentibus idoneô ſubveniat auxiliô. Impetratâ tunc licentiâ inſpiciendi locum affectum, Bubonocele oculis ſtatim occurrit, omnium malorum, quæ hactenùs Ægrotam excruciârant, vera cauſa; At, quod maximè dolendum erat, tumor à peſſimâ obſtetricis contrectatione, violentis truſionibus, frictionibusque inflammatus, planè ad ſuppurationem tendens, mirum ſumſerat incrementum ad labia uſque pudendorum jam proſerpens. Deteſtor temerariæ hujus vetulæ frivolum omninò facinus, injectiſque nonnullis clyſmatibus, ac per os exhibitis iis, quæ emolliendi virtute prædita alvi exonerationē promovere poſſent, brevi, Deo ſit laus! ejus naturalem iterùm obtinuit apertionem, cum vomitûs ſtercorei notabili remiſſione, meliorique paulò poſt adſpirante ſanitatis aurâ. Ulceris interim, quod ſpontè apertum, puris ingentem eructavit copiam, Chirurgo cuidam commiſſa eſt curatio, cujus dexteritate & diligentiâ iſtud quoque, licèt poſt aliquot demùm menſes, feliciter conſolidatum; Quot verò moleſtiæ ac tædia intereà ægrotæ; tum ob dolores exin obortos, tùm ob ægritudinem animi, quam ob partium genitalium quotidiè repetitam deligationem pudor naturalis cauſabatur, fuerint devorādæ, norunt omnes, qui tū tēporis cum illâ converſantes ob puniendā obſtetricis temeritatē haud adeò fauſta huic apprecabâtur.

Ibid. Obſervatio 3.

De morſu canis non rabidi leviori, at pernicioſô.

Anni 1689. undecimô Aprilis, circa mediam noctem vocatus ad Dominum M. 22. annorum, ſtudioſum Juris, ac cujuſdam hujus loci Senatoris filium, in mirô eundem deprehendo ſtatu; ſitiebat vehementer, corpus hinc indè jactitabat, anxius valdè erat circa præcordia, ſpaſmus aderat cynicus, & artuum præcipuè notabilis convulſio. Statim ſibi pereundum eſſe putans, de reſtitutione plenariâ omninò deſperabat. Interim nec ullum paſſionis Colicæ nec febrilis invaſionis præſtò erat ſignum: Pulſus equidem quôdam modô celerior percipiebatur, haud verò præceſſerat frigus, horror, pandiculatio, dolor lumborum, & qui hujus farinæ ſunt alii febrium vel intermittentium vel continuarum præcurſores. Sæpiùs in hæc verba vociferando, vel ejulando potiùs prorumpebat: Væ meis manibus emortuis jam & ſtupidis, ita, ùt eas vix ampliùs ſentiam! Quas propterea inſpiciens, eryſipelaceô quôdam colore tinctas vidi, dextrâ tamen præ ſiniſtrâ magis rubente. Cœnaverat præcedenti veſperâ adhuc benè, & optimô cum appetitu cibum ſumſerat; duabus verò pòſt horis, dicta ſubitò ipſum invaſerant ſymptomata, quibus tempore mei acceſſûs magis magiſque exagitabatur. Inquirenti mihi ſedulò in eorum cauſam, ſuſpicio, haud ſine ratione, aſſumti in cœnâ forſan cum eſculentis vel potulentis veneni oboriebatur, undè citiſſimè Tartari Emet. M. grana

grana duo ipſi exhibui, additâ mixturâ quâdam alexipharmacâ, vomitorii operatione finitâ, cochleatim ſumendâ. Quô factô domum redux, lectum peto ſomnô fruens, ſextâ verò matutinâ ad ægrotum denuò me conferens, eundem ſemel ſaltem amarulenta quædam evomuiſſe, uſurpatis verò poſteà dictæ mixturæ aliquot cochlearibus, per duas horas ſomnum cepiſſe cognoſco; Anxietas quoque quôdam modô remiſerat, convulſionibusque pacatioribus viſis ùt reſiduô mixturæ utatur & corpus ad blandum componat ſudorem, injungo. Circa undecimam meridianam, rursùs ipſum viſitans, paululùm quidem eum ſudâſſe, anxietates verò & cætera ſymptomata recruduiſſe comperio, ità, ùt quò ſe verteret, neſciret; Mira inſuper digitorum dextræ præſertim manûs contorſio & retrorſùm verſus incurvatio advertebatur, unde exquiſitiùs eam contemplans, haud procul ab articulatione carpi cum brachiô in illâ regione, ubi pulſus explorari ſolet, exiguum aliquod vulnuſculum, vel potiùs fiſſuram acutô quaſi inſtrumentô inflictam ac cicatrice jam obductam conſpicio; Interroganti mihi, quænam ejus cauſa, reſpondet Pater, heri circa quintam veſpertinam filium cum cane ei familiari luſiſſe, hunc verò, poſtquam ipſum aliquatenùs irritârat, levi eum petiiſſe morsû, unde, quicquid viderem vulnuſculi, eſſet ſuperſtes. Neque tamen veroſimile ſibi videri, præcipuè cùm canis non fuerit rabidus (quem datô alliciebat ſignô, ſatiſque comiter & ſine ullô furoris veſtigiô hero ſuo & omnibus præſentibus adblandientem, mihi monſtrabat) occaſione inflicti vulnuſculi ejuſmodi horrendam ſymptomatum ſyndromen produci potuiſſe. Ad quæ, vel maximè id fieri potuiſſe, regeſſi, peſſiméque cum Ægrotô actum fuiſſe, oſtendi, quòd tamdiù veram ejus infortunii cauſam celaverint; Quam unicè igitur dicto canis morſui adſcribens, partem læſam ſcarificari ac cucurbitulam ei imponi jubeo; Quæ adminicula cùm ille admittere nollet, aquâ ſalsâ vulnus fricari, remotâque ſic cicatrice, Topicum ex Aq. Theriac. camph. & aliis calidiſſimè ſæpiùs imponi curo; Poſteà datis aliquot doſibus ſalis volatilis viperarum, paulatim quævis evanuêre ſymptomata, ac brevi profecit ita ægrotus, ùt optimè cum priſtinâ in gratiam rediret valetudine.

Apparet ex hiſce luculenter, in omni morſu cavendum eſſe, etiamſi non rabiat animal. Haud equidem Ballonio adſtipulari poſſum, qui referente ſic Bonetô *Labyr. Med. extr. p.* 353. *ſ.* 93. quemlibet canis dentem virus gerere aſſerit; Neque hôc in negotiô ſalivæ caninæ per inflictam plagulam ſanguini communicatæ tot miſeriarum cauſam tribuerem, quin potiùs facerem cum iis, qui in ſimilibus morſibus ab animalibus haud venenoſis illatis, nihil veneni ad ſanguinem læſi ſubjecti pertingere, ſed quævis ſymptomata à nervoſarum fibrillarum per morſum excitatâ vellicatione, lancinatione, diſtenſione ac ſpaſmodicis per conſenſum aliarum partium contractionibus oriri judicant, uti hanc ſententiam Doctiſſimus Dominus Melchior Friccius *Paradox. Med.* 7. *p.* 171. *&* 195. *ſeq.* haud pridèm optimis corroboratam argumentis erudito exhibuit orbi. Cæterùm non planè inaudita me hìc propoſuiſſe, docet inſtitor ille, cujus *Martinus Liſterus Exerc. de Hydrophob*, *p. m.* 127. meminit, qui demorſus à cane non rabidô, per plurimos annos ſubindè in quâcunque corporis parte, præſertim in pene, ſæviſſimos percepit cruciatus. Sic Foreſtus *obſ.* 27. *l.* 10. *de Cerebri Morb*, de Monachô quôdam refert, quòd à caniculâ; quam in ſinu fovit, dùm confeſſioni vacaret auriculari, in labiis commorſus ſit, ex quô poſteà factus fuerit rabioſus; Cui hiſtoriæ in ſcholiô ſubnectit Exemplum, celebris illius Jac. Baldi, qui, itidem ludendo cum ſuâ caniculâ, morſus, ac in maximâ rabie & metû aquæ extinctus eſt. Diſcant hinc illi, quibus canum in deliciis eſt conſortium, nè temerè nimis ipſorum fidant blanditiis; Facilè namque fieri poteſt, ùt & hi adulatorum æmulentur mores, qui dum maximè adblandiuntur, ſummam non rarò intentant perniciem.

Ibid. Obſervatio 9.

De Ipecacuanâ famoſô illô contra Dyſenteriam ſpecificô.

Ibid. Obſervatio 11.

De inſectorum ovis ſine præviâ maris cum fœmellâ conjunctione nihilominùs nonnunquam fœcundis.

OVa, quæ vocant ſubventanea, ſterilia eſſe, neque pullos ex iis excludi, vel propterea hactenùs omnes unanimiter ſtatuerunt, quòd, quanquam in ovô omnium omninò partium rudimenta contineantur, neceſſarius tamen cum eô maſculini ſeminis ſit contactus, utpotè cujus beneficiô illa in actum deducantur, ac talem novi motûs acquirant impreſſionem, quæ à ſolô mare in fœminam amplexûs tempore transfunditur, & ſine quâ ova neutiquàm dici queunt fœcunda. An in quôvis Animantium genere ſemper hæc ità ſe habeant, in mediô relinquo; Neque enim in re tam arduâ, ubi recta quidem Ratio in affirmativam inclinat; Experimenta interim de ſingulis tot viventium Creaturarum ſpeciebus ſumere haud ulli datum eſt, certi quid aſſerere auſim, præſertim cùm nec apud Auctores, qui de Generationis negotiô ſuas hactenùs communicârunt meditationes, contrariæ ſententiæ multa invenire liceat teſtimonia. Scripſit interim paucis abhinc annis Ingenioſiſſimus D. *Stephanus Blancardus* ad celeberrimum D. *Joh. Lud. Hannemannum* (quorum utrumque tanquam amicum ſincerum & optimum colo venerorque) ſe poſſidere araneam, quæ quatuor annis peperit ova, ex quibus iterùm araneæ ſunt productæ: ſe tamen poſſe affirmare, quòd nullus maſculus adfuerit, ſemper tamen procreatæ ſunt araneæ &c. Uti hoc proſtat *Ephem. ann.* 3. *Dec.* 3. *Obſ.* 55. *p.* 65. Oppidò ſanè rara legenti mihi viſa ſunt talia, præcipuè cùm rationem locô citatô additam eſſe, nimirùm omnia inſecta Hermaphroditas, & utriuſque ſexûs, haud potuerim comprehendere; ſcrupuluſque conſtanter hactenùs animo inhæſerit, etiamſi animal quoddam ſit hermaphroditicum, genitalibuſque inſtructum utriuſque ſexûs, haud tamen hinc aptum videri, ùt in ſeipſum pro lubitu agat ac ea exerceat, quæ tam à mare, quàm fœmellâ ad congreſſum & fœcundationem requiruntur; Quanquàm clariſſimum *Hannemannum*, prout l. c. aliquatenùs promiſit, hunc nodum doctè & pro more ſuô, aliquandò fore ſoluturum, nulla mihi ſit dubitatio. Uti verò & ipſi Blancardianæ de araneis obſervationi fidem denegandi haud eſt animus, ſic, quôminùs id fiat, ſequentia me impellunt. Ante tres circiter annos, ſub finem Junii, dum in hortô meô intra mœnia hujus urbis ſitô obambulo, fortè fortuna chryſalidum (uti ità erucas primâ vice in ovale utplurimùm vel ſimilis figuræ corpus transformatas appellare ſolent) quædam ſpecies è foliis Ribeſiorum propendens, meô ſe

ſe offerebat conſpectui, colore fuſca ac quoad magnitudinem haud quaquam inter minores referenda. Ego, ùt viderem, quale aliquando exindè proveniret animalculum, eandem ſub vitrô in ædibus ejuſdem horti abſcondidi. Circa finem Julii ejuſdem anni prodiit Papilio formoſus, ex albô flaveſcens, hirſutus quôdam modô & ſatis magnus, ſimilis fermè illi, quem curioſus ille quondam Medioburgenſium Pictor Joh. Gœdartus *Hiſt. Nat. inſect. Part.* 1. *Experim.* 33. delineat, niſi quòd noſter illum magnitudine longè ſuperaret. Accuratè eum ſub eôdem ſervavi vitrô, ità, ùt nullius animalculi conſortiô frui poſſet: Præteritis aliquot diebus copioſiſſimè edidit ova, quô factô paulatim tabidus fuiſſe certus eſſem, & propterea ejus ova ſubventanea ac ſterilia eſſe judicarem, vix ampliùs eorum habui rationem, relictis interim iiſdem oſcitantiùs & ſine omni curâ ſub dictô vitrô per totum tempus hyemale. At præter opinionem rem aliter cecidiſſe; ultimi fermè Aprilis inſequentis anni comprobavêre dies, quô tempore forſan poſt varios labores ægrotorum ergò exantlatos; ad aliqualem in Hortô tùm Animi, tùm Corporis quærendam quietem, jucunda veris me invitaverat aura. Properans igitur ad ædium conclave, in quô ova ſub vitrô antecedenti aſſervaveram annô, hoc in eôdem adhuc ſitu deprehendi; Ad ipſa verò Ova oculorum vertens aciem, non quidem illa, ſed eorum locô minutiſſimas erucas intenſâ conſpicuas nigredine huc illucve repentes obſervavi, quæ poſteà Microſcopiô luſtratæ, hirſutæ, & quoad omnes partes ſatis perfectæ conſpiciebantur. Fruſtrà equidem iis alimentum quæſivi, cùm, quodquod etiam ex diverſis plantis, fruticibus, vel arboribus apponerem, nullum tamen ad eorum videretur eſſe palatum; Undè quoque decenti ſuô carentes pabulô brevi expirârunt, hoc ſaltem atteſtantes, inſectorum ova ſine maſculi cum fœmellâ edita conjunctione non ſemper exiſtere ſterilia.

ALBUCASIS. Nomen eſt ſuppoſititium, ſub quô Alſaharavij, Opera Chirurgica verè eximia fuêre evulgata; ut ſatis manifeſtè demonſtratur à Clariſſ. Doctore Freind, in ſuâ Medicinæ Hiſtoriâ: Ac propterea Opera illa genuino ſuo Autori propriô locô reddemus.

ALBULCASIS. Medicus Arabs, Meſues Contemporaneus, qui de Medicamentorum præparationibus librum ſcripſit.

Vix recenſeri meretur hic articulus, ex Moreri Dictionariô exſcriptus.

ALBULEIZOR, *ſeu* ALGOVAZIR, vixit circà A. C. 1165. *Juſtus in Chronologiâ Medicâ.*

Ex eo habetur

De curatione Lapidis Tractatus, qui extat inter ſpurios Galeni libros, & cum parvis Rhaſis Opuſculis. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1497. in fol.

ALBUMAZAR, *vel* ALBOASSAR. Philoſophus, Medicus, & Aſtrologus inſignis, natione Arabs, educatus tamen in Africâ. Plurima conſcripſit, de quo vide Geſnerum in *Biblioth.* Joſ. Blanc. in *Chronol. Mathematicorum.* Voll. *de ſcien. Mathem. c.* 35. *ſ.* 4. *vixit ſeculô* 9.

ALCADINUS, *ſive* ALCADIMUS, Siculus, &, ni fallor, Syracuſanus ex Garſinô Syracuſanô ortus, Salernum ſe contulit, ùt ibidem literarum ſtudiis operam daret: Ob ingenij felicitatem, emenſô brevi temporis tractû Philoſophiæ ac Medicinæ curriculô, eâ doctrinæ præſtantiâ locupletatus effulſit, ùt in eadem urbe has facultates non ſine maximâ laude, docuerit: hinc magnam nominis celebritatem adeptus: eximii Medici opinione claruit: adeò ùt ſinguli Principes, ac Dynaſtæ ad ſalutis tuitionem eum apud ſe habere ſemper maximè cuperent. Henricus VI. Imper. Neapolim appulſus, cùm lethali morbô laboraret, ab Alcadini doctrinâ fuit priſtinæ ſanitati reſtitutus; ideòque Imperatori gratiſſimus, ab ipſô muneribus, opibuſque, cumulatus eſt. Defunctô Henricô, Medicus etiam Friderici II. Imp. fuit cujus rogatû de Balneis Puteolanis elaboravit, opuſculum latiis numeris concinnatum, ùt Friderico, Poëſis amantiſſimo, morem gereret. Præſtantiſſimus hic Medicus, ac Poëta claruit ann. 1191. ac fatô ceſſit annos natus 32. De eô Geſnerus *in Biblioth. p.* 22. & ex eô Coronelli *in Biblioth. tom.* 2. *n.* 3506.

Ex eô habetur

De *Balneis Puteolanis.* Extat in librô inſcriptô; *de Balneis omnia, quæ extant apud Græcos, & Arabes.* Venetiis apud Juntas 1553. in fol. & in librô, cui titulus: *Opuſculum de Balneis Puteolorum, Bajorum, & Pithecuſarum à Joanne Eliſiô Medicô inſtauratum, denuò à Scipione Mazzellâ Neapolitanô recognitum &c.* Neapoli apud Horatium Salvianum 1591. in 8. in quô *pag.* 43. Alcadini elogium legitur. Jo. Franciſcus Lombardus in librô *de Balneis Puteolanis*, editô in Italiâ illuſtratâ, penè omnia Alcadini in opuſculum ſuum exſcripſit. Edidit Alcadinus ex Geſnerô.

De Triumphis Henrici Imp.

De his quæ à Friderico II. Imperat. præclarè, ac fortiter geſta ſunt.

Hæc ſcripſiſſe etiam patet ex epigrammate, quô ſuum de Balneis opuſculum Friderico Cæſari nuncupavit; ex eô etiam deducimus, quòd Annales Cæſarum moliebatur. *Anton. Mongitor in Biblioth. Siculâ.*

ALCANAMOSALUS *ſeu* CAMAMESALUS, de Baldach, Armenius.

De eô extat

De Paſſionibus Oculorum Liber; qui reperitur cum Chirurgiâ Guidonis aliorumque, Venetiis, apud Andr. Aſulanum. 1499. & 1500. fol.

ALCASAR (*Andreas*,) Guadalaxarenſis, Medicæ Artis Profeſſor in Salmanticâ Academiâ primarius: Rodericô à Caſtrô in Med. Politico, *p.* 68. *dicitur Andreas* Voloacer.

De eô extant

Chirurgiæ Libri VI. in quibus multa Antiquorum & Recentiorum ſubobſcura loca, hactenùs non declarata, interpretantur. Salmanticæ, apud Dominic. à Portonariis, 1575. fol. De vulneribus capitis liber. Ibid. 1582. fol.

ALCAZAR (*Ludovic. del*) Hiſpalenſis; Scripſit de Malis Medicis opuſculum. Lugduni. f. 1631.

ALCHINDUS (*Jacobus*) Author eſt, inquit *D. Freind, Hiſt. Med. part.* 2. Tractatûs, qui hodie adhuc ſupereſt, *de proportione & doſi Medicamentorum compoſitorum*, ipſi & maximè videtur idem eſſe ac famoſus ille hujus nominis Peripateticus, qui regnante Almamone vixit. Hic Auctor virtutes Medicamentorum ad Arithmetices & Muſices normas redigere conatur. At Averrhoes meritò putat eum ſubtiliter nimis egiſſe, nec id opus meræ tantùm eſſe ſpeculationis; ſed etiam nullius rationis fundamentô ſuperſtructum.

Ex eô habetur

De Medicamentorum compoſitorum Gradibus Tractatus, qui extat cum Meſues operibus: Item cum Tacuinis Sanitatis Elluchaſem Elimithar. Argentorati, apud Johannem Scottum, 1531. in fol. Et Patavii, apud Mareſchallum, 1584. in 8. cum ejuſdem argumenti aliis Autoribus.

ALCINOUS, (*Platonicus*)

De eo extant

De corpore, membriſque hominis, atque animæ viribus caput: & alterum de cauſis morborum, extat lib. de Doctrinâ Platonis, qui Græcè & Latinè editus eſt Lutetiæ, apud Mich. Vaſcoſanum 1532. in 8.

ALCMÆON, Philoſophus Crotoniates, Pythagoræ Diſcipulus, Medicinæ præſertim addictus.

De eô ſic D. Clericus Hiſt. Med. part. 1.

Nomen Alcmæonis jure ad poſteritatem pervenit ſi ut ſcripſit antiquus Platonis Commentator *Chalcidius in Platon. Timæô*, primus ille fuit qui animalia diſſecuerit, ùt edîſceret partium, quibus conſtent, ſtructuram. Mirum eſſe debet Anatomiam ità ſerò in Medicis rebus locum adeptam eſſe, vix etiam concipiatur Medicorum nomine imò Chirurgorum fuiſſe donatos, qui nè animal quidèm unum incidiſſent. Cùm Alcmæonis ſcriptis temporum edacitas non pepercerit, pauca admodùm quæ de ejus Anatomiâ nobis noteſcunt, in priſcis quibuſdam Auctoribus reperiuntur, atque ea ipſa ad Phyſiologiam magis pertinent. *Galenus in Hiſt. Philoſoph.* refert, eum crediдiſſe auditum ab eô fieri, quòd aures intùs vacuæ ſint, quòdque loca vacua omnia reſonent, quandò ad ea vox penetrat. *Ariſtoteles Hiſt. animal. lib. 1. cap. 11.* illum etiam, ait crediдiſſe capras aërem partim per aures ducere. Odoratum quod ſpectat, animam dicebat, cujus, juxta ipſum, præcipua pars cerebrum habitat, eſſe odorum, qui halitû trahuntur, receptaculum. Ex humiditate, calore temperatô, mollitieque ſuâ volebat ſapores à linguâ diſcerni poſſe, ſemen Cerebri partem eſſe; fœtum propterea in uterô matris ali, quòd pabulum ſuum cuncta per corporis ſui loca, utpotè ſpongiæ ad inſtar exteriùs poroſi, ipſe alliceret. Eô judice, ſanitas à caloris, ſiccitatis, frigoris, humiditatis, imò dulcedinis, amaritiei, earumque talium qualitatum æqualitate pendet, morbos è contra originem ſuam habere aſſerebat, ex eô quod ex his qualitatibus altera alteram ſuperaret, adeòque earum coalitum connexionemque deſtrueret.

ALDEGRETTUS (*Aldegrettus.*) Patricius Patavinus, in Lycæô Patriô Medicinam per 34. annos magnâ cum celebritate docuit, & dum peſte correptos aſſiduè curabat, obiit annô 1631. 58. annos natus. Typis vulgavit Tractatum de Lue Venereâ ex ore Herculis Saxoniæ añô 1597, exceptum.

ALDES (*Theodorus*;) Anglus.

De eo extant

Diſſertâtio Epiſtolica de Generatione Animalium, contra Harveium Amſtelod. apud Petrum Van den Berge, 1666. in 12. Extat etiam cum celeberrimorum Anatomicorum, Severini, Caſtrenſis, Jaſolini, Cabrolii, variis opuſculis Anatomicis. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1668. in 4. Item cum Johannis Georgii Volcameri Collegiô Anatomicô concinnatô ex Clariſſimis Triumviris. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem. Item cum Dan. le Clerc & J. Jac. Mangeti Bibliothecâ Anatomicâ, Genevæ, apud Joh. Anton. Choüet, 1685. in fol.

Obſervationes naturales in Ovis factæ, Amſtelodami, 1673. in 12. Extat etiam cum Dan. le Clerc & Joh. Jac. Mangeti Bibliothecâ Anatomicâ, Genevæ, apud Joh. Anton. Choüet, 1685. in fol.

De Urinâ. Extat ibidem, ap. eundem, annô & formâ iiſdem.

ALDINUS (*Tobias*) Cæſenas.

De eô habetur

Exactiſſima deſcriptio rariorum quarumdam Plantarum, quæ continentur Romæ in Hortô Farneſianô. Romæ, apud Jacobum Maſcardi, 1625. in fol.

ALDROVANDUS (*Ulyſſes*) Natus eſt Bononiæ in Italiâ: ubi Profeſſionem Philoſophicam & Medicam ſuſtinuit, naturæ operum incomparabilis ſcrutator; remotiſſimas orbis regiones peragravit, ſaltem ùt naturales res, imprimis verò aves exoticas, earumque cauſas, intimiùs cognoſceret, quæ ùt ad vivum depingerentur, veriùſque exſculperentur, ſuô ære per triginta & ampliùs annos Artifices varios totius penè Europæ celebriores conduxit, eaque propter tantos ſumptus fecit, ùt indè ad extremam paupertatem redactus, viſûque orbatus, in Xenodochiô Bononienſi, ut nonnulli referunt, admodùm ſenex obierit, A. C. 1605. die 10. Maij, cum pompâ ſepultus fuit in æde Sti. Stephani.

De eô extant

Ornithologiæ, hoc eſt, de Avibus Hiſtoriæ libri XII. in quibus Aves deſcribuntur, deſcriptæ legentibus delineatæ ob oculos ponuntur, natura earum, mores & proprietates ita declarantur, ùt facilè quicquid de Avibus dici queat, hinc peti poſſit. Bononiæ, apud Franciſcum de Franciſcis, 1599. in fol. Francofurti, ap. Joh. Baſſæum, 1616. in fol.

Ornithologiæ Tomus alter, qui eſt de Avibus, quæ vel in menſæ uſum cedunt, vel propter cantûs ſui dulcedinem atque ſuavitatem domi paſſim à multis aluntur. Bononiæ ap. Joh. Bapt. Bellagambam, 1600. in fol. Francof. ap. Hæredes Nicolai Baſſæi, 1629. in fol.

Ornithologiæ Tomus tertius & ultimus, in quô Aves aquaticæ majores minoreſque deſcribuntur, deſcriptæ legentibus delineatæ ob oculos ponuntur, natura earum, mores, & proprietates ita declarantur, ùt facilè, quicquid de iis dici queat, hinc peti poſſit. Bononiæ, apud eundem, 1603. in fol. Francof. ap. Joh. Treudelium, in fol.

De animalibus inſectis libri ſeptem. In quibus omnia illa animalia accuratiſſimè deſcribuntur, eorum Icones ad vivum ob oculos ponuntur, tandemque etiam natura, mores ac proprietates ità declarantur, ùt, quicquid de iis dici queat, facilè indè innoteſcat. Bononiæ, apud Joh. Baptiſt. Bellagambam, 1602. in fol. Ibidem, apud eundem 1620. in fol. Francof. apud Joh. Treudelium 1623. in fol.

Hiſtoriæ ſerpentium & Draconum libri duo; Bartholomæus Ambroſinus concinnavit & edidit. Bononiæ, apud Clementem Ferronium, 1640. in fol.

De quadrupedibus ſolidipedibus Volumen integrum. Johannes Cornelius Uterverius collegit, & recenſuit. Hieronymus Tamburinus in lucem edidit. Bononiæ, apud Victorium Benatium, 1616. in fol. Francof. apud Joh. Treudelium, 1623. in fol.

Quadrupedum omnium biſulcorum Hiſtoria, quam Johan. Corn. Uterverius colligere incepit, Thomas Dempſterus, Baro à Muresk, Scotus, perfectè abſolvit, & Marcus Antonius Bernia atque Hieronymus Tamburinus in lucem edidit. Bononiæ, apud Joh. Baptiſtam Bellagambam, 1613. in fol. Ibidem, apud Sebaſtianum Bonhommium, 1621. in fol. Francof. ap. Joh. David Zunnerum & Petrum Hanboldum, 1647. in fol.

De Piſcibus libri quinque : & de Cetis liber unus, à Joh. Corn. Uterverio collecti, & editi operâ Hieronymi Tamburini. In quibus omnia huc ſpectantia accuratiſſimè deſcribuntur, piſcium icones ad vivum ob oculos ponuntur, tandemque etiam natura, mores, ac proprietates ita declarantur, ùt, quicquid de iis dici queat, facilè innoteſcat. Bononiæ, apud Joh. Baptiſtam Bellagambam, 1613. in fol. Francof. ap. Joh. Treudelium 1629. in fol. Ibidem, apud Caſparum Rœtelium, 1640. in fol.

De reliquis Animalibus exanguibus, utpotè de Mollibus, Cruſtaceis, Teſtaceis & Zoophytis libri quatuor, poſt mortem Auctoris editi: In quibus prædicta animalia omnia accuratiſſimè deſcribuntur, deſcripta legentibus vivis iconibus ob oculos ponuntur, eorumque natura, mores, ac proprietates ità declarantur, ùt facilè quicquid de iis dici queat, indè innoteſcat. Bononiæ, apud Bellagambam, 1606. in fol. Francof. ap. Treudelium, 1623. in fol.

De Quadrupedibus digitatis viviparis, libri tres: & de Quadrupedibus digitatis oviparis, libri duo. Bartholomæus Ambroſinus collegit. Bononiæ, apud Nicol. Tebaldinum, 1637. in fol.

Monſtrorum Hiſtoria cum Paralipomeis omnium animalium Barthol. Ambroſinus, in Patrio Bononiæ Archi-Gymnaſio ſimpl. Med. Profeſſor ordinarius, Muſæi Illuſtriſſ. Senatûs Bonon. & Horti publici Præfectus, labore & ſtudiô volumen compoſuit. Marcus Antonius Bernia in lucem edidit propriis ſumtibus. Bononiæ, ap. Nicol. Tebaldinum, 1642. & 1646. in fol. Tomis XII.

Muſæum Metallicum Bononiæ, apud Joh. Bapt. Ferronium, 1648. in fol. cum figuris.

Dendrologiæ naturalis, ſcilicet Arborum Hiſtoriæ libri duo. Item ſylva Glandularia, Acinoſumque Pomarium. Ex Auctoris collectaneis digeſta; per Ovidium Montalbanum. Bononiæ 1665. Francofurti, 1671. in fol.

ALEMANUS (*Adrianus*,) Sorceenſis,

De eô extant

Hippocratis, Medicorum omnium Principis, de aëre, aquis, & locis, liber olim mancus, nunc integer, qui Galenô, de habitationibus & Aquis, & temporibus, & Regionibus, inſcribitur, Commentariis quatuor illuſtratus. Pariſiis, apud Ægidium Gorbinum, 1557. in 8.

Hippocratis Medicorum omnium Principis, de Flatibus liber, commentariis illuſtratus. Pariſiis apud Martinum Juvenem, 1557. in 8.

ALEXANDER (*Benedictus*) Vid. BENEDICTUS *Alexander*.

ALEXANDER (*Trallianus.*)

De eo hæc D. Freind. in Hiſt. Med. part. 1.

Natus eſt in Trallio celebri Lydiæ urbe, ubi ob Joniorum viciniam, græcô Idiomate utebantur pereleganti. Id habuit commodi Alexander, quòd non tantùm ob oculos *Stephani* Medici Patris ſui educatus fuerit, ſed & ſub oculis patris cujuſdam Medici, cui nomen erat Coſmas, cui ideò, remunerantiæ ergò, opus ſuum ejus rogatû compoſuit. Vir erat Alexander, praxeos longè latèque diffuſæ, ſummæ experientiæ, cujuſque fama ità percrebruit non ſolùm Romæ, ſed etiam in Galliâ, Hiſpaniâ, & ubicumque peregrinaverat, ùt tandem ad hunc honoris gradum provectus fuerit, ùt per excellentiam, *Alexander, Medicus* diceretur. Eâ procul dubio ratione quòd in Therapeuticis prolixior eſt, accuratiorque, quàm qui eum præceſſerunt. Totus etenim fermè eſt in colligendis remediis, quæ longô uſû atque exercitatione virtutis eſſe majoris comprobaverat; prout id ipſe nobis inſinuat pluribus locis, & præſertim in Præf. lib. 12. qui de febribus in genere, tum etiam de earum Differentiis in ſpecie agit. Quicumque librum iſtum 12. mum legerit, facilè conveniet ante cæteros undecim dandum huic eſſe locum. Imprimis cùm viderit Auctorem, ſub finem undecimi, dicentem ſe ibi finem operi ſuo impoſiturum. Per quædam ejus præſcripta, quæ ſub finem libri undecimi reperiuntur, eum aut Chriſtianum, aut Judæū fuiſſe cenſeri poteſt: Ethnicus enim non talem ſanè quibuſdam Sacræ Scripturæ verbis fidem adhibuiſſet, quam ipſe adhibet. Non ignoramus tamen Ethnicos ejuſcemodi remediis ac præcipuè in Dæmoniacis ſanandis, uſos eſſe: Sed Chriſtianos ea primùm introduxiſſe aliquatenùs ex eô fit manifeſtum, quòd Marcellus Empyricus, qui pro certô fuit Chriſtianus, illa frequentiſſimè in ſuis ſcriptis recenſet.

Fabricius opinatur *ſectam* Alexandri detexiſſe, eamque *Methodicam* arbitratur. Miraturque proptereà quòd Proſp. Alpinus noſtrū omiſerit Auctorem cùm relationem non parùm amplam de Methodicis ac eorum doctrinâ conſcripſit. Cujus ſuæ conjecturæ veritatem ex eô comprobatam credit, quòd Alexander de Methodo mentionem facit, dum de Medicinâ agit. Quod quidem verum eſt; at de Methodo, quam Methodici ſequebantur, nullô modô cogitat; eam tantùm in animô habens quâ Hippocrates utebatur. Cæteroquin hujus Auctoris ingenium à Methodicorum ingeniô totô cœlô differt; ii enim ad cauſas evidentes & res inter ſe communes unicè attendunt; ſive morbus à contractione, ſive à relaxatione, originem petat, nullâ habitâ curâ cauſarum, aut ſymptomatum, nec de diverſitate loci, ætatis, aut temperamenti ægrotantis. Methodus Alexandri ex diametrô Methodicorum oppoſita eſt Methodo, ut ex unaquaque ſcriptorum ejus paginâ eluceſcit. Reipsà, nè quidem loquitur de maximô diſcrimine quod inter morbos hos & illos Methodici ponebant, nec ullum profert verbum quod referri poſſit ad *Circulum Reſumptivum* aut *Metaſyncriticum*, ſive ad *Diatritum*, id eſt, abſtinentiam trium dierum, quam illi perpetuò inclamant. Continuus purgantium uſus quem ſuadet in pleriſque morborum, præſertim in Arthritide, principiis illis quibus Praxim ſuam ipſi ſuſtentabant, quæque nemini ignota ſunt, repugnat. Notamus de ſectis in genere, quòd de illis poſt Galenum, nulla prorsùs mentio, vel in ipsâ Alexandriâ, quæ tamen deinceps per plura ſecula, Medicinæ major celebriorque ſchola perpetim exſtitit, niſi ſaltem excipiamus *Vindicianum Theodorumque Priſcianum*, utrumque Methodicum, qui circa Valentiniani ſecundi vixere tempora, quorum etiam operâ ex aliis antiquioribus hujuſce claſſis Auctoribus tantùm exſcripta videntur. Certum & indubium eſt Galenum *Dogmaticam ſectam* ſeu Rationalem ità ſtatuiſſe, ùt in ſequentibus continuò primas habuerit, cæteraſque tandem omnes abſorpſerit. Nihilominùs, ùt verum fateamur, nedum peculiaris ſecta hæc fuit propriis principiis ſuffulta, & ab aliarum principiis diverſa, quin potiùs horum ſyſtematum, quæ ſecta unaquæque docebat, vel quæ in Praxi ſequebatur, ſelectionem exhibebat. Ideòque Medici Dogmatici cum Methodicis pluribus in rebus conſentiunt, maximè quoad Methodum quâ in morbis curandis utebantur.

Alexander verba facit de *Jacobo* PSYCHRESTO, Viro admodùm illuſtri, quem in Philoſophiâ & Medicinâ inſtruxerat *Heſychius* pater, qui per varias migraverat regiones, pro amplioribus conquirendis notitiis, quibus curioſitati ſuæ ſatisfaceret.

Ille

Ille *Comes & Protomedicus* Leonis Magni, ſive Thracij dicti, factus eſt. Tantò amore eum proſequuti ſunt & Princeps & populus, ùt Senatus ſtatuam ei poni juſſerit in Balneis Zeuxipi, à Severo Imperatore conſtructis. *Iſidorus à Gaza*, Peluſiota ab aliis nuncupatus, qui aurâ Juſtiniani tempore fruebatur, vidit & ſtatuam alteram ipſimet Athenis erectam. Nos iterùm edocet Auctor noſter Pſychreſtum, quamvis ex familia Damaſcenâ ortum, Alexandriæ tamen natum eſſe; eumque fuiſſe, ait, in Medicis peritiſſimum & expertiſſimum, admiratione dignas ſanationes plurimas ei deberi, in Praxi ſuâ Enemata & ſuppoſitoria vulgò præcepiſſe, raro ferrum aut ignem ad uſum in Chirurgicis revocaſſe, venæ ſectionis quin imò approbatorem neutiquàm fuiſſe. Aſclepiodotus ejus diſcipulus eum recentioribus omnibus Medicis anteponebat, etſi hellebori albi uſum prorſùs ignorâſſet, quem ipſe à longô tempore ignotum exiſtimationi ſuæ priſtinæ reddiderat, undè maxima ei ceſſit fama. Suidas ulteriùs Pſychreſtum etiam laudat. Dicit eum ad culmen ſcientiæ Medicæ tàm in Theoriâ quàm in Praxi perveniſſe, contemporaneos omnes pone ſe reliquiſſe, conferri eum poſſe cum priſcorum omnibus, eumque ex illis plurimos ſuperâſſe; eum non tantùm dilectum ſed & adoratum à ſuis ægris fuiſſe, qui eum cœleſti quaſi ſpiritu afflatum putabant, quique eò firmiorem ei fidem habebant, quòd nunquam eum in Prognoſticis errâſſe vidiſſent, ad perfectionem in arte ſuâ majorem ità adſpirare ſemper conabatur, ùt crederent in eum Æſculapii animam tranſiiſſe.

ALEXANDRI (*Franciſcus*) Vercellenſis.

De eô habentur

Phoebus Medicamentorum tam ſimplicium, quàm compoſitorum materiam, naturam, vires, normam, & compoſitionem radiis ſuis luculentiſſimè illuſtrans: ùt hôc unô, omni poſthàc librorum copiâ neglectâ, & Medici & Pharmacopolæ contenti, quælibet exindè in cujuſvis ſalutem depromere poſſint. Opus, in quo Avicennæ, Plinii, Matthioli, Braſſavoli, Amati, Præpoſiti, Fuchſii, Leoniceni, Sylvii, Cordi, Manardi, Cardani, plurimorumque aliorum tam veterum, quàm Recentiorum, Arabum, Græcorum, & Latinorum varii & penè infiniti errores ſolidiſſimis rationibus demonſtrantur & refutantur, ac proindè Theoricis etiam & Medicinæ ſtudioſis credibile utilius futurum. Venetiis, apud Gratios. Perchacinum, 1565. in fol. Francofurti, apud Joh. Spieſſium, 1604. in 4. Ibid. apud Joh. Jacobum Porſium, 1613. in 4.

De peſte. Auguſtæ Taurinorum 1586. Quem tractatum ipſe Autor in linguam Italicam tranſtulit, multòque auctiorem reddidit, ſub titulô *Trattato della Peſte, e delle Febre Peſtilenti.*

ALEXANDRINUS.

De eô extat

Commentarius in librum Galeni de ſectis. Extat Tomo I. operum Galeni tranſlationis Barbaræ. Venetiis apud Octav. Scotum, 1505. in fol. regali.

ALEXANDRINUS (*Georgius*).

De eô habentur

Enarrationes Rerum Priſcarum de Re Ruſticâ cum Philippi Bervaldi Annot. in Columellam, Lugd. 1541. in 8.

ALEXANDRINUS (*Johannes*)

De eô extant

Commentarii ſuper Epidemiorum Hippocratis lib. Extant cum Johannitii Articellâ. Venetiis apud Octavianum Scotum, 1483. in fol.

ALEXANDRINUS (*Julius*,) Natus eſt circa A. C. 1506, cognominatus à Neuſtein: fuit Archiater aliquot Imperator. Roman. interque eos præcipuè Maximiliani II. cui Principi valetudinario chariſſimus fuit; & à quo amplis honoribus donatus eſt, quos etiam in Filios, licèt naturales, tanti Imperatoris indulgentiâ tranſmiſit. tandem Tridenti obiit A. C. 1590. ætatis ſuæ 84.

De eô habentur

De Medicinâ, & Medicô, Dialogus libris quinque diſtinctus. Tiguri apud Andream Geſnerum 1557. in 4.

Salubrium, ſive de ſanitate tuenda, libri triginta tres. Coloniæ, apud Gervinum Colenium 1575. in fol.

In Galeni præcipua ſcripta Annotationes, quæ commentariorum locô eſſe poſſunt. Acceſſit trita illa de Theriacâ quæſtio. Baſileæ ap. Petrum Pernam, 1581. in fol.

Pædotrophia, carmine. Tiguri, apud Froſchoverum, 1559. in 8.

Ant-Argenterica pro Galenô. Venetiis, apud Zalberium, 1552. in 4.

Ant- Argentericorum ſuorum adverſus Galeni calumniatores Defenſio. Venetiis, apud Zalberium, 1564. in 4.

Epiſtola Apologetica ad Remb. Dodonæum Francof. apud Wechelos, 1584. in 8.

Epiſtola ad Petrum Andr. Matthiolum de animadverſionibus quibuſdam in Galenum: de expurgatione vomicæ pulmonis: de Autore libri de Theriacâ ad Piſonem. Extat lib. I. Epiſt. Matth. pag. 20.

Epiſtola ad Andream Camutium. Quâ agitur de quatuor dubiis: I. an intermittente tertianâ alterâ die ſanguis mittendus? II. an ſanguis in bilioſo maximè abundet? III. an in declinatione, ratione imminentis alterius morbi, mori quis poſſit? IV. an piper ad jecur perveniat? Extant cum Andr. Camutii Excuſſione præcipui morbi, nempe Cordis palpitationis Maximiliani II. Cæſaris. Florentiæ, apud Georgium Mareſcottum, 1580. in 4.

Enantiomatum ſexaginta quatuor Galeni Liber. Item Galeni Encomium. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

Interpretatio Actuarii Johannis, de affectionibus, & Actionibus ſpiritûs animalis. Extat cum ejuſdem lib. vj. Methodi Medendi, quos edidit Conr. Henr. Matthiſius. Venetiis 1554. in 4.

ALEXANDRO (*Antonius de*) Catanenſis. Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctor eximius, ac Siciliæ, Inſularumque ſibi adjunctarum Archiater. Claruit anno 1441. ex Joh. Bapt. de Groſſis in decac. Catan. tom. 2. Cord. 9. pag. 151.

De eô extant

Conſtitutiones, & capitula, necnon Juriſdictiones Regii Protomedicatûs officii Siciliæ, quas approbarunt Nicolaus Specialis, & Gulielmus Montagnana (corrige Moncada) ann. 1429. Siciliæ Moderatores, ut ex earumdem exordio habetur: ac recognitas, & elucidatas edidit Joh. Philippus Ingarſia etiam ejuſdem Regni Archiater. Panormi apud Joh. Antonium de Franciſcis 1564. in 4. *Anton. Mongitor in Biblioth. Siculâ.*

ALEXIUS (*Alexander*)

De eô habentur

Conſilia Medica, & Epitome Pulſuum: in quibus Methodus accurata cum Praxi Theoricâ conjungitur. Patavii, apud Caſparum Crivellarium, 1627. in 4. Ibid. 1660. in 4.

De ſyrupo Roſato ſolutivo, Libellus. Patavii, apud Caſparum Crivellarium, 1630. in 8.

Cratylus morborum. Patavii, apud Frambottum, 1657. in 4. ibid. 1660. in 4.

ALGHISI (*Thomas*)

De eô extat in Act. Lipſienſibus.

Trattato di Litotomia &c. (i.e.)

Tractatus de Lithotomia ſive Calculi Extractione; Autore Thomâ Alghiſi Academicô Florentinô, atque Chirurgiæ Magiſtrô, & Lectore in Noſocomiô S. Mariæ novæ. Florentiæ, apud Joſephum Manni, 1707. in 4. Chart. Auguſt. Cum Tabulis æneis.

Equidem Chirurgos inter, qui Lithotomiam hodie feliciter exercent, maximè Gallos eminere, à nobis *Toleti* de eâ tractatum in *Actis an.* 1684. *p.* 243. recenſentibus non ſolùm fuit indigitatum, ſed & comprobatum uberiùs, cùm *Dn. Mery*, & judicium in Fratris Jacobi calculos veſicæ ſecandi methodum, & novum lithotomiam adminiſtrandi modum, *ann.* 1700. *menſe Octobri* exhiberemus. Nec inter Italos tamen nunc deeſſe, qui eam è veſicâ calculos extrahendi rationem promovere ſtudeant, quam apparatûs majoris aliàs dicunt, quamque ex Italis Marianus ſanctus Barolitanus, à præceptore ſuô Johanne de Romanis hauſtam olim deſcripſit primus, præſens de tali Chirurgiâ tractatus abundè teſtatur, utpotè omne, quod ad ſufficientem ejus theoriam atque circumſpectam praxin requiritur, tum viginti duobus capitibus luculenter deſignans, tùm multis Figuris majoribus,iiſque nitidis,egregiè illuſtrans. In quô nihilominùs in præſenti excerpendô Auctoris obſervationibus de calculorum in veſicâ geneſi, differentiâ, ac felici ſubindè in ſenibus etiam & gravidis ſectione, magis nobis liceat inhærere, quàm iis, quæ in ſingulis capitibus contineantur. In veſicâ nempè calculum vix immediatè ſed ita formari, ùt vel parvus calculus à renibus, vel aliud concretum extraneum, ad illam priùs delatum,ibique ſubſiſtens, ab urinâ ſucceſſivè diverſa inſcrutationum lapidearum ſtrata recipiat, notabilibus puellæ alicujus & Monialis confirmatur exemplis, ceu quarum illa exiguum fuſum eburneum, hæc verò candelam parvam ceream, per urethram incautiùs in veſicam eô effectû immiſerit, ùt prior ex calculô inſigni, circa mediam fuſi partem concretô, Florentiæ in Xenodochiô S. Mariæ novæ perire, poſterior autem à cruſtâ calculosâ, ſuperficiem candelæ inſtar exiguarum cryſtallorum cingente, Auctoris manû peritâ liberari, demùm habuerit neceſſe. Inter varios autem calculos, ab Auctore ſub linguâ Monialis cujuſdam vivæ,vel in hepate, liene, meſenteriô, omentô, umbilicô, inteſtinorum tunicis, pulmonibus & cerebellô cadaverum inciſorum repertos, ille, quem aliquando in folliculô biliariô alicujus Marchionis deprehendit, eò curioſior habetur, quò exactiùs aliquam conchylii marini foſſilis ſpeciem repræſentat; quemadmodùm inter monſtroſos viarum urinariarum calculos deſcriptos, depictoſque, quinque potiſſimùm digni nobis fuerunt viſi. Primum horum, fruticem quaſi Corallii æmulantem, ex virô ſexagenariô, cui Dominici Faltera nomen,Noſter exſecuit; alterum, veſica cujuſdam Magnatis, poſt obitum diſſecti, præbuit tantò magis admirandum, quòd ipſi vivo, aliàs arthritico, nè minimas creaverit moleſtias; tertiò ureterem dextrũ Illuſtris Magdalena Carneſecchi Galli, ex Iſchuriâ denati, Experientiſſ. D. D. *Neri* totum obſervavit infarctum, cùm alius calculus magnus orificium ureteris pariter ſiniſtri obturaret; quartum & quintum lapidem in renibus quondam defuncti Pontificis *Innocentii* XI. doloribus nephriticis mictûque cruentô ſæpe vexati, Excellentiſſ. *Lanciſius* annotavit, utrumque non ſolùm magnitudine ac figurâ, ſed & canaliculis inſculptis ſtupendum, tranſitum urinæ à ſuperſtite corticali ſubſtantiâ glandulosâ ad pelvim & ureteres concedentibus,à *Lanzono* autē in figuris eorum penitùs neglectis,quas *Miſcellaneorum Academiæ Naturæ Curioſorum Dec.* II. *an.* 8. *ob.* 199. curavit inſerendas. Ex Auctore denique non aliud innuendum nobis ſupereſt, quàm quòd ab illô, nunc Sacerdos ſeptuageſimum ætatis annum tranſgreſſus, lapide inſigni, cum ſucceſſu liberatus fuerit, ac quadraginta dierum intervallô perfectè reſtitutus; nunc fœmina Piſana, graviditatis ſuæ neſcia, duos ingentes veſicæ calculos Florentiæ ſibi diffringi evellique ſuſtinuerit, quæ ad ſanitatem quidem perducta duobus circiter menſibus pòſt Piſam naviculâ repetierit, verùm exinde malè ſeſe habens brevi puerulum quadrimeſtrem immaturô partû excluſerit.

ALIDEUS Paduanus. Vid. Padoanis (*Helideus de*)

ALIPTICE olim pars Medicinæ, nec in Gymnaſiis tantùm aut Circô (nam & Circum ſuos habuiſſe *Aliptas*, notat ad *Vopiſcum in Saturnin. c.* 8. *Caſaubon.*) ſed etiam in Jatrice olim *Aliptæ* noti fuêre; qui non ſolùm ad conſervandam valetudinem, vires acquirendas, bonumque colorem conciliandum adhibebantur, ſed etiam ad recuperandam ſanitatem interdùm. Nam extitiſſe olim nonnullos, qui longos morbos *Aliptis* tractandos curandoſque committerent, docet compoſitum ex Medicô & unctore nomen, ἰατραλείπτης. Plin. l. 29. c. 1.

ALITHOPHILUS. *Nomen* ſuppoſititium.

De eô extat

Obſervationes Extemporaneæ ad erecta à Carolô Drelincurtiô Libitinæ, nec non famæ ſuæ Trophæa. Amſtelodami, apud Petrum Gavium, in 12, ſine expreſſione anni, quo typis exſcriptus eſt,

ALKINDUS *Vid.* Alchindus.

ALLAXINUS (*Jacobus*) vixit circa A. C. 1163. Wolfg. Juſtus in chronol. Medic.

Ex eô habentur

Medicæ aliquot Diſceptationes eruditiſſimæ, quibus recentiorum & Arabum permulti errores ad veterum diſciplinam appenduntur. Pariſiis ap. Chriſtianum Wechelum, 1535. in 8.

ALLEGRUS (*Hieronymus*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus.

Excerpta ex Epiſtolâ Hieronymi Allegri, in quâ tum principia Phyſica & fundamenta Medica variis experimentis redduntur dubia; tum poſſibilia alia è Cineribus cunctorum mixtorum demonſtrata proponuntur.

Ex Ephemerid. Parmens. ſectione IV. A. 1688. p. 84. ſeqq. in Latinam linguam translata.

Auctor hujus Epiſtolæ poſtquam novum caſû obſervâſſet phænomenum, anſam de eo ratiocinandi, nonnullaque proponendi cogitata, cum Philoſophiâ Chymicâ valdè conſpirantia, oppidò arripuit. Scilicet cùm vitro cuidam, quod alicui liquori ope ſigilli hermetici conſervando deſtinaverat certum liquorem lixivialem maculæ ejuſdem eluendæ gratiâ immiſiſſet,immiſſusque quantitate deficere videretur; portionem aliquam alterius liquoris purè lixivioſi & unctuoſi, quia de priori nequicquam ſibi tunc reſtaret, adjecit. Vaſe hinc commotô,quô liquores hi duo invicem combinarentur,accidit ùt tertiâ propemodùm circumgyratione in certum iidem coirent mucum,paulòque poſt in materiam opacam,albam,ſatiſque duram mutarentur. Metamorphoſi ejuſmodi animadversâ, operationes alias capitibus ſequentibus comprehenſas adornavit.

Accepti

Accepti duo liquores lixiviales fluidiſſimi, limpidi & cryſtallini, pauca intra momenta turbati, & ità exſiccati fuêre, ùt jam abſque humectationis notâ commodè tractari poſſent, nulla in unione hâc comparente fermentatione.

Materia adhuc mollis multùm aquâ ſimplici perfuſa; nonnihil terræ candidiſſimæ ac ſubtiliſſimæ ad fundum dimiſit.

Aqua præcipitatione reſidua, nil niſi cryſtallos ſalis communis exhibuit.

Aqua hæc, quæ à calce jam penitùs ſeparata videbatur, eò quòd in prima unione ſaturata non ampliùs præcipitaret, quemadmodùm nè quidem poſt evaporationem à cryſtallis reddita & ſimplici poſteà aquæ ſociata, juncta denuò cum alterutrâ harum aquarum præcipitationem calcis candidæ effecit nullam.

Spiritus vitrioli etiamſi fortiſſimus, parùm nihilominùs cryſtallis hiſce affuſus efferbuit, nec niſi particulam ſuperficialem arroſit, reliquis cryſtallis intactis planè relictis, quæ ſpiritu ſeparatô à novô adjectô nec quicquam porrò commovebantur.

Cryſtalli eædem in aquâ ſimplici ſolutæ, quoniam aer nullam in ipſas vim ulteriùs exſerere valeret, ubi alterutri liquorum mirabilium jungebantur, nulla apparuit actio.

Partibus aquarum æqualibus cum ſpiritu vitrioli commixtis, totum in pultem ſatis tenacem, tactui nihilominùs adhærentem, nec ampliùs indureſcentem, abiit.

Succus quicunque acidus deſtillatus, etiam ſummè debilis calcis candidæ diſſolutionem ſubitò præſtitit, liquore penitùs inſipidô & acrimoniâ ſpoliatô remanente.

Sale communi jàm extractô & terrâ in ſpiritu aceti ſeorsùm ſolutis, ac invicem ùt unirentur poſteà commixtis, cùm liquor evaporaretur reſtitit ſal odore, tactû & ſapore alcali tartari à ſpiritu aceti ſaturatum referens, candidum tamen, haud nigrum inſtar illius, quod in productione aliàs terræ foliatæ remanet. Quod ſal regeneratum ſpiritui vini inditum, æquè ac glacies in aquâ calidâ, totum diffluxit.

Sal idem deſtillationi ſubjectum, phlegma & oleum coloris obſcuri citrinum æmulantis, cum odore non adeò graveolenti ſuppeditavit.

Purgatum & ad reſiduum ſive caput mortuum calcinatum, in aëre ſupra tabulam vitream in oleum ſive liquorem lixivialem delicuit.

Cùm parùm ſalis ſaturati in nummum æneum antiquum projiceretur, quod temporis diuturnitate multùm corroſum & flammæ candelæ admotum erat, paulò pòſt ſublimatum, ac per nummum in filamenta ſubtilia & acuta, qualia in arbore argenti licet videre, explicatum fuit.

Interim in nummi ſuperficie undiquè & ſuprà, & infrà & in margine, copioſiſſima ſimul argenti vivi grana comparuêre diſperſa, ipſumque metallum integrum colore argenteô tinctum.

Ejuſdem ſalis aliquid in æneam laminam nitidam & excandefactam projectum, partim avolavit, partim per laminam diſperſum, totum hujus ambitum colore argenteô tinxit, abſque eô tamen ùt nullum mercurii granum unà obſervaretur.

Liquorum alterutri oleum olivarum admixtum fermentavit, brevique tempore in ſubſtantiam butyraceam abiit.

Liquor primus & ſpiritûs vini puriſſimus quoad partes anaticas commixti paucarum horarum ſpatiô fuerunt uniti.

Terra igni proportionatô ad calcinandum expoſita ſubitò colorem aſſumpſit obſcurum, trium verò horarum ſpatiô denuò evaſit candidiſſima. Hæc terra quadrantem pendens, aceti phlegmatis puri libræ integræ injecta, ùt hoc imbiberet, ſaporem vini ad inſtar auſteri contraxit, & mox tota ſoluta liquorem magis candidum & transparentem quàm priùs erat, reddidit, ſaporeque inter dulcem & inſipidum mediô imbuit. Quæ ſolutio poſtquàm in balneô vaporoſô leniſſimô ad reſiduum inſtar olei ſive muci ſatis viſcidi, candidi & penitùs inſipidi, eſſet evaporata, remanentiæ hujus diaphanæ pars una cum panis & carnis conquaſſatorum, ac paucô mucô ſive reſiduô prædictô interveniente amalgama redactorum partibus viginti fuit mixta, totumque perexiguæ phialæ, paucô vinô additô, immiſſum, quæ accuratè ſigillata cùm leni calori balnei vaporoſi per ſeptem horas relinqueretur expoſita in vaſe à balneô tum remotô, materia non ſolùm in colorem candidum inſtar cremoris hordei mutata, ſed ad tactum quoque inſtar balſami ſatis liquidi & probè lævigati apparuit

Experimentis hiſce recenſitis, ratiocinari de iiſdem Auctor aggreditur, circa terram unicè & ſalia ſeparata, in perluſtratis operationibus occurrentia, occupatus. Terram ſiquidem commemoratam nec terram communem eſſe, nec cinerem combuſtum, ſed aliam longè terram magis nobilem è variis experimentis ſuprà enarratis, nonô potiſſimùm & decimô-ſextô colligit. Cum arenâ veluti terrâ ſiccâ ponderosâ & craſsâ, ad vitrificandum ſolùm aptâ; cum argillâ ſeu terrâ viſcoſâ craſsâ tenaci; & cum limo, terrâ fertili, de principiô aqueô potiùs, quàm terreô participante, hanc ſuam terram philoſophicam comparans, limo ſatis ſimilem, aut adhuc nobiliorem ſubſtantiam, fortaſſis ſeminarium & receptaculum immediatum terræ veræ virgineæ, eandem judicat, quia & ſali ſuo unita, & ab eô ſeparata, cum omni ſpiritu acidô fermenteſcat, cum ſale verò quôcunque acidô poſtmodùm ſupperadditô haud ampliùs fermentet, nec moveatur; redditâ autem denuò ſali proprio, totum calcinatum qualitatem alcali regenerati repetens, cum acidis æquè ac primò fermenteſcat. Exindè fermentationis vim in nullâ qualitate alcali, ſed in hâc terrâ conſiſtere, neque ſpiritum ſali, ſed huic terræ tanquam conſueto ſuô receptaculo, aſſociari deducit, rationemque deſumit erroris convincentem, alcali corpus inane atque vacuum eſſe, cum primis quòd hinc ſequatur, ſalia & cineres omni virtute privata eſſe, repugnantibus tamen tùm philoſophorum ſententiis, tùm experientiâ, cùm ſalibus è cineribus extractis varii expellantur morbi, interdùm è cineribus plantæ reſuſcitentur, prout feciſſe perhibetur *Albertus Magnus*, eandemque palingeneſin recens edocet *Kircherus* in mundô ſubterraneô, *lib.* 8. *ſect.* 1. *cap.*8. (potiùs *lib.* 12. *ſect.* 4. *cap.* 5. *p.* 435. *& ſeqq.*) item *Libavius* ſyntag. Arcan. Chym. *lib.* 5. *cap.* 18. urticam è cineribus à Quercetano reſuſcitatam referens, aliique ab Auctore citati. Unde cineres ac ſalia, quamdiù ab unctuoſô ſuô ſive ſpiritû ſeminali comitentur, de integrâ mixti virtute participare arguit.

Enumeratis dehinc variis operationibus circa hanc ſuam terram igne factis concludit eam eſſe terram terræ ac receptaculum ſpiritûs univerſalis, qui virtute ſimili (ſeminali) imprægnatus cauſa omnium mixtorum exiſtat, partibusque illâ mediante, quantùm ipſis deſtinatur, diſtribuat; aut ſaltem coincidere cum illâ, cujus *Iſacus Hollandus* Oper. Mineral. *lib.* 1. *cap.* 108. meminit, quòd aquæ ſimplici à Deô fuerit indita, ùt de naturâ ſulphureâ participans, aquam ipſam coagularet. Hanc terram habitaculum putat eſſe omnium

nium mixtorum corruptibilium, corrigens ſalium, ſaporum & odorum medium, illic baſin haberi omnium temperamentorum; hinc omnes diſpoſitiones noſtras pravas promanare, adeòque terrâ hâc cognitâ meliùs diſcerni poſſe morborum cauſas, quàm humorum alteratorum mediô; cauſam denique omnium fermentationum exiſtere. Dubitari haud poſſe, quin terra hæc noſtris inſit corporibus, modò tophi podagricorum, atque renum, hepatis, aliarumque partium calculi cum excrementis ſimilibus conſiderentur.

Verùm de ſale diſſerere dum progreditur, in confectione vitri ſal commune ſeparari, ſaliaque ipſorum vegetabilium in ſal commune converti trutinans, ſal unum principiorum naturæ hypoſtaticorum eſſe, atque è ſale communi cuncta trium regnorum corpora provenire concludit, quod ùt confirmet, omnibus in terræ locis, præter mineras multas & ſalſedinem maris, ſal commune haberi perpendere jubet. Porrò ſalis naturam in mixtis ſecundum diſcrepantes ejus virtutes examinans, ſal principium eſſe & finem omnium rerum, atque mixtorum quorumcumque rariorum medium colligit. A cogitationibus variis philoſophicis in dictis jam rebus defixis, quatuor inſequentes nectit ſequelas.

Primò dubium videri, an quicquid in terrâ hâc inferiori cernatur, ex aliis principiis materialibus, quàm è ſale, terrâ & aquâ, à naturâ compoſitum fuerit.

Secundò ſanitatem & vitam à concentu ipſorum horum principiorum, à ſpiritu ſive calore directorum, dependere, quæ omnia conjunctìm unctuoſum conſtituant, tam diù permanent, ac in harmoniâ propriâ illa perſiſtunt, morborum verò noſtrorum, ipſiuſque mortis cauſam ab aſperô derivari, quod aliud non ſit, quàm concentratio ſive infirmitas ſpiritûs, præcipitationem terræ è ſalis ſolutione inferens, æquè, ac mutationem ejuſdem in ſaporem alienum vix determinandum, cùm non unicus ſed multi dentur individuum noſtrum lædere valentes.

Tertiò fermentationis doctrinam etiamnùm aliquâ in parte deficere, cùm nondùm magni effectûs ſalis hujus, hujuſque terræ ſint obſervati.

Quartò doctrinam itidem de acidis & ſalſis abſque eorum principiorum cognitione eſſe imperfectam.

Circa qualitates & virtutes hujus ſuæ terræ fatetur, nondùm ſibi de effectibus ejus planè conſtare; conſideratô nihilominùs cum Galenô, regulam fallacem eſſe, ſi pro cognoſcendis mixtorum facultatibus hæ à ſaporibus, odoribus &c. deducantur, ſaltem reputat terram hanc corpus aliquod vacuum eſſe & ſitibundum, adeòque alterandis & attrahendis omnibus ſaporibus, odoribus &c. à quibus morbi noſtri oriantur, aptum. Experientiâ hactenùs eâ factâ, omnium febrium cùm intermittentium, tùm continuarum chronicarum profligationem, necnon gravium cordis affectuum, cardialgiæ, arthritidis, inſignium reſpirandi difficultatum ac pertinacium capitis fluxionum extinctionem innotuiſſe. Ut plurimùm inſenſibiliter, interdùm per diureſin & ſæpè fæculentam, raro per ſeceſſum, ubique tamen abſque ægroti incommodô, eandem operari aſſerit. In multis vigiliis ſomnum quoque conciliat.

Doſi exporrigitur ab unô ſcrupulô ad drachmam unam uſque, ratione circumſtantiarum habitâ; quantumcunque verò hos terminos exceſſerit, ſemper tamen ſalubres obſervavit effectus. Aſſumi poteſt in juſculô carneô, aquâ, vinô, omnibuſque liquoribus potabilibus. In juſculô nihilominùs ſemper à ſe exhibitam commemorat.

Tandem cum aqua flor. fabar. uſurpatam, egregii coſmetici locô rugas auferre, omnemque maculam abſtergere pronunciat.

ALLEN. (*Joh.*) Nomen ſuppoſititium.

De eô extat in Actis Lipſienſibus

Synopſis univerſæ Medicinæ practicæ, ſive Doctiſſimorum virorum de Morbis eorumque Cauſis ac Remediis Judicia, Autore Jo. Allen, Med. Doct.

Londini, ap. R. Knaplock, J. Tonſon, G. & I. Innis, 1719. 8.

Medicina quidem quoad Theoriam progreſſus non contemnendos, & incrementa admiranda ultimis annis fecit. Praxis verò, pars ejus longè utiliſſima, non pari paſſû proceſſit, ſiquidem hypotheſes novæ quotannis ad nauſeam uſque obtruduntur, quæ oſtentationis multùm, utilitatis parùm habent. Huic defectui conſulturus Auctor Clariſſimus, Praxin legitimam & laudabilem undecunquè deſumtam vel mutuatam omni operâ, ſed compendioſè exhibere, optimorumque ſcriptorum autoritate ſtabilire conſtituit. Morbos enim omnes ex præſtantiſſimis Auctoribus ad vivum depingit, præcipuas verò cauſas & de eorundem eventu judicia tradit, indicationes curativas exponit, remedia nonnulla, præſtantiora ſaltem, breviter attingit, & concinnas aliquot ſubdit formulas. Auctores, quorum ſententias allegat, ſunt Sydenhamius, Baglivus, Williſius, Ettmullerus, Boerhave, & Cælius Aurelianus, ità tamen, ùt nec obliviſcatur eorum, qui unum alterumque morborum in ſpecie expoſuerunt. Et nè planè ſit ἀσύμβολος, de propriô penu quædam ex adverſariis ſuis depromſit. De morborum ætiologiis non niſi pauciſſima profert, cùm origines & cauſæ proximæ eorum plerumque longè abſtruſiores ſint, quàm quas mentis noſtræ acies exhaurire queat, prout in præfatione ingenuè fatetur. Totam Synopſin in XVI. Capita ſeù faſciculos colligit, quorum ultimum caput remediorum compoſitionem complectitur, quorum in antecedentibus mentio facta fuit.

ALLMACHERUS (*Joh. Fridericus*) Patre uſus eſt præclarô & in arte verſatiſſimô *Dn. Johanne Friderico Allmacherô*, Chirurgô quondam feliciſſimô; Matre verò *Elizabethâ Catharinâ* ex egregiô *Schauliorum* genere prognatâ. Quibus utrobiquè Parentibus *Meiſenhemii* (quod Palatinatûs inferioris oppidum eſt) ex legitimô thorô in lucem edebatur *anno* 1648. *die* 5. *Decembris*, ubi paulò pòſt ſacrô baptiſmatis fonte ablutus, eôdem, quô Parens, gaudebat nomine, vitæ libro eſt inſcriptus. Verum uti vegetabilium ſemina, niſi fertili terræ mandata facilè à priſtinô ſuâ naturâ degenerant, ità in naturâ ferè accidere ſolet humanâ, ùt vel optimis quibuſve geniti niſi maturè excolantur, à priſtinâ ſuâ origine deflectant. Quapropter ſapientiſſimus Parens iis eundem doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, in *ſcholâ Triviali*, quæ S. Goarii eſt, erudiri curavit. Erat autem in Puerô præter docilitatem ingenii, ſumma ſuavitas oris ac vocis, ùt non ſolùm celeriter arriperet, quæ tradebantur, ſed etiam excellenter pronunciaret. Quâ ex re in pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur, clariùſque exſplendeſcebat, quàm generoſi condiſcipuli, animô æquô ferre poſſent. Paulò pòſt, cùm parentes relictô primô domiciliô *Darmſtadium* côcederent, *Gymnaſio* illius loci *Principali*

cipali eſt commiſſus, ubi prima in *Humanioribus*, ut vocant, *literis* fundamenta jecit haud pœnitenda. Interim ſublimius erat juvenis ingenium quàm ùt ſolis ſcholarum ergaſtulis inhæreret. Quare ad altiora jam contendens innatâ quâdam animi propenſione Arti Medicæ ſe devovit, ad quam ſtimulum illi ſubjeciſſe poterat egregia, quâ Pater inclareſcebat, dexteritas & in curando felicitas, quam vix ex ephebis excedens laudabili quôdam fervore æmulabatur. Commodiſſimam hîc occaſionem ſuggerebat manuductio Beatiſſimi Dn. D. *Tackii*, *Archiatri Haſſo-Darmſtatini & Prof. Gieſſenſis Primarii*, qui tunc in Aulâ principali verſabatur, ipſique ad ſubmiſſam Parentum exorationem per integrum anni curſum ſelectiora *Phyſices & Artis Chymicæ* principia inſtillavit haud vulgaria, quibus & in Theoriâ & in Praxi Medicâ ſemper utebatur feliciſſimè. Jactis ità ſolidè fundamentis ad Academias properabat ùt cœpta jam ſtudia urgeret & ad maturitatem altiùs eveheret. Primò quidem nomen dedit Inclytæ Gieſſenæ, quam eam præ aliis ob cauſam eligebat, quòd in veſtibulò Artis Medicæ locatus faciliorem hîc ad interiora aditum obſervârit, cùm in *Anatomicis & Botanicis inſtitutionibus* addiſcendis largam hîc occaſionem nactus eſſet. Eôdem enim tempore Lipſia Nobis concedebat *Mich. Hielandum*, Anatomicum Exercitatiſſimum, Ulma verò *B. Laurentium Strauſſium*, qui cum *Rotelio* pariter Doctiſſimo pura eruditionis ſuæ ſpecimina in *Almacherô* noſtrô comprobarunt. ſub oculis adhuc verſari mihi videris, Pectus quondam dilectiſſimum! cùm ne dies quidem abierit, quin hortum Academiæ ſolertiâ tuâ fatigaveris! Tuô adhuc ſudore madent tot plantarum myriades, in quibus conquirendis olim eras totus! Tuô, inquam, ſudore madet Theatrum Anatomicum, in quo perpetim intima brutorum viſcera ſcrutabâre! Tuô & ſudore madent erudita Doctorum ſubſellia, quos ad publicas & privatas horas comitabaris indefeſsò! Cæterùm neque ſic anguſtum erat auguſtum *Almacheri* Noſtri ingenium, ùt ſoli Patriæ ſolo adhæreſceret; quin exactô ſeſquiennîô in Illuſtri Ludovicianâ, celebres Saxoniæ Academias viſitabat, quas inter Jenam pro ulteriori ſtudiorum matre ſeligebat. Ad *praxin* enim addiſcendam animus proclivis erat, cujus methodum haurire poterat à Feliciſſimo quondam & in Academiis non minùs quam Magnatum aulis celeberrimô Guernerô Rolfinciô; quô Ductore *Generaliora Praxeos futuræ monita* adeò ſibi reddidit percognita, ùt ad τὸ πκνωθῆναι deventurus talem ſe gerere potuiſſet, qualem decet Medicum religione plenum. At nè hoc quidem ſine prævià manuductione tutò & impunè attentari poſſe ſibi perſuadebat, cùm occaſio præceps ſit & experientia fallax. Adeò quidem ùt

In Cathedrâ multos dicant, curarier ægros.
Ad lectum paucos convaluiſſe malô.

Ut ergò hâc quoque in parte ſibi conſuleret, allectus famâ & virtute Inclyti Medici, Dn. *Franciſci de le Boë Sylvii* Lugdunum in Bataviam contendit, quem cum ſpiſsâ commilitonum catervâ ad populoſiſſimum, quod iſtic locorum eſt, noſocomium in dies comitatus *Praxin Clinicam* ad ægri lectum obſervare, genuinas morborum cauſas indagare, methodôque haud vulgari ſelectiſſima quævis pharmacorum genera adhibere non tam vidit, quam perdidicit. Quæ quidem ſolertia ita feliciter illi ceſſit, ùt habitâ XXI. Junii anno 1672. publicè Diſputatione Graduali de *Morbis Caſtrenſibus* omnium & Procerum & civium Academicorum applausû ſummis in arte Medicâ honoribus & Privilegiis donatus, & in Doctorem Medicinæ more majorum proclamatus, vitæ ſuæ Academicæ ultimum colophonem impoſuerit. Jam benevolo cujusvis judicio relinquo, utrum concinniori unquam methodô arduum Artis Noſtræ ſtadium pertranſiri poſſit, cujus admirandum in *Allmachero* Noſtro videas compendium: ſicut enim ars longa, vita brevis, ita ſola methodus utrobiquè certum eſt remedium. Sola, inquam, methodus eſt, quâ per compendium ire & intricata Artis præcepta ſolidè diſcernere licet. Methodus eſt quæ morbos incurabilibus adſcriptos citò, tutô & jucundè ſublevare docet. Huic ergò totô ſtudiorum curſû ſalutariter inhærens *Almacherus* Noſter, non potuit non Praxin ſibi feliciſſimam indè promiſiſſe, quam bonis quoque avibus in *Imperiali Francofurto* primùm auſpicatus eſt, quò Parentes ejus dilectiſſimi paulò antè abierant. Ita enim in primô ſtatim Praxeos exortu ſeſe geſſit, ùt ob ejus in gerendis rebus agilitatem & medendo felicitatem officium Medici ordinarii, ſeu, ut loquuntur, *Phyſicatus Aſchafenburgicus* illi ſponte ſit delatus, quô integrô biennii tractû laudabiliter eſt defunctus. Cæterum hoc adhuc in illô deſiderari videbatur, quòd conjugalis unionis vinculô ſolutus dulci vitæ Medicæ adjutoriô deſtitutus eſſet. Ut enim fert hominum verecundia, ſequior ferè ſexus, (qui Medicorum meſſis eſt) Practicis Junioribus, in cælibatu viventibus, ægrè ſæpè ſe concredere ſolet. At huic pariter incommodo facilè obviam ibatur, dum in patriam reverſus anno 1675. die 29. Septembris Nobiliſſimam & omni virtutum genere decoratiſſimam Virginem Annam Eliſabetham ex honeſtâ Pettmanniorum familiâ oriundam legitimò ſibi matrimoniò junxit, quâcum 11. annorum ſpatiô honorificè & ut maritum Chriſtianum decet, pacificè agens VI. liberorum Parens eſt redditus, trium Filiorum ſcilicet totidemque Filiarum, è quibus unicus uſque filiolus, binæque Puellæ adhuc ſunt in vivis, reliquis Deo in primis ætatis incunabulis ſtatim redditis. Vix cœptô hôc conjugiô altera illi vocatio obtingebat, quâ in *Archiatrum Illuſtriſſimorum Comitum in Wertheim* hujuſque *Civitatis Phyſicum* ordinarium adſciſcebatur. Quô quidem officiô per integrum decennium ita laudabiliter eſt defunctus, ùt Magnatum gratiam, civium admirationem, omnium deniquè applauſum brevi ſit lucratus, quem fuſis etiam lacrymis ſatis comprobaverunt, cùm trienniô jam elapſô Franconiâ excederet, & aliorum deſideriis Francofurtum revocatus Wertheimenſibus ſuis valediceret. Quum enim navali hinc itinere abiturus Mænum conſcenderet, agmine factô cives concurrebant, gemitibus aëra, lacrymis navigia, votis verò inclytam Medici familiam adeò replebant ùt reciprocis utrobiquè ſuſpiriis ſummum exindè dolorem conteſtati ſint. Quamprimùm verò ad Francofurtenſes ſuos rediit, Praxi ſtatim diffuſiſſimâ & inſolitâ tantùm non obrutus, tantâ illic dexteritate uſus eſt, ùt non civium modò ſed & diverſorum S. R. I. Principum, aliorumque Magnatum animos caperet, quorum lateribus in dies affixus hæſit. Erat enim in illô pietas ſincera, candor infucatus, humanitas & comitas inconſueta; quâ non parium modò amicitiam, ſed & Magnatum gratiam facilè merebatur. Recuperaverat ſic in *Almachero* Illuſtre Francofurtum, quod in Divini jam *Schefferi* obitu perdiderat, cujus veſtigiis in Praxi æquè ac communi vitâ inſiſtebat, ità, ùt dubitaveris, uter alterutrum pietate & candore ſuperârit. Recuperaverat in eô S.R.I. Academia Naturæ Curioſorum (in cujus conſortium jam anno 1679. receptus erat) quem in B. *Schefferi* locum pro adjunctô

renunciaret;

Quô quidem officiô adeò nihil priùs habuit, quàm ùt omnem ad ejuſdem incrementa lapidem moveret. Deus immortalis! quàm cordatus erat & quàm expeditus, cùm paulò ante obitum, totius Academiæ Curioſæ nomine coram *Eminentiſſimo Principe Electore* Dn. Franciſco Anshelmo *Archiepiſcopò & Electore Moguntinô* &c. compareret, & ſubjectiſſimâ devotione Celſitudinem ejus & Clementiam in totius Collegii partes exoraret. Quod adeò feliciter illi ceſſit, ùt non univerſa modò Academia, ſed & aliquot in ſpecie membra *Eminentiſſimi Protectoris noſtri* gratiam reapsè ſunt experti, quam ſubjectiſſimâ modò gratitudine deveneror. Non dicam de aliis à Beatiſſimo collegâ præſtitis officiis. Loquantur hîc *obſervationes* ejus *in Miſcellaneis* conſpicuæ? Loquantur commercia literaria cum benè multis Academiæ membris inſtituta, è quibus filiali prorsùs amore deperibat Præſidem Noſtrum, Perilluſtrem Dn. D. *Volckamerum*, cujus tantô flagrabat deſideriô, ùt ejus videndi gratiâ peculiare iter Noribergam verſus meditatus fuerit, cùm votis ſecundis triſtem ſimul viduitatis ſolitudinem illic permutandi animus hæreret. At ô ſpes hominum fragiles! ô fallacia conſilia! Hunc enim tunc maximè cogitantem morbus gravis & malignus occupavit, & quidem eô ipsô, quô conjugem ſuam ex ſimili affectu ſurreptam deplorabat, annô. Quô autem ille animô morbum ſævientem, quô mortem certam jam & imminentem tulit! quot quantasque moribundus animi verè Chriſtiani ſignificationes dedit? quâ ſubmiſſione animi peccata ſua confeſſus eorum ſibi veniam à Deo dari petiit? Quâ veneratione Sacroſanctam Euchariſtiam excepit! Quibus omnibus jam armatus & munitus cùm totô morbi tempore mentis ſuæ compos fuerit, nihilque aliud quàm Chriſtum, Chriſtum Deum ſuum in ore perpetuò habuerit, ad eum quem ſperabat unum, cui fidebat uni, ut quidem ſperamus ac cupimus, in mediô ætatis vigore, anô ſcil. XXXVIII. evolavit. *Hæc exſcripta ſunt ex Appendice Anni* VII. *Decuriæ* II. *Miſcell. Curioſ. &c.*

De eô extant

Obſervatio, de luxatione vertebrarum dorſi, introrſum factâ, *Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Germ. ann.* IV. *&* V. *num.* 77.

De tumore genu, ex lapſu, pro luxatione, malè curatô. *Ibid. ann. eôd. num.* 78.

De Enterocele deſperatâ curatâ. *Ibid. ann. eôd. num.* 79.

ALMELOVEEN (*Theodor. Janſſonius ab*)

De eô extat

Inventa Nov-Antiqua, id eſt, brevis enarratio Ortûs & Progreſſûs Artis Medicæ, ac præcipuè de Inventis vulgò novis, aut nuperrimè in eâ repertis. Subjicitur ejuſdem Rerum inventarum Onomaſticon ad virum Clariſſ. *Jacobum Vallan.* Amſtelodami, apud Janſſonio-Wasbergios 1684. in 8.

Aur. Corn. Celſi de Medicinâ Libri VIII. brevioribus Rob. Conſtantini, Iſ. Caſauboni, aliorumque Scholiis ac locis parallelis illuſtrati, curâ & ſtudiô Theod. Janſon ab Almeloveen M. D.

Amſtelod. apud. Joh. Wolters, 1687. in 12.

De hac Celſi editione ſic in Actis Lipſienſibus

PRimus inter Latinos de re Medicâ ſcriptores A. C. Celſus, magnô ſemper in pretiô à politioribus ingeniis fuit habitus meritô ſuô. Eſt enim puriſſimæ non ſolùm latinitatis auctor, qui ex Hippocrate cæteriſque ex Græciâ ortis principibus præſtantiſſima quæque tranſtulit haud infeliciter; ſed in Chirurgicis inprimis plenè perſpicuèque tradendis operam inſumſit ſanè laudabilem. Unde & eruditiſſimi viri ſtudiô ſuô illuſtrare eum ſunt aggreſſi: ex quibus *Joh. Cæſarii*, *Guill. Pantini*, *Jodici Lommii*, *Rob. Conſtantini*, *Hierom. Threverii*, *Bald. Ronſſei*, *Hierom. Rubei*, *Pet. Pauvoii*, *& Joh. Lindani*, labores extant in publicum editi; deſiderantur adhuc, & forſan deſiderabuntur perpetuò, quarum ſpes unà cum ſuis auctoribus intercidiſſe videtur, *J. C. Scaligeri*, *Joh. Walæi*, *Æl. Ever. Vorſtii*, *Joh. Rhodii & Mentelii* promiſſæ lucubrationes. Quarum tamen jacturam ut æquiori feramus animô, ſpectata jam multotiès Cl. V. *Theodori Janſonii ab Almeloveen* induſtria facit, quaſi ſicuti Medicus eſt atque Philologus doctiſſimus, Celſoque adeò in priſtinum nitorem reſtituendo aptiſſimus; ità jamdudùm eam ſibi ſumſit operam, ùt elegantiſſimum hunc ſcriptorem juſtô commentariô illuſtratum emittat, indiceque ampliſſimô, qui lexici vicem ſupplere poſſit, quale in Scribonium Largum dedit, *Joh. Rhodius*. Intereà ùt ſatisfaceret plurimorum deſideriis, minorem ſaltem & quaſi portatilem *Celſi* editionem requirentium, hanc apparavit, ultimæ illi, quam Lindanus publicaverat, paginarum linearumque numero exactè reſpondentem, ſubjunxitque ſingulis ferè paginis locorum ex *Hippocrate*, aliiſque auctoribus, parallelorum ſeriem non contemnendam; quemadmodùm jam ante hos tres annos ad *aphoriſmos Hippocraticos* curâ ſuâ ac ſtudiô editos ſententias ex Celſô ὁμοψήφους annotaverat. Præcedit Lindani dedicatio ac præfatio, tùm ipſius *Celſi* effigies ex iconibus Medicorum ac Philoſophorum illuſtrium à *Sambucô* editis deſumta, cui addi potuiſſet epigramma *Poetæ veteris anonymi* imagini Cornelianæ ſubſcribendum, quod eſt inter *Epigramm. vet. à Pithoeo*, ut apparet, *edita l.* 11. *p.* 48.

Dictantes Medici, quandòque & Apollinis artes
Muſas Romanô juſſimus ore loqui.
Nec minùs eſt nobis per pauca volumina famæ
Quàm quos nulla ſatis bibliotheca capit.

Imaginem excipit *vita Celſi à Rhodiô* ſcripta; quæ ferè ſola ex viri eruditiſſimi curis in Cornelium impenſis injuriam ignis effugit, unà cum ejus diſſertatione *de Acia & de ponderum ac menſurarum apud Celſum ratione à Th. Bartholinô* edita. Hanc ſequitur omnium, de quibus conſtat, Celſi editionem indiculus, cum nonnullis variorum auctorum de eo teſtimoniis ac elogiis. Ad calcem libri ſubjiciuntur breviora ſcholia *ex Jo. Cæſarii*, *Robertique Conſtantini* annotationibus ac aliorum ſcriptis, qui Celſum velut in tranſcurſu emendârunt aut illuſtrârunt, collecta, quibus & interſperſæ notulæ hactenùs nondùm viſæ, quas ad codicem quondam ſuum alleverat *Iſaacus Caſaubonus*. Rerum deniquè & verborum index librum claudit in omnibus hactenùs editionibus deſideratus, & tanquam majoris lexici Corneliani prodromus, quod ùt propediem cum commentariis à doctiſſimô editore perfectum emittatur, omnes illi ſeriò exoptant, quibus curæ ſunt literarum ſtudia.

ALMENAR (*Johannes.*) Hiſpanus Profeſſor Medicinæ. Vixit A. C. circiter 1530. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

De morbô Gallicô, Liber. Papiæ, apud Bernhardinum de Geraldis, 1516. in fol. cum Ang. Bologninì

Bolognini *Leoniceni*, Alex. Bened. aliorumque de eôdem ſcriptis. Lugduni, 1528. in 8. Baſileæ, apud Henr. Bebelium, 1536. in 4. cum iiſdem. Lugduni, 1539. in 8. Et Tomo I. Operis de Morbô Gallicô Veneti, pag. 310.

ALPAGO (*Andreas*) Bellunenſis.

Is ſubſequentibus inſudavit.

Armegandi Blaſii verſionem Canticorum Avicennæ caſtigavit. Venetiis, apud Juntas, 1555. in fol.

Joh. Serapionis Practicam, dictam Breviarium, interpretatus eſt.

Avicennæ tractatum de ſyrupô acetoſô ex Arabicô in Latinum ſermonem tranſtulit. Venetiis apud Juntas, 1544. & 1555. in fol. Baſileæ, apud Johannem Hervagium, 1556. in fol.

Embitaris tractatum de Limonibus latinitate donavit. Pariſiis, apud Bindanum, 1602. in 4.

ALPHANIUS (*Franciſcus*) Salernitanus.

Ex eô habetur

Opus de peſte, febre peſtilentiali, & febre malignâ: necnon de variolis & morbillis, quatenùs nondùm peſtilentes ſunt. Neapoli, apud Horat. Salvianum, 1577. in 4. Hamb. 1589. 1618. in 8.

ALPHERIO (*Hyacinthus de*) Ilicetanus.

Ex eô habentur

De peſte, & verâ diſtinctione inter febrem peſtilentem & malignam non hactenùs perſpectâ. Opus etſi novum, novô tamen & inopinatô ſtylô exornatum, variiſque auctoritatibus fultum. Cui proximè accedit tractatus de variolis & morbillis, Neapoli, apud Ægid. Longum, 1628. in 4.

De Præſervatione à calculis atque cunctis ferè morbis, deque Renalium Medullâ, opus. Neapoli apud Ægidium Longum, 1632. in 4.

ALPINUS (*Proſper*) natus eſt Maroſticæ, oppidô ad Montium Vicentinorum radices amoenô, A.C. 1553. Patre Franciſcô Alpinô, Medicô ſui temporis inſigni: nactis Patavii 1578. Medicinæ Doctoris inſignibus, bienniô poſt, ſimplicium exoticorum indagandorum gratiâ, 1580. Venetiis ſolvens in Ægyptum trajecit, ibique per triennium commoratus Venetias rediit: & paulò poſt Genuæ, ab ejus Reipubl. Principe ad propriæ valetudinis cuſtodiam accerſitus, Medicam Artem feliciter exercuit: abhinc Patavium ſeceſſit, declaratus Botanices Profeſſor, & Horti Medici Præfectus: ubi tantâ audiendi difficultate, ſeu potiùs ſurditate premebatur, ùt ne maximos quidem ſonos perciperet: eâ ex causâ meditari tunc cœpit tractatum de ſurditate, ratus, neminem Medicorum veram affectionis illius naturam hactenùs aſſecutum eſſe. Sed morte præventus, nondùm abſolutô opere, vivere deſiit, A. C. 1616. ætatis ſuæ 63, relictô inter alios liberos Filiô, Alpinô Alpinô, Patris ſui in ſimplicium Profeſſione, poſt Prævotium Patavii ſucceſſore.

De eô extant in Lind. Renov. Merckl.

De Medicinâ Methodicâ, libri tredecim. In quibus Medendi Ars, Methodica vocata, olim maximè celebris, quæ hâc ætate non ſine magnô ſtudioſorum Medicinæ & dedecore, & damnô planè deſiiſſe viſa eſt, denuò reſtituitur, atque in Medicorum commodum quadantenùs ad Medicinam Dogmaticam conformatur. Opus novum, è quô ſtudioſi, præter ſectæ Methodicæ placita à celeberrimis Medicis tradita, etiam Praxim Methodicam exactiſſimam ad medendum nanciſcentur. Patavii, apud Franc. Bolzettam, 1611. in fol.

De Medicinâ Egyptiorum, libri quatuor. In quibus multa cùm de variô mittendi ſanguinis uſu per venas, arterias, cucurbitulas, ac ſcarificationes noſtris inuſitatas, deque Inuſtionibus, & aliis Chirurgicis Operationibus, tùm de quampluribus Medicamentis apud Ægyptios frequentioribus, eluceſcunt. Quæ cùm priſcis Medicis doctiſſimis olim notiſſima, ac pervulgatiſſima eſſent, nunc ingenti Artis Medicæ jacturâ à noſtris deſiderantur. Venetiis, ap. Franc. de Franciſcis 1591. in 4. Pariſiis apud viduam Guil. Pelé, 1646. in 4. Cui editioni acceſſit Jacobi Bontii de Medicinâ Indorum lib.

De Plantis Ægypti, liber, in quô non pauci, qui circa Herbarum materiam irrepſerunt, errores deprehenduntur, quorum cauſæ hactenùs multa Medicamenta ad uſum Medicinæ admodùm expetenda, pleriſque Medicorum, non ſine Artis jacturâ, occulta, atque obſoleta jacuerunt. Venetiis, apud Franc. de Franciſcis, 1592. in 4. Patavii, 1640. in 4. Cum Obſervationibus & Notis Johannis Veſlingii, Equitis. Acceſſit Proſp. Alpini de Balſamô, liber. Editio altera emendatior. Patavii, apud Paulum Frambottum, 1640. in 4.

De Balſamô, Dialogus, In quô veriſſima Balſami Plantæ, Opobalſami, Carpobalſami & Xylobalſami cognitio, pleriſque antiquorum atque juniorum Medicorum occulta, nunc eluceſcit. Venetiis, apud Franc. de Franciſ. 1592. in 4. Patavii, apud Paulum Frambottum, 1639. in 4.

De Plantis Exoticis, libri duo, Venetiis, apud Johan. Guerilium 1629. in 4.

De Rhaponticô, Diſputatio, in Gymnaſiô Patavinô habita. In quâ Rhapontici Planta, quam hactenùs nulli viderunt, Medicinæ ſtudioſis nunc ob oculos ponitur, ipſiuſque cognitio accuratiùs expenditur, atque proponitur, Patavii, apud Petrum Bertellium, 1612. 1622. in 4.

De Præſagiendâ vitâ, & Morte ægrotantium, libri ſeptem. In quibus Ars tota Hippocratica prædicendi, in ægrotis, varios morborum eventus, cùm ex veterum Medicorum dogmatis, tum ex longâ accuratâque obſervatione, novâ methodô eluceſcit. Venetiis, apud Hæredes Melchioris Seſſæ, 1601. in 4. Francof. ap. Jonam Rhodium. 1601. apud Egeonlphum Emmelium, 1621. in 8. aliô titulô; Medicinalium Obſervationum Hiſtorico-Criticarum Libri ſeptem, &c. Francof. apud Johannem Rhodium, 1621. in 8.

Ex eô præterea habetur in Actis Lipſienſibus.

Proſperi Alpini, Maroſticenſis, Philoſophi & Medici, in Gymnaſiô Patavinô medicamentorum ſimplicium Profeſſoris Ordinarii, de Præſagiendâ vitâ & Morte ægrotantium Libri ſeptem, in quibus ars tota Hippocratica prædicendi in ægrotis varios morborum eventus, cùm ex veterum Medicorum dogmatis: tùm ex longâ accuratâque obſervatione novâ methodô eluceſcit, cum præfatione Hermanni Boër-Haave, Editio nova, ſingulari curâ recenſita, ab infinitis typothetarum mendis expurgata, locupletiſſimôque capitum & rerum duplici Indice inſtructa.

Lugduni Batavorum, ex officinâ Is. Severini; 1710. 4.

PRomiſerat olim Proſper *Alpinus*, in libris de Medicina Ægyptiorum, ſe univerſam de Medicô præſagiô doctrinam, quatuor libris abſolutam, in publicam lucem editurum eſſe, in quorum primô de morbis prævidendis, in ſecundô de præteritorum ſymptomatum cognitione, in tertiô de longitudine & brevitate morborum, in quartô

quartô verò de præſagiendâ vitâ & morte ægrotantium agere conſtituerat. Sed dùm poſtremo perſiciendo primò incubuit, reliquis lucem adſpicere non licuit. Hos igitur ſeptem de præſagiendâ vitâ & morte libros in publicum prodire juſſit Venetiis 1601. in formâ, quæ quarta dicitur, quam Francofurtenſes ob viri celebritatem & libri uſum eôdem annô in 8. repetierunt. Attamen cùm utraque ἔκδοσις ſtudioſorum manibus penè erepta eſſet, id egit vir clariſſimus Hermannus Boërhaavius, qui Medicæ rei juvandæ ſtrenuam navat operam, & multa præclara ex ſuô penu adhuc promittit, ùt iterùm prelo committeretur. Ità enim rectô aſſeruit judiciô, ad condendam Medicinam requiri accuratam eventuum hiſtoriam, & ſeverum ex illâ ratiocinium. De poſtremô autem, quomodo ex idoneâ experimentorum copiâ diſputatione rationis proficere aliquis poſſit, ipſe egit in diſſertatione de vi ratiocinii mechanici in Medicinâ, & de priori, quâ ratione experimenta capere liceat, in commendatione ſtudii Hippocratici, in quâ laudavit Hippocratem, quòd apud illum ſylva reperiatur obſervationum omnium, quæ ad artem pertinent, in quibus id ſolùm deſiderat, quòd juſtô ordine non digeſta ſint, quem defectum ſuppleviſſe ratus eſt in abſolutiſſimô hôc opere Alpinum noſtrum, dignum adeò, qui diligentiùs artis ſtudioſorum manibus teratur. Cùm verò ad manus tantùm eſſet exemplum Francorfurtenſis editionis, quæ mendis verborum, ſententiarum & citatorum ità ſcatebat, & ſenſum Autoris non relinqueret integrum, neque tamen otiô abundaret Boërhaavius, Spartam de extergendis maculis demandavit Rudolpho Dyker (de quô propter egregias animi dotes præclara multa rei Medicæ auguratur) qui & felici auſû eam ſuſcepit & ornavit. Præter hæc, duplex in hâc editione acceſſit Index, alter capitum, & rerum alter, typiſque adeò nitidis expreſſa eſt, ùt cum Veneta poſſit contendere.

ALPRUNUS (*Joh. Baptiſta*)

De eô extat

Experimentum Medicum de Contagione Viennenſi. Reperitur cum Jacob. Johan. Wenceſlai Dobrzensky Præſervativô univerſali naturali bono publico inſerviente. Pragæ, apud Univerſitatis Typographum 1680. in 4.

ALSARIUS à Cruce (*Vincentius*) Genuenſis.

Ex eô habentur

De Morbis Capitis frequentioribus, quorum cognitio & curatio ità traduntur, ùt ad alios etiam cognoſcendos, & curandos mirificè conducant, hoc eſt, de catarrhô, Phrenitide, Lethargô, & Epilepſiâ, ſeù comitiali Morbô, lib. ſeptem. Romæ apud Guiliel. Facciottum, 1617. in 4. Venetiis, 1619. in 4.

Ephemeridum, id eſt, diuturnarum Obſervationum, libri duo priores & poſteriores. Bononiæ, 1641. in 4.

De verme admirandô per nares egreſſô commentariolum ad Fulvium Angelinum, cum hujuſdem de eôdem brevi Diſcurſu, Ravennæ, apud Hæred. Petri Johannelli, 1610. in 4.

De Epilepſiâ, ſeu comitiali Morbô lectionum Bononienſium libri tres. In quibus, præter magni illius morbi Theoriam, hoc eſt, Definitionem, ejuſque probationem, differentias, cauſas, & ſigna, veterum quoque loca explanata, Neotericorum errores detecti, multaque demùm juxta Medicorum, Philoſophorumque mentem haud injucundè diſputata reperiuntur. Venet. ap. Daniel Zannettum, 1603. in 4.

De Quæſitis per Epiſtolam in Arte Medicâ Centuriæ quatuor. Ubi varii caſus, obſervationes, Conſilia, Reſpōſa, Diſputationes, atque Curationes, non ſine promiſcuâ doctrinâ deſcribuntur. Venet. ap. Juntas, 1622. in fol.

Veſuvius ardens, ſive Exercitatio Medico-phyſica ad Πυγοπύρετον, id eſt, Motum & incendium Veſuvii Montis in Campaniâ, XVI. Menſis Decembris, ann. MD. CXXXI, libris II. comprehenſa, Romæ, apud Guil. Facciottum, 1632. in 4.

Diſquiſitio generalis de Fœtu nonimeſtri, parvæ adeò molis, ùt vix quadrimeſtris appareret, in Adoleſcentulâ primiparâ. Romæ, 1627. in 4.

Conſultatio Medica pro Adoleſcente, oblivione & ſurditate laborante. Romæ, 1629. in 4.

Conſilium Prophylacticum à Lue Peſtiferâ. Romæ, 1631.

De Hæmoptyſi, ſeu ſanguinis ſputô liber. Romæ. 1633. in 4.

ALSAHARAVIUS.

De eô ſic Clariſſ. D. Freind Hiſt. Med. part. II.

Hic Autor à nullo Medicorum comemoratus fuit, & vix in Europâ notus, ante Matthæum de Gradibus, qui an. 1460. obiit, Ejus tandem operum traductio, quantumvis parùm accurata à P. Riccio an. 1519. vulgata, notiorem fecit. Hic Traductor de Illo non parùm honorificè loquitur; ſcriptorem nitidiſſimum appellat, breviſſimum quidem at luculentiſſimũ; tandem qui, juxta ipſum, nulli Medicorum poſthabendus eſt, niſi forſan Hippocratem, ejuſque commentatorem Galenum, exceperis; compoſuit, ſeu potiùs collegit opus in 32. tractatus diviſum, quod *Al Taſrif*, ſive, Methodum Praxeos inſcripſit. Quidam eum præſtantioris doctrinæ in Diagnoſticis, morborumque deſcriptionibus reputant. Liber hic certè multô ordine ac Methodô conſtat, laude ideòque ſine dubiô dignus eſt. Attamen, non poſſum quin dicam, majorem hujus operis partem ad verbum ferè eandem eſſe ac quòd apud Rhazem legitur. Exempli causâ, tractatus 26. qui de morbis Infantum, 28. de Podagræ noxiis. 30. qui de Medicamentis, quæ mortem accerſere queunt, omninò, ut ita dicam, ab ultimô hôc Authore tranſcribuntur. Atque id clariùs apparet dum de Variolis in tractatu 31. ibi enim, quaſi ad verbum, exſcribit quicquid de Peſte ſcripſit Rhazes; adeòque ita ab eô non differt, quin & diviſiones & capitulorum titulos retinuerit. Imò in eô ità diligens eſt, ùt de inauditis & ſingularibus Remedii cujuſdam viribus mentionem agat, quod remedium jam etſi novem puſtulæ exierint, decimam quò prodeat, cohibere ait, potens eſſe. Hoc tamen ipſum remediũ paulò aliter deſcribit. Verbum mihi videtur hìc unum addendum eſſe de errore omnibus ſcriptorum Arabum editoribus communi, ut & illis qui opera illa explanavere. Nempe abſque ullô diſcrimine aut judiciô ullô ad cœlos uſque evehunt hunc aut illum ſcriptorem, tanquam Auctorem principem, cujuſque opera & excellentiora omnia, & planè illi Autori propria contineant. Rari admodùm ſunt qui dicant undè petiverint illi quæ à Græcis excerpſerũt. Vix unum inter eos reperias qui ignorare non videatur quòd tantoperè alii ab aliis mutuati ſint. Illi autẽ ipſi Editores ſi hanc in rem prolixiores unicè fuiſſent, & lectoribus ſuis, & ſibimet multas ambages laboreſque plurimos peperciſſent; breves tantummodò ejuſcemodi notas ſi reliquiſſent, illæ nobis majoris eſſent hodiè momenti, quàm ſua illa omnia immenſa commentariorum volumina. In luſtrandis Autoris noſtri operibus, eum librum aliquod circa Præcepta Praximque Chirurgicam ſæpiùs citantem obſervavimus, præcipuè in pag. 80. 81. 88. 97. 99. 107. 117. 118. 119. 123. 124. 125. 127. Quæ nos contulimus loca cùm *Albucaſi* vulgò ità appellatô, qui unus inter Arabes, de Chirurgicis privatim Operationibus nobis tractatum reliquit; Atque vidimus, non ſine gaudiô, quæſtiones omnes ad Chirurgiam pertinentes, ac de quibus

mentionem

mentionem facit Alſaharavius etiam in hôcce Librô contin eri. Dominum *Gagnier* linguarum Orientalium peritiſſimum, num in Bibliothecâ Bodleïanâ Arabicum Operum Albucaſis exemplar quoddam reperire poſſet, cùm rogaremus ùt quæreret, Ille diu quæritando hujus tandem Manuſcriptum unū inter Archiepiſcopi Marsh. collectiones n°. 54. invenit, ſub titulô ſequente, in latium ſic verſô ; *Tractatus* x. *libri Zaharavii*, *dictus Operatio manûs*, (*i. e.*) *Chirurgia & ars Medica circa cauterizationem*, *& diſſectionem*, *& commiſſionem Fracturarum in tres partes diſtributus.* At nomen Albucaſis ibi cùm non inveniret, quod huic tamen, in Manuſcriptô Latinô ejuſdem Bibliothecæ conceditur, (cujus ultimi manuſcripti Gerardus quidam illius Traductor, Autor inſcribitur) tum ulteriùs etiam indagavit & inter manuſcripta Doctoris *Huntington*, n°. 156. alterum quoque comperit ſub hôc titulô, majore Caractere ſcriptô. *Pars* XI. *Libi Al-Taſrif*, *Autore Abûl Caſem Chalaf Ebn-Abbas Alzaharavi.* Tandem ſub hujus manuſcripti finem verba hæc legebantur ità ab Arabicô tranſlata. *Explicit hic Tractatus de Chirurgiâ*, *eſtque Concluſio totius libri Practices Medicinæ*, *cujus Autor eſt Ab'ul Caſem*, *&c. die primô menſis Safar A. H.* 807. Et in manuſcripto Gerardi latinè conſcriptô, de quô jam loquuti ſumus, Liber hic nuncupatur - *Particula* 30. *Libri Albucaſim* ; Auctoritas uniuſcujuſque horum manuſcriptorum, collata cum iis quæ de citationibus ad Tractatum Chirurgicum jam animadvertimus, dubium extra omne, ut credimus, ponit ea quæ ſub nominibus Alſaharavii tum Albucaſis habemus ab eôdem unô Autore manâſſe. Ad hoc etiam addimus, Albucaſim Lectorem ſuum ſæpiùs dimittere ad Librum, quem de Praxi Medicinæ compoſuit. Nil certum reperitur de tempore quô Autor noſter vixerit ; univerſalis tamen ſententia eſt, eum vixiſſe circa annum 1085. quamvis non facilè concipiatur quô hæc jure nitatur ſententia, cùm aliqua ſubſit cogitandi cauſa eum etiam recentiorem fuiſſe. Namque, in differendô de vulneribus, Turcarum ſagittas deſcribit ; Iſti autem ante medium duodecimi ſeculi vix aliquatenùs inclaruerūt. Quin imò inferri poteſt ex eô quòd ipſe ait, Chirurgiam ſuô tempore oblivioni datam omninò fuiſſe ità ùt vix veſtigium aliquod illius innoteſceret ; ex eô, inquam, concludere fas eſt, quòd ab Avicennâ longè poſterior ſit, nobis cùm ſit notum Chirurgiam, Avicennæ temporibus, in maximâ fuiſſe commendatione.

De eô extat in Lindeniô Renovatô

Liber Theoricæ, nec non Practicæ jam ſummâ diligentiâ & curâ depromtus, in lucem per Sigiſmundum Grimmium Auguſtæ Vindel. 1519. in fol.

Methodus medendi certa, clara, & brevis, pleraque, quæ ad Medicinæ partes omnes, præcipuè, quæ ad Chirurgiam requiruntur, Lib. III. exponens : Cum inſtrumentis ad omnes ferè morbos, utiliter, & γραφικῶς depictis. Adjecti ſunt Rolandi Lib. IV. in quibus ordine, & judiciô ſingulari fideliter tradit rationem medendi morbis interiorum, & exteriorum partium humani corporis: Rogerii Liber, breviter perſtringens quicquid de omnium venarum phlebotomiâ ſcire bonum Medicum oportet : Conſtantini Aphricani de Humanâ naturâ Lib. I. Item Ejuſdem de Elephantiâ Lib. I. Et de Remediorum ex animalibus materiâ Lib. I. Antonii Gazii, quô mendicamentorum genere purgationes fieri debeant, Lib. I. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1541. in fol. cùm Chirurgiâ Guidonis. Venetiis, 1500. in fol. Cum Octaviani Horatiani operibus. Argentorati, 1532. in fol.

ALSTEDIUS (*Joh. Henricus*)

De eô extant

Nomenclator Medicinæ, qui reperitur in Encyclopædiæ Libro V. Cap. XXXV. Herbornæ Naſſoviorum, 1630. in fol. 2. Voll.

Encyclopædiæ Liber ſeptimus & vigeſimus. Exhibens Medicinam tribus ſectionibus. Primâ, ex mente Hippocratis & Galeni. Secundâ, ex mente Chymicorum. Tertiâ, in quâ delineatur Medicina Practica recens & nova : continens omnes totius humani coporis morbos, per Alphabeticum ordinem collectos. Quibus, κατ' ἕκαστον, ſunt addita Medicamenta omnia compoſita τὰ ἐναποθετὰ, & quæ ubiquè locorum hodiè in Pharmacopæis, ſeu, Apothecis ſemper extant parata : nunc denuò emendatior edita & auctior. Cum certa compoſitorum doſi ſub finem appensâ, Autore Martinô Rulandô, Friſingenſi; Extant ibidem vol. ſecundô.

Georgica. Phyturgica. Bucolica. Artopoëtica. Oenoëtica. Zytheptica, Pharmacopoëtica. Metallurgica. Extant ejuſdem Encyclopediæ librô XXIX.

De Hiſtoriâ Med. cap. IX. lib. XXXII. Encyclopediæ Ibidem.

Gymnaſtica. Extat ejuſdem libri ſect. XXXIII.

Clavis Artis Lullianæ, Argentorati, 1633. 1652. in 8.

ALTOMARI (*Donatus Antonius ab*) Medicus ac Philoſophus Neapolitanus. Inclaruit circa A. C. 1558. Renatus Moreau de v. ſ. in Pleurit.

Ex eô habentur

Opera omnia, in unum collecta, & ab eôdem Auctore diligentiſſimè recognita & aucta : cum locis omnibus in margine additis. Lugduni apud Guil. Rouillium, 1565. in fol. Neapoli, 1573. in fol. Venetiis, apud Vincentium Valgriſium, 1574. apud Mejett. 1600. eâdem formâ. Huic editioni acceſſerunt duæ Tabulæ de Pulſibus: & Emendatio Ponderum per columnas.

Sunt autem hæc

De uterô gerentibus, quòd pro præſervatione abortùs venæ ſectio non competat, ex Hipp. & Gal. ſententiâ.

De Alteratione, Concoctione, Digeſtione, Præparatione, ac Purgatione.

De ſedimentô in urinis.

Quòd functiones principes, juxta Galeni decreta, anima non in cerebri ſinubus, ſed in ipſius corpore exerceat.

Quòd naturalis ſpiritus in doctrinâ admittatur, & non omninò ſit abolendus, ut quibuſdam viſum eſt.

Quòd exquiſita tertiana, ad ejuſdem Hippocratis & Galeni ſententiam in genere acutorum morborum contineatur.

De ſanitatis latitudine.

De medendis humani corporis malis ; Ars Medica.

De Medendis Febribus.

De Peſtilenti Febre.

De Mannæ differentiis, ac viribus, deque eas dignoſcendi viâ ac ratione.

De vinaceorum facultate, & uſu.

Seorſim extant

Methodus Alterationis, Concoctionis, Digeſtionis, Præparationis, ac Purgationis. Ex Hippocratis & Galeni ſententiâ. Venetiis apud Gryphium 1547. in 4. Lugduni 1548. in 12.

Nonnulla Opuſcula nunc primùm in unum collecta & recognita, cum locis omnibus in margine additis. Quibus ultimò accedit de ſanitatis latitudine Tractatus : unà cum ejuſdem latitudinis Tabulâ, denuò in lucem editus. Venetiis, apud Marcum de Mariâ, 1561. in 4. Sunt autem iis, quæ jam recenſuimus, priora ſeptem.

Ars Medica, de medendis humani corporis malis. Neapoli, apud Matthiam Cancrum 1553. in 4. Venetiis, 1558. in 8. Venetiis, apud Marc. de Mariâ, 1565. Ibidem 1570. in 4. Ibidem apud Paulum Mejettum. 1597. in 4. Ibid. apud Mejett. 1600. Extat etiã cum Petri Salii Diverſi tractatu de Febre peſtilenti &c. Hardervici, apud Societatem, 1656. in 8. Neapoli, 1661. in 4. Venetiis 1670. in 4.

De medendis Febribus, Ars Medica. Neapoli apud Marcum de Mariâ Bibliopolam Neapolitanum 1562. in 4.

Tabulæ de differentiis Pulſuum.

ALTUS.

De eô extat

Mutus liber, in quo tamen tota Philoſophia Germanica Figuris Hieroglyphicis depingitur. Rupellæ, 1677. in fol.

ALVAREZ (*Antonius*)

Ex eô habetur

Epiſtolarum & conſiliorum Medicinalium pars prima. Omnibus, non Medicis modò, ſed etiam Philoſophiæ ſtudioſis utiliſſima. Neapoli, apud Horatium Sawianum: 1585. in 4. Additæ ſunt ſub finem Defenſiones pro Johanne Altimaro, in Salvi Siliani Apologiam: Quòd ea, quæ dixit Altimarus pro partis defenſione contra Salvum, veriſſima ſint, & in oppoſitum adducta nihil concludant. Ibidem.

ALVAREZ CHACON (*Didacus*) Medicus Doctor, ſcripſit de Pleuritidis curatione hôc vulgari titulô

Para curar el Mal de Coſtado. Hiſpali 1506. in 4. (i. e. Pro curâ morbi lateris &c.

ALVAREZ de Miraval, (*Blaſius*,) Theologus, ac Medicus, Doctor Salmanticenſis, utriuſque doctrinæ ſpecimen dedit ſcribens.

La Conſervation de la ſalud del cuerpo, y alma para el buen regimiento de la ſalud, y mas larga vidâ del Sereniſſimo Principe D. Felipe. Metymnæ 1597. in 4. Salmanticæque apud Andream Benaut 1601. in 4.

ALVERNIA (*Petrus de*)

Ex eô habentur

Commentarii in Ariſtotelis libros de motibus Animalium. De Longitudine & Brevitate vitæ. De juventute & ſenectute. De Reſpiratione. De vitâ & Morte. Venetiis, ap. Hæredes Octav. Scoti, 1507. in fol.

ALVETANUS (*Cornelius*,) Anſrodius.

De eô extat

De conficiendô divinô Elixire, ſive lapide Philoſophicô. Reperitur in volumine quintô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1622. in 8.

AMABILIS (*Joh. Siſinius*)

Ex eô habetur

De naturâ fœtûs Diſputatio. Romæ, apud Andream Phæum, 1615. in 8.

AMANDO (*Joh. de ſanctô*,) Gallus.

De eô extant

Expoſitio & dubitationes, earumque ſolutiones ſuper Antidotarium Nicolai. Extant cum Joh. Meſues operibus.

De idoneô auxiliorum uſu libellus. Extat cum Chriſtophori Heylii artificiali Medicatione & Bertrutii Methodô cognoſcendi Morbos, Moguntiæ, apud Ivonem Schöffer, 1534. in 4.

De Balneis, Opuſculum. Extat in opere Venetô de Balneis, p. 221.

AMATUS (*Joh. Carolus*,) Moniſtrolenſis.

Ex eô habentur

Fructus Medicinæ ex variis Galeni locis decerpti. Lugduni, apud Ludov. Proſt, 1623. in 12. Genevæ 1557. in 12.

AMATUS (*Leonardus*) Saccenſis, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor eximius. Doctrinâ & eruditione inſignis: Panormi ubi literarum ſtudiis operam dedit, & Saccæ, in quâ diù Medicam facultatem exercuit, ſui æſtimationem excitavit. Obiit Saccæ circa annum 1674. Edidit librum inſcriptum.

Adverſariorum Catena de Jure galli veteris pro aſthmate. Panormi apud Petrũ de Iſola 1667. in 4.

De Balneis. De uſu Aquæ Thermalis, ſeu Aquæ ſanctæ, quâ horâ, & quâ quantitate potanda. Horum tractatuum autographa manuſcr. in 4. extant Panormi apud D. Franciſcum Bevilaquam Sacerdotem Saccenſem.

Diſcorſi dell' origine; & antichita di Sciacca, della ſua Nobilta, e Famiglie, d'ogn'una di eſſe in particolare. M. S. in 4. ſervantur Saccæ in Bibliotheca Capucinorum.

AMATUS Luſitanus, (hâc enim appellatione notus eſſe voluit, qui inter cives ſuos *Johannes Rodriguez*, adjunctô à patria cognomine *de Caſtel Branco*, olim audiebat, atque in prioribus à ſe editis monumentis inſcriptus prodiit,) Medicus Doctor, Salmanticæ in *Altareto* unà cum *Andreâ Lacunâ* Segobienſi hanc Artem didicit. Deinde octodecim non ampliùs annos natus Chirurgicam in duobus ejuſdem urbis Noſocomiis exercuit. Hinc in patriam ſe recipiens, gradum indè fecit ad peragrandas Galliæ, inferioris Germaniæ, demumque Italiæ celebriores ſcholas, quarum, ſuæque peregrinationis contractæque cum viris ſummis, Antverpiæ quidem Ludovicô Vives, Ferrariæ Joanne Baptiſtâ Cannanô, qui de *Muſculis* ſcripſit, & Antoniô Muſâ Braſavalô Medicô clariſſimô, Venetiiſque cum Didacô Mendozâ Regiô Legatô, familiaritatis in Centuriarum opere ſæpiùs meminit. Anconæ quidem ille (neſcio an Apoſtaſiæ jam labe infectus) ſubſiſtit; quâ in urbe derelictis facultatibus ſuis, fugæ locum ſibi quærere opus habuit, Piſauri, apud Guidonem Ubaldum Urbini Ducem, quô tempore Albanus Dux ad coërcendos Hiſpani nominis hoſtes circum urbem bellum ferebat. Delatus tandem Theſſalonicam Græcorum, ubi celebris eſt Hebræorum, & qui Hebraicæ ſuperſtitioni palàm adhærent, ſynagoga, vitam ibi, ut credo, cum morte infeliciſſimâ commutavit. Libris interim doctis, & elegantibus famæ ſuæ prælu- xerat, ſcripſit enim

In Dioſcoridem Anazarbæum commentaria Venetiis in ædibus Scoti 1553. iterùmque 1557. Lugdunique 1558. in 8. apud Mathiam Bonhomme cum *Annotationibus Roberti Conſtantini & ſimplicium picturis ex Fuſchio, & Dalechampio*, Argentinæ item apud Bihelium 1565. in 4. Ediderat olim ſub veteri nomine *Joannis Roderici Caſtelli Albi, In duos libros priores Exegemata*, Antverpiæ 1536. 4. deinde adſcitô ſibi *Amati* aliô, integrum hoc opus, quô quidem provocavit Petri Andreæ Matthioli eidem Spartæ ornandæ intenti, Venetiis editam adverſus ſe *Apologiam.*

Curationum medicinalium centurias VII. Quibus præmittitur *Commentatio de Introïtu Medici ad ægrotantem, deque Criſi & diebus decretoriis.* Harum prima cum laudatâ commentatione prodiit, ſeorſim

ſeorſim ante alias, Florentiæ apud Torrentinum, 1551. Secunda Venetiis apud Valgriſium 1552. in 16. ſimul omnes Venetiis 1557. in 8. Lugdunique apud Rouillium 1560. Pariſiis 1613. tribus voluminibus; & apud Gilbertum Vernoy 1620. in 4. Item Barcinonæ 1628. fol.

Amiſit in Anconitanâ calamitate, ut ipſe refert, in dedicatione Centuriæ VIII. & Curatione XII. & XXIX. & LXX.

Commentaria in quartum Fen libri primi Avicennæ, quibus præfixus erat ipſe Avicennæ textus per Jacobum Mantinum fideliter verſus, atque ab Amatô recognitus & latinior factus.

Vertit item in Hiſpanicum, nuncupavitque Jacobo Naſſinio Hebræo.

La Hiſtoria de Eutropio.

Medicum clariſſimum vocat eum Bibliothecæ Medicæ author, *Eruditiſſimas ejus in Dioſcoridem enarrationes, multiplicemque rerum in centuriis copiam, atque eruditionem*, celebrans. *Nicol. Anton. in Biblioth. Hiſpanicâ.*

De ejus Scriptis ſequentia ſpecialiùs ennarrantur in Lindeniô renovatô.

Curationum Medicinalium Centuriæ ſeptem, variâ multiplicique rerum cognitione refertæ. Quibus præmiſſa eſt Commentatio de Introitu Medici ad ægrotantem: De Criſi & Diebus Decretoriis: Barcinonæ, 1628. in fol. Burdigalæ, apud Gilbertum Vernoy, 1620. in 4. Venetiis apud Conſtantinum, 1557. in 8. & apud Vincentium Valgriſium 1566. in 8. Lugduni, apud Guilielmum Rouillium, 1560. in 12. Ibidem, apud eundem, 1580. in 12. Francofurti, 1646. in fol. Ex his ſeorſim edita eſt.

Centuria prima. Cui eadem Commentatio de Introitu ad ægrotantem, & Criſeωn Tractatio præmiſſa eſt. Florentiæ, apud Torrentinum, 1551. in 8. Venetiis, 1654. in 12. &

Centuria ſecunda. Quæ methodum & canonem propinandi decoctum radicis Chinarum locupletiùs deſcribebat. Venetiis, apud Valgriſium, 1552. in 12.

Seorſim etiam edita ſunt Curationum Medicinalium Centuriæ II. priores ſimul conjunctæ; ubi primæ præmittitur Commentatio de Introitu Medici ad ægrotantem: de Criſi & Diebus Decretoriis: in ſecundâ verò inter alia Methodus & Canon propinandi Decoctum Radicis chinarum, Julio III. Pontif. Maximo compoſitus, uberiùs deſcribitur, quàm in prima habetur centuria. Lugduni, apud Gulielmum Rouillium, 1580. in 12.

Seorſim itidem editæ ſunt Curationum Medicinalium Centuriæ duæ, Tertia & Quarta. Ibidem, apud eundem, annô & formâ iiſdem.

Seorſim rurſùs aliæ duæ Centuriæ editæ ſunt, Quinta nempè & Sexta; in quarum ultimâ curatione continetur Colloquium eruditiſſimum; in quô doctiſſimè diſputatur & agitur de Curandis capitis vulneribus. Ibidem, apud eundem, annô & formâ iiſdem.

Tandem etiam ſeorſim edita eſt Curationum Medicinalium Centuria ſeptima, Theſſanoliæ Curationes habitas continens, variâ multiplicique doctrinâ referta. Ibidem, apud eundem, annô & formâ iiſdem.

De Morbô Gallicô, & Gallicâ ſcabie, Epiſtolæ duæ, ex Centuriâ primâ Medicinalium curationum excerptæ. Nec non de Methodô propinandæ chinæ ex Centuriâ ſecundâ excerpta. Extant Tom. I. *pag.* 560. operis de Morbô Gallicô; Venetiis, apud Jord. Zilettum, 1566. in fol.

In Dioſcoridis Anazarbæi de Medicâ materiâ libros quinque Enarrationes eruditiſſimæ. Quibus etiam tùm ſimplicium medicamentorum Nomenclaturæ Græcæ, Latinæ, Italicæ, Hiſpanicæ, Germanicæ, & Gallicæ proponuntur, tum errores aliorum omnium, qui ad hanc uſque diem de hâc materiâ ſcripſerunt, improbantur, Venetiis, apud Jordanum Zilettum, 1577. in 4. apud Valgriſium, 1553. in 8. Argentinæ, apud Rihelium, 1554. 1565. in 4. Lugduni, apud viduam Balthaſ. Arnoleti, 1558. in 8. apud Matth. Bonhomme, 1558. in 8. Cui editioni acceſſêre inſuper Roberti Conſtantini Annotationes, & ſimplicium picturæ ex Fuchſiô, & Dalechampiô mutuatæ.

Exegemata in priores duos Dioſcoridis de Medicâ materiâ libros, nomine Johan. Roderici Caſtelli Albi, quô nomine primùm ipſe Amatus Luſitanus ſe nominavit, editi fuerunt. Antverpiæ, apud viduam Martini Cæſaris, 1536. in 4.

AMBOISE (*Jacobus d'*) Chirurgi Caroli IX. filius natû minimus paternam, hoc eſt, ulceribus medendi artem amplexatus, multis ſalutarem manum feliciſſimè præbuit. Sed poſteaquàm ſatis demonſtrâſſet quantùm in Chirurgiâ valeret, ad gradus aſcendit ſuperiores, atque Doctorali laureâ coronatus eſt annô inter 1582. & 1597. Namque Pinæus in libro, quem de Notis Virginitatis annô 1597. ſcripſit, teſtatur *Jacobum d'Amboiſe* tunc temporis Doctorem Medicum eſſe; atqui tantùm in Artibus Magiſtrum & in Chirurgiâ Baccalaureum extitiſſe, cùm, præſentibus non paucis in Arte inſignioribus Magiſtris, nec ſine plurimâ dexteritate, cadaver mulieris ſecuit; quæ laqueô annô 1579. ſuſpenſa fuit, propterea quòd fœtum propriis manibus interfecerat. Aliundè etiam edocemur quòd Chirurgus ſolùm eſſet annô 1582. quòdque Licentiatus in Medicinâ, & Medicus Regis annô 1594. Cùm Rector Univerſitatis Pariſienſis electus eſt. Eô ipſô Rectore in nomen Henrici Magni juravit, & litem Jeſuitis intulit Univerſitas. Ex *Amboſiô* duæ habentur Orationes, quas latinô ſermone coram Parlamentô, dùm Rector eſſet, pronunciavit, die nempe Maij 12. & Julii 13. anni 1594. Hæ adverſus Jeſuitas non mediocri contumeliâ tument. *Bayle Diction. Critici Tom. I.*

AMBROSINUS (*Bartholomæus.*) Bononienſis Medicinæ Doctor, & ejuſdem in Academiâ Patriâ Publicus Lector: Scripſit Præſidiorum deſcriptiones in Peſtiferâ lue ann. 1630. *Modo e facile preſerva e cura di Peſte à beneficio del popolo di Bologna*, 1631. per lo Ferroni. 4. De Pulſibus, Bononiæ, 1645. 4. Theorica Medicina in tabulas veluti digeſta, cum aliquot Conſultationibus. Bonon. 1632. 4. De externis Malis opuſculum, Bononiæ 1656. typis Ferronij. De Urinis &c. Item Uliſſis Aldrovandi de Quadrupedibus Digitatis, Vivi & Oviparis librum, collegit & edidit.

AMBROSINUS (*Hyacinthus*,) Bononienſis.

Ex eô habetur

Phytologiæ, hoc eſt, de Plantis Partis primæ Tomus primus; in quo Herbarum noſtrô ſeculô deſcriptarum Nomina, æquivoca, ſynonyma, ac etymologiæ inveſtigantur: additis aliquot Plantarum vivis Iconibus. Opus in omni ſcientiarum genere ſtudioſis utiliſſimum, lexiconque Botanicum abſolutiſſimum, cum Indice trilingui copioſiſſimô. Bononiæ, apud Hæredes Evangeliſtæ de Duceiis, 1666. in fol.

AMELUNGIUS (*Petrus,*) STENDALENSIS.

Ex eô habetur

Tractatus nobilis primus. In quo Alchimiæ, ſeu, Chemicæ Artis antiquiſſimæ, nobiliſſimæ & jucundiſſimæ, cùm inventio & progreſſio, obſcuratio & inſtauratio, tùm dignitas, utilitas, & neceſſitas, demonſtratur; & ſimul convincitur, res naturales, ex quibus Morborum remedia deſumuntur, impurâ & malignâ qualitate non carere. Additâ dictæ labis rerum naturalium origine & cauſâ veriſſimâ. Lipſiæ, apud Jacob. Apelium, 1607. in 8.

Tractatus nobilis ſecundus. Continens Apologiam, quæ maculam à D. Guilielmô Bokeliô, Collenſi, Stendaliæ Medicô, antiquæ, nobili, & præſtanti Hermeticæ, ſeu, Chemicæ Medicinæ, temerè aſperſam abſtergit, diluit, atque repurgat; atque ſimul arguit, quòd, cùm jam dicti Bokelii, non tantùm medendi methodus ſit irrationalis atque planè Empyrica, verùm etiam cùm purgantia, tùm alterantia remedia, quibus utitur, ſint venenata, deleteria, corroſiva, impura, &c. ſint maximâ ex parte peregrina noſtris naturis adverſa, corrupta, variè inter ſe confuſa, omittantur in illis lapides, Mineralia, & Metalla, neque legitimâ, quæ Chemica eſt, Arte præparata, nec juſta, quæ tamen omnium debebat eſſe exactiſſima, obſervetur doſeos ratio, idque contra rationem, experientiam, atque Clariſſimorum Medicorum medendi leges, nec poſſit, nec debeat illis uti ampliùs. Cum adnexione Reſponſionis ſpecialioris ad prædictam, antiquiſſimæ, nobiliſſ. & præſtantiſſ. Arti Medicæ Hermeticæ ab antedictô Guil. Bokeliô illatam infamiam removendam. Lipſiæ, apud Abrah. Lamberg. 1608. in 8.

AMICUS (*Diomedes*)

De eô extant

De Morbis ſporadibus, Opus novum. In quô ſingulari cum facilitate, exactôque judiciô ea omnia, quæ ad illarum corporis affectionum diagnoſticen, prognoſticen, Therapeuticen, prophylacticen; analepticen: item ad gerocomicen: deniquè ad tria Medica Inſtrumenta, in univerſum, pertinent, pleniſſimè explicantur. Venetiis apud Johan. Ant. de Franciſcis, 1605. in 4.

De Morbis communibus, liber: Ejuſdem Tractatus de variolis: & Appendix ad librum de Morbis communibus. In quo agitur de cauſâ præſentis tempeſtatis. Venetiis, apud Franciſc. de Franciſcis. 1596. in 4.

AMIDENUS, *vid.* Aëtius.

AMMANNUS (*Paulus*)

De eô extant

Medicina Critica, ſive, Deciſoria, cum Centuriâ Caſuum Medicinalium in Conciliô Facultatis Medic. Lipſiens. antehàc reſolutorum, comprehenſa: nunc verò in Phyſicorum, Practicorum, ſtudioſorum, Chirurgorum, aliorumque uſum notabilem, collecta, correcta, & variis Diſcurſibus aucta. Erffurti, apud Johann. Bartholom. Olearium, Bibliopol. Lipſiens. 1670. in 4. Stadæ, apud Johannem Feſſelium, 1677. in 4. Hæc Editio ab innumeris ſphalmatis vindicata, & exterorum in gratiam Latinitate donata eſt à Chriſtianô Franciſcô Paullini.

Paræneſis ad Diſcentes, circa Inſtitutionum Medicarum Emendationem. Rudolſtadii, apud Johann. Bartholom. Olearium, Bibliopol. Lipſiens. 1673. in 12. Lipſiæ, 1677. in 12.

Archæus ſyncopticus, Eccardi Leichneri Archæo ſyncoptico, contra Paræneſin ad Diſcentes, oppoſitus 1674. in 12.

Fortunati Fidelis de Relationibus Medicorum libros quatuor, adjectô duplici indice: Capitum ſcil. & Rerum memorabilium, reviſit, & à mendis librariis pleriſque repurgavit. Lipſiæ, apud Johan. Chriſtian. Tarnovium, 1674. in 8.

Suppellex Botanica, hoc eſt, Enumeratio Plantarum, quæ non ſolùm in Hortô Medicô Academiæ Lipſienſis, ſed etiam in aliis circa urbem viridariis, Pratis ac ſylvis &c. progerminare ſolent. Cui brevis acceſſit ad materiam Medicam, in uſum Philiatrorum, manuductio, Lipſiæ, apud Johan. Chriſtian. Tarnovium 1675. in 8. minori.

Character Plantarum naturalis, ab ultimo fine, videlicèt fructificatione, deſumptus, & in gratiam philiatrorum per Canones & exempla digeſtus. Ibidem, apud Eundem, 1676. in 12. Francofurti & Lipſiæ, apud Nicolaum Scipionem 1685. in 12. Huic ſecundæ Editioni præmiſſum eſt fundamentum Methodi genuinæ cognoſcendi Plantas.

Obſervatio, de Lochiorum fluxu per nares. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germanic. Decur. 1. ann. 11. N. 184.

De Impotentiâ ab obſtructione vaſorum ſpermaticorum, & ſeminis egreſſu per foramina quædam in parte dextrâ epigaſtricâ. Ibid. An. Eod. N. 185.

Obſervatio, de ſuperfœtatione falsâ, quam mentitus eſt motus aquarum hydropicarum. Ibid. Ann. Eod. N. 186.

De Curatione febris malignæ viperarum vivarum deglutitione, Ibid. An. Eod. N. 187.

De Bandurâ Zingalenſium· Ibid. Dec. II. An. 1. N. 23.

AMMONIUS. Vid. Agricola (*Johannes*)

AMPSINGIUS (*Joh. Aſſuerus*) Tranſiſulanus.

De eô habentur

Diſſertatio Jatromathematica. In quâ de Medicinæ & Aſtronomiæ præſtantiâ, deque utriuſque indiſſolubili conjugiô diſſeritur: tùm verò ipſa Aſtrologia, quæ pars eſt Aſtronomiæ (quatenùs quidem Arti Medicæ inſerviens, & rationibus Phyſicis, & graviſſimorum hominum obſervationibus, procul omni ſuperſtitione, nititur,) à quorundam contemtu vindicatur. Roſtochii, apud Chiſtoph. Reuſnerum, 1602. in 4. 1618. in 4. ibid. 1629. in 8.

Theſes de Alopeciâ & ophiaſi, Reſpondente Johanne Steinmejerô. Roſtochii, apud Joachimum Pedanum, 1616. in 4.

Diſputatio de calculô. Reſpondente Chriſtianô Smiloviô. Ibidem apud Eund. 1617. in 4.

De Morborum differentiis, liber. Roſtochii, apud Johan. Hallervord, 1619. in 4. apud Joachimum Pedanum 1623. in 8. Annexa eſt ejuſdem Autoris de Theriacâ ſenioris Andromachi Oratio.

De Theriaca ſenioris Andromachi oratio. Roſtochii, apud Johan. Hallervord, 1618. in 4. Ibid. 1619. in 8.

De Dolore Capitis diſputatio, Roſtochii, apud Johan. Hallervord, 1618. in 4.

Hectas Affectionum, Capillos & Pilos humani corporis infeſtantium; Wittebergæ apud Hæredes Samuelis Seelfiſchii, 1623. in 8. Roſtochii, apud Ferberum, 1623. in 8.

AMTOR (*Caſparus*)

Ex eô habentur

Memorabilium Medicorum Pars prima, continens regulas diæteticas Morborum, item curationes per ἰωσόδεϛα cùm Chymica, tùm Galenica ſingularia, non ità magnis ſumptibus comparabilia, non ſolùm Medicinæ Filiis; ſed & aliis, quibus λῶϛον ὑγιαίνειν, & valere vita eſt, lectû apprimè utilis & dulcis. Jenæ, apud Johannem Reiffenbergerum, 1632. in 4.

Chryſoſcopion, ſeu, Aurilogium Potiſſima & nobiliſſima Auri arcana ἄνευ δόλȣ repandens, & quomodo vitæ hujus noſtræ demenſum, Deo dante, per id Phyſicè ſanum, & incolume propagari, ac prolongari queat, edocens. Unà cum aliis ſcitu ac notatu digniſſimis, novem capitibus expoſitis. Jenæ apud Eundem, 1632. in 4.

AMWALD (*Georgius in Durnhoff.*)

De eô extat

Gloſſema in Epiſtolam Libavianam abhinc quinquennio de Panaceâ Amwaldinâ ſcriptam. Rorſchachii apud Leonhardum Straubum, 1596. in 4. Addita eſt Epiſtola in Panaceæ Amwaldinæ, ejuſque Auctoris, laudem, à Fridericô Taubmannô ſcripta: & Propempticon Eidem factum à Conradô Lejô: denique Encomion in eandem Panaceam, Andreâ Lagnerô Autore.

ANANIAS (*Joh. Laurent.*)

De eô extat

De Naturâ Dæmonum libri IV. Venetiis, apud Aldum 1689. 8.

ANASTASIUS.

De eô extat

De ratione victûs ſalutaris poſt inciſam venam,& emiſſum ſanguinem,ad Armatum Epigramma. Habetur cũ ſcholâ Salernitanâ Johannis de Mediolanô.

ANATOLIUS.

De eô habentur

De Re ruſticâ Fragmenta aliquot. Extant in Γεωπονικῶν, ſeu de Re ruſticâ ſelectorum lib. XX. Græcis Conſtantino quidem Cæſari nuncupatis, & Johan. Alex. Braſſicani operâ in lucem editis. Baſileæ, apud Robertum Winter, 1539. in 8; Latinis autem, Janô Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8.

De mulo-medicinâ Capita aliquot. Extant in iiſdem de Re ruſticâ libris, Lib. XVI. & ſeqq. & inter veterinariæ Medicinæ ſcriptores, qui editi ſunt Græcè quidem Baſileæ, apud Johan. Valderum, 1537. in 4. Latinè autem ex interpretatione Johan. Ruellii. Baſileæ, apud Sim. Colinæum, 1530. in fol.

ANCANTHERUS (*Claudius*)

Ex eô habetur

Pſelli Nomenclator Gemmarum quem primus edidit ex Græcô.

ANDALORUS, (*Andreas*,) Meſſanenſis. Natus 10. Novembris 1672. cùm humanioribus literis, ac Philoſophiæ operam dediſſet, ex quadam naturæ vi omnes animi ſui vires; ad naturalium rerum ſcientias, ac Medicæ facultatis ſtudium appulit. In his magnoperè vir eximius, ac doctiſſimus permagnam oblectationem percepit ac modô abſumpſit. Vivit hôc annô 1714. Meſſanæ literarum ſtudiis impensè addictus. Edidit Italicè.

Il Cafè deſcritto, ed eſaminato, nel quale pruova con ragioni, chè la virtù della bevanda del Cafè depende più totto d'all' acqua calda, che dal ſeme, del Cafè abbruſtolito. Meſſanæ apud Antoninum Arenam 1703. in 12.

Dictionarium Etymologicum Medicum

Italicè etiam.

La Bilancia fiſica, ò ſia Idea del vero Medicô.

La Miniera dell' Argento vivo, o ſia Riſtretto di tutte le Qualità, Preparazioni, virtù, uſi Alchimiſtici, è Mecanici del Mercurio.

L'officina degli odori.

Il Florario.

Il Medico Morale.

La Medicina ſagra.

Lettre de Fiori.

Spozione Iſtorica delle Medaglie, Tabelle, Inſcrizioni, &c. Scolpite nelle parete de Tempi, Pallagi, Magiſtrati, Porte Regie, è Fonti arufícioſi di Meſſina. *Mongitor Bibliot. Sicul. T. j.*

ANDLA (*Anchiſes ab*)

De eô extat

Epiſtola de Naturâ & viribus Menthæ. Habetur cum DD. Virorum Epiſtolis & Reſponſis tum Medicis, tum Philoſophicis. Roterodami, apud Rudolphum à Nuyſſel, 1665. in 8.

ANDERNACUS (*Joh. Guntherius.*) Natus Andernaci Ubiorum oppidô ad Rhenum ſitô A.C. 1497. Parentibus tenuis fortunæ: primùm Lovanii Linguam Græcam publicè docuit: deinde demùm Lutetiæ Paris. Medicinæ Lauream adeptus, Medicus Regius ſalutatus eſt: tumque non ſolum Medicinam feliciter exercuit, ſed & Anatomiam hactenùs neglectam in uſum revocavit. Lutetiâ ob belli tempeſtates Metim, hincque exactis aliquot annis, tandem Argentoratum conceſſit ubi Profeſſoris & Medici Practici munere functus eſt, donec ibidem obiit A. C. 1574. ætatis ſuæ 87.

Ex eô habentur

Anatomicarum Inſtitutionum ſecundùm Galeni ſententiam, ad Candidatos Medicinæ lib. IV. Baſileæ apud Balthaſ. Laſium, & Thomam Platterum, 1536. in 8. apud Robertum Winter, 1539. in 4. Huic Edit. acceſſerunt Theophili Protoſpatarii de Corporis humani Fabricâ, libri V. Juniô Paulô Craſsô interprete. Item Hippocratis Coi de Medicamentis Purgatoriis libellus, nunquam ante noſtra tempora in lucem editus, eodem Jun. Paulô Craſsô interprete. Apud eundem, 1556. in 8. Adjectô huic opuſculô Georgii Vallæ de Partibus humani corporis, Venetiis. 1555. in 16. Patavii, 1558. in 8. ab Andr. Veſaliô auctiores & emendatiores redditi, atque unà cum dictô Georgii Vallæ opuſculô, ſed ſine cæteris prioribus Editionibus additis, editi. Wittebergæ, 1613. in 8.

De Victûs, & Medendi ratione, tùm aliô, tùm Peſtilentiæ maximè tempore obſervandâ. Argentorati, apud Wendelium, 1542. in 8. Baſileæ, apud Hæredes Cratandri, 1549. in 8. cum Marſilii Ficini de vitâ lib. III. Pariſiis, apud Jacobum du Puys, 1577. in 16. cum Theſaurô ſanitatis Johannis Liebaultii.

De Peſtilentiâ, Commentarius, in quatuor Dialogos diſtinctus. Argentinæ, apud Chriſt. Mylium, 1565. in 8.

Gynæciorum Commentariolus de Gravidarum, Parturientium, Puerperarum, & infantium curâ. Ex Bibliothecâ Schenkianâ emiſſus à Johanne Georgiô Schenkiô F. Argentorati, apud Lazar. Zetznerum, 1606. in 8.

Galeni de diebus Decretoriis libros III. interpretatus eſt. Lugduni, 1553. in 12.

Ejuſdem de Anatomicis Adminiſtrationibus, libros IX. itidem interpretatus eſt. Ibid. 1551. in 12.

De Medicinâ veteri & novâ, tum cognoſcendâ, tùm faciundâ, commentarii duo. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1571. in fol. 2. voll.

Commentarius de Balneis, & Aquis medicatis, in tres Dialogos diſtinctus. Argentorati, apud Theodoſium Richelium, 1565. in 8.

Interpretatio Græco-Latina Alex. Tralliani librorum Medicinal. XII. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1556. in 8.

Cl. Galeni lib. de Plenitudine convertit, Extat cum Anton. Benivenii Opere, de Abditis nonnullis morborum cauſis. Pariſiis, apud Chriſtoph. Wechelum, 1528. in fol.

Item, ejuſdem Introductionem ſeu Medicum.

Item, ejuſdem Commentaria, in librum Hippocratis de Naturâ humanâ.

Item, de Anatomicis Adminiſtrationibus Lib. IX.

Item, de ſemine lib. II. De Tremore, Palpitatione, Convulſione & Rigore. De Plenitudine. De Morborum Temporibus. De Diebus Decretoriis lib. III. De compoſitione Medicamentorum lib. VII.

Item, libros X. de compoſitione Medicamentorum ſecundum locos, Latinitate donavit, Baſileæ, 1537. 1593. in fol.

Oribaſii Commentaria in Aphoriſmos Hippocratis, velut è profundiſſimis eruta tenebris, edidit. Venetiis, apud Johan. Anton. de Nicolinis de Sabio, 1532. in 8.

Pauli Æginetæ, de Re Medicâ lib. VII. in Latinum vertit: Adjectis Annotationibus in ſingulos libros Polybi, de Diætâ ſalubri.

ANDOSILLA (*Valentinus de*)

De eô extat

De Peſte, liber. Pamplonæ.

ANDREA (*De S.*)

De eô extant in Actis Lipſienſibus

Reflexions nouvelles ſur les Cauſes des Maladies &c. i. e.

Meditationes novæ, circa cauſas morborum eorumque ſymptomata, auctore Dn. de S. Andreâ, Doctore Medicô Facultatis Cadomenſis.

Pariſiis, apud Laur. d'Houry, 1687. in 8.

QUòd præſens opuſculum pauciſſima ſolùm capita exhibeat, quorum aſſerta magni Coi ſuffragiô non ſuffulta videantur, mirari debet nemo; neque enim quicquam utilitatis ex Chymiâ & Anatomiâ temporum noſtrorum rei Medicæ acceſſiſſe Auctor perhibet, quòd in Hippocratis operibus paſſim non reperiatur; perfectam ſcilicèt morborum cognitionem, quoad eorum cauſas & ſymptomata ibi reperiri: remedia cum delectu, ordine & prudentiâ præſcribi: cùm ſolidô ubivis judiciô de illorum naturâ, effectu & adhibendi modô. Diſpeſcitur autem hic liber, judiciô ſcribentis multùm publico profuturus, in ſex partes, quarum ſingulæ in plura capita diſtribuuntur. Parte I. principia hominem conſtituentia deſcripturus, compoſitionem mixtorum in genere præmittit. Atque hæc ex ſimplicibus & compoſitis conſtare advertens, illa in activa, acidum & alcali, ac paſſiva, aquam & terram dirimit: hæc verò in eſſentialia ex ſimplicium mixturâ reſultantia, & integrantia, ex unione & combinatione eſſentialium provenientia diſtinguit. Singula ſecundum figuras, motus & effectus ſpecialiùs delineat, oſtendendo ſimul fuſiùs, quomodo ex variâ principiorum ſimplicium combinatione, & unius præ aliis prærogativâ varii ſapores emergant. Horum poſtquam ætiologiam tradidit; atque de alteratione ac corruptione mixtorum egit, ad hominem ea propiori conſideratione applicat. Dùm verò in hoc, ut in aliis mixtis, æquè acidum, ſalſum, auſterum, acerbum, oleoſum, acre, amarum, dulce, inſipidum &c. obſervat, horum omnium inter ſe exactam unionem & ſuavem harmoniam præſupponit, ſi homo ſanitate integrâ vivere velit: tolli autem extemplò hanc, ſi illa perturbationem patiatur, imò mortem conſequi, ſi planè deſtruatur. Hanc doctrinam aſſenſû Galeni, maximè verò Hippocratis, ſtabilire contendit, inter alia allegando ex L. de veteri Medicinâ ſ. 24. & 25. ſicque frequentiſſimas ex vulgi opinione morborum cauſas, calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, tanquam impotentes planè rejicit, mentemque Coi, qui aphor. 17. 18. & 20. ſect. 5. quoſdam frigidorum effectus recenſet, ità explicat, ùt cum hactenùs aſſertis verba ipſius ampliùs haud pugnent. Cæterùm cùm ad productionem morborum non ſapores tantùm, ſed & in quas illi agunt, partes, tam ratione figuræ, quàm conſtitutionis peculiaris ſuæ concurrant, idcircò ultimum hujus Partis caput examini iſtius rei attribuit. Hinc Parte II. generationis negotium exſolvens, de ſuccô ventriculi, famem & alimentorum diſſolutionem promovente memorat, quòd inſignitus ſit ideâ ſeu charactere omnium corporis partium. Hanc imprimit alimentis, unde illorum particulæ determinentur ad recipiendam talem craſſitiem & figuram, quâ aptæ fiant, ùt inſinuare ſe poris partium, haſque ſuſtentare, imò formare poſſint ſimile corpus, quale partes ipſæ componunt. Has porrò alimentorum particulas cum ſanguine ad quaſvis partes deferri, iis autem applicari, quarum ideâ ſeu charactere ſint inſignitæ. In infantibus eas, tam per nutritionis, quàm auctionis negotium, planè conſumi; in adultis verò, poſtquam ſingulæ partes tantùm earum receperint, quantùm reparationi quotidianæ jacturæ ſufficit, cribrari reliquias in teſticulos. Ibi unione iterùm conjunctas, efformare in utroque ſexu ſemen generationi infantis aptiſſimum. Poſitâ hâc opinione, proſequitur formationem ac nutritionem fœtûs in uterô, idque ubivis ex mente & textu Hippocratis, cauſam ſimul, cur vel ſani vel morboſi naſcantur infantes, parentum ſeminio vel laudabili vel vitioſo adſcribens. Deinde obiter impreſſiones varias expendit, quas infans in lucem editus primùm ex aëre & lacte, poſteà autem ex alimentis accipit, atque hinc de ſanguinis ſtatu purô, vel impurô, de ſpiritibus, de humoribus, rebuſque quibuſdam, ut vocant, non naturalibus perfunctoriè agit. Parte autem III. de maſſâ ſanguineâ & humoribus, eorumque alteratione in genere diſſerturus, perquirit alimentorum à ventriculi fermentô penetrationem, diſſolutionem, & impreſſionem idearum ac characterum, quibus aptæ reddantur illorum particulæ ad has vel illas partes nutriendas. Hanc hypotheſin, præmiſſô adhuc capite de fermentatione & circulatione ſanguinis, adſtruere magis laborat ex diverſitate fermentorum in ventriculis variorum animalium reperiendâ. Nimirùm illam in cauſâ eſſe, cur ex iiſdem alimentis in animalibus diverſis diverſus chylus & ſanguis conficiatur. Cùmque in his neceſſariò particulæ la-

teant

teant tali charactere inſignitæ, ùt certas, non quaſvis promiſcuè, partes nutrire poſſint; alimenta autem à ſe ipſis talem figuram recipere non valeant: hinc fermento ſtomachi putat attribui oportere, ùt ideis omnium corporis partium involutum ſit, quò dictam alimentis impreſſionem poſſit conciliare. Cæterùm cùm non nutriat tantùm ſanguis, ſed & ſpiritum vitæ communicet, motuum functionumque variarum auctorem, hinc de ſpiritibus animalibus ſeu animâ ſenſitivâ mentionem facit, quæ ſcilicèt naſcatur nobiſcum ac moriatur. Pergit inde ſuccos ſeu humores maſſam ſanguineam conſtituentes, naturalemque eorum craſin conſiderare. Ac eos quidem nunc acidos, nunc amaros, ſalſos, acres, dulces, inſipidos &c. non anteà adverti, quàm ſeparati à ſanguine in diverſa viſcera illabantur, quæ ſcilicet poros habeant conformes iſtorum craſſitiei & figuræ. Eſſe prætereà quoſdam eorum utiles, ac proinde maſſæ ſanguineæ reſtituendos, ut ſalivam, acidum ſtomachi, bilem, lympham, ſuccum pancreaticum: quoſdam verò inutiles, ut urinam, ſudorem, lachrymas, cerumina, narium mucum. Cùm verò acidum, ſalſum, amarum, dulce, &c. non unô eôdemque modô combinentur in Petrô ſicut in Paulô, hinc temperamentorum in corporibus enaſci varietatem, nomina & notas, juxta humoris ſcilicet in ſanguine præcipuas vires. Jam ſi dicti ſucci naturam & temperamentum mutent, aut nimis craſſi, unctuoſi, fluidi, ſubtiles, aquoſi, amari, &c. evadant, aut à juſtâ inter ſe ſe proportione deflectant, aut motus eorum intra viſcera retardetur, vel ſucci inutiles in vaſa remeent, tùm ipſos ſentiri, ùt & lædant & morborum cauſæ exiſtant. Huic autem mutationi ſanguis & humorum cùm plurimùm conferatur ab alimentis, ab aëre, à ventis, à motu & quiete, à ſomnô & vigiliis, ab animi pathematis; hinc ſingulorum naturam modumque nocendi, quatuor capitibus fuſiore inveſtigatione exponit. Quô factô aggreditur Partem IV. peculiarem ſanguinis ac ſpirituum alterationem in ſpecie conſideraturus. Et illum quidem vel quantitate vel qualitate corpori moleſtiam inferre deprehendit. Hinc primò de abundantiâ ſeù plethorâ, ejuſque cauſâ, fiendi modô & effectû agit: mox impuritatem ſanguinis, geminamque ejus ſobolem, intemperiem ſcilicèt, & corruptionem perveſtigat. Ad intemperiem alterationem in motû & temperamentô refert, quam ſimplicis efferveſcentiæ & vitioſæ fermentationis nomine inſigniri poſſe exiſtimat. De quôvis horum peculiaribus capitibus nonnulla effatus, corpuſcula quoque peregrina producit, quæ ſe maſſæ ſanguineæ admiſceant, eamque variè alterent. Eò ſcilicèt ſpectare particulas aëris inſpirati & tranſpirati, alimentorum aſſumptorum, ſuccorum à ſanguine ſeparatorum, ipſique reſtitutorum, ac tandem excrementorum in ventriculô, inteſtinis, aliiſque partibus ſuccreſcentium. Has verò omnes non aliâ quàm ſaporum vi agere, ità ùt acidæ, ſalinæ, auſteræ, acerbæ condenſationem, imò coagulationem; acres, amaræ, alcalicæ, rarefactionem ac fluiditatem in ſanguine excitent &c. id quod experimentis ab infuſione diverſorum liquorum in venas animalium probare annititur. Mox inſpiſſationem & coagulationem ſanguinis in ſpecie examinat, atque ab illâ capitis ſtupiditatem ac gravitatem, vertiginem, affectus ſoporoſos, reſpirandi difficultatem, pulmonum inflationem, ſyncopen, lipothymiam, tumores pedum, aliarumque partium deducit: ab hâc apoplexiam, aſthma, tremorem & palpitationem cordis, ſyncopen & ſæpè mortem oriri arbitratur. Faciliùs autem hyeme quàm aliô anni tempore coagulationem ſanguinis contingere, quòd tunc aër particulis acidis refertus ſit. Ac infantes & ſenes iſti malo præ aliis obnoxios eſſe cùm ſanguinem habeant aquoſiorem minùſque ſpirituoſum. Imprimis verò coagulationem dictam in Febribus intermittentibus deprehendi auctor opinatur, quarum paroxyſmos à principiô ad finem deſcribit, exponens poſteà, quâ ratione ſerum ſanguinis ex abundantiâ ſuâ progeneret varias hydropis ſpecies, aut tumores aquoſos, nunc univerſales, nunc particulares; item, quomodo idem ſerum ex vitii ſui & loci, quem inundat, varietate, varios morbos producat, quorum ſeriem prolixiorem tædioſum nimis foret hìc apponere. Quemadmodùm verò ex ſui coagulô ſanguis malorum oppidò multorum auctor fuit ſalutatus: ità ſi ingenti idem fluiditate corripiatur, non minùs eum obſervari perhibet nocentiſſimum. Nam & hæmorrhagias, inflammationes, dolores capitis lethales, cum febribus, agrypniis, deliriis, motibus convulſivis &c. item pleuritides, peripneumonias, empyemata, fluxus alvi acres & bilioſos inde exoriri. Cæterùm quamplurimas quoque alterationes ſanguineæ maſſæ induci ex materiis variis alternatim ipſi permiſtis. Sic ex amarô calorem & rarefactionem: ex acidô frigus & condenſationem, & quæ utrumque comitantur, ſivè accidentia, ſivè effectus, provenire. Sic ex materiis oleoſis aut ſulphureis diverſa incommoda, imprimis verò febres continuas, purpuratas, peſtilentiales, & quæ in ſinu illæ geſtant ſymptomata, reſultare. Quòd ſi verò inſipidus ex acceſſione ſimilium particularum evadat ſanguis, tunc membra in languorem labi, ùt ex minimô labore aut motu delaſſentur. Corpus tum ignaviâ premi, & in ſomnum jugiter propendere. Quin & animum ità dejici, ùt capax ampliùs non ſit ſublimiorum cogitationum. Quamvis verò ex Hippocratis effatô dulcia minimè omnium noceant, tamen quâ ratione id contingere queat, brevi capite hìc ediſſeritur. Hinc de corruptione ſanguinis agitur non aliundè deducendâ, quàm ſi cauſæ hactenùs memoratæ malignitatem ſimul in ſe continuerint. Effectus corruptionis hìc allegantur febres putridæ, & affectus quilibet contagioſi. In aliis acidum corroſivum impetere nervos, idemque dolores acutos, inflammationes, tremores, convulſiones, carbunculos, bubones &c. efficere: in aliis materiam acrem aut amaram peccare, unde hæmorrhagiæ, inflammationes lethales, calor corporis violentiſſimus, phrenitides, furores, originem ducant. Verùm cùm ſimiles materiæ peregrinæ ſanguini admiſtæ non quantitate magnâ agant, ſed vel minutiſſimâ mole ingentem vim exerant, hinc occaſio arripitur de naturâ fermentorum, eorum operandi modô & actione in maſſam ſanguineam & humores nonnulla proferendi. Tandem de ſpirituum animalium alteratione peculiari ab iiſdem cauſis, quibus ſanguinem affici hactenùs dictum eſt, oriunda tractatur, & quâ ratione variis inde affectibus anſa detur, exponitur. Hinc Part. V. in alterationes humorum ſive ſuccorum peculiares ad eundem modum, quô ſanguinem conſideravit, auctor penitiùs introſpicit. Nam & hos vel quantitate vel qualitate peccare annotat. Illâ, quando copioſiùs vel parciùs à cruore vitali ſeparantur, vel ipſi denuò infunduntur, aut quando in motu ſuô naturali impediuntur, vel in vaſa relabuntur: hâc quando magis vel minùs, atque naturaliter eſſe debebant, ſunt acidi, ſalſi, unctuoſi, amari, dulces, fluidi &c. vel quando naturam deponunt, ùt v. g. ſucci acidi evadant amari, dulces, inſipidi. Hâc itaque methodô percurrit primò ſuccos utiles, ſive in maſſam ſanguineam

neam redituros, videlicèt ſalivam, fermentum ſeù diſſolvens naturale ſtomachi, bilem flavam, bilem atram, ſeù ſuccum melancholicum, ſuccum pancreaticum, ſuccum glandularum inteſtinalium, lympham: ſecundò ſuccos inutiles è corpore eliminandos, ut urinam, ſudorem, narium mucum, pituitam, lachrymas, cerumen. His ſubjungit ſemen præter naturam effluens, lochia puerperarum, lac atque hæmorrhoidum fluxum. Quid verò noxæ ſingulorum vitia pariant, prolixiùs videtur, quàm ùt arctis compendii limitibus circumſcribi poſſit. Sufficiat ſumma hìc tantùm capita tractationis pro inſtituti ratione tetigiſſe, celeri quoque pede partem VI. ſive ultimam adhuc pertranſituris. Illâ autem agitur de ſordibus, quæ in ventriculô, inteſtinis, aliiſque corporis partibus colliguntur. Scilicèt cùm & illæ vel quantitate vel qualitate ſuâ noceant, non ſecùs ac ſucci modò memorati, hinc de effectu illarum pari modô diſſeritur. Sic, ùt vel unicum locô ſpeciminis ſaltem adducamus, quando impuritates in ventriculô cumulatæ ſunt nimiæ, has inflare ipſum, ùt cum moleſtiâ retineantur aſſumta alimenta. Hinc non modò premi diaphragma, unde præpeditâ pulmonum dilatatione difficultas reſpirandi contingat; ſed & hepar, lien, aliaſque abdominis partes vim pati, ùt inde Gravitatis,tacitumque doloris ſenſum percipiant.Quinimò & ſpicula fermenti ſubacidi obtundi, ùt ritè in alimenta agere nequeant. Hinc accidere faſtidia, appetitûs dejectiones, nauſeas, vomitus materiæ inſipidæ, cruditates, indigeſtiones, ructus fœdos &c. Quòd ſi autem qualitate ſordes dictæ laborent, tum mala longè plura indè propullulare. Nam alimenta, ſalivam, alioſque ventriculô infuſos ſuccos ſimili fœdari charactere: nervos ibi inſertos ſpirituſque influentes moleſtè affici; languores, lipothymias, ſtupores, motus convulſivos, vertigines, vomitus, corroſiones & ulcera ſtomachi excitari. Simili modô ſordes in inteſtinis ſuccreſcentes conſiderantur, adjectâ explicatione, quid quantitas qualitaſque ipſarum incommodi afferat, tam ſuccis ad inteſtina naturali motû delatis, quàm ipſi ſanguineæ maſſæ. Tandem de fermentis partium vitioſis eorumque effectû ſermo fit, ac caput ſubnectitur de vermibus ex alimentorum corruptione prognatis. Hinc de flatibus in abdomine, vitioſam humorum fermentationem inſequentibus; ac ultimô capite de obſtructionibus ſuccum acidum pro cauſâ agnoſcentibus agitur. Concluſionem indè libri hujus ſubjicit auctor, ſimùl alterum promittens de naturâ remediorum, eorum agendi modô, & effectu tractaturum.

ANDREÆ (*Samuel*)

Ex eô habetur

Epiſtola de Balſamationibus veterum ſeù ritu condiendi cadavera apud Veteres. Extat cum Ludovici de Bils reſponſione ad Epiſtolam Tob. Andreæ, quâ oſtenditur verus uſus vaſorum hactenùs pro Lymphaticis habitorum. Marburgi Cattorum, ap. Salomon. Schadewitzium, 1678. in 4.

ANDREÆ (*Tobias*)

De eô extant in Lind. Renovatô.

Breve extractum actorum in Cadaveribus Bilſianâ methodô præparatis. Habetur cum Ludovici de Bils Reſponſione ad Epiſtolam ejuſdem Tob. Andreæ, quâ oſtenditur verus uſus vaſorum Lymphaticorum. Duisburgi, 1659. in 4. Marburgi Cattorum, ap. Johannem Schadewitzium, 1678. in 4.

Bilanx exacta Bilſianæ, & Clauderianæ Balſamationis. Quâ oſtenditur, D. Clauderi inventam Balſamationem non minùs ac Veterum longè à Bilſianâ differre, &c. Amſtelodami, 1682. in 12.

De hôc ultimô Tractatû ſequentia reperiuntur in Act. Lipſ. ann. 1683.

Ediderat ann.1679.D. Gabriel Clauderus, Medicus Duc. Altenb. & Academicus Naturæ Curioſus, Praxi Medicâ æquè, ac vulgatâ annô 1678. de Tincturâ univerſali diſſertatione, non incelebris, *Methodum balſamandi ſubjecta humana, aliaque majora, ſine eviſceratione ac ſectione hucuſquè ſolitâ*, Bilſianâ haud inferiorem eam, imò ob certas circumſtantias præſtantiorem perſuaſus. Ægrè hoc ferens præſens ſcriptor, quem plerique hiſtoriæ Anatomicæ gnari unicum Bilſaniorum arcanorum conſcium, ac inventorum poſtmodùm poſſeſſorem ajunt, ad patruelem ſuum hanc conſcripſit Epiſtolam: in quâ demonſtrare ſatagit; illam ipſam D. Clauderi condiendi cadavera methodum à Bilſii, ſuâque immane quantùm differre, & huic dignitate & utilitate longè cedere. Poſtquam enim Dn. Clauderi candorem & balſamandi rationem laudavit, primò urget, Bilſium cadavera integra, ſine ullâ ſectione aut exenteratione antegreſſâ, balſamationi ſubjeciſſe; adeòque falli Clauderum,quòd concurrente illâ hanc à Bilſio præſtitam, id eſt, extractas & ſeorſim præparatas partes rurſùm repoſitas fuiſſe aſſerat: prolixiùs declarans, Bilſium finitâ demùm balſamatione, commodioris demonſtrationis, aut alterius cujuſcumque rei gratiâ,membrorum ſeparationem & extractionem adornaſſe, certè minùs neceſſariam habuiſſe. Et quamvis forſan quatuor illa cadavera, quæ Clauderus, olim Roterodami viderat, abſque exenteratione non fuiſſent balſamata, (quod tamen non adeò promptè Noſter concedit) poſſe nihilominùs omnia citra ipſam ait parari: quòd non tantum Bilſius, Auctori arctioris ſocietatis vinculô junctus ſanctè aſſeverârit, & annô 1669. in publicô Sylvæ Ducis theatrô præſtiterit, ſed ex naturâ balſamationis Bilſio & Andreæ communis ſequatur, ipſeque Auctor in cadaveribus infantuli, avium, piſciumque, citra plumarum evulſionem, aut detractionem ſquammarum comprobatum dederit. *Deinde* tantæ efficaciæ Balſamum Bilſianum, & ſuum deprædicat Auctor, ùt non tantùm cadavera, quorum viſcera ulceroſa & corrupta, (quale illud, quod Bilſius Sylvæ Ducis præparatum oſtenderat,) ſed etiam peſte extinctorum, & quæ per aliquot dies jam ſepulta fuerunt, ac putrefieri jamdùm cæperunt, in tantùm conſervet, ùt reliquum in integritate ſuâ maneat, id eſt, nè pars corrupta ſinceram trahat: imò fœtorem ex putredine contractum per balſamationis hujus vim obtundi, ac tandem planè diſſipari, diverſis experimentis comprobat. Quod idem quamvis Clauderus de ſuâ quoque balſamationis ratione ſibi polliceatur, ſpem tamen ejus forſan fruſtraneam fore autumat; ideò præprimìs, quòd Clauderus paſsìm fateatur, cadavera ſua, antequam ultimam pollinctoris manum experiantur, fermentationibus variis agitari, mephitimque inſignem & fœtorem cadaveroſum ſpargere, ùt vel hinc Clauderianam balſamationem Bilſianâ longè inferiorem judicet: quòd uti nè ſanis quidem cadaveribus à putredine & fœtoris exhalatione præſervandis ſit idonea: Sic multò minùs cadaverum jamdum putreſcentium fœtorem tollere queat: præprimis cùm Clauderus liquorem balſamantem per inciſionem corporis cavitatibus majoribus infundat; Bilſii balſamum ſine ullâ inciſurâ exteriora ſaltem cadaveris

cadaveris alluat. *Tertiò* differre etiam Bilſii & Clauderi balſamationem ſcopô oſtendit: quatenùs hic exſiccationem, ſeu mumiſationem tantùm cadaverum Magnatum intendat, ratione cujus hæc ætatem longiorem ferant; Bilſius autem methodum ſuam primariò eò direxerit, ùt perveſtigandis iis, quæ Anatome nondùm detexit,cadaver totum flexile redderetur, & minutiſſimæ quæque illius partes diſſecari commodè poſſent. *Quartò* non exiguum inter utramque hanc balſamationis rationem diſcrimen à temporis, quod ipſi impenditur, diverſitate intercedere aſſeverat; ità ùt quamvis ſubjectum majus, ſine ullâ inciſione, tres menſes Clauderus in liquore balſamante maceret, cum inciſione verò ſex vel ad ſummum octo ſeptimanas, adeòque præparationem intra hoc tempus abſolvat: idem tamen hoc de cadavere humanô majore tamdiù adeò ſimpliciter aſſerere non poſſit, quamdiù experimentum in tali ſubjectô non feciſſet; quale illum hactenùs nondùm tractâſſe diverſis argumentis conjicit. De Bilſianis contrà cadaveribus ſe certum eſſe, ea ſine omni inciſione præviâ, ſpatiô bimeſtri, ità præparari poſſe, ùt in mumiam diù perennaturam, niſi ob anatomen in illis ad minutula inſtituendam flexibilia conſervare mens ſit, mox mutari queant. Huic *quintò* ſubjungit, non omnia cadavera, quæ ùt mumias Clauderus ſervat, ſed pleraque, ſaltem ipſius confeſſione, per octodecim poſt mumiſationem menſes ſine alteratione, & putrefactionis labe ſubſtitiſſe; ità quidem, ùt quamvis longiorem durationem ipſis præſagiat, hoc tamen non ſimpliciter, ſed ſub legitimæ curæ tantùm conditione affirmet: Bilſiana verò & ſua, non obſtante plurium ſeptimanarum anatome, poſt elapſos jam aliquot annos, adhuc dum bellè ſe habere, nullâ poſtquam in mumias mutata ſunt, balſamationis novâ ſpecie in illis inſtitutâ. Nec *ſextò* Bilſii referre, ſive in aëre calidô & æſtivô, ſive in frigidô & hyemali tempore balſamationem adornet: cùm Clauderus frigidiorem & hyemalem potiùs auram ſeligat. *Septimô* fœtere inter balſamandum cadavera Clauderiana; ſecùs ac Bilſiana faciant, in quibus balſamatio fœtorem, ſi quem fortè ex putredine conceptâ jam emittant, ſuperet & penitùs extinguat, utut à balſamatione ferventiſſimis ſtatim exponantur radiis ſolaribus. Tandem & *octavò* interdùm illa poſt balſamationem & mumiſationem ab aëris viciſſitudine molleſcere, horumque viſcera quædam vermiculorum inſidiis expoſita eſſe: cùm nullum ejuſmodi corruptionis vel leve indicium in balſamatis à Bilſiô cadaveribus, quôcunque anni tempore & aëris temperie obſervetur.

His omnibus prolixiùs explicatis, Clauderum præjudiciô laborare Epiſtolæ ſcriptor ait, dum Bilſianam balſamandi Methodum planè interiiſſe putat: utùt concedat, Bilſium (quem primùm Transfuſionis ſanguinis Authorem pronunciat) & quidem optimô jure, artem hanc ſtudioſiſſimè celâſſe. Sibi enim artem hanc Bilſianâ adhuc præſtantiorem, cognitam, inque balſamandis minoribus ſubjectis identidem uſurpatam, annexis fini Epiſtolæ obſervationibus ſeu experimentis atque teſtimoniis confirmat: addens demùm coronidis locô, deſcriptionem quoque illorum cadaverum, olim à Bilſiô Marchioni à Caracenâ demonſtratorum, quæ tamen cuncta obſtetricantibus Marpurgenſium typis, jam annô 1678. in publicum prodierunt.

ANDREAS Antiquus, & inſignis Hiſtoricus Panormitanus, cujus expreſsè meminit Athenæus *lib.* 14. *cap.* 8. *pag.*634. fuit eximius Philoſophus *de iis, quæ falsò creduntur*: ſcripſit ex eôdem Athenæô *l.* 7. *c.* 18.*pag.*312.quamvis autem haud ape
riat Athenæus an *Andreas Panormitanus* opus hoc ſcripſerit: attamen Tho: Fazellus *dec.* I. *de reb. Sicul. lib.* 8. *pag.* 190. noſtro Panormitanô adſcribit: ideòque *Andreas* noſter hiſtoricâ,ac philoſophicâ facultate inclaruit. Medicum etiam fuiſſe patet ex Fridericô Bonaventurâ Urbinate in librô *de naturâ partûs Octimeſtris*, editô Venetiis 1602. qui in Auctorum indice inter Medicos hunc Andream collocat his verbis. *Andreas Siculus*: cùm autem non comperiatur alter *Andreas* inter veteres Siculos, niſi Panormitanus iſte, rectè deducendum, de noſtrô Panormitanô intellexiſſe,ac Medicâ doctrinâ effulſiſſe. Hinc uti Medicus citatur ab Athenæô. *l.* 15. *c.* 5. *p.* 675. *& l.* 3. *c.*30. *p.* 115. & Tertullianô *de animâ cap.* 5. Addo Geſnerum in Bibl. *p.* 40. opus noſtri *Andreæ* de quibuſdam falsò creditis commemorans ipſum Medicum appellaſſe: quod obſervat etiam Paſchalis Gallus *in Bibl. Medic. p.* 19. qui eundem eſſe putat Andream Medicum, qui de Plantis quibuſdam falsò creditis, & narthix, id eſt, ferulis, ſcripſit: *& pag.* 375. Andream Medicum, ait de ſerpentibus, de iis, quæ falsò creduntur, & narthix ſcripſiſſe. Hinc non ambigendum puto Andream illum eſſe à Pliniô citatum *lib.* 20. *cap.* 18. *nat. hiſt.* (ubi ex editione Venetâ anni 1519. legitur Andron, & ex orâ libri corrigitur, *Andreas*: & ità Hermolaus Barbarus *in Caſtigat. Plinii ibidem*, & in editionibus ex recenſione Dalecampii, & Gelenii) *lib.* 22. *cap.* 23. *de Silphio*, ubi habet *Andreas*: ſicut & *lib.* 32. *cap.* 5. *de Halcyoneo.* Idem Plinius inter Medicos ſcriptores recenſet, ex quibus ſuos de hiſtoriâ naturali libros, 23. 24. 25. 26. & 27. concinnavit; ſicut & inter Auctores ex quibus librum 31. & 32. confecit, qui de medicaminibus ex aquatilibus agunt: & tandem inter Auctores librorum 33. 34. & 35. ubi de metallis, & picturis ſcribit. A nonnullis etiam Medicis ejus teſtimonium adducitur ut mox addam. Nec prætermittenda ſunt, quæ de Andreâ habet eruditiſſimus Andreas Tiraquellus, *de nobilitate cap.* 31. *p.* 256. *Andreas, ait, ſive Andras, ſive Andrias, ſive Andron, vel Andros, nam & hæc omnia nomina Medicorum reperio, niſi diverſi ſint. Andream citant Dioſcorides in Præfatione, Cornelius Celſus, lib.* 5. *cap.* 1. *&* 18. *& Galenus, qui eum non multi facit, nam in librô, qui inſcribitur ſuffiguratio Empirica, eum vocat ſuperbum, & experientiæ expertem: & in præfatione lib.* 6. *ſimplicium Pharmacorum, eum vocat præſtigiatorem, & arrogantem. Sed & eum Andream, vocat Epiphanius Cyprius ſtatim poſt princ. lib.* I. *Hæreſeon, ubi eum dicit ſcripſiſſe de herbis. Andronem citat idem Cornelius lib.* 5. *Galenus, Aëtius, & Paulus Ægineta. Andram ipſe Dioſcorides, Celſus, & Plinius. Et quòd Andreas, & Andron unus ſit, poteſt videri ex eô quòd quem Andream vocat Dioſcorides lib.* 4. *cap.* 59. *ubi de Papavere loquitur, Andronem appellat Plinius de eâdem re loquens librô* 20. *cap.* 18. *Ipſe Cornelius Celſus de illô lib.* 5. *cap.* 5. *Paulus Ægineta lib.* 3. *cap.* 42. *& lib.* 4. *cap.* 35. Ex quibus apertiſſimè liquet eundem eſſe Andron, & Andream. Addit Tiraquellus: *eum quoque Athenæus citat ex libris de ſerpentibus, & de quibuſdam falsò creditis, & Auctor magni etymologici.* At noſtrum Andream Panormitanum librum de quibuſdam falsò creditis ſcripſiſſe, innui ſuprà cum Fazellô. Hinc rectè deducimus, quòd Noſter Andreas, utpotè Medicinâ excultus à præcitatis ſcriptoribus adducitur, & de Medicinâ, herbiſque ſcripſit. Immò omnigenæ ſcientiæ capacem credimus; nam ipſi oratoria facultas non defuit. Andreas namque inter Declamatores accenſetur à

Senecâ

Senecâ *in fine 2. ſuaſor. & contr. lib. 2. contr. 7.* ubi Andreas Schottus, *in notis ad ſuaſoriam citatam p.* 34. de Andreâ hæc habet. *Andreas infrà nominatur contr. 7. & Medicus quidam apud Plinium lib.* 20. 23. 31. 32. 33. 34. 35. *nat. hiſt. item apud Dioſcoridem & Nicandri interpretem*; ideòque Noſter Andreas inter oratores etiam numerandus. Quamvis autem Cujacio, ut Janus Gruterus *in notis ad contr.7. Senecæ pag.* 125. refert, videbatur Andreæ nomini, utpotè recentiori ſubſtituendum Hybreas apud Senecæ controverſias frequens: attamen Schottus loc.cit. *& in Vitis Declamatorum apud Senecam pag.* 400. hanc futilem opinionem optimè, more ſuô, repellit: nam Andreæ nomen novitatem non ſapit; cùm expresſè apud Athenæum, Plinium, Dioſcoridem, alioſque veteres ſcriptores ſuprà citatos legatur. Andreas autem alius eſt ab Hybrea oratore. Hinc Schottus in *Declamatorum vitis citatis p.* 400. cùm primùm de Andreâ ſcripſiſſet, de Hybreâ, utpotè diverſô, exinde *pag.* 411. ſcribit: aitque cum Strabone *lib.* 13. Hybream in urbe Mileſiâ natum, eorùmque opinionem rejicit, qui eundem Andream, & Hybream fuiſſe putârunt. Vincentius Auria *in Sicilia Inventrice cap.* 7. *ſ.* 5. *p.* 14. Mathematicis diſciplinis excultum Andream putat, illumque fuiſſe Vitruviô memoratum *lib.* 9. *arch. cap.* 9. ubi ait, quòd unâ cum Theodoſiô Horologium quoddam excogitavit, Parmenion vocatum, ad omnes Cæli inclinationes, vel climata accommodatum: cui *in additionibus ad eundem pag.* 125. addidi Alex. Sardum *de rer. invent. l.* 1. *pag.* 32. Tandem addam Andream hunc Ptolomæi Philopatoris Ægyptiorum Regis Medicum fuiſſe, ſuumque interitum exponit Polybius *lib.* 5. ubi Theodoti ſcelus enarrans ait, quòd dùm mortem Ptolomæo inferre tentabat, Rege in tentoriô non compertô, Andream Regis Medicum interfecit. Ex quô Andreæ præſtantiam, ac ejuſdem ætatem deducimus, nempè eôdem tempore Ptolomæi claruit; hanc verò Andreæ occiſionem an. 1. olymp. 141. affigit Brietius *annal. to.* 1. *par.* 2. nempè an. 210. ante Chriſti Domini adventum: Etſi Voſſius *de hiſt. Græcis lib.* 4. *par.* 3. *pag.* 501. inter incertæ ætatis hiſtoricos collocet. Præter auctores hactenùs citatos Andreæ meminere Inveges *to.* 2. *annal. Panor. pag.* 353. Thomas Porchachius, *in Inſulis pag.* 41. Oct. Caëtanus *in animad. ad to.* 2. *ſſ. Siculor. pag.* 43. *n.* 21. Vinc. Coronelli Biblioth. *tom.* 3. *n.* 2497. aliique. Scripſit Andreas græcè ex Athenæô *lib.* 14. *cap.* 8. *p.* 634. *& Voſſio cit.*

De Rebus in quibuſque oppidis Siciliæ memorabilibus hujus operis librum 33. citat Athenæus. At Fazellus *de reb. Sicul. dec.* 1. *lib.* 8. *p.* 190. Athenæum explanando ait, quòd Andreæ opus Hiſtoriam civilem Siculorum complectebatur.

De Medicâ origine. Ex Tiraquellô *de nobilit. cap.* 31. *p.* 256. eòque teſte hôc in opere Hippocratem infamare tentavit, quòd fortaſſe Galenum ad ſcribendum contra Andream extimulavit, Galenus in librô inſcriptô, *ſubfiguratio Empirica cap.* 10. *p.* 33. *Andreæ* ſuperbiam, & imperitiam objecit: & Jacobus Thomaſinus *de Plagiô literariô ſ.* 76. *p.* 33. *& ſ.* 358. *p.* 156. Plagiariis accenſet.

De iis, quæ falsò creduntur. Hujuſce libri mentio habetur apud Athenæum *lib.* 7. *cap.* 18. *p.* 312. Fazellum, Tiraquellum citatos, Geſnerum Biblioth. *p.* 40. & Paſchalem Gallum. *Bibl. Medic. p.* 20. *&* 375.

De iis, quæ morſu venenata ſunt, ſive de ſerpentibus Ex Athenæô, Tiraquellô, Geſnerô, & Gallô loc. cit.

De Herbis ſivè de Plantis. ex Epiphaniô Cypriotô *lib.* 1. *Hæreſeon*, apud Tiraquellum cit. & ut Herbarum ſcriptor adductus videtur ab Apuleô Celſô Siculô, de herbis. *cap.* 63. 67. & 68. Pliniô locis ſupra relatis, Dioſcoride *lib.* 4. *cap.* 60. Galenô de ſimplicium medicam. facultate. *Ex Scholiis Nicandri in Theriacis,* & Paſchale Gallô *cit. p.* 19. 20. *&* 375. ſcripſit opus inſcriptum, *Narthis, ſive de ferulis*, at non diverſum puto à librô de Plantis.

Gloſſemata ad Nicandrum, teſte Pieriô Valerianô *lib.* 29. *hyerogl. cap.* 24. *pag.* 296. Ex Andreâ ſupereſt fragmentum apud Senecam *lib.* 2. *contr.* 7. & antidota nonnulla apud Galenum *de antidotis cap.* 13. *p.* 117. *de compoſit. medicam. lib.* 7. *cap.* 7. *p.* 266. *lib.* 4. *c.* 13. *p.* 243. *& de compoſit. pharmac. lib.* 10. *c.* 2. *p.* 207. Anton. Mongitor. Biblioth. Siculæ. Tom. I.

ANDREGHETTUS, ANDREGHETTIUS. Vid. ALDEGRETUS &c.

ANDRILLUS (*Michael Angelus*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus

Conſilium veterum & Neotericorum de conſervandâ valetudine, ſive de morborum cauſis procatarcticis, in quô rationes experimentorum ſuffragiis diſcuſſæ exarantur Auctore Michaele Angelô Andrillô Phil. & Med. Veron. in Venetô collegiô cooptatô.

Lugduni apud Joh. de Lupiſa, 1693. in 4.

Propoſitum eſt clariſſimo Auctori in cauſas procatarcticas, quæ varios morbos generant, accuratiùs inquirere, atque demonſtrare, quòd quæcunque hactenùs experimenta fide & induſtriâ Recentiorum peracta fuerint doctrinas veterum illuſtrent atque ſtabiliant. Has verò cauſas appellare voluit ſex illas res non naturales, nimirùm aerem, animi pathemata, motum & quietem, ſomnum & vigiliam, cibum & potum, excreta & retenta. Non ignorat equidem Noſter, res illas maximè naturales eſſe nobis; interim tamen, cùm erroneô uſu cauſæ nobis morborum fiant quotidie, non naturales cum aliis nuncupare haud dubitavit. Operæ itaquè ſibi prætium facturus viſus eſt, ſi ſecundum numerum ſex rerum non naturalium, totum librum ſex complecteretur partibus, ſingulaſque denuò in varios ſubdivideret articulos; cauſas hinc morborum principales eò promtiùs rimaturus, ſelectas Neotericorum obſervationes diligenter annotando, & ad doctrinas veterum debitè applicando. Initium libri facit ab aëre, quem maximum in omnibus, quæ corpori accidunt, cum Hippocrate auctorem & dominum agnoſcere non ambigit. Quapropter in parte 1. recenſitis, quæ indefeſsô hactenùs ſtudiô recentiores edidere, experimentis, naturam varioſque aëris effectus ſcrutatur; & quæ ex frigidô & intensè calidô, aut pravis effluviis inquinatô evenire poſſint mala, adjicit. Judicat deniquè ſaniores illos, quibus hyems & æſtas temperatæ contingunt, hiſtoriiſque comprobat coſmographicis. In parte II. præmiſſô generali pathematum animi examine, animô præſenti & tranquillô eos eſſe jubet, qui commodâ frui valetudine cupiunt. Ægritudines etiam animi enumerat prolixiùs, mediaque, quibus obicem illis ponere facilè queamus, adjungit. In parte III. de motu & quiete exponit, quantùm commodi ex utriuſque uſu moderatô, tantùm etiam malorum ex immoderatô in nos redundare; quibus tamen propulſandis adjicit remedia. In parte IV. explicatis ſomni vigiliæque naturâ & cauſis, præcipuè oſtendere

dere ſatagit, quæ ex abuſu horum totô die naſcantur vitia: artificiaque ſubnectit, quibus ſomnum, ſi capere non poſſimus, nobis conciliare queamus. De inſomniis diſſerens, ex illis ſanitatem morboſque prædici poſſe, variis declarat exemplis. In parte v. de excretis & retentis ſcribens, varias evacuationum enumerat ſpecies, ut ſunt vomitus, alvus lubricanda, ſudor, inſenſibiliſque tranſpiratio. Ex veneris abuſu cùm vires maximè dejiciantur, in hôc explicandô prolixiùs occupatur, monendo inſuper, quibus mediis caſtitas ſervari poſſit. In parte vi. de victûs ratione agens, alimentorum naturam, quantitatem, qualitatem prolixè explicat, tempuſque opportunum conſtituit, quô ritè aſſumi debeant. Concludit tandem, ſubnectendo theoremata, quibus oſtendit, omnes ac ſingulos debere commodam ſibi aptamque victûs quantitatem, ſi longiori frui vitâ velint, determinare.

ANDROCYDES. Medicus, cujus extat epiſtola quædam ad Alexandrum M. Scripta, apud Plin. his verbis, *vinum poturus, Rex, memento te bibere ſanguinem terræ: ſicuti venenum eſt homini cicuta, ſic & vinum*, Plin. l. 4. c. 5. Alius pictor eidem Plinio, l. 35. c. 9. Plut. in Quæſt. conviv. l. 4. q. 2.

ANDROMACHUS, Cretenſis, Medicus Neronis, theriacæ auctor, de quâ verſû quædam ad Neronem ſcripſit. Vide Galen. *L. 1. de antid. c. 1. & L. 1. de ther. ad Pis. c. 5.* Aſtrologica quædam eidem attribuuntur. Voſſ. *de ſcient. Math. c. 33. ſ.* 10.

ANDRY (*Nicolaus*,) Medicus Pariſienſis Regius, multis nominibus celeberrimus.

De eô extant in Actis Lipſienſibus

De La Generation des Vers dans le Corps de l'Homme. i. e.

Tractatus de generatione vermium in corpore humanô, Authore Nicolaô Andry, Doctore Medicinæ, Facultatis Pariſienſis. Lutetiæ Pariſiorum apud Laur. d'Houry, 1700. in 12.

Cum ea ſit vermium in ægrotorum corpore nidulantium conditio, ùt nullô ſæpe ſuam præſentiam manifeſtent indiciô, quin ſymptomatibus, variis morbis, horumve cauſis communibus ſtipatis vel exercitatiſſimo imponant Medico; meritò laudandus eſt clariſſimus Author, quòd in hôc tractatu phyſicè non ſolummodò vermes examinare, eorumque generationem, diverſaſque ſpecies tradere, ſed ſigna quoque, effectus, prognoſin, atque remedia anthelmintica, euporiſta, Medicis ſuppeditare voluerit, pleuritici potiſſimùm invitatus exemplô, qui à verme latô inteſtinorum ductum occupante contraxerat morbum.

Etenim cùm in inſectorum claſſe alia magna, alia parva deprehendantur, hæc ſub vermium nomine comprehendit Auctor, qui, licèt in notabilem ſatis excreſcant quandoque magnitudinem, ſubtilitate tamen à prioribus diſcrepant. Omnes ferè circa autumni finem moriuntur; ex ovulis verò quorum copiam ſat amplam relinquunt, appropinquante vere, viva excluduntur animalcula; hinc vermis quaſi verè micans dicitur Noſtro. Ex putredine oriri hos, à ſe impetrare Auctor non poteſt ùt credat, niſi quis rationem doceat, quomodò caſus ordinem ſpernens membra animalis ordine diſpoſita formet? & quidni plures eorum ſpecies, quàm quæ nunc cognitæ ſunt, & producantur? Exiſtimat potiùs, ex ſeminibus ſeu ovulis per calorem in materiâ aptâ perfici atque excludi vermes. Ad corpus autem noſtrum penetrant ovula, juxtà Auctorem, triplici modô, vel cum aëre, quem inſpiramus, vel cum alimentis, quibus veſcimur, vel à rebus, quas tangimus frequentiùs: quô poſtremô modô extrinſecùs cuti affricantur, ita ùt ſub ſquamulis hujus vitā adepti vicina rodant vaſa, & ſic extravaſatô & in pus mutatô liquore quē vehebant hæc, ſub tuberculis latitent & nutriantur. Hinc contingit, ùt qui ſcarabæos & bombyces, infinitis aliis vermibus, eorumque ſeminibus, æquè ac reliqua inſecta, ſcatentes colunt, ſcabie ut plurimùm defœdentur. His pariter intrà carnium fibras poroſque latitantibus, & ſucceſſu temporis vivum producentibus animal ovulis debetur, quòd ſi carnis recentis fruſta in vitrô uſque adeò cuſtodiantur, ùt nullus muſcis pateat aditus, ſæpe vermes; (ſecùs ac Dominus *Redi* obſervaret) inibi conſpiciantur; quanquam non neget Auctor, embryones in uterô jam tum infeſtari taliſmodì inſectis, quæ dum recens nati alvum deponunt, ſtatim rejiciantur. Quamvis verò conſtet, metallis quoque & vegetabilibus ſuos eſſe vermes, talium tamen potiſſimùm in animali regnô fœcundus deprehenditur proventus, ità ùt nec oſtreæ & conchæ excludantur; imprimìs in corpore humanô copioſiſſimi tam extra, quàm intra inteſtina notantur ùt pauci ſint homines, ſive ſani, ſive ægroti, qui eis careant. Qui extra inteſtina hærent, pro loci diverſitate ſunt 1.) *Encephalici* qui iterùm dividuntur in *encephalicos* propriè ſic dictos, qui cerebrum, *naſicolas*, qui nares, *auriculares* qui, aures, *dentales*, qui dentes occupant. 2.) Pulmonales 3.) Hepatici: quanquam enim bilis progeniem eorum deſtruere videbatur, nihilominùs tamē depravata, amaritie exuta, & pituitoſa reddita, ut in hydropicis, tantùm abeſt, ùt eam deſtruat, ùt potiùs promoveat enormiter. 4.) *Cardiaci*, quorum alii cor ipſum, alii pericardium reſpiciunt 5.) *ſanguinei*, qui intra vaſa ſanguinea latentes, licèt diverſæ deprehendantur figuræ, frequentiſſimi tamen ſunt, quos *Borellus* Balæniformes vocat. 6.) *Veſiculares*, qui ex renibus & veſicâ per urinam excernuntur 7.) *ſpermatici*, qui in ſemine naſcuntur, digni Auctori viſi, quos in peculiari examinaret capite. Tantùm ſiquidem abeſt, ùt pro re totô genere præternaturali tales habeat, in quô perfectiore animal utitur ſanitate, eò majori horum frui frequentiâ illud exiſtimet, adeòque eoſdem: *Hartſoekerum* & *Leeuwenhoekium*, (quorum illius ſententiam, & inventum in Actis noſtris annō 1695. menſe Octobri *pag.* 487. hujus autem A. 1683. quem grana & ſemina in plantis, uſum præſtare, imò ipſa animalia eſſe, quæ à muliere in lucem produci debeant, credat: quoniam eâ ſolùm ætate, quæ ad generandum apta eſt ejuſmodi vermiculi obſervantur, in gonorrhœâ, & lue venereâ laborantibus langueſcunt; impotentes, nullos, vel non viventes gerunt; ovaria & ova fœminarum illis ſunt orbata; vermes ſpermatici humani, inſtar embryonum humanorum, majus habent caput, reſpectu reliquarum corporis partium quam reliqui; uterus non niſi poſt coitum illis eſt refertus; ſemen, quô majorem eorum copiam continet eò magis albicat; vermes Zoophagi (quô nomine omnes in corpore humanô inſignit, præter ſpermaticos) in febribus pleriſque naſcuntur, ſpermatici deſtruuntur; & qui veneri nimis litant, eorum proventu deſtituuntur. Quibus poſitis breviter exponit, quomodò poſt coitum vermis in ovum ingrediatur, & cur non in tantâ vermium copiâ plures quàm unus illud intrent? item quâ ratione mulier undecimô vel duodecimô poſt mariti obitum menſe, fœtum abſque adulterii ſuſpicione excludere naturaliter poſſit? Nec omittendum eſt, cautelis allegari fideliter ab Auctore, quas obſervare illos deceat quibus diverſorum in animalium ſemine vermes microſcopiis luſtrare volupe eſt. 8.) *Elcophagi*, qui naſcuntur in ulceribus, tumoribus, & apoſtema-

apoſtematibus; ut in variolis, carbunculis, bubonibus peſtilentialibus, carne gangrænoſâ &c. 9.) *Cutanei*, quorum alii ſunt Crinones: alii Cirones, ſeu Acari; alii Bovini, qui boves ut plurimùm infeſtant, & in hominibus paſſionis bovinæ juxta Alſaharavium, Avenzoar & Albucaſin, authores exiſtunt: Alii ſericei, in Æthiopiâ & Indiâ familiares, ſericô contortô ſimiles, Avicennæ venæ Medenæ. Alii Dracunculi dicti, in femoribus & cruribus potiſſimùm nati; atque hos vermes vera animalia, non autem tumorem ac abſceſſum à calidô ſanguine ortum eſſe, contra Paræum diſputat Auctor, idque peculiare in illis notat, quòd duo habeant capita, in utrâque nempe extremitate unum, quorum unum vigilat, alterô dormiente: alii Tomi in Indiâ Occidentali incolarũ pedes affligentes, 10. *Umbilicales*, quos equidem Auctor inteſtinalibus accenſere mavult, ut potè ex inteſtinis ad umbilicum prorepentibus, & illuc iterùm revertentibus; cùm veroſimile haud videatur vermem in vaſis umbilicalibus latentem abſtergentibus propinatis per inteſtina poſſe evacuari. 11.) *Venerei*, qui in omnibus ferè partibus lue venereâ affectorum latitant. Vermes inteſtinales ſunt vel Teretes; in ventriculô & inteſtinis tenuibus orti; vel Aſcarides. in rectô producti; vel Lati, qui nutriuntur, modò in pylorô, modò in inteſtinis tenuibus, & vocantur aliô nomine Tæniæ. Harum duæ ſpecies obſervantur: una Tæniæ nomen retinet, & abſque capite formatô & motu vivit; altera ſolium dicitur, quæ capite formatô conſtat, movetur, & abſque alterius vermis ejuſdem ſpeciei conſortiô in corpore hæret; ad quam claſſem cucurbitarios refert Noſter. Solii autem duæ iterùm præ reliquis frequentiores obſervantur ſpecies: una per univerſum corporis tractum ſpinam nodoſam, altera poſt ſingulos articulos papillam, in cujus apice apertura advertitur, gerit, hæque papillæ, pulmonum aperturæ, totidem trachearum vices ſuſtinent. Atque ex hâc claſſe fuiſſe illum vermem, quem pleuriticus ultimò excreverat, docet Auctor, cujus naturam prolixiùs proſequitur. Scilicet, caput habuit benè formatum, oculis quatuor præditum; licèt enim quidam nunquam caput in ſoliô ſe obſervaſſe teſtentur, contigiſſe tamen hoc putat, quòd fruſtatim ordinariò ejiciatur, capite cum collô in inteſtinis relictô: cutis dura, levis & albiſſima erat: apertô verme, per totum ejus tractum nil niſi corporum globoſorum glomus in conſpectum venerat, quæ pro veris ovis ſecùs ac Hippocrates microſcopiorum ope deſtitutus exiſtimavit, habenda eſſe cenſet, & per aperturam papillarum dictarum ad inteſtina, ex quibus ſub formâ granorum cucumeris iterùm rejiciuntur, deponi judicat Noſter. Quò minùs autem debitam recipiant hæc ova perfectionem, & excludantur, ex defectû congruæ materiæ & nutrimenti hoc contingere putat, quatenùs ſolium, quicquid chyli in ventriculô elaboratur, avidè abſumit, ac devorat. Quare non per os exitum quærat vermis, determinaturus Auctor, orificium ventriculi inferius obſtare dicit, per quod corpus vermis, poſt collum amplam ſatis craſſitiem nactum penetrare eò uſque nequeat. Refutatis tùm quibuſdam Fernelii, Perdulcis, & Mercurialis de ſoliô ſententiis num in ventriculô nidulari vermes valeant, prolixiùs diſputat, idque affirmat. Ad generalius igitur convertit ſe denuò vermium examen, eorumque metamorphoſin, dum e. g. in ranas, lacertas, ſerpentes, ſcorpiones, &c. vel potiùs in animalia his valdè ſimilia tranſmutantur, per ſimplicẽ partium accretionem, quæ pelliculam, quâ teguntur, Nympha dictã, rumpant, contingere tradit, haud ſecùs ac flores novam formã aſſumere quotidie videmus. Singulos, quos allegat Auctor, effectus vermium extra inteſtina hærentium, brevitatis ſtudioſi non recenſebimus, hôc unicô contẽti, quòd, cùm vermibus debeatur, quicquid moleſtiæ lue venereâ affecti patiuntur, Mercurius vivus illos necare ab Auctore dicatur; hinc alii, eodem teſte, ſolis anthelminthicis hoc malum profligârunt. Inter eos verò affectus, quos inteſtinales producunt, allegat Noſter vocem amiſſam, famem, eroſionem inteſtinorum, lactis defectum, cujus duo exempla ſat notabilia allegat &c. ſolium verò præter alia, quibus ſtipatur, ſymptomata, ſyncopes, aphoniæ, & à morbô convaleſcendi difficultatis auctorem pronunciat; pleuritidem eô modô concitari addit, dùm, abſumtô à verme probô chylô, maſsa ſanguinea materiâ, quâ dilui debebat, privetur, ſpiſſior reddatur, hinc ſtagnationibus obnoxia inflammationes proferat. De febribus malignis diſſerens, non examinat quidem, num vermes productum, an verò cauſa morbi dicendi ſint, illis tamen detentos tanquàm verminoſos ſe tractare, & excluſâ vermium progenie, paucis cordialibus priſtinæ reſtituere ſanitati fatetur. Quoad ſigna, quibus vermium præſentia manifeſtetur, particularia recenſentur, & unicuique parti, quæ tales continet, propria. Inteſtinalium ſigna in communia & propria dividuntur. Illa à ſymptomatibus, anni tempore, regione, ætate, temperamentô, vitæ genere, &c. deſumuntur: hæc, proùt vermes vel ſunt teretes, vel aſcarides, vel lati, differunt; quâ occaſione Hippocratis effatum, dolores jejunorum in hypochondriô dextrô à ſoliô hepar intrante excitari, explicatur & confirmatur. Ut quis autem immunis à vermibus degat, aërem commendat purum & ſubtilem; lacticinia, cibos acetô paratos, ſuccum pomorum expreſſum, nucleos pini, melones, fungos &c. prohibet, alimenta ritè aſſumere jubet, & veneris abuſum cum lucubrationibus nimiis diſſuadet. Ex vermium dejectione prognoſin format, & attendere præcipit modò ad perſonam, nùm hæc ſit ægrota, an ſana? num quid comederit, necne? modò ad tempus, num ejiciantur in principiô, ſtatu, vel declinatione morbi? modò ad locum, nùm ἄνω per nares, vel os, aut κάτω prodeant? modò ad excrementa, num ſoli, an cum fæcibus exterminentur; modò ad ipſos vermes, nùm ſint vivi vel mortui, integri vel diſcerpti. Etiamſi verò acetum, lumbrici exſiccati, infuſio Mercurii vivi, Mercurius dulcis, fumus tabaci, infuſio corticum viridium nucum, tanquam anthelminthica euporiſta hactenùs fuerint deprædicata, variis tamen edoctus experimentis, hæc tanquam noxia rejicit, ea potiùs cõmendans, quæ à ſe frequẽtiore uſu cognita atque probata fuerint. Poſtquam enim vermibus extra inteſtina natis ſingulis ſua remedia primum oppoſuit; mox contrà inteſtinales talia proponit, quæ eos vel necent, vel expellant. Præ reliquis videlicèt ad necãdos vermes magnarum virium extollit corallinam, oleum, (nucum imprimis, non autem amygdalarum dulcium) vinum, (Alonenſe potiſſimùm) ſemen cannabis, hypericum; ſi internè ſumantur. Extrinſecùs autem præter fel bovis, oleum abſynthii, rutæ, amygdalarum amararum, ſemen cumini, aloen, centaurium minus, commendat emplaſtrum, quod recipit farin. hord. ſucci vermicularis ana ℔j. aceti albi ℥iv. umbilico applicandum, ut potè quòd lumbricos non ſolùm enecet: ſed febrem etiam conjunctam abigat. Necant & expellunt ſimul aloë, hiera picra, pulvis cortic. aurant. rhabarb. Saccharum in copiâ ingeſtum, uvæ paſſæ &c. Illi tamen modo minùs fidendum eſſe dicit, quô ægri bolum aliquem filo alligatum deglutiant, filum dein unà cum verme retrahere conantes; licèt enim idem ſuccedere forſan poſſet in animalibus per os in ſtomachum ingreſſis, de ſucceſſu tamen circa vermes in corpore natos dubitat; potiùs in Aſcaridibus, quos clyſteres potiſſimùm evocent, lardum filo alligatum ſuppoſitorii locô applicat, illudque Aſcaridibus undiquè obductũ retrahit. Quoniam verò cuncta hæc medicamenta in lumbricô latô ſine fructu propinantur; nè abſque ſolatiô relinquat

quat ægros, remedium, quo pleuritici ſolium ejecit, fideliter communicat. Recipit ſcilicet Diagridii, cremoris tartari, diaphoret. Mineral. ana ℈ß. Rhabarb. Rad. filic. fœm. ana ʒß. Fol. & Flor. Tanacet. Campeſtr. Pug. j. cort. Rad. Mori antequam arboris fructus matureſcant, collecti, ʒj· Miſcet & mane in juſculô pinguiore propinat. Quæ alia contra ſolium medicamenta in auxilium vocanda, Epiſtolæ ex Guillielmi Fabricii obſervationibus ab Auctore tranſcriptæ docent. Cautelas deniquè addit Noſter tam circa diætam ab ægris, quàm circa remedia à Medicis obſervandas. Jubet ſcilicet 1.) ùt verminantes multum comedant, ab iis liberati parùm; 2.) remedia non niſi luna decreſcente, nec 3.) continuâ ſerie propinentur, ſed morâ aliquâ interjectâ ne lumbrici ad inteſtinum colon recedentes omnem medicamentorum vim eludant.

Lubentes prætcrimus obſervationes ab Auctore hinc indè interſperſas, ejuſque digreſſiones, quas ſubindè facit; dum e. g. in præfat. probat, cochinillam non eſſe ſemen, ſed folliculum, ex ſuccô plantæ à verme vulneratæ coagmentatum; pag. 137. hypotheſeos de acidô & alcalî abuſum perſtringit p. 176. ſpecifica cephalica, hepatica, uterina, &c. omninò dari probat pag. 205. tabaci abuſum damnat; pag. 237. aquam ſimplicem pro potu ordinario hauſtam melancholiam, vel pravos humores generare negat &c. Nè in nimium excreſcat noſtra relatio, illud unicè addendum: Epiſtolas *Harſœkeri, & Baglivi,* Auctoris de vermibus ſententiam egregiè illuſtrant, ut & theſes, in quibus frequentiorem uſum tabaci, ut potè ſale cauſticô, & ſulphure narcoticô conſtantis, mortem accelerare demonſtratur, ſub præſidiô Domini *Fagon* defenſas, huic tractatui eſſe annexas.

Remarques de Medecine ſur differens ſujets, par Nicolas Andri; i. e.

Nicolai Andry, Doctoris, Regentis Facultatis Medicæ Pariſienſis, Lectoris & Profeſſoris Regii, Annotationes circa varia Medicinæ argumenta, & potum.

Lutetiæ Pariſiorum apud Laurentium d'Houry 1710. 12.

HIſce Animadverſionibus ùt manum admoveret clariſſimus Andry, cujus de *vermium generatione* tractatû *in Actis his annô* 1700. *Menſe Novembri p.* 519. recenſuimus anſam dedit liber, cujus titulus: *Explication Phyſique i. e. Explicatio Phyſica & Mechanica effectum venæ ſectionis & de potu ægri concedendo, unà cum reſponſione ad ſiniſtrum judicium in Diario Eruditorum Pariſienſi ſuper hanc Explicationem latum*, Cùm enim Auctor illius, qui ſe *Hecquetum* vocat, priorem Explicationis ſuæ editionem annô 1706, adornaſſet, nec ab Ephemeridum Gallicarum collectoribus Tom. XXV. pag. 40. omni ex parte probatam obſervâſſet, noviter eam una cum Reſponſione ſuâ propriis expenſis, & ut clariſſimus Andry in Præfatione perhibet, ſine permiſſu publicô litteris exprimi nunc curavit; quæ forſan cauſa fuit, quod liber iſte à nobis hactenùs nondùm viſus fuerit. Quoniam autem Clariſſ. Andry plura advertit lòca, in Diariô dictô vel prætermiſſa vel leviter ſaltem tacta, cenſoriâ tamen virgulâ digna, iſta in his Annotationibus perſtringere, integrum ei viſum fuit. In tres autem partes eas dividit, in quarum I. Explicationem *Hecqueti* novô ariete adoritur, in II. Reſponſionem ejus examinat, in III. de quæſtione agit num ægris potus interdicendus ſit? ad quam hic negativè reſponderat. In parte igitur I. de venæ ſectione, de virium conditione in morbis, de pulſûs actione in febre, de ſanguinis volumine in ſtatu imminutæ tranſpirationis, de effectibus abſtinentiæ pro ſupplendâ tranſpiratione, de uſu & actione purgantium, de elatere partium corporis humani, & de tempore ad circulationem ſanguinis integrè abſolvendam neceſſariô agitur. In Parte II. de effectibus, quos nimia ſanguinis profuſio patrat, de vi cordis, de actione vaſorum ſanguiferorum, de circulatione ſanguinis, de purgantium uſu, de viis humorum abdomine contentorum ad maſſam ſanguineam, de ſoporiferorum uſu, de purgandis ægris in principiô morbi, de orgaſmô, de modô febribus intermittentibus medendi, & de optimâ Corticem Peruvianum exhibendi methodô diſſeritur. In III. Parte in qualitates aquæ & vini, in uſum Veronicæ & Theæ, & in naturam ſanguinis inquiritur.

ANEL (*Dominicus*)

De eô extant in Actis Lipſienſibus

L'art de ſuccer les Plaies ſans ſe ſervir de labouche d'un homme, par le Sr. Dominique Anel, i. e.

Dominici Anelli, Chirurgi Majoris Legionis Loricatorum, Comitis de Gronsfeld, hujuſque ordinarii, Ars ſugendi vulnera abſque oris humani ope.

Amſtelod. apud. Franciſc. van der Plaats, 1707. in 8.

ARs exſugendi ſanguinem ex vulneribus apud quoſdam tantâ pollet auctoritate, ut in omnibus omninò vulneribus eam commendare non dubitent; aliis viciſſim tantô eſt odiô, ùt nullibi eam admittendam eſſe exiſtiment, medium tenet Auctor noſter, qui nec in omnibus nec in nullis vulneribus ei locum concedit. Exſugit enim ex illis ſanguinem vel pus poſſe ſtatuit, quæ ſuris, femoribus, lumbis, ſcapulis, brachiis, ſunt inflicta, & ſi inſtrumentum vulnerans vaſa majora arteriarum, venarum, vel nervorum non tranſierit, aut ubi pectus vulneratum, vel thorax transfoſſus eſt. Exulare verò eandem jubet ſuctionem in vulneribus antiquis, cum contuſione, magnâ ſubſtantiæ deperditione, oſſis fracturâ, puncturâ nervorum vel tendinum, arteriarum vel venarum majorum læſione conjunctis, & in vulneribus capitis duram matrem vel ipſum cerebrum penetrantibus, ad abdominis cavitatē adactis, & imprimis ſi inteſtina, ventriculus, veſica, vel quodcunque aliud viſcus inſimul læſum fuerit, id quod de ſclopetorum vulneribus pariter eſt judicandum. Quoniam autem contingere poteſt, ùt qui ore ſugit, morbô aliquô contagioſô e. g. lue vencreâ vel ſcorbutô ſit affectus, adeòque verendum eſt nè vel vulnerato eundem communicet, vel peregrinum fermentum, vulneri ejus coalitum impediens, & prava ſymptomata inducat, aut ùt ſugens à vulnere, excogitavit modum Auctor Clariſſ. mediate ſyringâ ex ſtannô vel argentô vel plumbô vel ferrô albô vel buxô parata inſtituendum. Adornandi ſcilicèt ſunt tubuli diverſæ magnitudinis & figuræ diverſis vulneribus extremitate unâ alterâ ſyringæ immittendi atque dùm extrahitur embolus ex hâc cutis circumferentiam orificii externi vulneris probè eſt comprimenda, quô aëris ingreſſus inhibeatur, & humores educantur. Quô factô, mediante ſyringâ minori balſamus quidam vulneratus, liquidus, calefactus, vel tepidus injiciendus venit. Hinc orificium externum vulneris linteô complicatô aquâ vulnerariâ madefactô eſt obtegendum; poſt ſingulas verò quartas horæ partes eadem exſuctio tribus vicibus eſt iteranda, & quidem primâ vice, ùt balſamus ſuperfluus educatur, alterâ, humores poſt injectum balſamum effuſi eliminentur, & ultimâ, ut parietes vulneri pro hujus conſolidatione adducantur.

Poſt hæc vulnus externum plumaceolis aquâ ſtipticâ ebriis, emplaſtrô ſtipticô Crollii: linteô complicatô & faſciâ conveniente eſt muniendum, Remedia, quibus in ejuſmodi operatione uti ſolitus fuit, inſuper fideliter deſcribit Autor, qualia ſunt aqua vulneraria, *L'eau d'Arquebuſade*, dicta aqua ſtiptica, balſamus Arcæi, balſamus viridis Metſii vel Dominæ Feuillet, emplaſtrum ſtipticum Crollii, ſub calce libri adjectus eſt diſcurſus, in quô probatur, non eſſe impoſſibile, morbos Venereos per ſpecificum aliquod præcavere, quia ipſa peſtis per remedia præcaveri poteſt; & quoniam gonorrhœam aliaque ſymptomata venerea maximè inveterata curari poſſe conſtat, faciliori negotiô eadem in principiô deleri poſſe judicatur; taleque ſpecificum ſe poſſidere dicit Noſter.

Nouvelle Methode de guerir les Fiſtules lacrymales i. e.

Nova Methodus ſanandi Fiſtulas lacrymales, recens inventa à Dominico Anel, Chirurgiæ Doctore, olim Chirurgô majori ſivè legionariô in exercitu Regis Galliarum, & poſteà Sacræ Cæſareæ Majeſtatis. Auguſtæ Taurin. apud Petrum Joſephum Zapattam, 1713. 4.

Suite de la nouvelle Methode de guerir les Fiſtules Lacrymales: i. e.

Continuatio novæ Methodi curandi Fiſtulas Lacrymales, ſive diſſertationes apologeticæ pro novâ illâ methodô, Autore Dominicô Anel. Auguſtæ Taurin. apud Joh. Franc. Maireſſe & Johan. Radix. 1714. 4.

UTrumque hunc tractatum Clar. Autoris (cujus libellum *de arte ſugendi vulnera ſine ore*, in Actis A. 1707. p. 380. recenſuimus) hic conjungimus, cùm eâdem de materiâ agant, poſteriorque non niſi illuſtratio ſit prioris. Illud verò præcipuè hic egit cl. Autor, ùt novam à ſe inventam methodum ſanandi fiſtulas lacrymales deſcriberet, cujus ope blandiori modô ſanari poſſent quàm olim. Cùm enim methodis anteà uſitatis dictæ fiſtulæ ſectionibus, cauſticis, uſtionibuſvè dolorificis, oſſis unguis perforatione, aut diuturnis moleſtiſque compreſſionibus per trochleas, aliaſvè machinas horrificas tractandæ eſſent, quibus ægrotantes ægerrimè ſe ſubmittebant, Autor noſter de blandiori ſanandi methodô cogitare cœpit. Perpendēs enim hunc morbum in exulceratione ductuū lacrymalium, potiſſimùm verò Sacci lacrymalis, ejuſque, ubi in nares ſe exonerare debet, obſtructione conſiſtere: hâc reſeratâ, ulcereque mundatô, curationem obtineri poſſe judicavit.

Hanc verò theoriam ùt experimentis, (ſine quibus vel ingenioſiſſimæ ſpeculationes nullius in arte Medicâ ſunt valoris) comprobaret, oblatâ primùm occaſione in illuſt. Abbate *Fieſchi*, Genuenſi, qui trienniô jam cum tali morbô conflictabatur, duas ob indicationes in his affectibus occurrentes, duas quoque operationes Chirurgicas excogitavit. Et quidem primò ad obſtructas vias lacrymales reſerandas *ſpecilla tenuia argentea* ſingulari induſtriâ fabricari curavit, talique ſpecillô per ſuperius punctum lacrymale in palpebrâ ſuperiori in Saccum lacrymalem providè immiſſô, canalem naſalem obſtructum in narium cavum perforavit, quô ſic, viis rurſus expeditis, lacrymæ, ùt aliàs in ſanis, ad nares liberè deſcendere queant. Poſteà ut ulceratas vias lacrymales quoque mundaret, *ſiphunculum tubulô ſubtiliſſimô inſtructum* excogitavit, quô liquidum idoneum abſtergens, aquam nimirum mineralem, per alterutrum punctum lacrymale in ductus lacrymales injiceret, ùt ſic purulenta materia expellatur, ulcus mundetur, ac via ad nares recens deopilata, apertaconſervetur, donec tandem nihil præter naturam effluere ampliùs obſervetur, id quod ulcus & fiſtulam ſanatam indicaret: ſicut etiam hâc ratione curationem in prædictô Abbate paucis diebus perfectè obtinuit, & deindè etiam in aliis, ſed nunc citiùs, nunc tardiùs pro diverſâ indole, graduque morbi. Ubi verò nulla in ductu lacrymali obſtructio adeſt, ſed tantùm exulceratio, ſicuti quandoquè contingit, tunc priori operatione, quæ ſpecillô fit, non opus eſſe Autor innuit, verùm requiri ſolùm poſteriorem: ſcilicet, ùt ope ſiphunculi ulcus emundetur, & exulceratio tollatur.

Poſtquam verò Ill. Abbatem feliciter & ſine notabili dolore curaverat, ſicuti ipſe Abbas, Medicique varii, literis ſuis in hôc librô teſtantur, hanc obſervationem publicæ utilitatis causâ Autor Genuæ, ubi curatio fuerat peracta, typis imprimi curavit, & novam ſuam methodum publicavit: in quâ diſſertatione ſimul contra vulgatam opinionem affirmavit: ſedem fiſtulæ lacrymalis, non in carunculâ lacrymali, ſed in Saccô lacrymali exiſtere, & pus in his morbis canthis oculorum profluens, non ex eroſâ illâ carunculâ, ut vulgò putarunt, ſed ordinariè ex punctis lacrymalibus effluere: ubi ſimul varia fiſtulæ lacrymalis phænomena eleganter expoſuit. Attamen, quod notandum eſſe duximus, hanc ſuam methodum non promiſcuè ad omnes fiſtulas lacrymales ſanandas ſufficientem venditat, ſed tantum ad eas, ubi caries calluſque durior abſunt.

His peractis, Autor, ut ſcribit, Auguſtam Taurinorum ad curandam fiſtulam lacrymalem, *in Sereniſſimâ Matre Ducis Sabaudiæ*, vocatus eſt: dum verò illuc venerat, Chirurgus quidam Genuenſis, cui nomen *Signorotto* eſt, acerbam contra Noſtrum edidit epiſtolam Italicô ſermone conſcriptam, in quâ vehementer in novam hanc methodum invehitur, eam impoſſibilem, crudelem & periculoſam proclamat, omnique modô odioſam reddere tentat. Quâ ignominiâ Noſter, ut ait, commotus ad famam ſuam exiſtimationemque vindicandam apologiam edere coactus eſt. Quapropter non ſolùm ſuam obſervationem primam Genuæ ſeorſim anteà editam, jam denuò Auguſtæ Taurinorum, unà cum novâ & exactiſſimâ, ùt vocat, ductus lacrymalis deſcriptione, ſed & epiſtolam Signorotti, & refutationem hujus epiſtolæ excudi curavit; in quâ tam rationibus, quàm experimentis ſive curationibus feliciter peractis (præcipuè verò in Sereniſſimâ Ducis Sabaudiæ matre) teſtimoniiſque & applauſibus præcipuorum Medicorum Italiæ, è quibus *Lanciſium*, *Valiſnerium*, *Morgagnium*, *Fantonum*, *Terraneum*, *Bianchum*, *Zambeccarum*, & *Molinettum* nominare ſufficiat, objectiones Signorotti & Ocularii cujuſdam Pariſienſis ſolidè refutavit.

Liber poſterior, qui continuatio inſcribitur, priorem magnitudine antecedit, & in collectione conſiſtit variarum epiſtolarum Authoris, aliorumque præſtantiſſimorum Medicorum & Chirurgorum, in quibus omnis generis argumenta, raciocinia atque experimenta reperiuntur, novam *Anelli* methodum confirmantia, & objectiones contra eam factas refellentia, quibus teſtimoniis veritatem, præſtantiam atque utilitatem novæ ſuæ methodi uberiùs demonſtrat: inſimul hâc in parte prolixiùs diſſerit de variis fiſtularum lacrymalium cauſis, differentiis, & curationibus, tandemque in fine addit notabilem curationem aneuriſmatis, ſanationem fiſtulæ inveteratæ femoris in Illuſtriſſimo Comite

de

de Kœnigſeck peractam, notatû digniſſimam, in quâ per plures annos globulus plumbeus hæſerat, quem multi egregij Chirurgi extrahere non poterant. Præterea obſervationem refert curioſam de globulô plumbeô, per aliquot annos ſine incommodô aut perceptione in cerebrô cujuſdam Ducis bellici hærente. Deniquè de optimâ luxationum, præſertim femoris, agit reſtitutione, & tandem de generatione infantum in abdomine extra uterum, cujus varia hìc recenſentur exempla. Poſtremò adhuc monemus, in his libris etiam contineri aliquot Epiſtolas *Clar. Bianchi* ad Autorem noſtrum ſcriptas, in quibus ipſum contra Signorottum defendit, inventum ejus novum admiratur & propugnat; in diſſertatione verò ſuâ *de ductibus novis*, ſicut jam ſuperiori annô monuimus, ubi de eâ ſermonem fecimus, *Anelli* non tantùm nullam mentionem facit, etiamſi occaſione hujus novæ methodi diſſertationem illam conſcripſerit; verùm etiam inventionis gloriam jam *Anello* adimere videtur, dum varios nominat, qui operationes illas ante *Anellum* perfecerint, ut *Fantonum & Vernam*, Patrem & Filium, cùm tamen hi, præſertim verò *Fantonus*, unà cum ſuprà dictis aliiſque egregiis Medicis, *Anellum* pro inventore habuerint & agnoverint. Cæterùm quoniam liber *Anelli* Gallicè eſt conſcriptus, multa ſimul continens Italica, atque in Germaniâ hucuſquè perrarus, multis ſine dubiô haud ingratum præſtitit officium *Cl. Heiſterus*, quòd jam annô 1716. eum ſub formâ diſſertationis Academicæ in compendium redactum ediderit, atque ſimul novam methodum uberiùs illuſtrare allaboraverit, dum, aptô ordine, 1. de onomatologiâ & differentiis egit fiſtulæ lacrymalis, morborumque affinium, 2. de partibus affectis hôc malô, quarum naturalem ſtructuram deſcripſit, 3. de origine, generatione & ſignis fiſtulæ lacrymalis, 4. de novâ methodô ipſâ, & in quibus fiſtulæ lacrymalis ſpeciebus conducat, 5. veteres quoque curandi rationes addidit, ùt ex eis eô faciliùs diverſitas à novâ, hujuſque præ illis præſtantia appareat, 6. objectiones *Anello* factas, & controverſiâs cum adverſariis ejus unà cum eorumdem refutatione, in compendiô recenſuit, 7. ſuas circa hunc morbum obſervationes adjecit, & 8. tam ſtructuram ductuum lacrymalium, quàm diverſitates nonnullas harum fiſtularum, atque inſtrumenta operationibus novis inſervientia, quibus ipſe uſus eſt, & quæ ab *Anellô* emiſſa ſunt, figuris ære inciſis illuſtravit.

ANGELELLUS (*Nicolaus*)

Ex eô habetur

De Menſium diminutione, & Molâ: ac ventriculi dolore, conſilium. Extat in Opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francofurti, apud Joh. Sartorium, 1605. in 4. pag. 310.

ANGELINUS (*Facoyndinus*,) Ariminenſis

De eô extat

Methodus pro venæ ſectione eligendâ. Patav. 1641. in 4. Ibid. 1650. in 4.

ANGELINUS (*Fulvius*) Cæſenatenſis.

Ex eô habetur

De verme admirandô per nares egreſſô, Brevis Diſcurſus. Et Vincentii Alſarii à Cruce de eâdem re commentariolum. Ravennæ, apud Hæred. Petri Johannelli, 1610. in 4.

ANGELUS.

Baſil. Valentini Microcoſmum latinè reddidit.

ANGELUS (*Daniel*)

Ex eô habentur

Catalogus Medicamentorum ſpagyricorum Pharmacopœæ ſpagyricæ Illuſtriſſimi Domini Comitis Odoardi de Pepulis. In quô de eorum virtute, uſu & doſi agitur; cui adjuncta eſt ejuſdem Authoris Appendix de compoſitione Medicamentorum generis cujuſcunque ad morbos diverſos. Dantiſci, apud Simonem Reinigerum, ſumptibus Caſp. Wæchtleri, Bibliopolæ Francofurt. 1667. in 8.

Obſervatio, de Calculi veſicæ grandioris ſpontaneâ excretione. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. ann. VI. & VII. nu. 195.

De abuſu Tabaci. Ib. ann. VIII. nu. 76.

De Tumore brachij ex ſcabie retropulſâ. Ibid. ann. eod. nu. 77.

De Bubonibus venereis inunctione retropulſis. Ibid. ann. eod. nu. 78.

ANGELUS (*Victorius*) Balneo- Regienſis

Ex eô habentur

Medicæ conſultationes, poſt obitum Auctoris in lucem editæ à Vincentiô Manunciô, *Peruſianô*. Romæ ex Typogr. Caballinâ, 1640. in fol.

ANGELIS (*Johannes ab*)

De eô extant

Vindiciæ diſſertationis Epiſtolicæ Theodori Aldis de Generatione Animalium contra Harveium. Amſtelodami, 1667. in 12.

ANGELUTIUS à Belforte (*Theodorus*)

Ex eô habentur

Ars Medica, ex Hippocratis & Galeni Theſauris potiſſimùm deprompta, ac ſingulari quôdam & perſpicuô ſententiarum ordine expoſita. Venetiis, apud Paulum Mejettum, 1588. in 4.

De Naturâ & Curatione Malignæ Febris, Libri quatuor. Venetiis, apud Robertum Mejettum, 1593. in 4.

Bactria. Quibus rudens quidam ac falſus criminator validè repercutitur, & de naturâ Malignæ Febris accuratiſſimè diſſeritur. Venetiis, apud Joh. Bapt. Ciottum, 1593. in 4.

ANGLICUS (*Bartholomæus*) Ordinis fratrum Minorum.

De eô extant

De Proprietatibus Rerum, lib. XVIII. Argentinæ, 1491. in fol. Norimb. 1519. in fol. Francof. apud Wolfg. Richterum, 1601. in 8. Huic acceſſit Lib. XIX. de variarum rerum accidentibus, Georgiô Bartholdô Pontanô procurante.

ANGLICUS (*Gilbertus*) Vid. Gilbertus.

ANGLICUS (*Johannes*) ſeu *Johannes de* Gaddeſden.

De eô ſic ſcribit Clariſſ. Doct. Freind in ſuâ Hiſt. Med. Part. 3.

Johannes de Gaddeſden, Autor famoſi illius operis, cui titulus *ROSA ANGLICANA*, parùm à ſuis contemporaneis commemoratur; & hoc tantùm edocemur à curioſô Antiquariô A. Wood, quòd Doctor erat Medicus A. 1320. Illius opus totam complectitur Praxim Medicam. Reverà compilatum eſt ex Arabum & aliorum recentiorum ſcriptis, ſed multùm auctum ab intermiſſis obſervationibus è propriâ experientiâ petitis. Nec ratio eſt dubitandi eum, ſi quis alius ejuſdem ævi, ſummæ fuiſſe Praxeos, maximâ licèt non niteretur doctrinâ. Attamen de eô tanquam de doctiſſimô Philoſophô, Medicô peritiſſimô, Viròque ingenii, ſuô tempore, ſagaciſſimi, Lelandus loquitur; opus imò ſuum ut luculentum, erudi-

eruditumque collaudat: Conringius, ut perdoctum; at Guido de Cauliacô Chirurgus expertus non minùs quàm celebris eôdem ſæculô vivens hujus operis aliô planè modô his, in Præfat. ſuâ, verbis meminit. *Vltimò inſurrexit una fatua ROSA ANGLICANA, quæ mihi miſſa fuit, & viſa: Credidi in eâ invenire odorem ſuavitatis, & inveni fabulas Hiſpani, Gilberti, & Theodorici,*

De hâc Roſâ Anglicâ ſic in Linden. Renovatô

Roſa Anglica dicta, quatuor libris diſtincta: de morbis particularibus: de Chirurgiâ & Pharmacopœiâ. Papiæ, apud Moyſium de Caſtellô Comenſis, 1492. in fol. emendante Nicolaô Sylvaticô, Siculô. Venetiis, apud Octavum Scotum, 1516. in fol. Auguſtæ Vindelicorum, apud Michaëlem Mangerum, 1595. in 4. Hæc poſtrema editio emendatior, & in meliorem redacta ordinem, recèns edita eſt à Philippô Schopffiô, Medicô-Phyſicô Durlacenſi. Cum additis quibuſdam Annotatiunculis.

ANGLICUS (*Richardus.*) Vid. RICHARDUS.

ANGUILBERTUS (*Theobaldus*) Hibernienſis.

Ex eô habetur

Menſa Philoſophica, compendioſè tractans, imprimis quid in Conviviis pro cibis & potibus ſumendum eſt. Deindè qui ſermones in illis ſecundum exigentiam perſonarum habendi ſunt, & quæ ſectiones diſcutiendæ, quæ inſupèr facetiæ & joci interferendi. Pariſiis, apud Johannem Parvum, 1517. in 8.

ANGUILLARA (*Aloyſius*)

Ex eô habetur

De ſimplicibus Liber primus cum Notis Caſpari Bauhini, Baſileæ, apud Henric. Petri, 1593. in 8.

ANGUISOLA (*Antonius*)

De eô extat

De Hæmorrhoidibus Conſilium. Habetur eô in opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francof. apud Johann. Sartorium, 1605. in 4. pag. 225.

ANHARDUS (*Elias*)

Ex eô habetur

Conſilium Podagricum. Ingolſtadii, 1585. in 8.

ANHORN de Hartwiſſ. (*Sylveſter Samuel*) Archiater San Gallenſis, celeberrimus.

De eô extant in Miſcell. Nat. Cur. Germ. Decur. 2. ann. 1. Obſ. 39. Anatome Puellæ rerum inſolitarum eſu delectatæ.

Puella decem annos nata, parentibus ſanis ſimilibus orta, ab infantiâ ranarum, lacertarum, murium, carbonum, cæciliarum, imò & ſerpentum, omniſque inſectorum generis comeſtione mirè delectabatur, ùt quæcunque etiam occurrerent avidè deglutiret. Annum ætatis circiter quintum agens de doloribus ventris & capitis balbutiendo conquerebatur, cùm per totum vitæ curriculum pronunciare nec verbum valeret. Emaciabatur ſenſim miſera, dolores perſeverabant, tantâ interdùm atrociâ affligentes, ùt beſtialiter debaccharetur, humique ventre ſerperet. Varia à variis agyrtis, carnificibus &c. adhibuêre parentes remedia, ægrè verò his doloribus eluctata, (puella) quôlibet die paroxyſmos convulſivos, horis incertis & ſub ſpecie multiformi redeuntes habuit, maximè tamen manè & ſub veſperam ventriculô jejunô exiſtente invadentes; redibant hi trium annorum ſpatiô ſingulis diebus, ultimis tandem annis typum & naturam mutantes, capitis hìc ibì alliſione & ſuccuſſione, per hypocauſtum veloci curſitatione, atrocique ſtipati ejulatû redeuntes; per plures ſæpè horas hujuſmodi motûs, ſtridoris dentium &c. reciprocationes obire ſolebat, per totas interdùm ædes curſitans, caput parietibus allidens, eique ſimul inſiſtens. Agyrtarum medicamentis parùm valentibus tædiô affecti, barbitonſoris cujuſdam opem implorârunt, qui partim per ſuperiora, partim per inferiora Emeticis, aliis Catarcticis adhibitis, lumbricos diverſæ magnitudinis diverſô tempore ad quadraginta expulit: ſuccedebant à fortiore datô Emeticô duæ ſerpentes, aquaticis ſimiles, longitudinem dimidiæ ulnæ habentes, digitum parvum craſſæ; vivaces valdè erant, nec benè contineri poterant; aſſervabat eas barbitonſor in vaſculô luteô leviore operculô tectô, undè eâ nocte exſilientes procul dubiô manè nec veſtigia ampliùs apparebant, nullibique nec videri nec deprehendi poterant, ſed cùm vaſculum extra feneſtram fuerit poſitum, facillimè in ſubjecta prata recipere ſe poterant; undè tamen infandus in vulgô rumor obortus, puellam dæmone obſeſſam vivos duos evomuiſſe dæmones, qui ſtatim nullibì deinceps viſi, ſeù reperti, evanuerint. Mitigatæ poſt hìnc convulſiones ſenſim remiſêre, nec ad finem uſque rediêre; ſed ventriculus ſpaſmô affectus aſſumta nunquam retinebat, verùm quævis ingeſta vomitû reddebat; barbitonſor ab hôc malô liberaturus, miſeræ tres venas ſecabat, abhìnc in dies viribus & corpore deficiens, inclemente hôc fatô abrepta animam luit. Quantùm licebat, ex morte ejus in prædicti morbi diagnoſin, omni parentes pejoris ſuſpicione liberaturus, inquirere ſatagebam: proindè à Reverendiſſimô Abbate cadaveris diſſecandi veniâ impetratâ, ſymptomatum in hôc affectû præcipuè urgentium rationes & veſtigia clariùs patebant. Cutis per totum erat diſcolor, in hâc parte livida, in illâ flava, in iſtâ ſubnigra apparebat: muſculis ejus in membranas penè emaciatis detractis, idque apertum, tetrum ſpirabat odorem; Omentum conſumtum ferè erat, glandulæ meſenterii induratæ erant. Ventriculus & inteſtina benè colorata, facie externâ ſatis benè habebant: Sed ventriculus valdè inflatus, apertus materiam liquidam cineritiam, plumas compactas, fila, continebat, ejuſque tunica interior abſque plicis aut rugis plana evaſerat: Inteſtina tenuia maximam partem erant inanita, flatibus ſolùm diſtenſa, utpotè quæ in perpetuas ferè evacuationes ſollicitata fuerint; quæ etiam pluribus in locis mutuò involvebantur, parte unius ſuperficie convexâ, in alterius concavam intruſâ. Inteſtina craſſa fecibus ſubſtantiæ tenuis impensè ex rubrô flaveſcentibus penitùs oppleta conſpiciebantur, & quod mirum, nec ulla, vel in ventriculô vel totô inteſtinorum tractû, ſemina, quæque vel augurari liceret, etiam ſedulô inveſtiganti prodiêre. Hepar à ſanâ conſtitutione plurimùm deſciverat, fuit namque tumidum & ſubdurum, per totam ſubſtantiam merè ochraceum, exſangue prorſùs & exſuccum, in unicum continuum lobum concretum; Veſicula fellea ei adnata bilem prorſùs viridem continebat. Sanguis in vaſis inferioris regionis contentus colore cum hepate conveniebat. Lien, qui hiſtrionibus peſſimè ſemper audierat, fuerat prorſùs inſons, & quâvis culpâ immunis apparebat, proùt in maximè ſanis obſervamus, fuit ſubatri coloris, mollis, & ſuperficiei æqualis, è compage ejus diſſectâ ſanguis copioſus rubicundus effluxit: Renes culpâ non omni carebant,

quos

quos duriores multò, membranarum contextui penè involutos, reperimus; alter eorum inuſitatæ erat figuræ; in plures ſcilicèt lobos findebatur. Pulmones colorem monſtrabant lividum, & ichore ſpumoſô tenui penitùs infarcti videbantur. Ex utriuſque cordis ventriculô polypos exemimus, ſanguis in ſubſtantiam nempè ſolidam flaveſcentem concreverat, quæ juxta cordis & vaſorum in pulmones aſcendentium cavitates effigiata, omnes meatus pertranſiit. Nec minùs clara morbi hujus veſtigia in capite deteximus, nam calvariæ olla cum difficultate detecta (dura enim mater ſuturis firmiſſimè inhæſit) ſtatim vaſa meninges perreptantia ſanguine plurimùm turgeſcere conſpiciebantur, quaſi major cruoris maſſa in capite aggereretur, venis namque imi ac medii ventris ſectis aut ruptis parùm ſanguinis effluxit. Pars cerebri corticalis & ejus anfractus undiquè gelatinæ ſimili humore referti fuêre. Integumenti cerebri ſubſtantia prorſùs madida & humore ſeroſô ſupra modum irrigata videbatur, qualis tamen nulla colluvies ventriculos inundabat; acriter hic humor linguam mordebat, ingrati ſaporis exiſtens. Plexus Choroideus grandior, ſubdurus & nigricans exiſtens, plurimùm à naturali deflectebat: Conſpeximus glandulæ pinealis inſignia crura medullaria; Pituitaria verò glandula liquata quaſi & diſſoluta à viſcoſiore lymphâ, quæ omnes ferè partes irrigabat, vix diſcerni poterat, digitis contrita inſtar grandiorum arenularum oſſicula plura ipſi adjuncta obveniebant: Paria nervorum ad ſenſus facientium grandia duodecim monſtrabamus. Quas raras etiam demonſtrationes adſtantibus dedi, eas hùc addere vel ſupervacaneum cenſeo. Sæpiùs rariora etiam examinanda mihi occurrunt, quæ in aliud tempus differam: In virgine nuper Epiſcopicellenſe matrici incluſas ſeptem diverſæ magnitudinis molas videre datum, quæ omnes ad manum adhùc mihi ſunt, & fortè typis ab admirandi ingenii Virô *Jo. Conradô Peyerô*, mandantur, ſi id nondùm præſtitum.

Ibid. Decur. II. ann. VI. Obſerv. 34.

De abſceſſu abdominis ſingulari.

Eſter Rietmann, Virgo ſexaginta quinque annos nata, ab annô ætatis vigeſimô, menſibus præter naturam fluentibus, & prolapſû uteri vexata, ſuaſû alterius thermis Badenſibus uſa, brevi pòſt convulſionibus & præſertim etiam lancinationibus uteri, totiuſque imi ventris urgebatur, certis temporum intervallis, mox ſingulis, mox alternis diebus ingraveſcentibus, idque cum nullâ vel ſenſuum internorum vel externorum læſione: Varios pro ſanitatis recuperatione Medicos, & quoſvis quoque advolantes Medicaſtros in conſilium adhibuit; & Medicamenta adminiſtrata varia &c. clyſteres, potiones purgantes, ſine ſucceſſu ullô aſſumſit: Delectabatur continuâ maſticatione Zingiberis: A quatuor nùnc annorum ſpatiô, à quô menſes ei ſubſtitêre, convulſiones, & lancinationes uteri in dies incrementum ſumentes, inſecutus eſt tumor epigaſtrii & pedum, ſub veſperam iterùm evaneſcens, nec impediens, quô negotiis domeſticis & aliis neceſſariis peragendis præeſſe poſſet: Præteritô menſe Septembri tumor in tantum excrevit, ùt lectô ſe affigere cogeretur, nec præ nimiâ mole incedere poſſet; Eluſit non tantùm medicaminum vim, verùm in majorem quotidiè inſurrexit molem: Urinam ſine ullâ difficultate mittebat turbidam cum ſedimentô farinaceô, alvus totô decurſû morbi libera extiterat, vomitus materiæ bilioſæ ſubviſcidæ & ciborum ingeſtorum, pro ratione aſſumtorum, continuò urgebat; inſtare fatum ſumma totius corporis macies, facies Hippocratica, & variorum accidentium exacerbatio indicabant, quod & tandem placidam eidem necem attulit: Cadaver cultro Anatomico mandatum, præſente Nobiliſſimâ & ſagaciſſimi ingenii Matronâ, D.nâ Cleophæâ Schobingerâ, quantum cancelli temporis poſiti permiſêre, apertum examinavi, viſurus nùm fortè mola, vel hydrops, aut alius affectus abſconditus lateat.

Intumuit abdomen hujus virginis, ùt ambitus ejus ulnis duabus cum quadrante includeretur; regio lateris ſiniſtra ad attactum mollior, ſed ſanguine coagulatô nigra notabatur, pedes etiam valdè tumebant, veſtigiis tamen impreſſorum digitorum nullibì remanentibus; circa hypogaſtrii regionem tumor attactui non cedebat.

Integumenta communia naturali inter ſe cohærebant nexû, & detecta fundebat liquorem ſeroſum ad aliquot uncias regio lateris dextra, glandulæ molles, latæ, ſeroſô liquore turgidæ, paſſim panniculo carnoſo adhærebant.

Muſculis (qui in membranas ferè extenſi erant) abdominis ſeparatis, obſervavimus peritonæô corpus aliquod craſſius, molle, ſubſtratum, & peritonæo quàm firmiſſimè annexum, quàpropter ſtudiosè liberatô peritonæô, oſtendimus inſignis molis corpus, totam ferè abdominis cavitatem replens, inteſtina verſus diaphragma trudens, itidem ſicut peritonæo, regioni umbilicali, hypogaſtricæ & epigaſtricæ quàm firmiſſimè annexum.

Inciſione hujus corporis factâ, magna materiæ ſubnigræ, feculentæ, viſcidæ, & glutinis inſtar cohærentis copia effluxit, cui capiendæ amphora media haud ſufficiebat: quâ emiſſâ ſaccum vidimus digitum craſſum, per medium membranâ peculiari diviſum, materiæ contentæ duo diverſa loca tribuens, & in dextrum & ſiniſtrum dividens; ſaccus ſeu valva ſiniſtri lateris amplior multò erat, tranſverſim deſcendens, & tertiam cavitatis partem occupans; Hydatides nullas offendimus, verùm abſceſſus complures integrum hujus corporis fundum occupantes, diverſæ figuræ, alios pugni & ſuprà, alios ovi, nucis &c. magnitudinis, materiam continentes purulentam, ſine ullô ſapore mucoſam, viſcidam. Cavitas abdominis ante factam hujus corporis inciſionem naturali ſiccior obſervabatur: Nullæ epiploi, quod conſumtum erat, ſuperſtitêre reliquiæ: Ventriculus nullam aliam contraxiſſe labem videbatur quàm quòd, ſicut & inteſtina tenuia, materiâ bilioſâ, ſubviſcidâ, refertus cerneretur; cæterùm inteſtina, paſſim lumbis ac vertebris adnata, nigricantia adparebant: Totius meſenterii pars ſuperior exeſa, conſumta & inflammata erat, nec niſi glandulis induratis ſpectabilis, nec etiam ullam cum hôc abſceſſu habebat connexionem; Inteſtinum rene ſiniſtrô aſſitum ſphacelatum erat, & ren ipſe dextrô major verſus inteſtinum eandem corruptionis labem contraxerat: Lien, obſcuri & ſubnigri coloris, tumebat aliquantùm, & facilè unguibus diſcerpebatur, figuram aliquatenùs quadrilateram repræſentabat; diameter ejus quatuor pollicum longitudinis & quatuor latitudinis erat. Pancreas duriuſculis glandulis undiquè conſperſum videbamus. In veſicâ felleâ, ovi magnitudinis, continebatur bilis ſubflavâ pallidior, nullius ſaporis, vel ſaltem obſcurè & leviter linguam mordentis, in fundô hujus veſiculæ aliquot calculi, externâ facie contentæ bilis colorem referentes, variè protuberantes, internè nigri, friabiles, ſemen betæ repræſentantes, reperiebantur: Hepar alibi obſcurius, alibi albicans, variegatis coloribus diſtinguebatur,

cæterà ſanum: ſanguis in venâ portâ aduſtus & nigricans haud pendebat unciam. Uterus naturali triplò aut quadruplò major, externâ fronte calloſus, gibboſus, variis diverſæ magnitudinis & figuræ protuberantiis ſpectabilis, vaſa obtinuit debita, præterquam quòd teſticulus lateris ſiniſtri nullus, & ejuſdem lateris tuba in ligamentum aliquod latum abiiſſe viſa fuerit: Tuba dextri lateris nullam obtinens cavitatem aderat cum teſticulô, in quô rudimenta aliqua ovulorum obſervabamus: à teſticulô dextrô, ut & à ſiniſtri teſticuli regione, quôvis latere, rami duo inſignes pollicem craſſi, ad fundum ſacci ſive corporis hujus protendebantur, & cum aliis multis vaſis, & arteriis conjuncti eidem confusè inſerebantur; Veſica urinaria, huic corpori adhærens, difficulter ſeparari poterat: In cavitate thoracis ſicut nec in pericardiô ulla reperta fuit aqua præter naturalem lympham à Thymo delatam: Pulmones partim ex abſceſſibus, partim ex partis aduſtione, nigri & corrupti, partim etiam phlegmate & atrô ſanguine inſtar atramenti referti erant.

In cordis ventriculis paucus ſanguis reperiebatur, nec corruptus, nec concretus, in ventriculô hujus ſiniſtrô polypus major, in dextrô minor cernere dabatur; In venâ cavâ pauciſſimus, ſed aduſtus & niger ſanguis ſuperſtes erat.

Ibid. Obſervatio 174. *Ejuſdem Decur. II. ann.* 9.

De vulnere Capitis cum fracturâ cranii & fungô.

Ibid. Obſervatio 19. *ejuſdem Decur. II. ann.* 10.

Ex Plicâ amiſsâ ſteatoma.

SEbaſtian. Turrler, vir probus & honeſtus, an. 1650. D. 9. Martii natus, Temperamenti ſanguineo-ſeroſi; validi & lacertoſi corporis, placidæ mentis; totô ſuæ vitæ decurſû ſanus, & nullô unquam morbô niſi variolis & morbillis detentus; cùm annô ætatis ſuæ vigeſimô primô Francofurti ad Mœnum ſervitiis ineſſet Fabri Lignarii, Joh. Melchioris Mengii, & ædibus novis texendis vacaret; parietum ancones jam jam exſtructi de improviſô conciderunt, & ipſum unà cum aliô conſervô, Chriſtophorô Mejerô, Memmingâ Suevô, humi proſtrârunt; neutri, uti videbatur, aliud quid damni illatum fuit, quàm quòd attoniti ad temporis pauxillum jacuerint, donec ex propinatô aceti cyathô refecti, alterô die laborem ambo citra impedimentum repeterent. Türrlerus quidem ex nuchæ contuſione aliquantùm dolebat, ſpretus verò dolor & neglectus ſponte tandem diſparuit, & ſtigmatis notam reliquit tuberculum piſô vix majus, indolens, mobile, ejuſdem cum cute coloris, pollicem ſupra apophyſin ſuperiorem primæ dorſi vertebræ conſpicuum: pauci abhinc temporis decurſû ex ejuſdem tuberculi confiniô ſupernô Cirrus prorupit, pilorum variè contortorum atque complicatorum ſubviridis, ad longitudinem ſemiulnæ excreſcens: monſtroſum hoc & antehàc inauditum ſibi germen ſedulò celavit; de eô tandem pertæſus ab urbis Pharmacopœo in monte Romanô habitante conſilium petiit; qui ex reſectione, vario ipſum periculo, ſi non mortis ſubitaneæ, ſaltem vitæ diſcrimini à morbô acutô certiſſimè ſubeundô expoſitum iri præſagiit; tulit ità decem annis ſanus & robuſtus, quô tempore tuberculum à priori nil quidquam mutatum & magnitudinem, colorem & indolentiam ſervavit; & ille intereà artem ſuam mechanicam admodùm laborioſam ſedulus & citra impedimentum exercuit, ac matrimonium ingreſſus, aliquot pater liberorum evaſit. Ante quinquennium, ſcilicet ſub principium ann. 1687. ſponte & ex improviſô excidit Cirrus: poſt quatuor abhinc menſes corripiebatur dyſenteriâ, quæ ſporadicè graſſabatur, & ſimul uxorem cum tribus liberis invaſit; convaluit, me medente, feliciter: Jam verò Tuberculum, cujus hactenùs nulla cura fuit, exigua ſui vincula rupit, lentô pede prorupit, crevit; & profundiùs latiùſque ſerpendo magis in dies excrevit, donec non ſolùm integrum, quod inter ſcapulas interſtitium eſt, ſed etiam utriuſque alas homoplatæ occuparet, obtegeret, & enormi tumore deformaret. Æquâ ceu ſibi iniquâ mente toleravit hucuſquè miſer miſerum affectum, nullius, vel Medici, vel periti Chirurgi, conſiliô uſus, licèt ubiquè ceu monſtroſus & biceps evaſurus non ſine commiſeratione exciperetur, animum nec dedit ullis adhortationibus, quæ pro Medicô conſiliô capiendô faciebant; hôc vel firmô & miſerô ſolatiô à Mulierculis ſuppeditatô deceptus, tumorem quamdiu doloris expers, ſanitati innocuum, & medicamentis minimè irritandum; vel terrore adfectus, curam ferrô & igne perficiendam, crudelem & ſine dubiô lethalem fore. Tandem cùm ad perficiendam operam quotidianam, quâ accuratè ſibi ſuiſque cultum & victum neceſſe habuit, vires interdùm languere atque torpeſcere ſentiret, ſomnus brevis & interruptus evaderet, appetitû licèt conſtante, ſitis non rarò urgeret; rigores ſubindè auræ adinſtar frigidæ per dorſum decurrerent, & punctionibus dolorificis Tumoris ſphæra, ipſaque thoracis interiora infeſtarentur; nuperô vernali tempore appropinquante Chirurgi noſtri & peritiſſimi, & multâ praxi dexterrimi, Dni *Diethelmi Schereri*, urbis Senatoris, & Sereniſſ. ac Reverendiſſ. Principis ac Abbatis Cœnobii St. Gallenſis, Chirurgi Aulici æſtumatiſſimi conſilium & auxilium imploravit: Hic verò unô & alterô diſcutiente emplaſtrô dolorum incrementa coercuit; & cùm augurari facilè eſſet, ex appoſitis externè, vel generoſiſſimis impetratû vix quidpiam fore, Medicum ſibi adjungi expetiit, meque proin die 20. Maij in conſilium vocavit. Erat Tumor ad aſpectum horrendus; ſuô diametrô novem ex baſi ceu pede longus, uncias octo latus, à ſeptimô colli ſpondylô incipiens, ad octavam circiter dorſi vertebram protenſus, ſuâ peripheriâ totum intraſcapulare interſtitium occupans, & magnam utriuſque partem homoplatæ obtegens; inſigniter turgens & elatus; ſtriis hìnc indè ex albô rubrô liventibus variegatus; ad attactum omnis expers doloris, & hôc mollis ac digitis cedens, aliô locô renitens & tubera ſcirrhoſa varia circa baſin circumferentiæ ſiniſtræ, & unicum in ipſô centrô exhibens, quæ verò phymata indurata, tumoris corpus inæqualitate notabili minimè deformârunt, à parte inferâ dolens erat. Nobis affectus uti ſat rarus, ità maturô penſitandus judiciô & accuratiore indagine examinandus videbatur, nè veriverbii, vim experiri contingat: *Malè cuncta miniſtrat impetus.* Placuit igitur loci inflammati ſuppurationem Diachylô promovere, vel hôc minùs ex votô ſuccedente, cauteriô ruptionem tentare, ùt de liquore contentô & ſpecie Excreſcentiæ ſeu Tumoris certiùs nobis conſtaret: Secundô ex applicatô Diachylô die, ſc. 22. Maij cutis leviter perforata ichorem ſeroſum jugiter exſudavit: ampliationem aperturæ procuravimus exili gentianæ turundulâ, ex cujus dilatatô orificiô priùs pus coctum, & inſtitutâ preſſione materia ſebacea prodiit, unde etiam aditus ſtylo patuit, quævis interiora rimandi, plura hinc indè obſtacula po-

ſita explorandi, & intentiones curativas tantò prudentiùs moderandi. Steatoma autem quod à Griffoniô reſectum Hildanus Cent. VI. Obſerv. XVI. deſcribit, utpote unô ſimplici folliculô digitis ſeparabili comprehenſum, cum nôſtrô haud convenire, & hoc ad imitationem Fabritii ab Aquapendente forfice amputari, vel factâ cruciformi ſectione una cum folliculis ſeparari & eximi neutiquam potuiſſe, diverſorum congeries Tumorum tunicatorum ſub unô communi tegmine, & carcinomatum ſcirrhoſorum inſignium, profundius & altius radicatorum multitudo, facilè cuivis perſuadebit. Methodus Celſi, quam *l.* 7. *c.* 6. de curâ Meliceridis, Atheromatis,& Steatomatis manuali, prolixiùs tradit, omnium nobis convenientiſſima viſa fuit; quam proin, corpore per epicraſin pillulis è Mercuriô dulci & extractô Catholicô confectis purgatô, ex aſſe ſecuti, die 25. Maij,Bonô cum Deô, Syringotomô Sculteti, inciſionem ex locô phlegmone obſeſſô inchoatam per magnam Tumoris partem, ſecundum ejus longitudinem continuavimus: Materia alba ſebacea, inſtar ſpermatis Ceti vel Oryzæ coctæ fruſtillatim & granulatim ſibi confuſa, exiguô cruore tincta, tantâ quantitate prorupit, cui tantus quidem Tumor recipiendæ vix capax putaretur. Elevatis & reclinatis integumentorum diſciſſorum labiis, plures hinc indè obvios Tumores particulares ex baſi protuberantes, & nonnullos velamento ſuperiori annexos, tunicâ carnoſâ incluſos, alacri manû Chirurgus, ſuâ ſaburrâ, factâ inciſione liberavit; quorum aliqui materiam craſsè compactam. ſebaceam, plures ſerum viſcidum flavum eructârunt. Tumor centralis ſuperficiem habuit à panniculô carnoſô, aliquot pollicum craſſam & ſcirrhoſam, baſin verò tunicatam materiâ ſebaceâ repletiſſimam: prolixius ſcrutinium Patientis Apſychia hâc vice non permiſit: refocillatus ille vinô, quod hujuſmodi ſortis hominibus præſtantiſſimum Cordiale audit, & cavitas vulneris repleta linteis Balſamô vulnerariô ebriis, applicatum emplaſtrum album coctum, ſuper impoſiti ſacculi ex herbis balſamicô-diſcutientibus in vinô coctis, & faſciis ex arte deligatus fuit: Materia hæc unâ vice evacuata ut prodigioſum quid, aliquot diebus monſtranda curioſis frequenti numerô confluentibus, aſſervata, libras civiles ſeptem habuit, & nè minimum fœtorem ſpiravit. Diem Patiens ſatis benè tranſegit, obambulare valuit, modicè comedit; nox inquieta fuit. D. 25. vulnus recluſum, & ex variis latibulis ſedulò deterſum, copiam rurſus materiæ ſeroſo-ſebaceæ eructavit, & baſin hìc carne ſanâ rutilante conſpicuam, ibi tunicis membranaceis obſitam, alibi ſcirrhoſam monſtravit: labia panniculi ſeu cutis, ex cujus gremiô & amplexu ſaburra dicta prodiit, unciam integram craſſa palmam ex utrâque parte ſibi invicem impendebant. Omnis in hôcce purgandô Augiæ ſtabulô, detergentibus & ſuppurantibus adhibitus labor, è Tantali hortô fructus colligere fuerat; ſarcomata ſcirrhoſa, marginem Tumoris cingentia & ipſiſſimam muſculorum Trapezii, Rhomboidis & latiſſimi ſubſtantiam profundè penetrantia, catharcticis auferre tædioſum & omni tormentô acerbius videbatur; Tunicarum à muſculis avulſio & diductio exquiſitiſſimè ſenſibilis erat, labiorum ſuperflua caro præpedimenta ſinuoſitates percontantibus ubique poſuit, & utcunque ſpiritu vini Theriacali Myrrhatô ſingulis deligationibus lavata, gangrænoſam nihilominùs corruptelam induit; quæ ſingula ſtimulos addiderant tantò fervidius atque temporius reſecationem & plenarium ῥιζο γομιαν cultrô ſuſcipiendam inſtituendi. D. 29. Maij integer velamentorum orbis ſimul cum adnatis carcinomatibus ſcirrhoſi, & variis pelle membranaceâ obſitis locis, ex baſi ſanâ, quâ licuit induſtriâ & celeritate ſcalpelliô ancipiti Sculteti, reſectus & exſtirpatus fuit. Hæmorrhagia pro amplitudine vulneris inflicti enormis erat, & forſan ob terrorem & apſychiam Patientis ſpirituum & ſanguinis impulſu deficiente, vel propter ramorum Azygos, intercoſtalium & ſubclaviorum inſertionem ibidem exilem, uberior eſſe vix potuit, & admotô cum ſtupis cannabinis pulvere ſtipticô albumine ovi ſubactô ſtatim quievit. Æger delinquens convenientibus excitatus, deligatus & lecto commiſſus, ſudore frigidô totâ die diffluebat; pulſus erat exilis, appetitus nullus, ſitis crebra, animus ſemper conſtans. Sub veſperam remotis applicitis, ſanguis undiquè ex arteriolarum canaliculis recluſis alacriter proſiliit; repreſſus ſtatim & vulnus terſiùs ex arte deligatum eſt, quod hodiè Patientis Apſychia non permiſit: nox inquietè & interruptô terroribus ſomnô tranſacta: Velamenta Tumoris ſeu Panniculus Carnoſo-ſcirrhoſus, hâc exciſione ablatus unciarum viginti pondus habet, & hucuſquè in ſpiritu vini maceratus cuſtoditur. D. 30. Maij ſanguinem coërcentibus, ut heri, deligatus, alacrior ſenſim evaſit, cibum modicè ſumſit, vinum duabus aquæ decoctionis C. C. tertiis dilutum bibit: de nocte parùm quievit; non niſi ſupinus in vulnere cubare, neutri lateri incumbere potuit. D. 31. Maij & 1. Junij vulnus ſenſim digeſtivis mundificatum multùm puris optimi reddidit; & conſpectui jam obveniebant, quæ celeri ſectione de ſinubus, tunicis & carcinomatibus muſculis profundius inhærentibus relicta fuerunt, ſingula enim aliena accuratiore ſectione radicitùs ſuſtuliſſe vix ulli licuiſſet. Sinus inſuper amplus & latus, quem primâ ſectione non obſervavimus, à lævâ vulneris, ſupernè verſus vaſa jugularia tendebat, qui etiam D. 2. Junii, inſciô ægrô, cultrô ſublatus, nihil præter ſeri viſcidi pauxillum continebat, & baſin firmâ tunicâ inveſtitam habuit: jam verò ex Catarcticorum ſubſidiô, uti omnis pendebat ulterior ſucceſſus: ità haud timidè vel temerè, quiete Patienti aliquot dierum, donec vires collegiſſet, conceſſâ, butyrum minerale cum obſervatâ prudenti cautelâ, diei 6. Junii veſperâ, cum filamentis eôdem inebriatis ubicunque neceſſarium videbatur cautè adplicatum, reliquum vulneris filamentis ſiccis ſedulò munitum, & emplaſtrô uſitatô albô coctô obtectum & obligatum fuit. Dolor ex inſtanti vehementiſſimus adparuit, nec aliquid auxilii fuit ad infringendam ſymptomatis ferociam, præter ſolam patientiæ recommendationem & datam ſucceſſûs optimi fidem. Noctem miſerè egit, omnis aufugit ab oculis ſomnus, dolor, febricula, ſudor, terror, & quid non ſymptomatum deteriorum? omne variorum Paregoricorum & opiatorum vim illuſerunt. Die ſeptimô Chirurgus multis precibus ſummô mane advocatus, apertô, & detractis filamentis liquore antimoniali imbutis, mundificatô vulnere, toti ejus orbitæ Balſamum ſuum, ſolâ ex adipe porcinâ, oleô roſaceô & ovorum albumine confectum linteis inductum, impoſuit; ex quô incantamenti adinſtar, plurimus intra horæ quadrantis ſpatium dolor, maximô cum Patientis ſolamine, evanuit; Et gloriatur de hôc Balſamô Chirurgus, ſe tali in caſu, ſcilicet in omni dolore cauſticis inductô, ab ejuſdem applicatione, nè unquam votô fruſtratum ab ægris diſceſſiſſe. Febricula lenta cum madore totius corporis continuô, ſomnô interruptô, appetitu proſtratô, ſiti intenſâ, viribus dejectis, & alvô occluſâ ad plures

plures dies extendebatur; quibus medebar terreis fixis, dyſcraſiam ſanguinis temperantibus & ſpiculâ ſalis peregrini obtundentibus ex Antiheƈt. Pot. Pulvere Conchar. Ocul. Cancr. Cinnabar. nativâ; Gelatinis variis, Juſculis alteratis; Diætâ tenui; mixturis itē Paregoricis cochleatim exhibitis, ex Aquis Antepileptico-anodynis, Aceto deſt. Ocul. Cãcr. CC. philos. præp. & pulvere Anodyno paratis; & emulſionibus Hypnoticis de noƈte hauriendis. Vires viƈtu Analepticô reficiebantur; Decoƈtum CC. paſſulatum pro potu ordinariô datum; Alvus clyſmatibus ſollicitabatur; Interim externa pro votô ſuccedebant; vulnus copiosè ſuppurabat, pus ſincerum λευκὸν, ὁμαλὸν, καὶ ἥκιστα δυσῶδες, fundebat, & Balſamô vulnerariô ſuprà memoratô, ſingulis deligationibus applicatô, Eſchara ſenſim ad caſum vergebat, tandem perfeƈta ejuſdem ſeparatio circa 20. Julii diem impetrata fuit. Mirum & lætiſſimum aſpeƈtu vulnus carnem undiquè viſui exhibuit, pulcherrimè rubentem & ſanam, & nullibi niſi ſupernè fabæ majoris magnitudine reſiduum tunicæ ſtigma reliƈtum, & Eſcharotici ſpiculis elapſum; ſui verò in centrô, cùm elatius aliquantùm & turgidius, quamvis carne ſincerâ, firmâ & rubente conſpicuum exiſteret, ſuſpicio incidit de latente ſub cineribus doloſis igne occultô; ùtque nihil in poſterum exinde periculi metuendum ſit, prominentia hæc centralis, ipſis vertebris in mediô Metaphreni ſuffulta, unà cùm ſtigmate tunicæ à ſupernâ vulneris parte reſiduô, Catharƈtico Antimoniali denuò commiſſa, & indè Balſamô memoratô ad ſolutionem & Eſcharæ caſum promota fuerunt; ubi quàm maximè notandum, dolorem, qui tantùm non per Nyƈthemeri ſpatium atrociter ſæviebat, jam binâ vice ab impoſitô Balſamô vulnerariô, me præſente & Autopte, ad miraculum obſtupuiſſe. Detraƈtâ quæ erat in mediô vulneris Eſcharâ, ecce! prægrandis hôc ſinu geſtatus & profundè occultatus occurrit folliculus, ovi majoris columbini magnitudine, materiam ſine cruore, ſine liquore ſpiſſam, albiſſimam, ex fruſtulis copioſis ſpermati ceti æmulis compoſitam continens, tunicâ ſuâ, cui inhærebat, muſculis à baſi ſubſtratis ità firmiter connatus, ùt digitis avulſionem tentatam, exquiſitum propter dolorem Patiens ſuſtinere noluerit; Reliqua vulneris ab omni incrementô alienô pars repurgata, manè & veſperi filamentis ſiccis obſita, unguentô digeſtivô linteis induƈtô obteƈta, ac ſingula poſtmodùm Emplaſtrô albô coƈtô & faſciis ex arte applicatis munita fuerunt. Interim vulnus ex margine in dies coibat, anguſtius reddebatur, & cicatricis veſtigia latiora monſtrabat. Tunica verò folliculi diƈti Cauteriô ablata, foveæ prægrandis veſtigium, carne novâ ſarcoticis procuratâ, ſenſim repletum, hincque totum vulneris reſiduum Epuloticis ad cicatricem perduƈtum, & Miſer miſerô affeƈtu ex altâ radice exſtirpatô Apolline propitiô liberatus, Dei ex gratiâ optimi, Maximi, priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, & hoc tempore, & priori robore & Athleticô ac vel in dies proficiente corporis habitu gaudet.

Ibid. Obſervatio 86. *Decur. III. ann.* 1.

De infante recens natô, ab extremorum in aquam frigidam immerſione Iƈtericô, brevique mortuô.

Ibid. Obſervatio 87.

De Menſium momentaneâ ſuppreſſione & inſecutô Iƈterô, ex attaƈtu cadaveris.

Ibid. Obſervatio 88.

De virgine ex ſcapulis ſcarificatis, Menſibus purgatâ.

Ibid. Obſervatio 89.

De Iƈterô cum Ileô curatô.

Ibid. Obſervatio 90.

De Ileô ex Hypercatharſi curatô.

Ibid. Decur. III. ann. 3. *Obſerv.* 58.

De Catalepſi cum horrendis motibus convulſivis.

INſignis familiæ egregia filia, Virgo 24. annos nata, temperamenti ſanguineo-bilioſi, ex albô roſei & vividi coloris, animi ad quoſcunque adfeƈtûs promptioris, ingenii & judicii acrioris, agili manuum aƈtionum, & vel Herculea progenies, corporis viribus ſupra ſortem valens: dum quinquenniô antè Pariſiis moraretur, febre quartanâ ſeptem menſibus confliƈtata, & pluribus unciis corticis Peruviani, venæ ſeƈtionibus, item & purgationibus inaniter traƈtata, tandem in leƈticâ Medicorum conſiliô in Helvetiam deportata, poſt aëris mutationem, convaluit: Commorata hìc quantiſpèr, vires ſenſim collegit, & priſtinus vigor funƈtionibus rediit, extricante ſe fermentô ſtomachicô, & appetitûs ſtimulô urgente, palato ad varia δύσπεπτα indulſit. Rediit febris ſub variâ, modò tertianæ ſimplicis & duplicis, modò quartanæ formâ. Curata tandem eſt, ſedulâ operâ Nobiliſſ. & Excell. Domini *Jacobi Hochreutenerii*, Med. Doƈt. Collegæ noſtri amiciſſimi. Valuit ad tempus commodè, quandiù non excederet limites diætæ. Deleƈtata hinc pomis Citri & aliis deterioris ſucci eduliis, laƈte, laƈtucâ & ſaccharatis, ſtomachi peſſundatô fermentô, paſſionem hyſtericam, cardialgiam cum plurium ſyndrome aƈtionum & vitalium & animalium læſione incurrit. Cardialgiâ cum ſæviſſimô præcordiorum dolore conſtriƈtivô junƈtâ, clamores & gemitus nonnunquam expreſſit, qui procul exaudiebantur. Scilicèt multùm ſe ſublevatam exiſtimabat quotiès ex altô peƈtore vociferari liceret. Mitigatâ Antihyſtericis paſſim uſitatis dolorificâ ſtriƈturâ, ſucceſſit ſtomachi expanſiva inflatio, quâ turgidum peƈtus plurimùm, præcipuè ſumtô cibô cernebatur. Expers verò doloris, dùm cæterà ſe modicè haberet, Præfocatione ſuâ nec crebriùs nec graviùs confliƈta, ſuſtinuit hoc, quod fuit incommodi patienter, tempus æſtivum pro potandis Fabarienſibus Thermis, ſibi ad affeƈtum commendatis, exſpeƈtatura.

Mediô menſe Julij anni 1689. ad ipſum Thermarum fontem profeƈta, licèt à plurimâ hoſpitum turbâ gravida diceretur, aquas audaƈter in prænobili Advenarum conſortiô potavit, & Curæ auſpicatis initiis, turgidum flatu ſtomachum, primis diebus reſtitutum ſibi vidit, domumque ſedecim poſt dies potui deſtinatos (quos & per horulam ſubinde balneandô inſumſit) ſana diſceſſit, abhinc athleticè valuit, dum nonniſi perverſô regimine affeƈtuum vel diætæ leviculos mali prodromos concitatos ſentiret.

Circa vindemias anni, 1691. poſtquam laƈtucâ, laƈte, pomis & uvis ſine moderamine veſceretur, inſuper Nobil. Dominus Parens communi famâ morbô decumbens lethali perhiberetur, ſummô illa mœrore affeƈta, dumque nihil literarum longum

longum ex ipſô vidiſſet, luctu confecta, Cardialgico-Hyſtericis pathematis obruta, lecto graviter affigebatur; jam verò in prædiô plures horas ab urbe diſtante conſtituta, dum alia ad manus non eſſent, antihyſtericis vulgaribus contenta, Medicum accerſi noluit, ne quaſi ſemper valetudinaria diffamaretur, hoc quidem indè, ac ſtrictiore diætâ beneficii accepit, ùt finitis vindemiis lecticæ commiſſa urbem commodè repeteret.

Quò verò minùs à brumæ inſtantis injuriis læderetur, & cautis ſuppetiis ſymptoma moleſtiſſimum propelleretur penitùs atque præverteretur, & fidei & curæ plurimùm adhibuit Excell. & Exper. D. *Fridr. Seylerus* M. D. Illuſtriſ. atque Reverendiſſ. Principis & Abbatis Sangall. Archiater, ut qui blandioribus nervinis & ſpecificis uterinis deterioribus ſymptomatis orgaſmum in multum tempus feliciſſimè cavit. Annô ſequente, dum pro fruendis camporum deliciis in virentia prata ſe conferret, & ſub veſperam, flante impetuoſiùs Boreâ, citatiore gradu domum repeteret, lectum ingreſſa totius corporis horrore cum oſcitatione frequenti & præcordiorum oppreſſione correpta, largô ſudore excitatô, manè ſana ſurrexit. Paucis abhìnc diebus, dum braſſicam conditam cum carne ſuillâ coctam magnâ cum copiâ panis paſchalis dicti, ovis gallinaceis piſti comederet; variis inſuper animi adfectibus agitaretur, ipſô reſurrectionis Chriſti feſtô, jam cum omnimodâ ſenſuum & motûs ceſſatione, jam præcordiorum dolore oppreſſivô, atque punctoriô vagô lateris dolore correpta, & ab iteratis & olim uſurpatis remediis, nihil hâc vice ſublevata me vocari voluit. Reciprocabat ſtrangulatio uterina dicta, cum effreni cardialgiâ & pleuritide flatulentâ, unôque convenientibus ſublatô, alterum gravius ſucceſſit. Pedibus (quod primum ad hyſterica vocato mihi eſt curæ) calidô operimentô concectis, ventriculô avenâ calefactâ munitô. Clyſmate ex decoctô ſpec. carminant. cum ol. lini & ovi vitellô injectô, intùs cochleatim exhibui mixturam uſitatam ex *Aq. meliſſ. chamomill.* āā ℥ij. *Eſſent. antihyſter.* ʒj. *Ther. cœl. gr. iiij. ſyr. cortic. aurant.* ℥ß. & pro potu non aliud conceſſi, ac decoctum è flor. chamomillæ. Ceſſavit ex hìnc ferocior ſpaſmus, & dum natæ ex leviculâ anſâ crebriores recidivæ nullis ſpecificis præcaveri poterant, concitatô vomitu cum *antimonii diaph.* ℈j. *tartari emet. gr. ij. ſal. abſinth. gr. iij. & Caſtor. gr. j.* multâ saburræ viſcidô-bilioſæ copiâ per utramque viam rejectâ excuſſô mali fomite penitùs ſublatus eſt. Jam ùt ſanguini, generi nervino & incolis conveniens adderetur robur, & quod reſiduum fermenti hyſterici lateret, expugnaretur, præmiſsâ ſanguinis detractione, dum menſtruis parciſſima fuit, commendatus eſt pulvis ex *Bez. Mart. ocul. cancr. cinnabar. nativ. & caſtoreô* per aliquot ſeptimanas, ex *aquâ meliſſæ* hauriendus. Rediit exin vividus corpori color, incaluêre partes, menſes copioſiores redditi ſunt, & utrique œconomiæ priſtinus vigor reaffulſit.

Tranſiit reliquum veris & plurimùm æſtatis ex votô, licèt procatarcticarum non æquè obſervanti.

Aliquandò Catameniorum fluxu inſtante, pro conſcribendô nomine Parentis milite, tempeſtate horridâ iter faciens & multa tædia devorabat, & hìnc indè quôvis cœlô excurſitando, pedibus non raró madeſcens, domum revertebatur. Hìnc menſibus minùs convenienter purgata & ſpaſmis hyſtericis iteratò petita ventriculô intumuit, & poſt paſtum præprimis altum extumuiſſe viſa eſt. Meſenterij pectoriſque ſpaſmi ſpecificis ceſſêre. Ventriculus non ſtomachicis amaris, non nervinis, theriacalibus, nec anodynis reprimi potuit.

Proſequebatur interim à multô tempore mutuô tenerrimô amore Juvenem, & generis & proſapiæ haud inferioris, cujus ſibi conjugali vinculô ſociandi ſpe dum defraudaretur, hôc nuntiô vehementiſſimè conſternata, momentaneâ Eclyſi abripitur, & priſtinorum ſymptomatum catervâ prehenditur, graviores erant paroxyſmi, quàm ulli præcedentium fuerunt, utpote ex quibus nec ſummè urinoſis naribus admotis, niſi longô tempore elapſô excitari potuit. Mentis compos reddita querebatur de torminibus vagis, modò colicam, modò vehementiſſimam pleuritidem ſpuriam æmulantibus, modò tracheam præfocantibus & ſpiritum intercipientibus. Hæc invicem excepêre, donec fomentis calidis ad ſudoris undiquè proruptionem munita, alvô clyſmate ſolutâ & mixturâ Hyſtericô-anodynâ cochleatim ſumtâ, ſpaſmô liberata convaleſceret. Vix præterlapſis duabus ſeptimanis, quòd fuit ſub Februarij finem, dum negotia magni momenti, magnô animi fervore ſuſcepta, ex votô non cederent, ſibique illuſum exiſtimaret, ad iram commota, ità excanduit, ùt vel ringens obrigeſceret, & paroxyſmos ex remediorum hactenùs uſurpatorum, repetitâ adminiſtratione vel in dies exacerbatos ſentiret. Nervoſum equidem ſyſtema quàm maximè irritabile quôvis ſumtô cibô vel inſtitutô corporis motu ad hanc ἀμενίαν, prænuntiâ oſcitatione & aurâ calidâ è præcordiis in caput elatâ concitatum, cum omnium ſenſuum ereptione ſtatuæ ad inſtar immobile obriguit. Epileptici quid ſuſpicati, tantò pertinaciùs Antiſpaſticorum & Cinnabarinorum uſui inſtitimus. Ventri Galbanetum impoſuimus, ſupernè fœtida admovimus, infernè odorifera commendavimus.

Initiô Aprilis, dum Prænobilis & Excellentiſſ. Dominus D. *Mathias Harderus Schaffhauſâ* Conſtantiam ad Reverendiſſ. Epiſcopum vocatus, nos in tranſitu amicô alloquiô ſuô dignatus eſſet, hâc occaſione mentem de affectû rogatus, Emeticum lene in medium conſuluit, ut potè quô cautiùs adhibitô mali fomitem è primis viis eliminatum iri perſuaſum habuit. Vomuit ex *Tartari Emet. gr. ij.* phlegma amaricans & biduanô intervallô nihil mali experta, tertiô poſt die in priſtinum ſtatum delapſa eſt. Habitualis hic viſus generi nervoso impreſſus character, ùt ſpecificis quâ liceret operâ expungeretur, pilulæ ex *pulvere Epilept. March. Cinnabar. Antimonii, extract. pœon. & Trifol. fibr. paratæ, m. & v.* adhibitæ ſunt. Hoc indè perceptum eſt juvaminis, quòd paroxyſmus poſthàc nonniſi à prandiô & cœnâ recurreret, medii diurni nocturni temporis intervallô nonniſi corporis motu interturbatam quietem concedens. Paroxyſmi raró ultrà horæ quadrantem protracti ſpir. ſal. Armon. externè admotô depulſi ſunt. Collectis ſenſibus, ſine virium jacturâ alacris, loquendo, ridendo, ludendo otium oblectata, liberè ſe de latere in latus contulit, vel erectô corpore ſedit; verùm ſi vel è lectô ſurrectura pedibus inſiſteret, imò vel cubans ſtragulis cæterô corpore munitiſſima, pedes nudos extra lectum poneret, oſcitationibus prærepta, hâc quâ fuit poſiturâ, totô corpore adinſtar ſtatuæ obriguit, nullô ſenſuum & motûs indiciô ſuperſtite, reſpiratione & pulſu integris oculis clauſis & faciei colore non mutatô. Hoc dum plurium dierum conſuetudine obtingeret, ipſius adſtiti prandenti periodi cauſam obſervaturus, & en! Juſculô vel unô hauſtu deglutitô, reliqua quæ fuerunt adpoſita, inuſitatâ celeritate aſſumſit, & panis vix dimidium maſticati

maſticati copiam conſumſit, unde buccellâ in faucibus adhuc hærente, poſt brevem oſcitationem & præcordiorum calentium ſenſum, oculis ut ſomnô captô concidentibus obſtupuit, admotô nari ſpiritu volatili, & compreſſis manu labiis, nè ſpiritus ore traheretur, ſenſuum per momentum compos facta, fœtorem averſata, caput ad latus removit, ſed vel factô citiùs in priſtinum delapſa eſt. His probè conſideratis, diætæ exactum moderamen inculcatum, & Nob. Patienti ad tempus nihil præter hordeatum analepticum quôvis trihoriô exhibitum, carnis paniſque uſui interdictum, & pro potu ordinariô nonniſi conſuetum ex viſc. querc. & CC. decoctum conceſſum fuit, tantùm valuit felici conſiliô inſtituta ciborum detractio & minùs properatus ſumendi modus ùt ne mali indicia poſt paſtum poſteà apparerent. Secundâ ſic decurrente ſeptimanâ è lectô ſurgere tentabat, ſed vix ac figeret pedes in terram oſcitationibus mali prænuntiis perterrita, lectum repetiit, cautelæ circa cibum capiendum inculcatæ, dum jam Nobiliſſimæ Patienti moleſtæ evaderent, alimentô largiore frui conceſſum eſt, quod cùm impunè ferret, ad Acraſiam rediit ſenſim.

Mediô Aprili, quô menſium tempus inſtabat, cibis ſatiata plures paroxyſmos tulit, inſtitutô priori regimine & ſiccô pane ſubtractô, quamvis capite & ſtomachô doleret, mens integra perſtitit. Menſes parciſſimè apparentes, nonnullis ex Bezoard. Mart. & ocul. cancr. doſibus ſollicitatæ, non magis prodiêre, potiùs commota iis alvus materiam graviſſimi fœtoris excluſit.

Intricatiſſimo affectui, quô nullum non maturioris conſilii momentum adderetur, conſcripta morbi hiſtoria d. 24. Aprilis ad venerandum & θαυμάσιον Dominum Doct. *Wepferum* data eſt, interim ad tempus in vadô res poſita videbatur, ſolùm quòd è lectô impunè non ſurgeret. Septimô Maij alvi copioſa excreta nares fœtore intolerabili feriebant. D. 8. fæces cruore tinctæ conſpiciebantur, & convulſivi nihil aderat. Die 9. ex obitu inopinatô Amicæ ſuæ, quâ non habuit magis familiarem vel arctiore ſanguinis & amicitiæ fœdere junctam, conſternata, & acerbô mœrore tacta, luctui & ægritudini ſe dedidit, ex quô d. 10. cum ſymptomatum convulſivorum horrendô agmine deterior recruduit morbus, qui dum vel corpus erigeret, vel cibum, ſive ſolidum, ſeu liquidum deglutiret, protinùs cum ſpaſmô gulæ quaſi ſuffocativô & colli intumeſcentiâ excitatus, ſubſequutam habuit totius corporis obrigeſcentiam. Projecta ſic ſenſûs motûſque expers horæ circiter octantem ſubitò exſiliit, manus mirâ agilitate ſuper invicem rotatim commovit, mox pedes non minore agilitate attrahendo & extendendo agitavit. Tandem integra corporis machina tremendum, & non calamô exprimendum in modum, ſpaſmi violentiâ in altum elata & non rarò in pedes erecta, mox non in minore vehementiâ projiciebatur. Lecti conopæum, nè caput conquaſſaretur detectum, ſuperior paries detractus, & ad utrumque latus & caput binæ mulieres diu noctuque poſitæ ſunt, quæ ſecundum corporis convulſivam elevationem etiam pulvinaria ſubjacentia attollerent, ùt ſic corporis ceu in cunabulis jacentis motus convulſivus facilitaretur, minûſque generi nervoſo detrimenti violentâ agitatione accideret. Obſervatum enim pluries eſt, quòd ſi convulſa ſibi relinqueretur, nec dictô modô ſublevaretur, corpus inſtar furiæ incertô motu hìnc indè concuſſum, pulvinaribus verò ſuſtentatum, unô & æquali motu in altum erectum & rurſùs proſtratum fuiſſe, jactitatâ ſic 4. 5. vel 6. vicibus corporis mole, rigidiſſima hinc & nè digitô flexilis, oculis clauſis, facie & artubus ſudore madentibus jacuit, obſervatô dentium ſtridore, admotis naribus volatilibus, cum ſuſpiriis è profundô petitis & brevi tuſſiculâ mentem recepit, de ante actis planè inſcia. Notandum hìc eſt, quòd ſi ægra maturiùs antequam dentibus ſtrideret, odoriferis excitaretur, vel factô citiùs novô ſtupore obrutam & multò diuturniores Eclipſes fuiſſe. Tales unius nycthemeri ſpatiô ultrà triginta paroxyſmos paſſa eſt, triſtiſſimô advolantium amicorum ſpectaculô vix ſemihorulæ quiete gaviſa, dùm novô inſultû peteretur. Somnum non vidit, quô quidem nec ſana multùm fruebatur, ſitiit intensè, ſudore continuô diffluxit, pulſus & reſpiratio naturales extitêre. Collectis ſenſibus animus ſuprà fidem excitatus, nec vires pro morbi truculentiâ fractæ fuerunt. Nonnihil moleſtiæ fecit occipitis dolor cum capitis temulentiâ. Utcunquè verò hauſtibus juſculorum & decocti ord. quos pro ſedandâ ſiti crebriùs & largiùs expetiit, paroxyſmi accelerati & in ipſô adhuc deglutiendi actu concitati ſint, prohiberi non potuit, quin ex diuturnâ inediâ, largâ ſeri per ſudores profuſione, & ſpirituum conſumtione, tantâ ſuccorum vitalium & animalium jacturâ juſculis aliiſque potulentis reſarciretur, & ubicunquè concentrata ſalium irritantium ſpicula diſſociarentur, hâcque vel ſub formâ nutrimenti omni ſtudiô enervarentur, potui additæ ſunt aquæ ſpecificæ ex flor.til. pæon. & hirund. c. caſtor.

D. 15. Maij Paroxyſmi longius conceſſerunt intervallum, alvus fuit ſegnior, urina, quæ à triduô involuntariè profluxit, reddita eſt pauca, tinctior, pilaris. Clyſterem paratum ex lacte, oleô lini & ovor. ij. vitellis rejecit cum fæcum fœtidiſſimarum ſaburrâ, & flatibus multis. Sub noctem Laudan. Hyſter. in aq. ſpecificis ſoluti gr. iij. propinata paroxyſmum ferocem comitem habuerunt.

D. 16. & 17. multô encomiô commendatum ſibi ſuccum Hippenteri, non minùs avidè ac medicamen gratiſſimum admiſit. Ecſtaſes mitiores hinc fuiſſe viſæ ſunt.

Reſponſoriis interim Ampliſſ. Domini Doct. *Wepferi* recreati, pro magni viri mente amicè noſtris conceptibus ſuffragante, Thermas Fabarienſes oppidò allatas, d. 20. Maij tepidè potandas obtulimus, ſolitô equidem ex quôvis hauſtu rapta fuit paroxyſmô tonicô, huncque excipiente convulſivô manuum pedumque motu, & tandem integrè corporis in altum vibratione, at notabili cum atrociæ remiſſione compertâ. Noctu ex mediô granô paregorici opiati aliquantùm quievit, & nonniſi quatuor inſultus paſſa eſt.

D. 21. tribus hauſtibus evacuavit Thermarum ſemi-menſuram, & petita eſt totidem vicibus paroxyſmô, quot & interdiù ex ter admiſſô hordeatô ſuſtinuit. Noctu interruptè quievit, & nihil mali experta eſt.

D. 22. ex hauſtis Thermis corpus ſolitô modô obriguit, ſed artuum & corporis jactitatio convulſiva ſecuta non eſt, idem poſt juſcula ſumta obtigit.

Dùm autem hactenùs ſæviente malô, non magis ex deglutitis quibuſvis, ſeu liquidis, ſeu ſolidis, quàm etiamſi ægra (quod ſecundâ vice tentavimus) mentita fuerit alicujus rei deglutitionem, paroxyſmus ille Catalepticô-convulſivus concitatus ſit, & nunquam impunè œſophagus vel moveri vel rigari potuerit, ideò nonniſi largiore undâ quævis oblata hauriebat Nob. Patiens, & hauriendo tamdiù continuabat, donec (quod in quintô vel ſextô deglutitionis opere plerumquè contigit,) vaſe faucibus hærente oſcitaret, hìncque obrigeſceret.

obrigeſceret. Jám verò deſervente mali œſtrô cautiores brevi & quô liceret leniſſimô motu ligurienda ſingula dedimus, experturi num quid hæc cautela proficeret, toleravit primùm aquam Thermarum paulatim ſorptam, hinc juſcula tulit. Thermarum abhinc potui quantitate unius cyathi in dies adaucto aſſuevit, ùt cum tempore integram menſuram horæ ſpatiô ſuaviter vacuaret, ſine moleſtiâ ferret, & utrâque viâ largiter & εὐφόρως purgaretur.

Vires, ſopitis paroxyſmis, ſatis languebant, capite vix humeris ferendo valuit, & altiore voce loquentes vel paſſu concitatô incedentes tolerare non potuit, & de maximô in nuchâ dolore conqueſta eſt, ſomnum non habuit, vel vix eôdem capta, terrore concuſſa tremuit, menſes præciſe, ſed parciùs prodiêre.

Cibis optimis refecta & viribus reſtituta, pro placitô cubare, erecta ſedere, in utramque ſe partem volutare, ſitum lecti mutare, carnes teneriores probe elixas comedere, modò non exſertis è lectô pedibus morari potuit.

D. 20. Julii otia nullius mali metu ſecura agens, res ſuas quantùm licuit ſub ſtragulis ſedenti in ordinem diſpoſuit, & hôc vel labore defatigata, vel auræ ſubfrigidiuſculæ supernô corpore liberiùs commiſſa, vel ad tædia & bilem tacite provocata, poſt brevem horrorem vehementiſſimis in utrôque latere ad ſcapulas protenſis doloribus vagis prehenſa eſt: applicatis externe poros reſerantibus fomentis & interne paratis ſerum flatulentum corrigentibus antipleuriticis & nervinis, inter maximas querelas, oculis concidentibus obmutuit, præcavere Catochen ſtudentes, ſpiritum CC. naribus admoverunt, & quæ olim brevis tuſſicula finiti paroxyſmi index, jam tuſſiendi conatus acceſſit tantus, tamque validus & perpetuus, ùt verbis non exprimendus nulli non ſpectatorum horrorem incuſſerit, utpote qui decem continuis horis, ſine unius minutæ induciis affligens, fauces, laryngem, pectus & caput enormiter côcuſſit. Antepileptica theriacæ cœleſti ſociata dùm ſine fructu adhibebântur, in inſtanti horribile ſymptoma ſopitum eſt, pilularum de cynogloſsâ in aq. fl. til. ſolutarum granis vj. Vox perſtitit rauca, & anheloſa reſpiratio.

D. 23. datâ requie biduanâ, fluidioris alvi excretæ ſordes nares ſuô fœtore feriebant, ùt vel nauſeante ſtomachô ad vomitum commotô, vel ipſis partibus ſpiritualibus impurô ſulphuris halitu laceſſitis, ille tuſſiendi effrenis conatus denuò motus ſit, qui inducias totô die non dedit, quàm quæ ab Ecſtaſi cataleptica alternatim ſuperveniente contingeret; nam ex Cathoce vix à fœtidis nari admotis excitata, ſubitò in motum illum partium ſpiritalium convulſivum ceu tuſſiendi conatum prolapſa, adſtantium, qui pectus & caput ſuſtentabant, validiſſimas manus delaſſavit, iteratæ opii pulveri antepileptico maritati vel exceſſivæ doſes, non requiei minutum conciliârunt. Hauſtis, ingruente nocte, pilulis de cynogloſsâ x. granorum pondere aquâ flor. til. ſolutis, velut incantata ocyùs tormentô liberata, ſomniferi autem ex opiô nihil experta eſt.

D. 21. & ſeqq. Junii continuatus eſt thermarum potus, alvus inde mota teterrimè fœtuit.

D. 28. ab excretorum alvinorum putore nullis ſuffumigiis corrigibili, reſpirationis difficultate & capitis dolore affecta thermas ægrè potavit. Madentes ſudore manus, dum circa decimam pomeridianam è lectô porrectas detergeret; tuſſiendi conatu quaſi fulguris impetu petita, nec repetitâ opii epilepticis ſociati ad gran. iiij uſque exhibitione levatâ furioſô hôc pectoris faucium capitiſque motu agitata fuit, donec circa decimam noctis, aſſumptô ſemiſcrupulô pilularum de Cynogloſsâ, diminutô ſenſim conatû, tranquillè noctem, ſed (licèt inſigniter defatigata) ſine ſomnô ageret. Poſteà aquæ piperinæ unius menſuræ doſi polatæ denuò ſunt, & veſperi exhibitus eſt pulvis cephalicus, Cinnabarinus Mich. convenienter valuit ad quintam uſque Julii, quotidie multis vermiculis cum olidiſſimâ ſorde alvô datis, ſpiritûs moleſtia & convulſivus impetus rediêre. Hâc durante ſpiritalium ſucceſſione etiam ſtomachus ad vomitum concitatus, ſingula aſſumta liquamine bilioſô confuſa rejecit.

Dùm verò aliud ex aliô malum ſuccederet, & hactenùs non antiſpaſtica præſtantiſſima quidquam efficerent, fidem Clariſſ. *Mortoni* experturi, ſecundâ pomeridianâ Cort. Peruviani ℥ß. ex aquâ flor. tiliæ obtulimus, & hôc nihil horæ ſpatiô efficiente aliam doſin, opii grano junctam dedimus, ex quô injectis quaſi frenis ſemi-horii tempore omnis impetus ceſſavit: eôdem bihoriô pòſt redeunte, repetitâ antidotô rursùs diſparuit: noctis horâ decimâ quantum miſeram adortus, pilulis de Cynogloſſâ debellatus omninò fuit, noctem inſomnis, multô ſudore irrigua, viribus fracta, & aridô ſiti gutture egit.

D. 7. Spiritus arctè means, tuſſis quandoquè prodromus terruit: evanuerunt prorſùs parva conamina, Ch. Chin. cum opiô ex aq. flor. til. propinatâ.

D. 8. & 9. reſpiratio anheloſa, frequens & rhonchoſa fuit, conſuetô humili ſitu decumbere non potuit, quin infenſiſſimam ſibi Tyrannidem accerſeret: plurimùm temporis ſedens erectô & verſus anteriora inclinatô corpore terere debuit, de magnâ pectoris & præcordiorum ſtricturâ conqueſta.

D. 10. Dyſpnœâ graviùs affligente, noctu ex x. granis pilularum de Cynogloſsâ præter morem indormiit.

D. 11. Reſpirationis tædiô motûſque convulſivi metu repetente, ex Thermarum potu graviùs afflixit præcordiorum anxietas, & prandiô quidem parciſſimè ſumtô, in tuſſiendi illum ſtimulum atrocem erupit, qui Chinâ chinæ opiatâ quantiſper mitigatus, ſerâ tandem veſperâ pilulis aſſumtis penè ſopitus eſt. Horribili hôc & inauditô pectoris faucium que motu convulſivô quantumcunquè exagitata, vel aſthmaticis inſultibus divexata erat, non tamen vel guttulam lymphæ ſeu ſalivæ unquam excrevit, quin magis ex continuô impulſu ſicciſſimas fauces liquidis rigare jugiter debuit.

Dum autem primarum viarum putidiſſima ſalia, uti nares inſigniter ferientia, ita tubuli inteſtinalis & meſenterii partes membranaceas vellicantia, ſicque ex conſenſu pectoris fibris non minùs inimica, præcipuam convulſivorum motuum cauſam conſtituere opinarer.

D. 12. ad potentiùs extergendum inteſtinorum ſordes, aquas nitroſas Scollienſes (ſalſulas dictas) unius menſuræ doſi propinare decrevi, potavit eas alacriter, & binis ſedibus fœtidiſſima multis lumbricis confuſa excrevit: tranquillè diem egit, ſolùm quòd reſpiratio crebrior eſſet.

D. 13. ex repetitâ ſalſularum menſurâ 1. leniſſimè ſine tormine purgata, benè ſe habuit: noctu horam dormiit.

D. 14. cum difficultate ſpiravit: epotis ſalſulis, major oppreſſio, & titillatio in capite laryngis, continua tuſſis metum incuſſit: copioſi alvô exturbati ſunt vermiculi, fauces ſalivâ præter morem madebant.

D. 15. ſegnior fuit aquæ nitratæ per alvum effectus: reſpiravit graviter & cum ſtertore: ſub veſperam ubertim ſaliva è faucibus ſtillavit: noctu tres horas dormiit.

D. 16. Menſium & ſalivæ fluxu obſervatô, liberrimè ſpiritus proceſſit, à mineralium potu abſtinuit.

D. 17. Catameniis parciſſimè prodeuntibus & rivulô ſalivali ſuppreſſô, cùm aſthmate denuò conflictandum fuit: dùm verò pluriès inſperatô ſalſularum per ptyaliſmum effectu ſpiritus ſuis liberari viſus erat compedibus, hanc proſecuturi viam, radice Angelicæ maſticandâ ſalivalium tubulorum reſerationem quæſivimus, & promotâ ſucceſſu deſideratô ſalivâ, plenam ſpirandi libertatem obtinuimus; & cùm poſt intermiſſam radicis maſticationem ſaliva parciùs flueret, & prioris adverterentur moleſtiæ præludia, iterata illa haud cunctanter, nonnunquam unô die ſex ſpumantis lymphæ libras proſicuit: & ſic plures ſeptimanæ ſalivationis modicæ beneficiô ad placitum actæ fuerunt.

ὁ πάνυ venerabilis Dn. D. *Wepferus*, Fautor noſter perpetìm colendus, hæc κατὰ πάντα edoctus, ad reſidua ſanguinis omniumque corporis ſuccorum irritamina tollenda, nervoſum genus ad obvias quaſvis injurias irritabile muniendum, roborandum & ſanguinis fluxioris craſin firmandam, lactis curam conſuluit, ventriculô ſcilicèt & primis viis jam ſatis ſuperquè à Thermarum & ſalſularum potu elotis.

Propoſito pergrato ùt ſatisfieret jamjam intenti, infauſto en! Miſera, Nobiliſſimæ ſororis calamô de magnâ Gallis clade in Nervindenſi pagô illatâ, & lethali duorum fratrum uniuſque affinis vulneratione, ſuppreſsô Optimi Domini Parentis ſtatû edocetur. Illa verò pejora quævis ſuſpicata, & filialis συμπαθείας intimiore adfectu commota obſtupuit, & exanimis ad inſtar proſtrata, terrificis ſubſultationibus modò jactitata, modò emiſſis anxiis ſuſpiriis, manuum capitiſque jactitationibus agitata fuit, Parentem fratreſque vocabat, nomina autem dum faucibus hærerent, obmutuit, eôdem inſtanti trunci adinſtar rigefacta, tamque validâ tendinum ſtricturâ occupata, ùt quæ manibus ſuis incluſa haberet vix quiſquam eripuiſſet, & dum complicatis quaſi preces fuſura manibus abriperetur, tantâ violentiâ digitos ſibi invicem commiſſos habuit, qui diutiùs ita relicti, preſſionis vehementiâ, interceptô ſanguinis tranſitu, refrigerati ac lividi apparuerunt, denuò explicati, paroxyſmô finitô, ſpaſticæ preſſionis veſtigia profunda monſtrârunt. Cataleptici ſtuporis unus præter ſolitum duas horas protractus perceptô tandem dentium ſtridore, ſpiritu c.c. admotô depulſus, ſubitò in tuſſiendi conatum mutatus eſt, qui verò nonniſi pluſculùm concuſſis ſpiritalibus, novô catoches inſultu ſuppreſſus fuit.

Excipiebant ſic invicem ferali connubiô conſpirantes, catalepticæ obrigeſcentiæ, pectoriſque convulſiva tuſſiendi conamina, quæ horis quadraginta alternantia nil ſtomacho ob œſophagum actu tùm ab ingeſtis irritatum, vel alimenti, vel medicaminis, concedebant, & proin ægra, dum auxiliis ſuſtentari non poſſet, ceu imminente omnium opinione, Cataſtrophes ultimæ hora, unicè precibus aſſiduis Deo commendanda videretur: hoc præſtitum ſollicitè & piis præparationibus & ſolatiis à plurimùm Reverendô Dominô *Melchiore Mittelhozero* Ægra quæ tuſſiendi ſtimulô continuâ ſerie urgente ad ſacras παραμυθίας reſpondere non potuit, defectum in ipſô catalepticô ſtupore rigens, ùt verè Ecſtatica uberrimè reddidiſſe, à venerandô virô & adſtantibus perhibetur, dùm (licet ſenſuum ſingulorum beneficiô paroxyſmi tempore orba) citatis elegantiſſimis ſcripturæ ſácræ locis, ſe ipſam erexiſſe, & ad piam ἀνάλυσιν præparaſſe dicitur.

Hi poſtremi Catoches paroxyſmi, licèt diutiùs quàm ulli priorum durârint, jactitationis tamen illius convulſivæ effrenis, junctum hoc paſſu nihil habuerunt.

Miserô hôc ſtatu tranſactis quadraginta horis, dùm ſingulæ acceſſiones, longioribus intervallis recurrentes, paulatim miteſcebant, & ſtomachus lentè ſorbillata rursùs admiſit, datus eſt cum aquâ antepilept. pulvis ex hepat. ranar. ℥ß. cum opii gr. j. ex quô protinùs Ecſtaſes evanuêre, tuſſiendi autem conatus quâvis commotione vel verbi prolatione exacerbatus, ſub noctem ſemiſcrupulô pilularum de Cynogloſſâ in aquâ flor. tiliæ exhibitarum momentô conſopitus fuit, ſuperſtite quidem ἀγρυπνίᾳ continuâ, artuum inſigni laſſitudine, occipitis temulentiâ & ſyncipitis tenſione.

Affectu Lernæâ Hydrâ deteriore, quâvis ingratiore ideâ intenſiùs animô volutatâ, deteriùs redeunte, virorum ſæculi Maximorum, Perilluſtris & Magnifici Academ. Cæſar. Leopold. Natur. Curioſ. Præſidis &c. Dn. *D. Lucæ Schröckii.* Venerabilis etiam ſenis Ampliſſ. & Excell. Dn. D. Joh. Jac. *Wepferi*, Fautorum & Patronorum devotè ſuſpiciundorum, conſilium denuò rogatum eſt.

Lactis curam Celeberrimus *Wepferus* quantocyùs inchoandum: diætam huic convenientem inculcandam, & in cæteris pro ratione ſymptomatum ut hactenùs, cautiùs verò cum opiô, nè quid mali poſt ſe relinquat, procedendum eſſe ſuaſit. Epilepſiæ interim vel apoplexiæ periculum imminere præmonuit; nec diverſum ſtatui Illuſtr. Dominus Præſes, qui in accuratiſſimâ, quâ nos dignatus eſt reſponſione, morboſas haſce impreſſiones ab animi gravioribus adfectibus in ſpiritibus & ſanguinis maſſâ factas, difficulter quidem eradicabiles dixit. Attamen verò, dùm à ſpirituum animalium non exiguè imminutione atque particulis acrioribus in lymphâ eminentibus contractiones ſpaſmodicas cauſantibus obortæ ſint, quin remediorum, quæ defectus hoſce emendare valent, continuatô ſeduló uſu, malum tandem ſit ceſſurum, minimè deſperavit; undè pulveres imprimis abſorbentes & ſalia irritantia obtundentes ex ſuccin. præpar. Margarit. præpar. & Cinnabar. nativ. M. & Veſp. in infuſô calidô herbæ veron. vel betonic. (interpoſitô ſubindè leniori laxativô diacrydiatô, in chronicis hujuſmodi morbis pluriès feliciſſimô ſucceſſu à ſe expertô) ſumendos ſuaſit: decoctum viſci querni vel rad. ſcorzoner. cum paſſul. pro potu commendavit: ad tuſſis impetum pilulas de Cynogloſſâ continuari præcepit, & ad ſomnum conciliandum pediluvia ex ſalviâ, betonicâ, majoranâ, & cinerib. clavellat. ſuperbibitô hauſtu ex aquâ ceraſ. n. Confect. Alkerm. & ſpir. ſal. Ammon. tentari poſſe voluit, utpote quô pertinaciſſimas vigilias profligatas fuiſſe compererit.

Dum autem acceptis virorum Celeberrimorum conſiliis, paroxyſmi urgentes hypnoticis ſuppreſſi, nonniſi ſpirandi moleſtia & è lectô ſurgendi impotentia ſupereſſent, (& hæc quidèm non ex virium defectu, quæ ad ambulandum abundè ſuppetebant; ſed ex recidivæ metu profecta, dum à quinque jam menſibus, modò pedibus è lectô emiſſis vel paroxyſmô catalepticô abriperetur, vel ejuſdem prodromis perterreretur) canaliculorũ ſalivalium reſeratione reſtitutô ſpiritu, laxativum à Magnificô Dominô Præſide *Lucâ Schröckio*, ex diacryd. ſulphur. & ſpecif. ſtomach. Pot. commendatum, exhibitum eſt, quô impuriſſimæ ſordes cum εὐφορίᾳ exturbatæ ſunt;

ſunt, exterſis ſic ex ultimô tumultu depravatis primarum viarum ſuccis, curam lactis, (cujus deſideriô uti flagravit, ita medicamina alia nauſeavit, Nob.ægra) auſpice Deô, inchoavimus. Lac vaccinum veſperi ſuper ignem calefactum, repoſitum per noctem in locô frigidô, manè detractô cremore, in aquâ fervente tepefactum,ſyrup. violar. quominùs grumeſceret dulcificatum, & ſextâ matutinâ potatum eſt à ℔j.ad ij.pomeridianâ tertiâ lactis itidem libram unam, modò cum herb. veron. Mß. modò cum pulv. Caffè coctam, calidè hauſit.

Vel à primô momentô fauſtiſſimus conſiliorum uſus apparuit, corpori, animo, ſingulisque functionibus robur inſigne acceſſit, & paucis abhinc diebus (quod quintô menſe non factum at tentatum frequenter nunquam impunè eſt) per hypocauſtum manu ducta ambulavit,oculos verò quamprimùm aperiret, vertiginoſa facta, variô obverſante colore in lectum ſe recipere cogebatur, ne quid pejus incurreret.

Binis hebdomadis tranquilliſſimè actis,aliquandò appetitûs ſtimulô ducta, piſces in vinô & aquâ cum aromatibus ad palatum coctos, avidè comedit, & inexſpectatò poſt præviam oſcitationem in lectô ſedens, manu ſiniſtrâ impoſitâ femori caput ſuffulciens, hôc corporis ſitu obrigeſcit, prorsùs ἀκίνητος, donec ſpiritu volatili naribus additô compedibus ſolveretur Archæus, ex quô verò longè horribilius ſymptoma ferinus ille tuſſiendi conatus concitabatur. Multùm impetus deferbuit, ab exhibitô pulvere hepatis ranarum cum opii corr. gr. jß.& hâc doſi bihoriô poſt repetitâ, omninò diſparuit, ſolô ſpirandi labore relictô. Somnum nocturnum ſpiritus difficilior excuſſit, qui etiam hypnoticorum omnium vim eluſit: manè omiſſô lactis potu radix Angelicæ ad uſque fluxum ſalivæ maſticata, ſpiritum integrè reſtituit.

Ex hinc lacte ſimplici manè & veſperi cum Caffè vel veronicâ coctô, accuratô cum regimine perrectum eſt;animus hilarior, menſes uberiores, & ſingulæ ſecretiones magis regulares evasêre,brevi pedibus è lectô exſertis inſiſtere,mox progredi,& tandem obambulare non tentata catalepſi valebat. Lac quidem ab initiô inter obambulandum continuô gurgite potandum erat, ex quô ſe egregie confortari, omiſsô autem animô quadantenùs linqui ſibi videbatur.

Hâc tandem Herculis clavâ, Dei Opt. Max. auxiliô, ſuperatô Lerniferô malô, ſcilicèt effulgente optimâ omnimodæ reſtitutionis ſpe,à Nobiliſſ. Dominâ ſorore amicè invitata, Galliam repetere decrevit. Iter ingreſſa eſt tempore autumnali ſatis commodô, comite Generoſiſſimô Dominô ſororiô & me ſibi diariâ viâ adjunctô,portata convenienter ad cubandum & ſedendum diſpoſitâ lecticâ. Deſiderium amiciſſimæ ſororis viſendæ,corporis motus & auræ liberioris uſus certatim viribus vegetandis contulêre,& feliciſſimè abſolutô itinere, nè leviſſimô accidente fracta, Nob. ſororis manibus tradita eſt. Hyeme plurimâ in & extrà liberè verſari, & templa frequentare valuit, ſolô lactis continuatô uſu præſervata.

Intervallis equidem non caruit, & triſtioris mali prodromos atque graves inſultus animô concitata, nonnunquam experta eſt, quos tamen antepilepticô ſuô ex hepate ranarum & opiô depulit.

Permota ridentis Maij deliciis, animi gratiâ ſociô Dominô Fratre Genevam eques excurrit. Huic copiarum Gallicarum Duci Cataloniam verſus diſcedenti valedictura, animi nimiô dolore nimiùm mota, dum vix eſſet Fratris manibus elapſa, malè ſe cœpit habere: domum eques properans, hyſterico-catalepticis inſultibus, & reciprocante tuſſiendi conatu atrociſſimô, duodecim continuis diebus excarnificata fuit, donec nempe ex me pulverem & pilulas familiares nuntiô petitas reciperet & paroxyſmô feliciter depulſô fractiſſimas vires lactis aſinini uſu firmaret, Pariſios jam ad Generoſiſſ. & Nobiliſſ. Dominum Patrem deportata, ibidem, ut dicitur, Viro meritis pari maritanda, ſine dubiô ex blandis συνουσίας deliciis firmiore poſthàc valetudine gaudebit.

Scholium

Prout activa macrocoſmi uterô terræ prægnanti incluſa principia, ſi vitiosè inter ſe concurrant & inteſtinâ luctâ excandeſcant,exhalationum violenter rarefactarum elatere ſpatium amplius affectante, perruptis undique carceribus exitum quærunt, ſtupendam hanc machinam quaquaversùm extenſa, longè latèque exagitant & cum præſentiſſimô ruinæ periculô impetu horribili concutiunt: ſic & cœleſte microcoſmi principium, quô nobiliſſimæ ſenſuum motûsque actiones abſolvuntur, ſi ideâ nativæ ſpirituum indoli diſproportionatâ & hoſtili contaminatum, ad motus irregulares invitetur, animæ excuſsô ſanctiore regimine, confuſo ſpirituum genio auſcultat, & vel motu incertô, quaquaversùm fertur cum impetu, vel reſtrictâ alvei animalis undâ ſpirituum irradiatione turgidum, quoad ſingulas in corpore expanſiones rigeſcit, & alias etiam pro diversâ ſpirituum ἀταξίᾳ in corpore anomalias ciet.

Obſcura autem & implicata,quamvis eccentrica hæc & confusâ alternatione incedētia ſpirituum deliria vulgò habeantur, non exiguum tamen Medico lucis fœneratur hæc ipſa alternans reciprocatio & unius in alium degenerantis confuſio, ùt quâ nobis affectuum ſpecie quidem diverſorum in cauſis ſuis plurimum participantium natura & genius haud obſcurè retegitur.

Sic noſter, cujus curam multis experimentis probatiſſimamædituri ſumus, Affectus è fomite peregrinô in ſubjectô longâ febre confectô, & ſpiritibus exhauſtô excluſus, perversâ victûs ratione, iracundiâ acri, mœrore multô, cogitationibus profundis,vigiliis pertinacibus & concurrente temperamentô corporis connatô, ſanguineô-bilioſô, chatagmate ſenſim iniquiore notatus, tandem ad hanc turbatiſſimæ animalis œconomiæ ἀκμὴν perductus, maximam, inter hyſtericas paſſiones, catochen, & convulſivos affectus ſymboliſmum nobis indicare videtur.

Horum equidem cùm ſuis communiter apparentibus phænomenis, cauſas & geneſin prolixiùs excutere, hìc neutiquam intendimus, utpotè quòd paſſim à viris Magnis & non pronuper à Celeberrimô *Dn.D. Fr. Hoffmanno, Med.Elect. Brandenb.in diſſertatione epiſtolari ad Magnif.Dn.D.Georg.Wolffg. Wedelium, Conſil. & Arch. Saxon.*non minùs judiciosè quam eleganter præſtitum eſt.

Sufficiat prælibâſſe, quæ pro genuinâ curandi methodô ex indicationibus eliciendâ, neceſſaria erunt.

Supponimus autem tanquam indubitatiſſimæ veritatis, primò Cauſam antecedentem occaſionalem, & fomitem hujuſmodi univerſalium & particularium ſpaſmorum in primis utplurimùm viis latere, & inchoatô ibidem irritamine, motum ſpaſmodicum ſecundum nervorum propagines ad plures etiam diſtantiores partes excurrere.

Secundò, quò profundiùs ſe partibus nervoſis inſinuârit mali illecebra, & vel ad ipſum principium motivum penetrârit, ſpirituumque θόρυβος major extiterit, tantò pernicioſiorem eſſe volatilium, ſpirituoſorum, aromaticorum, & quocunque acri ſtimulô pollentium uſum.

Tertiò primas vias detergentibus & ſulphur impurum inibi ſtabulans blandiſſime evacuantibus, cum ſubjunctis prudenter anodynis irritamen tollentibus & ſpiritibus blandum motum conciliantibus, præcipuum curæ abſolvi poſſe.

Primam hypotheſin probant vel ſolius diætæ quoad ſubſtantiam, quantitatem, & aſſumendi modum errores, dum cibus ſubſtantiâ & qualitate peccans, crebriores febris recidivas peperit, ἀθρόως καὶ βιαίως deglutitus, nec non copioſior adhibitus, paroxyſmos catalepticos immediate acceſſivit.

Cum aurâ calidâ è præcordiis in caput elatâ paroxyſmi inchoârunt, undè patet, irritamine in ſtomachô excitatô, ſucci nervei rectilineum ad partes has tranſitum denegatum & factô verticali verſus ſuum principium refluxu auræ calidæ aſcendentis ideam menti impreſſam fuiſſe. Conſtipatâ alvô crebriores fuerunt & fortiores inſultus. Emeticô exhibitô per biduum ceſſârunt; inteſtinis & ventriculô thermis & ſalſulis elotis, & alvô per epicraſin ſubductâ, penitùs evanuêre. Pedibus modò è lectô exſertis & aurâ frigidiuſculâ occupatis, irritamen generis nervoſi oſcitatione indigitatum præſtò adfuit, quod phænomenon familiare Hyſtericis & Colicis eſt, fomitem mali in abdominis partibus nervoſis habentibus.

Secundò, ex operatione medicamentorum patet: Volatilia & quævis acri ſtimulô dotata, ſpirituum orgaſmum manifeſtè intenderunt: temperamenta verò ſulphure ligante anodynô fœta, vel maximè efferatos ceu compedibus injectis ſubitò coërcuerunt. Liceat mihi, ùt veritatem aſſerti hujus VIII. Praxi multiplici comprobatis exemplis confirmem.

Hiſtoria I. De Convulſionibus fomitem in primis viis agnoſcentibus.

MAgni nominis Familiæ Præſtantiſſima Filia, virgo in florentiſſima 20. annorum ætate conſtituta, temperamenti ſanguineô-ſeroſi, poſtquam irâ vehementi incanduiſſet, doloribus præcordiorum, oris amarore, ructibus, vomendi conatu, torminibus ventris & laſſitudine membrorum correpta, à Medico ut malignè febricitans ſudoriferis crebrioribus tractata; tandem quaſi paralytica reddita, exhibitis poſteà alvum blandè laxantibus convaluit: genere nervoſô ex hinc quàm maximè irritabili prædita, leviſſimos in diæta, aëre & animi motibus exceſſus, ſuffocationibus uterinis, torminibus, convulſionibus, & aliquando præſente Excell. Dn. D. *Wepfero* aſthmate convulſivoluit, & antiſpaſticis convenientibus multotiès curata fuit; dum verò invaleſcentis mali ſtatus eadem crebrius uſurpanda, atque ſpirituoſis ammoniacalibus, Caſtorinis & Theriacalibus ſocianda, pro methodô practicis ſolemni requireret, convulſivi motus Catalepticis ſociati obrigeſcentiis mox apparuêre; initiô latus ſiniſtrum obriguit, dextrô inconcuſſô manente, continuatô volatilium ſpecificorum uſu, motus colici, & frequentiores & atrociores acceſſêre, & rigidâ membranarum extenſione, oculis apertis & fixiſſime ſtantibus, finiêre. Ann. 1688. lac caprinum tribus ſeptimanis ſolitô regimine potatum bene tulit, & æſtatem ſuaviter egit: inclinante hyeme, ictа caput, lignô è ſupremâ domô fortuitò cadente, binis vulneribus, in bregmate uno, alterô in occipite inſigniter ſauciata fuit; delicata nervorum compages & ſpirituum tonus haud uſque firmatus, eluctandis impetuoſarum idearum procellis multùm impares, hoc turbine concuſſi mox tragicos egêre tumultus, deliquia, convulſiones præſtò fuerunt, & primô quidem nonniſi ſub vulneris deligatione, mox autem diatheſi pluribus paroxyſmis firmatâ, etiam poſt cibum aſſumtum rediêre: agitatis, cum capite, partibus per momentum extrema æqualiter extenſa obriguêre: ſubindè ſpaſmô cynicô convulſa labia ſunt, vel riſum magnum effudit, manibus geſticulabatur, ac ſi inſtrumentô muſicô luderet, vel ſermones pios & vel divinitùs inſpiratos fecit: nonnunquam per triduum & quatriduum, ſi quidquam analepticorum vel juſculorum deglutiret, ſpaſmô gulæ, & intumeſcentiâ colli cum crebrô deglutiendi conatu correpta, mox motu convulſivô univerſi corporis agitata fuit. Aliquando triduô ἄφωνος, & per intervallâ inſigniter convulſa, exhibitô pulvere myrrhatô, quem ægre deglutiit, ad nauſeam & vomitum commota, loquelam ſubitò recuperavit, & quæcunque triduô hôc acta & dicta fuerunt, exactè referre potuit, quam, ut apoplecticam ſenſibus præcipuis orbam, nemo non autumabat. Singulæ dictarum acceſſionum recidivæ antiſpaſticis anodynis ſopitæ, tandem vel clyſmatum vel auri fulm. beneficiô fœtidiſſimis ſordibus alvô rejectis ſolvebantur. Ann. 1688. ex venâ incautiùs à Chirurgô pertuſâ nervô læsô undiquè brachium intumuit, undè priſtinus hoſpes acceſſit, qui doloris & tumoris renitentis vehementiâ cataplaſmate Hildani de ichore & Meliceriâ cum pulvere lumbricorum paratô mitigatâ, antepilepticis fixis opio prudenter ſociatis facilè depulſus fuit. Volatilia & quæcunque ſpiritus plus nimiùm ferocientes leviculè agitantia, liqu. CC. ſuccinat. Eſſent. antihyſteric. cum ſp. ſal. armon. utcunquè ſollicitè parata, vel unius guttulæ doſi in- & externè adhibitâ, & hâc & aliis vicibus neutiquam tulit, quin paroxyſmos horum uſu manifeſtè acceleratos fuiſſe obſervavit. Valetudinarius ex hinc ſtatus & ſtomachus multum inflatus ac diſtenſus, qui arctâ ligaturâ noctu diuque conſtringendus, ſolutô vinculô ſe denuô expandens, palpitationem cordis, vertiginem & tandem eclipſes convulſivas concivit. Nobiliſſimam virginem ad inviſendum, quem dudum conſuluimus, Thermarum Fabarienſium fontem cōpulit, potatis ſtrenuè aquis per alvum largiùs purgata, innumeros lumbricos excrevit; purgandi ſtimulô ſociavit ſe dolor colicus exquiſitus. Celeberrimus noſter Herophilus Dn. D. *Brunnerus* bonô fatô præſens, in conſilium rogatus, ſpaſmum pilulis de Theriacâ cœleſti oppidò ſuſtulit, & quiete per biduum imperatâ, Thermas minori doſi potandas conſuluit: quô factô reſtituta ex votô domum ſana reverſa eſt, & anni integri ſpatiô integerrimè valuit. Inter plurimos verò hujuſmodi inſultus, quos Nobiliſſ. virgo decennii tempore nonnunquam plures ſeptimanas & menſes ambigue ſuſtinuit, unius adhùc meminiſſe non pœnitebit. Circa finem anni 1689. ſanitati ſuæ nimium confiſa, ὕδρῳ & γαλακτοποσίᾳ menſes perdidit: rediit tumor in latere ſub hypochondriô ſiniſtrô (quem aliqui Colon extenſum voluerunt) & majori ſenſim incrementô auctus, nî ligamentis probè coarctaretur, moleſtam palpitationem & fatale deliquium induxit. Tempore nebuloſô, dum aurâ liberiùs & minùs munita frueretur, correpta poſt prævium horrorem ardore, ſiti, capitis dolore & inæquali hinc inde excitatô tumore, cordis palpitatione, & præcordiorum anguſtiâ, mediâ nocte momentaneô impetu capitis anteriora circum gyrari, & teli ad inſtar per ſpinalem medullam vibrari clamavit, motuque convulſivô primùm capitis ſolius, dein univerſali totius corporis abrepta, hôc ceſſante collo extumuit, & ſpaſticô deglutiendi conatu tentata oppidô fuit; elevata è præcordiis aurâ calente, hinc faciei inductô rubore & cerebri partium, quaſi manu violentâ circumgyratarum, & ut communiter expreſſit,

expreſſit, *als ob man Rageiten gegen einander ſchieſſete*, prodromis præmonita, plures ſic paroxyſmos ſuſtinuit, & quæ dabantur intervalla, cordis, ut dixit, & cerebri palpitatione, moleſtiſſima habuit: manum pulſui & cordis regioni admoventes nihil hoſce in motu ſuô naturali mutatos, diaphragma verò trepidante inæquali continuâ vibratione manum validè feriiſſe, animadvertimus. Furiis his triduô poſt quemvis corporis motum & cibum deglutitum exercita, nocte tranquillè ductâ, ſeptimâ matutinâ horrore febrili cum notabili dentium colliſione concutitur, & quamvis de frigore ingenti conqueſta ſit, non tamen naſus vel digiti ad attactum friguêre, frigus nec ardore nec ſiti exceptum, circa meridiem eâdem febrili concuſſione rediit; veſpertinâ quartâ convulſiones, nonâ horror febrilis, & ſic porrò incertô reciprocationis tempore modò motus convulſivi, modò tremores febriles rediêre, quibus jam integra machina miſerè jactitata, jam æquali extenſione rigefacta; modò ſpaſmô particulari labiorum, linguæ violentâ exſertione, dentium ſtridore procul exauditô & ſpiritalium inſigni afflictione tentata, mox febriliter exhorruit, & quam horroris vehementiam vix in ullô febricitante obſervavi, totô corpore conquaſſata fuit, alteratione pulſûs vix notabili poſteà notatâ. Uſurpatis ſedulò antepilepticis cum aurô fulminante, injectis clyſmatibus & venæ ſectione inſtitutâ, die ab invaſione ſeptimô, ab excitatô alvi putidiſſimô profluviô, immediatè liberata, & poſt Thermas Fabarienſes denuò felici auſpiciô potatas, amicabili matrimonii vinculo ſubjecta, jam binæ pulcherrimæ prolis feliciſſima Mater abhinc ſanitate proſperrimâ fruitur.

Hiſtoria II.

Nobiliſſima & Celebratiſſimi nominis Matrona, Domina *Cleophea Schobingera*, temperamenti calidi & ſicci, coloris fuſci, habitûs gracilis, ſtaturæ proceræ, judicij & animi acrioris, duodecim liberorum Mater, quos nonnunquam magnô cum labore & periculô enixa eſt, ùt votum nuncupârit, feliciter diſcrimini erepta; & aliis in partu difficili hærentibus ſuccurrendi, quod & ſtrenuè poſtulata felici & doctâ ἐγχειρήσει perfecit; Hemicrâniâ, hæmorrhoidibus, & odontalgiâ præſertim in maxillâ ſuperiore multùm excruciata, copioſum ſerum ſputô frequenti reddidit, matricis etiam ſuffocationibus cum dolore abdominis vagô, nauſeâ, vomitu, oſcitatione, pectoris oppreſſione, difficili ſpiritu & artuum contremiſcentiâ & intorſione vexata; plurima Celeberrimorum Virorum conſilia adhibuit, Thermas Fabarienſes, Acidulas, ſerum lactis, juſcula herbis alterata, rorem majalem, ſuccum betulæ, & alia ſanguinem fervidiorem temperantia, edulcantia, ſerum acrius ſecernentia, & ejus aculeos retundentia, Antimonialia, Martialia, Jovialia, Lunaria, Solaria, Cinnabarina, Cervina, Oſtracoderma, Marina, in varias formulas coaptata uſurpavit; At caveri non potuit, quin diatheſi morbificâ generi nervoſo & incolis altiùs impreſsâ, habitum tandem acquireret morbus, & levi errore veſtigia relegeret: ad quod operationes fœtuum extrahendorum, quas piâ commiſeratione ducta magnô animi fervore nec minore labore peregit, plurimùm velificârunt, & nunquam non, ex tali operatione reducem, viribus fractiſſimam, ancipiti valetudini expoſuerunt: hìnc diu noctuque meditabunda parùm dormiit, atque ad animi adfectus, iram, terrorem, triſtitiam promtior, levi errore convulſivos motus paſſa, & cum tempore genus nervoſum ad eccentricas motitationes ità diſpoſitum nacta eſt, ùt quoties vel altâ voce caneret, quod ſuaviter & doctè ſcivit, vel riſum magnum effunderet, vel animô re gratâ lætaretur, hoc protinùs vertigine, cardialgiâ & motibus convulſivis preſsô pede inſequentibus piaret. Suffocationibus hyſtericis, tuſſi convulſivâ, hemicraniâ, odontalgiâ, torminibus, hæmorrhoidum dolore ſubindè prehenſa, convulſiones mille votis expetiit, & ſibi certam indè ſalutem pollicita eſt, quarum non rarò compos facta, ſopitô dein anodynis ſpecificis ferociore orgaſmô, vel alvi vel hæmorrhoidum fluxu, ſponte vel arte commotô, innumeris vicibus ſic convaluit, donec tandem phthiſi pulmonari lentè confecta, univerſô ſexûs ſui luctu occumberet.

Hiſtoria III.

Antonius Scheidtlinus 26. annos natus, fullonicis operibus arduis omni tempeſtate, nec æſtûs nec frigoris injuriis obſtantibus, graviter incumbens, correptus nuper febre continuâ epidemiâ, & ex arte à primô invaſionis die m. & v. pulveribus ſudoriferis ex antimon. diaph. CC. ph. præp. & Bez. miner. juxtà & alia antipyretica uſitata, optimô cum regimine tractatus, dum ſudor neutiquam procederet, die octavô vehementer inquietari, delirare, tendinum ſubſultationes pati, tandemque convelli incepit: adhibita ſunt epileptica, cinnabarina, cum liqu. CC. ſuccinatô & theriac. Cœl. mixturis cochleatim ſumendis haud exceſſivè addita, ex quô motus convulſivi enormiter invaluêre totamque machinam diei integri ſpatiô modò atrociùs exagitavêre, ſub veſperam facies Hippocratica, oculi pelle ſuperinducti, naſus & labia palleſcere videbantur, lotium involuntariè profluebat, venter intumuit, & nulla non imminentis lethi ſigna apparuêre; rationis tamen non omninò amiſſæ indicia acclamatus præbuit, exhibita admiſit, & pellem oculorum ſuis manibus detrahere voluit. Serâ veſperâ redeunte convulſionum vel truculentiſſimô impetu anodynum illud antiſpaſmodicum in Virgine cataleptica totiès præſentiſſimô ſucceſſu expertum exhibui, & pilul. de Cynogloſsâ, gr. viij. cum aqu. flor. til. ℥ß. commodô tempore obſervatô dedi, & en! effectu evidentiſſimô convulſionum rhythmi ſenſim diminuti, horæ dimidæ ſpatiô quievêre penitùs. Subſecutus eſt copioſus alvi fluxus, tetram ſpirans mephitim, ſudores largiter prorupêre, mens rediit, vires fractiſſimæ ſenſim collectæ ſunt, & hucuſque optimè.

Hiſtoria IV.

Dum in ipsâ hâc materiâ pertractandâ verſarer, Prænobilis & lectiſſima Reverendi Domini Chriſtophori Mittelholzeri, Paſtoris Urnacenſis uxor, noviter ipſi deſponſata, ſpaſmis hyſtericis corripitur. Parentibus genita, hypochondriacis & hyſtericis paſſionibus multùm obnoxiis, & ipſa nonnunquam, cœlebs adhuc, mali uterini præludia ſenſit, capite frequenter doluit, oſcitavit, tormine ventris vexabatur, dulcia non tulit & etiam cætera ſanguine lixivioſô ſalinô prædita, neglectâ ſolemni ſanguinis per venæ ſectiones & ſcarificationes ſubductione, aſperitatem & pruritum cutis in facie & articulationibus tædiosè efflorescentem experta eſt: Celebratis mediô Januariô nuptiis, quamvis egregiè valeret, capitis tamen doloribus nunquam libera, præſertim partu finitô, fuit; circa Februarii initium venam curâvit ſecari, & neutiquam exindè dolore levata, dum cibis frigidis ſtomacho inimicis indulſerat, & braſſicam crudam

crudam acetô & oleô lactucæ ad inſtar conditam avidiùs comederet, paulò poſt d. 6. Februarii, ſuffocatione hyſtericâ cum ſpiritûs interceptione, vehementi oppreſſione & artuum intorſione atque expanſione correpta fuit: Ego ſerâ nocte accerſitus, aquam hyſtericam cochleatim propinavi, naribus nodum ex *Caſtor. As. fœt. & Camphorâ* admovi, depulsô ſic ferociori ſpaſmô quietem appetens, benè dormiit. Die 7. Febr. dum è lectô ſurgeret, rediêre oſcitationes, & hinc deliquia hyſterica: continuatô mixturæ ex *aquis meliſſ. chamomil. Eſſent. theriac. cœl. & guttis ij. ol. ſuccini* uſu, benè ſe habuit, & licèt oculis inter loquendum concidentibus crebrius delinqueret, motus tamen convulſivos & oppreſſionem illam vehementem hoc die non habuit, totam noctem interruptè dormiit. Die 8. Febr. viribus languens ad oſcitandum ſollicitata, hauſtâ doſi de *pulvere March. c. Cinnabar. Antimonii & Caſtor.* alacrior evaſit. Veſperi deliquia ſuffocativa modò cum tetano, modò concuſſione artuum, mente ſatis integrâ, rediêre. Die 9. Febr. datus eſt pulvis emeticus ex *Antimon. diaph.* ℈j. *Tart. emet. M. & ſal. abſynth.* āā gr. iij. & rejectâ frequenti conatu bilis viſcidæ ſaburrâ, unâque ſede motâ, malum evanuit: animô poſt biduum tædiosè mota, capitis dolores & ſpaſticas motitationes denuò incurrit: levata pulvere March. & cinnabar. Antimon. cum Caſtor, & opii afflatu, plures dies, cephalalgiâ quidem non penitùs liberata, benè egit, domum igitur trium horarum itinere trahâ ſe vehi curavit, cœlô quidem ſerenô, omnibus tamen nive glacieve tectis: mediô vix itinere emenſô, mali prænuntiâ oſcitatione, deliquia hyſterica apparuêre: mixturâ appropriatâ & externis excitationibus interim pro poſſe ſuſtentata, domi tandem lectô calidô commiſſa, mitioribus ſymptomatum præſtigiis quandoquè perterrita fuit: uſurpatis quidem m. & v. pilulis ſpecificis ex *Bez. Jov. Mart. CC. ph. præp. Extr. Caſtor. & trifol. fibrinô*, atque ſuperbibitô Caffè hauſtu, nihilominus tertiô abhinc die atroci ſuffocationum, oppreſſionum & convulſionum hyſtericarum agmine dubiô eventu exercita fuit: miteſcente ex anodynô ferociâ, reiteratô emetici uſu, copiosè ἄνω purgata, rejectâ phlegmatis amaricantis copiâ, abhinc ne minimô ſanitatis detrimentô affecta, proſperrimè vixit.

Hiſtoria V.

Et quid, quæſo, Practico obvenit frequentiùs, quàm tenella lactentium corpuſcula, feroci hâc vibratione vidiſſe jactitata, quorum equidem ſanguinem & ſpiritus nullâ adhùc labe inquinatos, puros, temperatos, ſedatos, nec functionum perverſis ideis evidenter turbatos unquam fuiſſe exiſtimandum eſt. Nobis, quæ in praxi hactenùs occurrêre, ex ſolis hujuſmodi obſervationibus vel integrum volumen contexere haud foret impoſſibile. Nil certè continent tria regna in compeſcendis his motibus commendabilis, quod non fuerit, datâ occaſione, prudenter tentatum. Non novimus virum artis longâ Praxi peritum, quem non ſubindè conſilio adhibuimus, multò tandem docti uſu enormonticos hos motus nunquam ac criſi alvinâ ſolutos penè conticuiſſe, audacter nos etiam primarum viarum blandæ deterſioni noſtra accommodavimus remedia. Auri fulminantis gr. ij. cum totidem pulveris jalap. granis, in ſyrup. violar. cochlear. ß. ſubactô, manè & veſperi exhibuimus; juſculis hordeatis crebrò propinatis & clyſmatibus ex lacte, oleô chamomill. & terebinthinæ pauxillô injectis, operationis ſucceſſum ſollicitavimus. Ventrem pro nervorum tenſione laxandâ & medicamini tranſitu conciliandô oleô lumbricorum vel aliô nervinô inunximus. Lympham & primarum viarum ſuccos fermentô acidô biliosô acri & elaſticô conſpurcatos, mixturis antepilepticis ex aquâ flor. til. pœon. chamomill. pulv. epil. March. CC. phil. præp. & cinnabar. nativ. cum ſyrup. epilept. ad grat. correximus, & quò ſpiritus ceu frenô injectô miteſcerent, theriac. cœleſt. ſingulis aquarum unciis gr. j. addidimus. Alvô ſic fluidâ factâ quamprimùm ſordes non tam variè coloratas, quàm fœtore moleſtas vidiſſe licuit, certiſſimè convulſionum conticuit impetus, & infans blandis porrò nervinis ſuſtentatus, ſenſim convaluit.

Hanc methodum noſtram non quidem infallibilis ſemper & ubiquè efficaciæ, omnium tamen, quæ hactenùs innotuêre, tutiſſimam, breviſſimam, efficaciſſimam, & palatô tenellorum accommodatiſſimam dicere ſanctè poſſumus, accidit enim aliquando, ùt conatuum epilepticorum frequentiâ nervi ſenſibiliores redditi, impreſſum ſibi motum peregrinum diutiùs continuent, & vel ſpiritus ipſi copulâ improportionatâ intimiùs admiſsâ efferatiores facti, ad ſcheſin ac craſin ſuam vix ullis ſe reduci remediis patiantur: in hôc mihi caſu blandiſſimô ſulphure anodynô fœta plurimum contulêre; omnia vel exiguô ſtimulô pollentia, præſertim volatilia, & orgaſmum manifeſtè promoviſſe, & vel eundem anodynis ſopitum, denuò excitaſſe, multoties vidi: præſentius expertus non ſum ſpirituum nimis efferatorum mulcimen, ac pilulas de Cynoglosſâ gran. iij. pondere in unciis ij. aq. flor. til. ſolutas, & alvô prius laxatâ cochleatim propinatas. Non pronuper Nobiliſſ. Domini G. Sigiſm. Schobingeri, Patritii Sangal. filiolus, me abſente, nycthemeri ſpatiô 25. paroxyſmos epilepticos perpeſſus, quorum vehementiâ etiam ſanguis ex ore protruſus eſt, me accedente, vel binis cochlearibus mixturæ de pilulis è Cynogloſſ. exhibitis, ſomnô captus, omninò convaluit, & plures ſeptimanas vegetiſſimus ſupervixit, tandem aliquando inter riſus & jocos ſubitò ſuffocatus mortem obiit. De Nobiliſſimarum Familiarum noſtrarum *Felſiorum, Zvikerorum, Hoggerorum, Cunziorum, Kellerorum, Vitſiorum* filiis ne dicam, qui vel plurimi dentientes horrendô convulſionum impetu per intervalla petiti, noſtrâ hâc methodô, ex Dei gratiâ tantùm non omnes miraculô ſubindè propemodùm evasêre. Ad hoc autem attendendum eſt maximè, ùt alvi ſordes fœtidæ eliminentur, quod aurô fulminante ore datô, & clyſmatibus manè & veſp. injectis, tandem impetratur feliciter, ſi alvus ſuâ ſponte reſpondeat, ſepoſitô auri fulm. uſu, clyſmatibus ſolis audaciter inſiſtendum eſt, donec liquamen illud ſuperiorum inteſtinorum porraceum tetram redolens mephitim & partes membranoſas acri ſuô ſtimulô vehementer laceſſens, optatâ eccriſi prodeat. In paroxyſmô, naribus nonniſi theriacam, Caſtoreum vel rutam admovemus: fumos non concedimus niſi ex ſuccinô accensô: Veſicatoria, frictiones, cathartica mellita, ſaccharata, & alia vel facilè fermentantia vel fortiora, item ſpiritus quoſcunque volatiles (niſi in primô mali principiô parcè mixturis admixtos) deteſtamur.

Præſervativè, quò ſucci degeneres ubicunquè extiterint, corrigi, irritamina coërceri, & motus irregulares virtute ſpecificâ inhiberi poſſint, pulverem nervinum abſorbentem temperatum ex *CC. ph.* ℥ij. *unicorn. foſſ. matr. perlar. cinnabar. nativ.* āā ʒj. *Ung. Alc.* ℈ij. *Caſtor. gr.* iiij. *moſch. & ambr.* āā. *gr.* ij manè & veſperi in panatellâ

ex pane

ex pane ſimilagineô cum jure carn. ad pulmenti conſiſtentiam coctâ exhibemus : pulmenta ex lacte & farinâ parata , acorem facilè contrahentia & grumeſcentia non concedimus. Vertici imponimus ceratum ex maſtiche, ſuccinô & tacamahaca , in ol. maſtich. & balſam. de Peru ſolutis , ſuper alut. extenſum , & ſyndon. rubrâ inductum.

Pauperibus nonniſi ocul. cancr. & CC. uſt. præp. ãã. ℥ij. pulv. rad. jalap. & ſem. anis. ãã. ℈j. manè & veſperi ad apicem cultri dare ſolemus , eô quô fine plerumque ſucceſſu.

Eſt verò etiam convulſionum particularium ſpecies infantibus moleſta, & quæ non minus ceu univerſalium prodromus, fatalis eſſe poteſt, dum ii quandoque ſpaſmô gulæ affecti , continuò deglutire coguntur , & non raró partibus vicinis in conſenſum raptis ſpiritus intercipitur.

Huic nihil nobis hactenus expertum eſt præſentius , ac ol. amygal. d. cum aq. meliſſ. ãã. p. æq. ſyr. violar. ad grat. cum ſp. nitr. dulc. aliquot guttulis , cochleatim hauſtum; nonnunquam Theriac. Cœl. ubi malum fortiùs urget , cum ſucceſſu additur , nucha, & collum unguentô è floribus ſlat. inungantur , alvus libera ſervetur, & ad imbibendum irritamenta , pulvis vel ſupra ſcriptus, vel Marchionis cum pauxillô jalap. manè & veſperi exhibendus.

Tuſſis illa ferina ſi urgeat, quæ verè convulſiva eſt & ab omnibus vel præſtantiſſimis ſyrupis,& eclegmatibus manifeſtè exaſperatur hôc pulvere noſtrô ſpaſmodicô , m. & v. atque mixturâ ex aq. flor. til. pœon. pulv. March. & theriac. cœl. cum pauxill. ſyr. viol. cochleatim exhibita, feliciſſimè cedit: uti præter plures alios , hâc ipsâ ſeptimanâ in binô infante expertus ad votum eſt præſtantiſſ. Pharmacopæus D. Leonh. Meyerus.

Hiſtoria VI.

Variâ morbos convulſivos formâ ludere , & hâc jam , modò aliâ ſcheſi larvatos incedere , quis non novit vel mediocriter circa Hyſterico-hypochondriacos affectus verſatus ; Vir nominis ampliſſimi & Familiâ & ingeniô inſignis, hæreditariâ ex utrôque Parente diatheſi hypochondriacâ præditus , dum annis auctus negotiis ſuis mercatoriis aſſiduus omni tempore incumberet , pathematum ex malâ digeſtione oriundorum diverſa hinc indè ſenſit tormenta. Vertigine jejunus torquebatur , paſtus ardore ſtomachi : ex animi vel corporis vehementiore motu palpitatio cordis , anxietas & oppreſſio præſtô fuêre. Acidulis Deinacenſibus adjutus ſoſpes diu fuit: ardor ſtomachum nonnunquam affligens lapidibus cancrorum ſuppreſſus eſt. Sub finem anni 1693. ex cauſâ minùs gratâ febre continuâ epidemiâ decubuit, factâ criſi ſalutari per ſudorem , adhùc præcordiis preſſus & cordis palpitatione per intervalla turbatus , ex vomitu largô convaluit. Sanus hinc fuit, donec hyemis præteriti rigore affectus, tinnitum aurium, præcordiorum anxietates , & vacuô ventriculô vertiginem & capitis temulentiam rurſus ſentiret, quæ ex præſtantiſſimis cephalicis atque ſtomachicis nervinis potiùs invaluiſſe videbantur : & quidem increvit tandem adeò malum , & genus nervoſum ita ſenſibile factum eſt , ùt ſi vel legendo vel ſcribendo vel acriùs meditando occuparetur Nob. vir , ſpiritus ſtatim ex τάξει ſuâ abrepti, vertiginoſam undulationem, ſcotomiam & ſudorem univerſi corporis expreſſêre : imò tandem non ſedere nec ſtare per horæ ſeſquiminutam potuit , & quod maximè dignum notatu, cibum quidem capere, vinum verò & alia potulenta ſedens deglutire impunè non potuit , quin eô momentô , prodromô narium pruritu , vertigine & univerſali ſudore prehenderetur. Sic verò peripateticus ambulando negotia peregit, cui vires abundè ſuppetiêre : tandem tamen habitus athleticus conſumi , pallorem facies induere cæpit, & pectoris nervi ſtrictiores anxietates intulêre : addita eſt pulveri nervino ambra gryſea : ſuperbibitum eſt juſculum, ſuccis herbarum recenter expreſſis alteratum : juſcula naſturtina non benè tulit, ex pulveris ſolius uſu ventriculi regio multùm relaxata detumuit : Caffé dehinc potui ſibi commendato aſſuevit: manè jejunus, & noctu cubitum iturus plures uncias hauſit, & inſolitô effectu alvô commotus largiter & εὔφορως fuit: Elanguente verò eâdem operatione ad proſequendũ naturæ inchoatum opus,Aquas nitroſas Scollienſes (*das Schultzer Saltzwaſſer*) unius menſuræ doſi potandas plures dies obtulimus. Sorde nigricante uberiùs dejectâ ſubindè ad menſam per momentum ſedere & bibere , legere verò & ſcribere neutiquàm potuit : requiem in lectô imperturbatam habuit , imò tumultus ſi qui bibendo, ſtando , ſedendo , legendo , ſcribendo excitati ſunt, protinùs hâc captâ abiêre ; verùm lateri ſiniſtro quandocunque incumberet diutiùs , anhelitus difficilis evaſit , & tremor diaphragmatis accelerabatur , quem ille palpitationem cordis nominabat: appropinquante jam tempore Majali , cum Excell. Collegis , Dn. D. Hochreutenero , & Dn. D. Hœgero ſedulò deliberatum eſt , quid affectui penitiùs ſupprimendo aptandum ſit; morbum ſpaſmodicum eſſe , laticem primis viis circumſcribi , eôdem excitatô ad diſtantiores partes irritamen excurrere ; hinc varia ſpirituum deliramenta oriri , una mens fuit : nil fuit , ex quô certius auxilium in malô pejora quævis minitante captum iri duximus , ac thermæ Fabarienſes, quæ Nobiliſſ. ſorori Hiſtoria I. mirè profuerunt : Egregiam Matronam ſororem natu majorem ex diuturnô pathemate hyſterico-convulſivô vertiginoſam integrè reſtituerunt ; aliam ſororem Prænobilem , ex abortu, ventris torminibus & ſuffocationibus hyſtericis exquiſitiſſimis diu extenuatam omninô refecerunt. Optimam deniquè & lectiſſimam Dominam Matrem nephritide hyſtericâ cum ſtranguriâ penitùs liberarunt. Nobil. Domino Fratri calculoſo , licèt non æquè ex votô conduxerint. Equô Nob. Dominus iter facere ſatis benè valuit , dum nempè blandô & continuô paſſu equus incederet, nec ille corpus & caput moveret, ſtante verò equô, vel ad latera ſeu retrò ſpectante Nobil. virô, ſcotomiâ & vertigine caput rotatum illicô fuit, corpuſque ſudore univerſim madebat ; mons , qui propè Thermas ſitus erat ſcandendus , maximâ cum difficultate ſuperatus medii diei ſpatiô eſt : à portandi modô abhorruit : ab equi ſcandentis concuſſione tremuit : eundo corpus incaluit , ùt bihoriô ſub diô palliis in terram ſtratis eſſet incumbendum , donec æſtus concitatus palpitatio cordis , capitis temulentia & corporis totius tremor miteſcerent. Thermas, me ſibi rogatô moderatore, bibere incepit 2. Junii , menſuræ unius quantitate , doſi hinc in dies cyathô auctâ , donec menſuras ijß. attingeret : horam poſt hauſtas Aquas , clyſter ex Thermis puris & oleô injectus , & repetitus quandoque ſub veſperam eſt, donec operatio per alvum æquè ac urinam ſuccederet, quæ ſucceſſit,ità ùt alvô ſordidiſſimæ fæces quotidiè in copiâ redderentur , & qui in lectô potare hactenùs Thermas debuit , poſt octiduum ex ipſô fonte haurire alacriter , ſcalas ſcandere & deſcendere , imo ſedere & ſtare diutiùs , modò vinum non bibere impunè potuerit : balneô hinc alternis die-

bus horæ ſpatiô ſub veſperam inſedit, bene toleravit, & confortatus corpore ſenſibiliter fuit. Curam optatò finiit, die vigeſimô ſecundô, doſi quam hactenùs hauſit vix imminutâ, quô nempe operatio ultima cæteris eſſet parcior. Pharmaca totô hôc curſu conceſſi non alia, quàm cum prudenti diætæ moderamine, quæ alvô injiciebantur, ſi eâ ſegniore pectoris oppreſſiones quandoque ſe ſiſterent, & hâc motâ camarinâ, ociùs levatum inſigniter vidi. In itinere non tædiis longæ viæ, non tempeſtate motus, domum cum dulciſſimô ſuorum gaudiô & plurium admiratione ſalvus rediit, ad menſam ſedens cibum potumque (quod vinum defæcatiſſimum non ſpiritu turgidum eſt) hactenùs capit, & negotiis ampliſſimis animum priſtinô tantùm non vigore applicat. Præſervativô hoc tempore non fruitur, quàm diætâ exactâ in rebus n.n. & ſi ex ſuccorum in primis viis quâdam tumultuatione ſpaſmus circà præcordia ſentiatur, clyſmate ſimplici motâ alvô & hauſtô Caffé, omnis ſtatim improportionatio ceſſat.

Hiſtoria VII.

Non quidem omnibus æquè convenire, &,quâdam neceſſitatis lege, propinanda eſſe cathartica noſtra dicta, præcipuè dùm ab externâ quâdam ideâ inimicâ, eclyſi convulſivâ tangitur ſequior ſexus, vel motibus convulſivis agitatur uterô gerens, vel catameniis non ritè purgatur, vel aliô quôvis irritamine ex aliis partibus & erroribus ſuppeditatô laceſſitur, unâ adhuc & alterâ hiſtoriâ demonſtratum dabimus. Domini Jacobi Werderi uxor noviter ipſi matrimoniô juncta, dum D. 27. Maij hujus anni primum embryonis motum vehementer validum ſentiret, eclyſi fractâ concidit, & motibus convulſivis dudùm agitata fuit, paroxyſmum ſponte ſolutum alius mox gravior excepit, & ſic in ſecundum uſque diem non ſemihorii conceſſô intervallô, continuus tragœdiæ epilepticæ cernebatur; Ego tandem vocatus, ſpiritu ſal. Ammon. ſummè volatili naribus admotô excitavi, & antequam novâ præverteretur eclyſi, exhibitâ mixturæ antihyſtericô-anodynæ doſi, & eâdem per intervalla repetitâ, ſummâque injectâ quiete ægram feliciter reſtitui, jam filii haud difficili labore enixi, matrem lætiſſimam.

Hiſtoria VIII.

Ut maximè familiares, ita non minùs fatales difficulter parturientibus obſervantur convulſiones epilepticæ, quæ utplurimùm mortuô infante putreſcentibus ſuccis & irritatis hinc partibus membranoſis oboriuntur, non raro tamen etiam magnos conatus inanes, vividô infante, & doloribus verſus ſuperiora tendentibus, *wann die Wehen über ſich dringen,* pro cauſâ habent, quomodocunquè ſe habeat res, non tam epilepticis pugnandum, quàm verò fœtûs excluſio manuum operâ promovenda eſt. Ego obſtetricibus ſtatim præcipere ſoleo, ût digitum unum vel plures utero intrudant, quò vel ſuccorum corruptorum gas putridum exſpiraré commodè poſſit, vel dolores verſus inferiora promoveantur, quod certè levamini præſentiſſimo eſt miſeris, ſi verò pertinaciùs perdurent epileptici motus, manu ad uſque uteri fundum prudenter immiſsâ (quod non ſine multô ſudore effectui datur) arreptum pedibus fœtum extraho. Paucis abhinc annis, uxor Antonii Scheidtlini, ab incantatrice ventre tacta cum horrore & metu domum abiit, mox partûs doloribus mens maturiùs corripitur, conatus fuêre inanes verſus ſuperiora vergentes, præcordia inſigniter diſtendentes, & ſinguli tandem motibus convulſivis totius corporis horrendis ſociati, in quibus & lingua præmorſa eſt, & ſanguinis plures libræ ex ore projectæ ſunt: oſculô uteri, vi digitis apertô, protinùs convulſiones ceſſavêre, parturiendi conatus naturales invaluêre, & partus tandem mortuus feliciter excluſus eſt. Venefica quidem publicis conſtricta vinculis audaci facinoris abnegatione impunitatem hâc vice aſſecutâ, præteritô verò annô novorum delictorum convicta, igni comburiô ſublata eſt.

Ibid. Decur. III. ann. 4. Obſerv. LXXIII.

De Puellâ ex abſceſſibus internis defunctâ.

Ibid. ann. 4. Obſerv. 101.

De curâ Dyſenteriæ epidemicæ.

Ibid. Decur. III. ann. 5. & 6. Obſervatio, in Appendice.

De Conſtitutione Epidemicâ Sangallenſi, finis anni 1696. & principii 1697.

Ibid. Decur. III. ann. 7. & 8. Obſerv. 133.

De abortû feliciter inhibitô.

Ibid. in Ephemerid. Nat. Cur. Cent. 1. & 2. Obſervatio 5.

De Febri ictericâ chronicâ, cum colicâ ventriculi.

ILluſtriſſima Domina Baroniſſa de P. 36. annos nata, temperiei, quam vocant, ſanguineo-ſulphureæ, animi corporiſque dotibus, quæ ſexum longè ſuperant inſtructa; ex hôc ſolô infelix; quòd conjugium ſortita ſit ex animorum diſparitate maximè infauſtum; affectuum moderamen licèt ad ſtuporem uſque calleat, ſenſit tamen excedentium quandoquè pœnas. Nonus labitur annus, quô ex febre malignâ dubiô eventu, ſine ſenſu dudùm & convulſa decubuit. Deô benedicente, ſedulâ Graviſſimi Reipubl Curienſis Prætoris D. D. Bavierii operâ, paulatim priſtinæ ſanitatis recuperavit vigorem. Mœror animum graviùs ſubindè confecit; hinc ſpecies affectûs hyſterici per artus, per viſcera quandoquè deſæviens. Ad Sponſalia Perilluſtris Domini Fratris liberi Baronis de H. magnificè peragenda, confectioni pretioſiſſimorum ſaccharatorum interfuit; in hiſce guſtandis palatô indulgens, ſtomachô cœpit malè habere, anxietates ſenſit & oppreſſiones; adhibuit domeſtica uterina & ſtomachica cum levamine; redeunte acriùs ex quôvis paroxyſmô Cardialgiâ, antiſpaſmodica, præmiſſô emeticô, feliciter in uſum ducta ſunt. Cœpit tamen abhinc delaſſari, menſibus defraudari, & repetitis venæ ſectionibus ſanguine largiùs detractô, aurigine ſuffundi. Præſidia non neglexit Celeberrimus ſuprà nominatus D. D. Bavierius, quæcunque præſentiſſima hôc in morbô perhibentur. Succeſſum res pluriès habuit, quem ſpe & votis conceperat; at vel quæ erant faſtidia quotidiè devoranda, vel quòd diætæ minùs fuerit obſervans, firmam non diù conceſſêre valetudinem: levi datâ anſâ cardialgia, ſpaſmi abdominis & icterus redière. Celeberrimi in arte viri conſilium rogati, quivis ſpecifica ſua antiicterica creberrimô ſucceſſu probata, omni ſtudiô commendavit. Excellentiſſimus multorum Principum, urbiſque Lindavien-

ſium

ſium Archiater, D. D. *Millerus* præmiſſô Emeticô adhibuit martialia ſanguinem & ſuccos corrigentia in formâ pulverum; Electuarii & pillularum plurima, ex hauſtu decocti ſpecifici amari ſumenda, tandem etiam ſuccos ex herbis ſcorbuticis expreſſos & alia; non deguſtavit modò hæc ſingula vice unâ & alterâ, ſed pertinaciſſimô uſu quævis ad plures menſes continuavit; impetratum ſubindè eſt ut omne malum evanuiſſe videretur, & menſis ſpatiô conſopitum eſſet; rediit tamen ut plurimùm deterius. Annô 1699. ad Thermas Fabarienſes ſe conferens, balneum benè tulit, potum non item. Paroxyſmus febrilis cum Cardialgiâ & ventris tormine, quem ſemper nova Aurigo excepit, & ſolitô vehementior & diutius protractus accedebat, ùt omnium opinione non vice unâ, labiis jam anima pallidis oberraret; pernitioſum Curæ effectum dum hauſtis protinùs undis experiretur, maluit maturô diſceſſu ſuæ conſultum vitæ, quàm ſe tanto diſcrimini diutiùs expoſitam; ad ſuos denuò confugit ſanitatis cuſtodes, probatiſſimos in arte viros: aliâ jam viâ morbum aggredi ſtatuerunt, per Regium illud antifebrile, Corticem Peruvianum in ſubſtantiâ & infuſô exhibitum, peſſundare fomitem febrilem pertentantes. Sociatô anodynorum & ſpecificorum aliorum ad ſpaſmos dolorificos conſopiendum uſu, ſic morbum devicerunt, ùt per integros plures menſes conquieſceret; modò non penitùs expungi poterat ictericus in facie & oculis character. Aſperrimâ hyeme recreationis ergò trahâ in diſſitum vecta, nec circa diætam ſuæ valetudinis hìc & alibì memor, peccatum gravi recidivâ mox luit. Febris cum intenſiſſimâ Cardialgiâ, tormine & ſubſequente icterô, quôvis ſextô, tandem quintô & quartô die præcisè rediit: ad priſtina digreſſum eſt auxilia. Sic Siſyphi ſaxô in uſque æſtatem anni 1700. volutatô, ſalſulis expurgatô corpore, Acidulas experiri ſtatutum eſt: bibit ex ipſô fonte quotidiè menſuram & ſuprà: deterior redditus eſt primis diebus morbi ſtatus. His in anguſtiis verſanti, præſens tum temporis Excellentiſſ. D. D. *Zieglerus*, Practicus apud Tigurinos percelebris, Emeticum ei propinavit, quod inſignem æruginoſæ bilis amurcam crebriore vomitu expulit: abhìnc meliùs potum tulit, & paroxyſmi ad ſeptimum uſque diem moras tenuêre, nec ut olim vehementes fuêre: ſurrexit natura vix dum in novas vires, en nova ſe offerunt pejora prioribus ſymptomata. Jam ad hoſtem impugnandum vocatus clariſſimus Curiæ Rhætorum Medicus, D. D. *Kœhlius*, ex hôc campô vix felicior rediit: exiſtimabat exercitatiſſimus vir ſanguinis lentorem, craſſitiem, acorem vix certiùs correctum, turbatam vitalem œconomiam reſtitutum, & laticis oleoſô-ſulphurei craſin exaltatum iri, quàm ſtrenuô volatilium uſu. In hôc perſtitit menſis ſpatiô diligentiſſimè; At ad extremum potiùs diſcrimen deducta res eſt; paroxyſmi exin ſæviſſimè, cum epigaſtrii concuſſione convulſivâ quaſi vivum quid intùs tumultuaret, quôvis triduô rediêre. Placuit hìnc Illuſtriſſimæ Dominæ, ad me quoque deferri morbi contumacioris hiſtoriam, & nè quid curæ prætermiſſum videretur, me ſibi advocari. Diem adventûs uti magnô deſideriô exſpectabat, ita percommodè eundem egit. Facies fuit cum corpore ubiquè flaveſcens, corpus notabiliter emaciatum, ſtomachi confinia prætumida, durities in quôquam viſcere notari non poterat, ſerum tenue affatim ſputabat, ſtomachus crebrò ructus ſonoros emiſit, urina ſulphure cœnoſô refertiſſima nigricabat, fæces alvi cineritiæ erant, & compactæ, non tuſſiit, non difficulter reſpiravit, vires ad deambulandum ſufficiebant. Pridiè adventûs mei irâ & terrore commota plures ſanguinis grumos, præviâ tuſſi, rejecit. Paroxyſmi quos binos eâdem hebdomadâ ſuſtinuit, cæteros & doloris vehementiâ & ſymptomatum inſuetorum concurſu ſuperâſſe viſi ſunt. Ordiebantur cum oſcitatione, ructibus, ſputatione, oppreſſione ſtomachi & dolore epigaſtrii inter confinia hepatis & lienis concluſô. Hic paulatim uſquè adauctus eſt, ùt ſtomachus præſertim quaſi chelis cancrinis (ſunt verba Illuſtriſſimæ Dominæ) morſicarentur atque conſtringerentur. Tandem cum frigore extremorum in impetuoſos motus proſiliit abdomen, & continuatô ictu atque ſubſultu ab umbilicô verſus ſtomachum, ſæpè plures horas miſeram miſerrimè exercebat. Defervente ſpaſmorum ferociâ fervebat totum corpus, pulſus magnus & fortis, non tamen naturali celerior obſervabatur. Somnô obrepente omnia conquieſcebant, & mox totum corpus novô quaſi crocô profundè ſuffuſum apparuit. Urina ante paroxyſmum clara, jam aſpectu horribilis ex viridi nigricabat, ſenſimque aliquid de tincturâ craſſiore depoſuit, uſque dùm præ foribus exiſtente novô paroxyſmô, penitùs clareſceret. Amicè deliberatum hinc eſt cum Ampliſſimô loci Prætore, Excell. DD. *Bavieriô*, Virô de Patriâ inſigniter meritô. Febris uti quidem icterica nobis nuncupatus eſt affectus, non tamen ejus vel genii vel accidentis dolorifici, vel ſpaſmi ventris admirandi, adhuc dùm vera patuit cauſa. Viſum eſt nobis acidum ſylveſtre, à ſuccô bilioſô effœtuatô & ad duodenum exitu præcluſô minùs contemperatum, ſufficere ad deducenda hinc ſingula phænomena, quæ Illuſtriſſimæ Dominæ Patienti obveniebant. In hôc ergò amicè convenimus, eam medendi methodum eſſe proſequendam, quæ apta ſit ad duum-viratum in ventriculô & inteſtinis reſtituendum ſuccum nempe bilioſum acuendum, volatiliſandum, fluxilem reddendum, & reſeratô ductu cholidochô, ad duodenum ablegandum; ùt reſtitutô ejuſdem cum ſuccô pancreaticô amicô connubiô, concoctiones, digeſtiones, ſecretiones reſtaurari, ſicque amicabilis inter ſolidas & fluidas corporis partes, quies & harmonia conciliari poſſit. Decoctô Lindani antictericô primas hìc dedimus partes, cujus manè cyathum hauſit. Sub veſperam exhibita eſt doſis pillularum ex crocô ♂ aperitivô, cum extractô fumariæ & caſtorei paratarum. Ad ſymptomatis urgentis, ſpaſmi & doloris ferociam mitigandam aqua hyſterico-anodyna parata eſt, per intervalla cochleatim ſumenda. Fatô hæc ſingula ita propitiô data ſunt, ùt novam denuò convaleſcendi ſpem ſumeret, alvô in dies ter & quater cum palpabili εὐφορίᾳ commotâ, & paroxyſmô inducias octo dierum concedente. Hujus ùt voti ſui compos fieri commodiùs liceret, die 29. Auguſti 1700. Sangallum ſe contulit, (ſuadente id cum Illuſtriſſimô Dominô Parente, Excellentiſſ. D. D. *Bavieriô*, virô per ampliſſimam Praxin in & extra Patriam, atque negotia Politica nunquam non occupatiſſimô) quò in ædibus meis quotidianæ mutationes exactiùs obſervari, conveniens Diætæ regula teneri, & neceſſarius in medicamentis exhibendis ordo inſtitui poſſit. Advenientis Illuſtriſſ. Dominæ crura, ad genua uſque inſigniter tumuêre, icterus vix notabilis, urina modicè tincta, fæces alvi cineritiæ erant. Remedia continuantur.

Die 30. Auguſt. alacris fuit, exſpatiandô ſe exercebat, avidè comedit, cibum benè tulit, noctu quietè dormiit, alvum ter reddidit. D. 31. repetiit hauſtum matutinum decocti, unde flatus & tormina, fæcum retentio. In prandiô aliquan-

tum

tum vini Malvatici deguſtat cum intinctô pane ſaccharatô; mox tormina invaleſcunt, Cardialgia, frigus extremorum, & præſertim dolor exquiſitus circa hepatis regionem ſentitur; injectum Enema, & data eſt mixtura hyſtericô-anodyna, circa veſperam ſiluit dolor, & ſomnus obrepſit; circa ſextam pulſus concitatior obſervatus, æſtus membra occupavit; redditum eſt clyſma cum liquamine albidô; dormiit totâ nocte; manè vegeta ſurrexit, ſed totô corpore multâ aurigine perfuſa. Sic menſem Septembrem totum transegit, ùt nempe paroxyſmus octavô die, etiam exactô regimine obſervatô, & alvô quotidiè laxatâ, nihilominùs rediret. Solvuntur paroxyſmi largô ſudore, unde pruritus in totô corpore, quem frictionibus ad ſanguinis uſque profluvium lenire conatur.

Die 17. & 24. ſiſtentibus ſe paroxyſmi prodromis, ſcilicèt oſcitatione, cardialgiâ, ventris lancinatione, ructibus, ſputatione, quibus ſe junxit ſpaſmus in pedum digitis exquiſitè dolorificus, decocti Chamomillæ vulgaris hauſtum propinavi, & Clyſma ex eôdem cum Ol. Chamomill. & lumbricorum mixtùm injici curavi. Ventriculo Galbanettum impoſui, undè mitiùs affligebat dolor vix in horam protractus; febris autem non minùs intenſa fuit, & poſterô die urina ut hactenùs ſpiſſa, facieſque profundè flavebat. Tentatum proin etiam eſt decantatum illud euporiſton ex lactis vaccini, ablatô cremore, ℥vj. *ſaponis Venet.* ʒjß. *& ſyrup. de marrub.* ℥ß. Potui ordinario infundebantur ſummitat. abſynth. marrub. urtic. & ſalviæ, quibus non pronupèr ex Icterô paroxyſante emaciatiſſimus reſtitutus perhibebatur; externa quoque & per magnetiſmum operantia quæcunque in uſum vocata ſunt. Sed dum omnem hactenùs eluſit operam affectus, & nihil reſponſi ad repetitas meas ab Excell. *D. D. Bavierô*, ob ſui abſentiam fortè, impetrare licuit, Celeberrimos in arte Æſculapios, *Magnificum D. D. Lucam Schrökium, Sacr. Cæſar. Majeſt. Archiatr. Comit. Palatinum &c.* Nobiliſſimos item, Excellentiſſimos & medendi dexteritate longè latèque conſpicuos, *D. D. Mejerum Schaffuſienſem, & D. D. Millerum Lindavienſem*, perſcriptâ ad illos morbi hiſtoriâ ad communicandum conſilium ſeriò rogavi, unanimis virorum Excellentiſſimorum ſententia fuit, Cortice Peruvianô non fugari ſolùm, ſed & deleri atque extingui poſſe fermentum febrile, tantorum cauſam malorum.

D. 1. Octobris dum circa noctis duodecimam paroxyſmus Colicus cum extremorum refrigeratione & ſubſequente æſtu denuò, ſed ſingulis poſtremis mitior accederet decocti Chamomillæ hauſtu placatus, hôc magis audacter ad Antidoti febrilis uſum acceſſimus, ejuſque periculum fecimus, *manè & veſperi ejuſdem* ʒß. *cum flor. ſal. amm.* ℈ß. ex hauſtu decocti Chamomillæ exhibendô, & ſeſe ad levem madorem componendô; tulit uſum non ſine fructu. Per nares prodiit inſolita flavæ mucaginis quantitas, appetitui & viribus robur acceſſit, & univerſæ functiones alacriùs expediri viſæ ſunt. Dum jam in vadô ſe crederet conſtitutam, & nihil minùs exſpectaret, circa veſperam d. 8. ſputatio & ructus redierunt, non niſi juſculô hauſtô lectum petiit; noctis horâ ſecundâ extrema frigere cœperunt, & quod in omni gliſcente paroxyſmô obſervatum, inanis ad alvum reddendam ſtimulus urgebat, ructus frequentes; tormina & in utrôque hypochondriô ſpaſmus exquiſitus, tantaque tandem Epigaſtrii commotio, mox extenſio, mox vehemens retractio, & verſus umbilicum pulſio acceſſit, ùt citra diſruptionem inteſtinorum tantam violentiam fieri concipi vix poſſet.

D. 9. ſummô mane injecta ſunt clyſmata unctuoſa anodyna, factæ inunctiones: internè data ſunt Opiata theriacalia, tandem antiſpaſmodica oleoſa, tubulum inteſtinalem blandè demulcentia, reſerantia; at omnia incaſsùm; non ſolùm hanc diem & noctem duravit paroxyſmus, ſed etiam.

D. 10. totus venter extumuit, & maximè ſub utrôque hypochondriô, hepatis & lienis regione tumor ſingulariter extuberans Illuſtriſſimæ Dominæ, aliàs adverſa quævis ad ſtuporem patienter ferenti, clamores & ejulatus expreſſit, quaſi in partu difficili conſtitutæ; interim membra cadaverosè friguerunt, vires corporis & animi defecerunt, pulſus elanguit, & proſcriptâ omni ſpe vivendi inter preces & ſolamina adſtantium hunc & ſequentem diem tranſegit. Tumor utriuſque lateris, propter quem in neutrum ſe latus flectere poterat, pro hepatis & lienis inflammatione nobis primùm impoſuit, undè quod crebrâ experientiâ compertum habemus, linteamina acetô calente imbuta utrique tumori admovimus, pro tubuli inteſtinalis à triduô conſtipatiſſimi, nec clyſmata reddentis, reſeratione, Oleum in Colicâ ſpaſmodicâ eximii uſûs, quod Perilluſtri Sereniſſimi Electoris Palatini Archiatro, totô Orbe Celeberrimo *D. D. Brunnero* acceptum debemus, per trium horarum intervalla cum juſculô carnis exhibitum eſt.

D. 11. Vomitus liquaminis vitellini acceſſit, dum is crebriùs urgeret, ad hunc inhibendum & morbum iliacum præcavendum pulviſculi abſorbentes cum opii afflatu dati ſunt. Oleum anticolicum ſedulò continuatum eſt: circa veſperam cum horrore totius corporis alvus officium fecit, prodierunt glandes craſſæ, induratæ, nigricantes, liquamine bilioſô fœtidiſſimô exceptæ, & concrementis calculoſis pluribus refertæ, noctu breves ſomni ſubrepſerunt.

D. 13. Clariſſimam Dominam Filiam viſitatum acceſſit Illuſtriſſimus Dominus Parens: vidit illam extremè debilem, at ex limine mortis paulisper ereptam: continuatus eſt olei anticolici cum ſyrup. roſar. S. S. permixti uſus: alvus liquida molleculis compactiſſimis confuſa jugiter fluebat: putatus hepatis & lienis totiuſque ventris tumor inſigniter imminutus eſt: dolores graviores miteſcebant: corpus æſtuare ac inter ſomnum interruptum ſudoribus perfundi cœpit.

D. 14. & ſequentibus, viribus fractiſſima continuô ſudore madebat, pulſus celerior, ſitis intenſa, dolor ab hepate ad lienis regionem ſatis adhuc exquiſitus, protuberantia, quæ pro hepatis inflammatione vel in arte verſatiſſimô impoſuiſſet, multùm ſeceſſu crebrô diminuta, ſed acriter ſenſibilis perſtitit; & quid dicam? nullus in corpore locus erat, qui non ſpaſmorum ferociâ exercitus, ſopitô paroxyſmô, triſtem doloris ideam reliquerit; pectus, nucha, ſcapulæ, brachium dextrum, totuſque venter vix attactum ferebant, corpuſque ad ſceleti formam extabuit. Paroxyſmus hic, quô fortè nemo & crudeliùs & longiùs ſævientem vidit unquam, terminatus eſt cum Icterô, nigrô veriſſimè dictô: lotium percraſſum & turbidum, odore felium urinæ perſimile, tantùm locum inficiebat, ùt ſinguli accedentes hypocauſtum à catô permictum dicerent. Tumorem autem ventris in utrôque hypochondriô ſingulariter prominentem & ſenſibilem, ex ſolius inteſtini Coli infarctu productum, motuque illô in ventre convulſivô incarcerata ſcybala & flatus ab irritatô Archæô, motu periſtalticô auctô, de locô in locum

cum protruſa fuiſſe, donec exitus per inferiora pateret, uti dubium nobis non fuit, ita hôc ex fundamentô deſtitum non eſt, reliquias in Colô hærentes jugi uſu Olei anticolici, ſyrup. roſ. ſ. mixti, per epicraſin expurgare, donec tædium illam & nauſea caperet remedij, *quod ad Perilluſtriſ. ſ. n. D. D. Brunneri dictamen paratur ex ℞. Flor. Chamomill. vulg. papav. rh. fol. naſturt. aquat. ſummit. meliſſ. rec. ana. M*ß. *lumbricor. terr. n.* LX. *Balſam. Peruvian.* ℥ß. *Vin. alb. generoſ.* ℔ß. *amygd. d.* ℔j. coquantur, ſimul ad vini conſumtionem Ol. colatum ſerv. ad vitr. ter quotidie ad ℥j. in juſculô exhibendum.

Ad vires reparandas juxtà cremorem hordei maximè analepticum, cum carne vitulinâ & gallinâ ad mucaginem coctum, & quater de die ſorptum, etiam gelatina Corn. Cerv. parata eſt ſequentem in modum: ℞. *C. C. raſp.* ℥iijß. *fol. meliſſ. veron. beton. flor. borrag. ana M*ß. *ſem. fœnic.* ℨj. *coq. in aq. fontan.* ℔iiij. *ad medias*, poſtmodùm add. *Conſerv. roſar. r.* ℥jß. *paſſul. min. apt. mundat.* ℥j. bulliant adhuc aliquantùm, poſteà colentur & ſerv. in vaſe fictili in locô frigidô, de quâ ſumantur mane horâ ſeptimâ, & veſperi horâ quintâ cochlearia duo, ſuperbibendo juſculum ex cremore hordei analepticô; inunctiones ſecundum coli tractum diligenter continuatæ ſunt; clyſmata non neglecta.

D. Solis, quæ erat 20. alacrior ac hactenùs, cibos in prandiô avidè ſumſit, vini modicum cum decoctô rad. chin. & paſſulis hauſit, ex hôc murmura ventris audita ſunt. Clyſter injectus eſt, qui ab inteſtinô rectô, quaſi vi magnâ abreptus, verſus ſtomachum tendere putabatur: novi paroxyſmi protinùs comparuêre prodromi, oſcitatio, ructus ſonori, ſputatio, Cardialgia, (colica ventriculi *Mortonô de Phthiſi* icterica nuncupata) ſpaſmi Coli mites fuerunt, & impetus ille ſpaſmodicus planè abfuit, ſine dubiô propter colon reſeratum & expurgatum, motu periſtalticô imperturbatô exiſtente. Bihoriô ſic tranſactô, æſtus occupavit artus, & largô ſudore paroxyſmus finiebatur.

D. 21. multùm virium ex hôc paroxyſmô ſumſiſſe videbatur ſibi; plurimus dolor diſparuit, tangi ubiquè quàm hepatis regione ſine dolore potuit, quam partem continuô ſtringi ſpaſmô querebatur, urina, quæ hactenùs acceſſione finitâ profundè nigricans, fœculenta, limoſa comparuit, jam non niſi benè crocata exſtitit. Non exiguam redeuntis ſenſim ad frugem valetudinis ſpem fecit Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis ſuprà nominatis Viris, quos conſilio adhibueram, paroxyſmus hic tantùm prioribus mitior & tranquillior decurrens: proindè infuſi antícterici (quod *Mortonus* in *Phthiſiologia* p. 8. habet) corticis Peruviani acceſſione exaltati uſum interpoſitis ſubindè laxantibus commendârunt. Sumſit hauſtum manè & veſperi cum Pulveris Cachectici à Celeberrimô *D. D. Millerô*, amicô æſtumatiſſimô tranſmiſſi, & ceu ſpecificarum virium longâ praxi probati, ℨß.

Qui D. 27. paroxyſmus acceſſiſſe debuerat, diem poſtpoſuit, & d. 28. inter prandendum cum ructibus, oppreſſione ſtomachi & frigore extremorum rediit, dolores verò penitùs abfuêre. Circa quintam veſpertinam ſudor paroxyſmum finiit, & ſomnus plurium horarum obrepſit. Ut verò Augiæ hoc Coli ſtabulum penitùs extergeretur, & fermentum febrile extingueretur, juxta infuſi ♂ antícterici Chin. Chin. exaltati uſum, alvus ſegnior per epicraſin potiunculâ ex *ol. amygd. d. & Man. opt. ana* ℥iß. *decoct. fl. chamomill.* ℥iiij. (cujus aliàs vires in pertinaciſſimâ çolicâ deprædicari ſaltis non poſſunt) etiam clyſteribus injectis ſollicitabatur, & hepatis regione à dolore & ſpaſmis nondùm immuni, Emplaſtrum Norimbergenſe impoſitum eſt; & quidem cum ſucceſſu, ùt paroxyſmus quivis diem poſtponens, tandem ad uſque undecimum diem protraheretur, mitior quævis acceſſio fieret, excrementa nigerrima prodirent, flatus copioſi, indicium inchoatæ digeſtionis per inferiora ſecederent, urina clareſceret, & bonæ notæ indicia præberet, ſingulæ functiones alacriùs expedirentur, & ſic Dei Max. ex gratiâ ſingulari, fauſta quæque apparerent. Succreſcente ſic, lentô quamvis progreſſu, vigore, Illuſtriſſima Domina ſe domum portari mediô Decembri, in Lecticâ curabat: ex moleſtiâ itineris, non tam tempeſtate horridâ, quàm caſu lecticæ, equis profundâ nocte in viâ glaciatâ hærentibus, cum tædiis aliis, quas devorare cogebatur, ſatis acerbis, reſuſcitatum denuò ſcintillavit malum. Febris rediit cum colore ictericô ſingulos paroxyſmos excipiente, & colicô dolore non quidem acerbô: bonô cum omine inceptum intentionis ſcopum proſequi, tantô minùs deſtitimus, & tandem curæ optatum colophonem impoſuimus, ſemel hebdomadatim extergendo inteſtinorum tubulum, per pulveris Rhabarb. v. ℨj. Cæteris verò diebus manè & veſperi hauſtu ſequentis decocti abſorptô: ℞. *Rad. Chelidon. maj. Vincetox. gentian. ana* ℥ß. *folior. marrub. abſynth. Cichor. flor. Centaur. min. ana M*ß. *Cort, Ch. Ch.* ℥ß. *limatur.* ♂. *in nod. lig.* ℥jß. *Zedoar. galang. ana* ℨj. *Inciſ. coqu. in B. M. per hor. ij. cum aq. font. & vin. alb. veter. ana* ℔ijß. Colatura ſervetur ad uſum. In potu ordinariô fruſtum ☉ candentis ſæpius erat extinctum. Diæta conveniens injunctâ. Sic ſenſim correctâ ſuccorum quoad craſin & motum anomaliâ; fermentis viſcerum ad genium redeuntibus, ſanguine ad elaterem ſuum magis magiſque exaltatô, & turgeſcentiæ naturalis indicia exhibente per narium frequens ſtillicidium, & appetitu naturali ad cibos boni ſucci redeunte, qui priùs non niſi in abſurda ferebatur, in vadô ſalutis omnia conſtituta videbantur, ſed en! hæmorrhagia narium incrementa ſumens in dies, cum intercurrentibus animi deliquiis, perterruit de novô Illuſtriſſimam Dominam Baroniſſam, ùt me 15. horarum itinere diſtantem advocare decerneret: maturatum eſt iter.

D. 16. Februarij 1701. adveniens, vidi lectum circumſtantes ſanguine junctos, extrema perpetim exſpectantes: ut verò pulſum ſatis bonum comperi, & animi præſentiam, fauſta quævis ſperare juſſi, quamvis ex largiore ſanguinis profuſione viribus fractiſſima exiſteret, & pedes œdemate tumerent. Data eſt mixtura ad hæmorrhagiam Sylvii; parata ſunt Cardiaca temperata, juſcula cum Endiviâ cocta, Gelatinoſa & alia reficientia; ceſſavit hæmorrhagia, & vires fatiſcentes reſtituebantur. Continuatus hinc eſt quotidianus decocti Martial. amaricantis & Pulv. Rhabar. hebdomadarius uſus, quò penitiùs ſucci vitales à crocô peregrinô depurarentur, ſalia lixiva cicurarentur, viſcedines & lentor ſanguinis attenuaretur, bilis præſertim ſulphur effatuatum acueretur, tubulus inteſtinalis reſeraretur, extergeretur, bilis egreſſus in duodenum proliceretur, & ſic etiam naturalis menſtrua per loca conſueta evacuatio promoveretur. Nec nos intentio fefellit; deſperata valetudo ſenſim reverſa eſt, & poſt tot hoſtium deſideratum exſilium ovans cum triumphô rediit ſanitas, quâ hucuſquè intemeratè, & cum ſtupore eorum fruitur, qui eam ex ſeſquiennali morbô emaciatiſſimam, & peregrinô colore deturpatam, nunc verò athleticè valentem

tem & nitidiſſimam conſpexêre.

Ibid. Obſervatio 6.

De Abſciſsâ Coli portione, non lethali.

CRaſſorum inteſtinorum vulnera quamvis paſſim occurrant apud Authores, vel ſponte naturâ, vel per ſuturam conſolidata atque curata, inteſtinum tamen per medium ſectum, abſciſsâ ejuſdem portione curâ admiſiſſe, inter rariora meretur poni, quæ occurrere poſſunt obſervationum monumenta. Caſus hic obtigit in Johanne Kreſſenbucher, Turgoviâ Utvillanô, juvene 26. annorum. Hic an. 1694. mente adhuc & corpore ſanus, ex annonæ caritate famis miſeriam expertus, clibano piſtoris adſtans, & paniculum inibi relictum videns, jubentibus ſociis, clam irrepſit, panem petiturus & ſtomachum latrantem placaturus: verùm ſeu vapore ſeu fornacis calore mox inibi obmutuit: diuturniore morâ perterriti circumſtantes, vocato Piſtori rem exponunt: hic ſine morâ pedibus extractum frigidâ largiter perfudit; ex quô motus convulſivi totum corpus prehenderunt; in habitum exindè Caducus erupit, & per paroxyſmos modò ſemel, etiam bis de die miſerum concuſſit, interdùm unius & duarum hebdomadarum inducias conceſſit; perverſis tandem cerebri poris fatuitatem induxit. Die 16. Maij 1700. per ſeptimanæ ſpatium totus amens cum furore fuit, nudus, ubicumquè aufugere potuit, excurſitabat, & nè vim ſibi inferret cuſtodiri debuit. Ex inſtitutâ venæ ſectione placabilior factus de dolore in latere hypochondrii ſiniſtrô magnas querelas movet; quem atrociùs ſævientem paroxyſmi Epileptici prodromum expertus eſt, precibus non rarò inſtitit, ut ſibi cultrô venter aperiretur. Die Mercurii ante Feſtum Pentecoſtis annô 1700. (uti hoc cum totâ caſûs hiſtoriâ conſignatum mihi tradere placuit plurimum Reverendo loci Parocho *Dn. Joh. Henrico Erni, Tigurino*,) ſolus in hypocauſtô relictus cultrum arripuit, ventrem palmam ſupra umbilicum magnô ictu non modò perfodit, ſed & portionem inteſtini trium circiter unciarum è vulnere propendentem abſcidit, & ceu quid actum ſit celaturus infra menſam projecit, ſeque ad fornacem proripuit. Pater ſuperveniens, conſpectô cultrô, deterius quid ſibi illicô ominatus, filii manus cruentas de ventre abripit, & rem attonitus videt. Vocatus loci Chirurgus *Dn. Joh. Conrad Vogt*, portione inteſtini abſciſſi conſpectâ mortis prognoſticon tulit, & Cardiacis refocillatô Patiente, utramque inteſtini partem ex vulnere propendere permiſit; donec de illâ certus eſſet, per quam ſordes exirent. Re ſatis explorâtâ, poſt plurium dierum decurſum, inferius inteſtinum in ventrem intruſit. Superioris verò extremitatem probè obſervari juſſit, nè ſimul ad interiora recederet, & excrementa in cavum abdominis deponerentur. Sic tandem ſolius benignæ conſervatricis naturæ providentiâ, nemine hoc per artem intendente factum eſt, ût extremitas inteſtini ſauciati cum vulneris orificiô coaleſceret, & ſextô jam annô, tanquam ex podice equinô expreſſis priùs rutilantibus rugis, excrementa alvina & flatus ſine ullâ moleſtiâ hâc viâ reddantur, per anum verò ne minimum quid excernatur, niſi quod primis diebus liquaminis cruenti ſeceſſit. Ante quinquennium circiter in viciniam vocatus, nolui occaſionem ipſum viſendi negligere: fatuus erat, moribus incompoſitis & vultûs torvi, ligamenta detracta ſerô maduêre; ex mirô hôc podice palmam ſupra umbilicum exiſtente compreſsô, ſerum fermentans ſpumoſum & graviter nares feriens, cum granulis hordeaceis & avenaceis exibat. Sic viribus valuit, ùt negotia ruſticana in campis & pratis obiret; à trienniô verò dùm in piſcinam ſuffocaturus ſeſe proſiliit, juſſu Magiſtratûs vinculis domi cuſtoditur, ubi fila ducendo vitam agit. Paroxyſmum Epilepticum ſi frequentiùs patiatur, & ſitim extincturus largiùs bibat, plurimùm aquæ potæ per locum hunc exit. Jam viribus fractus & emaciatus haud multum à fati limine abeſſe dicitur, quod cum ipsô Parentes unicè vovent.

Ibid. Obſervatio 7.

De, ad hæmorrhagiam ex dente evulſô, remediô.

HÆrent dentes aliquandò ità fortiter & profundè alveolis ſuis infixi, ùt etiam expertiſſimis in hoc artificii genere magiſtris, licèt ſuperatô feliciter labore, ex hæmorrhagiâ vix compeſcibili famæ diſpendium quandoquè immineat. Non pauci ſunt, quibus conſtringi laceratæ arteriolæ nullâ arte potuerunt, donec cum meliore vitæ theſaurô, ipſam vitam exſpirarent. Facilè & haud unquam fallens auxilium ad reprimendum fatale hocce diluvium, hìc addidiſſe tantô minûs lectori diſplicebit, dum ejuſdem pluriès in deſperatiſſimâ hujuſmodi ſanguinis ad uſque deliquia profuſione, vires præſentiſſimas expertus ſim. Eſt verò hoc nihil aliud, quàm nucis juglandis particula accenſa, & flagrans alveolo dentis extracti indita. Ni ſtatim voto effectus reſpondeat, ſecundâ & tertiâ vice eſt hoc repetendum, & nucleus fortiter alveolo imprimendus, quô læſa arteriola tangi, & calore ejus conſtringi commodè poſſit. Sic ſine ullô excitatô dolore omnis hæmorrhagia in momentô ceſſabit. Patiens verô per horas aliquot quietus manebit, nihil maſticabit, minùs calidum quid hauriet, potiùs de aquâ ad hæmorrhagiam Sylvii aliquid per horas deguſtabit, donec vires paulatim redeant, & ſanguinis fervor remiſerit.

Ibid. Obſervatio 8.

De Raucedinis Remediô.

EX lymphæ in glandulis laryngis incraſſatæ vitiô tempore nebuloſô & hybernô, ſæpiùs noſtris vox rauca evadit, & ſubindè præſtantiſſimorum medicaminum vim eludit. Ancilla nuper per plures menſes raucoſa, me conſilium rogavit. Suaſi hauſtum ſeri lactis calentis manè & veſperi: à primô potatô cyathô vox clarior evaſit. Tentavi idem in aliis, & hactenùs ſpem nunquam fefellit, ſed plurimis in inſtanti auxilium attulit.

ANONYMI.

Plures Anonymi Auctores, ac ſub hôc etiam nomine, Scriptorum variorum Collectiones; imò etiam Libri Miſcellanei, recenſentur in Mercklini Lindeniô Renovatô, ſub quatuor Claſſibus; Quæ ſunt ſubſequentes.

CLASIS PRIMA.

De Autoribus Chymicis incertis, ſeu Anonymis.

CAnones decem, Myſterium Artis mirâ brevitate & perſpicuitate comprehendentes. Extant cum Opuſculis quibuſdam Chemicis. Francofurti, apud Johan. Bringerum, 1614. in 8.

Tractatus de ſecretiſſimô antiquorum Philoſophorum arcanô. Quô non ſolùm omnes ægritudines

tudines totius corporis humani mirabiliter ſanantur: verùm & immunda ac leproſa corpora Metallorum in perfectum Lunificum & Solificum tranſmutantur. In gratiam Filiorum Hermeticæ doctrinæ nunc primùm in lucem editus, Auctore Philoſophô Anonymô. Lipſiæ, apud Thomam Schurerium, 1610. in 8. & Volumine quartô Theatri Chemici, editi Argentorati, ap. Lazarum Zetznerum, 1611. 1613. in 8.

De magni Lapidis compoſitione & operatione. Exſtat Volumine tertiô ejuſdem Theatri Chemici.

Dialogus Mercurii, Alchymiſtæ, & Naturæ. Exſtat Volumine quartô ejuſdem Operis.

Propoſitiones XXII. In quibus veritas totius Artis Chemiæ breviſſimè comprehenditur. Exſtat eôdem Volumine.

Tractatulus ſuper hæc verba: Studiô namque Florenti. Exſtat ibidem.

Opus ad Album. Exſtat ibidem.

Tractatulus ſuper verba Mer. Fugi dum bibit. Extat ibid.

Tractatus Philoſophicus ad Rubrum & Album. Exſtat ibid.

Turba Philoſophorum, qualis nulla hactenus viſa eſt editio. Et Allegoriæ Sapientum, & Diſtinctiones XXIX. ſupra Librum Turbæ. Exſtant Volumine quintô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Eundem Zetznerum, 1622. in 8.

Conſilia Conjugii, ſeu, de Maſſâ Solis & Lunæ, Libri tres. Exſtant eôdem Volumine.

Animadverſiones Chemicæ quatuor. Quibus Ars περὶ Χημείας univerſa, tam Practicè, quàm Theoricè enodatur. Exſtant ibidem. Exſtant etiam in Librô Secretorum Regis Calid, Filii Jarichi. Francofurti, apud Johan. Bringerum, 1615. in 8.

De Planetarum, Metallorum, Magiſteriorum & Elementorum proprietate, naturâ, tranſmutatione, qualitatibus & mixtione, Tractatus ſagaciſſimus. Exſtat Decade primâ Harmoniæ imperſcrutabilis Chymico - Philoſophicæ, collectâ ab Hermannô Condeeſyanô & Francofurti, apud Conradum Eifridum 1625. in 8.

De Lapide Philoſophicô Liber præſtantiſſimus. Exſtat eâdem Decade.

Concordantiarum Philoſophorum de Lapide Philoſophorum Tractatus utilis. Exſtat eâdem Decade.

Brevis excurſus in Battologiam Quercetani. Quô Alchymiæ principia funditus diruuntur, & Artis vanitas demonſtratur. Acceſſit Cenſura Scholæ Pariſienſis. Pariſiis, apud Hadrianum Perier, 1604. in 12.

Diſpenſatorium Chymicum, hoc eſt, nova & hactenus incognita rariora & præſtantiſſima ad periculoſiſſimos & mirabiles quoſdam Morbos Remedia conficiendi ratio, atque curandi Methodus, &c. Cui acceſſêre Benedicti Faventini Meditationes Empiricæ: Camilli Tomai curandorum Morborum rationalis Methodus: ac Nicolai Epiphanii Medicinalis Practica: demum Johannis Petri Lothichii de Gummi (ut vocant) Gotta, ſive, Laxativô Indicô. Diſcurſus Theoretico - Practicus. Francof. apud Theobald. Schonwetterum, 1626. in 8.

Philoſophiæ Chymicæ quatuor vetuſtiſſima Scripta. Francofurti, 1605. in 8.

De Naturæ Secretis quibuſdam ad Vulcaniam Artis Chymiæ ante omnia neceſſariis, 1618. in 8.

Bernhardus Redivivus, id eſt, Comitis antiqui Ticoirenſis de Chymia, Opus Hiſtoricum & Dogmaticum. Francof. 1625. in 8.

De Lapide Phil. Tractatus duodecim è naturæ fonte & manuali experientiâ depromti. Francof. 1611. in 8.

Quatuor vetuſtiſſima Scripta Philoſophorum Chymicorum. Francof. 1605. in 8.

Tractatus de Sulphure. Coloniæ, 1616. in 8.

Diſquiſitio de Heliâ Artiſtâ, de Metallorum Tranſmutatione. Marpurgi, 1608. in 8.

Tabulæ VII. continentes Synopſin Lapidis Philoſophici, ſeu, Medicinæ univerſalis. Erfordiæ, 1598. in formâ patenti.

Introductio in vitalem Philoſophiam. Cui cohæret omnium Morborum aſtralium & materialium, ſeu, Morborum elementariorum & hæreditariorum ex Librô Naturæ, Codice Philoſophicæ & Medicæ veritatis. Additis veterum placitis, Hippocratis, Galeni, Celſi, aliorum, Explicatio atque Curatio. In ſpeciali explicatione Morborum agitur de Curationum myſteriis. Indicationum compendiis, Remediorum arcanis. Et primùm Galeni & aliorum veterum Medicamenta proferuntur: deinde Paracelſi, Thurnheiſeri, Quercetani, aliorumque Neotericorum Philoſophorum experientia demonſtratur, Medicamenta omnium Morborum ex Anatomiâ & Arte ſignatâ, tam ſimplicia, quàm compoſita oſtendendo. Francof. apud Joh. Theodor. de Bry, & Johan. Ammonium, 1623. in 4.

Ἑρμηνεία τῶν σημείων τῆς ἱερᾶς τέχνης, ſeu, Expoſitio ſignorum Chymicorum. Exſtat Græce Mss. apud D. Joh. Elichmannum, Med. Leidenſem, Amicum noſtrum.

Lexicum Chymicum. Exſtat Græcè manuſcr. apud Eundem.

Περὶ χημείας Liber utiliſſimus, Roſarius minor inſcriptus. Exſtat cum verſæ Alchemiæ Scriptoribus aliquot, à Guil. Gratarolô collectis. Baſileæ, apud Hen. Petri, 1501. in fol. pag. 222.

De Magni Lapidis compoſitione & operatione, Liber. Exſtat ibidem, p. 1. Tomi II.

Theſaurus Philoſophiæ. Exſtat ibid. p. 237.

Hiſtoriola antiqua de Argentô in Aurum verſô. Exſtat ibid. p. 252.

Tractatus de Marchaſitâ, ex quâ tandem cum aliis dicendis fit Elixir ad album veriſſimum. Exſtat ibid. p. 254.

Quæſtio an Lapis Philoſophicus valeat contra Peſtem. Exſtat ibid. p. 259.

Animadverſiones in Johannis Antarveti, Medicinæ Candidati, Apologiam pro Judiciô Scholæ Pariſienſis, de Alchimiâ. Francofurti, apud Claud. Marnium & Hæred. Aubrii, 1604. in 8.

Tractatulus Chemicus, Theoſophiæ palmarium dictus, Anonymi cujuſdam Philoſophi antiqui, à Nicolaô Bernaudô à Criſtâ Arnaudi, *Delphinatis*, nunc primùm editus. Lugd. Batavor. apud Thom. Baſſon, 1601. in 8.

De occultâ Philoſophiâ, Epiſtola cujuſdam Patris ad Filium, à Nicolaô Arnaudô nunc primùm in lucem edita. Lugd. Batav. apud Thom. Baſſon, 1601. in 8.

Liber ſecretorum Regis Calid, Filii Jarichi, ſive Lapidis Philoſophici Secreta Secretorum admiranda, ſtupenda, quibus Artis myſteria facillimè apertiſſimèque traduntur. Ex Hebræô primùm in Arabicum, & demum in Latinum traducta. Acceſſerunt Animadverſiones Chemicæ quatuor. Quibus Ars Περὶ χημείας univerſa tam Practicè, quàm Theoreticè, citra omnem invidiam, Filiis ſapientiæ quàm apertiſſimè & breviſſimè enodatur atque demonſtratur. Auctore Incertô. Francofurti, apud Johannem Bringerum, 1515. in 8.

Novum Lumen Chymicum à Naturæ fonte & manuali experientiâ depromptum, in duas partes diviſum; quarum prior XII. Tractatus de Mercuriô agit: Poſterior de Sulphure, alterô Naturæ principiô. Genevæ, apud Johan. de Tournes, 1628. in 12. Ibidem, apud eoſdem, 1673. in 8.

Centuria Chymica, hoc eſt, de Lapide Philoſophorum, Carmen. Noribergæ, 1653. in 4.

Diſſertatio Medico-Hermetica de Catholicô magni naturæ Magiſtratûs myſteriô. Francofur. 1656. in 8.

Chymiæ fundamenta vera. 1660. in 8.

Oedipus Hermeticus. Londini Scanorum, 1669. in 12.

Cabala Speculum Artis & naturæ in Chymiâ. Auguſtæ Vindelic. 1654. in 8. Ibid. 1664. in 4.

Tractatus de Generatione Metallorum. Exſtat cum Muſæô Hermeticô reformatô, & amplificatô. N. 8. Francof. 1677. in 4.

Hydrolithus Sophicus ſeu aquarium Sapientium. Exſtat cum Muſæô Hermeticô reformatô & amplificatô. Francof. 1677. in 4.

Tractatus aureus de Lapide Philoſophicô ab Anonymô, verô tamen Lapidis poſſeſſore conſcriptus. Exſtat cum Muſæô Hermeticô reformatô & amplificatô. N. 1. Francof. 1677. in 4.

Sudum Philoſophicum pro Secretis Chymicis perſpiciendis, ſive duo Libelli, concernentes famoſum illum modernum Scriptorem Chymicum per Anagramma vocatum *vah! longùs verbô, ſed nihil ſupra!* quorum prior exhibet ſeriem præcipuorum ejus Secretorum in publicô dudum ab ipſô promiſſô Laboratoriô demonſtrandorum. Poſterior autem oſtendit Ejuſdem hallucinationem circa Mercurium Philoſophorum, Aurum potabile, ac Metallorum tranſmutationem, eorumque dextram & genuinam dat informationem, Authore: *Thraſoni ter naſuto heic ſit pudor.* Sine locô ubi, & apud quem proſtet, 1660. in 8.

Introitus apertus ad occluſum Regis Palatium Authore Anonymô, Philalethâ. Exſtat cum Muſæô Hermeticô reformatô & amplificatô. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1677. in 4.

Philalethæ Tractatus tres. I. Metallorum Metamorphoſis. II. Brevis Manuductio ad Rubinum cœleſtem. III. Fons Chymicæ Veritatis. Exſtant ibidem, apud Eundem annô & formâ eâdem.

Tumulus Hermetis apertus, in quô ad Solem meridianum ſunt videndæ antiquiſſimorum Sophorum abſconditæ veritatis Phyſicæ, & Recentiorum quorundam erroneæ opiniones de laudatiſſimô illô Liquore Mercuriô Philoſophorum; ita ut jam cuilibet, etiam mediocriter ingenioſo, Regia via pateat ad hoc myſterium perquirendum, inveniendum, & præparandum; in gratiam errantium illuminatus ab Anonymô Pantaleone, Sophiæ Hermeticæ Adeptô Norib. ap. Paul. Furſtium, 1676. in 8.

Examen Alchymiſticum, quô ſeu Lydiô lapide, Adeptus à Sophiſtâ, & verus Philoſophus ab Impoſtore dignoſcuntur; inſtitutum in gratiam Magnatum, & eorum, qui ex defectu multæ lectionis & Vulcanicæ experientiæ punctum Chymicum plenariè non intelligunt; ne tam turpiter à perditiſſimis iſtis fumivendulis ac Impoſtoribus Thraſonicis, in opprobrium Artis merè divinæ, decipiantur. Neceſſarium ac ſummè proficuum Opuſculum, quale à mundô conditô typis non fuit exaratum. Authore eôdem, ibidem, apud Eundem, annô & formâ eâdem.

Bifolium Metallicum, ſeu, Medicina duplex pro Metallis & Hominibus infirmis, à Proceribus Artis Hermeticæ ſub titulô Lapidis Philoſophici, inventa, elaborata, & poſteritati tranſmiſſa; jam verò denuò recognita, in omnibus circumſtantiis, requiſitis & manipulationibus, ſine dolô methodicè tradita, & hujus divinæ ſcientiæ Amatoribus propoſita ab Eôdem, ibid. apud Eundem, annô & formâ eâdem.

Anonymi Diſcipuli Johannis Craſſei Chortolaſſei Myſterium occultæ naturæ. Exſtat Volumine VI. Theatri Chemici. Argentorati, 1661. in 8.

Vis Aliena Teſſæ, ſive, Epiſtolium reſponſorium Hermeticè commentans & explicans Eadem, in Scriptô Helbigianô: Introitus in veram & inauditam Phyſicam: intitulatô, contenta verba; aliquot ab hinc menſibus Baruthi, nunc Heidelbergæ excuſum, apud Samuel. Amonium, 1680. in 12.

Index & manuductor Chymicus. In quô Poſſibilitas Tranſmutationis Metallorum clarè oſtenditur, & ſimul Via ad Inveniendum Lapidem Philoſophorum aperitur, 1680. ſine locô & nomine Impreſſoris.

Epiſtola Buccinatoria, quâ inaudita conjuratio Adeptorum in Chemiâ Philoſophorum, ab iiſdem condita & prodita, univerſis per Europam Curioſis fideliter indicatur & dicatur. Huic accedit Polygraphia Hermetica, ſive, Steganographia univerſalis, omnibus arcanis Chemicis ſecretò, tutò, facileque conſcribendis accommodata. Exſtat cum Miſcellan. Curios. ſive Ephemerid. Medico-Phyſicar. Germ. Acad. Natur. Cur. Dec. I. ann. Nonô & Decimô. Uratiſlav. & Bregæ, ap. Joh. Chriſtoph. Jacobi, 1680. in 4.

Magnum Intereſt totius Reipubl. Hermeticæ, ſive, Epiſtola II. Buccinatoria ad Clariſſ. Viros Joh. Ottonem Helbigium, Joh. de Monte Hermetis Anonymum, ac cæteros Magnates Hermeticos data à Duũ Viris Hermeticis federatis, quâ reſpõdetur XII. Quæſtionibus Helbigianis, interpellatur Hermes à Mõte, cũ totô Senatu Hermeticô, ut maturè diſpiciant, quid Reipubl. Hermeticæ interſit. Gedãi, apud Brunonem Laurentium Tancken, 1681. in 4.

Altus Mutus Liber; in quô tamen tota Philoſophia Hermetica Figuris hieroglyphicis depingitur. Rupellæ, 1677. in fol.

Tubicinium Convivale Hermeticum, ſive Epiſtola III. Buccinatoria. Quâ Duum-Viri Hermetici federati Curioſos omnes ad ſui federis Societatem, in eâque ad Epulas Hermeticas, ac Sophici Lapidis Bellaria Tabulæ Smaragdinæ liberaliter apponendæ humaniter invitant. Ibid. ap. Eund. 1682. in 4.

Enarratio Methodica Trium Gebri Medicinarum. In quibus continetur Lapidis Philoſophici vera Cõfectio, Authore Anonymô, ſub nomine Eirenæi Philalethes, natu Angli, habitatione Coſmopolitæ. Amſtelodami, apud Danielẽ Elſevirium, 1678. in 8.

Diſceptatio de Lapide Phyſicô. In qua Tumbam Semiramidis ab anonymô Phantaſticè, non Hermeticè ſigillatam, ab Anonymô recluſam, ſi ſapiens inſpexerit ipſam, promiſſis Regum Theſauris vacuam inveniet 1678. in 8.

CLASSIS SECUNDA.

De Collectionibus Scriptorum Chimicorum.

TRactatus aliquot Chymici ſingulares ſummum Philoſophorum arcanum continentes: I. Librum de principiis naturæ & Artis Chimicæ incerti Authoris 2. Johannis Belyæ Tractatulum novum, & alium Bernhardi Treviſani. 3. Ferrarii Tractatum integrum. 4. Johannis Dauſteinii Roſarium. Geiſmariæ, 1647. in 8.

Philoſophiæ Chymicæ quatuor vetuſtiſſima Scripta. I. Senioris Zadith F. Hamuelis Tabula Chymica: II. innominati Philoſophi Expoſitio Tabulæ Chymicæ. III. Hermetis Triſmegiſti Liber de Compoſitione. IV. Anonymi veteris Philoſophi Conſilium Conjugii, ſeu de Maſſâ Solis & Lunæ Libri tres. Omnia ex Arabicô Sermone Latina facta, & nunc primùm in lucem producta. Francofurti, apud Johannem Bernerum, 1605. in 8.

Thea-

Theatrum Chemicum, præcipuos ſelectorum Auctorum Tractatus de Chemicæ & Lapidis Philoſophici antiquitate, veritate, præſtantiâ, & operationibus, continens, in gratiam veræ, & Medicinæ Chemicæ Studioſorum (ut qui uberrimam inde optimorum remediorum meſſem facere poterunt) congeſtum, & in quinque Partes ſeu Volumina digeſtum; ſingulis ſuô Auctorum & Librorum Catalogô primis pagellis ſubnexô. Urſellis, 1602. in 8. Argentorati apud Lazaruu Zetznerum 1613. prioribus quatuor editis, quintò autem 1622. in 8. & ſextô denique ex Germanicâ & Gallicâ Linguâ in Latinam tranſlatô per Joh. Jac. Heilmannum Ibidem apud Hæredes Eberhardii Zetzneri, 1659. 1660. & 1661. in 8.

Muſæum Hermeticum omnes Sopho-Spagiricæ Artis Diſcipulos fideliſſimè erudiens, quô pactô ſumma illa veraque Medicina, quâ res omnes, qualemcunque defectum patientes, inſtaurari poſſint (quæ aliàs Benedictus Lapis Sapientum appellatur) inveniri ac haberi queat. Francofurti, apud Lucam Jenniſium, 1625. in 4.

Continentur hôc Opere

I. Tractatus aureus de lapide Philoſophicô ab adhuc vivente, minus tamen nominatô Philoſophô conſcriptus.
II. Aureum ſeculum redivivum Henrici Madathani.
III. Hydrolithus ſophicus, ſeu Aquarium Sapientum.
IV. Demonſtratio naturæ Johannis de Mehung.
V. Via veritatis.
VI. Gloria Mundi, ſive, Tabula Paradiſi.
VII. Tractatus de Generatione Metallorum.
VIII. Auctor Libri, cujus nomen Alze.
IX. Lambſpringi de Lapide Philoſophorum Figuræ & Emblemata.

Triga Chemica de Lapide Philoſophicô Tractatus tres, editore & commentatore Nicolaô Bernaudô, *Delphinate*. Lugduni Batavorum ap. Chriſtophô. Raphelengium, 1599. in 8. & volumine tertiô Theatri Chemici, Argentorati, apud Zetznerum editi, 1613. in 8.

Sunt autem

I. Lambſpringi Nob. Germani Libellus de lapide Philoſophicô.
II. Antiqui Philoſophi Galli, *Delphinatis*, Anonymi Liber ſecreti maximi totius mundanæ gloriæ.
III. Extractum ex cimbalô aureô antiquiſſimô Librô manuſcriptô ad rem Chemiam faciens.

Quadriga aurifera, nunc primùm à Nicolaô Bernaudô, *Delphinate*, in lucem edita. Lugduni Batavorum, ap. Chriſtophorum Raphelengium, 1599. in 8. & Volumine tertiô Theatrici Chemici.

Hujus rotæ ſunt

I. Tractatus de Philoſophiâ Metallorum, à doctiſſimô & expertiſſimô Virô Anonymô conſcriptus.
II. Georgii Riplei Liber duodecim Portarum.
III. Ejuſdem Liber de Mercuriô & Lapide Philoſophorum.
IV. Anonymi Scriptum, Elixir Solis Theophraſti Paracelſi tractans.

Tractatus ſeptem de Lapide Philoſophicô, è vetuſtiſſimô codice deſumti ab infinitis repurgati mendis, & in lucem dati à Juſtô à Balbian. *Aloſtanô*. Lugduni Batavorum, apud Chriſtoph. Raphelengium, 1599. in 8. & volumine tertiô Theatri Chemici.

Sunt autem Tractatus hi

I. Roſarii abbreviati, è manuſcriptô vetuſtiſſimô.
II. De Lapide Philoſophicô incogniti Autoris.
III. De minerâ Philoſophicâ ignoti Autoris.
IV. Qui dicitur Compendium utile ad credendum Meditationum Experimentum.
V. Qui dicitur, Roſarium Philoſophorum ex compilatione omnium Philoſophicorum Librorum per Toletanum, maximum Philoſophum.
VI. Cui titulus, Parvus Tractatus de Mercuriô Philoſophicô.
VII. De Lapide Philoſophicô incerti.

Philoſophiæ Chymicæ quatuor vetuſtiſſima Scripta.

I. Senioris Zadith F. Hamuelis Tabula Chimica.
II. Innominati Philoſophi Expoſitio Tabulæ Chymicæ.
III. Hermetis Triſmegiſti Liber de Compoſitione.
IV. Anonymi veteris Philoſophi Conſilium Conjugii, ſeu, de maſſâ Solis & Lunæ, Libri tres. Omnia ex Arabicô ſermone Latina facta, & nunc primùm in lucem producta. Francofurti apud Johannem Bernerum, 1650. in 8.

De Alchemiâ Volumen. Norimbergæ, apud Johannem Petreium, 1551. in 4.

In quô continentur

I. Gebri, *Arabis*, de inveſtigatione perfectionis Metallorum Lib. I.
II. Summæ perfectionis Metallorum, ſive, perfecti magiſterii Libri duo.
III. De inventione veritatis, ſeu perfectionis Metallorum, Liber I.
IV. De Fornacibus conſtruendis, Lib. I.
V. Speculum Alchemiæ Rogerii Bacchonis.
VI. Correctorium Alchemiæ Richardi Anglici.
VII. Roſarius minor de Alchemia incerti Auctoris.
VIII. Liber ſecretorum Alchemiæ Calidis Filii Jazichi Judæi.
IX. Tabula Smaragdina de Alchemiâ Hermetis Triſmegiſti.
X. Hortulani Philoſophi ſuper Tabulam Smaragdinam Hermetis, Commentarius.

De Alchemiâ Opuſcula complura veterum Philoſophorum. Francofurti, apud Jacobum Cyriacum, 1550. in 4.

Sunt autem

I. Correctio eorum, qui abſque ſtudiô Philoſophicô conantur Artis Alchymiſticæ fructum percipere.
II. De Lapide Philoſophorum Liber, vocatus Clangor Buccinæ.
III. Tractatus brevis & compendioſus de Lapide vegetabili, quem Semitam ſemitæ vocavit Philoſophus.
IV. Tractatulus Avicennæ, de Tincturâ Metallorum.
V. Compendium animæ Tranſmutationis, Ruperto Anglorum Regi per Raymundum tranſmiſſum.
VI. Liber, dictus Scala Philoſophorum.
VII. Opus Mulierum, Tractatulus, ſive, Ludus Puerorum.
VIII. Raymundi Lullii de Tincturis Compendium.
IX. Ariſtotelis Tractatulus de Practicâ Lapidis Philoſophici.

Veræ Alchemiæ, quam vocant, Artiſque Metallicæ doctrina, certuſque modus, Scriptis tum novis, tum veteribus, duobus Voluminibus comprehenſus. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1572. in 8. duobus Voll. Ibidem 1561. in fol.

Priori exhibentur

I. Chryſorrhoas, ſive, de Arte Chimica Dialogus.
II. Lignum Vitæ, Dialogus Braſeſchi de Materiâ Lapidis.
III. Trauladani Animadverſio in Braſeſchum,
IV. Demogorgon Dialogus.
V. Speculum Alchimiæ Rogerii Bachonis.
VI. Correctorium Richardi Anglici.
VII. Roſarius minor.
VIII. Albertus Magnus de Alchimia.

Poſteriori habentur

I. De magni Lapidis compoſitione incerti Authoris,
II. Ariſtotelis de perfectô magiſteriô
III. Liber perfectionis magiſterii Arnoldi Villanovani.
IV. Efferarius Monachus de Theſaurô Philoſophorum.
V. Practica magiſtri Odomari.
VI. Tractatus de Marchaſitâ.
VII. Epiſtola vetus de Metallorum Materiâ.
VIII. Johan. de Rupeſciſſâ de confectione veri Lapidis.
IX. Idem de Quintâ eſſentiâ.
X. De viribus Aquæ ardentis.
XI Michael Savonarola de conficiendâ Aquâ vitæ.
XII. Aqua aurea, Balſamum, & Oleum nigrum.
XIII. Johannis Auguſtini Augurelli Chryſopœa.
XIV. Ejuſdem Geronticôn Lib. I.
XV. Succoſa Carmina quædam Arnoldo attributa.

Artis auriferæ, quam Chemiam vocant, Volumina duo. Baſileæ, ap. Conradum Waldkirch. 1593. 1610. Huic poſteriori editioni noviter acceſſit volumen tertium, in 8. Primum continet Turbam Philoſophorum, alioſque antiquiſſimos Authores.

Sunt verò

I. Propoſitiones, ſeu, maximæ Artis Chimicæ.
II. Turba Philoſophorum.
III. Turbæ Philoſophorum alterum Exemplar.
IV. Allegoriæ ſuper librum Turbæ.
V. Ænigmata ex viſione Ariſlei.
VI. Exercitationes in Turbam.
VII. Aurora conſurgens.
VIII. Roſinus ad Eutuchiam.
IX. Idem ad Saratantam Epiſcopum.
X. Liber definitionum Ejuſdem.
XI. Mariæ Prophetiſſæ Practica.
XII. Liber ſecretorum Calidis Filii Jazichi.
XIII. Liber trium Verborum.
XIV. Ariſtoteles de Lapide Philoſophorum.
XV. Avicenna de Conglutinatione Lapidis.
XVI. Expoſitio Epiſtolæ Alexandri Regis.
XVII. Ignotus Auctor de Secretis Lapidis.
XVIII. Merlini Allegoria de arcanô Lapidis.
XIX. Rachaidibi de Materiâ Lapidis.
XX. Avicennæ Tractatulus de Alchimiâ.
XXI. Semita Semitæ.
XXII. Clangor Buccinæ.
XXIII. Correctio Fatuorum.
XXIV. Incertus Auctor de Arte Chymicâ.

Volumen ſecundum continet Morieni Romani Scripta de Re Metallicâ, atque de occultâ ſummâque antiquorum Medicinâ, cum aliis Authoribus;

Qui ſunt

I. Bernhardi Trevirenſis Reſponſio ad Thomam de Bononiâ de Mineralibus, & Elixiris compoſitione, Roberti Vallēſis Tabulis illuſtrata.
II. Liber de Arte Chymicâ incerti Autoris nunquam hactenus in lucem editus.
III. Scala Philoſophorum.
IV. Ludus Puerorum.
V. Roſarium.
VI. Arnoldi Roſarium cum Figuris.
VII. Novum Lumen.
VIII. Flos Florum ad Regem Aragonum.
IX. Epiſtola ſuper Alchimiâ ad Regem Neapolitanum:
X. Rogerius Bacho Anglus de mirabili poteſtate Artis & naturæ.

Volumen tertium continet Lullii, aliorumque Scripta quædam majori ex Parte hactenus non edita.

Sunt autem

I. Lullii ultimum Teſtamentum.
II. Elucidatio Teſtamenti totius ad R. Odoardum.
III. Poteſtas divitiarum, cum optimâ expoſitione Teſtamenti Hermetis.
IV. Cômpendium Artis Magicæ, quoad compoſitionem Lapidis.
V. De Lapide & Oleô Philoſophorum.
VI. Modus accipiendi Aurum Potabile.
VII. Compendium Alchemiæ, & naturalis Philoſophiæ.
VIII. Lapidarium.
IX. Alberti Magni ſecertorum Tractatus.
X. Abbreviatio quædam de Secretis Secretorum Johannis Pauperum.
XI. Arnoldi Quæſtiones de Arte Tranſmutationis Mettallorum.
XII. Teſtamentum.

Muſæum Hermeticum reformatum & amplificatum omnes Sopho-Spagiricæ Artis Diſcipulos fideliſſimè erudiens, quô pactô ſumma illa veraque Lapidis Philoſophici Medicina, quâ res omnes, qualemcunque defectum patientes, inſtaurantur, inveniri & haberi queat. Continens Tractatus Chimicos XXI. præſtantiſſimos. In gratiam Filiorum doctrinæ, quibus Germanicum idioma ignotum eſt, Latinâ linguâ ornatum. Francof. apud Hermannum à Sande, 1677. & 1678. in 4.

Continentur hôc Opere

I. Tractatus aureus de Lapide Philôſophicô ab Anonymô, verô tamen Lapidis poſſeſſore conſcriptus.
II. Aureum Seculum Redivivum Henr. Madathani, id eſt, Adrianus Mynſicht.
III. Hydrolithus Sophicus, ſeu Aquarium Sapientum.
IV. Demonſtratio Naturæ Johannis de Mehung.
V. Summarium Philoſophicum Nicol. Flamelli.
VI. Via Veritatis unicæ.
VII. Gloria Mundi, ſeu Tabula Paradiſi.
VIII. Tractatus de Generatione Metallorum.
IX. Author Libri, cujus nomen Alze.
X. Lambſpringii, Nobilis Germani, de Lapide Philoſophorum Figuræ & Emblemata.
XI. Tripus aureus Michaelis Mejeri.
XII. Thom. Nortoni Crede mihi ſeu Ordinale.
XIII. Cremeri cujuſdam Abbatis Weſtmonaſterienſis Angli Teſtamentum.
XIV. Michaelis Sendivogii Novum Lumen Chemicum.
XV. Novi Luminis Chemici Tractatus alter de Sulphure.

XVI. Phi-

XVI. Philalethæ Introitus apertus ad occluſum Regis Palatium.
XXII. Subtilis Allegoria ſuper Secreta Chymiæ Authore Michaele Mejerô.
XVIII. Philalethæ Metallorum Metamorphoſis. Ejuſd. brevis Manuductio ad Rubinum cœleſtem.
XIX. Item Fons Chimicæ Veritatis.
XX. Johann. Frideric. Helvetii Vitulus Aureus.
XXI. Janitor panſophus, ſeu Figura ænea quadripartita cunctis Muſæum hoc introeuntibus Superiorum ac Inferiorum ſcientiam Moſaico-Hermeticam, analyticè exhibens.

Veræ Alchimiæ Scriptores aliquot, collecti & unà editi à Guilielmô Grataroló. Baſileæ, apud Henricum Petri & Petrum Pernam, 1561, in fol.

Harmoniæ imperſcrutabilis Chymico-Philoſophicæ Decas prima, collecta & edita ab Hermannô Condeeſyanô. Francof. apud Conradum Eifridum, 1625. in 8.

Harmoniæ imperſcrutabilis Chymico-Philoſophicæ Decas ſecunda, collecta & edita à Johanne Rhenanô. Francof. apud Conradum Eifridum, 1625. in 8.

Ars Chemica, quòd ſit licita rectè exercentibus, probationes doctiſſimorum Juriſconſultorum. Septem Tractatus ſeu Capitula Hermetis Triſmegiſti, aurei. Ejuſdem Tabula Smaragdina, in ipſius ſepulcrô inventa, cum Commentô Hortulani Philoſophi. Studium Conſilii conjugii de Maſſa Solis & Lunæ. Argentorati, apud Samuelem Emmelium, 1567. in 8.

Novum Lumen Chemicum, è naturæ fonte, & manuali experientiâ depromptum, & in duodecim Tractatus diviſum. Cui acceſſit I. Dialogus Mercurii, Alchymiſtæ, & Naturæ perquam utilis. II. Tyrocinium Chymicum Johannis Beguini. Coloniæ, apud Johan. Bœtzerum, 1617. in 16. Regiomonti, ap. Clementem Bergerum, 1614. in 12. cum Philippi Mülleri Miraculis & Myſteriis Chymico-Medicis. Pariſiis, apud Renatum Ruellium, 1608. in 12. Wittebergæ, 1623. in 12. Genevæ, apud Johan. de Tournes, 1628. in 12. Exſtat etiam cum Muſæô Hermeticô reformatô & amplificatô. Francof. ap. Hermannum à Sande, 1677. in 4.

De Alchimia, Dialogi duo. Quorum prior genuinam Librorum Gebri ſententiam, de induſtriâ ab Autore celatam & figuratô ſermone involutam detegit, & certis argumentis probat. Alter, Raymundi Lullij, *Majoricani*, Myſteria in lucem perducit. Quibus præmittuntur Propoſitiones centum viginti novem, idem argumentum compendioſâ brevitate complectentes. Lugduni, apud Gottofr. & Marcellum Beringos, 1548. in 8.

CLASSIS TERTIA.

De Autoribus Medicis, aut Anonymis.

ARtiſella Hippocratis. Emendata per Franc. Argillagnes de Valentiâ. Venetiis. ap. Herm. Lichtenſtein, 1483. in fol.

Continentur heic

Iſagoge Johannitii ad Technin Galeni, pag. 1.
Liber Pulſuum Philareti, pag. 4.
Liber Urinarum Theophili. pag. 5.
Liber Aphoriſmorum, cum commentis Galeni, & Verſione Conſtantini Aphricani montis Caſſianenſis Monachi. p. 9.
Prognoſticon Hippocratis, cum commentis Galeni. pag. 47.
De Regimine acutorum Morborum Hippocr. pag. 76.
Epidemia Hippocr. (eſt autem Liber VI.) cum Commentariis Joh. Alexandrini. p. 120.
Liber Hippocratis, de Naturâ puerorum, vel de Naturâ Fœtus, aut de Naturâ Embryonis: Idem enim ſunt. pag. 149.
Galeni Technin, cum Commentô Haly Rodoham, pag. 151.
Liber Hipp. de Lege. pag. 211.
Hippocratis Jusjurandum. p. 211.

Galeni Sententia de nuperô Botallianorum inventô. Patavii, 1640. in 4.

Galeni & Botalli Placita de Viâ Sanguinis in Corde. Venetiis, 1640. in 4.

Sententia Apollinis, ſuper aliorum Sententias de facili repertâ Viâ. Venet. 1640. in 4.

Methodus curandorum Morborum Mathematica. Francof. apud Wilh. Richter, 1613. in 4.

Catalogus Plantarum Horti Medici Oxonienſis. Oxon. 1648.

Pharmacopœa Lilſenſis. 1640. in 4.

Examen Diſcurſus Cechini Martinelti de Amomô & Calamô aromaticô Italorum, cum utriuſque Figurâ. Mantuæ, 1605. in 4.

Apologia pro Hippocratis & Galeni Medicinâ, contra Quercetanum. Acceſſit Cenſura Scholæ Pariſienſis. Pariſiis, 1604. in 12.

Antidotarium Bononienſe. Bononiæ, apud Johannem Roſſium, 1574. in 4. Ibidem, apud V. Benacium, 1615. in 4.

Antidotarium Romanum, ſeu, Modus componendi Medicamenta, quæ ſunt in uſu. Opus Pharmacopolis, Medicisque non minùs utile, quàm neceſſarium. Venetiis, apud Joh. Martinellum, 1585. 1590. in 12. Francof. 1624. in 8. Exſtat etiam cum Georg. Melich. Armamentariô Medicô, quod ex Italicô in Latinum ſermonem convertit Samuel Keller. Francof. 1675. in 8.

Ars Magica, ſive, Magia naturalis & artificioſa, ſtupendos & abſtruſos effectus, virtutes & ſecreta in elementis, gemmis, lapidibus, herbis, & animalibus, ſecundùm certas aſtrorum ac conſtellationum figuras & ſigilla, horaſque Planetarias exhibens, &c. Cui præit Magia ſuperſtitioſa de Dæmonum variis generibus, faunis, ſatyris, lamiis, & ſpectris, eorumque operationibus diverſis, Diſquiſitio planè recondita. Francofurti, apud Ant. Hummium, 1631. in 12.

Herbarum, Arborum, Fruticum, Frumentorum, ac Leguminum, Animalium præterea terreſtrium, volatilium & aquatilium, aliorumque, quorum in Medicinis uſus eſt, ſimplicium, Imagines ad vivum recens depictæ: unà cum eorundem nomenclaturis variarum linguarum uſitatis; viribus item & facultatibus peculiaribus. Francof. apud Chriſtophorum Egenolphum, 1552. in 4.

Antidotarium Florentinum, ſive, de exacta componendorum miſcendorumque Medicamentorum ratione, Libri tres, omnibus Pharmacopœis longe utiliſſimi, ex Græcorum, Arabum, & recentiorum Medicorum Scriptis maximâ curâ & diligentiâ collecti. Nunc verò primùm ex Italicô ſermone Latini facti à Carolô Cluſiô. Antverpiæ, apud Chriſtoph. Plantinum, 1561. in 8.

Codex Medicamentarius, ſeu, Pharmacopœa Pariſienſis. Ex mandatô Facultatis Medicinæ Pariſienſis in lucem edita à M. Philippô Harduinô de S. Jacques, Decanô. Lutetiæ Pariſiorum, apud Olivarium de Varennes, 1638. in 4.

Antidotarium Mantuanum, à Medicis Mantuanis, ex multis Auctoribus collectum, caſtigatum, digeſtum, cujus primâ Sectione Deſcriptiones compoſitorum

poſitorum Medicamentorum, quæ publico uſui ſunt, continentur: ſecundâ ſimplicia quædam Medicamenta declarantur, & nonnulla, quæ ad parandi modum attinent. Venetiis, apud Vincentium Valgriſium, 1559. in 8.

Antidotarium Gandavenſe, Gandavi, 1656. in 4.

Antidotarium ſpeciale ſacræ Domûs hoſpitalis nobilis urbis Meſſanæ ſub titulô S. Mariæ Pietatis. Venet. apud Juntas, 1642. in 4.

Catalogus Medicamentorum ſimplicium, compoſitorum, Chymicorum, Officinæ Butnerianæ, in Republica Gorlicenſi. Cum Taxatione & Legibus. Gorlicii, 1629. in 4.

Pharmacopœa Auguſtana: Hippocraticâ & Hermeticâ Mantiſsâ locupletata Auguſtæ Vind. apud Georgium Willerum, 1601. in fol. apud Wolffgang. Kilium, 1643. in 8.

Pharmacopœia Auguſtana Renovata & Aucta. Auguſtæ Vindelicorum, apud Joh. Jacob. Schônicium, 1684. in fol.

Pharmacopœa Bruxellenſis. Bruxellæ, apud Johan. Mommartium, 1641. in 4. Ibidem, 1661. in fol.

Pharmacopœa Amſtelredamenſis, Senatûs Auctoritate munita. Amſtelredami, apud Guil. & Johannem Blaeu, 1636. in 4. & 24. apud Johan. Janſſonium, 1636. in 12. iterumque apud Blaeu, 1639. 1643. 1650. in 24. Amſtelodami, 1660. in 12. Ibidem, 1669. in 24. recognita. Huic Operi concipiendo è Collegiô Medicorum delecti & deputati primùm fuerunt DD. Nicolaus Tulpius, Scabinus, Senator, & Anatomicus Urbis patriæ, Egbertus Bodæus, Augerius Clutius, Robertus van der Houven, Ægidius Snoeckius, Johannes Antonides van der Linden, Franciſcus de Vicq, Medicinæ Doctores, Rembertus Fontanus, & Johannes à Commerſtein, Pharmacopœi.

Pharmacopœa Antverpienſis Galeno-Chymica. Antverpiæ, 1661. in 4.

Pharmacopœa Hagienſis. Hagæ Comit. 1659. in 4. & 12. Ibid. 1670. in 4.

Pharmacopœa Noribergenſis. Vid. Valerius Cordus.

Pharmacopœa, ſeu, de uſitatorum Medicamentorum componendorum ratione, Liber, Collegii Medicorum Bergomenſium operâ nunc primùm in lucem editus. Bergomi, 1580. in 4.

Pharmacopœa Londinenſis. In qua Medicamenta antiqua & nova uſitatiſſima, ſedulò collecta, accuratiſſimè examinata, quotidianâ experientiâ confirmata deſcribuntur, operâ Medicorum Collegii Londinenſis, ex Sereniſſ. Regis Mandatô. Londini, 1619. apud Johannem Mariottum, 1632. in fol. Collegarum hodiè viventium ſtudiis ac ſymbolis ornatior, omnibus Medicinæ operam navantibus utilis & neceſſaria Londini, 1662. in 16. Ibidem, 1677. 1680. in 12; quæ noviſſima editio à multis mendis typographicis, quibus prior ſcatebat, ſedulò purgata eſt.

Pharmacopœa Collegii Regalis Londini. Londini, ap. Joh. Martin, 1678. in 6.

Pharmacopœa Lugdunenſis. Lugduni, apud Viduam Thomæ Soubron, 1628. 1640. in 4.

Pharmacopœa Tholoſana. Tholoſæ, 1648. in 4.

Enchiridion, Diſpenſatorium vulgò vocant, compoſitorum, ab antiquioribus junioribuſque Archiatris, Medicamentorum, nunc primum & natum & editum. Lugd. apud Thom. Bartoldum, 1561. in 16.

Sylva Medicamentorum compoſitorum, quæ uſus quotidianus exigit, Tyronibus Artis Medicæ accommodata, è Bibliothecâ Philippi Scherbii. Lipſiæ, apud Eliam Rehefeldium, 1617. in 8.

Penuarium Hermetico-Galenicum, quô tam Simplicia, quam Præparata certis Claſſibus exhibentur. Francof. apud Joh. Gotthofr. Schônwetterum, 1654. in 4.

Deliramenta Hæmophobi. Lutetiæ, apud Rob. Stephanum, 1627. in 8.

Brevis Elucubratio de his Morbis, quibus corpora humana infeſtari, corrumpique ſolita ſunt. Venetiis, ap. Gabr. Jolitum, 1553. in 8.

Pharmacopœa Ultrajectina, Senatûs auctoritate edita & munita. Trajecti ad Rhenum, apud Gisbertum à Zyll & Theod. ab Ackersdyck, 1656. in 12. Ibidem, apud Eundem, 1664. in 12.

Diſpenſatorium uſuale pro Pharmacopœis Colonienſibus. Coloniæ, 1565. in 8.

Miſocapnus ſeu de abuſu Tabaci. Ultrajecti, 1644. in 12.

Schola Salernitana, cum Enarrationibus Arnoldi Noviocomenſis & Johannis Curionis. Antverpiæ, 1557. in 12. Coloniæ, 1606. in fol. patenti. Coloniæ, apud Joh. Frieſem, 1660. in 8.

Regulæ Rhythmico-Medicæ Salernitanæ, de Conſervandâ bonâ Valetudine. Tubingæ, apud Johannem Henricum Reiſium, 1672. in 8.

De Medicamentorum ſimplicium Gradibus & Compoſitionibus. Opus novum & Phyſicum, partim & Medicum, partim etiam Chymicum. Tiguri, 1572. in 8.

Anti-Sophiſta pro Leonicenô. Bononiæ, apud Hieron. de Benedictis, 1619. in 4.

Speculum Medicorum, ex Bibliothecâ Bredenbergenſi jam recenter depromptum. Exſtat cum Henrici Rantzovii editione duorum Librorum Macri de Virtutibus Herbarum &c. Lipſiæ, ap. Joh. Steinmannum, 1590. in 8.

Theatrum Floræ. In quô ex totô orbe ſelecti mirabiles, venuſtiores, ac præcipui flores, tanquam ab ipſius Deæ ſinu proferuntur. Lutetiæ, ap. Nicolaum de Mathoniere, 1622. in fol.

Catalogus Plantarum circa Cantabrigiam naſcentium. In quô exhibentur quotquot hactenus inventæ ſunt, quæ vel ſponte proveniunt, vel in agris ſeruntur: una cum Synonymis ſelectioribus: locis natalibus & obſervationibus oppidò raris. Adjiciuntur, in gratiam Tyronum, Index Anglico-Latinus, Index locorum, Etymologia nominum, & Explicatio quorundam terminorum. Cantabrigiæ, apud Johan. Field, impenſis Guilelmi Nealand, 1660. in 8.

Iſagoge Anatomica. Græcè. Cum Interpretatione Excellentiſſ. Philoſophi ac Med. Petri Laurembergii. Nunc primùm edita auſpiciis Joachimi Morſii. Lugd. Batav. apud Elzevirios, 1618. in 4.

Univerſæ Medicinæ Synopſis, in Tabulas quatuor methodicè collecta, nunc denuò recognita & emendata. Item, ſex Galeni Libri de Morborum & Symptomatum differentiis & cauſis, ac de Sanguinis Miſſione unus, in Tabulas ſeptem digeſti, & Morborum peculiarium nuncupationes: Oculique exacta Anatome, atque earundem, quæ eundem afficere poſſunt, Paſſionum Enumeratio, tribus peculiaribus Tabulis expreſſa. Unà cum Tabulâ quâdam aliâ Anatomicâ ex Gabriele Cuneô his in fine annexâ. Vicentiæ, ap. Paulum Mejettum, 1595. in fol.

De Pulſibus Libellus ex Galeni Libris collectus, ac veluti in Formulam redactus: in Candidatorum rei Medicæ commoditatem. Exſtat in Enchiridiô rei Medicæ triplicis, à Conradô Geſnerô collectô, editôque. Tiguri, apud Andr. Geſnerum 1555. in 8.

Enchi-

Enchiridion Practicum Medico-Chirurgicum, ſive, de internorum externorumque Morborum Curatione, breves, ſed accurati Tractatus duo: I. Incerti, at magni Autoris Opus poſthumum: ut luculenter in Epiſtolâ ad Lectorem declaratur, II. Antonii Chalmetei Manuale Chirurgicum: Summariis Theoricis ſingulis Capitibus præfixis. Aurelianæ, ap. Petrum de la Roviere, 1626. in 8. Lugduni, apud Matthæum Berion, 1627. in 8. Genevæ apud Petrum & Jac. Chouet, 1644. in 8. Ibid. 1659. in 8.

Praxis Medicinæ, quôvis illuſtriori inſcribenda titulô ad communem uſum totius ferè Europæ, in gratiam eorum, qui ſe à Theorice ad Practicam conferunt. Huic acceſſerunt cognata quædam alia ac propemodum neceſſaria: Corn. Celſi Particula ex ſecundô de naturâ & proprietate cujuſque rei, quâ veſcimur. Liber de Urinis ex optimis autoribus. Dioclis Epiſtola ad Antiochum Regem ex ſecundô Pauli de Præcognoſcendis Ægritudinibus, hiſque impediendis, ne veniant: de tuendâ Valetudine: de Regimine vitæ per anni tempora. Venetiis, apud Mapheum Paſinium, 1545. in 8.

De Latinis & Græcis nominibus Arborum, Fruticum, Herbarum, Piſcium & Avium, Liber: ex Ariſtotele, Theophraſtô, Dioſcoride, Galenô, Nicandrô, Athenæô, Oppianô, Ælianô, Pliniô, Hermolaô Barbarô, & Johanne Ruelliô: cum Gallicâ eorum nominum appellatione. Lugduni, ap. Theobaldum Paganum, 1548. in 16.

De Naturæ aliquot Arcanis, Sympathiis & Antipathiis, inſignibuſque Medicamentis, Libelli duo aurei. Boſphori, apud Chriſtoph. Juſtinum, 1622. in 12.

Plantarum ſponte naſcentium in Boruſſiâ Catalogus, Regiomonti. 1654. in 8.

Plantarum circa Ingolſtadium naſcentium ſyntagma. Ingolſtadii, 1654. in 8.

Tentamen Medicum de naturâ, cauſis, temporibus, ſignis diacriticis, prognoſticis, medelâque Variolarum, in gratiam Tyronum in Medicinâ enarratum. Londini, 1673. in 12. Lugduni Batavorum, 1675. in 12.

Exercitatio de uſu Vini Emetici. 1662. in 12.

Index Plantarum Horti Piſani. Florentiæ, 1662. in 12.

Nobilia de Thermis & Acidulis, 1663. in 8.

Catalogus Plantarum Horti Academici Lugduno-Batavi Lugduni Batavorũ 1652. in 12. Ibid. 1672. in 12.

Judicium de Auro Auræ: & ipſum hoc Aurum Auræ 1674. in 12.

Diatribæ Diſcuſſoriæ de V. corporis humani Concoctionibus. Londini, 1664. in 8.

Epiſtolarum, circa utiliſſima aliquot Chymica experimenta conſcriptarum, Trias. Quibus acceſſerunt alia, circa veras & irreducibiles Auri ſolutiones, Experimenta. Hamburg. 1673. in 8.

Comparatio Batthonienſium & Aquisgranenſium Thermarum. Londini, 1676. in 8.

Diſſertatio Phyſico-Medica de Febre ſecundùm principia Domi. Carteſii, prælecta in Conventu Clariſſ. DD. Naturæ Curioſor. ſingulis hebdomadis Lutetiæ Paris. in ædibus Nobiliſſ. Dom. de Montmor congregatorum: primùm Gallicè edita, nunc verò in uſum Φιλιατρῶν Latinitate donata. Lugduni-Batavorum, 1678. in 12.

De Conſanguinitate Auri, Sacchari, & Spiritus Vini, Tractatus brevis, perſpicuus tamen. In quô oſtenditur, nihil ferè ad conſervationem naturæ humanæ majus & efficacius his tribus inveniri poſſe, adeò quidem, ut ex iis debitô modô junctis, ſingularique & arcanô artificiô combinatis, Aurôque per ea ad Tincturam inſtar Solis, aut Rubini ſplendentis reſolutô, Aurora quædam Philoſophorum conſurgat, imò Carbunculus quamplurimis Corporis infirmitatibus ſalutaris. Authore Hôc Virô Sanctâ Coſnidet. Gieſſæ, apud Caſp. Vulpium, 1659. in 12.

Sudum Philoſophicum, pro ſecretis Chymicis perſpiciendis, contra Scriptorem Chymicum, per Anagramma vocatum, *Vah! longus verbô, ſed nil ſupra.* Hamburgi, apud Johannem Naumannum, 1660. in 8.

Xenium, à multis ſeculis rarô exemplô inauditum, ſeu miranda Synopſis, omnium humani generis ſymptomatum, potentiarum & facultatum, itemque membrorum Colli, Brachiorum, Manuum, Articulorum, Nervorum, Venarum, Senſuum, Oſſium, à Capite morali & Phyſicô uſq; ad plantam pedis ad adverſam declinantium ſanitatem. Francofurti, ap. Georgium Fickwirtum, 1660. in 12.

Valor ſive Taxatio Medicamentorum omnium ſimplicium & Compoſitorum in Officinis Pharmaceuticis Inclytæ Reipublicæ Noribergenſis proſtantium, ad normam Diſpenſatorii nuper editi renovata. Noribergæ, apud Michaelem Endterum, 1666. in fol. Ibidem, apud Eundem, 1660. in fol.

Anatomia Monſtri Francofurtenſis, diebus Canicularibus 1674. per abortionem excreti, obiter facta per J. U. S. H. D. M. P. P. Heidelbergæ, apud Joh. Chriſtoph. Walterum.

Relatio Hiſtorica de Flagri funiculô, è Veſicâ Fratris in Cœnobiô Capuccinorum Illuſtriſſ. Civitatis Tuderti à Lythotomô extractô. Sine locô, anniô & nomine ejus, apud quem proſtet, in 4.

Epiſtola novi Præſervativi Univerſalis Naturalis. Nunciatoria Criminis læſæ Majeſtatis, læſæque graviter famæ Vindicatoria, ad D. Jacob. Johan. Wenceslaum Dobrzensky de Nigrô Ponte. Sine locô & nomine ejus, apud quem proſtet, 1681. in 8.

Epiſtola Apologetica ad Magnum Thomam Bartholinum de Calumniis Nobiliſſ. Ludovico Bilſio, Arcanorum Naturalium Scrutatori ſubtiliſſimo, nec non vivorum ac mortuorum Anatomico Incomparabili, perperam impactis. Romanâ veſte donata per Philalethium. Roterodami, ap. Arnold. Leers, 1661. in 4.

Lampadem Vitæ & Mortis omniumque graviorum in Microcoſmô παθῶν Indicem, hoc eſt, Biolychnium, ſive Lucernam, cum Vitâ ejus, cui accenſa eſt Myſticè, viventem jugiter, cum Morte ejuſdem exſpirantem, omneſque affectus graviores, prodentem. Ante hac quidem curâ & ſtudiô J. E. B. obſcurè nimis (more Philoſophicô) traditam: nunc dilucidiori ſtylô ſe expoſiturum intimat G. F. M D C S. Lugduni-Batavorum, ap. Arnoldum Doude, 1678. in 12.

J. P. W. Epiſtola ad Amicum Anonymum, quâ nonnulla in Johan. Hiskiæ Cardilucii, Germanicô Idiomate editô Tractatu, de Peſte contenta ad examen revocantur. Norimbergæ, ap. Chriſtophorum Gerhard. 1679. in 12.

Appendix Pharmacorum, in Schrôderi Pharmacopœiâ omiſſorum: cum Indice Morborum & Remediorum. Ulmæ, apud Viduam Johann. Gôrlini, 1669. & 1676. in 4.

Novæ Hypotheſes de Pulmonum motu, & Reſpirationis uſu, Specimen. Lugd. Batav. ap. Felicem Lopez, 1671. in 8.

Medicus Romanus Servus, ſexaginta ſolidis æſtimatus. Lugd. Batav. 1671. in 12.

Portatile Medicum, ſeu, Regularum Pharmaceuticarum atque Chymicarum Centuria in uſum

ſum non ſolùm Studioſorum Medicinæ, ſed & Pharmacopœorum collecta, atque in hunc ordinem congeſta. Cui in fine Modus B. Michaelis, Pharmacopolia viſitandi, adjunctus eſt, apprimè utilis iis potiſſimùm, quibus onus hoc imponitur. à J. H. D. M. L. 1680. in 12.

Myſteria Phyſico-Medica ob auguſtiſſimos ſuos natales, uberrimamque rerum haud quotidianarum, quibus referta ſunt, ſegetem, Curioſô Obtutu quàm maximè veneranda. Multis ab hinc ſeculis Syriacè, Arabicè, & Græcè conſcripta; iteratâ nunc vice è membranis Latinis publicæ luci expoſita. Francofurti, apud Johannem Juſtum Erythropilum, 1681. in 12.

Tractatus novi de potu Caphè; de Chinenſium The: & Chocolata. Pariſiis apud Petrum Muguet, 1685. in 12.

Nobiliſſima. Medicamentorum Biga, breviter delineata & typis excuſa. Stutgardiæ, apud Johannem Wyrichium Röſslinum, 1673. in 12.

Tumba Semiramidis Hermeticè ſigillata, quam ſi Sapiens aperuerit, non Cyrus, Ambitioſus, Avarus, Regum ille theſauros divitiarum inexhauſtos, quod ſufficiat, inveniet. Exſtat cum Miſcellan. Curios. ſive Ephemerid. Medico-Phyſicarum Germ. Decur. I. annô Quartô, & Quintô. Lipſiæ apud Johannem Fritzſchium, 1676. in 4.

Epiſtola Viri cujuſdam doctiſſimi, continens Judicium de Auro Auræ nuper editô. Exſtat ibid. ap. Eund. annô & formâ eâdem.

J. B. Poſitiones aliquot, de Spiritu Mundi. Exſtant ibid. ap. Eund. annô & formâ eâdem.

Anonymi Praxis Curationum Morborum particularium. Exſtat cum Georg. Hieronym. Velſchii Conſil. Medicinalium Centuriis IV. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

Miſcellanea Conſil. & Epiſtol. Medicinal. Exſtant ibid. apud Eund. annô & formâ eâdem.

Anonymi Praxis Morborum Particularium. Exſtat cum Ejuſdem Exoticar. Curat. & Obſervat. Medicinal. Ibidem, ap. Eundem, annô & formâ eâdem.

Anonymi Collectanea Pharmaceutica & Chemica. Exſtant ibidem, apud Eund. annô & formâ eâdem.

Curioſa Medica, pro tuendâ Valetudine, inter Colloquentes enodata. Quibus accedit Diſcurſus, de Venenis, eorumque Alexipharmacis. Hamburgi, apud Joh. Naumannum, 1679. in 8.

Obſervationum Anatomico-Medicarum Decades quatuor. Exſtant cum Juſti Schraderi Obſervationibus & Hiſtoriis è Guilielm. Harvei Libellô de Generatione Animalium excerptis. Amſtelodami, ap. Abrahamum Wolffgang. 1674. in 12.

Sacra Eleuſinia patefacta, ſeu, Tractatus Anatomicus novus de Organorum Generationi dicatorum Structurâ admirabili in utrôque ſexu, Veterum atque Neotericorum hypotheſibus & Inventis accommodatus. Francofurti ad Mœnum, apud Tobiam Oehrlingium, 1684. in 4.

Pœonis & Pythagoræ Exercitationes Anatomicæ & Medicæ. Vid. Johan. Jacob. Harder. & Joh. Conrad. Peyer. Exercitationes Anatomicæ &c.

CLASSIS QUARTA.

De Collectionibus Scriptorum Medicorum variorum.

DE Balneis, omnia, quæ exſtant apud Græcos, Latinos, & Arabes, tam Medicos, quàm quoſcunque cæterarum artium probatos Scriptores, qui vel integris Libris, vel quôque aliô modô hanc materiam tractaverunt: nuper hinc inde accuratè conquiſita & excerpta, atque in unum tandem Volumen redacta. In quô, Aquarum ac Thermarum omnium, quæ in totô fere orbe terrarum ſunt, Metallorum item, & reliquorum Mineralium naturæ, vires, atque uſus exquiſitiſſimè explicantur. Venetiis, apud Juntas, 1553. in fol. Quem autem quiſque Autorem locum in volumine obtineat in cujuſque nomine indicabimus.

De Febribus, Opus ſane aureum, non magis utile, quàm rei Medicæ profitentibus neceſſarium. In quô trium Sectarum Clariſſimi Medici habentur, qui de hac re egerunt; nempe Græci, Arabes, atque Latini. Venetiis, apud Gratioſum Perchacinum, 1576. in fol. Qui verò hôc Opere contineantur in ſingulis notabimus.

Medici antiqui omnes, qui Latinis literis diverſorum Morborum genera & remedia perſecuti ſunt, undique conquiſiti, & unô Volumine comprehenſi, ut eorum, qui ſe Medicinæ ſtudio dediderunt, commodo conſulatur. Venetiis, apud Aldi Filios, 1547. in fol.

Autorum nomina & ordo hôc in opere contentorum.

A. Cornel. Celſi Artium Liber ſextus; item Medicinæ Liber primus. p. 1.

Quinti Sereni Medicina. pag. 56. verſ.

Trotulæ curandarum Ægritudinum Muliebrium, ante, in, & poſt partum, Liber unicus.

Jani Cornarii Epiſtola de Hippocraticæ Medicinæ dignitate. pag. 81. Præfixa Marcelli Operibus.

Marcelli Epiſtola ad Filios, quæ de Menſuris & Ponderibus Medicinalibus. pag. 83. verſ.

Largii Deſignatiani Epiſtolæ ex Hippocrat. Latine datæ. p. 84. 85.

Plinii ſecundi Epiſtola de Medicina. p. 85. verſ.

Cornelii Celſi Epiſtola, ad Jul. Calliſtum. p. 85. verſ. & 86. verſ. Repetitur hæc pag. 142. ſub nomine Scribonii Largi.

Ejuſdem Epiſtola alia ad Pullium Natalem. pag. 86. verſ.

Vindiciani, Comitis Archiatrorum, Epiſtola ad Valentinianum Imperatorem.

Marcellus de Medicamentis. p. 87. verſ.

Scribonii Largi de Compoſitione Medicamentorum Liber. p. 142.

Sorani Epheſii in Artem Medendi Iſagoge ſaluberrima. p. 159.

C. Plinii ſecundi de Re Media Libri V. p. 164.

L. Apuleii Madaurenſis, de Herbarum virtutibus Hiſtoria, quam Chironi Centauro, & Æſculapio acceptam retulit. p. 211. verſ.

Antonii Muſæ, *aut*, Apuleii Libellus de Betonicâ. p. 222. verſ.

Æmilius Macer de Herbarum virtutibus, cum Johannis Atrotiani Commentariis. pag. 223. verſ.

Strabi Galli, Hortulus. p. 247.

Cœlii Aureliani, *Siccenſis*, Chronicon. Lib. V. pag. 249.

Theodori Priſciani Lib. I. qui Logicus dicitur. pag. 291. Lib. II. de Oxyoris ſeu Acutis Paſſionibus pag. 298. verſ. Lib. III. de Paſſionibus Mulierum, & curis earundem. pag. 308. verſ. Lib. IV. de Phyſicâ Scientiâ. pag. 310. verſ.

Medicæ Artis principes, poſt Hippocratem & Galenum, Græci Latinitate donati: Aretæus, Ruffus Epheſius, Oribaſius, Paulus Ægineta, Aetius, Alex. Trallianus, Actuarius, Nicolaus Myrepſus. Latini: Cornelius Celſus, Scribonius Largus, Marcellus Empiricus, aliique præterea,

quorum unius nomen ignoratur. Hippocratis aliquot loci cum Cornelii Celſi interpretatione. Excudit Henricus Stephanus, 1567. in fol. 2. Voll.

Medici antiqui Græci: Aretæus, Palladius, Ruffius, Theophilus, à Juniô Paulô Craſſô Latinitate donati. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1581. in 4.

De Naturâ, viribus, & uſu Aquarum Medicatarum in agrô Caſſellanô denuò patefactarum, ab aulæ Caſſellanæ Medicis conſcriptus, Libellus. Caſſellis, 1600. in 4.

Diſputationum Medicarum in Academiâ Tubingenſi ſuperiore tempore habitarum Decas prima, ſtudiô & labore Johannis Rudolphi Camerarii in unum Volumen redacta. Tubingæ, 1611. in 8.

Opuſcula Illuſtrium Medicorum de Doſibus ſeu de juſta quantitate & proportione Medicamentorum. Apud Johan. Mareſcallum, 1584. in 8.

De Re Medicâ Volumen, cui inſunt Sorani Epheſii Peripatetici in Artem Medendi Iſagoge. D. Oribaſii Sardiani Fragmentum de Victus ratione quôlibet anni tempore utili. C. Plinii ſecundi de Re Medicâ Libri v. accuratius recogniti, & (notis ac pſeudepigraphis ſemotis) ab innumeris mendarum millibus fide vetuſtiſſimi Codicis repurgati. L. Apuleii Madaurenſis, de Herbarum virtutibus verè aurea & ſalutaris Hiſtoria. Acceſſit his vice Coronidis, Libellus utiliſſimus de Betonicâ, quem quidam Ant. Muſæ, nonnulli L. Apuleio adſcribendum autumant. Baſileæ, apud Andr. Cratandrum, 1528. in fol. apud Johan. Oporinum, 1549. in fol.

Inſignium Medicorum Volumen. In quô continentur: Joh. Serapionis *Arabis*, de Simplicibus Medicinis Opus præclarum & ingens.

Averrois, *Arabis*, de eiſdem Liber eximius.

Razis Filii Zachariæ, de eiſdem Opuſculum perutile.

Incerti item Autoris, dè Centaureô, Libellus hactenus Galeno inſcriptus.

Dictionum Arabicarum juxta atque Latinarum Index valde neceſſarius. In quorum emendatâ excuſione, ne quid omninò deſideraretur, Ottonis Brunsfelſii ſingulari fide & diligentiâ cautum eſt. Argentorati, apud Georgium Ulricher Andlanum, 1531. in fol.

De Morbô Gallicô omnia, quæ extant, apud omnes Medicos cujuſque nationis, qui vel integris Libris, vel quoquô aliô modô hujus affectus curationem, aut etiam Empiricè tradiderunt, diligenter hinc inde conquiſita, ſparſim inventa, erroribus expurgata, & in unum tandem corpus redacta. In quô de Lignô Indicô, Salſâ Parilliâ, Radice Chynæ, Argentô vivô, cæteriſque rebus omnibus ad hujus Luis profligationem inventis, diffuſiſſima Tractatio habetur. Tomus prior. Venetiis, apud Jordanum Zilettum, 1566. in fol. cum Appendice ad priorem Tomum.

De Morbô Gallicô Tomus poſterior, in quem Medicorum omnium celebrium univerſa monumenta, ad hujus morbi cognitionem, & curationem attinentia, quæ hucuſque haberi potuerunt, nunquam aliàs impreſſa, nunc primùm conjecta ſunt. Ibidem, 1567. in fol. Quô ſinguli Autores locô in hôc Volumine ſint reperiendi, ſub cujuſque Scriptis ſignificabimus.

Morbi Gallici curandi ratio exquiſitiſſima, à variis iiſdemque peritiſſimis Medicis conſcripta: nempe Petrô Andreâ Matthiolô, *Senenſi*: Johanne Almenar, *Hiſpanô*: Nicolaô Maſsâ, *Venetô*: Nicolaô Poll: Benedictô de Victoriis Faventinô. His acceſſit Angeli Bolognini de Ulcerum exteriorum medelâ, Opuſculum. Ejuſdem de Unguentis ad cujuſvis generis maligna ulcera conficiendis Lucubratio. Baſileæ, apud Johannem Bebelium, 1536. in 4.

Gynæciorum, ſive, de Mulierum tum communibus, tum Gravidarum, Parientium, & Puerperarum Affectibus & Morbis, Libri veterum & recentiorum aliquot, partim nunc primùm editi, partim multò, quàm antea caſtigatiores. Baſileæ, apud Thom. Guarinum, 1566. in 4. Iidem, additis aliorum, quotquot extant, de iiſdem, Libris, denuò recogniti, emendati, neceſſariis Imaginibus exornati, & optimorum Scriptorum auctoritatibus illuſtrati, operâ & ſtudiô Iſraëlis Spachii, *Argentinenſis*. Argentinæ, apud Lazarum Zetznerum, 1597. in fol.

Series Auctorum

Felicis Plateri de Mulierum partibus generationi dicatis Tabulæ Iconibus illuſtratæ, ſtructuram, uſumque explicantes. Additis Obſervationibus & Curationibus aliquot harum partium affectarum.

Moſchionis de Paſſionibus Mulierum Lib. Græcus, Conradi Geſneri operâ emendatus, & per Gaſparum Wolphium in lucem editus.

Cleopatræ, Moſchionis, Priſciani, & incerti cujuſdam Muliebrium Libri, ſuperfluis ac repetitis omnibus reciſis, in unam harmoniam redacti, per Gaſparum Wolphium.

Trotulæ, ſive, potius Erotis, Medici, liberti Juliæ Liber: qui etiam ad ornatum quædam, & alia varia continet.

Nicolai Rochei, *Galli*, de Morbis Mulierum curandis Liber, partim experientiâ propriâ confectus.

Ludovici Bonacioli *Ferrarienſis*, Enneas Muliebris.

Reſponſa Medica de probatione, facultate & uſu Acidularum ac Fontium Schwalbaci ſuſurrantium, à celeberrimis aliquot Medicis ſcripta. Francof. apud Matthæum Merian, 1631. in 4.

Ars Chirurgica. Guidonis Cauliaci Lucubrationes Chirurgicæ, ab infinitis prope mendis emendatæ: ac Inſtrumentorum Chirurgicorum formis, quæ in aliis impreſſionibus deſiderabantur, exornatæ. Bruni prætereà, Theodorici, Rolandi, Lanfranci, & Bertapaliæ Chirurgiæ, maximâ nunc diligentiâ recognitæ. His acceſſerunt Rogerii ac Guilielmi Saliceti Chirurgiæ: quarum quibuſdam decorata Adnotationibus, nunc primùm in lucem exit: altera ex vetuſtorum exemplarium lectione innumeris ferè in locis eſt aucta, ac in integrum reſtituta. Venetiis, ap. Juntas, 1646. in fol.

De Chirurgiâ, Scriptores optimi quique, veteres & recentiores, plerique in Germaniâ antehac non editi, nunc primùm in unum conjuncti, Volumen operâ Conradi Geſneri. Tiguri, apud Andr. & Jacobum Geſnerum, Fratres, 1555. in fol.

Theſaurus Chirurgiæ, continens præſtantiſſimorum Autorum, utpote

Ambroſii Paræi, *Pariſienſis*,
Johannis Tagaultii, *Ambiani Vimaci*,
Jacobi Hollerii, *Stempani*,
Mariani Sancti, *Barolitani*,
Angeli Bolognini,
Michaelis Angeli Blondi,
Alphonſi Ferri, *Neapolitani*,
Jacobi Dondi,
Caſparis Geſneri Obſervationes:
Barthol. Maggius,
Joh. Langius,

Galenus de Faſciis;
Oribaſius de Laqueis,
Examen Leproſorum Incerti, & Guilielmi Fabricii Hildani Opera Chirurgica. In quibus non ſolùm perfectiſſima Tumores præter naturam, Vulnera, Ulcera, Luxationes & Fracturas ratio curandi; verùm etiam Humani corporis ſingularumque partium exactiſſima Anatome: Curationes item multorum aliorum affectuum, raræ Obſervationes, & varia Medicamenta ad Chirurgiam pertinentia, demonſtrantur. Antehac quidem disjunctim edita; nunc verò in unum collecta,& ab omnibus mendis repurgata, per Petrum Uffenbachium. Francof. apud Jacob. Fiſcherum, 1610. in fol.

Chirurgia Militaris, exhibens I. Antonii Chalmetei, *Vergeſaci*, Enchiridium Chirurgicum, Morborum externorum remedia tam univerſalia, quàm particularia breviſſimè complectens. II. Matthiæ Narvatii, *Aragonenſis*, Sylvam ſententiarum ad Chirurgiam pertinentium ex Libris magni Hippocratis deſumptam. III. Jacobi Auberti Vindonis de Signis Morborum Libellum. IV. Nicolai Abrahami Frambeſarii Canones Chirurgicos. Quibus acceſſit Guil. Fabricii Hildani Ciſta Militaris, hoc eſt, Deſignatio præcipuorum Medicamentorum inſtrumentorumque, quibus rationalem Medicum & Chirurgum caſtrenſem inſtructum eſſe convenit, in Claſſes viginti diſtributa. Baſileæ, apud Joh. Jacob. Genathium, 1634. in 8.

De Sclopetorum Vulnerum naturâ & curatione, Bartholomæi Maggii, Joh. Franc. Rotæ, Alfonſi Ferri, & Leonhardi Botalli. Venet. 1566.

Conſilia Variorum de Arthritidis Præſervatione & Curatione, collecta ab Henricô Garetiô. Francof. 1592. in 8.

Epiſtolæ & Judicia aliquot Medicorum de Tabacô. Ultrajecti, 1644. in 12.

De Arthritidis præſervatione & curatione Clarorum noſtræ ætatis Medicorum, Conſilia, ab Henricô Garetiô collecta. Francofurti, 1592. in 8.

Synopſis Commentariorum de Peſte, Autoribus Hieronymô Donzellinô, Johanne Philippô Ingraſſiâ, Cæſare Rinciô, Joachimô Camerariô. Noribergæ, apud Catharinam Gerlachiam, 1583. in 8.

Continentur autem hâc Synopſi

Commentarius de Peſte Hieronymi Donzellini, *Veronenſis*, converſus ex Italicô ſermone in Latinum à Joachimô Camerariô.

Brevis Methodus curandi Peſtiferum Contagium, quod A. C. MDLXXV. & LXXVI. Panormum, Metropolin Siciliæ, invaſit: converſa ab eôdem ex Italicô Librô Johannis Philippi Ingraſſiæ.

Diſputatio de Peſte Mediolanenſi, quæ annô C. MDLXXVII. urbem afflixit, Cæſaris Rincii.

De rectâ & neceſſariâ ratione Præſervandi à Peſtis contagiô tam imminente, quàm exoriente loca quælibet, brevis Meditatio Joachimi Camerarii.

Conſtitutiones, Leges, & Edicta quædam, tempore Peſtis annô MDLXXVI. publicè Venetiis, & alibi propoſita, breviter in Latinam linguam converſa, eôdem Autore.

De Bolô Armeniâ, & Terrâ Lemniâ Obſervationes Ejuſdem.

Conſilia Medica Celeberrimorum quorundam Germaniæ Medicorum collecta, & partim etiam ex idiomate Germanicô converſa, operâ & ſtudiô Johann. Philippi Brendelii, *Schaicenſis*. Francof. apud Zachariam Palthenium, 1615. in 4.

Conſilia Medicinalia, cùm mixtim præſtantiſſimorum Italiæ Medicorum, tùm ſeorſim Antonii Mariæ Venuſti, Tergeſtinorum Med. De graviſſimis humani corporis Malis curandis. Quibus acceſſêre Julii Cæſaris Claudini, *Bononienſis*, breves Tractatus varij. Collecta, digeſta, polita, ac edita omnia à Joſephô Lautenbachiô. Francof. ap. Joh. Sartorium, 1605. in 4.

Conſiliorum Medicinalium, conſcriptorum à Præſtantiſſ. atque Exercitatiſſimis noſtrorum temporum Medicis Liber ſingularis, collectus & editus à Laurentiô Scholziô, à Roſenauw, *Vratiſlavienſi*. Francofurti, apud Hæredes Andr. Wecheli, 1598. in fol.

Epiſtolarum Philoſophicarum, Medicinalium, ac Chymicarum à ſummis noſtræ ætatis Philoſophis ac Medicis exaratarum, Volumen, ab eôdem editum. Ibidem, apud Eoſdem, annô & formâ iiſdem.

Diſpenſatorium Galeno-Chymicum, continens I. Johannis Renodæi Inſtitutionum Pharmaceuticarum Lib. V. De Materiâ Medicâ Lib. III. Antidotarium. II. Joſephi Quercetani Pharmacopœam Dogmaticorum reſtitutam, per Petr. Uffenbachium, reviſum & locupletatum. Francof. apud Joh. Theobaldum Schönwetterum, 1631. in 4.

De Doſibus, ſeu, de juſtâ quantitate & proportione Medicamentorum, Opuſcula, Illuſtrium Medicorum, Matthæi Curtii, Benedicti Victorii, Bartholomæi Montagnanæ, Gentilis Fulginatis, Thomæ de Garbô, Alkindi, Guil. Rondeletii, Petri Gorræi. Venetiis, apud Paulum Mejettum, 1579. in 8. Lugduni, apud Joh. Mareſchallum, 1584. in 8. Argentorati, in 8.

Novæ Academiæ Florentinæ Opuſcula, adverſus Avicennam & Medicos neotericos, qui, Galeni diſciplinâ neglectâ, barbaros colunt. Et ſunt, Dialogus, qui Barbaromaſtix, ſeu Medicus dicitur. Petri Franciſci Pauli, Medici Galenici, adverſus Avicennam, de Venæ ſectione, Tractatus. Leonhardi Giacchini adverſus Meſuem, & vulgares Medicos omnes, Tractatus. Venetiis, apud Lucam Antonium Juntam, 1533. in 4. Lugduni, 1534. in 8.

Duæ Quæſtiones Medicæ. Altera, utrum in Lienis affectibus ſecanda ſit vena, quæ eſt ad annularem digitum ſiniſtræ manus, ab Excellentiſſ. Viris, Joſephô Valdaniô, Hieronymô Feroldô, Aloiſiô Mundellâ, & Bartholomæô Gajone, tractata. Altera, utrum in Morborum initiis ſolum, cùm materia turget, purgantibus Medicamentis uti liceat, ab Excellentiſſ. Virô, Victore Trincavelliô, explicata. Patavij, apud Petrum Antonium Alciatum, 1567. in 8.

Epiſtolæ veterum Græcorum; nempe, Hippocratis, Democriti, Heracliti, Diogenis, Cratetis, Phalaridis, Bruti, aliorumque, ad Eoſdem: editæ Græcè ac ſimul Latinè per Eilhardum Lubinum. Francof. apud Commelinum, 1609. in 8.

Epiſtolæ Medicinales diverſorum Auctorum: Johannis Manardi, Nicolai Maſſæ, Aloiſii Mundellæ, Johannis Baptiſtæ Theodoſii, Johan. Largi. Cum Indicibus duobus: quorum prior Epiſtolarum argumenta: poſterior Rerum ac Vocum totô Opere memorabilium Elenchum continet. Lugduni, apud Hæredes Jac. Juntæ, 1557. in fol.

Ἱερακοσόφιον. Rei accipitrariæ Scriptores, nunc primùm editi. Acceſſit Κυνοσόφιον, Liber de Curâ Canum. Ex Bibliothecâ Regiâ Mediceâ. Lutetiæ, apud Sebaſtianum Cramoiſy, 1612. in 4.

De

De Podagræ Laudibus, doctorum hominum Luſus. I. Bilibaldi Pirckheymeri. II. Luciani Tragœdia. III. Chriſtophori Baliſtæ. Argentorati, apud Joſiam Rihelium, 1570. in 8.

Enchiridion, cui inſunt: N. Bertrutii Lombardi in Medicinam Practicam Introductio prima. Joh. Michaelis Savonarolæ, *Patavini*, in Med. Pract. Introd. ſecunda. Artificium componendi Medicamina Bartholomæi de Montagnana, Introductio tertia. Argentorati, apud Joh. Albertum, 1533. in 24.

Faſciculus Medicinæ. In quô continentur I. Indicia Urinarum, cum ſuis Accidentiis. II. Tractatus de Phlebotomiâ. III. de Chirurgiâ. IV. de Matrice Mulierum & Imprægnatione. V. Conſilia utiliſſima contra Epidemiam. VI. Anatomia Mundini totius Corporis Humani. in fol.

Clariſſimorum quorundam Medicorum Libri quatuor: I. de Pulſibus, ex Galenô collectus & quaſi in Formulam redactus, Authore diligentiſſimô doctiſſimôque. II. de Judiciis Urinarum, Johanne Vaſſæô, *Meldenſi*, Auctore. III. Morborum internorum Methodica Curatio per Jacobum Sylvium ſelecta. IV. de Ratione Victûs in Febribus ſecundùm Hippocratem in genere, & ſigillatim Libri III. Auctore Brudô, Luſitanô Medicô, Dionyſii Filiô, ad Anglos. Opus, omnibus rem Medicam exercentibus, utiliſſimum, emendatiſſimè jam recens excuſum. Coloniæ Agrippinæ, apud Petrum Horſtium, 1579. in 8.

Obſervationum Medicinalium haud trivialium Libri IV. Ulmæ, 1652. in 4.

Facultatis Medicæ Hafnienſis Conſilium de Præſervatione & Curatione Febris malignæ graſſantis. Hafniæ, 1676. in 8.

Catalogus & Valor Medicamentorum Hafnienſium cum Taxâ Pharmaceuticâ. Hafniæ, 1672. in 4.

Variorum de Arte Memoriæ Tractatus, ſeu, Omnibus cujuſcunq; ſtatûs aut conditionis hominibus, præcipuè verò literarum Studioſis, Oratoribus, Theologis, Juriſperitis, atque iis, qui ad Doctoratûs apicem aſcendere ſatagunt, maximè utiles & neceſſarii, continens Gazophylacium Artis Memoriæ. In quô duobus Libris omnia & ſingula ea, quæ ad abſolutam hujus cognitionem inſerviunt, recondita habentur. I. De admirabili utilitate & ſtupendis Memoriæ artificiô adjutæ effectibus, in quibuſdam Viris præſtantiſſimis, ex Auctoribus fide digniſſimis. 2. De ipſâ Memoriæ arte acquirendâ fundamentis, methodô & praxi ejuſdem, ex Philoſophorum & Oratorum principiis, & aliis Auctoribus compendioſè abſolutèque collectum & illuſtratum per Lambertum Schenckelium, *Duſilvium*. His acceſſerunt de eâdem Arte Memoriæ adhuc quinque Opuſcula; quorum primum Johannis Auſtriaci de Memoriâ artificioſâ Libellus. Secundum Hieronymi Maraſioti, de Arte Reminiſcentiæ per loca & imagines, ac per Notas & Figuras in manibus poſitas. Opus delectabile, & quod omnibus, qui in cujuſcunque generis artibus & facultatibus bene memorare, vel ad eruditionis culmen conſcendere conantur, magno adminiculo eſſe poteſt. Tertium Johannis Spangenbergii Erotemata de Arte Memoriæ ſeu Reminiſcentiæ, quibus ea, quæ hactenus de Memoriâ tam naturali juvandâ, quàm artificiosâ acquirendâ, à doctiſſimis quidem Viris, nimis tamen obſcurè atque involutè fuerunt pertractata: nunc in gratiam ſtudioſæ juventutis, tam clarè & perſpicuè enucleantur, ut porrò etiam ipſis pueris, poſſint eſſe uſui, Auctore eôdem Spangenbergiô. Quartum & Quintum Johannis Williſii. Ars Memoriæ, hactenùs ab ejus primô Auctore, hujuſce ſecundô quidem incognitô, ita obſcurè ſtudiô tradita, ut legere nedum intelligere quis poſſet. Jam verò in gratiam & uſum Studioſæ juventutis explicata, exemplis aucta per M. Franciſcum Martinum Ravellin. Cui acceſſit de Memoriâ naturali fovendâ Libellus: è variis doctiſſimorum operibus ſedulò collectus & jam iterum in lucem editus. Lipſiæ, 1677. in 8.

Theatrum Sympatheticum. In quô Sympathiæ actiones variæ, ſingulares & admirandæ tam Macro quàm Microcoſmicæ exhibentur, & Mechanicè, Phyſicè, Mathematicè, Chymicè & Medicè, occaſione Pulveris Sympathetici, ità quidem elucidantur, ut illarum agendi vis & modus, ſine quantitatum occultarum, Animæve Mundi, aut Spiritus Aſtralis, Magnive Magnalis, vel aliorum Commentariorum ſubſidiô ad oculum pateat. Opuſculum lectu jucundum & utiliſſimum Digbæi, Papinii, Helmontii, aliorumque Recentiorum Scriptorum prolata exhibens, trutinans, atque ipſius Pulveris Sympathetici germanam & optimam deſcriptionem ſimul exponens Norimbergæ, apud Johan. Andr. & Wolffg. Jun. Endterorum Hæredes, 1660. in 12.

Theatrum Sympatheticum auctum, exhibens varios Auctores de Pulvere Sympatheticô quidem; Digbæum, Strauſſium, Papinium & Mohyum: de Unguentô verò Armariô Goclenium, Robertum Helmontium, Robertum Fluddum, Beckerum, Borellum, Bartholinum, Servium, Kircherum, Matthæum, Sennertum, Wechtlerum, Nardium, Freitagium, Conringium, Bürlinum, Fracaſtorium, & Weckerum. Præmittitur his Sylveſtri Rattray Aditus ad Sympathiam & Antipathiam Ibid. apud Eosd. 1662. in 4.

Salve Academicum, vel Judicia & Elogia ſuper recens adornatâ Academiâ Naturæ Curioſorum. Lipſiæ, apud Johan. Bartholom. Oehlerum, 1662. in 4.

Sacræ Cæſareæ Majeſt. Mandatô & Privilegiô Leges S. R. J. Societatis Academicæ Naturæ Curioſorum confirmatæ atque munitæ. Brigæ, apud Joh. Chriſtoph. Jacobi, in 4. ſine expreſſione Anni.

Miſcellanea Curioſa Medico-Phyſica Academiæ Naturæ Curioſorum, ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicarum Germanicarum Curioſarum Annus Primus, Anni ſcilicet MDCLXX. continens Celeberrimorum Medicorum in & extra Germaniam Obſervationes Medicas & Phyſicas, vel Anatomicas, vel Botanicas, vel Pathologicas, vel Chirurgicas, vel Therapeuticas, vel Chymicas. Præfixa Epiſtola Invitatoria ad Celeberrimos Medicos Europæ. Lipſiæ, ſumptibus Viti Jacobi Treſcheri, Bibliopol. Uratiſlavienſ. 1670. in 4. & in 8.

Miſcellan. Curioſ. ſeu Ephemeridum Medico Phyſic. Annus Secundus, Anni ſcilicet MDCLXXI &c. Præmiſſa ſuccincta Narratio Ortûs & Progreſsûs Academiæ naturæ Curioſorum: cum Legibus Societatis, & Nominibus Collegarum. Jenæ, apud Eſaiam Fellgibelium, 1671. in 4.

Miſcellan. Curios. ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicar. German. Annus Tertius, Anni ſcilicet MDCLXXII. cum Appendice. Lipſiæ & Francofurti, apud Hæred. Schureri-Götzianos & Johann. Fritzſchium, 1673. in 4.

Miſcellan. Curioſ. ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicar. German. Annus Quartus & Quintus, Anni ſcilicet MDCLXXIII & MDCLXXIV: cum Appendice. Lipſiæ, apud Joh. Fritzſchium, 1676. in 4.

Miſcellan. Curios. ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicar. German. Annus Sextus & Septimus, Anni ſcilicet MDCLXXV & MDCLXXVI: cum Appendice. Ibidem, apud Eundem, 1677. in 4.

Miſcellan. Curios. ſive Ephemeridum Medico-Phyſicar. German. Annus Octavus, Anni ſcilicet MDCLXXVII: cum Appendice. Uratiſlaviæ & Bregæ, typis Johannis Chriſtoph. Jacobi, 1678. in 4.

Miſcellan. Curios, ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicar. German. Academiæ Natur. Curioſorum Annus Nonus & Decimus, Annor. MDCLXXVIII. & MDCLXXIX. Cum Epiſtolâ Buccinatoriâ Adeptorum in Chemiâ, Philoſophorum ad Univerſos Europæ Curioſos, aliiſque Appendice comprehenſis. Ibid. apud Eund. 1680. in 4.

Miſcellanea Curioſa, ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicarum German. Academ. Natur. Curios. Decur. II. Annus I. Anni MDCLXXXII. Cum Appendice. Ibid. apud Eund. 1683. in 4.

Miſcellanea Curioſa, ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicarum German. Academ. Natur. Curios. Decur. II. Ann. II. Anni MDCLXXXIII. Cum Appendice. Ibid. apud Eund. 1684. in 4.

Miſcellanea Curioſa, ſive, Ephemeridum Medico-Phyſicarum Germanicarum Academiæ Naturæ Curioſorum Decuriæ II. Annus Tertius, Anni MDCLXXXIV. continens Celeberrimorum Virorum, tùm Medicorum, tùm aliorum Eruditorum in Germaniâ & extra eam Obſervationes Medicas, Phyſicas, Chymicas, nec non Mathematicas. Cum Appendice. Norimbergæ, apud Wolff. Mauritium Endterum, 1685. in 4.

Celeberrimorum Anatomicorum, Severini Caſtrenſis, Jaſolini & Cabrolii Varia Opuſcula Anatomica: quibus præmiſſæ ſunt Obſervationes Chirurgiæ Infuſoriæ Hominibus adhibitæ. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1668. in 4.

Obſervationes Anatomicæ ſelectiores Collegii privati Amſtelodamenſis, Figuris aliquot illuſtratæ. Amſtelodami, apud Caſp. Commelinum, 1667. in 12.

Obſervationum Anatomicarum Collegij Medici Amſtelodami, Pars ſecunda. Ibid. 1673. in 12.

DD. Virorum Epiſtolæ & Reſponſa, tum Medica, tum Philoſophica. Quibus, ob materiæ affinitatem adduntur Encomia Medicinæ, nec non Pulveris Sympathetici Compoſitio accuratiſſima. Quorum ſeriem pagina verſa poſt Præfationem continet. Roterodami, apud Rudolphum à Nuyſſel, 1665. in 8.

Collectanea de Diuturnâ Graviditate. Ex variis Auctoribus, ut Joh. Alboſiô, Simon. Provancherô, Thom. Bartholinô &c. Amſtelodami, apud Petrum van den Berge, 1662. in 12.

Epiſtolæ Bartholini, Tackii, Hornii, Michaelis, continentes Judicium de Chirurgiâ Infuſoriâ. Extant cum Joh. Daniel. Horſtij Judiciô de Chirurgiâ Infuſoriâ Johan. Daniel. Majoris. Francofurti, ap. Georg. Fickwirt, 1665. in 12.

Exercitationes ad Galeni doctrinam de Oſſibus Veſalij, Sylvij, Heneri. Euſtachij. Ex Bibliothecâ Joh. van Horne. Exſtat cum Galenô de Oſſibus Græcè & Latinè, quem edidit Johann. van Horne. Lugduni-Batavorum, apud Danielem van der Boxe, 1665. in 12.

Le Journal Des Scavans, hoc eſt, Ephemerides Eruditorum Anni MDCLXV. accurante Dn. de Sallô, Curiæ Pariſienſis Conſiliariô, aliàs Hedouvilliô dictô Anni MDCLXVI. MDCLXVII. MDCLXVIII. accurante Johanne Galleſiô. Gallicè primùm editæ, jam verò in Linguam Latinam verſæ operâ atque ſtudiô Friderici Nitzſchij Tom. I. II. III. IV. Lipſiæ & Francofurti, apud Hæredes Schürerianorum & Joh. Fritzſchii, 1671. in 8.

Le Journal des Scavans, hoc eſt, Ephemerides Eruditorum annorum MDCLXIX. & MDCLXX. accurante G. P. Gallicè primùm editæ, jam verò in Linguam Latinam verſæ operâ atque ſtudiô Friderici Nitzſchii. Tom. V. Ibidem, apud Eoſdem, annô & formâ eâdem.

Acta Eruditorum an. MDCLXXXII. MDCLXXXIII. & MDCLXXXIV. publicata. In quibus multa reperire licet ad Medicinam pertinentia. Lipſiæ, apud J. Groſſium & J. F. Gletitſchium, 1682. 1683. & 1684. in 4.

Acta Philoſophica Societatis Regiæ in Angliâ, quæ non minus plurima continent Medica. Vid. Henricus Oldenburgius.

Zodiacus Medico-Gallicus, ſive, Miſcellaneorum Curioſorum Medico-Phyſicorum Sylloge. Continens Celeberrimorum Virorum tum Medicorum, & aliorum Eruditorum in Galliâ Obſervationes, tum Opuſcula Medica & Phyſica Gallicè emiſſa, & Latinitate donata. Annus Quartus, ſcilicet MDCLXXXII. & Annus Quintus ſcilicet MDCLXXXIII. Genevæ, apud Leonhardum Chouet & Socium, 1685. in 4. Notetur, Zodiaci hujus Annum primum, ſecundum, & tertium ſub nomine Nicolai de Blegny prodiiſſe, ibique ſuô locô titulôtenus deſcriptos eſſe.

Sequuntur jam alii Auctores Anonymi Ex Actis Lipſienſibus. ann. 1682. *p.* 76.

De la Gueriſon des Fievres par le Quin-Quina. i. e.

De Curatione Febrium per Corticem Chinæ-Chinæ. Pariſ. 1680.

CОrticis Chinæ-Chinæ ſeu Peruviani uſus per 30. circiter annos Europæis cognitus fuit, à nonnullis Practicis commendatus, ab aliis ſuſpectus maximè redditus. Anonymus ergò hic ſcriptor, cùm obſervârit, tantô annorum decurſu, nihil vel in vegetabilis hujus febrifugi præparatione, vel exhibendi modô, à quôpiam immutatum fuiſſe, niſi quòd Medicus quidam Londinenſis (*Sydenham in tr. de Morbis acutis*) illud non mox ante paroxyſmum, ut hactenus factum, ſed apyrecias potiùs tempore, propinandum eſſe evicerit: aſſerere non dubitat, ſi circumſtantiæ neceſſariæ hactenùs accuratiùs fuiſſent annotatæ, plus emolumenti ex hôc remedii genere in ægros fuiſſe redundaturum. Hinc præprimis in tractatulô hôc exponenda ſuſcepit, ſe diverſas Chinæ-Chinæ præparationes, ejus vires atque effectus, modum illâ utendi in febribus cunctis, & tandem quæ adverſariorum objectionibus ſatisfacere poſſit. *Primum* quod attinet, variè quidem medicamentum illud, ſine virium caſtratione, præparari poſſe, fatetur; in omnibus tamen compoſitionibus ab hôc, tanquam baſi, potiſſimam febribus medendi potentiam eſſe petendam, reliquaque admixta ſaltem ejus activitatem juvare: adeòque ex his talia ſeligi, quæ illam non impediant, ipſum verò corticem porportionatâ doſi, de quâ inferiùs præſcribi debere, monet. Quô factô propinari poſſe ait hoc remedium, vel in formâ ſolidâ, ſc. Boli aut Extracti, vel in liquidâ, nempe Tincturæ & infuſi. In infuſis deſcribendis paulò prolixior obſervatur, parandis vel cum potulentis ordinariis, vel cum decoctô hordei aut aquâ appropriatâ, aliquid centaurii minoris, ligni ſaſſafras,

fras, baccarum juniperi, & pro extractione accelerandâ, tartari, ſalis centaurii minoris, aut ſalis armoniaci addendo: ità tamen, ùt quòd cum muſtô factum, ratione fermentationis ſupervenientis, reliquis præparationibus cunctis anteponat, proximum verò locum vino medicato concedat. *Alterum* nempe virtutem dicti medicamenti, hujuſque ætiologiam dum explicare ſatagit, præliminariter de naturâ & causâ febrium differit, quarum illam ebullitionem maſſæ ſanguinis præternaturalem, hanc non bilem, ut multis viſum, ſed fermentum acre ſive acidum pronunciat. Cùm autem cortex ille particulis penetrantibus atque amaricantibus, unà cum aſperitate leviter adſtringente, polleat, vim ejus penetrativam atque incidentem fermentum diſſolvere ac diſſipare, ac humorum coagulationi reſiſtere, ſtypticitatem verò moderatam eorundem ebullitionem præternaturalem compeſcere, ſimulque partes ſolidas, quibus fermentum illud aliquid noxæ impreſſerat, roborare docet. Adeòque concludit, omnium, tam continuarum, quàm intermittentium, febrium fermentum, utpotè unius ejuſdemque naturæ, paucis ſaltem circumſtantiis exceptis, hoc remedii genus, debellare ac deſtruere, illud ſc. alterando ac naturam in ejus excretione, per vias modo ſenſibiles, modò inſenſibiles juvando, idque eò potentiùs quod reliqua ingredientia commẽdata corticis febrifugi activitatem intendant. Nec inutile putat, remedio huic aliquid Laudani opiati admiſcere, præprimis ſi paroxyſmi febriles vehemẽtiores fuerint: cùm hoc nimiâ humorum ac ſpirituũ turgeſcentiam compeſcat, ratione ſui amaroris febrile fermentum obtundat, ac per ſudorem atque inſenſibilem tranſpirationem diſſipet. De cæterô hoc peculiare quoque cortici Peruviano teſtatur, quod potiſſima febrium ſymptomata, v. g. inflationes atque tenſiones abdominis dolorificas, viſcerum infarctus, anorexiam & cruditates ventriculi, alvi fluxus ſimileſque turbas ſimul cum febre tollat, & quidem hoc pariter ratione ſuarum ſuperius recenſitarum qualitatum. *Tertiâ* hujus tractatûs parte modus hôc medicamine utendi proponitur, ubi, poſtquàm à venæ-ſectione in plethoricis & in quibus ebullitio ſanguinis nimia, ac catharſi, primarum viarum evacuandarum gratiâ, leniore initium curationis faciendum eſſe dixerat, & diætam cuilibet ſubjecto & febri appropriatam commendârat, pro diverſâ paroxyſmorum vehementiâ, ac ratione ſymptomatum, temperamenti, ſexûs, ſimiliumque circumſtantiarum medicamenti doſin, aſſumendi frequentiam, vehiculum &c. mutare jubet. Hinc genium & legitimum antifebrilis hujus uſum in febribus, tam intermittentibus quàm continuis, malignis æquè ac ſymptomaticis, explicat, & quidem, ſi ſub formâ vini medicati illud propinetur; licèt ad eandem normam cæterarum formularum applicatio diſponi valeat. In febribus intermittentibus & harum potiùs principiô, medicamentum hoc non ſub initium, ſed finem paroxyſmi exhibet, nec in hôc ratione deſtitutus, & quidem partitis vicibus, uſque ad ingruentiam ſubſequentis acceſſûs: repetendo illud ſingulis apyrexiis, donec paroxyſmi ceſſent, quod brevi contingere ſpondet; ita tamen ùt, ad minimum, corticis drachmæ ſex vel uncia una cum dimidiâ interim in infuſô conſumantur, hujus verò ſingulis doſibus unciæ quatuor circiter hauriantur, imò pro recidivâ præcavendâ, ejus uſus per octiduum, & quod excurrit; finitâ febre, continuetur. In febribus continuis, poſt univerſalia pariter præmiſſa, febrili turgeſcentiâ potiùs aliquantùm ſubſidente, & quidem in minore doſi, Chinam Chinæ, ſi ſc. cum vinô infuſa fuerit, exhibet: ſin verò cum decoctô hordei & abſque vinô, mox in principiô quoque & locô potûs ordinarii. In febribus lentis & ſymptomaticis, niſi hæ inveteratæ admodùm à viſceris nobilioris ſingulari vitiô dependeant, eandem, ac in continuis, utendi rationem ſuggerit, quò nimirùm fermentatione aliquô modô ſedatâ, faciliùs poſtmodùm febrium ejuſmodi cauſis mederi liceat. Poſt febres cum decubitu ſeu affluxu humorum, v. g. pleuritidem, contra malignas quoque, quarum fermentum acrius & activum tantùm magis ſupponit Auctor, ſingularem etiam hujus ſpecifici efficaciam deprædicat, quatenùs non ſaltem dictum fermentum illud obtundat, ſed ad diaphoreſin quoquè diſponat. Poſt uſum deniquè ejus & febre ſublatâ, purgationes leniores & repetitas commendat, purgantia cum cortice hôc febrifugô combinando. *Tandem & quartò* objectionibus tribus ſolemnioribus, quas contra uſum hujus remedii movent, reſpondet. Quarum *prima*, quòd hoc nullam evacuationem ſenſibilem præſtet, adeòquè nec cauſam morbificam, nec recidivæ metum tollat; *altera*, quòd calidius illud ſit, & cum calidis, v. g. vinô ut plurimùm propinetur, hinc æſtum potiùs febrilem intendat, quàm imminuat: *tertia*, quòd ejus uſum recidiva crebriùs excipiat. De cæterô non dubitat Noſter, pro aliorum quoque morborum, ab acidô fermentô emergentium, v. g. affectionis hypochondriacæ, hyſtericæ, obſtructionis lienis, evacuationum ſolemnium ſuppreſſionis, medelâ, hoc remedii genus, per experientiam propriam commendare, adeoquè ad experimenta ulteriora, in his ſimilibuſque pathematis adornanda, potiſſimùm cùm nullum periculum uſui hujus corticis ſubſit, hortatur.

Ibid. ann. 1683. *p.* 158.

Le Medecin de ſoi-meme, ou l'Art de ſe conſerver la ſantè par l'inſtinct. i. e.

Medicus ſui ipſius, ſeu Ars ſibi ſanitatem conſervandi per inſtinctum. Lugd. Batav. 1682. *in* 12.

A*Nonymus* hujus libelli ſcriptor cùm obſervâſſet, quantò hactenùs Medicina atque Medici contemtui ſe expoſuerint, ponderâſſetque cauſas, propter quas illa æquè ac hi negligendi videantur, demonſtrare conatur hôc opuſculô, artem Medicam homini non magis ac brutis neceſſariam eſſe. Quemadmodùm enim bruta per quandam Medicinæ ſpeciem, quam in ſe ipſis habent, & quæ ab eorum inſtinctu naturali dependet, ſe in ſtatu ſanô conſervant, ſuoſque morbos curant, hìncque arte illâ vanâ ac deceptoriâ, cujus mancipia noſmet profitemur, ſuperſedent? ità nos, qui communi cum brutis animali naturâ gaudemus, cum illis quoque hac medicinâ domeſticâ & quaſi connatâ uti debere, & ex eâ eadem emolumenta pro conſervandâ ac reſtituendâ ſanitate noſtrâ petere poſſe, ſi modò, ut illa, hujus conſilia & monita ſequamur.

Quod ùt commodiùs præſtet, *in primâ* ſcripti hujus *parte* prolixè declarat, hominem æquè, ac animantia cætera perfectiora, inſtinctu ſeu appetitu quôdam naturali gaudere, per quem ad bonum apprehendendum & malum fugiendum feratur: ſeu certum quoddam principium vel potentiam agendi cunctis animalibus ineſſe, quod cauſa omnium illarum actionum, præprimis illarum, quæ horum conſervationem concernunt, exiſtat; adeòque nec homini, quatenùs animal, ſeu ut corporeus eſt, denegandum, cujus ope, abſtra-

abſtractâ rationalitate, pro ſui conſervatione eaſdem cum illis actiones exerceat, id eſt, media inſultibus morboſis reſiſtendi habeat, niſi animalis in homine naturæ conditionem deteriorem pronuntiare velimus. Atque hunc quidem Inſtinctum animalem ſeu naturalem non tantùm in hominis primis & tenerioribus annis obſervari putat, dum infans v. g. nutricis mammam mox apprehendit ac ſugit, antequam hujus lac ſibi nutrimentum neceſſarium eſſe dignoſcat, ignotos & ſibi ingratos, præprimis qui ex ulnis nutricis aut matris illum eripere tentant, horret ac fugit, non ſanè quòd malum ſibi emergens prævideat, ut potè ad ratiocinia ejuſmodi formanda minus aptus; ſed in provectiore quoque ætate nonnullas hominem actiones edere, quas rationi adſcribere vix liceat; v. g. quandò quis mente negotium magni momenti ſeu ponderis volvit, ſimul tamen alimenta, de quibus haud cogitat, aſſumit, ut potè negotio illi unicè animum omnem applicans: aut cùm quis rerum arduarum meditationi ac deliberationi affixus, ſimul tamen frigeſcens, ac cameram focô inſtructam ſubintrans, hunc mox petit, corpus, non mentem, illuc convertendo: aut cùm maniaci & ad brutalem ſtuporem redacti, ſine omni rationalitate actiones ſatis arduas edunt, ſolô naturæ impetu ad has impulſi. Sicut proin Inſtinctus hic naturalis brutis principium adæquatum contingat, ſanitatem conſervandi morbiſque medendi: ita idem ſufficere quoque poſſe putat Auctor noſter cunctis hominibus, qui eô eũdem in finem uti haud detrectant, quatenùs maximam morborum partem præſentiſcamus, illorum quoque, qui ſubitò nos obruunt, ſine dubiô per merum hoc principium. Dum non ſolùm illi, qui morborum procellas aliquando ſuſtinuerunt, ſed & qui ab iiſdem per totum vitæ tempus immunes extiterunt, fateri cogantur, quòd ſæpius morbi ingruentis ſigna in ſe perceperint, quamvis aut diæta accuratior, aut exercitium corporis conveniens, aut quædam evacuatio, aut naturæ robur hunc in primâ herbâ interdùm extinxerit. Per quod autem principium, nobis cum brutis commune, homines æquè ac illa affectus ſibi obvenientes quaſi præſagiunt, per idem quoque illorum remedia hos reperturos credit, niſi aliæ diverſæ curæ eos ab inveſtigatione illorum arcerent: potiſſimùm cùm conſtet, plebeios & agreſtes homines, ut potè aliis negotiis haud diſtractos, ac neceſſitate quâdam (quatenùs ruri degentes à Medicis & pharmacopoliis remotiores ſunt) ad ſui ſuæque ſanitatis ſtudium compulſos, ſi per inſtinctum illum naturalem ad evacuandum v. g. corpus adigantur, ſimplicia, quæ natale ſolum fert, aſſumere, hiſque ſæpè morbos aliàs incurabiles ſanare; Imò cùm temporibus & in locis illis, ad quæ Medicina in artis formam redacta nondùm pervenerat, nec adhuc pervenit, homines æquè commodè vivant, plures morbos per euporiſta faciliùs ac tutiùs ſanent, imò longæviores extiterint atque exiſtant, quàm illæ gentes, quæ de natalibus ſingularique culturâ hujus artis gloriari poterant, eamque adhuc indefeſſô ſtudiô exercent. Concludit E. quemlibet hominem per inſtinctum proprium ſe in ſtatu ſanitatis conſervare & à morboſô vindicare poſſe, modò illum obſervet ac ſequatur, & quidem cum majore ac feliciori quàm in brutis ſucceſſu, dum ratio, quæ reliquis animantibus denegatur, illô meliùs uti, & inter remedia unius ſpeciei, ſelectum huic vel illi individuo adæquatum inſtituere concedat.

Quare in *parte ſecundâ* ſigna, quibus mediantibus inſtinctus morbos ingruentes ac metuendos dignoſcit, expoſiturus, quædam de cauſis horum præmittit, quas Medicos ſuperiorum æquè ac hujus ſeculi latitâſſe putat, ac in remotiores, ſc. affectus animi & errores in diætâ commiſſos, atque proximas, nempe plethoram & fœcum alvi diuturniorem juſtô retentionem, qualitates vitioſas ſanguinis maſſæ imprimentem dividit, adeoquè primarium morborum internorum focum ſeu ſedem, non, ex communi ſententiâ, pancreas, meſenterium, epar &c. ſed vaſa potiùs ſanguifera cum inteſtinis, & inter hæc potiſſimùm Colon, proclamat, hocque frequentiorem illorum radicem eſſe prolixè non minùs quàm curioſè comprobat. Signa verò morborum, per inſtinctum naturalem obſervabilium, recenſet plura, v. g. laſſitudinem ſpontaneam, coloris in facie & habitu mutationem, marceſcentiam corporis, ſomnolentiam, vigilias, animum proſtratum, ſudores nocturnos, ſiccitatem faucium, appetitum imminutum &c. quæ tanquam totidem nuntii, quos Medicus noſter internus emittat, periculum ſanitatis indicent. Quibus diverſas ſubnectit hiſtorias, quarum prior evincit euporiſtis ſimplicioribus ac plebeiis medicamentis ſæpiùs in morbis curandis plus perfici, quàm Medicorum dogmaticis conſultationibus atque præſcriptionibus: altera, quantùm impatientia ac moroſitas ægri ſanitatis recuperationi obſtet, declarat: tertia mortis metum: quarta nimiam curioſitatem ſeu ſubtilitatem, & quinta medicinæ aliquam cognitionem ægris interdùm valdè nocivam teſtantur.

In parte tertiâ remedia recenſet modoſque ſuggerit, evitandis morbis, quos Inſtinctus monſtravit, congrua. Ubi in genere ſimpliciora compoſitis majoris efficaciæ declarat, horumque ſtudium accuratius & naturæ ductui conforme à Medicis hactenùs neglectum fuiſſe dolet. Hinc in ſpecie cauſarum morbificarum rationem habendo, quibus modis pathematis animi horumque effectibus mederi liceat, diſſerit; diætam ſeu moderamen in aſſumendis alimentis veneriſque uſu præſcribit; tandemque cauſarum proximarum intuitu, ſanguinis abundantiam ſeu plethoram per venæ ſectionem, ac fœcum diuturniorem in colô moram per clyſteres & purgantia, ſimul tamen diætâ accuratiore & venæ ſectione pariter adhibitâ, ſolvere docet; his immiſcendo talia, quæ venæ ſectionem contra ejus oſores defendunt, ſimul tamen ejus abuſum vituperant: exceptiones ad difficultates circa clyſterum ac purgantium uſum & vires deſtruit, horumque utendi modum ac tempus exponit. Practicorum autem vulgarium, item Chymicorum fumivendulorum methodum & medicamina rejicit, demùmque in genere tempus & modum remediis medicis utendi ſubdit, unà cum cautelâ quantùm aſtris horumque influxui vario tribuendum ſit.

Ibid. ann. 1683. *p.* 409. *Experimenta ac dubia nonnulla Chymica, auri & argenti ſolutionem ſpectantia communicata à D. B.*

Sicut nec in Chimiâ tyronem latere auguror; Menſtruorum, quæ Aurum atque Argentum diſſolvunt, adeò reſtrictam eſſe potentiam, ut quod ſolutioni Argenti adæquatum, ſc. Aqua fortis, Aurum ne ſuperficialiter quidem arrodat; contra quod metallum hoc in minima ſolvit, ſc. Aqua Regis, argentum vix aut leviter ſaltem afficiat: Ita ex iis quæ circa hæc, ſatis quidem mihi paradoxa & aſſertis trivialibus contraria, nuper annotavi, explicare volui.

Primò nempe repetitis tentaminibus expertus sũ; nihil planè referre, ſive pro Aquâ Regiâ parandâ Baſis ſpiritus Nitri ſeu Aqua fortis, ſivè ſpiritus ſalis ſit, modò illi tantillùm ſalis cõmunis aut marini, huic Nitri (quartam, imò ſextã, partem) adjicias, vel ſtagmata illa ab his deſtillãdo abſtrahas: i.e. Aqua Regis fiet

fiet æquè, ex ſpiritûs ſalis v.g. unciis quatuor & Nitri unciâ unâ, aut drachmis ſex, ac ex Aquæfortis ſeu ſpiritûs Nitri unciis quatuor & ſalis com. unciâ unâ &c. Undè difficile ſatis explicatu mihi videtur, quomodo Menſtrua, ratione equidem ingredientium eadem, proportionis tamen illorum intuitu ſatis diſparia, unum eundemque nihilominùs præſtent effectum.

Secundò ſpiritum ſalis marini ſeù communem ſimplicem, & qui de Nitrô nihil planè participat, Aurum ſolvere, Paradoxum Chymicum eſt: deprehendi interim, illum hoc præſtare, modò ſuper æqualem ſalis ejuſdem portionem bis cohobetur; Argentumque ſicut anteà, ità & nunc, intactum relinquere.

Tertiò ſi Aqua fortis à Nitri communis minùſque depurati parte æquali bis vel ter cohobetur, menſtruum Auro appropriatum evadit, Argentum aliquantùm duntaxàt arrodens: Quòd ſi autem ab eâdem Nitri, probè depurati, portione binis vicibus avocetur, Lunam in momentô & ſine caloris extrinſeci adminiculô ſolvit, Solemque, calore externô quamvis adjuta, minimè contingit.

Quartò mirari ſubit, quomodò eundem effectum, in ſolvendô Aurô, duplici pariter ratione parata Aqua Regis præſtet? ſc. modò in Aquâ forti aliquid ſalis diſſolvitur, atque totum in menſtruum deliquatur, nihil autem ab hôc ſegregatur. Modò ab eôdem ſale Aqua fortis tantùm cohobatur, hinc ejus aliqua duntaxat & volatilior forſan ſubſtantia in Aquam Regis faceſſit; ab Aquâ forti autem ſali locô illius, quod deceſſerat, aliquid imprimi, credere jubet. Nitrum verum, in quod remanens ſal degenerat.

Ibid. ann. 1683. *p.* 410.

The anatomy of Humane Bodies Epitomized, by a Fellow of the College of Phiſitians in London. id eſt.

Anatomia humani corporis in compendiô tradita à ſociô quôdam Collegii Phyſici Londinenſis. Londini. 1682. *in* 8.

SCriptum Anonymi Tibi L. B. ſiſtimus, omnium partium humani corporis conformationes, actiones & uſus tradens, & quidem prout hæc partim ſuperioribus ſeculis explicata, partim per Neotericorum, v. g. Harvæi, Bartholini, Williſii, Malpighii, Graëfii &c. inventa atque aſſerta, emendata fuerunt. Dividit illud Auctor in libros ſex, quorum *primus* abdomen, *ſecundus* Thoracem, *tertius* caput, cum ſingulorum contentis; *quartus* vaſa artuum cujuſcunque generis, *quintus* Muſculos, & *ſextus* oſſa totius corporis unà cum Cartilaginibus, Ligamentis & unguibus exponit, methodô negotio huic ſatis congruâ, multiſque Anatomicorum obſervationibus exornatâ.

Ibid. ann. 1684. *p.* 311.

Traitè de la Circulation des Eſprits animaux, par un Religieux de la Congregation de St. Maur. id eſt.

De circulatione Spirituum animalium Tractatus, Auctore Religioſô quôdam Congregationis S. Mauri. Paris. apud viduam Ludov. Billaine. 1682. *in* 12.

QUemadmodùm hypotheſin de circulari ſanguinis motu ab omnibus ſanioribus Philoſophis ac Medicis receptam, & infinitis experimentis atque ratiociniis confirmatam novimus: ſic Religioſus præſens Anonymus Circulationem ſpirituum animalium, quam *Segerus* v.gr. & *Sylvius* quaſi per tranſennam jam dùm conſpexerant, aſſerere & explicare contendit, i, e. moveri eos à Cerebrô per Nervos ad partes, ab his per vaſa Lymphatica ad venam ſubclaviam & Cor, hinc per arterias Carotides & Plexum Choroideum ad Glandulam Pinealem & ad ventriculos cerebri anteriores tres, per poroſitatem verò hujus denuò ad Nervos.

Quod dum præſtat, ſupponit in Plexibus Choroidibus cerebri produci, & in Glandulâ Pineali depurari fluidum quoddam aëreum, ſimulque flammeum, quod ad Nervos delatum, nomine ſpirituum Animalium, ſenſuum & motuum cunctorum in corpore noſtrô exiſtat auctor. Hoc verò fluidum ſi ſpiritus animales neceſſariò circulari debere, i,e, ad principium ſuæ formationis reverti, probat, 1. à continuô & nunquam interruptô ſanguinis ad ἐγκέφαλον appulſu, quô ſtante illorum plures intra horam generentur, quam toti nervorum ſyſtemati inexiſtant, adeòque neceſſariò ad principium redeant, cùm locus alius in quem ſecedant, iis concedatur nullus. 2. à calore totius corporis, quem non minùs ſpiritus animales ac ſanguis perennem reddant: quod tamen fieri haud poſſet, niſi pariter, ac ſanguis effœtus in corde, hi in cerebrô novô lumine & calore imprægnarentur. Quoniam *Th. Bartolinus* hanc doctrinam duobus præprimis argumentis concutere videbatur, ſc. quòd nervi à ligaturâ non intumeſcant, nec in illis tactu ſyſtolen aut diaſtolen obſervare liceat: hæc per texturam ſolidiorem atque compactiorem declinare ſatagit, potiſſimùm cùm motus ſpirituum per nervos, ſanguinis arterioſi appulſu tranquillior longè, ſimiliſque venoſi undulationi ſit. Hinc Lympham ab extremitatibus corporis ad Cor recedere probat, & contra *H. Regium* prolixiùs defēdit; quod quidē cùm ſēper & ſine ullô quôque inter vallô contingat, Lympham pariter circulari concludit, tandemque infert, continuum inter fluidum Nervorum & Lymphaticorum vaſorum motum eſſe, i, e, Spiritus animales per nervos & Lymphatica vaſa circulari. Quòd 1. horum ſubſtantia aërea in aquam circa nervorum extrema capillaria facilè converti poſſit ac convertatur. 2. aqua hæc ſeu aër condenſatus Lymphaticis vaſis excipiatur, quatenùs nulla alia præter hæc in corpore obſerventur, ab omnibus corporis extremitatibus eadem exoriantur, hinc guttulis ſeu rori illi excipiendo maximè adæquata exiſtant. 3. Nervis minora exiſtant, quòd fluidum non vaporoſum, ſed condenſatum magis vehant; 4. illorum Liquor limpidiſſimus, omniſque coloris atque odoris expers, acidulus tamen obſervetur; 5. nulla alia ipſiùs queat demonſtrari ſcaturigo, quatenus non ſit reſiduum nutrimenti partium, ut Bartholinus ſuſpicatus fuit, nec à venis, nec ab Arteriis, nec Muſculis prodeat. Ut reliqua taceamus phænomena animalia, quibus eundem ſpirituum animalium per Nervos & vaſa Lymphatica Circuitum ſtatuminare annititur hinc indè intermiſcendo paradoxa: v.g. quòd vaſa inteſtinorum Lactea nil niſi Lymphatica ſint; in ventriculô ex alimentis duplex Chyli genus, à duplici ſeu quadruplici potiùs, diſſolvente præparetur, quorum ſubtiliùs ex eôdem partim per vaſa Lactea (ventriculo propria) ad Receptaculum Lumbare, partim per vas Breve venoſum ad Lienem, partim per venam Gaſtriam ad Epar. craſſiùs, pro aliâ quâdam adhuc digeſtione, à duplici quôque menſtruô ſc. pancreaticô & bilioſô, ſuſtinendâ, ad Inteſtina amandetur; ubi in partes

partes ſubtiliores ſeu chyloſas, & craſſiores ſeu fœculentas, ſecedat, quarum illæ tam per vaſa lactea, nominatum Receptaculum *Pecqueti*, quàm per venas meſaraicas jecur ſubintrent, ùt in hoc ſanguinis naturam induant, in illô verò ulteriùs digeſtæ cordi inſtillentur, & ab hôc magis exaltatæ ſpirituum animalium materiam proximam conſtituant.

De cæterô in Epiſtolâ præliminari difficultates quaſdam à non nemine, cujus cenſuræ hoc ſcriptum, antequam prælum experiebatur, expoſuerat motas declinare ſatagit, ſpe fretus, aliorum quoque objectionibus, ſi quæ futuræ, ſe ſatisfacturum.

Ibid. ann. 1686. *p.* 555.

Lumen Rationale Medicum. h. e.

Praxis Medica reformata Henrici Regii. Medioburgi, apud Joh. de Reede, ann. 1686. *in* 8.

QUamvis primâ fronte caput occulat ſub Anonymi ſenticetô, quicunque tandem editor eſt libri, ex relatione tamen Domini B. *aux Nouvelles de la Republique des lettres*, menſ. Febr. hujus anni pag. 229. & 230. conſtat, quòd nobiliſſimi viri *Theodori Craan* opera & ſtudium in ipſô contineantur. Nam poſt exceſſum celeberrimi Sylvii, hic ſucceſſor Medicinam Practicam Lugduni Batavorum profeſſus, auditoribus ſuis quædam ſcholia ad Henrici Regii Praxin in calamum dictavit, ac poſtquam ille à Potentiſſ. Electore Brandenburgiæ ad munus Conſiliarii & Archiatri largô ſtipendiô nunc evocatus eſt, cœperunt illa annotata typis exſcripta circumferri, ut ùt vel inſciô planè, vel invitô nobiliſſimô Auctore edita, quod forſan ultimam ipſis limam adhibere non libuerit. Quod in librum ipſum attinet, non licet vitandæ prolixitatis ergò ſingula jam capita recenſendo percurrere. In genere ſaltem ſufficiat noſſe, quòd in pleriſque affectibus cùm mixturæ legitimæ ſanguinis reſtituendæ, tùm motui ipſius vel nimio compeſcendo, vel tardiori promovendo; hinc pororum ac tubulorum partium vel obſtructioni, vel aperturæ nimiæ tollendæ palmariam operam navet. Ut quoque vel unicum duntaxàt adducamus medicamentum eò directum, p. 12. 132. 147. ac paſſim alibi, pulverem maximè refrigerantem commendat, qui in omni motu ſanguinis vehementi, item in æſtu ipſius compeſcendô, circa obſtructionis novæ metum utiliſſimus ſit. Componitur autem ex *lap. prunell. gr.* XV. *caphur. gr.* iij. IV. *vel* V. *Laud. op. gr. ſem. vel gr.* j. Atque ab hôc & ſimili pulvere miras aliquandò ſe vidiſſe ait operationes in phrenitide & maniâ, ita ùt ægri ipſi admirarentur mutationem. Cæterùm interſperſæ hinc inde ſubtiles ſymptomatum rationes ſatis oſtendunt, quòd Carteſiana dogmata tanquam ſummè utilia applicet. Adjectæ etiam ſunt ſingulis ferè capitibus explicationes quorumdam aphoriſmorum Hippocratis eò pertinentium, ita ùt 105. illorum hôc modô allegati reperiebantur. Tandem annectitur examen inſtitutum in *Danielis Sennerti* Librum quinque Inſtitutionum de auxiliorum materiâ, ubi omnium medicamentorum naturam per particulas explicat, conſiderando earum magnitudinem, poros, ramoſitatem, flexilitatem, rigiditatem & cohæſionem, ac nonnulla de æthere ſanguinis naturali & peregrinô, indeque reſultantibus effectibus breviter addit, ſubjunctâ locô indicis tabellâ, quam & index rerum totô hôc librô explicatarum excipit.

Ibid. ann. 1686. *p.* 563.

De Tranſplantatione Morbi. Ex Epiſtolâ Doct. Medici Chirurgi ad N. N.

JUvenis Nobilis Brixianus parotide ſub maxillis laborabat; plura emollientia, lenientia, data Chirurgiæ methodô, affectæ parti applicata, at increſcens tumor venenoſis ſpiritibus gravidus ultimum diem indixit Juveni, qui, totâ gulâ intumeſcente, nec atomos cibi, nec guttam potûs admittebat. Venit alterâ die Chirurgus, faſcias ex parotide removet, denuòque dulcium amygdalarum oleô infuſô ſtringit. Servus adſtans faſcias illas è feneſtrâ dimittit, quas lambens ſus, caſu prætериens, ſubitò terribilem edens grunnitum, ſe in lutô tortuosè volvit, & facilè fuit comprehendere, ingentibus correptum doloribus; nam intumeſcere cœpit, donec immiſſis in os purgantibus tertiâ die convaluit. Vix faſcias projecerat ſervus cùm laborans Juvenis, cui uſque adhùc artis adminicula nullum obtulerant ſubſidium, aliquod ſenſit lenimentum & tale, ùt novâ luce novæ fuerit ſanitati reſtitutus. Scio quòd Chriſtus Dominus, cùm adhuc in vivis eſſet, ab hominibus ejecit dæmones, imperans, ùt porcorum gregem intrarent. Hoc divinæ potentiæ miraculum: modò hoc aliud naturæ portentum conſidera. Venenoſi ſpiritus, qui in faſciis ſedebant, longam aliorum ſimilium ſpirituum catenam attrahentes univocum pabulum in porci corpore invenerunt, & ità à primô animali vel virtute ſympatheticâ, vel magneticâ omnimodè ſeparati peſtem in aliud induxerunt, & talis tranſmutatio propriè à Medicâ ſynodo tranſplantatio vocatur.

Ibid. ann. 1686. *p.* 564.

Quartanæ Febris in canem tranſplantatæ novum experimentum.

CUm trânſplantationem Parotidis ſuprâ memoratam caſu potiùs quàm ex arte contigiſſe videatur; novum magneticæ curationis exemplum, ſolertiſſimi Medici & Chirurgi induſtriâ nuperrimè peractæ noſtræ Academiæ ſociis, ùt exteris communicetur, digniſſimum viſum eſt. Nobilis Juvenis Almi Brixienſis Collegii ſocietatis Jeſu cõvictor, fervidiſſimô febris, quartô quôque die recurrentis, calore pòſt algores rigidiſſimos æſtuabat. Nulla virtus pharmacis; nullumque ad extinguendum ardorem præſtabant juvamen, quæcunque ex arte Medicâ ſuppeditabantur. Quare cùm inter tantas abſumeretur flammas ægrotus, adeſt ſuprà laudatus Medicinæ Doctor; narrat ſimile morbi genus ſe tranſplantationis ope felici ſucceſſu ſæpiùs profligâſſe, ac modum perquirenti exponit. Dictum factum. Valetudinarii præfectus ſufficientem farinæ triticeæ quantitatem, ùt monuerat Medicus, lotiô febricitantis in ſummô paroxyſmi ardore mictô permiſceri jubet, & placentam indè efformari, in ſartagine coquendam. Hanc deindè cani comedendam porrigit; nullôque aliô adhibitô remediô, juvenis cõvaleſcit, omni prorsùs morbi fomite eradicatô.

Ibid. ann. 1686. *p.* 565.

Hydrocephalon in ſubſtantiâ medullari cerebri.

EXcellentiſſimus Doctor noſter *Bernardinus Tombinus*, Hydrocephalicum puerum poſt duos vitæ annos extinctum, in præſentiâ nonnullorum Medicinæ Doctorum diſſecabat, cùmque nullum

nullum læſionis ſignum appareret, neque extra, neque intra cranium, quin imò neque in ipſâ corticali cerebri portione, obſtupuerunt omnes; donec tandem cerebri cortice apertô, tota medullaris ſubſtantia (ut idem Tombinus prædixerat) corrupta, & in aquam converſa apparuit.

Inſolitum hoc naturæ portentum, cùm forſan à nemine unquam fuerit obſervatum, noſtris Actis inſerere non incongruum duximus, ad hoc, ùt ii, qui hæc noſtra legerint, cauſas diligenter inquirant, quarum cognitio novum fortaſſe lumen aliquod Anatomiæ, vel Medicinæ conferre poterit.

Ibid. 1687. *p.* 127.

Orophile en deſordre, ou l'Art convaincu d'impoſture dans l'uſage de la ſaignèe h.e.

Orophilus confuſus, ſive Ars convicta impoſturæ in uſu venæ ſectionis. Coloniæ, annô 1686. *in* 12.

NIhil frequentius circa morborum curas in Galliâ fieri, quàm ùt repetitâ ſæpiùs venæ ſectione ſanguis prodigatur, nemo facilè ignorabit. Hujus autem perverſi moris vanitatem perſtricturus Auctor præſentis ſcripti anonymus, ad genium fabulæ Romanenſis voluit nonnihil commentari, forſan ùt ſuaviùs alliceret Lectorem, ac interſperſis ſubindè poëmaticis floribus delectaret. Exiſtimat autem venam ſecandi conſuetudinem ex illarum numerô rerum eſſe, quarum error mater, fraus & impoſtura obſtetrix, & præoccupata vulgi credulitas nutrix eſt. Nam primum ejus inventorem putat à diabolô eſſe edoctam hanc praxin, nè tamen id innoteſceret, finxiſſe ab hippopotami exemplô, certô tempore mare egreſſi, ſuper calamos recens exſectos femora convolventis, & crura, ùt pedibus vulneratis cruor egeſtus ſaginâ diſtentum faciat levem, ſi licet uti verbis *Ammiani* ex L. 22. introductam iſtam ſanguinis prodigalitatem. Nec facilè magis brutum concipi conſilium poſſe, quàm demere ſanguinem, ſpiritus, vires, & vitam, ubi natura victrix debet evadere mali non niſi per vires, ſpiritus & vitam ipſam ſuperandi. Id quod fuſiùs deducit probando in ſanguine vitam nidulari, omneſque actiones vitales ab eô dependere. Hinc de exemplis loquitur eorum, qui vel ex uſu venæ ſectionis perierunt, vel vitam breviorem aut infelicem reddiderunt. Nam & cruribus vel brachiis mutilatos, maraſmô confectos, viſu privatos, in pallorem conjectos, icterô defœdatos paſsìm ait occurrere. Mox fermento & digeſtioni ventriculi nocere inciſionem venæ, ac indè totius corporis œconomiæ vim inferri fuſiùs declarare nititur. Sicut verò temeritatis arguit eos, qui phlebotomiam celebrari jubent: ita imprudentiæ notas non effugituros autumat, qui ipſi ſe ſubjiciunt. Enimverò abominaturum ſtatim, qui conſideret, hôc juvandi prætextû Galliarum Reginæ vires vitamque in vigore ætatis ſuæ ereptam: & numerum infantum, tanquam innocentium victimarum, eſſe innumerabilem, quos crudelitas matrum gravidarum per frequentes venæ ſectiones immolârit. Pergit deindè perſtringere finem, quem perniciosæ, ut vocat, hujus praxeos ſectatores proponunt, & operoſâ demonſtratione evincere conatur, corruptionem in ſanguine, quamdiu per vaſa ſua in circulum currit, planè impoſſibilem eſſe, nec illam ex varietate coloris aut conſiſtentiâ emiſſi cruoris innoteſcere poſſe. Imò nec fermenta maligna ſanguini illapſa ſic corrigi, nec fermentationes febriles, h. m. ſupprimi. Quid quod corruptio ſanguinis potiùs accerſatur per venæ ſectionem, quàm avertatur. Etſi illam concipere liquor vitalis queat, tamen vanitatem remedii in venæ aperturam poſiti, ex lege circulationis perpetuæ facilè apparere. Ac fruſtrà omninò delectum venarum ſecandarum, & huic vel illi viſceri aut parti reſpondentium inſtitui, quod plus noxæ, quàm utilitatis, ceu prolixiùs monſtrare præſumit, indè inferatur. Abſurdum quoque eſſe, & in mortem proximi deſtinatum conſilium, educere, 20. vel 30. partes puriſſimi optimique ſanguinis, ùt una vel duæ partes aliquali corruptionis notâ damnandæ eliminentur, miſturâ boni malive ſatis cognitâ. Atque hoc idem ferè eſſe, ac ſi quis 30. fidiſſimorum ſibi amicorum occidere haud vereatur, modò vel unicum inimicum inter illos latentem ſimul perimat. Quidquid etiam de revulſione, derivatione & plethorâ auctores ſpecioſô prætextu interſerant, aliquot rationibus deſtruere ſatagit, ùt ubivis meram illuſionem & fraudem manifeſtam detegat. Galenum deniquè & Celſum meticulosè admodùm venæ ſectionem præcepiſſe, ita ùt doctiſſimus quidam Medicorum benè aſſeruerit, ſi quis Galeni juxta monita velit ſe gerere, rariſſimè occurſuras eſſe valetudines, quibus mederi per hoc remedii genus liceat. Hinc Cratonem, Cnœffelium, Brunonem, ac obiter quoque Helmontium allegat, ejuſmodi ſanguinis effuſionem planè deteſtantes. Hippocratis verò *aphor.* 6. *ſect.* 1. malè à quibuſdam auctoribus in favorem venæ ſectionis detorqueri oſtendit. Tandem ùt quis averſetur cum horrore iſtam medendi methodum, facilè credit moveri poſſe, quòd ipſius origo ſit monſtroſa, intentionem Dei lædat, leges naturæ aboleat, effectus horribiles producat, falſitatem indicationum prodat, vanitatem prætextuum aperiat, & illuſionem fundamenti, fraudeſque omnes patefaciat.

Ibid. ann. 1688. *p.* 537.

Diſſertatio Phyſico-Medica de Febribus, Auctore A. V. L. Med. D.

Lugduni Batav. apud Cornel. Bouteſtein. 1688. *in* 8.

VEram de naturâ febrium doctrinam in Democriti puteô latuiſſe hactenus, non immeritò ſuſpicari quis poſſet. Nec enim in aliô quàm in hôc argumentô, æquè deſudâſſe auctorum ſedulitatem videas. Enimverò penitiori indagine quilibet præ aliis putat ſe publico profuiſſe, aperiendo cogitata ſua cùm rationum fulcimentis, tùm experientiæ ſolido ſuperſtructa. Quæ quidem ſcribendi methodus longô poſt ſe intervallô reliquit antiquiorum inſtitutum, quod credulæ vetuſtatis ſuffragiô unicè nitebatur. Id quod fuſiùs in præſentis libelli præfatione expoſitum eſt, cujus ſummam hùc tranſcribere nunc aggredimur. Octo punctis autem res omnis continetur. Primò etymologia traditur; II. communis definitio febris examinatur, oſtenſâ falſitate, quòd febris conſiſtat in calore, & quidem præter naturam, item quòd in corde primùm accendatur, mox per totum corpus deferatur, ùt indè functiones lædantur. Nec minùs rejicitur Barbetti deſcriptio, qui febrim auctam ſanguinis circulationem pronunciavit. Ut verò certius quid hâc in re ſtatuere auctor poſſit, III. ſanguinem cùm ratione multiformium particularum, ex quibus maſſa ipſius conflatur, tùm ratione fermentationum in eo obſerva-

ſervatarum conſiderat. Unde pateſcere opinatur, in mixturâ ſanguinis turbatâ febrim omninò conſiſtere. Et hæc aſſertio illorum quoque eſt, qui Carteſii caſtra ſequuntur, quos inter nobiliſſimus Dominus *Craan* eſt, ad cujus mentem ſcriptus hic libellus, ceu in titulô indicatur. Et ſanè pleraque in hôc tradita ſparſim docentur in notis ejus ad Regii Praxin, ſeu lumine Rationali Medicô ſuperiùs à nobis recenſitô, *ann.* 1686. *p.* 555. Cæterùm IV. locô cauſas febrium Auctor rimaturus (1) continentem affert, quam ait æthercam materiam aliam, quàm quæ fluere conſuevit per noſtrum ſanguinem, undè ejus mixtura turbetur. (2) procatarcticas à rebus 6. non naturalibus dictis deducit, quibus ſubjungit ictus, lapſus, vulnera, vermes. Differentias V. explicatas præter neceſſitatem putat multiplicari. Per multas enim à ſymptomatibus (v. g. dum febres vocantur ſiticuloſæ, deliræ, vomitoriæ &c.) permultas à morbis, quos vel ſequuntur, vel comitantur (quales ſunt arthriticæ, pleuriticæ, peripneumoniacæ) nomen accipere. Utilem verò eſſe diſtinctionem in lentas & acutas, in benignas & malignas. Sed has non dici tales, quaſi quòd tritis non cedant remediis, ſed quòd præcipitatio humorum maſſam ſanguineam conſtituentium talis facta ſit, ùt ſpiritibus vitalibus per auras diſſipatis nil niſi vappa ſeu caput mortuum remaneat, unde pereat ſpes reſtitutionis. Porrò dividi commodè in endemias & epidemias, in intermittentes (quò & vagæ pertineant) & continuas varias. Galeni autem diviſionem in putridas & non putridas juſtiſſimè rejici, cùm in omni febre, mixtura ſanguinis turbata, i. e. putredo adſit. Quartanas & quintanas continuas febres non appellari; cùm materia maſſam ſanguineam per triduum mixturâ ſuâ privans, & quartô vel quintô die de novô ſanguinem perturbans, in rerum naturâ dari non poſſit. Quæ autem cauſa varietatis in febribus ſit, ùt nunc intermittens, nunc continua affligat, & cur periodos adeò exactas, ùt horologii ſuperent certitudinem, obſervent, explicare cum ratione Auctor contendit. Peſtem verò vel paucis ſolummodò ſymptomatibus, vel planè non ab ardentibus & malignis febribus diſcrepare exiſtimat. Hinc VI. phænomena in febribus obvia accuratiùs, atque ab aliis vidit, explanaturus, prolixam eorum ſeriem brevi lineâ adumbrat, & memorantur pulſus nunc debilis, nunc vehemens, celer, frequens, intermittens, inæqualis &c. refrigeratio totius corporis, rigor, livor labiorum & unguium, pandiculationes, oſcitationes, ſudores, lacrymæ involuntariæ, alvus adſtricta, item muſcæ, aranearum telæ oculis obverſantes, ſitis extincta, dolores capitis pungentes, pulſantes, necnon phrenitides, vigiliæ, deliria, anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, aphthæ, æſtus ingens, corporis jactationes, reſpirationes crebræ, ſuſpiria, cibi faſtidium, cardialgia, nauſea, vomitus, cordis palpitatio, ſtrabiſmi, ſingultus, tuſſes humidæ & ſiccæ, quandoquè ſenſuum ſtupor, ſomnolentia, lipothymiæ, dolor cinguli inſtar circa præcordia, ſapor inſipidus, ſudores frigidi, ructus, dyſuriæ, diarrhœæ, urinæ modis variis variantes. De hiſce ſingulis cauſam Auctor breviſſimâ expoſitione reddit. Mox VII. prognoſin ſubjungit cùm experientiâ, tùm auctoritate aphoriſmorum Coi nitentem. Atque hìc obiter quæſtionem ſolvit de febre ad inciſionem peccantis materiæ craſſæ ſtudiô excitandâ, ſcilicèt temerariô, nec Medicum Chriſtianum decente auſu id conſilium iniri. Nam reverà medicamenta febrim producentia non dari: aut ſi dentur, forſan febrim & mortem eâdem horâ eſſe adductura. De cæterô VIII. omnem curæ cardinem in eo verſari tradit, ùt mixtura ſanguinis turbata ſuo ordini reſtituatur, caveaturque nè jam jam turbetur ulteriùs. Non alia autem hactenùs innotuiſſe orbi literato remedia illud efficientia, præter diaphoretica ob pororum ſuorum conſtantiam aptiſſima. Quatuor tamen cautelis in illorum uſu utendum monet: (1.) ut horâ unâ vel alterâ ante paroxyſmum præbeantur, (2.) ùt vacuô à cibis ſolidis aliiſque medicamentis ventriculô propinentur, (3.) ut planè ab iiſdem abſtineatur, ſi ſanguis intemperie pituitoſâ laboret, (4.) ut febre jam ſuperatâ, doſes ſudoriferi aliquot adhuc repetantur, quô ſanguinis mixtura reddatur conſtantior. Medicamenta hinc nonnulla ſubdit, quæ inter Theriaca, Mithridatium, diaſcordium, ſal volatile, cornu cervi, ungulæ alcis, viperarum, ſpiritus ſalis Ammoniaci, nitri, ſulphuris &c. reperiuntur. Præter autem diaphoretica, fatetur eſſe quoque vomitoria in auxilium apta, fomitem ſcilicèt ex ſuô latibulô excuſſura. Verùm cùm non raró animam priùs quàm febrim evomat æger, juniorque Medicus cùm ad curam, tum ad famam ſuam ſcrupuloſè attendere debeat; priorum potius uſum ſuadet. Deindè venæ ſectionem in ſynochô ad uncias octo, decem vel duodecim inſtituendam jubet, exceptis tamen languore confectis, item gravidis & puerperis; quamvis & his ſub certâ lege eandem eſſe concedendam arbitretur. Purgationem per ſe non indicari; adſtrictiorem tamen alvum haud morâ ſolvendam medicamentis à ſe propoſitis. Quòd ſi his nihil proficiatur, fortiorem catharſin eſſe negligendam, ſubſtitutô clyſterum emollientium uſu. Inter ſymptomata ſitim profligari facilè medicamentis ex nitrô & camphorâ maximè petitis: vigilias emulſionibus papaverinis & unguentis ſimilibus, aut denique opiatis. In quartanâ reliquis omnibus contumaciore, corticem Chinæ de Chinâ præ aliis laudat. Tandem euporiſta quædam cùm externa tùm interna recenſet febrim jugulantia, eorumdemque agendi modum ſuccinctâ ratione explicare annititur; quô factô diætæ præſcriptio libelli finem conſtituit.

Ibid. ann. 1688. *p.* 139.

Les Operations de Chirurgie par une methode courte & facile avec deux Traités, l'un des maladies de l'Eſtomac, & l'autre des Maux Veneriens. i. e.

Operationes Chirurgicæ methodo brevi ac facili cum duobus tractatibus, unô de affectibus ſtomachi, alterô de lue Venereâ. Pariſiis, apud Laurentium d'Houry, 1688. *in* 8.

QUem ſibi ſcopum ſcribendo hunc libellum præfixerit Auctor diſſimulati nominis, monitô præliminari breviter inſinuat, ſcilicet oſtenſurum ſe ait viam compendioſiorem, quàm ab ejus rei ſcriptoribus tradita invenitur. Nec quicquam à ſe doceri, quod peritiſſimorum hôc tempore Chirurgorum experientiâ non nitatur. Ac quamvis non numeris abſolutum opus omnibus fateatur, uſu & praxi quotidianam artibus acceſſionem largiente; ſpem tamen concipit fore, ùt plus in eô reperiatur, quam vulgò de iſthôc argumentô proſtet.

Ambitum verò totius libelli XXX. capita exhauriunt. Poſtquam 1° illorum de operationibus in genere conſtitit, eas ad quatuor imprimis genera referri, ſyntheſin ſcilicet, diæreſin, exæreſin & protheſin

protheſin, quam & anapleroſin vocant, pergit in ſequentibus capitibus ſingulorum ſpecies promiſsâ methodô perveſtigare. Ita *cap.* 2. agit de ſuturis in genere, *c.*3.4. & 5. de iiſdem in ſpecie, *c.* 6. de exomphalô, *c.* 7. de paracentheſi, *c.* 8. de herniis, *c.* 9. de hydrocele, *c.* 10. de phimoſi & paraphimoſi, *c.* 11. de calculô in urethrâ, *c.* 12. de lithotomiâ, *c.* 13. de fiſtulâ ani, *c.* 14. de empiemate, *c.* 15. de cancrô, *c.* 16. de aneuriſmate, *c.* 17. de trepanô & fracturis cranii, *c.* 18. de trepanatione, *c.* 19. de fiſtulâ lacrymali, *c.*20. de cataractâ, *c.* 21. de polypô, *c.* 22. de labiô leporinô, *c.* 23. de bronchotomiâ, *c.* 24. de exſtirpatione, *c.* 25. de reunione tendinis, *c.* 26. de ſectione Cæſareâ, *c.* 27. de panaritiô, *c.* 28. de applicatione cauteriorum, *c.* 29. de ſetaceô, *c.* 30. de cucurbitularum adhibitione. In quibus ſingulis Auctor brevitati bonâ fide ſtudet. Scilicèt definitione aut deſcriptione cujuſque præmiſsâ, mox differentias, prognoſin, modum & uſum exponit. Hìnc ubi à multis retrò ſeculis vel rectè docuerint veteres, vel hallucinati ſint, indigitat, ſubjunctô interdùm ratiociniô, & annexis ſubindè annotationibus, propoſitam materiam illuſtrantibus. Ridiculum autem foret, ſi hic compendium ex compendiô compendioſiùs tradere ſuſtineremus. Ut tamen dictorum veritas conſtet, exemplô ſumus probaturi non unô. Sic *c.* 7. de paracentheſi oſtenditur, non novam eſſe aſcitem curandi iſtam methodum, cùm & *Hippocrates L. de morb. intern.* & *Ariſtoteles L. de generat. animalium* de ipsâ verba fecerint, imò plerique antiquiorum illam ſecuti ſint exceptô ſolô *Eraſiſtratô*. Ut & hinc patere arbitretur, praxin anteceſſorum ſatis eruditam fuiſſe, illiſque nos omninò multa debere. *cap.* 16. verò *Celſum*, qui acetum vini, & *Scultetum*, qui oleum roſarum in vulneribus capitis duræ meningi adhibere præcipiunt, rationibus ſugillat, ac tandem *c.* 25. Galeni cautelam, quâ ſutura tendinum improbatur, hactenus quidem Practicorum obſequiô ſtabilitam damnat, cùm Dn. *Bienaiſe*, Chirurgus celebris, contrarium in canibus experimentum, imò & in hominibus eventu fecerit feliciſſimô. Modum verò conſuendi mox ſubdit fatetur tamen, ſicut in cæteris operationibus, ità in hâc neceſſe eſſe ùt ritè facturus ab aliô antea viderit eandem modô debitô peractam.

Tractatus alter de morbis ſtomachi ſeptem capitibus abſolvitur. Iº. de fame caninâ diſſeritur, IIº de picâ & malaciâ. IIIº. de coctione læſâ, IVº de lienteriâ & cœliacâ paſſione, Vº. de ſiti contra naturam, & de diabete, VIº. de ſingultu, VIIº. de vomitu & nauſeâ. In quibus ſingulis, deſcriptione affectûs præmiſsâ, mox cauſas, indè ſigna ac tandem prognoſin ſubjungit, therapeiam in prioribus tribus & ultimô capitibus planè miſſam faciens, reliquis verò tribus adjiciens. Cæterùm pro varia liquoris conſtitutione, quem ordinariò glandulæ ventriculo infundant, varios exoriri affectus opinatur, ſic ſi liquor acidus extremè purus, ſubtilis & activus ſit, famem produci caninam: ſi humoribus corruptis inquinatus, picam & malaciam: ſi cum ipſô certa ſalia ex maſsâ ſanguineâ in orificium ſuperius ſtomachi irruant, ſeque fortiter affigant, diabetem ſeu ſitim intenſiſſimam cum copioſiſſimâ urinæ excretione &c. Vi autem hypotheſium ſuarum explicare quoque varia phænomena præſumit, quorum vel unicum hùc tranſtuliſſe jam ſufficiat. Sic ſomnum, qui immediatè poſt paſtum obrepit, digeſtioni officere hôc modô exponit: Scilicèt conſuetum nobis eſſe ore clauſô obdormire. Jam verò copioſos elevari vapores ex fermentatione alimentorum cum particulis acidis per os tranſmittendos. Hos, cùm viam liberam exitumque non inveniant, mox cogi, ùt in ventriculum præcipites relabantur. Ibi autem longiori morâ condenſatos efficere cruditates, unde coctioni vitium affricetur. Maximè cùm tunc temporis non poſſint multi vapores exſpirare, quoniam œſophagi canalis in dormientibus non æquè ac in vigilantibus pateat. Nè autem tria illa capita, quibus curationem deſcriptorum affectuum annectit, planè neglexiſſe videamur, unicô ſaltem excerptô efficiemus. Scilicèt cauſam ſingultûs proximam & immediatam ſtatuit materiam acrem orificiô ſuperiori ventriculi impactam, quæ illud pungat, irritetque, ac per commotionem nervis hôc modô illatam ſpiritus ad irregulares motus concitet. Indè verò quâ ratione lygmus originem ducat, porrò fuſiùs exponit, medendi methodum ſtatim ſubjungens. Scilicèt per venæ ſectiones & purgationes iteratas, ſic ubi opus, necnon per ſolius lactis vaccini pro alimentô aſſumti uſum, curam commodè abſolvi. Hoc enim, præmiſſis illis, optimum eſſe ad liberandum ventriculum & maſſam ſanguineam à ſuis impuritatibus. Et julepis pariter ac emulſionibus, aliiſque hujus naturæ remediis attemperantibus aut refrigerantibus, imò narcoticis quoque ſuum hìc officium facturis, utendum monet.

In Tractatu III. de luis Venereæ deſcriptione verâ, origine, cauſis, ſignis & curatione ſermonem Auctor inſtituit, quibus ſubjungit gonorrhœam, ulcera penis, bubones venereos, modumque ipſum hâc lue infectos tractandi. Ultimô locô de naturâ mercurii, & quô is modô agat, caput additur. Ex his omnibus pauca quædam delibabimus, reliquis paſſim n Auctorum lectione obviis. Cauſam morbi Gallici acidum acre definit pag. 307. idem verò arſenicale vocat p. 304. Venenum hujus morbi communicari per vim quorumdam ſpirituum tartareorum, naturam virus conſtituentium pag. 303. aſſeritur. In curâ gonorrhœæ, ad tria potiſſimùm eſſe reſpiciendum: ad cauſam mali, ſeu virus; ad morbum ipſum, ſeu ulcus, & ad ſymptomata, ardorem ſcilicèt & dolorem in urinæ emiſſione perceptum. Ordinem verò & tempus hìc ait eſſe obſervandum. Scilicèt ante ulceris curationem demendum eſſe virus, à quô illud dependeat, & ante hujus ſublationem compeſcendum eſſe dolorem, inflammationem auferendo. Proinde (1.) Jubet venæ ſectionem inſtituere, quam tamen & præcedere & ſequi debeant clyſteres emollientes; hìnc diætâ refrigerante & humectante utendum, cujus initium primô ſtatim die emulſiones faciant. A vinô autem & motu corporis violentô abſtinendum. (2.) Sedatâ ſic inflammatione, ac ardore ſimul & dolore ſublatô, virus expugnandum purgantibus lenioribus, quô caſſiam & cryſtallum mineralem refert, quorum uſum excipiat ptiſana ad quam parandam R. rad. cichor. ſylv. nymph. fragor. acetoſ. a. ℥j. mal. Claudian. n. j. bulliant in ſ. q. 🜄 ſ. ùt dimidia decocti menſura remaneat, cui ferventi adhuc infund. fol. ſenn. ℥ß. cryſtal. mineral. ʒij. Hujus potius duo vitra quôvis mane æger ebibat; ita ut inter amborum aſſumtionem horæ unius intervallum intercedat; veſperi autem cubitum conceſſurus unicum vitrum exhauriat. Quod ſi his non cedat gonorrhœa & materia virideſcens effluere obſervetur, purgantia fortiora, imprimis pilulæ c. ☿. dulci, propinentur, quarum optimam deſcriptionem ſequentem laudat. ℞. *ambræ, aloes, ſuccotrin. ſcammon. fl. ſulphuris, a.* ʒj. *cinamom.* ℈j. ☿ *dulc.* ℥j. Hæc miſcere jubet ùt F. pilulæ Jam niſi ægrotus ipsâ lue Gallicâ laboret, fore certiſſimè, ùt 3. vel 4. harum pilularum omne

virus planè auferant. Tum verò (3. ad injectiones accedendum (quas aliàs non magni æſtimat Auctor, quòd ad ulcus uſque nequeant pertingere) & effluxum jam ferè abs ſe ceſſantem omninò cohibendum. Huic fini commendat *aq. fabr. ferrar. & vin. auſter. a.* ℔j. in quibus diſſolv. *vitrioli alb.* ℥j. Injiciantur autem tepidè manè & veſperi. Methodus curandi ipſam veneream luem nititur ſalivatione per mercurium inſtitutâ, quam clyſteres, venæ ſectio iterata, & purgationes ac balnea præcedere debent. Frictiones autem cum unguentô mercuriali per totum corpus (exceptô abdomine & pectore) à pedibus ad nucham uſque juxta focum commendantur, niſi additæ cautelæ aliter ſuadeant. Symptomatibus diverſis ut occurrendum traditur. Ubi vel unicum modò monitum notamus: Scilicèt nimiam ſalivationem commodiſſimè temperari VI. granis auri fulminantis ſub electuarii, ſeu opiatæ formâ exhibitis. Peractâ ſalivatione 20. 25. aut 30. dierum, æger ſicut initiô purgandus, gargariſmata pro exſiccandis ulceribus oris adhibenda, & linteamina lecti recentibus permutanda. Hìnc vinum & alimenta benè nutrientia in uſum vocanda. Macilentioribus & delicatis, matutinis cujuſlibet diei horis lactis vaccini certa portio, cum ſucci roſar. ℥j. permiſta, concedenda, cùm lac inſigne auxilium afferat morbis omnibus, ubi ſalium acrimonia demulcenda eſt.

Ibid. ann. 1690. *pag.* 134.

Nouvelle Oſteologie, où l'on explique mechaniquement la formation & la nourriture des Os, &c. i. e.

Oſteologia nova, in quâ oſſium formatio & nutritio mechanicè explicantur, una, cum ſceletô fœtûs & diſſertatione de inceſſu hominis ac animalium, avium volatu & natatu piſcium. Pariſiis, apud Laurentium d'Houry, 1690. in 12.

OSteologiæ utilitatem æquè ac jucunditatem Anonymus noſter ex eô cum aliis deguſtans, quod corpori noſtro ſolida non minùs baſis ſuppeditetur ac figura proportionatâ membris ejuſdem concilietur ab oſſibus; hæc in præſenti; tum in genere tum in ſpecie, emedullare annititur. In genere oſſa contemplatus ut partes corporis omnium duriſſimas, inſertioni muſculorum & reliquis partibus cunctis ſuffulciendis dicatas, quæ ex iiſdem planè fibris, i. e. venis, arteriis, nervis & vaſis lymphaticis coagmententur, ac muſculi ipſi & tendines, ut potè in fœtû quinque vel ſex ſeptimanarum inter ſe & oſſa minus diſtincti. Undè quemadmodum oſſa ovulo jamdum ſub fibrarum abbreviatarum ſchemate inexiſtere concipit, ita inſtar aliarum partium ſolidarum noſtri corporis, quæ faſciculi ſaltem videantur fibrarum ſeu filamentorum perforatorum, in interſtitiis ſuis longum veſicularum inter ſe patularum tractum recondentium, oſſa quoque fibrarum, ſpeciatim tendinoſarum, ſeu ipſorum tendinum productiones eſſe reputat, ab hiſce muſculorum tendinibus nonniſi duritie paulatim ſuperveniente diſtantes, quatenùs nullum occurrat os, cui tendo aliquis non inſeratur, nec tendines, aut cartilagines & membranæ, ceu tendineorum filamentorum expanſiones, in os, abeundi aptitudine deſtituantur. Sic aortam circa cordis baſin, non in cervis modò & bovibus, ſed & hominibus ætatis provectioris, oſſeam ſæpiùs evadere, illuſtris cujuſdam viri octuagenarii exemplô confirmat. Quam hypotheſin *à Stenone*, à noſtrô haud citatô, *Elementor. Myolog. ſpecimen p.* 74. primum divulgatum fuiſſe, ab eruditis alias minimè ignoratur. Nutritionem autem oſſium per intus ſuſceptionem, nec ab horum medullâ, quâ multa oſſa careant, nec à ſuccô nervoſô, veluti imaginariô, ſed à ſanguine cum primis particulis hujus durioribus ac minùs flexibilibus, i. e. ſalinis, celebrari aſſerit, cùm in animalis cujuſdam recens mactati oſſe fractô guttulæ ſanguineæ nondùm fixatæ omninò appareant, analyſi verò Chymicæ oſſa expoſita in deſtillatione, præter phlegma & oleum fœtidum, multùm ſalis volatilis ſuggerant, relictô capite mortuô, craſſius ſulphur & potiſſimùm fixas terreſtres ac ſalinas particulas comprehendente; indiciô evidenti, materiam oſſium à principiô ſanguinis terreô-ſalinô dependere, ſulphurque inſtar glutinis iiſdem molleculis ſtrictiſſimè uniendis ac in ſubſtantiam perquam ſolidam compingendis inſervire. Medullæ interim, ceu oleoſæ ſanguinis portioni omnium depuratiſſimæ, ſubtiliſſimis veſiculis incluſæ, duplex aſſignatur uſus, partim ùt juxta circulationis legem à ſanguine reſorpta, non tantùm hujus ſal acre inſtar omnis pinguedinis ad mentem Malpighii obtundat, ſed &, quia ſummè depurata, circulationem ejuſdem, fermentationem, ipſamque vitam, in morem Humidi radicalis veterum conſervet, partim ùt continuò ad oſſium interſtitia exhalando & hæc replendo ipſa oſſa minùs fragilia reddat, proùt arundo ab oleô, cui in ſcipionum uſum incoquitur, mollior longè ac minùs fragilis emergere animadvertitur. Calli denique formationem, quæ in equorum oſſibus diffractis vulgò impoſſibilis, ſed falsò, ſupponatur, ex oſſium ſtructurâ & nutritione hactenùs indigitatis, promtè declarat, in quantum ſuccus nutritius in oſſis fracti tubulis plurimis obturatis aut coarctatis liberè, ut ſolet, commeare impeditus coaguletur, ſimulque inæqualitatem oſſis peripheriæ inducat. In ſpecie oſſium partes, connexio, ac ſingulorum oſſium totius corporis ſitus & textura ſpecialior, nec non numerus exhibentur. Partes plerumquè quatuor, principalem videlicèt ſive corpus, apophyſes, epiphyſes & inæqualitates varias, in oſſe diſtingui innuitur. Partem principalem ſeu corpus, inſtar centri ſe habens, è quô oſſificatio incipiens ad extrema, tanquam circumferentiam, protendatur, omnium deprehendi duriſſimam, ob majorem forſan, quam ſuſtinendo ſuſtinet, partium circumſitarum preſſuram. Ab apophyſi verò, veluti parte ultra ſuperficiem oſſis protuberante, cujus & cavitatum ſolennes recenſentur & denominantur differentiæ, parùm diſcrepare epiphyſin, quippe quæ in junioribus ſubjectis os alteri oſſi adnatum videatur, ſaltem propter fibrarum oſſificationem nondum perfectam, quâ in adultis abſolutâ nullam ampliùs adhæſionem, ſed omnimodam apophyſin obſervari. Articulationis duo determinantur genera, cum motu & ſine motu, quorum illud Diarthroſis, hoc ſynarthroſis apud Græcos audiat. Diarthroſeos diviſio vulgaris in Enarthroſin, Arthrodiam & Ginglymum minùs accurata annotatur, cùm Enarthroſis & Arthrodia nonniſi ut magis & minùs, unde ſpecies haud varientur, differant, adeòque pro unâ Articulationis haberi debeant ſpecie, in quâ oſſa quoad eminentiam ſive apophyſin in alterius cavitate recepta in omnem plagam commodè moveri queunt; ad Ginglymum autem, quô oſſa flectuntur ſaltem & extenduntur, omnis quoque articulatio, extenſionis tantùm ac flexionis capax, v. g. maxillæ inferioris, refertur. Nec ſynarthroſeos ſpecies vulgares

gares, Sutura, Harmonia & Gomphoſis, exactæ cenſentur. Harmoniam ſiquidem ad ſuturam omninò ſpectare, quoniam & ipſa oſſa maxillæ ſuperioris, quæ per Harmoniam cohærere putantur, interiùs proceſſibus dentatis gaudeant, Gomphoſin itidem Suturæ, quæ ab artificibus Gallorum *engrainure* appellatur, poſſe accenſeri. Multò minùs ea oſſium connexio, quam veteres ſymphyſin vocârunt, ac vel ſine mediô, vel cùm mediô triplici fieri prodiderunt, approbatur, eo quòd ſymphyſis ſine mediô & ſynchondroſis maxillæ inferioris merè ſint fictitia, modò oſſificationem ſucceſſivè demùm in oſſibus horumque epiphyſibus, ſuturæ ope connexis, abſolvi perpendatur: Syſſarcoſis verò fundamenti expers videatur, muſculis non articulationi, ſed motui, inſervientibus. Porrò dum ſingulorum oſſium ipſorumque unguium ſitus & textura ſpecialior edocentur, circa dentes obſervationes adduntur, multorum animalium mechanicam dentium & maxillæ inferioris ſtructuram concernentes, è defuncti *Perraltii de la Mechanique des Animaux Part.* 3. *cap.* 2. excerptæ. Tandem corpus adultum, ſeſamoideis oſſibus & hyoides ſepoſitis, à bis centum triginta & novem oſſibus compaginari colligitur. Quantùm verò diſcriminis oſſibus fœtum ab adultorum oſſibus intercedat, & quomodò oſſa fundamentum animalium motui præbeant, cùm in ſceletô Fœtûs, tùm in Diſſertatione de Inceſſu hominis & animalium &c. adjectis, diſtinctè ab Auctore oſtenditur: utrobiquè tamen maximam partem nonniſi fidelem & compendioſum Interpretem eundem egiſſe eorum, quæ à *Kerckringio in oſteogeniâ Fœtuum*, *&* *Borello de Motu Animalium Part.* 1. *Capitib. ultim.* jam expoſita fuerunt, vel ipſâ Præfatione adſtipulante deprehenditur.

Ibid. an. 1691. *pag.* 122.

Het Medicinale Collegie over de Practyk der Medicinen &c. hoc eſt.

Collegium Medicum Practicum, cauſas, ſigna & curationes, præcipuorum internorum pariter atque nonnullorum externorum morborum comprehendens; unà cum brevi deſcriptione ſceleti humani. Auctore L.S.M.D.& P. Amſtelodami apud Joh. ten Hoorn. 1690. *in* 8.

AUctor hic exactiorem Medicinæ theoriam ſupponens, magis de præſcribẽdis remediis, quàm naturâ, cauſis & prognoſi morborum evolvendis deprehenditur ſollicitus, ut potè de quibus integris LXXI. capitibus nonniſi parciſſimè agit. Teſtimonium nobis præbeat Hæmoptyſis, *cap.* 31. pertractata; hæc enim adeſſe innuitur, cùm ſanguis è pulmonibus exſpuitur, ob glandulas exulceratas, quæ in pulmonum membranam ferantur, arteriarum oſcula quâcunque de cauſâ dilatata, vaſcula ſanguifera rupta, vel pravam quoque veſicularum pulmonalium conformationem &c. Eventum verò hujus morbi, ratione neceſſarii pulmonum uſûs continui, dubium eſſe ac periculoſum, ac in peripneumoniam, empyema, hydropem pectoris, ſimileſque morbos omninò degenerare poſſe. Tandem curam abſolvi, ſi auxiliatrices ſymptomatis ferantur manus, & venæ ſectio ſemel iterùmque prout viri ægroti permittunt, adminiſtretur, ſimulque alimenta calida, omnia animi pathemata & Venus interdicantur. Et quamvis eadem Medicamina, quæ in narium hæmorrhagiâ propoſita fuerunt, hîc quoque proficua commendentur, plura tamen alia ſuperadduntur tum interna, aceti ſcilicèt roſarum libra dimidia cum opii Thebaici ſcrupulô ſemis vel granis duodecim mixta, & ſcrotô necnon pudendis linteorum ope admovenda. Cæterùm collegio huic Practico brevis oſſium humanorum dilucidatio, ſeptem capitibus comprehenſa; Examen Chirurgicum Practicum, contuſiones & fiſſuras capitis, item pectoris & abdominis vulnera concernens, medicamentorum internorum æquè ac externorum Catalogus; termini deniquè artis uſitati Latinô ac Belgicô idiomate annectuntur.

Ibid. Supplem. T. 1. *p.* 48.

Eſſais d'Anatomie, où l'on explique clairement la Conſtruction des organes &c. i.e.

Tentamen Anatomicum, in quo clarè explicatur conſtructio organorum, eorumque operatio mechanica ſecundum noſtras hypotheſes. Lugduni Bat. ap. Petrum van der Aa. 1686.

QUamvis paſſim proſint libelli de ſtructurâ corporis animalis agentes, ea tamen hujus materiæ conditio eſt, ùt quoniam Anatomicorum induſtria identidem novi aliquid in machinâ hâc maximè compoſitâ detegit, non exiſtimandum ſit eos cramben bis coctam apponere, qui recentiorum inventa ſuccinctè collecta proponunt, & ex genuinis Philoſophiæ principiis explicare conantur. Qui ſcopus cùm etiam propoſitus fuerit Auctori noſtro Anonymo (qui Genevenſis Medicinæ Doctor eſſe perhibetur) ejus conatus adeò non diſplicuit eruditis, ùt potiùs opuſculum hoc in Italicum idioma tranſlatum, & Parmæ annô 1687. excuſum fuerit. Conſtat verò totum 21. omninò diſcurſibus, in quorum (1) reliquorum prolixiſſimô, & in ſectiones undecim diviſô, Auctoris de elementis, quæ corpus animatum non ſecùs ac reliqua conſtituunt, ſententia proponitur. Exiſtimat autem, ex congerie illâ infinitorum corpuſculorum in motu conſtitutorum, quam ætherem vocamus, nonnulla ſibi invicèm adhæreſcentiæ conſtituere molleculas, quæ commodè elementa corporum vocari poſſint, &, licèt varietas inter illas infinita ferè ſit, in quinque genera diſpeſci, quorum primum comprehendat molleculas valdè ſolidas & angulis acutis præditas; ſecundum multis iiſque ſatis patulis poris inſtructas; tertium ramoſas; quartum oblongas, ſed in extremitatibus ſuperficie ovali donatas; quintum tandem eas, quæ ad genera præcedentia referri nequeant. Hæc elementa quinque acidi, alcali, ſulphuris, plegmatis & terræ donat nominibus, ſingulorumque non ſolùm naturam ſed & phænomena, quæ ex ipſorum commixtione oriuntur, explicat, peculiari ſectione conatus evincere, ignem eſſe univerſale diſſolvens, ejuſque ope ritè inquiri poſſe in corporum naturalium elementa. Quô ſuppoſitô in (2) diſcurſu ad ſanguinem tranſit, eumque chymicè examinat. Deindè verò ordine aliis Anatomicis haud uſitatô (3) Glandulas, (4) Nervos, (5) Muſculos, (6) Cartilagines, oſſa & membranas, (7) Vaſa lymphatica, (8) os cum ſuis partibus, (9) Œſophagum, (10) ſtomachum & chylificationem, (11) Inteſtina, (12) Bilem & Jecur, (13) Mutationem chyli, quam in inteſtinis ſubit, (14) Meſenterium, venas lacteas, receptaculum chyli & ductum thoracicum, (15) cor, (16) Pulmones (17) Pectus, (18) Reſpirationem, (19) Lienem,

Lienem, (20) Renes & ureteres, (21) veſicam & urinam, totidem diſcurſibus contemplatur, eorumque conſtitutionem & uſum juxta ſua principia declarat. Nimirùm v. g. de glandulis agens, obſervat duorum eas eſſe generum, *Vaſculares & Veſiculares*, ita ùt hæ ſint congeries plurium veſicularum, illæ verò plurimorum vaſculorum, quæ tandem in communem canalem excretorium abeunt; *ſpiritus animales* maximam partem ex alcali & ſulphure volatili conſtare conjicit; rationem redditurus, *cur ligatâ aortâ animal paralyticum evadat*, fieri hoc dicit ob ſanguinis ſtagnationem, quæ fibris muſculorum ſpatium intumeſcendi demit, quod extra hunc caſum nanciſcuntur, dum fibræ inflatæ ex vaſis ſanguiferis ſanguinem expellunt, ita ùt etiam in certis animalibus muſculi albidi fiant, dum contrahuntur &c. Hæc verò omnia cùm ſatis concinnâ brevitate ſine auctorum citatione exſequatur, inconſultum judicamus libellum, qui horæ ſpatiô fermè totus perlegi poteſt, latiùs excerpere, id unum mirati, quòd Auctor membra generationi dicata in utrôque ſexu planè præterierit ſilentiô, cùm tamen ætas hæc noſtra circa eadem plurima invenerit ſçitu digniſſima.

Ibid. ſuppl. T. I. p. 429.

Diſſertation ſur la Goutte, tant la chaude, que la froide &c. i. e.

Diſſertatio de Arthritide calidâ & frigidâ, ubi vera cauſa hucuſque incognita manifeſtatur, certumque remedium præſervativum indicatur. Secunda editio. Pariſiis apud Laurentium d'Houry, 1689. *in* 13.

DIſſertationis hujus Auctor, quia multotiès ſæviora mali arthritici tormenta in ſeipſô perpeſſus eſt tam certò veram ejus cauſam inveniſſe credit ùt & methodum tradat infallibilem, quomodò quilibet pro lubitu arthritidem ſibi comparare poſſit. In duas autem partes diviſa eſt hæc diſſertatio; in primâ agitur de *Arthritide calidâ*, in alterâ de *frigidâ*. *Calidam* quod attinet, materiam ejus dicit eſſe ſanguinem arterioſum, extra vaſatum ab inſpiratione aëris frigidi in pulmonem intemperie calidâ affectum. Cùm enim aer frigidior, aut malignis mixtus vaporibus, aut valdè agitatus, per eos præſertim inſpiratur, ramus venæ & arteriæ pulmonaris in anaſtomoſi reſerat, ità ùt ſanguinis pars inter arteriam & venam regurgitet, indèque guttulæ quædam circumcircà effundantur in ſuperficiem pulmonum, non aliter ac ſi ſagenæ vinô plenæ ulteriùs vinum affundere velles per infundibulum, cujus extremitas non rectè reſpondet orificio lagenæ; quod enim affundis per ſpatium iſtud regurgitat. Sanguis ille extravaſatus ibidem non ſubſiſtit, ſed inſinuando ſe membranis muſculos involventibus pergit uſque ad juncturas articulorum, ubi cavitates adſunt, in quibus ſummô cum dolore detinetur, ulteriùſque fermentatur & inflammatur. Tunc verò partes viciniores corripit, muſculos, potiſſimùm ſi externè apponantur ea, quæ agitationem iſtam interiorem ulteriùs augmentare valent, cum cruciatû intolerabili à ſe invicem ſeparat, uſque dùm, mediante naturali ſanguinis calore, omnis illa materia per tranſpirationem diſcuſſa fuerit. Quòd ſi verò arthritis, durante adhuc digeſtione, ægrum invadit, pars quædam, inſtar emplaſtri aut ſalis compoſita ex partibus Chyli, nondùm exactè cum ſanguine commiſti, in locô affecto remanet; undè indiſſolubiles ferè nodi efformantur. Ex recenſitis remedium præſervativum conſtare Auctor exiſtimat, in curâ autem reſpirationem aëris tepidioris, motum partis ægrotantis continuum, licèt dolorificum, & ſtrictum denique diætæ regimen utramque facere paginam certò promittit. Venæ ſectionem pro ſcopô præſervandi approbat, ad curam autem eam nil conferre, quin potiùs hujus locô tumorem urticis cædendum eſſe contendit. Vini potum pro ratione ætatis & temperamenti concedit, imò aquâ mixtum omni noxâ carere aſſerit. Hactenùs de calidâ. *Frigidam* quod concernit, in parte dolente tumor ſine ullâ aut cum exiguâ ſaltem inflammatione apparet, cutiſque colorem naturalem retinet. Materia eſt pituita ſpiſſa, viſcida, & ſalina, in cerebrô ſuperfluitatibus plenô orta, quæ guttatim deſtillando muſculorum membranas percurrit uſque ad juncturas artuum, ibidemque majores aut minores excitat dolores, quò magis aut minùs de bile participat prædictus humor. Hyeme in aëre pluvioſô aut intenſô frigore, ſi nudô incedas capite, facillimè contrahitur, & mediante calore externô, ſtrictâ diætâ, moderatôque exercitiô iterùm curatur commodè. Methodus ſanandi hernias *Prioris de Cabriere*, quæ conſiſtit in uſu ſpir. ſalis rect. per tres ſeptimanas, & applicatione emplaſtri præſcripti cum convenienti ſubligaculô, in fine hujus diſſertationis adjecta eſt.

Ibid. ſupplem. T. I. p. 591.

Reponſe à la Diſſertation ſur la goutte. i. e.

Reſponſum ad Diſſertationem de Arthritide Pariſiis, apud Danielem Horthemels. 1690. *in* 12.

CUm de Arthritide Diſſertationem in *Actorum ſupplementis ſect. VIII. p.* 429. commemoraverimus, operæ videtur pretium, ùt Reſponſum etiam, quô eadem falsè perſtringitur, nunc recenſeamus breviſſimè. Juxta præfationem autem, quâ perverſus Medicorum hodiernorum ſtatus deſignatur, atque in titulum Diſſertationis annotata, Reſponſum hoc quatuor abſolvitur Propoſitionibus, quæ non ſolùm indigitantur, ſed & uberiùs explanantur. Etenim primò allegatas Arthritidis cauſas & præſtantiam remediorum ſuorum, quam Diſſertationis Auctor jactaverat, oppidô vacillare, minùſque experientiæ reſpondere, cùm primis ex eô monſtratur, quòd Arthritici plures ore dormiant clauſô, plures vice verſâ ab omni arthritidis inſultu degant immunes, ore licèt apertô & dormiant & reſpirent. Hinc ea, quæ circa cauſas arthritidis traduntur, novitate partim, partim omni probabilitate deſtitui, diſtinctè non minùs atque fusè declaratur. Tum diviſio arthritidis in calidam & frigidam atrô notatur carbone. Tandem à reſpiratione ſolis naribus celebrandâ, urticis verbera ſanguinolenta infligentibus, & deambulatione perlongâ, ceu laudatis Auctoris remediis, arthritidem parùm demulceri, diverſis è capitibus oſtenditur.

Ibid. ann. 1695. *p.* 559.

Relatio ad inclytam ſocietatem Leopoldinam Naturæ Curioſorum de novô Antidyſenteriô Americanô magnis ſucceſſibus comprobatô.

EDitor hujus relationis propriis meditationibus, quibus varias eruditionis partes promovere laborat,

rat, adjungit crebrum per literas commercium cum eruditis intra extraque Germaniam. Itaque cùm intellexiſſet, ante annos aliquot novum remedium Antidyſentericum in Galliâ fuiſſe productum, nunciavit hoc celeberrimo, nunc p. m. Viro *Joh. Georgio Volcamero*, inclytæ Naturæ Curioſorum Societatis tunc Præſidi, ùt eam in rem ampliùs inquireretur. Cùm verò exindè nondùm rem in Germaniâ ſatis increbruiſſe didiciſſet, & ex ore Sereniſſimæ Duciſſæ, ex Galliâ reverſæ, certiſſimam medicamenti poteſtatem multis modis confirmatam fuiſſe comperiſſet; dedit operam, ùt de totô negotiô edoceretur pleniùs, & quæ nactus eſt, bono publico extare voluit, quorum ſumma hæc eſt; Dn. *Grenier* mercator, navigationibus crebris in longinquas oras dans operam, attulerat Pariſios remedium compertæ contra dyſenteriam, diarrhœam, alioſque id genus ventris fluxus, virtutis. Juſſu Regis multa ſumta ſunt experimenta, felicia omnia, aitque Rex in literis patentibus, nè unum quidem experimentum ex multis per Noſocomia ſumtis, etiam in ægrotis maximè deſperatis fefelliſſe. Orta fuit *Grenerio* lis cum Medicô celeberrimô, qui ipſius conſenſu medicamentum apud Regem, & alibi produxit; & quem inventum & lucrum ſibi ſoli tribuiſſe accuſavit; ſed nos hæc præterimus, rem dediſſe contenti. Compertum fuit tandem, eſſe radicem plantæ Americanæ à Piſone in *Hiſt. Nat. Braſil. lib.* 4. *c.* 53. *& lib.* 5. *c.* 19. deſcriptæ, cui nomen Ipecacuanha, ipſumque Piſonem jam hanc ipſam virtutem cognoviſſe & ex meritô celebraſſe. Variæ ſunt ſpecies, quæ colore diſtinguuntur. Bruna ſeu fuſca magis efficax quàm alba, & minùs vehemens, quàm nigra, atque adeò optima ad uſum, nuperis Galliæ experimentis deprehenſa eſt; ubi dari ſolet in ſubſtantiâ, redacta in pulverem. Doſis ordinaria eſt à drachmâ ſemis ad integram, in unô vel alterô cochleari vini aut juſculi, vel jejunô ſtomachô, vel duabus horis poſt paſtum. Operatur per ſedes, ſed tamen & per vomitum ſæpiſſimè, atque ita ſimùl & materiam noxiam ejicit, & viſcerum tonum vi adſtrictoriâ peculiari reſtituit, & malignitati reſiſtit.

Auctor relationis adjecit verſionem Methodi utendi hôc remediô, ſed tectè datô, quam Clariſſimus apud Pariſinos Medicus *Adrianus Helvetius* (*Joh. Friderici* apud Batavos celebris filius) publicavit, qui ante alios hujus medicamenti productione & uſu inclaruit. Adjecit tamen Editor etiam nonnullas *Grenerii* in hanc methodum notas, tum excerpta ex litteris patentibus Regiis & approbatione Archiatri Regii aliorumque; inque illis omnibus ſecutus eſt, quæ ſibi communicata fuêre manuſcripta, addiditque excerpta ex librô Piſonis, cui prima laus debetur. Hanc autem relationem dedit Bibliopolæ celeberrimi Medici Angli *Martini Liſteri* libellum de morbis quibuſdam ſpecialibus nuper editum recudenti, ob ſimilitudinem argumenti adjiciendam. Unum non prætereundum eſt, moneri meritò, eos ægros excipiendos eſſe, quibus ventris fluxus ſymptomate ex morbô aliundè lethali obortus eſt, veluti ſi gangræna ſit in inteſtinis, aut hydrops phthiſiſve adſit corruptioque partium infimi ventris, ubi fluxus ſuperveniens caloris extinctionem & propinquam mortem indicat.

Ibid. ann. 1703. *p.* 514.

L'art de faire les Rapports en Chirurgie. i. e.

Ars formandi relationes Chirurgicas Auctore D... Præpoſitô collegii Chirurgorum Pariſienſis. Apud Laurentium d'Houry. 1703. *in* 12.

QUanquam clariſſimus *Nicolaus Blegny*, antè hos 20. ferè annos doctrinam Relationum Chirurgicarum, à nobis annô 1685. menſe Octobri, pag. 454. recenſitam explanaverit; non dubitavit tamen Noſter, idem argumentum denuò ſibi tractandum ſumere, & quæ à probatiſſimis Auctoribus diverſis tractatibus fuerunt tradita, in unum volumen colligere, ſuiſque annotationibus illuſtrare, ùt in Arte Chirurgicâ nondùm exercitati habeant, undè ſibi conſulere queant. Quemadmodùm igitur tres Relationum iſtarum habentur ſpecies, Relationum ſcilicèt propriè ſic dictarum, de læſionibus corporum, aliiſve morbis teſtimonium exhibentium, Excuſationum in infirmorum gratiam & Æſtimationem; ita de ſingulis aliquot ſuppeditat ſpecimina, poſtquam ſigna diagnoſtica æquè ac prognoſtica, ubi opus fuerat, expoſuerat. Plura de hôc tractatu jam addere ſuperſedemus, ut potè cuivis lecturo ſeipſum commendabit, ſufficiet ea annotaſſe monita, quæ cum Chirurgô ejuſmodi Relationes facturô communicat Noſter. Jubet igitur, ut (1) ſit æquus & integer, nec donis, precibus &c. moveri ſe patiatur; (2) ipſe omnia inquirat, nec vel collegarum, vel famulorum relationibus fidat; (3) de cauſis abſentibus, doloribus, & quæ in ſenſus non incurrunt, non affirmativam ferat ſententiam; (4) à morbis fictis imponi ſibi non patiatur; (5) circa prognoſtica ſit dubius, imprimis ſi mortem vel convaleſcentiam ægri hæc ſpectent; (6) obſervet longitudinem, latitudinem & profunditatem vulnerum, & ſigna læſæ partis internæ annotet; (7) eſſentiam vulnerum declaret, ùt ſymptomata concomitantia benè exprimere, quid ſperandum, quidve metuendum ſit, prædicere, methodum medendi, curationis durationem, ægrorum regimen determinare, & an tempore morbi ſuis vacare negotiis poſſit æger, effari valeat; (8) probè examinet, an vulnus ſit vera cauſa mortis, impotentiæ &c. (9) addat, an ægrum in propriâ, an ipſius domô exploraverit, numque vel intrà vel extra lectum, ſuiſque negotiis vacantem vel minùs, offenderit; (10) nihil omittat, quod judici de causâ facinoris judicanti lumen affundere valeat, & omnia breviter ac claris verbis pronunciet; (11) non præſumat, ſe quicquam ſcire, niſi hoc ſciat infallibiliter; (12) nihil diſſimulet, & omnia ſecretè tractet. Supponit interim, ùt Chirurgus Anatomiæ ſit gnarus, & morbos Chirurgicos cognoverit, quô eorum naturam, ſigna, ſymptomata, & prognoſin relationibus ſuis inferre valeat, idque ex praxi potiùs quàm theoriâ didicerit. Cognitam etiam habeat methodum iis medendi, ùt de ordine & duratione curationis, ùt & de aliorum Chirurgorum curationibus ferre judicium queat, remedia, eorumque taxam & efficaciam in numeratô habeat, ùt ritè æſtimare valeat. circa quas æſtimationes reſpicere jubet (1) ad operationis plus minùs operoſæ vel difficilis conditionem (2) ad morbi gravitatem magis, quam curationis durationem; [3] ad perſonæ conditionem & opes (4) ad viæ diſtantiam quam Chirurgus ægrum viſitaturus emetiri debuit.

De cæterô, quoniam Rex Chriſtianiſſimus, antè aliquot annos, certos in ſingulis civitatibus conſtituit Chirurgos, quibus Relationes adornandi munus incumbat, calci hujus operis Declarationes & Præſcripta, has Conſtitutiones reſpicientia, ſunt adjecta.

Ibid. ann. 1709. *pag.* 127.

De l'Indecence aux Hommes d'accoucher les Femmes &c. i. e.

De indecorô virorum obſtetricandi officiô, & de obligatione Matrum lactandi Infantes proprios, quâ occaſione per rationes ex Phyſicis, Doctrinâ Morali & Arte Medicâ demonſtratur, nec propriam matrum, nec infantum vitam periclitari, ſi puerperæ virorum obſtetricantium & fœminarum nutricum auxilio valedicant. Pariſiis, apud Jacobum Stephanum, 1708. *in* 12.

QUamvìs negandum haud ſit, & nutricum apud puerperas auxilium, & obſtetricandi officium à viris hâc arte peritis in partu difficili adminiſtratum locum invenire aliquandò & uſum habere laudabilem, non minor tamen in utrôque hôc auxiliò obſervatur etiam abuſus, apud delicatas cumprimis ac timidiuſculas fœminas. Hìnc laudandum maximoperè Clariſſ. Auctoris noſtri inſtitutum, quô ſepoſitis omnibus præconceptis opinionibus, in utriuſque neceſſitatem inquirit, & hoc quidem Matronarum quarumdam pietate & modeſtiâ conſpicuarum inſtinctu, quæ ſufficientem hâc de re inſtructionem, pro ſalvandâ conſcientiâ ſuâ, deſiderârunt.

Totum opuſculum eſt bipartitum: & in priori quidem parte *de indecorô virorum obſtetricandi officiô* agit Cl. Auctor, atque ante omnia in originem artis obſtetricandi, quatenùs à viris jam adminiſtratur, inquirit, ac ſatis evidenter ex ipſâ antiquitate demonſtrat, quòd nec à Paganis, licèt barbaris etiam, approbata fuerit unquam perverſa hæc & naturæ repugnans conſuetudo. De populô Iſraëliticô autem, divinarum legum fideli quondam cuſtode, notiſſimum eſſe exiſtimat, apud hunc nullum alium, quam fœminarum obſtetricũ uſum fuiſſe toleratum. Pergit demonſtrando, quòd nec S. Scriptura nec Patres quicquam pro excuſandâ modernâ circa hanc artem conſuetudine habeant, quòd Principes & Magiſtratus nunquam privilegiis eandem confirmârint, quòd nunquam corpus vel ſocietas certa ex ejuſmodi viris obſtetricantibus formata fuerit. Prætereà ſub examen vocantur rationes illæ omnes, quæ pro tolerandâ hâc profeſſione allegantur, atque ad eaſdem appoſitè reſpondetur, non minùs ac ad argumenta illa, quæ incapacitatem, ignorantiam quaſi connatam & defectum ſcientiarum in ſexu ſequiori concernunt. Ex quibus deniquè colligitur, carere poſſe ſine inſigni damnô Rempublicam viris obſtetricantibus, fœminas ſolas huic officio ſufficere, utpotè quòd illarum capacitatem non tranſcendat, à viris cupidine lucri ipſis ereptum, atque eâdem injuſtitiâ ab iiſdem adhuc continuatum fuerit. Non negat de cæterô Cl. Auctor, Chirurgi experti auxiliatrices manus aliquandò eſſe neceſſarias, tunc ſcilicèt, cùm matris juxta atque infantis vita ſine operatione Chirurgicâ ſalvari nequeat; ſed proùt exempla illa ſint rariora, ita ùt ex mille puerperis vix una in partu ſuô tam duram experiatur ſortem, hanc exceptionem nullum parere perverſæ conſuetudini patrocinium exiſtimat.

Altera diſſertatio, ut jam monitum, de *Matrum obligatione lactandi infantes proprios* agit. Sincerè hic proponuntur, quæ ipſam naturam à fœminâ matre factâ poſtulare cernimus, i. e. & hoc, quod natura pro hâc intentione ipſi tribuit, & illud, quod recens natus à matre jure meritòque expectat. Quoad Phyſicas rationes, quæ hâc occaſione allegantur, peculiari perſpicuitate ex Mechanicâ naturali ipſæ proferuntur, ita ùt quivis, illiteratus etiam, aſſequi facilè eas poſſit. Abſtinet autem Clar. Auctor, quantùm fieri poteſt, ab omni impuritate, quæ caſtas aures lædere valeat, ac diſſerit de puerperiô & conjugii ſacris eum in modum, ùt nec ſcrupuloſiſſimi inveniant, quòd reprehendere poſſint. Prolixior interim in allegandis rationibus illis eſt, quas ex Morali doctrinâ & regulis Chriſtianiſmi petit: proponit exempla ſanctarum & piarum uti & Principum matrum, quæ infantes proprios lactare honori duxerint: explicat inſignem illum uſum, quem fœminæ matres monitis his auſcultantes indubitatò reportabunt, partìm ex amore & perpetuâ obligatione, quam impriment infantibus ſuis atque maritis, partìm ex honore, qui ab omnibus bonis ipſis deferetur Reipublicæ nomine, quippe quæ à naturali hâc atque ordinariâ infantum educatione mirum quantùm uſus trahet ac commodi. Interìm non uſque adeò rigidus eſt cenſurâ ſuâ Cl. Auctor in puerperas, ùt illas in univerſum omnes ad dictum lactandi officium obſtringat; excipit enim meritò infirmas ac valetudinarias, quibus & vires & materia ad eam rem deficiant.

Ibid. Supplem. T. IV. pag. 314.

Diſſertatio de animi affectionum Phyſicarum Cauſâ & locô, ac de Tabaci uſu. Ferrariæ, apud Bernardinum Pomatellum, 1702. 4.

AFfectus duplici ratione conſiderari poſſunt, quatenùs ſcilicèt vel corpori, vel menti accidunt. Quotiès enim affectibus agitamur, totiès in corpore motus, in mente perceptiones extraordinariæ obſervantur. Eorumdem itaquè geneſin expoſiturus, quomodo & ex quibus cauſis tam illi, quàm hæ oriantur, docere debet. Nimirùm interdùm affectuum cauſæ in objectis internis, organa ſenſoria afficientibus, immediatè quærenda, ita ùt mente inconſultâ excitentur, eademque in conſortium trahant, citra rationis decretum; interdùm verò rationes eorundem in ipsâ mente latent, & ad ejus nutum ſtatus corporis turbatur. Anonymus noſter mutationes in corpore factas unicè conſiderat, cùmque ſibi perſuadeat, affectus à partibus ſolidis non reſultare, quòd hæ ab adoleſcentiâ uſque ad finem vitæ eædem perdurent, illi autem variabiles exiſtant, nec à ſolâ ſpirituum diſpoſitione proficiſci, quoniam breves non diuturnæ ſunt paſſiones, cauſam in fluidorum ſalia conjicit, in ventriculô collecta. Salia enim motum ab objectô extrinſecô concitatum obſervare ac variare poſſe, & in ventriculô copioſè deprehendi, per quod viſcus multi etiam nervi ſpargantur, & ad quod ſpiritus animales continuò confluant. Animæ autem tribuit poteſtatem ſpiritus animales ad illa ſalia propellendi, ùt cum iis efferveſcant. Qui adeò moderatum, non acrem, ſalſum, heterogeneum ſanguinem habet; hunc eſſe lenem, placidum, clementem, prudentem, aliiſque gaudere virtutibus hominem decentibus. Contrà maſſâ ſanguineâ conſpurcatâ, ſalia auſtera & ſylveſtria ſpiritus in excandeſcentias & furores excitare, unde facilè ira, audacia, temeritas, impudentia, lætitia incompoſita, mœror, pudor intempeſtivus, metus vitioſus &c. oriantur. Prolixè quoque de ſternutatione agit & ſternutatoria cautè adhiberi jubet, quæ non tentanda niſi cùm natura per ea materiâ gravante liberetur. Hâc occaſione ad tabacum dilabitur

tur, cujus varia apud gentes varias nomina recenſet, ſpecies diſtinguit, virtutes præſertim Medicas ex variis Medicorum ſcriptis collectas enarrat. Inter alia ex *Hofmannô* notat, folia tabaci quôvis mane comeſta & deglutita podagram curare ac corpus ab ipsâ vindicare. Variorum placita cùm retuliſſet tandem cõcludit, tabacum cautè præſcribendũ eſſe, cùm ob ſalia eum componentia, experientiâ teſte, uſus ejus internus ſit timendus, nervis quippe inimica, nec parum ſpiritibus nocua, totamque individui œconomiam turbantia. Externum quoque tabaci uſum dubium reddit, & quotidianum imprimis damnat, auctoritate multorum Medicorum adductus, noxas ejus inculcantium. Moderatè tamen ſumptum proficuum eſſe, Medicorum teſtimoniis confirmat. Nocet autem ex ipſius ſententiâ immoderatus tabaci uſus iis potiſſimum, qui vinum largiùs hauriunt, & in ſenectute tabacarii ſtunii-ſtupidi fiunt, ſegnes & trementes. Caveat ſibi prorſus ab eô, qui diapſiâ, ſeroſâ ſpuitione continuâ, cardialgiâ, ventriculi dolore & ſimilibus morbis affligitur. Cæterùm fumo & maſticationi tabaci pulverem per nares hauſtum præfert, quòd minora aut ferè nulla incommoda afferat, multùm ad corporis ſalutem ſenſim conferat, nec civilibus conſortiis, bonis moribus, aliiſque virtutibus obſtet, cùm ex eô neque ebrietas, nec horridæ ſpuitiones, fœtidi halitus, vomitiones &c. ſequantur. Interdùm tamen & ad animi, & ad corporis morbos tabaci pulverem aliquid conferre, arbitratur: ubi eos refutat, qui ſibi perſuadent, tabacô cerebrum denigrari. Quemvis autem tabaci uſum venerem exſtinguere, aut minimum enervare credit, cùm ſalibus illis inimicus ſit, quæ titillationem veneream excitare ſolent.

Ibid. ann. 1721. *p.* 416.

A Collection oF verg valuabe Andſcarce Pieces &c. i. e.

Collectio variorum editorum, memorabilium & rariorum, &c. occaſione peſtis ultimæ Londinenſis, ann. 1665. *publicatorum. Londini, apud J. Roberts* 1721. 8.

IN hâc Collectione ſequentia continentur: 1.) Edicta à Senatu Londinenſi publicata ann. 1665 pro præſervandô contagiô. 2.) Litteræ D. Hodgeſii ad Perſonam Illuſtrem de primô ortu, progreſſu, ſymptomatibus & curâ peſtis. 3.) Norma præcavendæ & curandæ peſtis, ann. 1665. à collegiô Medicorum ſuppeditata, unà cum quibusdam remediis, quæ vel facili negotiô pauciſque ſumptibus paranda, vel magnô in pretiô tum temporis habita fuerunt. 4.) Meditationes ſuper Catalogos mortuorum, qui ab annô 1592. ad 1665. iis annis, quibus peſtis graſſata eſt Londini, peſte vel aliis morbis deceſſerunt. 5.) Relatio de peſte Neapolitanâ anni 1656. quâ unô die viginti millia hominum mortua ſunt, unà cum phænomenis in diſſectis corporibus conſpectis, & methodô medendi. Miſſis reliquis monemus tantummodò, in peſte Neapolitanâ dictâ juſſu magiſtratus à Marcô Aureliô Severinô, & Felice Matorellâ, Anatomicis tum temporis celeberrimis, adſtantibus aliis, non infimæ notæ Medicis, ſecta duo cadavera, viri unum, alterum mulieris, in iiſque viſcera omnia, cor putà, pulmones, hepar, ſtomachum ac inteſtina nigris maculis conſperſa, folliculum fellis bile nigrâ, viſcidâ & craſſâ, interiori cyſtidis membranæ firmiter affixâ, repletum, & vaſa ſanguinea circa cor grumoſô & nigrô ſanguine repleta conſpecta fuiſſe.

Hic rurſus Anonymi tres ex Merckl. Lind. Renov. & aliis. Palladis Chimicæ Arcana detecta; ſive Mi-

neralogia Naturalis & Artificialis. Auctoris nomen in hôc purô Anagrammate deliteſcit. *Janus Gobrat ſapiens manet.* Genuæ 1678. 12. Tom. 2.

Ortus ſanitatis. Ubi de Herbis, & Plantis, de Animalibus Reptilibus; de Lapidibus, de Urinis; de facilè Acquiſibilibus. Venetiis, 1536. in fol. cum fig.

Naturales Quæſtiones antiquorum Philoſophorum, tractantes de diverſis generibus ciborum & potûs, quæ humanæ naturæ ſaniora & conducibilia ſunt, ob convalescentiam ſervandam motis Quæſtionibus, earumque Solutionibus adjunctis ſuccinctè declarantur. Coloniæ, apud Cornelium de Ziriczée, in 4.

ANRIQUEZ (*Henric. Georgius*) Luſitanus. Guardienſis, Salmanticæ artium Profeſſor, Conimbricæ hinc Pro-rectore cathedræ, in quâ docetur Avicenna, tandemque practicæ Medicinæ explanandæ locô principe functus; Albæ Duci Antoniô Alvari Toletanô, Medicus à cubiculô erat, cùm prodire fecit.

Tratado *dell. perfetto Medicô.* Salmanticæ 1595. in 4. Latinè etiam, & quidem superiore annô.

De Regimine cibi atque potûs, & de cæterarum rerum non naturalium uſu, novam enarrationem, Salmanticæ apud Michaëlem Serrano 1594. in 8. de quô librô nos docuit Joannes Antonius Van der Linden in opere *De ſcriptis Medicis. Nicol. Anton. Biblioth. Script. Hiſpan. T. I.*

ANSELMUS (*Aurelius*,) Mantuanus.

Ex eô habetur

Gerocomica ſive de Senum Regimine, Libri tres. Venetiis, apud Franc. Ciottum, 1606. in 4.

ANTARVETUS (*Johannes*)

De eô exſtat

Apologia pro Judiciô Scholæ Pariſienſis de Alchymiâ. Ad Harveti, & Baucynđi recoctam Crambem. Paraſiis, apud Hadr. Perier 1604. in 12. Francofurti, 1604. in 8.

ANTONELLUS (*Hippolytus*,) Foro-Semproníenſis.

Ex eô habentur

Apparatus Animadverſionum in auctoritates & rationes, quibus Hippolytus Obicius vinum exhibet ægrotis omni tempore in omni febre. Venetiis, apud Johan. Anton. Julianum, 1631. in 8.

De Cucurbitulâ Libellus. Paraſiis, ap. Chriſtianum Wechelum 1541. in 8.

ANTONIUS

Ex eô habetur

De Lapide Philoſophorum, lapide Rebis, & præparatione atque regimine ignis ejuſdem, ſecundum dicta Philoſophorum, & concordantias eorundem. Exſtat Decade II. Harmoniæ Chymico-Philoſophicæ, à Johanne Rhenanô collectæ. Francofurt. apud Conrad. Eifridum. 1625. in 8.

ANTONIUS (*Franciſcus*) Londinenſis.

De eô exſtat

Panacea aurea, ſive, Tractatus duo de ipſius aurô potabili. Hamburgi, apud Frobenium, 1618. in 8.

ANTONIUS (*Johannes*) Campanenſis.

De eô exſtat

Directorium ſummæ ſummarum Medicinæ. Habetur cum Phil. Ulſtadii Cœlo Philoſophorum Lugdun. ap. Guil. Rouillium, 1557. in 16. Argentorati, 1630. in 12.

ANTYLUS.

Ex eô habentur

Fragmenta varia. Exſtant apud Aëtium Amidenum, ſcilicet.

De Inſolatione, & arenæ aggeſtione; ac aliis vaporatoriis fomentis. Tetrab. 1, ſerm. 3. *c.* 9.

Quomodò vena ſecanda eſt, de magnitudine & figurâ ſectionis, *Ibid. c.* 13. 14, 15.

De cucurbitularum uſu. *Ibid. c.*20.

De Purgatione. *Ibid. c.* 23.

Quibus dandum ſit veratrum,quibus non, *Ibid. cap.* 121.

Chirurgia everſionis palbebrarum. Tetrab, 11. ſerm. 3. *c.*72.

APHRICANUS

Ex eô habentur

De Re ruſticâ Fragmenta aliquot. Exſtant in Γεωπονικῶν, ſen de Re ruſticâ ſelectorum Lib. 20. Græcis Conſtantino quidem Cæſari nuncupatis, Johan, Alex. Braſſicani operâ in lucem editis.Baſileæ, apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinis autem, Janô Cornariô interprete, Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8.

De Mulomedicinâ, capita aliquot.Exſtant inter veterinariæ Medicinæ ſcriptores, qui editi ſunt Græcè quidem Baſileæ, apud Joh. Valderum, 1537.in 4.Latinè a.ex interpretatione Johan.Ruellii Pariſiis, apud Simon.Colinæum 1530. in fol.

APHRICANUS (*Conſtantinus*) vide ſub titulô Conſtantinus APHRICANUS.

APHRODISEUS (*Alexander*)

De eô exſtant

De Febrium cauſis & differentiis Opuſculum à Georgiô Vallâ, *Placentinô*, latinitate donatum. Reperitur cum Symphor.Campegii Libellis de Medicinæ claris ſcriptoribus, &c. Lugduni, 1506. in 8. ſeorſim Baſileæ, apud Rob. Winter 1542. in 8.

Problematum ſectiones quinque, per Georgium Vallam, *Placentinum*, in Latinum translatæ. Exſtant cum Expoſitionibus Petri de Aponô in Ariſtotelis Problemata, aliiſque. Venetiis, apud Octav. Scotum,1519. in fol. & cum Iiſdem, Georgiô Merulâ interprete, interjectis ſparſim ſcholiis vel teſtimoniis aliorum Auctorum. Pariſiis, 1520. in fol. Ibidem, interprete Theodorô Gazâ 1524, in fol.

APINUS [*Joh. Ludov.*) Phyſicus Herſpruccâ-Noricus

De eô extat in Miſcell. Natur. Curios.

Decur. III. ann. 3. *Obſervatio* 68.

De Iſchuriâ ex urethræ ad radicem penis factâ rupturâ, & urinæ in ſcrotum effuſione contingente, feliciter curatâ.

Leonhard Vogel, Murarius in Alfeld D. 5. Decembris 1694. ſupinô in terram lapſu inter femineum cum teſticulis & ſcrotô graviter impegit diffractô arboris truncô, & ab illô tempore nullam potuit urinam reddere inſequente mox ingenti ſcroti tumore. D. 6. poſtquam mihi hæc nunciata eſſent ad reſolvendum ſanguinis grumum, quem exiſtimaveram, Iſchuriæ adjutorem eſſe, & ad fovendas partes à contuſione graviùs læſas, applicatur Cataplaſma, non intermiſſis internis, cruori fundendo pariter dicatis. Cùm hæc ſine ſucceſſu adminiſtrarentur, D. 7. ipſe vocor, & ſub veſperam adveniens ſcrotum adeò tumens reperio, ùt capacitatem pilei non intraſſet. Color erat ater quaſi ſanguinis ſuffuſi, & virile quoque membrum horrendum intumuerat, ſimul ut in Hydropicis ſolet, tortuoſis in ſe reflexum gyris. Tentavi frequenti apti liquoris in penem injectione ſolvere, quod me ſollicitum adhuc tenebat, ſanguinis coagulum, & ſpaſmodicas fibrarum externâ violentiâ læſarum criſpationes demulcere nitebar paregoricis linimentis, & fotibus, ſed in caſſum ſcroti tumore ad ſenſum auctô, & ægrô, quotiès urina urgeret exitum, miſerè ejulante, & de ardore in ſcrotum deſcendente conqueſtô, ut jam ſuſpicarer, urinam in hunc ipſum colligi ſacculum, quâ in ſuſpicione tantò magis confirmabar, quòd turgentem & explorantem digitum in perinæo ad radicem penis, ubi urethram ſalvis exterioribus ruptam fuiſſe oportet, ferre non potuerit. Itaque ſine morâ ſcrotum profundius ſcarificatur, cum cautelâ tamen, nè ſubjectæ partes læderentur, tantò magis neceſſariâ, quod æger herniâ inteſtinô ſcrotali per plures jam annos laboraret. Effluebat illicò bona pars ſeroſi liquoris, urinoſum odorem ſpirantis, ſanguinis verò nihil. Jubebam indè imponi linteamina calida ſpiritu vini camphoratô & matricali ebria ad arcendam putredinem & gangrænam ſcroti jam imminentem applicatis deſuper ſacculis ex ſummitatibus pini, abietis, herb. beton. ſalv. fl. Chamæm. Serpil, Origan. bacc, Laur. juniper.ſem. cumin. & camph. vino incoctis. Manè D. 8. lætior ſcroti comparet facies, ùt hinc indè pulchrè ruberet, &, quod per noctem ſeri non purum exſtillaverit, jam jam notabiliter detumeſceret ſaltem in ſiniſtrâ ejuſdem parte macula nigra corruptæ jam dum ſphacelô portionis cujuſdam cutaneæ conſpiciebatur, quam ſine doloris ſenſu cultelli acie, à cute vicinâ ſanâ ſeparavimus. Cæterum in uſu dictorum adhùc pergebatur, niſi quòd labiis ulceroſi nunc ſcroti unguentô digeſtivô proſpiceretur. D. 9. referunt mihi pro certò nunc conſtare, omnem urinam per ſcrotum excerni, & quidem ſine notabili dolore; cupiebatque nunc æger ùt ordinarium ſibi reſtitueretur per penem urinæ iter, id quod, annuente gratiâ divinâ, feliciter quoque perfectum fuit. Et in ſcrotum ulceroſum, & in urethram per penem curabam ſyphunculô injici ſeq. liquorem vulnerarium: ℞. *Herb. Conſolid. ſaracen. Pyrol. Hed. arbor.* ãã *Mj. lign. quercin.*℥j. *juniper.* ℥ß. *ſal. tartar.* ʒij. *coqu. in ſ. q. aq. com: Colaturæ* ℞ ℔.*j.add. mell. roſac.* ℥j.*Maſtich. Thur, Myrrh. pulveriſat.* ã ʒj. *D. ad ſict. ſ.*

Warm einzuſpritzen.

Labiis ulceroſis unguentum digeſtivum, Emplaſtrum de Miniô & cataplaſma ex ſolis apicibus pini & abietis cum vinô paratum conſtanter imponitur. Cùm hæc ſedulò continuarentur, & pro uſu internô ſequens ſimul pulvis ſumeretur.

℞ *Ocul.Cancr.præp.*ʒij.*pulv.conſol. ſaracen.ſem. aniſ.* ã ʒiij. *M. D. ad ſcat. ſ. Ausheilendes Pulver, Morgens und Abends* 3. *Weſſer-ſpitzen im Wein zu nehmen.*

Factum omnine felici, ùt d. 15. dimidium urinæ per viam ordinariam redderetur, reliquum verò per ſcrotum adhuc effluerer. Iterantur eadem medicamenta tam felici ſucceſſu, ut ſubindè paucior ex ſcrotô manaret urina, & D. 26. omnis per viam ordinariam excerneretur,undè conſolidationem in urethrâ factam judicavi, & ſcroti curam ſiccantibus brevi,benedicente Deô, ad finem perduxi.

Ibid. Obſervatio 69.

Iſchuriâ pueruli recens nati, immiſſô in penem pediculô vivô, illicò ſolutâ.

Tenelli cùm in lucem eduntur, non rarò difficulter mejunt, ùt tantò minùs credibile ſit, in uterô maternô ipſos mingere, quæ nonnullorum eſt opinio. Obſtetrices tali in caſu teneriorem cepæ membranam ſolent applicare glandi penis, item-

itemque ſpongiam lacte, cui allium incoctum eſt, plenam. Sed in præſenti caſu talia non ſufficiebant. Natus ſcil. eſt 1694. menſe Auguſtô in vicinô pagô Hohenſtatt Puerulus, qui triduum à partu laborabat Iſchuriâ pertinaci, donec, ceu ex fide dignâ relatione habeo, acceſſit mulier, quæ pediculum vivum in urethram inſinuavit, non multò poſt urinâ cum impetu proſiliente. Quâ ratione opem tulerit ſordidum hoc animalculum, obſcurum eſſe non poteſt. Aut enim obſtaculum in urethrâ repertum perforavit, uti ſcilicet non novum eſt, mucô viſcidiore vias haſce obſtructas eſſe in modò natis, aut, quòd æquè credibile, hinc indè curſitandô titillationis ſenſum in modò dictô canale nerveô excitavit, conſequente quaſi paralyticâ ſphincteris veſicæ reſolutione & urinæ effuſione. Cui poſteriori favet Exc. Dn. D. *Gerbezii* Obſervatio de gryllis vivis ſubter genua alligatis, quorum motu perceptô vir, deſperatâ iſchuriâ laborans, ſimiliter urinam emiſit; Ephem. harum Dec. III. ann. I. Obſ. CXXXI. Notum quoque eſt aliis experimentis à titillationis ſenſu multis involuntariè urinam & alvum fluere, ſpiritibus ad partem titillatam majori copiâ affluentibus, & ſtationem ſuam in veſicæ & inteſtini recti ſphinctere deſerentibus.

Ibidem Obſervatio 70. De Infusô Theæ in Baryecœâ ſalutariter ſumtô.

Ibid. Decur. III. ann. 4. Obſerv. 24. De Citrô in Citrô.

Ibidem Decur. III. ann. 5. & 6. Obſerv. 115.

De manante ad tibiam ulcere, atque ad id repertô Euporiſtô.

QUantùm difficultatis in curandô offerant tibiæ ulcera, notiſſimum eſt Chirurgis. Vocabar D. 12. Mart. ann. 1698. ad ſutorem hujus loci, Johannes Seüz dictum, quadragenariô majorem, cui jam ante ſemeſtre crus ſiniſtrum Eryſipelaceô tumore fuit comprehenſum, tantô ardore & inflammatione comite, ùt ad internam tibiæ partem puſtula ſeu veſicula quædam albicans mox oboriretur, quam Chirurgi balneatoris commiſit manibus. Ille emplaſtra vel centiès mutando nihil profecit, donec æger curæ tam tædioſæ impatiens, omnia Emplaſtra rejecit, remque omnem naturæ reliquit. Quod cùm ità factum, cruſtâ nigricante ulcuſculum obducitur. Ex ſubtùs verò pungente dolore atrociora ſibi metuens ſutor, meô tandem utitur conſiliô. Remotâ igitur, quam diximus, cruſtâ, detegebatur ulcuſculum admodùm profundum, fabam minorem capiens, intùs mucidâ quâdam tunicâ, quæ eximi poterat, cinctum. Indubium mihi erat, ſanationis remoram eſſe ab infeſtô acore fermentali, Balſamicam nutrimenti indolem corrumpente, & ità conſolidationem prohibente, quare ſeqq. præſcripta.

℞. *Spir. Matrical. Erf. Balſ. Peruv. Myrrh. ã ʒß. D. S. ausreinigender Balſam etliche Tropffen in das offene zu gieſſen.*

℞. *Empl. de ♄ no Mynſ. ℥ß. Malax. c. Ol. hyperic. inducat. linteamini D. S. verſüſſendes Pflaſter, ſo viel als nôthig über zu legen.*

Dum hiſce utimur, lætiorem in fundô ulceris faciem conſpicere dabatur. Ex cute autem vicinâ, ulcus ambiente, cæteroquin ſanâ, per minutiſſima foraminula magna incipit fluere ſeri acris copia, ùt coactus fuerim D. 28. Mart. ſeqq. inſpergere pulverem.

℞. *Sacch. ♄ n. Cinab. nativ. præparat. cret. albiſſ. ceruſſ. ven. ã ʒß. f. pulv.*

Quô tamen fluxus ille penitùs reſiccari non potuit, foramen verò ulceroſum bonô omine pus oſtendebat laudabile. Interìm ægro aliquot doſes Antimonii Martialis cachectici præbentur, largiter indè provocatô ſudore, ſubindè etiam aliquot cochlearia ſucci naſturcii expreſſi ebibuntur & ad 1. Apr. quòd nondùm ſubſiſtat aquoſi laticis rivus, ſequens pulvis foraminulentæ cuti adſpergitur.

℞. *Cinab. nativ. præparat. ʒß. vitriol. dulc. ij. Diaphoret. Croc. ♂ is ã ℈j. f. pulvis ſubtiliſſimus petiæ ex linteô rarô includendus D. trucken Pulver den Schaden neben herum damit einzuſtuppen.*

Ulceri ſupra dictus liquor balſamicus cum filamentis imponitur, & laudatum ſuper inſternitur emplaſtrum. Quid fit? Locus, quem pulvis inſperſus contigit, reſiccatur & ſaneſcit, alius quoque intra paucos dies occluditur carne, ſed quod maximè mirum, infra ulceroſæ modò cutis oram ibi multæ turgidiſſimæque veſicæ oriuntur, è quibus diſciſſis ichor acris & mordax exſtillabat. Inſpergo & hic laudatum pulverem hôc ſucceſſu, ùt intra noctis unius ſpatium locus conſperſus ſanaretur, & veſicæ ad pedem ampliùs deſcenderent, aliis poſt alias ordine renaſcentibus. Proſequor itaquè & ego inſperſionem, & veſiculas per extremum urgeo pedem, ſicque curam feliciter abſolvo, ubi ſanè oportuit fermentum acre potiſſimùm in poris cutaneis hæſiſſe, per quos etiam ſine dubiô ad extimum uſque pedem dimanavit. Bienniô ab hâc curâ exactô ejuſdem cruris Eryſipelaceâ inflammatione, prævió rigore, denuò corripitur, iterùmque ob nimium ſanguinis fervorem & neglectam curam convenientem, puſtula ulceroſa, locô tamen profundiore, relinquitur. Vocatus, adhibeo eadem medicamenta, coaleſcente mox ulcere, ſed ſimul, ut ante biennium pluribus erumpentibus infra ſanatæ puſtulæ locum veſiculis. Inſpergitur laudatus pulvis reſiccatorius, non tamen æquè felici ſucceſſu, nec interna negliguntur. Doloribus autem ſubindè atrociter ſævientibus, & ichore acri ſemper è veſiculis fluente & cutem dilaniante, tandem ex methodô Carrichteri, ſpecies Traumaticas ſpecificâ, ut ille vult, virtute ad pedum affectus præditas ſuadere cœpi, cum vinô & aquâ decoquendas, quale decoctum mane & veſperi hauriebat; ſpecies verò à decoctione reſiduas cataplaſmatis locô pedi ulceroſo applicabat, unde dolor illicò mitigabatur. Præſcriptæ autem ſpecies erant tales; ℞. *Herb. Equiſeti, Mjß. Rad. Ariſtoloch. longæ. ℥j. Rad. Scabioſæ ℥ß. Conciſ. D. ad chart.* Præterea juxta ejuſdem Carrichteri ſententiam folia ſempervivi majoris ſiccata in pollinem redegi, quô veſiculis roſis & manantibus inſperſô, intra diei unius ſpatium ulcuſcula omnia ſunt reſiccata, quod ego mirari ſatis non potui à tam neglectô ſimplici tam ſubitò coaluiſſe omnia. Cùmque annô ſequente 1697. hic ipſe ſutor pedem in itinere diſtorqueret ac pro firmandô articulô emplaſtrum corroborans à balneatore imponeretur, ſtatim obortæ ſunt veſiculæ admodùm urentes & ichorem acrem ſponte ſuâ effundentes, ubi, quæcunque tentaret, fuêre fruſtranea, donec, meô conſiliô, inſperſus fuit pulvis ſempervivi majoris, qui brevi fluxum compeſcuit & ſanavit.

Ibid. Obſerv. 116. De Deliriô Maniacô-Melancholicô Helleborinis Curatô.

QUæ de ſenſibus tùm externis etiam ab hujus ſeculi acutiſſimis Philoſophis ediſſeruntur, tam manca ſunt & imperfecta, ùt potiorem partem nos ignorare, & vix ultra allegoricas quaſdam locutiones, curioſius examen haud ſuſtinentes, ſapere meritò ſit exiſtimandum. Ut ùt enim organorum, quibus ſenſus perfici ſolent, fabricam habeamus velut in numeratô, & fortaſſis etiam in ſpiritibus ac medulloſâ

cerebri ſubſtantiâ certas motuum determinationes variaſque idearum expreſſiones concipere adhùc liceat, nihilô tamen clariùs intelligimus, quæ ſit facultas illa ſentiens, quomodò perceptio, quæ plus certè involvit quàm meram paſſionem, in nobis contingere ſoleat, quidve ſit communis ille, ut vocant, ſenſus? Tantôque majoribus implicamur difficultatibus, ubi non diverſa fieri obſervamus in brutis etiam animantibus, quibus præter ſenſum, cognitionem quoque & aliquid rationi analogum contra Carteſii aſſeclas attribuere non verentur recentiſſimi rerum naturalium ſcriptores, è quibus allegâſſe ſufficiat *Johannem Clericum Phyſ. Lib.* IV. *cap.* XII. de diſcrimin. hom. & brutor. Quæ cùm ita ſint, ac ſine dubiô hinc incertitudo omnis oriatur, quòd ſpiritûs atque corporis notiones veras atque perfectas in hunc uſque diem nondùm habemus in compertô, nec mihi Medico vitiô quis vertet, ſi in recenſione delirii Maniaco-Melancholici cauſæ formalis ſcrutinium à me prætermiſſum videat. Sufficiat Medico medica annotâſſe, & quid in curâ notabile evenerit adſcripſiſſe, Nempe virgo quadragenaria, filia Chriſtophori Illſingii, matre nata Melancholicâ, quæ jam ante plures annos jugulum ſibi præciſura periculoſum collo, non tamen lethale, inflixit vulnus, mediô Decembris ann. 1695. abſque manifeſtâ cauſâ cœpit ridicula proferre, & parentes, alioſque obvios conviciis laceſſere. Pater ipſam verbis primum, mox verberibus compeſcere tentabat, ſed illa ferocior reddita in gulam patris ferebatur, quã compreſſiſſet, niſi adſtantes interceſſiſſent, & ægram vinculis comprehenſam in lectô detinuiſſeut. Lecto ſic affixa vociferari & contumelioſè in adſtantes effutire plurima nõ deſiit, perpetuò vigilans. D. 23. ſub noctem ego vocatus, fallaciter blandiente primũ ab ægrâ excipior vultu, mox dolô in audaciam verſô in capillos involatura erat, ſi per adſtantes & vincula licuiſſet. Flagrabat rubore vultus, ſcintillabant oculi, pulſus non aliter quàm in febre concitatus, ùt de receptô Medicorum Axiomate, exulare febrem in deliriô Maniacô, dubitaſſem, ni ſcrupulum exemiſſet Celeberr. *Wedelii* doctiſſima interpretatio, quàm legere licet Patholog. Med. Dogmat. *L.* III. *c.* IX. *p.* 602. 603. Cauſam procatarcticam, quam ſedulò inquiſiverim, reperire vel expiſcari nullam potui. Menſium etiam fluxus accuſari non potuit, nunquam enim habuit ſuppreſſa Catamenia. Præter ſuſpicionem hæreditarii characteris nihil aderat, quod argueres, nam præter matrem, frater quoque Maniacus redditus, dormientibus cuſtodibus elapſus in peregrinas terras aufugit, ùt, quid cum ipſo factum, nondùm reſciverint miſeri Parentes. Interim obſervabam anxietatibus circa præcordia multùm torqueri ægram, & perpendens, Maniã non rarò ortam à vermibus, aſſumptis vel improvidè admiſſis venenis, uti ſolanô Maniacô, philtris & ſimilibus, quæ furorem excitâſſe adhùc in primis viis exiſtentia, ſatis eſt notum, ſic rationem induxi meam, ab humore Melancholicô in fœminâ, ſimilis temperamenti coacervatô & per moram acriore redditô atque exaltatô, nervoſum ventriculi ac potiſſimùm orificii ejuſdem ſiniſtri ſyſtema tam iniquè fuiſſe habitum, ùt tot ſtimulis & calcaribus irritati ſpiritus non potuerint non in maximas agi perturbationes; ſpemque adeò concepi, ſi ex primis viis fomes ille humoris Melancholici educeretur, fore, ùt ad quietem ſe componeret hæc ſpirituum turba. Itaquè pro vacuandis acidi Melancholici quiſquiliis, ſeq. potiunculam præſcripſi. ℞. *Extr. helleb. nigr.* ʒß. *Tart. Emetic. gr. iij. Tart. ſolut. gr.* XXIV. *Rhab. elect.* ℈j. *ſir. D. cichor. c. Rhabarb.* ℥ß. *Aq. cichor. q. ſ.* Hinc, non uti ſperaveram, vomuit, alvi verò dejectiones binas habuit, & quod mirum, indè non aliter, quàm ſumtô opiatô conquievit. Poſtridiè cùm inviſerem, furor deferbuit omnis. Querebatur tamen ægra circa cordis ſcrobiculum anxietates, & quòd Parentes ipſi, licèt conſiliô minùs laudandô, exprobrarent heſternam ferociam, admodùm ſollicitam ſe nunc gerebat de heſternô die admiſſis, ejulatibuſque continuis ad ſupplicia ſe trahi capitis damnatam querebatur, factaque nunc adeo fuit ex Maniacâ, Melancholica. Ego felici ſucceſſu medicamenti heſternô die propinati audentior redditus Tartari emetici *gr. iij. cum Extr. Helleb. nigr.* ℈j. exhibui, vomitum tamen nec hâc ratione conciliare valens, medicamentum enim nonniſi per inferiora vim exſeruit. D. 25. venam ſecari in pede jubeo, quâ ratione quietior equidem reddita; ſed ùt reſipiſceret à vanô ſupplicii metu nondùm obtinebamus. Quin notabiliter iſte augebatur, cùm ego D. 26. ſtudioſum quendam ad hanc ægram deducerem, quem cùm illa gladiô longiore munitum conſpexiſſet, ah, me miſeram! exclamavit, en carnificem Norimbergenſem ad malam crucem me tracturum. Ego verò veterum armatus experimentis Helleborum nigrum in ſubſtantiâ præbere decrevi, ut & in infusô, ſeqq. præſcriptis.

℞. *Fibr. rad. Helleb. n.* ʒiij. *lapid. prunell. ſal. Tart. croc. Oriental. a.* ʒj.

℞. *M. F. pulv. D. ad ſcat. haupt-ſtärckendes Fieber des Tags zwey mahl drey meſſer-ſpitzen zu nehmen.*

℞. *Hyperic. M. iij. rad. helleb. n.* ℥j. *valerian.* ʒß. *D. ad chart. haupt-ſtärckende ſpecies ins Bier zu hängen.*

Quorum uſu intra paucos dies ad ſanam rediit mentem. Nec eſt dubium, Hellebero nigro potiſſimùm adſcribendum felicem curæ ſucceſſum, cujus ſal volatile penetrantiſſimum non ſolum reſerandis viſcerum meatibus aptiſſimum eſſe videtur, ſed & enatam in ipſis ſpiritibus dyſcraſiam acido-Melancholicam corrigere poſſe eſt credendum. Undè jam apud veteres proverbii locô obtinuit: *Helleborô opus habet.* Et profectô ſicut in venenatorum claſſe reperiri jam ſuprà diximus, quæ vix aſſumta rationem pervertant, ità nihil impedit, Antidota dari contrariâ facultate prædita, ſpiritus nimirùm ſerenandi, & rationem in libertatem vindicandi. In Helleborô nigrô autem hujuſmodi vires meritò prædicare poſſum, non hâc ſolùm obſervatione, ſed & pluribus edoctus experimentis, quamvis fatendum ſit, morbum haud ità radicitùs evellere, quin per intervalla recrudeſcat. Hinc ſeq. annô 1696. initiô Octobris hæc etiam modò dicta patiens denuò delirare incepit, & cùm ab initiô medicamenta negligerent parentes pauperculi, adeò ſævit, ut ab omnibus longè graviùs & atrociùs furere judicaretur, quàm annô abhinc, ſeq. verò potio Helleborina omnem ſopivit inſaniam.

℞. *Ext. helleb. nigr.* ʒß. *Tartari Emetic. gr. vj. vitrioli Tartariſati* ℈j. *Aq. cich. q. ſ. ſir. d. cinam.* ʒvj. *D. S. alſobald zu nehmen.*

Hinc auſpicatò vomuit & aliquotiès dejecit. Subjunctus dein uſus pulveris Helleborini jam laudati, potui quoque ſuccus ſuprà dictus infuſus. Quibus pauciſſimis factum, ùt ad hodiernum uſque diem ratio ſibi conſtet optimè. Helleborum album ſunt qui eôdem Encomiô dignum reputant, quos minimè falli puto, modò ſint in doſi circumſpectiores, novimus enim deſperatiſſimam ſcabiem, affectum, me judice, itidem Melancholicum, Hellebori albi polline linimentis Antipſoricis additô, curationem recipere.

Ibidem Obſervatio 118. *De Aſthmate periodicô convulſivô ſingulari ſtratagemate evictô.*

Ibidem

Ibid. Decur. III. ann. 9. *&* 10. *Obſerv.* 179.

De abſceſſu Tunicæ Inteſtinalis glanduloſæ.

VIr annorum quadraginta novem temperamenti ſanguineo-cholerici, caſtra à primâ juventute ſecutus, & locum tenentis officiô functus in turmâ Equitum cataphractorum,ſanus aliâs & incolumis, laborum tolerans, ſine dubiô mutatum vitæ genus, quod olim in Hungariâ, Raſciâ, Danubii Rhenique tractibus fuit occupatiſſimum, tum temporis autem, feriante Bellonâ, deſidioſum erat & ignavum, accedente etiam victu crudiore & viliore, paulatim cæpit floridum faciei colorem amittere, oculosque cavos ac trucem oſtendere vultum, qui mihi juxta ac aliis ſuſpectus erat. Sed ùt robore naturæ pollebat, ita nil opis flagitavit, donec d. 5. Februar. 1699. rigore vehementiſſimô & omnimodâ virium proſtratione corripitur, ità ùt d. 6. ſummô mane vocatus, valdè debilem & velut à ſe ipsô mutatum deprehenderim. Non ambigebam ex prægreſſô rigore & ſubſequente caloris intenſiore gradu, febre acutâ continuâ laborare ægrum. Igitur ex Methodô mihi familiari ſeq. præſcripſi mixturam.

℞. *Aq. fl. ſambuc. cort. antifebr. n. ana.* ℥ß. *aceti theriac.* ℥ij. *Extr. antifebr. n.* ℈j. *Thea, bezoar.* ʒj. *ſir. d. cort, citr.* ℥ß.

Hinc ſudor erupit, quamvis non ſine anxietate, & peractô ſudore lævia quædam intercurrebant animi deliquia; cujus gratiâ ſeq. Epithemate ad pulſus & tempora fuimus uſi.

℞. *Spir. vin, camphor. aceti rutac. aq. carbunc. ana* ℥j. Iactabat etiam ob caloris vehementiam hinc indè corpus,& haud raro per axillam dextram puncturas acutiſſimas tranſire ſentiebat, ùt univerſum corpus veluti terrore aut Epilepticô inſultu comprehenſum elevaretur in altum, hincque facilè colligerem, occultum quid ſubeſſe.

Conſumtâ horis antemeridianis mixturâ Antifebrili, in eundem ſcopum pillulæ ſeqq. præſcriptæ.

℞. *Extr. antifebr.* ʒß. *camphor,* ℈ß. *c. ſ. q. Extr. Myrrh. f. pil. num.* 40. *D. S. Alle* 4. *Stunden* 5. *Stuck zu nehmen.*

Hic tamen ex votô, ceu aliàs ſolent, æger haud ſudavit, alvus verò bis ſolvitur, quæ qualis fuerit, nemo obſervavit. A meridie igitur horâ tertiâ, cùm ſudor non ſatis reſponderet, dedi ℈j. ſalis cujuſdam Antimonialis bezoardici, ut potè quô difficiles ad ſudandum plerumque, ſoleo εὐδιαπνεομένυς, reddere. Nec eventus fefellit, ſudavit enim εὐφόρως. Horâ nonâ nocturnâ juſſi deinceps binas aſſumere pillulas è jam memoratis, quæ ſine operoſô regimine facilem moverunt ſudorem. Referebant adſtantes quoque d. 7. Febr. vomitum circa medium noctis incidiſſe, & de nocte bis vel ter alvum fuiſſe ſolutam. Hôc ipsô verò manè multò meliûs habebat æger, pulſum oſtendens vegetiorem cum habitu & vultu pleniore ac rubicundô. Horâ ſeptimâ matutinâ pilulæ binæ iterùm præbentur, unde jam ſolutâ ſemel habitûs externi ſtricturâ & æqualiter circulante Maſſâ Humorali, largiter ſudavit. Interim benè ſpirabat, dolorem neque ventris neque pectoris querebatur, nullâ tuſſi vexabatur, & tamen cœpit poſt levem ſcreatum ſputum viſcidum cruore tinctum, lateritium reverâ, exſpuere ac rejicere ſine laborioſâ commotione, ſine ullâ tuſſi, quaſi ſponte ſuâ veluti per ebullitionem in os redundaret & aſſurgeret. Vomicam proin alicubi in pectore ruptam non dubitavi, & proin pectoralia Antifebrilibus remiſcui ſeq. in modum.

℞. *Aq. cort. antifebr. n. Chæreføl. ana* ℥ij. *Extr. antifebr. gr.* 10. *balſ. ſulph. anis. gutt. ij. ſir. fl. pap. errat.* ʒij. *laud. cydon. gr.* ß. *M.*

Hujus mixturæ dimidium horâ nonâ nocturnâ dedimus, reſervantes reliquum in craſtini auroram. Nox ſuperioribus quietior, D. 18. qq. æger, quam aliâs, pacatior, jamque ad ſudorem perfacilis multum adhuc ſpuens viſcoſi phlegmatici ſanguine tincti. Mixturâ conſumtâ pilulæ pectorales, & ſimul Antipyreticæ ſeqq. præſcriptæ.

℞. *Succ. Liquir. depur. Extr. antifebr. n. ana* ʒß. *laud. cydon, gr. j. c. ſ. q. Eſſ, antifebr. F. pil. num.* 60. *D. S. Alle* 6. *Stund.* 10. *zu nehmen.*

Sub veſperam etiam Mixturam pectoralem reſolventem talem ordinavimus.

℞. *Aq. veron. ſcabios. an.* ℥ij. *cinam. aceti deſtillat. an.* ℥ß. *ſangu. hircin. pp. Ocul. Cancror. ppt. ana.* ℈ij. *ſir. fl. pap. errat.* ℥ß. *D. S. alle Stund ein Löffel voll zu nehmen.*

Hæc eô ſumebantur ſucceſſu, ùt cum phlegmate ſanguinolentô nunc etiam pus rejiceretur. Potus ordinarius erat ex ſpeciebus pectoral. Herb. chæreføl. papav. errat. & rad. lapp. major. D. 9. continuatur expectoratio mixti cum pure cruenti ſputi incredibili copiâ, paulatimque tuſſis nunc accedit & ingraveſcit, quaſi ex profundô majori conatu exantlanda eſſet ſputi materia. Pergitur in iiſdem. Nox autem valdè inquieta ob tuſſim perpetuò urgentem, cujus irrequietâ ſollicitatione D. 10. manè particula quædam membranacea, ſputô rejecta, aquæ cui injiciebatur innatans. Omnia hæc vomicam & abſceſſum intra pulmones loquebantur. Secus tamen fuiſſe eventus docuit. Cùm enim alvus ultimô hôc triduô obſtructa eſſet, & æger tenſionem quandam in abdomine perciperet, clyſter ex meris emollientibus injectus. Undè alvô ſolutâ, pus ſtatim & ſanguis, ſeu materia, illi, quæ ἄνω rejiciebatur, ſimilis conſpiciebatur. Sequuntur paulò poſt tormina & iterata alvi ſolutio, quam cùm D. 11. manè inſpicerem, inter excrementa integras tunicas inteſtinales conſpicari ſibi videbantur, ad quod ſpectaculum ego vocatus, ſanctiſſimè affirmare poſſum, integras tunicas inteſtinales, tubuloſâ formâ exactiſſimè præditas, hiſce meis manibus me tractâſſe, & ſuper baculum teretem expanſas adſtantibus, & ad rei novitatem concurrentibus vicinis monſtrâſſe. Erant autem utraque ſine laceræ, pure & ſanguine conſperſæ, alicubi etiam punctulis rubicundis notatæ, quaſi acu factis foraminulis, longitudinis diverſæ, ita ùt portio quædam ſpithamæ longitudinem æquaret. Accuratiore inſpectione adhibitâ, patuit fuiſſe fruſta tunicæ interioris glanduloſæ, quam vulgò periſtroma villoſum dicunt, & *Malpighius* ex glandularum nerveæ tunicæ tanquam baſi inſiſtentium ductibus piloſis excretoriis componi aſſerit, *Ruyſchius* verò in Epiſtolâ problematicâ XI. oſtendit, nihil aliud eſſe, quàm vaſorum ſanguiferorum extremos molliores fines & faſciculos, inſtar penicillorum detritorum concipiendos, ſecluſô ſanguine mucidiorem ſaltem lympham & pituitam inteſtinalem tranſmittentes. Manifeſtè enim rugæ illæ ac plicæ, in tunicâ interiore aliàs notabiles conſpiciendæ erant. Clariſſimè igitur intelleximus, laborare ægrum abſceſſu tunicæ inteſtinalis glanduloſæ, quare curationem, dubiâ licèt eventus expectatione, ſpemque metumque inter, vulnerariis ſimul in auxilium vocatis continuavimus, & primùm pro febre penitus evincendâ ac putredine arcendâ præſcripſi denuò ʒß. Extr. antifebrilis, hôc additô præceptô, ùt quinas manè ac veſperi pilulas acciperet, deindè pro ſcopô vulnerariô ſeq. ſpecies in juſculô

culô caponum partitis vicibus decoquendas.

℞. *Herb. Charefol. fl. Verbaſc. Hyperic. ana Mj. roſar. r. Mß. lign. Saſſafraſ. ſantal. ſem. plantag. ana* ʒij *Conciſ. D. ad Ch.*

Sitim ſolabatur ſeq. Julapium. ℞ *aqu. Veronic. ſcabios. card. bened. an.* ℥ij *Tinct. fl. papav. err.* ℥j *Conf. alck. compl.* ʒj. *ſir. fl. pap. err.* ℥ß. *M.*

Dùm hæc aguntur, æger, quod mirum, nunquam animô linquitur, liberè ſpirat; nihil ferè vel parùm amplius per ſuperiora ſputi cruenti rejicit, nullam circà præcordia anxietatem paſſus, animôque conſtanti & imperterritô præditus ſuos ſolatiô erigebat, pulſu etiam plus quàm ante valens. Febris in horas remiſſior. Nox etiam præter opinionem quieta trahitur, ut ùt alvus ſemel iterumque ſolveretur cruenta illa & purulenta ſine tamen tunicaceis excretis.

Die 12. itaquè evidens convaleſcentiæ ſpes emicat. Continuata eadem uſque ad 12. Februar. quô tempore alvus bis terve intra Nycthemerum ſoluta cum pure & ſanguine intermixtis. Hìnc d. 15. ad abſterſionem & mundificationem tale præſcripſimus. ℞. *ol. amygd. dulc. ſir. dialth. ana.* ℥j. *ſperm. ceti* ʒj. *bals. ſulph. anis.* ℈ß. *M. D. S. Heilbalſam alle 6. Stund* 1. *Löffel voll zu nehmen.* Conveniens etiam videbatur ſeq. Emulſio, unguinoſâ ſuâ dulcedine inteſtina abſterſura ac delibatura.

℞ *Amygd. dulc.* ℥ß. *ſem. 4. Frigid. maj. papav. alb. ana* ʒj. *c. ſ. q. aq. fl. acac. & veron. f. Emuls. add. ſacch. perl.* ℈ij. *aq. cinam. ſpir.* ℥ß. *M.*

Horum uſu vidimus nihil amplius cruoris oſtendiſſe excrementa, quamvis alvus vadê lubrica eſſet, ob uſurpata ſine dubiô Oleoſa.

D. 16. igitur cùm obſervaremus juſculum cum voluptate comeſtum, dictô citiùs, nihil penè mutatum fuiſſe redditum alvô, ad lientericum fluxum iſtum compeſcendum, ſequentes pilulas præſcripſimus.

℞ *Extr. tormentill. theriac. Cœleſt. ana* ℈ß. *c. ſ. q. Eſſ. Traum. Wed. f. pil. n.* XX. *D. ad pyx. p. nuc. m. conſpers. S. ſtillende Pillen, alle 6. Stund 2. Stuck zu nehmen.*

Hìnc per diem non niſi bis alvus depoſita, eaque incruenta, ſimul verò mane ac veſperi cochlear unum prædicti balſami ſumitur. D. 17. & 18. alvus moderatè fluit, appetituſque paulatim reſurgit. Conſumtô balſamô cœpit d. 18. in juſculô vulnerariô ſumere cochlear axungiæ canis junioris caſtrati, quâ valdè delectabatur. Pilulis verò ſuperioribus tales ſubſtitutæ.

℞. *Extr. torment. Liquir. tereb. coct. ana* ℈j. *c. ſ. q. bals. peruv. f. pil. num.* LX. *D. ſ. Balſamiſche Pillen, Morgens und Abends 5. Stuck zu nehmen.*

Harum uſu nondum abſolutô conſtitit Lientericus alvi fluxus, & æger cum viribus appetitum recepit d. 1. Martii jamdùm in publicum prodiens, & ſub curâ noſtrâ à primô morbi inſultu nonniſi 19. diebus verſatus.

Scholium

Poſſent ad hanc obſervationem multa utiliſſima notari tàm phyſio-quàm pathologica. E. G. quî factum, quòd ablatâ tunicâ interiore glanduloſâ inteſtinorum, nihilominus mors non ſupervenerit, cùm tamen caruncularum ſaltem excretionem in Dyſenteriâ lethalem pronunciaverit Hippocrates 4. Aphor. 26. ubi quæſtioni ſatisfieri poſſe credimus, diſtinguendo inter exulcerationem inteſtinorum benignam, qualis ultima plerumquè accuſanda venit in Dyſenteria. Noſtra in præſenti caſu benigna fuit, ortâ occaſione abſceſſûs genuini, qui ferè ordinariè periculô carent. Item quâ de causâ ruptus intra inteſtina abſceſſus cœperit ſe evacuare per excretionem anotericam, ſuperatô valvulæ, quæ in coli principiô eſt, robore, & occaſione demùm Clyſteris ad inferiorem portam appulerit, quod factum putamus ex inverſô motu periſtalticô, occaſione repentinæ conſternationis in ipſô principiô vitali ex ruptô intra inteſtina abſceſſu. Ruptiones enim hujuſmodi introrſum factas difficillima conſequuntur ſymptomata, uti jam olim notavit Hippocrates 7. Aph. 8. ἐπὶ φύματος ἔσω ῥήξιως ἔκλυσις ἔμετος καὶ λειποψυχίη γίγνεται. Ex ſolâ ſcilicèt principii vitalis perturbatione omnes illæ turbæ. Hæc aliaque miſſa nunc facimus, in veram potiùs abſceſſus hujus inteſtinalis cauſam inquirentes. Circa quam inveſtigationem notandum, hunc ægrum antehàc valetudine inculpatâ gaudentem, diverſis vicibus præſertim in Hungariâ & Rheni Nicarique oris ob diætam vinoſam Hæmorrhoides externas fluentes ſenſiſſe, quemadmodùm mihi in hæc alia multò poſt inquirenti, faſſus eſt æger. Undè poſtquam legi, quæ Excellentiſſimus *Georg. Erneſt Stahlius in Diſſert. de Motu ſanguinis Hæmorrhoidali* rationi ſanè & experientiæ conformiter ſcripſit, non dubitavi à reſtagnante ſanguine Hæmorrhoidali intra tunicas inteſtinales, intimam ac mediam, parvos abſceſſus fuiſſe obortos, & ab his ſenſim tunicam intimam à proximâ mediâ muſculosâ fuiſſe ſeparatam, prout in variolis ipſa interdùm cutis à ſubjectis reliquis corporis integumentis ſecedit, propter ſaniem ſubtus latentem & fibrillarum intermediarum nexum ſolventem. Vixit ab illo tempore æger perbellè, ni quòd æſtate ſubſequente ſemel iterumque colicos dolores fuit paſſus, qui nihil erant niſi conatus Hæmorrhoidales intentati. Ex quô enim ſubſequentis anni tempore vernô aperire ſe cœperunt Hæmorrhoides triplici oſculô, & non parùm ſanguinis indè manavit, vivit noſter pancraticè venæ ſectione prophilacticâ bis in annô uſus. Patet verò etiam ſingularis efficacia Extracti noſtri febrifugi tùm in febre hâc vulnerariæ affini profligandâ, tum etiam in reſolvendô cruore coagulatô, plurium febrium Auctore, quem quaſi ad πεπασμὸν ducit, & tanquam hoſtile quid è vitalitatis dominiô proſcribit & expellit, prout idem in ducendis lochiis aliiſque caſibus, ubi cruor extravaſatus & coagulatus præſtò eſt, cũ admiratione præſtat. Neque reticenda eſt principii & balſami interni vitalis efficacia in reſtaurandis hujuſmodi partibus interioribus læſis. Dummodò enim benè ſit homini in vitæ radice, dummodò balſamicam humores craſſin retineant, nil itâ arduum eſt aut læſum, quod non naturâ ſit ſanando, quæ una ratio eſt, cur interdùm miraculoſa hujuſmodi eveniant in arte Medicâ, quæ non niſi gloriator ineptus aut thraſo garrulus ſuæ adſcripſerit arti. Nam & ſic αἱ τῶν νοσιων ἰητραὶ φύσιες. Erat in ægrô, dum alvi illô fluxu purulentô laboraret, facies reverà Hippocratica, atque τὰ ὦτα præcipuè ψυχρὰ, διαφανέα ξυνεσταλμένα, non aliter atque folia arborum præ nimiâ ſiccitate arentia. Animus tamen ſemper præſens, reſpiratio libera & pulſus ſibi conſtans. Unde calamitoſiſſima illa & θανατωδέστατα mortis tamen ſignificationem non habebant. Sicut enim illa prædicta minùs gravia ἧσσον δεινὰ eadem Hippocrate teſte in Prænot, 11. ↓ 13. & 14. ſi alvi excrementa valdè liquida fuerint, nec quicquam celeriùs faciei vigorem tollit quàm alvus concitatior, quod in Praxi verſati non ignorant.

Ibidem

Ibid. Obſervatio 180.

De ſpinâ bifidâ.

Ibid. Obſervatio 181.

De Hydrocephalô in Infante recens natô curatô.

De eô præterea in Actis Lipſienſibus ann. 1697. *pag.* 25.

Febris Epidemicæ annô 1694. & 95. in Noricæ Ditionis oppidô Herſpruccenſi & vicinô tractu graſſari deprehenſæ, tandemque petechialis redditæ Hiſtorica Relatio, in Obſervationum ſemicenturiam Digeſta à Joh. Ludovicô Apinô D. Phyſ. Herſpruccenſi & Nat. Curios. collegâ nonus dictô.

Norimbergæ ſumpt. Andr. Otton. Suvobaci. anno 1697.

QUanta hactenùs ex decantatiſſimis Naturæ Curioſorum Miſcellaneis in Medicorum ſcholas redundârint emolumenta, nemini obſcurum eſſe poteſt. Quorum inclyto Ordini Auctor Nobiliſſimus adſcriptus, ſpecimen aliquod, ut dignum ſe tantô ſiſteret honore, Febre Epidemicâ, quæ annô 1694. & 95. in ditione Noricâ ſæviebat, materiam ſuggerente, exhibere nullus dubitavit. Præmiſſo diſcurſui, quô principium, incrementum, finemque febris examinat, adjunxi Semi-Centuriam Obſervationum, quibus, præviâ morbi ætiologiâ, Methodum novam atque expeditiſſimam, quâ uſus fuerat, declarat. Principium igitur fontemque ipſum febris epidemicæ pluvias fuiſſe creberrimas autumat, quæ annô 1694. menſe Auguſtô ingruentes, ad Decembrem uſque perſeverârunt. Ex his præhumidum aërem partim cum ſalivâ in ventriculum, partim per inſpirationem atque cutis poros in corpus intrâſſe, atque alimenta & ſanguinem vitioſô ſignâſſe charactere, ipſoſque ſpiritus in motus concitâſſe inordinatos, non ambigit. Horrorem hinc febrilem ex fugâ ſpirituum propter auram peregrinam deducit, non quòd ſpiritus calidi exiſtant, ſed quòd ex defectu horum uterque ſanguinis motus refringatur, & excurſus particularum ſulphurearum bilioſarumque prohibeatur. Calorem è contrà motui ſpirituum impetuoſiori tribuit, quòd hactenus coërciti, excuſſô, elaſticitate ſuâ, hoſpite peregrinô, vehementiùs agitentur, particulaſque ſanguinis bilioſas in majorem rapiant motum. Mitior hactenùs febris pueros, fœminas gravidas, atque pauperculas, raró robuſtiores, infeſtaverat. Incrementum verô cùm Lues epidemica ſub ipſis anni 95. auſpiciis cepiſſet, maculas oſtendiſſe petechiales refert, quarum duas allegat cauſas, manifeſtam aliam, aliam occultam. Illam ſubitò mutatum tempus, rigidiſſimumque gelu, negotium tranſpirationis ſufflaminans, colluviemque ſeroſam incraſſans, fuiſſe judicat; hanc verò morbidum appellat ſemen, quòd ſuâ virtute fermentativâ multiplicandi ſeſe potentiam habuerit. Modum, quo viſcidum hoc alia quoque corpora inficere potuerit, indagans, adſtruit, latitâſſe ſub hôc ſal volatile acrius, mediam ex ſale acidô & alcalicô naturam præ ſe ferens, quod cum effluviis exhalans ex corpore alios infeſtare facile potuerit, præprimis illos, quibus majori cum ægris converſatione opus erat. Ad Methodum medendi quod attinet, ſolenne ipſi fuit, uti obſervationes ipſæ teſtantur, purgatis ventriculô atque inteſtinis, alexipharmaca & ſudorifera exhibere, quibus tamen fermentum febrile, ſi firmiùs hæreret, cedere noluit. Corticem ideò Peruvianum ſive extractum hujus illis, coaptatâ doſi conveniente, admiſcuit, ejuſque efficaciam, quæcunque ſupervenerint ſymptomata, ſummoperè deprædicat. Febres petechiales ipſas eôdem ſe medicamentô, in majori tamen copiâ exhibitô, curâſſe fatetur, ridetque illos, qui ex ſapore adſtrictoriô Corticis, qui tantus non eſt, inſpiſſari & coagulari ſanguinem volunt, cùm magis attendendus veniat odor aromaticus cum ſapore amaricante. Denique æſtu Solis intenſiori Febris, dyſenteriâ ſuperveniente, ſublata fuiſſe videbatur; ſed caniculis temperatis priſtinam ſuſcepiſſe iterùm faciem, rariorem tamen extitiſſe exponit, donec Divinâ favente gratiâ, ſpirantibus ex Oriente ventis, firma ac certa recuperata fuerit valetudo.

Ibid. ann. 1718. *p.* 473.

Joannis Ludovici Apini, Med. Doct. Phyſiol. ac Chirurg. quondam Prof. Publ. Altorfini Faſciculus Diſſertationum Academicarum.

Altorfi, literis Jod. Guil. Kohleſii, 1718. 8.

QUanquàm Clariſſimus Apinus, cujus Relationem Hiſtoricam febris epidemicæ annô 1694. & 1695. in Noricæ ditionis oppidô Herſpruccenſi graſſantis in Actis his annô 1697. menſe Jan. pag. 25. commendavimus; muneri Artem Medicam in Academiâ Altorfinâ publicè docendi diù non præfuerit, alterô quippe annô poſt vocationem ſcilicèt 1703. febre catarrhali acutâ denatus, non deſtitit tamen intra tam exiguum temporis ſpatium functionem hanc ſuam magnâ cum laude adminiſtrare. Id quod Clariſſ. D. *Johannes Jacobus Bayerus*, Medicinæ in eôdem Lycæô Profeſſor Primarius, in Præfatione huic Faſciculo præmiſſâ, non ſolùm de eô deprædicat, verùm etiam Diſſertationes ejus V. de principiô vitali, vexatâ aliàs inter Phyſiologos & Medicos materiâ, in circulô, ut vocant, habitæ, abundè teſtantur. Quæ diſputationes nè, quod plerarumque Diſſertationum Academicarum triſte fatum eſſe conſuevit, oblivione exſtinguerentur, cavit digniſſimus ejuſdem Filius, & famæ paternæ non minùs ac philiatrorum deſiderio conſulturus, eaſdem cum aliis B. Viri lucubrationibus conjunctìm publicare curavit. Continentur itaquè in hôc Faſciculô B. Apini Programma de περιεργίᾳ Hippocraticâ, magnô ad faciendos in Arte progreſſus impedimentô; Oratio inauguralis de origine diverſitatis temperamentorum in homine; Æolus Microcoſmo commodans & incommodans, ſive Diſſertatio Phyſio-Pathologica de Flatibus; & Diſſertatio Medica Inauguralis de Syncope, anni 1690. Altorffi habita. Ut ex ſingulis aliquid excerpamus inſtituti ratio vix permittit, hoc ſolummodò monemus, eam fuiſſe Cl. Autori de principiô vitali opinionem: dari in homine præter mentem immortalem, Divinitatis exemplar, & imaginem, altioris ut indolis, ita ad vitam quoque altiorem & æternam, omnis mutationis & interitûs expertem, à Deô conditam, principium quoddam aliud homini cum brutis commune, quod efficienter vitalitatis omnis cauſa exiſtat, & corpore organicô ad hunc ipſum ſcopum diverſimodè utatur, huicque ſit in Eſſentiâ contradiſtinctum, de Naturâ luminis vel ignis vitalis, idque cognitione, perceptione atque appetitu præditum rectè vocari ſpiritum.

APITIUS (*Cælius*) vixit ſub Trajano Imperatore A. C. 110. Opſopæus egregius, & Magiricus expertiſſimus Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum.

Ex eô extant in Lind. Renov.

De re Culinariâ libri decem. Ex recenſione Albani Torini. Baſileæ apud Oporinum, 1541. in 4. Lugduni, apud Gryphium, 1551. in 8. Exſtat etiam cum Baptiſtæ Platinæ, Cremonenſis, de honeſtâ voluptate &c. Libris x. Venetiis, apud Joh. Tacuinum de Trinô, 1517. in 4. Coloniæ apud Eucharium Cervicornum. 1529. 1537. in 8.

De Re Coquinariâ, libri decem. Coquinariæ capita Græca ab Apitiô poſita hæc ſunt. Epimeles, Artoptus, Cepuros, Pandecter. Oſprion. Trophetes. Polyteles, Tetrakus. Thalaſſa. Halieus. Hanc Plato Adulatricem Medicinæ appellat. Venetiis, apud Joh. de Ceretô de Tridinô, 1503. in 4. Tiguri, apud Froſchoverum, 1542. in 4. Huic editioni acceſſerunt Notæ Gabrielis Humelbergii.

De hôc ipsô Opere ſic in Act. Lipſ. Suppl. Tom. IV.

Apicii Cælii de Opſoniis & condimentis, ſive Arte coquinariâ libri decem; cum Annotationibus MARTINI LISTER, è Medicis domeſticis Sereniſſ. Reginæ Annæ, & Notis ſelectioribus integris Hummelbergii, Barthii, Reineſii, A. van der Linden, & variarum lectionum. Editio ſecunda Amſtelodami, apud Janſonio Waesbergios 1709. 8.

ANte quadriennium nitidam hujus libri editionem Londini evulgaverat vir cl. *Martinus Liſterus*; ſed ut videtur in ſolum Regiæ familiæ uſum 120. tantùm ejus exempla ſunt impreſſa, quæ per pauciſſimorum manus diſtribui potuerunt. Ut igitur publico eruditorum deſiderio, quô optabant doctiſſimi viri in deperditum penè opus annotationes, ſatisfieret, curavit vir publici commodi ſtudioſiſſimus *Theodorus Janſonius ab Almeloveen*, & veniâ à *Liſterô* (cui etiam hanc ſuam novam editionem dedicavit) impetratâ, revideri opus curavit, ità quidem, ut non omninô nullis ex ſuô penu depromptis acceſſionibus prodierit, ſed ornatum nonnullorum, quæ in Liſteri manus non inciderant, interpretationibus, & longè uberiore Indice inſtructum, & adjectô variarum lectionum libellô à Joh. Alb. Fabriciô quem dignô elogiô mactat, acceptô quem abſolutâ ſuâ editione demùm exſtare reſcivit. Ante verò has noviſſimas editiones prima vice typis excuſus eſt Apicius Venetiis apud Joannem de Ceretô de Tridinô 1504. in 4. (annum 1503. indicat celeberrimus Fabricius in Bibliothecâ Latinâ.) Poſt hanc ex Mſtô codice in inſulâ Megalonâ prope Montem Peſſulanum inventô & penè detritô, cum aliô, ex quô Veneta editio exſcripta fuerat, æquè corruptô, collatô, ſecundum emiſit Albanus Torinus Baſil. 1541. in 4. de quâ editione is profitetur in Dedicatione, quòd pleraque menda ſuâ operâ ſatis tumultuariâ, nullô ſæpe ſuffragante exemplari, ſuſtulerit, adeò ùt citra offenſam, ſineque tædio à ſtudioſis omnibus & legi, & maxima ex parte intelligi poſſit. Propter eam verò in Criticâ temeritatem à cl. Liſterô ſuô meritò vapulat, qui majori laude dignum Gabr. Humelbergium cenſet, annô poſt 1542. 4. Tiguri cum plenioribus adnotationibus Apicium edentem, & Barthii notat præcipitantiam; qui in Adverſariis de Humelbergiô, nè quidem viſô, malè judicaverat, ùt revocare ſententiam poſteà cogeretur. Et quia Humelbergii in criſi modeſtiam agnoſcit Liſterus, qui nihil in textum ipſum de ſuô intulerit quod Torinus magnô Autoris malô fecerat, hinc eum in ſuâ hâc editione ſequitur, & Lugdunenſibus exprobrat, quòd in agendô præcipites Torinum expreſſerint, cùm tutius ſit corruptum legere ſcriptorem veterem quàm à Novô Criticô temerè immutatum. Quod verò adeò in univerſum vitioſi ſint Apicii libri ex eô derivatur, quod argumentum ad culinam pertinens fautores non alios nactum ſit quam viliſſimæ ſortis mancipia, quæ in culinis habitant, quæ hæc arcana ſuæ artis ità conſervaſſe videntur, ut ſatis haberent, artis præcepta, neglectâ ditionis & verborum puritate, tenere. Et cùm prætereà hi libri mediis ferè Romani Imperii temporibus conſarcinati ſint, quibus jam iſta Latini ſermonis elegantia obtricata fuit, & dedecori ſibi eſſe putarent ſequioris ætatis Eruditi operam ſuam talibus gulæ incitamentis addicere manum abſtinuerunt ab opere, uſque dum tandem aliqui rectius judicare docti infamiam detergerent, atque oſtenderent, non poſtremum Medici officium eſſe, gulæ leges ſcribere, & ea ſuppeditare ad quotidianum victum, quæ deſtructum ventriculi robur reſtaurent, quæque ad appetitum ciendum ità faciant, nè labefactetur ciborum concoctio: quale quid præ cæteris in animô videatur habuiſſe Cœlius, in quô Auctore multa occurrant, quæ leviter attinguntur, tanquam ſatis cognita in vulgus, à Romanis ſcriptoribus, Poëtis præcipuè, & illis quidem, qui Romanorum in victu intemperantiam reprehendendi materiam ſuſceperunt, eôque ab imperitis Artis Culinariæ ſæpius pervertuntur. Inquirit verò imprimis *Cl. Liſterus*, quis verus hujus opuſculi Auctor ſit. Duos claros Apicios commemorant veteres, alterum ſub liberâ Republicâ, alterum ſub Tiberiô florentem, cujus Plinius meminit; de tertiô enim, de quô Athenæus, Auctor hæſitat. Cùm verò Plinius de Apiciô ſuô affirmet, ad omnem luxum ingeniô fuiſſe mirum, & pleraque fercula, quæ in opere hôc deſcribuntur, Apiciana ſint, conjectura eſt, hæc libro nomen feciſſe, ùt diceretur Apicius ab argumentô, quod contineret, proverbiali quaſi uſu, quô deliciarum magiſtri ita appellati ſunt. Huic ſuum nomen poſteà Cœlius compilator addidit, atque ità Cœlii Apicium dixit. Hunc autem Cœlium fortè fuiſſe aliquem ex Africâ libertum, fidem facit ſtylus & ſcribendi genus, ut cùm pro garô liquamen uſurpat, quod à nullô Latinorum factum eſſe obſervatum fuit, ſiquidem & Cœlius Aurelianus Chron. II. 1. liquamen pro garô vulgô ſuô Africanô dici, diſertè aſſerat. Ad ipſa condimenta Apicii quod attinet, corraſa ſunt, cùm ex Latinis, tùm & Græcis ſcriptoribus, potiſſimùm Medicis: quod indicant Græca & Latina nomina. Medicos verò præcipuè auctores habere, ex eô partìm colligitur, quòd in pleriſque ponderis & menſuræ exacta habeatur ratio, & illa propriis Medicorum deſcribantur nominibus, ut libræ, unciæ, drachmæ, ſcrupuli, ligulæ, pugni, ſextarii, & reliqua: partìm ex eô cognoſcitur, quòd plurima inuſitata ſed ſalubria occurrant condimenta, quæ ſanitati conducunt, & concoctionem adjuvant, quæque inter victum quotidianum adhiberi veteribus præſcripſerunt Medici. Quod verò aliqua ſint condimenta, à quibus planè abhorrere videntur noſtri, quæque adeò in veterum menſis quoque

locum

locum non invenerint, ſed à Cœliô vel quôcunque aliô conficta credantur, vix veroſimile videtur, quoniam de iis & Plinii & Dioſcoridis & plurium apud Athenæum exſtant teſtimonia, & ſi quæ ſunt, quæ reſpuant aliquæ gentes, aliis tamen fortè in uſu ſunt. Sic enim illi in condiendis opſoniis multò majorem adhibuerunt diligentiam, quàm ſimplicior ætas noſtra, quòd in tantô luxu & ingluvie ſtomacho ſuccurrere novis condimentis opus haberent: poſtquàm verò res Romanorum conciderunt, & imperium ad barbaras è Septentrione provocatas Gentes devolutum eſt, qui lacte, caſeô & ferinâ carne alerentur, hæc condimentorum faciendorum ars tutò ignorata eſt, cùm propter parſimoniam in ſimplici victu & durum vitæ genus appetitum deſtructum & concoctionem depravatam reſtituere opus non eſſet. Conſervantur interim meritò hæc antiquitatis monimenta, quoniam Medicinæ non contemnenda pars ſunt, & ab ætate pretium habent. De notis ſuis quamvis id teſtetur *Liſterus*, ſe non agere velle criticum, quia libris omnibus manuſcriptis deſtitutus ſit; id tamen in opere ipſô deprehendet Lector, plurima obſcura & corrupta eum evolviſſe & reſtituiſſe, adeò felici conatu, ùt ad intelligendum rectiùs & Auctorem hunc, & multa aliorum veterum loca, non parùm lucis adferat.

APOLLINARIS (*Quintus.*)

Ex eô habetur

Enchiridion Remediorum facilè parabilium, olim vernaculâ linguâ conſcriptum, nunc è Germanicô in Latinum ſermonem verſum operâ Rudolphi Goclenii. Francofurti, apud Cuiliel. Hofman. 1610. in 8.

APOLLODORUS, Cicienſis, multa ſcripſit in Medicinâ, ex cujus lucubrationibus plurima Plinius, in Natur. Hiſt. libr. 20. 23. 24. mutuatus eſt.

APOLLONIUS, Ejus in Medicinâ ſcripta citantur pluribus locis apud Galenum, de compoſitione ſecundum locos, & inter cætera liber de facile parabilibus. Apollonij collyrium ad Carbunculos recenſetur apud Aetium lib. 7. cap. 30. Idem Aetius alibi Apollonium Memphitem citat. Apollonij duo Antiocheni, pater & filius, Medici Empirici, apud Galenum præterea nominantur. Quorum itidem meminit Celſus lib. 6. *cap.* 1. inter Chirurgiæ Profeſſores.

APOLLONIDES, Medicus Cous, caſu quôdam, quô miſerè periit, & qui Memoriæ Artiſque ſuæ opprobrium eſt, ſolùm innoteſcit. Fatô functô Megabiſô, Amytis ab eo Vidua, Xerxis filia, Artaxerxis Longini ſoror, quæ ſe priùs variis amatoribus dederat, ut & ipſa ejus Mater Amyſtris, morbô, parvi momenti primùm habitô, laboravit, propter quem Apollonidem hujus Aulæ Medicum conſuluit. Qui ùt, ex quâ parte infirma erat Amytis, commodum ſibi caperet, ipſi perſuaſit, hyſtericô eam affectu tentari, ex quô non eſſet evaſura niſi fœdâ conſuetudine ſecum uteretur. Ea conditionem oblatam cùm accepiſſet, tamen quotidiè & pallida magis, & macilentior facta à Medicô ſuô deſerta eſt, undè & circa vitam ante actam circumſpiciendo; haud diù poſt cum Reginâ Matre hæc communicavit; quæ cùm queſtum ad Regem iviſſet, de ſuppliciô Apollonidis Arbitra illa facta eſt, ſicque ſceleſtus homo ad perpetuos cruciatus per duos omninò menſes damnatus eſt, tandemque vivus inhumatus, die ipsâ mortis Amytis. Hic Apollonides paulò ante Empedoclem vitali aurâ fruebatur.

APOMAZAR

Ex eô habetur

Apoteleſmata, ſive de ſignificatis & eventis Inſomniorum, ex Indorum, Perſarum, Ægyptiorumque diſciplinâ depromptus ex Johan. Sambuci Bibliothecâ, liber. Francof. apud Andr. Wechelum, 1577. in 8.

APONO. vid. Abano.

APPELLATUS (*Daniel*)

De eô exſtant

Fragmenta quædam Curationum. Habetur cùm Georg. Hieronym. Velſchii Exotic. Curat. & obſervat. Medicinal. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

APULEJUS (*Celſus*) Vid. *Celſus* (APULEJUS.)

APULEJUS (*Lucius*,) Madaurenſis Apher. Philoſophus Platonicus. Claruit ſub Conſtantinô Imperatore. A. C. 252. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum.

De eô exſtant

De virtutibus Herbarum, quæ à Chirone centaurô, Præceptore Achilis, & Æſculapiô accepit Auctor, Liber. Baſileæ, ap. Cratandrum 1528. in fol. cum aliis de re medicâ Libris, Pariſiis apud Chriſt. Wechelum, 1528. in fol. cum Gal. Lib. de Plenitudine à Johanne Guintheriô, *Andernacô* converſô. Venetiis, apud Aldum, 1547. in fol. cum Medicis antiquis p. 212.

De Ponderibus & Menſuris, ac ſignis cujuſcunque Ponderis, Liber è Græcô Latinus factus per Johannem Baptiſtam Nicolinum. Exſtat cum Meſues operum Supplementô.

AQUAPENDENS (*Hieronymus Fabricius ab* AQUAPENDENTE.)

Natus *Aquapendentis*, Italiæ oppidô, Parentibus pauperibus, hincque à patriâ cognominatus *Aquapendens*. Annô 1565. Gabrieli Falopio, Præceptori ſuo in Profeſſione Chirurgicâ Patavii ſucceſſit: & annô 1584, eôdem in Gymnaſiô primus Anatomias in recens ornatô Theatrô Anatomicô publicè exercere cæpit, à Senatu Venetô conductus ad id munus mille coronatorum ſtipendiô. Ab eâdem Republ. prætereà eques D. Marci creatus, catenam ex aurô pretioſam aliquandò donô accepit. Obiit ſenex Patavii A. C. 1619. ætatis ſuæ 82. propter continuum aloës roſatæ ab ipſô inventæ uſum tam longam & ſanam vitam vixiſſe creditus.

De eô exſtant in Lind. Renov.

De formatô fœtu. Patavii, apud Laurentium Paſquatum, 1604. in fol. Venetiis 1620. in fol.

De Venarum Oſtiolis. Patavii, ap. Laurent. Paſquatum, 1603. in fol.

De Locutione, & ejus inſtrumentis. Ibid. 1603. in fol.

De Brutorum Loquelâ. Ibid. 1603. in fol.

De Formatione Ovi & Pulli. Ibid. 1621. in fol.

Opera Anatomica. De Formatô Fœtu. De Formatione Ovi, & Pulli. De Locutione & ejus Inſtrumentis. De Brutorum Loquelâ, Patavii, apud Anton. Meglietum, 1625. in fol. Francof. apud Jacobum de Zetter, 1623. in fol.

Tractatus quatuor, quorum I. de formatô Fœtu: II. de locutione & ejus inſtrumentis, III. de Loquelâ brutorum, IV. de Venarum Oſtiolis loquitur:

quitur : Figuris æneis ornati. Patavii , 1625. Francof. apud Jac. de Zetter , 1624. & 1648. in fol.

De Viſione , Voce , Auditu. Venetiis , apud Franc. Bolzettam , 1600. in fol. Patavii , 1603. in fol. Francof. apud F. F. R. Bryanos , 1605. 1613. in fol.

De Muſculi artificiô : de Oſſium Articulationibus. Vicentiæ , apud Petrum Bertellium , 1614. in 4.

De Reſpiratione , & ejus Inſtrumentis , Libri duo. Patavii , apud Paulum Megliettum , 1615. in 4.

De Motu locali animalium ſecundum totum. Patavii , apud Joh. Bapt. de Martinis , 1618. in 4.

De Gulâ , Ventriculô , Inteſtinis , Tractatus. Patavii , apud Laur. Paſquatum , 1618. in 4.

Medicina Practica , edita à Petrô Bourdelotiô , Pariſiis , apud Clodovæum Cotthard , 1634. in 4.

Opera Chirurgica in duas partes diviſa ; quarum prior Operationes Chirurgicas per totum corpus humanum à vertice capitis uſque ad imos pedes peragi ſolitas , plurimis rariſque Obſervationibus , & novis inventis Chirurgiæ dexteritatem & jucunditatem ſpectantibus , refertas comprehendit : altera Libros quinque Chirurgiæ jam ante in Germaniâ impreſſos , & ſub nomine Pentateuchi Chirurgici divulgatos complectitur. Patavii , 1617. in fol. Venetiis , 1619. in fol. Francof. apud Nic. Hofmannum , 1620. in 8. Acceſſerunt Inſtrumentorum , quæ partim Auctor , partim alii invenerunt , enumeratio. Item de Abuſu Cucurbitularum , in Febribus putridis diſſertatio. Quæ poſtrema Editio eſt. Patavii , apud Bolzettam , 1647. in fol. Ibidem , 1666. in fol. cum pluribus figuris. Abſque fig. Lugd. ex officinâ Joannis Pillehotte 1628. 8.

Medicina Practica. Necnon Æmilii Campalongi Tractatus de Vermibus : de uteri affectibus : deque Morbis cutaneis , præſtantiſſimi. Utrumque opus nunc primùm prodit in lucem ſingulari ſtudiô atque operâ Petri Bourdelotii. Ex Bibliothecâ Joh. Bourdelotii. Pariſiis , apud Clodovæum Cotthard , 1634. in 4.

Conſilia Medica. Exſtant eô in Opere , quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francof. apud Joh. Sartorium , 1605. in 4.

De totius Animalis Integumentis , Opuſculum. Patavii , 1618. in 4.

Pentateuchos Chirurgicum , publicis in Academiâ Patavinâ Lectionibus ab Auctore propoſitum ; jam verô contractiore paulô formâ , capitibus diſtinctum , lucique datum operâ Joh. Hartmanni Beyeri , Francofurti , apud Petrum Fiſcherum , 1592. in 8. Ibid. 1604. in 8.

De Aquapendentis Operibus hæc habentur in Actis Lipſ. ann. 1687. p. 244.

Hieronymi Fabricii ab Aqua pendente Opera omnia Phyſiologica & Anatomica.

Lipſiæ ; ſumptibus Johannis Friderici Gleditſchii , ann. 1687. in fol.

Etiamſi cenſeri poſſit , editorem præſentium operum præpoſteris conſiliis uſum fuiſſe , quòd vetuſta hæc ſcripta , delicatô hôc tempore , de novô imprimi curaverit ; ubi innumeri Apollineæ arti addicti adeò faſtidientis ſunt ſtomachi , ùt nil penitùs niſi nova admittant , antiqua cuncta , vel ſolô nomine auditô , ſtatim averſantes ac reſpuentes : nihilominùs cùm hæc abſurda nauſea non ſit adeò univerſalis , quin Cordatiores Medici hodiè etiam ex antiquorum ſeriniis , veritatem , ſitu licèt ſqualidam , depromere gaudeant ; idcircò ipſos non ſolùm calculô ſuô probaturos hanc editoris curam , ſed etiam opus hoc avidè excepturos ſperamus. Commendat enim illud ſeſe Lectoribus non unô ex capite , imprimìs tamen raritate ſuâ ſingulari. Hactenùs namque vix centeſimum Medicorum cuncta hæc Anatomica ſcripta legiſſe aut ſaltem vidiſſe , ſi dixerimus , à veritate aberrabimus nulli. Factum autem hoc eſt , quòd ſeorſim ſuperiori ſeculô , partim circa initium præſentis , illa in Italiâ luci fuerint expoſita , adeòque jam pridem in Bibliopolarum tabernis , apud quos prodierant , diſparuerint. Et licèt poſtmodùm Francofurtenſes , Regiomontani , & non multis abhinc annis Amſtelodamenſes , quædam illorum typis iterùm deſcripſerint , nondùm tamen ſingula publici omniumque juris ſunt facta , ùt maxima pars eorum , æquè ac antehàc , ad manus pauciſſimorum pervenerit. Cæterùm poſſemus quoque opera præſentia ob eruditionem multifariam ac doctrinam oppidò raram deprædicare , ut potè quæ jam dudùm quamplurima docuerunt , de quibus noſtri ævi ſcriptores tanquam noviter inventis triumphant ; At quoniàm de hiſce æquè ac aliis Auctoris encomio inſervientibus præfatio Dn. D. *Bohnii*. P.P. in noſtrâ Phylureâ celeberrimi , operibus hiſce præfixa ſufficienter loquitur , nihil ampliùs addimus , nè præter rem videamur nimii. Accipe ergò ſolùm L. B. ſyllabum tractatuum , quibus opera hæcce conſtituuntur. Primus eſt *de formatione ovi & pulli* ; ſequuntur deinceps , *de formatô fœtu* , *de gulâ* , *de ventriculô* , *de omentô* , *de varietate ventriculorum* , *de inteſtinis* , *de meſenteriô* , *de venarum oſtiolis* , *de reſpiratione & ejus inſtrumentis* , *de oculô* , *de aure* , *de larynge* , *de locutione* , *de brutorum loquelâ* , *de motu locali animalium ſecundum totum* , *de greſſu* , *de volatu* , *de natatu* , *de reptatu* , *de muſculi Fabricâ* , *actione & utilitatibus* , *de articulorum ſtructurâ* , *actione & uſu* , & deniquè *de integumentis totius animalis*. Ad calcem operis index rerum & verborum locupletiſſimus eſt adjectus , tractatibus verò ipſis copioſæ figuræ æri inſculptæ ad explicationem textus facientes inſertæ deprehenduntur non inelegantes.

AQUÆUS (*Stephanus*) Bituricenſis .

Ex eô habentur

In omnes C. Plinii ſecundi Naturalis Hiſtoriæ , argutiſſimi ſcriptoris Libros , Commentaria Pariſiis apud Poncetum le Preux 1530. in fol.

AQUILANUS (*Sebaſtianus*) Galeni ſectator ; claruit ſub Ludovicô de Gonzalâ Mantuæ Epiſcopô , A. C. 1508. Intus in chronol. Medicorum.

De eô exſtant

Quæſtio de Febre ſanguineâ , ad mentem Galeni habetur cum Marci Gatinariæ Practicâ. Baſileæ , apud Henr. Petri , 1537. in 8. Lugd. apud Vincent. Portonarium , 1538. in 8. Francofurti apud Johan. Bernerum 1604. in 8.

De Morbô Gallicô , Tractatus cujus curationes omnes , quibus hactenùs uſi ſunt , ex hôc Auctore mutuati ſunt Medici. Exſtat utique cum eâdem Marci Gatinariæ Practicâ , & Tomo I. Operis de Morbô Gallicô , p. 1.

AQUINAS (*Thomas*)

Ex eô habentur

Secreta Alchimiæ magnaliæ , de corporibus ſuper

per- Cœleſtibus, & quod in inferioribus inveniantur, & quòquò modò extrahantur; de Lapide minerali, animali, & plantali. Item Theſaurus Alchimiæ ſecretiſſimus, quem dedit Fratri ſuo Reinaldo. Acceſſit Johannis de Rupeſciſsâ Liber Lucis, ac Raimundi Lullii clavicula, & Apertorium. Omnia operâ Danielis Brouſchviſii in lucem edita. Cum Præfatione Johannis Heurnii Coloniæ Agrippinæ, apud Nicolaum Bohmbargen, 1579. in 4. Lugduni Batavorum, apud Thomam Baſſon, 1598. in 8. Exſtat etiam cum volumine tertiò Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

Liber Lilii Benedicti nuncupatum. Exſtat volumine quintò ejuſdem Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

Tractatus ſextus de eſſe & eſſentiâ Mineralium tractans. Exſtat eôdem volumine quintô Theatri Chemici.

Aurora, ſive Aurea hora. Ejuſdem Comment. ſuper Turbam Philoſophorum breviorem, ut dicitur. Exſtant Decade 11, Harmoniæ Chymicô-Philoſophicæ à Johan. Rhenanô collectæ. Francof. apud Conr. Eifridum, 1625. in 8.

ARANTIUS (*Julius Cæſar*) Natus eſt Bononiæ: quâ in Academiâ Doctoris Medicinæ impetratô titulô, mox in eâdem Medicinæ, Chirurgiæ & Anatomiæ Profeſſor declaratus, eam ſpartam per annos 32. ornavit, donec nempe obiit A. C. 1589. 7. Aprilis, & ſepultus fuit in Æde, cui nomen *Corpus Domini.*

Ex eô habentur

De Humanô fœtu Liber. Ejuſdem Anatomicarum Obſervationum liber. Ac de Tumoribus ſecundùm locos affectos Liber. Venetiis, apud Barthol. Carampellum, 1595. in 4. apud Jac. Brechtanum 1587. in 4. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri, 1579. in 8.

De Humanô Fœtu Liber, operâ Laur. Scholzii ſeorſim prodiit, exſtat etiam cum Franciſci Plazzoni Libr. de Partibus Generationis, Lugduni Batavorum, apud Felicem Lopez de Haro, 1664. in 12.

In Hippocratis Librum de vulneribus capitis Commentarius brevis, ex ejuſdem Lectionibus collectus, per Claudium Porralium, *Lugdunenſem*, unà cum ejuſdem Annotatiunculis marginalibus. Lugduni, apud Ludov. Cloquemin, 1580. in 8. Lugd. Batav. apud Joh. Maire 1639. in 12. & 1641. in 12.

Conſilia & Epiſtolæ Medicæ. Exſtant eô in opere, quod Laurentius Scholzius edit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. Hanoviæ 1610. in fol.

ARAS (*Georgius*)

Ex eô habetur

Enchiridion Hermetico-Medicum. In quô virtutes, doſes atque appropriationes omnium ferè medicamentorum ſpagyricorum, quæ in uſu veniunt, à probatiſſimis Auctoribus recepta compendiosè deſcribuntur. Acceſſit in appendicem Idea, ſeu ſynopſis novæ & experimentalis illius Philoſophiæ, quam tum ad dicta medicamenta tum ad alios uſus accuravit Franciſcus Travaginus. Venetiis, apud Johan. Jacob. Hertz, 1666. in 12.

ARATUS. Solenſis è Ciliciâ fuit, natus Olimp. circiter 124. ſcripſit Phæmena & Aſtrologica: In Medicinâ quoque quæ ad anatomen & compoſitionem theriacorum attinent de oſſibus, de Medicis facultatibus, de oſtentis, de hominum generatione, aliaque, quæ commemorat Auctor ipſius vitæ, quam Petavius edidit in Uranologiô. *Arat.* Κάνονα laudat Achilles Tatius in Phænom. c. 19.

ARCÆUS (*Franciſcus*) Fraxinalenſis-Hiſpanus.

De eô exſtant

De rectâ curandorum vulnerum ratione, & aliis ejuſdem Artis Præceptis, Libri duo. Ut & ejuſdem de Febrium curandarum ratione Libellus. Cum Alvari Nonnii doctiſſimis in pleraque capita Annotationibus. Antverpiæ; apud Chriſtoph. Plantinum 1574. in 8. Amſtelodami, apud Petrum van den Berghe, 1658. in 12.

ARCÆUS (*Johannes*)

Ex eô habetur

De Curandorum vulnerum ratione. Ejuſdem de Febribus Antverpiæ, 1574. in 8.

ARCELLA (*Juſtinianus*) Neapolitanus.

De eô exſtat

De Ardore urinæ & ſtillicidiô, ac de Mictu ſanguinis non puri, opus. Patavii, apud Laurentium Paſquatum, 1668. in 8.

ARCERIUS (*Sixtus*)

Ex eô habetur

Cl. Galeni Pergameni Paraphraſte Menodoti ad Artium liberalium ſtudium capeſſendum, Oratio adhortatoria. Item quòd optimus Medicus, niſi etiam Philoſophus, non ſit. Ex interpretatione novâ cum notis Ejuſdem, in quibus partim Textus Græcus emendatur, partim illuſtratur. Franekeræ, apud *viduam Ramberti Doyema*, 1616. in 4.

ARCHAGATUS, Peloponnenſis, Lyſaniæ filius. Primus ex Medicis Romam venit, cùm hactenùs urbs ampliſſima iiſdem caruerit. Is per excellentiam Vulnerarius vocatus, adventu ſuô Romanis Civibus mirè fuit gratus; mox verò à ſævitiâ ſecandi atque urendi tranſiit nomen in carnificem, & in tædium Ars, omneſque Medici.

ARCHEDEMUS

De eô exſtant

De Mulomedicinâ, Capita aliquot. Habentur inter veterinariæ Medicinæ ſcriptores, qui editi ſunt Græcè quidem Baſileæ, apud Johan, Valderum 1537. in 4. Latinè autem ex interpretatione Joh. Ruelli, Pariſiis, apud Sim. Colinæum 1530. in fol.

ARCHELAUS Ptolomæo Philadelpho Hiſtoriam Naturalem verſibus conſcriptam dicavit, referente Antigonô Cariſtiô.

ARCHIDEMUS *Vid.* ARCHEDEMUS.

ARCHIGENES, Medicus, Apameâ Syriæ oriundus, fil. Philippi, diſcipulus Agatheni, artem hanc ſub Domit. Nervâ Trajanôque profeſſus eſt. Obiit an. ætat. 73. ultimô Trajani. In quem ſæpè invehitur Galenus. Vide Juvenal. ſat. 6. v. 236.

—— Tum corpore ſanô
Advocat Archigenem.
Idem ſat. 13. v. 98.
—— Si non eget Anticyrâ, nec
Archigene.

De eô exſtant

Fragmenta varia: quæ habentur apud Aëtium Amidenum; ſcilicet,

Hiera, ex Epiſt. ad Marſum de atrâ bile Tetrab. 1. ſerm. 3. c. 114.

De Balneis naturalibus, *ibid. cap.* 167.

De Spongiæ uſu *ibid. cap.* 170.

De

De Dropaçe, Picatione, ac ſinapiſmo *ibid. c.* 180. 181.

De vertiginoſis, Inſaniâ, Reſolutione, Tetanô, & convulſione, cephalæâ, & Hemicraniâ Tetrab. 2. ſerm. 2. *cap.* 7. 8. 28. 39. 50.

De pectore ſuppuratis, Tetrab. 2. ſerm. 4. *cap.* 65.

De Volvulô, cœliacâ affectione, Dyſenteriâ Tetrab. 3. ſerm. 1. *cap.* 28. 37. 43.

De Hepatis abſceſſu, Hepate exulceratô Tetrab. 3. ſerm. 2. c. 4. 5.

De his, qui per circuitum quendam ſanguinem mingunt, Tetrab. 3. ſerm. 3. *cap.* 3. De calculoſis renibus, cap. 4. Diæta in ulceribus veſicæ *cap.* 30. De veſicæ fluxione, & his, quæ capillorum formâ exeunt cum urinâ, *cap* 31.

Iſchiadis exacerbatæ cura Tetrab. 3. ſerm. 4. *cap.* 4.

De Elephantiaſi, Tetrab. 4. ſerm. 1. *c.* 120.

De viperarum eſu, & de pruritibus, *ibid. cap.* 123. 126.

De Leprâ, *ibid. cap.* 134.

De cancris mammarum, Fluxu muliebri, uteri abſceſſu, uteri exulceratione, cancris uteri, Tetrab. 4. ſerm. 4. *cap.* 43. 65. 85. 88. 90. 94.

ARCISSEWSKI - (*Chriſtophorus*)

Ex eô habetur

Epiſtola, de Podagrâ curatâ per Doctorem Cneuffelium. Amſtelredami, apud Johan. Blaëu, 1648. in 12.

ARCULANUS aliàs HERCULANUS (*Johannes*) Natus eſt Romæ, vel, ut alii volunt, Veronæ, fuit Medicus ſuâ ætate celeberrimus, æqualis Hugonis Senenſis. Bononiæ & Patavii per plures annos docuit, tandemque Ferrariæ ubi mediô ſtudiorum curſu obiit. Claruit A. C. 1460. uſque ad annum 1484.

Ex eô habentur

Practica Medica, quâ artificiosâ Methodô, & incredibili mortales juvandi ſtudiô, ſine invidiâ, omnium morborum & ſymptomatum (quæ à capite uſque ad calcem in humani corporis exterioribus & interioribus partibus accidere conſueverunt) cauſas & remediorum præſagia exponit: partium quoque ſitu & conſtitutione demonſtratis; ſive, Expoſitio vel Commentarii in nonum Rhazis, *Arabis*, ad Regem Almanſorem Librum; ubi loci etiam affecti, morborum ſpecies, & præſidiorum natura explicantur. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1497. in fol. apud Andream Toreſanum de Aſculâ, 1564. in fol. Baſileæ apud Henricum Petri 1540. in fol. Venetiis apud Juntas, 1542. 1557. in fol. apud Vinc. Valgriſium, 1560. in fol. cum ſcholiis Johan. Marinelli.

Expoſitio perutilis in primam Fen quarti canonis Avicennæ, unà cum Annotamentis Præſtantiſſimi viri, Domini Symphoriani Champerii, ſive, Champegii, Lugdunenſis, Equitis aurati, &c. Lugd. ap. Jac. Myt. 1518. in fol. Venetiis, apud Valgriſium, 1560. in fol.

Excerpta ex Commentariis in Rhaſem ad Almanſorem, quæ ad Balnea pertinent. Exſtant pag. 320. Operis Veneti de Balneis.

ARCULARIUS (*Johannes*)

Ex eô habetur

De acidulis Schwalbacenſibus, Epiſtola, quæ ſimul continet Hiſtoriam mirabilis delirii. Exſtat cum Reſponſis Medicis, quæ Helvicus Dietericus edidit. Francof. apud Matth. Merianum, 1631. in 4. pag. 60.

ARDERN (*Johannes*) Chirurgus fuit Anglus qui recenſeri meretur. Newmarki, in Angliâ, ab ann. 1349. quô tempore peſtis Regnum devaſtare cæpit, ad ann. uſque 1370. commoratus, Londinum commigravit, ubi Henrici IV. Chirurgus fuit. Reliquit volumen ſatis amplum de Medicinâ, ac præcipuè de Chirurgiâ, quod hactenùs prælô non fuit commiſſum, quamvis id maximè mereatur, ut habet *Clariſſ. Freind, in ſuâ Hiſt. Medicâ.*

ARDIZZONUS (*Fabricius*) Phyſicus Genuens.

De eô exſtant

Ricordi intornô al preſervarſi è curarſi della Peſte. In Genova, 1656. Ravivamento, o ſia Diſcorſo, ſopra l'Eſſenza, coſa, & effetti delle Aque Minerale, ſingolarmente del Monte di Corſema, ſtato dell' Excellentiſſima Republ. di Luca. Ove ſi riconoſcono li abuſi & errori che di molti ſi commettono, ſi nel tranſportare come nel valerſi d'eſſe aque; come anche il vero & accertato modo di caotamente condurle, e felicemente ſervirſene; Con diverſe e curioſe oſſervationi ſtampati in Genova, dell' ann. 1680.

ARDOYNIS (*Santes de*) Piſaurenſis. Vir in Medicinâ & Philoſophiâ clariſſimus, ſub Sigiſmundô Imperatore, & qui in magnô pretiô habitus eſt apud Venetos. Vixit A. C. 1430. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Opus de Venenis. In quô naturalis primùm hiſtoria Venenatorum omnium, ſive, naturâ, ſive, arte conſtent, fideliſſimè proponitur (quam Partem Theriacam Græci vocant) & quibus ſignis Venena non in genere tantùm ſed etiam in ſpecie cognoſci ac dijudicari debeant, oſtenditur. Deindè verò Alexipharmacia, hoc eſt, ratio tum præcavendi venena, tum curandi elegans, copioſa, ſecura, planèque methodica, & poſt omnes alios, qui in conſimili argumentô verſati ſunt, perfectiſſima & abſolutiſſima traditur. Additus eſt ejuſdem generis Commentarius Ferdinandi Ponzetti. Venetiis, apud Octavianum Scotum, 1492. in fol. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1562. in fol. Ex Caſtigatione Theodori Zwingeri. Cum hujuſdem Præfatione luculentâ, in quâ Methodus Venenorum cognoſcendorum atque curandorum ſummâ arte, brevitate & facilitate docetur.

ARETÆUS.

De eô ſic ſcribit Junius Paulus Craſſus, in Dedicatione *quam præpoſuit ſuæ Interpretationi.*

Hic Auctor ſummopere lectorem detinet atque delectat. Nam & quatenus materiæ convenit grandiloquus eſt, cum amplâ & ſententiarum gravitate, & majeſtate verborum, vehemens, varius, copioſus, ad permovendos animos acerrimus, ipſâ quoque vetuſtate venerabilis. Quâ verò tempeſtate vixerit, apud nullum Græcum, Latinumve Scriptorem hactenus reperire, aut certis conjecturis aſſequi valui. Natione Cappadox fuit, ut libri teſtatur inſcriptio. Suâ Patriâ Jonicâ linguâ ſcribit, Hippocraticamque dicendi formam, id eſt, brevitatem cum gravitate conjunctam æmulatur, ejuſque vel integros aphoriſmos in ſuis voluminibus conſcripſit. Nulli Sectæ addictum ſe apertè Aretæus demonſtrat. In quibuſdam enim ab Hippocrate & Ariſtotele diſſentit. De nonnullis etiam morbis propria quædam, à nullis aliis tradita, rationi tamen conſentanea, ſcitûque digniſſima exponit.

De eô extant

De Acutorum & Diuturnorum morborum cauſis & ſignis, Lib. IV. de eorumdem curatione, Lib. IV. Græcè. Pariſiis, apud Hadr. Turnebum, 1554. in 8. Græcè & Latinè conjunctim editi tribus

tribus mſſ. codicibus, Venetô, Bavaricô, Auguſtanô, collatis; cum Commentariô, in quô obſcura doctrina de nominibus, & parte affectâ morborum ſingulorum cum ſuis ſignis perſpicuâ methodô illuſtratur. Auctore Georgiô Heniſchiô, Med. Auguſtanô. Auguſtæ Vind. apud Georg. Willerum, 1603. in fol. Latinè, Juniô Paulô Craſſô, *Patavino*, interprete, inter Medicæ artis Principes. Pariſiis, apud Henr. Stephanum, 1567. in fol. Cum Medicis antiquis Græcis, Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1581. in 4. Pariſiis in 4. hæc Editio Græco-Latina aucta eſt Annotationibus Petri Petiti.

Excerpta de Balneis. Exſtant pag. 480. Operis Veneti de Balneis.

ARETINUS de Accoltis, (*Franciſcus*)

Ex eô habetur

De Thermis Puteolorum & vicinis in Italiâ Liber. Neapoli, 1575. in 4.

ARETIUS (*Benedictus*)

De eô exſtant

Stockhornii & Neſſi in Bernatium Helvetiorum ditione Montium, & naſcentium in eis ſtirpium Deſcriptio. Habetur cum Valerii Cordi Annotationibus in Dioſcoridem. Tiguri, apud Andream Geſnerum, 1561. in fol.

ARGENTERIUS (*Jacobus*) Caſtelnovanus Med. Doct. Philoſop. Profeſſor in Taurinenſi Univerſitate.

De eô exſtant

Libri Tres de Peſte, Taurini, 1598.

ARGENTERIUS (*Johannes*) Natus eſt Caſtelnovi in Pedemontiô, (Caſtelnovum ſcilicet Pedemontij vicus eſt.) Tertiò id. Maij; Taurini mortuus eſt, annô ætatis 69. Sepultus in Eccleſiâ Metropolitanâ, ubi erectum fuit ab Herculе Filiô monumentum ex marmore. Fuit primò Medicinæ Profeſſor Neapoli, deinde Piſis, poſteà in Monte Regali, tandemque Auguſtæ Taurinorum, cujus Academiæ ſub Emanuele Philibertô, Sabaudiæ Duce, reſtaurator perhibetur. Hunc Virum, Johannes Huartus ſcribit, licèt ſpeculando, ſcribendoque inclytum, medendo tamen ſupra quam credi poſſit infelicem fuiſſe, adeò ùt Auguſtæ Taurinorum, ubi civitate ornatus eſt, plurimi ægrotorum ejus acceſſum ceu inauſpicatum reformidârint.

Ex eô habentur

Opera omnia; quorum nonnulla jam ante excuſa, plurima verò à nemine hucuſque viſa, avidiſſimè tamen deſiderata, tandemque ab Hæredibus ipſius reperta & in lucem prolata ſunt. Omnia nunc pridem ex Exemplari Venetô diligentiùs reviſa, ex diviſis quatuor partibus in unum volumen collecta, ac ab innumeris, quibus hinc indè ſcatebant, mendis emaculata. In quibus præcipuæ difficileſque materiæ, tam Medicæ, quàm Philoſophicæ, & præſertìm hâc tempeſtate adhùc controverſæ, non doctè minùs, quam ſubtiliter & enucleatè elucidantur, ipſiuſque habitæ ſanitatis tuendæ, & amiſſæ pariter recuperandæ ratio pleniſſimè traditur. Acceſſit Fabii Paulini, *Utinenſis*, in Libros Artis Medicinalis Galeni per Tabulas Oeconomia. Hanoviæ, apud Hæred. Cl. Marnii, & Wechel. 1610. in fol. Venetiis, apud Joh. Bapt. Ciottum, 1592. in fol. 3. Voll. apud Juntas, 1606. in fol. 2. Voll.

Elenchus ſingulorum Tractatuum hôc in Opere contentorum.

In Artem Medicinalem Gal. Comment. I. de Corporibus.

In Artem Medicinalem Comment. II. de ſignis.
In Artem Medicin. Comment. III. de cauſis ſalubribus, &c.
In Librum primum Aphoriſmorum Hippocr. Commentarius.
In Librum ſecundum Aphoriſmor. Hippocr. Comment.
In Librum quartum Aphoriſmorum Hipp. Comment.
De Morbi generibus Liber unus.
De Morborum differentiis Liber unus.
De Cauſis morborum Liber primus.
De Cauſis uniuſcujuſque generis morborum Liber ſecundus.
De Cauſis differentiarum morborum Liber tertius.
De generibus & differentiis ſymptomatum Liber.
De Cauſis ſymptomatum Liber.
De temporibus Morborum Liber.
De ſignis Medicis Liber I.
De ſignis demonſtrativis Liber II.
De ſignis memorativis, Lib. III.
De ſignis Prognoſticis, Lib. IV.
De urinis, Liber unus.
De Officiis Medici, Lib. II.
De ſomnô & vigiliâ, Lib. II.
De Conſultandi ratione, Liber unus.
De Febribus, Liber unus.
In Lib. Galeni de Febribus ad Glauconem.
De vi purgantium medicamentorum, Tractatio.
De Calidi ſignificationibus, & Calidô Nativô.

Seorſim exſtant

Opera nunquam excuſa, jamdiù deſiderata, ac è tenebris in lucem prodita: in duas partes diſtincta, quarum prior Commentarios in Hippocratis Aphoriſmorum primam, ſecundam, & quartam ſectiones, plus ſex & triginta annorum ſpatiô elaboratos: Alterа verò de Febribus Tractatum ſingularem: & primi Libri ad Glauconem præclaras explanationes: Item de Calidi ſignificationibus, ac Calidô nativô, doctiſſimum Libellum complectitur; In quibus potiſſimæ, ac difficillimæ totius Medicinæ controverſiæ, ſubtiliter & exactè dijudicantur, ipſaque ſanitatis tuendæ ac reſtituendæ ratio pleniſſimè traditur. Venetiis ap. Juntas, 1606. in fol.

Commentarii tres in artem Medicinalem Galeni, Medicis & Philoſophis univerſis, qui rerum ſcientiâ delectantur, utiles. In Monte-Regali, apud Torrentinum, 1566. 1568. in fol. Pariſiis, apud Molinæum, 1553. in 8. apud Johannem Poupium, 1678. in 8.

De urinis, Liber. Lugduni, ap. Sanct-Andream, 1591. in 8. Lipſiæ, apud Johan. Chriſtophorum Vohlfartum, 1682. in 8.

De ſomnô & vigiliâ: De ſpiritibus & Calidô innatô, Libri duo. Quibus multæ veterum & Recentium ſententiæ expenduntur. Florentiæ, apud Torrentinum, 1566. in 4. Pariſiis, apud Molinæum, 1568. in 4.

De Conſultationibus Medicis, ſive, ùt vulgus vocat, Collegiandi ratione, Liber. Florentiæ, apud Torrentinum, 1551. in 8. Pariſiis, apud Martinum Juvenem, 1557. in 8. apud Ægidium Gorbinium, 1557. in 16.

De Erroribus veterum Medicorum. Florentiæ, apud Torrentinum, 1553. in fol.

De Morbis Libri XIV. In quibus continentur de Morbi Generibus Liber unus: De Morbi differentiis, Liber unus: De Cauſis Morborum Libri tres: De ſymptomatis, ſive, Morborum Effectibus, Libri duo: De Temporibus, ſive, Partibus Morborum, Liber unus: De ſignis Medicis, Libri quatuor: De Officiis Medici, Libri duo. Omnia

ab ipſo Auctore multis locis aucta & illuſtriora reddita. Florentiæ, apud Laurentium Torrentinum 1556. in fol. Lugduni, 1558. in 8.

ARGENTINUS (*Richardus*) Anglus. Vixit circa A. C. 1336. Wolfg. Juſtus in Chronolog. Medicorum.

De eô exſtat

Πεϱὶ χημείας libellus utiliſſimus, cui titulum fecit: Correctorium. Habetur cum veræ Alchimiæ aliquot ſcriptoribus, à Gul. Grataroló collectis Baſileæ, apud Henr. Petri, & Petrum Pernam, 1561. in fol. p. 207. & volumine ſecundô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazar. Zetznerum 1613. in 8. p. 418.

ARGILLATA (*Petrus de*) Bononienſis Medicus & Chirurgus, vixit A. C. 1490. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Chirurgiæ Libri ſex. Venetiis apud Benedictum Genuenſem, 1480. in fol. apud Octav. Scotum 1492. 1497. & 1499. in fol. Exſtant quoque Mſſ. in Bibliothecâ noſtrâ.

ARGOLUS à Tagliacozzo D. Marci [*Andreas*]

Ex eô habentur

De Diebus criticis, & de ægrotorum decubitu Libri duo. Patavii apud Paul. Frambottum, 1639. in 4. Ibid. 1652. in 4.

ARIAS de Benavides (*Petrus*) Taurenſis.

Medicus Doctor, quædam à ſe in Medicâ & Chirurgicâ arte, potiſſimùm apud Indos Americæ Occidentalis, eò cùm veniſſet, experimentis deprehenſa, ſtylo conſignavit, ſcribens.

Secretos de Chirurgia: Eſpecial de las enfermedades de morbo Gallico y lamparones y mirrarchia, y la manera como ſe curan los Indios de llagas y heridas, con otros ſecretos haſta agora no eſcritos ad Carolum Hiſpaniarum Principem. Pinciæ 1567. in 8. Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. Tom. ij.

ARIOSTUS (*Franciſcus*)

De eô ſic in Act. Lipſienſ. A. 1699. pag. 380.

Franciſci Arioſti de oleô Montis Zibinii, ſeu Petroleô Agri Mutinenſis Libellus &c. Mutinæ, typis Ant. Capponi, 1698. in 4.

Nudius tertius ad nos Illuſtris Magliabechii beneficiô libellus hic pervenit; jam quidem A. 1460. ab Auctore ſuô compoſitus, at A. 1690. demum è tenebris in lucem à Virô Clariſſimô, Oligerô Jacobæô, Profeſſore Regiô Hafnienſi protractus, Hafniæque typis Jo. Phil. Bokenhorf excuſus. Cùm enim Oleum è montibus effluens, quod ex Indiâ Orientali à pluribus annis ad nos tranſmitti conſuevit, & in officinas pharmaceuticas receptum *olei terræ* nomine cenſetur, haud diſſimile Jacobæus obſervâſſet Petroleo illi, quod ex monte Zibiniô in Mutinenſi Italiæ tractu deſtillat, rem gratam ſe facturum putavit orbi eruditô, ſi non inelegans Franciſci Arioſti, Icti quondam Ferrarienſis, de Petroleô Mutinenſi opuſculum publici juris faceret, Viro Inclyto, quem ſupra laudavimus, Antonio Magliabechio dedicatum. Tantùm verò abeſt, ùt ſpe ſuâ exciderit, ùt ab Italis ipſis quibus Franciſci Arioſti nomen (nam Ludovicus quidem Arioſtus, Poëta clariſſimus, exteris etiam innotuit) ignotum hactenùs fuerat, avidè exceptus libellus fuerit, dignuſque à Clariſſimô virô, Bernardinô Ramazzinô, Profeſſore Mutinenſi habitus, quem recudi Mutinæ, quod Hafnienſis editio rara admodum in Italiâ eſſet, curaret, adjectâ inſuper Epiſtolâ præſentem ſcaturiginum illarum ſtatum exponente. Ac de ipſô quidem Arioſti opuſculô, quod doctorum virorum manibus dudum verſatur, & Hiſtorias imprimis Medicas, quibus mira Petrolei illius in curandis varii generis morbis virtus comprobatur, continet, non eſt ùt plura dicamus. Ex Ramazzini verò Epiſtolâ ùt pauca delibemus, non erit invidiæ. Gratulatus nempe is tum Mutinenſibus Petrolei in fontibus de præcone Arioſtô, tum Arioſto ipſi de patronô in tã remotis regionibus Jacobæô, memorat, in Eſtenſi Bibliothecâ non ſolùm exemplar manuſcriptum Arioſti hujus de Petroleô opuſculi quod cum editione Hafnienſi contulerit, ſed & alia ejuſdem Auctoris ſcripta, Dialogum nempe de Divinâ Providentiâ, ſermonem de Purificatione B. virginis, & Epiſtolam ad Sixtum IV. Pontificem de rebus ſummô in Pontificatu ſuô agendis reperiri. Refert porrò, ut ſcaturigines haſce ad duodecim millia paſſuum Apenninum verſus Mutinâ diſtantes ipſe inviſerit, inque valle montes interjacente rupem præruptam, nè herbulæ quidem aut fruticeti alicujus feracem, ex cujus ventre ſcaturigines Petrolei erumpant, invenerit. In eâ per ſcalam in ſaxô inſculptam ad gradus viginti quatuor ſatis commodum ad parvam ſcrobem deſcenſum eſſe narrat, quæ aquam candicantem contineat, illique Petroleum innatare, unà cum aquâ ex vicinâ rimâ defluens. Ut accenſâ lucernâ exactiùs cuncta perluſtraret, permiſſum ſibi à fontium cuſtodibus non fuiſſe, metuentibus ne petroleô Naphthæ ad inſtar flammam fortè concipiente, totus ſubterraneus locus incendiô corriperetur. Odorem verò graviſſimum ingratumque has Petrolei ſcaptenſulas ad integrum ferè ſtadium exhalare, ùt veroſimile ſit cùm odoris potius ſuavitatem Arioſtus olim deprædicaverit, oleoſum hunc laticem à priſcâ ſui bonitate paululùm deſciviſſe, tametſi vim medicam minimè exuerit. Bis in hebdomade Petroleum colligi, & qualibet vice ex fonte primariô ſex libras, plus minus educi. Tacemus quæ de Chimicô proceſſu, quô Petroleum generetur, doctiſſimus Ramazzinus conjectat peragi rem omnem arbitratus vi ignium ſubterraneorum, qui in rupis ventre, tanquam in furnô Chimicô bituminoſam materiam, quâ ſolum iſtud luxuriet, fundant & colliquent, quæ poſtmodum unà cum aquâ ſub olei formâ per rimam in ſcrobem, velut in Recipiens, defluat. Nec attingimus quæ de tractu illô Mutinenſis agri, ignibus ſubterraneis refertô, flammaſque ac ſaxa ſubindè non ſine fragore eructante, præſentientibus per aliquot dies jumentis, ùt paſcua etiam proxima averſentur, memorat. Solummodò quæ tentatâ Petrolei illius deſtillatione obſervaverit, ipſius *Ramazzini* verbis ſubjiciemus. *Deſtillationem*, inquit, ego quoque inſtitui, ac liquor exivit, cui aliquid majoris perſpicuitatis acceſſit, ſed non parùm nativi odoris deceſſit, exiguô magmate flavi coloris in fundô relictô. Petroleum ſic deſtillatum igne accenſum flammam quidem minùs fuliginoſam, ſed magis languidam edere viſum eſt. Quare Petroleo, montis Feſtini ſaltem, nihil perfectionis per deſtillationem accedere, facilè crediderim, cùm à Naturâ, viribus arti non datis, ſatis elaboratum videatur. Fragmenta laterum ignitorum in Petroleum conjeci, ùt ex illis petroleum laterinum felicerem; liquorem rufum obtinui, qui nihil ferè genuini odoris referret. Hujuſmodi occaſione expertus ſum, an igniti lateres plus aquæ abſorberent

berent quàm Petrolei bibiſſe compertum eſt. Deſtillatio quoque facta ex æquis portionibus Aquæ fortis,in recipiente tamen ab invicem ſeparabantur, innatante Petroleô, ac immutatô non parùm illius tùm colore, tùm ſapore, quare Olei Amygd. am. indolem referebat. Magma in fundô collectum eſt atri coloris ad inſtar picis, in quô nihil Electrici deprehendi. In hâc deſtillatione multùm Petrolei abſumtum eſt, ac tota ferè Aqua fortis recuperata eſt.

ARISTOGENES Gnidius, à ſolô natali, à diuturnâ commoratione Thaſius, Suidæ appellatus, Chryſippi Philoſophi ſervus, & idem Regis Antigoni Goneatæ Medicus. Floruit Olymp. 125. Scripſit multa de rebus Medicis : in his auxiliorum naturalium epitomen, de facultate medicamentorum, de venenatis animalibus, & alia, de quibus Suidas.

ARISTON Libri de Diætâ, qui inter Hippocratis Opera habetur, æſtimatus eſt Auctor. Diogenes Laërtius loquitur de ſex hominibus; & hos inter Platonis patrem non numerando, qui ità nuncupati ſunt; nullum tamen ex iis Medicum fuiſſe refert *Cleric. Hiſt. Med. part.* I.

ARISLAUS

De eô exſtat

De Lapide philoſophicô, in modum Dialogi, Opus. Habetur cum Denariô Medicô Bernhardi Penoti,Bernæ, apud Johan. le Preux. 1608. in 8.

ARISTOTELES natus Stagyræ,hincque à patriâ dictus Stagyrita,annô primô Olympiadis XCIX, Patre Nicomachô, Amyntæ, Macedonum Regis, Medicô. Parentibus vitâ functis à Praxenô Atarneô liberaliter educatus,& añô ætatis ſuæ 17.Apollinis juſſu, Philoſophandi causâ Athenas profectus, Socratem tres annos audivit. Poſt hæc Platonem jam ſexagenarium per 20. annos Præceptorem habuit. Annô ſecundô Olympiadis CVII. circa annum ætatis ſuæ 42. Philippi, Macedoniæ Regis, Filium Alexandrum, 15. tum annos natum, Philoſophiæ præceptis imbuendum accepit. Annô ſecundô Olympiadis CXI. ætatis ſuæ 50. ab Athenienſibus per Legatos revocatus, in eorum Lyceô docere cœpit; quô in munere 13. annos verſatus, ſectam condidit omnium longè nobiliſſimam, quam Peripateticam vocârunt, eò quòd inter ambulandum artes commentationeſque ſuas diſcipulis traderet. Claruit annô Mundi 3614. ann. ante Chriſtum natum 343. annô tertiô Olympiadis CXIV. Bienniô poſt mortem Alexandri magni eôdem annô, quô Demoſthenes vitam finivit, vel hauſtô aconitô, vel morbô, vel pudore ſimul ac tædiô victus, quòd quæſtionem de admirandâ vi & naturâ Euripi propoſitam explicare non poſſet, obiit, ætatis ſuæ 63. ante Chriſtum natum an. 348.

Ex eô habentur

De Plantis, Libri duo. Græcè, cum Γεωπονικῶν; ſive, de Re Ruſticâ ſelectorum Lib. XX. Baſileæ apud Robertum Winter, 1539. in 8. Græco - Latinè, ex interpretatione Julii Cæſaris Scaligeri, Lutetiæ, typis regiis, 1619. in fol.

De Re Ruſticâ, Fragmenta aliquot. Exſtant in Γεωπονικῶν, ſeu de re ruſticâ ſelectorum Lib. XX. Græcis, Conſtantino quidem Cæſari nuncupatis, Joh. Alex. Braſſicani operâ in lucem editis, Baſileæ, apud Rob. Winter 1539.in 8. Latinis autem, Janô Cornariô interprete, Baſileæ, apud Frobenium, 1540.

De Aquis, & Balneis; Excerpta ex Problematibus. Exſtant pag. 470. Operis Veneti de Balneis.

De perfectô Magiſteriô. Exſtat cum veræ Alchemiæ aliquot Scriptoribus à Guil. Grataro-lô collectis. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1561. in fol. pag. 188. & volumine tertiô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8. pag. 54. *Suppoſititius hic liber creditur.*

De Lapide Philoſophicô : unà cum Epiſtolâ Monachi cujuſdam Benedictini Ordinis, ad Reverendiſſ. Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem. Exſtat volumine quintô ejuſdem Theatri Chemici, Argentorati, apud Lazarum Zetznerum 1622. in 8. *Et hic lib. ſuppoſititius cenſetur.*

Scripſerat præterea de Medicinâ & Anatomiâ alios libros, qui ad nos non pervenerunt.

ARLENSIS de Scudalupis (*Petrus*)

De eô exſtat

Sympathia ſeptem ſelectorũ Lapidum ad Planetas Pariſiis, apud Davidem Gillium, 1610. in 8.

ARLUNUS (*Joh. Petrus*) Mediolanenſis,Filius Nobiliſſ. Boniforte, qui itidem fuit Medicus. Non tam ex Dignitate Archiatri Ducalis famoſus, quàm ex induſtriâ in medicandô, & ex Operibus ſubſequentibus,quæ typis dedit. Joh. Petri *Arluni*, Mediolanenſis, de faciliori Alimentô commentarius tripartitus; & de Balneis Commentarius. Baſileæ apud Michaelem Iſingrinium 1553. 8.

De Lotij difficultate Commentariolus.

De Articulari morbô Commentarius.

De Aſthmate Commentarius.

De ſupprimendâ geniturâ lotiô confusâ Commentariolus.

De Febre Quartanâ Commentarius. Mediolani typis Gothof. Pontij, 1532. fol.

ARMA (*Joh. Franciſcus*) Clavaſſienſis; Emanuëlis Philiberti Sabaud. Ducis Medicus.

Ex eô habentur

Examen trium ſpecierum Hydropum, in Dialogos deductum. Taurini, apud Martinum Cravotum, 1566. in 8.

De Pleuritide, Liber. Taurini, apud Martinum Cravotum, 1549. in 8.

De Veſicæ & Renum affectibus, Liber. Bugellæ, 1550. in 8.

Commentarius de Morbô Sacrô. Taurini, 1568.

De Tribus Capitis Affectibus. Taurini, 1573.

Paraphraſis Tractatus Petri de Aponô.

ARMBRUSTERUS (*Johannes*)

De eô exſtat

Diſquiſitio Medica ſuccincta, circa modum, quô purgant Medicamenta cathartica. Stutgardiæ, apud Guppium, 1599. in 8.

ARNAUDUS (*Alexander*)

Jacobis Sylvii Commentaria in Hippocratis Elementa, Iſagogen, in Hipp. & Gal. Phyſiologiæ Partem Anatomicam : De Menſibus Mulierum : & Hominis Generatione, diligentiſſimè caſtigata Typis dedit.

ARNGRIM (*Torkill*)

Ex eô habentur

Obſervatio de ſulphuris fodinâ Iſlandicâ, Exſtat Act. Hafniens. Volum. 3. *n.* 87.

De Algâ ſacchariferâ, Oskabiornô, petrificatis, &c. Ibid. vol. eôd. N. 88. & 94.

De variis Lapillis Iſlandicis. Ibid. vol. eod. N. 95.

De Roſmaridente, & Ebenô foſſili Iſlandicô. Ibid. volum. IV. *n.* 78.

ARNISÆUS [*Fridericus*) ſcripſit de melancholiâ hypochondriacâ. Haffniæ, 1654. in 4.

ARNISÆUS (*Henningus*) Halberſtadienſis. Academiæ Helmſtadienſis in Medicinâ Profeſſor, Philoſophus, Medicuſque fuit circa initium ſeculi XVII. magnòperè æſtimatus. Politica ejus Opera momenti habentur maximi, in iis dogma dogmati Arthuſii è directô oppoſitum ipſe ſtatuit. Daniam advocatus, illuc ſeſe contulit, & Conſiliarii, Medicique Regii gradum obtinuit. Helmſtadienſis Academia de illius diſceſſu multum doluit. Falsò dixêre, quod Jenæ fuerit Profeſſor, quodque ſuam huic Academiæ Bibliothecam reliquerit. Meliùs & abſque errore dixiſſent, quòd antequam prælectiones in Academiâ Helmſtadienſi habuerit in Academiâ Francofurtanâ ad Oderam docuerat. Per Galliam Angliamque peregrinaverat. Menſe Novembri, anni 1635. fatô deceſſit.

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô

Obſervationes aliquot Anatomicæ. Ex quibus controverſiæ multæ Medicæ & Phyſicæ breviter deciduntur. Francof. ap. Andr. Eichhorn. 1610. in 4.

De Obſervationibus quibusdam Anatomicis; Epiſtola. Exſtat cum Gregorii Horſtii Obſerv. Medicinal. ſingular. Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. pag. 450, & alia cum Guiliel. Fab. Hildani Epiſtol. cent. I. Oppenheimi, apud Johann. Theod. de Bry, 1619. in 4. pag. 351.

Diſquiſitiones de Partûs humani legitimis terminis, ejuſdemque obſervationes & controverſiæ Anatomicæ; Francof. apud Joh. Davidem Zunnetum, 1642. in 12.

Diſputatio de Lue venereâ cognoſcendâ & curandâ. Oppenheimi, apud Joh. Theod. de Bry, 1610. in 4.

AROMATARIIS) *Joſephus de*) Aſſiſinas.

De eô exſtat

Diſputatio de Rabie contagioſâ. Cui præpoſita eſt Epiſtola de Generatione Plantarum ex ſeminibus: Quâ detegitur in vocatis ſeminibus contineri Plantas, verè conformatas, ut dicunt, actu. Venetiis, apud Jac. Sarcinam, 1625. in 4. Francofurti apud Wolphgangum Hofmannum, 1626. in 4.

ARQUATUS) *Joh. Franciſcus*)

Ex eô habentur

Medicus reformatus, ob varias in Medicinâ κακοχρήσεις ſeu abuſus, quem è tenebris veluti in gurguſtiô habitantem eripuit, ac in lucem apertam eduxit, & à ſummâ rerum ignoratione liberavit. Venetiis, apud Petrum Cieram, 1608. 1618. in 4.

Medici reformati Pars altera. Ibid, apud Eundem, 1621, in 4.

ARREDONDO (*Martinus de*)

De eô exſtat

De Albeiteriâ, ſeu Veterinariâ Medicinâ, Madriti 1658.

ARRIVABENUS [*Ludovicus*) Mantuanus.

Ex eô habetur.

Sylvius ocreatus. Exſtat cum Jacobi Sylvii operibus. Coloniæ Allobr. apud Jacobum Choüet, 1630. in fol.

ARTEFIUS

Ex eô habetur

Clavis majoris ſapientiæ. Exſtat cum Opuſculis quibuſdam Chymicis. Francof. apud Johann. Bringerum, 1614. in 8. impreſſis, & volumine quartô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8. Pariſiis, 1609. in 8.

ARTEMIDORUS (*Daldianus*)

Ex eô habentur

De ſomniorum Interpretatione, Libri quatuor: De Auguriis, & Manuum inſpectione Libri duo, Græcè. Venetiis, apud Aldum, 1527. in 4. Latinè, Janô Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1539. in 4. Græco-Latinè Lutetiæ, apud Marcum Orry, 1603. in 4. cum Notis Nicolai Rigaltii.

ARTISTA (*Helias*)

Ex eô habetur

Nova diſquiſitio. Exſtat volumine quartô Theatri Chimici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

ARTOCOPHINUS (*Henricus*)

De eô exſtant

Prodromus Myſteriorum Naturæ, Stetini 1620. in 4. Analyſis & ſyntheſis Phyſico-Chimico-Medica artificioſiſſima. apud Guil. Schulzium, 1621. in 4.

ARTOMIUS (*Chriſtophorus*) Thorunienſis.

Ex eô habetur

De Graviſſimô Renum affectu, calculô, Diſputatio. Exſtat Decade I. Diſput. quas collegit & edidit Baſileæ, Johan. Jac. Genathius, 1618. in 4.

ASCHMOLE (*Elias*)

De eô exſtat

Theatrum chemicum Britannicum. Londini; 1652. in 4.

ASCLEPIAS. Natus Myrleæ, urbe Bithiniæ, temporibus Attali atque Eumenis, Regum Pergami, Patre Diotimô. Præceptorem habuit Appollonium. Deindè ætate Magni Pompeii Romam venit, primumque ex arte dicendi parùm quæſtuosâ ad Medendi ſcientiam ſe convertit. In curationibus morborum, ſpretô omnium propè Medicamentorum uſu, ratus, omnia ferè medicamenta ſtomachum lædere, malique ſucci eſſe, ſolam victus rationem atque diætam præſcripſit, quâ adeò inclaruit, ut Mithridates Medicinæ avidiſſimus, eum ad ſe pellicere tentavit. Vixit annô mundi 3939. annò ante Chriſtum natum 63. & quidem ad ſupremam ſenectam valetudine proſperrimâ. Nam ſponſionem feciſſe dicitur, ne Medicus haberetur, ſi quô unquam morbô corriperetur. Et vicit etiam. Supremâ enim in ſenectâ ex lapſu ſcalarum improvisô derepentè obiit. Eloquens Medicus dicitur Ciceroni, qui ſe eô Medicô & amicô uſum eſſe gloriatur. Librum ſcripſit de tuendâ Sanitate, cujus Celſus meminit lib. I. c. 3. Multarum rerum, inquit idem Celſus, quas ipſi quoque ſecuti ſumus, Auctor bonus. De dandô vinô volumen, quod à Pliniô laudatur, librô 23. Sect. 19. Ejuſdem libros de Hydrope laudat Cælius Aurelianus, *l.* 3. *c.* 8. & alios alibi paſſim,

paſſim. Hujus denique ad Mithridatem ſcripta volumina de Medicis rebus, auctor eſt Plinius, lib. 25. ſect. 3.

De eô hæc ſuperſunt in Lindeniô renovatô, adnotata.

Fragmenta varia, apud Aëtium Amidenum. Scilicet.

Malagmata hydropica, quæ evacuant humorem. Tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 23. 29.

Emplaſtrum è ſcilla. Tetrab. 4. ſerm. 3. cap. 45.

Quæ uteri ulcera ad cicatricem ducunt. Tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 93.

ASPASIA.

De eâ exſtant

Fragmenta varia apud Aëtium: Scilicet, Fœtum corrumpentia medicamenta; Cura poſt fœtûs exſectionem; De reclinatione, averſione, ac recurſû uteri; ad uteri nomas; de hæmorrhoidibus uteri; de herniâ aquoſâ & varicoſâ mulierum; de condylomatis. *Tetrabibl.* 4. *Serm.* 4. *cap.* 18. 25. 73. 79. 100. 102. 106.

ASELLIUS (*Caſparus*) Caſparus Aſellius, Ticinenſis, quem alii Cremonenſem eſſe volunt, primus eſt, qui præcedentis ſeculi, ann. 1622. vaſa lactea per meſenterium decurrentia, detexit, & publicè demonſtravit, quibus venarum lactearum nomen imponere placuit. Sunt tamen, qui Veteribus quoque illarum notitiam vindicare non erubeſcunt, ſpeciatim Galeno, qui illas certiſſimè quidem animadvertiſſet; ſed pro arteriis habuiſſet; quô proinde errore ſeductus, orificia arteriarum ad inteſtina pertingentium, modicum quidpiam alimenti recipere docuiſſet. Neque deſunt, quibus probabile videtur, obſervâſſe illa etiam vaſa, ex Antiquis, Eraſiſtratum, in hædis nuper lactatis. Aſt ſimiliter, uti Galenus, pro vaſis arterioſis habuit, majori lactis copiâ repletis. Quidquid verò horum ſit, non poteſt tamen laus iſta Aſellio noſtro denegari, quandoquidem adcuratiùs lacteas iſtas demonſtravit, & pro peculiaribus vaſis, diſtinctum uſum præſtantibus, habuit. *Goelicke Hiſt. Anat. p.* 85.

De eô exſtant

De Lactibus, ſeu lacteis Venis, quartô Vaſorum Meſeraicorum genere, Novô Inventô, Diſſertatio. Quâ ſententiæ multæ Anatomicæ, vel perperam receptæ convelluntur, vel parum perceptæ illuſtrantur. Mediolani, apud Baptiſtam Bidellum, cum figuris elegantiſſimis diverſicoloribus, 1627. 4. Baſileæ, apud Henricum Petri, 1628. 4. Lugduni Batavorum, 1640. 4. apud Johannem le Maire 1641. 8. Amſtelodami, apud Joh. Blaeu, 1645. fol. Exſtat etiam cum Adriani Spigelij operibus omnibus à Joh. Antoniô Van der Linden recenſitis. Amſtelodami, apud Joh. Blaeu, 1645. fol. reg.

ASSELINÆUS (*Petrus*) AURELIANENSIS.

Ex eô habentur

Collectanea & Euporiſta Medica. Exſtant cum Georg. Hieronymi Velſchij, Conſiliorum Medicinal. Centur. IV. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. 4.

Experimenta & Euporiſta. Exſtant cum ejuſdem Exoticis Curation. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. Ibid. apud eundem, annô & formâ eâdem.

ASSONVILLE (*Guilielmus*)

De eô exſtat

De Febre Peſtilenti, Liber. Pariſiis, apud Renatum Aprilem, 1546. 8.

ASTARIUS (*Blaſius*) Medicus expertiſſimus adeò, ut maxima ſemper hominum frequentia ad eum confluerèt. Vixit circa ann. Chr. 1508. *Wolffg. Juſtus, in Chronol. Medic.*

Ex eô habentur

De curandis Febribus, Tractatus, ab Aben Haly, ſuper primam Quarti traditus. Lugduni, apud Vincentium de Portonariis, 1532. Francofurti, apud Bernerum, 1604. 8. Exſtat etiam cum Marci Gattinariæ, de Curis ægritudinum particularium, librô. Item cum Blaſii Cæſar. Landulphi librô de Curis Febrium. Vid. Gattinaria & Landulphus. Baſileæ, apud Henricum Petri, 1535 fol. Exſtat etiam cum Clement. Clementini Lucubrationibus. Lugduni, 1516. 4.

Conſilia quædam valde utilia. Venetiis, apud Lucam Anton. de Giuntâ, 1521. fol. cum Joh. Matth. de Gradi Conſiliis.

ASTRAMPSYCUS.

Ex eô habetur

Oneirocriticon, ſive ſomniorum interpretatio, à Joſephô Scaligerô digeſtum & caſtigatum. Græcè & Latinè. Pariſiis, 1599. 8. Lutetiæ, apud Marcum Orry, 1603. 4. cum Artemidori Daldiani Oneirocriticis.

ATHANASIUS (*Dionyſius*)

Ex eô habetur

Elegia in Gabrielem Fallopium, Medicorum atque Philoſophorum ſui temporis facilè Principem; conſcripta. Exſtat cum Fallopii de Aquis Thermalibus Libris. Venetiis, apud Ludovicum Avantium, 1564. 4.

ATHENIENSIS (*Stephanus*) Vid. STEPHANUS (*Athenienſis.*)

ATHENIUS (*Guilielmus*)

Hieronymi Mercurialis, Reſponſionum & Conſultationum Tomum IV. edidit.

ATROCIANUS (*Johannes*) Germanus

De eô exſtant

Commentarii in æmilium Macrum de Rè Herbariâ Friburgi Briſgoiæ, apud Emmeum, 1530. 8.

AVANTIUS (*Carolus*)

Baptiſtæ Fieræ Cænam, ſive de Herbarum Virtutibus, & Victûs Ratione, cum Adnotationibus edidit. Vid. Fiera (*Baptiſta*)

AUBEL (*Thomas*)

Georgii Rivetti, Tractatum de Peſte, ex Italicâ in Latinam linguam, tranſtulit.

AVELLINUS (*Franciſcus*) Meſſanenſis, Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor eximius: Pluries ob doctrinæ promerita, in Meſſanenſi Medicorum Collegiô Priorem, ut vocant, egit cum laude. Claruit annô 1637. quô edidit,

Expoſtulationem contra Chymicos, quâ eorum paradoxa, ſeu rationis umbræ, (ſi quæ ſunt) enucleantur, ejectantur, expelluntur. Meſſanæ apud viduam hæredem Joannis Franciſci Bianco, 1637. in 4. *Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ.* Tom. I.

AVENIUS (*Johannes*) Medicus Colbergenſis.

De eô extat in Miſcell. Nat. curios. German. Decur. II. ann. 7. Obſervatio 79. De Termitibus per urinam excretis; Item ſpinâ & aciculâ ventriculum perforantibus.

Hìc aliquid novi mitto: Termites nimirùm ſimillimos iis, quos muſcæ majores æſtatis tem-

pore carnibus apponere ſolent. Illorum aliquot centurias unâ vice cum urinâ excrevit puella hìc bimula, Chriſtiani *Zeitters*, ſtannarii filia. Hæc, cùm anteà cretam, carbones, & ex parietibus calcem & lutum avidè devorâſſet, incidit in febrem, diarrhœam, deniquè in atrophiam.

Vocatus ego tandem, ùt ſuppetias ferrem miſellæ, præſcripſi inter alia etiam contra Aſitiam Elix. propriet. ſ. ac. Eſſentiâ Abſinth. mixtum; ad cujus Mixturæ bis vel ter iteratam exhibitionem ingens termitùm ejuſmodi agmen cum lotio rejectum obſervat mater puellulæ. Auditô hôc addebam Medicinæ iſti ſtatim ſpiritum Tartari, tanquam Diureticum, & poſt aliquoties iſtorum vermiculorum multa millia minxit infans, remittente nunc in dies morbô.

Contrectat Patiens frequenter & digitis ſcalpit regionem veſicæ, inter mejendum verò quandoque tremulâ voce ſubridet, quaſi ac ſi titillaretur leviter. Undè aliqualem in meatu urinariô, vel cervice veſicæ pruritum adeſſe conjicio.

Rarum hunc caſum dum aliis narrô duæ ex plebeiis mulierculæ ſimilem mihi affirmant; qui ante aliquot annos in ſuis filiabus adhuc vivis, tunc verò ejuſdem cum noſtrâ ætatis, contigiſſet, quarum altera quoque, abſurdô & depravatô appetitu multa eſui inepta ingeſſiſſet.

Et D. Timæus Caſ. Medicin. 38, *l.* 3. *pag.* 175. Eundem ferè affectum de Eccleſiaſte quôdam Colbergenſi memorat, inibique Arcani cujuſdam *ex Libavii ſyntagmate Arcanorum Chymicorum* meminit.

Puella iſta Triennis, militis gregarii filia, cui Chirurgus hic caſtrenſis *Paulus Cuhl*, præteritô menſe Majô ſpinam piſcis, ſuper ventriculô ex tranſverſô ſub cute hærentem, exſcidit, ut Dibbertus iſtius Cuhlii gener Stargardiæ Tibi recenſuit, Spinamque oſtendit, ſtatim poſt exciſionem rectius valere cœpit, nunc ab Atrophiâ & omnibus, quæ diù eſt perpeſſa, ſymptomatibus libera.

Sic & Chirurgus noſter urbicus *Nicolaus Matthiæ*, ante annos aliquot puero in iſtâ corporis regione aciculam eâdem ratione extraxit.

Puto ego & ſpinam iſtam & aciculam hanc à pueris illis inter edendum unà cum bolô aliquô cibi fuiſſe deglutitas, quæ ſucceſſu temporis ventriculos perforârunt.

AVENZOAR. *Vid.* ABENZOAR.

AVERROES.

De eô ſic clariſſ. D. Freind. Hiſt. Med. part. II.

AVERROES paullò poſt *Avenzoaris* tempora vitâ fruebatur, ipſe enim hujus filios ſe in conſuetudine habuiſſe indicare videtur. Obiit Marochii annô Hegyræ juxta quoſdam 595. juxta alios, 603. defunctus per totam Europam operibus ſuis claruit. Cordubæ natus eſt, ad forum inſtructus, deindè ad Matheſim, Medicinamque ſe dedit. *Joh. Leo* de Avô illius refert, quòd ejus conterranei rebellionem facere cùm decreviſſent, ſceptrum oblaturi, ipſum ad Imperatorem Marocanum miſerint, quòd ab hôc Principe Dux Sacerdotum & Judex maximus Regni Cordubenſis factus fuerit. Diù hôc ipſô gradu uſus ſit, quô deindè etiam & filius & Nepos ſunt uſi. *Averroes* noſter præſertim inclytus fuit, tum liberalitate, tum patientiâ, tum ſtudiorum deniquè aſſiduitate. Vir ſanè fuit dotibus eximiis ſubtilioríque ingeniô præditus; namque & *Magni Commentatoris* nomen adeptus eſt, quia quamplurima in Ariſtotelem volumina perſcripſerat, ob quæ *Anima* hujus Philoſophi nuncupabatur. Librum de Medicinâ juſſu Miramolini Marocani edidit, cui titulus eſt *Colliget*, hic in ſeptem partes diviſus, totam Medicinæ doctrinam complectitur, eſtque præcipuè compendium, ut ipſe declarat, omnium quæ ab aliis jam dicta ſunt, quibuſdam tamen à ſe additis. Initium ſumit à generalioribus hujus Artis præceptis tum ad ſingularia devenit, ibique dicit neminem, quæ ſcripſerit intellecturum eſſe, niſi & in Logicâ & in Philoſophiâ naturali verſatiſſimus ſit. Reverà de Philoſophiâ Ariſtotelis plura, quàm cæteri Arabes, cum Medicinæ Theoriâ immiſcuit, ob quam etiam cauſam *ſapientium Andaluſiorum* Methodum improbat, proptereàque ait, ſe genere dicendi uſurum fore quod anteceſſores nulli in uſum revocaverint, taliaque explanaturum, de quibus nè quidem cogitaverint; ſeque depromptuum ex diſciplinâ naturali quicquid eloquuturus eſt. Confitetur interim ſe nihil in Anatomiâ novi præbere; verum etenim eſt eum unicè Galenum hìc tranſcripſiſſe. Quoad Praxim in hôc Opere contentam pauca admodùm ſunt quæ non aliundè ſumſerit, & propriam etſi experientiam pluribus in locis venditet, non ideò videtur multam exercuiſſe Praxim, quod ex Hiſtoriâ ipſius vitæ inferri quoque poteſt. Nihilominus obſervationem quam uſquedùm apud nullum autorem legere licuit hìc addere animus eſt; nimirùm neminem bis Variolis infectum eſſe uſquam poſſe. Præcipuam quam hoc habet in opere mentem eſt exhibere notitiam rectam de Theoriâ Medicâ, quæ ſuô tempore non unius litigationis fomes fuit, cùmque eandem ferè imitetur Methodum quam præceptor ejus habuit Ariſtoteles in Hiſt. animalium, ita libri hujus meta prima eſt ùt cum Philoſophi ipſius opinionibus Galeni ſententiam componat.

De eô exſtant in Lind. Renov.

Collectaneorum de Re Medicâ ſectiones tres: I. de ſanitatis functionibus ex Ariſtotele, & Galenô. II. de ſanitate tuendâ, ex Galenô. III. de curandis morbis, à Johan. Brugerinô Campegiô latinitate donatæ. Lugduni, apud Sebaſt. Griphium 1537. in 4.

Colliget Libri VII. cantica, item Avicennæ cum ejuſdem Averrois Commentariis: & Tractatus de Theriacâ, ab Armegandô Blaſii de Montepeſſulano ex Arabicâ in Latinum tranſlatis, & ab Andreâ Bellunenſe caſtigatis. Exſtant decimô vol. operum Averrois. Venetiis apud Juntas, 1552. in fol. Et cum Abhomeron Abenzoaris Libris. Venetiis apud Greg. de Gregoriis, 1496. in fol. Lugduni apud Jacobum de Giuntis, 1531. in 8.

De Theriacâ Tractatus, Ibidem pag. 99. & operum Ejuſdem Tomô decimô pag. 139. Edit. Ven. in fol.

De venenis, Liber Lugduni apud Jac. Myt, 1517. in 4. cum Regimine ſanitatis Magnini, pag. 97.

Cantica ſeorſim quoque exſtant, Armegandô interprete. Venetiis apud Greg. de Gregoriis, 1484. in fol. caſtigata verò ab Andreâ Alpagô. Ibid. apud Juntas, 1555. in fol.

De Febribus, liber. Exſtat operis Veneti de Febribus, p. 109.

AUGENIUS à Monte Sanctô (*Horatius*) Natus eſt in Monte Sanctô, Patre Ludovicô Augeniô, per annos 70. Medicô celeberrimô, & Archiatrô Clementis VII. Pontificis Rom. Primâ ætate Logicam in Maceratenſi Univerſitate per duos annos explicuit: Deindè in Scholis Romanis per quinquennium Theoricam, & poſteà in Ticinenſi Academiâ Practicam Medicinam per 16. annos: tandèmque in Patavinô Gymnaſiô, propoſitô 900. florenorum honorariô, Capivaccii

cii ſucceſſor, iterùm Theoricam ordinariam, in primâ ſede profeſſus eſt, ubi Theologus, Medicus & Philoſophus eximius in ſenectute. Obiit A. C. 1603.

Ex eô habentur

Opera omnia. Venetiis apud Damianum Zenarium, & Hæredes, 1597. 1602. 1607. in fol.

Epiſtolarum & Conſultationum Medicinalium Libri XXIV. in duos Tomos diſtributi. Opus quidem ob doctrinæ varietatem, difficilium morborum Curationem; & maximarum difficultatum dilucidationem, non modò Medicis ac Philoſophis, ſed etiam omnibus bonarum artium ſtudioſis apprimè neceſſarium. Quibus acceſſêre ejuſdem Auctoris de Hominis Partu Libri 2. Francofurti, apud Hæredes Andr. Wechelii, Claudium Marnium, & Johannem Aubrium, 1597. in fol. ſed & priùs Epiſtolarum Libri XII. editi fuerunt Auguſtæ Taurinorum, apud Johannem Baptiſt. Ratterium, 1580. in 4. Venetiis, apud Damianum Zenarium, 1592. in fol. Ibidem, 1602. in fol.

Epiſtolarum Medicinalium Tomi tertii Lib. XII. In quibus non ſolùm maximæ difficultates ad Medicinam & Philoſophiam pertinentes dilucidantur: ſed etiam Alex. Maſſariæ, *Vicentini*, Additamentum, Apologeticum & Diſputationes ſecundum Hippocratis & Galeni doctrinam funditùs evertuntur. Francof. apud Hæredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium, & Johannem Aubrium, 1600. in fol. Venetiis, 1602. 1607. in fol.

Quòd homini certum non ſit naſcendi tempus, Libri duo. Adjectum Embryon petrefactum urbis Senonenſis. Cum levi & ſuccinctâ exercitatione; de hujus indurationis cauſis naturalibus. Venetiis, apud Johannem Baptiſtam Ciotum, 1595. in 8. Francofurti, apud Hæredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium, & Johannem Aubrium, 1597. in fol.

De curandi ratione per ſanguinis Miſſionem Libri XVII. in duos Tomos diviſi, quorum prior decem; poſterior ſeptem, continet. In quibus exſtirpatis erroneis opinionibus paſſim hodie apud Novatores Medicos vigentibus, omnia ad hoc argumentum pertinentia, ſecundum Galeni doctrinam explanantur. Francof. apud eoſdem, 1598. in fol. Horum tres primi Libri editi ſunt, Venetiis, apud Mejettum, 1570. in 8. In quibus non ſolùm quid ſit illud, quod verè indicat Miſſionem ſanguinis, & de plenitudine præter Recentiorum Medicorum opinionem diſputatur, ſed etiam maximæ quæque difficultates ad hoc negotium pertinentes, dilucidantur. Indè recogniti atque decem libris inſtructi, ibidem apud Johannem Zilettum, 1597. in fol., Genevæ, 1575. in fol. Taurini, apud Joh. Ratterium, 1584. in 4. Huic editioni adjecta eſt ejuſdem Diſputatio adverſus Archang. Mercenarium, quâ oſtenditur, æqualibus in gradu remediis utendum: Reſiſtentiam propriè non eſſe reactionem: Cognitum fuiſſe in igne adeſſe ſiccitatem ab effectu: Binas habere ſingula elementa qualitates, ùt in propriô locô conſerventur; ſcripta pro defenſione tertiæ Epiſtolæ primi Tomi Epiſtol. Medicinalium.

De Febribus, Febrium ſignis, ſymptomatibus, & Prognoſticô, Libri ſeptem, ab ipſô Auctore ab annô 1568. uſque ad 1572. ſinguli conſcripti; nunc verò poſt ejus obitum ab Hilariô Augeniô Fil. in lucem emiſſi. His ſeptem Libris acceſſerunt poſtmodùm alii tres ejuſdem materiæ. I. De curatione Symptomatum Febrium peſtilentium II. De Febribus peſtilentibus. III. De curatione variolarum ac Morbillorum. Venetiis, 1605. in fol. Francof. 1607. in fol.

De modô præſervandi à Peſte Lib. IV. Firmi, apud Aſtulphum de Grandi, 1577. in 8. Lipſiæ, 1598. in 8.

De Medendis Calculoſis, & Exulceratis Renibus, Liber. In quô explicantur omnia, quæ pertinent ad rectam rationem curandi renum calculos, ulcera, dolores nephriticos, arenulas, diabetem, & urinæ ardorem. Camerini, apud Anton. Gojoſum, 1575. in 4.

Conſilia quædam Medica. Exſtant eô in Opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit Francof. apud Joh. Sartorium, 1605. in 4.

AUGUILBERTUS, (*Theobaldus*) HIBERNIENSIS.

De eô exſtat

Menſa Philoſophica, compendiosè tractans, imprimìs quid in conviviis pro Cibis & Potibus ſumendum eſt. Deinde qui ſermones in illis ſecundum exigentiam perſonarum habendi ſunt, & quæ ſectiones diſcutiendæ, quæ inſuper facetiæ & joci interſerendi, Pariſiis, apud Johannem Parvum, 1517. in 8.

AUGURELLUS (*Joh. Aurelius*,) ARIMINENSIS.

De eô exſtant

Chryſopœæ Libri tres. Et Geronticon Liber unus, verſu Heroicô. Antverpiæ, apud Chriſtoph. Plantinum, 1582. in 8. Exſtat item Chryſopœæ ſeorſim cum veræ Alchymiæ ſcriptoribus à Guil. Gratarolô collectis. Baſileæ, ap. Henr. Petri, 1561. in fol. pag. 269. Tomi II. & volumine Tertiô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zeztnerum, 1613. in 8.

AUGUSTIS (*Quiricus de*,) De Thertona, Medicinæ Doctor ſubtiliſſimus. Vixit A. C. 1495. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Lumen Apothecariorum. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1517. in fol. cum Luminari majori & aliis, apud Hieron. Scotum, 1551. 1556. in fol. Nicolai Mutoni ſummis vigiliis quàm accuratiſſimè caſtigatum: qui & Luminare minus inſcribit, Lugduni, 1536. in 4.

AVICENNA

De eô ſic clariſſ. D. Freind Hiſt. Med. part. II.

Avicenna Haly filius, Bocharæ in Chorasaniâ natus annô 980. admodùm juvenis Philoſophiæ incubuit, ita ut, ſi Sorſano ejus Diſcipulo fides adhibenda ſit, Euclidem, cæteroſque Matheſeos libros annô ætatis 16. perbellè teneret; Ille ad tales in Medicinâ progreſſus, pauciſſimô temporis ſpatiô pervenit, ùt in eâ ſummè edoctus haberetur. De iſtius profundâ intelligentiâ ac judiciô à ſcriptoribus Arabicis hæc refertur Hiſtoria; Novit, inquiunt, ex pulſu arteriæ, quô filius fratris Cabouſi morbô laborabat, nec alium eſſe præter Amorem, & per calliditatem quandam, hujus Amoris objectum certum deprehendit. Quod ita convenit cum ea, quam de Eraſiſtratô hiſtoriam narrat Appianus, circa hujuſmet generis morbum, quô Antiochus Seleuci filius laborabat, ùt diceres quòd qui illam Avicennæ tribuunt, eandem ab Eraſiſtratô ſubtraxerint. Avicenna vitam

tam ferè totam Iſpahami trivit; eum, aiunt, ità genio ſuo indulſiſſe ùt in plures omnis generis morbos delapſus ſit. Tunc enim de eô promulgabatur, quod quantumvis omni Philoſophiæ lumine imbutus, tamen non ſapientior aut temperatior videretur, quòdque Ars omnis, quâ inclytus erat, Medica, ejus tueri valetudinem non potis eſſet. Vitam finiit annô ætatis ſuæ 58. ſive, accuratiùs computando, annô 56. anni ſiquidem, apud Arabes, Lunares tantùm anni ſunt; dixiſſe ſufficiat Avicennam Medinæ obiiſſe annô 1036. inhumatumque fuiſſe in Urbe Hamadani. Hiſtoria nobis teſtis eſt, quòd inter homines maximè floruit, ſuntque, inter ipſius conterraneos, quidam qui eum ad munus ſummi, apud Mahumetanos, ab Imperatore, Præfecti evectum fuiſſe dixerunt. Propterea forſan quidam ſcriptores recentiores eum fuiſſe Principem autumant, alii etiam Regem fuiſſe aſſeveravere, quamvis aliàs inter ſe utriquè minimè conveniant, cùm hi Cordubæ, illi Bithiniæ ipſum regnâſſe narrent. Atque id eſt totum quod potioris momenti reperimus apud Hiſtoricos circa genus, originem & tempus, quô vixerit Avicenna; illis non obſtantibus ſuppoſitionibus, quæ eum, abſque ullô jure, aut Hiſpanum, aut Ægyptiacum dixere. Permagnum compoſuit Avicenna opus ſub titulô *Canon*, cujus fama per totam Aſiam ita invaluit ùt à plurimis ex Arabicis Medicis ſeculô 12.mo & 13.mo in compendium ſit redactum, commetariiſque illuſtratum. Anteà quoque multò tantam ſibi collegerat exiſtimationem in Europâ, ut cœteris anteferretur Auctoribus, nec ùlla alia doceretur doctrina in Medicorum ſcholis. Opera ejus hanc ipſam ſuſtinuerunt famam uſque ad humaniorum litterarum, in hac mundi parte, redintegrationem.

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô.

Opera. Venetiis apud Franciſcum de Franciſcis. 1596. in fol.

Liber Canonis, de Medicinis cordialibus, & cantica, jam olim quidem à Gerhardô, Cremonenſi ex Arabicô ſermone in Latinum converſa; poſteà verò ab Andreâ Alpagô, *Bellunenſi*, infinitis penè correctionibus, ad veterum exemplarium Arabicorum fidem in margine factis locupletiſſimôque nominum Arabicorum ab ipſô interpretatorum, Indice decorata, nunc a. demùm à Benedictô Riniô *Venetô*; eruditiſſimis accuratiſſimiſque Lucubrationibus illuſtrata: qui & caſtigationes ab Alpagô factas ſuis quaſque locis inſeruit, & quàm plurimas alias depravatas lectiones in margine ingenioſiſſimè emendavit, & locos, in quibus Auctor ipſe vel eandem ſententiam, eandemve medicamenti unius compoſitionem iterat, vel oppoſitas inter ſe ſententias ponit, vel aliquid deniquè ab Hippocrate, Ariſtotele, Dioſcoride, Galenô, Paulô, Aëtiô, Alexandrô, Serapione, Razi, Haly Abbate, Alſaharaviô mutuatur, diligentiſſimè indicavit; plurimis etiam Arabicis vocibus, nunquam anteà expoſitis, Latinum nomen invenit: Indicemque Latinum medicamentorum ſimplicium in ſecundum Librum compoſuit. His acceſſerunt Avicennæ de removendis nocumentis, quæ accidunt in regimine ſanitatis: Ejuſdemque Tractatus de ſyrupô acetoſô, ab eôdem Alpagô ex Arabicô in Latinum ſermonem tranſlati. Venetiis, apud Juntas, 1544. & 1555. in fol. Baſileæ, apud Johan. Hervagium, 1556. in fol. & olìm ſine Caſtigatis emendationibus, Venetiis, apud Octav. Scotum, 1500. in 4. Groningæ, 1649. in 12. Hæc Editio unà cum Aphoriſmis Meſuæi Damaſceni emiſſa eſt ab Antoniô Deuſingiô, qui ex Arabicâ Linguâ in Latinam vertit.

Canon Medicinæ. Quô univerſa medendi ſcientia pulcherrimâ & brevi methodô explicatur: Ejuſdem de viribus cordis: de Removendis nocumentis in regimine ſanitatis, de ſyrupô acetoſô; Cantica. Ex Gerhardi Cremonenſis verſione, & Andreæ Alpagi, *Bellunenſis* caſtigatione: àque Johanne Coſtæô, & Johan. Paulô Mongiô Annotationibus, jampridèm illuſtratus; nunc verò ab eôdem Coſtæô recognitus, & novis alicubi obſervationibus adauctus; quibus Principum Philoſophorum ac Medicorum conſenſus diſſenſus què indicantur: vita ipſius Avicennæ ex Sorſano, *Arabe*, & ejus Diſcipulô, à Nicolaô Maſſâ Latinè ſcripta, & figuris quibuſdam, ex priori noſtrâ editione ſumtis, ornata. Additis nuper Librorum Canonis œconomiis, nechon Tabulis Iſagogicis in univerſam Medicinam ex Arte Humain, id eſt, Johannitii, *Arabis*. Per Fabium Paulinum, Utinenſem. Venetiis, apud Juntas, 1595. & 1608. in fol. 2 voll. apud Vin. Valgriſium, 1564. in fol. 2. Voll. Ibidem 1580. in 4. Hunc Canonis Librum primum & ſecundum etiam Vopiſcus Fortunatus Plempius interpretatus eſt, & cum ſcholiis edidit. Lovanii, apud Nempæum, 1658. in fol. Eundem Librum ſecundum Canonis Arabic. Latin. cum verſione & Notis ſimiliter edidit Petrus Kirſtinius. Uratislaviæ in fol.

Libri quinque Canonis Medicinæ Aben Ali Principis Filii Sinæ-alias, corruptè, Avicennæ: Quibus additi ſunt in fine ejuſdem Libri Logicæ, Phyſicæ, Mataphyſicæ. Arabicè nunc primùm impreſſi. Romæ, ex Typographiâ Mediceâ, 1593. in fol. Iidem Libri Hebraicè etiam editi ſunt, in fol.

Libellus de removendis nocumentis, quæ accidunt in Regimine ſanitatis: Tractatus de ſyrupô acetoſô, unà cum Syraci Medici expoſitione in II. & III. partem IV. Fen. I. Can. Avic. & Ebeneſi ſuper V. Can. Venetiis, apud Domitium de Tridinô, 1547. in maj. fol. Adjectô inſuper Libellô de Menſuris, & Ponderibus Anonymi.

De Corde, ejuſque facultatibus, Libellus Joh. Brugerinô Campegiô interprete. Lugduni, apud Nicol. Eduardum, 1559. in 8.

De animalibus, per M. Mich. Scotum ex Arabicô in Latinum tranſlatus. Exſtat in fol. editionis neque tempore, neque locô expreſſis.

Canonis Libri 3. Fen. I. Tractatus quartus, in quô ſcribit de Ægritudinibus Capitis, & noxâ multâ illarum in functionibus ſenſûs, & moderaminis, ſive partis rectricis, à Johanne Quinquaborræô Latinè verſus, & ad fidem codicis Hebraici correctus. Pariſiis, apud Martinum Juvenem, 1572. in 8.

Canonis Libri 3. Fen. 2. quæ eſt de Ægritudinibus Nervorum, à Quinquaborræô Latinè verſa. Pariſiis, apud Mart. Juvenem, 1570. in 8.

De Febribus, Tractatus quatuor. Exſtat operis Veneti de Febribus pag. 67.

Quarti Libri Canonis Fen. prima de Febribus. Patavij, 1659. in 12.

Excerpta, quæ ad Aquas, & Balnea pertinent, Exſtant Operis Veneti de Balneis, pag. 321.

De Tincturâ Metallorum Tractatus. Francofurt. apud Cyriacum Jacobum, 1550. in 4. Suppoſititius nonnullis videtur.

Chymicus Liber, Porta Elementorum dictus. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1572. in 8. Et hic ſuppoſititius creditur.

Epiſtola ad Regem Haſen de Re Rectâ: & Lapidis Philoſophici Declaratio, Filio ſuo Albolai. Suppoſititia & hæc cenſetur nonnemini. Exſtant volumine quartô theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

De Mineralibus, Tractatio caſtigatiſſima. Exſtat cum Gebri, Regis Arabum, Philoſophi perſpicaciſſimi ſummâ perfectionis Magiſterii in ſuâ Naturâ &c. Gedani, apud Brunonem Laurentium Tanken, 1682. in 8.

AVILA (*Ludovicus de*)

Ex eô habetur

Regimen ſanitatis. Auguſtæ, ap. Henr. Steiner, 1531. in 4.

AULETIUS (*Albardus*) LEOVARDIENSIS.

De eô exſtat

Monitio ad illuſtres & ampliſſimos Dominos Ordines Friſiæ, de reformandâ Praxi Medicâ Franekeræ, apud Ægidium Radæum, 1603. in 4.

AVOLA (*Franciſcus*) Calataſimi natus 11. Septembris 1667. à teneris annis literis egregias ingenii vires addixit. Abſolutis humaniorum literarum ſtudiis, in Scotiſticæ philoſophiæ paleſtrâ ſedulò inſudavit. Indè ſub Nicolaô Barone eximiô Medicinæ Doctore experimentalis Philoſophiæ facultati operam navavit, juxta recentiorum placita; putà Carteſii, Gaſſendi, aliorumque, eaque ſolùm amplexus eſt, quæ rationi conſona ſunt, ac experientiâ firmantur. Indè ab eôdem Medicinam audivit, & Panormi, Franciſcô Zambarâ duce, Medicâ praxi inſtructus, demùm Salerni 23. Aprilis 1690. Philoſophiæ, & Medicinæ laureâ inſignitus eſt. Gravioribus hiſce ſtudiis, geniô indulgens, politiores literas innexuit. Muſas præſertim Etruſcas ſequutus, nonnulla protulit ingenii monumenta cum literatorum laude. Doctrinâ & eruditione inſignis apud ſuos in patriâ, ſalutarem ægrotorum curam ſuſcepit, non ſine permaximô ipſorum profectu: ibiquè, ùt naturæ arcana penetraret, Chymicæ arti etiam operam dedit. Sed dùm vehementiùs in ſcientias adipiſcendas incumberet, oculorum lumine captus eſt, annô 1702. cum ſummô amicorum ac literatorum dolore. In patriâ nunc vivit annô, quô hæc ſcribimus 1706. & cæcitatis moleſtias ſuſtinet. Utinam vir eximius optatiſſimæ luci reſtitutus, ſtudia intermiſſa reſumeret. Edidit Italicè.

Ode Epitalamica nelle nozze di D. Blaſeo Ventimiglia, Conte di Ventimiglia, e Marcheſe, di Geraci, e D. Felice Ventimiglia Marcheſi di Geraci. Panormi apud Thomam Romolum 1691. in 4. Scripſit etiam edenda hæc alia;

Obſervationes Medicinales.

Conſultationes Medicinales.

Epiſtolam philoſophicam ad Amicum Peripaticum, in quâ Ariſtotelicorum ſententia de formâ, ſubſtantialis materialis eductione, ac de virtuali elementorum in mixtô exiſtentiâ, tum rationibus, tum experimentis exploditur: cui acceſſit apologia phyſicô-epiſtolaris, per quam nedùm vindicantur prædictæ concluſiones, verùm etiam, & quædam alia Theoremata philoſophica enodantur pro fulciendâ experimentalium Neotericorum doctrinâ.

Poeſie liriche, dialoghi, è compoſitioni Sceniche.

L'Eſter Trionfate drama. annô 1700. Calataſimi magnô cum plauſu tecitata.

Apologia in difeſa dell'ode Epitalamica. Canzoni Siciliane.

Anton. Mongitor Biblioth. Sicul. T. I.

AVOLUS (*Cæſar*)

Ex eô habetur

De Cauſis Antipathiæ & ſympathiæ Venetiis apud Fr. Zilettum 1580. in 8.

AURELIANUS (*Cælius*)

De eô Methodicorumque ſectâ, hæc perquam accuratè ac eleganter ſcribit Joh. Conradus Ammannus, in illâ quam ad ipſius Opera, Amſtelodami apud Wetſtein, annô 1709. in 4. nitidiſſimè edita, præpoſuit præfationem ad Lectorem; quæ hîc tranſcribere commodum fuerit.

CÆlium tibi ſiſto Aurelianum, de Methodicorum ſectâ Medicum, in paucorum quidèm manibus verſantem, verùm in enarrandâ morborum hiſtoriâ adeò diligentem ùt palmam ferè omnibus præripiat. Hactenùs ferè latuit, imò ab annô CIↃIↃLXVII. quô *Rouillius* eum typis ſuis Lugduni excudit, nemo vel Medicus vel Typographus eum attigit, licèt ab omnibus non modò legi digniſſimum, ſed peritam Medici alicujus manum diù implorantem. Hanc ego *Rouillii* editionem, quantum quidèm expedire videbatur, ſum ſecutus, in ſubſidium tamen, adhibui elegantiſſimam illam *Colinæi*, in recenſendis *Celerum Paſſionum* Libris: in *Tardarum* autem *Baſilienſem Henrici Petri*: utramque à virô Clariſſ. *Theod. Janſon. ab Almeloveen*, pro inſigni ejus in litteras ſtudiô, benignè conceſſam. Reliquas editiones lubens prætereo, ut potè adeò ſibi non diſſimiles, ne erratis quidèm exceptis, ùt prima omnium ſequentium fuiſſe exemplar videatur: facilèque crediderim ad unicum, & quidèm ſatis mutilum & infinitis locis depravatum manuſcriptum codicem eas fuiſſe concinnatas: vix enim poſſibilis alioquin foret tantus codicum impreſſorum conſenſus. *Rouillius* quidem, plerorumque Typographorum more, in fronte ſuæ editionis habet, *ad fidem manuſcripti exemplaris caſtigati & annotationibus illuſtrati*: prætereà paſſim in margine aliam lectionem citat. Verum enim verò quòd promiſſorum primum attinet, fateor ejus contextum alicubi à Colinæi & H. Petri lectione aliquantiſper recedere, adeò tamen raro ùt potiùs ex operarum incuriâ id factum videatur. Prætereà, quô argumentô maximè nitor, nè unum quidem hiatum ab eô completum videbis, cùm tamen in *de Tardis Paſſionibus* libris plura capita ſint ἀκέφαλα, nec pauca alibi deſint, quorum ſaltem aliquid, ſi codice manuſcriptô fuiſſet uſus, ſuppleviſſet. Quæ autem in margine hinc indè aliter ab aliis legi aſſerit, pro conjecturis potiùs habenda. Quod ſpectat ad *annotationes*, eas quidem *Dalechampio* tribuunt, alii negant, forte quòd adeò ſint ſibi diſſimiles

diſſimiles. Ego non unius eas fuiſſe viri planè credo : ſunt enim plurimæ, non tam mole quàm pondere tales, ùt vel eruditiſſimus eas pro ſuis lubenter agnoverit : aliæ autem adeò inſulſæ & ἀπροσδιόνυσοι, ùt ſenſum Cælianum planè peſſundent. Præterea hæ Annotationes, quæ commodiùs in duas claſſes redigi poterant, verborum nimirùm, & rerum, penitùs erant confuſæ, idemque aſteriſcus communis earum ad marginem erat index, ùt non ſine tædiò quærerentur.

Duo igitur in Auctore hôc recenſendô mihi ſumſi : *Primò*, ùt lectionem, quantùm quidem liceret, intactam ſinerem, & contextum ex tribus iſtis exemplaribus, demendo quid alicubi, alicubi addendo, in eam quam, codicis manu exarati penuriâ, res patiebantur, integritatem reſtituerem. In *de Celeribus Paſſionibus* libris id liberaliori quidèm, attamen ſuſpenſâ admodùm manu, à me factum eſt, ùt in contextu aliquid immutarem ; poſteà cùm id res ferè ubique exigeret, timidior factus lectionem rariùs tentavi, ſed ubi morbum ſubeſſe arbitrabar, conjecturam in marginem conjeci. *Alterum* quod propoſueram, erat annotationes in editione Rouillianâ in ordinem redigere, inutiles expungere, novas, ubi opus erat, addere, & Græca, quæ fœdè dilacerata & Latinis literis expreſſa erant, ubi à Latinô quidem ſermone eorum uſus abhorrebat, reſtituere, deniquè dictiones *Aureliano* peculiares, quæque Lectorem inadſuetum morari poſſent, quaſi paraphraſi quâdam circumſcribere, & Latina reddere. Ut verbô dicam, ſiſtitur tibi, Lector, *Cælius Aurelianus*, quod ad Lectionem, multò caſtigatior, intellectu ob innumeras caſtigationes facilior, & explicitis materiæ Medicæ obſoletis terminis immenſô jucundior.

Jam pauca de ipsô Opere præfatus, *praxim Medicam Auctoris & Methodicorum* in genere delibabo. Cælio Aureliano, qui ab aliis vocatur *Lucius Cælius Arianus*, patria fuit *Sicca*, teſte *Pliniô*, interioris Numidiæ urbs : quod licèt non conſtaret, ejus tamen dictio ſeſquibarbara & ſemigræca aliquod ex Africâ monſtrum proderet. Oratio quidèm ejus inadſuetis nec facilis admodùm eſt, nec plana : ſucci tamen boniqùe ſenſûs plena, maſcula, ſale elegantiſſimô paſſim adſperſa ; in reprehendendis veterum erroribus arguta, ubiquè ſublimis. Quâ ætate *Cæl. Aurelianus* floruerit altum apud omnes ſilentium : aliquantò tamen *Galenô* fuiſſe ſuperiorem vix dubium ; quomodo enim qui tot minorum gentium Græcos citavit, Galeni, ſi poſt eum vixiſſet, non meminerit ? Quoniam autem Themiſonis, Aſclepiadis, aliorumque ſub Romanis Imperatoribus Medicorum mentionem facit, *Galeno* aut coævus, at ignotus, aut paulò prior fuiſſe videtur. *Sorani* non tantum ſedulus imitator, ſtrenuuſque propugnator fuit, ſed græcorum ejus interpretem ſe paſſim profitetur. Præterea veteres omnium ſectarum Medicos diligentiſſimè perlegit, eôque nomine non parùm illi debemus, quod plurimorum dogmata nullibi ferè niſi in his de *Celeribus & Tardis Paſſionibus* libris exſtent. Scripſit, ut ipſe teſtatur, multa etiam alia, χειρουργούμενα, *Reſponſionum libros*, *Mulierium paſſionum*, *Græcarum epiſtolarum ad Prætextatum*, *Adjutoriorum* item ſive *Medicaminum* : quæ tamen omnia temporum injuriâ interciderunt, parùmque abfuit quin idem caſus unicum hoc Methodicæ Medicinæ monumentum abripuiſſet.

Character *Cælio* proprius eſt, quòd morborum Hiſtorias à capite ad calcem non tam deſcribat, quàm vivis & ex ipsô naturæ ſinu ſumtis coloribus pingat, tantaque exactitudine tum morborum tum adhibendorum quôvis tempore remediorum articulos & momenta circumſcribat, ut parem vix habeat. Eſt præterea in excogitandis pro ægris commoditatibus, & evitandis in morborum complexione incommodis, ſtruendiſque, ubi opus eſt, fallaciis, ferè inimitabilis : τῆς verò ἀσφαλείας adeò ſtudioſus, ùt aliquandò in contrariam partem peccare videatur, præ timiditate, quæ totius ſectæ vitium fuit, generoſiora adhibere remedia non auſus.

Methodici ita dicebantur à Methodô, quâ morbos omnes tam acutos quàm chronicos ; in ſumma quædam genera diſtribuebant, ad id inducti per κοινότητας quaſdam, ſive analogias, quas morbi eoſque curandi modi ad ſe invicem habere ipſis, ex aſſiduis obſervationibus, videbantur. Juxtà eos igitur *Medicina eſt methodus inveniendi morborum κοινότητας, quæ ſimul per ſe fit evidens.* Hinc etiam definitiones ut plurimùm ſollicitè evitabant, nè quid aſſererent, quod ſenſibus non pateret, earum vice deſcriptionibus quibuſdam utebantur. Præterea *loci affecti* cognitionem ſcrupuloſiorem, deque eô ratiocinia ferè negligebant, quod Anatomen ad indagandum partium uſum ſpernerent, ſed quoniam membris particularibus plerumquè peculiariter ſuccurri non poſſe putabant : quare in pleriſque paſſionibùs univerſum penè corpus curabant, habitô aliquô reſpectu ad partem præcipuè affectam. *Cauſas morborum* proximas Methodici ſe ignorare ingenuè fatebantur. Ad Humores & ſpiritus vix animum adjiciebantur, morborum nidos in partibus ſolidis eſſe ſitos credentes, proùt earum fibræ à naturali tonô recederent, & vel nimis ſtrictæ eſſent, vel plus æquô relaxatæ. Proin univerſum morborum exercitum in duas phalanges deſcribebant, alios *ſtricturæ* ; alios *ſolutionis* morbos appellantes : tertium quid in eâdem corporis parte non agnoſcebant ; eôdem tamen vigente morbô aliam *ſtricturâ*, aliam *ſolutione* laborare poſſe aſſerebant, ut cùm Phreneticus ſimul corripitur Diarrhœâ. Reviviſcit hodiè hoc ſyſtema maximè in Italiâ, celeberrimos ibi Patronos nactum qui bellô opinionibus denunciatô, & mechanices principiis divinâ quâdam ſagacitate in Medicinam introductis, recentiorum id inventis & propriis obſervationibus egregiè illuſtrârunt, ſpartamque hanc, quod Deus benè vertat, quotidiè adhuc ornant.

Methodici remedia ut plurimûm uſurpabant generalia, ſpecificis planè exploſis, quorum propugnatores *Cælius* falsè admodùm irridet. Prima eorum cura erat cubiculum, ejuſque aërem & modum cubandi cuivis morbô convenientem eligere ; tum cibum, potumque, niſi iis planè abſtinendum cenſerent, præſcribebant, ſedulòque, quô morbus vergeret, obſervabant. Remedia generoſa raro intrà primum triduum in uſum vocabant, ſed cruditatum in primis viis concoctionem expectabant, & intereà eam partim jejuniô, partìm fricando, fovendo, ungendo promovebant. Secundô demùm triduô, niſi admodùm urgebat morbus, venam ſecabant, & cucurbitulas per totum ferè corpus ſucceſſivè applicabant, aliquando cum hirudinibus, aliquandò ſiccas. Inter *generalia ſtricturam ſolventia* recenſebant Aërem calidum & lucidum, ſtragula mollia, collutiones oris aquâ calidâ vel oleô dulci, jejunium, vigilias, unctiones, cataplaſmata & fomentationes ex emollientibus, ut & balnea ex

eâdem

eâdem materiâ, cucurbitulas ſcarificatas, venæ ſectionem, geſtationem & motum in genere, clyſteres emollientes & vomitoria. Quæ *ſoluta* ſivè nimis laxa ſtringebant, erant aër frigidus & obſcurus, ſtragula duriora, collutiones oris aquâ frigidâ cum acetô, acetum vel poſca cum ſpongiâ applicata, fotus frigidi ex ſuccis plantaginis, portulacæ, ſempervivi &c. *alimenta* ex hordei farinâ, lenticulâ, cydoneis, panis toſtus cum acetô, & ſimilia: ſomnus, quies, cucurbitulæ non ſcarificatæ. *Purgantia* ferè nunquam admittebant niſi in Hydrope: *Diuretica & ſudorifera* exceptis paucis caſibus vix uſurpabant; rejiciebant etiam clyſteres acres, opiata, & venæ ſectionem ſub linguâ & ad animi deliquium: adeò ſecuritati ſemper & ubiquè ſtudebant. In *tumoribus*, ita appellabant omnis generis inflammationes, adhibebant in principiô mediocriter adſtringentia, in augmentô & ſtatu mitigantia vel laxantia, in declinatione emollientia, in lenimentô, id eſt, cùm morbus & ejus ſymptomata planè remiſerunt, fortificantia & recorporativa ſeu μετασυγκριτικὰ, ut & varii generis *Cyclos* ſive regulas cyclicas, de quibus vide potiſſimùm *Lib.* I. *Tard. Paſſ. Cap.* I. ubi de *Cephalæâ* & ejus curatione *Cælius* agit. Ait ibi de recorporantium viribus in hunc modum: ùt vehementi motu corpus apertum deſpuat, ut ità dixerim, paſſionis carnem, quâ depulſâ, naturalis & nova ſuccedat. Utinam hodiernis Medicis hæc *recorporatio*, ſeu habitus morboſi in ſanum mutatio, magis cordi eſſet: ſine eâ enim morbi chronici vix ſunt ſine recidivæ metu curabiles. Contra ſudores nimios, quos ipſi diaphoreticos vocabant, corpori inſpergebant pulverem cretæ, aluminis, aliorumque adſtringentium.

De eô exſtant in Lind. Renov.

Celerum, vel Acutarum Paſſionum, Lib. III. Pariſiis, apud Simon. Colinæum, 1529. in fol. Lugduni, 1566. in 8.

Chronicon, ſive, Tardarum paſſionum, Libri V. Baſileæ apud Henr. Petri, 1529. in fol. cum Oribaſii opuſculis.

Omnes autem conjunctim. Venetiis, apud Aldum, 1547. in fol. cum Medicis antiquis, pag. 249. Lugduni, apud Guil. Rouillium, 1567. in 8. Ad fidem exemplaris manuſcripti caſtigati, & Annotationibus Jac. Dalechampii illuſtrati. Londini, 1579. in 8.

In ſequentibus ejus Opera ſunt edita cum hôc titulô.

Cælii Aureliani, Siccenſis, Medici vetuſti, ſectâ Methodici, De Morbis acutis & Chronicis Libri VIII. ſoli ex omnium Methodicorum ſcriptis ſuperſtites. Jo. Conradus Amman. M. D. recenſuit, emaculavit, notulaſque adjecit. Accedunt ſeorſim Theod. Janſſ. ab Almeloveen in Cælium Aurelianum notæ & Animadverſiones, tam propriæ, quàm quas ex Doctorum Virorum lucubrationibus hìnc indè collegit; ejuſdem Lexicon Cælianum, cum indicibus locupletiſſimis. Amſtelædani ex officinâ Wetſtenianâ in 4. 1709. Editio nova 1722. in 4. ibid.

AURELIUS (*Gaudeus*)

Franciſci Valleſii Commentaria in Libros Hippocratis de Morbis popularibus, magnam utriuſque Medicinæ Theoricæ & Practicæ partem continentia, recognovit & cum indice locupletiſſimo edidit. Aureliæ, 1624. in fol.

AURIFABER (*Andreas*) Uratiſlavienſis.

De eô exſtant

Succini Hiſtoria. Regiomonti, 1557. in 8.

Annotationes in Phœmonis Philoſophi Libellum de Curâ Canum. Wittenbergæ, apud Johannem Lufft, 1545. in 8.

AUSTRIACUS (*Johannes*)

Ex eô habetur

De Memoriâ artificioſâ, Libellus. Omnibus cujuſcunque ſtatûs aut conditionis hominibus, præcipuè verò literarum ſtudioſis, Oratoribus, Theologis, Juriſperitis, atque iis, qui ad Doctoratûs apicem aſcendere ſatagunt, maximè utilis & neceſſarius. Exſtat cum variorum de Arte Memoriæ Tractatibus ſex. Francofurti & Lipſiæ, apud Johannem Henricum Ellingerum, 1678. in 8.

AUSTRIUS (*Sebaſtianus*) Rubeaquenſis Medicus non vulgaris. Claruit A. C. 1537. ſub Henricô VIII. Rege Angliæ, & Paulô III. Pontifice Maximô. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtant

De ſecundâ valetudine tuendâ, in P. Æginetæ Librum Explanatio, univerſalem ſuper hâc re materiam complectens. Argentorati, apud Johan. Schottum, 1538. in 4. Baſileæ, 1540. in 8.

Cornelii, de puerorum, Infantiumque Morborum dignotione & curatione Librum, ex Barbarô Latinum fecit, & emendavit. Baſileæ, 1540. in 8.

AUZOTIUS (*Adrianus*)

Ex eô habetur

Epiſtola ad Johannem Pecquetum de vaſis lacteis, & Receptaculô Chyli. Exſtat cum Siboldi Hemſterhuyſii Meſſe Aureâ. Heidelbergæ, apud Adrianum Wyngarten, 1659. in 8.

AUSFELDUS (*Joh. Chriſtophorus*)

Michaëlis Ettmülleri Chimiam Rationalem ac experimentalem Curioſam nunquam antehac editam, in ordinem redegit, & in publicam lucem emiſit: cum Præfatione additâ, Ettmülleri ſcriptorum proximè edendorum Catalogum continente. Lugduni-Batavorum, ſine nominatione illius, apud quem proſtet, 1684. in 4.

AXTIUS (*Joh. Conradus*)

Ex eô habentur

Dialogus de partu ſeptimeſtri, ân nempe ille ſit perfectus, vegetus & per conſequens legitimus? Jenæ typis Gollnerianis, 1679. in 12.

Tractatus de Arboribus Coniferis, & Pice conficiendâ, aliiſque ex illis Arboribus provenientibus. Ibidem, apud Johannem Bielckium, annô & formâ eâdem.

AYALA (*Gabriel*) Antverpienſis.

Ex eô habetur

Popularia Epigrammata Medica. Carmen pro verâ Medicinâ ad Luem peſtilentem. Additis ab Auctore in hunc ipſum ſcholiis. Elegiarum Liber

Liber unus. Antverpiæ, apud Guid. Sylvium, 1562. in 4.

AYRERUS (*Chriſtoph. Henricus*)

Ex eô habentur

Methodica & ſuccincta Informatio Medici, Praxin aggredientis. In uſum ac utilitatem Medicinæ ſtudioſorum ſcripta. Francof. apud Joh. Saurium, 1594. in 8.

Regimen Peſtis: & Dyſenteriæ, populariter graſſantium Præſervandæ & Percurandæ. Argentorati apud Paulum Bohemum, 1607. in 4.

Epiſtolæ quædam Medicæ. Exſtant cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

AYRERUS (*Joh. Chriſtophorus*)

Ex eô habetur

De Morbô Ungaricô, Diſputat. Exſtat Decade VII. Diſputationum Baſilienſium, à Johanne Jacobô Genatiô editarum. Baſileæ, 1631. in 4.

Hic addimus quædam de Albertô Magnô, ſuô locô omiſſa; ut & Michaelis Alberti Opera varia, nobis, cùm in ejus Articulô verſaremur, incognita. Alia plura, vel omiſſa, vel poſt confectionem hujus Bibliothecæ vulgata, in Appendices I.^mi^ *&* II.^di^ *ejus Voluminis rejicientes.*

ALBERTUS MAGNUS S. Dominici inſtituta primò profeſſus, poſtea Epiſcopus Ratiſbonenſis, & inter primarios ſeculi 13. Doctores; Lawingæ ad Danubium ann. 1193. vel ſecundùm alios, ann. 1205. natus, obiit Coloniæ, die Novembr. 15. ann. 1280. ætat. 87. vel 75. Tot libros ſcripſit, ut ex eorum collectione, à Dominicanô quôdam Gratianopolitanô, Petrô Jammi dictô inſtitutâ, & Lugduni ann. 1651. editâ 21. Volum. in fol. confecta ſint. Non parum commendatur ex eô quòd inter Diſcipulos ſuos habuerit Thomam Aquin. Crimine Magiæ à quibuſdam ignaris inſimulatus fuit, ex eô quòd ingenij perquàm curioſi vir multa ſibi comparâſſet quæ rudi vulgo præternaturalia, ejus ævô præcipuè, habebantur.

Inter ejus Opera recenſetur Libellus ſub hôc titulô vulgatus.

Albertus Magnus de Secretis Mulierum, item de Virtutibus Herbarum, Lapidum & Animalium: Cujus libri non paucæ editiones ſunt evulgatæ, ac inter poſteriores non parum ſanè elegans, Amſtelodami apud Henricum & Viduam Theodori Boom, 1702. 12.

Verùm Theophilus Reynaudus admodum ſuccenſet in blaterones illos, qui Alberto impoſuerunt quòd egiſſet obſtetricem: Faſſus tamen Thomam Cantipratanum, Alberti diſcipulum, ad inſtructionem obſtetricum, in opere perperam ejus præceptori ſuppoſitô, (*Scilicet in libellô cujus titulum mox dedimus*) tradidiſſe modos & vias fælicis obſtetricationis, cujus præcepta chartis committi, nec voce tradi poſſunt, abſque expreſſione multorum quæ libido, non natura, fœdavit.

Alii affirmant libellum hunc ab Henricô de Saxoniâ, Alberti diſcipulô, conſcriptum fuiſſe, cujus titulum ſic tradit Simlerus in Epit. Bibliothecæ Geſneri. Henrici de Saxoniâ, Alberti Magni diſcipuli, liber de Secretis Mulierum, impreſſus Auguſtæ, ann. 1498. per Antonium Sorg. Sic itidem in Catalogô Bibliothecæ Thuanæ recenſetur liber Henrici de Saxoniâ de Secretis Mulierum, de virtutibus herbarum, lapidum, quorumdam animalium, aliorumque, in 12. Francofurti 1615.

ALBERTI (*Michaelis*) S. M. R. Boruſſiæ Aulici, & Conſiſtorii Magdeburgenſis Conſiliarius, Medicinæ & Philoſophiæ naturalis Profeſſor Publicus, Ordinarius Acad. Cæſareæ naturis Curioſorum Collega, & Societatis Scientiarum Reg. Boruſſ. Berol. Sodalis &c.

Ex eô habentur doctiſſimi Tractatus ſequentes

Introductio in univerſam Medicinam tam Theoreticam quam Practicam certis Poſitionibus comprehenſa, 4. ibid. 1718.

Introductio in Medicinam, qua juxta propoſitum ordinem ſemiologia, Hygiene, materia Medica & Chirurgica ſuccinctis Theſibus Conſcripta 4. ibid. 1719.

Introductio in Medicinam Practicam generalem ſpecialem & ſpecialiſſimam ordine congruô, Therapia Medica, Praxis univerſalis & extemporanea affectuum inopinatorum, Reſervatorum ac Tragicorum Theſibus Perſpicuis explicata, cum additamentô fundamentorum Philoſophiæ naturalis uſui Medico accommodatæ & Chymiæ 4. ibid. 1721.

Syſtema Juriſprudentiæ Medicæ 4. ibid. 1722.

Tractatus de Hæmorrhoidibus in quô Schediasmata quædam Celeber. D. Conſil. & Archiatri Stahlii, veram hæmorrhoidum doctrinam exponentia fundamenti locô præmittuntur, & totum negotium Hæmorrhoidale Diagnoſticè, Prognoſticè, Pathologicè & Practicè per ſpecialiſſima Themata è Ruderibus Antiquitatis & Experientia Poſteritatis in uſum tam Medicorum, quam ſubjectorum Hæmorrhoidariorum commendatur, 4. ibid. 1722.

Tentamen Lexici Realis Obſervationum Medicarum, ex Variis auctoribus ſelectarum, in uſum Litteraturæ Medicæ ad Suffragia Peritorum & Doctorum virorum conferenda & alleganda, editum, omniumque facultatum applicationi commendatum 4. Halæ Magdeburgicæ 1727. Impenſis Orphanotrophæi.

BIBLIOTHECÆ
SCRIPTORUM MEDICORUM
VETERUM AC RECENTIORUM
LIBER SECUNDUS.

IN QUO illi recenſentur quorum NOMINA incipiunt à Literâ.

B

BACCANELLUS (*Johannes*) Rhegienſis, Corpore quidem puſillus, animæ verò viribus multùm præſtans, ut dicit Bratavolus. Vixit circa A. C. 1534. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtat

De Conſenſu Medicorum in Curandis morbis, Libri quatuor. Ejuſdem de Conſenſu Medicorum in cognoſcendis ſimplicibus, Liber. Lutetiæ, ap. Carolum Stephanum, 1554. in 12. Venetiis, 1555. in 8. apud Juntas, 1558. in 16. Lugduni, apud Barthol. Honoratum, 1572. in 16.

BACCERUS (*Janus*)

Ex eô habetur

Theſaurus Chymicus experiment. certiſſ. Fidejuſti Reinecceri. Lipſiæ, apud Thomam Schürerium, 1609. in 8. Francof. 1620. in 12.

BACCHIUS, Mileſius, Varoni & Columellæ laudatus inter ſcriptores rei ruſticæ, *lib.* 1. *c.* 1. Idem fortaſſis ac Herophileus ille Medicus, quem Hippocr. libros Epidemiorum, & obſcuriora loca Commentariis illuſtrâſſe auctor eſt Galenus. *Commentar.* 1. *in lib.* 6. *Hippocr. Epidemiorum.*

BACCIUS (*Andreas*) Italus, Elpidianus, Romanuſque Civis, Medicus atque Philoſophus celeberrimus, omniſcius & politiſſimus Vir, qui Sixti V. Pontif. Max. fuit Archiater.

Ex eô habentur

De Thermis Libri ſeptem. Opus locupletiſſimum, non ſolùm Medicis neceſſarium; verùm etiam ſtudioſis variarum rerum naturæ perutile. In quô agitur de univerſâ aquarum naturâ, deque earum differentiis omnibus, ac miſtionibus cum terris, cum ignibus, cum metallis; De terreſtris Ignis naturâ, nova Tractatio: De fontibus, fluminibus, lacubus, de balneis totius orbis, & methodô medendi per balnea: deque lavationum ſimul atque exercitationum inſtitutis in admirandis Romanorum thermis. Venetiis, apud Vincentium Valgriſium, 1571. & 1588. in fol. In hâc recentiori omiſſæ ſunt figuræ. Romæ, apud Jacobum Maſcardum, 1622. in fol. Acceſſit nunc Liber Octavus de Novâ Methodô Thermarum explorandarum, deque Minerâ, & viribus fontium Medicatorum, quorum plerique in hôc opere deſiderabantur, ex Clariſſimorum Virorum ſcriptis editis, & edendis. Editio noviſſima, Patavii, 1711. in fol.

De Balneis oppidi Bergomatis Tranſcheri; ſeorſim cum conſimilis argumenti Libris. Bergomi, 1583. in 4.

De naturali vinorum hiſtoriâ: de vinis Italiæ: & de conviviis Antiquorum, Libri VII. Acceſſit de factitiis, ac Cereviſiis, deque Rheni, Galliæ, Hiſpaniæ, & de totius Europæ Vinis, & de omni vinorum uſu, compendiaria Tractatio. Romæ, apud Nicolaum Mutium, 1596. in fol. Francof. apud Nicol. Steinium, 1607. in fol. Romæ, apud Eundem 1598.

De Gemmis ac Lapidibus pretioſis, eorumque viribus & uſu, Tractatus, Italicâ linguâ conſcriptus: nunc verò non ſolùm in Latinum ſermonem converſus: verùm etiam utiliſſimis annotationibus & obſervationibus auctior redditus à Wolfgangô Gabelchoverô. Cui acceſſit Diſputatio, de generatione auri in locis ſubterraneis, illiuſque temperamentô. Francofurti, apud Matthiam Beckerum, 1603. in 8. Ibid. apud Johan. Davidem Zunnerum, 1643. in 8.

De Monocerote, ſeu unicornu, ejuſque admirandis viribus & uſu, Tractatus Italicâ linguâ conſcriptus, & primùm ab Andreâ Marinô in Latinam converſus, edituſque Venetiis 1566. in 4. poſteà verò etiam à Wolffgangô Gabelchoverô Latinè redditus. Stutgardiæ, apud Marcum Fürſterum, 1598. in 8.

De Magnâ Beſtiâ, ab Antiquis Alce, Germanis *Elend*, vocatô, ejuſque ungulæ, pro Epilepſiâ & conſimilibus morbis abigendis, viribus & uſu, Libellus, itidem Italicè primùm conſcriptus & ab eodem Wolffgangô Gabelchoverô in Latinam Linguam converſus. Exſtat cum ejuſdem Auctoris Tractatu de Monocerote. Stutgardiæ, apud eundem, annô & formâ iiſdem.

De Venenis & Antidotis πεϱλεγόμενα, ſeu communia præcepta ad humanam vitam tuendam ſaluberrima. In quibus definitiva Methodus Venenorum proponitur per genera, ac differentias ſuas, partes & paſſiones; præſervandi modum, & communia ad eorum Curationem Antidota complectens: De Canis rabioſi morſu, & ejus curatione. Romæ, apud Vincent. Accoltum, 1586. in 4.

Tabula ſimplicium medicamentorum. Romæ, apud Joſephum de Angelis, 1577. in 4.

Epiſtola ad Marcum Oddum de dignitate Theriacæ. Et altera ad Antonium Portum: Quænam ratio

ratio ſit viperinæ carnis in Theriacâ. Utraque exſtat cum Opere Marci Oddi de componendis medicamentis & aliorum dijudicandis. Patavii, apud Paulum Mejettum, 1583. in 4.

BACCIUS, ſeu de BACK (*Jacobus*) Roterodamenſis.

De eô exſtant

Renes calculoſorum cur debitô majores? color calculorum & Arenarum undè? Veſicæ corpus calloſum totum à lapide occupatum, Epiſtola. Exſtat cum Johan. Beverovicii Librô de calculô. Lugduni Batav. apud Elzevirium, 1638. in 12.

Diſſertatiô de Corde, in quâ agitur de Nullitate ſpirituum: De Hæmatoſi, de viventium calore. Roterodami, apud Arnoldum Leers, 1648. in 12. Lugduni Batavorum, 1564. in 12. Exſtat etiam cum Guilielmi Harvæi Exercitationibus Anatomicis de Motu Cordis, & ſanguinis circulatione; additô copioſô tàm Rerum, quàm Capitum Indice. Roterodami apud Arnoldum Leers. 1660. in 12. Ibidem apud Arnoldum Leers, 1671. in 12.

BACKMEISTERUS (*Matthæus*)

Franciſci Joëlis Operum Medicorum Tomos IV. edidit: additis pluribus Chymicis Floſculis, Experimentis atque Annotationibus de ſanitatis conſervatione. Roſtochii, 1614. in 4.

BACKTIS HUA (*Georgius*) Medicus Indus.

Chriſtianus, & linguarum Perſicæ ac Arabicæ apprimè gnarus; ab Almanzore ſecundô Familiæ Magni Abbas Calipho, & novæ Babylonis, vulgò Bagdad dictæ, fundatore, pro ægritudine, quâ detinebatur, curandâ vocatus: Ejuſdem Juſſu libros plures Medicos in Linguam Arabicam vertit.

BACO (*Rogerius*)

De eô ſic ſcribit clariſſ. D. Freind in ſua Med. Hiſt. Part. 3.

Rogerius *Baco* fuit inter primos, qui in Occidentalibus Regionibus Chimiam coluerunt; fuit etenim Alberti Magni contemporaneus, & ipſe ſatis inſinuat quòd hæc ſcientia erat parum cognita, dum aſſerit tres tantùm viros in totô orbe Romanô illius intelligentiam aliquatenùs poſſidere, inter quos famoſus ille *Petrus Maharncurtius* Picardiâ oriundus, quem *Dominum Experimentorum* nominat. *Baco* nobis in hunc Philoſophiæ ramum plures tractatus reliquit, non pauci & hodie habentur in Bibliothecis, tum Boldeianâ, tum Harleïanâ. De pleriſque diſſeruit metallis mineralibuſque, mercurium & ſulphur tanquam utrorumque principia admittit. De omnibus ferè Chimiæ operationibus hodiè vel cognitis, vel uſu receptis verba facit. Modumque Tincturas, & Elixiria parandi deſcribit. Mentionem facit de Filicis Calcinatione, de quâ ad vitrum conficiendum utuntur Angli. In Præfatione, quam ante tractatum ſuum de Arte Chimicâ poſuit, hanc ſupra alias omnes extollit, eam vocando ſummum Philoſophiæ Naturalis gradum, eôque excellentiorem eminentioremque dicendo, quòd ad ſanitatem tuendam, vitam prorogandam, morboſque curandos inſervire queat. Ex ipſius ſcriptis ſufficienter innoteſcit, Lapidis Philoſophici ſtudium maturè admodùm fuiſſe auſpicatum: Raimondus verò Lullius, qui ſe illius diſcipulum eſſe gloriatur (dum Ambo, forſan, Lutetiæ degebant) inanes has viſiones ad deliramentum uſque extulit. Verùm tamen in Operibus Baconis res novæ ſolidioreſque non paucæ circa Chimiam inveniuntur, ſi vel tantillum nudetur ab illô verborum ſonô, quô plurimùm tunc temporis utebantur Chimiſtæ. Eô potiori jure mirandum eſt omnia hæc inventa apud illum reperiri, ac conſiderare ipſum in hiſce ſeculi ſui quaſi prodigium fuiſſe: imò quòd in Mechanicis etiam nuſquam viſum ſit poſt Archimedem, ſublimius ingenium. Nobili erat genere oriundus, natuſque Ilcheſtriæ annô 1214. obiit verò Junii 11. anni 1291: Non autem, uti vult Lelandus, annô 1248. ſtudiis Perjuvenis Oxonii vacare inchoavit, Lutetiam deindè adiit, ibique Matheſi & Phyſicæ operam navavit. Quidam etiam Hiſtorici narrant eum ibi in Theologiâ fuiſſe creatum Profeſſorem. Oxonium redux ſtudio Linguarum Philoſophiæque ſe dedit, tantoſque progreſſus egit, in pauciori temporis intervallô, ùt grammaticem Latinam, Græcam, Hebraïcamque compoſuerit; hancque ultimam, quod vix facilè credatur, perfectiorem reddiderit. Rationem ſpeculorum Concavorum ſphæricorum conficiendorum & intellexit & explanavit. Tractatum etiam in hanc rem ſcripſit, ad demonſtrandum quantùm è longinquô per ea res comburi poſſint. Facilè ſatis judicare eſt ex ejus de perſpectivâ tractatu quouſquè ſtudium optices protulerit, Ibi de luminis, tum reflexione, tum refractione loquitur, ac etiam Cameram obſcuram deſcribit, ut & omnia vitrorum genera, quæ objectorum magnitudinem vel augent, vel minuunt; vel quæ objectum ad oculum adducunt, vel removent. Inter alia apparet Conſpicilla adducentia, Teleſcopia nominata ei, licèt recentius inventa credantur, nota optimè fuiſſe. Quædam ex his inſtrumentis, cæteraque ad Mathematica pertinentia ademerat pro ducentis trecentiſve Aureis Anglicis, (*Livres Sterlins.* dictis) conſtabant, Ipſe ait ſe ſpatiô viginti annorum, impenſas ultra duo millia ejuſcemodi Aureorum, tum ad inſtrumenta, tum ad libros coemendos impendiſſe quod tunc temporis ingentis ſumma pecuniæ erat. *Baco* ferè ſolus ſui ævi Aſtronomus. Errorem in calendariô, quoad annum ſolarem, qui Julii Cæſaris temporibus ſemper accreverat, eum animadvertiſſe apparet. Summum Pontificem Clementem IV. Virum quidem doctum, & ad promotionem doctrinæ propenſum annô 1267. adiit, ac erroris iſtius correctionis methodum propoſuit. Hæc autem correctio à Gregorio XIII. Summô Pontifice annô poſtmodùm 300. confecta eſt, dum Calendarium Julianum emendavit, hôc tamen unicô cum diſcrimine, quod Baco inchoandum eſſe vellet à Salvatoris noſtri ortu, Gregorii verò correctio, altius non ultra Concilium Nicenſe repetita fuerit. Ingenium ejus, ut potè acutiſſimum, ulterius provectum eſt, dum arcana Mechanices omnia penetravit. Ita equidem vires corporum elaſticorum noverat, ùt quemadmodùm Archytas, qui Columbum ligneum volantem adinvenit, currum etiam volantem ipſum fabricâſſe inquiant; quin imò ſtatuis motum communicandi artem habuiſſe, ſonos etiam diſtinctos è capite æneô illum elicuiſſe, quod per nullas Magicas artes obtinebat, ſed per vires longè ſuperiores, Philoſophiæ ſcilicet ſcientiæque Naturalis ope, quæ potis eſt ea producere, quæ ignari, ut ejus verbis utar, niſi prodigio cuidam tribuere queant. Tandem & rem minus non mirandam, in Chimiâ faciendâ detexit, nempè pulverem pyrium, namque materiem omnem, quâ componitur, ſtupendoſque, quos edit effectus, uti ſonum & corruſcationes, deſcribit. Quæ equidem unius hominis miracula, inſolentiaque inventa ſunt, ſæculô ſicubi quô vixit, verè ſeculô ignorantiæ appellandô, quô nullus omninò aderat magiſter, qui ipſum tam ſtupenda edocere valeret.

valeret. At quòd inſolitum magis videri debet eſt, quod illa inventa adeò admiranda neglecta, tantâque in oblivione delituerint uſque dum ſeculis inſequentibus alii venerint, qui Theſauros hoſce perſcrutando, decus omne gloriamque plurium inventorum ſibi arrogârunt, quæ ſoli *Baconi*, omni ex parte pertinebant. Illô autem rudi ſeculô, quô de inſcitiâ ſuâ gloriantur homines, non mirandum, quòd hæc omnia *Baconis* inventa ita parùm & excepta & intellecta fuerint. Longiùs adhùc res progreſſæ ſunt, & quoniam quas à Matheſi adeptus erat cognitiones, vulgi captum ſuperantes, in uſum revocare ſtuduit, de Magicis artibus in ſuſpicionem venit. A Monachis præſertim propriæ domûs, quippe ignorantia malignitaſque ſemper violentæ ſunt, vehementer exagitatus eſt, atque opera ejus in ſuam Bibliothecam ne quidem admittere voluêre. Auctoritas deniquè, quam apud Ordinis ſui Generalem Magiſtrum habebant ita valuit ùt & illis cùm in carcerem conjicere licuerit, adeò ùt in quibuſdam ſuorum ſcriptorum locis fateatur, ſe omnem occaſionem pœnitendi habuiſſe, quòd tum Artibus, tum ſcientiis ſe ſe tantô cum labore ſedulitateque dediſſet. Summi illius hominis cognitiones generales adeò erant ùt etiam ad hanc noſtram protenderentur Artem. Namque præter quæ jam de Chimiâ verba fecimus, inter cæteros hujuſce argumenti Tractatus, Unus eſt, in quô varios, in quos, tunc temporis, Medici incidebant, errores & notat & vituperat. De eô adhuc dùm proſtat Liber, *De modô remorandi infortunia ſenectutem vulgò comitantia, De modô etiamnum ſenſus in omni ſuâ alacritate tuendi.* Hic Liber, quem paucis ante obitum Nicolao IV. ſummo Pontifici dicaverat, ad hujus ipſius Pontificis peculiarem uſum ſcriptus unicè erat, eô tamen etiam fine ùt in ſui gratiam animum illius mitigaret. Ille enim Pontifex ex ordine fuerat Franciſcanorum, eóque certiùs judicabat *Baco* eum alterum fuiſſe ex vexatoribus ſuis. Hic tractatus perperam minimè ſcriptus eſt, quippe omnia, quæ ad ſcopum ſuum pertinerent, tum ex Auctoribus Græcis, tum ex Arabicis, quibuſdam etiam obſervationibus ex propriò penû additis, in eô congeſſit, regulas tam ad diætam quàm ad Medicamenta ibi exhibet, circa quaſdam quæſtiones non ita perſpicuè res aperit ac debuiſſet, idque eô, ut ait, conſiliô nè in manus infidelium, quæ ſcripſerit, incidere poſſint (quod de Chimicis interſperſis propriè dictum vult.) De medicamentorum propriâ experientiâ ſibi notorum præparationibus verba plura facit: de Tincturâ aureâ non obſcurè loquitur, quam ad vitam longam prodeſſe multùm poſſe ait. Hiſtoriam maximè inter alia, notandam, de veteri agricolâ refert, qui cùm avidiſſimè rivuli cujuſdam Crocei aquam ebibiſſet, quem aureâ ſubtiliori materiâ refertam fuiſſe credit *Baco*, juventuti manifeſtè reſtitutus eſt, adeò ùt plures in poſterùm annos, perfectiſſimâ jugiter valetudine inſolitâque fortitudine fruendo, vixerit. Multus eſt in laudandô eximias oſſis cordis cervi vires, quod cùm in Corpore animalis longiſſimæ vitæ producatur, neceſſe eſt, juxta illius ratiocinandi methodum, ùt ad longiorem vitam obtinendam hominibus inſervire queat. *Baconis* temporibus, ſi ei fides ſit adhibenda, talis repertus eſt Cervus, qui aureâ torque cum his verbis munitus erat. *Hoc Animal fuit poſitum in hoc nemore tempore Julii Cæſaris.* Plurima etiam effert verba de carnis viperinæ uſu tanquam potentiori remediô, pro quô confirmandô ea quæ ſuô acciderant ævô, Dominæ cujuſdam in Germaniâ Nobilis hiſtoriam affert, quæ cùm venenô per ſororem ſuam infecta fuiſſet, ita inſtabuit, ùt & capilli illius & ungues deciderint. Per quoddam temporis ſpatium, carne viperarum uſa eſt, atque adeò bellè reſtituta ut quaſcunque florentiſſimæ juventutis illecebras ſimul recuperaverit, Colore oris lineamentiſque ità lepidis ut nunquam anteà talis viſa ſit. Bibliographi Angli de duobus adhuc Baconis Operibus mentionem agunt *nempe Rogerina Major, & Rogerina minor:* utriuſque exemplar in pretioſâ Harleianâ Bibliothecâ reperitur; ſed cùm hi ſint Tractatus praxim ferè omnem ad omnigenos morbos complectentes, in dubium quidem revocem Baconem, qui nunquam huic arti ex profeſſô operam navavit, horum potuiſſe eſſe auctorem. Longè probabilius eſt hos tractatus à Rogeriô Parmenſi ſcriptos fuiſſe, cujus etiamnùm Libros de Chirurgiâ tractantes habemus. Certiſſimum quoque eſt quod ad *Baconis* ſcripta ſpectat, plura ſub ejus nomine haberi, quæ nec vidit, nec novit unquam. Inter alios liber eſt, de oleô Antimonii, quem Chimici ad cœlos uſque evehunt, in quô quidam citantur Auctores, qui poſt *Baconem* longè inferiùs vixerunt. Lelandus ulteriùs obſervat genuina ejus ſcripta (quæ innumera ſunt, quæque, pro meritô, à ſe laudari non poſſe ait, quin centum linguis polleat; quas ad hoc etiam flagranti deſideriô cupiat habere) rariſſima ſuô tempore fuiſſe, vix reperibilia, ac deniquè ità trunca & imperfecta in pleriſque, quas noverat, Bibliothecis, addat, facilius multò ſparſa Sybillarum folia, quàm ſimplicem librorum ab illô compoſitorum Indicem colligi poſſe.

De eô habentur in Lindeniô Renovatô.

De Alchimiâ Libellus, cui titulum fecit, ſpeculum Alchimiæ. Exſtat cum veræ Alchimiæ aliquot ſcriptoribus, à Guil. Grataloro collectis. Baſileæ apud Henr. Petri, & Petrum Pernam, 1561. in fol: pag. 201. & volumine ſecundô Theatri Chimici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8. q. 409.

De ſecretis operibus Artis & naturæ, & nullitate Magiæ cum notis. Exſtat volumine quintô Theatri Chemici, editi Argentorati apud Laz. Zetznerum, 1622. in 8. Hamburgi, 1608. 1618. in 8.

De Arte Chimiæ ſcripta. Quibus acceſſerunt Opuſcula alia ejuſdem Auctoris, nempe breve Breviarium de Donô Dei. Verbum Abbreviatum de Leone viridi; ſecretum ſecretorum Naturæ; de Laude Lapidis Philoſophorum, Tractatus Trium verborum; Epiſtola ſecretiſſima de Ponderibus; ſpeculum ſecretorum. Francofurti, apud Johannem Theobaldum Schonwetterum. 1603. 1620. in 12.

BACONUS de Verulamiô. (*Franciſcus*) Natus in Palatiô Eboracenſi juxta Londinum Angl. A. C. 1560. Patre Nicolaô Baconô, Equite auratô, Elizabethæ Reginæ Conſiliariô, & magni ſigilli Angliæ Cuſtode. Jam annô ætatis ſuæ nonniſi decimô ſextô Philoſophiam Ariſtotelicam inſipidam putavit, ratus, eam ad diſputationes & contentiones ſolum natam, ad productionem autem Operum, quæ vitæ humanæ commoda eſſent; omninò ſterilem eſſe; in quâ mente ad extremum uſque ſpiritum perſtitit. Cætera Artium liberalium Encyclopædiam, Juraque Angliæ Municipalia emenſus, mox à Reginâ in conſilium ſuum doctum extraordinarium, quam gratiam vix cuiquam anteà contigiſſe ajebant, adſcitus, & poſteà ab hujus Reginæ ſucceſſore, Jacobô Rege, ſingula-

ſingularibus honoris & proventuum muniis cohoneſtatus eſt; factus nempe Regis Sollicitator generalis, Procurator primarius, Cuſtos magni ſigilli Angliæ, & ultimò primus Angliæ Cancellarius; itemque Eques auratus, Baro Verulamius, & Vice-comes ſancti Albani. Librorum ſuorum editorum maximam partem illô demum quinquenniô extremô vitæ ſuæ, quô negotiis civilibus ſe abdicavit, exaravit. Per triginta continuos annos, qui mortem immediatè anteceſſerunt, omni mane tria circiter grana Nitri in juſculô tenui & tepidô ſumere ſolitus eſt, quod remedium toties in ſcriptis ſuis decantavit. Obiit catarrhô ſuffocativô, apud ædes Comitis Arandellæ, in Villâ de High-Gate prope Londinum, ad quem Locum animi reficiendi, non commorandi gratiâ ante dies octo caſu devenit, A. C. 1626. ætatis ſuæ 66.

Ex eô habentur

Hiſtoria vitæ, & Mortis, ſive titulus ſecundus in Hiſtoriâ naturali & experimentali ad condendam Philoſophiam, quæ eſt Inſtaurationis magnæ Pars tertia, Coloniæ, 1545. in 8. Londini, apud Joh. Haviland. 1623. in 8. Lugd. Batav. apud Joh. Maire 1637. in 16.

Partitio Doctrinæ circa corpus Hominis in Medicinam & voluptuariam. Partitio Medicinæ in officia tria, vid. Conſervationem, Morborum curationem, & Prolongationem vitæ: quodque Pars poſtrema de Prolongatione vitæ disjungi debeat à duabus reliquis. Exſtat Lib. IV. *c.* 11. de Dignitate & Augmentis ſcientiarum, Londini, apud Eundem, 1623. in fol. Pariſiis, apud Petrum Mettayer, 1624. in 4. Argentorati 1635. in 8.

Inſtauratio Magna Londini, 1620. in fol.

De Dignitate & augmentis ſcientiarum, Libri IX. Argentorati, apud Zetznerum, 1635. in 8.

Hiſtoria Naturalis & Experimentalis de ventis. Cui ſub finem annexus eſt Aditus ad Hiſtoriam Denſi & Rari: Gravis & Levis: ſympathiæ & Antipathiæ Rerum: ſulphuris, Mercurii & ſalis: itemque vitæ & Mortis. Lugd. Batav. apud Franciſcos Hegerum, & Hakium, 1638. in 16. Amſtelodami, 1662. in 12.

De Motûs ſive virtutis activæ variis ſpeciebus. Exſtat Ibidem apud eoſdem, annô & formâ iiſdem.

Sylva ſylvarum, & Atlas Novus. Amſtelod. 1648. in 12.

Omnes hi tractatus & plures alii continentur etiam in Ejuſdem Illuſtriſſimi Auctoris Operibus omnibus, quæ exſtant, ſummô ſtudiô collectis, unô volumine comprehenſis, & ab innumeris mendis repurgatis. Cum præfixâ Authoris vitâ Francofurti ad Moenum, apud Johannem Baptiſtam Schonwetterum, 1665. in fol.

Continentur autem his Operibus, qui Medicæ rei aliquô modô commodi ſunt, Tractatus ſive Tituli ſeqq.

De Dignitate & Augmentis ſcientiarum Libr. IX. ſive Inſtaurationis magnæ pars prima.

Novum organum ſcientiarum, ſive Judicia vera de Interpretatione Naturæ:

Paraſceve ad hiſtoriam Naturalem: Deſcriptio Hiſtoriæ Naturalis & Experimentalis, qualis ſufficiat, & ſit in ordine ad baſin, & fundamenta Philoſophiæ veræ.

Phænomena univerſi, ſive Hiſtoria Naturalis & Experimentalis de Ventis.

Hiſtoria Vitæ & Mortis.

Scripta in naturali & Univerſali Philoſophiâ: comprehendentia I. Cogitata & viſa de Interpretatione Naturæ, ſive de Inventione Rerum & Operum: II. Deſcriptionem Globi intellectualis: III. Thema cœli: IV. de Fluxu & Refluxu Maris: V. de Principiis atque originibus: VI. Impetus Philoſophicus.

Sylva ſylvarum, ſeu Hiſtoria Naturalis.

De eô præterea hæc exſtant in Actis Lipſienſibus annô 1694. pag. 400.

Franciſci Baconi, Baronis de Verulamiô, Opera omnia, cum augmentô, quod Latinum reddidit S. J. Arnold. Lipſiæ, impenſis J. J. Erythropili annô 1694. in fol.

JOhannes Juſtus Erythropilus, Hafnienſis Bibliopola, cùm novam Verulamii operum editionem adornaret, ab Arnoldô, Clariſſimô virô, petiit & impetravit illorum tractatuum verſionem, qui à Rawleiô collecti, hactenus in Latinâ non apparuerunt linguâ. Sunt autem Conſilia Regi Jacobo ſuppeditata de Scotorum cum Anglis unione, coloniis in Hiberniam ducendis, Eccleſiæ Anglicanæ controverſiis & tranquillitate, nec non alia, cum orationibus in Parlamentis & alibi à Verulamiô recitatis. Memorari autem meretur ejuſdem Apologia in cauſâ Eſſexii, diluens illud, quod nuper *Huberus* in Hiſtoriâ Univerſali narravit: *Baconem Eſſexio, cui fortunam ſuam debebat, abſque ullâ neceſſitate de aliis accuſato rebus objeciſſe, eum proclamâſſe aliquandò coronam Angliæ Hiſpano eſſe proditam.* Nam & invitum ſe contra Eſſexium egiſſe, & ſolum de occaſione libello famoſo præbita, ceu leviſſimô crimine, ex Senatûs conſiliô Comitem accusâſſe, inibi col. 1465. refert Verulamius.

Cæterùm reſtant Baconi Epiſtolæ, quas, ut intelleximus, jam quoque Arnoldus interpretatus eſt, nondùm tamen editurus: expectat enim, nùm alii plures, quàm in Rawleii collectione exſtant, promere ſibique tranſmittere velint ac poſſint epiſtolas: illoſque his noſtris verbis publicè exoratos cupit: vel etiam nè locus ſit æmulationi, operam ſuam alii cuicunque earundem editionem curaturo, offert Errores intereà Typographicos, qui, ut aſſolet, non ſemper leves ſunt, ſe collegiſſe ac imprimi juſſiſſe, ex emtoribus vult latere neminem.

BACQUERE (*Benedictus de*)

Ex eô habetur

Senum Medicus: quædam præſcribens obſervanda ùt ſine magnis moleſtiis aliquò uſque ſenectus protrahatur. Opus rarum ac curioſum, omnibus longam vitam producere cupientibus utile. Coloniæ Agrippinæ, 1673. in 8.

BADIUS, ſeu Baldus (*Sebaſtianus*)

Ex eô habentur

Anaſtaſis Corticis Peruviani Genuæ, 1663. in 4.

Neceſſitas Phlebotomiæ in Exanthematibus. Genuæ, 1663. in 4.

BADUELLUS (*Claudius*)

De eô exſtant

Oratio, de Laudibus Artis Medicæ, Continetur cum reliquis ejus Operibus. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium 1544. in fol.

BAERSDORP (*Cornelius à*) Goſenſis, Medicus eruditus. Vixit A. C. 1536. Juſtus in chronol. Medic.

Ex eô habentur

Methodus univerſæ Artis Medicæ, Formulis expreſſa ex Galeni traditionibus, ſcopos omnes curantibus neceſſarios demonſtrans, in partes quinque diſſecta. Burgis, apud Hubertum Crocum, 1583. in fol.

Conſilium de Arthritide. Exſtat eô in Opere, quod Henr. Garetius edidit Francof. apud Johan. Wechelum, 1592. in 8.

BAGELLARDUS à Flumine (*Paulus*)

De eô exſtant

De Ægritudinibus Infantium. Venetiis, apud Matthæum Vindiſchgretz, 1487. in 4.

Opuſculum de Morbis Puerorum, cum Appendicibus Mag. Petri Toleti. Cui adjuncta ſunt Oddi de Oddis de Prandii & Cœnæ ratione. Libellus de Peſte Guidonis, quem exhibuit Squironius. Univerſalis morbi articularis præcautio & curatio. Paraſtaſis de Prandii & Cœnæ ratione. Lugduni, apud Germanum Roſe, 1538. in 8.

BAGLIVUS (*Georgius*)

De Baglivô hæc habet Nicol. Comnenus in Hiſtor. Gymn. Patav.

SI quem alium pleniore jure hâc noſtrâ ætate accenſere Alumnis ſuis, deque eô gloriari licet Gymnaſio noſtro, is eſt Georgius Baglivus Aletienſis, ex urbe clarâ Salentinorum, ſub Archiepiſcopô Hydruntinô. Patavij ſtuduit. Patavij ad præmia tituloſque Doctoris evaſit ſummâ cum laude: Hic quoque Praxim Jatricam didicit. Romam profectus, ibi celeberrimus Medicus fuit, Profeſſorque, & Anatomes adminiſter in Romanô Archilycæô: Tanti verò in urbe nominis, ut illi famæ præproperus favor, atque Artis fælicitas exitio fuerint. Nam cùm expetitus ab omnibus, eos ſibi undecunque labores conciliaſſet, quos exantlare minime poſſet, nec vellet deſerere, iiſdem brevi ſuccubuit triginta & octo annos natus, ſeculi noſtri 18. ſextô, ſepultuſque eſt ad S. Marcelli in Hippodromô, vir planè in Re Medicâ maximus.

De ejuſdem Operibus ſic in Præfatione illis præmiſſâ. Editionis Lugdunenſis ann. 1710.

ECce quod omnibus in votis erat, auctum prodit in lucem Baglivianum opus. Hîc enim habes inedita non ſolùm, quæ benè multa ſunt & apprimè utilia, ſed quæ edita quoque fuerant, appendicibus variis, noviſque argumentis, obſervationibus & experimentis munita. Itaque novum hodiè non minùs illud opus videbitur quàm cùm novum erat, ut potè additamentis novis iterùm factum recens. Præterquam quòd enim novis ſemper blanditur illecebris quidquid Baglivum ſapit, multa habent ultimò recuſa hæc illius opera, quæ ut in aliis auctoribus, ità in aliis editionibus deſiderantur. Pullulant quidem undique recentium ſcripta, ſed ex iis plurima animos ineſcant non paſcunt; Bagliviana verò placent & inſtruunt, adeò ut ex iis nunquam recedas niſi melior factus, doctior, peritior. Diſcriminis hujus ratio eſt, quod non pauci phantaſiæ laſcivientis ludibria offerant, Baglivus naturæ imitamina. Hoc ut exequeretur, ſtatim ac è primô limine Medicinam ſalutavit, in ipsômet medicatricis naturæ ſinu educandum ſe commiſit, ut illius mores, ingenium, agendi rationes quaſi cum lacte hauriret. Hanc ob rem non opinionum commenta, non hominum opiniones ſectatus, ſed morborum hiſtorias, diagnoſin, prognoſin, curationes, morbos inter & ægros verſando, didicit; quod ipſiſſimum eſſe ac creatoris digitô duci, is facilè agnoſcet, quem non fugerit eaſdem eſſe creatoris ac naturæ leges. Tali uſus magiſteriô, morborum & remediorum arcana improbô labore, propriiſque quaſi ſtipendiis aſſecutus eſt, veram id eſt methodum practicis obſervationibus ſuffultam, inconcuſſiſque munitam legibus, quam in hôc ſtudiô tenuit viam, quæ expertus eſt pericula, difficultates, commoda, incommoda notavit, Tum remediorum ſudoriferorum, *refermentantium*, purgantium imprimis deſcripſit ſcandala; inſuper quæ à melioris notæ Medicis obſervata fuerant ne quid prætermittere videretur, uſu propriô confirmavit; quâ ratione, quibus auctoribus adhibenda fides, quibuſve renuenda factô periculô didicit. Tandem remoras congeſſit & impedimenta quæ artis medendi progreſſus hucuſque retardârunt. Talia ſunt ex quibus conflavit auctor clariſſimus ſuos de praxi Medicâ tractatus. Sed ne poſteris periret illius labor, laboriſque ratio; veriùs, ut eòdem impoſterùm collimarent omnium ſtudia atque conatus quibus ad ultimum, quantum fert humana imbecillitas, artis faſtigium pervenirent, non vanam, aut poſſibilem nuſquam (quod de republicâ Platonis commentum fuit) ſed utiliſſimarum Academiarum diſciplinam, leges, inſtituta, mirâ ſuâ ſapientiâ ibidem proponit, ad quorum normam ad Medicinæ ſtudium ingenia formarentur. Ex his omnibus facilè intelliget æquus rerum æſtimator ultimam ferè manum recentium inventis impoſuiſſe Baglivum, complementum ſaltem quoddam & coronidem addidiſſe concupitam diù, ſed deſideratam ſemper medendi nempe methodum, quæ cum practicis veterum obſervationibus concordans novis non omninò ad ſcholarum methodos concinnata videbitur, ſed, quod rei caput eſt, naturæ legibus & experientiæ accommodatam, eam comperient artis prudentes. Novam medendi methodum aggreſſus erat meritiſſimus vir Sylvius de le Boë, varia quoque ad hoc argumentum ſpectantia invenias apud Williſium, Ettmullerum, Waldſchmit, Sydenhamium imprimis, omnes artis proceres digniſſimos; ſed hanc ſpartam nemo Baglivô noſtrô, pleniùs ornavit. Latiùs adhuc patet librorum illius de praxi utilitas. Anxiè & diù conquiſierant artis ſapientes, veram ſtudij Medici normam, quam hîc paſſim inculcat Baglivus noſter, legitimum librorum uſum & ſelectum deſcribendo, adeò ut quod naucleris nautica pyxis, id ipſum erit medentibus Baglivianum opus.

Tot bona, quæ ex primâ Baglivianâ editione ſperanda, augere, non in promptu videbatur; præſtitit tamen clariſſimus auctor; quod quaſi ex ungue leonem recognoſces ex appendicibus ad pleuritidem & de febribus malignis & meſentericis noverat (quod peritioribus datum eſt) quaſdam eſſe pleuritides & febres quæ catharſin præcociorem poſtulant. Talium ergo ætiologias, caracteres, ingenia deſcribit, ne (quod non paucorum conterraneorum ipſius, cùm ad Medicinam animum appulit, vitium erat) omnibus idem cothurnus aptaretur, ad omnes febres præcocem trahendo catharſin, quæ quibuſdam tantùm concedenda erat. Hanc autem in ſcribendô curam eô magis ſibi injunxit, quòd inſurrexerat ubique in ſuis de praxi libris in præcocem & præpoſterum uſum purgationis: ne igitur palinodiam canere putaretur, propriis ſignat notaculis quænam ſint morborum acutorum genera, quæ in purgationis negotiô feſtinam medentis manum requirebant prudenti hâc cautione audentioribus inexercitatorum conſiliis occurrit, qui ſaburram primarum viarum ubique ſupponendo, maximè cùm ad manum magis ſit & ad vulgi captum ejuſmodi ſyſtema, purgant aſſiduè atque repurgant dioriſmô, criſi, coctione, cæteriſque curationum legibus ſus deque habitis. Hos ut antevertat aut emendet abuſus, febri meſentericæ tantùm & lymphaticæ feſtina-

feſtinatam convenire catharſin admonet, tuncque ſolùm ubi fomes eſt *in primis viis*, *lymphæ* nempe *ſyderatio*, *& concretio*, id eſt, iners quidam humor, morâ lenteſcens, abſque ullâ inflammationis ſuſpicione: pro clauſulâ addendo ſymptomatum remiſſionem, ut tutior ſit purgatio. Quæ omnia ne pauca viderentur, & ut temperaret uſum purgationis in acutis, clamat ſe *Romæ* ſcribere & in *aëre Romanô*, ubi, ait, ejuſmodi morborum apparatus ſunt in primis viis, non in ſanguine. Similiter pleuritidem, quæ purgatione indiget, non omnem eſſe vult, ſed aliquam tantùm, eamque inferam, modò inflammatio non ſit in pulmone, vel, ut ait, modò dolor non ſit inflammationis comes, ſed congeſtionis cujuſdam humoris & à ſale ſcorbuticô oriundus. Hâc autem in purgatione jubendâ pleuritidis initiô ut cautiùs procedatur, & ne illicò naſcente morbô, ſæpè nondum cognitô, in purgationem irrumperetur, primis diebus frequentioribus enematis alvum molliri ſuadet, ut ſenſim ad purgationem aditus pateat à quâ abſtinendum eſſe monet ſi ſint inflammati pulmonis ſigna, tùm ſi urina accenſa ſit, calor acris, lingua reſiccata &c. Tandem hoc purgandi conſilium ne audentius videatur aut inauditum, nobiliorum practicorum auctoritatibus, quas ibidem cumulavit, voluit ſtabiliri. Tantæ molis erat à medentium mentibus, juniorum imprimis, feſtinatæ purgationis offendicula removere. Quæ omnia ex Baglivô confirmant & raram eſſe (quod Hippocratis monitum eſt) purgationis neceſſitatem ineuntibus acutis; nec eam terendam eſſe omnium manibus, nec promiſcuè tentandam, nec denique trahendam in morem. Præcox ergò & iteranda purgatio ſcitæ manûs & induſtriæ opus erit, concedendum iis quos æquus amavit Jupiter, quibus è meliore lutô finxit præcordia; opus, inquam, quod in arte recocti ſagacitatem commendare poterit & ſapientiam, nuſquam juniorum acuere temeritatem. Quot enim & quanta in artis heroibus mirari decet quæ pumiliones dedecet imitari. Porrò purgationem tot cautionibus circumſeptam indulgere, illius pericula narrare eſt, morborumque aut circumſtantiarum aliquot, non omnium, nec omnis loci aut temporis remedium deſcribere, ut patet ex clariſſimi auctoris reſponsô pag. 703. ad elegantiſſimam epiſtolam D. Andry Medici Pariſienſis, ubi mentem ſuam de purgatione initiô morborum expreſſiùs & pleniùs aperit Baglivus.

Multa alia quæ huic editioni propria ſunt reperies à pag. 62. ad pag. 100. Quæ enim inter has paginas interjecta ſunt inedita erant, ſed exquiſita, ubique Baglivô digna, iis enim methodi medendi pars maxima aut optima continetur. Aliunde multa adhuc occurrent inter legendum, eaque nec pauca nec contemnenda, quæ dum ſapientiſſimi auctoris produnt peritiam, ſalivam omnibus movebunt, ut quos ille fecit in arte progreſſus, attingere tentent aut æmulari.

Duos de praxi libros ſequitur de fibrâ motrice ſpecimen variis, multis ac neceſſariis, præ cæteris editionibus, hîc auctum, imprimis epiſtolicâ diſſertatione de meningum vi, quam habes pag. 289. tum ampliſſimis additamentis, quæ hîc illic reperies, quorum ſunt exempla pag. 278. 303. 338. &c. 350. & ſequentibus, paſſimque in variis locis. Hoc autem ſpecimen quod vocat humaniſſimus auctor phyſiologiæ locô venire poteſt. Reverâ enim medicinalem theoriam exponit, ſeu vitæ & ſanitatis cauſas. Nec eſt unde aliquis perperam aut temerè factum putet, quòd hîc phyſiologica pars, alteri quæ de praxi eſt præmiſſa non fuerit, poſt inventam enim Medicinam quærenda eſt ratio, non poſt rationem quærenda Medicina. Porrò rationem illam nullibi meliùs reperies quàm in hôc Baglivianô opere. Hîc enim non hypotheſes è cerebrô natas, non caduca principia, non comminiſcentis ingenij ludos, ſed ipſammet operantem offert naturam; quô enim aliô nomine deſignabis ſolidorum illud cum fluidis æquilibrium, proportionem, æquabilitatem à jugi ſolidorum niſu in fluida, id eſt, oſcillationibus pendentem, naturæque majeſtati tam dignè reſpondentem: ſupremum verò creatoris opificium nihil refert magis quàm ſimplex & nobilis ea tradita hîc à clariſſimô auctore ſanitatis ac vitæ cauſarum deſcriptio. Cæterum cùm opera Bagliviana commendamus, procul à nobis ſit hoc facinus indignum ut cæterorum ſyſtemata, ut inutilia aut damnoſa rejiciamus: omninò indecorum enim nec ingenui animi eſt ea deſpicere, per quæ profecimus. Suam igitur unumquodque laudem manere volumus, omniumque conatus laudari; in eâ enim quâ laborat humana mens brevitate; non pauca primum lucro apponenda habet, quæ poſtmodum repudianda ſunt. Interim errori aut inconſtantiæ non id imputandum eſt, ſingula enim ſuis ſerviêre temporibus & locis, ſaltem erunt utiliter congeſta è quibus ad altiora & meliora gradus ſit. Id autem ſi cuipiam certè Medicinæ indulgendum erit. Corporis enim œconomia quam tractat ſublimibus & exquiſitis iis rebus ſimillima eſt, de quibus meditatis quantumlibet faciliùs aſſeras quid non ſint quàm quid ſint. In hac rerum caligine, ſi aliquid à rei veritate alienum effutierint ſyſtematum conditores, tolerandi tamen audiendique, cùm enim illorum labore jam compertum ſit quid non ſint ſanitatis aut morborum cauſæ, in id quod ſint breviùs & faciliùs inquiretur. Salvô tamen cæterorum honore, de Baglivianô ſyſtemate affirmare fas erit, illud eſſe quod multiplici titulô cætera vincit. Id vitii cæteris fuit quòd res & inſtrumenta uſurpaverint extranea humano corpori & peregrina. Triplicem hic materiam, atomos ille, acida alij & alcalia admiſêre, ſed quæ tot ſunt mentis aut ignium fœtus, totque incongrua hominis vitæ. Talia enim amabo quis unquam humanô in corpore pervidit? atomos præcipuè & varios illos materiæ modos? Fidem fortè facilius obtinebunt acida & alcalia, quæ è ſanguine cæteriſque ſuccis extorquentur; ſed præterquam quòd nativa hæc vix reperias, quem huc uſque diorismum ſtatuerunt eorum auctores, quò acidorum & alcalium caracteres, varietates, diſcrimina medentibus patefaciant? Illis quidem in promptu fuit ſuis in officinis tutò experiri quibus acidis hæc vel illa alcalia ſaturarent, quibus alcalibus hæc vel illa infrænarent acida, id enim vilium aliquot metallorum & menſtruorum jacturâ & diſpendiô facilè obtinetur, Verùm ſimilem nobis prodant artem, quâ ſpecifica variorum morborum acida propriis alcalibus tutò obtundantur, Si regerant multis certò congruere morbis mercurium, corticem peruvianum, multaſque herbas alcalinas, amarorumque ingentes copias; audient hæc omnia uſu, meditatione, obſervatione, caſu non infrequenter, prodita fuiſſe, iis etiam temporibus, quibus inculta adhuc jacebat Chymia, aut ab arte medendi arcebatur. Hinc igitur medicaminum, quæ jam experientia oſtenderat, rationes & ætiologias elucidaſſe Chymiam unicè evincetur, quæ illius laus eſt quod ſuſpicioſum maximè reddit Chymicorum ſyſtema, quòd eorum operibus minùs cohæreant eorumdem ſermones. Ii ipſi ſi audiantur ad ravim uſque clamant non ignem aut calidum eſſe quod in corpore magnam vim habet, nihilominùs tamen (quod diſſoni inconditique eorum ſyſte-

ſyſtematis non contemnendum argumentum eſt) dum calori in edendis functionibus tribuunt nihil, in iiſdem reſtituendis calori imperium omne concedunt, calidis nempe, aromaticis, ſulphureis, volatilibus. Ultimum reſtat, quod ut in cæteros quoque ſyſtematum auctores cadit, pariter Chymicis objicitur. Omnes varietatis æmulatores ſe profitentes, veritatem tamen minùs quàm alienum quid à veritate tractant & meditantur, puram nempè putamque materiam aut materiæ modos circà quos, mirè cavillantes, totos ſeſe exercent. Inveniendæ tamen veritatis dux optima eſt & magiſtra inventa veritas, quam unicè meditari, inſpici & à Philoſophis expingi decet. Hâc autem ex parte (quæ omnium caput eſt) tantum cætera ſuperat Baglivi ſyſtema, quantum viburna cupreſſi. Medicæ veritatis avidus auctor noſter ſapientiſſimus, primò quidquid, non de rebus extraneis, ſed de medendi arte & corporis œconomiâ verum proditum eſt atque compertum ſibi ſumit, hinc obſervationum ſerie tanquam filô Ariadneô ductus, alias occupat attingitque veritates. A veritate autem ad veritatem progrediendo, ipſius veritatis veſtigia calcare eſt. Sic plures aſſecutus veritates ſingulares, aut veritatum circumſtantias, ad id tandem pervenit aſſeverandum quod univerſim de ſanandô corpore humanô verum eſt. Syſtema id eſt medicinale aſſequitur ipſi innixum veritati; tutum certè ad veritatem iter, certamque dubiô procul hujus inquirendæ methodum, ex veritate enim quid aliud ſperandum niſi veritas? Hanc ut certiùs obtineat non alienam, ut vides, ſuſcipit explorandam materiem, unde analogiſmô ductô aliquid veriſimile de corporis œconomiâ aut arte medendi concludat, ſed ipſas meditari aggreditur corporis humani partes, eaſque non fluidas tantùm, quod omnium hactenus erratum fuit, ſed fluidas ſimul & ſolidas, quas non ignium tormentis quæ fucant & adulterant, ſed aut ſcalpelli acie & mentis oculis, aut manuum dexteritate, quæ inviolatam partium ſtructuram repræſentat. Tandem in inſtituendô rerum medicarum analogiſmô, non ex dubiis rebus & incertis veritatem expiſcatur, ſed ex rebus compertis & quæ in confeſsô ſunt; non enim ex materiâ aut materiæ modis eam mutuantur, ſed ex ordine, proportionibus, æquilibriô inditis à creatore corporis partibus, iiſque non elementaribus, quæ latent, ſed organicis, quæ patent, utpote quæ iis quæ præ ſe ferunt ſymmetriâ, concentu & harmoniâ, quam condunt veritatem, produnt ac manifeſtant; adeò ut quæ adſtruit auctor ex ipsâ veritate dimanaſſe videantur. Ne autem imponat aut impedimentô ſit multiplex nimis compoſitarum partium apparatus, ſimpliciſſimas organicas examini ſubjicit, quod clariſſimorum virorum conſilium fuit, ut ad detegendam earum naturam, quæ magis compoſitæ ſunt, fiat iter. Ejuſmodi ſunt fibræ à quibus auſpicatur, quarum fabricam & vim in cadaveribus explorare cùm ambiguum ſit, in vivis animalibus earum undulationes, criſpaturas, ſpaſmos intuetur, ipſam, id eſt, operantem naturam. Sed cùm ex fibris factas eſſe conſtet corporis partes, ex ſingularum viribus & elatere non temerè infert corporis univerſi robur. Ampliùs, fibrarum veſtigat origines, quas cùm à meningibus maximâ ex parte duci comperit, meninges inſtituit membranarum matres & fibrillarum, quæ ab illis reſtituendi ſe & oſcillandi vim mutuantur. Tandem ex eô quòd ubique adſint fibræ & membranæ, ex quibus partes conflatæ ſunt, concludit ſuum quibuſque particulis dari elaterem ſeu niſum, quô fluida exprimunt, eorumque motus moderantur & perpetuant. Fluida aliundè, reſiſtendo fibrarum (quæ ſolidorum titulô gaudent) compreſſionibus, partium alunt oſcillatorium motum, qui à meningibus deſcendens ad ultimas uſque vaſorum & partium propagines undulatur. Arcanas ejuſmodi & inſenſibiles oſcillationes ne quis accipiat pro commentis ingenij induſtriè delirantis, argumenta mutuatur auctor ſapientiſſimus ex iis partibus in quibus fatentur omnes manifeſtam conſpici oſcillationem ſeu vim ſyſtalticam, quæ ad ultimas partes atteſtante ſenſu propagatur. Itaque in meningibus manifeſtam ſyſtolem obſervari jubet, quam ad ultimos fines membranarum propagari præterquam quòd evincunt in animalibus inſtitutæ obſervationes, oſtendit quoque periſtalticus inteſtinorum motus. Cùm enim in inteſtinis deſinant nervorum mille propagines, in quibus manifeſtè vigent à cerebrô impreſſæ oſcillationes, argumento erunt, in aliis partibus ſimile quid contingere. Par nec debilius exhibet argumentum cordis ſyſtole ad ultimos arteriarum exitus omnium conſenſu propagata; ex quibus omnibus ſenſibus obvium ducitur teſtimonium in extremis partium finibus perſeverare oſcillationes, quæ in meningibus inceperunt.

Interrogant cauſarum curioſi, undenam tanta hæc meningum vis? an propria iis? an precaria ſeu mutuatitia? ulteriùs quærunt quâ ratione à cerebrô manans undulatio tot inter reſiſtentias & ſcopulos progrediendo, in ultimis partium finibus adhuc durare poſſit. Sors eadem, ſubridendo concludunt, meninges manebit quæ glandulam pinealem, ambæ enim ex æquô, id eſt, nullatenus, undulationes emittere valent aut accipere. Invitabiles quidem ſed otioſas quæſtiones & inutiles! Has Oedipus quidam ſolverit, quid inde ad medendi peritiam utilitatis redundabit & commodi. Enim verò à ſe aut ab aliô oſcillent meninges, ad praxim perinde erit, modò comperta ſit earum vis ſyſtaltica, jugiſque nec interrupta ad extremas partes earum undulatio. Aliundè medentibus ſatis ſuperque erunt, quæ horum in confirmationem paſſim tradit clariſſimus auctor, ſed imprimis capite V. & in epiſtolicâ diſſertatione pag. 289. de novô huic editioni additâ.

Meliùs certè, cum illis aſſiduis cauſarum indagatoribus ab auctore noſtrô actum eſſet, ſi fermentationem quandam, certam exploſionem, vel quandam ſubtilis materiæ energiam fingere voluiſſet, quibus explicaſſet fibrarum elaterem. Talibus enim ſimiolis duci adhuc amant perplures ac ludificari. Sed in explorandâ phyſiologiâ iis tantùm didicit auſcultare, quorum in humanô corpore notavit exempla. Porrò corporis partes cùm ſtatim à conceptu ſalire obſervantur, hinc vim ſyſtalticam (quæ reſilitionis ſpecies eſt) fibris propriam eſſe & à naturâ inditam pronunciat. Et revera, ſi à mechaniſmô quôdam, & ad proportionum leges datâ partium ordinatione, repeti poteſt ad contrahendum ſe villorum proclivitas, quidni ratione non abſimili explicaretur fibræ vis ſyſtaltica. Dices, non talem oculis apprehendi fibræ ſtructuram qualis ſupponitur? equidem non abs re hæc dubitandi ratio: ſed ea eſt geometricarum ſuppoſitionum conditio, ut veritatis ſemper imagines repræſentent & exempla. *Exemplum dico, non ipſarum rerum compoſitionem, primas etenim compoſitiones* (inquiet, illuſtriſſimi Bellini verba uſurpando, Baglivus noſter) *ſicuti ipſarum figuras & figuras primorum componentium, neque ſcio, neque me poſſe confido, cùm ſatis certus mihi videar compoſitione ejuſmodi & ejuſmodi figuras ſe habere poſſe, quomodocunque velis, dummodò adſint motus quidam certi, vel quidam certi nixus in motum, vel certi motus & certi nixus ſimul.* Similiter

liter ergò quodcunque ſit de meningum ſyſtoles naturâ, interim Bagliviani ſyſtematis de ſolidorum & fibrarum vi conſtabit veritas, ut potè elicita ex fibrarum texturâ non impoſſibili, ſaltem juxta *motûs certi certique nixûs* regulas ſupponenda. Sicque non falsò concluditur à ſolidis repetendam eſſe vim quæ fluidis imperet, regatque corporis functiones, & proindè, quæ medentium animos & conſilia potiſſimùm occupare debeat.

Sunt qui altis vocibus intonant, vidiſſe ſe cadaver, in quò cerebrum cum meningibus fermè occalluerat. Cùmque, dum erat in vivis ægrotans, vitij ejuſmodi ſuſpicionis nihil ſenſerat aut dederat, arguunt commentum eſſe ac ludibrium oſcillatorium motum à meningibus ad inferas partes deſcendentem. Narrant alij, interdum ſe inter ſecandum reperiſſe meninges undique cranio tam arctè agglutinatas ut viderentur adunari: illud addentes quod omnibus notum eſt Anatomicorum experimentum, de avibus nempe (columbis v. g.) quæ exemptô licèt è cranij latebris cerebrô, tamen nihilo ſecùs ad horas aliquot vivunt non modò, ſed cæcô incertôque volatu cerebrô deſtitutæ per aëra feruntur.

Verùm expendant primò an iis quæ ſemel obſervantur, ſyſtematis cujuſdam veritas diruatur tam efficaciter, quàm ſolidè adſtruitur perpluribus aliis quæ quotidie & perpetuò vera obſervantur. Ut ergò rarum eſt quod de induratô aut aliter labefactatô cerebrô & meningibus afferunt, neque vim legis nec auctoritatem merebitur, parùm ergò aut nihil tam multis aliundè ſtabilito ſyſtemati officere poterit.

Secundò meminerint pro nihilô à Dialecticis haberi, id argumenti genus, quod nimium eſt, quod nempe plus quàm quærebatur, concedit. Porrò ex induratô cum meningibus cerebrô, probarent non ſolum, ad partes undulari non poſſe meningum oſcillationes, ſed & à cerebrô ut pote ſpirituum fonte, reſiccatô gigni non poſſe ſpiritus nec excurrere ad vitam conſervandam. Interim cùm proſtent exempla cerebri indurati aut quôvis modô maximè vitiati cum vitâ ſuperſtite, imò cùm ſcriptum reperiatur recens natos ad dies aliquot vixiſſe cerebrô defectos, an captu difficilius erit dari poſſe meninges induratas, adhærentes, aut quâvis ratione otiantes perſeverante cæterarum partium oſcillatione? Talium cauſas altiùs ſcrutari nihil juvat, mirari ſat eſt, in humanô corpore tot inter ruinarum minas, mille dari perfugia vitæ.

Ad ſummum ergò inde ſequetur (quod 3°. notandum eſt) non ſic indigere, meningum elateris præſenti influxu cæteras corporis partes ut oſcillent, ſanitatemque tueantur, quin illô pereunte aut multum imminutô, cum vitâ perſeverent adhuc partium oſcillationes. Quod ut mente aſſequantur, in ſuam memoriam revocent partes eſſe cerebri quæ fœcundatione factâ primæ evolvi incipiunt, & ex his præcipuas eſſe meninges quæ primæ micare conſpiciuntur atque ſalire. Concludendum ergò à meningum ſyſtalticâ vi motum omnem & energiam mutuatas fuiſſe quotque poſteà evolutæ ſunt creveruntque partes: hanc autem vim admodum ſemel imbibitam ſervare diù, integramque adeò, ut in adultis eam quaſi propriam ſibi vindicârint. Abſolutâ enim in adultis fibrillarum omnium evolutione idoneâ, & ſufficienti extenſione, ſuus cuique parti proprius cuditur elater, undè niſus & ſyſtaltica vis. Poſitô autem hôc partium ſtatu, à ſuâpte ſtructurâ habent undè ultrô perſeveret earum ſyſtaltica vis ad vitam tuendam, & oſcillationes, ſaltem mirum eſt quàm perpaucis indigeat. Oſtendunt varia animalium genera, quæ impaſta totas hyemes mortuis ſimilia tranſigunt, in quibus tamen ſic perſeverant vitæ oſcillationes, ut adventante vere derepente reviviſcant. Oſtendit quoque nemini non notus quidam hyſtericarum ſtatus, ſub quô interdum integris diebus pro mortuis habentur, vitâ tamen cum oſcillationibus ſuperſtite. Nec deſunt rationes; demonſtratur enim reſciſſis novem partibus quantitatis rei illius, qualis eſt aër, quæ ſanorum functionibus obeundis omninò neceſſaria eſt, decimam quantitatis illius partem ſufficere poſſe ſi unicè à morte vindicanda ſit vita. Unde, cui ad reſpirationem, inſpiratione ſingulâ trahendi erant 31. digiti cubici aëris inſpirati ut ſuam conſervaret ſanitatem eidem tres tantum digiti cubici aëris inſpirati ſufficient ſi vita unicè ſit conſervanda. Quæ cùm ita ſint mirum non erit ſicut ut imminutâ in cerebrô induratô, meningibuſque cranio adunatis, ſyſtalticâ vi, cæteris in partibus ad vitam ſufficienter vigeant oſcillationes. Id innuunt ſalicum rami, plantarum vivi radices, arborum ſurculi, florum bulbi, gemmæ, calyces, quæ omnia excerpta truncis, terrarumque viduata ſuccô, ſolô, vel aquæ madore, vel aëris ſpiritu turgida, germinant, virent, ſurgunt in caulem, tandem in florem erumpunt. Si movent magis petita ex animalibus exempla, exhibent ranarum, viperarum, &c. corda, quæ à corporibus reſecta non paucis poſt horis palpitant non modò, ſed ſaliunt adhuc, ſuppeditant denique inſectorum piſciumque varia genera, quorum partes cultrô ſeparatæ longô poſt tempore adhuc moventur. Animantur ergo, id eſt, aguntur ſingulæ partes propriâ ſuâ ſyſtole, quæ ſi à meningum unde oriunda eſt aſſiduè foveatur, vegetior erit & ad plura paratior: non inutilis tamen ſi meninges labefactentur, neque tunc adeò iners futura ut ſaltem trahendæ vitæ ſit impar. Itaque palinodiam diſcant oſcillationum detrectatores quarum è meningibus ſi radicem avulſerint, in ipſiſmet partibus altera non deficiet.

Sed ex Baglivianô ſyſtemate intelliget adhuc artis prudens totam in æquabili nixu, proportione, æquilibriô tandem, poſitam eſſe univerſam corporis œconomiam, ideòque in hôc impendendam eſſe artis ac Medici ſollicitudinem, non ut ſola fluidorum vitia emendet (quod quidem Medicorum turbæ error huc uſque fuit, medendi tamen ſæpè pars minima) neque ut glutinoſas, bilioſas, ſeroſas materies maximâ copiâ educat, quod alterum eorum hactenus conſilium fuit, altera intentio. Hæ etenim ut plurimùm ſecundariæ, eſſe deberent curæ, cùm illa omnia morborum ſæpius ſint effecta quàm cauſæ. Sed primarium futurum erit Medici munus amiſſum ſolidorum cum fluidis æquilibrium, intermiſſam eorum æquabilitatem reſtituendi, ſolidorum mulcendo criſpaturas, inverſas revocando oſcillationes: reſilientes eaſdem redigendo; ſic enim fluidorum frangentur impetus, deferveſcent ſucci, facta ſolidis ſubjecta fluida obtemperabunt, omnium tandem fiet concordia, conſenſus unus, quô unô ſanitas continetur. Ut enim à fluidis non ſolùm ſed & à ſolidis pendent ſanitatis cauſæ, ultrò ſequitur ab his quoque à ſuô ſtatu dejectis eliciendas eſſe medendi indicationes. Sed aliunde creſcet hinc non mediocriter artis dignitas. Hæc enim quæ in everrendis alvi ſordibus, unicè ferè collocabatur, tota impoſterùm in induſtriâ & meditatione poſita, æquilibrij, proportionum, ac ordinis legibus ſervandis reſtituendiſve inſerviet. Adeò ut non temeritatis aut audentiæ futurum ſit Medicinæ opus, ſed dexteritatis & prudentiæ. E-

mendatæ

mendatæ ſic Medicinæ fructum quoque ſentient ægrotantes, qui ſtimulantibus, acrioribus, *refermentantibuſque* remediis vexati minùs, amicabilibus, anodynis, lenientibus, *ſedativiſque* remediis ſæpiùs recreabuntur.

Deinceps enim conſcius factus Medicus tam facilem eſſe affici ſolidorum compagem & ab æquilibriô disjici, ab iis timebit omnibus quæ acriorem eorum ſenſum importunè feriunt. Poſthac qualem putare eſt mentem, aut frontem eorum, quos agitat purgandi dira libido, qui meliori arte animatum Baglivum, ad ſuas tamen partes pertrahere vellent. Eò certè non inclinant mens illius, ſyſtema, conſilium; purgantia enim in acutis ad Hippocratis mentem raræ eſſe neceſſitatis præſidia eſſe agnoſcit, ſolùmque ubi materia turget mitiora admittit, quantò minùs diagrydiata & mercurialia, quæ nunc in inflammatoriis affectibus exhibere non verentur præmaturæ purgationis patroni. Sed hi diſcent ſuô & ægrorum periculô, ſæpè inutiles eſſe, fruſtraneas, lethales imò in inflammatoriis affectibus purgationes, niſi fluxilia facta ſint corpora, id eſt, niſi ſufficienter emollitæ fuerint partium fibræ, à criſpaturis, ſpaſmis & corrugationibus liberæ; tunc enim non vi via fit, ſed purgantium ſtimulis cedendo ſolida laxantur, ſubſequente facili & cocti humoris vacuatione. Coctio enim illa (quod obiter obſervandum) quam tam frequenter in morbis deſperant, ſuccederet ſæpè, ſi ſedandis potiùs quàm importunè vellicandis ſolidis ſtuderent; undè non rarò methodi magis quàm morbi malignitati imputanda erit coctionum tarditas. Rationes aperit Baglivianum ſyſtema, quô patet à ſolidorum mollitudine & flexibilitate coctiones accelerari. Innuit adhuc Baglivianum ſyſtema purgantium, enematum, ſimiliumque ſtimulantium naturas & operandi modos. Inteſtina enim ut membranis & nervis tota contexta ſunt, ſic nullibi plures oſcillationes concipere eſt, illuc enim ſpirituum affluxus major. Cùm igitur ruptum fuerit aut perverſum (quod in morbis contingit) fluidorum cum ſolidis æquilibrium, ad medelam efficacius certè nihil, quàm ſtimulos illic admovere quò oſcillationum concurſus fit major. Sic enim mille modis ac locis vellicatum nervoſum genus, pleniùs concutietur. Hâc arte ad naturales ſedes, priſtinoſque tramites, inferas nempe versùs partes reinvitatis ſpiritibus, uberrimè aut utiliter ſaltem prorumpet alvus (niſi omninò deviaverint ſuperas versùs partes oſcillationes, aut curtâ nimis providentiâ ad regrediendum faciles eas facere omiſerit Medicus) eâdemque operâ, quæ aut vi morbi ſpaſmôque tonicô otiabantur, aut quæ corrugabantur partes, laxantur; ſolida intermiſſas repetunt oſcillationes, tandem nativis ſedibus, ſolitoque circuitui redditis liquoribus, æquilibrium cum ſanitate redibit. Porrò quòd feliciùs reſpondeat in inteſtinis quàm alibi facta ſtimulatio, efficit numeroſa illa glandularum multitudo, quæ tot excretoria ſunt organa quæ dexterè laceſſita, refluos undique, vellicationeque revocatos plorant liquores, & evacuant, quâ vacuatione erumpentibus humoribus veluti apertô emiſſariô præcaventur purgantium pericula. Si enim partibus quæ minùs perviæ ſunt, utpote apertô emiſſariô deſtitutæ, applicita fuerint ſtimulantia (quod *veſicatoriis*, *ſinapiſmis*, *rubificantibus*, contingere ſolet) eryſipelatum, inflammationum, eroſionum, ulcerum varia genera accerſunt; liquores enim ad partes quas trajicere non poſſunt evocati; in iis ſtagnant, hærent, coercentur, morâque ſuâ eaſdem labefactant. Inde patet, cur dexteram adeò poſtulet manum purgantium uſus, niſi enim (quod Medici munus eſt) tot illa inteſtinorum excretoria vaſcula ad excretionem parata fuerint & emollita, confluentibus ac derivatis undique ſuccis obices ponunt & repagula, ſicque moti non promoti humores, tympanitidem, inflammationem, ſphacelum committunt. Unde intelligitur, quæ alvo ſaburratæ & humorum craſſitiei imputabatur purgationis difficultatem, meliùs ſolidis ſpaſmodicè affectis tribuendam venire; Baglivianique ſyſtematis beneficiô fiet ut catharticorum iterandorum locô, quæ ſuaſerat de ſordibus alvinis opinio vetus, diluentia, fotus, lenientia, *ſedativaque* ſubſtituantur, quibus ad Catharſin facilem aut liberalem ſternatur iter. Ejuſdem ſyſtematis operâ, quæ benè multa mentibus inſederant præjudicia exuentes impoſterùm Medici, à rudibus & plebeiis viſcorum & mucaginum primis hærentium viis notionibus reconvaleſcent; ut ad mechaniſmi leges, proportionem, induſtriam, ſuam (quam ſublimen homini dedit Deus) mentem accommodent. Verbô, ſolidorum cum fluidis æquilibrio reſtituendo magis ſtudebunt, quam ſordibus exhauriendis quæ ſæpè aut nullæ ſunt, aut à ſolidorum criſpaturis intermiſſôque ſanguinis circuitu natæ.

Eſt interim, quod concedendum, ubi ab alvinâ regione incipit ægritudo, quod experientiſſimi Baglivi obſervatio quoque eſt, ſed parùm inde juvabitur vulgi præjudicium ſi res, ut decet, exponatur. Tunc enim in causâ eſt non ſordium congeries ſed chyli aut malè aut præcipitantius ſubacti peſſimum gas, aut infenſa fracedo, quâ imbutæ abdominis partes corrugantur ac convelluntur. Inde poſitis ſpirituum undulationi obicibus reſiliunt oſcillationes, quæ retrogradæ factæ ſcotomias, vertigines, non in ſolita morborum proludia, vaporeſque, ut aiunt, ad cerebrum, oſcillationum nempe originem ferunt. Verùm his ad inteſtina revocandis eccoprotica, enemata, potûs ubertas ſatis erunt; arte non abſimili quâ præmedicati cauſarij à morbis ſe tueri nôrunt, leniora nempe purgantia indentidem ſumendo, quibus morbi fomites ſuffurari ſe credunt, ſed reverà quibus oſcillationum inverſioni proſpicitur. Laudanda enim hæc induſtria eſt, quâ ſolida molliter identidem vellicata, nativos ſpirituum à cerebrô ad inteſtina excurſus tuentur; ſolidorumque undulationes ad inferas partes ſollicitando ſuam ſecretionibus facilitatem ſervant, & ſanitatem. Purgationis ergò laus maxima venit, non tam ex immensâ, quam exoptant adeò, vacuatione, quæ oculos ludit & mentes, quàm ex mutatô ſuccorum & oſcillationum quæ altroverſùm ferebantur impetu. Hincque patet purgantium fraus. Et purgationibus enim invenias quæ educunt nihil & exaſperant, alias quæ multùm nec ſublevant, tertias quæ mediocriter & ſanant; omnium rationès revelat Baglivianum ſyſtema. In primis abalienati nimiùm & intractabiles humores admotô purgantis ſtimulô efferantur magis, tenſæque adhuc nimiùm fibræ non cedunt, imò criſpantur fortiùs & reſiſtunt; in ſecundis colliquantur ſucci & extorquentur, recalcitrantibus fibris ſtrictiuſque corrugatis, in ultimis fluxiles facti liquores & flexibiles fibræ victas dant manus & obtemperant. Sola hæc optima ab iis qui artifices ſunt, exoptatur purgatio, vacuat enim (quod cœpti vix dimidium eſt) ſimulque alíorſum abreptos liquorum & oſcillationum impetus frangendo vincit, quod curationis votum eſt & ſumma. Itaque curationis nomine concipienda venit contactuum & impetuum facta opportunè mutatio, derivatio liquorum à ſedibus affectis, *determinationum*, ut ajunt, controverſia facta, mutataque inclinatio; ut liquidorum

quidorum & ſolidorum fiat æqualitas, harmonia, concentus, æquilibrij tandem proportio.

Sed eſt adhuc ubi in abdomine latent graviores morborum cauſæ. In confeſſô eſt, tardeſcente in quôdam viſcere ſanguinis circuitu, aut inibi peſſumdatô liquorum æquilibriô, inflammationes naſci, quæ ſui generis febres aut morbos acccerſunt. Iterùm palam eſt etiam ex Chronicis morbos dari, qui à ſingulari partis alicujus vitiô ortum trahunt, quod de epilepſiâ notum eſt, quæ aurâ quâdam à remotiſſimis partibus ad caput reflexâ ſe prodit. Quidni ergò ſui generis febres non naſcerentur lymphaticorum vitiatô æquilibriô in meſentericis ſedibus, ubi præcipuum eſt earum promptuarium. Febrium ejuſmodi diſcernendarum Baglivi ars eſt ac præcipua cura ut pote quibus ſi nonnullis (ritè priùs harum factô diſcrimine) congruet purgatio. Lymphaticorum enim liquores cùm ad ſtagnationem & concretionem magis quàm inflammationem proclives ſint, purgantium ſtimulis urgeri ſe tolerantiùs ferent & utilius. Hôc titulô laudem non mediocrem merebitur Baglivianum ſyſtema, quòd purgantium ætiologiam, locum, uſum, pericula quaſi digitô monſtrans, purgationem ignaris, præcipitibus, elatis animô, temerariis, non ſecus ac furioſis enſem, interdicet; maximè cùm illius operandi modum non tam ad antiquatam ſaburræ opinionem, quàm ad mechanices & obſervationis normam doceat accommodandam. Sed finem facere cogit ubertas materiæ & facilitas; quæ inde enim deducuntur utilitates tam ultroneæ ſunt, ut ſponte fluant, hâcque in palæſtrâ exercitatorum ſe inſerant menti.

Circum intereà fremunt ſyſtematum conditores, ij imprimis quorum animos invaſit fermentorum furor. Suis hi metuentes idolis (quæ nuperi ſæculi deliciolæ erant) verentur ne Mechanices, Geometricique ſyſtematis veritate, rationum momentis ac dignitate capta Medicina fermentorum ſimulacris carere diſcat, taliumque amores dediſcat & cultum. Sed meminerint tunc ubi renovanda fuit ac reparanda Medicina non malè pro temporum conditione, in ſubſidium vocatos fuiſſe Chymicorum ignes, qui veteres Medicinæ ſcorias purgarent. Ratione non abſimili fermentis locus concedendus fuit, quorum beneficiô veteris Philoſophiæ recrementis ſordeſcens adhuc Medicina deſpumaret. Nunc autem melioribus inventis, omnia hæc exuenda ſunt fermentorum veteramenta, azyma enim facta Medicina; levior progredietur nec infelicior, curtâ ſed mundâ & neceſſariâ contenta ſupellectili. Quod cùm ij viderint adlatrare deſinent parcentque invidiæ, cùm illam ſumptu parciori & apparatu incedentem, eadem aut majora exequi intellexerint. Jam, ſi unum demas ventriculum cui fermenti jus volunt reſervari, cæterorum viſcerum fermentis repudium dici concedunt, plenioris certè reſipiſcentiæ teſſeram & arrhabonem! Reverà nuſquam felicior erit medendi ars, quàm cùm fuerit ſimilior facta naturæ, ſimplicitatis amans, turbarumque & luxuriæ averſatrix.

Sed cavillando regerunt en Baglivus inter ſyſtematum conditores, ille ipſe qui ſyſtematum erat infenſiſſimus hoſtis. Hi autem riſum teneant & in verbô deſinant ludere. Opinionum commenta repudiat clariſſimus auctor obſervationum è ſinu naturæ depromptarum ſeriem amplexurus, unde ſanitatis eruat & morborum cauſas. In unum collectam ejuſmodi obſervationum ſeriem modeſtô ſpeciminis nomine inſcriptam offert quam hìc ſyſtematis nomine (brevitatis ac commodi causâ) indigitamus, id nominis ſi reſpuerint cavillatores, perinde erit modò Baglivianum opus ut apographum naturæ ad illius mores non phantaſiæ exemplar expreſſum eſſe expictumve fateantur.

Opponunt alij inauditum eſſe novumque, ſuſpicioſum proinde, hoc de fibrâ motrice ſyſtema. Sed multùm illi antiquitatis erit, ſi multùm veritatis. Hi autem animô luſtrent an quæ huc uſque in Medicinâ detexerunt Anatomici Chymici, Geometræ, Phyſici, in iſtam fibræ motricis ſyſtalticam vim quadrent, quod attendenti & examinanti facilè patebit. Omnium enim, quæ in Medicinâ floruêre, ſyſtematum vocabula minus quàm ſenſum perpende, ſub horum quaſi ænigmate Bagliviani ſyſtematis ſin verba, rem ſaltem & ideas velari animadvertes. Conveniunt omnes in colluctatione quâdam poni vitæ cauſas. Alii, in primarum, quas vocant, qualitatum certamine, alij in acidorum fermentatione & alcalium, poſtremi in ſpirituum luctâ: ſed quem niſum in unis liquidis, ſanguine aut ſpiritibus, quærebant omnes, in liquidis ſimul & ſolidis inveniri oſtendit Baglivus. Nihil ergò in Medicinâ dabitur, cujus plura apud auctores reperias veſtigia aut argumenta quàm ſyſtematis de fibrâ motrice. Aliunde vim fibrarum ſyſtalticam aut expreſſis verbis obſervârunt aut ſubolfecerunt ferè omnes Anatomiæ heroës, hos inter DD. Steno, Williſius, Swammerdam, Louverus, Borellus, Bellinus, viri omnes litteris & orbi venerandi, tandem hanc tanti facere videtur D. Pitcarnius, apud Scotos & omnes hodie celeberrimus ut trituram, quæ fibrarum opus, omnem paginam in corporis œconomiâ implere evincat, ad coctiones & ſecretiones abſolvendas, explicandaſve. Sed pro Baglivianô ſyſtemate nihil fortiùs militat quàm acuratum & exquiſitum oculatiſſimi viri D. Pacchioni opus de durâ meninge, cujus opinio Baglivianæ germana, omnium, ſi qui ſuperſint, ſcrupulos delet & omnem eximit dubitandi anſam. Quæ ergò hactenus prodidit accuratior Anatome, ea aut prælusiſſe videntur Bagliviano ſyſtemati aut illud confirmare. Pronuntiandum ergò reſtat de iis cavillatoribus nodum eos in ſcirpô quærere, niſi meliora prodant aut veriſimilia magis.

Sed hìc factâ mentione operis D. Pacchioni ad rem facere credidimus, hûc referre celeberrimi Baglivi epiſtolam, quæ, dum hæc hujus opera ſub prælô ſudant, incidit in manus D. Aniſſonii. Grunniebant quidam neſcio quid natum eſſe diſſidij Pacchionum inter & Baglivum, quaſi Baglivus non pauca quæ Pacchiono propria erant, ſibi vindicâſſet. Horum & ſimilium mendacia ſic diſſolvit auctor clariſſimus.

GEORGIUS BAGLIVUS amico.

LITTERIS tuis hodiè mihi traditis breviter & candidè ſcriptis hodiè breviter & candidè reſpondeo. Mones primum nonnullos eſſe apud vos, qui aſſerant factis infinitis circà meningem duram experimentis, obſervationes de ſtructurâ ejuſdem ejuſque adhæſione, craniô, preſſioneque in cerebri molem minùs fidas, & accuratas deprehendiſſe, ac proinde cenſoriô ſuperciliô quamprimùm eas labefactaturos. Ad quæ quod attinet, Dn. Pacchionus amicus noſter in opuſculô peculiari tibi ſatis notô, ſatis abundè ejus rei veritatem demonſtravit, probavitque, ut non facilè mihi videatur redarguere ipſum falſitatis, maximè ſi experimenta ad rectam methodum & accuratè tractaverint adverſarij: quod, ſi hi contrarium quid habeant circà id, idem auctor eiſdem reſpondebit. Si quid verò contrà meum de fibrâ motrice & morboſâ, ſive de ſolidis ſyſtema, & inde ad praxim deductis theſibus, corollariis & poſtulatis, ipſe reſpondeam.

Mones

Mones ſecundò Româ ſcriptum eſſe, me in libris meis de fibrâ motrice, &c. plura de meningis ſtructurâ à Dn. Pacchioni opuſculô de ſtructurâ meningis excerpſiſſe, ac pro meis venditâſſe. Cujus rei cùm nullum unquam audiverim publicum & manifeſtum rumorem per urbem, nec unquam mecum de hôc conqueſtus ſit Dn. Pacchionus, quem frequenter in ædibus meis, aut in Archilycæo, aut per urbem video; neſcio quis tam perditè maledicus ut haſce impudentiſſimas falſitates auſus ſit diſſeminare, meamque famam tam inſolenter laceſſere. Quod ſi quis adhuc ſit, qui non ceſſet talia impudenter effutire, foràs prodeat; & an aliquod novum de ſtructurâ meningis inventum ipſi ſubripuerim ac pro meô venditaverim, apertè patefaciat; tuncque me dicat uſurpatorem; contrà ſi veritatem non fateatur, me vindicem injuriarum habebit acerrimum.

A primis annis quibus Medicinæ operam dedi, quibuſque ſedulò ſemper evolvi ſcripta Harvei, Bellini, Borelli, Louver, Cole &c. plura meditari cæpi de ſolidis corporis animati, ſive de fibrâ motrice & morboſâ, & cum amicis per Italiam communicare: eâque de re me aliquandò tractaturum promiſi in fine diſſertationum operis de praxi Medicâ novem abhinc annis Romæ primùm evulgatâ. Hôc temporis intervallô, & publicè in ſcholis, & in theatrô anatomicô Romanæ ſapientiæ nihil mihi frequentius erat in ore, quàm tractatio de ſolidis & nomen atque obſervatio fibræ motricis, ut teſtis eſt Roma & noſtrum Archilycæum: unde cùm plura de hiſce placerent hic ac doctis per Italiam viris; rogatus ab amiciſſimô Dn. Paſcoli in breve ſpecimen redegi, & Peruſiam ad ipſum miſi, ubi cum libris ſuis de re Anatomicâ typis illud vulgavit. Hoc ſpecimen cùm Bibliopola Romanus recudere ſtatim vellet à me petiit, ut novis obſervationibus ac meditationibus augerem, quò poſſit juſtâ mole libelli foràs prodire. Per id temporis cùm Dn. Pacchionus per epiſtolam monuiſſet amicum Venetias ſe brevi tractaturum de ſtructurâ duræ meningis, & uſu, adhibitis experimentis circà eandem meningem factis à Dn. Joppiô Medicô eruditiſſimô in oppidô Arſularum trigeſimô circiter ab urbe lapide, & de hôc certiorem me redderet, laudavi conſilium & rogavi ut urgeret incœpta, ac ad finem perducat. Cumque eidem ſatis notum eſſet à multis ante annis, me plura meditari de ſolidis ac de fibrâ, fibramque ipſe jam diviſerim in carneam & membraneam, & inde duplex ſyſtema ſtatuerim in corpore animatô: Sæpè apud nos domeſticis ſermonibus amicè ſtatutum fuit, ut ipſe incumbat cum Dn. Joppiô ſtructuræ & obſervationibus meningis, & variis ejuſdem effectibus: me interim incumbente meâ methodo ſyſtemati ſolidorum, fibræque motrici ac morboſæ. Cæpit igitur Bibliopola noſter editionem librorum de fibrâ motrice menſe Octobris 1701. *perfecitque menſe Aprilis* 1702. *cùm intereà Dn. Pacchionus menſe Martij* 1702. *circiter ſuum edidit opuſculum de duræ matris ſtructurâ.*

Hæc eſt veritas facti. Nunc ad rem. Dicis Româ ad vos ſcriptum eſſe me ſubripuiſſe inventa Dn. Pacchioni circa ſtructuram meningis. Hæc falſiſſima eſſe, tu ipſe certior fies, ſi compares librum meum cum ejuſdem libellô. Videbis enim de ſtructurâ me vel minimum loqui, & quæ de illâ breviter dixi lib. I. fib. motr. cap. 5. *citaſſe auctorem de eô quod mihi ore tenùs dixerat, cùm opuſculum ſuum nondum typis datum eſſet, ſed fermè eôdem tempore cum meis libris exivit in lucem; eique aut Dn. Joppio gloriam accuratioris indaginis & ſtructuræ nec ſuſtuliſſe nec invidiſſe. Unde concipere nequeam quis detractor talia apud vos auſus ſit diſſeminare: multò magis quod plura ejus opuſcula in Germaniam, Gallias & Angliam ad amicos miſerim, ut veritas facti pateſiat: imò in præfatione meâ &* cap. 5. lib. I. fib. motr. *hâc de re nominaverim. Quod ad reliqua ratiocinia libris meis expreſſa, quæque ad ſtructuram meningis non ſpectant attinet: communia ea ſunt & cuilibet nota Anatomicô: imò ſatis obvia in accuratô & admirabili tractatu Dn. Williſii de nervis, meningibus & de cerebrô: In tractatu Dn. Mayow de ſpiritibus in quô duram matrem ob perennem ſuum motum, motùſque varias leges, plurium motuum ſive ſanorum, ſive morboſorum originem & cauſam agnovit ac determinavit, ac diaphragma (ſive potius dixeris cor) cerebri appellavit. Ipſeque Williſius duræ matris lacertos, telas & uſus obiter deſcripſit.*

Quæ verò pertinent ad motum, æquilibrationem curſuſque varios liquidorum, in Bellini, Borelli, aliorumque opuſculis ſatis ſunt obvia: undè neque hâc ratione ab aliis potui aliqua inſolenter ſubripere.

Sed quod rei caput eſt, quæ ſpectant ad fibræ ſanæ aut morboſæ anatomiam, vim, tonum, elaterem, varioſque ejus effectus in motu ſolidorum; diviſionem ejus, diviſioniſque originem, ſtructuram minimam, ejuſdemque actionem in fluida, fluidorumque in ipſam, horumque omnium ad diagnoſim, prognoſim, curationemque morborum accommodatiorem, Medicoſque à garrulitate perenni liquidorum, acidi & alcali, ſimiliumque nugarum ad ſolidam curandorum morborum veritatem (quod quidem mihi præ cæteris ſemper in mente fuit) invitandi, ac perducendi rationem omnia ſunt mea, nec puto quemquam etiamſi foret perfrictæ frontis pro ſuis orbi litterario venditurum. Nam multi ſunt anni, quibus amicos ore ac litteris, de hiſce rebus monui: & in Angliâ, Germaniâ, Italiâ plenæ ſunt epiſtolæ hujus veritatis amicis communicatæ. Quatuor abhinc annis cum eruditiſſimô Sylveſtris Gallô in Angliâ nunc commorante, frequentiſſimè de ſolidis, meôque ſyſtemate fibræ motricis ac morboſæ locutus ſum. Cum doctiſſimô Oſterchampiô Medicô Germanô, virô ingenuô Viennæ nunc degente, per quatuor annos Romæ, plura quotidie feci experimenta circà fibras animalium & ſolida & circa membranarum difficilem, arduam atque occultam compagem & uſum: Dn. Palillius noſter amicus ſuaviſſimus Romæ mihi opera tulit in ſecandis animalibus, fibriſque inveſtigandis & inde deducendis concluſionibus ad diagnoſim, prognoſim, curationemque morborum. Quod ſi ſubtilitates Anatomicæ ad curationem morborum (quod me in meis libris præſtitiſſe fateor & fateri debet qui eos leget) non applicentur, tanquam inutiles & vanæ, regerendæ ac flocci faciendæ: quod quidem in quotidianis ægrorum conſultationibus cum Medicis collegis, in theatrô Anatomicô, in cathedrâ & paſſim apud ægros per urbem mihi ſemper eſt in ore. Figmentum eſt Anatome niſi reducatur ad uſum, curationemque morborum & utilitatem publicam.

Fibrarum ſyſtema & publicè in ſcholis & privatim cum amicis ſemper diviſi in carneas & membraneas, carnearumque originem & motûs inſtinctum diverſum eſſe ab origine membranearum probavi. Membranæ enim ſunt productiones meningum, tum nervorum, tum cerebri, ut cuilibet notum eſt, & ex membranis viſcera, vaſa & glandulæ ſunt fabrefactæ: Quare fibræ membraneæ à

neæ à cerebrô & meningibus, jure originis; tum etiam ſimilitudine ſubſtantiæ, uſu & inſtinctu motûs pendere debent. Unde ſive ſcripſerint alij, ſive non de meningibus, ad eas mihi finiundum erat: duræque matris motum nos tribuimus elateri eidem impreſſo in principiô generationis, uti ſingulis aliis partibus. Perennitatem verò ſui motûs deducimus à reflexione motuum partium membranoſarum à partibus ſingulis in eam: eâ mechanice, quâ ſingulæ partes tam fluidæ concurrunt, ut cor præter ſuam peculiarem compagem, poſſit perpetuare motus ſuos ingentes, & ſuperare ingentem illam & incredibilem reſiſtentiam omnium fluidorum & ſolidorum, prout lib. 1. cap. 5. & 6. *notavimus. Et quæcunque mihi venerunt in cognitionem virium, toni, elateris, reſiſtentiæ, uſuſque fibrarum atque ſolidorum, patienti ac diuturnâ morborum obſervatione; & effectuum medicamentorum notatione ea magis didici quàm ſubtilioribus vulgarium Anatomicorum ſectionibus. Quæ cùm vera ſint, & cuilibet ingenuo ſatis nota, quid mihi cum aliorum excerptis ſit, non video, nec concipere poſſim: & ut veritas ſingulis pateat, epiſtolam hanc, amicorum ocelle, cures, ut Dn. Aniſſonius noſter publicam faciat, operibuſque noſtris proximè edendis Lugduni adjungat ut impudentia coerceatur: in rebus enim talis momenti tacendum non eſt, quamvis olim tacuit doctiſſimus Sylvius le Boe, cùm inſanè laceſſeretur ab homine Gallô Dn. le Vaſſeur, taciturnitate enim hominem inſolentiſſimum coërcuit vir ſuæ conſcientiæ gnarus, & à doctis æternùm laudatus: ſed poſt Sylvii mortem clariſſimus Florentius Schuyl Prof. Lugd. Bat. nervosè ac ſolidè Dn. le Vaſſeur arrogantiam publicô libellô confregit. O quantùm felicior fuiſſet magnus noſter Galilæus, ſi ſingulis ſuis blateronibus reſpondendo aureum tempus nòn perdidiſſet. Immortalis Harveus nunquam ciniflonibus reſpondit. Sanctorius magni nominis vir ſemel ſtaticomaſticem ſuum caſtigavit: ſed ut verbô dicam, licèt novitas invidiam pariat, veritas tamen & tempus homines caſtigant impudentiſſimos & illos maximè qui probos viros ac nemini infeſtos maledictis proſcindere non deſinunt.*

At hiſce miſſis propediem videbit reſpublica Medica quantâ opus mihi fuit patientiâ & labore in ſcrutandâ ſolidorum naturâ, in librô laborioſiſſimô, ſed valdè utili ad praxim, de internis atque occultis viſcerum varicibus, hydatidibus & aneuriſmatibus, quibus quidem laboribus & meditationibus, licèt valdè exhilarem, & recreem melancholicam naturam meam: alacriorem tamen me ſentio, cùm de morte, de futuræ vitæ ſtatu atque de æternitate quidquam meditor, lectione Sacrorum Bibliorum, ſanctorum Patrum, Ciceronis mei, meique Steuchii in librô de perenni Philoſophiâ: *nam mundus eſt:* vanitas vanitatum & omnia vanitas. *Et alibi dictum eſt in ſacris libris,* Sapientia hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. *Vale amor meus. Romæ Kalendis Aprilis* 1704.

Hæc ſi valeat (addunt alii) de ſolidis opinio, futurum erit ut nullius aut minimi momenti ſint fluida ad functionum morborumque cauſas explicandas. Sed hi attendant talis querimoniæ rationem manare à præconceptâ antiquitùs de fluidis opinione. Dudùm in iis extollendis nimij fuêre medentes, quaſi à liquoribus unicè derivarentur mortis ac vitæ fontes, de ſolidis vix factâ mentione. Hanc opinionem fortè adjuvit Chymicorum ars in Medicinam invecta. Chymici cùm ex ſolâ liquorum, ſuccorum & ſpirituum indole & miſturâ prodire animadverterent, quotquot patrabant miracula, nihil non potentiæ fluidis imputârunt, altô de ſolidis habitô ſilentiô, maximè cùm ea quæ uſurpabant inſtrumenta, energiâ omni deſtituta, nihil iis, quos continebant, liquoribus affricarent virtutis. Talium analogiâ, ſodalitiô, ſermonibus & exemplô inducti incogitantes Medici in eam venêre conſuetudinem, omiſsâ inobſervatâque partium continentium ſeu ſolidorum virtute, de humoribus, bile, pituitâ, ſerô unicè cogitandi. Eò deinceps collimârunt omnium conſilia, indicationes, remedia. Alterantium virtutes totæ emendandis fluidorum acidis, alcalibus, &c. dicatæ ſunt; vacuantium vis eliminandæ uni humorum ſaburræ. Hinc cujuſlibet nominis aut ſpeciei naſceretur morbus, in cauſam vocata fuit humorum dyſcraſia, aut eorumdem colluvies primis intercepta viis, purgantibus unis exhaurienda. Quòd ſi morbus remediis & medentium diligentiæ obſurdeſcens diutiùs protrahebatur, refundebant cauſam in humorem tenaciorem, tartareum, viſcoſiorem, partium rugis & plicis impactum, aut lubricum adeò ut purgantium falleret vim & eluderet. Hæc opinio ut ut plebeia, naturæ dignitati impar, corporis mechaniſmo tam malè concinens, ſoliſque digna fabuloſis temporibus, recentium tamen animos, meliùs licèt educatos, neſcio quâ malâ conſuetudine invaſerat: medentium enim ut hominum pars maxima non it ſed fertur, rapitur non ducitur. Hincque nata mochlycorum, diagrydiatorum, mercurialium, colliquantium ſeu, ut loquuntur, *fundentium* tam denſa cohors & familiaris uſus, adeò ut in iiſdem hominibus ſubtiles ſimul ſæpè videas Philoſophos, craſſos autem & pingues Medicos. Sic ſe habente rerum medicarum ſtatu, intervenit tanquam felix ſidus & novum Baglivus noſter, qui inter deſiderata Medicinæ, jacentem advertens ſolidorum potentiam, modeſtô ſpeciminis nomine Medicos admonet, non omnem eſſe ſolidorum vim in creandis morbis, ſed horum partem maximam ſolidorum vitiô foveri. Suam ergò vim fluidis non denegat, ſed prætermiſſam alteram, quæ ſolidorum eſt, reſtituit. Reverà, licèt non paucos reperias morbos, qui à fluidorum labe primùm oriuntur, vix unum (etiam ex ipſis) reperias, quem non foveant, protrahant, aut exaſperent ſolidorum criſpaturæ, ſpaſmi, atoniæ, corrugationes. Verbô à fluidis ortum fortè trahunt morbi, à ſolidis diuturnitatem contrahunt, quid enim aliud clamant viſcerum & partium obſtructiones, durities, ſchirri in quos abire ſolent tot ægritudines, niſi vitiatam fibrarum ſeu ſolidorum texturam. Cauſaberis ſuccorum lentorem & coagula? hæc quoque admittenda ſed in ſtagnationem & moram quam à ſolidorum tonô vitiatô ſeu criſpaturâ contrahunt refundenda; adeò ut non ineptè ſtatueris plures affectus chronicos & rebelles, quibus juxtà vulgarem hæreſim fortiora & frequentiora purgantia unicè opponunt, viſcoſorum, ut ajunt, liquandorum cauſâ, non ineptè, inquam, ſtatueris has omnes non infeliciùs topicis, fotu, balneô & ſimilibus præſidiis ſolidorum vitio debitis curari, quod pluribus exemplis paſſim oſtendit experientiſſimus auctor. Confirmat Opiatorum & Narcoticorum uſus qui frequentior nunquam & tutior quàm in morbis chronicis, argumento ſunt hyſtericæ, phthiſici, melancholici, arthritici, ſcorbutici, diuturni tandem dolores, quibus omnibus præſenti auxiliô eſſe ſolent opiata. Sed inde alterum quoque elicies hoc argumentum, ſub morbis chronicis non unicè atoniam arguendam eſſe ut pote cùm in iis ſanandis anodyna, quæ laxantium præcipua ſunt, primarium teneant locum. Sed Bagliviani ſyſtematis utilitatem & præſtantiam ſentient non ſolùm qui mente & conſiliô,

ſiliô, quod Medicorum munus eſt, ſed ij quoque qui manu curant, Chirurgos intellige, qui hinc concipient cur feliciùs ſuccedere ſoleat vulnerum deligatio ſimplicior, officiat contrà turundarum denſior arctaque nimiùm coacervatio, quæ vulneribus tam ſæpè incommodat: peregrina ſunt enim gravantia aut compacta nimis, quæ arcanas partium oſcillationes pervertendo ſiſtendove, ſuccum arcent nutritium, ſuppurationique legitimæ impedimento ſunt, inflammationes hâc de causâ & ſphacelum accelerando. Ratione non abſimili diſcent cur pinguia, balſama, & traumatica, ulcera quædam venenant, quæ inde eryſipelatoſa, depaſcentia, eſthiomena fiunt; hanc nempe ob cauſam quòd fluidorum uni acido & roſioni, ſolùm attendentes, fibrarum ſeu ſolidorum ſpaſmodicum ſtatum prætermittant, cùm anodyna, demulcentia ex ſolani ſimiliumque herbarum aquis aut ſuccis petita meliùs congruerent; hæc enim partium fibras tenſas nimiùm, liquorumque circuitui proinde obſiſtentes, ſenſim laxando, ad laudabilem cicatricem ulcera perducerent.

Cæterùm Baglivo ſuccenſeat nemo quod ſtibiatorum & chinæ chinæ laudes non adeò extollere videatur, ut ſuos quiſque patitur manes, ſic ſuum cuique regioni concedendum ingenium, ſuus cuique morbo character, propria indoles & curandi ratio, varianda ſæpè pro perſonarum; climatum, &c. varietate. Itaque ut noſtris obſervationibus fidem non renuit Baglivus, cùm id genus præſidia hegemonica eſſe noſtris ſcribimus; noſtram & omnium fidem meretur cùm hæc eadem Romanis utilia minùs eſſe tradit.

Locus jam eſſet & tempus, de Auctoris noſtri diſſertationibus ſermonem habendi, ſed cùm in volumen excreſceret hæc præfatio, ſi omnia, quotquot in illis utiliſſima inſeruit, lectori exponere aggrederemur, monuiſſe ſufficiat eas eſſe has omnes, quæ artem Medicam non mediocriter augeant & exornent. Octo ſunt numerô, quarum 1. quæ de ſolidorum morbis eſt, ad pathologiam & praxim maximè ſpectat.

Hîc enim plura invenias quæ miras fibrarum vires oſtendunt, quâ de causâ ad eas à medentibus ſeriò attendendum eſſe ſequitur. Ibidem legere eſt novum de motu muſculorum ſyſtema, totum ad mechanices normam concinnatum, ea quæ de fibrarum viribus & elatere ab auctore dicta ſunt, adſtruens & confirmans. Quæ ſequuntur tres aliæ diſſertationes, totæ de fluidorum, quæ in corpore noſtrô præcipua ſunt, naturâ agit.

Hæc autem ſunt ſanguis, ſaliva, bilis, quorum energias, analyſes, indolem expiſcatur, multigenis obſervationibus & experimentis, quibus abundè liquet, eum non eſſe Baglivum, qui fluidorum potentias negligat, & ab arte jubeat exulare.

Quæ ſequitur 5. inedita erat, novique prorsùs eſt argumenti, agit enim de morborum & naturæ analogiſmô. Hîc autem quaſi germen habes & nucleum naſcituri fructûs, ſeu inchoati operis quaſi graphidem, quæ in Baglivi manibus, imperfectum opus & exquiſitum creſcet feliciter & adoleſcet. Hîc innuit experientiſſimus auctor, quid eſſe commune in morbis, quô fit ut ex unius felici curatione, alterius congeneris curationem non malè concludas. Sed hic analogiſmus, inquies, abſoletam renovat priſcorum Methodicorum communitatem, tam animosè à Galenô propugnatam, ut omnes, qui poſt nati ſunt poſteri, Methodicos deſpicatui habuerint? verùm an meritò id factitârint omnes, dubitant non infimi ſubſellij auctores, quos inter Conringius, Proſper Alpinus tractatu propriô, ac noviſſimè D. de Moor, reverà non adeò comtemptibiles eos eſſe oſtendit eorum hiſtoria, quam eruditè & ſapientiſſimè deſcribit in ſuâ Medicinali hiſtoriâ, quam ô utinam abſolveret de arte medendi optimè meritus D. le Clerc; tum & opus Cælij Aureliani, temporis ac fortè Medicorum invidiæ ereptum, ſolumque ferè ex Methodicis ſuperſtes, accuratum adeò in deſcribendis morbis ut ſæpè naturam ipſam expreſſam diceres. Ut ut ſit, hîc fœdè impegiſſe Baglivum (Dogmaticorum caſtra deſerendo) ne credas, vanarum enim & generalium nimis Methodicorum communitatum ne verbô quidem memoriam refricans, cujuſque morbi caracteres ſervari jubet, quoſdamque obſervari generales fines, eventus, tramites, agendi modos, quibus adjutus Medicus cuique morbo tutiùs & meliùs ſuccurrit. Hanc autem Baglivi de morborum analogiſmô conjecturam firmare videtur non paucorum obſervatio, qui exploratam ſæpiùs habere ſe putant communem quandam morborum cauſam, aut ſaltem commune aliquid omnibus morborum cauſis, quod medentis animum regere debet ac moderari; quâ in opinione morborum diſcrimina à variis communis illius cauſæ afficiendi modis repetenda erunt, à labefactatô nempe partium tonô, ſuccorum impeditorum morâ, ſubſequente hinc; acore, evectione, &c. interdùm à diætæ regionumque differentiis, non rarò à tumultuariâ medendi methodô aut inconcinnâ & præmaturâ remediorum adminiſtratione, verbô à ſymptomatis magis quàm à vulgaribus cauſis quæ ſæpius in effectibus diverſæ, in radicibus eædem ſunt.

Saltem notæ ſunt morborum transmutationes; *metamorphoſes*, ſucceſſiones, *metaſtaſes*, *epigeneſes*, adeò ut videas affectus qui cùm omninò diſſimiles habeantur ratione cauſarum, indicationum & ſymptomatum, in ſe invicem tranſmutantur. Sic inflammatorij affectus in Paralyſin, phrenitis in ſoporem, colici dolores ſpaſmodici, epileptici & hyſterici affectus in ſtupores, tuſſis in arthritidem, hæc in ſoporoſos modò ſpaſmodicos affectus, febres in hydropem, hic in aſcitem tranſit. Idem probant Chirurgicæ obſervationes; phlegmone in ſchirrum, hic in carcinoma abit, ſcrophulæ phlegmonem & abſceſſum, hic œdema accerſit. Sed imprimis comperta eſt febrium protheiformis natura: ephemera in hecticam, phthiſis in intermittentes, intermittentes etiam quartanæ in continuas, quæ in ſignis cujuſdam ſymptomatis ratione varia induunt nomina, inde enim febris ἑλώδης, τυφώδης, ϖενφιγγώδης, λυγγώδης, φρικώδης, &c.

E converſô continuæ in intermittentes redeunt. Sic autumnales febres, quæ primùm de continuarum genere videntur, paucis poſt diebus (modò naturam non pervertat nimia medentis diligentia) in intermittentium caſtra tranſeunt. Sed quod hanc adſtruit veritatem, vix quemquam aſſignaveris morbum cujus ſpeciem & formam non induat febris. Apoplexiæ, colici dolores, diarrhœæ, ophthalmiæ ſæpè febrium quæ graſſantur tot larvæ ſunt & adulterationes, quæ ſic ſub ementitâ facie medenti fucum faciunt. Similiter obſervârunt artis magiſtri eos morbos, qui ſub quâdam epidemicâ, variolosâ v. g. conſtitutione contingunt, morbi illius depopulantis qui conſtitutioni nomen fecit, naturam & mores referre, adeò ut infeliciter ceſſura ſit comitum morborum curatio, niſi principem illum conſtitutionis morbum in comitibus debellandum ſuſcipias. Sed non aliunde ducitur luculentius ejuſmodi cauſæ communis morborum argumentum quàm ex eâ vi & potentiâ quâ morbi naſcuntur diſſimiles ab iis cauſis quibus attribui ſolent, adeò ut à calidiſſimâ causâ frigidi fiant affectus & viciſſim. Hinc vinum ut ut calidum frigidiſſimos parit morbos, volatilibuſque licet

licèt & actuoſis particulis turgidum, chronicos inducit affectus. Hâc de causâ vinolenti arthritides, languores, humorum deliquia, cruditates, catarrhos, animi ſtupores, cachexias incurrunt. Contrà aër frigidiſſimus calidiſſimas inducit ægritudines, pleuritides, anginas, rheumatiſmos, hæmorrhagias, &c. ab hâc iterùm communis cauſæ energiâ repetendi ſunt diverſi prorsùs affectus, qui tamen ab eâdem causâ dimanant. Sic acores modò & coagula à lacticiniis naſcuntur, amarores modò & inflammationes. Stomachi cruditatibus nunc ſuccedunt lienteriæ & choleræ, nunc ileus & dyſenteriæ. Nec raró à diverſis cauſis iidem naſcuntur affectus, à frigore enim & calore hæmorrhagiæ fiunt, febres, diarrhœæ. Communis illius cauſæ qualiſcunque ſit omnipotentiam adhuc oſtendit, remediorum quorumdam vix concipiendus, felix tamen eventus, illorum nempe quæ totô diverſi cælô eoſdem morbos curant. Hinc febres, quæ amaris ſanari amant, acidis quoque curantur. Rheumatiſmo, anginæ, pleuritidi, quibus medetur ſanguinis miſſio, auxilio etiam eſſe perhibent volatilia, diaphoretica, ſudorifera. Denique communis morborum cauſæ præſentiam evincit nihil efficaciùs quàm diverſa, utilis tamen in iiſdem morbis remediorum operandi ratio. Cortex peruvianus interdum alvum aut ſudorem movendô curat, ſæpiùs vacuandô nihil. Ipecacuanha ut purgandô dyſentericis auxiliatur, eoſdem quoque nihil vacuandô curat. Martialia, quæ in multis menſes & hæmorrhoides revocant, comprimunt in aliis. Laudana & opiata, quæ in dyſentericis alvum cohibent, in colicis doloribus (ſi ſpaſmodici ſunt) promovent; eadem, quæ in calculoſis urinam ſiſtunt, in nephriticis reſtituunt; & dum in cæteris menſes & lochia retinent, in hyſtericis compreſſa revocant. Horum omnium rationes invenias in eâ quam quærimus morborum causâ communi, quam quidem non perviderant Medicinæ patres, ſenſerant tamen. Hanc enim vel indefinitam emendare docet atque delere morborum indolis & hiſtoriæ, naturæque tramitum accurata cognitio, propria iis ferèque connata, quos non opinio ſed meditatio, non ſyſtema ſed obſervatio ad praxim formavit. Illa ipſa eſt, quam innuit experientiſſimus Baglivus hâc diſſertatione, quâ admonet quendam latere morbos inter & naturam analogiſmum, quem ipſe adhuc imô pectore meditatur. Igitur illam expiſcari ac definire communem cauſam hoc opus hic labor eſt, interim pluſquam dimidium cœpti jam tenet Auctor clariſſimus, tenebitque qui ſcripta illius diurnâ verſabit nocturnâque manu. Ex quô enim ille evicit corporis naturam totam in harmoniâ, concentu & æquilibriô poſitam eſſe, ſequitur morbos aliud eſſe nihil, quàm ab ordine & æquilibriô receſſus; ſanitatem verò reditum ad ordinem & æquilibrium. Sed nunquid non in his advertis communes morborum & ſanitatis cauſas, quas ritè aſſequi mederi eſt; unde Medici minùs erunt acidorum alcaliumve domitores, quam æmulatores ordinis & adminiſtri.

Nec cauſaberis hoc vel illud ſanguinis vitium quod delendum, emendandum, vacuandumque erit, hoc enim ut prætermitti non debet, in tantum cedet feliciter, in quantum æquilibrium reſtituetur, quod in medentis animô ut primum eſſe debet, ita curationis legitimæ ſigillum eſt & argumentum. Si arduum videatur aut ultrà modum ingenii medentium qui ſenſuales ſunt Phyſici, reſtituendum illud æquilibrium; ad Phyſices & Mechanices rationem illud accommodare diſces. Cogita datam eſſe ſolidis vim immenſam, quam ne ulteriùs quàm par eſt progrederetur, æquilibrari voluit & temperari creator certô liquidorum libramine. Sanitatis ergò tutela in eô erit ut ſolidorum elater, nec intenſior ſit nec mollior, adeò ut ſolida vigeant non rigeant, cedant ultrò non flacceſcant; Tum ut fluida nec creſcant aut decreſcant nimiùm & in craſi nativâ perſeverent. Hæc ſi aliunde nutet aut periclitetur ſymmetria, medentis officij erit quâ ex parte ruet fulcire eam aut reparare. Artis ergò dexteritas erit in explorandô fibræ motricis ſtatu, tonô, facilitate; tum in aſſequendâ liquidorum quantitate, motu, integritate. Obſervando imprimis à nihilô metuendum eſſe magis à ſolidis, unde ut virtus maxima, ita periculum majus; in illorum proinde ſervandô mulcendôve tonô occupandam eſſe medentis curam: maximè cùm ſanguis, qui ſub ſanitate mitis, benignus & ductilis erat, ſub morbis tumultu, impetu, acrimoniâ petulans factus, ſolidis quibus continetur primùm inſultat, quorum fibras mille modis & locis ſtimulat, pungit, vellicat, quâ de causâ ab horroribus, rigoribus, vertigine auſpicantur non raró plures affectus. Sic intenſior factus ſolidorum elater fibrarum inducit criſpaturas, ſpaſmos, vaſorumque conſtrictiones & coarctationes, quæ fluidis obices ponunt, hinc in capillaribus ſanguinis mora, lentor, ſtagnatio, obſtructio tandem, ſi primùm labans tantùm æquilibrium, alicubi tandem peſſundetur. Sed id mali nihil citiùs accelerabit quàm liquidorum moles, quæ ſub morbis inſigniter augetur; cohibitæ enim coctiones, ac proinde ſecretiones, ſuccos, & ſanguinem mirè cumulant, qui ſuâ inſoleſcentes multitudine rebellant; ſolidorumque detrectant juga, & impetu factô in viſcus quoddam impingendô apoſtaſin committunt.

Talia odorabantur Medicinæ parentes ſummâ illâ curâ, quâ partium laxitatem perveſtigabant, ut remediis ſecuritatem & prognoſi certitudinem conciliarent. Ii ex cutis tepore, pulsûs & hypochondriorum mollitudine, humidâ linguâ, alvi facilitate ſalutem ægris augurabantur; quæ ſi deſiderarentur v. ſ. fotu, balneô, litu, enematis, diluentium uſu inducere ſtudebant ut ad catharſin tutum pateret iter. Hanc autem unicè laudabant ſi non tam copioſa quàm facilis erat, quæ non ſeroſa crudaque liquamina, ſed *veròs*, ut aiebant, *humores* eliminabat. His ſit venia verbis & nominibus, de cæterô ad æquilibrij leges collimâſſe eos diceres adeò in illas quadrare videtur eorum medendi ratio. Quid enim meliùs oſtendit laxari & à ſpaſmô liberari partium fibras, tum purgantis operâ ſolvi qui morâ hærebant coagulabanturque morboſos ſuccos, quàm denſiorum humorum liberalis egeſtio; quæ ſi ſeroſorum fuerit, avulſi potiùs extortivè putidi laticis indicium eſt, & per ſtrictiſſimos adhuc & corrugatos hiatus, quàm victi morboſi humoris ſponteque locô cedentis, perque liberos, patentes & laxatos oſculorum exitus.

Meritò igitur analogiſmum agnoſcere convenit cum oculatiſſimô Baglivô noſtrô, id eſt, affinitatem quandam inter morbos, quæ in hâc, quam proponimus, morborum causâ communi fundabitur; in labante ſcilicet vel perditô fluidorum cùm ſolidis æquilibriô. Conſtat ſaltem nullum dari morbum, in quem non competat talis hæc communis cauſa. Si enim in viſcus quoddam inciderit morbus, inibi æquilibrium aut infirmari aut peſſumdari concipitur. Si in totum corpus (cujuſmodi ſunt febres) ubique labare æquilibrium aut ruere auguraberis, illicò ni avertat Medici ſagacitas in aliquô viſcere (apoſtaſi factâ) periturum. Hinc quoque rationes eliciuntur, quibus ſit ut mutentur, trans-

transformentur, ſibi ſuccedant, & in ſeſe invicem abeant morbi, qui totô cælô diverſi creduntur, quod medentibus *humoriſtis* explicare hactenus fuit inconceſſum. Reverà enim quô mechaniſmô, qui hanc partem modò obſidebat humor certæ qualitatis, partique laboranti propriô circuitu addictus, ad alteram ſubitò avolabit, locum & indolem ſubitò mutaturus. Non item ſi ad æquilibrij rationem confugias, quâ in opinione metamorphoſes morborum erunt nihil aliud, quàm modò in hanc, modò in alteram partem inducta corrugatio aut relaxatio, unde fit ut dum in parte primùm affectâ æquilibrium reparatur, in alterâ illicò peſſumdetur. Ponas enim impetu factô ſanguinem in viſcus quoddam irruere, inibi æquilibrium rumpi periclitatur. Tunc ſolers Medicus alterando, laxando, ſtimulando, vacuandove imminentem hanc cladem diſſipare tentabit, ſin minùs, obſeſſam partem pro virili ſublevando, firmando, tuendoque efficiet obtinebitque, ut in ignobiliores aut firmas minùs partes morbi impetus feratur, ubi deſpumet, rabiemque deponat. Sed cùm in avertendis malis arte adhuc potior ſit natura medicatrix, mirari deſines, ſi dum incertô ancipitique certamine colluctatur, hos vel illos rumpat obices, partium quarumdam tonum laxet, dum aliarum fiet conſtrictio, ſicque ad varias ſedes pellat morbi inſultus, uſque dum in aliquô viſcere, quod infirmius offenderit, pedem figat morbus. Sic apoplexiam paralyſi, febres bene multas, pleuritides, &c. diarrhæis, ſudoribus, &c. finiri vides. Nec admodùm laborabis hîc in aſſignandâ cauſâ, quâ fit ut humor certæ naturæ, qui modò quendam morbum fovebat, illicò mutatus in alterum locô & naturâ diverſum, generis alterius morbum inferre videatur. Hîc enim meminiſſe ſufficiat, ruentis & labefactati quâdam in parte æquilibrij ut primum indicium eſt, ſic primum effectum eſſe ſecernendorum in eâ reſtagnationem & moram, unde humor, qui ſub priori morbô coercitus erat, inductâ relaxatione ſolutus quaſi vaneſcet. Sed ſi tunc pulſus tantùm non diſſipatus morbi inſultus partis alterius æquilibrio vim inferat & corrugationem, qui huic alteri parti proprius erit, humor intercipietur, morbum facie & naturâ diverſum commiſſurus. Porrò à corrugatione (quæ præcipua labantis æquilibrij cauſa eſt) maximam morborum partem committi argumentum eſt narcoticorum virtus tam multis morbis, communibus propriis, chronicis acutis, ſympathicis, idiopathicis, primigeniis ſymptomaticis tamque utiliter ſerviens, omnium remediorum, alterantium, vacuantium, purgantium, ſudoriferorum, cardiacorum operas ſecundans aut adjuvans; nulli non amica parti; cerebro, ſtomacho, pectori, abdomini: adeò ut ex opiô ſi alicunde, panacea fermè expectaretur. Rem adhuc evincit magis hyſtericorum affectuum natura, qui omnium maximè ſpaſmodici nullius non conſenſu habentur. In his autem quod tam multiformes quotidie eâdem in ægrotante ſymptomatum tot quaſi morborum facies animadvertas, unica cauſa eſt alterna nempe partium facta ſpaſmodica corrugatio aut relaxatio. Hinc quæ modò pallida jacebat, ſemianimis & vera mortis imago, eadem non multò poſt garrula fit in riſum effuſa; altera inſomnes ducebat noctes quæ poſteà ſopore gravabitur; alterius menſes ſiſtebantur qui progrediente morbô affatim & periculosè prorumpent. Adde in hâc citam eſſe alvum, adſtrictam in alterâ. Illa vomiturit aſſiduè, hæc vomitoria quoque retinet. In aliis membra dolore rigent, in multis ſtupent, dumque plures fœtidis gaudent, non paucæ ſuaveolentibus recreantur. Adeò verum eſt à cauſâ communi, nutante ſcilicet plus minus æquilibriô partium, ab earumque inductâ criſpaturâ & relaxatione, ut varia hæc oriuntur ſymptomata, ſic varios quotquot ſunt poſſe committi morbos.

Rogabis quid in tantâ ſyſtematum copiâ, prærogativæ teneat, poſtremum illud quod ex Baglivianô opere innuitur. Me hercle admodùm; in varias partes ſciſſa vides medentium ingenia quæ ſic conciliabis. Bagliviani enim ſyſtematis commendatio eſt nulli adverſari, nemini non concordare, adeò ut cæterorum ſyſtematum baſis ſit & norma, coronis ac complementum, illorum enim uſus oſtendit ac moderatur, abuſus emendat. Hic acidum confodiendum habere putat, ille ſeri colluviem vacuandam, tertius calorem reſtinguendum, ſedandas quartus ſubtilis materiæ turbas, ultimus ſolvendum accelerandumque ſanguinis lentorem; omnia hæc, fideliâ unâ & eâdem obtinebis, ſi in æquilibrium reſtituendum incumbas. Ut enim pereunte æquilibriô ſucci morantur, lentore aceſcunt, turbantur, fervent, incaleſcunt, ſic hæc omnia, æquilibriô reſtitutô, illicò ceſſabunt. Talis ſyſtematis beneficiô fiet adhuc, ut impoſterùm eôdem colliment Medicorum operæ, ſermones, conſilia, in unius nempe æquilibrij reſtitutionem, fietque omnium ſermo idem, intentio communis, loquela una. De concentu enim, proportione & harmoniâ partium cogitabunt omnes, acidum, calorem, lentorem & humorum efferveſcentiam proferentes minùs ut morborum cauſas, quàm ut communis cauſæ morborum, labefactati nempe æquilibrij effectus & ſymptomata. Præterea in animô habentes, in harmoniâ & proportionibus reddendis ponendã eſſe Medici curam, à remediis fortioribus, turbulentis, exaſperantibus metuere diſcent, ea præferentes quæ pacem ſectantur, ſedantque tumultus. Tandem quid non utilitatis hinc arti redibit & ægris? ad corporis enim œconomiæ leges, quæ ordinis, rationis & proportionum ſunt, ſuas formare mentes cogentur Medici, vulgaribus de humorum ſaburræ, multitudinis & craſſitiei notionibus ad plebeculam ablegatis; ſicque quod Baglivi noſtri laus erit, lucem caligini, pacem diſſidiis, præjudiciis veritatem plauſu omnium ſuccedere videbit Medicina.

Cæterùm ſi quoſdã offendat quod Auctoris mẽtem dilatare videamur, ignoſcet cùm attenderit ea non eſſe Bagliviana opera, quæ ſtipitum inſtar inanium truncum & ramos vix concipiunt, meliùs comparaveris fœcundis iis germinibus, quæ ultrô fruticant. Sentias enim in iis recondita totius medendi ſcientiæ ſemina, quæ obviorum quorumvis medentium meditatione exculta pullulant ultrò ac ſoboleſcunt. Interim cùm tantum virum æmulari ſolùm detur, non aſſequi, præterquàm quòd ut ea quæ noſtra ſunt doctioribus nec Zelotypis, recoquenda proponimus, non eam nobis eſſe mentem profitemur ſenſum Baglivianum adulterandi, ſed aperiendi illius & interpretandi, quô in negotiô ſi quid delicti admiſerimus hoc totum noſtrum erit, felix tamen nec pœnitendum, ſi errore noſtrô invitatus humaniſſimus Auctor meliora ſuppeditet, ac ſubſtituat.

Sequitur ejuſdem diſſertationis pars altera, quæ de lapidum, &c. vegetatione tractat; Alterum novi argumenti genus, quô analogiſmus naturæ evincitur. Hinc enim liquet quid eſſe commune plantarum inter & foſſilium naturas, cùm pari ratione utraque creſcant ac pullulent; argumentô, ſimilem ubique eſſe naturam, quæ ſimpliciſſima ex iiſdem & paucis mira & diſſimilia producit. Hìc adhuc mirari ſubit ex re fluidiſſimâ & molli, ſolidiſſima enaſci & duriſſima, hîc enim oſtenditur multigenis obſervationibus aquæ genus eſſe unde ſuos natales ducant lapides & gemmæ,

Diſſertationem claudit appendicis locô terræ motûs hiſtoria, ubi non pauca reperias, quæ hiſtoriam naturalem illuſtrant & augent.

Sequuntur epiſtolæ ex præcipuis Europæ locis ad celeberrimum Auctorem noſtrum undique miſſæ, luculentiſſima tot argumenta quibus Baglivi operum utilitatem & præſtantiam, non apud nos ſolùm, ſed apud diſſitas gentes celebrari patet; veriùs appellabis Baglivianæ veritatis publica teſtimonia. Si enim *vox Dei ſit vox populi*; cælô terriſque probari Bagliviana opera palam eſt, quæ non unius populi voce, ſed univerſis populorum ſuffragiis approbantur. Animæ ſunt vulgares, quarum fama ſenſim ac lentè ſerpendo creſcit, magna autem nomina ſtatim adoleſcunt. Hujus generis ſit oportet Bagliviana virtus, quæ privata diù durare non potuit, ſed illicò publica facta eſt. Ecce tamen tot inter plauſus calumniatoris dentem experitur, adeò ubique ſerpit Zoilorum gens, quælibet in quemvis opprobria dicere ſæva. Is eſt D. le Mort, cujus nomini parcere & honori voluntas fuiſſet, arti enim Chymicæ apud Batavos, proindeque Medicinæ ſervit utiliter. Sed iſthæc ſors eſt maledicorum; bonorum nomini invident, propriô luunt ac retaliant. Per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur. Tota autem D. le Mort adversùs D. Baglivum querelarum ſumma eſt, Chymiæ contemptus, de quô cum Baglivô vehementer expoſtulat. Sed le Mortium fallit in Chymiam cœcus amor, qui cùm veros, quibus Chymia obnoxia eſt, nævos non videt, aliis, quos odit, imaginarios imputat. Sed injuria hæc, à le Mortio vibrata in Baglivum, inulta non abiit. Illum enim incautè locutum acriter refutat, arguitque mendacii D. Goris apud Batavos optimæ Chymiæ decus ac vindex. Tam autem ambitioſa eſt Chymiæ tyrannis: deſpici ſe putat ſi ceſſet adulari; amatores enim ambit, non amicos, mancipia non auditores, ſolô eorum ſodalitiô gaudens, qui cultores minus quàm adoratores illius facti, furnos & chymica crepant mera, quibus cogitata quævis & inventa optima claudicare videntur, niſi Chymiam ſapiant aut parentem agnoſcant. Sic eſt veſanus amor, *quiſquis* enim (ut aiunt) *amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.* Hæc autem le Mortij querimonia adverſus clariſſimum Auctorem noſtrum, argumentum dedit amiciſſimæ & eruditiſſimæ epiſtolæ D. Pallilij Romani Medici meritiſſimi, quàm hîc habes pag. 736. ubi amicum ulciſcendo Pallilius, Hippocratis & Baglivi miſcet cauſas, veram Medicinæ praxin, & theoriam tuendo adversùs le Mortium & ſimiles Chymiæ zelatores. Nec immeritò utriuſque litem communem facit, Græcorum enim Hippocrati propriùs accedit nemo, quàm Baglivus Romanorum Hippocrates.

Epiſtolarum (ut & diſſertationum) quæ ſuperſunt argumenta ſcribere longiùs iret, ea tamen prætermittenda non eſt epiſtola quâ reſpondet Auctor ſapientiſſimus D. Andry Medico Pariſienſi clariſſimo. Hic ſcitâ officiique plenâ epiſtolâ Baglivum interrogaverat de purgatione in principiô morborum; reſcribens Baglivus admonet, quàm ſtrictiſſimis cancellis coërceri debeat purgatio in acutis. Ubi enim, ait, minima apparet ſuſpicio acuti & inflammatorij morbi, *à purgatione in principiô omnimodè abſtineo, ut in meâ praxi animadverti; nec indiſcriminatim morborum omnium curatio à purgatione inchoanda eſt,* ſicuti plures apud vos faciunt, *nec tales apud nos* deſunt. Imò ſi cum acutis conjunctæ ſunt febres earum initiô ſanguinis miſſionem ſemel & pluries celebrandam ſuadet & laudat Baglivus adversùs Helmontianos, id eſt, ejuſmodi homines qui ſanguinis miſſionem indeſinenter allatrantes, illius vellicandæ occaſionem paſſim & ex induſtriâ ſcriptis & verbô aucupantur: gens intereà medentium, qui dum haberi volunt humani ſanguinis avari, ægrorum miſerè prodigunt vitas, tales enim teſte Baglivô pag. 709. à ſanguinis miſſione abſtinendo, mille in pericula ægros conjiciunt. Poſthàc non erit unde Baglivi & orgaſmi nominibus ampliùs abutantur purgationis æmulatores, aut ſi quid audeant, id criminis ut pote invitis ac reclamantibus medendi magiſtris commiſſum, in auctores ipſos redundabit. Plura alia ſubjungenda reſtant, quæ opus ſimul ac auctorem mirè commendarent, ſed ſuperſedere jubet publica vox, noſtrorum non tantùm ſed & exterorum, editionis hujus moræ impatiens, quæque hæc ut ut rudi præcipitique calamô ſcripta ſatis eſſe clamat. Manum ergò de tabulâ. Et quidem fortunæ periculo imparatique lectoris inclementiæ relictum nihil periclitaretur hoc opus, quod blanditias moroſis, facilibus delicias parat.

Sequitur INDEX Tractatuum & Diſſertionum in horumce Operum volumine contentorum.

DE PRAXI MEDICA LIBER I.

Caput 1. *De maximâ obſervationum in re Medicâ neceſſitate. Monita.*
Caput 2. *Origo, progreſſus, & quidquid ineſt certi Medicinæ, obſervationibus magnâ ex parte debetur.*
Caput 3. *De impedimentis, quæ Medicorum in obſervando diligentiam hucuſque retardârunt.*
Caput 4. *Impedimentum 1. Deriſio veterum Medicorum.*
Caput 5. *Impedimentum 2. Falſa Medicorum idola ſive opiniones falsò præconceptæ.*
Caput 6. *Impedimentum 3. Falſum genus analogiarum ſive falſæ ſimilitudines.*
Caput 7. *Impedimentum 4. Præpoſtera librorum lectio.*
Caput 8. *Impedimentum 5. Præpoſtera librorum interpretatio efficiendorūque ſyſtematum cacoethe.*
Caput 9. *Impedimentum 6. Intermiſſum ſtudium tractandi de morbis aphoriſticè.*
De Pleuritide.
Appendix ad Pleuritidem.
De Febribus in genere.
De Febribus malignis & meſentericis.
De Lumbricis puerorum.
De Variolis & morbillis.
De Obſervatione hypocondriorum in acutis.
De Tumoribus & ſuppurationibus in externâ parte abdominis.
De Criſi & diebus criticis.
De Sudore in acutis.
De Parotidibus & de ſurditate in acutis.
De Urinâ in acutis.
De Pulſu in acutis.
De Inappetentiâ.
De Capitis affectionibus in acutis.
De Obſervatione oculorum in acutis.
De Decubitu ægrorum.
De Voce & facie in acutis.
De Abſceſſu acutorum.
De Rigore acutorum
De Hydrope ſiccô.
De Icterô flavô.
De Hæmorrhagiâ in acutis.
De raris affectibus jecoris.
De Reſpiratione in acutis.
De raris pulmonum affectionibus.
De Lumborum affectione in acutis.

De Lue venereâ & morbis glandularum.
De Colicâ.
De Phrenitide.
De Aſthmate.
Appendix de aſthmate.
De Diarrhœâ & dyſſenteriâ.
Appendix ad dyſſenteriam.
De Apoplexiâ.
De Dolore in genere, convulſione, & motibus convulſivis.
De Tuſſi.
De Calculô & podagrâ.
Caput 10. *De Variis Medicinæ ætatibus, ejuſdemque progreſſibus.*
Caput 11. *De fontibus theoriæ & praxeos.*
Caput 12. *Methodus ad Tyrones de morborum hypotheſi rectè conſtruendâ.*
Caput 13. *Quanti interſit præcepta, ſive certas conſtanteſque regulas ſtabilire, ad quas judicia ſua dirigere queat, in ambiguis morborum eventis hærens, perplexuſque Medicus.*
Caput 14. *De medendis animi morbis, & inſtituendâ eorundem hiſtoriâ.*
Caput 15. *Parænesis ad Medicos de inveſtigandâ, & ſtabiliendâ medendi methodô popularibus ſuis præ cæteris accommodatâ; ubi obiter de naturâ aëris Romani, curandiſque Romanorum morbis.*

LIBER II.

CAPUT I. *QUod erit inſtar prolegomenon ad librum præſentem.*
Caput 2. *Manifeſtantur cauſæ nonnullæ præcipuæ, quæ morborum hiſtoriam, ſive medicinam primam hucuſque retardarunt.*
Caput 3. *Traduntur regulæ inſtituendi, & promovendi hiſtoriam morborum, ad eademque deducendi aphoriſmos curativos.*
Caput 4. *De erigendis Academiis promovendæ praxeos gratiâ.*
Caput 5. *Solvuntur argumenta, quæ nobis objici poſſent.*
Caput 6. *Specimen hiſtoriæ primæ in deſcribendâ podagrâ, ejuſque aphoriſmis practicis breviter expreſſum.*
§. *Unicus proponens aphoriſmos practicos, ab hiſtoriâ primâ podagræ eductos,*
Caput 7. *Schedula monitoria de iis, quæ deſiderantur adhuc in arte noſtrâ.*
Caput 8. *De Signis morborum diagnoſticis, & fontibus eorundem.*
Caput 9. *De cauſis morborum.*
§. I. *Prolegomena ad hiſtoriam, diviſionemque cauſarum opportuna.*
§. II. *De causâ procatarcticâ, & proigumeni, ſeu diſpoſitione corporis.*
§. III. *De cauſâ proximâ morborum, necnon de fontibus præcipuis eandem inveſtigandi.*
Caput 10. *De indicationibus rectè inſtituendis.*
Caput 11. *De remediis ſpecificis, eorumque hiſtoriâ.*
Caput 12, *Centaurus. Sivè de paradoxis recentium Medicorum in deriſione criſium, dierum criticorum, &c.*

SPECIMEN QUATUOR LIBRORUM DE FIBRA MORTICE ET MORBOSA.

PRæfatio in ſpecimen quatuor librorum de fibrâ motrice & morboſâ.
Animadverſiones in practicen novam.
Animadverſiones in theoricen veterem.
Specimen libri primi de fibrâ motrice.
Caput I. *De fibrarum origine & diviſione.*
Caput II. *De variis modis fibrarum ſtructuram inveſtigandi.*
Caput III. *De partibus, quæ fiunt ex fibrâ carneâ, & iis quæ fiunt ex membraneâ.*
Caput IV. *De origine motûs ſolidorum.*
Caput V. *De comparatione motûs cordis & duræ matris. Ubi de duræ matris ſtructurâ, elatere, reſiſtentiâ, impulſu & poteſtate in ſolida, & fluida corporis animati. Item de membranarum motu ſyſtalticô, & reflexivô.*
Corollaria & poſtulata.
Experimenta.
De motu meningum, & oſcillatione ſolidorum.
Caput VI. *De æquilibriô ſolidorum cum ſolidis; ſolidorum cum liquidis, & liquidorum inter ſe, hujuſque æquilibrij vi, poteſtate, uſu & cognitione Medicis ſummoperè neceſſariâ ad benè medendum.*
Corollaria & poſtulata.
Caput VII. *De variis fibrarum effectibus, & primò de magnâ vi, elatere, & reſiſtentiâ ſolidorum.*
Corollaria & poſtulata.
Caput VIII. *De motu ſyſtalticô, ſivè de oſcillatione, & vi contractili ſolidorum.*
Corollaria & poſtulata.
Propoſitio I. *Motus ſanguinis, aut aliorum liquidorum verſus aliquam partem inclinans, in contrariam diverti poteſt, à venæ ſectione, purgatione, vomitu, chlyſtere, & ſimilibus.*
Propoſitio II. *Ad fluidorum debitas ſecretiones, determinatus in iis motus requiritur.*
Propoſitio III. *Fluida ſuprà & infrà neſciunt, ſed undequaque currunt indifferenter, prout hinc indè impelluntur.*
Propoſitio IV. *Proprium eſt ſanguinis circulantis, quando tardiori motu procedit, ut ſerum ab ejus ſinu ſecernatur, majori vel minori copiâ, prout motus erit magis, vel minùs retardatus.*
Caput IX. *De mirâ propagatione oſcillationis fibrarum, ejuſdemque inter ipſas continuâ permutatione ad remotas quaſque partes.*
Propoſitio I. *Determinata ſanguinis, & liquidorum quantitas eſſe debet in quôlibet temperamentô, nec magis, nec minùs.*
Propoſitio II. *Peccans ſanguis ſuperfluus non eſt ſiſtendus, ſed ſinendus ut fluat, quò natura velit.*
Propoſitio III. *Strictum, & laxum fluidis æque, ac ſolidis competit in corpore animatô.*
Propoſitio IV. *Non obſtante continuô liquidorum circulô, dantur tamen revulſiones, & derivationes humorum in curatione morborum.*
Propoſitio V. *Sanguinis motus impeditus in aliquô ſurculô, vicinus omnem illam liquidi molem excipit, & ad altiora propellit.*
Caput X. *De conſenſu ſolidorum jure originis, vicinitatis, uſus, & communicationis officij, &c.*
Corollaria & poſtulata.
Propoſitio I. *In juvenibus humores ut plurimùm faciunt impetum ſuperiora verſùs, in ſenibus verò verſùs inferiora.*
Propoſitio II. *Fluida ex repetitis actibus, & conſuetudine hominis, peculiarem acquirunt naturā.*
Propoſitiones III. IV. V. VI. & VII. *Interceptô motu liquidi in aliquâ parte, intercipitur & vicina, ſoluto, ſolvitur.*
Propoſitio VIII. *Nonnulla afferuntur de mechanicâ ſecretione liquidorum in corpore animatô.*
Caput XI. *De irritatione ſolidorum, ſivè de ſtimulis, & variis ſtimulorum effectibus.*
Caput XII. *De laxitate ſolidorum, & variis ejuſdem*

ejuſdem effectibus.

SPECIMEN TRIUM RELIQUORUM LIBRORUM, DE FIBRA MOTRICE ET MORBOSA.

Caput I. *De morborum ſucceſſionibus.*
Caput II. *De præſagiorum originibus, uſu, methodô, & certitudine.*
Caput III. *De Conſtitutionibus annorum & temporum, aeriſque influxibus inveſtigandis ac perdiſcendis, ad morbos dignoſcendos & curandos.*
Caput IV. *De morbis incurabilibus ex ignorantiâ Medicorum, & ex impoſſibilitate naturæ.*
Caput V. *De morborum occaſionibus.*
Caput VI. *De vitâ ſalubri ad centum, & plures annos producendâ.*
Caput VII. *De apparatu & diſpoſitione humorum ad morbos ſuſcipiendos, ſivè de parvis magnorum morborum initiis.*
Caput VIII. *De patientiâ ægroti, & Medici ad benè curandum ſummoperè neceſſariâ.*
Caput IX. *De ciborum delectu, ſivè de methodô curandi morbos quamplures per opportunum ciborum genus, ſine ope remediorum.*
Caput X. *De morbis venereorum.*
Caput XI. *De occultis, & lethalibus viſcerum varicibus, aneuriſmatibus, & hydatidibus.*
Caput XII. *De mutandô aere in longis, & difficilibus morbis.*
Caput XIII. *De febribus meſſentericis, opus novum, non à lectione librorum, ſed ab obſervatione naturæ petitum.*
Caput IV. *De methodô curandi morbos quamplures muſicâ, ſaltatione, equitatione, navigatione, venatione, ruſticatione, debitôque ſex rerum nonnaturalium uſu, ſine inutili remediorum acervô. Ubi etiam de diætâ Pythagoreorum.*
Caput XV. *De anatome, naturâ, & uſu pinguedinis, & morbis ab eâdem pendentibus.*
Caput XVI. *De naturâ, & uſu ſalivæ, ejuſdemque morbis.*
Caput XVII. *De uſu, & abuſu diluentium, & oleoſorum, quæ nunc apud noſtrates maximè adminiſtrantur.*

SERIES VARIAR. DISSERTATIONUM.

Diſſertatio I. *De anatome fibrarum, de motu muſculorum, ac de morbis ſolidorum. Ubi etiam de duræ matris elatere, oſcillatione perpetuâ, & de ſolidorum ſuprà fluida corporis animati majori vi, majori impetu, & longè majori reſiſtentiâ.*
Diſſertatio II. *De experimentis circa ſalivam, ejuſdemque naturâ, uſu & morbis.*
Diſſertatio III. *De experimentis circà bilem, ejuſdemque naturâ, uſu, & morbis.*
Experimenta.
Experimenta varia.
Concluſio ab experimentis deducta.
Diſſertatio IV. *De experimentis circà ſanguinem, ubi obiter de reſpiratione & ſomnô; de ſtaticê aëris, & liquidorum per obſervationes barometricas, & hydroſtaticas ad uſum reſpirationis explicatâ; de circulatione ſanguinis in teſtudine ejuſdemque cordis anatome.*
Experimenta circà ſanguinem.
Infuſoria in jugularem canis.
Canones *De Medicinâ ſolidorum ad rectum ſtatices uſum.*
Epilogus legum Medicarum.
Diſſertatio V. *De morborum & naturæ analogiſmô, de Vegetatione lapidum, de terræ motu Romanô, ac urbium adjacentium, annô* 1703. *&c.*
De morborum & naturæ analogiſmô.
De Vegetatione lapidum.
Obſervationes.
Concluſio.
De terræ motu Romanô, & urbium adjacentium annô 1703.
Hiſtoria Romani terræ motus, & urbium adjacentium annô infeliciſſimô 1703.
Exemplar epiſtolæ Romam miſſæ Excellentiſſimo Duci de Uzeda, oratori catholicô, à miniſtrô Hiſpanô, quem Prorex Neapolis Aquilam dimiſerat ad damna exploranda terræ motuum præteritorum causâ productâ, ab Italicô ſermone Latinè fideliter reddita.
Series urbium, oppidorum, & pagorum, tam in Samniô Regni Neapolis, quàm in locis ditioni Pontificiæ ſubditis, quæ præteritis terræ motibus damna, & ruinas paſſa ſunt, excerpta ex diariô Neapolitanô, juſſu Proregis typis datô 1703. *Neapoli.*
Series urbium, pagorum, & oppidorum ditionis Eccleſiaſticæ in Umbriâ & Sabinis, quæ his terræ motibus aut diruta ſunt, aut ferè devaſtata annô 1703.
Series magis notabilium obſervatorum hôc annô 1703. *durantibus terræ motubus in Latiô, & finitimis Umbriæ regionibus.*
Obſervationes de terræ motubus factæ ſub altitudine polari graduum 42. *in Latiô & finitimis regionibus; ſuper aëre, ſole, lunâ & animantibus.*
Diſſertatio *varii argumenti, potiſſimùm verò de progreſſione Romani terræ motus ab annô* 1703. *ad annum* 1705. *De Syſtemate, uſu motûs ſolidorum in corpore animatô. De Vegetatione lapidum, & analogiſmô circulationis maris ad circulationem ſanguinis.*
Caput I. *De progreſſione Romani terræ motus cum hiſtoriâ morborum & epidemicæ conſtitutionis, quæ his annis regnavit Romæ, & hiſtoria quamplurium naturæ effectuum per id temporis ibidem obſervatorum.*
Caput II. *In quò plura proponuntur, quæ ſpectant ad principem duræ matris oſcillationem, novis probata obſervationibus, meditationibuſque, & plurima quæ pertinent ad ſyſtema de ſolidis; eorundemque vim, poteſtatem, elaterem, æquilibrium, oſcillationemque ſanam & morboſam, ad benè medendum & præſagiendum.*
Caput III. *In quô plura examinantur, quæ pertinent ad vegetationem lapidum: & analogiſmum circulationis maris per viſcera terræ ad circulationem ſanguinis per viſcera microcoſmi.*
Diſſertatio VI. *De anatome, morſu & effectibus tarantulæ.*
Caput I. *Etymon nominis, & differentiæ tarantularum.*
Caput II. *De naturâ, & ſitu Regionum, in quibus naſcitur tarantula.*
Caput III. *Anatome tarantulæ.*
Caput IV. *Vaſa ſeminalia, ovum, & generatio tarantulæ exponuntur, ubi obiter nonnulla de ovis oſtrearum, & de ſemine in genere.*
Caput V. *De morſu tarantulæ.*
Caput VI. *Morbi, & ſymptomata morſum conſequentia deſcribuntur.*
Caput VII. *Cætera ſymptomata ulteriùs exponuntur,*

nuntur, & quam cùm aliis morbis analogiam habeant, demonſtratur.

Caput VIII. *Curatio morsûs tarantulæ, & effectuum ab eo provenientium.*

Caput IX. *Chorea, & muſica ſunt præcipuum hujus veneni antidotum. Ubi obiter modus ſaltandi Apuliæ familiaris deſcribitur.*

Caput X. *Nonnulla alia circà choream breviter expenduntur.*

Caput XI. *Variæ ægrorum hiſtoriæ proponuntur.*

Caput XII. *Nonnulla dubitativè proponuntur circà hujus veneni genuinam naturam.*

Caput XIII. *Quid agat muſica in tarantatis, & in aliis morbis . breviter examinatur.*

Diſſertatio VII. *De uſu, & abuſu veſicantium.*

Caput I. *Nonnulla proponuntur experimenta circà effectus cantharidum.*

Caput II. *De incommodis ab uſu veſicantium.*

Caput III. *De commodis ab uſu veſicantium.*

Caput IV. *Veſicantium natura evidenter demonſtratur ex mechanicâ ſtimulorum doctrinâ.*

Diſſertatio VIII. *De obſervationibus anatomicis, & practicis, varij argumenti,*

Sylloge experimentorum per infuſorium in vivis animalibus.

Hiſtoria morbi & ſectionis cadaveris Marcelli Malpighij Archiatri Pontificij,

Appendix de apoplexiis ferè epidemicis proximè elapsô bienniô in Urbe, & per Italiam obſervatis,

Epiſtolæ clarorum Virorum, quorum judiciô & auctoritate Georgii Baglivi opera confirmantur.

Epiſtola I. *De Lumbricis latis.*

Epiſtola II. *De purgatione in principiô febrium ac de febribus meſſentericis.*

Epiſtola III. *De admirandâ vi ſolidorum.*

Epiſtola IV. *De rarâ diabetis curatione.*

Epiſtola V. *Laudans praxim Medicam Baglivi.*

Epiſtola VI. *De eôdem argumentô ac præcedens.*

Epiſtola VII. *Laudat & Baglivum & ejus opera.*

Epiſtola VIII. *Praxim Medicam Baglivi commendat.*

Epiſtola IX. *Pro impetratione operum Baglivi.*

Epiſtola X. *Baglivum mirificè laudat & extollit.*

Epiſtola XI. *Baglivum & ejus praxim Medicam laudat.*

Epiſtola XII. *Praxim Medicam ſummoperè commendat.*

Epiſtola XIII. *Grates agit ob receptum opus de fibrâ motrice & morboſâ, &c.*

Epiſtola XIV. *De Vanitate obtrectatorum Hippocratis, & Galeni.*

Joannis Dominici Santorini *Opuſcula quatuor.*

Opuſculum I. *De Structurâ ac motu fibræ.*

Opuſculum II. *De Nutritione animali.*

Opuſculum III. *De Hæmorrhoidibus.*

Opuſculum IV. *De Catameniis.*

De eô praetereà exſtant in Actis Lipſ. ann. 1698. *p.* 33.

Georgii Baglivi, Doctoris Medici, & in Romanô Archilycæô Anatomes Profeſſoris, de Praxi Medicâ, ad priſcam obſervandi rationem revocandâ Libri duo. Accedunt diſſertationes novæ. Romæ, apud Cæſarettum, 1696. 8.

CUm ad Medicinam perficiendam nihil æquè conducere manifeſtum ſit, quàm experientiam rationi conjunctam, parumque conferat ad ſalutem ægris reſtituendam effrenis opinandi licentiâ, quæ hodiè paſſim graſſatur; doctiſſimus *Baglivus* philiatros ad priſcam obſervandi rationem, duobus hiſce libris, qui illuſtris Magliabechii curâ ad nos pervenerunt, hortari conſtituit, communis utilitatis ſtudiô impulſus. Unde primô & ſecundô ſtatim capite libri primi, de maximâ in re Medicâ obſervationum neceſſitate agit; quæ vel hinc pateat, quòd origo, progreſſus, & quicquid ineſt certi in Medicinâ, obſervationibus maximâ ex parte debeatur; quæ à ratione nunquam ſint ſejungendæ; ſi modò hôc nomine non illa vis animi intelligatur, quæ obſcura naturæ inveſtigat, & magis ad Phyſicam pertinet, ſed ea potiùs, per quam morborum principia & cauſas conjicit Medicus, eorùndem progreſſus, eventuſque auguratur, & ex rebus præſentibus proſpicit & aſſequitur futuras. Sequentibus capitibus impedimenta recenſet, quæ Medicorum in obſervandô diligentiam hucuſquè retardârunt, quorum facilè præcipua ſunt, (1) Deriſio veterum Medicorum, à quibus tamen prima præſtantiſſimæ artis fundamenta jacta ſunt, magiſque acceſſionibus vera praxis locupletata, licèt nonnulli Galenicorum in theorias, non conſtantes nec ſatis certas nimiùm propenſi fuerint. (2) Falſa Medicorum Idola, ſeu opiniones falsò præconceptæ; quorsùm pertinent rejectio purgantium, veſicantium, & reliquorum Galenicæ Praxis remediorum; hypotheſes univerſales ex paucis experimentis derivatæ; jactatio Dialectices, Critices, aliarumque ſcientiarum ex quibus parùm commodi ad praxin Medicam redundat; inanis gloriæ deſiderium; accuſatio fictæ cujuſdam in morbis malignitatis, & id genus alia. (3) Falſum genus analogiarum, quô incauti utantur ad ipſam praxin dirigendam, V. G. cùm ad ſanguinis miſſionem in febribus ardentibus diſſuadendam arguunt, ſicuti aqua in lebete ebulliens refrigerari non poteſt per imminutionem aquæ, ſed potiùs per ſubtractionem ignis ſuppoſiti, ità ebullientis in febribus ſanguinis evacuationem per phlebotomiam non poſſe calorem minuere; cùm tamen ignis noſter febrilis ſanguini immixtus & altè immerſus ſit, non verò ſuppoſitus venis, ſanguiniſque portione ſubtractâ ipſe quoque minuatur. (4) Præpoſtera librorum lectio, dum alii tumultuariè legunt, alii contradicendi ſtudiô, alii obliti ſuæ libertatis opinionibus auctorum, tanquam ſirenum ſcopulis adhæreſcunt, alii deniquè librorum lectioni ferè immoriuntur, neglectâ obſervandi induſtriâ. (5) Siniſtra librorum interpretatio, quæ plerumque fit ab illis, qui has ſibi partes ſumunt nullâ inſtructi experientiâ, aut quos tenet ſcribendi & efficiendi ſyſtemata cacoethes. (6) Intermiſſum ſtudium de morbis aphoriſticè tractandi, more Hippocratis & Scholæ Coæ; cùm omnis ferè opera recentiorum in eô ponatur, ùt Medicinam concludant methodis, & quibuſdam ingenii commentationibus merè abſtractis digerant, atque exornent. Ut ergò cognoſcant ſtudioſi, quomodò ſolidæ diutiùſque repetitæ morborum obſervationes ſtylô brevi & aphoriſticô exponendæ ſint, ſpecimen aliquod affert experientiſſimus Auctor, in morbis nonnullis per ſedulam in Xenodochiis Italiæ factam obſervationem examinatis, nimirùm pleuritide, febribus, lumbricis puerorum, variolis & morbillis, colicâ, phrenetide, aſthmate, diarrhœâ & dyſenteriâ, apoplexiâ, dolore & convulſione, tuſſi, calculô deniquè & podagrâ. Decimô capite variæ Medicinæ ætates enarrantur; ut ſcilicet à veteribus Græcis, præcipuè Scholâ Coâ, ſtabilita, à Cæliô Aureliano, Aretæô, aliiſque Græcis per ſubſequentia ad Galenum tem-

pora promota, paulò poſt autem perniciosô Barbarorum impetu labefactata fuerit: ut devenerit porrò ad Arabes, qui activam & maſculam Græcorum Medicinam in quandam ingenii agitationem diſputationumque exercitationem converterint, & hæc Arabica lues Europæ Academias invaſerit; donec tandem primi Itali, inter quos M. Fabius Calvus, Martianus Septalius, eoſque ſecuti Galli, Duretus, Ballonius, Hollerius, Jacotius, poſt excuſſum Arabicæ ſervitutis jugum, ad reſtituendam priſcam Græcorum de re Medicâ ſapientiam omni ſtudiô contenderint: ut deniquè Paracelſus & Helmontius, quamvis novis remediorum inventis praxin locupletârint, novas dederint turbas, hoſque ſecuti Philoſophi recentiores per novas ſuas hypotheſes praxin Medicam in Philoſophiam contentioſam converterint, ejuſque præcepta ità turbârint, ùt inter peritiſſimos hodiè non facilè conſtet, quid tenendum, cui credendum, quâque demum viâ progrediendum ſit, in abſolvendis morborum curationibus. Capite undecimô examinat doctiſſimus Baglivus, quid quantùmve tum recentiores, tum antiqui, in theoriâ & praxi profecerint, nec non quid quantùmve unaquæque illarum conferat ad morbos rectè curandos: ſtatuitque, theoriam recentiorum multò certiorem eſſe theoriâ Galenicorum; contra autem horum praxin maximis propemodùm intervallis praxin recentiorum antecellere, ſive diagnoſeos, ſive prognoſeos, ſive curationum, Theoriarum fecibus intermiſtarum, ſolertiam & pondus conſideremus. Porrò quamvis theoriâ, Philoſophiæ naturali & experimentali innixâ, praxin dilucidè explicari & confirmari concedat, eandem tamen illi ſuperſtruere vetat, cùm minima componentia humorum, ſive naturalium, ſive morboſorum, corporis humani viventis nullâ arte nulliſque ſpeculationibus inveniri, aut determinari unquam poſſint; contrà verò, quamvis ignota nobis ſit humorum vera configuratio & textura, ad curationem tamen ſufficiat, per experientiam noſſe varios eorundem motuum progreſſus, exitus & declinationes, quæ, ut potè à naturâ excitata & directa, veros indicationum fontes nobis aperiunt, in exhibendis mutandiſque remediis; tandemque concludit, artem curandorum hominum ſolô uſu & exercitatione comparari, adeòque praxin plus quàm theoriam ad curationem morborum conferre. Capite duodecimô de morborum hypotheſibus rectè conſtituendis exponit, inculcatque Aſtronomorum hâc in re ſolertiam æmulari debere Medicos, qui ex accuratè obſervatis motibus corporum cœleſtium, non autem ingeniô propriô hypotheſes condunt, quæ aliquandò planè inter ſe pugnant, & nihilô ſeciùs tamen in prædicendis Eclipſibus probè conſentiunt. Undè exiſtimat, in re quoque Medicâ, licèt illa hypotheſis, quæ principiis mechanicis ſuperſtruitur, præſtantiſſima jure & meritô cenſenda ſit, nullum tamen damnum allaturam hypotheſeon varietatem, dummodò ſingulæ nitantur ſtabilibus & continuatis morborum obſervationibus, ſed futurum ùt ſingularum ope æquè feliciter morbi debellentur. Quamvis ergò non neget, theorias & hypotheſes neceſſarias eſſe in Medicinâ, cùm ad inveſtigandas morborum cauſas & effectus, tùm ad methodum rectè dirigendam; quoniam tamen cùm ægrorum adſtamus lectulis, ut de curatione aliquid decernamus, frequenter expectationem noſtram deludunt, & aliquandò quæ circulationi ſanguinis (hypotheſi ſanè omnium certiſſimæ) contraria ſunt aut videntur, ægrotis utilia deprehenduntur, idcircò in Capite decimô tertiô nihil in arte Medicâ magis opportunum eſſe judicat, quàm nova quotidiè inveſtigare præceptorum genera, ſive ſententias quaſdam longô uſu & maturâ confirmatas experientiâ, diagnoſin, prognoſin, curationemque morborum complectentes, quæ non ſolùm rarò fallunt, ſed ſtatim & abſque multis theoriarum ambagibus veras perpetuaſque agendorum indicationes nobis manifeſtant: cujus generis nonnullas in ſequentibus exponit, quæ vel per optimorum librorum lectionem, vel per repetitam in Variis Italiæ Xenodochiis obſervationem, ipſi certò innotuerunt, ùt ad illarum exemplar, tyrones nova in dies præceptorum genera inveſtigare conentur. Quandoquidem autem adminicula, quæ à remediis petuntur, fruſtranea quandoquè ſunt, imò noxia, in morbis ex animi paſſionibus dependentibus. Capite decimô quartô Medicos optat diligentes eſſe cautoſque, in compellandis ægrotis de cauſâ morbi occaſionali, præſertìm de animi paſſionibus, neque abſque ullô factô examine, ſingulorum morborum originem à repletionis & cacochymiæ fabulâ indiſcriminatìm deducere; monens imprimis curandam, ùt animo ſua reddatur tranquillitas, deindè verò ſtomacho primiſque coctionibus eſſe proſpiciendum, necnon exhilarandos excitandoſque ſpiritus oppreſſos & ferè conſopitos.

Deſiderat quoque hiſtoriam morborum ab animi curis provenientium, in quâ ſcilicet explicetur, qui potiſſimùm morbi à quôvis animi motu oriantur, quibus comitentur ſymptomatis, quomodò augeantur, quomodò declinent, quamdiù durent, aut in qualis ſpeciei morbum mutari ſoleant, quibus remediis leniantur, quibus exacerbentur, quæ medendi methodus ſingulis directè opportuna & ſtabilis detecta ſit, &c. Concluditur liber primus parænesi ad Medicos, de inveſtigandâ & ſtabiliendâ methodô incolis certæ regionis aut urbis præ cæteris accommodatâ, nec non de ſcribendâ hiſtoriâ morborum, quibus illi frequentiùs ſunt obnoxii, cujus præcipua capita ſint de aere, fluviis, lacubus, fontibus, planitie & montibus, eorumque ad certas cœli plagas, poſitu, de plantis & animalibus in patriô ſolô præcipuè provenientibus, nec non de mineralibus, aliiſque foſſilibus: porrò de moribus & temperamentis incolarum, de morbis illis familiaribus, & methodô, quâ eliminantur, de Medicinâ indigenâ, ſive medicamentis in patriô ſolô naſcentibus, de variis & præcipuis tempeſtatum influentiis, aliiſque ſexcentis, quibus morborum origines tum foventur, tum curantur. Utque res exemplô clarior fieret, Cl. Auctor breviter exponit, quæ ipſe Romæ circa aëris temperiem, & medendi methodum, quotidianô uſu expertus eſt.

Librô ſecundô ſpecialius argumentum, de quô præcedenti librô generalia allata ſunt, pertractat doctiſſimus *Baglivus*, urgens imprimis, ùt certa & ſtabilis morborum hiſtoria conſcribatur, retentâ antiquâ eorum diviſione in acutos & chronicos. Inquirit deindè in cauſas, cur cùm tot ingentia paſſim proſtent obſervationum volumina parùm admodùm profecerimus in accuratâ morborum deſcriptione, eaſque varias recenſet; nimirùm quod recentiores Philoſophi nimiùm abſtractionibus mentis tribuunt, quod antiquum odium ſectæ rationalis in Empiricam nondùm extinctum, quòd plurimi Auctores in faciendis obſervationibus methodum ac ordinem non adhibuerunt, quòd multæ obſervationes in paucis tantùm ægris factæ, nonnullæ autem theoriarum commentis turbatæ & confuſæ; quòd praxis, quâ uſi nonnulli, ſpeculativa magis & hypothetica fuit, quàm ad naturæ mentem comparata, quò factum, ùt morbi periodos ſuas non abſolverint per leges ſibi

inditas

inditas naturales & conſtantes, ſed progreſſus, exitus & ſymptomata magis debeantur perverſæ methodo, quàm immutabili & individuæ morborum naturæ; quòd tandem ob mentem à prædictis hypotheſibus occupatam, multa ſymptomata eiſdem non rectè quadrantia omiſſa ſunt, multa contra magis magiſque confirmandis neceſſaria ad libitum conficta. Sed hæc prioribus traduntur capitibus, tertiò verò adferuntur regulæ inſtituendi & promovendi hiſtoriam morborum, & ab illâ derivandi aphoriſmos curativos. Opera nimirùm danda eſt ſedula, ùt infinitæ particulares acquirantur cujuſvis morbi obſervationes, eæque deſcribantur ſtylô rudi & incomtô, iiſdemque loquendi formulis, quibus ægrotantes ſuas exprimunt affectiones, annotenturque minima non ſolum accidentia de die in diem in morbô apparentia, eorumque vehementia, progreſſus & exitus in melius vel deterius, verùm etiam minimæ circumſtantiæ temporis & loci, in quô fiunt obſervationes, conſtitutionis anni, cauſarum antecedentium & præſentium, methodi & remediorum; verbô omnium quæ morbum antecedunt, concomitantur, & conſequuntur, quamvis vilia & inutilia videantur; ita ut nihil obſervator addat de ſuô, quod illi vel ſubtilis diſputandi ratio vel inanis eruditionis ſpecies poſſint ſuppeditare. Comparata ſufficiens particularium hiſtoria debitè ſeparanda, & digerenda eſt, factâque ſeverâ & exactiſſimâ particularium conſideratione, præcepta generalia conſtituenda ſunt, ſed neceſſariis circumſtantiis prudenter limitata. Quod opus cùm ob ingentes labores multamque meditationem, quam ſibi vindicat, non unius aut paucorum hominum, ſed integri cœtus doctorum & in praxi exercitatorum virorum ſit negotium, neceſſarium putat Auctor noſter, ùt Principes in urbibus ſuis, præſertim celebrioribus, & in quibus ingentia exſtant Xenodochia, Medicorum Collegia praxeos per obſervationes promovendæ gratiâ inſtituant. Quæ in duas commodè claſſes poſſint diſtingui, quarum altera legendis libris, morborum frequenter occurrentium obſervationes, non paradoxas, nec raras, ſed fideliter traditas continentibus, incumbat, ità unicuique claſſis hujus ſodali unus duntaxat morbus totâ ſuâ vitâ tractandus committatur, qui inveſtiget naturam morbi in genere, ſigna diagnoſtica & prognoſtica, & monita & præcepta generalia, medendi methodos accuratiores, remedia ſelectiora ac fermè ſpecifica, ſymptomatum & morborum mutuas inter ſe tranſmutationes, diuturnitatem vel brevitatem eorundem, naturæ conatus, methodum & ordinem in expulſione materiæ morboſæ, & hujus generis alia ſingulaque in ſua capita diſpertiat. Altera claſſis tota ſit in exquirendis de novô notandiſque morborum obſervationibus, ità ùt ſinguli hujus claſſis ſodales in ſingulis morbis indagandis verſentur, & (1) omnia ad vivum delineent ſymptomata, prout ab ægrô referuntur: (2) inquirant, & poſt longas inquiſitiones determinent, quænam ſymptomata ſint conſtantia, ac velut diagnoſtica morbi tractandi, eaque diſtinguant à fortuitis, communibus, aliiſque pendentibus potiùs à diverſâ medendi methodô, & concurſu cauſarum penè infinitô, quàm ab ipsâ naturâ: (3) adnotent cum curâ, quæ indoles, quæ vehementia, qui progreſſus & exitus, quæ tandem mutatio in melius vel deterius in ipſô morbô ſuccedant: poſt cujuſcunque ſymptomatis adventum aut receſſum; quæ ſymptomata recedant, quæ augeantur à quôvis adhibitô remediô, ſecundum methodum præſcriptam, ſingulis morbi temporibus, quæque mutatio ipſius morbi remedia conſequatur; quæ ſymptomata comitentur morbum uſque ad finem, & quâ vehementiâ quôvis illô tempore; quæ contrà illum brevi deſerant, & quônam illius tempore, demùm qui eventus obſerventur in morbô, dum illum relinquunt, vel iterùm regrediuntur, (4) horum omnium inquiſitionem non ſolùm ad centenos atque millenos ægrotantes perducat, non neglectâ ſectione cadaverum morbis exſtinctorum, ut de rei veritate certi omninò fiant, & axiomata generalia facilè poſſint exſtruere, ſed eôdem quoque tempore cogitent de perficiendâ ſigillatim hiſtoriâ cauſarum, ſignorum diagnoſticorum, indicationum ſolidarum, ſive methodi curativæ, remediorum ſpecificorum, aliorumque ad eſſentiam morbi cognoſcendam ſpectantium. Inter leges Collegii hanc facit Auctor præcipuam, quæ ſtatutô tempore, & ſaltem ſemel in menſe, convenire jubet ſodales, cenſoribuſque (qui ex ſodalibus creati ſeniores, doctiores, judiciô maturi, & longâ praxi exercitatiſſimi) proponere obſervationes peractas, ita ùt penes hos jus ſit corrigendi, quidquid peccatum contra leges hiſtoriæ, & methodum eidem perficiendæ præ cæteris opportunam. Capite quintô ſolvuntur argumenta, quæ huic inſtituto poſſunt objici, oſtenditurque fruſtrà jactari, morbos eſſe effectus quoſdam confuſos, & inſtabiles, inordinatos, motuſque naturæ deſtitutæ ac ſe defendere neſcientis: cùm ipſâ experientiâ conſtet, morbos æquabilem quandam, certam & individuam in motibus periodiſque ſuis conſtantiam ſervare, & humorum in morbis nonnullis ſpecificationes ita eſſe conſtantes, ùt qualemcumque perſonam induat, ſemper tamen manifeſtetur per characteres quoſdam, ſpecificationis ſuæ indivulſos comites. Cæterùm ùt hæc eô planiùs intelligantur, non tantùm capite ſextô proponitur ſpecimen hiſtoriæ in deſcribendâ podagrâ, & aphoriſmorum practicorum hinc deductorum, necnon capite ſeptimô longa ſeries eorum, quæ in arte Medicâ adhùc deſiderantur, quæque ex hiſtoriâ morborum fideliter conſignatâ poſſunt reſtitui; ſed ſpecialiùs paulò agitur capitibus ſequentibus, de morborum ſignis diagnoſticis, cauſis, indicationibus & remediis ſpecificis. Nam capite octavô, quanti interſit ritè noſſe morborum ſigna diagnoſtica, inculcat experientiſſimus Auctor, morborumque nonnullorum ſigna ſpecialiùs proſequitur. Capite nonô cauſas morborum pertractat, monetque, malè vulgò negligi cauſam procatarcticam, cùm tamen illa non raro nos manu quaſi deducat ad penitiorem morbi cognitionem, cæteriſque ſit manifeſtior. Quamvis autem doctiſſimi quidam viri in eam deſcenderint ſententiam, dummodò conſtet, quibus indicationibus & remediis curandus ſit morbus, parum referre, ſi cauſam illius immediatam & à ſenſibus remotiſſimam ignoremus; nihilominùs tamen vias quaſdam patere oſtendit, quibus ſenſim ad hujus cauſæ cognitionem pervenire poſſimus, ſi ſcilicèt pulſum, feces, urinam, ſputum, ſudores, vomitus, ſanguinem venæ-ſectione extractum, colorem cutis, unguium, linguæ imprimis conſtitutionem, necnon juvantia & lædentia, item mutationem unius morbi in alium ſpeciei vel ſimilis vel diverſæ, læſionem partium & operationum principalium, ſymptomata item morbum comitantia vel antecedentia, eorumque naturam, vim & modum invaſionis, necnon remiſſionem aut exacerbationem ab aſſumtis remediis, probè conſideremus. Porrò cùm indicationes curativæ conſtantes & à repetitis morborum obſervationibus depromptæ prima praxeos ſint fundamenta, has capite decimô maximâ indigere correctione aſſerit, cùm falſis

hodiè hypotheſibus innixæ nihil aliud nobis exhibeant, quàm inania ſpeculationum ſomnia. Exiſtimat ergò, indicationes curativas aliundè certiùs deduci non poſſe, in morbis præcipuè illis, in quibus mora omnis pernicioſa eſt, quàm à ſymptomatibus tunc temporis gravioribus & ſupra reliqua prædominantibus; quippe quæ morbi genium & gravitatem præ cæteris apertè nobis oſtendant. Veùrm cùm in quôlibet morbô quatuor ſint conſideranda, morbus ipſe, cauſa, ſymptomata & vires, Medicum ità horum omnium motus, originem, vim, aliaſque circumſtantias callere debere, ut de indicationibus nihil audeat decernere, niſi quatuor illis attentè conſideratis & relatis inter ſe ùt urgentiori primùm poſſit proſpicere. In chronicis contrà cùm phænomena ſint diuturna & conſtantiora, indicationes à juvantibus & lædentibus præcipuè deſumendas eſſe monet, & fidelis earundem ætiologia, ex cadaverum morbis denatorum ſectione petenda. Capite undecimô arctiori paulò fœdere conjungendas cenſet indicationes cum remediis, ſed ità, ùt non ſolùm fideliter notentur remedia ſpecifica ſed & præcepta ſtabilia circà uſum, quantitatem, tempus; aliaſque adhibendorum remediorum cautiones; cùm intempeſtivè uſurpata plus noxæ, quam utilitatis, ægris afferant. Ultimô tandem capite illos impugnat, qui criſes criticoſque dies derident. Quamvis enim concedat, criſes olim feliciùs in Aſiæ puriori tenuiorique aëre ſucceſſiſſe, non tamen hic ſequi putat, nullas apud nos poſſe obſervari, ſi modò poſt præſcripta pauciſſima in principiô morbi medicamenta, dum res ad ſtatum tendit, à remediis, quantùm licet, abſtineamus, criſinque expectemus: cùm conſtans adeò naturæ ſit ordo, in perficiendis ſtatô tempore humorum peccantium coctionibus & depurgationibus. Arbitratur enim, defectum criſium hinc frequenter oriri, quòd practici recentiores, ignari naturam eſſe morborum, præſertim acutorum, medicatricem, totô febrilis accenſionis tempore aſſiduis remediorum formulis turbant, ità humorum motum, ut ad criticam deſpumationem venire nequeant.

Additæ ſunt Diſſertationes tres varii argumenti. Prima de Tarantulâ agit, quam Baglivus ideò conſcripſit, quod illi qui ante ipſum de hôc animalculô commentati ſunt, vel ex alienis dictis ſcripſerunt, vel plurima ad arbitrium finxerunt, nemoque illorum vidit Appuliam, in quâ Tarantula venenoſam ſuam vim potiſſimùm exerit, ſi unum excipias Epiphanium Ferdinandum Apulum. In eâdem præ reliquis notatu dignâ occurrunt ſequentia; Tarantula, à Tarentô nobiliſſimâ olim Apuliæ urbe nomen adepta, ex araneorum fila texentium eſt genere, frequens in Apuliâ, regione planâ, æſtivique ſolis calore vehementer aduſta, hyeme ſub terrâ latens, nulliſque veſcens alimentis. Hoſtem habet animalculum veſpæ non abſimile, in dorſô variegati coloris, in ventre verò nigricantis, quod tarantulas, cæteroſque araneos avidè quærit, occidit, & depaſcitur. Si plures in unô vaſe concludantur tarantulæ, altera alteram interficit & comedit. Per initia æſtatis ex ſpecubus ſuis prodeunt, arva incolunt, & inſidias ſtruunt viatoribus. Ruricolæ, quando eas captare volunt, ad illarum latibula accedunt, tenuiſque avenaceæ fiſtulæ ſonum, apum murmuri ſimilem, modulantur, quô auditô foras exit tarantula muſcas venatura; vel tenui vibice motum, & gratum ſibilum efficiunt, deindè vibicis apicem ad oram latibuli apponunt, quô factô tarantula è nidô prodiens ſuper vibicem aſcendit & capitur. Magnitudine æquat vel etiam ſuperat glandem, habetque octo pedes, quorum ſinguli terna agnoſcunt internodia, anterioreſque duo reliqui ſunt minores. Corpus ejus dividitur in duas partes principaliores, thoracem & ventrem, quæ tenui ligamentô ſeu nodulô uniuntur. Caput thoraci & humeris continuum eſt, ex ejuſque ore duo tela prodeunt ſimilia forcipi hamato, quorum apex acutiſſimus eſt, ſuntqùe quaſi duo veneni emiſſaria. Subſtantia eorum cruſtacea eſt, & friabilis & in maribus tarantulis firmiora ſunt & acutiora, in fœminis contra obtuſiora & laxiora. Poſt forcipes occurrunt duæ antennæ, quæ prope illas oriuntur, duo habentes internodia; extremuſque harum antennarum apex in maribus latior eſt, & craſſior, in fœminis acutior & ſubtilior. Tarantula oculos habet octo, læves & lucidos, nec monticulis ſive tuberculis exaſperatos, & ex his quidem quatuor majores hinc indè ad latera capitis ſitos, reliquos minores vix oculô nudô conſpicuos, lineâ parallelâ ſub primis diſpoſitos, colore quandoquè ſubcœruleô. Eſt hoc animal piloſum, ejus color externus eſt varius. Nonnullæ enim tarantulæ æmulantur colorem coturnicum, aliæ ſubnigrum, ad inſtar coloris pulicum, ſuntque demùm, quæ maculis hinc inde ſtellatis conſperguntur. Cutis illarum mollis eſt, in maribus tamen durior, ſed ad cruſtaceam ſubſtantiam non accedit. Viſcera mollia & friabilia ſunt, ùt vix poſſit minima eorundem ſtructura determinari. Fœmina ovariô gaudet, mas autem organis prolificum ſemen generantibus, & pene, qui exurgit ex mediâ commiſſurâ thoracis & ventris, eſtque nigricans, intortus, & formâ referens muſcæ aculeum. Coëunt appetente Juniô, & poſt elapſos aliquot dies fœmina folliculum parturit coloris cœleſtis, figurâ & magnitudine luxino ſimilem, ſeu congeriem ovulorum, tenuiſſimis & flaccidis filis, mucôque ſui generis unitorum, quam arctè complectitur, & per 12. 15. aut 20. dies continet, deindè in campô deſerit, ùt ovula calore ſolis excludantur, poſt 20. aut 30. à partu dies noxiæ tantùm ſunt tarantulæ, quæ Apuliæ campos incolunt, æſtivô tempore, præſertim urente Caniculâ, quia tunc à flagrantiſſimis ſolis radiis venenum illarum exaltatur, ipſæque aguntur in rabiem, ùt irritatæ pariter & non irritatæ, quoſcunque ſibi obvios, vigilantes æquè atque dormientes, impetant. Morſûs tempore exiguum vixque perceptibilem liquorem eructant, qui utrùm ſit venenum, an potiùs inflammatorum venenatorumque ſpirituum vehiculum, incertum eſt. Exitiales quoque ſunt liquores, in quibus tarantulæ ſuffocatæ. Hyeme ſi mordent tarantulæ, non offendunt, nec in alias tranſlatæ regiones, imò quæ montes Apuliam terminantes inhabitant, quôcunque tempore mordeant, ſunt innoxiæ. Qui punguntur à tarantulâ, ſentiunt ictum veluti à formicâ aut ape inflictum. Demorſa pars quandoque dolore, quandoque ſtupore inſigni afficitur, circulô lividô, nigrô, aut ſubflavô coloratur, & paulò poſt in tumorem, acerbiſſimum dolorem commoventem, attollitur. Paucis elapſis horis, patientes ingenti cordis angore corripiuntur, & generaliter loquendo, talia occurrunt in ipſis ſymptomata, qualia in malignâ febri ex coagulatione laborantibus obſervari ſolent, ſpirandi ſcilicèt difficultas, omnimoda ferè pulsûs oppreſſio, animalium vitaliumque actionum repentina ac penè fatalis jactura. Quæ ſymptomata tamen graviora aut leviora ſunt, pro varietate tarantularum, & ægri temperie. Variis quoque delectantur ægri coloribus; præcipuè rubrô, viridi & cæruleô, rarò autem nigricanti.

ti. Cùm autem multiplicia ac ferè incredibilia ſint tarantatorum ſymptomata, quorum multa à depravatâ imaginatione pendere videntur, non à veritate alienum cenſet Doctiſſimus Auctor, venenum tarantularum, poſt exacerbationem vehementiorum ſymptomatum primis diebus apparentium, creare demùm melancholiam ſui generis, præcipuamque ſedem figere in liquidô nervorum ſeù ſpiritibus animalibus. Notatu quoque dignum putat, mulieres chloroſi laborantes eadem ferè in Apuliâ pati ſymptomata, quæ tarantatas affligunt, eôdemque modô curari, atque hìnc mulieres non paucas tarantiſmum ſimulare, ùt opportunâ Muſices occaſione, ſolis tarantatis permiſſâ, uti poſſint. Non autem ſolùm, quandiu tarantula vivit, venenum viget, ùt falsò nonnulli ſcripſerunt, ſed in his etiam, qui remediis ab imminenti morte liberantur, adeò intimè veneni ſeminia humoribus inſeruntur, ùt vix exſtirpari poſſint, ſed quotannis repullulent, potiſſimùm circa illud tempus, quô quis demorſus fuit, & maximâ quidèm cum vehementiâ, niſi ſtatim ad conſueta remedia confugiatur. Indicationes curativæ in eô conſiſtunt, ùt diſſolvantur attenuenturque humores virulentô afflati contagiô, per medicamenta alexipharmaca & bezoardica, & demorſus locus ſtatim ſcarificetur, ipſique applicetur cucurbitula, ad veneni extractionem, deindè theriacâ & alliô contuſô foveatur, donec venenum aliquantiſper fuerit debilitatum. Primas autem inter remedia interna tenet aqua Reginæ Hungariæ, vel ipſa eſſentia roriſmarini per ſe deſtillata, & ſumta cum aquâ theriacali, corticum citri, vel hyſſopi, meliſſæ, aut ſerpilli, vel etiam brodiô herbis alexiteriis alteratô. Quæ tamen remedia fruſtranea ſunt, niſi adhibeatur Muſica, præcipuum hujus mali antidotum, quâ auditâ, quamvis adinſtar apoplecticorum jaceant ægri, ſensìm movere incipiunt manus, pedes & reliqua deniquè membra, donec tandem in pedes erecti ululent, ſuſpirent, & choreas inchoent, quas frequenter duas treſve horas continuant. Poſtquam verò paululum quieverunt in lectulô, ad ſudores abſtergendos, vireſque reficiendas, eâdem vehementiâ ad ſaltationes proruunt, & duodecim ferè horas impendunt in choreis viciſſim inſtitutis, donec tandem ab omnibus ſe ſolutos ſymptomatibus perſentiunt, quod fit frequentiſſimè poſt tertium vel quartum diem, & deindè per totum illum annum à pravi morbi inſultibus vivunt immunes. Redeunte verò anni tempore, quô à tarantulâ admorſi fuerant, ſi per conſuetas choreas morbi vehementiæ non antevertunt, paroxyſmus derepentè ingruens illos occupat, ùt ubicunquè reperiantur, concidant velut apoplectici, aphoni, cum denigratione faciei & extremorum, ſique nec tunc ſaltent, totô illô annô miſerrimè diſcrucientur. Excitantur tarantati ad ſaltandum non ſolùm diverſis ſonorum modis, proùt à diverſâ ſpecie tarantulæ fuerunt icti, ſed etiam peculiaribus delectantur inſtrumentis, alii fiſtulâ paſtorali, alii tympanô parvô, alii cytharâ, alii lyrâ &c. omnes tamen velociſſima ſonorum modulamina deſiderant, quibus inſtar amentium concitantur & moventur. Quò verò & tarantulæ Muſicâ gaudeant, & ad ſaltandum impellantur, majori probatione egere putat Baglivus, quamvis hoc ipſi non improbabile videatur; neque ipſe vidit bruta à tarantulâ morſa, ut vulgò ferunt, ſaltare. Cæterùm Muſicam hìnc judicat vim habere ſolvendi ſpirituum humorumque venenoſum coagulum, quòd ab inſtrumentis commotus aër vehementiùs ferit ſpirituum, humorum, & membranarum ſyſtema, & ex validô illô impulſu vehementior pariter in humoribus exoritur fermentatio, exaltatio, & debita fluiditatis reſtitutio: quæ à remediis diaphoreticis intus ſumptis effici non poſſunt, quia antequam ad ſanguinem perveniant, ſuas magnâ ex parte amittant, aguntque in fluida tantùm, non æquè in ſolida. Eidem diſſertationi inſerta eſt ſumma litterarum P. Joh. Dominici Putignani S.J. quibus refert, in urbe Calabriæ Paulâ virtutem lapidis ſerpentis Cobras de Cabelô alexipharmacam, à celeberrimô Redô in dubium vocatam, à ſe comprobatam in ruſticô à Calabrô ſcorpione ictô & in extremum vitæ periculum redactô.

Diſſertatione ſecundâ de uſu & abuſu veſicantium agitur, & cap. 1. proponuntur nonnulla experimenta circa effectus cantharidum, ex quibus colligitur, cauſticum illarum ſal diſſolvere ſanguinem & colliquare. Cap. 2. incommoda ab uſu veſicantium oriunda recenſentur, quòd ulcera à veſicantibus excitata deſinunt quandoquè in gangrænam, præſertim in cachecticis, hydropicis, aut qui lue Gallicâ graviter laborârunt, quòd graviter capite vulneratis, & delirantibus febri acutâ, convulſiones mortemque inferunt; quòd non ſolùm gangrænam, verùm etiam mictus ſanguineos & ardores urinæ, aliaque veſicæ mala frequenter gignunt, præſertim in macilentis & gracilibus, tempore anni æſtivô; quòdque in ſalacibus viris fœdiſſimas ſatyriaſes excitant. Cap. 3. oſtenditur, quantùm in conſtitutione ſanguinis acri & colliquativâ obſunt veſicantia, tantùm illa conferre in diatheſi ejuſdem craſſâ, viſcidâ, & ad coagulationem ſtagnationeſque ſe diſponente, V. G. in febribus, quæ exiliſſimô pulſu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos ſoporoſos propenſione, aliiſque coagulationis indiciis ſtipantur, in pleuritide, quandò circa quintum circiter vel ſeptimum diem magna ſpirandi & expectorandi difficultas ægrum in ſummum diſcrimen conjicit, ſi duo veſicantia tibiis vel cruribus admoveantur; nec non in oculorum & faciei morbis. Si areſcant ulcera à veſicantibus excitata cum colore ſubnigrô aut liveſcente, & quaſi gangrænam minentur, conſulit Baglivus, ùt bis vel ter quotidiè melle roſaceô inungantur, ſed ſi difficulter cicatricem ducant, ùt pulvis thuris ſubtiliſſimè contriti bis in die vulneri aſpergatur. Qui graviſſimâ tuſſi cum ſputô craſſô & copioſô laborant, hos à nullô remediorum genere tantam utilitatem recipere, quantam à veſicatoriô cervici appoſitô, confirmat, hortaturque Medicos, ùt in pertinacibus viſcerum obſtructionibus, cachexiis, ſuppreſſionibus menſium &c. uſum cantharidum experiantur. Tandem cùm veſicantia ſtimulandô agant, & inter ſtimulos principem obtineant locum, eorum naturam, ad mentem doctiſſimi Bellini, in capite ultimô exponit.

Diſſertatio tertia præter ſyllogen experimentorum, per infuſoriam in vivis animalibus factorum, continet hiſtoriam tum apoplexiarum epidemicarum, annô 1694. & 1695. in urbe & per Italiam obſervatarum, tum morbi & ſectionis cadaveris ſagaciſſimi Medici, Marcelli Malpighii, qui D. 29. Novembr. annô 1694. apoplexiâ correptus diem obiit ſupremum. Apertô capite, in cavitate dextri ventriculi cerebri duæ libræ circiter ſanguinis nigri & grumoſi extravaſati, in ventriculô ſiniſtrô aquâ ſubflavâ ad pondus ſeſquiunciæ, eique intermiſſæ minimæ arenulæ exiguâ quantitate, ipſaque vaſa ſanguifera cerebri undequaquè varicoſa fuerint inventa.

Ibid.

Ibid. ann. 1703. *p.* 339.

Georgii Baglivi, Med. Theor. in Rom. Archilyc. Prof. ſoc. Reg. Lond. Acad. Imp. Leop. &c. ſocii, ſpecimen quatuor librorum de Fibrâ Motrice & Morboſâ, annexæ ſunt quatuor Diſſertationes, Romæ, typis Jo. Franc. Buagni, 1702. *Ultrajecti, apud Gu. van de Water,* 1703. *Baſileæ apud Jo. Georg. Konig.* 1703. 8.

DUo ferè præterlapſi ſunt anni, cùm *Antonii Pacchioni*, Medicinam Romae profitentis, *Epiſtolam de novis circa ſolidorum ac fluidorum vim in viventibus, ac duræ Menyngis ſtructuram & uſum, obſervationibus*, ad D. Ludovicum Teſti, Medicum Venetum, datam, Actis inſereremus; cum quâ idem eôdemque modô explicatum argumentum tractat præſens ſpecimen. In hôc enim conſpectum ſolum exhibet Baglivus æquè ac ille in Epiſtolâ ſuâ eorum quæ in tractatibus, quos ſub manu habent, uberiùs enotanda venient. Scilicèt poſtquàm Noſter multos veterum recentiorumque Medicorum libros lectitârat, ex eâ tamen lectione parùm ſe utilitatis collegiſſe adverterat, miſſis cæteris libris, totum Hippocratis ſe ſtudio tradidit, aliquam bene medendi rationem indè aſſecuturus; & cùm in Italiæ noſocomiis dictorum illius periculum faceret, non ſine admiratione doctrinæ ejus veritatem, tanquam ex Tripode prodeuntem deprehendit. Cognovit nimirùm, Hippocratem in morborum curationibus nihil magis præcipere quàm balnea, fricationes, exercitationes, unctiones, uſtiones, inciſiones partium ad oſſa, ablutiones, capitis purgationes per ſternutatoria, ejuſdem lotiones, vellicationes, ſuccuſſiones, ac hujus generis remedia in ſolidas corporis humani partes agentia; undè cùm ad ſolida magis, quàm recentiores ſolent, reſpexiſſe hariolatus, ſemper ſolidum præcipuè ſpectare, ejuſque vim, & elaterem, & poteſtatem in fluida obſervare ad ejus imitationem cœpit; & poſtquàm hâc de re cum viris magni nominis, multæque eruditionis (inter quos ſupra laudatum D. Pacchionum commemorat) ſermones ſæpenumerô fecerat, in hôc argumentum penitiùs inquirere ſuſtinuit. Hujus autem ſpeciminis nunc ſuppeditare ſpecimen, ſupervacaneum judicamus, cùm mens ipſius ex jam dictis ſat pateat. Ad diſſertationes potiùs huic ſpecimini annexas progrediemur, poſtquam commemoraverimus, Baglivum *de Febribus Meſentericis* opus novum, non è lectione librorum, ſed ab obſervatione naturæ petitum, magno ſuo operi interſperſurum eſſe, in quô has febres non teſtaceorum, antiacidorum, diluentium, & oleoſorum uſu vulgari, ſed fomentis, balneationibus, repetitis purgationibus, & demùm eductâ cacochyliâ omni, ſerô lactis cichoreatô vel deſtillatô aliquô ex ſuccis aperientibus, curari magis debere demonſtrabit.

Diſſertationes annexæ obſervationes continent & experimenta ad doctrinam de morbis ſolidorum maximè pertinentia. *In primâ* de *anatome fibrarum, motu muſculorum & morbis ſolidorum* agitur. Factâ fibræ carneæ in debitis liquoribus maceratione, obſervavit ope microſcopii, quamlibet earum ex plurimis ac penè infinitis aliis fibrillis, in faſciculum contractis ac parallelis, componi, quas aliæ ſibi quoque multò parallelæ, & pares angulos cum utrôque tendine conſtituentes, transverſim interſecant, ad id potiſſimùm factæ, ùt carnearum rectarum nimiam in motu muſculorum dilatationem impediant. A quâ ſtructurâ fibra membranacea in eô diſcrepat, quòd etiamſi hæc itidem plura contineat filula, iſta tamen magis ſint ſubtilia, neque parallelô & rectô ordine, ſed irregulari, inæquali & frequenter veluti reſciſſô progrediantur, ut in arborum foliis, vel madidâ papyrô microſcopiô conſpicimus. Præcipua, ſi non tota vis motûs, ſeu potentia movens muſculos, in ipſis reſidet muſculis, i. e. in peculiari fibrarum artificiô, earumque cum ſanguineô tomentô proportionatâ mixtione & impulſu; ſpiritus verò influentes per nervos nil aliud, quàm determinationem ad motum, mutationem globulorum ſanguineorum inducendo præſtant. Supponitur autem, quòd datô cordis ſanguiniſque continuô & nunquam ceſſante motu, fibræ carneæ majores earumque fibrillæ minimæ totidem ſint vectes vel funiculi, quorum ſingula puncta ſuper circulantis ſanguinis guttulas, tanquam globuloſos ſolidos, veluti ſuper totidem trochleas tracta, & ſemicirculariter mota, ſuperveniente ſpirituum determinatione, ad motum magnam vim in tendineis extremitatibus producant. At in mechanicis videmus, trochleas in abſolvendis motibus fixo hærere principio nec perenni impulſu hinc indè excurrere, ut ſanguinis guttulæ per fibrarum ſpatia: igitur ùt hoc vitetur abſurdum, ſcytalarum adinſtar moveri circa fibras, iiſdemque ſuum impulſum continuò communicare creditur ſanguis. Et quoniam globuli illi ſanguinis velociter currunt, à cordis motu vehementiſſimè impulſi, neceſſe eſt, ùt fibrarum fila ad contactum globulorum currentium premantur, & undulando veluti criſpentur; quæ criſpatura cùm maximè ſenſibilis ſit in mediô muſculi, ubi ſanguis velociùs currit, ſequitur indè, ùt extrema fibrarum ſingularum verſus medium contrahatur, breviora fiant, & appoſita ſublevent oſſa. Quemadmodùm igitur, ad motum muſculorum rectè peragendum, neceſſaria videtur eſſe (1) determinata ſanguinis quantitas in ejus fibris, ejuſdemque determinata velocitas, (2) proportio debita motûs & reſiſtentiæ ſingulorum liquidorum, per canales ſuos currentium: ità horum alterum ſi turbetur, muſculorum quoque motus inæqualis & turbatus orietur. Inter affectiones denique fibrarum maximè ſenſibiles tenſio eſt & laxitas; & exiſtimat Noſter, multorum morborum veras cauſas, ſed obſcuras, difficiles & à Medicis minùs diligenter quæſitas, in hôc ſolidorum vitiatô tonô, elatere, ſtructurâ, mutatôque ſolidorum ad liquida, & liquidorum ad ſolida æquilibriô reſidere potiùs, quàm in mille ſomniatis acidis, & mille fictis humorum molleculis, quas innovandi cacoethes noſtris temporibus adinvenit. Præ reliquis tamen pueri & ſenes cæteris ætatibus magis ad morbos obſervantur proclives, illi ob fibrarum laxitatem nimiam mollitiemque, hi ob extremam ſiccitatem, & ariditatem. Ex quibus deducit Noſter, remedia ad vitam longam & reverà dari, & talia dici debere, quæ in humanô corpore elaterem, cum rotis & rotas cum elatere mollia, laxa & facilè flexilia, conſervare valent. Experimenta demùm adducta eò redeunt, ùt ratio pateſcat, quâ ſalinæ particulæ in ſanguine redundantes ſolidas partes variè labefactent, ex quarum variâ conſtitutione chronicorum acutorumque morborum idea certior atque clarior poterit deſumi.

Diſſertatio II. Obſervationes *circa ſalivam, ejuſque naturam, uſum & morbos* continet. Hæc ob inſignes ſuas ac penè innumerabiles virtutes, quas in nobis fundendo, ſolvendo, abſtergendo ac celeriter penetrando producit, primarium chyli-fica-

lificationis menſtruum pronunciatur, morboſque epidemicos & contagioſos, eâ mediante ab infectô aëre conſpurcatâ, communicari creditur. Morboſam ſalivam, cum talis naturæ pancreaticô vel aliarum glandularum ſuccô junctam febres lymphaticas lentas cum acri calore, circa veſpertinas horas ſe exacerbante producere, docet Noſter, quæ ſi malè tractentur, facilè in hecticas, in meſentericas occultas, difficiles & lethales, facilè tranſeant. Hinc nunquam ab ægrô diſcedant Medici, jubet niſi priùs linguam inſpiciant, ut potè quæ lymphæ ſanguiniſque ſtatum certiùs quàm alia ſigna, nobis oſtendat. Obiter hìc notamus, quod clariſſimus Auctor ad corrigendam lymphæ acrimoniam, ejuſdemque ſcorbuticam diſſolutionem, nec non ad ſtomachum confortandum, & digeſtionem juvandam magnô uti ſe fateatur cum ſucceſſu potione calidâ ex decoctione *Ligni Carabaccii*, quod ex Indiis delatum, caryophyllis ſimilem ſaporem, ſed valde temperatum ac planè gratiſſimum, colorem verò illi caphè vel cinamomi valdè affinem habet. Cæteroquin ſalivâ à ſale nomen ſumſiſſe dicitur, hocque ſal non vulgaris eſſe naturæ, ſed de univerſali participare, atque intenſam rubedinem lucemque vitalem, in ſanguinem mutandam & digerendam, in ſe continere.

Bilis, cujus obſervationes *Diſſertatio* III. exhibet, ex ſale fixô & volatili, ſulphure & phlegmate conſtat. Hinc in duodenô, ex Auctoris mente, cum chylô ſubacidô ac ferè caſeoſô, acidôque pancreatis ſuccô efferveſcit; cum eôque intimè conjuncta in alcali volatile naturæ amicum abit, viſcidiores partes ſcindit ac divellit, maſſam à putrefactione præſervat, & fæces præcipitat. Hinc quandò eadem quâcunque ex causâ ad inteſtina non deſcendit, rhabarbarum, ante prandium maſticare jubet Noſter, non ſine euphoriâ. Morbos ejus dum commemorat, lentam febriculam puerorum, cum macie, ſiti, anorexiâ, pallore, tenſione, doloreque hypochondriorum &c. oriri dicit ab amurcoſâ bile, acri, viſcidâ, circa jecur viçinaſque partes coactâ & in motu impeditâ: hinc locô ſtomachicorum, aromaticorum & deobſtruentium, remedia bilem diluendo temperantia, & per alvum ſubducentia, habitâ inſimul ſolidorum criſpatorum ratione, præſcribit; quam medendi methodum ſimiliter in icterô, ab inerti & viſcidâ bile oriundô, obſervat. Et cùm calculi ex ſale acri muriaticô ſanguinis, & acido-viſcidâ mucagine primæ digeſtionis vitiô factâ concreſcant, in veſicâ fellis faciliùs & levi de cauſâ coguntur iidem, ſiquidem dictô ſale ſummoperè abundat bilis. Ex quibus reddi poſſe rationem ſibi perſuadet Auctor, cur exiſtentibus calculis in veſicâ felleâ, germinent quoque tales in urinariâ, & contra? item cur icterici calculoſi ſint, & calculo obnoxii icterô facilè afficiantur; veſicæ calculô laborantes cur pallidi, languidi, laſſi, ac veluti ad motum impotentes ſint, cum capitis affectibus quaſi vertiginoſis, ejuſdemque debilitate, duas recenſet cauſas. Primò, quia ob vehementiſſimum dolorem, centrum gravitatis fluidorum penè omnium inclinat ad inferas partes circa veſicam, in quibus ſtimulus potens, vis & criſpatura ſolidorum ſummoperè viget; quâ ratione ſuperiores partes corporis, humorum debitô & æquilibratô curſu deſtitutæ, pallent, & ob id etiam univerſalis languor artus corripit, caputque vertigine ac debilitate vexatur. Secundò, dum bilis heterogeneis impuriſque particulis abundat, inepta evadit, quæ chylum ſalvat, diluat, & ſanguificationis rudimentis imprægnet; quamobrem crudus indigeſtusque fit ſanguis, pallorem inducens. Ex experimentis circa bilem factis, quorum magnam farraginem allegat, concludit (1) exiguam adeſſe aquæ portionem in bile; (2) bilis virtutem nil magis acuere vel augere, quàm ſalia lixivialia plantarum, amaraſque plantas; (3) bili nihil magis inimicum eſſe quam acidum.

In ultimâ diſſertatione varia tractat argumenta, demonſtrans cauſam, quæ nos ad dormiendum cogit, non tantùm in cerebrô, ſed maximè in ſolidis ac fluidis quærendam ac inveſtigandam eſſe, quorum laxatô tonô torpor, membrorum concidentia, neceſſitas decumbendi in horizontali ſitu, & id genus alia contingunt, quæ ſomnum antecedunt, vel conſequuntur; aëris molem, gravitatem ac circumpulſionem, cauſam univerſalem unicam eſſe quæ viventia & vegetabilia ad illum ſugendum, hauriendumque per proprias fiſtulas cogit: falſum eſſe, moveri primùm in reſpiratione thoracem animalis & vicinum aërem pellere, ut pulmones ingrediatur: aërem autem inſpiratum ad nihil aliud inſervire, quàm ùt ſanguinem, per pulmones circulantem, elaſticâ vi ſuâ ibidem magis auctâ & gravitate ſuâ urgeat, propellat, dimoveat, & torpidum jam ac motui ineptum ad cordis fontem vividâ circumpulſione perducat; imò ùt hujus magni follis motibus tota fluidorum moles, ſolidorumque compages in vividâ velut vibratione permaneat. Quòd verò nonnulla animalia, licèt aëre indigeant, ſine ejus tamen uſu commodè vivant à peculiari pulmonum mechaniſmô, & fluidorum ad eos proportione particulari, i. e. æquilibriô & reſiſtentiâ pendere exiſtimat, & curioſâ teſtudinis anatome, quam ſubjungit, probat. Sic ubi de aëris gravitate locutus erat, problema ſolvit, cur flante boreâ & cœlô ſerenô, aër gravior ſit, quàm auſtrô flante, & calidâ conſtitutione; dicens, id contingere, vel quia flante auſtrô pars quædam craſſi aëris in pluvias, aut nubes concreſcit, quas halitus è terrâ ſublati ſuſtinent & ita pondus minuunt; vel potius quia boreali tempore aër ſit denſior, magiſque compactus, propter vapores halituſque terræ cum eô mixtos, & in unum ferè corpus concretos. Ideò flante boreâ aſperior ac velut unduloſus opticô tubô, ob majorem gravitatem athmoſpheræ, obſervatur aër quàm auſtrô; monteſque nivibus pleni eminùs non ita diſtinctè ſerenô cœlô cernuntur, ut ſolent nubilô. His accedit, quòd aquilo, dum ſpirat, ruit deorſum, & materiam infrà cogit; contra auſter rarefaciendo eandem ſupra attollit. Singulare eſt, quod à quôpiam ſe accepiſſe refert Noſter Lunam videlicet, veluti dies critici ſolent, ſtatutis determinatiſque periodis in hæc inferiora influere, mutationeſque temporum producere. Quâ in re ſic procedendum eſt; Poſt duas vel tres horas à factô noviluniô vide quæ temporis conſtitutio, qui venti tum regnent; & qualem conſtitutionem, qualeſque ventos dictis horis obſervaveris, tales durabunt ad tertium diem Lunæ, ad dictam horam, quâ factum eſt novilunium. Si tertiô non mutetur, durabit ad quintum, circa dictam horam; ſi neque quintô, ad ſeptimum, à 7. ad 9. à 9. ad 11. ab 11. ad 13. ab hoc ad 15. inde ad 17. hinc ad 19. à 19. ad 21. ab hoc ad 23. ab hoc ad 25. ab hoc ad 27. finem Lunaris periodi. Si quid circa mutationem ventorum, aut temporis, aut eorum durationem evenire debet, dictis diebus & ordine recenſitô eveniet, mutationeſque majores ac magis ſenſibiles in quadraturis Lunæ futuræ ſint. *Quæ ſi certa ſunt*, pergit Noſter, *rationem periodorum regularium & ordinatarum in diebus criticis, pro imperſcrutabili hactenus habitam, exploratam nunc habebimus, & ferè pate-*

patefactam. Mittimus experimenta, quæ Clariſſimus Auctor circa ſanguinem fecit: ſufficit annotaſſe eum ex illis probare acida inimica eſſe ſanguini, ipſiuſque compagem immutare, contrà verò alcalia non amica tantùm, ſed ejuſdem naturæ ferè affinia exiſtere. Et cùm duo ſint in ſanguine prima ac præcipua principia: acidum & urinoſum, proùt hoc vel illud in eô dominium obtinet, univerſam maſſam ſimili naturâ infici; ſed acidum regnans auctorem eſſe chronicorum, urinoſum verò acutorum morborum.

Ibid. ann. 1707.

Georgii Baglivi, Medic. Theor. in Romanô Archilyc. Prof. Societatis Regiæ Londinenſis, Academ. Imp. Leop. &c. Collegæ, Opera omnia Medico-Practica & Anatomica.

Lugduni ſumptibus Aniſſon & Joannis Poſuel, 1704. *in* 4.

QUantô applausû Clariſſimi Auctoris libri de Praxi Medicâ, & de Fibrâ motrice, cum annexis varii argumenti Diſſertationibus, fuerint excepti, tantô, ſi non majori, præſentia ejus ſine dubiô excipientur opera, quòd laudatos non ſolummodò Libros, cum Diſſertationibus conſociatos & in Actis ann. 1698. p. 33. & ann. 1703. p. 338. à nobis commemoratos, auctiores, ſed & Præfationem novam novamque Diſſertationem cum variis Epiſtolis contineant, ſtrictim nunc recenſendas. Tædioſum ſiquidèm foret, omnes morbos, de quibus Aphoriſmi Capiti nono Libri primi de Medicâ Praxi acceſſerunt, omneſque Propoſitiones, quæ Capiti octavo, nono ac decimo Libri primi de Fibrâ motrice additæ occurrunt, huc velle tranſcribere: è re potiùs videtur ſine uberiori enumeratione eorum, quæ hìnc indè accreverunt, ad reliqua additamenta nova progredi. Præfatio namque, omnem operum, quæ hìc ſiſtuntur, diſpoſitionem, atque Bagliviani ſyſtematis præſtantiam exponens & defendens, licèt Auctoris calamo haud debeatur, hujus tamen epiſtolam comprehendit, in quâ partim falſitatis potiſſimùm convincuntur omnes, qui Pacchioni inventa circa ſtructuram meningis à Noſtrô ſubrepta fuiſſe malevolè clamitârunt, partim novus liber, qui de multô ejus labore in ſcrutandâ ſolidorum naturâ teſtetur, ad praxin utiliſſimus, de internis atque occultis viſcerum varicibus, hydatidibus & aneuriſmatibus, promittitur. In diſſertatione verò novâ, quæ quinta eſt, varia de morborum & naturæ analogiſmô, de vegetatione lapidum, & de terræ motu Romanô ann. 1703. ad Jo. Franciſcum Maurocenum, Venetorum apud Pontificem Oratorem, perſcribuntur. E tractatu ſcilicèt, qui de morborum analogiſmô edetur, & in quô explicabitur quomodò morbi, tam naturâ iidem, ſed partibus læſis differentes, quàm naturâ diverſi, in exortu, ſymptomatibus, curatione ac prognoſi invicem conveniant, ſpeciminis locô pleuritidis cum aliarum partium inflammationibus analogiâ, quatenùs in cunctis iiſdem per anodyna & diluentia laxitas primùm ſolidorum, deindè etiam fluidorum, per convenientes vias eliminandorum, ſit procuranda, ſimilitudo dolorum, ubiquè à criſpaturâ ſolidorum dependentium atque demulcentia requirentium, quamvis dolores gallici cum antigallicis, ſcorbutici cum antiſcorbuticis, & melancholici cum ſerô lactis, ſuccis herbarum depuratis, V.G. ſonci, borraginis, cichorei &c. & his ſimilibus, leniendi veniant, atque convulſivorum morborum congruentia, depromuntur. Lapidum autem vegetatio quemadmodùm talibus adſtruitur obſervationibus, quæ vel lapides in principiô molles eſſe ac teneros, vel lapicidinas non exhauriri, ſed nonnullas earum denuò repleri, vel lapides etiam quoſdam ex diverſis ſtratis compingi, demonſtrent; ità durities lapidum, ex terrâ tenaci & ſuccô lapidificô ſive aquâ ſaxeis ramentis turgidâ reſultantium, aut humori bituminoſo & conglutinanti, aut principio ſalino, quô ſpiritus quoque lapidificus abundet, attribuitur, fluminumque originis & lapidum vegetationis & nutritionis cauſa communis mare aſſeritur. Ignes deniquè ſubterranei cùm primaria terræ motuum cauſa reputentur, nonnulla priùs de iiſdem traduntur, quàm hiſtoria terræ motûs Romani, quô plures urbes adjacentes fuerunt everſæ, pandatur: hìc inter alia, ex ore civis Aquilani refertur, terræ motum Aquilæ adeò exſtitiſſe horrendum, ùt illi, qui campis arborem aliquam amplexati ſunt, nè caderent, ab hâc fortiter vi terræ motûs fuerint repulſi, ac in humum proſtrati. Tandem Epiſtolarum quatuordecim, quas viri Clariſſimi ad noſtrum dederunt, nonniſi tribus reſponſoriis hujus adjunguntur, quarum tertia ad Gualterum Harris, Medicum Londinenſem, duæ priores autem ad Nicolaum Andry, Medicum Pariſienſem, exaratæ habentur. Aſt quia primæ harum de lumbricis latis, eorumque generatione mentionem jam fecimus, cùm Nicolai Andry tractatum de generatione vermium in corpore humanô in Actis ann. 1700. p. 519. exhiberemus, pauca unicè ex ſecundâ de purgatione in principiô febrium ac de febribus meſentericis Romanorum addere liceat. In principiô nempe earum febrium, in quibus primæ viæ humoribus pravis turgent, vel infarctus etiam meſenterii adeſt, potio aliqua purgans laudatur, cum clyſtere ſi evacuatio lentiùs procedat, atque calidô fomentô abdominis emolliente, necnon cum ſtomachicô aliquô, vel ſingulis, vel alternis diebus uſque ad ſeptimum uſurpanda. E contrà ſi vel minima ſuſpicio appareat morbi acuti & inflammatorii, in principiô haud purgatio, verùm venæ ſectio, etiam repetita, cum clyſmatibus emollientibus & temperantibus, commendatur. Singulare interim eſt, quod in febre quâdam epidemicâ malignâ, in quâ vermes teretes affatim excernebantur, vinum maximè profuerit, ceu in quod vermes pariter vivi inditi ſtatim perierint, cùm in oleô, aquâ ſaccharatâ, ſpiritu vini, acetô, ſuccô limonum, per plures horas ac dies viverent.

Ibid. ann. 1707.

Georgii Baglivi, Philoſophi & Medici Opuſcula duo, Lugduni Batavorum, apud Fredericum Haaring, 1707. in 8.

EXperientiſſimi Baglivi operibus, modò memoratis, meritò duo ejus Opuſcula, hôc annô apud Batavos recuſa, ſubjungimus: quorum primum Canones de Medicinâ ſolidorum ad rectum ſtatices uſum complectitur, occaſione Sanctorii de ſtaticâ Medicinâ libri, Romæ prelo ann. 1704. denuò commiſſi, ſed hìc omiſſi, ceu

ceu Lugduni Batavorum recentiſſimè jamdum typis exſcripti, potiſſimùm conſcriptos, Præfatione atteſtante, quæ ampliſſimo Jo. Franciſco Mauroceno inſcribitur: alterum verò Diſſertationem varii ſiſtit argumenti, apud Petrum Hottonum, celeberrimum in Academiâ Leidenſi Medicum atque Botanices Profeſſorem ann. 1705. datam. Canones quidèm de ſolidorum Medicinâ numerum ſexagenarium complent, de cunctis tamen Lector facilè judicabit, ex Canone 1. 8. 10. 20. 25. 38. & 40. cognoverit, æquilibrium inter mentem & corpus à Medicô eſſe inveniendam, mentis per ſtaticem Philoſophiæ moralis, corporis per Sanctorii ſtaticen quod in tali æquilibriô ſanitas conſiſtat & vita. Notitiam ſolidorum variè oſcillantium, & liquidorum variô motu currentium per corpus animatum, ad doctrinam ſtatices ritè percipiendam maximè conferre. Staticen Sanctorii & circulationem ſanguinis Harveianam duos eſſe polos, quibus univerſa regatur veræ Medicinæ moles, hiſce inventis reſtituta, & confirmata. Mortem naturalem ob ariditatem exſiccationemque ſolidorum, & ſalcedinem atque vappiditatem liquidorum venire: ſolidis mederi balneum tepidæ, liquidi verò inſenſibilem tranſpirationem & cibum boni ſucci ſobriè ſumtum. Morbos chronicos & acutos per purgantia, diaphoretica, diuretica, ſimiliaque fruſtrà curari, niſi ſolidorum & liquidorum natura ad rectum ordinem reducatur. Coctionem humorum in laxitate debitâ ſolidorum & liquidorum conſiſtere, cruditatem verò in contractione ac veluti confuſione ſtrangulationeque eorundem. In liquidis animati corporis manifeſtè obſervari Mechanicam Chymicam digeſtionum, coctionum, fermentationum, deſpumationum, exaltationum, præcipitationum; in ſolidis autem Mechanicam cunei, vectis, elateris, fune penduli, projectionum, reſiſtentiæ & oſcillationis; in utriſque autem ſimul junctis certò patere regulas æquilibrii, proportionis, centri gravitatis, reſiſtentiarum, preſſionum, projectionum. In Canone 45. de tabe viſcerum peculiaris promittitur Diſſertatio, cum librô de Medicinâ agonizantium, in quô ratio edocebitur, quâ ægrotis in ultimô agone conſtitutis deceat ſubvenire, quàmprimùm edenda. In diſſertatione autèm de progreſſione Romani terræ motûs ab ann. 1703. ad ann. 1705. de ſyſtemate & uſu motûs ſolidorum in corpore animatô, atque de vegetatione lapidum & analogiſmô circulationis maris ad circulationem ſanguinis diſſeritur. Scilicèt dum progreſſus terræ motûs Romani à Calendis Martii annô 1703. ad Calendas Martii annô 1705. primùm recenſetur, nunc hiſtoriola maximi terræ motûs Neapolitani annô 1688. ſubnectitur, nunc hiſtoriola cum morborum communium & epidemiæ conſtitutionis, quæ annis iſtis Romæ regnavit, tùm morborum in ſpecie, quibus Noriſius & Sfondratus, Cardinales, ann. 1704. & 1706. ſuccubuere, attexitur: è quarum illâ modus haud ſilendus videtur, quô variolæ, in puerô ſeptenni retrocedentes, ac lethalem penè ſpirandi difficultatem inferentes, feliciſſimè ad cutis ambitum revocatæ fuerunt. Statim namque Noſter juſſerat totum ferè corpus lanceolâ ſcarificari, & appoſitis cucurbitulis hinc indè ſanguinem ad libras duas educi, hôcque eductô puerum linteis calidis involvi & ad dormiendum diſponi: mane autem totam cutem oleô amygdalarum dulcium cum ſpiritu ſalis armoniaci commixtô curaverat obliniri, quô variolosæ materiæ eruptio ab interioribus ad exteriora promoveretur; nec ſine effectu, variolis ſiquem copiosè denuò erumpentibus, ſpirandi difficultas ſenſim deſiit, puerque optimè convaluit. Neque dubitatur, quin petechiæ, aliæque papulæ cutaneæ, ad interiora recurrentes, eâdem ſcarificationum & & inunctionum methodô ad exteriora queant revocari. Dum Noriſii, ejuſque de Epochis Syro-Macedonum libri ſit mentio, egregium quoque & perrarum è muſeô ſuô nummum producit Auctor, qui à *L. Bibulô M. F. Præf.* in honorem M. Antonii & Cleopatræ cuſus ſubſcriptas habet literas ΔΣ, Epocham Ægyptiorum ac Syrorum denotantes. Columnam potiùs Antonini Pii, cujus Romæ ann. 1703. pariter detectæ mentio ſimul fit, figuraque ex *Vignolô* additur, eô magis ſilentiô præterire liceat, quòd egregium hujus *Vignoli* de eâdem opus proximè à nobis ſit accuratiùs commemorandum. Hinc paucis nonnulla perpenduntur, quæ ad ſyſtema de ſolidis videantur neceſſaria, poſtquam iis reſponſum fuit, qui vel duræ matris motum in externâ & convexâ parte debiliorem eſſe, quàm ùt omnes membranas ſubjectas ad oſcillationem ſyſtalticam continuô poſſit implere, vel ligatâ jugulari motum duræ meningis in externâ parte ceſſare, animal tamen aliquandiù ſupereſſe, objiciunt. Motum quippe matris duræ ab innatô & ſyſtalticô fibrarum elatere dependentem & *à Realdô Columbô Lib.* 14. *de Anatomicâ* primùm deſcriptum, in centrô magis ejus circa falcem & ſepta vigere, quàm in peripheriâ, annotatur. Quemadmodum verò œconomia corporis animalis & æquilibrium ſolidorum cum liquidis in colliſione calculi cum pelvis renum lateribus ad ſenſum turbatur, ita admiratione dignum eſt, quòd clyſter, ex juſculô carnis & oleô amygdalarum dulcium injectus, & per ſex horas retentus, crudeles quidèm ex calculô dolores in aliquô ægrotô ſedaverit, non tamen per alvum, ſed totus cum urina ſeceſſerit, oleumque urinæ innataverit. Nec ad innatum fibrarum elaterem & portentoſam oſcillationem confirmandam parum confert piſcis ille molis maximæ, qui vulgò *Requen* dictus, in totô Oceanô Barbaricô reperitur, dum animali exſectô, caudâque, capite, corde, ac viſceribus omnibus reſectis, truncus cadaveris ſine liquidis, ſine ſpiritibus, ſineque viſceribus per multum tempus adeò fortiter agitatur & concutitur, ùt tres vel robuſti homines illi detinendo vix ſufficiant. Tandem Obſervationibus in diſſertatione de vegetatione lapidum pro horum mollitie in matricibus ipſorum comprobandâ prolatis, aliæ hìc adduntur, mariſque circulatio, multum ad lapidum nutritionem faciens & à pondere, tum propriô, tum ſalis ingeniti, tum aëris ſuperincumbentis dependens, cùm circulatione ſanguinis ità comparatur, ùt in ſanguine non minùs, quàm in mari, quadruplex motus, primus ab Oriente in Occidentem, alter à Septentrione in Meridiem, tertius fluxus & refluxus, ac ultimus filtrationis obſervetur.

Georgii Baglivi &c., Opera omnia, Editio nona, cui præter Diſſertationes, & alios Tractatus octavæ Editioni adjunctos, accedunt ejuſdem Baglivi canones de Medicinâ ſolidorum; Diſſertatio de progreſſione Romani Terræ motûs; de ſyſtemate & uſû motûs ſolidorum in Corpore animatô; de vegetatione lapidum, & analogiſmô circulationis maris ad circulationem ſanguinis: necnon J. D. Santorini opuſcula quatuor; de ſtructurâ & motu fibræ; de Nutri-

Nutritione animali ; Hæmorrhoidibus ; & de Catameniis. Antverpiæ, ap. Joh. Frider. Rüdigerum 1715. in 4.

Eadem omnia priùs ſcilicet ann. 1710. edita fuerant Lugduni, in 4. apud Aniſſon & Poſuel.

BAIERUS (*Joh. Jac.*) In univerſit. Altdorfinâ Med. Prof. Publ. Facultat. ſenior, & Phyſicus Noriberg.

De eô exſtant in Ephem. Germ. Cent. VI. *Obſervatio 97.*

De ſingularibus Febris Epidemicæ phænomenis.

QUæ annô hujus ſeculi XI. ſub veris initium, irrepere in hoc oppidum cœpit, hinc ad ſolſtitium uſque graſſata *febris*, tam varias egit tragœdias, ùt ſi integram illius hiſtoriam deſcribere vellem, in librum haud exiguum creſceret tractatio. E quamplurimis autem obſervationibus paucas ſaltem, ſpeciminis qnaſi locô, proferam. I.) Fuiſſe *Febrem* revera *quotidianam continuam*, quippe quæ ſine intermiſſione manifeſtâ ſemper circa veſperam increvit, ſervatô utique hôc typô, tametſi aliàs infinitè propemodùm variaverit ſymptomatibus ſuis II.) Invaſiſſe ordinariè catarrhi quâdam ſpecie, ad oculos, nares, fauces, pectus, continuatô & ſæpiùs exaſperatô eôdem vitiô cum ipsâ febre, cui propterea *catarrhalis* cognomen vulgò fuit attributum. III.) Interdùm *benignam*, frequentiùs *mali moris* exſtitiſſe, ſumma virium imbecillitate, artuum tremoribus, convulſionibus, deliriis comitatam. IV.) Lentum plerumquè incrementum cepiſſe & vix unquam ante diem decimum ſeptimum judicari potuiſſe, quô etiam tempore, raro citiùs, perierunt devicti à morbô. V.) Facili *contagione* propagatam, paucis omninò peperciſſe, quibus frequens cum ægris erat commercium ; unde totas familias infecit, dum V. G. è duodecim alumnorum Norimbergenſium contuberniô unus tantùm liber evaſit, cæteris omnibus, cum inſpectore ſuô, etſi non eâdem mali vehementiâ tentatis. VI.) Urinas apparuiſſe coloris aurantii (quales quidem in aliis quoque febribus conſpiciuntur) ſingulare tamen quippiam conſtanter illas oſtendiſſe, *pelliculam* nempe *tenuiſſimam, è lacteô rubentem, vitri parietibus undiquè affixam;* quæ vel ſola ſignum præbuit hujus febris proprium ac veluti pathognomonicum, ab unicô (quantum mihi conſtat) *Illuſtri D. Stahliô* in Problem. pract. de Febrium pathol. & Therapiâ pag. 10. memoratum. VII.) ſæpè nulla produxiſſe *exanthemata*, interdùm *miliacea*, aliquando & *petechiis ſimilia;* Quorum ſpecimen rariſſimum cernere licuit in ſtudioſô, cui jam convaleſcenti, numeroſæ per utrumque crus eruperunt *maculæ petechiarum formâ, ſingulæ punctô centrali notatæ*, in cujus tamen abſentiâ *diſcrimen inter petechias & pulicum morſus* unicè conſtituunt auctores quidam Medici VIII.) *Deliria* ut plurimùm eveniſſe lenia & *moderata*, nonnuquam tamen ſatis pertinacia; ſicuti ſtudioſo alicui per dies pluſculos nullis argumentis perſuaderi poterat, quominùs crederet, duos ſibi eſſe ventriculos, quorum alter aſſumta fortè medicamenta aut alimenta moleſtiſſimè ferret. IX.) Regimen ſtrictè diaphoreticum profuiſſe parùm, majus autem commodum attuliſſe diarrhœam ſpontaneam, quâ improvidè ſufflaminatâ, aphthæ ac deliria ingruere & omnia in pejus ruere viſa ſunt. Plura non addo quandoquidem morbum iſtum πελόμορφον καὶ πολύτροπον è propoſitis ſpeciminibus paucis abundanter ſatis cognoſci poſſe arbitror.

Ibidem Obſervatio 98.

De Lienis rupturâ lethali.

EQuidem non inaudita ſunt *exempla rupti lienis*, ut potè apud *Tulpium*, *Bohnium* & alibi, tum præcipuè *in Ephemeridibus noſtræ Academiæ* paſſim legenda. His tamen nunc adjungere placet caſum obſervatione dignum. Homo ruſticus in pagô nobis vicinô, per unum alterumque jam annum de hypochondrii ſiniſtri dolore ad corporis inclinationem, aut ponderis de terrâ ſublationem, ſæpiùs exaſperatô, interdum quoque anxiô triſtique animô conqueſtus, aliquandò, tempore hyemali, benè potus domum properans, è curru delapſus, in diverſorium ducitur, ebrii inſtar decumbit, vomit, cruciatum vehementem abdominis, & moleſtum frigoris per membra ſenſum perpeſſus, poſt aliquot horas moritur. Alterô die ſuſcepta cadaveris inſpectio multùm omninò læſionis alicujus externæ veſtigium prodidit. Apertô autem abdomine, ἀθρόως καὶ βιαίως prorupit *cruor*, *quaſi omnis in cavum iſtud corrivatus*, *ultra quinque libras.*

Fontem ejus ſtatim apparuit fuiſſe ſplenem, *in parte gibbâ decuſſatim ruptum*, unâ quidem rimâ per longitudinem uncias duas ſuperante, alterâ tranſverſali dimidium æquante, profundâ utrâque, venis & arteriis pluribus laceratis. Cæterum ipſe *lien nigricans, prætumidus & ſphacelô contaminatus*, atrô & grumoſô ſanguine plenus, tetrique fœtoris, haud obſcurè indicavit corruptionem minimè novam; cui inſuper *hepatis, eâ parte, ubi vena porta ingreditur, color lividus* majori documentô fuit.

Ibidem Obſervatio 99.

De Gutturis inciſi curatione.

VAgabundus quidam homo, pileorum obſoletorum reparatione quæſtum faciens, melancholici temperamenti, metuens nè in militiam proficiſci cogeretur, deſperatione adductus, in diverſoriô proximi nobis pagi, tempore nocturnô, *gutturis tranſverſim cultrô factâ inciſione* mortem ſibi conſciſcere ſatagebat. Hinc largiter effuſô ſanguine, ſemianimis ad nos tranſlatus, idoneis auxiliis refectus, decenterque deligatus, habitâ præſertim ſanguinis ſiſtendi ratione, per noctem aliquantiſper quievit. Mane cùm religaretur vulnus, apparuit illud penetraſſe inter proximos à larynge annulos arteriæ aſperæ, *amplô hiatu*, ex quô prodiens ſpiritus admotum candelæ lumen facilè extinxit. *Uterque muſculus ſterno-hyoideus* profundè ſauciatus, & ſiniſter quidem totus fermè præciſus, parumque abfuit, quin ejuſdem lateris arteria carotis plagam inſanabilem accepiſſet. Eâ interim ſalvâ, nec venarum jugularium externarum ramis grandioribus percuſſis, ſperare licuit haud difficilem fore curationem ; quam quidem ipſemet æger impatiens, & quôdam modô delirans impediebat, tentatâ aliquoties faſciarum & emplaſtrorum ſolutione. Accedens inſuper *tuſſis continua* negotium faceſſebat. Eâ verò ſedatâ, & animô decumbentis pacatô redditô, intrà quinque ſeptimanas perfectè coaluit,

luit, nullâ ſonoræ vocis læſione, nec turpi cicatrice relictâ. Quominùs autem hujuſmodi ſimpliciora vulnera tracheæ ſunt mortifera, eò frequentiùs talia eveniunt per accidens, cùm non facilè contingat ipſam altiùs incidi, ſine adjacentium venarum, arteriarum, nervorum percuſſione: Quâ ratione videtur periiſſe juvenis ille, cujus caſum Excell. *Dn. D. Dillenius* in Ephem. A.N.C.D. III. Ann. VII. & VIII. pag. 285. expoſuit: Cùm ex adverſò *feliciter ſanata tracheæ vulnera Riverius, Bartholinus, Tulpius, Blanchardus* & alii commemorent.

Ibid. ann. 7. & 8. Obſervatio 4.

De Maxillæ amplô fragmentô per callum reſtitutô.

NAturæ in ſarciendis non modò carnibus, ſed ipſis oſſibus ſolertiam ſingularem meritò admiramur, ut profectò complures hiſtoriæ *calli ampliſſimi, in locum oſſium perditorum affabrè repoſiti*, vix invenirent fidem, niſi ab auctoribus fide digniſſimis eſſent traditæ. Talium non paucas ipſe ego recenſui in *diſſertatione peculiari de callô oſſium*, annô 1707. editâ. In præſentiarum verò addam exemplum perquammemorabile. Molitor propè Veldam Norimbergæ oppidum, imprudenter accedens ad rotam, quæ tympanum dentatum (*das Ramm-Rad*) dicitur, ventô fortè manicam induſii pandente apprehenditur. Mox brachiô ſiniſtrô luxatô, humerôque fractô, vix miſer ſe explicuiſſet, niſi admodùm robuſtus & præſentis animi, utcunquè corpus retraxiſſet, cùm intereà, neſcio quæ vis *maxillam* ejuſdem lateris, *à mentô uſque ad medium, circiter trium unciarum amplitudine, unà cum cute & carnibus abruperit*, adeò ùt reponendi & conſolidandi nulla ſpes relicta, ſed illud totum auferendum fuerit. Truculentus ſanè erat aſpectus tanti vulneris, quòd tamen non intermiſit legitimè curare Chirurgus, eô quidem eventu ùt poſt aliquot ſeptimanas *in locum evulſi congruus ſuccreſceret callus*, quem imperata quies & à maſticandô abſtinentia, cum remediis epuloticis, catagmaticis & balſamicis plurimum juvârunt, *ipſis quoque gingivis, aliiſque carnibus & cute regeneratis*, ùt præter dentes nihil omninò deſiderari potuiſſet ſola *portio labii ſimul abrupta* minùs feliciter relata videbatur, curtâ ſcilicèt ſtrictâque nimis exiſtente prolabii cicatrice: Hanc igitur blandè ſcarificandam, deindè linimentô emolliente & ſarcoticô tractandam præcepi, donec ad naturalem formam illa quoque pars reducta compareret, nullô aut loquelæ aut aliarum oris functionum notabili detrimentô ſuperſtite, niſi quòd maſticatio in latere affectô, propter dentium defectum, à ſolô callô ſufficienter præſtari non potuerit.

Ibid. Obſervatio 5.

De Oſſiculô diu in gulâ detentô.

RHedarius in prandiô avidè aſſumens juſculum, aliquid ſolidi cum ipſô deſcendere, idemque in mediô quaſi pectore affigi ſenſit, non ſine dolore inter deglutiendum ac tuſſiendum ſubindè auctô. Tulit hanc moleſtiam, de quâ quidem ſæpius apud amicos conqueſtus, & *inhærens œſophago oſſiculum*, doloris cauſam accuſans, nec aſſenſum nec auxilium invenit, uſque dum tandem, *elapsô annô & ultrà*, ſubitò exortâ quâdam exſcreandi aut velut vomendi neceſſitate, *retentum tandiu oſſiculum*, unà cum modicâ ichoris putridi & fœtentis quantitate abſceſſus (eô nempe locô, quô ſe *oſſiculum* infixerat) rupti documentô. Eſt autem illud ipſum, ſicuti hodièque oſtendere poſſum, *uncialis ferè longitudinis, craſſitiei & latitudinis multò minoris, in alterâ extremitate acuminatum, margine rigidum.* Jam quomodò illud tandiu immotum latere, *in œſophagi rectâ fiſtulâ*, nec indè deturbari potuerit à tot tamque diverſis quotidiè ingurgitatis liquidis & ſolidis alimentis, arduum eſt animô concipere, niſi ſtatuatur, quòd plicæ alicui ſe infigendo diverticulum paraverit, haud ſine diſſenſione incommodâ, & læſione gulæ, in abſceſſum tandem converſâ. Certè *diuturnitas retentionis* abſque majori moleſtiâ meretur admirationem, eôque magis, quò rariores hujuſmodi caſus occurrere exiſtimo; cùm alia diverſarum rerum plus minùs incommodè in gulam demiſſarum, ſed *non æquè diu retentarum* exempla paſſim annotata ſint, præcipuè in Miſcellaneis Academiæ noſtræ. &c.

De eô prætereà exſtant in Actis Lipſ. ann. 1708. *p.* 226.

Johannis Jacobi Baieri Philoſ. & Med. D. hujuſque in Acad. Altdorf. Prof. Publ. & Illuſtris Reipublicæ Norib. Phyſici, Ορυκτογραφία *Norica, ſeu Rerum foſſilium & ad minerale Regnum pertinentium in territoriô Noribergenſi ejuſque viciniâ obſervatarum ſuccincta deſcriptio. Noribergæ, impenſis Wolfgangi Michaëlis*, 1708. *in* 4.

CUm externæ quidem nationes eam hiſtoriæ naturalis partem, quæ Foſſilia tractat, ſtrenuè excolant, noſtrô ævô nullum deprehendi Germanorum, qui *Agricolam, Cordum, Geſnerum, Kentmannum, Fabritium, Encelium*, ſuperiorum ſeculorum ſcriptores imitetur, aut quæ ab his omiſſa ſunt, ſuppleat, vehementer dolet Auctor Clariſſ. eôque haud abs re eſſe duxit, horas à publici officii, quod per quinquennium jam ornavit, curis vacuas regioni Noricæ, ejuſque vicinitati, in quam rerum foſſilium copias alibi latiſſimè ſparſas velut in compendium redegit natura, impendere. In præſenti igitur Tractatu, cujus ſupplementum ulterius promittit, poſtquam de ſitu & naturâ agri Norici quædam præfatus fuerat, aquas commemorat, medicamentoſas præſertim, minerales, & curioſas. Quas inter notatu digna admodum eſt ſcaturigo illa, in mediô ferè itinere, quod Altdorffiô ad pagum Leimburg ducit, occurrens. Ibi enim amplus & aliquot orgyas profundus terræ ſabuloſæ hiatus aquam ex imô eructat, eâ quidem copiâ, quæ modicô intervallô tribus molendinis ſucceſſivè agendis ſufficiat. Has aquas non alias eſſe, conſtanter aſſeverant ruricolæ, quàm illas, quæ in monte Wiſſenbrunnenſi haud procul diſſitô ſcaturiunt, hìnc pauliſper continuatô ſupra terram curſu iterùm diſparent, & quaſi abſorbentur, ex hiatu demùm iſtô rurſus proditurae. Ubi de terris, quarum ſingularis uſus apud Mechanicos pariter ac Medicos eſt, tractat, mentionem facit argillæ, boli rubræ & flavæ, ſeu luteæ, rubricæ fabrilis, terræ ſigillandæ ex luteô puniceæ Veldenſis (quam non Martialis vel Vitriolaceæ; ſed ſolaris naturæ eſſe perhibet) & lactis Lunæ; ſibique gratulatur, quòd

primus hoc detexerit hiſce in terris, ejuſque originem deducit ab aquis per corticem terræ abſorptis, & altiùs in compagem certi generis ſaxorum penetrantibus; hæ enim abluunt hìnc indè & ſecum vehunt tenerrimam lapidum ſubſtantiam & veluti cremorem, eumque poſteà rurſùm è ſuô ſinu dimittunt, ubi occaſio datur, in ſubterraneis cryptis, quarum in parietibus corrivatæ aquarum guttæ dictô lapidum cremore ſcatentes ſenſim evaporandô coaleſcunt, rectâ, quam ſibi in tranſitu è ſaxis adſciverant, materiâ in ipſum lac Lunæ coaliturâ, & ambientis præcipuè aëris auxiliô ſiccandâ. Nec oblviſcitur medullæ ſaxorum, aliarumque margæ ſpecierum. Pergit ad Lapidis in genere, & ſpeciatìm illos, qui nullâ certâ figurâ ſunt conſpicui, ſaxum putà arenarium, tophum ſeu porum calcarium, ſaxum, gypſum, alabaſtrum, marmor, ſilices, cryſtallum & fluores. Ex illis verò lapidibus, qui certâ figurâ ex luſu naturæ gaudent, refert ætitem, belemnitem, ſtalactitem, aſtroitas, mediolum ſtellarem, dentritem, lapidem Judaicum, alioſque, vegetabilia, partes animalium & hùc ſpectantium, quarundam rerum imaginem repræſentantes. Sequuntur illi, qui ex quorundam vegetabilium & animalium tranſmutatione figurati deprehenduntur, inter quos Auctor Clariſſ. muſci petrificati geneſin ſequenti modô explicat. Quandò aquæ particulis ſaxeo margaceis intra terræ viſcera impraegnatæ ſcaturiunt, ac per illius ſuperficiem ſeſe diffundunt, in progreſſu autem fortè ad muſcum allidunt, non poteſt non earundem ex parte motus hìnc reddi languidior, inſimul præcipitationi anſa ſuppeditari, ùt ſubindè aliquid affigatur, & adhæreſcat poris atque ramulis muſci de materiâ præfatâ margaceô-lapideâ, cujus aggregatio ſic continuata ſenſim abit in cruſtam lapidoſam, magis magiſque obrigeſcentem. Ipſe verò muſcus arctô hôc materiæ tophaceæ amplexu compreſſus & liberiori aëris commerciô orbatus paulatìm emarceſcit, & in pulverem pro modulô quantitatis ſuæ redigitur; quæ ratio eſt, cur hujuſmodi petrificatus muſcus, ſi frangatur, intùs in ſingulis ramulis foramine ſit præditus; cùm interim tophacea illa cruſta ad figuram muſci, quem inveſtiebat, conformetur, nunc quidèm accuratiùs, nunc rudiùs, proùt materia ejus exſtiterit vel ſubtilior, vel craſſior, ipſaque concretio tenerior vel ſpiſſior fuerit. Paria cum muſcô fata ſubire coguntur plantæ aliæ, earumque partes, ſi à tophaceis aquis diutiùs alluantur. Nec tamen dubitat Auctor Clariſſ. quin alibi aliô quoque modô, ſcilicèt per inſinuationem ſucci lapideſcentis in poros ac intimiora vegetabilium, eadem penitùs indureſcant in lapides. Cornua verò, dentes ſeu oſſa foſſilia, quæ hodiè equidèm admodùm rara in agrô Noricô inveniuntur, haudquaquam ex luſu naturæ producta, ſed ipſorum varii generis animalium, terrâ margaceâ obrutorum, partes & reliquias diverſimodè alteratas eſſe pronunciat. Inter petrefacta ex animalibus exhibet quoque ichtyoſpondylos & ichthyolithos. Petrificatorum teſtaceorum dum mentionem facit, Cornu Ammonis ſiſtit, ſeu Nautilitem, quæ quominùs pro naturæ luſibus, ſed pro veris conchyliorum teſtis earumque partium ectypis habeat, variis inducitur rationibus: & quidèm 1. quia certus & conſtans eſt character non ſolùm totius generis, ſed & ſingularum ſpecierum, 2. quia non tantùm præſentia teſtæ, verùm & conveniens ipſius color in pluribus ejuſdem ſpeciei individuis monſtrari poteſt, tametſi illam intùs modò hæc, modò iſta repleverit materia; 3. idem ſtructuræ internæ artificium docet; quibus accedit 4. quòd perindè ut teſtacea cuncta pro ratione graduum ætatis ſuæ diverſi moduli à minimô ad maximum uſque inveniantur etiam in Nautilite, ità ùt in nonnullis ſpeciebus ab ovulô quaſi liceat gradatim aſcendere ad ſummam. Quâ ſtante ſententiâ, occaſionem, quâ iſta teſtacea è locô natali, nimirùm Oceanô, in terram continentem tantâ copiâ pervenerint, referre ad univerſale diluvium non dubitat. Mittimus turbinatos, echinitas, balanas, & tubulos vermiculares, quos copioſos allegat & depingit. Sequuntur teſtacea foſſilia bivalvia, quæ teſtas habent vel æquales, vel inæquales, utraſque modò ſtriatas, modò non ſtriatas. Ab his pergit ad ſalina & ſulphurea foſſilia, nitrum ſcilicèt & vitriolum; ubi minùs conſentit Libavio, qui cuncta ligni foſſilis bituminoſi Norici, ex quô vitriolum elicitur, ſpecimina meræ mineralis proſapiæ eſſe exiſtimat. Licèt enim hoc conceſſerit de rudioribus & informibus, de ſingulis tamen, præſertìm iis, quæ ligni vegetabilis naturam quoad tactus fibrarum, pectines, corticem, nodos, & ramorum veſtigia &c. nimiùm exactè referunt, concedere neutiquàm poteſt. Metalla quod attinet, quamvis Noricum ſolum fæcunditate eorum Saxoniæ, Bohemiæ & Hungariæ facilè cedat, non tamen expers eſſe ferri cœrulei nativi dicitur.

Ibid. ann. 1719. *pag.* 447.

Adagiorum Medicinalium Centuria, quam recenſuit, variiſque animadverſionibus illuſtravit Johannes Jacobus Baierus, Philoſoph. & Med. D. hujuſque Primarius in Acad. Altdorf. Profeſſor. Francofurti & Lipſiæ, apud Jod. Guil. Kohleſium, 1718. 4.

QUamquam non deſint, qui pôſt Eraſmum adagiorum explicationem abundè ſuppeditârunt, eorum tamen numerus atque ſtudium non deterruit clariſſimum *Baierum* à propoſitô, medicinales parœmias colligendi, Zehneri, Schotti, & Martini, qui Sacras, Hertii, aliorumque, qui Juridicas tantùm recenſuerunt, exempla ſecutum. Quanquam enim multa alleget, quæ ante eum ſcriptores hôc in argumentô litteris conſignârunt, cùm nihil facilè ſcribi poſſit, quod non ſcriptum ſit priùs; non deſtitit tamen ſuô haud rarò uti ingeniô, interdùm etiam propriô ſtare judiciô in opinionum & conjecturarum delectu. Ex quô enim poſt beatam D. Brunonis analyſin Medicinam Theoreticam publicè profiteri fuerat juſſus, inter alias ad docendum idoneas materias Proverbiorum quoque expoſitionem inſtituit, eô quidèm conſiliô, ùt animos Auditorum jucundâ rerum varietate excitaret, & hâc occaſione ipſos de compluribus Medicæ artis & hiſtoriæ momentis commonefaceret. Ut unum alterumque addamus ſpecimen: N°. XXXI. de adagiô: *Putre Salſamentum amat origanum*, agens, ſalubre addit conſilium, rectiùs agi cum ſalute noſtratium, ſi in locum aromatum exoticorum, non modò pretioſorum, ſed & nimis calidorum, in culinis frequentiùs ſubſtituerentur herbæ nobis indigenæ, aut ſaltem facili culturâ propagandæ, minùſque hìnc pretioſæ, magis autem temperatæ; cujuſmodi ſunt roſmarinus, majorana, thymus, ſatureia, folia lauri, &c. quemadmodum id nùper in aulam magni alicujus & ſapientiſſimi Principis introductum ſe comperiſſe aſſeverat. N°. XLII. parœmiam: *Felis cerebrum edit;* explicans, non equidèm inficiatur, cati cerebrum comeſtum rationem

tionem & memoriam turbare, de felinâ verò carne tantùm abeſſe putat, ùt noceat, ùt Gallis potiùs communiter inter delicatiſſimas epulas venire ſoleat, idque exemplô linguæ Gallicæ Magiſtri, natione Galli, probat, qui, propter felium capturam & eſum frequentem cùm increparetur, ferculi iſtius bonitatem & innocentiam hâc inductione lepidâ probare ſategit: *Was friſt Katz? Katz friſt Maus, Maus friſt Korn.* No. LXXXV. *Laureolam in muſtaceô quærere*, proverbium apprimè quadrare putat in Medicos nimiùm ambitioſos, qui ad conſilium juxtà cum aliis vocati, non tam quod approbandum & confirmandum, quam quod reprehendendum ſit in curatione morborum, ſectantur; quæ tamen contentiones invidioſæ ſuis auctoribus in ignominiam ſæpè cedunt. Allegat hinc Medicum, qui, cùm alter ad conſultandum poſtulatus aliquid refrigerationis cauſâ adhibendum, *eine Kühlung*, ſuaſiſſet, ipſe autem in reliquis parum aut nihil mutandum vel carpendum deprehendiſſet, nè omninò nihil de ſuô attuliſſe videretur, adſcripſit ſaltem in margine: *oder auch eine Kalber Lunge;* quaſi verò Auctor conſilii commendaſſet pulmonem vaccinum, cujus locô alter ille ſalubriorem cenſuit vitulinum.

BAILLIFIUS (*Rochius*)

Ex eô habentur

Demoſterion, i. e. 300. Aphoriſmi, continentes ſummam Doctrinæ Paracelſicæ. Paris. apud Petr. l'Huillier, 1578. 8.

Reſponſio ad Quæſtiones propoſitas à Medicis Pariſienſibus. Ibid. apud eundem, 1579. 8.

BAISNESIUS (*Fauſtus Neronus*)

Ex eô habetur

De ſaluberrimâ potione Cahue, ſeu Caffé nuncupata. Romæ, 12.

BALAMIUS (*Ferdinandus*)

In Siciliâ natus eſt, ſed in quâ ejus Inſulæ urbe ignoratur. Doctor fuit ſcientiâ excultiſſimus, Leonis X. Pontificis maximi Medicus, qui gravioribus diſciplinis mitiores etiam literas aſſociavit, poëſi, ſcilicet, Græcâque eruditione egregiè inſtructus. Claruit Romæ circa ann. 1555.

Vertit è Græcô hæc Galeni Opuſcula.

Claud. Galeni librum de Oſſibus ad tyrones. Valentiæ, apud Joh. Mey, 1555. 8. & cum Notis Caſpar. Hofmanni, Francof. ad Mœnum, apud Clementem Schleichium & Petrum de Zetter, 1630. fol. Exſtat etiam inter Galeni Opera T. I. ex editione Venetâ, apud Juntas, 1586. fol. In eôdem Tomô Operum Galeni habentur etiam alia duo Opuſcula à Balamiô traducta, nempe. De optimâ corporis noſtri conſtitutione; & de bonâ Valetudine.

Opus præterea de Hirudinibus, Revulſione, Cucurbitulâ,Cutis conciſione, ſive Scarificatione; exſtat in operibus Galeni T. 6. ex editione jam memoratâ; & ſeorſim Roſtochij, 1636. 8. Addunt etiam ipſum vertiſſe librum de Cibis boni & mali ſucci, Lugduni impreſſum ann. 1555. vel ut alii habent 1560. Omittimus quæ Medicam Artem non ſpectant. *Hæc ex Anton. Mongitore Bibliothecæ Siculæ T.* 1.

BALBIAN (*Juſtus*)

Ex eö habentur

Nova ratio Praxeos Medicinæ, lib. III. Venetiis, 1600. 8.

De Lapide Philoſophicô, Tractatus VII. è vetuſtiſſimô Codice deſumpti, & ab infinitis repurgati mendis. Exſtat cum Toletani Roſariô Philoſophorum. Lugduni Batavorum, apud Chriſtoph. Raphelengium, 1599. 8. & Vol. III. Theatri Chemici.

BALCIANELLUS (*Johannes*) Arzignanenſis.

De eô exſtat

De abuſu Bolorum corroborantium; Quæſtio Epiſtolaris. Reperitur cum Tractatibus aliis ejuſdem Auctoris Italicô ſermone editis, in abuſum Antimonii & Caſſiæ purgantis. Veronæ, apud Angelum Tamum, 1593. in 4.

BALDACH (*Canalmuſalus de*) Philoſophus & Medicus Saracenicus. Claruit ſub Fridericô Imperatore A. C. 1230. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum.

Ex eô habentur

Liber ſuper rerum præparationibus, quæ ad Oculorum Medicinas faciunt, & de medicaminibus ipſorum, rationabiliter terminandis. Venetiis apud Octav. Scotum, 1500. in fol. cum Albucaſis Chirurgiâ,

De Paſſionibus Oculorum, Liber. Exſtat cum Chirurgiâ Guidonis, aliorumque. Venetiis, apud Andr. Aſulan. 1499, & 1500. in fol.

BALDE (*Jacobus*)

Ex eô habentur

Medicinæ Gloria per XII. Satyras aſſerta. Monachii, 1651. in 12.

Satyra contra abuſum Tabaci. Monachii, 1657. in 12.

Solatium Podagricorum. Monachii, 1661. in 12.

BALDESIUS (*Antonius*) Florentinus

Ex eô habetur

Quæſtio de Gangrænæ & ſphaceli diverſâ curatione. Collecta & recognita per Johan. Caſtellanum. Venetiis, 1616. in 4.

BALDI, *vid.* BALDIUS.

BALDINIUS (*Baccius*)

De eô exſtant

In Librum Hippocratis de Aquis, Aëre, & Locis. Commentaria.Ejuſdem Tractatus de Cucumeribus. Florentiæ, apud Barthol. Sermartellium, 1586. in 4.

BALDINUS (*Bernhardinus*) Natus in Italiâ A. C. 1515. in Gimnaſio Papienſi Medicinam, & poſt Mediolani Matheſin publicè docuit, ibidemque obiit. A. C. 1600. ætatis ſuæ 85.

Ex eô habentur

Problemata excerpta ex Commentariis Galeni in Hippocratem: Venetiis 1567. in 8.

BALDIT (*Michael*) Miniatenſis.

De eô exſtat

Speculum ſacro-Medicum Octogonum. In quo Medicina octo ex angulis, veluti totidem Fontibus, à primô & in primum Salientibus, ſacra repræſentantur. Præfixâ Appendice geminâ tanquam vittâ ſpeculum æquilibraliter ſuſpenſûrâ. Lugduni, apud Danielem Gayet, 1670. in 8.

BALDIUS (*ſeu* BALDI, (*Baldus*)

Italus, Florentinus, florentiſſimus profectô Medicus, Romanâ civitate donatus, ac in Romanâ Univerſitate Lector inſignis, mox Canoni-

catu Liberianæ Baſilicæ exornatus, *qui cùm ad id honoris, & commodi perveniſſet* (ſunt verba Jani Nicii Erythræi in Pinacotheca 3. Imag. 62.) *quô non altius vota Medicorum aſcendunt, nimirùm ut ſumni Pontificis Medicus fieret* (id eſt, Innocentii x.) non ità multos poſt menſes eſt mortuus, morbi cujuſdam malignitate, cui non potuit obſiſti, ex eô, ut tùm erat fama, contracti, nova illi vitæ ratio fuerat ineunda, & vetus, cui aſſueverat, relinquenda; Neceſſe enim erat ei, qui certum vitæ genus ſequebatur, quotidiè ad medias noctes evigilare, & cœnare, & interdiù, veſpere jam apparente, prandere, atque alia inſuper incommoda, quæ fert aula, ſubire. Magnâ erat apud Medicos ſuos æquales doctrinæ, & ingenii exiſtimatione, ac laude, & eximiè ab omnibus laudabatur. Alia ſcribit Erythræus, ſolitô tamen modulô quæ videre, ſi lubet, poteris. Johannes Benedictus Sinibaldus in lib. 3. Geneanthropeiæ, Tract. 1. Cap. 17. Col. mihi 349. ait Baldus ex Urbis Medicis Coryphæis unus, prudentiâ, ac doctrinâ multiplex, in Romanô Archigymnaſiô, Practicæ Medicinæ Profeſſor, omnium, & meô in primis calculô celeberrimus, diſertiſſimus. In Lib. 2. Epiſtolarum Medicinalium Julii Cæſaris Benedicti à Guelfalione legitur Epiſtola 2. Baldo inſcripta. In volumine ſtatutorum Collegii Medicorum Urbis habetur pariter Baldi mentio, pag. mihi 114. De eô etiam Carolus Gartharius cum encomiô tractat in Athenæô Romanô. Varia ſcripſit Baldus, & edidit, quorum è numerô hæc ſunt relata à Jo. Anton. Van der Linden. lib. 1. De ſcriptis Medicis. A Leone Allatiô in Apibus urbanis. A Johanne Cinellô in Opuſculô, prænotatô Bibliothecâ Volante, ſcanzia 4. necnon ſcanzia 7. atque in Hiſtoriâ ſcriptorum Florentinorum, quam eruditè elucubravit, ſed ineditam adhùc cuſtodit, quamvis etiam atque etiam expetitam.

Prælectio de Contagione peſtiferâ. Romæ apud Gulielmum Facciottum, 1631. in 4.

Diſquiſitio Jatro-Phyſica ad Textum 23. Hippocr. de Aere, Aquis, & Locis, num in eô legi debeat σχολωδέςαἶcν, an θολωδέσταἶον, id eſt, bilioſiſſimum vel turbidiſſimum, in quâ de calculorum cauſis, ac de Aquæ Tiberis bonitate ſtrictìm diſſeritur, & Quæſtio de majori nunc, quam præteritô ſæculô Calculoſorum in Urbe frequentiâ elucidatur. Romæ, apud Ludovicum Grignanum, 1637. in 4.

De Locô affectô in Pleuritide Diſceptationes ac Renati Moreau de eâdem re Epiſtola exegetica. Pariſiis. Apud Sebaſtianum Cramoiſy, 1640. in 8. Romæ, apud Franciſcum Caballum 1643. in 8.

Relatione del Miracolo inſigne, operato in Roma, per interceſſione di S. Filippo Neri alli 5. di Gennaro 1644. Romæ, eôdem annô, in 4.

Hæc quæ ſequuntur editioni parata habebat, nempè.

Hiſtoriam Morbi, & Anatomicam obſervationem circa corpus, & Cadaver Cardinalis Bevilacquæ, cum multis dubiis indè enatis.

Lectiones Academicas de Venenis.

Poſt Baldi mortem prodiit opus cum hôc titulô.

Del vero Opobalſamo Orientale. Diſcorſo Apologetico dell' Illuſtriſſ. Sig. Baldo Baldi, Medico di N. S. Papa Innocentio X. Dato in luce da i Signori Antonio Manfredi, e Vincenzo Panutio, Aromatarii. In Roma, Appreſſo Vitale Maſcard. 1646. in 4.

Habuit Baldus decertationem literariam de locô affectô in Pleuritide adverſus Johannem Manelphum, propugnante Baldi opinionem Renatô Moreau. In Librô Epiſtolarum Gabrielis Naudæi leguntur duæ Epiſtolæ ad Baldum, & ſunt 35. & 64. *Mandoſius de Vitis Archiatr. Pontific.*

De Baldô habentur præterea Scripta ſubſequentia.

Prælectio de Contagione Peſtiferâ. Romæ, apud Guilielm. Facciottum, 1631. in 4.

Diſquiſitio Jatro-Phyſica, ad Textum 23. Lib. Hippocr. de Aëre, Aquis, & Locis: Num in eô legi debeat χολωδέσταἶον, an θολωδέσταἶον, id eſt, bilioſiſſimum, vel turbidiſſimum. In quâ de calculorum cauſis, ac de Aquæ Tiberis bonitate ſtrictim diſſeritur; & Quæſtio, de majori nunc, quam præteritô ſæculô, calculoſorum in urbe frequentiâ, elucidatur. Romæ, apud Ludov. Grignanum, 1637. in 4.

De Locô affectô in Pleuritide, Diſceptationes. Ac Renati Moreau de eâdem re Epiſtola exegetica. Pariſiis, apud Sebaſt. Cramoiſy, 1640. in 8. Romæ, apud Franc. Caballum, 1643. in 8.

BALDOVINUS (*Sabodienſis*)

De eô exſtat

Ars memoriæ, carmine cum Gloſſis. Pariſiis, in 4.

BALDUINUS (*Chriſtianus Adolphus*)

Ex eô habentur

De Regerminatione Argenti, novô artificiô inventâ. Exſtat cum Miſcellan. Curioſ. ſive Ephemerid. Medico-Phyſicarum Germ. ann. Quartô & Quintô. Lipſiæ, apud Johan. Fritſchium, 1676. in 4.

Aurum ſuperius & inferius Auræ ſuperioris & inferioris Hermeticum. Coloniæ ad Spream, ut & Lipſiæ, apud Georg. Henricum Fromannum, 1674. in 12. Amſtelodami, 1675. in 12. Exſtat etiam cum Ephemerid. Medic. Phyſic. Germ. ann. Quartô & Quintô, in Appendice. Lipſiæ, apud Johan. Fritſchium, 1676. in 4.

Phoſphorus Hermeticus, ſive Magnes Luminaris. Lipſiæ, 1674. in 12. Exſtat etiam cum Ephemerid. Medic. Phyſic. Germ. ann. Quart. & Quint. in Appendic. Lipſiæ, apud Johan. Fritſchium, 1676. in 4.

Venus aurea, in formâ Chryſocollæ foſſilis cum Fulmine cœlitus delapſa, prope Haynam, D. 28. Maij 1677. Haynæ, typis Kramerianis, in 12. Exſtat etiam in Miſcellan. Curioſ. ſive Ephemerid. Medico-Phyſicarum, Germ. annô Octav. in Appendic. Uratiſlaviæ, apud Johan. Chriſtophor. Jacobi, 1678. in 4.

Hermes curioſus, ſive, inventa & experimenta Phyſico-Chymica nova, 1680. in 12. ſine locô impreſſionis. Exſtat etiam in Appendice ad Annum 1. Decur. 11. Ephemerid. Medic. Phyſicar. Natur. Curioſ. Germ. Norimbergæ, apud Wolffgang. Maurit. Endterum, 1683. in 4.

BALDUS (*Camillus*) BONONIENSIS, & in Academiâ Patriâ Profeſſor Publicus. Obiit an. 1634. annos 87. natus.

Ex eô habetur

In Phyſiognomicâ Ariſtotelis, Commentarii. Opus multiplici doctrinâ refertum, Phyſiologis, Medicis, Viriſque Politicis, æquè utile ac jucundum, Hieronymi Tamburini diligentiâ ac ſumptibus nunc primùm in lucem editum. Bononiæ, apud Sebaſt. Bonomium, 1621. in fol.

De

De Humanarum Propenſionum ex temperamentô Prænotionibus, Tractatus, Bononiæ, apud Hæred. Johan. Roſſi, 1629. in 4.

De Naturali ex Unguium Inſpectione Præſagiô, Commentarius. Bononiæ, apud Hæred. Johan. Roſſi, 1629. in 4.

BALDUS (*Sebaſtianus*) Vide *Badius.*

BALESTRINI (*Philippus*) GENUENSIS.

De eô exſtat

La Natomia Moderna, dell' oſſa, delle Cartilagini, de Ligamenti, con curioſe è dotte Oſſervationi del Kerkringio Sullo Scheletro, del feto, & una ſtoria natomica, del Parto, con la differenſa degl' oſſi, doppo la Naſcita. Genovæ 1708.

BALDUTIUS (*Valerius*) MONDULFENSIS.

Ex eô habentur

Tumorum omnium præternaturalium curandorum Methodus: necnon Febrium putridarum curandarum ratio, in quatuor diſtincta Libros. Venetiis, apud Thom. Balionum, 1612. in 4.

De Putredine, Libri duo. Urbini, apud Raguſios, 1608. in 4.

BALIANUS (*Joh. Baptiſta*)

De eô exſtat

Della Peſtilenſa ove ſi adducono Penſieri nuovi in Piu materie. Stampato gia l'ann. 1674. in Savona, & ora riveduto & ampliato dall' Autore. In Genova 1653.

BALLISTA (*Chriſtophorus*) LUTETIANUS.

Ex eô habentur

De Re Medicâ, Libri quinque. Tiguri, apud Froſchoverum, 1546. in 8.

Concertatio in Podagram, verſibus Elegiacis expreſſa. Tiguri, apud Geſneros FF. 1555. in 8.

BALLONIUS (*Guilielmus*) PARISIENSIS.

Ballonius

Inter cætera *ϗ καλὰ ϗ μιμήσεως ἄξια*, hoc in Thucydide ſummum & eximium eſt, docente Halicarnaſſæô, quòd neque mendacium ultrò dixerit, neque ſuam ipſe conſcientiam prodiderit. Quiſquis ad hiſtoriam ſcribendam accedit, velim intelligat *μόνη θυτέον τῆ ἀληθείᾳ*, præceptoque Phocylidis obſequatur.

Ψεύδεα μὴ βάζειν ἀλλ' ἐτυμα πάντα ἀγορεύειν ſic ùt nihil odio, nihil amicitiæ tribuat, non metuat, non ſperet, non parcat, non miſereatur, non erubeſcat. Ut hiſtoria fax eſt & lumen temporum, ſic hiſtoriæ veritas; ſine quâ degenerat in fabulam *ϗ εἰς ἀπάτην ϗ εἰς γοητείαν.* Sic mecum ab initiô hujus operis conſtitui; ùt nihil ad fucum, nihil ad pompam ſcriberem, nec diſſimulatis, ſi quæ ſint, criminibus, nec virtutibus, ſi deſint, inductis. Elogiorum ea lex eſt ùt ſplendeant ſolis virtutum luminibus, neque ultra hos carceres progrediantur, liberiora ſunt *βιογραφίας* ſpatia, laudis & vituperij alternat vices, virtutis & vitij coloribus diſcriminatur; atque ùt fidentiùs exultat in commemoratione rerum præclarè geſtarum, facinora tamen licèt verecundè, *ϗ ἀπὸ κηδεμονίας* delibat; Facit quod Pictores ſolent, qui dum venuſtas imagines penicillô exprimunt, nævos & umbras non permittunt, nè conciliandæ magis gratiæ quàm delineandæ ſpeciei lenocinari videantur. In hôc ego imitatus graves & ſummos viros, in ipſâ vitarum deſcriptione à nonnullis maculis interdùm non abſtineo; non tam conviciandi pruritu & libidine, quàm ùt inſinuem non modò quod ſequendum ſed etiam quod ſit fugiendum. Quod quidem non ideò longô deduximus exordiô, ut in *Guilielmô de Baillon*, cujus Hiſtoriam enarrandam ſuſcipimus, multorum criminum aut vitiorum veniam deprecer, quàm ùt à me criminationem adulationis removeam; quòd in illô culpandum nihil aut vituperandum invenerim.

Is Lutetiæ natus circa annum Chriſti milleſimum quingenteſimum triceſimum octavum, Nicolaô Patre (quod illi fuit cum Galenô ſingulare) Geometriæ & Architecturæ peritiſſimô: qui è generoſâ ſtirpe *Balloniorum* apud Unellos ad Nogentum Retrodi, ubi eorum eſt nobile prædium, oriundus, ſedem & domicilium fortunarum ſuarum Lutetiam tranſtulerat; allectus favore atque amicitiâ *Guillariorum Mortariorum*, qui eô ſeculô primos dignitatis gradus in Imperiô Gallicô erant conſecuti. Ex his enim ſenior ſupremus Ærarij Tribunus Catharinæ Mediceæ regia & egregia ædificia molienti, apud quam gratiâ valebat plurimùm, *Nicolaum* obtulit, ut eximium Architectum, qui linearem daret delineationem, & ſacelli illius politiſſimi Sueſſionenſis Palatii, & ſcalarum regiarum, quæ ſunt in poſticâ Luparâ, quô opere nec auguſtius quicquam nec elegantius priſca ſæcula viderunt. *Andreas* verò *Guillarius*, in Supremô Senatu Præſes, vir integerrimæ vitæ, vel eô argumentô, quòd ſolus cum Sancerræ Comite, & Cancellariô Hoſpitaliô Principis Condæi damnatoriæ ſententiæ ſubſcribere noluerit; *Guilielmum* Nicolai filium unà cum liberis ſuis erudiendum in ludum litterarium miſerit ac propriis ſumptibus aluerit. Florebat eâ tempeſtate Academia Pariſienſis non modò celeberrimis Profeſſoribus; ſed diſciplinis inſtitutiſque ſeverioribus: ſic ùt *Guilielmus noſter;* cùm eſſet proclivi ad artes & ſcientias ingeniô, & ad virtutes à naturâ comparatô, intra aliquot annos Græci Latinique ſermonis peritiſſimus, Philologicarum & Philoſophicarum rerum ſcientiſſimus, modeſtiæ, pietatis, temperantiæ, cæterarumque virtutum ſtudioſiſſimus, evaderet. Ut erat ſolitudinis amans, expers curarum, ludi & aleæ neſcius, honeſtarum etiam voluptatum negligens, impatiens otij, librorum helluo, pulcherrimarum rerum avidus, proſâ, verſâque oratione dies & noctes ſtylum exercens, primas in Oratoriâ & Poëticâ conſecutus eſt: adeò ùt qui puriùs Latinè loqueretur, aut floridiùs ſcriberet, aut litteras pingeret elegantius, parem non habuerit. Itâ feliciter emenſô liberalium diſciplinarum ſtudiô, philoſophiciſque ſtudiis ex unô Ariſtotele delibatis, de *Pædagogiâ* cogitare cœpit, quæ ut hodiernâ die fax eſt ſeculi & ingeniorum remora, ſic eâ tempeſtate fax fuit eruditionis, virtutis & gloriæ ſeminarium. Annis aliquot in Montanô Athenæô humaniores docuit literas, quæ ornamenta ſunt ſuperiorum diſciplinarum; deinde invaleſcente eruditionis famâ ad Ariſtotelem (quem nonnulli ex Academiâ exterminare contendebant) explicandum accitus & invitatus frequentiſſimum auditorium habuit nobilium illuſtriumque diſcipulorum, qui tam ex ejus ore facundô & eruditô philoſophiæ præcepta, quàm ex modeſtô & verecundô ejus vultu virtutum exempla hauſerunt. Interim verò ſub *Rochæô*, *Contæo*, *& Duretô* ſeniore, Pariſienſibus Medicinæ Profeſſoribus, rudimentum ejus artis poſuit, cujus poſteà futurus erat ornamentum. Tunc temporis erat Medicina velut in ætatis flore conſtituta, ex quô ſub *Copô*, *Briſ-*

ſotô,

ſotô, *Ruelliô*, *Taguntiô Andernacô*, ex cineribus Arabum reviviſcens, & adoleſcens ſub *Holleriô*, *Flexeliô*, *Sylviô*, & *Ferneliô*, qui beatiſſimis ſuis conſiliis emorientem Valeſiorum ſtirpem fœcundiſſima prole ad vitam excitaviſſet; cœperat florere & vigere ducibus *Varandæô*, *Duretô*, *Rochæô*, *Fabrô*, *Pictreô*, *Laſſitæô*, auctoritate, gratiâ, dignitate, gloriâ, opibus locupletata; Hôc lenociniô excitatus *Guilielmus*, ad præclariſſimam artem, Baccalaureorum numero adſcriptus eſt annô 1568. ac ſequenti bienniô poſt *Martinum Akakiam* ἰατροῦ παῖδα; primum in licentiâ gradum obtinuit; cùm alioquin quatuordecim haberet commilitones & Antagoniſtas, atque inter eos viros egregios doctrinâ & eruditione illuſtres, *Antonium Valetum*, Hollerii Scholiaſten, *Nicolaum Elenium*, Scholæ noſtræ Atlantem, *Henricum Blacuodæum Johannem Amicum*, *Johannem Pelleterium*, *Claudium Bazinum*, & *Antonium Bruelium*, qui licèt in eôdem ordine, & ſub iiſdem ducibus cum *Guilielmô Balloniô* meruiſſent & pugnaviſſent, attamen nonniſi poſt eum ſacramentô legibuſque ſoluti miſſionem & exauctorationem adepti ſunt. Renunciatus Doctor à M. Nicolaô le *Grand*, annô 1570. Sic ſe ad omnia Doctoris munia & officia exequenda comparavit, quà diſputando, quà orando, quà docendo, ùt per quadraginta ſex annos continuos ſuam ſtationem deſeruiſſe non perhibeatur. In palæſtrâ Medicâ tam ſtrenuus pugil, diſputator tam vehemens, tam acutus Syllogiſmorum artifex, & ſubtilis argumentorum architectus, ùt non ſolùm in commentariis noſtris ab eruditiſſimô *Gourmelenô vir acutiſſimus*; ſed etiam vulgò *flagellum majus Baccalaureorum* ſingulari Elogiô diceretur. In componendis, adornandiſque Theſibus, ſive ſententiarum ubertatem, ſive Sermonis ornatum, ſive polymathiam, ſive concinnam rerum rectô ordine cohærentium ſeriem ſpectes, nemini poſtremus; ſicut (quod hactenùs in ſcholis noſtris fuit inauditum) eruditiſſimam Theſim: *An cuique hominum ſua* μοῖρα πεπρωμένη, *ſuus Genius*, bis diſputandam propoſuerit, annô ſcilicèt 1602. & rursùm annô 1615. omnium Medicorum rogatû perfectiſſimum illum & abſolutiſſimum ingenii fœtum ſuſcipientium, è quô licèt brevi & exiguô plus ille laudis & nominis eſt conſecutus.

Quàm levis è totâ Marſus Amazonide.

Theſium apud Medicos Pariſienſes compoſitio ut varium & eruditum opus, ſic difficile, arduum, & argutum! conciſa dictio, ſed compta, artificium ſingulare, ſed de induſtriâ involutum, multiplices rerum, & verborum ad gratiam non ad laſciviam comparatæ delitiæ, eruditio maſcula, non elumbis, condita ſententiis non lenociniis epicheiremata: Syllogiſmô nititur quinque appendicibus quaſi totidem fultô columinibus ſeu tranſtris; περίστασις duobus primis corollariis expoſita & confirmata ſenſim ducit ad ὑπολαμβανόμενον, tertiô & quartô explicatum & probatum, è quô συμπέρασμα, ultimâ appendice deducitur, ad totiûs negotii complementum, argumentô tam acri juncturâ & ſubtili ſtamine contextô, ùt artificium nonniſi peritis & oculatis innoteſcat, *Theſes* aliorum more ſi ſcribas, nihilô plus laboris & induſtriæ colloces, quàm ſi è librô tranſcribas; plana & facilis narratio, ſed jejuna & ſterilis, nuda & plerumque barbara vocabula, ſcabra & inculta rerum materies, nullæ ſcintillæ dignitatis litterariæ, nulli floſculi; ut occurrunt verba ſic cadunt ſub numeros, ſed ſine numeris, ſine luminibus, ne quidem ſententiarum, quibus diſciplinæ ſolent colluſtrari. Medicæ autem Pariſienſes Theſes ut verborum ſuavitate demulcent, ſic ſententiarum gravitate delectant, doctrinâ nobiles, arte illuſtres, rerum varietate mirabiles, totæ tamen ſuæ. Seſe hìc explicant eruditorum ingenia, & in hôc ſcriptionis genere ſe produnt probantque tanquam in perplexô omnium opere atque arduô, è quô licet Doctorum eruditionem, facundiam & ſolertiam æſtimare.

Præfiſcinè dictum hìc velim ad amoliendam invidiam, nevè quemquam meô ſermone commoveam, ſi palàm & publicè profitear in iſtô laudis & ſtudij argumentô *Guilielmum* noſtrum cæteros omnes antevertiſſe. *Theſis illa* bis agitata, ſemel atque iterùm probata, laudata ſemper, ut & *illa*, quam de Rheumatiſmô & Arthritide expoſuit, omnes in admirationem rapuêre, nonnullos in æmulationem, in ſocietatem gloriæ neminem. Solet plerumquè invidia alienis incrementis inſidiari, & comitari incedentes per gloriam, non ſecùs ac umbrâ deambulantes per Solem. Eam tamen *Guilielmus Ballonius* virtutum ſuarum ſplendore extinxit & comitate morum ſuperavit.

Facta ſequebatur quamvis ingentia livor,
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit,
Humanumque modum.

Collegas enim ſuos tam faventes & benevolos expertus eſt ùt primam illi ordinis ſui dignitatem contulerint, cùmque Menſe Novembri an. 1580. *Decanum*, qui caput eſt Facultatis, conſpirantibus omnium votis, in biennium procreârint. Laboravit per ea tempora Medicus ordo Pariſienſis duabus maximis calamitatibus, *ſolitudine* & *ſeditione*. *Illam* induxerat peſtilens lues, quæ ferini & contagioſi catarrhi, à caputiô denominati prænuncia, ſcholas feriari coegit, diſperſis Doctoribus & diſcipulis urbem & Academiam deſerentibus. *Seditionem* movêre adverſus facultatem *togati Chirurgi*, & arroganter publicè profitentes docenteſque Medicinam, & impudenter Doctorum nomen & titulum ambientes. Per eas rerum anguſtias, & in illô negotiorum æſtû, in unô *Balloniô*, ſpes omnium, & expectatio fuit collocata; ut potè qui & auctoritate, quâ pollebat, & virtute, quâ plurimos antecellebat, & animi conſtantiâ atque fortitudine, quâ ſe à rebus adverſis frangi non patiebatur, unus eſſet qui nutantem & labantem dignitatem noſtram, labefactatumque imperium ſuſtinere & fulcire poſſe videretur. Initiô quoque ſui magiſtratûs nihil priùs aut antiquiùs habuit quàm ùt Agyrtas, Circumforaneos, & Empiricos, quorum capita erant Itali duo, *Cyprianus*, neſcio quis, & *Caurianus* & *Cabrianus*, ex urbe exterminaret. Ut gens illa eſt adulteriis, lenociniis, Aſtrologicis & ſuperſtitioſis divinationibus famoſa, ſic ſe ſolet tacitis artibus in aulas Principum inſinuare & in Nobilium domos, qui nihil niſi quod peregrinum eſt & exoticum amant & admirantur. Horum parricidia ùt compeſceret reos apud Senatum egit: nevè hæc impetigo ad Facultatis uſque Medicos ſerperet, renovandum antiquum decretum omniumque Doctorum ſigillis ac novô jurejurandô confirmandum curavit adverſus eos, qui ſocietatem inirent cum Empiricis & illegitimè Medicinam exercentibus. Interim apertô Marte repugnandum illi fuit in Miniſtros Medicinæ refractarios, ſervile bellum Facultati & Academiæ intentantes. Cùm enim *togati Chirurgi*, ſuperioribus annis ſubreptitios libellos à Rege obtinuiſſent, non ſolùm de docendâ publicè Medicinâ, ſed de adipiſcendis Licentiarum & Doctoratûs titulis; ſenſiſſentque eluſos & retuſos

conatus

conatus ſuos, novô diplomate Regiô à M. *Claudiô Rouſſelet*, primô Decanatûs ſui annô 1576. impetratô, ad novas artes & technas convolandum rati, à ſummô Pontifice, neſcio quô ſuadente Geniô, diploma *indulti* nomine extorſerunt; quô Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis Facultatis demandabatur concedendi illis Apoſtolicam benedictionem ùt Licentiatorum gloriâ relucerent. Mirare quò ſe ambitioſa illa ſocietas extulerit, & quô faſtû in omnium florentiſſimam Academiam quintam quandam Facultatem introducere ſperaverit; Cùm itaquè verendum foret, nè ſi taceretur, jus præſcriptionis literæ illæ habituræ eſſent, coercendusque initiô videretur impetus iſte novitatis, qui jam Rectorem Academiæ (inconſultis licèt ordinibus) cum totô ſuô ornatû & comitatû ad actus Chirurgorum evocaverat; Decanus primò expoſtulatione factâ in Rectorem, ab illô publicam hanc confeſſionem extorſit; *pœnitere ſe facti, & quòd contra jura Academiæ illum actum Chirurgorum exornâſſet.* Deinde verò litem omnem ad ſupremum Senatum detulit, & cum Academiâ ejuſque Cancellariô ad ipſum provocavit. Intereà ſummi Pontificis fides & æquitas imploratur, multorum Purpuratorum, Eſtenſis, Pellevæi, Rambulieti, auctoritas interpellatur, Foxii apud Pontificem Oratoris Regii, Mureti, aliorumque clariſſimorum virorum gratia & favor crebris literis ſollicitatur. Quid plura? apud Legatum Pontificium frequentes itiones & reditiones, orationes à Decanô habitæ, variæ actionum formularumque argutiæ ſuſceptæ, tandem dicta à ſummô præſide dies cum duabus aliis integris in Patronorum actionibus inſumuntur. *M. I. Chouart, pro Academiâ prudentiſſimè ſummôque judiciô dixit; M. D. Chopinus pro Facultate aliquot capita ſatis plauſibiliter perſtrinxit; M. C. Robert, pro Cancellariô Univerſitatis ingenioſè oravit; M. Auguſtinus de Thou, Regius patronus, breviter & ad rem convenienter: Pro Chirurgis M. I. le Verſt, à Chirurgô natus & Chirurgorum patronus, vaſtè & effœminatè dixit, Academiæ cardines & firma Facultatis Medicæ fundamenta molliuſculâ & effœminatâ oratione concutere ac convellere giganteô more tentavit.* Nec tamen, ut ipſe fatetur *Ballonius* in Commentariis ſui Decanatûs, plurimis licèt ſumptis laboribus hoc conſequi potuit, ùt abſolutum eâ de re Senatuſconſultum obtineretur. *Defuit*, inquit, *voluntas nuſquam, ſed fortuna: Affectum quidem, ſed non perfectum negotium. Nullus non à nobis ſuſceptus labor eſt, partim ùt apud Senatum, partim apud Romanam Curiam res conficeretur. Nobis id defuit favor, qui in literas & in publicam rem eſſe debet. Quod enim commune eſt, negligitur. Accedit quòd tot ſunt ambages, tot in forô formulæ & diverticula, ùt antè in mediô curſu obruamur, quàm portum aliquem conſpiciamus.* Hactenùs Commentarii de illô negotiô, cui quamvis extremam manum non impoſuerit *Gulielmus Ballonius*, ità tamen affecit & diſpoſuit; ſed ambitioſa Chirurgorum ſocietas ſic attrita, ùt quæ olim Chirurgicarum rerum & Medicarum cognitione ſuperbiret, nunc rerum propè omnium ignoratione videatur gloriari. Relictâ rerum publicarum adminiſtratione, *Ballonius* ad uſum Medicinæ ſe contulit, in quô tam prudenter feliciterque ſe geſſit, ùt inter primi nominis Medicos haberetur acceptiſſimus gratiſſimuſque Viris Conſultiſſimis *Mareſcoto*, *Magno Altino*, *Riolano ſeniori*, *Pietræo*, *Lichautio*, *Gourmeleno*, *Mironio*, *Laurentio*, *Seguino* Archiatris, quibus famâ & gloriâ par eſſe potuiſſet, ſi quantùm doctrinâ & ingeniô valebat, tantùm uſû & exercitatione voluiſſet contendere. Sed homo ab omni famæ aucupiô alienus, divitiarum quoque minimè appetens, neglexit adminicula, quibus ad ſummos honores, & facultates conſcenditur. Minùs aulâ quàm Muſæô delectabatur, magiſque ægris plebeiis & ignobilibus quàm illuſtribus & Aulicis, qui Medicos velut catulos in compedibus vinctos & alligatos retinent. Eum *Henricus Magnus* ante urbis deditionem in oppidô ſancti Dionyſii & benigniſſimè exceperat, & de rebus graviſſimis, præſertim verò de calamitate Pariſienſium diſſerentem longô tempore audiverat; ùt ſi voluiſſet ad aulam convolare faventia habiturus fuiſſet numina. Sed ab Aulâ velut famulitiô abhorrens privatam vitam amplexus eſt; exinde annô 1601. evocatus à Rege Potentiſſimô, hortante & ſuadente Illuſtriſſimâ Dominâ de Monglas Regiorum Liberorum curatrice, ùt curam ſuſciperet ſalutis Sereniſſimi Principis Delphini, cujus capite ſalus orbis continebatur; dignitatem eam recuſavit, ſenilem ætatem, effœtas vires, ingeniique tenuitatem objiciens, nè cogeretur otium domeſticum aulicô negotiô, philoſophicamque parcimoniam, Principum delitiis permutare. Ità ſui juris & poteſtatis factus popularibus ſuis Medicinam factitavit, non ad aucupandam (quod nunc fieri amat) popularem auram, vel ad opes ſummô æſtu comparandas, ſed ad ægrorum tædia levanda & lenienda, tantâ humanitate & comitate ùt non inſtar Archagati à ſævitiâ urendi & ſecandi *hominum Carnifex*, ſed à mitiſſimâ curandi ratione *infantium Medicus*, vulgò nuncuparetur. Interim nihil de ſtudiô remittere, Græcos Latinoſque Auctores probæ & antiquæ notæ diurnâ nocturnâque manû evolvere, difficillima eorum loca & notare & illuſtrare, priſcam Hippocratis & Galeni doctrinam adverſus Novatorum calumnias tueri, de graviſſimis morbis & peritiſſimos quoſque litteris conſulere, & viciſſim à multis conſuli, rariores morbos ac prodigioſos in adverſaria cogere & explicare, ſingulorum morborum hiſtorias Hippocratis exemplô deſcribere, quotidie aliquid adnotare, obſervare, deſignare; ùt mirum ſit negotioſo homini tantùm ſtudij ad tot monimenta conſcribenda; homini verò ſtudioſo tantùm otij ad tam multa circa ægros ſuſcipienda negotia ſuperfuiſſe. Cùm verò perfectiſſimum & abſolutiſſimum Medicum ſola eruditio non conſtituat, ſed probitas & virtus, cujus gratiâ cætera quæ in vitâ contingunt expetuntur, potuit *Gulielmus Ballonius*, ut ingenij gloriâ, ſic morum integritate gloriari: Pietatem enim imprimis, quæ virtutum eſt condimentum, ἡ κτημάτων τὸ κάλλιςον, ità excoluit, ùt nullum diem à ſacrô Miſſæ ſacrificiô intermiſiſſe perhibeatur: omnia auſpicatus à Deô & in Deum omnia referens, ut potè cùm Θεοῦ παρόντος, ἅπαν ἄπορον πόριμον, præſente & favente Numine, quod inextricabile eſt, facili negotiô explicari poſſe profiteretur: Tantâ autem charitate exardeſcebat, ùt non ſolùm conſiliô ægros omnibus adjumentis deſtitutos ſolaretur, ſed pecuniis ſublevaret, quas non paucas in pauperes ſingulis diebus, erogâſſe multi recordantur. Ignotorum miſeriis illacrymari, aut verbis recreare gementes integrum non eſt humanitatis noſtræ officium, ſed egenis proſpicere ac dare operam ùt pauperibus alimenta non deſint. Licèt verò Orthodoxæ religionis incenſus amore hæreticæ pravitatis ſectarios cane pejus & angue averſaretur; non potuit tamen probare peſſima eorum conſilia, qui Henricum IV. legitimum Regni ſucceſſorem avitâ hæreditate privare malis artibus contendebant;

ſed ejus partibus, licèt in urbe rebelli, non ſolùm tacitè favit, ſed publicô monimentô, quod, ſub *Riveti* nomine, de calamitate & miſeriâ civium Pariſienſium conſcripſit. Duxerat in uxorem filiam Gervaſii Honoræi, Pharmacopœi Pariſienſis, pudiciſſimam fœminam, ſingularis virtutis, prudentiæ, probitatis, frugalitatis; è quâ inter cæteros liberos filium natû minorem ſuſceperat, quem Medicinæ deſtinabat. Sed is poſtquam multa & virtutis & ingenij argumenta præbuiſſet, optimoque Parenti propter eximios in litteris factos progreſſus eſſet acceptiſſimus, œſtrô quôdam pietatis in familiam Capucinorum tranſilivit, inſciô & inconſultô, ut fieri ſolet, Parente. Qui cùm hôc triſti nunciô quaſi afflatus fuiſſet, ſubitô quidem casû exanimatus & velùt è mentis ſtatione dimotus fuit; ſed mox revocatâ in conſilium ratione, & inſtitutum filij divinæ providentiæ committens, in hæc verba Evangelij prorupit, *meliorem illum partem elegiſſe, quæ non ab eô auferetur*, piiſſimâque hâc meditatione recreatus ſeceſſum amantiſſimi filij patientiſſimè toleravit. Singulas virtutes quid attinet commemorare? cùm obitû ſuô, qui eſt univerſæ vitæ ἀνακεφαλαίωσις, & comœdiæ totiûs concluſio, quantâ ſanctimoniâ & mentis puritate vixerit, reliquerit quaſi conſignatum. Eô enim temporis & rerum articulô, quô virtutes & vitia, pro ſuô in nos imperiô, ſolent cogitationibus noſtris obſervari, eas ad Deum fudit preces, eâ conſtantiâ venientem mortem excepit, eô ſpiritû mundi veneficia ejuravit, iis votis in cælum aſpiravit, ùt igniculos pietatis ſpectatoribus ingeneraret, cogeretque religioſiſſimum virum ex Capucinorum ordine, qui ùt vicem abſentis filij ſuppleret illi aſſidebat, palàm exclamare, *in Balloniô ſe juſti Lothi imaginem atque ſpeculum contemplari.*

Quadratô fuit *Guilielmus Ballonius*, & obeſulô corpore, plenô, apertô, & ad lætitiam compoſitô vultû, raſô capillitiô & barbitiô, ſuavitate vocis eximiâ, blandô eloquiô, & in ſales explicatô, non dicaci, non petulanti.

Ingeniô plurimùm valuit, prudentiâ & ſagacitate, laborum patientiſſimus, virtutum egregius cultor, comis quidem, ſed ab urbanitate ſæculi alienus, totus in libris, ſed in adminiſtratione rei familiaris propè nullus, quam uxoris prudentiæ committebat.

Stylus illi floridus, limatus, nitidus & in utrâque oratione proſâ & vorſâ accuratus; dictio compta & elegans, circumciſa potiùs quàm diffuſa; condendi epigrammatis inſignis artifex, cujus exemplum non pigebit apponere ex Commentariis Dureti in Coacas Hippocratis deſumptum, qui Epigramma præfixit.

Exit opus tandem, multos quod preſſit in annos
Duretus, Coi lux & imago ſenis:
Fallor, non operis, non libri nomina quadrant:
At melius dici Bibliotheca poteſt.
Cunctarum hìc ſeges eſt Medicarum uberrima legum.
Et modica Medicas mole coercet opes:
Morborum Cauſas, & ſigna, πρόγνωσιν & horum
Legibus & Cautè, queis medeare, docet:
Venalis Medicinæ hæc Ilias unica proſtet;
Fruſtra alios cudes Bibliopola libros.

Ex ſuaviſſimâ uxore liberos quatuor ſuſcepit, duos mares, fœminas totidèm; Filius natu major armaturæ militaris inſpector & arbiter: minor militiæ Capucinorum nomen dedit, Polycarpi cognomen conſecutus, vir ut facundiâ ſic pietate nulli ſecundus: filiarum alia D. Chappotino tributarij judicij Nivernenſis Præſidi, ſaltuarioque Præfecto nupſit, altera D. Subleto armatæ militiæ Cenſori & Ariſtarcho, quas opimâ ſatis hæreditate beavit.

Obiit *antiquior Scholarum Magiſter*, annô Doctoratus ſui 46. ætatis 78. Chriſti 1616. elatus in ædem D. Paulo ſacram, ubi reſurrectionem expectat.

Locô filiorum duos Pronepotes habuit Doctores Medicos Pariſienſes, unum à ſorore, *Simonem le Letier*, eruditiſſimum prudentiſſimumque virum; alterum ab uxore, *Jacobum Thevart*, non minùs virtutum quam Librorum & Manuſcriptorum hæredem. Is cultiſſimi ingenii vir, doctrinâ & eruditione nobilis, rerum Philoſophicarum & Medicarum cognitione clarus, ut reipublicæ Medicæ dignitatem promoveat, ſimulque memoriam Optimi ſenis intermorituram exſuſcitet, Opera omnia publici juris facere conſtituit, quod ùt citò perficiat omnium Litteratorum nomine rogô & obteſtor, ùt ſi quidem tanti beneficii non ſit auctor, ſaltem erogator habeatur. Idem quoque vir Iconem *Ballonii* pollicetur, ùt eôdem momentô, & mentis imaginem & corporis ſimulacrum liceat intueri.

Inter libros editioni paratos, ſequentes in bibliothecâ ejuſdem clariſſimi *Thevartii* aſſervantur.

Conſiliorum Medicinalium Libri duo.
Epidemicorum & Ephemeridum libri duo.
De virginum & Mulierum morbis liber.
Epiſtolarum Medicinalium liber.
Opuſcula Medica de Arthritide, Lapide, & Urinarum ſedimentô.

In quibus omnibus veterum auctoritas contra Johannem Fernelium defenditur:

Definitionum Medicarum liber.
Commentarius in librum Theophraſti de vertigine.
Adverſariorum Medicinalium liber.
De Gibboſitate libellus.
Paradeigmaton liber.
Epitome primorum librorum 5. Gal. de ſimpl. medicamentorum facultatibus.
Morborum omnium Onomaſticum.
Dicta ſeptem ſapientum carmine latinô expreſſa, quæ ſervantur in Bibliothecâ D. le Letier Pronepotis.

Amicos, familiares, diſcipulos ejus ſuperfluum eſſet recenſere, cùm ex Epiſtolarum & Conſiliorum libris repeti facili negotiô poſſint. *Ex librô Renati Moræi, Doctoris Medici Pariſienſis, & Prof. Regii de Illuſtribus Medicis Pariſienſibus.*

Ex eô habentur in Mercklini Lindeniô Renovatô.

Conſiliorum Medicinalium Libri duo, à Jacobo Thevart, Auctoris Pronepote, ſcholiis nonnullis illuſtrati, digeſti, ac in lucem primum editi. Tomus primus. In quô pleraque continentur, quæ & ad Morborum cognitionem, eorundemque curationem propoſitis exemplis, & obſcurorum Hippocratis locorum intelligentiam pertinebant. Inter cætera elegantiſſimum & utiliſſimum eſt de Calculô Opuſculum. Pariſiis, apud Jacobum Queſnel, 1635. in 4.

Conſiliorum Medicinalium Liber tertius & poſtremus. Pariſiis, apud eundem, 1649. in 4.

Epidemiorum & Ephemeridum Libri duo; ſtudiô & operâ M. Jacobi Thevart, Medici Pariſienſis, digeſti, ſcholiis aliquot illuſtrati, & in lucem primùm editi. Pariſiis, apud Jacobum Queſnel, 1640. in 4.

Adverſaria Medicinalia. Pariſiis, in 4.

Definitionum Medicarum Liber. In quô non ita in verbis ipſis laboratur, ùt non potiùs rerum diſtinctiones proprietateſque exquirantur. Immò ſæpè datâ operâ relictô ipſius diſputationis filô loci Hippocratis & Galeni obſcuri explicantur, ùt commentarij adinſtar eſſe poſſit. Studiô & operâ M. Jacobi Thevart ordine alphabeticô digeſtus & in lucem primùm editus. Ibidem, 1639. in 4.

Commentarius in Libellum Theophraſti de Vertigine. Editore M. Jacobô Thevart, Doct. Medicô Pariſienſi, Pariſiis, 1640. in 4.

De Convulſionibus Libellus. In quô ſolemnis Quæſtio explicatur: cur ſauciatâ dextrâ capitis parte, convulſio ſanæ partis contingat? Eôdem Thevartiô Editore. Uterque ibidem, 1640. in 4.

De Virginum & Mulierum morbis, Liber. In quô multa ad mentem Hippocratis explicantur, quæ & ad medendum & ad cognoſcendum pertinebunt. Ejuſdem Thevartii curâ editis. Ibid. apud eundem, 1643. in 4.

Opuſcula Medica, de Arthritide: de Calculô: & urinarum Hypoſtaſi. In quibus omnibus Galeni & Veterum auctoritas contra Fernelium defenditur. Eôdem Editore, Ibidem, 1643. in 4.

Liber de Rheumatiſmô & Pleuritide dorſali. Ejuſdem operâ recognitus & in Lucem editus, Ibidem, 1642. in 4.

BALTHAZAR (*Theodorus*)

De eô exſtat

Theodori Balthaſaris Med. Doct. de Doſibus medicamentorum diatribe, quâ illæ juxta Medicinæ practicæ, pariter ac Matheſeos, principia expenduntur, Lipſiæ, apud Maur. Georg. Weidmann, 1718. 8.

BANZERUS (*Marcus*) Natus Auguſtæ Vindel. A.C. 1592. Patre Georgiô *Banzerô*, Aurifabrô & Gemmariô: creatuſque Baſileæ 1616. Doctor Medicinæ, in Collegium Medicum patrium 1619. receptus, & per plurimos annos Practici officiô ibidem functus eſt. Tandem ob Lutheranam fidem è patriâ exul, Oſſatiæ primùm, deindè Camitii in Luſatiâ ſuperiori Poliatri, & poſtremò Wittebergæ Profeſſoris Medic. ſpartam nactus, in hâc obiit A. C. 1664. ætatis ſuæ 72.

Ex eô habetur

Fabrica Receptarum, id eſt, Methodus brevis, perſpicua ac facilis. In quâ, quæ ſint Remediorum compoſitorum formæ, quæ earundem differentiæ, quæ componendi & præſcribendi ratio, quæ deniquè utilitas, atque quis utendi modus planiſſimè edocetur. Auguſtæ Vind. apud Andr. Aperberger, 1622. in 8.

BARAVALLE, (*Chriſtophorus*) è Monte Regali Pedemontanus, in patriâ Univerſitate Medicus Profeſſor.

De eô exſtant

De Peſte, Liber. In Monte Regali, apud Leonhardum Torrentinum, 1565. in 8.

De Tempore dandi Catapotia. In Monte Regali, apud Torrentinum, 1565. in 8.

BARBA (*Petrus*) Medicus Doctor, Pinciæ olim hujus artis primarius Profeſſor, inde cubicularium Sereniſſimi Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis, necnon & potentiſſimi Regis Philippi IV. Medicum egit. Exſtat ab eô opuſculum hâc inſcriptione.

Vera Praxis de curatione Tertianæ ſtabilitur, falſa impugnatur; liberantur Hiſpani Medici à calumniis &c. in 4.

Hiſpanô ſermone dedit.

Re ſunta de la materia de Peſte; Matriti 1648.

Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. Tom. II.

BARBARUS (*Hermolaus*) Venetus, Archiepiſcopus, & Patriarcha Aquilegienſis, demùm Cardinalis, Medicus non ineruditus, qui ab 18. ætatis annô ſcribere exorſus eſt. Obiit ſub Maximilianô A. C. 1493. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtant

In Dioſcoridem Corollariorum Libri quinque, Coloniæ, apud Joh. Soterem, 1530. in fol. Exſtat cum Marcelli Virgilii Commentariô in Dioſcoridem.

In C. Plinii Naturalis Hiſtoriæ Libros Caſtigationes Baſileæ, apud Joh. Valderum, 1534. in 4.

Naturalis ſcientiæ Compendium. Cui adjuncta eſt Rudolphi Goclenii Phyſiologia de Riſu & Lachrymis. Marpurgi, apud Petrum Egenolphum, 1597. in 8.

BARBATUS (*Hieronymus*) Patavinus

Ex eô habentur

Diſſertatio elegantiſſima de ſanguine & ejus ſerô: In quâ, præter varia lectu digniſſima, Conringii, Lindenii & Bartholini circa ſanguificationem opiniones, Stenoniana ſanguinis dealbatio, Williſii ſucci nervorum vis, Regii tranſitus chyli ad Lienem, Liceti nutritio Embryonis, Warthonii & Charletonis Lactis expoſitio, Harveii maſculini ſeminis retentio rejecta, Moëbii ſpirituum animalium natura, & alia Clariſſimorum Neotericorum prolata doctè & politè exponuntur. Francofurti ad Mœnum, apud Johan. David. Zunnerum, 1667. in 12. Pariſiis, apud Robertum de Ninville, 1667. in 12.

Diſſertatio Anatomica de Formatione, Organizatione, Conceptu & nutritione Fœtus in uterô. Patavii, 1676. in 4.

De Arthritide, Liber. Venetiis, 1665. in 4.

BARBERIUS (*Ludovicus Maria*) Imolenſis.

Ex eô habetur

Spiritûs Nitro-aerei Operationes in Microcoſmô, Acceſſit Diſſertatio Epiſtolica, de Pororum biliariorum ac Bilis uſu & motu. Bononiæ, 1680. in 12.

BARBETTE (*Paulus*) Amſtelædamenſis Medic. utrâque Praxi, tam Medicâ, quàm Chirurgicâ admodum clarus.

De eô exſtant in Lind. Renov.

Tractatus de Peſte: cum Notis Frederici Deckers. Lugduni-Batav. 1667. Exſtat etiam cum ejuſdem Auctoris operibus Chirurgico-Anatomicis. Lugduni Batavorum, apud Johan. à Gelder 1672. in 12.

Praxis Medica: cum Notis & obſervationibus Friderici Deckeri: necnon capitum, ut & Rerum, verborumque Indice locupletiſſimô. Lugduni Batavorum, apud Gaasbekios, 1669. in 12. Ibidem, 1678. in 12.

Opera Chirurgico-Anatomica, ad Circularem ſanguinis motum, aliaque Recentiorum Inventa, accommodata. Accedit de Peſte Tractatus, obſervationibus illuſtratus. Ibidem, apud Johan. à Gelder, 1672. in 12.

Opera omnia Medica & Chirurgica, Notis & obſervationibus, necnon pluribus Morborum Hiſtoriis & Curationibus illuſtrata & aucta. Cum Appendice Eorum, quæ in Praxi omiſſa vel conciſè nimis pertractata fuerant. Operâ & ſtudiô Johannis Jacobi Mangeti Genevæ apud Johannem Anton. Chouet, 1682. in 4.

Eadem Opera Notis & Obſervationibus, ac pluribus Morborum Hiſtoriis & Curationibus ampliùs illuſtrata &c. Ibidem apud eundem ann. 1688. 4. Eadem rurſus, ibidem ann. 1704. apud Choüet, G. DeTournes, Cramer, Perachon, Ritter, & S. DeTournes, 4.

De eô præterea ſic in Act. Lipſ. ann. 1693. pag. 511.

Pauli Barbette Chirurgia, Notis ac Obſervationibus rarioribus illuſtrata, Secundum veræ Philoſophiæ fundamenta ac Recentiorum inventa, operâ Johannis Muis, Med. Doct.

Amſtelodami apud Johannem Wolters, 1693. in 12.

QUæ Celeberrimi quondam Medici Amſtelodamenſis, *Pauli Barbette*, Opera Anatomico-Chirurgica, non minùs ac Practica, quinquenniô abhinc Clariſſ. *Joh. Jacob. Mangeti* notis illuſtrata Genevæ prodierunt, ea ſola novis hìc annotationibus exornata ſiſtit *Johannes Muis*, famâ jamdùm ex *Chirurgiæ rationalis Decadibus ſeptem & Podaliriô redivivô* editis, inque *Actorum noſtrorum ann. 4. p. 227. ann. 6. p. 396. ann. 9. p. 355. & ann. 6. p. 399.* recenſitis notiſſimus. Ut verò prætereamus, quæ ex optimis Medicinæ & Chirurgiæ ſcriptoribus ipſôque Mangetô adjecta deprehenduntur, eorum ſolùm in præſenti nonnulla, quæ propriæ Auctoris noſtri, quamprimùm obſervationum etiam Decadem octavam, cùm nonâ & decimâ ſperare jubentis, experientiæ debentur, nec in aliis ejus ſcriptis occurrunt, juvat commemorare. Scilicèt fœmina quinquagenaria, menſtrua per nares & oculos ubertim ſingulis menſibus excernens, mox à venâ in pede ſectâ notatur levata. Duo quamvis robuſti homines ex paracenteſi abdominis brevi perierint, in fœminâ tamen empyemate graviſſimô decumbente, Thoracis paracenteſin adminiſtratam fuiſſe feliciſſimè traditur. Febriculam & vomitum haud ſigna eſſe infallibilia fracturæ aut fiſſuræ cranii, nec ſemper trepani inferre neceſſitatem, exemplô tum ſexagenariæ in caput prolapſæ mox vomentis, hìnc per duas ſeptimanas febricitantis, tum adoleſcentis ab equô delapſi, & in fronte ſauciati, itidem vomentis, abſque trepanô, ſolis diſcutientibus externis & febrifugis internis ſanatorum, comprobatur. Gangrænam aliquandò à tumore oriri ſcirrhosô, arteriam magnam in cavitate abdominis comprimente, ex diſſectione docetur cadaverum; in paralyſi verò gangrænam ſubindè non tam ob ſpirituum defectum enaſci, quam ob partis paralyticæ immobilitatem, quâ tubuli à decubitu continuô aſſiduè comprimantur, aſſeritur. Mentio Judæi ſit, in corde licèt vulnerati, quotidiè tamen adhùc obambulantis, donec die ſextô ad plures abierit, inque examen anatomicum ceſſerit. Fœminæ, cui occaſione vulneris pollicis, & ſubſequentis in carpô abſceſſus, tota manus cum omnibus digitis contracta erat, balneum & linimentum emolliens profuiſſe indigitatur. Pili in porrigine capitis evulſi, & per microſcopium conſpecti, ſæpius animalcula quædam exhibere dicuntur. Unus teſticulus alterô interdum major ſubinnuitur, ratione pinguedinis ſcroti fundum copioſiùs occupantis. Nec ſilendum deniquè, *à Petrô Hadriani Filiô*, cujus obſervationes Sculteto adnexas modò luſtravimus, quarumque tertia & octava hic quoque communicatæ habentur, globulûm aſſervari plumbeum, quem ſclopeti ictu circa os coccygis in veſicam immiſſum ipſemet ex hâc eôdem modô, quô exſcindi ſolet calculus, extraxerit.

De eô adhuc exſtant

Opera Chirurgica Anat. &c. Aggiuntovi un Trattato della Peſte, con varie oſſervat. di Paulo Barbette. Tradotta d'ella Fiaminga n'ella Latina, e da queſta, n'ella Lingua volgare. In Bologna, 1692. 8.

BARBEYRAC (*Carolus*) Citariſtæ, minori Provinciæ oppidô, natus, Unus è doctioribus inſignioribuſque Europæ Medicis ſeculi XVII. fuit. Pater ejus, nobili genere ortus, quatuor reliquerat liberos, qui omnes militiæ vel litterarum diſciplinam profeſſi ſunt. Tertius ex his Carolus Barbeyrac, curſu humaniorum litterarum Philoſophiæque in Academiâ Dienſi in Delphinatu peractô, Aquas Sextias Provinciæ caput ſe contulit, ubi primùm Medicis artibus eruditus eſt, at non multò poſt Montem-peſſulanum adiit, certus ſe majores ſic facturum eſſe progreſſus; reverà hic ſedulò ſtudia ſua ità peregit, ùt menſis Aprilis die ultimâ anni 1649. Doctoris Medicinæ titulum impetraverit; primum dein, quod animô agitavit, conſilium fuit, Lutetiam petere; at fama, quam Monſpelii pauciſſimô temporis intervallô ſibi comparaverat, commodum quoque ipſi oblatum Connubium, ùt & hic commorâret, cauſa fuêre. Publicè annô 1658. diſputatum eſt, ùt duabus Profeſſoralibus conſuleretur Cathedris, obitu Jacobi Durancii, perilluſtriſque Lazari Riverii, vacuis. Carolus Barbeyrac etſi ob Religionem, quam profitebatur, ſcilicèt Proteſtantem, alterutrâ cathedrâ frui non liceret, in ſcenam tamen prodiit; atque ità, quòd unicè ambiebat, magis inclaruit: ac inter Monſpelienſes Medicos exercitatior evaſit: ejus namque fama mox per totam Galliam, & per exteras etiam regiones ita percrebruit ut undequaque de difficilioribus conſuleretur Caſibus, ac à nobilioribus Regni urbibus ſæpiſſimè advocaretur. Aurelianenſis Principiſſa eum ſibi Medicum cùm adſciſcere voluiſſet, ſuam ille libertatem commodis Aulæ præferens munus ita honorificum recuſavit. Bullionii Cardinalis eum Medici ſui ordinarii nomine, honorariôque annuô mille libellarum donavit, idque ob ea, quæ ipſi officia præſtiterat, dum in Occitaniâ degeret. Plerique Medicinæ Candidati, quorum Monſpelii ſemper frequens eſt numerus, illius alloquiô uti poſſe avidiſſimè ambiebant, & inter eos decem, duodecimve ipſum quotidiè ad ægrotos comitabantur, quibuſcum ſermones in viâ habebat, de morbô jam jam conſpectô, deque remediis à ſe præſcriptis; ac præthereà quæſtionibus innumeris de rebus Medicis magis arduis, attentô animô, ſtupendôque cum Judiciô, indefeſſus reſpondebat. Unde dicere licet, Medicos Europæ peritiſſimos, qui, dum viveret, Monſpelii ſtuduerant, verè illius diſcipulos fuiſſe. De pleriſque morbis non vulgari modô, mente tamen ſolidâ nitidâque, novi quid opinabatur. Ejus Medicinam factitandi Methodus mirâ & expeditâ ſimplicitate exornata erat, dum hanc Artem

tem à multis inanioribus extricaverat remediis, quibus ante ipſum utebantur Medici, ac quibus ſæpe ſine ullô fructu ægros ſuos excruciare ſolebant. Pauca, quæ ex iis ad uſum revocabat, ſelectiora erant ac potentiora, itaque ab eô adminiſtrata, ut nemo, inter Medicos, feliciori, imò magis ſtupendò, unquam gravisus ſit ſucceſſu. Unô verbô, rerum medicarum faciem penè omnem renovavit, & quæ in praxi Medicâ in melius, eô vivente, immutata ſunt, huic maximè debentur. Nulla reliquit ſcripta, aut obſervationes, quamvis rarioris, curioſiorisque ſpecici, non paucas vulgare potuiſſet, quia occupationibus practicis ita impeditus erat, ùt nedùm quicquam ſcribere penes eum fuerit, imò negotiis domeſticis vix operam dare potuerit. Ad rem ſuam minùs attendebat; beneficusque adeò erat, ut pauperes pariter ac divites ſine ullô delectu adiret. Vir ille celebris Lockius, qui Monſpelii ipſi ſingulari conſuetudine junctus erat, quique ex familiaribus Sydenhamii Amicis fuit, ſe nunquam duos vidiſſe homines aiebat, ita inter ſe congruentes, tum doctrinâ, tum moribus. Tandem, poſteaquàm per quinquaginta annos, abſque ullâ interruptione famam tuitus eſſet maximam, febre continuâ per 18. dies correptus, ad plures abiit, 6. Novembris anni 1699. annô ſcilicet ætatis 70. filium Medicinæ Doctorem, ſummumque ærarii Monſpelienſis Quæſtorem, duas verò filias relinquens.

BARCKHAUSEN (*Joh. Conradus*)

Ex eô habentur in Actis Lipſ. ann. 1690. *p.* 513.

Synopſis Pharmaceutica conſcripta à Joh. Conradô Barckauſen. Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Friderici Knochii, 1690. *in* 12.

QUo majori in pretiô medicamina habentur in Morbonâ oppugnandâ efficacia, tantò pluris ars Pharmaceutica æſtimanda, eadem legitimè præparandi methodum edocens, ſed cùm ambitus hujus ſit vaſtiſſimus, ideam ejus contractam Auctor noſter ſub *tribus* hìc ſiſtere annititur *ſectionibus*. Quarum *prima* Inſtrumenta operationibus pharmaceuticis inſervientia, tam animata, quàm inanimata, hæcque vel activa (itidem aut principalia aut minus principalia,) vel paſſiva indigitat. *Altera* verò ipſas operationes ritè perficiendi rationem exponit, ordine tamen non aliô, ac quem alphabeti literæ oſtendunt, ſervatô, v.G. quid ſit & quomodo peragatur τὸ acuere, calcinare, circulare, clarificare, &c. *Ultimâ* denique ſectione reſultantia inde medicamenta, ceu effectus, ſecùndum Alphabeti pariter ſeriem tradit, ita quidem, ùt nec encheiriſin, ubi opus, in eorum præparatione obſervandam reticeat, nec formulas hìnc indè neceſſarias exempli locô omittat. In ſpecie de Martiô pane agens, licèt hunc è Pharmaciâ hodiernâ exulare non diffiteatur, miratur tamen à Recentioribus nonnullis omnem, moderatum quoque, ſacchari & mellis uſum, tanquam acidi intuitu pernitioſum, è forô Medicô amandari, præſertim cùm digeſtio ventriculi, chylique diſtributio paucis abſolvantur horis, concocta verò prædicta liquore quôpiam ſoluta non niſi aliquot hebdomadum intervallô acorem contrahant, quin lis, num acidum omnibus in morbis peccet, ſub judice etiamnum verſetur.

Ibid. ann. 1698. *p.* 559.

Johannis Conradi Barckuſen Pyroſophia. Lugduni Batavorum, impenſis Corn. Boutesſtein. 1698. 4.

DIviſum eſt hoc corpus in *tres partes*, quarum prima in *Jatrochemiâ*, altera in *Metallurgiâ*, tertia in *Alchemiâ* explicandâ verſatur. Ac primùm quidem illa exponuntur, quæ ad naturam Chemiæ intelligendam requiruntur, pauloque deindè accuratiùs de *principiis Chemicis* agitur, quorum Auctor quatuor ſtatuit, duo nempe activa, *ſal & oleum*, unum neutrum, *aquam* ſcilicet, quoniam hæc in corporibus quibuſdam ſolvendis reverà agit, paſſivè autem ſe habet, cùm cæterorum partes in ſe recipit, & tandem unum paſſivum, terram. Hinc *operationes Chemicæ*, v. g. amalgamatio, circulatio, cohobatio &c. percenſentur, referunturque ſigillatim *Chemiæ producta* v. g. acetum, alcohol, clyſſus, &c. & quid ſint, exponitur. Porrò autem ipſa *remedia*, ſive ex regnô minerali, ſive vegetabili, ſive animali, depromenda, afferuntur in medium, ita ùt primum ipſa tradatur remedii præparatio, deindè vires, uſus & doſis, & tandem ſubnectatur proceſſûs ætiologia. Quibus omnibus paſſim quædam notatu non indigna adſperguntur. Ita v. g. ſal alkali, quod in vegetabilibus ignis tantum productum eſt, præexiſtere in quibuſdam mineralibus, *p.* 14. 16. hinc probare vult Auctor, quia ſi v. g. metalla aut oſſa in ſ. q. ſpiritus nitri diſſolvantur, ſolutio inſpiſſata inſtar nitri ignem concipit. *Pag.* 110. Circulatum majus & minus Paracelſi deſcribit, neutrum cum Alcaheſt convenire aſſerens. *P.* 118. menſtruum non dari univerſale contendit: *P.* 130. nihil dubitat, aurum in tenuiſſimas particulas redactum ſubigi poſſe à fermentô ventriculi. *P.*157. hiſtoriam mercurii ex plumbô renati, quæ in D. Helvetii laboratoriô contigit, refert. *P.* 194. miratur Chemicos ſcribentes, Mercurium ſublimatum arſenicô depravatum dignoſci poſſe, ſi ei olei tartari gutta una atque altera inſtilletur, atque illum eſſe bonæ indolis ſi rubeſcat, peſſimæ, ſi nigreſcat; cùm tamen omnis Mercurius corroſivus, etiam optimus, ab adſperſô illô oleô, primò flavam, poſt rubram, & ſi diutiùs aëri exponatur, quadantenùs nigram contrahat maculam. *P.* 197. cinnabarim officinarum, licèt rarò internè adhibeatur, putat iiſdem cum antimonii cinnabari viribus eſſe præditam, & tutò poſſe aſſumi. *P.*214. probat, diaphoretica antimonialia non eſſe calces inutiles, ſed ſudorifera non contemnenda. *P.*217. oſtendit, regulo antimonii martiali puriſſimam ferri ſubſtantiam admixtam eſſe, & in regulô ſtellatô, non modò in ſuperficie & foris, verùm etiam intùs ſtellam conſpicuam eſſe, ſi ſerrâ diſſecetur. *P.* 256. ſuſpicatur, tincturas ſmaragdi & ſapphiri particulis æneis à mortariô, dum contunduntur, abraſis plerumquè originem ſuam debere. *P.*265. notat Glaſerum, & Febvrium, qui ſal ſuccini cum acidô effervescere tradiderunt. *P.*269. talco exiguam olei partem adeſſe hìnc concludit, quia nitrô aſperſum cum eôdem accenditur. *P.* 290. item 358. contra illos, qui acidum omnium morborum originem eſſe putant, diſſerit. *P.* 298. methodum Tachenii præparandi tartarum vitriolatum, præfert vulgari. *P.*361. parùm tribuit medicamentis lithontripticis, putatque illos calculi accretionem promovere, qui crebrò utuntur terreis, ſalinis & oleoſis remediis. *P.* 330. monet, iis, qui morbô chronicô à viſciditate humorum ortô laborant, vel nunquam, vel rariſſimè, minimâque in doſi, opiata eſſe propinanda, *P.*339. communicat præparationem balſami apo-

mi apoplectici affinis balſamo Zellenſi.

Atque hæc prima pars maximam totius voluminis partem occupat. Breviori ſpatiô concluditur *Metallurgia*, in quâ primùm exhibentur ejus inſtrumenta, deinde verò traditur quomodò venæ metallicæ non ſolùm viſu dignoſcendæ, ſed quoque examinandæ & excoquendæ ſint. Accedit ratio ſeparandi diverſa metalla, excoquendi mineralia nonnulla, & metalla inſcrutandi. Quæ in parte tertiâ ſeu *Alchemiâ* habentur, hùc redeunt: quamvis quæ pro tranſmutatione metallorum petuntur argumenta, ex mutatione ferri in cuprum, aut mercurii coagulatione nullius ſint momenti, eandem tamen tot fultam teſtimoniis temerè negari non debere, ſed pro poſſibili habendam. Quoniam enim duo requiruntur ad tranſmutationem, ùt ſcilicet viliora metalla tingantur, & malleo obedientia reddantur; tincturam poſſibilem eſſe, vel ex confectione auri muſivi Auctor probari poſſe putat, cùmque pauca admodum grana reguli antimonii metalla friabilia reddant, vero admodum ſimile eſſe cenſet, dari quoque in rerum naturâ corpus aliquod aut arte effici poſſe, cujus exigua quantitas ductilitatem metallis conciliet. Accedunt in fine elenchi aliquot laborum Chemicorum, ab annô ſcilicet 1695. in laboratoriô Academicô Ultrajectinô hùc uſque exantlatorum.

Ibidem ann. 1704. *p.* 348.

Johannis Conradi Barckuſen acroamata in quibus complura ad Jatro-Chemiam atque Phyſicam ſpectantia, jucundâ rerum varietate explicantur. Trajecti Batavorum, impenſis Johannis Viſchii, 1703. 8.

CHemiæ cultoribus Clariſſimi Auctoris nomen ignotum eſſe non poteſt, ſiquidem is variis jam tractatibus, quantâ in hâc arte polleat peritiâ, aliosque juvandi flagret cupiditate, abundè docuit, à nobis hìnc aliquoties commendatus. Quæ ipſius induſtria Ampliſſimis Reipublicæ Trajectinæ Conſulibus, Academiæ Nutritiis, uſque adeò probabatur, ùt ex illorum auctoritate Medicinæ Doctor & Profeſſor Publicus eſſe ſex abhìnc annis juberetur. Quam ſpartam ùt ritè ornaret Noſter, in prælectionibus publicis Res Medicas pariter ac Chemicas & Phyſicas explicandas ſibi ſumſit, hosque labores in præſentia collegit Acroamata, (tanquam Pyroſophiæ ſuæ ſupplementa) non tam dicendi venuſtatem quàm rei veritatem ubiquè ſectatus. De quibus pro more noſtrô pauca.

Poſtquam igitur primum locum Orationi de Antiquitate & utilitate Chemiæ, cùm provinciam Chemiam docendi ſuſciperet, dictæ vindicaverat, in *Diſſertatione* II. *&* III. principia Chemica defendit adverſus Peripateticos & Mathematicos; in illâ quidem Eraſiſtrati atque Fontani argumenta recenſens & rejiciens, in hac Boylei tractatum de producibilitate principiorum Chemicorum & Pitcarnii in Jatro-Chemicos animadverſionem refutans. *In* IV. *&* V. *Diſſ.* Spiritûs nitro-aerei, à Mayow multis elogiis commendati, exiſtentiam & effectum in dubium vocat. *In diſſ.* VI. *&* VII. de Panaceâ agit. Cùm autem hanc, ceu medicamentum, quòd præſidinm ſit præſentaneum morbis ab internâ quâdam cauſâ ortis, dari, & Archeum ſedando operari, Raymundus Lullius, Helmontius, aliique ſtatuerint, negat Noſter hunc ſpiritum ſeu Archeum ſolitarium eſſe ſanitatis & morbi auctorem, adeòque cùm pars ſolida & organica ſæpenumerò ſit vitiata, huic, non ſpiritibus, medicinam parandam eſſe; imò cùm unicuique corporis parti ſua peculiaris ſit conſtitutio, non quod uni, id alteri etiam convenire, docet; imprimis cùm Hippocrates per Archei notionem non impetum faciens, ſed aërem intellexerit. *In Diſſ.* VIII. quaſdam Chemicorum fabulas explicat, inter quas Baſilii Valentini locum de auri depuratione ope antimonii, & aurum ac argentum volatiliſandi rationem, & aquam regis parandi modum ænigmaticè propoſitum clariùs deſcribit. Quemadmodùm & Maieri proceſſum depurandi aurum exponit, & quanquam hic rerum à ſe pictarum ſenſum ipſemet quandoquè non ſatis intellexiſſe dicatur verba tamen ejus; *Fac ex mare, & fœminâ circulum, indè quadrangulum, hinc triangulum, fac circulum, & habebis lapidem Philoſophorum*, ut intelligenda ſint, Noſter explicat. Sic & Emblema, quod talem gerit inſcriptionem, *Hic leo, quas plumas non habet, alter habet*, reſolvit. Nec tamen eſt, cur quis putet, ſolis adeptis proceſſus ſuos fabulis & ænigmatibus adumbrare, in deliciis fuiſſe: ſiquidem Jatro-Chemicos plurimos idem feciſſe, exemplô Rhenani in Crocô ſolis, & Quercetani in Mercuriô dulci, & Turpethô Minerali deſcribendô, probat Auctor. Quin imò talem etiam veteribus medicamenta ex plantis paranda obſcuris verbis adumbrantibus, inoleviſſe morem, ex Antidotô Philonis patet, cujus præparandi rationem Galenus clariùs exhibuit. Sed pergit in obſcurorum vocabulorum explicatione Noſter, & quid vel Poëtæ, vel Phyſici, vel Mythologi, vel Alchemiſtæ, per Hyles, Chaos & Materiæ primæ notiones intellexerint, *in Diſſertatione* IX. tradit. Siſtunt ſe tunc Elementa Chemica, inter quæ ſal in *Diſſert.* X. *&* XI. ſub examen vocatur, ubi, ſal alcali non productum ignis eſſe, ſed in ſimplicibus præexiſtere, probaturus Auctor, jubet Mercurio ab acidô & ſub formâ tranſparente cuivis liquori innatanti decoctum betonicæ vel alterius herbæ vulnerariæ addere, hìnc Mercurium, nonniſi à muriaticô vel alcalicô ſale præcipitabilem, ſub formâ pulveris ad fundum vaſis præcipitem delapſurum videbis; item ſpiritum nitri, cornu cervi, vel raſuræ eboris affundit, & miſturam inſpiſſat, tùm verum nitrum, i.e. de acidô & alcali participans, generari dicit. *In Diſſert.* XII. *&* XIII. ſulphur ac oleum aggreditur & veterum de utrôque ſententiam poſtquam expoſuerat, & in Sennertum, rem aliquam non ob ariditatem, nec aëris, ſed olei copiam inflammari, contra Eraſtum diſputantem commentatus fuerat, particulas oleum componentes poſſe quidem attenuari, & à terreſtrioribus ſegregari, neutiquam tamen in aliud principium transformari docet. *In Diſſert.* XIV. *&* XV. ubi de igne differit, exiſtimat *tabulam felici materia* quæ extinctô igne Veſtali à Pontifice ad novum eliciendum ignem, atteſtante Feſtô Pomponiô, terebrari ſolebat, ex olivâ vel laurô paratam fuiſſe auguratur. Deſcribit tùm ignem per rapidum olei & aëris ſibi intermixtorum ab externis varii generis cauſis factam commotionem, & inſuper, cur acervus graminis non ritè exſiccati incaleſcat, & flammam concipiat, item quomodò ignis ex colliſione chalybis & ſilicis producatur, explicat; ut taceamus quæ de fulguris, fulminis & tonitru phænomenis curioſa profert. Ad Aquam pergimus, cujus doctrinam *in Diſſert.* XVI. XVII. *&* XVIII. proponit, quam ſolitarium principium naturale haud eſſe, contra Helmontium diſputat, & potiùs in Hippocratis de aëre, aquis & locis librum commentatur

atque

atque putat, aquam alendi gaudere facultate, quoniam unaquæque corporis viventis pars, ejus aliquantâ portione gaudet. Et quoniam ut plurimùm aquæ frigidæ vis refrigerandi tribuitur, *in Diſſert.* XIX. de Refrigeratione agit, & frigus non eſſe aliquid privativum, contra Peripateticos, ejuſque eſſentiam formalem non ſemper in partium quiete conſiſtere, contra Carteſianos demonſtrat, verùm adeſſe ut plurimùm rei refrigeratæ partium coarctationem ſtatuit. Perſpectis ſic tribus Chemicorum principiis quartum nunc, Terra *in Diſſert.* XX. examinatur, quam immutabilem dicit, quôcunque etiam modô invertatur; imò tantùm abeſſe, ùt nullum præſtet in corporibus uſum, ùt potiùs terreſtre quoddam ubiquè locorum offendatur. Quæ ſequuntur *Diſſertationes* XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV. de Fermentatione & fermentis agunt, in quibus fermentationis natura enucleata, an chylificatio, ſanguificatio, & reliquæ in œconomiâ animali functiones mediante fermentatione peragantur, diſquiritur, hocque de priori affirmatur & prolixiùs probatur, de reliquis verò negatur. Quoniam autem auctori noſtro fermentum audit, quidquid exiguâ in quantitate aliam à ſe diverſam rem, ad aliquam ſui indolem tranſmutandi vim obtinet, duplex tale ſtatuitur, acidũ alterum, alterum alcalicum, illudque in febribus, lue Venereâ, variolis, morbillis peccare accuſatur, hujus verò, (quod auctificum etiam vocatur) duas dari ſpecies perhibetur, quarum altera violentô modô, morſu putà, percuſſu, ictu venenatô tàm animalium, quàm armorum, &c. altera verò inſenſibiliter magis, ùt in morbis contagioſis, peſte, dyſenteriâ malignâ &c. communicatur. *In Diſſert.* XXVI. & XXVII. de rerum Acidarum productione dum agit, inquirit ante omnia in modum, quô res corrodendi vi præditæ in apricum deducuntur, taliſque dicitur conſiſtere partìm in mutatione mixtorum in actum, partìm in deſtillatione; idque non quaſi particulæ ſalinæ tranſmutentur, ſed potiùs quatenùs acidæ particulæ à reliquis, quibus irretitæ fuerant, ſegregantur. Indè ad volatilia tranſit, *in Diſſert.* XXVIII. & XXIX. quæ parandi quinque modos injungit (1) triturationem, (2) fermentationem, (3) putrefactionem, (4) deſtillationem, & (5) ſublimationem. Fixæ verò redduntur res, (de quô *in Diſſert.* XXX.) partìm per additionem rerum craſſarum & ponderoſarum, e. g. in lapidis infernalis præparatione, item quandò alcalia cum terreſtribus combinantur, ut in vitrificatione, aut acida cum alcalibus miſcentur, ut in tartarô vitriolatô, aut ſalia urinoſa volatilia ſpiritibus acidis maritantur, ut in ſalibus fixatis; partìm per ablationem unius alteriuſve mixtum conſtituentis principij, ut in bezoardicô minerali; partìm per particularum inverſionem, quemadmodùm rerum metallicarum periti, venas aurô & argentô divites præparare ſeu fixare, i. e. invertere jubent. Præcipitatio quemadmodùm Auctori *in Diſſert.* XXXI. audit, quando in liquidô quædam particulæ ſolidæ extra poros in fundum additione alicujus rei dejiciuntur; ità ad claſſem hanc non ſpectat illa præcipitatio, quandò vel per menſtrui evaporationem aliqualem, aut per congelationem, quædam particulæ ab aliis ſeparantur. Putredo *in Diſſert.* XXXII. dicitur principiorum mixtum conſtituentium ſubverſio, ab ejuſdem humoris cum cæteris & aëris particulis jugi motione productâ, & quandoquè cum tetrô ſapore & putri odore conjunctâ. Quemadmodùm igitur vix veroſimile videtur, omnes illos morbos, qui à Medicis communiter à putredine oriri dicuntur, tales reverà eſſe: ita non negat Noſter in corpore humanô putredinem concipi poſſe, ſi humor quidam in vaſe aliquô obſtructô immotus perſtiterit, ſicque particulæ ſalino-volatiles oleoſæ potiſſimùm, motum inteſtinum ſuum intendant. *Ultima diſſertatio* de Mutabilitate Medicinæ agit, ubi in morborum, remediorum & Medicorum noſtrô ævô maximè copioſorum cauſam inquirit; tyroneſque Medicinæ admonet Auctor clariſſimus, ùt medicamentorum naturam & compoſitionem probè addiſcant, eos hâc ratione praxin non modò feliciùs exercituros, ſed & œconomiæ animalis operationes meliùs intellecturos, ſpem faciens.

Tandem appendicis locô phænomena annectit Noſter, quæ ſe in foliorum buxi, pampinorum, ligni ſancti, abietini, cornu cervi, bilis, pituitæ, ſeu muci ex ore & naribus excreti, ſalivæ, carnis bubulæ, aſelli minoris, ſanguinis ovilli, tendinis vaccini, capillorum humanorum, cartilaginis, lactis vaccini, urinæ, medullæ, axungiæ, ſevi, & ungularum equinarum deſtillatione exhibuerunt.

Ibid. ann. 1710. *pag.* 211.

Johannis Conradi Barckuſen Hiſtoria Medicinæ, in quâ, ſi non omnia, pleraque ſaltem Medicorum ratiocinia, dogmata, hypotheſes, ſectæ, &c. quæ ab exordiô Medicinæ uſque ad noſtra tempora inclaruerunt, pertractantur. Amſtelodami, apud Janſonio-Waesbergios, 1710. 8.

QUanquàm plures ſint, qui Hiſtoriam Medicinæ evolverunt; quos inter *Danielem Clericum* nominâſſe ſufficiat, neminem tamen ſibi ſuccenſurum, vel vitiô verſurum eſſe confidit Clariſſimus Barckuſen, cujus peritia Chymica & Pharmaceutica hactenùs nota ſatis & in ſcriptis aliquoties comprobata fuit, quòd idem thema tractandum ſumſerit, & quæ ipſe lectione quantâcunque profecit, cum orbe literatô communicaverit. In Dialogos verò coercuit quæcumque dicenda erant, eorumque XIX. conſtituit,) in quorum I. de origine & progreſſu Medicinæ in genere; in II. de Elementis, Naturâ & cauſis; in III. de anatomiæ uſu in Medicinâ; in IV. de Naturâ hominis, ſemine genitali, ſede animæ, & ſanitate; in V. de temperamentis, & Facultatibus naturalibus; in VI. de Morbis, ſymptomatibus, Morborum quorundam novitate; Medicamentorum inventione, & facultatibus, Magiâ, Arte gymnaſticâ, Frictione, & Balneis; in VII. de ſectâ Empiricorum; in VIII. de ſectâ Methodicorum; in IX. de Doctrinâ Hippocratis; in X. de quorundam veterum Dogmaticorum placitis; in XI. de Aſtrologiâ; in XII. de placitis Aſclepiadis, Celſi, de Pneumaticæ, Epiſyntheticæ, & Eclecticæ ſectæ decretis; in XIII. de Placitis Galeni; in XIV. de Typis, & de Græcorum, Arabum, Latinorumque, qui poſt Galeni exceſſum inclaruerunt, ut & de Chinenſium Medicorum placitis; in XV. de Doctrinâ Paracelſi; in XVI. de Severini, Crollii, Scheunemanni, & Helmontii hypotheſibus; in XVII. de ſententiâ Takenii, Sylvii, & Williſii; in XVIII. de ratiociniis theoriâ Geometrarum, vel Mechanicorum nixis; in XIX. de Andry, de Moor, & Stahlii placitis ſermonem facit: quibus ſub calcem libri orationem de Nepenthe ſubjunxit. Nos ſpeciminis locô, quæ de ultimi inter recenſitos Medicos, Stahlii nempe, opinio-

opinionibus diſſeruit Noſter, jam communicabimus: cujus mentem nùm aſſecutus fuerit hic, judicium ſit penes Lectorem.

Scilicèt in *Phyſiologicis* duo jacit Stahlius Theoriæ Medicæ fundamenta, quæ innituntur conſideratione corporis, quatenùs id mixtum & vivum eſt. In mixtione corporis conſiderat partim materiam, ſubtilem ſcilicèt terram, pinguedinem, & aquam, partim finem, qui in eô ponitur, ùt corporis conſtitutio ſit flexilis, tenax, minimèque fragilis. Vitam dicit eſſe conſervationem corporis, ejuſdemque mixtionis ab omni corruptione, cui aliàs id reſpectu materiæ obnoxium eſt, hancque conſervationem fieri abſolutè motu; quem reverâ rem incorpoream vocat, corpori adjunctam, genericè ejuſdem indolis, qualis ipſa anima eſt. In numerô actionum, quas vulgò vitales appellant, duplicis generis ponit actus vel motus, alterô ea, quæ corpori adverſaria ſunt, removeri, alterô, quæ quôquô pactô fuêre ſublata, iſtis partibus admoveri. Hujus generis eſt nutritio, illius ſecretio, & excretio. Secretionum, & excretionum negotium in materiæ movendæ proportione rectiùs, quam in ullâ organorum neceſſitate conſiſtere putat. Enumeratas actiones peragi pergit præcipuè partium ſolidarum motu, eôque duplici, quorum alter intrinſecùs ordiatur, & forinſecùs terminetur, quâquâverſùm, ſingulariter, æqualiter, & generaliter pulſu cordis, & quadantenùs reſpiratione, alter à foris introrsùm quâquâverſùm, ſingulariter, & inæqualiter motu partium tonicô perficiatur, cujus ope partes modò relaxentur, modò conſtringantur. In fluidis itidèm motum concedit, eumque progreſſivum, quem in ſanguine duplici impulſu perfici exiſtimat, alterô inteſtinô, cordis videlicèt contractione, alterô externô, diſtentione partium ſolidarum mollium, ſeu motu tonicô, præcipuè verò muſculorum. Præterea differentiam facit inter tonicum, ſpaſticum, & convulſivum motum. Illum dicit naturalem, & partibus ſolidis mollibus familiarem, lenem, ſucceſſivum, & à nemine hactenùs obſervatum; iſtum motûs tonici repentinam exacerbationem, contractoriam, ſingularem, in quibuſdam muſculis exortam; hunc verò motûs tonici completi, nempe contractorij & relaxatorij, exacerbationem in muſculis factam. In doctrinâ ſpirituum hæret Stahlius, exiſtimat potiùs, motus quoſlibet corporis vitales reverà ab animâ adminiſtrari: corpus verò propter animam rationalem ſubſiſtere, ideòque hanc re ipsâ non modò tali corpori ineſſe, verùm per iſtud agere, ſentiendô, in iſtud agere, motus producendo. Eam enim omnium, quæ in corpore fiunt, actionum rectricem eſſe putat, peragereque ſingula motu ſecundum incorporeas circumſtantias: id eſt, ſecundum gradum, tempus, loci directionem, organique electionem, imò ad corporis temperamentum ſe accommodare; quod in legitimâ ponit partium ſolidarum & fluidarum inter ſe mutuâ proportione, quâ utrarumque debitus motus, purgatio & conſervatio per ſecretiones in fluidis, & debita flexilitas in ſolidis continuatur. Qualiſcunque nunc corporis ſit conditio, animam illum typum, quem primæ ac jugiter peragendæ vitalium actionum principi, motui humorum videlicèt per meatus certæ proportionis adhibet, ſervare eidemque parere conſueſcere in tantum, ùt illum pleriſque omnibus actionibus quoque adhibeat; undè huic motuum typo reſpondere etiam motum ſeu intentionis ac proportionis omnium actionum typum. *Pathologica* quod ſpectat; quòd homines crebriùs brutis ægrotent, id Stahlius animæ tribuit, cujus perturbationes non ſolùm motus vitales alterare, ſed etiam illorum ordinem atque legitimum progreſſum & decurſum juxta novas ideas immutare poſſunt; quibus perverſos animi mores & errores in diætâ adjungit. Morbos pleroſque ſtatuit minimè reſpectu mixtionis & ſtructuræ læſæ, ſed imprimis ratione motûs oboriri. Imò motuum læſionem, inæqualitatem & perverſitatem plus pollere ad morbos quoſvis progignendos, quàm ullam humorum intemperiem. Indè verum generaliſſimumque ægritudinis ſubjectum perturbatam ait ideam ipſius œconomiæ animalis, creditque, morbum eſſe motum, ab ipsâ naturâ materiam perniтioſam expugnandi gratiâ ſuſceptum; ideòque ad conſervationem vitæ neceſſarium. Cauſarum tria genera ſtatuit; plethoram, cacochymiam, & rheumatiſmum, vel motum, non tamen excludit res nonnaturales, & violentas, ſimileſque à foris in corpus ingruentes. His addit habitudines corporis, conſuetudinem, & affectus hæreditarios. In ſpecie de inflammatione ità ſentit. Ab aliquâ ſanguinis portione, intra partium poros ſtagnante, coagulatâ nil niſi corruptionem ejus putridam eſſe expectandam. Licèt hâc præſente ſanguis coagulatus rursùs ità diſſolvatur, ùt mollior ac fluidior, quàm antehàc erat, evadat, interim tamen eundem non adeò fluidum reddi, ùt ita per ſe iterùm ex illâ ſtatione decedere non valeat. Et quamvis putredinis particeps ſanguis adeò fluidus fieret, ùt reliquis humoribus aptè commiſceri poſſit, expedit tamen id non fieri, quia partem ſinceram ſimili labe inficeret. Medici igitur eſſe, ſubvenire ſanguini ſubſiſtenti per ſolidos motus vitales, i. e. ſanguinis per partem læſam progreſſui; Id autem accidere vix poſſe, quin ſimul pars affecta magis ac magis expandatur, infletur, intumeſcat, & ob copiam intromiſſi ſanguinis rubeſcat. Colorem verò augeri, quia propter vegetiorem tonicâ directione appulſum, & rigidiorem partis iſtius diſtenſionem hæc loca tranſit, atque ad eorum fibras & ad molleculas ſanguinis coagulati ſolideſcentes allidit, impingitque; quin imò ſi modò materia ſubſiſtens non nimis denſa fuerit, ab adauctô ſanguinis motû nonnullas ipſius particulas ſimul abradi, hìnc illam mole diminui, ſin verò molleculæ adeò craſſæ cedere è locô neſciant, contingere tùm, ùt interiorem ſuæ mixtionis diſſolutionem ſenſim habeant. Quandoquidèm autem rei mixtæ partes tenuiſſimæ, & ad ſeceſſum maximè proclives, ut ſulphureæ, primùm commoventur; fieri indè, ùt illis abactis diſſipatiſve, quod reliquum eſt, veram putredinem, non in reſolutione ſimplici, ſed in novâ ſubtiliorique partium conjunctione poſitam ſuſcipiat. Fugatis tali modô ſubtilioribus, ſulphureis ut potè particulis, ruboris ſanguinis auctoribus, accidere tunc, ùt id, quod ſupereſt, album tantummodò appareat, eſſeque idem, quod puris nomine cognitum eſt. Verùm enim verò ſicubi talis motus progrediens, abſtergens, auferens non concitetur, produci tunc ſphacelum, vel ipſam putredinem. Quod febrium theoriam attinet hanc actum vocat per ſecretiones & excretiones materiæ nocivæ ad conſervationem corporis tendentem. Cauſam efficientem eſſe putat naturam vel animam conſervationi corporis organici intentam. Materiam peccantem eſſe rem aliquam corpoream aptam ad corruptionem putridam, ſi non præcipuis, ſaltem quibuſdam corporis partibus inferendam, & ex concretis ſalino-ſulphureis terreæ plus minùs ſubſtantiæ ſubtili implicatis conflatam; quæ facilè ab actu putrefaciendi & fermentandi jugiter commota extenuari & per varias ſubtiles ſecretiones ex corpore excerni poteſt. Calorem oriri exiſtimat

exiſtimat augmentô motûs vorticoſi corpuſculorum ſanguineorum circa ſuum axem, præſertim verò hujuſmodi vorticoſam motûs calidi intenſionem adſcribit rapidiori tranſitui & affrictui corpuſculorum ad ſolidas fibras meatuumque parietes; frigus verò contrariò modô ſe habere. Ad *Therapiam* denique quinque ejus ſpectant præcepta: I. Non movendum, ubi nihil eſt movendum, vel illud ineptum eſt ad motum. II. Ubi aliquid adeſt, quod moveri debet, ad motum, & quidem generaliorem impelli non debere. III. Ubi res mobilis, motus verò languidus eſt, nullum motum concitari debere. IV. Omnia tempori, menſuræ & loco convenienter ratione motûs agenda eſſe. V. Inæqualitates motuum aliundè coortas, mitigandas, refrænandas, & in ordinem, inque viam reducendas eſſe.

Ibid. ann. 1713. *pag.* 185.

Johannis Conradi Barckuſen Compendium Ratiocinii Chemici, more Geometrarum concinnatum Lugduni Batavorum, impenſis Theodori Hackii, 1712. 8.

SCopus Cl. Auctoris eſt exemplis docere, quomodo ex Chemicis experimentis propoſitiones eruantur, quibus ad reddendas rationes aliorum phœnomenorum uti poſſis. Primô igitur locô terminos quoſdam utcunquè explicat, quorum in Chemiâ eſt uſus. Hinc poſtulata nonnulla & axiomata ſubjungit. E. gr. in poſtulatorum numerô habetur, dari quatuor corporum principia, ſal, oleum, aquam & terram; dari particulas corporum mole, figurâ ac pondere inter ſe differentes; dari peculiares corporum poros; dari effluvia ſolis ſeu ignem æthereum, fluidorum particulas frigefacientes. Inter axiomata refert, quòd quilibet effectus ſuas habet cauſas quòd, quæ in ſenſus incurrunt, ſint compoſita; quòd paticularum conformatio & motus ſint actionum corporum cauſæ; quòd aër ſit cauſa variarum mutationum in corporibus; quòd corpus ſit eô gravius & ſolidius, quò anguſtiores habet poros. Tandèm ad propoſitiones numerô 52. ſtabiliendas progreditur, quas non ex præmiſſis definitionibus, poſtulatis & axiomatis demonſtrat, ſed ſingulas per experimenta ſingula comprobat. E. gr. probat, terram & aquam eſſe receptacula ſinceri ſalis & olei, quia ſal quodvis volatile, dum aëri expoſitum aufugit, aliquam terræ inſipidæ portionem relinquit: non omnem efferveſcentiam oriri à conjunctione acidi & alcali, quia cum butyrô antimonii ſpiritus nitri; cum mercuriô vel aquâ forti, vel ſpiritu nitri ſolutô & poſtmodùm cryſtalliſatô, oleum vitrioli efferveſcit: acidum cum ſolidô varie copulatum variam ſortiri figuram, quia ſpiritus nitri cum ſale alcalicô fixô conſociatus in cryſtallô-cylindraceas; cum cuprô, in hexagonas; cum argentô, in lamellas planas, tenues, in modum trianguli quôdam modô denticulatas &c. convertitur: materiam ignis culinaris eſſe oleum, quia res oleô penitus orbæ, ut ſalia ſincera, oſſa uſta, terræ, ad inflammandum ineptæ: ſpiritum alcalicum rectificatum cum ſpiritu vini ſincerô mixtum coagulari, quia ſpiritus urinæ ab affuſô alkohol craſſeſcit. Abſit autem ùt tibi perſuadeas, evidentiam geometricam in his quærendam eſſe: ultrò enim Cl. Auctor in Præfatione fatetur, *ſe non eſſe in Matheſi adeò plumbeum, ùt ſibi perſuadeat, ab ullô Chemicô poſſe rationes vel argumenta tam evidentia quàm ab aliquô Mathematicô dari.* Cæterùm ob varia experimenta Chemica, quæ in medium afferuntur, lectu non injucundus eſt libellus iis, quos rerum naturalium cognitio juvat.

Ibid. ann. 1715. *p.* 513

Johannis Conradi Barckuſen Collecta Medicinæ Practicæ Generalis. Amſtelodami, apud R. & G. Wetſtenios, 1715. 8.

CUm Medicina obſervatione rerum homini aut nocentium, aut opem ferentium, ad culmen ſummum pervenerit. Per immoderatam verò recentiorum philoſophandi, novaſque hypotheſes fabricandi cupiditatem, & quæſtum faciendi ſtudium, moram impedimentumque paſſa fuerit, quominus ampliorem adepta dignitatem, majoremve perfectionem conſecuta hactenus fuerit, è re tyronum Medicinæ futurum credidit Clariſſ. Barckuſen, ſi ea, quæ ad Praxin Medicam generalem attinent, ex variis in Medicinâ celebribus Auctoribus collegerit. Hunc igitur Tractatum in IX. diſpeſcit capita, in quorum I. de muniis Medici, & de ſignis tam diagnoſticis, quàm prognoſticis agit; in II. temperamentorum & partium læſarum notas explicat; in III. morborum differentias, tempora, criſin, metaſtaſes, & recidivas tradit; in IV. methodi medendi leges naturales ſuppeditat; in V. ſigna ex univerſi corporis habitu, motu & decubitu, ut & functionibus voluntariis deſumpta explanat; in VI. in ſigna, quæ actiones tam animales, quàm vitales & naturales ſuppeditant, inquirit; in VII. de corporis excrementis diſſerit; in VIII. quæ in corporis ſuperficie fuerint annotata, communicat; & in IX. ex partibus corporis exterioribus prædictiones format. Sub calce libri Dialogus de optimâ Medicorum ſectâ legitur, ex quô in gratiam Lectoris pauca excerpemus. In hôc ſcilicèt, poſtquam in Medicinæ originem, ejuſque in ſectas diviſionem inquiſiverat, Empiricam ſectam omnium optimam eſſe evincit, viamque demonſtrat Auctor, quâ ad eam cum ratione conjungendam pervenire liceat. Veteres ſiquidem Empirici αὐτοψίαν, hiſtoriam, & μετάβασιν magni fecerunt. Autopſiam appellabant, quod aliquis propriô motu ſæpènumero obſervavit; Hiſtoriam dixerunt eſſe rerum circa idem objectum probatarum narrationem. Metabaſin Comparationem affectûs cum aliô affectu, remedii cum remediô, loci cum aliô locô eſſe volueruut. Convenit itaquè inter Medicos, finem primarium Medicinæ eſſe mederi, quem qui aſſequi cupit, non opinari nec diſputare, ſed ſcire & experiri debet, quid natura aut facere aut tolerare queat. Nec tamen opus eſt, perfectam corporis humani cognitionem à priori antè ſibi comparâſſe, quàm Medicinam facere quis aggrediatur; cùm magna ſit differentia inter machinam ſeu automatum, atque corpus humanum, à ſummô artifice, Deô, conditum in illius cognitionem arte, in hujus verò nullô modô pervenire licet. Præſtat igitur locô hujus ſcrupuloſæ & operoſæ inveſtigationis in morborum naturam & curationem inquirere. Morborum quippe genus & differentias ex ſignis cognoſcimus, quæ in ſenſus incurrunt, quorum ope deindè dijudicamus de iis, quæ in obſcurô poſita ſunt. Obſervatione namque morborum & remediorum continuò inſtitutâ Medicina inventa eſt, & actorum obſervatio crebra peperit experientiam; quin imò eadem ſi diligenter fue-

rit continuata, ſola facit ad artis incrementum & perfectionem. Abſit tamen, ùt ratio exulet omnis, quæ potiſſimùm verſatur in juvantium & nocentium naturâ inveſtigandâ. Nec indicatio, quam quidem Empirici negligebant, ſine uſu eſt, ea præſertim, quam nobis cauſæ evidentes ſubminiſtrant. De cæterô monendum adhuc reſtat, ampliſſimum Indicem rerum memorabilium huic operi acceſſiſſe.

BARDUS (*Hieronymus*) Genuenſis

Ex eô habetur

Medicus Politico-Catholicus, ſeu Medicinæ ſacræ, tum cognoſcendæ, tum faciendæ Idea. Genuæ, apud Joh. Marium Ferronum, 1643. in 8.

BARGÆUS (*Petrus Angelius*)

De eô exſtat

Cynegeticôn, ſeu de venatione, Libri VI. cum argumentis Joſephi Boccæ. Ixeuticôn, vel de Aucupiô, Liber unus. Eclogæ venatoriæ, IV. quæ in editione Florentinâ Librum ejus carminum quintum conficiunt. Florentiæ ap. Franc. Zannettum, 1585. in 4. Omnia Latinô Carmine eruditiſſimô, & utrobiquè cum reliquis ejuſdem Auctoris Poematiis.

BARICELLUS (*Julius Cæſar à Stô Marcô*)

De eô exſtant

De Hydronoſâ Naturâ, ſive ſudore humani corporis Libri quatuor. In quibus non ſolùm de origine, differentiis, & præſagiô, verùm atque de uſu, apparatu, & curatione ſudorum diſſeritur. Neapoli, apud Lazarum Scorrigium, 1614. in 4.

Hortulus genialis, ſive arcanorum valdè admirabilium tam in Arte Medicâ, quàm reliquâ Philoſophiâ, Compendium: Curioſis Naturæ ſcrutatoribus lectu tam utile, quàm jucundum. Coloniæ, apud Matth. Smitz, in 12. Genevæ, apud Philippum Albert, 1620. in 16. Huic editioni acceſſit Arnoldi Freitagii Liber de Eſculentorum Potulentorumque Facultatibus.

De Lactis, ſeri, & Butyri facultatibus & uſu, Opuſcula cùm jucunda, tùm utilia. In quibus pleraque, præter Medicorum communium opinionem, notatu digna examinantur. Acceſſit in fine de Chymicô Butyrô non inutilis Conventus. Neapoli, ap. Lazarum Scoriggium, 1603. 1623. in 4.

BARILIUS (*Johannes*)

Ex eô habentur

Phyſiologia humana & Pathologia per Tabb. Synopticas ex Hippocratis & Galeni geniô. Pariſiis, 1653.

BARISANUS (*Franciſ. Dominic.*) Civis Albenſis, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, & Sereniſſimorum Principum Cariniani à Sabaudiâ Archiater. Obiit Taurini annis plenus, ſepultusque jacet in Templô Divi Dominici, cujus erat Cliens devotiſſimus.

De eô exſtant

Tractatus de Thermis Valderianis, prope Cuneum in Pedemontiô ſitis. Opus mole exiguum; ſed opibus dives; de quô non parum honorificè Joh. Fantonus, Medicus Regius verè eximius, in nuperrimâ ſuâ de iiſdem Thermis Diſſertatione, Genevæ, anni currente 1727. apud Michael. Bouſquet in 8. editâ.

Hippocrates Medico-Moralis ad utramque, corporum ſcilicet, & animarum, ſalutem, per geminam ejuſdem Aphoriſmorum expoſitionem, accommodatus. Auguſtæ Taurinorum, Typis Bartholom. Zappatæ, 1682. 4.

BARLANDUS (*Hubertus*) Medicus, pagô hujuſce nuncupationis in Zelandiâ natus, tempore vixit Adriani annô ſcilicèt 1530. Eum multi faciebat Eraſmus. Varios ſcripſit Tractatus, quorum unus dicitur *Velitatio Medica.* In Latinam præterea è Græcâ vertit Linguam, quædam divi Baſilij, Claudiique Galeni Opera: cunctorum etiamnùm Arabum Medicorum tranſlationem promiſerat, ſed quò promiſſis ſtare poſſet, maturè nimis obiit.

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô.

Epiſtola Medica de Aquarum deſtillatarum Facultatibus, de Adriani Ælij Barlandi mortis genere; hâcque occaſione multa obiter de fluxuum ventris, & hæmorrhoidum generibus, inter quæ enucleatur Pauli Æginetæ Caput de Hæmorrhoidibus, eruditiſſimis etiam non ſatis intellectum. Antverpiæ, apud Johannem Steelſium, 1536. in 8.

Galeni, de Remediis paratu facilibus, Librum Latinè interpretatus eſt.

Epiſtola ad Medicinæ, apud Lovanienſes, ſtudioſam Juventutem. Exſtat cum Johan. Manardi Epiſtolis Medicinalibus.

BARNERUS (*Jacobus*) Elbingenſis

De eô exſtat in Lind. Renovatô.

Exercitium Chymicum delineatum. Patavij; 1670. in 4.

Prodromus Sennerti Novi, ſeu Delineatio novi Medicinæ ſyſtematis, in quô quicquid à primis ſeculis in hunc uſque diem de Arte prodiit; Hippocratis, Galeni, Paracelſi, Helmontij, Sylvij, Williſi, &c. dogmata, ex principiis Anatomico-Chymicis examinantur. Auguſtæ Vindelicorum, apud Theophilum Gobelium, 1674. in 4.

Spiritus vini ſine Acidô, hoc eſt, in ſpiritu vini & oleis indiſtinctè non eſſe acidum, nec eâ propterea à ſpiritu urinæ reverà coagulari, Demonſtratio curioſa; cum Modô conficiendi ſalia volatilia oleoſa, eorumque uſu. Lipſiæ, apud Johannem Fritſchium, 1675. in 8.

Diſſertatio Epiſtolica, ſeu, Prodromus Vindiciarum Experimentorum ac Dogmatum ſuorum, quæ David Von der Becke in Epiſtolâ de volatiliſatione ſalis tartari, ac Nuperô Tractatu de Experimentis ac Meditationibus circa Principia naturalia pro ſuis venditavit: agiturque de Genuinô alcaliſata volatiliſandi Modô, Auguſtæ Vindelicorum, apud Gottlieb Gebelium, 1667. in 8.

Obſervatio, de Antipathiæ exemplis notatu dignis. Exſtat Ephemer. Acad. Nat.Curioſ. Germ. an. VI. & VII. nu. 199.

De eôdem præterea ſic in Actis Lipſienſibus. an. 1689. p. 374.

Chymia Philoſophica, cum doctrinâ ſalium medicamentis ſine igne culinari parabilibus. & exercitiô Chymiæ, auctore Jacobô Barnerô Phil. & Med. D. Noribergæ, ſumptibus Andr. Ottonis, 1689. in 8.

INclytum Jacobi *Barneri* nomen dudùm jam litterato orbi innotuit. Poſtquàm ille Lipſiam reliquit, Elbingam in Boruſſiam ſeceſſit; atque ibi ante aliquot annos rebus humanis exemptus eſt. Spes adeò omnis videbatur erepta, ab ingeniô

niô ejus, quô gaudebat, alacri, quoſdam adhuc fructus percipiendi. At fermè præter omnem expectationem, nunc in lucem prodit ejus Chymia Philoſophica, quæ tamen num ab ipsô Auctore ultimam experta fuerit limam, noſtrum non eſt determinare. Enimverò cùm in hôc ſtudiô pluri- mæ difficultates ejus ſectatores circumſtent, imprimis eò incubuit Auctor, ùt operationum maximè cauſas traderet. In parte primâ generaliora exponit. Chymiam artem dicit, quæ corpora ope ignis, & ex iis purum ab impurô ſeparet, extrema conjungat, & hinc medicamenta efficiat. Itaquè finem ejus primarium phyſicum eſſe perhibet, ſcilicèt ſeparare partes mixtorum, ùt ex quibus illa conſtent, & in quæ redigantur, demonſtrari poſſit: ſecundarium verò Medicum. Chymiam autem unicam agnoſcit, quæ circa objecta tantùm diverſa occupetur. Principia ejus conſtituit alia eſſendi, alia cognoſcendi. Principia eſſendi porrò vel naturalia appellat, vel artificialia. In naturalium numerum ſal, ſulphur, & mercurium, verùm ut principiata philoſophica, reponit, & (*cap.* 2.) uberiùs explicat. Verùm artificialia conſiſtere ait, in horum applicatione, adeòque à doctrinâ ſalium imprimis petitâ (3) ponit axiomata, quæ Chymicum ubivis attendere oporteat. Ad principia cognoſcendi terminos technicos, tum lapidem Philoſophorum, tum res nativas, operationes Chymicas, earumque effectus denominantes refert. His addit inſtrumenta, cùm primaria, aerem, ignem, aquam, terram, & menſtrua; tùm ſecundaria, furnos, vitra, luta &c. Pars II. operationes Chymicas per diverſa capita tractat. Chymiam enim vel diacriſin intendere, nimirùm in purificatione, digeſtione fermentatione, ſublimatione &c. vel ſyncriſin involvere, utpotè in cineratione, cryſtalliſatione, præcipitatione, & quæ his affines ſunt. Dum verò ſingulas contemplatur, ea quæ operationi cuivis conveniunt, ſubjecta, cauſas, modos & encheireſes detegit. Quæ parte III. effectuum chymicorum adornatur conſideratio, id imprimis agit, ùt circa aquas, ſpiritus, &c. diverſitas, encheireſis, ætiologia, variæque compoſitiones innoteſcant. Specimen igitur ſectione II. traditurus, concretorum naturalium analyſin, præparatorumque atque proceſſuum Chymicorum examen ſecundum regulas ex antecedentium cognitione deſumtas, inſtituere docet. In doctrinâ ſalium, quæ huic annectitur, ea vel ut alcalia, vel ut acida, vel ut enixa conſiderat: duo priora vel volatilia dicit, vel fixa, vel mediæ conſiſtentiæ; ultima verò pariter vel volatilia, vel fixa, vel fixo-volatilia. Differentias has ſequuntur propoſitiones nempe qualia ſe illa vel in mutuâ mixtione, vel ſingillatim exerant, expli cantes. Agmen deniquè claudunt quidam medicamenta ſine igne culinari conficiendi proceſſus, atque brevis manuductio, quomodò ſecundum operationes & effectus diverſos medicamina præſertim ſelectiora obtineri poſſint demonſtrans, quam exercitium Chymiæ vocat.

BAROCCIUS (*Alphonſus*) Ferrarienſis

Ex eô habentur

Lectionum de Febribus Liber primus, qui eſt de Febre generatìm. Nunc primùm operâ Johannis Libioli, *Ferrarienſis*, exceptus, ac editus. Ferrariæ, apud Victorium Baldinum, 1606. in fol.

In primam Magni Hippocratis Aphoriſmorum ſectionem dilucidiſſimæ Lectiones, eôdem prorsùs ordine habitæ, quæ Puncta à Laureandis in Doctorum conſeſſu paſſim explicari ſolent. Ferrariæ, apud Bened. Mammarellum, 1593. in 4.

BARONIUS, (*Theodorus*) Cremonenſis

De eô exſtat

De Operationis Mejendi triplici læſione, & curatione, Libri duo. In quibus Morbi omnes Renum & Veſicæ, quoad eorum cognitionem, prognoſticum, & curationem, ex Galeni præſertìm mente cumulatè pertractantur, & Quæſtiones multæ ab antiquis recentioribuſque Medicis partìm omiſſæ, partìm perperàm ſolutæ, proponuntur, & enodantur. Papiæ, ap. Andr. Vianum, 1609. in 4.

BARONIUS (*Vincentius*) Meldunenſis

Ex eô habetur

De Pleuripneumoniâ annô D. 1623. & aliis temporibus Flaminiam, aliaſque regiones populariter infeſtante, ac à nemine hactenùs obſervatâ, Libri duo. Forolivij, ap. Johan. Cimattium, 1636. 1638. in 4.

BARREDA (*Gundiſalvus*) Medicus, ut videtur, ſcripſit

De Vini facultatibus reſponſiones ad Antonium Fumanellum Veronenſem: quarum meminit inter Fumanelli opera Joannes Antonius Van der Linden de *ſcriptis Medicis.* Nicol. Anton. Biblioth. Hiſp. Tom. I.

BARRELIERUS (*Jacobus*)

De eô exſtat in Actis Lipſienſibus anni 1715. pag. 239.

Plantæ per Galliam, Hiſpaniam & Italiam obſervatæ, & Iconibus æneis exhibitæ à R. P. Jacobô Barrelierô, opus poſthumum, editum curâ & ſtudiô Antonii de Juſſieu.

Pariſiis, apud Stephanum Ganeau, 1714. fol.

INter illos Auctores, qui propriæ non adeò inhiant famæ, quàm quidem ad bonum publicum promovendum nati videntur & educati, meritò laudandus eſt Clariſſ. Antonius de Juſſieu, Illuſtris Tournefortii in Hortô Regiô Pariſienſi ſucceſſor meritiſſimus. Hic enim Rev. Patris Jacobi Barrelieri Plantarum per Galliam, Hiſpaniam, & Italiam obſervatorum Icones, ante quadraginta & quod excurrit annos æri accuratè inciſas, Pariſiis in Bibliothecâ Patrum Dominicanorum Cœnobii S. Honorati tamdiù latentes, ab ærugine non tantùm vendicavit, ſed & haud abſque tædiosô labore, additis ſynonymis & obſervationibus, in Rei Herbariæ amatorum uſum publici juris fecit.

Præmittitur autem Operi huic Rev. P. Jacobi Barrelieri vita, ex quâ ſequentia delibabimus. Natus ſcilicèt eſt, Pariſiis 1606. ex nobili genere. Adoleſcens primò linguis Latinâ & Græcâ excelluit. Dehinc Philoſophiæ ſtudiis imbutus, Medicinæ ſe ultrò addixit, in quâ Licentiatûs gradum adeptus Doctoralem lauream renuit & regularem vitam ſeculari prætulit. Hinc ſe Dominicanorum addixit Ordini 1635. Et quamvis Theologiæ tunc imprimis incumberet, horas tamen ſubciſivas Herbarum ſcientiæ, quâ ſemper flagraverat, impendit. Ob ſummum ingenii acumen & ſolertiam annô 1646. Rev. P. Thomas Tureo, ordinis F. F. Prædicatorum præpoſitus, Barrelierum noſtrum Aſſiſtentis Gallici munere ornavit; cum quô poſteà Occitaniam, Aquitaniam, & varias Galliæ Provincias, exindè & Hiſpaniam peragrans, ampliſſimam Botanica-

tanicarum obſervationum congeſſit ſupellectilem, quâ in re à variis Botanophilis adjutus eſt. Valentiæ & Caſtellæ deſerta emenſus, ignotas vel malè deſcriptas Plantas propriâ manu delineavit. Ex Hiſpaniis Italiam adiit, viginti tres annos Romæ potiſſimùm commoratus, ubi præter Theologicos magni momenti labores, ſtudio quoque Plantarum incubuit, rariſſimas ex Appenninis, & Æquicolarum Montibus, necnon Portûs Oſtienſis viciniâ, aliiſque Italiæ locis, variaque inſecta marina, & Conchilia congeſſit & depinxit. Tot laboribus ad Hiſtoriam Generalem Plantarum adornandam ſuſceptis, ſcopus erat opus evulgare ſub titulô *Hortus Mundi* vel *Orbis Botanicus*. Hunc in finem exactiſſimè delineatas à ſe Plantas in æs incidi curabat; floris & fructûs anatome & proportionibus in figuris ad Fabij Columnæ normam diligenter obſervatis. Ac dùm operi tanto ipſe inſudabat, ſimul eruditorum ex variis regionibus Botanophilorum, quibuſcum per literas conſuetudinem alebat, conſiliis inventiſque utebatur. Sed annô 1672. Lutetiam redux, in Cœnobiô Dominicanorum S. Honorati, dum opus inchoatum perficere nitebatur, aſthmate ex itinere contractô, annô ſubſequente oppreſſus eſt. Deſcriptiones itinerum cum Obſervationibus Phyſicis, ad Plantas, Fungos, Conchilia & Inſecta Marina ſpectantibus,& Topographiâ Botanicâ Univerſali, paucis exceptis ſchedis de Plantis, cum ipsô perierunt Auctore, quemadmodùm & Epiſtolæ doctorum virorum ad Barrelierum datæ. Barrelieri ejuſque Jconum mentionem fecerunt Rob. Moriſſonus in Hort. Reg. Blæſenſi; Paul. Boccone; qui in Muſeô ſuô plurimas figuras Barreliero, omiſsô licèt ſæpiùs nomine, debet; &, Plumerius, qui Americanam plantam, novi generis, Barrelieri nomine nuncupavit.

In Præfatione Clariſſimus Juſſieu cauſas notat, quæ ipſum ad editionem hujus operis impulerunt, nimirùm delineatarum ſtirpium raritas, & nè Botanophili has plantas pro novis haberent publicarentque. Deìn laboris ſui reddit rationem, dum *Barrelierianum* opus ad Tournefortij normam reſtituit. Inſtitutionum Rei Herbariæ ordinem ſecutus & methodum, congeneres plantas congeneribus adjunxit, ſpecies ad genera, genera ad claſſes ſuas revocavit; delineatis duntaxàt à Barrelierô,necdum deſcriptis ſynonyma, deſcriptioneſque addidit & jam datas deſcriptiones, ſolâ locorum ex utrôque Bauhinô & Rajô indicatione, exhibuit, ac tandèm quas ab Auctoribus mutuatus eſt *Barrelierus* recenſuit, quidque Boccone in Muſeô ſuô ſibi arrogaverit, quod tamen *Barreliero* debetur, indicavit.

Tandèm utilitatem Operis prædicat, quæ duplex eſt: 1. Plantarum Hiſpanicarum & Italicarum à Tournefortiô in Iſt. R. H. ſaltem deſignatarum ex *Barrelierô*, reperiri Icones, florum, fructuum & ſeminum effigiebus, ſeorſim ad naturalem dimenſionem Fabij Columnæ more expreſſis. 2. quòd Raij & Tournefortij Operibus illuſtrandis, quippe quibus figuræ ſpecierum deſunt, inſervire poſſit. Adeò ùt in hac Auctorum triade accuratiſſima Hiſtoriæ generalis adſint primordia.

Quod ad opus ipſum attinet, in eô recenſentur 1703. Plantæ rariores partìm novæ & ab ipsô primùm *Barrelierô* detectæ & delineatæ,partìm verò ab aliis jam Auctoribus, ut C. Bauhinô, J. Bauhinô, Columnâ, Cluſiô, Camerariô, Lobeliô, Hortô Eyſtetenſi, Dalechampiô, Imperatô, Thaliô, Ponâ, Cornutô, Hernandez & Piſone jam memoratæ, ex quibus & Jcones deſumtæ, quarum nonnullas Equiti Romano Corvino acceptas fert, quamvis minùs accuratas.

Has clariſſimus Juſſieu in ordinem redegit, ſynonyma & curtas deſcriptiones cum ſuis obſervationibus addidit, & indices neceſſarios ſubjunxit. Icones ſequuntur ſtirpium ipſæ, quarum plerumquè quatuor in unô foliô, ſingulæ propriis lineis quadratis incluſæ, raro plures.

In calce annectitur Inſectorum quorundam marinorum mollium, cruſtaceorum & teſtaceorum cum figuris ſpecimen ut diligentia Barrelieri, etiam circa hoc ſtudium appareat.

BARROW (*Iſaacus*)

De eô exſtant

Lectiones Opticorum Phænomenorum. Londini. 1669. in 4.

BARTHIUS (*Michael*)

Ex eô habentur

Epiſtolæ binæ Medicæ, ad Chriſtoph. Pithopæum. Exſtant eô in Opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francofurti, apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. *pag.* 114. 117.

BARTHOLUS (*Georgius Theodorus*) M. D. & Profeſſori Celeberrius Gieſſeni.

Ex eô habentur

Opera Medica Tripartita. Quorum *pars prima* Theoretica, Anatomico-Phyſiologicam corporis Humani Deſcriptionem exhibet, vires medicamentorum, nec non hiſtoricam illorum notitiam, Præparationem & Præſcriptionem. *Pars ſecunda* Practica, Praxin Clinicam generalem & exemplarem. *Pars Tertia* Chirurgica, Morborum externorum Hiſtoriam & Curationem, obſervationes prætereà, & Curationes Chirurgicas complectitur & tradit. 4. Francofurti ad Mœnum. 1717. Johan. Maximil. à Sande.

Index Librorum qui in iis continentur.

Pars Prima continet.

Liber I. Anatomico-Phyſiologicam corporis humani deſcriptionem.
II. Collegium de Medicamentorum proprietatibus.
III. Hiſtoriam materiæ Medicæ ſelectæ.
IV. Introductionem ad Chimiam Medicam.
V. Collegium de formulis præſcribendis.

Pars Secunda continet.

Liber I. Praxin Clinicam generalem naturam morborum, curationem, & cautelas practicas exhibentem.
II. Praxin Clinicam exemplarem caſus ſiſtentem, illorumque reſolutionem.

Pars Tertia continet.

Liber I. Praxin Clinicam Chirurgicam generalem hiſtoriam morborum externorum, Curationem & cautelas exhibentem.
II. Obſervationum & Curationum Chirurgicarum decades quinque.

BARTHOLINUS (*Albertus*)

De eô exſtat

De ſcriptis Danorum Liber Poſthumus, auctior editus à Fratre Thomâ Bartholinô. Hafniæ, apud Petrum Haubold. 1666. in 8.

BARTHOLINUS (*Caſparus*) Natus Malmogiæ Scanorum A. C. 1585. Patre Bartholô Bartholinô, verbi divini Malmogiæ Miniſtrô. Wittebergæ, A. C. 1605. Philoſophiæ Magiſter, & poſt longas per totam penè Europam factas peregrinationes tandem Baſileæ A. C. 1611. Medi-

Medicinæ Doctor creatus: poſteà Hafniæ Linguæ Latinæ: & exactô ſeſqui annô A. C. 1613, ibidem Medicinæ, poſtremòque A. C. 1624. Theologiæ etiam Profeſſor conſtitutus eſt. Cùm A. C. 1629. Regiam Soranam adire vellet, morbô in itinere correptus, eôdem obiit Soræ, A. C. 1620. ætatis ſuæ 45.

De eô exſtant

Problematum Philoſophicorum & Medicorum nobiliorum & rariorum, Miſcellaneæ Exercitationes ad diſputandum in illuſtri Albiacâ propoſitæ. Albiæ, apud Berchtoldum Raaben, 1611. in 4.

Opuſcula quatuor ſingularia; De unicornu, ejuſque affinibus, & ſuccedaneis. II. De Lapide Nephriticô, & Amuletis præcipuis. III. De Pygmæis. IV. De ſtudiô Medicô inchoandô, continuandô, & abſolvendô. Hafniæ apud Georg. Hantſchium, 1628. in 8. Ibidem 1663. in 8.

Anatomicæ Inſtitutiones, corporis humani utriuſque ſexûs Hiſtoriam & declarationem exhibentes, cum plurimis novis Obſervationibus & Opinionibus, nec non illuſtriorum, quæ in Anthropologiâ occurrunt, Controverſiarum Deciſionibus. Albiæ, apud Bertholdum Raaben 1611. in 8. Argentorati, apud Conradum Scher, 1626. in 12. Roſtochii, 1626. in 12. Goſlariæ, apud Joh. Hallervordium. 1632. in 8. Et adhùc pluries à Thom. Bartholinô Filiô locupletatæ, & diverſis annis locíſque editæ ſub titulô Anatomiæ Reformatæ. Vide Thom. Bartholini Anatom.

Controverſiæ Anatomicæ, & affines nobiliores ac rariores. Goſlariæ, apud Johan. Hallervordium, 1631. in 8.

Syntagma Medicum & Chirurgicum de Cauteriis, præſertìm poteſtate agentibus, ſeu Ruptoriis. Hafniæ, apud Salomonem Sartorium, 1642. in 4.

Enchiridion Phyſicum ex priſcis & Recentioribus Philoſophis accuratè concinnatum, & controverſiis naturalibus potiſſimis, utiliſſimiſque illuſtratum. Argentinæ, apud Eberhardum Zetznerum 1625. in 12.

Syſtema Phyſicum. Hafniæ, 1628. in 8.

BARTHOLINUS (*Caſparus Thomæ Filius*)

Ex eô habentur

Thomæ Bartholini, Patris, Antiquitatum Veteris Puerperij Synopſin Commentariô, & Figuris illuſtravit. Amſtelodami, apud Henricum Wetſtenium, 1676. in 12.

De Inauribus Veterum, Syntagma. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem.

De Ovariis Mulierum, & Generationis Hiſtoriâ, Epiſtola Anatomica. Romæ apud Benedictum Carraram, 1677. in 8. Amſtelodami, apud J. Henricum Wetſtenium, 1678. in 12. Cui editioni acceſſit altera Epiſtola ejuſdem argumenti. Norimbergæ, apud Johan. Zieglerum, 1679. in 8.

Epiſtola ad Oligerum Jacobæum, de Nervorum uſu in Muſculorum Motu. Exſtat cum ejuſdem Jacobæi Obſervationibus de Ranis. Pariſiis, 1676. in 8.

Diaphragmatis ſtructura nova. Acceſſit modus novus, præparandi viſcera per Injectiones Liquidorum, cum Inſtrumenti novi deſcriptione. Pariſiis, 1676. in 8.

Thom. Bartholini, Patris, Diſſertationem de Cygni Anatome, ejuſque Cantu, Notulis quibuſdam auctiorem edidit, ex ſchedis paternis. Hafniæ, apud Danielem Pauli, 1668. in 8.

De Tibiis veterum, & earum antiquô uſu, Libri tres. Cum Figuris. Amſtelodami, apud Henric. Wetſtenium, 1679. in 12.

Adminiſtrationum Anatomicarum ſpecimen. Exſtat cum Michaelis Lyſeri Cultr. Anatomic. Editione tertiâ. Francofurti, ex officinâ Haffnienſi, apud Petrum Hauboldum, 1679. in 8.

Exercitationes Miſcellaneæ varij argumenti, imprimis Anatomici, quarum I. eſt, de Variolis Puerorum, &, an Fœtus ſanguine maternô nutriatur? II. Baſiliſcum ex ovô Galli non excludi, & de morbô imprægnationis ovi. III. De uſtione Bregmatis. IV. Unde odor violaceus in Caudâ Vulpinâ? V. De Braſſicæ uſu apud Puerperas. VI. De Fumariâ Herbâ. VII. De Liquoris ſtyptici internô uſu, cum experimentis Fr. Redi circa uſum externum. VIII. An Cor præter motum aliud ad ſanguificationem ferat? IX. An fundus uteri, Ventriculi, &c. rectè Anatomicis ità dicatur? Lugduni Batavorum, 1675. in 8.

Thomæ Bartholini, Patris, Schedion de Armillis Veterum ſecundum edidit, Figuris æneis illuſtravit, & reſponſione Olai Wormij, de Aureô Cornu Danicô ad Licetum, auxit. Amſtelodami, ap. Henri. Wetſtenium, 1676. in 12.

Thomæ Bartholini, Patris, Obſervationes novas de Unicornu: Cum Aureô Cornu Olai Wormij, ſecundâ editione auctiores & emendatiores in publicum emiſit. Amſtelodami, 1677. in 12.

Michaelis Lyſeri Cultrum Anatomicum, cum Obſervationibus Variorum, & Præfatione Thomæ Bartholini, Patris, tertiùm edidit, & ſuô prætereà ſpecimine Adminiſtrationum Anatomicarum auxit. Francofurti, ex officinâ Haffnienſi, apud Petrum Hauboldum, 1679. in 8.

Obſervatio, ex Anatome Leporis. Exſtat Act. Hafnienſ. Volum. I. *n.* 136.
De Inediâ Puellæ. Ibid. Volum. eôd. n. 139.
Ex Anatome Pavonis, Ibid. Volum. 2. *n.* 114.
De Aquâ Stypticâ. Ibid. Volum. III. *n.* 2.
De Globulis in ſanguine Microſcopiis detectis. Ibid. Volum. eôd. n. 3.
De Caudæ Vulpinæ odore violaceô, & Urſi ſuctione Ibid. Volum. eôd. n. 21.
Obſervatio de Guttâ Serenâ: & fruſtulis Oeſophagi. Ib. Volum. eôd. n. 30.
De Veſiculâ fellis in equô. Ibid. Volum. eôd. n. 31.
De Chirurgiâ transfuſoriâ. Ibid. Volum. eôd. n. 53.
Ex Anatome Bartholini Indicâ. Ibid. Volum. eôd. n. 54.
Ex Anatome Verminoſi. Ibid. Volum. eôd. num. 55.
De Diaphragmatis ſtructurâ. Ibid. Volum. IV. *n.* 3.
De Inſtrumentô novô, quô liquores injiciuntur in præparatione viſcerum. Ibid. Volum. eôd. n. 4.
Ex Anatome Plantarum. Ibid. Volum. eôd. n. 19.
De Glandulis Uteri. Ibid. volum. eôd. N. 20.
De Ovariis mulierum. Ibid. volum. V. *n.* 13. *&* 14.
De verô Olfactûs Organô. Ibid. Volum. V. *nu.* 16.
De Methodô demonſtrationum Anatomicarum: & præparationibus quibuſdam ſelectioribus. Ibid. Volum. eôd. n. 32.

De

De eôdem præterea ſic in Actis Lipſienſibus annô 1685. p. 30.

Caſpari Bartholini Thom. Fil. De Ductu Salivali hactenùs non deſcriptô Obſervatio Anatomica. Hafniæ ap. Chriſtianum Hauboldt & Johan. Liebe 1684. *in* 4.

IN Daniam migraſſe Africam, & laudem fertilitatis novarum rerum huic ceſſiſſe, prædicabat jam olim Thomas Bartholinus præſentis Caſpari genitor, de ſuâ lactearum Thoracicarum vaſorumque lymphaticorum inventione patriæ gratulatus, in tractatu de vaſis lymphaticis conſcriptô. Confirmat Parentis hoc effatum Filius, dum novum Daniæ anatomicum partum, obſtetricante manu ſuâ editum, obſervatione hâc ſpectandum ſiſtit. Eſt autem ille partus ductûs ſalivalis gemellus, ab hactenùs notis Warthonianis ac Stenonianis, tam ratione principij, quàm termini diſtinctiſſimus. Etenim quoad principium, trahunt ii originem ex glandulis ſublingualibus Stenonij; quoad terminum, non circa marginem linguæ pluribus anguſtis vaſculis, proùt alios docuit Steno, ſed potiùs in eaſdem papillulas ſub linguâ ſitas cum Warthonianis aperiuntur in capite vitulinô. Quod tempus concernit, quô primâ vice ipſi innotuerunt nova hæc vaſa ſalivalia, nominat diem 13. Martij anni 82. currentis ſeculi, ubi nimirùm inquiſiturus in Warthonianos ductus ſalivales vitulini capitis, cùm illorum felicioris præparationis causâ, per oſtiolum in papillulâ ſublinguali conſpicuum, ſtylum immittere vellet, errore non injucundô illum penetrâſſe in novum hunc ductum refert. Ejus rei teſtes vocat celeberrimos, Olaum nempè Borrichium & Oligerum Jacobæum, quos ſpectatores judiceſque hujus inventi fecit. Poſt illud tempus curioſè etiam in aliis animalibus indagati & reperti ſunt iidem ductus, in ove nimirùm, urſô, lynce, tandemque leænâ, & quoniam elegantiſſimos in ultimò nominatâ beſtiâ illos vidit, æri inciſos obſervationi huic attexuit. An ab aliô antehàc præſentes ductus ſalivales fuerint deſcripti, ignorare ſe dicit Auctor, Warthoni tamen verba, capitis XXI. Adenographiæ, eos non innuere, nec è veterum monumentis quicquam pro ipſis faciens adduci poſſe probat, adeòque ſibi ſoli inventionis laudem vendicat.

Ibidem ann. 1702. *pag.* 57.

Caſpari Bartholini, Thomæ F. ſpecimen Hiſtoriæ Anatomicæ Partium corporis Humani, ad Recentiorum mentem accommodatæ, noviſque obſervationibus illuſtratæ.

Hafniæ, typis viduæ Joh. Phil. Bochenhoffer, ann. 1701. *in* 4.

DIu eſt, quôd *Auctor Nobiliſſimus*, paternâ & avitâ gloriâ excitatus, de Reipublicâ litterariâ non minus universâ, quam de Anatomicâ imprimis promereri cœpit optimè. Quem enim fugiunt *Opuſcula patris, Thomæ Bartholini* diverſa, verbi gratiâ, *de Puerperiô veteri, de cygni Anatome, ejuſque cantu, de Armillis veterum, de unicornu*, notis à Noſtrô illuſtrata? Quemque latent *Exercitationes Miſcellaneæ varii argumenti, de veterum* nunc *Inauribus*, nunc *Tibiis, horumque uſu antiquô* meditationes, *Phyſices* Epitome, *obſervationes* denique *Anatomicæ in Diaphragmatis ſtructurâ novâ, novoque viſcera per injectiones liquorum præparandi modô, Nervorum in motu muſculorum uſu, ovariis mulierum, Adminiſtrationum Anatomicarum methodô, novô ductu ſalivali* (in Actis ann. 1685. p. 30. commemoratô) aliæque *in Actis Hafnienſibus* diverſis temporibus ab eôdem cum publicô communicatæ? Neque adhuc feriatur, dum in *ſpecimine* præſenti non ſolum Anatomicas obſervationes proprias cum Parentis ſui aliorumque inventis combinatas, ſed & in *Analectis* adjectis nonnullas earum fuſiùs explanatas ſiſtit. In ſpecimine videlicèt veram partium corporis humani ſtructuram, ipsâ experientiâ prælucente, conciſè declaraturus, poſtquam Anatomiæ, cùm in Medicinâ & Chirurgiâ, tùm in Phyſicâ neceſſitatem; atque methodum œconomiæ animali convenientem, necnon inſignem Zootomiæ ad cogitationem corporis humani utilitatem, demonſtravit, ante omnia corporis integumenta ſitumque viſcerum in thorace & abdomine naturalem ita ſcrutatur, ut membranam adipoſam, carnoſam, & communem muſculorum pro involucris univerſalibus reputatas ab aliis, unicè tendinum à diverſis muſculis prodeuntium, membranoſas expanſiones pronunciet, atque meſenterium, meſaræum, ligamentum ſuſpenſorium hepatis, alas veſpertilionum uteri, duplicaturas, & proceſſus peritonæi, varia tantummodò nomina peritonæi æquè, ac mediaſtinum & cordis pericardium pleuræ, eſſe aſſerat. Hinc partium, quibus individuum conſervatur, demonſtrandarum gratiâ, viam alimentorum & chyli, viam ſanguinis ac reſpirationis, variâ demùm in viâ ſanguinis occurrentia cribra ſive glandulas cum ſuis vaſis excretoriis, ideò perſequitur, quòd individui conſervationem partìm novæ in dies ſanguini ab alimentis & à fluidô illô, in quô vivit, animal, ſive aereô, ſive aquoſô, ſubminiſtrandæ particulæ, partìm aliæ ab eôdem iterum in diverſis partibus, vel utiles, vel excrementitiæ ſeparandæ, potiſſimùm videantur abſolvere. In alimentorum viâ ſeu canali, incipiente ab ore, ubi alimenta primam alterationem à dentibus conterentibus, à ſalivâ humectante, & à linguâ ac pharynge in œſophagum detrudentibus patiuntur, fontes ſalivales alios remotos, glandulas oculorum & narium, alios proximos, glandulas parotides, maxillares inferiores, & ſublinguales, aliaſque in buccarum regione, palatô & ſublinguâ ſitas, imò & tonſillas aperit. In progreſſu autem canalis alimentorum, quandò œſophagus, ventriculus & inteſtina ſingula è tribus tunicis contexta, occurrunt, vaſa meſaraica arcuatis ductibus, iiſque arcubus triplicatis & quadruplicatis ſupra ſe invicem multiplicatis ad inteſtina ferri annotat. Per viam chyli omnia illa vaſa intelligens, quæ chylo ab inteſtinis in ſanguinem vehendo deſtinata inter inteſtina tenuia & venam axillarem vel jugularem ſiniſtram ſunt intercepta, in homine receptaculum lumbare ductûs tantum Thoracici partem inferiorem nonnihil dilatatam eſſe, in brutis verò idem receptaculum veluti capaciorem veſiculam, non raro ab arteriis lumbaribus, per medium tranſeuntibus, quaſi perforari obſervat. Viæ ſanguinis titulô motûs hujus circulatorij organa, cor, arterias atque venas indigitans, ſanguiniſque circulationis in fœtu diverſitatem explicans, in corde ſanguinem non magis, quàm in totô receptaculô ſanguineô elaborari adſtruit, in quô humores illi heterogenei, qui ſub eâdem maſſâ circulantur, ſenſim formam ſanguinis acquirant. In reſpiratione tamen, quâ pulmonum congeries veſiculoſa, per rete

rete non minùs mirabile, quàm per membranam exteriorem collecta, unà cum thorace dilatatô & conſtrictô movetur, aërque hauritur & redditur, ſanguinis non modò curſum adjuvari, ſed & excrementum à ſanguine in Pulmonibus ſecretum excludi. Sed antequam de glandulis, tum conglobatis, tum conglomeratis, ſpeciatim de Pancreate, Hepate, Liene, Renibus & Capſulis atrabilariis agat, quò diverſa humorum à vaſis ſecretoriis excipiendorum pateſcat ſecretio, propriè cribri appellatione dignam judicat circumfuſam illam materiam, quæ inter capillaria vaſa arteriarum & extrema oſcula vaſorum excretoriorum intermedia nonniſi quibuſdam ex ſanguine partibus tranſitum concedit, parenchymatis aliàs, effuſionis, vel carnis viſcerum nomine cognita. Tum ad generationis in utrôque ſexu organa, conſervationi ſpeciei miniſtrantia, facit acceſſum atque conceptionem ſive fœcundationem ovi à ſubtiliore ſeminis viri parte per vaſa uteri ſanguinea, ſimili forſan, ac à viribus medicamentorum modò impraegnata, & ad ovaria delata deducit. Fœtui autem in uterô intra membranas ſubſiſtenti ac nutritium ſuccum in placentâ uterinâ ſecretum cum refluô ſanguine per venam umbilicalem recipienti, tunicam quoque allantoidem largitur, quæ non undiquè ambiat fœtum, ſed funiculi umbilicalis termino adnata urachi prolongatio quædam ac dilatatio exiſtat. Tandem in ſenſûs motûſque organis, i. e. cerebrô, nervis, ſenſoriis externis atque muſculis & oſſibus finiens, nervorum fibras ità colligatas & ſibi mutuò inſertas ac per longos ductus extenſas conſiderat, ùt vel levi ictu commotæ ſenſum vegetum in ſenſoriô nulli licèt cerebri parti certô aſſignando, excitent. In muſculô autem ceu fibrarum motricium collectione quemadmodùm harum partem mediam carnis nomine venientem omnis motus animalis inſtrumentum proximum eſſe, ex ejuſdem ſolius abſque tendinibus abbreviatione evincit: ità cartilagines inter & oſſa nullam admittit differentiam, niſi quatenus eam fibra inæqualiter, vel quoad tempus vel ſui partem, induretur.

At cùm Anatomica hactenus partium corporis Hiſtoria breviter omni Auctorum mentione neglectâ, fuerit delineata, nè quis ſuſpicetur, ea à Noſtrô ſibi attribui, quæ aliis tamen, ſive veteribus, ſive Recentioribus, jure meritoque debeantur præcipuas Recentiorum Obſervationes nonnullarum propriarum *Analectis* præmittit, in partibus ſingulis à cute ad oſſa uſque recenſens paucis, quid *Stenonis, Malpighii, Pechlini, Warthoni, Nuckii, Verhayen, Gliſſonii, Williſii, Peyeri, Kerckringii, de Graf, Pecqueti, Ruyſchii, Parentis, Rudbeckii, Bellini, Swammerdammii, Hornii, Vieuſſens, du Verney,* aliorumque præſtiterit induſtria. Quâ enarratione abſolutâ, decem Obſervationes proprias in ſpecimine obiter tantùm indicatas, uberiùs exponere aggreditur, Facilem nihilominùs à L. B. ſperamus veniam, ſi nonniſi ſextam harum atque ſeptimam ſpecialius hic innuere, ſuſcipiamus, omiſſis iis, quæ de modô, quô peritonæum viſcera abdominis involvit, de ductu ſalivali inferiori à glandulâ ſublinguali prodeunte, de lacteis ſecundi Generis, de ſanguinis circulô, per diviſionem ventriculorum cordis in ſeptô factam demonſtrando, de humorum in glandulis ſecretione, de ſtructurâ diaphragmatis, de muſculorum vertebralium fabricâ, de compoſitione deniquè oſſium ex tendinibus muſculorum, annotantur. Omnes nempe muſculi, quia nervis gaudent, horum etiam ramuſculos ad uveam oculorum tunicam muſculoſam, quæ admotâ luce, contrahitur, & eadem remota dilatatur, *Experientiſſimus Auctor,* in avibus cum primis à nervis oculorum motoriis detegit diſtributos elegantiſſimos, quales ſcleroticam tunicam cum vaſis ſimul ſanguineis, *à Nuckiô* pro ductibus aquoſis minùs rectè venditatis, ingrediantur, atque *Paulo Manfredo in obſervationibus circa oculum & aurem A.* 1674. *Romæ* editis ſpecie muſculorum, *Moulino* autem in *Epiſtolâ ad Rob. Boyle datâ & in Actis A.* 1684. *p.* 581. à nobis pariter, atque *à Blanchardô* in Anatomiâ Reformatâ excerpta ligamentorum tendineorum titulô, videantur impoſuiſſe. Quam verò Noſter in peculiari Diſquiſitione Anatomicâ A. 1689. & ſequente annô in Actorum Hafnienſium volumine v. obſ. 16. de Olfactûs organô propoſuit ſententiam, nunc itidem repetit, verùm ejuſdem artificium in tunicæ narium collocans multiplicitate, in ſpatiô anguſtô ſupra magnam lamellarum & tubulorum oſſeorum ſuperficiem, in animalibus variis variè conformatam, expanſa.

BARTHOLINUS (*Eraſmus*) natus Patre Caſparô Bartholinô ſen. A. C. 1625. Roeskildiæ, quò Parentes ſeceſſerant, cùm Hafniæ peſtis graſſaretur. Adeptô Hafniæ Magiſtri Philoſophiæ, & Patavii Ital. 1654. Medicinæ Doctoris titulô poſt longas per totam ferè Europam peregrinationes, redux in patriam factus primùm in Hafnienſi Academiâ Geometriæ, & deindè ipſius etiam Medicinæ Profeſſor deſignatus eſt.

Ex eô habentur

De Poris Corporum & Conſuetudine, Quæſtiones Academicæ. Hafniæ, apud Daniel. Pauli, in 8. ſine expreſſione anni. Exſtant etiam cum ejuſdem Bartholini Quæſtionibus Academicis de Naturæ Mirabilibus. Hafniæ apud Petrum Hauboldum, 1674. in 4.

De Cometis An. 1664. & 1665. Opuſculum, ex obſervationibus Hafniæ habitis, adornatum. Hafniæ 1665. in 4.

De Figurâ Nivis Diſſertatio. Exſtat cum Thomæ Bartholini, Fratris, Obſervationibus variis de Nivis uſu Medicô. Hafniæ, apud Petrum Hauboldum 1661. in 8. Item cum ejuſdem Eraſmi Bartholini Quæſtionibus Academicis de naturæ Mirabilibus, Ibidem, apud Eundem, 1674. in 4.

De Naturæ Mirabilibus Quæſtiones Academicæ Hafniæ, apud Eundem 1674. in 4. Agunt autem hæ Quæſtiones I. de Figuris Corporum. II. De Figurâ Nivis. III. & IV. de Poris corporum. V. de Attractione. VI. de Phyſica Carteſianâ. VII. de Experimentis. VIII. de Hypotheſibus Phyſicis. IX. de Conſuetudine. X. de Naturâ. XI. de Studiô & Memoriâ. XIII. de Arcanis ſcientiarum.

Experimenta Cryſtalli Iſlandici diſdiaclaſti; quibus mira & inſolita refractio detegitur. Hafniæ, apud Danielem Pauli, 1670. in 4.

Obſervatio, de Cryſtallô Iſlandicô. Exſtat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. German. annô 2. *nn.* 169.

De Plantâ ſubterraneâ ex Capulô Ibid. ann. eôd. n. 170.

De mixtione ſyruporum cum aquis Ibid. volum. V. *num.* 3.

De Pulveris Corticis chinæ chinæ uſu contra febrem quartanam, in Daniâ probatô Ibid. Volum. eôd n. 112.

De Aere Hafnienſi. Ibid. Volum. eôd. num. 113.

Obſervatio, de Ovis gallinaceis incorruptibilibus. Exſtat Act. Hafnienſ. Volum. I. *numer.* 52.

De Camphorâ ſine diminutione ſubſtantiæ aſſervatâ. Ibid. Volum. eôd. n. 53.

De Animadverſionibus Meteorologicis. Ibidem Volum. eôd. n. 130.

De Islandicâ glacie. Ib. Volum. IV. *nu.* 7.

De Tonitruis hybernis. Ibid. Volum. eôd. numer. 8.

De Fulminis mirô effectu. Ibid. Volum. eôd. numer. 9.

BARTHOLINUS (*Laurentius*) vixit A. C. 1504. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtat

Tractatus de Balneô Corſennæ. Exſtat Operis Veneti de Balneis, pag. 155. fac. aversâ.

BARTHOLINUS (*Thomas*) natus Hafniæ A. C. 1616. Patre Caſparô Bartholinô: confectis maximam partem itineribus; Baſileæ 1645. Medicinæ Doctor creatus, & proximè ſtatim inſequente annô in Profeſſorum Regiorum Hafn. numerum receptus, & Anatomiam imprimis docere juſſus eſt, quô tempore varia Anatomica, anteà non viſa, imprimis Ductum Thoracicum in homine, & vaſa Lymphatica primus invenit; tandem 1661. rude donatus, Honorarii Peofeſſoris titulum meruit. Obiit Hafniæ A. C. 1665. ætatis ſuæ 49. relictis Filiis, Caſparô & Thomâ utroque Med. Doctore celebri.

Ex eô habentur

Anatomia, ex Caſpari Bartholini, Parentis, Inſtitutionibus, omniumque Recentiorum, & propriis obſervationibus primum locupletata. Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium, 1641. in 8. Tertiùm ad ſanguinis Circulationem reformata additis Iconibus novis accuratiſſimis. Ibidem apud Eundem, 1651. in 8. Hagæ Comitis, 1655. in 8. Ib. 1660. in 8. Ib. apud Adrianum Ulacq. 1663. in 8. Cui Editioni acceſſit Appendix Thomæ Bartholini de Lacteis Thoracicis & vaſis Lymphaticis. Lugduni Batavorum & Roterodami, ex officinâ Hackianâ, 1669. in 8. Nuncque iterùm ad circulationem Harveianam & vaſa lymphatica renovata, Cum Iconibus novis & Indicibus. Ibidem, ex ead. 1673. in 8. Lugduni Gallorum, 1676. in 4.

Anatomica Aneuriſmatis diſſecti Hiſtoria. Accedit Joh. van Horne, ejuſdem Argumenti, Epiſtola. Panormi, apud Alphonſum de Iſolâ 1644. in 8.

De Lacteis Thoracicis in Homine Brutiſque nuperrimè obſervatis, Hiſtoria Anatomica Hafniæ, apup Melch. Martzam, 1652. in 4, Londini, apud Oct. Pulleyn, 1652. in 8. Pariſiis, 1653. in 8. Genevæ, 1654. in 8. Lugduni Batavorum & Ultrajecti, 1654. in 12. Exſtat etiam cum Siboldi Hemſterhuis Meſſe Aureâ. Heidelbergæ, apud Adrianum Wyngarten, 1659. in 8. Itemque cum Ejuſdem Thomæ Bartholini Opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis Vaſis unô Volumine comprehenſis. Hafniæ, 1670. in 8.

Vaſa Lymphatica nuper Hafniæ in Animantibus inventa, & in Homine: & Hepatis Exequiæ. Hafniæ; apud Georg. Holst. 1653. 1654. in 4. Pariſiis, 1653. in 8. Exſtant etiam cum Siboldi Hemſterhuis Meſſe aureâ. Heidelbergæ, apud Adrianum Wyngarten, 1659. in 8. Itemque cum ejuſdem Thom. Bartholini Opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis unô Volumine comprehenſis. Hafniæ apud Danielem Pauli, & Amſtelodami, ap. Joh. Blaeu. 1670. in 8.

Hiſtoria nova Vaſorum Lymphaticorum. Exſtat etiam cum Danielis le Clerc & J. Jac. Mangeti Bibliothecâ Anatomicâ. Genevæ, apud Joh. Anton. Chouet, 1685. in fol.

Dubia Anatomica, de Lacteis Thoracicis, & an Hepatis Funus immutet Medendi Methodum. Hafniæ, apud Melch. Martzam, 1653. in 4. Pariſiis, 1653. in 8. Exſtat etiam cum Siboldi Hemſterhuis Meſſe Aureâ. Heidelbergæ, apud Adrianum Wingarten, 1659. in 8. Iterùmque cum ejuſdem Thomæ Bartholini Opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & vaſis Lymphaticis unô volumine comprehenſis. Hafniæ, 1670. in 8.

Oratio de Monſtris in Naturâ & Medicinâ. Baſil. apud Deckerum, 1645. in 4.

Diſſertatio Oratoria, de variis Reipublicæ Chriſtianæ Morbis, & placidis eorum Remediis. Hafniæ, apud Martzam, 1649. in 4.

Commentarius in Marc. Aurelii Severini Tractatum de Pædanchone. Exſtat cum ejuſdem Severini Therapeutâ Neapolitanô, ſeu curandarum Febrium & Morborum internorum Methodô. Neapoli, 1652. in 8.

De Unguentô Armariô. Exſtat cum Theatrô ſympatheticô auctô variorum Auctorum. Noribergæ, apud Johan. Andreæ & Wolffgang. Jun. Endterorum Hæredes, 1662. in 4.

Obſervatio de diuturnâ Graviditate. Exſtat cum Collectaneis de diuturnâ Graviditate. Amſtelodami, apud Petrum Van den Berge, 1662. in 12.

Defenſio Vaſorum Lacteorum & Lymphaticorum, adverſus Johan. Riolanum celeberrimum Lutetiæ Anatomicum. Accedit cl. V. Guilielmi Harveii de Venis Lacteis ſententia expenſa. Hafniæ, apud Georg. Holſt. & Melch. Martzam, 1655. in 4. Exſtat etiam cum ejuſdem Thom. Bartholini Opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis unô Volumine comprehenſis. Hafn. 1670. in 8.

De Luce Animalium, vel, ut poſtremæ Editionis titulus habet, de Luce Hominum & Brutorum Libri III. admirandis Hiſtoriis, rationibuſque novis referti. Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium, 1647. in 8. Hafniæ, 1663. in 8. Ibidem apud Petrum Hauboldum, 1669. in 8. Quibus duobus poſtremis editionibus emendatioribus & ab ipsô Auctore recognitis accedit Conradi Geſneri, de raris & admirandis Herbis, quæ ſive, quod noctu luceant, ſive alias ob cauſas, Lunariæ nominantur, & obiter de aliis etiam rebus, quæ in tenebris lucent Commentariolus: cum Iconibus quibuſdam Herbarum novis.

Hiſtoriarum Anatomicarum, & Medicarum rariorum Centuria I. & II. Hafniæ, apud Petrum Haubold. & Melch. Martzam 1654. in 8.

Hiſtoriarum Anatomicarum rariorum Centuria 3. & 4. Acceſsêre ejuſdem Bartholini curâ obſervationes Anatomicæ cl. Viri Petri Pawi. Ibidem, apud Petrum Hauboldum, 1657. in 8. conjunctim prodiere Hagæ Comitis, apud Adrian. Ulacq.

Hiſtoriarum Anatomicarum & Medicarum rariorum Centuria V. & VI. Acceſſit Johannis Rhodii Mantiſſa Anatomica. Hafniæ apud Henr. Godianum, 1661. in 8.

Vindiciæ Anatomicæ, cl. viro, Caſparo Hofmanno, aliiſque oppoſitæ, cum animadverſionibus, in Anatomicâ Hoffmanni. Hafniæ, ap. Melch. Martzam. 1648. in 4.

Oratio in Exceſſum viri incomparabilis, Dom. Olai Wormii, Medicinæ Profeſſoris Regii. Hafn. 1655. in 4. Exſtat etiam cum ejuſd. Thom. Bartholini Orationibus varii argumenti. Ibidem, apud Daniel. Paulli, 1668. in 8.

De ſecundinarum retentione. Hafn. 1657. in 4.

Oratio in obitum Dn. Henrici Furren, Medici Ibid. 1659. in 8. Exſtat etiam cum ejuſdem Thom. Bartholini Orationibus varii argumenti. Ibidem, apud Daniel, Paulli, 1668. in 8.

De Cruce Chriſti, Hypomnemata 4. 1. de ſedili mediô. 2. de Vinô myrrhatô. 3. de Coronâ ſpineâ 4. de ſudore ſanguineô. Hafn. 1651. in 8. Exſtant etiam reviſa cum Lipſii & aliorum Tractatibus de Cruce. Amſtel, 1671. in 12.

Opuſcula nova Anatomica, de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis, unô volumine comprehenſa, & ab Auctore aucta atque recognita. Haffniæ apud Danielem Paulli, & Amſtelodami, apud Johan. Blaeu, 1670. in 8. continentur autem his opuſculis.

1. *De Lacteis Thoracicis in Homine Brutiſque obſervatis Hiſtoria Anatomica,*
2. *Vaſa Lymphatica, Hafniæ in Animantibus inventa, & hepatis Exſequiæ.*
3. *Dubia Anatomica de Lacteis Thoracicis, & an Hepatis Funus immutet Medendi Methodum.*
4. *Vaſa Lymphatica, in Homine inventa.*
5. *Defenſio vaſorum Lacteorum & Lymphaticorum adverſus Joh. Riolanum.*
6. *Diſſertatio Anatomica de Hepate defunctô novis Bilſianorum Obſervationibus oppoſita.*
7. *De Lacteis Venis ſententia Guilielmi Harvei expenſa ab auctore.*
8. *Spicilegium I. de vaſis Lymphaticis ubi Gliſſonii & Pecqueti ſententiæ expenduntur.*
9. *Spicilegium II. ex vaſis Lymphaticis, ubi Backii, Catterii, Le Noble, Tardii, Wartoni, Charletoni, Bilſii &c. ſententiæ examinantur.*
10. *Reſponſio de Experimentis Anatomicis Bilſianis, & Difficili Hepatis reſurrectione.*
11. *De Hepatis exauctorati deſperatâ cauſâ, cum præcipuis eruditæ Europæ Medicis, Concertatio.*

Hæc dubia Anatomica maximam partem etiam exſtant cum Daniel. Le Clerc, & J. Jac. Mangeti Bibliothecâ Anatomicâ. Genevæ, ap. Joh. Anton. Choüet, 1685. in fol.

Obſervationes Anatomicas ſelectiores Petri Pawi edidit. Exſtantque cum Centuriâ 3. & 4. ſuarum Hiſtoriarum Anatomicarum rariorum Hafniæ, apud Petrum Hauboldum, 1657. in 8.

De Anginâ Puerorum Campaniæ Siciliæque epidemicâ, Exercitationes, ſive, commentarius in Marc. Aurel. Severini Pædanchonen. Acceſſit de Laryngotomiâ, Renati Moreau, *Pariſienſis* Epiſtola Neapoli, 1653. in 8. Paris. apud Olivarium de Varennes, 1646. in 8.

De Unicornu, Obſervationes novæ. Acceſſerunt de Aureô cornu Olai Wormii eruditorum Judicia, apud Jul. Cribellium, 1645. in 8. Amſtelodami, 1677. in 12. quæ ſecunda Editio auctior & Emendatior prodiit operâ Caſpari Bartholini, Filii.

Diſſertatio de Latere Chriſti apertô. Lugd. Batav. apud Johan. Maire, 1646. in 8.

Synopſis Antiquitatum veteris puerperii. Hafn. apud M. Martzan. 1646. in 8. Amſtelodami, ap. Henricum Wetſtenium, 1676. in 12. quæ Editio à Filiô Caſparô Bartholinô, Commentariô illuſtrata, & cum Patris, Thomæ Bartholini, Epiſtolâ ad Filium aucta eſt.

Schedion de armillis Veterum. Ibid. 1647. in 8. Amſtelodami, apud Henricum Wetſtenium, 1676. in 12. cui Editioni Figuris æneis illuſtratæ acceſſit Olai Wormii de Aureô Cornu Danicô ad Licetum Reſponſio, cum ejus brevi Deſcriptione & Eruditorum Judiciis.

Epiſtola ad Filium, Caſparum Bartholinum, de puerperiô Veteri Haf. 1675. in 4.

Collegium Anatomicum Diſput. XVIII. adornatum, Hafn. in 4.

Paralytici N.T. Medicô & Philologicô commentariô illuſtrati. Ibid. 1653. in 4. Baſileæ, apud Johan. Konig. 1662. in 8. Lipſiæ apud Chriſtian. Wohlfartium, 1685. in 8.

Diſpenſatorium Hafnienſe à Medicis Hafnienſibus adornatum, & à Thom. Bartholinô publici juris factum. Hafniæ. 1658. in 4.

Spicilegium primum ex vaſis Lymphaticis, ubi Gliſſonii & Pecqueti ſententiæ expenduntur, Hafniæ 1655. 1658. in 4. Roſtochii apud Joachimum Wildium, 1660. in 4. Amſtelodami apud Petrum Van den Berge, 1661. in 12. Exſtat etiam cum ejuſdem Thom. Bartholini Opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis, unô Volumine comprehenſis. Hafn. 1670. in 8.

Spicilegium ſecundum ex vaſis Lymphaticis, ubi cl. Vir. Backii, Cattierii, le Noble, Tardii, Wartoni, Charletoni, Bilſii &c. ſententiæ expenduntur. Publicè propoſitum, Reſpondente Fridericô Hammericô, Altenburgô- Miſnicô. Amſtelodami, ap. Petrum Van den Berge, 1660. in 12.

Spicilegia bina ex vaſis Lymphaticis, ubi clariſſ. virorum Pecqueti, Gliſſonii, Backii, Cattierii, le Noble, Tardii, Wartoni, Charletoni, Bilſii, &c. ſententiæ examinantur. In Academiâ Hafnienſi Regiâ publicò Eruditorum examini propoſita. Amſtelædami, apud Petrum Van de Berge, 1661. in 12. Exſtant etiam cum Ejuſdem Thom. Bartholini Opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis unô volumine comprehenſis. Hafniæ, 1670. in 8.

De Nivis uſu Medicô, Obſervationes variæ. Acceſſit Eraſmi Bartholini de Figurâ Nivis Diſſertatio. Hafniæ, apud Petrum Hauboldum. 1661 in 8.

Catalogus Operum ſuorum hactenus editorum. Exſtat cum obſervationibus variis de Nivis uſu Medicô. Hafniæ, apud Petrum Hauboldum, 1661. in 8.

Diſſertatio Anatomica, de Hepate defunctô, novis Bilſianorum Obſervationibus, oppoſita. Hafniæ, ap. Petrum Hauboldum, 1661. in 8. Exſtat cum ejuſdem Bartolini & opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis unô Volumine comprehenſis. Hafn. 1670. in 8.

Reſponſio de Experimentis Anatomicis Bilſianis, & Difficili Hepatis Reſurrectione, Hafniæ ap. Petr. Hauboldum 1661. in 8. Amſtelodami, apud Petrum Van den Berge, 1661. in 2. Exſtat etiam cum ejuſdem Thom. Bartholini Opuſculis novis Anatomicis & Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis unô Volumine comprehenſis. Hafniæ, 1670. in 8.

Domus Anatomica Hafnienſis breviſſimè deſcripta. Exſtat cum ejuſdem Thom. Bartholini Ciſtâ Medicâ Hafnienſi. Hafniæ, apud Petr. Haubold. 1662 in 8.

Epiſtolarum Medicinalium à Doctis vel ad Doctos ſcriptarum Centuria I. & II. Hafniæ, ap. Petr. Haubold, 1663. in 8.

Epiſtolarum Medicinalium Centur. III. Hiſtoriis Medicis, aliiſque ad rem Medicam ſpectantibus plena. Ibid. ap. Eund. 1667. in 8.

Epiſtolarum Medicinalium Centur. IV. Variis Obſervationibus curioſis & utilibus referta. Ibidem, ap. Eund. annô & formâ eâdem.

De Medicinâ Danorum domeſticâ, Diſſertaнes decem ſcil.

1. *De Medicinâ Danorum indigenâ,*
2. *De Medicis Danorum inventis.*
3. *De Morbis Danorum curandis.*
4. *De Morborum Daniæ populorum Remediis inquilinis.*
5. *De Pharmacopœâ Danicâ.*
6. *De victu Danorum domeſticô.*
7. *De Potu Danorum domeſticô.*
8. *De Medicorum Danorum dignitate.*
9. *De Erroribus Danorum in Medicinâ & Diætâ*
10. *De Erroribus Danorum circa Medicos. Quibus accedunt Vindiciæ pro Medicinâ Danorum : ut & addimenta ad eorundem Medicinam. Hafn. 1666. in 8,*

Ciſta Medica Hafnienſis, variis conſiliis, Curationibus, caſibus rarioribus, vitis Medicorum Hafnienſium, aliiſque ad rem Medicam, Anatomicam, Botanicam, & Chymicam ſpectantibus referta. Accedit Ejuſdem Domus Anatomica breviſſimè deſcripta. Hafn. ap. Petr. Haubold, 1662. in 8.

De Cometâ, Conſilium Medicum, cum Monſtrorum nuper in Daniâ natorum Hiſtoriâ. Hafn. ap. Petr. Haubold. 1666. in 8.

De Hepatis exauctorati deſperatâ causâ cum præcipuis eruditæ Europæ Medicis, concertatio. Acceſſere Eraſmi Bartolini, de Poris Corporum & conſuetudine, Quæſtiones Academicæ. Hafn. ap. Daniel. Paulli, 1666. in 8. Exſtat etiam cum ejuſdem Thom. Bartolini Opuſculis novis Anatomicis de Lacteis Thoracicis & Lymphaticis vaſis, unô volumine comprehenſis. Hafn. 1670. in 8.

De cerebri ſubſtantiâ pingui & Oculorum ſuffuſione, ad Franciſc. Joſeph. Burrhum. Hafniæ, 1669. in 4.

De Medicis Poëtis, Diſſertatio. Hafniæ, apud Daniel. Paulli, 1669. in 8.

De Bibliothecæ Incendiô, Diſſertatio ad Filios. Hafn. ap. Petr. Haubold. 1670. in 8.

Diſcurſus, de Tranſplantatione Morborum. Exſtat cum Theatrô ſympatheticô auctô Norimbergæ, apud Johan. Andr. Endterum, & Wolffgang. Jun. Hæredes, 1662. in 4.

Epiſtola de Simplicibus Medicamentis inquilinis cognoſcendi, præfixa Hermanni Grube commentario de Modô ſimplicium Medicamentorum facultates cognoſcendi. Hafn. & Francof. apud Danielem Paulli, 1669. in 8. Epiſtola, de Tranſplantatione Morborum, præfixa Hermanni Grube Commentationi de Arcanis Medicorum non Arcanis. Hafn. apud Daniel. Paulli, 1673. in 8.

De Inſolitis Partus humani viis, Diſſertatio nova. Accedunt Joh. Veſlingii de Pullitione Ægyptiorum, & aliæ Ejuſdem Obſervationes Anatomicæ, & Epiſtolæ Medicæ poſthumæ. Hafn. ap. Petr. Haubold. 1664. in 8.

Diſquiſitio Medica de ſanguine vetitô, cum cl. Salmaſii Judiciô. Francofurti, ex Officinâ Hafnienſi apud Petrum Hauboldum, 1673. in 8.

Orationes varii argumenti. Hafniæ, apud Danielem Paulli, 1668. in 8.

Diſſertatio, de Cygni Anatome, ejuſque Cantu, primùm Diſputationis formâ à Johan. Jacobô Bewerlinô in Academiâ Hafnienſi propoſita & typis exſcripta Lamprechtianis, Hafniæ, 1650. in 4. Poſteà verò Notulis quibuſdam auctior edita ex Schedis paternis à Caſp. Bartholinô, Thomæ Filiô. Hafniæ apud Daniel. Paulli, 1668. in 8.

De Peregrinatione Medicâ. ad Oligerum Jacobum & Filios, Caſparum & Chriſtophorum Bartholinos, Hafn. apud Danielem Paulli, 1674. in 4.

De Anatome Practicâ ex Cadaveribus morboſis adornandâ, Conſilium cum Operum Auctoris hactenùs editorum catalogô Hafn. apud Petr. Haubold. 1674. in 4.

De ſanguinis Abuſu, Diſputatio. Exſtat cum Chriſtiani Theophili, de ſanguine vetitô, Diſquiſitione ulteriore pro Thom. Bartholinô Francof. ex Officinâ Hafnienſi Petr. Haubold. 1676. in 8.

Acta Medica & Philoſophica Hafnienſia ann. 1671. & 1672. cum æneis Figuris. Hafn. ſumptibus Petri Hauboldi, typis Georg. Godiani, 1673. in 4.

Acta Medica & Philoſophica Hafnienſia A. 1673. Figuris æneis ornata. Volumen 2. Ibid. apud eundem, 1675. in 4.

Acta Medica & Philoſophica Hafnienſia A. 1674. 1675. 1676. Figuris æneis illuſtrata. Volumen 3. & 4. Ibid. apud Eundem, 1677. in 4.

Acta Medica & Philoſophica Hafnienſia A. 1679. Acceſſerunt Figuræ æneæ. Volumen 5. Ibid. apud Eundem. 1680. in 4.

Joh. Henrici Meibomii, Patris Henrici Meibomii, Filii, Diſſertationem de uſu Flagrorum in Re Medicâ & venereâ, Lumborumque & Renum officiô edidit. Accedunt de eôdem Renum officiô Joachimi Olhafii & Olai Wormii Diſſertatiunculæ. Francofurti ex Bibliopoliô Hafnienſi, apud Danielem Pauli, 1670. in 8.

Johannis Rhodii Diſſertationes duas, de aciâ, & Ponderibus atque Menſuris, ſecundis curis ex autographô Auctoris auctiores & emendatiores, cum Judiciis Doctorum, & vitâ Celſi edidit Hafn. ap. Petr. Haubold. 1672. in 4.

De pulmonum ſubſtantiâ & Motu, Diatribe. Accedunt clar. Viri Marcelli Malpighii de Pulmonibus, obſervationes Anatomicæ. Hafn. ap. Petr. Haubold. 1663. in 8. Lugd. Batavor. 1672. in 12.

Michaelis Lyſeri Cultrum Anatomicum ſecundùm edidit, & Obſervationibus nonnullis variorum Medicorum, nempè ejuſdem Lyſeri, Henrici à Monichen, Martini Bogdani & Jacobi Seidelii, ac ſuâ Præfatione, auxit. Ibidem, apud Eundem, 1665. in 8.

Alberti Bartholini de ſcriptis Danorum Librum Poſthumum auctiorem edidit. Haf. apud Petr. Haubold. 1666. in 8.

Epiſtola ad Johann. Daniel. Horſtium de Chirurgiâ Infuſoriâ. Exſtat cum Johan. Daniel. Horſtii Judiciô de Chirurgiâ Infuſoriâ Johann. Daniel. Majoris. Francofurti apud Georg. Fickwirt. 1665. in 12.

De Medicô Perfectô. Hafniæ 1671.

Diſſertatiuncula Præliminaris de confectione Alkermes in diſpenſatione illius habitâ. Hafniæ, 1672. in 4.

De Morbis Biblicis, Miſcellanea Medica. Hafn. 1672. ni 8.

De

De Flammulâ Cordis, Epiſtola: cum Jacobi Holſtij ejuſdem argumenti Diſſertatione. Acceſſit de Carnibus lucentibus Danielis Puerarij Reſponſio. Hafniæ, ap. Daniel. Pauli, in 8. ſine expreſſione anni.

Liſetti Benancij Declarationem Fraudum & Errorum apud Pharmacopœos commiſſorum Latinitate donavit, & cum Johannis Anton. Lodetti Dialogô ejuſdem argumenti edidit. Francofurti, ap. Juſtum Rächerum, 1667. in 8.

Diſſertationes II. de Theriacâ, in Officinâ Chriſtophori Heerford. & Johannis Gottofredi Beckeri, Pharmacop. Reg. Aulic. 1. Februar. 1671. diſpenſatâ. Hafniæ, apud Petr. Haubold. in 4.

Mantiſſa ex Miſcellaneis Medicis de Annulis Aurium. Exſtat cum Caſpari Bartholini, Fil. de Inauribus Veterum ſyntagmate. Amſtelodami, apud Henricum Wetſtenium 1676. in 12.

Obſervatio de Conceptu falsô. Exſtat Ephemer. Natur. Cur. Germ. ann. 1. nu. 1.

De Sirene Danicâ. Ibid. ann. eôd. n. 23.

De ovô prægnante. Ibid. ann. eôd. n. 36.

De Oſſium mollitie. Ibid. ann. eôd. n. 37.

De Herbâ Oſſifragâ. Ibid. ann. eôd. n. 38.

De ſanguine Verminoſô. Ibid. ann. eôd. n. 50.

De Hemicraniâ periodicâ. Ibid. ann. eôd. num. 51.

De Naturæ robore in Gravidâ. Ibid. ann. eôd. num. 52.

De Cryſtallô Islandicô, Ibid. ann. eôd. n. 73.

De Anatome Apoplecticorum. Ib. ann. eôd. num. 74.

De Morte ſubitaneâ. Ibid. ann. eôd. n. 101.

De Pilis demortuorum. Ibid. ann. eôd. n. 123.

De Nervorum ſectione & Motu læsô. Ibid. ann. eôdem, n. 124.

De Aſellô hermaproditicô. Ibid. ann. eôd. num. 125.

De Remediô euporiſtô ad gangrænam. Ibid. ann. 2. *n.* 2.

De Fœminâ trimammiâ. Ibid. ann. eôd. n. 72.

De Cœcitate alterô oculô læsô. Ibid. ann. eôd. n. 73.

De Dente ſuillô per biennium in corpore. Ibid. ann. eôdem. num. 74.

De Molâ Volatili, Ibid. ann. eôd. n. 160.

Obſervatio de Morte ex arteriæ cruralis læſione ad 14. dies dilatatâ. *Ibid. ann. eôd. n.* 161.

De Diabete ſpuriâ. Exſtat Ibid. ann. eôd. n. 162.

De Caſeô ex Lacte in Ventriculô coagulatô. Ibid. ann. eôdem. n. 163.

De Opobalſami notis & ſuccedaneô. Ibidem. ann. eôdem, num. 164.

De Febre ex Imaginatione. Ibid. ann. eôdem num. 165.

De Viſu inopinatô in cœcitate reſtitutô. Ibid. ann. eôd. num. 166.

Alia præterea non pauca ex eôdem reperiuntur in Actis Hafnienſibus.

BARTHOLINUS (*Thomas Thomæ Filius*)

Ex eô habentur

Obſervatio de variis miris circa glaciem Iſlandicam. Exſtat Act. Hafniens. Volum. 1. *n.* 31.

De vermibus in Acetô & ſemine. Ibid. Volum. 5. *n.* 7.

BARTIUS (*Jeremias*)

Joh. Beguini Tyrocinio Chymico elegantes addidit Notas: & quidem ei Editioni Wittebergenſi, quam exhibuit Andreas Hartmannus, 1656. in 8. Itemque illi Genuenſi, 1615. in 8. Item cum notis & medicamentorum formulis, in unum ſyſtema redactis, à Joh. Georg. Pelshoferô, Genuæ, ap. Blaſium Le Melais 1659. 8.

BARTOLETUS (*Fabritius*) natus Bononiæ A. C. 1588. Logicam, Medicinam & Anatomiam in Patriâ, & Academiâ Piſanâ publicè profeſſus: deindè in Academiâ Mantuanâ primus Medicinam docuit: Cùmque hinc in patriam ſe recipere vellet, in viâ Lindinaræ peſte tunc graſſante correptus, obiit A. C. 1630. ætatis ſuæ 42.

Ex eô habentur

Anatomica humani Microcoſmi Deſcriptio, per Theſes diſpoſita, in clariſſimô Amphitheatrô Piſanô propoſita. Bononiæ, apud Sebaſt. Bononium, 1619. in fol.

Encyclopædia Hermetico-Dogmatica, ſive, Orbis Doctrinarum Medicarum Phyſiologiæ, Hygieinæ, Pathologiæ, Semeioticæ, & Therapeuticæ. Bononiæ, apud Sebaſt. Bononium, 1619. in 4.

Methodus in Dyſpnœam, ſeu, de Reſpirationibus, Libri quatuor. Cum ſynopſibus. Quibus quintus pro colophone acceſſit de Curationibus ex Dogmaticorum & Hermeticorum Penu depromtis. Bononiæ apud Hæredes Evangeliſtæ Dozzæ, 1633. in 4.

De Hydrope Pulmonum. Bononiæ, 1629. in 4.

BARTSCHIUS (*Jacobus*) Lauba-Luſatus.

Ex eô habetur

Decas Exercitationum Medicarum ex Fernelio, Tabulis, Aphoriſmis, & Quæſtionibus incluſarum. Argentinæ apud Hollandum Findler, 1624. in 4.

BARZIZIIS (*Chriſtophorus de*) natus Patre Caſparinô de Barziziis, oratore eximiô Venetô. Fuit in Academiâ Patavinâ Medicinæ Profeſſor Primarius: & claruit circa A. C. 1532.

De eô exſtant

Introductòrium, ſive Janua ad omne Opus Practicum Medicinæ. Auguſtæ Vindel. apud Sigiſm. Grym. 1518. in 4.

Introductorium cum Practicâ Commentariorum ad Nonum Rhazis. Papiæ, apud Anton. de Carchanô, 1494. in fol. emendantibus Johan. Anton. Baſſinô, & Petrô Butziô, Medicis.

De Febrium Cognitione, & Curâ, Liber. Lugduni, apud Jacobum Myt. 1517. in 4. Et cum Marſiliô de S. Sophiâ, Richardô, aliiſque, de Febribus. Exſtat etiam cum Clem. Clementini Lucubrationibus. Baſileæ, apud Henric. Petri, 1535. in fol.

De Balneis, Excerpta. Exſtant Operis Veneti de Balneis p. 225.

BASCARINUS (*Johannes*) Ferrariæ natus, Ferrariæ etiam Medicinam profeſſus eſt; in Publicô Gymnaſiô, per optionis gradus, ad primam Theoricæ Medicinæ Cathedram aſcendit. Plura ſcripſit; ſed ſolùm publici juris fecit.

Opuſculum Medico-Morale, quod inſcribitur, Joh. Baſcarini, Medici Ferrarienſis, Diſpenſationum Medico-Moralium Canones XII. Ferrariæ, apud Lilium, 1673. 16.

BASIUS (*Antonius*) Patavinus Med.

De eô exſtat

Florida Corona, quæ ad ſanitatis hominum conſervationem ac longævam vitam perducendam ſunt pernecеſſaria continens. fol. Impreſſum eſt hoc

hoc opus in præclarô Lugô Emporiô, 1510.

BASSIANUS (*Baſſianus Landus,*) Placentinus Medicus, ſeculô XVI. clarus, circa annum 1550. plura de eô exſtant Opera. Nempe, de humanâ hiſtoriâ. De Incrementô. Jatrologiâ. &c.

BASSINUS (*Joh. Antonius*)

Ex eô habetur

Chriſtoph. de Barziziis Introductorium cum Practicâ Commentariorum ad Nonum Razis emendavit.

BASSO (*Sebaſtianus*)

De eô exſtat

Philoſophiæ Naturalis, adverſus Ariſtotelem, Libri XII. Genevæ, 1621. in 8.

Philoſophiæ Naturalis, adverſus Ariſtotelem Libri XII. In quibus abſtruſa veterum Phyſiologia reſtauratur, & Ariſtotelis errores ſolidis rationibus refelluntur; cum Indice locupletiſſimô. Aurelianæ, 1621. 12.

BASSUS, & Sextius Niger, Romani. De Medicinâ ſcripſerunt Græcè. *Volater.*

BASSUS, (*Joh. Jacobus*) Papienſis Medicus.

De eô exſtat

De Hippocratis & Ariſtotelis Decretis Libri III. Quibus agitur, in quô conveniant atque diſſentiant inter ea quæ, cùm ad Logicam Phyſicamque ſcientiam, tùm etiam ad Rem Medicam ſpectant. Papiæ, 1594.

BASTELLUS (*Andreas*)

Ex eô habetur

Speculum Medici. Madriti, 1599. in 4.

BATE (*Georgius*)

Franciſci Gliſſonii Tractatus de Rachitide ſive Morbô Puerili poſtremæ Editioni Hagæ Comitis, apud Arnoldum Leers 1682, in 14. Obſervationes continuè ſubtexuit.

BATEUS *Pharmacop. Bateana.* Vid. ſub titulô, *Salmon.*

BATTUS (*Conradus*) natus Roſtochii A. C. 1573. Patre Levinô *Battô*, Medicinæ Profeſſore in Academ. Roſtoch. Fuit 1602. Regimontii Medicus peſtilentialis, liberali ſalariô conductus: deindè demùm 1604. Baſileæ Medicinæ Doctor creatus; in patriâ in ædibus Fratris ſui, Levini *Batti*, Doctoris Juris, per aliquot ſcalæ gradus infeliciter dilapſus, cultellô, quem manu tenebat, in abdomen infixô, eâ ipsâ horâ obiit 1605. ætatis ſuæ 32.

De eô exſtant

Epiſtolæ aliquot Medicæ. Quæ reperiuntur cum Miſcellaneis Henrici Smetii. Francofurti apud Jonam Rhodium, 1611. in 8.

BATTUS (*Levinus*) natus eſt Roſtochii A. C. 1545. Patre Batholom. *Battô*: Wittebergæ 1559. Philoſophiæ Magiſter renunciatus, paulò poſt in Academiâ Roſtochienſi Matheſin publicè docuit, donec 1565. bellô & peſte expulſus in Italiam ſeceſſit, & Venetiis demùm Doctoris in Medicinâ gradum aſſumpſit, ubi ad ſuos reverſus, Medicinæ Profeſſor publ. in univerſitate patriâ deſignatus, eôque munere per annos 25. feliciter functus eſt. Obiit Roſtochii A. C. 1591. ætatis ſuæ 46. relictô Filiô Conradô *Battô*, Medicô celebri.

De eô exſtant

Epiſtolæ aliquot, Medica tractantes. Reperiuntur inter Miſcellanea Henrici Smetii. Francofurti, apud Jonam Rhodium, 1611. in 8.

BAUDERONUS (*Bricius*) Medicus Gallus, natus *Parei* in Comitatû Caroleſianô, circa ſeculi XVI. finem, initiumque XVII. claruit. Non ſine multô ſucceſsû de Compoſitione Medicamentorum ſcripſit, Pharmacopœamque vulgavit, ſæpiſſimè recuſam, plurimâque auctoritate valentem, quæ Gallicô idiomate proſtat. Matiſconæ domicilium poſuit, ibique diu ſatis Medicinam profeſſus eſt. Libri praxeos Latinè conſcripti, Pariſiiſque annô 1620. emiſſi, diem, in Præfatione, illinc apponit. In eâ etiam nos monet ſe tunc temporis annos 80. natum eſſe, quòdque ab annis 50. Medicinam faceret. Vitâ non ampliùs fruebatur annô 1623.

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô

Praxis, in duos Tractatus diſtincta. In priore agitur de Febribus eſſentialibus, tàm ſimplicibus, quàm compoſitis, confuſis, erraticis, malignis ac peſtiferis, & ſymptomaticis in genere, & in ſpecie curandis. In poſteriore de ſymptomatis & morbis internis à capite ad pedes uſque. Lutetiæ Pariſior. apud Nicol. Buon, 1620. in 4.

Pharmacopœa, è Gallicô in Latinum verſa à Philemone, *Hollandô*. Cui adjecta ſunt paraphraſis, & miſcendorum medicamentorum modus. Huic accedunt Johannis du Boys Obſervationes in Methodum miſcendorum medicamentorum, quæ in quotidianô ſunt uſu. Londini, apud Edwardum Griffium, 1639. in fol. Hagæ Comitis, 1640. in 14.

BAUDISIUS (*Joachimus*) Uratiſlavienſis

Ex eô habentur

Conſilia Medica. Exſtant eô in Opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

Bernhardi Gordonii Tractatum, de Conſervatione vitæ humanæ, edidit. Vid. *Bernhard. Gordon.*

BAVERIUS de Baveriis (*Johannes*) Imolenſis, In Gymnaſiô Bononienſi Profeſſor.

De eô exſtant

Excerpta de Balneis. Exſtant Operis Veneti de Balneis, pag. 143.

Conſilia Bononiæ, 1489. in fol.

BAUHESIUS (*Petrus*)

Ex eô habentur

De Thermarum Aquiſgranenſium viribus, causâ, ac legitimô uſu, Epiſtolæ duæ, ſcriptæ annô 1550. In quibus etiam Acidarum Aquarum ultra Leodium exiſtentium facultas & ſumendi ratio explicatur. Antverpiæ, ap. Joh. Pœum, 1555. in 8.

Conſilia quædam de Arthritide. Exſtant eô in Opere, quod Henricus Garetius edidit, Francofurti ap. Johan. Wechelum, & Petrum Fiſcherum, 1592. in 8.

BAUHINUS, (*Caſparus*) Johannis ſenioris fil. Medic. D. Rei Anatomicæ & Herbariæ, in Acad. Baſil. Profeſſor, itidemque Principis Wirtemb. Archiater, obiit A. C. 1623. ætat. 63. ſcripſit *Phytopinacem & Pinacem, Inſtitutiones Anatom. De partibus ſimilaribus: Theatrum Anatom. De Lapide Bezoar: Methodum medendi, de Hermaphroditis: Prodromum theatri Botanici,* &c. Hujus filius, *Bauhinus* Joh. Caſparus, Medicinæ ſimiliter Doctor celeberrimus, & ultrà 47. ann. (cùm Lexicon primùm prodiiſſet) in Academicâ Baſil. Profeſſor, Chriſtianiſſimi Galliæ Regis & variorum Germaniæ Principum Archiater; præter omnigenam eruditionem, morum gra-

vitate

vitate, rerum uſu & prudentiâ inclytus: Edidit tomum I. Theatri Botanici à Patre affectum, aliaque Medicæ rei plurimùm profutura. Ejus fil. Hieronymus, Botanicæ idem & Anatom. Profeſſor, haud pridem in flore ætatis obiit, pater Joh. Caſpari Medic. D. qui jam Montisbelicardi Medicinam feliciter facit & Joh. Ludovici Icti, alter Joh. Fridericus, itidem Medic. D. in patriâ idem cum ſucceſſu facit; tertius Chriſtoph. Diaconus Eccleſ. Metropolitanæ haud pridem defunctus eſt. Ipſe verò ſeptuagenariô major poſtquam Academiam patriam annos ſuprà 50. illuſtraviſſet, filium Hieronymum aliquot annis in meliores ſedes ſecutus eſt, placidâ morte extinctus, ſed

Quid numeras annos ſcriptor vaniſſime? Credis Poſſe mori, prohibet quem Medicina mori?

Omnes hi:

ἰατροὶ ἄνδρες πολλῶν ἀντάξιοι ἄλλων.

Caſparô Bauhinô ſic Göelicke in Hiſtor. Anatom.

CAſparus Bauhinus in ſtudiô Anatomicô non exiguam Gloriam adſecutus eſt, & in Academiâ patriâ per integros 40. annos medicinam docuit. Fuit etiam Archiater Principis Würtembergici & famam ſuam longè lateque diſſeminavit. Varios edidit tractatus Anatomici argumenti, nempe de partibus humani Corporis ſimilaribus, quô tamen librô non multum operæ pretium feciſſe exiſtimatur. Theatrum verò Anatomicum non methodô ſolùm egregiè ſe ſe commendat, verùm etiam omnium ferè reliquorum ſententias clarè in conſpectum producit. Similiter ſcripſit univerſalem methodum Anatomicam, multis novis iiſdemque raris propriis obſervationibus refertam, quam ad *Veſalii* tabulas potiſſimum adcommodavit, quam ob cauſam etiam à *Riolanô* plagii adcuſatur, à quô tamen crimine liberari facilè poteſt, quia ipſemet nunquam diſſimulavit, à *Riolanô* ſe fuiſſe adjutum. *Conringius* miratur, *Bauhinum* tam pauca propriô marte detexiſſe, etiamſi per integros quadraginta annos rem Anatomicam exercuerit; ſed huic quidem imputationi contrariari videntur pompoſi tituli, quos paſſim operibus ſuis præponit. Scripſit enim Libros IV. de corporis humani fabricâ, ſectionibus publicis atque privatis comprobatos, multiſque novis inventis auctos; librum quoque de partibus humani corporis externis, i. e. univerſalem methodum Anatomicam, multis novis iiſdemque raris obſervationibus propriis refertam; item Epiſtolam Anatomicam curioſam ad D. *Voglerum*, in quâ nova ſua inventa complexus eſſe videtur. Edidit præthereà Anatomicam corporis tam virilis quàm muliebris hiſtoriam & inſtitutiones Anatomicas, tyronibus artis non contemnendas. Primus detexit valvulam admodùm inſignem, craſſam atque membranaceam, orificio inteſtini ilei in colon hianti adſtantem, quam in hunc uſque diem *Bauhinianam* dicimus: Licèt non defuerint, qui primam ejus inventionem aliis adſcripſerunt, quâ de re mordaciſſimam pro more litem movere non dubitat *Riolanus*: Hic enim *anthropologiæ ſuæ Libr.* I. *Cap.* XII. prolixè probare ſuſcepit, valvulam coli jam dudùm ante natum *Bauhinum* eleganter deſcripſiſſe, *Varolium* & *Salomonem Albertum*; atque hinc plagii reum eſſe *Bauhinum* Addit quoque Archangelum *Piccolhomineum*, Medicum Romanum, in ſuis prælectionibus Anatomicis, quas annô 1586. edidiſſet, jam inſinuâſſe mirificum naturæ artificium ad principium Cœci collocatum, videlicèt tres valvulas eô fine conſtructas, ùt remeantibus ſordibus obſiſterent. Obiit annô 1623. cùm annum ætatis ſuæ ſexageſimum tertium attigiſſet, & reliquit filium, *Johannem Caſparum Bauhinum*, pariter Profeſſorem in Academiâ Baſileenſi, qui non ſolùm Galliæ Regis; verùm etiam variorum Principum Germaniæ Archiater exſtitit, Anatomica verò ad exemplum Patris ſui non ſcripſit.

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô.

De Corporis Humani Partibus externis, Liber, hoc eſt, Univerſalis Methodi Anatomicæ, quam ad Veſalium accomodavit, Lib. I. multis novis, iiſdemque raris obſervationibus propriis refertum. Baſileæ, apud Epiſcopium, 1588. in 8. apud Henric. Petri, 1592. in 8.

Anatomes Liber ſecundus, Partium ſpermaticarum Tractationem per quatuor cauſas continens. Baſileæ apud Henr. Petri, 1592. in 8.

Anatomica Corporis Virilis & Muliebris Hiſtoria. Lugduni, apud Johannem le Preux, 1597. in 8. Baſileæ, apud Conradum Filell, & Ludoricum Kônig, 1609. in 8.

De Corporis humani Fabricâ. Lib. IV. Methodô Anatomicâ in Prælectionibus publicis propoſitâ: ad And. Veſalij Tabulas inſtitutâ: ſectionibuſque publicis & privatis comprobatâ, multis deniquè Inventis & opinionibus auctâ. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri, 1600. in 8. Francofurti, apud Johan. Theod. de Bry, 1621. in 4. titulô: Theatrum Anatomicum.

Vivæ imagines Partium corporis humani, æneis formis expreſſæ, & ex Theatrô Anatomicô Caſp. Bauhini deſumptæ, operâ & ſumptibus Mathæi Meriani. Francof. 1640. in 4.

Inſtitutiones Anatomicæ, Hipp. Ariſt. Gal. auctoritate illuſtratæ, 1604. in 8. Francof. apud Joh. Theod. de Bry, 1616. in 8.

De Hermaphroditorum Monſtroſorumque Partuum naturâ, ex Theologorum, Jureconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, & Rabinicorum ſententiâ, Libri duo hactenùs non editi: planè Philologici, infinitis exemplis illuſtrati. Oppenheimi, apud Hier. Gallerum, 1614. in 8. Francofurti, apud Mathæum Becker, 1604. in 8.

Franciſci Rouſſeti Librum de Partu Cæſareô è Gallicô in Latinum tranſtulit & edidit. Baſileæ, 1591. in 8.

Appendix ad Franc. Rouſſeti Lib. De Partu Cæſareô, varias & novas Hiſtorias continens, quibus, quæ in illô tractatu continentur, comprobantur. Exſtat in Gynæciorum Libris ab Iſr. Spachiô editis, pag. 480.

Φυτοπίναξ ſeu, Enumeratio Plantarum, (2460.) ab Herbariis noſtrô ſeculô deſcriptarum, cum earum differentiis: cui plurimarum hactenùs ab iiſdem non deſcriptarum (164) ſuccinctæ deſcriptiones & denominationes acceſſêre: additis aliquot (8) hactenùs non ſculptarum Plantarum vivis Iconibus. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri, 1599. in 4.

Πίναξ Theatri Botanici, ſive, Index in Theophraſti, Dioſcoridis, Plinij, & Botanicorum, qui à ſeculô ſcripſerunt, Opera: Plantarum circiter ſex millium ab ipſis exhibitarum nomina, cum earundem ſynonymis, & differentiis, Methodicè, ſecundùm earum & genera & ſpecies, proponens. Baſileæ, apud Ludov. Regem, 1623. in 4. Ibidem, apud Johannem Regis, 1671. in 4. Hæc Editio ad Authoris autographon recenſita eſt.

Πρόδρομος Theatri Botanici. In quô Plantæ

X 4 ſuprà

ſuprà ſexcentæ ab ipsô primùm deſcriptæ, cum plurimis (140.) novis Figuris proponuntur. Francof. apud Johan. Treudelium, 1620. in 4. Baſileæ, apud Joh. Regis, 1671. in 4.

Catalogus Plantarum, circa Baſileam ſponte naſcentium, cum earundem ſynonymis, & locis, in quibus reperiuntur: in uſum Scholæ Medicæ, quæ Baſileæ eſt. Baſileæ, apud Johan. Jacob. Genathium, 1622. in 8.

Animadverſiones in Hiſtoriam generalem Plantarum Lugduni editam. Item Catalogus Plantarum circiter quadringentarum eô in Opere bis tervè poſitarum. Francof. apud Nicolaum Baſſæum 1601. in 4.

De Lapidis Bezoar Orientalis, & Occidentalis, Cervini item, & Germanici ortu, naturâ, differentiis, verôque uſu: ex veterum & Recentiorum placitis, Liber. Baſileæ, apud Conr. Waldkirch, 1613. apud Lud. Regem, 1625. in 8.

De Compoſitione Medicamentorum, ſive, Medicamentorum componendorum ratio, & methodus, in Prælectionibus publicis propoſita. Offenbachii, apud Conr. Nebenium 1610. in 8. Francof. apud Hæredes Nicolai Baſſæi, annô & formâ iiſdem.

De Remediorum Formulis, Græcis, Arabibus & Latinis, uſitatis; exemplis ad pleroſque morbos accommodatis, illuſtratis: plurimis ratione inventis, experientiâ confirmatis, ſecretique locô habitis, comprobatis, Libri duo. Francof. apud Johan. Treudelium, 1619. in 8.

Epiſtolæ aliquot Medicæ. Exſtant cum Ciſtâ Medicâ Johan. Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

Notæ in Aloyſ. Anguillarum de ſimplicibus. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1593. in 8.

Notæ in Petri Andreæ Mathioli Commentarios, in VI. Lib. Dioſcoridis, de Materiâ Medicâ, cum reſtitutione depravatæ Lectionis Dioſcoridis: adjectis Plantarum Iconibus novis plus quam trecentis. Exſtant ad ipſum Matthiolum.

De Homine, Oratio, Baſileæ, 1614. in 4.

Theatrum Anatomicum. Francof. 1605. in 8.

Appendix ad Theatrum Anatom. Caſp. Bauhini. Anatomica Corporis virilis & Muliebris Hiſtoria, apud Johan. le Preux, 1597. in 8.

Stirpium aliquot obſcuriùs Officinis, Arabibus aliiſque denominatarum, Explicatio. Exſtat cum Dionyſii Jonquet Hortô. Pariſiis, apud Franciſcum Clouzier, 1659. in 4. Ibidem, 1665. in fol.

De Plantis Abſynthii nomina habentibus. Montisbergæ, 1598. in 8.

Epiſtola Anatomica Curioſa, ad D. Voglerum Patrem. Exſtat Miſcellan. Curioſ. ſive, Epheme-rid. Medico-Phyſicarum Germ: Annô Tertiô, pag. 596. Lipſiæ & Francofurti, apud Hæred. Schureri-Gôtzianos & Johan. Fritſchium, 1673. in 4.

BAUHINUS (*Johannes*)

De eô exſtant

De Aquis Medicatis, nova methodus, quatuor Libris comprehenſa. Agitur in iis de Fontibus celebribus, Thermis, Balneis, univerſæ Europæ, & potiſſimum Ducatus Wirtembergici, eorum mixtionibus, Metallis, ſuccis, inveſtigandi & utendi modô, ac eorum viribus. Item de variis foſſilibus, ſtirpibus, inſectis, quorum plurimæ Figuræ, ſive Icones & Regionum Tabulæ adduntur. Montisbeligardi, apud Jac. Foilletum, 1605. 1607. 1612. in 4.

Hiſtoria novi, & admirabilis Fontis, Balneique Bollenſis in Ducatu Wittembergicô ad Acidulas Göpingenſes: mandatô Illuſtriſſ. Principis Wirtemberg. ad ſubditorum omniumque vicinorum & exterorum emolumentum ob vires inſignes adornati. Cujus utilitas non in eos tantùm, qui prædictô fonte, ſed aliis etiam medicis aquis ſunt uſuri; redundabit maxima: uſui etiam in multorum morborum curationibus citrà balnea futura. Ibidem, apud Eundem, 1598. in 4. Ibidem, 1660. eâdem formâ.

Hiſtoriæ Fontis & Balnei admirabilis Bollenſis, Liber quartus, de Lapidibus Metallicifque mirô naturæ artificiô in ipſis terræ viſceribus figuratis, necnon de ſtirpibus, inſectis, avibus, aliiſque animalibus, partim in putei penetralibus, dum ejus venas aquileges perſcrutantur, partim in viciniâ inventis & obſervatis, quorum multa nunquam viſa, vivis Iconibus expreſſa hîc oculis ſubjiciuntur. Montisbeligardi, apud Jacob. Foilletum 1598. in 4.

Memorabilis Hiſtoria Luporum aliquot rabidorum, qui circà annum 1590. apud Montpelgartum & Beffortum, multorum damnô, publicè graſſati ſunt. Additis medicamentis & auxiliis ad eam, & cæterorum animalium rabiem conferentibus. Ibid. apud Eund. 1591. in 8.

De Plantis à Divis ſanctiſque nomen habentibus Caput, ex magnô Volumine de conſenſu & Diſſenſu Auctorum circa ſtirpes deſumptum. Additæ ſunt Conradi Geſneri Epiſtolæ hactenùs non editæ. Baſileæ apud Conr. Waldkirch, 1591. in 8.

De Plantis Abſynthii nomen habentibus Caput. Cum ejuſdem argumenti Claudii Rocardi Libellô publicatum. Montisbelgardi, apud Jac. Foillet, 1593. in 8.

Hiſtoriæ Plantarum univerſalis Tom. I. II. III. quam auxit Dominicus Chabræus. Ebroduni 1650. in fol.

Ejuſdem & Johannis Henrici Cherleri Hiſtoriæ Plantarum Prodromus. Ebroduni, 1619. in 4.

BAVISANUS (*Franciſc. Dominic.*) Albenſis, Sereniſſ. Princip. Emanuel. Philib. à Sabaudiâ Medicus. Vir Medicinali peritiâ, & Religionis cultû maximè commendabilis. Obiit Taurini octogenariô major.

De eô exſtant

La Piſcina ſalutari nè Bagni di Valdieri, con Trattato methodico, dôgni oſſervatione è regola neceſſaria ſecondo la diverſita de mali, al teorico conoſcimento, ed uſo pratico, non ſolo de tutte le fonzioni di que Bagni, mà pur anche profitevole al buon regolamento d'altri. In Torino, 1674. in 8.

Magnus Hippocrates Medico-moralis. Taurini, 1682. 4. Hôc Librô continentur Expoſitiones, ſive commentarii Medici & Morales in priores duas ſectiones Aphoriſmorum Hippocratis.

BAUMANNUS (*Gerhardus*)

Ex eô habentur

Conſilia aliquot Medica. Exſtant eô in Opere, quod Joh. Phil. Brendelius collegit, & edidit. Francof. apud Parthenium, 1615. in 4.

BAUMANNUS (*Joh. Nicolaus*)

De eô exſtat

De Tabaci Virtutibus, uſu & abuſu. Baſileæ 1629. in 4.

BAUSCHIUS

BAUSCHIUS (*Joh. Laurentius*)

Ex eô habentur

Shediaſmata bina Curioſa de Lapide Hæmatite: & Ætite. Lipſiæ ap. Vitum Jacob. Treſcherum, Bibliop. Uratiſl. 1665. in 8. Præmiſſum eſt prooemium Hæmato-Traumatologicum.

Schediaſma Curioſum de unicornu foſſili. Exſtat cum Johan. Michaëlis Fehrii Anchorâ ſacrâ, vel ſcorzonerâ. Uratiſlav. apud Vitum Jacob. Treſcherum, 1666. in 8.

Schediaſma Poſthumum de Cœruleô & Chryſocollâ. Jenæ, apud Vitum Jacob. Treſcherum, 1668. in 8.

Obſervatio, de Calculorum Varietate. Exſtat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Decur. 2. ann. 1. nu. 5.

BAUSCHIUS [*Leonhardus*]

Ex eô habentur

Epiſtolæ quædam Medicæ. Exſtant cum Ciſtâ Medicâ Joannis Hornungi. Norimbergæ. ap. Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

Commentarij in Libros Hippocratis de Locis in homine: de Medicamentô Purgante: de uſu Veratri: de Diætâ. Matriti, ex offic. Regiâ, 1594. in fol.

Georgij Agricolæ, de Peſte, adornatum Tractatum denuò edidit.

BAUSNERUS [*Bartholomæus*] Saxo-Tranſylvanus.

Ex eô habentur

De Conſenſu Partium Humani Corporis, Libri III. In quibus ea omnia, quæ ad quamque actionem, quoquô modô in homine concurrunt, recenſentur, actionum modus, ut & conſenſûs ratio explicatur, adeòque univerſa Hominis œconomia traditur. Amſtelod. apud Johan. Ravenſteinium, 1656. in 8.

BAUTZMANNUS [*Joh. Chriſtoph.*] Medicus in Ducatû Bremenſi Regius.

De eô exſtant in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum Dec. II. an. 4. Obſ. nu. 38.

De Morte ex ſuppuratô teſticulô muliebri.

Ibid. ann. 4. Obſ. 43.

De Melancholiâ Uterinâ periodicâ.

ANnô Æræ Chriſtianæ 1684. Februarij die 27. Senator hujus civitatis, cui aliàs à Medicinâ eram, me accerſere juſſit, proponens: veniſſe confabulatum, ut ſolebat in ædes ſuas virginem quandam, nomine *Ilſabe, Wen-baums*; [non ex fæce Civium Holſatiæ oriundam,] quæ præter ſolitum tota moribus & verbis mutata eſſet, petebat igitur, quia morbum aliquem imminere metueret, ùt opus miſericordiæ erga egenam, Parentibuſque orbatam exercerem, atque medicamenta præſcriberem. Ego haud immemor illius effati: quod noſſe morborum cauſas & principia, idem ſit ac mediam jam perfeciſſe curam. Igitur poſt amplam inquiſitionem intelligebam, penes ipſam Melancholiam eſſe hæreditariam, & quòd ſemper ſolitudinem amaverit, non verboſa fuerit, ſed plerumque cùm labores permiſiſſent, lectioni librorum Theologicorum & cantibus ſacris incubuerit. Hanc congenitam autem Melancholiam fortè auctam fuiſſe à mœrore, amore, irâ, odiô. Nam ſpreta & derelicta à ſponsô hùc confugerat, ùt præeſſet rei domeſticæ vidui ſororis, qui eam poſt moram ex neſcio quâ ſuſpicione in judicium traxerat; hinc inſomnia turbulenta, vigiliæ, metus, tandem furor. Loquebatur confusè, nunc ſacra, nunc profana, mox amores; jam vociferabat, nunc magis muta piſce erat; tunc ſi Juvenem, vel virum obſervabat, arctè comprimebat, tenebat, nec dimittere cupiebat. Tandem in furorem agebatur, ex lectô proſiliebat; lectumque & induſium laceraſſet, niſi ab adſtantibus impedita fuiſſet. Expendebam igitur antecedentia cum conſequentibus, & cùm concluſiſſem Melancholiam in furorem uterinum eſſe converſam, adhibebam ea Medicamenta, quæ ab Eruditis Medicis in hôc caſu præſcribuntur & à defunctô Parente cum ſucceſſu propinata nôram. Per inferiora ſcilicèt & ſuperiora purgare eam contendebam, venaſque per vices tundere jubebam, ſpecifica uterina adhibebam: ſed hæc parùm, vel nihil efficiebant, quum per fraudem ægrotanti propinari oportebant, nam neque cibum nec potum capere volebat. Hôc modô inſomnes ducebat noctes & dies novem, tandem ſuperveniebant largæ evacuationes menſtruæ, quas die decimô concomitabatur quietus & profundus ſopor, ex quô expergefacta, quieta jacebat, loquebatur prudenter, & quamvis vires valdè proſtratæ eſſent (ut credibile) poſt paucos dies tamen reconvaleſcere, & ad labores ſolitos (quibus victum quærebat) nempe nendum, & acu pingendum redibat, meditabunda autem & meticuloſa manebat. Ego omnem rem nunc eſſe in vadô cùm putarem, en! præter ſpem omnem eadem ſymptomata poſt Menſem alium atque alium redibant, & uti ſuprà relatum eſt, poſt nonum diem cum evacuatione largâ finiebantur. Cùm autem viduæ, quæ ex commiſeratione patientem ſuſceperat, res domeſticæ & commercia, incommoda, quæ ex hôc morbô veniebant, diutiùs ferre non poſſet, perſuadebant amici patientem, ut ſe rursùs Hamburgum conferret, fortaſſis morbum poſt mutationem aëris & loci remiſſurum eſſe. Fecit, ſed res pariter ad recidivam recidit, igitur ſuaſu & conſiliô Patronarum committebatur curæ alicujus Chirurgi, nomine *Schlaperitz*, qui ex curâ maniacorum, furioſorum & melancholicorum ſibi famam acquirebat, hic autem poſt duorum menſium curam nihil penitùs efficiebat. Cùm igitur operam & oleum crederent Benefactores perdidiſſe, in Noſocomium extra urbem, vulgò *der Peſt-Hof*, ſuis ſumptibus ei victum & hoſpitium coëmerunt, ubi, ut audio, adhuc hodiè vivit, & menſtruatim torquetur.

Ibidem Obſervatio 44. De Laudanô Opiatô purgante.

ANnô 1687. Menſe Decembri uxor mea atrociſſimis dentium doloribus torquebatur, qui omnia etiam alia remedia reſpuebant, præter ſolam illam anodynorum Anchoram Sacram, Laudanum opiatum, cujus grana octo, ſucceſſivè in formâ pilularum adhibere cogebar, hinc dolores excarnificantes quidèm ceſſabant, per totam autem noctem eorum ſenſus leviſſimus manebat, ſtertor verò nullus, ut putâram, ſubſecutus, ſed potiùs vigiliæ cum quiete permixtæ eam concomitabantur. Quod autem notatu digniſſimum erat, hoc eſt, quòd conſtipationis alvi, quæ plerumque opiatorum uſum ſubſequi ſolet, mea Patiens numeroſam potiùs evacuationem materiæ aquoſæ & fluidæ experiebatur. Caſu hôc fieri principiô putabam, verùm cùm revertentes poſt tempora dolores idem remedium poſtulabant, ſemper eundem effectum expertus ſum.

Scholium

Scholium

De Opiatô medicamentô alvum movente etiam obſervationem Exc. Dn. *Lentilius* noſter *Dec.* II. *Ephem. harum ann.* VI. *Obſ.* 202. dedit. Cur verò opium interdùm excretionem ejuſmodi moveat, eruditè, præter Nob. *D. Georg. Wolffg. Wedelium lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 5. *Opiolog. D. Michaël Ettmüllerus Diſp. de virtute opii diaphor. cap.* 3. *ſ.* 4. explicat.

Ibid. obſervatio 45. *De Quartanâ Novenni.*

SChenkius Medicus famigeratiſſimus exemplum nobis reliquit Quartanarij, qui cum hôc malô triginta tres annos conflictaverat. Undè quid mirum quod Schola Salernitana exclamaverit: *Hydrops, Quartana Medicorum Scandala plana!* Non autem illô ſolummodò, ſed etiam hôc noſtrô tempore reperiuntur Quartanæ, ut ita dicam, invincibiles, uti nobis exemplum præbuit ann. 1688. Regiæ Majeſtatis Daniæ Chriſtiani Quinti, Gluckſtadij Annonæ Præfectus, Dominus Jesſenius, qui moræ impatiens, & Medicamentorum pertæſus, de plenariâ curâ fermè deſperat, itaquè præter diem paroxyſmi cuticulam curat, paroxyſmi autem in lectô ad ſeptimam veſpertinam uſque cum plenariâ inediâ manet, & poſt finitum paroxyſmum corpus cum juſculô ex cremore hordei vel avenæ paratô reficit. Hanc quietem & abſtinentiam ſi ritè obſervat, horrorem neque calorem præternaturalem, aut alia Febrem concomitantia ſymptomata, verùm tantùm laſſitudines & gravativum in regione Lumbari dolorem ſentit, & pulſus æqualis tardiorque, quàm in diebus intercalaribus, permanet. Si verò Paroxyſmi die vinô vel Cereviſiâ & cibis ſe replet, paroxyſmum quidèm nullum eô tempore percipit, ſed hìc alterâ vice crapulam gravitate ſuâ compenſat, ſi judicium de hâc Febre curandâ per me ferendum eſſet, ſalvô aliorum & doctiorum judiciô, ſtatuerem, in Pancreate morbum ſtabilem, quod ùt credam firmiùs, dolores Lumbares & ventriculi anſam mihi præbent, & poſtquam vires ſuas huc-uſquè perdidit; curatu facilem eſſe, ſi ſaltem bonam diætam uſus medicamentorum Martialium aperientium, ad tempus concomitaretur.

Scholum

Quamvis poſt *Phavorinum*, quem *Gellius* citat *Lib.* 17. *Noct. Attic. cap.* 12. alij quoque inventi ſint, qui febrem quartis diebus recurrentem laudaverint, nemo tamen repertus, qui eandem ſibi ſpe ſanitatis exoptaverit. Commoda verò, quæ ejuſdem invaſio parturire poſſet, longè ſuperant incommoda, eandem comitari ſolita; quæ inter imprimis metuenda ejus diuturnitas numerari debet, quæ tanta eſſe nonnunquam ſolet, ùt plurimos per annos torquere hominem valeat, ceu præter hanc Nob. D. Auctoris obſervationem, etiam *Joh. Rhodius centur.* 1. *Obſ. Med.* 14. talis modi febres per tredecim, & viginti duos annos adfligentes; *& Joh. Wierus Lib.* 1. *Obſerv. Med.* præter hiſtorias quartanæ ſeptem, ut & quinque annorum letiferæ, etiam triginta tres; necnon *Wolfgang. Gabelſchoverus Cent.* 6. *Obſ.* 74. quadraginta octo annos durantem producit. Hinc *Joh. Valent. Majer*, *pag.* 74. *Conſilij febrifugi*, in peregrinationibus ſuis Italicis, Neapoli elegantem picturam ſe apud Medicum celebrem vidiſſe recenſet, quæ varios febribus decumbentes præſentaverit, qui omnes Medicum adventaneum venerati fuerint, ſolô quartanariô non tantùm ipſi obedientiam & cultum denegante, ſed inſuper illudente. Cauſam tantæ hujus diuturnitatis unicè à neglectâ ciborum intemperantiâ provenire, celebris quidam ſcriptor anonymus non ita pridem ſtatuit; Cùm enim quartanæ binos ralaxationi dies indulgeant, paucos, qui prudenti in victûs cautelâ, benè inſervire huic tempori ſciant. Quanquam, quod apud *Marcell. Donatum* legitur, *Lib.* 3. *Med. Hiſt. mirab. Cap.* 14. Vidus Thraſimenus Grammaticus narrare ſolebat, graviterque etiam queri, ſe ſupra quatuor & viginti annos quartanâ continenter laboràſſe, etſi continentiſſimis erat moribus, ſummâque ſobrietate.

Ibidem Obſerv. 46. *De Arthritide Tertianâ.*

ANnô 1688. principiô Menſis Septembris horror quidam febrilis invadebat uxorem ultra ſeptuagenariam Regij noſtri Mathematici Domini Johannis Henrici Vogtij, & ùt plerumquè fit à ſexu ſequiore, habetur pro Eryſipelate. Tertiâ die non ſolùm Febris cum horrore, ſed & calore præternaturali, imò cruciatibus humeri & brachij ſiniſtri recurrit. Vocor ego ex viciniâ, Patientem exploro, nihil mihi niſi de igne ſacrô & metu Apoplexiæ loquitur. Tango pulſum, invenio febrilem, imò omnia ſymptomata Febrem concomitantia. Adhibeo Bezoardica Cerebrum & Cor confortantia, verbô, circulationem ſanguinis & humorum cum permeabilitate corporis promoventia. Alterô die inſtat dolor, ſed remisſior, totam ſiniſtram Manum cum tumore occupans. Progredior cum præſcriptis; tertiô autem die, mirum! denuò Patientem Febris cum horrore & cruciatibus maximis utriuſque manûs & pedum invadit, ſicque tertiô quôque die Patientem cum vagis Arthritidis doloribus conſtanter aggreditur, nihilominùs diebus intercalaribus aliquô modô dolores remittebant. Præter interna, varia etiam externa medicamenta non ſolùm à me, ſed extraneô Clariſſimô Medicô, adhibita ſunt, cum variô ſucceſſu, ut ſolet in hôc morbô, proùt enim vel ſymptomata remittebant, vel acerbabantur, medicamentis adſcribebantur effectus, tandem pertæſa Patiens moræ & Medicamentorum, utraque impatiens repudiabat. Tertius nunc menſis abit, quô cum morbô & Ægrâ conflictatus ſum, vici quoad horrores febriles & calorem inſequentem, dolores etiam tertiani nunc de die in diem magis atque magis remittunt adeò ut mox plenariam ſanitatem ſperem, quantùm quidèm hoc hybernum tempus permittit.

Simile etiam Exemplum Tertianæ Arthritidis mihi contigit hôc annô vidiſſe, in Matronâ viduâ Præpoſiti alicujus extra urbem, in quâ dolores itidem tertiô quôque die ingraveſcebant, hæc à me curabatur brevi feliciter, cùm autem læta ex reſtitutâ ſanitate maximô in frigore Deo gratias actura Templum viſitâſſet, en! recidivam patitur, quæ illam adhuc in Lectô, cum remiſſioribus tamen doloribus, detinet.

Ibidem Obſervatio 47. *De Hæmorrhagiâ uteri in ſeptuagenariâ ſalutari.*

NIhil dici quod non ſit dictum prius; in ore omnium proverbium eſt, quapropter fretus veritate hujus dicti non dubito ad normam *Obſervationis Centeſimæ ſexageſimæ Sextæ, decadis primæ anni decimi; & decadis ſecundæ anni primi Obſervationis Centeſimæ ſexageſimæ Sextæ Ephemeridum harum Medico-Phyſicarum Germani-*

carum,

carum, proponere ſequentem caſum: Vidua Scytotomi annorum ultrà ſeptuaginta (ut hariolor, nam annum nativitatis certum ignorabat) cæterùm ſemper hilaris & jocoſa, annô 1688. per totam faciem, collum, pectus & brachia corripiebatur latè ſerpentibus maculis, ſenſim ad nigredinem vertentibus, ex ſanguine extravaſatô, & propter impeditum motum acidiùs factô, ortum ducente, qui tandem etiam labia & gingivas corripiebat, corrodebatque, undè ſatis larga noctes dieſque ſequebatur hæmorrhagia, ità ùt non vanô metu Gangrænæ (Belgicè *den Waater-kanker* dictæ) ſuaderem, committeret externam curam experto Chirurgo, dum ego internam obſervarem. Sic cùm uterque noſtrûm, dextrè ſuô fungitur officiô, ecce! per Genitalia magna etiam vis ſanguinis intermiſſum per plurimos annos curſum repetebat, & per pluſculos dies continuabat. Ità brevi Patiens curabatur, & pro viribus ætatis ſuæ pancraticè vivit,

Ibidem Obſervatio 48. *De Noxiô Mytulorum uſû.*

MYtuli, vulgò *Muſcheln*, (conchyliorum genus Maris Baltici æquè ac Septentrionalis Oceani accolis notiſſimum) ab innumeris hominibus avidè ſatìs, innoxièque comeduntur. Nihilominùs tamen plurima intra muros Civitatis noſtræ, & extra, exempla me docuerunt, ex eorum genere eſſe nonnullos, veneni quidpiam in viſceribus occultantes. Vidi enim non paucas Matronas, Virgines & Infantes ex eorum eſu malè ſe habentes, ſentientes præcordiorum anxietates, ſudores frigidos, lipothymias, ventris, faciei, & extremitatum intumeſcentiam, ità ùt actum de earum vitâ putâſſes. Adhibitâ verò Theriacâ cum Cereviſiâ calidâ, in vomitum & dejectiones numeroſas ſolvebantur ſymptomata, poſt repetitum cordialium alexipharmacorumque uſum, ſecundô tertiôve die priſtinæ ſanitati reſtitutæ fuerunt.

Ibidem Obſervatio 49. *De Vinorum quorumcumque ac aceti æmulatione, & farinâ triticeâ multiplicandâ.*

Ibidem Obſervatio 50. *De Molis ex Hydatidibus conflatis, abortum inſecutis.*

UTi bonam Cantilenam bis repetere nullus bonus Muſicus vetabit, ſic etiam puto, neminem mihi vitiô vertere, ſi *obſervationi* 156. *Decadis ſecundæ anni tertii*, etiam meum addidero calculum.

Primum exemplum mihi præbuit uxor Reverendi Domini Johannis Klungen, Paſtoris Neokirchienſis, ab oppidô Horneburg duo circiter diſtans ſtadia, hæc gravida, à Menſis Aprilis fine uſque in Junium cum Febriculâ, crebris vomitionibus, & ultimis duabus ſeptimanis menſium continuô fluxu conflictaverat, quam decimô quintô Junij (dies erat Veneris) horâ matutinâ octavâ largiſſima inſecuta fuerat Hæmorrhagia, à Matronis ex viciniâ advolantibus proximô die inhibita, die decimô octavô autem horâ matutinâ nonâ recrudeſcens: horâ decimâ abortiverat, undecimâ ſecuta fuerat ſecundina, cumque eâ maxima hæmorrhagia, ſitulam ferè aquariam ad medium replens. Intereà lamentata fuerat de doloribus atrocibus Hypochondrij & cruris ſiniſtri; Circa horam autem veſpertinam decimam ſine ullô dolore Molam veſicularem ex hydatidibus conſtantem, enixa fuerat, quam Maritus mihi in urnâ vel ollâ ſatis magnâ decimô nonô Junij transmiſit, petens inſuper judicium meum, quia Matronæ, quæ partubus hiſce interfuerant, ſe nunquam quidquam ejus generis vidiſſe, confirmâſſent, & ùt opem ægrotanti ac ferè agonizanti ferrem, obnixè efflagitabat. Cùm igitur in præſentiarum quid rei eſſet explicaviſſem, ea, quæ ad rem faciebant, applicavi, quibus cœlitùs benedictis res adeò feliciter ceſſit, ùt poſt complures quidem ſeptimanas nunc integræ ſanitati cum Mariti & Liberorum votô reſtituta ſit.

Alterum mihi exemplum præbuit Bibliopegi alicujus in hâc Civitate Uxor, quæ hactenùs gravida, incidit in Febrem continuàm, cum intenſiſſimô calore & ſibi intolerabili, vomitu etiam cruentô. Moles abdominis præter ſolitum elata erat, & in illô ſitu, in quô ægrota propter continuam vomitionem eſſe cogebatur, valdè affligebat. Poſt nonnullos dies de motu Embryonis dubitabat, & in lumbari regione ardorem intenſiſſimum ſentiebat. Tertiâ deniquè ſeptimanâ, cùm partûs tempus nondùm appropinquâſſe exiſtimaret, abortiebat filiam, quæ in regione lumbari gangrænam paſſa fuerat, cui inſequebatur Mola, carnoſis lobis & multis hydatidibus interſperſa ac ſatis magna, quæ, ſi conjectura valet, fœtui mortem per ſubtractionem alimenti & conſequenter propter internum calorem maternum (Mater nempe noctes dieſque ſuper dorſum cubare cogebatur) putredinem conciliaverat. Adhibitis autem neceſſariis Pharmacis mulier hæc pariter nunc vivit pancraticè.

Ibidem Obſervatio 51. *De Fuſtigatione cum Scuticæ baculô lethali.*

Ibidem Obſ. 52. *De Pyris monſtroſis.*

Ibidem Decur. 3. *ann.* 1. *in Appendice Hyſtericæ Paſſionis Admirandum Exemplum in Virgine, omnem morbi viciſſitudinem, ipſamque medendi rationem, variis ſomniorum prædictionibus edocens.*

Ibidem Decur. III. ann. 7. & 8. *Obſervatio* 23. *De Pulvere datô, ad extorquendam incendiarii confeſſionem.*

Ibidem Obſervatio 24. *De fœtû in uterô exſiccatô.*

Ibidem Obſervatio 25. *De Morbô ex incantatione Mirabili.*

Ibidem Obſervatio 26. *De pene monſtroſô.*

ANnô ſalutis recuperatæ Milleſimô ſexcenteſimô nonageſimô quintô, Cereviſiæ coctori & Civi noſtræ Civitatis Johanni *Pils*, filius primigenius naſcebatur, cujus glans Penis inverſa erat, cum inferiùs pendulô præputiô, frænô verò ſuperiùs viſibili. Glans, ut naturaliter debebat, in apice perforata non erat, ſed in regione fræni per parvulum foramen urina pauliſper ſcaturiebat. In radice Penis autem, ubi ſulcus aliquis ſub oſſe pubis formatur, in conſpectum ſe dabat fiſſura transverſa, inſtar vulvæ, cum rubicundis labiis, in cujus fundô è duobus orificiis copioſior quàm à glande urina propullulabat. Idcircò hic Puer nunc triennis (præterquam quòd propter continuum vagitum ab acredine urinæ excitatum

citatum, ſibi Herniam inguinalem contraxit, adhuc urinæ incontinentiâ laborat.

Ibidem Obſervatio 27. *De Dyſuriâ extincti Anatome.*

HActenùs in praxi meâ, ſi ritè memini, octo ſe mihi obtulerunt Patientes, Dyſuriâ mortali confligantes, quibus non ſolùm à me, ſed & aliis præſtantiſſimis Medicis (taceo Medicaſtros) fruſtrà levamina, etiam omnis generis, adhibita fuêre. Fateor etiam quòd caſus ille, quem Magnificus Præſes Dn. D Lucas *Schrockius* in Decadis II. annô VIII. Obſervatione 232. recenſet, me ſæpiſſimè anxium detinuerit, quale de illis hactenùs tractatis Patientibus prognoſticon proferre debebam. Non ſemel etiam dolebam de perversô illô hominum plerorumque more, nolentes aperturam cadaverum ſuorum propinquorum concedere, quorum ope noſtra experientia firmior reddi poſſet. Tandem autem illam obtinui, concedente in vivis Patiente, & poſt mortem Parentibus, an. 1698. die quintô Aprilis in corpore Georgij Nicolai *von Staden*, filij maximæ ſpei & indolis, Secretarij Regij Conſiſtorij. Hic puer tredecim annorum cum ſemiſſe, in vitâ ſuâ per complures annos dolore Renum, Abdominis, Dyſuriâ, dolore in Glande Penis, (quam continuò comprimebat) vexabatur, tandem in Hecticam incidebat, & per intervalla cum urinæ ſtillicidiô maximôque ardore urinæ pituitam lentam in fundô matulæ adhærentem tenaciter excernebat. Apertô Cadavere, Veſicam Pure ſcatentem, cum Lapide ℥*iii*ß. inveniebam, qui propter aſperitatem ſuam, orificium veſicæ continuò vellicaverat, & ad excernendum onus, ſed fruſtrà, compulerat, & Veſicam maculâ nigrâ, fortè Gangrænâ incipiente notaverat, undè etiam continuæ vomitiones bilioſæ ante diſceſſum ex hâc miſeriarum valle. Renis dextri parenchyma penitùs conſumptum erat, & ſacculus relictus, pure coctô refertus apparebat. Ren ſiniſter valdè flaccidus, tamen à putredine intactus manſerat, cæteris viſceribus ſanis & illæſis. Ex quibus conjicere poteram, Renem in principiô morbi calculis refertum fuiſſe, qui aſperitate ſuâ ſuppurationem ibidem fecerunt, tandem autem per Ureterem in Veſicam deſcendiſſe, ibidèm per ſubſequens & deſtillans pus, & mole tartareâ in dies auctos, in unum corpus coaluiſſe. Credo igitur (circa præjudicium tamen aliter ſentientium) omnes illos Dyſuriâ laborantes, quos hactenùs tractavi, qui dolorem illum ſympathicum in Glande perpeſſi fuerunt, & Pituitam lentam excreverunt, ſi non calculos in Veſicâ aluêre, ſaltem ſuppuratos Renes habuiſſe.

Ibidem Obſervatio 28. *De Verme in Lapide repertô.*

Ibidem Obſervatio 29. *De ſecali temulentô.*

Ibidem Obſervatio 30. *De ſciurô albô mortis nunciô.*

Ibidem Decur. III. ann. 9. *&* 10. *Obſervatio* 234. *De Morte ex Vulnere Inteſtini Recti.*

GEorgius Hermanni, miles gregarius Legionis Vellingianæ, ann. 1702. die 23. Aprilis, extrà Civitatem noſtram Stadenſem, in Diverſoriô, quod ad ultimum Obulum Vocatur, inter pocula Cereviſiæ Bremenſis, quæ inter alias hujus regionis pro generoſiſſimâ habetur, & luſus Conorum, à verbis ad verbera & tandem gladios veniebat, in quô tumultu vulnerabatur, & 25. ejuſdem menſis, cum febre & ſingultu moriebatur. Inſpectum cadaver, inveniebatur hinc indè lividum & ſanguine ſuffuſum, ſcrotum gangrænoſum, abdomenque diſtentum. Apertô Abdomine, vulnus, quod inter Coſtam veram ultimam, & ſpuriam primam, lateris ſiniſtri, punctìm cum gladiô latô acceperat, longitudinem pollicis habebat, penetraveratque diaphragma, propè Coſtas deſcendens ad Inteſtina, illæſis Ventriculô & Liene. Statìm poſt aperturam Abdominis, fœtor gravis nares feriebat, & Inteſtina flatibus diſtenta ac excrementis conſpurcata in conſpectum veniebant. Sedulò quidem Chirurgus vulnus inteſtinorum quærebat; ſed invenire hactenùs non poterat. Tandèm jubebam ùt ſtomachum cum reliquis inteſtinis & Meſenteriô cultrô auferret, atque ablueret, proſequendo à Pylorô uſque ad Inteſtinum rectum, manupreſſione illud quod ſcybalorum adhuc in Inteſtinis reſtaret. Hôc factô, Vulnera duo, per exitum excrementorum ſe prodebant in Inteſtinô rectô. Hæc quidèm non penetraverant per tranſverſum totum Inteſtinum, ſed illud ab unô latere, ſiniſtrô ſcilicèt, læſerant, diſtabant à ſe invicem dimidiô pollice, unum ſuperius, alterum depreſſius, fibras tranſverſim ſecando, quorum labia jam tum gangrænam perpeſſa fuerant. Quamvis verò nec arteria magna, nec Vena cava, aliaque vaſa ſanguifera grandiora læſa fuerunt, attamen non contemnenda ſanguinis extravaſati pars cum excrementis mixta inveniebatur in abdomine, quæ invicèm fermentata, Gangrænam partibus induxerant, atque ſymptomata, mortis prodromos, induxerant, quia neque Vulnus Diaphragmatis & Inteſtini, ut decebat, legitimô modô deligari, nec iis Medicamenta idonea adhiberi potuerunt.

Ibidem Obſervatio 235. *De Menſium Fluxûs immodici Remediô.*

AD hanc Obſervationem recenſendam, anſam mihi præbuit Obſervatio 182. Decadis 3. anni 7. & 8. ubi agitur de Lochiorum, ſive ſanguinis immodici profluvij remediô domeſticô probatiſſimô. Novimus, quod dies diem doceat, & Praxis ſemper, ut quondam Africa, aliquid novi afferat, nec ſemper ea remedia contemnenda eſſe, quæ ortum à Vetulâ, vel Circumforaneô ducunt, quandoquidèm etiam illi ſua remedia de progenie in progeniem ex Medicis hauſerunt. Ante viginti, & quod excurrit, annos, Verbi Divini Præconis uxor, propè Hamburgum, in Vicô Nierſtädenſi, plurium Liberorum mater, incidit, neſcio ex quô factô, in hæmorrhagiam uteri, per multos annos plurimorum Medicorum remedia eludentem, undè adeò emaciata, ùt continuè Lectum premere cogeretur, ex quô etiam Filiæ nuptiis proſpiciebat. Tandem conſilium dabatur, ùt caperet ſerici, Coccô tinctoriô infecti fila (quæ Gallis *Cramoiſi* audiunt,) eaque forficulâ in minutiſſimum pulverem conſcinderet, hujuſque pulveris ſcrupuli ferè quantitatem manè & Veſperi cum Cereviſiâ calidâ hauriret. Hôc medicamentô aliquantô tempore continuatô in dies meliùs habere cepit, & ſi benè novi, adhuc hodiè, vidua quamvis, benè valet. Cùm etiam ante duos annos mihi idem ſymptoma occurreret, in civis hujus loci uxore, cujus Maritus Tabaci Folia in filum ducebat, & plurima medicamenta fruſtrà à me tentata eſſent, etiam ſuperiùs allatum levamen ad manus ſumebam, & cum tempore

pore ſanabat eam Dominus. In quô autem hujus remedij vis conſiſtat, dicere audacter non poſſum. Adſcribunt quidem Botanici Cocco tinctorio & Granis Chermes, quibus inficitur ſericum, vim adſtringentem & Cordialem, nihilominùs etiam nonnullis Medicis in quibuſdam compoſitis ſuis intermiſcere ſericum crudum placuit, utri autem ex his vera adſtringendi hunc fluxum cauſa adſcribi poſſit, Clariſſimis Viris acutioris ingenij dijudicandum relinquo.

Ibidem Obſervatio 236. *De Anatome Crapulâ defuncti.*

Ibidem Obſervatio 237. *De Morte ex Nimiâ panis ingurgitatione, ſubitaneâ.*

BAYERUS (*Joh. Michael*)

De eô exſtat

Epiſtola Admonitoria ad Franciſcum Cimam, Medicum Venetum. Patavij, apud Carol. Rizzardum, 1662. in 12.

BAYFIELD (*Robertus*)

Ex eô habentur

Exercitationes Anatomicæ. Londini, 1677. in 12.

BAYLE (*Franciſcus*) Medicus eruditus, Regius in Artium Facultate Univerſitatis Toloſanæ Profeſſor, mortem obiit 24. Septemb. anni 1709. annos natus 87. ad ultimum vitæ exitum profeſſorali munere functus. Vir fuit integer vitæ, qui cæterorum, inter doctos, laudibus nullô modô invidebat, imô ſibi ſuas occulebat. Optimus rigiduſque diſciplinæ obſervator, qui vel in moleſtioribus caſibus Philoſophô Chriſtianô dignam, ad finem uſque, conſtantiam præbuit. Per varia, quæ protulit, ſcripta eum non minùs Phyſicum fuiſſe acutiſſimum, quàm peritiſſimum Medicum, apparet. Annô 1700. Curſum Phyſicum publicavit, in tria diviſum volumina in 4. Plura etiam reliquit ſcripta tum Metaphyſica, tum Moralia, quæ ad lucem publicam ſunt perventura.

De eô exſtant in Lind. Renov.

Syſtema Generale Philoſophiæ, 1669. in 8.

Diſſertationes Medicæ tres. I. de Cauſis Fluxûs menſtrui Mulierum. II. De ſympathiâ variarum corporis partium cum uterô. III. De uſu Lactis ad tabidos reficiendos, & de immediatô corporis alimentô. In quibus receptæ communiter circa ſubjectam materiam, Veterum ac Recentiorum opiniones erroneæ refelluntur, & veræ morborum ac ſymptomatum cauſæ aſſignantur. Toloſæ, 1674. in 4. Brugis, apud Jodocum Van der Meulen, 1678. in 8.

Tractatus de Apoplexiâ. In quô ex novâ hypotheſi hujus affectionis cauſa penitùs inquiritur, omnium vulgò opinionum de hôc morbô abſurditas oſtenditur, & curatio vera atque ſuccincta proponitur, ex doctrinâ Hippocratis. Toloſæ, 1676. in 12. Hagæ Comitis, 1678. in 12.

Diſſertationes Phyſicæ. In quibus principia proprietatum in miſtis: Oeconomia Corporum in Plantis & Animalibus: Cauſæ & ſigna propenſionum in homine: nec non alia quædam ad lucem & refractionem ſpectantia demonſtrantur. Cum figuris in fine appoſitis. Hagæ Comitis, 1678. in 12.

Diſſertatio de Experientiâ & Ratione conjungendâ in Phyſicâ, Medicinâ, & Chirurgiâ. Hagæ Comitis, 1678. in 12.

Problemata Phyſica & Medica. In quibus varii Veterum & Recentiorum errores deteguntur; præcipuè circa quaſdam ſanguinis evacuationes, tum ſponte, tum arte factas: & circa Criſes, earumque Cauſas, ac veræ quorumdam Remediorum indicationes demonſtrantur. Cum Figuris in fine appoſitis. Hagæ Comitis, 1678. in 12.

De eôdem præterea ſic in Actor. Lipſienſium ſupp. p. 585. Tom. I.

Diſſertation ſur quelques Queſtions de Phyſique & de Medicine, &c. i. e.

Diſſertatio, Quæſtiones nonnullas Phyſicas & Medicas explanans, auctore Franciſcô Bayle, Medic. D. & Artium Liberalium Profeſſore Toloſanô. Toloſæ. apud Fouchac & Bely 1688. *in* 12.

Poſtquam aliquot *Noſtri* opuſcula ſucceſſivè *Toloſæ* primùm edita, (*Diſſertationes* nempe *Medicæ tres*, *Diſſertatio de ratione & experientiâ conjungendâ*, *Diſſertationes Phyſicæ*, *Problemata Phyſica & Medica & Tr. de Apoplexiâ*) iteratò *Hagæ Comitis ann.* 1678. prodierunt, Auctor Nobiliſſimus ab eô tempore alia quoque eruditionis monumenta ſuis Auctoribus calamô excipienda propoſuit. Quæ cùm avidè in Academiâ non tantummodò Toloſanâ, ſed & Monſpelienſi, à quamplurimis etiam exteris deſcriberentur, ceu ad Medicinam & Phyſicam promovendas apprimè facientia non defuerunt amici; qui Auctorem celeberrimum ad eadem divulganda ſollicitarent, nè alii eorum poſſeſſores potiora ſuis poſthàc operibus inſerendo, gloriam ipſi debitam immeritò præriperent. In *Epiſtolâ* proin ad *Drelincurtium* D. M. Diſſertationi præſenti, quam hic petierat, præfixâ, cauſas uberiùs deſideratam Tractatuum editionem hucuſquè præpedientes exponit, certè perſuaſus fore, ùt plagia ejuſmodi, etiamſi magnis intexta fuerint operibus facillimè à prudentioribus ex ſtylô, peculiari cujuſvis ingenii charactere, connexione &c. non ſine plagiarii opprobriô advertantur. Quamprimùm tamen otiô potitus fuerit, Opuſcula ann. 1680. 81. & 82. dictata, de Motu, de Principiis Mechanicis, de Elementis, de Temperamentis, de Fermentatione, de Corporibus mixtis, de Plantis, de Corpore Animalium, de Humoribus Animalium, de œconomiâ Corporum Animalium, de Generatione & Corruptione Animalium, cum quibuſdam in Ariſtotelem Commentariis, publici ſe juris facturum pollicetur. In ipſâ verò Diſſertatione triplicem Quæſtionem de venæ ſectionis neceſſitate, de muſculorum intercoſtalium actione, & de valvularum cordis uſu, exhibet enodatam.

Ibid. ann. 1703. *p.* 76. *Franciſci Bayle Convenatis Bononienſis, Doctoris Medici, in Univerſitate ſtudiorum Toloſanâ Liberalium Artium Profeſſoris Regii, & in Academiâ Ludorum Floralium Socii, Opuſcula. Toloſæ apud Guilielmum Robert, Liberalium Artium Magiſtrum & Typographum,* 1701. *in* 4.

Cujus Inſtitutiones Phyſicas, ad uſum ſcholarum accommodatas, ſuperiori annô recenſuimus, Clariſſimi Bayle, ſcientiæ Phyſicæ pariter atque Arti Medicæ promovendæ intenti opuſcula reliqua in unum volumen congeſta nunc exhibemus

exhibemus. Sub triplici autem iſta conſideranda veniunt differentiâ. Quædam enim Latinô idiomate ab Auctore quondam in publicum fuerunt emiſſa, ut I. *Diſſertationes Medicæ tres de Cauſis Fluxûs Menſtrui mulierum, de ſympathiâ variarum corporis partium cum uterô, de uſu lactis ad tabidos reficiendos, & de immediatô corporis alimentô tractantes.* II. *Diſſertationes Phyſicæ ſex.* III. *Problemata Phyſica & Medica* IV. *Tractatus de Apoplexiâ.* Quædam Gallicè ſcripta, ab aliis Latinitate donata ſunt, ut V. *Diſſertatio de neceſſitate conjungendi experientiam cum ratione.* VI. *Hiſtoria Anatomica Graviditatis* 25. *annorum.* VII. *Informatio circa Mulieres quaſdam quæ à Dæmone poſſeſſæ credebantur.* VIII. *Diſſertatio de Cauſâ ſuſpenſionis vaporum in aëre.* Quædam nunc demum luci publicæ expoſita ſunt, ut IX. *Diſſertationes Phyſico-Morales quinque.* Mittimus nunc priora quinque opuſcula, quæ omnium jam teruntur manibus, de reliquis pauca dicturi.

In *Hiſtoriâ Anatomicâ graviditatis* 25. *annorum*, recenſet Noſter, pannorum tonſoris uxorem gravidam, etiamſi poſt nonum geſtationis menſem, partûs doloribus fuerit correpta, fœtum tamen eniti neutiquam potuiſſe, ſed per dictum temporis ſpatium in alvô retinuiſſe, & ex febre continuâ tandem annô 1678. duos & ſexaginta annos natam, obiiſſe: apertô cadavere fœtum, materiâ quâdam callosâ, in quam amnium & chorion degeneraverant, obvolutum, extra uterum, in fundô ulcere fœdum, epiploo ſcirrhoſo, duoſque tranſverſos digitos craſſo adnatum, juſtâque magnitudine & debitâ partium mollitie præditum fuiſſe repertum. In quorum phænomenorum ætiologiam ſedulò inquirit, & poſtquam cauſas partûs naturalis expoſuerat, placentamque uterinam ab uterô, propter abſumtum humorem utrumque conglutinantem, ad inſtar pomi ab arbore decedere, fœtumque non reſpirationis, ſed alimenti defectû in lucem prodire, diſſeruerat; quomodò hìc infans uteri, in quô conceptus omninò fuerat, fundum perforaverit, inquiſiturus ſupponit, pavorem ob peſtem in urbe tum graſſantem excitâſſe in matris ſanguine exagitationes p. n. alimento fœtûs labem affricantes: hinc & uterum & embryonem moleſtis irritationibus fuiſſe concuſſum, ſed irritis, propter ſpirituum determinationem, ad uteri oſtium relaxandum, dilatandaſque vias neceſſariam, deficientem; his tamen conatibus perſeverantibus, fœtum per uteri (geſtationis tempore ſingulari mollitie aliàs donati) fundum diſruptum verſus pectus retroceſſiſſe. Quòd extra uterum vivere potuerit, cauſam rejicit partim in placentam uterinam, quæ ex parte utero forſan adhuc affixa, alimentum fœtui ſuppeditaverit, partim in connexionem chorii lacerati cum epiploô, ſiquidem per hanc ſanguis & ſuccus nutritius ex hujus vaſis depluens fœtui facilè communicari potuerit. Quòd verò nullam putredinem conceperit, vel tetrum odorem ſpiraverit fœtus, acidum p.n. in causâ fuiſſe credit; quòd quemadmodùm in epiploô ſchirrum & exceſſivam craſſitiem produxerat, ità infanti vel ſanguine, vel vapore tenùs communicatum, ſal volatile, putredinis auctorem inhibuerit, fixerit, & totiùs corporis ſoliditatem conſervaverit.

Informationi circa quaſdam mulieres, quæ à Dæmone obſeſſæ credebantur, occaſionem dederant ſymptomata quædam, (ut ſubitus in terram lapſus, ſingultus, volutatio corporis in latera, & alii motus convulſivi, pulſus parvus & frequens, inepti ſermones, acicularum, funiculorum & vittarum per os rejectiones, eorum, quæ in paroxyſmô acciderant, obliviones, febris &c.) quæ plures ejuſdem loci incolas, & in templô magis quàm alibi corripiebant, & ad corporis uſque maciem vexabant, Hinc requiſitus à Magiſtratu Cl. *Bayle*, ùt cum aliô ſibi adjunctô Medicô ægros viſeret & examinaret, re exploratâ pronunciat probatque, neutiquam à faſcinô, vel Diaboli obſeſſione, dicta ſymptomata ſuborta: ſed à diſpoſitione hypochondriacô-epilepticâ fuiſſe concitata. Quòd verò plures loci anguſtioris incolæ eôdem malô laborârint, imaginationi adſcribit: cùm enim undiquè concurrerint homines, geſticulationes &c. mulieris, quæ prima illis obruebatur ſymptomatis, curioſô oculô obſervaturi, morbumque pro dæmoniacô habitum cogitationibus continuis fuiſſent proſecuti, factum eſſe dicit, ùt quæ delicatam mollemque cerebri temperiem ad hos affectus fovendos diſpoſitionem nactæ fuerant mulieres, iiſdem exponerentur ſymptomatibus. Cur in templô potiſſimùm paroxyſmus has invaſerit miſeras, dum explicat, in imaginationem læſam id meritò poſſe referri exiſtimat, cujus tota vis reviviſcit & intenditur in certis caſibus, qui objecta revocant, à quibus primæ & notabiliores impreſſiones ſunt profectæ. Quibus accedit, quòd earum animos ea penitùs occupaverit opinio, ſe faſcinô ligatas à Dæmone poſſideri; cùm autem audiverint quondam, illos, qui à Cacodæmone poſſidentur, in templis vehementiùs exagitari, mirum non eſſe dicit, ſi vi harum impreſſionum ſimile quid efficiant; ad quam pariter cauſam abſonam loquendi ratione͂ refert. Res à quibuſdam vomitû rejectas, anteà deglutitas fuiſſe, firmiſſimè ſibi perſuaſum habet, imprimis cùm, qui melancholiâ vexantur, vel inſcii, quidquid manû tenent, in os ingerant, & non advertentes deglutiant.

In Tractatu IX. *de ſuſpenſione vaporum in Aëre* loquitur Noſter, & cùm materiæ æthereæ motus vehementiſſimus ſit, ipſique aquam inter & aërem ſemper aditus pateat, aquæ guttas tanquam tenuiſſima materiæ ipſius cruſtula circumfuſas, guttarumque illarum cruſtas in ſingulis non impares craſſitudine ſupponit, hìncque ſequi dicit, globulum ex materiâ illâ ætherea ſimul & ex aquâ compoſitum minùs ponderoſum eſſe, quàm globum purè aqueum, qui ejuſdem ſit magnitudinis; rationemque hujus eſſe addit, quia nihil gravitatis habet materia ætherea, ſit autem æqualis globorum illorum gravitas, ſi ex hoc tantùm aquæ detraxeris, quantùm habent illæ materiæ æthereæ; quam ſi detraxeris, duplici illâ detractione globi aquei fiunt æquales & mole & gravitate; globum itaquè ultimum eò gravitate magis quò & quantitate aquæ reliquum ſuperare manifeſtum eſt. Hìnc obiter de corporum gravium in liquidis levioribus ſuſpenſione agit; eamque provenire pùtat, (1) ſi eadem ſubſit cauſa, quæ hactenùs de vaporibus eſt allegata; (2) ſi poros liquidi partibus impervios, ſolâque materiâ ætherea impletos habeant corpuſcula; (3) ſi corpuſculorum gravium quodlibet, ob peculiarem cum liquidi partibus convenientiam, iis ità adjungatur, ùt non poſſit facilè dividi.

Tandem, quod *Diſſertationes Phyſico-Morales* attinet, harum I. & II. de Conſuetudine agit. Quoniam enim juxta Ariſtotelem *tanquam natura conſuetudo eſt*, imò *quantam hæc habeat vim, leges manifeſtum* faciunt, in eô occupatur vir Clariſſimus, ùt primùm conſuetudinem omnem malam temporis diuturnitate naturam penitùs evertere demonſtret. A poſteriori autem hoc tabaci per fiſtulam hauſti & in nares immiſſi exemplô declarat; A priori verò eam reddit rationem, quòd, ſi frequen-

frequenti alicujus objecti actione cerebrum pulſetur, ſimilique ſpirituum actione repetita crebriùs concutiatur, & frequenter iteratâ aut continuâ cogitatione de eâdem re eadem ſpirituum motio foveatur, aut renovetur, neceſſe ſit, ſpirituum vias dilatari, atterique, & facili lapſu vehementiores eſſe eorum motus, mentem magis excitari, & attendere rebus, clarioremque & majorem earum ideam formare; cùm autem id in primâ infantiâ propter cerebri teneritudinem citiùs contingere obſervemus maximam admovendam eſſe diligentiam monet, ùt à teneris homines ab omni pravâ conſuetudine ſint immunes. Quoniam autem ad ſcelera magis proni ſunt homines, legum neceſſitatem injungit Noſter, ùt ſcilicèt audientes, quid faciendum, quidve omittendum, virtutibus vel inſcii adſueſcant. In Diſſertatione 3. & 4. circa *generationem hominis* verſatur Auctor Clariſſimus, in quibus, refutatis Medicorum, qui modò cor, modò oſſa, modò ſanguinem, pro parte in primâ animalium generatione primigeniâ agnoſcunt, ſententiis, omnes corporis partes, propter mutuam earum in agendô dependentiam, ſimul formari probat; ex quô, ut & quòd omne animal originem ſuam ducat ab ovô, omnes partes corporis viventis continente, porrò deducit, animalium fœtus breviſſimô tempore poſt conceptionem ſuæ ſpeciei formam recipere, humanum humanam, leoninum leoninam. In Diſſertatione ultimâ *Voluptatem & Dolorem* examinat. Poſtquam enim Philoſophorum errorem, ſummum bonum in voluptatibus, vel in voluptatum & dolorum abſentiâ, vel in ſolâ doloris carentiâ conſtituentium notaverat, beatitudinem, quæ in hâc vitâ contingere poteſt, in morum ſanctitate quærit, à quâ ſcilicèt ſolâ oriatur ſumma illa mentis tranquillitas. Doloris verò natura in quô conſiſtat, cum Phyſicis diſputat, negatque illum eſſe ſolutionem continui factam; quia hæc ſententia fini triſtis ſenſationis, (qui eſt, ùt mens periculi imminentis commonefacta, ad illud propulſandum ſtimulô quaſi incitetur,) & experientiæ ipſi contraria eſt; exindè enim ſequeretur, quòd parte ſenſibili quâcunque divisâ doleremus, cùm tamen nervorum ac tendinum diſciſſio, acerbiſſimi doloris, ab eorum puncturâ concitati, præſentiſſima evadat medela. Nec tamen ſolutionem ſientem pro causâ agnoſcit; hoc enim itidem putat fini doloris adverſari, & ſequi, quò plures ſimul partes ſecarentur, eò cruciatus fore majores, cùm tamen diſciſſio nervorum, & celeris membrorum amputatio, non breviorem modò, ſed etiam minorem dolorem inferat, nec in inflammatione diutiùs durante tam longa continua ſolutio concipi queat. Multò minùs illorum ſubſcribit opinioni, qui continentem cauſam doloris motum vel impetum eſſe crediderunt, ſed eum procreari exiſtimat, à partium ſenſu præditarum tenſione adeò validâ, ùt in proximô ſolutionis periculô verſentur.

De cæterô monendus eſt L. B. illas quæſtiones, quæ in Diſſertatione peculiari annô 1688. ab Auctore noſtrô enodatæ, & Actorum noſtrorum ſupplementô I. pag. 585. recenſitæ fuerunt, ſingulas debitô ſuô locô in Inſtitutionibus Phyſicis & hiſce Opuſculis fuiſſe inſertas.

BAYRO (*Petrus de*) natus Taurini circa A. C. 1468. magni nominis Medicus: erga pauperes imprimis beneficus, & ob Praxeos felicitatem à Principibus & Magnatibus variis certatim requiſitus, & ab iis magni pretii præmiis remuneratus eſt. Proto-Phyſici nomen adeptus in patriô Gymnaſiô Medicinam per plures annos docuit, ſalutatus ſimul Sabaudiæ Ducis, Caroli II. Archiater. Obiit tandem in patriâ nonagenarius A. C. 1558. Kalend. April. & ſepultus eſt in Eccleſiâ Metropolitanâ, ubi legitur ejus elogium in marmore deſcriptum.

Ex eô habentur

De Peſtilentiâ, ejuſque curatione per præſervationum & curationum regimen. Taurini, apud Franc. de Sylvâ, 1507. in 4. Pariſiis, ap. Nicolaum Rouſſel, 1513. in 8.

Lexipyretæ perpetuæ Quæſtionis & annexorum ſolutio. De Nobilitate facultatis Medicæ: Utrum Medicina & Philoſophia ſint nobiliores utrôque Jure, ſcil. Civili & Canonicô. Et qui Doctores earundem facultatum nobiliores ac digniores exiſtant, quomodòve incedere, ac invicem præcedere debeant. Taurini, apud Franc. de Sylvâ, 1512. in fol.

De Medendis humani corporis malis Enchiridion, quod vulgò *Veni mecum* vocant: Cui adjunximus ejuſdem Auctoris Tractatum de Peſte. Edidit Theodorus Zwingerus, *Baſilienſis*. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1563. 1578. in 8. Lugduni, apud Sebaſt. Honoratum, 1561. in 12. Francofurti, apud Johan. Saurium, 1612. in 12.

BAZICALVA (*Aſcan. Maria*) Lucenſis, Medicinæ Doct.

De eô exſtat

Novum ſyſtema Medico-Mechanicum, & nova Tumorum Methodus. Parmæ, apud A. Pazonum, 1701. in 4.

BE (*Paulus du*)

De eô exſtat

Medulla Medicinæ Practicæ. Pariſiis, 1671. in 12.

BEATUS (*Georgius*)

Ex eô habetur

Baſilij Valentini Azoth, ſive, Aureliæ occultæ Partes duas interpretatus eſt. Vid. *Baſil. Valentinus.*

BEBELIUS (*Henricus*) Juſtingenſis.

De eô exſtat

Nomenclatura Morborum humani corporis Græco-Latina. Argentorati, apud Schurerum, 1513. in 4. cum aliis ejuſdem Operibus.

BECHERUS (*Joh. Joachimus*) Spirenſis

Ex eô habentur

Inſtitutiones Chymicæ, ſeu, Manuductio ad Philoſophiam Hermeticam. Moguntiæ, 1662. in 4.

Muſa, ſeu, ejuſdem Becheri ſcriptorum Index. Francofurti, 1662. in 8.

Aphoriſmi: ex Inſtitutionibus Medicis Sennerti, magnâ diligentiâ collecti. Francofurti, apud Johannem Beyerum, 1663. in 12.

Inſtitutiones Chymicæ Prodromæ, i. e. Oedipus Chymicus obſcuriorum Terminorum & Principiorum Chymicorum, Myſteria aperiens & reſolvens. Opuſculum, omnibus Medicinæ & Chymiæ ſtudioſis, lectu perquam utile & neceſſarium. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1664. in 12. Amſtelodami, 1665. in 12.

Actorum Laboratorij Chymici Monacenſis, ſeu, Phyſicæ ſubterraneæ Libri duo; quorum prior profundam ſubterraneorum geneſin, necnon admirandum Globi terraque-aërei ſuper & ſubterranei fabricam; poſterior ſpecialem ſubterraneorum naturam, reſolutionem in partes, partiumque proprietates, exponit. Acceſſerunt ſub finem mille Hypotheſes ſeu Mixtiones Chymicæ, antehàc nunquam viſæ: omnia plùs quàm mille experimentis ſtabilita. Francofurti, apud Joh. David. Zunnerum, 1669. in 8.

Experimentum Chymicum novum. Quô artificialis & inſtantanea Metallorum Generatio & Tranſmutatio ad oculum demonſtratur ; locô ſupplementi in Phyſicam ſuam ſubterraneam, & Reſponſi ad D. *Rolfinckij* Schedas de Non-entitate Mercurij corporum. Opuſculum multis experimentis Practicis, nec non præcipuis Philoſophorum Dictis explicatis refertum : Lectori Philo-Chymico non ingratum futurum. Francofurti, apud David. Zunnerum, 1671. in 8.

Supplementum ſecundum in Phyſicam ſuam ſubterraneam, id eſt, Demonſtratio Philoſophica ; ſeu Theſes Chymicæ, veritatem & poſſibilitatem Tranſmutationis Metallorum in aurum evincentes. Ibid. apud Eundem, 1675. in 8.

Experimentum novum ac curioſum de Minerâ arenariâ perpetuâ, ſeu, Prodromus Hiſtoriæ ſeu Propoſitionis Præp. D. D. Hollandiæ Ordinibus, ab Auctore factæ, circa Auri extractionem, mediante arenâ littorali per modum mineræ perpetuæ, ſeu operationis magnæ fuſoriæ, cum emolumentô : locô ſupplementi tertii in Phyſicam ſuam ſubterraneam. Francofurti, apud Maurit. Georgium Weidmannum, 1680. in 8.

Epiſtola Chymica. Exſtat cum quatuor illis Epiſtolis Chymicis unà comprehenſis. Amſtelodami & Hamburgi, 1673. in 8.

De eôdem præterea ſic in Actis Lipſ. ann. 1683. p. 316.

Chymiſcher Glücks-Hafen, oder groſſe Chymiſche Concordantz und Collection von 1500. Chymiſchen Proceſſen &c. Zuſammen getragen von Joh. Joachim Bechern, von Speyer, Med. D. und Röm. Käyſerl. Majeſtät Cammer-und Commercien-Rath &c.

hoc eſt.

Urna ſortis fortuitæ Chymicæ, ſeu Concordantia Chymica & Collectio major 1500. Proceſſuum Chymicorum, congeſta à Johan. Joach. Becherô, Spirenſi &c. Francofurti, Impenſis Joh. Georgii Schiele, 1682. in 4.

QUalem ſortem ex urnâ hâc Tibi L. B. promittere poſſis, vel ſolius hujus Auctoris, per experientiam Chymicam, & varia atque erudita ab eôdem hactenùs edita ſcripta, ſc. *ædipum Chymicum, Metallurgiam, Phyſicam ſubterraneam, & hujus ſupplementa, Pſychologiam, Mineram Arenariam &c.* famigeratiſſimi nomen docet. Multa in hâc invenies Chymica, plura Alchymiſtica, pauca Medica & Mechanica, ex manuſcriptis ac laboratoriis celebrioribus collecta, ac propriis meditationibus ornata, Theorias partim, partim Encheiriſes ſingulares exprimentia, & in partes 20. diverſæ molis, cum Appendice, quam *Roſetum Chymicum* vocat, digeſta. Earum *prior* diverſa Philoſophorum ſcripta atque Theorias, & inter hæc ipſius *Becheri* judicium Philoſophicum de Tincturâ Philoſophicâ in viâ ſiccâ, ac ejuſdem Commentarium in *Monte-Snyders*, aut viam Tincturæ humidam complectitur, reliquæ verò varia experimenta & modos metalla exaltandi, maturandi, à ſcoriis ſuis liberandi, cum diverſis encheiriſibus Chymicis ; & harum vigeſima, miſcellanea Medica atque Mechanica non unius generis, V. G. margaritarum dealbatione, ex minoribus majorum productione, adamantum flaveſcentium depuratione, ſpeculorum Metallicorum fuſione, Plantarum regeneratione &c. ſuggerunt.

Ibidem annô 1690. pag. 8. Joh. Joachimi Becheri, Spirenſis, Medicinæ Doctoris, Tripus Hermeticus Fatidicus, pandens oracula Chymica &c. Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Johan. Georgii Schiele, 1689. in 4.

QUæ *tria opuſcula* ſeptenniô abhinc in *Cornubiâ* ad celeberrimos Anglos *Diskinſonum, Weidmannum & Boyleum* ſeorſim exarata fuerunt à Clariſſimô Auctore, poſt hujus demùm obitum typis Francofurtenſibus ſub *Hieroglyphicô Tripodis Hermetici titulô* appoſitè hìc ſiſtuntur exſcripta, in quantùm *Pythia* ſuper *tripode* ſtans ipſam Matricem mineralem ſive terram, Mercurios arſenicales recipientem & quaſi putrefactione quâdam calore fermentativô in corpus minerale ſive metallicum digerentem, in *Prolegomenis* ſignificare videatur ; ubique enim naturæ Mineralium evolvendæ inſiſtitur.

BECHIUS (*Philippus*) natus eſt Baſileæ : ubi Medicinam feliciter exercuit, & Dialecticam unà è publicâ Cathedrâ docuit. Obiit ibidem A. C. 1560.

Joh. Bapt. Montani Conſultationes in congruum ordinem congeſſit, & in 3. Partes diſtribuit.

BECKE (*David Von der*)

Ex eô habentur

Epiſtola ad Joelem Langelottum, de Volatiliſatione ſalis Tartari. Hamburgi, apud Gothofredum Schultzium, 1673. in 8.

Experimenta & Meditationes circa Naturalium Rerum Principia ; quibus ; quæ circa fixi & alcaliſati ſalis, ante calcinationem in miſtô, præexiſtentiam ac cauſas Volatiliſationis, obſcura aut dubia eſſe poterant, clarè ſolvuntur. Hamburgi, apud Gothofredum Schultzium, 1674. in 8. Ibidem apud eundem, 1684. formâ eâdem. Hæc ſecunda Editio auctior eſt & notis illuſtrata.

Barnerus leviter & amicè caſtigatus. Hamburgi, apud Gothofredum Schultzium, 1675. in 8.

Diſſertatio Anatomico-Practica de Procidentiâ uteri, ab erroribus Clar. Johannis Garmeri, *Hamburg.* & Phyſic. Patriæ primarij vindicata. Hamburgi, apud Petrum Grooten, 1683. in 8.

BECKERUS (*Joh. Conradus*)

De eô exſtat in Actis Lipſ. an. 1706. p. 168.

Johannis Conradi Beckeri, Phil. & Med. D. Tractatus Aſfeld. Medici Ordinarii, Paradoxum Medico-Legale de ſubmerſorum morte ſine potâ aquâ. Gieſſæ Haſſorum, typis Henningi Mulleri, 1704. in 8.

ETiamſi hactenùs creditum fuerit, vivos homines aquæ ſubmerſos ventrem totum aquâ plenum ac tumentem habere, adeò ùt, deficiente in ſubmerſorum cavitatibus aquâ, mortis extra aquam aliundè illatæ, demortuique in aquam projectionis probabilis naſcatur ſuſpicio ; Auctor tamen Clariſſimus quatuor obſervationibus, unâ in cane, reliquis in hominibus factis, in quibus pulmones & inteſtina aquâ vacua, ventriculus chylum paucâ aquâ dilutum continens fuit repertus, adductus, in eam abiit opinionem, ſub aquis neminem aquæ hauſtu perire, petitum verò è pulmonibus

ac

ac inteſtinis aquâ vacuis argumentum, ad negandam ſub aquâ ſuffocationem & ad præſumendam cædis ſuſpicionem, temerè adhiberi. Præter experientiam verò hanc, rationes varias allegat, ob quas aqua in pulmones & inteſtina irruere non poſſit; & unumquemque obſervâſſe confidit, ſe vel metu perculſum, vel improvisò periculò expoſitum, vehementiùs avidiùſque ducere ſpiritum, eundemque cum impetu impulſum diutiùs retinere. Jam in ſuffocationis periculò illapſus cum impetu aër ad extremam pulmones magnitudinem extendit, & veſiculas eorum uſque eò inflat; ùt bronchiorum cartilagines à ſe invicem abductæ bronchia protendant, ipſi verò pulmones, adductâ interiori tracheæ membranâ, truncum ipſius paululùm elongent, ac ipſam epiglottidem fibris muſcularibus attrahant, rimulæque firmiter incumbentem etiam, fortiterque premente aquâ, rimulæ applicata teneatur, ut adeò retrudi attollique hæc, & ad ſyſtolem redire pulmones fibræque muſculares non poſſint. Quamobrèm nec exterior pulmones cingens membrana, nec fibræ muſculares veſicularum ad extremam magnitudinem extenſæ, tantâ pollere vi exiſtimari poſſunt, quâ reſiliant, ſe contrahant & epiglottidem attollant. Cui rei etiam diaphragma ſuffragatur, quòd in ſuffocationis periculò ſemel deorsùm motum, redire in fornicem neſcit; ſiquidèm coſtæ, quibus illud in totâ circumferentiâ affixum eſt, muſculorum ope elevatæ reſilire & thoracem anguſtare nequeunt, ab inclusô cohibitôque aëre impeditæ. Ex quibus conſtat, fluctibus expoſitum hominem aërem inſpiratum non expellere, ſed potiùs cohibere, & ad maturandam mortis horam comprimere cogi; cùm reliqui morte naturali obeuntes exſpirando vitam ponant, quam inſpirando inchoaverant. Aer enim ſic cohibitus, inque pulmonibus moram nectens, à pectoris calore expanditur, in elatere ſuô augetur, veſiculas dilatat, pulmones ſecundum omnes dimenſiones diſtendit, vaſa ſanguifera comprimit, & coarctat, ejiciendum è dextrô ventriculô cordis ſanguinem arcet, illapſum partìm reprimit, partìm retinet, inque grumos cogit; verbô, circularem vitalemque iſtius motum impedit. Quemadmodùm autem extra aquam, reſpiratione abolitâ, animalia per tempus vitam continuare, vel ad eandem revocari, experimenta machinæ Boylianæ ope inſtituta abundè teſtantur; ità dubium nullum eſt, in aquâ vivere pariter poſſe ſubmerſos, licèt per pauxillùm tempus. Hactenùs dictis probavit Auctor Clariſſimus abundè, nullam aquam ad pulmones penetrare poſſe; eandem verò nec ad inteſtina deſcendere, eam ab cauſam putat, quia ceſſante reſpiratione, deglutitio ab aëre juvanda inſimul feriatur. Diſtentis autem eô, ut dictum, modô pulmonibus & aſperâ arteriâ, œſophagus itidem, huic immediatè adjacens, & ventriculi orificium ſiniſtrum comprimitur & arctatur; imò & ſanguine in motu circulari impeditô, vaſa intumeſcunt, parteſque ità ſtringuntur, ùt anguſtiores fiant. Pauxillum tamen illud aquæ, quod in ventriculô reperitur, primis forſan immerſionis momentis, antequam ſtagnatio, reliquaque adducta phænomena acceſſerint, delapſum eſſe, probabile videtur. Nec ſola denegata reſpiratio illabi aquam in pulmones ac inteſtina prohibet, ſed ipſa ſibi aditum præcludit aqua. Suâ enim gravitate epiglottidem deprimit, particulis elaſticis ac impetuosô in os illapſu fauces muſculóſque diſtendit, malas extrudit, linguam comprimit, ità ùt fibræ muſculorum ſe conſtringere neſciant; gulæ ſubſtantiam nerveam palato faucibuſque continuam, propter partium oris extenſionem diſtendit, ſive abducit, ſicque gulam coarctat. Quod eò faciliùs factu eſt, quò magis gula à ſtagnante ſanguine vaſiſque intumeſcentibus comprimitur. Imò etiamſi pateat aliquantulùm gula, aqua tamen eam non ingredietur, propter aëris præſentiam, qui licèt in ventriculô & inteſtinis rarus ſit, irruenti tamen aquæ reſiſtit, (quale phænomenon pariter in urceô vel vitrô longioris colli aquæ immersô occurrit) & eò fortiùs reſiſtit, quò magis illa à diaphragmate comprimuntur, quò minor eſt, diſtentis & inertibus faucium muſculis, aquæ versùs gulam propulſio, quòve auguſtior facta per gulam via exiſtit.

Hæc de opuſculô ſatis, illud adhùc monendum reſtat; quòd adjecta ſit eidem Dodecas obſervationum circumſtantiis curâque rariſſimarum; ex quibus primam recenſuiſſe, ſpeciminis locô, ſufficiet. Scilicèt puer, qui per duos à nativitate annos ſatis commodè valuerat, tandem difficulter ſpirare incipit, malô in dies ingraveſcente; attolli juſtô plus thoracem obſervat, ſcalas non ſine difficultate trahendi ſpiritus aſcendit, de ventris dolore conqueritur, tuſſique ac calore ſubindè redeunte, & à paſtû repleri ſentit præcordia. Quanquàm autem alij à lumbricis prodire ſymptomata crediderint, alij phthiſin accuſaverint, alij ſtomachi imbecillitatem cauſam eſſe pronunciaverint; poſt mortem tamen pueri, vix quintum annum attingentis, obſervatum fuit, inteſtina cartilagini enſiformi, & hypochondriis & inguinibus firmiter fuiſſe annexa, omentum computruiſſe, & abdomen ventriculô, liene & hepate fuiſſe deſtitutum; quæ tamen in pectoris cavitate fuerunt repertæ, ità ùt mediaſtinô deficiente toti pulmones cum corde & hepate dextrum, ventriculus & lien ſiniſtrum latus occupaverit.

BECKERUS (*Nicolaus Guilielmus*)

Ex eô habetur

Obſervatio, de Lapillis in veſicâ felleâ repertis. *Exſtat Ephemerid. Acad. Natur. Cur. Germ. ann.* 1. *num.* 44.
De Morte ex levi purgatione. Ibid. ann. eôd. num. 81.
De Abſceſſu abdominis, inciſione curatô. Ibid. an. eôd. num. 82.
De Pſeudophthiſi, Ibidem ann. 11, *Obſ.* 31.
De Abſceſſu Meſenterii, & uteri procidentiâ; Ibid. ann. eôdem, n. 32.
De Doloribus Oſteocopis, & gummatosô frontis tumore. Ibid. an. eôd. n. 33.
De Aphthis ferinis. Ibid. an. eôd. n. 34.
De Uvulæ ablatione. Ibid. ann. 4. *&* 5. *num.* 66.
De Funeſtâ œſophagi obturatione. Ibid. ann. eôd. n. 67.
De Dolore Ilei ac corporis membranoſi per alvum excretione. Ibid. ann. eôd. n. 68.
De Colicâ à Calculis. Ibid. an. VIII. *n.* 70.
Obſervatio, de Convulſione admirandâ. Ibid. ann. eôd. n. 71.
De Hemicraniâ, Arteriotomiâ ſpontaneâ curatâ. Ibid. an. eôd. n. 72.
De Anaſarcâ per abſceſſus terminatâ. Ibid. ann. eôd. n. 73.
De Hepatite, Vomitu curatâ. Ibid. ann. eôd. n. 74.
De Aſcaridibus uteri. Ibid. ann. eôd. n. 75.

BECKERUS (*Daniel*) natus Regiomontii A. C. 1627. Patre homonymô, & ipsô Medicinæ Doctore, ejuſdemque Profeſſore Publ. & Electo-

Electoris Brandenburgici Archiatrô, atque Civitatis Kneiphoſianæ Phyſicô. Adeptô Medicinæ Doctoris Argentorati 1652. titulô, paulò poſt annô nempè 1653. Regiomontii Profeſſor ordinar. & 1663. Electoris Brandenburgic. Conſiliarius atque Archiater declaratus eſt. Obiit Regiomontij 1670. ætatis 43.

De eô exſtant

Medicus Microcoſmus, ſeu, ſpagyria Microcoſmi, tradens Medicinam è corpore hominis tùm vivô, tum extinctô doctè eruendam, ſcitè præparandam, & dextrè propinandam Roſtochii, apud Auguſt. Ferberum, 1622. in 12. Triplô auctior & correctior Lugduni Batav. prodiit apud Jacob. Marci, 1633. in 4. Londini, apud Joh. Martin. 1660. in 12. quæ Editio præterea cum Indice, continente medicamenta ad curandos morbos deſumta ex corpore humanô tam vivô, quàm mortuô, locupletata eſt.

De Cultrivorô Pruſſiacô, Obſervatio & curatio ſingularis, Decade Poſitionum, variis variorum obſervationum hiſtoriis refertarum, illuſtrata. Jungitur Medicorum Leydenſium ſuper hôc ſcriptô Judicium. Regiomontii, apud Laur. Segebadium, 1636. in 4. Lugd. Batav. apud Joh. Maire, 1638. 1640. in 8.

Hiſtoria Morbi Academici Regiomontani, ſeu Febris malignæ epidemicæ Civibus Academiæ imprimis communis Electoralis Menſæ convictoribus funeſtæ, cum indolis & cauſarum ejuſdem explicatione, Problematibus nonnullis incluſâ, conſenſu Ampliſſ. Facultatis Medicæ in Acad. Regiomontanâ conſignata. Regiomontii, apud Johannem Reuſnerum, 1649. in 4.

De Unguentô Armariô. Exſtat cum theatrô ſympatheticô auctô, Norimbergæ, apud Johan. Andr. Endterum & Wolffgangi Jun. Hæredes 1662. in 4.

Commentarius de Theriacâ. Regiomontii, apud Johannem Reuſnerum 1649. in 4.

BEHRENS (*Conradus Bertholdus*)

De eô exſtant in Miſcel. Nat. cur. Decur. iij an. ii. In append.

Ad Per-Illuſtrem Dn. Godefridum Guilielmum de Leibnitz, Auguſti Electoris Brunſuigô Luneburgii Conſiliarium ſtatus, Epiſtola D. Conradi Bertholdi Behrens, Phyſici Hildeſienſis. Acad. Cæſar. Leopoldin. Nat. Cur. Eudoxi. Hiſtoria morborum ann. 1693.

Ibid. ann. 3. Obſervat. 3. De Clyſteribus nutrientibus & febrifugis.

Rectè excellentiſſimus *Dn. Valentini* in Miſcellaneis proximis, Corticem Peruvianum, divinum & nunquam ſatis æſtimandum medicamenti genus vocavit, ſiquidem ad ſuccos corporis noſtri aceſcentes corrigendos, & digeſtiones corroborandas, nullum aptius remedium exiſtere, ipſe in diverſis obſervavi, & de Lumbricis notabile exemplum in uxore cujuſdam officialis *Celſiſſimi Principis Hildesheimenſis* ante annos tres habui. Ex quô tamen non pauci ægrorum ſolius interdum phantaſiæ ludibriô, aſſumptionem ejuſdem nauſeant, ingenioſus apud Gallos Medicus, *Dn. Adrianus Helvetius* modum propoſuit, in febribus eundem per enemata applicandi; circa quem verò dubium illud oritur, annon conceptæ exin expectationi, eadem, quæ clyſteribus nutrientibus opponitur, & Major inſtantia contrarietur.

Scilicet cùm non rarò accidat, ùt æger nil aſſumere aut deglutire poſſit, quidam alimenta clyſterum in morem per annum ſuppeditanda cenſuerunt. At cùm nulla nutrimenti ad nutritionem adaptatio fieri poſſit, niſi priùs in ſtomachô, vitali quaſi charactere inſigniatur, heterogenea ab homogeneô in inteſtinis ſecernantur, & hoc dein per vaſa lactea deducatur, ceu rectè urgetur ab *Helmontiô, Tract. de febb. & Ettmullerô diſſ. de Chir. Infuſor.* Et verô clyſteres ejuſmodi, quâcunque etiam vi injecti non aſcendant ultra inteſtina craſſa propter valvulam in fine inteſtinorum tenuium collocatam, Judice *Gaſſiô de clyſter.* non video quô pactô ab ejuſmodi clyſteribus quippiam emolumenti exſpectari poſſit. Regerit quidem *Theod. Craanius in tractatu de homine,* Inteſtina craſſa lacteis vaſis non penitùs carere, & licèt deeſſent, clyſteres ejuſmodi nihilominùs nutrire poſſe, emiſſione blandorum vaporum per inteſtinorum poros ad ſanguinem; verùm, uti rectè animadvertit *Dn. Geuderus in eruditâ reſponſione German. ad Dn. Gehem. tract. de mediis vitæ*, de ſpirituoſis id locum habet, quibus languidi reſtaurentur, ceu vires deficientes ſuavibus odoramentis & epithematibus excitari videmus, non verò de gelatinoſis & efficaciter nutrientibus. Quicquid ſit, injecti per clyſterem liquores miſcentur ſtercori ibidem reperto, & infunduntur partibus, quibus proprium eſt, cuncta in ſtercus mutare, ceu per experientiam conſtat, quòd ejuſmodi juſcula, ſi rejiciantur, oleant non ſolùm ſtercus, ſed & quôdam modô cadaver. Ad experientiam qui provocant, iiſdem priùs evincendum eſt ægros præcipuè illis clyſteribus conſervatos, nec ſupereſſe abſque eorum interventu potuiſſe. Siquidèm novum non eſt, ſanos ad certum tempus abſque cibis vixiſſe, ceu de aſitô novem dierum exemplum proximis Miſcellaneis communicavit Excellentiſſimus *Dn. Vicarius*, quid de ægris dicam quietè in lectô decumbentibus, nec magnâ refectione indigentibus.

Quibus ſic præmiſſis facilè apparet, quid de Clyſteribus ejuſmodi febrifugis ex cortice Peruvianô exſpectandum ſit. Cùm enim nec illi valvulam tranſeant, non attingunt focum febrium intermittentium, ventriculum ſcilicèt, & duodenum inteſtinum, undè nec materiam illìc ſtabulantem emendare valent. Deindè nec per odores agunt, cùm cortex iſte Peruvianus, partibus ſpirituoſis ſeu volatilibus minùs gaudeat, & omnis ejus operandi vis in ſubſtantiæ ipſius uſurpatione conſiſtat, undè quoque nec per extractionem, nec deſtillationem, aliamvè Chymicam analyſin ſingulare quippiam ſuppeditat. Exempla autem, quibus febres, poſt enemata ceſſâſſe, Ingenioſiſſimus Auctor docere voluit, quamvis in dubium vocanda minimè ſint, idem tamen eventus ſequeretur, ſi ſimplices clyſteres ex aquâ calidâ vel juſculô præparati tantô numerô injicerentur.

Ibidem Obſervatio 112. De Aphoniæ cauſâ rariori.

Curioſa admodùm obſervatio eſt, quam iiſdem Miſcellaneis communicavit *Ill. Wepferus*, de fiſſurâ cartilaginis ſcutiformis, vocem depravante. Suggerit eadem mihi memoriam caſûs cujuſdam, ex quô, an cartilaginum laryngis quædam quaſi levior ſubluxatio inferri poſſit, vel quæcunque demùm cauſa ſubfuerit, ab Illuſtri virô, ſiquidem adhuc in vivis eſſet, edoceri cuperem. Ita autem ſe res habet: Virgo religioſa Cœnobij

Cœnobij cujuſdam hujus Epiſcopatûs circa initium ſuperioris anni ſubitò vocem amittit abſque ullâ præcedente, aut comitante tuſſi, reſpirandi difficultate, præcordiorum anguſtiâ, capitis collique dolore, aliiſve catarrhi alicujus ſignis. Chirurgus fauces inſpiciens etiam nihil deprehendit, nec externè quippiam apparuit, ipſaque quoad cætera benè habebat. Præſcriptæ pilulæ Cephalicæ, veſicatoria, gargariſmi, aliaque interna & externa nervina, fonticulus etiam in brachiô excitatus, omnia abſque fructu, cùmque illa in octavam ferè ſeptimanam non abſque ſummô animi dolore voce deſtitueretur, tandem ad decocti lignorum cum cephalicis parati uſum deveni, cùmque id per 12. dies uſurpâſſet, vocem recepit, & quidèm ſubitò, præcedente aliquô ſonitu. Verba Epiſtolæ hôc in negotiô ad me ſcriptæ appono: *Das die Jungfer nun ihre Sprache ſo wunderbarlich in einem Augenblick wieder bekommen. Am vergangenen Sonntag, den 2. Decemb. des Morgens um 9. Uhr, iſt ihr ein ungewöhnliches Krachen im Halſe geſchehen, als wann ein geſpannetes Ding von einander borſtete, weis nicht, wie es anders ſchreiben kan, und alſo im ſelbigen Augenblick, ohne einzigen Ungemach noch Schmertzen, mit ihrer vorigen Stimme hell und klar angefangen zu reden, das wir uns alle ſamtlich verwundern muſten.* Hæc ipſa verò virgo modò, dum hæc ſcribo, inſigni dentium dolore detinetur.

Ibidem Obſervatio 113. *De Aphoniâ Chronicâ, uſu aquarum Medicarum curatâ.*

OCcaſione hujus aphoniæ, non poſſum quin mentionem faciam aphoniæ chronicæ ſingulari remediô ſublatæ, uſu nempè aquarum Medicarum. Anni ſunt tres, cùm in præfecturâ Lichtenbergicâ Ducatûs Brunswicenſis prope pagum Leſſe fons ſcaturiret aquæ limpidiſſimæ, quam cùm quidam dicti pagi incolæ febricitantes & cereviſiæ pertæſi ſitis levandæ gratiâ fortè haurirent, & præter opinionem febres quoque ceſſarent, fons iſte extemplò ita inclaruit, ùt etiam aliis affectibus externis interniſque detenti, magnô numerô accederent, nec abſque levamine. Inter has etiam mulier erat, quæ ante quinque annos in partu difficili planè obmutuerat, ùt ab illô tempore ne verbulum quidèm proferre potuerit, linguâ tamen ſemper mobili exiſtente. Nec defuit felix curæ ſucceſſus, namque vix octiduum aquam hauſit, & loquelam recuperavit, ceu tùm ad me perſcripſit *Honoratiſſimus Agnatus meus, Dn. D. Brandanus Didericus Behrens, Sereniſſimorum Ducum Brunſw. & Luneb. in aulâ Brunswicenſi Medicus*, qui Sereniſſimi Heri ſui juſſû ad fontis hujus phænomena obſervanda cum Pharmacopœô aulicô aliquotiès miſſus erat. Quænam verò hujus aphoniæ cauſa extiterit, & quomodò citra ullam linguæ labem aut paralyſin ea chronica perſiſtere potuerit, determinare non adeò in proclivi eſt. Fortè vitium hoc in nervis ſexti paris ſeu vagi, & ramis præſertìm ejus recurrentibus latuit, & aphonia hæc eâdem ratione extremis partûs laboribus ſupervenit, quâ raucedo interdùm colicæ diuturnæ. Quamvis autem vires hujus fontis non adeò exploratæ ſint, ut potè famam cum annô ſequenti amittentis, ex plurimis tamen circumſtantiis apparebat, effectus ejuſdem ad nervoſi generis affectus ſe extendiſſe, propter vim fortè diureticam, quâ manifeſtè pollebat. Nervorum autem affectiones etiam à naturâ ut plurimùm per urinam curantur, teſte *Excellentiſſimô Dn. Pompeiô Sachô, in Medic. Theor. Pract.*

Ibidem Obſervatio 114. *De Febre ſingultuoſâ per laxativa curatâ.*

Ibidem Obſervatio 115. *De Dyſpnœâ à Tumoribus aſperam arteriam coarctantibus.*

COarctatio aſperæ arteriæ, quam difficilem reddat reſpirationem, eleganti exemplô demonſtravit in Miſcellaneis anni ſuperioris *Excellentiſſimus Dn. Stegmannus*, magnô rei Medicæ emolumentô. Haud abſimilem caſum ante annos non ità multos etiam ſectione deprehendit *Honoratiſſimus Dn. Agnatus meus, Dn. Julius Georgius Behrens, Sereniſſimorum Ducum Brunſw. & Luneb. Conſiliarius, & Archiatrorum ſenior*, quem eô tempore, cùm in Argentoratenſi Academiâ viverem, annô nempè 1682. per litteras mecum gratiosè, pro more ſuô, communicavit. Erat autem tumor cartilagineus, poſitus ſupra aſperam arteriam, ſub claviculâ, in demortuô dyſpnœam à longô tempore efficiens. Non ſolùm autem apoſtemata ſunt aut tumores cartilaginei, quibus aſpera arteria ità coarctatur, ſed & interdùm carniformes, qualem pugni magnitudine commemorat *Chiffletius*, ſtrumoſi, qualem unciam unam cum ſemiſſe pendentem vidit *Platerus*. Interdùm & carunculæ, quales nigras in modum parvarum glandularum, fabarum ac piſorum magnitudinem nunc æquantes, nunc excedentes in puellâ vidit *Bilgerus in Obſerv. Epiſtol. Gregor. Horſtij.*

Ibid. Obſervatio 116. *De Longævitate hæreditariâ.*

CUm nupèr Generoſiſſimam gentem Dominorum de Steinberg ex tabulis Archivorum in genealogicum ordinem redigerem, miratus ſum ſingulare exemplum hæreditariæ longævitatis, imprimis in domô Bodenburgicâ, in quâ quinque ordine Burchardi recenſentur, abſque interruptâ ſerie ſe invicem ſequentes, quorum nemo ſeptuagenariô minor exſtitit. Uti autem ad vitam longam poſt divinam quidèm benedictionem, tranquillitatem mentis & affectuum animi moderamen maximum momentum afferre, ante biennium oſtendi in Diſſertatione meâ de Vitâ Longâ; ità ex actis geſtiſque illorum Dominorum colligere eſt, eos exſtitiſſe tranquillitatis amantes, nullis affectuum procellis agitatos, aut ærumnarum rubigine conſumptos, ùt proin longævitas illorum hæreditaria, non tam à corporis, quam animi conſtitutione dependerit. Floret adhuc, creſcitque in dies gens iſthæc, rariſſimô valdè exemplô fortunæ per integra novem ſecula conſtantis, atque uti inter eos hodiè eminet Reverendiſſimus ac Generoſiſſimus Dn. Fridericus de Steinberg, Cathedralis Eccleſiæ Halberſtadenſis Canonicus Sereniſſimorum Ducum Brunſwic. & Luneb. Conſiliarius intimus & in aulâ Guelpherbytanâ Mareſchallus, ità & huic Domino, qui omni ex parte illum ſuperioris ſeculi maximum Mæcenatem, Henricum Ranzovium, Holſatiæ Pro-Ducem, refert, hæreditariam proavis ſuis longævitatem ex animô foveo, nec etiam propter ingentes animi dotes, quas æquè cum iis poſſidet, deſpondeo.

Ibidem in Append. Ad Perilluſtrem & Generoſum Dominum Dn. Georgium Frankum de Frankenauw. Sacr. Rom. Imperii Equitem & Com. Palat. Cæſareum, hactenus octo Electorum, ac diverſorum Germaniæ Principum Conſiliarium & Archiatrum, nec non in Heidelbergenſi & Wittebergenſi Academiis Medicinæ Profeſſorem primarium; nunc verò Regiæ Majeſtatis in Daniâ Perſonæ Medicum ſplendidiſſimum. Epiſtola Conrad. Bartholdi Behrens, Medici Hildesheimenſis, de Variolis Epidemiis anni 1695.

Ibidem an. 4. *in Append. Cæſareo Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Academiæ præſidi, perilluſtri ac generoſo Domino, Dn. Lucæ Schrokkio, Sac. Cæſareæ Majeſtatis Archiatro, ejuſque Perſonæ Imperialis Medico, S. R. I. Nobili, Aulæ Cæſareæ, Palatii Lateranenſis, & Conſiſtorii Imperialis Comiti, Academiæ Patavinæ Recuperatorum Collegæ, ac Reipublicæ Auguſtanæ Phyſico ordinario, Patrono, ac Fautori magno, Epiſtola, de Conſtitutione morborum Hildeſii à Solſtitiô æſtivô anni* 1695. *ad finem menſis Aprilis,* 1696.

Ibidem ann. 5. *&* 6. *Obſervatio De Seri in ſanguine lenteſcentiâ.*

OBſervatio *Excellentiſſimi Domini Schelhammeri,* quondam in Academiâ Helmſtadienſi Præceptoris mei, annô proximô communicata, de ſeri ſanguinis lenteſcentiâ, ſimilem ùt adducam monet. Rectiſſimè autem vir accuratiſſimus diſtinguit inter cruſtam gelatinoſam, ſuperficiem ſanguinis obtegentem, & chylum cum ſanguine permixtum, quibus & tertiam quaſi ſpeciem in alterô tamen ſexu, lac ſcilicèt genuinum, addendam eſſe, elegans obſervatio *Domini* Chriſtiani *Niſtkii,* annô primô Decuriæ primæ occurrens, evincit. Prima verò ſpecies, uti *Dominus Schelhammerus* notat, non in febricitantibus tantùm & Pleuriticis, ſed & cacochymicis occurrit. Idem enim ante annum deprehendi in Reverendiſſimô, ac Illuſtriſſimô Dominô Barone de Pl. cùm ei vena in brachiô ſecaretur, ùt non ſolùm ſuperficies, ſed & dimidia ſanguinis maſſa ſpiſſius lac referret.

Uti verò ejuſmodi abundantia ac lenteſcentia ſeri, imprimis à copioſô & pinguiori nutrimentô exiſtit, chylô ſcilicet ſimul & copioſam maſſam ſanguineam obruente, & acore ſuô exaltationem ſulphuris vitalis impediente ceu præclarè demonſtrat, *Excellentiſſimus Dn. Theodorus Zwingerus,* Hoſpes quondam meus in Academiâ Baſileenſi, annô ſecundô Decuriæ tertiæ miſcellaneorum, uſque eò magis ſi propter vitam ſedentariam tardior motus & conquaſſatio ſanguinis contingat, ſegniorque adeò colorati iſtius ſulphuris evolutio procedat, ut elegantiſſimis verbis *Illuſtriſſimi Domini Præſidis Schrockii* ex annô ſextô Decuriæ ſecundæ loquar. Ità utraque cauſa in prædictô Dominô Barone ſubeſt, namque tam in prandiô, quam cœnâ cibos in majori quantitate aſſumere conſuevit, ac propterea vitæ valdè ſedentariæ & ſolitariæ eſt.

Nec tamen omni periculô res vacat. Quamvis enim *Excellentiſſimus Raggerus* annô ſextô Decuriæ primæ, ejuſmodi ſanguinem in quôdam optimæ conſtitutionis & temperamentô planè ſanguineô obſervârit, & in *ſcholiô Sachſianô* ad annum primum Decuriæ primæ, (ubi de materiâ hâc copioſiſſimè agitur) quoque exemplum virginis occurrat, bonâ valetudine fruentis, impoſſibile tamen eſt, ſanguinem ejuſmodi, ſive ſerô ejuſmodi lenteſcente ſcateat, ſive integer albeſcat (gradu enim tantùm hæc differre arbitror) non exiſtere non morboſum, utpotè à causâ ſulphur ejuſdem rubicundum, in quô eſſentia ſangiunis conſiſtit, deprimente ortum & imprimis in ſexagenariô. Hinc quoque laſſitudine afficiuntur, conſummatique ſcorbuticô exiſtunt, inque cachexiam labuntur, quibus ſanguis ejuſmodi proclivis eſt, docentibus id obſervationibus ſocietatis noſtræ, ejuſque imprimis *Meritiſſimi Præſidis Dn. Schroeckii,* annô nonô Decuriæ ſecundæ, & *Excellentiſſimi Smidii Dantiſcani,* (cujus filium in Academiâ Helmſtadienſi quondam Convictorem propter egregias animi dotes adhuc ſuſpicio,) annô tertiô Decuriæ primæ. Ad quartanas præterea proclives ſunt, docente hôc *Illuſtriſſimô Pechlinô* in aureis ſuis obſervationibus. Singulare autem quodque præſentem caſum maximè tangit, eſt, quod *B. Gabriel Clauderus* annô ſeptimô Decuriæ ſecundæ notat, lentô gradu cœcitatem ad ejuſmodi ſanguinis conſtitutionem ſubſecutam fuiſſe.

Quanquam verò illuſtriſſimus Æger, laſſitudine inſigni pedumque tumore, & dyſcraſiâ ſcorbuticâ maximè laboret, tamen ab annô circiter, viſus ipſi in utrôque oculô obſcurari cœpit, cum dolore frontis & dextri lateris in capite gravativô, memoriæque imbecillitate. Ante dimidium annum, cùm in Weſtphaliâ bona hæreditaria viſitaret, catarrhô Apoplecticô in dictô latere corripi cœpit, quô quamvis à celeberrimis ejus loci Medicis levatus ſit, pupilla tamen oculi iſtius lateris ab eô tempore albugine laborat.

Ibidem Obſervatio 32. *De Recidivâ febris cortice Peruvianô fugatæ arte procuratâ.*

OCcaſione obſervationis Ledelianæ de recidivâ febrili ex uſu lactis proximô annô inſertæ, non poſſum, quin etiam communicem haud abſimilem, quam relationi Illuſtris Medici, *Domini Rudolphi Weſthovii,* Archiatri Electoralis Brunſvigo-Luneburgici, cùm nuper apud quendam ægrum unà eſſemus, debeo. Scilicèt obſervavit ille, febrem uſu corticis Peruviani abactam, ab eſu capitis porcini fumô indurati ſemper recidivam habuiſſe, quod ipſum adeò certum fuit ùt quotiès ægri ab aliis Medicis curati ipſi ſe offerrent, neç de formulis receptorum quicquam ipſis conſtaret, is ſaltem eſum capitis porcini fumô indurati ſuaſit, experimentô nunquam fallente. Cauſa autem, quam laudatiſſimus Archiater ſuppeditat, ex Epiſtolâ meâ ad *Illuſtriſſimum Leibnizium* de recidivis, annô ſecundô Decuriæ tertiæ inſertâ, facilè colligere eſt, fermentum ſcilicèt ſtomachi imbecillius, & ab eduliô ejuſmodi non ſolùm corpori humano alendo minus idoneô, ceù *Excellentiſſimus Ridlinus* annô ſecundô linearum, egregiè monet, ſed & inſuper ſingulari viſcoſitate præditô, obrutum; unde febris recidiva neceſſariò inſequi debuit.

Ibidem Obſervatio 33. *De Calculosâ Conſtitutione.*

ELegantiſſima obſervatio eſt, uti omnes, quas ex ſectionibus defunctorum communicat *Excellen-*

cellentiſſimus Hartmannus proximô annô occurrens, conſtitutioneſque calculoſorum, & eoſdem curandi difficultatem apprimè edocens. Cùm autem deprehenderit, parenchyma renis ſiniſtri totum in panniculum quaſi carnoſum conceſſiſſe, non poſſum quin referam, quid hôc in paſſu ante annos non ità multos in ſectione Aſthmatici cujuſdam deprehendit Honoratiſſimus Agnatus meus, Archiater Ducalis Brunſvigo-Luneburgius in aulâ Guelferbytanâ. Parenchymata ſcilicet renum à calculis, quibus per multos annos æger laboraverat, adeò exeſa, ut nil niſi cutis adeſſet, in quâ adhuc multi calculi latebant. Dein in veſiculâ quoque fellis calculus magnitudine nucis juglandis repertus eſt, pendens drachmas quatuor, quô ipsô confirmatur elegans aſſertum *Illuſtriſſimi Pechlini in Obſervationibus*, calculum ſcilicèt non unius partis aut fermenti vitium toti complexioni inhæreſcere, idque vitiô ventriculi, ceù *Excellentiſſimus ejuſdem Collega, Dn. Hannemannus* annô quintô Decuriæ ſecundæ, & *Illuſtriſſimus Præſes Schroeckius* in ſcholiis ad obſervationem illic adductam, rectè & ad uſum practicum accommodatiſſimè notant.

Ibidem Obſerv. 34. *De Membranis per anum ſecedentibus.*

VAria ſæpè ex alvô excernuntur, tam præter naturam in corpore exiſtentia, quàm de ipsâ partium corporis ſubſtantiâ decedentia. Singulariſque admodum obſervatio eſt inſignis quondam Medici apud Wratiſlavienſes, Chriſtophori *Rumbaumii*, quam recenſet *Schenckius*, particulam coſtæ ſpuriæ fractæ, palmæ unius longitudine ſeptimô die per alvum excluſam fuiſſe. Non poſſum autem quin & occaſione duplicis obſervationis annô proximô alterius ab *Excellentiſſimô Thomaſiô*, alterius verò ab *Excellentiſſimô Roſinô Lentiliô Oribaſiô* parallelismô inſertæ de meô qualicunque penu quippiam haud abſimile conferam. Annus eſt cùm virgo quædam, celeberrimo iſti Monaſterienſi Chiliarchæ, Dn. Corvey, ſanguine juncta, per matronam mihi denunciaret, ſibi poſt octiduanam diarrhœam, quippiam ex anô propendiſſe, quod aliquotiès digitis repoſitum ſemper iterùm proruperit, dimidiæ ſpithamæ longitudine, craſſitie & rotunditate digito haud abſimile, ſiccitate verò & duritie inſtar baculi, colore nigrum, donec deniquè cùm reponi non poſſet, egeſturienti inopinatò in cloacam deciderit. Exin fruſta quædam membranacea ſicca digitum tranſverſum lata, longitudinem verò æquantia aliquot dejicit, alternis terniſque diebus cum dolore dorſi & abdominis imprimis circa hypogaſtrium & umbilicum, quâ regione ſimul contractionem aliquam percepit. Poſt aliquot dies de novô maſſa ejuſmodi ſe oſtendit, tùmque meum expetiit conſilium. Ad tunicam internam inteſtinorum hæ membranæ referri non poterant, cùm ejuſmodi ſeceſſio vix abſque ſanguinis, aut præcedente puris fluxû contingere nequeat, quale quid tamen hic obſervatum non erat, & membranæ ipſæ duriores exiſtebant, firmioreſque quam ut interior inteſtinorum tunica præſumi poſſet. Potiùs ad veſiculas quaſdam aquoſas, vaſculis lymphaticis ex naturæ luſu donatas, referendæ, quarum præſentem caſum non parum illuſtrans notavit *Hagedornius* Hiſtoriarum Medico-Phyſicarum centuriâ ſecundâ. Quibus ſcilicet ruptis humor ſenſim exſtillans diarrhœam aliquot dierum procurâſſet, quem dein continentes membranæ inſecutæ ſint. Vidit aliàs *Helmontius* virum, qui à longô ventris cruciatu membranas multas excerneret, quæ exſiccatæ & clavis aſſeri affixæ pergamenum mentiebantur. Ægra verò dicta abſtergentibus traumaticis uſa benè convaluit.

Ibidem Obſervatio 35. *De flatibus in Inteſtinis quædam Phænomena.*

OBſervatio lectu digniſſima eſt, quàm ex anatome viri, qui veneficiis interemptus creditus eſt, formavit, annôque proximô inſeruit *Excellentiſſimus Dominus Nebelius.* Scilicet ea flatuum in Inteſtinis conditio ſæpiſſimè eſt, ùt animalculum vivum ſubeſſe, tàm ex doloris quàm motionis ſenſu arguatur. Idem obſervavit *Excellentiſſimus* quondam patriæ noſtræ Medicus, *Hermannus Conerdingius ſenior*, in quôdam nobili, cui flatus in ventre oberrantes, motus quaſi animalis calcitrantis efficiebant, ceù id ipſum ex Conſiliis *Reineri Solenandri* apparet. Simile in fabrô quôdam *Excellentiſſimus Muraltus*, decuriæ ſecundæ annô ſeptimô Miſcellaneorum; ſonitûs clamoſi inſtar viperæ meminit *Excellentiſſimus Reiſelius*, annô eôdem. In quôdam colicæ paſſioni obnoxiô, Honoratiſſimus Agnatus meus, Dn. Archiater Guelpherbytanus, ipſius coli cellulas tactu deprehendit.

Ibidem Obſervatio 36. *De Experientiæ Hippocraticæ auctoritate.*

MAgna ſemper experientiæ Hippocraticæ exſtitit auctoritas, & aphoriſmorum ejuſdem genuina interpretatio nonniſi ex ipsâ praxi deſumenda fuit. Idem cùm ubique, tum præcedente æſtate in muliere quâdam juvenculâ obſervavi; quæ cùm bubone primùm ſub axillâ ſiniſtrâ erumpente, inſigni humerorum dolore, torporem manuum inducente, circa ſolſtitium æſtivum corriperetur, egoque inter Auctores, quos conſulebam, in locum iſtum qui II. Prædict. n. 33. exſtat, inciderem, miratus ſum qualis communicatio eſſe poſſet inter articulorum dolores, & vomitum materiæ nigræ, & quô pactô hic ipſe iiſdem ſupervenire poſſet? Vix autem duo treſvè dies elabebantur, cùm ægra hæc materiam nigerrimam vomere inciperet, cum anxietate præcordiorum maximâ, æſtu interiorum, vigiliis, adeòque febri quaſi malignâ, quæ ſymptomata quidem primùm paulùm mitigata dein ita recruduerunt, ùt vomitu puris craſſi veluti amurcâ ſingulis duabus tribuſve ſeptimanis præcedente ſiniſtri hypochondrii dolore & ſomnolentiâ, redeunte ac affligente, tandem circa ſolſtitium hyemale exſpiraret mulier optima, maritique ſui imprimis amantiſſima, & vitâ longiore digniſſima. Pancreas corruptum & quaſi limoſum non immeritô quis judicaverit.

Ibidem ann. 7. & 8. *Obſervatio* 224. *De Podagrâ Capitis.*

DAri reverà Podagram in capite ſeu dolorem capitis ejuſmodi, elegantiſſimæ obſervationes *præcedente annô quintô* miſcel. à Dn. *Erneſtô Sigiſm. Graſſiô*, & *Dn. Andreâ Lœwiô* communicatæ evincunt, quibus & meam addo, ante annos ſex in Vitriariô quôdam hujus loci, J. H. A. adhùc vivente, notatam. Hic ipſe, quamvis diætam accuratiſſimè ſervans, nihilominùs tamen ab aliquot annis podagricorum dolorum torturam patitur, ceu alias plura exempla eorum, qui diætam ſtrictiſſimè ſervant, & nihilominùs

nus arthritide vexantur, occurrunt, collegit *Bierlingius in Theſaur. Theor. Pract. p.* 325. Circa æquinoctium verò autumnale articulis pedum benè ſe habentibus dolore gravi capitis in vertice maximè, & partibus lateralibus corripiebatur cum vigiliis, & viſûs quâdam turbatione, abſque tamen febrili calore ac pulſu. Vocatus ad eum tertiò circiter die, catarrhum aliquem, loca dicta obſidentem, ſciſcitanti ipſi pro cauſâ morbi renunciavi, omniaque adhibui, quæ ejuſmodi in caſibus aliàs abſque ſucceſſû rariſſimè commendantur. Hic autem nullum levamen ſequebatur, quamvis per duas fere ſeptimanas continuata, & pro circumſtantiarum ratione variata. Ægrô verò ſubindè dolores hos capitis, cum conſuetis ſuis, quibus eô annô caruerunt, podagricis comparante, ac an daretur podagra capitis ſedulò ſciſcitante, tandem per jocum ipſi ſuaſi, ùt conſuetum ſuum antipodagricum euporiſtum, vertici capitis imponeret, & experiretur, extemplò uxor, ſacculos arenâ, in patinâ ferreâ toſtâ, repletos, quos aliàs pedibus cum levamine applicat, vertici mariti imponit, nec ultra dies tres continuat, cùm dolores capitis remitterent, & æger quoad cætera rectè ſe haberet, ſequenti annô tamen, quamvis pedes more ſolitô item paterentur, & adhuc hodiè calendarium ſuum in iiſdem obſervet, ceu cum ipsô jocari ſoleo, gravi ophthalmiâ, cum palpebrarum quidem inverſione, & rubore laborabat, quæ nec planè adhuc eum reliquit.

Cæterùm nec ratione caret Cephalæa ejuſmodi arthritica. Nam motu ſanguinis ſerique verſus caput concitatiori interdùm exiſtente ac lymphâ dein, quæ in motûs ejuſmodi proportione regredi nequit, ſtagnante, perioſtium circa ſuturas hìc, uti aliàs circa articulos, ab eâdem acriori ac ſalinâ affici, fibrillæque ejuſdem rodi quaſi, ac dilaniari poſſunt. Et quid frequentiùs quàm graviſſimos capitis affectus, Epilepſiam, Apoplexiam, & emanante, ùt ſic loquar, podagrâ exiſtere, ceu præter Auctores *à Dn. Lowio* etiam *P. Zacchias. quæſt. Med. Leg. Tom.* 3. *conſil.* 70. *p.* 137. *& Bierlingius in Theſaur. p.* 327. notant, & hic imprimis Medicum quendam ſiſtit, podagrâ antehàc vexatum (quâ profectò gravius nihil, ac cum εὐχημοσύνῃ maximè pugnans accidere poteſt,) tandem vertigine, aliiſque periculoſis capitis affectibus correptum curâſſe ſe ingurgitatione vini Hungarici, humoremque ad articulos iterùm derivâſſe.

Ibidem Obſervatio 215. *De Podagrâ indolente.*

OCcurrit quoque annô proximô quintô obſervatio Curioſiſſimi *Dn. Khernii* de quibuſdam circa Podagram notatu dignis, quibus pro hâc vice Podagram indolentem addo, contradictionem, ut vulgò vocant, in adjectô. Reverendiſſimus quidam ac Illuſtriſſimus Dominus A. A. Baro de G. matre natus, cujus tota familia, nè fœminis quidem exceptis, arthritica eſt, ipſe ſcorbuticus ſimul, facie rubicundâ, ac complexionis cholericæ, quotannis circa ſolſtitium hyemale, eâdem laborat. Incipit paroxyſmus, ut in aliis, cum levi horrore, ſubſequente calore, tumor verò cum rubore, talum tantùm per tranſverſum ordinariò occupat, non pollicem pedum, tumor tamen œdematoſus non eſt, nec etiam eryſipelatoſus, duratque podagra hæc diutiùs, ac communis vulgò ſic dicta podagra, ipſô interim in ſellâ ſuâ podagricâ locum tenente. Et hôc ipſô, quô hæc ſcribo, tempore inſultum ejuſdem leviorem tamen paſſus eſt, quod ipſum ad decocta lignorum, quibus frequenter ab annô uſus eſt, referendum nullus dubito. Hæc ipſa enim quamvis rejiciant *Crato ep.* 151. *Smetius Miſcell. l.* 10. *p.* 539. *Solenander ſ.* v. *conſil.* 4. rationes tamen illorum tanti non ſunt, neque hujus loci eſt de quæſtione hâc diſputare, quin potiùs cum *Blankardô Tract. de podag. c.* 10. *ſ.* 1. *Theod. Mayerniô de Arthrit. p.* 231. *Ettmüllerô Colleg. Pract. Oper. Tom.* 2. *p.* 849. aliiſque recentioribus, quibus lignorum decocta frequentiùs uſurpantur, ac à dictis viris, præſtantiſſimis ſuô tempore practicis, fieri potuit, eadem inter optima Podagræ prophylactica habeamus.

Ibidem Obſervatio 216. *De Fœtu Numeroſô.*

MEntionem facit annô præcedente *Dn. Lowius* partûs trecentorum ſexaginta quinque puellorum Comitiſſæ Hollandicæ, cui hiſtoriæ, quamvis præter *celeberrimum Paulinum*; etiam quondam à *Foreſtô* L. 28 obſ. 66. ac *Voſſiô* Lib. 3. Idolol. p. 417. fides denegetur duas imprimis ob cauſas, tam quòd hiſtoriæ ejus apud antiquiores ſilentium ſit, quàm quòd Epiſcopus Ultrajectinus, à quô ſacrô Baptiſmate abluti dicuntur fœtus iſti, eô tempore, non fuerint vel Otto, ut nominat Meyerus vel ut *Hadrianus Junius*, Gudo, ſed Johannes Naſſovius, qui unde-quadrageſimus Ultrajectinorum Epiſcopus fuit; non video tamen, quô pactô abſurdi quidpiam involvant objectiones hæ, quibus facilè occurri poteſt, cùm fœtus ejuſmodi numeroſus, vel ad monſtra naturæ, impreſſionem matris ſubſequentia C. *Zacchia Quæſt. Med. leg. l.* 7. *p.* 572. ad cauſam ſupernaturalem, imprecationem ſcil. mendicæ, adeòque divinam Nemeſin omninò referri poſſit. Dari autem partus ejuſmodi numeroſos, qui naturam ipſam ſuperent, *Jonſtonius Thaumat. p.* 529. *& Schenkius L.* 4. *obſ.* 162. pluribus exemplis probant. Pro hiſtoriæ autem Batavæ veritate appone teſtimonium ex *Hermanni Goudani* hiſtoriâ, *in Actis Lipſienſibus anni* 98. recenſitâ, qui arcem puerorum in Batavis, vulgò *Puderoye*, in memoriam Partûs hujus ſic appellatam ſtatuit, ob totidem ſcil. feneſtras, in rei geſtæ argumentum, arci inſertas.

Ibidem Obſervatio 217. *De Hæmorhagiâ narium paroxyſmi inſtar recurrente.*

FEbres certis interdùm tàm ſymptomatibus; quàm Criticis excretionibus ſtipari, novum non eſt, & quotannis accidit humores ſeroſos, bilioſoſque, ac ſanguinem ipſum per alvum excerni, & diarrhœas, dyſenteriaſque malignas conſtituere. Præteréà & urina in febribus copioſiſſimè excernitur, ceu diabetis ejuſmodi meminerunt *Borrichius in Act. Hafnienſi. Vol.* 3. *Obſ.* 34. *& Vol,* 5. *p.* 128. *Scaramuccius in Miſcell. curioſ. Dec.* 2. *Ann.* 9, *Obſ.* 204. Quæ obſervatio quoque ex Theorematibus ejuſdem repetitur *in Actis Lipſienſ. annô* 96. *p.* 556. Sudorem in iiſdem in maximâ quantitatè prodire, ità, ùt cum ingenioſiſſimô *Williſiô Pharmac. rat. part.* 1. *Sect.* 5. *c.* 3. omninô colliquationem ſanguinis arguas, qualiſque teſte

teſte *Joh. Langiô L.* I. *Ep.* 19. *Lemniô in occ. Nat. mir. p.* 163. *Johanne Cajô L. de ſudore Anglicô*, in hôc ipsô accidit. Hæmorrhagiam verò narium, quamvis aliàs quoque criticè ac ſymptomaticè febribus ſuperveniat, ſingulis tamen diebus per ſtatos paroxyſmos affligere, rariſſimum fortè, mihique hactenùs, nè apud Auctores quidèm practicos obſervatum. Accidit tamen circa elapſum æquinoctium autumnale primario Cameræ Conſiliario Celſiſſimi Principis Noſtri, Dn. C. P. qui aliàs robuſtæ conſtitutionis exiſtens, & ſexageſimô annô propior, ſcorbuticus tamen, ſanguineque acri, tenuiori, & valdè mobili præditus, per aliquot ſeptimanas de vertigine gravi ſubindè conqueſtus, dictô tempore noctû graviſſimâ narium hæmorrhagiâ corripitur, quæ deìn quotidie recurrens, quatuor horas durabat, cum pulſu ſemper febrili, ac æſtu capitis. Adminiſtrata omnia ex arte, & liquor ſtypticus, pulviſque ipſe ſympatheticus in uſum, quamvis fruſtrà vocatus, donec demùm juxta prognoſticon meum, paroxyſmô quintô deſineret, poſt quem etiam pulſus remittebat, guttulæque quædam lymphaticæ per nares adhuc prodierunt, ac Vir longâ vitâ digniſſimus Celſiſſimo Principi ſuo, ac ſuis reſtitueretur, apoplexiâ fortè correptus, niſi hæc ſanguinis excretio ſuperveniſſet. Meminit quidèm *Williſius in pharm. rat. part.* 2. *ſ.* 3. *c.* 2. hæmorrhagiæ ſpaſmodicæ per intervalla moleſtæ, quæ tamen cum hôc caſu non quadrat, qui majus fortè lumen recipit, ex Obſervatione ejuſdem Auctoris, quam tractatû *de Morb. Convulſ. c.* 8. *p.* 79. de Diabete periodicâ quotidianâ habet.

Ibidem Obſervatio 218. *De non vanâ à ſolſtitiis, de morborum chronicorum eventu, prædictione.*

Communicavi annô præcedente caſum morbi chronici, cum ſolſtitiô æſtivô incipientis, cum hyemali verò infeliciter terminantis, cùmque hôc annô alius ſe obtulerit, eôdem pariter tempore, meliori tamen eventu decurrens, nolui hoc ipſum, quamvis rarum non ſit, Miſcellaneis tamen noſtris deeſſe, ſaltem, ùt illi quoque, qui omnes morborum in melius mutationes, medicamentorum virtutibus adſcribunt, naturæ quoque, cujus miniſter tantùm Medicus eſt, partes ſuas tribuant, deindè ùt ſimul pateat, quàm innocenter ſæpe medicamenta, laudatum ſuum effectum non ſtatìm aſſequentia, traducantur, utpotè naturâ nondùm cooperante propinata, ceu quoque eâdem invitâ exiſtente; L. expertiſſimis remediis menſes ſaltem movere difficillimum, obſervatio *Dn. Schelhameri* ſuperiori annô inſerta docet. Caſus a. ita ſe habet. Reverendus admodùm Cœnobij cujuſdam virginum apud nos præpoſitus, infra quadrageſimum adhùc ætatis annum, conſtitutionis macilentæ, facie pallidus, pectore ac ventriculô debilis, ùt ante aliquot annos paſſim celebriores Medicos, de imminente phthiſi conſuluerit, diætæ aliàs accuratiſſimus obſervator, cùm ante triennium, invitis potentioribus, à virginibus liberam electionem, pro jure ſuô vendicantibus, eligeretur, invidiam, odium, ac perſecutiones, pro affectuum horum ex ſe invicem geneſi, incurrit, omnia tamen forti animô pertulit, nulliſque medicamentis præſervativis uti voluit, quamvis ſæpè ſollicitaretur, animum ſuum ad ſuperanda iſta dudùm per Philoſophiam præparatum dictitans, ceu quoque vir doctus eſt. Circa feſtum Johannis Baptiſtæ ſolſtitium æſtivum hujus anni, colicâ de nocte corripitur, cum copioſâ pravorum nigrorumque humorum excretione, datis tamen à me confortantibus ſtomachicis, levamen percipit & benè habet. Poſt quatuor ſeptimanas, eadem colica de nocte repetit, ſed abſque excretione materiæ cujuſdam, & cum inſigni abdominis tenſione remanente. Ordino Clyſteres carminantes, linimenta, aliaque interna, proficua aliàs, nihil indè levaminis, ùt tandem remediorum, per octiduum fruſtrà uſurpatorum pertæſus, deſineret, tempus dierum Canicularium, Medicinis adverſum, objiciens, quòd tamen de Medicinis præſervativis intelligendum reſpondi, non de caſibus neceſſariis, qui etiam mediâ nocte auxilia Medica ſæpè poſtularent. Addidi prognoſticon, ni continuaret, ipſi gravem imminere tympanitidem, nec ante dimidium annum, ſeu ſolſtitium hyemale, levaminis quippiam ipſi ſperandum. Annuit tandèm poſt Laurentij diem, ſumitque pulveres quoſdam digeſtivos ex Arcanô duplicatô, Bez. martial. aliiſque interpoſitis laxantibus Tamarindinatis, verùm cùm nec eô modô inflatio abdominis extemplò ceſſaret, ac prætereà de me ſuſpicionem caperet, ac ſi more quorumdam, malum gravius pronunciâſſem, quàm reverà in ſe eſſet, Hannoveram abiit, & Dn. D. *Huxthagenium*, celebrem ejus urbis Practicum, & quondam in Academiâ Lugduno-Batavâ, ſub *Drelincourtiô*, ac *Schattiô*, mihi commilitonem, conſuluit, qui tympanitidem ipſi ingratiſſimè confirmavit, ac chalybeata, in formâ liquidâ cum antiſcorbuticis præſcripſit, interpoſitis pilulis hydragogis, cum mercuriô dulci incorporatis. Uſurpat & hæc, me non diſſuadente, prognoſticon tamen meum cum jocô ſubinde repetente, continuatque per unam, alteramque ſeptimanam, cùmque nec dum res ejus ad meliorem ſtatum devenirent, Goſlariam itur ad Dn. D. *Viſchbecquium*, magnô cum applauſu, in iſta Diœceſeos noſtræ parte, artem exercentem, & Praxeos Sydenhamianæ imitatorem ſedulum, meumque ab Helmſtadienſi Academiâ amicum. Is verò communicatô mecum conſiliô, cùm urina parciſſimè proflueret, eſſetque valdè tincta per diuretica negotium conficiendum cenſuit, dataque decocta aperitiva, lixivia cinerum, oleum petroſelini, ſpiritus juniperi, aliaque interna, externaque; cùm verò & iiſdem nihil proficeretur animum ferè dimiſit, me licèt repetitô prognoſticô meô ipſum ſubin erigente, ac quamdiù tuſſis, ſitiſque abeſſent, bonam ſpem poſt ſolſtitium demùm hyemale promittente. Intereà urgentibus amicis ad Empiricos & Ambubajarum collegia res defertur. Accerſitur & ex viciniâ famoſus *Delirorum Doctor*, vulgò ſic dictus, Chirurgus aliàs profeſſione ſuâ, qui ipſum invitum tamen in dolium ligneum conjicit, & tympanitidem hanc per ſudorem curare aggreditur; ſupervenerat a. poſt fruſtratam diureſin jam aſcites; cogitur ſudor, tali cum eventû, ùt combuſtis ferè ægri pedibus, veſicæ maximæ prorumperent, cum intolerabili dolore, ac rubore, ità ùt Empiricus, exin conſternatus, ſui ipſius oblivîſceretur, & terga verteret. Accidit a. ſingulari fortunâ, ùt Illuſtriſ. Archiater *Weſthovius* à Sereniſſimâ Gandersheimenſi Abbatiſsâ rediens, eâdem veſperâ illic locorum tranſiret, & à vicinis de ſtatu D. Præpoſiti, Amici ſui veteris, certior redditus, ipſum inviſeret, qui conſpectis pedibus, gangrænam ipſi deſignat, ni protinùs à Chirurgô ſubveniretur, qui etiam de nocte advolans, rem ſuam pro more optimè geſſit, ità ùt Veſicis illis ruptis, lymphâque continuò exſtillante, ſcrotum primò, & dein reliquum corpus

quoque

quoque detumeſcerent. De internis verò, me abſente, Dn. *Weſthovius* nil quicquam decernere voluit, concluſimuſque alterô die, modô à me initiô conceptô continuandum, additis aliis quibus bilis in præcordiis coagulata, & fermentans quaſi elutriaretur, ſeroſum verò in ſanguine peccans, per ſudorem diſcuteretur, aliaque pro circumſtantiarum ratione inſtituerentur, ac in iis Dn. æger ſummâ cum aſſiduitate pergeret, uſque ad ſolſtitium ſæpiùs ipſi à me præfixum, confirmatâ ſpe bonâ, quandiù tuſſis, ſitiſque ipſum deſtituerent, quam etiam per totum morbi decurſum non paſſus, tuſſi licèt ante ſeptimanas octo ipſum corripiente, poſt quatuordecim autem dies circiter iterum ceſſante. Et res feliciter ceſſit, quò magis enim ad ſolſtitium hoc appropinquavimus, eò meliores ipſius res evadebant, præſertim cùm maxima fœdiſſimorum, & putredinem ipſam ſuperantium humorum copia ipſi per alvum prodiret, & anguſtiæ cordis inſigniter remitterent, urinaque ipſius, quæ per totum morbi decurſum rubra cum ſedimentô fuerat, etiam in melius mutaretur, febris nocturna ceſſaret, ac qui ab omnibus pro deploratô habebatur, in vitam, non ſine maximô artis encomiô, quaſi reduceretur.

Ibidem Obſerv. 219. *De Riſû involuntariô.*

IN doctiſſimis Parallelismis *Dn. Lentilij*, annô ſuperiori communicatis, & quidèm ad *Obſervationem* 304. mentio fit riſûs non naturalis, à titillatione orti, qualem quoque obſervavi, dum ante annos tres, Virgini cuidam ſeniori, affectibus hypochondriaco-hyſtericis maximè obnoxiæ, Tincturam bezoardicam præſcriberem, in caſibus ejuſmodi aliàs valdè proficuam à me deprehenſam. Hanc quotiès uſurpabat, quod ter die ſuaſeram, in effuſiſſimum riſum, ac ſi à quôpiam titillaretur, ſolvebatur, ùt me ſubindè rogaret quid rerum ipſi ordinâſſem. Quò diutiùs autem eam ſumpſit, eò magis titillatio ac riſus remiſerunt ùt tandem nihil ampliùs jucundiſſimam illam moleſtiam, ceu loquebatur, perciperet. Cauſa autem ſenſationis ejuſmodi ex qualitate Tincturæ, ad hyſtericam complexionem applicatæ, & ſpaſmodicis partium nervoſarum ſubſultationibus patet. Hæc ipſa autem perſona nunc à dimidiô annô, maniaca eſt, taleſque interdum in carcere ſuô domeſticô diſcurſus format, qui exactiſſimum memoriæ gradum præſupponunt, nam res ante quadraginta annos geſtas accuratiſſimè & cùm judiciô quaſi enarrat, ac cantilenas laſcivas canit, quas ab illô tempore nemo ex ore ejus aliàs audivit, illaque multò minùs propter vitæ genus in chartâ ſervare potuit &c.

Ibidem In Appendice; Pneumatologiæ Medicæ Pars prima De ſpirituum finitorum exiſtentiâ.

Ibid. annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 222. *De lethali Vomitûs vehementiâ.*

ILluſtriſſimus Quidam poſt prægreſſam per aliquot dies inſignem laſſitudinem ac crurum debilitatem die XIII. Septembr. circà meridiem paroxyſmô febrili cum præcordiorum anguſtiis ac Vomitionibus corripitur, quæ cùm in conſuetum crudorum herbaceorum præcedentibus veſperis eſum referret, alterô mane, me tamen propter tenerrimam ejus conſtitutionem acerrimè id diſſuadente ac maximè invitô, duo grana Tartari Emetici mynſichti cum ſcrupulô ſemis Eleo-ſacchari aniſi ſumſit, ex quô violentiſſimè & cum maximâ abdominis ſtomachique concuſſione ſuprà ac infrà multa viſcoſa, bilioſa ac ſeroſa purgavit, remanente ſummâ debilitate & ſingultuoſô ſtomachi motû. Die XV. circa meridiem ſtatô tempore rediit paroxyſmus cum phantaſiâ. Die XVII. mane tertius paroxyſmus adfuit, ac in ſtomachicis febrifugiſque continuatum, & topica ſoporifera, propter vigilias nimias applicata. Die XIX. iterùm paroxyſmus circa meridiem cepit, cum lipothymiis, frigori verò per duas horas duranti nullus calor in exterioribus ſucceſſit, ceu in inflammationibus interiorum accidere ſolet, ſed Illuſtriſſimus æger cum frigore extremorum vigil ac inquietus ad XX. menſis diem perſtitit nocteque ſubſequenti circa 12. obiit ætatis ſuæ annô XXVIII.

Poſt aperturam corporis ſequentia notata 1. dextrum latus lividum à capite ad talum. 2. In abdomine pinguedo ad duos digitos craſſa, ſanguis extravaſatus nullus. 3. Omentum diſruptum ac corruptum, in dextrô tamen latere magis quàm ſiniſtrô. 4. Inteſtina inflammata, fuſca & bile quadantenùs ſuffuſa. 5. Ventriculus, cor, lien, quoad ſubſtantiam, bona. 6. Pulmones inflammati & hepar quoque, ubi inteſtina attingit. 7. Auricula cordis dextra amplior, quod fortè motui ſanguinis inordinato, quô frequenter, propter ſubitaneos affectus, laborabat, adſcribendum arbitror, exemplô ſimili in *Actis Eruditorum Lipſienſibus ann.* 1703. *p.* 219. occurrente.

Diſruptiones omenti ac interiorum inflammationes vehementi abdominis ab emetico concuſſioni adſcribere meritò convenit, ceu cujus, quantùm ad illas exemplum quoque in Miſcell. Cur. Dec. 2. ann. 8. Obſ. 125. ab Excellentiſſimô Dominô *Andreâ Löwiô* ſuppeditatum eſt, quodque notante Illuſtri quondam *Wepferô* in Miſc. Dec. 2. ann. 10. Obſerv. 171. Schol. etiam ipſum Inteſtinum Ileon, à vomitûs violentiâ in quôdam ruptum fuerit. Inflammationes quoque à ſanguinis extravaſatione poſt violentam ejuſmodi abdominis in vomitione concuſſionem, ortas non immeritò quiſpiam deduxerit, ceu quam ſtagnatio ejuſdem ac inflammatio in texturâ corporis ejuſmodi rariori neceſſariò ſubſequatur.

Ibidem In Ephem. Germ. Cent. i. & ij. Obſervatio 28. *De Fulmine ictorum tractatione.*

OBſervatio Excellentiſſimi Dn. *Kohnii* de fulmine ictorum curatione noviſſimô Decuriæ tertiæ Tomô inſerta monet, ùt quæ his diebus de ſimili caſu apud nos notare licuit, ad Illuſtr. Societatem quoque referam. Accidit enim die 28. Maji, ut æſtû plus quam caniculari per plures dies conſiſtente, ſubitò veſperi circa horam quintam maxima tempeſtas cum copioſiſſimô imbre oboriretur, cui poſt dimidium circiter horæ ſpatium unius aut ſaltem bini fragoris tonitru ſuccedebat, quod partem ſuperiorem domûs cujuſdam in plateâ ſatis latâ ſitæ invadens, per tectum & tabulata, mox feneſtras motû variô, tandèm in hypocauſtum uſque vibrat, virginemque egregiam è regione feneſtræ ſtantem, in terram ſubitò proſternit, ùt per duas fermè horas pro mortuâ haberetur. Vocatus, ſpiritû ſalis ammoniaci ad nares applicatô, eandem quaſi in vitam revoco, at obſcurô ſonô aliquam adhùc vitæ ſpem ſupereſſe teſtaretur, brachiis

interim

interim ac pedibus convulſivum in modum ſubinde agitatis, quibus tamen, quod ſciam, nunquam obnoxia exſtiterat. Intereà cochleatim per os infundebatur mixtura quædam ex aquis eſſentiiſque antapoplecticis cum ſpiritu ſal. ammon. & Caſtorei acuatis; quibus etiam non parum excitari videbatur. Membris quieti redditis, & tribus circiter à percuſſione horis, venæ ſectio in brachiô inſtituta, quæ quamvis primâ vice non ſuccederet, & Chirurgus propter ætatem per ſpecillum venas ſecare ſolitus, ictum (fortè fruſtraneum) excuſaret, quòd ſanguinis hôc in caſu effluxus propter ſummum terrorem non ſuccederet, me poſt horæ ſpatium denuò urgente, eâdem ſub noctis initium repetitâ, fluxuſque ſanguinis egregiè ſecutus. Cùm verò ex funiculô globulorum argenteorum, quem in collô geſtârat virgo, diſruptô, hiſque in terram ſparſis, ac nigris, collum parte quâdam læſum ſuſpicarer, in ſiniſtrô ejus ſub aurem latere, quot globulorum interſtitia fuerant, tot quoque lineolæ nigræ octo circiter numerô in collô occurrebant, quibus Chirurgus conſueta remedia apponebat. Continuatumque in mixturâ ſupra dictâ, & ſomnus ad primam circiter ſeu mediam noctis horam ab adſtantibus impeditus. Dictâ verò horâ ad motum ſanguinis & ſpirituum magis magiſque reſtaurandum confirmandumque, pulverem ex ſalibus volatilibus ſuccini, cranii humani, ſimilibusque exhibui, adſtantibuſque cùm illa nondùm compos reddita eſſet, & quaſi temulentam ſe præſtaret, ut ad ſudorem leviorem cogeretur ſuaſi. Poſt ſudorem circa ſecundam matutinam in ſomnum prolapſa, circa ſeptimam evigilavit, rerum omnium, poſt fulminis ictum, cujus quoque non recordabatur, ignara, etiam ipſius venæ ſectionis, quam tamen apertis oculis admiſerat. Exin volatilia cum caſtoreatis per aliquot dies internè externèque continuata, & hauſtus ſubindè vini generoſi conceſſus, deque die in diem meliùs habuit, nec quicquam defectûs circa memoriam, loquelam, viſum aut membrorum mobilitatem obſervatum. Lineolæ quoque nigræ in collô, relictis tamen levibus cicatriculis, ſenſim diſparuerunt.

Qualis fulminis ſpecies exſtiterit determinare haud facilè in proclivi eſt. Cùm verò dubium non ſit, juxta diverſas illas ſpecies odorem quoque ſulphuris modò majorem minoremque exiſtere, ità cùm hypocauſtum me accedente fœtore ejuſmodi copioſè adhuc refertum eſſet, ex diſcutientium ſorte illud fuiſſe opinor. Quò accedit, quòd ornatus capitis, *Fontange*, quinque aut ſex locis leviter combuſtus appareret ceu ab aſperſis ſcintillis fieri ſolet, funiculus verò globulorum diſruptus, hique ipſi in ſiniſtrô colli latere nigri, in lateribus verò, quibus ſe invicem tangunt, leviter colliquati eſſent cum lineolis, ceu dictum, in cute nigris. Præbereà feneſtræ, per quam apertam fulmen hypocauſtum intrârat, lignum in parte inferiore fiſſum apparebat, & fulmen per feneſtram, ceu dictum, ad collum virginis vibrans, àque collô rursùm per tranſverſum cum maximô impetû parieti unà circiter ulnâ ſub feneſtrâ; per quam intrârat allidens, in pariete verò foramen, diſjectâ calce & ſubſtratâ materiâ latum & concacavum, non tamen pervium formârat.

De Lapide Fulminari multa eâ occaſione apud omnes quæſtio, quem tamen hìc non adfuiſſe & collum virginis fulminis ictui reſiſtentiam præbens, & foramen in parietis ſuperficie nullatenùs pervium, & nè quidem hians deprehenſum ſatis probant. Non igitur Lapis fulminaris in omni fulmine adeſt, ceu jam dudùm relationes ejuſmodi ſuſpectas arguit Illuſtr. Dn. Præſes, *Scrockius*, Schol. ad *Miſcell. Cur. Dec.* 2. *ann.* 4. *Obſe.* 53. & fortè rariſſimè concurrit, cùm corporis ejuſmodi ſolidiſſimi, nec interdum adeò exigui, ut pinguntur, generatio in athmoſphæra aëreâ & quidem in inſtanti mente vix concipi queat, ùt adeò, qui iiſdem adſcribuntur effectus, potiùs à flammâ quâdam quaſi concentratâ, ſeu ut *Natalis Comes* l. 2. Mythol. p. 157. olim loquebatur, vi craſſioris ignis dependeant.

Cæterùm celerrimum fulminis ejuſmodi per quatuor conclavia motum quoque ſiſtit *Dn. Treublerus in Miſc. Cur. Dec.* 1. *ann.* 2. *Obſ.* 37. ac ſimul curam fulmine percuſſorum ex mente, *Dn. Bezæ*, Medici quondam Argentoratenſis, ſubjungit, cum quô tamen circa Venæ ſectionem non ejuſdem ſententiæ ſum, quam juxtà cum *Excellentiſſ. Kohniô* in hôc caſu ſum mè neceſſariam arbitror, ad ſuffocationem ſcilicèt præcavendam, & ſanguinis ſpirituumque motum reſtaurandum, quod ipſum quoque exemplis apud *Schenkium l.* 1. *Obſ.* 151. *& Borellum Cent.* 2. *Obſ.* 38. illuſtratur.

Ibidem Obſervatio 38. *De Rectô radicis Ipecacoanhæ & Emeticorum in Dyſenteriâ uſu.*

SPecifica morborum remedia exiſtere, quæ non mediante quâpiam evacuatione aliôve reſpectu ad hanc aut illam indicationem curativam, ſed arcanâ quâdam non facilè explicabili proprietate, ut *Boylæus tract. de ſpecif. remed. Concord. oper. Tom.* 2. *p.* 4. loquitur, morbos abigant, nemo negabit. Hæc verò ipſa quominùs magis magiſque excolantur, & Medicina ad ſummum perfectionis gradum ducatur, non una cauſa eſt, quas inter primariam cum *Illuſtriſſimô Leibniziô, Relat. de Novo Antidyſ. Americ. p.* 12. arbitror, quòd immodicæ ſimplicium commendationi adeò aſſueti ſimus, ùt niſi deſcriptor multùm & diù inculcet virtutem plantæ, vix ſeriò aut vix certè ex uſu rerum, ſed magis ex relatu ſcripſiſſe judicemus, adeòque plantæ nil ſingulare tribuamus.

Inter ſpecifica ejuſmodi noſtrô ævô Ipecacoanha inclaruit, de quâ quamvis integri præclarorum Medicorum tractatus, atque etiam in Miſcellaneis noſtris obſervationes jam exſtent, tamen & mihi, quæ ann. 1701. circa uſum ejuſdem obſervavi, hôc locô in exemplis quibuſdam referre liceat. Vir triginta annorum copioſæ expectorationi aſſuetus, ac cætera ſanus, niſi quòd interdùm dolores in ſiniſtrô hypochondriô perciperet, die 24. Jul. poſt prægreſſum dictâ in regione inſignem dolorem, rigoremque ſubitò per alvum liquida & ſpumoſa excrevit, ſubſequente æſtû cum pulſu febrili, ſiccitate oris, & præcordiorum tenſione. Excretiones continuant per quatuor dies, ſingulis horis duæ, vel tres, cum ramentis ſanguineis, non tamen multis, nec abſque torminibus. Die quartô ad ægrum vocatus ordinavi drachmam unam radicis Ipecacoanhæ, tribus doſibus ſumendam. Primum ſumſit veſperi horâ 5. quam ſtatìm cum maximâ anxietate per vomitum iterùm rejecit, atque unà multam craſſam & viſcoſam pituitam, excretiones verò alvinæ ceſſabant, ac de nocte benè dormivit. Alterô mane iterùm ſumſit ſcrupulum, iterùmque vomuit, optimè verò habuit, pulſus naturalis, excretio alvi nulla. Juſſi igitur reſtantem adhùc ſcrupulum in duas partes dividere, unamque ſumere horâ ſecundâ pomeridianâ, alteram verè octavâ veſpertinâ. Ab utrâque autem doſi iterùm vomuit vehementer, ùt vomitus per totam noctem continuaret, alvi tamen

men adſtrictio perſtitit, niſi quòd mane liquida ac biliosa deponeret, pauxillô ſanguinis ſub finem excretionis cum levioribus torminibus. Interim dolores jam in dextrô hypochondriô percipiebat, cum tenſione in ſcrobiculô cordis, ùt ſimul difficulter indè reſpiraret. Præſcripſi itaquè pulverem ſtomachalem cum præcipitantibus combinatum, quibus aliiſque ſenſim convaluit.

Puero cuidam unius anni cùm molares prorumperent, fluxû alvi ſanguineô cum febre laboranti, drachma ſemis quatuor vicibus propinata nauſeam & leniorem vomitum ſemper movit, ſanguineaſque excretiones ſtitit, ad alvi tamen adſtrictionem procurandam alia adhùc in uſum trahenda erant.

Mulieri ſexaginta & aliquot annorum, dyſenteriâ correptæ, cum febriculâ, vertigine, & vigiliis, præſcripſi drachmam duabus vicibus ſumendam, ex utrâque doſi vehementer vomuit multam pituitam viſcoſam, & ſedes alvi etiam in magnâ copiâ continuârunt. Alterô die Ipecacoanham in pillulas redegi cum tragacanthâ & ſyrupô abſynthii; ità ùt ſingulis horis aliquot ſumeret, & iterùm poſt aſſumptionem cujuſcunque doſeos, vehementer vomuit, alvique ſtimulum percepit, abſque tamen ſuccedente excretione. Deterritus ergò vehementiâ medicamenti nimis commoventis, adſtringentia cum ſtomachicis adhibui, quibus convaluit.

Juveni 25. annorum calidioris & ſiccioris temperamenti, arthritidique obnoxio, die octavô Novembris & morbi, dedi drachmam dimidiam Ipecacoanhæ, quam vomitus cum maximâ anxietate & copioſâ pituitæ æruginoſæ excretione excepit, ùt & hìc ab ulteriori medicamenti hujus propinatione deſiſterem, præſertìm cùm ſub idem tempus increbreſceret, in viciniâ Nobili cuidam Dyſenterico mediæ ætatis à Medicô ſuô propinatis per aliquot dies medicamentis vomitoriis mortem acceleratam, cui ſine dubiô eadem Ipecacoanha exhibita fuerat. Et Pharmacopœus noſter ex ſimilitudine cum radice aſari fortè aſarum quoddam ſeu ſerpentariam virginianam à ſe plaſiariô ſubſtitutam ſuſpicabatur.

Ipecacoanham autem emeticâ vi pollere jam pridèm incolis ipſis Americanis innotuit, ceu qui ad exturbandum ſive aſſumtum venenum, ſive ſaburram quandam cacochymicam, circa præcordia hærentem, eandem eapropter in uſum primùm traxerunt. Cùmque vis emetica ſingularis planè exiſtat, ut potè viſcerum corroborationem ſimul procurans à ſedulô Exoticorum ſcrutatore; *Paulô Hermannô*, meô quondam in Botanicis Lugduni Batavorum præceptore, in febribus quoque intermittentibus uſurpata eſt, quas abſque metu recidivæ curat. Imitatus eundem eſt *Illuſtris Wedelius Diſſ. inaugur. de Ipecacoanh. p.* 37. inque hypochondriacô, maniacô, pleuriticô, affectibuſque quibuſdam præcordialibus pro vomitoriô non minori cum ſucceſſû exhibuit, ac ab eô tempore radicem hanc Emeticum claſſicum, præcipuum ac polychreſtum pronuntiat, communi conſenſû pro officinali habendum.

Quanta autem Vomitoriorum in curandis alvi fluxibus utilitas exiſtat, jam ab *Hippocrate ſect.* VI. *aph.* 15. *& lib.* 2. *de morbis* indicatum eſt; idque ex eâ ratione, quòd humores acres ab inteſtinis revellantur, hæc ipſa verò exhauriantur & ſiccentur, ut Commentatores *Johannes Heurnius & Sponius* addunt. Hippocratis effatum, ut potè ab experientiâ deſumptum, ſecuti practici inſigniores vomitoriorum uſum in curatione ejus Dyſenteriæ ſpeciei propoſuerunt, in quâ ſuperioſa Inteſtina inflammationem non patiantur, quæque non maligna exiſtat, aut etiam à malâ diætâ; ſaburrâque quâdam in præcordiis latente ortum traxerit, ut in plebeiis ac militibus, quos maximè affligit morbus hic. *Hildanus lib. de Dyſenter. Cap.* 8. *Op. p.* 683. *Sennertus l.* 3. *prax. p.* 352. *Rolfincius l.* 7. *ord. & method. conſultator. p.* 668. *Ettmullerus Coll. pract. Op. Tom.* 2. *p.* 154.

Confirmant methodum hanc exempla particularia adoleſcentis apud *Riverium Cent.* 3. *obſ.* 9. qui cùm nullô remediô curari poſſet, die 12. morbi ſumptâ ſalis vitrioli drachmâ unâ, rejectiſque per vomitum multis bilioſis ac pituitoſis humoribus evaſit: Virorum ab *Excellentiſſimis, Valentinô, Miſc. Dec.* 2. *ann.* 2. *Obſ.* 168. *Ledeliô & Hogerô Dec.* 3. *ann.* 3. *Obſ.* 15. & 51. reſtitutorum; quæque ab *Illuſtri Dn. Præſide in Miſc. Dec.* 3. *ann.* 9. *App. p.* 33. de curatione dyſenteriæ Auguſtanæ recenſentur.

Quibus ità præmiſſis Ipecacoanham ſtatim ſub initium morbi, in corpore euſarcô, pravæ diætæ aſſuetô, nulla inflammatione in Inteſtinis exiſtente, integriſque adhùc viſceribus juxta methodum ab *Illuſtri Valentinô polychreſt. Exot. Diſput.* 2. *C.* 4. *ſ.* 2. propoſitam non abſque ſucceſſu uſurpari, malique ominis cum *Turnefortiô in Act. Lipſ. ann.* 95. *p.* 13. arbitror, ſi poſt ſpecifici hujus aſſumtionem vomitus nullus inſequatur, vel quoque nulla copioſior alvi excretio, quæ non rarò locô vomitionis contingit. Hôc caſu enim ea ventriculi conſtitutio adeſt, ùt medicamentum in actum ampliùs deducere non valeat, & natura ipſa quaſi ſuccumbat, haud ſecùs ac poſt applicata veſicatoria malis ægri rebus aut nulla veſica excitatur, aut veſica tantùm inſtar ovi ſubventanei inanis, nullôque humore ſtillans ſequatur, *Graſſius Miſc. Dec.* 3. *ann.* 5. *obſ.* 14. aut cutis tantum corrugetur, *Helwichius Miſc. Dec.* 3. *ann.* 7. *obſ.* 201.

Quamvis verò Ipecacoanha nonniſi prævia, ceu dictum, evacuatione dyſenteriam curet, non minùs tamen ſpecifici contra hunc morbum, alioſque alvi fluores, nomen mereri certum eſt, cùm poſt vomitionem tale robur inteſtinis radicis hujus virtute concilietur, quales ab aliis emeticis exſpectari non poteſt, unquam obſervatum eſt.

Ibidem Obſervatio 81. *De Genuinâ ac certâ Arthritidis curatione.*

EGi ante annos ſeptem, Tomô ſcilicèt VII. & VIII. Decuriæ III. Miſcellaneorum noſtrorum de Podagrâ indolente, ejuſque occaſione lignorum decocta, inter optima ejuſdem præſervativa, ex *Blankhardô, Mayerniô ac Ettmullerô*, ſimul aſſerui. Non tam autem iiſdem præcaveri paroxyſmos arthriticos, quàm certò curari ſubſequentium temporum experientia hìc locorum confirmavit. Anni enim ferè elapſi ſunt quinque, ex quô Viennâ Auſtriæ rediens formulam decocti ejuſmodi ſecum Hildeſiam attulit *Illuſtriſſimus Dn. Carolus Paulus Zimmermann. S. Cæſareæ Maj. Conſiliarius Aulicus, ac Epiſcopi Regiminiſque Hildeſienſis Cancellarius*, quod cùm in ſeipſô ſemper feliciter probatum, ſubin aliis idem petentibus communicavit, à quibus eôdem pariter ſucceſſû ſemper adhibitum eſt, adſtitique ipſe aliquot Reverendiſſimis ac Illuſtriſſimis Perſonis, diverſæ ætatis, temperamenti, diætæ ac vitæ generis, qui quamprimum inſultum dolorum ejuſmodi, ſive in pedibus, ſive in brachiô, perceperunt, ſtatim decocti hujus uncias circiter ſeptem, ſingulis dimidiis horis, aſſumentes, cæteriſque circa diætam obſervatis, ab iiſdem immunes evaſerunt. Urina autem in copiâ ſeceſſit, in quibuſdam etiam alvus laxior reddebatur, veluti purgante aſſumtô. Quod me permovit, cùm dictus Dn. Cancellarius pro ſuô publicæ commoda promovendi favore formulam decocti

typis

typis imprimi curâſſet, ejuſdem exemplar Actis ſocietatis noſtræ inſerere dignum judicaverim, nullus dubitans, quin idem planè effectus etiam aliis in locis ſubſecuturus ſit, & nunc demùm ars noſtra de triumphatâ quoque invictâ hâc Deâ, quô epithetô *Lucianus* olim podagram mactabat, impoſterùm ſibi gratuletur.

Locô autem formulæ Germanicô idiomate expreſſæ, Latinam, Exterorum in gratiam, dare liceat. ℞. *Polypodii querni, Hermodactylorum, rad. chinæ, Sarſaparillæ aa.* ℥iij, *Guajaci* ℥vj. *Hermodactyli craſsè contuſi*, & reliquæ ſpecies minutim inciſæ, in ollâ magnâ cum aquæ ſeptem,& vini albi Menſuris Viennenſibus duabus ac dimidiâ ad quartæ partis conſumtionem coquantur, poſteà fiat colatura; remanentia denuò cum menſuris quinque ſemis aquæ, & ſeſqui menſurâ vini ad quartæ partis exhalationem coquatur, colatura ſervetur.

Decocti hujus tantùm, quantùm poteris, bibe, quò plus bibes, eò citiùs convaleſces; quamvis ultra quatriduum non in uſum veniat; quô tempore omnibus juſculis, lacte & fructibus abſtinebis, nec aliô potû, præter hunc; uteris: è contrà variæ ſalubres carnes, aſſæ imprimis, conducent.

Die quartô lene laxans adhibeatur. Et hâc ratione omnis podagrica, iſchiadica, aut rheumatica defluxio citò curatur.

Dolores intra octo vel decem horas ceſſant, modò diligenter potaveris, nec præter aliquam loci, quem fluxus occupaverat, debilitatem, quidquam remanet. Nullatenùs purgat hoc decoctum, ſed omne malum per urinam educit.

De famoſô apud nos decoctô antipodagricô, cujus deſcriptionem communicavi, notitiam etiam in *Miſcell. Illuſtr. Regiæ ſocietatis Berolinenſis* injeci, quædam adhuc continuare animus eſt. Scilicèt præcipuum, quod ipſi ſub initium objectum movebatur, quantitas nimia ejuſdem eſt, quæ ventriculum quaſi obrueret, ùt fibris ejuſdem nimis relaxatis, tonôque deſtructô, decoctum illud non rectè digereretur, adeòque vel effectu ſuô fruſtraretur, vel graviora mala corpori induceret. Verùm hæc ipſa abſque ratione timeri experientia in ſubjectis omnibus luculentiſſimè comprobavit, nè dicam, quòd decoctum ipſum ventriculum non admodùm gravet, ſed ceu liquidum quoddam ac particulis activis impprægnatum, adeòque mobile, urgente ſimul decocti pondere, tandem perlabatur. Duorum autem imprimis ægrorum exempla ſe obtulerunt, quorum alter propter ventriculi debilitatem colicis doloribus frequentiſſimè obnoxius exiſtit, adeò ùt quotiès extrà urbem pernoctatur, & juxtà cum vinô cereviſiam non aſſuetam bibere conatur, ſemper colicam flatulentam patiatur, incubum quendam referentem. Hic ipſe cùm ante biennium paroxyſmô ſuô podagricô corriperetur, & ſtatûs publici ratio præſentiam ejus flagitaret, decoctum, quod ob ventriculi debilitatem ſemper averſatus fuerat, quartâ circiter paroxyſmi ſeptimanâ hauſit tali quidem cum effectu, ùt ſudor ex pede affectô erumpens odore decoctum referret, Dominus verò æger intra quatriduum moleſtiſſimô hoſpite ſuô liberaretur, inque publicum prodiret, nec quicquam verò ſeù ſub curâ, ſeù poſt eandem de colicâ ſuâ aliâque imbecillitate ventriculi perciperet. Alter verò æger ventriculô quoque imbecilliore & frequentiore colicâ gravatus, ſimili ratione decoctum conſuetô ſucceſſu hauſit, abſque moleſtiâ, niſi quòd alvus enormiter ſolveretur, & intra biduum ad triginta vices purgaretur.

Secundum, quod circa decocti hujus uſum obſervavi, eſt illud in gonorrhœâ affectis uſurpatum, podagram quidem etiam abigere, ſed circa gonorrhœam nec quicquam mutare, permanente, ſcilicèt, urinâ quamvis copioſiùs prodeunte, ſeminis effluxu, ac filamentis in urinâ conſuetis. Quamvis duo, in quibus hoc ipſum notavi, ægri, jam gonorrhœâ, ab aliquot annis inveteratâ, laborent.

Tertium eſt, quod à quôdam decoctum hoc cum ſolâ aquâ paretur, laudabili etiam cum effectu.

Quartum, quod ante menſes duos demùm exemplum mihi occurrerit, in quô decoctum exſpectatione ſuâ fruſtratum eſt. Æger ſcilicet triginta annorum, parente natus, cujus pes alter diuturnô ulcere laborabat, podagricô quoque inſultû corripitur, qui tamen quòd eſſet levior, euporiſtis, ac domeſticis tùm removebatur. Poſt quatuor circiter ſeptimanas iterùm paroxyſmô eôdem obruitur, & quidem quod multæ comeſſationes nocturnæ, ſaltationes, aliaque ejus generis præceſſiſſent, tantâ cum vehementiâ, ùt præ doloribus quatuor noctes inſomnes traheret. Vocatus ergò primùm topicô quôdam externô lenimentum dedi, alterôque die decocti uſum ſuaſi, quod etiam abſolvit æger, ità tamen, ùt multas ſedes liquidas diarrhœæ inſtar pateretur, parùm verò urinæ remitteret, & nihilominùs dolor arthriticus pedis dextri ceſſaret. Vix autem dies duo præteribant, cùm ille, ſeu quòd pedibus juſtô diutiùs inſtitiſſet, ſeù aliâ ratione, quam ægri etiam Medicis non libenter aperiunt, iterùm dolore pedis dextri corriperetur adeò acri ut propriâ ſponte decoctum iterum peteret. Suaſi etiam ipſe, abſolvitque Dn. Æger alteram curam quoque magnô cum obſequiô, nec tamen alvum ità liquidam experiebatur, & majorem urinæ copiam excernebat. Appetitus quoque ſub curâ ipſi augebatur, dolor tamen pedis non remittebat, ac inſuper tumor ejuſdem ſuperveniebat. Undè ad alia medicamenta acceſſi, quæ etiam ità ceſſerunt, ùt poſt quatuordecim demùm dies æger in publicum prodiret, & omnia rectè ſe haberent. Quamvis verò hôc caſû decoctum effectum ſuum non præſtitit, non minùs tamen ſpecifici antipodagrici nomen meretur, ac laudanum, etiamſi vigilias non ſemper ſiſtat, aut dens apri, licèt non omnes pleuritici eôdem curentur, cùm non omnes in morbô circumſtantiæ eôdem modô ſe habeant, & ex rationibus illis octo curationes morborum impedientibus, quas in *Selectis Medicis ſect.* 1, §. 10. recenſui, tertia huc maximè quadret.

Ibidem Obſervatio 109. *De Affectûs cujuſdam convulſivi rarioris delineatione.*

Ibidem Obſervatio 110. *De Uſû Radicis Niſi.*

Reverendiſſimus quidam ac Illuſtriſſimus Dominus jam ab æquinoctiô autumnali ſuperioris anni ſanguinis atri ſplendentiſque per inferiora dejectione, phthiſi ac quartanâ intermittente vagâ in Hecticam degenerante decumbens, ac ità emaciatus, ùt jam ante menſem pro deploratô tum ab adſtantibus, tum ab aliô celebri hujus loci Medicô, quem, me abſente, etiam in conſilium adhibuerat, haberetur, ab eô tempore à me infusô radicis Niſi, Lapidis porcini Malacenſis, aliiſque pretioſis, pro circumſtantiarum ratione accommodatis; conſer-

conſervabatur, ùt Illuſtriſſimi Agnati etiam quandam reconvaleſcentiæ ſpem conciperent. Circa infuſum quidem Radicis Niſi, quamvis primô intuitu mihi ſcrupulos moveret Obſervatio Illuſtr. *Dn. Præſidis noſtri Miſc. German. Dec.* 2. *ann.* 4. *Obſ.* 2. *Schol. & Menzelii Miſc. Dec.* 2. *ann.* 5. *Obſ.* 39. in conſtitutionibus ſcilicèt calidis & ſiccioribus, qualis etiam Domini hujus erat, febre inſuper hecticâ comitatâ, radicem hanc minùs convenire, negligere tamen hôc caſu nolui, partim quòd illuſtriſſimus Æger nullô ampliùs cibô uteretur, partim quòd emulſionibus amygdalatis radicis uſus interpolari poſſet. Sub initium verò Martii ſingultu cum calore majori ac continuô, ex pulsû celeriori & faciei rubore ſe imprimis manifeſtante corripi cœpit, quem delirium comitabatur, ùt nil niſi itinera, aliaque non cohærentia raucô ſermone, & inter continuos die noctûque ſingultus referret, & ſputa quoque purulenta retineret, tùmque à me etiam pro conclamatô res haberetur, donec demùm poſt ſex circiter dies circa meridiem ſingultus remitteret, pulſus æqualior redderetur, meliùs dormiret, cum adſtantibus rectiùs loqueretur, & phantaſiam ſuam quôdam modô agnoſceret.

Singultum illum primâ fronte ab uſu radicis iſtius inductum ſuſpicabar, ut potè quam citati Auctores in temperamentis calidioribus ſanguinem nimiâ ſuâ acredine incendere notâſſent, quæque acredo proìn ventriculum hìc quoque affeciſſet, quapropter etiam uſum iſtius radicis ſepoſui. Innocuam verò rursùs apud me radicem reddebat vomitûs abſentia, qui omninò, ſi quidèm ſingultus hic à ſubſtantiâ ventriculi dictô modô affectâ ortum traxiſſet, adeſſe debuiſſet, ùt & delirii præſentia, quod etiam ab uſu radicis nullâ ratione deduci poterat. Reſtabat proìn diaphragma, quod à præcordiis corruptis, jam velut inflammatoriè affici, ac in convulſivum quendam motum, juxta mentem *Franciſci Sylvii, prax. p.* 216. *Thomæ Williſii Lib. de morb. convulſ. Op. p.* 91. & recentiſſime *Andreæ Petermanni manuduct. ad prax. p.* 153. adigi videbatur, haud ſecùs ac Hepatis Ileique inflammationes ſingultum per conſenſum inducunt. Conjecturæ huic favebat delirium, quod inflamatorios diaphragmatis affectus comitari ſolet.

Quæcunque demùm cauſa ſingultûs ſubfuerit, Illuſtriſſimus Æger abſque eôdem per quatuor ferè dies decumbebat, cum pulsû, ut dictum, meliore, deliriôque remittente, donec demùm die 16. Martii catarrhô ſuffocativô, cui propter iracundiam in extremâ etiam hâc macie, interdùm obnoxius erat, correptus apoplecticum in modum extingueretur, ac morte ſuâ mutationem in morbis chronicis circà æquinoctia evenientem, jamque aliàs in Miſcellaneis ſocietatis noſtræ exemplis à me confirmatum, quoque certiorem reddidit.

Inter medicamenta autem ſingultui oppoſita, egregiè eundem compeſcebant infuſum Lapidis Porcini Malacenſis, necnon Lapis Bezoardicus.

Ibid. Obſervatio 125. *De Aſtrologia judiciaria vanitate.*

EX quô ſub initium hujus anni prognoſticon quoddam Aſtrologicum inclaruit, quô magnatibus quibuſdam, non dies ſolùm emortuales, ſed & morborum ſpecies prædicere quiſpiam ſuſtinuit, totus orbis obſtupuit, & de Medicâ arte ipsâ, terminô vitæ ità fatali exiſtente, actum videbatur. Niſi autem perſonatus fuerit, quiſquis demùm ità luſit, certè ſi vitæ humanæ terminus ità ſe haberet, ipſa divina providentia ſimul tolleretur. Quantùm verò aſtrorum influxui ſubſit, tum prognoſtici ipſius vanitas jam toti orbi innoteſcens probat, tum facilè ex eô colligere eſt, quòd præter ſolem & lunam reliqua corpora cœleſtia nullô in ſublunaria influxû polleant, ut potè quorum lumen, ceu quidèm ex conſpectu apparet, longè debilius ad nos devenit, multò minùs effectum ità determinatum præſtat, qui ne quidèm ſolis ac lunæ radiis, aliàs ſatis activis, competit. Quamvis enim ſanitas à ſolaribus lunaribuſque radiis non parùm afficiatur, eorundem tamen, ne dicam reliquorum, corporum cœleſtium in corpora humana influxum ita determinatum exiſtere, ùt etiam Aſtrologi juxta ſupputationes ſuas in individuis & morbos & mortes diù ante explorare, ac certô tempore prædicere valeant, non magis probabile eſt, quò ſæpiùs eoſdem, & ferè non quotidie, in aſſignandô cujuſcunque diei aëre vel ſereniori vel inclementiori, pluviosô ac ventosô, falli videmus, quod tamen longè minori difficultate ab illis determinari poſſet, cùm ſupputatio ejuſmodi non individua, ſed totam ſublunarem regionem ſpectet. Cùm acie certatur, una ſtrages pariter ex utrâque parte operit, non diverſi tantùm Climatis milites, ſed diverſiſſima conſtellatione genitos; & gemellis, quorum una eſt geneſis, idemque horoſcopus, vitæ tamen exitus interdùm diſpar, ut rectè *Salmaſius libr. de Ann. Climacteri. p.* 721. circa hoc negotium urget.

Ibidem Centur. iij. & iiij. Obſervatio 64. *De Icterô Corporis dimidii.*

DImidiatos corporis humani affectus dari novum non eſt, ac ferè quotidianum à dimidietate ſpinalis medullæ affectâ, Hemiplexiam alterutrius lateris ſequi, quamvis interdûm medietas illa corporis contrariô quoque cerebri hemiſphæriô reſpondeat, ut Illuſtriſſimus *Lanciſius L. de Morte Subit. p.* 231. *notat.* Scabiei, paroxyſmorum Epilepticorum, ut & variolarum unius lateris mentionem faciunt, Excellentiſſimus *Pechlinus Obſ. pag.* 342. *ac Ettmullerus in Colleg. pract. Oper. Tom.* 2. *p.* 403. quô caſu ſimul altera corporis medietas morbillis obſeſſa fuit. Icterum unius lateris hactenùs apud nullum auctorem reperi, obſervatus tamen à me ante biennium in Generoſiſſimô de St. Septuagenariô majore, qui, cùm ab irâ, cui graviori per naturam obnoxius erat, apoplexiâ corriperetur, quam hemiplexia dextri lateris excepit, ſimul icterô partis ejuſdem laborabat, corpus adeô accuratè quaſi dividente, ùt etiam naſi dextrum latus icteritium eſſet, ſiniſtrum verò colorem naturalem retineret, haud ſecùs ac in ſene quôdam podagricô altera quoque naſi medietas affecta ab *Ettmullerô L. C. p.* 844. obſervata eſt. Quamvis autem Dn. æger propter ætatem ab omnibus pro deploratô haberetur, cùm & urina ſupprimeretur; Venæ ſectione tamen & convenienti Cephalicorum cum Bezoardicis, quæ inter Tinctura Michaelis valde proficua deprehendebatur, conjunctorum uſu intra duas ſeptimanas reſtituebatur, ità ut icterus quoque diſpareret. Incolumis ab eô tempore integrâque valetudine exſtitit, uſque ad finem Octobris anni ſuperioris, quô iterùm ab irâ frequentiori caſuque nocturnô continuâ febre correptus, cùm propter octiduanam abſentiam meam, quâ Auguſto Electori Brunſvicenſi, Domino meô Clementiſſimo vacabam, alteri cuidam Medico ſeſe committere coactus fuiſſet, ſeu propter mutationem hanc, ſeu quoque ætatis ratione morti tandèm in prædam ceſſit.

Ibidem

Ibid. Obſervatio 112. *De ſingulari Epiglottidis Convulſione, deglutitionem tàm ſolidorum, quàm liquidorum impediente.*

DEglutitio liquidorum læſa, ſolidorum integrâ manente, non unam cauſam agnoſcit, atque etiam ad Epiglottidem ſpaſmô correptam, adeòque rigidiorem, rectè ab *Excellentiſſimô Helwichiô in Miſcell. Societat. Cent.* 2. *Obſ.* 47. refertur. Interdùm ne ſolida quidèm aſſumi poſſunt, ex eâdem ratione, quòd in Miniſtrô quôdam Ducali Cellenſi ante aliquot annos vidit *Illuſtris Dn. Ebelius*, Archiatrorum Auguſti ac Potentiſſimi Electoris Brunſvigo-Luneburgij, Domini mei Clementiſſimi, ſenior. In illô enim, catarrhô ſuffocativô ſubitò extinctô, ac poſt mortem apertô, Epiglottis per ſpaſmum ejuſmodi catarrhalem, verſus Oeſophagi orificium adeò retracta apparuit, ùt aſperæ arteriæ orificium maximè apertum exiſteret, ac neque liquida neque ſolida propter metum ſuffocationis ingeri potuerint, ægerque etiam non aſſumtô ſacrô viaticô mortem oppetere coactus fuerit.

Ibidem Obſervatio 113. *De Venæ ſectione in raucedine non ſemper noxiâ.*

EX quô *in Miſcell. Societatis Dec.* 1. *ann.* 9. & 10. *Obſ.* 57. Celeberrimi quondam apud Dantiſcanos Medici, *Smidii*, monita de Venæ ſectione in raucedine vitandâ antehàc legi, ab eâdem quoque ipſe hôc caſu in praxi abſtinui. Superiori verò annô ſub initium Februarij Religioſa quoque apud nos virgo raucedine corripiebatur cum tuſſi, capitiſque & pectoris dolore; uſurpata per aliquot dies variè in raucedine aliàs experta, nihil proderant, ægra adſtanteſque Venæ ſectionem urgebant, quam tandèm in talô admiſi. Licèt autem præfarer, raucedinem, cujus præcipuè remedium expetebatur, exin vix ceſſuram, accidit tamen contrarium, & alterô mane voce ità clarâ loquebatur virgo, ac ſi nunquam quicquam raucedinis habuiſſet. Lympham hìc circà laryngem & aſperæ arteriæ interiora ſtagnantem per modum revulſionis cum ſanguine in motum iterùm redactam, dubium nullum eſt. Reſtabat adhùc febris ægram noctu affligens, cui decoctum ex ſpeciebus pectoralibus Auguſtan. cum cortice peruvianô paratum per aliquot dies oppoſui, eâque ratione ſimul tuſſim curavi. Non mereretur quidèm hic caſus in Centuriis his locum, ni *Excellentiſſimi Helwichii Obſ.* 62. *Cent.* 1. occurrens, eidem recenſendo anſam ſuppeditâſſet.

Ibidem Obſervatio 159. *De Gemellis.*

Ibidem Obſervatio 187. *De Affectione Hypochondriacâ.*

FRequentiores elapsô & hôc annô in ſequiori præſertim ſexu exſtiterunt hypochondriacæ affectiones, anſamque ſuppeditant quædam circa eaſdem obſervata, hâc occaſione communicandi, fortè non ingrata, junioribus certè practicis nos parùm profutura.

Ac primò deprehendi, de causâ proximâ affectionum hujuſmodi omnium optimè *Williſium Lib. de Morb. convulſ.* C. 11. ſenſiſſe, & ſymptomata à ſpirituum animalium ἀταξίᾳ ſpaſmodica & ſubſidentia, ob dyſcraſiam ſanguinis acriorem & fermentativam dependere; ùt adeò inveterati hypochondriaci genuina automata Carteſiana referant. Falli proin arbitror, qui cauſam proximam in cruditatem acidam primarum viarum flatulentias aut obſtructum lienem referunt, atque in mulieribus uteri vitia accuſant; cùm omnia hæc potiùs producta & effectus ſint diſpoſitionis ejuſmodi, quàm cauſæ.

Secundò nullam ægrè ſic affectarum mihi occurriſſe, quæ non ex hæreditariâ origine talis exſtiterit, quamvis in parentibus malum ejuſmodi non ità inclaruerit, ſeu quòd in primâ juventute iidem obierint, ſeu quòd moroſitati adſcriptum malum fuerit, ſeu quoque alii cuipiam evidentiori ſymptomati, aut morbo, radix hujuſmodi involuta exſtiterit, calculo ſcilicet vel podagræ, quod inter alia fœminæ cujuſdam hypochondriacæ, patre arthriticô genitæ, exemplum apud *Ridlinum Lin. ann.* 2. *p.* 639. confirmat.

Atque uti paroxyſmi hypochondriaci nonniſi ab occaſionibus externis concitantur, ità eaſdem apud noſtrates maximè moverunt terror & ira, hæc præſertim, cùm hactenùs per totam praxin meam nullum utriuſque ſexûs hypochondriacum noverim, quem non aut iracundia, aut ira ſuppreſſa agitaverit. Quædam ex noſtratibus mente aliàs ſibi benè conſtans, quotiès irâ vehementiori corripitur, abſurda ſimul loquitur. Etiam ab improvisô conſpectû alterius hypochondriacæ abſurdè ſe gerentis diſpoſitas, ad hunc affectum paroxyſmis haud abſimilibus, ex pavore ſcilicèt ſpirituum corripi, exemplum quarundam noſtratium confirmavit, quæ proin alterius in eâdem ſimul plateâ habitantis occurſum conſpectumque probè & anxiè cavet. Simili verò ratione id accidit, quâ ad epilepſiam pronæ epilepticum quempiam afflictum ex improvisô conſpicientes, & ipſæ epilepſiâ corripiuntur, quod ſingulari exemplô mihi quoque compertum.

Inter ſymptomata primò dolores in ſcrobiculô cordis affligebant, cum anguſtiis præcordiorum, & reſpiratione difficiliori, eò graviores, quò vehementior ira aut terror præceſſerat. Quædam dolore ejuſmodi urgente in ſedendô ſimùl ſynciput deorsùm quaſi trahi percipiebat, ità ùt caput erigendo à syncope ſe præſervare neceſſe haberet. Nullum autem dubium eſt, dolorem hunc à nervis ventriculi irritatis exiſtere, atque ſi tenſivus ſimul eſt, lympham in eôdem contentam ac pituitam ſimul fermenteſcere, idque cum ructuum ſuppreſſione. Nervos certè ventriculi affici vel indè patet, quòd hic non rarò in hypochondriacis planè in convulſionem ſubitaneam abſque nauſeâ agatur, cujus exempla in *Zitmanni Medic. Forens. Cent.* 3. *caſ.* 64. & *Cent.* 4. *caſ.* 98. occurrunt.

Deindè dolor dorſi interſcapulius, qui etiam poſt eructationes non remittebat, & cùm maximâ cordis palpitatione affligebat, flatibus verò per inferiora excretis levior erat. Quamvis autem dolores ejuſmodi interſcapulii interdùm à ventriculô malè affectô dependeant, quod exempla apud *Foreſtum Lib.* 18. *Obſ.* 27. & *Ledelium in Miſcell. Societ. Noſtr. Dec.* 2. *ann.* 8. *Obſ.* 3. probant, in hypochondriacis tamen, cùm in iiſdem etiam poſt eructationes non remitterent, alia cauſa ſubeſt, diaphragmatis nempè eâ parte, quâ cum vertebris dorſalibus connectitur, quædam quaſi protruſio, ab inteſtinô colô per tranſverſum dorſi ſitô, ac flatulentiis diſtentô, quod diaphragma quoque ſcrobiculum cordis ad interiora trahit, quale quid in quâdam obſervavi.

Porrò vigiliæ circa mediam noctem, quæ febrile quippiam innuere videntur, ſivè re ipsâ paroxyſmus quiſpiam noctû dormientes corripiat, ſive

ſive tantùm fermentatio quæpiam, aut anguſtia cordiſque palpitatio eaſdem mediâ nocte turbet, & vigiles reddat. Hæcque ipſa eò graviùs affligit, quò magis ab irâ aliiſque affectibus commotæ erant. Nec in ſequiori ſolum ſexû ſymptoma hoc occurrit, ſed & virili quoque, meminitque *Ettmüllerus Op.* Tom. 2. *p.* 1053. ſtudioſi, qui in ſingulis noctibus ſtatô tempore circa medium evigilabat cum plurimis in abdomine flatulentiis, anxietate & palpitatione cordis, talique reſpirandi difficultate & ſtrangulatione, hyſtericæ ſuffocationi ità ſimili, ùt ovum ovô ſimilius eſſe non potuiſſet. Paroxyſmus verò hic poſt horas circiter duas ſudore modicô evaneſcebat.

Animi verò impotentia ac phantaſia, quòdque rationes non admittant ità affecti, uti malum hoc valdè exaltatum deſignat, ità quoque non abſque deliriis noſtræ fuerunt hypochondriacæ, cùm quædam de æternâ ſalute poſt mortem planè deſperaret, & circa id unum anxia eſſet, alia nil niſi orbitatem liberorum die noctuque deploraret, alia à pulſatione campanarum neſcio quid ſibi imaginaretur, alia quamvis ætate provectior molam in uterô metueret, alia claves ſuas domeſticas & ſuppellectilem neceſſariam angulis quibuſdam domûs ſuæ remotioribus reponeret, omnes autem ſemper de præteritis angerentur. Obiter ac ὡς ἐν παρέργῳ ſi deliria ejuſmodi tàm hypochondriacorum quàm febricitantium penitiùs conſidero, omninò cum acutiſſimô *Petermannô Caſ. Med. Legal. Dec.* 1. *p.* 7. ceu quoque pleniùs probavi, in *ſelectis meis Phyſiologicis*, animæ noſtræ rationalis eſſentiam materialem mihi concipio, quæ ſcilicèt ſpirituum animalium partem ſubtiliſſimam conſtituat, ſimulque in actiones corporis voluntarias influat. Atque hæc quidèm uti à Deô primo homini ſub creatione inſpirata eſt, ceu quoque ex parte *Seneca Epiſt.* 66. cognovit, ità eandem dein ſemper cum ſemine parentum continuò propagari arbitror. Animas enim à Deô non infundi vel illud probat, quòd aliàs ſummum hoc Numen ſemper ad congreſſus illicitos concurreret, & indeſinenter crearet, cùm tamen totum creationis opus ſex dierum ſpatiô finitum ſacra pagina dictitet. Nec etiam materialitati huic animæ immortalitas ejuſdem contrariatur, cùm per omnipotentiam divinam talis demùm exiſtat. Haud ſecùs ac eadem totum hoc univerſum ex nihilô creavit, & adhùc dùm per ſubordinationem cauſarum ſecundarum conſervat.

Quòd verò mulieres præ viris hypôchondriacæ ejuſmodi affectioni obnoxiæ ſint, debilior ſpirituum in iiſdem craſis in cauſâ eſt, quòdque affectibus magis abripiantur, nec laboribus ità ac viri exerceantur. Ex quâ poſtremâ ratione mulieres imprimis nobiles, quæque aliàs in ſtatû privatô otioſè ac molliter vivunt, præ aliis ád affectiones has inclinant. Vulgus ea propter ſemper hic uterum accuſat, ac die *Mutter Plage* vocat. Omninò autem duos hoſce affectus à ſe invicem diſtinguendos arbitror, affectionem ſcilicèt hypochondriacam & ſtrangulationem hyſtericam, nec omnia circa tumores & motus in infimô ventre, pulſum cordis, reſpirationem ac deglutitionem vitiatam ſymptomata in mulieribus ſtatim hyſterica cum vulgô appellanda; Nec quoque ſuffocatio illa in mulieribus in ſpecie ſic dicta ab aliâ cauſâ, quàm affectô uterô deducenda, ceu latiùs ante hos triginta annos in *Diſputatione meâ inaugurali* de ſuffocatione Hyſtericâ, Helmſtadii ſub præſidiô Illuſtris Meibomii habitâ, oſtendi.

In Curatione notavi alvô paulò ſtrictiori exiſtente, flatulentiiſque ac palpitatione cordis urgentibus, clyſteres etiam domeſticos ex lacte cum fl. chamomillæ, oleô, ac ſale omnem abſolviſſe paginam, qui licèt ſingulis diebus reiterati quam parùm viribus detrahant, probat obſervatio *Hainii in Miſcel. Cur. Dec.* 1. *Ann.* 3. *Num.* 221. occurrens. Imò hypochondriacos ſolis clyſteribus planè curari experientiâ edoctus dudum *Hercules Saxoni.* aſſeruit *pract. l.* 1. *C.* 16. cùm nullâ ratione ſcybala in cellis Inteſtini coli concreta meliùs eluantur. Hæc ipſa in quâdam noſtrarum tam dura erant, ùt nigros lapides referre viderentur, & hæc, ſcybalis ipſis jam concretis, nihilominùs liquida per alvum deponebat. Circa clyſteres porrò in unâ obſervare licuit, cùm iidem aliquoties reiterati fuiſſent, poſt ſolutionem alvi inſecutam fuiſſe dejectionem materiæ albæ viſcoſæ ac ſpumantis, cum inſigni remanente debilitate, ùt dein hæc ipſa clyſtere abhorruerit. Quam materiam ex ſuperioribus ac tenuioribus Inteſtinis deductam nullus dubito, cujus utpotè chyloſæ adhuc major ſeceſſus propterea non potuerit non debilitatem quandam relinquere. Subſtitui proin in aliâ ſal Anglicum ad aliquot drachmas cum aquâ fœniculi & veronicæ dilutum, quod alvum egregiè movebat. In quâdam tamen adminiculis ejuſmodi opus non erat, ceu quæ ipſa, quotiès affectibus paulò vehementioribus agitaretur, noctu ſemper aliquot ſedes fluidas ſpumoſaſque haberet, maximô cum levamine, alterô ſæpe die adhuc continuantes.

Venæ ſectionem nonniſi hypochondriacis æſtuantibus atque ad maniam inclinantibus convenire deprehendi, eaque magis in tali revulſionis cauſâ vel in fronte ad derivationem. Aliàs enim Venæ ſectio ſpiritus adhuc magis ſubtrahit, ceù rectè *Dnn. Lipſienſes* apud *Zitmannum Medic. forenſ. Cent.* 2. *Caſ.* 33. monent, & quod exemplum mulieris apud *Ridlinum Lin. Ann.* 6. *p.* 575. docet, malum exaſperat.

Circa noctem magnô cum fructû anodina propinavi, Laudanum ſcilicèt liquidum cum Tincturâ Croci. Quamvis autem propter ἀταξίαν ſpirituum, Opiatorum uſus proficuus videatur, adeò ùt etiam purgantibus eadem addat Illuſtris *Bohnius de Offic. Medic. p.* 284. ob debiliorem tamen ſpirituum craſin, quòdque viſcoſitatem ſanguini ac lymphæ inducant, nonniſi maximâ urgente neceſſitate utendum iiſdem arbitror.

In quâdam verò euſarcâ, ſudore matutinô conſuetô non erumpente, ſudorifera ex pulvere Bezoardicô Sennerti, ſale cardui benedicti, aliôque fixô acuatô benè contulerunt, cùm aliàs, hôc neglectô, nonniſi impatientiam totô die præ ſe ferret.

In maximâ anxietate & palpitatione cordis pulveres abſorbentes, cordiales, bezoardicos cum aquis meliſſæ, borraginis, ſimilibuſque in mixturas cochleares redactos egregiè interdùm reſpondiſſe deprehendi, qui nec ipſi aliàs ſatis decantato Lapidi Bezoardico inferiores exſtiterunt, quem tamen in quâdam ſubindè ad ſex grana propinavi.

Cùmque jam multiplici experientiâ cognoverim, quales vires cortex peruvianus in ſanguine ſpiritibus confortandis, nec non inordinatè commotis compeſcendis obtineat, præeunte *Muraltô Miſcell. Curioſ. Dec.* 2. *ann.* 8. *Obſ.* 11. quibuſdam noſtrarum eundem quoque propinavi. Ubi tamen in formâ pulveris aridior ipſis exſtitit, & calores in præcordiis excitâſſe viſus eſt, ùt deſiſtere cogerer. Cuidam tamen ad hecticam proclivi, quæque paroxyſmos nocturnos

ɑturnos ſimul patiebatur, ad exemplum *Ridlini Lin. Ann.* 2. *p.* 477. & *Ann.* 6. *p.* 926. necnon *Hamiltonii Regul. prax. p.* 35. corticem hunc conſervâ borraginis in Electuarium redactum cum lacte caprinô propinavi, quæ cùm non ferret, eundem in formâ decocti, cum radice chichorii & floribus cordialibus ex aquâ fontanâ parati, ſumſit per aliquot dies maximô cum levamine, ità ùt flatulentiæ notabiliter ſecederent, fermentatio ceſſaret, dolores dorſi præcordiorumque remitterent, & meliùs dormirét. Quartô tamen die majores ſemper ex decoctô ejuſmodi anxietates, ità ut vel cochleari ejuſdem aſſumtô fermentatio ſenſibiliter increſceret & flatulentiæ utrumque hypochondrium ad axillas uſque diſtenderent, ac ferè tympanitici quid referret. Flatibus autem clyſteris beneficiô eductis, mixtura cochlearis alia ſubſtituta, cujus baſis ferè mixtura ſimplex erat, carminativis volatilibuſque maritata, quæ etiam benè fecit. Adhùc tamen ſubindè modò palpitatione cordis, modò paroxyſmô febrili, modò calore hecticô vexata, cum pulſû tamen non celeri, cùm inſuper ex me perciperet, ante ſolſtitium hyemale malum ex totô non ceſſaturum, ſuaſû amicorum alteri cuidam Medico ſe commiſit, qui tamen majora nec ipſe præſtitit, nec ægra ante dictum ſolſtitium plenariè reſtituta eſt, ùt adeò exemplô quoque ſuô jam antehac à me in *ſelectis Medicis Sect.* I. *n.* 16. aſſertam morborum chronicorum circa æquinoctia & ſolſtitia mutationem confirmet.

De Acidulis Martialibùſque nihil ſingulare notavi. Cùm verò quædam hôc annô aquis acidis relictis Thermales hauſerit, ſucceſſû quoque optatô, confirmatus in eâ opinione ſum, quam jam ab aliquot annis fovi, thermarum potum hôc in affectu acidulis ſæpiſſimè præferendum, idque ob rationes ab Illuſtri *Hoffmannô Diſſert. ſelect. part.* 2. *p.* 256. congeſtas, qnibus addi poſſet, quòd ventriculum non ità refrigerent aquæ thermales ac acidulæ, Quin quòd & febre lentâ ſimul affligente aquæ ejuſmodi thermales Aquiſgranenſes egregiè fecerint, ex obſervatione *Blondelli tract. German. de therm. Aquiſgran. p.* 230. & 251.

Theæ infuſum, uti affectui huic ex non unâ ratione conducere jam ab *Illuſtr. præſide in Miſcell. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 5. *Obſ.* 113. notatum eſt, ità quædam noſtratium ſenſibiliter eôdem alleviatur, ſi quandò anxietate ac moroſitate ingruente ſtatim duo vel tria vaſcula ſorbillet.

Ibidem Centur. 5. & 6. *Obſervatio* 93. *De Hæmoptyſis enormioris curatione.*

CONſtitutio hyemis anni præcedentis epidemica, uti ôb ſummam aeris inæqualitatem & extremas frigoris atque temporis viciſſitudines, catarrhalis maximè exſtitit, ità præſertim fluxuum ſanguinis valdè ferax fuit, & ſubin hæmorrhagiæ narium, hæmoptyſes, hæmorrhoidum ac menſium fluxus conſueti magis inordinati atque diutiùs protrahentes, mictuſque ſanguinis occurrebant. Inter alios Reverendus quidam Pater S. J. F. R. apud nos hæmoptyſin patiebatur, quæ cùm ſummè enormis exſtiterit, & quantitas ſanguinis intra triduum excreti triginta ferè libras ſuperet, ac inſuper nullâ poſt ſe relictâ phthiſi, quæ aliàs ferè ſemper ſubſequitur, quâque frater ejuſdem Oſnabruggâ obiit, feliciter à me curata fuerit, in gratiam juniorum Practicorum hìc à me recenſebitur. Ætas autem 25. annum vix ſuperat, conſtitutio corporis gracilior, complexio ſanguinea, & ipſe motibus animi celerioribus obnoxius. Præludium mali poſt ſolſtitium hyemale ſenſit, cùm nullâ prægreſsâ occaſione, ac fortè ob ſolam aëris inclementiam, friguſque rigidiſſimum, cui in ſcholis ſuis exponuntur, dolore capitis cum laſſitudine corriperetur, cum maculis rubris ſparſim per corpus totum apparentibus, quæ tamen omnia intra triduum naturæ beneficiô ſuperabantur, niſi quòd tuſſicula remaneret, inque ſputô ſubìn ramenta quædam ſanguinea apparerent. Hæc cùm ille negligeret, proque gingivarum ſcorbuticarum productis haberet, ac nihilominùs in docendô, diſputandô, concionandô fervidè continuaret, poſt quatuor circiter ſeptimanas, cùm fortè vehementiùs ſe exercuiſſet, ſubitò præeunte tuſſi magnam ſanguinis floridi quantitatem exſpuit, modòque poſt quatuor, modò duodecim, modò plures horas continuat tàm enormiter, ùt unâ nocte ad octo ferè libras ejiceret, ac intra triduum plus quam triginta libras ſanguinis excerneret. Simul autem in ſiniſtrô hypochondriô dolorem gravativum percipiebat, propter orgaſmum ſcilicet ſanguinis circa lienem effervelcentis.

Præcipiti hôc ac maximè ancipiti caſu, venæ ſectionem ſtatim in talô pedis ſiniſtri ſuadebam, quàm cùm neſcio ex quâ ratione averſaretur, in brachiô quidem admiſit, ſed ſucceſſu non adeò optatô, Cùm enim ſanguinis excretio per quatuor circiter horas ſubſtitiſſet, ſtatim poſt peractam v. ſ. motû ſcilicèt ejuſdem celeriori per hanc redditô, ità recruduit, ut non niſi de imminente morte bonus æger cogitaret. Adeò etiam poſt ſtabilitam ſanguinis circulationem venarum delectus obſervandus eſt, præſertim ubi revulſione ſanguinis cum impetû ad partem quampiam ruentis, aut derivatione ejuſdem alicubi ſtagnantis opus eſt. Nec quæ de ſputô ſanguinis poſt v. ſ. hic exaſperatô notavi, ex accidenti contigiſſe arbitror, cùm ſimilis caſus hæmoptoici à *Williſiô in pharmac. rat. Op. p.* 87. & ab *Excell. Ridlinô Noſtrô Lin. ann.* 6. *p.* 610. hæmorrhagiæ quoque narium, poſt v. ſ. in brachiô adminiſtratam iterum reſuſcitatæ, exempla ſuppeditentur.

Inter remedia verò, quibus ægro huic ſuccurrebam, ſequentia evidentem effectum præ cæteris præſtiterunt. I. Mixtura *Sylvii* in Miſcell. *Cur. Dec.* I. *ann.* 4. *Obſ.* 193. ℞. *Aqu. plantagin.* ℥ij. *fœnicul.* ℥j. *Aceti ſtillat.* ʒij. *ſanguin. dracon.* ℈j. *Laud. opiat. gr. ij. ſyr. Myrtini.* ℥j. *M. d. quater repetita.* 2. Unguentum ad hypochondrium ſiniſtrum & ſpinam dorſi, pro ſanguinis æſtû & motû corrigendô ac temperandô. ℞. *Ungu. infrig. comitiſſ. ana* ℥j. *Mucilag. ſem. cydon.* ʒij. *Nitri depur.* ℈ij. *M. d. Salbe.* 3. Epithema ad thoracem *Clauderi ex Miſc. Cur. Dec.* 2. *ann.* 6. *Obſ.* 185. ℞. *Nitr. depur.* ʒiß. *Aqu. ſperm. ranar. plantag. Acet. roſac. ana* ℥ij. *M. d. Umſchlag.* 4. *Electuarium Timæi à Güldenklee l.* 2. *Caſ.* 15. ℞. *Conſerv. roſar. rubr.* ℥j. *myv. cydon.* ʒvj. *pulv. rad. conſol. utr.* ʒij. *ſem. portulac. papav. alb. Maſtich. Boli armeni, tragacanth. ana* ℈iß. *M. C. ſyr. de ſymphyt. d. Latwerg.* Quibus cùm ſanguinis excretio ſiſteretur, ità ut nec ſputa amplius cruenta prodirent pro ſanguinis coagulatione ac grumoſitate, ſi quæ fortè ſubeſſet, reſolvendâ, expectoratione promovendâ, ac tuſſi leniendâ ſequens mixtura primum data. ℞. *Aqu. ſcabioſ. fœnicul. ana* ℥ij. *ſperm. cet.* ℈ij. *Looch. ſan.* ℥iß. *M. d.* cui bis repetitæ, dein hoc

decoctum, ſubjunctum. ℞. *fol. marrubii, trifol. fibr. veron. chaerefol. ſalv. ana Mß. Fl. Bellid. papav' rh. ana p.* 1. *ſem. fœnicul.* ʒiß. *rad. chin.* ʒiv. *glycyrrh.* ʒj. *c. c.* ℥j. *ficuum n. vi. coqu. ſ. q. a. f. colatura* ℔j. deſpumetur cum melle roſaceô. Punctiones verô in latere ſiniſtrô, quæ adhùc moleſtabant, ſequenti linimentô calidè applicatô remittebant. ℞. *Vngu. dialth. rubr. pot. ana* ℥ß. *Ol. chamomill.* ʒiij. *ſperm. cet.* ʒiß. *M. d. Salbe.* cùmque levior quædam tuſſis ſubindè affligeret, die 18. Febr. ſequens Electuarium ordinavi. ℞. *Conſerv. alth. tuſſilag. capill. ven. ana* ℥ß. *ſpec. diapenid.* ʒiß *Extr. papav. tuſſilagin. ana* ℈j *Looch. de pulm. vulp.* ℥ß. *ſyr. de hyſſopô. q. ſ. M. d. Bruſt Lattwerge.* Quibus plenariè convaluit & hôc ipſô tempore, quô hæc ſcribo, in Oſnabrugenſi Collegiô Miniſtrum, vulgò ſic dictum agit.

Ibidem Obſervatio 94. *De Cruentatione cadaverum poſt mortem.*

INterrogatus his diebus ab Illuſtriſſimô quôdam Dominô, quid de cruentatione cadaverum poſt mortem ſentirem, quæ tum reſponderim, paulò pleniùs hic recenſere animus eſt. Extraordinarium quidem, naturale tamen eſt, ſanguinem floridum, etiam quintô poſt mortem die in non exiguâ quantitate per nares excretum in quôdam, qui placidâ & maximè naturali morte ſeceſſerat, & apud quem violentiæ ullius nè ſuſpicio quidèm ſubeſſe poterat, cujus exemplum *Riedlinus in Millen. Cur. Med. p.* 657. ſuppeditat. Ac menſes in muliere quartô poſt mortem die, utpotè ſtatô, proveniſſe teſtis eſt *Helwichius, in Miſcel. German. Dec.* 3. *Ann.* 4. *Obſ.* 31. ſudorem etiam poſt mortem erupiſſe, exempla à *Frommannô Miſc. Germ. Dec.* 1. *ann.* 6. *Obſ.* 185. *Ledeliô Ibid. Dec.* 2. *Ann.* 9. *Obſ.* 36. *& Fabrô Append. Ibid. p.* 462. prolata docet. Quin quod magis eſt, in corporibus hyeme ſub aquâ ſuffocatis & congelatis, ac poſt aliquot ſeptimanas in hypocauſtum calidum delatis, interdùm hæmorrhagiam ſubſequi, exemplum quod *Rotenakeri in Sueviâ* ad Danubium annô ſuperiori accidit, inque *Actis Eruditorum Lipſienſibus German. part.* 13. *p.* 78. recenſetur, monſtrat. Scilicèt à novâ ſanguinis humorumque jam ex ſe putreſcentium ebullitione ſeu propter acceſſum aëris, ſeu corporis quoque commotionem inductâ, effluxus ejuſmodi accidunt, ac naturali ſuâ ratione nituntur.

In occiſis tamen interdum juſtô Dei judiciô cruentationem ejuſmodi evenire, negandum quoque non eſt, urſitque *Illuſtriſſimus Dominus*, quem ſub initium obſervationis hujus indigitavi, maximè hiſtoriam in Panegyricô Paderbornenſi; *Monumentis Furſtenbergiis* ſubjunctô *l.* 3. *c.* 4. occurrentem; Civis ſcilicet cujuſdam à Liboriô Conſule præcipiti ſententiâ ſuſpenſi, qui dein alterô menſe poſt, ipſôque die, quô dictus Liborius pœnas iterùm dedit, palàm ac clarè coràm totâ multitudine ſanguinem recentem ex ore, naribus, manibus, ac pedibus ac oculis ubertim per ſeſquidiem emiſit. De cujus hiſtoriæ veritate eô minùs dubitari poteſt, quò plura alia hujus rei exempla partim Miſcellaneis Societatis à *Grubeliô Dec.* 3. *ann.* 1. *Obſ.* 50. *& Crügerô Dec.* 3. *ann.* 7. *Obſ.* 3. *cum* uberiori hujus quæſtionis tractatione inſerta ſunt, partim ab Auctoribus fide dignis à *Zacchiâ Qu. Med. Legal. l.* 5. *p.* 429. *& Horſtiô ac Thulemariô* ibidem citatis, recenſentur.

Cauſam phænomeni hujus, uti apud Zacchiam videre eſt, jam olim ſpiritibus, ſeu, ut hodiè loquuntur, effluviis ex homicidæ corpore exhalantibus adſcripſerunt, judiciô tamen *Joachimi Camerarii*, maximi judicii Medici, in *Valentini Pandect. Med. Legal. Tom. I. p.* 675. probabiliter tantùm, non autem demonſtrativè. Neque enim effluvia ejuſmodi adeò activa eſſe poſſunt, ut in alteriùs corpore demortuô ebullitionem ſanguinis manifeſtam producere queant, ceu jam in *Selectis Medicis Sect.* V. *num.* 9. ex parte innui, & pleniùs in novâ eorum eruditione adſtruetur, quæ ab eruditis non unô ex locô urgetur. Divini verò quippiam hìc ſubeſſe, circumſtantiæ quædam arguunt, quarum *Schottelius Lib. de ſingular. German. jur. p.* 83. meminit, cùm ſcilicèt cadaver ſe erigit, manus ad Principem tendit, & poſt horam dimidiam ſe reponit, aut pro qualitate delicti complicum in patrandâ cæde ſanguinis effluxus variat, aut cadaver digitum ad vulnus, & indè ad vulneris auctorem intendit.

Et cur Divina Nemeſis non interdùm hâc ratione juſtitiam promovere intenderet, cùm modis ſtupendis aliis id ipſum faciat? uti cruentatio ejuſmodi portentoſa advenæ in ſolô agrô cujuſdam uxoricidæ, teſte *Valentinô in Miſc. German. dec.* 3. *ann.* 9. *Obſ.* 195. accidit, cæteris agris undiquaquè circumjacentibus prorſus intemeratis. Pertinent hùc caſus Stockholmenſis apud *Eraſmum Franciſci Theatr. amœnit. German. Tom. I. pag.* 916. & plures alij, apud Auctores fide dignos occurrentes.

Quamvis verò adhùc recentiſſimè juxtà cum aliis cruentationem hanc remedium ad inveſtigandum homicidam infidum vocet Celeberrimus Auctor *Libri de officiô Medici duplici p.* 608. duplici experimentô inductus p. 625. Non video tamèn quominùs in homicidâ adhùc dubiô, nec aliâ ratione explorandô, idem ritè inſtitutum, veluti Deô monſtrante, amplectendum ſit. Dico ritè inſtitutum, eâque cautione adhibitum, quæ in praxi Criminali aliàs obſervari ſolet, ità ùt judex non eô tempore, quô cadaver movetur, ſed poſtquam per aliquod temporis ſpatium immotum ſub jove frigidô jacuit, judicium hoc inſtituat & circumſtantias omnes, adhibitis ſimul in conſilium prudentibus Medicis, perpendat. Reliqua, quæ hìc objici poſſent, accuratè ſuô modô diluit *Crügerus* noſter Obſervatione ſuprà citatâ. Maximi fortè ex iiſdem momenti eſt, quod etiam ingenioſè hìc objicit *Zacchias.* Multa ſcilicèt peccata homicidiô graviora exiſtere, in quibus tamèn propalandis vindicandiſque nullum miraculum interveniat. Hoc ipſum verò imperſcrutabili Divinæ voluntati relinquendum, cujus eſſentia uti infinita & immenſa eſt, ità quoquè judicia ejuſdem humanâ ratione comprehendi neutiquàm poſſunt. Etiam fatales rerum caſus, ac magnorum quorundam Principum mortes ſæpè prodigiis quibuſdam præmonentur, quæ negare hominis eſſet vel extremè præfracti vel ſtupidi. Cur verò hæc ipſa non ſemper caſus ejuſmodi omnes præcedant, etiam ſoli Divino huic Numini cognitum manet.

Idem præclarus *Zacchias*, ſub finem capitis, Medicis ſuadet, ùt opinionem ejuſmodi omninô infirment, nè ex hôc judiciô ſuorum quoque ægrorum occiſores arguantur, & homicidij pœnas luant. Id quod tamen jocus potius ejuſdem quàm ſollicitudo videtur, cùm inter homicidam & fruſtratam curationem omninò maxima differentia exiſtat, & ejuſmodi quippiam nullâ certè ratione

Medico

Medico imputari queat. Hic enim ſi omnia fecit, ut ſanaret, partes ſuas artiſque, etiam *Senecæ* Ethnici judiciô *Lib. de Benef. pag.* 73. rectè peregit.

De eô habentur præterea in Actis Lipſienſibus. Supplem. T. IV. *p.* 404.

Selecta Medica Conradi Bertholdi Behrens, Philoſ. & Medicinæ Doctoris, & in Imperiali Naturæ Curioſorum Societate Eudoxi. Francofurti & Lipſiæ, ſumptibus Ludolphi Henrici Havenſteinii, 1708. 4.

SElecta hæc Medica, non Medicis minùs in artis ipſius argumentum, & ægris in informationem, quàm ob materiarum caſuumque varietatem Theologis, Ictis, & cujuſcunque profeſſionis curioſis profutura, in VIII. diſpeſcuntur ſectiones; quarum I. de Medicinæ naturâ & certitudine, II. de Medicis eorumque requiſitis, III. de ſectis Medicorum hodiernis, IV. de Medicâ conſultandi ratione, V. de Curationibus Empiricis, VI. de Pharmacopœorum, VII. de Chirurgorum, VIII. de Obſtetricum functionibus agit; iiſque Epimetrum de Magorum exiſtentiâ ac dignatione additur, ex quô quædam excerpta dabimus.

Pro Magis non temerè habendos eſſe, monet Auctor Clariſſimus, 1. qui ultra ſortem ſuam exactiori quâdam naturæ cognitione pollentes, cœlorumque ac ſiderum motus, ac influxus, & ſympathias atque antipathias rerum ſingularum obſervantes, debitô tempore, locô ac modô res rebus applicare nôrunt, hâcque ratione in effectum tradunt, quæ cauſarum ignaris præſtigioſa videntur; 2. quorum naturalis conſtitutio ita ſe habet, ùt, e. g. in oculis ſuis adeò efficax faſcinum gerant, ùt quocunque ſe vertant, etiam inviti noceant; quæ effluvia acriora quoque & magis efficacia exiſtere videntur, ubi vehementior, magnumque in maſſam ſanguineam ac ſpiritus impetum concitans, affectus homines ejuſmodi nimium exagitaverit; 3. vetulas, hyſtericis imprimis ac melancholicis phantaſiis indulgentes; 4. quos alij ſecum epulis in monte Bructeorum vel alibi interfuiſſe judicialiter deferunt. Tria autem indicia eſſe, ad quæ in determinandis Magis maximè reſpiciendum arbitratur, quorum primum præbent effectus virtutem ſupernaturalem arguentes; alterum ſtigmata docent, quæ dæmon ſuis, quibus diffidit, imprimit; tertium ab innatatione ſuper aquam deſumitur, cui lamiæ imponuntur, atque juſtô Dei judiciô à Dæmone eum in modum ſuſtinentur, quô obſeſſi, in altum interdùm rapti, in aëre diù hærent, neque pondere ſuô deorsùm delabuntur; aut alij quandoquè vi pacti impliciti per aliquot milliaria ad loca diſſita deportantur. Morbi autem verè incantati ſequentibus maximè circumſtantiis artificiosè juxta ſe invicem poſitis dignoſcuntur. 1. Si perſona malæ famæ ac Magiæ ſuſpecta, ægrum etiam contra ejuſdem voluntatem convenire, inſpicere ac contrectare ſtuduerit, malum minata fuerit, illudque deìn poſt paucas ſæpè horas ſubſecutum ſit, ac poſt appropinquationem ſuſpectæ perſonæ ſymptomata ægri exacerbentur, anxietaſque & dolores extemplò augeantur, ſuſpectâ verò demortuâ, malum imminuatur; 2. ſi inuſitata ac admiranda ſymptomata occurrant, quæ ex naturalibus cauſis deduci nequeant; 3. ſi Walburgis nocte, aut quæ S. Johannis Baptiſtæ diem præcedit, circa mediam noctem inſolita quædam phænomena appareant, quæ imaginationi attribui nequeunt, morbuſque eô tempore maximè affligat; 4. ſi res, quæ in humanô corpore planè generari nequeunt, cum certô vomitionis modô ac felium horrendô concurrente ploratû excernantur, vel ex tumoribus admodùm dolorificis, abſceſſibuſque extrahantur, aut poſt mortem reperiantur. Non autem unô modô à Magis morbi producuntur, & 1. eſt intuitus veneficarum acutior ac valdè torvus, qui inſtar pacti impliciti eſt, quôque à veneficâ peractô, dæmon ad nocendum concurrere, ejuſque ideas malignas per fortiſſimam imaginationem, ac nocendi deſiderium excitatas in perſonam, quam impetit, cum effectu transferre tenetur, 2. attactus ſeu contrectatio earundem, quâ mediante & ſummâ maximi faſcinatoris agilitate concurrente, res planè heterogeneas ac abſurdas in corpus alterius immittunt, quæ dein per vomitum, alvum, urinam, aures, abſceſſuſque externos, imò ex carne hominis vividâ, nec ullô abſceſſû vel ulcere ſcatente excernuntur; 3. halitûs inſpiratio, quam lepra, abortus, pediculorum proventus inſequitur; 4. veſtigiorum lectio, quæ in ſabulô relicta & dæmonis nomine linteô excepta in caminô ad ſuffumigandum ſuſpenduntur, undè dein color faciei pallidus ac morboſus exiſtat, qui tamen ceſſet, ſi veſtigia illa linteô ſuſpenſa caminô iterùm eximantur, & neſcio quô locô abſcondantur; 5. fabricatio imaginis ex cerâ, terrâ vel gemmis factæ, ſimilis eidem, quem devotum deſiderant Magi, in quâ, ſi qua pars ſive acu, ſive, ſpinâ pruni ſylveſtris, ſive mucrone ex lignô quercinô pungatur, aut clavô ferreô transfigatur, in ſimilem quoque abſentis partem morbus inferatur, ex quâ dein, prægreſſô maximô dolore ac inſequente ſuppuratione clavi, acus, ſpinæque egrediantur, (defoditur verò imago ſub limine, quod devovendus tranſire intendit,) 6. exhibitio ciborum naturalium ad comeſtionem; 7. certorum pulverum, aliorumque ſub terram & limina defoſſio.

Ibidem an. 1711. *p.* 76. *Selecta Diætetica ſeu De Rectâ ac Conveniente ad Sanitatem vivendi ratione Tractatus; Auctore Conradô Bertholdô Behrens, Philoſ. & Med. Doctore, inque Leopoldinâ Naturæ Curioſorum ſocietate Eudoxo. Francofurti, apud Ludolphum Schröder, Bibliop. Hildesheim.* 1710. 4.

CUm ea ſit corporis humani conditio, ùt ſanitas ejuſdem ſalva conſiſtere, ac vita longa ſperari nequeat, niſi continuâ reſtauratione tàm partium ſolidarum vigor, quàm contenta fluida reficiantur, atque hæc in perenni motû ſuô conſerventur; idipſum autem ſolâ diætâ mediante fiat; poſt *Selecta Medica*, nuper in ſuppl. T. IV. ſectione IX. commendata, nunc etiam *diætetica* cum Orbe literatô non minùs, quàm cum omnibus, quibus corporis ſui integritas, atque ſalus curæ cordique eſt, impræſentiarum communicare conſultum duxit Auctor Clariſſimus; quem laborem noſtrô imprimis ævô eô magis neceſſarium judicat in Præfatione, quominùs morborum curationes ægrotorum maximè culpâ ad votum interdùm ſuccedere deprehenduntur. In hôc ſcilicet tractatu, quicquid circa aerem, alimenta, motiones, ſomnum, aliaque ad ſanitatem conſervandam cuicunque ætati, ſexui, vitæ generi obſervatu neceſſarium, ſpeciatim evolvitur. Origines præterea ac occaſiones morborum præcavendi

vendi

vendi rationes & remedia domeſtica explicantur, variiſque obſervationibus illuſtrantur, ac ſimul de methodicô acidularum thermarumque uſu agitur. In XI. enim concluduntur ſectiones, quæcunque hôc de argumentô dicenda veniebant; in quarum I. de aëre, in II. de cibis, in III. de potû, in IV. de aſſumtis voluptuariis, in V. de motionibus, in VI. de affectionibus animi, in VII. de ſomnô, in VIII. de excretis, in IX. de acidulis, in X. de thermis, in XI. de diætâ ſpeciali, infantibus, literatis, ſenibus, gravidis, puerperis, ægrotis, & convaleſcentibus accommodandâ, diſſeritur. Speciminis locô ex ſect. IX. & X. quæ de ortu acidularum & thermarum Cl. Auctori mens ſit, cum L. B. communicabimus. Cùm ſcilicèt fontium origo ex Oceanô & mari derivetur, cujus preſſione, ſeu propter gravitatem, ſeu propter fluxum refluxumque maris ipſius, exiſtente, quædam partes aqueæ poros atque meatus terræ continuò ſubeant, penetrent, quin ſuper ipſos montes eleventur, neceſſe eſt, fontes omnes in primâ ſuâ origine eſſe ſalſos. Aquæ porrò hæ ſalſæ ſi in imis terræ viſceribus mineralia ac metalla in viâ generationis adhùc exiſtentia, ſeu embryonata, ac pyritem imprimis jam deferveſcentem alluant, & quaſi arrodant, ex iiſdem quoque ſalinum quippiam ſpirituoſum elicient, cum quô intimè miſcebuntur, unamque formam conſtituent, & cum impetu è terrâ proſilient. Quædam tamen aquæ ſuccos minerales liquidos imbibunt, adeòque ad modum tincturarum fiunt; quædam quoque, quæ jam ſale aliquô vitriolicô aut aluminosô imprægnatæ ſunt, ſolidâ mineralium, quæ alluunt, ſubſtantiâ imbuuntur, undè & metallorum fragmenta in minutiſſimas partes conciſa in iiſdem apparent. Thermarum ſeu fontium calidorum, medicâ virtute pollentium, originem non ab igne quôdam ſubterraneô deducit Auctor Clariſſimus; hic enim, apud eum, in pari cum illô, qui ſub concavô Lunæ vulgò ſtatuitur, veritatis gradû eſt. Duobus verò modis oriri eaſdem arbitratur, quorum alter quidem his cum acidulis communis eſt, dùm aquæ, è mari meatus ſubterraneos ſubeuntes, & loca calcaria marcaſſitiſve lixivialibus ac ſulphureis referta alluentes, ex contactu earum mutuò incaleſcunt, efferveſcunt, ac cum impetu è terrâ prorumpunt. Alter modus eſt, cùm aquæ minerales duæ ad tactum frigidæ alicubi in ſubterraneis concurrunt, ac ob ſpirituum mineralium, quibus imprægnatæ ſunt, contrarietatem & pugnam incaleſcunt. Utrô verò modô aqua in ſubterraneis calorem contrahat, mineralia, quæ attingit, liquefacit, ſibique unit ſulphur imprimis, de quô omnes thermæ participant, ſive vulgare illud fuerit, ſive bituminoſum, ſive martiale extiterit. Ex commiſſione verò variorum inter ſe corporum ſal alcali, ceu flos quidam, producitur, quod ipſum ea propter in omnibus thermis abundat, ità ùt ex libris ſex aquæ, ſalis illius drachmæ duæ cum ſemiſſe educantur.

BEGUINUS (*Johannes*)

Ex eô habentur

Tyrocinium Chymicum è naturæ fonte, & manuali experientiâ depromtum. Regiomontii, apud Clementem Bergerum, 1618. in 8. 1614. in 12. cum Miraculis & Myſteriis Chymico-Medicis Phil. Mülleri. Coloniæ, apud Ant. Bœtzerum, 1615. in 16. Pariſiis, 1616. in 8. Lipſiæ, 1619. in 8. Wittebergæ, apud Georg. Müllerum, 1634. & Clementem Bergerum, 1640. in 8. utrobiquè Chriſtophori Gluckradt, & Jeremiæ Bartij Notis elegantibus antehàc illuſtratum, Formuliſque Medicamentorum optimis & ſecretis locupletatum. Nunc verò à Johanne Georgiô *Pelshoferô* utriuſque Notis & Medicamentorum Formulis in unum ſyſtema redactis denuò in publicum emiſſum. Wittebergæ, apud Andream Hartmannum, 1656. in 8. Genevæ, 1660. ap. Blaſium le Melais in 8. Amſtelodami, apud Ægid. Valkenier, 1659. in 12. Ibidem, apud eundem, 1668. in 12. Duas poſtremas Editiones Gerhardus Blaſius Notis perpetuis illuſtravit, & auxit præthereà Zachariæ Brendelij Chymiâ. Gallicè tranſlatum à J. L. D. R. B.J C.E. M. editio auctior & correctior, Genevæ, apud Joh. Celerier 8. 1624.

Novum Lumen Chymicum: è Naturæ fonte & manuali experientiâ depromtum, & in Tractatus diviſum. Acceſſit Dialogus Mercurij, Alchymiſtæ, & Naturæ. Pariſiis, ap. Renatum Rucellium, 1608. in 12.

BELIDA (*Johannes*) Weneranus

De eô exſtat

Tabula ſimplicium medicamentorum, quorum in Medicinis potiſſimùm eſt uſus, ſeptem Linguarum, Latinam videlicèt, Græcam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Belgicam, & Germanicam nomenclaturam & facultates ex parte continens, ordine Alphabeticô collecta. Embdæ, ap. Nicol. Bieſteanum, 1576. in 8.

BELLEUS (*Theodorus*) Racuſanus, Doctor Medicus, clarô genere exortus; fratrem habuit Carolum Belleum. Subtiliſſimi ingenij vir, inter doctiſſimos effulſit. In Patavinô gymnaſiô Medicinam docuit: at poſt multos annos cùm ad patriam rediiſſet, antequàm urbem ingrederetur, de ſuâ uxore, ac filiis exquiſivit: at cùm percepiſſet, uxorem ad ſecundas nuptias tranſiiſſe, (rumor enìm inanis falsò Theodori mortem nunciaverat) patriis laribus inviſis, ad Patavinam urbem regreſſus eſt: ibiquè deceſſit circa annum 1600. Edidit

In Hippocratis Coi Aphoriſmos Commentarium Primum. Panormi apud Joannem Matthæum Maidam 1571. in 4. *Mongit. Bibl. Sicul. Tom.* 2.

BELLINGERUS (*F.*)

De eô exſtat in Actis Lipſ. an. 1722. *p.* 90.

A Treatiſe Concerning. The Small Pox i. e. F. Bellingeri, Collegij Medici Membri, tractatus de Variolis. Londini, apud W. & J. Jnnys, & J. Roberts, 1721. 8.

IN hôc Tractatu, qui Epiſtolæ formam gerit, ad D. Johannem *Batemann*, Præſidem tum temporis Medicorum Collegij, datæ, methodum explicat Clariſſimus *Bellingerus*, quâ in variolis curandis hactenùs uſus eſt. Quàm antequàm exhibeat, monenda quædam duxit circa regimen ægrorum, circa venæ ſectionem, & circa hæmorrhagias ſiſtendas. Primum quod attinet, notum eſt, Thomam Sydenhamium Frigidum variolantibus regimen, atque diacodij uſum commendâſſe. Poſtquàm autem Auctor adverterat, alios athmoſpheræ calorem ad ſummum ignis gradum auxiſſe, alios frigus ad horrorem uſque permiſiſſe, neutrum excuſandum ducit. Laudat potiùs temperatum calorem & alexipharmacorum uſum, nec putat, conſultum eſſe, diacodium propinare, cùm non ſolùm in morbi principiô, verùm etiam reliquis temporibus, in ſubjectis pituitoſis, comatoſi præſtô ſint affectus, qui ejus uſum contraindicent. Venæ ſectionem

ctionem quanquàm ſint qui in morbi principiô ſuadeant, ne plethoræ cum variolarum ſymptomatibus combinentur, & ùt præcaveatur, nè ex diſcretis confluentes evadant variolæ; damnat tamen hanc opinionem Noſter, ſiquidem variolæ ſub primâ jam morbi invaſione indolem ſuam ſecùm ferunt, num ſint diſcretæ an confluentes, per nullam venæ-ſectionem corrigendam; nec per hanc evacuationem à fuſionis ſtatu ad naturalem craſin reduci poteſt ſanguis; multo minùs hæmorrhagiæ à nimiâ copiâ ſanguinis, ſed pravâ ejuſdem diatheſi in texturæ laxitate fundatâ, ortum ducant. Hocque ſymptoma, hæmorrhagias ſcilicèt, tam narium quàm uteri, ut & hæmoptoen, per veſicatoria commòdè ſiſti poſſe, dicit. Cùm enim illæ à particulis diſſolventibus, frangentibus, dividentibus & fundentibus rubicundos ſanguinis globulos excitentur parte hujus ſalini venenoſi ſeri per veſicantium applicationem evacuatâ, globulos dictos ſuæ reſtitutos libertati ſibi invicem iterum appropinquare, naturalemque recuperare craſin, ſicque ſymptoma hoc ceſſare. Sin reformident ægri veſicatoriorum uſum, non opus eſſe, ùt quis ad venæ ſectionem refugiat, quin pulverem ſuum alexipharmacum, in curandis variolis ſibi ſolemnem, diaphoreſin movendo eundem præſtiturum effectum; aſſeverat. Non enim in ſpiritibus ut D. *Morton* credidit, ſed in ſanguine nidum contagioſarum particularum quærendum eſſe, ex eô probat, quod ab hôc materia æquè, quæ veſicas elevat, ac quæ variolarum puſtulas replet, immediatè ſeparetur. Oppreſſio itaquè ſpirituum, ſanguinis diatheſis, morbique genius, alexipharmacorum, inter quæ ſali volatili ſuccini, tam cauſticâ vi, quâ reliqua volatilia turgent, minùs gaudenti primas defert, uſum maximoperè poſtulant, quorum vi blandâ diaphoreſis excitetur, genuſque nervoſum & ſpiritus roborentur.

Utramque enim paginam ex Auctoris mente abſolvunt nervina, volatilia, cephalica cum anodynis; & quæ ſudorem abſque inflammatione movent, combinata. Ad ægrum itaquè vocatus Clariſſimus Bellingerus, ſub primâ morbi invaſione lectum eum petere, inque moderatô calore ſe continere, ùtque ſomnô potiatur; ſtudere jubet, qui ſi ſponte non obrepat, potione ex aquâ lactis alexiteriâ, theriacali, pulvere alexipharmacô ſuô & ſyrupô de aurantiis provocat, ac pro potu ordinariô apozema ex ficubus & cochinellis ordinat. Abſolutâ eruptione potionem jam nominatam in diſcretis variolis tempore ſomni, ubi opus, in confluentibus verò per totum morbi curſum repetit. Copioſum tum ſuadet potum aſſumendum ex farinâ hordeaceâ in aquâ & lacte coctâ. In declinatione alexipharmaca continuat. Et cùm confluentes variolæ dira utplurimum combinata gerant ſymptomata, imprimis hæmorrhagias, his bonô cum ſucceſſû obviam it pulvere cantharidum, latô & ſubtili pannô linteô exceptô, acetô bulliente madidô, & vertici applicatô. In ſpecie verò Auctor Clariſſimus, quòd in aliis, qui de variolis agunt, libris fruſtra quæſiveris, ut gravidæ, eis laborantes, ſint tractandæ, bonâ communicat fide. Quamprimùm ſcilicet in gravidâ proruptur arum variolarum oritur ſuſpicio, ne abortum patiatur hæc, vel ſibi, vel fœtui, vel utrique, interitum minitantem, propinare jubet bolum ex radice tormentillæ & biſtortæ, cinamomô, conſervâ cynosbati, & ſyrupô de roſis ſiccis, in hauſtû ex aquâ cinamomi hordeatâ & theriacali pulvere è chelis cancrorum ſimplici, & ſaccharô albô paratô, per totum morbi curſum unà cum remediis jam ſuprà commemoratis, modo frequentiùs, modò rariùs prò circumſtantiarum ratione repetendum. In declinatione morbi, ubi omnia ſymptomata pacata fuerunt, inteſtina à fecibus clyſmate ex lacte cum ſaccharô paratô ſemel, bis, tervè de die eluere conſultum, ore verò purgans exhibere, religioni ducit. Hæc, quæ hactenùs docuit Auctor Clariſſimus, duodecim hiſtoriis, quas adjunxit, confirmat. De cæterò, deſcriptionem pulveris alexipharmaci, Auctori ad variolas uſitati, ſcire avet, inveniet illam calci hujus tractatûs adjectam, ſequentis tenoris: *Rec. pulveris rad. tormentill.* ℥ij. *contrayerv.* ℥ß. *chelarum cancri totius, rejectis unguibus minoribus* ℥iv. *Laud. Londinenſ. ſine odorat.* ℥j. *ſal. ſuccin. volat. ver.* ʒv. *M.* ſervetur ſingula ſemuncia ſeparatim in phialis benè obturatis, & in locô aridô. Paretur etiam ſine Laudanô.

BELLINUS (*Laurentius*) Natus eſt Vir hic verè egregius Florentiæ ann. 1643. Cùm Philoſophiam Piſis addidiciſſet, ac poſtea Matheſim ſub famigeratiſſimô Alexandrô Marchettô, tantos fecit progreſſus, ut excellentiſſimus evaſerit in demonſtrationibus in Medicinâ mechanicis. Unde Jacobus Sandri, Celeberrimus Bononiæ Profeſſor, meritò aſſerit, quòd leges has mechanicas & hydroſtaticas obſervari docuerit, quòdque ipſi debeatur Mechanicæ Medicinæ inventio, quæ Medicis fœcundam cogitandi materiam præſtet. &c. Habuit inter ſuos correſpondentes famoſum illum Archibaldum Pitcharnium, Medicum Scotum, qui ipſi Diſſertationes ſuas Medicas dedicavit, in quarum eâ, quæ eſt de Legibus hiſtoriæ Naturalis, ſic habet. Quantùm eruditiſſimo Laurentio Bellino debeat Medicina, cujus excellentiſſ. virtuti & peritiæ acceptum referre decet (præter alia innumera,) theorema primô locô hic poſitum, omnium poſt Harveianum Nobiliſſimum, atque utiliſſimum Inventum. Obiit ſplendidiſſimum hoc lumen in Patriâ annô 1703. die Januar. 8. ætat. 61. ejuſque morte privata eſt Reſpublica Medica eô, quod in Opuſculorum fine promiſerat, opere, ſub hôc titulô. De Lapillatione, de Nutritione, & Augmentatione, de Generatione ſeminum ex plantis, & animalibus, atque Generatione fœtuum ex ſeminibus.

Ex eô habentur

De ſtructurâ Renum, Obſervatio Anatomica. Florentiæ, 1662. in 4. Argentorati, apud Simonem Paulli, 1664. in 8. Huic poſtremæ Editioni acceſſit Johan. Alphonſi Borelli Judicium de Uſu Renum. Amſtelodami, apud Andream Friſium, 1665. in 12. Et huic Editioni prætereà addidit Gerhardus Blaſius ex Medicorum Celebrium ſcriptis Exempla Monſtroſorum Renum. Patavij, 1666. in 8. Exſtat etiam ſola ſine Borelli & Blaſii Additamentis cum Danielis le Clerc & Joh. Jac. Mangeti Bibliothecâ Anatomicâ. Genevæ, apud Joh. Anton. Choüet, 1685. in fol.

Guſtûs Organum noviſſimè deprehenſum; præmiſſis ad faciliorem intelligentiam quibuſdam de ſaporibus. Bononiæ, typis Piſarrianis, 1665. in 12. Exſtat etiam cum Daniel. le Clerc. & Johan. Jac. Mangeti Bibliothecâ Anatom. Genevæ, apud Joh. Anton. Choüet, 1685. in fol.

De Urinis & Pulſibus: De Miſſione ſanguinis: De Febribus: De Morbis Capitis & Pectoris; Opus. Bononiæ, apud Antonium Piſarrium, 1683. in 4. Francofurti & Lipſiæ, apud Johannem Groſſium, 1685. in 4. item 1718. in 4. Hanc ſecundam Editionem emiſit, & cum Præfatione, nec non Indice locupletiſſimô auxit Joh. Bohnius.

Ex

Ex eô prætereâ habemus Opuſcula verè docta, ubi præcipuè de motû cordis, de Bile &c. agitur, 4.

De eô exſtat in Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. I. *ann.* I. *&* 2. *Conſideratio nova de naturâ & modô reſpirationis. Sereniſſimo Ferdinando II. Magno Hetruriæ Duci, Laurentius Bellini Felic.*

Contigit mihi tandem dies, Sereniſſime Ferdinande, quâ in concione refertiſſimâ dicere potui, & quod unicum exoptaveram, ità dicere, ùt ea ipſa res, quam agebam, aliquod grati animi ſpecimen exhibere mihi permiſerit, quem immenſum debeo maximis atque innumeris promeritis ergà me *Tuis*; Quid enim officiorum eſt, quô vel ex eô tempore me non devinxeris, cùm primùm clientibus tuis adſcriptus ſtudiis melioribus informari cœpi? aut quid ego pro iis referam anguſtæ rei ac facultatis homulus, unus è multis, præter candorem animi ingenuè in cœtu hominum profitentis, *Tuum*, eſſe, quicquid eſt, quod ſum, atque adeò deberi *tibi* me totum? Præmiis ſæpiùs, ſæpiùs honoribus cumulatum me voluiſti, quorum alterutrum, ùt ex ſeipsô, quôlibet largitore, quamlibet ſecundô rerum ſtatu, ampliſſimi beneficii locô ſit, etiam promerenti; quid erit utrumque, mihi vix quicquam merito, atque à *Te Principe* datum, ac ſemper, aut in Fortunæ periculis, aut in machinamentis invidiæ? Horum ego memor expectabam, ſi quandò publicè verba facturus, de beneficiis *Tuis* loqui poſſem, cùm ultrò occaſionem obtulit theatralis Anatome, quàm proximè adminiſtraturus, facilè ſenſi, id muneris tenuitati meæ longè perhonorificum & glorioſum expoſcere, ùt ſi ipsâ re minùs poſſem, ſaltem gratâ aliquâ verborum ſignificatione Principibus auctoribus reſponderem, atque in dignitatis argumentum, exponerem ſeriem præcedentium officiorum adeò in me minimum occurrebat, quô Provinciam Anatomicam comparare potuerim tuarum extra merita gratiarum. Quòd itaquè peropportunum viſum eſt, eâ ſtatim die, quâ primò Theatrum Anatomicum expertus ſum, mei muneris ac loci ingeniô poſtulante, in denſiſſimis Auditorum cuneis, de beneficiis *tuis* ex votô dixi, iiſque minus ingratus eſſe, atque haberi ſtudui: *Te Tuæque Familiæ Principes*, quibus communiter omnia debeo, communi gratiarum actione complexus: quæ cùm jam publicam fidem in theatrô promerita, omnem aſſentationis ſuſpicionem averterit, en ipſam *Tibi*, *Princeps Auguſte*, teſtem voluntatis meæ, benevolentiam erga me *Tuam* dignè proſequi annitentis. Atque ità quidèm mihi ſuadebam fidem bene merentis animi liberâſſe, ratus id ſufficere, ſi quæ accepta referre nequis, accepiſſe fatearis? At *Tu*, Princeps ampliſſime, ita beneficium beneficiô premis, ùt jam aut mihi ſuccumbendum ſentiam, aut nullum futurum eſſe finem actionibus gratiarum. Quid iſtud rei eſt, aut undè merui, ùt me laboribus Anatomicis expeditum, gravi argentô munereris? Annon ego iis ex officiô ſubeundis ſtipendiô conductus? aut is liberalitatis *Tuæ* genius admirabilis, ùt gratiam referre velis, etiam officium perſolventibus? Quicquid id eſt, periculoſum hunc mihi locum facit, & propter eam, quam ſemper evitavi, invidiam ſilentiô declinandum. Itaquè pro re pauca loquar, & ſatis Benignitati *Tuæ* ſit, ſi plenus ingenui pudoris, fateor ſentire me vim muneris inſolentis, atque permittas velim, ùt verbis ſufficiam aliquid è Re meâ & exponam, quod meditor, Anatomicum; non quidem ùt expleam expectationem *Tuam*, meâ mediocritate multò majorem, ſed ùt intelligas conari, ac velle me eidem pro viribus ſatisfacere.

Spondeo ego doctrinam de Reſpiratione, quantùm arbitror univerſam, eôque ordine comprehenſam, ùt niſi, ut fit in re propriâ, fallor, pars potior Pectoris & pulmonum ſpectata fabrica certa ſit & evidens; adeò ſibi aptè reſpondent omnia, & principiis Geometricis innituntur. Rei ea ſumma eſt. Ruit in aſperam arteriam aër, momentô compoſitô ex gravitate ac vi laterali, eôque aëri extrinſecus circumprimenti ſuperficiem pectoris, æquiponderat; hinc Muſculis inſpiratoriis ſeſe contrahendi poteſtas permittitur; undè coſtarum elevatio ac dilatatio, & aucta pectoris amplitudo; Tum penitior aëris irruptio, & expanſio pulmonarium ductuum; quod totum inſpiratione contingit. Mox propriô pondere concidentibus ſupra tumidum Pulmonem coſtis, ſpatium Pectoris anguſtius fit, & earum, ac diaphragmatis vi, pulmo comprimitur, & partim per os extruditur contentus aër, partim ad minima uſque vaſcula adigitur, ſi quorum anguſtias penetrare propriô pondere non potuit, quouſque totus Pulmo detumeſcit, reſtitante ſolùm in ejus veſiculis expanſâ portione aëris, quæ ſeries eſt exſpirationis: Hinc reſiſtentiæ minoris occurſû poteſt externus aër rursùs irruere, & eôdem ordine opus reſpirationis inſtitui. Hæc autem ùt evincantur, oſtendam priùs Muſculos pectoris non modò diſpoſitos ad Leges Mechanicas, pro majori reſiſtentiâ ſuperandâ validiores, pro minori debiliores, verùm etiam quâdam interioris Geometriæ peritiâ, ùt ſeſe in inſpiratione contrahentes, figuram pectoris multò capaciorem efforment; coſtas in exſpiratione ex ſe ipſis concidere, figuræ, poſitionis, atque articulationis artificiô. Diaphragmatis, ac Muſculi triangularis fabricam, quantùm ex aliorum figuris ac ſcriptis ſciam, nulli totam, & utriuſque uſum per ſimilem, & ex his ea omnia conſtabunt evidenter. Inſuper unum eſſe uſum aëris in pulmonibus ut à capillaribus vaſis arteriæ pulmonariæ ad capillariæ venæ ſanguinem adigat, ſeu ex alterô in alterum ſinum cordis; & in hôc tranſitu per pulmones ſanguinem ſolvi. Neque ità ſolùm in homine, verùm hæc eadem etiam in brutis ſe habere monſtrabimus, & machinam in avium coſtis exponemus perelegantem, & quid vicarium coſtis in teſtitudinibus; atque idem obtineri per aquam à Piſcibus appulſam ad bronchia, quod à cœteris per aërem pulmones explicantem. Hìnc verò quanta, & quàm facilis propoſitionum ſeries ad pulmonum omnium figuras, ſuctus, vulnera, reſpirationes varias mutatas aut impeditas, in diverſô aëris, pulmonum aut pectoris ſtatu; quæ omnia quivis intelligat ex ſe ipsô, dummodò id etiam ſupponat, aërem æquô rariorem, & æquô denſiorem reſpirationi ineptum eſſe, & prohibere excurſum ſanguinis per pulmones. Deniquè ex iiſdem principiis deducam probabiliter, fœtum in uterô non reſpirare, quod fortè etiam Geometricè demonſtrabo, ſi per occaſionem licuerit comparare Diametros Arteriæ pulmonaris, & Anaſtomoſis cum Arteriâ magnâ.

Addam his opuſculum de motu atque uſu Bilis, quorum alterum Geometricum eſt, alterum ex eô pendens, obſervationibus illuſtrandum. Evincet illud Fel à Jecore, & veſiculâ ad inteſtina fluere, non è converſô, nec à veſiçulâ & jecore

jecore, in cavam; ſpectatâ diverſitate momentorum, quâ moventur fluida per contractiles, & inæqualis amplitudinis tubulos: Undè conſtabit bilem è veſiculâ elici non poſſe, niſi extrinſecâ aliquâ virtute comprimatur; quam ab adſtante, ac diſtentô cibis ventriculô petam, ſtatuens Bilem in veſiculâ ſervari ad tempus digeſtionis, ac tantùm non evidenter oſtendens, per eam tùm temporis fluentem ad duodenum, cibum à ventriculô præparatum in Chylum faceſſere. Hinc ratio ſitûs veſiculæ, capſulæ communis in jecore; cur ductuum felleorum aliquot in veſiculam deſinant; cur nonnulla animalia eâdem deſtituta, facilè ex antecedentibus explicanda. Adhùc tamen obſervandus mihi ſitus veſiculæ, in quot occurrunt animalibus, præcipuè in carneô ventriculô præditis. Pancreatis etiam locum penſito, & humorem ejus exprimi eôdem, quô Bilis, tempore, deduco; ùt ab utriſque permiſtis formetur Chylus. Erit his Appendicis locô Geometricum quiddam demonſtrans, quî fieri poſſit, ùt in veſicâ urinariâ generentur Conchylia ſpiralia, ſi per ureteres exprimatur quid molle, aut viſcidum, in veſicæ reſiſtentiam incidens, eâque occaſione explicabitur, quô pactô poſſunt in terræ ſuperficie ſimilia intorta corpora produci, quæ in quibuſdam montibus obſervavi.

Hæc Anatomica quaſi ſemina, poſtquam in ſuum robur ac magnitudinem creverint, conſtituam ante Celſitudinem Tuam voti reus, & ſi quæ his conciliari poſſe videbitur.

Nulla meis ſine Te quæretur Gloria rebus.

Vale diù, Princeps ævô digniſſime, Tuâque me auctoritate tueri nè deſine.

Hæc Epiſtola Exc. D. Laurent. Bellini hôc ipsô 1671. Annô, ex Italiâ Pragam delata, Vratiſlaviam ab Adm. Rev. Dn. P. Adamô Adamandô Kochanſky è Soc. Jeſu, virô Mathematicarum & Phyſicarum ſcientiarum curioſiſſimô, pro ſingulari in Collegium Naturæ Curioſorum affectu communicata, & ad D. Sachſium tranſmiſſa fuit.

De eôdem exſtat in Actis Lipſienſibus ann. 1684. *pag.* 42.

***De urinis & pulſibus, De Miſſione ſanguinis; de Febribus; de Morbis Capitis & Pectoris Opus Laurentii Bellini, dicatum Fr. Redi Bonon.* 1683. *in* 4.**

BEllini fœtum exhibemus, ſcriptoris à pluribus jam annis, per Renum imprimis & Linguæ accuratiorem evolutionem, Anatomicis & Phyſiologicis notiſſimi, magnique ab his ſemper æſtimati. Is arti Medicæ opem nunc laturus, talia huic ſcripto argumenta conſecravit, quæ theoriam praxi neceſſariò combinandam eſſe, nec alteram harum ab alterâ avelli poſſe, ſatis ſuperque teſtabuntur: quæque methodô, omnibus ſcientiis & artibus phyſicis congruâ, per principia ſcilicèt mechanica, declaravit, ac ſublimium pulcherrimarumque obſervationum ubertate ſic exornavit, ùt nemo non ex hôc ungue leonem poſſit dignoſcere.

Sextuplici illius ſubjectô, quô cuncta à Lectore faciliùs apprehendi queant, hypotheſeos, quam de *Oeconomiâ animali* fovet, propediem divulgandæ, ſumma capita, præfationis locô præmittit, motum præprimis ſanguinis, Liquidi per nervos, Muſculorum, Reſpirationem ac Cor concernentia.

Urinæ contemplationem dum aggreditur, quoniam exactum de morboſorum Urinis judicium ferri non poſſit, niſi 1. Urinæ ejuſdem ſubjecti naturalis habitudo innoteſcat, 2. conſtet, quô pactô illius particularis urinæ ſtatus naturalis, in hôc vel illô morbô vitiari queat: de Naturalis conditionibus quædam præfatur, ſingulareque illius ejuſque contentorum examen, per evaporationem aquoſæ ſubſtantiæ, ac novæ humiditatis affuſionem adornandum ſuggerit. De iiſdem contentis naturalibus ubi differit, diſquirit, cur non quævis ſanorum urinæ illis gaudeant? undè hujus figura pyramidalis? Potulenta ſola aqueam urinæ portionem conſtituere negat: urinam nec primæ, nec ſecundæ tantùm, ſed omnium coctionum excrementum probat, coloremque ejus, non à bile, ſecundum Galenicos, eſſe evincit. Quô factô, quid & quotuplex urina præternaturalis, (quam non naturalem vocat) hujuſque ſpecies exponit, inter alia de urinæ Oleaginoſæ ratione & formalitate ſollicitus. Pilorum in illâ exiſtentiam realem negat; Coronam quoddam prorsùs inane, à variâ luminis fractione emergens pronunciat, nihilque ſolidi exindè judicari vel prædici poſſe. Indicia verò Auctoris ex Urinis de morborum ſtatû & eventû egregia ſunt, quæ Hippocratis oraculis multis confirmat, adeòque hujus auctoritate totam ſuam de hâc materiâ hypotheſin illuſtrat.

De *Pulſibus* acturus, ſanguinem ad ſummas quaſvis arteriolas per impetum à corde impreſſum, neutiquam harum tractione, ferri, experimentô, ſeu ſectione Arteriæ tranſverſali, demonſtrat, ſimulque pulſuum neceſſitatem & rationem declarat. Ex pulsû ſolô formatum judicium fallax proclamat, i. e. à Medicô dignoſci haud poſſe, ſit ne aliquandò non naturalis (præternaturalis) in hôc illôve ſubjectô pulſus, niſi ejuſdem naturalem cognoverit: quod cùm pariter, ac in Urinâ, difficillimum, ità in pulſu dignoſcendô eadem eſſe incommoda. Hinc pulſuum præternaturalium differentias cum harum cauſis explicat, Hippocratem contra illos qui eum pulſuum nullam rationem habuiſſe, hiſque nihil fidei adhibuiſſe, cenſent, nervosè vindicat, Galeni verò de Pulſibus dogmata inepta & falſa pronunciat.

Doctrinam *mittendi ſanguinem* circulationi hujus ſuperſtruit, duo tamen potiſſimùm ſupponit, ex quibus illorum neceſſitas, quæ ab eductione ejus pendent, deducitur ſc. primò, ſãguinis tã in ſyſtole quàm in diaſtole, impetum atque fluxum menſurari ab impetû, quem concipit à facultatibus arterias circumprimentibus, & ab exceſſu velocitatis, quam ſupra vim reſiſtentiarum, quales ſunt ſanguinis præcedentis & arteriarum, à corde habeat: deindè, ſanguinem arterioſum niti in venoſum. Hincque varia infert, V. G. quandò aliqua vena ſecatur, cum ſanguine hujus effluente reſiſtentiam illam tolli, quæ ſanguinis arterioſi impetum morabatur, adeòque poſthac per illi comitem arteriam ſanguinem velociùs fluere, hancque velocitatem etiam poſt V. S. manere, quamvis illâ minorem, quâ fluit, dùm actû educitur. Item per ſanguinis miſſionem eô ipsô, quô celebratur, momentô ſanguinis maſſam ad bonos æquè ac pravos effectus diſponi poſſe, i. e. illam intimè dimoveri, rareſcere, ferveſcere, fermenteſcere, ità ùt, quicquid eſt morborum, & in his admirabile, atque inexpectatum ſtatim contingat; imò etiam ſine illâ intimâ commotione humoris alicujus ſeparationem aut in canales ſuos excretorios derivationem ſupprimi, alterius cujuſdam augeri, qualitates vitiari, pulſum autem anteà ſuppreſſum, intermittentem, &c. per ſolam M.S. mox excitari aut ad naturalem, è contra naturalem ad ſtatum præternaturalem redigi; adeòque deliquium animi in venæ ſectione aut ſtatim pòſt ſuperveniens, malè ſemper ſanguinis profuſi

profuſi nimiæ copiæ, aut meticuloſitati adſcribi, cui phænomeno aliam, eamque quintuplicem, cauſam decernit. Præterea tamen V. S. licèt velocitatem ſanguinis motûs intendat, refrigerare & humectare, docet: quatenùs calor ſanguinis ab hujus niſû ac preſſione ſit, qui per V. S. frangatur; imminutô verò calore, qui corpus exſiccet, idem humectetur. Simul quoquè ſanguinis miſſionem obſtructionibus vaſorum mederi, demendo ſanguinem venoſum, arterioſo contranitentem, per conſequens juvando, ùt arterioſus niſum ſuum cum majore vehementiâ exerat, ſicque cauſam obſtruentem protrudat. Hâc occaſione dùm Balnea certis morbis appropriata remedia judicat, modum eorum operandi à gravitate derivat, canales, non tantùm vaſorum ſanguiferorum, ſed fibrarum quoque obſtructos, aere plùs comprimente, hinc ad organa excretiora materiam morbificam exprimente: quam balnei preſſionem experimentis manifeſtiſſimis confirmat, eamque ab inſtantiis atque dubiis vindicat. Vicarias ſanguinis miſſionis dum diætam & medicamenta quælibet alteterantia atque evacuantia ait, quorum quædam aut per ſtimulum aut non ſine hôc, agant primò de ſtimulis, hinc de medicamentis ipſis, præprimis evacuantibus, agit: utrobiquè ardua maximè proponens & exponens, V. G. de hydatidum & callorum ætiologiâ; ſtimulos operari in diſtans, i. e. remotiſſimarum quoque partium materiam peccantem ad ſtimulorum emiſſaria derivari; digitorum intorſiones vehementiores & velociores, quas ſtimulis pariter accenſet, apoplecticos excitare; cur à Cantharidibus urinariæ ſaltem viæ excorientur, ideò, nimirùm quod acre eorum maſſam ſanguineam ſubiens ſali urinæ combinatum intendatur, Medicamentorum vires dum rimatur, ideò vitioſos humores in corpore colligi putat, quòd nulla detur in hôc glandula, quæ vitioſo ſimilem naturalitèr ſeparet: operationem itàque medicamentorum eſſe, vel novam glandulam ſecretioni ejuſmodi aptam, formare, vel humores ità alterare, ùt à glandulis ordinariis ſecernantur ac eliminentur. Novas glandulas à medicamentis generari poſſe, haud adeò paradoxum credit, cùm vermes ſæpiùs ex alimentis fiant, in quibus infinitus glandularum numerus occurrit: omnia medicamenta per contactum operari, & quidem eorum quædam, totam S.M. inſtar lapidis aquæ injecti, commovere, vim eorum attracticem non planè abſurdam eſſe. Purgationem eſſe quidèm poſſe locô venæ ſectionis, ſed eâ ſemper periculoſiorem contendit, ſub hâc complectens ſuppurantium vim, Mercurii inunctionem, diaphoretica, diuretica, vomitoria, purgantia κατ᾽ ἐξοχὴν, bechica, apophlegmatiſmos ac ſternutatoria. Venæ ſectionis in febribus tempus ſatis paradoxè harum declinationem cenſet, rationibus nihilominùs ſatis egregiis hoc agit.

Febrium tractationem harum diſtinctione in ſpecies inchoat, cunctarum ſucceſſivè antecedentia, conjuncta, & ſuccedentia, hìncque naturam & formalitatem colligens; item, quod in omni febre ſanguis afficiatur, ideò quod nulla febris ſit, ubi pulſus à naturali ordine non aberret, & quidèm ſanguinis hæc vitia tam in motû, quàm quantitate & qualitate ejus conſiſtere, pluribus propoſitionibus & per cunctas febrium ſpecies probat, ità tamen ùt hæc vitia non in omni concurrant, V.G. in ephemerâ motus quantitas & qualitas vitioſa, in hecticâ qualitas ſaltem prava. Atque hanc qualitatem ſanguinis vitioſam præprimis lentorem ſeu viſciditatem ſanguinis pronuntiat, ab eâque plurima febrium ſymptomata, V.G. corporis gravitatem, virium lapſum, frigus, rigorem, dolores lancinantes derivat, ità tamen ùt fermentum quoddam frigorificum inſimul concipiat. Porrò febrium cauſas ſpecialius explicaturus, in Quotidianâ lentorem peccare cum materiâ facilè mobili, autumat *Bellinus*, in Epialâ lentorem diverſæ texturæ agnoſcit, Tertianæ lentorem minùs frigidum & ſiccum ſuſpicatur, in Cauſô contumacem & ſiccum, & ſic reliquarum febrium differentias per diverſam lentoris humorum habitudinem explicat.

Affectuum Capitis viginti frequentiores cum eorum ſymptomatis recenſet, horumque ſingulorum ætiologias ſubdit. Agmen claudunt *morbi cordis*, pulmonum ac thoracis, cum ſuis & ſuorum ſymptomatum cauſis. Cuncta verò Auctoris ſingularem ſolertiam ac ſtupendam dexteritatem teſtantia, magnaque in promiſſô ipſius de *ſecretionibus animalibus* tractatu publicô pollicentur.

BELLISARIUS (*Ludovicus*) Mutinenſis Galeni Paraphraſtæ, Menodoti Filii, ſuaſoriam ad Artes Orationem interpretatus eſt. Item, Ejuſdem: ſi quis optimus Medicus eſt, eundem eſſe Philoſophum.

Item, Ejuſdem: de Inſtrumentô Odoratûs.

BELLOCATUS (*Aloyſius*) Natus Patavii, annô Chriſti 1501. Ex continuâ Praxi Medicâ, quam in patriâ per plurimos annos feliciſſimè fecit, ingentes opes reliquit. Obiit ibidem annô 1575. ætatis ſuæ 74.

Ex eô habentur

Conſultationes aliquot pro variis affectibus. Exſtant in opere Conſiliorum Joh. Bapt. Montani à Joh. Cratone editô. Baſileæ apud Petrum Pernam, 1583. in fol. Aliæ prætereà exſtant cum Victoris Trincavellii Conſiliorum Opere. Vid. *Victor. Trincavell.*

Lectiones Med. Practicæ. Exſtant cum Georg. Hieronym. Velſchii Exotic. Curat. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

BELLOFORTO (*Johannes à*)

De eô exſtat

In Galeni de urinæ ſignificatione ex Hippocrate Libellum, Commentarii. Pariſiis, apud Johan. du Carroy, 1581. in 8.

BELLONIUS (*Paulus*)

Ex eô habetur

Theumenia, ſive, de Animâ. Venetiis, 1640. in 8.

BELLONIUS (*Petrus*) Natus Cenomanus, ſive ex Lombardiâ Lugdunenſi Galliæ Celticæ Provinciâ oriundus eſt. Medicus non literis tantùm, & præclarâ eruditione nobilis; ſed & peregrinationibus in remotas Orbis partes ſuſceptis, rerum exoticarum indagator ſolertiſſimus. Claruit circa A. C. 1564.

Ex eô habentur

De admirabili Operum Antiquorum, & rerum ſuſpiciendarum præſtantiâ, Liber 1. De Medicatô funere, ſeu, Cadavere conditô, & lugubri defunctorum ejulatione, Liber 2. De medicamentis nonnullis, ſervandi cadaveris vim obtinentibus, Liber 3. Pariſ. apud Bened. Prevoſt, 1553. 4.

Conſiliorum Medicinalium Tom. 1. & 2. Pariſiis, Fol.

Singularium & Memorabilium Rerum, per varias exteraſque regiones obſervatarum, Libri tres, Carolô Cluſiô interprete. Exſtant cum Cluſii Exoticorum Libris. Antverpiæ, 1589. 8. Lugduni Batavor. apud Raphelingium, 1605. fol.

De Arbo-

De Arboribus coniferis,reſiniferis,aliiſque ſempiternâ fronde virentibus, cum earundem Iconibus ad vivum expreſſis. Item de melle Cedrinô, Cedriâ, Agaricô, Reſinis, & iis quæ ex coniferis profiſciſcuntur. Pariſiis, apud Bened. Prevoſt, 1553. 4. & cum Cluſii Exoticorum Libris.

De neglectâ Stirpium culturâ, earumque cognitione, Libellus: edocens quâ ratione ſylveſtres arbores cicurari & miteſcere queant: Carolô Cluſiô interprete. Antverp. apud Plantinum, 1589. 8. 1606. fol. & cum Cluſij Exoticorum Libris.

De Aquatilibus Libri 2. Cum Iconibus ad vivam ipſorum effigiem, quoad ejus fieri potuit, expreſſis. Pariſiis, apud Carolum Stephanum 1553. formâ oblongâ.

Obſervationum Libri 3. Antverpiæ 1605. fol.

BELLOSTE (*Auguſtinus*) Magni nominis Chirurgus, origine Gallus, olìm in Regis Chriſtianiſſimi Exercitibus, & Xenodochiis Chirurgus Primarius, poſteà apud Perſonam Regiam Auguſtiſſimæ Matris Regis Sardiniæ, eôdem titulô magnô ſuô meritô ornatus. Publici Juris fecit, *le Chirurgien d'Hôpital*; Xenodochiorum Chirurgum. Pariſiis primùm ann. 1695. & 1705. apud Laurent. D'houry editum. Poſteà in omnes propè Europeas linguas tranſlatum; imò quinquiès in Hollandiâ recuſum; Undè facilè percipi poteſt quantum placuerit ejus methodus de vulnerum curâ ſine ullâ aut ſaltem rariſſimâ lineamentorum ſeu penicillorum, introductione. Idem Auctor volumen ſecundum hujuſce Xenodochiorum Chirurgi, Pariſiis, apud prædictum D'houry, ann. 1725. vulgavit, quô plura continentur eandem methodum confirmantia. Adjectô ſyſtemate novô ſuper mechanicis mercurii effectibus, & præterea relatione plurimarum magni momenti ſanationum, hujuſce mineralis lenioribus purgantibus maritati, tutò ac etiam jucundè perfectarum.

BELLUNENSIS (*Andreas*)

Armegandi Blaſii verſionem Averrois Colliget Lib. 7. Canticorum Avicennæ, & Tractatus de Theriacâ caſtigavit. Exſtat x. volum. Operum Averrois. Venetiis, apud Juntas, 1552. in fol.

BELLUS (*Honorius*)

Ex eô habentur

Epiſtolæ aliquot ad Carolum Cluſium de variis ſtirpibus agentes. Exſtant cum ejuſdem Cluſii Rariorum Plantarum Hiſtoriâ. Antverpiæ, ap. Joh. Moretum, 1601. in fol.

BELOW (*Bernhardus*)

Ex eô habentur in Miſcell. Curios. Decur. I. ann. 6. & 7. Obſervat. 21. De præparandi ſalem volatilem Naſturtii Aquatici modô. Ad Dn. D. Joelem Langelottum.

CUm non ita pridem de variis rebus, & inter alia de ſale quoque vegetabilium volatili, ſermones miſceremus, Vir Excellentiſſime, & me, ante viginti octo annos, fermentationis beneficiô, ex aquaticô naſturtiô id obtinuiſſe, perciperes, non ſuadebas ſolùm, ſed urgebas etiam, ùt præparandi modum cum curioſis ſecretiorum medicaminum indagatoribus communicarem.

Etiamſi verò ſilentii ſipariô eum involvere, quàm propalare, ob certas cauſas, maluiſſem, cùm è tam levidenſi experimentô, emolumenti parùm orbi literato acceſſurum ſciam, eô præſertim tempore, quô tot illuſtria ingenia in naturæ arcanis eruendis tantoperè deſudant, mutare tamen ſententiam hâc vice valui, non gloriolæ aucupandæ ſtudiô (à cujus affectione omnes, quibus hactenùs familiariter uſus ſum, alienum me ſemper fuiſſe nôrunt) ſed ùt tibi morem gererem, & noviter contractæ amicitiæ pignus apud te deponerem.

Hâc verò methodô annô 1646. è bellô Danicô (ad quod à Clementiſſimâ Reginâ meâ in ægrotantium quorundã Magnatum gratiam,miſſus eram) redux, Halmſtadii Hallandorum, regiô indultû, aliquantiſper ſubſiſtens, & nè tempus inutiliter deflueret, herbarum aliquot antiſcorbuticarum analyſi incumbens, illud conſequebar: Jubebam dictum naſturtium abundanter ibi creſcens, contundi, exprimi, expreſſum, affusâ aquâ puteali, donèc inſpiſſaretur, coqui, iterùm exprimi, priori ſuccô, cum ſiccati & combuſti magmatis cineribus miſceri, in lagenam ſtanneam, ejus capacitatis, ùt quarta pars vacua remaneret, infundi, orificium operculô ligneô, & triplici madefactâ veſicâ, curioſè, nè quicquam exſpirare poſſet, claudi, ac in fimô equinô per menſem fermentari.

Eô exactô, fermentatum ſuccum, cucurbitæ vitreæ inditum, juncturis benè oblitis, in furnô collocabam, & mediocri calore, in prima deſtillatione, ſal volatile elegans, & planè cryſtallinum, aſcendere, & alembici lateribus adhærere, conſpicabar, quod, ùt meliùs aſſervari poſſet, à ſubſequente ſpiritu urinoſô ſolvi, & elui, permittebam, quàmdiù venulæ in alembicô deſcendebant.

Hic eſt genuinus ſal illud volatile proliciendi modus, de quô, nullùm à ſcopô aberraturum, ſed omnes, veſtigiis his inſiſtentes, non ſolùm ex iſtô, verùm reliquis etiam Naſturtiis, Cochleariâ, & aliis, ſale volatili prægnantibus herbis, idem conſecuturos, polliceor,

Mihi quidem deincèps id experiri non licuit, cùm Naſturtium aquaticum tam copioſè in viciniâ noſtrâ non proveniat, ùt quantitas ſucci ejus haberi queat.

Cochleariam autem bis examini ſubjeci, ſed cùm fermentatio in locô, longè ab ædibus meis remotô, inſtituenda eſſet, & ipſe, praxi præpeditus, curam ejus habere non poſſem, verùm amici cujuſdam ſtabulario concredere illam cogerer, iſque in deferventis fimi locum recentem ſubſtituere neglexiſſet, utraque vice fruſtratus, non decentèr fermentatum, ſed omninò corruptum, & ſitu obductum ſuccum reperi,tædiôque affectus, labores iſtos deſerui.

In ligneis forſan vaſculis operatio non minùs ſuccederet, ſi modô ſubtiliſſimo ſpiritui, ſummô, inter fermentandum, conamine exitum quærenti, nè evolare poſſet, exactè via præcluderetur.

Vitrea autem organa impetum ejus ſuſtinere non potuerunt, cùm ſtannea lagena, è craſſioribus laminis confecta, ante uſum quadrata, per fermentationem ſubrotunda evaſerit.

Ibidem Obſervatio 22. De Vermicularis Herbæ viribus & Præcellentiâ.

VErmicularis herbæ in ſcorbutô virtutes, de quibus ſimùl loquebamur, tam inſignes in præmemoratô bellô deprehendi, ùt illam, ſi non omnibus, nonnullis ſaltem adeò decantatis antiſcorbuticis palmam præripere, certus ſim, dummodò ab uſu ejus vomitus, quem excitare in diſpoſitis ſolet, ſequatur. Magnum enim morbô iſtô laborantium,& diverſorum graviſſimorum ſymptomatum ſyndrome ferè peſſundatorum militum numerum, per Dei gratiam, feliciter reſtitui, paucis admodùm quos, ante meum adventum, per totam hyemem miſerè afflictos, & morti vicinos, ipſa ſalus, ùt Comici verbis utar, quamvis maximè voluiſſet, ſervare non potuiſſet, amiſſis.

Curabam autem herbæ ejus, mundatæ & lotæ, manipulos octo in Cereviſiæ veteris libris octo, vaſe tectô, ad medietatis conſumtionem, ebullire, & ſingulis, vel, ſi vires id non ferrent, alternis diebus jejunô ventriculô, decocti ejus tepidi hauſtum, (trium quatuorvè unciarum) exhiberi, ac optatum ſemper eventum deprehendebam, hôc ſaltem obſervatô diſcrimine, quòd faciliùs & copioſiùs vomentes, reliquis citiùs ſanitatem recuperarent.

Quibus gingivæ corruptæ erant, aut dentes vacillabant, quod omnibus adeò erat commune, ùt nonnullis ſeptem, novem, imò undecim dentes decidiſſent, decoctô hôc calidô, in quô alumen crudum & mel roſatum, arbitrariâ quantitate, & pro affectûs exigentiâ, ſoluta erant, ſæpè in die os collui jubebam.

Quinquaginta, & plures contracturas genuum fortiſſimas, & talorum ad poplitem retractiones paſſi, decoctô hôc ſimplici, aliquotiès propinatô, & herbâ coctâ, ac expreſſâ, rigidis in poplite nervis calidè ſæpiùs applicatâ, faſciſque, nè decidere poſſet, alligatâ, Deô benedicente, brevi convaleſcebant.

Ulcera tibiarum ſicca, difficulter aliàs curabilia, poſt uſum ejus internum, ſimplici decoctô elota, iteratâ herbæ, in cereviſiâ coctæ, applicatione, nullô negotiô ſanabantur.

Reliqua etiam accidentia, præmiſſâ ῥιζοτόμου hujus exhibitione, convenientibus remediis facilè cedebant.

Ibidem Obſervatio 23. De Mirâ omnium membrorum circumgyratione.

Annô 1642. Paſtor quidam Parœciæ Ringerum in Oſtrogothiâ, duobus milliaribus Sudercopiâ diſtantis, opem meam implorabat, quem miris convulſionibus, per ſeſquiannum, adeò divexatum, ùt totô illô tempore vix dormire, aut cibum capere, potuiſſet, domeſtici referebant.

Ad ægrum verò accedens, inveniebam eum dextri lateris paralyſi affectum, reſupinum, ſeminudum, (infimum enim ventrem lodice ſaltem texerat) pedibus elevatis, & lecti aſſamentis firmiter applicitis, ſine intermiſſione ferè, & tam miſerabiliter, afflictum, ùt cœnare in ejus præſentiâ, nam è regione cubilis menſam ſtraverant, prorsùs nequirem. Tantâ enim vehementiâ omnes articuli ſucceſſivè, ter dextrorſùm, totièſque indè ſiniſtrorsùm, circumgyrabantur, ùt ſani brachii fragorem in proximô conclavi, ante cubiculi januam, decem ad minimum pedes ab ægrô remotus, non obſcurè interdùm perciperem.

Imminentis paroxyſmi prænuncius erat ſanæ manûs index, is enim, elevatô brachiô, convellendam ſiniſtri hypochondrii partem, inter ſuperius ventriculi orificium & lienem, bis tribus vicibus apice ſuô fortiter pulſando, luctæ locum deſignabat, ac ſine morâ ſubjecta viſcera ter dextram, totièſque ſiniſtram verſus, reciprocè circumagi, illiſque liberatis, quantocyùs ſe in thorace ſimiliter inquietari, licèt adſtantium viſum hæc fugerent, patiens referebat. Poſteà omnes brachii articuli, ab humerô, ad ultimum uſque indicis condylum; deincèps cervix, & oculi, eôdem modô rotabantur. Imò circa verticem quoque ac in reſoluti lateris partibus omnibus, ab humerô, ad pedis uſque pollicem, ſimilem prorsùs motum, quamvis à nobis obſervari id nequiret, ſe ſentire aſſeverabat.

Eô verò ceſſante, alter pollex, omneſque inſequentèr ſani pedis & lateris articuli, idem patiebantur, donec in loco, ab indice prænotatô, deſineret, & furiis his agitatô, delaſſatôque ægrô aliqualis redderetur quies, quæ tamen levis admodùm erat, & adeò brevis, ùt vix centum verba inter hanc, & novam ſimilis mali invaſionem, profari quis potuiſſet.

Sciſcitanti, quandiù hanc ſuſtinuiſſet pugnam, & quænam ejus fuiſſent præludia, narrabat, ſe ante biennium è pagô vicinô, ubi infantem ſacrô baptiſmatis fonte abluerat, equô domum revectum, non procul ab ædibus ſuis, hemiplexiâ, in dextri lateris paralyſin poſteà deſinente, correptum, & à ſuis cubiculô illatum, ab uſû calidiorum, aliquot antapoplecticorum medicaminum, à ſacerdote vicinô, & Gallicô Chirurgô, ſubminiſtratorum, in ingentem ventris tumorem repentè incidiſſe, & inſtar pilæ majoris, aëre diſtentæ, inflatum eſſe, nec ullô artificiô, niſi ſæpiùs & fortiter contentum in eô ſpiritum efflando, alleviari potuiſſe, ſemper tamen, aliquotiès labore iſtô repetitô ventrem ſubſediſſe, & ad naturalem ſtatum rediiſſe.

Tandèm verò, crebrò ab empiricis illis, exhibitis oleis carminantibus, tumorem quidèm omninò deſiiſſe, ſed motum hunc convulſivum, & membrorum agitationem, eidem ſucceſſiſſe.

Rogabant amici, ùt auxiliares manus porrigerem, cùm autem, omnibus rationis trutinâ exactè ponderatis, morbum ejus non ex cauſis merè naturalibus ſed magicâ ſagæ cujuſdam incantatione, potiſſimùm oriundum, me ſtatuere, ſicque naturalibus mediis non ceſſurum, regererem, facilè quidèm aſſentiebatur æger, ante biennium æditui ſui, veneficii inſimulatam, & baculô à ſe percuſſam uxorem ſe non inultam id laturam, interminatum ſibi eſſe, recordando, inſtabant tamen, ùt, flebilis ejus conditionis miſertus, appropriata nihilominùs quædam remedia præſcriberem, fore dicentes, ùt, ſi non omninò virtute eorum convaleſceret, mitiùs tamen forſân deinceps affligeretur.

Quod cùm denegare illis nequirem, generoſa & ſelecta nonnulla medicamina hîc fieri jubebam, utendique modum & ſeriem adſtantes docebam. A quorum uſû etiamſi indomitus affectus non in totum cederet, multùm tamen à ferociâ ſuâ illum remiſiſſe & longiores inducias conceſſiſſe, ipſe æger lætabundus fatebatur.

Cùm verò remedia iſta munificentiâ viri cujuſdam primarii nactus eſſet, deincèps, ipſe pauper & inops, plura id genus obtinere non poſſet, reliquam ſpem, morbô recrudeſcente, majoreſque vires acquirente in ſolâ Numinis miſericordiâ, collocans, & per dimidium fermè annum ſupplicationibus & precibus publicis in omnibus provinciæ iſtius templis, pro benignâ ejus dimiſſione, ad *Deum* fuſis, placidè exſpirans, miſeram hanc cum feliciore vitâ commutabat.

Et hæc eſt, Vir Excellentiſſime, quam in chartam conjicere volebas, de mirâ illâ membrorum omnium circumgyratione, inculticre quidem ſtylô exarata obſervatio, quam pro accuratiſſimô tuô judiciô lucem videre publicam, vel oblivione obliterari ſinas.

BELUS de Rocca Contrada (*Lucianus*) Hunc Antonium Mariam Bettum eſſe dicit Hoffmannus V. Inſtit. 28.9.

Ex eô habetur

De Prandiô & Cœnâ, Liber, adverſus Oddum de Oddis. Mediolani, in 4.

BENANCIUS (*Liſſetus*)

De eô exſtat

Declaratio Fraudum & Errorum apud Pharmacopœos commiſſorum, Latinitate donata & edita à Thom. Bartholinô. Acceſſit ejuſdem Argumenti Dialogus Johan. Anton. Lodetti. Francofurti, apud Juſtum Rächerum, 1667. in 8.

BENCIIS

BENCIIS (*Hugo de*) Senenſis, Medicus inclytus, vixit annô 1430. hujus, non ſine laude, meminit Trithemius. Commentaria in Avicennam, Hippocratis Aphoriſmos, Galenum &c. ſcripſit.

BENDELIUS (*Balthaſar*)

Ex eô habentur

Adverſaria Medico-Pharmaceutica. Exſtant cum Georg. Hieronym. Velſchij, Conſilior. Medicinal. Centur. IV. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

BENDINELLUS (*Matthæus*)

Ex eô habetur

De Balneis Lucenſibus Villæ, & Corſennæ; Tractatus. Exſtat p. 146. Operis Veneti de Balneis.

BENEDICTUS

De eô exſtat

De Conſervatione ſanitatis, Liber. Romæ, 1490. in 4.

BENEDICTUS (*Alexander*) Floruit annô Chriſti 1495. Imperante Maximilianô I. Medicorum Italiæ ſuâ ætate decus eximium, indefeſsô Artis Medicæ cognoſcendæ ſtudiô gentes remotiſſimas luſtravit. Docuit deinde Patavij, & Venetiis quoque diù Medicinam Practicam profeſſus eſt.

Ex eô habentur

De re Medicâ Opus inſigne, & apprime Medicinæ Candidatis utile, hoc ordine digeſtum: De omnium à vertice ad plantam morborum ſignis, cauſis, differentiis, indicationibus, & remediis, tam ſimplicibus, quàm compoſitis, Lib. 30. De Medici & ægri officiô Aphoriſmorum Lib. I. De Peſtilentiæ cauſis, præſervatione, & auxiliorum materiâ, Lib. I. Humani Corporis Anatome tractata Lib. V. Venetiis, apud Lucam Anton. Juntam 1535. in fol. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1539. in 4. Ibidem, apud eundem, 1549 in f. & 1572. in fol.

De Medici atque ægri officiô, Libellus. Exſtat cum Symphoriani Campegij Libellis de Medicinæ Claris ſcriptoribus; &c. Lugd. 1505. in 8.

Medicinalium Obſervationum rara exempla cum Remb. Dodonæi Annotationibus. Exſtant cum ejuſdem Dodonæi Obſervationibus. Coloniæ, apud Maternum Cholinum, 1581. in 8. p. 294.

Anatomice, ſive de Hiſtoriâ corporis humani Libri quinque. Adjectum eſt huic opuſculum Georgij Vallæ, *Placentini*, ejuſdem rei, ſive argumenti. Baſileæ, apud Eucharium, 1527. in 8. Argentorati, apud Johan. Hervagium, 1528. in 8. Pariſiis, apud Henr. Stephanum, 1514. in 4. Utrique Editioni acceſſerunt ejuſdem Auctoris Aphoriſmorum ſive Collectionum de Medici atque ægri Officiô Liber: Item Aphoriſmi Damaſceni: Et Hippocratis Jusjurandum: Omiſsô illô Opuſculô Georgij Vallæ.

De Peſtilenti Febre, Liber. Papiæ, apud Bernhardin. de Haraldis, 1516. in fol. Exſtat etiam cum Angeli Bolognini, Johan. Almenari; Dominici Maſſarij, aliorumque Operibus. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1538. in 8. unà cum I. Schilleri ejuſdem argumenti Libellô.

BENEDICTUS (*Johannes*) Germanus.

De eô exſtant

De Morbô Gallicô, Libellus. Exſtat Tom. I. *Mangeti Bibl. Script. Medic.* Tom. I. Operis de Morbô Gallicô, pag. 148.

Regimen de novô & priùs Germaniæ inauditô morbô, quem paſſim Anglicum ſudorem, alij Gurgeationem appellant, præſervativum & curativum hujus, & cujuſvis Epidemiæ utiliſſimum. Cracoviæ, apud Hier. Victorem, 1530. in 8.

BENEDICTUS (*Johannes*) Regius.

Ex eô habetur

Libellus de Cauſis & Curatione Peſtilentiæ; ad Præſervationem ſimùl & Curationem ejus mali, omnibus neceſſarius. Nunc denuò reviſus, & multis in locis auctus voluntate Auctoris. Cracoviæ, apud Lazarum Andreæ, 1552. in 8.

BENEDICTUS à Guelfalione (*Julianus Cæſar*) Aquilanus.

De eô exſtant

De Pepaſmô, ſeu, Coctione Quæſtiones, ad mentem Hippocratis. Aquilæ, apud Franc. Marinum, 1636. in 8.

Conſultationum Medicinalium Opus utile, jucundum, neceſſarium, Medicorum principum tutelâ, Dogmatum varietate, & ordinatâ morborum omnium curatione refertum. Venetiis, apud Bertanos, 1650. in 4.

Epiſtolarum Medicinalium Libri decem, reconditâ Hippocratis doctrinâ, ſingularique eruditione referti. Opus non minùs Theoriæ, quàm Praxi neceſſarium: Romæ, ap. Andr. Phæum, 1649. in 4.

De Locô in Pleuritide. Romæ, 1644. in 8.

BENEDICTUS (*Liberius*)

De eô exſtat

Nucleus Sophicus, ſeu, Explanatio in Tincturam Phyſicorum Theophraſti Paracelſi. In quâ vera ac genuina materia, ſive, ſubjectum Philoſophorum Catholicum, tùm etiam totius Operis, tàm veterum Philoſophorum, quàm Theophraſti nova correcta, vera ac propria præparatio demonſtratur. Cui adjunctus eſt Tractatus brevis de Lapide Philoſophorum, more Cabaliſticô ſcriptus, & in verorum Chymiæ ſtudioſorum gratiam luci datus, publicique juris factus. Francof. apud Lucam Jenniſium, 1623. in 8.

BENETTI (*Joh. Dominicus*)

Joannes Dominicus *Benetti*, ortus ex Antoniô Honeſtô Cive Ferrariæ, die 3. Februarij 1658. abſolutô amœniorum Litterarum, Philoſophiæ, ac Medicinæ Studiô, Lauream Doctoralem ſuſcepit ann. 1680. illicò ad Lecturas promotus, modò primariam practicæ Medicinæ cathedram occupat, electus 1687. primarius Medicus in Magnô Divæ Annæ Xenodochiô, Medicam praxim ſecundum veteres, & recentes, quos unà ſemper coluit, erga plurimos Nobiles ac Religioſos, utriuſque ſexus, exercuit, & exercet; Patriæ honoribus condecoratus, vocatus à Nobiliſſimâ Fanenſi urbe prò Medicô primariô, atque inſignitus à Sereniſſimô Ferdinandô Carolô Mantuæ Duce Medicô caractere, ac Diplomate, ac optimis donis.

Typis dedit Librum, cui titulus

Corpus Medico-Morale diviſum in duas partes. Prima continet Adnotationes in Joannis Baſcarini Medici Ferrarienſis Diſpenſationum Medico-Moralium Canones duodecim, totidemque explanationes de Jejuniô Quadrageſimali. Secunda continet Appendicem de Miſsâ, & de Horis Canonicis, Additionem ad Parochos Monialium Confeſſores, & Medicos, ubi de confeſſione, Viaticô, ac Extremâ Unctione, quantùm ad Medicos attinet. Corollaria

rollaria, additiones, & complementum de Pœnitentiis, ac de Oratione:

Dicatum Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Principi Thomæ Rafo S. R. E. Presbytero Cardin: tit: S. Mariæ Tranſtiberim, & Epiſcopo Ferrarienſi nulli Metropolitano ſubjecto. Mantuæ ex Typpographia S. Benedicti apud Albertum Pazzonum Impreſſorem Archiducalem Superiorum permiſſu 1718.

Imprimenda habet completa, quæ ſequuntur.

Exercitationes Jo: Dominici *Benetti*, Medici Ferrarienſ. ac in Patriô Almô Archilycœô Lectoris Ordinarii, adhærentes diſſertationi de Vini calidi potu. Mutinæ impreſſæ Auctore Jo: Batiſta Davini Mutinens. Ac Sereniſſ: Raynaldi I. Ducis Mutinæ &c. Medicô.

Uſus in Abuſum, ſive de Conſuetudinibus Opus Iginiacum, diſtinctum in XX. capita, cui adnectitur Appendix de Conſervandâ ſpecie.

Interpretationes in Jusjurandum Hippocratis, Libros de Lege, de ſorte, de Veteri Medicinâ, de Medicô, de decenti ornatu, de Præceptionibus.

Praxis Medico-Moralis continens omnia, quæ Morali unà cum Medicô ſunt apprimè neceſſaria, diſtincta in duos tomos.

Incompletum adhuc reſtat opus, cui titulus.

Medicina Reformata pro omnibus, & pauperibus ſecundum ſenſum *Du Bè*, Medici Galli, & ſecundum ordinem Magnæ praxis Danielis Sennerti.

BENEVOLUS (*Antonius*)

De eô exſtat in Actis Lipſienſibus A. 1723. *p.* 43.

Lettera D'Antonio Benevoli, &c.

id eſt.

Epiſtola Antonii Benevoli, Chirurgi Florentini, de duabus obſervationibus circa cataractas à ſe inſtitutis, ſcripta ad Illuſtr. D. Antonium Mariam Valſalvam Profeſſorem Bononienſem celeberrimum, Florentiæ, 1722. 4.

ETiamſi controverſia ſatis diù ab aliquô tempore in Galliâ & Germaniâ fuerit agitata, *utrum cataracta in cryſtallinô, an humore aqueô ſedem ſuam habeat*: nemo tamen hactenus fuit in Italiâ, quantùm novimus, qui hac de re aliquid typis mandaverit, quàm quod à paucô tempore tres hoc argumentum agitare cœperint; primùm enim *Antonii Cocchi*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Epiſtola ad virum celeberrimum *Jo. Bapt. Morgagnium*, latinè perſcripta, Romæ 1720. in 8. prodiit, *de lente Cryſtallinâ, verâ ſuffuſionis ſede.* Deindè Epiſtola *Petri Pauli Lupi*, ocularii & lithotomi, Italicô idiomate conſcripta, & Arminii, quod hodiè *Rimini* vel *Rimino* vulgò vocant, excuſa A. 1722. in 4. In quâ Auctor contra *Cocchium* ſuſtinet *cataractæ ſedem non ſemper eſſe in Cryſtallinô, ſed etiam in aqueô.* Neuter verò horum experimenta inſtituit; verùm rationibus tantùm pugnant. Hos verò ſecutus eſt tertius, *Antonius* nimirùm *Benevolus* noſter, qui Epiſtolam hanc ad Clar. *D. Antonium Mariam Valſalvam* ſcriptam edidit: in quâ non ſolùm rationes profert, ſed etiam obſervationes duas inſignes ex oculis, qui cataractâ laborârunt, & quibus per cataractæ ſuppreſſionem viſus reſtitutus erat, omni accuratione deſcribit: ex quibus patet non ſolùm *cataractarum harum cauſas*, non *membranas* in humore aqueô genitas, ut vulgò voluerunt, ſed *Cryſtallinos opacos fuiſſe*: ſed etiam iiſdem evincit *cryſtallinos*, *ſalvô viſû, in curatione cataractæ ſupprimi poſſe*, eoſque ideò ad viſum, quicquid nonnulli contradicant, non abſolutè neceſſarios eſſe. Obſervationes verò ità ſe habent. Annô 1720. die 13. Julii duæ ab ipsô depoſitæ fuere cataractæ in ambobus oculis militis cujuſdam præſidiarii Germani, in Aulâ Magni Ducis Florentiæ, cui nomen erat *Adamus Schuſterus*, ſucceſſusque operationis tam bonus erat, ùt mox utrôque oculô videret, finitâque curatione viſum ad obitum uſque integrum ſervaret. Circa finem enim Martii anni 1722. morbô acutô correptus, die 6. Aprilis moriebatur. Die ſequenti *Benevolus* Noſter oculum alterum cautè aperiebat; verùm nullam membranam, aut corpus præternaturale, ſed tantùm humorem cryſtallinum opacum, flaveſcentem, & naturali paulò minorem in fundô oculi invenit. Die octavô Aprilis varios Medicos & Chirurgos convocabat, (quorum nomina indicat,) ùt iis præſentibus oculum dextrum aperiret. Quod cùm omni ſtudiô feciſſet, nihil aliud præternaturale etiam in hôc oculô obſervârunt, *quàm cryſtallinum opacum, flaveſcentem in fundô oculi*, ſicut in priori; atque indè convicti fuerunt, cauſam harum cataractarum ipſos cryſtallinos opacos fuiſſe, ſicut *Briſſæus, Maitre Jan & Heiſterus* docuerunt. Prætereà Auctor affirmat, ſe in operatione cataractæ, quam jam à multis annis ſæpiſſimè & in ipsô etiam Eminentiſſ. Cardinali & Archiepiſcopo Bononienſi, *Buoncompagno*, perfecerit, ſemper obſervâſſe quòd non cum membranulâ quâdam, verùm cum corpore durô, reſiſtente, lubricô, quod acum facilè ſubterfugit, rem habuerit; ideoque ex his concludit, *Cryſtallinum* neceſſariò *frequentiſſimam cataractæ cauſam conſtituere*; licèt prorsùs negare nolit, quandoque etiam cataractam membranaceam exiſtere poſſe. Undè apparet, eum *Heiſteri* de *Cataracta* ſententiam amplecti, eamque his obſervationibus egregiè confirmare.

Ibidem ann. 1726. *p.* 87. *Nuova propoſizione intorno alla Caruncula dell' Uretra, detta Carnoſita.*

id eſt

Propoſitio nova de Caruncula urethræ, Carnoſitas dicta. explicatâ àb Antoniô Benevolô, Chirurgô Florentinô.

Florentiæ, apud Joſephum Mannum, 1724. 8.

TRactatû hôc octo circumſcriptô Capitulis de obſtaculô illô agitur, quod urethram obturat, & urinæ liberum effluxum moratur. Communiter hoc Caruncula ſeu Carnoſitas vocatur, & pro excreſcentiâ carnis fungoſæ, à continuitate urethræ à quâcunque causâ ſolutâ, potiſſimùm tamen ab excoriatione in Gonorrhœâ factâ, ortum ducente, habetur. Malè carnoſitatis nomen imponi huic Carunculæ, putat Auctor, ſiquidèm frequentiùs tale obſtaculum invenit abſque ullô excreſcentiæ carneæ veſtigiô; nec tenuis ac nervoſa ductûs urinarii membrana apta eſt, quæ poſſit à quâvis excoriatione in carnem fungoſam excreſcere, cùm à transfluente urinâ parietes ipſius ſæpiùs abſtergantur. Ejuſmodi

modi effectus potiùs ab extractione calculi, ſæpè ſatis magni, fuiſſet metuendus, qui tamen nunquàm fuit obſervatus. Et vagina uterina, quæ in ſexû ſequiore gonorrhϾ ſedes eſt, & continuò à virulentis humoribus conſpurcatur, texturæ ſuæ ratione citiùs talibus ſarcomatibus eſſet obnoxia, cujus rei tamen nulla proſtat experientia. Præterea ea eſt cujuſvis excreſcentiæ carneæ natura, ùt vel brevì indureſcat, & callum contrahat, nec niſi per fortiſſima cauſtica tolli ſe patiatur, vel in immenſam magnitudinem excreſcat, quæ tamen phænomena in Carunculam urethræ non cadunt. Ad hæc plures ſunt auctores, qui in cadaveribus aliquam excreſcentiam offendiſſe ſe negant, nullus verò eſt, qui eam vidiſſe teſtetur. Quanquàm autem Noſter non eat inficias, dari caſus extraordinarios, ubì per carneam excreſcentiam vel recentem vel induratam obex lotio ponitur; conſtanter tamen negat, Carunculam in urethrâ veneream pro tali excreſcentiâ debere haberi. Poſtquàm enim tria Cadavera cultro Anatomico ſubjicere ei conceſſum fuit, nihil carnis fungoſæ ibidem invenit, ſed obſervavit, quòd protuberantia illa urethræ, quæ ab illô *granum hordeaceum*, à Cowperô *bubulus*, ab aliis Medicis *caput gallinaginis* vocatur, vel cicatrice obſeſſa, vel purulentâ materiâ fuerit repleta. Undè pro certô habet, Carunculam illam nihil aliud eſſe, quàm ulcus dictæ protuberantiæ. Virus enim Venereum quemadmodùm per reliquas, quæ in urethrâ diſſeminatæ ſunt, glandulas promtè ſe diſpergit, ità etiam hoc glanduloſum corpus ingreditur; imò humor proſtatarum corruptus, hanc glandulam trajiciens, hujus ſerum ſimùl inficiendo excoriationi & exulcerationi anſam præbet. Stante hâc hypotheſi clarè patet, undè derivanda ſit viſcida illa materia, quæ urinæ ſe admiſcet, tumor perinæi, & partium vicinarum. Ad hæc nec tam citò curari poſſet durities vel excreſcentia carnea, ſi quæ adeſſet, nec olei contactum perferret, nec recidivam pateretur; cùm tamen per immiſſionem cereæ oleô imbutæ ſæpè funditùs tollatur Caruncula. Quanquàm igitùr ſint, qui multos Auctores allegare nôrunt, carunculam urethræ in excreſcentiâ quærentes; parùm tamen referre putat, ſi quis nullâ auctoritate ſuffultus ſententiam ſuam roborare poſſit, modò illa rationi & obſervationibus certiſſimis innitatur. Et licèt *Brunnerus* in ſectionibus binis & *Regnerus de Graaf*, *ac Blancardus* nullam mentionem fecerint capitis gallinaginis malè affecti, ſufficit tamen, eos fateri, quòd cicatrices in urethrâ, vel ulcera offenderint. Imò & læſio in hâc protuberantiâ cum corpore obliterari poteſt. An verò quidam Carunculæ extirpationem per corroſiva tentârint, & abſque noxâ peregerint, vehementer dubitat Noſter, imprimìs quòd reliqua remedia, quæ Auctores contra hunc morbum commendârunt, ut ſemen altheæ & malvæ, Ceratum de mucilaginibus cum pulvere ſabinæ, oleum ſuccini cum vitellô ovi mixtum; ſabina & portulaca; mixtura ex aloe, myrrhâ, ariſtolochiâ, tutiâ & ſtorace liquidâ, vel ex oſſibus ſepiæ, tutiâ, cornû cervi uſtô, ariſtolochiâ, alumine uſtô, lithargyriô & oleô, cùm nihil corroſivitatis in ſe contineant, ſatis teſtantur, quòd nullis opus ſit corroſivis pro excreſcentiâ tollendâ. Signa diagnoſtica hujus morbi ſunt filamenta ſanioſa urinæ, ſtimulus frequentior & difficultas lotium reddendi cum æſtûs ſenſû, quandoquè iſchuria, urina in diverſa, dum mingitur, fila ducta, obſtaculum, in quod impingit candela vel ſyringa, quandò in urethram immittitur, quô perforatô effluit ſanies; quandoquè conjunctæ ſunt cicatrices inſtrumentis totidèm obices ponentes; ſubindè etiam in paraſtatis vel veſicâ urinariâ læſiones quædam adſunt, & tum in urinâ multa, viſcida, fœtens, ſæpèque ſanguinea conſpicitur materia; febris frequentèr accedit cum magnô rigore, quem æſtus excipit, cum ſudore abundante. Quòd ſi igitur ſimplex fuerit Caruncula, per immiſſam ceream materia ſanioſa evacuatur, & liber urinæ tranſitus redditur. Sin combinatæ fuerint cicatrices, difficiliùs quidèm cura procedit, hæ tamen, quia non adeò induratæ, nec profundæ ſunt, aliqualem admittunt dilatationem. Ad veſicæ verò vel proſtatarum læſiones delendas nulla cereæ conceditur applicatio, quin præſtat, nihil agere.

Deniquè curam quod attinet, poſt ordinatam congruam diætam, eamque temperantem, prohibitumque vini aromatumque uſum, ſi caruncula fuerit inflammata, nullum invenit locum candela cerea, ſed partes decoctis emollientibus & anodynis fovendæ ſunt, & materia concluſa reſolvenda & ad exitum diſponenda eſt. Illâ verò ceſſante candela cerea vel ſtylus plumbeus ter vel quater de die immitti debet per 15. vel 20. dies, partìm ùt omnis materia contenta exprimatur & evacuetur, partìm ùt fibræ per repetitam ejuſmodi preſſionem magis magiſque conſtringantur, ad naturalem magnitudinem redeant, nec novam cumulandi materiam occaſionem habeant. Poteſt etiam candela vel ſtylus oleô amygdalarum dulcium inungi, utpotè quod Carunculam ad ejiciendam ſaniem diſponit. Nec malè agunt, qui ultimis diebus inſtrumenti cuſpidem ceratô diapalmæ obvolvunt, ùt majorem nactum diametrum eò efficaciùs operetur. Non debet tamen cerea medicata uſque ad Veſicæ cavitatem intrudi nè medicamenti portio in eâ relicta calculo generando anſam præbeat. Injectiones interìm fieri poſſunt abſtergentes & exſiccantes.

De cæterô monendus eſt L. B. quòd huic libro adjecta ſit Epiſtola ab Auctore ad Clariſſ. D. Antonium Mariam Valſalvam, 1722. data, de duabus Obſervationibus circa Cataractas glaucomatoſas à ſe inſtitutis, & à nobis ann. 1723. Menſe Januariô pag. 43. commendata

BENEXIA (*Berſanus*)

Ex eô habetur

Præfatio ad Johan. Argenterii commentarios, ad Artem Medicinalem Galeni, excuſi ſunt in Monte regali, apud Torrentinum, 1559. in fol.

BENIMIRANUS (*Iſaacus*) Medicus Arabs tempore Averrhois. Auctor libror. de Definitionibus & Elementis, de Victûs ratione, febribus, urinâ, diætis. Salomonis Arabiæ Regis Medicus fuiſſe fertur.

BENIVENIUS (*Antonius*) Medicorum Decus egregium. Floruit A. C. 1495. Obiit A.C. 1525. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtat

De Abditis nonnullis ac mirandis morborum & ſanationum cauſis. Florentiæ, apud Phil. Giuntam, 1507. in 4. Pariſiis, apud Chriſtophor. Wechelum, 1528. in fol. cum Galeni Lib. de Plenitudine, à Johann. Guintherô, Andernacô converſô. Baſileæ, apud Andr. Cratandrum. 1529. in 8. cum Scribonii Largi compoſitionibus.

BENETTUS (*Chriſtophorus*) Londinenſis

Ex eô habetur

Theatri Tabidorum veſtibulum, ſeu, Exercitiones Dianoëticæ cum Hiſtoriis & Experimentis

tis demonſtrativis. Quibus Alimentorum, reſpectu ſubactionis, & Diſtributionis, necnon ſanguinis & ſucci nutritii innatantis: reſpectu Qualitatis, Conſiſtentiæ, Maturitatis, & Circulationis, vitia deteguntur, in Morbis pleriſque, præſertim Phthiſi, Atrophiâ & Hecticâ, πλυοσογία annectitur, & Rubentis ſanguinis Cauſa propalatur Londini, apud Sam. Thomſon, 1654. in 8. Ibidem 1656. in 8. Idem Tractatus exſtat etiam ſub hôc titulô: Chriſtophori Benedicti Tabidorum Theatrum, ſive, Phthiſios, Atrophiæ & Hecticæ, Xenodochium. Francofurti, apud Georg. Fickwirtum, 1665. in 12.

BENTIUS (*Hugo*) Natus eſt Senæ in Italia: Fuit Medicinæ Profeſſor, primùm in Ferrarienſi, & deindè in Parmenſi Univerſitate: Philoſophus præterea & Medicus, ſuô tempore excellentiſſimus: necnon Theologus ſublimis: Floruit ſub Eugeniô Pontifice, & obiit Romæ A. C. 1448.

Ex eô habentur

Opera 2. Volum. Venetiis, 1518. in fol.

Conſilia ſaluberrima ad omnes Ægritudines. Additis aliis nonnullis utiliſſimis Conſiliis. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1518. in fol.

In Aphoriſmos Hippocratis, & Commentaria Galeni reſolutiſſima Expoſitio, Adjectis in margine principalium quorundam deciſivis ſummariis, multiſque aliis Notationibus. Venetiis, 1498. in fol. 1517. in fol. apud Lucantonium Giuntam, 1523. in fol.

In tres Libros Microtechni Galeni luculentiſſima Expoſitio. Adjectis in margine quampluribus Annotationibus Lectorem circa neceſſaria admonentibus. Venetiis, apud Lucantonium Giuntam, 1523. in fol.

In primi Canonis Avicennæ Fen primam luculentiſſima Expoſitio cum ſubtiliſſimâ Quæſtione Mag. Antonii Faventini de materiâ Febrium in calce totius Voluminis appoſita. Venetiis, ap. Lucantonium de Giuntâ 1523. in fol.

Super quartâ Fen primi Avicennæ præclara expoſitio: cum Annotationibus Jacobi de Partibus. Venetiis, apud Lucam Antonii de Giuntâ, 1517. in fol.

In quarti Canonis Avicennæ Fen primam luculentiſſima Expoſitio: cum ejuſdem ſubtiliſſimis Quæſtionibus in calce totius Voluminis appoſitis. Venetiis, ap. Lucantonium de Giunta, 1523. in fol.

Excerpta de Balneis ex Conſiliorum Medicinalium Librô. Exſtant Operis Veneti de Balneis p. 220.

BENZONUS (*Nicolaus*)

Ex eô habentur

Obſervationes Medicæ Miſcellaneæ. Exſtant Act. Hafniens. Volum. IV. n. 27.

BERENGARIUS (*Jacobus*) Idem vocatur & Carpus, & Carpenſis, & à Carpô, quia Patriam habuit Carpi. Fuit autem Civis Regij Lepidi, (*Reggio di Modana*) & Bononiæ Chirurgiam, in Bononienſi Gymnaſiô magnâ cum celebritate docuit, circa ann. 1522.

De eô exſtant

De Cranij Fracturâ, Tractatus. Venetiis, apud Johan. Anton. de Nicolinis de Sabiô, 1535. in 4. Lugd. Batav. apud Joh. Maire, 1629. in 8. Ibid. 1651. in 8.

Iſagogæ breves, perlucidæ, ac uberrimæ, in Anatomiam humani Corporis, à communi Medicorum Academiâ uſitatam. Bononiæ, apud Benedictum Hectoris, 1523. in 4. Argentorati, apud Henr. Sybold, 1530. in 8. Venetiis apud Bernhardinum de Vitalibus, 1535. in 4.

Commentaria, cum ampliſſimis Additionibus, ſuper Anatomiâ Mundini, unà cum textû ejuſdem in priſtinum & verum nitorem redactô. Bononiæ, 1552. in 4. Ibid. apud Hieron. de Benedictis, 1621. in 4.

BERGA (*Antonius*) Taurinenſis, Philoſophus & Medicus.

De eô exſtant

Paraphraſis eorum, quæ in IV. Librô Operis Meteorologici habentur. De ſimplici Generatione, Putredine, coctione, Concretione, & Liquefactione mixtorum Corporum & Perfectorum. In Monte regali, 1565. 8.

Un Diſcorſo della Grandezza della Terra, è dell' Aqua contro Aleſſandro Picolomini, Tor. 1579.

Alia inſuper Philoſophica Opuſcula edidit.

BERGAMIUS (*Cæſar*)

Ex eô habentur

De Præcautione à calculô, Liber, De Podagrâ, Liber alter. Venetiis, apud Somaſchum, 1605. in 4.

BERGENSIS (*Gerhardus*) Antverpianus

Ex eô habentur

De præſervatione, & curatione Morbi Articularis & calculi, Libellus. Antverpiæ, apud Plantinum, 1584. in 8.

De Peſtis Præſervatione, Ibid. 1565. 1586. in 8. & cum Ægidii Everharti de Herbâ Panaceâ Libellô. Ibid. apud Joh. Bellerum, 1587. in 16.

De Conſultationibus Medicorum, & Methodicâ Febrium Curatione, Commentariolum. Item de Dolore Penis. Antverpiæ, apud Plantinum, 1586. in 8.

BERGERUS (*Joh. Gothofr.*)

De eô exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1701. p. 492.

Phyſiologia Medica, ſive de Naturâ Humanâ Liber Bipartitus, Auctore Jo. Gothofredô Bergerô D. Potentiſſimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniæ Archiatrô, Ordinis Medici in Academiâ Witembergenſi ſeniore ac Profeſſore Primariô. Witembergæ, ex officinâ Chriſtiani Kreuſigii, 1701. 4.

PHyſiologia Medica, quæ alias etiam Anthropologia dicitur, nihil aliud eſt, quam doctrina de homine ſanô, quam celeberrimus Auctor in duos dividit libros, quorum alter de homine natô, alter de naſcendô agit. Librô priore Cap. I. partes hominis eſſentiales, mentem ſive animam rationalem, & corpus humanum, conſtituit, illamque ſubſtantiam vocat cogitantem, certâ lege cum corpore conjunctam; hoc verò machinam naturalem, ex partibus ſolidis & liqudis eô modô contextam, ùt à motu utrarumque vita pendeat. Hinc Cap. II. utriuſque generis partes exponit, & per liquidas, rejectâ voce ſpirituum, humores, vel ſuccos corporis intelligit, interque eos primum ſanguini locum concedit. Quò verò pateat, quomodò à ſanguine vita dependeat, Cap. III. naturam ejus & compoſitionem, ac motum explicat, huncque duplicem facit, inteſtinum unum, ſive minimorum juxtà ſe invicem, & alterum progredientem, ſive circularem, quô omnes partes eôdem ſanguine perfunduntur. Priorem à diviſione

ſione partium ſanguinis, & his interjectis æthereis, atque elaſticis aëris particulis repetit. Aërem verò, huic continuando motui neceſſarium, recipi putat, in pulmonibus ab ambiente athmoſphærâ, undè priùs, quàm de alterô agat progrediente ſanguinis motû Cap. IV. tranſit ad reſpirationem. Hujus primò explicat actionem, & deindè uſum. Illam ex motû reciprocô thoracis, & gravitate ac elateriô aëris deduci, & cuncta non minùs ratione, quam experimentis ità demonſtrat, ùt nihil prætermiſiſſe videatur. Antè verò, quàm ad uſum reſpirationis veniat, ingreſſum aëris ex pulmonibus in venas, ipſumque ſanguinem, demonſtrat, & adverſas removet opiniones. Tum verò primarium reſpirationis uſum in eâ ſanguinis refectione in pulmonibus, quâ ille non ſolùm dividitur & attenuatur, ſed etiam motus ejus inteſtinus, atque adeò progrediens recepti aëris elateriô inſtauratur, unàque æquabilitas cum aëre externô conſervatur, conſtituit, & plures deindè uſus ſecundarios recenſet. Expoſitâ reſpiratione, ad motum ſanguinis progredientem, ſive circulum, deſcendit. Hujus principium ſtatuit cor, cùm primò conſtructionem muſculoſam atque mechanicam, & motum exponit. Deindè de arteriis, harumque pulſû agit, & quomodò iiſdem ſanguinis progreſſio in venas promoveatur, tradit. Tum venarum conformationem & uſum aggreditur & earum alias ſanguineas, alias ſeroſas, quæ vaſa dicuntur lymphatica, facit, ac lymphæ motum per glandulas conglobatas, rationemque, quamobrem lymphæ quædam portio per vaſa propria ex arteriis ad cor reducatur, docet, & utrarumque venarum originem ab arteriis arceſſit, nihil eaſdem aliud eſſe exiſtimans quàm arterias recurvas, vel cor verſus replicatas. Et quia ab arteriis non ſolùm venas, ſed etiam ductus poroſque alios ſecretorios deducit, tranſitum ſanguinis ex arteriis in venas immediatum ſtatuit in omnibus partibus, ſi unum excipias genitale, illorumque adeò opiniones rejicit, qui ſanguinem ex arteriis emitti in ſubſtantiam partium, & per harum poros, vel tubulos, in venas demùm, vaſaque lymphatica, & propria partium ſecretoria, transfundi volunt. His ità conſtitutis, cor nihil aliud eſſe putat, quàm antliam, humoribus ex vaſis in vaſa transfundendis derivandiſque deſtinatam, & omnem ejùs vigorem à glomeris ſui fibroſi & ſpiralis, ſucciſque vitalibus irrigui vi elaſticâ, & hinc pendente pulſatione, repetit, nullum verò eidem ſpiritum, vel ignem, vel calorem proprium concedit, nullamque in eô effervescentiam, vel fermentationem admittit, ſed communem cordi cum totô corpore calorem, eumque influentem & mutuatitium à ſanguine ſtatuit. Hunc verò à motû minimorum ſanguinis inteſtinô, quô ſubtilis ætherea materia cunctas illius particulas, impriſque ſulphureas, verſat & agitat, deducit, & proùt mixtio & motio minimorum ſanguinis variat, varias etiam habitudines corporis, quas temperamentorum differentias Medici vocant, oriri affirmat. Denique circulum ſanguinis pro copiâ & habitudine humorum, & cordis ac viſcerum reliquorum, & concurrentium cauſarum aliarum, multùm variare, & ſæpiùs in unâ horâ fieri, quàm vulgò creditur, comprobat, ac poſtremò addit, ab illô ſanguinis motû vitam & actiones corporis omnes pendere. Quod ùt confirmet, actiones corporis ordine proſequitur, & cap. VI. initium facit à ſecretione animali, quâ omnium humorum, quibuſcunque demùm nominibus veniant, generationem, ipſamque nutritionem corporis, complectitur. Atque hanc quidèm actionem opinatur neceſſarium eſſe conſequens circuli ſanguinis, idque ex ipsâ vaſorum conſtructione patere ait, quòd ex arteriis, ex corde emergentibus, non ſolùm omnes venæ replicentur, ſed etiam alij ductus laterales egrediantur, quibus humores quibuſque convenientes ex maſsâ humorum, cordis pulsû per arterias advectorum, citra ſanguinis extravaſationem ſecedant, & ſegregentur. Hâc arte in cerebrô, glandulis oculorum, ſalivalibus, cutis, ut & in hepate, renibus, teſtibus, & partibus aliis, ſecretionem humorum variorum fieri exiſtimat, & poros ac meatus vaſorum pro organis illius actionis habet, eamque non à figurâ illorum, ſed à diametrô variâ, repetendam putat. Ac cùm humorum omnium generationem, ipſamque corporis nutritionem, ſecretione fieri affirmet, ad ſecretionem in ſpecie progreditur, & Cap. VII. Chylificationem ſecretione utilis ab inutili fieri oſtendit, ad modum ſolutionis & extractionis Chymicæ, ità ùt ex cibis, in canale alimentorum ope maſticationis, & agitationis ventriculi & inteſtinorum, ac diverſorum liquorum, ſatis exſolutis, pars melior chyloſa in inteſtinis per quandam filtrationem à fæcibus ſegregata, colore albô in vias lacteas, per eaſque ad ſanguinem & cor tranſmittatur. Hôc autem colore chylum nuſquam in corpore ſecerni tradit Cap. VIII. niſi in mammis gravidarum, & lactantium, in quarum vaſculis à ſanguine ſecretus, lactis nomine aſſeivetur, & per papillarum tubulos reddatur. Ceteròqui verò chylum Cap. IX. opinatur converti in ſanguinem & lympham, motû utriuſque cum inteſtinô, tum progrediente, quô nempè chylus alium ſuarum partium ſitum, motum, magnitudinem, & figuram, atque adeò novas adipiſcatur qualitates, & ſegregatis ramentis terreis, ſalinis & ſulphureis, crebrioribus circuitibus in ſanguinem demùm purpureum & lympham cryſtallinam adoleſcat. Officinam igitur ſanguificationis ipſum ſanguinem, & cauſam efficientem motum ejus utrumque prædictum ſtatuit, eòque actionem pulmonum, cordis & arteriarum refert. Speciatìm autem ad lymphæ elaborationem conferre putat glandulas conglobatas, quarum expoſitâ ſtructura, eas tanquam totidèm corcula, vel machinas hydraulicas habet, vaſis lymphaticis interjectas, ùt lympham conquaſſent, atque ex unô vaſe Lymphaticô in aliud cor verſus transfundant. Lympham autem & ſerum ſanguinis pro unô habet humore, qui per arterias cum purpurâ vehatur, & partim cum eâdem per venas ſanguineas, partim ſine illâ per vaſa lymphatica, ad cor reducatur. Expoſitâ generatione ſanguinis & lymphæ, hanc Cap. X. ſuccum vocat originalem & nutritium univerſi corporis, quô nimirùm intra ovulum muliebre prima embryonis ſtamina concreſcant, & deindè augeantur, & inſtaurentur. Pro causâ nutritionis efficiente preſſionem habet humorum, à circulô ſanguinis pendentem, & indè orientem ſecretionem particularum alibilium, earumque in poros partium alendarum contruſionem, & cum his ſecundum omnes facieculas cohæſionem & contactum, quem ſubtilis materiæ tranſitus & vis elaſtica aëris interioris adjuvent, quò firmior fiat cohæſio, & ex liquidis ſolidæ reddantur partes. Eôque humore non ſolùm nutritionem fieri arbitratur fibrarum carnearum & cæterarum, ſed etiam nervoſarum, indèque cauſam atrophiæ in paralyſi petit. Quùm autem ad nutritionem corporis lympham requirat puriorem, ad illam progreditur ſecretionem, quâ chylus & ſanguis ab impuritatibus & redundantiâ liberantur. Inter has Cap. XI. principem locum tribuit tranſpirationi inſenſibili,

bili, quâ expoſitâ, Cap. XII. tranſit ad ſecretionem urinæ, quam in renibus ſolâ percolatione fieri comprobat, ac de elementis urinæ, indèque oriundô colore, tum quoque de generatione calculorum, & uroſcopiæ uſû, & abusû multa lectû digniſſima addit. Et cùm eidem probabile videatur, renes ſuccenturiatos ſuccum à ſanguine ſecernere, qui affuſus humoribus, à cruribus & renibus redeuntibus, motum eorum retrogradum tueatur, de illorum conſtructione usûque Cap. XIII. quædam ſubjungit. Deindè ad reliqua ſecretionum genera progreditur, & Cap. XIV. agit de ſecretione materiæ bilioſæ in hepate, quam partem ſanguinis ⊖no 🜍 eam conſtituit, atque ex propaginibus venæ portæ in vaſa biliaria tranſmitti ſtatuit, rationemque reddit probabilem, quamobrèm illa materia à ſanguine venæ portæ ſegregetur. Hûc conferre putat lienem, & ex mechanicâ ejus conſtructione rationem elicit, quâ viſcus illud bilis ſecretioni in hepate ſervire poſſit. Bilem autem, in hepate ſegregatam, omnem ad inteſtina amandari tradit, vel immediatè, vel intermediâ veſiculâ felleâ, in quâ minimam bilis partem ſecerni putat, majorem autem copiam colligi ex ductibus cyſt-hepaticis; radices verò cyſticas, fundo veſicæ infixas, fictas eſſe ait. Addit demùm rationem, quamobrèm bilis in peculiari colligatur folliculô, & ejus compoſitione usûque expoſitis, aliorum opiniones refellit. Cap. autem XV. de ſecretione usûque pinguedinis & medullæ oſſium agit, & huic Cap. XVI. de ſecretione lymphæ ventriculi, inteſtinorum, & pancreaticæ, ſubdit. Hinc Cap. XVII. ad ſecretionem lymphæ & humoris aquei oculorum abit, & Cap. XVIII. ſecretionem aquæ pericardij, & madoris pleuræ, peritonæi, ac membranarum aliarum exponit. Cap. verò XIX. accedit ad ſecretionem liquorum genitalium, & expoſitâ conſtructione organorum viri, vim naturamque liquoris maſculi tradit, & de ſemine addit muliebri, quòd idem ovulis contineatur. Deindè Cap. XX. de ſecretione ſanguinis menſtrui agit, quem naturâ non pravum, vel malignum cenſet, neque à motû Lunæ, vel archeô, aut fermentô quôdam uteri, ſed ab humorum redundantiâ, ſexui illi ſingulari, repetendum, atque in gratiam futuri fœtûs in vaſis colligi, exiſtimat, extraque illud geſtationis, aut lactationis negotium abundare, atque ad ſalutem & conſervationem corporis per muliebria dimitti. Rationem etiam reddit, quamobrèm per muliebria ſanguis hic excernatur, ad locum ſecretionis non uteri fundum, ſed vaginam ſtatuit. Cap. demùm XXI. ſecretionis animalis negotium ſecretione motûque ſucci nervoſi claudit. Primò autem dari liquidum in cerebrô & nervis, non unô argumentô comprobat, idque non igneum, neque lucidum, neque æthereum, neque aëreum eſſe, neque auræ inſtar aut exhalationis tenuiſſimæ, ſe habere, neque cum ſpiritibus Chymicorum urinoſis, acidis, ardentibus, & ⊖nis volatilibus oleoſis comparari poſſe, ſed nihil aliud eſſe exiſtimat, quàm ſubactiorem lymphæ partem, pulſu cordis cum ſanguine per arterias traductam, atque in fibras cerebri & nervorum tranſmiſſam, ùt fibras omnes nerveas nutriat, & ità opportunè repleat & tendat, quò motus, cùm directi ex cerebrô ad muſculos & partes omnes, tùm reflexi ab organis ſenſuum ad cerebrum, rectè fieri poſſint. Hinc enim pendere putat omnes ſenſuum & motionum operationes, & quidquid vulgò ſpirituum mobilitati atque agilitati tribuitur. Quod omne quò meliùs intelligatur, conſtructionem cerebri & nervorum exponit, & tandem, concludit, illud officinam ſucci nervoſi eſſe, & præter hunc nullum archeum, vel ſpiritum animalem, admittendum eſſe. Quò verò demonſtret, omnes operationes, quæ vulgò ſpiritui animali adſcribuntur, à ſuccô nervoſô dependere, Cap. XXII. initium facit à motû partium ſolidarum, huncque in voluntarium & involuntarium dividit, & utriuſque organum fibras motrices, ex iiſdemque compoſitos muſculos ſtatuit. Duas autem fibræ motricis partes conſtituit, carneam & tendineam, quarum illam ex columnellâ cylindraceâ poroſâ, fibris tranſverſis membranaceis ac nervoſis diſtinctâ, & vaſis donatâ ſanguineis, ac nervis, & corrugari contrahique aptâ, conſtare, ac ſuis extremitatibus, conſtrictis arctiùs & coactis, in fibras graciliores & rigidiores, quæ tendineæ vocantur, abire opinatur. Hinc actionem fibræ motricis & muſculi ipſius primariam dicit eſſe contractionem fibræ carneæ, hancque in quibuſdam partibus adductionem membri, cui infixus eſt tendo, conſequi. Illius verò contractionis cauſam efficientem affirmat quidem eſſe influxum ſanguinis & ſucci nervoſi, negat autem eam ab utriuſque liquidi concurſione, & indè oriente fibræ carneæ inflatione, vel intumeſcentiâ quâcunque proficiſci, ſed fieri tradit à ſuccô nervorum, tendente fibras tranſverſas membranaceas, hiſque, ceù vectibus, fibras carneas conſtringi & contrahi citra ſuccorum illorum confuſionem, & tumorem fibrarum. Nam fibras carneas à ſanguine, fibras verò tranſverſas à ſuccô nervoſô rigari, & hujus utriuſque vigore liquidi fibras illas ſibi perpetuò contraniti exiſtimat, adeò ùt fibræ carneæ, quia ſuccô, intùs in adverſum nitente & elaſticô, advectô ab arteriis, turgent, tanquam animatos habeant elateres, qui contrahi, & rurſùs diſtrahi, vel reſilire poſſint. His rationem diſcriminis motuum voluntariorum, & involuntariorum, & vocis ac loquelæ formationem addit. Nec minùs Cap. XXIII. ab eôdem nervorum ſuccô ſenſum deducit, ad quem tria probè diſtinguenda requirit: actionem nempè objecti in organum, hincque excitatam ejus motionem, & hanc conſequentem, in animâ ſenſationem. Actionem objecti omnem à partium, quibus illud conſtat, texturâ, & hinc oriente habitudine organa ſenſuum variè movendi, pendere ſtatuit, rejectis ſpeciebus, & qualitatibus ſenſibilibus, ab illâ actione diſtinctis. Undè eorum, quæ ſenſus movent, alia ipſis in objectis exiſtere, alia in ſenſû demùm exoriri putat, occaſione motûs illius, quem objecta imprimunt, cujuſmodi exiſtimat eſſe dolores, odores, ſapores, & ſimiles his affectiones. In organis nihil eſſe aliud ait, præterquam eam partium conformationem, quâ motus, ab objectis inditos ſuſcipere, atque ad cerebrum propagare poſſint. Undè præcipuam illorum partem nervum eſſe putat, in papillam vel membranam, aut fibrillas abeuntem, atque ſuccô nervoſô ità perfuſum, ut moveri nequeat ejus extremitas, quin ſimul moveatur ſuccus nervô comprehenſus, & per concitatas ejus undas, fibrarumque fortè ipſarum tremores, conſimilis motus ad principium nervorum, videlicet cerebrum, traducatur. Atque in hujus quidem illâ parte, quæ centrum dicitur ovale, animæ ſedem eſſe opinatur, ab eâque motione illas & mutationes, quæ corpori ab objectis accidunt, demùm percipi, dum ſuas cogitationes varias iſtis variis motionibus accommodat, vi unionis, quâ Deus mentem cum corpore conjunxit. Cùm igitur anima ſit, quæ ſentiat, unum putat eſſe ſenſum, qui

qui quidem nunc ſenſûs interni, & jam viſûs, nunc auditûs &c. nominibus veniat. Rejicit quoque vulgarem ſenſuum internorum diviſionem, & unam ſtatuit imaginationem, pluribuſque exponit, quid memoria, & ſpecies ſint vel ideæ rerum, quæ in cerebrô & animâ relinqui dicuntur, ac unam ſenſui prædictam in cerebrô ſedem aſſignat. A ſenſû provehitur ad illas animæ operationes, quæ vocantur intellectio & voluntas, & utrâque expoſitâ, nihil in intellectû eſſe concludit, quin priùs aliquô modô in ſenſû fuerit. Hinc de ingeniorum varietate quædam addit, & refutatâ Huarti opinione, eam à variâ ſanguinis, & ſucci nervoſi ac fibrarum cerebri indole, tùm quoque ab exercitatione animi & inſtitutione variâ repetit, & probè vim ſenſûs & imaginationis à vi intellectûs diſtinguendam, ex eôque diſcrimine neglectô errores profluere, putat. His de ſenſû in genere præmiſſis, ad ſenſus externos in ſpecie progreditur, de iiſdemque quinque diſtinctis agit capitibus, & primò uniuſcujuſque ſenſus organum & quarumvis partium uſum ordine deſcribit; deinde, cùm de objectô agit, cautè ubivis diſtinguit vim & actionem objecti in organum, ab indè excitatâ ſenſatione in animâ, quam vulgò cum illâ confundi, eamque eſſe originem monet qualitatum & ſpecierum ſenſibilium, quas vulgò ab objectis ad organa manare credunt. Tota autem hæc doctrina ſenſuum principiis inſiſtit mechanicis, nimirùm particularium, quibus res ſenſibiles conſtant, variæ ratione figuræ, magnitudinis, ſitûs, ordinis, & motûs, & indè orienti commotioni variæ organorum, quâ illæ affectiones, quas appellamus lumen, colores, odores &c. in animâ excitantur. De ſingulis autem copioſè ſatis & accuratè Auctorem egiſſe, ex ipſâ lectione cuilibet conſtabit. Huic ſenſuum doctrinæ Cap. XXIX. ſenſus ſubjungit famis, ſitis, & amoris, quos Deus ad ſui & generis conſervationem homini indidit. Cap. autem XXX. de affectibus animi agit, quos cum Carteſiô ad ſenſus refert, & nihil aliud eſſe putat, quàm perceptiones quaſdam, conjunctas cum inſigni quâdam ſucci nervoſi in cerebrô, & ut plurimùm etiam cordis & ſanguinis agitatione. De horum ſede, cauſis & uſû, tum etiam affectis, quæ in corpore relinquunt, multa addit lectione digna, & tandem Cap. XXXI. de vigiliâ & ſomnô agit, illamque in debitâ fibrarum cerebri & nervorum tenſione, indèque pendente omnium ſenſuum & motionum operationibus ſervientium organorum vigore; hunc verò à preſſione atque remiſſione earundem fibrarum, & hinc oriente requie prædictorum organorum repetit, & per cauſas, quibus ſomnus inducitur, id demonſtrat, ac demùm uſu atque neceſſitate ſomni primum librum concludit.

Librô alterô de naſcendô homine Illuſtris Auctor agit, & tribus capitibus ſtrictìm & nervosè totum generationis negotium complectitur. Cap. I. tractat conceptionem fœtûs humani, & expoſitis utriuſque ſexûs organis, ac eorum uſibus, conceptionem nihil eſſe aliud arbitratur, quàm ovuli muliebris à liquore maſculô fœcundationem. Supponit autem, in ovulô etiam non fœcundô rudimentum futuri fœtûs compendiô præexiſtere, quemadmodùm in ovi gallinacei, tam ſubventanei, quàm fœcundi, cicatriculâ pulli veſtigium latere conſtat. Addit etiam, quomodò ovulum maturum miniſteriô glandulæ gignatur, atque ex ovariô ſecedat, & per oviductum, ad uterum deferatur, in quô quidem ordinariô naturæ curſû conceptionem, ſive fœcundationem ovuli, fieri à vividioribus & mobilioribus liquoris maſculi particulis, ovi poroſas pelliculas permeantibus, exiſtimat, & comparationem fœcundationis ovi cum germinatione ſeminis vegetabilis facit, quæque gemellorum, vel plurium liberorum ſit cauſa, & cur fœtus unus alteri adnaſcatur, ſententiam addit, & quid de partium primogeniturâ, ac diviſione in partes ſanguineas & ſpermaticas ſtatuendum ſit, definit. Cap. II. de fœtûs nutritione agit, quam continuatam vocat generationem, & acceſſione lymphæ primò conſocialis, in quâ conceptus eſt embryo, & deinde advectæ ex uterô matris in cavum amnii per os fieri, demonſtrat. Quod ùt eô clariùs probet; de origine vaſorum umbilicalium & placentæ uterinæ productione, ac membranis fœtûs agit, & demùm ambiguam facit nutritionem per umbilicum, quæque argumenta contra nutritionem per os afferri ſolent, examinat. Fœtum quoque reſpirare negat, ob eamque rem factas peculiares vaſorum cordis anaſtomoſes, & totum ſanguinis circulum in fœtû, deſcribit. Cap. III. & ultimô de partû agit, ac primò certum pariendi tempus homini præſcriptum eſſe, & vivacem omninò partum Octimeſtrem ait; Deindè cauſas partûs impulſivas, & effectrices perſequitur, ac demùm ſolutione problematis Harveiani librum finit. In extremô monemus, ei conſtitutum eſſe propediem aliquid in lucem edere, quô aliqua breviùs expoſita uberiùs clariùſque explanentur: id quod unà nobiſcum quàm avidiſſimè haud dubiè expectabunt omnes, quibus vel ex hâc Phyſiologiâ Auctoris Excellentiſſimi dexteritas, inſigniſque eruditio, eſt perſpecta.

Ibidem ann. 1709. *p.* 457. *Sacræ Majeſtati Regis Auguſti dicata de Thermis Carolinis Commentatio; quâ omnium origo fontium Calidorum, itemque acidorum ex pyrite oſtenditur; Auctore Johanne Gothofredô Bergerô, Archiatrô Regiô & Profeſſore Medicô. Witembergæ, prælô Gerdeſianô,* 1709. 4.

CEleberrimi Auctoris *Phyſiologiam Medicam*, in Actis noſtris, ann. 1701. menſe Novembri recenſitam, quantô applausû exceperit Medicorum ordo, notiſſimum eſt. Lætandi atque applaudendi novam occaſionem dedit nuperrimè, emiſsâ in publicum præſenti de Thermis Carolinis Commentatione, illis omnibus, qui accuratam fontium medicatorum atque in naturâ ipsâ fundatam explicationem, hiante ore ac faucibus, exſpectârunt hactenus. Quibus enim nota Excellentiſſimi Viri in Phyſicis ac Medicis ſcientia conſummata, fateri non detrectabunt, nullum inter Medicorum filios inventum iri facilè, qui pari felicitate tam abſtruſum negotium explicatum dare valuerit. Accedit ſolita ejus in ſtylô elegantiori puritas juxtà & perſpicuitas, quibus vel maximè ſe à communi ſcriptorum cœtû diſtinguit, & aurea poma in argenteis patinis Lectoribus ſuis proponere ſolet. Totius accuratiſſimi operis compendioſam pro more noſtrô adumbrationem dabimus.

Cap. I. de ortû & incrementô Thermarum Carolinarum agens, annô 1370. has inclareſcere potiſſimùm cœpiſſe, Carolô IV. Romanorum Imperatore

peratore ipſô ſalutarem in crure affectô earumdem virtutem expertô, docet, qui etiam domô ad oram fontis, quô recreatus fuerat, extructâ, prima condendæ urbis ab ipſô & calidis aquis appellatæ, fundamenta jecit. *Cap.* II. originem fontium Carolinorum rivo cuidam ſubterraneo adſcribit, quem ex propinquô flumine Egræ alicubì ſe ſubducere, ac ſubire terram, & curſum ſecretò agere intra montem, cui nomen eſt à cervis, ex eôque itinere tandèm declivi per fervidas terræ venas occultis illùc viis commeare perſuaſus eſt. *Cap.* III. dum rationem inveſtigandi materiam & temperationem Thermarum Carolinarum proponit, accuratiùs ante omnia examinanda putat varia foſſilia ejus regionis, in quâ hæ calidæ manant, quæ in pyrite, ferri & ſalis cujuſdam nitroſi, ejuſque generis ſaxi calcarii, quod vocatur gypſum, venis potiſſimùm conſiſtere pro compertô habet. Hìc experimenta ſimùl quædam affert, pro examinandis horum fontium concretis inſtituta. Aquas ad libram circiter modò ex fonte hauſtas, injectô tantillô pulveris gallarum ad duo triave grana, illicò purpuraſcere, infusô oleô tartari per deliquium ſemper lacteſcere, cum ſolutione ſalis petræ & communis amicè miſceri, ex ſale ammoniacô autem ſalem volatilem liberare, cum ſolutione vitrioli non ſine conflictû confundi obſervavit. Exhalatione libræ thermarum unius ſedimentum relinqui albidum drachmæ tantùm dimidiæ ponderis, & iteratâ ſolutione ſalem præbere Cryſtallinum granorum circiter 25. ſaporis nitroſi, expertus eſt. *Cap.* IV. de materiâ & temperatione, ac ſpeciatìm dè ſale thermarum agit. Ubi in genere quidèm has aquas ex ſale nitroſô per minima ſolutô & ramentis gypſi, ac diviſis tenuiſſimè particulis pyritæ ſulphureis & ferreis conſtare, eâ quidèm proportione, ùt ſextarius vel libra una aquæ grana ſalis minimùm viginti quinque, uti jam ſuprà monitum, pollinis verò gypſei grana circiter quatuor vel quinque, minimumque partium pyritæ complexû ſuô contineat, docet. In ſpecie autem ſalem nitroſum Thermarum pro aphronitrô habet, nullumque diſcrimen inter hoc atque illud, quod in cellis naſcitur, inveniri putat. *Cap.* V. falſas de cauſâ caloris Thermarum ſententias & errores reprobat. *Cap.* VI. autem veram caloris ſubterranei, & Thermarum Carolinarum, omniumque aliarum cauſam Pyritem ferventem eſſe docet. Pyrites autem ipſi idem illud minerale eſt, quod Arabibus Marchaſita, Germani *ein Kies*; & à *Liſterô* ferri metallum appellatur, quòd, cujuſcunque ſit generis, ferrô conſtet, ut clare pulvis ejus teſtatur, qui uſtus, imò ſæpè etiam crudus, promptè magnetem ſequi obſervatur. Hic Pyrites, humore aqueô undecunquè in venas ſuas, hujuſque poros delatô, ità paulatim ſolvi poteſt, & laxari nexus & compages ſulphuris & ferri, ùt cùm hæc anteà conjuncta arctiùs, coactave in pyrite fermè quieſcerent, vel paulò cèrtè languidiùs agitarentur & ſpirarent, jam aquæ ſubeuntis incitatione vinculis ſuis nonnihil ſoluta, & concita vividius, ac colliſa, rareſcant paulatìm; atque ad motum attritumque progreſſû temporis acriorem adacta, effluvium copioſius, quô calor continetur & viget, proferant. Atque ità aquis merſum pyritem, dum ſuarum motû partium ſulphurearum & ferrearum mollitur atque extenuatur, atque hìnc conceptô fervore æſtûque, vaporando paulatim totus in aquis diffluit ac tabeſcit, pro illius varietate decentis motûs, varium in his calorem accendere, Thermaſque efficere perſuaſus eſt. In genere autem, ubicunquè locorum vel calor viget ſubterraneus, vel incendia terræ exiſtunt, aut aquæ manant calidæ, ibidèm vel ipſos inveſtigantibus pyrites occurrere, vel eos intùs æſtuantes alia haud levia indicia prodere exiſtimat. *Cap.* VII. originem fontium atramentoſorum, ſeu Acidularum, & chalcanti ex eôdem cum Thermis deducit principiô, ſaltèm aliquantùm immutatô. Nam uti pyrites fervens aquas reddit calidas, in quibus ſuarum æſtû partium liqueſcit, atque in ochram vaporantem, halituſque ſulphureos, paulatìm totus diffluit: ità parit, ſuâ opinione, Acidulas, ubi imbribus terras ejuſmodi eluentibus liquatus, & cum iiſdem aliorsùm delabentibus alicubì collectus, longôque partium tritû magnâ ſulphuris portione pingui orbatus, & hìnc emergente halitû acidô exacutus ac deferveſcens, ſive in atramentum verſus metallicum, aquâ profluente, diſſolvitur. *Cap.* VIII. cauſam halituum in Thermis Carolinis quondam pernicioſorum ex eôdem quidèm pyrite, aſt arſenicô, aut aliis vi corrodendi præditis admiſtis, exſurgere potuiſſe perſuaſus eſt. Tales enim reverà quondam ex infamibus quibuſdam foveis, hodiè terrâ tectis ac munitis, exhalâſſe, è *Sommerô* allegat. *Cap.* IX. de viribus & effectis potarum Thermarum Carolinarum diſſerens, repetit, quæ de materiâ & mixtione eorundem ſuperiùs dixit, atque exindè colligit, vim earum diluendi, temperandi, diſſolvendi, tergendi atque aperiendi, & alvum pariter atque urinam ſudoremque ciendi, ſatìs manifeſtè patere. Siquidèm hæ ipſæ aquæ ſuarum tenuitate partium & vi in minima diviſi, admiſtique ſalis nitroſi, & cientium intùs atque agitantium fervore halituum pyritæ ad id maximè natæ aptæque ſunt, ùt facilè ventriculum & inteſtina quôdam caloris fugacis ſensû ſubire, & hìnc conſequente ac durante diutiùs vi refrigeratoriâ, in vaſa & in omne corpus permanare, nec minùs ſuccos, qui iiſdem continentur, diluere ac diſſolvere, quàm canales ipſos ad vegetiores renixus & contractiones placidè excitare, eorumque amurcam & colluviem abradere & coercere, ac ſecum per vias alvi, veſicæ & ſudoris, alioſve naturæ abſceſſus evehere poſſint. Hìc poſteà in ſpecialem deſcendit affectuum enumerationem, quibus opitulari obſervantur laudatæ thermæ, inſimul verò & illos, quos pejores reddere ſolent, recenſet. *Cap.* X. de ratione bibendi aquas ex fontibus Carolinis ſequentia potiſſimùm obſervanda commendat: 1. Has aquas non aliter, quàm detractâ vaſorum plenitudine, & præparatis, quoad ſatìs eſt, primis viis, bibendas eſſe: 2. Ubi electioni locus eſt, in veris flexû atque inter æſtatis initia, principiô item autumni, ubi temperatum eſt cœlum & ad calorem magis inclinat, uti eis convenire; nec tamen penitùs diſſuadendum uſum temporis hyberni, præeunte *Morellô de Balneis Patav.* exiſtimat: 3. Tempus diei commodiſſimum eſſe horas matutinas, quintam vel ſextam, refectis nocturnâ quiete viribus, &, ſi opus, levatô priùs onere naturæ: 4. Rationem habendam eſſe modi, ùt poſt quietis unum aut alterum diem, ſenſim & partitis vicibus, ac per intervalla, nè gravetur ventriculus, neu fiat nauſea, quovè alvus & veſicâ, proùt natura operatur, convenienter exonerentur, recèns hauſtæ ex præcipuâ ſcatebrâ aquæ calidiſſimæ bibantur, idque vel interpoſitis moderatè deambulatiunculis in locô temperatô, vel ſtando, ſedendoque, proùt viſum cuique commodum fuerit, & effectus reſponderit: 5. Imprimìs quantitatem potûs definiendam eſſe ratione naturæ bibentis & morbi, quô tenetur, ità quidèm, ùt diebus aliquot continuis, ſine intermiſſione, aut uſû balnei, eâ unôquôque die quantitate aquas quiſque bibat, non quantùm ferre, ſed

ſed quantùm facilè, & commodè ferre poſſit. *Cap.* XI. Uſum externum aquæ Carolinarum comprimendo habitum corporis contrahendove atque in illud penetrando, magnas in eô mutationes efficere poſſe, conſtare putat. At ſicut harum potationem Thermarum ad eluendum purgandumve Corpus meritò magni facit, & plurimis ſalubrem ducit Celeberr. Auctor, ſic paucis admodùm conferre opinatur balneum earum, poſteaquam obſervavit, non ità multis idem magnoperè profuiſſe, quoſdam etiam, qui à potis Thermarum aquis bellè habuerint, malè, imò peſſimè, à balneô habuiſſe. Quod cùm proſpiceret, aliis, quibus minùs illud ſalubre cenſuit, uſum balnei aquarum prope molendinum ſcatentium, ſuaſit, aliis Auctor fuit, ùt finità potatione balneas inviſerent Teplizenses.

Hæc ſummaria totius Tractationis recenſio. Claudunt hanc quædam, durante Thermarum uſu, ægrotantibus utiles precandi formulæ, quas ex Thomæ Guidotti de Thermis Britannicis opere mutuatas, communicat; toti autem Commentationi capitum & rerum Index locupletiſſimus adjectus eſt.

BERGERUS (*Simon*) Auguſtanus

De eô exſtat

Catalogus nobilium Medicamentorum ſpagyricè præparatorum. Jenæ, apud Martinum Spieſſium, 1607. in 4.

BERGIUS (*Johannes*)

Ex eô habetur

Diſputatio de Partu cujuſdam Infantulæ Agennenſis, An ſit ſeptimeſtris, an novem menſium? Exſtat Parte VI. Operum Jacobi Sylvii. Coloniæ Allobr. apud Jacobum Chouet, 1630. in fol.

BERGOMAS (*Guido*)

De eô exſtat

De Balneis Oppidi Bergomatis Tranſcheri. Bergomi, 1583. in 4. Cum aliis ejuſdem argumenti.

BERIGARDUS (*Petrus*) Florentinus

Ex eô habentur

Hippocratis Aphoriſmi Rhythmici. Utini apud Nicolaum Schirattum, 1645. in 8.

BERNABEUS (*Antonius Nicolaus*)

De eô exſtat in Actis Lipſienſibus ann. 1710. *pag.* 157.

Diſſertatione delle Morte improviſi. i. e. Diſſertatio de Mortibus Improviſis, in quâ judicium de capillamentis atque acidis fertur, unà cum diſcurſû de Nutricum Electione. Auctore Antoniô Nicolaô Bernabeô, Piacentinô Philoſophô, & Medicô Romanô. Romæ, apud Franciſcum Gonzagam, 1708. 4.

QUamvis appolexia Romæ A. 1694. & 1695. ſatis deprehenderetur frequens, frequentior tamen, quæ A. 1706. ibidem fuit, nobiliſſimo noſtro Auctori non minùs, ac celeberrimo *Lanciſio*, cujus *de Mortibus ſubitaneis libros duos A.* 1708. *Menſe Aprili* recenſuimus, anſam præbuit in mortium improviſarum cauſas inquirendi. Cùm verò pro hiſce detegendis *Lanciſius* laudatus multos incidi curaverit, ex omnibus eandem apoplectici ſexagenarii ac plethorici Anatomen, quam nos pariter menſe allegatô p. 177. tranſcripſimus, Noſter ità commemorat, ùt non ſolùmmodò rupturam venæ cavæ prope dextram cordis auriculam, ſed & aliorum vaſorum ſanguiferorum cerebri meningum indigitet, hæſitetque, annon vaſorum ejuſmodi rupturæ, à ſe quoque in tribus ſubjectis obſervatæ, ſpaſmis potiùs ſub mortis articulô contingentibus, debeantur, quòd in corporibus athleticis, dum ex improviſô moriuntur, humores corroſivi erodentes abundare videantur, atque cauſæ morborum, tum chronicorum, tum acutorum, adeòque mortium itidem ſubitanearum, in ventre infimô latere. Præcipiti quippe morte ſublatorum pro trium ventrium diverſitate tres conſtituens claſſes, in primâ harum eos collocat, qui ex ſyncope ſtomachicâ deceſſerunt, qualeſque plures ex plebe fuêre, vitiô nunc ciborum & aeris, nunc etiam remediorum mercurialium, antimonialium, aliorumque, propter luem Gallicam copioſè ingeſtorum, & ex diverſorum ſalium in viſceribus occurſu motus varios convulſivos, vaſorumque ſanguiferorum compreſſorum interventû aneuriſmata, polypos, rupturas, ulcera, ſimileſque morbos organicos excitantium. Mortem talem improviſam à doloribus totius, & maximè, ventriculi præſagiri, exemplô alicujus ſexagenarii confirmat, menſe Aprili A. 1706. ubi ſanus ſurrexiſſet, ex parcô aquæ vitæ hauſtû graviſſimis ventriculi doloribus correpti, ùt panni calidi regioni epigaſtricæ admoti haud impedire valuerint, quominùs ſudor frigidus ex facie cadaveroſâ erumperet, ipſeque animam efflaret. Neque dubitat, quin tum repentinæ mortis cauſa in abdomine hujus cadaveris, quemadmodùm aliorum, ſpeciatim in ventriculô, liene, hepate, ac folliculô fellis, cultrô anatomicô potuiſſet reperiri; fatetur quippè, ſe ipſum binis jam vicibus ex ſyncope ſtomachicâ pedem alterum in Cymbâ Charontis habuiſſe. Alterâ hinc claſſe omnes complectitur, qui ex catarrhô ſuffocativô, ab humorum nimiorum vel acidorum in pulmonibus ſtagnatione ſubortô, celeriter perierunt; tametſi duo viri, eques alter, ſummô locô natus, alter artifex opulentus, an. 1705. ejuſmodi catarrhô idiopathicô per promptam & largam venæ ſectionem fuerint liberati. Ultimam deniquè claſſem ab apoplexiâ verâ jugulatis conſecrans, ante omnia ipſam apoplexiam in catarrhum ſuffocativum aliquandò mutari, exemplô equitis, in ſexageſimô quartô ætatis annô conſtituti edocet, utpotè qui menſe Martiô A. 1706. à primô quidem inſultû apoplecticô pulveris cornachini atque veſicatoriorum uſû, ut & ab alterô, die quartô revertente, poſt venam jugularem inciſam, fuerit excitatus, ſed mox tribus poſt horis à ſuperveniente catarrhô ſuffocativô exſpiraverit, cùm die ſecundô, quô febris acuta cum facie humidâ acceſſerat, omnem ſanguinis miſſionem reſpuiſſet. Stertor ſiquidem, cum ſolitariâ etiam combinatus apoplexiâ, ex quâ pater Auctoris à brevi itinere in radiis ſolaribus confectô, annô 1680. menſe Septembri defecit, ſpirituum animalium motui intercepto adſcribitur. Tum de apoplexiæ non modò diſquiritur cauſis, ſed &, cur apoplexiæ frequentiùs, quam alii morbi, irruant, curque tales Romæ potiſſimùm, quàm alibi, crebriores obſerventur. Nempè quicquid motum ſanguinis, à quô ſpiritus animales in cerebrô pro ſenſatione ac motione ad nervos ſecerni ſolet, valet lædere, illud æquè ac quod ſpirituum animalium ſecretionem imminuit aut tollit, motumve per nervos intercipit, cum *Malpighiô* pro apoplexiæ, ſenſum & motum citò inhibentis, reputatur

cauſâ, atque cum *Bellinô* ad ſolam compreſſionem vaſorum, glandularum cerebri, aliarumque partium animalium revocatur. Ut mors tamen repentina tales excipiat cauſas, hæ non qualeſcunque, verùm fortes ac violentæ requiruntur cum inſtrumentô exquiſitæ ſenſationis, motûque celeri ac impetuoſô, inſtar motuum convulſivorum, in ſyncope, Catarrhô ſuffocativô, & nervorum impedimentis concurrentium; unô verbô, æquilibrium omne ſpirituum animalium ſanguinis, in quô vita conſiſtit, tollentes. Quæ enim ab iſtorum fluidorum æquilibriô, ſaltèm plùs minùs imminutô, in Cerebrô paralyſes, motus convulſivi, epilepſiæ, in corde autem ſyncopes, dolores cardiaci & palpitationes originem habent, ideò diù aliquandò protrahuntur, quòd motus pectoris & cordis, ceu muſculis antagoniſtis deſtitutus, paucioribus ſpiritibus animalibus *Bellino* perhibeatur indigere, adeòque in multis quoque apoplecticis ex ipſâ ſtructurâ cordis & arteriarum pulſus non febrilis, ſed rarus & æqualis advertatur. Apoplexia verò quò malum evadat univerſale, populare & ſporadicum, univerſalis oportet accedat cauſa, quæ vel ſola, vel cum aliis complicata, univerſalem producat effectum, qualis aer venditatur, omnis generis effluviis, præſertim bituminoſis, ſulphureis, arſenicalibus, vitriolicis, ſimilibuſque occaſione terræ motuum exhalantibus, Romæ turgidus, è diversô aliis, quibus nix putredinem arcens efficitur, planè privatus, prout nix per plures quàm duodecim annos athmoſphærâ Romanâ exulaverit. Et licèt aer omnibus corporis partibus, & ſolidis & fluidis, ſeſe inſinuans, pro harum diverſitate, modò catarrhum ſuffocativum, modò ſyncopem ſtomachicam vel cardiacam, modò apoplexiam inferendi exſtiterit aptus, hanc nihilô ſeciùs tantò crebriùs provocâſſe aſſeritur, quantò promptiùs tenerrima filamenta cerebri tanquam ſenſorii communis, ab heterogeneis athmoſphæræ corpuſculis queat lædi, quantòque majorem etiam tales aeris moleculæ obtineant habitudinem cerebrum potiùs quàm aliam partem lædendi. Nec in aliam cauſam, quàm ſingularem aëris Romani conſtitutionem, ratione camporum paludoſorum, ventorum auſtralium, &c. rejicitur, quòd apoplexiæ ſæpiùs Romæ, quàm alibi occurrant, infantium jam jam capitibus diſpoſitione ad epilepſiam & apoplexiam eò majori inductâ, quò minùs Cruſtæ lacteæ, infantes ab epilepſiâ aliàs æquè præſervantis, ac fonticulus nuchæ inuſtus, Romæ concedatur egreſſus. In præſervationis demùm gratiam ignibus ſalutaribus, inhabitationibus locorum ventis Occidentalibus expoſitorum, odoriferis, nicotianæ ſub formâ, ſive pulveris ſternutatorii, ſive fumi, ſive maſticatorii, adhibitæ uſu moderatô, hauſtûque matutinô, vel liquoris alicujus ſpirituoſi parcô, cum pane bis coctô, vel potùs caffee, thee, ſalviæ, ſuccolatæ, &c. aër tam corrigi præcipitur, quàm caput roborari, totumque corpus rectè ſuſtentari. Etenim robur capiti promittitur, ſi parùm Theriacæ, Mithridatii, Diaſcordii, confectionis de Hyacinthô vel Alkermes cum pulvere Radicis valerianæ, Cinnabaris nativæ, ſuccini &c. ſub noctem aſſumatur, ſingulisque menſibus pilulæ de ſuccinô Cratonis interponantur, capiti autem calvo ità capillamentum mundum commendatur, ùt varia ſimul perſtringantur damna, quæ ex comâ falsâ in nobiles pariter ac plebeios ſoleant redundare. In diætâ verò dum Conveniens ictus affectuumque animi regimen cum purgatione vernali & autumnali injungitur: abuſus quidem vini cocti, aquæ vitæ, Vinorum acidorum, atque aquæ per canales plumbeos fluentis, declaratur nocivus, nonnullorum tamen acidorum uſus ſimul vindicatur, veluti humores bilioſos, corroſivos, alioſque acidos ſalutariter corrigentium, quemadmodùm in Moniali quâdam, humorem in ore ſæpiùs acidiſſimum & vitriolicum percipiente, nonniſi acetum profuerit, lapilli autem Cancrorum nocuerint. Cæterùm primis, tàm improviſæ mortis, quàm vitæ longæ, ſtaminibus à lacte reſultantibus, quod infans, & in uterô, & à mammis matris aut nutricis haurit, in Diſcurſû adjectô qualitates nutricis, cui infans nutriendus imprimis debeat committi, exponuntur. Talis videlicèt præ aliis eligitur nutrix, quæ probis ſit moribus, non timida, nec iræ aut vino dedita, vidua potiùs, quàm marita, modicis minùſque duris prædita mammis, puſtulis, ulceribus, fluore albô, lippitudine oculorum, aliiſque morbis haud fœdata, neque infrà viginti, neque ſuprà triginta ætatis annos conſtituta; quæ bis, aut ſaltem non plus, quàm quinquies peperit, cujuſque partus ultimus duos aut tres menſes non ſuperet; quæ ſedulam quidèm nutritionis & ſanitatis infantis gerat curam, non omni tamen momentô hunc mammis admoveat, ſed ipſa victum & potum noxium evitans, in inquietudinis ac planctûs tenelli cauſas ſedulò inquirat, ac potiſſimùm caveat, nè cruſtæ lacteæ eruptionem impediendo, pulmentum maturiùs ingerendo, liberioremque artubus motum citiùs permittendo, lactantem lædat puſillum.

BERNERIUS (*Franciſcus*) Facultatis Monſpelienſis Medicinæ Doctor, Libris peregrinationibuſque ſuis magis inclaruit, quàm praxi. Nomen tamen, toti Galliæ honorificum, in Indiis Orientalibus reliquit. Medicus enim Mogolûm Imperatoris fuit, nobis & hiſtoriam de vaſtis illis hujus Principis Dominationibus, Regnôque Kachemirô tradidit, quæ pluriès edita fuit, univerſaliterque comprobata. Opera Philoſophica Gaſſendi Gallicè ad optimam Epitomen redegit, Doctiſſimumque illum Philoſophum, circà Atomorum & vacui doctrinam adverſus Johannem Baptiſtam Morinum, Medicum, Matheſeoſque Lutetiæ Profeſſorem, vividè tuitus eſt. Quarum defenſionum Alteri titulus eſt, *Anatomia ridiculi muris*, edit. Paris. 1651. alii verò *Favilla ridiculi muris* Ibidem 1654. vitâ deceſſit Pariſiis, menſe Septembr. anni 1688.

BERNERIUS (*Johannes*) Bleſenſis, Praxim Medicam ſeculô XVII. per 50. annos, & ultrà exercuit. Unus ex præcipuis ſtibii fautoribus fuit. Fortunæ bonis deſtitutus, ſatyræ operam dedit, in eâque totam conſumpſit vitam, Mortem obiit Pariſiis Die 18. Menſis Maij anni 1698.

De eô exſtant

Supplementa Hiſtoriæ Medicinæ; de quâ mox ex Act. Lipſienſib.

Antimenagiana, Meditationes, Cogitationes, arcanaque Dicteria ſub nomine ſuppoſititiô Popincurti.

Judicia Obſervationeſque in Opera Rabeleſii; Hiſtoria Bleſenſis, Pariſiis 1682.

De ejus Hiſtor. Medic. ſic in Actis Lipſienſibus, ſupplem. Tom. I. *pag.* 451.

Eſſais

Eſſais de Medecine, &c. i. e.

Conamina Phyſica, quibus tractatur de hiſtoriâ Medicinæ atque Medicorum, de officiô Medici reſpectu ægrorum, & ægrorum reſpectû Medici, de utilitate remediorum & abuſu: auctore J. Bernier. &c. Pariſiis apud Sim. Langronne, 1689. in 4.

IN tres partes diviſum eſt hoc opus, quarum 1. de Medicinâ. 2. de Medicô. 3. de auxiliis Medicinæ agit. Quod Medicinam concernit, ejuſdem originem non tantùm ſecundum Judæos, & Chriſtianos, ſed & Ethnicos quoſdam ad hunc modum deducit. Adamus omnium, quæ in mundô erant, exactiſſimam habebat cognitionem; virtutes præſertim animalium, vegetabilium, & mineralium intimè cognoſcebat: ſcientiam hanc ipſi à Deô inſpiratam cum poſteritate communicabat, poſtquam propter lapſum totum genus humanum morbis obnoxium redditum fuerat. Seth poſtmodùm aut per traditionem, aut per famoſas iſtas columnas, de quibus Joſephus mentionem facit, poſteris hanc ipſam notitiam reliquit. Sed & antè, & aliquot ſecula poſt diluvium longævi ſatis vivebant mortales, ideòque opus non habebant hâc ſcientiâ priùs quàm morbi frequentiores invaderent homines, vivendique tempus notabilitèr abbreviaretur. Jam verò in antiquorum hiſtoriâ nihil legitur de Medicinâ ante tempora Triſmegiſti, Athothi, Thoſortri &c. Indè probabiliſſimum videtur, Medicinæ ſcientiam demum in artem fuiſſe redactam tempore Patriarchæ Jacobi, cujus poſteri de illâ certiores fecerunt Ægyptios. Corrupta ferè erat tunc temporis Medicina propter Magiam, quam Principes & Sacerdotes Ægyptii (quippè quibus tantùm conceſſum erat Medicinam publicè exercere, plebeiis non item) cum nobiliſſimâ hâc arte confundebant, uſque dum ab Ægyptiis ad Græcos pervenit, ubi majora incrementa in dies cepit temporibus Cadmi, Chironis, Æſculapii, (ad cujus tempora primarum in Græciâ ſcholarum, veluti Gnidiæ, Rhodiæ & Coæ fundatio imprimis referenda) Podalirii, Machaonis, aliorumque, qui eos inſequebantur, uſque ad tempora Hippocratis; adeò ùt Soranus tàm breviter, quàm veroſimiliter Medicinæ hiſtoriam enarret, quandò ſcribit: Medicinam invenit Apollo, augmentavit Æſculapius, perfectam reddidit Hippocrates. Neque tamen adeò perfectam reliquit Hippocrates Medicinam, ùt nihil ſuperaddi poſſet: quin plurima potiùs arti perquàm neceſſaria poſt illum in Medicinâ detecta fuêre, ac deteguntur adhùc in hunc uſque diem. Itaquè Auctor hiſtoriam chronologicam Medicorum excellentium, item virorum illuſtrium, qui Medicinam magni fecerunt, vel etiam exercuerunt, vel ad ipſius incrementum aliquid contulerunt, fuſiùs exhibet, ſecutus computationem Scaligeri, aliorumque modernorum. Incipit autem hiſtoriam à Græcis & Latinis, quos Judæi & Arabes ſequuntur. Succedunt Reges & Principes, qui Medicinæ operam dederunt, cum Poëtis, Philoſophis, Martyribus, vitæque ſanctimoniâ claris: itemquè qui dignitates Eccleſiaſticas poſſederunt, Papæ nimirùm, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Canonici, Abbates & Monachi; quibus deniquè illi ſubjunguntur, qui à ſeculô 12. & 13. inclaruerunt in Angliâ, Germaniâ, Italiâ, Hiſpaniâ & Galliis. Hiſce recenſitis, hoſtes Medicinæ aggreditur, eoſque in tria genera diſpeſcit. Planè ignorantes, & peritiores paulò, in artem tamen invehentes, ùt eruditi videantur indignos reſponſione judicat; tertium verò genus hominum nuncupat eruditos, qui hâc vel illâ in parte errant, atque in errore ex falsô præjudiciô perſeverant. Inter hos nominatim refert M. Portium Catonem, Plinium, Dionyſium Ægeum, Petrum de Apono, Petrarcham, Cornelium Agrippam; Joh. Novizanum, Liſet Benantio, Guevarram, Sulpitium Severum, Ferdinandum Nonnium, Garciam & Gamar, Michaëlem de Montagne, Wilhelmum Bouchet, Georgium Hornium, R. des Cartes, Moliere, Auctorem dialogi de ſanitate, Auctorem libri dicti *Le Medecin de ſoy même*, Cuſſon in diſcursû philoſophicô, Maſſardum in tractatû de Panaceis, Helmontium, Bontekoë, Leonardum di Capua, quorum omnium objectionibus ſolidè reſpondet, aliaque contra Medicinam prolata argumenta refellit. Quæ verò inter Chriſtianorum & Gentilium Medicinam intercedat differentia, quidve ſpecialiter Medicina Romano-Catholica à piô Medicô exigat, fuſiùs porrò proſequitur, additôque monitô, quòd ſecreta de ægris nullô modô ſint propalanda, quinimò quòd Medicus ægri ſecretum etiam coram judiciô revelare, niſi facta atrociora, morboſque contagioſos excipias, non teneatur, parti primæ finem imponit. Et hæc de Medicinâ.

In ſecundâ parte, ubi de Medicis, eorumque vitiis & officiis differit, Medicum cum Hippocrate dicit virum bonum medendi peritum; ex quô fundamentô in Medicos in hâc ſecundâ parte inquirit, & annotando id, quod Medicorum perfectioni maximè obeſt, clarè demonſtrat, quare ars Medica hucuſquè adeò contemptui fuerit habita. Jucundè non minùs quàm eleganter deſcribit quatuor Medicos, qui Pariſiis & in vicinis provinciis ſuô tempore præ aliis inclaruerant, quorum primus Neptunus, alter Magnus, tertius Politicus, quartus Parvus appellatur, indequè infert, 1. quòd Judicium de Medicorum meritis prolatum maximè fallax ſit; 2. quòd fraudes, variaque artificia Medicos reddant ſæpiſſimè famigeratiſſimos; 3. quòd eorum exiſtimatio Fortunæ potiùs quàm meritis adſcribenda, 4. quòd actum ſit de Medicinâ, niſi Deus excitet ſapientem quendam potentemque Artis reſtauratorem; ùt igitur per deſcriptiones & ratiocinationes hiſtorico-morales bonus Medicus cognoſcatur, vindicat primùm Medicos à vitiis, quæ falsò illis attribuuntur, poſteà illa annotat, quorum jure incuſantur: ac proindè qui his vitiis inquinati non ſunt, ſed contrarias potiùs virtutes poſſident, maximè perfecti dignique judicantur in casû neceſſitatis ſeligendi, ſemperque magnô honore afficiendi. Quorum falsò inſimulantur, ſunt atheiſmus, ebrioſitas, homicidia, & divitiæ; quibus verò maximè obnoxii æſtimantur, avaritia, invidia, faſtus, illudque vitium, quod eos ridiculos reddit, pedantiſmus, ignorantia, impudentia, ſtudium complacendi, atque adulatio recenſetur, de quibus omnibus plurima lectû digniſſima Auctor profert. De Principum poſteà Medicis, de fortunis Medicorum, de circumforaneis Medici nomen affectantibus, & medicaſtris cujuſlibet conditionis & ſexûs eleganter differit; ubi nimirùm haud levia animadverſione digna quotidiè non minùs occurrunt, quàm circa electionem Medici, conſultationes, &, ſic dictum, honorarium. Ultimô locô de Facultatibus Medicis, & ſpeciatim de duabus Franciæ celeberrimis, Pariſienſi & Monſpelienſi, agit, abuſus in conferendis honorum gradibus ibidem pronatos annotat, & quomodò huic malo ſuccurrendum ſit oſtendit.

De Medicinæ denique auxiliis in tertiâ parte acturus, poſtquam de ægris, eorumque officiis quædam præpoſuit, circa remedia in genere ſuas præſcribit Regulas: 1. Generoſa remedia, nonniſi urgente neceſſitate, ſummâ tamen cum prudentiâ & circumſpectione, eſſe adhibenda. 2. Aſſumtis remediis ſi optatus non ſequatur effectus, Medicum non eſſe inculpandum. 3. Premente malô non eſſe renuenda remedia. 4. Cognita uſitataque remedia præſtantiora eſſe incognitis, &, quæ vulgô vocantur, ſecretis 5. Ægros ſine ratione panaceas, balſamos vitæ, aurumque potabile præferre remediis ſimplicibus & vulgô notis. Cùm verò omnia Medicinæ auxilia non tam à peritis Medicis, quàm artis miniſtris, & ipſiſmet ægris in uſum trahantur, plerorumque Chirurgorum, Pharmacopolarum, & Obſtetricum ignorantiam, inſolentiam, alioſque depravatos mores graphicè depingit, abuſuſque inde provenientes dilucidè ſatis demonſtrat. Porrò de ſex rebus non naturalibus, earumque adminiſtratione, ſermonem inſtituit, & expoſitis iis, quæ circa Chirurgica præſidia, veluti ſectionem putà, ſcarificationem, hirudines, cauteria & membrorum amputationem attendenda, ad auxilia Pharmaceutica explicanda ſe confert. Purgantium primò & vomitoriorum in genere, poſteà ſpecialiter horum tàm ſimplicium quàm compoſitorum virtutes enucleat: alterantium, cordialium, & alexiteriorum examen his ſubjungit, tandem artem ornatricem admittendam, fucatricem verò à Chriſtianô Medicô nullô modô exercendam, quin potiùs ſupprimendam eſſe omnibus modis concludit.

BERNERIUS (*Sylveſter*) Papienſis

Ex eô habetur

De Concoctione Materiæ ac potiſſimùm Bilioſæ, Quæſtio. Lugduni, apud Guilielmum Rouillium, 1649. in 12.

BERNERUS (*Gottlieb Ephraim*)

De eô exſtat in Actis Lipſienſibus an. 1723. *p.* 451.

Gottlieb Ephraim Berneri, Med. Doct. Prof. Publ. Ord. in Academiâ Duisburgenſi Exercitatio Phyſicô-Medica de Efficaciâ & uſû Aëris Mechanicô in Corpore humanô. Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1723. 8.

QUemadmodùm aër univerſale eſt alterans mundi noſtri ſublunaris fluidorum æquè ac ſolidorum corporum, ſingulis mixtorum meatibus ſeſe inſinuans, ac illos effectus in œconomiâ animali præſtat, qui mixtionis, motûs ſanguinis, tàm inteſtini quàm progreſſivi, ſecretionis & excretionis, digeſtionis &c. nomine inſigniri ſolent; ità operæ pretium ſe facturum credidit clariſſimus *Bernerus*, ſi efficaciam aëris in corpore humanô exactiùs rimetur, & partes ſolidas ſeu fibram motricem; & fluidas, maſſam ſanguineam conſtituentes, evolvendo, demonſtret, quòd effectus Phyſiologici & Pathologici ſoli mechanicæ ſpirularum aërearum operationi, dilatationi, condenſationi, vel compreſſioni & rarefactioni in acceptum ſint referendi, undè varii effectus & χρήσεις Phyſiologicâ corporis habitudine in Pathologicas alterationes redundent. Definit itaquè aërem per partes terreſtres, ſphæricas, in ſe convolutas, vi ætheris à telluris cruſtâ ſeparatas, in altum elevatas, eique innatantes, ac ex cohæſione particulum irregularium terreſtrium genitas, & non ſolùm ſiderum ambire ſphæram, verùm ipſius telluris noſtræ athmoſphæram conſtituere, & intimos pariter ac extimos ejus pervadere cortices dicit; quô ipſô in poris telluris, ratione verticoſi ætheris, & pondere ſibi incumbentium ramoſarum partium, & texturâ, elaſticam ſortiantur vim & expanſionem; hinc verſus terreſtrium latera nitendo, conatu ſeſe explicandi continuô præditæ ſint, ſibique vicinas pellant & comprimant. Quâ poſitâ definitione docet, quantam vim diverſamque energiam aër exerat in chylificatione, ſecretione, pulsûs mutatione; quomodò morborum Epidemicorum exiſtat Auctor; qualis ſit ejus differentia reſpectu climatum & regionum, diei & noctis, roris, pruinæ, nivis, pluviæ, ventorum, tonitruum, fulgurum, ac anni tempeſtatum; quid aſthmaticis, cachecticis, vulneratis, arthriticis, malô hypochondriacô, ſanguinis commotionibus, tenſionibus, & ſpaſmis laborantibus, vel commodi vel noxæ afferat; quâ ratione morborum curationem vel promoveat, vel retardet, ac medicamentorum electionem & doſin moderetur. Et quoniam peregrinantibus aër ſæpiùs mutandus eſt, quomodò, ſine inſigni corporis detrimentô itinera ſint inſtituenda, monet. Inter alia multus eſt in deſcribendâ Conſtitutione Epidemicâ Annorum 1720. & 1721. ejuſque cauſas evolvit, & curationem ſuppeditat, quâ occaſione de uſû & abuſû Corticis Chinæ egregiè diſſerit. Ad calcem libri duæ Obſervationes Medicæ; de fungô mammarum cancroſô altera, altera de rupturâ & conquaſſatione veſicæ urinariæ, ſolidè explicatæ leguntur. Ut de Auctoris clariſſimi mente eô meliùs conſtet, ex ejus ſententiâ, quomodò aër corpus humanum intret, & ſecretiones efficiat, paucis nunc communicabimus. Corpus humanum ſubit aër eô communicationis meatu, quô humor intra tubulos delatus motui determinationis aërem non habet oppoſitum, qui motus humorum cùm æquè obtineat in tubulis cutis excretoriis, ſeù extremis arteriarum & vaſorum lymphaticorum finibus, vapores & ſudores ejicientibus ex maſſâ ſanguineâ, ut & in illis lymphæ excretoriis, in veſiculis pulmonum & bronchiis obviis, ut potè humorem quandoque ſub formâ vaporis, quandoquè lymphæ à centrô ad peripheriam excernentibus: evidens eſt, aërem elaſticum athmoſphæricum anſam minùs nanciſci ſubeundi corporis noſtri tubulos, quando impulſus humorum ſatis vegetus eſt, ùt excrementa corporis per cutem & glandulas ſeu ductus tracheales excretorios excernat, & hâc ratione preſſioni aëris externæ reſiſtat; ſed tum demùm ingredi aërem habitum corporis & pulmones, quando æquilibrium ad internum & externum aërem eſt ſublatum, ſic ùt premat extrema orificia tubulorum excretoriorum minima, quô ipſô ſanguis minùs rarefactus ferè nihil excernit vaporum mediante inſenſibili tranſpiratione, ſed hâc ratione in tubulô excretoriô ſanguini & lymphæ permixtus pergit per venas & vaſa lymphatica ad interiora corporis & preſſione ſuâ & elaſticitate ſanguini ſe immiſcet, quô ipſô aër motu elaſticô ſe expandens digerit corporis noſtri humores, & præcipuum eſt alterans maſſæ ſanguineæ & humorum, ſed minùs impeditus tranſitus eidem patet per oris, œſophagi & ventriculi immediatum ingreſſum, ob contactum, quô non ſolùm cibis & potulentis; ſed & ſalivæ ac chylo in primis viis commiſcetur. Penetrat enim ſuô pondere & elaſticitate ſuâ eò ruit, ac inteſtinorum preſſione ad vaſa lactea & ſanguinem urgetur. Diverſum autem characterem imprimit humoribus & partibus ſolidis, non

non ſolùm ratione elaſticitatis, & ponderis ſeu gravitatis, ſed ipsâ quoque ſui qualitate; quatenùs acribus, auſteris, ſulphureis, ſalinis, aqueis, balſamicis, pro fundi nimirùm, ex quô exhalavit, vel ventorum ex plagâ diverſâ ſpirantium ratione, impraegnatus eſt particulis. Efficaciam itaque ſuam aër obtinet in corpus noſtrum, non ſolùm quatenùs immixtus eſt ſanguini, ſed etiam quâ circumſtat, & ambit idem. Quemadmodùm igitur optima ſanguinis temperies & mixtura, motus quoque maſſam ſanguineam conſtituentium partium reſpectivus ab eâ ſphaerularum aërearum combinatione & intimâ unione pendet, quâ ſingulae ſanguinis partes uniformem elaſticam preſſionem harum ſphaerularum experiuntur; atque motû progreſſivô & inteſtinô aequaliter urgentur, aëreae quoque conſortium caeterarum arctiùs ſubeunt; ità hôc eôdem motû mixtionis deſtitutô ſanguine, quem à Cordis conſtrictione plùs minùs validâ ſortitur, nec elaſticam preſſionem exercent aëreae ſphaerulae, & lentiùs, minorique conatû & vigore verſus vaſorum latera humores preſſi faeculentias pedetentìm deponendo varios gignere morbos, apti evadunt. Secretio verò ità contingit. Cùm aër maſſae ſanguineae corpuſculis incluſus diverſimodè prematur, non tamen ex omni angulô aequali ſeſe extricandi conatû propter reſiſtentiam partium vicinarum & ambientium & expanſionem ſphaerularum aërearum indè conſequentem, poſſet; à quâ cùm prohibeatur ab aliarum incursû & reſiſtentiâ tam quoque ſolidarum partium vaſculosâ texturâ; nititur totô expanſionis ſuae conatû verſus ductus, qui liquorem provehunt, & excernunt ex corpore, atque quô torrente univerſi motûs maſſae ſanguineae ex elaſticâ aëris expanſione & propulſione cordis pergere tenebatur; quae viſcera ſunt ſecretoria & excretoria, vel lympham, vel alium liquorem à maſsâ ſanguineâ ſecernentia, prout eorum ſtructura organica id exigit.

BERNHARDI de Bernitz (*Martinus*)

Ex eô habentur

Catalogus Plantarum in Hortis Regiis Warſoviae. Dantiſci, 1652.

Faſciculus I. Remediorum Anti-Arthriticorum in curatione Uladiſlai IV. Regis Poloniae & Sueciae &c. adhibitorum. Exſtat cum Miſcellan. Curioſ. ſive Ephemerid. Medicô-Phyſicarum German. Annô Quartô & Quintô. Lipſiae, apud Joh. Fritſchium, 1676. in 4.

Faſciculus II. Medicamentorum ſingularium, ſive, Andr. Cnöffelii, aliorumque quorundam Clariſſimorum Medicorum Arcana & Experimenta ſpecifica. Exſtant annô ſextô & ſeptimô. Ib. ap. Eund. 1677. in 4.

Obſervatio, de Aquilâ Imperiali in Polypodiô. Exſtat Ephemerid. Acad. Natur. Cur. Germ. Ann. II. N. I.

De Orchidum ſeu ſatyriorum ſpeciebus ſingularibus. Ibid. Ann. eôd. n. 41.

De Napellô in Poloniâ non venenosô, Ibid. ann. eôd. n. 42.

De Facie Larvatâ in Muſcô pulmonariô, Ibid. ann. eôd. n. 51.

De Muſcô arboreô in genere, Ibid. an. eôd. in ſcholiis ad hanc Obſerv. n. 51.

Obſervatio, de Muſcô terreſtri repentè monſtrosô, Ibid. ann. eôd. n. 52.

De Rutâ murariâ, & muſcô cruſtaceô in craniô humanô, Ibid. ann. eôd. n. 53.

De uſneâ ſ. Muſcô Cranii humani, ejuſque virtute, uſû, & comparatione. Ibid. ann. eôd. in ſcholiis ad Obſerv. 53.

Obſervatio, de fungô monſtrosô in alveariô inventô Ibid. ann. eôd. n. 54.

De fungis, eorumque variis ſpeciebus. Ibid. ann. eôd. in ſcholiis ad obſervat. n. 54.

Obſervatio, de Gammarô alatô ſ. Papillione eleganti & rarô ſignaturam Gammari habentis Ibid. ann. eôd. n. 97.

De Gammarô terreſtri & Vegetabili. Ibid. ann. eôd. n. 98.

De Gammarô leprosô. Ibid. ann. eôd. n. 99.

De Chelâ Aſtaci marini monſtrosâ. Ibid. ann. eôd. n. 100. & 101.

Obſervatio, de Cancrô Moluccanô. Ibid. ann. eôd. n. 102.

De Calculô monſtrosô in faeminâ viduâ. Ibid. ann. eôdem. num. 139.

De Calculô veſicae ingentis molis in Patr. quôdam Soc. Jeſ. Ibid. ann. eôd. n. 140.

De ſeptem Lapidibus in Palatinide Polocenſi, puerô ſeptem annorum. Ibid. ann. eôd. numerô 141.

De uſû & utilitate Cocci Polonici. Ibid. ann. III. *n. 104.*

De mirâ cancros comedendi aviditate. Ib. ann. eôdem. Num. 187.

De Lucernis ſepulchralibus. Ibid. ann. VIII. *in ſcholiis ad Obſervat. n. 20.*

BERNHARDINUS (*Franciſcus*) Calidonius

Ex eô habetur

Praeſervator ſanitatis. Quô ſanitatis tuendae praecepta carmine deſcribuntur. Spirae, 1539. in 8. apud Andelovium, 1549. in 8.

BERNHARDUS (*Florius*)

De eô exſtat

Brevis Exercitatio, de Ultimô corporis Alimentô, cum aliquot Digreſſiunculis. Reperitur cum Reſponſionum & Conſultationum Medicinalium Tomô unicô Julii Caeſaris Claudini. Venetiis, apud Bertanos, 1646. in 4.

BERNHARDUS (*Nicolaus*) Delphinas

De eô exſtant

Brevis Elucidatio Arcani Philoſophorum. Lug. Batav. apud Chriſtoph. Raphelengium, 1599. in 8. cum Trigâ Chemicâ à ſe editâ.

Quadriga Aurifera. Francofurti, ex officinâ Plantinianâ, ap. Chriſtophorum Raphelengium, Typographum Lugduno-Batavum 1599. in 8. Videtur idem eſſe cum Elucidatione Arcani Philoſophorum.

Commentariolum in quoddam Epitaphium Boloniae ſtudioſorum, ante multa ſaecula marmoreo Lapidi inſculptum: & Quadriga Aurifera. Exſtat volumine III. Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Laz. Zetznerum, 1613. in 8. Lugduni, 1597. in 8.

Tractatum Chemicum, inſcriptum: Theoſophiae palmarium, incerti Auctoris, edidit. Lugduni Batavorum, apud Thom. Baſſon. 1601. in 8.

Item Epiſtolam cujuſdam Patris ad filium de occultâ Philoſophiâ. Ibid. apud Eundem.

BERNOULLIUS (*Joh.*)

De eô exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1694. p. 200.

De Motû Muſculorum Meditationes Mathematicae, communicatae à Joh. Bernoulliô, Baſil. Med. Doctore.

BEROALDUS (*Philippus*)

Ex eô habentur

De Terræ motû & Peſtilentiâ Liber, cum Annotamentis Galeni. Addita eſt explicatarum in Annotamentis Galeni dictionum Tabula. Argentorati, apud Matthæum Schurerium, 1510. in 4.

Declamatio : an Orator ſit Philoſopho & Medico anteponendus ? Pariſiis, apud Thielmannum Kerver, 1500. in 4.

BERRELARIUS (*Elpidius*) Piſcienſis.

De eô exſtat

Tractatus, de Riſû. Florentiæ, apud Coſmum Juntam, 1603. in 4.

BERTACCHIUS (*Dominicus*) Campo-regianenſis

Ex eô habentur

De ſpiritibus, Libri quatuor : necnon de Facultate Vitali, Libri tres. Venetiis, apud Bernhard. Juntam, 1584. in 4.

BERTALDUS (*Joh. Ludovicus*)

De eô exſtant

Scholia in Diſpenſatorium Johan. Placotomi. Additis multis remediorum formulis ex Collegiô, tum Norimbergenſi, tum Auguſtanô depromtis, &c. Taurini, apud Joh. Franc. de Cavalleris, 1614. in 4. duobus Vol.

Medicamentorum Apparatus. In quô remediorum omnium compoſitorum, non uſualium modò, ſed præcipuorum etiam magiſtralium vires, durationes, doſes, ac formulæ : cum universâ utendi methodô, diſertiſſimè enodatur. Taurini, apud FFR. de Cavalleris, 1611. in 4.

Externorum Medicamentorum apparatus. In quô remediorum omnium compoſitorum, quæ extrinſecùs uſurpantur, non uſualium modò, ſed præcipuorum etiam magiſtralium vires, durationes, doſes, ac formulæ, cum universâ utendi methodô, diſertiſſimè enodantur. Appoſitis ad calcem cujuſque Tractatûs collectaneis : ex optimis quibuſque Auctoribus tum veteribus, tum recentibus excerptis. Quibus pleraque alia ejuſdem Auctoris opuſcula ſunt adjecta. Taurini, apud Johan. Franc. de Cavalleris, 1614. in 4.

Tractatus Confectionis de Hyacinthô, & Confectionis Alchermes : cum Commentariis Auctoris : Acceſſerunt de Electione ſimplicium Medicamentorum Rhythmi. M. Ottonis Cremonenſis, & Johan. Derrames, *Cyprii*. Additur præterea Examen Pharmaceuticum Tyronibus faciendum : ex Operibus dicti Bertaldi excerptum. Operâ & ſtudiô Caſparis Petrinæ collecta. Taurini, apud FFR. de Cavalleris, 1619. in 4.

Regole d'ella Sanità è natura de Cibi d'Ugo Benzo, Seneſe, arrichite, di vaghe Annotationi, è di copioſi Diſcorſi, da Lodovico Bertaldi, Medico del Sereniſſ. Duca di Savoia. In Torino, 1620. 8.

BERTAPALIA, aliàs Prædapalia (*Leonhardus*) Paduanus. Chirurgus & Medicus. Contemporaneus Montagnanæ. Claruit A. C. 1417. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtat

Chirurgia, ſeu Recollectæ ſuper Quartum Canonis Avicennæ. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1490. apud Bernhardinum Venetum, 1519. in fol. Cum Guid. Cauliaci, Rolandi, Rogerii, Chirurgicis ſcriptis. Hujus M. S. Exemplar annô 1424. optimis litteris exaratum exſtat in noſtrâ Bibliothecâ. *Lindenius.*

BERTHIOLUS (*Antonius*)

Ex eô habetur

Idea Theriacæ & Mithridatii. Venetiis, 1601. in 4.

BERTHOLDUS (*Andreas*) Oſchacenſis.

De eô exſtat

Terræ ſigillatæ, nuper in Germaniâ repertæ, vires atque virtutes admirandæ, ejuſque adminiſtrandæ ac uſurpandæ ratio. Miſniæ, apud Chriſtoph. Rab. 1583. in 4.

BERTINI (*Anton. Franciſcus*)

De eô ſic in Actis Lipſienſibus ann. 1701. p. 379.

La Medicina Difeſa, &c. i. e.

Medicina à Calumniis vulgi atque Objectionibus Eruditorum vindicata, in duos Dialogos diviſa, & conſecrata ſummis meritis Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Cardinalis Domini Jacobi Antonii Moriggia, Archiepiſcopi Florentini : Auctore Antoniô Franciſcô Bertini, Profeſſore Medicinæ. Lucca apud Mareſcandolos, 1699. in 4. chartâ aug.

QUod à peritis fieri obſervamus Chirurgis, qui, antequàm vulnera atque ulcera mali moris conſolident ac coaleſcere ſinant, id agunt, ùt detrahendo Emplaſtra atque integumenta, pro occultandis ulcerum ſordibus applicata, in naturam eorundem accuratiùs inquirant : hoc etiam, Laudabili admodùm inſtitutô, præſentem noſtrum Auctorem imitari deprehendimus, utpote qui Artis Medicæ dignitatem à contumelioſis adverſariorum inſultationibus vindicaturus, primam hujus tractatûs, ipſius clariſſimi Auctoris donô, Illuſtri Magliabechiô curante, nuper ad nos delati, quem per modum Dialogi abſolvit, partem perſcrutandis illis potiſſimùm rationibus ac cauſis deſtinare voluit, è quibus, tanquam primis fontibus, Artis Medicæ, contemptus promanare videtur. Has inter primô ſtat locô vulgaris illa & ab omnibus adverſariis recepta opinio, quâ nobiliſſimam hanc artium admodùm fallacem atque inconſtantem pronunciant; quippè quæ non ſolùm ipſius *Celſi* ſententiâ conjecturalis ſit, ſed etiam inſuper hìnc indè falſis nitatur principiis, ex quorum numerô non modò ſint trita iſta ex medendi methodô deſumpta ; *contraria contrariis curari : ſimilia ſimilibus conſervari* ; utpotè quæ curatione eryſipelatis, anginæ, atque id genus aliarum inflammationum, quotidiè ferè refutentur : ſed etiam aphoriſmi & prognoſtica Hippocratis ipſa, ſuſpectæ fidei non ſolùm jam à Galenô deprehenſa, ſed etiam noviſſimè à quôdam Auctore tanquam incertiſſima atque inconſtantiſſima rejecta, editô in hunc finem peculiari tractatu *de Incertitudine ac falſitate Aphoriſmorum Hippocratis, A. Genevæ* 1697. typis expreſſô. Hanc ſequitur alia contemptûs Medicinæ cauſa in illis potiſſimùm obſervanda, qui artem hanc temerariô auſû profiteri ac tractare deprehenduntur. Horum enim erroribus ac vitiis non levem etiam Arti ſalutari ſæpiùs inuri ignominiam, meritò perſuaſus eſt. Imprimìs autem hâc occaſione infinitus ille, qui hodiernô tempore obſervatur numerus, ſtudio huic ac profeſſioni, illotis manibus, ſe ſe applicantium, reprehendendus venit, qui eò magis

Arti

Arti opprobrium ac contemptum pariunt, quò frequentiores obſervantur inter hos perverſi mores, ab illis non adeò alieni, quibus moti Romani, priſtinis temporibus, omnem Medicorum turbam ex urbe ejecerunt, quorum mentio fit apud *Plinium Hiſt. Nat. Lib. 29. cap.* 1. Tertiò tanquam cauſam non minùs notatû dignam proponit vulgi ignorantiam, quâ fieri ſolet, ùt pro Medicis imperiti quivis barbitonſores, pharmacopoei, opiliones, ſagæ, atque aniculæ habeantur, qui credulis ejuſmodi ex plebe hominibus ſe obtrudentes, ſi quid peccant, ſub nomine Medicorum id agunt, atque hâc ratione inſigniter Artem Medicam deturpare ſolent. Et Chirurgos quidèm, uti & Pharmacopœos, uſque adeò noſtrô tempore impudentes eſſe, ùt etiam ad ægros illos, quorum ſtatum inconſideratâ atque ineptâ ſuâ curatione deſperatum reddiderunt, quaſi in ſupplementum demùm Medicos accerſere jubeant, quò, ſi tandem infauſtus fuerit curæ eventus, culpa non tàm in ſeipſos, quàm in Medicum potiùs derivetur: de aniculis autem, præſertim in Italiâ, hanc obſervari proterviam, ùt morbos illos omnes, qui ſexui ſequiori tempore ingravidationis & puerperii, accidere ſolent, peculiari quaſi privilegiô ſibi ſolis curandos præſumant, Medici operam atque auxilium nonniſi re maximè deſperatâ admittentes. Ultimô tandem locô commemorat teſtimonia illa ex eruditorum ſcriptis deſumta, quæ ab Oſoribus Artis Medicæ in contemptum ejuſdem atque ignominiam allegantur. Neque enim ſolùm ab illis, qui artium & ſcientiarum ferè omnium apertos ſe profitentur hoſtes, qualis famoſus ille Cornelius Agrippa, ſed etiam ab his, qui inter earundem decora & æſtimatores aliàs numerantur, Medicinam laceſſi injuriâ, notiſſimum eſſe exiſtimat. Hos inter præcipuus eſſe videtur Franciſcus *Petrarcha,* qui pluribus in locis, e. g. Rer. ſenil. L. 15. Epiſt. ad Malteſtam, item Lib. 5. Epiſt. 4. & Lib. 5. Epiſt. 5. admodùm ſiniſtrè de Medicis ſentire deprehenditur, ità ùt modò velit *nullam eſſe ægro rectiorem ad ſalutem viam, quàm Medicô caruiſſe*: modò etiam affirmat, *de Medicô in morbis curandis non ſolùm nihil ſperandum, ſed valdè etiam metuendum eſſe, &c.* Petrarchæ auctoritati aſſociare ſolent celebris illius Angeli *Politiani* in Medicorum ordinem invectivam, quæ L. 2. Epiſt. ad Leonicenum legitur, his ferè verbis: *indolui rurſus generis humani vicem, quòd in ſe graſſari triſtem hanc inſcitiam* (Medicinam puta) *patiatur, atque ab iis interdùm ſpem pretiô emat, undè mors certiſſima perficitur. Quis enim non videat, plus eſſe à Medicô quàm à morbô periculi?* Et ùt eô fortiùs contradicentes ſtringant commemorati Medicinæ oſores allegant tandem teſtimonia illorum, qui Medicorum nomine ipſi celebres fuerunt, e. g. Leonhardi Capuenſis, qui hinc indè in ſcriptis ſuis omni ſtudiô & operâ demonſtrare conatur Artem Medicam omnium eſſe incertiſſimam & maximè fallacem, ità ùt in hunc ipſum reverà quadret, quod apud Plinium de Theſſalô dictum fuiſſe legimus, deleviſſe illum cuncta majorum placita, & rabie quâdam in omnis ævi Medicos peroràſſe.

Detectis ità erroribus illis ac vitiis, quorum ab adverſariis ſuis Medici communiter arguuntur, id agit in alterâ Dialogi hujus parte Auctor celeberrimus, ùt argumenta ſuppeditet quibus ad factas ab adverſariis objectiones & calumnias convenienter reſponderi, atque hôc ipſô Artis Medicæ dignitas in priſtinum ſplendorem ac gloriam vindicari poſſit. Ante omnia igitur ſe opponit illis, qui Medicinam hôc nomine indignam eſſe cenſent, quòd ſcilicèt eadem conjecturalis ſit. *Celſi* enim auctoritatem in præcedentibus allegatam reverà ad hoc demonſtrandum non ſufficere, probat ex hôc, quòd ipſe *Celſus*; *in eôdem de Re Medicâ, proœmiô*, verba illa de Medicinâ conjecturali cum reſtrictione intelligenda eſſe velit, ità ſcribens: *Si quid itaque vix in milleſimô corpore aliquandò decipit, id notam non habet; cùm per innumerabiles homines reſpondeat. Eſt itàque Medicinæ fides, quæ multò ſæpiùs, perque multò plures ægros prodeſt.* De cæterô, quemadmodùm nemo fortaſſis, ex hâc ratione artem Bellicam contemnere poterit, quòd de fine ſuô ſecura ſemper ac certa eſſe non poſſit; ità magis abſonum foret, Medicinam hôc nomine calumniari, quòd interdùm, conjecturis inniti videatur; ſiquidem & conjecturæ iſtæ à prudentioribus ità ſemper formantur, ùt pro conſtanti fundamentô ſanam rationem habeant. Neque ullô modô probari poſſe Auctor noſter exiſtimat, Medicinam fallacibus uti præceptis. Licèt enim vulgare illud *contraria contrariis curantur,* curatione eryſipelatis, anginæ &c. refutare conentur, nihil tamen illos agere certum eſt, ſi conſideremus, ſenſum hujus axiomatis adeò quidem latè patere, ùt ſub contrariis intelligenda ſint omnia quæ morbum, vel ejus cauſam tollere ullô modô poſſunt. Si verò provocent ad ipſos Hippocratis aphoriſmos, eoſdemque ſubleſtæ fidei à nonnullis deprehenſos fuiſſe indicent, reſpondendum, hos non poſſe hôc noſtrô tempore deprehendi ubiquè conſtantes ac certos, ſi conſideremus mutatam jam penitùs ab antiquis temporibus hominum ac vitæ conditionem, quâ de re elegantiſſimè incomparabilis *Seneca* Epiſt. 95. *quid verò mirandum eſt*, ſcribit, *maximum Medicorum ac naturæ peritiſſimum in mendaciô prehendi, cùm tot fœminæ podagricæ ſint? Beneficium ſexûs ſui vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt damnatæ ſunt morbis virilibus.* Pergit hinc Auctor noſter ulteriùs reſpondendo illis, qui culpâ Profeſſorum ſuorum ac Doctorum, Artem Medicam labem contrahere ac contemptum exiſtimant. Negandum equidem, quod hoc attinet punctum, minimè eſſe fatetur, variis modis ab illis, qui Medicorum nomine veniunt, Artem proſtitui, interim tamen ex hôc fundamentô Medicinam ipſam contemnendam eſſe, nullô modô ſequi putat; cùm aliàs Juriſprudentia etiam, Doctrina Moralis ac Theologia ipſa labem contraheret ac ignominiam, ſi à malè moratis atque indignis, quod ſatis frequenter fieri ſolet, tractentur. Quandoquidem verò infinitus ille Medicorum numerus non parùm ad fovenda ejuſmodi patriæ & Artis carcinomata contribuat, præſentius remedium huic in dies accreſcenti turbæ nullum inveniri poſſe exiſtimat, quàm illud ipſum, quod de vindicandâ à contemptû ſcientiarum atque Artium liberalium in genere omnium dignitate, ſuô tempore *Baco de Verulamiô*, Britannorum Democritus, propoſuit in Oratione quâdam, quæ *Conſilium Regi oblatum* inſcribitur, *arcendam nimirùm eſſe ab ejuſmodi ſacris plebis turbam, nè tanta hominum multitudo, otio literario aſſueta, ſuſtentationis difficultate preſſa, indignos tandem atque abjectos lucrandi modos eligere cogatur.* Supereſt, ùt tertiò etiam videamus, quid de perversô vulgi de Medicis judiciô ſentiat Auctor. Fatetur nimirùm, abſurdô imperitæ plebis judiciô pro Medicis ſæpiſſimè haberi, qui nil minùs

quàm tales ſunt, interim tamen ſub Medicorum nomine impunè occidunt, atque hôc ipsô Medicis ac Medicinæ non levem inurere maculam obſervantur. Facilè tamen & hoc tolerari poſſe opprobrium exiſtimat, ſi cogitemus, *non eſſe conſilium in vulgô, non rationem, non diſcrimen, non diligentiam, ſemperque ſapientes ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non laudanda duxiſſe*; ut *Cicero* loquitur in Oratione pro Cneo Plancio. At ponderoſiores fortaſſis erunt illæ rationes, quibus eruditorum nonnulli Artis Medicæ dignitatem deſtruere ac laceſſere conati ſunt; proùt teſtimoniis hanc in rem allegatis ſuperiùs indicabatur. Nil minùs verò demonſtrat enim Auctor, illos, qui de Medicinâ contumelioſè ſcripſiſſe dicebantur, vel ſibi ipſis contradixiſſe, vel reſpectivè ſaltem intelligendos eſſe. Atque hunc in finem ipſius *Petrarchæ*, qui infenſiſſimus aliàs creditur Medicorum hoſtis, allegat verba: ex Epiſt. 2. L. 12. Rer. ſenil. *Ego verò, & eſſe Medicinam, & magnum aliquid eſſe non dubito, ut quæ ſacris in literis à Deô creata, atque in Libris ſecularibus inventioni Deorum immortalium conſecrata ſit.* It. ex Lib. 1. Invect. *hæc non adverſus Medicinam, neque adverſus excellentes Medicos, qui cùm ſemper rari, noſtrâ ætate certò rariſſimi ſunt, ſed adverſus Te delirantesque dicta ſint.* Multò fortaſſis robuſtius erit illud argumentum, quod de *Leonhardô Capuenſi* in medium proferebant, quippe qui, licèt Medicus ipſe fuerit, nihilominùs de Medicinâ peſſimè ſentire obſervatur? Aſt nullius certè & hoc videtur eſſe momenti, ſiquidem conſtat, cavillatorem hunc invidiæ ſtimulô agitatum blaterâſſe, quicquid contra Medicinam protulit; quin & inſuper alios optimos viros, præter Medicos, calumniis ſuis perſtringere ſolitum fuiſſe Leonhardum hunc Capuenſem, videri poteſt in *Bened. Alethini* Epiſt. Apologet. Neapoli editâ. Firmum itaquè ſemper eſſe concludit Auctor, ac certiſſimum, Artem ſalutarem in ſe ſpectatam nullius omninô fraudis vel labis eſſe ream, ſiquidem ad mentem *Fernelii* in Prax. Med. *ſi omnes omnium artium commoditates, facultates, ac copias diſpiciamus, nihil tamen ſit Medicinâ melius, nihil optabilius, nihil deniquè hominum generi datum præſtabilius.*

BERTINUS (*Georgius*) Campanus

Ex eô habentur

Medicina, Libris viginti methodicè abſoluta. In quâ mutuus Græcorum & Arabum Conſenſus; legitima veteris Medicinæ adverſus Paracelſiſtas Defenſio; vera Animadverſionum Argenterii in Hippocratem & Galenum Confutatio; dilucida controverſiarum & Locorum difficilium explicatio, atque accurata novarum hôc ſeculô rerum obſervatio continentur. Baſileæ, apud Conr. Waldkirchium, 1587. in fol.

De Conſultationibus Medicorum & Methodicâ Febrium curatione, Commentarius. Baſileæ, apud Conr. Waldkirch. 1586. in 8.

BERTOCIUS (*Alphonſus*) Fanenſis

De eô exſtat

Methodus Curativa generalis & compendiaria ex Hipp. Gal. Avic. & Montani placitis, in Medicinæ ſtudioſorum gratiam deſcripta. Lugduni, apud Gabr. Coterium, 1558. in 16. apud Jac. Fabrum, in 8. Huic edit. adjecta eſt Jac. à Partibus ſummula Alphabetica morborum ac remediorum, ex Libris Meſuæ excerpta. Ibid. apud Ant. Candidum, 1588. in 8. Francof. apud Johan. Saurium, 1608. in 8. Acceſſerunt Ideæ doctrinæ Hippocraticæ: I. De generatione Pituitæ II. De Melancholicô humore: III. De coctione; & præparatione humorum: IV. De victûs ratione; Auctore Johann. Bapt. Montanô. Et ibidem, apud Johan. Carol. Unckelium, 1621. in 8. cum iiſdem Tractatibus. Exſtat præterea etiam cum Rudolphi Goclenii Tractatu Phyſico-Medicô de ſanorum Diætâ, *quem vid. ſuô locô.*

BERTRANDUS

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1684. pag. 480.

Reflexions nouvelles ſur l'Acide & ſur l'Alcali par Mr. Bertrand, Docteur en Medecine, Aggregè au College des Medecins de Marſeille.

ſeu

Contemplationes novæ Acidi & Alcali factæ per Dn. Bertrand, Doctorem Medicum, Collegio Medicorum Maſſilienſium aggregatum. Lugduni Gallorum, apud Thomam Amaulry. 1683. in 12.

Etiamſi ſuperioribus annis Acidum & Alcali, quandò attentiùs in Medicorum & Chymicorum ſcholâ conſiderari primùm incipiebant, principiorum locô, quæ mixta univerſa componerent, ſummâ à pleriſque veneratione exciperentur, proque talibus à Tacheniô potiſſimùm & Swalve in peculiaribus ſcriptis venditarentur: poſteà nihilominùs, cùm inſufficientia eorum pro principiorum ſeu elementorum corporum naturalium munere gerendô à multis deprehenderetur, eaque imprimis hìc Lipſiæ à Cl. *Bohniô* noſtrô, ſicut Londini à Dn. *Boyle*, unô eôdemque ann. 1675. ſufficienter detegeretur, pauciores hypotheſeos hujus fautores invenire licuit, neque ullos, qui dubiis virorum, modò laudatorum, ſolidè ſatisfacerent. Prodiêrunt equidèm Pariſiis, ann. 1677. Dialogi de Acidô & Alcali, Gallicô ſermone conſcripti à Medicô quôdam Facultatis Cadomenſis Franciſcô *Andreâ*, in quibus Boylei objectiones examinare conatur; verùm an hoc ità præſtiterit, ùt nullum ampliùs in Lectoris mente relinquat dubium, eò magis, Lector Benevole, ipſemet dubitabis, quominùs contemplationes præſentes, quas Acidi & Alcali ergò ab aliô Auctore Gallô habitas, comprehenſas duabus partibus, tibi hìc exhibemus, unà inſpicere dedignaberis. In primâ ſiquidèm meditationum harum parte Auctor totus in eô eſt, ùt naturâ priùs, tùm acidi atque alcali, tum principiorum enodatâ, veram principiorum denominationem duobus iſtis aſſignari minimè poſſe, evidenter demonſtret; id quod efficit theſin ſuam non minùs ſtabiliendo, ac antitheſin exactè refellendo. Theſeos quidèm fundamentum ex eô, quòd principiorum proprietates in acidô & alcali deficiant, adſtruit, quatenùs omne alcali, ſive fixum, ſive volatile, non tam corpus naturale, quàm arte ſit productum, neque ſalia hæc bina in omnibus mixtis, v. g. in metallis, coralliis, perlis &c. arte ullâ queant manifeſtari, multò minùs ex hypotheſi hâc omnium naturæ phænomenorum habeatur ſolutio. Contrariæ verò partis ſententiam partìm ad plurimas ejus objectiones reſpondendo, aliamque rationem phænomena ejuſmodi explanandi annectendo, partim Tachenii Hippocratem Chymicum multis notando

do animadverſionibus deſtruit. Aſt dejeciſſe ſic acidum atque alcali de principiorum gradu non ſatis habet Auctor, ſed quis verus etiam utriuſque ſalis in Phyſicâ pariter & Medicinâ ſit uſus, in parte alterâ exponere inſtituit. Etenim poſtquàm in hâc & rationibus, & exemplis, palàm fecit, in effectuum naturalium enodatione non ſemper ad principia eſſe recurrendum, quinimò in Medicinâ, ùt principia magis compoſita, quæ V. G. ſanguinem, alioſque humores conſtituant, aſſumantur, abſolutam exigere neceſſitatem; oſtendit primò, quâ ratione in ſcientiâ naturali mineralium productio, V. G. Vitrioli, Aluminis, Nitri, &c. vix clariùs, quàm acidi & alcali adminiculò, poſſit evolvi: quomodò ab acidi actione omnis ibi coagulatio, ipſa etiam lapideſcentia, debeat derivari, quæ ab alcali oppoſitò oppidò impediatur, non obſtante, quòd acidi hæc vis coagulatoria ſolummodò acceſſoria ipſi ſit, cùm aliàs omne potiùs acidum ratione particularum acutarum corporum diſſolutionem per ſe moliatur; item monſtrat, quomodò fermentatio omnis, quam triplicem facit, ab acidò & alcali, tanquam cauſis occaſionalibus, perficiatur: quâ ratione acidum plantarum vegetationis exiſtat auctor, non ſecùs ac acidum ſpiritûs nitri argenti particulas in arborem, Dianæ Chymicis appellatam, efformare ſoleat: quomodò tandem acidum & alcali colorum variationi ſubminiſtrent occaſionem. Hinc in Medicâ quoque arte prolixè ediſſerit, acidò non minùs, ac reliquis ſaporibus Hippocraticis, ab acidò tamen & alcali dependentibus, rejectis qualitatibus primis vulgaribus, variorum morborum competere originem, tam internorum, V. G. febrium omnis generis, nec ipſis contagioſis exceptis, cachexiarum, Luis Venereæ, Rheumatiſmorum univerſalium & particularium, affectionum Hypochondriacarum, ſcorbuti, Dyſenteriæ, Choleræ, Apoplexiæ, Epilepſiæ &c. ceu quorum morborum diverſitas, non tàm à Cauſæ, quàm partis affectæ proveniat diverſitate; quàm externorum, quales plurimi exiſtunt Tumores, V. G. Carbunculi, Bubones, Inflammatio, Eryſipelas, Scirrhus, Scrophulæ, & Cancer; quibus ſingulis Alcalia adpropriata adjudicat remedia, ita tamen, ùt iis ſic aſſenſum haud præbeat, qui Medicinam quandam quærunt, vel jactitant univerſalem; cùm magnum potiùs diſcrimen ipſa etiam inter acida intercedere exiſtimet, uniformi remediò haud tollenda.

BERTRANDUS (*Bernhardus*) Rheginus, Galeni Libr. de Humoribus interpretatus eſt, cum Annotationibus ad marginem, & adjectâ ad finem Libri tabellâ, quæ totius Libri ſumma Capita complectitur.

BERTRUCIUS & Bertuccius & etiam Bertracius (*Nicolaus*) Medicus inſignis. Vixit ſub Conradô IV. Imperatore, A. C. 1250. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum.

Ex eô habentur

Compendium, ſive (ut vulgò inſcribitur) Collectorium Artis Medicæ tam Practicæ, quàm ſpeculativæ, recognitum, & ſuæ integritati reſtitutum per Johannem Cæſarium. Colon. apud Melchiorem Noveſianum, 1537. in 4. Lugd. 1509. in 4.

Methodi cognoſcendorum tam particularium, quàm univerſalium Morborum. Exſtant cum Chriſtophori Heylii Artificiali Medicatione. Moguntiæ, apud Jonam Schoeffer, 1534. in 4.

In Medicinam Practicam Introductio. Exſtat cum Enchiridiò Medicò, Argentinæ apud Johan. Albertum, 1533. in 24. impreſsò.

BESARDUS (*Joh. Baptiſta*) Veſuntinus.

De eô exſtat

Antrum Philoſophicum. In quô pleraque Arcana Phyſica, quæ, ad vulgatiores hum. Corp. affectus curandos, attinent, ſine multò verborum apparatû, ad experimenti legem, breviter & ſincerè revelantur. Quibus ordine Alphabeticô annotatis, diverſa Medicamenta tàm è mineralibus, quàm vegetabilibus conficiendi modus immediatè ſubjicitur. Atque huic, Tractatus de Rebus, quæ humanò Corpori eximiam & venuſtam formam inducunt: De variis Mineralium, & Metallorum Præparationibus; Deque plurimis Experimentis, quorum ſpeculatio candidioris eſt ingenii, breves, ſed fideles, annectuntur. Auguſtæ Vindelicorum, apud David. Franckium, 1617. in 4.

BESLERUS (*Baſilius*) Norimbergenſis

Ex eô habentur

Hortus Eyſtettenſis, ſive diligens, & accurata omnium Plantarum, florum, ſtirpium, ex variis orbis terræ partibus, ſingulari ſtudiò collectarum, quæ in celeberrimis viridariis, Arcem Epiſcopalem ibidem cingentibus, hôc tempore conſpiciuntur, Delineatio, & ad vivum repræſentatio. Norimbergæ, impenſis Auctoris, 1613. in maximô fol. 4. Voll. Ibidem, 1640. formâ eâdem, curis ſecundis.

Continuatio Rariorum & aſpectu dignorum varii generis, quæ collegit, & ſuis impenſis æri ad vivum induci curavit ac evulgavit Auctor. Norimbergæ, apud Auctorem, in fol. tranſverſò.

BESLERUS (*Michael Rupertus*) Norimbergenſis Patrem habuit Medicum Norimbergenſem, & poſtquàm in Academiâ Patriâ Altdorffinâ laurum acceperat, praxin Norimbergæ exercuit. Scripſit admirandæ fabricæ humanæ mulierum, partium generationi inſervientium, & fœtûs fidelem delineationem quinque tabulis ad magnitudinem naturalem & genuinam, typis æneis impreſſis. Natus eſt annô 1607. denatus verò annô 1661. cùm ad annum ætatis ſuæ quinquageſimum quartum adſcendiſſet. Goelike. Hiſt. Anat. p. 154.

Edidit præterea Gazophylaceum rerum Naturalium, fol. fig. Lipſiæ, 1716.

BESSONUS (*Jacobus*) Delphinas

De eô exſtat

De abſolutâ ratione extrahendi Olea, & Aquas è Medicamentis ſimplicibus, acceptâ olim à quôdam Empiricô, poſteà verò ab eôdem Beſſonô locupletatâ, & rationibus experimentiſque confirmatâ, Liber Tiguri, apud Andr. Geſnerum, 1559. in 8. Exſtat etiam cum Andreæ Libavii Praxi Alchymiæ. Francofurti, apud Johannem Saurium, 1604. in 8.

BESSUS (*Jacobus*)

Ex eô habetur

De Hippocratis & Ariſtotelis Decretis. Antverpiæ, & Lovan. in 8.

BETARMEN (Betarnem nonnulli vocant.) Siculus Medicus ex Auctore tractatûs *de Medicinis expertis*, qui Galeno tribuitur, & ut obſervat Andreas Tiraquellus *de Nobil. Cap.* 31. *pag.* 264. Id ipſum habet Groſſus *in decacord. Catan, tom.* 2, *p.* 151. qui inter Catanenſes accenſet. Scripſit de *Medicinâ.* Quô vixerit tempore ignoratur.

BETERA

BETERA (*Felicianus*) Brixianus

Ex eô habetur

De cunctis humani corporis affectibus: magnâ ſcilicèt & deleteriâ qualitate: De Febribus malignis & peſtilentibus: De Morbô Gallicô: Veneficô: Malignitate: Feritate: Cacurgiâ: Venenô: Corruptione: Putredine: Fermentatione: De Putredinis peſtilentis formâ: morbiſque fulminantibus, & vulgaribus pro Tertii Libri Aphoriſmorum ordine præſagiendis, deſumtâ occaſione ex Peſte Brixianâ anni 1577. exactiſſima Tractatio: quæ in duodecim Libris reſolvitur; ubi tota, ferè Ars Medica ad ſummum cauſarum, ſignorum, curationumque maximô cum ejuſdem quotidianô fructû, per divinum veluti quoddam, ſublimata eſt. Brixiæ, apud Franc. Thebaldinum, 1591. 1601. 1629. in fol.

Enarrationes in morborum malignitatem, in obitu Michaelis Boni, Brixiæ Prætoris celeberrimi. Brixiæ apud Sabbios, 1611. in fol.

BETHATZ (*Johannes de*)

De eô exſtat

Faſciculus Medicinæ. Venetiis, apud Fratres de Forliviô, 1491. in fol.

BETTUS (*Antonius Maria*) Mutinenſis

Ex eô habentur

In Quartam Fen Primi Canonis Avicenæ, Commentarius. Ejuſdem Quæſtio de Rhabarbarô. Bononiæ, apud Alex. Benartium, 1562. in fol. apud Roſſium, 1591. in fol.

De Cauſâ conjunctâ, deque bilis Coctione in Febribus, Tractatus. Bononiæ, apud Anton. Giaccarellum, 1566. in 8.

De Prandiô & cœnâ, Libri, adverſus Oddum de Oddis. Mediolani, in 4.

BETTUS (*Johannes*)

De eô exſtat

De Ortû & Naturâ ſanguinis. Annexa eſt Anatomia Thomæ Parre, *Angli*, annos 152. & novem Menſes nati. Cum Obſervationibus Guilielmi Harvæi & aliorum Medicorum. Londini, apud Guilielmum Grantham, 1669. in 8.

BEVEROVICIUS (*Johannes*) Dordracenus

Ex eô habetur

Epiſtolica Quæſtio de Vitæ terminô, Fatali, an Mobili? cum Doctorum Reſponſis. Dordrechti, apud Henr. Eſſæum, 1634. in 8. Lugduni Batav. apud Joh. Maire, 1636. in 4. triplô auctior. De eâdem Quæſtione pars tertia & ultima. Seorſim accedit Nobiliſſimæ & Doctiſſimæ virginis, *Annæ Mariæ à Schurman*, de eôdem argumentô Epiſtola. Item ejuſdem argumenti alia à Joh. Elichmannô, ex mente & monimentis Arabum & Perſarum contexta. Leydæ apud Joh. Maire, 1639. in 4. Ib. 1651. in 4.

Αὐταρκεια Bataviæ, ſive introductio ad Medicinam indigenam. Lugduni Batav. apud Joh. Maire, 1644. in 12. Ibid. 1663. in 12.

De Calculô, Diſſertatio. ibid. 1641. in 12.

Idea Medicinæ Veterum. Lugduni Batav. apud Elzevirios, 1637. in 8.

De Calculô Renum & veſicæ, Liber ſingularis. Cum Epiſtolis & Conſultationibus magnorum virorum. Lugd. Batav. apud Elzevirios, 1638. in 12.

Epiſtolicæ Quæſtiones cum Doctorum Reſponſis. Accedit Ejuſdem, necnon Eraſmi, Cardani, Melanchthonis, Medicinæ Encomium. Roterodami, apud Arn. Leers, 1644. in 8. Ibidem, apud Rudolphum à Nuyſſell. 1665. in 8.

Index Auctorum & Rerum

Quærit & examinat Johannes *Beverovicius*: cùm Dominus noſter paſſim tactu, paſſim etiam verbô incurabilibus vexatos morbis ſanitati reſtituerit, quænam ratio ſit, cur in ſanandô cæcô uti voluerit linimentô ex pulvere ſputô conſperſô? Reſpondet *Anna Maria à Schurman*.

Q. Num liceat defunctæ uxoris è fratre vel ſorore neptem uxorem ducere? R. Andreas Rivetus.

Q. De locô Plinii: *atque etiam eſt morbus aliquis per ſapientiam mori*. R. Daniel Heinſius.

Q. De locô Apoſtoli: *per fidem Sara accepit poteſtatem* εἰς καταβολὴν σπέρματος. R. Daniel Heinſius.

Q. Super locô Moſis, *de cruentatô ſponſarum linteô*, & aliis virginitatis ſignis. R. Balthaſar Lydius.

Q. De locô Plinii ſuprà ſcriptô. R. Claudius Salmaſius.

Q. Cur Sternutamentum veteribus habitum pro Deô.? R. Cl. Salmaſius.

Q. De Platonis locô in Timæô. R. Daniel Heinſius.

Q. De locô Apoſtoli ad Corinthios. R. Daniel Heinſius, & Claudius Salmaſius.

Q. Super locô Plinii *de aperiendô Capite*. R. Claudius Salmaſius.

Q. Super locô Evangelii, *de Hyſſopô* R. Claudius Salmaſius.

Q. De Voce *Ramex*, & genuinô Plauti locô. R. Claudius Salmaſius.

Refert exemplum Calculorum è renibus Joh. *Beverovicius*.

Problema de Hydrope Lazari Meyſſonnerii.

Q. De Motû Cordis & Circulatione ſanguinis. R. Renatus des Cartes.

Q. De Naturâ & Viribus Menthæ. R. Anchiſes ab Andlâ.

Q. De Lyncuriô Lapide. R. Balthaſar Lydius.

Q. De Providentiâ Dei in politicis. R. Andreas Gobrius.

Q. Super locô Samuelis: *an verus fuerit Samuel, qui à morte colloquutus cum Rege Saulô*: R. Gerhard. Johan. Voſſius.

Q. De priſci ævi diuturnâ vitâ. R. Joh. Weſterburgius.

Q. De Curatione iterati abortûs. R. Cornelius à Someren.

An totus Homo ſit morbus. Guido Patinus.

Deſcribit modum curandi vulnera per Sympathiam Ludovicus Naſſavius.

BEUGHEM (*Cornelius à*) Embricenſis.

Ex eô habetur

Bibliographia Medica & Phyſica noviſſima, perpetuò continuanda; ſive Conſpectus primus Catalogi Librorum Medicorum, Chymicorum, Anatomicorum, Chirurgicorum, Botanicorum, ut & Phyſicorum &c. quotquot currente hôc ſemiſeculô, id eſt, ab annô 1651. incluſivè per univerſam Europam, in quâvis Linguâ, Orientali, tùm Græcâ, Latinâ, Gallicâ, Hiſpanicâ, Italicâ, Anglicâ, Germanicâ, & Belgicâ, aut novi, aut emendatiores & auctiores typis prodiêrunt, undique acquiſitis ſubſidiis adornata & adornanda. Amſtelodami, apud Janſſo-Waesbergios, 1681. in 12.

BEYER

BEYER (*Ezechiel*)

De eô exſtat

Epiſtolá Medica. Exſtat cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

BEYERUS (*Joh. Hartmannus*) Francofurtenſis

Ex eô habentur

Ludovici Mercati, ejuſque Operum Encomium. Exſtat in Operibus Mercati. Francofurti, apud Zachariam Palthenium, 1608. in fol.

De Lactis, ejuſque Partium naturâ & viribus, Diſputatio. Tubingæ, apud Tobiam Guppenbachium, 1586. in 4.

De Morbis Formæ & totius ſubſtantiæ, Diſputatio. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem.

BEZA (*Theodorus*) Hic reverà non fuit Medicus, ſed ſummus Theologus: Cujus hæc eſt vita breviter deſcripta. Natus A. C. 1519. Primis juventæ annis, cùm adhùc in Communione Romanâ verſaretur, carminum licentiâ ſeculum ſecutus; mox ſeriò Numinis, & purioris cultûs amore tactus, ſtudio ſacro tantò cum ſuccesſû incubuit, ùt Genevæ inter præcipuos Theologos emicaret. A. C. 1561. inter alios Colloquio, ſub Franciſcô II. interfuit. Ubi à Lotharingô Cardinali falsò ſibi attributa ante colloquium diluit, ad collationem acceſſurus, flexis genibus Fidei confeſſionem edidit, Eccleſiâ ab Anabaptiſtis & Libertinis vindicatâ. Tranſſubſtantiationem, cum Conſubſtantiatione, doctè refutavit; tùm ſcriptô comprehenſam Confeſſionem Regi obtulit. Quæ de abſentiâ corporis Chriſti reali dixerat, Auguſtini & Vigilii, Epiſcop. Trident. Auctoritate apud Reginam, feliciter defendit. Poſt aliquot dies, de Eccleſiâ, ejuſque notis, præclarè diſſeruit. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 28. Antonium Navarræum, qui ſtragem Vaſſiacenam cordi non habuit, monuit, *Eccleſiam eſſe incudem, quæ multorum malleos hactenùs retudiſſet.* Idem l. 28. & 29. &c. A. C. 1600. ad Henricum IV. qui tùm Luiſeli, in pagô, Genevæ vicinô, degebat, notum à puerô, ſed 30. annis non viſum, pervenit, Genevenſium cauſam Regi ſenili facundiâ commendaturus, eique navatæ Patri màtrique olim operæ memoriam renovaturus. A quô benignè auditus, cœnæ adhibitus, & 500. aureorum honorariô donatus eſt. Thuan. l. 125. Abr. Golnitzius *in Vliſſe Belg.* Tandem cùm 60. annos in lucubrationibus exegiſſet, debilitatiſque viribus memoriam præſentium amiſiſſet, præteritorum, *ùt notos pſalmos Hebraicè & quodcunque caput ex B. Pauli Epiſtolis Græcè recitare poſſet*, manente, A. C. 1605. ætat. 87. in concionem iturus, obiit. Varia ſcripſit, inter quæ *Lex Moſaica, Job illuſtratus, in Pſal. & Eccleſ. Paraphraſis, in Cant. Cant. Homiliæ, annotationes in N. Teſt. Epiſt. &c.* Vide Melchiorem Adami, *in vitis Theolog.* Helvicum *in Chronol. Tabul.* Antonium Teiſſier in *Elogiis virorum Eruditorum, Vol.* I. & 2. Hofmann. Dictionar. Tom. j.

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô.

De Peſte, Quæſtiones duæ explicatæ: una ſitne peſtis contagioſa? altera, an & quatenùs ſit Chriſtianis per ſeceſſionem vitanda? Genevæ, ap. Euſtathium Vignon. 1579. in 8. Lugd. Batav. apud Elzevirios, 1636. in 12. Acceſſit Andreæ Riveti ejuſdem argumenti Epiſtola; in quâ & mos, Cadavera mortuorum in templis ſepeliendi redarguitur.

BIANCHI (*Andreas*) Bononienſis. Scripſit Tractatum de Aquis.

BIANCHUS (*Joh. Baptiſta*)

Joannis Baptiſtæ Bianchi, Patritii Mediolanenſis, ac Civis Taurinenſis, Medici, & Anatomici Graviſſimi Vita per Hieronymum de Bono Bononienſem deſcripta.

JOannes Baptiſta Bianchi ex antiquiſſimâ Blancorum Velatenſium familiâ, quæ in Mediolanenſi ditione continetur, annô milleſimô ſexcenteſimô octogeſimô primô poſtrid. Id. Sept. Auguſtæ Taurinorum ortus eſt. Patrem habuit illuſtriſſimum Virum, equitem auratum, Salvatorem Bianchi, itemque Avum maternum, honeſtum, ac præſtantem Virum, Franciſcum Peghinum, in Civili Architecturâ percelebrem, Mediolanenſem quidem, Taurini verò commorantem; qui Joannis indoli proſpiciens, ſe in eô integerrimè educandô, & ſanctiſſimis moribus imbuendô, penitùs dedit. Quapropter tenellæ adhuc ætatis puer, adeò in ſtudia acriter incubuit Blancus, ut quartô-decimô annô nondùm exactô, abſtruſiores Philoſophiæ theſes publicè propugnaret. Hinc Medicinæ validiùs indulgens, duobus poſt annis in Medicâ, & Philoſophicâ Facultate meritâ ſibi Laureâ more Nobilium condecoratus, in ſpectabili Phyſico-Medicô illius metropolis collegiô adſcriptus fuit. Totius autem Theoriæ curſum ſub inſignis Protophyſici Bartholomæi Torrini, ac præſtantium Medicorum Torilliæ, & Melliorii diſciplinâ complevit; tum verò in Medicâ Praxi, celebri, & expertiſſimô Phyſicô, Joſephô Vacheriô duce, ac præceptore, ità profecit, ùt immaturâ adhuc ætate, ad Pauperum, & Noſocomiorum curas eligeretur: quare in illâ regali urbe Medicam Praxin in capite (ut ajunt,) vel adoleſcens, commendatiſſimè exercuit. At pro virili Anatomicis exercitationibus, noviſque obſervationibus innixus, Medicis expetentibus, ac prædictæ Urbis Chirurgis, ejuſque diſcipulis adprecantibus, tres ſupra decem Anatomicos Curſus feliciter explevit; quorum unum auctoritate regiâ, ſub annô milleſimô ſeptingenteſimô, quintô-decimô, ſummâ quidem eloquentiæ, ac Doctrinæ vi, omniumque auditorum ſingulari commendatione publicè abſolvit: idcircò in Univerſitatis nondùm inſtauratæ Locô Anatomicum Theatrum diverſis ſubſelliorum gradibus eleganter conſtructum, pro ſcholarium non tantùm commodis, atque audientium frequentiâ; verum etiam ad Blanchianum decus augendum erectum eſt.

At verò jam ab annô milleſimô ſeptingenteſimô octavô Medicas Inſtitutiones, Collegiô Taurinenſi approbante, tradere incepit; ac omnes indè practicas, atque theoricas Facultates docere perrexit. Hinc per plures annos, tum Philoſophiam, Anatomen, Pharmaciam Galenicam & Chymicam; tum Medicam Praxim civibus, & externis diſcipulis explanavit: decem item annos Medicam theoricam, & practicam Academiam Domi indefeſſus ſemper retinuit. Sed doctiſſimi Viri fama, & gloria in dies aucta eſt ob utiliſſima æquè, ac celeberrima ejuſdem Opera, Latinè, Italicè, vel Gallicè conſcripta. Ex his ſupereminet *Hepatis Hiſtoria*, in tres partes diſtributa, ac tertiò nuperis annis edita, noviſque obſervationibus, & iconiſmis, præcipuè univerſâ morborum hepatis, ac bilis explicatione, & curatione, ornata, & ampliata. Politiſſima item Diſſertatio typis habetur, cui titulus: *Ductus Lachymales*

novi

novi, eorumque Anatome, uſus, morbi, & curationes. (Taurini, ann. 1715.) Editæ quoque ſunt ejus Epiſtolæ Gallicè exaratæ, ad Anatomiam,& Chirurgiam ſpectantes,quæ in librô Domini Anel,Chirurgi Regii,inſeruntur. Extracti ſunt etiam in Magnô clariſſimi Mangeti Theatrô Blanchiani Tractatus Medici, atque Anatomici, inter quos prælaudata *hepatica Hiſtoria* primæ editionis, *recentium Ductuum Lacrymalium, Diſſertatio de Veſicæ Urinariæ ſtructurâ, ac functionibus cum muſculis ſuis noviter detectis: de Polypô Cordis, de ſinibus ad Cerebri baſim, præcipuè de circulari, ſic dictô, de ingreſſu Ilei in Colon*, & alia, quæ cum ſuis Iconibus, & explicationibus exhibentur. Verùm præter hoc eruditionis genus, ad amœniores literas ſeſe interdùm Blancus contulit; quare inter ceteras in vulgus exiit Italica illa percelebris Oratio, quæ inſcribitur: *La Pace frutto della Giuſtizia;* Recenſentur etiam Italica Blanchi carmina, quæ in Poematibus clariſſimæ Braydenſis Academiæ leguntur. His ergo ſcientiis, & Artibus, ſolertiſſimus Medicus practicus, & Anatomicus mirum in modum præditus, ac inſtructus, à nobilioribus in Italiâ, & extra Italiam Academiis cooptatur; à Braydenſi nimirùm, vulgò *degl' Innominati di Brà;* à Ferrarienſi, vulgò *degl' Intrepidi;* ac in percelebri Cæſarea-Leopoldina-Carolinâ, Auguſtæ Vindelicorum erectâ, *Albutii* nomine, conſcriptus eſt. At ſtudiorum Mater Bononia, quæ ſumma ingenia plurimi facit, atque præponderat, in ejus inſtituti ſcientiarum Academia inter inſigniores ſocios Blancum cooptavit; quinimò de annô milleſimô ſeptingenteſimô vigeſimô,excelſus illius Urbis Senatus Theoricæ Medicinæ ordinariæ Cathedram eidem impertiit. Itaquè ob eximiam Virtutem, ob morum integritatem, ob leniſſimam, vel in Antagoniſtas, indolem, cunctis, & ſingulis amabilior Blancus in dies factus; non tantùm Amicis ejus familiaris conſuetudo (præſertim famigeratiſſimo Valſalvæ, quorum neceſſitudo arctiſſima erat) cariſſima, & ſuaviſſima; ſed etiam Nobilibus, atque Proceribus grata, ac perjucunda fuit. Namque ampliſſimus præ cæteris Harmſtadij Princeps Mantuanæ ditionis Præſes, à Blanchi ſingulari Doctrinâ, urbanitate, ac ſermonis venuſtate ità ſe ſe irretitum ſenſit, ùt annô milleſimô ſeptingenteſimô vigeſimô, in ſuum Archiatrum ipſum voluerit, ampliſſimôque Diplomate decorârit. Jam verò ſatis famâ, nomine, virtutibus, meritis Blancus, inſigniſſimus Medicus, & Anatomicus, conterraneis Mediolanenſibus,concivibus Taurinenſibus, toti Italiæ, & extra Italiam undiquè notus, atque perſpectus, à ſuô naturali Principe *Victoriô Amedeô Sardiniæ Rege Auguſtiſſimô*, in patriâ jam reſtauratâ, annô milleſimô ſeptingenteſimô vigeſimô, Taurinenſi Univerſitate, primariam Anatomiæ Cathedram honeſtiſſimis conditionibus ſibi demandatam ſuſcepit: quam octo ab hinc annis ad majorem ſui Nominis famam, ad Concivium, externorumque Auditorum progreſſum fauſtiſſimè implet. Multa quidem ſupereſſent de præclariſſimô hôc virô dicenda, quæ mirificum, & celere ingenium, quæ facillimam edocendi, & communicandarum ſcientiarum rationem, quæ placidiſſimam ejus naturam, quæ ſuaviſſimos mores, quæ ſingularem urbanitatem, quæ omnium æſtimationem, quæ in pauperes miſericordiam, quæ in conſanguineos, & amicos pietatem, in ſuam Religionem cultum, & verè Chriſtianum erga Deum amorem reſpiciunt; quæ quidem omnia tamquam pondera in ſuô centrô, in Joanne Baptiſtâ Blancô concinnè obverſantur. Verùm hæc, & pluribus communia eſſe poſſent; quid aliud mirum ſanè, & magis ſingulare in Blancô Medicô practicô, & Anatomicô ſolertiſſimô, dignoſcatur oportet. Etenim præter multa ab ipſô inventa, atque detecta, quæ Anatomen ſummoperè auxerunt; Tabulæ opticæ, dioptricæ, & catoptricæ, quæ integram Ophthalmiam, atque omnem Oculi ſtructuram, imò univerſam Viſionis rationem affabrè comprehendunt: tum aliæ, quæ totam Auris fabricam, & ſingulas ejuſdem partes ampliſſimô, novôque Iconiſmô complectuntur: & quæ cerebrum, cerebellum, oblongatam medullam, ac derivatos omnes ab ipſâ Nervos nitidè aperiunt: tum illæ inſuper mirificô inventô productæ, ichographicæ machinæ, quæ arterioſos, venoſos, nervoſos, muſculoſos Homines universè repræſentant; tùm verò prægnantis mulieris ſimulacrum, ubi fœtus adhuc in uterô exiſtens ab alvô maternâ extrahitur, ac denuò immittitur; ubi ceteræ quoque omnes humani Corporis partes ſimili artificiô reſerantur, & recluduntur; ubi vaſa cuncta lymphatica, & Lactea, eorumque cum glandulis, & galaxiâ commercia ob oculos exhibentur: ea profectò ſunt, quæ Blancum ingenioſiſſimum æquè, ac doctiſſimum, totique orbi celebratiſſimum faciunt. Singulis nempè annis in Regiô Theatrô Anatomicô, dum totius Anatomes curſum conficit, aliquid ſemper novi, & ab aliis inexcogitati in medium affert, ùt ingenii ſui ſummam præſtantiam demonſtret. Quamobrem Exteri omnes, qui vel nobilitate, vel auctoritate, vel miniſteriô præſtant, vel qui ſcientias, & bonas Artes æqui, bonique faciunt, Blanchi domum conveniunt, ùt tot, tantaque opera admirentur; & ſunt in cauſâ, cur vel magni Monarchæ haſce Tabulas, & hæc prælaudata machinamenta in exquiſitiſſimis eorum Muſæis reponenda expetierint. Quis enim Joannis Baptiſtæ Blanchi tum opera edita, tum Manuſcripta, tum alia architectonicè ideata, in tabulis, ſceletis, & iconibus prodita, ad Medicinam, vel Anatomen ſpectantia non cuperet,exoptaret? Ex his, & reliquis, quæ peritiſſimus, ac eruditiſſimus Auctor apparat, & quæ anxiè deſiderantur, promiſſis Operibus, maximèque ſummô illô *Deſcriptionis humanæ Fabricæ, Mechanices ope, per varios Tractatus* optimè de literariâ Republicâ ità meritus eſt, ùt non tantùm ab Actis Lipſiæ, ab Ephemeridibus Italicis, Gallicis, Germanicis, Trevoltinis, Boruſſianis, Batavis, & Anglis, Blancus collaudetur, ejuſdemque Tractatus editi exponantur, atque extrahantur; verùm etiam à doctiſſimis, & ampliſſimis Viris ſumma de Blancô Medicô, & Anatomicô Taurinenſi in eorum operibus Commendatio inſtituatur. Etenim à nobiliſſimô Lanzonô Ferrarienſi Senatore in ſuâ diſſertatione *de Urinis* Blancus laudibus effertur, itemque ab eôdem illuſtriſſimô virô *Medicæ Conſultationes* eidem Blanco dicatæ ſunt. Ipſum laudant percelebres in Re medicâ, & Anatomicâ Viri, Torti Mutinenſis, Giorgi Genuenſis, Cogroſſus Cremenſis, & Sancaſſanus Scandianenſis, qui opus ſuum Italicum, *Paradeſſo Chirurgico* inſcriptum, Blanchianis auſpiciis ſubmiſit. In doctiſſimis ſuis operibus Fantonus, Pedemontii Principis Archiater, eundem exornat; tùm ipſum cumulatè commendant Vulpinus Protomedicus, Vercellonus Aſtenſis Archiater, ac inter alios ſapientiſſimus Lanciſius, qui Diſſertationem *de Humorum ſecretione Blanco Medico, & Anatomico præſtantiſſimo* nuncupavit. Recenſetur inde hic graviſſimus Auctor in nuperrimô Jacobi Girumæ Juriſconſulti Neapolitani librô, cui titulus: *Italia Letterata*

rata, tùm in Joannis Cinelli *Bibliotheca volante*, ubi Blanchi Elogium occurrit. Memoratur honeſtiſſimè à Stephanô Taniellô, Bononienſi Profeſſore publicô, in Librô *Controverſiarum inter Malpighium*, & *Staralaam.* In *literaria Ephemeride* Martelli Galli mentio, & ejus elogium habetur. At ornatiſſimus Pachionus, Anatomicus Romanus, epiſtolam in Blanchi Laudes conſcriptam typis evulgavit in librô *Diſſertationum Phyſico-Anatomicarum de dura meninge.* Clariſſimus item Vogli, publicus Medicinæ, & Anatomes Bononiæ Profeſſor de ipſô decorè loquitur in librô *de Antropogoniâ*; Tùm Calvus in Italicâ Diſſertatione *de Fœtu à mulieris Umbilicô* (Blanchi conſiliô) *à ſe extractô* debitam de Præceptore laudationem iniit: tùm deniquè celebris Philoſophus, & Medicus Mediolanenſis, Bartholomæus Corte, in recenti ſuô Librô, Mediolani editô ann. 1718. cui titulus: *Notizie iſtoriche:* &c. Joannis Baptiſtæ Bianchi Vitam evulgavit fol. 237.

At ipſum non ſolum ſcientifici Itali, & ampliſſimi Equites aurati, & Comites Palatini Mediolanenſis Nobilium Medicorum Collegii (ut conſtat ex Epiſtolâ ad illum miſſâ v. Id. Sept. ann. 1719.) prædicant, atque cooptant; ſed etiam graviſſimi viri extra Italiam, dignam de Blancô mentionem faciunt, maximèque Germani, inter quos Helias *Camerarius*, Tubingæ Profeſſor; *Lentilius*, Wittembergenſis Ducis Archiater, percelebris *Teichmejerus*; Laurentius *Heiſterus*, Anatomicus Altorfinus eruditiſſimus, qui inter recentiorum Anatomicorum principes Blancum, nec poſtremum, annumerat. Quapropter nè nationes Blanchianis utiliſſimis Operibus fraudarentur; & Coloniæ Allobrogum, & Lugduni Batavorum, aliiſque in Locis typis recuſa voluerunt. Quid plura? Vita ac literatiſſimi hujuſce Viri geſta ita nota, ita perſpicua ſunt, & in ævum ducatura, ùt ſcriptore fermè nullô indigeant, qui ipſa commemoret, ac patefaciat. Hoc unum tantùm ad hujus Narrationis calcem apponere juvat, quod eruditiſſima Lipſiæ Acta de hôc tantô Virô referunt (ſub ann. 1716.) *Quamobrem vitam, vireſque ipſi apprecamur, ut Hiſtoriam ſuam naturalem humani Corporis in ſtatu ſanitatis, ac morbi, per plures Tomos diſtributam, cum publicô communicare valeat.*

De eô exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1712. *pag.* 212.

Johannis Baptiſtæ Bianchi Hiſtoria Hepatica, ſeu de Hepatis ſtructurâ, uſibus, & Morbis. Auguſtæ Taurinorum, Typis Pauli Mariæ Dutti & Johannis Jacobi Gringhelli, 1710. 4.

AD meliorem Hiſtoriæ ſuæ Hepaticæ elucidationem de ſecretione animali quædam præmittit Auctor Clariſſimus, cujus neceſſitatem 5. rationibus firmat; 1. quia particulæ nutritiæ ex maſsâ ſanguineâ ad partes nutriendas continuò deponi debent, 2. quia non omnes partes alimentariæ ad ſanguinis ſinum devolutæ ſunt iſtius conditionis, quæ nutritionem præſtare poſſint, ex eâ proin eliminandæ; 3. quia particulæ nutritiæ per tot circumgyrationes cum ſanguine & per concuſſiones à ſolidis æquè ac fluidis perpeſſas, debitam figuram, magnitudinem, locationem ad nutritionem neceſſariam mutant, adeòque ineptæ redduntur pro nutriendis partibus. 4. quia plures cumulantur particulæ nutritiæ, quàm ſanguinis penus & nutritionis ratio exigebat, 5. quia particulæ partibus jamdum appoſitæ, à transfluente ſanguine denuò abraduntur, ab hujus maſsâ, tanquam ſuperfluæ vel nocuæ elutriandæ. Præter alibiles verò ſuccos alia ſunt fluida, quæ à ſanguine ſeparantur, eaque duplicis familiæ, ſeu ſenſibilia propriô humorum nomine inſignita, ſeu inſenſibilia vel impalpabilia, quæ effluvia, fuligines, & flatus nuncupantur. Quia ſanguis per vaſa denſis parietibus circumtexta pererrat, fluida ſenſibilia ab ejus complexû ſecedere nequeunt ordinariò, niſi in illis partibus, ubi idem appellens cruor ampliora oſtia reperit, molibus ſcilicèt partium ſecernendarum tranſcolandis conformia; hæque partes parenchymata vel glandulæ vocantur. Inſenſibilia tunicarum, vaſa cingentium, ſpiracula à maſsâ communi fugiunt, indèque per poroſam partium omnium ſubſtantiam tranſmeando breviores propriis excurſibus ſibi comparant vias, uſque ad ſeceſſum è corpore, ità ùt glandularum miliarium miniſteriô non opus ſit pro inſenſibilis tranſpirationis ſecretione. Fluida, quæ in glandulis ſecernuntur, duplicis ſunt claſſis, alia enim tenuioris deprehenduntur conſiſtentiæ, quàm ſit maſſa ipſa communis in vaſis, ut urina, ſaliva, ſuccus pancreaticus, ſudor, lacrymæ, &c. alia craſſioris, ut bilis, ſemen, mucus inteſtinalis, naſalis, & faucium. Quorum craſſorum quidèm alia præter intimam ſuam ad craſſeſcendum diſpoſitionem à causâ externâ, e. g. aëre ſuam inſimùl craſſitiem nanciſcuntur, ut mucus narium, ſputum, &c. vel quòd aër ſubtiliores mobilioreſque partes abripiendo in ſtrictiori cœteras contiguitate relinquat, vel quòd nitroſitate ſuâ utraſque figat, & vinciat; alia verò abſque cauſæ externæ concursû incraſſantur, ut bilis. Cùm autem ipſius ſecretionis negotium à Medicis, vel chymicè per fermentationem, vel mechanicè per glandularum, tanquam totidem cribrorum, diverſos poros, particularumque ſecernendarum molem & figuram diverſam explicari ſoleat; utramque hanc hypotheſin refutat Auctor. Et quidèm Fermentiſtas quod attinet, ſolutionem ſanguinis fermento glandularum inſito imputatam non fieri, probat, quia ſecretio abundè à motibus ordinariis ejuſdem fluidi, & ſolidorum præcipuè, à cordis impulsû validiſſimô, à vegetô arteriarum elatere, à vi partium omnium oſcillatoriâ, ab aëre pulmonicô & à texturâ canalium peragitur. Datâ verò hâc fermenti inſiti in ſanguinem operatione, ſeu ſolutione poni inſimùl putat in pororum conformatione varietatem, per quorum aliquos ſecretus ſuccus, per aliquos reſiduus cruor derivetur. Addit, ſi ſpecifica glandularum fermenta riganti has ſanguini non immiſceantur, nullam exerceri ſecretionem, ſin miſceantur, ea per circulationem ſanguinis ad omnes corporis partes deferri, ſicque non eſſe ampliùs glandularum indigena, eorumque actionem ſecretoriam per omnes indifferenter partes exerceri. Abſurdiſſima pariter vocatur hæc hypotheſis, quia circulationis legibus è diametrô oppoſita cernitur, ſiquidèm ſtabilis mora fermentorum in organis ſupponitur. Adde quòd glandularum ſubſtantia canicularis ſit, per quam continuò & rapidè trajiciens cruor abſtergeret liquidum ibidem fermentum. Deniquè cùm fermenta ſint fluida, naſcente ſanguine ab eôdem ſecreta, ſequitur, eorum ſecretionem à ſanguine abſque fermentorum præſentiâ factam eſſe, adeòque ſuccos reliquos abſque eis fieri poſſe. Sin ad hanc fermenti ſecretionem aliud concurrere fermentum dicas, aliud fermenti fermentum erit determinandum, idque in infinitum. Contra Pori-

ſtas, quos vocat, dum agit Auctor, cribrationis modum locum obtinere exiſtimat in corporibus cribro impoſitis, & ſibi invicem contiguis, e. g. in tritici granis; eundem tamen non extendi poſſe, ad partes intimè unitas & implicatas, niſi aliud ſupponere velis agens, eas ab intimâ cohæſione ſejungens. Urget etiam, nec pororum in glandulis figuram, nec ſecernendorum molem & conditionem ſatis eſſe perſpicuam, adeòque totam hypotheſin eſſe precariam. Addit porrò, omnia fluida infinitâ partium parvitate pollere, quæ ſe cuivis figuræ accommodent, adeòque non neceſſariam eſſe in orificiô excipiente peculiarem figuram. Imò datâ in minimis ſanguinis inſitâ habitudine ſpecificæ configurationis & magnitudinis, à quarum diverſitate detur & in eiſdem varietas, requiritur tamèn, ùt mollecula e. g. cubica in quadratum meatûs glandulosi orificium intromittatur, ùt quoad latera & angulos ſint ſimiliter poſita orificium & latera; unicus igitur erit modus, unicuſque caſus, ſi ſuccus aliquis excerni debeat, adeòque ſecretio admodùm parcè procedet. Et metuendum erit nè conica e. g. particula pro ſitû ſuô diverſô porum figuræ circularis, parabolicæ, ellipticæ, hyperbolicæ, triangularis &c. intret. Deniquè manifeſtè conſtat, per cujuſcunque figuræ orificia transvehi debere quomodocunquè poſitas ſuccorum particulas, quarum major diameter minor ſit aut ſaltèm æqualis diametro orificii minori, hìnc ſequitur, variorum ſuccorum ſecretiones per eaſdem glandulas fieri poſſe. Quibus poſitis contemplatur Auctor hepar ſecundum partes externas, ejuſque vaſa lymphatica & nervos. Illa quod concernit, in canibus majoribus poſt amplas ſaginationes ſtrangulatis, & in mactatis ſuibus profundas ſatis ea in hepatis ſubſtantiâ origines ſumere, indèque didicit, non ex glandulis conglobatis ea ad hepatis cavum ſitis oriri, nec has glandulas in omnibus individuis comparere, cùm tamen adſint aquæductus; in quibus autem obſervantur, non penetrari à lymphaticis, ſed ſuperſcandi. Multò minùs vaſa hæc lymphatica ex glandulis gracilibus, in cavitate capſulæ communis ortum ducere putat, in quâ opinione confirmatur partìm autopſiâ, partìm ratione, eò quòd ſcilicèt nullum vas lymphaticum à glandulâ naſcatur, ſed ab ipſiſmet fibrarum intercapedinibus in partibus animalis omnibus; ideòque aſſerendum exiſtimat, ſeriflua vaſcula, hepatis ſubſtantiam ſubeuntia, ex capſulâ declinando commiſſuras acinorum exoſculari, ibidemque fluidum ſuum exſugere, foràs indè derivandum. Indè pergit ad cætera hepatis vaſa, explanatôque hepatis parenchymate ſuam, quam fovet, de ſecretione animali, ſententiam exponit. Videlicèt quoniam omnes ſanguinis particulæ uniformem inter ſe ineunt commiſſionem, neceſſe eſt, ùt pro ſecretione præſtandâ liquor ſecernendus à reliquis humoribus expeditus & liber factus ſit; ſed nec in ſanguine, nec in colatoriô, fermentum exiſtit, quod hoc efficere queat. Reliquum igitur eſt, ùt hoc principium vel in motibus ſanguinis, vel in canalium ſtructurâ inquiratur. Sanguis igitur motû ſuô inſtar omnium liquorum ſponte fermenteſcentium inſitam habet vim, heterogeneum quodcunque, ex ſuô ſinu exturbandi. Canales quod ſpectat, notum eſt, quòd arteriæ quævis in Conum abeant. Dum igitur maſſa ſanguinea ad arteriæ parietes & imprimis ad angulos ex ramorum diſtributione reſultantes allidit, diſſolvitur eadem, & præparatur; ùt recrementa ab aliarum partium compage liberentur. Sed cùm ſucci varii ſecernendi veniantè penu ſanguinis, non ſolùm tenuioris, ſed etiam tenacis, ramoſæ, implicabilis & concentratæ texturæ, qui ab ordinariis ſanguinis arietationibus in latera & angulos arteriarum non liberantur ſufficienter ab aliarum partium complexû, natura multiplicavit inſtrumenta ſolventia proportionaliter ad multiplicationem reſiſtentiæ ſolutionis in ſanguine per multiplicationem ſcilicèt angulorum & laterum per longius protractam itineris extenſionem à fonte impulſus, ſeu corde, ad filtrum. Indè eſt, quòd ſanguis immediatè deſcendat ad renes pro tenui urinâ ſecernendâ, per varias verò ambages ad hepar appellat pro tenaci bile reddendâ. Indè ad bilem revertitur Auctor, cujus definitionem, ortum & uſum ſuppeditat. Bilem definit per recrementum maſſæ ſanguineæ, lentum & viſcidum in ſanguinis ſinû genitum, & congeſtum. Concreſcere eum putat ex reſiniformi ſubſtantiâ, aſperiorique ſalinô fixâ, in ſanguine inutili, ſerô competente eliquatâ. Uſum quod concernit, notum eſt, quòd ex ventriculô chymus ad inteſtina provolvatur viſcidæ & complicabilis conſiſtentiæ, qui lateribus inteſtinorum adhærendo horum motui periſtaltico non auſcultaret, & otioſa vaſorum lacteorum obſtrueret, quo minùs purus chylus per ea tranſcolari poſſit. Id nè eveniat, & ùt glutinoſitas illa tollatur, bilis ad principium duodeni infunditur, tanquam corpus liquidum oleaginoſum, ùt oleoſis interjectis particulis à variorum corporum implicatione res glutinoſæ liberentur, & tanquam lixivioſum & ſaponarium, ad deterſionis opus alacriùs exequendum. Proritat inſimùl bilis acore ſuô ſenſiles inteſtinorum tunicas, ad motum continuandum periſtalticum. Expoſitâ indè ſtructurâ & uſû cyſtis felleæ, modôque, quô bilis in cyſtidem influit, eam per vices ex illâ effluere, ſtimulumque ad hunc motum à ventriculô recipere exiſtimat. Cùm enim hic tempore chylificationis non ſolùm à ciborum mole, ſed ulteriùs à fermentativâ quâdam rareſcentiâ magis magiſque diſtendatur, neceſſariò adjacentem folliculum felleum tùm temporis premit. Hìnc vaſa cyſtidis propria, eorumque uſum examinat; biliſque quantitatem in hominis hepate & cyſtide naturaliter contentæ ſex unciarum eſſe dicit, quanquam nycthemeri ſpatiô ultrà unciam unam illa non excernatur. Sed plures uſus hepati Auctor præter ſecretorium bilis adjudicat, inter quos non ultimus eſt, quem facultatem ventriculi chylificatoriam juvando exercet hepar. Quemadmodùm enim ventriculus chylificationis tempore in inferiori orificiô ſphinctere & mechanicâ tortuoſitate occluſus, in ſuperiori ab adjacentibus viſceribus, liene & hepate, premitur; ità, tanquam operculis ſtrictè appoſitis in machinâ Papianâ, tranſpirare non ſinit hìc activiores menſtrui partes, à digeſtivô conflictû exaltatas, ac extricatos jam ipſiuſmet maſſæ alimentaris ſpiritus; quibus indè in digerendam maſſam reverberatis acuitur ſolutiva virtus, eique per univerſam ciborum congeriem liberior aperitur via. Adde quòd copioſiſſimi habitus calidi, & humidi, & ex hepate exſpirantes in ventriculi cavum penetrent, & ciborum ſolidiorum eliquationem haud ſecùs ac cornu cervi philoſophicè præparatur, adjuvant. Ultimus hepatis uſus in eô conſiſtit, ùt ſanguinis diverticulum ſit unà cum liene, quotieſcunquè hic vel copiâ, vel rarefactione auctus ultra ordinariam quantitatem ulteriores amplioreſque exigit vias, dilatat enim tùm fiſtularum hepatis cavitates, & orbitam ſibi majorem aperit. Hæcque,

que, quæ hactenùs præfatus eſt Auctor Clariſſimus, ulteriùs *in Curſû ſuô Anatomicô*, quem meditatur, explicaturum ſe pollicetur. Ad ſtatum præternaturalem pergimus cum Auctore, qui expoſitâ in genere morborum theoriâ, hepatis morbos in tres claſſes diſpeſcit, quarum prima eos complectitur, qui ab hepatis ſolidô immediatè proficiſcuntur, altera illos, qui à fluidis per hepar excurrentibus oriuntur, tertia iſtos qui ad neutram harum claſſium reduci poſſunt. Morbi, qui à ſolidô hepatis dependent, vel ſunt à totô ſolidô vaſculari, vel à ſolidô nerveô. Dum morbos, qui toti ſolido adſcribuntur, aggreditur, vitia hepatis ab ejus morbis diſtinguenda eſſe inculcat, hos nuncupando affectionem præternaturalem, quæ in animalis parte inſidens lædit ejuſdem actionem; illa verò, quæ partes actioni non nocent, licèt præternaturalia audiant. Quemadmodùm autem hæc in magnitudine, in numerô, in figurâ, & in ſitu obſervantur; ità illi in intemperiem, morbum organicum, & ſolutionem continui diſpeſcuntur. Ad intemperiem hepatis refert ejus atoniam, quam à tota ſubſtantiâ morbum dixerunt veteres, qualis obſervatur in ejus flacciditate, ſeu imbecillitate, in gangrænâ & ſphacelô, & in colliquatione. Ad morbos organicos trahit locationem vitioſam. Solutio continui patratur vel à causâ internâ, ut in ſimilici croſione & ulcere, vel à cauſâ externâ, ut in contuſione, & vulnere, vel ab utrâque in rimis & fiſſuris. In morbis hepatis à ſolidô vaſculari oriundis accuſatur potiſſimùm canalium laxitas præternaturalis, & unitatis ſolutio. Laxitatem inducunt interfluentes ſucci, eam diſtrahendô: quæ diſtractiones in arteriis aneuriſmata, in venis varices, in lymphaticis hydatides, in excretoriis ductibus peculiari vocabulô appellantur. Circà unitatis ſolutionem præter alias cauſas communes bilis acrimonia accuſatur, quæ notabiles frequenter exeſiones & ulcera veſicæ felleæ inducit. Inter morbos à ſolidô nerveô ortum ducentes potiſſimùm dolorifica partium nervearum tenſio ſeu criſpatura examinatur, quæ non ſolum in præcingente tunicâ, aut ligamentis, ſed & in omnibus per ejus ſubſtantiam diſperſis villis membranaceis obſervatur, ut in hypochondriacis, ictericis, hecticis & in quibuſdam obſtructionibus evenire ſolet. Ad morbos hepatis à fluidô oriundos pergit Auctor; & quemadmodùm ſub hôc titulô ſanguis, lympha & bilis continetur, ita ſanguis lentore ſuô obſtructiones infert, quæ veræ audiunt, & propriam ejus ſubſtantiam ſeu parenchyma occupant, ſuntque vel frigidæ, quando ſubſiſtentis ſanguinis partes implicatæ omnes uniformiter inter ſe ſe ulteriorem ad motus inteſtinos validos aptitudinem non ſervant, ſed tantùm non quieſcentes penitùs nullô ſymptomatum ſtrepitû morbum producunt: vel calidæ, quæ etiam inflammationes audiunt, quandò in moles vaſtiores concretæ particulæ ſanguinis, ſicque proprio fluxui obſiſtentes, tenuibus tamen adhuc aliis, ſolutis mobilibuſque intertextis, motus quoſdam inteſtinos exercent, ſummè irregulares, & celeres, indèque acris perceptio caloris in parte obſervatur, harumque accretio à ſuperfluente perenniter ſanguine, arietante in obſtructionis locum, & ab ulteriore permeatione impeditô, trudendo vaſa violenter extrorsùm, ſiſtit moleſtæ tenſionis ſenſum, à violentâ adjacentis diaphragmatis preſſurâ ſingultum & tuſſim ſiccam, à repulſis in maſſam ſanguineam tumultuariè fluidis febrim &c. Ex quibus inflammationibus abſceſſus quandòque oriuntur; ſi ſcilicèt particulæ lenteſcentes cavitatem formant in viſceris ſubſtantiâ. Quòd autem iidem abſceſſus poſt capitis vulnera frequenter in hepate obſerventur, indè oriri putat, quòd ſanguis partem purulentam imbibens majores ejus portiones ad hepar deponat, tanquam viſcus maximum, utpotè in quô longè majora, quàm in aliis omnibus apponuntur vaſa, longèque majores eorundem diramationes; in quô lentior ſuccorum eſt curſus; in quô viſcidius ſecernitur liquidum; in quô nulla eſt muſcularis potentia, quæ depoſitum pus iterùm depellere queat. Lympha verò ſive copiâ ſive viſciditate peccans in hepate tumores, frigidos nuncupatos, concitare poteſt; ut in œdemate, obſtructione, atheromate, ſteatomate, meliceride, ſchirrhô, concretionibus calloſis, gypſeis &c. videre eſt. Bilis morborum autor exiſtit, vel quandò eſt aucta, vel quandò imminuta, vel quandò abolita, vel quandò ad alia etiam organa eſt tranſlata ejuſdem ſecretio. Exuberat bilis; quandò luxuriantibus in ſanguine bilis principiis uberior horum tranſcolatio in hepate fit, aut quandò conſueta ſolùm vigente tùm in ſanguine, tùm in colatoriô quantitate bilis, hæc ab inſolitis hepatis aut partium adjacentium contractionibus validè adeò copioſèque per ductus ſuos in duodenum exprimitur, ùt ſoliti effluxûs menſuram & exigentiam longè tranſcendat. Imminuitur bilis ſecretio vel organi vitiô, quandò meatus ejus minores ſunt, quàm qui bilem admittere valeant, vel bilis culpâ, quandò hæc propter lentorem ſuum intra poros hepatis reſorberi non poteſt. Hæcque craſſities oritur, vel cùm ſpiritû bilis aut aqueâ humiditate, aut utrôque propter nimium calorem privatur: vel cùm in eâ depreſſa liquidiora hæc principia à terrei & gelatinoſi prædominiô illaqueantur, vel cùm craſſiores irregulares, limoſaſque partes ſuas tanquam ſedimentum amurcoſum & cretaceum criticè in hepatis colum deſpumat cruor. Cauſæ abolitæ ſecretionis eædem eſſe poſſunt, ac modò allegatæ, ſed in majori gradû. Depravatæ bilis qualitates ſunt vel tactiles, vel guſtabiles, vel viſibiles. Tactû ſua vitia prodit bilis quandò conſiſtentiâ vel tenuiori vel craſſiori pollet. Saporem præternaturalem contrahit eadem, vel quandò minimè amareſcit, ſed inſipida, aut dulci proxima eſt; vel quandò nimium acorem contrahit. Prius fit vel ex ſalium defectû, vel ſuppreſſione, vel mole grandiori, interiorique ponderoſitate; poſterius verò, quandò hoc recrementum ob prævias in maſſâ ſanguineâ fluidorum motiones variis figuræ modis ſalina ejus aculeantur principia, variiſque indè locationibus cum cæteris partibus concurrunt; undè ſalſum, acidum; ponticum evadit. Color depravatus in bile oritur, quandò eſt pallida, vitellina, porracea, æruginoſa, cœrulea, glaſtea, & atra; hæque qualitates ex intimâ innovatione ab acidô quôdam inextricabili in eâ plus minuſve redundante dependent. Morbos quod concernit, quia à ſecretione bilis ad alia organa tranſlatâ oriuntur, obſervantur hæc vel glanduloſa, ùt glandulæ ſalivales, renales, cutaneæ, & aliæ, vel non glanduloſa, quandò ſcilicet bilis vel per anaſtomoſin, vel diapedeſin exſtillans & tranſſudans in quibuſvis corporis partibus colligitur, ut in icterô patet, cujus duo ſumma genera conſtituit Auctor; Prima

Prima claſſis oritur à limoſâ & inerti bile, quae eandem conditionem ſervat, quam qualem habuit, dum primos in hepate infarctus perpetravit. Altera à causâ ſolutivâ ſanguinis dependet, & bilem agnoſcit ſubtilem,volatilem, & ſpiritualiſatam. Reſtant morbi, qui à corpore extraneô originem ducunt, ubi notantur calculi, ex bilioſis particulis in durum concreſcentibus & tanquam vitrificatis concreti; vermes, qui gignuntur, quandò iners bilis eſt acredo & vieta; flatus, qui ex viſcidis, fermentantibus ſuccis in ſpiritus elevatis, aërique aliquali innatantibus componuntur, & tandem polypi, tam gelatinoſi quàm carnei.

Calci hujus tractatûs appoſita legitur Epiſtola Joh. Mariæ Lanciſii, in ſecretionis humanæ negotium inquirens, in quâ quemadmodùm quædam Bianchi noſtri hypotheſes confirmant, quædam refutant; ità quid ad ea reſpondendum ſit, paucis monet Noſter.

Alia rursùs habetur hujus Libri Editio ampliſſima ac doctiſſima, ſub ſequenti titulô.

Joh. Bapt. Bianchi Med. Doct. & in Taurinenſi Univerſit. Anat. Profeſſ. Hiſtoria Hepatica in hâc tertiâ editione numeris tandem omnibus abſoluta: Seu Theoria ac Praxis omnium Morborum Hepatis & Bilis, cum ejuſdem Viſceris Anatome, pluribus in partibus novâ, Adjectis Diſſertationibus aliquot; æneis Tabulis; accuratis earum explicationibus; & animadverſionibus ad hoc explendum Opus facientibus; ampliſque omnium rerum Indicibus. Genevæ, apud Gabrielem De Tournes & Filios, 1725. 4. Vol. II,

Ibidem ann. 1716. *p.* 480. *Ductus Lacrymales novi, eorumque Anatome, uſus, morbi, & Curationes; Diſſertatio Epiſtolaris ad illuſtriſſimum virum, Collegam amiciſſimum, Joſephum Lanzoni &c. conſcripta à Johanne Baptiſtâ Bianchi. Auguſtæ Taurinorum, apud Johannem Franciſcum Maireſſe & Johannem Radix;* 1715. 4.

QUò Auctor nobiliſſimus in ductus eos lacrymales, lacrymalem qui lympham ab oculis ad nares devehunt, in multis cadaveribus curioſiùs inquireret,occaſionem controverſiæ dederunt inter Gallos atque Italos, circa illos non ita pridem motæ,ac Literatorum Diarii,quodVenetiis in lucem editur, Tom. 17. Articulô XV. p. 417. & 443. indigitatæ, poſtquam Dominicus *Anel*, Chirurgus Gallus, obſervationem ſingularem de Fiſtulâ lacrymali, hanc adminiculô duarum operationum recèns à ſe inventarum curandi, Genuæ an. 1713. idiomate Gallicô evulgaſſet. Quamvis enim tales canales nec Veteres, nec Recentiores latuerint, atque poſtremos inter à *Morgagni* Adverſar. Anatom. & *Verheyen* Anatom. Edit. Figuris etiam adumbrati fuerint, quia naturalem tamen ipſorum habitudinem Noſter primus exactiùs obſervaverit, ſpecioſô novorum ductuum lacrymalium titulô eoſdem inſignire nullus dubitavit, dum in præſenti diſſertatione epiſtolari, dictorum ductuum veriorem primùm Anatomen, deindè uſum, ac deniquè Morbos, & operationes hiſce convenientes, exhibet. In parte nempe primâ quemadmodum vivam ejuſmodi partium lacrymalium imaginem, cùm verbis, tùm Figuris triplici repræſentat ratione, proùt illæ vel juxta oculum, tàm extra, quàm intra canalem oſſeum ſitum obtineant, & cum aliis partibus cohæreant, vel à capite penitùs ſeparatæ ac apertæ exiſtant, vel in capite deniquè reſupinatô ſeù inversô appareant, ità ex omnibus ea hic loci cum primis annotare juvabit, quæ nova videntur, non modò nomina, ſed & obſervata. Ad nova quippè quod ſpectat nomina, quandò Auctor duos ductus lacrymales, qui prope internum oculorum canthum à punctis palpebrarum lacrymalibus incipiunt,ac nonnullis cornua limacum audiunt, laterales vocat, concurſum autem horum ſpeciatim ſaccum, & reliquum canalis, ſub inferioribus oſſibus ſpongioſis ſive turbinatis intra nares hiantis, ductum longitudinalem ſalutat, roſtri ſacci voce internam hujus prominentiam majorem intelligens. Inter nova verò Anatomica Noſtri obſervata referri merentur: annulus cartilagineus punctorum lacrymalium, frænum palpebrarum oculi cum ſuis productionibus, ſacci lacrymalis duo anguli, ſuperior & major alter, alter inferior & minor, æqualis tùm ſacci & ductuum lateralium, tùm ductûs longitudinalis & antri naſalis, longitudo, ligamentula ſaccum cum ſubtenſis oſſibus nectentia, à perioſtiô provenientia & ſacco vaginam inſimul tendineam concedentia, ductus lacrymalis longitudinalis à perpendiculô verſùs poſteriora notabiliter declinans ac inæqualis capacitatis; dum latior à ſacci angulis deſcendit, mox gracileſcit, & demùm rursùs in pelvis modum ampliatur. Neque ab aliô quàm à Noſtrô annotatum legitur, quòd cuncti ductus iſti ex capite exemti atque inciſi ob retia vaſcularia exquiſitè interiùs rubeſcant, ſaccuſque & longitudinalis ductus fibris quidem muſcularibus notabiliter gaudeant, ſaccus tamen peculiari ulteriùs ſubſtantiâ ſpongioſo-glanduloſâ præditus ob eminentias plures minores, & unam majorem vix ſenſibilem cavitatem obtineat, ductus autem longitudinalis expanſioni pelviformi, quâ intra naſi cavum patet, valvula quædam tenuis ſemilunaris præponatur, nec canalem occludens, nec variorum à naribus ad oculum tranſitum arcens, niſi major aliquandò exſtiterit. Quoniam nihilominùs caruncula, lacrymalis dicta, aliquantò longior delineatur, ac inſuper cum Galenô pro peculiari carne venditatur, quæ in dorsô ſaltèm quamplurimos acinos glanduloſos gerat, microſcopiô quidem luſtrandos, ſed omnibus oſculis excretoriis deſtitutos, percommodum viſum fuit in Lectoris gratiam ex celeberrimi *Ruyſchii* Theſauri Anatomici ſecundi Tabulâ primâ mutuari ſimul Figuram Tertiam, hancque propter dictæ carunculæ, ſive glandulæ potiùs lacrymalis, cùm figuram naturalem, tùm oſcula varia, per quæ ex illâ compreſſâ humor exſtillat, reliquis adjungere, ſed relictâ canalium iſtorum, lacrymas ab oculis ad nares tranſportantium, novâ conſignatione anatomicâ, ad uſus eorum deveniamus, quos Auctor ex ipſorum ſitû atque ſtructurâ in Parte alterâ eruit. Quòd lacrymæ namque poſt variarum oculi partium lubricationem ad internum deriventur angulum, hujus nunc declivitati in dormientibus, nunc aſſiduis ciliorum ictibus in vigilantibus adjudicatus, uberiori lacrymarum per hyemem proventû ac ſeroſarum tunc in pluribus guttularum turpi ad naſum propendentiâ, ex ſolenni earum evaporatione impeditâ emergentibus. Nè autem humor oculum irrigans nimis citò ad nares deſcenderet, emiſſarium oculi haud immediatè ad fundum anguli interni, ſed ad aliquam diſtantiam locari aſſeritur, duo

duo videlicèt puncta lacrymalia, lacrymale fluidum ad utramque palpebram per carunculam lacrymalem ab angulô repulſum excipientia, in quantum carunculæ hujus uſus primarius perhibeatur, laticem ad internum angulum appulſum ad diſſita nonnihil puncta lacrymalia per corpulentiam æquè ſuam ac figuram retorquere, premere ac dirigere. Quicquid verò lymphæ lacrymalis poſt perennes ciliorum ictus, tanquam lacrymarum ſyſtolem, per duo puncta lacrymalia ad ductus laterales, & hinc ad ſaccum deducitur, utrobiquè in curſû ſuô multùm retardatur, ibi quidèm à ductuum lateralium, præcipuè inferioris, ſitû parùm inclinatô, hìc autem à ſacci & ſitû horizontali & infarctû internô, ùt reliquum deniquè lacrymarum, non adeò copiosè ſecernendarum, poſt itus & reditus repetitos, eâdem porrò ratione, ſequi ac paulatim ad nares excerni queat. Ac etſi liquida in ſaccum introducta partim à fibrarum muſcularium corrugatione, partim à ſingulis palpebrarum ictibus ratione harum appendicum impellantur, ſufflaminantur tamen ulteriùs à ſacci & ductûs longitudinalis anguloſitatibus deſcriptis, nec non ab hujus ductûs longitudinalis anguſtiâ mediâ, & notabili ad fauces obliquitate, defluentes ſimul lacrymas verſus fauces magis, quàm externas nares, diſponente. Suô demùm in naſum introitû longitudinalis ductûs in pelvim indigitatam dilatatur, nè lacrymalis ſuccus cum narium mucô commixtus obſtructiones poſt ſe ibi relinquat, proùt valvula pariter ejus cavo inſidens tam mucum ejuſmodi, quàm volatiliorum odoriferorum ad oculum adſcenſum videatur arcere, ùt reliqua, quæ de lacrymis, ſpecilli per nares in ductum longitudinalem ad ſaccum uſque intruſione, oſſium turbinatorum ac muci naſalis uſibus adduntur, ſiccô nunc pede prætereamus, quòd ex parte ultimâ morbi viarum iſtarum lacrymalium unà cum appropriatis operationibus ſuperſint luſtrandi. Morbi ſiquidèm ductuum lacrymalium deſcriptorum licèt in genere à vitiô vel eorum organicô, vel fluidi ipſius tranſeuntis, enaſci ſoleant, in ſpecie nihilominùs ſacci & ductûs longitudinalis morbi principales ad duo primaria genera, obſtructionem videlicèt ſimplicem, & fiſtularem, reducuntur eorumque remedia Chirurgica ſubjunguntur. Simplex lacrymalium obſtructio, à lacrymis viſcidioribus ac coagulatis inducta, nuncupatur, quandò in obſtructis hiſce partibus eroſio, ruptura & callus deficiunt, tumor tamen aut in ſaccô, aut in longitudinali ductû, aut in utrôque, adeſſe valet, humorque lacrymalis per cuncta lacrymalia regurgitare, perſæpè ichoroſus, aliterve à ſtatû naturali deſciſcens. Sedem huic frequentiorem dum ſaccus ob horizontalem præcipuè ſituationem & aliquandò ſimul ductus longitudinalis ratione notabilis ejus ad introitum in vaginam oſſeam anguſtiæ præbent, erroris meritò arguuntur, quotquot hactenùs obſtructiones ad hujus poſtremi terminum in ſpatia naſalia ſtabiliverunt. Quotiès autem obſtructio ſimplex in ductuum lateralium progreſsû aut ſacci tantummodò gremiô hæreat, congrua ſubtiliſſimorum ſpecillorum introductio æquè cenſetur, ac detergentis liquoris per exiles ſiphunculos injectio repetita, cujus utriuſque tamen uſum ductûs longitudinalis obſtructio eò minùs admitteret, quò magis ſacci angulus & ſpecilli flexilis per punctum lacrymale alterutrum, potiſſimùm ſuperius, immiſſi progreſſum, & fluidi per idem punctum injecti impetum ſiſteret. Quâ occaſione ante plurimos annos Johannes Baptiſta Fontanus, Johannes Fontanus, Franciſcus Angleſius, Antonius Reyna, Albertus & Andreas Verna, Auguſtæ Taurinorum in affectibus ejuſmodi apta ſpecilla prudenter ac feliciter introduxiſſe à Noſtrô celebrantur, qui in mediô relinquit, annon veteribus etiam, tum ſpecilla, tum injectiones, in ductuum lacrymalium morbis adhibendi methodus innotuerit, quam ex Recentioribus ſuperiùs laudatus Dominicus Anel, ab Auctore nè nominatus quidèm, ſibi vindicare fuit anniſus. E diverſô obſtructio compoſita, ſive fiſtula lacrymalis vocatur, ſi cum calloſô ulcere, latô ventre, oriſque anguſtiis ſacci lacrymalis & appenſorum ductuum ſimplex obſtructio combinetur, à lymphâ lacrymali ſtagnante unà acriori & rodente progenita. Cujus ſicuti variæ enumerantur ſpecies, aliæ cum, aliæ ſine tumore, aliæ exteriùs apertæ, aliæ non apertæ, aliæ cum oſſium contiguorum læſione, aliæ non, in ſaccô aliæ, aliæ in ductû longitudinali, aliæ in utrôque, ità ante omnia ſpecillorum & injectionum uſus, veluti calloſitatem tollendi impotens, in fiſtulæ lacrymalis medelâ reſpuitur, injectiones verò balſamicæ ac temperantes non niſi in ſimplici ductuum lacrymalium excoriatione, ac quibuſdam caſibus inter obſtructionem ſimplicem & fiſtuloſam mediis laudantur, hinc genuina fiſtularum curatio in competenti per ferrum, aut cauſticum, aut præſidium inſenſibiliter dilatans, apertione conſtituitur, ac tandèm fiſtulæ, nunc ſine oſſium læſione, remedia appropriata præſcribuntur.

Cæterùm dolemus, Hiſtoriæ Hepaticæ, quam in Actis an. 1712. Menſe Majo p. 212. recenſuimus, Partem etiam practicam ab Auctore ſub calcem Diſſertationis præſentis promiſſam in alterâ ejus Editione hôcce annô Auguſtæ pariter Taurinorum evulgatâ nondùm comparuiſſe: quamobrèm vitam vireſque ſufficientes ipſi apprecamur, ùt tàm iſtam, quàm Hiſtoriam ſuam naturalem humani corporis in ſtatû ſanitatis ac morbi, per plures tomos diſtributam, cum publicô communicare valeat.

BICAISIUS (*Honoratus*)

De eô exſtat

Manuale Medicorum, ſeu Σύναξις Aphoriſmorum Hippocratis, Prænotionum, Coacarum & Prædictionum, ſecundum propriam morborum omnium nomenclaturam, Alphabeticô digeſta ordine. Londini, 1659. in 24. Genevæ, apud Petrum Chouet, 1660. in 12.

BICKERUS (*Johannes*) Dreiſanus

Ex eô habentur

Hermes redivivus, declarans Hygieinam, de ſanitate vel bonâ valetudine hominis conſervandâ. In quâ omnia ex antiquæ ſapientiæ fontibus, Hipp. Galenô, aliiſque Græcis, & Arabibus, atque Latinis deducuntur, cum Chymiatrorum principiis & Paracelſi dogmatibus veris conjunguntur, & methodicè deſcribuntur. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1612. in 8. Hanoviæ, apud Eifridum, 1620. in 8.

Chirurgia Vulnerum Hermetica. Wittebergæ, apud Lulfiſchium, 1647.

BIDLOO (*Gotofredus*) ſingulari magni cujuſdam Principis favore ex Chirurgô derepentè Profeſſor Chirurgiæ & Anatomes in Academiâ Lugdunenſi factus, ceſſavit interim ſpartam ſuam pro virili exornare, editô pretioſô opere Anatomicô in foliô maximô Regali, cui titulus: Anatomia corporis humani, centum & quinque tabulis per artificioſiſſimum, *G. de Laireſſe* ad vivum delineatis, demonſtrata, veterumque, ac recentiorum inventis explicata, plurimiſque ha-

ctenùs non deteƈtis illuſtrata. Negandum tamen non eſt, nonnullas figuras plus ſpeciei & ſplendoris, quàm veritatis habere. Sufficiat hâc vice ſolum & unicum adduxiſſe exemplum de membranâ urinariâ in fœtû humanô, quam omnes negant, ipſe verò delineat. Rogatus autem à *D. Verheyen*, ùt illam aliis Proſectoribus demonſtraret, vel methodum ſaltèm doceret eam inveniendi, ſubterfugiis uſus eſt, fidemque datam non liberavit, eôque ipsô haud obſcurum præbuit teſtimonium, fruſtrà illam in humanô fœtu adſertam & analogicè tantùm à brutis ad homines tranſlatam. Cum *Fridericô Ruyſchiô* ex communis ſtudii æmulatione perpetuas habuit lites, ad opprobria uſque ſcandaloſa ſubindè exardeſcentes, quarum ipſemet auritus teſtis eſſe poſſem, occaſione ſectionis publicæ Amſtelredami, à *Ruyſchiô* inſtitutæ, earumque ſpecimen hìc exhibere, niſi earum hìc denuò memoriam refricare velle moleſtum judicarem. *Guilielmum Cowperum* plagii accuſavit, eumque in finem edidit *Guilielmum Cowperum criminis litterarii citatum, coram Tribunali ſocietatis Anglicæ*, Lugduni 1700. quâ ipſum non ſolummodò, quòd figuris his in Anatomiâ à ſe editâ fuerit uſus, verùm etiam quòd ſuis explicationibus peſſimè immutatis fuerit abuſus, inculpavit. Neſcio verò an imputatô crimine ſeſe liberaverit *Cowperus*, cujus alioquin anatomiam, debitis laudibus, quas citra contradictionem meretur, ſuô locô exornamus. *Goelike Hiſt. Anat. p.* 174.

Ex eô habetur

Anatomia Humani Corporis, Centum & quinque tabulis per Artificioſiſſ. G. de Laireſſe ad vivum delineatis, demonſtrata, Veterum Recentiorumque Inventis explicata, plurimiſque hactenùs non deteƈtis illuſtrata. Amſtelodami, apud Viduam Johan. à Someren, hæredes Joh. Dyk, Henricum & viduam Theodori Boom, 1685. in fol. maximô regal.

De eôdem ſic in Actis Lipſienſibus ann. 1698. *p.* 32.

Godofredi Bidloo vindiciæ quarumdam Delineationum Anatomicarum contra Animadverſiones Fred. Ruyſchii, Prælect. Anat. Chirurg. & Botan. Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans 1697. *in* 4.

NOvem hactenùs in lucem prodiêrunt *Epiſtolæ à Cl. Ruyſchiô* ad totidem Epiſtolas Problematicas tempore diverſô reſcriptæ, atque à nobis tùm *annô ſuperiori, menſe Jan. p.* 270. tùm annô præſenti, *menſe Januar. p.* 14. & *Menſe Auguſt. p.* 384. in Actis exhibitæ. Verùm cùm nobiliſſimus *Bidloo* multas in iiſdem notari acerbiùs deprehenderet earum delineationum, quas ipſe tredecim abhinc annis in *Anatomiâ* dedit *Corporis humani, in Actis ann.* 1685. commemoratâ, amicorum hortatu præſentes reponere voluit *Vindicias*. In his quemadmodùm ſub examen primùm vocando Epiſtolas Ruyſchii, ſextâ tantummodò, ſeptimâ & octavâ ſepoſitis; errores ſibi ſuiſque figuris imputatos confutat: ità ex adverſô delineationes nonnullas Ruyſchianas mendorum poſtulat, novamque Ruyſchii methodum condiendi & demonſtrandi cadavera humana pro merô fucô reputat. *Hinc* ſpecimen Ruyſchianæ artis, doctrinæ, & induſtriæ ſiſtens, tàm figuras à Ruyſchiô *dilucidatione Valvularum* &c. quondam repræſententatas, quàm eam demonſtrationem, quâ hic pulmonum vaſa ſanguifera publicè nuper exhibuit, itemque Obſervationes quaſdam Medico-Chirurgicas ex ejuſdem *Centuria*, in *Actis ann.* 1691. *p.* 66. recenſitâ, acriter perſtringit. Tandem, ùt Ruyſchium in verbis non minùs, quàm in rebus, hìc illic delinquere palàm faciat, exempla ſequioris ejuſdem literaturæ annectit. Cæterùm, præter figuras Ruyſchianas, portiuncula imprimis cuticulæ à manûs dorſô avulſa, lien humanus flatû artificiôque diſtentus, atque calculi ex bile in hujus folliculô concreti, aquæ innatantes, occurrunt delineata.

Ibid. ann. 1708. *p.* 311. *Godofredi Bidloo Exercitationum Anatomico-Chirurgicarum Decades duæ. Lugd. Batavorum, apud Jordanum Luchtmans,* 1708. *in* 4.

QUatuor abiêrunt anni cùm Experientiſſimus Auctor Exercitationum Anatomico-Chirurgicarum Decadem primam in lucem ederet, ac in primâ & ultimâ earum de Nervis, veluti ſolidis, nullos ſpiritus animales continentibus, in reliquis autem de Hydatidibus, Phlyctænis, Extraneis de vulneribus eximendis, Amuletis, varicibus, Oculô purulentô, Excreſcentiâ in fœminæ inguine derepentè obortâ, atque Verrucis ageret. Stipatam hanc nunc ſiſtit non ſolùm quatuor Diſſertationibus Anatomico-Phyſiologicis, in fine adjectis, ſed & imprimis laudatarum Exercitationum Decade alterâ, in quibus Excreſcentiam in ejuſdem fœminæ inguine denuò enatam, Pannum, unguem, Encanthidem, Mammellam juveni tubicini exſtirpatam, oculi prolapſum, os cribroſum & nervos olfactorios læſos, Leucoma, Exoſtoſin & Amauroſin perpendit. Quò indefeſſum tamen Auctoris ſtudium patefcat de Arte Chirurgicâ æquè ac de Anatomicâ benè merendi, haud opus videtur ſingulas Exercitationes hìc delibare, ſed ſufficiet vel pauca de Hydatidibus, Phlyctænis, Varicibus, Pannô, ungue, Encanthide ac Amauroſi in medium attuliſſe. Hydatidum videlicèt alias ex dilatatâ inter valvulas lymphatici vaſis intercapedine, poſt hujus à glandulâ remotioris anguſtiam quamcunque præternaturalem, enaſci, variaſque ipſarum in membranis nunc pendulas, nunc deciduas & excernendas, produci, alias verò vaſis ſanguiferis præditas in locis glanduloſis, ubi arteriæ finis, venæque ac vaſorum lymphaticorum initium & ſecretio materiæ nutritiæ, ab hâc tranſitum haud reperiente temporis tractû extenſis efformari atque ſubindè intra ſacculos membranaceos craſſiores multas & varias hydatides primi generis recondere, utrumque nihilominùs genus, ſiquidem curationem admittat, nonniſi Chirurgicè i. e. comprimendo, deligando, exſtirpando, ſcalpellô, forfice, igne poſſe removeri; ſingularibus exemplis non minùs demonſtrat, ac figuris appoſitis illuſtrat. Neque obſervationes omittit, quibus tertium Hydatidum adſtruat genus, ſpecie tuberculorum depreſſorum, ſubitò flacceſcentium, albeſcentium, ulceriſque formam induentium, labia ſcorbuticorum ex albô livida ſine dolore internè occupans ac potiſſimùm nutritionis organo & vaſis lymphaticis inhærens, quamprimùm ſcarificandum, nè labia, genas, & oſſa gangrænâ, ſphacelô & carie corrumpat. Multam phlyctænæ artuum ab oculorum phlyctænâ indigitat diſcrepantiam: phlyctænam quippè artuum pellucidas exiſtere veſiculas liquore modò ſubflavô, modò albidô

albidô turgidas, in cute non modò artuum, verùm & pectoris ac dorſi utriuſque ſexûs, copiosè, citò, & cum pruritu erumpentes, ac facilè ſcabiei, exedentis ulcuſculi, herpetiſve characterem exprimentes, niſi pertundantur aut exſiccentur; phlyctænam verò oculi in hujus membranis anterioribus lentè, ſine pruritû ac ſemper rubram, veluti arteriæ extremitatem apertam, emergere, pannique aliquandò, ni removeantur, aſſumere formam. Ideòque phlyctænam etiam artuum initiô, præter internam medicationem & diætam ex malacticorum lenientiumque genere, topicis, anodynis, ac deſiccantibus, v. gr. vinô dilutô, ſolutione opii, unguentô albô camphoratô, unguentô diapompholygos, aquâ plantaginis cum ſaccharô ſaturni & liquore tartari &c. curari, ſolaſque veſiculas induratas acû vel minuſculô ſcalpellô eſſe pertundendas: oculi autem phlyctænam in principiô talibus tolli, quæ ſine, aut ſaltèm leviſſimâ incruſtatione exſiccant, ex. gr. gummi Arabicô, gypsô, ſarcocollâ, ceruſsâ, ſubtiliſſimè pulveriſatis, ac ſubindè admiſtô albumine ovorum, cum alumine conquaſſatô. Ægroti occaſione, qui à tribus ingentibus varicibus, exteriorem regionem genu dextri infeſtantibus poſtulaverat liberari, Noſter, præmiſsâ differentiâ varicum ab aneuryſmate, quid varix ſit, an unus ab alterô differat, ac quæ circa ejus curationem notari mereantur, pluribus diſſerit: varicem namque venæ alicujus cutaneæ majoris unà cum ſuis ramificationibus, morboſam haberi dilatationem, in ſuperficie corporis tumorem livido-rubrum, inæqualem & ſine pedunculô conſtituentem, dependentem à tonô alicujus partis venæ, ex violentô artuum motû & multâ mox inſequente quiete amiſsô, à nimiis itidèm venarum compreſſionibus, conſtrictionibus, ſimilibuſque. Varicem quidèm à varice nonniſi magnitudine, locô & tempore diſcrepare, omnemque varicem curatû exiſtere difficilem, curationem tamen ejus venire accelerandam, totique corpori eſſe neceſſariam, ad ſuum exemplum butyrô antimonii ſuſcipiendam. Tametſi pannus eôdem modô, ut unguis, curandus videatur, optimè tamen Noſter annotat, diverſos hoſce oculorum eſſe affectus, diverſiſque pariter mediis removendos: pannum ſiquidèm tunicæ adnatæ, aliquandò ſimùl corneæ deprehendi talem excreſcentiam mollem, planam, rubicundam, citò increſcentem & dolorificam, in quâ vaſa ſanguifera nimìs turgeant, præter alia, quæ tam nimium ſanguinis motum compeſcant, quàm quæ evacuent, potiſſimùm topicis anodynis, malacticis, lenientibus corroborantibus, atque, tonô partium reſtitutô, deſiccantibus, removendam; unguem verò adnatæ tunicæ eſſe excreſcentiam liveſcentem in lamellæ formam ad & in corneam aliquandò extenſam, aptam, quæ (ala inde dicta) ab hôc inſtrumentô obtuſiori elevetur, initium capientem circa alterutrum oculi canthum in tunicâ adnatâ læsâ à punctô (undè pinna, pinnula) duriuſculô, nunc majori, nunc minori, cartilagineamque demùm duritiem contrahentem, volſellâ commodâ apprehendendam & forfice acutô reſcindendam, ſin regerminet ſtylô ignitô per cannulam æneam conſumendam. Encanthis ipſius quoque tunicæ adnatæ, ad utrumque oculi canthum laxè complicatæ, in tumorem rotundum, pedunculô inſiſtens perhibetur excreſcentia, ab ungue & pannô differens, quòd mox in lamellam extenſa abſque tunicæ adnatæ rupturâ, limbôque inversô vel vaſculis ſanguiferis luxuriantibus oriatur, pelliculâ extùs tegatur, pedetentìm creſcat, & creſcendo molleſcat, filô ſericô conſtringenda, &, ubi exciderit, pedunculi veſtigia cauteriô actuali exſiccanda. Amauroſeos deniquè cauſa quemadmodùm deficiens ſtaminibus nervi optici ſtatuitur liquidum, ità amauroſis ſenilis meritò incurabilis reputatur, iique perſtringuntur, qui, poſt varia evacuantia, ſalivantia demùm pro ipsâ tollendâ præſcribant.

BIEL (*Gabriel*)

Ex eô habetur

Contra Peſtem ſermo medicinalis, & de Fugâ Peſtis, Quæſtion. Exſtant cum ſermonibus ejus Dominicalibus de Tempore & Sanctis per totum annum. Hagenoæ, apud Joh. Rynman, 1515. in 4. pag. 150.

BIERLINGIUS (*Caſparus Theophilus*)

De eô exſtant

Adverſariorum Curioſorum Centuria Prima, cum Annexis ſcholiis & Appendice variorum, tam Chymicorum, quàm aliorum Medicamentorum. Jenæ, apud Johannem Lüderwaldum, 1679. in 4.

Obſervatio, de Melancholiæ anniverſariæ in Maniam degenerantis admirandâ ſpecie. Exſtat Ephemer. Acad. Nat. Cur. Germ. ann. II. num. 151.

De Diarrhœâ Chylôſâ, cum atrophiâ propter lactearum meſentericarum obſtructionem Ibid. ann. eôd. n. 152.

De ſuffocatione ex deglutitô Phaſcolô. Ibid. ann. eôd. n. 153.

De Febre tertianâ purâ intermittente, per emiſſionem vermis, ſupra juncturam ſcapulæ & claviculæ, remittente. Ibid. ann. eôd. n. 154.

De ſerpente vaccam emulgente. Ibid. ann. eôd. n. 155.

De urinæ effluxû ad radicem penis. Ibid. ann. eôd. n. 204.

De ſcorpione coctô innoxiè devoratô. Ibid. ann. eôd. n. 205.

De Salamandrâ coctâ innoxiè comeſtâ. Ibid. ann. eôd. n. 206.

De Antipathiis variis. Ibid. an. eôd. n. 207.

De Sterilitate propter obſtructum uteri collum à carneâ excreſcentiâ. Ibid. ann. eôd. n. 208.

De Picâ Gravidarum. Ibid. ann. eôd. n. 209.

De eôdem præterea ſic in Actis Lipſienſibus ann. 1694. *p.* 1.

Caſparis Theophili Bierlingii, Medic. Doct. Magdeburgenſium hactenùs Practici non incelebris, uti & Academ. Leopol. Cæſar. Collegæ, Theſaurus Theoreticô-Practicus &c. cum Præfatione Jacobi Wolffii Phil. atque Med. D. in Salanâ P. P. & Acad. Leopoldinô-Imperial. Adjuncti. Magdeburgi apud Hæredes Johannis Luderwaldi 1693. & *Jenæ* 1697. *in* 4.

QUindecim abiêrunt anni, ex quô Clariſſimus Bierlingius *Adverſariorum Curioſorum Centuriam primam* divulgans, continuationem eorum juſſit expectari. Quam fidem datam nunc demùm, Centuriâ alterâ cum ſyllabô obſervationum, atque rerum & verborum Indice communicatâ, liberâſſe omninò cenſendus eſt, licèt novus Theſauri Theoretico-Practici titulus eidem cernatur præfixus. Etenim hic Auctori non debetur, ut potè è vivis ante typum abſolutum

ereptô, & quidem annô ipsô proximè elapsô, quem fatalem ſibi per ſomnium jamjam ann. 1676. prænunciatum fuiſſe, *in ſcholiis ad Obſ.* 42. *de morte per ſomnium indicatâ*, conjecit, in lucem aliàs hic Lipſiæ ann. 1640. D. 30. Octob. editus. Sed Nobiliſſimo *Wolffio*, uti Præfationem, ità & Titulum indigitatum ad aliorum exemplum præponere, vel ideò placuit, quòd in Obſervationibus iſtis ſcholiiſque additis, tanquam Theſaurô, theoretica pariter atque practica adminicula, firma imprimis præſidia ſanitatis, theſaurorum optimi, affatìm erogarentur. Nec approbationem Lectoris facilè denegatum iri confidimus, modò paucula, pro more à nobis, tum quoad Obſervationes, tum quoad ſcholia, nunc commemoranda, non gravetur percurrere. Scilicet *Obſ.* 3. calculus libras quatuor totidemque uncias cum dimidiâ adæquans, fermè rotundus, in medium profertur, qui in equô quôdam Hiſpanicô duodecim à morte horis adhùc calidus ſedem ſupra renes pinguiorem intra tunicam habuerit, exemptuſque calorem etiam ad ſex uſque horas conſervaverit. *Obſ.* 4. Beato D. Valentino Andreæ Möllenbroccio, Medico quondam famigeratiſſimo, ſanguis aliquotiès per porum è globulô naſi, abſque ullâ irritatione præviâ, ſponte fluxiſſe innuitur. Obſ. 17. morbillorum cum tumore faciei fit mentio, modò erumpentium, modò retrôcedentium abſque ullô, & pueruli, & puellæ, ægrotantium nocumentô *Obſ.* 20. Ophthalmia mulieris periodica anniverſaria nonniſi fonticulis ceſſiſſe, iiſque recluſis oppidô rediiſſe, tandiù moleſta, donec uterque brachiorum fonticulus rursùs apertus eſſet, indicatur. *Obſ.* 22. infantem bimulum, poſt motus convulſivos præcedentes variolis decumbentem, die duodecimô ac duobus ſubſequentibus diarrhœâ hâcque remittente furunculi vexaſſe; itemque furunculi ovi columbini magnitudine, in universô aliùs infantis corpuſculô poſt variolas effloruiſſe narrantur. *Obſ.* 24. mira virginis alicujus, à vetulâ quâdam incantatæ, leguntur pathemata; referturque *Obſ.* 25. quomodô quis in Livoniâ tam in Lycanthroporum numerum receptus, quàm à Lycanthropiâ eâdem dæmoniacâ liberatus fuerit. *Obſ.* 29. acus ſartoria innoxiè advertitur deglutita. *Obſ.* 34. de virô generosô agitur, qui per plures annos de mirô dolore, per intervalla, ac præſertim loquendum inter vel edendum, fulguris adinſtar à nasô ſuper os jugale in muſculis ad tempora uſque acerrimè affligente; repentinumque terrorem incutiente, fuerit conqueſtus, adeò quidem pertinaci, ùt venæ ſectiones, arteriotomiæ, fonticuli, cucurbitulæ cum veſicatoriis, aliaque adhibita nihil prorsùs auxilii, olea verò deſtillata, e. g. majoranæ, chamomillæ, anethi, aniſi, fœniculi, rutæ, in certâ proportione linimenti vice commixta & inuncta levaminis parùm afferrent *Obſ.* 39. puerpera ex inſomniô & ſubſecutô terrore graviter delirâſſe memoratur, poſt enematis tamen, & anodynorum, atque abſorbentium uſum feliciter reſtituta. *Obſ.* 43. ſoror Andreæ Seidelii Leucopetræ A. 1670. in epilepſiam fertur incidiſſe, cùm ipſi frater mortuus, quem videre anxiè deſiderabat, eſſet oſtenſus. *Obſ.* 46. ſerum viri ſcorbutici poſt venæ ſectionem lactis inſtar ſanguini ſupernatâſſe, ſimilemque materiam lacteam, paucis annis pòſt, cum urinâ quoque aliquotiès, ab eôdem excretam fuiſſe, proditur. *Obſ.* 48. conſenſus uteri cum labiis oris, notabilis videlicèt labiorum tumor in gravidâ quâdam ſpectatiſſimâ, notatur, nullis remediis, partû autem peractô, ſponte cedens. *Obſ.* 51. deprehendere eſt virginem ſeptendecim annorum, quam menſtrualem fluxum nondùm paſſam menſibus ſingulis cephalalgia nariumque hæmorrhagia multùm exagitaverint, uſque vigeſimô demùm annô ſolemne tributum Lunare ſolvere inciperet. *Obſ.* 56. medela tetani capitis & colli, occaſione terroris enati, traditur. Fœmina aliqua, menſtruis evacuationibus nunquam obnoxia, ſex filios quatuorque filias peperiſſe, inſtante autem partû parùm ſanguinis, uti & lochia parca profudiſſe *Obſ.* 59. enarratur. Quam periculoſum ſit fœtentem pedum ſudorem ſupprimere, nobiliſſimæ cujuſdam virginis exemplô *Obſ.* 60. edocetur, utpotè quæ ramentis auri chalci tibialibus eum in finem inditis confeſtìm in febrem ardentem inciderit, nullis medicamentis abigendam priùs, quàm priſtina materiæ per pedes excretio fieret. In talpæ ſequioris ſexûs anatomiâ; quæ unà cum ciconiæ diſſectione *Obſ.* 63. occurrit, oculi nigri, puncticuli inſtar abſque cranii perforatione atque ductû vel veſtigiô nervi optici, deſcribuntur. *Obſ.* 65. ptyaliſmus in fœminâ quâdam nobili non medicamentis expugnatus, ſed materiæ craſſæ ac albæ per urinam excretione ſolutus habetur. A ſcabie membra paralytica occupante nonnunquam mortem prænuntiari, exemplis duobus *Obſ.* 68. oſtenditur. *Obſ.* 69. fœmina ter gravida ſemper ſuperfœtationem in uterô geſtâſſe, eamque viginti ſeptimanis poſt partum priorem in lucem edidiſſe commemoratur. Rarioribus autem accenſendum, quòd *Obſ.* 72. ex vulnere pectoris, ſclopetô inflictô, paucorum dierum ſpatiô centum & viginti unciæ ſanguinis effluxiſſe, ac *Obſ.* 73. inveteratâ fœminæ epilepſiâ, aſſumtô ſanguine humanô mitigatâ quidèm, matrimoniô verò ſuperveniente perfectè curatâ, perhibeantur. *Obſ.* 84. ſenex & anicula exhibentur, quorum ille auditum amiſſum poſt duodecim annos in aure ſiniſtrâ inopinatò receperit, hæc verò, niſi mane ſonitum aliquem (*ein krachen*,) in auribus percepiſſet, die illô minùs audiverit. *Obſ.* 89. gravida icterô laborans gemellos itidèm ictericos protuliſſe ſubinnuitur. *Obſ.* 96. hydrops & tumor pedum ſcarificationibus curati, aſt *Obſ.* 98. purgantia & vomitoria à Pharmacopœis aliiſque ſiniſtrè propinata, notantur. Et tantùm de obſervationibus, quarum pleræque quidèm, uti hactenùs recenſitæ, Auctoris propriæ ſunt, nonnullæ tamen ex aliorum etiam Epiſtolis cernuntur depromtæ, v. g. *Obſ.* 14. de nævis vel potiùs tumoribus ex prægnantium imaginatione, *Obſ.* 15. de quâdam cataleptica; *Obſ.* 16. de maculis ſcorbuticis poſt mortem cum pediculis erumpentibus, *Obſ.* 25. de morte ex emanente podagrâ; *Obſ.* 26. de rubedine & ſudore faciei poſt mortem; *Obſ.* 27. de duabus puellis à diabolô ejuſque inſtrumentis, ſagis nimirùm, ſeductis; *Obſ.* 31. de verme ſternutando, è naribus rejectô; *Obſ.* 35. de epilepſiâ ex uterô & vòmitû ſupernaturali; *Obſ.* 53. de extremô poſteriorem ſclopeti partem claudente ferrô (germanicè *Schwantz - Schraube*,) improvisò per dextrum oculi canthum immiſsô, & ultra quinque annos in capite detentô; *Obſ.* 54. de fluxû hæmorrhoidali cujuſdam viri in ſenectute non magis apparente &c. Perpauca etiamnùm de ſcholiis reſtant monenda, quibus Auctor obſervationes ſingulas, ſi *nonageſimam nonam*, compactata inter Chirurgos ac Balneatores tàm Lipſienſes quàm Naumburgenſes evulgantem, & *centeſimam*, varia de variis affectibus proponentem, excipias, voluit exornare. In his quippè non modò ex auctoribus ea adducuntur, quæ affectibus propoſitis quoad theoriam non minùs atque

atque praxin illuſtrandis inſerviunt, ſed & aliquandò nova apponuntur exempla, in praxi ab Auctore obſervata. Sic in *ſcholiis ad Obſ.* 2. de apoplexiâ forti ex nimiâ vini Hiſpanici & ſpiritûs ardentis ingurgitatione, poſtquam ex Auctoribus de apoplexiæ cauſis, quantùm ad dilucidandum caſum præſentem, actum eſt, ſenex non ità pridem apoplexiâ traditur correptus, quæ, licèt in paralyſin ſiniſtri lateris deſierit, linguæque uſum ſufflaminaverit, veneris tamen ardorem concitavit maximum. *In ſcholiis ad Obſ.* 11. de febre intermittente ex irâ cum inflammatione colli periodum nullam obſervante, mira juvenis ardentiſſimâ febri laborantis reſtitutio exponitur, ab eô mox momentô contingens, quô hìc præ irâ totus contremiſceret, & in ſudorem ſolveretur. E diverſô pleuritis ab irâ inducta *in ſcholiis ad Obſ.* 38. pertractata, legitur. *In ſcholiis ad Obſ.* 87. de apoſtematis in dextrô brachiô poſt ulcerum tibiæ ſiniſtræ conſolidationem excitatis, dyſenteria & epilepſia ob ulcera pedum curata notantur &c. ſub calcem deniquè ſcholiorum remedia plerumquè cum cautelis practicis affectuum diverſorum à beatô quondam D. Johanne *Michaëlis* in Collegiô practicô Jonſtonianô dictata & commendata proferuntur; de quibus tamen nihil attinet in præſenti dicere, cùm initium *Operum B. D. Johannis Michaëlis Norimbergæ ann.* 1688. editorum conſtituant, Lectorque cum his Auctorem noſtrum conferendo notabilem hìnc indè diſcrepantiam obſervare ipſemet queat facillimè. Tantùm adhuc dolemus quòd Auctor morte præventus nec *Tractatum Medico-Juridicum in Prodromô hujus ann.* 1691. *Jenæ* divulgatô, promiſſum, nec *obſervationes de peſte nuperâ Magdeburgenſi*, quarum tàm in Theſaurô hactenùs perluſtratô, quàm in *Problemate Pharmaceutico-Medicô ann.* 1684. *typis Helmſtadienſibus* propoſitô, dedit ſpem, valuerit perficere. Quòd ſi verò ſcripto utrique ultimam forſan manum Auctor in vivis adhuc exiſtens impoſuit, ùt neutrum Hæredes orbi litterato invidere velint, publicô hìc nomine volumus exoratos.

BIERMANNUS (*Martinus*)

De eô exſtat

Ἐξέτασις de Magicis actionibus, ſententiæ Joh. Bodini oppoſita. Habetur cum Tobiæ Tandleri Diſſertationibus Phyſicis-Medicis. Wittebergæ, apud Zachar. Schurerum, 1613. in 8. Francof. 1629. in 4.

BIESIUS (*Nicolaus*) natus eſt Gandavi, urbe Belgii, A. C. 1516. In turbis Belgii periculoſiſſimis dum Lovanii Profeſſorem ageret, Oratoris Academici munus ad Ducem Albanum fideliter obivit. Valentiæ in Hiſpaniâ antequam Lovanium veniſſet, Ducibus Calabriæ adhæſit. Obiit in Aulâ Cæſaris, apoplexiâ perculſus A. C. 1573. ætatis ſuæ 57.

Ex eô habentur

Theoreticæ Medicinæ, Libri ſex. Quibus omnia hujus artis præcepta explicantur, Antverpiæ, apud Martinum Nutium, 1558. in 4.

In artem Medicam Galeni, commentarii Antverpiæ, ap. Mart. Nutii viduam, 1560. in 8.

De Methodô Medicinæ, Liber unus. Antverpiæ, apud Mart. Nutii viduam, 1564. in 8. Lovanii 1564. in 8.

De Naturâ, Liber v. Antverpiæ, ap. Martini Nutii viduam, 1573. 1593. in 8. Ibid. apud Gisbertum Janſſenium, 1613. in 8.

BIFRONS (*Jacobus*) Rhætus,

De eô exſtat

De Operibus Lactariis, Epiſtola. Habetur cum Magiricâ Jodoci Willichii. Tiguri, apud Jac. Geſnerum, 1562. in 8.

BILGERUS) *Johannes*)

Ex eô habentur

De Gravi Catarrhô, Epiſtola. Exſtat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium 1628. in 4.

De Calculis in humanô corpore inventis, Epiſtolæ duæ. Exſtant cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. poſterioribus. Ulmæ Suevorum, apud Saurium, 1628. in 4.

BILLINGERUS (*F.*)

De eô exſtat in Actis Lipſienſibus ann. 1718. *pag.* 5.

Tractatus de Fœtu nutritô

or

A Diſcourſe of Fœtus in Womb demonſtrated to beby Ways hitherto unknown. &c.

h. e.

Diſſertatio de Nutritione Fœtûs in uterô, per vias hactenùs incognitas fieri demonſtrata &c. Auctore F. Billingero Medicorum Collegii ſociô. Londini, apud Wilh. Jnnys, 1717. 8.

CUm nutritio fœtûs in uterô maternô non minùs dubia, quàm generatio ipſa, ex eô Nobiliſſimo *Auctori* viſa fuerit, quòd Anatomicos inter nondùm conveniat, num embryo in matrice fluidum illud, cui innatat, ore abſorbeat, an nutrimentum per vaſa umbilicalia accipiat, an utrôque nutriatur modô, ipſe manum admovere, inque rem ſectionibus inquirere, eamque obſervatis demùm decidere judicavit neceſſarium. Neque ſucceſsû omni caruiſſe pluribus exponit, poſtquàm ea, quæ tàm inter Veteres *Hippocrates, Fabricius ab Aquapendente, Laurentius Heurnius, Platerus, & Spigelius*, quàm Recentiores inter *Harveus, Bayle, Juſſieu, & Jacobus Sponius*, de fœtûs nutritione ſenſerint, non modò cum ratione recenſuit, ſed & quinque illa argumenta, quibus nutritio fœtûs per os conſuevit adſtrui, ſpecialiùs diſcuſſit. Quemadmodùm enim embryonem, nec liquore amnii, nec ore, ſuſtentari poſſe, exemplô fœtûs, vel cum amnii humore fœtidô, vel ſine capite, vel ore, cum conſuetô tamen ventriculi fluidô in lucem editi evincit: ità omnem ejus alimoniam per ſola vaſa umbilicalia adferri, hujus autem grandioris peculiarem ſimul uſum adverti, tali aſſeverat ratione ſcilicèt, dum humores uteri, æquè ac ovi albumen, non tàm nutrimentum, quàm molle ſaltèm pulvinar, fœtui præbent, ſuper quod tenera ſua moveat membra; embryonem conceptum, i. e. vermiculum ſeminis maſculini, cum ovulô aliquô intra ovarium matris unitum, ab ovuli liquidô, veluti vitelli ovi quâdam ſpecie omnium primum eò uſque nutriri, donec vaſorum umbilicalium rami, inſtar radicum vegetabilium, per corticem ovuli excreverint ac interventû placentæ uterinæ cum ramis capillaribus arteriarum uteri hypogaſtricarum coiverint. Tunc liquorem ſiquidem lacteo-Chyloſum in placentæ uterinæ parenchymate glanduloſô ſecerni, ſecretumque cum Sanguine à venæ umbilicalis

umbilicalis ramis recipi, ùt per truncum hujus ad hepar ſive venam portæ, ab hâc intercedente Gliſſonii canali venoſô, mox ad venam cavam, porròque ad dextrum cordis moveatur ventriculum unà ſiniſtrum ingrediatur, ad hoc demùm magnâ ex parte per inſignem arteriæ carotidis ramum ad thymum propellendus. In thymi hinc glandulis globuloſis chyloſum itidem ſuccum à ſanguine non tantùm ſecerni ac per vaſula minora in ductum, veluti receptaculum commune, infundi, ſed per canales quoque duos in duobus proceſſibus latentes & juxta tracheam aſcendentes ad glandulas maxillares, ceù quibus duo ejuſmodi thymi proceſſus non tàm contigui, quàm continui, *Warthono* jamdùm reputati fuerunt, deferri per diſtincta oſcula ductuum ſalivalium ſub linguâ oris cavo tàm inſtillandum, quàm per gulam ad ventriculum pro hujus liquore mucilaginoſô, chylificationem incipiente, ac inteſtinorum meconiô, ſine deglutitionis motione deſtillandum. Quô talis verò thymi cum glandulis maxillaribus ſalivalibus communicatio, ex fœtu vitulinô, à quôvis queat detegi, jubet *Noſter* fœtum ovillum, vel potiùs vitulinum, in ſextâ conceptionis ſeptimanâ cultro anatomico ſubjicere, ac integumentis & ſternô partìm remotis, partìm utrôque arteriæ carotidis & venæ-jugularis ramô ligatô, thymum ipſum tranſparentem ac denudatum linteô quadruplicatô calidâque aquâ imbutô apprehendere, ejuſque proceſſus ſursùm verſus glandulas maxillares comprimere, fore namque tùm, ùt glandulæ maxillares inſigniter turgeſcant, multùmque lymphæ nutritiæ ſub ſalivæ ſpecie in oris cavum influat. Haud dubiè tamen multi dolebunt, rariſſimam offerri occaſionem fœtus tales diſſecandi ac in iis ductum thymi pæſcriptô modô indagandi, vel injectione quoque Mercurii, niſi exilitas ipſius obſtet, ulteriùs confirmandi, etiamſi ambabus manibus *Auctori* largirentur deſignatum thymi uſum, ceù in fœtu primarium, in infantibus pariter recèns natis aliquandiù continuatum iri, quia ſanguis eorum à copioſiori pituitâ æquè depurari, ac lac in ventriculô coagulatum cum aliis ingeſtis dilui & diſſolvi, poſtularet. Cæterùm in *Appendice*, ſicuti omnes reprehendit fœminas, quæ infantibus mox à partû rutæ, pervincæ, ſimileſque ferè deleterios ſuccos propinant, miſellos non tàm ab inſultibus febrilibus præſervantes, quàm in tumulum præcipitantes, ità in errores potiſſimùm perſtringit, à mulieribus, natos vel mammis, vel ſine mammis educantibus, circa cibum eorum commiſſos. Inter priores namque matres graviter peccare, quæ mammas proprias à vetulis exſugendas, infantes autem à nutricibus lactandos curent, quorum lac caſeoſum difficilis digeſtionis intuitû multos pareret morbos, vix promptiùs tollendos, quàm ubi tenelli ipſis matrum mammis admoverentur. Poſteriores verò inter multùm hallucinari, quæ infantes craſsô pulmentô, ex aquâ & pane ſimilagineô paratô cibô tamen teneris natis crudiori, ac tormina & diarrhæas concitante, ſoleant nutrire, cùm ipſe cremorem potiùs lactis vaccæ, vitulum quæ non adeò pridèm peperit, cum parvâ aquâ calidè dilutum, hinc aquæ partem unam cum duabus partibus lactis commixtam & tepefactam ſimplicis diætæ vice feliciter ſubſtituerit, hâcque multis miſeris ac emaciatis ſanitatem plenam reddiderit.

BILLICHIUS (*Antonius Guntherus*)

Ex eô habentur

De tribus Chymicorum principiis, & Quintâ eſſentiâ, Exercitatio. Bremæ, apud Thom. Villerianum, 1621. in 8.

Ad Animadverſiones, Anonymus quidam in Angeli Salæ Aphoriſmos Chymiatricos conſcripſit, Reſponſio. Lugd. Batav. apud Gotfredum Baſſon, 1622. in 8.

Obſervationum ac Paradoxorum Chymiatricorum, Lib. II. quorum unus medicamentorum præparationem, alter eorundem uſum ſuccinctè perſpicuèque explicat. Lugd. Batav. apud Joh. Maire, 1631. in 4.

De Naturâ & conſtitutione ſpagyrices emendatæ, Exercitatio. Helmæſtadii, apud Zachariam Raben, 1623. in 4.

Theſſalus in Chymicis redivivus : id eſt, de vanitate Medicinæ Chymicæ Hermeticæ ſeu ſpagyricæ. Diſſertatio. Ejuſdem Anatomia Fermentationis Platonicæ. Acceſſerunt de eâdem Hermanni Coringii Exercitationes, & Danielis Sennerti Epiſtola. Francof. apud Johan. Beyerum, 1639. in 8. Ibidem, apud Eundem, 1643. in 8.

Petri Laurembergii Deliria Chymica. Bremæ, apud Thomam Villier, 1625. in 8.

Exercitium Chymicum ultimum ac ſupremum. Ibidem apud Eundem ; 1625. in 8.

Aſſertionum Chymicarum ſylloge, oppoſita Petro Laurembergio. Helmæſtadii, apud Zachar. Raben 1624. in 4.

BILSIUS, ſive de Bils (*Ludovicus*)

De eô exſtant

Reſponſio ad Admonitiones Johannis ab Horne, ut & ad Animadverſiones Pauli Barbette, in Anatomiâ Bilſianâ. Roterodami, ap. Arnoldum Leers, 1661. in 4.

Specimina Anatomica : cum Clariſſ. Doctiſſimorumque virorum Epiſtolis aliquot & Teſtimoniis : Interprete Gedeone Bueniô. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem. Ibid. 1663. in 4.

Reſponſio ad Epiſtolam Tobiæ Andreæ, quâ oſtenditur diverſus uſus vaſorum hactenùs pro lymphaticis habitorum. Juncta ſimul & Hiſtoria memorabilis eorum, quæ Auctori, occaſione Balſamationis ſibi peculiaris, in Brabantiâ, & potiſſimùm Lovanii, evenerunt. Quæ excuſa Roterodami, 1669. in 4. nunc recuſa, & à plurimis mendis repurgata eſt. Accedunt demùm 1. Tobiæ Andreæ ejuſdem breve Extractum Auctorum in Cadaveribus Bilſianâ methodô præparatis. 2. Samuelis Andreæ Epiſtola ad Eundem. T. Andreæ de Balſamationibus veterum, ſeù ritu condiendi Cadavera apud Veteres. Omnia cum Præfatione Johan. Jacobi Waldſchmiedii. Marburgi Cattorum, ap. Salomonem Schadewitzium, 1678. in 4.

Epiſtolica Diſſertatio, quâ verus Hepatis circa chylum & pariter Ductûs, Chyliferi hactenùs dicti, uſus docetur. Roterodami, apud Johan. Næranum, 1659. in 4.

Exemplar fuſioris Codicilli. In quô agitur de verâ humani corporis Anatomiâ. Ibidem apud Eundem, annô & formâ iiſdem.

Epiſtola ad omnes veræ Anatomes ſtudioſos. Ibid. apud Eundem, 1660. in 4.

BINABIOLLUS (*Hannibal*)

De eô exſtat

De Deſtillatione Capitis ad Bronchia Pulmonum, & viſione depravatâ, Conſilium. Habetur eô Opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francof. apud Joh. Sartorium 1605. in 4. pag. 125.

BIMIUS (*Leonhardus J.*)

Ex eô habetur

Peſtis ad vivum delineata & curata. Leodici Eburonum, apud Guilielmum Henricum Streel, 1671. in 8.

BINDER (*Udalricus*) Germanus

Ex eô exſtant

Epiphaniæ Medicorum. Speculum videndi urinas hominum. Clavis aperiendi portas Pulſuum. Berillus diſcernendi cauſas & differentias Febrium. Excuſæ, 1506. in 4.

Regimen ſanitatis, ſive Compendium tuendæ valetudinis, Lib. duobus. Speculum Phlebotomiæ, Liber unus. De ſimplicibus Medicamentis Liber unus. Conjunctìm, 1510. in parvô fol.

BINGESLA (*Buhahylya*)

Ex eô habetur

Tacuini Ægritudinum & Morborum fermè omnium Corporis humani cum curis eorundem. Argentorati, apud Johan. Schotum, 1532. in fol.

BINNINGERUS (*Joh. Nicolaus*) Montbelgardenſis

De eô exſtant

Obſervationum & Curationum Medicinalium Centuriæ quinque; ubi præter diverſorum affectuum Hiſtorias, & Curationum Eventus, rara, nova, & inaudita quædam, memorantur. Montbelgardi typis Hippianis, 1673. in 8. Argentorati, 1676. in 8.

BIRBECK, (*Chriſtophorus*)

De eô exſtat in Actis Lipſienſibus ann. 1703. *pag.* 143.

Relatio de Fœminâ, maximam Fœtûs partem per umbilicum excludente, à Chriſtophorô Birbeck, Chirurgô, in Actis Philoſophicis Anglicis Annô 1702. *n.* 275. *exhibita, & hic latinè reddita.*

CUm gravida quædam mulier partûs doloribus corriperetur, obſtetrix extractâ ſecundinâ, quæ primùm ſe offerebat, in uterô quicquam adhuc reſtare, percipere neutiquàm poterat: & quoniam abdomen ſubſidebat, uterus contrahebatur, & fœmina cæteroquìn benè tùm ſe habebat, ſecundinam hanc molam fuiſſe credebat. Verùm ſeptimanô pòſt, magnam materiæ fœtidæ copiam ad aliquot dies per genitalia excernit, & ſucceſsû temporis moleſtam ſentit in hypogaſtriô duritiem mulier, quâ mole doloroſâ, per ſex ſeptimanas in dies augmentum capiente, & verſus regionem umbilicalem ſe extendente, maximè debilitata, de vitâ deſperat. Cùm tumor interìm huic regioni ad menſem circiter affixus intolerabiles concitaret dolores, in viciniâ habitantes mulieres pro abſceſsû eum habebant, pro quô ſuppurandô & rumpendô poſtquàm remedia applicuiſſent, quæ in ejuſmodi caſibus in uſum cedere ſolent, rumpitur ille, & uberrimam tenuis fœtidique liquoris quantitatem ſucceſſivè ejicit. Ulcus hìnc partes vicinas ſphacelô corripiens, in tantam dilatabatur amplitudinem, ùt viri manus commodè intrudi poſſet, atque tantum ſpirabat fœtorem, ùt nec ipſa ægra, ceù tenerrimæ conſtitutionis, nec quiſquam alius illi inſpiciendo par eſſet. Brevi pòſt, oſſicula quædam ex ulcere eliminata obſervat, mihique attonita monſtrare jubet. Quæ cùm oſſicula digiti infantis eſſe cognoſcerem, rei novitate allectus eam inviſere conſtituebam, nec ſine gaudiô excipiebar ab ipsâ, in ſummis paupertatis anguſtiis hærente. Partes igitur inſpiciens, fœtum in ſphacelatâ reperio maſsâ, & ſpecillô varia deprehendo oſſa; hinc dilatatâ ſeparatâque ſphacelosâ, quæ circumſtabat, carne, plus quàm dimidiam coſtarum partem, nonnullas vertebras dorſi, & alia oſſa extraho, ac ultra libram carnis corruptæ, & atramenti colorem, nauſeoſumque odorem referentis; de infantis corpore, reſcindo, refectionemque ſingulis binis vel ternis diebus per integrum menſem continuo. Circumſpectè namque tale quid aggredi, ſumma, quâ laborabat miſera, virium proſtratio jubebat: niſi enim cautè & ſucceſſivè fœtum extraxiſſem, vitam procul dubiô in ipsâ operatione finiviſſet mater, analepticis nunquàm non reficienda. Cùm autem poſt ſingulas operationes benè ſe haberet mulier, convaleſcentiæ ſpes affulgebat, quæ in principiô admodùm exigua erat. Lineam enim albam non modò & muſculos abdominis, verùm etiam peritonæum & omentum magnâ ex parte ſphacelus occupabat, & inteſtina oculis patebant, aëri diu ſatis expoſita. Poſtquam igitur fœtum ex parte extraxiſſem, & maxima materiæ copia per hanc viam prodiiſſet, effluxus ejuſdem per inferiora imminuebatur. Quapropter deligatione, ſpleniorum applicatione, atque injectionibus detergentibus & exſiccantibus in uteri vaginam immiſſis, ſuccurrere ipſi ſtudebam, & tali quidèm cum ſucceſsû, ùt brevi omnis per pudenda ceſſaret effluxus, & partes hæ penitùs ſanarentur. Quemadmodùm & paulò pòſt ulcus, per fomentationes, digeſtiva & mundificantia remedia tractatum, à putrefactione liberabatur, & abdomen integritati, mulierque priſtinæ ſanitati uſquè adeô reſtituebatur, ùt fœnô frumentiſque colligendis adhuc intereſſe liceat.

BIRELLUS (*Joh. Baptiſta*)

Ex eô habetur

Alchimia nova. Hafniæ, 1654. in 4.

BIRRIUS (*Martinus*)

De eô exſtant

Tres Tractatus de Metallorum Tranſmutatione: quorum I. agit de Metallorum Metamorphoſi. II. Inſcribitur brevis Manuductio ad Rubinum cœleſtem. III. Fons Chymicæ Veritatis. Adjuncta eſt Appendix Medicamentorum Antipodagricorum & Calculifragi. Amſtelodami, apud Johann. Janſonium à Waesberg. 1668. in 8.

BISELLUS (*Agapitus à Saxô ferratô*)

De eô exſtat

Diſputatio, continens Theoremata Logica; Naturalia, Medicinalia, publicè triduô in Patavinô Gymnaſiô diſputata. Patavii, 1557. in 4.

BISSUS (*Franciſcus*) Panormitanus, Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor eximius: vir doctrinâ excultiſſimus: non modò in Siciliâ, verùm etiam in Italiâ, ac alibi celeberrimus. Magnâ valuit doctrinæ opinione; ingentemque ſui æſtimationem apud Principes, ac Siciliæ Dynaſtas excitavit. Acceptiſſimus præſertìm fuit Franciſco Ferdinando de Avalos, Piſcariæ Marchioni, Siciliæ Moderatori, cujus ægritudines curavit. Eâ floruit Medicæ ſapientiæ celebritate, ùt poſt ejus mortem vixerit ſuperſtes ejus fama; & mos Panormi invaluit, ùt quotiès quiſque Medici alicujus excellentiam exaltare intenderet, hôc exponeret modô. *Eſt alter Biſſus.* Meritò ideòque ann. 1580. à Marcô Antoniô Columnâ, Siciliæ

ciliæ Prorege, electus eſt Siciliæ, Inſularumque adjunctarum Archiater; exindè ann. 1581. à Philippô II. Catholicô Rege, ampliſſimô diplomate confirmatus, magnâ cum pompâ Panormum ingreſſus eſt, 29. Novembris ann. 1581. & longô nobilium virorum cœtû, urbiſque Magiſtratû, equeſtri ordine diſpoſitis, per Urbem deductus eſt. Hanc ſupremam Medicæ Artis dignitatem, ad quam virum eximium doctrinæ promerita evexere, magnâ cum laude uſque ad vitæ extrema retinuit. Ingenii elegantiam amœnioribus etiam ſtudiis addixit: ideòque eloquentiſſimi Oratoris, egregii Poetæ laudes obtinuit: ejuſque ingenii monumenta Etruſca, & Latina, tùm ſoluta, tùm pedibus adſtricta, in Accenſorum Academiâ Panormitanâ (cui nomen dedit) non ſine plausû ſæpiùs excepta ſunt. Hinc publicis urbis expenſis quædam ejus comœdia, annô 1573. pro Bacchanalium tempore Senatûs juſsû recitata eſt, ut in quôdam librô m. ſ. apud me legi. Eruditione, omnique doctrinæ genere excelluit; & ùt omnia verbô abſolvam, inter Siculos ævi ſui literatos primas tenuit. Vivere deſiit Panormi 20. Januarii 1598. & in Eccleſiâ S. Mariæ de Jesû ſtrictioris Obſervantiæ S. Franciſci ſepulturæ traditus eſt. Laudibus noſtrum Franciſcum extollunt Baronius *de Maeſt. Panormitana Lib.* 3. *Cap.* 4. *pag.* 117. Matthæus *Donia* in poemate inſcriptô, *Formica p.* 3. ipſi nuncupatô, & in opuſculô, cui nomen *Polyſticon pag.* 21. Antonius *Alfanus*, & Leonardus *Orlandinus in carminibus Accenſorum Lib.* 1. *pag.* 6, *&* 155. & ab eôdem *Alfanô*, & Bartholomæô *Bonnanô Lib.* 2. *eorundem Carminum pag.* 2. *&* 6. Vincentius *de Johanne in Panormô Triumphante Lib.* 12. *p.* 124. Aurelius *Riſaliti in Epiſtolâ nuncupatoriâ precum pro quadraginta horis*, Fortunatus *Fidelis* in librô inſcriptô: *Biſſus, ſive Medicinæ patrocinium*, Joſeph *Galeanus in Epiſt. nuncup. Roſaliæ Triumphantis pag.* 14, Leonardus *Orlandinus var. Imaginum pag.* 27. Franciſcus *Flaccomius in Sicelide ſect.* 3. *pag.* 38. Sebaſtianus *Bagolinus Lib. Carminum pag.* 98. Edidit *Apologiam in Curatione ægritudinis Ill. Franciſci Ferdinandi Avalos Piſcariæ Marchionis, & Siciliæ Proregis munificentiſſimi.* Panormi apud Jo. Matthæum Maidam 1571. in 4.

Epiſtolam Medicam Paulo Reſtiſæ de Eryſipelate. Exſtat in librô editô Meſſanæ apud Fauſtum Bufalinum 1589. in 8. inſcriptô: *Reſponſiones Apologeticæ Pauli Crinò in Apologiam Gerardi Columbæ* ubi habes hujus epiſtolæ cenſuram, ac defenſionem.

Orationem in obitû Marchionis Piſcariæ Siciliæ Proregis ex Baroniô *de Maeſt. Panorm. l.* 3. *p.* 117. In librô cui titulus: *Rime degli Academici Acceſi di Palermo, libro ſecondo pag.* 21. Exſtant tantummodò aliqua ejus carmina Etruſca.

Ipſum laudat Julius *Jaſolinus de remediis Naturalibus. Inſulæ Pithecuſæ lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 63. qui ſcripſiſſe teſtatur.

Vitam Joannis Philippi Ingarſiæ. *Nicolaus Mongitor Biblioth. Siculæ Tom. j.*

BLACKMORE (*Richardus*)

De eô exſtat in Actis Lipſienſibus ann. 1718. *pag.* 263.

Eſſais upon ſeveral ſubjects &c.
i. e.

Tentamina de diverſis Argumentis; auctore Richardô Blackmore, Equite, Medic. D. & Medicorum Londinenſium ſociô. Volumen II. Londini, ap. A. Bettesworth, & J. Pemberton. 1717. 8.

QUandoquidem horumce Tentaminum Vol. I. nihil habet, quod Medicinam artem ſpectet, II. tantùm producimus, in eôque ad Nos attinentia ſeligimus.

Secundum, quod hoc volumine continetur, tentamen, & novitate & jucunditate argumenti egregiè ſe ſe commendat. Agit autem illud *de Liene*, viſcere in animantibus omnibus non exiguæ molis, hactenùs tamen inter tot felices Anatomicorum obſervationes obſcurô & μυστηριώδει. Antiqui noxii viſceris inſtar lienem habuêre, intemperantiam risûs ex magnitudine ejus, celeritatis in currendo impedimentum ex eôdem in univerſum deducentes, atque adeò exſectionem lienis amantes. Recentiores, veriti naturam vel otioſæ vel noxiæ partis, tantâ mole tamèn gaudentis, in corpus animale immiſſæ accuſare, varia commenti ſunt, quibus lien ſerviat. Stomachi fovendi munus à quibuſdam nactus eſt, cui Cl. Auctor obſervationem Malpighii opponit, qui vidit animal poſt lienis exſectionem non eâdem tantùm concoctionis facilitate gaudere, quâ anteà, ſed & voracius evadere ac magis famelicum. Alii receptaculum humorum melancholicorum in liene quæſiverunt, non conſiderantes, nullam apparere in liene eorundem iterùm emittendorum viam, ùt adeò in immenſum excreſcere debeat lien. Williſius in liene depoſitas arterioſi ſanguinis particulas craſſiores ibi aciditatem exiſtimavit contrahere, ac in fermentum velut evadere; quòd ex liene, iterùm ad venas & nervos perveniens utrobiquè motum, ſine hôc fermentô languidum futurum, excitet ac vehementiorem reddat, & ab ejuſdem fermenti nimiâ aciditate affectus ſplenicos deducit. Enim verò cùm neque vaſa appareant, ſeparationi huic humorum idonea, nec ciſterna ad eos colligendos apta, nec canales, qui hoc fermentum ſanguini iterùm reddant, gratis hæc ſecundum Auctorem noſtrum aſſeruntur. Venit itaquè Viro doctiſſimo in mentem viſcus hoc, quod conſtat conſervationi individui non ſervire, ſiquidèm ſine diſpendiô vel vitæ vel valetudinis poteſt exſecari, cùm natura fruſtrà nihil faciat, inſervire conſervationi ſpeciei, & generationi vel juvandæ vel moderandæ. Quomodò id fiat, dictû fatetur eſſe difficile, conjicit tamen id fortè fieri, obſtruendo ſanguinis torrentem, ejuſque nimiam rapiditatem moderando, nè fluida prolifica nimiâ vel vehementiâ vel copiâ in partes generationi ſervientes aliàs ruitura procreationem prolis magis impediant quàm juvent. Retardari certè in liene motum ſanguinis in apricô eſt, cùm diameter arteriæ, quæ ſanguinem in lienem immittit, 80. vicibus ad minimum minor ſit diametrô viſceris totius, undè certum eſt juxta regulas Hydroſtaticas, circulationem ſanguinis in liene 80. vicibus tardiorem eſſe, quàm erat ante ingreſſum. Et quanquam ſub egreſſum ex liene priſtinam celeritatem videatur recuperare, monet tamen Noſter ex obſervatione celeberrimi Anatomici, *Cheſeldeni*, ſanguinem ex liene in hepar intrare, motû 8. ſaltem vicibus tardiore, quàm intravit in lienem. Addit & aliam non minùs curioſam Londinenſis Medici *Purcelli* obſervationem, qui canes, exſectô liene, ſalaciores & ad Venerem magis pronos ſe animadvertiſſe teſtatur. Undè conjicit Auctor, majorem ac minorem animalium ſalacitatem naturalem fortè acceptam referendam eſſe lienis in ſalacibus minori moli, & arteriæ majori

jori capacitati, in caſtioribus contrariæ cauſæ. Hæc tamen omnia curatiori aliorum ſcrutamini ſubjicit, gaviſurus, ſi quis rectiùs quicquam poſſit invenire. Prolixiùs indè hypochondriacas & hyſtericas paſſiones examinat, lieni ab antiquis & recentioribus, ferè unanimiter adſcriptas, quas tantò magis operæ pretium eſt conſiderare, quòd in animæ operationes etiam influant, & *lienoſum*, ut Plautus habet, cor efficiant. Willisii ſententiam de hypochondriacis affectibus modò retulimus, ab immoderatâ fermenti in liene præparati aciditate, quæ nimiâ violentiâ agitatum ſanguinem in fermentationem veluti mittat, ac funeſtos effectus producat, rem omnem deducentis. Noſter hæc egregiè dici, ſed ipsâ inſpectione corporis humani non probari poſſe contendens, non magis lienem, etſi in his affectibus inuſitatâ diſtenſione affligi & vicinas partes viciſſim affligegere ſolitum, pro causâ illorum haberi poſſe, quàm ſtomachum, cor, aliaque viſcera non minùs hôc morbi genere afflicta, exiſtimat. Quare ipſe quidèm non dubitat, malum illud ab irregularitate & anomalô motû ſpirituum animalium eſſe deducendum, ſæpè naturali, ſæpè etiam diuturnis obſtinatiſque curis, triſtitiâ, imò otiatione quoque demùm acquiſitâ hâc causâ. Hi verò affectus ſpiritus animales potiſſimùm affligunt, qui deindè cùm in cæteris partibus corporis triſtes effectus producant, digeſtionis & appetitûs corruptionem, cruditates ſtomachi, nauſeam, nimium edendi appetitum, & poſt cibum hypochondriorum oppreſſionem, in capite tinnitum aurium, ſcintillas oculis obverſantes, vertiginem, phlogoſin, cephalalgiam intenſam, in pectore anxietates præcordiorum, variam cordis vibrationem, tum in phantaſiâ imprimis & facultatibus animæ ingentem efficiunt anomaliam. Indè enim alternantes invicèm hinc lætæ, hinc triſtes horæ, utrobiquè ad exceſſum uſque modò audacia virilis, modò fœminea trepidatio, anxiæ ſuſpiciones, imaginationis vis immenſa, leviſſimaque inconſtantia animi, pathemata hypochondriacorum ſolemnia, à ſpirituum agitatione modò rapidiſſimâ, modò ſubſidente nata. Quæ omnia nè prorsùs nova videantur, monet doctiſſimus Autor, jam aliis quoque notatum eſſe, homines hypochondriacis affectibus obnoxios, quandiù ſunt extra paroxyſmum, aliis præſtare acumine, apprehenſionis facilitate imaginationiſque vivacitate, quod abundè quidèm oſtendat, eum affectum potiſſimùm deberi ſpirituum animalium nimiæ copiæ, motuique irregulari, etſi aliæ cauſæ omninò concurrere valeant. Eadem eſt Viri docti de hyſtericis paſſionibus ſententia, quarum funeſti effectus, majore etiam quàm in hypochondriacis violentiâ terribiles, ſæpè à cauſis externis emoti, non poſſunt ſecundum Authorem rectiùs tribui cauſæ alii, quàm ſpiritibus in nervis fœminei corporis ſubtiliore velut ſtamine contextis ad ſeditioſos motus promptioribus, eaſque, quas horremus, convulſiones producentibus. Jucundior adhùc eſt altera hujus tentaminis ſectio, quâ hujus, quam Britanni *Spleen* nominant, lienos liceat dicere corporis conſtitutionis, effectus, qui ſe cùm in intellectu, tùm in moribus hominis exerunt, expenduntur. Conſiſtit ea, ut diximus, ſecundum Autorem noſtrum, in certô eôque generosô ſpirituum animalium habitû, magis quàm in aliis ad vigorem & agilitatem ſtimulatorum & exaltatorum, qui proindè in animô genium φαντασιώδη, argutum, ingenioſum, levem tamen & ad inconſtantiam inclinantem vel efficiant, vel comitem certè habeant.

Hanc ingeniorum verò indolem Britanniæ potiſſimùm propriam eſſe exiſtimat Vir nobiliſſimus, quâ fiat, ùt mirificâ ingeniorum varietate, excellentiâ & ſingularitate etiam abundet inſula hæc, cùmque in aliis ferè Europæ Regionibus id usû veniat, quod Hiſpani Sarcaſticè de Gallis afferunt, visô unô eorum te vidiſſe omnes, omneſque ferè unius & ejuſdem ſint ingenii, hâc ipsâ animorum corporumque Britannicorum temperie id effici judicat Cl. Autor, ùt inter Anglos ſolos invenire ſine difficultate liceat diſperſas in aliis gentibus ingeniorum morumque diverſiſſimas ſpecies, quin etiam ſpatio 24. horarum idem Anglus modò Hiſpanum, modò Italùm, modò Germanum ſiſtere ſoleat, ſtupendâ prorsùs ingenii ad omnia exprimenda facilitate. Hanc ingenii temperiem, ſi cum ſolidô judiciô & ratiocinandi facultate ſit conjuncta, & judicium quidèm palmam in intellectû obtineat, levitatemque φαντασίαν moderetur, utiquè excellentiſſima ingenia producere obſervat Autor, ſi judicium in eâ deſideretur, tam mira indè procreſcere ingeniorum monſtra, jocoſa, phantaſtica, lunatica, inepta, deſultoria, levia, affectata, infinitâ prorsùs varietate & mixturâ. Ità leve ingenium cum ſtolidâ ſtupiditate mixtum, huic tamen prævalens, Pœtaſtros, Pſeudo-Criticos, petulantes, empæctas producit, ubi mixtura inæqualis eſt, alternante velut inter hæc duo, imperiô, ingenia indè naſcuntur arguta in dicendô, ſtolida in agendis rebus, de quibus rectè dici poteſt, quòd nunquàm non ingeniosè loquantur, nunquam non inſipienter agant. Ab hâc ſplenicâ velut animi inconſtantiâ ac levitate id quod in proverbiô dicitur provenit, nullum ſci. eſſe magnum ingenium ſine mixturâ ſtultitiæ; cum plerique ingeniô ſatiricô, arguto, φαντασιασιῶ pollentes & admirationem aliis moventes, unô veluti gradû tantùm ab eorum claſſe abſint, quos nimia ſpirituum rapiditas maniacas facit, plerique certis intervallis reapſe in eorum caſtra tranſiliant, qui ſaltus à nobis adeptos chymicos & enthuſiaſtas Theologos peperere. Aliorum parens monſtrorum eſt ea mixtura ingenii, in quâ ſtupor prævalet, additâ levitate & phantaſticâ argutiâ, ùtque antecedens illa ingenioſos Lunaticos (*Lunatick Wits*) ità hæc ſtultos Lunaticos (*Lunatick Fools*) efficit, quò referas homines obtuſos, blaterones, ſemieruditos, eruditos moroſos, quos *Pedantes* dixit ſequiorætas, homines affectatos, ridiculos, verſutos, & fraudum in re familiari artifices, & quis tandem ſuffecerit, ſtolidis ingeniis numerandis? Eſt & alia hypocondriacorum animorum ſpecies, in quâ levitas ferè omnis melancholicâ moroſitate ità abſorpta eſt, ùt nihil niſi ſeverum amet, omnem lætitiam damnet, quod genus hominum hypocriticæ pietati maximè idoneum multis ſæpè ſuſpicionem movet, ipſam pietatem non eſſe niſi effectum cerebri corrupti & imaginationis ſplenico affectû incaleſcentis. Quamobrem & Autor doctiſſimus de influxû, quem hæc ſpirituum animalium abundantia & imaginativæ facultatis vivacitas in mores hominum habet, paucis deindè agit, quæ tamen, ne brevitatis juſtam menſuram excedamus, hic tranſmittimus.

Brevius defungitur Vir nobiliſſimus tertiô Tentamine, quod de *ſcriptione Librorum* agit, & nos breviores erimus in eô recenſendô. Varia ſunt, quæ ingeniis excellentibus impedimento ſunt, quominùs lucubrationes ſuas typis exſcriptas ad poſteritatem tranſmittant, quibus opponit Noſter inſignem rei utilitatem, pulcherrimumque famæ ad poſteros duraturæ proſpectum. Quam tamen vir doctiſſi-

doctiſſimus tantùm abeſt, ùt quibuſcunque de triviô ſcriptionibus polliceatur, ùt ejus generis Autores eleganter inſectile Scriptorum genus appellet, ſolô numerô valens, cæterum, ſicut inſectæ ſolent eſſe, μικρόβιον, alios perpetuò in terrâ repentes, alios ſubitò ſumptis alis aliquoties evolantes, mox diſparentes, alios vix diem unum viventes, alios fortè menſibus aliquot cum morte conflictantes, tandem tamen exſpirantes. Ut autem conſtet rectiùs, quæ ſcripta ætatem ferre valeant, duo potiſſimùm Scriptorum genera exempli locò perſequitur Noſter, controverſa, ac polita vel ingenioſa. Egregiè circa illa monet, & affectuum intemperiem, & inſectationem perſonarum, & moroſum merèque ſcholaſticum dicendi genus & obſcuram prolixitatem ſcripta controverſa & parùm decere, & omni fructû ſuô privare. Circa hæc de Guſtû literatô agitur, quamque feliciter hic ab antiquô, qui in Romanenſium fabularum thraſonicas nugas ferebatur, impetû tùm alibi, tum & in Angliâ reſipuerit, ſanioremque ſcribendi rationem nunc ità invenerit, ùt, qui paulò emunctioris ſit naris, eum veterum illarum deliciarum pigeat nunc pudeatque, oſtenditur. Finis denique ſcribendorum librorum, atque ætas, quæ ei labori ſit maximè commoda, examinatur, ubi magna cum honoris præfatione Rich. Steele obſervatio alicubi facta ſub incudem vocatur, quâ vir ille ingenioſſimus aſſeruerat, optandum eſſe ùt omnes Autores noſcant, quandò à ſcriptione ipſis ſit ceſſandum, & à majoris famæ aucupiô abſtinendum, dùm adhuc pleno ejuſdem fruantur uſû, ſiquidem in Republ. literariâ triſtiùs nullum ſit ſpectaculum, quàm Autoris, qui ſe ipſum ſcribendo penitùs exhauſerit. Quemadmodùm verò monitum iſtud mediocribus ingeniis valdè ſalutare fatetur Noſter, ita veretur, nè excellentium ingeniorum foëtus plures intercidant, quæ vel vergente ætate & abſumptô pænè corporis vigore non minores, quàm in juventute mentis vires in ſenetæ ſuæ foëtibus produxiſſe, exemplis Sophoclis, Homeri, Ciceronis, recentioribuſque ac domeſticis magnorum Poëtarum Miltoni & Drydeni eleganter evincit.

Quartò Tentamine ad Sacra argumenta revertitur Cl. Autor; agit enim hic *de Felicitate futuri ſeculi*, re non minùs noſtris meditationibus dignâ, quàm operæ pretium exiſtimatur ab homine in alias terras ablegando, in earum naturam priùs inquirere, quàm eo è ſtatione ſuâ diſcedat. Removet ab eâ purior Religio voluptates ſenſuales omnes, etſi per linguarum noſtrarum inopiam metaphoris utatur ſcriptura à rebus ſenſibilibus petitis, imprimìs à luce; omnis creationis præcipuô decore, eâ tamen cum prudentiâ, ùt nuſquam ad futuram felicitatem vel verbô metaphora ab iis carnis voluptatibus petita, quæ Mahometis Paradiſum conſtituunt, adhibeatur. Neque verò in ſolâ doloris privatione, nudâ quiete, aut otioſâ, qualem ſcholaſtici putant, viſione beatificâ hæc felicitas Autori ponenda videtur, ſed in perfectione facultatum noſtrarum earumque uſû uti Sanctiſſimô ità minimè otioſô. Felicitatem itàque primùm corporum glorificatorum perſequitur, cujus pignus vel ante reſurrectionem contemplans Anima adhuc ſeparata non poſſit non immensô gaudiô perfundi, in ipsâ corporis μεταμορφώσει haud dubiè amplificando. Tùm verò ad facultates mentis progreditur, earum conſummendam perfectionem primò in genere conſiderans, deindè ſpeciatim, quæ ad intellectualem facultatem redundatura ſint gaudia, expendens. Ea per rerum creatarum non in hôc tantùm Orbe habitabili, ſed in pluribus aliis mundis, quos Nobiliſſimus Autor cum aliis ſtatuit, vaſtum ambitum eundo demonſtrat, quamque incredibilia incrementa cognitio noſtra de Deô indè ſumptura ſit, conjicere nos jubet. Tum verò ſingularem conjecturam proponit, quemadmodùm Angeli, quantumvis faciem Dei perpetuò videntes, tamen à Deô delegati curam gerant non noſtri modò Orbis, ſed & haud dubiè innumerabilium reliquorum, idque ſine æternæ ipſorum felicitatis diſpendiô, ità fortè beatis etiam à Deô curam aliorum orbium habitabilium commiſſum iri, quibus adminiſtrandis admirandæque Dei etiam in illis ſe exſerendæ magnitudini deſtinentur. Certiora tamen mox addit, conſiderationem πολυποικίλου. Providentiæ divinæ, autoritatiſque ejuſdem legiſlatoriæ, admirationem ſtupendi redemptionis, ſuique & aliorum converſionis operis, & reliqua, quæ magnô cum ſenſû pietatis ediſſerit Autor, ad extremum addens, hæc omnia, rudi licèt penicillô adumbrata, & ex infinitô æquore non niſi guttam delibandam ſiſtentia adeô iis, quæ hic Orbis magnificè jactat, omnibus præſtare, ut nemo ſanus cum ratione hæc illis valeat anteferre, quin ipſa conſcientia eum de contrariô convincat.

Claudit agmen poſtremum Tentamen *de Amore Divinô*, ab autore, quod ipſe fatetur, non eô fine ſcriptum, ût novis ſublimibuſque inventis curioſitati hominum velificaretur: ſed ùt ſtylô zeli divini plenô voluntati hominum perſuaderet Bonum ſummum noſtrâ proſecutione unicè dignum. Cùm enim non ſola veritas ultimum mentis ſit deſiderium, nec ſcientia per ſe ipſam menti noſtræ ſatisfaciat, ſed quatenùs ad Bonum aliquod cognoſcendum, eôque fruendum nos deducit, hinc miratur Vir doctiſſimus, in magnâ ſcriptorum de exiſtentiâ attributiſque Dei copiâ, pauca admodùm ab excellentibus ingeniis de amore divinô elucubratâ eſſe. Itaquè Noſter, quæ in hôc orbe amamus omnibus longiſſimè præcellere ſummum Numen, Bonum quippe deſideriis noſtris ſatisfaciens, ſpirituali animæ naturæ proportionatum, reale, infinitum, ſine omni mixturâ mali, perfectum, æternum, unicè cum ratione amorem noſtrum depoſcere poſſe, unicè mereri, graviter demonſtrat. Cùmque Amor Dei ſit præcipua Religionis pars, egregiè oſtendit, laborem noſtrum, ſi Chriſtiani ſimus, ejuſdem eſſe naturæ cum præmiô, ubi Deum amare jubemur, juberi nos reverà, beatos eſſe ex parte, ùt æternùm beatiſſimus perfectè, agonem noſtrum ità partem eſſe triumphi, meſſem noſtram, cum primô momentô, quô ſerimus, inchoari, primumque gradum ad Cœlum in cœlô nos tantùm non hôc ipsô momentô victuros conſtituere.

BLACVODÆUS (*Henricus*) Pariſienſis Hippocratis Coi Prognoſticorum Libros tres, cum Latinâ interpretatione, ad veterum Exemplarium fidem emendatos & recognitos edidit Pariſiis, apud Johan. Libert, 1625. in. 24.

BLANCARDUS (*Stephanus*) Uti in pleriſque reliquis ſuis ſcriptis egregium egit compilatorem, eôque ipsô (in linguam præcipuè vernaculam omnia vertendo) rei medicæ ſummoperè nocuit, peſſimis quibuſvis ardelionibus ad abuſum artis nobiliſſimæ, viam ſternendo; Ità in Anatomiâ ſuâ reformatâ ſeu concinnâ (inconcinnam ac deformatam rectiùs dixeris) corporis humani diſſectione, ejuſmodi plagii vix excuſandi reum ſeſe fecit; Adeò ùt, ſi ſua quiſque repeteret, parùm

parùm vel nihil remanſurum, jure metuendum foret. Graviter eâ de re conqueſtus eſt *Verheyen*, qui ſexaginta & novem figurarum jacturam fecit, ſemel tantùm factâ ipſius nominis mentione. Alias ex *Williſiô*, *D. Bourdone*, plurimiſque aliis mutuatas, in opus ſuum promiſcuè tranſtulit, & pro ſuis venditavit, tantòpere adhùc mutilatas & inverſas, ùt, ſi egregii illi viri adhùc viverent, nunquam pro ſuis ampliùs agnituri forent; ùt adeò rectiùs *Deformatam* quàm *reformatam* ejus Anatomiam adpellare liceret. Ut verò multa paucis verbis includam, quid de Anatomiâ *Blancardianâ* ſentiendum, adpono judicium D. Verheyenii, quod in animadverſionibus ad Anatomiam *Blancardianam* legitur: Nempe & *textum & figuras, omnia ex aliis auctoribus deſumta eſſe, Blancardum bona à malis, veraque à falſis diſcernere non potuiſſe, omnia ſine diſcrimine ac ſine delectû in libros ſuos tranſtuliſſe.* Majorem verò laudem meretur ejuſdem Anatomia Practica rationalis, quæ eſt variorum Cadaverum morbis denatorum, inſpectio Anatomica; Hujus enim utilitatem in genere Jatrophilis jam ſuperiùs, commendavimus. *Gœlike in Hiſt. Anat.*

Ex eô habetur in Lind. Renovato.

Lexicon Medicum, Græco-Latinum, In quô termini totius Artis Medicinæ, ſecundum Neotericorum placita, definiuntur vel circumſcribuntur. Græcæ item voces ex Origine ſuâ deducuntur, & Belgica nomina, ſi quæ fuerint, adjunguntur. Amſtelodami, apud Joannem ten Hoorn. 1679. in 8. Jenæ, Literis Müllerianis 1683. in 8. Hæc editio tertiâ ferè parte aucta, & pluribus in locis emendata eſt. Belgicis quoque Prioris Editionis nominibus Germanica, ſi qua ſignificantia adfuerunt, in hâc ſunt ſubſtituta.

De eôdem præterea hæc in Actis Lipſienſibus ann. 1685. *p.* 456.

Nauwkeurige verhandelinge van de Scheurbuik en des ſelfs Tœvallen. Alsookeen naakt vertoog wegens de Fermentatie oft innerlyke beweginge der lighamen, meeſt op de gronden Van Des - Cartes gebouwt door S. Blankaart, N. F. Ph. & Med. Doctor en Practiziin tot Amſterdam.

h. e.

Tractatus Curioſus de ſcorbutô ejuſdemque ſymptomatis. Necnon Demonſtratio plana Fermentationis ſeu inteſtini corporum motus, maximam partem fundamentis Carteſii ſuperſtructa. Autore Stephanô Blancardo, N. F. Ph. & Med. Doct. ac Practicô Amſtelodamenſi. Amſtelodami, apud Johannem ten Hoorn. 1684. *in* 8.

Ibidem Ann. 1687. *p.* 162. *De Nieu Hervromde Anatomie, ofte Ontleding des Menſchen Lichaams i. e.*

Anatomia Nova reformata, ſeu, Profectio corporis Humani, veriſſimis ac curioſſimis ævi hujus Obſervatis ſuperſtructa, multiſque Figuris æneis exornata. Neque non Tractatus de Balſamatione Corporum nunquam anteâ ità evulgata: Autore Stephanô Blancardô, Ph. & Med. ac Practicô Amſtelodamenſi Amſtelodami, apud Johannem ten Hoorn. 1686. *in* 8.

OCto annos ab eô tempore, quô primùm Anatomen edidit, ùt novis hanc locupletaret inventis, Cl. Auctorem inſumpſiſſe, docet Præfatio; adeò, ùt nova planè præſentis, cujus & Latina promittitur verſio, ab editione priori videatur facies, non ſolùm ex recentiſſimis Auctoribus, putà præter *Th. Bartholinum, Williſium, Malpighium, Græfium, Harvæum, Lowerum, Stenonem, Wartonem, Needham, Cliſſonium, Ruiſchium, Lewenhækium, Peyerum, ex Vernæô, Perraltiô, Cásparô Bartholinô, Bidloo. Nuckio &c.* concinnata, ſed figuris etiam pleriſque novis illuſtrata, modôque corpora condiendi exornata. In genere verò partes integram machinam animalem contexentes non niſi duplicis generis Auctor agnoſcit, ſolidas nempè alias, alias fluidas; quarum illæ, ceu unicum Anatomiæ objectum, nil aliud ſint, quàm multiplices tubuli ſive canaliculi fluidas partes continentes, invicem omninô continui nec præter quàm magnitudine, capacitate, firmitate aut ſubtilitate inter ſe diſcrepantes, cuncti primùm in ovulô deliteſcentes. Undè omnes, qui ſolidas corporis animalis partes ceu contiguas ſolum ac inter ſe connexas concipiunt, eaſque itidem vel in ſanguineas & ſpermaticas; vel in principes & miniſtras diſpeſcunt, longè à veritatis tramite ab eſſe annotat. In ſpecie autem in ſingularum partium texturâ, prout in variis quoque animantibus ſeſe habet, evolvendâ, usûque viâ eâdem, quam in *Academiâ Cartheſianâ* in Actis noſtris menſe Aprilis annô 1684. p. 145. recenſitâ ingreſſus fuerat, enodandô, neque non morbis diverſis, diverſas qui partes occupare ſolent, explanandis, ordinem circulationi ſanguinis accommodatum obſervat ſequentem; Scilicèt uti cor primum corporis reputatur mobile, à cujus motû omnes reliquarum partium motus dependeant, ità in corde quoque tanquam machinâ eum in finem ſanguinem (cujus globuli microſcopiô obſervabiles grumuli ſolummodò ſanguinis eſſe, ſphæricam figuram ob æqualem undiquè æris preſſuram aſſumentes, atque ſal fixum, violentiori deſtillationi expoſitum, ſpiritum ſpiritui ſalis analogum eructare perhibentur,) per arterias æquè propellente, ac per venas recipiente, orditur. Hinc mox ipſos utriuſque generis canales circulô ſanguinis inſervientes perluſtrat, ſtructuram & dirumationes cùm arteriæ magnæ, tùm venæ cavæ atque venæ portæ, eundem prorsùs ductum cùm venâ cavâ ex Auctoris ſententiâ formantis, item arteriæ pulmonariæ & branchialis, venæque pulmonariæ demonſtrando, & quomodò in fætû vaſa ſanguifera prope cor per canalem arterioſum ac foramen ovale uniantur, oſtendendo, ità quidem ùt foramen ovale penitùs obliterari in adultis tanquam à ſe pariter atque ab aliis apertum adhuc deprehenſum, haud contendat. Tum ad ſingulas, in quas arteriæ abeunt, accedit partes, è quibus quia pulmones, quam proximè cordi adſtant, ideò & pulmonum, quorum vaſa lymphatica è copioſis glandulis interioribus exſurgant,

exſurgant, priùs fabricam deſcribit, quàm ad cerebri ac medullæ ſpinalis nervorumque his continuorum texturam perveniat. Hanc verò dùm exponit, rationibus aliis, quibus liquidum nervorum commonſtrare nititur, duplicem interſerit experientiam, quâ videlicèt & nervos ſæpiùs in junioribus ſupra ligaturam intumeſcere, & liquorem ſubtilem coloratum arteriæ carotidi in cane adhùc vivente ſubitò injectum, ipſos nervos penetrare, conſtet. Succedunt alia organa paritèr locata, qualia oculi, aures, lingua, os, palatum, gingivæ & naſus cernuntur; quibus accuratè examinatis, ùt viſcera cum primis abdominis, omentum videlicet œſophagum, ventriculum, inteſtina, meſenterium, vaſa lactea & lymphatica, pancreas, hepar, lienem, renes, veſicam, genitalia utriûſque ſexûs, conceptum ex ovô ac placentam uterinam deſpiciat, progreditur. Omenti aliarumque partium pinguedinem glandulis ex eô fert acceptum, quòd ubi glandulæ, multùm ibi obſervetur pinguedinis. Oeſophagum, ventriculum & inteſtina, non secùs ac vaſa ſanguifera, ceu totidem rotundos ac cavos conſiderat muſculos. Lieni hôc attribuit muneris, ùt lymphæ, per vaſa lymphaticâ ad Chyli receptaculum amandandæ, multùm glandularum ope ſecernat, quô ſanguis craſſior exindè magiſque aptus pro bile in hepate ſegregandâ emergat. Indè in glandulis, muſculis, oſſibus, cartilaginibus, ligamentis ac membranis, tanquam ſui generis muſculis, ſtudioſè ſcrutandis verſatur; tandèm in cuticulæ, cutis, capillorum ac unguium Anatome Anatomen hanc exactiſſimam finiens.

Methodus corpora balſamandi adjecta duplici inſiſtit viæ, humidæ videlicèt vel ſiccæ, ità tamen, ùt corpus utrobiquè condiendum ſordibus ac ſanguine, mediante repetitâ aquæ & ſpiritus vini per os ac vaſa nonnullâ majorâ injectione, purgatum priùs ac liberatum ſupponatur. Ratione prioris, oleum therebinthinæ, ſpiritus vini ſpiritûs ſalis ammoniaci acuatus, & vel ſolâ muriâ ex ſale communi atque alumine præparatâ, velut cujus auxiliô, Auctor infantes optimè conſervatos aliundè accepiſſe fertur, non ſpernenda commendatur balſama. Ratione verò poſterioris, corpus, cujus vaſa cera pariter priùs repleverit, vernice ex oleô terebinth. Maſtich. ac tantillô coloris albi confectâ illinendum præcipitur. Quod utrumque licèt viſceribus relictis commodè peragi poſſit, præſtare nihilominùs, ùt cerebrum aliaque viſcera anteà eximantur, ac cavitates vel pulveribus appropriatis, vel viſceribus etiam ipſis peculiariter præparatis repleantur, ultrò innuitur. Aſt-ne ratio, quà tam muſculi, quàm viſcera, V. G. ventriculus, inteſtina, veſica urinaria, lien, hepar, renes, omentum, pulmones, cerebrum, venæ itidem ac arteriæ præpari debeant, ignoretur, circumſtantiæ omnes hunc in finem neceſſariæ ingenuè docentur, additâ ſimul vernice, quam Therebinth. & Maſtich. ſuccin. Copal. ſimiliave ingrediuntur, adeò indureſcente, ut ab igne remota perſiſtat ſuccini inſtar perſpicua, corporaque V. G. infantium ſibi concredita ab omni prorsùs corruptione immunia defendat; qui modus optimus, nec multùm ſumptuoſus, cur in corporibus magnatum condiendis locum non obtineat, permirum videtur Noſtrô.

Ibidem ann. 1690. *p.* 55. *Schouburg, der Rupſen, Wormen, maden enuliegende dierkens &c. i.e.*

Theatrum erucarum, vermium, termitum, & quæ ex his oriuntur beſtiolarum volatilium, propriâ experientiâ collectum à Steph. Blancardo. Amſtelod. apud Joannem ten. Hoorn. 1688. *in* 8.

Ibidem ann. 1695. *p.* 389. *Stephani Blancardi Anatomia Reformata, ſive Concinna humani corporis Diſſectio ad Neotericorum mentem adornata.*

Editio noviſſimâ plurimis recens inventis tabuliſque novis emendatior ac locupletior Lugduni Batavorum, apud Cornelium Bouteſtein & Jordanum Luchtmans, 1695. *in* 8.

Nova tantùm non quotidiè in aſſiduis corporum animalium diſſectionibus obſervari, vel ipſa modernorum Anatomicorum ſcripta, recens detecta quæ continent, apertè loquuntur. Anſam quippe hæc ipſa *Clariſſimô Auctori* dediſſe videntur, ùt eôdem ſervatô ordine, quem in *Actis ann.* 1685. *pag.* 162. è primâ Anatomiæ Reformatæ impreſſione Belgicâ notàvimus, præſentis editionis noviſſimæ textum non minùs ac figuras imprimis locupletaret ac emendaret ſtudioſiſſimè. Nempè textum utriuſque editionis Latinæ cui conferre placuerit, oppido noſtra undecim plagulis conſtabit auctior, quatenùs ea præter, quæ in capitibus interpolata habentur, tùm duo integra capita, de glandulis conglomeratis & conglobatis vaſiſque lymphaticis ex Nuckiô alterum, alterum è Malphigiô de conglobatarum glandularum ſtructurâ, tum Appendix Harderi glandulam lacrymalem novam, atque oculi Anatomen ex Epiſtolâ Guenelloni comprehendens acceſſerunt. Figuras autem utrobiquè perluſtraturus, non faciem ſolùm harum à priſtinâ longè diverſam, ſed & tabulas tres ſupra trigintâ hic adjectas promptè adverteret. Etenim uti alia in frontiſpiciô figura, ipſaque Autoris effigies nòviter inciſa ſiſtuntur, ità in tabulis figuræ plurimæ novæ è Vieuſſeniô, Nuckiô, Verneô, Verheyen, Gibſoniô, Reverhoſtiô aliiſque deſumtæ, priores verò magnam partem inſigniter correctæ aliâve ratione immutatæ (nonnullæ etiam omiſſæ, V. G. ductus ſalivalis Bartholiniani ſive Riviniani, item humoris cryſtallini à Leuwenhoeckiô depicti &c.) occurrunt. Sub finem de Balſamatione Methodi iiſdem verbis repetitæ, partim Anthliæ pneumaticæ & ſiphonis anatomici, prout hic à Muſſchenbrockiô Lugduni Batavorum nunc fabrefieri ſolet, adduntur ſchemata; partim modus, quo cera paritèr ad normam præſcriptam parata, atque aqua aliuſve liquor in ſanguifera vaſa ſiphone iſtô debeant injici, exponitur. Mercurius ternâ quaternâve deſtillatione attenuatus ſive depuratus, aut cum foliis cupri etiam in amalgama redactus, pro vaſis implendis commendatur; quemadmodùm vernice vaſis iiſdem abducendis inſerviens, nè Mercurius brevi evaneſcat, optima innuitur, quæ è laccâ cum

cum alcohol vini, vel è gummi copal cum ſpiritû therebinthinæ calidô, agitatione continuâ ſoleat confici. Unicum fortè tyrones, quibus Auctores, quorum inventa & obſervata Anatomica hôc in utiliſſimô opere exhibentur, cogniti non ſunt, adhùc deſiderabunt, nempè quòd nec in hâc editione eorum nomina ubiquè adſcripta reperiuntur.

Ibid. ann. 1702. *p.* 193. *Stephani Blancardi, P. & M. D. Opera Medica, Theoretica, Practica & Chirurgica. Lugduni Batavorum, apud Cornel. Boutestein & Jordan. Luchtmans, ann.* 1701. *in* 4.

Modernos inter, qui nobiliſſimam artium Medicam celeberrimi Carteſii principiis ſuperſtruendo allaborârunt promovere, Clariſſimus *Blancardus* haud poſtremus nominari meretur. Quemadmodùm enim is pluribus abhinc annis ipſas Medicinæ Inſtitutiones ſub titulô Academiæ Carteſianæ cum publicô primùm communicavit, & à nobis in *Actis an.* 1685. *pag.* 144. commemoratas: ità & eadem in aliis poſtmodùm à ſe divulgatis opuſculis Medicis adhibuit fundamenta. Atque talium ſparſim hactenùs maximamque partem idiomate Belgicô ab *Auctore* Nobiliſſimô editorum ſcriptorum potiora, ſi *Anatomiam Reformatam* ac *Medicum* excipias *Lexicon* (cujus noviſſimæ itidèm editionis contenta propediem dabuntur) in *Operibus*, quæ nunc Lectori benevolo ſiſtimus, Latinô habitû induta, & *duos in Tomos* digeſta deprehenduntur. In *primô namque tomô Diatribe de Fermentatione, Manuductio ad Chymiam, Medicinæ Inſtitutiones* atque *Pharmacopœa* ad normam Neotericorum adornata ſiſtuntur; in *alterô* autem *Praxis Medica & Inſtitutiones Chirurgicæ* exhibentur ſubjunctis de novô quadringentis *Aphoriſmis*, praxin Medicam & Chirurgicam ſpectantibus. Quorum tamen ſingulorum prolixiori recenſione tantô magis in præſenti licebit ſuperſedere, quò fuſiùs jam jam in *Actis & Inſtitutiones Medicas annô citatô & Diatriben de Fermentatione*, tractatui *de ſcorbutô* annexam *eôdem annô* 1685. *pag.* 456. *& Pharmacopœam cum Clariſſimi Bontekoe* Fundamentis Medicis *ann.* 1688. *p.* 617. indigitavimus, quòque curioſiùs paritèr multi totidem opuſculorum verſiones Germanicas dudùm pervolutaverunt. Sola incrementa, quæ hìnc indè non pauca acceſſerunt, reticenda minimè, ſed eorum quædam adhuc erunt innuenda. Antlia nempè pneumatica tali facie, quâ cum aliis ad eam pertinentibus inſtrumentis Lugduni Batavorum à *Muſſchenbrockiô* fabrefieri ſolet, ſub Fermentationis doctrinæ terminum depingitur ac deſcribitur. In Chymiâ plura reperiuntur præparata, antehàc omiſſa, Verbi Gratiâ: Crocus Martis ſolubilis, Oleum plumbi ac ſtanni, Liquor ſemper fumigans, Mercurius diaphoreticus Jovialis, Æthiops mineralis, Tinctura vitri antimonii non emetica, Tinctura metallorum, Balſamus antimonii &c. In Medicinæ Inſtitutionibus non ſolùm aliorum ſimul Auctorum ſententiæ obſervationeſque allegantur, atque experimenta diverſa è noſtrô *Bohniô*, *Boyle*, *Nuckiô*, aliiſque memorantur, ſed & plures defectus priores reſarciuntur, e. g. de ſiti & Fame, de Liene, de Regimine infantium recens natorum, & à lacte remotorum, de ſiti læsâ, Aphthis, ſingultû, de ſuffocatione, de Vocis defectû, de Raucedine, de Hæmoptyſi, Vomicâ & Phthiſi, de Diabete, & Urinâ dulci Indorum, de Catalepſi, de Cruribus tumidis gravidarum, de hypocatharſi, de Fontibus Spadanis, de Opii præparationibus, & modô operandi, de Venenis, de Coſmeticis, de Remediis per Imaginationem juvantibus, de Virtute Lapidis philoſophorum. Nec Pharmacopœa uberioribus deſtituitur medicamentis, dum reliquis aſſociantur, verbi gratia: Elixir ſalutis purgans & non purgans, Tinctura Laccæ, Unguentum depilatorium, Unguentum ad fiſſuras mammarum, Unguentum ad herpetem, Unguentum ad lumbricos, Balſamum Arcæi, Balſamum benedictum Hiſpanicum ſeu Oleum Aparitii, Balſamum Lucatelli. In Praxi porrò Medicâ pariter atque Chirurgicâ, tùm Obſervationes immiſcentur, è cadaverum ſectionibus petitæ, atque in Anatomiâ practicâ rationali, quam Amſtelodami ann. 1688. in lucem *Noſter* emiſit, propoſitæ; tùm novæ, cum Conſiliis variis, noviſque etiam Operationibus Chirurgicis, Verbi gratiâ: de Collô incurvatô ſectione reſtituendô, de Penis ac uteri Exſtirpatione, de Fiſtulâ ani, de vaſorum Lymphaticorum vulneribus, de tendinum ſuturâ adjunguntur. Tandem ſicuti Aphoriſmorum ſuper-additorum primus ſanitatem ab optimô ſanguinis & ſuccorũ circuitu dependere aſſerit: ità ultimus optimũ ſe Medicum à conjecturis falli concedit

Ibidem ann. eôd. 1702. *pag.* 294. *Steph. Blancardi Lexicon novum Medicum, Græcô-Latinum, cæteris editionibus longè perfectiſſimum, Lugduni Batavorum, apud Cornel. Bouteſtein, & Jord. Luchtmans, A.* 1702. *in* 8.

Siſtimus *Auctoris Clariſſimi* Lexicon Medicum, quod *Menſe Majô p.* 193. propediem nos recenſituros promiſimus, cùm in Medicorum ejus operum verſaremur enumeratione. Amſtelodami quidem jam tùm ann. 1679. & Lugduni Batavorum, ann. 1690. typis idem exſcriptum prodiit, præſens tamen editio novi Lexici eò magis meretur titulum, quò auctior vel ex mole majori mox apparet. Scilicet qui termini Anatomici, Chymici, Chirurgici, Materiæ Medicæ triplici Naturæ regnô comprehenſæ, ponderum, aliique, cum denominationibus Gallicis & Anglicis, hactenùs deſiderari videbantur, nunc non ſolùm adjunguntur, ſed & uſitati Medicorum characteres in peculiari tabulâ exprimuntur, vocumque Batavarum, Germanicarum, Gallicarum, Anglicarum, Græcarum & Barbaricarum indices attexuntur. Specimen interim ejuſmodi ſingulorum terminorum nè deſit, ex innumeris pauciores imus commemoratum. *Aciniformis tunica* eadem cum oculi uveâ perhibetur. *Chorda* membranæ tympani videtur nervus à quintô pari oriundus, quaſi ex mente veterum ſonus aliquis in aure poſſet excitari, ſi motus ejus tremulus eâdem membranæ tympani communicaretur ratione, quâ in Chordâ ſuper pellem tympani militaris protenſa fieri aliàs ſoleat. *Abluitio* Chymicis ſalutatur, quandò impuritas ab aliquô medicamentô, vel acrimonia ab aliquâ calce abluitur, aquâ affusâ. *Adepti* reputantur Chymicis ii, qui artem Chymicam benè nôrunt, & inter Chymicorum Philoſophos relati ſunt. *Aſcia* non minùs ac *Auriga* deligationibus Chirurgicis annumeratur, dum illa parùm à rectô declinat, in obliquum tamen nondùm vergit inſignitèr, hâc autem latera deligantur eô, qui ſimul edocetur, modô. *Ætitis*, veluti lapidis aliô quaſi prægnantis, quatuor conſti-

tuuntur genera. *Rubini*, ceu gemmæ rutilantis rubentiſque ac limam reſpuentis, rubedo cum coccineô laccæ Indicæ colore comparatur, locuſque natalis in aurifodinis, ubi ſapphiri reperiuntur, indigitatur diverſus. *Biſmuthum* æquiparatur Marcaſitæ. *Nitrum* uti ſal ſapore ſalſo-amarum ità, præter Antiquorum nobis incognitum, triplex enumeratur, licèt nonniſi unicum, quod ex terris excoquitur, habeatur in uſû. Nitro nativo, Alexandrino pariter atque Neapolitano, color roſeus, flavedo autem Puteolano adſcribitur. *Centummorbia* dicitur Nummularia, propter mirificam virtutem, quam in plurium ulcerum medelâ exſerere creditur, quemadmodùm à foliis nummi ſpeciem referentibus Nummularia, item Hirudinariá vel ſerpentaria, ob alias rationes audit. *Saure*, Græcè σαυρή, putatur eſſe Naſturtium, quia inſtar lacertæ mordeat ſuâ acrimoniâ. *Cardomomum* vel à vocibus Græcis, vel veroſimiliùs ab exoticô aut Arabicô verbô Cordumeni, denominatum, occurrit & majus, & medium, & minus. Majoris duas ſpecies *Auctor* vidit, vulgare nempè, granorum paradiſi titulô veniens, obliquis folliculis incluſum magnitudine ſeminis, quod in minori comprehenditur, inſtar Aloes ſuccotrinæ nigrum, ac ſapore Cubebem ferè æmulans. Altera verò ſpecies ſemen in duobus folliculis continens, atque colore & magnitudine cannabis ſemini non cedens, ſed eundem ſaporem præ ſe ferens, primô aſpectû non niſi nuces avellanas repræſentavit, ſuis calicibus externis viridibus ac exſiccatis incluſas. *Euphorbium*, ex Lybiâ, Mauritaniâ, Peruviâ, &c. ad nos allatum, gummi exiſtit acerrimum, ex ſauciatâ ejuſdem nominis herbâ, cujus ſingula folia cucumeres veluti exhibent aculeatos, quamque Amſtelodami *Noſter* virentem luſtravit, extractum. *Formica* non modò inſectum eſt, ſed & verrucæ ſpecies, Gr. Μυρμηκία, id eſt, verruca formicaria, tumens & calloſa, colore nigricans, baſi latâ & cute Seſſili, in exciſione dolores adferens, morſiunculis formicæ ſimillimos. Morbus eſt, *Wierô* teſte, ab Hiſpanis nobis communicatus, venenatus, malignus ac contumax ſerpigo, à verendis initium ſumens, ab iiſque per univerſum corpus, cum doloribus & intolerabili pruritû, faciens progreſſum. *Moſchi*, ex Indiâ Orientali de Toquin, non procùl à Chinâ, ad nos tranſmiſſi, duæ memorantur ſpecies: nobilior altera, inſtar ſaniei in quôdam folliculô, qui in moſchiferæ capreæ abdomine non longè à poſterioribus pedibus deprehendatur, collecta; altera vilior, ex ejuſdem animalis cruore, poſt ſeri remotionem, cum carne minutim inciſâ, pelli incluſô, atque urinâ per aliquot dies perfuſô, putrefactionis interventû præparata. *Dichalcum* pondus eſt duorum æreolorum, continens tertiam oboli, ſex æreolis conſtantis, partem; quemadmodùm *Duella* Veterum pariter habetur pondus, octo ſcrupulos pendens. *Axiomatis* nomine propoſitio inſignitur ex Hippocrate vel Galenô auctoritatem habens, licèt hodiernô tempore non tam auctoritas, quàm ratio & experientia, in Medicinâ valeat. *Hypoſpadiæ*, ab ὑποσπάω ſubtraho, audiunt, in quibus à primô jam ortû iter urinæ inferiùs ſub glandis vinculô exiſtit. &c.

BLANCHELLUS (*Menghus*) Faventinus

Ex eô habentur

De Morbis particularibus, à capite ad pedes, & de omni febrium genere, Opus. Venetiis, 1536. in fol.

De Balneis, Tractatus tres. Et de Balneô Villæ ad Dominos Lucenſes, Conſilium. Exſtant Operis Veneti de Balneis, pag. 58.

BLANDINUS (*Petrus*)

De eô exſtant

De ingenti Calculô, & aliis nonnullis obſervatione dignis in cadavere repertis, Obſervatio. Exſtat cum Guil. Fabr. Hildani Obſerv. Chirurg. Cent. IV. Oppenheimi, apud Johan. Theod. de Bry, 1619. in 4. p. 106. 112. Francof. 1646. in fol.

De graviſſimâ Commotione Cerebri, & exindè viſûs deperditione ſequutâ, Epiſtola. Exſtat cum earumdem Obſerv. Cent. V. Francofurti, apud Matthæum Merianum, 1627. in 4. pag. 29.

BLASIUS (*Armegandus*) de Montepeſſulanô.

Averrois colliget, Lib. VII. Canticum Avicennæ, cum Averrois Commentariis: & Tractatum de Theriacâ, ex Arabicô, in Latinum tranſtulit. Exſtant X. Volum. Oper. Averrois. Venetiis, apud Juntas, 1555. in fol.

BLASIUS (*Gerardus Leonhardi Fil.*) Amſtelodamenſis

Ex eô habentur

Joh. Pulverini Medicinam Practicam recenſitam ſeptimò edidit.

Commentarius in ſyntagma Anatomicum Johannis Veſlingii. Cum Figuris, Amſtelod. 1659. in 4. Ibidem, apud Johannem Janſſonium à Waesberge & Elizeum Weyrſtrat, 1666. in 4. Hæc ſecunda Editio emendatior, Appendice ex Veterum, Recentiorumque, & propriis Obſervationibus illuſtrata ac aucta eſt.

Petri Morelli Methodum præſcribendi Formulas Remediorum cum adjunctô Materiæ Medicæ ſyſtemate Johann. Jacobi à Brunn auctam, variiſque modis illuſtratam edidit. Amſtelodami, apud Ægidium Janſonium, 1659. in 12. 1665. in 12. Amſtelodami, & Hagæ, apud Henricum & Theodorum Boom, 1680. in 12.

Impetus Jac. Primiroſii in Vopiſc. Fortunatum Plempium recuſus. Amſtelodami, ap. Joh. Ravenſteyn, 1659. in 4.

Joh. Beguini Tyrocinium Chymicum Notis perpetuis illuſtravit, & præthereà Zachariæ Brendelii Chymiâ auctum edidit. Amſtelodami, apud Ægidium Valckenier, 1659. in 12. Ibidem, apud Eundem, 1668. in 12.

Oratio de iis, quæ Homo Naturæ, quæ Arti debet. Amſtelodami, 1660. in fol.

Philippi Mülleri Miracula Chymica & Myſteria Medica Libris quinque enucleata recenſuit & edidit. Amſtelodami, apud Ægidium Janſſonium Valckenier, 1659. in 12.

Medicina Generalis, novâ accuratâque methodô Fundamenta exhibens. Amſtelodami, apud Petrum Van den Berge, 1661. in 12.

Fortunii Liceti de Monſtrorum Cauſis, Naturâ, & Differentiis Libros duos recenſuit, & Monſtra quædam nova & rariora ex Recentiorum ſcriptis addidit. Cum Iconibus. Amſtelodami, apud And. Friſium, 1665. in 4.

De Renibus monſtroſis. Exſtat cum Laurent. Bellini Exercitat. Anatomicâ de ſtructurâ & uſû Renum. Amſtelodami, apud Andr. Friſium, 1665. in 12.

Medicina Univerſa: Hygieines & Therapeutices fundamenta Methodô novâ breviſſimè exhibens. Amſtelodami, apud Petrum Van den Berge, 1665. in 4.

Anatome Contracta, in gratiam Diſcipulorum conſcripta & edita. Amſtelodami, apud Gerbrandum Schagen, 1666. in 12.

Anatome Medullæ ſpinalis, & Nervorum indè prove-

provenientium. Amſtelodami, apud Caſparum Commelinum, 1666. in 12.

Inſtitutionum Medicarum Compendium, Diſputationibus XII. in Illuſtr. Amſtel. Athenæô publicè ventilatis abſolutum. Amſtelodami, apud Eundem, 1667. in 12.

Obſervata Anatomica in Homine, ſimiâ, Equô, vitulô, Teſtudine, Echinô, Glire, ſerpente, Ardeâ, variiſque Animalibus aliis. Accedunt Extraordinaria in Homine reperta, Praxin Medicam æquè ac Anatomen illuſtrantia. Lugduni Batavorum & Amſtelodami, apud Gaaſbeeck, 1674. in 8.

Zootomiæ ſeu Anatomes variorum animalium Pars prima. Amſtelodami, apud Abrahamum Wolffgang, 1676. in 8.

Obſervationes Medicæ rariores. Accedit Monſtri Triplicis Hiſtoria. Amſtelodami, apud Abrahamum Wolffgang. 1677. in 8.

Medicina curatoria, Methodô novâ, in gratiam Diſcipulorum conſcripta. Amſtelodami, apud Henricum & Theodorum Boom, 1680. in 8.

Anatome Animalium terreſtrium variorum, volatilium, Aquatilium, ſerpentum, inſectorum, ovorumque ſtructuram naturalem, ex Veterum, Recentiorum, propriiſque obſervationibus proponens; Figuris variis illuſtrata. Amſtelodami, apud viduam Johannis à Sommeren, 1681. in 4.

BLAW (*Johan. Frider.*) Phyſicus Friburgenſis.

De eô exſtat in Ephem. Germ. Cent. I. & II. Obſerv. 166. De Monſtroſâ penis magnitudine.

ANnô 1709. offerebatur miles inſpiciendus nomine Andreas Herbſt, ex locô *Guigl* propè urbem Archiepiſcopalem Saliſburgenſem oriundus, ſub legione Circuli Bavarici Salisburgenſi, & ſub Compagniâ Domini Capitanei Herzogs noviter conductus ætat. ſuæ circiter 20. annor. qui poſtquàm in itinere hùc faciendô multa impedimenta perpeſſus fuit, neque poſt adventum ſuum munere militari fungi potuerat, ex ſuperiorum juſſû pro inveniendâ defectûs ſanitatis causâ examini ſubmiſſus, & deſuper interrogatus, aliud primò reſpondere noluit, niſi quòd in incedendô maximam ſentiat incommoditatem, quam diù perferre non poſſet. Videbatur proin homo ſimpliciſſimus, difficilis loquelæ, & ingenii tardi, obtuſi, cum ſenſuum hebetudine & apparente diſpoſitione corporis nonnihil cachecticâ. Ad motam verò quæſtionem, ex quâ causâ proveniſſet illa incedendi incommoditas, reſpondebat ſe aliam hujus rei cauſam neſcire, niſi gravitatem membri virilis, quòd ipſum premeret, & in ambulandô illi talem difficultatem faceret. Ex juſsû igitur in præſentiâ quorumdam D. D. Officialium & Chirurgorum oſtendit membra genitalia, tàm prægrandia, ùt omnes adſtantes maximè mirarentur; penis quippè ad genua uſque propendebat tantæ longitudinis & rotundæ latitudinis, ùt major exiſteret, quàm veretrum equi turgidum; ſubjacebant duo teſticuli ſcrotô incluſi duplicis pugni magnitudinem æquantes. Cùm poſteà caſus iſte à Dominô Capitaneô ad me præfatæ legionis Medicum ordinarium relatus eſſet, petii repetendam inſpectionem, quod etiam factum, me aliiſque præſentibus. Inveni prædictam ſtupendam membri magnitudinem, quæ quidèm (uti priores inſpectores referebant) in inſpectione antecedente multò major fuerat, & nonnihil mollioris ſubſtantiæ reperiebatur; totam membri quantitatem unà cum ſcrotô prætumidô ad minimum libras 6. ponderis civilis ponderâſſe à me & reliquis inſpectoribus judicatum eſt. Inſpecto ſequentes quæſtiones à me fuerunt propoſitæ, ad quas reſpondebat ſequentem in modum.

Primò quamdiù tantam membri magnitndinem in ſe deprehenderit, vel an à nativitate contraxerit? Reſpond. ſe à matre ſuâ intellexiſſe, quòd cum cole majore dotatum genuerit, qui poſteà, ſuccreſcente ætate, etiam augmentum ſumpſiſſet; ſed primùm à paucis annis in tàm ponderoſam & oneroſam magnitudinem excreviſſet.

Secundò: utrùm ſtimulum Veneris etiam habuerit? ℞. nunquam.

Tertiò: An pollutionem nocturnam? ℞. Nullam.

Quartò: utrùm dolorem perſentiat circa partes genitales? ℞ Non alium, niſi gravantem ratione ponderis circa inguina appenſi, ex quô maximum in ambulandô impedimentum & moleſtiam ſuſtinere debeat.

Quintò: An urinam liberè poſſit excernere? ℞. Anteà ſemper potuiſſe ſine omni difficultate, ſed ab aliquô tempore ſe præſentire urinæ incontinentiam, ità ùt per noctem in ſomnô ſtragula madeſiant, undè ſibi maximam incommoditatem, apud domeſticos verò ſuos in patriâ ſe odioſum reddiderit; urinam autem nunc tenuius & majoris fili inſtar in mingendô effluere.

Sextò: utrum glandem denudare & præputium retrahere potuerit, aut ſponte retractum expertus fuerit? ℞. Nihil ſcire.

Scholium

Primum vitium enarrati caſûs à nativitate contractum fuiſſe non eſt dubium, & quidèm à malâ conformatione partium genitalium; nam etiamſi forsàn in primordiô adfuerit aucta partis magnitudo, hâc tamen non obſtante maximum vitium erat in præputiô anguſtiore, cujus anterior pars tam exiguô foramine erat prædita, ùt retrahi & glans denudari non potuerit, quô malæ conformationis vitiô qui laborant, ordinariò ſteriles & infœcundi fieri ſolent, eò quòd ex glandis detectione prohibitâ ſeminis ejaculatio & interdùm urinæ excretio remoretur, magnô ſpeciei propagationis impedimentô; quod idem ſimiliter contingit illis, qui ex vitiatâ conformatione mentulæ frænum habent inferiori glandis parti juxta foramen nimìs arctè connexum & alligatum, ità ùt erectô genitali ejus diſtorqueatur extremitas, & ex ejuſdem attractione anguſtius reddatur foramen, ſicque ſemen rectà ejaculari nequeat &c. nonnunquam etiam præputium tam durum & calloſum fieri poteſt, ùt exindè glandis detectio prohibeatur: conſtat proìn ex caſibus obſervatis, quòd quidam à nativitate præputium prægrande habuerint cum phymoſi & mole carneâ ſeu tubere quôdam turgidum, quod ſucceſſivè magis magiſque incrementum ſumpſit, quales caſus unà cum curationibus Chirurgicis annotati leguntur apud *Schenckium* noſtrum *Libr.* 4. *Obſerv.* 15. & *ſeqq.* quod hic obiter annotare placuit. Sed in casû noſtrô propoſitô quale vitium homo iſte à nativitate ſuâ contraxerit, aliter ſcire nequii, niſi quòd (ut autopſia docuit) præputium fuerit anguſtius, ex quô tamen defectû tam prægrandem & monſtroſam penis magnitudinem ortam fuiſſe minimè credendum, eò quòd non pauci inveniantur præputiô anguſtiore nati abſque auctâ membri magnitudine: veroſimiliùs videtur

hoc vitium ab excreſcentiâ quâdam, vel potiùs accreſcentiâ carneâ fungoſâ circa glandis carnem, aut ſub ipsô præputiô ſucceſſivè collectâ & adauctâ ſuam duxiſſe originem, quâ magnitudo penis in hôc locô erat maxima; & tales tumores carnoſi & fungoſi ſunt indolentes, & ſucceſsû temporis ac annorum decursû magis magiſque incrementum ſumunt, atque à circulantibus humoribus viſcidis in tubulis penis ſtagnantibus, & partes ejus diſtendentibus, depravatæ nutritionis & auctionis præternaturalis materiam ſuppeditantibus exoriuntur. Atque hoc exindè magis verificatur, quià miles iſte fuit cachecticus cum univerſi corporis habitû ſubtumidô, aſthmate, & ſcabie &c. Hìnc ab ultimis annis (ut inſpectus retulit) membri magnitudo in tantum invaluit, ùt molem tam oneroſam veſtimentis ſuis (nè ab aliis animadvertatur) ſatis tegere haud potuerit; quia nimirum partes genitales tanquam molles & humidæ plurima habentes vaſa ſanguinem impurum cachecticum pro nutritione magis in ſe receperunt, conſequenter magis intumuêre. Acceſſit tandem & tumor ſcroti & teſticulorum, qui tàm ex eâdem causâ, quàm ex continuâ preſſione ſubjacentis ponderoſi penis, pariter ſucceſſivè in tantam magnitudinem aſcendit. Tandèm ultimò magnitudo membri nonnihil videbatur diminui, durior àutem fieri, quia nimirùm, oppletis undiquè tubulis, factæ obſtructiones ex humorum circulantium ſtagnatione, hìncque ſequente coagulatione, hic tumor in ſcirrhum abiit; erat quippè ultimô tactu tam durus, ùt tangenti non carnem, ſed lignum tetigiſſe videretur. Quare conjectura alia fieri haud potuit, quàm quòd ſcirrhosô tumore ulteriùs auctô tandèm ex occluſione meatûs urinarii, vel ſuperveniente gangrænâ, miſer ſit obiturus. Cùmque cura nec peteretur, nec promitti poſſet, hìnc acceptis dimiſſorialibus (more militum ordinariô) fuit dimiſſus, & abiit in patriam. Quid ipſi porrò accciderit, reſcire non licuit.

BLAW (*Matth.*) Prof. Publ. Medic. in Univerſitate Friburg.

De eô exſtant in Miſcell. Cur. Decur. 3. *ann.* 5. *&* 6. *Obſervatio* 298. *De Ecchymoſi oculorum ex vomitû.*

PRæteritô annô 1697. Religioſus quidam frater Juvenis, D. Placidus Schmidt, Ord. S. Benedicti in Inſulari Monaſteriô Augiæ divitis profeſſus, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, jam à longô tempore afficiebatur tumore colli ſtrumosô, fixô, immobili, profundô, inter glandulas & colli muſculos radicatô, qui vulgò *ein Sotthals*, vocari ſolet: & cùm propter aliud accidens à Chirurgô ordinatum ſumſiſſet vomitorium, indè vomitus aliquot magnâ & tantâ vehementiâ ſuſtinuit, ùt ex forti concuſſione capitis, & arteriarum carotidum compreſſione, ſanguiniſque in exteriores oculorum tunicas extravaſatione in utrôque oculô, (tamèn abſque ullô dolore aut ophthalmiâ ſeu inflammatione) Ecchymoſis ſeu ſuggillatio ſubſecuta ſit, ex quâ tota tunica alba adnata, ſive conjunctiva, quæ aliàs album oculi nominari conſuevit, omni prorsùs albedine diſparente tota rubra & ſublivida fuit conſpicua. Contra hanc oculorum ſuggillationem ſuaſi, ùt de ſanguine Columbinô calidè ſæpiùs aliquid in oculos inſtilletur, & ad ſanguinis ſtagnantis diſcuſſionem, præſcripſi potum ex Chamomillâ, abſinth. verben. in Aquâ & vin. rubr. coctis, quô oculi ſæpiùs calidè fomententur, & paucorum dierum ſpatiô livor & rubedo oculorum prorsùs diſparuit, naturaliſque albedo ſine relictâ maculâ rediit, contra eundem affectum ex contuſione præſcribit *Dolæus* ſequens remedium, quod experientiâ comprobatum, nimirùm:

℞. *Spir. ſal. Armoniac.* ʒß. *matrical.* ℥iß. *ſal. ſaturni gr. iiij. Camph.* ℈ß. *Croc. gr.* xv. *aq. fœnic. Euphr. aa.* ℥j. *M.* de quô aliquid oculis inſtilletur.

Ibidem annô vij. & viij. Obſervatio 1. *De Granis hordei integris ante* 14. *dies comeſtis, per urinam excretis.*

Ibidem Annô eôd. Obſervatio 2. *De Urinâ Craſſâ, Viſcidâ, glutinosâ.*

PRænob. & ſtrenuus *D. Jonas Adolphus Zinzerling*, Reverendiſſ. Capituli Conſtant. Præfectus, Superior, affinis & amicus meus, dum viveret, integerrimus, vir ætatis ſuæ 50. aliquot annorum ſtranguriâ ſæpè vexatus, magnâ difficultate & acerbô cruciatû ſæpiùs eminxit urinam craſſam, viſcidam, lentam, glutinis inſtar ità cohærentem, ùt per inclinationem ad ulnæ longitudinem extendi potuerit, & filtro impoſita, nè guttulam aquæ per chartam ex ſe dimiſerit, uti non ſemel mihi monſtravit, & ad probam dedit; erat inſupèr urina albi coloris, odoris verò acris & falſiſſimi, quales haleces referre ſolent, calculum autem, nec anteà, nec poſteà, ullum obſervare potuit, Diætam verò contra frequentes admonitiones obſervavit nullam, ſed ſummoperè delectabatur cibis crudis, acidis, & ſalſis, acetariis, caſeô, piſcibus, & carnibus multô ſale conditis &c. adhibita ſunt varia remedia aperitiva, attenuantia, demulcentia, & diuretica, uſque dum poſteà *thermas piperinas* adiit, ex quarum potû & balneô integrè reſtitutus rediit, iiſque poſtmodùm bonô ſemper effectû uſus fuit. Tandèm verò annô præcedenti, ex aliô ſuperveniente gravi morbô ventriculi, & febre lentâ, ſenex propè ſeptuagenarius, viribus conſumptus, obiit, magnô amicorum luctû &c.

Scholium

Inter diverſiſſimas urinas, quæ ab ægris, tanquam morborum ſigna, Medicis inſpiciendæ offeruntur, ſatis raro ejuſmodi urinam in obſervatione deſcriptam examinandam occurrere, fatebuntur omnes, quibus circa viſitationes ægrorum & in praxi Medicâ multum eſt negotii, quoad craſſitiem, lentorem & glutinoſitatem, obſervavit ſimilem *Schenckius noſter obſervat. Medicinal. l.* 3. *Obſerv.* 327. ſed abſque tali acrimoniâ ſalsâ, & ſine ullâ valetudinis noxâ ordinariò excerni ſolitam, cujus tamen rei rationes & cauſæ nullæ afferuntur, in caſû noſtrô; ipſemet D. patiens in libris & literis aliàs verſatiſſimus, judiciôque perſpicaciſſimus judicabat, ac mentem ſuam de propriô affectû per literas mihi ſignificabat, ſe laborare cacochymiâ, quam natura ipſa morborum medicatrix per urinarias vias quærat expellere; quod ſuô loquendi modô dici haud ineptè potuiſſet, eò quòd cauſas morbificas ex ſanguinis maſſâ præter alias vias etiam per urinam præcipitari quotidiana demonſtret experientia: quamvis enim ex habitû corporis & ſignis externis nulla jam præſentis cachexiæ pituitoſæ adeſſent indicia, fieri tamèn potuiſſe, prorsùs

prorſus eſt credibile, immò evidenter certum, particulas heterogeneas, craſſas, lentas, viſcoſas, acido ſalſas, ex ejuſmodi qualitatis cibis in chylum & ex hôc in ſanguinem tranſiiſſe, talemque cacochymiam induxiſſe, quæ antequam cachexia ſuboriretur, diſſolutæ & per ordinarias vias ad renes & urinaria vaſa præcipitatæ ſunt, nam etſi quidem (ut ex obſervatione præcedenti conſtat) vias occultas, ſeu vaſa lactea ex Meſenterii lacteis ad veſicam derivari recentiores nonnulli doceant Anatomici hocque omninò probabile ſit, tamen hùc non ſemper confugiendum, omnia p. naturalia urinæ excreta illùc tranſire, quandiù rationes ſufficienter oſtendi poſſunt, ejuſmodi excretorum materiam per ordinarias & conſuetas vias ad veſicam amandari. Cæterùm dantur varii dolores circa lumborum regionem, & in imò abdominis inferioris, cum urinam reddendi difficultate obſervabiles, quas vulgus dolores nephriticos appellare ſolet, quamvis tales minimè ſæpè ſint, eô quod medicè propriè & κατ᾽ἐξοχὴν loquendo, nephriticus dolor ſoli renum inflammationi aut calculô conveniat: hoc tamen docet experientia practica, dari certam nephitidis (ut uſitâtô loquar vocabulô) ſpeciem ex ſolâ pituitoſâ aut viſcoſâ maſſâ & lentâ, in renibus commorante vel in cavitate veſicæ coagulatâ materia provenientem, quam vulgò, *einen Schleim Grieſſ.* non inconcinnè cum aliis appellare placet, ex quâ dolores veram nephritidem æmulantes & Jochuriam ac Stranguriam efficientes oriuntur; abſque tamen inflammatione, calculô & ſabulo, quod aliquotiès in diverſis ſubjectis maſculini ſexûs expertus ſum, firmiterque mihi perſuaſum habeo, hôc ipsô affectû ex eâdem materiâ acidâ, acri, & viſcoſâ in veſicâ ſenſim collectâ, & lenti glutinis inſtar cohærente, atque acrimoniâ ſuâ ſalſâ veſicæ cervicem vellicante, ac ſtranguriam cauſante, laborâſſe ægrum in obſervatione præſenti memoratum; id quod ex juvantibus confirmatur, eò quòd ex attenuantium, viſcoſitatem incidentium, aperientium, diureticorum, nec non acrimoniam ſalinam mixtam demulcentium, (quorum formulas hìc deſcribere non opus eſſe videtur) remediorum, proùt thermarum Fabarienſium (ſingulariter contra hos affectus proficuarum) uſû, optimè ſeſe habuerit D. patiens, reliquô poſt hæc tempore à dolorifica & permoleſtâ ſtranguria nunquam ampliùs vexatus, nec ſimilem craſſam tenacem & glutinoſam urinam reddere expertus.

Ibidem ann. eôd. Obſervatio 58. De Febre tertianâ intermittente malignâ.

URſula *Reherin*, Lanionis civis noſtratis uxor, propè ſexagenaria, temperamenti bilioſi, præteritô annô 1694. menſe ſeptembri corripitur circa meridiem rigore, ac horrore febrili, cum ſubſequente calore, necnon dolore capitis, nauſeâ, ciborum inappetentia, ſiti ac membrorum laſſitudine &c. abſolutô poſt aliquot horas paroxyſmô, totalis facta intermiſſio, quæ eadem tamen invaſio tertiô exindè die 48. horarum ſpatiô cum iiſdem prorſùs, ut anteà, accidentibus febrilibus rediit, ex quibus nil aliud concludere licebat, quàm ægram laborare febre Tertianâ intermittente vulgari, & benignâ, quæ in hôc locô frequentiſſima eſt. Notandum autem, quòd ex malâ conſuetudine & neglectione plures inter plebeios hìc ſint homines, qui hâc febre laborantes, haud dubiè ùt ſumptibus parceant, pro Cura Medicos priùs non conſulant, niſi propriô damnô experiantur, graviora accidere, vel febrem ſponte non cedere, aut contumacem evadere: quod & febricitanti noſtræ, (aliàs pro ſuô ſtatu ſat opulentæ) accidit. In tertiâ autem febris acceſſione paroxyſmus longè acerbior & vehementior rediit, proùt in ſubſequentibus reliquis, dum quidem febris ordinarium typum de tertiô in tertium ritè ac periodicè obſervabat, ſed abſque ullô amplius rigore aut frigore; ægra totô paroxyſmorum tempore, præter ſummam virium debilitatem, pulſum languidum, linguæ ſiccitatem, & motum convulſivum in labiis, erat ad ſomnum maximè proclivis, & verè comatoſa cum ſummâ oblivione, ita ùt poſt ſuperatum paroxyſmum, quæ priùs circa exhibitionem extremæ unctionis ſacramentalis, aliaque contigere, nil ampliùs recordata fuerit; extra paroxyſmos autem præter ſummam membrorum laſſitudinem, quæ ægram continuò in lectô ſe continere cogebat, de cæterò ſine ullô latentis aut ſimul conjunctæ febris continuæ judiciô, benè ſe habebat, uſquedùm poſt aliquot paroxyſmos ſemper magis magiſque ſucceſſivè decreſcentes, ex remediorum præſcriptorum uſû febris emanſit, & ægra reconvaluit.

Scholium

Quemadmodum in praxi Medicâ inter febres; hiſce præſertìm in locis, nulla frequentior occurrit quàm tertiana intermittens, ſic è contrà nulla rarior tertianâ intermittente malignâ, quam obſervare practicis contingit rariſſimè; quæ propterea paucis forsàn nota eſt, eô quòd febres intermittentes malignas dari non ſolùm plerique veteres non cenſuerint, ſed plures etiam Recentiores tales non agnoverint, & omnem febrem intermittentem quam primùm deprehendunt, à malignitate liberam pronunciant: quâ de cauſâ cùm tertiana intermittens maligna à potiſſimis Authoribus practicis non proponatur, eaque tam vulgaris non ſit, hinc eam dari, Medici haud pauci non credunt, quià fortaſſis eam in praxi non obſervârunt, aut non agnoverunt, ſed benignæ inſtar tractârunt, qui propterea ex hôc errore in ſuô ordinariô tertianæ febris prognoſticô quandoquè decepti ſunt. Dari autem talem febris ſpeciem malignam dicendum, non ſolùm tradunt Recentiores quidam, inter quos Excellentiſſimus D. Doct. Elias Rudolphus Camerarius Profeſſor Tubingæ annô 1692. diſputationem publicam de febre tertianâ intermittente malignâ edidit, mihique communicavit, ſed ipſa probat experientia, quâ ipſemet tales caſus in diverſis ſubjectis & diverſis accidentibus obſervavi, uti ex præſenti obſervatione apparet. Similis quodammodò caſus legitur in Ephem. Germ. Decur. tert. annô 3. Obſ. 138. à D. Doct. Carolô Raygerô Medicô Polonienſi deſcripta, ſub titulô febris tertianæ immittentis comatoſæ, quamvis non tantùm Comate, ſed aliis etiam ſymptomatibus, v. g. ex Deliriô, vigiliis pertinacibus, ſyncope, cardialgiâ, ſingultû, vertigine; convulſionibus, ſiti vel prorſùs nullâ vel nimis intensâ, extraordinariâ ſummâ membrorum laſſitudine ac dejectione virium ægrum etiam apyretias tempore in lectô decumbere cogente, aliiſque febri tertianæ intermittenti benignæ inconſuetis accidentibus ac gravioribus inſolitis actionibus tàm vitalibus quàm animalibus enormiter læſis, deprehendi poſſit malignitas in febribus intermittentibus ſimpliciter talibus ſeu alteri cuidam morbo

non conjunctis. Nam quemadmodùm in continuis & acutis tam ſimplicibus quàm compoſitis poteſt adeſſe vel abeſſe malignitas (de quâ tamen ordinariò acutæ aliquid in ſe participant, vel ut plurimùm ſemper ſuſpectæ ſunt) quod ex ipsâ graviorum & inſolitorum ſymptomatum aut contagii præſentiâ vel abſentiâ cognoſcitur, ſic & intermittens præſertim tertiana, quæ ratione citioris motûs & vehementiorum ſymptomatum reſpectivè loquendo ſatis acuta eſt, cur non eadem interdùm malignitatis quiddam in ſe continere poſſit, non video, præſertim cùm etiam hæc ipſa epidemicè nonnunquam graſſari ſoleat, uti tàm ego in his, quàm alii in locis aliis experti ſumus: quamvis hoc non ideò dictum velim, ac ſi omnis morbus epidemicus neceſſariò malignus; vel quivis malignus ſemper epidemicus eſſe debeat, utpotè de quô contrarium omnibus notum eſt. Solet proin hæc febris tertiana intermittens maligna admodum omnibus malignis conſuetum ſubdolè agere, dûm non ſtatim primô aut ſecundô ſed ſæpè demum tertiô aut quartô die malignitas in apertum prodit, quæ clanculò illudit & maximè decipit, pſeudopoliticorum more agens, ſignis ſcilicèt externis ac verbis blandis vultum ſuavem præ ſe ferens, internè vero venenum reconditum continens ac paulô poſt truculentum commonſtrans; ad quam detegendam fraudem magnâ opus eſt Medici prudentiâ, ùt hoſtis aſtutiam tempeſtivè ſubodoret, neque ſuam famam & febricitantis vitam ſecurô nimis prognoſticô & certâ reconvaleſcentiæ ſpe factâ, periculoſè proſtituat, eventu poſtmodùm funeſtè accidente.

Quando igitur ex ſignis ſuprà deſcriptis latentem malignitatis fraudem ſubolet Medicus, certo præſumere poteſt febrem non deprendere à vulgari benignô febrili fermentô, ſed deterioris conditionis humores in cauſâ eſſe, qui veneni inſtar agentes majorem & extraordinarium à ſtatu naturali receſſum cauſantur, & tam inſolita atque atrocia ſymptomata producunt; tunc ſine morâ malignitati obviam eundem & antifebrilibus bezoardica ſeu alexipharmaca admiſcenda, vires confortantia adhibenda, & accidentibus gravioribus maximè urgentibus inſiſtendum &c. In caſu præſenti ſequentia fuerunt bonô ſucceſſu adhibita; inprimis præmiſſô unâ vel duabus horis ante paroxyſmum leni vomitoriô, præſcripti ſunt pulveres antifebriles præcipitantes, ſimulque alexipharmaci, ex *C.C. ppt. Sale abſinthii, bezoard. miner. unicorn. foll. cort. peruvian. & lap. bezoard. &c.* Item ſequens potio vel mixtura antifebrilis ſimulque bezordica: ℞. *Antimon. diaphoret.* ℥ß. *ſal. abſinth.* ℈j. *ſal. corn. cer. vol. bezoard. miner. aa.* ℈ß. *ſyr. de ſucc. C. B.* ℥jß. *Aq. C. B. fumar. aa.* ℥iiß. *liq. C.C. ſuccinat. tinct. bezoard. ana.* ʒj. *M. F. pot. pro 2. dos.* hora una ante paroyſmum ſumenda; pro virium confortatione, & malignitati febrili reſiſtendum, utebatur ſequenti Electuariô molli. ℞. *pulv. alexi pharmac.* ℈ij. *ſpec. liberant.* ʒß *confect. de hyacinth.* ℥ß. *alkerm.* ʒij. *conſerv. roſ. rubr. vitriolat.* ℥ij. *citr. è pulp.* ℥j. *ſyr. de cort. citr. q. ſ. M. pro elect.* de quô ſæpiùs interdum, etiam tempore paroxyſmi, aſſumatur quantitas nucis majoris. Cæterùm omiſſa v. ſ. profuit veſicatorium; & ſp. C. C. volat. quô in ipſô paroxyſmô nares & tempora inungebantur: undè febris profligata.

Ibidem Obſervatio 59. De Lotiô bufonis ophthalmicô.

Ibidem Obſervatio 151. De Craniô multotiès perforatô, cum variis fracturis oſſium abſque manifeſtâ externâ cauſâ, ſeu de rarâ ventoſitate ſpinæ.

ANnô 1699. die 28. Novembris obiit vir quidam ruſticus nomine Joannes Wendenhalder, ætatis ſuæ propè quinquagenarius in pagô Lehenditionis Friburgenſis in Briſgoiâ, cujus affectum extraordinarium cùm urbis hujus Chirurgus aliàs ſatis artificioſus, & expertus nomine Joannes Hergott, qui ægrum aliquô tempore tractabat, cognoſcere non poſſet, rogavit me & alios duos Chirurgos nomine D. Bangeron & D. Biſſon, ut ægrum defunctum viſitandò inſpiceremus, & quô morbô propriè laborarit, aut occubuerit, ſectione exploraremus. Refert interìm, ſe ante 14. dies ad hunc ruſticum ægrotantem vocatum eſſe, quem cùm primâ vice viſitaſſet, intellexiſſe ab ægrô, quòd nuper, cùm difficiliùs è lectô ſurgeret, os brachii ſubitò perfregerit; viſitat Chirurgus locum, & invenit brachium ex hâc levi cauſâ reverà totaliter & ità diffractum eſſe, ùt os humeri in mediô inſtar cubiti incurvari potuiſſet. Et dum patientem hunc ulteriùs tractat & viſitat, invenit tandem ſucceſſivè ſimilem fracturam in brachiô ſiniſtrô, uti etiam in femore ſiniſtrô ſupra genu. Refert proindè, quòd in hôc ruſticô obſervaverit duo ſatis magna tubercula dura in oſſis frontis dextrâ ac ſuperiore parte, quæ verò paulatim liquefacta diſparuere, quô locô profunda cavitas & foveâ paulatim ità ſucceſſit, ùt extremitas pollicis immitti poſſet & cranium ibi perforatum & magnâ parte abſumptum eſſe videretur: Cæterùm, aiebat ægrum maximâ exparte corpore & viribus conſumptum fuiſſe &c.

Itaquè nuntiatâ morte acceſſimus locum, quô defunctus jacebat, viſitabamus diligenter omnia & invenimus externè, ſicut Chirurgus retulit, immò plura; non ſolùm in oſſibus frontis ſed etiam in ſyncipite, aliiſque cranii partibus plures ejuſmodi foveæ ſatis latæ & profundæ erant hìnc indè conſpicuæ, quas cutis contegebat naturali prorsùs colore prædita, exceptò uno locô Bregmatis, ubi foveola apparebat ſublivida, ac ſi Ecchymoſis fuiſſet.

Ut ergô Cranii & contentarum ſub eô partium conſtitutionem certiùs & per ocularem inſpectionem inveſtigare poſſemus, cultrô anatomicô uti volebamus; quòd verò ejus vidua nullô modô admittebat, uſque dùm à nobis & loci parochô perſuaſa tandem conceſſit, ùt omnibus amicis abſentibus citâ ſectione propoſitum noſtrum aſſequi potuerimus.

Itaquè ſeparatâ cute â Craniô plurimæ eæque ſatis magnæ foveæ, queis totùm cranium perforatum fuerat, erant conſpicuæ, in quibus materia corrupta lividâ ſubnigricans continebatur; hìnc & cranium ſecundum rotunditatem detraximus & obſervavimus, utramque Meningem una cum Cerebrô nullatenùs læſam ſed omnes has partes, quoad omnia benè conſtitutas, ipſum Cranium verò (ut ſuprà dictum) hinc indè multis foveis & cavitatibus in concavâ ejus parte ſeu interiori laminâ latioribus totaliter perforatum fuiſſe. Hìnc confecta cute accepimus, Cranium, pluſquàm viginti foraminibus majoribus & minoribus perviis excavatum.

Secuimus etiam loca, ubi erant fracturæ oſſium, nimirùm in utroque humerô & femore ſiniſtrô, in quibus foëda caries conſpiciebatur & ex leviſ-

ex leviſſimâ preſſione fragmenta diſſiliebant ; intùs loco medullæ corrupta ſublivida materia continebatur : ſimilis fractura obſervata eſt in clavicula ſiniſtrâ, nec dubium, ſi reliqua corporis oſſa inſpiciendi tempus pro anatomiâ nobis conceſſum fuiſſet, quin plures alias ejuſmodi oſſium fracturas & caries inveniſſemus, ità ùt exindè rari exempli defectuoſum ſceletum conſtrui poſſet, quod verò nobis non licuit.

Scholium

Ex præſenti obſervatione prudenter judicare licet, morbum hunc fuiſſe talem malignum affectum ſeu cariem oſſium quaſi univerſalem, quæ (quod mirabile eſt) intactis partibus mollioribus carnoſis & membranoſis, ſolùm duriores ſeu oſſeas aggreſſa eſt; Oſſa ſæpè ſæpiùs ex causâ aliqua externa, v. g. ab ulcere foedô, aut fiſtulis, aut materia purulenta acri tumoribus impacta carioſa fieri, lippis & tonſoribus notum eſt; ſic certi dantur effectus maligni oſſibus ſingulariter hoſtiles, uti de lue Venereâ & ſcorbutô conſtat: Aſt nihil tale in noſtrô casû tum ex relatis, tum ex aliis ſignis concomitantibus reperiri potuit; hinc dubium non eſt, affectum hunc ſingularem ex ſola cauſa interna peculiari & malignæ humorum ac præcipuè medulloſi ſucci ad nutritionem & conſervationem oſſium neceſſarii corruptioni adſcribenda exortum eſſe ; quamvis enim ſuprà ſcripta oſſis humeri fractura ex difficiliori corporis ægri in lectô erectione orta eſſe videretur, huic tamen cauſæ externæ nullatenùs adſcribi potuit, fuit enim cauſa tantùm facilitans, ex quâ oſſa aliàs internè marcida & carie infecta tantò facilius diffracta ſunt : quod ipſum in Craniô factum abſque ullô cauſæ alicujus externæ concursû, & quidem ab intrinſecô, eò quòd foramina illa cranii in inferiori ſeu concava ejus parte magis extenſa & latiora fuerint quàm exteriùs.

Quemadmodùm itaquè in Gangrænâ & ſphacelô partes corporis molliores, carnoſæ, glanduloſæ & membranoſæ potiſſimùm corrumpuntur ac mortificantur, ſic è contra in præſenti noſtrô casû oſſeæ tantùm partes carie quadam univerſali, ſeu, ut ità loquar, cancrô aut Gangræna oſſium (quæ aliàs *ſpina ventoſa*, vel à quibuſdam *ſpinæ ventoſitas* vulgò *Beinfreſſer*, in pueris propriô nomine *pedarthrace* nominatur) infectæ fuerant. Scribit *Scultetus* in ſuis obſervationibus part. 2. obſerv. 90. provenire ſpinā ventoſam ab humore, qui occultâ & infensâ qualitate primùm oſſa, citra omnem perioſtii læſionem atque doloris ſenſum corrodit, deindè Oedema efficit minimè dolens & poſt aliquot menſes partem exulcerat &c. Circa quam deſcriptionem notandum, quòd quia oſſa ceu partes duræ frigidæ in ſuâ ſubſtantiâ nervos non recipiunt, neque ſpiritibus animalibus affluxum concedunt, ſensû immediatè deſtituta ſint, & conſequenter propriè in ſe non ſentiant aut dolorem percipere poſſint niſi mediante perioſtio iis ſupertenſo ; hinc in communi oſſium carie à causâ externâ v. gr. fiſtulis, abſceſſibus aut purè exortâ, abſque prægreſsô dolore haud corrodi poſſe ; è contrà verò in tali ſpinâ ventosâ à causâ internâ exortâ (qualem caſus præſens demonſtrat) verificatur expertiſſimi *Sculteti* aſſertum, quòd nimirùm citra omnem perioſtii læſionem atque doloris ſenſum oſſa corrodantur. Cauſam internam præfatus Author, adſcribit humori, occultâ & infensâ qualitate oſſa corrodenti ; quibus terminis morborum cauſas explicari etſi Recentioribus quibuſdam (qui occultas qualitates ignorantiæ aſylum vocant,) non placeat, condonari tamen poteſt viris etiam doctis & expertis, quòd in explicatione affectûs cujuſdam rarioris & haud omnibus noti, ejuſmodi (ante hâc conſuetis) utantur terminis : quippè etiamſi corruptionem ſucci oſſium nutriticii peculiariter malignam & corroſivam in causâ eſſe dicamus ; in quô autem talis corruptio propriè conſiſtat, æquè ignotum eſt, eò quòd oſſa humana etſi in ſpiritû ſummè corroſivô vel Aq. forti infundantur aut Pulvere infernali inſpergantur, corroſionem tamen vix patiantur quin è contra membranæ qualeſcunque citò conſumantur, quamvìs vitalitate nullâ ampliùs gaudeant. Hoc equidèm indubitatum eſt, ſuccum illum medulloſum in oſſibus contentum eorum tantùm & non aliarum partium nutritioni & conſervationi dicatum eſſe : verùm quomodò corruptio illius per ſolos oſſeæ ſubſtantiæ poros penetret, eamque corrodat, & non ſimùl ipſi perioſtio dolorem & craniô ſubjacentibus meningibus læſionem afferat, hoc à priori per rationes fundamentaliter explicare eſt difficillimum ; dùm è contrà notiſſimum eſt, quòd in communi oſſium carie ab ulcerosô carnis ſinû aut collectô ſanguinis pure exorta membranoſis partibus non parcatur, ſed hæ ſimùl cum oſſeis lædantur & abſumantur. Leguntur quidem varia in practicorum obſervationibus exempla, quod unum tantùm vel alterùm membrum ſpinâ ventoſâ affectum fuerit, quod ſtatim incurabile pronuntiavit *Spigelius*, & partis læſæ amputationem fieri debere voluit ; At in noſtrô casû erat univerſalis quaſi oſſium caries ab ipſa ſummitate capitis ad brachia & femora uſque ſe extendens & craſſiſſima oſſa perterebrans ; quare malum hoc ex univerſali etiam causâ originem ſumpſiſſe non eſt dubium, ità ùt antecedentem ejus cauſam meritò in peculiari ſuccorum (ex quibus oſſium medulla generatur,) acrimonia & maligna vel diù latente ſcorbuticâ corruptione quærere liceat, quandoquidèm æger ſimul atrophiâ univerſali laborarit. Sed licèt de Hectica ordinaria aliàs conſtet, quod ea laborantes ſummam membrorum laſſitudinem conquerantur, ità ùt præſertim in maraſmô non tantùm ſucci liquidi nutrientes unà cum pinguedine ſed conſequenter tandèm ipſæ carnoſæ partes tanquam nutrimentô ſuô deſtitutæ ſucceſſivè conſumantur ; verùm de ipſâ oſſium ſubſtantiâ nihil deperditur, quale quid etiam in ſcorbutô ordinariô præter corroſionem dentium non obſervatur. Undè ſi non occultum dicere velimus, obſcurum ſaltèm & difficile eſſe profiteri debemus, veram rationem aſſignare, in quô affectûs hujus cauſa eſſentialiter & diſtinctivè conſiſtat, cujus ulteriorem trutinationem acutioribus relinquo ; interim verò, quamvis de hôc affectû mirabili in aliis Authoribus & obſervationibus annotatis mentio fiat, quia tamen hôc forſan modô non evenit & inter rariores caſus notatû dignos recenſeri meretur, idcircò obſervationem hanc rariorum notandorum calculô inſeri indignam haud cenſui.

Ibid. ann. 9. & 10. Obſervatio 51. De Febre Chronicâ Vicennariâ.

HOneſta Virgo Maria Magdalena Dommin, Civis Conſtantinenſis, temperamenti ex naturâ congeniti, & per vitam ſedentariam ac ſolitariam, victûſque craſſioris uſum, magis magiſque adaucti, valdè melancholici & ſcorbutici, dum 30. & aliquot annorum ætatem ageret, corripi-

corripitur febre intermittente, quotidiè circà veſperas recurrente, cum accidentibus ordinariis, frigore ſcil. & ſubſequente calore, ſiti, membrorum laſſitudine, &c. quæ febris poſtquàm per 6. hebdomadas perdurarit, periodum ſuum mutabat, & poſteà ſingulis alternis diebus paroxyſmum repetiebat, ſicque per aliquot menſes permanebat: Ex hâc tranſiit in quartanam ultrà annum perſeverantem; tandèm ex quartanâ mutata eſt rurſùs in quotidianam (à typô ſic dictam) quotidie nimirùm poſt veſperas & ad noctem revertentem, quæ ultima febris, etſi quidem ægram non valdè moleſtaret, ſed levioribus ſymptomatibus affligeret, & vix ultra 2. horas paroxyſmus duraret, tamen tam fixa & habituata evaſit, ùt jam per 20. & ultrà aliquot annos, perſeverârit. Contra affectum hunc febrilem chronicum & contumaciſſimum, multa remedia & diverſa tam interna quàm externa antifebrilia, & neſcio quæ, tam ab ipſis Medicis practicis, quàm hinc indè ab Empyricis variis commendata, ſed incaſsùm omnia ſunt adhibita. Vivit etiamnùm noſtra febricitans, annum ætatis modò agens 58. & ſingulis diebus ad noctem, alterationes febriles ſuſtinere debet, quas levis ordinariò ſudor ſubſequitur, nec tamen febris ſolvitur; imò ſudore vel cohibitô, vel emanente, pejus ſe habet ægra, quæ de cæterô ſuis functionibus ſine magnô impedimentô inſervire poteſt.

Scholium

Febrium intermittentium de unâ in aliam ſpeciem tranſitus & varia periodorum febrilium permutatio, prorsùs haud rara eſt; At verò nimia hujus febris diuturnitas & ultra 20. annos extenſio, raro admodùm obſervari ſolet, uti omnes facilè conteſtabuntur practici, qui tam in praxi medicâ, quàm etiam in theoriâ, quoad prognoſes febrium in genere vel parum verſati ſunt, notum eſt, quòd quò graviora in flebribus obſervantur ſymptomata, tanto citiûs eas (quamvis majori eventûs periculô) finiri, & è contra febres, præſertim intermittentes, quantô ſunt leviores & mitiores, atque in ſuô motû tardiores, ordinariò quidem non periculoſas, chronicas tamen & ſolutû contumaces eſſe; quià pro ſuâ causâ habent fermentum febrile magis fixum, craſſum, lentum, viſcidum, acidum, terreum, reſolutû difficile; qualis præ cæteris eſſe ſolet quartana intermittens ceu tardiſſima, quæ ſi non mox in principiô eradicetur, plerumque chronica evadit, & per 1. 2. 3. & 4. annos durare poteſt; quod in hôc locô, ubi febricitans noſter moratur, nil rarum eſt, tum propter lacum acronianum, tum Rheni effluxum, aëremque humidum, craſſum & nebuloſum, præ aliiſquippè morbis febres præſertim intermittentes, adeò frequentes ſunt, ùt nulla ferè detur febrium ſpecies, quæ in praxi ibidem non occurrat, tum quoad ſimplices quàm compoſitas, unius & diverſi generis, &c.

Aſt-quæ in obſervatione propoſita, fuerit prima & ſecunda febris ſpecies, judicatû obſcurum eſt; eò quòd ipſa patiens de paroxyſmorum febrilium acceſſionibus, typis, aliiſque Accidentibus ad impoſitionem febris pertinentibus examinata, à tantô tempore haud ampliùs memorare aut diſtinctè enarrare queat; hinc difficile certi quid de febris ſpecie ſtatuere, præſertim cùm facilis ſit dè unâ in aliam tranſitus, & compoſita in ſimplicem,& ſimplex in compoſitam, necnon quandoquè duæ diverſæ ſpecies conjungi, atque una in aliam permutari poſſit. Crediderim tamen, probabile eſſe, primò fuiſſe *quartanam triplicem*, deindè *duplicem*, & tertiò utramque in *ſimplicem* eſſe tranſmutatam; de quâ ultimâ nullum eſt dubium, quià acceſſio paroxyſmi de quartô in quartum incluſivè cum intermiſſione duorum dierum tanquam παθογνωμονικὸν quartanam intermittentem certò certiùs demonſtrat: Et quemadmodùm ex triplici duplex, atque ex duplici ſimplex factâ,ſic facili de causâ ex ſimplici rursùs triplex fieri potuit. Nulla enim eſt regulâ, quòd (ſicut *Riverius prax. Med. l*, 17. *Cap*. 5. ſtatuit.) Febris quartana antequàm fuit triplex, apparuiſſe debeat primò ſimplex aut duplex; & quòd nunquam aut perquàm rariſſimè febris quartana à triplici incipiat, ſed ſimplex aut duplex in eam degeneret. Imò contrarium à multiplici experientiâ edocti ſumus, febres nimirùm intermittētes ſimplices,rarò& nonniſi ex erroribus quibuſdam,vel in curâ vel ab ægrô commiſſis, in duplices fuiſſe mutatas, ſed plerumquè duplices primô incipere,& in ſimplices abire, quod in tertianis præcipuè,ùt potè frequentioribus experientiâ comprobatum eſt.

De cæterô quoad prognoſin intermittentium; notum eſt omnibus Practicis, nullam eſſe ordinariô & à potiori diuturniorem & magis chronicam ipſâ quartanâ, propter cujus contumaciam & curationis difficultatem, antiqui in Medicorum opprobrium dicere ſolebant: *Hydrops, quartana, Medicorum ſcandala plana.* Ob eandem cauſam quartana febris à quibuſdam *Saturni filia* nominata eſt, & exemplis aliorumque obſervationibus notum eſt, eam per 12. 20. imò ultra 30. annos perſeverâſſe, & quoſdam eâ laborantes, medium vel majus vitæ temporis ſpatium conſumpſiſſe, uti exempla notat *Gabelkofer Cent. 6. Obſerv.* 74. *item Wierus in obſervatione de quartanâ &c.*

An verò talis diuturna hujus febris contumacia ipſi materiæ morbificæ (ex qua primò febris orta eſt.) An verò conſuetudini (uti *Celſus* loquitur) adſcribenda ſit, meritò dubitatur, eò quod experientiâ itidèm conſtet, tales febres chronicas quandoquè ſine ullâ cauſæ morbiferæ excretione ſenſibili, ſed per amuleta, ſchedulas appenſas, nonnunquam ex incuſſô terrore, adeòque ſolius imaginationis virtute, vel certâ commotione ſpirituum fuiſſe proffligatas, qualia exempla vid. in experientiſſimi Boylei philoſoph. experimentali exercit. 5. fol. 282. apud Timæum de Guldenklee L. 8. caſ. 20. item in pharmaciâ noſtrâ Lect. 1. ſ. 4. qualem etiam obſervationem annotavit Excellentiſſimus Dn. D. Joſephus Lanzonus in Ephem. German. Decur. 3. an. 1. Obſerv. 37. cum aliis ibi citatis.

Quò ad curam caſûs in obſervatione propoſiti, nihil addo, eò quod ægra plebeja, pertæſa & febri tantô tempore aſſuefacta ulteriorem curam reſpuat; cui intereà propter alia accidentia bis exhibitum fuit blandum vomitorium, tantô effectû ùt præter ſaburræ tenacis viſcidæ evacuationem,etiam febris ipſa, quoad conſueta ſymptomata multò levior & remiſſior facta ſit; nec dubitandum quia ſi præter aëris mutationem (quam aliàs in febrium pertinacium curâ ſummè utilem fuiſſe expertus ſum) remediis incidentibus, alterantibus, aperitivis, abſorbentibus volatilibus, & antifebrilibus uteretur, ſi non integram febris ablationem ſaltèm citiorem reconvaleſcentiæ ſpem obtinere poſſet. Interim ulterior eventus expectandus.

Ibidem Obſervatio 52. *De Febre Quartanâ Chronicâ ſæpius recidivâ feliciter curatâ.*

DUm in obſervatione præcedente de febre chronicâ vicennali (quæ utiquè rara eſt) variiſque ejus mutationibus quædam annotata ſunt, placuit ob materiæ affinitatem ſubjungere aliam de febris

febris quartanæ chronicæ curatione obſervatam; non eum quidem in finem, ac ſi raritas quædam curioſa ſubſit, ſed quod rariſſimè aut ferè nunquam cura infra præſcripta fefellerit, in illis putà corporibus curationi aptis, ubi non alia viſcerum labes aut alius gravior ſimul conjunctus affectus latet reconditus.

Obſervationes leguntur quamplurimæ de febribus intermittentibus & ſpecialiter quartanis modô diverſiſſimô methodicè & empiricè, feliciter tamen curatis: ſed Empirica cùm fallant ſæpiùs, tutior eligitur via methodica, quam alii hôc, alii aliô modô inſtituunt; Ego ſalvâ meliori aliorum methodô, felici cum ſucceſſû per ſequentem viam per multos quartanarios ad ſalutis portum deduxi, uti ſequens docet obſervatio.

Reverendus quidam vicini huic urbi oppidi parochus ſexagenarius, corripiebatur quartanâ febre, tùm quoad ſymptomata febrilia tum quoad pertinaciam morbi moleſtiſſimâ; utebatur & Medicorum & Empiricorum conſiliis & opera, multa (neſcio quô ordine) aſſumendo alterantia, purgantia, antifebrilia & ſpecifica; ſed effectû haud aliô, quàm quòd per vices paroxyſmi febriles ad breve tempus aliquod emanſerint quidèm, aſt-majori vehementiâ mox redierint. In hunc modum per integrum ferè annum & patiens & Medici cum morbô conflictarunt, ità tamen eum abigere haud potuerunt, quia recidivaret. Menſe Martiô ab Empiricô denuò ſumſit febrifugum, ſed æquali effectû; poſtquam enim per tres hebdomades febris emanſerat, ſtatim ſequenti menſe Aprili redierunt novi paroxyſmi prioribus crudeliores; licèt diætam ſimul ordinatam exactè obſervaverit; undè D. Patiens, tot remediorum & ſumptuum fruſtrà impenſorum pertæſus, poſtquàm hoſpiti ſuô febrili moleſtiſſimo hyberna dare coactus fuerat, & ab eô penitùs liberari nullô modô potuerat, medentes ſuos deſeruit & ulteriorem Remediorum præſcriptionem ab iis admittere recuſavit. Hâc occaſione meum imploraturus auxilium ipsô paroxyſmi die ſe in hanc urbem contulit, quem circa veſperas febris invaſit cum vomitû frigore intenſiſſimô, ad quatuor horas durante, ſiti & ſubſequente æſtû permoleſtô: erat inſuper etiam febricitans viribus valdè debilitatus, cachecticus & ad tympanitidem diſpoſitus, ita ùt curam difficilem & eventum dubioſum fore prædixerim præſertim in habitû inveteratô & ſubjectô ſenili? Monui præterea non tam ad latentis fermenti febrilis nunquam perfectè eradicati correctionem & delectionem, quàm cachexiæ & tympanitidis præſervationem remediorum uſum deinceps dirigendum eſſe. Itaque ab ægrô confidente rogatus, præſcripſi ſequentem curationis methodum, quam ut accuratè obſervaret, ſuaſi, domique ſe contineret, juſſi.

Primò duabus ante paroxyſmi invaſionem horis, ſumſit vomitorium ex Tartarô Emet. & ſal. abſinth. ſequebantur vomitus aliquot & ſaburra viſcida & amara copioſè rejecta, paroxyſmô iterum redeunte.

Secundò pulverem alterantem antifebrilem qui eſt: ℞. *Ocul. cancrorum præparat.* ʒiß. *arcani dupl.* ʒj. *ſal. abſynth. Centar. min. C. B .ana.* ℈j. *M. F. pul. Divid. in* 7. Doſes æquales uſus hujus pulveris per 7. dies & quidem die intermiſſionis manè, die verò paroxyſmi horâ unâ ante invaſionem, continuabatur, ſed febris eadem: Indè

Tertiò tranſmiſi Nodulum alterantem aperitivum & laxantem ex antifebrilibus & anticachecticis in hunc modum ordinatum. ℞. *Rad.* 5. *aperitiv. ana* ʒij *filic. Gentianæ, Calam. arom. ana* ℥ß. *Herb. abſinth. pont. Cuſcut. Capillorum Veneris ſcolopend. C. B. ſummitat. Centaur. min. Baccar. Juniper ana Mj. Cort. tamariſci* ʒij. *fraxin.* ℥ß. *fol. ſen. ſ. ſt.* ʒvj. *Rhabarb. el.* ʒij. *agar. troc.* ʒiß. *rad. Helleb. nigr. pp.* ʒj. *paſſul. min. mund.* ℥j. *calyb. pp. in petiâ ligat.* ℥ß. *ſal. tart.* ʒiß. *ſem. anis foënic. artic. ana* ʒj. *Galang.* ʒiß. *Mac.* ʒß. *Croc.* ℈j. *Inciſ. irrorentur c. Ol. tartari p. d. & affund. vin. alb. mens. iß. C. △. com. quartar. iij. calid. ſtent. per* noctem, de quô diebus intermediis ſumatur quotidiè hauſtus, die acceſſionis verô, doſis pulveris antifebrilis ſuprà præſcripti ante paroxyſmum. Finitô hôc, vinô medicatô & corpore ſic diſpoſitô; tandem,

Quartô deveni ad ſpecifica febrifuga dicta & in ſpecie ad decantatum corticem peruvianum in formâ Electuarii, cujus deſcriptionem Prænob. & Excellentiſſimus Dominus Georgius Kiene Medic. Doct. Celeberr. & Conſul. ùrbis Conſtantien. affinis & fautor quondàm ſingularis mihi ante 20. circiter annos communicaverat, ut ſequitur. ℞. *Pul. Cortic. peruvian.* ʒvj. *ſal. antifebril.* ʒiß. *M. C. rob. ſambuc. q. ſ. F. elect. Doſis* ʒj. ſumatur ſemper poſt tertiam horam quotidiè, etiam in ipsô paroxyſmô, exceptô tempore ſomni. Similem aut ferè eandem deſcriptionem Electuarii antifebrilis habet Excellentiſſimus D. Lentilius Lib. 1. Miſcell. pag. 250. cujus utilitatem multum deprædicat.

Præterea præſcriptum eſt emplaſtrum febrile ſecundum deſcriptionem D. Mich. nimirùm ℞. *Fuligin. furn. ſplend.* ℥iß. *terebinth.* ʒvj. *telæ aran.* ʒj. *Camph.* ℈ij. *ol. aran. q. ſ. M. pro* Emplaſtrô extendatur ſuper Corium magnitudine dimidii thaleri, & applicetur carpis manuum ſingulis 24. horis renovando; item Camphora ad ℥ß. legitur in petiâ & collô appenſa geſtetur circa cordis ſcrobiculum, ſeu regionem ventriculi (N. B. quibus remedis externis ſolùm quandoquè febres cedunt.)

Interim quæſivit ex me per litteras Dominus Patiens, utrum venæſectionem ſibi hôc tempore vernali conſultam inſtituere liceat? quod, etſi indicantia nulla ex communi dogmaticorum regulâ adeſſent, conceſſi, tamèn ſanguinem in modicâ quantitate è venâ brachii die intermiſſionis emittendum. Per parentheſin hoc obiter notandum, pleroſque practicos Venæſectionem pro curâ febris quartanæ non admittere, neque ſine hôc remediô in multis eam feliciter curaſſe: è contra hautem obſervavi ante aliquot annos in Rev. P. Cappucinô quôdam quartanâ chronicâ 15. menſibus laborante, cùm omnia (uti referebat,) incaſsùm fuiſſent adhibita, poſt celebratam phlebotomiam illicô febrem fuiſſe profligatam: & authori noſtro ſupra memorato communem febres intermittentes curandi fuiſſe methodum, quòd poſt aſſumptam purgans & adhibita alterantia antifebrilia, venæſectionem inſtituerit, indèque ad ſpecifica devenerit febrifuga, quod felici ut plurimùm ſucceſsû effectus comprobavit.

Ut ut verò ſit, ſaltem in noſtrô casù ex inſtitutâ V. S. non ſolùm noxii nil ſequebatur, ſed febris in meliùs notabilter mutabatur, dum paroxyſmus ſubſequens, ſeriùs & mitiùs redibat, cum facili tolerantia; quod utrùm V. S. an potiùs medicamentis antifebrilibus an utriſque ſimul, adſcribendum ſit, ſuô locô relinquimus.

De aliquot febrium mutationibus certior factus Electuarium repeti & diligenter ejus uſum continuare juſſi, paroxyſmi ulteriores ſivè redeant, ſive emaneant. Potus ordinarius tempore totius curæ erat △ chalybeata, cui ſpirir. ſal Armoniac. guttatim inſtillabatur, pro menſura una gutt. xxx. diebus intermiſſionis ſumatur hauſtus vini medicati, ex herbis amaris, abſinth. Centaur. mini.

C. B. &c. incipiente paroxyſmô abſtinendum à potû, uſque dum calor ſe ſe in membra diffundere cœperit. Die acceſſionis comedat parùm mane, & exſpectet finem paroxyſmi, nam quotieſcunquè in prandiô aut ante febris acceſſionem cibos ſumpſit patiens, paroxyſmus rediit intenſior, & in ejus principiô vomitus aderat.

Hiſce continuatis, reſcripſit poſt aliquot dies Reverendus Dominus, ſe à febre totaliter liberatum, nec quicquam de paroxyſmô ampliùs perſentire: de hàc re autem maximè ſollicitum eſſe, quomodò ab ulteriori recidivâ præſervari poſſit, nè (uti ſæpiùs anteà contigiſſet,) in pejorem ſtatum denuò relabatur. Quare, etſi propter curam methodicè abſolutam nihil metuendum eſſet, pro majori tamen ſecuritate propter diætam recommendavi pulverem ſtomachicum Birkman. quotidiè ſumendum, & ſequentes Pilulas præſervativas.

℞. *Extr. Gentian. abſinth. theriac. aa.* ℈ij. *diaph. Martialis* ʒ. ß. *Arcan. dupl.* ℈j. *Myrrh.* ʒ. ß. *Ol. Garyoph. guttas V. M. C. Tinct. cort. chin, Chin. q. ſ. f. pill. granor. pond.* De quibus per integrum octiduum quotidiè ſumantur N. 15. poſtmodùm verò illis tantùm diebus, quibus paroxyſmi aliàs redire conſueverant; Sumpſit quoque interdùm hauſtum acidularum Ripplisſarentium. Et ſic per Dei gratiam redeuntibus paulatim viribus, appetitû & meliori corporis habitû, ex integrô reſtitutus, ſine ulteriori recidivâ evaſit. Atque per hanc curandi methodum permulti alii à quartanâ chronicâ paucis pro rei exigentiâ & circumſtantiarum varietate mutatis, feliciter curati ſunt.

Cæterùm in curâ quartanæ multùm aſtimo clyſteres, præſertìm verò ubi vel alvus obſtructa, vel copioſi flatus (uti ſæpiſſimè in hâc febre contingit) generantur, vel exindè tormina ventris, borborygmi aut dolores in abdomine & centro meſenterii, aut anguſtiæ in præcordiis percipiuntur; nec dubitandum, quin in his circumſtantiis inſigniter ſint proficui, qui parari poſſunt ex decoctô emolliente & carminativô, aliiſque abſtergentibus & flatus diſcutientibus, in quibus tamen omnia açria & fortiter ſtimulantia omittenda ſunt ex. gr.

℞. *Decoct. Emollient. Carminat. aa.* ℥iiiß. *diſſolv. Elect. è Bacc. laur.* ʒvj. *mell. anthos.* ℥j. *additô Ol. chamomill.* ℥iß. *ſtillatit. Carvi* ℈j. *vitell. ov. no. 1. eſt. pro clyſtere.* Qualis quidem etiam in noſtrô febricitante fuit ordinatus, ſed non applicatus. Imò gloriatur Crato in ſuis conſiliis l. 5. Conſ. 26. ſe magni nominis virum ſolô uſu enematum (cùm alia omnia remedia aſpernarentur) à quartanâ liberâſſe; addit tamen, *ſed hoc fit in illis, qui initiô paroxyſmorum tormina ventris ſentiunt.*

Ibidem Obſervatio 128. *De Artemiſiarum Carbonibus.*

Diverſiſſimas eaſque admirabiles eſſe in rebus ſublunaribus, proprietates, virtutes & operationes, id omnibus ac præcipuè rerum phyſicarum contemplatoribus curioſis eſt notiſſimum, etſi non ſemper ex rationibus à priori, ſaltem à poſteriori & experientiâ frequentiori demonſtrabile, tum ex Zoologiâ, tum mineralogiâ, tum phytologiâ. Ex hac ultimâ inter alia quàm plurima curioſorum conſideratione digna eſt inventio carbónum ſub radicibus herbæ artemiſiæ.

Authores Botanici tam veteres quàm Recentiores quò ad carbones iſtos inter ſe non conveniunt, dum multi ſunt, qui in deſcriptione hujus herbæ mentionem nullam faciunt de carbonibus ſub radice inveniendis, ſed prorsùs abſtrahunt, nec dicunt, utrùm inveniantur, vel non; propterea fortaſſis, quod vel notitiam hujus rei nullam habuerint, vel experimentum nullum ſumpſerint; vel in dubium vocarint aut non crediderint, ſicque in deſcriptionibus ſuis botanicis huic rei melius tacendo ſuperſedere voluerint.

Alii quidam Botanici, inter quos *Verzaſcam & Samuelem Müllerum* adduco, dum *artemiſiam* ejuſque virtutes deſcribunt, mentionem quidem faciunt de iſtis carbonibus, ſed eos inveniri prorsùs negant & quemadmodùm nonnulla ſuperſtitioſa de herbæ hujus viribus antiquitas tradidit, hoc pro anili fabulâ tenent, ac propterea ad ludibrium, carbones hoſce *ſtultorum* vulgò *Nurrens Kohlen vel Rarren Stein* nominant.

Sunt verò è contrà quidam alii fide digni Botanici, qui aſſerunt carbones, & quidem in Die Divô *Johanni Baptiſtæ* ſacrô ſeu 24. Menſis Junii ſub radicibus artemiſiæ inveniri, quorum pulverem contra Epilepſiam ſingulariter recommendant, inter quos eſt *Schroëderus in ſuô theſaurô pharmacologicô l. 4. Claſſ. 1. Num. 4.* quod etiam *Excellentiſſimus D. Georg. Francus, in ſuô Lexicô vegetabilium* confirmat. Et profectô in dubium non immeritò vocari hæc res poſſet, cùm incredibile videatur, quod ſub ipsâ terrâ ex ſe ſponte carbones enaſci poſſint, qui aliàs nihil aliud quàm lignorum non integrè in cineres combuſtorum effectus ſunt. Hinc conjicere poſſet aliquis, etiamſi carbones inveniantur aut inventi ſint, id cauſaliter contigiſſe, non quod ſub terrâ ad herbæ radices enati, ſed aliundè injecti ſint, exemp. grat. cum fimô, quô agri & campi ad impinguandum & majorem fertilitatis uſum acquirendum ſuperſterni ſolent; vel eundem in finem ligna accenduntur in agris & comburuntur.

Ex his apparentiis Ego, ùt verum fatear, tam credulus eſſe nolui, ùt adducar ad credendum carbones ejuſmodi reverà inveniri, aut naſci ſub artemiſiæ radicibus, ſed ſemper exiſtimabam ridiculam eſſe fabulam & dignæ irriſioni ſeductionem, quemadmodùm illa eſt, quâ ſpargunt quidam, quòd initiô veris primò hirundinem volantem aſpiciens, ſi ſub pede ſiniſtrô terram effodiat, carbonem inventurus ſit. Poſtquàm verò curioſiùs hanc rem inveſtigavi, & experientiam ſumpſi, hæc rei veritatem detexit, & nullum eſſe figmentum, ſed veriſſimè carbones iſtos inveniri, ſæpiùs expertus ſum; imô evenit mihi quemadmodùm Excellentiſſimô D. Doct. Ettmullerô, qui in Schröderi dilucidati phythologiâ, pag. m. 13. de herbâ artemiſiâ ſequenti ſcribit modô: *Carbones*, quorum meminit Author, commendantur ad Epilepſiam; & ex Experientiâ ſcio, verum eſſe, quod ſemper putavi anile figmentum, vidi tales carbones & infantem Epilepticum illis, cuſpis cultelli quantum çapit, curatum novi. Quæritur die feſtô Johannis Baptiſtæ *Zwiſchen 12. Und. 1. Uhr, unter dem rothen Benſus Strauchen.* Legantur *Petraus in Diſſertat. Noſologicis*, & probatos videmus in praxi *Joëlis Cap. de Epilepſiâ.*

Ego annis aliquot præcedentibus ſemper aſſignatô die 24. Junii exivi cum aliquot ſtudioſis ad quærendum ejuſmodi carbones, quos etiam ad ſatisfactionem noſtram invenimus, eorumque nonnullam partem domi reſervavi, horam verò tam exactè non obſervavimus, ſed tam ante prandium, quàm in meridie, & poſt meridiem eos reperire licuit, aliis verò diebus & menſibus non apparuerunt. Hoc eſt quod admiratione dignum: ſed quis omnium rerum naturalium proprietates & eſſentias à priori explicabit? certè temporum mutationibus, maturationibus, conſtellationibus, & ſolis

curſui aliquid attribuendum, quòd effectus quidam mirabiles ſequantur, qui tàm à poſteriori & experientiâ nobis conſtant, cauſæ verò ſunt ignotiſſimæ.

Sic quòd in quibuſdam animalibus generentur & inveniantur certis temporibus ac ætatibus certi lapides certam habentes figuram, non inſtar calculorum in humanis corporibus præter naturam genitorum, ſed naturali prorsùs modô & multis uſibus applicandi, notum eſt omnibus, quamvìs cauſæ haud innoteſcant. Sic quòd certi lapides ſub diverſis figuris & imaginibus inveniantur in latomiis, ſeu ſaxifodinis, latet neminem, ſed hoc mirabile potiùs eſt, quàm perſcrutabile. Sic ex Agris Badenſibus in Ergoiâ, effodiuntur ex terrâ aſcæ artificialibus omninò ſimillimæ. Sed (niſi dolus lateat) quis earum originem & cauſam naturalem explicabit? Sic innegabile eſt & experientiâ certiſſimâ notum, quòd theſauri ſub terrâ abſconditi certis annis in ſuperficie camporum vel agrorum (ſub quibus ſepulti longô tempore jacebant) appareant, prout non rarò integri nummorum antiquorum acervi reperti ſunt, & paucos ante annos in Agrô *Inſulæ Augiæ divitis* circa lacum *acronianum* ingens olla nummis variis & per antiquis (quorum aliquos ad manus meas recepi) repleta ab agricolâ reperta fuit. Sed quæ cauſa ſit, cur certorum annorum curſû ſaltèm tam ponderoſa moles è profundô, ſuâ ſponte, vel ex cujus motû ad ſuperficiem feratur, & rursùs diſpareat, eſt equidèm inexplicabile, nam hæc & ejuſmodi alia admiranda ſunt, naturæ arcana nobis ignota & imperſcrutabilia.

Quòd autem caſualiter tantùm carbones ſub artemiſiæ radicibus inveniantur, minimè credendum, eò quòd non modò ſub unâ ſed pluribus radicibus diverſis, in locis longè diſſitis reperti ſint, neque ſub aliarum herbarum radicibus artemiſiæ proximis carbones ullos invenire licuit.

Ibidem Obſervatio 129. *De mirâ virtute radicis Verbaſci antiapoplecticâ.*

PRæcedenti Obſervationi aliam ſubjungere placuit, quæ ſimilem continet materiam, haud omnibus fortaſſis notam; Latent nimirum ſubindè arcana certis in vegetabilibus & virtutes admirandæ, quarum effectus nemo alitèr niſi ex ſe ipſis & ab experientiâ demonſtrare aut explicare poteſt, qualis eſt mira virtus *antapoplectica*, quæ latet in radice *Verbaſci maris*, quæ illâ die, quando ſol ingreditur ſignum leonis, quæ eſt 28. Menſis Julii, manè ante ſolis ortum è terrâ effoditur, hæc probè lota ſindoni includitur, & collô appenſa inſtar amuleti geſtatur & apoplexiâ præſervat. Volunt quidam, radicem aurô effodiendam eſſe, & non aliô inſtrumentô; ſed iis nihil attribuo, quia vegetabilium virtutes non inſtrumentô, quô effodiuntur aut abſcinduntur, ſed potiùs proprietati intrinſecæ & mutationis tempori adſcribendæ videntur. Norunt omnes experti philiatri, apoplexiam ex illorum eſſe morborum genere, quos hæreditarios vocant, & qui ex parentibus in filios caractere ſeminali propagari poſſũt, ità ùt certò ſtemati fatales eſſe, ità natos diſponere ſoleant, ùt eidem morbô magis ſint obnoxii, in hiſce ergò ſubjectis aut ex aliis cauſis ac ſignis ad apoplexiam diſpoſitis, ad præcavendum meritò adhibentur antapoplectica, inter quæ ab experientiâ compertum eſt, maximæ prædictum amuletum eſſe efficaciæ: præter hoc tamen ſuadeo alia quoque interna, & quæ pro diversâ conſtitutione ſubjecti aut cauſæ, à quâ apoplexia produci poteſt, directa ſunt, non eſſe intermittenda, ùt ſi exemp. grat. ſit quidam valdè pletoricus, & ad apoplexiam ſanguineam diſpoſitus, ſanguinis quantitas exceſſiva per venæſectionem certis temporibus inſtituendam detrahi convenienter poterit &c. Retulerunt mihi viri fide digni, fuiſſe quendam *Marchionem Badenſem*, qui non tantùm apoplexiæ erat obnoxius ex ſtemate, ſed etiam ejus inſultum perpeſſus, ſed reſtitutus, huic, ne recidivam patiatur, pro arcanô remediô præſervativô ſuadebatur hoc amuletum ex radice verbaſci maris dictô tempore effoſſum collô geſtandum, quod per plurimos annos ad ſenium uſque portavit, & ab ulterioribus inſultibus apoplecticis immunis permanſerat, ſed dùm aliquandò mutaret veſtimenta, & amuletum ex oblivione incautius depoſuiſſet, illicò apoplexiâ forti denuò tactus occubuit.

Novi Ego diverſos viros apoplexiæ obnoxios, quibus hoc remedium præſervativum pro arcanô ſuaſi, nec fruſtrà; quandiù enim amuletum geſtârunt, nil mali ex hôc affectû iiſdem obtigit. Quòd autem amuleta aliquid valeant, minimè negandum, quia experientiâ multiplici conſtat & practicis omnibus notum eſt; ſint alii, qui herbarum virtutes qualitatibus adſcribant iiſque, certos caloris aut frigoris, humiditatis aut ſiccitatis gradus aſſignent; Ego tamen experientiâ edoctus, firmiter mihi perſuaſum habeo, valere in iiſdem virtutes appropriatas, quæ qualitatibus prædictis adſcribi minimè poterunt. In quibus autem virtutes appropriatæ conſiſtant, res eſt altioris indaginis.

Ibid. in Ephemerid. Cent. I. & II. *obſ.* 4. *de Petroleô, certo contrà Napelli virulentiam antidotô.*

Ibidem Centur. I. & 2. *obſ.* 102. *De variâ unius Medicamenti purgantis in unô ac diverſis ſubjectis, unôque ac diverſis temporibus exhibiti, Operatione.*

CUm non ſolùm in multis morbis, præcipuè autem in cruditate & repletione ſtomachi, febribus intermittentibus, affectibus cacochymicis, & ſimilibus aliis, verùm etiam ad præſervationem morborum, medicamenta purgantia multùm in uſû ſint, & magnâ utilitate adhibeantur, immò ab ipſis ægris ſæpè expetuntur, & ab hominibus benè etiam valentibus pro præſervatione ordinariâ requirantur, inæqualis tamen & incerta ſolet eſſe eorum operatio, ità ùt interrogantibus, quot ſedes aut ſeceſſus indè ſecuturi ſint, aut petentibus, ùt totiès ἄνω aut totiès κάτω moveatur, certi quid reſpondi aut promitti haud poſſit, niſi *circiter circa.* Immô & in hôc non rarò fallimur, dum una eademque medicina purgans ſæpè bonam mediocrem, ſæpè minorem nimis debilem, interdùm fortiorem nimis exceſſivam, quandoquè nullam prorsùs operationem oſtendit. Et quis in praxi medicâ verſatus interdùm contigiſſe non obſervavit, quod deorsùm purgantia vomitum, aut vomitoria ſeceſſus moverint, aut quòd fortius catharticum laxativi vices egerit, aut è contra laxans hypercatharſim excitârit? De hâc materiâ, etſi forſan alii (de quô tamen præter *Excellentiſſimum Lentilium in ſuis Miſcellaneis Med. Pract. Lib.* I. *S.* 288. mihi ſaltèm non conſtat) ſcripſerint, placuit paucas impræſentiarum annectere obſervationes.

De electivè purgantibus ego (ùt verum fatear) ſollicitus parùm ſum in præſcribendis formulis, exiguam hucuſque ſolitus facere differentiam, ſolummodò attendendo, utrùm & quandò conveniant: formam remedii purgãtis ut plurimùm dictat electio ægroti, vel aſſumentis, aut perſuaſio præſcribentis: doſin ſeu quantitatem definiunt corporis vires, aut humor peccans evacuandus variô modô cõſtitutus: tempus urget in neceſſitate, & morborum principiis, in quibus juxta Hippocratem, *ſi quid movendum videtur, move*: extra neceſſitatẽ non datur certa regula;

cõmoda tamen occaſio tempore vernali, vel autumnali, antè vel poſt venæſectionem, lunâ quavis, dummodô non in ſumma nec infima &c. verùm etſi omnia benè obſerventur, inæqualiter tamen agunt atque operãtur purgantia, uti patebit ex ſequentibus.

Familiaris & perquàm frequens pulvis purgans mihi in usû eſt, in febrium præcipuè intermittentium principiò, ubi inappetentia ciborum, nauſea, ructus & oris guſtus amaricans deprehenduntur, ſive febrilis paroxyſmus ſe jam inſinuaverit, aut timeatur, conſiſtens ex pul. Cornach. gr. xv. ſalis abſinth. gr. iij. & Tartari emet. gr. ij. hunc autumnô præteritô (dum febres intermittentes & continuæ hîc multos invaderent) unâ die pro 4. militibus febricitare incipientibus præſcripſeram; aſt diverſa ſequuta eſt operatio; quippè unus ſolummodò purgabatur per alvum multotiès, alter ſine alvi apertione aliquotiès per vomitum, tertius per utramque viam ἄνω & κάτω (quæ alias ordinaria hujus purgantis ſolet eſſe operatio) multa biliosa & viſcoſa dejecit, 4.tus ſedes vix duas expertus; omnes tamen notabili cum levamine.

Alia mihi itidèm valdè frequens & conſueta formula potionis laxativæ in uſû eſt conſiſtentis, ex *Extr. Diacitr. Cnic. ana* ℈ß. *Tartari vitriolat. gr.* v. *ſyr. de Cich. c. rab.* ʒvj. *aqu. laxat.* ℥ij. *menth.* ℥ß. *ol. Mac. gt. ij.* Hanc vere præteritô curioſitatis gratiâ pro 4. meis convictoribus, quoad ætatem ab invicem parùm differentibus, unâ eâdemque die; & matutinâ horâ, in eâdem prorsùs doſi præſcripſeram, quam ſimul omnes in unô hypocauſtô calidè abſque nauſeâ epotarunt. NB. Nullus autèm horum ſingulares habebat querelas de ſanitate læſâ, aut morbificis accidentibus, ſed quivis deſiderabat medicinam purgantem, ante conſuetam phlebotomiam aſſumendam. Sed ecce operationem quàm diverſam! unus vix horam exſpectavit, & ter per vomitum, poſtmodùm totiès per alvum expurgabatur; alter ante prandium 7. ſedibus movebatur deorsùm; tertius per totum diem ſeceſſus vix duos expertus, 4.tus verò fruſtrà & ſine effectû ſe medicinam ſumpſiſſe ratus, ad noctem primùm medicamenti ſtimulum expertus eſt, ſed ejus operatio pluribus vicibus ad inſequentem uſque diem continuavit; ità ût omnes ridendo inæqualem medicinæ, æqualiter aſſumtæ virtutem & effectum valdè mirarentur.

Simili modô pro 3. perſonis quamvis diverſæ ætatis in unâ domô cohabitantibus una vice præſcripſi nodulum purgantem panchymagogum in ſequenti formula: ℞. *rad. 5. aperit. ana.* ℥ß. *bryon. filic. polypod. q. ana.* ʒvi. *herb. abſinth. pont. agrimon. capill. Veneris, marrub. alb. ſcolopendr. hyſſop. C. B. beton. ſalv. ana Mj. flor. anth. geniſt. ana M*ß. *cort. fraxin. tamariſc. ana* ℥ß *fol. ſenn. ſ. ſt.* ℥j. *rhabarb.* ʒii. *agar. tr.* ʒiij. *mechoac. alb. rad. helleb. nigr. ppt. ana* ʒiß. *paſſul. min. mund.* ℥iß. *ſal. tartari* ʒij. *ſem. anis. fænic. ana.* ʒiß *calam. arom.* ℥ß. *galand. mac. ana* ʒj. *cræ. auſtr.* ʒß. *groſſò modô inc. commiſc. ad nodul. cui affund. vin. alb. menſur.* 4. ſtent in locô calidô per noctem, de quô vinô medicatô ſingulô mane & ad veſperas ſumatur hauſtus, doſin vel augendo, vel minuendô, proùt operatio procedit. De hoc vinô purgante ſumpſerant omnes tres eâdem horâ & quantitate æquali, ſed effectû iterùm perquàm diverſo; nam primus præter ſpem movebatur per vomitum aliquoties, ità ût ulteriùs ſumere recuſaret: alter ſumſit hauſtum manè & ad veſperas, ex quô de die 4. dejectiones deorsùm habuit. Tertius primâ die bis hauſerat, ſed prorsùs nihil movebatur: indè alterô die augebatur nonnihil doſis, & ſic continuando quotidiè ter vel quater per ſedem operatio ſequebatur. Primus cum videret reliquos duos ab aſſumtô vini medicati potû ad vomitum non ſtimulatos, denuô perſuaſus fuit, atque iterum aſſumſit hauſtum uti priùs, & inde ſine vomitû moderatè per alvum expurgatus eſt.

Qui ordinarios in Monaſteriis & Xenodochiis Medicos agunt, & pro multis ac diverſis hominibus eôdem tempore purgantia præſcribunt, omnium optimè experiuntur, quàm diverſas & ſæpe miras ea operationes obtineant; quod, dùm antehâc inſſueviâ, & ad Acronianum lacum praxin exercebam, & unâ vice ſimul & ſemel pro 10. Monaſteriis Medicum ordinarium agebam, experientia frequentior, me edocuit. Qui pillulis utuntur ordinariis laxantibus, ſingulô menſe ſumendis, in ſe ipſis experiuntur, effectum haud ſemper æqualem eſſe, licet in eâdem doſi & numerô aſſumuntur; nam interdùm operantur mediocriter, interdùm vehementer, interdùm lentè, quandôque nihil, præſertim ſi natura ſeu ſtomachus in iis ſæpiùs ſumtis aliquô modô fuerit aſſuefactus. Inveniuntur haud pauci, qui à Medicis quandoque deſiderant, ùt ipſis fortiora præſcribantur purgantia, ſed hìc ſemper mediâ viâ procedendum ceu tutiſſima; qui enim ſecundum modum Barbitonſorum paganorum vehementiora ex Antimoniô, Helleborô, ſcammoniô ſeu Diagrydiô, Colocynthide, Euphorbiô, gummi gutta aliiſque fortioribus corroſivis præparata exhibent purgantia, hypercatharſin movendo non ſolum nocent aliis, quorum ſanitatem deſtruunt, ſed ſibimet ipſis, proſtituendo famam, quam tam facilè non reſtituent: Memini dum adhuc juvenis Medicus eſſem, & antequàm praxin medicam ſolô Marte exercere inceperim, me ab aliquibus Medicis ſenioribus celeberrimis, quos hìnc indè aliquid in arte perdiſcendi gratia viſitabam, fideliter admonitum eſſe, ùt ad praxin ſi devenirem, ab uſû fortiorum purgantium mihi caverem, quia exinde Medicus aliis redditur vel maximè exoſus. Verùm quàm cautè etiam quis agat in præſcriptione purgantium, vix tamen ſemper cavere poterit, quòd non quandoque præter omnem intentionem hypercarthaſis moveatur, uti mihi quondam contigit in ſequenti caſû.

Reverendo cuidam Dn. Jonæ Veringer Sacerdoti ante conſuetam phlebotomiam vernalem, medicinam purgantem ſibi præſcribendam poſtulanti, ordinavi ſimilem potionem laxativam, cujus ſuprà facta eſt mentio; præparatam aſſumpſit; & ſeptiès indè movebatur, ità contentus, ùt formulam præſcriptam à Pharmacopœô repeteret, idque pro futuris uſibus in ſuô breviariô aſſervaret, inſcribendo ſequentia formalia: N. B. *Hæc potio laxativa blandè operata fuit ſeptiès.* Proximo autumnali tempore dum ante conſuetam venæſectionem rursùs medicinam purgantem ſumere conſtituerat, idem recipe me inſciô mittebat in pharmacopolium, ùt in eâdem formâ præpararetur, quam denuô aſſumpſit, ſed operatione longè diverſâ quàm in præcedente; exindè enim cum tantâ vehementiâ purgatus eſt, ùt maximis cum torminibus colicis ultra 70. ſedes copioſè deponere, viribuſque dejectus me tunc loco abſentem per expreſſum vocare ac medicam implorare opem coactus fuerit. Quænam autem cauſa fuerit hujus vehementis hypercatharſeos, invenire haud potui, cùm ex parte aſſumentis error nullus ſit deprehenſus; culpa potiùs Pharmacopæo conjecturaliter imputari potuiſſet, quamvìs incertò conſtaret. Hoc idem ſimiliter obſervavi in Perilluſtri ac Generoſô Dn. Lib. Barone de Roth, qui ex uſû medicinæ laxantis ordinariæ à me præſcriptæ, tantam hypercatharſim expertus eſt, ùt de vitâ periclitaretur, & me in auxilium vocare neceſſe habuerit; verùm propriâ ipſius culpâ hoc accidit, quia

quia nimirùm poſt aſſumptam medicinam tempeſtate importunâ foris ſe contulit in ſylvas, & venationi inſiſtendo corporis exercitium immoderatum inſtituit, ex quâ causâ talis operatio importuna facilè provenire potuerat.

Ibidem Obſervatio 102. *De ſeminibus Cucumeris Meloniparis.*

Contigit hôc ipsô annô 1707. quod ſemina cucumeris ſtudiosè collecta & aſſervata præteritô tempore vernali in propriô hortô meô in terram projecta & ſeminata locô cucumerum puros & varios melones dulces & ſapidos produxerint. Similem ſeminum variationem ac miram degenerationem hîc loci & hôc annô expertus eſt alius quidam hujus urbis civis Egy. nominatus, cui idem contigit & locô ſeminatorum cucumerum melones collegit. Verùm dubitaret fortaſſis quiſpiam ac ſi error contigiſſet in collectione, aſſervatione & ſeminatione ſeminum, ſed minimè; quippè & in aliis hortis idem fuit obſervatum. Dùm enim autumnô præteritô fortè fortunâ vicinum meum Dn. Hauſer, virum ſedulum & in rebus domeſticis gerendis accuratum viſitarem, & in ſuô hypocauſtô & camerâ magnam melonum copiam conſpicerem; interrogabam, undè tantam frugum meſſem collegerit? Retulit mihi fide dignus cum admiratione, ſe antehâc in hortô ſuô melones nunquam habuiſſe, neque horum ſemina in terram projeciſſe, ſed ſemina cucumerum ipſummet annô præterito ſtudiosè collecta aſſervaſſe & nomina papyro inſcripſiſſe, ac vere præcedente propriâ manû in terram ſeminâſſe, ſed præter ſpem & exſpectationem in unô eôdemque horti locô tum cucumeres tum & maximâ ex parte melones varios inveniſſe, quorum aliquos guſtavimus & genuinos ſapidos ac ſubdulces non ſine delectatione deprehendimus. Hujus curioſæ rei, varietatis & miræ degenerationis cauſam reſcire nemo potuerat; hinc & curioſis communicare placuit.

BLAVEN (*Andreas de*)

De eô exſtat

Epiſtola ad Petrum Andr. Matthiolum, de multiplici auri potabilis parandi ratione. Reperitur in Lib. IV. Epiſtolarum Matthioli pag. 511. in 8.

BLAWENSTEIN (*Salomon de*)

Ex eô habetur

Interpellatio brevis ad Philoſophos veritatis tam amatores, quàm ſcrutatores, pro Lapide Philoſophorum, contra Anti-Chymiſticum Mundum ſubterraneum P. Athanaſii Kircheri, Jeſuitæ: quâ non ſolùm Antichymiſtica ejus putalitia argumenta ſubenervantur; ſed & ars ipsâ quantùm fieri poteſt intelligentibus manifeſtatur. Viennæ, apud Bernates, typis Deſiderii Suitzii: 1667. in 4.

BLEGNY (*Nicolaus de*) Chirurgus Pariſienſis.

Ex eô habentur

Zodiacus Medico-Gallicus, ſive Miſcellaneorum Medico-Phyſico-Gallicorum Titulô recens in Re Medicâ exploratorum, unô quoque Menſe Pariſiis, gallicè prodeuntium Annus primus ſcilicet, 1679. Acceſſere Ejuſdem Tractatus duo utiliſſimi; prior de Herniis; poſterior Obſervationes circa Luem Veneream continens. Genevæ, apud Leonhardum Chouet, 1680. in 4.

Zodiacus Medico-Gallicus, ſive Miſcellaneorum Medico-Phyſicorum, Titulô recens in re Medicâ & naturali Exploratorum, unô quoque Menſe Pariſiis Gallicè prodeuntium Annus ſecundus, ſcilicèt 1680. Genevæ apud Leonhardum Chouet, 1682. in 4.

Zodiacus Medico-Gallicus, ſive Miſcellaneorum Medico-Phyſicorum Gallicorum, Titulô recens in re Medicâ & naturali Exploratorum, unô quoque Menſe Pariſiis Gallicè prodeuntium Annus tertius, ſcilicèt 1681. Ibidem, apud eund. annô & formâ eâdem.

Zodiaci Medico-Gallici è Gallicô in Latinum verſi Annus quartus, ſcilicèt 1682. itemque Annus quintus, ſcilicèt 1683. Ibidem, apud eundem, 1685. in 4. Notetur autem, hunc quartum & quintum Annum ſub nomine Nicolai de Blegny non prodiiſſe, nos tamen ideò ſaltem hùc referre voluiſſe, ùt omnes Zodiaci hujus Anni in unum veniant conſpectum.

De eôdem præterea ſic in Actis Lipſienſibus ann. 1682. *p.* 220.

Zodiacus Medico-Gallicus, ſeu Miſcellaneorum Medico-Phyſicorum Gallicorum Annus I. II. *&* III. *Authore Nicolaô de Blegny. Genevæ*, 1682. *in* 4.

Tam mirabilis in ſuis operibus ubiquè obſervatur alma Mater Natura, ùt tantùm non quotidiè nova Phænomena curioſis ſui ſcrutatoribus repræſentet, idque tam aptô artificiô, ùt cuilibet nec omnia, nec eadem exhibeat, ſed ſingulis peculiaria quædam, definitum quaſi cuivis penſum diſtribuendo, ſubminiſtret. Horum circumſpecta obſervatio, collectioque exacta, ut ſummam rei tam Naturali quàm Medicæ affert utilitatem, ſiquidèm tot quaſi literæ illa æſtimanda ſunt, ex quibus tandem Alphabetum pro naturæ interpretatione componendum eſt, ità nè ablivioni tradantur, tot ſocietates, Academiæ, Collegia &c. conſpirârunt hactenùs, & publicæ perluſtrationi expoſuerunt omnibus, ſingulis quod experientia, rerum Magiſtra, & hujus pediſſequa Ratio ſuppeditavit. Atque hùc referenda quoque veniunt Miſcellanea illa Medico-Phyſica, quorum ſingulis menſibus pars quædam Pariſiis Gallicè, ſub titulô, *Nouvelles decouvertes, ſur toutes les parties de la Medicine*, Recens in Re Medicâ exploratâ, eduntur *à Nicolaô de Blegny*, Chirurgô celebri, quæ poſtmodùm *à Theophilô Bonetô* latinitate donata, Genevæ nomine *Zodiaci Gallici* divulgantur. Prodiit jam annô 1680. primus hujus Zodiaci annus, reſpondens annô 1679. cujus obſervationibus variis in fine acceſſerunt tractatus bini, de herniis prior, poſterior de Lue venerea, ab illarum Editore Gallô conſcripti. Secutæ jam ſunt binæ aliæ Zodiaci hujus revolutiones, ſecunda pro annô 1680. & tertia pro annô 1681. quæ Miſcellanea rem vel Naturalem vel Medicam concernentia, partìm obſervationes multiplices, partìm interſperſas varii argumenti Diſſertationes complectuntur.

Quod itàque anni ſecundi attinet obſervationes, p. 44. habetur remedium probatum contra hydropem uterinum, pag. 56. Monſtrum Cervi-Taurus, p. 74. ſperma in ſene neogamô petrefactum, p. 75. naſus omninò præciſus, perfectè denuò locô reſectionis unitus, nè cicatrice quidèm manifeſtâ relictâ p. 89. oleum Talci ſingulare, & omnes proprietates deſiderati adeò olei Talci obtinens, elegans Coſmeticum, poſt 15. annorum laborem, à non nemine concinnatum quod reperitur apud *Dom. Lemery* Pharmacop. Reg. editô

edito Curſû Chymicô ſatis notum. p. 123. Inteſtinum tenue ex vulnere acinacis in hypogaſtriô dextrô, transverſim, haud procùl à locô, ubi deſinit Ileon, diſſectum, citra mortis periculum, quia mirâ Naturæ induſtriâ inteſtinum vulneris externi circumferentiæ agglutinatum fuit, ità ùt optimè cætero quin valens læſus, tantùm per inteſtinum locô læſionis apertum, excrementa egerere, neceſſe habeat. Caſus hic ſingularis paria in canibus tentandi occaſionem ſuggeſſit, pro vulnerum talium, alioquìn periculoſorum, in homine curatione feliciori, & ſimiliter cani, p. 143. poſt apertum abdomen, inteſtinum Ileum eôdem in locô diſſectum, circumferentiæ vulneris ope ſuturæ connexum fuit, & ità citra alium apparatum ſanatum, cane per inteſtinum ità apertum excrementa itidèm excludente. p. 122. Lapides in ipsâ cordis ſubſtantiâ reperti. p. 127. cæcitas fugax in pueris, ex calculorum in urethrâ genitorum extractione. p. 132. parva lacerta per venam ſectam egreſſa. p. 148. graviſſimus & periculoſus affectus cum creberrimis ſanguinis vomitibus, ab hirudine in potû deglutitâ, per theriacam mediante animalis cum vomitû rejectione curatus. p. 188. putrefactio artificialis corporum ſiccorum & poroſorum, intrà 4. & 6. dies, mediante certâ paſtâ. p. 210. puer 6. menſium inſigniter barbatus, & totô corpore, exceptis artubus, habitûs virilis, ad inſtar viri 30. annorum.

Inſerti his obſervationibus diſcurſus ſunt varii, quos inter p. 6. de febribus & febrifugis agitur. p. 57. & 158. ventilatur generatio animalium ex ovô, ità tamen, ùt affirmativa videatur potior. p. 161. inſeritur integer tractatus *D. Monginot* Med. Paris. de febrium curâ per uſum Quinquinæ, annô 1680. ceu ſcriptum anonymum primùm Gallicè editus, cujus ſumma capita Calendis Martii pag. Actorum 76. exhibuimus, pag. 191. de uſû & noxâ frequentioris ſanguinis miſſionis, cujus occaſione ſimul & in reſpirationis uſum, & ſanguinis ſulphurei ab aëre nitroſô quaſi incenſionem fit inquiſitio. p. 217. prolixè de alvi fluxibus in ſpecie tractatur: ſicuti p. 260. potus glaciei refrigeratus, à nocumentis ipſi aliàs imputatis vindicatur.

In annô tertiô obſervanda veniunt p. 4. Cutis anatome, tàm quoad papillas protuberantes, quàm quoad glandulas poſt cutis cribrum ſitas. p. 26. nova aneuriſmatis curandi ratio proponitur, quâ occaſione p. 43. & 62. plura obſervatione digna circa varios aneuriſmata curandi modos afferuntur, p. 30. exhibetur ovum, Cometæ figuram repræſentans. p. 54. puella ſine cerebrô nata, loco cujus aqua liquida membranas implevit, ubi ſimul de uſibus cerebri & ſpinalis medullæ diſquiſitio inſtituitur. p. 70. & 79. confirmatur modus mollificandi & in aptum edulium convertendi oſſa, methodô ab Anglis nuperrimè inventâ, & à nobis Calendis Aprilis *pag. Act.* 106. *ſeqq. deſcripta.* *p.* 95. refertur planta, famem & ſitim ſedans, in Scotiâ noviter reperta. *p.* 107. Figura humana in ovô exactè repreſentata &c.

Diſſertationes inter, quæ modò dictis interjectæ ſunt, eminent iſtæ *D. Comerii*, Ebrodun. Matheſ. Prof. Paris. de colorum naurâ p. 85. 113. 127. 135. Variis Experimentis demonſtrata, & ex principiis Optices, Dioptriceſque deducta, in quibus præter hoc, quod colorem modificatum eſſe lumen oſtendat, debilitatis in viſû ſenum, conſpicillorumque iiſdemque uſitatorum varietatis rationem, non ſecùs ac Myopum, & his oppoſitorum Presbytum in viſû diverſitatis fundamenta, curioſè ex majori minorive Cryſtallini convexitate explicat, & per cameræ obſcuræ phænomena eleganter declarat. Idem Autor pariter p. 39. ſollicitus eſt, de Cometarum influxû, (de quorum naturâ jam annô 1665. ſcriptum ediderat, ipſoſque corpora de naturâ Planetarum, Orbi terrarum cœva demonſtraverat) quomodò ex propriâ naturâ novorum morborum autores eſſe queant: quo etiam pertinet diſcurſus anonymi in calce Volum. hujus p. 149. additus, de præſagiis cometarum, ſtatuentis, illos fauſta potiùs quàm ſiniſtra prædicere; imô futuri illos nequaquam eſſe indicia, cùm illorum exortum fauſti non ſecus ac infauſti eventus aliquandò conſequantur.

Ibidem ann. 1685. *pag.* 454.

La Doctrine des raports de Chirurgie, par Mr. Nicolas de Blegny Docteur en Medicine &c. hoc eſt

Doctrina Relationum Chirurgicarum, autore Nicolaô Blegny Medicinæ D. Lugduni apud Amaulry 1684. *in* 12.

Ibidem ann. 1688. *pag.* 48.

Le bon uſage du Thè, du Caffè & du Chocolat, pour la preſervation, & pour la gueriſon des maladies, par M. de Blegny, Conſeillier, Medecin &c. hoc eſt

Optimus uſus potûs Theæ, Caffæ, & Chocolatæ, ad præſervationem & curationem morborum. Autore Dn. de Blegny, Pariſiis apud Autorem, &c. 1687. *in* 12.

BLISCHER (*Vitus de*) Med. Cæſar. Comes Palat. Phyſic. ordin. Auſtr. ſuper. & ſenior. *De eô exſtat Ephemer. nat. cur. Cent.* III. *&* IV. *in append.*

Obſervatio Phyſica de Gemellis cum utroque latere uſque ad unbilicum concretis.

BLOCHWITIUS (*Martinus*) Oſchalienſis.

Ex eô habetur

Anatomia Sambuci, quæ non ſolum ſambucum, & hujuſdem Medicamenta ſingularia delineat, Verùm quoque plurimorum affectuum, ex unâ ferè ſolâ ſambucô curationes breves, rarioribus Exemplis, Hiſtoriis, & Medicamentis ſpecificis non paucis illuſtratas, exhibet. Lipſiæ, apud Gottofredum Groſſium, 1631. in 12.

BLONDEL (*Franciſcus*)

De eô exſtat

Thermarum Aquisgranenſium & Porænatarum Deſcriptio. Congruorum quoque ac ſalubrium uſuum Balneationis & Potationis Elucidatio. Accedunt Probæ Thermarum Aquisgranenſium. Trajecti, ad Moſam, apud Jacobum du Preys, 1685. in 12.

BLONDELLUS (*Petrus*,) Calexius

Ex eô habetur

Divi Hippocrătis Coi Prognoſticωn Latina ecphraſis, ex mente Galeni. Pariſiis apud Mamerinum Patiſſonum, 1575. in 4.

BLONDUS (*Michaël Angelus*,) Italus.

De eô exſtant

De Partibus Ictû ſectis citiſſimè ſanandis, & Medicamentô Aquæ nuper inventô. Idem, in plurimorum opinionem, de Origine Morbi Gallici, deque Ligni Indici ancipiti proprietate. Venet. apud Joh. Ant. & Petrum de Nicolinis, 1542. in 8.

Libellus, de Morbis Puerorum. Venetiis, apud Hier. Calepinum, 1539. in 8.

De Memoriâ, Libellus. In quô non tam dogmata, quàm & præſidia præſtantiſſima narrantur, cum horis Mercurialibus, quibus omnibus ſervatis, & compreſſa excitatur, & firma ſolatur, procul

procul dubiô & diuturna ſervatur memoria prudentium. Venetiis, apud Joh. Anton. & Petrum de Nicolinis, 1545. in 8.

Ex Libris Hippocratis de novâ, & priſcâ arte Medendi, deque Diebus Decretoriis, Epitome. Romæ, apud Hier. de Cartulariis, 1528. in 8.

De Diebus decretoriis & Criſi, eorumque veriſſimis cauſis in viâ Galeni, contra Neotericos, Libellus; cum Abrahæ Avenezræ de Luminaribus & Criticis Diebus, Tractatu, eôdem Autore, recognitô. Romæ, ap. FFR. de Nicolinis, 1544. in 4. Lugd. 1550. in 8.

Phyſiognomia, ſive, de cognitione hominis per aſpectum, ex Ariſt. Hipp. Galeno. Romæ, apud eoſdem, 1544. in 4.

De Maculis corporis, Liber. Romæ, apud eoſdem, 1544. in 4.

De Canum curâ, Liber. Romæ, ap. eoſdem, 1544. in 4.

BLONDUS (*Petrus*) Meſſanenſis. Medicus Doctor, & Hiſtoricus: librum ſcripſit

De Mirabilibus Siciliæ.

De eô Petrus Carrera *in memor. hiſtor. Catanæ vol.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 12. ubi ait: opus Petri Blondi jam editum citari ab Octaviô Archangelô *in Chron. Catanæ m. ſ.* additque, annô 1636. Romæ ab eô diligentiſſimè perquiſitum hunc librum, at nunquam adinventum: Carolum verò Giangolinum ipſum certiorem feciſſe de libri editione, qui eundem ſe legiſſe fatebatur. Id ipſum Carreræ confirmavit, Joannes Baptiſta Giattinus Panormitanus Soc. Jeſu, addiditque, Blondum Meſſanenſem fuiſſe. Idem Carrera opus Blondi iterùm ex Archangelô citat, pag. 16. & 17. ubi ante duo ſæcula floruiſſe tradit, nempè annô 1439. Citatur etiam à Carrerâ pag. 45. & lib. 3. pag. 276. ibiquè ex eôdem Archangelô opus Blondi editum, & Alphonſo Regi dicatum ſcribit; citatque caput vigeſimum libri tertii, & ultimi. Demùm Carrera in Dialogô, cui titulus: Il Bonano pag. 54. & 55. operis hujus meminit. Joannes Baptiſta de Groſſis *in Decacord. Catanen. tom.* 1. *cord.* 2. *mod.* 1. *pag.* 29. ex Archangelô teſtatur, Blondi opus inſcriptum eſſe: *De Admirandis Auditionibus Siciliæ ex Ageſianacis, & Adalphii voluminibus*: additque à Conſtantinô Laſcare latinitate donatum. At quomodò Vir Siculus Græcè ſcripſit an. 1439. cùm Græcæ literæ in Siciliâ defecerant? ſed hâc de re fides ſit apud relatos Auctores. Hujus operis etiam meminit Joannes Andreas Maſſa *in Siciliâ, de Port. ſiculis pag.* 252. *& de fluminibus pag.* 322. & Auguſtinus Inveges *in Appar. de Annal. ſiculis cap.* 2. *pag.* 53. Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ. Tom. II.

BLOSSIUS (*Sebaſtianus*,) Ulmenſis.

De eô exſtant

Diſputatio, explicans Galeni doctrinam de Didaſcalis ſeu Methodô, quâ is totam Medicinam divinâ quâdam ſolertiâ pertractavit. Heidelbergæ, ap. Joh. Spieſſium, 1584. in 4.

Diſputatio de Phrenetide. Tubingæ, ap. Cellium, 1602. in 4.

Diſquiſitio totius σκέψεως Anatomicæ. Tubingæ, 1622. in 4.

Diſputatio de Medicinæ Parte φαρμακευτικῆ. Ib. 1606. in 4.

Diſputatio de Facultatibus viribuſque alimentorum & eſculentorum. Tubingæ, ap. Alexandrum Cellium, 1604. in 4.

Prodromus refutationis quarundam exercitationum vaniſſimarum ſuper Diſputatione quâdam de Peſte. Tubingæ, apud Alexandrum Cellium, 1618. in 4.

Jacobi Schegkii Prælectiones in Artem parvam edidit.

BLUMENTROST (*Laurentius*) Philos. & Medic. Doctor, Magni Tzarii in Moſcovia Archiater.

De eô exſtat in Miſc. Cur. Dec. ij. Ann. VIII. *Obſervatio* 189. *De Radicis Chinſen uſû, lapide Thenſi Chinenſium, & H. clauſtrali.*

QUod radicem Gin-ſen attinet, eam ex Chinâ attulit ante aliquot annos eò ablegatus Dominus Nicolaus ſpatharius, qui ſimul mihi retulit, ſibi illìc locorum familiaritatem fuiſſe cum ſene quodam Jeſuitâ, adhuc vegeto, qui faſſus eſt, omnem ingraveſcentis ſuæ ætatis vigorem ab hac radice laudatâ unicè habere, cujus uſum ipſi communicavit. Deſcriptio hæc eſt: Iſta radix Ginzen debet poni in aquâ calidâ aliquantulùm temporis, & poſteà benè lavari à ſordibus, bene totà oportet eam ſcindi in tenues partes & coqui lentô igne in vaſe terreô. Aquæ quantitas nec ſit multa nec pauca V. G. ad coquendam decimam partem unius drachmæ Gin-ſen adhibeantur duo calices aquæ, quouſque coquendo reducatur ad unum calicem aquæ, & ſic bibitur ille liquor, qui multum roborat hominem viribus deſtitutum. V. Dominat. ſerv. humill. Ludov. Bugarion, è ſ. j.

De Cæterô &c. Præter unicam radiculam, quam ad Te tranſmitto, nihil ulterius obtinere potui. Eſſe eam Mandragoræ ſpeciem puto extra dubium, quin & obtinere vim quandam quaſi opiatam narcoticam, rectèque uſurpatam plurimùm poſſe in compeſcendis ſpiritibus nimiùm efferveſcentibus, placidèque eos contemperare & ad quietem reducere, omninò exiſtimo &c. Circumferunt etiam hic lapidem quendam factitium, itidem ad Katajam natales ſuos referentem, quem Thenſi vocant. Hic linguam ſatis acriter mordicat impoſitus, incenſus gravem & arſenicalem quaſi odorem ſpirat: commendant eum ad varii generis dolores & tumores externos in aquâ dilutum & ità applicatum. Volebam quædam addere, mihi quidèm fabuloſa viſa, de Herbâ, Clauſtrali, quam ſibi quidam non planè ſubleſtæ fidei homines hìc perhibent viſam; ſed improviſum negotium me abrumpere cogit &c.

BOATUS (*Gerhardus.*)

Ex eô habetur

Hiſtoria Naturalis Hiberniæ, ex Anglicâ Linguâ in Latinam verſa, in 12.

BOCHALINUS (*Joh. Franciſcus*,) Aſulanus.

De eô exſtant

Apologia adversùs aliquot Donati Mutii in Hippocratem & Galenum Convitia. Ac ejuſdem de ſecundâ venâ in prægnantibus, Epiſtola. Brixiæ, apud Ludov. Britannicum, 1549. in 4.

De Cauſis Peſtilentiæ Venetæ anni 1556. Venetiis, 1556. in 8.

BOCANGELIUS (*Petrus.*)

Ex eô habetur

De Peſte, Liber. Matriti, ex Offic. Imperatricis, 1618. in 4.

BOCAUDIUS (*Johannes*,) Monſpeſſulanus.

De eô exſtat

Tabulæ Curationum, & Indicationum, ex prolixâ Galeni methodô in ſumma rerum capita contractâ. Lugduni, apud Frellonium, 1554. in fol.

BOCCANGEL (*Nicolaus*,) Matritenſis patre

tre tamen Genuenſi editus, Doctor Medicus operam naravit ex munere tuendæ valetudini Sereniſſimarum Imperatricis Mariæ Auſtriacæ, atque ejus filiæ Margaritæ, In Cœnobiô Franciſcanarum Sanctimonialium excalceatarum Curiæ Matritenſis; atque adeò ipſiùs Philippi III. Regis Catholici. ſcripſit,

De febribus, morbiſque malignis, & peſtilentiâ earumque cauſis, præſervatione & curatione Librum Matriti apud Ludovicum Sanchez 1600. 4. & 1604. Idemque priùs Hiſpanum. *De las enfermedades malignas y peſtilentes, ſu cauſa, remedios y preſervacion.* Matriti apud eumdem Ludovicum Sanchez 1600. in 4. *Nic. Antonius, Bibl. Hiſp. T. ij.*

BOCCONUS (*Sylvius Paulus.*) Panormitanus, Savonâ apud Ligures oriundus, Alphonſi Bocconi frater. Genere clarus, lucis uſuram accepit 24. Aprilis, 1633. Pauli nomine inſignitus, à teneris adhuc annis literarum ſtudiis operam dedit. Philoſophicâ inſtructus doctrinâ, ac eruditione ſatis ſupèrque refertus, omnes ingenii vires perſcrutandis naturæ arcanis adhibuit. Lapidum, foſſilium, herbarum præſertìm, ſtudioſiſſimus; harum proprietatem, diverſitatem, vireſque omnes ſeduló perquiſivit; eôque labore magnam nominis ſui opinionem apud doctiſſimos Medicos, Pharmacopolas, ac primæ notæ Philoſophos, tum in Siciliâ, tum in remotiſſimis etiam regionibus excitavit: ideòque inter præcipuos Botanicos, ac naturalis Philoſophiæ peritiſſimos ſemper effulſit. Amœniores etiam literas coluit, ac omnigenæ eruditionis ornamenta non neglexit. Relictis ſeculi curis, Ciſtercienſium Ordinem, ætate jam maturus, amplexus eſt; in quô relictô Pauli nomine, illud Sylvii accepit, non minùs regulari inſtitutô, quàm ſtudiis ſuis conſonum. Eadem ſtudia ardentiori quâdam animi contentione proſequutus; ùt à doctiorum conſuetudine præſtantiorem ſibi doctrinam compararet, nedùm Siciliam, verùm etiam Melitam, Italiam, Belgium, Britanniam, Hollandiam, Galliam, Germaniam, Poloniam, aliaſque Provincias & regna imperterritô labore emenſus, ex diuturnâ hâc peregrinatione in rerum naturalium cognitione mirabiliter profecit; inſignium verò litteratorum benevolentiam, ac venerationem, ſcientiarum, & eruditionis excellentiâ ſibi conciliavit: & ubiquè egregia doctrinæ ſuæ veſtigia reliquit. Apud Principes, ac Dynaſtas nonnullas, literarum Patronos, dum Orbem literatum peragraret, ſtetit aliquandô; tùm ùt præſtantiores viros audiret, tum etiam ùt lucubrationes ſuas prælô paratas expoliret, quas ſummô ſtudiô, ac diligentiâ ſcripſerat. Famigeratiſſimæ Academiæ Naturæ Curioſorum in Germaniâ fuit adſcriptus, ex honorificentiſſimô diplomate datô Kal. Auguſti 1696. apud eundem Bocconum in Muſæô Phyſicæ pag. 205. & ab ejuſdem Academiæ Principe non ſemel recentioris Plinii noſtri ævi nomine vocatus eſt. A Leopoldô Imp. benigniſſimè exceptus eſt, qui nonnulla erga Silvium edidit æſtimationis argumenta. Ferdinandi II. Magni Etruriæ Ducis, Botanicum egit. In Patavinô Lyceô publicè ſimplicium lector, & Doctor conſtitutus inituit, ſummâ cum laude. Demùm in Patriam reverſus, ab omnibus veneratus, in Cœnobium S. Mariæ Altifontis in oppidô Parci, propè Panormum, ſeceſſit, ibiquè ædes eleganti formâ ſibi extruxit. Dum verò alia moliebatur ingenii monumenta, feniô confectus eô in oppidô obiit 22. Decembris 1704. Ipſius cum laude meminere, Nicolaus Gervaſius, *in ſuccedaneis p. 35. & 105.* Franciſcus Cupanus *in Epiſt. ad Lectorem horti Catholici, & in Epiſtolâ ad lect. ſupplementi ejuſdem,* Johannes Haller Vordius *in biblioth. curioſâ p. 305.* Auguſtinus Oldoinus *in Atheneô liguſticô pag. 445.* Franciſcus Fulvius Frugonus in libro: *Cane di Diogene lat. 5. racc. 10. pag. 403. & ſeq.* Joſephus Pitton Tournefort *in Inſtitutionibus rei herbariæ tom. 1. in Iſagoge pag. 65.* Nicolaus Lanzonus *in ſylloge epiſtolar. Phyſico-medicar. epiſt. 17. ad celeberrimum virum D. Sylvium Boccone ſacri Ord. Ciſtercienſis, Acad. Nat. Curios. Germaniæ digniſſimum Collegam,* Johannes Antonius Vanderlinden, *de ſcriptis medicis pag. 867.* Auguſtinus Dentices *in paraph. Evang. in fine.* Antonius Bulifo *in Epiſt. memor. tom. 3. pag. 196.* Auctores Clariſſ. *diarii liter. Ital. t. 8. pag. 32. & 35.* Edidit, aliqua ſub Pauli, alia ſub Silvii nomine, nempè:

Icones, & Deſcriptiones rariorum Plantarum Siciliæ, Melitæ Galliæ, & Italiæ; quarum unaquæque propriò charactere ſignata ab aliis ejuſdem claſſis facilè diſtinguitur. Cum præfatione Roberti Moriſonii. Lugduni apud Robertum Scott. 1674. in 4. & Oxoniæ è Theatrô Scheldoniano 1674. cum figuris.

Della Pietra Belzuar minerale Siciliana Lettera familiare. Monteleoni apud Dominicum Ferrum 1669. *in* 4.

Novitiato alla ſegretaria del ſig. D. Paulo Boccone Gentiluomo di Palermo, lettura grata non meno à Principi, che à loro ſegretari, per moſtrare con facilta, è brevità l'arte d'un accorto ſecretario. Genuæ apud Hæredes Galenzani in 12. ſine annô.

Oſſervazioni Naturali, ove ſi contengono materie Medicô-Fiſiche è di Botanica, Produzioni Naturali, Foſſofori diverſi, Fuochi ſotterranei d'Italia, e altre corioſita, diſpoſte in trattati familiari. Bononiæ apud Monoleſſos 1684. in 12. De hôc opere Acta Eruditorum Lipſiæ menſis Octobris an. 1686. *pag.* 478.

Muſeo di Piante Rare della Sicilia, Malta, Corſica, Italia, Piemonte, è Germania con figure 133. in rame. Venetiis apud Joannem Bap. Zuccarum 1697. in 4. Laudatur Actis citatis *Tom. 3. ſupplem. ſect. 5. p. 199.*

Muſeô di Fiſica, e di Eſperienza, variato, e decorato Di Oſſervationi Naturali, Note Medicinali, e Ragionamenti ſecundo i principi de Moderni; con una diſſertatione dell' Origine, e della prima impreſſione delle produzioni Marine. Ibidem apud eundem 1697. in 4. Celebratur in Actis laudatis Januarij 1692. *pag. 46. & in tom. 3. ſupplem. ſect. 5. pag. 193.*

Epiſtola Botanica: In Librô inſcriptô: *Bizarie Botaniche di alcuni ſemplicisti di Sicilia, publicate, e dichiarate da Nicolô Gervaſi* Neapoli apud Novellum de Bonis 1673. in 4.

Gallicè.

Reeberches, & Obſervations Naturelles touchant le Corail, Pierre Eſtoileè, Embraſement du Mont Etna. Pariſiis apud Balvin ad Palatium 1672. in 12. iterùm auctiores Amſtelodami apud Joannem Janſſon, & Waesberg. 1674. in 8. In hôc Librô, ex Diariô litteratorum Romæ anni 1672. Epiſtolas obſervationum naturalium refertas, ad celebratiores viros edidit, in quarum unâ de Incendiô Ætneô anni 1669. cui doctus quidam Gallus honorificè reſpondit, editô librô inſcriptô: *Reſponce de M. l'Abbè Bourdelot a la lettre de M. Bocconi ſur l'Embraſement du Mont Etna* Pariſiis 1672. in 12. Ex Oldoinô citatô ſecundam hujuſce operis partem eôdem idiomate evulgandam habebat.

Germanicè etiam edidit.

Muſæum experimentale-Phyſicum, complectens obſervationes eruditis, & curioſis in Germaniâ viris dicatas. Francofurti apud Michaelem Rohrlaſchs 1697. in 12.

Nonnulla ex ſupra relatis lucubrationibus compendiariâ relatione celebrant Acta Eruditorum Angliæ.

Prælo paraverat etiam ex Oldoinô citatô Italicè *Iſtoria Naturale dell' Iſola di Corſica.*

Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ T. 11.

De eô exſtat in Miſcell. Nat. cur. Dec. iij. an. iiij. in Append. p. 142.

Obſervatio Circa nonnullas Plantas marinas imperfectas, uti Fucos, Corallinas, Zoophyta, Fungos, & ſimiles, earumque Originem. Illuſtri & magnificô Dn. Lucæ Schrockio, Medicinæ Doctori, & Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſidi.

Ibidem in Ephemerid. Centur. i. & ij Obſervatio 2. De Materiâ ſimili Lithomargæ Agricolæ, aut Agarico minerali Ferrantis Imperati, quæ in cavitate quorundam Saxorum aut Silicum in diſtrictû Civitatis Rothomagenſis, & Portûs Gratiæ in Normanniâ invenitur.

LApides, quos vulgus Normanniæ Bizetz nominat, ordinariò duritiem & conſiſtentiam ſilicis, ſuperficiem interdùm albam, modò rubeſcentem, aut inſtar boli vel gypſi ſubcroceam, figuramque irregularem obtinent, vel ab longam, cum utraque ſuperficie convexâ, aut rotundam inſtar Perſici, vel etiam nodoſam, & quaſi oſſibus animalium ſimilem. Reperiuntur pleni & ſolidi, atque ſubſtantiâ aliquâ heterogeneâ ſilici ſimili conſtant, in mediô maculâ quâdam aut ſignô albô, oculum repræſentante, notantur; ſunt tamen alii, qui hujus maculæ locô, cavitatem in mediô habent, pulvere plenam, qui Lithomargam Agricolæ, medullam ſaxi, vel Agaricum mineralem Imperati refert.

Magnum eorum numerum diffregi, in quibus ſemper nunc pulverem album, vel pallidum, nunc carneum vel rubeum, verſus flavum inclinantem inveni: interdùm hôc ipsô in pulvere parva corpuſcula ipſiuſmet hujus lapidis comparuerunt, quæ cylindrum aut bacillum, pyramidem, vel corpus ubiquè in ſuperficie corroſum præſentabant, conſiſtentiâ & duritie ſiliceâ, atque ex utrâque parte concavitati affixa. Quandoquè bacilli tales aut pyramides angulares erant & uncinati inſtar characterum Syriacorum. Aliâ vice diffracti hi ſilices quaſdam concretiones cryſtallinas figuræ hexagonæ exhibebant, quæ ſuperficiei cavitatis inhærebant, proùt excreſcentiæ cryſtallinæ hexagonæ in mediô majorum lapidum Ægyptiacorum, nomina Melonum, di noſtra Dame proſtantium, obſervantur. Inveniuntur etiam lapides tales carnei coloris, ad Chalcedonium & Achatem accedentes: quibus diſruptis, quandoquè in pariete internô concretiones inſtar parvorum tumorum adparent, qui puſtulas rubentes, proùt in variolarum principiô erumpunt, referunt. Alios diffregi, qui parvorum horum corpuſculorum aut pulveris locô, nucleum vel globulum ſemi induratum & poroſum inſtar tophi aut margæ habebant; aliquandò nucleus talis parieti cavitatis adhærebat; aliâ autem vice ab eô ſolutus erat, ceu in Aetite contingere ſolet, id quod ad conſiderandam novam corporis heterogenei & ſolidi in vacuô & concavitate illorum lapidum productionem nos permovet; de quibus breviter in Muſeô meô phyſicô & experimentali diſſerui. Quandoquè locô pulveris hujus lutum aliquod rubrum & impurum deprehendi, quod terram & locum, in quô lapides iſti medietate ſuâ infixi fuerant, colore æmulabatur. Notavi eoſdem lapides, qui lutum rufum & vile continebant, foramina & ſinuoſitates ad cavitatem & centrum uſque penetrantes habere, per quas lutum prædictum intrâſſe videbatur. In aliis lapidibus pulvis vel lithormaga rufa obſervabatur, cui globuli, acicularum capitula magnitudine æquantes immiſcebantur; undè Opinionem Carteſii circa compoſitionem multorum ſolidorum corporum veriſimilem eſſe judico. Expertus ſum globulos, qui in lapidibus Cornu Ammomis dictis, & ab Olaô Wormiô in Muſeô ſuô, necnon à Bauhinô in hiſtoriâ baln. & font. Bollens. deſcriptis occurunt, quamvis omnis globulus ſit exiguus & minimus inſtar ovorum piſcium, juxta obſervationem, quam in librô meô *Recherches & obſervations naturelles*, Amſtelodami apud Janſſonum & Waesberg. ann. 1674. impreſſô, occaſione, ubi de Cornû Ammonis, & Coralii rubri Dioſc. Compoſitione diſſerui. In mediô unius horum durorum lapidum inveni fruſtulum ferri, unciæ dimidiæ longitudine, & aciculæ craſſitie, necnon ſuperficie parumpèr rubiginoſâ, quia cavitas, cui infigebatur, non habebat locum, quantus ad recipiendum & Continendum illud requirebatur; & in totô hôc lapide non erat niſi ſola illa cavitas, ubi fruſtulum illud erat locatum & incluſum, ſine ullô pulvere aut lithormagâ. Reperi etiam in cavitate talium lapidum aquam & lutum invicem mixta, quæ aqua aliquot ante diebus per aliqua foramina aut ſubtiliſſimos poros intraſſe videtur, quia pauló anteà ingentes pluviæ deciderant; inveni quoque alium ad oram fluvii Diepdale, ſuper quo plantula raphani paluſtris, foliis in profundas lacinias diviſis Bauh. prodr. creverat, ſuaſque radices in cavitatem lapidis, lutô impuro plenam infixerat: Diſruptis inſuper aliis, fruſta eorum & fragmenta examinavi, quæ ex partibus admodùm denſis erant compoſita, notavique, ibidèm aliquos poros à ſuperficie convexitatis uſque ad concavitatis ſuperficiem tendentes, ad modum ſinuoſitatum albarum, quæ lithomargâ albâ plenæ erant; & cùm aliquot fruſta, quæ ſilicis duritiem habebant, calcinâſſem, de Lithomargâ me certiorem reddiderunt; hæc cinerei erat coloris, eâque pori & ſinuoſitates replebantur. Talis ac præcedentes obſervationes mihi perſuadent, quòd omnes Margæ, Terræ & pulveris, quem Lithomargam vocamus, ſpecies in ſolidis iſtis, non intraverint uſque ad centrum vel cavitatem lapidum, niſi mediante aquâ, quæ ipſis pro vehiculô inſervit, & quod per poros à circumferentiâ uſque ad centrum & cavitatem penetrent; undè color cruſtæ vel ſuperficiei ordinariò, antequam lapidem diffringamus, colorem Lithomargæ, vel terræ incluſæ nobis monſtrat, quia tam ſuperficies lapidis, quàm Lithomarga aut Terra ſemper colorem luti vel terræ obtinent, in quâ lapis reconditus fuerat.

Chimia nobis viam ſufficienter ſternit ad diſſolutionem & filtrationem omnium corporum denſorum pro ſeparatione partium puriorum, ceu nobis naturâ ſimplici modò demonſtrat, & ego jam propoſiturus ſum, ubi in Melitenſi inſulâ ſenem aliquem Equitem aquam filtrâſſe recordor per tria mortaria, quæ ex poroſô aliquô ſaxô, quod ex Dominiô Venetô, uti referebatur, provenit, confecta fuerant: aqua hæc per poros primi mortarii deſtillabat in ſecundum, & indè in

tertium,

tertium, ſicque prædictus Dominus ſe aquam prorsùs puram pro potû, magnô ſuô cum commodô, obtinere profitebatur. Circa primam noſtrorum lapidum compoſitionem credo, eundem per unionem terræ & aquæ in parvis maſſulis fieri,quarum ſuperficiesinduratur per juxta poſitionem, ab atomis vel moleculis reiteratur, atque ab aëre & aquâ, quæ ſucceſſivè in eos cadit & deſuper colatur, quin & locum ac ſitum eis tribuere poteſt, præcipitatur. Cauſa, ob quam in mediô cavitas ſpectatur, eſt, quòd materia ſub hâc cruſtâ, dum exſiccatur, imminuitur, inque pulverem reducitur, qui cruſtæ jam induratæ & conſolidatæ adhæreſcit, poſteà verò à partium juxta poſitione tumuli hi aut maſſæ terreæ augentur & indurantur; atque ad modum, quô earum induratio & fixatio perficitur, fiunt iſta ſaxa vel ſilices cum irregulari figurâ ſecundum figuram & cavitatem loci & modulum, ubi indurantur.

Prima corporum ſolidorum compoſitio quandoquè fit per ſtrata plana aut paralella, ceu in diversô Achate Jaſpide, & in omnibus lapidibus planis conſpicitur; quin & hæc compoſitio aliquandò in ovalem figuram ſe adoptat, uti in lapide Geode atque ætite obſervatur; aliàs etiam in priſmatis figuram, quod in cryſtallô & talcô contingit. Frequenter in cavitate noſtrorum ſaxorum corpus heterogeneum deprehendi, inſtar craſſæ pilæ, quæ poroſa erat & lapidis arenarii ſubſtantiam aliquantùm induratam habebat, naturam quoque & colorem margæ ſaxatilis oſtendebat; id quodnovam productionem monſtrat, quæ fit ex partibus lithomargæ, per poros circumferentiæ externæ verſus centrum, ubi particulæ depoſitæ per ordinem juxta poſitionis ſe uniunt. Illi, qui aquæ nomen agentis principalis, & principii materialis in compoſitione partium in lapidibus & ſolidis dederunt, non errârunt, egoque per has annotationes ſum in eô confirmatus; conſidero autem eam quaſi vinculum, aut medium introductivum ad coordinationem partium figuræ differentis, atque ad productionem ſtratorum, quæ omnium horum ſolidorum corporum baſin efficit in magnô ſubjectorum numerô, quæ mente non poſſunt concipi aut meliùs exprimi, quàm per verba additionis partis ad partem. Saxa à continuâ exhalatione effluviorum terreſtrium formari, Ariſtoteli volo concedere, ſiquidèm natura diverſimodè operatur; ſed ipſum loqui velle de corporum ſolidorum productione credo, quæ in locis ſulfureis contingit, ubi incruſtationes & concretiones ab exhalatione partium volatilium productæ reperiuntur. Ad margines aquarum mineralium Aponenſium, non procùl ab urbe Paraviô, ut & Balneorum ſulfureorum civitatis Saccæ in Siciliâ, necnon alibì, ubi thermæ exiſtunt, incruſtationes ſatis duræ obſervantur; & hæc productionis lapidoſæ ſpecies ſine dubiô fit non ſecùs ac aliæ per partes ad partis additionem. Dn. Abbas N. N. doctiſſimas & optimè fundatas annotationes fecit ſupra tale ſubjectum, in ſuô Itinere Italicô, & ecce, quæ mihi communicavit; Duobus circiter milliaribus Italicis à Tibure, in viâ Romanâ vivum invenimus, qui oriebatur ex aliquibus paludibus ter centum paſſibus à viâ, ad dextram, ubi Tiburi Romam itur, fluebatque per canalem ſaxo inciſum. Dictum nobis fuit, in paludibus iſtis eſſe inſulas natantes, vel fluctuantes, & reverà parvulas tales vidimus prorsùs perfectas, alias imperfectas, aliaſque tantùm quaſi inchoatas; obſervavimus ex juncis & plantis paluſtribus ſimul collectis, & ſuper quas natantibus compoſitas, & cruſtâ aliquâ albicante obductas, quæ eas uniebat & operiebat; cruſta nobis videtur formata ab exhalatione aliquâ, aut materiâ ſulfureâ viſcosâ, glutinosâ & lutosâ, quæ continuò ex fundô aquæ calidæ prodit, ſemperque ei miſcetur, ſtratum hoc primum augetur ſecundô, & ab herbis aliis, quæ ibidem ſe etiam adjungunt; creſcuntque poſteà deſuper, prout ſuprà horas paludum plantæ paluſtres; quandò hæc aqua tali corpori ſe adfigit, ubi ſubſiſtere & ſe firmare, ac poſteà exſiccari poſſit, cruſta hæc induratur, lapideſcit, totque producit ſtrata, ùt canalis rivi citò obturaretur, niſi iterùm emundaretur. Lapis hic aut concretio ſatis eſt ſpongioſa & poroſa, licèt dura & ponderoſa &c. Vides ſufficientem diſcurſum de ordine, quem natura tenere poteſt in formatione Saxorum noſtrorum Rothomagenſium, & Lithomargæ vel Medullæ Saxatilis in eis latentis, an. 1665. cùm in Milillì eſſem, loco inter montes Hyblæos ſitô, ſacellum hôc in mediô rupis excavatæ, coloris luteſcentis, & quaſi ſimilis lapidi arenario viſitur, in cujus fiſſuris obſervavi materiam inſtar amyli, friabilem, cujus ultrà libram collegi, eamque inter meas curioſitates adſervo. Hunc Pariſiis cum Dn. L'Emery, ab eruditum Curſum chymicum ſatis noto, & in Anglia cum Dn. Carolo Howard de Norfolk; Dn. Cardinalis de Norfolk fratre, necnon cum Dn. Caroló Hatton, Equite, Londini ſub Lithomargæ nomine ex Milillô ſiciliæ communicavi; eundem quoque obtuli P. Honoratô Fabrô S. I. cùm Romæ Pænitentiariùs eſſet in Baſilicâ S. Petri, virô in Phyſicis doctiſſimô, rogans, ùt eam, conferendo cum illâ ex ſilice ſupradictô, quam itidem videndam ipſi dederam, examinaret; quod etiam præſtitit. Sed redeundo ad meam obſervationem, margam hanc dum eam ex rupe deſumpſi albam, & facilè in pulverem ceu fruſtula amyli, comprimi aptam reperi; quin & in aëre ad modum calcis vivæ, dùm aëri exponitur, diſſolvebatur. Has ſtenomargas Gallicas, & ſiculas in claſſem terrarum medicinalium alcalicarum, ob ſaporem earum & conſiſtentiam repono, & utramque ejuſdem naturæ cum terrâ Lemnia, Agaricô minerali, & Lacte Lunæ Imperati, non tantùm quia linguæ admotæ eidem adhærent, ſed etiam ob tenuitatem, mollitiem, albedinem, & ſaporem, eſſe judicô. Obſervamus etiam ſtenomargam hanc ex montibus Hyblæis deſumtam inſtar floris farinæ teneram eſſe, cui in hôc paſſû Bolus communis comparari nequeat. Dn. Gualterus Charleton, Medicus Anglicus, ejuſdem eſt ſententiæ, ceu in ejus Onomaſticô Zoicô, Londini ann. 1666. impreſſô videri poteſt. Generatio Lithomargæ detur, cùm idem habeant principium, & per eundem modum ſint producta: Etenim ſi ſilicem terra hæc alba, mediante aquâ à ſuperficie ſilicis in centrum ejuſdem eſt derivata, altera quoque in rupibus montium Hyblæorum, quæ invenitur, per idem medium vel aquam fuit introducta, quæ nempè à montibus delabitur, & per aliquas ſinuoſitates progrediendo ſecum abducit minores terræ particulàs, eaſque in fiſſuris rupium quaſi filtrando deponit. Pulmentum farinaceum, quod in Siciliâ pro infantibus coquitur, mixtura aliqua eſt ex farina & jure, cujus juris in locum ſubſtituunt aquam communem cum oleo, ac animalium pinguedine, quam ſiculi farini nominant; quod pulmentum aut polenta ut benè paretur, aqua calefieri debet, uſque dùm ebullire incipiat, tùm farina cum una manû paulatìm inſpergitur, altera manû radiculam tenendo, materiamque agitando: illi quibus dexteritas & experientia hujus deeſt, ſæpe locô polentæ, quæ inſtar gelatinæ liquidæ aliàs eſſe ſolet, magnum

magnum numerum glomorum vel globulorum, eſui inaptorum producunt. Pro hâc polentæ ſpecie ordinariò aliam farinam, quæ ſemola vocatur, adhibent, & globuli, pilæ vel glomi, qui à præpoſterâ præparatione reſultant, in mediô ſunt poroſi, in ſuperficie verò compacti, unctuoſi & lubrici; per hoc experimentum quodammodò concipio, quâ ratione productio & compoſitio ſilicum noſtrorum fieri queat, nempè per fruſtum alicujus luti aut exiguæ maſſæ: ferri fruſtulum, quod in mediô lapide, craſſitie aciculæ, inveniſſe me ſuprà retuli, confirmat, primam compoſitionem & maſſam lapidis ex fruſtulô luti, aut parvæ maſſæ fieri, ſiquidèm non aliud aderat foramen, per quod ferrum hoc intrare potuiſſet, undè veriſimile eſt, incidiſſe illud in hanc primam luti maſſam, cùm adhuc mollis lapidem iſtum produceret. Ferrantes Imperatus *lib. 5. hiſt. nat. cap.* 41. de ſtenomargâ vel Agaricô minerali diſſerens, hanc terræ ſpeciem in albedine ſuâ terram Calcimoniam æquare, fragilem & mollem eſſe refert, & quæ ex ſpecû eruta in pulverem reſolvatur, cùm ſit corpus tenerum & fibroſum; quod cum tempore inſtar calcis vivæ aëri expoſitæ in pulverem abeat: hæc terra aut Agaricus mineralis pariter linguæ adhæret, utiliſque eſt in curandis ſanguinis vomitû & fluxû muliebri, eidemque uſui, cui Terra Lemnia & Samia inſervit; idem Autor Cap. 1. dicti libri Galenum adducit, qui expreſsè ad inquirendam terram Lemniam, in Inſulam iſtam navigaverat, eamque ad vulnera tùm vetera, tum cicatrici inducendæ contumacia, inſupèr ad viperæ, omniumque ferarum morſus, necnon adverſus venena adhiberi ſcripſerat, de quibus plura in Lib. 9. de ſimpl. Medic. facult. differens videri poteſt.

De eôdem exſtant in Actis Lipſienſibus ſuppl. Tom. 3. pag. 193.

Muſeo di Fiſica & di Eſperienze &c.
h. e.
Muſeum Phyſicum & experimentale, variegatum & exornatum obſervationibus naturalibus, notis medicinalibus, &c. auctore D. Paulô Bocconne, Nobili Panormitano, Botanico Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ, Collegâ Academiæ Cæſareæ Leopoldinæ Naturæ Curioſorum; jam verò Dom. Sylviô Boccone Monachô Sacri ordinis Ciſtercienſis, in provinciâ Siculâ. Venetiis apud Jacob. Combum, 1697. in 4.

PRodromus hujus operis, quod nuper ad nos delatum fuit, ſuperiori jam annô in Germania Germanicô comparuit habitû, cum titulô: Don Sylvii Bocconis *Ciſtertienſer, Orbens &c. Curiôſe Anmerckung über ein und andere natürliche Dinge, aus ſeinem noch nie in Druck geweſenen* Muſeô experimentali Phyſico *zuſammen gezogen, und im durchreiſen durch Teutſchland zum Andencken ſeiner in teutſcher Sprache zum Druck hinderlaſſen. Franck. und Leipzig in Verlegung. Michael Rohrlach, Secl. Wittib und Erben*, 1697. 12. *plag.* 22. Complectitur libellus ille 24. obſervationes eruditis & curioſis in Germaniâ viris dedicatas, quæ hìnc indè excerptæ ſunt, ex hoc Muſeô, in quô tamen Italorum claris nominibus ſunt inſcriptæ. Muſeum ipſum 46. obſervationes continet, in quarum *prioribus quatuor* horribilis ille terræ motus, qui in Siciliâ ann. 1693. factus eſt, accuratè deſcribitur, & quàm latè ſtragem circumtulerit, exponitur. Obſervatione *quintâ* ſuccinum nihil eſſe aliud; quàm petreolum concretum, confirmatur. Sequentibus obſervationibus, aliquot terræ alcalicëæ & medicinales in Italiâ reperiundæ & ſingularium contra malum hypochondriacum alioſque morbos virium celebrantur; nempè in *Obſ.* 6. terra virginea aurea in ditione Ducis Mutinenſis effodi ſolitâ, *Obſ.* 7. terra Baira Siciliæ, *Obſ.* 8. lapis ejuſdem generis cum Geode Cæſalpini, *Obſ.* 9. terra Rothomagenſis, *Obſ.* 10. terra Mililli. *Obſervatione undecima* refertur, propè Molentiam (*Monte Melone*) in Marchiâ Anconitana ann. 1667. in monumentô lateritiô cadaver repertum, quod circa collum & prope pectus habuerit fruſtorum ſuccini perforatorum magnitudine & figura ovi gallinacei tantam copiam, ùt dimidium ferè medium implerent. Quæ quidèm cum cadavere ideò condita hìc fuiſſe cenſet Cl. Fabrettus, ùt illud depoſitô rei tam pretioſæ honore afficeretur. *Obſervatione* 12. fungus typhoides coccineus tuberoſus Melitenſis deſcribitur, ejuſque vis contra dyſenteriam, aut ubi aliàs adſtrictione opus eſt, laudatur. *Obſervat.* 13. de liquore balſamicô in urnâ vitreâ cum cineribus in inſulâ Maltâ, ann. 1680. repertô, qui jam aliquot ſecula duraverat, diſputatur. *Obſervat.* 14. de Mannâ medicinali agitur, quæ nihil aliud eſt quàm lacryma orni, deſcriptæ à C. Bauhinô in Pinace ſub nomine Fraxini rotundiore foliô; ejuſque differentia moduſque colligendi accuratè ob oculos ponuntur. *Obſerv.* 15. proprietates & uſus medicinalis Mannæ Calabræ recenſentur pariter, atque noxa Mannæ veteris, julebuſque Diatartur. P. Caſtelli non ſatis notus, propalatur. Porrò autem *Obſervationes* 16. 17. 18. deſcribendis quibuſdam animalibus peſtiferis, nempè araneis Corſicæ, Sardiniæ & tarantulis Apuliæ, eorumque antidotis impenduntur. In poſtremâ ex his obſervatione doctiſſimus Autor quoque lapidis, qui vulgò Pietra di Cobras dicitur, quemque pro artificiali aliquô corpore habet virtutem experimentis confirmat, additis etiam aliis quibuſdam contra venenum remediis. Idem argumentum perſequitur in *Obſervatione* 19. & poſtquam monuit, non omnibus promiſcuè venenis eadem opponenda antidota, de Electuarii Orvietani compoſitione agit, rejiciens formulas paſſim proſtantes, tanquam parùm genuinas & deficientes, præſertim cùm ipſe aliquandò animadverterit, à quôdam circumforaneô reliquis plantis alexipharmacis Gratiolam & Aſaram Baccarum, quæ purgatrices & emeticæ ſunt, addita fuiſſe, ùt irritetur ſcilicèt natura, & venenum per ſuperiorem aut inferiorem portam ejiciat. Quapropter duas affert formulas manuſcriptas, quarum una à Dn. Anfranô Franſoni nobili Genuenſi, altera à M. Aureliô Moretti Senenſi conſignata eſt; quibus ſubjungit electuarium Pauli III. Pontif. Max. pro venenô exhibitô corroſivô ad tempus & præſervatione ejus. *In Obſervat.* 20. defendit illos, qui ex ſignaturâ plantarum vires earum conjici poſſe putant, & aliquot plantarum alexipharmacarum ſignaturas contemplatus, ex iis tum potionem tum electuarium ſudoriferum, contra tarentularum venenum, docet componere. Subjicit, purgamenta algoſa corallorum cum muſcis fuciſque adhærentibus Trapano Tunetum convehi, ipſiſque gypsô commixtis cameras inſcrutari, in quibus deindè homines tuti vivant à ſcorpionibus. *Obſervatione* 21. effectus omnem ferè fidem ſuperantes enarrantur, qui orti ex terrore ſubitô, quem Siculi *Scanto* vocare ſolent, quòd ſcil. in exterritis à ſcorpionibus ac viperis, viperæ ſcorpiique geniti fuerint, & cum urinâ excreti. Cæterùm, quod elapſis ferè 30. diebus à cane rabioſô admorſorum gula conſtringi ſolet à venenô, & impendiri loquela, ùt non loqui

loqui ſed latrâre videantur, hinc orta dicitur vulgi fabula, in ſtomachô læſi à cane natos eſſe ex illô terrore catulos, eoſque adultiores factos in gulam adſcendiſſe & latratum edere. *Obſervat.* 22. de obſtructionibus contumacibus, quibus Siculi maximè infeſtantur, & valvulô periodicô hinc oriundô ejuſque curâ agitur. *In Obſervat.* 23. aliquot habentur exempla morborum periodis regularibus quôvis annô recurrentium. Radicem Norwegicam Naput pro Imperatoriâ habet Auctor, & contra colicam pariter atque lumbricos infantum commendat, ſi dum hi lactantur, nutrices illam mane aſſumant. *Obſervatione* 24. extant jucundæ quædam narrationes, de ſolertiâ & curioſis actionibus brutorum, quæ vel ſibi venam aperuerunt, vel vulneribus immiſere turundas, aut herbis ſibi vomitum provocarunt. *Obſervatione* 25. verſatur Auctor noſter, in percenſendis plantis nonnullis, quæ effectus quoſdam ſingulares producunt. Ità v. g. Rhus myrtifolia Monſpeliaca boves interficere dicitur, Fraxinellæ autem ſeu Dictani alb. B. P. flores, recens decerpti, ſi tangant alios, v. g. roſarum aut violarum flores, proprium ipſis auferre odorem, & Fraxinellæ odorem affricare. Omnia quoque poma & fructus craſſis præditi corticibus, v. g. mala aurea, pepones, ſi acerbi colligantur, biduô matureſcere, perhibentur, ſi cum illis mare trajiciatur, melones autem, ſi aqua marina ipſis affundatur. *Obſerv.* 26. ea referuntur, quæ ad effluvia prodigioſa plantarum & quorumdam animalium pertinent, v. g. quòd Anonis lactea non ſpinoſa muſcas abigat; quòd cancri vivi emoriantur, ſi ſus infra carrum tranſeat, quô vehuntur, quòd Gnaphalium minimum ſupinum Polygalæ argenteô foliô carnem recentem à muſcis & vermibus defendat. Sequuntur *in Obſerv.* 27. varii alii rariores effectus à naturâ producti. Ad quos pertinet, quod homo febri laborans ità comparatum habuit ſanguinem, ùt muſcæ aliaque inſecta illum fugentes ſtatim extinguerentur, non ſecùs ac à venenô aſſumtô. In fine adjicit Auctor deſcriptionem paſtilli vulnerarii, quo æmulari voluit balſamum, quod Turcis contra vulnera in uſû eſt. De apibus in montibus Hyblæis earumque œconomiâ, nec non de præſtantiâ mellis Hyblæi exponitur *in Obſervat.* 28. additurque modus ille nefarius, quô rapaces apes ab improbis hominibus reddi ſolent. *Obſervatio* 29. tota eſt in bituminis uſibus exponendis, præcipuè picis Caſtrenſis, quæ ex fiſſurâ montis promanat. *Obſervationem* 30. deſcriptio Malacuborum ſeu partis cujuſdam territorii Agrigentinenſis ſibi vindicat, quæ continuâ quaſi in fermentatione eſt, ità ùt ejus ſuperficies modò aſſurgat in colliculos, modò ſubſidat, relictô ſingulis in colliculis foramine, ex quô aqua turbida cum cœnô & odore ſulphureô erumpat, & baculus aut canna dextrè immiſſa cum impetû in aërem remittatur, non ſecùs ac ſi arcû fuiſſet excuſſa. His accedunt nonnulla de fontibus petreolei in ditione Ducis Mutinenſis, & voragine, quæ *la Salſa* dicitur, fumum & flammas cinereſque fœtidos non rarò evomente, nec non de alcô coloris albiſſimi nulliuſque odoris prope viterbium repertô in puteô, in quô per lapides tranſſudans confluxerat. *Obſervatione* 32. illa defenditur ſententia, quæ gloſſopetras aliaque hujus generis petrefacta partes olim animalium fuiſſe aſſerit. *Obſervatione* 33. deſcribitur fons propè Camberium alterius fluens & refluens. *Obſervatio* 34. comprehendit aliquot dialogos, quibus Germanus, Anglus & Melitenſis ſecum invicem probata quædam contra varios morbos remedia communicant. His ſuccedit programma, quo Nobiliſſimus Schroeckius, Bocconem in Academiam Naturæ Curioſorum cooptavit. *Obſervatione* 35. circa plantas quaſdam paſſim naſcentes, ſed immeritò neglectas, verſatur, cùm tamen magnarum ſint virium, ut Verbaſcum mas latifolium, ſolanum hortenſe, Eryngium campeſtre. *Obſ.* 36. modi referuntur, quibus Itali ſua lacticinia, imprimìs caſeos, parare ſolent. *Obſervatio* 37. nihil aliud eſt quàm Joh. Bapt. Hodiernæ tractatus recuſus, cujus titulus *Nuvola pendente* ſeu nubes pendula. *Obſ.* 38. deſcribitur lapis Geodes ſulphureus Agrigentini territorii, qui corticis ſaxeo puriſſimum ſulphur, tanquam nucleum, incluſum gerit, & ſulphuris hujus uſus declaratur. *Obſervatio* 39. habet Cl. Joh. Bapt. Triumfetti epiſtolam, quâ aluminis rupei fodina haud procul Româ diſtans & præparatio deſcribitur. *Obſervatione* 40. de naturâ & primâ formatione coralliorum ità cenſet Cl. Auctor: aquas marinas gravidas eſſe ſalibus, terris, fibris plantarum, ſubſtantiiſque oleoſis & bituminoſis, quæ variè combinata & præcipitata marina illa producta componant. In coralliis quidèm primùm formari capſulam illam tartaream ſeu cruſtam poroſam & ſtellatam, quæ in ſuperficie totius ramificationis corallii rubri, & albi legitimi Dioſcoridis reperitur, cum mari extrahitur, antequam lævigetur & expoliatur; hanc eſſe moduli inſtar, & quaſi ſpongiam ob particularum configurationem abſorbere particulas corallinas, quæ lactis formam habeant, & ſaporem quaſi piperis. Undè in eâ eſt ſententiâ, genuinam coralliorum tincturam lactis inſtar albam eſſe debere, & ſaporis aliquantùm acris. Eâdem quoque obſervatione de aliis productionibus marinis, fucis, muſcis, ſpongiis agit Cl. Auctor, negans pumices, quibus vulgò utimur, omnes lapides eſſe ex Vulcanis eructatos, cùm in illis quoque maribus reperiantur maximâ in copia, ubi nulli exiſtunt montes ardentes & quandoquè in ſe fibras herbarum, conchylia, aliaque corpora ignem non ferentia recondant. In eôdem ferè aut affini argumentô verſatur *Obſ.* 41. ubi de origine plantarum marinarum imperfectarum, necnon Zoophytorum, fungorum item terreſtrium, & his ſimilium diſquiritur. Nimirùm, Auctore judice, unctuoſitas, quæ in mari aut terræ ſuperficie reperitur, frequenter vel ſeminis vice fungitur, vel aliquid ſemini analogum incluſum habet, quod deindè ab æthere agitatum modò in plantam imperfectam, modò in Zophyton aliquod ſpongiis ſimile abeat, pro variâ materiæ diſpoſitione & motû eidem impreſſo. Cæterùm illa Zoophyta, quæ organa habent & vaſa reliquis animalibus communia, at ſtellæ marinæ, echini &c. perindè ac reliqua animalia perfectiora ex ſemine naſci affirmat. *Obſ.* 42. de ſerpentaria Virginianâ, quæ adhùc dùm Italis ignota eſt, diſputat Auctor, eamque detortis ex Anglicô nomine *Snackroot* vocibus, *Snecrut & Snacroel*, appellat. *Obſervatione* 43. de Turcoidibus novæ, ut vocatur, rupis agitur, quæ in Comitatû eſt Armignacenſi. Sunt autem nihil aliud quàm foſſile figuram dentium, oſſium, &c. habens, quod igni reverberii expoſitum quaſi vitrificatur, & coëruleum illum colorem acquirit. *Obſervatione* 44. deſcribitur piſtacium mas, arbor à Bauhinô omiſſa, quâ abſente ſiculi foëminam fructus parere non poſſe autumant. Undè flores maris collectos ex fæminâ ſus pendunt, antequam illâ ſuos aperiat flores, ût ab exſiccatorum pulvere à ventis hinc indè diſperſô, tanquam ſemine maſculinô, fœmina fœcundetur. Id quod hôc modô explicat Auctor: cùm videamus quædam effluvia terræ eſſe plantis proficua, quædam nociva; concipi facilè poſſe, particulas apicum in floribus maris piſtacii ſuâ

ſuâ oleoſitate humectare, irrigare atque adeò foecundam reddere fœminam. Cùmque Auctor olìm aſſeruiſſet, Aſtroitem nihil eſſe aliud, quàm aggregatum multorum canaliculorum coralloidum, poroſorum, in mediò ſtellatorum, & in ſuperficie ſtriatorum, quorum cavitatibus ſe terra ingeſſerit & induræerit, meliora edoctus in *Obſervat.* 45. hanc aſſertionem ad certum aliquod horum lapidum genus reſtringit, cùm alia etiam dentur ejus genera, quæ non ſunt producta marina. *Ultima* tandem *Obſervatione* fungorum generationem Auctor contemplatur, quorum nonnullis ſemen cum ſuis involucris concedit, aliis ſemini quid analogum viſciditati unctuoſæ incluſum, ut ſimilis ferè illorum ſit origo, quæ plantarum marinarum imperfectarum. In ſpecie agit de petrâ, quam vocant, fungifera, quam deprehendit non eſſe lapidem ſed tuberis ſpeciem, ex terra, lignô fracidô, & fibris plantarum variarum compoſitam.

Ibidem in ſuppl. Tom. iij. p. 199. Muſeo di Piante Rare &c. h. e.

Muſeum Plantarum Rariorum Siciliæ, Maltæ, Corſicæ, Italiæ, Pedemontii & Germaniæ, dedicatum nonnullis Patritiis Venetis, Protectoribus Botanicæ & bonarum literarum &c. à Dom. Sylvio Boccone, Monachò ſacri ordinis Ciſtertienſis, in Provincâ Siculâ. Venetiis apud Jacob. Combi, 1697. in 4. cum figuris.

PLantas, quarum accuratas deſcriptiones & figuras exhibet Cl. Auctor, in duodecim digeſſit tabularum decades, non continuò ſe ſubſequentes ordine, ſed obſervationibus duodecim à ſe invicem diſtinctas. Ac principiô quidèm operis comparent litteræ circulares ad omnes Botanophilos, in quibus Auctor ſeriò illos hortatur, ſedulam ut navent operam in exquirendis Plantarum viribus. *Obſervatione* autem *primâ* de uſû Thlaſpi, Leucoii foliô, latifoliô, ſemper virenti & ſemper florenti, agit, idque ſuccedaneum Cochleariæ eſſe putat, plantamque antiſcorbuticam, perindè ut Leucojum maritimum crucigerum Camerarii. *Obſervatione ſecundâ* ſpongiam roſæ ſylveſtris, à Lobeliô in adverſariis Bedeguar dictam, laudat tanquam vegetabile alcalicum, quod contra morſum canis rabidi & viperarum, nec non alia venena, febres, dolores colicos &c. multùm valeat. *Obſervatione tertiâ* aliquot remedia antiphtiſica recenſet. *Obſervatione quartâ* novam ſonchi ſpeciem, quam pyramidalem vocat, repræſentat, eique vim ſingularem contra viperarum morſum tribuit. *Obſervatione quintâ* deſcriptionem Aſtroitis punctati nigri habet, & de ejuſdem formatione conjecturas. In *Obſervatione ſextâ* de Clinopodio minori, odore Pulegii, propè Tybur naſcente diſputatur, qui odor, judicè Auctore, ex conjunctione ſalium volatilium & ſulphuris mineralis ex terrâ natali exſpirantium cum particulis oleoſis & ſulphureis plantæ propriis, ortum ſuum habet. In *Obſervatione ſeptimâ* aliæ plantæ Romæ obſervatæ, quæ odorem Pulegii ſibi adſciverant, recenſentur. *Obſervatione Octavâ* extat epiſtola Joſephi de Aromatariis, edita olìm cum diſputatione de Rabie contagioſâ Venetiis ann. 1625. in quâ plantarum ex ovulis productio planè ad mentem recentiorum conciſè deſcribitur. *Obſervatione nonâ* de oſſibus cùm morbô tùm arte mollificatis agitur, & ferculum non ingratum ex porcorum pedibus parandum offertur. *Obſervatione decimâ* exemplum recenſetur viri, qui calculô renum laborans uſu gummi ceraſorum convaluit. Sequitur Zerilli Profeſſoris Piſenſis meditatio de vegetatione Plantarum mechanicè explicanda. *Obſervationis undecimæ* vice fungitur Davidis Abercrombii *nova medicinæ tum practicæ, tum ſpeculativæ clavis* ante aliquot jam annos in lucem emiſſa. Accedit porro Andreæ Cæſalpini *appendix* ad libros ſuos de Plantis quinque conſtans capitibus. Deniquè *ultima Obſervatio* radicis Nuizi aut Gin ſem prodigioſas vires explicat.

BOCHARTUS (*Samuel,*)

De eô exſtat

Hierozoicon, ſive bipartitum opus de Animalibus S. Scripturæ. Pars prior agit Libris IV. de Animalibus in genere: & de Quadrupedibus, Viviparis & Oviparis. Pars poſterior agit Libris VI. de Avibus, ſerpentibus, Inſectis, Aquaticis & fabuloſis Animalibus. Londini, apud Johan. Martin. & Jacob. Alleſtry, 1663. in fol. Francof. 1675.

BOCZAVOTRA (*Johan. Antonius,*) Parthenopæus.

Ex eô habentur

Tractatus quatuordecim Methodi Medendi ex Galenô. Neapoli, ap. Joh. Paulum Suganappum, 1549. in 8.

BODDINUS *De eô eſtat*

De magorum Dæmonomania, in 4. Baſileæ 1581. apud Gorinum, & in 8. Francofurti 1603. apud Baſſeum.

BODECKERUS (*Johannes,*) Boruſſus.

De eô exſtat

Oratio pro Medicô, contra Philoſophum & oratorem. Extat Tom. 1. pag. 1137. Orationum Argentinentium. Argentorati, apud Lazar. Zetznerum, 1611. in 8.

BODENSTEIN (*Adamus a*) Natus Carolo-ſtadii annô Chriſti 1528. Patre Andreâ Bodenſteiniô, à Patriâ dictô Caroloſtadiô, notiſſimô illô Theologô. Baſileæ ferè primus Paracelſi doctrinam profeſſus eſt. Annô Chriſti 1576. Baſileæ peſte graſſante Theriacam peculiarem Chymicè compoſuit, de eâque Libellum edidit, in quô promiſit, ſe hujus Theriacæ beneficiô omnes à peſte præſervaturum, eâque infectos curaturum, ſed ipſe annô ſequente, nempè 1577. eadem peſte correptus, ut ut nemo hominum tum temporis in illa platea, qua ipſe habitavit, infectus decumberet, vitam finivit, ætatis ſuæ 49.

Ex eô habentur.

Epiſtola ad Illuſtr. Dn. Fuggeros, qua Chymia defenditur. Item de Lapide Philoſophorum. Item de curatione ad præſervationem Podagræ. Item de XII. herbis ſignis Zodiaci dicatis. Item Obſervationes Marginales in Chirurgiam Paracelſi. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1581. in fol.

Paracelſi Libros V. de vita longa cum Commentariô Gerhardi Dornæi recognovit, & edidit. Francofurti, 1560. in 8. Ibidem, 1583. in 8.

Paracelſi Tractat. de Gradibus, Compoſitionibus, Doſibus, Receptorum ac Naturalium: Nec non Ejuſdem XVII. Capita de Anatomia edidit. Baſileæ, 1568. in 8.

Paracelſi Libros duos de præparationibus Mineralium edidit. Baſileæ, 1569. in 8.

BODERIUS (*Thomas,*) Rothomagenſis.

Ex eô habetur

De Ratione & uſu Dierum Criticorum, opus recèns natum. In quô mens tum ipſius Ptolemæi, tum aliorum Aſtrologorum hac in parte dilucidatur. Cui acceſſit Hermes Triſmegiſtus de Decubitu Infirmorum, nunquam anteà in lucem editus, Pariſiis, apud Andr. Wechelum, 1555. in 4.

BODINUS (*Johannes.*)

De eô exſtant

Univerſæ naturæ Theatrum, Francofurti, 1597. in 8. Hanoviæ, 1605. in 8.

Commentarii in Oppiani Libros IV. de Piſcium venatione Lutetiæ, 1555. in 4.

BOECKELMANNUS (*Joh. Fredericus.*)

Author eſſe creditur Medici Romani ſexaginta ſolidis æſtimati. Lugduni-Batavorum, 1671. in 12. Ibid. 1681. in 16.

BOECLERUS Medic. Profeſſor Argentoratenſis.

De eô exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1722. *pag.* 441.

Recueil des obſervations, qui ont etè faites ſur la maladie de Marſeille.

id eſt

Collectio obſervationum in lue Maſſilienſi factarum, & in ordinem redactarum à Boeclerô, Profeſſore Medicinæ Argentoratenſis Argentorati, apud Joh. Reinoldum Dulſſeckerum, 1721. 8.

Collegit quidem ſuperiori anno Clariſſ. Kanold Epiſtolas quaſdam de peſte Maſſilienſi ſcriptas, quas in Actis Menſe ſeptembri pag. 402. commendavimus; ſequuntur tamen nunc aliæ à Clariſſ. Boëclerô collectæ, quas Domini *Deidier* & *Pons*, Medici Montepeſſulani, *Maugue*, Medicus Regius & Inſpector Generalis Nozocomiorum in Alſatiâ, *Martin*, Medicus Telonenſis, *Montreſſe*, Medicus Valentienſis, & *Fabre*, Medicus Martiguenſis, ad ſe invicem dederunt. Id verò agunt Medici hi omnes atque ſinguli, ùt peſtem Maſſilienſem à ſeminiô peſtilentiali cum mercibus invectô ortum ſuum non duxiſſe probent. Nullum enim contagium admittentes luem illam ratione ſymptomatum eſſentialium & diſtinctivorum per eruptionem criticam bubonum, parotidum, carbunculorum, puſtularum, & exanthematum definiunt, magnamque eam inter & variolas ac morbillos intercedere convenientiam aſſerunt, quatenùs morbus lethalis fuit, quotiès febris ſuperveniens tumorum eruptionem in habitû impediebat, & ad viſcera dirigebat, ſalutaris verò, quando hi poſt febrem in cute apparebant. Nec unô ſemper eôdemque modô inceſſiſſe hanc febrem obſervârunt; ſiquidem in temperamentis ſanguineis & bilioſis ardentis, in pituitoſis putridæ ordinariæ, in Melancholicis malignæ purpureæ characterem ſiſtebat. Cauſam ejus proximam & immediatam in ſtaſin ſanguinis nimis craſſi circa unum alterumque locum factam rejiciunt, nec contagiô opus eſſe putant, ad peſtem contrahendam, annonæ caritatem, alimentorum inopiam, victum pravum, timorem, ſummamque confuſionem, quæ omnia tum Maſſiliæ concurrerant, ſufficientia fuiſſe rati, quæ ſanguinem ad ſpiſſitudinem, & ſtagnationes diſponere, ac annotata ſymptomata producere potuerint. Ut rationes horum Medicorum nùnc non allegemus, quibus theoriam peſtis vel à vermibus, vel à ſolô terrore aut imaginatione arceſſendam refutant, circa curam omnem operam navandam eſſe monent, ùt æquè ac in variolis eruptiones criticæ ad habitum promoveantur. Eam tamen inter variolas & Morbillos ac inter Peſtem agnoſcunt differentiam, quod in illis externorum remediorum ferè nullus ſit uſus, cùm in hâc attrahentibus & ſcarificationibus opus fuerit. Venæſectionem rariſſimè admiſerunt, niſi quandò ægri febre ardente cum deliriô nephriticô prehendebantur; nec emetica, niſi in principiô mali & ſub partium ſtupore adhibebant; laxativis quoties opus fuit, feliciorem ſucceſſum ex decoctô tamarindorum, mannâ & caſſia ſolutivâ quam ex infuſô ſennæ obſervârunt; ſudores movebant tantùm lenes cum decoctô ligni ebeni, cùm fortiores haud benè tulerint ægroti. De cæterô adhuc commemorandum venit, ſupra laudatum *Fabre* ſecuiſſe cadaver foeminæ octo menſes gravidæ, eâdem lue defunctæ, cujus foëtus mortuus, totuſque lividus, omentum gangrænoſum, inteſtina nigra & laxa, foëtidum odorem ſpirantia, ventriculus virideſcenti quaſi materiâ obductus & ſex vermibus in glomerem convolutis refertus fuit deprehenſus.

BOERHAAVE (*Hermannus*) Medic. Doctor, & Profeſſor Leydenſis magnô ſuô meritô Celeberrimus.

De eô exſtant in Actis Lipſienſibus 1708. *p.* 372.

Inſtitutiones Medicæ in uſus annuæ Exercitationis domeſticos digeſtæ, ab Hermannô Boerhaave. Lugduni Batavorum, apud Johannem Vander Linden, P. & F. 1708. 8.

Lineas ducit præſens Libellus, intra quas annuus Clariſſimo Autori cum Auditoribus ſuis hactenus definiebatur labor. Brevibus ſcilicèt Theſibus ſingulas complectitur Medicinæ partes. In *Phyſiologiâ* quidem juxta principia Neotericorum Mechanica poſt chylificationem & reliquas, quas ſub ſe comprehendit, functiones, ſanguificationem, ſpirituum animalium elaborationem, lienis, hepatis, renum, veſicæ & muſculorum functionem, nutritionem, ſenſuum theoriam & generationis negotium explanat. In *Pathologiâ*, expoſita morbi naturâ, hujus differentias, ætiologiam & ſymptomatologiam tradit. In *ſemiotica* ſigna ſanitatis optimæ generalia & ſpecialia, ſigna morborum, in ſpecie pulſum arteriæ, reſpirationem & urinam ut ſigna explicat. In *Hygiene*, ut ſanitas præſens conſervanda, morbi præcavendi, & vita ad longævitatem diſponenda ſit, edocet. In *Therapeuticâ* vitam conſervandi, cauſas morbi, morbum ipſum ejuſque effectus in ægris tollendi rationem injungit. Speciminis locô axiomata de Methodô medendi ab authore Clariſſimô ſuppeditata communicabimus. 1. Quodcunque in ægrô indicat, ſui vel conſervationem vel ablationem petit. 2. Quicquid in ægrô deprehenditur ſecundum naturam, id ſui conſervationem ſemper indicat. 3. Quicquid in ægrô deprehenditur contra naturam, id ſui ablationem indicat. 4. Cauſa morbos per remedia curans vita eſt, & ſingularis cuique ſua temperies, hâc deficiente iners medela. 5. Ergò ubi vitalis & alia quæcunque indicatio æquè urget, priori ſatisfaciendum. 6. Ubi impar indicatio, urgenti ſatisfaciendum. 7. Natura conſuetis gaudet, inſueta ægrè fert. 8. Iuvantia & nocentia præcipuè indicant. 9. Contraria contrariis tollenda, ſimilibus conſervanda ſimilia. 10. Iis conſtat, quibus nutrimur, corpus. 11. In maximis malis ſumma, citô & ſemel, remedia danda. 12. In mitiore malô ſenſim, & repetendo lenia remedia danda.

Editus eſt poſtea hic liber Pariſiis, ann. 1722. 12.

Ibidem annô 1711. *p.* 467.

Index Plantarum, quæ in hortô Academicô Lugdunô-Batavô reperiuntur, conſcriptus ab Hermannô Boerhaave. Lugduni Batav. apud Cornelium Bouteſtein, 1710. 8. *maj.*

Duplici ſe cauſâ impulſum eſſe ad edendum denuò plantarum in hortô Academiæ Lugduno-Batavæ reperiundarum indicem, celeberrimus Boërhaavius in Præfatione profitetur; altera,

terâ, ùt ſtudioſi Botanices in addiſcenda difficillimâ aliàs arte quodammodò ſublevarentur; alterâ autem, ùt commercium, ad hortorum cultum ſummè neceſſarium, promoveretur magis, ſi cuilibet perſpicere liceret, quæ in hortô hôc, plantarum omnis generis inſtructiſſimô, hôc tempore germinarent, atque adeò ex illô peti ab illis poſſent, qui redderent ea, quæ deficerent. Ad primum obtinendum, elegiſſe ſe Autor teſtatur methodum celeberrimi Turnefortii, tanquam omnium ſimpliciſſimam, atque facillimam, imò, niſi adhùc langueſcerent pleræque plantarum, ab illâ hyemis ſævitiâ, quæ penè omnes enecaverat, maluiſſet herbas ad Turnefortianam methodum areolis ordine inſerere, quod quidem inſtitutum, neſcimus num omnes hortorum culturæ periti probaturi ſint, cùm omnia vix omnis tellus ferat, minimaque à maximis fortè obtecta vel etiam ſuppreſſa, adſpectum effugituræ ſint, ùt taceamus cauſas alias. Et quandò Cl. Boërhaavius Turnefortium ſe velle ſequi nos monet, non ea mens eſt, quaſi Hermanni ordinem planè rejecerit, ſed ex ejus Floræ collatione liquebit, quòd hujus diſpoſitionem penè in omnibus religioſæ ſervaverit, exceptis arboribus & fruticibus, quos ad illius præcepta digeſſit, in reliquis generale tantum nomen ex Turnefortio, addita inſtitutionum paginâ, ſupra ſcripſit. Verùm nec ſic evitare ſemper potuit, quin flores, inter ſe multum diſtinctos, confunderet (ut quandò plantaginem ità dictam aquaticam & ſagittam ſub generali ranunculi nomine comprehendit, atque ità tripetalam cum polypetalâ eandem fecit, & quod magis eſt, holoſteo affinem, quam dicit apetalis monoſpermis accenſitam, ſub eôdem ranunculi nomine collocavit, & reliquâ) quod evitare illi feliciùs licebit, qui ſecundum Excellentiſſimi Rivini noſtri accuratiſſimam methodum ex petalorum numerò & ordine, ſeminiſque vel nudi vel capſulis diverſis incluſi ratione petitam, plantas omnis generis digeſſerit. Sed ùt pleniùs Lector cognoſcat, quem ordinem ſervaverit celeberrimus Autor noſter, ejuſdem genera recenſebimus. Primò igitur locô egit de gymnopolyſpermis, ubi in Hermanni Florâ, per errorem de angiopolyſpermis ſcriptum erat, ſecundò de gymnomonoſpermis, malè iterum in Florâ angiomonoſpermis dictis; hìnc de gymnomonoſpermis flore compoſitò; & iterum de gymnodyſpermis ſtellatis; de gymnotetraſpermis verticillatis; de gymnotetraſpermis aſperifoliis; de gymnotetraſpermis gymnotetrapetalis; Monangiis polyſpermis; Diſangiis polyſpermis, Tryangiis polyſpermis, inter quas violam deprehendes & parnaſſiã, quæ non tribus, ſed unâ tantùm gaudent capſulâ, qui error Hermanno etiã debetur. Sequuntur Triangiæ tricoccæ; tetrangiæ polyſpermæ; Pentangiæ pentacoceæ; Pentangiæ & polangiæ polyſpermæ; Siliquoſæ monangiæ bivalves polyſpermæ; ſiliquoſæ bicapſulares, & quadrivalves polyſpermæ, quas penè omnes inter frutices & arbores locum mereri, quis putaverit; ſiliquoſæ quadricapſulares polyſpermæ quadrivalves. Has excipiunt Tetrapetalæ unicapſulares ſiliquâ non diviſâ monoſpermæ; Tetrapetala bifariam diviſa per ſeptum intermedium polyſpermæ & diſpermæ; Tetrapetalæ ſiliquoſæ articulatæ; Leguminoſæ papilionaceæ ſiliquoſæ, quarum pars maxima ad frutices fortè referenda; Monopetalæ ſiliquoſæ; Apetalæ ſiliquoſæ; Bacciferæ, inter quas rubi fruticis ſpecies; Pomiferæ; Apetalæ monoſpermæ, ubi quædam Hermanni correcta, corrigendis tamen aliis fortè relictis; Apetalæ flore ſterili fructû in eadem plantâ; Apetalæ flore ſterili fructû in plantâ non florifera; Apetalæ nudæ, flore ſterili in diverſâ plantâ à fructû.

His ſuccedunt plantæ flore lileaceô, fructû tricapſulari, & quidem I. flore monopetalô hexapetalode piſtillô frugiferô, radice fuſiformi, bulboſâ, tuberoſa; II. flore monopetalô hexapetalode calice frugiferô, radice tuberoſâ, bulboſa, tuberoſâ nodoſa, tuberoſa fibroſâ, III. flore lileaceô tripetalô, IV. flore lileaceô hexapetalô piſtillô frugiferô radice fibroſa, napiformi, bulbosâ, carnoſâ, & quæ aliis bulboſa, aliis tuberoſa videntur; circa quas notandum, quod ordo Hermanni aliquantùm deſertus ſit, & propiùs ad Turnefortium acceſſerit. Hìnc abit ad bulboſis affines, in Florâ primâ recenſitas, indè ad polypetalas anomalas; monopetalas anomalas; graminifolias, apetalas culmiferas, non culmiferas capitulo ſquamoſô ex Rajô; flore carentes non dorſiferas, flore & ſemine carentes. Tandèm prodeunt arbores & frutices in ſyſtemate herbario non recenſitæ, caudice non ramoſô, ſpathâ floriferâ & fructiferâ, monocotyledones; flore apetalô frugiferô dycotyledones; flore apetalô ſterili fructû in eâdem plantâ, in aliâ non florifera; flore amentaceô ſterili, fructu in eadem arbore oſſeâ teſtâ; coraceâ teſtâ; fructû in eâdem plantâ; fructû molli; fructû ſiccô; fructû in aliâ arbore; Arbores flore monopetalô, & earum ſpecies; flore roſaceô earumque diverſæ ſpecies; flore papilionaceô, harumque ſpecies. Iterùm flore roſaceô; flore intra fructum naſcente ſeminiferô; & ultimò locô arbores quædam, vel anomalæ, vel nondùm accuratè cognitæ. Ex quibus ità pleniùs recenſitis uberiùs poſſe conſtare de methodô Clariſſimi viri confidimus, iis maximè, quibus ſingula plantarum nomina ſub ſuo genere inquirere difficile foret, additus Index eſt alphabeti ordine diſpoſitus.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus an. 1723. *p.* 103.

Opuſculum Anatomicum de Fabrica glandularum in corpe humanô, continens duas Epiſtolas, quarum prior eſt Hermanni Boerhaave ſuper hâc re ad Fredericum Ruiſchium; altera Frederici Ruyſchii ad Hermannum Boerhaave, quâ priori reſpondetur. Lugduni Batav. ſumptibus Petri Vander Aa. 1722. 4. *maj.*

CLariſſimus *Boerhaave* ſæpius intrà privatos parietes à Friderico Ruyſchiô laceſſitus, ùt compendio quidem, attamen liquidò enarraret ea, quæ pro ſententiâ Marcelli Malpighii, contra ſuam de glandulis doctrinam moveri poſſent Dubia, in priori Epiſtola nunc non ſolùm utrorumque horum Anatomicorum per orbem celeberrimorum, quas circa hoc argumentum fovent, hypotheſes clarè exponit, ſed & ſubjungit ſimul, quæ ad Ruyſchii exceptiones regeri poſſint, ad quam Ruyſchius pariter reſpondet. Dignam judicamus hanc materiam, quæ Lectori benevolo paulo accuratiùs ante oculum ponatur. Definit itaquè Malpighius glandulam ſimpliciſſimam per partem, quæ propriæ membranæ ſimplici apparatû involucrum format cavùm, intra quod ſingularis humor ſecretus, contentus, fotus, mutatus, per emiſſarium deniquè indè excretus, ſpectatur. Cùm autem vera glandularum fabrica vel ob earum exilitatem, vel multiplicem diverſitatem, in obſcurô hactenùs latitaverit, eam primò examinavit, proùt oculorum acie aſſequi potuit, & ſub eâ conditione quam illi natura dederat nec mutatam arte, nec vi morbi à nativâ degenerantem indole. Quâ quidèm induſtriâ id effecit, ùt detexerit patentes hìc, abſtruſas alibi partes in corpore & ità ad

ad amuſſim reſpondentes ſpeciei, quam expreſſit ſuperior definitio, & pronuntiaverit, per omnem corporis humani ambitum has manifeſtò reperiri glandulas, laticemque, qui ex eis emanare ſolet, ubiquè craſſiorem eſſe, quàm aquoſum quendam humorem, & copioſiorem, quàm ut in ultimis Vaſis ab arteriâ oriundis hærere queat; neceſſariò igitur adeſſe debere folliculos judicavit, qui dictum laticem contineant. Quâ in ſententiâ magis confirmatus fuit, poſtquam conſideravit morbos, qui infeſtant glandulas, e. g. talpam, grandines in limbis palpebrarum, tubercula faciei, tumores tunicatos, ac hydatides. Præter ſimpliciſſimarum glandularum genus aliud deprehendit, priori ſimplicitate proximum, ut potè ità ex glandulis illis compoſitum, ùt ex paucis illarum, certâ lege unitis, naſci videantur. Adque hanc claſſem glandularum ſimpliciſſimarum primi & ſecundi generis refert viſcera humani corporis, cerebrum, hepar, lienem, renes & teſtes. Atque hoc potiſſimùm eſt punctum, in quô præcipuè inter Malpighium & Ruyſchium intercedit controverſia. Putavit enim Malpighius, arterias ſanguiferas ducere ſanguinem, pulmone præparatum, ad viſcus, illudque ingreſſuras, depoſitâ exteriore ſuâ membranâ tenuioribus cingi involucris, mox deindè in multiplices pandi ramos, qui rursùm abeant in exiliores ſemper ac numeroſiores, donec tandèm ultimi explicentur in membranulâ tenui, quæ formet ibi cavum folliculum, eà lege, ùt arteriolæ in illâ membranulâ ordinatìm digeſtæ atque in reticulares plagas contextæ humorem ibi loci diſponant, aptentque facili ſecretioni. Statuit porrò, arterioſis his reticulis venoſa reſpondere vaſcula ſanguinem ad cor reducentia, inter fines verò arteriæ & venæ principia tertium oriri vas arterioſum, exilius arteriolâ, à quâ oritur, humorem capiens ſubtiliorem eô, qui ex arteriâ refluit in venam, hocque vas per membranulam folliculi glanduloſi penetrans, ore ſuô patulô effundere hunc humorem in cavitatem folliculi, per emiſſarium iterùm ejiciendum. Ruyſchius è contrà putat, arterias ad viſcus aliquod accedentes in ſingulis aliô atque aliô modô mutari, atque in diverſas diſtributiones digeri. Quâ utrorumque ſententiâ expoſitâ, quid circa hepatis ſtructuram ſtatuerint, breviùs hìnc explicat Clar. *Boerhaave.* Vidit ſcilicèt Malpighius utriculos locatos intra Vaſa adferentia ex venâ portarum orta & inter reducentia, quæ in venam cavam exeunt, undè probabile judicat, eſſe hos folliculos, glandulis ſimpliciſſimis ſimiles, verùm bilis cecernendæ organum; maximæ quia ita ſibi conſtanter ſimilis eſt in variis animantibus hepatis ratio, & radiculæ pori biliarii, veri hepatis emiſſarii, ex omnibus horum corpuſculorum locis oriuntur. Ruyſchius verò in hepate nati hominis, in arte ſuâ præparati obſervavit, quòd vaſa ſanguinea cum bilioſis adeò tenaciter cohæreant, ùt ſeparari à ſe invicèm haud quaquam poſſint; addit, quòd fines utrorumque Vaſorum ultimò ità exeant, ùt diſtinctè appareant in faſcium ſpeciem ſeu extenſi penicilli pictorum faciem abſque glandulæ vel folliculi vel membranulæ cujuſdam interventû exporrecti: Contra hanc tamen methodum Ruyſchianam monet *Boerhaavius*, artificium injectionis, dum auget & diſtendit Vaſa repleta, comprimere reliqua, ad quæ injecta materia non pertingit, atque eò quidèm magis, quô feliciùs majora impleta ſunt, hinc illa aboleri quaſi, & ab oculorum acie ſubduci, uſque adeò ùt nè minimum eorum veſtigium compareat, ſic arteriolas in membranam cujuſque folliculi acinoſque hepatis digeſtas, ſi perfectè repletæ fuerint, nec tamen materies per exilia extrema in cavum ipſius utriculi effundi poſſit, ità comprimere hunc, ùt omninò evaneſcat. Et ſi vel maximè contingat, ùt materia tranſeat per ultima illa arteriarum Vaſcula, uſque in cavum acinulum, tum confuſionem fieri omnium, quia ſpectetur tantùm quaſi extravaſatio quædam, quæ eſt vera repletio folliculi. Quod eò audaciùs adſtruit, quò certiùs eſt, non omnem omnium viſcerum, e. g. membranæ celluloſæ ventriculi, inteſtinorum, ſcroti, frontis, lienis fabricam per hanc vaſa cerâ replendi artem inapricum poni, ſed potiùs aboleri; atque aliam omninò faciem aſſumere eadem viſcera, cerâ repleta, ab illis, quæ per inflationem & exſiccationem præparata ſunt, ùt judices, diverſa eſſe corpora. Novum equidèm experimentum adfert Ruyſchius pro deſtruendis glandulis hepatis, dum viſcus hoc arte repletoriâ præparatum in aquâ benè macerat, diùque, hìnc membranulas, & vincula, quæ vel adeò ſolida ſunt, vel ità parva habent vaſa, ùt ceram non admittant, diſſolvit & in aquâ conquaſſando ſollicitè ſeparat; undè ultimi capillares canales inſtar penicilli explicantur, ùt nihil penitùs folliculoſi adeſſe, unuſquiſque oculis ſuis deprehendat. Ad hoc tamen regerit Noſter, omne vaſculum minimum, quod à cerâ ut balſamô non defenditur, in aquâ putreſcendo deliqueſcere ſenſim, ſeparari & ablui; ſicque tenuem folliculi membranulam ſecedere à vaſculis repletis, ibidèm relictis. Nec deeſt tertium argumentum Ruyſchio, dum perhibet, injectam materiam in venam portarum in porum hepaticum ejuſque ramulos penetrare; rectum igitùr judicat adeſſe iter inter hæc vaſa abſque mediô folliculô, impediturô viam. Noſter verò negat, Ruyſchium hoc in ſcriptis ſuis circa hepar declaraſſe; recordatur equidèm, injectam ceraceam materiam in meſaraicas arterias tranſſudâſſe in inteſtina, hujus tamen rei cauſam eſſe dicit duplicem vaſorum apparatum, quorum alii fines in cava illorum corporum directè deſinunt, quibus utiquè ſubtilis humor aquoſus rectà ſeparatus à ſanguine certos in uſus eò dimittitur, alii verò in glandulas Peyerianas & Brunnerianas, circa quas non ità exſudat injecta materies ſed maculas exhibet. Sed revertimur ad Malpighium, qui alterum pro demonſtrandis in jecinore acinis petiit argumentum à morbis, turberculis ſcilicet, veſiculis, hydatidibus, &c. in cadaveribus conſpectis, cavos illos putans utriculos ſecretum humorem remorari, immutare, inque materiam talem morboſam convertere, quæ tum in cavitate hujus folliculi idoneum nacta locum ità concreſcit, augetur, ſicque ipſum ſuum vas continens expandit. Putat verò Ruyſchius, omnes illos tumores hepaticos enaſci poſſe ex degeneratione extremorum vaſorum, ità ſuas figuras mutantium, dum obſtructa ſunt ad ultimas ſuas anguſtias, ùt amiſſâ ſpecie antiqua canalis, per impeditam aggregatamque materiam in hujuſmodi figuratos, globoſos, polyedroſque folliculos transformentur. Cui tamen aſſerto repugnare videtur ex mente Boerhaavii quòd canales ultimi, quorum extremitates ità finguntur mutari, ad eum locum, ubi expanſio hæc in veſiculam inchoatur, neceſſariò quòque dilatari deberent, cùm impoſſibile videatur, ùt ultimum tantùm dilatetur, paulò ſuperiùs verò in anguſtias arctiſſimas coëat. Atqui veſiculæ hæ à parte adducentium vaſorum ità anguſtatis accreſcunt vaſculis, ùt fibræ meræ eſſe credantur, nullâ ampliùs conſpicua cavitate vaſculari. Accedit deindè hæc perpetua obſervatio, quòd nunquàm in ullô vaſe ad extrema obſtructô follicus talis ſphæricus, undiquè ferè clauſus, à materie obſtruente natus ſit niſi in illis locis, in quibus folliculi præexiſtebant.

Porrò

Porrò demonſtravit Ruyſchius, majora vaſa pariter ac minora extrinſecùs ambiente membranâ tenerrimâ, cellulosâ, valdè dilatabili inveſtiri, intra cujus cellulas colluvies abundantis aquæ deponatur, eaſque diſtendat & hydropem producat, anaſarea dicendum, ſi ſub cute hæreret. Cùm verò augeatur hic tumor, tandèm vaſa, quæ cinguntur illâ tunicâ, ità comprimi dicit, ùt tota aboleantur, concreſcant, & in fibras craſſas mutentur, quibus hydatidum caterva undiquè appenſa videatur. Noſter verò credit, nullum unquam hydropem creâſſe tumores ſphæricos, bullaſvè aquoſas undiquè clauſas, niſi eis in locis, ubi ſphærulas naturales Malpighius obſervaverat. Ultimum deniquè Malpighius ſuum argumentum indè deſumit, quòd in primâ hepatis origine in pullô obſervaverit jam olim Harvæus, confirmaverit ipſe, totum illud conflari ex meris primò folliculis, ità ad amuſſim referentibus uvas, ſuos per pedunculos majori accretas pedunculo, vel ſtipiti communi, ùt tota indè enata fabrica quam accuratiſſimè referat botrym, vel racemum uvarum. Atque hæc de priori Epiſtolâ ſufficiant.

In poſterioris relatione eò brevioribus eſſe nunc nobis licebit, quò magis jam Ruyſchii de Glandulis ſententia ex antecedentibus patet. Ut pauca ſolummodò addamus, malè habet Ruyſchium, glandularum nomen hiſce corporibus imponi, cùm membranaceum tenue parvæ cavitatis involucrum inter & fructum quercûs, glans dictum, nulla intercedat convenientia, cryptæ potiùs appellandis; definitionem allatam Malpighii nimis generalem vocat, ut potè quæ cadat etiam in folliculum fellis, pro glandulâ non habendum; imò mancam, cùm vaſorum nullam faciat mentionem, (ſolùm ſi emiſſarium excipias,) quæ tamen partem agentem, involucrum patientem tantùm agant. Quòd Malpighius exilitatem & diverſitatem glandularum accuſet; obquam vera earum fabrica comprehendi commodè haud queat, indè eveniſſe dicit, quòd arte, quâ ipſe utitur, fuerit deſtitutus, quæ omnia vel minutiſſima oculis exponit; hìnc non miratur quod poſt mortem mutatas, conſtrictas, exſuccas, collapſas & vix aliquid vaſorum conſpexerit, ſiquidèm ipſe ſuâ arte mutationem iſtam, quam mors fecit, tollat & ſtatum viventi proximum revocet; & addit; quoniam non mutatas arte inſpexit Malpighius, ideò veritatem eum detegere nequiviſſe. Concedit quidèm, plurimas reperiri in corpore humanô glandulas, per totum verò corporis ambitum diſperſas eas eſſe, & unica membrana cingi negat. Alterum glandularum ſimpliciſſimarum genus non admittit, donèc ſibi demonſtretur, quemadmodùm & tertium vas, inter fines arteriæ & venæ initia poſitum, in dubium vocat. Emiſſarium hepatis cum cryptarum emiſſariis nullô modô convenire aſſerit. Acinos hepatis conſtanter adſerit, ſed non pro folliculis membranaceis cavis cum emiſſariô ſed pro vaſculis pulpoſis tenerrimis habet. Ad ea, quæ contra ſuam Artem repletoriam adduxerat Boerhaavius, reſpondet, ſe nullô modô cum impetû injicere materiam ceraceam, ſed ità lentè, ùt non magis referciantur vaſa, quàm ante fuerant. In tuberculis hepatis nunquàm potuit diſcernere cavos folliculos emiſſariis inſtructos ultimiſque arteriis vel vaſis ſanguiferis appenſos. His poſitis glandulam definit per corpus ſolidum, in coctione conſtans, conflatum ex aggregatô vaſorum, undiquè cinctum membranâ, cujus vaſa differunt pro differentiâ humorum, quos efficere debent, quales ſunt conglobatæ meſenterii, pancreas, glandulæ ſalivales; Cryptam verò per corpuſculum fluccidum, in coctione conſtans, vaſa obtinens, membranâ ab omni parte non cinctum ſed ſuprà patulum inſtar foveæ; Acinos deniquè, per corpuſcula rotundula, membranâ non cincta, quorum vaſçula inter excarnandum ſolvuntur in formam ſubtiliſſimorum penicillorum. Deniquè inter Malpighium & ſe diſcrepantium in eô putat conſiſtere, quòd (1.) ille exiſtimet, humores delabi in glandulas dictas ſimpliciſſimas, ibi foveri, mutari; ipſe ſtatuat, arterias ultimas ſuccos præparare, præparatoſque ibi deponere, earumque vaſcula diverſa eſſe à vaſis veræ glandulæ; (2.) quòd ille corpora hæc vocet, glandulas, ipſe cryptas; (3.) quòd ille tumores à cryptis oriri autumet, ipſe, etiam ex obſtructis extremis vaſculis, maximè in pinguedine ſubcutaneâ, & in interioribus corporis ſitâ; (4.) quòd ille tubercula illa cutanea, quæ ſub corpore reticulari hærent, & extra cutem prominent, pro glandulis, ipſe pro papillis nervoſis tactui inſervientibus habeat. De Cæterô ût ſpecimen exhibeat, quid per artem ſuam detegere poſſit, portionem meſenterii in icone repræſentat, in quâ ſolæ arteriæ, glandulæ & glandularum acini conſpectui ſe offerunt.

Edidit præterea idem Autor Celeberrimus alia multa, inter quæ ſubſequentes recenſebimus Tractatus, ſcilicet.

Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis in 12. Pariſiis 1720. eâdemque formâ 1726. apud Cavelier.

De Materie Medicâ, & Remediorum formulis quæ ſerviunt Aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis; in 12. Londini 1718. in 8. Societas. Lugduni Batav. 1719. apud Severinum & in 12. Pariſiis, 1720. apud Cavelier.

De viribus Medicamentorum in 12. Pariſiis 1723. & 1726. apud Eundem

Inſtitutiones Medicæ, in 12. Pariſiis 1722.

Inſtitutiones & Experimenta Chymiæ, in 8. 2. tom. Pariſiis 1724.

Methodum Diſcendi Medicinam in 8. Londini 1726.

Oratio pro commendando ſtudiô Hippocraticô in 8. Lugduni Batavorum. apud Langerack.

BOESSIUS (*Dionyſius Salvagnius.*)

De eô exſtat

Septèm miracula Delphinatûs. I. De Fonte ardenti. II. De Turre veneni experte. III. De Monte inacceſſô. IV. De Tinis Saſſenagiis. V. De Fonte vinoſô. VI. De Mannâ Brigantienſe. VII. De Barbarô. Gratianopoli, apud Phil. Charnys, 1656. in 8.

BOETIUS de Boodt (*Anſelmus.*), Brugenſis.

Ex eô habetur

Gemmarum & Lapidum Hiſtoria, quâ non ſolùm ortus, natura, vis, & pretium; ſed etiam modus, quô ex iis olea, ſalia, tincturæ, eſſentiæ, arcana, & magiſteria, arte chimica confici poſſint, oſtenditur. Hanoviæ apud Cl. Marinum, 1609. 4. Hanc recenſuit, à mendis repurgavit, Commentariis, & pluribus melioribuſque Figuris illuſtravit, & multò locupletiore Indice auxit Adrianus Toll. Lugd. Batav. M. D. Lugd. Batav. apud Johann. Maire, 1636. in 8.

BOETTICHERUS (*Joh. Gottlieb.*) V.M. Doct. Hafnienſis.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1715. *pag.* 33.

Morborum Malignorum, imprimis Peſtis & Peſtilentiæ, brevis & genuina explicatio, ſanis principiis, & propriis Obſervationibus ſuperſtru-

ƈa. Hamburgi, impenſis viduæ Benj. Schilleri, 1713. 8.

SI, quod decet, omnes Medici ex ſuis, propriis videlicèt, ſcriberent obſervationibus, res Medica, circa morborum præcipuè hiſtoriam atque curam majora in dies ſumeret incrementa, nec tantis incertitudinibus expoſita maneret. At verò condonandum nobis eſt in hôc morbi ſummi genere, cui nec omnibus ſupereſſe, ſuaque obſervata communicare licet, nec cuivis placet, immò nec oportet ſuam ſuorumque fortunam atque vitam in ancipiti locare apud homines noſtri ævi ingratiarum plenos. Nos ex Noſtro, cui poſt mille pericula vitâ frui, licèt, (quod paſſim indigitare videtur, præmiis condignis non affectô, contigit potiora delibabimus, quæ aliis, ſimili periculo expoſitis uſui eſſe poſſunt. Peſtilentiam primùm in eô à Peſte diferre, ſtatuit, quòd illa major hujus gradus ſit, quæ diſtinctio, paucis uſitata, tolerari tamen poteſt, ſi peſtem febrem peſtilentialem, quæ, ùt curioſiores Practici notant, peſtem ipſam extra ejus terminos (qui ſunt Menſ. Jun. Jul. Aug. Sept. Octobr. Nov. & Decembris pars) tum antecedit, tum ſequitur, intelligat. Peſtis cauſam proximam in ſanguinis turbatione & ſpirituum animalium ataxiâ conſiſtere exiſtimat, quæ producatur à particulis alcalicis, undè non coagulatio, ſed fuſio & effluxiones humorum, ſanguinis præcipuè, qui, ut ipſe obſervavit, à venæſectione rutilus cum impetû inſtar aquæ ferventis exſilit, contingant. Volatilia ex aromatibus & radicibus aromaticis, theriacalibus, & laxantibus, ceu in theriacâ, ſimul mixta, & ſpiritû vini extracta, nullum commodum tuliſſe, quin potiùs mortem ipſam acceleraſſe, rectè advertit. Theriacam & mithridatium in peſte Hamburgenſi olìm nocuiſſe, à Majore in Chir. Infus. notatum refert; licèt cum acetô acidiſque aliis tùm à Bartholinò, tùm ab aliis proficuus eorum uſus notatus fuerit. Fuiſſe pergit opinione ſatis claros, qui febre maligna conflictantibus volatilia propinarint, verùm ægros, volatiles indè factos, in coëlum ex Medicorum ergaſtulis avolaſſe. Lunæ in ſublunaria non omnem prorsùs effectum denegat, ultra ter centum enim mulieres abortum circa novi & plenilunium eſſe paſſas: decreſcente Lunâ ſexui ſequiori peſtem ſtragem multò majorem intuliſſe, & primis tribus Menſibus Junii, Julii, & Auguſti maximam emortuorum partem è ſexû fuiſſe ſequiori: ſecundum Quercetani confeſſionem Lunâ decreſcente ſenes & vetulas, plethoricos & juvenes circa plenilunium occubuiſſe: Diemerbrokium & Paræum notaſſe, haud aufugiſſe virus, quæ veneri litârint, quin potiùs cymbâ Charontis ad Elyſios deductas fuiſſe campos, & è ſuâ obſervatione cives Haſnienſes, qui ſuô ſuaſû uxoribus per omne peſtis tempus debitum renuerint conjugale, adhùc dum ſoſpites & incolumes eſſe pleroſque. Hypochondriacos, naturâ ſuâ meticuloſos licèt, ab infectione tamen liberos & ſalvos manſiſſe: alios bilioſos & ſanguineos ſolo terrore & metû peſte tactos; quæ multis poſteâ exemplis confirmat, quibus, conſtat pleroſque mortuos, non paucos tamen evaſiſſe. Sine miaſmatis peſtiferi præſentiâ metum & imaginationem non nocere ſtatuit. Porrò quid tempeſtas valeat in augendo miaſmate, edocet, & aërem Septentrionalium Salinum maximè efferare contagium, & labe ſcorbuticâ tactos omnes horrenda ſymptomata expertos: quid aër tepidus & humidus auſtrinus, ex Sydenhamiô, quòd poſt hiemem ſiccam, ver verò pluvioſum & auſtrale æſtate febres acutæ ſequantur, & Hippocrate, quòd poſt tempora mutata & totum annum calidum humidumque peſtilentia ſequatur, ex eôdem & Galenô, ex aliis, quòd exſpirationibus putridis contaminatus aër peſtilens evadat, notat, ex Plempiô verò docet, aërem magis levem, quàm craſſum & nebuloſum ad peſtilentiam conferre, hinc ſecundum obſervatores Juliô & Auguſtô morbi ſtatum eſſe. Ipſe hoc tempore in fine nempe æſtatis ob exhauſtas calore vires corpora ad ſuſcipienda miaſmata peſtifera aptiora ſtatuit. Auſtrinâ tempeſtate anni 1712. & quidèm menſe Juniô febribus catarrhalibus omnes ferè incolas Hafnienſes correptos, cùm tùm peſtis Holſatiam affligeret: interdùm hyeme cœpiſſe peſtem, quæ æſtate mediâ vel autumnô ſoluta iterum ſit, dicit. Amſtelodamum ante 45. circiter annos peſte infectum eſſe navibus duabus Smyrnâ peſte tum infectâ advenientibus, quæ tamen duorum menſium ſpatiô per mare iverint, notat occaſione quæſtionis: quomodò & quamdiù contagium hærere innoxiè queat? quod Sennertus rectè per 24. dierum ſpatium deliteſcere poſſe dixerit; & ex Trincavelliô obſervat, quòd in funibus ſepulcralibus per 30. annos delituerit, ex Diemerbrokiô verò, virum nobilem ab obitû ſororis per tres menſes circumtuliſſe contagium. Ipſe exemplum deliteſcentis diù contagii producit, & de ſe ipsô notat, veſtimenta ſua, quibus per 6. menſes ægrotos viſitârit, fomite peſtiferô ſcatentia filiolam ſuam unicam, cùm menſe ſept. ea cum capillitio apportare niteretur, infeciſſe, ùt quartô indè die vitam cum morte commutarit, quæ ipſe tamdiù innoxiè geſtârat. Pro naturarum diverſitate ſymptomata variâſſe: morbos familiares, paſſiones hyſtericas, colicam, ſtranguriam, dyſuriam, nephritidem, aſthma hoc tempore non conquieviſſe, ſed cum peſte ipsâ atrociter exacerbata fuiſſe: omnes phthiſicos menſe ſept. & octobri peſte correptos malô veteri & novô i. e. utriſque ſuccubuiſſe. Ibidèm ſigna peſtis imminentis ex Autoribus recenſet. Hyeme ante invadentem peſtem in febre acutâ exanthemata comparuiſſe miliaria per totum corpus cum anxietate præcordiorum, cephalalgiâ inſigni & ceteris mali moris ſymptomatibus. Tum ſymptomata peſtis Haffnienſis enarrat: cauſam eſſe determinatam, & determinatè non in quôvis, & quævis bruta, immò nationes & ſpecies etiam & individua ſecundum ætatem & ſexum, ſed in ſubjectu diſpoſita agere rectè monet. Sequitur graphica & exacta ſymptomatum: (quæ pag. 4. rudiùs enarrarat) qualis adhuc dùm nuſpiam alibì proſtat, delineatio ubi præcipuè notabile, quòd cum horrore horâ ſexta veſpertinâ potiſſimùm adoriatur. Tum ſymptomatum rationes dat, ubi more Carteſianorum multus eſt de æthere, poris & particulis, & prognoſin tradit, ubi de vomitû notat, quòd, quibus viridis ad quintum diem perdurarit, iſti in diarrhoëam ſextô die maximè foëtidam inciderint, aut ſingultû vexati (quem tamen lethalem in antecedentibus notârat) fuerint, qui autem materiam atram vomitû ejecerint, omnes periiſſe. Tandèm curam quâ præſervatoriam, quâ curatoriam aggreditur: laudat acida & de V. S. memorat, nullum evaſiſſe, cui peractis jam duodecim horis V. S. adminiſtrata, multos verò, quibus ſanguis, ubi neceſſe, ante decem horarum ſpatium detractus fuerit. Vomitoria, (quæ in ſpaſmum deſinant, nec tenue & ſubtile fixis figendum, aut diaphoreticis eliminandum, miaſma expellere valeant) rejicit, etiam principiô morbi adhibitâ; & ſanè adeò brevis & præceps eſt in hôc morbô occaſio, ùt diù huic evacuationi immorari conſultum non videatur. Alexipharmaca & ſudorifera ſuadet, nimium tamen ſudorem non probat, maximè volatilibus

latilibus extortum. In ariditate ſudoriſque defectû plantis pedum lateres calidos, aut inguinibus axilliſque veſicam ſuillam aquâ calente repletam applicat. Acida blanda cum & poſt ſudorifera exhibet, & curioſè notat, ea Juliô, Aug. & Sept. præcipuô fuiſſe auxiliô, poſteà Oct. Nov. & Decembri non adeò tutà priore ac plenâ doſi, ſed minore exhibenda fuiſſe, & cum granis aliquot camphoræ vel ſalis ſuccini volat. commiſcenda. ſic & Juniô, Juliô, & Auguſtô certis ſubjectis bezoard. min. optimum tuliſſe levamen, at ſequenti tempore vomitum & anxietates præcordiorum ſine ullô aliô bonô moviſſe ſucceſsû. Circa veſicatoriorum uſum diſtinguit. Fonticulos reprobat præſervatorios. Hinc ſuam ſpeciatim methodum recenſet, quæ poſt V. ſenem in fixiorum adhibitione conſiſtit, quibus poſteà decoctum calidum Thee aut aliud alexipharmacâ vi tinctum ſuperbibere juſſit. Octobri, Nov. & Dec. advertit, dolores vagos arthriticis ſimiles per totum corpus atrociſſimos ſenſiſſe ægros, quibus antiſpaſmodica, ut ſpecif. ceph. *Michaelis*, vel pulverem epil. *Ludovici* cum alexipharmacis oppoſuerit. Ad extremùm, bubonum & carbunculorum curationem ſubnectit, quos ſcitè & expertè ſolis diaphoreticis, demtis cantharidibus, ranunculô acri, emplaſtrô magn. cucurbitulis, ad tumorem perduxit, cujus maturationem emollientibus & nonnullis antidotis promovit. Laudat ideò cataplaſma è radice altheæ, liliorum alborum, floribus chamæmeli, farinâ foënu græci, ſemine lini, & ficubus cum lacte & crocô paratum. Item ſequens è radice ſcabioſæ, bulbis liliorum alborum, radice valerianæ, aut cepas coctas ſub cineribus cum vitellô ovorum, & oleô liliorum imponi juſſit. Ante pepaſmum & perfectam maturationem cum Mindererô aperire bubones diſſuadet; eductô pure ulcus balſamo ſulphuris, unguento baſiliconis, ſucco plantaginis, melle, terebinthinâ venetâ & aloë mundat. Quoſdam bubonibus bufones vivos bono ſucceſſû applicâſſe refert, bufonibus veneno turgidis mortuis. Carbunculos circurlo ducto butyro antimonii feſtinanter ſeparari curavit, vel & ſcarificari, & cùm exciderunt, cavernis mundificantibus ſarcoticiſque benè proſpexit. Cæterùm obſervatù dignum, quod notat, tempore tonitruali mitiorem factam fuiſſe peſtem, quod humiditati aëris, feritatem & acutiem morboſi contagii obtundenti, tribuit.

BOGARDUS (*Adamus*)

Ex eô habetur

De Arthritide Conſilia quædam. Extant in eô opere, quod Henricus Garetius edidit. Francof. apud Johan. Wechelum, 1592. in 8.

BOGDANUS (*Martinus*) Driſna - Marchius.

De eô exſtant

Inſidiæ ſtructæ Cl. v. Thomæ Bartholini Medici, Regii Proffeſſoris & Anatomici in Academiâ Hafnienſi, vaſis Lymphaticis, & Olaô S. Rudbeckiô, *Suecô*, in ſuis Ductibus Hepaticis, & vacis glandularum ſeroſis Aroſiæ editis, detectæ. Francof. apud Petrum Hauboldum, 1654. in 4. Hafniæ, apud Georg. Lamprecht eôd. annô, in 12.

Obſervationes Medicæ. Extant cum Michaëlis Lyſeri Cultrô Anatomicô. Hafniæ, apud. Petrum Hauboldum, 1665. in 8. Ibidem, apud Eund. 1679. in 8.

Simeonis Sethi volumen de Alimentorum Facultatibus, juxta ordinem Litterarum digeſtum; ex duobus Bibliothecæ Mentelianæ Mſſ. Codd. emendatum, auctum, & Latinâ verſione donatum. Cum difficillium Locorum explicatione, Græcè & Latinè edidit. Lutetiæ Pariſiorum, ap. Viduam Maturini Dupuys, 1658. in 8.

Tractatus de Recidivâ Morborum, ex Hippocrate, ad Hippocratis mentem. Baſileæ, 1660 in 4.

BOHMIUS (*Johannes*)

Ex eô habetur in Miſcell. Cur. Dec. ij. Ann. VI. *Obſ.* 57.

De Columbâ bicipite.

BOHNIUS (*Johannes*) Decus Academiæ Lipſienſis eximium, qui per plurimorum annorum decurſum Profeſſionem publicam anatomiæ atque Chirurgiæ ibidem cum ſummâ laude exornavit, præter alia multa erudita ſcripta edidit, non ſolùm Circulum anatomico - phyſiologicum, verùm etiam obſervationes quaſdam Anatomicas, ſtructuram vaſorum bilariorum & motum bilis ſpectantes. Ut reliqua ejus anatotomica, ſcriptis ſuis paſſim inſerta nunc ſilentiô prætercam. *Goelicke Hiſt. Anat. p.* 178.

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô

Epiſtola ad D. Joëlem Langelottum, de Alcali & Acidi inſufficientiâ pro Principiorum ſeu Elementorum corporum naturalium munere gerendo. Lipſiæ, apud Johannem Fritzſchium, 1675. in 8.

Exercitationes Phyſiologicæ XXVI. Ibidem, apud Johan. Georg. 1668. in 4.

Meditationes Phyſico - Chymicæ de Aëris in ſublunaria Influxû, ubi ſtatuitur, hunc neque ſecundum Peripateticos nec Chymicos materialem, ſed formalem ſaltem videri. Lipſiæ, 1678. in 8.

Laurentii Bellini de Urinis & Pulſibus: de Miſſione ſanguinis: de Febribus: de Morbis Capitis & Pectoris, opus, ſecundum edidit, & cum Præfatione, nec non Indice locupletiſſimô auxit. Francofurti & Lipſiæ, apud Johannem Groſſium, 1685. in 4.

Diſſertationes Chymico - Phyſicæ, Chymiæ finem, Inſtrumenta & operationes frequentiores explicantes: Cum Indice Rerum & Verborum. Quibus acceſſit Ejuſdem Tractatus olim editus de Aëris in ſublunaria Influxû. Lipſiæ, apud Johan. Fridericum Gleditſchium, 1685. in 4.

Obſervationes quædam Anatomicæ, ſtructuram vaſorum Biliariorum, & motum Bilis, ſpectantes. Exſtant cum Act. Eruditorum. 1682. publicat. pag. 20. itemque 1683. publicat. pag. 126. Lipſiæ, apud J. Groſſium & J. F. Gleditſchium, 1682. & 1683. in 4.

Obſervatio circa Proportionem partis purpureæ ac ſubſtantiæ ſeroſæ gelatinoſæ ſanguinis, intra Vaſa animalium fluctuantis. Extat ibid. p. 126.

Obſervatio atque Experimenta circa uſum ſpiritûs vini externum, in Hæmorrhagiis ſiſtendis. Extat cum iiſdem, 1683. publicat. p. 153. Ibidem, apud Eoſdem, annô & formâ iiſdem.

Obſervatio ſingularis circa Venæ pulmonalis propaginem, tuſſi ſanguinolentâ rejectam. Exſtat Ibid. pag. 218.

Experimenta ac Dubia nonnulla Chymica, Auri & Argenti ſolutionem ſpectantia. Exſtant ibidem, pag. 409.

Ex hoc itidem Præclariſſimô Auctore habentur

De eôdem exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1686. *p.* 225.

D. Johannis Bohnii Prof. Lipſ. Circulus Anatomico-Phyſiologicus, ſeu Oeconomia Corporis Animalis, hoc eſt; Cogitata, Functionum Animalium potiſſimarum formalitatem & cauſas concernentia. Lipſiæ ſumptibus Joh. Frid. Gleditſch. 1686. *in* 4.

UTi Circulus aliàs Mathematicis figurarum perfectiſſima ſalutatur, ità & Circulum præſentem, cujus centrum profunda Mechanicæ Animalis deprehenditur cognitio, perfectionis gradû inter reliqua Phyſiologica hactenùs quidem edita ſyſtemata eminere, non immeritò forſan pronunciaremus, niſi decantata Autoris celeberrimi modeſtia, cum ſolidâ ejus eruditione paria omninò faciens, mox in præfatione ad Lectorem præconium hoc amoliri maluiſſet. Quantâ nihilominùs capacitate Circulus hic gaudeat, oppidò è levi ſaltem XXX. Progymnaſmatum, à quibus veluti radiis tota ipſius peripheria in totidem ſecatur partes, obtutû conſtabit. I. Progymnaſma, Generationis ac Conceptionis doctrinam exponens, materiale foëtûs principium, quod ovulô incluſum, ac à ſemine maſculinô, tanquam formali principio, per poroſam uteri ſubſtantiam ad ovarium delato foëcundandum declaratur, à ſolâ deducit foëmina, ac fundamenti locô accuratiorem ovorum ſupponit inſpectionem, quâ conſtet, in ſubventanei æquè ac foëcundati ovi cicatriculâ, ſacculum quendam cinereum cum inclusô corpuſculô albicante animadverti; ſub hâc tantùm diſparitate, quòd pulli caput & carina diſtinctiùs in foëcundô, in hypenemiô confuſiùs & inſtar molis informis appareat, illudque circulis diverſis circumvalletur, hoc verò appendices tantùm reticulares magiſque irregulares obtineat. *In* II. Progymnaſmate, dum Foëtus vita & Nutritio delineantur, humor tunicæ Amnii, præter quam & Chorion nulla Allantoides in homine agnoſcitur, potiſſimùm ab ipſius Foëtûs derivatur mammillis, veluti quæ in infantibus recens natis, pueris non minùs ac puellis, ſeroſô turgeant lacte, & quidèm ità, ût, ſi hoc non tempeſtivè ritè exprimatur; eadem cum nutricibus à lacte coagulatô pathemata, indurationem videlicèt, inflammationem ac ſuppurationem, experiantur. III. Progymnaſma, Partûs tempus ſolemne, ejuſque cauſas ſtimulantes & moventes, item ſubſequentia Lochia evolvendo, ſimùl de *Harveanô* diſquirit *Problemate: quî fiat, ut infans in lucem editus, membranis integris opertus & in aquâ ſua etiamnum manens, per aliquot horas citra ſuffocationis periculum ſuperſtes ſit; idem ſecundis exutus, ſi ſemèl reſpiret, poſteà nè momentum quidem temporis abſque eô duret, ſed confeſtim moriatur?* hujus que ſolutionem evidenter ab aëre extrinſecùs ſuperveniente nectit, habitum foëtûs externum mox ità comprimente, ùt principium vitale intrinſecum, niſi ab aëris exterioris jugi influxû enutriatur ac perpetuetur, fatiſcere demùm debeat. Interim an Experimentum hoc Harvei perpetuæ cenſendum ſit veritatis ob binas hiſtorias, quæ ſtuporis plenæ, recenſentur, pariter ambigitur. Progymnaſma IV. Principium vitale non Ens quoddam Hypoſtaticum, ſed modum tantùm ſanguinis eſſe edifferit, utrumque ſcilicet hujus motum, tam inteſtinum, quàm progreſſivum, quorum illum quidèm vitæ primum ac radicativum, hunc verò communicativum appellitat principium. Inteſtinus ſanguinis motus, licèt congenitus, perpetuandus tamen à motû ambientis fluidi oſtenditur; ab Aëris quippe particulis quibuſdam, naturæ videlicèt inter ſubtiliores ac craſſiores intermediæ, & craſſioribus ſanguinis moleculis, æqualiter invicem pugnantibus, omnem noſtram proficiſci vitam ſeu motum vitalem indigitatur; ipſa verò vita, quæ ſolidis partibus à ſanguine in progreſſivô communicatur motû, inſtar ſtimuli concipitur, quô cunctæ partes ad motus vitales præſtandos continuò & intrinſecè irritentur, licèt movendi vim aliundè nempè à cerebro & nervoſô petant genere. Hinc & ipſam Reſpirationem, quam neque hujus neglectô ſtimulô Progymn. V. dilucidat vitali principiô immediatè magis præeſſe colligitur. Progymnaſma VI. ſanguinis proſequitur Circulationem, idemque experimentum, quòd Venetiis in Academiâ Sarroti primùm tentatum in Actis noſtris Menſ. Septembr. annô 1684. legitur, ab Auctore pariter eòdem ſuccesſû adornatum recenſet. In Progymnaſm. VII. duplex Nutritionis neceſſitas, altera vitalis principii conſervatio, altera verò ſolidarum partium firmatio & augmentatio, evincitur; ipſa autem materia nutritium vindicatur ſerum. In VIII. Progymnaſm. Appetitus ventriculi exponitur, ac ſalivam ſæpiùs non tam à fame, quàm à causâ famam intendente, moveri juxtim innuitur, i. e. aquoſiorem, poſt nutritiarum molecularum depoſitionem, redditàm lympham anguſtiora glandularum ſalivarium colatoria uberiùs permeare, & ad os deponi. Progymnaſma IX. Alimentorum aſſumptionem edocet, rationemque, cur liquida difficiliùs non nunquam ſolidis deglutiantur, à reſolutis pharyngis deſumit muſculis; quoniam tali in caſû nec ex ore quidèm potulenta moveri poſſint, ità ùt dictis muſculis neceſſariò & eò uſque collabaſcat principium gulæ, ùt illi dilatando nonniſi ſolidior bolus, inſtar cunei, adæquatus videatur. Progymnaſma X. circa Chylificationis deſudat negotium, Chylum nihil aliud eſſe proponens, quàm particulas alimentorum lacteſcentes & gelatinoſas, ab humiditate ventriculi & inteſtinorum ſolutas, evolutas huicque ita combinatas, ut homogeneum equidem fluidum videantur conſtituere; tale tamen quod ex globulis diaphanis per liquorem cryſtallinum agitatis microſcopiô armatis oculis compareat. XI. Progymnaſma ſicut de Chyli per vaſa lactea agit motû, quem ad Meſenterii, primò glandulas, imprimis maximam, Aſellii Pancreas appellatam, hominique falsò aliàs & repugnante autopſiâ denegatam, ideò inſtitui, ùt pinguiores quædam ejus ibi ſecernantur particulæ, annotat. Has pingues namque Chyli moleculas, à venis abſorptas ac ſalinis quibuſdam combinatas, tincturam ſanguinis conſtituere, in Progymnaſm. XIII. aſſeritur, ſeu quod plurima de ſanguine & ſerô curioſè non minùs atque accuratè exhibet enucleata, præter alia ſanguificationem ipſam functionem eſſe ex ſimilari & organica compoſitam oſtendens, quatenùs Chylus non tantùm intra glandulas in partem gelatinoſam & oleoſam. diſpeſcatur, aque ſerô intra renes aliiſve recrementis in reliquis colatoriis liberetur, ſed & intra pulmonum veſiculas ultimam quaſi manum ab aëris experiatur particulis. Progymnaſma XIV. Urinæ dum ſecretionem per renes, ac excretionem per veſicam abſque aliis viis abſolvit, denuò experimenti Venetiani ſuperiùs citati injicit mentionem. Teſtantur ſcilicèt Academiæ à Sarrotô congregatæ Obſervatores, Aquæ, quæ in rene Recipienti inditô per arteriam ipſamque renis ſubſtantiam ad venas derivatur, nè guttulam quidem ex uretere deſtillare. Idem & hic obſervatur effectus; in aliô nihilominùs rene, per ureterem, quaſi prætumidum & erectum, aquam impetû notabili profiluiſſe commemoratur, etiamſi ſecundâ vice in eòdem

dem ſubjectô fruſtrà hoc phænomenon fuerit expectatum. Progymnaſma XV. de Tranſpiratione & ſudore tractans, vix aliud diſcrimen utramque excretionem intercedere indigitat, quàm quòd in ſudore ſerum intra glandulas ſubcutaneas ſecretum ſub guttularum denſitate promanet, in tranſpiratione verò idem ſerum ſecretum aut propter ſui paucitatem, aut propter aëris ambientis habitudinem, determinatam in vaporem ſolvatur. In Progymnaſm. XVI. in Menſtruam inquiritur Purgationem, hujuſque cauſa ſola ſuperfluitas ſanguinis effertur, ordinariè ex vaginâ potiùs, quàm uteri fundô juxta Autoris autopſiam effuentis; quippe qui in duabus diſſectis fœminis ſolam vaginam cruentatam, cavum autem uteri omnis immunditiei expers vidit. Progymnaſma XVII. de Epatis officiô ſollicitum, bilis productionem ac motum exactè deſcribit, variaſque alterationes, quas bilis ab admixtis diverſis v. g. ſpiritû vini, Aquâ Cinam. Oleô baccarum junip. &c. paſſa fuit, coronidis locô ſubnectit. Progymnaſma XVIII. Lienis rimatur uſum, talem hunc venditans, ùt ſanguinem producat bilis generationi inſervientem; ſanguinem ſiquidem ſplenicum per venam refluum (1) nec texturam arterioſi, nec venoſi habere, ſed inter binas has mediam, (2) verò fluidum maximè eſſe & glutinoſitate potiſſimâ exutum, ex variis experimentis circa ſanguinem ſplenicum adornatis colligitur. In Progymnaſm. XIX. de ſpirituum Animalium diſputatur naturâ, quæ demùm aerea judicatur; an verò involucri ſeu vehiculi locô ſucculentiam quandam habeat adjunctam, valdè dubitatur. Undè præter activas alimentorum particulas cum primis aëris inſpiratas partes multùm ſpirituum materiæ conferre, in Progymnaſmate XX. de ſpirituum Animalium Generatione, haud vana eſt ſuſpicio. Progymnaſma XXI. eorundem ſpirituum pandit Diſpenſationem per nervos, quorum ſoliditatem modò majorem, modò minorem, non tam ex uſû nervorum diverſô cum aliis ſcriptoribus, quàm è ſubſtantiæ modò illô, quem dùm medullam oblongatam elabuntur, aut retinent, aut demùm ſuſcipiunt, eruit. Progymnaſma XXII. ſenſus externos, circa quorum delineationem in genere verſatur, non neceſſariò tantùm quinque eſſe demonſtrat. Progymnaſma XXIII. Tactum attingit, ſolutionemque vexati illius Problematis: *Cur ægri interdum de membri amputati dolore conquerantur?* Scitè in ſtatû nervorum ab impreſſione priſtinâ relictô quærit. In Progymnaſmate XXIV. guſtatûs enodandi ergô, è certô phoënomenô, quod ſal commune, à quô ſpiritus Nitri aliquotiès cohobatus, exhibet, ſapidorum afficiendi aptitudinem non tantùm à ſalium diversâ figurâ ſed ab horum quoque inſimul variâ magnitudine & motû emergere, elicitur. In Progymnaſmate XXV. pro Olfactû exhauriendô, ipſa hominis olfaciendi hebetudo non primario ab inſtrumenti ab uſû, ſed ab hujus potiùs conformatione, quæ in homine & brutis diverſa, derivatur. Auditus in Progymnaſm. XXVI. dum inveſtigatur, ſub aquis etiam non adeò profundè hærentes motuum ſonorificorum externorum vim perſentiſcere, quatenùs aer vehementiore ictû concuſſus aquam ſibi contiguam verberet, hujuſque vibrationes tympanum ſimili modô ac aër liberior percellant, traditur. In Progymnaſmate XXVII. Viſio luſtratur, cujus in animalibus nonnullis noctû magis, quàm interdiù, peragendæ gratiâ, conformatio oculi diverſa, eaque quadruplex, omni luce intrinſecâ rejectâ evolvitur. Progymnaſma XXVIII. Internos ſcrutatur ſenſus, quorum numerum incertum ad unitatem revocat, ità ùt unum eundemque ſenſum internum ſeu principem concipiat, à quô nihilominùs diverſæ emanent functiones, unô in locô, i. e. in medullari cerebri ſubſtantiâ exerceri ſolitæ. Progymnaſma XXIX. quo obſtruſam motûs animalis ætiologiam conceptibus licèt crudis, eruditis tamen, ſuggerat, cum aliis aſſerit, in fibrâ motrice ritè contrahendâ, ſanguinem pariter, ac ſpiritum animalem requiri: non tamen collidentes aut efferveſcentes, ſed deorsìm, quamvis ſimul, agentes. Deindè in ſpiritibus animalibus potentem ſatis ſupponit elaſticitatem, qualicunque demùm aliàs materiæ modô ſeu texturâ gaudeant, & talem quidèm, quæ à preſſione externâ intendatur & quaſi actuetur. Preſſionem autem hanc ipſis præſtari declaratur vel moderatam, à ſanguine canaliculis eorum fibroſis interfluô; vel impetuoſiorem, ab inſtinctû inſuper iiſdem fibris ac nervis, dum hos modò appetitus impulſus, modò objecta externa, immediatè magis laceſſunt, impreſſô: illam in muſculorum tendentiâ naturali ſeu motû reſtitutionis, hanc in agitationibus eorum violentioribus, ſive arbitrariis, ſive coactis. Cùm verò preſſio, ſi continua fuerit, elateri impedimento ſit, talis ea hîc concipitur, quæ non exactè continuò, ſed tremulô & oſcillatoriô quaſi, (qualis in ſanguine duplex obſervatur,) niſû agat, adeòque momentula concedat elateris expanſioni ſeu activitati. Progymnaſma denique XXX. idque ultimum, ſomni & Vigiliarum exhibet tractationem, ſomni inchoamentum non ſenſoriis externis, ſed cerebrô inacceptis referens; quod verò ſenſoria nobis delaſſata primò appareant, ideô fieri, quod per ſubſidentiam illam ſpirituum intrinſecam, eorum emanationes ad exteriora inhibeantur, radiique hactenùs in longum & latum exporrecti quaſi cohibeantur & retrahantur, adeòque in his, tanquam à centrô remotioribus, primô ſtatim ſpirituum influxus interceptio compareat. Atque hypotheſes hæ, breviter à nobis ipſiſmet ſæpiùs Autoris verbis recenſitæ, dum in Progymnaſmatibus ſingulis non ſolummodô prolixiùs deducuntur, ſed & ſententiarum adverſarum deſtructione magis illuſtrantur & roborantur; limatiſſimum Authoris Nobiliſſimi judicium de Mechanicâ Animali nuſquàm non eluceſcit.

Ibidem annô 1689. *pag.* 101.

De Renunciatione vulnerum, ſeu, vulnerum lethalium Examen, exponens horum formalitatem & cauſas, tam in genere, quàm in ſpecie, ac per ſingulas corporis partes. Lipſiæ, apud Joh. Frid. Gleditſch. ann. 1689. *in* 8.

TRes circiter annorum decades effluxerunt; ex quô partium corpus humanum coagmentantium textura multùm à ſedulâ recentiorum induſtriâ fuit illuſtrata. Secundum horum nihilominùs hypotheſes qui utiliſſimam de Vulnerum lethalitate materiam ſcriptô publicô dilucidarit, hactenùs, quod quidem ſciamus, inventus eſt nemo. Primus proin Autor noſter Celeberrimus jure cenſendus, qui ſolidâ Anatomiæ ſcientiâ excellens id negotii ſub duplici hîc ſectione accuratè ſiſtit expeditum, ita tamen, ùt in Præfatione ad lectorem de conatû ejuſmodi inſigni aliorum in morem glorietur, nequaquàm, ſed cum *Bernhardô Suevô* quondam, dum Tractatum de Inſpectione vulnerum lethalium & ſanabilium Marpurgi ann. 1629. emitteret, eò unicè collimare ſe expreſsè fateatur, ut lucubrationum præſentium imperfectionem atque difficultatem aliis judiciô, doctrinâ & experientiâ ma-

gis pollentibus, emendandam ac ſolvendam commendet. Sectione primâ de Renunciatione vulnerum in genere agens, prout poſt vulnerati obitum à Medicô concinnanda expetitur, vulgòque vulneris Inſpectio audit, doctrinam ejus haud prognoſticæ Medicinæ parti accenſendam eſſe, ſed Anatomiæ practicæ ſive pathologicæ ſpecimen videri aſſerit, ut potè quô non de eventû futurô, ſed de factô, qualiſnam plaga, num ſanabilis, num inſanabilis extiterit, per autopſiam decernatur. Hæc verò Provincia cùm magnæ ſemper difficultati ſit expoſita, enormeſque ſæpiùs ab inſpectoribus vulnerum errores committantur, non immeritò, quænam perſonæ ad inſpicienda & dijudicanda vulnera debeant admitti, primò omnium diſpicit. Scilicèt quamvis à Legiſperitis modò Medici, modò Chirurgi hic nominentur, imò modò ſolis his, modò tonſoribus ac balneatoribus quoque, ubi in rebus videlicèt Anatomico-Chirurgicis verſatiſſimi fuerint, adhibeatur fides, in hypotheſi tamen Autor rem conſiderans, ambiguus oppido hæret, an Saxonia noſtra aut Germania ejuſmodi vel Chirurgorum vel Barbitonſorum multos alat, qui corporis humani notitiam, muneri inſpectionis gerendo adæquatam & ſufficientem, omninò calleant; undè Medicô à Chirurgô forsàn diſſentiente, ab illius magis, quàm hujus, ceu minùs periti, ſtandum partibus eſſe. Vulneris verò hìnc nomine omnem à violentiâ externâ ſolidarum quarumvis partium læſionem indigitat, à Jureconſultis quibuſdam Percuſſionis potiùs notione inſignitam, lethalem tunc reverà, ſi mortis inſequentis cauſa extiterit, & quia non ſanabilis mortem intulerit, pronunciandam. Etenim vulnus lethale neutiquàm confundendum cum periculosô, quale interdùm exile quoque & ſuperficiale ſatis deprehendatur, ſed attendi oportere ad diſtinctionem Medicis pariter atque Jureconſultis ſolennem, inter vulnus per ſe & per accidens lethale, quorum illud ſine alterius cauſæ interventû mortem immediatè producat, hoc verò ùt tale, ſive immediatè, nulli vulneratorum vitam adimat. Priùs equidèm vulnus ſive lethale per ſe denuò obſervari vel de neceſſitate ſive ſimpliciter tale, omnem medelam detrectans ac ſemper brevique interimens, vel non neceſſariò ſed ut plurimùm lethale, difficilem ut plurimùm curationem admittens, non tamen ſemper, aut tardiùs demùm interficiens. Nihilominùs cùm differentiæ hujus, in quâ per ſe & ſimpliciter lethale vulgo confundi ſolent, rationem vix habeant Legiſlatores, ac vulnus ut plurimùm lethale reverà lethale dicendum eſſe demonſtretur, conſultiùs forſan fore, in Relationibus Anatomico-Chirurgicis diſtinctione hâc, defenſoribus homicidarum minùs conſcientioſis anſam ſaltèm diſceptandi ſuggerente, penitùs ſuperſedere, ac ſolummodò, an vulnus per ſe, an per accidens mortale, enunciare. Aſt quô de vulneris lethalis per ſe ætiologia inſupèr conſtet, percuſſiones mortiferas per ſe appellat quaſcunque, quæ fluidorum univerſalium, ſanguinis & lymphæ, ſolidas partes vitalitate immediatè actuantium, motum inteſtinum & localem, aut alterutrum, aut utrumque eò uſque ùt vita totius extinguatur, perturbant. Claſſem primam Vulnera organis aut reſpirationi, aut Chyli productioni, exaltationi ac diſpenſationi inſervientibus inflicta reſpicere; ad alteram verò claſſem plagas tam cordis cum canali ſanguinis & lymphæ, quàm cerebri & generis nervoſi pertinere; ſub tertiâ deniquè claſſe quorumvis totius corporis organorum continuitatem ſolutam comprehendi, cujus occaſione fluida, nutritia non minùs quàm excrementitia, extra receptacula & canales ſuos in cavitatem ſibi incongruam elabantur, ibique congeſta, aut mole, aut putredine exagitationi ſanguinis vitali ejuſque circulationi moras nectant. Quorum vulnerum à non lethalibus aut per accidens talibus preſſiùs dignoſcendorum gratiâ, circumſtantias porrò eorundem, tam intrinſecas, quàm extrinſecas nervosè perpendit, obſervationibuſque corroborat; intrinſecas vocans, quæ ipſam plagam partemque affectam ſpectant, ſcilicèt (1) hujus texturam, ſitum & actionem, (2) vulneris magnitudinem, (3) ejuſdem qualitatem, ac (4) figuram; extrinſecas verò, quæ extra percuſſionem hujuſque ſubjectum immediatum ſunt, & quidèm iterùm vel neceſſarias, diſpoſitionem videlicèt corporis nativam & ætatem, morbos antecedaneos & combinatos, ac loci atmoſphæram; vel contingentes, nempè ſymptomata, ægri diætam, & Chirurgi ſeu Medici peritiam ac ſolertiam diverſam. Tandèm ex circumſtantiis his tanquam lethalitatis totidem & non lethalitatis cauſis ſufficienter deductis tria elicit atque explicat aphoriſmata: (1) videlicèt Inſpectionem vulneris ad judicii ejuſmodi rationalis concinnationem neceſſarium ac primarium eſſe inſtrumentum, eò quòd pro lethalitate inferendâ, nec mortis à percuſſione celeritas, nec tarditas, nec inſtrumenti lædentis conditio, nec ſymptomata ſola ſufficiant, ſed potiùs partis læſæ conditio ſectione ſit indaganda; (2) Operationem hanc in Renunciationibus ritè condendis non eſſe inſtrumentum ſolitarium, cùm & circumſtantiæ, quæ circà vulnerationem & vulneratum contigerunt, debeant attendi; (3) nec ſufficienter, nec pro rei exigentiâ, hanc de vulnerum Renunciationibus doctrinam hactenùs fuiſſe excultam & traditam, & proìn emendatione indigere: nihil namque aut parùm hactenùs de lethalitate vel nervorum, vel vaſorum lymphaticorum, & lacteorum fuiſſe edoctum, ex vulnerum autem lethalium claſſe propter rationem quædam excluſa, e. g. vulnera thoracem penetrantia, cotarum fracturæ, ac ſpinalis medullæ partis inferioris vulnera; è diversô vulnera, v. g. cuncta veſicæ fundi, lethalia pronunciata, quæ tamen minùs talia ſunt, imò partis, quæ corpori humanô non inexiſtit, qualem rete mirabile in mirabili ejuſmodi Anatomicorum cerebrô ſaltèm effectum haberi. Atque fundamentis ſic circa Renunciationes vulnerum rectè adornandis ſolidè jactis, ad ſecundam dilabitur ſectionem, quâ de Renunciatione vulnerum in ſpecie ſollicitus, regulas hactenùs datas generaliores membris ſingulis eorumque læſionibus ritè applicat, initium Cap. I. de capitis, ſpinæ, & Nervorum vulneribus lethalibus; progreſſum Cap. II. de Colli, Cap. III. de Thoracis, Cap. IV. de Abdominis percuſſionibus lethalibus; finem deniquè Appendice de Artuum plagis lethalibus faciens. Quæ tamen innuiſſe magis, quàm recenſuiſſe prolixitatis evitandæ ergô, ſufficiat, imprimis cùm ex jam dictis ſatis hariolari jamdum detur; quantô judiciô, quantâque experientiâ ſingula hæc ab Autore ſagaciſſimô pertractata ſint, adeò ùt Lectorum neminem, niſi præjudiciis forſan occæcatum, librum ipſum conſuluiſſe unquàm pænitere valeat.

Altera ejuſce operis editio multò auctior facta eſt Amſtelod. 1710.

Ibidem annô 1704. *pag.* 231.

De Officiô Medici duplici, Clinici nimirùm ac Forenſis; hoc eſt, quâ ratione ille ſe gerere debeat penes infirmos pariter, ac in Forô; ùt Medici eruditi, prudentis ac ingenui nomen utrinque

utrinque tueatur. Lipſiæ, apud Joh. Fredericum Gleditſch. 1704. *in* 4.

CUm medici genuini officium à paucis adhùc ritè pertractatum fuerit, excellentiſſimus noſter Autor, quemadmodùm conſummati Medici munus ad amuſſim explendo, magnum inter Medicos dudûm meruit nomen, ità occaſionem curatiùs illud hic delineandi negligere noluit. Conſenſum verò ſuum iis ille denegans, qui officium Medici apud infirmos terminari autumant, quaſi operam ipſius non ſæpiſſimè Magiſtratus requireret; utrique officio diſtinctam in præſenti tractatû dicare partem deprehenditur. Nemo tamen Medicorum cùm ſine eruditione ac prudentiâ officiô, ſive clinicô, ſive forenſi, ritè queat fungi, Autor in primâ parte, veram Medici doctrinam, ab illius fortunâ haud diſcrepantem, nec in Empiricis occurrentem, unà cum ejuſdem decorô atque moribus confidentiam ægrotis concilianti-bus, exactiùs ante tradit, quàm ſolidè docere pergat, quomodò Medicus ægrorum curam ſuſcepturus, primùm in ſciſcitandô ſive morbô explorandô, hinc in judicando ſeu præſagiendô, tandèm in remediis convenientibus ope indicationum inveniendis, ac inſtrumentis eorum ex fonte diæteticô, pharmaceuticô aut Chirurgicô adminiſtrandis, rectè ſeſe debeat gerere. Ex multis, qui hinc indè perſtringuntur atque corriguntur erorribus, ſequentes delibâſſe ſufficiat: Medicum, etiam non peſtilentialem, teneri peſte laborantes viſitare, p. 100. In Conſultationibus Medicum ad Secretorum revelationem haud adſtringi, p. 125. In chronicorum morborum medelâ non lentè ſemper eſſe procedendum, pag. 192. Remedia prophylactica frequentiùs ſine ratione aſſumi, p. 195. Experientiæ etiam tunc oportere inniti, quandò ratio deficiat aut repugnet, p. 202. In morbis curandis Aſtrologorum præcepta nihil valere p. 209. Alterantium doſin hodiè juſtô parciorem plerumquè præſcribi, p. 246. Venæſectionem multa recenſeri prohibentia, quæ talia non ſint, p. 256. Diureticis etiam à paſtû licere uti, p. 305. Ex phoënomenis quibuſdam particularibus malè formari hypotheſes univerſales, p. 355. Remedia ſpiritus verè roborantia & corrigentia dubia, p. 356. Membris inflammatis ab opiatis extrinſecis gangrænam & ſphacelum haud induci, p. 363. Panis repletionem non magis nocere ac aliorum ciborum, p. 389. Ordinem in aſſumendis cibis nullius eſſe momenti, nec eduliorum varietatem tantùm nocumenti afferre, ac communiter creditur, p. 393. Medicis licere pharmaca parare ac diſpenſare, p. 431. Medicinam præſcriptoriam periculoſiorem eſſe diſpenſatoriâ, p. 444. Conſtitutionem medicamentorum internam, ex eorum principiis non ſemper dignoſci, p. 453. Lapidum pretioſorum, margaritarum atque auri efficaciam majorem, neque experientiâ, neque ratione poſſe probari, p. 456. Inſtrumentorum in officinis Chirurgicis alia deficere, alia haberi inepta, pag. 488.

In alterâ autem parte, dum Forenſem inſtruit Medicum, quô hic à Magiſtratû poſtulatus peritè pariter atque fideliter queat reſpondere, non ſolummodò Medicinæ Forenſis neceſſitatem, ac Medicorum, Chirurgorum, & Obſtetricum teſtificantium conditiones ſcitè commemorat, ſed & renunciationum inſtrumenta atque difficultates, cum renunciandi modô, accuratè explanat. Integram tamen Medicinam Forenſem, à multis multùm deſideratam, ut Excellentiſſimus Autor cum publicô aliquandò valeat communicare, vegetas ipſi vires à ſummô Numine apprecamur.

BOISOTUS. Abbas S. Vincentii.

De eô exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1688. *pag.* 330.

Excerpta ex Litteris D. Boiſoti, Abbatis S Vincentii, ſcriptis ad Dn. Nicaſium Abbatem & Canonicum ſ. Capellæ Divionenſis: de Virgine quâdam ſine omni alimentô vitam ducente. Translata ex Ephem. Erud. Pariſiens. D. 15. *Martii,* 1688.

AMicorum meorum quidam Medicus his diebus rem valdè extraordinariam ad me perſcripſit. Narrat, ante quatuor circiter annos *Palleti,* quæ villa exigua eſt propè *Pontarlerium,* virginem quandam viginti ſex aut triginta circiter annos natam; cui nomen *Jaqueline Nicolet,* ab equis currum fœnô onuſtum trahentibus proſtratam fuiſſe. Et equi quidem per caput & collum ejus ſine noxâ tranſierunt. At currus ſuper dorſum tranſvectus livorem inflixit ei regioni, quæ undecimæ vertebræ reſpondet. Puella mox multùm cruoris vomuit, idque per plures dies facere continuavit, modò tamen diverſô. Quandoquè vomitû ſanguinem ejecit purum; aliâ vice coagulatum, ac ſemel iterumque materiam quandam carni minutim conciſæ ſimilem. Tempore lapſum proximè inſecuto, aliquandiù in extremis fuit. Poſt hæc febri correpta eſt, inſignibus comitata doloribus, quique nihilô ferè leviores ab hinc facti ſunt, & quos hodiernùm per totùm corpus ſentit, ſpeciatim tamen circa ſtomachum, dorſum & verticem capitis; adeò ùt nequeant ipſam loco movere, aut in cubiculô ſtrepitum ciêre greſſibuſve rudioribus incedere, quin dolor ſummus in omnibus illis partibus renovetur. Siniſtrum ejus brachium imperfectâ paraliſi affectum ſemper, ex quô caſus iſte contigit, permanſit. Appetitû ciborum omninò deſtituitur, & ſi maximè ejus quid haberet, vix poſſibile ei foret quidquam deglutire, dum ingens obſtaculum ſentit in orificiô Oëſophagi. Quin & pater ejus refert, quôd primis illius invaletudinis diebus ipſe ei evulſerit ac reſecuerit è faucibus partem quandam carnis mollioris, unius pedis longitudine. Cùm que hæc carò noviter recreviſſet, indè iterùm poſt hæc abſcidit. Præter hæc incommoda & illud habet, quôd nunquàm ferè dormit. Majori admiratione dignum eſt, quòd indè à quatuor annis non comederit ad ſummum pluſquam ſeſquilibram panis aliûſve cibi, cum pauxillô ſacchari, quô obducta fuerant 15. aut 20. grana aniſi, magnitudine nucis conditæ; quodque non biberit niſi duos circiter aquæ cyathos. Id verò quod omnem ſuperat fidem hoc eſt, quòd perhibentibus domeſticis, quorum teſtimonium nequaquam videtur ſuſpectum, à 35. ab hinc ſeptimanis omninò nihil quicquam nec bibit, nec manducavit. Cujus rei rumor cùm in viciniâ percrebuiſſet, Medicus ille, qui ad me ſcripſit, curioſitate ductus eſt eam inviſendi. Offendit in ipsâ febriculæ aliquid, pulſum inæqualem, debilem & frequentem, colorem ſat bonum & naturalem, linguam nec ſiccam, nec humidam, carnes ſatis ſolidas, molles ac pingues? inquirens in alias circumſtantias comperit, eam nulla omninò excrementa ejicere, nec per alvum, nec per viam urinæ; Cæterùm ſæpiùs leves ſudores experiri; ac deniquè ab initiô ægritudinis in hunc uſque diem curſum ordinatum menſtruarum purgationum, nec per inediam, nec per ſomni defectum, nec per febrem fuiſſe interruptum. En ea, quæ ab oculatô teſte ad me ſcripta ſunt. Multùm hæc res negotii faceſſere poterit Philoſophis atque Medicis,

Medicis. Non de erunt, qui de facti veritate ambigent; at ſi qui de eâ dubitabunt, ipſimet hâc de re certiores ſe facere poterunt. Puella enim in vivis eſt, nec ità properè adhuc videtur moritura. Haud ignoro, ſæpiùs relationes eſſe factas de certis perſonis, ſine aſſumptô çibô vivere creditis, at inquiſitione profundiori à peritis inſtituta, non niſi fraudes & mendacia plerumque detecta fuiſſe. Nihil vero horum hic ſuſpicari datur. Miſera illa puella, per dolores quos patitur continuos, tam parùm vitæ commodis fruitur, ùt indifferens admodum ei ſit, credatur nè quid comedere necne. Nihil etiam ad patrem ejus redundat ex famâ invaletudinis hujuſce, nec apparet, quid mentiri hic domeſticos juvaret. Supereſt itàque conjicere, quô pactô virgo hæc ſubſiſtere queat ſine aſſumptione ullius alimenti. Credo vel peritiſſimos hôc in negotiô hæſitaturos mortemque ægrotæ expectandam fore, ad inveſtigandum diſſectione mediante, quænam ſtupendis adeô affectibus cauſa eſſe potuerit. Res tam inſolita eſt, ùt viri curioſioris in ipsô locô præſentis obſervatione fortè non indigna ſit, &c.

BOKELIUS (*Johannes*,) Hamburgenſis, Primarius in Academiâ Juliâ Medic. Profeſſor.

De eô exſtant

Synopſis novi morbi, quem plerique Catarrhum febrilem, vel febrem catarrhoſam vocant, qui non ſolùm Germaniam, ſed penè univerſam Europam graviſſimè adflixit. Helmſtadii, apud Jac. Lucium, 1580. in 8.

De Philtris: utrùm animi hominum his commoveantur, nec ne? Hamburgi, apud Hermannum Mollerum, 1599. in 4. Ibid. ap. Eundem 1614. in 4.

De Peſte, quæ Hamburgum civitatem annô 1565. graviſſimè adflixit. Henricopoli, apud Conrad. Corneum, 1577. in 8.

Anatome vel Deſcriptio partium humani corporis, ut ea in Academiâ Juliâ, quæ eſt Helmſtadii, ſingulis annis publicè prælegi, ac adminiſtrari ſolet. Helmſtadii, apud Jacobum Lucium, 1585. in 8. Ibidem, apud Eundem, 1588. in 8.

BOLIGNINUS ſeu Bologninus (*Angelus*,) Bononienſis, docuit Chirurgiam, ex Avicennâ, Bononiæ, Annô Chriſti 1506. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

De Curâ ulcerum exteriorum, & de unguentis communibus in ſolutione continui, Lib. II. Papiæ, apud Bernhardinum de Garaldis, 1516. in fol. cum diverſis varii argumenti Autoribus, ut Alexandrô Benedictô de Peſtilenti Febre &c. Baſileæ, apud Johan. Bebelium, 1536. in 4. Operis Chirurgici pag. 207. Tiguri, apud Fratres Geſneros, 1555. in fol.

BOLLINGERUS (*Vlricus.*)

De eô exſtat

Elegia, de verâ antiquâ Philoſophicâ Medicinâ, & Encomium Wetteræ Athenarum Haſſiæ. Excuſa cum Baſilicâ Chymica Oſwaldi Crollii. Francofurti, apud Claud. Marnium, 1609. in 4.

BOLNESTUS (*Eduardus.*)

Ex eô habentur

Aurora Chymica, ſive Rationalis Methodus præparandi Animalia, Vegetabilia & Mineralia, ad uſum Medicum; quarum præparationum beneficiô ex illis fiunt efficaciſſima, tutiſſima & gratiſſima medicamenta, ad Præſervationem & Reſtaurationem vitæ humanæ. Hamburgi, apud Johan. Naumannum, 1675. in 8.

Medicina Inſtaurata, ſeu brevis Delineatio fundamenti & principiorum Artis medicæ, cum Inſufficientiâ vulgaris modi; præparandi medicamenta, & excellentiâ eorum quæ chymicè præparantur.

BOLOGNETTI (*Pompeius.*) Nobilis Bononienſis, Philoſoph. ac Medicinæ Doctor Collegiatus, Medicinæ Theoreticæ & Practicæ Profeſſor publicus.

De eô exſtant

Conſilium de præcautione, occaſione mercium ab inſultibus eminentis contagij, ad Senatores Bononiæ Sanitatis Præſides. Bononiæ, 1630. fol.

Remora Senectutis. Bonon. 1650. typis Montij, 4.

BOLZETTA (*Angelus*,) Patavinus.

De eô exſtat

Theriaca Andromachi ſenioris, juxta placita ſacri Patavini Philoſophorum & Medicorum Collegii, olim per viros Clariſſ. Junium Paulum Craſſum, Bernhardinum Tauriſanum, & Marcum Oddum, ejuſdem Ordinis, edita annô 1576. compoſita hôc annô in Pharmacopœâ Angeli, præſentibus, & prô Sacrô Collegiô imperantibus Viris Excellentiſſ. Andreghetiô, & Jacobô Zabarellâ, ex eôdem ordine ad id electis. Patavii, apud Impreſſores Camerales, 1626. in 4.

BOMPARTIUS (*Marcellinus.*)

Ex eô habetur

Miſer Homo. Pariſiis, apud Nicol. Boiſſet, 1648. in 4.

BON (*Joannes le*,) Heteropolitanus.

De eô exſtat

Therapia Puerperarum. Libellus brevitate, & experimentis gratus, Heroicis & Magnatibus præſertim expetendus. Francof. apud Joh. Wechelum, 1589. in 16. cum Hollerii Praxi. Pariſiis, apud Jac. du Puys, in 16. cum Theſaurô Pauperum Liebautii, & in Gynæciorum Libris, ab Iſr. Spachiô editis, p. 396. Pariſiis, 1664.

BONACIOLUS (*Ludovicus*,) Ferrarienſis, Medicus Illuſtris & magnæ autoritatis. Vixit A. C. circiter 1530. Juſtus in Chronolog. Medicorum.

De eô exſtant

De Uteri Partiumque ejus confectione. Ejuſdem quônam uſû in abſenti etiamnum Venere cietur. Quod, quale, undèque prolificum ſemen? unde Menſtrua? &c. Argentinæ, apud Henricum Sybold. 1537. in 8.

De Conceptionis indiciis, nec non maris fœmineique Partûs ſignificatione. Ejuſdem: quæ uterô gravidis accidant? & eorum Medicinæ. Prognoſtica, cauſæque effluxionum, & abortuum, &c. Proceritatis, improceritatiſque Partuum cauſæ. Argentinæ, apud Henricum Syboldum 1538. in 8. Utrumque autem Libellum inter Gynæciorum Libros repoſuit Iſraël Spachius, titulô: Enneas Muliebris: pag. 109. in fol. Lugduni, 1639. in 12. Ibidem, 1641. & 1650. in 12. Ibid. 1660. in 12. Amſtelodami, 1663. in 12. In his quinque poſtremis Editionibus cum Severini Pinæi Opuſculô de Notis Virginitatis, &c. extantibus, hic Bonacioli Tractatus hunc abbreviatum habet titulum: *Liber de Conformatione Fœtûs.*

BONACOSSIUS

BONACOSSIUS (*Hercules*,) Comes.

Ex eô habentur

De Humorum exuperantium ſignis, ac Serapiis, Medicamentiſque Purgatoriis opportunis, Liber. Acceſſerunt quoque ejuſdem varia auxilia experimentô comprobata, ad varias ægritudines profligandas. De Compoſitione Theriacæ, cum ejuſdem ſubſtitutis nuper Bononiæ inventis. De modô præparandi aquam ligni ſancti. De Curatione Catarrhi, ſive, Deſtillationis. Bononiæ, apud Anſelmum Giaccarellum, 1553. in 4.

De Curatione Pleuritidis ab Hipp. Gal. Aëtii Alex. Tralliani, Pauli Æginetæ, Philothei monumentis depromptâ. Ibidem, apud eundem annô formâque iiſdem.

De Affectû, quem Græci δυσέντερλαν, Latini verò Tormina appellant, ac de ejuſdem curandi ratione, juxta Græcorum dogmata. Ibidem, 1552. in 4.

BONACURSIUS (*Bartholom.*) Bononienſis.

De eô exſtant

De Humanô ſerô, ſeu, de Urinis, Liber. Bononiæ, apud Johan. Bapt. Ferronium, 1650. in 4.

De Malis externis, Opuſculum. Bon. 1656. in 4.

BONAFIDES (*Franciſcus*,)

Ex eô habetur

De Curâ Pleuritidis per Venæ ſectionem. Venet. 1533. in 4.

BONAGENTIBUS (*Victor de.*)

De eô exſtant

Problemata x. de Peſte. Venetiis, apud Vincent. Valgriſium, 1556. 8.

BONAMICUS (*Franciſcus*,) Florentinus.

De eô exſtant

De Alimentô, Libri quinque. Ubi multæ Medicorum ſententiæ delibantur, & cum Ariſtotele conferuntur. Complura etiam Problemata in eôdem argumentô notantur, & quibuſdam ex Græcâ Lectione priſtinus nitor reſtituitur. Florentiæ, apud Barthol. Sermatellium Jun. 1603. in 4.

BONANNUS (*Philippus*,) Societ. Jeſu Sacerdos.

De eô exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1686, pag. 108.

Recreatio Mentis & Oculi in Obſervatione Animalium Teſtaceorum, Italicô ſermone primum propoſita, nunc Latinè reddita & aucta à P. Philippô Bonannô Societatis Jeſû. Romæ è Typographiâ Vareſii 1684. in 4.

CUm in Animalium Teſtaceorum hiſtoriâ, quæ ſua quoque ac aliæ res naturales ſua vitate recreat animum, quàm multa ſitû digna deſiderentur; eò quòd vel omninò falſa, vel incerta, vel tædiô quôdam legantur iconum defectû, in quibus animalia relata clarè agnoſcantur: opere pretium duxit diligentiſſimus vir oculis ſubjicere ad vivum expreſſas conchyliorum teſtas, quæ ipſi notabili figurarum aut colorum varietate, conſtanti lege in ſingulis concinnata, ad ſpecies diverſas referendæ viſæ ſunt; eaſque ex multiplici Oceani ſinû ad mentem ſuam privatô ſtudiô relaxandam acceptas, publicas in paginas retulit, ſibi non vanè ſuadens multorum pariter mentibus oculiſque non ingratas futuras, dùm in ſeipſis referunt mira *Naturæ* opera, indicantque novos ejuſdem luſus à nemine hucùſque relatos. *Quinquaginta* circiter *ſupra quadringentas* inter ſe diverſas *Italicô ſermone* ann. 1681. deſcripſerat; Novâ verò hac editione *cùm centum aliis adjectis Latino* exhibet, dubia non indignâ philoſophô annectit, ea omnia prætermittens, quæ circa teſtacea longis enarrationibus Autores expoſuerunt.

Utilem hanc Tractationem *quatuor in partes* di-

vidit. In quarum *primâ*, poſtquàm ſapientem ac proficuam comprobaſſet Teſtaceorum indaginem, dividit ea cum Aldrovandô in univalvia & Bivalvia. Univalvia unicâ teſtâ circumtecta ſunt; Bivalvia binis valvis. Inter univalvia aliquâ veluti milites cataphracti teſtâ undiquè circumteguntur, ut Echini; alia ex tegumentô unicô, quô defenduntur, aliqua ſui corporis parte exeunt, frontemque oſtendunt, quaſi dimicatura, duobus aut quatuor corniculis armatam, eiſque, quicquid progreſſum in viâ inpedire poteſt, explorant. Hujuſmodi ſunt Turbinata. Bivalvia verò ità binis valvis clauduntur, ùt non ambæ ex omni parte arctè inter ſe conjungi poſſint, ſed in aliquibus ſunt perfectè cluſiles, in aliquibus ore apertô aliquantulùm hiant, ut in Balanis, Tellinis, Dactylis, Pectunculis & his ſimilibus. Generari omnia diſputat *non ex ovis*, ut Steno, Redus, Liſter aliique perhibent, *ſed ſponte naturæ*, in limô cænoſô oſtreas, in arenoſo conchas, quemadmodùm Ariſtoteles docuit. Argumentis partìm à teſtimoniô Ariſtotelis, Aldrovandi, Kircheri, partìm ab experientiâ ſumptis, addit Autor experimentum à ſe pluries factum, ad quod menſe proximô pag. Act. 50. cùm *Franciſci Redi* Obſervationes recenſeremus, digitum intendimus. Flores hyacinthinos aliquantum maceratos, & cõtuſos in vitreô vaſe clauſo detinuit: poſt aliquot hebdomadas innumeros vermiculos in putridâ fœtidâque illâ maſſâ invenit, qui per vitrum hûc illûc diſcurrebant, quò magis à fundi humiditate diſtâtes, eò vividiores. Duorum ferè dierum ſpatiô ubi vixerunt, in aureliam transformati ſunt; ex hâc papiliunculus colore cinereus, quatuor alis, & ſenis pedibus inſtructus evaſit. Si quis dicat, ſemen ſupra virentes flores fuiſſe à muſcis relictum, illum interrogat, quare aquolibet flore, immò à quâvis re putreſcente ſemper vermes ejuſdem ſpeciei, & non diverſi producantur, cùm æquè benè omnium vermium ſemina potuerint à muſcis ubiquè relinqui. *Materiam ex quâ generantur* cochleæ atque lapides eandem putat, niſi quòd in cochleis adveniens copioſior humor ad formationem viventis inſerviat. Cochleas quæ in terrâ inveniuntur, lapides eſſe terrigenas in quandam imaginem cochlearum figuratos docet, qualia etiam, quæ vulgò perhibeantur gigantum oſſa è terris eruta, opera naturæ ſint. Cæterum cenſet teſtas cum conchulis ſimul generari, ùt partem conſtitutivam, ſicuti aliorum animalium oſſa, à quibus ſi divellantur, illicò vitam amittant. Colorum in cochleis incredibilem varietatem memorat, & ex quibus cauſis oriantur, explicat, de geneſi illorum generatim quoque aliqua tradens. Proprietates quorumdam Teſtaceorum referendo, in quibus elucet providentia Divina, negat ipſa oculorum ſenſum habere contra Albertum M. Uſum eorundem multiplicem prædicat in Medicinâ, in comerciis locô pecuniæ apud populos quoſdam, in arte plaſticâ ad porcellana vaſa, in ornamentis mulierum, ædium, ſtatuarum, imaginum; in cibis aliiſque ludicris etiam actionibus. Varia muſea recenſet, in quibus cochlearum & concharum teſtæ conſervantur.

In *ſecundâ Parte* deſcribuntur Teſtacea (1) *Univalvia* non turbinata; (2) *Bivalvia*, quæ enumerando initium facit à conchâ margaritiferâ, differens de unionum in una nu. pluribus, magnitudine, maris in quibus generantur partibus, piſcandi eos modis. Alterô locô Tellinas narrans, quàm dubia ſint, quæ de avibus Britannicis, quæ Bernacles dicuntur, circumferuntur, meminit. (3) *Turbinata*, inter quæ purpurarum teſtas earumque fabricam diligentiùs deſcribit, refutatque Ariſtotelem & Plinium, ſcribentes earum vitam ſeptem annorum ſpatiô contrahi, eamque patere per orbium ſpiras, quas toti-

dem,

dem, quos annos illæ habeant.

In *tertiâ parte* triginta ſex problemata proponit, & ad ea reſponſiones ſubnectit. Docet margaritas è rore non formari, ut ſibi & multis Plinius perſuaſit, neque concharum filias eſſe, ſed morboſam earumdem luem. Rationes ſpeculatur, cur teſtacea criantur potiùs in mari, quàm in lacubus & fluminibus, & in mari potiùs quàm in terrâ, nunquam in Metallis? Cur in Orientalis vel Auſtralis Indiarum maribus generentur in majore copiâ & coloribus magis picturata? Cur aliqua teſtacea ſuper ligna faciliùs naſcantur, quàm ſupra lapides? Cur ità teſtæ obdureſcant, cùm ex molli aquâ generentur? Cur vivant plurima immobiliter ſaxis infixa? Cur vix aliqua membrorum diverſitas in teſtaceis appareat? Cur careant oſſibus? Cur ſint corde Orbata? Cur ſint edentula? Cur fel, jecur & lienem teſtaceis negaverit natura? Cur teſtacea quæ os non habent, tamen nutriantur? Cur multa turbinata ſint etiam cornibus munita? Cur vocem non edant? Cur careant auditû? Cur teſtæ animatæ nullo ſenſû ſint præditæ? Cur teſtacea diutiùs quàm piſces extra aquas vivant? Cur marini erinacei dentes habeant, & ova numerô quinariô diſparia? Cur in pleniluniis ſint pinguiores conchæ? Cur pigra ſtolidaque animalia ſint teſtacea? Cur Balanus fulgore quôdam ſplendeat? An à Cochleâ Venereâ, quam Echeneidem ſeu Remoram dicunt, poſſit navium curſus retineri?.

In *Quarta* demùm *parte* ſupra quingentas teſtaceorum icones ponuntur in parte ſecundâ deſcriptorum, & triplici claſſe diſtributorum. In primâ exhibentur non turbinata; inſecunda Bivalvia, in tertiâ Turbinata Univalvia. Quas figuras omnes paucis exceptis, ex ignorantiâ artis Typographicæ falſas eſſe animadvertit *Martinus Liſter*, in Appendice ad Hiſtoriam Animalium Angliæ, Goëdartio de inſectis in methodum redactô, ſubjuncta. p. 42.

Ibidem annô 1693. p. 437.

Obſervationes circa viventia, quæ in rebus non viventibus reperiuntur, cum Micrographiâ curioſâ, oblatæ Illuſtriſſimô Dno. D. Leoni Strozzæ, excellentiſſimi Ducis Strozzæ filiô à P. Philippô Bonanni, Soc. Jeſu Sacerdote. Romæ, typis D.A. Herculis, 1691. in 4. cum magnô figuris numerô

QUum doctiſſimus vir, *Philippus Bonanni*, S. J. Sacerdos, Recreationem mentis atque oculi, in obſervatione animalium teſtaceorum, cum literatô orbe communicans, priſcorum, præſertìm Ariſtotelis, adſtipulatus fuiſſet ſententiæ, quâ teſtacea ſponte in limô, ſeu arenoſo locô, naſci decernuntur; anſam arripuit neſcio quis illum compellandi, epiſtolâ Bononiæ impreſſa, quæ ſententiam illam mendacem, temerariam, & falſitatis ab experientiâ damnatam eſſe affirmat. Suarum ergò partium eſſe duxit retundere objecta tela, & non ſolum in epiſtola, ſub nomine Godefredi Fulberti Romæ typis vulgata, oſtendere, immeritò Ariſtotelem ejuſque aſſeclas reprehendi, cùm ejus ſententia æquè ſaltem probabilis ſit, ac altera illa recentiorum, quæ à nullô adhuc ſatis evidenter probata; ſed etiam argumentum illud uberiùs perſequi in hôc volumine, quod in tres partes diſtribuit. Prima atque ſecundâ Dialogi formam referunt, habiti inter Bemarcum Ariſtotelis ſtrenuum hyperaſpiſten, Rufum, qui Ariſtotelica placita faſtidiens, eorum cognitione delectatur, quæ ſenſibus propriis clariſſimè percipiuntur, & Fulbertum, qui nullius jurans in verba maximam curam veritatis habet; loca verò auctorum, qui vel notantur, vel citantur tanquàm teſtes, in margine libri allegata habentur. Ultima Micrographiâ curioſâ cõprehendit, cui non exiguum addditamentum Auctor promittit.

Primâ ergò *in parte*, antequam ſpontaneam generationem exemplis confirmet Cl. Auctor, diſquirit, utrùm veterum effata nos doceant omnia ex ovô produci, aut ex Scripturæ Sacræ oraculis omnem generationẽ univocâ eſſe probari poſſit: oſtenditque ſpontaneã generationem non ab *Ariſtotele* ſolũ, ſed *Harveô* quoque aſſertã fuiſſe, quẽ ſecùs ſentientes fruſtrà in ſuas partes pertrahere laborẽt; quippe cùm ipſe *ovum* vocet, quod Ariſtotelicis materia ad generationem diſpoſita dicitur, ſive hæc ex aliis ejuſdem ſpeciei viventibus proceſſerit, ſive aliundè advenerit. Nè igitur ambiguitati verborum ullus relinquatur locus, hunc eſſe dicit controverſiæ ſtatum: *Utrùm animalia omnia ex ovo propriè dicto, & ab animante ejuſdem ſpeciei poſito, procreentur, necnè?* Illud verò cùm citra hæſitationem nonnulli affirment, monet, cautè pronunciandas eſſe propoſitiones univerſales, cùm difficillimè probari poſſint; experimentis ad quæ ipſi provocant, ſolis adhibendam non eſſe fidem, ſed monumenta quoque veterum conſulenda, nec aliorum ſolertiam aut fidem, qui ſe quoque experimentis muniunt, vocandam in dubium; multò autèm minùs ex inductione particulari univerſale ſtatim aſſertum eſſe deducendum, quia rerum generatio cognitû eſt difficillima, natura non eôdem ſemper modô operatur, multæque ſunt cauſæ, quæ experimenta reddere poſſunt incerta. Quapropter licèt multa ex ovô naſcantur animantia, hinc tamen ait effici non poſſe, nulla ſpontaneô generari ortû, præſertim cùm vegetabilia quoque non omnia aut ſemper ex ovô ducant originem; id quod ex generatione ſpontaneâ viſci, vegetatione diverſorum muſcorum, inexpectatâ generatione Tithymali Myrſinitis ex ramuſculô, qui in terram immiſſus jam emarcuerat, lentium paluſtrium copioſa ſobole, fungis & tuberibus ex fruſtulis plantarum ejuſdem ſpeciei pullulantibus, variiſque tandèm ſitûs aut mucoris ſpeciebus plantulas referentibus, confirmare nititur. Porrò provocat ad experimenta, quibus cognitum fuit, vermes ſponte naſci in gallis quercuum & fagorum, floribus hyacinthi contuſis & putrefactis, carnibus viperarum, fungiſque putrefactis, qui planè ſunt alterius ſpeciei ab illis, qui in fungis recentibus exoriuntur. Quoniam verò ab illis, qui ſpontaneam generationem impugnant, excipi ſolet, quòd gallæ ſint morboſæ excreſcentiæ ex humore à muſcis infusô ortæ, vermeſque in illis pariter atque reliquis commemoratis rebus ex ovis prodierint muſcarum eò reconditis, ùt vermiculi tanquam in nidô convenniens in promptû haberent alimentum, quodque putreſcentia corpora ſollicitè à muſcis defenſa nullos vermes parturiant; negat Bonannus, probatum adhùc eſſe, gallas eſſe morboſas, excreſcentias aut tumores, cùm figuram habeant omnes ſatis regularem, ſingularique natura utatur artificiô informandô nucleô, qui vermiculum complectitur, quemque Auctor graphicè deſcribit. Optat quoque, ùt curioſus aliquis naturæ indagator, quercûs aut fagi ramos, ex quibus gemmula nondùm erupit, in capaces phialas immittat, atque itâ hanc de gallis litem experimentô dirimat. Vermiculum verò gallarum ex muſcarum ovò non prodire, hinc concludit, quòd nec optimis microſcopiis armatô oculô ulla in gallis ovula adparent, & unicum ſolùm animal ſingulis in gallis gignitur, cùm tamen muſcæ multa ſimul ovula excernere ſoleant fœcunda. Gratis porrò dici ait, muſcas in verminantibus rebus ovula depoſuiſſe, ùt pulli excluſi commodum invenirent pabulum; cùm muſcis idem accidat, quod reliquis oviparis, ùt in eô lôcô ponant ova, in

in quô verſantur, quandò tempus pariendi illas urget, ac proindè nonnunquam vermes ex muſcarum ovis in floribus putreſcentibus orti defectû alimenti emoriantur, cùmque vermes à ranunculi floribus à muſcis defenſis nati fuerint, qui non abierint in aurelias ſed omnes ſint mortui. Quòd autem nonnullis ſpontanearum generationum experimenta non ſucceſſerint, mirum non eſſe dicit, cùm nec univocæ generationes æquè feliciter ſemper procedant, & nonnulli prohibuerint liberum aeri acceſſum, qui tamen ad viventium procreationem quàm maximè requiritur, aliis verò impedimentum objecerint temperies aeris non ſatis commoda, locus & tempus non opportunum, aut particularum activarum in materiâ adſumtâ defectus. Pluries enim ſe obſervaſſe teſtatur, eandem ob rationem nullum ampliùs animal gigni in multis rebus putrefactis, poſt primam vermium generationem ſpontaneam, qui ſi à muſcis fuiſſent proſeminati, acceſſiſſent utique deinceps quoque aliæ vel ejuſdem vel diverſi generis muſcæ alimentum capientes, termiteſque ſuos vel ova ibi reliquiſſent. Quemadmodùm autem plantæ multiplici modô germinant, vel è ſemine, vel ex particulâ radicis, vel ex ſurculô ſeu ramorum fragmentô: ità naturæ nequaquam adverſari putat, ùt animalia nonnulla, V. G. oſtreæ & balani, ſponte, alia ex ſemine procreentur, quædam verò modò ſponte, modò ex ſemine, ut mures, ſcopii, anguillæ, generentur. Cæterùm manifeſtum ſatis eſſe diſcrimen dicit inter vermes ſponte natos, & ex ovis muſcarum excluſos: hos enim in ſuperficie lutulentâ naſci ex ovis in eâ hærentibus, illos intra coënoſam florum congeriem, in fibris putridæ carnis, & penitioribus rei marceſcentis & remotiſſimis partibus produci: hos vix generatos ut plurimùm abire, illos nidum ſuum amare, ex eòque extractos hos repetere illum celerrimè: hos deniquè ut plurimùm ſucceſſivè excludi & augeri cortice relictô, illos verò repentinô quodam naturæ effluviô ſimul formari. Ea verò quæ jam ſunt commemorata ùt confirmet, plurima profert ſpontaneæ generationis exempla, vermium ſcilicet natorum in frugibus ob nebulas, in cochleis marinis & terreſtribus, in glutine farinæ triticeæ, in carnibus varii generis, in lacte & caſeo, in ſanguine in acetô, in rore, in braſſicâ, in roremarinô, in medullâ unguium alces, in ovô putrefactô, deniquè ſironum intercutaneorum ac pediculorum, pulicum & cimicum, qui peculiares ſunt cuivis animantium generi, quoſque ex ſordibus & vaporibus ex animalibus expirantibus & corruptis oriri exiſtimat. Cæterùm cùm eruditiſſimus Vir *Fr. Redi*, in Obſervationibus circa animalia viventia, quæ reperiuntur in viventibus, notâſſe Bonannum, quod conchyliis cor & ſanguinem denegaſſet (*vid. Acta Erud. ann.* 1686. *p.* 49.) hic de merô vocabulô inutilem ſibi controverſiam moveri queritur, qui nunquam negarit aliquid cordi & ſanguini analogum in illis deprehendi, ſed quod ille cor vocat, cum Ariſtotele, ventrem nominet ac fibras, ſaniem verò quod ille ſanguinem adpellat, eaſque adpellationes philoſophô non indignas eſſe prolixè oſtendit; viciſſim Redum haud obſcurè perſtringens, quòd in experimentis circa generationem inſectorum plantas, in quibus vermes naſcuntur, præter vitam vegetativam etiam ſenſitivâ gaudere aſſerat, quâ mediante habiles fiant ad ejuſmodi animalia generanda.

Secunda Pars hujus operis ſupplementum quaſi eſt recreationis mentis atque oculi in obſervatione teſtaceorum. Poſtquam enim oblectationem, quâ ex inſpectione conchyliorum afficitur animus, collaudavit, & plurima muſca, quæ illa aſſervant, in iiſque *ſpenerianum* quoque, quod poſt obitum beati poſſeſſoris ad genere pariter atque doctrinâ nobiliſſimum Dominum *de Tſchirnhaus* tranſiit, recenſuit, quadraginta ſeptem icones affert teſtaceorum, nondùm in lucem editas, addita ſingulorum deſcriptione in iiſque aliquot etiam exhibet fideliter, non autem inversè, ut in Recreatione mentis & oculi, delineatas. Cùm enim *Liſterus* eum, qui picturas æri incidit, (id quod ſeipſum feciſſe fatetur Bonannus) ignorantiæ artis typographicæ arguiſſet, errorem hunc ſibi prævisum fuiſſe reſpondet, ſed cùm eô modô delineaſſet, quô ſibi adparebant, nè novum laborem ſuſciperet iterum delineando, eô in ſitû in laminas ſe imagines tranſtuliſſe, cùm conchyliorum venuſtas, circum volutiones & mira partium ſtructura æquali cum delectatione oculis uſurpentur, quôcunque in ſitû collocentur. Ex illis delineationem afferemus teſtacei anonymi ex Amboina inſulâ allati, quòd à nullò Autore expreſſum invenit Bonannus, ſolòque in prædiviti ſereniſſimi Magni Ducis Etruriæ muſeô aſſervatur. Radicem ſuâ formâ exprimit rotundam, & inflexam, ac ubiquè ferè lævigatum totum albeſcit. In inferiore parte ſiphunculi inſtar prominet ejus pars, in cujus extremitate foramen eſt; ſuperior verò ità intumeſcit, ùt tholus aſper illi ſuperimpoſitus videatur, qui multis anguſtis foraminulis inſtar cribri gaudet. Ultimô locô, *num teſtacea dentes habeant & oculos*, diſquirit, & teſtacea, quæ ſub undis generantur, & vivunt edentula eſſe docet. Ad oculos autem quod attinet, quamvis teſta intecta omnia iiſdem carere olìm cum Ariſtotele pronunciarit, ſententiam tamen illam mutavit, poſtquàm in echinophora, non quidèm in acumine cornuum, ſed propè baſin, punctula duo nigricantia & pellucida obſervavit, & ſub membranulâ vidit in latere globulum minimæ molis velut è vitrô compactum, qui humoris cryſtallini locô erat; quos oculos *Fabium Columnam* in purpurâ jam olìm obſervâſſe deincèps comperit. Nihilominùs tamen pleraque teſtacea oculis carere aſſerit, & nigra puncta in cornibus cochlearum conſpicua non eſſe oculos, cùm careant humore cryſtallinô, cochleæque non retrahant cornua, antequàm tangantur à bacillô objectô, ſed, licèt abſcindas extrema illa, ea tamen emittant ad viam pertentandam.

Tertia in parte, quæ Micrographiæ curioſæ gerit titulum, enumerantur primùm, qui micographicis inclaruerunt ſcriptis, vel microſcopia peritâ manû aut confecerunt aut deſcripſerunt, proponiturque machina, in quâ rotatione cylindri dentati curſor, cui adaptatum microſcopium, paulatim ſinè tremore promovetur, objectum verò perluſtrandum à lumine lampadis per duas lentes vitreas tranſmiſſo æqualiter colluſtratur, eum ſcilicet in finem, ùt commodè delineari poſſit. Deindè Cl. Auctor agit de ratione conficiendi perfectiſſimè lentes parvæ ſphæræ, & tria documenta profert ad illas feliciter obtinendas, ſed ænigmatum tecta involucrô facilè ſolvendorum, ſi retrogradô legantur ordine. Tandèm deſcribuntur res minimæ microſcopii ope clariſſimè recognitæ & perluſtratæ: culex, papilio, muſca, pediculus, pulex, cimex; aculei, ſpinæ, dentes & ungues acuminati, florum recrementa, ſanguis & lac, vermiculi aceti, ſquamæ piſcium &c. variaque ſcitû non injuncunda proferuntur in lucem. Deprehendit enim, ùt pauca ex multis depromamus, *culicis* formam differre in nonnullis ab Hoockianâ & Swammerdammianâ deſcriptione, & dum *papilionum alas* cinere aut pulvere leviſſimô conſperſas inſpexit accuratiùs, animad-

animadvertit pennas eſſe, variæ figuræ pro papilionum varietate, quæ pulvis nobis videntur, eaſque membranulam inter nervulos extenſam, contegere exceptis illis locis, ex quibus excuſſæ fuerunt, & ubi inſertiones illarum, manifeſtè cerni poſſunt. *Roſtri* porrò *papilionis* bifidi mirificam deſcribit ſtructuram, quæ ità comparata eſt, ùt ope illius beſtiola celerrimè pariter ac copioſè nutrimentum haurire poſſit. Habet enim extrema proboſcidis pars quamplurimas appendices perforatas, quibus adnectuntur papillæ, quas flori adplicat papilio, ùt rorem exugat, quô deindè tota fiſtula repletur, fortè poſtquàm in tuberculis illis, tanquam totidèm receptaculis, ejus aliqua facta fuit præparatio. *Muſcas* non ſolùm *unguibus* lævibus & nigris, (non piloſis, ut Cl. *Hookius* retulit) corporibus adhæreſcere perhibet, ſed, cùm opus eſt, beneficiô quoque humoris glutinoſi, qui ex pulvillis pedum compreſſis tanquàm ſudor emanat, & in lanugine ipſorum detinetur. In *muſcarum oculis* deſcribendis tàm *à Joh. Bapt. Hodiernâ*, qui de oculô muſcæ Panormi ann. 1644. tractatum edidit, quam ab *Hookio* diſcedit, afferens corneam muſcarum non in quadratam, ſed in arcas hexagonas eſſe diviſam, in quarum ſingulis cornea pellucida protuberat, globuli particulam ſimulans, ſpatiis intermediis triangularibus obſcuratis. Tradit quoque deſcriptionem *aculei pulicis*, & icones *Hookii*, *Tortoni*, & *Griendelii* affert, ùt cum ſuâ conferri poſſint. *Viperarum dentes* non canalium inſtar uſque ad extremum apicem perforatos eſſe, ſed gaudere cavitate, quæ circa medium dentis definit, contra Redum diſputat, adverſus Hookium verò, *ſpinas urticarum* non eſſe fiſtuloſas, ùt ex illis noxius humor in vulnus ab eis inflictum poſſit emanare.

BONAVENTURA (*Fredericus*) Urbinas.

Ex eô habentur

De Natura Partûs Octimeſtris, adverſus vulgatam opinionem, Libri decem. In quibus abſolutiſſima, de humani Partûs naturâ, cognitio traditur. Francof. 1601. in fol. Venetiis, 1602. in fol.

Anemologia, ſeu, de Affectibus, ſignis & cauſis ventorum. Urbini, apud Barthol. & Sim. Raguſios, 1594. in 4.

Utrum homo affici rabie poſſit, affectus interire? ex Ariſtotelis ſententiâ. Extat cum Opuſculis editis. Urbini, apud Marc. Anton. Mazzantinum, 1627. in 4.

BONETUS; Chirurgus Pariſienſis, invenit modum *Lithotomiam* aggrediendi, quem hodiè *Franconicum* adpellare placet, quem deſcribit *Rouſſetus* de part. Cæſar. ſect. 3. Cap. 6. & 7. & Hildanus Cap. 17. Ipſe tamen *Francus* nemini modum illum tanquam imitabilem commendat, multò minùs obtrudit, quia ipſemet ſemel tantùm & quidèm, ſicuti ſponte fateri non erubeſcit, ſatis ſtolidè, licèt, quod caſui & fortunæ fortè tribuendum, feliciter eandem adminiſtravit. Operandi verò ratio in ſequentibus conſiſtit circumſtantiis: Poſitô nempe caſû, calculum exiſtere majorem, ùt ad cervicem veſicæ detrudi nequeat, partim digitorum in anum immiſſione partìm hypogaſtrii compreſſione, calculus verſus alterutrum inguen compellitur; ùt extrinſecùs manifeſtè compareat; Deindè integumenta abdominis in inguine unà cùm veſicâ ad Calculum uſque inciduntur, quem demùm alter miniſtrorum tenaculô adprehenſum extrahit. Cùm verò veſicæ fundus propter fibrarum carnoſo-muſculoſarum paucitatem vel defectum difficulter coaleſcat, adparet ſtatim, hanc operandi rationem non eſſe imitabilem. Licèt autem, uti res ipſa loquitur, in praxi non ſuccedat: Omnis tamen impoſturæ & fraudulentæ deceptionis expers eſt; Cujus tamen vitii necnon temerariæ ſectionis reum ſeſe fecit *Jacobus Beaulieu*, Monachus & Frater tertii ordinis S. Franciſci qui Lutetiæ Pariſiorum annô 1697. innotuit, & cujus hiſtoriam non ſolùm *D. Dionis* in *Curſû* ſuo, quem vocat, *Chirurgicô*, verùm etiam Acta Eruditorum Lipſienſia recenſent hôc modô: *Jacobus Beaulieu* poſtquam *Veſontione*, ubi in Xenodochiô *à la Charitè* appellatô ordinariè degebat, non minùs ac in aliis Regni Franciæ locis calculi veſicæ ſectionem, uti rumor tunc temporis ferebat, ſatis feliciter adminiſtraverat, tandèm Pariſiis etiam quædam tentavit operationis ſuæ ſpecimina, & tantâ quidem dexteritate atque promptitudine, ùt vulgi ad plauſum mox conſequeretur, & à pleriſque pro Lithotomô inuſitatæ experientiæ & peritiæ haberetur. Poſtquàm verò hic rumor etiam Academiæ ſcientiarum Regiæ innotuit, Præſes ejuſdem examen noui hujus Lithotomi concredidit *Johann. Mery*, B. Reginæ Chirurgô & Regiæ ſcientiarum Academiæ Anatomico, qui viſâ & obſervatâ in Noſocomio *L'Hotel Dieu* dictô, primâ ejus ſectione in cadavere virili factâ, in cujus veſicam ſtudiô calculum intruſerant, non dubitavit, in reſponſione Præſidi tranſmiſſâ fateri, eſſe hanc fratris *Jacobi* operationem conſuetæ aliorum lithotomorum omninò præferendam, quippè quam abſque ullâ muſculorum virgæ læſione & ſine inciſione vaſis cujuſdam majoris ſequenti ratione inſtituiſſet: Immiſſô in veſicam cathetere exâctè rotundô non ſulcatô, & ſic utiquè differente ab illô, quô aliàs utuntur, qui modô hactenùs conſuetô calculum ſecare ſolent, arripuit ſcalpellum ſimile illis, quibus utimur ordinariè, longius tamen quo ipsô inciſionem fecit circa latus ſiniſtrum atque internum protuberantiæ oſſis Iſchii, & progrediens indè obliquè verſùs ſuperiora, diſſecuit omne id, quod occurrit à dictâ protuberantiâ uſque ad catheterem ſuum, quem hactenùs firmatum retinuit. Factâ ſic inciſione intruſit in vulnus veſicæ digitum ad calculum explorandum atque detectô ejus ſitû immiſit in veſicam peculiare inſtrumentum ad dilatationem vulneris & exitum calculi faciliorem adaptatum. Supra hocce inſtrumentum intruſit in veſicam forcipem oblongam, & repertô tandèm calculô retraxit catheterem ſuum ex urethrâ ſimulque forcipem in veſicæ calculô per patentem vulneris viam, id quod ſingulari præſtitit promptitudine, licèt calculus ovi ferè gallinacei magnitudinem exæquaret. Abſolutâ ſic ſectione, inquirens *D. Mery*, in partes illas, quas novus hic Lithotomus penetraverat, obſervavit, adplicuiſſe eundem ſuum ſcalpellum inter muſculum erectorem & acceleratorem ſiniſtrum abſque eorundem læſione, ac tandèm diſſecuiſſe collum veſicæ per totam ſuam longitudinem à latere, ſimulque corpus veſicæ ipſum ad menſuram pollicis dimidii. Cùm verò poſthæc *D. Mery* non ſolùm alterâ vice operationem putatitii hujus *Lithotomi* in Noſocomiô *L'Hotel Dieu* examinâſſet, quam in fœminæ & infantis corpore inſtituerat; ſed etiam annô 1698. inquiſiviſſet in partes læſas tredecim ſubjectorum à *Fratre Jacobo* infeliciter ſectorum, planè aliter de ipſô ſentire coëpit, atque obſervavit, eundem rei Anatomicæ penitùs ignarum & inconſideratè audacem in hôc ſubjectô perforâſſe inteſtinum rectum, in illô ſeparâſſe urethram & virgam à veſicæ collô, in aliis corpus veſicæ perforâſſe modò per exploratorium, modò per ſcalpellum, in aliis lacerâſſe


Ex
morte vita
THEOPHILVS BONETVS · D:M:
SERENISSIMI PRINCIPIS HENRICI AB AVRELIA
LONGAVILLÆ DVCIS MEDICVS æt: 59: an: 1679

laceráſſe vaſa hypogaſtrica cum venis, arterias itidem atque nervos, iterùmque in aliis muſculos virgæ cum elevatore ani ſiniſtrô diſſecuiſſe; in fœminis verò & puellis vaginam uteri hinc inde perforáſſe, per operationem autem adparatûs minoris, ferè ſemper contuſionem excitáſſe lethalem, factâ ineptâ & violentâ veſicæ atque inteſtini recti compreſſione. Quamvìs igitùr, uti ex hactenùs dictis abundè liquet, hic operandi modus *Fratris Jacobi* multa funeſta habeat conſectaria & non ſolùm ſeparatio colli veſicæ ab urethrâ ſit effectus ordinarius hujus operationis, inſupèr incontinentia urinæ & fiſtulæ ſuperſtitis ſint ſymptomata ordinaria eaque inſupèr planè incurabilia, ſed etiam ipſa inſtrumenta ipſi ſolemnia ſint inepta & periculoſa: ſiquidem ex ſexaginta ægris *à Jacobô* ſectis viginti quinque illis, qui ſuperſtites poſt operationem manſerunt, non plures quàm tredecim perfectè reſtituti ſunt, reliqui verò omnes in Noſocomiô ægrotantes & vel incontinentiâ urinæ vel fiſtulâ laborantes remanſerunt. Nihilominùs tamen *D. Dionis* omni ex parte hanc *Jacobi* methodum improbare non audet, ſed aliquas ubiquè ex illâ utilitates hauriri poſſe perſuaſus eſt, dummodò operator ſufficienti inſtructus ſit notitiâ Anatomicâ & inſuper peritâ dexteritate gubernandi ac dirigendi inſtrumenta, atque ità funeſta conſectaria evitandi, quæ *Fratri Jacobô* hiſce ſubſidiis deſtituto evenerunt. Ipſemet quoque *Johannes Mery*, cui examen Monachi hujus, qui pro lithotomô ſe ſe obſtrudebat, traditum fuerat, omni ex parte operandi iſtam rationem improbare non auſus eſt. Intereà hic *Johannes Mery*, B. Reginæ Galliarum Chirurgus, Regiæque ſcientiarum Academiæ Anatomicus, viſô ſimiliter & obſervatô infelici ſucceſſû lithotomiæ à *Fratre Jacobô Beaulieu* inſtitutæ, edidit non ſolùm obſervationes de modô ſecandi & extrahendi calculum in utrôque ſexû, proùt adminiſtrari ſolet à Fratre Jacobô, ſed & anſam indè arripuit novam methodum ſubminiſtrandi, illamque ſectionem adornandi. Conſiſtit autem novus ille modus in ſequentibus circumſtantiis prout in Actis Eruditorum Lipſienſibus jam excerptæ leguntur hiſce propemodùm verbis: Ægrô ligatô, & in ſitû ordinariô collocatô, immittendus ſtatim manû dextrâ in veſicam eſt catheter ſulcatus, deindè manû ſiniſtrâ idem inclinandus quoad extremitatem in manû detentam versùs regionem inguinalem dextram: ùt curvatura ejuſdem applicari queat versùs latus internum oſſis pubis ſiniſtri, ità ùt ſulcata catheteris pars lateraliter conſpiciatur: Poſteà, aſſumtô in manum dextram ſcalpellô incurvatô, tres vel quatuor pollices longô, trium linearum circiter latitudine in parte convexâ acie inſtructô, atque in extremitate ad pollicis longitudinem aculeato, recta immittendum id ipſum in partem catheteris ſulcatam, directam versùs angulum illum, quem oſſa pubis per unionem ſuam efformant, pars aculeata autem ſcalpelli uſque in veſicæ collum adigenda, & firmatô benè apice in catheteris ſulcô, inclinanda manus ad faciendam inciſionem, deſcendendo à collô veſicæ per latus internum oſſis pubis uſque ad protuberantiam oſſis iſchii. Factâ hôc modô inciſione intrudendus in veſicam conductor vel forceps, uti aliàs etiam fieri ſolet. Atque ſi hôc modô procedatur, abtineri poſſe exiſtimat Autor eandem extrahendi calculum facilitatem, quæ in Operatione *Jacobi Beaulieu* laudanda eſt, abſque ullô periculô atrociorum ſymptomatum quæ illam comitari ſolent. Poterunt etiam eôdem hôc modô præcaveri pleráque ſymptomata, in ſectione calculi ordinariâ metuendâ, ſiquidem urethra diſſecetur ad collum veſicæ uſquè, ſine læſione muſculorum virgæ, ſcrotô interim penitùs illæsô permanente, cujus alioquin læſio ferè ſemper hæmorrhagiis & gangrænæ eſt abnoxia. Abſolutâ verô operatione ægrum dextro lateri incumbere jubet, ùt ſcil. mediante hôc ſitû urina faciliùs viam invenire per urethram queat. Neque negligendam ligaturam conſuetam femorum ad genua ſuadet. *Gœlicke Hiſt. Chirurg.* p. 193.

BONETUS (*Theophilus*) multiplicibus ac doctiſſimis ſuis libris, Literatorum omnium applauſum, magnamque ſui exiſtimationem, meritus. Natus eſt Genevæ die Martii V. ann. 1620. Avum habuit *Petrum Bonetum* ann. 1525. in Provinciâ natum, ſed origine Romanum, undè, propter Religionem ejus Parentes ſe ſe in Galliam tranſtulerunt. Boneti *Familiam*, nobili ac antiquâ origine eſſe ortam, non ſolum ex ſcriptis, verum etiam ex monumentis patet. Inter alia recenſebimus Marmoreum Tumulum Ludovico Boneto S. R. E. Cardinali Arimini ann. 1413. à Gentilibus ejus erectum, in quo legitur dictum Ludovicum Inclyta progenie eſſe conſpicuum, ab Innocentio VII. Neapolim Legatum ad Ladiſlaum Regem miſſum, ac à Gregorio XII. ann. 1406. Legatione obita, Purpuratorum Patrum collegio cooptatum fuiſſe, ut fuſiùs in Ciaconio videtur. Tanti nominis hic erat Petrus, ut Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux, illum ſibi elegerit Archiatrum. Quam tamen dignitatem poſt aliquot annos, ejuſce Curiæ pertæſus, abdicavit, veniam Lugdunum diſcedendi magna contentione efflagitans, quod ipſi non ſine mœrore à Duce, eum opipare munerante, conceſſum fuit.

Lugduni unicus illi filius natus eſt *Andreas* ann. 1556. itidem Medicus, qui ex primo matrimonio, cùm filias tantùm acquiſiviſſet, mortua uxore Genevam conceſſit, ubi praxim feliciſſimam exercens, longè latéque advocari promeruit, ut è Principum etiam Epiſtolis, apud Nepotes exiſtentibus, patet. Ibi ad ſecundas Nuptias, undè nati ſunt duo filii, Johannes & Theophilus, eaſque nobiliſſimas convolavit. Uxorem ſibi junxit *Margaritam Pinelli*, Antonii Pinelli Borzoni filiam, ex veteri ac illuſtri Pinellorum Familia, quæ in Republicâ Genuenſi Publici Regiminis habenas moderata eſt, ac hodiédum moderatur. Pinellorum Familia, per ſè jam inclyta, clarorum virorum ferax, affinitatem inivit cum Spinolis, Savellis, Urſinis, Saburranis, Carfaciolis, ac pluribus aliis nobilibus ac magni nominis Familiis, quarum hæ in Negotiis magni ponderis agendis, illæ in Bello, aliæ in Litteris, vel in Eccleſia primas partes tenuerunt.

Johannes Genevæ ann. 1615. natus, lauream medicam anno 1635. adeptus. Uxorem duxit nobiliſſimam *Annam Du Port*, filiam Jacobi Du Port, Domini in *Mouillepie*, *Boiſmaſſon* &c. in quô matrimonio plures ſuſcepit Liberos, utriuſque ſexus, inter quos recenſeri debent *Andreas & Joh. Antonius*, ambo Medici celeberrimi. Ex Antonio unicus ſupereſt totius ex ea parte illuſtris Familiæ ſurculus, *Jacobus Andreas* Bonetus, Medicinæ & Jurium Doctor, magna cum laude ac applauſu Artem Jatricam Genevæ jam exercens. Avus autem hujus, videlicet *Johannes*, tanti fuit apud concives ac exteros nominis, ùt vitam ambulatoriam ducere coactus fuerit: Undè etiam Aureliæ & Pariſiis annô 1668. per plures menſes commoratus, à præclariſſimô & vaſtiſſimæ eruditionis virô Guidone Patinô, Pariſiis Profeſſore Regiô, elogiorum quamvis minimè prodigo, in ſuis ad Carolum Spo-

nium, Medicum Lugdunenſem, Epiſtolis, non mediocriter celebratus fuit, ut & ab aliis ejuſdem Urbis Primariis Medicis. In Patriam inde redux, poſt viginti circiter annorum labores, magnô ægrorum omnium emolumentô feliciſſimè undique ſuſceptos, obiit vir eximius ann. 1688. Ætat. LXXIII. De Catarrhis opus prope paratum habebat, cùm vaſtiſſimum ſuum in eôdem argumentô provulgavit Schneiderus; hincque à propoſito deſtitit noſter.

Theophilus, alter Andreæ *Boneti* filius, de quô hic propriè agitur, natus eſt 5. Martii ann. 1620. & Doctoratum in Medicina ſibi comparavit ann. 1643. poſtquam plures Academias è celeberrimis inviſiſſet, & permagnos in arte, ac omnis Literaturæ genere, progreſſus feciſſet. Unde redux Praxim exercuit apud ſuos & apud exteros honorificentiſſimè. Imò ſcriptis doctiſſimis, in uſum ſagacium Practicorum conſcriptis, Medicorum filios docuit, perpetuoque docebit. Obiit die 29. Martij anni 1689. Vir erat in omni Litteraturâ verſatiſſimus, rerum antiquarum & novarum callentiſſimus, laboris patientiſſimus, ſubacti Judicii, tenaciſſimæ memoriæ, Religionis amans, ac virtutis rigidus ſatelles. Sereniſſimi Principis Henrici ab Aureliâ, Longavillæ Ducis &c. à Conſiliis Medicis. Viduam reliquit *Johannam Spanhemiam*, cariſſimam ſibi conſortem, incomparabilis Friderici Spanhemii, & Charlotæ Du Port, ſororis Annæ ſupradictæ, filiam, & Virorum in orbe Litterato Principum Ezechielis & Friderici Spanhemii ſororem, tanto Parente ac Fratribus verè dignam; mortuam Aprili menſe 1700. Inter ejus Filios ac Filias, qui plures fuere, duos hic recenſebimus, *Fridericum*, natu maximum, qui per annos duodecim apud Reges Magnæ Britanniæ Carolum II. Jacobum II. & Guillielmum III. magnô cùm honore, ſummaque omnium exiſtimatione Electoris Brandenburgici Friderici Guillielmi, & Friderici III. ejus Filii negotia publicè tractavit. Bonarum Literarum cognitione, & præſertim antiquorum nummorum peritiâ nobiliſſimus. Huic ſucceſſit ejus Frater *Ludovicus Fridericus*, Medic. & Juris Civilis Doctor, qui poſtquam per XXIII. annos Oratoris Munere pro Sereniſſ. ac Potentiſſ. Friderico I. & Friderico Guillelmo, Boruſſiæ Regibus, in Aulâ Magnæ Britanniæ functus fuit, conſensû Regiô in Almam Patriam reverſus, Senatoria dignitate an. 1721. ornatus fuit. Dum in Angliâ verſabatur, Nobiles, eruditique Angli, quem ſecuti ſunt Doctores Berolinenſes, eum Societatum ſcientiarum, quæ ſunt Londini ac Berolini, Socium pronunciaverunt, imò & earum quæ tum ad propagandum Evangelium, tum ad promovendam Chriſtianam Doctrinam in Angliâ inſtitutæ ſunt. Rex vero Boruſſiæ noſtrum Ludov. Frideric. non ſolum Legatum ſuum ordinarium Reſidentem in Angliâ, Conſiliarium ſuum Intimum, ac Ordinis Generoſitatis Equitem declaravit; Sed Legatione obitâ, Luſtricum Parentem ſui Filii eſſe voluit, ac Solemni Diplomate Regiô dictum virum, ipſiuſque Libros, Hæredes, omneſque ab eo legitimè deſcendentes utriuſque ſexûs in infinitum uſque in numerum nobilium, Torneariorum, Vaſſaliique Regni Boruſſiæ, & Dignitatis Equeſtris capaces conſcripſit, ipſoſque numerô ac conſortio dictorum Nobilium aggregavit, propter, ut fert Diploma Regium, » grata » obſequia, atque officia utilia, fidelia & inde» feſſa, ab ipſo cum munus Legati noſtri ordi» narii in Angliâ per plurimorum annorum de» curſum gereret, ſumma fide, induſtriâ, pru» dentiâ & fidelitate Nobis & Divo Parenti noſ» tro navata.» Plurimis aliis ſingularis Benevolentiæ & exiſtimationis Regiæ teſtimoniis, in poſterum dictum noſtrum Ludov. Fridericum mactare benignè voluit.

Ex Clariſſ. Theophilo Bonetô ſequentia exſtant Opera.

PHaros Medicorum, id eſt Cautiones, Animadverſiones & Obſervationes Practicæ, ex Operibus Guillielmi Ballonii, Medici Pariſienſis celeberrimi, erutæ, Ordini Practico traditæ, & Libris decem comprehenſæ. Operâ & ſumptibus Theophili Boneti, Sereniſſ. Principis Longavillæ &c. Medici. Genevæ apud Franciſcum Miege, 1668. in 12.

Labyrinthi Medici extricati, ſive Methodus vitandorum errorum, qui in Praxi occurrunt, monſtrantibus Guillielmô Ballonio, & Ludovico Septalio. Operâ Theoph. Boneti &c. Additus eſt ejuſdem Septalii Tractatus de Nævis. Cum Indicibus neceſſariis. Genevæ, ſumptibus Samuelis de Tournes, 1687. 4.

Sepulchretum, ſive Anatomia Practica, ex Cadaveribus morbo denatis, proponens Hiſtorias & Obſervationes omnium penè humani Corporis affectuum, ipſorumque cauſas reconditas revelans. Quo nomine, tam Pathologiæ genuinæ, quàm noſocomiæ orthodoxæ fundatrix: Imò Medicinæ Veteris ac Novæ Promptuarium dici meretur. Cum Indicibus neceſſariis. Opus omnium Medicinæ & Anatomiæ Cultorum, votis hactenus expetitum, ſummoque labore decerptum ac congeſtum. Genevæ, ſumptibus Leonardi Choüet 1679. fol. 2. vol.

Ejuſdem Sepulchreti Editio altera, quam novis Commentariis, & Obſervationibus innumeris illuſtravit, ac tertiâ Parte auctiorem fecit Joh. Jac. Mangetus M. D. & Sereniſſ. ac Potentiſſ. Elector. Brandenburgici Archiater. Lugduni, ſumptibus Cramer & Perachon, 1700. fol. 3. vol.

Additamenta in hac Editione contenta, pleniùs enunciabuntur ſub titulo *Mangetus.*

Hoc Libro, (inquit Celeberrimus Herm. Boerhaave Philoſophiæ & Medicinæ Doctor & Profeſſor Lugd. Batavorum, In ſuâ Methodô diſcendi Medicinam, Londini 1726. editâ p. 452.) carere non poſſumus, nam diligentiâ incomparabili ex omnibus auctoribus, qui Obſervationes ſcripſerant de Cadaveribus poſt mortem apertis (dictus Theoph. Bonetus) optima collegit & redegit ad Capita; ita ut hic Liber Index ſit ingentis Bibliothecæ, & narrationi Hiſtoriarum, quæ in Indice continentur, ſemper præmittat brevem Hiſtoriam Symptomatum, & tum Cadaveris præbeat Hiſtoriam accuratam.

Mercurius Compitalitius, ſive Index Medico-Practicus, per Deciſiones, Cautiones, Animadverſiones, Caſtigationes, & Obſervationes in ſingulis Affectibus præter naturam, & Præſidiis Medicis, Diæteticis, Chirurgicis, & Pharmaceuticis, ex probatiſſimis Practicis, Priſcis & Neotericis depromptas, veram & tutam medendi viam oſtendens. Acceſſit Appendix de Medici Munere. Sumptibus Leonardi Choüet & Socii, 1682. fol.

Opus hoc utilitate & novitate ſua ita ſe Commendat, ut eruditus Anglus Anonymus, M. D. quod in vernaculam ſuam Linguam verteretur & in lucem ederetur Londini annô 1684. verè dignum crediderit, ut ex ſua Præfatione patet, ubi Boneti noſtri Judicium ac ſagacitatem non minùs laudat, quàm concinnum ordinem & delectum materiarum in hoc opere contentarum; ac

ac tandem ut Bibliothecam ſelectam ac compactam, in quâ nucleus & medulla Librorum, à bis mille abhinc annis, circa Praxim Medicinæ editorum, reperitur: Ut & Obſervationes quamplurimæ, numquam typis mandatæ, Celeberrimi Theod. Mayerne, Equitis Aurati, & Anglorum Æſculapii. Luculentum idem teſtimonium de hoc Librô ferunt Acta Eruditorum Lipſienſium, ann. 1682. p. 217. Sic conſcriptum.

Cùm Medica * Praxis circa ſubjecta particularia verſetur, haud ſufficiunt ipſi pro fauſto ſucceſſu Regulæ iſtæ generales, quas methodus medendi conſueto modo tradit, quin circumſtantiarum circâ ægros varietas, intricatæ morborum complicationes, & idioſyncraſiæ cujusvis individui, determinatas magis leges poſtulent. Pro praxi itaque ſpeciali dirigenda melius, tot Cautiones, Animadverſiones & Caſtigationes, à famoſioribus Practicis paſſim notatæ proſtant, non ſecus ac plures iſtæ Obſervationes, Hiſtoriæque Medicæ, & Conſultationes, ut harum omnium ope perficiatur habitus Medici Practicus, & ita per exempla breve & efficax ad artem fiat iter, longiùs quod foret per præcepta. Utraſque amico fœdere jungere placet autori, præſenti in ſcripto, dum laborioſa ex probatiſſimis, priſcis pariter ac neotericis Scriptoribus Practicis collectione, eorundem cautiones & obſervationes in ſingulos morbos diligenter congerere, & concinnó ordine diſponere, & ita nucleum Practicum ex tot ſcriptoribus diligenter excerptum, uno in volumine exhibere ſatagit, ut hoc ipſum in Controverſiis Practicis, caſibuſque dubiis, Mercurialis quaſi ſit ſtatuta, quæ dum in bivio anceps ſtat Medicus, cui viæ inſiſtendum ſit, oſtendat. Opus ipſum Autor in 20. diſtribuit libros, quorum 18. priores morbos particulares quoſvis, ſecundum Alphabeti ſeriem diſpoſitos, complectuntur, ut ita citiùs Lectori in conſpectum veniant, quæ diſquirit. Quibus in Lib. XIX. præſidia Medica Univerſalia, ſecundum tres auxiliorum Medicorum fontes ſubjungit. Appendicis denique loco liber XX. annectitur, circa Medici munus occupatus. Præmittitur his omnibus Index Titulorum & affectuum, prout juxta literarum ſeriem ſe mutuo excipiunt. In calce vero Operis Index Rerum, extra modo dictum ordinem alphabeticum collocatarum adjicitur.

Medicina Septentrionalis Collatitia, ſive Rei Medicæ, nuperis annis, à Medicis Anglis, Germanis & Danis emiſſæ, Sylloge & Syntaxis. Exhibens Obſervationes Medicas, in quibus nova, Abdita, Admirabilia & Monſtroſa exempla adducuntur. Circa ægritudinum Cauſas, Signa, Eventus, Curationes præterea admirandæ proponuntur. Genevæ, ſumptibus Leonardi Chouet & Socii 1684. fol. 2. vol. de quo Libro ſic Acta Eruditorum Lipſienſium ann. 1684. p. 522. & 1686. p. 417.

Quàm egregiè de re Medicâ, tum novis inventis anatomicis, tum experimentis chymicis, morborumque curandorum rationibus, Septentrionis quoque gentes meritæ ſint, ac hodieque mereantur, nemo eſt qui ignoret. Certe viros doctiſſimos, quos vel hoc ſæculo Septentrio genuit, recenſere omnes difficile fuerit, qui indagandis naturæ arcanis ſtrenuam felicemque manum admoverunt, inventorumque ſuorum ac obſervationum participem totum orbem ſtudiis hiſce operantem reddiderunt. Proſtant publicè, præter privatorum erudita opera, quibus ars Medica in Septentrionis regionibus hactenus exculta eſt, *Regiæ in Anglia Societatis Tranſactiones Philoſophicæ, Miſcellanea Academiæ naturæ curioſorum in Germania; Acta Hafnienſia à Celeberrimo Bartholino congeſta ac publicata*; ex quibus palam eſt, quantùm in hiſce regionibus ſaluberrima illa medendi ars, naturaliumque rerum ſcientia paucorum annorum ſpatio profecerit. Quemadmodum vero illa, ſeu à privatis, ſeu ab integris ſocietatibus profecta, ac luci publicæ expoſita ſcripta, magno hactenus uſui fuerunt: ita rem publico gratiſſimam utiliſſimamque ſe facturum exiſtimavit Cl. *Bonetus*, ſi quæ ſparſim in illis nulloque ordine exhibentur, præclariſſimarum rerum obſervationes compilaret, ac certa ſerie diſpoſitas ſuoſque in locos juſtumque ordinem redactas, in unum alterumve volumen cogeret, junctimque ederet. Quod inſtitutum eò alacriùs proſecutus eſt; quia cum applauſu exceptum fuerat non planè abſimilis argumenti opus, quod ſub titulo *Mercurii Compitalitii*, ſeu *Indicis Medico-Practici*, annô 1682. publici juris fecit, menſe Julio illius anni in Actis noſtris pag. 217. memoratum illud item, quod jam annô 1679. ſub Titulo *Sepulchreti*, ſive *Anatomiæ Practicæ ex cadaveribus morbo denatis, publicavit.* Nempe non poteſt non gratum multis accidere, ſi cùm ſcire deſiderant, quæ circa hunc illumve morbum, eorumque cauſas & curationes, à recentioribus obſervata ſunt, uno velut intuitu complecti ea poſſint, labore ac tædio tot volumina alia, in quibus illa perquirenda erant, evolvendi ſublevati. Secutus vero Bonetus in diſponendo ordine methodum Schenckianam eſt, primæque hujus, quæ hoc annô prodiit (altera enim adhuc ſub prælo eſt) partis librô primo ea tradidit, quæ ad capitis; alterô, quæ ad oris, faucium, & thoracis; tertiò, quæ ad infimi ventris affectus pertinent.

Diximus de inſtituto clariſſimi auctoris, utiliſſimo utique ac meritò commendando, in Actis noſtris menſe Novembri 1684. pag. 522. ſeq. cum primam Medicinæ Septentionalis collatitiæ partem recenſeremus. Itaque cùm idem propoſitum alterâ quoque, quam nunc ſiſtimus, parte proſecutus ſit, nihil aliud neceſſe nunc erit innui, quam quæ argumenta complecti ea diligentiſſimus variarum obſervationum medicarum, à Germanis, Anglis, & Danis profectarum, collector voluerit. Nimirum uti in prioris partis libro primo circa capitis, altero circa thoracis, tertio circa abdominis affectus obſervationes rariores exhibuerat: ita in poſteriore hoc tomo quartum Librum mulierum affectibus conſecravit, clariſſimorum virorum de uteri morbis, de menſibus mulieribus & fluore albo, de paſſionibus hiſtericis, de fæcunditate & ſterilitate muliebri, de conceptione vera & falſa, de abortu, de partu difficili & nullo, de puerperiis, fœtibus, mola, mammis & lacte, ſelectis obſervationum. Quinto Librô de omnis generis febribus egit, ephemeris, continuis, hecticis, intermittentibus, malignis; nec non de peſte, variolis, morbillis & affinibus. Sexto libro obſervationes complexus eſt de affectibus externis corporis habitûs, trunci, artuum, de arthritide, tumoribus, vulneribus, ulceribus, fracturis, luxationibus, venenis, antiphatiis variis &c. ſeptimo libro paralipomena exbibet, & priorum librorum ſupplementa, quod & obſervationes quædam primam diligentiam effugiſſent, & dum ſub prælo opus gemeret, prodiiſſent in lucem recentiores. Libro denique octavo reliquam rem medicam ſecundum medicinæ partes digeſtam ita comprehendit, ut Phiſiologica primum, inde ſemejotica, poſtea diætetica, & therapeuticem denique tradat. Adjecta ſub finem eſt appendix, miſcellanea, ſeu quæ ad certum caput reduci commodè non poſſe viſa ſunt, continens.

Polyalthes ſive Theſaurus Medico-Practicus, ex quibuslibet Rei Medicæ Scriptoribus congeſtus: Pathologiam veterem & novam exhibens, una cum Remediis uſû & experientiâ compertis. In quô viri Excellentiſſ. Joh. Jonſtoni Syntagma explicatur. Genevæ ſumptibus Leonardi Chouët & Socii 1694. fol. 3. vol.

Prætermittimus plures alias minoris, quam jam enunciatæ, monumenti Elucubrationes, ac etiam Verſiones ex Gallico in Latinum, aut ex Latino in Gallicum ab eodem clariſſimo Auctore factas. &c.

BONFILIUS (*Onuphrius,*) Poliater Cracovienſis.

De eô exſtat in Ephem. Germ. Cent. vj. Obſervatio 92.

De communi Errore in Febrium Putridarum & Malignarum Medelâ; Nobiliſſimô ac Excellentiſſimô Dominô Chriſtianô de Helwich, Medicinæ Doctori, Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Meritiſſimô Socio.

VAſtus ille tuus in Medico-Phyſicis, Chriſtiane ſemper mihi faventiſſime, Genius, Hiſtoriis Morborum latè per typos extenſus, torpentes adhuc amicos ad Literariæ Reipublicæ propagationem provocare non ceſſat. Hoc ipſe experiebar laudabilis conſuetudinis officium, dùm in Leopoldinâ Academiâ inter Naturæ Curioſos me candidatum promovere obtuliſti; non obſtante rudis ingenii mei notitiâ, quæ doctæ ſocietati impar excuſari contendebam.

Et quidem per annos 30. Medicam Praxim exercens, ſedulâ methodô Naturæ adminiſtrando, quamvis in chronicis morbis oppreſſam ad ſalutarem ſtatum eandem feliciter ſæpiùs reduxerim, attamen in Putridis & Malignis Febribus nullam exactè medelam probabilem conſtituere potui: hinc cum ſincerô Oraculô, Naturam eſſe medicatricem & unicam, præcipuè in his morborum ſpeciebus, acquieſcere debui. Id autem demonſtrabo, ùt videar in ſanandis corporis humani affectionibus, quæ frequentiùs ac periculoſiùs contingunt, nil unquam profeciſſe, undè pro Naturæ ſubſidiô Curioſus inſigniri merear. Naturæ nomine in Phyſicis exprimitur Regula à Deô unicuique materiæ corporeæ ſpeciatim inſita, vel reſpectivè ad invicem diſpoſita mediante motû ordinem dirigente. Quotieſcunque motus in corpore humanô vel imminutus, vel excedens regularem pervertit œconomiam, præternaturalis reſultat indiſpoſitio, quæ dicitur morbus.

In Putridis & Malignis Febribus inordinata liquidorum, & fluidorum exagitatio, ab aliis diſtinguitur, quia non ita ſuccedit ſicuti dùm ab organis circulationis ſimpliciter irritatis ſanguinis curſus concitatur, ut in Cordis Palpitatione; nec ſicuti dùm à ſpiritibus vitalibus per balneum, ebrietatem, inſolentiorem iram, &c. nimiùm rarefactis, ſanguinea maſſa ad inſtar liquoris igne ebullientis efferveſcit, ut n Ephemerâ, & Cauſone; nec ſicuti dùm in unâ, vel pluribus meſenterii glandulis coagulatus chylus acceſſit, cujus aliqua portio cum lymphâ ibidem concurrente ſi diſſolvatur, ipſam ad horas aliquot digeſtam in talem acorem invertit, ùt corrugatis ideò meſenterii fibris, expreſſio violenta ſequatur: hinc talis lympha partim inteſtina versùs, partim ductum thoracicum ſubit, & frigoris paroxyſmum variis ſymptomatibus ſtipatum inducit perſeverantem, quouſque ſanguinis particulæ alkalicæ volatiles inimicum ſaporem temperent, & in ſalſum commutent: id ſine luctâ calorificam ebullitionem inducente fieri nequit, quæ ceſſat vel recrementis per poros cutis expulſis, vel cum urinâ præcipitatis; indè, juxta depravatæ materiæ concurrentis conſtitutionem, &c. copiam, citiùs, vel ſeriùs aciditas fluida exaltatur pro renovandô paroxyſmô ſeu quotidianæ, ſeu tertianæ, ſeu quartanæ Febris: Nec ità ſuccedit, ſicuti dùm lympha externô ut plurimûm frigore retardata in glandulis conglomeratis circa caput, nares, collum, fauces, laryngem, &c. ibidemque aliquantulum aceſſens, ac indè ſanguini commiſta Catarrhalem Febrim inducit; nec ſicuti, dùm humor in aliquô tumore putreſcens corruptum acidum ſanguini circulanti communicat, & muſculares illas fibras cum venis, & arteriis ibidem ſparſis diſſolvendo, fluidorum corpus febriliter exagitat.

Sed aliter in prædictis Febribus Putridis, & Malignis res agitur, ubi ſanguineæ maſſæ efferveſcentia præternaturalis ab inteſtinô tumultû componentium inter ſe repugnantium immediatè exoritur, nec turbata agitatio ſemel incepta ceſſat, donec continuato quatuordecim, ut plurimùm, dierum concursû, amicæ particulæ ſucceſſivè ad invicem ſe ſe amplectantur (hæc eſt concoctio) & illas, quæ placidas commiſtioni repugnant correctas tandem ſubjugent, & faciles reddant ſegregationi per corporis cribra magis diſpoſita.

Feliciter hoc ſequitur, quandò ætherea mobilior materia, ſeu ſpirituoſa, uti primùm Naturæ inſtrumentum, officiô ſuô totaliter non deſtituitur; ſed ſi colluctatio in dies magis confera irreparabiliter pervertatur, tunc Natura lethaliter ſuccumbit.

In hujuſmodi Febribus ordinata ſanguinis fermentatio depravatur vel ob ſpiritus immediatè alteratos, ex occaſione graviorum animi pathematum, vel ob aërem impurum inſpiratum, & ſanguineæ temperaturæ non conferentem, vel ob ſuppreſſas conſuetas recrementorum ſecretiones, & excretiones, vel ob aliquid incorruptum, & ordinatæ humorum miſtioni inimicum in venas, & arterias ſubintrans, quod totaliter cum integrâ maſſâ confundatur, ùt ab iſtâ corrigi, nec ſegregari de facili poſſit: hinc fit, exoticum hoſtem non ſolùm conſtitutiva ſanguinis principia ab amicâ ipſorum compoſitione diſſolvendo violentum fœdus cum particulis ad tumultuandum magis diſpoſitis conjungere, ſed etiam pro turbâ fovendâ, repetitis ſuppetiis (quod perſæpè intervenit) per colluviem in ventre inferiori ſtabulantem ſubminiſtratis, periodicum paroxyſmum cum continuâ ſeditione confundere.

Non meum eſt hìc, Chriſtiane, te multis curis, & ſtudiis occupatum in theoricis explicationibus ſymptomatum diù detinere, cùm tu potiùs me docere poſſis: ſed ùt propoſitum ſcopum de inutili harum Febrium medelâ attingam, morbum in quatuor tempora, juxta Methodicos, dividam; id eſt in principium, augmentum, ſtatum, & declinationem.

Si cathartica, ſive emetica medicamenta in Acutorum principiis indicari accidat, cum præcautione adminiſtrandum eſſe docet Hipp. Aphor. 22. & 24. ſect. 1. atque 10. ſect. 4. id eſt tantummodò, dùm urgeat materiæ excrementitiæ turgentia, quæ inani excretionis ſtimulô, ac intolerabili anxietate hìnc indè vehementer agitatur: hoc tamen cùm rarò accidat, ideò morbifica materia, quæ cruda tunc exiſtit, nè moveatur, admonet.

Et quidem dùm peccans aliquid humoris cum totâ ſanguinis maſsâ minutum permiſtum efferveſcit,

cit, ſi per medicamenta, quamvìs lenientia provitetur, vehementiùs exagitabitur; id verò indifferenter ſubtrahetur quod circa primas vias procliviùs, & forſan minùs nocuum deprehenditur.

Negare tamen nequeo, excretiones ab aliô medicamentô craſſiores, ab aliô ſeroſiores, mitiùs, vel fortiùs promoveri; ſed non concedam inſitam ipſis eſſe, ut ità dicam, mentem, quæ miſti particulas has ſeligere, has repuere ſciat. Cruda itaquè excreta talia, qualia ex particulis tam puris, quàm impuris, ſimul intrò confuſis ſubſiſtebant, integra aſportantur, quamvìs à medicamentô alterata, non autem talia, qualia purgari oportet, juxta Hipp. Aphor. 25. ſect. 1. dùm poſt debitam concoctionem impuritates naturaliter ſubſidentes, & circa abdominis cola depoſitæ ad erumpendum faciles ultrò ſe præbent.

In hujus veritatis confirmationem diſſimulari non poteſt vomitum & diarrhœam Acutas Febres ſæpè à principiô ſymptomaticè concomitari: Tunc conatus hujuſmodi irriti, immò damnoſi reperiuntur. Cur ergò purgationes, quæ ſimili tempore morbi coguntur ab arte, minoris detrimenti reputari debent? Iſtæ adhùc pejores ideò repudiantur, quia remedium evacuans aliquali malignitate non caret; perturbat ſtomachi fermenta, inteſtinorum actiones ſubvertit, ſitìm inducit, vires imminuit; quæ damna cùm ſatìs febricitantes vexent, eò magis hôc medendi abuſû exaſperantur. Hìnc meritò Valeriola ſcripſit, quòd *omnia medicamenta malè adminiſtrata ſint venena.*

Ab his itaque Febribus Acutis, præter materiæ turgentis neceſſitatem, quomodocunque purgantia relegentur. Pro aliquâ cruditate, quæ in primis viis perſiſtat abſumendâ, ſatisfacit abſtinentia à craſſô cibbô, quem ægroti abominari ſolent. Interim ſordes ad inteſtina præter lapſæ ſufficienter abluantur enematibus per totum morbi curſum repetendis. In caſû autem, quòd copioſâ phlegmatis ſaburrâ ſtomachus gravetur, nè præcordiorum anxietates ex hâc augeantur, emeticum lene, ſicuti eſt Radicis Hippoacannæ infuſio, tunc à principiô, fiduciâ levaminis, tutò exhibeantur.

Tuam, Prudentiſſimè Helwich, cautelam in rarò & placidè exhibendis purgantibus ità ſum admiratus, ùt quin mecum convenias, non dubitem. In hôc igitùr diutiùs non te detinebô, nam ad refrenandum morbum, qui majori ferociâ in dies augetur, accurrere debeo.

Et quoniam ad ſanguinis effervеſcentiam nimiam compeſcendam in morbi augmentô potior intentio dirigitur, an venam tunc ſecare conveniat, nec nè, quàm maximè diſputatur. Longum nimis eſſet utrinque rationes repetere; ſatiùs eſt experientiæ deciſionem committere.

Diuturnâ praxi obſervavi, infirmos indifferenter alios ſanari, alios perire tàm admiſsâ, quàm omiſsâ venæſectione; ità ùt quamvis ob morbi violentiam mori contingat, phlebotomiæ occaſio in Medicorum Calumniam ſæpè ſæpiùs aſſurgit, qui ex utraque parte infelicis eventûs querelam evitare non poſſunt; dùm verò ſalutaris ſuperveniat criſis, tunc ab illis qui contrariam ſententiam tuentur, temperamento robuſto ac ſolius Naturæ tribuatur.

Quòd meliùs ſit anceps, quàm nullum experiri remedium, aſſentior in deſperatis caſibus, ubi hoc axioma prævalet, non quandò cum dubiô morbô luctatur Natura, quæ ſine ullô adminiculô viribus propriis ſuffulta facilior eſt ad munus ſuum explendum, quàm ſi per venæ inciſionem viribus diminutis irreparabile damnum ipſi inferatur. Certi enim ſumus, ſanguinem exhauſtum non eſſe pejoris notæ reſiduô in venis relictô. Agnoſcimus pariter, fermentationem febrilem ad ſecernendum id, quod corpori officit, ſuſcitatam neceſſariò fuiſſe, cujus nimium æſtum ſi moderari intendamus; (ut expurgatio placidiori digeſtione ſecurior obtineatur) cur potiùs abſque ſpirituum jacturâ rationabilius id conſequi non curamus per extrinſeca remedia, applicando fronti, temporibus, carpis & plantis pedum pulpam cucurbitæ, vel citruli, folia ſempervivi majoris, plantaginis, burſæ paſtoris, anagallidis fœminæ cum acetô contuſa, aut amylum cum ovorum albumine, & ſimilia?

Objiciet aliquis quantitatem his non diminui. Sed quis poſt fœdera aliquot dierum inter nauſeam & jejunium ſancita, ac obſervata plenitudinem luxuriare judicabit? Urgeant adhùc alii, hæmorragias in Febribus Putridis & Malignis ab ipsâ Naturâ promoveri. Concedo, ſalutis commodô, in morbi declinatione hoc fieri, quotieſcunquè vitioſa materia excluditur procùl à morbi focô, & in venis ad extra magis patulis collecta, & retardata, ob copiam, & acredinem, anaſtomoſin aperit. E contrà valdè timendum eſt in morbi vigore profluvium ſanguinis è naribus, quod in Epidemicis ſæpè obſervatur.

Jam ad morbi ſtatum perveni, in quo quieſcere ſuadet *Hipp. ſect. 2. Aphor. 24.* Attamen Medici ægros venare non deſinunt frictionibus, cucurbitulis, veſicatoriis, ſuppoſitoriis, epithematibus, cordialibus miſturis, confectionibus, pulveribus, julepis, & mille aliis injucundis pharmacis, quibus ſedulos aſſiſtentes per omnia momenta præoccupant, nè ipſorum ſupervacaneâ importunitate intempeſtivè turbentur.

Et quidèm quid boni ſperandum ex frictionibus, quæ muſculares fibras diſtrahunt, & laſſitudinem, ac lumborum dolores augent? Quid boni ſperandum à ſanguine per cucurbitulas, vibicum inſtar, concreſcente, cujus pars craſſior ſub cute liveſcens jam cadaveroſâ, dum à ſanguine recenti reſolvitur, & in venas ſimul propellitur? Nec deſunt, qui validis rationibus veſicatoria damnent, quorum dolor ulceroſus ſufficit ſolus febri accendendæ, præter veneficam cantharidum penetrationem uſque ad veſicæ teroſionem, quod malum ſaltem ùt evitetur, flammulæ Jovis folia ſubſtituantur. Suppoſitoria verò in memoriam mihi reducunt aſtum Mancipiorum detectum, dùm prima praxis rudimenta in ipſorum noſocomiô Liburni addiſcebam, quorum aliqui, ùt navigationem evitarent, alii ſpicam cortice mundatam in ani ſphincterem introducebant, & ex hâc causâ conſultò febricitabant: Eò magis ideò in Acutis Febribus ſuppoſitoria nocebunt.

O bone Deus! ſi athleticum virum ſaniſſimum tenuiſſimô cibô ſorbili & aquoſis potationibus per aliquot dies extenuemus, & interìm Medicamentô purgante, & ſanguinis repetitâ miſſione depleamus, interpoſitis clyſteribus, veſicatoriis, & cæteris ſupradictis ſine intermiſſione tormentis, quis eum certò ægrotaturum fore, & ultimô forſàn fatô ceſſurum non ſuſpicabitur? Si hoc timendum ſit in ſanis hominibus, infallibilis ſequitur deductio, quòd in infirmis ſimili methodô tractatis meliora ſperari non debeant.

Quoad cardiaca remedia nunquàm illis contemperatis me oppoſui, quæ blandô odore, gratôque ſapore libentèr accepta ſpiritus recreant, uti eſt florum tunicæ, & jaſmini julepus, ac conſerva, aqua totius citri, & ſimilia. Propinare aromatata acuta, & omnia, quæ ſale volatili, oleoſô ſunt nimìs prædita, non auderem, nè hu-

morbus

moribus æſtuantibus fomitem adderem. Cruſtacea, teſtacea, Margaritæ, oculi Cancrorum, cornucervi, unicornu, pretioſi lapides & cætera fixa abſorbentia, quæ, ut potè terra damnata, digeſtioni non parent, nec quidquam à ſe dimittunt, inutiliter pro alexipharmacô cordiali aſſumuntur; nam gravi tantùm calce ſtomachum, & inteſtina obducere, atque ipſorum meatus obſtruere valent.

Sed quo digredior, & potum inexplebili febricitantium ſiti neceſſariſſimum tandiù detineo! Incuriam ubertìm compenſabo.

In membranâ ſubcingente palatum, linguam, & fauces continuatâ cum interiore ſtomachi tunicâ, ſenſus humida appetendi ſuſcitatur moleſtus, vel propter ſalis, ſive ſalſi, ſive urinoſi mordicationem, vel propter aſperam dictarum partium ſiccitatem, dum iſtæ ſufficienter non irrigantur à lymphâ, quæ ſive aliorsùm exhauſta, ſive vitiô craſſi lentoris aut glandularum ſalivalium qualicunque obſtructione difficulter excurrit. In Febricitantibus muria nidoroſa, ſeu oleoſum bilis lixivium exaltàtum, in ore percipitur, & in urinâ apparet: cruſta linguæ albida, & ſiccitas ad uſta ſalſas fuligines concretas, & obſtruentes denotant.

Hæc ſunt interni ſtatûs præconia, quibus denunciatis convincor, quòd ſubtrahendo potum ab ægris, hos iniquâ ſententiâ cruciatui clamoſo condemnamus: nihil enim meliùs, quam aquoſa vim denſi ſalis cauſticam adimunt diluendo; ſic fermenteſcentes particulæ diſgregatæ molliùs moventur, & lubricam ſegregationis facilitatem adipiſcuntur. Id clarè ab Hippocratis auctoritate confirmatur, dùm jubet, evacuanda oportere priùs humida facere, in Aphor, ſect. 2.

Quò ſimplicior potus, eô naturalior, & ſalubrior eſt reputandus, ut aquâ è fonte puriori, ac deſtillata è lactucâ, endiviâ, boragine, acetoſa, & ſerô lactis; liquor enim craſſiori aliquâ ſubſtantiâ ſemel ſaturatus nova corpora nec tam promptè imbibit, nec tam fluidæ permeat, ſicuti citiùs corrumpitur, cujuſmodi eſt ptyſana, & ſimiles decoctiones. Aliquandò tamen pro deliciis acidulos julepos non rejicio multâ aquâ dilutos, inextinguibilis ſitis ſolamina, (quamvis Saccharum aliquomodò fermentationi obnoxium noceat) interquos ſyrupus acetoſæ, ribium, aciditatis citri, & aurantiorum, granatorum, & ceraſorum acidorum excellunt. Emulſiones item è quatuor ſeminibus refrigerantibus ac papaveris cum aquâ florum rhæados extractas, & cum ſyrupô lactucæ edulcoratas, ubi ſomnus conciliari debet, propinare liceat.

Potus in tanta copia concedatur, quantùm ſtomachus abſque notabili gravamine acceptet. unica jactura, quæ ab exceſsû conſequi accidat, eſt viſcerum infaretus in convaleſcentiâ reparabilis. Corrigendus tamen mihi videtur illorum abuſus, qui gelidos liquores febricitantibus largiuntur, & non conciderant, quod ſiquis poſtquam incaluerit balneô inſolatione, motû &c. aquam actû frigidam, bibat, pectoris inflammationem ſubindè contrahit: ſimiliter hic, ubi major eſt diſpoſitio, viſceris alicujus inflammatio timeatur, vel ſaltem, ùt ſanguis efferveſcentiâ rarefactûs ſubitâ congelatione comprimatur, & pro defecatione impuri impos Natura reddatur & ſuccumbat.

Tutius eſt tepidè bibere, & eô tepidius conſulo, quò propiùs ad morbi declinationem accedimus: in hoc etenim morbi gradû naturâ criſim diſponit, quæ ut plurimùm cum ſudore perficitur. Tunc ideò Medentes ſudorificis prævenire ſolent, ſed perperam quia nemo ſecurus eſſe poteſt, per quæ loeâ conferentia vergere Natura intendat, quod ànte decimum quartum diem in acutis rariſſimè cum ſecuritate contingit. Sic præmaturi conatus, præcipuè ſalinô volatili diaphoreticô impulſi vel ſpem eludunt irriti, vel perficiendæ concoctionis proximas diſpoſitiones, per turbant, vel forſam aliorſum, præter Naturæ directiones morbidam materiam peſſimè divertunt.

Primus, qui pro diaphoreticô in Malignis lapidem Bezoar ab Indiâ tranſlatum divendidit, ſi non tam lucri cupidine, quàm artis dexteritate inductus fuiſſet, aliquam meretur laudem: cùm enim vulgus remediorum vanitate decipi omnimodè velit, ſaltem hujuſmodi innocuis ipſi blandiri liceat. Dicant, quæſo, Practici ſinceritatis amantes, an ante criticum tempus ab aſſumptô Bezoar ſudores ſtatim profluxerint? Fateri quidem debent, quòd, tantùm movente Naturâ, opinabilis illius alexipharmaci vires admirati fuerint. Nullum eſt dubium efficaciori activitate eundem effectum tunc temporis produci à calidis juſculis, immò & à ſimplici aquâ calidâ epotâ, ſaccharo ad gratiam edulcoratâ; ſed quia hæc ab incoctis Indicis ingredientibus non adiſpiſcitur famam, ideô pro vili reputatur.

Pro criſi potiùs perficiendâ, lapis hyſtericis vim bilis diſolventem, & abſterſivam retinens, ubi materiæ lentor expoſtulat, non totaliter inutilis rejiciatur; hâc tamen æquitate, ùt cæteri lapides in ciſti felleâ aliorum animalium inventi, parem commendationem merentes, non poſtponantur.

Quod febres Acutæ noſtris opibus non indigeant; convincunt ruſtici, diſpoſitionibus Naturæ tantùm permiſſi, qui parem exitùm ſortiuntur, ac cives Medicis adminiculis ſuffulti, quorum aliquos obſervavi optimis ſignis ſecuritatem portendentibus obiiſſe, è contra plures à Medicis ſpe, & auxiliô derelictos convaluiſſe, confirmando Hipp. Aphoriſmum 19. ſect. 2.

Cæterùm patet, ſanguinem non aliter, ac muſtum, & cereviſiam novellam tandiù efferveſcere, donec (concoctione ritè procedente) depuretur; quod opus ingeniô ſolius Maturæ commendatum, duarum ſeptimanarum ſpatiô perfici ſolet; ſicuti prædicti liquores, juxta ſuorum componentium conſtitutionem, tempora purificationi deſtinata obſervant.

Poſtquam ſalutem infirmo corpori natura reſtituerit, nil aliud moliendum reſtat, quam vires paulatìm reficere, monitû Hipp. Aphor. 20. ſect. 1. *Quæ judicantur & judicata ſunt integrè, neque movere, neque novare, aliquid ſive Medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſincere.* Nihilominùs non valedicit Medicus Convaleſcenti, niſi priùs ſuperfluô catharticô hunc laxaverit: quod, juxta Aphor, 12. ſect. 2. ritè adimpleri ſolummodò convenit, quandò aliqua incommoda quæ ſimul cum lyſi totaliter non quieſcunt extra acuti morbi limites adhùc adimere ſuperſit, nè recidiva excitetur.

Plurimô verborum tædiô tuam, Helwich, patientiam læſi: erravi: fateor, cùm ſcias paucis Naturam eſſe contentam, cujus arcana in Febribus Putridis, & malignis inutili curioſitate ſciſcitanti, ſatiùs mihi fuiſſet ſtupenti ſilentiô mirari. Tu interim diù vale, & penetralia Naturæ perſpicaciori lumine ſcrutari perſevera.

De eô præterea exſtat in Actis Lipſienſibus anni 1720. *p.* 506.

Onuprhii Bonſigli Diſſertationes de Plicâ Polonicâ, de Peſte ac ejus Contagiô, & de abusû in Curâ

Curâ Febrium putridarum ac malignarum. Cracoviæ, typis Franciſci Cezary, 1720. 8.

DIverſô tempore Diſſertationes hæ à Clariſſimô Bonfigli, Medicô per totam Poloniam famigeratiſſimô, natione Italô, conſcriptæ, nunc verò conjunctim luci publicæ expoſitæ ſunt. Quod primam diſſertationem de Plicâ Polonicâ attinet, cùm inter veteres Medicos præter Herculem Saxonia, Thomam Minadoum, Rodericum à Fonſecâ, & Danielem Sennertum, eam nullus explicuerit, de ejus vanitate Daviſſonus contenderit, ac inter recentiores Chriſtianus de Helwich, in Hiſtoriâ morborum Vratiſlavenſium veritatem vindicaverit, operæ pretium ſe facturum judicavit Noſter, quid in Poloniâ, ubi maximè endemius exiſtit Plica morbus, propriò ſenſû & praxi de eâ ſibi comparaverit, exponere. Plica ſcilicèt ex Autoris mente, quanquàm in Lithuaniâ, Ruſſiâ rubrâ, & Tartariâ minore, ubi non ſolùm ad humanum genus, ſed etiam ad ſues, canes, equos, & alia bruta diffunditur, in Hungariâ, aliiſque terrarum locis obſervetur, Polonica tamen dicitur, quia nullibi tàm fœcundè propagatur, nec indolis tam malignæ tyrannidem exercet ſuam, quàm in Poloniâ: ubi quouſque intacta religiosè ſervatur, ac vegeta, corpus incolume à ſymptomatibus præſervat; ſin verò aut pectendo irritetur, aut tondeatur, ſubjectæ partes, in quas cauſa morbifica deponitur, periclitantur. Diſtinguenda autem eſt ſincera Plica ab imaginariâ; plebs enim ruſticorum impura caput plectere neſcia, cùm in gramine ſæpè degat, inter aſperas herbas intricat capillos, quorum retortæ extremitates naturaliter interſecari varioſque nodos formare debent; hinc ubi illius implicationis principia obſervant, germen veræ plicæ ad ſalutem pullulâſſe putantes, diligenter colunt, ut in fœdum & Meduſæ ſimile ornamentum excreſcat. Alii, dum difficili quâdam vel longâ infirmitudine vexantur, ipſam à Plicâ foveri ſuſpicantur, & quia tunc caput pectere ceſſant, & lotionibus ex decoctô brancæ urſinæ, cum lupulô & muſcô terreſtri utuntur, aut vinô oleôque inungunt, quouſquè emplaſtrati crines conſultò conglutinentur, arte tricas efficiunt, ùt ſatisfaciant opinioni, morbum ad extra alliciendi, qui ſecum omnem cauſam è corpore aſportet. Hoc tamen veram inter & imaginariam Plicam diſcriminis intercedit, quòd legitima ſemper viſcidô quôdam humore madida ſit, præcipuè in ſtipite; & ubi immediatè implantatur, turgidiuſculos foveat capillos, ac ſtatim è cute proſiliens mirabiles interſectiones inchoet, gravemque ſpiret odorem; cùm viciſſim in ſpuriâ, ab impuritate procedente, paleæ, vel ſimilia aliena ſimul cum crinibus intricata ut plurimùm abſcondantur, ſicque non in caudice, ſed potiùs in mediô & circa extremitatem complicatio ſubſiſtat, atque capilli naturalem temperiem proportionemque non amiſerint. Legitima igitur plica erit pilorum, ut plurimùm capitis, irregularis cõplicatio, vel tricis funiculorum ad inſtar productis, vel ad galeri formam ſuper calvariam compreſſis, propter ipſorum alimentum dyſcraſiâ peculiari alteratum à communi potiſſimùm regionis diſpoſitione. Quòd ſi ergò in verâ Plicâ ſalia oleoſa minùs volatiliſata ſed aſperam viſciditatem adepta in bulbis capillorum conveniant, ac indè per tubulos ſubintrent ad illam uſque diſtantiam, quæ latiorem locum penetrationi concedit, ad extrema verò anguſtiora propter craſſitiem pervenire non poſſint, retardantur in viâ, & propè ſtipitem cum majori concursû ſubſiſtentia, canalem in latum taliter extendunt, ut dilatatum capillorum fiſſile corpus tandem cum rimâ crepare faciant, unde reſinoſus liquor, haud ſecùs ac ex arbore ſauciatâ, emanat, qui combinatus cum illô ex cutaneis poris exiliente præ copiâ adaugetur. Extrema interim capillorum pars à ſubtili conſuetâ irradiatione non ſatis refocillata, paulatim extenuata exſiccatur. Atque hæc ſunt Plicæ primordia, quæ à capillis incipit ſimul agglutinatis, in immediatô limite capitis, dum eorum retortæ Cuſpides adhuc à pileô vel jacendo compreſſæ, ùt unà cum ſtipitis viſciditate adhæreant, illuc admoventur, & duplicantur, inter quorum interſtitia multiplices aliæ interſectiones inſinuatæ variis nodis intricantur. Augmenti præbent modum veteres capilli, quia radice ſecedentes cum plicatû concatenati ſemper retinentur, & relictis bulbis, virtutem nova emittendi germina non amittunt, quæ tenellula vix foràs exilentia inter adultorum tenacem tranſſudationem agglutinantur, & quia ex cute excreſcendo adhærentem extremitatem elongare nequeunt, ſed corpus contorquere debent in arcum, cùm aliis continuò ſuccedentibus irregulariter intermiſti deformibus & ſpurciſſimis connectuntur tricis. Remotam Plicæ cauſam rejicit Autor Clariſſ. in abundantes particulas ſulphureas cum ſalibus volatilibus non ritè digeſtas nec ſubtiliſatas, ſed in aſperam & rancidam viſciditatem ad inſtar olei amurcæ concretas. Ab ejuſmodi enim humorum dyſcraſiâ, fixam & continuam fovente mineram, heterogeneum illud, quotiès ad fermentationis gradum exaltatur, totiès ſub capitis cutem ut plurimùm deponitur, & in capillorum radices penetrando ſucceſſivè foràs amandatur. Sin amurca plicoſa intrò retineatur, vel ob internam fermentationem minùs attenuantem, nec ſatis concocta heterogenea expellentem, vel ob extrinſecam exciſionem, quæ aeri cauſam præbeat condenſandi affluentem humorem, ad extrema relictorum crinium oſcula, tunc rancidus ſanguis evadere ſolet, qui vel efferveſcendo vel aſperè circulando modò has, modò illas excitat turbas, quantas diverſa particularum heterogenearum combinatio in diſſimilibus temperamentis commovere poteſt. Talia morborum fermenta, quæ ſemel in ſanguine radicata multiplicativam virtutem poſſident, eò difficiliùs de totô ſupprimuntur, imò non tantùm cum ſeminali ſpiritû patris vel nutrimentô maternô ſpecificum idearum ordinem retinentibus, in filiorum hæreditatem tranſfunduntur, verùm etiam expanſivâ eadem efficaciâ per contactum pilei aut pectinis à plicoſô tractati ſano capiti communicantur. Ubi autem nullus contactus neque hæreditaria infectio conjectetur, nullam aliam procatarcticam cauſam dignoſcere poteſt Clariſſ. Bonfigli, quam ſpecificam aquam in hâc ſingulari regione, craſſam ſcilicet & pinguedine refertam. In terræ Polonicæ enim viſceribus oleoſam materiam foveri, ex bituminibus, & petrolei ſcaturiginibus, fontibus, thermis, ac mineris ſulphureis atque montibus ignivomis, in multis locis patentibus, deducit. Cùm autem hactenus Plica, quia raró aut difficulter ſanatur, inter morbos incurabiles reputata, & quia paucis & inefficacibus fulta eſt remediis, ſoli etiam prognoſtico, quaſi deſperatè relicta fuerit, pietate ſincerâ ductus Autor veram ejus medelam ſubminiſtrare non dubitavit. Quoniàm macula ſanguinis oleoſa ſtatim & facilè deleri nequit, ideò placidis & appropriatis abſtergentibus priùs eadem præparari debet, quàm purgantia lenia, balnea, ſanguinem purificantia ſpecifica adhibeantur, qualia hîc variis ſub formis commendata leguntur. Hiſque præmiſſis, Plica tutò abſcindi & caput abraſum ſemèl quotidiè ablui poteſt ſpiritu vini aut frumenti rectificatô, vel cum lixiviô communi, in quô folia ſaponariæ, parietariæ, radix cyclaminis, & ſemina

mina ſtaphiſagriæ fuerunt incocta. Quæ lotio non eſt dimittenda, quouſque capillos excretos pectine poſſimus colere; imò mox à principiô eadem conducet, dùm Plicam à contagiô timeamus. Et ne ullus remaneat ſcrupulus retentæ reliquiæ, canterium in brachiô ſaltèm ad tempus aperiatur. Contra inveteratam verò crudeliori ſymptomatum ſyndrome ſævientem Plicam magis aptum & efficacius non datur remedium, quàm ſuffumigium cinnabaris artificialis: dùm enim hæc accenditur, mercurius minerale ſulphur, à quo fixabatur, relinquit, & in corporis poros penetrans novam ſanguinis ſulphuream ranciditatem amplectitur, quam ſimul raptam placidè cum ſudoribus extrahit, abſque ullô ſalivationis diſcrimine, dummodò tali methodô adminiſtretur ſuffumigatio, qualis ab Autore deſcribitur. Sed quoniam plurimi inveniuntur, qui timent, ne Plicam contrahant, aut jam contraxiſſe ſuſpicantur, præſervativam & incipientis morbi eradicativam eſſentiam commendat, atque pro aquæ correctione in quâlibet ejus ollâ pauxillum turionum ſeu ſtrobilorum pineaſtri, vel abietis bullire jubet, divitibuſque ſingulis potibus parùm de ſpiritu vini aniſatô, vel de pulvere quôdam compoſitô addere commendat.

In ſecundâ Diſſertatione Clariſſimus Bonfigli peſtem definit per morbum endemicum, vehementiſſimè acutum, maligniſſimum, & contagioſum, præcipitanter ex unô populô plurimos afficientem, quorum pleroſque interficit, & ſæpiùs intra quatriduum; ejuſque cauſam procatarcticam acidum eſſe nitro aëreum langueſcens, à densô miaſmatis extranei concursû ſubjugatum, dicit. Sive igitur à planetarum influxu inter ſe oppoſitorum, ſive à putridis effluviis vel mineris venenoſis, aëris ſyſtema pervertatur, certum tamen eſſe putat, corpuſcula, quæ aëris balſamicam conſtitutionem in peſtilentem pervertunt, alia eſſe non poſſe, quàm ſulphurea, cum ſpiritû alcalicô corroſivô ad putrefactionis gradum digeſta, & taliter exaltata, ùt arſenici volatilis ſuperent indolem. Peſtis enim formalitas conſiſtit in motû tam inteſtinô quàm locali ſpirituum vitalium ſpecificâ putredinali alteratione perturbatô ab alcali urinoſô, ſulphur pingue ſanguinis diſſolvente, & vinculum ejuſdem balſamicum corrumpente, poſt acidi nitri volatilis depreſſionem. Inter phœnomena, quæ in Polonicâ peſte occurrebant, obſervavit Autor in primô morbi inſultû faciem inflammatam, & oculos igneos, ſummam laſſitudinem, vomitum, cephalalgiam, & viſcerum ardorem, dùm exteriora frigida convellebantur; deindè maximas anxietates, conſtrictivum cordis dolorem, deliquia, ſingultum, phrenitidem, petechias ut plurimùm ſolito latiores, lupini granum æquiparantes, maculas per cutem latè extenſas vibicum inſtar liveſcentes, bubones, & carbunculos. Quemadmodùm igitur Autor Clariſſimus, ùt alia, quæ prognoſin concernunt, nunc prætereamus, multiplici exemplô comprobatum refert, illos, qui cauterij aut habitualis ulceris aut hæmorrhoidum expurgatione fruebantur, vel ſcabie, aut morbô venereô, (propter acidum, etſi vitioſum, iſtis morbis prædominans) venenô peſtis rariùs fuiſſe obnoxios; ità, ùt à peſte præſerventur homines, ætheream acidum, tam aëris quâm ſpirituum vitalium præcipuum conſtituens, in ſtatû ſuô naturali conſervare ejuſque inimicas diſpoſitiones removere jubet. Præter munditiem igitur, annonam boni nutrimenti & laudabilem diætam, ignem luculentum, nitroſum, ſulphuris ſuffumigia, aceti vaporem & odorem, internè Elyxir Proprietatis cum ſpiritû ſulphuris paratum commendat; ſuffitus verò ex lignis odoriferis, reſinis, aromatibus, fumum Nicotianæ per tubum hauſtum, Theriacam, Mithridatium, & ſimilia, tanquam noxia; ſcuta, ſacculos, odorata, & plurima periapta ac amuleta ex bufonibus, arſenicô & mercuriô paranda, ceu ſuperſtitioſa damnat. In curandis tamen ægris theriacalia quidèm, ſed cum acidulatô liquore diſſoluta, aſt in phlogoſibus, excandeſcentiis, nimiis hæmorrhagiis, & ſudoribus colliquativis cautè, adhibenda permittit; venæſectionem & verò purgantia exulare jubet, in humorum tamen turgeſcentiâ & plenitudine ſtomachi emeticum ex crocô metallorum ſtatim à principiô conducere putat. Quâ ratione verò acidum vitæ volatile ſuſcitari, & per ſudores id, quod vel corruptum, vel corruptioni proximum eſt, expelli debeat, ſymptomatibuſque occurrendum ſit, variis adjectis formulis docet.

In ultimâ Diſſertatione, ubi de abusû circa curam putridarum malignarumque febrium agit, eos taxat, qui in principiô iſtorum morborum purgantia propinant, qui in augmentô venam aperiunt, qui in ſtatû frictionibus ægros, cucurbitulis, veſicatoriis, epithematibus, cordialibus miſturis, confectionibus, pulveribus, julepis & mille aliis ingratis pharmacis vexare non deſiſtunt, iiſque vel omnem potum denegant, vel gelidum concedunt, aut juſtô citiùs ſudorifera propinant medicamenta; & qui in declinatione, ubi vires potiùs paulatim ſunt refocillandæ, has ſuperfluis catharcticis denuò peſſundant.

BONIPORSUS (*Hieronymus*,)

De eô exſtant

Annotationes in Galeni Lib. de Criſibus. Venetiis, 1547. in 4.

Practica Empirica. Exſtant cum Georg. Hieronym. Velſchii Exotic. Curat. & Obſervat. Medicina Chiliad. Ulmæ, ap. Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

BONNETIUS (*Claudius*,)

Ex eô habetur

Epitome, univerſam Dan. Sennerti Doctrinam ſummâ fide complectens, ex triplici Volumine in unum congeſtam; ad uſum commodiorem, cùm Philoſophorum, tum Medicorum, qui Catholicam & Apoſtolicam fidem in veritate profitentur; ac proindè omnia diligenti curâ & examine purgata ab illis, quæ orthodoxæ fidei puritati viſa ſunt adverſari, potiſſimùm in Tractatû de Animâ rationali, aliiſque nonnnullis, ab omni Hæreticæ pravitatis errore & ſuſpicione liberis. Adjectis quibuſdam non vulgaribus Notatiunculis in Praxi animadverſis, per aſteriſcum deſignatis. Cum duplici Indice, alterô Librorum & Capitum: alterô Vocum & ſententiarum, locupletiſſimô. Avenion. 1655. in fol. Coloniæ Allobrogum, apud Philippum Gamonetum, 1655. in fol.

BONNIUS Montepeſſulanus:

De eô ſic Acta Lipſienſia ann. 1714. *p.* 195.

Vir illuſtris *Bonnius*, Præſes in curiâ rationum Fiſci Montepeſſulanâ & Academicus honorarius ſocietatis Regiæ Montepeſſulanæ, primus obſervavit, araneas nere ſericum & indè tibialia atque chirothecas annô 1709. fieri curavit. Cùm Chirotecas ad Academiam Regiam Pariſios mitteret, D. *de Reaumur* cura demandata eſt, ùt inquireret, annon ex hôc inventô aliqua utilitas in publicum redundare poſſit. Primum itaque de eô ſollicitus fuit, quomodo nutriri poſſit ſufficiens aranearum copia. Deprehendit autem tot muſcas

cas in totâ Galliâ non dari; quot araneis nutriendis ſufficerent, ùt ſerici aliqua quantitas haberi poſſet. Herbis & foliis araneas non veſci, lumbricis verò paſci didicit. Eaſdem carnem ferarum reſpuere; ſed ſuccô in apicibus pennarum recenter creſcentium, & ex alis volatilium evulſarum imprimìs delectari obſervavit: quod adeò pabulum omnium optimum judicat, quia pennis ex alis volucrum evulſis, intra aliquot dierum ſpatium mox novæ procreſcere ſolent. Quoniam verò expertus, quòd aranea una alteram devoret, ità ùt, cum 50. in eôdem vitrô aſſervaret, vix duæ ab aliquô tempore reſtarent; neceſſarium eſſe reperit, ùt in ſingulis araneis ſingulæ officinæ deſtinentur, nunquàm inter ſe committendis, niſi quandò coitum celebraturæ. Didicit denique, quod 12. araneæ idem opus perficiant, quod unus bombyx abſolvit. Quare cùm bombyces omnes ſericum conficiant, inter araneas verò tantùm foëmellæ, 24. araneæ æquiparandæ ſunt demùm uni bombyci, conſequenter 2304. bombycibus unam ſerici libram nentibus, ùt eandem ſerici quantitatem obtineas, alenda ſunt aranearum 55296. Immò minores araneæ, quales in Galliâ ut plurimùm reperiuntur, eidem operi abſolvendo vix ſufficient juxta computum Autoris, niſi fuerint numerô 663552. Quamvìs adeò operæ pretium non videatur, ùt araneæ Gallicæ alantur; non tamen ſpem omnem abjiciendam eſſe arbitratur, antequàm experimentum capere licuerit in araneis Americanis, quæ Europæis multò ſint majores.

BONOMINUS Pergomenſis Medicus; Scripſit de Venenis lib. I. Quæſtionum diverſarum libr. I. & alia multa. Claruit temporibus Caroli Imperat. & Clementis Papæ VI. annô Chriſti 1301. vel ut alii 1350.

BONOMUS (*Joh. Coſmus*) Liburnenſis.

De eô exſtat in Miſcell. Cur. Dec. ij. Ann. 10. in Appendice.

Obſervationes Circa humani corporis Teredinem, à Cl. Joh. Coſmô Bonomô Practicô inſigniſſimô Liburni, unà cum aliis Epiſtolica hâc in Exercitatione. Ad Eoos penes Heſperioſque famigeratiſſimum, Illuſtriſſ. Franciſcum Redum, Italicô ſermone Annô 1687. conſcriptæ, & Florentiæ typis impreſſæ, nunc vero Latinitate donatæ à Joſephô Lanzonô, Acad. Cur.

BONONICASIS (*Berytius.*)

Ex eô habentur

De Re ruſticâ, Fragmenta aliquot. Extant in Γεωπονικῶν, ſeu de re ruſticâ ſelectorum Lib. XX. Græcis, Conſtantino quidèm Cæſari nuncupatis, Johan. Alex. Braſſicani operâ in lucem editis. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinis autem, Janô Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8. Collectorium totius ferè Medicinæ Lugduni, 1518.

BONTEKOE (*Cornelius*) Alemarienſis Batavus, Sereniſſimi atque Potentiſſimi Electoris Brandenburgici, *Friderici Wilhelmi M.* glorioſiſſimæ memoriæ, Archiater & Conſiliarius, uti & Academiæ Francofurtanæ ad Viadrum quõdam Profeſſor Primarius. Lucem hanc adſpexit Alemariæ, urbe propter viros, quos genuit, celebres nobili. Parens ejus fuit Gerhardus Johannes *Deckerus*, *Bontekoë* cognominatus, propter ſignum domui ejus adpenſum, vaccam nempe diverſicolorem, quod deindè cognomen, etiamſi aliis ignominioſum videri poſſet, *Noſter* tamen conſtanter retinuit. Factis in ſcholis trivialibus primis literarum humaniorum rudimentis magiſtrô quidam Chirurgiæ, erga quod ſtudium ſingulari animi contentione ferebatur, erudiendus traditus eſt. Obſervans autem, nobiliſſimam hanc artem in officinis talium hominum non certis quibuſdam rationi conformibus regulis atque præceptis, ſed ſolô uſû & exercitiô tantùm frequenti addiſci, cupiditas animo ejus inceſſit, medicinam cum Chirurgiâ exemplô veterum, Prædeceſſorum noſtrorum, maritandi: Quô fine ùt feliciùs potiretur, firmiter ſibi proponebat, Academiam Lugduno-Batavam viſitare; quam tunc temporis *Sylvius*, famâ ſuâ unà cum reliquis Medicinæ Profeſſoribus totam occupaverat. Ab his, poſteaquàm induſtriam ſuam atque profectus in utrâque parte, tam Medicâ, quàm Chirurgicâ, ſatis comprobaverat, licentiam impetravit ad ſummos artis honores adſpirandi: quod etiam editô publicô ſpecimine de *gangrænâ & ſphacelô* actû præſtitit. Honoribus hiſce novis ornatus Cornelius, in Patriam ſuam reverſus; & tam medicinam facere, quàm chirurgiam exercere coëpit, eôque ipſô brevi tempore magnam quidèm famam ſibi comparavit, ſed ſimul plerorumque reliquorum Practicorum iram & invidiam provocavit. Sedem igitùr mutavit, & praxeos exercendæ gratiâ Hagam Comitis eandem tranſtulit, ubi tamen eadem, niſi planè acerbiora, expertus eſt facta. Quare ùt furori inimicorum ſuorum tempeſtivè iterùm ſe ſe ſubtraheret, Amſtelædamum, nobile illud emporium conceſſit; Undè, poſtquàm aliquandiù ibi commoratus fuerat, Hamburgum digreſſus eſt, &, ùt Proceribus ibidem innoteſceret, tractatum edidit de annô climactericô, eumque Friderico Wilhelmo, Electori Brandenburgicô dedicavit, quâ occaſione aulæ innotuit, & Berolinum, evocatus, non ſolùm Archiatri Electoralis titulum atque honores, verùm etiam profeſſionem Medicinæ publicam in Academiâ Viadrinâ impetravit: quò in utrôque officiô fideliter & conſcientioſè adminiſtrandô ità ſeſe geſſit, ùt in gratiam inviċtiſſimi Electoris intimiùs ſeſe inſinuaverit. Tandèm verò infelici caſû calvariam fregit, apoplexiâ ſine dubiô forti correptus, & paulò poſt totius Aulæ Electoralis luctû mortuus eſt. Reliqua vitæ ipſius memorabilia deſcripſit *Heidenreich Overkampius*, Medicus Amſtelædamenſis. Quod verò reliqua ejus ſcripta medica fundamentis philoſophiæ Carteſianæ ſuperſtructa attinet, ea hâc vice ſilentiô præteribimus, enumeraturi ſolummodò novum *Chirurgiæ ædificium*, in quô veterum theoriam, anatomiam & doctrinam de tumoribus, vulneribus, ulceribus, venæſectione, purgantibus, repellentibus, revellentibus, derivantibus, defendentibus, intercipientibus &c. deſtruxit & in rationes inquiſivit, cùr Medicina & Chirurgia hactenus majora incrementa non ſumpſerint & ad majorem perfectionem non adſpiraverint? quæ res cùm clariorem inſpectionem & dilucidationem expoſtulet, examinabimus primarias ejus hypotheſes, ac deindè judicium noſtrum ſubjiciemus, ùt tantò ſecuriùs ab omni erroris metû liberos nos præſtemus. In eô ſtatim recedit à vulgari Chirurgorũ methodô, quòd *duas* tantum ejus *partes* enumeret, cùm vulgò quinque talium partium ſoleant recenſere & ſpecialiter agere de tumoribus, vulneribus, ulceribus, fracturis, atque luxationibus. In *priore* deſtruere conatur principia vulgaria, quibus totum veteris Chirurgiæ, ædificium ſuperſtructum eſt. Idque tribus potiſſimùm diſtinctis partibus probare adnititur, in primâ demonſtraturus, theoriam Chirurgiæ vulgaris eſſe falſam; In alterâ oſtenſurus, pleraſque in Anatomiâ receptas opiniones partìm incertas, inutiles aut planè falſas eſſe, & in tertiâ deniquè pluſquàm geometricâ certitudine probaturus, communes Chirurgorum hypotheſes de Origine & cauſis tumorum, vulnerum, atque ulcerum falſiſſimas

ſiſſimas eſſe, quibus proindè nihil ſolidi ſuperſtrui queat. In *poſteriore* verò parte novum idque inconcuſſum erigere conatur ædificium: Quâ in re prudentis Architecti methodum imitatur, qui novum ædificium non primus erigere ſolet, quàm vetere ſubrutô atque deſtructô. Harum autem adſertionum veritas ùt conſpectior evadat, & aliorum oculis & mentibus clariùs illuceſcat, pauca quædem ſpecimina producemus, ex quibus ad reliqua facilis fieri poterit concluſio. In primâ igitùr primi tractatûs parte agit ante omnia de Naturâ, deindè de Vulgaribus elementis, porrò de temperamentis, de humoribus, de ſpiritibus, de facultatibus, & functionibus. In alterâ, quam Anatomicam adpellare placuit, tractat de partibus H. C. de oſſibus, cartilaginibus, membranis & ligamentis, de arteriis, venis atque nervis, de glandulis & pinguedine, de muſculis, de cerebrô, de corde & pulmonibus, de hepate & liene, inteſtinis, renibus & partibus genitalibus. In tertiâ verò doctrinâ communis de tumoribus in genere, de phlegmone, gangrænâ, & ſphacelô, de abceſſibus & apoſtematibus, de eryſpelate, oëdemate, ſcirrhô & cancrô, de ancuriſmate, herniis & procidentiis, de ulceribus in genere & in ſpecie eorumdemque accidentibus, de vulneribus in genere & ſpecie, capitis nempe, thoracis atque abdominis diſcutitur. *Naturam*, undè tractationem ſuam exorditur, habet pro idolô ignorantiæ, ejuſdemque autocratiam & in morborum ſanatione efficacem concurſum negat, ridet & ludibriô exponit. *Hippocrati*, naturam à naturâ differre, adſerenti, in os contradicit, dictum vulgare: *Chirurgum eſſe naturæ miniſtrum*, ſalſæ traducit: Quæ omnia quantâ cum contradictione proferantur, neminem latere poteſt, qui attentè obſervaverit, innumeros teſte quotidianâ experientiâ morbos curari ſponte, ut in vulnerum ulcerumque conſolidatione patet, quam ſola natura præſtat, naturæ methodum in medendô noſſe, illam demùm veram & optimam eſſe medicinam & tantam eſſe diverſitatem naturarum, quanta eſt ipſorum individuorum; Hæc enim omnia, qui craſſô modô ignoraret, noctuis magis coëcutire putandus eſſet. Quamvis enim fortè explicitè non enunciaverint veteres, quid per Naturam propriè intellexerint: ſufficit tamen, quòd in corpore humanô agnoverint *Principium aliquod agens*, quod actuum tam vitalium quàm animalium auctor exiſtat, eoſque omnes cum ſingulari prudentiâ ac providentiâ adminiſtret atque gubernet. In eô verô pleniſſimum meretur adſenſum, quòd decantatum illud veterum calidum innatum cum humidô radiculi ſeu primigeniô pro Naturâ agnoſci non poſſit: Quia calidum illud cum humidô, quod à primâ noſtrâ origine hauſimus, jam dudùm per tenues auras exſpiravit. Interìm iiſdem difficultatibus implicat tyrones ſuos in Chirurgiâ inſtruendos, ſi eam, quam ubiquè Medici crepant, Naturam in ipſâ M. ſ. ejuſque diverſitate quærat: Actus enim, quos Naturam adminiſtrare omnes ſciunt, & quidem cum *electione*, ſcitè *propter finem* & *ad finem*, *certâ periodô temporis*, *certâ proportione* & menſurâ, quomodò à prætenſâ illa Naturâ, quam in ſanguine ejuſque motû quærit, proficiſci valeant, hactenùs non adparet. Interim adſeruit porrò *Cornelius Noſter*, vulgaria illa Ariſtotelis & Peripateticorum elementa, ignem, aërem, aquam & terram, verorum elementorum nomen non promereri. Ubi enim in corpore humanô partes illæ elementares, ex quibus compoſitum eſſe dicitur? Similiter vulgarium quatuor qualitatum primarum, caloris, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis variam contemperationem; abſolvere naturam, temperamentorum ità directorum; pro doctrinâ inſufficiente imò falſâ meritò habuit: Quamvis in eô iterùm ſuos patiatur manes, quòd omnem temperamentorum mixturam, gradus, differentias ſecundum ætatem, anni tempus, regiones, climata. &c. abſolutè neget: Nemo enim, niſi planè idiota fuerit, ignorat, omnes ac ſingulos homines ſuum peculiare habere temperamentum, unde ſingulares mores, inclinationes, propenſioneſque animi fluunt, quæ cùm in omnibus nationibus differant, quis aliundè, quàm à temperamentorum varietate illas derivaverit? Rectè inſuper in dubium vocavit, quatuor illos humores, ſanguinem ſtrictè ſic dictum, phlegma, bilem flavam & ſuccum melancholicum in maſſâ univerſâ deprehendi. Rectè etiam explodit, quos in ore ſemper habent, humores, roren, gluten & cambium; Quis enim intelligat, quid barbaris iſtis vocabulis ſibi velint? Malè tamen negavit, denominationem temperamentorum indè peti non poſſe: Tolerari utiquè poteſt denominatio *Temperamenti ſanguinei, Phlegmatici, cholerici, & melancholici*, dummodò ritè explicetur: Talia enim revera ità ſe ſe habere, ne ipſum quidèm imperitum vulgus ignorat: Cùm contrà abſurdum & auditû grave ſit; proferre inſolitas denominationes temperamenti ſalſi, acidi, volatilis, fixi &c. Univerſum ſpirituum vitalium, genitalium & naturalium ſyſtema, ne ipſis quidèm animalibus exceptis, optimô jure explodit, eôque potiſſimùm nomine univerſum Medicorum ac Chirurgorum ordinem haud leviter ſibi devinxit, qui aliàs terminis iſtis, non aliter ac pueruli globulis ſuis, ludere ſolebant: Quid opus eſt ſpiritibus animalibus, ùt reliquum vitalium & naturalium coëtum taceam, ſi totum functionum tam vitalium quàm animalium ſyſtema ſine illorum concurſû explicari queat? Anima certè, tanquàm præcipuum agens iſtis miniſtris intermediis non indiget, ad operationes in corpore ſuô exequendum Facultates, uti eſt animalis, auctrix, nutrix, attractrix, genitrix &c. cum ſuis functionibus, quas infelici partû peperit & in ſcenam produxit *Galenus*, non incongruè monſtro multicipiti comparavit, Cui enim bono iſta ignorantiæ azyla? Tales certè cum ſuis facultatibus non abſimiles ſunt Candidatis, quos ſub examine rigoroſô lepidè introducit D. *Moliere* quando *Promotor* quærit? Cur opium facit dormire? Et *Candidatus* ridiculè reſpondet: Quia habet vim dormitivam. Abſit nobiliſſimum artem talibus quisquiliis à nobis conſpurcari. Examinata hôc modô communis theoriæ Medico-chirurgiæ inſufficientiâ & falſitate, adgreditur etiam Anatomiam, eamque pariter multis incertis, inutilibus, imò falſis opinionibus niſi demonſtrat, cujus generis ſunt: Diviſio partium H. C. in ſimilares & diſſimilares, ſpermaticas atque ſanguineas, hepar eſſe parenchyma ex ſanguine coagulatum, eſſe idem principium ac veluti originem omnium venarum; Chylum non per vaſa lactea copioſè per meſenterium diſperſa, ſed per meſaraica rubra ferri; Glandulas ſpongiarum inſtar reſorbere humiditates excrementitias, Pancreas eſſe parenchyma, quod congeriem potiùs glandularum eſſe, hodiè neminem latet, & quæ ſunt ejus generis plura. Cui bono in cerebrô ejuſque partibus tot incondita, ridicula, abſurda & effectû indigna vocabula fingere, exemplô glandulæ pinealis, narium, teſtium, vulvæ, infundibuli, &c. Pudeat obſcoënis talibus denominationibus cerebrum, animæ ſedem, conſpurcare. Denique in cauſas etiam tumorum, vulnerum atque ulcerum inquirit, eaſque omnes falſas eſſe & fictitias oſtendit.

Ad

Ad quem cenſum meritò reducit cacochymiam illam veterum, quam in ore continuò habebant, quæque tanquàm fœcundiſſima mater multas ejus farinæ filias parturivit. Nullam verò juſtam excuſationem invenire poteſt, quòd cacochymiæ etiam ad latus junxerit, plethoram ſeu ſimplicem ſanguinis, cæteroquin boni & laudabilis, abundantiam, quam tanquam cauſam multorum gravium adfectuum meritò conſiderârunt veteres. Potuiſſet enim vel leviter attendenti ſtatim dilucceſcere partim à *priori*, quòd utiquè ſub plenô & laudabili victû, accedente deſidiâ & inertiâ corporis, plùs ſanguinis colligatur, quàm ad nutritionem ejuſdem in præſens neceſſarium eſſe videtur, partim verò à *poſteriori*, ubi tales plethorici multis incommodis ex plethorâ oriundis vexati, non ſolùm à ſpontaneis ſanguinis eruptionibus inſigne experiuntur levamen, verùm etiam in horum defectû artificialium ſanguinis miſſionum adminiſtratione manifeſtam euphoriam conſequuntur. Interim πρῶτον hoc ψεῦδος circa veram plethoræ æſtimationem commiſſum, multarum gravium aberrationum cauſam ſubniniſtravit autori. Non minorem in eô cenſuram meretur, quòd omnem ſive ſanguinis ſinceri ſive aliorum humorum congeſtionem verſus certa corporis loca indeque procedentem in partibus poroſo fibroſis reſtagnationem tanquàm cauſam tumoris exploſerit, imò potiùs ab abſtructione vel opillatione vaſorum ſanguini advehendo dicatorum originem illorum derivare voluerit; Qui error non aliundè, quàm ex decantatis illis circulationis ſanguinis legibus, quibus ad nullam partem corporis plus ſanguinis, quàm viarum & vaſorum capacitas admittit, advehi poſſe ſibi perſuaſit, ortura ſuum habet. Quod verò non obſtante æquali ſanguinis diſtributione ſub circulatione, nihilominùs certô tempore ad unam partem pluſquàm ad alteram redundare poſſit, imò ſoleat, plurimis Phoënomenis practicis jam confirmavimus alibi. Sed tales ſunt ſpeculationum à priori factarum fructus, quas a poſteriori nulla ſolida obſervatio ſuffulcit. Diviſionem verò tumorum in *phlegmonem*, *eryſipelas*, *Oëdema* & *ſcirrhum* variaſque eorum mixturas, undè phlegmone eryſipelatodes, œdematodes, ſchirrhodes, eryſipelas phlegmonodes, œdematodes, & ſchirrhodes, œdema phlegmatodes, ſchirrhodes & eryſipelatodes enaſcuntur, non ſine ratione graviter perſtrinxit, quia nituntur hæ diviſiones labili fundamentô quatuor humorum in ſanguine prædominantium, ſanguinis nempè ſtrictè ſic dicti, bilis flavæ, atræ atque phlegmatis, qui cùm nullibi ſub eâ formâ in ſanguine compareant, fruſtrà etiam tumorum diviſioni pro fundamentô ſubſternuntur. Intereà tamen ſi huic doctrinæ veterum rationali explicatione ſubveniatur, adparebit, eam utcunquè tolerari poſſe. Atque ità *Cornelium* Noſtrum in deſtruendô veterum ædificiô chirurgicô ſic ſatis felicem fuiſſe, hactenùs vidimus: Quod ſi eâdem felicitate *novum* denuò exſtruxerit, meritò habebimus, quod ipſi gratulemur. Habemus verò juſtiſſimas metuendi cauſas, nè infeliciùs denuò extruat, quod feliciter deſtruxit. Reprehendere ſemper faciliùs ea, quàm imitari vel in melius convertere. Quam imprimis ſuſpicionem nobis ſubminiſtrant varii illi, iique planè fundamentales errores practici, quos eô ipsô commiſit, dum maximè laborabat, communem Chirurgorum praxin falſifatis manifeſtæ & ingentium abuſuum inſimulare. Producemus autem quædam hujus rei ſpecimina. Primus iſque fundamentalis practicus error eſt, quod omnem Venæſectionem ſeu miſſionem ſanguinis artificialem, ejuſdem evacuandi cauſâ inſtitutam, *deleteriam*, *crudelem*, & prout *Helmontius* deliravit, planè *diabolicam* ac proindè ex praxi medico-chirurgicâ eliminandam, proclamaverit, futiles planè ob rationes nulliuſque momenti, quòd nempè ſanguis ſit balſamum vitæ & oleum flammulæ vitalis, quô extinctô vel deficiente ipsâ quoque vita exſtinguatur & deficiat. Quis verò non videt, quod hic error ſit infelix filia alteriùs, quem de plethorâ nullibi exiſtente jam anteâ refutavimus. Neque verò putandum eſt, quòd *Cornelius Noſter* primus fuerit, qui contra uſum venæſectionis ad ravim uſque declamaverit; Novimus enim, *Eraſiſtratum*, jam ſuô tempore venæſectionem condemnâſſe, cujus tamen impetum *Galenus* efficaciter repreſſit. Interim novioribus temporibus ſuos paſſim invenit admiratores et aſſeclas, *Helmontium*, *Grembſium*, *Holterhoſium*, *Engelbertum*, & imprimis *Noſtrum*; qui à diverſi colori vaccâ lepidum nomen habet. Si experientiam prudenter conſuluiſſet, procul dubiò obſervaturus fuiſſet, quòd Hiſpani, Itali, Galli, Helvetii, & ex parte ipſi Germani quotidiè ſummô cum ægrotantium levamine tam præſervatoriô quam curatoriô ſcopô venæſectionem ſuſcipiant, & tamen ſub manifeſtô quandoque hujus Chirurgiæ abuſû tam deleteria, qualia illæ fabulatur, conſectaria non experiantur. Quid igitùr ſub ſollicitô & circumſpectô atque prudente ejuſdem uſu metuendum ſit, vix adparet. Interim videmus, quorſum præjudiciorum ſemel imbibitorum efficatia hominem ſeducere valeat! Huic meritò ad latus jungimus, quòd ex eôdem fundamentô omnes miſſiones ſanguinis particulares & electivas, intuitû regionum corporis, prout vel in ſuperioribus vel inferioribus adminiſtrandæ ſunt, negaverit, v. g. quòd in hæmoptyſi v. ſ. in pede inſtitutâ nullam ſingularem præ illâ brachiorum habeat prærogativam, Undè verò eſt, quòd puellis menſtruorum fluxû actû laborantibus, Vena in ſuperioribus ſecta, menſes pertinaciter ſubſiſtant, aliis verò hôc ſolo remediô veluti miraculosè revocentur? Quod interdum pertinaciſſimæ cephalalgiæ à congeſtionibus ſanguinis verſus ſuperiora dependentes, ad incantamentum uſque ſiſtantur, demulceantur ac tandem profligentur, v. ſ. in inferioribus adminiſtrata, ſi v. ſ. electiva, reſpectû ad regiones corporis habitô, non peculiarem haberet efficaciam? ſicuti autem admiſsô unô abſurdô facilè plura conſequuntur: Ità plethoræ abſoluta negatio induxit autorem ad negandam *venæſectionem* non tantùm *univerſalem*, ſed & *particularem*, ſcopô imprimis *revulſoriô* ac *derivatoriô* inſtitutam. Fruſtrà enim inadvertentiæ vel imprudentiæ inſimulantur Antiqui, quod, experientiâ ubiquè Duce, doctrinam de *revulſione ac derivatione* tam fortitèr & maſculè propugnaverint. Quod enim iſta veterum ſententia partim à priori cum legibus circulationis ſanguinis non pugnet, partim à poſteriori innumeris prorſùs exemplis practicis quotidiè occurrentibus ejuſdem veritas demonſtrari queat, coëpi duabus diſſertationibus Academicis de *Revellentibus ac Derivantibus* eorumque rationali explicatione oſtendere, & duabus aliis inſequentibus ſuô tempore probare pergam. Ex iiſdem planè fundamentis rejecit quoque decantatiſſimum & Practicis notiſſimum uſum & efficaciam hirudinum & cucurbitularum, nempè ſcarificatarum: Quid enim hirudines valeant in variis ſonticis caſibus, paſſim adnotatum videas à Practicis, quorum obſervationes ſedulo collectas in compendiô exhibuit *Stahlius* in Diſputatione de

de *ſanguiſugis*, & quod ſcarificationis utilitatem attinet, ſingularibus exemplis à me declaratum eſt in modò citatis Diſputationibus de Practicâ veritate Revellentium ac Derivantium. Doctrinam de criſibus diebuſque criticis miror, cùr inter fabulas retulerit? Exiſtimat enim, nullam unquam criſin obſervatam iri, ſi morbi in primâ ſtatim, ut loquuntur, herbâ per vomitoria, purgantia, ſudorifera &c. ſuffocarentur. An verò poſſibile eſt, veteres ad unum omnes, ipſo *Hippocrate* auctore, atque Hodegô, tam ſtrenuè deliràſſe, quòd ad criſes dieſque criticos in morbis acutis tam ſolerter attendendum eſſe juſſerit, imo ipſemet attenderit? vel an hodièque tot practicorum millia ſuaviter inſaniunt, ſi veterum veſtigia ſequuti in iiſdem morbis potiùs naturæ conatus obſervent, quàm inconditis artificiis eandem ab opere ſuſcipiendô avocent? Certè aut omnes veteres cum pleriſque recentioribus practicis ſtulti fuerunt, aut *Cornelius* atrâ bile laboravit, dignus propterea, cui bonus hauſtus hellebori nigri propinaretur. Sed quod & hoc ei profecerit, qui nec bilem atram credidit? Atque ex hiſce veluti unguibus leonem cognoſcere licebit, quidque de tali Chirurgiæ reformatore ſibi polliceri integrum ſit. Multas veterum præjudicatas & altiſſimè radicatas opiniones eorumque inſufficientiam, imo falſitatem *Noſtrum* deteхiſſe, multas è contrà veritates perſpexiſſe, & univerſum veterum ædificium præconceptis iſtis opinionibus ſuperſtructum feliciter eundem deſtruxiſſe, non inficior: Meliorem verò viam ipſum ingreſſum & in locum diruti veteris novum ſpectabilius, idemque firmius & conſtantius ædificium exſtruxiſſe, nemo facilè crediderit. *Gœlike Hiſt. Chir. p. 285.*

De eô prætereà habentur in Actis Lipſienſibus an. 1683. p. 354.

Diatriba De Febribus, in quâ Autor Complures Medicorum, Antiquorum juxta ac Recentiorum, detegit errores, cum ratione earundem Theoriæ, tum Praxeos, Belgicè conſcripta à D. Corneliô Bontekoë, ac Latinitate donata à Janô Gehemâ. Hagæ Comitis 1683. in 8.

MEdici atque Scriptores famigeratiſſimi opuſculum hoc eſt, illius ſcilicèt, qui ſub idiomate Batavô diverſos hactenùs libros, *de Herbâ Thèe, Caffè ac Chocolatâ, Novam Chirurgiæ ſtructuram &c.* publicô mancipavit. Ante aliquot quoque jamdum annos Diatriba hæc eôdem ab Autore vernaculô idiomate typis exſcripta fuit, itâ quidem, ùt editionis quartæ præſens verſio exiſtat, ipsô originali in diverſis locis paulò magis ſuccincta. Scilicèt ſicut in reliquis ſuis ſcriptis Bontekoë ſcholarum æquè medicarum ac praxeos errores caſtigare contendit, ſic febrium quoque doctrinam hiſque medendi methodum vulgarem examinat, utramque verò plurimas quoad circumſtantias inſulſam, ineptam, imò mortiferam pronunciat; Veterum æquè ac nonnullorum Neotericorum, V.G. Williſii, Sylvii &c. febris definitiones, differentias, & cauſas impugnans, ac curandi rationem (ſi Sylvii,quam præ aliis commendat, excipias) hactenùs uſitatam, & falſæ & theoriæ innitentem, ſummoperè deteſtans. Occaſione hâc, & dùm febris eſſentiam non in calore præternaturali conſiſtere probat, in Causô v. g. calorem naturali longè minorem paradoxè ſatis aſſerit: Williſii hypotheſin ubi examinat, fermentionem vulgarem, & qualis vino aut cereviſiæ ſolennis, in humoribus noſtris concipi haud poſſe ait. Pariter, quaſi in parentheſi, Sylvii hypotheſin de naturâ & cauſâ peſtis, imò quoad poſteriorem omnes Scriptores impugnat. Experientiam, quam vulgus practicorum prætendere quoque contra novatores eâque ſe munire ſolent, egregiè diſpellit; Refrigerantia & venæſectionemac purgationem & venæſectionem ac purgationem damnat; Chinæ Chinæ uſum contra eoſdem vindicat;hiſque demùm Epiſtolam provocatoriam ad Chymiæ oſores ſubnectit.

Ibidem ann. eôd. p. 355.

Fragmenta, Dienende tot een Onderwys van de Bewginge en Vyandſcap, of liever Vrindſchap van het Acidum met het Alcali &c.

id eſt

Fragmenta, Motum & Hoſtilitatem, ſeu potiùs Amicitiam Acidi & Alcali, ſimulque Phlegmatis, ſpiritûs Olei, ſulphuris, Terræ ac Capitis mortui naturam declarantia. Item Fundamentum Medicinæ & Chirurgiæ, Autore Cornelio Bontekoë, M. D. Hagæ Comitis, 1683. in 8.

QUem in gratiam Chirurgorum ſaltem publici juris factum libellum præfatio hujus ediſſerit,illum nec Medicinæ Tyronibus inutilem judicamus, quatenùs præter fundamenta chymica, totius ferè Medicinæ practicæ theoremata generalia ſuggerit. In capite ſiquidem primô hujuſque Appendice, duo genera ſalium, ut principia rerum activa, *Alcali & Acidum*, aſſerit Autor, horumque naturam, differentiam & habitudines, quas in ſe invicem, & in alia concretâ, efferveſcendo, præcipitando, ac fermentando, exercent, exponit, *Dn. Lemery Curſum Chymicum* hujuſque manuductionem in his ſequendo. Oleum ſeu ſulphur è principiorum naturalium numerô delet, quòd ex acido & alcali componâtur: quamvis ſimul fateatur, peculiarem adhùc olei texturam ſubeſſe quæ nos fugiat. Pariter ſpiritum nihil peculiare ab alcali, acidô,oleô & aquâ habere,adeòque ſimplicioris corporis nomen nullô jure mereri, oſtendit: ac tandèm ſalibus illis binis, Aquam, Pingue, & Terram ſeu CaputMortuum,ut principia rerum adæquata,addit.

In ſecundô capite,Operationes chymicas ſub triplici, Mundationis, Comminutionis,& Compoſitionis claſſe, exponit. In tertiô verò præparata recenſet, horumque ſelectum commendat, ſalis tartari volatilis & ſalis volatilis oleoſi Sylviani famæ non parùm ſubtrahendo.

In capite quartô ſimplicium, è tribus Regnis petitorum, medicaminum catalogum exhibet, de horum virtutibus horumque ætiologiis ſimul differendo, ac illorum farraginem damnando. Ita V. G. gemmas, præprimis calcinatas, è pharmacopoliis proſcribit, cryſtallum tantùm montanum, utpotè reliquarum gemmarum materiam, & poſt hunc lapidem nephriticum ac ſmaragdum martialem commendat; margaritis, ſi corallia præſtò fuerint, Practicum carere poſſe ait. Ex lapidibus minùs pretioſis, paucis ſaltem, ſcilicèt calcariô, calaminari, hæmatite, pumice & ſpongiâ, hunc opus habere putat: quibus tamen talcum adhuc addit, utpotè ſulphure quôdam ſolari ſcatens. Inter Metalla ferrô potiſſimas; pauciores plumbô, cuprô & ſtannô; nullas argentô ac aurô, concedit virtutes: hujus Tincturis ac panacæis cinabarim & ſulphur antimonii ritè præparatum longè anteponens. Mercurii commoda atque incommoda explicat, eumque ad libras duas, imò tres, internè abſque ullô periculô propinari poſſe, docet: inprimis verò ejus vim ſalivatoriam, quam acidis combinatus exerit, ab ejus corroſivitate & glādulas oris exulcerandi ratione derivat.Spiritum ſulphuris ſatis paradoxè venenum potiùs,quā medicamentū pronunciat; ſperma Ceti verò è mineraliū ſerie relegat,haud tamē ſemen balænæ ſed,

ſed cerebrum cujuſdam piſcis, Microcephalos dicti pro materiâ agnoſcere aſſerit, quòd exſiccatum cum lixiviô calcis vivæ, certâ ratione in pinguedinem ſaponi ſimilem redigatur.

In *Fundamento Medicinæ* Autor primò quaſdam de naturâ corporis propoſitiones phyſicas exponit; deindè morborum naturam & differentias generales æquè ac ſpeciales, item ſymptomata recenſet, adeoquè pathologum agit. Sequitur hæc methodus medendi, cujus occaſione temperantium ſeu alterantium, ſudoriferorum, diureticorum, catharcticorum, emeticorum atque anodynorum, tanquàm ſex remediorum internorum capitum, ætiologiam & applicandi modum tradit.

Ibidem annô 1688. *p.* 487.

C. Bontekoë Metaphiſica; Ejuſdemque de Motû liber ſingularis nec non Oeconomia animalis. Accedit A. Geulincx Phyſica vera. Lugduni Batav. 1688. *apud Joh. de Vivie & F. Haaring.*

QUos editoris cura hâc editione conjunxit, tractatus poſthumi ſunt omnes, eorumque ultimus, qui *Phyſicâ vera* inſcribitur, Arnoldum Geulincx, Profeſſorem quondam Leidenſem parentem agnoſcit, reliqui verò Corn. Bontekoë, Archiatrum Brandeburgicum, eruditione pariter & fatô infelici ſatis nobilem. Quemadmodum verò parentum amor vix ſolet concedere, ùt liberi ſui aliorum conſpectui exponantur, niſi elegantiùs paulò cómti & adornati; ità dubium dullum eſt, hos ipſos ingeniorum foetus nitidiori habitû prodituros fuiſſe in lucem, niſi mortis acerbitas aliorum tutelæ ipſos ſubjeciſſet. Sed ipſa tractatuum argumenta videamus. Primus *metaphyſicas* quaſdam meditationes continet, in quibus Autor, poſtquàm concluſerat ſe exiſtere & cogitare, mentis atque corporis ſui proprietates paucis conſiderat; deindè verò ad Deum evehitur, cujus attributa contemplatur, mox tamen ad corpus ſeu materiam regreditur, ejuſque proprietates generales ad mentem Carteſii explicat. Cùm verò initiô meditationum ſuarum ſupponat, omnia eſſe falſa, ſollicitè ſtatim inculcat, plurimùm differre, ſupponere & affirmare, & illud ſemper licere, adeòque nec peccati, nec periculi plenam eſſe ſuppoſitionem, non dari Deum. Id enim tantùm agi, ùt ex hôc ſuppoſitô quid ſequatur, oſtendamus; quòd ſi jam falſa & abſurda concluſio exindè emanet, ſuppoſitionis abſurditatem quoque evictam eſſe, ejuſque contradictoriam firmô ſtare talô. Secundus Dn. Bontekoë tractatus de *motû* agit, maximam philoſophiæ naturalis partem ſex capitibus comprehendens. Primum enim ſimplices motuum differentias recenſet. Secundum omnem motum à fluidis dependere probat, nec non omnia ſolida ex fluidis orta eſſe, perpetuamque fluidorum in ſolida, & ſolidorum in fluida converſionem oſtendit. Tertium cauſas motûs ejuſque continuationem & interitum, nec non gravitatem & elaſticitatem contemplatur, & projecta à fluidâ quâdam materiâ deferri aſſerit. Utrùm verò æqualis motûs quantitas in mundô ſemper detur, ex phœnomenis determinari poſſe negatur. Capite quartô de fermentatione & effervescentiâ, nec non de putrefactione agitur. Cùm verò in omnibus hiſce particulæ ſalinæ non minimam mereantur conſiderationem, in earum naturam inquiritur, illæque ab acidis diſtinguuntur, quùm ſalinæ quidèm ſint oblongæ, rigidæ, pungentes & in aquâ ſolubiles, acidæ verò breves, ſcindentes & aquâ ſemper ſolutæ. Quintum caput explicationi fluiditatis atque firmitatis corporum inſumitur, ità tamen ùt Carteſium, quem in reliquis haud obſcurè ſequitur Auctor, jam deſerat, ſoliditatem corporum non à nudâ quiete, ſed à preſſione fluidi ambientis, conjunctâ cum certâ particularum, ex quibus corpus componitur, magnitudine & figurâ deducat. Nactus verò occaſionem de ſale rursûs agendi, id ipſum non eſſe productum ignis, contra recentiores quoſdam defendit, ſubjiciens: unicum tantùmmodò ſal dari in rerum naturâ, ſub multiplici tamen formâ adparens ob mixturam aliarum particularum: fixum enim fieri ex additione acidi inter comburendum factâ, licèt naturâ ſuâ volatile ſit. Capite ultimô de motû, qui ignem conſtituit, diſſeritur, & vitrificationis quoque ratio exponitur. Vis autem illa diſſolvendi, urendi & calcinandi, quæ in igne deprehenditur, à particulis acidis & ſalinis in igne exiſtentibus derivatur. Ad quæſtionem, num Sol ignis ſit, negativè reſpondetur, quippè cùm ignis ex ſubtili & terreſtri materiâ, Sol verò ex ſolâ materiâ ſubtili conſtet.

In *Oëconomiâ animali* ab aſſumptione nutrimentorum initium ducit Autor, & digeſtione conſideratâ ſucci nutritii iter proſequitur, quem in ventriculis cordis per aliquam fermentationem & effervescentiam immutari negat. Deinde ad motum ſanguinis circularem progreditur, qui juxta ipſius computum ferè tredecim vicibus horæ ſpatiô abſolvitur, ità ùt eadem ſanguinis quantitas ab utrôque cordis ventriculô & recipiatur & emittatur, licèt in demortuis animalibus dextri cavitas ferè duplô major deprehendatur. Porrò cauſas hujus circuitûs inveſtigat, & diaſtolem cordis partim à ſanguine thalamis immiſſô, partim à motû reſtitutionis, quâ parietes contracti reſiliunt; ſyſtolen verò à totô muſculô cordis ab influente ſuccô nerveô inflatô derivat, nec non aërem inſpiratum, qui elaſticitate ſuâ ſanguinem in arteriâ & venâ pulmonali premit, in numerum cauſarum reliquarum refert. Cùm verò à motû ſanguinis pendeat calor, nutritio & accretio, ſecretio ſuccorum, ſenſus, memoria, ingenium, ſomnus & vigilia, nec non motus tam voluntarii quàm involuntarii, hinc ordine quoque de illis agit. Licèt autem varias cauſas afferat, quæ calorem noſtrum conſervant & augent, fontem tamen ejuſdem non cor, ſed ſtomachum eſſe prolixè ſatis aſtruit. Cætera eò redeunt: Nutritionem, quæ tota ferè in ſuccorum deperditorum reſtitutione conſiſtit, non à ſanguine fieri, quippè qui non ſit chyli perfectior pars, ſed tantùm ejuſdem reliquiæ motû alteratæ & calore rubrô ſaturatæ à ſale volatili, quem cum aëre inſpiramus, quique blandam quandam effervescentiam in ſanguine excitat. Secretionem omnem fieri per tubulos. Senſibus quinque vulgaribus alios tres adjiciendos eſſe, famem, ſitim & voluptatem veneream. Carteſium vulgari errore abreptum fuiſſe, cùm ſenſus in externos & internos diſtinxit, & ſenſorium aliquod commune, glandulam pinealem, ſtatuit. Sufficere enim ex preſſione externâ ortum in ſuccô nerveô motum, qui deindè alium in cerebrô excitat, cui cogitatio ſeu perceptio animæ noſtræ conjungitur. Memoriæ organum eſſe totam medullam cerebri cum ſuccô nerveô, exceptâ eâ parte, ubi ſuccus nerveus in nervos ſenſorios & motorios influit. Ingenii bonitatem conſiſtere in debitâ tubulorum cerebri flexibilitate, cum ſubtilitate & mobilitate ſucci nervei & cæterorum humorum. Somni cauſam potiſſimam eſſe flacceſcentiam cerebri, & nervei ſucci incraſſationem aut defectum. Chylificationem meliùs pro-

cedere in dormientibus quàm vigilantibus, & hinc ſomnum à paſtû, æſtate & in calidis regionibus, eſſe ſaluberrimum. Non ſatis conſtare, quomodò motus muſculorum fiat, verò tamen proximum eſſe, muſculorum ventres non compoſitos ex fibris, ſed tubulis tùm nerveis tùm arterioſis, qui à ſanguine & ſuccô nerveô expandantur, ut muſculus intumeſcat. Motum reſpirationis etiam conducere ad id, ùt à particulis aëreis elaſticis debita ſuccis noſtris concilietur expanſio, quâ ablatâ in valetudinariis atmoſphæræ incumbentis pondus ſtatim ſentiatur. Alternas ſemper vices reſpirationis, & totidèm alternas cordis motiones eſſe debere, & exſpirationem cum cordis contractione, inſpirationem cum ejus dilatatione eſſe conjunctam. Hiſce paulò prolixiùs propoſitis, tandèm de generatione quædam adjicit Autor, & poſtquàm monuerat, vix ullum dari certum conceptionis ſignum, quæſtionem reſolvit. Cur mulieribus non impraegnatis fluant menſtrua, eademque ceſſent, quandò fœtum geſtant. Id enim ex eô oriri putat, quòd menſtruô ſemper ſpatiô propullulent ex uterô ramuli arteriolarum, qui in gravidis in placentam inſerantur, in non gravidis verò ſanguinem emittant per aliquot dies, donec multô ſanguine evacuatô, oſcula & extremitates eorum flacceſcant, concidant & obdurentur. Foëtum in uterô altô ſopitum ſomnô jacere exiſtimat, eumque partûs tempore inſtante demùm evigilare, ex majore motû quem tunc edit, colligit. Ultimô locô illorum errorem caſtigat, qui medicamenta, lochia pellentia puerperis præſcribunt, quibus proſtratas ipſarum vires porrò conſumant & tantùm non exſtinguant.

Arnoldi Geulincx Phyſica ſex comprehenditur tractatibus, quorum I. de Corpore; II. de Motu; III. de Quiete; IV. de Hypotheſibus phyſicis; V. de Mundô magnô; VI. de Microcoſmô agit. In quibus quamvis nihil continëatur, quod in Carteſii ſcriptis jam pridèm fuſiùs propoſitum non fuerit; concinna tamen propoſitionum diſpoſitio, cum gratâ brevitate conjuncta, ſuam laudem meretur.

BONTIUS (*Jacobus*,) Roterodamenſis.

De eô exſtant

De Medicinâ Indorum Libri quatuor. I. Notæ in Garciam ab Ortâ. II. De Diætâ Sanorum. III. Methodus Medendi Indica. IV. Obſervationes è Cadaveribus. Lugd. Batav. apud Franciſcum Hakium, 1642. in 12. Amſtelodami, 1658. in 12. Extat quoque cum Medicinâ Ægyptiorum *Proſperi Alpini*. Pariſiis, apud viduam Guil. Pelè, 1646. in 4. Extat iterùm cum *Proſperi Alpini* Medicinâ Ægyptiorum & Libris de Balſamo & Rhaponſico editio nova, Lugd. Batav. ex offic. Bouteſteinianâ 1719. in 4.

Opuſcula varia. I. De Conſervandâ Valetudine. II. Methodus Medendi. III. Obſervationes in cadaveribus. IV. Notæ in Garciam ab Ortâ. V. Hiſtoria Animalium. VI. Hiſtoria Plantarum. Ultimis his ſparſim inſeruit Guil. Piſo Annotationes, & Additiones quoad Icones atque res neceſſarias. Extant cum ejuſdem Piſonis de utriuſque Indiæ Rebus Lib. XIV. Amſtelædami apud Lud. & Dan. Elzevirios, 1658. in fol.

BONUS (*Joh. Philippus*) Platienſis, Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor præſtantiſſimus, ob exageratam doctrinæ laudem inter celebriores ævi ſui litteratos cooptatus enituit. In Patavinô lyceô, magnâ cum laude publicè docuit. Poëticâ facultate inſignis, Poëtæ laureati titulum promeruit. Clariſſimô nomine floruit annô 1573. Laudant Joannem, Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan.* *pag.* 105. Joannes Paulus Chiarandanus *in histor. Platiæ Lib.* 4. *Cap.* 3. *pag.* 265. & Didacus de Maſtrô *in Causâ Medicorum Poëtar. pag.* 57. Edidit librum

De Concordantiis Philoſophiæ, & Medicinæ. Venetiis 1573. in 4. *Anton. Mongitor. Bibl. ſicul. p.* 360.

BONVINIUS (*Elias*) Vratiſlavienſis.

Ex eô habetur

De Theriacâ Liber, quô de Theriacæ deſcriptione, ingredientium delectû, quantitate, præparatione, ipſius deniquè Antidoti Compoſitione, ex Andromachi ſenioris mente, agitur. Vratiſlaviæ, apud Georgium Bauman. 1610. in 8.

BOODT, *Vid.* Boëtius.

BOOTIUS (*Arnoldus*)

De eô exſtant

Obſervationes Medicæ, de Affectibus omiſſis; videlicèt, de Abſceſsû Hypocraneô: De Vomicâ Hypocraneâ: De Vomicâ cerebri: De ſuturarum Diſceſſione: De capitis Diſtortione: De Epilepſiâ Procurſivâ: De Oris Hæmorrhagiâ periodicâ: De Linguæ ardore & ſiccitate extra Febres: De Lippitudine Mucaginosâ: De Labroſulciô, ſeu Cheilocace: De ſterni Dolore: De Tabe pectoreâ; Londini, apud Thomam Withaker, & Thom. Neucomb. 1649. in 12. ſecundùm editæ cum præfatione Henrici Melbomii. Helmſtadii, apud Henningum Mullerum, 1664. in 4. Exſtant etiam cum Petri Borelli Hiſtoriarum & Obſervationum Medico-Phyſicarum Centuriis IV. Francofurti & Lipſiæ, apud Laurent. Sigiſmundum Cörnerum, Bibl. Lipſ. 1676. in 8.

BORDINGUS (*Jacobus*)

Ex eô habentur

Phyſiologia, Hygieine, Pathologia, prout has Medicinæ Partes in Academiis Roſtochienſi & Hafnienſi publicè enarravit. Roſtochii, apud Steph. Miliandrum, 1591. in 8.

Enarrationes in ſex Libros Galeni de tuendâ ſanitate. Acceſsêre Autoris Conſilia quædam illuſtriſſimis Principibus præſcripta. Roſtochii, apud Laurent. Albertum, 1505. in 4.

BORDONUS (*Benevenutus*,) Patavinus.

De eô exſtat

Diſputatio, continens Theoremata Logica, Mathematica, Naturalia, & Medica. Patavii 1563. in 4.

BORELLUS (*Joh. Alphonſus*) Neapolitanus.

Ex eô habentur in Lindeniô Renovatô

De Renum uſû Judicium. Exſtat cum Laurentii Bellini de ſtructurâ Renum Obſervatione Anatomicâ, ſeorsìm editâ. Argentorati, apud Simonem Pauli, 1664. in 8.

Tractatus de Vi Percuſſionis. Bononiæ, 1667. in 4.

Hiſtoria & Meteorologia Incendii Æthnæi, 1669. Acceſſit Reſponſio ad Cenſuras R. P. Honorati Fabri contra librum Authoris de Vi Percuſſionis. Regii Julii, 1670. in 4.

De motionibus naturalibus à gravitate pendentibus. Bononiæ, 1670. in 4.

De Motû animalium Opus Poſthumum. Exſtat cum Danielis Le Clerc & Joh. Jac Mangeti Bibliothecâ Anatom. Genevæ, ap. Joh. Anton. Choüet, 1685. in fol.

De eô præterea exſtant in Actis Lipſienſibus ann. 1682. pag. 351.

De motû Animalium Johannis Alphonſi Borelli, Neapolitani, Matheſeos Profeſſoris, opus poſthumum. Pars prima. Romæ, 1680. *in* 4.

SI ex ungue leonem dignoſcimus, ex ſcripti præſentis poſthumi Autore ſtatim quoque de præſtantiâ illius, quantùmque hoc ab aliorum hujus ſeculi ſcriptitantium partubus diſtet, augurari licebit; ut potè quem alia jamdùm edita præclara opera, ſcilicèt *Tractatus de febrium malignarum Cauſis, Euclides reſtitutus, Commentarius in Apollonii Pergæi Conicorum Libros 5. 6. & 7. Theoricæ Medicorum planetarum, de vi percuſſionis, de incendiô montis Ætnæ ann. 1669. ac de motionibus naturalibus à gravitate pendentibus*, poſteritati feræ non minùs, ac Eruditis noſtri temporis, commendabunt. Poſt tot itàque Borelli noſtri doctiſſima ſcripta conſummatum tandèm præſens hôc de motu animaliumopus, poſt Autoris fata, auſpiciis *Chriſtinæ Succiæ Reginæ*, curante verò *Carolo Jo. à Jeſû, Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum piarum Præpoſito generali*, publicam in lucem prodiit, cui ſimile, in hôc quidem argumenti genere, viſum hactenùs non eſt. Quamvis enim plurimi ex antiquis æquè ac recentioribus Scriptoribus quàm perſpicaciſſimi de motibus animalium egerint, nemo tamen eorum hâc ratione rem aggreſſus eſt, prout Borellus felici ſatis ſucceſſû fecit, totam animalem œconomiam ſub tractatione hâc complexus, ac propoſitis innumeris problematibus, egregii ſcitûque jucundis, iiſdemque per mechanicas demonſtrationes declaratis, quæ tetigit hactenus nemo, aut tractare certe eâ ratione nemo ſeu curavit, ſeu potuit; ità ùt impoſterum hæc etiam phyſices pars Mathematicis demonſtrationibus ornata, non minùs quàm Aſtronomia, inter Phyſico-Mathematicas diſciplinas recenſeri queat.

Diviſit Auctor opus in duas partes, quarum prima annô 1680. edita, de conſpicuis animalium motionibus, i. e. de externarum partium & artuum flexionibus, ac extenſionibus, ac tandèm de totiûs corporis molis ab unô ad alium locum tranſlatione triplici, ſcilicèt greſſû, volatû, & natatû, agit: Altera demùm annô 1681. lucem publicam vidit, & cauſas motûs muſculorum, ac motionum internarum, nempè humorum per vaſa & viſcera, rationes explicat.

Quoad primum ergo volumen, in hôc ante omnia muſculorum fabricam & figuram declarat, horum ſpecies recenſet, actionemque explicat, ac ſimul *Stenonis* de illorum ſtructurâ & operandi ratione dogma examinat atque redarguit. Quô factô muſculos duplicem vim præſtare ſupponit, unam quæ ab ipſâ fibrarum illorum ſtructurâ dependeat, & quam contra ſuos antagoniſtas exerant, fibris propriam dicendam: alteram, quæ à causâ extrinſecùs impellente, ſeu ab imperiô voluntatis emanet, & in contractione validiſſimâ ac voluntariâ conſiſtat, vitalem ideò appellandam.

Quamvis autem prioris virtutis motivæ quaſdam reliquias paulò poſt mortem quoque animalis reſtitare, evidens ſit, exiguum tamen ſatis illarum gradum eſſe, indè colligit, quòd à pondere paucarum librarum illa vis ſuperari valeat. E contrà ratione poſterioris ſeu vitalis virtutis, quam vulgò quidèm cum priore confundunt, gradus, veteres erràſſe cenſet Noſter, dum ope machinæ muſcularis, debili vi motivâ totum animalis corpus notabiliter grave ſuſtineri ac impelli, imò ingentia pondera ſublevari, docuerant: contrarium potiùs aſſerens, magnâ nimirùm virtute parva pondera elevari ac ſuſtineri, ità ùt multotiès virtus motiva centies & millies pondus oſſium & articulorum movendorum ſuperet, nunquàm verò illô minor exiſtat, quod per potiſſimum primæ hujus partis tractum variis theorematibus ac lemmatibus mathematicis prolixè confirmat.

Atque hoc dùm præſtat, inter alia phœnomeni illius Anatomici, cur tendines muſculorum non in capitibus aut extremitatibus oſſium articulandorum, ſed in eorum productionibus, propè articulum, & quidèm directione ad ejuſdem oſſis longitudinem obliquâ, alligentur? Hinc, in ſpecie, potentiæ motivæ muſculorum nonnullorum, V. G. cubitum ac tibiam flectentium, femur extendentium, deltoidis, ac maxillam flectentium atque manſoriorum ſtructuram ac vires mirandas determinat, & poſteriorum quidèm potentiam motivam in homine ferè librarum 534. v.m, in brutis autem, V. G. canibus, leonibus &c. propter roſtrum horum oblongius, potentiam librarum 1350. ſuperare (ſtupendam ſanè) evincit. Pariter vim motivam muſculorum intercoſtalium, poſtquam thoracis & maxillarum conformitatem atque difformitatem expoſuerat indagare contendit, & fibrarum omnium muſculorum intercoſtalium multitudinem duplô fibras muſculorum temporalium & maſſeterum ſuperare, illarumque inclinationem anguli ſemirecti, qui vires in proportione ſeſqui alterâ auget, attendens, vim muſculorum intercoſtalium humanorum reſiſtentiam ponderis 1068. librarum ſuperare infert: in parentheſi quaſi allegans experimentum in Angliâ ſuperioribus annis factum, quô pondere librarum 100. ſuper veſicam ſuillam aëre ſemiplenam impoſitô, nihilominùs hanc ab aëre, è thorace hominis gracilis inſufflatô, diſtentam, ſimulque grande illud pondus elevatum fuiſſe obſervârunt. Imò poſtmodum ſeſe corrigit, & vim motivam abſolutam muſculorum temporalium ac manſoriorum in homine non minorem eſſe vi ponderis librarum 16020. intercoſtalium verò potentiam proximè accedere aſſerit ad potentiam ponderis 32040. librarum. Atque his peractis progreditur Autor ad operationes ipſas partium & totius animalis, ſc. motus artuum varios atque hinc reſultantes corporis agitationes, præprimis verò greſſum, volatum & natatum, horumque modos & rationes exponit iis præmittendo doctrinam de ſtatione, cùm greſſus quoque animalium ſtando peragatur. Quâ occaſione diverſa, ab aliis intacta, aut certè minùs adæquatè reſoluta proponit atque exponit problemata, inter quæ obſervantur: Cur ſtando alternis pedibus, minùs defatigemur, quàm quandò ab ambobus ſimul fulcimur? Quare aves unô pede innixæ commodius ſtent, quam homines? Quare aves ſtando, ramis arborum comprehenſis, abſque ruinâ quieſcant ac dormiant? Cur ſexipedes & multipedes majore labore, quàm quadrupedes, ſtent?

De greſsû animalium dum diſſerit, rationes reddit, cur inceſſus per locum acclivem laborioſus & moleſtus magis, quàm per planum horizontale, & deſcenſus per declivia paulò laborioſior, quàm per idem planum, pariterque modum explicat, quomodo inceſſus hominum calopodiis ferratis inſtructorum per glaciem fiat? Porrò, vim motivam, in homine ſaltum producentem, ter millies ferè ejus pondus ſuperare, demonſtrat: & quâ ratione muſcæ, formicæ, ſimiliave inſecta pronis ſuperficiebus vitreis lævigatis adhæreant, & per eas abſque delapsû procedant? inquirit.

Volatilium motus ubi tractat, docet, quomodò aër impulſui alarum illorum reſiſtat? Potentiam muſcu-

muſculorum alas flectentium pluſquàm deciès milliès pondere avis volantis majorem exiſtere: & impoſſibile eſſe, hominem propriis viribus artificiosè volare poſſe.

Natatum explicans inter alia diſquirit, quomodò piſces in medio profunditatis aquarum æquilibrati quieſcere queant? Eoſdem non vi pinnarum, ſed caudæ ſaltèm, natare, pinnis verò, præprimis duplicatis illis, quæ in duobus locis infimi eorum ventris extant, immobiles inniti & ſtare docet. Item, quare aves & animalia quadrupedia naturæ inſtinctû natent, homines verò naturali inſtinctû natare nequeant? Tandèm verò machinam novam, cujus ope homines aquæ diù immerſi reſpirare & vivere, imò ad ſui libitum ſub hâc ad inſtar piſcium moveri & quieſcere poſſint: nec non navis urinatoriæ fabricam novam & uſum delineat.

Ibidem ann. 1683. *p.* 32.

De Motû Animalium J. A. Borelli Neapolitani, Opus poſthumum. Pars altera. Romæ, 1681. *in* 4.

POſtquàm de externis Animalium motionibus, quas ſpontaneas communiter vocant, harumque viribus, ſeu de virtutis robore, quam natura in contrahendis muſculis, ac ſuperandis ipſis appenſis reſiſtentiis ſeu ponderibus adhibet, in *primâ*, elapſi anni menſe Novembri exhibitâ, parte Borellus egerat: in hâc *alterâ* primò immediatas mirabilium horum effectuum cauſas, hìnc motiones animalis internas, v. g. ſanguinis circulationem, reſpirationem, urinæ ſecretionem &c. exponit, unô verbô, integram quaſi œconomiam animalem, felici non minùs ſucceſſû, ac methodô planè mechanicâ atque probabili tradit.

Prius dum præſtare ſatagit, cùm contractio ſeu decurtatio actio muſculi primaria ſit, multis nihilominùs modis fieri queat, inquirit, quinam horum poſſibiles & huic negotio congrui magis ſint. Negat ſiquidèm, muſculum contrahi per ſimplicem ac talem fibrarum ſuarum tractionem, quâ pondera à funibus ſublevantur: negat, idem fieri à virtute quâdam elaſticâ ejus fibris propriâ: pariter, nec muſculos tendi ac indurari putat, ob quietem ſuarum partium, nec per exſiccationem aut alterationem illi ſimilem, qualis pilis torrefactis contigit; nec per corrugationem fibrarum, ut in lumbricis apparet, verùm non tam cauſa, quàm effectus contractionis muſculorum lumbrici internorum eſt. Tandèm autem, poſtquàm evicit, muſculos non per condenſationem longitudinis fibrarum & approximationem extremitatum ad invicem contrahi, concludit, illos indureſcere ac tendi per inflationem à corpore ſuperveniente, i. eſt: per incuneationem aliquam horum contractionem fieri.

Proin, rejectis cauſis contractionis muſculorum immediatis, quæ ab aliis hactenùs venditatæ, ſc. facultate Galenicorum locomotiva incorporeâ, ſpiritibus animalibus aëreis, itèm ſanguine aut ſuccô quôvis muſculi poroſitates influante, ſive à cordis vi impelli, ſive, perindè ac in contractione funis madidi, per aëris compreſſionem, aut propriô pondere immitti ſupponatur: veram hujus motûs ætiologiam declaraturus, duas cauſas ſocias ad eum requiri ſuſpicatur, unam intrinſecam magis, alteram forinſecùs ſupervenientem & à voluntate inſtillatam, quarum hæc priori ſuperveniens ſimile quid fermentationi aut ebullitioni moveat, quod ſubitaneam illam muſculorum inflationem contractoriam præſtet.

Extrinſecùs hoc ſuperveniens ſuccum Cerebri ſpirituoſum pronunciat, eumque per nervos cavos ac medullari ſubſtantiâ infarctos adduci, probabiliter ſatis ediſſerit: qui tamen ſibi relictus cùm ad inflationem illam efficiendam minùs adæquatus foret, de aliô quôdam ſubjectô ſeu concauſâ, ex cujus cum ſuccô nerveô contactû tale quid contingat, ſollicitus eſt hic ſcriptor, eamque lympham vel ſanguinem pronunciat. Ità quidèm, ùt hi ſucci ſalini ſimili ratione, ac alia diverſi generis ſalina concreta horumque fluores, per vices, à voluntate ſeu arbitriô determinatas, ebulliendo fibras muſculorum divellant ac diſtentant, adeòque abbreviationis horum cauſa vera exiſtant.

Quibus abſolutis, ſimulque difficultatibus, quibus theoria hæc impugnari poſſet declinatis, Motiones animalis internas tam naturales, quam mixtas, explicandas aggreditur, & primò quidèm Cordis & ſanguinis circulatorium motum. Sanguinem continuô motû per corpus ferri, licèt in corde interruptus hic appareat, docet, mox ſubnectendo, quâ ratione à corde inchoatus ad & per venas idem continuetur; illud quidem à fluidi moti gravitate, quæ augmentum ab impetû motûs proprii pariter ac ab impulsû cordis ſuſcipiat, ſanguinemque eâdem ratione mechanica, quâ ſyphunculi, ſpongiæ filtra, funes, & cuncta poroſa ab aquâ contiguâ madefiant, ad venas capillares cogat; hoc verò, à Venarum conſtrictione, quam vel harum fibræ, vel muſculi & viſcera ambientia, præſtent, valvulis maximè iſtarum parietibus internis affixis ſanguinem verſus cor potius dirigentibus, ejuſque regurgitationem, ad partes impedientibus. Atque horum occaſione à circulari hoc ſanguinis motû craſin ejus vitalem conſervari oſtendit, ſimulque, quâ neceſſitate natura tantâ celeritate (i. e. paulò majori ſpatiô, quam unâ vigeſimâ parte horæ) totum ſanguinis circuitum abſolvere cogatur, diverſis phœnomenis animalibus exponit, ac deniquè, quare per eaſdem vias reiterari ſæpiùs ſanguinis curſus debuerit, ſcilicèt ad flumen hujus vitale conſervandum, illud defoëçandum, chylum commiſcendum, reliquaſque oëconomiæ animalis functiones perficiendas, deducit Auctor.

Pro cordis autem motû explicando membrum hoc cum aliis Neotericis muſculum concipit, ex fibris maximè ſpiralibus coagmentatum, adeòque, non ſecùs ac cæteros muſculos, totam hujus ſubſtantiam, inflari, tendi ac indureſcere: ità tamen, ùt, turgeſcentia hæc fibrarum à naturâ non ad tractionem & approximationem extremorum terminorum ordinetur, ſed potiùs ùt fibræ inflatæ & turgidæ cavitates ventriculorum arctent & inſtar præli ſanguinem in his contentum exprimant, i. e. cordis, inſtar glomi excavati fibræ tumeſcentes ſinus illos repleant, figurâ cordis externâ haud immutatâ, neutiquàm verò, ut communis fert ſententia, ſuâ contractione illius parietes abbrevient ac illorum ſpatia conſtringant. Hinc uſum & actionem auricularum & valvularum cordis declaraturus, & cum Anatomicis aliis Venæ Cavæ extremitatem totam muſculoſam obſervans, hoc in eum finem factum auguratur, quò illâ ſuâ reſtrictione ſanguinem in obliquum auriculæ dextræ ſinum propellat, adjuta, ut ſuperiùs dictum, à totiûs ſui tractûs motu periſtalticô & muſculorum atque viſcerum repetitâ compreſſione, quod idem vena Pulmonalis ageret: uſque dùm utraque auricula vi ſuarum fibrarum contractivâ arctata oſtiis ſuis clauſis regreſſum ſanguinis ad venas ſufflaminent, hunc

huncque ad ventriculos elutrient, qui ſuâ plenitudine ſeu mole valvulas horum tricuſpidales ac mitrales inflando oſtia venarum dictarum exactè claudat, proin ſuæ reſilitioni obicem injiciat, à cordis verò præli compreſſione ad arterias urgeatur.

De Cæterô in propoſitione 56. & inſequentibus, præmiſſis nonnullis lemmatibus mechanicis, vim facultatis Cordis motivæ commenſurare ac ponderare ſuſcipit, & poſtquàm virtutis muſculorum reliquorum potentiam ex cognitione effectûs ſeu ponderis ab eô ſuſpenſi in *parte primâ* elicuerat, methodus nihilominùs hæc cordi adaptari haud poſſet: ex ſimilitudine potiùs & analogiâ, quam cor cum cæteris ejuſdem animalis muſculis habet, magnitudinem hujus effectûs conjicit; i. e. exiſtente cordis mole ferè æquali uniûs, v. g. temporalis, & maſſeteris muſculi, dùm horum vim præſciremus, probabiliter ſatis cordis vim motivam illi æqualem aſſerere poſſemus, i. e. tantam, quæ per ſe conſiderata, æquè ac muſculi illi maxillæ, majus pondus, quàm 3000. librarum, ſuſpendere poſſet: imò ulteriùs demonſtrat, cor ſuâ contractione majorem longè reſiſtentiam ſuperare, quàm ſit vis illa, quam ipſius cordis muſculi fibræ exercent, ſeu potentiam muſculi cordis minorem eſſe ejus momentô, quòd reſiſtentiam totius arteriarum ſanguinis & impedimentorum earundem dilationis ulterioris, adeòque vim ponderis 180000. librarum tranſcendat.

Tandèm in cauſas motum cordis efficientes dum inquirit, harum immediatam non differre ab eâ, quæ muſculos artuum movet, i. e. pariter hujus tenſionem ab ebullitione ſucci nervorum ſpirituoſi & ſanguinis, hìncque emergente inflatione, dependere, autumat *Borellus*: primam verò ac mediatam motionis cordis ab eâ, quæ muſculos artuum agitat, diſcrepare, quatenus muſculus cordis ſui juris videatur, & quôdam ſibi naturali inſtinctû moveatur, è contrà ex muſculis artuum illi & tunc ſaltèm, quos & quandò volumus, contrahantur. Et cùm enim concludendum veniat, non à voluntate, & abſque omni vellicatione ſuccum nerveum cordi inſtillari & pulſationes hujus reciprocas effici, de organicâ quâdam ſtructurâ cogitandum fore, tali, quæ paſſim in operationibus naturalibus obſervetur, & adæquata videatur ad phœnomena pulſationum cordis ſalvanda, quam hanc ſuſpicatur. Nimirùm quemadmodùm ſpongiæ, filtra aut fiſtulæ vitreæ anguſtiores, licèt fluore quôdam repletæ fuerint, hunc ex inferioribus ſuis orificiis non ſenſim, ſed guttatim & interpoſitis morulis emittant, & quidèm propter canaliculorum nimiam anguſtiam & liquoris aliqualem lentorem: ſic (quamvis non impoſſibile planè credat, motum cordis ab eâdem facultate animali cognoſcitivâ, ſed ſine advertentiâ ſeu actû reflexô, ob conſuetudinem habitû acquiſitam fieri) ſuccus ſpirituoſus intra cerebrum ſemper equidèm nervorum cordiacorum orificia madefaciat, per illorum tamen anguſtias, ſpongiosâ medullâ plenas, difficulter & per vices tantùm defluat, momentaneas guttularum illarum ejectiones momentanei pulſus ſequantur, propter ſucci verò ſpirituoſi præſentiam & nervulorum anguſtias perpetuas & uniformes, morulæ quietis æquè temporaneæ, i. e. motibus æquales exiſtant, donec ſuccus ille vel fluxibilior aut acrior evadat, aut à cauſâ quâvis concitatiùs agitetur. Quoniàm autem orificia & canales nervorum ad artus abeuntium aliter conformati ſint, ùt niſi motû quôdam convulſivô concutiantur, à motione ſpirituum, quâ actus imperii appetitus exercetur, ſuccus ſpirituoſus per illos ad muſculos exprimi nequeat, interrupti & inæquales magis horum motus contingant.

Ibidem ann. eôd. p. 63. De motû animalium J. A. Borelli., Opus poſthumum. Pars II. *Romæ*, 1681. *in* 4.

CUm Actis ſuperioris menſis totum partis ſecundæ operis hujus tenorem, propter rerum ſummam ubertatem, inſerere non licuerit; quæ illius reſtant, præſentibus exhibere voluimus. Cap. 7. ad Motus mixtos progreditur Autor, & inter hos primô de Reſpiratione agit, cujus cauſas motivas non pulmones ſtatuit, ſed diaphragma & muſculos intercoſtales thoracem extendentes, hìnc aëri, pondere & elaſticitate connata tracheam irruenti, ſpatium parantes; ità tamen ùt coſtæ, remittente hôc motû muſculorum tractoriô, reſiliant & thoracem conſtringant, ſicque, clausâ ſimùl epiglottide, aërem ad penitiores pulmonum cavernulas urgeant. Dum autem rima laryngis aperiatur, & adhùc ab actione ſuâ quieſcant muſculi dicti, relaxeturque ſimul diaphragma, aërem ſponte & abſque illius muſculi conatû recedere, vi ſuâ elaſticâ locum, in quô expandi poſſit, ſibi quærentem, i. e. liberam contingere expirationem: in vehementioribus verò expirationibus, V. G. tuſſi, vociferatione &c. muſculos abdominis conſtrictos hujus viſcera cum diaphragmate ſurſum impellere, hìnc aërem excludere, ſimul coſtis ab expanſione ſuâ liberè reſilientibus; nunquàm tamen omnem aërem è pulmonibus ejici, ſed ejus non exiguam molem in horum tubulis remanere.

Sicut autem natura ex unicâ actione & eôdem inſtrumentô plura commoda non rarò acquirat, ità Reſpirationem quoque plures animali utilitates præſtare docet, inter quas ſine dubiô potiſſima & præſentanea magis ſit vitæ conſervatio & perennatio: quæ neutiquam à refrigeriô & ventilatione flammæ atque caloris cordis, nec à ſequeſtratione fuliginum ab igne hujus genitarum, nec ab exactiore ſanguinis & lymphæ ſeu chyli miſcelâ, nec totaliter & abſolutè à circulationis ſanguinis è ventriculô cordis dextrô ad ſiniſtrum promotione dependeat; ſed, quia aër reſpiratione attractûs potiſſima vitæ animalium cauſa ſit, hic ſanguini commixtus ratione motûs ſui tremuli ſeu oſcillatorii, inſtar penduli, motum vitalem ipſi imprimat & conſervet. Hinc problematis illius Harveani, hactenùs vix à quôpiam ſoluti, Cùr ſc. fœtus ſecundinis exutus, ſi ſemel aërem hauſerit, poſteà ne momentum quidèm ſine illius uſû vivere poſſit? aliorumque phœnomenorum circa reſpirationem obſervabilium, V. G. cur expiratio cohibita non minùs ac inſpiratio impedita moleſtiam ſuffocationis inducat & perimat? quomodò in aëre rariore & in vaſe vacuô animalia mox intereant? quare aqua pulmonibus immiſſa, item aër craſſior ac nimis condenſatus, ſuffocent? &c. Rationes reddit: explicatæ verò reſpirationis utilitati aliam adhùc addit, ad animalis perfectam conſervationem pariter facientem, ſc. quòd ſanguis venoſus & nutritioni, ſpirituum animalium elaborationi, aliiſque actionibus ineptus, unà cum chylô novas aëris particulas intra pulmones recipiat, ejuſque grumi intra anguſtias pulmonum denuò ſolvantur, & arterioſi ſanguinis fluorem recuperent.

Poſtquam ergò de compoſitione ſanguinis in pulmone factâ egit, de ejus purificatione ſeu à ſerô ſecretione, quæ in renibus celebratur, ſollicitus eſt, quam non per fermentationem, ſed neceſſitate quâdam mechanicâ, i. e. per vaſorum

renalium anguſtiam & configurationem fieri, oſtendit; hâcque occaſione *Williſii*, ſerum à ſanguine per præcipitationem, interveniente coagulô quôdam ſeparari, aſſerentis, item *Malpighii*, qui præter renum ſtructuram, fermentationem ſanguinis perpetuam ad urinæ ſecretionem occurrere docet, ſententias ſtringit.

Quô factô ad epatis, officinæ animalis ſatis famoſæ, conformationem & uſum ſe convertit, glandularum ſtructuram & mechanicum operandi modum his præmittens: atque bilem pariter in jecore abſque ullius fermenti concursû, ac ſolô artificiô mechanicô ſeparari autumat, & quidèm non à totâ maſſâ ſanguineâ, ſed ab hâc ſaltèm ejus portione, quæ per lienem, inteſtina, meſenterium aliaque abdominis viſcera circulata à venâ portæ adducitur, ut pote quæ biliosum ſuccum partìm ab alimentis novis ſuppeditatum, partìm per ductus choledochos ad duodenum depoſitum, reſorbeat, & epatis acinis glanduloſis reaffundat: adeòque circulationem quandam bilis per abdomen, æquè ac circulationem ſanguinis maſſæ per totam corporis peripheriam, concipit.

Porrò Spirituum animalium naturam atque influxum explicaturus, illis conſiſtentiam liquidam & ſpiritui vini analogam attribuit, eoſque ad nutritionem duplici modô, conferre ait: vel quatenùs ad viſcera & glandulas abdominis, in quibus immenſi ac frequentes nervorum plexus conſpiciuntur, tranſmiſſi chylum perficiant, hujuſque aliquam portionem conſtituant; vel quatenùs in ipſis partibus nutriendis ſuum officium, modô inferiùs explicandô, præſtent.

Motum autem ſpirituum horum per eoſdem canales ſeu funiculos nerveos duplicem ſtatuit, unum à cerebrô ad partes, pro motû & nutritione; alterum à partibus ad cerebrum, in ſenſatione, interveniente quô ſucci etiam cardiaci & venenata miaſmata illi communicentur.

Succum nihilominùs nerveum nutritium diverſum pronunciat ab hoc, qui locomotivam ac ſenſitivam functionem exercet, huncque per ipſarum fibrarum nervearum tractus ſeu canales, illum per interſtitia harum, nervum inſtar funiculi conſtituentium, ferri putat: ne ſibi confuſi, unus alteriùs texturam alteraret ſeque mutuò impedirent. Contingere autem ſucci nervorum nutritii effuſionem ſomni potiſſimùm tempore, imò hujus cauſam exiſtere: quatenùs illa ſine ebullitione ſeu effervescentiâ quâdam in cerebrô fieri haud poſſit, quàm obſtructio orificiorum filamentorum nerveorum, hinc animalium functionum ceſſatio, ſeu ſomnus, neceſſariò excipiat, manente nihilominùs cordis & thoracis motû reſpiratoriô integrô, ut potè, ſi non omnimodè, certè maximam partem à nervô intercoſtali & vagô dependente, quorum radices partìm ab illô cerebri locô, in quô dicta ebullitio contingat, remotiores, partìm aliis nervis ſtrictiores & peculiariter configuratæ ſint, ùt ab illâ ebullitione affici nequeant.

Progreditur hinc Noſter ad Spiritus alteriùs generis, ſeu ad ſuccum illum ſpirituoſum ſeminalem, in teſticulis elaboratum, poſtquàm horum molem totam ex innumeris canaliculis conſtare, ſibi ab *Auberiô*, Anatomicô Piſanô, ann. 1657. demonſtratum, hoſque ductulos ſeminales ſubſtantiâ quâdam ſpongioſâ refertos eſſe docuit. In illis ſiquidèm, fermentitiis inſimùl fluoribus turgentibus, ſanguinis portionem albugineam, glutinoſam & ſelectam in vivaciſſimum & actuoſiſſimum ſuccum genitalem elaborari, ad epididymidas, veſiculas ſpermaticas & uretram deponendum: quatenùs in illis teſticulorum vaſculis non ſaltèm à nervis aliquid recipiat, ſed à fermentô illorum intrinſecô exaltetur, ejuſque partes ſpirituoſæ in libertatem majorem vindicentur, ùt per vivificam & ſummè activam energiam uteri muliebris poros celerrimè penetrare, & automa embryonis in ovulô latitans animare atque evolvere queat, in coitû à ſpiritibus cerebri animalibus magis actuatus, cum impetû ſingulari tunc temporis organa genitalia irruentibus. Inſimùl tamen & ſecundariò ſuccum hunc genitalem ſingulare balſamum & elyxir individuale, animam & corpus generantis actuans, cum aliis Scriptoribus pronunciat, per nervos membrorum genitalium maximam partem reſorbendum & ad totum corpus diffundendum. Tandèm verò circulariter quodammodò ſpiritus, ad inſtar ſanguinis, in animali moveri, concludit.

Et quò animalium geneſis commodiùs percipi poſſet, hujus explicationi quædam de generatione & vegetatione plantarum præmittit, ubi inter alia ſemini earum exiguam ejuſdem ſpeciei plantulam, perfectiſſimè elaboratam, ſubeſſe, cum aliis recentioribus adſtruit. Semina verò terræ commiſſa ſuccum ſuum nutritium ab aqueâ humiditate petere, quam impulſam præprimis ab aëris ambientis pondere, non per potentiam ſucci cujuſdam fermentitii, ſed per ſtructuram vaſorum ſuorum mechanicam, transforment ſibique exin appropriatum nutrimentum parent: ipſas verò plantas productas reſpirationem imperfectiorem, à quâ earum vita dependeat & conſervetur, exercere. Hinc animalis generationis negotium ipſum explicat Borellus, & ſemen virile haud vi quâdam incorporeâ, aut per afflatum quendam, ſed contactû corporali & per admixtionem ſuarum particularum, ovum muliebre foëcundare ait, & quidèm non organa foëtûs, ipſi actû & perfectè inexiſtentia, ſaltèm exagitando & actuando, ſed eadem ſimul efformando ac perficiendo.

Quoniam autem eâdem naturæ lege, quâ aliquod animal gignitur, creſcit & nutritur, idem diſſipetur ac deſtruatur, modusque nutritivus in eôdem ſine deſtructivô concipi nequeat, ſed ſe mutuò foveant ac juvent; priùs de partium deperditione, hinc earum reparatione, diſſerit. Adeòque doctrinam illam præclaram Sanctorii de inſenſibili tranſpiratione innuens, neceſſitatem hujus evacuationis pro vitâ animalis perpetuandâ ſummam exponit; hinc de nutritione hujus agens primò ventriculi avium carnoſi (dentibus non pennatorum ſuccenturiantis) ſtructuram & actionem evolvit, diverſa diverſorum animalium alimenta recenſet, aliquam chyli portionem ad epar, per venas meſaraicas deferri autumat, omnem verò chylum in corde, pulmonibus aliiſque corporis membris in ſanguinem transformatum cum ſuccô nerveô immediatam nutritionis materiam declarat, ac deniquè modum nutriendi mechanicum explicat. Poſtmodùm famis & ſitis ætiologiam cum modô, quô utraque tollitur, indagat, cauſam doloris ac laſſitudinis explicat, convulſionum artuum, tremoris ac tandèm febrilium excandeſcentiarum rationes reddit: has poſteriores à ſucci nervei acrimoniâ extraordinariâ, cor. p. n. irritante, derivans. Et ſicut partem totius hujus de motû animalium operis primam quatuordecim, itâ hanc ſecundam quatuor Tabulis æneis exornat ac dilucidat.

BORELLUS (*Petrus*,) Caſtrenſis.

De eô exſtat

Bibliotheca Chimica, ſeu Catalogus Librorum Philoſophicorum Hermeticorum. In quô quatuor millia circiter Authorum Chimicorum vel de

de Tranſmutatione Metallorum, re Minerali, & Arcanis, tam Manuſcriptorum, quàm in lucem editorum, cum eorum editionibus, uſque ad annum 1653. continentur. Cum ejuſdem Bibliothecæ Appendice & Corollariô. Pariſiis, apud Carolum de Meſnil, & Thom. Joly, 1654. in 12. Heidelbergæ, apud Samuelem Broun, 1656. in 12.

Hiſtoriarum & Obſervationum Medico-Phyſicarum Centuriæ IV. raræ, ſtupendæ & inauditæ. Acceſſerunt Iſacci Cattieri obſervationes raræ, cum vitâ Renati Carteſii. Caſtris, 1653. in 12. Pariſiis, apud Joh. Billaine, & Viduam Mathurimi Dupuis, 1656. in 8. Francofurti & Lipſiæ, apud Laurentium Sigiſmund. Cornerum, 1670. in 8. Ibidem, apud Eundem, 1676. in 8. Huic editioni præter Cattieri Obſervationes & vitam Renati Carteſii, prætereà acceſſerunt Joh. Rhodii Obſervationes: Arnoldi Bootii de Affectibus Omiſſis Tractatus: & Petr. Matthæi Roſſii Conſultationes & Obſervationes ſelectæ.

Hortus ſeu Armamentarium ſimplicium Plantarum & Animalium, ad Artem Medicam ſpectantium; cum brevi eorum etymologiâ, deſcriptione, locô, tempore & viribus. Caſtris, 1667. in 8. Pariſiis, 1667. in 8.

BORGARUCCIUS (*Proſper*) Medicus Italus, vixit ſeculô XVII. Quædam evulgavit opera, quorum primus Trattatus Anatomiæ fuit, linguâ Vernaculâ conſcriptus, quem cùm ità laudatum videret, ùt ipſi Anatomiæ Profeſſores in Univerſitatibus Italiæ ipſa ejus verba adoptarent, decrevit eum in latinam linguam vertere, pluresque novas huic addere Obſervationes, quas publicè docendo Anatomiam, Patavii Collegerat: Non eas tantùm quas diſſectio Corporum elucidationes affert, communicare ipſi ſatis fuit, ſed & quædam quæ ad morborum remedia pertinent, prælo commiſit, quamvis dejerâſſet, non futuram ſibi ampliùs rem cum Typographis. Iter ad Aulam Gallicam habuit annô 1507. & veriſimile eſt *Medici Regii* eum tunc obtinuiſſe titulum, quem ſibi ipſe tribuit. Manuſcriptum *Magnæ* Veſalii *Anatomiæ* Pariſiis adinvenit, quod etiam empſit & recognitum emendatumque Venetiis in Officinâ Valgriſianâ edidit, annô 1569. 8. De morborum puerorum curandi ratione quatur libros, quos promiſerat, publicos an fecerit ignoratur. Alios etiam ſcripſiſſe videtur libros, de quibus nulla apud Bibliographos, mentio eſt. *Bayle Dict. Critic. T. I.*

De eô exſtant in Lindeniô Renovatô.

De Peſte, Tractatus. Venetiis, ap. Marcum de Maria, 1565. in 8.

De Morbô Gallicô, Methodus. Extat pag. 150. To. II. Operis Veneti de Morbô Gallicô.

Andreæ Veſalii Chirurgiam magnam, recognitam emendatam, edidit.

Hiſce addimus Librum de Peſte Italicè conſcriptum, ſub hôc titulô.

Trattato di Peſte, dove ciaſcuno potrà apprendere, il vero modo di curar la Peſte, & di conſervaſi ſano in detto tempo.

BORGESIUS (*Johannes*) Natus eſt in pagô quôdam Agri Omlandici A. C. 1618. Patre Joachimô Borgeſiô, illius Pagi tum Paſtore Eccleſiæ, poſteà verò factô Gymnaſiarchâ Gronninganô: nactô Gallorum in Academiâ Andegavenſi annô 1645. Medicinæ Doctoris titulô, reverſus Groningam, Medicinam feliciter exercere cœpit, inque eâdem Univerſitate Matheſeos, cujus à pueritiâ ſtudioſſimus erat cultor, annô 1646. publicus conſtitutus eſt Profeſſor. Poſt hæc ex morbô viſû orbatus, Praxin Med. ampliùs exercere quidem nequivit, Profeſſionem autem Mathematicam nihilominùs retinuit, & pluribus unô eôdemque tempore Collegiis publicis, ſimul ac privatis ſuffecit. Obiit Groningæ lethargo A. C. 1652. ætatis ſuæ 34.

Ex eô habentur

Demetrii Pepagomeni Tractatum de Arthritide Græcè primùm ſcriptum & poſteà in Gallicum à Fredericô Jamotô tranſlatum, Latinè reddidit. Audomari, apud Carolum Boſcardum, 1639. in 8.

Laur. Jouberti, de vulgi Erroribus, Medicinæ Medicorumque dignitatem deformantibus Librum primum Latinum à ſe factum illuſtravit.

BORNETTUS (*Duncanus*) Scotus.

De eô exſtat

Jatro-Chymicus, ſive, de Præparatione, & Compoſitione Medicamentorum Chymicorum artificioſâ, Tractatus. Editus ſtudiô Johan. Dan. Mylii. Francof. apud Nicol. Hofmannum, 1616. in 4. Francof. typis Kempfferi, 1621. in 4.

BORRICHIUS (*Olaus*) Inter Doctiſſimos Seculi proximè præteriti viros recenſeri meritus, natus eſt ſeptimô Aprilis, ann. 1626. Patre verbi Divini apud Lutheranos Miniſtrô, in Ripenſi Diœceſi, in Daniâ. In Academiam Haffnienſem ann. 1644. miſſus, per ſex annos continuos ſtudiis non unius generis inſudavit, inter quæ illa fuere præcipua quæ Medicam Artem Spectarent; ibique etiam uni è Claſſibus Collegii Haffnienſis præpoſitus, eô munere magnâ cum laude functus eſt, ſiquidem vir erat laboris improbi ac morum verè concinnô ordine compoſitorum. Sic ſibi conquiſivit exiſtimationem Caſpar Brochmanni Zelandiæ Epiſcopi, ut & eam magni Regni Danici Cancellarij, quorum commendatione Canonicatum in Lundenſi Urbe obtinuit. Rectoratum Scholæ Illuſtris Herlowenſis, ſibi à Dominô Roſecrantzio, poſtquam per 4. annos Claſſi Collegii Haffnienſis præfuiſſet, oblatum, recuſavit, ne ſic impediretur in eô quod ſuſceperat peregrinationum conſiliô & ſtudiô Medicô ad illam, quam liceret, perfectionem deducendô. Medicam autem iniverat Praxim dum atrox Haffniæ vagabatur Peſtis, quæ multa hominum millia in Regia illâ Urbe jugulaverat Ceſſante illô contagiô, rursùs per annum integrum Claſſi curis ſuis commiſſæ præfuit, ac poſtea ſeriô ſe peregrinationibus decretis accingebat, cùm eas ad aliud tempus remittere coactus eſt, propterea quòd Dominus de Gerſtorff, Statuum Regis Daniæ, Adminiſtrator Primarius, illum pro ſuorum liberorum Informatore apud ſe habere voluit, & eum in prædicto munere per quinquennium diſtinuit; quô tempore demùm exactô, ſuæ ad peregrinandum propenſioni ſatisfecit, poſtquam Profeſſor deſignatus fuiſſet in Philologicis, Poëticis, Chimicis ac Botanicis. Proficiſcebatur autem menſe Novembri, ann. 1660. & poſtquam Hamburgi Medicos aliquot celebres inviſiſſet, in Hollandiam devenit, ubi cum ſatis diu commoraretur, ad illum pervenerunt Domini Gerdorffii, paulò anteà defuncti, filii, quorum curam in ſe ſuſcepit, eoſque per Belgium ac Angliam peregrinatos, Pariſios deduxit, unde poſt annorum duorum commorationem à Tutoribus ſuis in Patriam revocati ſunt, ſicque

ſicque noſter magis ſui juris factus, commodiùs ſuâ itinera perfecit, & poſtquam Doctoratû Medicô Andegavi fuiſſet condecoratus, præcipuaſque Galliæ urbes peragrâſſet, Alpes tranſegit, Romamque menſe octobri ann. 1665. acceſcit, ubi commoratus ad finem uſque Martii, ann. 1666. pluribus Viris Doctis admodum gratus fuit, imò & quandoque colloquiis Cardinalis Pallavicini adhibitus; ac ſæpe accerſitus ad diſſerendum cum Reginâ Chriſtina de arcanioris Chemiæ ſtudiô, veritate, experimentis; quibus tum ſaris le Palladia virago devoverat. Tempore prænotato Româ diſcedens, ut in Patriam regrederetur, ibique muniis Profeſſoratûs ipſi conceſſi vacaret Germaniam peragravit, ac tandem in Daniam menſe Octobri, ann. 1666. devenit. Fructus ac utilitates ex tā longis peregrinationibus non mediocres percepit, omnes etenim Viros doctiores in quacunque quā tranſigebat urbe degentes inviſens, ſe iis notum fecit, ac ex illorum doctrinâ, ditior in dies evaſit. In Profeſſoratûs ſui exercitiô abundè manifeſtavit quantùm eô dignus eſſet; laboris, ut jam diximus, improbi, & multiplici ſcientiarum varietate pleniſſimè ornatus, ore & ſcriptis uberrimè, tum populares ſuos, tum etiam exteros edocens. Nuptiis neutiquam ſe implicare voluit, ne ſcilicèt ſic aliquid de philoſophandi libertate amitteret. Munus Conſiliarii in Conſiliô ſupremô Juridiciali poſtquam adeptus jam eſſet annô 1686. ad dignitatem Conſiliarii Cancellario adjuncti, annô 1689. evectus eſt. Tum temporis cum cœpiſſet calculi torturas perſentiſcere, & malum hocce in dies fieret atrocius, cumque nihil ſubſidii prô illô videret, præterquàm in exſectione pro causâ morbi educendâ, duriſſimæ ejuſce operationis periculis, 13. Septembris ann. 1690. firmiter ſe expoſuit. Quæ Operatio cùm feliciter minimè ceſſiſſet eô quòd calculus grandior, & propter duritiem omni ſui fractioni reſiſtens, educi nequiviſſet: Caſum tam durum conſtanter ac religiosè ſuſtinuit ad mortem uſque, quæ tertiô Octobris ejuſdem anni adveniens illum ab ipſô liberavit. Teſtamentô ſuô inſtituit ut ſufficeretur juventuti Academicæ neceſſariis deſtitutæ adminiculis præſidium aliquod in uberiora ſtudiorum incrementa, & famelicis afflictiſque ſolamen aliquod obtingeret: Illis quippè domum planè lateritiam magnificentiſſimæ ſtructuræ reliquit, ubi omnia cernuntur ſplendidè apparata, cubicula octo cum ſuis conclaviis, ſedecim deſtinata ſtudioſis, modeſtia, virtute ac doctrinâ conſpicuis; amplum auditorium variè exornatum, ut in hac palæſtrâ commodiùs lacertos moveant juniores ſacris Apollineis devoti; ſuppellex libraria exquiſitæ elegantiæ diverſo ſtudiorum generi inſerviens, cui adhærent manuſcripta rariora; cernitur ibi quoque laboratorium Chemicum medicinam excolentibus profuturum; cernitur hortus floridus arboribuſque conſitus, oculis recreantis, animo paſcendo dicatus. Hoc tam ſumptuoſæ ſtructuræ domicilium vocari maluit *Collegium Mediceum*, quàm ut à ſuo nomine appellationem haberet, nihil enim arrogantiæ, nihil faſtuoſi oſtentabat totô vitæ curſû, ſed fortunâ ac felicitate ſuâ ſummâ uſus eſt modeſtiâ. Utriuſque tum hujus Collegii incolis, tum aliis egeſtate, ærumnis & imbecilli valetudine, oppreſſis, nec non alumnis ſcholæ Ripenſis ingentē pecuniæ ſummam attribuit, quæ reſignatis poſt obitum teſtamenti tabulis, in Collegiô conſiſtoriali annuô ſpatiô reſervatis, explevit numerum viginti ſex mille & trecentorum Joachimicorum. Hiſce ſuperaddit Præclariſſ. Bayle in ſuô Dictionariô Criticô, è quô ſuperiora exſcripſimus: Ut notum fiat ad qualem ſummam Borrichii aſcendebant opes, adiiciam quod in earum partitione quam inter conſanguineos ac ſtudioſos inſtituit, hiſce 26300. coronatos legavit, illis verô 50000. Utinam tam ſplendidum exemplum excitatorium apud eos deveniat qui aliquid ſimile facere poſſunt.

De illô hæc ſcripta exſtant in Lindeniô Renovatô.

De Ortû & Progreſsû Chemiæ Diſſertatio. Háfniæ, apud Petrum Hauboldum 1668. in 4.

Lingua Pharmacopæorum, ſive de accuratâ vocabulorum in Pharmacopoliis uſitatorum pronunciatione. Ibidem, apud Eundem, 1670. in 4.

Hermetis, Ægyptiorum, & Chemicorum ſapientia ab Hermanni Coringii Animadverſionibus vindicata. Ibidem, apud Eundem, 1674. in 4.

Docimaſticè Metallica clarè & compendiariò tradita. Ibidem, apud Danielem Paulli, 1677. in 4.

De ſomnô & ſomniferis, maximè Papavereis, Diſſertatio. Ibidem, apud Eundem, 1683. in 4.

Obſervatio, de Diabete Spuriâ. Extat Ephemer. Acad. Natur. Curioſ. German. Decade 1. ann. 11. nu. 167.

De Plumbô per urinam excretô. Ib. an. eod. nu. 168.

De Salivâ Saccharinâ. Ibid. an. III. nu. 237.

De Curatione tertianæ per lagenas. Ibid. ann. eôd. n. 238.

De eôdem præterea ſubſequentia reperiuntur in Act. Haffnienſibus Bartholinianis: ann. 1671. & 1672.

Obſervat. nu. 2. *De Aquilæ Anatome.*

Aquilam domeſticam Auditoribus ſuis domî diſſecuit *D. Olaus Borrichius*, Collega noſter honorandus, in quâ præter vulgaria, potiſſimùm hæc obſervata fuêre, quæ nobiſcum communicavit pro ſingulari quô nos publicumque proſequitur amore.

1. Roſtri ſuprema pars nigricans, & in acumen curvum deſinens, infima adinſtar hauſtri nautici formata, adque ſorbendum, idonea. Narium foramina oblonga, & in cerebrum ſtatim tendentia.

2. Lingua tres digitos tranſverſos longa, vix unum lata ſub concava. Paulò ultra medium ejus verſus fauces exſurgebant utrinquè in linguæ lateribus duo aſperrimi dentes, cum integrâ ſerie aliorum, ſed longè minutiorum tranſversô ductû linguæ ſuperiora munientium. Dentes hi fauces ſpectabant, & quicquid ori indigeſtum erat, vetabant regredi. In faucibus poſt aſperam arteriam ſequebantur duo ordines tranſverſi ſimilium dentium, ſed minutiorum, diſpoſiti in morem cornuum Lunæ, quos mox excipiebat triplex dentium obliquè ſtantium ſeries œſophagum ſpectans. Deniquè poſt oëſophagum aderat adhùc ordo unus dentium ſimilium, ſed delicatulorum & & Cartilaginei generis. Noviſſimè in faucibus utrinquè exſerebant ſe cornua digitos tranſverſos binos longa, & quidèm oſſeæ ſubſtantiæ circa radices, ad extremitates cartilagineæ, quæ in collum aquilæ inſerebantur, & os hyoides conſtituebant. In ſupremô autem palatiô itidèm duo dentium cartilagineorum ordines ſe ſe aperiebant.

3. Ab Angulô oculi, qui roſtrô proximus, exſerebat ſe ſe tunica quædam ſub pellucida, & craſſiuſcula à muſculô ſuô gubernata, quam

Aquila

Aquila pro arbitrio jam ſuper inducit oculô, jam removet, ùt in oculum incidentia fruſtretur. Tandem in conſpectum prodit oculus, & is pupillâ ſaturô colore ceruleô inſtructâ, iride penè cinereâ. Tunica oculi cornea & craſſa erat, & omnium duriſſima, crederes rigidum eſſe cornu. Aqueus humor parcus, vitrei eâdem pænè conſiſtentiâ quæ cryſtallini. Figura cryſtallini alterâ parte convexâ, altera propèmodum plana, magnitudine & formâ eâ ferè, quæ in humanô oculo repræſentatur.

4. Diſſectâ cute abdominis, locuples ubiquè pinguedo: muſculi elegantes & fibris ſuis pulcherrimè diſtincti. Hepar in duos lobos æquales diviſum magnitudine ſingulari, utrumque ferè replens hypochondrium, diſtinguente lobos nervoſâ quâdam ſubſtantiâ. Sub hepate veſica fellea nucis avellanæ magnitudine, viridiſſimâ bile turgida.

5. Cor magnitudine ovi gallinacei, in mediô ſitum pectore, apice ejuſdem nec ad dextram, nec ſiniſtram inclinante, ſed mediam hepatis reſpiciente fiſſuram. In ſiniſtro cordis ventriculo polypi initium.

6. Pori cholidochi duo digitum unum à ſe diſtantes, qui in inteſtina, ſe exonerant tribus circiter ſpithamis cum ſemiſſe à pylorô, (in ſpeciem tamen ob gyros inteſtinorum proximè) eô penè locô, ubi itidem ductus pancreaticus ſe ſe in inteſtina effundit. Vaſa totum hepar præcurſantia paſſim meram bilem vehebant.

7. Nullum valvulæ coli deprehenſum veſtigium. Inteſtina ſuperiora tantillum ampliora inferioribus. Simul juncta inteſtina implebant pedes Romanos XIV. cum digitis quatuor. Inteſtinum cæcum duplex, ab utroque latere inteſtini unum, ſed minutum, & vix digitum tranſverſum longitudine æquans, à podice quatuor digitos tranſverſos remotum.

8. Stomachus pro corporis amplitudine anguſtus, nec ſimilis aliis animantium ventriculis, ſed cono ſimilior circa fundum obtuſiori. Vix capiebat univerſus ſtomachus liquoris uncias quatuor. Dividebatur quaſi in duas partes, *ſuperiorem*, quæ ab orificiô ſtomachi incipiens, interiori facie primùm oſtendebat tunicam albam, quatuor ſulcis paralellis deſcendentibus interſtinctam, & mille foraminibus minutis pertuſam, deindè ſub eâ tunicâ craſſiuſculum parietem compoſitum ex infinitis & rotundis glandulis, ſed minuſculis, quæ per prædicta foramina in ſtomachum habitant, atque ſub eâ demùm tunicam communem; & *inferiorem*, quæ in fundô rugoſâ primùm membranâ inhorreſcebat, quam ſecuta carnoſa (non ut ſuperiùs glanduloſa) tunica, & illa à tertiâ communi externâ demùm excepta. Quâ parte ſuperior ventriculi pars ab inferiori dividebatur, duo corniculorum cartilagineorum eminebant paria, extantibus glandulis quibuſdam comitata, quas inter varii pori in ventriculum hiſcebant.

9. Pulmo Coloris erat miniati, deſcendebatque ultimis marginibus ferè uſque ad renes. Subſtantia ejus interior in ſtrias abibat, ac ſi carnem fungorum quis contempletur.

10. Larynx conſtabat Cartilagineis circulis integris, nequaquàm helicis more ſe excipientibus.

11. Renes agninis ſimiles, ſed non ita incurvi, ut renes eſſe ſolent. Interior eorum facies teſticulorum carni ſimillima.

12. Sub digitis, præſertim ſub digitorum extremis tofi rotundiores eminent, quibus inſiſtit Aquila, quoties per ſaxoſa & aſpera eundum, elevatis interea unguium apicibus, quod ùt commodiùs fiat, ſquammæ corneæ digitorum ſumma regentes, dum hoc fit, in ſeſe profundiùs recèdunt.

Plura de Aquilâ commentatur laudatus *Borrichius* noſter in digreſſione quâdam de Ariſtotele, quam brevi ſpondet orbi erudito. De Aquilâ præterea confectum opus & prælo maturum habet Vir Clariſſ. M. Ericus Pont. Oppidanus Poëta Laur. Cæſar. in quo omnia ex variæ eruditionis penâ congeſſit, quæ de hoc argumento dici poſſunt.

Ibidem Obſerv. 59. De Plantis in planis ſilicibus enatis.

PLantarum aliæ in terra defigunt radices; quod pleriſque uſû venit; aliæ in aquis, ex quô genere eſt lenticula paluſtris, quæ jam duas, jam plures, eaſque minutiſſimas, ſive radices, ſive venulas in aquam dimittit; aliæ radice etiam in aëre hærente germinant, quod ſedi ſpeciebus familiare; aliæ vetuſtis innaſcuntur muris, & minimas inter laterculorum rimas viam radici faciunt, ut ruta, leucojum, parietaria; nonnullæ è commiſſuris ſaxorum nativorum, ſeminibus aliundè per ventos, aviculaſve tranſportatis emergunt, qualem vidi ficum arborem ex ingentium illorum Nemauſenſis amphitheatri ſaxorum rimis anguſtiſſimis prodeuntem; quædam etiam in glareâ, craſsôque ſabulô hoſpitantur, quod in Aloë Americanâ Romæ florente deprehendi: omnibus tamen ab aquâ, ſive craſſiori illâ, ſive in vapores attenuatâ potiſſimum nutrimentum, nec debent adeò durioribus illis matricibus niſi ſtatumẽ & pedamentum. Quod cùm de tithymalô Dioſcoridis petris innaſcente, aliiſque pluribus liceret perſequi, in unâ nunc algarum familiâ idem libet contemplari. In mari ad littora noſtra non modô *fucus marinus veſiculis tumens*, ſeu *quercus marina*, frequentiſſimè adnaſcitur ſaxis apertioribus varii generis, quod & ſpectatum fortaſſis *Theophraſto*, ſcribenti L. IV. C. VII. Hiſt. Plant. φύεται ἐπὶ τῶν ὀςράκων, καὶ ἐπὶ τῶν λίθων ſed etiam duriſſimis πυρομάχοις & ſtrictiſſimi corporis ſilicibus ità tenaciter inſiſtit, ac ſi viſco agglutinata teneretur. Legi & hoc annô *linum marinum*, ſive *algam viridiuſculam foliô capillaceô*, vernaculâ linguâ noſtris *Rocheſnorer* appellatam, quæ eôdem modô radices in planâ ſilice defixit. Sed quid nutrimenti è ſilice? aliud nihil, ut apertum eſt, hinc mutuantur hæ plantæ, quàm fulcrum & fundamentum cui prima germina humore ſuô glutinosô affixa ſeſe erectiori vultû ſuſtinent, & jactationes maris hôc ferunt, ſecuriùs; intereà ſuccum nutritium non tam radice, quæ exiguiſſima, & pœnè nulla eſt, (quod & in *viſco* & *Caſſytâ* obſervatur) quàm totis ex caulibus & foliis bibunt. Sed quòd inter bibendum non opprimantur nimiâ ſalis marini vicinitate, facit, opinor, tum plantarum ejuſmodi viſcatus humor, quô turgent pleræque, tum ſubtiles admodum ex pororum minutiſſimorum tunicæ, quibus involvuntur. His enim repagulis excluditur craſſamentum ſalis marini, relinquiturque via benigniori tantùm & tenuiori alimentô. Neque juverit obduxiſſe, ex combuſtis marinis his plantis multùm ſalis colligi, adeòque eaſdem multùm etiam ſalis marini jam ante deglutiiſſe; enim verò totô geniô diſtat marinus ſal ab illô alterô lixivô, qui ex cineribus prolectatur, quod demonſtratû facillimum.

Ibidem De Algâ ſacchariferâ.

SEd nè algarum familiæ inter purgamenta hactenùs maris & quiſquilias æſtimatæ, ſuus deſit honos, algam hic edulem, ſuaviſſimamque ex ultimâ Thule accerſere viſum fuit. Naſcitur enim verò in mari Iſlandicô algæ ſpecies, nulli, quod

quod ſciam, Auctori deſcripta, certè Bauhinô diligentiſſimô nè attacta quidem neque illa tamen valdè diſſimilis algæ vitriariorum anguſti foliæ, niſi quòd paulò pinguiori ſe folio commendet, & colore flaveſcente naturam diverſam fateatur. Hæc ipſa ubi à marinis fluctibus in littus rejecta aliquandiù jacuit, ſenſim, proliciente Solis calore, ſalinis hinc indè grumis obducitur, qui cum dulcedine ſuâ gratiſſima linguæ blandiantur, ab accolis colliguntur ſollicitè, ùt inter epulas ſacchari vicem impleant. Quin cùm notiſſima ſit Iſlandis maritimis alga hæc ſaccharum parturiens, ànticipant frequenter conatum naturæ, ipſamque algam nondùm dulci illô ſpiſſamentô in foliis conſpicuô, acetariorum loco menſis inferunt, nè ſic quidèm inſuavem; quâ ut incolas paſſim, ità oppidò delectari Epiſcopum Auſtralis Iſlandiæ, M. *Brynolphum Suenonium*, refert Johannes Kleinius, Provinciæ illius Prætor & ipſe epuli hujus Iſlandici ſcientiſſimus arbiter.

Ibidem Obſerv. 60. *De Orchide Hebræâ, tetrorchide, ſilice arithmeticô.*

UT Orchide odoratâ moſchatâ, ſive monorchide, invisâ hiſtericis plantâ luxuriant prata noſtra ſuburbana Junio menſe, ità cynoſorchide purpureâ triorchide aliquandò, hoc etiam annô *tetrorchide*, cujus duo bulbi in aquis ſidebant, natabant duo, omnes in unum caulem, unumque florem purpureum exeuntes. Meminit ſolertiſſimus *Bauhinus in Pinac.* tetrorchidis albæ odoratæ teſticulis oblongis & fibroſis, ſed in noſtrâ nec cor albus, nec odor ullus, nec oblongæ, fibroſæ-vè radices, ſed quæ teſtes animalium non iniquè repræſentarent. Rarum id quidèm, ſed rariùs fortaſsè, litteras Hebraicas flori orchidum inſcriptas conſpicere, ſpectabit tamen & illas ſedulus floris cynoſorchidum contemplator, imprimis purpurearum, quemadmodùm & ego nuperrimè claris lineamentis in unô expreſſum vidi יהו, de quo ulteriùs circumſpexerint, quibus vacat, orientalium linguarum candidati. Mihi intereà revocant hæ litteræ in memoriam *ſilicem* quondam *arithmeticum* oſtenſum, non ità pridem Londini, à *D. D. Moſeler*; Medicô inſigni Germanô in cujus mediô fortè diſruptô natura numerum illum barbaricum, 39. accuratiſſimè delineârat.

Ibidem Obſervatio 61. *De Hyoſegamô radice ſpirali.*

NOtavi *hyoſegami lutei* radicem non porrigere ſemper fibras in longum; more herbarum plerarumque, ſed tortuoſis eaſdem ductibus ad extremum uſque perducere, adeoque cochleam quodammodò, ſeu verius, monocerotis Grônlandici flexus imitari. Neque omnibus tamen radicibus pares ſpiræ; aliis magis perfunctoriæ, aliis exactiſſimæ, quales mihi ad macerias Amagricas evulſæ; in quibus id mirum, quo modò per illos anfractus, rigidâ tellure undiquè preſſos, ſeptoſque eluctari commodè nutrimentum plantæ valeat, cùm herbarum aliæ inter creſcendum, iterùm, iterùmque retortæ vel pereant, vel ſenſim macreſcant hyoſegamo intereà ſupra radicis ſuæ mæandros lætiſſimè germinante.

Ibidem Obſervatio 62. *De Chamæmelô Contortuplicatô. Hieraciô contortuplicatô, & ſtrumoſô.*

LIceat Plantinâ illâ, quamvis horridulâ voce *Chamæmeli* cujuſdam vulgatiſſimi caulem in ſe variè inflexum exprimere. Spectatum illud hôc annô in arvis noſtris germen oculos candidatorum Medicinæ mecum luſtrandis plantis intentorum promptiſſimè in ſe convertit. Neque caulis tantùm monſtri aliquid alebat, ſeptem flexibus à naturâ aberrante in ſpirum diſtortus, ſed & flos oblongus, qui rotundus eſſe conſuevit; longus autem, quia duo, aut tres flores in faſtigiô caulis in unum coaluerant. Admonuit me de obliquâ illâ caulis hujus curvaturâ, vinitorum quorumdam curioſorum in agrô Frontinianô Narbonenſis Galliæ, qui referente in eruditis ſuis colloquiis illuſtri *Bourdelotiô*, ut uvas ante tempus dulceſcere, & matureſcere doceant, pediculos, quibus inſiſtunt uvæ, leviter contorquent, efficiuntque, cautâ illâ inflexione, ùt ſuccô poſteà à radice non ampliùs ſuetâ copiâ influente, ultrà flexum hærentes uvæ, cum crudiori illô humore nutritiô non adeò interpellentur, citiſſimè matureſcant, & licèt mole non reſpondeant cæteris autumni coc-turam exſpectantibus, in gratiſſimæ tamen dulcedinis vinum abeant, immò gratiùs ſerotinô illô ex eâdem vite tandèm expreſsô. Quod fortaſſis experimentum in Septentrione noſtrô, ubi vites rariùs ad juſtam maturitatem à Sole percoquuntur, in uſum non pœnitendum vocari poſſet. Obtulit ſe præterea in agris hieracium anguſti folium paulò infra florem contortuplicatum, ex quâ contorſione caulis ſtruma ingens enata, quæ cùm eſſet ligneæ ferè duritiei, à me ferrô diuiſa, vermiculos quoſdam albos, vivoſque profudit, ſingulos ſingulis alveolis habitantes, nullô exteriùs foraminis veſtigiô, per quod intrâſſe judicarentur.

Ibidem Obſervatio 63. *De Ranunculô faſciatô. Cotulâ faſciatâ. Heſperi faſciatâ. Chamæmelô faſciatô. Pediculô ceraſi faſciatô.*

BUgloſſum *ſylveſtre monſtroſum* publicô oſtendit *in Miſcellan. Curioſ.* Clar. *Janiſchius*; portentum *bellidis Uldrupienſis* publicavit Celeberr. *Joh. Dan. Major*; ùt proindè alienum non ſit, oſtenta plantarum hujus anni, quæ mihi occurrerunt, brevibus ſignare. Obtulêre ſe autem in publicis excurſibus Botanicis (ùt hederam terreſtrem ſtrumoſam, & turritin involutiſſimis in cacumine cirris horridam prætercam) aliquot plantarum ſpecies monſtroſæ, *ranunculus agreſtis flore luteô, cotulâ fœtidâ & heſperis hortenſis, ſeu viola matronalis*, omnibus caulis in faſciæ modum latus, tenuiſque, folia juſtô minutiora ex faſciæ illius parietibus utrinquè magnô numerô exeuntia. His ſimile *Chamæmelum* oſtendit vir ſummus *Thomas Bartholinus*, in agrô Cruciſoranô natum, cujus caulis in tenuem, ſed in duos tranſverſos digitos latam ſe ampliaverat faſciam. An tria, an forſan plura ſemina ex ſuperioris anni germine in eundem locum, ſecundum lineam rectam decidentia, tractû temporis, ſuperveniente autumnali humore, & calore vernô fervidiori coaluerint, & poſt in unum tandèm caulem ſe ſe effuderint, an alia ſubſit ratio, nolim hìc prolixè diſceptare: id conſtat, mira contingere in ſeminibus plantarum, tum naturâ, tum arte, neque duntaxat jam olim verùm fuit illud *Virgilianum Georg.* 1.

Semina vidi equidèm multos medicare ſerentes, ſed & ludit jam natura, jam ſollicitior artifex. Illuſtris quidam vir in familiari ſermone Florentiæ mihi narravit, ex citri & aurantii ſeminibus artificioſè ſibi junctis ſurgere hermaphroditicam arborem (*Bizarrie* fructui nomen indidêre) illamque poma ferre & guſtû & odore gratiſſima, quin & honeſti illius adulterii multa hodiè exſtare Florentiæ exempla. Similia jam Cremonæ feliciter attentata docuit Lavretani itineris comes Clariſſ. *Adolphus Lodi de Trevillô.* De cujus tamen pomi origine alii aliter cenſent. Dùm hæc ſcribo, offertur *pediculus ceraſinus*, duplô latior naturali ad medium, hinc ſponte in duos fiſſus Cornicula, ex quorum ſingulis ceraſum maturum eminet. Crederes literam Pythagoræ ceraſa parturire. Apparet intuenti, radicem initiô fuiſſe duplicem, ſed ob minùs aretam viciniam utrumque caulem tandèm coiiſſe.

Ibidem Obſerv. 64. De Ophiôgloſſô linguâ unâ, ſed bifidâ. Plantagine ſpicâ itidem bifidâ.

OPhiogloſſum bilingue aliquandò Floræ candidatis occurrit, *biſulcum* ſive *bifidum* raro. Hoc tamen ſuperiori junio ſpectare in campis licuit, infernâ quidem parte linguam tantùm unam referens, ſed ex mediô paulatìm in duas excurrens, quarum ſingulis frænum ſuum, ſeu ligula intermedia, ut Græcorum *υ* non inconvenienter repræſentaret. Idem fatum ſpicæ plantaginis *ſeptinerviæ*, quæ cùm ab unô truncô exſurgeret, pauldò pòſt quaſi ſui immemor, præter morem bicornis evaſit.

Ibidem Obſerv. 65. De Kali inſcriptô Βατράχιον στικτόφυλλον.

NOn vacat hîc attingere ſpinoſum illud *Kali*, vitriariis expetitum, quod in littore Monſpeliacô frequens mihi conſpectum eſt, & lætiſſimô proventû ad oras Balthici noſtri maris, præſertim Haffniam inter & Helſingoram luxuriat. Neque hærebo in deſcribendo *Kali geniculatô* minori, quod apud nos ſæpè rubinum pellucidô rubore imitatur, ſed ſemel atque iterùm conſpectum mihi hîc *Kali inſcriptum* memorabo. Ex genere geniculatorum majorum illud quidem eſt, ſed ad geniculorum radices pulchrô ordine impreſſis punctis quibuſdam in figuram dimidiatæ ferè Lunæ euntibus nobilitatur, quam ſpeciem, niſi forſan in ludentis naturæ varietatem referre libet, nondùm legimus deſcriptam. Propè ſimilibus notis jam ante plures annos compunctum vidi *florem ranunculi nemoroſi album*, præmonſtratore Celeberr. virô, *D. D. Simone Paulli*, præter cæteras virtutes, Botanicô illuſtri, eſtque ranunculus idem alius omninò ab *anemone nemoroſâ ſterili, foliis punctatis Bauhini*, quod hæc foliis excipiat notas ſuas, ille flore.

Ibidem Obſerv. 66. De Muſcô catarticô.

FErt & Iſlandia muſcum, nulli hactenùs Botanicorum, ſed jam & pharmacopolis noſtris cognitum. Terreſtris is eſt, & firmus, colore ſubalbidus, ramoſus, latô ungue vix latior, ſed qui in longum variè proſerpit, coſtis hinc indè ſpinoſis horridulus. Eô inſulæ coloni primô vere utuntur ad expurgandos humores corporis noxios, reliquô æſtatis ſiccatum in farinam comminuunt, & pulmentariis admiſcent, exſpirante demùm vi purgatrice & ſuccedente alimentariâ. Ità prima foliorum ſambuci germina ſtrenuè purgant, explicatoria & robuſtiora folia hâc parte langueſcunt. Haud adeò diſſimili ratione Indorum occidentalium *y uca*, humida adhùc & viridis, quod Acoſtæ credimus, veneni more corpus humanum corrumpit, ſicca autem radix innoxiè in alimentum quotidianum abſumitur.

Ibidem Obſerv. 67. De Viſcô amygdalæ innato. Flore Caryophillæo flori Caryophylleo innato.

OBſervatum Botanicis, *Viſcum* (quo, ſi robori increſceret, nihil ſacratiùs habebant Druidæ, auctore *Plinio*) pluſculis innaſci arboribus, quercui, ilici, caſtaneæ, cynoſbato, larici, meſpilo, oleæ, populo, pomo, roſæ, ſalici, ſorbo, ſuberi, tiliæ; corilo innatum magni æſtimat *Henr. ab Heer*; ſed *amygdalæ* innaſci, nemo hactenùs, opinor, anidmavertit. Id ipſum tamen frequens eſſe in Provinciâ Gallicanâ, præcipuè ad urbem Ciſteronem, in montanis obſervavi, ubi ad viam publicam non modò ſponte, & lætè pronaſcitur duxus, ſed & amygdalæ frequentes, inque iis viſcum altè progerminans & copioſè. Quo ſimul loco intelligere primùm coëpi, undè occaſionem traxerit illud Apoſtoli I. Corinth. IX. οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, viſi enim illîc boves ore capiſtrato, pedibus frumenta exterentes. Hâc autem æſtate in hortô experientiſſ. Dn. D. *Caſpari Kollichen* enatus flos caryophyllæus varii coloris, cùm divideretur, alterum ſimilimum florem gremiô ſuo innatum oſtendit, exemplo mali citrei, quod & alio quandoque malo gravidum notatur.

Ibidem Obſervatio 68. Vera lunæ tinctura non eſt Coëruleâ.

NIhil jam diù vulgatius Tinctura Lunæ, at, ſi benè calculum ponimus, nihil eâ incertius. Neque enim Coëruleus is color, qui ubiquè etiam in pharmacopoliis, blanditur oculis, vera argenti ſoboles eſt, ſed admiſtorum; enim verò purgatiſſimum argentum nil tale oſtendit. Error ex eo natus, quod creditum hactenus pleriſque lunam ad fulmen excoctam, ut vocant, ſeu in catino cineritio ad uſque ſplendorem & quietem divexatam nihil ampliùs peregrini, excrementitiique gremio ſuo retinere. Quod contra eſt; reſtant enim adhuc feculentæ quædam minutiæ (quibus *Sacci plumbei nomen indidere* artifices) quas iterum, iterumque fuſa, & follis manuarii afflatû exercita vix tandèm deponit. Quibus ſollicitè exuta nec ſpiritui nitri, nec ſalis armoniaci, nec urinæ ſtillatitio liquori, nec acidis, nec ſalſis aliis aut cyaneum, aut viridantem imprimit colorem. Quod ſi imprimere videatur, argumentum eſt purgationis hactenùs imperfectè; pauciſſima enim æris grana adhuc in ſinû lunæ deliteſcentia plures liquoris uncias ſuppoſititio illo colore inficiunt, & judicia perfunctoriè inſpectantium depravant. Talem ego Lunam fulmine & folle excoctam curioſis oſtendere ſoleo, cui nec acidi ſpiritus, nec ſalſi coëruleum quicquam expreſſerint. Neque verò tinctura illa Lunæ, quæ ex argenti foliis, & ſulphuris floribus paratur, germana eſt, tùm quia in argenteis illis foliis, utcunque in ſpeciem puris, aliquid frequentiſſimè æris deliteſcit, tùm quia nè flores quidem ſulphurei ab æreis minutiis ſemper immunes. Providè quidem de Lunâ ſimpliciter fulminata

fulminatâ diligentiſſimus *Zwelferus* mantiſſ: ſpagyr: monet, ſi coëruleus tincturae Lunae color diſparuerit, addendum reſiduae abſtractae eſſentiae non nihil ſalis microſcomici volatilis, ùt color expetitus reſtituatur, ſed nullus ſal microcoſmi effecerit, ut ſi luna puriſſima ſit, omnique retrimentô libera, ſpurium illum colorem adſciſcat; id quod defæcatum, argentum meum docet; cum alioquin in nullô pefectiſſimæ Lunæ indicio deficiat. Neque etiam proletaria illa *lapidis Lazuli tinctura* aliundè proficiſcitur, quam ab æris ramentis univerſam ejus maſſam hinc indè percurſantibus, quod ſagaciter rem experienti non poteſt ignorari. Hinc nemini ſpectatam mihi ab utraque illâ tincturâ immoderatiùs ſumptâ ſtomachi ſubvertionem, qualem ab ære & æris ſobrinô vitriolô excitari notiſſimum eſt.

Ibidem Obſervatio 69. *De Acetô floreô, ſtillatitiô, ſubitaneô, novi generis.*

VIdit erudita antiquitas, tradidit & Recentiorum induſtria *gallii* flaveſcentes comas lacti immiſſas, illud ipſum coaguli more cogere, & denſare. Vox *Dioſcoridis* L. IV. C. XCVI. Γάλλιον, οἱ δὲ γαλλέελον, οἱ δὲ γαλάτιον, ὠνόμασται δὲ ἀπὸ τοῦ γάλα πηγνύειν ἀντὶ πιτύας.. *Galenus* de ſimpl. Med. facult. Lib. VI. Γάλλιον ὠνόμασται μὲν ἀπὸ τοῦ τὸ γάλα πηγνύναι. Neque injuria id creditum, cum experimentô etiam à me factô conſtiterit ſibi veritas, ſegniùs quidèm operantibus in lacte frigidô floribus, in ferventi promptè. Verùm enim verò quænam illa in galliô corpuſcula ſint, à quibus ſubita iſta coagulandi vis proficiſcitur, hactenùs traditum eſt nuſquàm. Itaquè ùt id mihi conſtaret, recentiſſimas *Gallii lutei* comas, defluente matutinô rore ſicciores ad manipulos aliquot legi, lectaſque cucurbitæ vitreæ recenti commiſi, & nè quam ab aëre, aut morâ ſubirent mutationem, ſubitò evulſas ſubitô igne ſubjectô invitavi ad deſtillandum. Nec mora, ſurrexit ſtillatitius liquor primus, & is penè inſipidus, odore tamen flagrantes gallii flores non parum referens. Poſt unam circiter liquoris hujus unciam ſucceſſit acetum non ingrati ſaporis ad uncias propemodùm tres; tandem validiori igne admotô ſubſecutùm eſt cum liquore acidô oleum flavum ad drachmas penè duas, nec illud admodùm ingrati odoris, de quo hìc diſſerere non vacat. Cùmque tota ab evulſo flore ad acetum uſque prolectatum paucis duntaxat horis duraverit, & miti deſtillatione peracta ſit in arenâ, conſtiterit hinc abundè, opinor, ſpiritum hunc acidum, tam promptè volatilem, lactiſque coagulatorem flori gallii adhuc creſcenti verè ineſſe, nec aliorum more acetorum, præviam fermentationem exſpectare, ſed in flore ſtatim ipſo, quod raræ avis inſtar eſt, vim ſuam ſeparatricem profiteri. Hoc acetum ferventi infuſum lacti, ſtatim ſecretionem illam partium, quam ab infuſo vulgari aceto, experimur, procuravit. Libuit & experiri, an ex floribus acetoſæ, ſummiſque ejuſdem foliis, ut gallio ad linguæ fidem longè acidioribus tale ſubitò acetum deſtillando evocari poſſet; ſed facto eodem modo experimento, nil niſi inſipidus liquor, prolectum eſt; argumento evidenti, longè ſubtiliùs & πνευματικώτερον acidum in gallio, quàm in acetoſa habitare. Ex eodem nativo acido facilè eſt cauſam reddere cur ibidem ità Dioſcoridis: Τὸ δὲ ἄνθος αὐτοῦ πρὸς αἱμορροαγίας ἁρμόττειν δοκεῖ, καὶ πυρίκαυστα ἰᾶσθαι.

Ibidem Obſervatio 70. *Regulum Antimonii ſine igne fundere & liquare.*

QUotiès acida & lixiva vehementiora concurrunt ſpecie liquidâ & aquoſa, manifeſtè eadem ſtrepere, & plerumquè incaleſcere notiſſimum eſt; nec ignotum idem contingere, quotiès acida efficaciora cum metallicis confligunt, præcipuè cum Marte, Antimonio, Zincho: ſed videre pulveres & quidem tactû frigidos ità fumare & efferveſcere, ùt nemo vitrum, cui includuntur, manû ſuſtinere valeat, ità tumultuari, ùt colliqueſcant, id verò in raris experimentis non injuriâ numerandum. Evenit autem hoc ipſum, ſi regulus Antimonii cum mercuriô ſublimatô providè jungatur, quemadmodum antè plures annos coràm Pariſiis oſtendi, præſentibus Viris celeberrimi nominis, *Dn. Thevenotio, Auzotio, Allotio, Stenonio, Borello, Squammerdamio, Baillio*, aliis; jamque iterùm de Conſtantiâ naturæ ſecurus, enchireſin non celabo eruditos, ùt & illi ad ſimilia, immò majora ſenſim invitentur. Rec: Reg: Antimon. Opt. ℥iiij. eaſque in mortario vitreo, marmoreove in tenuiſſimum redige alkohol (niſi in alkohol abierint, fruſtrà experimentum ſollicitabis) quod ſeorſum in chartâ mundâ repone. Mox in eodem mortario, ſed priùs expurgato Mercur: ſublim. ℥xii. itidem comminue in pulviſculum ſubtiliſſimum; tandem pollinem utrumque in chartâ, crebrâ bacilli querni, (vel fagini, neque enim magni intereſt) agitatione conjunge, ùt minima minimis probè admiſceantur. Nullus adhuc calor, nulla fumi graveolentis veſtigia. Ergò pulveres hos ità permiſtos vitro quadrato minuſculo & vulgari quidem, ſed ſtrictioris orificii immitte immiſſoſque bacilli frigidi extremitate latiori continuô & validè comprime, ità ùt ſuperficies pulveris ubique preſſa in arctum cogatur. Diù adhùc quieſcit pulvis, frigeſcitque & licèt ad quadrantem horæ undiquè anguſtetur.

Non magis in furias quercu preſſante movetur;
quam lente ſalices, laſſove papavera collô.

Sed inſiſte premendo ad quadrantem adhuc unum, & notabis denique bacillum tuum, qui ante ſuperficiem tantùm lambebat, altè mox ſubire maſſam, & ad fundum uſque viam ſibi facere, quo viſo, dictum, factum, craſſi fumi cooriuntur, vitrum incaleſcit, materia, quæ vitro continetur, extra oras ejus ſe ſe evolvit, ſpumat, efferveſcit, funditur & totum cubiculum gravi vapore confundit, undè maturè extra fæneſtram transferendum erit vaſculum, ùt operationis cataſtrophe eò ſecuriùs conſpiciatur. Serviet hoc phoënomenon iis, qui in naturam caloris apparatiùs inquirere volent, nobis hìc ſatis erit vel ſuſpicari, particulas primi elementi in pulvere dicto jam ante diſperſas, eoque ad agendum ignaviores, preſſû hoc conjunctas moveri validiùs, adeòquè vim ſuam potentiùs effundere, vel ſi id clariùs eſt, acidum quod in Merc. ſubl. liberaliſſimè adeſt, in ♄o lixivum quiddam, ſeu rectiùs lixivi æmulum ſulphure miſtum invenire, quæ arctius ſibi agglutinata in ſe ſe agere, & ferocire incipiunt, naturæque ſuæ diverſitatem efferveſcendo oſtendere.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 71. Efficere, ut duo ſpiritus tactû frigidi, invicem confuſi flammam edant.

IN ſuperiori experimentô fervor ſe prodidit, & maſſa ſine igne colliquefacta eſt, in hôc etiam flamma erumpit. ℞. Spiritus therebinthinæ Venetæ recens prolecti, ad frigus tamen nativum redeuntis uncias quatuor, quibus in ampliori vitreô affunde aquæ fortis generoſæ itidem recentis, ſed & frigidæ uncias ſex, & agitando, quaſſandoque vas ſub diô relinque, & intra horæ mediæ ſpatium, remotô operculô, ſpiritus therebinthinæ ab acidis aquæ fortis particulis irritatus effervefcere incipiet, & inter craſſa fumi volumina flammam conſpicuam emittens, ſupraque oras vitri ſtrenuè erumpens conflagrabit. Quod cùm Clar. *Dn. Abbati Boucaudiô* non ità pridèm ſignificaſſem, is primô ſtatim experimentô veritatem rei luculentè ſpectavit. Sed neque diſſimulandum, tentamentum hoc ardente meridianô æſtatis ſol ſucceder fœliciùs, incaſſum autem Sollicitari, niſi in ſpiritibus recentibus. Ut vel hinc fortaſſis non iniquè colligere liceat, in omnibus ſtillaticiis liquoribus recentiſſimis igneas quaſdam & ferociores particulas deliteſcere, adeoque convenire, ut morâ aliquâ temperamentum mitius exſpectent, antequàm ægris propinentur, præſertim ſi refrigerandi gratiâ adhibeantur. Neque enim mihi dubium eſt, ſubſtantiam quandam ignis tenuiorem, ſive malis, aliquid oleoſi & ſalini vehementer commoti (in quô naturam ignis propemodùm collocant) ex lignis, carbonibuſque prorumpens in Vaſa Chemicorum plurima, utcunque firma penetrare, & ſui hinc indè veſtigia in iis, quæ vaſis continentur, relinquere; præſertim cùm ſpectaverim clariſſimè apud virum optimum, *Dn. Gobelinum*, in Parlamentô Pariſienſi præſidem ex calce vivâ, ab igne ſuô adhùc recenti, & cum ſpiritû vini junctâ (occupabamur enim in conficiendô ſpiritû calceis vivæ Baſilianô) per retortam figulinam operis firmiſſimi, & ad fidem oculorum cum vitrô comparandi, propulſum fuiſſe XXIV. horarum ſpatiô, non tantùm ſpiritum illum vini, qui affuſus erat, ſed poſteà etiam oleum craſſum, coloris nonnihil nigricantis, odoris ſub fœtidi, hoc eſt ipſam tenuem, ignis fuliginem cum tantillô ſpiritûs vini reſtantis in liquorem converſam; neque enim poſteà ullam in vaſe rimam conſpicere licuit, & vel in calce illâ vivâ vel in vini ſtillatiô liquore oleum illud nulla ſimilitudo veri quæſiverit. Tacebo *Dn. Loques* ſpagiricum Pariſienſem aſſeveranter confirmâſſe, ſe totô menſe per compactiſſimum retorti oris vas) quod Galli *une Cornue de Beauvais* appellant) ex colcothare prolicuiſſe ſpiritum, oleumque, & quotidie intereà aliqui liquoris nigricantis prodiiſſe, neque tamen abſolutâ, quam intenderat; operatione, colcotharis ponderi quicquam ferè evidenter deceſſiſſe, vaſe adhùc ſalvô; quod potiſſimùm ab ingerente ſe, per vaſis poros fuligine profectum non poteſt non videri. Neque enim per intervalla iterùm, iterùmque Colcothar illud aëri expoſuerat, ùt, more Chemicis ſuetô, ex magnâ illâ atmoſpherâ biberet rursùs & ad ignem hauſtas opes refunderet. Quin immò, indubitatum id ipſum reddit ſulphur, quod per vaſa figulina etiam tenaciſſima in igne vehementiori facilè tranſvolat, & ſudoris ſpecie pervadit, quod rerum Chemicarum Conſultis ignotum eſſe nequit. Verùm ſit nè Vitrum etiam omnibus poris deſtitutum, ùt nihil omninò tranſmittat corporeum, proximè intuebimur.

Ibidem Obſerv. 72. Efficere ut ignis per poros vitrei vaſis adeò evidenter corpore ſuô tranſeat, ùt ibidem ſalvo vaſe excitet flammam.

VItrumnè careat poris, an abundet, quæſitum à curioſis variè. De vitreis globulis tenuiſſimis allatum Dn. Hyddens experimentum alibi. Auditi tamen & mihi Pariſiis, qui traderent compertum ſibi, vulgata Chemicorum vitra, phialas, retortas, cucurbitas, ità vacuis hinc indè ſpatiolis, ſive poris ſcatere, ùt ſiquis eas inanes & Hermeticè clauſas in vinaceis calentibus per aliquot menſes relinqueret; tandèm in vaſis notabilem liquoris copiam, ex tantillâ aëris incluſi portiunculâ nullô modô oriundam, poſſet colligere. De quô ut mihi hactenùs inexploratô nihil definierim; intereà guttas exteriùs vitris clauſis adhærentes pro verâ exſudati liquoris notâ admittere non auſim, tùm quòd ſæpè vaporum aëris ea culpa ſit, tùm quòd ſalia, quæ compoſitionem vitri ingrediuntur, exteriùs aliquandò, tempore udô præſertim, liquorem ejuſmodi ab externô advocent. Alii minima ſubtiliſſimorum ſpirituum effluvia etiam phialas vitreas ſigillatas, ut vocant, penetrare exiſtimant, idque vel odore deprehendi. Quod de Hyddenianis vitris quodammodò forsàn concedendum, de communibus ægrè. Mihi, cùm recentiſſimum, vehementiſſimi odoris ſpiritum ſalis armoniaci, quem urinoſum appellant, ità incluſiſſem vulgari phialæ vitreæ, nullus odor, admotis proximè naribus perceptus eſt; id nihilominùs certum, apertô poſt aliquot menſes Vaſe, multùm virium ſpiritui eidem deceſſiſſe; ſed cùm pondus ſibi conſtaret, credibile, incitatiſſimos illos ſpiritus ſalinos mutuô attritû aculeos ſuos noviſſimè perdidiſſe, quòd & in omni ſalis genere fieri, mihi ante obſervatum. Equidèm peritiſſimus *Geber* communi in vitrô poros non agnoſcit. Vox ejus *ſumm. perfect. l. 1. part.* IV. C. XLIV. *ſolum enim vitrum cùm poris careat, ſufficiens eſt ſpiritus tenere, nè fugiant, & exterminentur ab igne; alia autem materia nulla, quia per poros eorum ſucceſſivè diminuuntur & evaneſcunt ſpiritus. Nec etiam metalla in hôc valent, quoniam ſpiritus propter affinitatem cum illis uniuntur, quare per illa tranſeuntes ſucceſſivè evaneſcerent.* Providè quidèm iſta *Geber* de ordinariis Chemicorum laboribus, eſt tamen cur ſuſpicer varii generis corpuſcula artificiô novô, etiam vulgati usûs vaſa vitrea penetrare; cæterùm cùm ex *Hippocratis* oraculô πεῖρα σφαλερή, nolim ante conſtantiam experimenti publicare ſemel comperta. Id attexere libet, ex ore ampliſſ. *Auzotii*, cùm ante paucos annos Pariſiis inter Curioſos de poris vitri diſceptaretur, placuiſſe omnibus, ùt experimento in rei ambiguæ inquireretur veritatem. Ergo poſt maturam deliberationem includitur pulvis ſulphuris minutiſſimus phialæ vitreæ, & illa mox Hermeticè occluſâ admovetur, Sole ardente, ſpeculum cauſticum. Fumat tandèm in vitrô ſulphur, ſed admotâ nare nihil odoris, utcunquè validiſſimè penetrantis, extrà percipitur. Effecit illud experimentum, ùt de poris vitri magis dubitaretur. Libuit tamen aliam iterùm experiri, & ſimilia attentare in pulvere pyriô, vitrô ſtrictiſſimè clauſô. Iterùm ad ſpeculum cauſticum provocatur, iterùm fumat in vaſe materia; ſed non tùm fumare contenta, cùm anguſtiis illis includi neſciret, pertusô magnô aſtantium periculô vaſe, flammans, ſtrepenſquè erumpit, in incertô tamen relinquens, utrùm flamma luxiſſet ante fracturam; an cum fracturâ cœpiſſet ſimul. Undè iterùm anceps de poris judicium. Ego in patriam reverſus, cùm eâ

eâ de re inter alia ſubiret cogitatio, tentare decrevi, annè ipſa ignis flamma vas vitreum tranſire poſſet & hærentem in eô materiam accendere, quod utiquè quodammodò poros, meô judiciô, oſtenderet; ſive, quod ferè eodem recidit, an materia ſubtiliſſima vitrum tam confertim permeare valeret, & tam vehementem in eo ciere motum ùt ſulphur ibidem accenderetur. Ergò accuratiſſimè commiſcui flor. ſulp. ℥vi. cum nitri oriental. ℥j. miſturam retortæ vitreæ vulgatæ, ſed longioris roſtri infudi, oppoſitoque perfunctoriè, metu rupturæ, excipulo, ignem arenæ miniſtravi, modicum illum initio, ad horas ſex, poſt ſenſim validiorem; tandem arenâ in cacabo ferreo efficaciùs calefactâ primùm coloris coerulei flammula in retortâ ſe prodidit. Adſtiti cum aliis Medicinæ candidatis ſpectator eventum opperiens. Ergò extinctâ noviſſimè flammâ ſponte ſuâ, vitrum, ſubducto igne, ad frigus nativum rediens intueor, nihil uſquam fractum, læſumve, multa adhùc in vitrô ſulphuris ſublimati, & inflammabilis veſtigia, quòd flamma impetuoſè ruens, patente exiguô tantùm ad extremitatem roſtri foramine, antè extingueretur, quàm ſatis aëris ad concremandum totum inveniret. Retortam adhuc integram, excipulumque integrum oſtendere licet. Neque metus eſt, fruſtra tentatam iri hoc experimentum, cùm ſæpiùs mihi hâc viâ tentatum nunquam fefellerit. Id quantùm illuſtrandæ & vitri, & ignis naturæ deſerviat, curioſis ingeniis ultrà æſtimandum officioſè relinquo.

Ibidem Obſerv. 63. De Aquâ, in mediô aquæ ebullientis, non ebulliente.

ET hoc forſàn adjici meretur, ad naturam ignis clariùs inveſtigandam. Quoties liquidum incaleſcit â ſolidô propagatur calor per univerſum liquidi corpus, beneficiô bullarum à fundô vaſis potiſſimùm aſſurgentium, & in ſuperficie tandèm ſeſe magnô numerô coacervantium, undè ſpumæ illæ ſubſultantes liquoris faciem latè coronant. Apparet id clariſſimè in vitris aquâ plenis, & fornaci caldariæ fervidæ impoſitis. Cæterùm ſi calor à liquidô & molli calente proficiſcitur, ità parcô bullæ proventu exſurgunt ùt licèt aquâ intra vas in liquore calente ſuſpenſum vehementiſſimè caleat, nullâ tamen ratione ad bulliendum hactenùs à me cogi potuerit. Id in aquâ ſæpè experior. Suſpendo nimirùm ſtricti oris vitrum aquâ ad dimidius plenum in mediô cacabi ferrei aquâ itidem repleti. Suppoſitô igne calet aqua utraque, ſed dum exterior bullit potentiſſimè, illa quæ in vitrô ſuſpenſa hæret, durat quietô vultû nequaquam ebulliens. Eximo enim ſæpè vas vitreum ex ſpumante illâ aquâ, & ſine metû fracturæ intueor, iterùmque ingero, nullâ in ſuperficie bullarum uſquàm veſtigia, cùm in cacabô liquor ebulliendô pænè extra oras ſe ſe evolvat. Aſſurgunt, fateor, è fundô quoque vitri bullulæ quædam, ſed pauciſſimæ, &, quæ antequâm in ſuperficie oſtendere ſe poſſint, evaneſcunt omnes. Veriſimile eſt, ſi in illius vitri mediò aliud adhùc vitrum hæreret, fore, ùt in ejus contentô liquore nè unà quidem bulla appareret; enimverò bullæ primô vitrô occurrentes reſultant pænè univerſæ, quò certiùs in ſecundô vitrò idem uſû veniret. Hoc experimentum ingnotum fortaſſis nón fuit iis, qui primi deſtillationem per M. B. commenti ſunt, in quô pacatiora omnia, eôque minùs in corpore turbarum datura, quàm quæ vel ex arenâ, vel aperti igni fremitû in uſum medentûm evocantur.

Ibidem Obſerv. 64. Aquâ cùm glaciatur, nihil peregrinum in ſe recipit, nec pondere vel creſcit, vel minuitur.

DE Calore in ſuperioribus attactum quiddam, conveniet nec frigoris oblivíſci. Sunt, qui exiſtiment neſcio quas atomos frigorificas ab Hyadibus in terram derivatas hybernô ſe tempore aquæ ingerere, & ità adventû ſuô liquorem in ſolidam compingere maſſam; id quod ingenioſiùs confictum eſſe, quàm naturæ convenientius, ità videor mihi deprehendiſſe. Cepi rigidiſſimâ hyeme vitrum ſtricti oris, ſed ventrioſum, infuſiſque aquæ communis libris quinque clauſi veſica triplici, oleô priùs madefactâ, nè quid temerè irrueret alienum; mox ductâ adamante linea ſignavi accuratè locum, quouſque aqua adhuc liquida in vaſe aſcenderet. Hôc pactô ſepoſitum in planô domûs culmine vitrum; poſt medium horæ quadrantem inſigni ſtrepitû novum quiddam intùs agitari oſtendit. Inſpexi ſubitô & unô pænè momentô totam aquam, ſalvo vitro in glaciem abiiſſe notavi, eamque ipſam glaciem ad duos pænè digitos aſſurrexiſſe ſupra lineam adamante prius ſignatam. Subiit cogitare, novam quandam ſubſtantiam, cum ſtrepitû illô vitrum forſan penetraſſe. Sed diverſa mox docuere tùm vacui in glacie hinc indè canales, tum pondus nihil immutatum. Quantùm enim pendebat cum aquâ vitrum ante glaciem, tantùm quoque poſteà compertum eſt pondus, ut meritò exiſtimari poſſit, nihil acceſſiſſe hactenùs, ſed materiam primi elementi, partium motricem, & pondere, in tam modico liquore vix ſenſilem, duntaxàt receſſiſſe, diſpoſitis ad receſſum illum paulò aliter particulis. Nec in illâ glacie poſteà ad examen ignis deprehenſum aliud, quàm quod notamus in aquâ vulgatiſſimi uſus. Undè aliquis forſan in eam ſenſim declinare poſſet ſententiam, aquam omnem ſibi relictam ſemper glaciari, ſed pleriſque in locis, in ſtatu quodammodo violento, propter hominum & piſcium detineri commoditates, à radiis aſtrorum, & ſubterraneis ignibus agitatam. Videmus eam, ubi minus ab externis turbatur, minuſque movetur, ut in plurimis Alpium, Pyrænearum, Norvegicarumque rupium jugis, ſemper vel glaciem manere, vel glaciei æmulam nivem; id quod in Alpibus maritimis, in Cottiis, ad grande illud Cartuſianorum monaſterium, ad vallem Prageala, & alibi, menſibus Julii & Auguſti fermentiſſimis notavi. Cùmque Auguſtæ Taurinorum viverem, Illuſtriſſimus *Marchio de Pianezza*, Princeps Ducis Sabaudiæ Miniſter, Vir, in quo urbanitas ſumma ſummâ eruditione mixtiſſima eminebat, inter alia humanitatis officia aſcendit mecum aliquandô in editiorem palatii Principis locum, unde in Alpes proſpectus latè patebat, oſtenditque montem, unde Padus exoritur, hoc eſt, Virgilianum illum veſulum, maritimarum Alpium Celſiſſimum, de quo divinus Poëta Æneid. IX.

Ac velut ille canum morſû de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia.

Et in hujus, inquit, Veſuli inferiori vertice (eſt enim bifidus) lacus cernitur ſic ſatis amplus, quem mediâ etiam æſtate ità cooperit glacies, ut *Dn. Torrinus* protomedicus, quem vides (adſtabat enim, & adſtruebat idem) mediô Juliô ad XXV. paſſus in eâdem progreſſus ſit. Parte auſtrinâ nulla ibi nix, Arctoâ copioſiſſima; quàm cùm ſcinderet, advertit ex pluribus conſtare

conſtare veluti corticibus; credibile enim ſingulis annis ex recenti nive cruſtam novam adjungi. Veſulo autem longè editior eſt, quem in Cottiis aſpicis, *Roche de Limon* appellant, & ille, meô quidem judiciô, omnium Europæorum montium altiſſimus, in cujus ſupremô jugô tam intolerabile frigus bacchatur, ùt ferendo per hactenùs inventus fuerit nemo. Ipſe Princeps, Carolus Emmanuel II. ante annos aliquot, XXIV. Auguſti die molitus eſt aſcenſum, ſed re infectâ totus abrigeſcens deſcendit. Ego quidem tam ardui itineris abſtinens, conſcendi tamen religionis gratiâ aliquandò æſtate adultâ montem *S. Bernhardi*, in Pæninis celebrem, ibique monaſterium, quod medias inter nives exſurgit, ingreſſus notavi aquam in ipsô templô glaciari. Religioſis ad prandium rata portio glaciei rubicundulæ offerebatur, quam ſinguli ad ignem liquefactam, & vaſculô exceptam ſtrenuè potabant. Muſtum eò tranſlatum totô annô muſtum perdurat, nec unquam in acetum vertitur. Aqua vitæ vulgatior ſæpè in maſſam ſaponis æmulam addenſatur. Hæc prolixiùs allata, ùt conſtaret, aquam, ſi ſibi permittatur & à turbulentis caloris particulis libera ſit, ad quietem & glaciem ſemper propendere. Neque obſtat, cruſtam tantùm glacialem in veſulô obſervatam, reliquô liquore mobili; enimverò, cùm ibi nondùm adſit perfecta quies, & ſubterraneus montis calor agitare particulas æquæ viciniores non deſinat, mirum neque eſt, profundiora lacûs illiûs adhùc moveri. Hæc ità animi gratiâ diſputantur, obtrudenda nemini. Sed è diverticulô in viam. Aliâ vice aquæ uncias aliquot phialæ vitreæ commiſi, obturavi Hermeticè, ſub Diô ſtatui, in glaciem aqua tota abiit, vitrô integrô; nihil ponderi acceſſiſſe obſervatum quamquam ad fidem oculorum videretur increviſſe liquor, ſed inanibus glaciei ſpatiolis id adſcribendum, illud notabatur duntaxàt; glaciem in mediô vaſis in tuberculum excreviſſe, cæteris in locis omnia æqualiora. Sed quid fiet experimentô magni *Coi*, lib. de Aër. Aqu. & loc. t. XX. At verò aquæ, inquit, ex nive & glacie productæ, omnes malæ ſunt. Cùm enim ſemel concretæ fuerint, non ampliùs in priſtinam naturam reſtituuntur. Sed quod quidèm in ipsâ clarum, ac leve, ac dulce eſt, ac ponderoſiſſimum, relinquitur. Id verò cognoveris hôc modô: ſi enim volueris hybernô tempore vaſculum certâ aquæ menſurâ infusâ, ſub Diô exponere, quò maximè congeletur: deindè poſtridiè in locum calidum deportatum ſinere, quô maximè glacies liqueſcat; & ubi ex ſolutâ fuerit, aquam metiri, reperies aquam multò pauciorem. Atque hoc ſignum eſt, quod à congelatione id quod leviſſimum ac tenuiſſimum eſt, diſperditur, & non, quod graviſſimum & craſſiſimum exiſtit. Non enim hoc diſperdi poterit. Verùm major mihi & divinior eſt Hippocrates, quàm ùt exiſtimem hoc ipſius experimentum eſſe, quippe quod elenchô cauſæ manifeſtè laborat. Non enim ideò tenuiſſimum aquæ in hôc experimentô periit, quòd congelatio præceſſerit, ſed quia glacies illa in apertô vaſe locô calidô ſtetit; ſi ſimùl ſtaret aqua nequaquam glaciata, & hæc ſensìm calore loci evocante, aliquid ſui coporis amitteret. Proindè claudatur glacies vaſe vitreo, ſimùlque notato pondere, Hermeticè obſignata liqueſcat ad Balneum roris, & causâ cecidero, ſi intereà notabile quicquam ponderi ejus decedat. Unum hic diſcere liberet; cur vaſorum alia frigore diſrumpantur, alia imbecilliora perdurent nonnunquam integra. Memini hyemen anni 1664. quam Pariſiis exegi, adeò iſtic ferociſſe, ùt in mensâ meâ vas ſtanneum aquâ ferè plenum, apertumque tribus locis nocturno frigore rimas agerat; contrà, ſæviente apud nos Haffniæ, Februario menſe anni 1658. gelu ab hominum memoriâ rigidiſſimo, detinui ſæpè obbas vitreas longioris colli, cum aquâ ſimul infusâ trilibres, & eò ampliùs, in medio aëre clauſas, donec aqua conglaciaret tota, nec ſenſi fracturam ullam, cum eædem in domibus glaciatæ frequenter rumperentur. Comminiſci hactenus cauſam non licuit, niſi cui placeat, veteri more philoſophanti, in aëre libero frigus undiquè vas æquali violentiâ premere, adeòque nihil diſrumpi, in domo autem inæqualia omnia, quòd pars feneſtræ vel parietibus vicinior plus frigoris recipiat, pars ſcamnô aut pavimento aut fornaci vicinior, minùs, undè ſtrata fracturæ via eſt, Vel, ſi quis malit, putandum, recedentes appulsû hyemalis ventuli caloris motitantis particulas in liquidô aëre æquali vi atque impetû recedere, in domô ob allatas rationes, inæquali: ſed quia Chemica hic potiſſimùm delibantur, adjungendum nunc illud, ſæpè mihi obſervatum, ſalem Tartari, & quemvis alium lixivum, intenſiſſimô frigore non minùs in tabulâ vitreâ in oleum, ſive liquorem, abire, quàm mediâ æſtate; deindè non modò ſpiritum aceti, & ſpiritum ſulphuris ignaviorem, ſed & liquorem ſalis Tartari debiliorem conglaciari, glaciem autem illam eſſe prorsùs inſipidam; non aliter atque quotannis experimur glaciem marium noſtrorum etiam integrum pedem craſſam, inſulſiſſimam eſſe, ſi inferior tantûm vultus, quem adhuc ſalſa aqua allumbit, excipiatur; quo perfunctoriè ablutô tota glaciei marinæ maſſa linguæ inſipida occurrit.

Ibidem Obſerv. 65. Lunam, Mercuriumque à ſulphure vegetabili in liquorem diſſolvere.

Uſus videri poteſt, ſed luſus hactenùs in publicum ignotus, & accuendæ Chemicorum induſtriæ profuturus. Rec. Aquæ fortis generoſæ uncias octo, quibus adde camphoræ probè comminutæ uncias duas; miſta leni igne arenæ foveantur in phialâ vitreâ, donec camphora in oleum diſſoluta aquæ forti innatet, in morem olei olivarum. Hoc ipſum oleum poſt fotum ſemihoræ, ſollicitâ vitri inclinatione effundatur in vas aliud vitreum, ſine ullâ aſpectabili aquæ fortis mixturâ. Ergô Rec. jam olei hujus camphoræ unciam unam, adjice lunæ purgatæ in lamellas attenuatæ drachmas duas, decoque ad quadrantem horæ leni cinerum calore, diſſolvetur luna in liquorem avidentiſſimè. Idem contingit Mercurio, cujus itidem drachmæ duæ in olei camphoræ unciâ unâ promptè fatiſcunt in clarum liquorem. Utcunquè autem indubitatum ſit, camphoram non ſponte ſuâ, ſed receptis ingremium ſalinis aquæ fortis particulis hoc ipſum præcipuè præſtare, duo nihilominùs hic obſervantur curioſè rara; *unum*, ſalia ad eundem effectum æquè ſe in oleô ſubindè motitare, atque in aquâ; *alterum*, metalla hic cum paucô menſtruô miſta ſeorsùm & in fundô ſoluta hærere, reliquum menſtruum natare ſuprà, colore etiam & quaſi minutâ quâdam lineâ à ſolutô argentô mercuriôque, diſtinguendum, id quod de aquâ forti hactenùs inauditum.

Ibidem Obſervatio 66. De Rarâ auri diſſolutione.

Exploratiſſimum Chemicis eſt, argentum ab aquâ forti, item à ſpiritû nitri diſſolvi, ſed aurum in mediis aquæ fortis ſpirituſque nitri

complexibus conſtanter edurare corpore illæsô integrôque, nec huic diſolvendo parem adeò reperiri liquorem, niſi vel ſalis communis, vel ſalis armoniaci ſpiculis armetur. Deprehenſum mihi eſt nihilò ſerius, aurum quoque parere aquæ forti, diſſolvique penitùs, ſi illa geminâ priùs deſtillatione ab æquali portione nitri evocetur. In quem ſtatum beneficiô nitri provecta aqua fortis diſſolvere ulteriùs argentum non poteſt, ſed lacerat illud tamen, & in pulverem album præcipitat, aurum autem facillimè vincit, & in aquam flaveſcentem convertit. Scilicet in nitrô ſalinæ ſunt particulæ & volatiles & magis fixæ: in aquâ forti vulgatâ volatiles ſe ſe exercent, in aquâ forti à nitrô iterùm, iterùmque aſcendente fixæ quoque ſe ſe produnt, & novi generis ſolutionem moliuntur. Hôc compertô, ſubiit experiri, ſpiritus nè nitri à nitrô evocatus itidem aurum diſſolveret; ſed parùm ſucceſſit meditatio, ùt quærenda forſan vel in Vitriolô tantæ diverſitatis cauſa, vel putandum, aquam fortem ut ferociorem, altiùs ſubire nitri partes fixas, earumque nonnullas, novæ operationis auctrices, ſecum per alembicum raptare, quod ſpiritui nitri (niſi forſan crebriùs frequentetur deſtillatis) inceſſum.

Ibidem Obſerv. 67. In Mercuriô etiam purgatô acidum quiddam, aut ſalſum deliteſcit. Amalgamatum diverſitas.

Est quod ad ingenium Mercurii ſtupeat, non vulgus modò, ſed & eruditorum natio. Cùm molliſſimus ſit, & in ſpeciem apertiſſimus, nullum metallum eò deprehenditur occluſius. Aurum patitur ſe quodammodò in diverſæ naturæ partes dividi, faciliùs argentum, mercurium qui dividat, vel rarus eſt, vel nullus. Eſſe tamen in eô diverſas partes, hôc demùm, quòd nunc affero, deprehendere mihi videor experimentô. Cepi lamellas aliquot Chalibeas puriſſimas, eaſque vitrô oblongô recenti, in quô mercurius probè defæcatus aſſervabatur, immiſſas ſepultaſque ad menſes tres reliqui, nullô aliô admotô calore, quàm ſolari. Poſt apertô vaſe, quod ſtrictiſſimè clauſum fuerat, reperi lamellas meas omnes obductas rubigine, utcunquè in mediô liquoris tam nobilis cuſtoditas. Undè acidum quiddam, ſalſumve, rubiginis illius promum condum in penetrali Mercurii habitare mihi perſuaſum quod fortaſsè repetitô eôdem, per laminas alias atque alias labore, tandem extraheretur totum. Subtilis *Geber* L. ſumm. perfect. II. part. I. C. IV. duo in Mercuiô agnoſſit ſupervacua, fæcem terream, & fæcem fugitivam aqueam; quod ſi hæc eſt aquea illa fæx, viderint alii, quò pactô abolenda ſit terrea, dum ego, ùt utile non dulci, ſed acido miſceam, candidatum Hygiejæ inſtruo, qui internoſcendus ſit mercurius, quem in abigendis lumbricis adhibere conveniat. Solet enim verò frequenter adulterari jam plumbô abjectô nigrô, jam candidô, (ſive ſtannô) jam biſemutho, jam Zincho, non ſine uſurpantium noxâ, quòd ramenta metalli ignobilioris in affuſas aquas vim ſuam derivantia varias in corpore humanô cieant tragœdias. Neque enim hic ſatis eſt traduxiſſe Mercurium vel per corium, vel retortam, ſi enim adulterina illa miſtura ingenioſior eſt, tranſit ſimul aliquid infauſti malagmatis, quod & Clar. *Schroderô* jam pridem obſervatum, per retortam autem, non effumando, ſed ſubſultando integrum ſæpè inviſi metalli amalgama tranſit, & ambiguum reddit artificem. Igitur ùt certiùs rem definias, granum unum ſuſpecti Mercurii carboni incandeſcenti impone, & leniter affla: ſi quietè fumando recedat totum, germanus eſt Mercurius; Si carboni inſtrepat, & crebris ſaltibus fugam moliatur, ſpurius cenſendus. Sed de amalgamatis (quæ vox ex malagmate corrupta videri poteſt) paulò pleniùs. Jam olim *Vitruvius* L. VII. C. VIII. & *Plinius* L. XXXIII. C. VI. (nec ii forsàn primi) auri, mercuriique ſocietatem delinearunt, quorum exempla ſecuti alii idem in argentô proſecuti ſunt: neutrum amalgama ſtrepit in igne propter abſentiam immundi, & ſtreperi ſulphuris; plumbum & ſtannum facilè ſociantur cum mercuriô, ſed amalgamata eorundem admotô igne infremunt, ſtrepuntque vehementer, ùt farcta ſulphure ineptô & fugaci. Tranſit & in amalgama Orichalcum, & ſtrepit: Antimonium cum mercuriô non miſcetur, immò nec regulus ejus propter fæces nimias ſulphureas. De ferrô, & ære ità *Geber*: *Mercurius*, inquit, *non adhæret Marti, niſi ſubtiliſſimô ingeniô, nec veneri propter paucitatem argenti vivii in illis, in commixtione ſua.* Docebo tamen, quomodò ferro adhæreat: Rec. elimatam ferri ſcobem, eique affunde ſolutum in aquâ communi vitriolum ſive ungaricum, ſive aliud naturæ venereæ, & quaſſatô hinc indè vaſe notabis mox omnem illam ſcobem ærea quaſi bracteâ obductam; quô conſpectô affunde triplum, vel eô ampliùs, mercurii, concute hinc indè, & videbis penè momentô confectum amalgama craſſum, firmum, & in ſpeciem optimum. Sed ne quid diſſimuletur, non eſt illud niſi perfunctorium amalgama; neque enim per minima coiere duo illa corpora, undè frequenti attritû in mortariô ſuccô rursùs infida illa ſocietas diſſolvitur. Æs tamen facili negotiô, ſed operâ paulò diuturniore in legitimum amalgama deſinit.

Componit manibuſque manus, atque oribus ora. Legitimum eſſe, plicatilis ejus flexus docet, quod unum amalgamatis perfectiſſimi argumentum eſt. Amalgama Veneris recens confectum carbones equidem candentes nonnihil interſtrepit ob ſulphur quod ſinû fovet, impuriùs ſed parcè tamen, at ſi diù foveatur calente locô nihil. Neque etiam, ſi vel ſtreperet validiſſimè, priori experimentô periculum indè naſceretur ullum, cùm myropolarum & pharmaceuticorum vulgò id genus amalgamatis & ignotum ſit, & æs in carbone ſtatim ſe oſtendat fugiente mercuriô, quod in reliquis amalgamatis, Zinchi, biſemuthi, & plumbi utriuſque non contingit, effugiente ſenſum cum ſtrepitû, metallô totô. Amalgamata Solis & Lunæ nullô ſe ſtrepitû ad flammam infamant, neque etiam ab iis metus ullus, quòd aqua ejuſmodi amalgamati infuſa, & uſurpata nullum utenti accerſat detrimentum.

Ibidem Obſervatio 68. Tentandus utriuſque Carpi pulſus, antequam de morbi naturâ pronuncietur.

Vir illuſtris hôc annô paulatim ex debilitate pectoris & diætæ erroribus flacceſcens advocari me jubet, de languore inſuetô, appetitû proſtratô, anhelitû interceptô, febre erraticâ conqueſtus. Admoveo pulſui dextræ manum, ſalva omnia, admoveo ſiniſtræ, omnia turbata, ſciſcitor, ecquid unquam in pulmone vitium ſenſiſſet? Immò inquit, ante quinquennium periiſſem tabe, niſi ſuccurriſſet Medici celebris peritia: ex eô tempore adhæſit nihilominùs neſcio quis languor, præſertim ex quô graviſſimâ tempeſtate jactatus, & ad dies aliquot marinis fluctibus madeſcens infeſtum ſenſi Novembrem. Acceſsêre

ceſsêre negligentiùs cuſtoditæ in vivendô Medentium leges,quibus tenaciùs, vigente adhùc ætate adſtringi, id verò eſt, antequam fata poſcant, officiosè interfici. Videbam triſte aliquid in pectore coqui, & ob putridum in pulmone ſiniſtrô ulcus febre jam & hecticâ, & ſubindè putridâ comitatum, animam clariſſimam ſpectare haud dubiè foras: rogo igitur, plures in conſilium advocentur Medici, rem enim eſſe longioris ſubſellii, & periculi plenam. Accerſiti veniunt alii, atque alii viri celeberrimi, obſervatôque (ut mos fert) micantis arteriæ in dextrâ manû rhythmô benè ſperare ægrum jubent, conſtare ſibi pulſum, temporarium eſſe malum, brevi ceſſaturum, adeò ùt de meâ vel fide, vel peritiâ dubitare ſe generoſus æger oſtenderet. Verùm ego, qui ex pravô ſiniſtræ pulsû aliâ omnia præſagieram, inſto, tandèm, ùt ægro nondùm aſſueti Medentes, anguem in lævâ delitescentem mamillæ parte, ex pulsû lævo judicarent. Hic verò illi turbidâ, incitata, & ſæpè interciſâ æteriæ pulſatione exterriti, mutavêre judicia, & ſententiæ à me, tanquam ordinariò ægri Medicô pronunciatæ, acceſsêre. Reſpondit prognoſticô eventus. Omnia aliis ſalutaria incaſsùm hic tentata. Periit æger, & paucis ante mortem diebus, pertuſo, ut opinor, ab ulceris fœdi acrimoniâ mediaſtino, dextræ pulſum noviſſimè ſenſit rapi in conſenſum, & ultima quoque minitari.

Ibidem Obſervatio 69. Oculi humores excuſſi redeunt, non ex adventitiô per ſiphones infusô, ſed ex depluente à Cerebri vaſis liquore.

Virguncula annorum ſeptem, rationarii ſcribæ Regii filiola, ferreum infelix uncum improviſo ictû, medio oculi impegit, ità profundo, amploque vulnere, ùt proximô triduo non ſolùm, quicquid erat humoris aquæi, effunderetur, ſed & quicquid vitrei, id quod craſſamentum coctо leviter ovi albumini ſimillimum continuè effluens clarè oſtendebat. Accerſitus ego, ad avertendam, quæ violentiſſima ſucceſſerat, inflammationem, & derivandum aliò recentis humoris noxii procurſum, veſicatoriis inſto, quibus parum conferentibus, ventum denique eſt, præmiſſis univerſalibus; ad ſetaceum: oculo autem collyrium ex aquâ fæniculi, cyanique jubeo per intervalla infundi, quibus effectum, ùt in paucis diebus multum adhùc humoris vitrei turbati eliceretur. Poſtquam nihil craſſioris illius ſubſtantiæ per infauſtum ictum confuſæ prodire amplius obſervatum, infuſo bracteearum orichalci ex vino Hiſpanico (tantòperè laudato Angelo Salæ collyrio) hiantis oculi foramen ſenſim ad cicatricem perduco, ratus fore, ùt ex cerebri vaſis ſive arteriolis, tunicarum ejus paulatim tantùm in vacuum penè locum deſtillaret humoris, quantùm implendo oculi bulbo ſufficeret, illum autem ipſum liquorem omni alio peregrinô convenientiorem eſſe; (deſtillare enim aliquid videbar mihi colligere tum ex eô, quòd oculi in perpetuô motû & calore verſentur, adeòque non poſſint non quotidiè aliquid exhalando amittere; in cujus locum aliquid continuò ſuccedere neceſſe eſt, nè bulbus oculi flacceſcat, tùm quòd ægrotantium oculos, in morbis præſertìm ardentibus flavidiores videamus, humore, qui ex cerebri vaſis aliàs ſubminiſtrari ſolet, aliô tranſlatô, convaleſcentium autem, & ſanorum, vividos & humoribus ſuis refertos, ùt taceam, ſolô preſsû moderatô ex quibuſdam bulbi oculorum bubulorum poris humorem proſilire, quod Clar. *Stenoniô* obſervatum.) Nec fefellit eventus: quanquàm enim impetuoſus ictus omnia confuderit, & ligamentorum ciliarium appendices vel diſtorſerit, vel diſruperit, hoc eſt certam viſui objecerit deſperationem, impletus tamen bulbus eſt, & viſus non planè abolitus, ut qui ad certas lunæ phaſes jam tùm recurrit, & forsàn ſuccedente ætate magis inclareſcet. Licuit diù ſingulis hebdomadibus novas in oculô mutationes recognoſcere; jam omnia albeſcebant, jam in flavum, jam coëruleum, jam turbatum vergebant colorem; ſæpè tota pupilla filamentis candentibus obſita erat, nec adhùc certa mutationum meta eſt. Id quod ex membranarum & ligamentorum, quibus in officiô ſuſtinentur oculi humores, læſione contingere cenſendum. Utcunquè enim humores rectè ſe ſe iterùm habere credibile ſit, fluctuant tamen, & turbas dant, niſi limitibus ſuis coërceantur, neque vel aquæ chelidonii majoris vel alii cuicunque liquori ſtillatitio, id à naturâ conceſſum, ùt rupta omnia reſarciat. Quis rerum naturæ gnarus ab aquâ deſtillando per alembicum evocatâ ſperabit membranas & ligamenta? Immò nè quid diſſimulem, ex quô didici aquam illam *Burrhianam ophthalmicam* deſtillando parari, (neque enim Amſtelredami, viſis experimentis ejus, epigrammate honoratis, id ſcieram) ſtatim ità mecum: aqua illa acuit haud dubiè viſum, & labra vulneris oculi ad cicatricem forsàn diſponit, reſtituere tamen craſſos oculi humores ſolius naturæ eſt, & humorum ex cerebri vaſis renaſcentium: neque enim credibile eſt, gluten illud humoris cryſtallini, vitreique cum aquâ chelidonii in alembicum aſcendere poſſe. Quòd ſi vel ſuccum folliculorum ulmi, vel humores ex oculis caninis aliis elicitos & ſollicitè temperatos infudiſſet terebratô molloſſi ocellô, & anſerinos alios anſerinô lumini, color illuſtrior acceſſiſſet operationi, quanquàm & id ſuos pateretur manes. Utque poſſet lentor ille cryſtallini, vitreique humoris aſcendere, qui aſcendet ſal ille lixivus, qui in oculi humoribus deprehenditur? de quô nè ſine experimentô diſſeram, ſe pono quandoquè humorem oculi bubuli aqueum ad ignem in vaſculô vitreô evaporat, relictô in fundô ſpiſſamentô quodàm craſſiuſculô non aſcendente, quod ampliùs uſtum ùt incandeſcat, deſinit in pulviſculum ſalſum, qui cum ſpiritû vitrioli acriter effervеſcens oſtendit ſe eſſe ex genere ſalium lixivorum. Similia contingunt humori vitreô, quô tamen evaporante craſſamentum in fundô ſpiſſius, ſalſius & copioſius apparet. In cryſtallinô autem mihi nihil obſervatum eſt ſalis lixivi, nullus vel cum acidis, vel lixivis notatus fervor, relinquitur maſſa dura & firma, ad ignem intumeſcens, nidore cornu uſtum referens, qualem per alembicum paulò antè prodiiſſe, aut prodire poſſe, id verò eſt, quòd nondùm aſſequor, utcunquè non invitus largiar aquas per alembicum evocatas craſſamentum tandèm, & poſt moram longiſculam, in fundum propellere fixum & in omni igne conſtans, ſed inſulſum; ſed cur gemini illi locorum humores ſubſalſi? ad arcendam, opinor, putredinem, à quâ tutior cryſtallinus, tum ob duriorem ſubſtantiam, tum quòd in ſubſalſis natet. Sed ùt ad propoſitum revertar, video Ampliſſ. *Tulpium* obſervat. Med. l. I. C. XXX. neque aliud requirere in ſimilibus oculorum affectibus, quàm ùt cicatrix inducatur, narrrat enim ſe obſervaſſe, *inductâ vulneri oculi cicatrice, brevi iterùm ſuccreſcere deperditam aquam;* ante omnia illuſtris eſt *Celſi* locus l. VI. c. VI. ubi poſtquàm docuiſſet læſam oculorum hirundinum aciem interpoſitô tempore in antiquum ſtatum redire, ſubjungit;

ſubjungit. *Unde etiam locus fabulæ eſt, aut per parentes, aut id herbâ Chelidonii reſtitui, quod per ſe ſaneſcit.* De experimentô Clariſſ. *Kerckringii* hîc nihil, ùt de re in publicum hactenùs ignotâ, quanquam ſpes ſit fore, ùt quem doctiſſimum ſcimus, eundem in demerendo ſibi etiam hâc parte humano genere humaniſſimum experiamur.

Ibidem Obſerv. 70. *De ſudore atramenti.*

URinam ægrorum ſedimentô nigerrimô metuendam bis hôc annô conſpexi, & formidantibus mortem, qui reddiderant, ſanitatem, quæ etiam conſequuta eſt, ex aliis prædixi argumentis. Certum quidem illud *Hippocratis* in Prognoſt: νεφέλαι εναιωρεύμεναι τοῖς οὔροισι μέλαιναι φλαῦραι. Unde Philiſcum memorat *Cous* idem Epidem. 1. interiiſſe, ὅτι μέλανα οὔρησε. Conſtat tamen plures evaſiſſe Libitinam, quibus atra per urinas prodierint, de quô conſulenda apud *Trincavellium*, *Montagnanam*, *Zacutum* exempla. Cæterùm & atra per ſudores excerni, & ſanari ægrotantem, id verò hactenùs forsàn inſuetum; contigit tamen ſuperiori hyeme primariæ cuidam fœminæ, urbani Conſulis uxori, quæ poſtquàm inſidioſiſſimam febrem petechialem feliciter ſuperaſſet, phthiſi, in quam ante morbum propenſior erat, afflicta, rejecit extuſſiendo ad plures hebdomadas tantam craſſi, foëdique puris vim, ùt aſtantium pleriſque crederetur univerſas pulmonis ſaucii reliquias excluſiſſe. Pulſus parvus, ſed concitatiſſimus, ſubſultans, ſæpè intermittens: anhelitus creber; putrida hecticæ juncta populaverat artus; ſanguis perruptis vaſis confertim ſubindè, etiam ad integras libras per nares ſe effuderat; ad ſummam, credita conclamata omnia,

Solus in exanimi reſtabat ſpiritus ore.

Rediit nihilominùs cum ſanitate in gratiam clementiâ ſuperûm, viro experientiſſ. D. D. Caſparô Kölichen, Urbano Phyſico, conſilia mecum, & manum ſoſpitalem commodante. Dum autem medendo incumbuimus, illa paulatìm convaleſcenti propior ſudoribus matutinis ſpontaneis ad plures dies perfundi coëpit, iiſque tàm atris ùt nigerrimô colore inficerent ægræ lintea, præcipuè calanticas, quas cùm veſpere puras capiti circumpoſuiſſet, manè nigrantes & quaſi atramentô tinctus invenit, nobiſque anxia oſtendit. Nos meliora ominati ſubjecimus, criticam apparere evacuationem, in ſalutem ægræ terminandam. Nec decepit augurium; ex eô enim ſenſim remiſit malum, & exſpectata diu ſanitas revertit. Sed quæ cauſa exſudati atramenti? mihi in rarô hôc phænomenô, ſalvis meliorum ſententiis, non abſonum videtur, dilutiorem ſanguinis partem à nimiô acidô (quod in corpore tabidô deeſſe utiquè non potuit) in nigrorem verſam interſudandum evaporâſſe. Noti ſunt, etiam extra ſacram hiſtoriam, cruenti ſudores; notum, mihique ſæpè exploratum, ab acetô ſanguini animalis calenti infusô mixturam atratam exſurgere; nota laxitas pororum in phthiſicis pleriſque, quos & non rarò mediâ hyeme ſimplici ſtragulô opertos ſudare notavi, frigente licèt tricliniô. Sed cùr in hâc ægrâ potius, quàm in aliis tabidis inſueti generis ſudor? quia acidô corporis ægri acceſſerat malum aliud; ſolito magis aduſta erat ſanguinis maſſa, eòque in nigritiem tantò proclivior; anteceſſerat enim maligna febris, unde humores, potentiùs aduſti. Quod ad urinas nigricantes autem, de quibus ſupra, non earum color ab amurcâ lienis ſemper accerſendus, ſed ſæpè à ſanguine extra vaſa ſua in renibus, in uterô in vagina ejus propulsô, ibique ſi interquieſcit, à calore vivi corporis in grumos ſubnigros excoctô, cui intereà acidulum quiddam, ubiquè ferè in corpore diſcurrens ſuperaddi alienum non eſt.

Ibidem Obſerv. 71. *De Quatuor annos mutô, ſubitò vocali.*

SOcium hic adjungimus Crœſi filio, qui, ut perhibet *Herodoti* Clio, visô irruente in parentem minaci Perſâ, cùm ante mutus exegiſſet vitam ὑπὸ δέος καὶ κακοῦ ἔρρηξε φωνὴν Ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Noſter hic, Chriſtiano-Hafnienſis civis, per infortunium mutus, totô quadrienniô vocem fruſtrà exſpectaverat. Tandem ad me ventum: inſpicio fauces, expendo linguæ fabricam, & membrum infelix ſtyllô ferreô latiori hinc indè converto. Nihil adeò à naturâ peccatum obſervo, tantùmmodò frigus partis flaccidæ diſplicuit, & movendi ſegnities. Deſigno igitur, quæ fieri velim, & exaratis, quæ, in rem videntur, ad que pharmacopoëum remiſſis dimitto ægrum; qui domum properans, ùt ſe pharmacis recipiendis accingat, in ponte ſubliciô, qui utramque urbem dirimit, obviam fortè videt vetulam neſcio quam, ob inimicitias funeſtas jam olim ſibi inviſam; eâ conſpectâ totô animô exardeſcens, & vindictæ accenſus cupidine: *Ut te, inquit, Dii, Deæque omnes perdant, venefica!* ſimulque laxata linguæ ſuæ fræna ſtupens obſervat, tùm demùm ſibi iratior, quàm aniculæ, quòd fauſtiſſimum ejus occurſum conviciis excepiſſet, & primùm redeuntis linguæ uſum à maledictis eſſet auſpicatus. Scilicet, credibile, grumum aliquem ſive ſanguinis, ſive pituitæ tenaciorem principiô arteriæ loquacis impactum, & hactenùs comprimentem vicinos nervos, ad motum illum incandeſcentis animi concitaſſimum, & ſecutum hìnc irritati ſanguinis motum vehementem, delituiſſe.

Ibidem Obſerv. 72. *De Primâ cancri mamillarum origine.*

QUàm feliciter carcinoma geminum cordatiſſimæ fæminarum *Chyſiæ* ſuperiori hyeme ſublatum ſit, alterum ſectione, pharmacis alterum, luculento tuo, Vir celebratiſſime, D. D. *Thoma Bartholine*; calamô expediundum delego, quòd *Dn. Simoni Paulli*, *Moinichenio*, *Foſſiô* Medicis experientiſſimis, mihique adeò junctis rei feliciter gerendæ conſilia ſociaveris; unum ego tantùm attingam, quod in accuratiore radicis ſecti jam carcinomatis, contemplatione mihi obſervatum. Ad vivum graſſatus erat ferrô Chirurgus dexter *Hacquardus*, partemque muſculi pectoralis malô viciniſſimam, nè ex reliquiis metuenda eſſet recidiva, unà abſtulerat. Hìc quâ extima muſculi ſuperficies proximè tangit glanduloſam illam mammarum ſubſtantiam, nodus in conſpectum venit, avellanam magnitudine æquans, ſanguine duriori, coloris ſaturi, & ad nigrum inclinantis diſtentus, undè obſcuri quidam meatus in reliquum mammæ corpus hìnc indè proſerpentes magnam ejus partem infecerant, & in ſubſtantiam albam, duram, firmam, & quaſi cartilagineam, pinguiuſculam tamen converterant, ſinubus hìnc indè variis quaquaverſùm diſcurrentibus, & ſerô, ſed paucô refertis, nullô adeò minutarum glandularum (ex quibus ſana conſtat) veſtigiô, ità corruptus humor omnem partis affectæ habitum confuderat, & ex infinitis glandulis unum quoddam calloſum magma effecerat. Similia ferè in ſectâ ſub idem tempus mamillâ *Funcciæ* obſervata, niſi

niſi quòd in hâc malum provectius, & mæandri ſerò foëtidiſſimô diſtenti patentiores. Sed quod ad primam mali ſpectat originem, utraque ἔνσαρκος & benè habita, utraque quinquageſimum ætatis annum nuper egreſſa, utraquè, quô tempore menſtrua ſolemni naturæ conſuetudine deſinunt, venæſectionem neglexerat. Hinc ſanguis in corpore abundantior, cùm ſuetum per infernas vias procurſum non inveniret, levi triſtitiâ, levi iracundiâ excitatus ad vicina cordis erupit, inque confiniô pectoralis muſculi, cedente facilè molli glandularum mamillarium ſubſtantiâ, ſe ſe liberiùs extra arteriam effudit; jamque motû carens paulatìm coëpit aceſcere.

Ut capiunt vitium, ni moveantur, aquæ.

& quotidiè corruptior redditus, noviſſimè in proximas ſubjectæ mammæ glandulas foëdum halitum derivare; undè ſerpſit pedetentìm in vicinâ malum, & invaluit. Ut proindè non malè ſibi conſulant, & id ætatis plethoricæ, & paulò juniores, ſi miſſione ſanguinis, & pacatis animi perturbationibus ferocem adeò hoſtem declinent. Vidit & hìc imminuendum quoquô modô ſanguinem divinus *Hippocrates*, unde l. II. de Morb. Mulier. μελλοντων ꝺ, inquit καρκινων ἔσεσθαι, ἢν λυθῇ τὰ ἐπιμήνια, ὑγιὴς γίνεται. Quanquàm autem frequenter inteſtinis his cauſis primordia ſua debeat infamis cancer, naſcitur tamen etiam non rarò ab externis, ſed ubiquè non niſi ſanguine priùs extra vaſa ſua violenter protrusô, &, ubi hæret, aceſcente. Vidi Pariſiis, quæ ex alliſâ de improvisô poſti feneſtræ mamillâ, & imperitiùs tractatâ malum contraheret. Ea erat generoſi animi foëmina *Moiſettia*, vix dùm quadragenaria, quam ex causâ tam levi, & initiô ferè ſpretâ, corripuit ſenſim infauſta lues, & depaſtâ, penitùs ad ſternum mamillâ ſiniſtrâ, per canalem patulum in dextram ſe effuderat, illâque jam ſemilacerâ ad axillam, uſque dextram perreptaverat, foëda aſpectû, livida labris, ichore putida; jamque quadriennium integrum duraverat inter hæc mala, peritiſſimi cujuſque opem fruſtrà implorans, cùm acceerſitus in urbem, clarus jam ante cancri domitor *Petrus Alliot*, vir rerum Medicarum & Chemicarum ſcientiſſimus, manum ulceri admovit, & nobiliſſimam foëminam extrema jam omnia metuentem feliciter aſſeruit. Enim verò inſperſit quotidiè foëdô ulceri albicantem quendam pulviſculum, undè poſt horulæ ſpatium (viſa mihi loquor) levis coorta febricula, quæ tamen mox ceſſavit, & quietem ægræ indulſit. Ità continuâ pulveris hujus inſperſione ſeſquimenſe effecit, ùt vulneris labra ex lividô in rabicundulum terminarentur colorem, & ichor ſeroſus paulatìm in coctum laudabiliter pus verteretur. Quô factô vulgaribus ſarcoticis, miniſtrante Chirurgô plagam conſolidavit. An tamen durabilis hæc cura fuerit, quod ſperabo, ex Pariſinis Medicis nondùm licuit reſcire, intereà cùm præparationem illius pulveris celaverit *Alliotus* lucrô intentior, non deſtitit tamen ingeminare, malum illud carcinomatis ex acidô peculiariter corruptô pronaſci, ideòque lixivô peculiariter temperatô ſanari; de quô ùt diſertiùs ſe ſe expediret, ſententiam ſuam ſcripto ſed minutô evulgavit, quod ut paucorum manibus tritum, non gravabor hìc annectere.

Nuntius Profligati ſine ferrô & igne carcinomatis, miſſus, ducibus itineris Hippocrate & Galenô ad Chirurgiæ ſtudioſos.

à

Petrô Alliot, Barroducæô, Ducis à Lotaringiâ Conſiliariô, & Medicô ordinariô. Pariſiis, 1664. *An* φαινόμενα *carcinomata* ἀγωνιστικῶς *curari poſſunt arcanô alkali* ἡγεμονικῷ *remediô?*

I.

Spiritus in nobis ſeu influus, ſive inſitus, ſalſus eſt; de alkalium proſapiâ, balſamicus item, quia partem, cujus eſt ſpiritus, cuſtodit, ac præſervat: hujus autem vel alteratio plùs minùs intenſa, vel diſſipatio, ſeu exſtinctio, ſeu ſuffocatio januam pandit putredini, cujus individuus & inſeparabilis comes eſt acor, ſpiritui illi balſamicô prorsùs hoſtilis: ut verò nullum ulcus ſeu purulentum ſit, ſeu ſanioſum & ichoroſum, datur abſque putredine, ſic planè nullum ulcus abſque acore, qui quidèm prò diversô ulcere multiplex eſt, alius leproſi narcoticus, alius gangrænoſi necroticus, alius ſcabiei pruriginoſus, alius carcinomatis διαβρωτικός, alius luis Venereæ, anthracis, eryſipelatis, lichenis, herpetis, morbillorum atque id genus, id inſtarque fermenti partem affectam, ejuſque alimentum multifariam labefactat, ac corrumpit.

II.

At enim verò ſal alkali, ſeu lixivioſum, (aut quocunque tandem aliô nomine ſal omnis acoris expers appellare licet) ſeu naturale ſit, quale eſt in animalibus fel, ſeu artificiale, quale eſt ſal tartari, & ejus liquor per deliquium, ſeu volatile, quale eſt in Lapillis aſtacorum, ſeu fixum, qualia ſunt omnia ſalia elixiviata, ſeu ſaporis ſalſi, qualis eſt ſpiritus incoërcibilis nitri, magnarum in Medicinâ virium, ſeu amari, quale eſt in abſinthiô, ſeu deniquè acris quale eſt in antiſcorbuticis, arô, ſerpentariâ, hôc inquam, ſalis genus cuilibet acido eſt verè ἐναντίον, alterumque ab alterô contemperatur, fitque neutrum ex utrôque, teſte paſſim experientiâ; non juvat propterea quod libet ulcus ab alkali qualicunque curare, imprimis carcinoma, cujus acidum & volatile fermentum inſtar aquæ chryſulcæ corroſivum, ut ſpernit mitiora quæque alkalia, ità tantùm abeſt, ùt à validioribus, ſi liquabilia ſint, (qualia ſunt pyrotica) miteſcat, ut contra propter ſubitam fermentationem, & partis vicinæ colliquationem plurimùm ab iis exacerbetur febris, aliaque ſuperveniant ſymptomata: igitùr ſic præparentur, neceſſe eſt, ùt & fixa ſint, & in aquâ inſolubilia; quod certè remedii genus ἐνεπίελεον, necdùm hactenùs à quôquam deſcriptum, bene autem atque exactè paratum ſi parti ulcere cancrosô obſeſſæ imponatur, ſenſim, ac ſine doloris ἀξιολόγου ſensû, tutò, citòque acorem καρκινώδην necat, (quod ferrô, & igne, non obtinebis) idque quod carcinomate deturpatum fuit, deſiccat in eſcharam intactâ parte ſanâ, & fermenti acidi expertè, ipsâ verò eſcharâ vel à naturâ, vel ab arte ſeparatâ, ulcus ante ichoroſum, fit purulentum, quod tùm mundificandum, & mundificatum cicatrice claudendum.

III.

Etſi verò Medici omnes poſt Hippocratem & Galenum, omnium carcinomatum, tam quæ φαινόμενα in corporis habitû tangi poſſunt & μετὰ τῶν ῥιζῶν ἐκτεμεῖν καὶ καῦσαι δύνατον ἐστιν, quàm quæ μὴ φαινόμενα ἐν βάθει τοῦ σώματος deliteſcunt, quæque propriè κρυπτὰ dicuntur Hippocrati, cùm vel ſine ulcere facta per ἐπιγένεσιν, vel tantùm vitiô partis oborta continentem cauſam ſtatuant μέλαιναν ἀκριβῶς χολήν, humorem nempe, ſeu ex bile flavâ aduſtâ, ſeu ex ſuccô melancholicô retorridô genitum; in eôque agnoſcant τὸ ὀξῶδες, acidum, qualecunque, ſed τὸ δριμὺ acre, τὸ διαβρωτικὸν corroſivum, καὶ τὸ δακνῶδες mordax inſtar aceti acerrimi, quodque ζυμοῖ τὴν γῆν ter-

rano

rano fermentat; poſſitque ejuſmodi acidum ut aliud quodcunque longè potentiùs à contrariô alkali contemperari, & ſubjugum trahi, non tamen indifferenter omni carcinomati ſal alkali etiam exactiſſimè, & ut ſuprâ inſinuatum eſt, paratum opponi debere cenſendum eſt, ſed illi tantùm, in cujus radices, ut ità dicam, omnes & ſingulas penetrare poteſt, nè, minimâ illius fermenti maligni particulâ ſuperſtite, malum tandèm de integrô repullulet, ùt liceat concludere,

Ergô φαινόμενα carcinomata ἀγονιστικῶς curari poſſunt arcanô alkali γεμονικῶ remediô.

Hæc experientiſſimus *Alliot.* Idem à me interrogatus de primâ mali hujus radice, ſtatuit eum ex arteriis exſudare, & paulatìm in corpus degenerare malignè fermenteſcens. Adjecit ſe aliquandò radicem, poſt ſectionem Chirurgicam inveniſſe, nervi craſſioris fruſtillô ſimilem, ſed alterâ extremitate concavam ad inſtar cupulæ glandis. Et credibile ſanè eſt aliâ atque aliâ facie ſubindè apparere, ſecundùm coctionis diverſitatem: qui enim ſanguis diutiùs extra vas ſuum hæſit, & robuſtiori corporis calore aduſtus eſt, aliô ſe vultû prodit, quam qui recentiùs effudit ſe ſe, & languidiùs intereà incaluit. Figuram tribuunt partes vicinæ, in quibus ſi convexum quiddam, non mirum, in malè natâ hâc radice aliquid concavum deprehendi.

Ibidem Obſerv. 73. *De ſingultû periodicô*

Vivit hìc ſpecioſæ formæ virgo annorum XXIV. temperamenti laudabilis, quæ, cætera ſana, quotannis ferè, ſtatô plerumquè tempore ſingultû affligitur, tam pertinaci, ut periodum XIV. dierum non rarò abſolvat, aliquandò & ultrà progrediatur, contemptis, quæcunque etiam in adverſum à variis Medicis tentata ſunt, medicamentis; tam continuò, ùt nullum intereà horæ diurnæ minutum à ſingultando vacuum experiatur. Noctes ſolæ quietæ ſunt, & ſomni imperturbati; primâ luce, expergiſcente ægrâ expergiſcitur & ſingultus, totumque diem faſtiditâ concuſſione inquietat. Tandem inventum nobis eſt huic malo remedium. Illud ipſum eſt, venæ ſectio liberalior è venâ brachii. Memini fluxiſſe etiam aliquandò menſtrua ſic ſatis copiosè durante malô, nec ideò ſingultum vel tantillum intercalaſſe. Sed cur ſola brachii vena ſecta juvat? an flatulentum quiddam acri junctum vaſa ſanguinea diaphragmatis, & per conſenſum nervos etiam perturbans apertâ venâ tam vicinâ exitum inveniat, an alia, in re hactenùs ferè inauditâ, excogitari convenientior ratio poſſit, rerum Medicarum conſultis expendendum ulteriùs relinquo.

Ibidem Obſerv. 74. *De rarâ corpulentiæ incommodæ curatione.*

Notiſſimus hìc tribunus militaris jam ſexagenariô major, ſed vivax, & vegetus, ità ferè quintô quoque annô abdomine tardus evadit, & pinguedine nimiâ diſtentus, ùt aliis gravis, ſibi inviſus ſit; cui malô cùm varia quæſierit remedia, inediam, acida, exercitia, fruſtrante exſpectationem ingratô eventû noviſſimè in Mercuriô dulci opem ſollicitavit & invenit. Progreditur enim pilulis Mercurialibus ad eam paulatim doſin, ùt apertis gingivarum laxitatibus ptyaliſmus conſequatur, nec is perfunctorius, ſed qualem in aduſtis veneris nepotulis efflagitant Medentes, ùt foëdam luem exſpuant. Per has vias omaſum ſe ſe exonerat, & lætum, alacremque tribunum ad munia ſueta reddit expeditiorem. Ex eô triennium integrum exigit ab infeſtô æqualiculi pondere liberum. Tandèm redit ſenſim malum, & quintô poſt annô novam curam depoſcit. Igitùr ille iterùm ſupplicat Mercurio, iterùm in palæſtram redit promptior. Jamque ter, quaterve iteratô eôdem æquore, vividô faciei colore, toris robuſtis, corpore alacri ad negotia ſua conſurrexit. Exploratum hactenùs fuit, foëdam pituitam per glandulas ſalivares excludi, hoc novum, nimiæ pinguedinis cauſam per eoſdem ductus foràs poſſe amandari.

Ibidem Obſerv. 75. *De Hydrope aſciti poſt ſexageſimum annum curatô.*

Minabatur aſcites Zithopoeô Hafnienſi extrema omnia: venter in immenſam molem intumuerat, reliquum corpus inane & flaccidum, urina parciſſima & guttatim tantùm erumpens; appetitû exſul, alvus pigra, noctes inſomnes, facies Hippocratica, pulmones quod malum cæteris acceſſerat, eroſi, ex quibus non rarô integræ ſanguinis floridi libræ in ſubjectam pelvim rejiciebantur; ætas in præcipiti, & formidatus ille ſenibus annus ſexageſimus tertius præ foribus. Evaſit nihilominùs Libitinam, & ſalvus hodièque per plateas obambulat, etiam nuptias ſecundas cogitans. Eam verò ſanitatem ante omnia Deo immortali, deindè frequentibus liquorum exoticorum decoctis refert acceptam. Poſtquam enim viderem acria & acida, utcunque vias urinæ aperientia, hìc non convenire ob debiliſſima pulmonum vaſa, deſiccantibus inſtiti, & fibras inteſtinorum roborantibus. Ante quidem jalappa cum gummi gottæ frequenter propinata, evacuavit humores noxios, ſed novis identidem per patulas vias ſuccedentibus parùm recreavit ægrum: ante Martialia frequenter adhibita, Lumbricorum pulvis in uſum vocatus, tinctura ſalis tartari frequentata, ſudores proliciti, morbô obſtinatè edurante. Itaque perſiſtendum monui in decoctô guajaci, ſaſſafras, lentiſci, Chinæ; fore enim, ùt hâc viâ fontes liquoris hydropici exſiccarentur, & laxior inteſtinorum meſenteriique tunica fibras ſuas ſtrictiùs colligeret, adeoqúe irruenti quotidiè novô humori vitioſô reluctaretur. Nè autem jam tum hærens in cavitate abdominis aqua perpetuò ibi hæreret, ex intervallo ad jalappam, ad balnea laconica deventum, quibus demùm ceſſit pertinax malum, & reſeratis iterùm urinæ viis ſanitas ſperata reverſa eſt, admonens, in certâ deſperatione certam quandoquè ſpem, obediente ægrô, ſupereſſe.

Ibidem Obſerv. 76. *Ex faucibus, aquâ Mercuriali inconſultè tactis cœcitas.*

Honeſta fœmina, nondùm quadragenaria, ex oſculis, & halitû, & accubitû mariti, ex lue Venereâ recens convaleſcentis, fauces aſperari ſibi ſenſit, tonſillas erubeſcere, & ulculſculis hinc indè obſideri. Advocatus imperitus magiſterii tiro, non expurgatô prius corpore, aquâ Mercuriali fauces quotidiè illevit, & in paucis hebdomadibus ulcera omnia ad maleſidam cicatricem perduxit. Verùm enim verô ſtagnans adhuc in glandulis faucium impurus humor, cùm viam ampliùs per clauſas tonſillas non inveniret, infelici metaſtaſi in utrumque ægræ oculum ſe ſe violentiùs effudit, & ità paulatim invaluit, ùt licèt omnia in adverſum moliente chirurgô ocularió, quem re cognitâ ſuaſi conſulendum, malum

lum in funeſtam cœcitatem degeneraret, nec vel fontis Helenæ collyrio, nec aliis utcunque generoſis cederet remediis. Tanti eſt methodum in medendô vel ignorare, vel negligere.

Ibidem Obſerv. 77. De Calculô penè Siliceô in veſicâ pueri, medicamentis fractô & expulsô.

PUellus ſex annorum, Senatoris Helſingburgenſis filius calculô veſicæ tentatus alia, atque alia ſuaſû amicorum & parentum deglutierat; quibus nihil proficientibus, ab agyrtâ, qui commodùm in urbem advenerat, & intra triduum promiſerat liquefactum iri Calculum, recipit potionem medicatam acerrimi ſaporis, foetoriſque ingrati, & poſtridiè reddit non calculum ſed urinam oppidò cruentam, variis hinc indè filamentis ex interiori veſicæ tunicâ abraſis diſtinctam. Perſeverante ad plures dies urinâ ſanguinolentâ, nullô autem calculô in conſpectum veniente, proripit ſe circumforaneus, & ægrum miſerabili ejulatû omnia replentem deſerit. Puellus deindè inter dolores hos Hafniam delatus meæ fidei committitur. Adverto inter mejendum intolerabiles cruciatus, video ſtrigmenta innatantia urinæ filamentorum, & tunicarum minutarum ſpecie, agnoſco craſſius ſubindè in lotiô ſabulum. Igitur nullum ab acribus præſidium mutuandum ratus, balſamum ſulphuris therebinthinatum, & oculis cancr. crudis in alkohol redactis, cumque ſaccharô remiſtis in pulveris formâ temperatum offero ad plures dies, eô conſiliô, ùt læſæ partes veſicæ, (ſi tamen coaleſcere eæ unquam poſſint in locô tam acre lotium perpetuò ſentiente) ſensìm coirent, & calculus nihilominùs attereretur. Quô effectum id quidèm, ùt glarea, & minutiora quædam calculorum fruſtilla alternis ferè diebus excernerentur, & urinâ non cruentaretur ampliùs, dolor tamen in mejendô vix tantillum interquieſcebat. Ventum igitur ad therebinthinam ipſam aquâ virgæ aureæ, & plantaginis elotam, ut glutinando aptiorem, quam & aliquandiù cum pulv. ocul. cancr. in morſellos (quos vocant) coactam uſurpavit, ſucceſsû nondùm ſatis exoptatô. Tandèm diù propinatus ex lap. Judaic. lap. lyncis, cryſtall. mont. & ocul. cancr. pulviſculus id noviſſimè præſtitit, ùt calculus magnitudine juglandis minoris, & ſiliceæ duritiei in fruſta fabis æqua confractus exierit, certas fracturæ notat ſecum afferens. Læſa tamen membrana veſicæ interior nondùm plenè coaluit, nec fortaſſis bonâ fide coaleſcet unquàm, ob continuum lotii erodentis afluxum, ùt vel hinc conſtet, quid mereatur agyrtarum natio, quæ ità impunè per mortes & vulnera ad divitias graſſatur.

Ibidem Obſerv. 89. De Anatome Centurionis triplici hydrope enecti.

VAlentinus Boccatius, Centurio, vir temperamenti laudabilis, & morum facetiſſimorum, ætatis annum agens trigeſimum ſecundum, cùm aliquandiù potationibus nimiis indulſiſſet, præſertim vinô Gallicô ſtillatitiô paulatim in gravia incidit ſymptomata. Dejectus ciborum appetitus, adaucti dolores hypochondriorum, maximè ſiniſtri; anhelitus difficulter reciprocatus; urina, cùm redderetur turbida, & pauca; ſanguis ſcorbuticus; ſupernè viridis, glutinoſus, ſerum ejus multum & quaſi crocô tinctum; ſomnus vel nullus, vel parciſſimus. Occurſum fuit tot malis miſſione ſanguinis repetitâ, emeticô, catharticis, vinô medicatô & per epicraſin operante, diureticis, antiſcorbuticis, Chalibeatis, aliis. Incaſsùm univerſa. Invaluit violentiſſimè aſthma, & dolor ſiniſtri hypochondrii, quibus tandèm ſuccubuit, & corpus ſuum poſt fata Anatomicorum ferro obtulit. In apertô cadavere quæſitum ſtatim hipochondrium ſiniſtrum, ubi mox in conſpectum prodiit lien, juſtâ magnitudine, quadruplô auctior, durior naturali temperie, & nigrâ quâdam amurcâ hinc indè diſtentus, cui viciniſſima coſta notha ſuprema, & illa vitiosè diſtorta labem affricuerat. Inteſtina ſuperiora lividiuſcula, & gangrænam minantia in aquis turbidis natabant, verò hydropis abdominis argumentô. Hepar tamen cætera ſanum, niſi quòd juſtô durius eſſet. In pectore novus ſe calamitatis fons aperuit; enimverò & pulmones parvi, exſucci, flaccidi, & ſi ultimos margines excipias, ſemiputridi aquis fœdis, copioſiſque innatabant, & quod ſtupori proximum, pericardium ità ampliatum, diſtentumque ùt tres libras (& quod ſuperat) acris, turbidique liquoris ſinû ſuô complecteretur. Acrimoniam confirmabat non tantùm adſtantium, & deguſtantium lingua, ſed & miſeri cordis externa facies, quippe non modò, membrana cordis propria abſumpta erat, ſed & exterior caro cordis ab humoris illius vi profundè exeſa in lacinias & villos carneos putreſcentes abierat, reliquâ ſubſtantiâ interiori contractâ, flaccidâ, & marceſcente. Idque eò magis mirum, quòd de dolore cordis æger nunquàm conqueſtus eſſet, ſed tantùm de aſthmate, & hypochondrii ſiniſtri dolore. Credibile ipſam cordis carnem, ſublatâ membranâ veſtiente non eſſe admodùm ſenſilem. Incubebat vivus dextrô hypochondriô ægerrimè, ſiniſtrô facilùs, ideò haud dubiè, quia incumbens dextrô lateri, pondere illô graviſſimô vaſti lienis, ſentiebat inteſtina affecta gravari, contrà, ſiniſtro incumbens, ab hepate ſanô, nullum adeò doloris ſenſum percipiebat. Quia autem pulmones & ab aquâ in cavitate pectoris hærente, quæ ad quatuor libras excreverat, premebantur, & ab ampliſſimô illô, diſtentôque humore pericardio, hinc aſthma illud intolerabile, profectum. Ità in unô corpore juvenili, & hydrops abdominis deprehenſus, & pectoris, & pericardii; mala quæ vix ipſe curaſſet Æſculapius. Idem centurio ante ſexennium in duellô ſauciatus eſt, ità infeliciter, ùt non modò brachium ejus perfoderetur, ſed & ipſum os cubiti ab impulsû enſis vehementiori planè confractum in duo fruſta diſſiliret; utrumque malum tamen à *Nicolaô Bojô* Chirurgô tùm per ſanatum eſt.

Ibidem Obſervatiô 90. De Anatome herinacei noſtratis, ſeu echini terreſtris.

DE hyſtrice orientali ità *Plinius.* l. VIII. c. XXXV. *Hyſtrices generat India, & Africa ſpinâ contectas, ac herinaceorum generis: ſed hyſtrici longiores aculei, & cùm intendit cutem, miſſiles: ora urgentium figit canum, & paulò longiùs jaculatur.* Deſcribit tales Celeber. *Olaus Wormius* in Muſeô; & videmus paſſim aculeos earumdem miſſiles ex Indis allatos. Minores his ſunt herinacei Italici, noſtris tamen & majores, & ſetis longioribus, quos Romæ ad venatorum ephippia inter perdicum, leporumque greges notavi, eduliis, opinor, ægrorum deſtinatos. Noſtri veriùs echini terreſtres quàm herinacei. Lepuſculô in arctum ſe contrahenti magnitudine pares, ex ſuillô plerumque genere ſunt, rariùs caninô; veniuntque in cibum nonnunquàm; ſed ferè plebejis, utiliſſimi

utiliſſimi tamen & aliis, præſertim hydropicis, ſi conveniens præparatio acceſſerit, de quô forſan aliàs. Hic quid apertis viſceribus nos doceat, potiſſimùm intuendum. Superiori igitur menſe in herinaceô, juniore foëmellâ hæc obſervata.

I. Clavis terebrari ſibi pedes, & diſcindi viſcera patientiſſimè ferebat, omnes cultri ictus ſine gemitu pluſquàm Spartanâ nobilitate concoquens.

II. De externis, ut re in vulgus notâ nihil adjungere viſum. In interioribus primùm hepar occurrit, pulcherrimè rubicundum, inque ſeptem lobos diviſum.

III. Sub hepate veſicula fellis rotunda, coloris ſubcoërulei, quâ apertâ bilis profluxit viridiſſima, & tantillum ad coëruleum inclinans, amariſſima guſtû.

IV. Vaſa lactea ſuccô ſuô albiſſimô diſtenta hinc indè meſenterium perreptabant. Inteſtina omnia eâdem ferè craſſitudine.

V. Renes ſuccenturiati non informes, ſed oblongè rotunduli & eleganter teretes, veri autem renes figurâ imitabantur phaſeolos. Cæcum nullum.

VI. Uterus, ſeu potiùs, uteri vagina ampla, ſita mediô inter inteſtinum rectum, & veſicam locô: ſed quâ ex vaginâ in cornua uteri patebat ingreſſus, circulus nervus obtendebatur, durus, firmuſque oſculum uteri interius conſtituens, nè immiſſum fortè ſemen temerè elaberetur. Cornua uteri, pro beſtiolæ corpuſculô, grandia. Lien canino minori ſimilis.

VII. Cor minutum, cujus pulſationes nondum apertô pectore facilè erat videre per mediam diaphragmatis membranam.

VIII. Eôdem tempore herinaceum alium priori gemellum tigillô grandiuſculô Haſſiacô vivum incluſi, additôque operculô, & ſubjectô igne luculentô mores ejus inter flammarum amplexus inſpiciens, nullum diù adverti doloris argumentum: contraxerat ſe ſe animal in rotundiſſimam pilam, ſpiculis circum horrentibus, & in ignis violentiam pugnaturis. Et pænè ad ſtuporem diù pugnatum eſt; nec antè expreſſa illi doloris confeſſio, quàm candentibus circum omnibus, panniculum carnoſum vis flammæ percuſſiſſet, tùm demùm ſatis unà candentibus levi noviſſimè grunnitû ſe ultus exſpiravit. Cinis in lixivium redactus non niſi ſalis drachmam ſemis reliquit, quem fuiſſe de genere lixivorum ſalium in acidis ſtrepitus oſtendebat. Neque eſt, quod miretur quiſquam tantillam ſalis lixivi fixi portiunculam in herinaceô repertam, cùm, utcunquè ſcateant ſale animalia, volatilis ille ſit maximam partem, & in igne fugax. Id ùt non ità pridèm experimentô diſcerem, ex duabus vulpeculis, demptâ pelle exuſtis ſollicitè omnem ſalem lixivum collexi, qui ad libram expenſus ægrè drachmam unam ponderе æquabat.

Poſt aliquot hebdomadas in echinô maſculô pingui & benè habitô, hæc, præter reliqua, annotata;

I. Jecur ſeptem quidem lobis diſtinctum, ſed quorũ tamen duo geminis iterùm apicibus extuberabant.

II. Teſticuli intra corpus concluſi, venientibus tantùm exteriùs in conſpectum duobus foraminibus, quô locô illi deliteſcebant. Neque tamen per anguſta illa foramina eluctari poterant in lucem publicam niſi parte ſui graciliori; an per hiatus illos auram ſalutarem captent, nondùm liquet.

III. Penis intra pellem abdominis, more taurinô reconditus, digitum minorem craſſus, quatuor tranſverſos longus, ad cujus radicem proſtratarum ſacculus communis, undiquè ſphinctere veſicæ circundatus, ſed in quem ex diverſis glandulis ſeminariis ductus ferebantur, ùt ibi ſe ſe exonerarent.

IV. Muſculi recti ad os pubis utrinquè trifariam diviſi, & pectinatim ſe ingredientes, quod & nuper in homine quoque fieri obſervatum.

V. Roſtrum quatuor muſculorum paria regebant, motumque ejus in omnem partem gubernatia, quod & generatim ſuillô genere accidere crediderim.

VI. Interiora ſtomachi oppidò rugoſa, famem enim diû toleraverat; pylorus externâ facie circulô ſuô carneô inſtructus.

VII. Panniculum carnoſum, quem vocant, amplexabatur muſculus pænè circularis, admirandæ fabricæ, lacinias ſuas ad pedes, caudam, caput variè exporrigens, cujus miniſterio echinus ad arbitrium ſe in orbem contrahit, de quô jam olim eleganter *Volkerus Coiter*, & jam proximè explicatiùs Celeberr. *Stenonius*, in muſculorum fabricâ enodandâ laborioſè jam diù & feliciter deſudans.

VIII. Pinguedo ejus, quæ ad hernias pueriles laudatur, ad tres pænè uncias excreverat.

Alioquin, qui apud nos echinos hoſce partim animi gratiâ, partim ùt muribus inſidientur, totô annô domi ſuæ retinent, tradunt eoſdem circà feſtum Martini, proripere ſe in angulum quendam domûs ſecretiorem, ibique totâ hyeme conglobatos, jacere ſine motû, ſine alimentô, neque etiam appoſitos cibos contingere, Martiô tàndem menſe iterùm expergiſci, & ad vitæ munia redire.

Ibidem Obſervatio 91. *De Anatome Nobilis Scoti.*

AFfligebat nobilem Scotum & quidem juvenem tertiana duplex, jamque vigeſimum ſecundum diem perſequebatur, comitante uſque & uſque diarrhoëâ bilioſâ. Utrique malo obvium ibat Medicus peregrinus venæſectione decies repetitâ, ptiſanâ, confectione diahyacinthi, aliis. Quibus minùs reſpondentibus exſpectationi, æger allatum Londinô ſpiritum ſalis tartari, neſcio quô popularium ſuadente, per intervalla, ad guttas plures hauriebat, undè viribus quidèm ſibi auctior videbatur, febre tamen nequaquam immutatâ. Succeſsêre tandèm fæces alvi nigrantes, quas poſt aliquot dies mors ſecuta. Advocârunt me cum aliis, poſt obitum, amici, ùt Chirurgicis corpus incidentibus, cauſam mortis ſcrutaremur, parenti ærumnosô per litteras, in ſolatia orbitatis ſignificandam. Igitur apertô cadavere hæc patuêre:

I. Pulmo exteriùs atris ſparſus maculis, interiùs purè hinc indè reſtagnans.

II. Pars hepatis gibba, lanæ ſimillima, ſed coloris obſoleti, & in album tendentis; ſima, quæ felleæ veſicæ propior, coërulea planè: neque lambebat, dumtaxat ſuperficiem inviſus ille color, ſed in ipſam jecoris ſubſtantiam altè penetraverat. Ut conjicere hinc liceat, bilem initiô morbi hujus valdè fuiſſe æruginoſam, adeòque vicina omnia foëdô colore tinxiſſe; quâ per continuam diarrhoëam tandèm deficiente, non ideò à morte vacua fuit veſicula fellis, ſed alia ſanè bile, & quidem ſubflavâ, eâque dilutiſſimâ jam diſtendebatur, quæ perpetuò in inteſtina, ut erat texturæ nimis fluidæ, excurrens, non poterat non alvum identidem ad excretiones frequentes ſollicitare. Sed cur æruginoſa ante bilis? Laboraverat ante annum quartanâ, ut percepi, in quâ cùm præcipuè triumphet ſuccus acidus, credibile, aliquid ejus in veſiculam quoque fellis ſe ſe inſinuâſſe & colorem naturâ flavum convertiſſe ſensìm in viridiuſculum.

III. Lien triplô major naturali, & intùs nigrâ quâdam amurcâ hinc indè ſqualens.

IV. Renes

IV. Renes magni, ſed flaccidi. In dextro cordis ventriculo dimidium cochleare ſanguinis, ſed lenti & pituitoſi, in ſiniſtrô nè gutta quidem ſanguinis reperta, adeò frequentes venæſectiones omnia exhauſerant.

Quod ſi in ſimili poſthâc casû ſanguis mittatur parciùs & uſurpentur liberaliùs, non ea, quibus attenuetur bilis, ſed quibus non nihil craſſeſcat, rectiùs haud dubiè ægrô conſuletur.

Ibidem Obſerv. 92. *De Iecore gallorum magnitudinis monſtroſæ.*

ANſerum jecur jam olim in delitiis fuit Quiritium populo, imprimis pinguiuſculum & grande; hinc χηνοβοσκοὶ, de quibus *Athenæus* L. IX. C. VIII. lacte & ficubus ſaginabant anſeres, eô potiſſimùm inſtituto, ùt jecur in molem inuſitatam tumeſceret. De quo ut alios tranſeam, paſſim Poëtæ *Martialis* L. XIII. epigr. 58.

Adſpice quàm tumeat magnô jecur ànſere majus,
Miratus dices, hoc rogo, crevit ubi?
Horatius ſermon. L. II. ſat. VIII.
Pinguibus & ficis paſtum jecur ànſeris albi.
Juvenalis ſatyr. V.
Anſeris ante ipſum magni jecur, anſeribus par.

Cæterùm, quod in anſeribus delitiarum locô æſtimatum fuit in cœnis antiquorum, id in gallinaceô genere vitium eſſe deprehendimus. Unum ſuperiori, alterum hôc annô gallum aperui, quòd macreſcere quotidiè viderem, & ſine manifeſtâ causâ, ſuppetente licèt ſaginâ largiori, oppidò attenuari. Impetus fuit videre, ſi quid intûs monſtri aleretur. Igitur venientibus in conſpectum viſceribus, omnia obſervata flaccida & exſucca, præſertìm quæ abdomine continebantur; ſolum ibi hepar malè nato imperiô præter morem imminens, adeò non videbatur imminutum, ùt pluſquam decuplo auctiùs juſtò cerneretur, & quod accedit, pinguiſſimum. Neque illa pinguedo aut rancidula, aut putrida: ſed tota facie ſaniſſima, & oculis blandiens. Redigit mihi hiſtoria hæc in memoriam, anatomen virginis cujuſdam in noſocomiô Leidenſi, quæ cum macie contabeſcens occubuiſſet, proſcripta ad ferrum ampliſſ. *Sylvii*, abdomen oſtendit factum pinguedine viſceribus intereà proximis nutrimenti inopia fatiſcentibus & contractis.

Ibidem Obſerv. 93. *De Duobus Cyclopibus.*

NUlli hodiè dubium, fabulas eſſe, quæ ex Ariſteâ Proconneſiô, Iſigonô Nicæenſi, Cteſiâ, Oneſicritô, aliiſque tradit *Gellius* l. IX. C. IV. *Apud Schytas penitiſſimos, qui ſub ipſis Septentrionibus ætatem agunt, eſſe homines oculum unum in frontis mediô habentes, qui appellantur Arimaſpi.* Simili facie inhorruiſſe olim Cyclopas Poëtæ loquuntur, & in iis *Homerus* Odyſſ. I. Polyphemum ſuum μονόφθαλμον inducit, *Virgilius*que Æneid. III. eundem. *Plinius* etiam l. VI. C. XXX. Regem Nigroe unum oculum in fronte habere ſcribit, ſed providè ibidem narrationem in fabulis æſtimat. Veriſimile tamen, fabulandi anſam tranſlatam alicundè fuiſſe, quam dùm alii in jaculandi peritiâ alterô oculorum clauſô demonſtratâ quærunt, ego à monſtroſis foëtibus unoculis nonnunquam in ſcenam hanc mundanam prodeuntibus non iniquè forſan dirivarim. Tales ego duos vidi Pariſiis, non equidem anatomicô ſubjectos ferrô, ſed Anatomici tamen manû ſuccurrente in lucem editos. Et videndos quidem exhibuit vir exercitatiſſimæ dextræ, Dn. *Tamponette*, Chirurgus obſtetricius, qui eoſdem ante aliquot annos ipſe natali locô extraxerat. Primus ergò infans maſculus erat, decem circiter menſium, totô alioquin corpore ad juſtam provectus perfectionem, capillatâ etiam calvariâ, ſed in eô ultra ſolitam humani partus excreverat perfectionem, quòd ſingulos tum pedes, tum manus ſex digitis horrentes oſtenderet, minimô ubiquè digitô in geminum ſe ſe findente. Naſus ei nullus, ſed quâ parte radix narium in aliis incipit, orbita patebat rotunda, in quâ reſidebat oculus omnibus quidem numeris & humoribus ſuis abſolutus, juſtæ etiam magnitudinis, ad quem illuſtrandum duo nervi optici coïbant; cui nè quid deeſſet, ſua etiam palpebra adnata erat, à fortuitorum incursû lumen defendens. Alterius cyclopis, ſed fœmellæ oſtendebatur tantùm ſceleton, maſculo in pleriſque gemellum, quòd ex fœminâ alia parturiente expiſcatus fuerat. Et huic erant XXIV. digiti, & oculus unicus maſculi oculo ſimillimus, ad radicem naſi excubans, cujus humores extraxerat *Tamponette*, eoſdemque cum tunicis ſuis reſpondere naturalibus oculis deprehenderat. Unum hìc miror, quod nec *Græci*, nec *Plinius*, nec *Gellius* adverterunt id obſervatum hic divinô Virgiliô, qui non ut Cæteri, oculum illum Cyclopum in mediâ fronte defixit, ſed, quemadmodùm in his ſpectavimus, mediâ ſub fronte, hoc eſt, ad naſi radicem ſapienter collocavit. Vox Mantuani vatis Æneid. III. de Cyclope Polyphemô:

——— ——— *nos magna precati*
Numina, ſortitique vices, unà undique circum
Fundimur, & telô lumen terebramus acutô,
Ingens, quod torvâ ſolùm ſub fronte latebat,
Argolici Clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Ibidem Obſervatio 94. *De ſatyrô humanô.*

IDem diligentiſſimus *Tamponette* cujus lararium infantibus variis ex uterô maternô evulſis, & in ſpiritû terebinthinæ vitreis vaſculis exceptæ natantibus, venerabili horrore diſtinguebatur, monſtrabat, & ſatyrum humanum, hoc eſt, infantem à ſeſe extractum juſtæ quidem magnitudinis, ſed totô corpore hirſutum, deficiente collô, quippe cujus caput intra humeros ſe quôdammodò contraxerat. Os ei amplum & ſparſum, cerebrum cùm ſollicitè inquireret, nuſquam repertum ſibi affirmabat. Uſque adeò mala hominum non incipiunt demùm cum lucis hujus uſurâ, ſed pænè antequam homines ſunt, miſeriæ affligunt.

Ibidem Obſerv. 95. *De Anatome puelli ſeptennis ſcirrhô hepatis exſtincti.*

NAtatui indulgens puellus, dum undis marinis nimiùm credit, ab iiſdem per infortunium abripitur, merſuſque profundô ægrè à ſociis inventus, defertur in littus & inter frequentes rotantium manus obortâ vomitione ſalſam aquam copiosè rejicens eripitur quidem morti ſubitæ, ſed æger tamen domum refertur, & anicularum ſuaſû, ut eſt illa natio moleſtè officioſa, & ad conſilia longè paratiſſima, ſacculis arenâ marinâ plenis, calentibuſque obruitur, potiſſimùm, quâ parte hepar deliteſcit, quod de illius partis regione conquereretur. Sed cùm jam diù ſacculorum nullus finis eſſet, ille quidem lectum deſerit, obambulatque cubiculum languidus & pallens, verū ignotô amicis morbi genere, paulatim contabeſcit. Tandem hac tranſlatus mihi committitur, animam ægrè trahens. Ego re expensâ oſtendo conclamatum eſſe, hepar

ferventibus arenis peruſtum, ſanguinis motum illâ parte non parùm ſufflaminaſſe, eòque ex coacervatis ibi humoribus ſcirrhum hepatis natum, meô quidèm judiciô jam immedicabilem. Quid fit? biduô poſt exſpirat puellus, & quidèm viginti quatuor horis ante convulſus. Rogor ab amicis ſalvum hepar ſuſpicantibus, ùt apertô cadavere mortis cauſam indagem, profuturum id fratribus reliquis, etiam temperamenti imbecillioris, ut ſibi rectiùs proſpiciant. Itaque reſectis integumentis dùm hepar intentiùs contemplor, naturali longè majus, duriuſque oſtendo, atque oſtendo adſtantibus non tantùm viſcus duriſſimum; ſed & parenchima ejus mille abſceſſibus minutis refertum. Erant autem abſceſſus illi non fluidô purè diſtenti, ſed durô, albôque, quale ferè in elephantiacarum ſuum carne quandoquè videmus, & abominamur. Nec immunis ab eodem malô lien, circulatione ſanguinis luem in diverſa transferente. Pulmo ſuperna parte maculis nigris, flaviſque hinc indè verſicolor, ſive aqua marina illùc quoque novam calamitatem deportante, ſive catharrhis ex capite ſenſim in pulmones deſtillantibus: notavi enim ſæpè alias in pulmonibus mortuorum, quos catarrhi infeſtaverant, nigrantes illas pulmonum maculas, vera vel præſentis, vel brevi ſecuturæ corruptionis argumenta.

Ibidem Obſerv. 96. De Anatome Columbæ.

QUæ in Columbis obſervata Celeberr. *Marc. Aur. Severinô*, hæc ſunt: *Domeſtici palumbi cordis ventriculo ſiniſtro valvula lata cornea: ileon venenoſum & rubellum: cæcum nullum: ingluvies pectus quàm longiſſimum in plurimâ ventris inferioris cavitate ſuperat. Torquati palumbi tunica interna cartilaginea: turturi cæcum nullum, ut columbo.* Mihi autem in columbâ juniori hæc ſpectata:

I. Aſpera arteria non incumbebat oëſophago; ſed ad ſiniſtram ejus nonnunquam etiam intervallô aliquô disjuncta viſebatur. Eadem propè cor in ramos findebantur duos, qui tamen ad parenchyma pulmonum delati non dividebantur iterùm in ramos ſive minores ſive plures circulis ſolennibus inſtructos, ſed omiſſis iis in apertos hiatus deſinebant, & illos poſteà in totos pulmones ſe ſe ingerentes.

II. Pulmones coſtis undiquè firmiſſimè adnâti, colore miniatô, infimâ labrorum parte infra cor ità deſcendentes, ut niſi diſtingueret membrana, renes haud dubiè attingerent.

III. Cor pro magnitudine aviculæ ſatis magnum, in quô omnia ſolennia; nec cornea valvula ulla; (quam ideòque in ſeniori palumbô viſam *Severino* credideram.) In ſinû cordis dextrô ad baſin patere viſum foramen minutum, quod ſetâ proſecutus ſuillâ videbam manifeſtè ſeptum cordis penetrare; & in ſiniſtri ventriculi ferè mediam cavitatem egredi.

IV. Apex cordis, non, ut in pluribus animalibus, ad ſiniſtram, ſed in mediô ſitûs leviter ad dextram inclinabat.

V. Hepatis lobi duó majores, tertius minimus & planè Cylindri figuram exprimens.

VI. Veſicula fellis nulla; aderat tamen ductus hepaticus, iſque in tenui fiſſurâ hepatis ex variis minutiſſimis proſiliens ramis, inque duodenum ſe exonerans. In hôc ductû vivente adhùc columbâ, jam bilis conſpecta eſt viridis, jam iterùm evanuit, ſuccô illô felleô in hepar motû ſingulari, ut videbatur, receptô. Intervallum illud motûs pauló erat longius, quàm ſyſtole & diaſtole cordis: corde etiam quieſcente, adhùc motus ille aliquandiù durabat, & poſtquàm ductus jam videretur inanis, mox iterùm reſtagnante ex hepate liquore biliosô implebatur. Diutiùs tamen inanitas tenuit, quàm expletio. Oſtendebatur, & propè ductus alter, hepaticus, ſed minor, firmiorque in quô nulla quidèm bilis notata; motus tamen idem, qui in priori. Secundus hic priori duplô longior, deſinebat in jejuni partem ſex digitis tranſverſis infra prioris ingreſſum, adeò ùt pænè reſponderet loco, quô ſuccus pancreatis ſe ſe ſolet in inteſtinâ effundere, id quod jam ante in corvô aquaticô aliiſque volucribus obſervatum.

VII. Ventriculus uterque bile viridi ſtagnabat, tùm primus membranaceus, ſive ingluvies, tum ſecundus ille carneus, & glareâ, lapilliſque ſaburratus. Sed cur ibi tantùm bilis, in volucre non admodùm iracundâ? credibile, in conflictû ultimô mortis, ex duodenô in ventriculum, per pylorum ſic ſatis patulum tranſiiſſe.

VIII. Renes ſinguli ex tribus glandulis rotundioribus, ſecundùm longitudinem ſibi conjunctis viſi conſtare, per quorum ſuperficiem extimam ductus ferebatur, in inteſtini recti extrema terminatus, eòque deferens album quoddam & liquidiuſculum excrementum, quod miſtum ibi cum purgamentis reliquis craſſioribus ab inteſtinis eò delatis ſimul excluditur. Commune hoc avium generi, cui cum deſit veſica, album illud recrementum corporis per renes defertur in inteſtinum rectum; ibique foràs amandatur.

IX. Inteſtinum coëcum *Severino* creditum nullum, cùm reverâ duplex ſit, ſed raræ fabricæ; gyras enim quidam ſe oſtendit quatuor circiter digitis ab anô diſtans, utrinquè inteſtinô annexus, imô pars ejus ſed involutior, cujus figura hæc eſt:



Erant & alia, ſed relinquendum venturis ſpicilegium.

Ibidem Obſerv. 97. De Anatome ſarcoceles.

SArcocelen variè definiunt Auctores. *Celſus l.* VII. C. XVIII. *Raró*, inquit, *ſed aliquandò caro quoque inter tunicas* (teſticuli) increſcit σαρκοκήλην *Græci vocant. Galenus.* L. de tumor. præt. nat. *teſticulos vocat induratos & L.* XIV. meth. Med. eandem *Scirrhis* non improvidè *comparat.* Hodiè tamen Medicorum plerique, ùt clariùs rem exprimant, ſarcocelen interpretantur, quotiès carnoſum quiddam in ſcrotô teſtibus adnaſcitur. Atque id quidèm nonnunquàm contingere, haud inficiandum, proſtantque apud *Hildanum & Lotichium* exempla; frequenter tamen *ſarcocele* non tam adnaſcitur teſtibus, quàm *innaſcitur*, hoc eſt, totum teſtem, ejuſque vaſa omnia, materiæ novæ acceſſû, ità infarcit, & porrigit, ùt aliquandò etiam vigecuplô ſe ipsô gravior, ampliorque evadat. Hoc ut ſæpè aliàs, ità ſuperiori quoque hyeme in mercatore ſamiô mihi obſervatum, cui ablatus ferrô chirurgi ramicoſus teſtis pendebat ſemuncias 34. durus ille quidèm totô corpore, & maſſæ carneæ nervoſis hinc indè gyris diſtinctæ ſimilis, ſed neque ad latus, neque in gremiô ſuô ullum alium teſticulum naturalem complexus. Diſſectâ enim quaquaverſùm informi mole, ut teſticulus verus, quem intùs deliteſcere quidam ſuſpicabantur, in conſpectum veniret, deprehenſum clariſſimè fuit, totum illud enorme corpus teſtem fuiſſe, ſed

ſed teſtem à ſanguine, ut conjicere licet, admiſſô, verum propter vel contuſionem, vel frigus, vel pituitam nimiam, ad ſuperiores partes non remiſſô, eôque in carnem degenerem coagulatô diſtentum. Proindè, non ſatis providi rei æſtimatores mihi videntur, qui confirmatam σαρκοκήλην vel medicamentis diſcuſſiſſe ſe, vel diſcuti poſſe evulgant, quôd nimium occaleat maſſa illa & mille plexibus nervoſis, iiſque ſolidis contrahat invictam duritiem. Crediderit *Matthiolus* in Dioſcoridem, crediderit *Scultetus* in Armam. Chirurg. ſe ſe *ſarcocelen* pulvere ononidis percurâſſe, nihil tamen mihi ſit veriſimilius, quàm fuiſſe *hydrocelen* duriori cortice circumdatam, atque ideò *ſarcocelen* mentientem. Atque ùt id credam, præter jam allata, perſuadent tum ſimilia paſſim exempla apud *Foreſtum*, *Sennertum* alios, docentia artifices ſæpè aquâ profundiùs in teſticulorum ſinubus latente deceptos pro carnoſis æſtimaſſe herniis, quæ cùm inter nobiliſſima diuretica ſit, aquas haud dubiè in ſinu teſtium intimo occultatas paulatim eduxit, atque ità concidentibus ſensìm in ſe involucris durioribus, *ſarcocelen* æſtimata fuit ſuſtuliſſe.

Ibidem Obſervatiò 98. De Anatome pedum hydropicorum.

Tentabatur ſuperiori vere aſcite ſimul & tympanite honoratus Vir, jam ante biennium ex difficillimâ quartanâ reſtitutus: ſed cùm ex eô immemor ſui, monitorumque Medicorum, totos dies, menſeſque inter rationum libros ſedentarius conſumeret; ut erat priùs farctô abdomine tardus & anguſti inter anhelandum ſpiritus, aggravari paulatim hæc mala ſenſit, reciprocari frequentiùs anhelitum, & ſuffocationem minari, tendi ultrà abdomen, potiſſimùm autem muſculos ſartorios, in utrôque femine duriſſimos evadere, & gelidiſſimos, pedes quoque, & crura in tumorem metuendum ampliari. Advocati tres Medici nihil in gratiam viri optimi, reliquimus intentatum: ſed vicerat infeſta morbi vis, & præſertim arctus ille ſuſpirioſi pectoris meatus juſſa fatorum exſequebatur. Dum autem fomenta Medica adhibentur, imperata in cæteris ſub genû utrôque internô cauteria, quæ ipſa eâdē hora, quâ cutis lixivô ſali paruit, aqua limpidâ & copioſâ ſtagnare coëperũt argumentô & malum non ſolis flatibus, ſed humori etiã malè nato per interiora femorum decumbenti adſcribendum, & liquorem illum inviſum in pedibus, non ſolùm muſculorum interſtitia ſed glandulas quoque, quæ ſub cute latent, nondùm, quòd ſciam, deſcriptas occupare, inque tumorem formidandum attollere. Illas autem glandulas jam ante plures annos, in apertis â morte hydropicorum pedibus videre contingit: proximè adjacent cuti, infinitæ numerô ſuntque ex genere conglomeratarum. Hæ cùm ſibi relictæ minutiſſimæ ſint, & ferè oculorum aciem effugiant, intumeſcunt oppidô aquâ ex ſupermis allapſâ, & diſtendente. Neque fortaſſis alienum fuerit ſuſpicari, ab his ipſis glandulis exprimi potiſſimùm ſudores, & alia, quæ ex minimarum venarum tunicis exſudare hactenùs credita. Enimverò non in ſolis pedibus hæ glandulæ mihi obſervatæ, ſed & in brachiis hydropicorum, nuper etiam in hydropici fabritignarii abdomine. *Hippocrates* equidem olim. c. de glandul. ὅκου ἀδὴν inquit, ἐκεῖ καὶ τρίχες, at licebit hodiè forſan non injuriâ convertere; ὅκου τρίχες ἐκεῖ καὶ ἀδὴν, ſunt autem pili in univerſâ cute ſparſi, quorum ubiquè comites glandulæ. Quin & antiqui olfecêre hydropem non tantùm in magnis hærere cavitatibus, ſed & cuti proxima occupare, undè non *inter cutem* modò appellavêre, ſed & in eôdem malô laudavêre ſcarificationes, ut eſt apud Celſum L. 3. C. 21. Quæ ſuperficiem duntaxat lambunt, cùm *paracentheſes* penetrent ad uſque cavitates majores. Patet & hinc explicatio docti *Hippocratis* Aphoriſm. L. 6. C. 8. τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηιδίως ὑγιάζεται. Igitur enim difficulter ſanantur hydropicorum ulcera, quòd glandulæ ſub cute deliteſcentes novam quotidiè & malignam ſubminiſtrent materiam. Sed antequam hìnc digrediar, adjiciendum forsàn non inconvenienter, *quartanariis utile eſſe, ùt diſcuſſô licèt morbô, diù paroxyſmi tempus obſervent, & abſtinentiâ recidivam declinent*, niſi ament fata hydropici noſtri primi, qui à Celeberr. D. *Paulô Mothio*, & me ipsò curatus rogabatur ſollicitè, ùt horam paroxyſmi diù reverenter haberet, etiam paroxyſmis omnibus ſublatis, ſed monitorum negligentior cùm aliquandò totas ſex hebdomadas ſine acceſſionis ullius indiciô exegiſſet, aliquandò infauſta illâ horâ, quâ paroxyſmus recurrere conſueverat, lacte acidiuſculô liberaliùs ſe ſe ingurgitaverat, redeunte ipsô momentô quartana, & diù pertinaciam ſuam retinente. Uſque adeò verùm etiam illud *Celſi* L. 3. C. 16. ſi febris (*Quartana*) quievit, diù meminiſſe ejus diei convenit; eôque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem. Facilè enim revertitur, niſi à ſanô quoque aliquandiù timetur.

Ibidem T. 2. Obſervat. 47. De Lumbricis latis, & cucurbitinis.

Urbanus Carelius, Juvenis 26. annorum ſed bulimos, de vagis dorſi, & inteſtinorum doloribus conqueſtus, imprimis de frigore naſi, quem proximô triduô ſideratum iri, caſurumque aſſeveranter juravit, ut erat triſtis & melancholici ſpiritûs, epotâ, juſſû meô, juſtâ doſi diacatholici ex diaphoënici aquis convenientibus remiſtâ, lumbrici lati fruſtà excrevit duo, longa pedes 24. viventia, ut ille teſtabatur, cùm prodirent; ſed ad me delata ſine ullis vitæ indiciis; quæ dùm accuratiùs intueor, nonnulla deprehendô, minus forſan aliis obſervata. Inciſuræ lumbrici, quæ creberrimæ, non rectam lineam conſtituebant, quales ferè *Sennertô & Tulpio* delineantur, ſed crenis innumeris ſindebantur denticulatæ. Per medium dorſi non decurrebat faſcia nodis contiguis diſtincta, ut glyptes *Sennerti* figuravit, ſed in ſingularum inciſurarum mediô puncta quædam apparebant, jam tria, ut *Tulpii* figuræ placet, jam plura, nonnunquam eadem ſexangula, & ſemper liquore craſſiuſculô plena, qui primô quidem die albicans lactis inſtar, poſtea in colorem ſanguinis æmulum mutabatur. Corpus ipſum lumbrici jam latius, & non tantùm mediô dorſi punctis ejuſmodi interſtinctum, ſed & ad latera minoribus; jam anguſtiis & omnibus punctis deſtitutum; verbo, totum cucurbitinum, ùt ſuſpicari forſan non alienum ſit, cucurbitinos illos vermes partes eſſe lumbrici lati, viderique tantum genus aliud, quod è reliquo lumbrici lati corpore abrupti faciem aliam intuentibus præbeant. Sed quod in hôc juvene mirum, non illâ tantùm vice ſimilia fruſta per ſeceſſum rejecit, ſed totô annô jam longiora, jam breviora quotiès idem pharmacum propinabatur (propinatum verò fuit propemodùm quadragies) nec adhùc finis eſt, ut adeòque

ad hodiernum diem excreverit octingentorum & ultrà pedum lumbricum, ſi omnia fruſta, (quorum apud me vel ducenti pedes aſſervantur) numerentur ſollicitè, nullô adhùc capite ſpectatô. Nec prodiiſſe hactenùs argumento eſt, quòd æger ſemper abrumpi ſibi extrema ejus fateatur, nec unquàm finem ſenſerit. Tentavi mercuriô dulci, aliiſque, quæ rotundis & aſcaridibus fructuosè opponimus, hoſtem expellere, ſed fruſtrà, nullis enim hactenus obediit, niſi purgantibus. Idem mihi obſervatum in cereviſiræ uxore, idem in generoſâ fœminâ Hollaticâ, cujus tamen lumbrici lati fruſta ejuſdem ubiquè latitudinis viſa ſunt, ſed puncta lateralia hìc alterna tantùm internodia diſtinguebant, nec ampliùs puncta erant, ut in juvene, ſed curtæ lineolæ, ità ludit etiam natura in erubeſcendis humanorum viſcerum abortibus. Noviſſimè poſt amarorum uſum liberalem ceſſavit bulimia, nec ampliùs veſtigia lumbricorum apparent.

Ibidem Obſervatio 48. De Âci marini anatome.

PIſcis, qui Græcis μελόνη, ῥαφὶς & ἀβλευνὴς Latinis *Acus*, Pliniô etiam *aculeatus*, non incommodè deſcriptus eſt diligentiſſimo *Rondeletio* L. VII. de piſcib. C. III. Eſt tamen quod adjiciam, præſertim circa interiorem ejus fabricam. Frequens id genus in mari noſtrô Balthicô, quod menſis civium, non raró infertur. In cujus viſceribus hæc potiſſimùm viſa ſunt mihi digna relatu.

1. Apertô ventre non niſi unus continuus inteſtini ejuſque ampli ductus obſervatus eſt, nullis gyris, aut voluminibus inflexus; nullum inter ſtomachum & inteſtina alia diſcrimen, niſi quòd parte ſuperiori ductus pauló eſſet capacior.

2. Ad latera inteſtini hujus, in acô fœminâ ova jacebant utrinque; membranis ſuis involuta, infinita numerô. In maſculô eôdem modô inteſtinum utrinquè cingebant lactes.

3. Sub inteſtinô hôc veſica portendebatur à branchiis ad uſque podicem extenſa, & albis quibuſdam lineamentis quaſi pyramidalibus hinc indè inſcripta. Hujus beneficiô jam attollit ſe piſcis, jam demittit, jam natat pro arbitrio, incluſô aëre variè gubernatô.

4. Sub longâ illâ veſicâ ſpectati renes, & illi à capite ad anum extenſi, coloris obſcurioris per quorum medium grande vas ſanguineum ferebatur.

5. Hepar pro animalis magnitudine ſatis grande, ſed molliuſculum, cui annexa veſica fellea bile viridi ad drachmam dimidiam referta.

6. A veſicâ fellis per unum hepatis latus ſparſa erant *vaſcula* innumera *ſcintillantia*, ſed minuta. Dixiſſes fila aurô argentôque nitentia. His ſimilis color hinc indè in oculis & capite piſcium deprehenditur, in vaſis hepatis nemo hactenùs, opinor, obſervavit. Hæc ipſa vaſa nitidiora erant in foëminâ, in maſculô obſcuriora.

7. Cor veſiculâ felleâ triplô minus, ſed firmum & pænè triangulare, unicô tantùm ſinû, eôque in mediô donatum. Ad ſuperiora cordis album quoddam, durumque corpus notatum figurâ nonnihil accedens ad pyramidem, quod principium eſſe arteriæ magnæ poſteà compertum eſt.

8. Lien propemodùm triangularis, & carnè, quàm hepar, ſolidior.

9. In collô nonniſi tria branchiarum paria (cùm quatuor agnoſcat *Rondeletius*) ad inferiorem earumdem partem tubercula quatuor oblonga, dura, ſpinoſa, denticulata, referentia non ineptè quatuor illos ſeminum folliculos, quos in cynogloſſâ matureſcente notamus, niſi quòd hic nihil in mediô protuberet.

10. Lingua minuta & oſſea, ſed maxilla utraque foëminæ dentibus armata exiguis, maſculo præter hos dentes, etiam aliæ ſeries natæ erant ſed minutæ.

11. Oculi grandes, humor Cryſtallinus ad oculorum fidem prorsùs rotundus. Per corpus ſparſæ hìnc indè ſquammæ, ſed nequaquàm contiguæ, in quarum unô margine intenſa viriditas, in reliquô ſquammarum corpore nulla.

12. Spina dorſi viridis, ſed epiphyſes oſſeæ & coſtæ longè viridiores; quæſita ratio ſiſtendi viriditatem illam in liquore, ſed incaſſùm; admota menſtrua acida, ſalſa, acria, lixiva nihil effecêre. Solus vini ſpiritus purgatiſſimus tincturam elicuit, non tamen viridem, ſed flaveam, pereunte inter operandum colore oſſium nativô.

Ibidem Obſervatio 49. De Abortû humanô examinatô.

HOnorata Civis ſeptimâ circiter à conceptû hebdomade abortum paſſa, duas edidit maſſas informes, alteram ovi ſimilitudine, placentæ alteram. Ovum illud gallinaceô majus, deprehenſum mihi fuit conſtare exteriùs quidèm rudi placentâ, quæ cæteris locis anguſtior & tenuior, circa apicem verô ſeſquidigitum craſſa, intrà quam Chorion latebat naturali non admodùm diſſimile. Huic interiùs adhærebat amnion firmiter admodùm, & in illô infantis locô duæ hydatides, altera pyramidem referens, altera farcimen longiuſculum. Per porrectum illud farcimen vas ſanguineum interiùs ferebatur tenui mucilagine tectum, vaſis umbilicalis nomine haud dubiè cenſendum. Et hìc quidèm verè abortus.

Sed unà cum maſſâ illâ prodiit & alia (ut natura hîc gemellos meditata videatur) placentæ rudiori ſimilis, cujus appendicem, cùm ſtudioſiùs contemplarer, notavi infantulum eſſe, in ſua membra contractum, & avellanâ vix majorem, in quô hæc obſervata:

1. Caput reliquô corpuſculô craſſius, tertiam partem longitudinis implebat.

2. Oculi conſpicui, quorum centrum albidum, circulus exterior ater. Diſtantia inter oculos æquabat ferè duplicatum oculi diametrum.

3. Lingua manifeſtè in hiatû oris ſpectata albens & rotundior. Supra linguam cavitas angulum formans, palati ſuperioris limbum referebat, extra quem labiorum veſtigium; narium verò aperturæ labiis velut continuatæ ſummum oculorum marginem attingebant.

4. Cranium, coſtæ, vertebræ, non oſſeæ; non cartilagineæ, ſed ex mucilagine flexili conſtabant. Imprimis elegantiâ ſe ſe commendabant coſtæ fila tenuia albentia repræſentantes.

5. Pars cranii ſupra oculos admodùm elevata. In dextrô latere coſtæ manifeſtiores, quàm in ſiniſtrô. Pedis etiam ſiniſtri & manûs ejuſdem lateris viſa rudimenta, in dextris forsàn hæc diſcerpſerat obſtetricis incuria.

6. Vertebræ, quò longiùs recedebant à capite hôc reddebantur anguſtiores. Viſcera interiora adeò confuſa, ut nihil admodùm diſtingui poſſet.

Exceperam poſteà totum embryonem vitrô, affuſôque vini ſpiritû conſervare deſtinaveram, ſed poſtridiè cùm audiſſet mater infantulum adfuiſſe, maritum miſit, qui denunciaret, inſtare ſibi

ſibi perpetuas moleſtias, & inquietudines nocturnas, niſi ſepeliretur, redderem proindè minutum pignus, nec quietem genitrici inviderem. Ego præfatus avilia eſſe ejuſmodi obſtetricum commenta, reddidi tandèm depoſitum, cùm nequirem extorquere ſuperſtitionem.

Ibidem Obſervatio 50. De Vertebris piſcium ad os ſacrum hominis excretis.

LAurentio Weſtergardo, Viro triginta annorum, cæterà ſano & robuſto jam aliquandiù quotannis circa ſolennia D. Martini dolores oboriuntur circa lumborum regionem, & os ſacrum intenſiſſimi, quorum non antè finis eſt, quàm cutis ſe paulò ſupra os coccygis largô ulcere aperiat, & tria quatuorve oſſicula heterogenea excludat. Ex eô quies, & ſanitas anni reliquô ſuccedit, recurrente iterùm malô propemodùm circa ſtatum illud tempus annô ſequente. Sed quod inſolens admodùm, à quinque jam annis oſſicula illa nullum cum oſſibus humanis commercium aut ſimilitudinem oſtenderunt, nonnulla vertebris luciorum acutis ſimillima, alia uncô acutiſſimô & ſolidiſſimô hamata, crederes aculeos eſſe rajæ caudæ exemptos, ſuperiori demùm annô fruſtum pæriè quadratum ſpongioſi oſſis per idem foramen excrevit. Is nihilominùs jam iterùm vegetus, valenſque negotia ſua adminiſtrat, ſui ad illum uſque temporis articulum ſecurus. Æſtimabam initiô malum illud eſſe, quod Italis ſatis frequens, mihi Hafniæ non niſi ſemel conſpectum, *ſpinam ventoſam* appellant; de quô affectû conſulendus in Medicô Chirurg. Obſerv. *Petrus de Marchettis*; ſed re ſollicitè expenſâ, accuratiſſima illa oſſiculorum excretorum conformatio parùm abeſt, quin perſuadeat honeſtum illum virum ex maleferiatis Canidiæ alicujus incantantis artibus in malum illud pertinax & inſuetum incidiſſe. Neque enim fraudem ſubeſſe res ipſa quotannis cum incredibili aliquot dierum cruciatû loquitur, & ſunt in promptû oſſicula iſtæc, quæ mihi æger ipſe querulus obtulit, Ampl. D. Th. Bartholino & aliis apud me etiam ſpectata.

Ibidem Obſervatio 51. De Urinâ circa os ſacrum exeunte.

HEnricus Creutzfeldt, Medicinæ Candidatus Germanus, jam diù auditor meus induſtrius, ex antiquâ vertebrarum dorſi luxatione & gibbô per intervalla valetudinis afflictæ fuit, doloribus potiſſimùm circa os ſacrum infeſtantibus, qui ſuperioribus menſibus adeò invaluêre, ùt ferendis impar juſſerit locum affectum, & puris deliteſcentis indicia non obſcurè præ ſe ferentem per Chirurgum aperiri. Quô ex arte apertô profluxit mox purulenta materia copiosè, & ſimul cum illâ urinâ per vulnus erupit. Duravit ille urinæ fluxus per locum affectum aliquandiù, donec ſuperveniens paulatìm hydrops mandata fatorum exſequeretur, & juvenem eruditum in rationes Libitinæ referret.

Ibidem Obſerv. 52. De Linguâ avium cum oſſe hyoide expenſâ.

DUm in linguâ aquilæ contemplandâ hæreo, & miram ejus fabricam intueor, ſubiit & aliarum volucrum, quæ fortè ad manum erant, ſcrutari linguas, & diſcrimen in his quoque à ſapientiſſimô Architectô conſtitutum expendere. Neque his contentus abraſis etiam ſollicitè carnibus os hyoides volucrum, quod in ſingulis non nihil diverſum eſt, conſiderare libuit. Neque tantùm in his partibus mirâ varietate ludit polydædalus naturæ artifex; ſed & vel maximè in labyrinthis aurium earundem, quos verè inextricabiles nullus calamus ſatis expreſsè figuraverit, cujus rei exemplum etiam in cornice volucrum contemptiſſimâ videmus, ùt fateri neceſſe ſit, naturam nuſquàm magis totam eſſe, quàm in rebus noſtro judicio abjectiſſimis.

Ibidem Obſerv. 53. De Veſicâ felleâ ad examen vocatâ.

DEmocritus olìm in felle conſiderandô verſabatur, ego & in fellis veſicâ: quam cùm attentiùs intueor in genere bubulô, deprehendo quatuor conſtare tunicis membranaceis. Sub extremâ ſive primâ deliteſcit copioſa pinguedo, & ſerpunt vaſa ſanguinea; conſequitur ſecunda & tertia, inter quas nullum ſanguinei vaſis judicium oculis meis patuit, ut neque in tertiam & quartam ſive intimam, & bili excipiendæ natam. Quarta hæc cæteris denſior craſſiorque & illa nullis vaſis conſpicuis interſtincta, eô forsàn magni artificis conſiliô, nè ab acerrimâ bile eroderentur, & morbos ſtatìm ab ortû inducerent. Et hæ quidèm tunicæ quatuor ſolâ manuum ope, nullâ coctione præviâ in conſpectum venêre. Poſt levem autem in aquâ ſalsâ coctionem extima tunica eôdem vultû perduravit ſine incrementô, ſimilis tunicæ allantoideæ; proxima illi non admodùm diſſimilis, niſi quòd fibris quibuſdam toroſioribus diſtincta appareret. Tertia & quarta, ut bili viciniſſimæ, triplô evaſêre craſſiores, imitatæ non ampliùs membranas, ſed denſum, firmumque & non pellucens corium, ùt puncturas bilis, opinor, faciliùs ſuſtinerent. Neque verò hæ tunicæ intimæ patiebantur ſe poſt cocturam in plures tenuari laminas, ſed propter inexplicabile, ut conjicio, fibrarum textum, attenuantis ſcalpelli induſtriam eludebant. Quod idem corio accidere obſervavi.

Ibidem Obſerv. 54. De Membranarum in ureteribus diverſitate.

EXterior quidèm ureterum membrana in homine etiam, ut notavi, poſt cocturam tenuis manet, ſed interior vel triplô redditur craſſior, duriorque & pellucida, ductus autem ipſe ureterum intereà ità contrahitur, ùt vix ſetam admittat; ùt vel hinc conſtet, quàm parùm ſaluti ægrorum proſpiciant, qui, hærente in ureteribus calculô, locum affectum ſacculis oppidò calentibus & ſiccis adurunt, eòque ipsô tunicam ureterum interiorem efficiunt anguſtiorem, & tranſmittendo calculo ineptiorem, cùm tepor humidus laxando ſufficiat, & oleum amygd. dulcium, ſi hauriatur frequentiùs, reliqua ſic ſatis feliciter plerumque exſequatur.

Ibidem Obſervatio 55. De Calculô lanuginoſô.

TRichiaſin, ſive mictum capillorum viderunt jam ante *Hildanus*, *Horſtius*, *Tulpius*. Præcipuè rara ſunt illa *Schenckii* Obſerv. Med. L. III. 325. *Domi meæ*, inquit, *inter reliqua κειμήλια mea, aſſervo faſciculum verorum pilorum, ſubflavorum, tenerrimorum, digiti longitudine, quibus hinc indè accrevit calculoſa materia, qualis matulis urinariis aliàs adhæreſcere ſolet, calore & odore propemodum ſulphuris, in veſicâ cujuſdam mulieris Argentinæ in noſocomiô menſibus aliquot decumbentis natos, & cum urinâ excretos. Quos* ab

ab ejuſdem noſocomii Medicô induſtriô, Thobiâ Cneulinô tranſmiſſos accepi. &c. Propemodùm ſimile quiddam nuper contigit apud nos *Johanni Blattio*, viro Senatorii ordinis, cui cùm hâc æſtate medicamentis noſtris pluſquàm ſexaginta calculi exturbati ſint, tandèm maſſam oblongam tartaream, calculis plurimis, ſed minutis velut adamantibus in ambitû diſtinctam excrevit, cujus figuram & naturam plicatilem cùm inſpiciens admiraretur, triſte quiddam ſibi ominatus, advocari me juſſit, ùt monſtrum illud calculi coram intuerer. Deprehendo ergò adveniens maſſam hanc longam dimidium digitum exteriùs quidèm duram, calculiſque plurimis obſitam, ſed interiùs ex textû pilorum vel quinquaginta albentium, & in ſe variè implicatorum compactam, & ad flammas nidorem ſulphureum exhalantem. Crederet aliquis ſe illam filamentorum videre congeriem, quam in candelarum mediô relinquunt fæmellæ. Cauſam rejiciant, qui volent n aſſatam pituitam, mihi propemodùm decretum hic eſt non niſi phœnomena adducere; quibus feliciores animæ cauſas veras adjungant. De mictû aciculæ æreæ, & grandinis plumbeæ Hafniæ mihi obſervatô jam antè alibi. Vivit adhùc uterque & valet. Cæterà etiam ſanus vivit Senator, & Cimelium hoc ex propriô corpore excluſum viſentibus non difficulter oſtendit.

Ibidem Obſerv. 56. De Monſtrô Liundbyenſi.

PEperit & hic annus in Fioniâ monſtrum, de quô literis ad me datis ità vir Clariſſ. *M. Georgius Hannæus*, Conrector Othinianus, & ſagax Medicinæ cultor: Ruſticus quidam Eraſmus Matthiæ, jam peditum adſcriptus ordini, habitat in pagô Liundby, diſtante ab Othiniâ unius milliaris intervallô. Hujus uxor Medea Andreæ excluſit infelici puerperiô filium die Maij decimô, non levibus errantis naturæ notis, circa caput deformatum, cùm tamen anteà liberorum, in quibus non luſerat natura, mater fuiſſet. Infantis caput ità ſe habet.

Frontis nec vola, nec veſtigium, quod dicitur, apparet, hujus autem vices ſupplet vertex uſque ad oculos exporrectus. Naſum non minimum faciei ornamentum unà cum fronte denegavit ſpiſſus naturæ error: ejus locô apparet indigeſta quædam portio carnea, ad figuram compoſita rotundam, nec parùm prominula, cujus proceſſus in ore interiore obſervari poteſt, ubi autem terminetur, nemo adhùc novit. Os, janua aëris, loquelæ & nutrimenti, clauſum eſt; propter abſentiam enim ſuperioris & maxillæ & labii, inferius labium juſtô latiores accepit à novercâ naturâ terminos, quos parti faciei ſuperiori fecit ſuâ ſponte conterminos. Undè fallacia à benè diviſô ad malè conjuncta. Et harum pænè omnium, quas hactenùs recenſui, turbarum auctor mihi fuiſſe videtur defectus ſuperioris maxillæ, quantùm ex obſervationibus Anatomicis obſervare licet; Cùm enim illa undecim conſtans oſſibus, ex quibus in utrôque latere quinque, undecimumque impar in mediô collocatum ad ſtructuram faciei aptam & convenientem neceſſariò requiratur, abſentiam ſuam ſine inſigni, notabilique totius faciei deformitate ulciſci non poteſt. Hoc verò detrimentum, quod mortem & exitium minatur, foënore aliquali penſatum eſt, per foramen rotundum in dextrâ genâ ſitum; hocce illud ſtillatìm admittit nutrimentum, quod poſteà per inferius deponitur guttur. Linguâ viget. Dextra manus tres ultimos digitos, ſiniſtra duos ultimos habet ſibi conjunctos. Cætera me fallunt, ipſius anima foras haud dubiè ſpectans luctatur cum ultimae horæ ſuæ fecialibus, ſæpiùs quippè mutabilior chamæleonte colorem mutat totius corporis, interdum album, rubrum interdùm, modò coëruleum referens. Ego ſuſpicor errorem quendam circa interiora & principaliora vaſa circulationi ſanguinis deſtinata hôc pactô expiari.

Ibidem Obſerv. 57. Ex faginô fructû liberaliter comesô febris lipyria.

VIrgo nobilis annorum ſedecim, & corpore animoque valens, dum menſe Septembri & Octobri in prædiô paternô, animi gratiâ ruſticatur, & ut erat delicatula, guſtûs oblectamenta variè quærit, tandem inſtigantibus paganis quibuſdam mulieribus, faginos etiam fructus maturos, crudoſque ore attingit; dumqne in iis neſcio quid ſuave, & linguæ blandiens offendit, largiùs ſe ſe ſuillô hôc pabulô per aliquot dies invitat, applaudentibus conſiliariis mulierculis, inveniſſe ſe tam gratum herili filiæ nutrimentum, & non parcâ manû delitias illas quotidiè in cubiculum virginis, matre inſciâ, inferentibus. Paulò poſt reverſa cum matre in urbem, ſenſim faſtidit cibos, & pallidior ſolitô de gravitate capitis, anguſtiis pectoris & ventris inexplicabilibus conqueritur. Accedunt, corporis totius imbecillitas, pulſus vix ſenſû ullô obſervabilis, ſitis, inquietudo, partium externarum frigus, illâ intereà non frigus, ſed ſummum calorem in viſceribus hærentem incuſante. Advocatus initiô jocari credebam virgunculam, ut quæ de ardore corporis queſta, tota rigebat exteriùs. Sed tentatô carpô, notatiſque ſymptomatis comitantibus ægrè tandèm cauſam mali exculpo; febriumque, lipyriam (qualis jam ante ab aliis, ſed nuper eruditè deſcripta eſt à *Raymundo Forti*, Medicô Patavinô L. de febribus) ſed natam ex nimiâ glandium harum faginarum voracitate; proindè malum aggreſſus diaphoreticis & alexipharmacis feliciter tandèm, Deô fortunante, expugno. Vivit illa valetque fagum jam prudentior averſata. Maneat ergò glans faginâ ſuum, ſciurorum, gliriumque pabulum, humani palati formido. Quod de copioſè tuburcinantibus intelligendum. Mereturque hìc adjici illud *Bauhini* in Hiſtor. Plant. L. 7. *Nobis ſanè obſervatum, fagineam glandem, potiſſimùm virentem, & nondum exſiccatam, ſi paulò copioſius comedatur, lolii inſtar caput turbare ac ipſos etiam ſues ejus esû turbulentos reddi, & tandèm obdormiſcêre: id quod etiam Schvvenchfeldius teſtatur: qui ait, caput tentare, & inebriare eos, qui nimiùm comederint.* Sed febrim lipyriam ejus esû excitatam nemo fortaſſis anteà obſervavit.

Ibidem Obſerv. 58. Ericæ bacciferæ uſus an noxius?

FRuctum Ericæ bacciferæ *Matthioli* largiùs comeſum capiti noxia inferre ſymptomata, atque deliras ſubſequi geſticulationes ratione nonnihil inter turbatâ tradidit jam olim *Johannes Thalius* in deſcriptione Herciniæ, & ex eô *Sennertus* L. de Venenis, ſed cùm planta hæc in Cimbriâ noſtrâ copioſiſſimè noſcatur, *Reſſlinger* incolis appellata (Bauhino erica baccifera procumbens nigra) & æſtivô tempore baccæ ejus in alimenta plebejorum cedant frequentiſſimè, nullam cuiquam ab illis noxam illatam fuiſſe animadvertere hactenùs licuit; immò ipſe ego adhùc puer baccarum illarum ſapore oppidò delectatus plures

plures æſtivis diebus manipulos cupidiſſimè quotidiè vorare ſolitus ſum, nullô ſanitatis diſpendiô, & juxta mecum alii propemodùm infiniti. Aliquandò memini me levem ex nimiô illarum uſû vertiginem ſenſiſſe, ſed quæ intra mediam horam deſiit, nullis comitata ſymptomatis aliis, ùt neceſſe ſit pro diverſitate regionum baccarum harum vires admodùm diſcrepare.

Ibidem Obſerv. 59. De Geraniô faſciatô. De Coronâ Imperiali faſciatâ. De Hyſſopô faſciatô. De Martagone faſciatô.

USque adeò frequens herbis malum eſt, caules in faſciæ latæ morem explicare, ùt paucis fortaſsè liceat eſſe immunibus, quotiès loci natalis intemperies iſtûc invitet. Nè ſuperioris anni Obſervationes attingam, monuêre id quoque hornæ quædam apud nos plantæ, quas inter geranium batrachoides eminebat in hortô viri Experientiſſimi *D. D. Caſpari Kölichen*, quod cùm latitudine & amplitutidine oppidò luxuriaret, & prodeambulantium oculos in ſe converteret, deprehenſus fuit uterque caulis ejus è tellure aſſurgens duos propemodùm digitos latus, qui ex quindecim caulibus minoribus, atque adhùc conſpicuis in corpus unum coaluerat. Neque in foliis inferioribus ramis vitiū illud notatum ſed in ſuperioribus quoque nonnullis, poſtquàm ex geniculis ſuis nodoſis exiiſſent. Prima mali hujus origo in radice latuit, quippè exempta & ad examen vocata præter morem diſtorta erat; & nodis quibuſdam heterogeneis obſita, affricante labem hanc viciniſſimâ tellure, quam acris fortaſſis & erodens ſuccus nimiùm imbuerat. Sed in hyſſopô *Roſekrantziani horti* id mihi viſum inuſitatiùs, quod caulis à radice exſurgens, rotunditate nativâ ſe commendaret, in progreſsû à ut ad primum nodulum deventum eſt, ſenſim ampliaretur; cujus rei cauſam in noduli duritiem refero, quæ non permittens viam creſcendi ordinariam, effecit ùt ſucus nutritius iſtàc quotidiè appellens vim faceret, & aliò ſe per errorem transferret. Idem propemodùm in liliô cruentô, quod martagon appellant, ſpectatum; idem in hemerocalle *Dioſcoridis* ſeu coronâ Imperiali, nec curioſis deerit quotannis occaſio hic aliquid ſemper adjiciendi. Linariam Coëruleam faſciatam, ſpectatam Celeberr. quondàm O. *Wormiô* noſtrô, ex Muſeô ipſius perſpicimus.

Ibidem Obſerv. 60. De Pyrô pyrô innatô.

ATtulit mihi amicus ex *hortô Kitzerovianô* pyrum ex duobus integris inſtructum unum monſtroſè coaleſcens. Cauda cum dimidiatô fructû alterum conſtituebat pyrum, ſuperior illa & amplior pars alterum. In mediô fructûs corpore folia utrinquè eminebant & illa inter ſe ità per harmoniam coïerant, ùt folium unum diverſis inciſuris diſtinctum apparerent. Interiora ità ſibi cohærebant, ùt fructus non niſi unicus videretur, ſed fibræ hinc indè errabundæ & ſemina confuſis diſpoſita locis vitium tacitè loquebantur.

Ibidem Obſerv. 61. De Enterocele per tiliam fiſſam curatâ.

PUellus annorum octo herniâ inteſtinorum laborans cùm aliquandiù hìc Chirurgi alioquìn ſatis periti operâ fruſtrà uſus eſſet, quòd ſectionem non admitterent parentes, revocatur domum, conferunt conſilia vicinæ, exempla narrant felicis tiliæ ad urbem Halmeſtadium enatæ, cujus ope plures ab ejuſmodi malis liberentur. Quid multis? perſuadetur ſollicita mater, & cum filio iſtùc excurrit; quæritur in nemore viribus inclyta arbor, & tandèm reperitur. Hic puellus exuere ſe omni veſtium apparatû, & in morem Dianæ nudæ (ità enim juſſerat arti huic præfecta neſcio quæ Canidia) per rimam tiliæ hujus junioris manibus duorum valentulorum juvenum eô ipsô temporis articulô diſſiſſæ ter ſaltû celeri ſe proripere. Peractâ fabulâ veſtitur iterùm puer, rimæ arboris cerâ & terebinthinâ admiſtis coëunt, & nobilis effectus ſenſim promittitur ſecuturus. Nè longus ſim, convaleſcit paulatìm ſaucia arbor, & cum arbore paulatìm æger, utque frondere iterùm illa incipit, ità firmari ſanitas puelli. Quô auditô ſubiit animum conatus, *Maroniani illius amatoris* Ecl. x.

> *Certum eſt in ſylvis inter ſpelæa ferarum*
> *Malle pati, teneriſque meos incidere amores*
> *Arboribus: creſcent illa, creſcetis amores.*

Similia memini ante paucos annos in Harlemenſi nemore attentata fuiſſe, & tum quidèm in fiſſâ quercû ſucceſſiſſe experimentum. Scrutentur hìc alii occultas rerum abditarum cauſas; ego nihil videò præter ſuperſtitionem.

Ibidem Obſervatio 62. Ex nimiô abſinthii uſû lac puerperæ abſinthites.

SOphia Dorothea Riboltia, honeſtiſſima foemina, cùm in febrim prægnans incidiſſet, eluctata tandèm ut firmaretur debilis ventriculus, ex conſiliô vicinæ capit diù quotidiè in juſculô guttas 30. extracti abſinthii, undè validior reddita enititur juſtô tempore filiolam, quàm cum propriô lacte educare deſtinaret, advertit plorare ab adſumptô nutrimentô virgunculam, & torminibus ventris oppidò divexari, comitante diarrhoëâ pertinaci & viridium continuâ egeſtione. Itaquè hortatû prudentiorum nutricem circumſpicit, cujus lacte ùt convenientiori alatur infans. Dictum; factum; quieſcit illa nutricis lacte aſſumtô, ceſſant ſymptomata, ſiſtitur diarrhœa. Igitur mater ſubirata mamillis ſuis, exprimit inviſum ſuccum, & deguſtat: ſed ut merum fel ſe libare moëſta advertit, guſtandum & aliis præbet, quæ rei novitatem admiratæ cauſam inquirunt, & in nimiô abſinthii uſû paulò ante puerperium frequentatô facilè inveniunt. Ut vel hìnc conſtet, quàm conveniat prægnantibus, reverenter & non-niſi ex Conſiliô Medentium uti medicamentis.

Ibidem Obſerv. 63. Ex ſuccô betæ noxa.

NOn infrequens apud nos eſt in Coryzâ difficiliori uſus ſucci radicis betæ, quem permiſtum aquæ majoranæ additô mellis authoſati tantillô naribus excipiunt ægri, & ità paulatìm lentæ pituitæ copiam indè prolectant, ſed non eſſe æquè omnibus ſalutarem ſæpè deprehendimus; immò noxium iis, quibus glutinoſa illa pituita non hæret in ipſis naribus, aut ſupra palatum, ſed ſtagnat adhùc in vaſis capitis ſanguineis exitum moliens, quibus convenientius eſt ſolum foliorum betæ in aquâ majoranæ infuſum, ut quod minùs narium interiora radit, minuſque offendit. Spretæ hujus admonitionis poënas luit non ità pridèm virgo nobilis, quæ ùt matrifamilias corizâ laboranti, & exhauſtô radicis betæ cum aquâ majoranæ ſuccô nares cum dolore contrahenti ludibunda gratificaretur, excepit & illa naribus ſanis liberalem ejus miſturæ portionem, ſed

paulò

paulò poſt inter cruciatus intenſiſſimos caput ejus totum ità intumuit ùt duplô majus naturali appareret, & veſtigia prioris formæ oblitterarentur omnia. Poſt triduum ab infelici errhinô meæ curæ permiſſo oſtendebat faciem tumidiſſimam, duram, ſublividam, præſertìm ſub oculis, conqueſta de vertigine, inquietudine, ἀγρυπνίᾳ, doloribuſque graviſſimis. Inter hæc mala nihil ipſi triſtius, quàm ſpeculum inſpicere, & in vultu ſuô vultum fruſtrà quærere, ità ille:

Hei mihi, qualis erat, quantùm mutatus?

Ego præmiſſis univerſalibus contrariô errhinô, ex ſolô lacte recenti, eôque tepidô, curam hanc, Deô bene fortunante, proſperè abſolvi. Præſagiens enim læſas primùm ab acri betæ ſuccô narium membranulas malum ad meninges cerebri & alia vaſa propagaſſe, credidi fore, ut infusô per eandem viam blandiori lactis ſuccô oblinerentur iterùm offenſæ partes, & acrimoniâ betarum obtusâ paulatìm ad officium redirent. Quod ità ſucceſſit, ùt hodiè in conjugiô vivat, felix nupèr mater, & priorum oblita laborum.

Ibidem Obſerv. 64. Ex nimiô aloës usû cruenta urina.

ZYthopoëus quidam Hafnienſis ſexagenariô major, & durioris alvi, ex conſiliô amici ſuſpendit in cereviſiâ ſuâ fermentandâ ſuccum aloës vulgatum, & ità præparatâ utitur, primis quidèm menſibus ſine ullô ſanitatis diſpendiô, tandèm inter mejendum notat ſibi aliquid ſanguineum cum urinâ prodire, ſed negligentior ſui pergit, & in medicatâ ſuâ potione tam diù perſiſtit, donèc locô urinæ ſæpè purum putum, & copioſum ſanguinem redderet. Quam metamorphoſin formidans calamitatem ſuam mihi aperit, nec undè proficiſcatur; ullô modô poteſt hariolari. Ego in ſex res non naturales inquirens cùm adverto potione illâ aloëticâ delectari ſenem, *eas verò*, inquam, *tragœdias aloë excitat*, à quâ porrò abſtinendum, ut cui nihil familiarius, quàm acrimoniâ ſuâ orificia venarum aperire. Cùm paret monitis, & pilulas ex terebinthinâ, rhabarbarô, & margâ ſaxatili concinnatas locô aloës frequentaret, ceſſavit inviſum malum, & cruor intra vaſa ſua coërcitus quievit.

Ibidem Obſervatio 65. De ſcabiòſâ proliferâ ſingulari.

SCabioſæ plantam Antiquis innotuiſſe ſunt, qui exiſtiment, eamque alii ad *Stoeben Dioſcoridis* referunt, alii ad *pſoram Aëtii*, ſed cùm ægrè ſe accommodent deſcriptiones, tutiùs erit rem illam in mediô relinquere, & certis potiùs immorari. Naſcuntur autem plures apud nos in hortis ejus ſpecies, ſed in agris quoque noſtris tres conſpiciuntur, pratenſis hirſuta, flore ex purpureô ad coëruleum inclinante, 2. minima flore globoſô impensè coëruleô, quæ *Adolphô Vorſtiô* Virô optimô *ſcabioſa arietina* vocari ſolebat, 3. prolifera, cujus quidèm flos magnus ſubcœruleus in extremô ſcapi recumbit, ſed ad floris radices quinque iterùm alii caules aſſurgunt digitorum trium tranſverſorum altitudine,& ii in ſummitate ſuâ flore cœruleô viſendi,quibus flos ille grandior tanquàm mater circùm gloriosè coronatur. Tertia illa hôc primùm annô hic inventa,quod adeò non mirum,ùt mirius ſit nunquàm inventam fuiſſe in agris ſtudioſiſſimô botanices *Cluſiô*,qui in cultioribus tantùm hortis Belgicis ſibi conſpectam fatetur.

Adeò nondùm effœta eſt apud nos benigna telluris natura.

Ibidem Obſervatio 66. De Pomô biferâ.

POmiferæ arbores, & ceraſinæ etiam in noſtris regionibus blandâ ſubindè autumni temperie iterùm in flores induuntur, & ſpeciem redeuntis poſt liminiô veris oſtentant, ſed cùm ſuperior hic æſtas frequentiſſimis diſtinguеretur pluviis, effectum, ùt ultrà ſolitum fruges, fructuſque hinc indè luxuriaverint. Quod in raris mihi obſervatum, pomus fuit, in hortô *Chriſtiani Petræi* fiſco Regio præfecti regerminans; enimverò hæc ipſa poſtquàm vernô tempore invitata annotinos ſuos ſurculos, & in iis flores protrudiſſet, tandèmque fructus menſe Juliô adultô iterùm novos ſurculos ramuloſque ex prioribus extudit, eoſque novis iterùm floribus ad alios iterùm fructus moliendos conveſtivit, adeòque æſtate unâ biennii labores ſuſtinuit. Immò credibile, hoc arboribus quibuſdam futurum perpetuum, ſi aëris contemperies invitaret, cùm videamus in Italiâ, Galliiſque immò & in Belgiô aurantiorum, citriorumque arbores indulgentiùs habitas totô annô vel parere, vel parturire. Meminique me Vianæ in hortis *Illuſtr. Comitis de Brederode* vidiſſe unam, eandemque arborem eôdem tempore flores ferre ramorum aliis, aliis fructus immaturos, aliis maturos. Id quod ex Indis reduces perpetuum ibi eſſe profitentur. Quæ intuentem non poteſt non afficere illud *Divini ſcriptoris Apocal.* C. 22. Ἐ μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ ἐντεῦ θεν καὶ ἐντεῦθεν ξύλον ζωῆς ποιοῦν καρποὺς δώδεκα κατὰ μῆνα ἕνα ἕκαστον ἀποδιδοῦν τὸν καρπόν αὐτοῦ καὶ τὰ φύλλα τοῦ ξύλου εἰς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν.

Ibidem Obſervatio 67. Utrùm ex avibus, piſcibuſque, ſal volatilis elici queat?

MOvit mihi hanc in publicô controverſiam Clariſſimus quidam Magiſterii Philoſophici Candidatus, iis quidèm innixus rationibus, quæ ſine variô experimentorum apparatû neſcirent facilè infirmari. Ut cætera, quæ minûs urgere videbantur, tranſeam, cùm brutis terreſtribus ſalem illum volucrem negare evidentiâ rei victus non ſuſtineret, avibus ideò negandum aſſeveraverit, quod in his alia humorum Oëconomia & conditio, alia in brutis reliquis; enimverò vaſa lactea & lymphatica in avibus fruſtrà quæri, eôque hinc diſtributionem Chyli & naturam ſanguinis inferri aliam, & carnes indè enatas alterius ingenii jure cenſeri poſſe. Quin & volucres præſertìm feras in eminentiori parte aëris, quàm cætera bruta, verſari, & motû plerumquè ferri incitatiſſimô, non eſſe autem proclive minutis corpuſculis (ut ſunt pleræque aves minutæ) in ſubitis illis & quotidianis rotationibus, calente præſertìm æſtivis ſolibus aëre, ſalem illum volatilem, ſi quem in ſinû ferrent, diù tueri, ut qui levi calore diſſipatur, & in auras evaneſcit. Et hæc quidèm de avibus, piſcibus autem juſtiori titulô viſus ſibi eſt eandem ſalium præſentiam ſubtrahere. Etenim illos & ſenſibili calore deſtitui, ſalium volatilium architectô, & eſſe totô corpore ad fidem linguæ inſulſiſſimos, etiam pelagios illos, in ſalsô æquore natantes; utque largiatur aliquis hoſpitari forſan in piſcibus marinis & quotidianâ in ſalsô mari converſatione ſalinum aliquid, nihil tamen illud facere ad rem quòd ſal marinus à volatili illô totô propèmodùm genere diſtet. In fluviatili denique piſcium catervâ nè hanc quidèm ſalis

ſalis marini præſentium poſſe obtendi. Noviſſimè, nihil eſſe verôſimilius, quàm ſalem volatilem, ſi quis piſcibus inhæreret, diuturnâ illâ in aquis, ſæpè etiam inſultis, vivendi conſuetudine deponi & exſorberi, cùm nihil adeò promptè ſalia diſſolvat, arripiatque, quàm aquæ elementum.

Sed quàm parùm valeant in rerum naturalium hiſtoriâ rationes etiam in ſpeciem nobis blandientes, ſed experimentis caſſæ, vel in hôc exemplô contemplari licet. Deficiant ſanè in volucribus lactei, lymphaticique ductus, ut hactenùs oculos ſemper noſtros fugerunt, non ideò deficiet Oeconomus ille corporis vivi, & arbiter humorum ſal volatilis. Capiatur enim ales ſive domeſtica, ſive fera, vel ſola ejuſdem oſſa ſuccida, ſolus ſanguis, ſola caro, & per vitreum retorti colli vas alacri igne arenæ urgeatur, admotô ori ejus exciputô amplô, & in paucis horis, gubernatô benè igne prodibit aqua ſic ſatis copioſa, ſpiritus acris ſalinique nonnihil, multùm olei foëtentis, & ſalis volatilis portio non aſpernanda. Ego præter quotidianas illas cortis volucres, aquilæ etiam ut altivolæ, & motû expeditiſſimi alitis membra & carnes ad examen vocari; notavique ex unciis viginti carnis aquilinæ, ſiccioris illius è muſculis pectoralibus exciſæ, prodiiſſe aquæ inſipidæ, &, ùt ſic dicam, elementariæ, uncias propemodùm ſedecim, olei empyreuma redolentis uncias duas, ſalis volatilis drachmas circiter tres, terræ, ſive capitis mortui drachmas ferè duodecim, (quæ tamen aperto igni commiſſæ, evolantibus adhùc particulis aliis ſulphureis, ſaliniſque deſiêre in drachmas tres) ſalis fixi ſcrupulum unum; ùt adeòque reſoluta in ſua principia fulminis illius miniſtræ caro, non niſi quinquageſimâ tertiâ ſui parte, in terram propriè ità appellatam terminetur. Quod nè peculiari volucrum carnium naturæ attribuatur, eadem ferè elementorum proportio in analyſi carnis bubulæ mihi obſervata eſt; nec valdè diſſimilis in examine concreti ſanguinis animalium varii generis, ipſiuſque adeò hominis: quanquàm, nè quid diſſimulem, in examinatô hâc viâ febricitantium nonnullorum ſanguine minùs omninô ſalis volatilis deprehenderim, & plus fœcum terrearum, quàm vel in bubulô, vel in saniore humanô, quod vel unum argumento fuerit, convenire, ùt lacuna hæc in ægris ejuſmodi opportunè ſarciatur, tranſlatô aliundè ſale volatili, & febrientibus, ſecundum medendi leges propinato, donec proportio ſanguini debita redeat, ejuſque circulus eò poſteà expeditiùs continuetur.

Hìc nè quis obducat, vim fieri ſacris literis, corpus humanum in terram reſolvi affirmantibus, cuſtodiendum, divinis oraculis ſartam tectam nihilô ſeciùs conſtare veritatem, quòd & ſalia hæc, & olea etiam ultimâ ſui reſolutione in terram abeant, & quidèm olea repetitis frequentiſſimè deſtillationibus, ſalia fixa frequenti, ùt propriè dicam, exſcandeſcentiâ, ſalia volatilia, frequenti in aquâ calcis vivæ immaceratione, de quibus alibi fortaſsè expreſſiùs. Deniquè & aqua tandèm ipſa, utcunquè puriſſima, ſi ex vaſis recentibus & nitidis vel centiès deſtillet, centiès terreum aliquid ſubtile ad latera vaſorum infima deponet. Quod ad piſces; neque illos ipſos hâc parte inferiores eſſe animalibus cæteris multiplicia me docuêre experimenta. Salia eorumdem & olea facillimè ſe ſenſibus noſtris ingerent, ſi modô ignium potiùs fidem imploremus, quàm ratiuncularum. Teſtabuntur oculi, nares, lingua, & in pelagicis illis piſcibus & fluviatilibus ſalem volatilem, fixumque delituiſſe, ſi eâdem methodô, quâ in carnibus animalium terreſtrium uſu ſumus, beneficiô retorti vitri ex iis alacri igne propellatur, quicquid volatile gremiô ſuô complectuntur, & reliquiæ peruſtæ affuſâ ſtillatitiâ aquâ percoquantur in ſalem fixum. Haud ſcio tamen, an in piſcium ullô plus ſalis volatilis deprehenderim, quàm in aſellis Iſlandicis ventô induratis, qui præter aquæ portionem aliquam, etiam oleum vehunt & multum, & (violentiorem impetum ignis) foëtidum & ſalem volatilem ferè copioſiorem, quàm bruta terreſtria; undè & haud dubiè in ventriculis noſtris duritie ſuæ carnis minùs creant vel turbarum vel faſtidii, quàm alioquin à nutrimentô tam rigidô, & propè corneô fas eſſet exſpectare. Quid quòd ſal hic volatilis à calore ventriculi excitatus coctionem adjuvet potenter: undè non mirum eos, qui præ frigore ventriculi ſui & debilitate ſalem illum ad operandum evocare nequeunt, ex ferculô hôc ſentire pondus & moleſtiam.

Libuit experimentô diſcere, utrùm paulò diutiùs cocti hi piſces in aquam deponerent aliquam ſalis ſui volatilis portionem; notavique decoctum illum liquorem leni poſteà igne redactum in ſpiſſamentum, & mox ex retortô vaſe propulſum dimidiam ferè ſalis illius piſcium volatilis ſecum aſportâſſe; undè colligere promptum fuit, quò diutiùs vel macerantur, vel coquuntur hi piſces, hôc plus amittere ſalis ſui volatilis & hôc minùs fulcire labantem ſtomachum; adeòque Batavos naturæ congruentiùs ad ſubigendam piſcis hujus duritiem, eligere frequentes mallei ictus, quàm diurnam coctionem, quòd ab ictibus his compages piſcium laxetur commodè, nè ſtomacho moleſtiam creet, & quicquid adeſt ſalis volatilis, conſervetur univerſum. Simùlque intelligitur cur ſcabioſæ manus non tantùm propriâ urinâ, ſed & decoctô aſellorum ſæpè ablutæ experiantur fructum, utrobiquè enim acidum ulcerum à ſale volatili præſente caſtigatur.

Cæterùm non ſolis aſellis ſalem illum inſtauratorem largita eſt natura, ſed & natantium reliquis: meminique hâc æſtate ex acô marinô recenti ſurrexiſſe mihi ſalem volatilem in phialâ, ad trium uſque pedum altitudinem, ſurrexiſſetque haud dubiè altiùs, ſi vaſis forma permiſiſſet. Nolim prolixè de fluviatili piſcium genere hìc commentari cùm aliis atque aliis mihi conſtet experimentis, eôdem modô ex percis, alburnis luciis, aliiſque cum oleô jam ſalem volatilem, jam ſpiritum acerrimum, & ſale volatili foëtum, cumque acidis ſtrenuè efferveſcentem prolectari. Immò verò ipſa piſcium, avium, ranarumque ova & ſemina hôc ſale prægnantia deprehendi. Libuit & dentem unicornu Grönlandici de ſalis ſui volatilis interrogare præſentiâ; paruit, & non acerrimum modô ſpiritum ſalinum vi ignis profudit, ſed & acerrimum ſalem volatilem, mediocri tamen copiâ. Quod idem jam ante ſpectatum tùm in ebore, tum in apruginis dentibus, alciſque ungulis nec ulla hactenùs animalium ſive volantium, ſive aquaticorum, ſive terreſtrium pars mihi obſervata, quæ torta ſuppliciô ignis fefellerit exſpectationem.

Reliquum eſt, ùt agnoſcamus non ex calore aliquô ſenſili, ut quibuſdam creditur, ſalia hæc volatilia pronaſci (quis enim calor, ſi ſenſus noſtros teſtes imploremus, in piſcibus?) ſed jam tùm ab orbe conditô ſeminibus rerum inſita fuiſſe & beneficiô alimentorum in variis corporibus variè augeri, minui, miſcerique nec per combuſtiones fieri, ſed tantùm ſeparari. Verùm quia vehementer hìc ſe opponunt nonnulli, libris, quàm experimentis aſſuetiores, docentes ſalia volatilia non eſſe in rebus, ſed per combuſtiones tantùm pro-

produci, rogantur illi humaniter, ùt non niſi probè expùtatis mecum rationibus & phoënomenis naturæ, ſententiam pronuncient. Initiò ergò, eòdem propemodùm ignis gradû ſalia hæc è corporibus nonnullis elici poſſunt, quô ſtillatitia olea: quòd ſi ergò ſalia hæc rebus non inſint, quia calore educuntur, nec inerunt iſta olea, ùt quorum ſimilis eſt conditio, id quod fidei abſonum. Utque occurras tacitè, olea expreſſione etiam fieri, non multùm profeceris, cùm & plurimùm diſtent ſtillatitia olea ab expreſſis, & multa expreſſioni non pareant, omnia autem calori. *Deindè* in Corporibus animalium terreſtrium non eſt calor comburens, ſed mitis, & benignus, eorundem tamen urina ſale volatili abundat; hinc epota urina humana in morbis etiam malignis à quibuſdam fructuosè uſurpatur, nullô ignis miniſteriô cruciata. Et jam olìm à veterinariis inter remedia æſtimata eſt Auctore *Columellâ* L. 7. C. 5. *Quin* & ſi relinquatur urina recens ad ſolem in patellâ latiori, donec humore abundantiori in vapores attenuatô reſtet in fundo magma craſſiuſculum, eique affundatur ſpiritus vitrioli, mox bullas, pugnamque intueberis, quæ utiquè non contingeret, niſi ſal, acidi illius ſpiritus vitriolici hoſtis adeſſet; quippè abſente hoſtium alterô pugna nulla committitur, quæ hìc præſentiſſima eſt, ſed minùs ferax, ob præſentiam oleoſarum in hôc magmate particularum, quæ motum & ebullitionem alioquin violentiorem quodammodò temperant, & quaſi refrænant. *Immò verò* ſi urinæ humanæ recenti, ſed jam frigidæ affundatur, aquæ fortis, luculentus ſtatìm cooritur fumus; haud ob aliam, ùt apparet cauſam, quàm quòd ſal volatilis in urinâ latitans diſperſus, fugam capiat ob adventum acidi inimici. Sed his miſſis ipſa caro piſcium recentium, utcunquè incaluerit nunquàm, affusô ſpiritû, vel vitrioli, vel nitri, vel aquâ forti, ſimiles bullarum curſus, & recurſus, ſimilemque pugnam evidenter oſtendit, lentam quidèm illam, ſed diuturnam, quòd oleum in carne ubiquè præſens conflictum partium adverſarum impetuoſum non permittat. Undè tot bullæ excitantur? Cùr ità ſubſultant, niſi ob ſalem carnium in acidum ſpiritum vim ſuam exſerentem? Auferatur planè ille ſal carnium nativus, comminuantur tum partes omni ſale ſuô deſtitutæ, & affusô licèt ſpiritû acidô pugna nulla ciebitur. Id in hâc pugnâ jucundum viſû, quòd oppreſsô tandèm à nimiâ acidi copiâ ſale illô carnium nativô, & redeuntibus ad quietem omnibus, ipſæ minutiſſimæ carnium fibræ, & capillis multò tenuiores, quæ ante viſum fugerant, tum demùm copiosè prodeant in conſpectum: licèt enim caro reliqua cruentior quaſi in mucilaginem in his acidis tandèm faceſſat, fibræ tamen ut membranaceæ originis non ità vincuntur, ùt non diù appareant, capillorum minutiſſimorum ſpecie. Quòd ſi quis urgeat, ſpiritus acidos metallis, & aliis, atque aliis corporibus affuſos, ſimilem pugnam moliri, utcunquè in iiſdem nulla ſalia deliteſcant, in proclivi eſt reſponſio, ſermonem mihi hìc eſſe de Udis, mollibuſque corporibus, & aquæ forti ſtatìm cedentibus, non autem de duris illis & rigidis, quorum & ſiccitas, & pororum obliquitas, irruenti ſpiritui acido, non ſine murmure aliquô obediunt. Accedit, quòd vix inveniatur corpus ullum durum, cum acidis potenter effervèſcens, ex quô nequeant ſollicitâ curâ vel ſalia educi, vel corpus ſalibus analogum; immò ex metallis pleriſque triplici etiam viâ vera ſalia extorquere licet, ſi quis ingenium, ſumptus, & patientiam, afferre non detrectaverit, de quô cùm nonnulla attigerim *Librô de Herm Ægypt. & Chemic. ſapient;* hìc nihil monebo ampliùs, contentus ſubjunxiſſe verba elegantiſſimi Philoſophi *Blaſii Vigenerii* L. de igne & ſale: *Les Metaux*, inquit, *ne ſont autre choſe, que ſels Congelez, & decuits par une longue & ſucceſſive decoction dans les entrailles de la terre.*

Ratio, quæ contra piſcium ſalem priùs adducta, ſpecioſior videbatur, nimirùm *non poſſe diù hærere in piſcibus, ſi quis eſſet ſal volatilis, quòd in aquis, hoc eſt, quotidianô piſcium balneô, eluêretur, & recederet,* in piſcibus ſponte mortuis & diù fluitantibus fortaſſe locum inveniret, nequaquàm in vivis, qui cutis membranarumque ope non minùs excludere poſſunt aqueos liquores prædantes, quàm ipſam maris ſalſilaginem, ipſi in aquâ etiam ſalsâ perpetuò inſulſi. Atque nè hìc quiſquam inconſultè exiſtimet ſalia marinorum piſcium nativa marino illi ſali originem debere, expendenda jam erit ſumma utriuſque diverſitas. I. Sal marinus non confligit cum acidô, ſalia piſcium, brutorumque confligunt cum eô acerrimè: ſed marinus per ſe non attollitur in ſpeciem ſalis volatilis, ſalia hæc piſcium brutorumque promptè attolluntur: ſal marinus ſi crucietur ignibus, faceſſit in ſpiritum acidum, ſalia hæc piſcium, brutorumque in ſpiritum ſalſum, & acido inimiciſſimum; ſal marinus non tollit febres malignas, non ità provocat ſudores, non prodeſt epilepticis, apoplecticis, comatoſis, hyſtericis, quas virtutes, in ſalibus volatilibus delitescere experimur.

Ibidem Obſervatio 68. Utrum oporteat ſalia volatilia, & ſpeciatim ſalem humani cranii morbis opponere?

SUnt etiam è medentium Galenicorum numerô, quibus hæc ſalia ob foëtorem, non placent, in quô illud mihi videntur culpare maximè, quod maximè in iiſdem laudari meretur, & quô ablatô deſinunt integris eſſe viribus. Et ſi ob foëtorem proſcribenda eſſent, cur tam diù in pharmacopoliis toleravêre galbanum, aſſam fœtidam, caſtoreum, & alia graveolentia? Quod vires ſalium iſtorum attinet, deprehenſum eſt, multiplicibus ſeculô noſtrô experimentis, nihil propemodùm efficacius propinari in apoplexiâ, epilepſiâ paralyſi, vertigine, comate, ſcorbutô, malis hypochondriacis, hyſtericis, aliiſque ab obſtructione & ſegnis pituitæ vitiô naſcentibus, ſi cùm judiciô uſurpentur, & viſceribus non ulceroſis. Plena exemplis *Sylvii*, *Grabæ*, aliorumque ſcripta; immò quotidiana id ipſum experimenta loquuntur. Obſervatumque Cl. *Sorbaito* in Oper. Med. eadem in peſte & morbis malignis fructuoſiſſimô conſiliô propinari. Quin & ſolus eorundem ſalium odor mirificè experrectos reddit ſpiritus, & hyſtericas opportunè excitat, ſolaturque ùt proindè curioſiores hodiè cryſtallinô vitrô eadem excepta ſecum in crumenis circumferant, naribus ſubindè admoventes, undè ſpiritus mirum in modum evigilare, & ad munia ſua promptiores fieri experiuntur. Neque ratio deficit; ſalia enim illa cùm ſint excitatiſſimarum, & tenuiſſimarum partium, cùm recipiuntur corpore in intima ejus penetralia ſtatìm eluctantur, ibiquè hærentes pituitæ & ſanguinis grumos incidunt, putredinem avertunt, quietem humorum noxiorum impediunt & ad motum corporis noſtri liquoribus neceſſarium inſtigant atque impellunt. Itàque apertis iterùm, reſeratiſque ſalium volatilium beneficiô venarum, ductuumque aliorum canalibus anguſtiſſimis, ipſæ partes non ampliùs vitioſis humoribus oppreſſæ, ad conſueta redeunt

munia,

munia, ceſſantque proindè mala, quæ vel longam infirmitatem, vel interitum corpori minabantur. Intereà prudentis Medici eſt, nè quid nimis, ne quid minùs afferatur, providere, quòd, quibus pituitoſior, craſſiorque ſanguis, liberaliùs ſe ſe in hôc pharmacô invitare poſſint ſine incommodô, quàm quibus tenuior & ſubtilior.

Erunt autem forſitàn, qui obducent ſalia volatilia omnia ejuſdem eſſe ſaporis, adeòque propemodùm ejuſdem naturæ, parcendum ea propter humano corpori, & in uſum vocanda ſola illa quæ ex brutorum genere eliciuntur, videri quinimmò ſalem volatilem cornuum cervinorum totum illud præſtare, quod à quovis aliô ſale volatili legitimè ſperari poſſit. Cæterùm utcunquè præclaræ ſint virtutes cervini illius ſalis, illum tamen omnibus indicationibus, quibus alia ſalia, & præſertim cranii humani, ſatisfacere, parùm mihi ſit veriſimile. Sequeretur enim indè, ſalem volatilem è calvariâ vervecis, aut ſimiæ, aut ſi mavis, corpore bufonum, ſcorpionum, aſpidum, bruchorùmque idem efficere quod ſal vel humani cranii, vel viperarum. Injuſtè etiam tam caro divenderetur pretiô Viperinus ſal, ſi paria faceret ex cornibus bubulis, vervecinisve extortus. Accedit experimentum *Charaſii* de ſale viperinô, diverſitatem oſtendens. Proindè, quemadmodùm aliter afficit humanum corpus ſanguis veſpertilionis, aliter tauri, aliter rupicapræ, aliter hirci, aliter talpæ; quemadmodùm item aliter agit pinguedo leporis, aliter taxi, aliter erinacei, aliter crocodili, alia enim laxat, alia leniter adſtringit, alia maturat, alia producit pilos, aufert alia; ità quoque meâ ſententiâ, peculiare quiddam ſal cranii vervecini, aſinini, bubuli, &c. id quod evidenter elucet in ſale cantharidum (de quô *Clar. Wedel.*) cui ſimilem in excoriandô & afficiendâ veſicâ humanâ efficaciam nondùm in aliô licuit deprehendere. Quid quòd ſalia piſcium quorumdam volatilia, ut aſellorum, &c. manifeſtè piſces redoleant, quod de carnium ſalibus pronunciare utiquè temerarium eſſet. Habent videlicèt ſalia illa in corporibus diverſos ductus, canales, liquores, ſive fermenta, à quibus non poſſunt non aliquâ ſui parte immutari, & peculiarem induere naturam. Ut in diverſis animantium ſpeciebus cornua, dentes, pili, adeps, urina, immò omnia à ſanguine generata diverſa ſunt; ità ſalia hæc volatilia, ut moderatô tantùm igne indè elicita iiſdem legibus obnoxia eſſe veriſimile eſt. Ad ſummam, ſicut pinguedo humana, ejuſque ſtillatitium oleum peculiare quiddam gremiô ſuô complectitur, nulli alii conceſſum; ità quoque ſal cranii humani volatilis in epilepticis & apoplecticis inſultibus, aliis omnibus id genus ſalibus meritò videtur præferendus, non tantùm ob auctoritatem Clariſſ. Virorum, *Sennerti*, *Becheri*, *Schroderi*, aliorum; & deniquè frequentia in morbis ſimilibus experimenta, ſed & ob temperamenti analogiam, quippè quæ ſalia jam ante in humanô corpore nata & ſuô ibidèm modô fermentata poros omnes capitis diù perreptârunt, eoſdem in aliô, ſed ægrô capite humanô tantò invenient faciliùs, hoſtilemque inde pituitam, & ſi quæ alia latet morbi cauſa, feliciùs exterminabunt.

Quibus præmiſſis, intempeſtivæ pietatis videri poteſt, in illô articulô calvariis, pepercisse cruciariorum, illi adhuc vivi profuêre nemini, immò creavêre perniciem, ergo mortui proſint, & benè de ægris poſt fata ſua mereantur, ituri alioquin in corvorum pabula, aut nutrimenta Vermiculorum. Neque deprehendimus uſquàm in ſacris litteris ideò vapulaſſe Ægyptios, quòd corpora mortuorum variè inciderint, & tandem in mumias converterint, humano corpori hodièque ſalutares. Qui unus diſplicet in ſalibus his ſapor, mitigari variis modis, miſturiſque poteſt; ſed diſſimulandum hic non eſt, quò plus hic elegantiæ coloris, ſaporiſque ſtudetur, hôc plus virium in quibuſdam morbis generoſo huic medicamentô decedere: permittendum potiùs, ùt ſalis aculei quibuſdam proprii olei particulis comitatiores corpus humanum ſubeant, ità à ſalibus ipſis ſperanda inciſio, & obſtructionum reſolutio, ab oleô balſamum & lenimen doloris; neque enim aliud in ſummis artuum, membranarumque cruciatibus lenit efficaciùs, mulcetque hôc ipsô animali oleô ſtillatitiô, emplaſtris convenientibus adjunctô, quod peritis non poteſt latere. Sed cur junctis in corpore animalium fluunt alveis ſal & oleum? magnum illud ſapientiæ Conditoris noſtri argumentum eſt; enimverò ſi ſalia hæc largâ copiâ peculiaribus in corpore noſtrô cellulis concluſiſſet, in paucis diebus præ acrimoniâ ſuâ eroſiſſent vaſa, turbâſſentque omnia; ſi olea uni addixiſſet loco, in paucis itidem diebus abiiſſent præ calore animalis in ſpiſſamentum, atque hôc ipsô ſanguinis circulum, & motum humorum corporis retardâſſent. Nunc autem cùm miſta fluant, quacunque ingreditur ſal pungens & aperiens, illùc factâ jam viâ ingerit ſe quoque olei quiddam mitigans. Neque dubium eſt, morbos ſæpè in corpore noſtrô produci ob nimiam ſalium iſtorum, & oleorum ſeparationem; quod & opportunè ſerviet illuſtrandô divini *Hippocratis* dictô L. de Vet. Medicin. *Eſt*, inquit, *in homine amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum & fluidum, & alia infinita, quæ inter ſe miſta, & temperata non lædunt hominem; ubi verò quid ſecretum fuerit, lædit, atque offendit.* Sed video eſſe adhùc, quod legentem remorari poſſit. Enimverò ſunt, inquies, in unius hominis corpore vel duæ ſalis volatilis libræ; cùr illæ, ſi tantùm valent ſalia iſtæc, à caducô malô, ab hyſtericô, à ſcorbuticô, non præſervant? cùr paucæ drachmæ aliundè tranſportatæ plus efficiunt geminatâ librâ ſalis inteſtini? Immò verò præſervant domeſtica hæc ſalia totô vitæ tempore, abſque quorum interventû, perpetuò mortales haud dubiè laborarent caducô. Sed cùm vel minuuntur nimiùm vel nimiùm opprimuntur à diætæ vitiis, aliiſve cauſis, adeòque nimis ſparſa ſunt, nimis viſcidæ pituitæ & oleô craſſiori immerſa, hebeſcunt, niſi ſupervenienté ſale recenti excitentur denuò, ùt alacriùs ſe ſe iterùm moveant, & veluti novis aucta ſupplementis obſtructiones inimicas amoliantur.

Ibidem Obſerv. 69. Quid de ſalibus animantium fixis cenſendum.

Elici ex animalibus præter volatilia ſalia etiam illa, quæ fixa Naturæ conſultis appellari ſolent, perpetua experimentorum conſtantia loquitur. Neque mihi hactenùs oblatum eſt ullum ſive brutorum terreſtrium, ſive volucrum, ſive piſcium genus, quod probè excuſſum illis caruerit. Eduxi ea è carnibus beſtiarum & avium varii generis, è piſcibus pelagicis & fluviatilibus, è cancris, ranis, bufonibus, erinaceis, ovis volucrum, ovis ranarum, aliis. Immò verò, non integra tantùm animantia eorumque carnes, ſed & partes eorundem propemodùm univerſæ Vulcanô fatente, vehunt ſalem fixum, quem deprehendi in animalium ſanguine, felle, urinâ, quin & oculorum humore aqueô & vitreô; in ſolô cryſtallinô nondùm licuit invenire; non negaverim tamen exiguiſſimum quiddam indè fortaſſis excſculpi poſſe, ſi quis plures ejuſmodi humores coacervaret, & ſollicitè ureret. De oſſibus contradicunt nonnulli

ſed invitâ veritate; Ego enim ex peruſtis violentâ aliquot horarum flammâ oſſibus bubulis fixum ſalem facilè elicio, ſed exiguâ duntaxat quantitate, acerrimum tamen, & cum acidis egregiè efferveſcentem. Et credibile eſt, curioſiores rei monetariæ præfectos id præſagire, cùm ad catinos ſuos auri, argentique purgatores requirant oſſa non uſta tantùm, ſed & aquis incocta. Quod ſi cocturam hanc negligentiùs inſtituant, non mirum erit, ſi aliquid metalli nobilis, quâ datâ portâ in Catinos ſe inſinuet, & dominorum exſpectationem fruſtretur. Cur autem à ſalibus volatilibus in corporibus animalium, copiâ longiſſimè ſuperentur, ea, quæ fixa vocantur, ratio fortaſſis in blandô illô, & continuô animalium ſive motû, ſive calore potiſſimùm quærenda eſt, à quô etiam multa, quæ fixa videri poſſunt ingeſta eſſe, fermentantur, & in volatilem ſubſtantiam deſinunt. Notatumque quò ſaniora ſunt animalia terreſtria; hôc plus eadem abundare ſale volatili, quò debiliora, id eſt quò magis in iis oppreſſum eſt calidum nativum, hôc minùs, non ſufficiente videlicèt ad πνευμάτωσιν illam liberalem calore imbecilli. Hinc & boves, & equi, & beſtiarum aliæ paſtæ licèt ſolis herbis urinam quotidiè reddunt multô ſale volatili prægnantem. Et tamen ex herbis pauci hactenùs ſalem volatilem potuerunt extrahere; ſpiritus equidèm vini & plantarum aliarum nonnullarum fermentatione debitâ præmiſsâ ad id puritatis reducuntur, ùt ſtrenuè cùm ſpiritibus acidis mineralium efferveſcant, eôque ipsò ſatis teſtantur de præſentiâ ſalis ſui volatilis, ſed in ſolidâ ſalis volatilis formâ illos ipſos ſpiritus ſiſtere, artis eſt curioſiſſimæ, quam, vel illi ſimilem à *Cl. Wedeliô* (qui publico ſpem fecit ſalium volatilium plantarum) proximè exſpectamus non ignari quid præſtet colli proceriſſimi phiala. Sed & alii ſua perducant experimenta, neque enim nos omnia noſtra ſimul decrevimus expromere. Intereà *Ampliſſ. Nat. Curioſor. in German. Academiæ* imgenuitatem in promovendâ ſalis tartari πνευματώσει collaudamus meritò, ſimulque adjicimus, non eſſe planè de nihilô illud *Helmontii in Bles human. ſalem in liquatione concremationis arripere ſibi partem vicinam ſulphuris, ſive pinguedinis, & ſic partim evolare, partim apprehenſo ſulphuri colliquando incorporari*, adeoque in igne fixum aliquid ſalis reddi, quod anteà fuerit volatile; enim verò ex Gr. 20. Libræ plantæ cardui benedicti recens evulſæ & mox luculentâ flammâ in cinerem peruſtæ, plus omninò ſalis fixi ſubminiſtrant, quàm libræ totidèm, ſi in aëre diù antè exſiccatæ tandèm concrementur; neque obſcura ejus rei eſt ratio, in ſubitâ enim illâ & impetuoſâ exuſtione cùm ſulphur omne ob tot partes aqueas non ità promptè evolare queat, aliquid vicini ſalis ſibi agglutinat, ſecumque jungendo fixum reddit, in alterâ illâ autem ſiccæ plantæ uſtione ſulphur, cùm ab humore aqueô non ità interpelletur, antè deflagrat, quàm multùm ſalis ſibi intimè poſſit incorporare. Utrùm autem omnia plantarum ſalia fixa ante uſtionem in Plantis ipſis volatilia ſint; quod *Helmontio, Tackeniô* aliiſque nonnullis viris doctis, viſum, nunc quidèm in mediô relinquò. Sed ùt ad ſalia animantium fixa regrediamur; omnia hæc, quantùm indagare hactenùs licuit, ſi benè gubernentur, in cubos abeunt. Et quidem hi cubi ex ſanguine bubulô prodeuntes in mediô corpore obſcuriùs albicant, ad margines pellucent more cryſtalli. Crederet aliquis ſe vivis iis videre cryſtallum obſcuriorem minutam cryſtallô majori pellucidiſſimæ incluſam.

Noviſſimè, cùm nemo, quod ſciam, de ſalium fixorum ex animalibus petitorum naturâ peculiare quicquam tradiderit, abs re non fore exiſtimavi, glaciem hanc frangere, & januam ulteriùs inquirendi minùs, quàm ego ſum, occupatis aperire. Itaque obſervatum mihi, ſalia hæc non eſſe omnia ejuſdem naturæ, neque per omnia vel cùm ſale communi, vel cum lixivis plantarum ſalibus convenire. Pleraque mihi tentata non tantùm ſapore accedunt ad ſalem communem, ſed & figuris, & præcipitandi poteſtate. Sal fixus bufonum momentô præcipitat ſaturnum in aquâ forti diſſolutum, ſed ſine ſtrepitû, ſal ranarum leniùs præcipitat eundem, & tardè: ſal aquilinæ carnis, ſi affundatur ſaturno in aquâ forti ſoluto, totum liquorem ſubitô reddit lacteum ſine evidenti ſtrepitû; eſtque hujus ſalis ſapor non lixivus, ſed idem ferè, qui marini ſalis, nec odor etiam lixivus deprehenditur ullus: ſal ranarum, quantùm ex unô experimenrô colligere licuit, Mercurium ex aquâ forti non præcipitat, quantumvis cum illâ aquâ forti acriter efferveſcat: ſal bufonum præcipitat Mercurium in pulverem cineritium: Sal bubili fellis præcipitem agit Mercurium cum ſtrepitû & bullis commitantibus. Sal ſanguinis bubuli imitatur mores eoſdem: ſed carnis ſal, utcunquè validè in aquâ forti ſtrepat, non ità validè præcipitat. Sal fixus Lucii piſcis cum aquâ forti ſtrepit, bullitque vehementiſſimè, immò nubem in vaſe excitat & denſam, diù durantem, ſimulque Mercurium in pulverem præcipitat albiſſimum. Sal fixus ovorum gallinaceorum, eorumque ſpiritus cum aquâ forti, potentiſſimè efferveſcit. Hos fervores cùm in aquâ forti exercere nequeat ſal communis, oportet ſalia hæc fixa ſalis marini naturam non uſquè quaquè referre. Propiùs accedunt ad genium lixivorum illorum ſalium, quæ ex plantis eliciuntur, vel ob hanc cauſam, quòd ſulphura ſatis expeditè diſſolvant; in eô tamen diſcrimen obſervatur, quòd ſoluta eadem nequeant diù apud ſe retinere, collabentibus non ità multò poſt in fundum ſulphureis corpuſculis, ſecùs quàm accidit ſalibus lixivis plantarum. Differunt & pleraque à lixivis plantarum ſalibus ſapore, odore, & figuris, quemadmodùm præmonuimus; ùt proindè ſalia hæc peculiarem naturam præ illis plantarum, nacta videantur. Atque eſt hic propemodùm cur *Galeni* acumen miremur, qui fixa hæc beſtiarum ſalia ad medicos uſus ſapienter vocavit. Vox ejus L. de Theriac. ad Piſon. C. 31. *Præparantur*, inquit, *& ſalia ex his beſtiis.* Et C. 32. *Omnes*, inquit, *ſimul combuſtæ & integræ accenſæ beſtiæ pravam vim corporibus inditam exuſtione deponunt, & ab igne auxilii ſymmetriam nanciſcuntur.* Deniquè & Meth. Med. L. 14. C. 15. *ſed & ſal*, inquit, *qui ex combuſtis fit viperis, potenter extenuat.* Et mox narrat *ſe juvenem morbô articulari laborantem ſale theriacô percuràſſe*, argumentô, acidum violentiùs impactum articulis hôc lixivô commodè expugnari. Ne exiſtitemus autem *Galenum* hic de volatili ſale viperarum ſcribere, obſtat præparandi modus; enim verò agnoſcit ſe L. de Theriac. ad Piſon. Viperas clauſô vaſe perurere, apertis quatuor foraminibus, donec fumus omnis obſcurus ceſſaverit, quod utiquè calcinare eſt pro ſale fixô excipiendô, non ſalem volatilem extrahere; utcunquè ergò ſalem volatilem animalium ignoràſſe videatur *Galenus*, fixi tamen ſalis beſtiarum vires adeò non ignoravit, ùt morbis etiam feliciter oppoſuerit. Neque quæ hic contra *Galenum* moliuntur ex *Zwelferô* alii, tanti nobis videntur, ùt ignorantiam ſapientiſſimi Machaonis liquidò oſtendant.

Eſto

Eſto enim, uſtulata ſint quandoquè cum viperis alia, non ideò viperarum ille lixivus ſal periiſſe exiſtimandus, ſed ad ſanandum ſuam quoque contuliſſe ſymbolam.

Ibidem Obſervatio 70. De ſalis ſerpilli peculiari figura.

INter epidemica vulgarium Chemicorum mala, & hæc ipſorum ſententia eſt, *lixiva plantarum ſalia non poſſe parari clauſis vaſis, ſed duntaxàt luculentè apertis.* Quod vanum eſſe quotidiana nos docent experimenta, plantæ enim dummodô clausô Vaſe non nimiùm, ſed juſtâ morâ concrementur, & mox affusâ aquâ communi ſtillatitiâ proliciatur indè calore alacri lixivium, atque hoc ipſum leniter exhalet ad cuticulæ adventum, ſolent in illô lixiviô ſenſim pronaſci ſalia & flava, quod non omne ſulphur plantarum, deflagrârit, & mirè figurata; quæ majoris, meô quidem judiciô, æſtimanda ſunt, quàm albiora illa vulgata, quòd unà particulam ſulphuris plantarum nativi ſecum vehant, adeòque vires ſimplicium magis referant, quàm ſolennia illa. Quòd ſiquis diutiùs urgeat clauſa eadem vaſa, lixivium ex cinere herbarum collectum non ampliùs flaveſcit, & ſalia indè producta albicant, indiciô maximam jam tùm ſulphuris partem periiſſe. Si autem non uſtulentur juſtô diutiùs, ludunt poſteà pulchris figurarum varietatibus. Exemplum mihi fuit hôc annô ſal ſerpilli, qui ità præparatus abiit pedetentim quaſi in trabem flaveſcentem, pluribus hìnc indè cuſpidibus more crucium diſpoſitis & versùs extrema acutiſſimis pulchrô ſpectaculô armatam. Dixiſſes ſe ligneas illas crates videre, quas oppidorum portis munimenti locô appoſitas militari vocabulo *Equites Hiſpanicos* appellant. Similia ludentis naturæ phænomena curioſè attenti in aliis atque aliis plantarum generibus quotidiè ſpeculabuntur.

Ibidem Obſervatio 71. De ſalis volatilis liquidi variis phœnomenis.

POſtquàm ſuperiori menſe Majo, Antimonio diaphoretico diù lixiviis cinerum clavellatorum incocto ſalis armoniaci largam affudiſſem quantitatem, eòque ut propter ſalis lixivi præſentiam par erat, multùm ſpiritûs ſalis urinam redolentis, beneficiô alembici, excepiſſem, illius, ſed omnium acerrimi libram unam, nè fruſtrà exhalaret æſtivis caloribus, infundi antimonio alii diaphoretico, ſed jam tùm à ſalibus lixivis, ablutionibus crebris liberato, cogniturus utrùm vel tincturam Antimonio extorquere longâ maceratione poſſet, vel ſulphuris illius inflammabilis, quod per ignes plures ſtibium diù & pertinaciter comitatur, reliquias quodammodò exſorbere. Neutrum contigit; ſed ſpiritus ille intereà vitrô accuratè clausô in feneſtrâ ferè quotidiè novis luſit imaginibus, jam trabes, jam cruces, jam quadras, jam ſtellas artificioſiſſimè formatas in lateribus vaſis oſtendens. Inter cætera in mediô propemodùm liquoris tenuiſſima quædam & pelliculæ ſimilis nubes ſuſpenſa videbatur, ſuperficiei exquiſitè paralella, quæ diebus frigidiuſculis unô eôdemque locô hærebat conſtanter, ſed ſuccedente paulatìm æſtivô calore non nihil migrabat de ſtatione ſuâ, versùs inferiora tantillùm declinans, donec tandèm decimâ ab origine ſuâ hebdomade, die quôdam fervidiori defineret apparere, poſteà nunquàm revertens. De quô phænomenô aliorum malim experiri judicia, quàm meo acquieſcere.

Ibidem Obſerv. 72. Antimonium non acidis tantùm, ſed & ſalſis diſſolvere.

HAud ſcio an id cuiquam, antè obſervatum: verùm tamen eſſe experimenta oſtendunt. Immò ſi verùm quærimus, acida vulgaria ut aquæ Regiæ, & ſimiles ſpiritus non tam diſſolvunt antimonium, quàm variè diſcerpunt, præcipitantque maximam omninò partem albi pulviſculi ſpecie, ſupernatantibus ſulphureis in ſuperficie particulis, quâ methodô, facilè ſulphur Antimonii conficitur. Utque largiaris, reliquas Antimonii particulas ab acidis tandem verè diſſolvi, ſulphur tamen ejuſdem ex ſuis quidem latibulis acidorum beneficiô excutitur, nullô tamen modô diſſolvitur. At ſalſa utramque hîc paginam faciunt, ſi conveniens operi patientia adhibeatur. Non equidèm ſalſa omnia, ſed ſalſa lixiva, quæ cùm ſulphur Antimonii promptè diſſolvant, etiam, ſi inſtiteris operi diutiùs, partes ejus Mercuriales, ſalſaſque attingunt, ſolvuntque in clarum liquorem nullâ præcipitatione conſequente. Ut id factum jam eſſe internoſcas, vel jube liquorem illum ad ignem exhalare, reliquias in tigillô funde, & purum integrumque immò & ſcintillans Antimonium indè colliges; vel præcipita liquorem acidis, & magma ſubſidens in ignibus experire. Egò ità & minerum Antimonii & regulum ejus longâ patientiâ in lixiviô faginô aculeis aliquot calcis vivæ roboratô diſſolvi, quin & non roboratum id præſtat lixivium, ſed morâ paulò diuturniore. Saltèm ergò hinc conſtat, mercurialia etiam lixivis ſalibus tandèm obedire, quod novum fortaſsè curioſis lumen accendet.

Ibidem Obſervatio 73. Singulare quiddam de adauctô Reguli martis pondere.

PLumbum in tectis augeri pondere arbitrantur non pauci, cujus rei ratio eſt purgamenta ex aëre ex pluviis incidentia vulgò rejecitur. In hôc autem exemplô quid ſit illud, quod pondus reddit auctius, non ità liquidum eſt. Experimentum fuit illud: Cepi Reguli martis ſtellati, inque pulverem comminuti libram civilem præcisè unam, & affusâ eâ aquæ fortis vulgatæ quantitate, quæ latum digitum ſupra pulverem emineret, ex retortâ vitreâ recenti, in arenâ ſervatis ignis gradibus propuli quicquid liquidum erat. Aqua indè prodiens acerrima viſa eſt, pænè ut priùs, ſed Lunam tamen, figuris particularum à ſulphure Antimonii inverſis diſſolvere nequit. Corpus autem Reguli vaſi exemptum in tenuiſſimum abierat pulverem coloris ſubfuſci, ſapore omni deſtitutum, ſed adeò leve, ùt licèt jam frigidum eſſet, ad minimum tamen vitri motum fumaret, ut arenulæ æſtivæ à ventô impulſæ. Deniquè pondus Reguli integris quinque ſemunciis increverat; quæ gravitas undè ceperit originem, ambiguum. Ex ſalinis aquæ fortis particulis auctarium illud ponderis ſuperveniſſe non levis ſuſpicio eſt, ſed tria ſunt, quæ ſcrupulum movent, 1. quòd aqua illa propemodùm æquè æris appareat, atque antè, 2. quòd pulvis omnis inſipidiſſimus ſit, 3. quòd vix credibile ſit tantillô deſtillationis unius tempore quinque ſemuncias ſalinas (ſi ibi in aquâ adfuiſſent) in corpus inſipidum potuiſſe converti. Aliâ vice cùm vitri antimonialis uncias duas incoxiſſem aquæ Regiæ, ablutô poſteà accuratiſſimè pulviſculô, tres unciæ reſtabant, eæque inſipidiſſimæ. Secutum deniquè experimentum aliud abſque ſpiritibus acidis,

dis. Cepi ſecundò die Januarii Anni 1673. libras 12. civiles Reguli martis, & in amplâ ſartagine ferreâ recenti in calcem redegi igne tredecim horarum, ità validò ùt fundum vaſis perpetuò incandeſceret. Intereà multùm Antimonii fumando exhalâſſe, quivis facilè conjecerit, & nihilominùs abſolutâ operatione, omnibuſque ad frigus nativum redeuntibus, deprehenſum eſt corpus illud Reguli integrâ librâ civili, exceptis tantummodò drachmis tribus, increviſſe, adeòque poſt tredecim horarum flammas decimâ tertiâ ſui parte propemodùm auctius, & gravius exiiſſe. Conjiciebam initiò culpam in ſquammulas ferreas ſartagini inter operandum abraſas; ſed expensò probè fundò, ferreiſque illis bracteolis ſollicitè excuſſis, & rejectis, adhùc ſuperabant, unciæ tredecim & ultra, quas cui adſcribere oporteat cauſæ, non ità adhùc liquidum eſt, eòque nihil definio, ut lectori pateat judicandi libertas.

Ibidem Obſervatiò 74. *De Examine Chemicô ſpermatis ranarum.*

SUperiori vere cùm ſuppeteret abundè ſperma ranarum, quidam convictorum meorum curioſitate inducti longâ plurium hebdomadum patientiâ vivas ex eò ranas produxêre, ego ad examen igneum provocavi, cogniturus an in tam frigidô corpore & alios tam potenter refrigerante calidum quiddam deliteſceret. Igitur ex largâ lenti hujus corporis quantitate aquam illam inſipidam vulgò notam tam diu elicui, donec in fundô ſpiſſamentum craſſum & nigrum glutinis inſtar reliqueretur. Hujus glutinis ſemuncias quinque retortæ vitreæ commiſi, auctôque gradatim igne propuli quicquid in ſublime agi poterat. Prodiêre ergò liquoris ſubflavi & acerrimi circiter drachmæ ſex, quas ſale volatili abundâſſe docuit, conflictus & pugna effervefcens cum acidis. Licuiſſetque iterata per phialam longi colli ſublimatione in verùm & oculis conſpicuum ſalem convertiſſe, ſi res tanti viſa eſſet; & jam id ante in ſimili ex acô piſce prolectô liquore peregeram. Demùm & oleum prodiit ex flavô ſubfuſcum eôdem propemodùm pondere, quod exceptum latiori vitrô, inque feneſtrâ, ad aliquot dies collocatum totâ ſuperficie tegebatur infinitis globulis rotundis, iis ſimillimis, quos in ſpermate ranarum oculos vulgò appellamus. Quæ orbiculorum nigrorum, æqualiumque per retortam aſcendentium conſtans figurâ dignâ viſa eſt, quæ publicè innoteſceret. Caput mortuum nigerrimum, quod unam propemodùm unciam pondere æquabat, diù poſtquam è vitrô exemptum refrixiſſet, ſponte manifeſtô ſubindè ſonitû, inſtrepuit, donec actis hinc indè à ſubeunte aëre rimis conquieſceret. Id quòd tamen & aliis quandoque contingit. Ex hôc ipsô capite mortuô ulteriùs peruſtô aliquot tantum grana ſalis fixi lixivi educta ſunt, quæ cùm aquâ forti ſatis vehementer efferbuêre.

Ibidem Obſervatiò 75. *De ſpiritû ovorum gallinaceorum.*

ILle ſive ſpiritus, ſive liquor ſale volatili foètus (appellet enim quiſque ut volet) ob peculiare quoddam phoënomenon locum hic meruit. Poſtquàm ſolenni methodô ex tribus gallinaceis ovis recentiſſimis, quicquid volucre erat, in excipulum alacri igne extudiſſem, prodiêre olei foètidi drachmæ duæ, & multùm liquoris albi ſpiſſi, lentique, qui per chartam emporcticam non niſi affuſâ aquâ calidâ tranſmitti potuit. Hæc ipſa aquâ deſtillationi iterùm commiſſa ſpiritum dedit, ſpiritui ſalis armoniaci æmulum, & accerrimi omnnô ſaporis, qui aquæ forti immiſſus non tantùm validiſſimè efferbuit. Sed & hoc habuit ſingulare, quòd inter effervefcendum infinitas guttulas extra vitri ora ſubſultando protruſerit, duravitque is ſubſilientium altè guttularum motus aliquandiù. Aqua fortis autem indè reddita eſt rubicunda. Quin & poſtquam ſolutô in aquâ forti argentô liquor hic affunderetur, ruborem ſuum conſervavit, nonnullis lunæ partibus in fundum præcipitatis.

Ibidem Obſervatiò 76. *De ſalibus Operculis vitrorum exteriùs ſponte adnaſcentibus.*

NOn rarum eſt hoc phoënomenon in officinis Chemicorum, ſed cauſa oppidò abſtruſa. Duo tantùm exempla jam afferam. Cum ſuperiori annô Antimonium diaphoreticum ab omni ſuô heterogeneô ſulphure, quantùm licuit, bimeſtri induſtriâ liberaſſem, & nitri atque ſalis armoniaci beneficiô evexiſſem in ſublime, collegi ſeorſum quod in alembicô hæſit. Seorſum quod in cucurbitæ mediô, & ſimilibus vitris, ſimilibus operculis utrumque in eôdem locô ſed frigidô concluſi. Quod in alembicum uſque aſcenderat, licèt magis volucre, operculum ſuum adhùc vacuū oſtendit & purum, à que ſapore ſalinô alienum. Quod autem in mediô ſuſpenſum tenebatur, operculum ſuum externô margine ſalinis arbuſculis pleniſſimum exhibet; quòd ſi primâ illâ accerrimâ ſemel abſtergatur, renaſcitur tandèm eôdem locô; neque margines tantùm occupat, ſed latam operculi ſuperficiem externâ facie inveſtit. Intereà vitrum non niſi ad tertias plenum eſt illô pulviſculô, & operculi locô excubat præter chartam veſica bubula ſollicitè omnes rimas obſtruens, nec illa hians uſquam, aut pertuſa, aut eroſa. Quod potiſſimùm expendi meretur, non modò interior vitri ſuperficies (niſi quà recumbit pulviſculus) ſed & interior operculi facies puriſſima apparet, atque nullô ſalis vel grumulô infuſcata. Quod ſi ſal ille operculum exteriùs duntaxat allambens à fundo vaſis aſſurrexerit, cur interiorâ vitri latera intacta relinquit? cur inferiorem veſicæ tunicam non veſtit, ſed tantùm ſuperiorem? Cur nulla eroſionis in veſicæ corpore veſtigia, cùm ſal in marginibus exterioribus hærens ſit ſaporis acidiſſimi? cur, ſi à fundô aſcendit, ſiſtitur ſtatim extra vitrum, & non pergit ulteriùs, ut libertate jam gaudens ampliſſimâ? Alterum exemplum: Venetiis mecum in patriam attuleram libram æris, vigenti & unô diebus in fornace vitriarii Muranenſis peruſtam, cujus aliquot uncias ſali armoniacô immiſtas in retortâ vitreâ igne validô exercens ſpiritum indè propuli, primum quidèm, ut fit, urinæ graveolentiâ proximum, indè acidum. Hunc acidum vitrô ſtricti oris excepi, & illi vix ſemipleno operculum vitreum non politum quidèm, ſed aliquid ſatis fideliter claudens admovi, chartâ inſuper ſtrictè obligans, nè quâ ſe ingererent aliena. In hôc autem operculô progreſsû temporis plurimum ſe ſalis acidiſſimi, & figurâ pruinoſi externâ facie collegit, excuſſumque ſubindè rediit, interioribus vitri lateribus intereà pellucidiſſimis, & ab omni ſalium, guttarumque commerciô liberrimis. Quid hìc locô frigidô, ſpiritum illum acidum non modo in altum extulit, ſed & à lateribus vitri internis avertit, aſcendentemque (ſi aſcendit) in aëre ſupra extimam operculi ſuperficiem in ſalinam formam ſolidavit? Id quod etiam Chemicis hactenus difficile fuit, ſpiritus acidos ſine ullius materiæ addimentô in ſalem coagulare.

Non

Non deeſt quidem hìc, quod ſentiam; in re tamen dubiâ malim, evulgatô duntaxat phœnomenô, aliorum ſententias exſpectare.

Ibidem Obſerv. 77. *Ex venâ brachii, fluentibus menſibus ſectâ, periculum & mortes.*

QUàm malè ſibi conſulant fœminæ, quæ Medicis non conſultis, quotiès rapit impetus venas brachiorum Chirurgo (& ſæpè nè illi quidèm ſignificato ægritudinis ſuæ ſtatû) præbent ſecandas, vel ex ſubjungendis elucebit. Ancilla Dn. Jacobi vanHam, neſcio quâ febriculâ languens advocato Chirurgô venam brachii incidendam offert, durante menſtruô fluxu, & ex febre quidem convaleſcit, ſed interceptô mox ſanguinis per inferiora procursû, ſentit paulatim præcordia ſibi aggravari, & in mamillâ ſiniſtrâ pullulare nodoſum quiddam, quod aliquot menſium ſpatiô ità adaugeri, liveſcere & punctiunculis moleſtum eſſe perrexit, ùt niſi maturè cum *Philippô Hacquardô* occurriſſem malô, haud dubiè in deſperatum erupiſſet carcimona. Graviùs in ſe deliquit locuples Angla, quæ in ſimili propemodùm caſû manum Chirurgi fluxus illius ignari poſtulavit, undè tranſlatô in pectus motû ſanguinis impetuoſiſſimô, comitantibus graviſſimis anxietatibus cordis, aliiſque ſymptomatis vivere deſiit, nequicquàm poſtea revocato per venam tali ſectam in deſertos alveos cruore, nequicquam conferentibus conſilia tribus, qui ſeriùs advocabantur, Medicis. Idem fatum alteriùs fuit mulieris juvenculæ, quæ febre petechiali tentata eôdem modo mortem ſibi inconſulta venæſectione, durantibus menſtruis, acceleravit, tranſportatô in caput motu ſanguinis impuri; ùnde levia deliria, averſatio medicamentorum, conſtans in juvenili ætate, & cautâ fortunâ moriendi propoſitum, & tandèm mors ipſa ſucceſſêre.

Ibidem Obſerv. 78. *Ex retentione menſium, obſtinata oblivio.*

QUantùm noxæ creet fœmineo generi vel inhibitus vel turbatus mentium fluxus, quotidiè experimur in medendô occupati. Aut fallor tamen, aut rariſſimum illud ſymptomatis genus eſt, quòd in Zythopoëi uxore quadraginta annorum ſuperiori æſtate deprehendi. Illa ergò poſtquam ſana & vegeta multos annos exegiſſet, advertit vectigal illud ſuum menſtruum non expendi ampliùs more conſueto, & ſimul caput ingraveſcere, ſenſus paulatim hebetari, & tandèm ità oblitterari memoriam, ut nè quidem Orationem Domini, totô alioquin vitæ tempore ſibi, ut erat religioſa, familiariſſimam, recitare poſſet, niſi fruſtillatim & turbatè. Acceſſit ex metu lapſantis memoriæ trepidatio, & in mediô ſermone pauſa lacrymis permiſta: dixiſſes ægram mores Didonis, quanquàm diverſis ex cauſis imitatam, nam de illâ divinus vates Æneid. 4.

Incipit effari, mediâque in voce reſiſtit.

Obviam itum eſt huic malo ſectione venæ tali, pilulis aloëticis, extractis & decoctis hyſtericis, ſalibus volatilibus, ſanguinis incidentibus craſſitùdinem, & admotum promptiorem inſtigantibus; etiam illis, quæ caput adverſus impetum humorum in arcem corporis irruentium tuerentur, & roborarent; denique ob pertinaciam mali, & mores fœminæ à pharmacis alieniores, ventum ad cauterium occipitis; quibus tandèm paruit diuturnum illud malum, & memor lingua ad officium reverſa eſt.

Ibidem Obſerv. 79. *Ex hauſtis Mercurii fumis Cardialgia, Scotomia, & pulsûs propemodùm interceptio.*

PEterſonius Teuto, ferreis, æreiſque laminis inaurandis vitam apud nos tolerans, dum ſuperiori hyeme aliquandiù incautiùs lamellas ſuas amalgamate exercet, in conclavi ſpiraculis camini deſtituto, adeoque haurit liberalitter ore & naribus infauſtos argenti vivi fumos, ſenſit paulatim capitis vertiginem, ut gravitatem, pectoriſque anguſtias adeò crebras & enormes, ùt actum de vitâ ſuâ putaret, & remedia, ſi qua liceret deſperabando ſuccurrere, circumſpiceret. Evocatus in auxilium obſervo vires in corpore licèt juvenili collapſas, faciem cadaveroſam, oppreſſionem pulsûs, tremorem membrorum, turbata omnia. Credibile, corpuſcula illa fumantis Mercurii, quamvis minutiſſima; impacta nervis accerſiſſe tremorem, admiſſa in ſanguinem, motum ejus naturalem impediiſſe. Reſtituerunt ægrum frequentes ſudores exalexipharmacis, & decoctum, præcipuè radicis pimpinellæ ſaxifragæ crebriori usû malum penitus ſuſtulit. Sed de carbonum fumô eſt, quòd attexam. Mercatoris cujuſdam Hafnienſis filiæ duæ propemodùm nubiles ſuſpenderant in cubiculô ſuo ex chordis lineis ceraſa recentia, ùt vento indurarentur. Quod cùm ſegniùs procederet, interpellantibus diebus pluviis, infelici conſiliô carbones accenſos hinc indè ſupponunt cubitum ituræ. Poſtridiè manè, cùm experrecta altera videret ſibi accubantem ſororem interiiſſe, deliranti ſimilis intra 24. horas ſibi quoque inſtare mortem vociferatur, & miris geſtibus atquè ejulatû propemodùm mente ſe motam oſtendit. Rogatus, ùt in ædes funeſtas ſummô mane devenio, puellarum alteram video mortuam, contractis membris rigentem, ore patente, facie ſublividâ, ſphinctere ani reſolutô, omnia enim in illis mortis præludiis latè conſpurcaverat; alteram præ anxietate cordis & pulsûs univerſali prope interceptione vix compotem ſui. Credideram initiô, cùm de carbonum fumô nihil memorarent, puellas per imprudentiam cum ceraſis avidè devoratis adhæreſcentes ex aliquâ beſtiolâ venenatâ reliquias unà hauſiſſe, ideòque ad theriacam, unicornu Grönlandicum, & alexipharmaca recurri, ùt viva adhuc ſuccurretur; quâ etiam viâ percurata eſt, hodièque ſana vivit. Tandem poſt redditam ſanitatem reſcivi venenum aliud non fuiſſe, quàm fumum carbonum in clauſô arctè cubiculô ſæpè lethalem; & remedium ejus in alexipharmacis opportunè inveniri.

Ibidem Obſerv. 80. *De Ægrâ vidente omnia in cubiculô duplicata. Item de Lynceis Islandicis & Ægyptiis.*

SI in litteratis virtus eſt, duplum videre, quod Poëtæ Græco olim creditum, certe in illiteratis vitium eſſe ſequens hiſtoria docebit. *Hyldeburgo Drejeria* diuturno pulmonum & lienis morbô fracta, jamque fatô vicina, cùm me accerſitum de ſtatû ægritudinis ſuæ conſuleret, conqueſta inter cætera eſt, omnia oculis ſuis duplicia videri, pocula, vitra, cochlearia, patinas, alia, nec quaſi per nebulas, ut in moribundis, ſed ſatis clarè. Libuit experimentô diſcere, quodnam ex viſis objectum germanum eſſet, quodnam imaginarium; itaquè diſpoſito in feneſtrâ poculô argenteo, rogata nè gravaretur locum ejus mihi deſignare, monſtravit digito, ut erat alioquin rationis adhùc plena, tùm verùm illum pauli locum, tùm alium vel duos pedes naturali altiorem, &c, *utrobiquè*, inquit, *eadem poculi facies*, æquè conſpicuis lineamentis oculis

oculis meis obſervatur. Malè ominabar rebus ægræ, quòd in vitri polygoni ſimilitudinem humores luminum degeneraſſent. Nec mora, duravit malum hoc biduô, & in mortem deſiit. Quomodò autem nonnunquàm in oculis ægrorum ex interceptô alicubi ſpirituum influxû, duo veluti centra viſionis conſtituantur, opticis non erit fortaſſis arduum explicatû; at lynceorum quorumdam in Iſlandiâ noſtrâ naturam expedire, illud verò in arduiſſimis repono. Hi nullâ arte adhibitâ, nullô morbô aggravante, referunt ab incunabulis ſibi adhærere illam videndi acrimoniam, ùt hominum ſive umbras anteambulones in animalis cujuſdam ſpeciem formatas, ſive genios adpellare mavis, clarè, diſtinctèque conſpiciant, & ex figuris umbrarum judicant de occultâ inclinatione hominum. Duo in illis mira, *Unum*, quòd ſæpè horis aliquot prænoſcant hujus, illiuſve hominis adventum, rogatique cauſam reſpondent, videre ſe jam tum præcurſoriam venturi umbram, ut longô quandoquè intervallô corpus ſuum antecedentem; *alterum*, quòd tecta hujus hominis conſilia ad rapacitatem propendere ex lupinâ umbræ ipſius ſpecie, illius ad verſutos aſtus ex ſimulacrô umbræ vulpinæ, iſtius ad generoſos impetus, ex imagine leoninæ &c. prodivinent. Quin & ſi mercatorum noſtrorum eò quotannis ventitantium aſſeverationibus debemus fidem, prænuntiant ipſis ſubindè ab hôc & illô, utcunquè nondùm palam inimicô cavendum, quòd præſagiant ex utriuſque geniis ſibi adverſis, & quandoquè invicèm depugnantibus foveri tacitas inter utrumque inimicitias, utque nondùm in nervum eruperint, brevi erupturas; quod & ipſum eventû tandèm comprobari noſtri profitentur. Cæterùm judicet quiſque de his geniis pro captô genii ſui, ut volet, dùm ego ex *Plutarchô* gemellam Ægyptii cujuſdam lyncei naturam propono. Ità ergò nobilis ille *Charonenſis* in M. Antoniô, *Erat*, inquit, *in contuberniô ejus fatidicus quidam Ægyptius, ex natalibus prædicere futura doctus: qui vel Cleopatræ gratiâ, vel expromens veritatem, apertè demonſtravit Antonio, auſpicatiſſimam ejus & ſummam fortunam à Cæſaris fortunâ obfuſcari, ſuaſitque ùt ab illô juvene removeret ſe quàm longiſſimè. Hujus enim genium*, inquit, *formidat genius tuus, qui erectus & celſus incedit, ubi ſolus eſt, illô autem appropinquante demiſſior redditur, atque ignavior.*

Ibidem Obſerv. 81. *De Aneuriſmate naſi poſt variolas.*

QUàm triſtia variolis accidant nonnunquàm ſymptomata, in confeſsô eſt, & loquuntur ea ſubindè taciti vultus, totaque vita de unius ægritudinis ferociâ declamant. Non attingam hunc operosè convulſiones, quas ſupervenientes variolis malè cuſtoditis obſervavi: non annotabo prolixè, in iiſdem quandoquè deſperatis, ſinû in mediô relictô ferentibus ſe retrò, cùm medicamenta incaſsùm propinarentur, in veſicatoriis me felix præſidium inveniſſe: De aneuriſmate hîc variolis ſuperveniente, ut rariſſimô ſymptomate quiddam commentabor, *Anna Pralia* 17. annorum virgo, & variolis decumbens, cùm præter cætera membra, naſum potiſſimùm his tuberculis ſuppuratis coopertum præ doloris vehementiâ ferre neſciret, eô uſque inquietis corporis agitationibus, &, haud ſcio, anne etiam frigida ſuperfuſa, rem redegit, ùt quieſcente tandèm morbô, naſi extrema circumferret, oppidò tumentia, mollia & leviter pulſantia, magnô ſpecioſæ alioquìn faciei dedecore. Tentata diù in remedium mali cathartica, cephalica, venæſectiones, ſcarificationes, repellentia, emplaſtra adſtringentia; omnia incaſsùm, donec, quod pharmaca nequierant, febricula ſe poſſe oſtenderet, quæ feliciter tandèm ſuperveniens & paroxiſmis fervidiſſimis inſtans malum ità ſuſtulit, ùt ſanitati iterum reddita nec volam, quod dicitur, nec veſtigium ancuriſmatis in naſô ampliùs ſentiat. Ità in tempore venire rerum omnium primum eſt.

Ibidem Obſervatio 82. *Gravida aſpectû mutili exterrita mutilum peperit filium.*

QUàm in omnem partem efficaces ſint, & propè impenetrabiles humano genio imaginationis vires, experiuntur præ cæteris magnô ſuô malô gravidæ, quarum fixæ cogitationes foëtum ſæpè numerô ità figurant, ut coëlum artificis argentum. Plena exemplis vita communis; plena Medicorum ſcripta; ſed quis pleniùs argumentum hoc perſecutus ſit, quàm Clar. *Thomas Fienus*? nondùm mihi conſpectus. Et nobis triſte hôc annô exemplum juvencula *Gerhardiana* præbuit, quæ cùm quartô geſtationis menſe aream palatii Regii incauta perambulat, conſpicata ad pedem Byrſæ egenum mendicatô viventem, (qui ùt miſeriâ ſuâ miſericordiam tranſeuntium evocaret, truncam manum ſuam, & pedem mutilum latè oſtentabat) viſô infelici oſtentô ità cohorruit, ùt domum revertens marito triſtitiam indè conceptam ſignificaret, & de frigore dorſi circa os ſacrum conquereretur. Ille frigidulam auram, viæque longioris moleſtias cauſſari, & alia atque alia triſtitiæ argumenta conquirere, ut erat ſagax & non inſcius futuri, ſi imaginatio conſtantiùs uxori adhæreſceret. Quid multis? perit tandèm facti memoria, & animus gravidæ à ſollicitudine revocatur ad quietem. Intereà ex horariâ ſpeculatione turbata foëminæ imaginatio eas jam in embryone duxerat lineas, eos ſignaverat characteres, qui totis ſex in menſibus neſcirent oblitterari. Prodit enim juſtô tempore miſellus infans & eaſdem infelicitatis notas manû pedeque, quas in mendicô ſpectaverat mater, in auras vitales ſecum exportat.

Ibidem Obſervatio 83. *Lac ex brachio fœminâ carcinomate laborantis.*

OBſidebatur nuper ſiniſtra Matronæ honeſtiſſimæ mamilla cancrô, & illô, ob non advocatam tempori manum medicam, immedicabili, cui cùm ſe adjungeret inſignis totius & brachii, & manûs ſiniſtræ mixtô dolore tumor, rogatus cum Celeberr. D. D. *Simone Paulli* conſilium, ſuaſi in ſolatium ægræ, (nam reſtitutionis plenæ ſpes decollaverat) cauterium in brachiô, quô apertô profluxit primis 24. horis, non pus, ſed lac, aut certè ſerum lacti ſimillimum, admirante ægrâ, undè illi lactis rivi in brachium ſeſe infudiſſent. Non detumuit tamen indè brachium quippè ab occultis cancri radicibus fotum; ſed auctâ paulatìm mole in formidandum excrevit tumorem; adeò ùt inter dolores ejùs acerbiſſimos conquereretur identidèm afflicta diſtentum inſtar tympani inviſum membrum brevi diſruptum iri. Ipſi digiti propemodùm decuplô majores ſolitô, gigantis alicujus membra æmulabantur, digitiſque reſpondebat auctô in immenſum tumore brachium, & ipſum hinc indè propemodùm tranſlucens. Intereà nullis fomentis paruit malum, ſed cum ipſô mammæ vicinæ carcinomate fatali demùm horæ miſeram adſtituit. Videram ante tumidiſſimum *Antoniæ Janinæ* brachium ab Hildanô Centur. IV.

IV. Obſerv. 69. depictum, ſed quod huic neque magnitudine neque dolore reſponderet.

Ibidem Obſerv. 84. Glandulæ omenti inuſitatæ magnitudinis & illis ſuccedens hydropſ.

ANna *Lambertia* 40. annorum foëmina, cæteroquin laudabilis temperamenti, ſenſit paulatim ex moleſtiis itinerum & diætæ vitiis diſtendi ſibi ventrem, non æquali quidèm tumore, ſed nodis hinc indè duris, ſcirrhoſis, & doloris ſensû deſtitutis mollitiem diſtinguentibus, quos conſpicari exteriùs non licebat, ſed tactû profundiori, ut erat macilenta, facilè ſentire, hos inter unus, capite infantis major verſus lienem magis declinabat ſed inconſtanter, aliô enim motû corporis in dextrum latus nonnihil vergebat, digitis etiam prementibus non difficulter cedens, quieſcentibus ſubtèr inteſtinis, ùt omenti malè affecti vitium facilè intelligeretur. Conatus erat omnia Medicus ordinarius, & ex arte præbuerat cathartica, incidentia, Chalybeata, alia, fructû quidèm, quæ erat mali pertinacia, & invicta ſcirrhorum durities, non magnô ſed ſpe, ſi perſeveraretur conſtanter, majori. Verùm illa in mediô cursû pertæſa pharmacorum naturæ aliquandiù omnia commiſit. Intereà pedetentim flacceſcere ſuperiora, creſcere venter, imminui profluxus urinæ, & malum in verum hydropem degenerare. Quô viſô turbatior Hafniam tranſlata eſt, eſt, & arbitrio viri celeberr. D. D. *Simonis Paulli*, Archiatri ſenioris, Exper. D. D. *Frid. Hammerici & meo*, permiſſa totis ſex hebdomadibus medicamentis convenientibus uſurpandis morigeram ſe ſe declaravit, jamque detumeſcere manifeſtè venter coëperat, & urina largiùs profluere, cùm iterùm palpandum ſe nobis offerret inſolitus ille omenti ſcirrhus (diù enim contractationem prohibuerat tenſum duriſſimè abdomen) ſed illô adeô ob firmatæ duritiei, ùt ab arte medicâ integram promittere ſanitatem tutò non liceret. Inſtandum tandèm ſuaſimus, vinci quandoquè longô, patientique medicamentorum uſû ea, quæ æſtimantur inſanabilia; ſed illâ ingruente hyeme de curis domeſticis ſollicita, ſpondenſque ex præſcriptô noſtrô ſe poſt domi victuram ad ſuos diſceſſit, ibique in uſurpandi ſegnitiem paulatim relapſa, & ſubindè Agyrtarum vocibus auſcultans in antiquum abdominis tumorem incidit, hôc unô felicior, quod largiùs adhùc profluat urina, & ciborum appetitus conſtet, adeòque par rebus domeſticis gerendis etiamnùm deprehendatur, cùm anteà totos ferè dies lectulô affixa detineretur. Intereà cùm noſtræ adhuc fidei permiſſa pharmacis feroſam colluviem expurgantibus alternis ferè diebus uteretur, multùm ſemper ſeri excluſit, ſed nigerrimi, & attramenti, propemodùm æmuli; ut, non leviter, admiraremur infauſtum copioſiſſimi illius liquoris colorem, cùm neque adhuc nos chalybem adhibuiſſemus, nec totis ſex menſibus, ut Medicus Ordinarius aſſeruerat, quicquam chalybeati deguſtaſſet. Chalybeata autem jam ante dimidium annum propinata tam diù latere in viſceribus potuiſſe, ùt tingerent poſteà liquores, difficillimè pronunciata; ex lienis vel vaſis, vel paranchymate tantùm profluxiſſe, iterùm difficile, præſertim cùm nec ſit melancholici genii, nec lienis majuſculi, & acidorum abſtinentiſſima. Fortè dum ægræ huic medicabamur, diſſectus ab Exp. D. D. *Stenoniô* Rangifer, qui ex hydrope obierat, itidem oſtendit nonnullas glandulas omenti ſcirrhoſas, & nonnullas pure viridi refertas, quod iterùm nos confirmavit de glandulis omenti foëminei ſimiliter propemodùm affectis. Quanquàm fortaſsè nec meſenterii glandulæ, in hâc matronâ, immunes fuerint.

Ibidem Obſervatio 85. Ex glandulis ſubalaribus pleuritis.

NObilis annorum 19. jam ante triennium ſub initium autumni, glandularum ſub alâ ſiniſtrâ tumore & pertinaci duritie tentatus, ex meô conſiliô, poſtquam in iiſdem pus collectum exitum moliri prævidiſſem, aperiri locum ferrô juſſi, exoneravitque ſe tanta cramatis purulenti copiâ, ùt vel quinque libras, aliquot hebdomadum decursû indè exſtillantes notaverim. Nec ante deſiit profluxus, quàm ad decocta lignorum exoticorum, ut exſiccantia, perventum. Superiori iterùm annô recruduit, eodem locô malum, eâdemque arte ſublatum eſt. Ut ergò hanc calamitatem evitaret futuri metuens, equeſtribus ſe ſe exercitiis obfirmare paravit, & factis hinc indè itineribus diſcutere materiam ad alas alioquin prolapſuram. Sed nè ſic quidem recidivam evaſit; redeunte enim autumnô novi iterùm ſub axillâ nodi, novi dolores, quos cùm juſſiſſem ſudoriferis diſſipare, ille, ut fit, paulò ſui negligentior diem ex die procraſtinando effecit, ùt aliquandò totô quidèm triduô evaneſcerent, mox tamen iterùm magnô recurrerent impetû. Quas vices ubi ter, quatervè obſervâſſet, ratus malum ſponte tandèm ceſſaturum, cùm die quôdam incautiùs ſe frigoribus objeciſſet, ecce tibi raram metaſtaſin; evanuêre ſubitò nodi, ſed tranſlatô in pleuram, & pulmones humorum peccantium impetû violentiſſima ſurrexit tuſſis, & illa triſtiſſimis comitata ſymptomatis, frigore extremorum, ſummâ virium debilitate, vigiliis perpetuis, dolore præcordiorum & laterum, ſputô cruentô, quibus febris ſe adjungens ultima minabatur. Quam malorum συνδρομὴν, cùm iis oppugnarem pharmacis, quæ pleuritidi opponi ex arte ſolent, expugnari ſe denique paſſa eſt, & fortunante Deô Opt. Max. per frequentiſſimas purulenti & viſcidi magmatis exſcreationes noviſſimè quievit, relictâ curioſis ingeniis materiâ ſpeculandi, quâ viâ tam promptè à glandulis ſubalaribus eatur in pulmones.

Ibidem Obſerv. 86. De Idioſyncraſiis raris.

MIrifica illa antipathiarum diverſitas in omnium pænè medentium inculcatur ſcriptis, à pauciſſimis explicatur. Nec virium mearum eſt tot expedire difficultates, nec inſtituti hujus illud ipſum conari. Tantùm ſubjungere decretum eſt nonnullas, quæ mihi ſpectatæ nondùm in publicis monumentis, quod ſciam, innotuêre. Fuere ex meæ curæ permiſſis jam ægris jam neutris, qui cæterà robuſtô temperamentô, hauſtis 15. tantùm granis radicis jallappæ cum tantillô cremoris tartari, & ælæoſacchari cinnamomi, 50. vicibus ad ſellas conceſſerint Patroclianas. Quidam ità hoſtili odiô cinnamomum averſantur, ùt dapes aromate illo alioquin delicatiſſimô conditas nè deguſtent quidèm, eſurituri potiùs, quàm attacturi. *Alexander Ruthven*, nobilis Scotus, viſus mihi eſt totus ſubitò palleſcere, deliquiô animi proximus, quotiès anguillas toſtas vel oculis uſurpabat. Nobilis virgo, jam mortua, cùm pennas nullô motû animi graviori concuſſa ferret, plumam in aëre volitantem, & ſibi vicinam ità formidabat, ùt acerbiſſimè ejulare non deſineret, donec ab adſtantibus removeretur. Agricola Gladſaxienſis viſô vel cane, vel equô tranſeunte, vel movente ſe

te ſe oſtiô, horrendô fletû & clamore ſtentoreô intonuit. Hyſterica quædam ab omnibus antihyſtericis offenditur, à ſaccharô opem ſentit. *Maria Monetaria*, poſtquàm cruciarium ignotum ſibi vidiſſet vectabulô humili alligatum in ludibrium circumferri per plateas, quotiès id genus vehiculi conſpexit, obortô ſtatim mixtis ſingultibus fletû amariſſimô fæta & fortunas ſuas deplorabat, haud aliter ac ſi ipſa mox in numellas & compedes eſſet abducenda: cauſamque à me, qui medicinam ægræ faciebam, interrogata nullam valuit expromere, niſi extorqueri ſibi violenter os animi motus, & remedium mali à me poſtulari. Sæpè inter lætiſſimos mecum ſermones ſubitò his lacrymis & ſuſpiriis oppreſſa ægrè ſibi reſtituta eſt. Tandèm expiatâ lienis & vaſorum illi vicinorum amurcâ ceſſit malum chalybi, quod toties inſpectô lignô recruduerat. Ancillæ Tribuni Civilis cùm ſideratum Dominæ brachium ſtillatitiâ pinguedine humanâ ex pharmacopoliô allatâ aliquandiù ex conſiliô meô ſponte & ludibundæ perunxiſſent, tandèm, neſcio quô temerè effutiente, advertentes ſe manibus tractare adipem humano corpori exemptum, in triſtia ſymptomata & vomitiones crebras inciderunt quotiès ad perungendum invitarentur. Quin maluêre demùm ſervitiô exire, quàm faſtiditô illô inguine manus polluere.

Ibidem T. 3. & 4. *Obſerv.* 33. *De ſmegmate uterinô.*

CAtharina Frewde, poſt ſterile conjugium, ab obitû mariti ad ſecundas tranſiens nuptias prægnans tandèm redditur circa annum ætatis propè quadrageſimum infelici eventû. Poſtquàm enim primis geſtationis mènſibus causô afflictâ pæniſſimè in rationes Libitinæ veniſſet, ultimô ſanè menſe de doloribus uteri, febre vagâ, torminibus horrendis conqueſta Celeb. Vir. D. D. *Simonem Paulli* mecum (utquorum ante fructuosè uſa fuiſſet conſiliis) advocavit; qui excretorum novitate, & gravitate ſymptomatum impediti ſeriùs accerſitos nos oſtendebamus, nec jam immedicabili malô poſſe occurri. Duravêre parturientis dolores per plures omninò dies, omnem movente lapidem obſtetrice Regiâ, ùt infans, quem exſtinctum certis ſignis docebat, protraheretur in lucem; ſed conatus parientis ſuccubuerat. Prodibat autem ex uterô intereà plurimùm liquoris craſſi, denſique, colore ità albô, ùt nivem provocaret, odore nullô. Dixiſſes vel ſmegma Venetum albiſſimum modicô humore ſubactum, vel delicatiſſimi generis pomatum, quod vocant. Admovimus candelæ inuſitatum hoc ſpiſſamentum, quod tantùm abeſt ùt arderet, ùt ſtrepitû etiam candelam exſtingueret. Tandèm mors peregit mandata & nos de craſſamenti hujus natalibus ambiguos reliquit.

Ibidem Obſerv. 34. *De Diabetibus in febribus malignis.*

TRiennium eſt, ex quô urbs noſtra cùm febribus malignis conflictatur, exactis propemodùm in exilium intermittentibus. Certè totis menſibus vix tertianam obſervamus. Iis cùm ſe varia miſceant ſymptomata, ante biennium miſcuit ſe quoque ſpurius diabetes, quem pluribus lethalem fuiſſe notavi, ſalutarem pauciſſimis; ferô enim illô copiosè fluente, interpellati ſudores, impeditus ſomnus, vires collapſæ. Sed quod mirum, in religiosô quôdam virô junxêre mutuas operas, durante febre, dyſenteriâ, ſpurius diabetes, & oblivio, licèt ex præceptis artis ſperare fas eſſet, profluente ultra debitum urinâ, ceſſaturum alvi fluxum. Hic perſeveravit utrumque Mirius, quòd *Eliſabetha Bornholmica* eâdem febre, & profuſione urinæ tentata pluribus ante mortem diebus non tantùm diem obitûs ſui, ſed & horam præcisè definiret; cùmque à me amicè moneretur, ùt ab ejuſmodi præſagiis temperaret, & in imaginationum vitia conjiceret, ſi quid triſtius animô obſervaretur, illa lætâ fronte ad eventum provocavit, non falſa augurii, quippe incidit mors in eandem horam, quam prædixerat, ſive imaginationis pertinaciæ id velis adſcribere, ſive monitori angelo, quod illa conſtanter aſſeveravit. Quod & in aliis mihi obſervatum.

Ibidem Obſervat. 35. *De Vrinâ diù per ſcrotum redditâ.*

VIr illuſtris cùm ante biennium iter faciens, à mari terris quâ tranſeundum, impetuosè ſuperfusô cum currû ſimùl propemodùm hauſtus fuiſſet hybernô tempore, evaſit quidèm, ſed totus madens undis, & frigore rigens. Ex eô, intumeſcere ſibi ſcrotum, indurarique notavit, cùmque malum aggravaretur, in urbem tandèm noſtram ſe tranſtulit de ſalute anxius. Vocati ad conſilium *Celeb. Monichenius* Archiater Regius, & ego, primùm quidèm per epicraſin humores noxios expurgavimus, indè ad cataplaſmata cum Chirurgô verſi animadvertimus matutinis viſitationibus ſplenia madida, & urinam redolentia. Undè expenſis accuratiùs omnibus foramen in infimâ ſcroti parte conſpeximus, undè lotium proficiſcebatur. Injectâ turundâ, quæ foramen modicè ampliaret, perſeveratum ad duritiem emendandam cataplaſmatis; cùmque conſtaret bis pertuſum ſcrotum, & supernâ parte, quâ perinæum uretræ jungitur, & infimâ, quæ pervia oculis, inter prognoſtica dubia accinximus nos ad leniter purgantia & clementer exſiccantia, adeò optatô eventû, ùt malum, quod in corpore aliòquìn cacochymicô, & ſexagenariô exitium minabatur, feliciter ceſſârit. Præcipuè à vinô malvaticô chalybeatô, evidens auxilium deprehendimus.

Ibidem Obſervatio 36. *De Veſicatoriorum uſu in variolis.*

EPidemiæ ſuperioris anni variolæ plurimos interemêre, graſſatæ promiſcuè non utrumque tantùm in ſexum, ſed in omnem etiam ætatem. Inter alios correpti è Nobiliſſ. familiâ quatuor fratres *Cragii*, quorum uni cùm prodiiſſent ſparſæ per univerſum corpus puſtulæ aquâ madentes, ſed quæ malè ab aſtantibus cuſtoditæ retrocederent, omnes, ægrô in animi deliquia & frigus extremorum fatiſcente, nè in rebus dubiis nihil ageretur, prognoſticô præmiſsô, cùm æger pharmaca deglutire non poſſet, quatuor veſicatoriis brachia & femora parte interiori (quam domeſticam vocant) ſcutus ductum grandiorum venarum aduro, eâ ſpe, ùt revocatus in cutem veneficus humor viam exeundi promptiùs inveniret. Quid multis? rediêre poſt liminiô in ſuos alveos aquæ, & licèt tardiùs, in pus verſæ, à certâ deſperatione ad ſanitatem priſtinam iter patefecerunt.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 37. *De Febre à calore incipiente, & in frigus deſinente.*

SAra *Cuſter*, uxor fabri tormentorum Regiorum, marito grandia mortaria, & machinas bellicas fundenti in pegmate ſublimi per curioſitatem aſtans dum moræ faſtidiô hinc indè obambulat incauta, prolabitur in ſubjectum pavimentum, caſûque illô 34. pedum circiter intervallum emenſa in mortem decumbit ſtupens, ſine ſensû, ſine vitæ indiciis. Advocatus cum Chirurgô *Daniele Asbach*, venâ priùs inciſâ, quæ in rem viſa ſunt, præſcribo; undè illa quidèm paulatim ſui memor oculos attollit, & de laterum, partiumque inferiorum doloribus queſta, graviſſima ſe tormenta experiri oſtendit, quòd æneis mariti tormentis inſpiciendis nimiùm vacaſſet. Succeſſit febris vaga per hebdomadas aliquot durans, ſed in quâ id ſingulare, quòd, cùm acceſſiones pateretur, inciperent illæ non à rigore, quod in intermittentibus familiare eſt, ſed ab intenſiſſimô totius corporis per quatuor horas, fervores, deſineretque tandem in rigorem & frigus, nullô, id quidèm temporis, ſuccedente calore. Rediit tamen illa cum ſanitate in gratiam, & Icariam temeritatem hodièque averſatur.

Ibidem Obſerv. 38. *De Effectû pathematum animi in calculô.*

ILluſtris quidam *Legatus Batavus* calculô renum afflictus & meæ curæ permiſſus cùm ægriùs potaret pharmaca, hôc graviùs aliquandiù cruciabatur. Sed in mediis doloribus poſtquàm ſuperveniens tabellio lætum nuncium è patriâ attuliſſet, è veſtigiô prodiit ſponte calculus; & nobiliſſimum ægrum ſollicitudine duplici levavit. Hæc in lætis, quid in triſtibus poſſint, nunc intuebimur: *Dorothea Mothia* viduarum honeſtiſſima securè dormiens, & jam diù nullos calculi labores experta, cùm à famulâ per tumultum excitaretur ob incendium vicinis domibus imminens, ſubitô graviſſimos renum cruciatus ſenſit, â quibus expediri non potuit, niſi excluſô demùm grandiori calculô. Non formavit hic metus calculum, ſed quietum locô ſuô excuſſit: non ibi lætitia ejecit lapillum, ſed vaſa ampliavit, ùt faciliùs ejiceretur. Adeò ſtringit, arctatque formido, aperit hilaritas.

Ibidem Obſervatio 39. *Ex repudiô paralyſis, Epilepſia, & oblivio.*

PEtrus *Folmerus* plebejus, ad amatam, cujus nuptias ambibat, munuſcula ferebat, argentea cochlearia, & quæ alia fortuna tenuior permiſerat, ſed irriſus die quôdam contemptuſque ab eâdem ità excanduit ùt primùm quidem in paralyſin incideret, hinc & in epilepſiam, & quod graviſſimum, in ſtultam quandam oblivionem. Priora duo vitia curâ meâ, Deô fortunante, ſublata ſunt, cum tertiô adhùc luctatur, idque potiſſimùm, quòd, quæcunque fieri jubeo, quæcunque hauriri, ille mox obliviſcatur, nec aſſumat. Quod ſi à famulis, qui inſtarent, urgerentque veternoſum, nullus non eſſet, ſperarem & hujus mali ſolatium. Tanti eſt monitum Hippocratis, non reſidere felicem ægritudinum eventum in ſolô Medicô, ſed & in ægrô, & aſtantibus.

Ibidem Obſervatio 40. *De Flatû & crepitû per verenda redditis.*

OBſervati illi, quod rarum, in utrôque ſexu. *Caſparus Goltberg*, vir doctus & peregrinationibus clarus febre vagâ putridâ, ἀγρυπνίᾳ, doloribus hypochondriacis diù vexatus opem meam imploravit, præcipuè ſollicitus, ùt novô ſymptomati, quod oppidô formidabat, occurrerem. Erat autem ejuſmodi: quotieſcunque reddebat urinam, ſine ſensû quidèm doloris hoc miniſteriô naturæ defungebatur; poſt brevem autem moram obortus in mediâ uretrâ cruciatus tendebat nonnihil vaſa, undè ſubſecutus cum ſtrepitû foetente ſibilus è pudendô emanabat; nec id ſemel, ſed crebrò quotidiè, eratque ipſi prognoſticon, certiſſimum proditum per colem crepitûs, quotiès uretræ medium obſidebat dolor. Non diſſimilia acciderunt Chriſtianſtadienſi fœminæ, quæ diu olidos borborygmos per naturalia reddidit, mater tamen ex eô liberorum duorum. Scilicet propter viciniam abſceſſus inteſtini recti nonnunquàm ità erodunt veſicam, ùt quod è poſticô amandari foràs ſolet, parte anticâ erumpat. Raro hæc mala bonâ fide coaleſcunt, præſertim in natû provectioribus, in quibus ſimilia συναποθνήσκειν docuit *Hippocrates*. Notavêre hiſtorias non malè his congruentes *Fernelius*, *Camerarius*, *Schenkius*.

Ibidem Obſerv. 41. *Ex lapsû ſalus.*

CIvis quidam noſter (cujus nomini pareo; quòd inter nos hodieque ſanus, & benè habitus vivat) itinere Helſingoram inſtitutô, per aurigæ incuriam everſô currû in ſaxum impingitur, affligitque inter cætera, quàm vehementiſſimè ſiniſtrum teſticulum, jam ante per ſedecim annos ſcirrhô & tumore præter naturam obſeſſum. Delatus mox in hanc urbem, præter dolorem partis contuſæ febri corripitur & quidèm continuâ; cui ùt malo obviam maturè iretur, rogatus cataplaſmatis partem affectam foveri jubeo; & febri pharmacorum oppono ſolennia. Duravit morbi & medicaminum conflictus menſem propemodùm integrum, donec natura victrix & ſcirrhum ſuſtulit, ut contuſione immani præmollitum; & natam ex dolore febrim exſtinxit.

Ibidem Obſervatio 42. *De Diſtortione oris percuratâ.*

SUperiori annô tres mihi oblati ſunt diſtortione oris laborantes, duæ primariæ fœminæ, & civis Academicus unus. Omnibus ex rictû nimis patulô, tempeſtate frigidiori, os in alterum latus reflexum miram vultui deformitatem addebat, quin & cibaria ægriùs deglutita, laxatô velut in paralyſin nervô, qui maxillam alteram gubernabat. Ut ergò obliquitas illa tolleretur, vocata à me in uſum purgantia cephalica, veſicatoria in occipite, & ad aurem affectam, cucurbitulæ ſcarificatæ, caſtorei extractum & ſpiritus, quibus deniquè ceſſit, pertinax malum, & ora (adjunctâ diætâ ad ſiccum declinante) juſſô locô quievêre.

Ibidem Obſervatio 43. *De Vi aëris in ſanandis fiſtulis.*

VIr generoſus ante annos viginti ſeptem infelici lapsû crus perfregit: Chirurgi advocati, licèt diù tricantes nequiêre ità ſolidare vulnus ùt non perpetuô ſtillicidiô ichor indè emanaret, deſinente in fiſtulam plagâ. Poſt annos aliquot Madritum legatur, neglecta propter longi ſubſellii negotia, curâ illâ intentiori corporis: advertit tamen elapſis aliquot menſibus ſponte ſtare ſerum inviſum, nec ampliùs profluere quicquàm trienniô integrô, & quod excurrit,

currit. Ut rediit Hafniam, paulatìm aperitur fiſtula, & more veteri ſerô quotidiè madet ad annos aliquot. Iterùm in Hiſpaniam negotiorum causâ mittitur, iterùm coit vulnus, nec totô ſexenniô, quandiù Madriti ſubſtitit, ſcaturit quicquàm. Tandem redditus patriæ in paucis menſibus apertum rursùs foramen videt, quod hodièque nondùm coit, aëre Arctoô humidiore reſerante, quod Hiſpanus ſiccior occluſerat. Simile quiddam notatum *Turquetô de Mayerne* conſil. de phthiſ. *Vidi*, inquit, *nobilem, qui ab accepto profundô in thorace vulnere bis ſanatus eſt fiſtulâ ſuccedente apertioni in oppoſita parte factæ. In Hiſpaniam is migravit, ubi poſt quinque annorum moram occluſa fuit fiſtula; patriæ redditus, climati frigido & humido, hæc ſponte recluſa eſt: ſanationemque iterùm recepit in Hiſpaniâ per totidem annorum ſpatium.*

Ibidem Obſerv. 44. *Veſicatoria quid poſſint in febribus malignis.*

QUid præſtent in declinandis curandiſque malignis morbis, immò verò peſte ipſa fonticuli, ulcera, veſicatoria, jam indè ab ævo *Galeni* cognitum fuit aliquàtenùs, dignum ſanè, quòd exactiùs adhùc inquiratur. Sub climate noſtro, ubi humores plerumquè craſſi & pituita ſegnes, aliquandò præſens è veſicatoriis ſolatium notamus, præſertim ſi ante ſeptimum morbi diem applicentur internæ brachiorum, crurumque faciei, ſecundum procurſum venarum ampliorum; eſt tamen, cum totis menſibus fruſtrà admoventur, immò totô quandoque annô nullum ab iis evidens auxilium. Ratio à diverſitate μιασμάτων petenda videtur: quotiès particulæ illæ malignæ non admodum firmiter cohærent, & tenacem non amplectuntur humorem corporis, excluduntur faciliùs veſicatorio, & virus fugax cum ſerô prorumpente ſecedit: quando autem in viſcidâ nidulantur materiâ, aut ipſæ mutuô facierum lævore ſibi arctiùs junguntur, ludunt ferè veſicarum conatum. Sed qui internoſcendum, in quales ſe malignitas armârit particulas? temperamenti ratio inſpecta non ſufficit: enimverò adverti veſicatoria nonnunquàm, ſegniſſimè pituitoſis oppidò fuiſſe ſalutaria, contrà, bile tumentibus nil attuliſſe levaminis. Ut proindè hoc num reſtet ex *Ovidiano* penu.

Semper tibi pendeat hamus.

Admovenda ſcilicèt opportunè, præſertìm ubi exemplis conſtiterit, aliis eôdem modô, & prope tempore laborantibus fuiſſe utilia; quod ſi fruſtrentur exſpectationem, perſiſtendum in alexipharmacis, quæ nihilô ſeciùs adhiberi ſolent.

Ibidem Obſerv. 45. *Aquæ ſtipticæ vis quò uſque ſe porrigat.*

NAtiſſimus hodiè liquoris illius ſtyptici uſus, quem Gallus ante triennium per Europam circumtulit, ubere ob divenditum hìnc indè ſecretum marſupii proventû. Eſt ſanè, cùr inventum laudemus in vulneribus cæſim inflictis, ſed in punctim, non perindè experimur utilem. Quin & in hæmarrhagiâ narium compeſcendâ ſæpè inutilem deprehendi. Scilicèt quotiès ora vulneris ubiquè attingere licet, eſt ſuus ipſi honos cæteròquin hebeſcere, vel, quod ſequitur exemplum, clarè docuerit; *Joachimus Nichel* civis noſter in duellô ſaucius ictum gladii excepit, internâ brachii dextri parte, paulò ſupra cubitum; penetraverat autem ferrum largô & profundô vulnere ad ipſam uſque alam, fiſſa quoque quemadmodum poſteà conſtitit, arteria. Vocatus Chirurgus familiaris G. *Vrſtedius* ex arte vulnus tractavit ad undecimum uſque diem, ambiguus tamen futuri ob ichorem tenuem & ſanguinolentum quotidiè profluentem, nullô puris laudabilis indicio. Sed ecce undecimô die improvisò tanta vis arterioſi ſanguinis ſubitò prorupit, ùt æger in deliquia ageretur, & in metum chirurgus. Scilicèt grumus ſanguinis, qui jam ante hiatum arteriæ malefidô obice clauſerat, nunc demùm in pus converſus laxaverat januam exituro cruori. Accerſitus ego, tentatis jam fruſtrà aliis, quæ ratio & conſuetudo in ſimili caſû ſuggeſſerant; propono aperturam vulneris ad uſque locum malè affectæ arteriæ; ſed renitente ægrô, ventum ad aquam ſtypticam; quâ per aliquot dies ſubindè injectâ, licèt bis reverterentur immenſæ illæ ſanguinis profuſiones, noviſſimè tamen ſtetit rivus in articulos omnes artis exeunte, qui una adfuit Ph. Hacquardo, cui artificium conficiendæ aquæ illius ſtypticæ juſſû Regiô crediderat Gallus. Viſus ſibi tum ob ſuperventum ardentiſſimæ febris, tum ob reſpirandi iter anguſtius. Quid plura? ſuccedunt ſpaſmi, tumores brachii, & in manû ſummi dolores: decimô octavô die obiit æger, laudatur nihilominùs aqua ſtyptica, quòd egregiè feciſſet officium. Aperitur juſſû Magiſtratûs cadaver, ut de causâ mortis conſtet: mirum dictu, deprehenditur arteria adhùc quidem aperta, ſed via, quam gladius fecerat, circa arteriam grumis ab aquâ ſtypticâ generatis obſidetur quominus cruorem profundat. Intereâ poſtquàm arteria per vulnus obſtructum nihil poſſet effundere, memor tamen ſui officii aliò derivarat ſanguinem, ſcilicèt vicinorum muſculorum interſtitia oppleverat omnia, nec eô contentus liquor proſerpſerat, ad uſque medium pectoris; namque inter coſtas, ſternum & pectoralem muſclum dextrum inventæ nobis vel tres libræ corrupti & fœtentis jam ſanguinis, undè aſthma, febris & deniquè mors ipſa pependerunt.

Ibidem Obſervatio 46. *De Prægnante quadraginta menſium.*

ANna *Caſtania* poſt ſuſceptam ex conjugiô primô ſobolem numeroſam, ab obitu mariti iterum uxor gravida redditur, lætô conjuge, ſed tandèm, quôd ultra geſtationis ſuetæ terminos extenderetur partus, futuri anxiô. Mittit eam ad Medicos crebrò, præcipuè Ampliſſ. *Th. Bartholinum* & me inquietat, uti remoram amoveamus. Nos fœminarum querelis aſſueti, ſed non ſemper creduli oſtendimus videri tumorem illum mentiri potiùs infantem, quàm afferre, temporique exitum commendamus; illa contrà, proprium infanti motum ſe jurat agnoſcere, & cæteraque omnia pati, quæ futuræ puerperæ ſolent. His nihil moti foëminam dimittimus. Illa poſt menſem unum, alterumque reverſa eadem inculcat, nobis ad ſuſpectas preces obſurdeſcentibus. Inter hæc labitur biennium, maritus uxorem monſtrum viſceribus alere vociferatur, quòd, ſi detrectent Medici, fuſtibus ſe minatur exacturum, & promiſſi tenax, quotiès vinum liberaliùs hauſtum invitat, non, parcâ manu verbera ingerit, quod liventibus illa ſcapulis docebat. Nos ad hydropicum, ventoſumque humorem exigendum operam pollicemur, illa perſiſtere, gravidam ſe eſſe, calcitrantem experiri infantem, immò jam eò uſque excreviſſe, ùt in partu expirandum ſibi omninò ſit, proindè non optare ampliùs Deas Nixias, commoriturum ſecum infauſtum filium. Tandem pondere invisô fatigata poſt finem anni tertii iterum me adit, poſtulat opem; ego, quòd tempus D. Johanni

Johanni ſacrum à fonte Helenæ auxilium ægris promitteret, iſtuc parturientem amando, ubi hauſtis liberaliter aquis, peperit non infantem quidèm, ſed infinitos borborygmos, quibus per naturalia excluſis ſana ad nos rediit; & hodièque vivit vegeta & valens, nuperque adeò in empiricam transformata comitialis & paralyſeos curam vulgò pollicetur.

Ibidem Obſerv. 47. *Ex nidore vaſorum umbilicalium naribus excepto colica & diarrhoëa perpetua.*

PEtrus Nicolai Zythopeptes, nuptias illicità Venere anteverterat, atque ex uxore ante quintum ab initô matrimoniô menſem, ſuſtulerat filium; cujus ùt nihilominùs amore teneretur, tanquàm legitimi, vaniſſima obſtetrix perſuaſit ànxiæ matri, ùt exciſa foëtûs vaſa; quæ ad umbilicum protenduntur, aſſaret, & chartæ involutà naribus admoveret mariti; fore enim, ùt pater nidore illô ineſcatus in deſiderium infantis effusè raperetur. Intereà dùm puer ſacrô baptiſmatis lavacrô in templô à primitivâ labe abluitur, obſtetrix aſſum hoc officiosè præparat, & circa veſperam convivanti cum amicis marito ludibunda obtrudit, naribuſque ejus propemodùm ingerit. Ille averſari foëdum odorem, & vinum in uſum lætitiæ poſcere. Obſtetrix contrà, inculcare, non recedendum à conſuetudine, ità ſolenniter novos maritos ſuffiri, ùt foëcundiores evadant. Quid plura? Vorat hamum Zythopeptes, & nidore illô ad vertiginem uſque ſe ſatiat. Dictum, factum; notat aggravari ſibi præcordia, & in flatus ac tormina ventrem diſtendi. Ex eô, perpetua jam ſextum menſem cholicâ, & ſimul dirarhoëâ laborat, omnibus viribus exhauſtus, & fatô, ut apparet, vicinus. Ego nuper rogatus opem, cum ex ore, tùm mariti, tùm uxoris rem geſtam audiſſem, execratus ſuperſtitionem foëminæ, dignum hôc vaniſſimô inventô proëmium eſſe reſpondi. Quæ cùm illa fletû exciperet, ſignavi quidèm pharmaca, quæ uſui fore ratio ſuadet, niſi jam tum, quod oppido credibile, hepar putridum extrema minetur.

Ibidem Obſervatio 48. *De viribus imaginationis.*

MErcator quidam Hafnienſis, intenſiſſimo dolore capitis afflictus cùm dies, nocteſque aliquot inſomnes tranſegiſſet, pharmacis incaſsùm tentatis, juſſi fonticulum in brachiô aperiri, & quidèm, ùt è veſtigiô humorem noxium ad ſe raperet, ſcalpellô in vivam carnem adactô. Dum autem in eô ſum ùt preſſû digito interſtitium muſculorum inveniam, æger aversô vultu preſſum illum, ſcalpelli ictum interpretatus, ſtentoreâ voce: *Ah*, inquit, *quàm penetravit ferrum ad ipſa uſque oſſa*, ſimulque in deliquium animi lapſus, ægrè poſt quadrantem horæ ſibi reſtituitur, irriſus ſuaviter ab aſtantibus mulieribus, quòd digitum à ferri cuſpide nequiſſet diſtinguere. Sed tantùm potuit imago ſcalpelli animô ejus impreſſa. Aliud; *Nicolaus Bagge* Civis ſanatus miniſteriô meô ab icterô intenſiſſimô poſt tres hebdomadas improviſô nuntiô, eôque triſtiſſimo exterritus, in idem malum ſubitò relapſus eſt, graviuſque, quàm antè, decubuit. Scilicet, futuri damni imago metuum injecit, & porum cholidochum jam ante apertum iterùm obſeravit.

Ibidem Obſervatio 49. *De apoplexiâ metaſtaſi in crus ſiniſtrum ſoluta.*

ILluſtris militiæ præfectus ſexagenariô major, ex motû & de ambulatione præter ſolitum continuatâ languens ſubitô corripitur apoplexiâ, ſtupent ſenſus, hebet motus, ratio ceſſat. Accerſiti Medici plures ex arte admovemus, quæ exteriùs recreent ſpiritus, quæ interiùs quieſcentibus nervis reſtituant tonum. Nec nihil actum: poſt aliquot enim horas ſuperveniente vomitu lenti glutinis ex altô veluti ſomnô experrectus aſtantes paulatim cognoſcere coëpit, & in verba tertiata prorumpere. Secuti lætum omen crebrò eadem pharmaca ingerimus, donec ille de laſſitudine totius corporis, & præſertim ſiniſtri cruris quæritans iſtùc tertiô morbi die oculos noſtros convertit. Obſervamus diſtentum in tumorem crus totum erubeſcere hìnc indè, & præter conſuetudinem calere; undè cum chirurgo ad diſcutientia properantes, ludi operam tandèm advertimus: igitur perſiſtentes in ſuppurantibus brevi abſceſſum deteximus, undè totis menſibus duobus copioſum pus evacuatum, & corpus paulatìm laxantibus, & roborantibus frequentatis in priſtinum rediit ſtatum, laſſitudine tamen & anorexiâ comitantibus. Qui duo capitales ſenum hoſtes ante quidèm ægrum afflixerant, ſed poſt apoplexiam graviùs. Nec licuit nobis, quanquàm in omnes verteremur formas, eoſdem penitus debellare. Contulêre nobiſcum mutuas operas exteri quoque Medici, quos fama & praxis jam diù nobilitaverant; omnia incaſſùm. Nullum totô annô ab acidis quibuſcunque ſolatium, nullum ab amaris, ſalſis, alkalicis, miſtis, decoctô Chinæ, Galenicis, Chemicis, externis, internis, diæta. Ità, ſublatô licet malô primariô, poſtquam diù clinicus eſſe deſiiſſet mente & animo conſtans, tandem averſante omnia ſtomacho defecit, heros, longiori vitâ digniſſimus.

Ibidem Obſerv. 50. *Ex Cataplaſmate imprudenter applicatô, mors.*

DIvexabant *Zythopæum* dolores vagi arthritici, à quibus jam per biennium curâ meâ liber, tandèm circa feſtum natalitiorum Chriſti, advertit ex diætâ non ſatis ad leges Medentis gubernatâ redire, ut ſolent genuum labores, & punctiunculas, corpuſque totum laſſitudine gravari. Rogatus ab uxore ut Medicum familiarem advocaret, menſe Martiô id ſe facturum reſpondit, nec enim januario convenire pharmaca, ſed veris initio. Inter hæc invaleſcunt cruciatus genuum, & inviſentes foëminæ (quod genus ad medelas communicandas officioſiſſimè promptum eſt) alia atque alia ſuggerunt remedia. E quibus unum præ cæteris eligit æger, cataplaſma exfarinâ triticeâ aceto incoctâ, quod poſtquàm genibus applicuiſſet, ceſſavêre dolores quidèm, ſed graviori malô ſuccedente. Enim verò repulſus verſus ſuperna humor arthriticus ad cor uſque & cerebrum pervaſit, undè anxietates febris, & ex intervallô deliria, tandèmque mors ipſa, in conſpectum venêre.

Ibidem Obſerv. 51. *Non exterrendos eſſe pueros horribilium aſpectu, aut poëna gravioris denunciatione.*

QUem metum obſtetrices, ancillarum natio & ipſæ matres quandoque pueris injiciunt jam oſtentu larvarum, jam minis venturi buſemanni (ità cacodæmonem mitiùs apellari vulgò perſuaſum) jam deniquè cruenti, ſi quid deliquerint, ſupplicii denunciatione, cùm plures ultra rudes etiam annos retinent, & in tênebris, in locis ſolitariis, in actionibus ſuis familiaribus ſæpè præter rationem panicô terrore percelluntur, tranſlatis

tranſlatis indè ab infantiâ formidinis inconſultæ ſeminibus. Nos hìc, quid injectus ſuppliciorum metus ſubindè parturiat, exemplô docebimus, ridiculô propemodum, ſed ſine riſû trepidæ matri conſpectô. Ex primariis urbanarum foëmina micturientem ſubindè in lectô filium annorum ſeptem, diù fruſtrà objurgavit, tandèmque excandeſcens interminata eſt veretrum ſe ſibi abſciſſuram niſi mox foëdâ conſuetudine abſtineret. Ille poſtridiè, ut ſenſit evigilans in lotiô ſe ſuô volutari, ſimplex antevertere deſtinavit laborem matris, cultrumque in remedia quæſitum radici colis admovit, detruncaturus confeſtim tot irarum genitricis auctorem, cùm illa fortuitò in cubiculum pedem inferens conſpicatur cruento natum impalleſcere miniſteriô, revocatque ſtrictum ab inguine ferrum; undè ſervatus ea quidèm vice thyrſus, matribus, ancilliſque documentô erit, parciùs indulgendum aſperioribus minis, nè res infauſtè in nervum erumpat.

Ibidem Obſerv. 52. *De Cataleptica ex febre.*

CErevisiarii uxor diù ex pulmone laborans in febrim incidit quotidianæ ſimilem, in quâ immenſam pituitæ molem ore profudit, quam priuſquàm evomuiſſet totam, per biduum in habitum ſtatuæ Mercurialis diriguit, motû omni, præterquam oris, privata. Convaluit nihilominùs.

Ibidem Obſerv. 53. *De Vrinarum infidô in morbis malignis judiciô.*

QUò urinæ in febribus malignis primis diebus turbidiores, hôc meliùs de ægri rebus ſperare ſoleo, quòd videam magnam peccantis materiæ partem ità commodè evacuari, quæ retenta in corpore irruit ſæpè in partes nobiles, & tragœdias excitat. Non tamen perpetuum hoc eſſe experimenta loquuntur. Quandoquè enim, licèt rariùs, urina in malignis ſana, nihil mali portendit, quod peccans humor per metaſtaſin aliò declinet. Id ut in aliis ità nuper in locuplete 82. annorum collybiſtâ mihi ſpectatum. Poſtquam enim decrepitus ille ſenex febre continuâ, mali moris correptus Celeberr. Archiatri *Simonis Paulli*, meamque operam ſollicitâſſet, urinam in mediô æſtû febrili jam ſaniſſimæ ſimilem deprehendimus, jam ab aquâ fontanâ colore non diſtinguendam, evaſit tamen Libitinam, tranſlatô in hæmorrhoidas exteriores humore noxiô, qui per abſceſſum copiosè excluſus ægrum à confiniô mortis liberavit.

Ibidem Obſervatio 54. *An viſus ſit unquàm lumbricus lumbrico foetus.*

MIhi quidèm parùm veriſimile apparet ob varias cauſas, nihil tamen definire auſim. Conſtat *Amatum Luſitanum* hæc prodidiſſe: *Puella unum permagnum egeſſit vermem rotundum, cujus cùm pater pede caput calcâſſet, ex eô prodière alii vermes.* Vidit fortaſſè quiddam vermibus ſimile prodiiſſe; & ego nonnunquàm in exenteratis lumbricis viſus ſum mihi videre plures vermiculos, ſed re accuratiùs examinatâ deprehendi omnia alia. Inter cætera, cùm ante annum ex puerô trienni lumbricum rotundum pedalem exegiſſem, utrâque extremitate acutum ſine ullâ certâ capitis notâ (nam tres verruculæ in extremitate unâ per microſcopium conſpectæ non tam caput deſignabant, quàm cotyledones, quibus adhæſerat inteſtinis) credidi me videre per ventrem beſtiolæ, tralucentem alios ſed minores vermes. Cæterùm apertô ejus corpore notavi fila illa albentia non vermes, ſed inteſtina eſſe, eaque alia aliis craſſiora, ſed ſibi cohærentia, licèt variè intorta. Et quidèm, præter inteſtina illa alba, deprehenſus eſt ductus ſecundùm longitudinem beſtiolæ porrectus, reliquis craſſior & colore ſubflavô, in quô excrementa reperta bili non admodùm diſſimilia.

Ibidem Obſerv. 55. *De Oleô ſuccini ſine igne.*

CUm ex ſuccinô in tenuiſſimam farinam redactô beneficiô ſpiritûs vini ſubtiliſſimi ad ſolem tincturam elicuiſſem, relictâ illâ in tablinô meô per annum, & quòd excurrit, depoſuit ſenſim in fundum oleum ſuum, clarum, pellucidum, in rotundas ſe guttas colligens, ſed oleô vulgari ſuccini ſpiſſius, & terebinthinæ liquidæ ſimilius, in quô nulla empyreumatis veſtigia. Exemptum vitrô patiebatur ſe duci manû inſtar ceræ in omnes formas, ſpiritui autem vini immerſum pellucebat ut laterna Punica, & in globulos more olei formabatur. Colligimus hinc duo; *unum*, tincturam hanc non eſſe extractam è corpore ſuccini quintam quandam eſſentiam, ſed oleum ſpiſſamento miſtum; nec dubium eſt, fore, ùt tota ſuccini ſubſtantia, ità paulatim diſſolvatur, imprimìs ſi ſpiritus vini anteà aculeis aliquot ſalis tartari excitatus fuerit; *Alterum*, in affectibus cerebri, ubi minuta quædam vaſa eroſa liquorem ſuum in aliena loca effuderint, atque ità vertiginem, ſcotoma, apoplexiam minentur, opportunum eſſe hujus tincturæ uſum, cujus ope vaſcula maleſida, & hiantia ſenſim veluti cicatrice obducuntur. Quæ ratio eſt, cur eam tam diù Ampliſſ. quidam apud nos Ictus reddiderit ſibi familiarem. Nec minor laus ejus eſt in vulneribus capitis, ut cujus miniſteriô viderim plures in noſocomiô Lugdunenſi in Galliis, recepiſſe ſanitatem poſt vulnera etiam in ipſum cerebrum deſcendentia. Undè hâc fere ſolâ turundis exceptâ utebatur feliciter in ſimilibus affectibus Dn. *Lamonerius*, Noſocomii illius Machaon.

Ibidem Obſerv. 56. *De Algâ Sacchariferâ Corollarium.*

INnaſcitur ſaxis in fundô maris, propemodùm ut quercus marina; ubi primùm ad littus alliſa eſt à fluctibus, nuda conſpicitur omni ſaccharo, qualem miſit mihi ex Iſlandiâ Dn. *Torchillus Arngrimius*; ſed quæ in ædibus meis ſibi relicta paulatim tota folia ſua, quæ ampla ſunt & minutiſſimis quibuſdam poris hinc indè more hyperici diſtincta, aſpergine quadam farinæ dulciſſimæ obtexit, uti hodièque apud me videre eſt. Incolis *Soll* dicitur. Lætiſſimum ovibus pabulum, quas ità ſaginat, ùt præ pinguitudine nimiâ caro earundem delicatioribus faſtidiatur. Narrat Bortholomeus Jani, negotiator Iſlandicus, mactâſſe ſe aliquandò unam hôc alimentô paſtam, eamque non niſi anniculam, quæ ſevum viginti duarum librarum cum ſemiſſe poſſeſſori aperta reddiderit, præter carnem, quæ ad inſtar lardi, pinguedine incruſtabatur. Libuit experiri, utrùm inuſitatæ naturæ planta, cùm ſub aquis in ſaxis è minutis radicum cirrhis enaſcatur; quod oſtendere poſſum ad oculum, oleum & ſalem lixivum ſinû ſuô complecteretur, an alium ſalem illô ſuaviorem. Igitur ex retortâ propulſus indè liquor plegma Tartari naturâ & ſapore imitabatur, quem ſecutum eſt oleum craſſum ſubfœtidum. Reliquiæ peruſtæ ſalem lixivum profuderunt, pænè cubicum, ſapore alio-

rum alkalium, qui cum acidis potenter efferveſcit, & Lunam ex aquis fortibus in formâ albiſſimæ farinæ agit præcipitem. Folia plantæ hinc indè purpuraſcunt, atque adeò firmæ, compactæque ſunt ſubſtantiæ ùt ſi poros oculis patentes excipias, credas te tunicam allantoidem intueri. Non educant autem ſaccharum, niſi prius vel aqua fontanâ, vel pluviâ irrigatâ, & pòſt aliquandiù in locô ſicciori ſibi relicta.

Ibidem Obſerv. 57. *De Ejuſdem panis diverſò tempore, diverſò pondere.*

CUm queruli ſubindè piſtores negent ſe ad pondus à Magiſtratû definitum panes ſuos divendere poſſe ſine certô detrimentô niſi recentes; quòd de gravitate primâ quotidiè remittant, placuit experimento rem committere, poſtquam nonnulli piſtoribus minùs creduli prætexerent, videri panes, quò vetuſtiores, hôc eſſe graviores, tùm quòd morâ illâ aërem cum ſuis purgamentis, poris ſuis excipiant, tùm quòd longè plus nutriant recentibus. Itaquè hoc modò antè biennium inſtitui experimentum: Cepi x. Decembris, gelû tùm durante panis ſecundarii ſiliginei libram præciſè unam ponderis civilis, poſtquam recens quidèm è furnô exemptus eſſet, ſed jam tamen frigeſceret; reliqui in conclavi à frigore, & calore aſcititiô remotiori ad xiv. Decembris, quô, perſeverante adhùc gelû revocatus ad libram drachmas duas cum ſemiſſe amiſerat. xxiv. Decembris deceſſerant ponderi ſimul drachmæ ſex: Nonô Januarii; reſolutô gelû deſiderabantur drachmæ viginti plus minùs. xiv. Februarii, perſiſtente gelû, deficiebant drachmæ xxiv. Sextô Martii conſtitit planiſſimè idem pondus, frigore remittente. xxii. Martii deerant viginti ſeptem drachmæ; Et tandem vigeſimô ſeptimô Junii notata ad drachmas triginta & unam jactura, ùt adeòque ſex circiter menſibus quarta propemodùm pars deceſſerit ponderi. Sed diſſimulandum non eſt, panem hunc, licèt nullô modô vel mucidum vel aliô modô corruptum, menſe Juniô ſicciorem omninò, durioremque viſum, quàm menſe Decembri, cùm ad primum examen vocaretur. Deceſſêre ergò magnam partem aqueæ portiunculæ tam adventitiæ, quàm ſiligini inquilinæ: & quis nihil ſpiritui ſiliginis deceſſiſſe ſpondebit?

Ibidem Obſerv. 58. *De Plantâ roris ſolis ovibus noxiâ.*

QUàm ſalutaris eſt ovibus frequens uſus algæ ſacchariferæ, tam noxius eſt rorellæ. Deprehenſum id in Aalburgenſi Cimbriæ agrô, ubi cùm naſcatur copioſiſſimè, adeòque ad depaſcendum invitet oves, fit ſæpè, ùt pabulum iiſdem reddatur emortuale. Quippè planta eſt acris naturæ, & propè cauſticæ, undè pulmones ovillos adurit, & tuſſim lethiferam excitat. Juſtiùs in iis numerari plantis meretur quæ epilepſiam pacant, quò ſpectat *Hoffmanni* monitum; item in iis, quæ morbis malignis adverſantur, quò eunt recentiorum experimenta. Stillatitia roris ſolis aqua ſi leniter admodùm evocetur, non flaveſcit, quod tamen *Iſ. Hollandus* & alii ſcripſêre: ſi excitatior adhibeatur calor, flaveſcit quidèm ob particulas oleoſas unà elevatas, permiſtaſque, ſed non ſine tenui, ut plurimum, empyreumate, quòd idem aliis contingit plantis non paucis, ſpeciatìm plantagini & equiſeto. Sed & in tractû Aalburgenſi frequens eſt gramen oſſifragum, nec tamen ibi compertum, ex pabulô ejus oſſa jumentorum reddi fragilia, quod de Norvegico perhibetur.

Ibidem Obſerv. 59. *Sudor podagricorum an Salſus, an acidus?*

AMicus quidam meus triginta ſex annorum temperamenti, ut apparet, ſanguinei, colore floridô, roſeôque à pluribus jam annis podagrâ, & chiragrâ tentatur, ità violenter, ùt jam diù in pedibus, brachiis, digitorumque articulis nodos formarit vulgatis remediis hactenùs indiſſolubiles; ità promptè ut unicum vini hauſtum menſtruô cruciatû cogatur exſpiare. Is varia expertus pharmaca, ſed, propter leves diætæ errores, omnia incaſſùm; tranſplantationis quoque vires, licèt ex præſcriptô Medici Provincialis examuſsim cuncta adminiſtrâſſet, irritas ſenſit. Propoſui curam lactis, quam ſtrenuè invaſit, ſed negotiis interpellantibus, poſt menſem unum meis ingratiis deſeruit, eôque etiamnùm miſerè per intervalla affligitur. Hactenùs nullum præſentius ſolatium invehit ſudore, quomodocunquè elicitô. Quô viſô, rogavi ipſum non ità pridèm, (ut eſt curioſus & rerum quoque Chemicarum peritus) ùt evocatum ſibi in balneô publicô ſudorem linteis mundis, ſed in ſolâ aquâ ſtillatitiâ ante lotis, atque ità ſponte exſiccatis, quantâ liceret, copia exciperet; & linteaminibus poſteâ validiſſimè expreſſis patinam vitream inviſô liquore expleret, quô leni calore in vapores attenuatô hoſtem reſiduum, cujus demùm eſſet proſapiæ, exploraret. Paret, excipitur ſudor, & ſubditô igne modeſtô incraſſamentum abit; cui cùm in portiones certas diviſo hic oleum tartari per deliquium affundit, illic nitri ſpiritum, evidentem ſenſit à nitri ſpiritu ſtrepitum, & efferveſcentiam; ab oleô tartari motum planè nullum, adeò ùt ex hôc experimentô viſus ſibi ſit concludere, non acidas eſſe particulas illas, quibus in membranas impactis tantoperè inquietatur, ſed ſalſas lixivas. Neque id injuriâ; obduces partes acidas evolaſſe. At ex naturâ acidorum, remanſiſſent in craſſamentô acidiſſimæ, ſi quæ adfuiſſent. Sed de calore eſt quod adjiciam; poſtquàm in vaſe vitreô reliquias illas ſudoris ſpiritu nitri imbuiſſet, quieſcente demùm ſtrepitû poſtridiè miſturam inſpexit, miratus non leviter, cùm in gluten viride, ſive gelatinam mavis vireſcentem abiiſſe conſpicaretur. Anæruginis naturam imitatur podagricorum hoſtis?

Ibidem Obſerv. 60. *De Mirâ, ſed innoxiâ alvi conſtipatione.*

PRimaria apud nos fœmina, cùm annô ætatis Octogeſimô ſecundô ægra à me inviſeretur, & de proſtratô appetitu, laterisque doloribus ſollicita opem quæreret, interrogata utrum alvi fæces, quotidiè exoneraret, reſpondit à decem jam diebus nihil ſe quidem excreviſſe, ſed iſtam cunctationem ſibi perpetuam fuiſſe ab infantiâ, ſine ſanitatis diſpendiô, neque enim a ſeptuaginta jam annis & ultrà, niſi octavô aut nonô quandoquè etiam duodecimô die ventris onus depoſuiſſe. Sciſcitatus, annè ergò capitis doloribus totâ vitâ infeſtata fuiſſet, adverti nihil hâc parte præter conſuetudinem aliarum fœminarum paſſam.

Ibidem Obſervatio 61. *Malignitas febrium hybernô frigore non mitigatur.*

EXperti id ſumus pluribus jam annis tùm Hafniæ, tùm Helſingoræ. Enimverò febres malignæ hôc plerumque evadunt pertinaciores, quò ſæviùs urget gelû, immò & ſpargunt magis virus ſuum in domeſticos & nonô plerumquè die perimunt.

perimunt. Sed quamprimùm circa veris initia remittit frigus, ſenſim remittit etiam violentia febrium, & regi ſe patitur malignitas, quæ antè ægerrimè frænum admiſit. An clauſum viſceribus malum, cùm obſtructis poris exitum non niſi difficultèr inveniat, per antiperiſtaſin infeſtat ſeveriùs. Quòd ſi laxes meatus ſudoriferis, & ſuos hìc manes patiuntur ægri, antequàm plenô ſudore madeant, & ſæpè, dictum factum, ſtragulis à manû tantillùm remotis pori iterùm clauduntur, intùſque cohibitus hoſtis novas reſumit vires, priuſquàm ægri perſuaderi queant, ùt ad iteratos ſe ſudores accommodent. Quid enim facient Medentes, & ægris ipſis & ægrorum amicis ſæpè non permittentibus repeti, quæ ſalutaria ſunt, obtentû virium dejectarum? Quid quòd aliquandò nullâ arte ſudor exigi queat, antequàm victor morbus, ſupremum illum & lethiferum, licèt diu ſatis calentem madorem protruſerit. Quin & ejus quandoquè ferociæ eſt malignitas, ùt ægri licèt totô propemodùm morbi decurſû moderatis fluant ſudoribus, nihilominùs pereant. Et his ſi veſicatoria applices etiam plura, in rugas quidèm contrahitur pellicula, ſed parùm initiô effluit humoris, & poſtridiè nihil, licèt inſiſtas ſinapiſmis, quod perditiſſimum ſignum eſt. Salia volatilia, tantoperè in malignis laudata Cl. *Sorbaitô* & meritò laudanda; niſi tamen prudenter regantur, peſtiferam inducere ſolent hæmorrhagiam. Diaſcordium ſuis non caret laudibus, ſed delicatiorum ſtomachi ſaporem illum plus odore, quàm fullones ululam. Nec pulſui ſemper fides. Ad ſummum, ut tranquillô mari quilibet gubernator eſſe poteſt; fremente pauci; ità in his febribus, quandò dira ingruunt ſymptomata, quandoquè ars malum ſuperat, quandoque ab eôdem ſuperatur.

Ibidem Obſerv. 62. De febri oſcitante.

HOneſtiſſima virgo febre vagâ jam leviùs, jam graviùs affligebatur, nonnunquàm & induciæ aderant. Cùm incumberet graviùs & ſociam ſibi jungeret nauſeam, perpetuâ fatigabatur oſcitatione, quæ non niſi abſolutô paroxyſmô ſolebat placari. Adhibita à me remedia varia, ſucceſſû non ſatis optatô, donec veſicatoriis occipiti admotis, ſerôque acerrimô illâ parte evacuatô, malum tandèm deſineret. Nihil tamen actum fuit vel veſicatoriis, vel ſalibus volatilibus, vel caſtoreatis vel ſectionibus venarum in lethargô alteriûs primariæ virginis, quæ narcoſi ſex dierum, oppreſſa, cùm omnia, quæ poſſet ars, Medici quatuor exprompſiſſent remedia, nunquam evigilavit.

Ibidem Obſervatio 63. Ex pleuritide nothâ furor uterinus.

VIrgo nubilis ex pleuritide ſpuriâ decumbebat, quæſitum à venæſectione & carminantibus, aliiſque remedium. Et benè ſe habebant principia, cùm intervenit juvenis parentem virgunculæ inviſens; in quem illa fixos conjiciens oculos, ità è veſtigiô immutata eſt, ùt mali pleuritici oblita in cantiones, & geſtus amatorios affectum ſuum profunderet. Deſiit itàque malum primum, ſed recruduit ità violenter ſecundum, ùt in delirium acta de nullâ re vel cogitaret, vel loqueretur, niſi de nuptiis, & feſcenninis, certa in gremium juvenis irruere, quotiès rediret, non ſine inſigni pudore honeſtiſſimæ, unde orta erat, familiæ. Neque aliter obviam iri potuit in majorem quotidiè flammam erumpenti deſiderio, quàm removendo ex oculis ejus objectùm illud amoris. Tandèm allato in hanc rem fictô nunciô, mortem juvenis denunciante, illa poſt deploratam ſatis diù orbitatem ſuam, helleborô per vices expurgata ad ſanam mentem rediit.

Ibidem Obſervatio 64. De ſpinâ trigintâ annis ſine incommodô in oculi canthô hærente.

SUtor Hafnienſis ſummâ oculi dextri inflammatione & dolore confectus rogat me, ùt huic malo ſuo ſalubri conſiliô ſuccurram. Advenio, inſpicio, rubet oculus tumidus, lacrymatur, dolet. Jubeo mox veſicatorium occipiti admoveri, ſecari venam, & cataplaſma ex diſcutientium genere imponi. Undè quietior æger poſt triduum ad canthum dextri oculi internum, ad ſpeculum vulnus obſervat, quod cùm mihi oſtenderet, caput video aculei cujuſdam in foramine hærentis, quô chirurgi forcipe exemptô brevi diſcuſſa inflammatio eſt, & æger ſanitati redditus. Inſpectus autem ſollicitè aculeus, ligneus erat, flexilis, & nigricans, ſed firmæ adhùc compagis. Interrogatus ſutor ecquandò ſpinis impegiſſet oculum, reſpondit à triginta jam annis nihil ſe in oculô ſenſiſſe incommodi, ſed admodùm adoleſcentem, dùm in vepretis cynosbati fructus venabatur, excepiſſe ſe in oculô ictum, cujus ſtatim oblitus ſit, cùm dolor ultrà triduum non continuaret. Ante paucos autem dies, dùm in templô cauticis ſacris vacat, intenſiſſimum ſe dolorem expertum, & ex eô ſecutam hanc inflammationem. Scilicèt motû illô tandèm excuſſa ſedibus ſuis ſpina, & in nervulum impacta hos dolores creârat.

Ibidem Obſervatio 65. Ex menſâ marmoreâ arthritis.

ILluſtris quidam Polonus, dùm in genealogiis Regum Principum expediundis apud nos æſtivis menſibus operosè deſudat, menſæ marmoreæ nigræ nullô ſtragulô tectæ aſſidens, & ipſe brachiis, ſi ſubuculam excipias, plerumquè nudus; contrahit ſenſim intenſos totis brachiis dolores; quos placare quidèm mihi licuit, tollere autem haud facilè, in homine præſertìm, exſuccô & ſexagenariô, atque aliis jam ante doloribus fractô & fatigatô. Conceſſit poſteà Hamburgum, ibique plura expertus, necdùm, ut referunt, à doloribus illis planè liber evaſit. Audiant hoc, qui cubicula aſarotis Glandicis, aliiſve marmoreis inſternunt, caveantque, nè plùs nitori, quàm ſanitati ſtudeatur.

Ibidem Obſerv. 66. Monorchides an verè monorchides.

TRiorchin Agathoclem memorant hiſtoriæ, monorchin Gottam: an tamen verè monorchin pronunciare oporteat, niſi præviâ anatome, mihi oppidò ambiguum eſt; ſæpè enim teſticulorum alter in abdominis imò reconditus præpropera judicia confutat. Id cùm aliàs, tùm clariſſimè mihi ſpectatum in nobili juvene, quem à puerô conſtabat nonniſi unum unquam in ſcrotô ſenſiſſe teſticulum: verùm cùm è vivis excederet, pollinctoribus, ut balſama ſua ingererent, omnia cava corporis latè experientibus prodiit ex abdominis ſinû latente teſticulus alter, non minùs benè habitus, firmuſque, quàm ille prior, immò toroſior, pleniorque, caloreloci nutrimentum, copioſiùs ſuggerente.

Ibidem Obſervatio 67. Ex Vaſe deſtillatoriô noxa.

LEctiſſima virgo ex oppidô Viburgenſi, dùm matri in evocando per veſicam æneam ſpiritû frumenti ſocias jungit operas, adminiſtratô per incuriam calore violentiori anſam præbet infortuniô; alembicus enim excutitur, ebullit ferociter magma, & miſellæ dorſum quaquaverſùs ardentiſſimô liquore perfundit: undè non cutis tantùm fiſtulata mille locis contrahitur, ſed & illâ tandem à reliquô corpore per ſummos dolores ſeparatâ, carneum dorſi æquor in nodos, & tubera aſperatur, ex quibus alia pugnum magnitudine æquabant, quædam etiam ampliora, minutiora nonnulla. Dixiſſes tergum univerſum aliud nihil eſſe, quàm glandularum eminentium congeriem; quam chirurgus licèt ſæpè aquis cauſticis depaſceretur, perpetuâ tamen recidivâ increſcebat rurſùm & quotannis ferè mole auctiori.

Ibidem Obſerv. 68. Grana ſiliginis, piſorumque & Synapi in pyramides faſtigiata.

VIr apud nos honoratus, ante hos annos decem ad fodinas æris in Norwegiâ ſcriba, cùm eſſet ab urbibus remotior, conſueverat tempori conſulere penuariæ cellæ, convehendo, quotiès in viciniora oppida ventitabat, quicquid adverſus hyemis, ventriſque injurias militare ſolet. Hìnc & in cubiculô ejus repoſitoria cerneres aromatis plena, ùt reliquam granorum edulium farraginem non attingam. Inter hæc, quotiès ſcriba vel in templô vacabat ſacris, vel in ſcaptenſulis officiô, totiès, ſub veſperam rediens vidit aromata ſua, & cæteea ciborum elementa omnia in accuratiſſimas per totum conclave ſurrexiſſe pyramides. Non potuiſſet Apicius Gallus his viſis non victam artem ſuam proclamare. Exterritus oſtento ſacerdotem ſuum advocavit, qui conſiliis firmaret titubantem. Ille ludibria Dæmonis videre ſe profeſſus eſt, præſertìm cùm ſpectaret in pavimentô, in lectô, immò ſub toralibus linteis integras ex piſis, ſinapi, ſiligine, aliiſque granis rotundioribus (etiam ad multa à fodinis milliaria fruſtrà quæſitis) pyramidum minutarum legiones. Cùmque conſtaret, in nullius eſſe Mathematici manû centrum gravitatis ità exactè reperire, ùt & ſubitò, & accuratè ſimilia faſtigiaret, rogavit ſcribam, uti precibus inviſi hoſtis luſus arceret. Quod quanquàm ille exſequeretur ſedulò, turbatæ tamen ſæpe pyramides iterùm erectæ ſunt, & ſemper curioſiſſimè. Placuit ergò ſcribæ, quod diù ſilentio preſſerat, accolis fodinarum aperire, & quid illi offerrent conſilii, præſtolari. Hi formatô in lætitiam vultû, bonô animô ſcribam eſſe jubent, nihil adverſitatis portendi, ludere duntaxàt, ſubterraneos fodinæ genios, & præſagire, non moriturum eum fame, ſed inter abundantiſſimos farris & leguminum acervos reliquum vitæ tranſacturum. Ille agreſtium interpretationi parùm credulus poſt biennium negotiorum causâ hùc migrat, & die quôdam à cucurbitulis imperiti balneatoris malè multatus, ſcariphô tendinibus genuum impactô, dum opem me rogat, inter alia per otium hiſtoriam rei geſtæ percenſet, irridens ſtulta geniorum & agricolarum præſagia. Sed quod mirere, ante ſex annos à conſpectis illis pyramidibus exactos, præter opinionem admovetur granario Regio, jamque præfectus commeatui univerſæ claſſis inter infinitos frumenti, eduliumque acervos officium magnâ cum laude adminiſtrat, renidens quotiès per occaſionem narrationis ſuæ à me admonetur. Quis hìc hariolabitur, undè fortuita ejuſmodi divinaverint genii præſides ærariarum?

Ibidem Obſervatio 69. De Hydropicorum ſudore acidô.

DE univerſis id pronunciare non licet, niſi pluribus res conſtituerit experimentis, de unâ ſanè nobiliſſimâ fœminâ nullum relinquitur dubium. Illa cùm jam ſexagenaria hydrope tentaretur aſcite, poſt diverſa pharmaca incaſsùm, ut erat moroſior, adhibita, tandem neſcio cujus conſiliô, in balneô lactis recentiſſimè mulcti ſpem omnem collocavit. Ergò adultô jam Majô colligi juſſit primô diluculô quicquid lactis omnes totius pagi vaccæ ſubminiſtravêre, inque eô cupâ amplâ exceptô nuda reſedit ſolô capite exſtante. Placuit initiô tepor, & viſi dolores ex tensô abdomine nati tantillùm interquieſcere, cùm ſubitô coire lac in caſeum, & circa collum ægræ arctari; undè ſuffocari metuens conſurgere nititur, & ab infeſtô ſe vindicare coagulô; verùm enimverò dùm cohærentem ſecum maſſam levat, caſeariô hôc perizomate aggravata pæniſſimè in alveum ſerô undantem poſticô lapsû præcipitata interiiſſet, nonniſi ægrè ab ancillis ſuccollantibus, & viſcum lactis cultellô dividentibus ſibi reſtituta. Notatæ tamen ad aliquot hebdomades mali ex eô tempore induciæ. Cæterum recrudeſcente poſteà ægritudine maluit fata patienter exſpectare, quàm adeò infidum & minax à lacte ſolatium. Hìc cùm niſi ab acidô lactis illius in ſerum & caſeum converſio pendere nequeat, ſudores & ſtrigmenta hydropicæ aceti naturam induiſſe palàm eſt.

Ibidem Obſerv. 70. De Mirificâ ægritudinum quarundam hæreditariarum naturâ.

HEnricus, Magiſter Organi pneumatici ad templum D. Petri in hâc urbe, Roſcius in arte ſuâ, & loqui digitis promptiſſimus trigeſimô ſextô ætatis annô uſum digitorum in utrâque manû (præterquàm pollicis & indicis) paulatìm amiſit; ſiderati enim adjuſſa munia fruſtrà ſollicitabantur, undè infelix officiô abſtinere juſſus quod modulantem poſceret Eccleſia, non quiritantem. Rogatus à me trienniô poſt, eccur in pharmacis & unguentis uſurpandis hebeſceret? non eſt, *inquit*, humanæ opis labem illam hæreditariam tollere: parens meus eôdem ætatis annô, quô ego, ſimili infortuniô afflictus nihil non præſidiorum tentavit, ſed invitâ Hygiejâ; unde cùm me veſtigia ejus terreant, malo ſupervacuas pecunias meas in œnopoliô, quàm pharmacopoliô abligurire. Non diſſimilis fortuna fuit primariæ apud nos fœminæ, quæ naſcentem in dextrô ſuô oculô catarrhactam ſexageſimô ſeptimô ætatis annô conſpicata, de eâdem deponendâ ſollicitam ſe non oſtendit, apertè faſſa Parenti ſuo idem malum eôdem ætatis annô accidiſſe nec inventum, quicquid etiam conaretur, niſi in morte remedium.

Ibidem Obſerv. 71. De Quartanâ ſuperventu pleuritidis curatâ.

NObilis quidam aliquot menſium quartanâ, propter diętę vitia afflictus, cùm ipsô die paroxyſmi, ſed horis aliquot ante ejuſdē acceſſionē pertinaciùs ſaltâſſet, eôque, ſudore manans, liberali cereviſię frigidæ

frigidæ hauſtû abſterſiſſet ſitim, pleuritide corripitur adeò effreni, ùt de vitâ ejus dubii amici me accerſerent: qui expiatô venæſectionibus, atque expectorantibus humore impetuosô notavi illâ viâ ità profligatam quartanam, ùt nullô ampliùs paroxyſmô moleſta fuerit; lætiſſimô ægrô, qui ex eô, rarum quartanæ remedium inveniſſe ſe gloriabatur, ignarus, quod uni ſalutare fuit, id aliis ſæpè noxium deprehendi.

Ibidem Obſerv. 72. *De ſputô dulci.*

HOnorata matrona ſcorbutica ingenti capitis, præſertìm autem vultûs tumore gravata, expurgatô cephalicis capite ſenſim notavit detumeſcere malum, & ſputando rejici; mirata non leviter, ſputum profluere non ſuetô ſapore, ſed dulcedine ſacchari æmulâ. Subjeci, non eſſe hoc inſolens in ſcorbuticis catarrhô quaſi aluminosô laborantibus, ſed providendum ipſi, adhibitâ laccæ tincturâ, nè cariem indè paterentur dentes; eſſe enim illud catarrhi genus inſidioſum, & licèt dulcedine blandiatur, ſæpè tamen inſenſibili acrimoniâ dentes, gingivaſque corrumpere: immò fuiſſe ex ægris meæ fidei commiſſis ſacerdotem, qui ex dulciſſimô ſputô linguam mihi ſuam oſtenderit mille rimis exulceratam. Verùm ùt ad matronam illam redeatur, adeò tenellæ, delicatæque cuticulæ eſt, ùt à mitiſſimô etiam emplaſtrô idem ſentiat, quod alii à veſicatoriô. Eſt inter cætera familiare nobis emplaſtrum quoddam ad ſuſpendendos catarrhorum impetus, quod temporibus applicari ſolet, à cujus uſû, credo, quia opii aliquid ſinû recondit, non aliter exulceratur, quàm ab admotis cantharridibus. Nec alia ratio eſt emplaſtri de melilotô, aliorumque. Sed & aliis fœminis nonnunquàm idem contingere obſervavi, præſertim uni, quæ cùm de lienis affectû conqueratur, ab impoſitô emplaſtrô ſplencticô etiam ſindone veſtitô eoſdem patitur manes.

Ibidem Obſerv. 73. *Ex levibus cauſis noxæ non leves.*

NOtus mihi ſacrorum antiſtes, qui ex ſubitò terrore memoriam propemodum omnem perdidit. Alius cacochymicus quotieſcunquè ſanguinem mittit, obliviſiorem ſe reddi conqueritur. Eſt quæ ex ineptâ conſuetudine quatuordecim annorum ità voraciter ſiccum minutal avenaceum clàm quotidiè manducat, ùt quotiès à marito prohibetur eſu alimenti ſanguinem manifeſtè depaſcentis, in animi ſtatim cadat deliquium. Cuidam ex catarthicô natus eſt priapiſmus. Pluribus ex veſicatoriô brachiis admoto gravis dyſuria. Foeminarum alii ex aſpectu equorum delirantium abortus provocatus; alii ex improviſo cercopitheci aſſultû effuſiſſima uteri hæmorrhagia, alii ex risû ſolutiori hæmoptoë. Ità quandoque extra mare naufragium contingit.

Ibidem Obſervatio 74. *De Silicibus Anholdini triangularibus.*

INſula hæc porrigitur in ſinû Codanô, minuta illa quidem, & naufragiis multorum infamis, unô hìc laudanda, quod ſi quis arenas littoris ejuſdem ſcrutetur, infinitos reperiat ſilices nigros, albos, varios, in ſabulô hìnc indè ſepultos, ad ſex tranſverſos digitos in longitudinem protenſos, latos digitum unum, omnes triquetros ac ſi manû artificis fuiſſent acuminati, & lateribus plerùmque in illam aciem excitatis, ùt Joſuæ ſervire potuerint cultris ſaxeis filiorum Iſraël circumciſionem imperanti. Nunc ferreô hôc ſeculô in alios vocantur uſus: malleô enim in fruſta convenientia diviſi ſclopetorum rotulis ignem prömptè miniſtrant, & fomitis incendiarii locô fulmineis bellatorum tubis ancillantur.

Ibidem Obſerv. 75. *De ſpiritu ſacchari, oryzæ, ficuum, hydromelitos.*

OMnes hi tentant caput, ſi defœcati liberaliùs hauriantur. Et quidem ſacchari ſpiritus in vulgus jam innotuit, ex quô dulciarii reddidêre promercalem Oryzæ apud nos inſolens, Indis familiaris, Arach vocant indigenæ. Hunc ex Inſulâ Cejlon mercatores noſtri attulêre, non diſſimilem ſpiritui vini, quô noſtrates ſe manè proluunt. Ego ùt puriorem redderem, iteravi deſtillationem, undè non limpidiſſimus tantùm, ſed & generoſiſſimus ſurrexit, ſine omni ſtypticæ qualitatis veſtigiô. Meminit & vini ex oryzâ *Ælianus*, & *Acoſta*, aceti ex oryzâ. Ad ſummam, oryza orientalibus panis eſt, vinum, ſpiritus, omnia. Séd ex ficubus nemo, quod conſtat, ſpiritum conatus eſt elicere: itàque ego animi gratiâ, cùm plures ſolitô advexiſſet cætaplus noſter Gaditanus, & in iis doliola aliquot caricis in cariem & tineas pronis referta, ſpiritum indè elevavi copioſum natales ſuos odore, ſed magis ſapore referentem, quem repetitâ deſtillatione ſubtiliſſimum deprehendi, & pectori blandientem. Ut evidentiſſimum ſit peccare eos, qui eandem naturam omnibus aſſignant ſpiritibus, cùm vel lingua hoc paradoxon liquidò refutet. Similiter ex hydromelite quatuor annorum plurimùm eduxi ſpirituum, qui ſtatìm in linguâ fatebantur parentes ſuos molli quâdam & melleâ ſuavitate cum acrimoniâ conjunctâ. Et hic potus ſalutaris fuit aſthmaticis, & ſuſpirioſis, quem gratiorem effecit geminata cum ſemine aniſi deſtillatio. Illud in ſpiritibus notatum mihi, id quod primâ deſtillatione evocatur, plus ſapere originem ſuam, minùs quod ſecundâ & tertiâ; nec ratio deeſt, quippè cùm ſpiritus illi, ùt ità loquar, ſpecifici in totô magmate laxiùs habitent, faciliùs aſcendunt (more ſalis lateritiis infuſi globulis) primâ vice ſed poſteà, à craſſamentis ſuis liberiores in mutuos ruunt amplexus, eôque tardiùs elevantur, dùm cæteri tenuiorum partium, & ſalinis particulis volatilibus magis fœti promptè aſſurgunt, & aculeis ſuis judicium linguæ, palatique nonnihil exſurdant. Conſtituiſſem Chemica quædam his annectere, & præcipuè hâc vice duo, inventa mea: *unum*, quâ ratione formanda crucibula, quæ totis diebus, immò hebdomadibus vitrum ſaturni in ardentiſſimis flammis ſinè rupturæ aut penetrationis metû fideliter cuſtodiant, deſideratum quondam Glaubero arcanum, *Alterum*, quomodò Mercurius vivus ſine ſalium, ſine acidorum miniſteriô ſex horarum ſpatiô in flavum cinerem redigi queat, & quidèm, ſi pluribus famulis negotium committas, quantâlibet copiâ; id quod alii aliis viis ſex hebdomadibus tentavêre, & non rarò, ſucceſsû minùs optatô; cæterùm quia jam iterùmque ſolertiam oſtentatorum notavi, publicè (ſed poſt feſtum) attribuentium ſibi, quæ à me publicata mea mihi peperit induſtria, cum Apelle poſt tabulam exſpectabo, dum illi & hæc, & alia in Chemicis curioſa ſeculo communicent.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 80. *De Cantharidum Examine.*

POſtquam hodiè actiones rerum naturalium efficaciores à pluribus, vel acidis particulis, vel lixivis adſcribantur, viſum fuit operæ non pœnitendæ, experimento rem committere. Advocatæ ergò in medium inter alia cantharides, quarum vis cùm humanam cuticulam, & promptè & violenter à cute ſeparet, &, ſi vel brachiis admoveantur, dyſuriam plerumquè moleſtiſſimam (quod ſexcentis vicibus obſervavi) inducat, cauſa tam excitatæ operationis inquirenda fuit. Eam ùt aliquatenùs cognoſcerem, cantharidùm ſelectarum unciam unam retortæ vitreæ immiſi, & igne per gradus auctô in annexum excipulum propuli non tantùm conſpicuam ſalis volatilis copiam, ſed plus adhùc olei craſſi, coloris ſubflavi, odoris fœtidi. Si oculis fides, drachma, & quod ſuperat, olei cùm exiguiſſimâ aquæ flavæ portiunculâ adfuit, ſalis autem volatilis drachma circiter dimidia: nam ad lancem expendere omnia nec adeò vacabat, & terrebat ingratus odor, Romanorumque exempla, queis hauſtus cantharidum olim funeſtus. In propulſis corporibus nihil acidi efferbuit, eôque ſe lixivii, vel ſi mavis, urinæ naturam odoremque imitari oſtendit. Caput mortuum aliquot poſteà horis flamma cruciatum, tantillum ſalis fixi lixivi produxit, quod & ipſum ſpiritui nitri affuſum in ſpumas & ſtrepitum efferbuit. Sed ùt conſtaret, in quô horum omnium corpore vis illa, quæ veſiculas excitat, potiſſimùm reſideret, manum famuli hinc liberaliter perfricui oleô illô craſsô, ibi ſale volatili nonnihil humecto, nihil ille doloris, nil veſicularum ſenſit etiam poſt moram longiuſculam; quanquàm ſubindè, ùt incaleſceret manus, atque ad operandum promptiùs admota excitaret, igni ſatis diù admoveretur. Viſus tum *Galenus* non imprudenter ſcribere, *pharmaca quædam agere totâ ſubſtantiâ*, non ità in particulas divulſa. Verùm quia oraculum illud *Pergameni* non ſatis evidentem animô notionem imprimit, quæſita à microſcopiô evidentior. Igitur ſubjecta huic exploratori cantharis integra corpuſculum ſuum monſtravit mille ſpinis inhorreſcere, quarum aculeis cuticulæ impactis neceſſe eſt eandem pati; non aliter atque urticæ folia ſimilibus armata ſpinis manum eôdem propemodùm modô adurunt. Eſt proindè, quò in minutiores contundantur particulas corpuſcula cantharidùm, antequàm cuticulæ applicentur, hôc ſegniùs eadem operari credibile ſit, cuſpidibus nimiô attritû diffractis. Sed cur cantharides afficiunt veſicam admotæ etiam brachiis? Non iniquum fuerit ſuſpicari, excitatiſſimas cuſpidum pervadere cuticulam, ibiquè nè regrediantur, à ſerô attineri, rapique unà cum ejuſdem ſeri portione, ùt per alias corporis partes, ita tandèm per veſicam, ibiquè, quibus illa delicatior & minùs oblita nativo muco, novis punctiunculis creare moleſtiam, quod utiquè in cæteris partibus non ità promptum, tum quia in illis cuſpides in perpetuò fluxû ſunt tendentes cum ſerô ad veſicam, ubi nonnihil conquieſcunt, tum quia in reliquis partibus non vehuntur in ſolô ſerô, ſed in via permiſtæ ſanguini & pituitæ eoque à cæterorum miſturâ repreſſæ à pungendô avocantur. Non alienum tamen fortaſsè fuerit exiſtimare, vim cuſpidum à ſale earumdem volatili increſcere atque auctiorem reddi.

Ibidem To. 5. *Obſerv.* 37. *De gemmarum odore.*

UT gemmæ in medendo laudem meritam tueantur, in eas minutiùs longô attritû comminuendæ ſunt, ùt dentibus admotæ nihil ſtridoris excitent, aut, ut præclarè *Galenus* de ſimpl. Med. fac. IX. C. XIII. imitentur ſubtilitate pharmaca, quæ ingeruntur oculis. Hôc inſtitutô rogabam Medicinæ ſtudioſum in ædibus meis viventem, ùt cùm ſatis nonnunquàm perfunctoriè inſiſtatur in pharmacopoliis gemmarum trituræ, ille patientiam, menſtruam iſtùc converteret. Offerebam ergò Smaragdorum, hyacinthorum, ſapphirorum, rubinorum & margaritarum ana unciam unam; quibus primùm, ut erant rudes & integræ, in mortariô ferreô nitidô, miniſteriô piſtilli itidèm ferrei, paululum comminutis, ventum eſt ad mortarium vitreum, in quô, per aliquot horas ſingulis diebus, piſtillô vitreô, affuſâ ſubindè aquæ vulgaris ſtillatitiæ portiunculâ gemmas has longâ patientiâ attrivit. Elapſis jam in terendô tribus circiter hebdomadibus, cœpit totum ejus Muſeum, utcunquè ſatis amplum, gratiſſimô odore perfundi, eôque non fugaci, ſed ultra integrum triduum perſeverante. Erat autem odor ille ut varietate & ſuavitate naribus acceptiſſimus, ità paullò vicinior violis Martiis delicatè fragrantibus. Neque importati aliundè odoris ulla ſuſpicio, quippè totum conclave ab odoramentis aliis liberum. Subiit tum animum illud in Muſeô Aldrovandi Metallicô *A Lapidibus Mariæbergicis malleô percuſſis odor moſchi egreditur.* Id quod ab *Anſelmô Boetiô* mutuatus eſt, cui & ſaxa Lavenſteinia violam traduntur olere, & Hildeſheimenſia, ſi malleô percutiantur, cornu aduſtum. Quin viſus mihi apud illuſtrem *Septalium* Mediolani lapis ſtellaris, qui ſolô frictû calefactus reddebat odorem humani ſtercoris. Et apud Cardinalem Urſinum Romæ conſpecta mihi vaſa terrea Luſitanica ſponte odorifera.

Ibidem Obſerv. 38. *De Urinâ viridi.*

MAtrona nobilis ſextum menſem gravida corripitur febre tertianâ. Advocor, & quæ malo avertendo opportuna ſunt, præſcribo. Poſtridiè & ſequentibus aliquot diebus dum urinam prægnantis inſpicio, oppidò viridem eam obſervo, ſedimentô griſeô ſubſidente. Jubeo frontem & oculos mihi obverti, cogniturus annè in icterum declinet malum, quòd compertum, urinas ictericorum aliquandò ex flavô virere. Nihil in vultû, in oculis nihil, quod de imminente icterô teſtetur. Ceſſavit paulò poſt malum pharmacis acidi nimii vires frangentibus expugnatum: quid enim credibilius, quàm bilem in corpore hôc cum potentiori acidô confuſam ad vaſa urinæ penetrâſſe, & in itinere colorem ſuum flavum, ad imperium acidi, in viridem convertiſſe, quô nihil frequentius, ob eandem rationem, in excrementis infantum ſolet notari.

Ibidem Obſ. 39. *Ex tubis puerilibus periculum.*

JOhannes *Træneri* filius ſex annorum, donatus à ſedulâ matre, ante feſtum Natalitiorum Chriſti, varii generis crepundiis, ligneis equis, fiſtulis ligneis, tubis ex eôdem argentô confectis, omnibus diverſô colore, præcipuè rubrô & flavô incruſtatis. In quibus ventilandis, & uſui puerili accommodandis dùm ſollicitè occupatur, rogatur fortè in conviviô à Parentibus, ut hoſpites gratô tubæ ſuæ clangore exhilaret.

Patet officioſè, & dum ſtrenuum ſe ſe in novâ buccinâ animandâ præſtare laborat, concidit, ad menſam propemodùm exanimis, & convulſionibus diris atque vomitionibus excruciatus totam excit. familiam. Adſunt lipothymiæ, livor faciei, & quicquid in propinquô mortem ſolet oſtendere. Advocor properè & miſellum propemodùm enectum adverto. Inquiro in cauſam ſubiti infortunii; utque nuperrimè lætum & ludibundum adſtitiſſe menſæ referunt, jubeo inſtrumentum lætitiæ in medium afferri. Mox, quod res erat, deprehendo. Tuba affertur lignea recens, coloribus expicta, præcipuè flavô & rubrô, auripigmenti ſobole, cujus illam partem, quæ ori inſeri ſolet, buccâ calente puellus delingendo abraſerat, hinc triſtia illa ſymptomata. Itàque cognitâ cauſâ ventum mox ad emeticum blandum & pingue, hinc ad alexipharmaca, & præſertim nativum cryſtallum: undè ceſſit malum, ſed cadaveroſus faciei pallor in tertium uſque menſem perſeveravit.

Ibidem Obſervatio 40. *De Putridorum imagine guſtui repræſentatâ.*

NObiliſſima virgo Holſatica, docta illa, & in Hiſtoriis gentium, immò & Philoſophicis verſata, cùm ex affectibus aliis, atque aliis, præſertim hyſtericis, me curam valetudinis ejus agente, convaluiſſet, conſilium meum rogavit, ad rarum quoddam & diuturnum à cibô averſionis genus profligandum, cui pluribus annis varia Medicorum pharmaca incaſsùm oppoſuerat. Malum hoc erat: Quotieſcunquè cibaria menſæ inferebantur, etiam delicatiſſima, ad eorundem primum aſpectum in faucibus guſtum eorum præſenſit, non nativum illum, ſed qualis ex iiſdem putreſcentibus ſolet oboriri. Viſis piſcibus curiosè præparatis, quàm, inquit, fœtent piſces illi, quàm rancidô ſapore guttur afficiunt! viſis carnibus, cadaver, inquit, carnium palatô meô obſervatur: Mira imaginandi ratio! putârim, in viſcere ejuſdem aliquô, hypochondriis, aut fortaſſis ipsô uterô abſceſſum deliteſcere, ex quô foetor ille in corpus reliquum ſpargitur, imprimìs autem in fauces, quòd illis operoſiſſimè utatur, ut eſt perpetuò fœcunda, eôque vaſa eadem habet ampliora. Cûm autem nidor eduliorum appetitum evocat, & ſimùl ex hypochondriis aſſurgit fœtor, miſcentur, ut credibile, hæc duo, imaginem putridorum cibariorum animô repræſentant.

Ibidem Obſervatio 41. *De Febre petechiali per diabetem ſpurium ſolutâ.*

ANni hi hactenùs ut bellorum, ità febrium malignarum fæcundiſſimi, variè curam Medentium diſtrinxêre. Deſiêre pleræque per ſudorum criſes, nonnullæ per diarrhoeas ſupervenientes quievêre: una in Juvene 22. annorum, contumax, maculis ſubrubris comitata, & in deliquia ſubindè exiens, nec ſudoribus paruit, nec aliis fomentis, donec tandèm à veſicatoriis ſtimulati humores viam ſibi fecêre per urinas, quas æger die 11. profundit adeò copioſas, ùt veram diabetem formidarem. Et hæc ipſa profuſio ipſi ſalutaris fuit. Non eſt tamen tam fida alioquin criſis hæc, quàm illa altera per ſudores: quippè notati mihi plures in febribus malignis, quibus, negatis ſudoribus fluxêre effusè urinæ, ſine optatô eventû, quod peſtilens illud in malignis fermentum ſæpè adhæreſcat tenaciùs ſanguini ipſi & lentis in eô humoribus, quàm ùt patiatur ſe in vias lotii amandari.

Ibidem Obſervatio 42. *De Diabete dyſenteriæ Comite.*

DIabeten hìc voco, non ex ἀκειβεία Medentûm, ſed inſuetam & copioſiſſimam urinæ per aliquot dies profuſionem, ſine ullâ manifeſtâ causâ ægrô ſupervenientem. Hanc rarô exemplô paſſus eſt jam ante biennium facundiſſimus quidam Eccleſiaſtes ſimul cum infelici dyſenteriâ, & levibus deliriis, nullô alioquin vel caloris inſoliti, vel pulsûs febrilis indiciô. Mira συνδρομὴ, cùm ratio ſponderet, fore, ùt tranſlata ad vias urinæ, quæ inteſtina divexabat, materiâ, ceſſaret alvi profluvium, vel è contrariô, nihil horum contigit. Duravit cœptâ violentiâ utrumque malum in decimum quartum uſque diem, admonentibus identidèm deliriis, ſed mitibus, & tandèm longiori vitâ dignum fatali metæ adſtituit. Nec omiſſa, quæ omnibus ſcopis ſervirent pharmaca, ſed pluſquàm gemina hìc adfuit hydra, cui conficiendæ vix ullus Hercules par fuiſſet. Scilicèt acrimonia humorum in hôc corpore tanta erat, & tam pertinax, ùt ſimul & pungendis cerebri membranis, & renum pelvi, & deniquè inteſtinorum ductibus pluſquàm ſufficeret.

Ibidem Obſervatio 43. *De Dyſenteriis raris ſymptomatibus, infeſtis.*

UT ſinguli homines ſuos patiuntur manes, ità ſingulæ propemodùm morborum ſpecies, quotiès populariter affligunt, novi generis irritamentô ægros adoriuntur. Hôc annô dyſenteriis paſſim ſe adjunxêre dolores acerrimi circa regionem cordis, oppreſſiones pectoris, interceptiones anhelitûs, adeò ùt ægris nonnullis à ſuffocatione metus eſſet; acceſſit ea in faucibus lentæ pituitæ copia, per aliquot dies recurrens, ùt gargariſmorum opem frequentem non ſecùs requireret, ac febres malignæ in fauces humorem noxium effundentes. Quibus non rarô ſe aggregavit, lumbricorum copia, atque pertinax ægrorum à pharmacis abſtinentia, & ſolius cereviſiæ frigidæ amor, quod utrumque ultimum non paucis funeſtum fuit. Tandèm trahente ſe in longum morbô, circa vigeſimum primum diem obortæ quibuſdam vomitiones ſanguinis, & illæ modicæ quidèm, ſed pleriſque ægrorum lethales, utcunque jam per plures dies non ſanguis ampliùs, ſed cum excrementis ichor tantùm ſubinde per poſticum excluderetur. In curâ, poſt rhabarbari uſum, etiam frequentiorem aliquandò, profuit maximè tinctura Martis adſtringens, ſed curioſè elaborata. Pulveres adſtringentes, decoctâ adſtringentia, quæ ſolenniter huic malo deſtinata ſunt, parùm, immô propemodùm hôc annô adſtringere viſa ſunt. Sed, & malô tandèm evictô, teneſmi ſolitô pertinaciores aliquandiù cruciavêre. Cuidam Equitum Magiſtro dyſenterico, meæ curæ ſubjecto, hoc peculiare, quòd indubitanter prædiceret, quotiès excrementa ſua proditura eſſent cruenta, quotiès ſanis ſimilia: quotiès enim ſentiebat in urethrâ & teſticulis dolores lancinantes, certum erat exituri ſanguinis indicium, quotiès in ventre & inteſtinis vagabantur dolores, nil tale obſervatum.

Ibidem Obſerv. 44. *De Crurum Ulceribus Contagioſis.*

NOn eſt quidèm illud contagium adeô virulentum ùt ſpargatur ad plures, ſed ad eos, qui eôdem lectô decumbunt, tandèm proſerpit, niſi maturè obviam eatur. Deſignantur autem hìc

hìc potiſſimùm ulcera Cachœtea, non fugacia, aut levia. Id cùm pluribus oſtendi poſſet exemplis, unico hìc acquieſcemus, ſed clariſſimo. Vir meritis illuſtris, ſed ſcelotyrbe per intervalla divexatus duxerat puellam ſeptendecim annorum, ſaniſſimam, pulcherrimam; quæ ſenſim, licèt mater liberorum aliquot, evitare non potuit, quin è contuberniô mariti omnia corporis ejus vitia in ſe quoque derivaret, illô tamen nullum ex eô ſolatium inveniente. Laborabat aſthmate maritus, correpta eſt eôdem malô uxor; madebat nocturnis ſudoribus maritus ultra modum aliis familiarem, madebat & illa, quamvis initiô conjugii ſiccior; diſtendebantur pedes mariti humore ſcorbuticô, nullum ferè commodum afferentibus ſub utrôque genû cauteriis, ſimilia paſſa eſt conjux. Tandèm exulcerantur crura mariti ulceribus variè ſerpentibus, & licèt ſubindè curâ periti Chirurgi coïrent, recrudeſcunt ferociùs, idem pedetentìm contigit uxori. Nec tantùm potuit vel Medicorùm diligentia; vel Chirurgorùm aſſidua ſedulitas, quin utrique idem malum fuerit mortiferum. Non indignum eſt, quòd hìc memoretur celebris Itali tentamentum adverſus ulcera illa funeſta. Viderat parùm profici pharmacis vulgaribus, eôque ad inſolita converſus magnam in ægrô ſpem ſanitatis priſtinæ excitaverat. Jubebat quotidiè afferri ex ædibus artificis, qui aurum in bracteas extenuat, tunicas allantoideas plures, namque his inter auri foliola extenſis, convenientiùs, & planiùs tundendo ultimam manum recipiunt lamellulæ; has membranulas ſollicitè tumentibus & exulceratis admovebat cruribus, in hanc ingreſſus opinionem, fore, ùt ab auri contactû vires novas mutuarentur, & propriâ ſubtilitate poros exſudantium ichorum occluderent. Sed nihil his profectum. Tandèm ingeſſit ſe Chirurgus Batavus, qui omnia brevi ſalva fore pollicitus, totô trimeſtri ità ptiſanâ quâdam medicatâ virum optimum exercuit, ùt quotidiè vel duodeciès ad ſellas diſcederet Patroclianas. Miram ægri patientiam! jubebat tùm Chirurgus crura faſciis ſtrictè involvi, nè humores de novô illùc decumberent, atque ità ægrum jam viſum ſibi saniorem, quaſi re benè geſtâ, dimiſit, nec diætâ ſicciori imperatâ, nec pharmacis roborantibus commendatis. Quid fit? nè unum quidèm menſem durabat imaginaria hæc ſanitas, antequàm ex adſtrictis faſciâ cruribus humores noxii in artus omnes penetrarent atque adeò intolerabilem accerſerent arthritin; cui demùm grave malum, calculus ſe aſſociavit, & urinæ interceptio, quibus noviſſimè, fruſtrà in adverſum nitentibus Medicis, vir longiore vitâ digniſſimus ſuccubuit.

Ibidem Obſervatio 46. De Mirô, ſed nunquam fallente ægræ ſomniô.

FOemina nobilis, jàm ab aliquot annis valetudinem minùs firmam experta, ſæpè arthritica, ſemper κακάγδομαχ@, aliquando calculoſa, in quæ in commoda incidit ex non interruptô ob mortem filiæ unicæ luctû. Quam quàm plurium Medicorum pareat conſiliis, familiariùs tamen meô, quotiès grave incidit ſymptoma, utitur miniſteriô. Hæc ſine omni hæſitatione præſagit venturum proximô biduô morbum, quòd trienni jam experimentô conſtantiſſimè edocta ſit, quoties de me ſomniat, inſtare ſibi adverſam valetudinem, licèt ſana ad dormiendum ſe ſe componat. Credibile, oberrare in corpore ejus ſemina mali, antequàm ſe plenè colligant, atque ab iſtis vagabundis motiunculis membranas cerebri inter dormiendum leviter pungi, & ab his vellicationibus redire memoriam eorum, quæ ſolenniter geruntur, quotiès punctiones ejuſmodi crebriùs infeſtant, hoc eſt, diſcurrendum ad ſollicitandam Medici familiaris operam. Hinc quotiès eam inviſo, primò omnium percunctari ſoleo, utrùm inter ſomniandùm me viderit vel lætum quicquam, vel triſte agentem: ſi neget, jam ſecurus ſum proximô ad minimum biduô de mali induciis.

Ibidem Obſervatio 47. De Odoribus ſingularia.

MIra jampridèm mihi viſa ſunt, quæ Clariſſ. Medicus *Marcus Marci* in Philoſ. Vet. reſtit. tradit de odoro Pragenſi: Ante paucos annos, inquit, hìc Pragæ fuit religioſus, qui ſingulos, & quæ ad eos ſpectabant, ſolô olfactû dignoſcebat, quin etiam mulieres impudicas, & plurium conſortio eſſent uſæ, confeſtim internoſcebat. Et quia Philoſophiæ non imperitus, novam ſcientiam odorabilium, opticæ, atque acuſticæ æmulam moliri cœpit, innumeras qualitates odorabiles nobis ignotas, quibus ipſe nomina imponebat, ad certas claſſes revocando. Verùm hos conatus mors intempeſtiva abrupit. Dignus ſanè longiori vitâ fuiſſet, aperuiſſet enim plura, propter organi odoratorii ſubtilitatem, quæ fortaſſis vix integrô ſeculô fruſtillatim manifeſtabuntur. Subiit animum memoria hujus relationis, cùm ante annos plures in illuſtris cujuſdam Herois familiâ vivens ſimiæ cujuſdam mores inſpicerem, de quâ jam alibi. Sed quid impedit hìc enarrare, quomodò periculoſa equi laſſitudo odoribus abacta ſit. Junxeramus ſocietatem 32. viatores, in quibus erat Comes Diedrichſtain, Comes Donaw, Baro Sieſowſchi, Baro Hornſtein, alii; ùt eô ſecuriùs iter Româ Neapolim conficeremus, quòd viæ paſſim à ſicariis & latronibus obſiderentur. Itaquè die tertiô itineris, cùm unius ex comitatû equus (fuimus enim omnes equites) oppidò laſſus nè calcaribus quidèm incitari poſſet, adeòque trepidaret inſeſſor, quòd ſi ſolus relinqueretur, pereundum ſibi manifeſtò videret; ex improviſô novam alacritatem caballo ſuo addi, notabat; miratus ſubitam mutationem miraculo vicina ſe obſervare clamabat, enim verò tot horis defatigatum equum ſuum, nullô pabulô, nullâ quiete recreatum jam priſtinas vires recepiſſe, portentô ſimile eſſe. Duravit illa alacritas horam circiter unam, & cùm per anguſtias montis cujuſdam eluctaremur, ſubitò iterùm elanguit, ſed invaluit paulô poſt, cùm certùm quendam equum pone ſequeretur; quô recedente nova laſſitudo novus moeror obortus. Effecit ergo precibus, ut liceret ſibi illum equum ſuo caballô perpetuo comitari, atque ita nobiſcum ſalvus in diverſorium evaſit. Scrutati cauſam advertimus tandèm, non equum fuiſſe, ſed equam, cujus odore languidus equus vires reſumpſit, & totis quatuor horis infatigabili fervore continuavit.

Ibidem Obſervatio 48. Alia de Odoribus.

QUi Smyrnâ, aut Aleppô quotannis Babylonem eunt, itinere arenoſô, & difficili, referunt aſſuetos vel ad 30. milliaria odorari, etiam nocturnô tempore, quô locô ſint, & quantùm ab urbe deſideratâ diſtent, etenim eoſdem proſternere ſe humi, & raptô arenæ obviæ manipulô nares conſulere, moxque de diſtantiâ ab oppidô ſecurè definire. Fortaſſis tamen herbulæ, aut radices odoriferæ arenis permiſtæ locum relinquunt præſagio. Ex odore ægri etiam nondùm viſi, ſed vicini tantùm, ſæpè ſtatum ejus valetu-

dinis cognoſcimus; & ſanè, quotiès in ægri cubiculô fœtor cadaveroſus naribus meis obſervatur, etſi nondùm graviſſimè decumbat, ſoleo triſtia ominari, neque temerè decipior. Ratio in promptû eſt: ea ipſa effluvia, quæ à cadavere copioſiùs exhalant, parciùs, ſed intelligenter tamen ab eô corpore ſolent emanare, cujus viſcera jam corrupta propè abſunt à cadavere. Sed in hoc negotiô canibus nonnullis major ſagacitas, quàm hominibus. Sæpè mihi Ripis viventi viſus eſt canis civis cujuſdam *Georgii Harbœ*, minutus ille, & caſtaneæ colore, qui totô ſeptenniô, quô ibi commoratus ſum, nunquàm, quantùm explorare mihi licuit, falſus fuit in denunciandâ latràtû nocturnô ægrorum morte. Quotieſcunque enim feneſtris ægrotantium, iterùm, iterùmque ejulans aſſidebat, quâcunque demùm Urbis plateâ, intra lapſum unius hebdomadis in iis ædibus funus deprehenſum, utcunquè id primum canis nocturni adventum ſæpè ſatis leviter ægri viderentur laborare. Scio futuros, qui illa præſagia in oſtentationem ſpectrorum rejiciant, ſed cùm bonos genios ità percurſare vicos nuſquam certò doceamur, & conſtet malos à dominô ſuô, id quod ipſe ignorat, haurire non poſſe, malim credere ſagacitatem canum quorumdam, (quam in venaticô genere experimur admirabilem) ex funebri ægrorum odore in ejuſmodi ululatus ſeu querulos latratus incidere. Certè *Borellus* in Centur. refert quendam rabidi canis morſû afflictum olfactû percipere potuiſſe amicos è longinquô, etiam nondùm in conſpectum prodeuntes.

Ibidem Obſervatio 49. *Ex aſpectû pharmaci Cathartici liberalis purgatio.*

QUantum imaginationi in humores corporis impervium ſit, ut ex Th. Fienô, & aliis paſſim experimentis liquidum evadit, ità eô quod ſubjicitur, exemplô confirmabitur. Primarius quidam Civis Hafnienſis ex febre tertianâ convaluerat, & domitô jam morbô, corpus ſolenni catharticô expiàrat, jamque ſibi plenè reſtitutus rogabat, ùt uxorem quoque leni purgante tentarem. Pareo, & pilulas duntaxàt, quinque propino. Dùm illa delicatula in deglutiendo tricatur, maritus, niſi, inquit, ſubitò hauſeris, quod apponitur, jam mihi quoque nauſeam commovebis; abhorrebat enim maritus à pilulis, ſorbitioni addictior. Dictum, factum, vorat illa hamum, & maritus, qui hauſerat nihil, ante uxorem ſtrenuè purgatur, nec ternis dejectionibus, iiſque luculentis contentus provocàſſe uxorem, etiam gemina vomitione ſtomachum evacuat, hâc parte uxore ſuperior, ut quæ nihil per os rejecerit.

Ibidem Obſerv. 50. *De Aliis imaginantium exemplis.*

ILluſtriſſimus quidam belli Dux febri continuâ afflictus meam expoſcit operam. Venio, & quæ ſalutaria viſa ſunt, per aliquot dies præſcribo, cùm veſpertina quâdam nonâ ſubitò evocor in auxilium, identidèm occentante famulô, Dominum ſuum in extremis eſſe, hauſiſſe per imprudentiam venenum jamque ſudore frigidô perfundi. Miratus inexſpectatam mutationem advolo, invenio ægrum propemodùm deſperabundum, pulſum turbatum, omnia confuſionis plena, famulum qui venenum obtuliſſe credebatur, fugâ elapſum. Sciſcitatus cauſam audio famulum ſimilitudine vitrorum pharmaceuticorum deceptum, non conſultà priùs inſcriptione, Dominô ſuô gargariſmum ebibendum porrexiſſe, cùm debuiſſet offerre analepticum. Hìc ego, peccatum, inquam, hoc eſt, ſed non adeò grave, quippè gargariſmum illum nihil ingreditur, quod vitæ inſidiari poſſit, utcunquè ejus ſimùl hauriatur integra libra. Tùm verò experrectior Illuſtriſſimus, At, ego, reſpondit, frequenter audivi gargariſmos ſolis faucibus conſulere, ſtomachô autem & inteſtinis eſſe inimiciſſimos, id quod & jam expertus ſum, ità horam pænè integram affligor, & vertigine funeſtâ circumagor. Ego placidè, nil, inquam, in Daniâ gargariſmis permiſcetur, quod hauſtum graviter nocere poſſit,& ſimùl ad pharmaca roborantia converſus propino ægrotanti liberalem hauſtum. Unde mox alacrior depoſuit de venenô opinionem & noctem quiete tranſegit, inque paucis diebus ſibi reſtitutus eſt, ſed ad experimentum aliud. Uxor *Chriſtiani Nœrgeri* ſtatuarii tertianâ contumaci excruciatâ recipit, meô juſſû, vitra duo, alterum ſudori eliciendo, paulò ante paroxyſmum, alterum corrigendis ſtomachi cruditatibus deſtinatum, ex abſinthiô, centauriô min. gentianâ, aliis. Imminente autem jam paroxyſmô, per errorem totum illud vitrum exhaurit, quo ſtomachicum extractum in plures hebdomadas ſuffecturum continebatur, & ad ſudandum ſe componit. Intervenit frater ægræ, ſtudioſus, ex intellectô, ex inſcriptione, errore, non, inquit, ſoror, ſudandi tempus jam eſt, ſed de extremis cogitandi, hauſiſti enim illud unâ vice, quod in dierum viginti uſum præſcriptum eſt. Illa anxia in ſudores frigidos declinare, circumſpicere ſacerdotem, &, ſi adhùc locus eſſet auxilio, opem meam ardentiſſimè implorare. Advenio, & ægram jubeo habere bonam mentem, nihil eſſe, quod mortem formidet, paratum me eſſe, ùt in ejus gratiam tantumdèm exhauriam. Illa præter ſpem ſuam in novam vitæ ſpem erecta in paucis diebus perfectè convaluit, nullumque ampliùs experta eſt paroxyſmum, formidine mortis, haud dubiè, ita effervèſcentiam humorum febrilium turbante, ùt in ſtatum morboſum neſcierint reverti. Tolerabilia hæc in ægris medicam artem ignorantibus, ſed & Medico D. D. *Oldenburgio* ſimilia ante biennium contigêre. Is, ut erat caſtrenſis Medicus, & artis ſuæ alioquìn oppidò peritus, ſed imaginationum intervallis obnoxius & in hariolandis imminentibus ſuo corpori ægritudinibus prolixè anxius, poſtquàm diebus aliquot Helſingoræ decubuiſſet ex ſuſpicione febris malignæ, quòd exiſtimaret traxiſſe ſe miaſma à præfectis aliquot militaribus, quibus in petechiali febre Medicinam nuper fecerat, Hafniam ſe juſſit tranſportari conſiliô meô uſurus. Ego cùm totô triduô nihil vel febrile, vel malignum in pulsû, uriniſque deprehendiſſem; quin, inquam, Amice, ad alia convertimur. Febris equidèm ſuſpicio evanuit, ſed noto corpus tuum pravis ſtagnare humoribus, ex diætæ, & aquarum vitiô, in obſidione Chriſtianoſtadienſi contractis. Annuit ille, & me ſuaſore, lene bibit purgans, quod lienis, aut certè acidi putreſcentis circa lienem fæces exturbaret. Poſtridiè adſum iterùm & Oldenburgium meum propemodùm deſperabundum invenio. Et quid, inquam, turbarum? ille, decepit te, reſpondit, ſtochaſmus tuus, ego enim jam mortem imminere ſentio, quòd in mediô febris ardentis, & malignæ æſtû catharticum aſſumpſerim, undè jam totus exundo petechiis, iiſque præ malignitate liventibus, ſimulque femora & crura oſtendit maculis ſcorbuticis diſtincta. Tum ego, aut, inquam, me fallunt omnia, aut hæ non ſunt febriles petechiæ. Conſulo pulſum, urinam, contrecto frontem nullum uſquàm febris indicium. Ille diù reluctatur, & in febrim

lipyriam

lipyriam ſe incidiſſe credit; cùmque nec pulſus id ſuaderet, nec arderent interiora corporis, tandèm, licèt ſatis ægrè, expugno pertinaciam triſtia ſibi ominantis, & antiſcorbuticis inſiſtendum moneo, quibus ad breve tempus uſurpatis ceſſavêre maculæ, & Medicus ſibi reſtitutus ſanus in Scaniam ad exercitum rediit. Audio tamen ipſum hôc annô Helſingoræ obiiſſe; ſive recurrerit ſimilis imaginationis conſtantia, ſive ſeriò rem geſſerit Morbona. Contumacior, funeſtiorque obſervata eſt imaginatio in Clariſſimô quôdam Duce militari qui neſcio quô infortuniô perſuaſiſſimus erât ſe gratiâ Regis excidiſſe, in conſervandis præſidiariis ſibi commiſſis negligentiùs egiſſe, eòque jam ad tribunal citari, ùt capite lueret ſocordiam. Quæ licet ſola animi triſtia ſecum agitantis inquietudo dictaret, (nec enim ullius criminis reus deprehenſus eſt) duravit tamen in pertinaci illâ credulitate adeò obſtinatâ mente, ut nec ſacris, nec politicis, nec Medicis rationibus contraria ducentibus pareret, immò nec præſenti aliquandò indulgentiſſimæ Reginæ & prolixè Regiam gratiam offerenti crederet; multò minùs, Medicis, qui duo ſimùl advocati eramus; noſtra enim pharmaca, totidem toxica interpretabatur, & in alimentis aſpidum virus recondi præ ſe ferebat, donec tandèm ex longâ & precibus omnium invictâ marcidus inediâ, peſtiferæ imaginationi immortuus eſt.

Ibidem Obſerv. 51. *De Mirô oculi & digiti annularis conſenſû.*

Conſenſum cordis cum annulari digitô ſiniſtrô jam olim prædicavêre Ægyptii, de quô *Gellius* & *Macrobius* disertè, & poſt eos *Dn. De la Chambre*; quam nunc ſejuſdem cum oculô, id quod ſequens hiſtoria planum faciet. *Anna Maria* miniſtri Evangelii in Oppidulô *Slore Heddinge* filia ſex annorum, digitum annularem ſiniſtrum mihi oſtendit malè multatum, tumentemque, quem dum etiam ulceratum adverto, proſequor inquiſitionem, & tandèm *ſpinâ ventoſâ*, quam vocant, miſerè vexatum conſpicor, & os ſubjectum magnam partem carie exeſum. Adjiciebat ſollicita mater, digitum illum non ſemper dolere, ſed per intervalla; enimverò quotieſcunquè oculus ejuſdem lateris rubore & dolore affligeretur, nullum in digitô ſentiri dolorem, ſed, quieſcente oculi malô, digiti dolores eſſe exquiſitiſſimos, quod & ipſum plorans puellula teſtabatur; & cùm ſæpè poſt ad me ventitaret, dum M. Philippi Hacquardi curæ ſubjecta erat, re ipſâ notabam. Commendatum puellæ in brachiô cauterium, laudata, quæ in hanc rem *Marchettus* in Chirurgicis ſpinæ ventoſæ opponit, expiatum corpus, cætera Chirurgo induſtriô permiſſa, quibus quantùm profecerit non conſtat, cùm domum jam diù conceſſerit.

Ibidem Obſerv. 52. *Ex vivô argentô carpis applicatô mors.*

Eſt argentum vivum equo indomito ſimile, quotiès in manus imperitas incidit. Id apud nos non ità pridèm expertus eſt vir quidam Illuſtris, cùm ex febre ardentiſſimâ, & ſimul malignâ decumberet. Enimverò, licèt non deeſſent Medici, ſpe celerioris felicitatis, neſcio cujus ſuaſû, paſſus eſt agyrtam ſuas artes expromere, Medicis ſcilicèt ignotas. Hic mirificus ille Roſcius, poſtquàm de ſuis experimentis magnificè perorâſſet, replet duos pulvinos linteos argentô vivô currente, & pulſibus utriuſque carpi ſecurè alligat additô promiſsô, fore & brevi calor ille febrilis extingueretur. Et vera præſagiit, ſed exſtinctus præternaturalis calor nativum etiam totius corporis calorem, ante exactas 24. horas improviſo exſtinxit, & ægrum in Libitinæ rationes tranſcripſit. Aliud exemplum hôc annô mihi ſpectatum uſurpati infeliciter Mercurii. Honeſtiſſimus in urbe nóſtrâ mercator, arthritide, & genuum debilitate diù cruciatus, promiſſis chirurgi nautici inductus, tandèm in ptyaliſmo ſpem ſanitatis reponit, haurit doſes aliquot liberales Mercurii vitæ, unde ἄνω & κάτω violentiſſimè purgatus ſimulque ad ſputandum impulſus omnibus viribus ſuis exuitur, totuſque rigens, & quâvis glacie frigidior opem meam implorat. Ego adultô juliô, cum Sirius uſtularet ægros, ingreſſus ægri cubiculum, obſervo non tantùm luculentum in caminô ignem ſed ſimùl manus ægri quaſi conglaciatas, pulſum nullum, aſthma difficile, ſolam rationem ſibi conſtantem; edoctus autem de Chirurgi medicaminibus; videnſque rem in extremis eſſe prognoſticô ægrotantem reliqui, qui & eâdem nocte in vivis eſſe deſiit, magnâ utiquè Chirurgi ignominiâ, niſi moribus hodiernis etiam conveniret illud *Hippocratis*: ἀδοξίη δὲ οὐ τιτρώσκει τοὺς αὐτέης συγκειμένους. Sed quia ſermonem de Mercuriô ingreſſus ſum, reperio in climate noſtrô non ſufficêre iis, qui lue venereâ luunt ſtultitiam ſuam, ptyaliſmum ex Mercuriô ad tres hebdomadas & poſtea ad alias tres decoctum liquorum ſed ſi malum inveteravit, requiri ptyaliſmum jam ad ſex, jam ad octo integras hebdomadas, immò in quibuſdam vel ad decem ante decoctorum uſum, quod niſi obſervet Chiron, indubitabilem ante lapſum ſex menſium inſtare recidivam.

Ibidem Obſerv. 53. *Anginarum & calculi ſymptoma rarum.*

Non alienum eſt, in febribus malignis, diebus præſertim Criticis, aliena loqui; ſed notavi idem in ſimplicibus anginis, nullâ febris ſuſpicione, quandoquè contingere, quotiès malum eſt paulo vehementius, & materia peccans jam in pus reſoluta ſanguini ſe miſcet, undè nervoſæ cerebri partes ultra ſolitum vellicatæ notiones confundunt. Sed cùm malum hic uſquè adeò vicinum ſit ſenſuum metropoli, cauſam ſymptomatis aſſequimur facilius, in calculô autem renum officina mali à cerebrô longè remota tumultuatur. Vidi nihilominùs, qui calculô graviùs infeſtante non conſtarent ſibi, nec niſi delira loquerentur, ſed momentô poſt, tranſlatô in veſicam hoſte, dictorum ejuſmodi eſſent obliti; & tum corpore, tum mente validi. Tandèm excluſô calculô animadverti cauſam mentis emotæ in acutiſſimos lapidis angulos rejiciendam eſſe, quippè nulla unquàm deliria, in iis deprehenſa mihi calculoſis, quibus calculi rotundi, aut obtuſioribus angulis moleſti fuêre, ſed tantùm (nec tamen ſemper, propter mentis majorem in quibuſdam conſtantiam) in iſtis. Scilicet pelvis renum veſtitur tunicâ νευρώδη, quæ & ipſa interiorem ureterum membranum conſtituit, hæc puncticulis acrioribus ſollicitata contrahit ſe violentiùs & tandèm nervoſa cerebri in conſenſum rapit, undè noëmata quandoquè turbari credibile. Quin & viſus mihi Pariſiis *à la Greve*, qui rotis fractus, pectore nondùm contusô aliena loquebatur. Juſſus enim ab aſtante Monachô, ùt pendentis in cruce Salvatoris, quem oculis ejus identidèm objiciebat, memor eſſet, quod in propinquô mors exſpectaret; An ergò, inquit, ſaucius ſum, ſi tam

tam ſubitò moriendum ? annuente ſacrifico graviter ſaucium eſſe, cur ergò excepit in Noſocomium non deportor, ùt manû chirurgi ſanari queam. Veriſimile, oſſium in cruribus, femoribus, brachiis fragmenta acutiora, totidèm cuſpides fuiſſe, quot in calculoſis illis exquiſitiores anguli, adeòque in utriuſque eadem ſecuta quandoquè ſymptomata. Nec fortaſsè in ſomnis aliena loquuntur nònnulli ob aliam cauſam, quàm quòd vel in partibus ſolidis, vel fluidis cuſpidatæ quædam particulæ nervoſa pungendo quietem ſpirituum interturbent. Sed nec illud fortaſſis ubivis obvium, quòd verminoſi pueri quandoquè aliena loquantur. Id mihi præ cæteris compertum in *H. Brechlinii* filio ſex annorum, qui poſtquàm miſerabile tridùum inter convulſiones & deliria exegiſſet, nullô febris argumentô, propinatis liberalitèr, quæ vermes exiguat, novem decim, tandèm excrevit lumbricos vivos longos, craſſos, & propemodùm ſpithamæos, quibus excluſis præter ſpem Parentum convaluit.

Ibidem Obſerv. 54. *Cur tertianæ hôc annô frequentiſſimè in quartanas exeant.*

VIx integrô ſeculô tot in his Provinciis numeratæ ſunt quartanæ, quot unicô hôc autumnô pullulârunt. Nec initiò viſæ ſunt quartanæ, ſed tertianæ vagæ, quæ ſenſim in duplices, immò triplices quartanas degeneravêre, niſi manus Medica initiô admoveretur. Nec difficulter paruêre pharmacis, ſed ſibi relictæ, vel negligentiùs habitæ промt ferociter inſultârunt. Parciùs tamen incubuêre Urbi noſtræ, quàm ægris inſuliſque ob diætæ, ut opinor, vitia; Cives enim quòd familiarem tum dyſenteriam malignam formidarent, abſtinuêre à fructibus horariis, leguminibus, aliis, quæ vicinis ſuis morbum invexiſſe audiebant; cæterùm agreſtes, & minutiorum oppidorum incolæ, nullô metu, oblatis paſcebantur. Hìnc integræ familiæ, toti propemodùm pagi, immò quandoquè tertia pars oppidanorum, quaſi fulmine icta lectis affixa eſt. Nec omnium tamen febres in quartanas abiêre, ſed eorum, qui neglexêre curam omnem corporum, ſimiles Virgiliano illi Georg. III.

—— alitur vitium, vivitque tegendo
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat; & meliora Deos ſedet omnia poſcens.

vel eandem initio perverſam inſtituerunt. Cauſam autem, cur ad tam frequentes ventum quartanas, hanc puto: extremum æſtatis præter morem, modumque apud nos incaluit, undè inteſtinus corporum calor ab externô evocatus eſt foràs, quô factô reliqui humores tanquàm in vappam ſubacidam deſciverunt, promptam quartanæ genitricem. Explicatiùs loquar; videntur humores corporum id paſſi, quod cereviſia in cellis, tonante Cœlô, aceſcit paulô poſt, mulcet, corrumpitur, quòd viridiores ejus partes fulmineum illud ſulphur, omnia pervadens, ſecum in aëra tranſtulerit, aut, ſi mavis, confuderit, & in aliud ſchema perverterit.

Ibidem Obſervatio 55. *De ſingulari ſymptomate à Veratrô albô productô.*

QUando divinus noſter *Cous* pronunciat σπασμὸν ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον, non id vult, omnibus perinde convulſiones ejuſmodi lethiferas eſſe, quemadmodum ſagaciores interpretes odorati ſunt, ſed periculoſas, eoque Medicô formidandas. Certum enim eſt, nec id Hippocrati ignorari potuit, poſt triſtia ejuſmodi ſymptomata plures, licèt ægrè, Libitinam evadere, quin nec omnia ſymptomata à veratrô albô, utcunquè funeſtiora eſſe ſoleant (nam Hippocrati nigrum fuit familiarius) mortem invehunt, ſed aliquandò ſubitam ſalutem, quam tamen ità periculosè mercari non ſuaverim. Solet vulgus veratri albi, radicem cum cinere culinario & momentô aluminis, atque Zingiberis permiſcere, atque miſturæ hujus (*Pharamundo Rhumelio*, ut video, etiam laudatæ) drachmam febricitanti ingerere, undè præter cætera, quæ ab usû veratri nimiô proficiſci ſolent ſymptomata, notavi miram oculorum convulſionem ſuccedere, namque invertuntur planè oculi, & pars, quâ videmus, retrò fugit, bulbuſque duntaxàt albus inſpicientibus apparet. Durat illa cæcitas horam circiter unam, & tandèm rejecto per crebras vomitiones helleborô, diſcutitur, febris cedit, & ſanitas exſpectata revertitur. Hoc illi vocant, duro nodo durum quærendum eſſe cuneum; ſed niſi ſalva omnia ſunt in pulmonibus ægri, cuneus tandem eſſe poteſt, qui vitam ipſam è corpore tabidô extrudat.

Ibidem Obſerv. 56. *De ſuperfoëtationum exemplis.*

TRia ſuperfœtationum exempla obſervare mihi licuit, unum Lugduni in Batavis, hic duo; in omnibus ea foëtuum diverſitas, ut duo circiter menſes inter primam ſecundamque conceptionem interceſſiſſe viderentur. In ultimô, quod nuperrimè accidit, hoc rarum, quòd infans minor natû interfecerit majorem. Res ita geſta: Nobilis Germana, quæ per biennium Amſtelredamenſes Medicos in curandâ tabe pulmonibus infeſtâ, experta erat, hùc tandèm ad maritum ſe transfert, & mox, ut fit, gravida inducias mali ſibi ſpondet, ex perſuaſione vulgari, quandiù parturiunt foëminæ, nullum eſſe à phthiſi periculum. Non ceſſavit tamen occultus hoſtis, ſed intra paucorum menſium lapſum invaleſcens ægram lecto affixit. Ego advocatus, expenſis circumſtantiis, diætam convenientem definio, laudo decoctum carnis gallinaceæ, roſis rubentibus farctæ, ad exemplum *Foreſti*; commendo radicis Chinæ decoctum diù frequentandum, quòd uſum ejus in ſimili affectu ſæpè ſalutarem deprehenderim, pauciſque pharmacis adjectis, ſuadeo lac aſininum, in quotidianum alimentum. Illa cæterorum citô pertæſa in uſu lactis aſinini perſtitit, eô ſucceſſu, ut jam habitior ſeptimo geſtationis menſe in Holſatiam ad maritum Gluchſtadii tùm degentem properaret: ſed in itinere, fractô, per neſcio quem tumultum, curru, exterrita ægrior mox rediit, atque animam velut agens, & ſacris expiata ultimam neceſſitatem exſpectavit. Poſt aliquot tamen dies collègit ſe ſe iterùm & meliora cœpit ſperare, cùm iterùm triſtis mortis filii, quanquàm falſæ denunciatione, perturbata diſrumpi involucra fœtûs ſenſit, & mox lectum aquis ſtagnare. Advolat obſtetrix, & in tertium diem, cum malè diſpoſitis, ut referebat, fœtus membris luctata tandem expedivit puerperam, & primum quidem infantem maſculum in lucem produxit ſeptem circiter menſium, vivum quidèm, ſed qui unicâ poſt horâ exſpiravit; hinc fratrem minorem, itidèm, ut prior, membranis propriis involutum, ſed mortuum, immò foëtentem. Putrida etiam viſa involucra, & infans fratre, dimidiô propemodùm minor, qui fœtore ſuô majorem natû infecerat, ut qui vivus quidem prodiit, ſed miſerè languidus & cadaveroſus. Credibile, minorem, ideò primum ſuccubuiſſe, quòd junior, eôque imbecillior perturbationes matris ad ſuum quoque nutrimentum derivatas ſuſtinere nequierit.

Ibidem

Ibidem Obſerv. 57. De ſuſpicione de aliis Urinæ ductibus, quàm qui vulgò cogniti ſunt.

DIù eſt, quòd Medici luctantur in explicandâ ſubitâ illâ acidularum per veſicam redditione, præſertìm ex quô leges circulationis ſanguinis videntur perſuadere, omnem lotii materiam per cor tranſire, antequàm ad renes perveniat. Alii quidèm aliter hìc ſe expediunt, mihi difficultas augeri videtur ex eô, quod ſubjicitur, exemplô. Virguncula ſeptem annorum, ſana alioquin & vivax, variolis nuper corripitur, & dum ardenter ſitit, recipit ſubindè à ſollicitâ aviâ hauſtum tenuis cereviſiæ, quam dum ego jubeo, ante ſorbitionem, incaleſcere, nè maculæ retrocedant, advertit quotidiè aviâ miſellam, quotiès calidam bibit, mox intra horæ quadrantem, eandem totam per urinas pelvi reddere, ſed frigidam adeò conſtanter retinere, ùt totis duodecim horis nè ſemel quidem mejat. Id cùm pluribus diebus ſimili ratione accidere viderem, recruduit ſuſpicio ſæpè his annis ventilata de aliis urinæ viis. Alioquìn notus mihi amicus, qui hauſtô unicô tantùm cochleari aquæ vitæ, quam vocant ſive ſimplicis ſive compoſitæ, intra mediæ horæ intervallum reddere urinam cogitur bis ter-vè, licèt ante hauſtum nuperrimè veſicam exonerârit. Atque ùt dixeris ſpicula illa ſalis tenuiſſima & ramenta acutiſſima olei, quæ in aquâ vitæ reſident, ſubitò fingere ſibi viam ad renes ductuſque aperire nihil certius eſt, quàm amicum illum, nullum intereà vel teporem in renibus adauctum obſervare, ſed mox ſtimulum circa regionem veſicæ, ſed & quodnam calcar in caldâ? quam jam ſana quotidiè bibit Virguncula, nec totô die niſi ſemel laxat veſicam, etſi juſcula intereà ſorbeat longè calidiora immò aromatis condita.

Ibidem Obſerv. 58. Ex glande melleâ vitæ periculum.

TOtiès impunè volitantes circa tempora glandes plumbeas, ferreaſque ſenſerat illuſtris *Baro Grandviller*, excubiarum in exercitû Monaſterienſi Præfectus generalis, apud nos melleæ propemodùm ſuccubuerat. Poſtquàm enim veſpere quôdam alvum notâſſet adſtrictiorem, per famulum Pharmacopœi juſſit glandem ex melle coctam ſibi, more ſuetô, ſupponi, quâ intra horam unam aut alteram nihil excrementorum evocante, ſecundam ſubjici imperavit, & illa quoque ſegneſcente, tertiam. Nihil omnibus effectum, & nox inter turbulenta ſomnia, vigiliaſque querulas exacta. Poſtridiè accerſor, & clyſteribus inſiſtendum moneo, iiſque pinguiuſculis, & carminantibus. Sed nec à clyſteribus levamen. Viſus ſibi æger, ut referebat, in inteſtinis quaſi palo confixus. Subiit cogitare, glandes nimiùm fortaſsè coctas induruiſſe, ut ſolent, atque altiùs in inteſtina penetrâſſe. Intereà frequentatis enematis, & ingeſtâ per fauces cereviſiâ, in quâ manna Calabrina delicuerat, item oleô amygd. dulcium, aliiſque, quæ neceſſitas ſuadebat, binæ tandèm glandes per poſticum viam invenerunt, ægro intereà inconſolabili, quòd nec dolores imminuerentur, nec venter detumeſceret, nec excrementi quicquam prodiret. Tenuit hæc lucta tertium jam diem, jamque videbatur ultima minari, Barone fremente, inauditum ſibi mortis genus à melle intentari, cùm poſt balneum aquæ dulcis pinguia per os ingeſta, & inunctô unguentô de arthanitâ, cui oleum diacolocynthidos permiſtum, ventriculus expedirent, laborantem, & cum excrementis protruderent, craſſa enematis primi fruſta, ſed duriſſima, & vitri more fragilia. Diſcant hinc Pharmaceutices miniſtri, quantùm noxæ, & quàm funeſtus eventus ex inconſultâ tam innoxii alioquin ſucci coctura quandoquè proficiſcatur.

Ibidem Obſerv. 59. De immenſô ſcroti tumore.

VIderam quidem jam ante, laxiores corporis partes ex decubitû humorum in ſingularem amplitudinem extendi, notaveram renem unum infantis recèns in lucem editi, vel tres urinæ libras, ex defectû ureteris ab illô latere, ſinû ſuô comprehendiſſe; ſed ſcrotum uſque ad ultimum genuum marginem deſcendere poſſe, nunquam conſpexi, niſi in *Jacobô Cirſon*, piſtore Hafnienſi. Is à multis annis ramicoſus, cùm rejectis, quibus malum coërcebat, faſciis negligentiùs viveret, imò in nuptiis tandèm amici liberaliùs ſe invitaret, excrevit ex eô ſenſim in eam molem ſcrotum, ùt omnia ipſius inteſtina, complecti videretur. Mirabar cùm ſtaret, partem ſcroti etiam tàntillùm infra genua deſcendere; cùm decumberet, accumbebat moleſtiſſimus ſaccus, & in amplum ſe diffundebat. Tandèm vomitio nigerrimæ & acidæ amurcæ ad aliquot durabat dies, rejectus & per os ſanguis impurior, ſed adeò acris ùt fauces exulceraret; hìnc nullæ ejus querelæ graviores exceptæ, quàm uri & excoriari ſibi fauces, buccam, gingivas. Haud dubiè cibaria, quæ in ſcrotum quoque deſcenderant, cùm eluctari ad anum non poſſent, morâ & calore loci in acidum crama degeneravêre, unde acres illæ verſus ſuperiora regurgitationes, quas acidas ipſe æger interrogatus agnoſcebat. Supervenit tandèm gangræna ſcroti, & reluctante licèt chirurgo, fata abſolvit.

Ibidem Obſerv. 60. Fœmina, quæ mortuam ſe credit, & miratur ſe quandoquè reviviſcere.

HOneſtiſſima matronà propemodùm ſeptuagenaria cùm ante biennium valida adhuc & ſenſibus integerrimis in culinâ neſcio quibus cibariis aſſideret, illapſa per januam ſubitò aura frigidior ità occiput ejus penetravit, ùt in paucis horis hemiplectica concideret, & totô triduô parùm à mortuâ diſtaret. Narcoſis perpetua, rhonchi crebri, ſpumoſa circa os, pulſus aliquandò undans, ſæpè velut deficiens. Quartô die, antapoplecticis diù fota, fricta, fumigata levavit oculos, hauſit pharmaca, loqui cœpit, ſed pleraque aliena; præ cæteris autem, (in quô adhùc per intervalla durat) nominavit fœminas uſû & familiaritate ſibi cognitas, quarum miniſteriô jam mortua (ità enim conſtanter credebat) feralibus linteis veſtiri vellet, & in arcâ reponi. Cùmque filia & famulæ nondùm obiiſſe Dominam identidèm occentarent, illâ iratior iterùm, iterùmque emiſit, qui familiares tarditatis in ultimô illô officiô increparent. Tandèm moræ impatiens, & minanti propior à famulâ domeſticâ etiam diù reluctante officium funebre extorquet, mirata ſubindè cunctationes matronarum, ut quibus totiès in articulô mortis domeſticorum ſedula adfuiſſet. Quid multa? veſtitur habitu exſtinctis ſolenni, & in anaclinteriô extenditur. Diù ſe circumſpicit, & jam ibi aciculas parùm fidas, illìc fimbrias propendentes, alibi lintea non ſatis munda cauſatur. Tandèm in ſomnum prolapſa ab ancillis expeditur iterùm voluminibus funebribus, & in lectô ad quietem reponitur. Experrecta iterùm mortuam ſe aſſeverat, & ut antè, de pollingentibus

lingentibus ſollicitam ſe oſtendit. Recurrit diù ex intervallô eadem cantilena, nec aliud præſentiùs perverſæ imaginationi à me inventum eſt remedium, quam pulveres gemmei opio alternis diebus remiſſi. Ex quô vivam ſe intellexit, ſæpè in Norvegiâ ſe apud filiam eſſe arbitratur, negantibuſque contumaciter contradicit, accingitque ſe nonnunquam ad iter Hafnienſe, nec alia technâ hanc ejus opinionem diſcuſſit, quàm quòd carpento in ſuburbana aliquandò evecta, cùm rediret, portam domûs ſuæ, agnoverit, & tum demùm è Norvegiâ Hafniam reverſam ſe eſſe pronunciârit. Intereà manuum, pedumque miniſteriô utitur ſatis expeditè, ſiniſtris tamen partibus paulò timidiùs, comedit liberaliter, alvus reſpondet, cætera ſanis ſimilia, niſi quòd dormire nequeat, niſi alternis noctibus Opiô ſomnos invitet; & primô quidèm annô ſuffecit narcotici granum unum, poſteà non ſecuta quies, niſi duobus granis advocata, nunc tria requiruntur, ità ſenſim natura aſſuetudine longâ cum opiô familiaritatem contraxit. Hodiè, maximè circà ſolſtitia, & æquinoctia vel iterùm mortuam ſe credit, & paulô pòſt revixiſſe ſe miratur, vel, quod ipſi jam frequentiùs, epulis mortuorum, ſe intereſſe arbitratur, vel jam diù exſtinctis mente & animô convivia præparat. Uſque adeò firmiter cerebrô inſedit mortis illa imago, ùt perpetuum ferè cum larvis commercium ſibi eſſe perſuaſiſſima ſit. Alia honorata Matrona ex lochiorum ſuppreſſione febricitans infernam ſe furiam eſſe voce intentiſſimâ aſſeruit, & è lectô ſubitò procurrens, oculis ad formidinem aſtantium efferis, rubentibuſque, ſum, *inquit*, vera Tiſiphone ſtygia, ſum ardens apud inferos genius, & ſimùl in oculos mariti involavit unguibus, me ad Tragicum ejuſmodi ludum cohorreſcente. Rediit illa tamen ad ſaniorem mentem, & largô fletû delirium expiavit. Alia, poſtquàm à partû convaluiſſet, Sacram Scripturam nullô modô ſibi ſcriptam eſſe obſtinatiſſimè pertendebat, & cùm ſacris intereſſet, ſalutaria miniſtri Evangelici monita ad cæteros quidèm omnes, ſed ad ſe nequaquàm pertinere aſſeverabat, expurgata tamen iterùm iterùmque pharmacis amurcam ſanguinis emendantibus integræ menti reſtituta eſt.

Ibidem Obſerv. 61. *Roſſalia Squamoſa.*

SÆpè hôc annô ἐρυθρήματα illa videre contigit, quæ vulgò Medentibus Roſſalia appellantur, & ad morbillos referri ſolent. Infeſtant præſertim teneram ætatem. Ægri primùm narcoſi, mox febri continuâ, eâque vehementi tentantur, & plerique ſimùl deliriis. Adeſt inquietudo ſumma, & inſignis oculorum pænè lacrymantium hebetatio. Tertiô die ſpargitur univerſa cutis maculis latis, oppidò rubentibus, quæ circa finem ejuſdem diei in unum coëunt omnes, adeò ùt corpus totum quaſi pulvere granorum Chermes videatur perfrictum, ſolâ facie à rubore iſtô liberiori. Durat formidatus Matribus color totum triduum, & Bezoardicis intereà largitèr propinatis, quartô die declinare incipit, & calor præternaturalis imminui, cuticulâ ſequentibus diebus in tenues veluti ſquammas fatiſcente. Quippè hæc tanquàm in verû aſſata perdit ſequacem illum lentorem ſuum, & flectendi ſe ſe obedientiam, undè ad motum corporis variè primùm diſrupta hiat, hinc ſenſim excidit, aliâ ſuccreſcente. Alia verò cauſa imperare videtur ſerpentibus, ùt novô vere exuvias deponant. Nempè alimentum vel nullum, vel exiguum hybernô tempore efficit, ùt ſuccus, qui in corpore reſtat nutritius, ægrè ad extimas partes gelû pænè rigentes, (ut eſt beſtiola alioquin & mediâ æſtate ad tactum frigida) deferatur, undè epidermis tanquàm veſtis, alimentô ſuô deſtituta ad vernos calores exuitur, & ceu alienum corpori involucrum rejicitur. Quin & elephantiacorum cutis in ſquammas degenerat, quia alimentô conveniente fraudatur.

Ibidem Obſervatio 62. *De Acerrimis doloribus capitis euporiſtô ſanatis.*

VIxit non ità pridèm apud nos Vir illuſtris; ſed vixit iis cephalalgiæ doloribus obnoxius, ùt jam diù mortem ſibi vitâ optabiliorem æſtimaret. Incipiebant dolores ab utriſque temporibus, & paulatìm altiùs in cerebrum evecti, utrinquè tanquàm malleô fabrili latera tundebant. Et quidèm viſum tolerabile malum, quamdiù hi imaginarii mallei ſeorsùm tragœdias ſuas exercebant, ſed quandò miſcebantur ictus, ita ùt in unam ſimùl in mediô cerebrô incudem ferociter incumberent, præ cruciatû non ampliùs apud ſe erat, ſed deliro ſimilis cubicula oberrabat; immò aliquandò animi tentabatur deliquiis. Suaſerant Medici, ùt tentatis incaſsùm variis arteriam temporalem pateretur ſibi incidi, ſolenne aliàs in hôc caſû remedium, ad quod neſcio quô metû inductus deſcendere recuſabat. Tandèm cùm conſtaret dolores illos proficiſci à nimiô ſanguinis arteriarum temporalium fervore & impetû, ex conſiliô cujuſdam in mediô dolorum curſû ſtrophiolô aquâ frigidâ madidô collum circumdedit, & cùm à nativô calore incaleſceret linteum, novô permutavit. Undè dolor quaſi excantatus furere eô tempore deſiit, & quotiès redibat, (id quod ſingulis ferè menſibus ſolenne) eôdem ſtratagemate eluſus eſt, admirante ægrô tam efficax remedium è puteô ſuô tam levi operâ hauriri. Medicis autem ea medicandi ratio ſuſpectior, non quòd neſciant contraria curari contrariis, aut, ut prudenter *Hippocrates*, ſub contraria ſub contrariis, ſed quia tùm vident ſymptoma tantùm hôc modô tolli, non primam mali cauſam, tum quia ab illô remediô ſæpiùs uſurpatô, vel paralyſin timent vel apoplexiam, clauſis ſubitô frigore nervoſis partibus. Aliquandò tamen, non inficior, uſus vincit rationem, & nihil eô periculo, in quô æger verſatur, periculoſius eſt. Pariſiis nihil in hôc malô frequentius ſectione arteriæ temporalis, atque notavi in Noſocomiô [*l'Hoſtel Dieu*] quoties chirurgus ob profunditatem arteriæ nonnihil fricari neceſſe habebat, ùt ſcalpellum juſtè adigeret, nonnunquàm cum Alexandrô violentius uſum fuiſſe oraculô, hoc eſt, arteriam ipſam transversô ictû reſecuiſſe, undè reſedit quidèm dolor, & diviſæ arteriæ partes faciliùs coïerunt, quàm poſt inciſionem punctìm inflictam metus tamen eſt, nè partes capitis, ab illô arteriæ funiculô, qui avulſus, nutriendæ, fovendæque eclipſin aliquam inpoſterùm patiantur. Quod *Foreſtus* refert à ſuſpensâ è collô verbenâ ſedari dolores capitis, id licet ſæpè experiri placuerit, tùm in plantâ viridi, tùm ſiccâ, nunquàm tamen evidenter ſucceſſiſſe animadverti.

Ibidem Obſervatio 63. *Euporiſta ad Catharrhactam imminentem.*

QUandò veluti rete oculis obtendi incipit, & quaſi fila viſionem inhibere deprehenduntur; item quotiès duæ, aut plures maculæ albæ pupillam obſident, adhùc quidèm, ſed ægrè, tranſſu-

tranſlucidæ, duo noſtratibus mulierculis, remedia ſunt, & quidèm ſæpè fructuoſa. Aliquandò capiunt ſecurim ferream mundam, & in planitie ejus ad æquilibrium collocatâ ſtrophiolum purum, ſed uſû ferè detritum, & jam conglobatum reponunt, admotâque candelâ accendunt. Poſtquàm exarſit, diſſipatis flatû oris flavillis ad oras uſtinæ oleum craſſum ſed paucum inveniunt, quod ſollicitè exceptum digitô oculis ægris ingerunt, & quotiès neceſſe, repetunt. Eſt autem oleum illud præcipuè lintei ſoboles, ſed cui à vicinô ferrô aliquot, opinor, ramenta tenuiſſima adhæſêre. Itàque diſſipantur nubeculæ illæ à tenuitate olei, firmantur oculi fibræ à ferri mantiſſâ. Alterum hoc eſt: Capiunt fruſtum electi Zingiberis, deraſôque cortice, tamdiù affricant cuti (quâ acuuntur ſcalpella) admiſtâ portione aquæ roſaceæ, donèc in fundum vaſculi ex attritû craſſamentum quoddam deponatur; hinc leni inclinatione vaſis roſacea tenuior effunditur, quod autem ſpiſſius, palpebris, clauſô oculô, mane & veſpere allinitur, ibique quietè relinquitur, donec æger agnoſcat evidentem in oculô calorem, tùm digitô inunctum magma abſtergitur, & labor idem, quotiès requirit neceſſitas, ingeminatur. Fricant autem potiùs, quàm tundunt Zingiber, ùt mollius, tenuiuſque evadat ſpiſſamentum, nec fibris, quæ in attritû prodire ſolent, inhorreſcat; ſanè ex crebrâ uſurpatione alterutriùs pharmaci non raró notavi inſignem fructum, malô nòndùm confirmatô, nec ratio aliud perſuadet.

Ibidem Obſervatio 64. An fluentibus liberaliter hæmorrhoidibus liceat uti catharticô?

DUbitandi ratio indè proficiſcitur, quòd purgantia turbent, aperiantque, & hôc pactô ampliori-ne profuſioni ſanguinis videantur aperire feneſtram. Contrà, humorum acrimonia intereà ſuadet catharticum, nè illi incubitû longiori hæmorrhoidas patefaciant largiùs. In hôc biviô, tutiùs purgari, quàm abſtinere, docuêre me experimenta. Fuêre enim ex ægris meæ fidei commiſſis, qui menſtruis ejuſmodi evacuationibus vexati, cùm viderent ſe tandèm debilitari non criticis, ſed ſymptomaticis his excretionibus, opem flagitavêre, quibus ego frequenter infuſo rhabarbari ſuccurri, obſervans ternis alvi ſolutionibus, inter purgandum vix tantùm cruoris effundi, quantùm unâ vice extra purgationis tempus excerni ſolet, immò ſæpè in ipſâ purgatione nè guttam ſanguinis profluere, averſâ aliò humorum rodentium acrimoniâ. Sed quid audendum, ſi evacuatio menſtrua fœminis propria ultra debitum perſeverat? Nec hìc formidandus rhabarbari uſus, quanquàm providentiùs incedendum. Nam alia purgantia plerùmque hìc infida ſunt, & ab aloëticis certum periculum. Quotiès autem gravidæ ſupervenit fluxus hæmorrhoidum, ut fit quandoquè, & is nec quietè, nec leniter adſtringentibus ſiſtitur, ægrâ interìm quotidiè languidiore, ambiguum eſt, utrùm rhabarbaro locus ſit; ſed certum, potiùs iſtùc veniendum, quàm cum evidenti periculo, vel fœtûs vel puerperæ, vel utriûſque rem naturæ beneficiô permittendam. Qui fortioribus hìc inſiſtit, raró ità circumſpectè rem tranſiget, ùt non alterutri immineat exitium.

Ibidem Obſervatio 65. De Calculis per anum excretis.

SÆpiùs id apud nos contingit, ſed nunquàm conſpectiùs quàm in *Catharinâ Michaëliâ*, fœminâ propemodùm ſexagenariâ, quæ antè, retròque durùm illud genus effudit. Vexabatur utriûſque lateris doloribus, ſtillicidiô urinæ, vomitionibus, inquietudine, ciborum faſtidiô. Itàque adeò evidentia præſentis calculi indicia effecêre, ùt ſpiritum terebint. Cypriæ, Ol. ſtillat. Chamæmeli, & ſuccini propinarem, additô decoctô contra calculum *Foreſti*, in quô pluſculum virgæ aureæ deferbuerat; commendans ex juſculis minutiorum avicularum, paſſerum, alaudarum, &c. Sorbitiones radicibus petroſelini temperatas. Quam vivendi rationem cùm ad dies aliquot inſtituiſſet, levata quidèm onere eſt ſiniſtri lateris, exoneratis aliquot in pelvim lapillis, ſed ærumna dextri lateris adeò non quievit, ùt auctior deprehenderetur. Itàquè miſſis oleis, ad ſpiritum ſalis armoniaci, qui urinam recipit, provoco, eique tùm efficaciæ gratiâ tincturam cocci baphicæ aſſocians ter quotidiè ægram hâc miſturâ in ſpem ſanitatis erigo. Illa ſolatium indè percipit, & ſenſim à doloribus, atque anxietate liberatur, me adhùc de eventû ſollicitô, quòd nullos ampliùs calculos in conſpectum venire obſervarem. Tandem ità mecum, fortaſſis calculô veſicæ felleæ ſimùl tentata eſt; quô, ſine querimoniâ, per poſticum excluſô, non ampliùs cruciatur. Jubeo igitùr familiarem ſellam inſpici, & affuſâ aquâ fæces liquidiores elui, ùt, ſi quid in fundô deliteſceret, coràm deprehenderetur. Quô factô calculi novem anguloſi, flavi, nec oppidò duri offeruntur, quos è veſicâ felleâ prodiiſſe nullum dubium eſt, teſtante colore, mollitie, & cæteris indiciis, de eorundem natalibus. Nam & centum, atque eô ampliùs hiſce gemellos vidi quondam in Leidenſis aniculæ cyſti felleâ, cùm à morte, Clariſſ. *Sylvii* cultro pateret; & ex eô tempore ſatis frequenter. Putàrim ab acidô præternaturali in veſicam hanc ſive cum ſanguine, ſive aliundè tranſportatô, prima coagulationis initia bili impreſſa fuiſſe, quæ poſteà morâ & calore loci magis induruerint. Idem aliis animantibus uſû venit, & quidèm bubus ſæpè. Nec lapidi porcino Indico (*pietra del porco*) alia origo, id quod & ſapor luculentè atteſtatur. Et nè ſolos calculos Indicarum beſtiarum felleos æſtimemus in alexipharmacis, ſunt qui bubulo felli in calculos denſato tantumdèm attribuunt; immò novi, qui in Galliis, malignè febricitantibus bubulum fel, ut eſt, nativum & adhùc liquidum, ad dimidium cochleare ptiſanæ permiſtum cum fructû propinaret. Sed ingratùm oportet eſſe remedium, & non niſi infimo popello ſuadendum.

Ibidem Obſervatio 66. Quartana poſt diuturnam violentiam ſopita, tandem poſt uſum Mercurii iterum evigilavit.

HOmo militaris triginta annorum, ex doloribus vagis crura, dorſum, frontem, & præſertìm nares infeſtantibus incidit in ſuſpicionem Venereæ luis, & perfunctoriè à neſcio quô chirurgô tractatus quartanâ tandèm corripitur; ſperatque fore, ùt malum ultimum ſuſpicionem prioris everrat, ex lege proverbii: Febrim id agere in corpore, quod incendium in caminô, hoc eſt, fæces & fuligines ante natas in ſolidû ſecum auferre. Verùm falſus augurii diù circumtulit inviſam febrim, & licèt inſtitutis hûc illùc peregrinationibus, ſenſit etiam poſt annum integrum ejuſdem inſultus, quibus

quibus demùm circa æquinoctium autumnale quieſcentibus, nondùm quieſcente priſtinâ luis malignæ ſuſpicione, commiſit ſe Chirurgo ſatis in hâc palæſtrâ exercito; qui ad Mercurium more ſolenni provocans ptyeliſmum ad tres hebdomadas excitavit, nullô intereà quartanæ veſtigiô uſquàm in corpore deprehenſô. Poſtquàm ea ſalivæ lentæ vis educta eſſet, ùt malignitatem ſupereſſe nullam arbitraretur, ventum eſt ad decocta vulgaria ex guajacô, ſarsâ, aliis; quorum uſû ad dies 12. continuatô, imperatis ex intervallô ſudoribus, rediit ex inopinatô quartana, & jam antiquum obtinens ægrum oppidò perplexum impulit, ùt meum exquireret conſilium. Ego memor inſidiarum quartanæ, ſuadeo, ùt decoctô primô, ceù generoſiori abſtineat, contentus dilutiori illô, quod *ſecundum* vocant Artis filii, donèc apertæ, fatigatæque ex Mercurialibus fibræ corporis collegerint ſe in robur antiquum. Quô factô, ex intervallô utatur pilulis de ſagapenô, aculeatis granô unô aut alterô trochiſcorum Alhandal; tribus autem proximis ante ſolſtitium hybernum (quod jam imminet) paroxyſmis componat ſe ad ſudores, aſſumptô gentianæ extractô, vel ſale aliquô volatili, vel deniquè cortice gannanaperide; cujus uſum etiam in tertianis laudant hodiè Britanni; Noſtri inter initia febrium parciùs uſurpant, ſalibus lixivis in hôc malô plerumquè contenti, ut quæ longô uſû experti ſunt ſalutaria, quandiù malum nondùm ſeptiès admonuit. Non inviti tamen poſt ſeptem paroxyſmos ad gannanaperidem, deſcenderent, niſi à corticum fraxini ſimilitudine fucus ſæpè in Peruvianum hunc corticem emanaret. Aiunt quidèm fraudem deprehendi frangendo, gannanaperidem in fracturâ nullas relinquere fibras, fraxini corticem relinquere; verùm ſi cortex fraxini vetuſtior eſt, fortaſſis etiam fibras perdiderit. Optimum hactenùs ab eventû judicium: doſis enim fraxinei corticis non ſuſpendit paroxyſmum, Peruviani ſuſpendit, ſed, niſi purgatiſſimô ægrô, metuenda recidiva. Verùm ad ægrum noſtrum; cùm de eventû conſilii nihil hactenùs poſſit conſtare, illud tantùm hìc monere libuit, ex allatô hôc exemplô ſatis elucere, quàm improbum & pænè invictum ſit in veris quartanis acidum (nam ſpuriæ nonnunquàm facilè percurantur) ut quod poſt annuum inſultum, exclusâ tantâ pituitæ morboſæ copiâ, Mercuriô detractârit parere.

Ibidem Obſerv. 67. De Puerô totâ vitâ rudi, ſubitò ante mortem doctô & diſertô.

HOnorati viri filius quatuordecim annorum, licèt cum fratre natû minori eôdem uſus præceptore, nihil adeò ediſcere potuit, nihil ferè memoriæ imprimere, pauca loqui, gravatè auſcultare, integris tamen ſenſibus & judiciô, quantùm ferebat ætas, non aſpernando; illô alterô intereà pulchrè in ſtudiis liberalibus provectô. Quid fit? præter exſpectationem intempeſtâ nocte febri corripitur ille, & ſubitò totô corpore erubeſcens delirare incipit, a que aliena loqui. Advocatus poſtridiè deprehendo omnia turbata, pulſum oppreſſum intremiſcentem, frequentem, parvum; fauces aridas, calorem urentem, verba tertiata, malè cohærentia, totam cutim non in maculas effloreſcentem, ſed veluti purpurâ tinctam, ſolâ facie exceptâ, quam in liberiori aëre hùc illùc jactabat. Jubeo illum benè ſperare, ſi quidèm parere Medenti non detrectet, alioquin improviſam inſtare mortem, ob ſummam ægritudinis malignitatem, quòd ſymptomata adeò gravia ipſum morbi initium comitentur. Is ad monita parùm attentus pharmaca oblata partìm vomitû rejicit, partìm jactatione corporis, & captatione auræ frigidæ eludit. Biduum ità tranſit inter narcoſes deliriis hìnc indè diſtinctas. Tertiô manè adveniens oratorem ægrum noſtrum gemens deprehendo: loquebatur ſaniſſimo ſimilis, & promptiùs quàm unquàm totâ vitâ, & eruditiùs: crederes Theologum de Vanitate mundanorum ex arte diſſerere, non ægrum ingenii pinguis & obtuſi in articulô mortis tricari. Emodulabatur ſacras cantiones, quas nunquàm memoriâ complexum fuiſſe præceptor ſanctè aſſeverabat; in contemnendâ morte ità facundus erat, ità plenus rationibus, quæ diſſolutionem corporis non formidandam ſuadent, ùt eruditus aliquis Senecæ nepos non potuerit meliùs. Quin & latinè ſubinde loquebatur, & ſine hæſitatione, cùm triduô ante, ſubſtantivum cum adjectivô (ceu vocant) ex diſciplinâ conjungere neſcierit. Et hæc omnia prudenter, & ſine ullô delirii veſtigiô ab eô diſputata ſunt, præcipuè autem multis precibus fatigata mater anxia, ùt ſacerdotem vocari juberet, quòd intimè ſe inardeſcere ingeminaret deſideriô ſacri epuli, ùt per teneram ætatem nondùm ſibi deguſtati. Nec mora, adeſt curator animæ, audit ſanâ mente confitentem reum, expiat admiſſum crimen, & religiosô viaticô languentem communit. Vix hora dimidiata ex eô lapſa eſt, cùm iterùm ad deliria reverſus & corpore, anhelitûque debilior ante noctem fatis conceſſit.

Ibidem Obſerv. 68. De Epilepticis varia.

NObilis adoleſcens equeſtribus deditus exercitiis tentabatur crebrò tuſſiculâ, ſed ſiccâ, & ſubindè dentium doloribus. Rejectâ in collum anguſtiùs, & catarrhum à glandulis capitis deſcendentem culpâ; augebatur ſuſpicio, quòd oculi tantillùm extra orbitas ſuas eminerent, & nonnihil erubeſcerent. Sed cùm ſæpiùs & graviùs admoneret Odontalgia, dentem, cui dolor præcipuè incubabat, evelli juſſit, nullô ferè operæ pretiô; ſerpebat enim malum ad vicina, & ad ipſam maxillam penetrabat. Sociis intereà delicatulum clamantibus, quòd à muliebri ægritudine conſtantiam ſuam turbari pateretur, ille die quôdam in publicô diverſoriô inter amicos ſubitò corruit ex animis quaſi fulmine percuſſus. Deportatur in lectum, ibiquè doloribus & aquis apoplecticis variè excitatus tandèm poſt horam dimidiam vivere ſe oſtendit, demùmquè tranſlatus poſterô die ſurgit ſed languidior, & in narcoſin cum gravitate capitis junctam propenſus. Vocati Medici cephalicis & iis, quæ comitialem avertere ſolent, inſiſtunt, exiguô fructû, quippè æger ex intervallô jam animi deliquiis, jam epilepticis convulſionibus, iiſque horribilibus divexatus, tandèm plenô rationis uſû ex languore inſolitô ſuccubuit. Cùmque teſtamentô ultimô juſſiſſet ſe in Patriam à morte transferri, adeóque balſamô, more Gallicô, condiri, nè navigantibus fœtore moleſtus eſſet; deſideriô ejus adverſari non placuit. Aperitur ad condituram à quatuor Chirurgis, & in reliquô tempore, nihil adeò morboſum deprehenditur, præterquàm quòd ſuperior dextri pulmonis facies præter morem nigreſceret, ex acidis, opinor, humoribus iſtùc ſenſim à capite depluentibus, & dexter teſticulus intra abdomen conderetur, puſillus & exſuccus; ſed ubi ad cerebrum perventum eſt, abſceſſus ſe obtulit in dextrâ ejus & quidèm ſuperiori parte, non ad latus, ſed propemodùm

in

in meditulliô, iſque fœtidiſſimô pure albô ſtagnans, ad amplitudinem ovi gallinacei; aderat & ſerum, ſed parcius, quod ad ſpinalem medullam videbatur ſibi aditum patefeciſſe, undè convulſionum frequentia. Æger autem; qui ſæpè conqueſtus erat de dolore frontis, & quandoquè occipitis, nunquàm oſtendit ſibi illam partem dolere, quæ vomicam occultabat, haud dubiô argumentô, cerebrum ipſum non patere doloribus ſed duntaxat; quibus involvitur, membranas. Conſtat inter alia ex hôc exemplô quàm vanæ ſint pollicitationes quorumdam, ſpondentium certam cujuſvis epilepſiæ, etiam hæreditariæ curam; cùm hic ipſum Apollinem, ipſum Æſculapium fruſtrà advocâſſent Amici. Nihilominùs nè nunc quidèm quieſcit in urbe noſtrâ Empiricâ, ſed promiſcuè omnibus hôc malô aggravatis opem promittit. Illa autem (nè myſterium publicè ignoretur) ex ſutoriâ pice, granis pæoniæ, & oleô caſtorei emplaſtrum format, & occipiti, raſis, ſi qui obſtant, capillis, calidè applicat, tandiù hæſurum, donèc ſponte decidat, quod plerumquè circa duodecimum diem ſolet accidere. Quòd ſi perſeverat adhùc malum, toti capiti, ſed raſo idem emplaſtrum circumfundit, ſucceſſû aliquandò non pæuitendô, ſæpiùs tamen nullô ut palàm eſt. Quid enim faceret hoc emplaſtrum ad tollendum abſceſſum cerebri? quid, quotiès malum urget per ſympathiam? quandò maligna aura attollitur vel à tumore manûs dextræ, quod *Plaiero* obſervatum, vel à ſiniſtrâ; quod *Haſtetero*, vel à mammâ; cruribus, teſtibus, pollice pedis, quod *Schenchio* & aliis; immò infinita ſunt exempla epilepſiæ per conſenſum; quibus ab illô emplaſtrô parùm ſperari poteſt præſidii. Id rarum in quôdam cive noſtrô, cui à cariosô pedis pollice oboriebatur hoc malum, quotiès perceptô priùs in pollice motû inquietiore & mox in crure; faſciâ crus ipſum paulò infra genua ſtrictè ligabat, antequàm ultra pergeret formicans, inquies, paroxyſmum notabat ſuſpendi; ſed ſi negligentior pateretur malum ſuperare genuá, poſteà nullum à faſciâ injectâ obſervabatur auxilium. Potuiſſet is vel exſtirpatione pollicis, vel inunctione butyri Antimonialis, de quâ medicatione Henr. ab Heer, perſanari, ſed maluit periclitari totum, quàm partem ignobilem tolli.

Ibidem Obſervatio 69. Quid faciat aliquandò immanitas doloris.

DOlui ex animô, cùm *ex Antoniô Guajneriô* apud *Gabelchoverum* legerem, Virum quendam bonum cùm diu dolores calculi crudeles patientiſſimè ſuſtinuiſſet, tandèm victum acerbitate cruciatuum animam ſuam infeſto Dæmoni Commendâſſe, modò à doloribus liberaretur. Mitiùs fortaſsè magnus illo Macedo, ſed tamen vehementiſſimè doluit, cùm, auctore *Curtiô*, epoto jam Herculis ſcyphô, repentè velut telô confixus ingemiſceret, & ferrum poſceret in remedia. Parùm abfuit ab honoratô quôdam virô noſtrate, peregrinationibus clarô ſimilis fortuna: Is poſtquàm diu luctatus eſſet cum infelici ſtomachô, omnia cibaria per vomitum rejiciente, aliiſquè doloribus hypochondria vagô, ſed acerbiſſimô cruciatû affligentibus, aliquandò, cùm ex lege amicitiæ ægrum viſerem, præſente Medicô ordinariô, ad utrumque converſus: Eſt, inquit, quod graviter ſauciat conſcientiam meam, occidi hominem, & manus innoxiô ſanguine inquinavi; proindè iterum, iterùmque per omnia Vos ſacra obteſtor, ùt Regi mox atrox crimen meum aperiatis; nè diutiùs juſtum ſupplicium eludam, & animæ periculum adeam deſperabundus. Nos circumſpicere omnia, notare vultum ægri, habitumque; & cùm conſtaret eum ſanâ mente ex meditatô ità loqui, ambigere, utrùm doloris impatientia hæc verba dictaret, an vulnus conſcientiæ. Abeuntes premere illa ſilentio conſtituimus, & aliâ vice in circumſtantias facti operoſiùs inquirere, nè vel amicô vel veritati deeſſe videremur. Redeo ergò poſt dies aliquot, & de flatû ægri percunctor. Ille vultû ſereniori, inducias, inquit, hodiè experior, non ità acriter me lancinant dolores; cùm adeſſes ſuperioribus diebus, ea fuit tormentorum ſævities, ùt quamcunque lanienam mallem, quàm eadem ulteriùs ſuſtinere: proindè ſtudio finxi (ità me ſuperi ament) commiſſam à me cædem, ùt vel publicô ſuppliciô domeſticum hunc & quotidianum tortorem evaderem. De militaribus ingeniis hìc ego nihil; ut quibus non infrequens eſt gladiô vel Stlopô imperare doloribus ſuis, quotiès aliquantò diutiùs, acerbiùſque perſeverant.

Ibidem Obſervatio 70. De Urinis Variâ.

CHriſtianus *Mauritii* herniâ carnoſiſſimâ laborans & ante ſectionem, & poſt eandem; urinam reddidit adeò frigidam, ùt fontana vulgaris mediô autumnô gelidior non ſit; convaluit nihilominùs, & ſanus ad ſuos regreſſus eſt: Fortaſſis renes ejus cum veſicâ præter conſuetudinem acidô humore ſtagnârunt, in quem incidens urina ex arteriolis adhùc ſuis calidè emulcta ſubitò diriguit, ceu videmus extra corpus, urinæ ſpiritum acidô potenti remiſtum ſtrepere quidèm, & ſubſultantibus bullis velut effervefcere, intereà tamen nec incaleſcere vitrum, quo adverſi humores continentur, nec ipſos humores vel tepere ſaltèm, ſed potiùs de inuſitatô frigore attingentem manum admonere. Sic ſal armoniacus, urinæ & ſalis marini tantillùm ſublimati ſoboles, cùm in aquâ frigidâ diſſolvitur, aquam manifeſtè reddit frigidiorem. *Alterum*, honoratus civis quartanâ diù enervatus, urinam ſubindè reddidit vermibus ſed mortuis fœtam; dixiſſes lumbricos terreſtres; niſi curti, plenique magis eſſent, & minùs longi. An ex inteſtinis arroſis viam ſibi fecerint in veſicam, an ibi nati ſint, non ſatis liquidum eſt; id conſtat, ægrum tertiô indè menſe, cùm diætæ leges parùm attentè cuſtodiret, accedentibus aliis quoque ſymptomatis, obiiſſe. Alioquìn vivos vermes ſæpè conſpicimus ſalis marini cumulos, ſi in locô obſcuriori inveterârint, perreptare; dixerim tamen eos potiùs cumulis illis ex mucoſô ſitû adnaſci, quàm innaſci. Poſſe tamen vermes in renibus generari, & per ureteres demùm in veſicam penetrare liquidum eſt, id quod crebræ inſpectiones renum caninorum, præſertim vetulorum manifeſtè demonſtrant, ſed in veſicâ naſci animal, ad fidem difficilius eſt; ab loci inquietudinem. *Tertium*, piſtoris uxor effœta, hôc ipsô tempore, quô hæc ſcribo, meæ curæ permiſſa, præter dejectum appetitum, & ſummum ciborum faſtidium quotidiè lotium reddit uſque adeò nigrans, ut dilutius attramentum imitari videatur, præſertim circà fundum matulæ, atque id integrum jam menſem continuavit. Suſpicarer ruptam in renibus arteriolam cruentum quiddam lotiô aſpergere, quòd tandèm in nigrorem deſineret, niſi id unum revocaret, quòd in fundô nullæ fibrillæ obſerventur, quales ex redditô per urinas ſanguine conſpici ſolent, natæ ex ſpiſſiori ſanguinis craſſamentô, quod diù urinæ neſcit innatare. Fortaſſis lien amurcam ſuam per illa vaſa expedit, eamque ideò nigriorem, quia ſolô propemodùm vinô Rhenanô ægra viam hactenùs tuetur, eôque ùt palam, acidiori, cùm cibaria magis formidet, quam

quàm fullones ululam. Adjunxiſſe hìc juverit, propter eos, qui ſpiritui panis multùm tribuunt, inter medios panes à furnô calentes ægrotam decumbere, adeòque ſpiritui illo, quamvis debiliori forſan, continuô tamen, non magis recreari, quàm ſi inter totidem ſaxa ægrotaret, argumentô, invalidos eſſe ad nutriendum odores, & gentem Aſtomorum *Pliniô* laudatam fabulis annumerandam.

Ibidem Obſerv. 71. *Ex venæſectione oblivio.*

ADeò delicatæ texturæ eſt illa cerebri pars, quæ rerum actarum memoriam cuſtodit, ùt levi negotio vel exporrigat ſe ſe nimiùm & veluti plicas ſibi impreſſas tenſione violentiori complanet, vel madore flacceſcat, undè oblivionem ſuccedere veriſimile eſt. Hìnc aliquandò morbô caput infeſtante perit memoria, aut imminuitur, aliquandò ſeniô oblitteratur, ſæpè metû interturbatur, nonnunquàm terrore ſubitô exſtinguitur, immò pluribus aliis modis carpitur, & hebetatur. Sed ex venæ ſectione jacturam ſentire rarum eſt. Accidit id tamen facundiſſimo cuidam Eccleſiaſtico pænè ſexagenario, cui cùm jam febres, jam plethora neceſſitatem imponant miſſionis ſanguinis, ſtatìm ab illâ evacuatione vacillare ſentit memoriam, neque etiam longô pòſt tempore integram redire. An ſpirituoſus ille calor, qui fibras memoriæ conſervandæ dicatas moderatè debet extendere, unà cum exeunte ſanguine pro ratâ parte exit, adeòque fibras relinquit minùs tenſas, quàm oportet? utcunquè fuerit, vas mirificè fragile eſt memoria, & rem probè meditanti, aliud ex aliô remoram expediundi ſe objicit. Eſt mihi notus quidam, ſatis alioquin fidelis memoriæ, qui in familiari ſermone quotiès ad nomina propria venitur, hæſitat & circumſpicit amicorum opem, alioquin mutus futurus, licèt milliès eadem nomina ante memoriæ impreſſerit. Immò certæ ſunt voces, quotieſcunquè etiam recitentur, nonnullis ſtatìm excidunt, cùm difficiliores & pronunciatû, & intellectû hæreant firmiter: de me teſtari poſſum, jam à pluribus annis, quotiès Candidatis Medicinæ monſtrandæ erant plantæ, ſemper excidere mihi vocem *pimpinellæ*, etiam oculis obſervante Plantâ, antequàm diu reminiſcentiam percunter; cùm intereà cortex *gannanaperidæ*, & jugum Hetruſcum *Redicofane*, & alia inuſitati generis nomina promptè occurrant. Dixeris, majori curâ ingeri memoriæ ignota illa; ſed nulla ſanè cura effecerit, ùt *pimpinellæ* ſubitò oblatæ memor ſim, quod nimiùm frequenter experior. Nec dubitaverim, aliis ſimilia contingere. Ego hìc Davus cupidè Oedipum exſpecto.

Ibidem Obſerv. 74. *Ebrius ſectâ venâ evadit ſobrius.*

POtabant in caupônâ militares aliquot homines, & jam iis præ vertigine tectum ambulare videbatur, ità ſe vinô & cereviſiâ generoſiori invitaverant, cùm Magiſter equitum, cujus imperiô parere neceſſum erat, ingreditur cœnaculum, adjectiſque minis cogit equos inſcendere, ùt mandatum iter perſequantur. Illi ebrii, & vix ſui compotes, nec inſcendere ſe poſſe, nec etiam hærere in equis nutanti corpore ſatis declarant. Tum ille ſtomachabundus ad chirurgum ſuum vertitur, &; ſeca, inquit, temulentis venam, ùt ſubitò comitari queant, res enim moram non patitur. Dictum, factum; miſſô liberaliter ſanguine equites ad ſanam mentem redeunt & Magiſtrum ſuum non ſegnes ſequuntur. Hìc neceſſe eſt, ſpumantes illos Bacchi & Cereris ſpiritus, qui cerebrum inquietaverant, magnam partem è ſectâ venâ exhalâſſe, adeòque partes vellicatas rediiſſe ad officium. Non tamen interpoſuerim fidem meam, ſucceſſurum illud, quotiès vel menſuram omnem exceſſit temulentia, vel ſpiritibus excitatiſſimis fœta vina, item ſtillatitii vinorum, aromatumque liquores ſolidam invexêre ebrietatem, cùm tum omnis ſanguis in corpore operoſiùs ab ingeſtis tumultuetur, ideòque unâ ſubitò januâ exire nequeat. Sed curii, qui ebrii vulnerantur, non ſtatìm ad ſobrium mentis ſtatum redeunt haud dubiè non pauci, quibus largiùs emanavit cruor, eò uſquè ùt moleſtiam indè pænè nullam ſentiant; qui verò ebrii ſimul & ſtomachabundi ſauciantur, levamen non ità promptè experiuntur, revocatis in cerebrum ſtimulis ſpirituum acrioribus. Sic quibus ebriis caput ſeſqui plagâ vel contunditur, vel aperitur, aliquandò expergiſcuntur nunquàm, ſæpè in lethargum incidunt, adeòque à ſectâ venâ ebrietatem nequeunt excutere. Memini inter plures, *Oſtervaldum* cubicularium, cùm ebrius ex editâ feneſtrâ in ſaxum areæ præcipitatus caput graviſſimè læſiſſet, adeòque in lectum deportaretur, neque ex cruore per vulnus profuſô, neque ex ſanguinis è venâ brachii miſſione, quam ſtatim imperaveram, ad ſanam mentem rediiſſe, totô biduô, turbatis nimirùm rationandi inſtrumentis, quanquàm poſteà plenè convaluerit. Et Magiſter textorum in pædotrophiô Chriſtianô Hafnienſi, poſtquàm ebrius è ſcalis in caput provolutus eſſet, & ſimul in ſomnum funeſtum prolapſus, nunquàm evigilavit, licèt ad triduum pulsû & anhelitû ſic ſatis conſtanti vitæ adhùc proderet argumento, & plus, quàm neceſſe eſſet, ſanguinis ex apertô capitis vulnere excluderetur.

Ibidem Obſerv. 73. *De Variâ Cadentium fortunâ.*

TRolatitium eſt, & vulgò etiam compertum, homines nonnunquàm cadentes ex editô locô non lædi, ſive id angelorum cuſtodiæ (quod malim credere) adſcribas, ſive corporis poſitioni inter cadendum fortunatiori. Talis mihi cognitus, qui puer ex altâ turri in ſaxeum ſtratum præcipitatus, poſtquàm ſe cadens pedibus excepiſſet, nullum damnum ſenſit, niſi calopodiorum ligneorum, quibus pedes munierat, fracturam. Libuit tùm experiri ſociis ejus, verumnè eſſet, quod vulgò jactari ſolet, ælurum quomodocunquè cadat, ſemper ità ſe in mediô periculô gubernare, ùt terram attingens inſiſtat pedibus. Projectus ergò è faſtigiô turris in ipsô lapsû variè gyrabatur, nonnunquàm pronus, aliquandò ſupinus, ſed ubi ad pavimentum alliſit, in pedes erectus ſubitô curſû profugere nitebatur, & currebat ſtrenuè ad teli jactum, mox in ipsô curſû mortuus diriguit, cerebrô, opinor, ex illô lapſû nimiùm concuſſô: Altioris eſt indaginis, quod Sevenhuſæ in Hollandiâ quotannis accidit, & mihi bis ſpectatum eſt. Nemus ibi ſurgit modicum, ſed in quô plurimæ arbores volucrum nidis occupantur, ſuccedentibus ſibi in iiſdem cubilibus, varii generis alitibus; de quô plura *Hegenitius* in Itinerariô Hollandiæ. Conceſſeramus iſtùc aliquot amici eô tempore, quô cervi aquatici in nidis imperium exercent, non planè implumes, ſed nondùm volucres. Igitùr præmonſtrator noſter ùt artificium capturæ oſtenderet, contum ab alterô extremô recurvum arborum uni ſic ſatis proceræ, ſed trunci tenuioris impingit, & variè agitando ſuccutiendoque duos corvos pluma-

plumatos quidèm ; ſed alis ſuis nondùm fidentes nidô excutit. Illi qui aquarum naturam experti nunquàm fuerant, in mediô lapsû dùm ſuperficiem aquæ (ſuberat enim rivus, in quem decidebant) attingunt, tantâ ſagacitate immergunt ſe undis, ùt cùm tres famuli aſtarent, omnes itidem ſudibus longis armati, ùt decidentes interimerent, ictus eorum diù eluſerint, aliô ſcilicet margine vivi emergentes, quàm quò in cædem parati excubabant ; Dixiſſes volucres has, & vix bimeſtres, in illô forô evadendi pericula, pluribus annis dexterrimè ſpectatas fuiſſe, ità nulla eſſe potuit matrum ſolertiâ prudentior. Id quod, meâ quidèm ſententiâ, ſatis evidenter docuerit notiones quaſdam fœtibus animalium ingenerari, ſine prævìô genitorum magiſteriô ; neque enim hi, ùt ità dicam, Corvuli, imperiti rerum, & experimentis imbuti nullis, nec à nidô in terram proſpectare docti (tantùm abeſt ut aſſueti lymphis fuerint) hos omnes curſus, recurſuſque, has è periculis intentatis exeundi technas ſciviſſent, niſi ab innatô emanâſſent principiô. Quin & anatum ova gallinis incubantibus ſuppoſita atteſtantur idem : excluſi enim hi anatini pulli & gallinaceis permiſti, ubi ad aquas ingrediuntur, natant, alimenta quærunt ; ſtupente veluti gallinâ, pullorum, quos ſuos æſtimat, degenerem indolem. At hi pulli matrem viderunt nunquàm. Hæc eò tendunt, ùt, ſi notiones ſuas claras, diſtinctaſque ab ovô ſecum ferant volucres, majorem utiquè prærogativam largiamur animæ humanæ (utcunquè ſuas alioquìn tenebras agnoſcat) nec eam vel exiſtimemus tabulam raſam eſſe, vel generalem regulam : *Nihil eſſe in intellectû, quod non ante fuerit in ſenſibus.* Sed ad cadentes iterùm : Alius è ſcopulô ſtephanite ad trecentos pedes in præceps per infortunium actus piſcatorem in ſubjectis undis cymbulæ ſuæ inhæreſcentem ſubitô lapſû exanimavit, ipſe ſalvus. Sacerdos quidam Hafnienſis fallente veſtigiô è ſcalis ſuis proruens in filiam advolantem caput impegit, eliſurus haud dubiè calvariam, niſi ex improviſô adſtitiſſet virguncula. Verùm ſuperat hæc omnia fatum Suecanæ fœminæ, quæ menſe Auguſtô hujus anni, ex incenſâ à noſtris ad Calmarniam bellicâ hoſtium nave (cui à clave nomen) in ſublime ultra centum pedes cum infante, quem ulnis retinebat, rapta, deflagrante ſimul omni tormentorum pulvere, in mare inter medios ignes ſalva procidit, puerulô ſuô comitata, & à noſtris excepta Glandiæ ſuæ reddita eſt, ùt fati ſui luſum, & noſtrorum miſericordiam evulgaret.

Ibidem Obſervatio 74. De Menſtruis per nares exeuntibus.

Nobilis inter Hafnienſes fœmina poſt annum ætatis quadrageſimum, admonente ſanguinis menſtrui impetu jam in mammis, ſæpè in gingivis, non rarò in extremitate narium pruritus inviſos experta, partem odioſâ titillatione moleſtam crebrò manibus perfricare ſolebat, inprimis nares, ut injuriæ huic magis expoſitas. Quô effectum, ùt evacuatio menſtrua, quam alii loco naturæ leges reſervare ſolent, vicibus ſtatis in veſtibulô narium diù exerceretur ; donèc à Medicis exoratâ, per iteratas venæ, malleolos pedum allambentis, ſectiones in alveum ſuum humor ſolennis revocaretur. Nec difficile fuit in illô corpore ſanguinem hùc illùc promovere, ob ſummam, quâ æſtuabat, mobilitatem : quâ impellente, ſæpè præſens notavi maculam in brachiô, manû, crure, ſubitô & ſine evidenti cauſâ obortam, & minutam illam, ante quadrantis horæ lapſum in eam excreviſſe amplitudinem, ùt volam manûs æquaret, initiô rubens, mox livida, tandèm varia, & ſugillationi quàm ſimillima ; adeò ùt inter primordia converſationis in illâ domô ſuſpicarer certas maculas à diſſidiô & vellicatione iracundi, & violenti mariti, profectas eſſe. Quod contra erat, placidiſſimum enim ſenſit conjugium, ſed ſanguinem ità & inquietum reciprocantem ſeſe ; ùt nullus Euripus exiſtimetur fuiſſe adeò verſatilis. Sæpè pridiè cutis ejus alba erat & nativæ ſimilis, poſtridiè tota verſicolor, & pantheræ æmula ; adeò ùt Medici non aſſueti his mutationibus, cùm, Dominâ oſtendente, cutim ipſius ſollicitè inſpicerent, ſine hæſitatione ſtatìm pronunciarent ; nihil eâ morboſius, & ſcelotyrbe afflictius reperiri. Intereà quotiès ſectâ venâ ſanguinem mittebat, nihil eò purius, integriuſque deprehenſum ; erat enim illud ſanguinis ejus ingenium, ùt (quemadmodùm vinum recentius, & cereviſiâ adhùc calens) deſpumando fæces ſuas extra ſe protruderet, & foràs amandaret, ipſe intaminatus. Libuit accuratiùs recognoſcere, undè tam ſubitò erumperent maculæ illæ ; demùmque notatum mihi, quotiès inſtabat ejuſmodi phœnomenon, partis ſubjectæ vaſculum aliquod ſanguineum, licèt tenuiſſimum, ampliari tantillùm, & mox per diapedeſin guttulam cruoris extra alveum ſuum propelli, quæ deniquè in anguſtiis carnis, cutiſque luctata quaquâverſùm ſe diffundens, & mox addenſata hanc ſenſìm varietatem coloris invexit. Id in labris, & ubi tenuitas cutis patiebatur, id in reliquis ſubindè partibus obſervatum. Sed quid vaſcula ità ampliavit ? frequentior in ſanguine, niſi decipit augurium, acidi & ſalſi pugna in flatus deſinens.

Ibidem Obſervatio 75. De Matre variolis exſtinctâ, infante ſine variolis excluſô.

Nimiùm equidèm ſolenne eſt, matrum vitia in fœtus, quos adhuc ſinû complectuntur interiori, tranſire. Et memini ſpectatam mihi in noſocomiô Pariſienſi virgunculam à partû adhùc rubentem, cujus genitalia fœdis ulceribus venereis manabant, derivatô in miſellam a genitrice infortuniô. Verùm enim verò non eſt perpetuus ille conſenſus, nec ferè niſi inveteravit malum, fœtum inquinat ; cujus cùm plura alibi recenſeantur exempla, unum hìc annotâſſe ſatis fuerit. Illuſtris quædam Comes octavum jam menſem prægnans variolis corripitur, iiſque ità frequentibus, ùt à plantâ pedis ad verticem uſque nihil in cute ejus non puſtuloſum. Itàque nihil à Medicis intentatum, (eramus enim plures advocati) ut puſtulis his ſua conſtaret rotunditas & ſeroſior adhùc, tenuior-vè liquor in ſaniem purulentam faceſſeret. Sed juvencula, omnium, quas vidi, inquietiſſima perpetuis membrorum jactationibus, & captatione frigidulæ auræ effecit, ùt retrocederet in corpus liquor, relictâ in puſtulis valleculâ, & in ejus meditulliô, punctô obſcuriori. Nihil actum precibus Medentûm, nihil minis ; perſeveravit illa minarum & lethi contemptrix, donèc undecimô morbi die fœtus ſpectaret foràs, & inquietudine matris excuſſus ſedibus ſuis manû obſtetricis allevante prodiret in conſpectum puellus benè obeſus, optimè formatus, nullum in corpore variolorum circumferens veſtigium : ſed qui nondùm maturus ſorbendo externô aëri (agebat enim non niſi octavum menſem) poſt horam dimidiam exſpiravit, matre paulò poſt ſpretarum admonitionum pœnas immaturô etiam obitu luente.

tuente. Uſque adeò verùm eſt illud magni Coi: Ad curandos morbos non Medici tantùm requiri peritiam, ſed & obedientiam ægrorum.

Ibidem Obſerv. 76. *De ſudore perpetuò volæ manûs.*

VIvit apud nos, aut certè nuper vixit illuſtris legati filia nubilis, in Braſiliâ quidèm nata, ſed pulchritudine & membrorum aliàs conformatione optimâ inſignis, cujus volæ manuum perpetuò ſudant, etiam hybernò tempore; non ulcerantur tamen, ſed madent tantùm ſubtili humore, quem cùm oppidò abominetur, plurimorum in Belgiò, atque alibì conſiliis uſa nondùm inviſum laticem ità ſiſtere potuit, ùt non ex brevi intervallò recurrat. Inquietatur eâdem frequenter retentione menſtruorum, cui incommodo, cùm rogatus ex præceptis Artis obviàm irem, ſolutò tandèm hôc nodò, obſervavi parciùs ſudare manus, quotiès illa liberaliter debitum menſtruum exſolveret, quô iterùm tardante, recrudeſcere ſudorem manuum, ut vel hinc novi generis conſenſum liceat recognoſcere. Non putârim tamen ſympathiam hanc nervorum propaginibus communibus, aut alii vaſorum conſpirationi adſcribendam, ſed ſolenni humorum gravium ad inferiora propenſioni: quippè fluentibus menſtruis neceſſe eſt ſerum in ſupernis corporum partibus præſertìm in ſanguine ſtagnans imminui, adeòque tum minùs alibi exſudare, reſtitantibus autem illis, pergit in priſtinos alveos, atque ex illis, ſi quæ pars imbecillior eſt, & poris magis pervia, ſudoris iterùm ſpecie extunditur. Non alienum hìc fuerit meminiſſe ſtudioſi Germani, cujus quidèm volæ manuum non madebant perpetuis ſudoribus, ſed ardebant perpetuò rubore; nec continebat ſe pruriens rubor intra volam, ſed paulatìm ad extima digitorum proſerpens quâvis hebdomade amplius occupabat ſpatium. Curioſum erat videre mediam digitorum partem quaſi coccô tinctam, ardentemque mediam nativô albore coruſcam, & tepeſcentem. Diù tenuit hoc malum, & diverſos Medicos etiam in Germaniâ fatigaverat. Erat autem eô formidabilius, quòd ardor ille plures poſt ſe ſquammas in cute relinqueret, & triſti vultû appareret ſpectantibus, ac ſi in elephantiaſin tandèm videretur propendere. Ceſſavit tamen poſt crebrum uſum catharticorum & modeſtè refrigerantium, advocatis ſimul in auxilium coralliis, Antimoniô diaphoreticô, acidalis, diætâ craſſitudinem humorum inducente.

Ibidem Obſerv. 77. *De Tumore frontis & narium à Cauteriô ſuppreſsô.*

VIr nobilis, ſed ſurdaſter cauterium ex meô conſiliô jam diù in occipite circumferebat, non pœnitendo ſucceſsû; qui enim anteà ſubindè parùm, aliquando nè quidèm tormenti bellici exploſi impetum audire poterat, niſi ore admodùm hiante, & ſparsô, poſt menſtruum ejus uſum paulò diſtinctiùs percipiebat ſonos, tandèm, additis ſubindè, quæ in rem erant, pharmacis, plenum aurium fructum conſecutus. Et licèt ex eô tempore in diætæ leges graviſſimè quotannis peccaverit, nihil tamen roboris deceſſit auditui, excubante ſcilicèt in occipite fonticulô. Tandèm longum iter ingreſſus, & tricas in purgandô ſcrobiculô ſcaturiente exoſus, paſſus eſt eundem occludi, ſecùs ac proficiſcenti ſuaſeram. Interjectis deindè paucis diebus frontem intumeſcere ſentit cum vicinis naribus, eò uſque ſenſim invaleſcente & dolore & tumore, ùt nè pileum quidèm ferre poſſet. Cui malo ùt in itinere obviam iretur, in arenâ, quod dicitur, conſilium cepit, & ſtrophiola ſale & aquâ madentia identidèm fronti applicando vitium obortum viſus ſibi eſt diſcuſſiſſe; certè enim requievit impetus, ſed ùt permiſſis tum induciis poſteà graviùs alium locum vexaret. Rediit tandèm, ſed ità, ùt poſtridiè reditûs evigilarent in pedibus ejus arthritici dolores propemodùm intolerandi, argumentô ſopiri malum veriùs ejuſmodi epithematis, quàm bonâ fide tolli. Obduces, redeundum ideò ad cauterium neglectum, & hôc pactô inviſum illud ſanitatis inſtrumentum ad plures annos cum faſtidiô geſtandum. Reſpondeo, vel non impingendum in diætam, vel concoquendam ægritudinem, vel in Medici, Chirurgique manus, vel invitè ſæpiùs veniendum. Sed ad difficultatem auditûs; eam, quotiès gravis eſt, & pertinax, non aliud certius expedit, quàm cauterium in occipitiô, id quod plura me experimenta docuêre. Ea tamen vis ejus non eſt, ùt ſurditatem omnem queat ſolari, præſertìm illam, quæ ex tympanô fiſſô, aut oſſiculis auditûs graviter concuſſis, confuſiſque profecta eſt. Adiit ante ſex annos ſimile infortunium primaria fœmina Helſingorenſis, quæ actis in furorem equis currû excuſſa caput ſtratis plateæ impegit, adeò violentô impetû, ùt totô triduô muta, & ſui immemor decumberet. Die quartô tanquàm ex altiſſimô ſomnô evigilans diù ſecum diſputavit, ubi locorum eſſet; cùmque ab ingemiſcentibus amicis ſcriptô ſignificaretur infelix caſus (uſus enim aurium planè ceſſabat) vix tandèm credidit ſe prolapſam; cui malo cùm plures Medici Hafnienſes, tùm & Hamburgenſes, aliique remedia etiam generoſiſſima oppoſuerint, excitatô etiam in occipite cauteriô, nihil tamen profectum eſt, nimiùm videlicèt turbatis audiendi inſtrumentis. Itàque illa ex eô tempore, ut eſt ingenioſiſſima, audiendi organa in oculos ſuos tranſtulit, loquentemque maritum & alios, quibus familiariùs aſſuevit, ex diſpoſitione oris attentè conſideratâ propemodùm ità planè intelligit, ac ſi integris ſenſibus hâc parte gauderet. Alius autem, qui per intervalla ferè ſurdus, & domi ſuæ clamantem uxorem ægrè audiens, ſed in itinere, flante alacriùs ventô, aurium percipiens uſum, cùm in nullis pharmacis, quæ Practici hactenùs literis conſignârunt, inveniſſet auxilium, evidentiſſimum à ſimili cauteriô ſolatium recepit.

Ibidem Obſerv. 78. *Digitus à triginta annis incurvus improviſò ſibi reſtituitur.*

MArchio de Pianezza, Muſarum & Charitum delitium, cujus humanitatem & virtutes Auguſtæ Taurinorum prolixè expertus ſum, longâ impotentiâ dextri brachii afflictus, ſuaſû Protomedici Torrini, conceſſerat ad thermas Vinadienſes, ibique lutô calente in tertium uſque menſem quotidiè perfrictus à Chirurgô Borellô, in gratiam cum ſanitate rediit, ſingulari fricantis etiam Chirurgi emolumentô. Is enim poſtquàm triginta tum annis digitum incurvum circumtuliſſet, nullô non fruſtrà adhibitô remediô, inciſis in maritimô quôdam cum Turcis conflictû tendinibus, hìc dum alii vacat curando, ſenſit paulatìm ex limô medicatô calorem nativum recreari, hinc ultrà ſolitum digitum exporrigi ſine dolore, tandèm planè ſibi reſtitui, quem & ſanum, exporrectumque mihi oſtendit, ſolâ relictâ cicatrice ampliſſimâ. Sed dum hæc de uſû thermarum Vinadienſium traduntur, non ab re

fuerit

fuerit addidiſſe, quatuor locis aperiri thermas in Pedemontanâ Regione; quas inter *primæ* ſunt *Vinadienſes*, quæ ſulphure ſcatent & bitumine, ſerviuntque ægris quatuor modis, vel enim lutô calente perfricantur eorumdem membra, vel aquâ potatur, vel ſervit locô balnei, vel adjuvat ſtillicidiô, quod incolæ *Tuccia* appellant. *Secundas* tenent *Valderienſes*, (locus *Vandier*) quæ ejuſdem ingenii ſunt, ſed agunt paulò vehementiùs totidemque modis uſurpantur. In harum canalibus noctû concreſcit bitumineum quiddam butyro non diſſimile, quod diurnô ſole incidente evaneſcit, niſi maturè excipiatur, utile & illud ad debilitatem membrorum. Utræque conſpiciuntur in Alpibus maritimis verſus Boream, de quarum usû eruditè ſcripſit *Franciſcus Gallina*. *Tertiæ* ſunt *Rochabilarienſes* inventæ à *Torrinô* Medicô, nondùm ab aliô deſcriptæ, agunt ignaviùs quàm cœteræ; nec tam calidæ quàm tepidæ deprehenduntur; vehunt ſulphur, bitumen, vitriolum, aurum. Reperiuntur in Alpium marinarum auſtrinis ad radices montium in Comitatû Nicienſi. *Quartæ* vocantur *Aquaſtatiellæ*, quæ omnium potentiſſimæ oppidò ſulphureæ, eôque potari nequeunt, has offert ager Ferrarienſis, quà paret Duci Mantuano, percenſuit etiam Gallina. Diſcriminis neceſſarii causâ Alpes has maritimas nuncupant, quæ incipiunt ad Nizzam urbem mari mediterraneo imminentem, & in veſu lô, totiès apud antiquos celebratô terminantur. A Veſulò ad *Rochemelon* prope Seguſium, hodiè Suſa, extenduntur Alpes Coſſiæ, aliis Cottiæ. A *Rochemelon*, editiſſima rupe, ad Auguſtam Prætoriam & Hipparedium, hodiè *Jure* oppidulum (cui vicina eſt fodina Magneſiæ Pedemontanæ tantoperè ob colorem purpureum, quem etiam vitris imprimit, ab exteris quæſitæ) porriguntur *Alpes Grajæ*, ſic dictæ, quod olim Herculem Grajum tranſmiſerint. Indè ſequuntur *Penninæ* Alpes, nonnullis Poëninæ, quippè credùnt, Poënum Hannibalem iſtàc cum exercitu tranſiiſſe, cùm Italiæ ſe infunderet; veriùs tamen à pinnis nomen ſortitæ ſunt, ut editiſſimæ, & in pinnarum morem hìnc indè faſtigiatæ; neque etiam Hannibal iſtàc tranſiit, ut alii ſatis oſtenderunt. Penninas excipiunt *Rheticæ*, & has, *Noricæ* atque Noricas *Juliæ* in Corinthiâ.

Ibidem Obſerv. 79. *De Cartilaginis enſiformis incurvatione periculoſâ.*

TEr mihi ſpectatus ille affectus, & ſemper in fœminis quanquam etiam maribus accedere nullum dubium ſit. Queruntur de dolore loci, de interceptione anhelitus, de metû deliquii, nec, ſi incurvatio gravis eſt, commodè ducunt ſpiritum, niſi capite tantillum reſupinato. Cauſa ſymptomatum haud dubiè in vicinitatem oris ventriculi rejicienda, quod cum nervulis ſuis perreptetur, adeòque oppidò deprehendatur ſenſile, non fert nimiam cartilaginis adeò duræ propinquitatem. In macilentis incurvatio illa digitis quôdam modô percipi poteſt, in obeſioribus non item; hìnc & obeſiores graviùs laborant, pinguedine ſimul cartilaginem verſus interiora premente, quod in Catharinâ Waltheriâ mihi obſervatum. Malum eſt plerumque Chronicum, nec ſemper æquè affligit, ſed ſubindè infeſtat acriùs, præſertim poſt uſum eorum, quæ flatus generant. Profuêre in hoc casû emetica, pulvis cephalicus Cratonis, ut nervis amicus, inunctiones ex Oleô caſtorei, & præcipuè emplaſtrum diaſulphuris Rulandi. Profuit & reſupinare cum Capite brachia. Evasêre omnes Libitinam, ſed Waltheria tardiùs ut obeſior, & in deliquia pronior. Nec minùs affligit nonnullos oſſis coccygis incurvatio, ſedentibus præſertim incommoda, quæ ſi inveterata jam callum contraxit, mitigari poteſt, tolli non poteſt, ſed ægro commoritur, ut in amicô, poſt varia remedia, mihi obſervatum.

Ibidem Obſerv. 80. *Moxa vix plus præſtat in malô podagricô quàm alia veſicatoria.*

POſtquàm ſcriptum illud notiſſimum de Moxæ viribus in publicum prodiiſſet, libuit, me ſuaſore, *Claudiô Lundiô*, Poetæ vernaculô inſigni, ſed doloribus & nodis podagricis fractô, quamvis nondùm quadragenario, vires ejus in unô; alterôve digitô manûs periclitari. Commodùm enim ex Belgiô reverſus *Ampliſſ. Mönichenius* noſter *Moxam* & baccillos neceſſarios, ſubminiſtraverat. Quid multa? admovetur ex diſciplinâ uſtio, fit eſchara levis, exſudat ſerum, ſine ullô evidenti ſolatiô; neque etiam minùs ex eô tempore afflictus fuit ille digitus, quàm cæteri à Moxâ intacti. Tentavit & curam *Löſelii* per tranſplantationem, ſed fruſtrà. Suaſeram uſum lactis ex more Gallorum, & hodiè aliorum, de quô convenienter. *Clar. Sorbaitius*, ſed ingreſſus curam, amore vini, non diù continuavit. Invenit ſolatium in ſale volatili cornu rhinocerotis interiùs, exteriùs in oleô ejuſdem foetidô, ſed propter diætæ vitia non ſatis diuturnum. Hodiè, ut audio, Othiniæ ſe permiſit curæ Norwegi cujuſdam agyrtæ, qui novô more, ſcalpellô per intervalla omnes propemodùm in artubus ejus venas minutiores incidit, cum manifeſtô ægri ſolatio, an diù profuturô, ab eventû diſcemus, nondum enim pervenit illa medicandi ratio ad uſque ſuos umbilicos. Sed ad Moxam! quantùm nobis hactenùs conſtat, vix ultra ſolennem veſicatoriorum efficaciam hâc parte apud nos aſſurgit: an humores hic craſſiores quàm in Indiâ interpellant? an in nodosâ parùm efficit, multùm in recenti & ſerosâ tantùm, aliis experiundum committitur. In *Lundiô* autem noſtrô illud ſingulare, quòd flagrante in geniculis digitorum dolore lac exſtillaret ſatis copioſum ex apertis ſcalpellô tumoribus, lac, inquam, colore & conſiſtentiâ, ſed poſt brevem quietem in calcem & ſerum fatiſcens.

Ibidem Obſerv. 81. *De generatione lapidum in macrô & microcoſmô.*

NIhil certiùs, quàm generari hodièque tum in ſubterraneis cryptis, tum in corporibus animalium, varii generis lapides, nihil propemodùm incertius hactenùs, quàm quô modô generentur. Nec enim hìc conſentiunt Naturæ Conſulti, ità alii materiam lapidum agnoſcunt terram, alii certi generis aquam, nonnulli fumum ſubtilem terreum, quidam miſtum fumô vaporem, ſunt qui ſuccum lapidificum, ſunt qui partes materiæ ramoſas, ſunt qui læves & glabras comminiſcuntur. Efficiens aliis calor eſt, aliis frigus, aliis ſal, quibuſdam ſpiritibus (quem vocant, non explicant) lapidificas, nonnullis forma quædam ſubſtantialis (ſed illa inenodabilis) quæ ſibi ex aptâ materiâ domicilium conveniens fabricetur. Mihi, cui nec refellere aliorum opiniones libet, nec ſine experimentis admittere, ſimpliciùs videtur procedere natura, quàm vulgò creditur, atque ex ſolâ vulgatiſſimi usûs aquâ, in regnô ſuô jam conſtitutô lapides producere, cùmque in generatione illâ fortuitis ſæpè occurſibus ſucci terreſtres & mineralia permiſceantur, hìnc colorata

marmora & gemmarum illa varietas enaſci. Quòd ſi quis Naturæ nomen, ut vagi ſenſûs abhorreat, dicam ſolam duntaxàt aquam, materiam eſſe lapidum. Efficientis autem titulum vindicare ſibi videtur arctior illa particularum aquæ quies in locis tranquillioribus, in quibus illæ cùm mutuis ſibi ſenſim occurrant faciebus, nec turbentur ab externô aëre, ſed potiùs leni preſſû elateris ejus firmentur, propter ſimilitudinem facilè cohærent.

2. Atque ùt à materiâ lapidum ducantur exordia, non utar Thaletis, aliorumque ſummorum Philoſophorum auctoritate; non advocabo Homeri teſtimonium, ſed ab ipſis ſanis ſenſibus & clariſſimis experimentis auſpicabor. Vix eſt in totâ Europâ, (ùt alias nunc mittam terræ partes) montoſa regio, quæ antrum non oſtendat jam, nativum, jam manû excavatum, in quô aqua pura, communis, inſulſa per poros, rimaſque terræ deſtillans ſponte in lapidem aliquâ ſui parte coagulatur; partìmque in ſtirias variæ magnitudinis denſata è fornice ſpecûs dependet, partìm in fundô concreta maſſas diverſæ molis & figuræ illapsû ſuô effingit. Ipſe ego ſimiles cryptas duas in Angliâ, in Galliis duas, in Alpibus & Italiâ plures attentè inſpexi; nec inſpexiſſe contentus, quantùm licuit, preſſiùs expendi. In Angliâ ergò ad Bathonium oppidum, thermis Bladudianis celebre, in monte vicinô ſpelunca ſe aperit, ab incolis loci ad ſaxa ædificiorum excavata, in quâ aqua pedetentìm defluens in marmor ſubflavum concreta cernitur. Magnificentior Ukiſiana illa ad urbem Wellis caverna, ſed & horridior, & quantùm videre licet, nativa, in quâ parietes alibi quaſi mille adamantibus diſtincti reſplendent, alibi vaſtæ molis ſtiriæ ſaxeæ, allapſû guttarum aquearum quotidianô grandeſcunt, & ſi auferantur, brevi novâ ſobole repullulant. Fundum autem ſpelæi aſperant ingentes maſſæ lapidis albi, à deſtillantibus guttis formatæ, quæ & in dies ſua capiunt incrementa. In Galliis infiniti juxtà mecum conſpexêre ſimilem ad urbem Turonium cavernam, non illam tamen nativam, ſed vetuſtam laturniam, ex quâ ſaxa olim ad ædem ſacram, D. Martini honori extruendam, tranſportata. Sed verò Turonienſem cryptam ſuperat varietate tum Gorgonea illa Ukiſiana officina, tum Gallica altera Sinonenſis, ab oppidulô *Richelieu* non ità procùl remota, ubi in manû, excavatis elegantiſſimis porticibus aqua ſimpliciſſima ſenſim depluens non in ſtirias modò vertitur ſaxeas, hyeme quidem breviores, ob internum tum montis teporem, æſtate ferventiſſimâ longiores, ob interiorum frigus, ſive motum languidiorem, ſed & guttæ in fundum cryptæ deſtillantes in maſſulas abeunt piſis, amygdalis, piperi longô, aliiſque tragematis, externâ facie perſimiles. Nec ab his abludunt Italicæ illæ, tum Piſas inter & Lucam in montanis conſpectæ, tum notiſſimæ Tiburtinæ, undè bellaria illa ſaxea, incolis *confetti da Tivoli* appellata, quæ tum in Piſanâ porticû horto Medicô incumbente, tum Romæ & Tibure magnâ varietate oculos paſcunt. Non attingo Baumanni cryptam in Germaniâ, non aliàs paſſim curioſis obſervatas.

3. Hìc non dubito futuros, qui prætexant ejuſmodi cryptarum aquas vehere vel fumos ſaxeos vel ſuccos indurantes, vel ſalium compingentium multitudinem; nec is ſum, qui negem ſive ſalium, ſive vitrioli, ſive alia atque alia ramenta aliquandò in Deucalioneâ illâ metamorphoſi fortuitò adeſſe; ſed in hôc duntaxat perſiſto, ad ordinarias materiæ lapideſcentis leges talia non requiri, adeòque parùm decorum Philoſopho, ſupervacua fingere, cùm ſolâ aquâ communi (quæ tamen non omni ſale caret) in anguſtiis viarum quieſcente totum negotium abſolvi poſſe res ipſa quotidiè loquatur. Exploratâ enim omnibus ſenſibus aquâ cryptarum fontanæ ſimillima deprehenditur, nil evidenter ſalinum linguæ offert, nil coloratum oculo, nil aſperum tactui, nil ſulphureum nari, nil, ultra ſolenne, ſtreperum auribus. Nec poſt diſſipatum vi caloris humorem invenitur ſedimentum aliud, quàm quod aliæ dulces aquæ poſt ſe relinquunt. His accedit potentiſſimum argumentum, quòd in Ukiſianô antrô quicquid aquæ ob moræ brevitatem in lapidem non ſolidatur, dum è rupe eluctatur, rivulum formet, undè hominibus & beſtiis ſubjecti pagi miniſtratur quotidiana potio, ſine ullâ de calculô indè natô querelâ, id quod aſſeverantiùs faſſi ſunt loci incolæ. Similia de Sinonenſi Cryptâ confirmavêre oppidani. Eſt autem Sinon, ſive, ut incolæ aſperant, *Chinon* Oppidulum quidem minutum, ſed clarum natalibus *Rabalæſii*, hominis ingenioſſimè vani, clarum adventû Amazonis illius Aurelianenſis, quæ ibi primùm Regem deſperationi proximum, & ab Anglis totiès fuſum in ſpem novam erexit, non infelici ſucceſſû. Hujus ergò cryptæ aqua in ſubjectam urbem quotidiè defluit, ſolidatiſque in quietô antrô bellariis ſuis, potum cætera civibus innoxium largitur. Atque ùt inexpugnabilior hæc ſententia judicetur, aquas dabimus lapideſcentes, quas nemo, opinor, mortalium exiſtimabit vel ſaxeô vel ſalinô, vel lapidificô principiô turgere. Tales ſunt aquæ pluviæ ordinariæ, quæ in vetuſtos fornices templorum, pontium, portarum delapſæ, & tenuiſſimas laterculorum inter & calcis intervalla rimulas offendentes, ſe inſinuant, tardèque proſerpentes in interiori tandèm fornicis tholô quietem à ventis frementibus inoffenſam nactæ, ſucceſſû temporis guttatìm concreſcunt, & in ſtirias ſaxeas addenſantur. Tales lætô proventû vidi dependere ex artificiali porticû lateritiâ palatio Epiſcopi vicinâ Lugduni ad Araris & Rhodani confluentem, manibuſque his avulſas reſervo: tales inſpexi in portâ Mommeliani in Sabaudiâ Caſtelli, tales in vetuſtis quibuſdam Galliæ templis, tales in ruderibus agri Romani. Quis enim ullâ veri ſpecie arbitrabitur vel in pluviâ aquâ (neque enim hùc faciunt pluviæ lapideæ) Gorgoneos circumferri ſuccos, vel eoſdem in lateritiô murô multis ignibus peruſtô deliteſcere.

4. Reſtat credere, quamvis aquam, dummodò, poſtquam per anguſta eluctata eſt, imperturbatâ ab aëre quiete fruatur, poſſe, immò ſolere in lapidem converti, eâ ſcilicèt parte, quæ à pondere ſuccedentium guttularum loco non excutitur. Sed ùt quietis illius effectus clariùs ſubjiciatur oculis, ità phœnomenon concipio: Aqua in anguſtiis montium terrarumque rimis diſcurrens propriô pondere (vel, ſi mavis, ab elatere aëris leviter preſſa) vergit deorsùm, & quâ patet viâ, deſcendit atque id quidèm, ſi via anguſtior eſt, guttatìm. Hæ guttulæ, niſi citiùs, quàm convenit, ab aliis ſuccedentibus aut loci calore interpellentur, æquales illas, læveſque facies ſuas leni aëris appulsû arctiùs ſibi conjungunt, mutuiſque amplexibus coaleſcunt, & è flatû fluidô in firmum facilè vertuntur, more ferè ſtiriarum glacialium, niſi quòd glaciales ob ſubitam, violentamque congelationem paucioribus cohæreant punctis, eòque citiùs iterùm diſſolvantur. Neque hìc gluten aliquod fingendum, quô partes coaleſcant, cùm omni glutine fortiùs ſibi adhæreſcant partes æquales, læveſque; quotiès ſibi duntaxàt applicantur, juxta illud Hippocratis L. de diætâ; Concors, concordi adhæreſcit,

reſcit, & antiquorum illud: ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. Ità duo plana adamantum, chalybis, vitri, eboris, ebeni, ſi accuratiſſimè lævigata ſunt, prævià ſolà applicatione facierum cohærent tenaciſſimè, de quô plurima exſtant experimenta *Boylei*, *Gerichii*, aliorum. Aſſervantur in arce Regiâ Hafnienſi duo plana ahenea diametri pedum circiter quatuor, à *Gintelbergiô* non ità pridèm ſtudiosè polita, quæ ſi ſibi convenienter apponantur, in directum trahendo vix à quatuor lacertoſis diſtrahentur bajulis. Nec id tantùm in planis ſuccedit, ſed & ſi concavis politis polita applicentur convexa, de quô eruditè illuſtris *Boyleus*. Eſto, hæreant plana firmiùs, ſi inungantur vel vini ſpiritû, vel oleô amygdalarum vel quocunque tandèm liquore, illa tamen aſcititia tenacitas non aliundè pendet, quàm quòd, cùm plana illa nondùm ſint plana abſolutè, liquor hic inania adhùc inter utrumque planum ſpatia impleat, adeòque ſuperficies reddat planiores. Nam eſſe in politiſſimô licèt marmore adhùc pænè infinitas cavitates minutas, quas politura nequeat æquales reddere, argumentô fuerit, non tantùm pulvis ipſe, cujus beneficio expolitur, ùt adhùc plurimis inhorreſcens angulis, quemadmodùm evidenter docent ſmicroſcopia, ſed & marmor jam planiſſimum ejuſmodi perſpicillô inſpectum. Oſtendit & illud vel muſca, quæ per latera inclinati deorsùm marmoris etiam planiſſimi facillimè deſcendit, lapſura in præceps niſi ope hamulorum, quibus cruſcula ejus armantur, in rimulis ejuſdam ſuſtineret greſſum. Hæc omnia eò tendunt, ùt monſtrent particulas aquæ, ut è fluidô ſtatû in firmum demigrent, non egere peregrinis additamentis vel ſalium, vel ſuccorum indurantium, ſed in propriis ſuis corpuſculis quietè ſibi occurrentibus acquieſcere, immò quò plus heterogeneorum adfuerit, hoc minùs firmiter ſibi agglutinari. Et ſola hæc ratio mihi videtur eſſe, quòd adamantes firmioribus ſibi adhæreſcant juncturis, quàm gemmæ coloratæ; conjunctionem impediunt heterogenei colores, at in adamante germaniſſimô nihil, ut in quô facies faciebus æqualiſſimè reſpondent. Fingat autem aliquis particulas aquæ vel anguillarum more incurveſcentes, vel alteriûs figuræ, non adverſabor, dum conſtet, quod evidens eſt, ſuperficies earundem facilè ſociari, adeòque neceſſariò ad planum accedere. Quotiès hæc plana lineis ubiquè rectis coëunt, pellucet lapis; quotiès obliquis obſcuratur; quotiès variat pororum amplitudo, variat quoque pondus, quod & ipſum ab admiſtis mineralibus ſæpè variatur.

5. Nec deſperaverim, poſſe induſtriam naturæ myſtam in cryptâ à ſe convenienter fabricatâ aquam in lapidem vertere. Nec illa de procurandô ibidèm perpetuô aquæ ſtillicidiô difficultas inexpugnabilis erit. Vocari enim in uſum poſſunt Sardoa illa Saxa, quæ Genuæ viſuntur plurima, bibula, & cribris anguſtiſſimis ſimilia, ex quibus mortaria formantur percolandæ aquæ opportuna. Quale quidèm Hafniæ mihi ſpectatum in ædibus illuſtriſſ. Comitis de Rebollêdo, legati Hiſpanici, qui cùm podagricis vexatus doloribus, vinum averſaretur, lympham, quam potabat, priùs ſollicitè per mortarium illud ſolebat colando tranſmittere, ùt in alveô coli hærerent fæces, limpidiſſima autem aqua tranſiret. Itaquè infuſa ſaxeo huic colo lympha veſpertinô tempore, horâ decimâ autem meridianâ poſtridiè jam clariſſima guttatìm tranſierat. Quòd ſi vel ita citiùs permeet, quàm negotio opportunum, remedium facile erit fundi craſſitudo major. Sed iſta Curioſis. Obduces, deſtillare in variis cryptis lymphas, nec tamen ideò in ſaxum indureſcere. His ut non repugno, quòd in celebri illâ & ſpatioſâ, quæ trajectô ad Moſam imminet, cryptâ viderim ejuſmodi ſtillicidia in ſolam aquam terminari, itâ adjicio, obſtare alicubi fumos ſubterraneos applicationem facierum mutuam turbantes, alicubi laxitatem ſpeluncæ, alicubì etiam oſtium utrinquè patens, atque adeò nimis obvium perflatibus, ſæpè tellurem cavô incumbentem juſtô laxioribus eſſe poris, quàm ùt lapſantibus guttis permittat interquieſcere. Nec eſt, quod obturbent exempla in ſpeciem contraria, quæ docere videntur aquâ primùm omni recedente fieri rerum indurationes, ut in argillâ oſtii fluminis Amazonii, quæ ſub aquis molliſſima, ſi aëri exponatur, in ſiliceam, ex *Pellepratiô*, vertitur duritiem; item corallia Braſiliana, de quibus *Piſo & Marcgravius*, quæ ſub undis mollia, in aëre mox abrigeſcunt. Equidèm ſi his exemplis debetur fides (nam aliud Coralliis in mari Maſſilienſi contingere certum eſt) nihil inde exculpitur aliud, quàm alia etiam corpora ex aquâ magnam partem nata æqualium eſſe facierum, eòque fluctuum motû non ampliùs interpellante, cùm ſibi relinquuntur, faciliùs coire, & more particularum aquæ indurari.

6. Cæterùm cùm lapides & inter nubila generentur, ubi perpetua inquies, cùm in quâvis pænè humani corporis parte, ubi continua humorum, vaporumque diſcurſatio, cùm in ſummis rupium faſtigiis, ubi tot fulminum, nimborumque tumultus, in eam, nonnulli fortaſsè deſcendent ſententiam calorem & quietem in producendis lapidibus partiri operas, & utcunquè geniô diffideant, in hôc tamen negotiô vices alternare. Nec iſta priorem ſententiam evertunt; calor enim, more ſuô, diſſipat, diſcerpit, & motû concitatô angulos corporum minutiorum figurat aliter, & ſæpè ex accidenti, quod dicitur, complanat; indurare autem in ſaxa propriè nihil poteſt: verùm quotiès contingit partes materiæ à calore reddi planiores, totiès ubi ille fecit officium, ſuperveniens quies indurat, & in lapidis naturam cogit. Notavi ad calorem ſpeculi cauſtici *Vilettii*, quod in arce Regiâ hìc aſſervatur, oſſa bubula è veſtigiô in lapidem vitrei generis obſcuri faceſſere, ſed verò, quandiù ſpeculum ſuos ejaculabatur radios, nondùm lapis erant, ſed tandèm radiis quieſcentibus. Ideò autem calor non ſemper hìc neceſſarius eſt, quia ſi planæ jam ſuâ naturâ ſunt particulæ, ſpontè per quietem, aut certè motum leniſſimum coaleſcunt, quod aquæ ſolet accidere. Quæ ergô ſaxa ex nubibus præcipitantur (quale Mediolani mihi oſtendit illuſtris *Septalius*, erutum, ſe præſente, è coxâ Capucini ad altare fulmine icti) haud aliter ferè generantur quàm in cryptis ſubterraneis. Illud tantùm intercedit diſcrimen, quòd in cryptis partes denſandæ jam tum planæ ſint, in nubibus autem tandèm planæ evadant, ab incidente violentiùs fulmineô calore. Neque verò deſunt in nubibus præter aqueas, particulæ ſulphureæ, ſalſæ immò terreæ, quæ à calore ſubitò complanari poſſunt, cùm quævis aqua pluvia, ſi evaporet, eas oculis ſubjiciat. Sed & eadem ſine his ſolidatur, ſi relinquatur ſibi. Omnis enim aqua communis ſtillatitia paulatìm abit in bracteas terreas ſubtiliſſimas, lucidiſſimas, quod alibì demonſtravi. Veniamus nunc ad lapides in humanô corpore genitos; Utcunque ibi varii diſcurrunt humores, vaporeſque calidi, iſtìc tamen etiam à quiete obſtructionum illâ & podagræ & calculi matre ſolidantur. Neque verò abſoluta quies ad lapidum generationem requiritur,

ut quæ nec adeſt in cryptis ſubterraneis, ſed moderatior, & minùs interpellata. Et quidèm quod ad renes; quotiès ſerum ab arteriolis eorumdem per tubulos ſibi convenientes, adjuvante tùm diaphragmatis motû, tùm propriô pondere, & impreſſô jam ante à micantibus arteriis impetû, eluctatur in pelvim, aliquandò pars tubulorum ſtrictior eſt, quàm ùt deſtillatio ſeri opportunè fiat, ſæpiùs autem locis aliquot ſtrictior eſt interior illa pelvis tunica, ureterum alveô internô communis; ideòque dùm quies & pauſa hìc præter naturam in tranſeundô per anguſtias ſerô præſertim pituitosô conceditur, neceſſe eſt particulas ejus quaſdam ſibi agglutinari, & ſenſim capere incrementa, eô propemodùm modô, quô lympha in ſubterraneis cryptis, aut, ſi mavis, ùt urina ad latera matularum quieſcens, aut deniquè ùt humores oris ad dentium radices impingentes, ibiquè per quietem, maximè nocturnam, in tartarum durum coagulati. Neque mihi quidèm aliud eſt hæreditaria ad calculum renum diſpoſitio, quàm vaſorum aliquot in renibus anguſtia nimia; à parentibus in liberos quoſdam ſubindè propagata. Sed cùm humores in omnibus propèmodùm humani corporis partibus variis de cauſis in præternaturalem nonnunquàm demigrent quietem, non mirum eſt pænè ubiquè calculos ſubindè deprehendi. *Cl. Sylvius* inventis in glandulâ pineali calculis, ut certè me præſente, reperit frequenter, jocari ſolebat, convenire eos animæ Carteſianæ, ùt illa his inſidens tanquàm è thronô marmoreô partibus ſubjectis jus diceret. Erat enim *Carteſii* aſſeclis infenſior. Quod ad calculum veſicæ, iſtùc cum *Ferneliô* propendeo, vix ullum eſſe veſicæ calculum, qui non rudimenta arceſſat à renibus, quæ utcunquè initiô minuta, per ſomnos & ſedentariam vitam, perque diætam craſſiorem facilè ingrandeſcunt, more pilæ, quæ in nivibus humidioribus diù volutata in formidandam pueris molem exſurgit.

7. Sed quid fiet ſaxis in ſummis rupium jugis? quid iiſdem per telluris faciem variè ſparſis? Equidèm illùd primùm in ambiguô eſt, an Alpium, Pyrenæorum &c. cacumina poſt orbem conditum ſaxea fuerint, atque adeô in ipsâ induruerint rerum creatione. Fac tamen induruiſſe poſteà, quid verò ſimilius; quàm ſummum tum (ut eſt hodièque non paucis in locis) eorundem corticem terreum extitiſſe per quem colatæ ſenſim nivales, pluviæque aquæ, ut in cryptis, invitante loci quiete, in ſaxa abierint? Et hos cortices jam terræ motus, jam moles incumbentium nivium, jam aliæ cauſæ potuerunt ex eô tempore ſedibus ſuis excuſſiſſe. Lapides autem per agros, paſcua, ſylvas diſſeminatos quis demonſtraverit, non ab initiô rerum terrâ ibidèm obtectos fuiſſe, & ſupervenientibus pluviis, ventis, terræ motibus, inundationibus, aut ipsô deniquè univerſali diluviô nudatos? Profectò ſub Diô natos eſſe nullum hactenùs indicium eſt, utcunquè conceſſeris potuiſſe forsàn ſub Diô, ex allapsû quietô pluviarum capere nonnihil incrementi. Sed cùm tellus initiô mundi, divinô ſpiritû vel fermentata laxior hìnc indè, & cavitatibus diſtinctior fuerit, ſi conjecturæ noſtræ locus, in eas ſe paulatìm ingeſſêre deſtillantes aquæ, ibiquè longâ quiete ſenſim obreguerunt. Quin & lapides in alveis fluminum hodiè conſpicuos primordiô rerum ſub terreô quôdam operculô natos fuiſſe veriſimile eſt, quod in diſcurſitantibus perpetuò & ſine obſtaculô lymphis ſatis apta generationi quies vix queat inveniri. Hæc de ordinariâ lapideſcentium lege dicta ſunt. Cùm autem partìm ex Muſæis Curioſorum, partim ex hiſtoriis, partìm deniquè ex fontium quorumdam, fluviorumque inſpectione doceamur jam integros homines, jam vaccas, pullos volucrum, viperas, piſces, ligna, chirothecas, nidos avium, alia, in ſaxa diriguiſſe, idque in parante quandòque aëre, non rarò in aquis, ſubindè quoque in tellure, de iis ità, opinor, ſentiendum; volitare ſæpè in aëre, ſæpè in aquis aliquandò & in terris fumos quoſdam ſaxeos æqualium facierum, qui ubi ſatis copiosè inciderint in obvium corpus, poros ejus farcire, & lapideam ei duritiem inducere. Atque ùt potentiùs, rem ità ſe habere, perſuadear, efficiunt non tantùm ſitientia Africæ, & regionum aliarum ſicciorum, quæ cùm arenarum ſuarum moles tot jam ſeculis hinc indè jactaverint, fieri non poteſt, quin plures earum particulæ minutiores tam longô attritû læves atque æqualium evaſerint facierum, adeòque faciliùs inſederint meatibus obviorum quorumcunque & hodièque inſidere poſſint; ſed & pulmones latomorum, qui poſtquàm in cædendis ſaxis aliquandiù occupati fuerint, tantum ſenſim fumi illius ſaxei per anhelitum recipiunt, ùt in bronchiis ſuis à morte veros lapides nonnunquàm oſtendant, de quô exempla apud *Schenckium* proſtant & alios. Hæc ramenta ſaxis excuſſa cùm maximam partem, ut rationi conſonum, inæqualium ſint ſuperficierum, ſive, ut loquuntur, ab iiſdem vulnerari, quàm ſolidum corpus in ſe recipere; quotiès autem, nimis apertô laryngis operculô, æqualiora ſubeunt pulmones ramenta, eôdem propemodùm modô, in lapides ibi ſolidantur, quô in liberô aëre cætera, quæ lapideſcunt. Similes fumi lapidum, arenarumque cùm à ventis hùc illùc ſpargantur, neceſſe eſt eoſdem quandoquè & in aquas incidere, & his comitibus in telluris gremium nonnunquàm penetrare, undè & his elementis ſuæ ſunt peculiares quandoquè indurandi poteſtates. Quia autem fontes nonnulli perpetuò has cuſtodiunt leges, credibile fuerit vel in eorum viciniâ adeſſe arenas ejuſmodi minutiſſimas, quæ novum aquis miniſtrent pabulum, vel à ſubterraneis ignibus quaſdam ſaxorum atomos leviores perpetuò verſus terræ corticem propelli, & in fontium horum origines terminari. Illud fortaſſè non ab re fuerit adjeciſſe, in Muſeis ſæpè etiam oſtendi ea in ſaxum in durata, quæ perpetuò ſaxa fuêre. Vidi in nobili pinacothecâ fragmenta quædam aſſerum imaginariorum, quæ præmomſtrator ſine omni hæſitatione ex ductibus venarum judicabat ex ligneis in ſaxea migrâſſe, quales tamen ductus in Alpibus jam antè conſpexerant eſſe ſaxeos, immò totas rupes ſimilibus ductibus, unduliſque conſtantes. Deſtinaveram hæc pluribus perſequi, ſed quia in Actis ſuis his agendum preſſiùs, nec ab experimentis longiùs ſecedendum, ſatis erit indice digitô mentem hic ſignâſſe; intereà qui optimè conjecerit, optimus vates cenſetur.

Ibidem Obſerv. 82. De aliis è ſtatû volatili in fixum tranſlatis.

QUæ hactenùs de aquæ in lapides mutatione diſputata ſunt, non eò tendunt, ùt perſuadeant non dari alios indurandi modos in rerum Naturâ, ſed ùt innuant non requiri ſuccos peculiares, ſpirituſve lapidificos, aut ſalia condenſantia ad generationem lapidum; quamquàm enim inter indurandum ingerant ſe ſubindè varia oleoſa, lenta, ſalſa, ſæpè tamen ſine eorum miniſteriô negotium abſolvitur & quò eorum plura adhæreſcunt, eò plerumquè minùs tenax conſolidatio eſt. Alioquin quemadmodùm aquæ particulæ æquales in locis opportunis facilè in ſolidum corpus abeunt, ità & omnia propemodùm fuga-

fugacia, etiam partium inæqualiſſimarum ſiſtuntur, induranturque ubi mutuô attritû ramos, anguloſque ſuos nimiùm exſtantes perdiderint, adeòque more particularum aquearum facies faciebus aſſociârint. Id quòd multiplex me docuit experientia; ex quô penû nunc ſequentia depromuntur: Rec. Olei camphoræ & olei vitrioli ana, qu. placet, miſce, & per retortum vas vitreum alacri igne propelle, ùt omne, quod exſudare poteſt, tranſeat in excipulum: reliquias in fundô nigrantes igni violento admove, deprehendes conſtantiſſimas, utcunquè ante paucas horas fugaciſſimæ exſtiterint. *Secundò*, cape oleum quodvis ſtillatitium, deſtillet iterùm calore paulò vehementiori, & in fundô partem ejus jam fixam, omnibuſque ignibus diù invictam offendes de quò pluribus in *Tractatû* de Opiô. *Tertiò*, diſſolvatur in acetô ſtillatitiô plumbum, & poſt moram aliquot dierum evocetur iterùm acetum illud per balneum Mariæ; quod cùm aſcenſû illô ſatis tùm prodat ſe volatilium eſſe partium, relinquatur ſibi æſtivis aliquot menſibus in vitrô capaciori, non nimis ſtrictè obturatô, concreſcet in ſuperficie ejus cutis ſpiſſior, ad ignem primùm inflammabilis, mox in pulviſculum fixum, conſtantemque deſinens. *Quartò*, ſal armoniacus inter fugaciſſima meritò corpora numeratur, nec minùs fugit arſenicum ad præſentiam flammarum, jungantur tamen hæc duo ſollicitè, & quemadmodùm vocant, ſublimentur, & multùm cineris fixi in vaſe poſt ſe relinquent. *Quintò*, Nitrum ſulphuri incoctum magnâ ſui parte vertitur in inſipidum, igneſque contemnentem tophum, id quod & quondàm *Pliniô* obſervatum eſt. *Sextò*, ſal eſculentus (qui & ipſe facilè in ſpiritum attollitur) ad *Aigvemorte* in Galliis ità ſenſim ſpicula ſua amittit ad ſolem æſtivum, æqualiumque evadit facierum, ùt cortices ejus in metis ſalinis more ſaxi indureſcant, & nullâ pòſt aquâ diſſolvantur, maximâ equidèm ſui parte, quod præſens obſervavi. *Obduces*, Cur ergò ſulphur argento vivo permiſtum, dum ſimul gradiuntur in ſublime, nihil adeò argenti vivi ſolidatum in vaſe oſtendit? Quià robuſtiores ſunt anguli Mercurii, quàm ùt à fumis inconvenientis ſibi ſulphuris locô ſtatìm moveantur, complanenturve.

Ibidem Obſerv. 83. De Adamantibus lapidibus aliis innatis.

QUæ de fodinis adamantum curioſi peregrinatores ut oculati teſtes recenſent, ſuas laudes merentur nec tamen ſupervacuum fuerit, opinor, ſignificare non videri abſonum, adamantes quôcunque ferè locô naſci poſſe, ſi aqua, undè maximam partem, aut fortaſsè toti conſtant, omnium fuerit ſubtiliſſima, æqualiſſima, quietiſſima. Certè cùm in Gloceſtriæ & Briſtolii vicinis, itidèm variis in Galliâ locis ſilices nigrantes frangerem, aliud in iis, ex Glauberianâ hæreſi, inquirens, ſæpè in eorundem meditulliô, tanquàm in cryptâ, adamantes minutulos pulcherrimos, & quidèm plures ſibi junctos conſpexi, exquiſitis & angulis & apicibus notabiles. Crederem fuiſſe cryſtallos, niſi tum nitor illuſtrior, tum & matricis durities obſtarent. De eorum enim duritie propriâ nihil adeò definire licuit, propter impedimenta itineris, & exilitatem corpuſculorum. Veriſimile fuerit corpus hoc ſilicis, cùm adhùc in ſuis primordiis humidiùs lateret, præter craſſiores illas, quibus conſtat, partes, ſubtiliores etiam nonnullas eaſque ſimpliciùs aqueas complexû ſuô foviſſe, quæ placidâ in hôc ſinû quiete mutuis tandèm coïerunt vultibus, & in adamantes converſæ ſint. Utrùm autem angulos illos formârit exiguiſſima præſentis nitri portio, an proprium ſit aquæ, cùm ſibi quietiſſimè, nullô prorſùs heterogeneô immixtô, relinquitur, ità terminari, in mediô hìc relinquo, ad ultimam tamen ſententiam pronior, quòd cryſtalli eòdem modô angulos ſuos colligant, nec tamen nitroſum vehant ſalem, ſed alium exiguâ copiâ acrem, & cubicum, de quô in *Hermet. Sapient.* fuſiùs. Et cùr hexagonum naturale ſit nitrô, & adamanti, atque cryſtallo nequeat eſſe naturale? Incluſa talibus cryptis æqualiſſimarum particularum aqua non videtur vel in adamantes, vel cryſtallos abire, niſi indurationis primordiô ſpiraculum aliquod per udos adhùc parietes ſubeunti aëri leniſſimo pateat, quòd abſolutâ congelatione claudaturnè, an apertum maneat, parùm intereſt. Ideò autem requiri tantillùm aëris putârim, ùt ipſius elatere premente (neque enim ſolæ primi elementi particulæ ſufficiunt, ut rem intuenti evidens eſt) mobiles adhùc aquæ particulæ ſibi apponantur; quemadmodùm duo plana alia, etſi ſibi vicina, niſi appreſſeris leniter, non cohærent validè. Ut hæc ſuſpicarer, induxit me nobilis pinacotheca *Septaliana*, in quâ viſa mihi Achates, in cujus gremiô adhùc volvebantur aliquot guttæ aquæ clariſſimæ, ſurſùm, deorsùmque mobiles, ideò, opinor, nondùm compactæ, quòd cortex gemmæ ab omni parte clauſus fuerit citiùs, quàm interiora ab intromiſſô aëre ſibi apprimerentur. Similis ibidèm viſa cryſtallus, in cujus meditulliô lympha puriſſima oberrabat. Verùm non tantùm in ſilicibus notati mihi adamantes, ſed & à *Bapt. Fregoſô* in mediô inciſi marmoris, & à me deniquè in ſinû nativæ cryſtalli leviter nigricantis, apud humaniſſimum ſacerdotem *Corvinum* Romæ, quorum duritiem licèt experiri non contigerit, firmiorem tamen fuiſſe quàm cryſtalli matris ideò conjicio, quòd elegantiâ & radiorum projectione genitricem vincerent. De duritie etiam adamantinâ fidem faciebat optimus ſenex. Sic non rarò Indi in ſaxis duriſſimis gemmas reperiunt. Non dubito futuros, qui arbitrabuntur adamantem & cryſtallum eſſe diverſas mundi ſpecies, eòque formis ſpecificis & quæ alia cumulari poſſunt) diſtingui, nec ſe invicèm progenerare, ſed iidem quando demonſtrabunt inter has duas ſpecies aliud eſſe diſcrimen quam ſolius puritatis? quæ ſola videtur nitoris & duritiei origo. Ipſi gemmarii totâ pænè vitâ his ſacris innutriti hærent ſæpè, ambiguntque ad quam ſpeciem ablata gemma aliqua referri debeat, præſertìm in genere coloratarum, ità ludit ibi variè non tantùm mundities, ſed & admiſtorum diverſitas. Coronidis loco adjiciendum, creditum omnibus ſeculis, adamantem eſſe ignibus indomitum, ſed hâc tempeſtate obſervatum, non quidèm liquari dimidiâ horâ adamantem ad ſpecula cauſtica validiora; quale eſt illud apud nos Viletii, ſed tamen ſplendorem ſuum amittere, & obſcuris quibuſdam nebulis violaceis inumbrari, uſque adeò generalis rerum domitor Vulcanus eſt.

Ibidem Obſervatio 84. Quid ad hiſtoriam Naturalem ſpectans obſervatum ſit in itinere Galliæ interioris.

IN montanis Lugdunum inter & Gratianopolin per caſtanearum & juglandium ſylvas viſæ ſparſim ſponte naſcentes, digitatis, albô flore alibi, alibi phœniceo punctis diſtinctô, alibi in ſummô juglandium arborum faſtigiô ingentes fungi, quos

quos ſuis non deſtitui viribus crediderim. Porci iſtic omnes nigri, etiam porcelli; pueri autem plerique capillitiô albô, prorſùs ut Dani, ſed & hoc alibi in montanis ſolenne, ut in ſcopulis Trurara &c. ſcrofulæ, ſive ſtrumæ, hìnc indè in utrôque ſexû magnitudinis inuſitatæ, diceres ſecundum miſellorum caput. Ad urbem Gratianopolin viſa ſubindè & hedera & vitis eandem ſcandere arborem ſimùl, argumento, non eſſe inter utramque ſpeciem eam ſimultatem, quam finxêre Veteres. In Urbe compertum à Dn. *Boiſſieu*, Magiſtrô Orationum publicarum in Parlamentô, hiſtoriam de Gratianopolitanâ fœminâ ex imaginatione puerperâ fabulam eſſe, ſed fabulam ab otioſis quibuſdam ingeniis conſutam uſque adeò conſtanti famâ per Gallias pro verâ jactitatam, ùt neceſſe habuerit Parlamentum publicô diplomate ſe ſe tueri, & vanitatem commenti redarguere. Dônavit me autem Illuſtris *Boiſſieu* libellô ſuô recèns editô de *ſeptem miraculis naturalibus Delphinatûs*, id eſt, de *fonte ardente*, de *turri non admittente venena*, de *monte inacceſsô*, de *tinis ſaſſenagiis*, de *mannâ Brigantienſi*, deque *fonte Barberô* &c. in quibus illud de *fonte ardente* curioſiſſimum. Aqua ſcilicèt ex rupe procurrit, & ipſa frigida, ſed ſulphure & bitumine leviter imbuta, cujus ſuperficiei ſi ſulphuratum, admoveris exſtinctum, ſtatìm accenditur, ardetque luculentè. Ardet & admota palea, imprimìs cœlô nubibùs copertô. Nec illud omittendùm, quòd fraga Gratianopoli totâ æſtate recentiſſima comedantur, immò à menſe Majô ad uſque Novembrem. Ratio à ſitû oppidi repetenda; quippe cùm inter montoſa jaceat, & clivis humilioribus Majo & Juniô matureſcunt fraga, in editioribùs rupium Juliô, Auguſtô, Septembri, in editiſſimis circa Carthuſiam, etiam Octobri demùm ità rigidiora in ſublimi omnia, & in ſummis ibi ſcopulis mediô etiam Auguſtô nives perpetuæ. Neque tamen deſunt his rupibus ſuæ plantæ, conſpectæ enim mihi, mediô Juliô, in iiſdem versùs Monaſterium, illud grande Carthuſianorum, ſpontè pullulantes, helleborus albus foliô tenui, & crenis diſtinctô, gentiana flore luteô, ſigilli Salomonis rara ſpecies foliorum ſex, ſed ampliſſimorum, liguſtrum, bugula, berberis, agrifolium, ribes, veſicaria, milium ſolis, baccæ variæ rubicundæ ſibi in unô pediculô adhærentes, ſed omnium frequentiſſimè buxus. Ex rupe quâdam exſudabat liquor varii coloris argentum nonnihil inaurans, exiſtimârim mineram fuiſſe vitrioli. Agni ibi ſpectati nigerrimi albiſſimâ caudâ. Illud autem concoquere non potui, quòd in familiari colloquiô Coadjutor Carthus. Generalis, cætera vir prudens, conſtanter narrabat, Ophryn ſive bifolium poſtridiè dici D. Johannis in iis locis nuſquàm apparere, pridiè frequenter. In rupe caſtellô Mommelianô imminente obſervata ſub auroram, nubes vix pileô amplior, quæ ante mediam horam ita excreſcebat, ùt totum pænè hemiſphærium involveret, ſequente ventô & imbribus. In Oppidulô *Aix en Savoye* conſpectæ thermæ, aliæ quidèm ſulphureæ coloris ſubcœrulei, quæ balneis ægrorum deſerviunt, aliæ aluminoſæ, quæ potui. In his montanis intellexi primùm illud Divini Maronis: *Tres hymbris radii torti*, cùm enim tonante cœlô coruſcarent hìnc indè fulmina, viſi eorumdem radii ter, quaterque intorti, curvatique, planè quô modô Jovem paſſim Romæ videmus dextram fulmine innatô armantem. Lugduni inter cætera vis ſpeculi Vilettiani notata, de quâ alibi & alii. Inſpectus & locus editus, è quô mente capti in Rhodanum præcipitantur, retrahunturque identidèm fune, eô inſtitutô, ùt ſapere iterùm diſcant formidine periculi, non pœnitendo ſucceſſû. Simulque ſubiit *Juvenalis* illud Sat. I.

> *Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,*
> *Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.*

In Rhodanum enim projiciebantur olìm, ex inſtitutô *Caligulæ* maleſuadi Oratores, ut hodiè, maleſani moriones. Obſervata ibi apud Dn. Bertet varia, 1. grana chermes, ſi triduum ſibi relinquantur, non aſſiccata, tota ferè abire in vermes & papiliones. 2. Cryſtallum nativam albam ſolidiorem, ſi in priſma formetur abraſis angulis, iridem non repræſentare, ceu vitrum ſolet, ob denſitatem, haud dubiè, meatuum. 3. Quoſdam lapides Bononienſes φωσφόρυς lucere in tenebris, ſi tantùm libero aëri, ante ſolem ortum exponantur & mox transferantur in locum obſcurum. Apud Dn. de *Servier* viſa pinacotheca machinarum, præſertìm magnetici generis, omnium hactenùs rariſſima, quam, quì à pluribus aperitur peregrinatoribus, nec præciſè hiſtoriam Naturalem attingit, hic prætereo. In Rhodanô ſpectatum inuſitati generis navigium amplum, quod adverſùs rapidiſſimum torrentem felici auſû procedit, rotarum & funis ambulatorii beneficiô; inventum ſeculis inauditum, ſed hodiè omnium oculis conſpicuum. Non procùl Avenione ſpectati equi ungulis ſuis frumentum exterentes, ut apud alias nationes, monente *Apoſtolô*, boves. In vicinis urbis Monſpelienſis tellus paſſim ſponte luxuriabat lavendulâ, rore marinô, calamenthâ, thymô, eryngiis, carlinâ, fruticibus chermes, tamariſcis, colocynthide, gramine Auſtriacô plumeô, aliis; littora etiam crithmis marinis, quatuor ſpeciebus Kaly, inter quas & ſalicornia aculeata vitriariis Magiſtris expetita, quæ tamen & hìc in Selandiâ ad diverſorium *Rundſti* abundè littus conveſtit. Inventus & in littore Magellonam contra aëtites, & lapis variolorum varii generis, (incolæ *Pierre Picot* vocant) quem cùm olìm non niſi ex Indis afferri crederent, hodiè non in eô tantùm littore, ſed ad fluvium Provinciæ, *la Durance*, reperi. Monſpelii apud Dn. *Roquetium* ſpectatus phœnicopterus (edulium olìm Romano palato acceptiſſimum) murex, undè purpura Antiquorum, calculus humanus pellucidus, torpedo oculis quatuor inſignis; ſed inprimìs oculos morabatur lacerta viridis quadrupes & grandis, quæ in vitrô amplô, (cujus ori linteum duntaxàt tenue inſtratum erat, ùt aëri non præcluderetur aditus) jam tum tres menſes ſine alimentô oculis conſpicuô exegerat, adhùc viva, alacris, ſplendida, quæ & more ſerpentum exuvias ſuas depoſuerat, in vitrô ſimul ſpectabiles. In Oppidô Arelate deprehenſum, Medicos Syrupos & decocta febricitantibus concedere non frigida, ſed & glacie circumpoſitâ frigidiſſima, narratumque, ex quô Catalonorum exemplô id egiſſent, non eam fuiſſe vim morbi populariter æſtate graſſantis, quàm anteà. Ad ſalonem in campô illô ſaxeô, *Straboni* memoratô, quater currus, quô vehebamur, accenſus eſt, & nos fumis involuti, flammâ tamen non viſâ; nec niſi ægrè per aquæ penuriam reſtinctum incendium, à ferrô, quod axem ambit, nimis ſtrictô, calente ſole, excitatum. Nobis id inuſitatum viſum eſt, aurigæ non ità. Inter doctos, quibuſcum frequentior nobis in hôc itinere familiaritas,fuêre præcipuè Jeſuitæ, Medici,Chemici;& quidèm Jeſuitis nihil curioſiùs etiam in Naturali Hiſtoriâ, & ſcientiis Mathematicis, Me-

dici

dici paſsim docti & affabiles: ex Chemicis humaniſſimo officioſos expertus ſum Dn. *Viſancurtium* in pagô D. Roberti ad primum ab Urbe Gratianopolitanâ lapidem; Avenione *Dn. Villanovanum Monpeſat*, trinepotem celebris illius Arnoldi de Villâ Novâ; Monſpelii, *Dn. de Beauxhoſtes*, apud quem, inter cætera, ſpectatum amalgama Solis & Mercurii facie picis liquidæ, ſed ponderoſæ, Dn. de *la Roquette* ibidem ex aquâ communi, in hortô ſuô ſpeculum cauſticum oſtendit: Implebat nempè ampullam vitream rotundam aquâ vulgari, ejuſque certâ diſpoſitione, exceptos ſolares radios in conum, quantum licuit, cogebat, cui oppoſita arborum folia viridia terebrabantur ſtatim largô foramine, ac ſi ferrô, candente trajecta eſſent. Inſpecta & pinacotheca *Catelani*, quod *D. Gibertô* nunc paret, in quâ præcipuè ad ſe ſe oculos convertit agnus vegetabilis Tartariæ, coloris herbacei, ſi tamen verus ille fuit, & non ſchema perſonatum, nam attingere manibus non licebat. In Inſulâ Camargues, horreô nunc Arelatenſium (ubi dicitur C. Marſius exercitum ſuum, ut partim numeroſum foſſâ hodièque conſpicuâ circumdediſſe metû Cimborum & Teutonum, quos poſteà in vicinis Saloni campis ſuperavit) id præcipuè notatum, quod ager ut copioſas reddat fruges, vel decies quotannis aratrô verſandus ſit, narrantibus incolis, antequàm inſeri quicquam poſſit, itâ ſalsô ob viciniam maris, & inundationes fundô eſt; quæ acrimonia itâ ſubigitur, ùt campus lætiſſimè poſteà frugibus exuberet. In hypogæô Arelatenſi viſa ſplendida ex marmore monumenta Archiepiſcoporum, Rodolandi, Concordii, Honorati, Trophinii &c. ſed quod ad Hiſtoriam naturalem ſpectat, tria ibi præcipuè ſepulchra, ſibi mutuò incumbentia, in quorum infimô multùm aquæ eſt, in ſummô nihil, in mediô aqua variat altitudinem ad variam lunæ phaſin, indigenæ rem miraculo vicinam opinantur. Aquis ſextiis præter thermas inſpecta illuſtris pinacotheca *Lavtieri* (quam *Piereſcii* quondàm fuiſſe exiſtimo) in quâ plurimæ Antiquæ ſtatuæ Ægyptiæ, Græcæ, Romanæ, varia numiſmata vetuſta & curioſa, præcipuè verò gemmæ numeroſæ inſculptæ figuris admirabiliter ingenioſis, antiqui operis; quod ad naturalia, aderat achates, in quâ quinque orbes perfectiſſimè deſignati erant, plures oculi Cati, ſed unus excellentiſſimus, qui & ipſam oculi felis orbitam & pupillam ad ſtuporem intuentium repræſentabat. Viſa & achates, in cujus mediô herba roriſmarini accuratè conſpici poterat, alia in quâ minutus ſorex, argumentô evidenti è liquore gemmas initiô concreſcere. Inter taliſmanica unam duntaxàt marmoream locuſtam memorabo, inſcriptione Græcâ literatam, in hunc ſenſum: *Locuſtæ, jubet hic vos quieſcere Jupiter*; inter gemmas ſculptas, unam quæ Attilam referebat, ceu ſenem, calvum, barbâ quaſi hircinâ ſub mentum retortâ; unam quæ Silenum, facientem ridiculè, Romanô more, ciconiam. Aquas ſextias inter & Maſſiliam, viam paſſim inumbrabant lavendulæ, thymi, & ſubindè Capparum germina, ut apud nos ericæ. Maſſiliæ inter cibaria noſtra frequenter cochleæ marinæ albæ rotundæ, thunni, ſardi, ſardagnes, ſorbet. Extra urbem opportuniſſimum pro peſte infectis noſocomium, non illud unicô ædificiô comprehenſum, ſed domibus propè centum certô intervallô diſtinctis, ùt nec ſerpat contagio, & liberaliori perflatû cubicula purgentur. Ad Ciſteronem & Ebrodunum circa vias publicas ſpontè germinabat buxus, berberis, ſalices pulimæ bacciferæ, ſedum cancronetum, frequentes ibidèm amygdalinæ arbores, & in illis viſcum. Spectatus & ibi aſinus in deliria & furias actus, quod rarum fortaſſis in ſegniſſimô animalium. Tranſitus nobis in alpinus quidam pagus, *S. Criſpin* vocant, in quô caſæ ruſticæ pleræque marmoreæ, marmoreæ ſepes, caulæ marmoræ, ſed, quod mirêre, eſuries in ædibus, adeò nulla eſt uſquàm ſincera voluptas. In pagô *Argentiere* minera argenti à Dn. *Bogdet* hodiè in uſum vocata. Ad Brianconium integra rupes undulis & ductibus ſimillima ligno. In valle *Prageala*, quæ ad ſeptem milliaria extenditur, ſpontè proveniebat groſſularia fructû hirſutô, digitalis purpurea, berberis: hìc ſolæ vaccæ arant clivos, non equi, non juvenci; credo, quia firmiùs pedem figunt in iſtis præcipitiis. Summa montium omninò calva & inertia, medii clivi inſidebantur ſylvulis abietinis. vallis ea ſolis habitabatur Calvinianis, aut ſi mavis, Reformatis, quorum numerus ad VII. millia excreſcebat, & hi Gallo parent, vicina autem *Lucernæ* vallis paret Sabaudo, coliturque circiter XIV. hominum millibus, itidèm Reformatis, Hi ſunt quos *Theologi Valdenſes* appellant; jactabantque à XII. jam ſeculis ſe Põtificis Romani ſacris non obediſſe. Sed nè extrà oleas, ſermoniſque viæque ejus nunc terminus eſto.

Ibid. Obſerv. 85. Talcum Norvegicum torno obtemperans.

SUnt equidèm quàm plurimæ talci ſpecies, & ferè ſingulis ſuæ dotes. Aliud eſt Venetum, quod ſubvireſcit, & ſi veri Chemiſtæ quidam, oleum ſibi patitur extorqueri; aliud Moſchoviticum, oppidò tranſlucens, & nonnullis, *glacies Mariæ*, appellatũ, aliud ſcanicum, quod hebetius, immò ſingulis propemodùm Provinciis montoſis ſuum eſt. In Norvegiâ duæ præſertìm ſpecies reperiuntur, *alia* quidèm adnata granatis in minerâ Arndalienſi, eaque nigrans ſed quæ igni admota, atque mox exempta, auri lamellis evadit ſimillima; quin & tantillum auri vehit (ſi ingenioſè tractetur) non tamen impenſis ſuffecturum: *alia* in diæceſi Chriſtianenſi, de quâ hìc agitur, nonnunquàm ſubalba, aliquandò ſubviridis, quæ tornô facilè ſe patitur in vaſa & cacabos formari, immò cultris, ferris, & ferrô acutô in varias tranſit figuras. Ad tactum ſubpinguis eſt, undè incolis *Fitſteen* vocari ſolet, & initiô vix talcum eſſe deprehenditur, itâ minutis, & ſubtilibus conſtat bracteis, ſed ad ignem violentiorem laxatâ ſensìm compagine prodit naturam ſuam & in laminas argentei coloris patitur ſe dividi. Inſignis quidam apud nos Naturæ Conſultus furnos Chemicos ex eâ elaboravit, adeòque nec laterculis, nec arenis ad commiſſuras indiguit, ſolô hôc talcô, ſed variè excavatô contentus, non pænitendô ſucceſſû, quandiù intra modeſtiam ſe ignis contineret: ego tigilla, ſive, ut vocant, crucibula per otium indè formo, nec illa inepta ad certos labores; in quibus duplex proviſio neceſſaria. *Una*, ùt cavitas incidatur non ſecundùm, ſed contra ductus bractearũ; *altera*, ùt ignis non intendatur validiſſimè. Non ſunt tamen hæc crucibula ex genere eorum, de quibus ſuſpenſâ manû traditũ quiddam in ſuperioribus Actis Hafnienſibus. In ſiphnô lapis eſt huic fortaſſè non diſſimilis, qui, auctore *Pliniô*, jam olim cavabatur, tornabaturque in vaſa coquendis cibis utilia, vel ad eſculentorum uſus. In quem uſum hodièque vocatur Comenſis in Italiâ lapis viridis, quemadmodum Mediolani ſatis elucet.

Ibid. Obſ. 86. De Periculoſiſſimô aſthmate ſebaceô.

NOtum ſatis, mulierculas, quæ in formandis ex ſebô candelis occupantur ſæpiùs tentari gravedine doloribus capitis, & vertigine nonnunquàm, ob exhalantes ex calente pinguedine frequentiſſimas atomos, quæ & nares & oculos quandoquè obſident & cum anhelitû in pulmones admittuntur; ſed ut notiùs evadat periculum, quod ex contemptû admonitionum ejuſmodi naſcitur, exemplô viſum eſt illuſtrare. *Maria Lamprechtia* vicina in eâ, dũ ſuperiori hyeme, argentô quàm ſanitati intentior, in anguſtô con-

conclavi totas noctes fingendis promercalibus ex ſebô candelis impendit, advertit ſenſim aggravari caput, erubeſcere oculos, anguſtari ſpiritum; ſed bonus ille lucri odor effecit, ùt odorem ſebaceum (liceat enim penuriâ melioris ævi, Madaurenſis uti vocabulô) licèt noxium Spartanâ aliquandiù nobilitate concoqueret donèc noviſſimè victa nec inſiſtere pedibus, nec anhelitum ampliùs poſſet reciprocare, tota decolor, & deſperabunda. Vocatus cauſâ mali intellectâ cùm inter συνδρομῶν ſymptomatum graviùs ægram ab aſthmate & orthopnoëâ, quàm à reliquis malis urgeri notarem, ad emeticum blandiùs provoco & poſteà aquis convenientibus oxymelli ſcilliticoperm iſtis reliquias curæ diebus aliquot abſolvo, in diſceſſû admonens ùt hoſtem magis ſopitum crederet, quàm ſublatum, niſi perſiſteret in medicamentorum uſû, neque enim poſſe unâ vice omnem illam fuliginum candelarum ſaburram ità excludi, ùt recidivæ metum omnem avertat. Illa tamen ſibi reddita confidentior, pharmacorum citò ablita ad negotia domeſtica tranſiit; undè inſequente proximè hebdomade in priſtinum malum relapſa, & ferè funeſtiùs, quàm ante, omnem vitæ ſpem orthopnoïca & præ anxietate pænè rigida atque obtumeſcens depoſuit. Rediit tamen ad ſe ſe repetitis iiſdem medicamentis & imperatis quandoquè ſudoribus, jamque ſaniſſima ſpondet ſe omnibus candelarum opificibus conſulturam, ùt ſi ſalvum velint pectus, in amplâ, & perflabili officinâ magiſteriū ſuum exerceant.

Ibidem Obſervatio 87. *Coma ſomnolentum Variis ſtipatum ſymptomatis.*

HOnoratus civis *Joachimus Curtius*, annorum circiter quadraginta, cacochymicus, ſcorbuticus, & ſedentariæ vitæ aſſuetus, jam ante triennium in ſomnos cœpit eſſe propenſior, adeò ùt ſæpè inter prandendum, cœnandumque, ſæpè inter colloquia obdormiſceret, non ſedens tantùm, ſed & cùm ſtans in fulcrum ſe aliquod inclinaret, cæterà ſanus, & poliphagus, & à febre immunis. Duravit illa narcoſis, quamvìs antiſcorbuticis oppugnata, ægro diætæ leges minùs ſollicitè cuſtodiente, donèc ante hos ſex menſes pertinacior comitem ſibi adjungeret hydropem. Venter enim ad inſtar ligni induruit, intumuitque, ſcrotum aquis & flatû diſtentum, urina parca, crura rigida, ampla, hìnc indè livida, & à digiti preſſu fortiori in valleculos conſtantes ſubſidentia. Evocatus in auxilium Chirurgus catharticis, emplaſtris, & neſcio quibus aliis hydropicum tumorem aggrediens eò tandèm, neglectô comate, rem deduxit, ùt detumeſceret ſcrotum (quod imprimìs triſtia minabatur) atque æger in ſpem ſanitatis erigeretur, abdomine licèt adhùc tenſô & pedibus tumidis. Verùm non diù tenuit illa lætitia. Quò enim plus induciarum ſpondebat mitigatus hydrops, hôc ſæviùs paulatìm coma incubuit, & ægrum, præcipuè verô uxorem ejus ad deſperationem ſanitatis conclamatæ planiſſimè adegit. Tandèm accerſitus ego hominem video ſtatuæ Mercuriali ſimilem, qui vix clamore ſubindè experrectus ſtatim oculos iterùm clauſit, non modò obdormiſcens, ſed & ſtertore & rhonchis ſpiritum meantem inquietans. Aderat & is in vultû, & præſertìm in labris livor, ùt nullius ſuſpenſi facies aut labella ſaturatiori cœruleô colorentur. Inſtigatus agitatione, clamore, apoplecticis liquoribus verba ſubindè aliquot pronunciavit, ſed illa tertiata, & malè cohærentia, mox iterùm in rhonchos & interceptam quandoquè reſpirationem declinans brachiis, etſi ſæpè attolleres, ſtatìm collabeſcentibus. Suaſiſſem mox (præter analeptica) emeticum, ſed metû calumniarum, nè ſecundum illud *Celſi*, quem non hôc modô ſervâſſem, occidiſſe viderer, abſtinui & prognoſticô præmiſſô, recentiſſimum ſal. armon. urinam redolentis ſpiritum naribus ægri ſæpè admovi, quô ille experrectior momentô iterùm cum Didone ſauciâ.

Quæſivitque oculis lucem, ingemuitque repertâ.

Nihilominùs crebrô ſpiritûs ejus admotû id effeçtum, ùt ad pharmaca os ſubindè aperiret; quô viſô ingeri juſſi vinum liliorum convallium ſale volatili ſuccini, & ſpiritû ſalis armoniaçi aromaticô prægnans, non quidèm nullô ſucceſſû, ſed initiô perexiguô, quòd conclamata viderentur omnia, pulſû vix dùm obſervabili. Id quod & miſſionē ſanguinis alioquin profuturam retardavit. Ventum ergò & ad ſpiritus cephalicos, ſalviæ, lavendulæ, roſmarini, ceraſorum nigrorum, ſalem volatilem ungulæ alcis, & quæ alia uſus in hoc affectû ſolet commendare. Cùmque his præmiſſis, ſequentibus diebus paulò excitatior æger paulatìm clyſteres admitteret, & cathartica, plurimùm quidèm fæcum excluſum eſt, ſed caput adhùc obſtipum, & germano Endymioni conveniens perduravit. Obſervatum mihi intereà, quotiès æger incumberet lectô ſupinus (quæ ſola illi dormiendi conſuetudo) anhelitum fuiſſe paulò liberiorem, & labra minùs livida, quin & rhonchos placidiores, quotiès autem ſedili inſidens à famulis contineretur, metû lapſûs, omnia ſymptomata viſa graviora; undè conjiciens obſideri cerebrum circa ſagittalem ſuturam aquâ quâdam narcoticâ, quæ ſedentem erectiori capite magìs aggravaret, jacente autem, pondus ex declivi ſitû imminueret, in occipite mox cauteriô viam noxio humori exituro aperiri juſſi, & eraſô ad ſagittalem capillitiô cucurbitas ex vitrô amplas ſine ſcarificatione calvæ ſæpiùs affigi. Propinata interim frequenter tinctura foliorum tabaci cum volatili urinæ & fuliginis ſale: ſuppoſitiſque linguæ rotulis ex oleis roriſmarini, ſalviæ, ſuccini, extractô caſtorei, aliis, eò præter exſpectationem poſt dies viginti rem vidi redactam, ùt æger poſteà manè ad negotia ſua conſurgeret, domô egrederetur, cum amicis luderet fritillis, & librô rationum ſuarum vigil quotidiè aſſideret, nec quicquàm omitteret eorum, quæ negotiationes domeſticæ requirunt. Neque tamen ea felicitas diù duravit, cùm plùs cibariorum, plùs potionum quotidiè efflagitaret, quàm ſtomachus, & vita ſedentaria paterentur. Acceſſit amplitudo illa & durities abdominis, acceſſit crurum tumor hydropicus, quæ mala, cùm diætæ cuſtodiam non adhiberet exquiſitiorē, fatum accelerârunt.

Ibidem Obſerv. 88. *Nitrum non inflammari.*

NItrum, ait vir doctus libellô de Natur. hiſtoriâ nitri, *eſt inflammabile, quod experientiâ probatum eſt, ſi particula ejus injiciatur in ignem, confeſtìm flammam concipit & ardet, relinquendo calcem vel cineres poſt ſe. Ardet ſubitò & vehementèr, ardet deorſùm, cùm ignes alii aſcendant.* At mille experimentis nihil tale mihi compertum. Id video, quotiès carboni candenti infunditur nitrum, excitari flammam, ſed nitrum ideò inflammari non video. Excitatur nimirùm ardor, ſive flamma in carbone luculentior, quàm ante, non quia nitrum accenditur, ſed quia follis vicem ſuſtinet. Id evidenter cernitur, quotiès nitrum in mediis flammarum complexibus in tigillô liquefactum conſiſtit, enimverò hìc non tantùm non inflammatur, ſed injectum ſibi flammantem carbonem magnô impetû à ſe rejicit, & in altum propellit. Quin & carbonem frigidum flatû ſuô accenſum mox ſufflando, ſi levior eſt, è tigillô excutit. A nitrô tamen ipsô non accenditur frigidus carbo ſed à particulis ignis in poris liquefacti nitri oberrantibus; verùm à nitro ipſo jam in motu exiſtente carbo violenter propellitur in ſublime, &, niſi gravior fuerit, extra tigillum protruditur. Sic in pulvere pyriô ſulphur & carbonarium pollen accenduntur, ſed placidè, nitrum autem ſuperveniens, & jam ab his accenſis irritatum, vehementi afflatû ſuô ſpargit cæterorum flammam largiùs, & impulſû ſuô glandem etiam ferream in diſtantem murum promovet. Scilicèt agit hìc nitrum ſed

fortiùs id, quod in bombardâ pneumaticâ ſolus aër compactior, quippè is ut per vim in tubô illô compreſſus, mox ubi laxatô frænô ſui juris evadit, cum impetû erumpens glandem plumbeam minutam eò uſque propellit, ùt objectum afferem tenuiorem trajiciat. Quô pactô & pueri è fiſtulis ſuis piſa in diſtans agunt ſolô afflatû. Ego ergò nitrum contemplor, ut ſalem infinitis particulis flabelliferis, prægnantem, aut ut ſalinorum laterum follem clauſum, diſtentumque, qui motû ignis reciprocante luculenter apertus quaquaverſùm ſpargit flatus ſuos, & magnô impetû obſtantia elidit. Hic ſi leniùs aperiatur, ut fit, cùm diſſolvitur in liquoribus, aut ipſâ aquâ idem agit, ſed remiſſiùs, hoc eſt, afflatû ſuô refrigerat. Utrùm autem partes illæ flatuum genitrices conſtent ex interceptô inter laminulas ipſius aëre, an ex aliter atque aliter figuratis corpuſculis; ii ulteriùs diſpiciant, quibus otium & volupe. Mihi hìc ſufficit, à nullô hactenùs phænomenô in igne evidenter exſculpi, quòd nitrum inflammetur. Videtur quidèm obſtare experimentum quoddam fabris argentariis ſolenne, ſed reverà non obſtat. Res ità ſe habet: illi quod ad cupellam (quam vocant) provocare operoſum, ſæpè argentum impurius in laminas tenuatum, admiſtô nitrô, includunt tigillô, inverſôque tigillô aliô, ſed exiguô foramine pertuſô, commiſſuris argillâ occluſis, igni committunt. Senſim funditur nitrum, funduntur argenteæ laminæ, ſed ubi ad certum violenti caloris gradum miſtura incaluit, cum fremitû per oſtiolum illud minutum eluctatur flamma, atque impuritates argenti maximam partem in aëra ſecum evehit, non ſine ullâ argenti jacturâ. Hìc pertendent, qui nitrum conſtituunt inflammabile, hanc omnem flammam à nitrô accenſô coortam eſſe, quôd ſine injectis carbonibus ſponte deflagrârit. Mihi id parùm fit veriſimile; nam quis ſpondebit in tigillum mediis flammis immerſum nullos carbones minutos per foramen apertum incidiſſe, qui hanc flammam excitaverint, eòque validiorem quòd per anguſtias ei luctandum, multô flatû ad exeundum impellente? Nam in hâc operatione multò plus flatuum violentiſſimorum, quàm flammæ erumpit. His accedit, quôd ignis per poros tigilli irrumpens in flammam quidèm non abeat, ſolô nitrô ibi præſente, non difficulter tamen colligit ſe ſe, ubi aliud corpus ſolidius nitro permiſtum fuerit, in cujus poris particulæ ejus ſibi firmiùs queant copulari, adeòque junctis viribus agere, id quod in fabrili opere contingit. Hinc particulæ ignis in nitrum retortô vitrô contentum ab arenâ validè calente impulſæ nihil accendunt, ſed ſi nitro illi aliquid ſulphuris miſcueris, accendunt & quidèm alacriter, de quô videantur experimenta *in Actis noſtris Medicis anni* 1671. & 1672. ſiquis adhùc ſuſpicetur nitrum inflammari, admoveat fruſtulum ejus accenſæ candelæ, & ſatis diù ibi contineat, nihil flammæ concipi evidentiſſimè ſpectabit. Neque etiam experimenta oſtendunt nitrum vim ſuam deorsùm duntaxàt exſerere, ſed quaquàverſùm. Certè ſursùm ire liquidiſſimè declarat experimentum fabrorum argentariorum, de quô jam antè; namque ad aliquot pedes in altum aſſurgit ex anguſtiis foraminis luculenta flamma à nitrô impulſa. Quòd autem uncia nitri batillô ferreô impoſita, ſuper injectô carbone vivô ferrum diù candens efficiat, nihil aliud docet, quàm vim nitri etiam deorſum tendere, id quod negaverit nemo, quòd ſi autem batillum ſupremô locô ſtatuas, mediô nitrum, infimô candentem carbonem, videbis batillum eôdem modô incandeſcere.

Ibidem Obſerv. 89. De Cantharidibus appendix.

QUæ de modô agendi cantharidum in ultimis *Actis Medicis*, à me diſputata ſunt, de corpore & pedibus earumdem intelligenda volo, non de earumdem alis; ideò corpuſcula earum ſcripſi armari ſpinis, quod intuenti per ſmicroſcopium accuratum non poteſt non eſſe manifeſtiſſimum. Spinæ illæ vices pilorum ſuſtinent, ſed, ut in hôc genere beſtiolarum, acutiſſimis præditorum cuſpidibus. Alæ corrugentur, non tamen uſquàm deſinunt in ſpicula. Ut mirari ſubeat acumen Veterum, & in iis magni *Hippocratis*, qui licèt oculis nequierit deſignare, quænam in Cantharide partes validiùs promoverent urinam, mentis tamen lumine vidit in alis earundem parùm eſſe præſidii, ideòque *textû 66. de Victû Acutor*; in potione hydropicâ, quæ cantharidas recipit, jubet diſertè earundem alas priùs auferri. Obduces, rejici etiam ab *Hippocrate* caput, & pedes, de quô ità paucis. Caput non injuriâ rejicitur, non quòd non inſtruatur ad extremas fimbrias minutis illis ſuis aculeis, ſed quia pauciores illi ſunt, & intuitû reliqui corporis, non magnoperè æſtimandi. Pedes autem removendi non erunt, ut oppidò, præſertìm ad articulos omnes, ſpiculati, in quô eô, aliquid humani paſſus videtur Optimus Cous, ab anteceſſoribus haud dubiè iſtùc inductus. Quàm enim multa & ille olìm, & hodieque nos credimus viris doctis & rerum peritis, ſine ulteriori inquiſitione? Hodierni itàque Medici, & in iis celebratiſſimi nominis & meriti *Dan. Sennertus*, rectè excludunt in veſicas inducentibus Emplaſtris alas & capita cantharidum, pedes autem cum reliquô corpore recipiunt. Sed quid de *hemerobiô* cenſendum? quem *Augerius Clutius* refert peculiari ſcriptô, additô etiam experimentorum apparatû, ingentia in veſicâ tormina & dolores ciere, ſi vel parcè tantùm, ut fit, ad caſtigandam arthritin comedatur. Sanè, ſi imagini ejus, quam relinquit *Clutius*, aliquid tribuendum (beſtiola enim jam ad manus non eſt) pedes ejus imprimìs horrent ſpiculis, ſed hanc rem optimè definiet Clariſſ. *Joh. Squammerdamius*, qui in inſectô hôc contemplandô plurimum temporis conſumpſit. Sed ad cantharidas iterùm! Erunt haud dubiè, qui arbitrabuntur, in emplaſtris applicatas mittere fortaſſis poſſe in ſanguinem adeòque ad urinæ vias ſpiculorum aliquid, ſed non perindè concipi, quomodò aqua, aut vinum, in quô maceratæ duntaxàt cantharides, ſi potetur, eadem propemodùm inducat ſymptomata, cùm liquores hi ſolùm videantur ſuccum beſtiolarum imbibiſſe, non itèm cuſpides. Reſpondeo adeò minuta eſſe cuſpidum acumina, ût ab aquâ, immò liquore quôvis facilè portari queant, adeòque unà cum ſuccô in corpus bibentis demigrare. Et vinum quidèm ſatis per ſe potens eſt, ad extundendas has ex integris corpuſculis cuſpides; aqua ut ignavior, adjuvatur triturâ. Hìnc diſertè *Hippocrates* locô citatô τρίψας, inquit, ἐν τρισὶ κυάθοις ὕδατος τὰ σώματα. Et nè inuſitatum videatur à ſpiculis ad excernendum lotium invitari veſicam, conſtat ſalia lixiva oppidò eſſe diuretica, & illa firmiter ſpiculata omnia. Quin & excitatiſſimus ille terebinthinæ Cypriæ ſpiritus, cùm potenter ſollicitet urinam, magnam partem ex ſale volatili eôque ſolis ſpiculis agente, conſtat, quemadmodùm accuratiorum quorumdam experimenta fatentur. Cantharides autem hoc agunt, quàm ſalia, efficacius, quòd duplicis naturæ armentur ſpiculis, aliis quidèm ſalinis volatilibus (de quô proſtat experimentum *in ultimis Actis noſtris Medicis*) aliis autem quaſi corneis, quibus exteriùs te-

gitur beſtiola, abſque quorum ope ſalinæ particulæ hic tam rarum effectum non producerent.

Ibidem Obſervatio 90. De Argô Islandicô.

C*Entum luminibus cinctum caput Argus habebat,* ſi *Ovidio* credimus; at ſi oculis noſtris microſcopiô adjutis, pluſquàm centum oculis donatur caput hujus beſtiolæ. Eſt autem illa, quam Illuſtris *Wormius* noſter in *Muſeô* ſuô deſcribit *Oſcabiorni* nomine, ſed quia in totô corpore nihil admirabilius oculis, de quorum fabricâ nihil hactenùs innotuit, libuit adhùc ſemel minutum hoc animal in ſcenam producere. De quô primùm audiendus *Hannas Thorlevius* & ipſe Iſlandus, non minùs eruditus, quàm verax, inque hiſtoriâ naturali Patriæ eleganter verſatus. Hic ergò ità: *Ut à nomine*, inquit, *ducam principium*, illud quidèm fabulæ, & ſuperſtitioni originem debet, compoſitum à duabus voculis *Dskar & Biorn*, quarum hæc urſum denotat, illa optationem, quaſi optationis urſum appellares; *Ooskar* enim genitivus eſt, à nominativô *oosk*, votum, optatio; putat enim vulgus, ſi quis lapidem in Oſcabiorni corpore latentem deglutiat, voti ſui cujuſcunque etiam, futurum compotem. Eſt autem minutum hoc animal teſtacei generis, figuræ oblongæ, longitudine duorum digitorum transverſorum; diceres primô intuitû gammari caudam, ità ex annulis conſtat ei non diſſimilibus. Caput illi exiguum, & propemodùm triangulare, cui nec oſculum ſuum, nec barba, neque cirrhi deſunt; oculi planè admirandi, ſiti in teſtulâ, inque eâ fixi, figuræ ovalis, coloris ſubviridis, juncturæ corporis anteriores latiores ſunt, anguſtiores cæteræ, cauda in acumen exit. Wormius in animali hôc non niſi ſeptem numerat juncturas, ſed incidit haud dubiè in corpus detruncatum, nunquàm enim pauciores ſunt juncturæ, quàm decem, aliquandò etiam plures, quarum ſingulis niſi verſùs caudam, ſua femora & crura adduntur, quorum beneficiô natat: ſunt autem in univerſum hi pedes quatuordecim, in quôvis latere ſeptem; ſunt & quibuſdam ſed rariùs plures, aliis pauciores. Inteſtina in eô nulla, nullum cordis, aut alicujus alteriùs viſceris veſtigium. Horum omnium vicem ſuſtinet maſſa quædam tenax, pellucida, gelatinæ ribium craſſiori ſimilis, in oblongum veluti globum formata, levi inciſurâ notabilis, quæ cum tempore indureſcit, & quaſi in lapidem convertitur. Non eſt tamen reverà lapis, ſed veriùs cornu ſatis leve & ſciſſile, ſub diaphanum, colore propemodùm rubini. Solvitur hic lapis in acetô, ſed acetum indè turbidum redditur, & inſipidum. A noſtris ad varios morbos commendatur, imprimìs autem contra nauſeam marinam præſentiſſimô eſt remediô, ſi deglutiatur, quod & ipſe expertus ſum. In epilepſiâ & cordis affectibus margaritarum peragit officium. Phthyſicis quoque convenit & pleureticis; quia glutinat ulcera pulmonum & conſolidat. Erat mihi quondam libellus Miſſ. in quô varia de lapidis hujus virtutibus conſignata erant, qui, neſcio quomodo periit, & adhùc magnum ſui relinquit deſiderium. Lapidem hunc Iſlandi Peturs-Stein appellant, ut infrâ monebimus. Reperitur hæc beſtiola, præcipuè dùm adhæreſcit piſcibus aliis, undè à doctis nonnullis inter pediculos ſive cimices majores numeratur. Non naſcitur tamen in piſcibus, ut in animalibus pediculi, ſed alimenti gratiâ adhæret. Etenim dùm piſcibus inſidet, jam tùm ex ſuis in volucris excluſa eſt, & quâlibet perreptat, nec cetis ſolum, & piſcibus aliis, ſed lignis quoque, & algæ ſe agglutinat. Quandò autem integra primùm reperitur, latitat in quôdam veluti ſacculô, ſive thecâ membranaceâ, alga non diſſimili, quæ tamen alga non eſt, incolæ Peturs-Skip nuncupant. Theca hæc exteriùs coccinei eſt coloris, intrà nigrantis, latitudo illi ſex aut octo digitorum transverſorum, figura quadrata, in cujus mediô beſtiola hæc delitescit inter mucum quendam viridantem. Hùc uſquè vera narravi, nunc fabulam audite, vulgò apud nos creditam. Narrant videlicèt plebeii Oſcabiornum ingentis olim magnitudinis piſcem fuiſſe, ſed cùm piſcantem olim D. Petrum infeſtaret hauſturo ſimilis atque jam tum anchoram ejus minorem, (quæ Saxea in littoribus, ut piſcatoribus notum) deglutiiſſet, iram Apoſtoli incurriſſe, ejuſque dirâ exſecratione in beſtiolam hanc eſſe converſum, manente adhùc in eô lapidis anchorarii veſtigiô. Hinc lapidem D. Petri, & involucrum animalis *naviculam* Petri appellari. Hactenùs *Thorlevius* cujus deſcriptio ſic ſatis convenit cum beſtiolâ, cujus plura mihi exemplaria ſunt, ſicut & votivi illius lapilli. Sed de oculis ejus hic potiſſimùm ſolliciti ſumus, qui in teſtâ caput conſtituente defixi, ſi nudis oculis noſtris aſpiciantur, opus quoddam cancellatum ſive reticulare repræſentant, mille filis in ſe recurrentibus diſtinctum, atque ſubviride; ſed oculis ſmicroſcopiô armatis ſubjecti, clariſſimè oſtendunt duas teſtulas ovalis figuræ plenas oculis, ſive cavitatibus ad minimum ducentis, non enim facile eſt in tantillô corpuſculô numerum omnium certò definire, quòd teſtulæ ad gibbum nonnihil inclinent, adeòque converſione ſmicroſcopii numerantem vel turbent, vel eludant. Viridis autem ille color ad ſmicroſcopium nullus eſt, quippè ex confiniô lucis & cavitatum profundarum, in quibus ſuæ umbræ, tale quiddam oculis nudis duntaxàt apparet, id quod ad naturam colorum illuſtrandam pertinet. Diù & ſæpè hos oculos ope ſmicroſcopii expendi, non ſine admiratione artificii in abjectiſſimâ beſtiolarum. Credas te primô intuitû videre integrum favum apicularum, ſuis cellulis aptè diſtinctum, ità profundè penetrat viſus in omnes illas cavitates. Viſum fuit operæ pretium, non exteriora tantùm oculorum eorumdem contemplari, ſed & interiorem teſtularum, quibus inſident, faciem. Itàque diviſô ſuſpenſâ manû craniô, cæteræ teſtulæ capitis omnes interiùs deprehenſæ nudæ & ſine filamentis, duæ autem illæ, in quibus oculi reconduntur, infinitis ductibus, ſive funiculis hiſpidæ. Utrùm autem hi funiculi totidèm tubuli ſint, non licuit in exſiccatô corpuſculô plenè recognoſcere, oppidò tamen id mihi veriſimile fit, nam parte externâ evidentiſſimæ cavitates ſunt, & ſic ſatis profundæ, internâ extremitates in ſe ab aëre exſiccante coierunt, atque ità fruſtratæ ſunt inſpicientem. Deſinunt autem extrema filamentorum eorundem non in cartilaginem aliquam, aut teſtulam, ſed in mediô aëre cavitatis illius largæ, quæ omnium objectorum radios excipit. Illa autem cavitas clauditur teſtulâ interiùs concavâ, in quam incidunt & colliguntur omnia phœnomena per tot oculos ingredientia. Et hæc teſtula interior videtur tunicæ retinæ officiô fungi, atque ſpecies incidentes ad neſcio quod cerebro analogum corpus amandare. Uſque adeò nuſquàm fatigatur ſummi rerum Architecti potentia, & nè quidèm in viliſſimis animalium deſinit eſſe admirabilis. Alia cruſtacea oculos habent extra caput prominulos, adeòque ad omnia, quæ in viſum incurrunt, certis motibus flexiles, in Oſcabiornô immobilia exteriùs univerſa,

verſa, nulla muſculorum veſtigia, ſed penſat hunc defectum multitudo oculorum, & interni funiculorum ductus, qui non patiuntur admiſſas rerum ſpecies in orbitâ tumultuariò motû vagari, ſed certô quaſi tramite ducunt ad medium ferè orbitæ inane, adeò ùt ampliùs errare nequeant, quin ſtatim in objectam illam teſtulam retinæ vicariam impellantur.

De Borrichiô præterea hæc habentur in Actis Lipſienſibus ann. 1697. *p.* 179.

Olai Borrichii Conſpectus Scriptorum Chemicorum illuſtriorum. Libellus poſthumus. Cui præfixa Hiſtoria Vitæ ipſius ab ipſô conſcripta, Hafniæ, apud Sam. Germannum, 1697. *in* 4.

Non ignobile in his Eruditorum Actis *Olai Borrichii*, Polyhyſtoris ac Medici clariſſimi, nomen eſt, cujus de *Somnô & Somniferis Diſſertationem ann.* 1682. *p.* 153. *Analecta De Linguâ Latinâ* annô eôdem p. 256., *Diſſertationes Academicas de Poëtis* ann. 1683. p. 281. *Poemata* deniquè à virô celeberrimô Fridericô Roſtgaard edita ann. 1694. p. 33. recenſuimus. Nunc poſthumum illiùs de *Chemicis illuſtrioribus libellum* exhibemus, cui non immeritò Borrichii ipſius, Chemicis illuſtrioribus ſummô jure accenſendi Vita, partem maximam ab ipſomet conſcripta, in cæteris ex Programmate celeberrimæ Academiæ Hafnienſis nomine, cùm funus noſtro ducendum eſſet, publicatò ſuppleta præfigitur. Quod de Chemicis celebrioribus opuſculum ſpectat ex eô pro inſtituti modô pauca annotabimus. Inter eos qui quidèm monumenta nonnulla ad metamorphoſin metallorum ſpectantia (ipſa enim artis ſemina jam inde ab Adamô ad poſteros derivata fuiſſe, non dubitat Borrichius) reliquerunt, primus celebratur *Hermes Triſmegiſtus*, qui columnis inſculpi quædam juſſerit, ex quorum attentâ ſpeculatione Agathodæmon ſeu Hermes ſecundus aliique primordia artis hauſerint. Eidem Hermeti Triſmegiſtô decantatiſſimam illam *Tabulam Smaragdinam*, inter generales tamen ſolum præceptiones ſe continentem, quam ſuppoſititiam Kircherus aliique reputarant, fidenter vindicat. Sicut & *Hermetis ſecundi* opuſcula Chemica, quæ ſubindè à Græcis Latiniſque ad partes vocantur, germana æſtimat; licèt non diffiteatur, *ſeptem* illa *Capitula Hermetis*, quæ publici juris ſunt, recentiori cuidam ſcriptori, *Hermeti tertiò*, eſſe attribuenda. Eôdem candore, quod proximum Hermeti primò locum ſibi vindicet, *ſcriptum Iſidis* Horo filio dicatum, quale nunc quidèm in larariis doctorum cuſtodiatur, ſpurium eſſe agnoſcit, Venere licèt & arte non deſtitutum. *Democriti* etiam libellos, quorum alter βίβλος προφωνηθεῖσα Λευκήπῳ, alter φυσικὰ καὶ Μυστικὰ, inſcribitur, non diſſimulat temporum injuria & incuria librariorum oppidò eſſe mutilos & male ſibi cohærentes; ità tamen, ùt (quod mireris) in unô quandoquè dictô totius Magiſterii clavis deliteſcat. Democritum ſequuntur *Zoſimus Panopolites*, cujus ſcripta in Bibliothecâ Regiâ Pariſienſi dicuntur aſſervari, male tamen & ipſa librariorum vitiô multata; *Syneſius Philoſophus*, ſed in ſecundis ſubſiſtens, cujus extat in ſcripta Democriti Scholion; *Theophraſtus junior*; *Hierotheus*, & *Archelaus*, qui artem ſacram & divinam (chemicam innuunt) Jambicis verſibus ſunt complexi. Tacemus anonymum libelli de modô *dealbandæ aquæ divinæ* auctorem, *Heliodorum*, *Pappum*, *Pſellum* aliosque.

A Græcis ad Latinos, Arabes, Mauroſque digreſſus Borrichius, poſt *Turbam Philoſophorum*, librum ex veterum Chemicorum ſententiis conflatum, *Artephium*, *Moriennum Romanum*, *Gebrum Arabem*, *Rogerium Baconem* alioſque producit, ſeriemque eorum, qui in Chemicis vel quid præſtiterunt, vel quid arroganter moliti ſunt, ad recentiſſima uſque tempora noſtra pertexit, deque ſingulorum ſcriptis judicium ſuum cordatè aperit. Hos omnes, & quæ de iis memorantur, à nobis recenſeri, prolixum nimis foret. Tria itàque tantùm ex penû ſatis amplâ decerpemus, cum Benevolô Lectore adhuc communicanda. Primum eſt, quod *Arnaldi de Villâ Novâ*, variis Chemicis operibus clari, qui circa Annum Chriſti millesimum trecenteſimum floruit, & in Aulâ Romanâ ſpecimen aliquandò χρυσοποιήσεως ediidiſſe vulgò creditur, poſteros hodièque ſuperſtites eſſe Auctor refert, in agrô Avenionenſi degentes, nec adhùc Chemiæ imperitos. Alterum concernit *Raymundum Lullium*, de cujus vitâ, morte ac geſtis neminem rectiùs commentatum monet, quam *Vincentium Mutium* in Hiſtoriâ Majoricanâ an. 1650. Hiſpanicô idiomate edita, qui in inſulâ Majorcâ Lullium an. 1235. natum, an. 1315. Bugiæ in Africâ martyriô coronatum memoret. Undè traditionem vulgarem, Camdenô licèt & Seldenô probatam, quòd Eduardo III. Angliæ Regi Lullius, ad bellum contra infideles gerendum, ſex milliones auri arte chemicâ confecti ſubminiſtraverit, falſitatis arguit, cùm Eduardus III. multis à morte Lulli annis demùm gubernaculis Regni Anglici fuerit admotus: aut, ſi quid veri traditioni inſit, Eduardo potiùs ejus nominis poſt Wilhelmum Conqueſtorem primò eam Lullii liberalitatem patuiſſe, arbitratur. Tertium ſpectat ad Chemicum opus de ſecretis Adeptorum à *Johanne Segerô Weidenfeld* an. 1684. Londini editum. Et id quidèm in Actis noſtris an. 1685. menſe Februariô, p. 87. ſeqq. recenſuimus, ſuſpensô pro inſtituti ratione judiciô noſtrô, niſi quòd operis illius Auctorem ſpiritus vini Lulliani, quem tamen ceu fundamentum omnium deſcriptorum menſtruorum extollat, deſcriptionem penitùs ſubticuiſſe, obiter monuimus. Nunc cùm de ſcriptô iſtô ſententiam ſuam Borrichius majore cum libertate, quàm nobis nos indulgemus, in hôc libellô expoſuerit, eam hìc ipſiuſmet verbis exhibere non dubitamus. Ità verò Borrichius pag. 39. » *Johannes Segerus Weidenfeld* de ſecretis Adeptorum opus practicum » nuper concinnavit, & illud magnæ induſtriæ lec» tioniſque omninò variæ argumentum. Decretum » illi, hôc ſcriptô omnes veros Chemicos in ſpeciem » diffidentes redigere in concordiam; atque ideò » omnium proceſſus, etiam primâ fronte pugnantes » approbat, tanquàm veros, dummodò in illis aliquid » ſpiritûs Vini Lulliani vel tacitè vel explicitè re» periatur; creditque nullum adeò dari proceſſum, in » quô is non deliteſcat vel ſub propriô vel alienô no» mine. Sed ut hæc ipſi conceſſeris (quod tamen vix » ferent delicatiùs judicantes) nuſquàm docet, quid » ſit ſpiritus ille vini *Lullianus*, quô geniô incaleſcat, » ex quâ progerminet radice; ùt proindè, quamdiù » hoc ignotum eſt, menſtruum quoque verè univer» ſale ignorari neceſſe ſit. Quin & difficile eſt credi» tû, ſpiritum illum vini Lullianum innoxiè permiſ» ceri tot aquis fortibus, regiis, tot lixiviis, ſalſis, a» cidis, ùt nihil de integritate ſuâ deperdat. Circum» ſpectiùs, meô judiciô, veteres omnes hìc aquas » fortes extermінârunt, quòd, quemadmodùm be» ne Lullius in ſuô *Vade mecum*, non ſit bonæ ma» tris filios ſuos interficere. »

Ibidem an. 1716. *p.* 134.

Olai Borrichii Diſſertationes, ſeu Orationes Academicæ, in II. *Tomos tributæ. Cum Præfatione ſuâ atque Indice triplici edidit Severinus Lintrupius. P. P. Hafniæ, apud Hieronym. Chriſt. Pauli,* 1715. 8.

OLaus Borrichius magnis meritis erga elegantiorem litteraturam humanitatiſque ſtudia abundavit, quæ non ſolùm ipſe coluit mirificè, ſed variis quoque ingenii ſui monimentis, quibus multum ſtatuitur pretium, ornare & perpolire laboravit. Cultior imprimìs lingua Romanorum ipſi multum debet, cui prælia, quæ cum Cl. Cellariô iniit, fructuoſa fuiſſe conſtat: nec parùm Latinè atque emendatè ipſe expreſſit orationem ſuam. Cujus purioris atque elegantis ſtili exempla conſpici poſſunt in his diſſertationibus, quæ in ſummam redactæ ſuperiori annô prodierunt. Ipſe Borrichius Orationes has conjunctas unô faſciculô proferre deſtinaverat, quô defunctô Paulus Vindingius S. R. M. Conſiliarius Statûs & Juſtitiæ, Græc. litter. Profeſſor Regius, & primus Collegii Borrichiani, quod Mediceum appellari juſſerat, Ephorus, hujus editionis Opus in ſe ſuſceperat; factô autem dicti Collegii impenſis ante duo luſtra imprimendi initiô, ereptus fuit præmaturâ morte Vindingius, qui operam hanc ſuô ephorô Mediceô, ſucceſſori Caſparo Bartholinô, Conſiliario Statûs & Juſtitiæ & Profeſſori Philoſophiæ Regio, reliquit, cui negotio, quùm per alias graviores reipublicæ occupationes haud poterat vacare, illud in Celeberrimum & ingenii meritis Clariſſimum Severinum Lintrupum, Academiæ Hafnienſis Profeſſorem Eloquentiæ, tranſtulit, qui & illi omninò ſatisfecit. Namque præfamen & copioſum & eruditum conſcripſit & in id collocavit ſtudium, ùt Orationes hæ prodirent emendatæ, nec Indicibus uſui libri hujus deſtinatis deeſſe voluit. Quod ad Præfationem attinet, illa attingit tria momenta. Primum eſt prudentia, quæ in ineditis Clarorum Virorum monimentis publicæ utilitati tradendis debeat obſervari, quorum aliis prudentiùs denegatur publica lux ùt famæ auctorum conſulatur; alia verò, quibus præcipuè autores ultimam impoſuerunt manum, publici uſûs facere, eruditos condecet. Secundum eſt index Oratorum Belgarum, Danorum, Gallorum, Germanorum, Hiſpanorum, quô catalogum Oratorum recentiorum Morhofii reddit auctiorem. Angli eruditum orbem, orationibus in Volumina collectis haud ornârunt, qui de rebus, quàm verbis, interioris critices, quàm oratoriæ ſtudiô, deque eloquentiæ ſacræ, quàm Romanæ principatû magis adhùc, ut appare, ſolliciti fuerunt. Locum inter Danos jure ſuô meritòque vindicat Cel. Borrichio, cujus facundia oris non ſolùm fuit fulgens, ſed intellexit quoque, quid ſit benè & copioſè loqui. Tertium de ipſis Orationibus ſeu Diſſertationibus earumque argumentis ſpeciatìm commentatur, quæque intereà, ex quô illæ ante hos XXX. ferè annos pœnè omnes, ante XL. verò etiam nonnullæ conſcriptæ ſunt, ſingulis vel augendis ac locupletandis, vel ornandis atque expoliendis, vel novâ experimentorum luce opportunè ſervitura recentior produxit ætas, commemorat. Prima differit de *Experimentis Botanicis*, per quæ diſcere promptum eſt, quô diſcrimine oporteat à ſpecie ſpeciem plantarum & herbarum dignoſcere, aliis ad foliorum recurrentibus figuras, aliis ad menſuram radicum, nonnullis ad caulium, acinorum, ſpinarum diverſitates; deindè in ſpeciebus eſculentorum declarant, non adeò ambitioſam eſſe famem, ùt nequeat niſi triticis aut ſiligineis ſaturari panibus. Porrò patens ſe aperit campus quærendi non guſtûs duntaxàt adminicula, ſed & delitias, ſi per tot fructuum, florum, radicum, conorum, immò & lignorum, genera eatur, nec minùs experimenta generationem plantarum oſtendunt, & efficiunt, ùt ſciamus plura eſſe, quæ ſeminum vices ſupplent. Namque ſæpè numerô eædem plantæ, quæ ſemini natales debent, propagantur viis aliis, jam foliô, jam ramô, jam cortice, jam radicibus. Secunda de *ſanguine*, ſeu, ùt ipſe in catalogô ſcriptorum ſuorum pauló plenius argumentum expreſſit, de *Naturâ ſanguinis & transfuſione ejus*, obſervat, quòd prima hujus medicationis tentamenta, quàntùm hodie conſtet, Medea, Ægyptiis fortaſſè uſa magiſtris, in ſcenam videatur propuliſſe, quæ revixerit inter hodierna medentium experimenta. Galli, Angli, Itali rem contenti docuiſſe, de nomine non magnoperè laborârunt, transfuſionem vocantes, quotiès ex animali in aliud animal, vel hominem derivatur, aperta vena, ſanguis; infuſionem, quotiès non ſanguis, ſed alii liquores in apertam venam per ſiphonem artifice manû ingeruntur. Borrichius nuncupat artem Medeanam ab inventrice, vel ſi id fabulam redoleat, Libavianam, quia nihil certius, quàm Andreæ Libavio, Medico excellenti, jam ante hos ſeptuaginta annos illam medendi methodum innotuiſſe. Hanc medicandi rationem in majus faſtigium extulêre Richardus Lowerus Oxonii; Dionyſius Pariſinus, Emmereſius, Fabricius Dantiſcanus, qui hâc arte tres homines perſanavit, arthriticum, apoplecticum, & cum plicâ Polonicâ fœdiſque ulceribus luctantem; ex Italis Gulielmus Riva. Cl. Lintrupius commendat in Præfatione ſturmii exercitationem de transfuſione ſanguinis, quâ de ipſô autore hujus artis, de methodô transfundendi ſanguinis, de ſanguinis transfuſi phœnomenis & admirandis effectis, de variis variorum de transfuſione judiciis & ſua ſententia de transfuſionis uſû differit. Tertiam inſcripſit de *uſû Logices*, re ipsâ autem agit de genuinâ diſputandi ratione. De autodidactis dicitur, quòd quæ in angulô meditentur, velut Sybillæ folia lectoribus obtrudant, offamque nec benè conditam, nec arte diſpoſitam, nec præ cruditate edulem nauſeantibus doctorum ſtomachis & digni ſint, qui aliquot adhùc annos inter Logicorum plorent cathedras, antequàm ſcriptorum titulos inſtituant aucupari. Quarta de *Acidô & Lixivô*; Quinta de *Venenis*, & Sexta de *Furore poëticô* agit, de quô dicit, quòd ſit uſque adeò fixa meditatio rei animo in imitationem metricam propoſitæ, ùt intereà omnium pœnè aliarum rerum inducat oblivionem. Inprimìs exponit, quô pactô raptus hic poëticus contingat, an à cauſis in naturâ rerum ſtabilitis proficiſcatur. Summa diſſertationis eò redit, ùt meditatio jungatur multæ lectioni & exporrectô judicio, nec enim meditatio oneri par ſit ſine lectione & arte, nec judicium ſuſtineat hanc molem, niſi longâ cum bonis ſcriptoribus familiaritate velut innutritum. In præcipuis autem Poëtæ curis illa eſto, ùt attollat mentem ſupra dictionis plebejæ humilitatem, ùtque fictam ſibi imaginem rerum de quibus dicturus eſt, animo repræſentet, fingatque ſe, in Epicô carmine præcipuè, geſtis ipſis intereſſe ac videre ſingulorum vultus, conamina, tacitas cogitationes, arcana Conſiliorum. Septima de *animalibus hyeme ſopitis* diſpicit: an ullum animal ſalvâ vitâ, ad aliquot non modò dies, ſed hebdomadas, ſed menſes, ſed annos, ſomnum poſſit continuare? quod argumentum non ſolùm ex hiſto-

riâ

riâ naturali probat, ſed doctrinâ quoque phyſices illuſtrat. Octava de *ſuccinô*; nona de *qualitatibus occultis* & decima de *oraculis antiquorum* ſubſequuntur. De primis Oraculorum initiis non conſentiunt ſcriptores, plures tamen eò inclinant, cœpiſſe eadem centum annis ante bellum Trojanum; hæc lues non ſolùm fœdavit Græciam, ſed certavit mox cum ipsâ hâc parte Ægyptus, illa ſuperſtitionum mater. Apud Italos nihil celebrius Sibyllinis ad Cumas & Tibur oraculis; apud Gallos nihil notius antrô Druidarum. Veteres laborant, ſe ſimilitudine veri, ſpecie & colore tueri, ne geniis familiaribus & aſtutiæ Dæmonum debere oraculorum reſponſa videantur. Cauſam ceſſationis oraculorum Chriſtiani quidam ſcriptores in adventum ſalvatoris Chriſti derivant, Ariſtoteles, Tullius, Plutarchus in effœtas terræ vaticinæ vires. Suidæ & Nicephori Calliſti teſtimonium de Auguſtô, quòd de ſucceſſore ſuô ſit percunctatus, haud certum eſt, nec ſolidâ antiquitate innixum. Neque Suetonius, vitæ Auguſti incorruptiſſimus ſcriptor, neque Euſebius Pamphili, qui in oraculis veterum ponderandis multus eſt, hujus peregrinationis Auguſti Delphos meminit. Ducentis propemodùm à natô Servatore annis Lebadiæ oraculum adhùc effloruit, & ſanè plures Imperatorum Romanorum poſt Tiberium conſuluiſſe Oracula deprehendimus. Undecima multa notatû digna de *variis excitandi ignis modis & phoſphorô* exponit, & attingit brevibus hiſtoriam & controverſiam de inexſtinctis veterum lucernis ſepulchralibus, quæ à multis aliis Clariſſimis viris Octaviô Ferrariô, Fortuniô Licetô, Rob. Plot, Guichardô, Sorellô & aliis illuſtrata fuit.

Poſterior Tomus harum Diſſertationum ſive orationum initium ſuum capit à duodecimâ de *ſpecie ſerpentis, qui* Evam decepit; exiſtimat Autor, quòd Diabolus illud genus ſerpentum in habitaculum ſibi elegerit, quòd natura benigniùs, manſuetiùs & blandiùs humano generi ſe hodièque repræſentat, neque hæc beſtia ad fraudandum inſtructa advocata fuerit ab Afris & Indis, ſed hortô Eden, hoc eſt, Meſopotamicô ſolô fuerit inquilina, adeòque ſæpè anteà inter innocentiæ exercitia Evæ conſpecta & proindè nullæ ab ejus adventû exſpectatæ ſint inſidiæ. Apud Indos, autore Hugone à Linſchot, circulatores docent ſerpentes varios ad ſonos Muſicos in publicô ſaltare & geſticulari. In Malabar non rari ſunt octonum pedum ſerpentes, qui mirificè pueris blandiuntur amantium ſpecie. In Italiâ ſerpentes Braccianæ ſpeluncæ, teſte Kircherô, & Bartholinô, ægros homines in ſpelæum ſuum admiſſos mutuis, ſed innocentibus ſtringunt amplexibus, exſuguntque humores vitioſos adeò, ùt qui advenerant ſemianimes, revertantur ſaniſſimi. Alios Johannes Nieuhofius deprehendit in Chinâ, venenô omni deſtitutos. Reliquâ diſſertationis hujus parte caſtigat Borrichius Nierembergii ſententiam, qui draconem intelligit. Decima tertia de *Naturâ dulcedinis*, & decima quarta *de deperditis Pancirolli* verba facit. Guido Pancirollus cum Henricô Salmuthiô oſtendere laboravit, deperdita jam eſſe propemodùm innumera, quæ olìm etiam in vulgus mechanicorum innotuerant, ità periiſſe antiquorum purpuram, encauſtum, ſpecularia, lapidem Obſidianum, veterum Murrhina vaſa, aurichalcum, azzalum, Muſiva opera, pyropum, electrum, æs Corinthium, vitrum ductile, papyrum, priſcorum Cinnamomum, ſalem Ammoniacum, folium Barbaricum, Malabathrum, ſtacten, bdellium, balſamum, amomum, coſtum, oleum comburi neſcium, hydraulica, clepſydras, ad ſummam illuſtres illos Romanorum triumphos & magnificentiam, Quiritium pace bellôque declaratam. Borrichius pluribus oſtendit, quàm nihil opum antiquarum perdiderit ſeculum noſtrum & evidentius omnia perſpiciat, ùt proindè in ſupervacuis ſe fatigaverit Pancirollus: ſi ſcripto ſuo titulum præfixiſſet, de rebus hodiè in deſuetudinem abeuntibus, ſive de rebus antiquorum, quas poſteritas intuitû meliorum abolevit, correxit, jam nomen ſuum juſtè tueretur. Decima quinta *de ſtudiô Latinitatis puræ* id agit, ùt oſtendat, quàm neceſſarium eſſe, ſectari caſtitatem linguæ Latinæ, quæ princeps virtus ſit omnium linguarum; attingit quoque argumentum de jure augendi Latinam linguam. Decima ſexta de *Menſtruis Chemicorum*, ſeptima de uſû *ſtudiorum academicorum in re militari*, & octava *de Contagiô morborum & vitiorum* non minùs jucundæ ſunt. Integro operi præmiſſa eſt Pauli Vindingii oratio Parentalis in exceſſum Olai Borrichii, & extremô illius additur adhùc oratio Jubilæa Evangelica annô 1667. dicta & ſermo funebris manibus Oligeri Vind dicatus, quem triplex Index excipit. Cl. Lintrupius erudita Borrichii Opera Philologica omnia emendatiora expectare jubet.

BORRO, Branda. Vid. ſub titulô BURRUS.

BORROMEUS (*Antonius Maria*)

De eô habentur in Actis Lipſienſibus an. 1713. *in ſuppl. tom.* 5. *p.* 461.

Iſtoria dell' Epidemia de' Buoi, accaduta l'anno 1711.

i. e.

Hiſtoria Epidemiæ, Boves annô 1711. *infeſtantis, cum examine cauſarum, remediis & modô præſervandi ſanos boves. Venetiis, apud Petrum Orlandi*, 8.

Continet hic liber 1. *Relationem de morbis boum in pagô Sermeolenſi ab Antoniô Mariâ Borromeô, Jo. Mariæ Lanciſio exhibitam*; 2. *Epiſtolam ejuſdem Borromei ad Amicum datam, in quâ ſuam fert de origine, remediis & præſervatione boum ſententiam*; 3. *Epiſtolam Lanciſii ad Borromeum exaratam*, in quâ hoc argumentum uberius diſcuſſit. In Epiſtolâ primâ deſcribit Reverend. Borromeus hiſtoriam, quæ inter boves, qui in ſtabulô pagi Sermeolenſis, qui fratri ſuô paret, contigit, à nobis ex Clariſſ. Ramazzini in Actis l. c. communicatam. Inter phœnomena alia recenſet, ſanguinem ex aure ægroti bovis extractum, dum in terram decidit, & coagulatus fuerat, continuiſſe quaſdam particulas, inſtar ſtellarum minorum micantes, quas alias conchæ minutorum piſcium, à Patavinis ſcardolæ dictorum, referre ſolent; eaſque ſalia eſſe exiſtimat, primùm unita, deìn à ſanguine ſeparata. Tubercula, variolas referentia, & alios viſcerum ſtatus p. n. non pro cauſâ ſed effectû morbi habet, cùm, qui citò interierunt boves, viſcera integra obtinuerint. Medicamenta interna, quæcunque etiam fuerint adhibita, nihil profeciſſe aſſeverat, boves verò, qui in vitâ ſervati fuerunt, in cute puſtulas quaſdam recepiſſe, viſcidum & ſanguinolentum, ichorem continuò plorantes. Tandem concludit, febrem fuiſſe acutam, quæ animalia hæc divexavit, cum diſſolutione manifeſtâ ſanguinis, ſiquidèm ſalia acida, impura, activa, nitroſa, aluminoſa, variæque figuræ ab aëre, aquis & paſcuis hauſta, fuerunt communicata. In Epiſtolâ ſecundâ rationes reddit, ob quas in veram cauſam hujus morbi inqui-

quirere difficile ſit, morbumque non tam peſtem quàm febrem peſtilentialem epidemicam & contagioſam vocat. Veram ætiologiam traditurus atmoſphæram accuſat humidam, jungendo huic ſalia acria & volatilia, ex terrâ multis ſuccis mineralibus imprægnatâ exhalantia, vel à ſole exaltata. Quoad Curam duas format Indicationes, quarum (1. febris ſedanda, 2.) malignitas ſalium refrænanda eſt. A purgantibus abhorret; venæ ſectionem concedit in principiô morbi, in plethorâ, & in bobus aliàs robuſtis & ſanguineis. Nec approbat febrifuga, nec emetica, nec ſuffumigia, nec cephalica, nec id genus alia, ut potè quæ motum humorum accelerant, & oleum igni affundunt. Jubet potiùs, primis mali ſignis apparentibus bovem ab aliorum conſortiô ſegregare, ruptiſque in ore & faucibus puſtulis vel tumoribus, clyſma eidem emolliens injicere, cujus effectus ſi fuerit fruſtratus, bos interim benè ſaginatus, in os infundere medicamentum leniens ex caſſiâ, & tartarô crudô in calidô juſculô vel aquâ cichorei ſolutô; ſin animal non ſaginatum fuerit, ſanguinem evacuare, & primò ſtrigile, hinc manû oleô amygdalarum dulcium imbutâ fricare illud, indè ſetaceum, mediante hellebori radice, in collô excitare, huicque culcitram, ex lanâ parandam, nec adeò gravem, ad aures uſque imponere. Nec nocere poſſunt ſcarificationes ipſi loco, quo vena ſecta fuit, adhibitæ. Sin febris non remittat, ſed potiùs augmentum capiat, iterare venæ ſectionem, è re erit. Potum quod concernit, de eô nihil infirmis propinari vult, panem potiùs, vinô generoſô vel aquâ aliquâ theriacali ebrium exhibere jubet. Sub in declinatione febris parùm potûs, poſt tres verò dies aquam malvæ cum ſuccô limonum, vel aliô acidô, aut aquam ſcordii, centaurii minoris vel cardui benedicti eis concedit. Laudat etiam, ſi ſupra ſetaceum veſicatoria apponantur, & contra vermes infuſio mercurii cum aquâ cardui benedicti exhibeatur. Si in meliorem ſtatum vergant res bovis, moderatè fœnum, folia vitis, & ulmi ei porrigantur. Motus proficuus erit, bobus imprimis ætatis maturæ, & non adeò ſpirituoſis: ſtratum quotidiè immutandum eſt. Præſervationis gratiâ ſobrietatem injungit, antidota rejicit, fœnum & aquam bonæ conditionis laudat, herbas ſiccas oriente ſole concedit. Interim remoti teneantur ab infectis. Stabula ſuffumigentur cum baccis juniperi, ſpicâ, thure, aut eundem in finem acetum vitriolatum cum paucâ camphorâ laminæ ferreæ infundatur; imò aliquot grana pulveris pyrii addi poſſunt. Exiſtimat quoque, multùm conducere ad præſervationem, ſi porci, oves, & alia animalia immunda à ſtabulis removeantur. Os etiam aliquandiù cum ſuccô limonum, vel aliô acidô, ut & aures & nares cum vinô, acetô & aquâ roſarum eluantur. Lanciſii denique Epiſtola tribus potiſſimùm includitur capitibus, in quorum (1) diſquirit, num hæc infirmitas boum pro novô morborum genere habenda, an veteribus jam dum cognita, & quô nomine appellata ſit? in (2) determinat morbum, ipſiuſque naturam, rationemque reddit, ob quam genus bovinum infeſtârit ille? in (3) Methodum commendat, boves non ſolùm curandi, ſed & præſervandi. Morbum igitur veram peſtem vocat, in ſpecie generis bovini, veteribuſque ſatis notam. Cauſam quod concernit, ex Hungariâ potiſſimùm morbum iſtum in Italiam traductum, venenoſumque fermentum per os, per nares, & ubicunquè pori patent, ſanis communicatum fuiſſe, hocque naturam habuiſſe acrem, mordacem, corroſivam, activam, pro partium diverſitate, quibus adhæſit, varia ſymptomata patrantem, putat. Pro Curâ & præſervatione paucum ſed bonum alimentum bobus præbere, ſanos æquè ac infirmos circa nares, linguam & palatum cum mixturâ ex acetô, alliô, ſulphure, ſale, ſalviâ, baccis juniperi & oleô communi inungere jubet. Venæ ſectionem verò, purgantia & alia medicamenta violenter operantia rejicit. Cauteria inſimùl, vel ſetacea, vel veſicatoria etiam atque etiam commendat, non ſolùm collo ſed etiam coxis, & ſcapulis applicanda, idque quamprimùm infirmus fieri obſervetur bos.

De cæterô plura adhùc in Diar. cit. leguntur è Mſptis depromta, quæ cùm nihil, Praxin quod ſpectet, ſuppeditent, ſed ad hiſtoriam imprimis morbi hujus in Italiâ graſſantis ſpectent, ſiccô pede præterimus.

BOSCHE (*Guilielmus Vanden*,) Leodius,

Ex eô habetur

Hiſtoria Medica, in quâ libris IV. Animalium Natura, & eorum Medica utilitas exactè & luculenter tractantur. Cum Iconibus eorum ad vivum delineatis. Bruxellæ, apud Johannem Mommartium, 1639. in 4.

BOSCIUS (*Joh. Lonæus*,)

De eo exſtant

De Peſte, Liber. Ingolſtadii, apud Alex. Weiſſenhorn, 1562. in 4.

Oratio de Optimô Medicô & Medicinæ Auctoribus. Extat Tomo I. Orationum Ingolſtadienſium.

Concordia Medicorum & Philoſophorum de Humanô Conceptû, atque Fœtûs corporaturâ; incrementô, animatione, morâ in uterô, ac nativitate: præterea de Centauris. Satyris, atque Monſtris reliquis, & Dæmonum concubitû, Theſibus centum viginti unâ comprehenſa: Reſpondente Andreâ Helepyrô, *Monachienſi*. Ingolſtadii, apud Alexand. Weiſſenhorn, 1576. in 4. apud Wolffgangum Endterum, 1588. in 4.

BOSCO (*Joh. Jacob. Manlius de*,) Alexandrinus.

Ex eô habentur

Luminare majus. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1517. apud Hieron. Scotum, 1556. in fol. Additis Nicolai Mutoni Appendicibus quibus multorum Excellentiſſimorum Doctorum Medicinas inſeruit. Lugduni, 1536. in 4.

Libellus Medicus variorum Experimentorum. Baſileæ, in 8.

BOSCUS ſeu BOSCHI, (*Andreas*,) Ferrarienſis.

Scripſit Opus Italicum, cui titulus. Pratica utile di Medecina.

BOSCUS (*Hyppolytus*,) Ferrarienſis.

De eô exſtant

De Facultate Anatomicâ per breves Lectiones, cum quibuſdam obſervationibus. Ferrariæ, apud Victor. Baldinum, 1600. in 4.

De Vulneribus à bellicô fulmine illatis. Ferrariæ, apud Caſparum Bindonum, 1596. 1603. in 4.

De Læſione motûs digitorum, & Macie brachii ſiniſtri, Conſilium. Extat eô in Opere, quod Joſephus Lautenbachius Collegit & edidit, Francof. apud Joh. Sartorium, 1605. in 4. pag. 327.

Italicè præterea dedit Diarium de Peſte.

BOSELLUS (*Franciſcus*,) Veneto-Bergomas.

De

De eô extat

Amaltheum Medico-Politicum (Theatri Medici Præludia) tres in Apparatus digeſtum, doctrinæ varietate, tum Laureandis, cum Medicis, tùm cæteris ſapientiæ Myſtis non minùs conferens, quàm jucundum. Antenoreâ in Academiâ ab annô 1631. uſque ad hunc Medicinæ Profeſſorum Encomiis pro Corollariô additâ Elogiorum Heroum publicâ in ejus Bibliothecâ expoſitorum deſcriptione. Patavii, apud Hæredes Pauli Frambotti, 1665. in 4.

BOSS (*Joh. Henricus,*)

De eô extat

De Hydrope aſcite Inaugur. Sub Præſide Hermanni Conringii; Helmſtadii, 4. 1650.

BOTALLUS (*Leonhardus,*) Aſtenſis, Regius & egregius Medicus; Primus, qui frequentem Venæſectionem apud Pariſienſcs induxit. Floruit circa A C. 1582. Renatus Moreau de v. ſ. in Pleurit.

Ex eô habentur

Commentarioli duo: alter de Medici: alter de Ægroti munere. Huic accedit Admonitio Fungi ſtrangulatorii. De Catharrhô commentarius: in cujus fine addita eſt Figura monſtroſorum Renum in cadavere repertorum. Oſtenditur etiam locus, per quem fertur ſanguis in ſiniſtrum Cordis ventriculum, nondùm anteà cognitus. De Lue venereâ. De vulneribus ſclopetorum, qui auctus eſt uberiore Diſcursû de Vulneribus Capitis, multiſque Figuris Inſtrumentorum cephalicorum, Declaratione Capitis ſexti, Libri ſexti Methodi Galeni. Lugd. apud Ant. Gryphium, 1565. in 16.

De Curandis Vulneribus ſclopetorum. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1560. in 8. Venetiis, apud Valgriſium, 1565. 1598. in 8. Antverpiæ, apud Arnoldum Coninx, 1583. in 4. cum Alphonſi Ferrii, & Franciſci Rotæ ejuſdem argumenti Libris.

De Curatione per ſanguinis Miſſionem Liber. De incidendæ venæ, cutis ſacrificandæ, & hirudinum affigendarum Modô. Lugduni apud Johan. Huguetan, 1580. in 8. Antverpiæ, apud Plantinum, 1583. in 8. Lugduni, 1655. in 8.

Luis Venereæ curandi ratio. Extat pag. 9. Appendicis ad tom. I. Operis Veneti de Morbô Gallicô.

Sententia de viâ ſanguinis in corde. Venetiis, 1640. in 4.

Judicium Appollinis circa opinionem de viâ ſanguinis, in 4.

Opera omnia Medica & Chirurgica: hâc poſtremâ editione à mendis repurgata, methodicè, & paragraphicè diſpoſita, Notis marginalibus, & Authorum teſtimoniis aucta, & hinc indè Annotationibus illuſtrata à Johanne Van Horne, cum figuris, Lugduni-Batavorum, apud Daniel. & Abraham à Gaasbeeck, 1660. in 8.

Sequentia continent hæc Opera

1. *Tractatus de Medici & ægri Munere.*
2. *Obſervatio Anatomica de monſtroſo rene.*
3. *Obſervatio alia de oſſibus inventis inter utrumque cerebri ventriculum.*
4. *Alia Obſervatio de verâ arteriarum nutrice.*
5. *Admonitio de Fundô ſtrangulatoriô.*
6. *Ratio incidendæ venæ; cutis ſcarificandæ & hirudinum applicandarum modus.*
7. *De Curatione per ſanguinis miſſionem Liber.*
8. *De Catharrô ejuſque cauſis, ſymptomatibus, ſignis & curatione, commentarius.*
9. *De Lue Venereâ ejuſque curandæ ratione Liber.*
10. *De Curandis Vulneribus Sclopetorum libellus, cui inſertus eſt commentarius Autoris in cap. ult. libri Mexti Sect. medendi Galeni, in quô agitur de Vulnerum Capitis Curatione.*

BOTTERUS (*Henricus,*)

Ex eô habentur

De Expurgatione Empyematis Epiſtola. Extat cum Greg. Horſtii Obſervat. Medicin. ſingularium Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1621. in 4. pag. 459.

De Scorbutô, Tractatus. Cui acceſſit ejuſdem ad Johannem Wolffium Epiſtola. Lubecæ, 1646. in 4.

BOTTONUS (*Albertinus,*) Ex familiâ Parmæ illuſtri natus Patavii: ubi Philoſophiæ & Medicinæ Doctor creatus, primùm per ſexennium Logicam docuit, deindè Annô Chriſti 1555. Medicinam etiam publicè legere cœpit. Obiit ſenex in patriâ Annô Chriſti 1596. relictis ingentibus opibus, & ædibus magnificis.

Ex eô habentur

Methodi medicinales duæ, in quibus legitima medendi ratio traditur, propoſitæ in Acad. Patavinâ à Nobiliſſ. viris Profeſſ. D. Alb. Bottonô & Æmiliô Campolongô: Operâ Lazari Suſenbeti in lucem editæ. Francof. apud Palthenium, 1595. in 8.

De Morbis Muliebribus Liber. Patavii apud Jacob. Bozzam, 1585. in 4. Baſileæ, apud Conr. Waldkirch, 1586. in 4. Venetiis, 1588. in 4. Extat etiam cum Gynæciorum Libris ab Iſraele Spachiô editis, pag. 338. Argentinæ, apud Lazarum Zetznerum, 1597. in fol.

De vitâ conſervandâ. Patavii, apud Jacobum Bozzam, 1582. in 4.

De Modô diſcurrendi circa morbos, eoſdemque curandi Tractatus. Extat cum Pandectis Johan. Georgii Schenckii. Francof. apud Jonam Rhodium, 1607. in 12.

Conſilia quædam Medica. Extant eô in opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francof. apud Johan. Sartorium, 1605. in 4.

BOTTONUS (*Dominicus,*) Leontinus natus 6. Octobris 1641. ex Nicolaô Bottonô Philoſophô, & Medicô eximiô, & Camillâ Cantazarô & Caruſô. Annum agens ſextum Meſſanæ tranſlatus humanas didicit litteras, indè Philoſophiam in Collegiô Soc. Jeſu: & Medicinam à Petrô Caſtellô celeberrimô Medicô Romanô, tunc Meſſanæ docente. Cùm autem ingenii felicitate excelleret, his in facultatibus egregiam doctrinam accepit, & emeritam Doctoris lauream Philoſophiæ, ac Medicinæ in eâdem urbe annô 1658. accepit. Ætate adhùc florente inter doctiſſimos non ſine literatorum veneratione aſcriptus, conceptam ſui opinionem non modò firmavit, verùm etiam mirum in modum experimentis amplificavit: nam ſalutari Medicæ artis ope innumeros ad priſtinam valetudinem revocavit, & præſertim nonnullos Meſſanæ Dynaſtas, inter quos præcipuè accenſendus Simon Carrafa Meſſanenſis Archiepiſcopus, qui in ſuum unicum Medicum delegit. Ob ejus expertiſſimæ doctrinæ celebritatem, à nonnullis tùm Siciliæ, tùm Neapolis viris principibus in gravioribus morbis vocatus eſt, ùt ipſorum curam ſuſciperet. Ob expertiſſimam doctrinam Proregum Siciliæ maximam æſtimationem promeruit; nam à Marchione Villæfrancæ Prorege cubiculi ſui Medicus delectus eſt, ac etiam Meſſanenſis diſtrictus, ut vocant, Archiater. Marchio Caſtri Rodrici etiam Prorex in eôdem munere

nere confirmavit, additis 50. aureis ſingulô menſe. S. R. E. Cardinalis Ludovicus Fernandez Portocarrero non modò eôdem munere cohoneſtatum voluit noſtrum Dominicum, verùm etiam ùt Regiis litteris à Carolô II. Rege in eôdem gradû confirmaretur, egregiè curavit: & ex ejuſdem litteris Xenodochii Regii Meſſanenſis curam ſuſcepit. Tandèm S. Stephani Comes Siciliæ Prorex in Medicum ſuum ſelegit, apud quem magnâ doctrinæ opinione valuit; quam in multis morborum periculis ſibi comparavit. Cùm autem idem Comes Neapolitani Regni Clavum Prorex teneret Dominicum Neapolim accerſivit, & cum eximiæ æſtimationis teſtimoniis, cubiculi ſui Medicum voluit. Inde ùt ad Prothomedici Regni Neapolitani gradum extollerent, curavit; quod munus cùm haud exercere poſſet, obſiſtentibus Urbis illius privilegiis, quæ exterum non admittunt, per alium ſuppoſitum exercuit, cum aureorum mille emolumentô ſingulô annô. Filium etiam Marium Xaverium Bottonum v. j. Doctorem etiam muneravit, nam in ſui meritorum contemplatione Judicem Magnæ Curiæ Vicariæ elegit, ut etiam in Tribunali Audientiæ Calabriæ citra, Rotæ præfecit: & tandèm Regii Teolonii, vulgò *Dogana*, Fogiæ auditorem conſtituit. Noſter etiam Dominicus in Neapolitanâ Academiâ quâtrienniô Philoſophiam publicè docuit magnô cum plauſù, ac ſingulari doctrinæ celebritate. In eâ etiam Urbe munus Medici Xenodochii Regii S. Jacobi exercuit, quod ſemper Medici celeberrimi obtinuêre. Illuc tandèm doctrinæ præſtantiam multis in morbis detexit, quibus egregiam præſtitit curam. Podagræ morbô agreſſus, Meſſanam remeare decrevit, & obtentâ magnô conatû Proregis veniâ, ad munus Medici Regii Xenodochii Meſſanenſis regreſſus eſt, quô eum muneraverat Rex Catholicus annô 1692. cum amplô ſexcentorum aureorum ſtipendiô ſingulô annô, ibique nunc præeſt magnô cum ægrotorum profectû ac ſingulari diſcipulorum utilitate, quos per annos multos Medicinam Scientiſſimè docuit. Ob doctrinæ famam in Academiâ doctiſſimâ Eruditorum Londini, quam Societatem Regiam dicunt, aſcriptus eſt annô 1697. & ex epiſtolâ illius, à ſecretis ejuſdem ſocietatis tunc erat, æſtimationis gradus quò eâ in Regione viget tanti viri doctrinâ, facilè deducitur; fuitque ex ſiculis primus in illius Academiæ albo ſcriptus. Floret nunc vir præclariſſimus adhuc ſuperſtes Meſſanæ, in magnâ omnium æſtimatione, ac cum præſtantioribus Europæ literatis amicitiæ vinculis adſtrictus. Ipſum laudat Jo. Paulus ab Epiphaniâ in Lib. *Stravaganze della natura pag.* 423. & Sylvius Bocconus in *Muſæô Phyſicô pag.* 13. hic etiam ipſius meminit in *Muſæô Plantarum pag.* 57. Edidit.

Pyrologiam Topographicam; ideſt diſſertationem de igne juxta loca cum eorum deſcriptione. Neapoli ex novâ Officina Dominici Parrini, & Michaelis Aloyſii Mutii 1692. in 4. Quod opus laudibus ornant Acta Eruditorum Lipſiæ in ſuplementorum *Tom.* 2. *ſectione* 4. *pag.* 189. & eruditiſſimus Benedictus Bacchini *in Diario Literatorum anni* 1692. editô Modenæ pag. 304. ſcripſit etiam.

Ideam Hiſtorico-Phyſicam de Magnô Trinacriæ Terremotû. Hoc opus ſcripſit inſtante celeberrimô Marcellô Malpighiô, cui Societas Regia Britañiæ demandaverat, ut de hôc memorandô Terræ motû ſcriberet: cui cùm manum haud admovere liceret ob fractas ex ægritudine vires, & ob notitiarum difficultatem, Botonum ſui amiciſſimum rogavit, ùt hanc lucubrationem aggrederetur: quam jam abſolutam eidem ſocietati excudendam miſit.

Alia prælo parat. *Mongitor Bibl. Siculæ. T. j.*

Edidit quoque vir ſanè doctiſſimus opuſculum inſcriptum:

Febris Rheumaticæ Malignæ, quam Em. Dominus D. Raymundus Perellos Melitenſis Inſulæ Princeps, S. H. O. Magnus Magiſter, non ſine ingenti vitæ diſcrimine, ſubiit an. 1708. *Hiſtoria Medica.* Meſſanæ typis D. Victorini Maffei 1712. in 8. *Ibidem T.* 2.

BOUCARDUS (*Claudius,*)

De eô Extat.

De Methodô Johannis Griffonii in aperiendâ interiore vomicâ, Epiſtola. Extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſerv. Chirurg. Cent. 1. Baſileæ, apud Ludov. Regem, 1606. in 8. p. 110.

BOUCHARDUS (*Franciſcus*)

Ex eô habentur.

Obſervatio, de inteſtini Coli parte per triennium & ampliùs ab abdomine pendula & jam tum ægro ſatis valenter peregrinante. Extat Ephem. Acad. Nat. Curios. An. III. N. 8.

De Mercurii dulcis in variolis uſû. Ibid. Ann. eôd. N. 9.

De Lacte ſoliûs ſuetûs ope in mammas excitô Ibid. Ann. eôd. N. 10

De Partû difficili, vitaliſque foetûs cum duplici molâ permanſione. Ibid. Ann. eod. N. 11.

Obſervatio, de Infante à Morte matris in ventre poſt graviditatis annos ſedecim, & quod excurrit, excretô. Ibid. Ann. eod. N. 12.

De infante monſtroſô Lugduni in viam publicam expoſito. Ibid. Ann. eôd. N. 13.

BOUDOWYNS (*Michael*)

De eô Extat.

Ventilabrum Medico-Theologicum. Quô omnes caſus, tùm Medicos, cùm ægros, alioſque concernentes, eventilantur, & quod SS. P.P. conformius, Scholaſticis probabilius, & in conſcientia tutius eſt, ſecernitur. Opus cùm Theologis & Confeſſariis, tùm maximè Medicis perquàm neceſſarium Antverpiæ, ap. Cornelium Woons, 1666. in 4.

BOULTON (*Richardus,*)

De eô habentur in Actis Lipſienſibus an. 1714. *p.* 422.

A Syſtem oF Rational and. Practical Chirurgery &c. by Richard Boulton late of Brazen Noſe Colledge in Oxford.

i. e.

Richardi Boulton, Collegii Ænei Naſi, quod Oxonii eſt, nuper ſocii, ſyſtema rationale & practicum Chirurgicum. Londini, apud W. Taylor & W. Innys, 1713. 8,

Autor tumorum, Ulcerum, Vulnerum, Fracturarum atque Luxationum theoriam ac therapiam in præſenti explanans ſyſtemate, nonniſi compendium Operum Chirurgicorum, quæ *Richardus Wiſeman* Chirurgus idiomate pariter Anglicô Londini ann. 1676. in fol. edidit, ità exhibet, ùt multa omiſiſſe, nonnulla immutâſſe, alia verò addidiſſe deprehendatur. Omiſit namque non ſolùm varia Capita, V. G. de tumoribus à lacte, de abſceſſibus uteri puerperarum, de procidentiâ ani, de ſtrumis &c. ſed integram quoque tractatum ultimum Octavum, de lue Venereâ, omneſque Obſervationes, quibus plerique affectus à Wiſemannô fuerunt illuſtrati. Septem autem reliquos tractatus in quinque mutavit partes, dum varia capita, quæ apud Wiſemannum tractatum 3 de morbis ani, & 4. de ſtrumis abſolvunt, partim primæ de tumoribus, partim ſecundæ de ulceribus parti ſubjunxit, tractatum autem 6 de vulneribus Sclopetorum

Appendicis locô ad partem tertiam retulit, fracturaſque & luxationes in tractatû 7. conjunctas, ſeorſim in parte quartâ & quintâ pertractavit. Præter indicem nihilominùs medicaminum addidit cùm Chirurgiæ Introductionem, tùm accuratiorem ex Anatomiâ & Philoſophiâ corpuſculari theoriam, illam præmittendo, hanc immiſcendo, quam utramque paucis nunc indigitâſſe nobis ſufficiet. In Chirurgiæ nempè introductione tam exponit, quid ars Chirurgica in genere ſit, & quæ à Chirurgô debeant attendi, quô rationalem exerceat praxin, quàm quid per Syntheſin, Diæreſin, Exæreſin, & Anapleroſin, veluti quatuor Chirurgiæ partes, intelligatur. Aſt theoria exactior, quam interſperſit, ſatis eluceſcet, ſi vel rationem apponamus, quâ non modò productionem tumorum in genere, ſed & activitatem topicorum diſcutientium, nunc mitiorum, nunc quorumcunque cum repellentibus combinatorum, in primô ſtatim capite partis primæ dilucidat. Cùm totiûs enim noſtri corporis, conſequenter cujuſlibet etiam partis, tanquàm organi, ſtructura è variis reſultet vaſis ac vaſculis, varios, qui per ipſa circulantur, humores continentibus, diverſos omninò exoriri cenſet tumores, quoties humores ejuſmodi, aut propriô vitiô, aut ipſorum vaſorum, in vaſculis capillaribus ſubſiſterent, hæcque obſtructa ab inſequenti humore propulſô nimiùm diſtenderentur, quàm intumeſcentiam ſucceſſivè non minùs augeri, quòd vaſcula adſita neceſſariò unà comprimerentur, adeôque per hæc itidèm circulus humoris impediretur. Diſcutientia verò mitiora, ex particulis, tùm mucilaginoſis craſſioribus, tum ſubtilioribus aromaticis, coagmentata, ratione priorum cutem emolliendo doloremque leniendo poros relaxare, ratione autem poſteriorum per poros patulos penetrare humoremque ſtagnantem craſſum attenuare autumat, quô talis non tam per tranſpirationem vix poſſibilem ſecedat, quàm à vaſculis receptus conſuetum circulum repetat. Effectum huncce à diſcutientibus quibuſcunque, cum repellentibus ſociatis, tantò magis facilitari, quantò potentiùs repellentia adſtringentia ſimul vaſcula dilatata conſtringendo humoris à reſolventibus attenuati protruſionem per canaliculos ſuos promoverent.

Ibidem ann. 1715. *pag.* 71. *Phyſico-Chirurgical Treatiſes Of the Gout, the Kings-Evil, and the Lues Venerea.*

i. e.

Tractatus Medico-Chirurgici de Arthritide, Strumis, & Lue Venereâ; Autore Richardô Boulton. Londini, apud M. Brand. & I. Kent, 1714. 8.

CUm non pauca proſtent ſcripta, in quibus Viri, ſupra vulgus aliàs ſapientes, nec minori experientiâ clari, in horum morborum naturam inquiſiverunt; non immeritò miratur Auctor Clariſſ. cur plures hactenus iidem non fecerint progreſſus in eis debellandis; operæ igitur pretium duxit, in veras eorum cauſas inquirere, & ſuper has legitimas ſtruere indicationes.

In tractatû *de Arthritide*, recenſitâ ejus hiſtoriâ & naturâ, conjunctam cauſam acrem corroſivum humorem cum pituitâ mixtum eſſe ſtatuit, qui oleoſæ mucilaginis, quum articuli ſuppeditant, craſin invertit. Idque vitium vel hereditarium eſt, vel adſcititium; in hôc modô ventriculus, modò ſuccus pancreaticus, modò bilis, modò alimenta tam eſculenta quàm potulenta, modò defectus motûs aut ſomni, modò veneris abuſus in culpâ eſſe poſſunt; quoniam autem non omnes, qui ejuſmodi errores committunt, aut chylificationis defectus patiuntur, arthritidi ſunt expoſiti, neceſſariò ſequitur, peculiarem propenſionem ſeu diſpoſitionem ad colligendos ejuſmodi humores præternaturales requiri, quæ in diverſô hominum temperamentô radicata eſt; putat igitùr Noſter, homines temperamenti melancholici præ aliis ad contrahendum hunc morbum eſſe aptos; ſiquidèm humores in hâc conſtitutione minùs balſamici crudiſque ſalibus réferti quibuſvis cauſis morbificis validè ſatis ſe opponere neſciunt, ſed ab his magis ſupprimuntur, & ſubiguntur. His poſitis dum ſalia acida, acria, lixivioſa, cum ſanguine circulata exaltantur, & attenuantur, per renes equidèm aliaque corporis emunctoria ſecernuntur, reliqua tamen oleaginoſam ſanguinis ſubſtantiam conſumunt, & ut reliquis humoribus, ità etiam menſtruô ſtomachali communicantur, & fermenti inſtar ſe multiplicant. Humores hìnc ſalini præternaturales in glandulas articulorum ſe inſinuant, & inter ligamenta membranacea deponuntur, undè ſequitur non ſolùm motus abolitus, quia oleaginoſa mucilago, fibras humectans, deficit, & acres particulæ harum interſtitiis ſe interpoſuerunt, verùm etiam dolor exquiſitiſſimus à ſpiculis ſalinis, ſenſibiles has partes vellicantibus, productus. Quòd ſi igitùr humores hi acidi, & acres cum lixivialibus ſalibus permiſti ad glandulas articulorum depôſiti fuerint, motum inteſtinum ſenſim ſenſimque amittunt, hìnc craſſiores evadunt, minùſque apti, qui per vaſa iterùm poſſint reduci, imprimìs cùm frigus, quod extrema artuum ambit, ad majorem coagulationem eos diſponat. Sin verò ob dolorem calor aliquis extraordinarius & fermentatio præternaturalis oritur, humor hìc anteà condenſatus iterùm attenuatur, & per reductoria vaſa denuò reſorbetur, donèc paroxyſmus penitùs ceſſaverit. Quoad therapiam curatoriam (1) humorum vitiatorum, qui antecedentem conſtituunt cauſam, incrementum eſt inhibendum; (2) humorum jam collectorum in partem influxus eſt ſiſtendus; (3) cauſa conjuncta tollenda; & (4) ſymptomata mitiganda ſunt. Ut de Indicatione tertia quædam dicamus, cauſa conjuncta ſeu humor ille craſſus partìm debet attenuari, ùt extra membranas & fibras ligamentoſas expellatur, partìm ità corrigi, nè ad maſſam ſanguineam reverſus ullam noxam inferre queat. Ab internis autem medicamentis parùm ſubſidii expectandum eſt, (1) quia ob humorem nimìs craſſum, vaſcula & fibrillas obſtruentem, nihil de medicamentô illùc penetrare poteſt, & ſi tantillùm illùc feratur, priùs à fermentô peregrinô in ſuam naturam verteretur, quàm aliquam correctionem humoribus concedere poſſet; (2) quia medicamenta in fibras membranoſas, ubi motus humorum progreſſivus multò debilior eſt quàm in vaſis ſanguineis, non niſi tardè ingrediuntur, hìnc nulla proportio erit inter id, quod in glandulis ſeparatur, & materiam peccantem corrigendam; (3) ſi humores craſſi attenuarentur à medicamentô, & ad maſſam ſanguineam remearent, metuendum eſſet, nè idem humor per arterias ad locum affectum adductus priſtinam iterùm luderet ſcenam, & paroxyſmum de novô produceret. Verùm enimverò ſi quis dolorem per interna medicamenta ad tempus per opiata conſopire prætenderet, ſciendum, opiata non ſolùm in partem affectam, ſed & in cerebrum ſuam operationem exercere, adeòque metuendum eſſe, nè hoc ad recipiendam materiam morbificam diſponatur, & ſic metaſtaſis ad partem nobiliorem promoveatur. Externa verò remedia quod attinet, & primò quidèm

dem lenientia & emollientia, hæc conducunt, quia (1) viam & locum parant, in quô cauſa antecedens poſſit recipi, nè tam copioſè in articulos internos influat; (2) ſymptoma externum, dolorem ſcilicèt, aſſopiunt; nec nocere poſſunt hæc, ſiquidèm materiam peccantem unà cum cauſâ antecedente ad partem externam aliquam derivant, antequàm hæc ulli parti intimiùs fuerit affixa, & ſic præcavent, nè vel in affectam vel aliam partem irruat; quanquàm autem ad interiora uſque articulorum non adigantur, adeòque cauſam conjunctam non attingant, ceſſat nihilominùs metus, nè eadem attenuata ad ſanguinem reverſa huic noceat, aut ad aliam nobiliorem partem transferatur. Narcotica externe parti affectæ applicata per poros corporis effluviis ſuis ſubtilioribus penetrant, & nervoſas papillas in cutis ſuperficie poſitas afficiendo ſenſationem doloris à tumore & inflammatione productam ad tempus tollunt, modò abuſum eorum caveamus; nec tamen putandum eſt, eorum ſphæram activitatis ad membranas uſque articulorum ſe ſe extendere. Repellentia mitiora externè admota calorem quidèm & inflammationem temperant, non autem tantæ ſunt efficaciæ, ùt humorem ad ſanguinem iterùm repellant; adeòque cauſam conjunctam non attingunt. Sin fortiora in uſum vocentur, metus eſt, nè contrahendo partes & humorum, materiæ morbificæ attenuationem juvantium, influxum arcendo, materiamque peccantem, per ſe craſſam, magis inſpiſſando, magis obſint quàm proſint. Diſcutientia quidèm calidis & ſubtilioribus ſuis effluviis materiam morbificam attenuant, & in motum rapidiorem cient, ſicque à locô affectô expellunt, quoniàm autem eandem ex corpore non proſcribunt, ſed ad vaſa iterùm urgent, verendum omninò eſt, nè per vaſa adductoria illa iterùm ad locum priſtinum deponatur, ſicque recidivam efficiat, aut nobiliori cuidam parti adhæreat. Quòd ſi igitùr ab externô quôdam præſidiô cauſa conjuncta tolli debeat, illud hanc non ſolùm attenuabit, & ad vaſa repellet, verùm etiam pravam ejus conſtitutionem ità alterabit, & corriget, ùt corpori nullam ampliùs noxam inferre queat. Quæ requiſita in emplaſtrô de ranis cum quadruplici mercuriô invenit Autor Clariſſ. imprimis ſi illud, cum tantillô boli Armenæ vel minii roboretur, ſub cujus uſû laxantia, diaphoretica vel diuretica interna vias præparabunt, ut per eas hoſtis hic ex corpore ſenſim ſenſimque exturbetur. Quoad curam præſervatoriam monita ſalubria ſuppeditat Noſter, quomodò partìm cauſæ antecedentis incrementum inhibendum, partìm materia morbifica in maſsâ ſanguineâ congeſtâ corrigenda & eliminanda veniat, aliquotque ſubnectit obſervationes.

Scrophulæ cùm ſint morbus variis ſtipatus ſymptomatibus, genuina earum ſubminiſtrari definitio vix poterit; ſufficit jam ex Autore annotâſſe, conſiſtere hunc affectum in craſi depravatâ habituali humorum. Subjectum non ſolùm glandulæ ſunt, ſed & interſtitia muſculorum, viſcera, tendines & ipſa oſſa. Cauſam conjunctam conſtituunt humores craſſi, viſcidi, obſtruendo humores excitantes, & quoniam cum acrimoniâ conjuncti ſunt, fibras erodentes. Differt hæc à podagræ causâ conjuncta in eô, quòd materia morbifica ſtrumarum ex cruditate non adeò auſterâ confletur, nec cum ſalibus acribus ejuſdem generis ſit complicata. Quanquàm enim humores ſint indigeſti, & acres, ſulphureæ tamen partes magis ſunt exaltatæ, & minùs depreſſæ ab acidis, minùſque infectæ ab acribus. Malum hoc ſæpe numerò hæreditarium eſt, ab humoribus matris depravatis ortum ducens. Præcavendum igitùr, nè infans, in uterô matris ejuſmodi ſtrumis defœdatæ hærens, eôdem modô afficiatur. Propinanda itàque gravidæ ſunt, quæ cruditatibus primarum viarum præveniant, maſſæ ſanguineæ cruditates corrigant & fœtum roborent. Si verò in lucem editus fuerit infans, atque ſubſit metus, nè tincturam aliquam vitiatæ ejuſmodi intemperiei per hæreditatem conceperit, opera danda, ùt confortetur idem, atque incrementum fomitis morboſi intercipiatur, donèc illos annos attigerit, ſub quibus validiora pro eradicandô malô remedia aſſumere valeat. In adultioribus colluvies cruditatum viſcidarum in ventriculô & primis viis, imò in maſsâ ſanguineâ per evacuationes univerſales eſt eliminanda, diæta probè obſervanda, digeſtio promovenda, vitioſi humores, qui in ſanguine adhùc hærent, corrigendi, glandulæ tumentes per topica diſcutiendæ, ſuppurandæ vel extirpandæ, & ſymptomata mitiganda ſunt. Hìnc venæſectio commendatur in corporibus plethoricis, vel ubi ſymptomata atrophiæ eandem non contraindicant. Purgantia validiora requiruntur ob tenacitatem materiæ, & talia ſeligantur, quæ attenuando materiam ad ſui excretionem diſponant. Maſſa ſanguinea digeritur & humores vitioſi corriguntur per martialia & decocta lignorum in robuſtis ſubjectis, in imbecillioribus per blandiora. In malô habituali ex corpore proſcribitur cauſa morbifica per ſalivationem imprimis in cholericis & phlegmaticis ægris, qualem tamen melancholici non æquè benè ferunt. Ejus potiùs locô in his mercurius dulcis eſt propinandus & per purgantia corpus evacuandum. Quod diſcuſſionem attinet, hæc feliciùs ſuccedit in conſtitutione ſanguineâ, quàm phlegmaticâ, & in hâc citiùs quàm melancholicâ. Cyſtici verò tumores admodùm difficulter diſcutiuntur. Reliquis remediis emplaſtrum de ranis cum mercuriô, cum vitriolô Romanô mixtum, præfertur. Si partes ſulphureæ in ægris maximè exaltatæ, & ſanguis admodùm calidus extiterit, ad ſuppurationem tendunt iſtiuſmodi tumores, qui, poſtquàm pleniſſimè fuerunt digeſti, vel per inciſionem vel cauſticum ſunt aperiendi. Extirpantur deniquè iidem, vel per exciſionem, quandò non adeò profundum ſitum habent, nec vaſis majoribus adjacent; vel per eſcharotica, quandò baſis eorum magna, & in vaſorum majorum vicinia ſit. Quoniam autem inter alios ſcrophularum effectus ſpina ventoſa, ophthalmia, & lippitudo obſervatur, de his ſeorſim agere inſtituit Autor clariſſimus.

Lues Venerea dependet à fermentô præternaturali, maſſæ humorum communicatô, occaſione volatilium, oleoſarum, acrium particularum ſeminis corrupti. Quem ad modùm igitùr venæſectio in hôc morbô convenit pro attenuandis humoribus, ùt eô commodiùs mediante ſalivatione iſti queant evacuari; ità purgantia locum inveniunt, ad evacuandos humores crudos partìm in primis viis, partìm in maſſâ ſanguineâ ſtabulantes. Imò requiruntur etiam ea non ſolùm, quandò ſalivatio nimìs augetur, quatenùs per alvum excretio humorum determinatur, qui aliàs ad os confluxiſſent, verùm etiam quandò eadem non ritè ſuccedit, quatenùs, dùm craſſiores humores per ſeceſſum rejiciuntur, qui relinquuntur, tenuiores eò feliciùs ſub ſalivæ ſchemate prodeunt. Quid? quòd eadem in declinatione ſalivationis maximè neceſſaria ſint, partìm pro humorum vitioſorum reliquiis, partìm pro particulis mercurialibus eliminandis. Emetica locum inveniunt in principiô, quandò humores mercuria-

libus particulis ſunt referti, nec tamen ſalivatio proſperè ſuccedit. Nec opiata contemnenda ſunt, quatenùs præcavent diarrhœam, nimium humorum effluxum moderantur; & acrimoniam humorum temperando prohibent, nè particulæ eorum corroſivæ partes ſolidas exulcerent. Sic clyſmata obſtructum alvum non ſolùm reſerant, ſed & nimiam ſalivationem mitigant. Salivatione finitâ diaphoretia nullô modô ſunt negligenda.

De cæterò monendus eſt B. L. hiſce tractatibus tentamen *de febribus intermittentibus* eſſe annexum, quarum rationem cauſamque veram ab acidis nitroſis particulis cum ſanguinis volatilibus ſalinis & ſulphureis fermentantibus, cutiſque fibras corrugantibus & papillas nerveas vellicantibus Autor deducit. Diverſæ verò ſpecies febrium intermittentium producuntur, prout materia morbifica plus minùs craſſa & acida, particulæ verò ſalinæ plus minùs exaltatæ vel depreſſæ ſunt, ità ùt vel breviori vel longiori tempore illa ſubigatur, corrigatur & exterminetur. Earum ſpecificum Cortex Peruvianus eſt, quatenùs particulis amaris, adſtringentibus & aromaticis conſtat.

BOURDELOTIUS (*Petrus.*)

Hieron. Fabritii ab Aquapendente Medicinam Practicam: cum Æmilii Campalongi Tractatû de de Vermibus edi procuravit.

BOURGDIEU (*Carolus Valeſius du,*) Burdegalenſis.

De eo exſtant

Commentarii de Peſte: & de Exanthematibus. Romæ, apud Ignatium de Lazaris, 1656. in 4.

Aphoriſmi Prognoſtici Hippocratis in Febribus acutis, Commentariis illuſtrati. Romæ, apud Nic. Angelum Tinaſſium, 1659. in fol.

BOURGOGNE (*Ludovicus de.*)

Ex eô habetur

Epiſtola ad Ludovicum Bilſium de novâ Corporum Balſamatione. Extat cum Ludovici Bilſii ſpeciminibus Anatomicis. Roterodami, apud Arnoldum Leers, 1661. in 4.

BOUSSUETUS (*Franciſcus,*) Surregianus.

De eô exſtant

De Naturâ Aquatilium Carmen, in univerſam Guilielmi Rondeletii, quam de Piſcibus marinis, ſcripſit, Hiſtoriam; cum vivis eorum imaginibus. Lugduni, apud Matthiam Bonhomme, 1558. in 4. Tomis duobus.

De Arte Medendi, Lib. XII. Ex Veterum & Recentiorum Medicorum ſententiâ. Ibidem, apud Eundem, 1557. in 8.

BOUTHEROVE (*Michael,*) Carnutenſis.

Ex eô habetur

Pyretologia. Diviſa in duos Libros; quorum primus univerſalia Febrium ſigna prognoſtica continet; alter uniuſcujuſque Febris diagnoſin, & therapeiam, complectitur. In eorum gratiam, qui rei Chymicæ ſtudiô tenentur, Chymica remedia, unicuique Febrium ſpeciei curandæ accommodata, fuêre addita. Pariſiis, apud Joh. Laquehay, 1623. in 8.

BOWIZ (*Joh. Caſparus,*)

De eô Extat.

Diſſertatio de Catalepſi, 4. Jenæ 1650.

BOXBERGERUS (*Joh. Caſparus,*) Hammelburgenſis.

De eô Extant.

Praxes Methodicæ Medicinales. Bambergæ, apud Johannem Eliam Hoffling, 1676. in 24.

BOYLE (*Robertus,*) Nobilis Anglus. Societatis Regiæ Londinenſis Socius.

De eô extant

Opera Varia. Quibus continentur.

I. Nova Experimenta Phyſico-Mechanica de vi Aëris elaſticâ & ejuſdem effectibus.

II. Defenſio doctrinæ de Elatere & Gravitate Aëris propoſitæ in novis Experimentis Phyſico-Mechanicis adverſus objectiones Franciſci Lini.

III. Tractatus de mirâ Aëris (etiam citra Calorem) Rarefactione; de Duratione Virtutis elaſticæ Aëris expanſi: de Condenſatione Aëris ſolô frigore factâ, ejuſque Compreſſione ſine Machinis, & de ejuſdem quantitatis Aëris rarefacti & compreſſi mirè diſcrepante Extenſione.

IV. Paradoxa Hydroſtatica, novis Experimentis maximam partem Phyſicis & facilibus, evicta.

V. Tentamina quædam Phyſiologica; Quibus ſubjungitur ſpecimen Phyſico-Chymicum de Differentibus Partibus & Redintegratione Nitri, nec non Hiſtoria Fluiditatis & Firmitatis ut & Tractatus de abſolutâ Quiete in Corporibus.

VI. Chymiſta ſcepticus, vel Dubia & Paradoxa Chymico-Phyſica circa Spagyricorum Principia vulgò dicta hypoſtatica, prout propugnari ſolent à Turbâ Alchymiſtarum.

VII. Experimenta & Conſiderationes de Coloribus, & ſpeciatìm de Naturâ Albedinis & Nigredinis, cum Obſervationibus de Adamante in tenebris lucente.

VIII. Introductio ad Hiſtoriam Qualitatum Particularium: ſubjunctis Tractatibus de Coſmicis Rerum Qualitatibus, de Temperie ſubmarinarum Regionum, & de Fundô Maris.

IX. Exercitationes de Atmoſphæris Corporum conſiſtentium, deque mirâ ſubtilitate, Determinatâ Naturâ, & inſigni vi Effluviorum: ſubjunctis Experimentis novis, oſtendentibus, poſſe partes Ignis & Flammæ reddi ſtabiles ponderabileſque unâ cum detectâ penetrabilitate Vitri à Ponderalibus partibus Flammæ.

X. Specimen de Gemmarum Origine & virtutibus. Coloniæ Allobrogum, apud Samuelem de Tournes, 1677. in 4.

Tentamina quædam Phyſiologica, diverſis temporibus, & occaſionibus conſcripta. Cum ejuſdem Hiſtoriâ Fluiditatis & Firmitatis. Ex Anglicô in latinum ſermonem tranſlata. Londini, 1661. in 4. Amſtelod. apud Danielem Elzevirium, 1667. in 12.

Experimenta & Conſiderationes de Coloribus, primùm ex occaſione, inter alias quaſdam Diatribas, ad Amicum ſcripta; nunc verò in lucem prodire paſſa, ceû Initium Hiſtoriæ Experimentalis de Coloribus. Londini, 1665. in 12. Amſtelodami, apud Gerbrandum Schagen, 1667. in 12. Roterodami, 1671. in 12.

Brevis Enarratio quarumdam Obſervationum; de Adamante in tenebris lucente, primùm Epiſtolæ, ad Amicum ſcriptæ, incluſarum: nunc verò unà cum ipſâ, prægreſſo Tractatui annexarum, ob eam, quæ inter Lucem & Colores intercedit affinitatem. Ibidem, annô & formâ eâdem.

Chymiſta Scepticus, vel dubia & Paradoxa; Chymico-Phyſica, circa ſpagyricorum principia vulgò dicta hypoſtatica, prout propriè & propugnari ſolent à Turbâ Alchymiſtarum. Cui pars præmittitur alterius cujuſdam Diſſertationis ad idem argumentum ſpectans. Londini, 1671. in 4. Roterodami, apud Arnoldum Leers, 1662. in 12. Ibidem, apud Eundem, 1668. in 12.

Apparatus ad Hiſtoriam naturalem ſanguinis humani, ac ſpiritûs præcipuè ejuſdem liquoris. Genevæ, apud Samuelem de Tournes, 1685. in 4.

Nova Experimenta Phyſico-Mechanica, de vi aëris elaſticâ & ejuſdem effectibus; facta maximam partem in novâ Machinâ Pneumatica, & ad Nepotem ſuum Nobiliſſimum, D. Carolum Vice-Comitem de Dungervam tranſmiſta. Ex Anglicô in Latinum noviter converſa. Oxoniæ, apud H. Hall, 1661. in 8. Hagæ-Comit. apud Andr. Ulacq, 1661. in 12.

Opera Varia, Genevæ à Samuele de Tournes annis 1677. 1682. 1693. 1694. & 1716. edita. 4. 5. Vol.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus an. 1682. p. 53.

The aerial Noctiluca: Or ſome new Phænomena, and à Proceſſ, of a factitious ſelf ſhinnig ſubſtance, by Rob. Boyle, Fellow of the Royal Society. Lond. 1680. 8.

i. e.

Noctiluca Aërea, ſeu nova quædam Phænomena & Proceſſus ſubſtantiæ artificialis per ſe lucentis. Per Robertum Boyle, Societatis Regiæ Socium. Londini 1680. in 8.

NOn æquè intuentium oculos perſtrinxiſſe videtur Phoſphori Noctilucæque ſplendor, ac curioſorum excitavit ingenia, & exercuit manus; illa quidèm, ad expiſcanda Naturæ in iſtis recondita ſecreta, has verò ad elaborandum eadem accuratiùs. Phoſphori itàque artificialis præmiſſa ſuperiùs conſideratio exigit omninò, ùt & Noctilucæ, eaque præſentis ſcripti occaſione, injiciatur mentio. Præmittit autem Nobiliſſimus Autor differentiam Phoſphorum inter & Noctilucam: dùm illô innuitur corpus, quod ab objectô lucidô, Sole vel igne illuſtratum priùs, aliquandiù in tenebris lucet, quale eſt famoſus ille Lapis Bononienſis, & Phoſphorus Hermeticus Balduini, collationem quorum mutuam ſuperioribus jam annis ſingulari ſcriptô inſtituit *Chriſt. Menzelius,* D. Med. Noctiluca verò tale ſignificat corpus, quod citra præviam extrinſecùs factam illuminationem, inſitâ luce in tenebris fulget. Hujus tres recenſentur differentiæ: 1. eſt *Noctiluca conſiſtens* (ſeu gummea) quibuſdam *conſtans* dicta, quæ ſub ſpiſſiori conſiſtentiâ continuò lucet. 2. *Noctiluca liquida*, ſive quæ fluidi liquoris texturam obtinet. De quibus jam *Kirchmaierus* diſſertatione peculiari egit. Hiſce ſibi à D. Kraft monſtratis, tertiam, ceù proprii ingenii, (haud tamen abſque repetitis fruſtraneorum tentaminum tædiis) partum, ſuperaddit Autor differentiam, *Noctilucam ſcil. Aëream,* quæ quidèm ipſa more priorum non ſoleat ſplendere, attactû verò aëris immediatè lucem ſpargat, ità quidèm, ùt non ipſa materia Noctilucæ, ſed ejus effluvia cum aëre admiſſô permiſta, lucis phænomena exhibeant. Hiſce præmiſſis, ſubjungit plures obſervationes, in quibus accuratè omnia recenſentur phænomena, circa aëream hanc noctilucam notabilia; iſta ſpeciatìm, quæ in relatione ejus ad aërem apparent, utpotè tàm ad productionem, quàm propagationem lucis ejus ſpecialiter neceſſarii, ut ut vis ejus elaſtica ab illa imminuatur: item quòd lux, & fumus lucidus, flammæ ad inſtar, ſenſilis caloris haud videatur particeps, nec pulverem pyrium accendere aptus, ut ut denſior & unctuoſior luciferæ materiæ portio, diſpoſita magis ad incaleſcentiam, & combuſtionem exiſtat: quòd materia lucifera, etiam çitrà aëris admiſſionem, caloris paulò intenſioris impetû, fulgurationes quaſdam edat, &c. Ex quibus & aliis eò inclinat, ùt arbitretur, lucem noctilucæ dependere à peculiari & celerrimâ agitatione particularum quarundam minutarum materiæ luciferæ, in magnitudine, figurâ, & texturâ ità ſpecialiter conſtitutarum, ùt impellere valeat contiguum ætherem ad oculum uſque noſtrum: quòdque aëris externi contactus, multùm contribuat ad ſpecialem iſtam agitationem; in Noctilucâ quidèm conſiſtente, tanquàm adjuvans, in aëra verò tanquàm neceſſarium concurrens. Sequitur deniquè ipſa Noctilucæ hujus aëreæ præparatio, quæ conſiſtit in urinæ humanæ putrefactæ ad conſiſtentiam ſpiſſioris ſyrupi ſeu mollioris extracti inſpiſſatione, quod magma cum triplô arenæ permiſtum, ſucceſſivis ignis aperti deſtillatur gradibus, uſque ad ſummum ejus rigorem, donèc ſub finem deſtillationis prodeat materia, cæteris prioribus ponderoſior, & in fluidô priùs deſtillatô promptè ſubſidens in Receptaculô, quæ eſt illa ipſa Noctiluca. Qui Proceſſus, nùm quoad principaliora cum modô Kunckelii coincidat, çogitandum rerum harum peritis relinquimus.

Ibidem. ann. 1682. p. 394. New Experiments And Obſervations, made upon the icy Noctiluca, to wich is annected à Chymical Paradox, by the Honour. Rob. Boyle.

i. e.

Roberti Boylii Obſervationes & Experimenta nova, circa Noctilucam Glacialem, quibus annectitur Paradoxon quoddam Chymicum. Londini 1682. in 8.

PRæmiſſâ appendice obſervationum nonnullarum ad Noctilucam Aëream, de quâ Cal. Febr. pag. Act. 53. egimus, pertinentium, pergit nobilis. Autor ad Noctilucam ſolidam, (cujus præparatio, ut in aërea, non æquè addita eſt) quam *glacialem* vocat, idque ex eô, quòd ſubindè fruſtulorum ejus quædam perſpicua & ſine colore, adeòque inſtar tenuium glaciei fragmentorum appareant. Hujus primùm conſiderat *proprietates,* primariò quidèm, quòd in aëre liberô lucendo, inſignem fumorum copiam ſpargat, qui cum luce evaneſcant, ſimùl ac aquæ ſubmergatur. Ne itàque continua illius fieret jactura, ſub aquâ illam conſervavit. Aqua hæc, ut ut vix ſenſibiliter à contentâ Noctiluca alteretur, evaporando tamen reſiduum gelatinoſum ſuggerit, quod intenſiori igni admotum, crepitando inſigniter, exploſiones crebras cum fulgurationibus igneis & lucidis emittit. Tentavit poſtmodùm Noctilucæ hujus *ſolutiones,* obſervando, quòd nec aqua ſimplex, nec ſpiritus urinoſi, nec ſpiritus minerales acidi eam diſſolvant, benè autem olea quædam, calore cinerum adjuta, illud præſtent, ut oleum therebinthinæ, ſed ſine lucis participatione, oleum cinamomi, cariophyllorum, cum lucis ſuſceptione, oleum verò macis & aniſi illam haud attingant. Nec ſpiritus vini ſolvere eam valet, niſi tandèm admodùm & calore adjutus: imprægnatur tamen inſenſibiliter particulis luciferis, adeò ùt ſi ejuſdem guttæ quædam aquæ vel frigidæ vel calidæ inſtillentur, mox ſub contactû mutuô, coruſcationes lucidæ, perquàm vividæ, aſt brevi evaneſcentes, appareant, ùt ità ſubitò in aquâ communi lux produci queat, ab aliô quamvis non lucidô liquore. Cujus Phænomeni occaſione Autor *ſubtilitatem* particularum Noctilucæ ſcrutari conatur, dum ex S. V. ità imprægnati çum aquâ ſimplici copioſiore miſtura, & totius compoſiti clarâ effulgente luce, concludit gr. 1. Noctilucæ aptum natum eſſe ità ſe diffundere, ùt imprægnare valeat liquorem 100000. imò 400000. granorum, eumque lucidū reddere. Conſiderat hìnc Noctilucæ *inflammabilitatem,* quatenùs non ſolùm chartæ inſperſa, hujus ſub incenſione ſimul inceditur, cum fulguratione & ſtre-

& ſtrepitû inſtar nitri : ſed etiam ſpiritui vini commiſta : poſt hujus conſumptionem & ipſa deflagrat. Agitatione in mortariô vitreô ſponte flammam concipit, ut & forti tritû ac agitatione cum aliis ſubjectis facilè inflammabilibus, chartâ, ſulphure, pulv. pyriô &c. adeò ùt literæ chartæ inſcriptæ, & lucentes & ardentes ſimùl aliquandò appareant. Phiolæ parvæ hermeticè ſigillatæ incluſa, igni admota, intenſam lucem & actualem flammam concipit. Quoad naturam deniquè hujus Noctilucæ annotat, & *acidorum* craſin & proprietates eam accedere, ſiquidèm per deliquium ſoluta, præter ſaporis teſtimonium, & coralia cum impetû arrodat, & cum ſale Tartari effervescat.

Paradoxon Chymicum iſtis annexum, jam cum Edit. ſecundâ Chym. ſceptic. annô 1680. cum aliô tractatû, *de Producibilitate Principiorum Chymicorum* edi debuit : ſed quia verſio Latina tunc temporis impedita fuit, Anglicè conſcriptum annectere hìc placuit. Eſtque nihil aliud, quàm experimentalis confirmatio eorum, quæ in Chymiſtâ ſcepticô fuſiùs excutiuntur, ignem non eſſe genuinum analyſtam concretorum, nec Chymicorum principia eſſe talia, ſed ex aliis concreta & ex iiſdem alias ſubſtantias diverſas poſſe produci, quæ in præſenti paradoxô per oleorum eſſentialium, primariò aniſi, hìnc therebinthinæ, cornu cervi & ſuccini, cohobationes illuſtrat, præter piceam remanentiam copioſum & phlegma & ſpiritum acidum ex iiſdem eliciendo.

Ibidem an. 1684. *p.* 434.

Apparatus ad Hiſtoriam naturalem ſanguinis Humani, ac Spiritûs præcipuè ejuſdem liquoris, Autore Robertô Boyliô Nobili Anglô, Regiæ Societatis Sociô. Ex Anglicô ſermone in Latinum translatus à D. A. M. D. Londini apud Sam. Smith. 1684. *in* 8.

DUbium cum eſſet ingenioſiſſimo Autori, annon Medicorum multi, multa qui de ſanguine hucuſquè ſcripſerunt, feliciùs ipſius laudes celebrâſſent,quàm ejuſdem nobis naturam detexiſſent; quoniam aſſerta ipſorum hôc in negotiô obſervationibus magis niterentur, quàm experimentis: incommodo huic obviam ire illumque defectum ſupplere tractatû præſenti allaboravit, ità tamen, ùt in Præfatione ſtatìm præmoneat, ſe non unà de ſanguine formando, neque de ægrotô, ſed de formatô tantùm ſimulque è venis extravaſato, necnon de eô, qui è ſanis ſolùm corporibus eductus eſt, omnem hìc inſtituere diſquiſitionem.E quatuor verò partibus & appendice totum contexuit ſcriptum. In primâ, præmiſſis locis quibuſdam ex tractatû nondùm in lucem editô, vel epiſtolâ potiùs ad Oldenburgium Regiæ quondam Societati à ſecretis, de methodô naturalis hiſtoriæ conſcribendæ conſcripta, titulos primarios, ad naturalem humani ſanguinis è ſanorum venis emiſſi hiſtoriam facientes, ſaltèm recenſet, recenſitoſque parallellis titulis, ad naturalem urinæ ab hominibus ſanis redditæ hiſtoriam ſpectantibus, illuſtrat. Hìnc in ſecundâ titulorum enarratorum nonnullos evidentibus dilucidat Experimentis, v. g. circa ſanguinis humani calorem, inflammabilitatem, gravitatem, circa ſal ejuſdem volatile, oleum geminum, itèm ſal ejus fixum ad ſalis marini naturam proximè accedens &c. quominùs enim in omnes omninò Catalogi de ſanguine humanô titulos talia exhibuerit tentamina, in causâ fuiſſe ſchedularum quarundam, varia quæ Experimenta ad ſanguinem pertinentia continuerint, perhibet jacturam. Aſt cùm ſanguis extra corpus humanum ſponte ſuâ in duas ſecedat portiones, ſeroſam aliam, aliam conſiſtentem ſeu grumoſam, & perſæpè contingat, ùt harum prior poſteriorem quantitate vel æquet, vel excedat, haud inutile futurum ad ſanguinis humani naturam meliùs detegendam ſuſpicatur, ſi experimenta circa ſerum ipſum promiſcuè à ſe facta in parte tertiâ referret. Quorum alia circa diverſam ſeroſæ fibroſæque ſeu conſiſtentis partis ſanguinis humani quantitatem indagandam, & definiendam ſeri gravitatem verſantur ; alia verò agunt de utriuſque portionis commixtione intimâ, de phænomenis variis, quæ poſt ſeri miſcelam cum concretis variis, v. g. ſpiritibus acidis, ſpiritû ſalis ammoniaci, oleô tartari per deliquium, ſpiritû vini, Mercuriô ſublimatô, cuprô &c. obſervata fuerunt, item de putrefactione ſeu de deſtillatione ejus tam per ſe, quàm cum additô, e. g. calce vivâ, ſale fixô cinerum clavellat. &c. In quartâ demùm parte circa unum aliquem ex titulis primariis, de ſpiritû videlicèt ſanguinis humani, totus eſt occupatus, quem ſpeciminis locô, quâ ratione reliqui tituli primarii pariter illuſtrari poſſint, in varios ſubordinatos & ſecundarios titulos diſtribuit, additis in hos ſingulos experimentis, cùm ſpiritû è ſanguine humanô ſanô abſque ullô additamentô deſtillatô à ſe inſtitutis, v. g. utrum ſanguis fermentatione vel putrefactione ità diſponi poſſit, ùt in deſtillatione primò ſtatìm aſcendat ſpiritus vel vinoſus, vel urinoſus ? num ſpiritus ſanguinis reipsà aliud quid ſit, quàm ſal volatile & phlegma invicèm commixta ? Ad quod ſalium genus ſpiritus ſanguinis humani referri mereatur ? An diſcrimen aliquod ſit inter ſpiritum ſanguinis alioſque ſpiritus urinoſos ? id quod non improbabile eſſe judicat, & quæ alia ſunt, quæ quantitatem æquè reſpiciunt ac qualitatem ſpiritûs ſanguinis humani multiplicem, e. g. vim ejus diſſolutivam, quam in crocum, curcumam, ſanguinem ipſum, chalybem &c. exſerit, item vires ejus Medicas, quas tam externas, in paroxyſmis hyſtericis, apoplecticis, in doloribus capitis &c. quàm internas, v. g. in phthiſi, poſſidet : quæ inter methodum quoque gravem ſpiritûs ſanguinis humani odorem tollendi, aromatiſando ſcilicèt eum, reperire licèt. Appendix verò, quam partibus modò memoratis more conſuetô ſubnexuit, varia complectitur particularia, partìm experimenta quædam ex prioribus magis confirmantia, partìm etiam planè nova, v. g. ea, quæ diverſam ſanguinis humani mutationem ab acetô, ſuccô limonum, citri, aëre, ſpiritibus urinoſis, ſalibus fixis, & recenti cochleariæ ſuccô introductam patefaciunt, item quantùm ſalis volatilis in phlegmate vel aquâ diſſolvi poſſit; imprimìs, quæ differentiam notabilem concernunt, quam ſpiritum ſanguinis humani cum calce vivâ deſtillatum ac vulgarem intercedere, accuratiſſimus Autor annotavit, in hôc præter alia conſiſtentem, quod prior nullam, ſicut poſterior, cum acidis, v. g. ſpiritû ſalis, oleô vitrioli, gignat effervescentiam &c.

Ibidem ann. 1685. *p.* 587.

Short Memoirs For The natural experimental Hiſtory of Mineral Waters, addreſſed by way of Letter to à Friend. By the Honourable Robert Boyle, Fellow of the Royal Society.

i. e.

Apparatus brevis ad Naturalem & Experimentalem Aquarum Mineralium Hiſtoriam, in Epiſtolâ ad Amicum quendam forma concinnatus à Robertô Boyleö, Nobili Anglô ac Societatis Regiæ membrô, Londini, apud Samuel. Smith. 1685. *in* 8.

SI quis Aquarum Mineralium naturam tot tantorumque Virorum indagine exhauſtam penitùs ſibi perſuadeat, multùm ſe falli haud difficulter ex lectione libri præſentis, quem tibi nunc L. B. exhibemus, poterit colligere. Etenim licèt vel ſolus loquatur titulus, perfectam hìc minimè de Aquis Mineralibus expectandam eſſe Hiſtoriam, itemque monitum in frontiſpiciô poſitum, celeberrimo Autori ob valetudinem æquè adverſam ac alia negotia graviora, revidere ſcriptum hoc reviſumque edere locupletius minùs licuiſſe, atteſtetur; maximè tamen eò allaboraſſe illuſtrem Autorem, ùt talem nobis de naturali Aquarum Mineralium Hiſtoriâ hìc conderet Ideam, quæ vulgarem multùm, multa de iiſdem anteà ferè incognita aut ſaltèm neglecta revelando amplificet notitiam, oppidò è *Sectionum*, quales *ſex* habentur, eluceſcit. *Primâ*, introductionis veluti vicem gerente ac nonnullorum in ſequentibus pertractatorum rationes exponente. Siquidèm uti Autor ingenioſiſſimus in genere cenſet, obſervationes omnes circa minerales aquas inſtituendas ad tria ſumma capita ſeu genera commodè ſic revocari poſſe, ùt primum circa aquas minerales in locô nativô adhùc exiſtentes, alterum circa eaſdem è fonte jamdùm depromtas, ac tertium demùm circa effectus ab aquis ejuſmodi in corpore humanô productos verſetur: ità in ſpecie titulos plures ad genus primum, Mineralogicum dictum, pertinentes in *ſecundâ*, ad ſecundum verò, Chymico-phyſicum appellatum, qui ſpectant caput, in *tertiâ* ordine recenſet ſectione. Aſt cùm ſecundum titulorum genus palmarium ſit, cui deſignando Autor ſuam locavit operam, ideò ſectio *quartâ* & *quintâ* nonniſi annotationibus quoſdam ejuſdem articulos deprehenduntur illuſtrare. Exhibet ſcilicèt *quartâ* obſervationum diverſarum experientia comprobatarum faſciculum, tanquàm animadverſionis cujuſdam prolixioris in Articulum 13. ſpecimen, de ipſô ſolenni Aquas Minerales gallarum ope examinandi modô, quem poſtquam convenientiùs, ac vulgò fieri ſolet, adhibitis quoque gallarum locô adſtringentibus aliis, adornandum docuit, cumprimìs ea nec latitudine nec certitudine, quam communis fert opinio, frui oſtendit, partìm quia corporibus nonnullis metallicis ſeu mineralibus de Marte haud participantibus, v. g. Arſenico &c. detegendis eſſet impar, partìm quòd cum certô quôdam concretô naturæ metallicæ ferri tamen experte, pariter colorem ſatis obſcurum inierit, vice verſâ verò cum liquore aliô ferrô vel chalybe ſaltèm infectô immutationem ejuſmodi coloris intulerit nullam. Hùc vulgarem etiam refert opinionem, pro conceſsâ ab omnibus quidèm arreptam, quaſi aquæ Minerales, ubi cum gallarum infuſô devenirent nigræ vel purpureæ, de vitriolicâ participarent naturâ; pro falsâ tamen ex eô potiùs habendam, quòd cum vitriolô cupri aut plumbi divite, quale eſt v. g. Vitriolum Romanum, aut ſaccharum Saturni, item certa Terræ albicantis ſpecies in Septentrionalibus Angliæ locis reperta &c. nullum ſimile obſervari potuerit phœnomenon, neque Mercurii aut ſtanni, ſed ſola auri ſolutio, gallarum pulvere adjectô evaſerit atra. Juxta hæc nihilominùs annotantur, ea, quæ à Curioſis Aquarum Mineralium perſcrutatoribus, ut uſitatam immutationis in colore interventû viam ad majorem & latitudinis & certitudinis gradum perducant, debeant attendi, multumque eum in finem celebratur ſpiritus quidam ſulphureo-volatilis ex ſale tartari, ſulphure ac ſale ammoniacô deſtillatus, utrique vitriolo, Martiali & Venereo, manifeſtando proportionatus, Undè cùm Nobiliſſ. Autor ſpiritum ſuum ſulphureum in ſe clarum à vitriolô non minùs Dantiſcanô magis venereô, quàm Anglicanô, nigrum ſubitò adſciſcere colorem cerneret, probabiliùs ſulphura in aquis interdùm deliteſcentia vitrioli ipſius adminiculô inveſtigari poſſe autumavit, quin experimentô cum Arſenicô quoque factô, ſolutionem hujus à parvâ ſolutionis vitrioli Anglicani & Dantiſcani copiâ inſtillatâ, pariter in obſcurum præcipitari colorem deprehendit. Occaſione ſic oblatâ in ipſius Arſenici naturam inquirit, hujuſque corroſivitatem ſui ferè eſſe generis, nec ex acidô ſolô derivandam, tam ex guſtû, quàm è variâ ſolutionis Arſenici cum concretis variis ſuſpicatur miſcelâ. Arſenici quippè ſolutionem cum aquâ ſimplici factam, neque ab oleô vitrioli, neque à ſpiritû ſulphureô-volatili turbatam, non ſolùm à ſpiritû urinæ & ab oleô tartari per deliquium in lacteſcentem, ſed & à Mercuriô ſublimatô ſolutô in ſimilem albicantē mutatā fuiſſe liquorem; item ſyrupum violarum in viridem lentè vertiſſe colorem. *Quinta* verò quæ ſequitur ſectio Notas marginales multos in titulos generis ſecundi ſuggerit. Sic v. g. quoad Tit. 1. modum, quô frigoris & caloris gradus æſtimandus, tradit; quoad Tit. 2. rationem Autori uſitatam Aquas Minerales ponderandi, id quod aliàs in ſe ſatis difficile eſt, deſcribit, ſimulque experimenta, quibus aquæ minerales diverſæ diverſum obtinuiſſe pondus, earumque aliquæ ipſa aquâ communi leviores extitiſſe fuerunt deprehenſæ, commemorat. Circa Tit. 5. nullum diſcrimen aquam inter communem ac mineralem apparuiſſe Microſcopiô refertur, animalia tamen, quæ in aquâ, cui piper infuſum, microſcopiô cernuntur, reverà vitâ eſſe donata ex eô evincitur, quòd guttula ſpiritus ſalis ejuſmodi aquæ inſtillata, confeſtìm animalia ipſa ſe movere, i. e. vivere ceſſent. Circa Tit. 15. Autori viam innoteſcere obſervatur, quâ ſal commune in aquis mineralibus abſque omni evaporatione poſſit cognoſci, quâque ipſâ nec leviſſimæ aquæ omni ſale communi caruiſſe fuerint adverſæ; verùm cùm Nobil. Autori non permittatur eandem hìc liberè communicare, duos interìm alios modos viris maritimis uſitatos ſuppeditat. Quantum ad Tit. 26. quomodò diverſi generis ſalia in Aquis mineralibus inveſtiganda ſint, exponitur, nullamque aquam mineralem ex iis, quæ circa Londinum proſtant, manifeſtum præbuiſſe vitriolum docetur, etiamſi pluribus in locis Marcaſitæ, Vitrioli matrices, haud deſint. Quod Tit. 27. attinet, varia ſubminiſtrantur experimenta, quibus diverſi ponderis caput mortuum à diverſis aquis mineralibus exhiberi oſtenditur &c. *Sextam* deniquè & ultimam ſectionem denuò Tituli reſpicientes aquas minerales, prout medicina humano exiſtunt corpori, conſtituunt, unà cum concluſione ad Medicum quendam, cujus impulſû hæc de Aquis Mineralibus divulgavit, directa, quâ ſpes quodammodo oſtenditur, fore ùt in ſecundâ editione multa hìc omiſſa, ſuô ſuppleantur tempore.

Ibidem ann. 1686. p. 373.

De Specificorum remediorum cum Corpuſculari Philoſophiâ Concordiâ. Cui acceſſit Diſſertatio de variâ ſimplicium medicamentorum utilitate uſûque. Autore Robertô Boyleô, Nob. Angl. Soc. Reg. Soc. Londini, impenſis Sam. Smith. 1686. in 12.

QUantò Philoſophus ille Britannicus induſtriam ſuam non vulgarem & incomparabile ingenium ſæpiùs teſtata fecit orbi erudito, tantò

tantò avidiùs ille, quicquid in publicum emittit illuſtris Autor, & inter cætera præſentia quoque opuſcula amplectetur. Nec parùm ſe debere viro quoque iſti ſummè erudito, literis, D. F. notato, qui anſam Boyleo dedit hæc meditandi ſcribendique, intelligunt omnes, quotquot vel ſublimiorem Philoſophiam, vel artem Medicam amant. Quapropter nec ingratum Lectori Benevolo arbitramur futurum, ſi nonnulla eorum, quæ hiſce tractatibus continentur, memoremus, plura evitandæ prolixitatis ergò relinquentes attentioni Lectoris.

Ad demonſtrandam autem ſpecificorum remediorum cum Philoſophiâ corpuſculari concordiam, ante omnia ſupponit, ſpecifica morborum remedia reverà extare, h. e. dari ejuſmodi remedia, quæ in morbô quôdam ſi non ſemper, plerumquè tamen cum felici ſucceſſû adhibentur, quamvis occulta ſit eorum operandi ratio, ùt ad manifeſtam qualitatem reduci nequeat, e. g. Cineres cancrorum eſſe ſpecificum adverſus morſum canis rabidi, oleum ſcorpionum contra ictum eorundem, ſerpentariam Virginianam adverſus morſus ſerpentum, corticem Peruvianum adverſus febres intermittentes. Cùmque ſpecificorum alia ſint interna, alia externa, hinc de internis monſtrat, eorum vim in ventriculô non imminui aut immutari. Quemadmodùm enim rhabarbarum largiùs exhibitum urinam tingit, & pyra illa variegata, in coloniis Anglicanis Americæ nata, lotium quaſi ſanguinolentum reddunt, elaterium à caprâ comeſtum lacti vim catharcticam confert, allium à vaccis depaſtum ſimili odore lac atque butyrum inficit, &c. ità & ſpecificorum vires non deſtrui à ventriculô exiſtimat, præſertim cùm pauciſſima ac minima corpuſcula ſufficiant ad producendum effectum; prout aliàs externè tantillùm veneni, quod in viperæ morſû communicatur, & ſubtiliſſima effluvia moſchi horrenda non rarò ſymptomata inferunt, & internè croci metallorum infuſio ſine ſenſibili ejus diminutione vomitus non numerandos excitat, & infuſio mercurii vivi vermes necat, etſi nulla circa ſaporem vel odorem in aquâ percipiatur alteratio.

His præmonitis docet porrò, quædam ſpecifica in morbis chronicis, ſi quid diſcutiendum aut reſolvendum ſit, operari inſtar menſtruorum, figurâ, atque ſoliditate viſcidum iſtud morboſum diſſolvendo. Quædam verò deſtruendo acidum plurimorum morborum cauſam. Alia præcipitando materiam peccantem, qualia in ità dictis morbis putridis egregiè convenire credit, quippè cui notiſſimum eſt præcipitans cujus paucula grana, ſi aquæ putridæ injiciantur, omnem illicò fœtorem præcipitando extingunt. Alia peculiari facultate corroborando; cùm enim viſcerum ſtructura multùm inter ſe differat, probabile eſt omninò, medicamentorum alia huic, alia illi convenire parti, ità ùt commorando in eâ, vires ejuſdem augeat ad reſiſtendum morbo. Alia producendo in maſſâ ſanguineâ eam diſpoſitionem, quâ natura poſſit corrigere & expellere cauſam morbificam. Denique alia uniendo ſe ſe cum materiâ peccante, dum non neceſſum ſit ùt ſemper expellatur, ſi modò corrigatur & alteretur debitè. De externis poſtmodùm ſpecificis ità differit, ùt ſtatuat ea per cutis poros ingredi ad interiora, uti conſtat exemplô cinguli mercurialis in ſcabie, amuleti arſenicalis in peſte cor maximè diſturbantis, item cantharidum in manû aut perâ detentarum doloremque veſicæ inferentium. Hunc autem in finem ait ſufficere tenuiſſimam portionem, uti jamjam de internis ſpecificis annotatum eſt. Ad hæc externa in eô feliciora eſſe, quòd adhùc minùs alterentur quàm interna. Itàque ùt vires etiam externorum ſpecificorum commonſtret, affert radicem pæoniæ è collô geſtatam contra epilepſiam, dentem hippopotami & ungulam alces adverſus ſpaſmum, muſcum cranii humani adverſus hæmorrhagias, lapidem Carneolum in palpitatione cordis, lapidem ſanguineum ex Hiſpaniâ novâ allatum itidèm contrà hæmorrhagias, lapidem nephriticum contra calculum &c.

In alterâ Diſſertatione de utilitate ſimplicium medicamentorum agit illuſtris Autor, eandemque variis commendat argumentis. Primò ſimplicia anteponit compoſitis ideò, quòd certiora ſint; quoniam plurima corpora mutatione texturæ ſuas quoque qualitates mutant, uti ſatis liquet ex allegatis exemplis.

Secundò tutiora quoque eſſe ſimplicia indè probat, quòd cùm non pauci ſint, qui moſchum aut ambram, roſas, mel atque ſimilia non tolerent; ad hæc multa concreta præter virtutes medicamentoſas ſimùl admixtas habeant qualitates nocivas, uti exemplô apii & abſynthii conſtat, hinc faciliùs aberratur in plurium medicamentorum compoſitione. Neque enim ſequitur, quæ ſeorſim ſumpa bona ſunt, talia quoque permanere in mixturâ.

Tertiò ſimplicia magis ſunt parabilia, nihilominùs ſatis efficacia, e. g. Aqua calcis vivæ externè & internè multis in morbis conducit, & in ſpeciè externè contra ambuſtionem egregiè valet, ſi cum oleô lini miſceatur in unguentum. Internè oleum lini expertum eſt ad pleuritidem ſuppuratam; Ol. terebinthinæ hæmorrhagias ſiſtit externè, vulnera ſanat atque ipſam gangrænam tollit; Ol. nucum antiquum adverſus calculum eſt præſtantiſſimum, ſapo Venetus adverſus icterum.

Quartò uſus ſimplicium materiæ medicæ notitiam egregiè juvat & auget. Etenim ſatiùs omninò foret pauca examinâſſe ſimplicia, eorumque naturam, culturam, modum colligendi & aſſervandi majore cum ſtudiô obſervâſſe, quàm innumera coacervâſſe pompoſis formulis, inſtar Theriacæ vel Mithridatii.

Quintò, cùm concreta dentur polychreſta; quæ ſi chymicè tractentur, diverſiſſima præbeant remediorum genera, v. g. ex antimoniô emeticum, purgans, ſudoriferum, aperitivum, diureticum, bezoardicum, cardiacum, &c. Itàque meliùs eſt ejuſmodi corpora dextrè præparâſſe, poſt habitis tamen magnificis proceſſibus; quandoquidèm præparationes peritè variatæ non inutiliter ſubſtituuntur compoſitionibus, plerùmque minùs accuratis.

Sextò, ſi vel maximè à diverſarum cauſarum concurſû varia quoque in morbis concurrant ſymptomata, non neceſſum tamen eſt plura adeò anxiè conquiri, ſiquidèm non modò remedia dantur ad varios caſus idonea, ſed & minùs homogenea, ùt ad maximè etiam diverſa ſymptomata feliciter adhibeantur. Ità enim cortex citri calidus eſt & acris, ſucculenta verò pulpa refrigerans & acida: rhabarbarum & purgat & adſtringit, atque ideò excellens in dyſenteriâ eſt remedium.

Deniquè locô concluſionis ſubnectit ipſa ſimplicia ſic ſatis eſſe compoſita, adeòque tam varium quoque præſtare uſum, uti monſtrat exemplô hederæ terreſtris, acidularum, &c. ad hæc horrenda ſæpè ſymptomata ab unicâ oriri causâ, uti in morſû animalium venenatorum, in paſſione hyſtericâ aliiſque ſatis apparet.

Ibidem an. 1687. p. 68.

An eſſay of the Great effects of even languid an unheeded Motion, whereunto is annexed an Experimental Diſcurſe of ſome little obſerved cauſes of the Inſalubrity and Salubrity of the Air and its Effects, by the Honourable Robert Boyle, Fellow of the Royal Society.

i. e.

Tentamen magnorum effectuum languidi etiam & inobſervati Motûs, cui annectitur Diſcurſus Experimentalis de cauſis quibuſdam ſalubritatis & inſalubritatis aëris, ejuſque effectuum, parùm obſervatis. Autore Robertô Boyleô, Nobili Anglô & ſocietatis Regiæ Sociô. Londini, apud Richardum Davis, 1685. in 8.

ETiamſi ætate hâc noſtrâ in motûs localis naturâ legibuſque explanandis, Mathematicorum æquè ac Phyſicórum varii deſudârint feliciſſimè, tantùm tamen abeſt, ut ab his Autor noſter ingenioſiſſimus omnem eam exhauſtam exiſtimet doctrinam, ùt potiùs multa etiamnùm ibi ſupereſſe perſcrutanda; Tentamine præſenti, in gratiam Qualitatum occultarum faciliùs enodandarum aliàs conſcriptô, expreſsè doceat. Antè verò quàm ipſam motûs languidi efficaciam demonſtret, concedi ſibi id, quod alibi jamdum, forsàn *Tr. de Origine Formarum & Qualitatum* prodit annotatum, poſtulat: corpora videlicèt non veluti totidèm materiæ portiones ſive maſſas, magnitudine ſolùmmodo ac figurâ invicem differentes, ſed potiùs tanquàm corpora texturam peculiarem, eamque internam non ſecùs ac figuram externam obtinentia eſſe reſpicienda, adeòque propter ſtructuram hanc eorum pleraque tanquàm ejuſmodi machinas conſideranda, quæ ità & formatæ, & alia inter corpora locatæ ſint, ut quandoquè agentia cæteroquìn debilia, notabiles in eaſdem exerere queant operationes. Hinc pro magnis motûs localis, quem vel minùs evidentem, vel languidum cenſent, effectibus detegendis *octo* pandit *Obſervationes*, ſingulas, cùr motuum talium virtus negligi vulgò ſoleat, aperientes. Scilicèt *primò* magnam celeritatis efficaciam in minutis etiam corporibus, præſertìm ſi hæc per exiguum ſaltèm moveantur ſpatium, plerumquè minùs attendi obſervatur; cùm ingentem nihilominùs vim rapidiori motû corpori communicatam, non tantùm glandes plumbeæ è machinis bellicis evibratæ, ſed metalla quoque varia celerem inter tornationis motum ità incaleſcentia, ùt fragmentula indè projecta manifeſtô ſæpiùs calore palpebras & manus lædant artificis; item chalybis ſilice facta concuſſio, mox ſcintillulas, ceu veras lapidis particulas motûs vehementiâ vitrificatas & ignitas producens, ad ſenſum præter alia exempla adducta evincant. Neque ipſa fluida hìc corpora, tametſi exiguâ prædita mole, à potentiâ inſignes in ſolida impreſſiones exercendi, modò magnâ celeritate gaudeant, removenda eſſe, radiorum ſolarium ſpeculô uſtoriô collectorum, flammæ lampadis, atque aëris excellenti ſclopetô pneumaticô incluſi exemplis oſtenditur. *Secundò* equidèm ſatis nos proclives eſſe indigitamur corporibus fluidis propter mollitiem horum ac motum inſenſibilem, omnem in ſolida effectum ſenſibilem denegandi; aſt quô jure; mirandis aliquot ſoni operationibus, in ſolida corpora & ad diſtantiam notabilem editis, haud obſcurè coarguit Autor, V. G. tormenta bellica explòſa, præterquàm quòd è longinquô audiantur, ac vel abſque ventô manifeſtô feneſtras domorum multô intervallô diſtantium concutiant, ſæpiùſque penitùs, ſi præſertìm ſono directè objiciantur, diffringant, in ipſis nonnunquàm ægris evidentem moleſtiæ procreare ſenſum, item à machinâ quâdam parvâ, cujus exteriùs navibus applicitæ auxiliô artifex quidam has demergere novit, tantam dum agit circum circa excitari tempeſtatem, ùt naves aliæ aliquô ab eô ſpatiô diſſitæ perquàm violenter indè commoveantur. *Hinc* motiones corporum, ób ſummam ſui exilitatem ſenſibus haud patentium juſtô minùs æſtimari, eorum non obſtante numerô, quô turmatìm agere valeant, movetur querela; effluvia quandoquidèm corporum talia concipi debere, quæ intuitû exilitatis & quandoquè figuræ, intimos aliorum corporum receſſus promtè ſubire, ibiquè quia multa & celerrimè agitentur, magnam in particulas, ex quibus itidem ſolida corpora coagmentantur, vel quieſcentes, vel lentè perquàm motas, edere vim poſſint. Veritatis hujus illuſtrandæ gratiâ plures ſuggeruntur inſtantiæ, V. G. licèt cùm ſacchari, tùm ſuccini portio ſimùl aquæ vel cereviſiæ immittantur, ſuccinumque tanquàm leviùs fundum vaſis tardiùs petat, unicè tamen ſaccharum à particulis liquidi ſubitò penetrari, totumque brevi temporis momentô diſſolvi; ſic Mercurium repetita olei vitrioli abſtractione fixatum, ab aquâ limpidâ affuſâ exteriùſque commotâ confeſtìm pariter permeari, manifeſtèque ità alterari, ùt colorem modò album cum citrinô nunc commutet; ſic tenuem cupri laminam à ſpiritûs vini accenſi flammâ paucioribus minutis adeò penetrari, ùt incaleſcentia ſenſibilis, minimas ejus moleculas à particulis igneis variè ac vehementer agitari, ſatis indicio ſit; item particulas aqueas frigidas in glaciem concreſcentes, quamvis tardiùs moveantur, quia tamèn magnus earum numerus, tanta ſæpiùs vi expanſivum exerere motum, ùt vel ipſa vaſa è metallô confecta probèque obturata diſrumpantur. *Tùm* de incuriâ, quâ minùs accuratè adverti ſolet, quomodò motus localis per diverſa quoque media & corpora ſolida propagari poſſit, diſſerit Illuſtris Autor, quatuor potiſſimùm occaſiones; quarum intuitû motûs communicatio difficilior longè reipsà concipiatur, partìm annotando, partìm contrarium aliquot exemplis declarando. Et quamvis *porrò* de effectibus plerumquè, quos inviſibilis fluidorum motus determinatus in diſpoſitis animalium corporibus valet producere, vix cogitari obſervetur, manifeſtæ tamen ejuſmodi operationes, quæ à durantibus ſonis ſimilibuſque aëris aliorumve fluidorum agitationibus continuis, ſolida in corpora interdùm non ſine ſtupore proficiſcuntur, qualeſque plures, e. g. à ſtrepitû liquidi per epiſtomium decurrentis non neminem ad urinam reddendam ſtimulari, item fœminæ cuidam à certô Muſicæ tonô lacrymas etiam invitæ extorqueri &c. unà hìc recenſentur, eò minorem in Autore noſtrô pariunt admirationem, quò exactiùs hìc ictuum multitudinem à fluidorum particulis in momentô quaſi corpori conſiſtenti & prædiſpoſito illatorum expendit. Aſt in corpora ipſa inorganica magnam pariter inviſibili fluidorum motui competere potentiam, reſpectû ſaltèm ad determinatam quandam convenientiam ſive relationem, inter peculiarem texturam uniûs, & peculiarem modificationem motûs alteriûs habitô, inſtantiis aliquot petitis V. G. à chordarum uniſonarum ſympathiâ, à vitris ad diſtinctum ſaltèm inſtrumenti muſici ſonum trementibus, item à certô tantùm tonô ſub arcû reſonante &c. *Obſervatio Sexta* vindicat. *Inde* corpora diverſa, etiamſi violentô in

in ſtatû tenſionis vel compreſſionis reverà tunc detineantur, falsò nihilominùs reſpici ſolere, tanquàm partibus abſolutè quieſcentibus prædita, innuitur; ſic V.G. ferrum vel argentum malleô probè percuſſum, quoad inteſtinas commoveri particulas, nullô equidèm diſcerni oculô, tactû tamen accedente ex calore, vel ſalivâ adſperſâ, è ſtrepitû manifeſtô idem deprehendi; ſic vitra, quæ optimè videntur confecta, ſæpiùs aliquô tempore pòſt, quàm ab igne remota ſunt, ſponte ſuâ agere rimas, plerumquè nonniſi ob validam, ſed inæqualem, partium vitri contractionem; item ſtricturas cupri excandefacti, necnon mixtorum nonnullorum fragilitatem, de ſimili quâdam partium contractione palàm atteſtari. *Tandèm* ratio palmaria & ultima, cur motus ejuſmodi languidi prætermittantur, ſimiliter in nos rejicitur, qui hærentes tantummodò circa ſolidorum corporum motus, ubi eorum unum ab alterô totô diſpellitur, vel ad minimum ſenſibiliter ad alterum impingit, vix eos effectus, quorum ortus motibus inteſtinis ab agente externô in partibus ejuſdem corporis excitatis debetur, obſervemus; ac ne gratis videatur prolata, largum producitur epiſtomium æneum, cujus clavis ſi hinc indè in cavitate contiguâ vertatur, brevi temporis ſpatiô partes contiguas mutuâ iſtâ attritione adeò incaleſcendo intumeſcere, ùt clavis inſtar cunei infixi prorsùs reſtitet immobilis, nec priùs, quàm partes refrigeratæ ſe ſe contraxerint, circumverti denuò queat. Eundem in finem inſtrumenta quoque ferrea acuta, nimìs incaleſcendo temperiem deperdentia, item vitra optica inter poliendum dehiſcentia, neque non corpora varia vim electricam motû attritionis acquirentia, ſimiliaque exempla allegantur. Ex quibus obſervationibus cunctis haud fruſtrà colligitur, motus ejuſmodi, qui plerumquè aut penitùs non obſervantur, aut obſervatû indigni judicantur, inſignes in corporibus prædiſpoſitis edere poſſe operationes, adeòque ad diverſa difficilia naturæ phœnomena producenda multum momenti conferre.

Experimentalis autem, qui adjungitur diſcurſus aërem ſalubrem & inſalubrem, quatenùs uterque effluviis ſubterraneis adſcribendus veniat, *quatuor* illuſtrat *Propoſitionibus.* *Primò* ſiquidèm diverſis in locis ſalubrem non minùs ac inſalubrem aëris conſtitutionem, in genere conſideratam, multùm expirationibus ſubterraneis, ac ſpeciatìm iis, quæ emiſſiones ordinariæ Nobiliſſimô Autori ſalutantur, deberi probabiliter ex eô infertur, quòd in locis quibuſdam, ubi aër magis propitius deprehenditur, quàm qui à qualitatibus manifeſtis expectari talis poſſit, cauſa cui aëris habitudo iſta adſignari valeat, præter ſuavia miaſmata è terrâ exhalantia, appareat nulla, ut potè quæ vel tranſpirationem promovendo, vel fermentorum morbificorum productionem impediendo, aut activitatem ſaltèm cohibendo, vel particulas noxias deſtruendo, aliiſve viis corpora regulari in ſtatû, ſanitatis nomine indigitatô, conſervent. Effluvia equidèm mineralia plerumquè nociva reputari & vegetabilibus & hominibus, eſſe tamen poſſe prætereà, quæ cum utriſque amicè conſpirent, fodinis quibuſdam ſtanni in occidentali Angliæ parte ſitis, ubi arbores ſupra mineras æquè vireſcunt, ac metalli foſſores ſanam longamque vitam degunt; item Hungariæ exemplô, in quâ aër fodinis Cinabaris mineræque *Rothgülden-Ertz*, vulgò dictæ incumbens, ſanitati præprimìs deprehenditur conveniens &c. declaratur: quin imò cùm foſſilia quædam analyſi chymicæ ſubjecta multùm præbeant ſalis volatilis virtute medicâ vix deſtituti, haud fruſtrà ſupponitur, particulas ejuſmodi è ſolô aërem petentes ſalutari hujus quàm maximè conducere diſpoſitioni. Quod verò aër pernicioſus quoque reſpectû effluviorum ſubterraneorum exiſtat, minùs videbitur dubium iis, qui non ſolùm multitudinem mineralium exitioſorum, præ ſalutaribus majorem, ſed & vim horum nocendi longè efficaciorem, exemplô Auripigmenti, Sandarachæ & Arſenici, expirationibus ſuis ſubitaneas noxas inferentium, conſiderant; itemque Marcaſitas acri ſale vitriolicô præditas, multòque quàm vulgò quidèm conſtat, frequentiores contemplantur. Aſt quemadmodùm *ſecundò* in diverſis locis morbos endemicos, ità *tertiò* epidemicos pariter quoſdam ex parte ad minimum ab effluviis ſubterraneis deſcendere conjicitur: endemicos quidèm, quòd ſæpiùs nulla horum cauſa manifeſta cernatur, è diverſô è corporibus ſubterraneis miaſmata penetrantia copioſiùs emitti, ipſumque corpus humanum ratione cutis poroſæ unà pervium eſſe, exemplis oſtendatur: epidemicos autem, quòd partìm ipſa aëris intemperies calida vel frigida, humida vel ſicca, quibus iſtorum multi aliàs adſcribuntur, ab exhalationibus ejuſmodi corporum ſubterraneorum, quorum natura nos penitùs adhùc latet, oriri poſſit; partìm etiam, quòd phœnomena peſtis, de cujus productione ac curatione multa differuntur, hanc ab effluviis quandoquè ſubterraneis provenire, aut ſaltèm per eadem propagari, probabile reddant. *Quartò* deniquè plures morbos, qui novi ſalutantur Medicis, ab halitibus ſubterraneis, tanquàm causâ vel primariâ, vel ſociâ exſurgere, eò minùs dubitatur, quò magis tum aliæ cauſæ, V. G. aſtrorum influxus, intemperies aëris quæcunque manifeſta, procreandis iiſdem inſufficientes demonſtrantur, tùm globus terraqueus diverſis mineralibus nocivis, quorum multa noſtram quoque fugiant notitiam, turgidus aſſeveratur. Quæ cunctæ propoſitiones hactenùs veriſimiliter aſſertæ, quo majori ſuffulciantur fide, aliquot Autor Nobiliſſimus ſubnectit Experimenta Chymica, ipſa metalla perfecta exhalationum ſpecie in aërem elevari poſſe, quod minùs forsàn probabile videretur, detegentia, V. G. tenues cupri laminas, cum æquali vel duplô interdùm Mercurii ſublimati pondere deſtillationi expoſitas, caput mortuum reliquiſſe de reſinoſâ naturâ inſtar ceræ Hiſpanicæ fluente ac inflammabili participans, hoc groſſius pulveriſatum ac aëri liberô primum relictum, hìnc ſpiritû ſalis ſæpius affusô perfectè ſaturatum, ſpeciem quandam viridis æris exhibuiſſe, quod rursùs cum tripoli aliôve additamentô fixô & inſipidô mixtum & deſtillatum, multùm liquoris ſuppeditârit, omni quidèm colore inſtar aquæ communis deſtituti, mox tamen ab affusô ſpiritû cornu cervi, vel ſalis ammoniaci colorem obſcurè atque eleganter viridem adſciſcentis, adeòque corpuſculorum cupri præſentiam commonſtrantis.

Ibidem ann. 1691. *p.* 485.

Medicina Hydroſtatica: or Hydroſtaticks applyed to the Materia Medica, by the Honourable Rob. Boyle, Fellow of the R. S.

ſive

Hydroſtatica ad Materiam Medicam applicata per Virum Illuſtrem Rob. Boyle, Regiæ Societatis Sodalem. Londini, ſumptibus Samuelis Smith, 1690. in 8.

Tametſi potiſſimus præſentis tractatus ſcopus ſit, oſtendere modò quâ ratione per exami-

na hydroſtatica explorari queat, nùm hæc vel illa corpora inter Materiam Medicam recenſeri & adhiberi ſolita, pro genuinis reputanda, an verò pro adulterinis ac ſuppoſititiis habenda ſint: nihilominùs celeberrimo Autori placuit generaliorem ei *Medicinæ Hydroſtaticæ* titulum præfigere: tùm nè prolixior rubrica his, qui librum poſthàc fortè allegare cuperent, incommoda foret: tùm maximè, ut ipſe fatetur, exemplô ingenioſi *Sanctorii*, qui nempè non dubitârit *Medicinæ Staticæ* nomine inſignire tractatum, quo trutinam ad uſus quoſdam artem medicam ſpectantes applicuit, fortaſsè haud plures, quàm hìc ex Hydroſtaticis eidem accommodati reperiantur. De cæterô confidit Autor, nec defore ſeculô hôc naturæ ſcrutatorum feraci, qui & illius & ſuum hoc inventum pluribus poſt hæc uſibus non infeliciter adhibituri ſint, utut fortè à neutrô ipſorum primùm præviſis. Licèt verò nec momentoſum illud *Archimedis* Problema, (*Corpus nempè aquâ gravius tantò minùs in aquâ quàm in aëre ponderare, quantùm eſt pondus aquæ, mole ſeu magnitudine iſti æqualis*, cui nempe cuncta penè experimenta hydroſtatica innituntur, quodque iſtius quidem interpretes mathematicè paſſim demonſtrare ſategerunt, Noſter verò in *Paradoxis Hydroſtaticis* jam olìm phyſicè magis explanavit) nec fluentium indè operationum modus, ab ejuſdem ſcilicèt Commentatoribus & *Marinô Getaldo* imprimìs, traditus, nova aut ignota ſint: attamen ne quis fortè talium ignarus in limine hæreret, in anteceſſum non omiſit Autor ſigillatìm & apparatum omnem inſtrumentorum hìc neceſſariorum, & compendia per experientiam ſibi hâc in re ſuggeſta, totum denique procedendi modum clariſſimè & populari planè ſtylô ob oculos ponere: veritus nempè, nè ſi librum habitû magis mathematicô indueret, eos facilè deterreret, & ab utilitate indè capiendâ arceret, qui conſpectô theorematum, problematum & ſimilibus nominibus, mox à ſcriptorum talium perluſtratione abhorrent, putantes ea Mathematicum tantùm lectorem ſibi expoſcere. Et apparatus quidèm hydroſtaticus inſtrumentis ſat paucis iiſque ſimpliciſſimis, abſolvitur: interquæ primas tenet Trutina mediocris ſaltèm bonitatis, (niſi fortè gemmas aliavè pretioſiora examinare eſt animus, ubi ſolitô accuratior requiritur,) ſuis lancibus juſtè inſtructa; hanc è fulcrô ſeu columellâ ope uncinuli ſuſpendere præſtat, quàm nudis tractare manibus, nè hæ inter longiorem expendendi moram vacillantes, incertam fortè reddant obſervationem: cujus quidèm cautelæ neglectum quamplurimis erroribus, apud varios autores occurrentibus, anſam dediſſe Noſter conjicit. Suſpenditur verò columellæ ex brachiolô, ſurſùm deorsùmque mobili, eum in modum, ùt mediante filô, trochleas pervadente, ſuſtolli ad lubitum aut demitti, & in quôlibet ſitû ſic adminiculô ponduſculi mobilis ſtatuminari valeat. Proximum eſt, ut juſta pondera ad manus ſint, cùm majora unciarum, drachmarum, & tum minora, granorum minutiis dijudicandis apta, quæ è ſuâ pixide miniſteriô forcipulæ, quàm digitorum expromere & tractare commodiùs eſt. His ità apparatis jam, ſi obveniat corpus aliquod *ſolidum aquâ ponderoſius*, cujus gravitatem ſpecificam hydroſtaticè explorare lubeat: non aliô opus eſt, quàm ùt corporis pondere, quod in aëre habet, priùs exactè cognitô & conſignatô, ope ſetæ equinæ (quæ nimirùm ejuſdem propemodùm cum aquâ gravitatis eſſe, nullumque adeò in aquâ pondus habere obſervata fuit) vel ſimplicis, vel pro re natâ multiplicis, & inſtar reticuli adaptatæ, ex alterâ lancium innoxiè hunc in finem perforatâ, (niſi ejus loco aliud ſacoma alteri lanci æquiponderans ſubſtituere quis malit) ſuſpendatur corpus trutinandum, penituſque ſic immergatur intra aquam in alveolô vitreô ſtagnantem, & ità jam attendatur, quot ponderibus altera lanx indigeat ad lingulam trutinæ in perpendicularem præcisè ſitum redigendam: quô pactô innoteſcet pondus illius corporis, quale in aquâ habeat. Hoc porrò pondus, ſi à priori illô, quod in aëre deprehenſum fuerat, detrahatur, & per Reſiduum, (quod utriuſque differentiam dabit,) dividatur integrum illud in aëre pondus, Quotiens manifeſtabit, quænam obtineat proportio, ratione gravitatis ſpecificæ, inter ſolidum illud examinatum & aquam mole eidem æqualem. Sic V. G. fruſtum marmoris albi, quod in aëre habuerat ℥ij ʒiij ℈j. gr. IX. ſeu rotundius loquendo, 1169. grana, intra aquam non adſcenderat, ultra 738. grana: quibus à priori ſumma ſubtractis, reſiduum 431. granorum exhibuit gravitatem aquæ marmori mole æqualis; factâque ſic diviſione, proportio marmoris ad aquam talis prodiit, qualis eſt inter $2\frac{71}{100}$ vel proximè $\frac{7}{10}$ ad 1. Quo verò accuratior emergat computus, inter operandùm ſedulò curare jubet Autor, nè corpus examini ſubjiciendum ullâ parte extra aquam promineat, aut vaſis vitrei latera fundumve tangat, aut aëris bullulis ſponte ſæpiùs adnaſcentibus quadantenus quaſi totidèm veſiculis ſupportetur leviuſvè reddatur; aut lanx ſuperficiei aquæ imminens ei nimis appropinquet, & ab adhæreſcentibus indè guttis obſervatio turbetur: denique ùt lanci pondera continenti tanta ſimul ſetæ equinæ portio indatur, quanta in altera corpus appenſum tenenti ſuper aquam extat: quandoquidem ea tantùm ſetæ pars, quæ aquis mergitur, nullâ indiget ponderis compenſatione. Si *corpora* examinanda tam *puſilla* ſint, ùt circumligari ſe non commodè ob exilitatem ſetis equinis patiantur, nec reticulô indè contexto comprehendi valeant, qualia ſunt gemnarum fruſtula, *pulvereſve* ponderoſiores: iis recipiendis adhibetur ſitula vitrea latioris orificii, cujus pondus tam in aëre, quàm in aquâ priùs exactè explorandum: huic enim à ſetâ ſuſpenſæ talia immituntur, ipſaque dein penitùs aquæ ſubmerſa, eôdem modô, ut cum aliis corporibus proceditur. Eadem ſitula inſervit etiam ponderandis hydroſtaticè *liquoribus aquâ gravioribus* & ab ejus commixtione immunibus: qualiſmodi ſunt hydrargyrum & olea nonnulla Chymica, cinnamomi putà, caryophillorum, Guajaci, &c. Pro *reliquis verò liquoribus* expendendis varia communicantur technaſmata. *Primus modus* eſt, ùt liquorum gravitas exploretur miniſteriô certi cujuſdam corporis in aquâ ſubſidentis, (cujus pondus ſemel notum ſit) in variis nempè liquoribus ſuccceſſivè trutinati, perque ponderis ſui in quôlibet eorum repertam quantitatem, ipſorum gravitatem ſpecificam prodentis; uti v. g. idem Succini fruſtum in aquâ pependit $6\frac{3}{4}$ grana, in vinô rubrô Gallicô $8\frac{1}{2}$ in ſpiritû vini $17\frac{1}{8}$ denique in vinoſis ſpiritibus ſummè rectificatis $34\frac{1}{8}$. Cùm verò ſuccinum, levioribus quidèm liquoribus examinandis aptiſſimum, in gravioribus, v. g. oleô Tartari per deliquium, fortiori ſolutione ſalis Tartari vel Cinerum clavellatorum, oleô Vitrioli, ſpiritû Nitri, etſſ. ſupernatet, adeòque explorationi tali ineptum reddatur, Noſter conſultiſſimum expertus eſt, pro taliſmodi operationibus adhibere

bere bullam vitream, immiſsô prius pauxillô Mercurij pro augendâ gravitate, hermeticè ſigillatam; aut meliùs adhuc fruſtum Cryſtalli montanæ, præſertim cùm graciles ejus ſtiriæ priſmaticam à naturâ figuram nactæ, immergi aptæ ſint lagenulis etiam minoribus, pretioſiores liquores includentibus, abſque ullô horum diſpendiô: uti & reliquæ proprietates pleræque, quas ad *ſolidum* ejuſmodi *hydroſtaticum* requirit Autor, in eâ concurrunt: quæ ſunt; ùt corpus tale in omnibus, præter hydrargyrum, liquoribus ſubſidat, item, nè quid de pondere ſuô perdat per effluvia inſenſibilia, nè diſſolvi ſe aut corrodi ab ullô liquore patiatur, nè fractû facile ſit, ùtque tandèm uniformis, quâ ſenſum & parabilis materiæ ſit, quô experimenta eô facta cum aliis communicari ab iiſque pariter probari valeant. *Aliter modus* liquorum pondus examinandi, mechanicus potiùs; quàm hydroſtaticus, talis eſt; ùt ampulla gracili collô inſtructa pluribus ſucceſſivè liquoribus ad certum & fixum uſque ſignum repleatur, & ſic dein ponderoſitas cujuſlibet trutinâ expendatur. *Tertius* à *Merſennô* communicatus, conſiſtit ex cavô cylindrô æneô, inferiùs ſacomate oneratô, quô arrectus in liquoribus natare, & ſic magis minuſvè ultra eorum ſuperficiem extans ſpecificæ gravitatis gradus indigitare queat: cui ob corroſionis facilitatem, Noſter vitreum ſubſtituere mævult, duplici inferiùs bullâ inſtructum, quarum inferior Mercuriô gravanda paulisper ſit, quô ſitum teneat perpendicularem. *Quartus* ab eôdem Merſennô proditus ità ſe habet, ùt liquores qualeſcunque hydroſtaticè examinandi, infundantur in ampullam minorem vitream, obturaculô cereô vel ſubereô firmiter, & excluſô omni aëre obſtructam: atque ità aquæ immergantur, hydroſtaticè inſtar aliorum corporum ponderandi, cognitô tamen priùs ampullæ obturaculique pondere tàm in aëre, quàm in aquâ: quod nempè dein dedúcendum eſt ab obtentâ ejuſdem gravitate, quam liquore plena habuerit. Cùm verò ampullæ hujus obturaculum ſive cereum ſive ſubereum hoc incommodi habeat, quòd aquâ levius ſit, ſeparatâque adeò trutinatione, indigeat, ac prætereà corroſioni variorum liquorum pateat, Noſter ejus locô elegit vitreum, ampullæ collo exactiſſimè per mutuam attritionem adaptatum: præbuitque ampulla iſta, quam rotundam adhibuit, exemtô obturaculô alium inſupèr uſum, ſubiens nempè vices *ſitulæ hydroſtaticæ* ſuprà indicatæ, pro examinandis pulveribus: quin & immiſſô pauxillô hydrurgyri obturata inſervit locô *bullæ hermeticè ſigillatæ*, cujus pariter ſuperiùs facta mentio eſt. Deniquè *ſi corpus tale* hydroſtaticè examinandum offeratur, quod in *aquâ facilè diſſolvatur* eive ſe miſceat, id conſilii Autor ſuggerit, ùt, quandoquidèm id immediatè in aquâ ponderari nequit, alius locô hujus liquor ſubſtituatur, à quô talis diſſolutio metuenda haud ſit, atque ſic inveſtigetur, ſpecifica gravitas, quam corpus reſpectû hujus liquoris obtineat, tandèmque comparatâ utriuſque liquoris inter ſe differentiâ innoteſcat, quamnam gravitatem corpus in aquâ habiturum fuiſſet, ſiquidèm intra eam tutò examen inſtituere licuiſſet. Cùm verò experientia doceat, eas ſubſtantias, quæ in *aquoſis* liquoribus diffluunt, intrà *oleoſos* diſſolvi non ſolere, ſaltèm quoad ſenſum ac tam brevi tempore, dum ponderatio peragitur; hìnc facilè patet oleoſum aliquem liquorem, aquæ hic commodiſſimè vices ſubire. Præ cæteris verò aptiſſimum, Noſter huic negotio expertus eſt oleum Therebinthinæ & quidem limpidius illud, quod vulgò ſub ſpiritus Therebinthinæ nomine venire ſolet; partim quòd paſſim ejus copia haberi poſſit, nec adulterari facilè ob pretii vilitatem ſoleat, uti oleis Chymicis ſæpiùs contingit; partim quia tanquàm deſtillatum corpus liberius reputari valeat à mixturâ particularum aquoſarum, quibus olea vulgata expreſſa plerùmque ſcateant.

Expoſuimus hactenùs modos, quibus varii generis corpora hydroſtatico examini ſubjicere liceat: in quibus quidèm ex Autore noſtrô communicandis vel ideò prolixiores eſſe voluimus, nè talis modi compendiorum ignaris interìm carendum foret experimentis adeò proficuis, ſi fortè ingenioſi hujus ſcripti tranſlationem, de quâ tamen haud dubitamus, diutiùs nonnihil differri contingeret: reſtat nunc ùt videamus, quid utilitatis ejuſmodi examina; in arte & materiâ Medicâ imprimìs præbere valeant. Et *Uſus* I. quidèm ab Autore noſtrô allegatus, concernit potiſſimum lapides aliave foſſilia ad regnum minerale ſpectantia, utnimirùm generatim explorare liceat, nùm ea metallici aliquid admixtum intra ſe foveant. Quandoquidèm enim Idem jam in *Tractatû* antehàc de *Gemmarum origine* & *virtutibus* editô deduxit, præcipuam, ſi non omnem Gemmarum vim & efficaciam pondere à qualitatibus metallicarum & mineralium ſubſtantiarum, materiæ lapideæ, dum ea liquida adhùc aut ſaltèm mollis fuit, intimè unitarum; quod verò ſimile eſt pariter, imò magis adhuc obtinere in bolis, argillis aliiſve foſſilibus ignobilioribus dùm ſcilicet intrà ea, dùm in *ſolutis principiis* extiterunt, major metallicarum partium copia ſemet inſinuare faciliùs potuit: Medicorum utiquè intereſſe arguit, noviſſe, plus minuſve materiæ talis adventitiæ corpori alicui nùm admixtum ſit. Ad faciendam verò talem æſtimationem conſultum judicavit, normæ locô adſumere lapidem aliquem maximè purum, quâ ſenſum certè, & ab omni adventitiâ tincturâ mixturâve maximè liberum *cryſtallum* putâ; cujus gravitatem ſpecificam comperit ſe habere ad æqualem aquæ molem, ut $2\frac{1}{2}$ ad 1. circiter, vel abſque fractione ut 5. ad 2. Pro regulâ itàque haud fallaci tradit, quòd, quandocunquè durum aliquod foſſile factô examine hydroſtaticô deprehendatur eſſe multò ponderoſius, quàm cryſtallus ejuſdem molis, pro ſignô ſat probabili hoc haberi debeat, ſolido illi concreto notabilem ineſſe quantitatem corporis alicujus metallici aliûſve mineralis: undè porrò ejus qualitates vel proficuæ vel nocivæ humano corpori deduci queant: fatetur tamen, argumentum hoc negativè haud procedere, quandoquidèm ad qualitatem ejuſmodi conciliandam nonnunquàm per exigua adventitiæ materiæ portiuncula admixta ſufficere poſſit. Cæterùm regulam hanc comprobârunt varia tentamina circa diverſos lapides in re medicâ occurrentes factâ, quorum nempè ſinguli cryſtallum gravitate ſpecificâ ſuperare viſi ſunt: ſic v. g. Hæmatites ad aquam ſe habuit ut $4\frac{15}{100}$ ad 1. Lapis Lazuli, ut 3. ad 1. Magnes ut $4\frac{95}{100}$; Lapis Calaminaris (cujus in pollinem triti miram virtutem, in curandâ diarrhoëâ torminoſâ & quandoquè dyſentericâ, magnopère ſibi à famoſô quôdam nec indoctô empiricô commendatum narrat Autor,) ut $4\frac{69}{100}$ ad 1. *Uſus* II. indicatur, dijudicare num corpus aliquod lapidi quoad ſpeciem æmulum revera pro tali habendum, adeoque ad regnum minerale referendum ſit; quo magis enim illud abludat à ſpecificâ cryſtalli gravitate in defectû, eô minùs titulô tali dignum eſſe: ità pa-

tui

tuit corallia & margaritas propiùs ad naturam lapideam accedere, quàm aut calculum humanum aut lapidem Bezoardicum: dùm proportio quidèm gravitatis coralliorum ad aquam fuit, ut $2\frac{68}{100}$ & margaritarum ut $2\frac{51}{100}$ ad 1. calculi humani verò tantùm ùt $1\frac{76}{100}$ item $1\frac{69}{100}$ & lapidis Bezoar quandoquè ut $1\frac{47}{100}$, quandoque ut $1\frac{55}{100}$ ad 1. quâ occaſione Autor perhibet, Medicum quempiam experientiſſimum diuque in India Orientali verſatum, ac ità propitiam ſæpè occaſionem nactum genuini lapidis Bezoardici virtutes probandi, nihilominùs ei calculum humanum aut æquare aut præferre quoad efficaciam ſolitum fuiſſe. *Vſus* III. eſt, quod diſtinguere nonnunquàm hôc adminiculô liceat diverſas ejuſdem corporis ſpecies, ſub eâdem quidèm vulgò denominatione venientes, at non minùs quandoquè inter ſemet variantes, quàm ejuſdem ſpeciei individua: exempli locô adducuntur diverſæ *magnetis* ſpecies pondere notabiliter diſcrepantes, dicunturque Norvagici & Anglicani haud paulò graviores eſſe Italicis, Elvam Inſulam nactis patriam. Sic *Hydrargirum* Hiſpanicum hydroſtaticè examinatum à Noſtrô compertum fuit ratione ponderis ad aquam ſe habere ut $14\frac{11}{100}$ ad 1. cùm alioqui vulgaris Mercurius ferè ſe contineat intra proportionem 14. ad 1. aut planè $13\frac{1}{2}$ ad 1. Pariter quoque inter *Granatos* Europæos & ex Americâ advectos tantam ſenſit intercedere differentiam ratione gravitatis ſpecificæ, ùt non abs re conjiciat diverſiſſimæ utroſque virtutis eſſe, quâ gradum ſaltèm, ſi non quâ ſpeciem. *Vſus* IV. habetur, diſcernere lapides genuinos, ſive minerales, ſive animales, à factitiis & adulterinis: nempè quemadmodùm inter qualitates corporum vix ulla eſt, iis adeò intimè inhærens, ut gravitas ſpecifica, ſic nil quoque difficilius eſt impoſtoribus, naturalis nimirùm hiſtoriæ plerùmque ſatis ignaris, quàm eandem aut exactè imitari, aut alterare, quin ſimùl ſenſibilis ſemet exerat mutatio in reliquis qualitatibus fraudem detectura: ſic gemmæ factitiæ ex miniô paratæ, pariterque margaritæ Mercurii adminiculô fabrefactæ, utut ſpecioſiſſimæ, tamen inſitâ ponderoſitate nimiâ facilè ſe produnt. *Vſus* V. in eô conſiſtit, quòd ope talis examinis hydroſtatici probabiliter æſtimare detur intemeratam bonitatem gradumque puritatis in variis corporibus: cognitô nempè ſemel ſpecificô pondere alicujus individui, quod genuinum eſſe noverimus, eôque dein collatô cum gravitate aliis ejuſdem ſpeciei inſita. Et ſanè adſeverat Autor, majorem hôc intuitû inter lapides ejuſdem nominis differentiam obtinere, quàm quis facilè ſibi perſuaderet: quò ſpectat exemplum de Granatis ſuperiùs allatum. At verò hìc ſimùl monet, gemmarum nobilitatis æſtimationem non eôdem modô fieri mox debere à Medicis, uti quidèm à Gemmariis: ſcilicèt hos quidèm, de venuſtate & ſplendore maximè ſollicitos, inter gemmas ejuſdem ſpeciei non abs re eas præ aliis in pretiô habere, quæ cæteris paribus, ſpecificam gravitatem exerant minorem, ut quæ ferè magis uniformes ac tranſlucidæ ſint, tincturam ſuam nactæ à pigmentis partium ſubtiliorum: aſt viciſſim Medicos atque Chymicos, in gemmis virtutem medicamentoſam unicè intuentes, meritò eas præferre, quæ ponderoſiſſimæ ſunt, uberiorem nempè portionem ſubſtantiæ mineralis vel metallicæ adeptæ. Nè verò gratis hoc aſſerere videatur, exempli locô exponit, quomodô in opinione ſuâ, quâ ſuſpicatus fuerat, in Granatis latitare ſat copioſa corpuſcula metallica naturæ Martialis, confirmatus per experimentum fuerit. Scilicèt Granati Bohemici, ſaturatô rubore conſpicui & in minutiſſimum pollinem contriti (& quidèm ad evitandam ſuſpicionem, mortariô non ferreô) grana octo cum vitri cryſtallini in pulverem redacti unciâ unâ commiſcuit, & intra fornacem fervidiſſimam ad bihorium in fuſione detinuit: undè prodiit maſſa uniformis ſatis & ſufficienti *virore* tincta, qualem nempè colorem aliàs præparatum ferrum vel chalybs vitro puro conciliare ſolent. Non ideò tamen negat, dari quandoquè pigmenta mineralia naturæ adeò ſubtilis, ùt vel minima eorum quantitas, quæque vix ſenſibiliter gemmas aliis minùs coloratis graviores reddere valeat, ad quamlibet totius earum materiæ partem imprægnandam ſufficiat: id quod illuſtrat exemplô Zaphoræ, cujus nempè partem unam centeſimam vitrô Venetô infuſione probè commixtam, ad idem colore cæruleô ſuaviter ſaturatô imbuendum ſufficere expertus eſt. *Vſus* VI. innuitur, acutè dignoſcere ſpecificam variorum liquorum gravitatem, non modò ad diſtingendum ſic genuinos & intemeratos ab adulteratis & corruptis, ſed & pro aliis finibus, tam reſpectû materiæ medicæ propriè ſic dictæ, quàm aliarum phiſiologiæ partium utilibus: cùm certum ſit, alterationes in gravitate liquorum ſpecificâ emergentes plerumquè comitem habere ipſius conſiſtentiæ mutationem. Sic v. g. hôc pactô experiri datur, quatenùs aſſervatio diuturnior, fermentatio, putrefactio ſpecificam liquorum gravitatem immutet; item probare licèt gradum ſpirituoſitatis aut virtutis in variis liquoribus & menſtruis, & quidèm certiùs & compendioſiùs, quàm per deflagrationem vulgò uſitatam, quâ nempè perditur, quantùm probationi deſtinatur. Quoad examinis hydroſtatici applicationem verò hìc pro regulâ notare jubet Autor, quòd inter liquores quidèm per deſtillationem ex vinô, pomis aliiſque fermentatis paratos, *leviſſimi*, inter acidos verò ſpiritus & liquores *graviſſimi* pro fortiſſimis omnium ejuſdem generis reputandi ſint: id quod nempè ſcire, gradumque adeò ſubtilitatis roboriſve liquorum in numeratô quaſi habere, multis caſibus maximè neceſſarium eſt: ſic expertus nonnunquàm fuit Noſter, *aquam fortem* nimìs quandoquè fortem apparuiſſe pro arrodendô argentô, adeò ùt opus habuerit priùs per aquæ admixtionem nonnihil debilitari. Pariter & falli ſubindè arguit Chymicos, quandò pro extractis parandis indiſtinctè adhibeant ſpiritum Vini rectificatiſſimum: quandoquidèm virtus medicamentoſa complurium corporum non unicè reſideat in eô, quod Chymicis *ſulphur* audit, ſeu parte reſinoſâ, cui ſanè eliciendæ, omninò talis ſpiritus vini aptiſſimus; ſed ſæpiùs in gummoſâ & quandoquè mucilaginoſâ ſubſtantiâ, pro quâ eliciendâ ſpiritus ſuô phlegmate adhùc pauliſper dilutus magis foret adæquatus: uti v. g. conſtet, Gummi Arabicum, Tragacantham etſſ. non parere ſpiritui vini rectificato, benè tamen debiliori: myrrham quoque in hôc faciliùs, quàm illô diſſolvi. *Vſus* VII. eſt Stereometricus, non directò quidèm tendens ad examinandum materiam medicam, & Medicis tamen & Phyſicis non parùm proficuus, pro meliori deſcriptione & exactiùs determinandâ magnitudine variorum ſimplicium, quàm vulgò per dimenſionem nudam longitudinis latitudiniſque fit: dum certum eſt ob inſignem figurarum, irregularium præſertìm, varietatem multa dari poſſe corpora mole diverſiſſima,

ſima, & eandem nihilô ſeciùs longitudinis latitudiniſque menſuram recipientia. Certiùs itaquè molem eorumdem determinare docet Autor. Scilicèt cubis ex variâ materiâ, magnitudine uniûs præcisè pluriumve pollicum, in aëre priùs, dein in aquâ trutinatis comperit, aquam uniûs pollicis cubici dimenſione, ponderare 256. grana, aut ſaltem exceſſum defectumque vix notabilem eſſe: vel ideò verò numerus iſte præ aliis ſe commendavit, quòd abſque ullis fractionum ambagibus ſeptiès bipartiri ſe pateretur, putà in 128, 64, 32, 16, 8, 4, & 2. adeòque huic negotio commodiſſimus eſſet: maximè cùm experientia ei haud quaquàm reclamaret. Si ergò ſolidum aliquod, poſtquàm ejus pondus in aëre priùs exploratum eſt, in aquâ deprehendatur de gravitate ſuâ perdere ℥ß. XVI. gr. ſeu rotundiùs 256. grana, tutò concludere licet ejus dimenſionem eſſe præcisè unius pollicis, cujuſcunque etiam illud ponderis aut materiæ ſit: quòd ſi numerum iſtum excedat, aut eum non attingat, non minùs facilis erit extenſionis æſtimatio ob fractionum commoditatem, dùm 32. quælibet grana deſignant $\frac{1}{8}$ pollicis partem, adeòque exceſſus ille defectuſve nullò penè negotiò computari poteſt. Si corpus tale ſit, quod in aquâ ſolvatur, eadem operatio, ut ſuprà monitum, inſtitui poteſt in oleò Terebinthinæ: hâc tamen obſervatâ differentiâ, quòd ejus olei pollex cubicus non 256. ſed modò 221. $\frac{1}{8}$ grana pendere compertus ſit. Corporis aqua oleove hôc levioris ſoliditatem ità explorare, difficiliùs quidem videri poſſet, cùm experimentum proprie tantùm concernat corpora in fluidô ſubſidentia; ità verò, ad Merſenni, hâc in parte juſtò obſcurioris ductum, rem aggredi jubet Noſter: Nimirum 1. corpus illud aquâ leviùs in aëre ponderetur; 2. ſumatur lamina plumbea, iſti ſubmergendo ſufficiens, ponderis certi atque rotundi, v. g. uniûs præcisè drachmæ vel unciæ; 3. hujus pondus qualè in aquâ exſerat, exploretur, & à priori illô cognitô ſubtrahatur; 4. lamina ope Setæ equinæ alligetur corpori examinando, & conſignetur, quantum pondus in aëre aggregatum hoc habeat; 5. idem aggregatum in aquâ trutinetur, & obtentum ità pondus ab illo ſubducatur: Differentia dabit ſpecificam gravitatem aggregati reſpectû aquæ; 6. ab hâc differentiâ ſubtrahatur rurſùs ſoliûs laminæ ſpecificum in aquâ pondus, ac Reſiduum manifeſtabit pondus corporis levioris in aquâ; 7. hoc ipſum tandèm per 256. (quot nempe grana unum pollicem aquæ cubicum habere ſuprà dictum eſt) dividatur, habebiturque ſic ſoliditas propoſiti corporis aquâ levioris. Si verò hoc ſimul poroſum atque bibulum, adeòque metuendum ſit, nè inter explorandum aqua ſemet intra illud inſinuet, jubet Autor id priùs, poſtquàm nempè corporis pondus in aëre indagatum fuerit, tunicâ cereâ totum obveſtire, ipſumque ceræ ità obductæ pondus, quod in aëre habeat, (aquæ enim cera pondere non multùm diſſimilis eſt) explorare: porrò alligata lamina plumbea obſervare pondus hujus aggregati in aquâ, indèque ſubtrahere pondus aquæ, quanta ceræ adjectæ mole æqualis ſit, ac de cæterô procedere eòdem modô, ut anteà expoſitum eſt. Alium præterea modum communicat Autor, corporum bibulorum minorum, ſive aquâ ſint graviora, ſive leviora, ſoliditatem computandi ope Mercurii, illis in vaſculô, cujus capacitas ſtereometricè prius cognita ſit, ſuperaffuſi, exploratô priùs numerô granorum, quot unô pollice cubicô Mercurii continuentur. Deniquè occurrit objectionibus nonnullis, quibus aliqui incertitudinem experimentorum hydroſtaticorum arguere ſoleant; petitis partìm à diſcrepante pondere aquæ, diverſis è locis hauſtæ; partìm à diſcordiâ autorum in gravitate variorum corporum definiendâ paſſim diſcrepantium. Prius quod attinet, teſtatur Autor, ſe varii generis & loci aquis exploratis, perſenſiſſe earum differentiam in gravitate adeò exilem eſſe, ùt vix ultra $\frac{1}{1000}$ alia aliam gravitate ſuperet, (ſpeciatìm verò nivalem cæteris leviorem prædicat,) ùt adeò minutum hoc diſcrimen in re, ubi non mathematicâ ſed phyſicâ tantùm accuratione opus ſit, vix ullius momenti eſſe valeat: quoad alterum nòn diffitetur, ſcriptores nonnihil inter ſe hâc in parte diſſonare, cujus rei pluſculas quoque cauſas adducit: cùm tamen & ipſæ hæ differentiæ plerumquè, ferè illarum inſtar, quæ in Obſervationibus Aſtronomicis ſemet exerunt, ſatis exiles ſint: iis nil quicquam obſtantibus concludit, experimenta hydroſtatica, tot nempè in praxi egregios uſus præbentia, in pretiô habenda eſſe, nec minùs accurata, quàm ullum ex aliis modis, hactenùs prò determinandâ proportione corporum ratione ponderis & molis, menſurandâque eorum corpulentia adhiberi ſolitis. Supereſſet nunc, ùt de libri hujus appendice, cui titulus, *Methodus Hydroſtatica æſtimandi Mineras*, diceremus; verùm cùm jam in nimium excreverit hic diſcurſus, ejus relationem in proximum menſem, ſi Deo placuerit, Lectoris nunc tædium veriti, differre cogimur.

Ibidem ann. 1692. *p.* 491.

Medicinal experiments &c.

i. e.

Experimenta Medica ſive Congeſtio Remediorum ſelectorum maximam partem ſimplicium & facilem præparationem ſubeuntium. Autore Robertô Boyleô, Armigerô & Regiæ Societatis Sociô. Londini apud Samuelem Smith, 1692. in 12.

E Multis remediorum formulis, quas *Nobiliſſimus Autor* curiosè quondam collegit, *decem* hìc *Decades*, amicorum ſuaſû, quibus nonnullas earum ante hàc communicaverat, unà cum Tincturâ quâdam ſtomachicâ divulgantur. Quemadmodùm verò vires medicaminum laudatorum non æquivalentes obſervatæ fuerunt, ità literarum initialium una, videlicèt A. B. vel C. diverſimodè notantur, prout efficaciam vel ſummam, vel mediam vel minorem, ſatìs tamen adhùc valentem dederunt comprobatas. Sic lapidem plumbarium tranſparentem in calculi doloribus, conyzam mediam pulveriſatam in dyſenteriâ aliiſque diarrhæis acribus, Zibethum Paracelſi occidentale ſive ſtercus humanum exſiccatum & comminutum in oculis horumque pannô detergendis, maximè valere, p. 2. 18. & 20. innuitur. Aſt herbam ſenecionis Amuleti vice febrem tertianam fugare; & ſal marinum, in acetô vini optimô diſſolutum, ac cum linteô plantis pedum mulieris hyſtericæ applicatum, paroxyſmum hujus ſedare, tanquam remedia claſſis mediæ p. 13. & 50. traduntur. Ad infimam demùm ſortem litera C. inſignitam ſpectat, quandò rapa ſub cineribus calidis toſta cataplaſmatis locô pernionibus mederi, foliaque nicotianæ cum ſufficienti paſſularum minorum recentium quantitate contuſâ & pedum plan-

plantis adaptata æſtum febrilem mitigare, p. 53. & 79. perhibentur. Plura hic tranſcribere ſupervacaneum videtur, partim quòd pleraque doctiores non fugiant, partim quòd integrum quoque ſcriptum in vernaculam noſtram jam dum verti *Gleditſchius* noſter curaverit.

Ibidem ann. 1692. *p.* 492.

Experimenta, Obſervationes &c. circa Mechanicam variarum particularium Qualitatum Originem ſive productionem &c. Autore Robertô Boyleô Armigerô, Regiæ Societatis Sociô. Londini impenſis Samuelis Smith. 1692. *in* 8.

QUantùm mechanica Corpuſcularium Philoſophorum hypotheſis ſterili Scholaſticorum doctrinæ prævaleat, quantùmque Chymici etiam vulgares in Qualitatibus explicandis, vel in Acidô & Alcali principiorum in locum ſurrogandis deficiant, præſens immortalis nominis Autoris Volumen, *duodecim è Tractatibus* conſarcinatum, luculenter ſatis aperit. *Frigus* ſiquidèm & *calorem, Sapores, Odores, Volatilitatem, Fixitatem, Corroſivitatem, & Corroſibilitatem & Præcipitatio. Chymicas, Magnetiſſimum & Electricitatem,* è principiis omninò Mechanicis, reſultare poſſe, *Tractatibus* 1, 2, 3. 7, 8, 9, 10, 11, & 12. diverſis confirmatur experimentis. Chymici autem vulgares an Qualitates vel phyſicas, vel chymicas ſufficienter enodaverint, numque Acidum & Alcali pro naturalium corporum principiis venditare poſſint, non ſine ratione *Tractatibus* 4. 6. & 5. dubitatur. Attamen quia ſinguli hi Tractatus eôdem ordine combinati jam dum Londini ann. 1675. idiomate Anglicô prodierunt, neminemque eruditorum modernorum facilè latent, plura de Latinâ hâc eorum verſione nunc ſuperſedemus addere.

Ibidem ann. 1692. *p.* 493.

Exercitationes de Utilitate Philoſophiæ Naturalis Experimentalis, Autore Robertô Boyle Armigerô, Regiæ Societatis Anglicanæ Sociô? Ex Anglicâ in Latinam linguam translata. Lindaviæ apud Theodorum & Jo. Chriſtoph. Hechten, 1692. *in* 4.

INter ſcripta immortali laude digna, quibus illuſtris *Boyle* Philoſophiam experimentalem promovit, & ad ſublime faſtigium extulit, neque ſcriptione neque pretiô poſtremus eſt hic liber, immò rectiùs præferendus aliis, quòd Philoſophiæ hujus convenienter tractandæ ſcopum, finem, & uſum expandat, & ex his ejus præſtantiam commendet, amorem excitet, ac cupiditatem ità tractandi eam ingeneret. Ac ſanè plurimis excerptis opus commendaremus, niſi ex eô, initiô quoad unam partem, deindè quoad alteram ſimul totô Anglicè dudùm editô, multa didiciſſent viri illi qui legerunt, atque ad alios citationibus ſuis tranſtuliſſent, quos proindè deſiderium maximum jamdudùm tenuit, librum præſtantiſſimum intelligendi. Quare, quiſquis eſt Interpres, gratiam pro labore meritò refert. Nobis autem ſufficit indicare, Exercitationibus iis omnibus communem Autoris ſcopum eſſe, ùt hominis mentem in intelligendis Dei operibus erudiat, & Creatorem admirari ac celebrare doceat. Hinc legas inter alias Dei perfectiones inprimìs illuſtrari omnipotentiam ac ſapientiam, non ex maximis ſolùm operibus, ſed etiam ex minimis, ut ex formicâ, ex volvoce ſerifico, ex inſectô minimô, quod Ariſtoteles acari appellat, comparatô cum elephantô, ex vermiculorum aceti collatione cum Balænis. Mirè placebit diſſertatio ex intimis naturæ penetralibus convincens tum Epicuræos, tum alios quoſdam recentiores Philoſophos, qui Deum à productione univerſi omni ex parte amovere ſategerunt. Speciatìm demonſtratam invenies utilitatem Philoſophiæ experimentalis, quam habet in Medicinâ omni, ſive Phyſiologicâ, ſive Pathologicâ, ſive Semeioticâ, ſive Diæteticâ, ſive Therapeuticâ longè uberrimam, quamque habet reſpectû imperii hominis in creaturas inferiores. Ubi oſtenditur, quibus rationibus multùm juvari ac meliora fieri poſſint opificia artificiaque quævis, quæ ad humanæ vitæ vel neceſſitatem vel commoditatem faciunt. Præfixa ſunt ſingulis ſectionibus capitibuſque Breviaria; ac in fine Index rerum eſt ſubjunctus.

Ibidem an. 1693. *p.* 256.

General Heads For the natural Hiſtory, &c. h. e.

Capita generalia hiſtoriæ naturalis regionum tam magnarum quàm parvarum, in uſum peregrinatorum & navigantium quondàm conſignata ab Honorat. Dn. Roberto Boyle, Armigerô & Societatis Regiæ Sodali. Londini ap. Joh. Taylor. 1692. 12.

CUm acceſſiones illæ, quæ ſeculô noſtrô factæ ſunt ad hiſtoriam naturalem, plurimùm debeant peregrinationibus, quæ terrâ & mari fuerunt inſtitutæ, nec tamen omnibus iter facientibus, ingeniô licèt valeant, ſuccurrant ſtatìm omnia, quæ in regione quavis inveſtiganda ſunt, aut methodus, quâ quæſtiones ad augmentum ſcientiæ naturalis pertinentes ſunt inſtituendæ; operæ pretium facturus ſibi viſus eſt illuſtris *Boyleus,* ſi rem totam ad ſumma quædam revocaret capita. Atque hæc quoque, cùm luce adhùc ipſe frueretur, in lucem edere conſtituerat, virorum quorumdam curioſorum motus flagitatione, ſed quod morte præventus exequi non potuit, amicus quidam ejus in ſe ſuſcepit, qui hinc indè varia inſeruit notatû digna & nautis proficua, cum particularibus obſervationibus maximè notarum regionum. Primùm ergò proponuntur, quæ ratione cœli, aëris, aquæ atque terræ ſunt conſideranda; deindè quæ nautis, qui ad remotas excurrunt regiones, imprimìs ſunt obſervanda; tandèm ſpeciales quæſtiones, partìm mineralia, partìm vegetabilia reſpicientes, explicantur. Ad particulares directiones quod attinet, monentur peregrinantes, ad quæ attendere debeant in Turciâ, Ægyptô, Guineâ, Poloniâ, Hungariâ, & Tranſylvaniâ, Surattâ, Perſiâ: Virginiâ, Guajanâ & Braſiliâ, inſuliſque Antilles & Caribes: ut ſcilicèt ea, quæ de illis regionibus nobis relata fuêre, vel confirmentur, vel tanquàm falſa rejiciantur.

Ibidem ann. 1694. *p.* 377.

Medicinal Experiments.

i. e.

Experimenta Medica, ſive Collectio ſelectorum tutorumque Remediorum, maximam partem ſimplicium, paratûque facilium &c. Autore honoratiſſimô Robertô Boyleô, Armigerô & Societatis Regiæ Sociô. Vol. 2. Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1693. *in* 12.

PRimum remediorum à *Generoſiſſimô,* dum viveret, *Autore* amicis communicatorum, inque *Actis* an. 1692. p. 492, recenſitorum *Volumen, alterum* hoc inſequitur, longè majorem eorum numerum,

numerum, ter centum videlicèt, triginta ſi demas, continens, è quibus tamen pauciora nunc ſufficiat indigitâſſe. Apoplecticis namque excitandis, oleum lentiſci deſtillatum naribus eorundem inſufflatum perhibetur potentiſſimum. Ruta recens cum oleô juglandum expreſſô in cataplaſma redacta, & umbilicô adaptata laudatur in anaſarca. In febri intermittente, cumprimis tertianâ, pulvis radicis ſerpentariæ virginianæ celebratur. Mammis flaccidis Cicuta recens præſcribitur, cataplaſmatis ſpecie imponenda. Polygonum & Polygonatum in manibus retenta, uſque dùm incaleſcant, hæmorrhagiam narium dicuntur compeſcere. Semen Clematis peregrinæ parti cuicunque ſtrictè alligatum, veſicas in hâc non minùs concitare innuitur, ac Cantharides. Pro tuſſi phthiſica levandâ paſſularum majorum acinis liberatarum rutæque ſummitatibus infarctarum uſus matutinus commendatur. Spumæ cereviſiæ clavos pedum abigendi tribuitur virtus. Colicæ ac paſſionis hyſtericæ ſedandarum ergò fumus zingiberis fiſtulâ, inſtar tabaci, ter vel quater de die præcipitur hauriendus. Succinum flavum mercatorem quendam ab hydrope liberâſſe memoratur. Veſica vervecina, reſciſſâ cervice*, probè in clibanô exſiccata & pulveriſata, in urinæ incontinentiâ atque diabetis principiô pronuntiatur efficax. Terebinthina cum ſaccharô optimô in pillulas redacta, non minùs ac Mercurius dulcis cum eôdem commixtus, egregium antidyſentericum traditur remedium. Veſicula vervecis felleâ, bile etiamnum plena, poſt duarum triumve guttarum urinæ ægrotantis calidæ additionem, in aëre liberô exſiccata, Icteri curam magneticam abſolvere creditur. In odontalgiâ ſuccus rutè recenter expreſſus auri regionis affectæ ſuadetur inſtillandus. Succus Chelidonii pro inſigni vulnerum recentium balſamô venditatur. Cæterùm uti *Index* eorum morborum, adverſùs quos remedia proponuntur, ſubjicitur, ità & *Præfatio* propria quondam Autoris manû exarata præmittitur.

BOYMUS (*Michael*,) Societatis Jeſû.

Ex eô habetur in Lindeniô Renovatô.

Flora Sinenſis, Fructus Floreſque porrigens. Cum Figuris. Viennæ Auſtriæ, apud Matthæum Rictium, 1656. in fol.

In Miſcellan. Cur. Dec. ij. Ann. IV. *Appendicis. pag.* I.

Clavis Medica ád Chinarum Doctrinam de Pulſibus, Autore R. P. Michaële Boymô, è Soc. Jeſû, & in Chinâ Miſſionariô. Hujus operis ultra viginti annos jam ſepulti fragmenta, hìnc indè diſperſa, collegit & in gratiàm Medicæ Facultatis in lucem Europæam produxit, Cl. Dn. Andreas Cleyerus, M. D. & Societatis Batavô-Orientalis Proto-Medicus. A quô nunc demùm mittitur totius Operis exemplar, è Chinâ recens allatum, & à mendis purgatum, Procuratore R. P. Philippô Copletiô Belgâ, è Soc. Jeſû, Chinenſis miſſionis Romam miſſô.

BOYS (*Johannes du*,) Pariſienſis.

Ex eô habetur

In Methodum miſcendorum Medicamentorum, quæ in quotidianô ſunt uſû Obſervationes ex Græcis, Arabibus, & Neotericis. Opus valdè utile, & à delectis aliquot ex ordine Medicorum Pariſienſium Viris doctiſſimis viſum. Pariſiis, apud Jacobum Kerver, 1572. in 8. Ex

tat etiam cum Bricii Bauderoni Pharmacopœa, Londini, apud Edwardum Griffium, 1639. in fol. Hagæ Comitis, 1640. in 12.

BOZERUS (*Johannes*)

De eô exſtat

Carmen de Origine & progreſſû Artis Medicæ, habitum cùm gradus Doctoratus Cl. Viris D. Henricô Paxmannô, & D. Johanni Gœbeliô decerneretur. Wittebergæ, 1577. in 4.

BRA (*Henricus à*) Friſius. Natus Doccomii in Friſiâ A. C. 1555. Medicinæ Doctor creatus Baſileæ 1580. annô ætatis ſuæ 25. Primùm per biennium Leovardiæ; deindè Campis, celebri Tranſiſulanæ Provinciæ Oppidô, & poſtremò Octenniô elapſô, in patriâ ſuâ Medicinam feliciter fecit.

Ex eô habentur

Catalogus Medicamentorum ſimplicium, & facilè parabilium adverſus Epilepſiam, & quomodò iis utendum ſit, brevis Inſtitutio. Leovardiæ, apud Johannem Starterum, 1616. in 8. Arnhemii, apud Johannem Johannis, 1603. 1605. in 8.

Medicamentorum ſimplicium & facilè parabilium ad Icterum, & hydropem, Catalogus: & quomodò iis utendum? Lugd. Batav. apud Johan. Paetſium, 1590. in 8. apud Ludov. Elzevirum, 1597. in 8.

Medicamentorum ſimplicium, & facilè parabilium ad Calculum, enumeratio: & quomodò iis utendum ſit, brevis inſtitutio. Franekeræ, apud Aegidium Radæum, 1589. 1591. in 8.

Medicamentorum facilè parabilium adverſus Peſtilentiam, Catalogus. Arnhemii, ap. Joh. Janſſonium, 1605. in 8. Leovardiæ, ap. Joh. Starterum, 1616. in 8.

De Curandis Venenis per medicamenta ſimplicia, & facilè parabilia, Libri duo. Arnhemii, apud Johannem Johannis, 1603. in 4. Leovardiæ, apud Joh. Starterum, 1616. in 8.

De novô quôdam morbi genere Friſiis & Weſtphalis peculiari: unâ cum D. Johannis Heurnii ad eam Reſponſione. Extat cum P. Foreſti obſerv. Medicin. Lib. XIX. Lugd. Batav. 1595. in 8.

BRABUS CHAMICUS (*Johannes*) Profeſſor Anatomiæ in Academiâ Conimbricenſi.

Ex eô habetur.

De Capitis Vulneribus Lib. Conimbricæ, apud Didacum Loureiro, 1516. in fol.

BRACESCUS (*Johannes*) Brixianus.

De eô Exſtat

De Alchymiâ, Dialogi duo, nunquàm antehàc conjunctìm ſic editi, correcti & emaculati. Præmittuntur iiſdem Propoſitiones 129. idem argumentum compendioſâ brevitate complectentes. Ex Italicô Authoris autographô in Latinum vertit Guilielmus Gratarolus. Extant cum Scriptoribus aliquot Alchimiæ veræ ab eôdem Gratarolô collectis, & unâ editis. Baſileæ, apud Henricum Petri & Petrum Pernam, 1561. in fol. Et ſeparatim Hamburgi, apud Joh. Naumannum & Georg. Wolffium, 1673. in 8.

BRACHELIUS (*Hier. Triv.*)

De eô exſtant

In τεχνὴν Galeni Commentarii, Lugduni apud Godefr. & Marcell. Bringos 1547. in 16.

BRACHIUS (*Jacobus*) Philoſ. & Medic. Doctor. Practicus Venetus.

De eô habetur in Miſc. Cur. ij. A. viij. Obſ. 203.

De ovis Oſtreorum.

OMnia, quorum geneſim vel oculus videt, vel intellectus conjicit, vel autopſia confirmat, ex ovô produci, explorata fatetur veritas, & no-

& notius eſt, quàm ùt exponi debeat, adeò ùt non ſolùm ſedulis arcanorum naturæ ſcrutatoribus, verùm etiam experimentalis Philoſophiæ tyronibus ipſis, & candidatis hoc ſit in confeſſô: Quanquàm autem foëtus exeuntes ab ovis immediatè non proſiliant, attamen origo prima, mechanica materiæ diſpoſitio, primæque rudimenta animationis ab ovô dependent, & in ovô conficiuntur; quod etiam cognovit in ſeminibus plantarum *Empedocles* apud *Ariſtotelem de Gen. anim. Lib.* 1. *Cap.* 20. Scribens: *Oviparum genus arborum*, quaſi naturâ ſe movendo, & actiones, productiones, generationeſque ſubagitando, ac perficiendo neceſſitatem circularis revolutionis agnoſcat, ità ùt pateat in animatis præcipuè, animam, tam vegetativam, quàm ſenſitivam poſſidentibus, tam in totô, quàm in partibus, circularis diſpoſitio ac ſphærica conformatio, & figura. Quod etiam optimè, ac luculenter probavit *Renatus Carteſius*, motum ſive omnem circularem eſſe; generationem omnem eſſe motum; & naturam, à quâ pendet univerſa geneſis, principium eſſe motûs & quietis. Quin immò divinus *Hippocrates* pluribus in locis, præcipuè verò *in librô de Principiis*, univerſaliorem prius productionem oſtendens *art.* 2 tali pactô diſſerit: *Hæc itàque cum turbata eſſent & in orbem circumvolverentur; &c.* Deindè in ſequentibus cujuſcunque partis exortum è diverſis motùs circularis gradibus provenientem indicat. Verùm nè dicat aliquis me ἐκτὸς χόρος, ὀρχεῖσθαι i. e. *extra Chorum ſaltare*, & cùm propoſuerim de Oſtreorum ovis obſervationem pandere, de generatione & ovis in genere quæſtionem admodùm arduam, & ex Hammonis fonte, ùt ità dicam petendam, inſtituere, nè aſdcribi non immeritò mihi poſſit Ariſtidis illud, τὶ ταῖς ἀχαιοῖς ἀπὸ πύργε κλίνετε i. e. *cur judicatis Danaidas de moënibus*; ad rem me confero; deſinente jam vere & totum æſtivum tempus uſque ad initium Autumni oſtrea in Venetis aquis lac, ut vulgò dicitur, præbent, & emittunt, quod etiam recenſuit Plinius dicens: *Nuper compertum in Oſtreariis humorem oſtrei foëtificum lactis modô effluere*; & paulò obſcuriùs apud Ariſtotelem habemus, oſtrea obtinere tamen ex putri productâ aliquid prolificum, quamvis non coëant; & Petrus Gyllius, Byzantinos oſtrea ſerere, & eorum quaſi lac ſeminare à ſpectatæ fidei virô ſe accepiſſe ſcribit; ſi verô cum perfectô Microſcopiô impigrè perpendatur, & conſideretur ſupradictum lac, ova ferè innumera conſpiciuntur, & apparent, ac id temporis eorum ſpondylus, calloſum, S. illud rotundum albicans, quòd intus habent in mediô, imminuitur, & exſuccus ferè perſpicitur; laſcinia verò, & circumſperſa reliqua caro (muſculi S. circulares cum branchiis) durior, ac ſolidior tactû percipitur, guſtûque experimur. In primis igitur, de ſe oſtendit circà carnem in teſtâ humor albicans, & primô acceſſû tenuis ac dilutus, proceſſû autem temporis abſumitur humor, & nigricans incongeſta materies pultis ad inſtar oculis occurrit; dum albicans humor cum microſcopiô ſedulô ponderatur, duplicis conditionis reperiuntur ova; Primò quædam integrè albicantia, & inæquali rotunditate prædita, informis ad inſtar pillulæ, quæ immobilia in ſalsô liquore permanent, & per conſequens prima & imperfectiora animationis rudimenta poſſidentia; 2. quædam alia; alba quidèm, & rotunda primis autem paulò compreſſiora, oſtreariam quaſi configurationem aperientia, lineamque nigricantem totô ſpatiô, quô teſtæ referantur, habentia; Hæc inſuper moventur, & ab infernâ teſtæ ſuperficie diſcedentia, motû ſpirali ad ſupernum uſque circiter concluſi humoris horizontem feruntur; hinc indè verò lineâ rectâ perpendiculari uſque ad fundum teſtæ præcipitant, denuòque uti priùs reſurgunt, poſteàque concidunt: Hoc autem in Ovis fit uſque ad perfectiorem animationis gradum; tunc oſtrea teſtas perfectè arctèque occludunt, externo humori prohibentia ingreſſum, internô interim pro nutritione ovorum, ſeſe paulatim abſumente, atque id temporis nigricans illa incongeſta materies pultis ad inſtar apparet, quâ ſedulò perpensâ, ova, perfectè oſtreariâ figurâ, nigroque colore prædita conſpiciuntur, quæ vel deficientiâ humoris, vel quia perfectioris acquiſitione formæ motû non egent ampliùs, immobilia in teſtis permanent, donec à genitrice excernantur, variiſque locis, uti lignô, limô, lapidibus, ac aliis inſideant, & adhæreant ad perfectiorem figuram, teſtarumque materiem adipiſcendam.

Ariſtoteles aſſerit Lib. III. de Gen. anim. Cap. XI. art. XIX. in teſtaceis quibuſdam, uti pinnis, buccinis, purpuris contineri ſemper ovum, aliàs majus, aliàs minùs, in quibuſdam aliis ut pectinibus, mytulis & oſtreis; non ſemper, ſed verò, quòd tempore procedente imminuitur, demùmque totum aboletur, nihilque ad generationem conferre, ſed indicare meliorem nutricationem, quale in ſanguineis eſt pingue. Autumat *Ariſtoteles* ut ex enarratis conjici poteſt, teſtaceorum & Oſtreorum ſpondylum, gerere vicem ovi, qui decreſcit equidem & exugitur dùm ſucceſſivè projiciuntur ova (ideòque alias majus, alias minùs apparet, imminuitur, & aboleri videtur) quæ guſtum ſuaviorem, & ſaporoſiorem præbent, dum ſpondylô includuntur; ut evenit etiam in gammarorum reliquorumque cruſtaceorum foëminis, donec ova ad capitis vicinia continent; per hoc autem concludi nequit, ſpondylum ovum eſſe, & ad generationem uti ſpondylum conferre, & ova complecti, quæ opportunô tempore excernuntur, & animantur, eô modô, quò ſuperiùs declaravi.

BRADLEY (*Richardus.*)

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1721. *pag.* 369.

A Philoſophical account of the Works of naturæ &c.

ſive

Recenſio Philoſophica operum naturæ, creatorumque mineralium, vegetabilium animaliumque, gradibus, quibus de Vitâ quævis eorum participant, ob oculos ponendis inſerviens &c. Autore Richardô Bradley Reg. Soc. Britannicæ Sociô. Londini, apud W. Mears, 1721. 4. *max.*

OCcaſionem ſuſcepti operis hujus Cl. Autor indicat in præfatione. Eam dedit ipſi Addiſonii exhortatio ad ſocietatem Regiam Anglicanam directa, quâ ei commendabat, ut membris ſuis hiſtoriæ alicujus naturalis ex libris & obſervationibus conficiendæ compilationem demandaret, in quâ animalium præcipuè ortus, generatio, excluſio, educatio, politia, hoſtes, ſocietates, textura interiorum & exteriorum partium, præcipuè verò, earum quibus à cæteris diſtinguuntur, facultates demùm & conformatio ad ſtatum ſuum conſervandum explicentur. Hoc enim ſibi dictum putans, ad componendum hunc tractatum ſe accinxit, in quô qualem non omnia

nia quidèm ; quæ ad ipſam materiam ſpectant, quam tractavit, ob ſubjecti amplitudinem & ferè infinitatem complexus eſt, attamen potiora & cognitû digniora, & talia quidèm quæ non fidei & relationi dubiæ aliorum, ſed propriæ aut oculatæ debebat, provocans etiam nominatìm ad Cimeliothecas vel Collectiones curioſorum, in quibus originalia ipſa ſpectari poſſunt, tùm eorum, quæ in diſcurſû meminit, tùm quorum effigies in tabulis æneis expreſſit. Quæ quidèm non ſolùm ob artem, quâ eleganter elaboratæ ſunt, commendabiles exiſtunt, ſed etiam quòd additi colores rerum quarumvis naturales, ope aptæ illuminationis, picturæque adeò perfectæ rationem habent, & imprimìs partes animalium diſcretivas exhibent. Ordinem verò eum tenuit, quem tanquàm principalem ſcopum libri titulô ejuſdem inſcripſit, ùt eundem gradatìm per ſingula, ab inferioribus ad ſuperiora procedens oſtendat, in quibus vitæ animæve ſucceſſivè plùs deprehendatur.

Orditur autem à terreſtribus uſquè & *Mineralibus*, quæ temporis ſpatiô opus habere donèc ad ſtatum perfectionis deveniant, adeòque generari, conſtat. Modum generationis talem concipit. Omnium terrarum, quantumvìs variorum generum, ortum ex ſabuloſis particulis derivandum credit, quarum affectiones ſaltèm varientur mixturâ liquorum aqueorum, viſcoſorum & oleoſorum. Sabuli particulas, quantumlibèt duras, alterationem à calore & frigore poſſe pati ex experientiis ſpeculorum cauſticorum conſtare, poſſe adeò, intrà poros ſuos recipere proximè adſitas liquorum partes, undè ſucceſſiva generatio terreſtrium corporum varii generis ex ſabulô non invitè conſequitur. Ad teneriorum & facilè ſeparabilium terrarum ortum concurrere particulas aquæ ſimplicis; ad paulò tenaciorum conſtitutionem requiri viſcoſas; ad duriorum & marmoreorum etiam corporum naturam facere oleoſas. Terrarum varia genera in ſpecimine aliquô exhibet enumeratio *ſtratorum* terræ in fodinis carbonum foſſilium Anglicanis occurentium ad profunditatem 188 $\frac{1}{2}$ pedum depreſſis. De tempore, quô ad ſtatum perfectæ duritiei perveniunt lapides, ex mixtione illâ liquorum cum ſabuloſis vel uliginoſis partibus, argumentum capi poſſe judicat ex illâ relatione, quæ ante 4. ferè annos Regiæ Soc. facta fuerat de bufone vivô in mediô duri ſaxi repertô. Quem ſanè ultra 100. annos vitam non potuiſſe intra hoc clauſtrum producere autumat. Huic foſſilium generi porrò Ambram cum Gemmis ipſis annumerat.

Progreditur indè ad *Corallia*, jam manifeſtô ad vegetabilium numerum accenſenda, dein *Spongias, Fungos, Voletos* locat. Poſt hos ſequuntur *Junci, Echinomelocactus Indicus, Cereus Americanus, Euphorbium, Opuntia, Ficus*, in quibus quidèm omnes ad generationem in reliquis vegetabilibus requiſitæ partes non occurrunt. Quâ occaſione inſerit diſſertationem *Antonii de Juſſieu* de Analogiâ inter plantas & animalia, differentiâque ſexuum in illis. Ad quam ſtabiliendam conſiderat quidèm hìc loci ſaltèm exteriores partes, attendere verò jubet ad *ſtamina* florum, *piſtillos, petalos*; & maſculos ex floribus definit, quorum ſtamina piſtillô & ſtylô deſtituuntur vel quorum ſtyli embryonem ſeminalem non includunt, fœminas quarum piſtilli cinguntur non ſtaminibus ſed petalis aliiſve membranis; fœcundantur verò à pulvere & farinâ prolificâ florum maſculorum vel in iiſdem vel vicinis plantis ſuccreſcentium ope venti ad eos delatis. Androgynæ ipſi ſunt quorum ſtamina piſtillum ambiunt. Ex quô ſanè ſequeretur, quod vult Autor, non ſemper ſupervacuum eſſe plantas diverſi generis invicèm collocari.

Succcedunt adeò plantæ & vegetabilia perfecta, quorum genera trina facit: *herbas* nempè, *frutices & arbores*. Jungit tractationem de *viſco* arboribus adnaſcente, & quem *ſuperplantæ* nomine indigitat; necnon de partibus arborum abſque ſeminis ope vegetationis facultatem habentibus & inferiùs radices agere valentibus, ut ſunt folia citreorum, aurantiorum pomorum, aloës, ramorum deciſorum, quâ occaſione de *Mumiâ* vegetativâ, quam *Agricola* commendavit, & de uſû ſaponis in promovendâ vegetatione quædam monet. Conſiderans deindè Autor modum, quô creſcunt, & magnitudinem, ad quam perveniunt tum arbores longæviores tum annuæ plantæ, v. g. cucurbitæ, notatô harum admodùm celeri incrementô & ſenſibili augmentô non improbabile credit microſcopii ope videri poſſe illum ipſum motum in partium accreſcentium formatione.

Indè convertit ſe ad corpora illa plantis ſimilia in eô, quòd locali motû deſtituantur, ſed aliquid etiam de animali vitâ participantia, velut *Oſtreas* &c. Eſtque in eâ opinione, androgyna eſſe hæc animalia immobilia, ut de vegetabilibus quibuſdam aſſeruerat, interque ea quæ *Muſculi* (Germanicè *Muſcheln*) dicuntur, ovipara eſſe, ovaque teſtarum ſuarum exterioribus agglutinare. A quibus tranſit ad teſtacea alia, ex. gr. *cancros*, de quorum generatione ſibi non conſtare fatetur. *Stellarum marinarum* motum fieri radios proximos quoque invicèm propriùs admovendo, ora ſua in centris corporum habere eaſdem, notat. Addit de teſtaceis, quæ per anguigenam motionem partium carnoſarum localem motum exerunt, ut ſunt *Nautilus, purpura, murex, concha* &c.

Cùm ad piſces accedit, primò tractat de iis, qui extra aquam degere non valent, aërem tanquàm minùs denſum non ferentia. De cibô eorum (quem aquam non eſſe ſolam judicat) ſtatìm temporibus, quibus locos ſuos mutant, de generatione eorum, nidis, quos quidam eorum faciunt, quamvis breviter, tractat; in pleriſque ignorantiam ſuam profeſſus, generalibus ſcilicèt obſervationibus contentus, & alios potiùs commonens, quò attentionem ſuam dirigere conveniat. Repræſentat etiam piſcium quoſdam, interque eos *Sirenem*, quæ ſermone Anglicô *fœmina marina* dicitur, ſed ab humanâ formâ adeò abludit, ùt ratio nominis hujus indendi ſanè non pateat. Auditûs ſenſum piſcibus denegari non poſſe evincit. De gradû, quô vitæ ſunt participes, & longævitate eorum differens, *carpiones & anguillas* maximè longævas judicat, differentiamque hanc ſingularem inter illos & terreſtria animata eſſe, quòd corde etiam exemptô vivere adhùc pergant. Undè procedit ad conſiderationem *Serpentium, Crocodilorum, Stellionum, & Chamæleontis*, propter affinitatem quam cum piſcibus habent reſpectû tenacitatis vitæ; quemadmodùm ab his tranſit ad aves propter affinitatem, quam *lacertæ volatiles* Indiæ Orientalis cum hiſce ſortitæ ſunt.

De iis verò avibus primò agit, quæ hiemis tempore quieſcunt vel in regiones remotas ſe recipiunt. Omnium verò in univerſum generationis modum ex ovariô unô fieri, cùm è contrariô quadrupedia duplex habeant, obſervat; ornatumque eorum vel veſtitum, ſive plumas; colorem (& album quidèm à defectû vel nutrimenti vel aliô derivat) ingenium in conſtruendis nidis, & vocis humanæ imitationem paucis conſiderat.

Succedunt quadrupedia, quorum celeritas inſigniter differt à volucrum celeritate, ſiquidèm verum eſt, quod quidem Noſtro videtur poſſibile, quòd quadrante horæ columbæ ad nuncios hinc indè portandos aſſuefactæ 20. mill. Anglicana abſolvere poſſint, cùm è contrariò conſtet, vel velociſſimum equum ultra 4. milliaria curſû perficere non poſſe, nec ipſum curſum longô tempore continuare. Sed pulchritudine etiam colorum in pennis ab avibus quadrupedum crines vinci obſervat. Occupatus circa animalia, quæ domantur, agit de uſibus, quos hominibus præſtare valent. Quorum cùm quædam, ut *Simiæ & cercopitheci*, ad humana quædam minoris momenti officia ad ſuefieri poſſint, judicat, quemadmodùm differentia ſonorum, quos edunt, à diverſâ conformatione organorum ſoni in animalibus provenit, ità differentiam capacitatis eorum & docilitatis ortum ducere ex diverſâ conſtitutione partium, quæ ſuccum nutritium ad cerebrum eorum deferunt. De modô generationis cùm agit, in genere excurrit iterùm ad modum generationis plantarum, ſimilem generationi animalium, explicandum, nec tamen ſuum interponens judicium, ea quæ inter, *D. Geoffroy, & Andry* acta de hâc re ſunt, repræſentat. Ex quibus apparet, *D. Geoffroy*, pugnantem pro animalculis ſeminalibus, inter alia urgere id, quòd liquor maſculi ſeminalis non poſſit ſtatui adeò ſpirituoſus vel volatilis, ùt indè ſolùm fœcundatio derivetur, cùm compertum ſit quoſdam piſces non copulari, ſed ovula ſolùm à fœmellis teſtæ vel duro alicui corpori agglutinata, à maſculô ſubſequente liquore ſeminali perſpergi, quem quidèm in aquâ omnem volatilitatem amittere neceſſe ſit; & cùm objectionibus aliorum reſpondet, provocat ad ea, quæ *Dodartus* in Acad. R. ſc. Paris. repræſentavit de incredibili multitudine ſeminum in plantis & infinitâ multitudine ſeminalium corporum minorum in his ipſis ſeminibus contentâ.

Quò à quadrupedibus ad inſecta tranſire poſſit, interponit commodè tractationem de animalibus ad inſectorum naturam ex parte accedentibus, *ranis*, *bufonibus* &c. In quâ partes genitales fœminæ ranarum duplicatas, duplicem ſcilicèt uterum, bina ovaria, oviductus &c. accuratiùs deſcribit, una cum modô, quô maſculus cum fœmellâ congreditur, qui in eô conſiſtit, ùt ille tergô fœmellæ per 40. dies inſidens prioribus pedibus arctè eam complexus ad excernenda ovula, quibus dein liquorem ſeminalem aſpergit, ſollicitet. Et hæc quidèm ratio eſt ranarum ovipararum. Dantur verò *& ranæ viviparæ à Merianâ* in Hiſtoriâ inſectorum ſurinamicorum deſcriptæ, & incredibili multitudine parvorum ejuſmodi fœtuum uterum repletum habentes.

Succedit tractatio de *Cochleis*, *lumbricis*, *centipedibus* &c. Cochlearum generatio planè ſingularis: nam quælibet earum, quemadmodùm & lumbrici, partes genitales utriùſque ſexûs habet, & priuſquàm coëant gyros in herbâ faciunt miros, tanquàm captaturæ occaſionem, donèc junctæ uſque ad 12. horas in copulâ perdurent. Pulſum cordis in cochleâ vix excluſâ trium ſecundorum temporis, majoris verò 5. vel 7. ſecundorum microſcopii ope obſervâſſe ſibi viſus eſt Autor. *Aranearum* ad 140. ſpecies in ſolâ Angliâ notâſſe dicitur. Dundridge, quæ in 9. claſſes vel genera diſpeſci poſſunt. De *formicis* obſervatum, eas ſingulô mane ova ſua radiis ſolaribus exponere, veſpere in tepidiorem partem antrorum ſuorum iterùm recondere. Comites his junguntur *papiliones*, *muſcæ*, *apes*, *ſcarabæi*, coloribus maximam partem pulcherrimis & vividis diſtincti, inſectum ex quô ruber color *Cochenille* dictus colligitur, *pediculus pulſatorius*, ſive mortis præſagum automatum, ut meticuloſæ plebi appellatur. Porrò *locuſtæ* & inſecta in aquis degentia, ut *ſcorpio aquaticus*, *cantharides* &c. & inſectum planè ſingulare, ut *Tameſi* æſtatis tempore frequens, viviparum unicô inſtructum oculô, undè nomen *monoculi* ipſi datum, calices, *ephemeron* inſectum, quod ultra 5. horas vitam non producit, poſtquàm *chryſalidis* alicujus formam induit, etſi longiorem vitam idem agere ſub aquâ, ſub quâ diverſas formas & mutationes ſubeat, Noſter cenſet. Dum de *muſcis noctilucis* loquitur, inſinuat *ignem fatuum* non videri ſibi aliud, quàm agmen ejuſmodi muſcarum catervatim hinc indè ſe moventium. Curioſiſſimum omnium inſectorum eſt *folium ambulans*, in Orientali Indiâ occurrens, & in *Ruyſchianâ* & *Vincentianâ* Cimeliotheca viſendum. Claudunt agmen inſecta minima in caſeis & liquoribus corruptis genita, unà cum animalculis in ſemine maſculinô obſervandis ope microſcopiorum.

Finitâ adeò hâc tractatione addit Autor caput ultimum, in quô uſum obſervationum præmiſſarum, & notanda quædam reſpectû climatum in curâ plantarum exponit. Obſervationum prima digitum intendit in exactum ordinem in naturâ non minùs ac Matheſi & numeris ſpectandum. Ordo hic ſe exerit in qualitatum ſive affectionum gradibus, ſine ullô hiatû invicem ſe excipientibus. In curatione plantarum exoticarum præcipuè attendendum eſſe ad calorem, quô tempore veris in patriô ſuô ſolô cædem afficiantur, judicat. Eandem demùm harmoniam naturæ, in productione & conſervatione quadrupedum obſervandam, etiam in homine deprehendi, ultimô locô animadvertit.

Auctuarii loco Autor ſubjungit obſervata ſua de terris incultis, & de modô, quô eæ aptæ reddi poſſint ad ligna tignario operi idonea proferenda, exponit. Ubi quômodô ſabuloſum ſolum abietibus conſeri debeat, præcipuè oſtendit. Ad culturam eorum pauperes cujuſque loci adhiberi, attributâ ipſis proprietate ſoli aliàs deſerti, ſed eâ conditione ùt curam conſitarum arborum gerant, optimum judicat. Pariter de vivariis pro piſcibus aſſervandis agit. Tandèm enumerationem facit celebriorum hortorum, præcipuè in Britanniâ: in quâ brevibus annotat, quæ curioſa maximè & attentione digna ſint, luſtratque tàm eos, qui delectationi, quàm qui uſui vulgari & culinæ, ac ſtudio tandèm Phyſico deſtinantur: producens adeò *Verſalienſes*, *Marlyenſem*, *Kenſingtonenſem*, *Hamptoncurtienſem* hortos. Inter hortos Phyſicos verò præfert omnibus *Amſtelodamenſem*, proximum ipſi facit hortum *regium Pariſinum*, ac poſt eum locat *Lugduno-Batavenſem*. Nec laude ſua deſtitui hortos *Florentiæ & Piſæ*; inter Britannicos verò, qui publici ſint, vix tres memorandos cenſet, quorum unus *Chelſeæ*, alter *Oxonii*, tertius *Edenburgi* viſatur. E privatis æſtimatione dignos habet *Badmintonienſem Duciſſæ de Beaufort*, *Hillindonienſem probè Uxbridge*, *Reynardſonii*, & alios paucos.

Inter figuras operi adjunctas comparent curioſiſſimæ figuræ *Echinomelocacti*, *Cerei Americani*, *piſcium* varii generis, *orbis Echinati*, *piſcis volantis*, *ſtellæ marinæ*. *Thornbak*, quem Latinè *galeum vel ſpinacem* vocant quidam, *ſerpentum* varii generis ſquammis pulchrè variegatis, *Chamæleontis*, *lacertæ volantis*, *ranæ viviparæ*, *Tarantulæ*, *Automati mortiſoni*, necnon varia-

variationum XVII. quas *ranæ ovulum* ſubit, donèc embryo ad perfectam magnitudinem perveniat.

Ibidem an. eôd. p. 412.

The Plague at Marſeilles Conſider'd.

i. e.

Conſideratio peſtis Maſſilienſis : Autore Richardô Bradley , Societatis Regiæ Sociô ; Londini, ap. W. Mears, 1721. 8.

SCopus Autoris in hôc tractatû eô collimat, ut allegatis variis obſervationibus probet, omnem morbum peſtilentialem, ſive animalia, ſive vegetabilia adoriatur, ortum ſuúm certis inſectis venenoſis, de locô in locum aëris adminiculô delatis, debere, homines varia ſorditie, parcaque diæta diſponi, ut inſecta hæc ſtomachum eorum ingrediantur, reliquos verò, qui ſubtiliori victû utentes, tonô partium robuſtô præditi, aromaticiſque contra quemvis ſeminiorum malignorum inſultum ſe præmunientes, contagio reſiſtere; utque ſimùl oſtendat, quam neceſſarium ſit, liberiori frui aëre, infectumque corrigere. Suppeditata igitur Maſſiliæ & geographicâ & hiſtoricâ deſcriptione obſervat, eandem jam fuiſſe Maſſiliæ, quæ olim erat Londini ante ultimam peſtem, quæque an. 1665. multos abſumpſit incolas, ratione victûs crudi, ſorditiei, & populi in eâdem domô coacervatim degentis, conditionem. Ex Catalogô verò mortuorum, qui annis 1592, 1603, 1625, 1630, & 1636. quibus hæc lues ſæviit, deceſſerunt, obſervat, Menſes Julium, Auguſtum, Septembrem & Octobrem maximam mortalium feciſſe ſtragem, ejuſque rei cauſam fuiſſe, partim fructuum horariorum, vernô tempore rubigine tactorum, vel ob anni inclementiam debitam maturitatem non nactorum, eſum, partim minutiſſimorum inſectorum copiam, quæ hôc anni tempore potiſſimum in aëre fluctuant. Prò confeſſô enim habet, cuicumque inſectorum ſpeciei proprium competere nidum, quô delectetur, & in quem ovula deponat; nec quaſvis arbores, nec omnes earum partes iiſdem infeſtari vermiculis, ſed ſingulas propriis; ſic & hominibus omnia noxia non eſſe, quæ aliis animalibus infeſta ſunt. Quod ſi igitur homines per malam e. g. diætam corpus ſuum aptum reddiderunt, ut pro commodô inſervire poſſit nidô venenoſis vermiculis in aëre volitantibus, quid mirum, quod hæc inſecta cum aëre inter inſpirandum attracta ſalivæ ſuæ permiſceant, ad ventriculum deducant, mortemque ſic in ſinû foveant, imò, quod, cum vermiculi in gratô hôc domiciliô ova parere non deſiſtant, hæc una cum halitû foras emittant, & vel propiùs adſtantibus hominibus, vel aëri ipſi communicent, ſicque luem propagent. Atque ſimilis cauſa animata ante aliquot, imò plures retrò annos genus bubulum morti dedit, quandò ſcilicèt ſiccâ & aridâ exiſtente æſtatis tempeſtate hoc paludoſas, ſtagnantes, verminoſas biberat aquas. Exiſtimat igitur Autor, in Tartariâ patriam exiſtere horum inſectorum, quæ generi humano ſunt infeſta, ex quâ favente Eurô ad omnes Europæ partes, Aſiam minorem, Palæſtinam, Barbariam locaque meridionali Oceanô Mediterraneô adſita deportentur, nullis interjacentibus obſtaculis, quæ ea hôc in itinere arcere queant, cum montes altiores, Oceani admodùm lati, vel venti contrarii obſint, quominùs in Indiam, Chinam, Africam & Americam deferantur. Confirmant hanc ſententiam non ſolùm varia in peſte defunctorum Maſſilienſium corporibus inventa, ſed & remedia, quæ aliô tempore peſti reſiſtere fuerunt obſervata. Multi peti fumo per ſiſtulam hauſtô à luis invaſione ſe præſervârunt, vel quod fumus hic vermiculos in aëre latitantes deſtruxerit, vel quod ventriculum irritando per vomitum iterùm ejecerit, quicquid de eis fuit deglutitum. Obſervatum eſt, loca aromatum promptuariis vicina à lue intacta manſiſſe; quod non mirandum, ſiquidem oleoſæ eorum particulæ vermibus adverſantur, magiſque hic effectus ſperandus venit, ſi herbæ aromaticæ ác alia oleoſa vel reſinoſa concrementur. Cùm enim inſecta ſubtili egeant pro ſuſtentandâ vitâ atmoſphæra, illicò necantur, & ſuffocantur, quando iſta oleoſis ejuſmodi particulis fumoſiſque effluviis fuit craſſefacta. Idque tum potiſſimum factû neceſſarium eſt, quando feneſtræ januæque pro admittendo ad conclavia, magna plebis caterva conſita, liberiori aëre aperiuntur. Qui verò foras exire atque atmoſphæram mutare opus habent, à contagiô ad tempus præſervare ſe poſſunt, ſi ſtomachum aromaticis herbis, e. g. conſerva rutæ, alliô pani illitô, inferciunt.

BRAEMS (*Johannes*)

De eô exſtat

Inauguralis de Pleuritide Lugd. Bat. 4. 1677.

BRAHE (*Tycho*) Nobilis Danus.

De eô exſtat

De Elixire Peſtilent. & Morbô Epidemicô. Extat in Ciſtâ Medicâ Thom. Bartholini; Hafniæ 1662.

BRAMBACHIUS (*Johannes*)

De eô exſtant

Conſilia quædam Medica, eô in opere, quod Johannes Wittichius collegit & edidit. Lipſiæ, apud Henningum Groſſium, 1604. in 4.

BRANCHALEON (*Joh. Franciſcus*) Neapolitanus Medicus Clarus Romæ, ſub Paulô III. Papa. Vixit circa A.C. 1535. Juſtus in Chronol. Medicorum.

Ex eô habetur

Dialogus de Balneorum utilitat. cùm ad ſanitatem tuendam, tùm ad morbos curandos, ex Hippocrate, Galenô, cæteriſque Medicis excerptus. Pariſiis, apud Wechelum, 1636. in 8. & p. 240. Operis Veneti de Balneis. Noribergæ, eodem annô, in 8.

BRANCATIUS (*Franciſcus Maria*) Card.

De eô exſtat

De Uſû Chocolati Diatriba. Romæ, 1666. in 4.

BRAND (*Fridericus*)

De eô extat

Obſervatio de Sandaliô & Lapide. Extat. Actor. Hafniens. Volum. III. N. 60.

BRAND (*Paulus*)

Ex eô habetur.

Obſervatio, de Dyſenteriâ Caſtrenſi, ejuſque causâ verminosâ & Curatione. Extat Act. Hafniens. Vol. V. N. 31.

BRANDOLINUS.

De eô exſtat

De Tolerandâ corporis ægritudine in 16. Pariſiis.

BRASAVOLA (*Hieronymus alter*) De eô ſic Scribebat Clariſſ. Lanzonus ann. 1691. Nunc etiam hic vivit, Praximque Medicam Romæ feliciter exercet. Multas ſcripſit Academicas Medicas Diſſertationes ac Problemata, eaque typis dedit: Interquæ præcipuè eminet Problema, an Clyſteres nutriant? affirmativè reſolutum, & mihi jam per literas humaniſſimè communicatum.

BRASAVOLA (*Hyeronymus*) Ferrarienſis.

De eo exſtant

In primum Aphoriſmorum Hippocratis Librum expoſitio. Ferrariæ, apud Bened. Mammarellum, 1595. in 4.

De Officiis Medicis, Libellus. Ibid. apud eundem, 1590. in 4.

BRASAVOLUS (*Ant. Muſa*) Ferrarienſis, Galeni & Hippocratis Interpres elegantiſſimus. Claruit ſub Hercule Eſtenſi, Ferrariæ Duce, & Franciſco Gallorum Rege, A. C. 1534. Juſtus in Chronol. Medic. vel ſecundum alios A. C. 1540.

Ex eô habentur

In primum Hippocratis Aphoriſmum Commentarius. Ferrariæ, 1594. in 4.

In octo libros Aphoriſmorum Hippocratis, & Galeni, Commentaria, & Annotationes. Baſileæ, apud Hieronymum Frobenium, & Nicolaum Epiſcopium, 1541. in fol.

In Libros de Ratione victûs in morbis acutis Hippocratis & Galeni Commentaria, & Annotationes. Venetiis, apud Hier. Scotum, 1546. in fol.

Examen omnium ſimplicium, quorum uſus in publicis eſt officinis. Romæ, 1536. in fol. Lugduni, apud Anton. Vincentium, 1556. in 16. Ibidem, apud Joh. Pullonum è Tridinô, 1544. in 8.

Examen omnium ſyruporum, quorum publicus uſus eſt. Venetiis, apud Cominum de Tridinô, 1545. in 8.

Examen omnium Loch, id eſt Linctuum, ſufſuf, id eſt, Pulverum, Aquarum, Decoctionum, Oleorum, quorum apud Ferrarienſes Pharmacopolas uſus eſt. His acceſſit de Morbô Gallicô lepidiſſimus ejuſdem Autoris Tractatus. Venetiis, apud Juntas, 1553. in 8. Lugduni, apud Johan. Temporalem, 1555. in 16.

Examen omnium Electuariorum, pulverum, & confectionum, catharticarum, quarum uſus eſt in officinis. Venetiis, apud Valgriſium, 1548. in 8.

Examen omnium Catapotiorum vel Pilularum, quarum apud Pharmacopolas uſus eſt. Conradi Geſneri, Medici Tigurini Enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum & alvum bonam facientium, ordine Alphabeti. Baſileæ, apud Frobenium, 1543. in 4. Lugduni, apud Frellonios fratr. 1546. in 16.

Examen omnium Trochiſcorum, Unguentorum, Ceratorum, Emplaſtrorum, Cataplaſmatum, & Collyriorum, quorum frequens uſus eſt apud Ferrarienſes Pharmacopolas. Venetiis, apud Juntas, 1551. in 8. Lugduni, apud Sebaſt. Honoratum, 1555. in 16.

De Medicamentis tam ſimplicibus, quàm compoſitis catharticis, quæ unicuique humori ſunt propria, Tractatus inſignis. Lugduni, apud Sebaſt. Honoratum, 1555. in 16. Tiguri, apud Geſneros Fratres, 1555. in 8.

De Morbô Gallicô, Liber. Extat operis de Morbô Gallicô Tomo I. pag. 564.

De Radicis Chinæ uſû Tractatus. Extat ibidem pag. 615.

Alia præterea multa ſcripſit Philoſophica, Philologica, &c. quæ non ſunt hujus loci.

BRASSICANUS (*Joh. Alexander,*)

Ex eô habetur

Aphricani & Berytii Fragmenta de Re Ruſticâ, cum Γεωπονικῶν Lib. XX. Græcis edidit. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1539. in 8.

BRAUN (*Nicolaus*)

De eô exſtat

De Gravi Catharrhô, Epiſtolicum Conſilium. Exſtat cum Gregorii Horſtii Obſerv. Medicinal. Singular. Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. pag. 471.

BRAUN (*Hieronymus*)

De eô Extat.

Pharmacopolion Domeſticum in 4.

BRAUNIUS (*Salomon,*)

Ex eö habentur

Obſervatio de Monorchite ſatis fœcundô Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Germ. ann. IV. & V. N. 13.

De Iride Lunari. Ibidem annô eôdem. N. 14.

De Cereviſiâ è mammâ excretâ, Ibid. ann. eôd. N. 15.

De Uvulæ uſû. Ibid. ann. eôdem, N. 16.

BRAUNSCHWEIG (*Hieronymus*)

De eô Exſtat

Theſaurus Pauperum: Francofurti in 8. 1570. Germanicè.

BRAVO de Sobremonte Ramires (*Caſparus*) natus in Oppidô *Aguilar de Campô* Burgenſis Diæceſis, Doctor Medicus Pincianus, in quâ Scholâ liberales artes, Chirurgicam, & Methodicam, deindè alias Medicæ doctrinæ partes horis pomeridianis è veſpertinâ ſcilicèt ut vocant, Cathedrâ, cum laude docuit. Quare Rex noſter Philippus IV. ùt inter alios connumeraretur regios Medicos, in Curiam ſuperioribus annis eum accivit. Ediderat olim.

Reſolutionum Medicarum circa univerſam totius Philoſophiæ doctrinam, tomum primum, Valliſoleti apud Antonium Vaſquez de Eſparza 1649. in foliô. Sed auctior ex tertiâ editione prodiit Lugdunenſi apud Philippum *Borde* 1662. ſex partibus nempè conſtans, quarum duæ tùnc primùm adjunctæ ſunt: *Prima* Phyſiologiæ; II. Pathologiæ ac curationis: IV. ſanguinis miſſionis, Purgationis, & de ſudore; V. ſanguinis circulationis, & artis ſphygmicæ theoria è Galeni mente, ac prognoſis recidivæ naturæ, ac de quorumdam Eunuchorum potentiâ; VI. ſelectarum obſervationum & conſultationum. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 398.

De eô adhuc exſtat.

Doctoris Medici D. Gaſp. Bravo de Sobremonte Ramirez Magnorum Philippi IV. & Caroli II. potentiſſimorum Hiſpaniarum & Indiarum Regum Archiatri, & Protomedici, ſupremi Senatûs Sanctæ Inquiſitionis Miniſtri, & Medici Primarii, & olim in Archigymnaſio Valliſoletano Artium Cathedræ, Chirurgicæ, Methodicæ Veſpertinæ, Primariæ Hippocratis, & Primariæ Avicennæ Moderatoris, Operum Medicinalium Tomus Tertius tres Tractatus Complectens, in quorum primo de Theoriâ, & Praxi Febrium intermittentium lethalium agitur, ſecundus diſputationem unicam continet de Criſibus, diebus decretoriis,

riis, de illorum cauſis; & de lotiô, ac ſedimentis. Tertius tandem promptuaria varia miſcellanea, multis neceſſaria, & utilia exhibet. Nunc primùm in lucem prodit. in fol. Lugduni, ſumptibus Laurentii Arnaud, & Petri Borde 1674.

BRAVO (*Johannes*,) domô ex oppidô Caſtellæ *Piedra-hita*, undè Petrafitanus audit, ingenti doctrinæ famâ Medicam artem profeſſus eſt, atque exercuit Salmanticæ, datis quotidie in vulgus eximiis libris, quibus eam magis ac magis confirmabat. Extant nempè ab eô.

De Hydrophobiæ naturâ, cauſis, atque medelâ. Salmanticæ apud Johannem Baptiſtam à Terranovâ annô 1571. in 8. 1576. & 1588. in 4.

De Saporum & Odorum differentiis, cauſis & affectionibus. Salmanticæ apud hæredes Mathiæ Gaſtii annô 1583. in 8. Venetiiſque apud Johannem Ciotum 1592. 8.

De Curandi ratione per medicamenti purgantis exhibitionem, Lib. III. Salmanticæ apud Cornelium Bonardi, 1588. 8.

De Simplicium Medicamentorum delectû, Libri II. qui *Ars Pharmacopea* dici poſſunt. Ibidem apud Johannem & Andream Renaud. 1592. 8.

In Cl. Galeni librum de differentiis febrium commentarius. Salmanticæ, apud Gaſtii hæredes, 1585. 4. Deindeque 1596. 4.

In Libros Prognoſticorum Hippocratis Commentaria. Ibidem apud hæredes Martini Henrici annô 1578. & ann. 1583. in 8.

De Marſis & Pſyllis, libellum Petro Batavo Petrafitano Zacutus tribuit, quem non dubito Johannem hunc Batavum eſſe.

De vini naturâ opus tribuit quoque ei Bibliothecæ Hiſpanæ autor.

In Galeni doctrinâ verſatiſſimum vocat noſtrum Zacutus Luſitanus, is, cujus nuper meminimus. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 504.

BRAVO Chamizo (*Johannes*) Doctor Medicus Conimbricenſis, in hâc Scholâ priùs Anatomicam, mox Medicam artem ſubtiliter docuit. Ab eô prodiit.

De medendis corporis malis per manualem operationem. Neſcio, an diverſum opus ſit, quod ei tribui ſolet, *De vulnerum curatione.* Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p. 504.

BRAVO (*Petrus*) Petrafitanus Caſtell.

De eô extat

De Natura Vini &c.

BRECHTELIUS (*Chriſtophorus Fabius*)

Ex eô habetur

Nomenclatura Pharmaceutica, inſerviens ad ſingula materiæ medicæ vaſa & thecas, pro uſû Officinarum. Noribergæ, apud Paulum Kaufmannum, 1603. in fol.

BRECHTFELDIUS (*Joh. Henricus*)

De eô Exſtant in Actis Hafnienſibus T. j.

Obſerv. 99. De Lapide in Pulmonibus.

Conjux Dn. Licentiati Kovenii Hildeſiæ difficili & anhelosâ reſpiratione cum tuſſi ſiccâ diù conflictata pro phthiſicâ habetur & tractatur, vocatus ego nulla veræ phthiſeos ſigna diagnoſtica deprehendo, ſed bronchiorum pulmonum à craſſâ & viſcidâ pituitâ infarctum pronuncio, decoctum pectorale incidens & expectorans præſcribo, à cujus uſû dyſpnæa quidèm remittit ſed non prorsùs intermittit, Quid fit? dum in opere quôdam domeſticô contentiùs ſe exercet vehementiſſimâ ſubortâ tuſſi Lapidem cinerei coloris, ſatis durum articulum pollicis primum magnitudine æquantem rejicit, & eô ipſô momentô à dyſpnoëâ & tuſſi integrè liberatur. Ità novit natura Medicinæ facere Compendium.

Ibidem Obſerv. 100. De Lapide in inteſtinis.

Perilluſtris & generoſiſſima Matrona Hildeſiæ vivens (cujus nomini conſultò parco) à pridie aſſumtis ex meô præſcriptô pilulis è gummatibus Nobiliſſimi Sylvii præceptoris honoratiſſimi alterô manè cum excrementis lapidem exturbat ovi columbini formam referentem, in exteriore ſuperficie ſubcineream & dùm à me clavô ferreô in duas æquales partes diffringitur interius inſtar cryſtalli albicantem & rutilantem, ità ùt qui olìm ex Ennii ſtercore aurum, hic colligere potuiſſet gemmas.

Ibidem Obſerv. 101. Ἀφωνία ex terrore.

Dum annô 1667. ſervi excoriatoris publici Hildeſiæ ſolennem canum lanienam à Magiſtratû loci ſingulô ſeptenniô indultam moliuntur, accidit, ùt illi canem in veſtibulô ædium mercatoris Bergmanni obtruncarent, cujus tumultû filia illiûs ſedecim circiter annorum puella ità conſternabatur, ùt in omnimodam incideret loquelæ ſuppreſſionem, ità ùt nè ſonum quidèm multò minùs articulatum verbum quantùm etiam conaretur proferre poſſet. Intra octiduum præmiſſis præmittendis apoplecticis internis & externis adhibitis à me per Dei gratiam curata.

Ibidem Obſerv. 102. De Ructû continuô à leni corporis frictione.

Virum novi Hildeſiæ adhùc degentem qui à leni frictione cujuſcunque corporis partis ſtatìm in tam enormem incidit eructationem, ùt non priùs deſinat eructare quàm ceſſet frictio, animam fortaſſis ipſam niſi tu frictionis deſineres eructaturus.

Ibidem Obſerv. 103. De Hydrope dextræ tubæ uteri paracentheſi curatô.

Reverendi Dn. Juſti Oldecops paſtoris iu Neapoli Hildeſianâ vigilantiſſimi conjugi tumor ingens in dextrô inguine paulatìm ſubnaſcitur, undè muſculus pſoas ità comprimebatur ùt nec corpus erigere nec progredi ſine ligneô adminiculô poſſet. Vocatus in conſilium tumorem præmiſſis univerſalibus per debita linimenta & emplaſtra ſatis diù applicata reſolvere tento, cæterùm dùm eundem neque diſcuti neque emolliri ſed in dies potiùs augmentum capere cerno, ex tumoris figurâ ſemicirculari & ſuppreſſis menſtruis malum profundiùs deliteſcere & quidèm in ipſâ uteri tubâ perſuatus de paracentheſi cogito, & dum ægram operi faventem intelligo, chirurgum lanceolam in decliviorem tumoris partem ſatis profundè adigere jubeo, ſed cùm nihil niſi modicum ſanguinis efflueret turundam longiuſculam & duriuſculam vulneri intrudere eidem præcipio, quam cùm eôdem die iterùm extraheret aqua limpida & inodora ex vulnere cum impetû proſilit, quæ deincèps ad plurium librarum menſuram per vices extracta præter illam, quæ per vacua muſculorum ſpatia in crus lateris affecti deſtillaverat, illudque in immenſum tumorem ſubſtulerat, qui tamen faſciis lineis phlegmate vitrioli conſperſis cruri circumpoſitis ſæpiùſque renovatis intra paucos dies diſcuſſus eſt. Vulnus ultra trimeſtre ſpatium apertum ſervatum, deìn debitè clauſum matronaque optima integræ ſanitati reſtituta, &

Qq 4 poſt

poſt iterùm impprægnata filiolam ſanam feliciter peperit, ſervet eam porrò altiſſimus marito charam conjugem liberis fidam matrem.

Ibidem Obſerv. 104. *De Scarificatione crurum hydropico lethali.*

AUguſtus Schuper figulus Hildeſienſis ex fictilium per lithargyrium calidâ incruſtatione factus, ut plerumquè hoc hominum genus, ſolet, cachecticus, in ſubitaneum incidit hydropem ùt intra paucos dies totô corpore ſcrotô præſertìm & cruribus immane quantùm intumeſceret, curatur à me methodô ordinariâ per aperientia, hydragoga, diuretica ſucceſſivè ſine tamen ſucceſſû exhibita, ſuadetur ipſi tandèm à neſcio quô ſuperveniente ſcarificatio crurum, quam tamen ego, eventum in corpore extremè cachecticô prævidens, omnibus modis diſſuadeo, ille tamen quidvis potiùs quàm nihil experiri cupiens, illam acriùs urget, & niſi permittatur ſe ſibi ipſi cultrô crura perfoſſurum minitatur. Hìc ego factô priùs de ſubſecuturô eventû prognoſticô chirurgum crura phlebotomô leviter ſcarificare jubeo, intra duos dies in ſuppoſitas patellas omnis deſtillavit morbidus latex, & *aquoſus albô corpore languor* paulatìm ità deceſſit ùt ſe omni periculô perfunctum integrè ſanum exiſtimaret; Breve fuit gaudium, cùm enim ancilla ejus infantem recèns natum ex incuriâ in terram præcipitem daret, ille terrore & iracundiâ ſubitò percitus crura ſibi ſtatìm inflammari ſentit, quæ inflammatio tantùm abfuit ùt, quæſitiſſimis licèt adhibitis remediis, ſedari potuerit, ùt potiùs in lethalem defineret ſphacelum. Ità ſæpè ubi morbi quærimus remedium mortis reperimus compendium.

Ibidem Obſervat. 105. *De Hæmoptyſi periodicâ innoxiâ.*

HÆmoptyſin non ſemper in lethalem definere phthiſin obſervare mihi licuit Hildeſiæ in Dn. Tilhen hoſpite diverſorii publici ad inſigne aurei leonis, qui bis ut plurimùm in annô tam enormem patiebatur hæmoptyſin ùt ſanguinem floridum aliquot librarum menſurâ levi ſcreatû rejiceret, nullô aliô inſecutô incommodô niſi quòd pallidior indè, cæterà ſaniſſimus, fieret. Adhibitus in conſilium ſanguinis acrimoniam contemperantia ejuſque immodicam efferveſcentiam cohibentia ut & laxa vaſorum oſcula modicè adſtringentia præſcribo, ùtque bis in annô venam ſecaret injungo, quibus ritè peractis per integrum biennium à meô diſceſſû ab hæmoptyſi liber vixit, quid poſteà ipſi factum nondùm reſcivi.

Ibidem Obſerv. 106. *De Teſticulô alterô circa annos pubertatis primùm erumpente.*

MAgnifici cujuſdam Jurium Doctoris, tum Hildeſiæ viventis, filius ſecundò genitus 18. circiter annorum adoleſcens dùm ex rhedâ fortiùs in terram proſilit ingentem in ſiniſtrô inguine percipit dolorem, ùt etiam animô indè aliquotiès deficeret, parentes inopinatô caſû conſternati & ex tumore in inguine animadverſô herniam metuentes me accerſunt, examinatâ tumoris naturâ herniam non eſſe pronuncio, & num μόνορχις ſit inquiro, quô tandèm intellectô benè illos ſperare jubeo, & per linimenta & cataplaſmata emollientia id efficio, ùt qui hactenùs in forô teſtari non poterat nunc teſtis boni officiô fungi poſſit.

Ibidem Obſerv. 107. *De Empyemate Oſſis Sacri.*

OS ſacrum Empyemate computreſcere ex Hippocrate erudiτiſſimus Langius Lib. 1. Ep. 42. notat, cujus putredine & incredibili doloris tyrannide duos ſpectatæ probitatis viros N. Wurmhauſer, & Johannem Caſtnerum efflictìm & diù emaceratos tandem contabeſcere & mori vidit. addo ego tertium Arnoldum Bothium fabrum ærarium Hildeſienſem, quem tam immanis oſſis ſacri identidèm prehendebat dolor, ùt horrendis præ doloris immanitate corriperetur convulſionibus, quibus etiam procùl dubiô ſuccubuiſſet, niſi ingens ſtruma aſperæ arteriæ incumbens eamque comprimens vitæ & dolorum finem feciſſet. Dùm in cauſam mali antecedentem inquiro, intelligo illum in juventute ex altô in trabem lapſum ità ùt trabi divaricatis cruribus inequitaret, undè etiam ingentem ſiniſtri teſtis σαρκοκήλην, & procùl dubiô etiam oſſis ſacri contuſionem ejuſque indè ortum empyema immanium ejuſmodi dolorum cauſam contraxerat.

Ibidem Obſerv. 108. *De Eryſipelate ζωςήρ.*

INter plura ignis ſacri genera ζωςῆρα numerat Plinius N. H. Lib. 26. Cap. 11. qui medium hominem ambiens ſi cinxerit, eum enecat, quô Marchionem Brandenburgenſem in Onelsbachiô interiiſſe, Principem verò Palatinum Olthenricum correptum, ſanitati à ſe reſtitutum refert Langius Lib. 1. Ep. 32. corripiebatur eôdem honeſta Matrona Hildeſici Spanmanni Jurium Practici vidua, quod cùm præ pudore diſſimularet & tibiam ſaltèm eôdem igne inflammatam & exulceratam chirurgo tractandam exhiberet, accidit ùt alterô illô ſubitò invaleſcente & in gangrænam deſinente ægra præter ſpem placidè expiraret, paulò ante mortem & Superioris illius inſpiciendi copiam faciens; deprehendi a. illud inferiorem ventrem tam accuratè circumdediſſe ùt cingulum fuſcum palmam latum examuſſim referret.

Ibidem Obſerv. 109. *De Gulæ & narium Coalitû à Variolis.*

CUm annô 1668. peſſimi moris variolæ Hildeſiæ graſſarentur ità ùt præter crebram παιδαρθροκάκην pluribus oſſa materiæ malignitate corroderentur & ulcera δυσεπούλωτα indè orirentur, id mihi præ cæteris obſervatû dignum contingit, quòd filiolæ Eberhardi Lamberti Aeditui templi novoppidani œſophagus à variolis ità coaleſceret ùt denegatô cibi potûſque per illum tranſitû miſeræ puellæ fame miſerrimè non ſine maximô parentum luctû pereundum eſſet. Narium tum coalitum ab iiſdem variolis relictum in filiolô Dn. Juſti Dorgen Patricii Hildeſienſis obſervavi ſectione à Chirurgô dextrè inſtitutâ poſtmodùm ſublatum.

Ibidem T. 2. *Obſerv.* 14. *De Anatome Vetulæ ulcere pulmonis laborantis.*

ANnô 1663. D. 9. Febr. *Cl. Franciſcus de le Boë Sylvius* in noſocomiô Leydenſi vetulam ſecuit, in cujus cadavere ſequentia notabantur.

Hepar ſolitô grandius, & uſque ad os coxendicis inferius protenſum, in ſiniſtrô verò latere diaphragmati validiſſimè annexum, ùt ſeparari non poſſet ſine rupturâ diaphragmatis.

Lien

Lien inſolitæ magnitudinis & mirabilis conformationis quaſi ex pluribus lobis compoſitus videbatur, diaphragmati validiſſimè adhærebat, & inferiùs eò uſque propendebat, ùt ſiniſtrum renem planè comprimeret, eumque admodum parvum relinqueret. Lienis color & parenchyma planè diverſa erant à ſtatû naturali, color erat valdè rubeus, qui naturaliter ſolet eſſe lividus; parenchyma erat firmum inſtar parenchymatis renum, quod naturaliter laxum eſſe ſolet & diffluens. Membrana externa craſſa erat, & ferè cartilaginea, quæ ſubſtantia uſque in profundum tendebat.

Ventriculus infra umbilicum protendebatur, locò ſuperiori amplior erat, intermediò locò anguſtior, locò inferiori iterùm amplior. Anguſtiæ in mediò cauſam eſſe putabat magnitudinem inſolitam hepatis & lienis, à quibus coarctabatur ventriculus.

Pulmo à flatibus erat diſtentus, ità ùt, cùm diſſecaretur, flatus erumperent, variiſque in partibus thoraci per fibras adhærebat in dextrô latere, in ſiniſtrô planè erat liber.

In dextrô pulmone, quâ parte firmiter adhærebat coſtis abſceſſus erat pus fœtidum, ſubviride & valdè tenax, continens ultra duo cochlearia.

Color obſcurè rubens viſebatur in variis inteſtini tenuis partibus, ipſaque vaſa inteſtini erant magis turgidula. Quâ parte attingebat folliculum fellis, ab ejus colore tinctum erat inteſtinum, qui color penetrabat uſque ad partes interiores.

Humor fuſcus & obſcurè nigricans continebatur in ventriculô & inteſtinô tenui, qualem ſæpè à moribundis evomi ajebat, idque peſſimum eſſe ſignum, & raró ægros talia evomentes evadere. Putabat eam eſſe miſcelian bilis & ſucci pancreatici valdè vitioſam, ubi jam omnia à ſtatû naturali abierunt.

In rugis inteſtini duodeni quærendam eſſe ajebat inſertionem ductuum bilarii & pancreatici, ſtylum non poterat in ductum immittere ob aliquod in illô obſtaculum, idque indicium eſſe putabat alicujus valvulæ in ipſô ductû.

Tranſversô pollice ſatis grandi diſtabat in ſertio ductûs pancreatici ab inſertione ductûs bilarii.

Duplex erat inſertio ductûs pancreatici in inteſtinum tenue, alter ramus erat in locô aliquantulùm ſuperiore, & erat minor, alter, qui major erat, inſerebatur eô in locô, in quô erat exitus ductûs bilarii, quæ duplex inſertio ut frequentiſſima eſt in brutis, canibus præſertim, ità rariſſima eſt in homine, ùt ſibi nunquàm aliàs eam viſam diceret.

Ductus pancreaticus tantæ erat capacitatis, ùt ſtylum calami ſcriptorii craſſitie admitteret. Immiſsô tubulô in ductum & in flatô, attollebatur tota ſubſtantia pancreatis.

Inter duplicem tunicam inteſtini tenuis ad tranſverſi pollicis latitudinem inſerebatur ductus bilarius, planè ut areteres inter duplicem tunicam veſicæ inſeruntur.

Ren ſiniſter erat valdè exiguus ac mollis, & cùm diſſecaretur, pus aquoſum emittebat, in parte ſuperiore bonâ ſui parte conſumtus erat, nullus tamen aderat calculus. Suppurationem illam renis proveniſſe putabat à compreſſione ejus factâ à liene grandiore, undè urina diutiùs retenta acrior facta ſubſtantiam renis eroſit.

Membrana renis interna, quæ pelvim conſtituit, triplô ferè craſſior erat, quàm naturaliter debebat, idque ſæpiùs fieri ajebat in partibus purulentis, ſanguinem enim affluentem partes magis tum munire adverſus acrimoniam humorum.

Ureter ſiniſter ſatis erat grandis, ùt raró tam grandis appareat.

Ren dexter in parte ſuperiore, ubi fit ſecretio ſeri à ſanguine, cavitatem habebat piſi magnitudine in quâ calculum hæſiſſe putabat, & hinc indè per totam renis ſubſtantiam obſervabantur granula quædam ſabuloſa albicantia.

Vena umbilicalis non prorsùs coaluerat, reperiebat enim ſtylô per eam ingreſſum in venam portæ.

Uterus totus erat contortus verſus dextram, quod ſibi nunquàm viſum ajebat, fieri quidèm interdùm, ùt fundus uteri magis declinet in alterutram partem, ſed totam uteri ſubſtantiam ità contorqueri, rariſſimum eſſe putabat. Cauſam eſſe exiſtimabat propinquitatem nimiam oſſis ſacri, cui uterus neceſſum habuiſſet cedere. Putabat idcircò, illam partus habuiſſe minùs felices, ob viciniam enim oſſis ſacri evanguſtatur locus, per quem fœtui tranſeundum eſt. Juſtô quoque grandior erat uterus, & vaſa in eô valdè conſpicua, quod in vetulâ mirum.

Orificium veſicæ admodùm erat amplum; exiſtimabat proindè, illam aliquandò excreviſſe calculos.

Inſertô tubulô in apertum aliquod vas in tubâ uteri & in flatô, plurima vaſa, hinc indè per tubam diſcurrentia attollebantur, in quibus vaſis ſæpè ſtagnare putabat ſanguinem, & variorum morborum in fæminis cauſam eſſe.

Ductus thoracicus valdè erat exilis, ùt diceret, ſe tam exilem in copore humanô nunquam reperiſſe. Dùm imitteret tubulum, & inflaret, tentans, an partes ductûs ſuperiores intumeſcere vellent, obtinere id non potuit ob aliquod quaſi concretum in ipſô ductû, quô remotô intumuit, ùt optimè pateret inſertio ejus in venam axillarem ſiniſtram.

Liquore rutilô totus ductus erat plenus, quod ſibi nunquàm viſum ajebat.

Vaſa cerebri à ſanguine valdè erant turgida, ùt nunquàm ſe adeò turgida vidiſſe diceret.

In ſinû falcis, ſuperiore reperiebatur ſubſtantia tenax & viſcida, per totum ductum falcis diſperſa, quale quid frequenter reperiri, in Belgiô præſertim, poſſeque eam vocari polypum cerebri ajebat. Addebat, reperiri etiam in omnibus venis ſæpè talem ſubſtantiam, & reperiſſe ſe in ipſis venis capillaribus. Subindè in venæſectione in venis hærere talem materiam, ùt Chirurgi aliquandò cogantur abſiſtere à venæſectione, nec eam adminiſtrare poſſint, niſi emollitâ & ſublatâ hâc materiâ.

Aqua cruenta ſatis copioſa modicæ ſalſedinis particeps reperiebatur inter utramque meningem, ut & ſpumæ ſatis multùm, cujus cauſam eſſe putabat, quòd, cùm illa inſpirando mortua eſſet, facile potuiſſet fieri, ùt in illâ anguſtiâ aliquid aëris ad cerebrum penetraverit.

Immiſſô tubulô in arteriam carotidem & inflatô, intumeſcebant omnes arteriæ per totam cerebri ſubſtantiam diſperſæ.

In cerebri ventriculis aqua copioſa ſalſi ſaporis continebatur.

Infinita vaſcula ab arteriâ carotide tendebant uſque in plexum choroidem, qui ex multis parvis rubicundis glandulis conſtabat, quô in locô, ſi quod ſit, eſſe putabat rete illud mirabile Galeni.

Ex radice cerebri duo corpora nervoſa ſatis conſpicua utrinquè ferebantur in ipſam glandulam pinealem, quæ ſe primùm reperiſſe ajebat, ipſi etiam Carteſio ignorata, quem in Anatomicis planè imperitum & inexercitatum fuiſſe ajebat ex propriâ illiûs ipſi factâ confeſſione.

In glandulâ pineali arenulæ grandiores reperiebantur.

Ibidem

Ibidem Obſerv. 15. *De Anatome pthiſici.*

ANnô 1663. D. 7. Junii *Cl. Johannes Van Horne*, Anatomes in Acad. Leidenſi P. P. à Cl. Sylviô, Amſtelodamum profecturô, exoratus ſecuit cadaver maſculum phthiſi defunctum in noſocomiô Academicô.

Antequàm ſectionem aggrederetur, monſtrabat modum faciendæ paracentheſeos thoracis & abdominis, ut & laryngotomiæ. Locum ſectionis in thorace deſignabat vel inter tertiam & quartam, vel inter quartam & quintam coſtas inferiores, in quô nullam eſſe differentiam ajebat, modò ſectio ità inſtituatur, nè lædatur, diaphragma. Locum ità volebat inquiri: ſumendum aliquod filum & menſurandum à mucronatâ cartilagine vertebras coſtarum verſus, deindè triplicandum illud filum, & in tres partes æquales dividendum, ubi pertingunt duæ tertiæ partes fili, ibi facienda paracentheſis. Perforatô ad prædictum modum in hôc ſubjectô thorace, effluebat aqua ſanguine tincta.

Paracentheſin abdominis ad educendas hydropicorum aquas non quidèm tam artificioſam ajebat eſſe, quàm thoracis, non tamen perindè eſſe, in quo latere fiat, ſolere plerumquè eligi latus ſiniſtrum, quòd in dextrô latere jecur ut plurimùm inſigniter protuberet. Non volebat perforationem fieri in umbilicô, non obſtante, quòd natura per eum ſæpè educat aquas, propter nimiam tenacitatem umbilici, quæ & perforationem impedit, & conſolidationem reddit difficilem. Nec etiam in mediô abdomine eam volebat inſtitui propter lineam albam, ſed in parte carnoſâ, quæ utrinquè ad umbilicum jacet, in muſculis ſcilicèt rectis, in quibus propter interſectiones nervoſas eligendus locus paulum ad latus declinans ſpatiô duorum circiter digitorum ſub umbilicô. Cannulam ſenſim volebat intrudi, quouſquè aqua incipiat effluere.

Sectionem aſperæ arteriæ tentavit, & expedivit ſæpè feliciter in canibus, ſed in homine eam fuiſſe adminiſtratam nullum ſe noſſe exemplum ajebat. Locum inquirebat non proximè ſub larynge, quia ibi glandula nobilis hæret; ſed extenſô collô quærebat muſculos bronchios, in quibus cùm ſectionem inſtitueret, ſtatim apparebat aſpera arteria, quam locô inter duos annulos mediô perforabat.

Vaſa epigaſtrica in interiore parte muſculorum rectorum ſæpè digiti medii craſſitie ſe reperiſſe ajebat in mulieribus, ob nimiam tenſionem abdominis in partû.

Pinguedo abdominis prorſus erat conſumta & nil niſi membrana carnoſa apparebat.

Omentum magnâ ſui parte erat conſumtum; ejus uſum, præter communem & vulgarem, eſſe putabat, quòd ſit ſuſpenſorium ſivè meſenterium coli, quòd ſuâ gravitate deorsùm tenderet, niſi ſuſpenderetur ab omenti tabulâ inferiore.

In Cavitate abdominis aqua ſubcruenta copioſa reperiebatur.

Plurimæ glandulæ in meſenteriô conſpiciebantur, aliæ piſi magnitudine, aliæ ad magnitudinem fabarum.

Pulmo validè annectabatur pleuræ.

Aqua ſubcruenta copioſa in cavitate thoracis continebatur.

Ductus pancreaticus & bilarius intervallô duorum tranſverſorum digitorum diſtabant ab invicem, ubi fiebat inſertio in inteſtinum tenue, quod à multis annis in homine ſe non vidiſſe ajebat.

Lien erat exiguus, & naturalem habebat figuram inſtar plantæ pedis, colore erat ſatis ſanô, ad hepatis colorem accedente.

Hepar quoque moderatum erat, nec in magnitudine excedens.

Veſicula fellis flaccida erat, & bile ferè inanitâ Capſulæ utrabilariæ egregiè apparebant, quia aliàs pinguedine valdè obducuntur, ſemel tantùm in illis reperit humorem nigricantem inſtar atramenti.

In pericardiô aqua ſubcruenta ſatis copioſa continebatur. Cui purulenti quid erat permixtum.

Siniſter cordis ventriculus valdè flaccidus erat, & paucâ carne conſtabat.

Membrana pulmonis exterior inſignis erat craſſitiei, & veluti concreta pituita. Pulmonum parenchyma, quòd alias flaccidum & ſpongioſum eſſe ſolet, duriuſculum erat, & multis quaſi granulis inſtar ſteatomatum, quæ aliquid ſebacei continebant, refertum. Tuberculis purè ſcatentibus totus pulmo obſitus erat, & in ſiniſtrô lobô ulcus manifeſtâ cavitate ſe ſe prodebat. In dextrô etiam lobô vomica erat longè majori cavitate, & minores plurimæ per totum pulmonem.

Paſſus fuerat aliquandò fracturam coſtæ, quæ per collum iterùm coaluerat. Seroſus humor ſubcruentus & ſubſalſus in ventriculis cerebri continebatur.

Ibidem Obſerv. 16. *De Anatome Virginis ſcrofulis & hydrope pectoris laborantis.*

ANnô 1663. D. 22. Jun. *Cl. Sylvius* in noſocomiô Leidenſi ſecuit Saram Janſen, 20. circiter annorum Virginem, in cujus cadavere ſeqq. notatû digna occurrebant.

Hepar in dextrô latere locô admodùm profundô ſitum erat, & infra umbilicum ſuperioremque partem oſſis coxendicis propendebat. Palliduſculum erat, & quia ſatis grande, partes ſubjectæ inferiùs, quàm ſecundum naturam debebant, ſitæ erant.

Suſpenſorium hepatis, quod ſolet eſſe in dextrô vel mediô thoracis, planè in ſiniſtrâ parte ſitum erat, & tres digitos tranſverſos nimiùm diſtabat à mediô. Alter lobus hepatis occupabat totum ſiniſtrum hypochondrium, quod eô totum replebatur.

Folliculus fellis in ſiniſtrô etiam conſpiciebatur latere.

Tinctura ipſi peritonæô à folliculô fellis erat inducta.

Ventriculus non continebatur in mediô, ſed totus in ſiniſtrô hypochondriô ſitus erat, & quodammodò convolutus.

Pylorus etiam erat in ſiniſtrô latere.

Ventriculi ſubſtantia inferior interiùs nigricabat, & vaſa minima inſigniter conſpicua erant, & ſtellulas quaſdam quaſi repræſentabant, ex quibus alia vaſa exibant.

Pancreatis ſubſtantia benè ſe habebat, ſed glandulæ conglobatæ ipſi adhærentes grandiores & duriores erant.

Lien admodùm exiguus erat, ùt rarò tam parvus appareat.

Inteſtinum colon ſitum erat locô decliviore ab hepatis magnitudinem & flatibus erat turgidulum, cùmque communitèr è dextrô latere transverſim verſus ſiniſtrum feratur, in hôc ſubjectô deorsùm ferebatur. Vaſa minima & capillaria in eô variis in locis valdè turgida erant, quod indicium eſſe putabat alicujus, φλογώσεως, idque ſibi nunquàm in craſſis inteſtinis viſum. Tam tenuis etiam

etiam erat membrana hujus inteſtini, ùt in nullô tenui eſſe ſolet, quod etiam rarum, & ſibi non viſum ajebat. Apparebat autem tenuitas illa eô potiſſimùm in locô, ubi major ejus erat diſtenſio.

Inteſtina tenuia aliquâ ſui parte diſtenta erant, & vaſa illorum turgida & rubicunda, aliquâ verò parte flaccida & pallida.

Glandulæ plures notabiles in meſenteriô apparebant.

Ren dexter pro conſtitutione reliquarum partium admodùm grandis erat, ſiniſter comprimebatur à partibus ſuperioribus quapropter etiam aliam à naturali conformatione habebat figuram.

Ductus pancreaticus ſatis grandis erat, ùt duos ſtylos admitteret, ingreſſum ejus in inteſtinum cùm ex pancreate non poſſet invenire, diſſectô inteſtinô, & immiſſô ſtylô in orificium ductûs bilarii, manifeſtè in inteſtinô protuberantis, ſtylus in ipſum ductum pancreaticum penetrabat.

Spatium inſertionis ductuum in inteſtinum quatuor circiter transverſos digitos diſtabat à pylorô.

In cavitate thoracis, potiſſimùm in dextrâ ejus parte, aqua fœtida copioſa continebatur, quâ aliquot catinos implebat.

Ab acrimoniâ illius aquæ pleura & tota ſuperficies interior diaphragmatis exulceratæ erant & eroſæ, ùt etiam pus darent.

Membrana pulmonis dextri quadruplô ferè craſſior reddita erat ab aquâ illâ purulentâ.

Pulmo dexter planè durus erat & corrugatus, coloris lividi & fœdi. In partibus ſuperioribus interiùs corrumpi cœperat pulmo dexter & aliquid puris continebat.

Pulmo ſiniſter meliùs habebat, in ſiniſtrô latere aqua etiam cœperat colligi, ſed limpidior, nec partes ità rubebant & excoriatæ erant, hinc indè in ſubſtantiâ ſiniſtri pulmonis glandulæ parvæ erant.

Pericardium plenum erat aquâ limpidâ, quæ 6. vel 7. cochlearia implebat, cùm naturaliter vix duo cochlearia adeſſe debeant.

In orificiô internô uteri materia viſcida reperiebatur.

In parte internâ colli uteri parvi quidam muſculi eleganter apparebant, quos nunquàm ſibi tam eleganter apparuiſſe ajebat.

Ex glandulis colli conglobatis diſſectis & preſſis albicans quædam materia pultacea, & veluti gypſea erumpebat. Conglomeratæ verò vicinæ nihil mali erant paſſæ. Ex glandulis meſenterii diſſectis planè ſimilis materia exprimebatur.

Non niſi emollientibus ſingularibus gypſeam illam glandularum materiam emolliri poſſe ajebat; quærenda putabat ejuſmodi remedia, quæ non tantùm emolliant, ſed materiam magis fluxilem reddant, ſcrofulariam, ſquillam & ex eâ parata medicamenta, ut & gummata, galbanum, ſagapenum, ammoniacum, &c. commendabat.

Ibidem Obſerv. 17. *De Anatome Vetulæ diarrhœâ defunctæ.*

ANnô 1663. D. 9. Jul. *Cl. Sylvius* ſecuit Apolloniam Simons, vetulam, quæ continuô alvi fluxû per ſeptem hebdomadas laboraverat, in ſectione ſeqq. notabantur.

Vena umbilicalis coaluerat cum peritonæô.

Linea alba cartilaginea erat.

In ſiniſtrô latere ſub ventriculô tumor magnus & rotundus, ovi anſerini magnitudine reperiebatur omentô adnatus, qui diſſectus continebat materiam variam, maximâ quidèm parte viſcidam inſtar concretæ pinguedinis, aliquâ gypſeam, minimâ autem mellis inſtar fluidam & luteam.

Omentum ſurſùm erat retractum, ùt inteſtina nuda conſpicerentur.

In inteſtinô colô nigredo apparebat, fortè corruptionis ſignum.

Inteſtina tenuia valdè flaccida erant, & coloris obſcurioris, aliquibus in partibus magis rubebant, ubi fortè fuit, inflammatio.

Inteſtinum tenue per fibrillas quaſdam connatum erat inteſtino craſſo, quod ſibi nunquàm obſervatum ajebat. Conjunctum quoque erat & craſſum & tenue inteſtinum cum rene dextrô.

Inteſtinum tenue, quod ſub meſenteriô ſiniſtrorſùm ferebatur, profundè admodùm ſitum erat, & uſque ad ſiniſtrum renem penetraverat.

Folliculus fellis bile ſatis plenus erat, ſed pallidiore.

Quicquid in inteſtinis tenuibus continebatur, à bile erat tinctum.

Ductûs pancreatici in inteſtinum duplex erat inſertio, altera communis cum inſertione ductûs bilarii, altera tribus circiter digitis à priore diſtans.

Uterus verſus partem ſiniſtram magis propendebat, & dextra tuba longior erat.

Minor erat uterus, nec major, quàm in puellis eſſe ſolet & ſatis mollis.

Membranulis quaſi quibuſdam intertexta erat uteri ſubſtantia ſatis flaccida, per quam ductus quidam ferebantur hiantes, & ſtylum admittentes in ipſas tubas. Inflatô vaſe in parte internâ uteri tota ſubſtantia tubarum attollebatur.

Internum uteri orificium valdè rubicundum erat, & pituitâ viſcidâ refertum.

Lien pallidior erat, præſertìm in parte poſticâ, & ſatis grandis; cæterà ſanus.

Pulmo quoque benè ſe habebat, ſed per fibras variis in locis dextro lateri adhærebat, in ſiniſtrô liber erat.

Hepar etiam laudabile erat.

Tantillum aquæ ſubflavæ continebatur in ſiniſtrâ thoracis cavitate.

Pericardium flatû diſtentum & turgidum erat, quod ſibi nunquàm obſervatum ajebat, in ejus cavitate liquor ſpumoſus continebatur ſatis copioſus, ſapore ſubſalsô & ſubacidô.

Inter œſophagum & arteriam magnam in ſiniſtrâ parte quærebat & inveniebat ductum thoracicum ad latus venæ ἀζύγε prope ipſas vertebras, qui ſatis grandis & elegans erat, color contentorum ſubrutilus erat.

Immiſſô tubulô in ductum thoracicum & inflatô, dexter ventriculus cordis manifeſtô intumeſcebat, & ſanguis ex vaſis erumpebat, & tota auricula dextra mirè indè tumeſcebat.

Valvula in ipſô ductû reperiebatur, quæ impediebat, quominùs verſus inferiora inflari poſſet ductus.

Ubi ad regionem lumborum deveniebat, ductus quaſi contorquebatur in ſemicirculum, ductus quidam minores ex muſculis venientes inſerebantur in ductum majorem. Dùm perſequeretur ductum, videbat plurima vaſa è ductû deferri uſque in hepar & minores aliquot ramos ad inteſtina.

Ibidem T. 3. Obſerv. 69. De ἐσφλάσι *cranii in puerô octenni perforatione feliciter curatâ.*

INter varias fracturarum cranii ſpecies, quas ſollicitè recenſet Paulus Ægineta *Lib. 6. cap.* 90. nulla periculoſior illâ eſt quàm ἔσφλασις, intropulſionem vocat Hippocrates *Lib. de Vuln. Cap. text.* 8. ubi capitis os tàm finditur, quàm medium deſidet, ut eleganter illam Celſi verbis deſcribit Tulpius *Obſ.* 1. *Lib.* 1. cujus feliciter non ità

ità pridèm hìc in puerô octenni curatæ habuimus exemplum faſtis Medicis meritò inſerendum. Eratis Iſaacus la *Meere* Nobiliſſimi Domini N. N. *la Meere* nomine fœderatarum Belgii Provinciarum hìc Hafniæ Reſidentis filius natû minimus, qui cùm D. 25. Jul. 1675. equum rhedarium incautiùs attrectâſſet ab illô in ſublime elapsô pede anteriore ſoleâ ferreâ munitô in caput ità percutitur ùt in terram proſtratus ſtatim ingeſta evomeret. Domum delatum invenio in ſomnum propenſum de dolore & tenſione dextræ maxillæ & manûs conquerentem, lumen adverſum non ferentem, cætera ſine febre ſine gravioribus ſymptomatibus. Vulnere à Chirurgô Nicolaô Boyô religatô deprehendo partem in tumorem molliuſculum ſub apicibus digitorum manifeſtô pulſantem ſublatum, undè ſuſpicio non levis ab ictûs vehementiâ ramum arteriæ temporalis læſum, ſanguinemque extra vaſa effuſum. Dilatatô igitur quod res poſtulabat, à Chirurgis, vulnere, deprehenſa non tantùm inſignis in dextrô bregmatis oſſe fractura, verùm etiam oſſis fracti profunda & uſque ad meninges depreſſio. Oſtendo parentibus periculum, neque ſervari vitam pueri, me judice, niſi cranii perforatione poſſe edico, idque ob teneram pueri ætatem craniique mollitiem periculô non vacare, ſimulque plures mihi adjungi Medicos poſtulo. Adſciti igitur in Conſilii & curæ ſocietatem Dn. D. *Mæntchen & Dn. D. Borrichius* ille Archiater, ſic Profeſſor Regii, & chirurgis ordinariis Regius Chirurgus Henricus *Scriverius* adjunctus eſt. Qui cùm omnes mecum in cranii perforationem conſentirent poſtquàm per varia elevatoria inſtrumenta oſſis fracti & depreſſi elevatio fruſtrà tentata eſſet, D. 3. Aug. & ſic octavô poſt acceptum vulnus die contra plurimorum mentem, cranium mediolô ἀβαπτίστῳ feliciter perforatum eſt, puero pluſquàm ſpartanâ patientiâ operationē non tantùm cordatè ferente, verùm omnia priùs inſtrumenta & oculis uſurpante & manibus verſante. Cæterùm cùm nè ſic quidem os depreſſum commodè poſſet reſtitui, exciſa de eô eſt particula per inſtrumentum ſerratum à *Fabritiô Hildanô Cent.* 2. *Obſ.* 4. depictum, quâ ſublatâ apparuit fragmentum acutum, quod volſellâ exemptum, iterùmque oſſis depreſſi elevatio tentata eſt; quæ cùm eò uſquè ſucceſſiſſet ut pulſus arteriarum cerebri liberior poſſet percipi, ab ulteriori violentiâ conſultò ceſſatum cæteraque naturæ, & hæc optimæ medicatrici commiſſa ſunt, eventû tam felici ùt poſtquàm ultra viginti oſſicula ſucceſſivè per foramen extruſiſſet, vulnus per Chirurgos clauſum & lepidiſſimus puer integræ ſanitati redonatus ſit, quâ in hunc diem ſine ullâ ſenſuum internorum læſione fruitur & oſſicula ſua in peculiari pixide tanquàm pretioſum theſaurum ſollicitè cuſtodit.

Ibidem Obſerv. 70. *De Calculô extemporaneô.*

CAlculos in corpore humanô generari pervulgatum adeò eſt, ùt nulla propemodùm corporis pars ſit quæ illos aliquandò non dederit. Calculum autem extra corpus in momentô & quaſi ex tempore generari inter rarò contingentia meritò numeramus. Contigit tamen annô 1674. menſe Majô Nicopiæ in Falſtriâ, in filiolâ bimulâ civis & coriarii ejuſdem urbis, quæ cùm aliquot diebus peſſimè habuiſſet, doloremque ejulando prodidiſſet, cum urinâ emiſit materiam albam mucilaginoſam, quæ ſtatìm ab aëre externô in ſubflavum oblongum riguit calculum, quem adhùc ſervat pharmacopœus loci *Chriſtophorus Hartmannus* duritie quemvis alium æquantem.

Ibidem Obſervat. 71. *De Lumbricô latô in infante bimulô.*

LUmbricos latos in omni ætate generari poſſe Medicorum hiſtoriæ teſtantur. In Sene octogenariô vidit *Gabucinus*, in juvene *Tulpius.* Ità memini dùm adhùc Hildeſiæ praxin medicam exercerem virum præter propter quadragenarium *Gebhardum Meier* poſtquàm per longum tempus malè habuiſſet, & plurimis medicamentis ipſiſque adeò Pyrmontanis acidulis incaſsùm uſus fuiſſet de improviſô ſanitati reſtitutum fuiſſe poſtquàm tæniam in rotundum glomum convolutam per poſticum emiſiſſet, quæ in chartam explicata ſeptem ulnas longitudine ſuperabat. Sed nec infantes ab his monſtris prorſùs immunes eſſe docuit me filia bimula ſcribæ præfecturæ Alholmenſis in Lalandiâ, quæ annô 1674. poſt uſum eſſentiæ hypericonis aliquandiù continuatum particulam de lumbricô latô ſpithamam longam per alvum rejecit, & hôc ipſô ab omni quâ anteà affligebatur moleſtiâ liberata eſt.

Ibidem Obſerv. 72. *De Acû deglutitâ pone umbilicum à naturâ protruſâ.*

GAllum Numidicum in uſum culinæ non ità pridèm exenteraverat conjux cujus ventriculum acû grandi perfoſſum mihi oſtendit. Quô viſô cenſeo acum ab animali voraciſſimô deglutitam viam ſibi perforatô ventriculô extra corpus quæſiiſſe, ſimulque mihi in memoriam revoco caſum ante tredecim annos Lugduni Batavorum à me obſervatum. Frequentabam quotidiè horis extraordinariis ſuaſû & indultû Cl. Sylvii p. m. cum deſideratiſſimô contubernali Dn. D. Friderícô *Heyen* Holſatô noſocomium ùt praxi medicæ nos paulatìm aſſueſceremus, ubi inter plures ægrotantes nobis obvenit Jacomina Willis mulier nephriticis paſſionibus miſerè afflicta, quæ inter alias querelas nobis oſtendit tumorem prope umbilicum de pungitivô illiûs dolore valdè conqueſta, quem cùm attentô inſpicimus oculô acuti quid ex eô prominere animadvertimus digitiſque extrahimus dimidium acûs ex chalybe confectæ quam ante tres annos integram ore detinuerat, dentibuſque comminutam de improviſô deglutierat, quæ tandiù in corpore retenta tandèm per hunc locum naturâ monſtrante viam exitum ſibi quæſiverat. Teſtem rei poſſum nominare Virum Clariſſ. Dn. Nicolaum Stenonium qui tùm fortè fortunâ nobis præſens aderat.

Ibidem T. 5. *Obſerv.* 114. *De Anatome Hydrophobici.*

LAurentius Sereniſſimæ & Clementiſſimæ Reginæ meæ à pedibus D. 1 Mart. 1678. in ſubitaneam incidit hydrophobiam ùt ne guttulam liquidi cujuſcunque generis poſſet deglutire cùm tamen ſolida quæcunque promtè per gulam demitteret. Ab exhibitis bezoarticis & alexipharmacis parùm juvabatur, die tertiô rabie correptus ſalivâ ubertìm ex ore fluente adſtantes omnes conſpuebat, quartô demùm morbi die extra lectum in ſellâ ſedens factô unô, & alterô corporis ſubſultû ſubitò ſuffocabatur. Apertô per Chirurgum Regium Philippum Hacquardum, me præſente, Cadavere corpus prorsùs extenuatum erat ac ſi hecticâ diutunâ tabefactum fuiſſet, caro muſculoſa omnis ut & pinguedo penè conſumta, omentum

omentum itèm penitùs abſumtum ùt inteſtina flatibus turgida nuda jacerent, meſenterii glandulæ & pancreas prorsùs extenuata. Hepar in parte convexâ ſano ſimile, in parte concavâ inflammatum & gangrenæ proximum cum pleurâ tàm firmiter coaluerat ùt vix nec ſine ruptura avelli poſſet, ſiniſter lobus hepatis lieni tùm arctè adnatus erat ùt non niſi ſectione ab invicem poſſent ſeparari. Veſicula fellis bile viridiuſculâ plena, coſtis itidèm firmiter adhærebat. Ventriculi interior tunica corrupta ùt digitis poſſet abradi. Ejus ſuperius orificium exile admodùm ùt & totus Œſophagus anguſtus valdè & quaſi conſtrictus. Pulmones aridi & exſucci coſtis utrinquè adnati. Pericardium nè guttulam aquæ continebat. Cor flaccidum & extenuatum, cujus dextra auricula inſigniter tumebat, dexter ventriculus ſanguine grumoſô plenus, in ſiniſtrô ſanguis planè fluidus. Renes ſatis magni notabili vitiô carebant, ſuccenturiati egregiè conſpicui. Cerebrum non introſpectum, quia inſtrumenta ad calvariæ depoſitionem neceſſaria ad manum non erant. An à cane rabidô demorſus unquàm fuerit, à me, cùm mente adhùc conſtaret interrogatus, ſe id non meminiſſe ajebat, ſuadere tamen id videbatur cicatrix in ſiniſtrô crure poſt mortem conſpicua, quanquàm non deſint exempla *lethalis hujus aquæ metùs* ut *Plinio L.* 8. *N. H. C.* 40. vocatur etiam citra morſum canis rabidi prout videre eſt apud *Marcel. Donat. Hiſt. Med. mirab. L.* 6. *C.* 1. *Salmuth. Cent.* 2. *Obſ.* 52. *Zacut. Luſit. De Med. P. P. Hiſt.* 20. *Borell. Cent.* 3. *Obſ.* 38. Proindè etiam famoſum illud aquæ marinæ balneum in curâ neglectum, quod demorſi antequàm hydrophobia ſuperveniat juvamen aliquandò indè accipiant, ubi verò aquas jam horrent.

Nec formidatis auxilientur aquis.

Ibidem Obſervat. 127. *De Monſtrô Lalandicô.*

ANnô 1677. 12. Julii natum eſt *Syſtoft* in Lalandiâ noſtrâ monſtrum fœminei ſexûs, parentibus piis & honeſtis, Patre Johanne *Weber*, Matre Mariâ *Joachimi*, cujus iconem & deſcriptionem nobis communicavit D. D. *Joh. Henr. Brechtfeld* Sereniſſimæ Reginæ Matris Archiater. Deſcriptio hæc eſt.

1. In Capite multi crinium cincinni variis coloribus eâ formâ viſebantur, quæ Virginibus hodiè uſitata.

2. In fronte alba lacinia erat, ſeu Antiæ candidæ.

3. In Occipite ſitum peplum obturatum crinibus & orbiculare, pendulis cincinnis ad axillas utrinquè, & ad dorſum uſque protenſis.

4. Siniſtrum faciei latus barba Turcica ornabat, quaſi pictor penicillô albô partem ſignâſſet.

5. A collô ad umbilicum portendebatur alba lacinia; quô habitû lugentes fœminæ incedunt.

6. Manus chirothecæ velabant albæ, quarum unam adhùc obſtetrix ſervat.

7. Oculi nulli. Horum locô viſebantur duo foramina parva.

8. Nec naſus foraminibus diſtinctus.

9. Os patulum. In cæteris monſtroſa hæc puella, ab aliis nihil differebat.

BRECHTIUS (*Clemens Joſephus*)

De eô exſtat

Διδυμογραφία, ſeu, Diatriba de Vitâ Gemellarum à Thorace umbilicotenùs coalitarum, quâ difficillimæ circa mentem & corpus affectiones naturales ex noviſſimô ſapientiæ ſcriniô enodantur. Argentorati, ap. Frideric. Guilielm. Schmuckium, 1684. in 8.

BRENDELIUS (*Adamus*) Profeſſ. Publ. Anat. & Botan. in Academ. Witteberg.

De eô habentur in Ephem. Germ. Cent. III. *&* IV. *Obſervat.* 163. *De bufone inter dormiendum à molitore deglutitô, & per alvum redditô.*

MOlitor quidam annos 37. natus, poſt largam cereviſiæ ingurgitationem ſub corylô in hortô recubans, ſomnô indulget, & inter dormiendum magnam ingeſtorum copiam eructat,ità tamen ùt ſomnum per horas aliquot, diductô ore, protrahat. Accidit autem, ùt bufo, (an à materiâ, vomitione rejectâ, allectus) adrepat, & ſemet in os diductum clàm inſinuet, ac per œſophagum, deglutitione à molitore inſciô adjutus, & protruſus, in ventriculum deſcendat. Experrectus è ſomnô, dolorem in ventriculô, roſioni ſimilem, percipit, cujus rei cauſam crapulæ tribuit, & ad illum leniendum ovis frixis, iiſque acidis, veſcitur. Conſopitur quodammodò dolor, ſed poſt non ità multò recrudeſcit, & graviſſimè laborantem, vacuefactô præſertìm à cibis ventriculô, affligit, ùt jejunus ſæpè in periculum defectionis animi incurrat. Hôc rerum ſtatû conſtitutus, opem, auxiliumque à me poſcit, & tentatis fruſtrà variis, ac iis fermè innumerabilibus remediorum generibus, tandèm potionem ex mercuriô vivô, benè à ſordibus repurgatô, ſummit. abſinth. cent. min. tanaceti & pulpa colocynthid. omnibus leniter in aquâ coctis confeci, de quâ manè, & veſperi, juſtam doſin cum magnis ventriculi doloribus, & leipothymia, per duos dies hauſit, tertiô ſymptomata conquieſcunt, circa veſperam verò profuſiſſima alvi dejectio, quâ bufo mortuus, & obeſus, evacuatur, cum acri & fœtente colluvie ùt nares feriret pariter, atque læderet, conſequitur. Sedatàm dejectionem excretio alvi cruenta cum maximis ventris Torminibus excipit, quâ per adhibita remedia coërcitâ, ægrotans per diem unum & alterum benè ſe habet, quartô febri cum inſigni æſtû, & magnis deliriis, conjunctâ, corripitur, ùt parùm abfuerit, quin mortem illi intulerit. Hâc quoque conſopitâ, totum corpus flavô colore intenſô, qualem icterici habere ſolent, inficitur, quem tamdiù, quamdiù vixit, retinuit, ità tamen recreatus eſt, ùt ſuas quodammodò operationes obire inceperit. Protrahit vitam per unum & dimidium annum, quô tempore fæces ſemper chyloſas excrevit, ùt illum icterô laborare credidiſſes. Tandèm in maciem incidit, quâ ſenſim conſumptus, & enectus, obiit, cùm anteà robuſtus, firmiſque lateribus à naturâ & bonâ valetudine, præditus erat. Poſt mortem, factâ corporis inciſione, eandem colluviem, in primis viis fluctuantem, qualem excreverat, in fundô verò ventriculi calloſam cicatricem, ultra imperialis magnitudinem, pylorum hiantem, & cruſtam tenuium inteſtinorum villoſam partìm abraſam, & calloſam, partìm mucoſam, circa

circa coli valvulam exulcerationem, & in ſiniſtrô cordis ſinû polypoſam concretionem, eamque nigricantem, deprehendi. Ex his ſummatim commemoratis, & benè ſubductâ ratione perpenſis, quilibet, exiſtimo, perſpiciet cauſas ſymptomatum, quibus conflictatus eſt, ægrotans, eaque cùm ab ipſô bufone, tùm intùs accumulatis excrementis, & aliis ſordibus, profecta eſſe, facilè, ſi inſtituti ratio poſtularet, copioſiùs exponi, & declarari poſſet.

Ibidem Obſerv. 164. *De Gemellis in molâ comprehenſis.*

MUlier quædam poſt partum alterum de tenſivô abdominis dolore, murmure & inſultibus hyſtericis, appetitû dejectô & laſſitudine artuum per tempus aliquod conqueritur, facies pallidô & lividô infecta colore, ſqualet, catamenia inordinatè manant, ſubindè penitùs exareſcunt, ùt tandèm in ſuſpicionem graviditatis propter abdominis increſcentis molem, veniat. Demùm poſt duos, & quod excurrit, menſes ex inſperatô terrore perculſa, exquiſitiſſimos dolores hyſtericos, & profuſiſſimam menſium fluxionem, cum grumis ſanguineis experitur, inter quos caro deformis, oſſibus deſtituta, & vaſis dives, cum largâ hæmorrhagiâ prodit, in cujus mediô duo gemelli concluſi latebant, ſi figuram molæ ſpectes, ad ſimilitudinem parvi cyprini accedebat, de quâ mulierculæ multa non ſine riſû confabulantur. Hanc, & plures alias, tam embryonibus vacuas, quàm iiſdem inſtructas, cum fœtibus abortivis variorum menſium in balſamicis liquoribus aſſervo, & nupèr admodùm mola mihi oblata eſt, in quâ ovulum pellucidum concluſum eſt, jucundiſſimô ſanè ſpectaculô, propter tenerrimum embryonem, à gracillimô funiculô umbilicali dependentem.

Ibidem Obſerv. 165. *De Trigeminis communi Choriô, ſed diſtinctis amniis incluſis.*

CIvis cujuſdam mulier in Zahnâ, oppidô duobus lapidibus à Wittembergâ diſtante, ex partû per tres dies laborat, tandèm adhibitis fotibus, linimentis, & aliis remediorum generibus, duas filias ſuperſtites edit, retentô filiô, cum quô extincta eſt. Poſt ſectionem ligamenta uteri gracilia rupta, & inflammata deprehenſa ſunt, (nam per totum graviditatis tempus propendens abdomen in cingulô portavit,) fœtus autem mortuus obliquum ſitum, ſecundinis implicitus, in pelvi tenebat: ipſæ verò ſecundinæ immanem molem habebant, in quarum mediô tria diſtincta omnia, in quibus fœtus comprehenſi latuerunt, conſpicua erant, uterus, ex inflammatione nigricans, circa cervicem ad putredinem tendebat, & graveolentem halitum exſpirabat.

Ibidem Obſervat. 166. *De Foramine Ovali in cadavere* 22. *annorum patente.*

CUm ſuperiore hyeme duas ſectiones publicas cadaverum fœmineorum haberem, in priore, ſanô, & robuſtô, ſed anguſtiſſimô pectore præditô, foramen ovale patens, quale in fœtibus eſſe ſolet, deprehendi, canalis autem arterioſus paululùm hiabat, per quem, & foramen ovale, aqua injecta expeditè fluebat, ùt credibile ſit, ſanguinem tam per utrumque canalem, quàm per pulmones, converſum in orbem curſum ſuum confeciſſe: an propter ſummam pectoris anguſtiam? nam pulmones in utrôque latere cum pleurâ membranâ in vaſis pneumonicis hærebant.

Ibidem Obſervat. 167. *De Abortû, ab inſertô in uterum acutô ſtylô, eôque embryonem trajectô, productô.*

ANcilla quædam ex compreſſû gravida facta, ne pœnâ, & ignominiâ meretricibus ex ſanctione publicâ conſtituta, afficiatur, nefando auſû ſtylum acutum per vaginam, & cervicem uteri aliquotiès immittit, eôque cùm ſecundinas, tùm in iſtis concluſum embryonem trajicit. Poſt non ità multò profuſiſſima hæmorrhagia, quâ fœtus ejicitur, ut & vehementiſſima inflammatio cum febri intenſa, oritur, quæ tandiù, quamdiù poteſt, reticet, atque cuncta celat, quouſquè demùm viribus privata, decumbere cogitur. Hôc rerum ſtatû cùm ſpe evadendi ex morbô præſenti excideret, & mortem appropinquare perſentiſceret, quid geſtum ſit edicit, & brevi pòſt, quia vis morbi ex morâ invaluerat, atque remediis propinatis prævalebat, deliriis correpta, & diſtentione nervorum miſerè agitata, extinguitur. Inciſô cadavere, & inſpectis partibus genitalibus, cervix uteri latè hiabat, cruorque ex laceratis undiquè & ſphacelatis vaſculis cum multô tabô manabat, ac collum uteri & vicinæ partes omnes, pariter inflammatæ, in ſqualorem & putredinem, jam converſæ erant, ùt hôc modô mors nullis remediis averti potuerit.

BRENDELIUS (*Joh. Philippus*) Sclaicenſis.

Ex eô habentur

Conſilia Medica celeberrimorum quorumdam Germaniæ Medicorum. Collecta & partìm etiam ex idiomate Germanicô converſa. Francof. apud Palthenium, 1615. in 4.

BRENDELIUS (*Zacharias*) Natus Jenæ in Thuringiâ A. C. 1592. Patre Homonymô, itidèm Medicinæ Doctore, ejuſdemque Profeſſore Jenenſi: in Academiâ patriâ 1617. Medicinæ Doctoris titulô impetratô, dein Peſnicii, Glauchæ apud Lib. Bar. à Schönburg, inſuper apud D. Franciſcum Ducem Sax. infer. tandèmque Vinariæ, Medicinam fecit: poſtremò in Univerſitate Jenenſi Medicinæ Profeſſor conſtitutus, ibidem Obiit A. C. 1638. ætatis 46.

De eô Extant.

Tractatus de inductorum Purgantium viribus, doſi &c. Jenæ, in 4.

Chymia in Artis formam redacta, & publicis Prælectionibus, Philiatris in Academiâ Jenenſi, communicata. Ubi præter Methodum addiſcendi ἐγχειρήσεις Chymicas facillimam & plurimorum Medicamentorum correctionem, varii Diſcurſus Chymici reperiuntur, quorum agmen claudit accurata Diſquiſitio de famoſiſſimâ præparatione Auri potabilis. Jenæ, apud Johan. Reiſſenbergerum, 1630. in 12. Ibidem, apud eundem, cum Præfatione Guerneri Rolfinckii, 1641. in 8. Lugduni-Batavorum, ap. Arnoldum Doude, 1671. in 12. Extat etiam cum Johannis Beguini Tyrociniô Chimicô à Gerhardô Blaſiô editô. Amſtelodami, apud Ægidium Valkenier, 1659. in 12. Ibidem apud Eundem, 1668. in 12.

BRENGGERUS (*Joh. Georgius*,) Kaufbyrenſis.

Ex eô habentur

Literæ ad Philippum Hechſtetterum, de quibuſdam obſervatis & dubiis in Obſervationibus ab eô editis. Quæ exſtant cum iiſdem Auguſtæ Vindel. apud Andr. Apergerum, 1624. in 8.

BRENTZIUS (*Andreas*) Patavinus

De eô exſtant

Commentarii in Hippocrat. de Inſomniis. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1497. in fol.

Ejuſdem Hippocratis. De Naturâ Hominis expoſitio Latina.

Farrago Philoſophorum : hoc eſt, varii modi, Proceſſus, & Sententiæ Philoſophorum, perveniendi ad Lapidem Philoſophicum ſeu Benedictum. In uſum & gratiam Artis Chymicæ ſtudioſorum foràs data. Continentur autem hôc Librô Proceſſus Alberti Magni : Raymundi Lullii : Gebri Arabis : & Paracelſi ; ſine locô impreſſionis, 1606. in 8. Extat etiam cum volumine quartô Theatri Chymici ſub hôc titulô : Variarum Philoſophorum ſententiarum perveniendi ad Lapidem Benedictum Collectanea. Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

BRESON (*Carolus le*)

De eô Exſtant

Oratio funebris Joh. de Monſtrœuil Profeſſoris Medici Pariſienſis : Pariſiis in 8. 1647. & 1648.

Oratio de neceſſitate Hygieines in 8. ibidem 1647.

BREYNIUS (*Jacobus*)

Ex eô habentur

Exoticarum aliarumque minùs cognitarum Plantarum Centuria prima ; cum Figuris æneis. Accedunt Wilhelmi ten Rhyne Excerpta ex Obſervationibus ſuis Japponicis, Phyſicis &c. Frutice Thee : Item Faſciculus rariorum Plantarum, ab eôdem ten Rhyne in Promontoriô Bonæ Spei &c. collectarum, & ex Indiâ ad Jacobum Breynium tranſmiſſarum. Gedani, apud Authorem, 1678. in fol.

Obſervatio, de Muſcô pulmonariô terreſtri ſanguineo. Extat Eph. Acad. Nat. Curioſ. Germ. ann. III. *num.* 289.

De feliciſſimâ Icteri diuturni curatione, per muſculum pulmonarium quercinum. Ibid. an. eôd. num. 290.

De Amomô Arabum Ibid. ann. eôd. num. 291.

De Amygdalô Holoſericô Capitis Bonæ Spei. Ibid. ann. eôd. num. 292.

De Lignô Guianenſi Citratô. Ibid. ann. eôd. num. 293.

De radice Arboris Jacæ. Ibid. an. eôd. num. 294.

De radice Tauzarghantâ ſive Tauzarghentâ. ann. eôd. nu. 295.

De Tacamahaccâ liquidâ. Ibid. ann. eôd. nu. 296.

De Reſinâ Ambræ facie Guiniacâ. Ibid. an. eôd. num. 297.

De Terrâ Guianenſi fœtidâ. Ibid. ann. eôd. num. 298.

De Quercô niveâ, ubi aliarum etiam quarumdam plantarum foliis verſicoloribus fit mentio. Ibid. an. IV. *&* V. *num.* 129.

De Arbore Canellâ Zeilanicâ : & de Arbore Camphoriferâ Japonicâ. Ibid. an. eôd. numero 130.

De Cortice Aromaticô Indiæ Orientalis Canellæ facie. Ibid. an. eôd. num. 131.

De foliis Arboris Guyanaicæ colorem purpureum fundentibus. Ibid. ann. eôd. num. 132.

De Mogori frutice. Ibid. ann. eôd. nu. 133.

De Bulbô Liliaceô Vomitoriô Capitis Bonæ Spei. Ibid. ann. eôd. num. 134.

De Chryſocome ſeu ſtœchade igneſcente. Ibid. ann. eôd. num. 135.

De Convolvulô Heptaphyllô Indicô villoſô. Ibid. ann. eôd. num. 136.

De Plantâ ſcandente hederaceis foliis Zeilanicâ. Ibid. an. eôd. num. 137.

De Apocinô Indicô minori nummulariæ foliis. Ibid. an. eôd. num. 138.

De Bugloſſô Echioide Indicô, convolvuli cœrulei minoris foliô. Ibid. an. eôd. num. 139.

De Selagine tertiâ Thalii. Ibid. An. eôd. numero 149.

De fungô Coriaceô Quercinô Hæmathode. Ibid. Ann. eôd. num. 150.

De fungô barbatô Quercinô teterrimi odoris fœtidô. Ibid. An. eôd. num. 151.

De fungô cornû dorcadis facie. Ibid. An. eôd. num. 152.

De fungô Sinenſi antidotali, lactigridis dictô. Ibid. Ann. eôd. num. 153.

De Naſsâ vel corbi piſcatoriâ naturali. Ibid. Ann. eôd. in Analectis ad ann. 111. *Obſervatio* 245.

BREYNIUS (*Joh. Philippus*)

De eô habentur in Ephem. Germ. Cent. V. *&* VI. *Append. pag.* 95.

Epiſtola D. Johannis Philippi *Breynii*, M. D. & Societat. Reg. Angl. Soc. De Plantis & Inſectis quibuſdam rarioribus in Hiſpaniâ obſervatis.

Ibidem. Cent. VII. *&* VIII. *Obſerv.* I. *De Coronis ſerpentum.*

CUm Callimachi nomen mihi, more receptô, in receptionis Diplomate, Illuſtri Academiæ Cæſareô-Leopoldinô-Carolinæ Naturæ Curioſorum Præſidi imponere placuit, quem ut & Mneſteum Medicos, apud Græcos, de Coronis, quæ nocerent capiti, privatim ſcripſiſſe, teſtis eſt Plinius, H. N. L. 21. C. 3. mox animum meum ſubiit cogitatio, ex ſimili quôdam argumentô obſervationum mearum primitias depromendi. Ubi ultrò ſe ſe *Coronæ Serpentum* obtulêre, quarum quidèm ſæpiùs in hiſce Ephemeridibus facta fuit mentio, nonnullis earum exiſtentiam negantibus, aliis affirmantibus, neutris verò, ni fallor, controverſiam decidentibus.

Varia nimirùm, ùt id hâc occaſione moneam, Auctores in Hiſtoriâ Naturali tradidêre, quæ talia non eſſe, qualia ab iis fabuloſis relationibus & præjudiciis occæcatis, habentur, ſequens probavit dies & accuratius examen.

Exemplô nobis ſint Viperæ & ſerpentes, qui ab Auctoribus deſcribuntur, & paſſim in Curioſorum Muſeis credulis demonſtrantur ſuperſtitioſis inſupèr Apoſtoli Pauli miraculô obtruduntur, petrefacti, ex Melitâ Inſulâ effoſſi ; Vid. Muſei Beſleriani Tab. 36. (quod nuperrimè cum deſideratiſſimi longiorique vitâ digniſſimi Juvenis, Johannis Henrici Lochneri utiliſſimis Expli-

Explicationibus & Commentariis, curante Illuſtri ejus Parente, prodiit) titulô *Exuviæ Serpentis in lapidem converſæ*; nec non Wormii Muſeum p. 90. nomine Viperæ petrificatæ. Hos, etiamſi capita ipſis aliquandò ex lutô affingant impoſtorum manus, Tubulariæ, ſive Vermiculariæ cujuſdam marinæ, majoris, in Melitenſi terrâ ſepultæ, eſſe ſpecimina, quod jam hariolatus fuerat Wormius locô cit. optimè ad oculum demonſtravit Auguſtinus Scilla in Tract. cui titulus. *La vana ſpeculatione &c.* T. 12. quod luculentiùs adhùc ipſa ſpecimina ritè examinata evincunt. Ut de illis ſerpentibus petrefactis in ſpiram convolutis, nunc taceam, quorum paſſim apud Authores fit mentio, Ophiomorphitæ, & Ophitæ aliquandò ſpecioſô titulô. Vid. Muſeum Metallicum Aldrovandinum, Beſſerianum, T. 34. Calceolarianum, pag. 424. & Wormianum p. 86. ubi nomine Lapidis ſceleton ſerpentis referentis. Quippè quos Cornu Ammonis, vel ut hodiè rectiùs ſalutantur, Nautilitæ, ſpecies eſſe, omnes cordati mihi concedent Naturæ Myſtæ. Quamvìs non negem, fortè alicubi reperiri poſſe verorum ſerpentum veſtigia, Eiſlebianorum piſcium more, ſaxis imprimìs fiſſilibus, impreſſa; etiamſi eadem nec à me hactenùs viſa, nec ab ullô deſcripta meminerim.

Oculos ſerpentum quoque ex Inſulâ Melitâ vulgò dictos, Dentes eſſe molares piſcium, *Sarco Orata & Dentato* Italis dictorum, à diluviô aquarum ibidèm ſepultos, iterùmque effoſſos, qui non vult credere demonſtranti Auguſtino Scillæ, L. C. T. 2. ipſa adeat Naturalium Gazophylacia & hos cum illis conferat.

Gloſſopetras verò, quæ ſerpentum linguæ petrefactæ quoque quondam piè, etiamſi nullam cum iis habeant ſimilitudinem, credebantur, Dentes eſſe varios Canis Carchariæ & Stampellæ, Italis dictæ, aliorumque piſcium hujus generis foſſiles, poſt F. Columnam, N. Stenonem & A. Scillam, omnes largiantur neceſſe eſt.

Reſtat nunc, ùt de Coronis vulgò creditis ſerpentum, dubium tollamus, quod quidèm ante me tentârunt Schenkius in Epiſt. ad Sachſium, quæ reperitur in Gammarologiâ p. 928. & Velſchius in Hecatoſteâ I. Obſ. 27. & in Ephemeridibus hiſce Jaeniſius D. I. A. 3. in Schol. ad Obſ. 128. & Wagnerus D. II. A. 5. Obſ. 106. necnon Illuſtr. Schrôckius in Scholiô ad dictam obſervationem; ubi docent hactenùs obſervatas Coronas ſerpentum falsò Argyrtarum impoſturis ità ſalutari, & reipsâ nihil aliud eſſe, quàm vel ſquillæ Μάντις dictæ Rondeletiô Spolium, vel dentem molarem ex inferiori maxillâ porcelli jàm ablactati.

Hiſce tamen Doctiſſimis Curioſiſſimiſque Viris ſeſe oppoſuerunt Clariſſimi Hannemannus D. II. A. 7. Obſ. 68. & Lentilius D. III. A. 3. & 4. Obſ. 22. ſed immeritò, quia argumenta ipſorum infirmô admodùm ſtant talô. Nam primò teſtimonium de viſis eminùs ſerpentibus coronatis, ab hominibus perterritis, ſequioris ſexûs aliiſque & in Hiſtoriâ Naturali hoſpitibus, nihil probat; uti nec ſecundò ipſarum Coronarum ſerpentum dictarum apud Curioſos conſpectus: nam etiamſi Coronis aliquandò ſimilia fuerint illa corpora, tamen ex ſerpentum capitibus deſumta fuiſſe, indè non ſequitur.

His itaquè præmiſſis, ùt Hiſtoria Naturalis, quæ per ſe ſatis ampla eſt, à non entibus liberetur, concludo ſæpiùs dictas Coronas ſerpentum, omnes eſſe fictitias & corpora aliundè deſumpta. Nec aliô modô convinci ab adverſariis poſſum; niſi vel demonſtratione ipſius ſerpentis coronati, vel Coronæ ejuſmodi, quam ſufficientibus & indubitatis teſtimoniis, ex ſerpentis capite prognatam deprompt amque eſſe, probare poſſunt.

Reliquum eſt, ùt paucis Coronas hujuſmodi fictitias, quarum duas in Muſeolô meô ſervo, deſcribam, &, quod à nemine hactenùs factum, figurâ illuſtrem. Prima criſtæ potiùs, quàm coronæ ſimilis eſt, eâ magnitudine, quâ conſpicitur, eburnea quaſi eſt & nitens, ex albô flavicans, intùs cava, compreſſa, dorsô acutô, ſpinis alterô latere peracutis nonnihil falcatis aliquot prædita. Reverà nihil aliud eſt, quàm extremus articulus chelæ ſquillæ, quæ Μάντις Rondeletio dicitur, à Rumphiô verò in Muſeô Amboinicô Squillæ arenariæ nomine eleganter figuratur & deſcribitur. Secundam, quam à Curioſô quodam Amicô accepi, denti molari ſimilis eſt, alterâ extremitate anguſtiore, alterâ latiore, ſupernè quatuor eminentiis majoribus, minoribus non numeratis, prædita, infernè inæqualiter excavata; colore gaudet cinereô & ſuperficie parùm nitente, & inæquali, quare hunc pro foſſili Dente habeo.

Quid jam de viribus miraculoſis harum putatitiarum Coronarum, à fumivendulis Circumforaneis, adeò deprædicatis, ſentiendum ſit, facilè unicuique patet; ſcilicèt, unà cum Coronis falſas eſſe & fictitias.

Ibidem Obſervatio II. *De Balſamô Carpathicô.*

Balſamum Carpathicum, prout aliquandò; quamvìs rariùs, ad nos ex Hungariâ defertur, eſt oleum quoddam ex reſinâ liquidâ arboris cujuſdam coniferæ, & reſiniferæ, in Carpathi jugis naſcentis, deſtillatum, totâ naturâ ſuâ Oleum Terebinthinæ Officin. referens; cui Hungari quàm plurimas virtutes medicatas prolixè ſatis adſcribunt.

Nullam, quod miror, Balſami hujus apud ullum Auctorem reperio mentionem, niſi tribus ſaltèm verbis, in Miſcell. noſtris curioſorum D. I. A. 2. & quidèm in ſcholiô ad Obſervat. 28. ubi legitur: *D. D. Chriſtianum ab Hortis, qui ad radices Carpathi Montis in nobili villâ vixit, ſcripſiſſe duos Tractatus, alterum de Gemmis Hungariæ, de Balſamô Hungariæ Carpathiô alterum; morte tamen præventum & editionem ſuſpenſam manſiſſe, & ex negligentiâ viduæ & impuberum liberorum Bibliothecam ipſius rariſſimam, unà cum his duobus Mſſ. præcipuè à vicinis Polonis diſtractam fuiſſe & abalienatam.* Nec dubium eſt utrumque Tractatum, quia neuter, quantùm ego novi, apparuit periiſſe. Cùm autem ab Amicô quôdam Hungarô ante aliquot annos, hujus Chriſtiani ab Hortis, Med. Doct. de viribus & uſû olei ſive Balſami Carpathici brevem quandam, ex memoratô Tractatû fortè quondam extractam, Commentationem communicatam ſervo, eam hìc ſubjungo.

De Viribus & uſu Olei ſive Balſami Carpathici, Rrummholtz-Oehl Germanicè dicti, Chriſtiani ab Hortis, Med. Doctoris.

DUplex eſt uſus olei hujus, externus & internus. Notandum autem, oleum hoc non eſſe Balſamum, quale effluit ex inciſis arboribus, ſed Oleum ex arbore quâdam, quam Accolæ Carpathi Germanicè *Rrummholtz*, Slavonicè autem Koſſadrewina vocant, deſtillatum, hoc enim multò efficaciùs expertus ſum quàm Balſamum ipſum.

Uſus externus.

1. Omnia vulnera recentia, quæ ſcilicèt non minùs magna ſint, aut profunda, ſpatio 24. horarum, ſine ullâ ſuppuratione, aut notabili cicatrice ſanat; majora verò intra triduum, quatriduum &c. ſi ſolummodò aliquot guttulæ pennâ inſtillentur. Debet autem linteum ſuperponi, quô ligetur, aliàs enim evaporat, cùm ſit nimis ſpirituoſum.

2. Humidam infantium in facie & capite ſcabiem, intra triduum funditùs exſiccat & tollit, nullô relictô veſtigiô.

3. Ulcera antiqua ſerpentia, qualia ſunt plerumquè in cruribus, ſpatiô duarum ſeptimanarum, ſi modò illiniantur, & linteum ceratum ſuperponatur, ex fundamentô ſanat; debet autem illini ter de die, mane, meridie, & veſperi.

4. Frigidis etiam fluxionibus, contuſionibus, ſanguinis concreti retentionibus, tumoribuſquè ex quibus plerumquè Paralyſes & confracturæ nervorum diuturnæ oriuntur, ad miraculum tollendis efficax eſt. Iſchiaticam quoque lenit & tollit.

Uſus internus.

1. Obſtructionibus hepatis, hypochondriorum & renum potenter viam aperit.

2. Sine moleſtiâ impuritates ſanguinis per copioſam urinam & paucos ſudores è profundò elicit.

3. Arenas & renum calculos pellit, urinamque odoriferam reddit.

4. Menſes & hæmorrhoides movet.

5. Gonorrhœam & catarrhos frigidos ſiſtit.

6. Inveteratos capitis dolores diſcutit.

7. Tuſſi etiam & inveteratis pectoris morbis, nominatìm verò Phthyſi & ulceri pulmonum medetur.

Alias inſuper omnes, quibus Orientale Balſamum præditum eſt, vires habere, multiplici experientiâ à S. Cæſareâ Majeſtate Ferdinandô III. aliiſque Illuſtribus Perſonis comprobatum eſt. Doſis: Guttulæ, 7. vel 9. in aliquô liquore convenienti, Veſperi cubitum iturô & mane, jejunô ventriculô exhibendæ.

Hactenùs ille. Forſitàn mihi nunc aliquis objiciet, eaſdem fermè virtutes in vulgari noſtrô Terebinthinæ oleô, quod omnibus ſenſibilibus qualitatibus referre videtur, reperiri, adeòque de Carpathicô, nos non oportere eſſe adeò ſollicitos. Verùm his reſpondeo, verum quidèm eſſe, vires ejus cum viribus olei Terebinthinæ Off. convenire, eas autem, ſi Hungaris adhibenda fides, longè nobiliores magìſque efficaces eſſe.

Ego ob parvam ejus, quam poſſideo quantitatem, pauca ſaltèm experimenta inſtituere potui; interìm tamen Hungaris aſſentior, quia arbor ex quâ Balſamum hoc fit, à cæteris arboribus, ex quibus Terebinthina Off. Collegi ſolet, longè diverſa & ad Cedrum Libani montis genere accedit.

Procuravit enim mihi Amicus quidam ex Hungariâ ramulum hujus Arboris exſiccatum & Conum ſive fructum ejus maturum; ex quibus probe examinatis didici, hanc arborem eſſe Pinaſtrum, Bellonii, de Arb. Conif. p. 17. & ſeq. Pinum Sylveſtrem, montanam, tertiam, C. Bauhini Pin. 491. Pinum, cui oſſicula fragili putamine, ſive Cembro, J. Bauhini Hiſt. Pl. T. I. L. IX. p. 251. Pinum Sylveſtrem, alteram Parkenſonii Theatr. Botan. p. 1535. quam Pinearum nucum genus alterum, Tarentinum dictum, digitis fragili putamine aviumque expoſitum furto in arbore, Plinii, rectè ſtatuit Bellonius L. C. malè verò eam Dalechampius pro Tedâ Plinii habet, fortè in hanc ſententiam ſeductus, quià arbor hæc plurimâ reſinâ, ut nonnulli Auctores tradunt, ſcatet.

Satis benè eam deſcribit Bellonius L. C. ejuſque inſigniorem notam, quâ à cæteris coniferis & reſiniferis diſtinguitur, annotat, quina ſemper folia ex eôdem tubulô ſive centrô prodeuntia; ſecùs ac Johann. Bauhinus, qui L. C. malè refert, bina ex unô tuberculô prodire. Axtius de Arboribus coniferis p. 41. eam adhùc diligentiùs deſcribit. Conum verò ejus nobis accuratiùs enarrat Joh. Bauhinus L. C.

Similes planè Nuculas quoque ex Moſcoviâ tranſmiſſas ab Amicô accepi, quarum ibidèm inter bellaria frequentem eſſe uſum referunt. Undè arborem hanc in Moſcoviâ quoque naſci colligo, quam alias præter Carpathi juga, Juniperorum mons & Senuſius apud Allobroges, teſte Belloniô, Elvi nomine ruſticis, qui & fructus & reſinam ex eâ colligunt, notam, Rhætorum & Valeſiorum alti montes copiosè, ut & Tridentinus ager & Tyrolenſis comitatus, locaque circumjacentia, quæ Septentrionem ſpectant, teſte Axtiô L. C. alunt, ubi & caudicem reſinam albam & odoratam fundere, ait idem.

In Carpathô ſæpiùs humilem, caudice ramiſque diſtortis, undè *Rrummholtz* ſalutant, inveniri, conoſque ferè nunquàm proferre tradunt; quem creſcendi modum pro monſtrô ſaltèm ex vitiô ſoli forſitàn habendum eſſe exiſtimo.

Coronidis locô addam genuinam arboris hujus ex notis characteriſticis ſecundùm Tournefortii Methodum, quæ reliquas inter tantùm eminet.

Quantùm lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi, petitam denominationem quæ eſt:

Larix ſemper virens, foliis quinis, nuculis edulibus.

Tournefortio ignotam fuiſſe, vel ſaltèm minùs accuratè examinatam judico, quia in inſtitutionibus ejus Rei Herbariæ, incomparabili iſtô opere, quô nemo Botanicus carere poteſt, inter Pinos, nomine Pini Sylveſtris, montanæ, tertiæ, recenſetur, cùm tamen à Pini genere foliis quinis, ut ſuprà dictum, manifeſtè differat.

Rogantur deniquè viri curioſi, qui prope Carpathum degunt, ùt Arboris hujus, unà cum modô colligendi Reſinam & Balſamum, exactam Hiſtoriam in publicum emittant; admonentur præterea Rhætiæ, Comitatus Tyrolenſis & Tridentini agri incolæ, ùt inquirant in virtutes hujus Balſami etiam apud ipſos, ſi velint, repeririundi.

Ibidem Obſerv. III. *De Ribas Arabum.*

Ribes Officinarum noſtrarum Planta eſt vulgatiſſima & omnibus nota ; ab hâc verò differre, quæ Ribas dicitur Arabibus Medicis, Scrapioni, Avicennæ cæteriſque, ii ſaltèm norunt Medici, qui τὴν ὕλην ἰατρικὴν accuratiùs ſolitò introſpexerunt.

Quidam Botanicorum equidèm, ut Amatus, Dodonæus & Lobelius, putârunt Ribem noſtratem off. eſſe verum Ribas Arabum ; verùm hiſce plurimi ſeſe poſtmodùm oppoſuerunt, ſtatuentes, Ribas Arabum à noſtrô Ribâ officinarum plantam eſſe totô cœlô diverſam. Quibus & ego calculum adjicere cogor, ob ſequentes rationes.

1. Quia unicuique Scrapionis & Avicennæ deſcriptionem Ribis, contractam quamvìs pro Arabum more, examinanti & cum Ribe Off. conferenti ; facilè patet, plantas eſſe longè diverſas.

2. Rauwolfius Hodœpor. p. 266. & 282. & Bellonius, de Arb. Conif. p. 4. 6. experti & circa Medicam Materiam curioſi Medici, in peregrinationibus per Minorem Aſiam vicinaſque terras inſtitutis, plantam illam obſervârunt in monte Libanô, cui Arabum Ribas deſcriptio competit,& ex quâ hodie-nùm ibidem Rob. Ribis dictum conficitur. Hujus etiam aliqualem tradiderunt deſcriptionem, cui Rauwolfius & Iconem, ſed admodùm imperfectam, adjecit. Hos poſtmodùm Botanici plerique ſecuti ſunt, nihil præterea addentes novi. Donèc.

3. Sententiam Rauwolfii & Bellonii confirmant ea, quæ tradit Pharmacopœæ Perſicæ interpres R. Pater Angelus de Santô Joſeph p. 154. & in ſpecimine Notarum ad Pharmacopœam Perſicam p. 364. & ſeq. ubi diſertis verbis docet, Ribas Arabum, ex quô olìm Arabes & nunc Perſæ & Turcæ Rob conficiunt, veram eſſe Lapathi ſpeciem ; nullam verò ſubjicit deſcriptionem, multò minùs figuram.

4. Deniquè nullum ampliùs dubitationi relinquit locum, ſequens, quam Jacobus Golius Ling. Orient. quondàm in Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſor Celeberrimus, ante plurimos jam annos, ex ipſô Libanô Monte ex Syriâ Parenti meô p. m. procuraverat Plantæ, de quâ quæritur, icon cum deſcriptione.

Ex radice ſimili radici Cinaræ, durâ, nodoſâ & plenâ tuberculis, filamentiſque quibuſdam prædità, vernô tempore inter nives novella prorumpunt folia, criſpata inſtar Braſſicæ Sabaudæ coloris rubri viridiſque elegantiſſimè mixti, qui etiam in adultioribus totaque planta perſeverat, ubi præterea quaſi exiguis granulis, inſtar Goſſipii, conſperſa eſt. Juniora folia cum pediculis ſubacidi ſunt ſaporis, ſed admodùm grati, quorum ſuccus expreſſus, ubi ſufficienter ebullierit, ſimilis eſt muſto coctо, ſpiſſus ſcilicèt denſuſque. Pediculi verò, ubi folia ſe expandere incipiunt, contracti quaſi, tenuiores fiunt durioreſque ; Folia majora rotunda, nonnihil concava, exteriùs admodùm nervoſa, tota aliquantulùm aſpera ſunt, & ſiccata adhùc aſperiora evadunt. Caules longitudinem trium palmarum ſæpiùs ſuperant, in quorum ſummitatibus ramoſis apparent flores racematìm diſpoſiti, qui abeunt poſtmodùm in ſemina triangularia & alata Lapathi more, principiò rubicundi, per maturitatem lutei ; ſed exſiccata, quæ ſervo ex dictô Monte Libanô, ex rubrô ſpadicea ſunt & ſalivam, ubi dentibus conteruntur, rubicundô colore inficiunt, ſapore ſubacidô adſtringente.

Ex hâc itaquè deſcriptione cum Icone collatâ facilè patet, Plantam hanc eſſe *Lapathi* ſpeciem genuinam, nec ineptè *Lapathum Orientale, tomentoſum, rotundifolium, Ribas Arabum dictum*, ſalutari poſſe ; malè verò Clariſſ. Rajum Hiſt. Plant. p. 1487. Ribem Arabum, minùs accuratâ Bellonii deſcriptione ſeductum, Epiphylloſpermis annumerandam cenſuiſſe. Ex hâc Rob in Perſiâ conficitur, teſte P. Angelô de Sanctô Joſeph Pharmacop. Perſ. p. 154. ſequentem in modum.

Livas (ità Perſis dicitur, teſte jam citatô Auctore & Thevenotô Itiner. Part. 3. L. 2. C. 16.) ſive *Oxylapathi* (ſcilicèt Orientalis ſuprà dicti) *ſummitates & caudices* (tempore nimirùm vernali, ubi primò ex terrâ erumpunt) *reſeca ; tùm in mortariô lapideô, aut ligneô contunde, donèc eruatur ſuccus ad pondus tertiæ partis : factâ identidem effuſione & expreſſione per colatorium lineum, indè colaturam aſſumito & clarificato ; adde ſingulis minis totidèm minas Sacchari ; decoquendo, donèc ſpiſſeſcat ſyrupus : lentè & attentè.*

Hâc ratione fit Rob Ribis compoſitum : ſimplex verò abſque additione ſacchari, ſolâ coctione ad conſiſtentiam Muſti coct. paratur, ut habet deſcriptio ſuprà tradita.

Idem P. A. de Sanctô Joſeph. L. C. p. 365. Plantam hanc ex iis montibus in hortos tranſplantatam ad Braſſicarum noſtrarum ambitum pingueſcere, ejuſque coſtas, (puto pediculos) ſub humô candificatas (ut apud nos *Seleri* Italorum) exiguô pretiô venire teſtatur in foris Aſpahani & Syraſii in Perſiâ, & inter primariorum & delicatiorum epulas, inter delicias haberi acetariorum locô &c.

Hæc eadem quoque planta eſt, cujus Cornelius du Bruyn in Itinerariô ſuô Perſicô nupèr emiſſô p. 141. nomine Rhabarbari, ſed virtutis purgantis expertis, meminit, & foliorum, ut ſunt cæteræ, ejus, Pictoris quamvìs excellentis, plantarum animaliumque figuræ, ſatis malam annectit iconem. Cæterùm confirmat turiones, ſivè potiùs folia primô vere prorumpentia & imprimis eorum pediculos cocta comedi in juſculô carnis, vel cruda etiam cum pipere & ſale, & ſubacidô ſuô ſapore ſe guſtui admodùm commendare, ſanguinemque bilioſum refrigerare, hìncque multùm æſtimari.

Quouſquè autem cum Rhabarbarô verô (ut ait de *Bruyn* L. C.) quod ex Tartariâ & Chinâ per Ruſſiam ad nos transfertur, conveniat ; aliô tempore dicam, ubi promiſſa Rhabarbari ſemina cum accuratâ delineatione & exſiccatô ſpecimine, quæ mihi promiſit Perilluſtris & Excellentiſſ. Vir, Robertus Areſkinus, S. Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius intimus & Archiatrorum Comes &c. Patronus & Amicus meus, memini ſecundus, accepero.

Locus natalis eſt Mons Libanus in Syriâ, ex quô tempore vernô, ubi adhùc ſub nive delitèſcit, ejus tenella folia cum caulibus Halepum transferuntur pro conficiendô Rob, quod ad alias deindè regiones tranſportatur. Reperitur etiam in Perſiâ, tam ſpontanea in locis montoſis, quàm culta in hortis, ut tradunt P. A. de Sanctô Joſeph & Corn. de Bruyn ſuprà citati, & fortè etiam in aliis regionibus Orientalibus.

Quod itàque Ribes Arabum cum noſtrô officinarum nullam, quod probavi affatìm, habet affinitatem ; ille verò in noſtris non reperiatur terris, quæritur meritô, annon ex noſtrô Oxylapathô, tempore vernali & methodô ſuprà enarratâ, Rob parari poſſit, quod ratione naturæ & virium longè magis Rob Ribis Arabum (quod & innuiſſe videtur Joh. Manardes in Annotationibus in

in Compoſita Meſue p. 582.) referret; quàm illud, quod hoc nomine in noſtris officinis hodiè reperitur? Ego de affirmativâ dubito nullus, quam ipſa experientia olìm, ut ſpero, confirmabit.

Ibidem in Appendice p. 153.

Epiſtola D. Johannis Philippi Breynii de Alcyoniô miræ & elegantis ſtructuræ, repertô in Mari Britannicô, ad Michaelem Friedericum Lochnerum, Archiatr. & Com. Palat. Cæſar. Nobil. Ephem. Nat. Curioſ. Directorem & Collegii Medici Norib. Decanum.

BRIFFAULT (*Jacobus*)

Ludov. Gardinii Inſtitutionum Librum tertium, de Rebus non naturalibus edidit.

BRIGANTIUS (*Annibal*)

De eô exſtat

D'ell' Hiſtoria de ſemplici Aromati, & altre coſe, che vengono portate d'all' Indie Orientali, pertinenti all' uſo d'ella Medecina, ſcritta in Lingua Porthugéſe da Don Garzia d'all' Orta, e un Trattato d'ella Neve, e del bever freſco di Nicolo Monardes. Tradotti in lingua Italiana da M. Annibale Briganti, Marrucino dà Cività di Chieti, Dottore e Medico excellentiſſimo. In Venetia, 1605. 8.

BRIGGS (*Guilielmus*)

Ex eô habetur

Ophthalmographia, ſive Oculi ejuſque Partium deſcriptio Anatomica. Cantabrigiæ, 1675. in 8.

De eô præterea exſtat in Actis Lipſienſibus ann. 1683. p. 454.

Nova Theoria Viſionis, Regiæ Anglorum Societati expoſita per Wilhelmum Briggſ. M. D. Ex Collectionibus Philoſophicis Anglicanis num. 6. ann. 1682. p. 167. ſeqq. excerpta.

Cum Obſervaſſet Theoriæ hujus Clariſſimus Autor non minùs aliorum de doctrinâ viſûs hactenùs edita ſcripta, quam ſuam annô 1676. in publicum emiſſam *Ophthalmographiam* imperfectione adhùc notabili paſſim laborare; potiſſimùm cùm hanc anatomicè tantùm tractaſſet, ſine ullô modum viſionis explicandi tentamine: pro defectû hôc aliquatenus ſupplendo, circa Nervorum Opticorum conformationem peculiaria & ab aliis nondùm obſervata recenſet, & ea *iconiſmô* delineat, & diverſa, difficilia æquè ac jucunda problemata, ab Opticis aliàs minùs ſufficienter explicata, per eandem Theoriam declarat.

Et *primò* quidem exortum horum Nervorum ſingularem ex hôc evincit, quòd, dùm reliqui ex planâ magis cerebri baſi emergant, hi altiùs & ex duabus protuberantiis, quas thalamos Nervorum Opticorum appellant, prodeant; ità, ùt fibræ illorum ſuper thalamos hos tractæ chordarum citharæ ſuper ponticulum flexuram, quæ pariter eminens & convexa eſt, commodè referant. Sicut autem in duabus citharis paris magnitudinis, ac fidium æqualium, chordarum ſuper ponticulum extenſarum ſupremæ magis, reliquæ quô ab his remotiores ſunt, eò minùs tenſæ deprehendantur; ità fibras illas binas, quæ in apice aut Zenith quaſi dictorum thalamorum exiſtunt, maxima; binas in Nadir, ſeu parte oppoſitâ omnium minimâ tenſione, propter minorem inflexionem gaudere: intermediarum verò tenſionem proportionaliter differre ſtatuit, prout aut ſummô, aut imô ſint viciniores; cum hâc tantùm exceptione, quòd fibræ laterales internæ ſub laxiore tenſione concipi debeant quàm externæ, ideò quòd hæ poſteriores magis inflexæ ſint.

Superiores ergò ex utrôque talamô ad ſuperiorem oculi partem productas fibras, *concordes* vocat, quæ uniſonis in duabus citharis reſpondeant, eôque *fibræ homotonæ* dici quoque poſſint. Has à cerebrô, ſeu thalamis nervorum opticorum, tanquàm illius moleculis peculiaribus emanantes, ùt concordent, ſub exortum ſui uniri haud neceſſarium eſſe, cum ſitû & tenſione ſibi quam exactiſſimè reſpondeant: inferiores pariter, & inferioribus oculorum partibus implantatas quia minore, eâque æquali tenſione gaudeant, utpotè minùs inflexæ, probè congruere: deniquè intermedias, mediâ ratione ſe habentes, ſibi itidèm conformes exiſtere docet. Undè eluceſcat, fibras binas parallelas, ſeu eundem ſitum & tenſionem obtinentes; nempè duas ſummas, duas infimas, duas laterales externas, duaſque internas, in ſingulis thalamis eſſe quaſi ſymphoniacas, ità ùt impreſſio objecti externi utramque fibram movens, non magis duplicem ſenſationem præſtet, ac fides uniſonæ duarum cithararum ſimùl pulſatæ duplicem excitent ſonum.

Atque hunc fibrarum paralleliſmum magìs confirmari putat per ſequens phœnomenon; nempè quòd *ſecundò* fibræ nervorum opticorum ordinem & poſitum diſtinctum obſervent, quem connexio eorum, æquilibrium magis firmans, non parùm juvet. Quòd enim nervi hi ſe invicem decuſſent, uniantur, aut eorum fibræ confundantur, concipi haud debere; ſed eas, quæ thalami dextri ſunt, diſtinctìm quoque ad oculum dextrum; quæ ſiniſtræ, ad ſiniſtrum ferri: prout in diverſis piſcibus evidens ſit, ubi nervi hi duo per ſimplicem tantùm contactum jungantur: quod & ex Chamæleonte, in quô eos planè non coire, communis ferat opinio, ac in homine ex obſervatione *Veſalii de Corp. hum. fabr. L. 4. C. 4.* colligere liceat, qui in fœminâ, cujus oculus dexter à primâ infantiâ minor & emaciatus, ſiniſter perfectus ac ſanus extitit, nervum dextrum totô ſui tractû exiliorem ſiniſtrô deprehendit.

Prætereà hoc æquilibrium, quod connexio illorum nervorum præſtet, multùm juvari ſuſpicatur per ſingularem muſculorum conſpirationem, quatenùs obliquus inferior ex peculiari orbitæ foramine exſurgat, reliquis omnibus ex fundô ejus emergentibus: & hìnc æquè inferiùs per muſculum hunc, ac ſuperiùs per trochlearem, oculi diſtorſionem inhiberi; i. e. per trochleam in parte unâ, & per hujus muſculi obliqui inferioris ſitum in alterâ, oculum firmum & rectum teneri, ùt nec ad externum, neque internum canthum magis declinare queat. Atque hunc quidèm peculiarem muſculi exortum, (cujus ætiologiam nullus ſcriptorum determinârit) negotio huic maximè neceſſarium putat: quia ſi cum reliquis ex fundô orbitæ prodiret, oculus perpetuô ſtrabiſmô laboraturus eſſet, trochlea ſola huic incommodo declinando haud ſufficiente: potiſſimùm cùm muſculus obliquus ſuperior interveniente hâc trochleâ, (quæ juxta principia mechanica ejus potentiam intendat) ſemper potentior foret, adeòque oculum nimis verſus canthum internum moturus eſſet, niſi inferior illi potentia æqualis hoc impediret: ut potè qui ſuperiore craſſior licèt brevior, à craſſiore oſſis parte oriatur, & deprimentis tendinem tranſgrediatur, nè ab hôc in ſuâ actione turbetur; dum ille longior exiſtat & robur majus à trochleâ recipiat, ſub tendine verò attollentis decurrat, adeòque exacta utriûſque,

que, ratâ proportione potentiæ libratio fit. Pari modô attollentem ac deprimentem muſculum proportione æquali gaudere perhibet: ità ùt, quamvis prior paulò craſſior exiſtat, quia tamen minùs robur ad deprimendum quàm elevandum oculum requiratur, eorum potentia æqualis ſit: idemque in lateralibus muſculis ſitum atque craſſitiem eandem obtinentibus, adeòque æquilibrium, quod ad conſenſum fibrarum concordium neceſſarium ſuprà dixerat, obſervantibus contingere aſſerit.

Imò *tertiò* hæc confirmari putat, per fibrarum nervi optici in oculum inſertionem illam, quâ hæ diſtinctas illas, quibus oriuntur, retineant ſeries. Quemadmodùm enim illiùs membranæ ſcliroticam ac oveam forment, ità ejus fibras medullares retinam conſtituentes in hâc parallelismum, in principiô obſervatum, & ad viſum neceſſarium, diſtinctè ſatis continuare.

Ex quâ hypotheſi diverſa problemata explicare ſatagit, aliàs vix ſolubilia: nimirum 1. *cur duplici oculô contingat viſio ſimplex?* Scilicèt quòd fibræ nervi utriûſque optici concordes [quemadmodùm ſuperius dictùm) inſtar uniſonarum fidium in chely ſe habeant, adeòque ſimul feriantur. In quô problemate Gaſſendum *de Apparenti magnitud. Solis humil. & ſublim.* tantam difficultatem reperiſſe refert ùt diſtinctam & accuratam viſionem unò tantùm oculô fieri perſuaſum habuerit: cùm nihilominùs certum ſit, nos unum objectum ſemper duobus oculis intueri, nec [propter conſenſum nervorum motoriorum, circa originem combinatorum, & per conſequens quoque muſculorum, in quos abeunt] unum oculum verſus aliquod punctum converti poſſe, quin alter eô ſimul feratur; cùmque ſenſibus obvium ſit, quòd viſio ambobus oculis perfectior, quàm unô, contingat; dum, ſi quis modò unô, modò utrôque oculô remotiorem paulò ſcripturam legere tentet, utrôque oculô literas evidentiores & claras, unô obſcuras, deprehendat. Quòd verò de ſclopetariis urgeri ſoleat, qui pro accuratiore ad metam collimatione alterum oculum claudant, aſſertum hoc minime evertere, multò minùs communem illam ſententiam confirmare, quòd ſpiritus viſivi oculi clauſi ad apertum derivati hujus ſpiritus augeant; cùm fibræ ſingulorum nervorum opticorum adeò diſtinctæ atque ordinatæ obſerventur, ùt unus cum alterô haud communicet: ſed contingere hoc, quia granulum ſclopeti collimatorium ità collocatum ſit, ùt utrumque axem viſorium per illud ad metam dirigere haud liceat; adeòque commodiùs ſit, alterum oculum claudere, quam eum vacillantem violenter ad metam intendere.

2. Hìnc quoque conſtare docet, *quomodô alterutrô oculô depreſſô objectum ſimplex videatur geminum?* Nempè quod radii hujus in fibras diſcordes, hoc eſt, tales incidant, quæ ratione ſuperiùs explicatâ ſibi haud reſpondeant: ità ùt hìc duæ diſtinctæ ſenſationes ſint, & objecti ſpecies una vera, altera falſa; una altior, altera profundior appareat. Quòd enim hoc non, ut communis fert ſententia, ab optici aut refracti coni in duas partes ſciſſurâ eveniat, quæ duo diſtincta retinæ loca in depreſſô oculô feriant, hinc eluceſcere, quod geminatio hæc mox evaneſcat, modò (quod à nemine aliàs Scriptorum obſervatum) oculus non depreſſus occludatur. Per chartam equidem perforatam objectum totuplex conſpici, quot ſunt in illa foramina, quæ inſtar vitri polyedri objecta multiplicantis, tot diſtinctos conos forment, in diſcordes ejuſdem retinæ fibras incidentes, & quidèm oculô etiam alterô clauſô aſt hoc dictam ſolutionem haud evertere, cùm illud contingat per interpoſitionem alteriûs corporis ſimili ferè modô, ac in vitrô multiplicativô; non verò nudô oculô, ut in modô expoſitô caſu: potiſſimùm cùm ſimilis generis extent obſervationes, quæ duplicem ſenſationem à turbatô illô parallelismô, eâdem ratione ac in depreſſione oculi, fieri evincant. Ità quandò *Borrichius Actor. Hafn. Vol. 2. Obſ.* 80. refert, ægram quandam, paulò ante mortem (ubi ſpiritus vacillare ac tremiſcere, ſimili ratione ac in ebriis, ſolent) omnia duplicia vidiſſe: cauſam hujus phænomeni hanc tradit, quòd ſpiritus animales ſerie haud ſtabili, ſed interruptâ utrumque nervum motorium, hìnc utriûſque oculi muſculos, irradient, & per conſequens illum parallelismum, quem ad diſtinctam viſionem neceſſarium ſupponit, deſtruant; quatenùs nullâ humoris cryſtallini alteratio concipi poſſit, quam autores in ejuſmodi caſibus alias inculpant.

Similiter dum *in iiſdem Actis Vol. 3. Obſ.* 20. paris ſymptomatis mentio fit, quod fabrum lignarium, nicotianæ fumum ſugentem, ſubitò invaſerat; illud repentinæ ad nervum alterum defluxioni acceptum refert, hunc laxanti, ejuſque tonum alteriûs tonô inæqualem reddenti. Quod idem in milite illô Pariſienſi, quem *Foreſtus l.* 11. *Obſ.* 39. in ſcenam producit, dextrô oculô humidiore & quaſi prolapſô, niſi hic clauderetur, cuncta objecta duplicia vidente, ſoliſque exſiccantibus & cephalicis reſtitutô, locum habuiſſe putat; quatenùs nervis motoriis ac muſculis ab humorum decubitû laxatis, oculi hujus cum alterô æquilibrium fuerit deſtructum, ità ùt hic quaſi depreſſus extiterit, hìnceque objecta duplicia apparuerint; remedia verò dicta humiditatem præternaturalem conſumpſerint, adeòque nervô & oculo priſtinum robur ac tonum, per conſequens parallelismum illum, reddiderint. Tandèm etiam eandem ætiologiam caſui illi rariori, quem *Aquilonius Optic. p.* 346. refert, applicat, ubi juvenis quidam objecta propinquiora ſimplicia, remotiora autem gemina vidit, in cujus tamen oculis nihil præternaturalis, excepta humiditate extraordinariâ, deprehenſum fuerit: nimirùm, quòd laxatô muſculorum tonô in obſervandis remotioribus, quæ majorem oculi firmitatem poſtulant, oculum firmum & ſtabilem continere haud potuerit; quæ nihilominùs laxatio vicinorum inſpectionem haud turbarit.

Quò verò uni & alteri objectioni ſatisfaciat, ac Theoriæ ſuæ omnem ambiguitatem præcidat, primò ratione figuræ, in quâ fibræ nervi optici ſe non decuſſant, monet, in aſellô molliore, & aliis forsàn quibuſdam piſcibus, decuſſationem quidèm hanc deprehendi, in pluribus autem piſcibus ſecùs, ac in homine illam per ſuperius allegatam Veſalii Obſervationem refelli. Imò nec hanc in aſellis conſpicuam decuſſationem opinioni ſuæ aliquid derogare, ſed eam potiùs confirmare: quãdoquidèm tonus nervorum æqualis in protuberantiis thalamorum opticorum concipi queat, ſive decuſſentur, ſive non. Deindè ait, ſe per *parallelismum* non tam pupillarum ad ſe invicem habitudinem, quam hoc intellectum velle, quòd fibræ correſpondentes retinæ ſingulorum oculorum eandem relationem ad objectum habeant: hâc enim ſi deſtituantur, res geminas apparere, quamvis unus oculus alterò humilior haud ſit. Et ſi oculus ad latus alterutrum prematur, (*contradicente quamvis Ariſtotele & Galenô*) objecta pariter gemina conſpici, ideò ſcilicèt, quòd figura oculi mutata fibrarum quoque retinæ ſitum mutari neceſſe ſit.

Deniquè concludit, quandò æquilibrii deſtructione res geminari aſſerat, ſe certum hujus deſtructionis

ſtructionis gradum ſupponere, talem ſcilicet, quô tota imago aut hujus maxima pars fibras diſcordes feriat; cùm exilis & levis oculi preſſura objectum non magis geminum reddat, quàm ſtrabiſmus connatus aut exigua oculi torſio: cùm contra in ſtrabiſmô à ſpaſmô aut paralyſi muſculorum motoriorum, ubi diſtorſio major & violentior contingit, res ſimplex ſemper duplicetur. Simili modô, ſi æquilibrium per ebrietatem aut phrenitidem corrumpatur, interdùm res geminas videri, interdùm non; prout ſcilicèt corruptio illum gradum attingat, vel non. Perindè ac inter digitos, non aliquatenùs tantùm, ſed probè & ſufficienter decuſſatos, globus ultrò citrôque actus geminus ſentiatur.

Ibidem ann. 1686. *p.* 318.

Guilielmi Briggs Ophthalmographia & nova viſionis Theoria. Lugd. Batav. apud Petrum vander A. 1686. *in* 12.

SI quis Acta Eruditorum Cal. Octobr. 1683. à nobis publicata evolvit, & novæ Viſionis Theoriæ mentionem factam deprehendet, occaſionem ſcilicèt atque materiam ſubminiſtrantibus Tranſactionibus Anglicanis. Cùmque Auctori non una difficultas, rationem viſûs concernens, objiceretur ab aliis, factum eſt, ùt porrò theoriam ſuam continuare, & imprimis ab objectis dubiis liberare neceſſum habuerit. Id verò egregiè præſtitiſſe Dominum *Briggs*, ſatis teſtatur ejuſdem Theoriæ continuatio, quam primùm quidèm in Philoſ. Tranſact. Num. 147. a. 1683. & poſtmodùm ex Anglicô in Latinum tranſlatam, unà cum Obſervatione circa viſum non ineleganti, nunc quidèm ſecundâ vice editam deprendimus

BRIGTHUS (*Timotheus*) Cantabrigienſis

De eo exſtant

Hygicine, ſeu, de ſanitate tuendâ, Medicinæ Pars prima. Francof. apud Joh. Wechelum, 1588. in 8. apud Palthenium, 1598. in 16.

Therapeutica, hoc eſt, de ſanitate reſtituendâ, Medicinæ Pars altera. Francof. apud Johan. Wechelum, 1589. in 8. apud Paltheinum, 1598. in 16.

BRISIANUS (*Hieronymus*,) Salodienſis.

Ex eô habentur

Nova Medicina. In quâ multorum errores in hâc præſtantiſſimâ facultate reteguntur, & antiquus ſuus honos Medicinæ reſtituitur, Venetiis, apud Damianum Zenarium, 1591. in 4.

Methodus ſcientiarum, ubi quæcunque ad ſcientiarum pertinent conſcriptionem, doctè, ordinatim, ac diſtinctè pertractantur. Venetiis, apud Damianum Zenarium, 1588. in 4.

Phyſiologiæ Libri duo, quibus Naturæ miracula mirô ordine & doctrinâ explicantur. Ibidem, apud Eund. 1596. in 4.

Geræologia. Tridenti, apud Joh. Bapt. & Jac. FF. de Sabbiô, 1583. 1585. in 8.

BRISSÆUS, *Briſſcaw.*

De eô extat in Actis Lipſienſibus ſuppl. Tom. V. *pag.* 509.

Traité de la cataracte & du Glaucoma, par Mr. Briſſeau le fils, Medecin Major des Hopitaux du Roy & Penſionaire de la Ville de Tournay.

i. e.

Tractatus de Cataractâ & de Glaucomate, Autore Briſſæô filiô, Medicô præfectô Noſocomiorum Regiorum ac Stipendiatô Civitatis Tornaci. Pariſiis, apud Laurentium d'Houry, 1709. 12.

PArvum hìc ſcriptum exhibemus pauló tardiùs ad nos advectum, ſed in quô experientiſſimus Autor graviores inter oculorum affectus cataractæ, glaucomati & guttæ ſerenæ magnam lucem videtur fœnerari. Perſpicuâ namque oculorum anatome præmiſſâ, cataractam horum ſive ſuffuſionem ipſius humoris cryſtallini exiſtere indurationem atque opacitatem reiteratis luculenter oſtendit obſervationibus, quarum primas menſe Novembri A. 1705. Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſi oblatas, Tornaci ſub principiô A. 1706. & ſecundas ibid. A. 1708. imprimi curavit, antequam utraſque nunc cum tertiis, necnon cum ſuis de glaucomate ac guttâ ſerenâ obſervatis atque objectionum reſponſionibus conſociaret. Ingenuè tamen fatetur, eandem cataractæ formalitatem undecim circiter ab hìnc luſtris à Dn. *Laſnier* fuiſſe detectam, ità ùt ſe atque *Antonium*, qui in *Tr. de Morbis oculorum*, à nobis in *Actis Menſe Februariô ann.* 1708. *p.* 68. recenſitô, ſimilem de ſuffuſione ſententiam divulgavit, pro primis ſaltem venditet, qui eôdem ferè tempore ab oblivione illam novis ſuis obſervationibus vindicaſſent. Ne *Borellum* addamus atque *Rolfincium*, quorum ille *Append. ad Obſ.* 61. hic verò *Diſſert. Anat. Lib.* 1. *cap.* 13. humorem itidem cryſtallinum pro cataractæ oculorum ſubjectô annotarunt, quoſque etiam Viri Clariſſimi D. *Gottfridus Thomaſius & D. Laurentius Heiſter* nuper in *Academiæ Naturæ Curioſorum Ephemeridibus Obſ.* 196. & 199. allegârunt, cùm laudatus *Heiſter* militem ſiſteret perfectâ cataractâ laborantem, in cujus ab obitû oculô inciſô lentem pariter cryſtallinam opacam, margaritæ æmulam, deprehenderit. Noſter nempè poſtquàm pluribus experimentis in oculis brutorum factis cognoſceret, acum pro cataractâ deponendâ oculô ſolemni ratione vix immitti poſſe, quin lens cryſtallina ſimul trajiciatur, de ſuffuſionis in humore aqueô ſede verè dubitare primùm cepit, verùm occaſionem mox nactus in cadavere militis, cujus oculum ſiniſtrum cataracta occupaverat, hanc acû è ſitû dejiciendi, ex ſectione talis oculi certior planè factus fuit, ſe cataractæ vice ipſum humorem cryſtallinum ſubvitreum detruſiſſe. Unica nihilominùs Obſervatione haud contentus varias alias porrò enumerat, tùm à ſe tum ab aliis, ſucceſſivè habitas, quæ omnes lentem cryſtallinam in cataractâ duritiem & opacitatem acquirere apertè innuant. Ab *Antoniô* autem glaucoma in humore cryſtallinô exſiccatô collocante atque peculiares cataractæ appendices aſſeverante, multum diſſentit, quòd appendices tales inventæ tantùm videantur ad operationis facilitatem magis occultandam & Chirurgos vulgares ab eâ arcendos, glaucoma verò humor potiùs vitreus habeatur, durior itidèm & opacus redditus. Glaucoma enim, ſi lens cryſtallina eſſet exſiccata, affectibus incurabilibus ab omnibus immeritò accenſeretur, quoniam tunc acû non minùs ac cataracta è locô ſuô poſſet deturbari; glaucoma verò humorem vitreum exiſtere, in duritiem & opacitatem verſum, duabus comprobat obſervationibus, quarum alteram ipſe annotavit, alteram verò à Dn. *Mareſchallô*, primariô Regis Chirurgô, accepit, ceu cui in Celeberrimi quondam Medici Burdelotii oculô à morte diſſectô dextrô non ſolùm modò humorem cryſtallinum opacum, ſed & humoris vitrei ſinuoſitatem, in quâ prior continetur, colore ſubflavô obſcuratam, licuerit

licuerit cernere. E diverſo guttam ſerenam, præterquàm quòd aliquandò à nervô opticô paralyticô inducatur, ſæpiùs ab humore vitreô penitùs diſſolutô dependere, duobus imprimis exemplis adſtruit, omnes cataractas, quas vacillantes dicunt, ſemper cum guttâ ſerenâ ſive corporis vitrei diſſolutione conjunctas obſervans. Reſponſiones deniquè quibus objectiones diluit ab utrôque *dela Hire, Litre, Mery & Woolhuyſe* adverſus ſuam de cataractâ ſententiam motas, eò magis tranſcribere ſuperſedemus, quò minùs prolixiores eſſe cupimus.

BRISSOTUS (*Petrus*) Gallus, Scholæ Pariſienſis Doctor A. C. 1514. Arabum deſertor Græcis addictus fuit. Renat. *Moreau* de v. ſ. in Pleurit. Claruit ſub Adrianô VI. Clemente VII. Pontificibus, & Carolô V. Imperatore A. C. 1522. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtat

Liber, ſive, Apologia de Inciſione venæ in Pleuritide Morbô. Baſileæ, ap. Thomam Wolffium, 1529. in 8. Pariſiis, apud Simonem Colinæum, 1538. in 8. apud Abrah. Pacard, 1622. in 8. Editio nova illuſtrata à Renatô Moreau, qui Διάλεξιν de Miſſione ſanguinis in Pleuritide ſubjunxit.

BRITANNUS (*Robertus*) Atrebas.

Ex eô habentur

Agriculturæ Encomium. Pariſiis, apud Chriſtoph. Wechelum, 1539. in 4.

De Parſimoniâ ſeu Frugalitate Libellus. Pariſiis, apud Sim. Colinæum, 1532. in 8.

BRIXIENSIS (*Guilielmus*) Aggregator Medicus eruditus. Vixit A. C. 1472. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô exſtat

Ad unamquamque Ægritudinem à capite ad pedes, Practica. Ejuſdem de Febribus, Tractatus. De Peſte. De Conſiliô obſervandô tempore peſtilentiali: ac etiam de curâ Peſtis, Tractatus. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1508. in fol.

BROCARDUS (*Marinus*,) Venetus.

Ex eô habetur.

De Morbô Gallicô, Tractatus. Extat Tomô II. Operis de Morbô Gallicô.

BROECKHUISEN (*Benjamin à*,)

De eô exſtat

Oeconomia Corporis Animalis, ſive Cogitationes ſuccinctæ, de Mente, Corpore, & utriûsque Conjunctione: Juxta Methodum Philoſophiæ Carteſianæ deductæ. Noviomagi, apud Regnerum Smecium, 1672. in 8. Amſtelodami, apud Henricum Wetſteinium, 1683. in 4.

BROEN (*Johannes*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1704. p. 425.

Johannis Broën Med. Doct. & in Acad. Lugd. Batav. Prælectoris Publici Opera Medica. Roterodami apud Bernard. Bos, 1703. 4.

SUb Authoris hujus nomine duo hactenùs circumlati ſunt Tractatus, *de Duplici Bile veterum*, putà atque *Animadverſiones Theoretico-Practicæ in Henrici Regii Praxin Medicam.* Cujus poſt mortem tria adhuc ſcripta propriâ manû nitidiſſimè conſignata repererunt hæredes, *Medicinam* ſcilicèt *Theoreticam*, ſeu *Oeconomiam Hominis*, *exercitationes Theoretico-Practicas de Operationibus medicamentorum*; & *Compendium Chymicum*, eaque in præſens congeſſerunt opus, laborem ejus, quem in vivis ſuſceperat, poſt mortem forſan pro futurum ſperantes.

In *Medicinâ* igitur *Theoreticâ* poſtquam Author Medicinam definiverat, quòd ſit ſcientia eorum, quæ in homine ſanô ſunt aut fiunt, nec non ægrotô eſſe aut fieri poſſunt; atque uberiùs dilucidaverat, cur eandem contra commune Doctorum dogma non artem, ſed ſcientiam, imò non conjecturalem opinionem, ſed certitudine evidenti ſubnixam eſſe ſtatuerit, quatuor Medicinæ partes in definitione exhauriri docet, (1) ſcilicet Anatomiam ſenſualem, ſeu craſſiorem, (2) Anatomiam Philoſophicam ſeu inſenſualem, (3) Chirurgiam, & (4) Praxin, ſub quâ Chimia & Pharmacia comprehenduntur. Dum itaque oeconomiam hominis in ſpecie tradit, docet inſimùl p. 16. dari omninò tubulos ventriculi lacteos, & p. 25. vaſa lactea non omnia ad receptaculum commune tendere, ſed alias plures in omnem dimenſionem habere exſpatiationes. Sanguinem verò cum chylô & lymphâ in corde rarefieri, ſaltèmque non effervèſcere, p. 27. adſtruit. Glandulam pinealem ſenſorium commune vocare, p. 52. nullus dubitat. Dum viſionem p. 63. explicat, primarias colorum differentias à duplici generali motûs globulorum cœleſtium determinatione, nempè motû per lineam rectam & curvam derivat, ab illô colorem album, ab hôc rubrum exoriri putans. Copioſam deniquè urinam intra breve temporis ſpatium ſecerni, tam propter poros veſicæ vapores recipientes, quàm propter glandulas veſicæ, urinam itidèm ſecernentes, imô propter canaliculos ex ventriculô immediatè ad renes & veſicam abeuntes, p. 98. credit; quâ occaſione pariter quædam de urinæ inſpectionis certitudine, & incertitudine ac falláciâ commemorat.

In *Exercitationibus Theoretico-Practicis de operationibus Medicamentorum* primùm de alimentô, medicamentô, venenô & alimentô medicamentoſô in genere dum agit, omnia & alimenta & medicamenta, & venena non tantùm adhoc illudvè animantium genus, verum etiam ad hanc illamve perſonam in ſpecie, ſemper eſſe conſideranda ut talia, id eſt, non generaliter, ſed relativè ad hæc eſſe reſpiciendum docet. Effectuum enim diverſitas, quos ſimplicia præſtant, deducenda eſt partim à diverſitate conſtitutionis partium fluidarum & ſolidarum, in diverſis hominibus, vel à primordiis generationis, vel à conſuetudine productâ, partim à variâ motû ſparticularum determinatione, ex quibus, ſimplicia conſtant. Per alimentum igitur omne illud intelligendum eſt, quod motum ſanguinis & humorum, certis hominibus conſuetum ſeu naturalem, notabiliter nec auget, nec minuit, ſed idoneum eſt, quòd ſtaminibus partium ſolidarum apponatur, humoreſque excretos ſufficienti quantitate reſtauret. Medicamentum verò illud omne eſt vocandum, quod motum ſanguinis & humorum, certis hominibus inconſuetum ſeu p. n. & morboſum, ad priſtinum ſtatum reducit, & impedimenta tollit, propter quæ vel diſtributiones ſanguinis & humorum vel ſecretiones & excretiones malè peragebantur. Veneni nomine indigitatur omne illud, quod vel motum ſanguinis humorumque

rumque motum conſuetum, ſecundum varios gradus, admodùm auget vel imminuit, obſtructioneſque multas & pertinaces in partibus ſolidis gignit, vel fibrillas, vaſaque partium erodit, inflammat, & gangrænâ vel ſphacelô afficit, undè circulatio fluidorum vehementer impeditur, aut prorsùs tollitur. Deniquè medicamentum alimentoſum illud eſt, quod certô tempore motum ſanguinis humorumque inconſuetum ſeu p. n. priſtinô reſtituit ſtatui, & quod ſimul aliâ occaſione ſtaminibus appropriari, ſufficientemque humorum copiam in locum deperditorum ſuppeditare poteſt. Ex quibus patet, nullam dari Panacæam, ſed ſpecifica omninò admittenda eſſe medicamenta, quæ quidèm non ità accipienda ſunt, quaſi aliis partibus vel prodeſſe vel nocere non poſſint eadem, quàm quibus ſanandis commoda eſſe cenſentur, ſed potiùs quatenùs nonnullæ eorum particulæ præ cæteris huic vel alteri parti magis vel minùs conducunt vel nocent. Quòd autem ſpecifica ſic dicta in paucâ doſi ſtupendos edant effectus, dependet partim à particularum ſubtilitate, earumque motûs vivacitate & determinatione, partìm à conſtantiâ & rigiditate particularum integrantium, vehementer æthere circumfluente preſſarum & motarum. Adeoque monendi ſunt Medici, nè tam facilè deflectant, à compoſitione ſpecificorum, veteribus uſitatorum, etiamſi videantur ſæpè numero ingredientia ſibi contraria, cùm tamen indè reſultet, tertium quid, cujus uſus eſt incomparabilis ſecundum tritum illud.

Et quæ non poſſunt ſingula, juncta valent.

Ad rerum interiora & medicamentorum vires perſcrutandas, non opus eſt ad principia ſive Ariſtotelis, ſive Galeni, ſive Paracelſi, ſive Helmontii refugere, quin obſervare potiùs deceat diverſas particularum (ex quibus omnia ſunt compoſita) magnitudines, figuras, rigiditates, flexibilitates, irregularitates, cohæſiones, adeòque varias determinationes motûs: hinc enim facile explicabitur, quomodò peragatur vel diviſio, ſeu attenuatio vel condenſatio, ſeu incraſſatio, vel emollitio, dilutio, dilatatio &c. Quâ ſimiliter methodô ſingulas medicamentorum facultates ſeorſim examinat Noſter & explicat, materiam medicam inſimùl ſuppeditando, atque animadverſiones in uſum remediorum unà cum formulis adjungendo. Deniquè in *Compendiô Chymicô* præcipua Chymiæ capita enucleat, & elegantiores ſimul ac utiliores proceſſus communicat.

BRONCORUS (*Thomas*)

De eô exſtat

De Populari & peſtilenti Gutturis affectione. Neapoli, 1622. in 4.

BRONZERIUS (*Joh. Hieronymus*) Natus in oppidô Rhodiginô, quod Abbatiam Vangadicenſem vocant A. C. 1577. Patre Joh. Antoniô: creatuſque Patavii 1597. Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, primùm Coloniæ Venetorum ſtipendiô, deindè in patria, tandèmque Patavii, & ultimò Belluni, Medicinam fecit, ubi etiam Obiit A. C. 1630. ætatis ſuæ 53.

Ex eô habentur

De Innatô Calidô, & naturali ſpiritû, Diſputatio. In quâ pro rei veritate Galeni doctrina paſſim explicatur & defenditur. Patavii, apud Petrum Paulum Tozzium, 1626. in 4. Adjecta eſt Dubitatio de Principatû Iecoris, ex Anatomiâ Lampetræ.

De Principiô effectivô ſemini inſitô, Diſputatio. In quâ complura attinentia ad ſeminis Corpulentiam, Spiritûs, Calidum innatum, Animationem, nec non ad Animæ materialis naturam & facultates diſcutiuntur & enodantur, paſſimque Galeni roboratur Phyſiologia. Venetiis, apud Paulum Frambottum, 1627. in 4.

BROSSE (*Guido de la*,) Medicus Rotomagenſis.

De eô extat

Traitté de la Peſte, 8. Paris, chès Jeremie & Chriſtophe Perierſ.

i. e.

Tractatus de Peſte, 8. Pariſ. apud Jerem. & Chriſtoph. Pererioſ.

BROUCHUSSIUS (*Daniel*)

De eô extant

Thomæ Aquinatis ſecreta Alchimiæ magnalia. Edidit Colon. Agrippinæ; apud Nicol. Bohmbargen. Lugduni apud Thomam Baſſium, 1612. in 8.

Theſaurus Alchimiæ. Coloniæ, 1579. in 4.

BROWN (*Eduardus*] Societ. Regiæ Anglicanæ ſocius.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Suppl. Tom. I. *p.* 250.

Relatio de Anatome ſtruthiocameli, factâ à D. Eduardô Brown, Societatis Regiæ necnon Collegii Medicorum Sociô. Ex Collect. Philoſ. Angl. M. Febr. 1682. *N.* 5. *p.* 147.

INter aves alatas ſeu pennatas maxima & proceriſſima æſtimatur Struthiocamelus, quippè octo quandòque pedes altus: quæ quidèm moles ſi comparetur cum *Tominejô* ſeu Paſſere Moſquitô, (*Humbird*) ut qui tantùm duodecim circiter grana pondere adæquat, facilè patet, quantum intra ambitum & latitudinem avium creatio fuerit ordinata.

Nomen Alitis hujuſce quod attinet, derivatum quidèm id à paſſere (στρουθός) videtur; caput tamen ejus anſerino magis accedit. Et noſtri quidèm *Collum* tres pedes ſeu *Virgam* Anglicam (*à Yard*) longum erat, non computatô tamen inſimul Capite. Pes integer, *à Calcaneo ad extremum digitum*, tres Virgæ quadrantes efficiebat: cui ipſi nempè, dum quietem capit, inſidet. Aſt *Pes* propriè ità dictus, ſive digitus longior, non niſi quadrantem virgæ adæquabat; minor verò digitus dimidium quadrantem ſuperaddita $\frac{1}{32}$ *Unguis* qui longiori digito eſt, $\frac{1}{16}$ Virgæ habebat: ſuprà eum verò ſtabant ſexaginta tres ſquamæ latæ, alia ſuper aliam, aſcendentes per totam partis in pede anterioris, ſeu oſſium, quæ *Metatarſo* reſpondent, altitudinem: minor autèm digitus penitùs ungue caret, nec niſi octo aut novem ſquamas habet, quarum itidem una alteri incumbit; ſed quæ non altiùs, quàm digitus ipſe aſcendunt. *Plantæ* pedis conformatio ſeu ſubſtantia non abſimilis ei eſt, quæ in cute Elephanti conſpicitur, ut ut non ità prædura ſit, mobilis inſuper eſt, ac preſſioni cedens, ut in pede Cameli, dum pinguedo ſubtùs latet, undè fit ùt molliter & ſine ſtrepitû incedat: cæterùm cutis, altius binis illis digitis ſita, ſquamoſa apparet. Quælibet verò harum ſquamularum irregulare quoddam pentagonum, tetragonum, & quandoque hexagonum conſtituit. Porrò à calcaneô uſque ad *genû*, ſeu eam partem,

tem, quæ hominis *tibiæ* reſpondet, ſpatium $\frac{5}{8}$ Virgæ intercedit; *Femur* pluſquam quadrantem Virgæ efficit, ac perquàm craſſum eſt. In *pectore* obſcura quædam ſubſtantia comparet, dura & calloſa, figuræ ovalis, $\frac{3}{32}$ Virgæ longa, ei non abſimilis, quæ in Camelô conſpicitur; ſuper hâc quietem ſedens capeſſit avis hæc capite ſimul erectô; ac hôc in ſitû eam dormire puto, non enim unquàm ipſam aliter poſitam videre potuimus. *Ala* ejus minor eſt quàm ùt totum contegere collum queat. Præterea pars quædam calloſa obſervatur ſuper *oſſe pubis*, longior eâ, cujus anteà mentionem fecimus, ſed anguſtior: ſuper quâ ſimùl præter calloſam illam pectoris partem, quieſcere adſolet. Corporis longitudo ab imâ parte colli uſquè ad finem uropigii erat unius Virgæ. Os maximum alæ $\frac{3}{8}$ dictæ menſuræ adæquabat. Summum caput planum erat, $\frac{3}{16}$ longum, metiendo à fine occipitis, uſque ad extremum roſtri. Caput porrò piloſum potiùs videtur quàm plumis obſitum; collum tamen candidas habet pennas perpulchras: ut ut alii contrarium affirmarint. In vertice capitis locus quidam eſt planus & ovalis, $\frac{1}{16}$ Virgæ longitudine, calloſus, pilis etiam plumiſque deſtitutus; non abſimilis callo iſti pectoris, licèt non ità craſſus; deſtinatus fortè ad præſervandum cerebrum à noxiis illis vaporibus, (*Serenes*) qui in regionibus calidioribus ſubindè cadunt, aliiſque aëris injuriis, nocturnis præſertim: quæ quidèm tantò magis hic conſiderandæ veniunt, quòd avis hæc erectô capite, & non ſub alas abditô dormit.

Gula admodùm larga eſt pariter, ac longa; ampliſſima tamen in ſummitate propè caput, ubi $\frac{3}{32}$ Virgæ lata eſt. *Os Hyoides* ſemet ab utrôque colli latere deorsùm extendit, longitudine $\frac{5}{32}$ menſuræ ſæpiùs nominatæ. Præter varios in collô muſculos, motioni numeroſarum iſtarum vertebrarum & capitis inſervientes, ſpeciatim duo ibi occurrunt muſculi perquàm elegantes, qui ab internâ thoracis parte prodeunt, intra pectoris cavitatem circa ſecundam coſtam orti, qui utrinque in arteriam aſperam ſemet inſerunt: licebitque eos appellare *Directores aſperæ arteriæ*. Circa primam porrò aſperæ hujus arteriæ diviſionem ſeu divaricationem ex utrôque pulmonum latere annulus eſt craſſior ac fortior quàm ullus è reliquis tracheæ annulis. Diverſæ in collô propè Gulam reperiuntur *glandulæ*, eæque coloris pallidi, & quaſi cinerei; verùm duæ prætereà glandulæ pulcherrimæ iſtic ſunt, arteriis carotidibus adhærentes, uti hæ è pectore utrinque emergunt; atque iſtæ ſubcærulæ ſunt. *Peritonæum* ſuccingit & laxè circumcludit ſtomachum.

Septem avis hæcce nacta eſt *coſtas*; nec non muſculos intercoſtales latos, planos & nitidos. *Sternum* non habet prominulum velut aliæ volucres, nec anguſtam pectoris cavitatem, uti plures quadrupedum; ſed pectus amplum, ac ſternum latum atque firmum, figurâ clypei & latius adhùc ſternô hominis: ac certè, quando alas hic dimittit caput & collum rotundè incurvat, per portam aliquam intrare parans, pectus ejus adeò latum eſt, ac greſſus tam diverſus ab inceſſu aliarum avium, tamque inſolitus, ùt Camelum propè æmuletur: cum hâc tamen prerogativâ, quòd, dum ſtruthiocamelus pondere ſuô nonniſi duobus cruribus innititur, greſſus ejus indè liberior & magis decorus apparet. Struthiocamelus porrò noſter maſculini generis erat, ſed junior adhuc: *Penem* habebat longitudine uniûs unciæ, cui exigua quædam ſubſtantia cartilaginea inerat. *Teſtes* altè ſatis, prope renes & ſpinam dorſi, ſiti erant, perquam exiles ac tenues, coloris flavi.

Aures rotundæ ſunt, earumque orificium hominis digitum admittit. *Oculi* lati & ſubcæruli, magnitudine humanis ferè pares. Mirum eſt, quod *Cardanus* exiſtimarit, *plumas* ſtruthiocameli coloratas atque tinctas à naturâ eſſe, rubras putà, cæruleas, luteas, virides; cùm tamen naturales hujus alitis colores modò ſint albus, griſeus ac fuſcus: nimirùm pennæ interioris alæ lateris nec non in pectore, ventre & collô erant candidæ, ut & plumæ in caudâ: ſed reliquæ ad cinereum aut fuſcum colorem accedebant. Certè tamen ales hic pulcherrimus animantibus eſt, quas Barbaria alit, ubi prætereà calidum regionis clima pennas ejus univerſas contorquet ac criſpat. Perhibet *Bellonius*, ſe vidiſſe Alexandriæ in unicâ tabernâ ad ducentas ſtruthiocamelorum pelles; indèque ſi contingeret plumarum geſtationem uſû iterùm frequentari, mercaturam hanc è Barbariâ non parùm incrementi capturam. Rimula *Laryngis* longa eſt & cartilagines circa eam validæ; nulla tamen omninò epiglottis, nec ſimilitudo, cum larynge humanâ: utut ii, qui *vocem* ejus audivêre, eandem comparandam velint cum clamore aut ejulatû infantis rauci, magis tamen lamentabilem atque tetricam: id quod confirmat relationem datam à Dn. *Sandys* in itinerariô ſuô, quod nimirùm ingens ſtruthiocamelorum numerus in deſertis iſtis locis detur, qui gregatìm degant, ac ſæpiùs peregrinos atque viatores horridis ſuis clamoribus territent. *Pulmones* coloris elegantis ac floridi ſunt, exiguæ tamen molis, proportione habitâ ad arteriam aſperam: cæterùm firmiter adhærent dorsô, ac perforati ſunt, perindè ut in aliis avibus; inflandô autem follium ope in tracheam, efficere non potuimus, ùt ſemet extollerent aut implerentur. *Cor* duos ventriculos habet, magnitudine iis qui in humanô corde ſunt, propè æquales; dexter tamen ventriculus multò tenuior eſt, ac valvulæ magis carnoſæ. *Duos* avis hæc habet *ſtomachos* quales in granivoris volucribus inveniuntur, Ingluviem nempè, & Ventriculum verum; *Ingluvies* tamen ſeu primus ſtomachus multùm ab eô differt, quem reliquæ aves habent, in hôc nempè, quod non ut in illis extra pectus, verùm intra ſternum ſitum ſuum nanciſcitur; item quòd non rotundus eſt, ſed oblongus velut ſacculus & vaſtæ ſatis amplitudinis ſecundum longitudinem in cavô corporis jacens. Id verò, quod in totâ hâc diſſectione optimè nobis ſatisfecit, fuerunt *glandulæ*, quas in tunicis hujuſce ſtomachi invenimus; extenſas in poſticâ ejus parte ab unâ ferè extremitate ad alteram, numerô propè mille, dùm denæ circiter in latum, ac centenæ in longum jacebant. Hæ ipſæ verò ſitæ ſunt inter tunicas ſtomachi & quælibet particularis glandula ſemet exonerat mediante peculiari orificiô per interiorem ſtomachi tunicam intra ejus cavitatem. Harum verò glandularum aliquas quidem invenimus rotundas & globulares, alias ovales, alias deniquè planiores & figuræ irregularis: ſpeciatim eæ, quæ inter reliquas altiſſimum obtinent ſitum, maximè rotundæ & craſſæ ſunt, quæ autem magis accedunt ad hujus ſtomachi fundum, ſeu ubi cum verô ventriculô unitur, latiores ſunt & planiores.

Hæ

Hæ ipſæ verò ſuccum quendam ingerunt, qui juvat ad digerendum varium iſtud pabulum, quô avis hæc uti conſuevit. Porrò *Ventriculus* genuinus, ſeu ingluviei contradiſtinctus, permagnæ erat amplitudinis: tunica ejus interior non ità firmiter adhærebat, ut in aliis volucribus ſolet, eratque perquàm craſſa & panno molliori (*Flannel*) non abſimilis: undè per ingluviem ſeu primum illum ſtomachum inſpicientibus nobis in huncce ventriculum, apparuit veluti ſegmentum talis panni aut mappæ, quod à Struthiocamelô deglutitum iſtìc deliteſceret. Tranſitus ex poſteriore hôc ventriculô in tenuia inteſtina perquàm anguſtus eſt. Ipſa *inteſtina* viginti circiter Virgas longa ſunt; tenuia nimirùm à ſtomachô incipientia decem Virgas emetiuntur; & de hìnc craſſa inteſtina uſque ad anum ferè totidèm. Propè initium craſſorum inteſtinorum *duo* ſunt inteſtina *cœca*, quorum quodlibet Virgam unam longum eſt, habentque intra ſe cochleam ſeu ſpiralem valvulam, qualis in Cuniculi Cœcô inteſtinô obſervatur; ſpira verò hæc in utrôque inteſtinô viginti propè gyros agit. Cæterùm extremitas Cœci exilis eſt, à Cœcô hominis inteſtinô non multùm diſcrepans. *Excrementa* quæ per inteſtina ejiciuntur, duorum ſunt generum: alterum albidum, tenue & glutinoſum, quod avis hæc ejaculatur more accipitris; poſt hoc dein ſequitur aliud excrementi genus, fimo ovino non abſimile, ſed grandius. Porro *meſenterium*, ut ut tantum numerum inteſtinorum tenuium & craſſorum complectatur, non tamen denſum eſt, ſed membrana tantùm tranſlucida, uti generatim in pennatis ſolet; admodùm nihilominùs amplum eſt, & nonnullis in locis pluſquam $\frac{3}{8}$ Virgæ profundum ſeu latum, metiendo à Centrô ad inteſtina uſque. *Hepar* quatuor conſtat lobis, & colorem habet non multùm ab humanô diſcrepantem; veſiculam tamen fellis nullam reperire potuimus. Præteréà Glandula quædam ſuberat ſtomachô, quæ pro *Splene* haberi potuiſſet, niſi pennata & inſecta ſplene carere dicerentur. *Pancreas* gracile erat & ultra pedem longum. Renes magni, & manum meam adæquantes longitudine, uti conjuncti jacent: Cæterùm figurâ citharam repræſentant. *Vreteres* firmi ſunt, validi, albicantes, & longi. Pone renes duæ jacent glandulæ nonnihil ovales, ſeſqui pollicem circiter longæ, & ſpinæ dorſi inſtratæ. Caput eſt minuſculum proportione totiûs corporis, ac idcircò Julius Scaliger, quandò aves recenſet capite largiori pollentes comparatione habitâ ad corpus earum, nominat Paſſerem, Bubonem, & Picum; at viciſſim volucres minoribus capitibus enumerans, adducit Gallinam, Pavonem & Struthiocamelum. De cæterô in Africâ, ubi & nonnulli Elephantibus veſcuntur, non mirum eſt, ſi aliqui ſunt, qui & Struthiocamelos in cibum adhibent. Galenus tamen aliique eorum carnem tanquam difficilis digeſtionis damnant.

BROWNE (*Johannes*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1716. *p.* 270.

Inſtitutions in Phyſick,

id eſt.

Inſtitutiones Medicæ, Autore Johanne Browne, L. L. M. D. Londini apud Jonam Browne, 1714. 8.

IN hiſce Inſtitutionibus Medicis ex variis Autoribus collectis principia & fundamenta artis, quâ theoriam & praxin, in ordinem redigere & explanare allaboravit Clariſſimus Jo. *Browne*, omnia mechaniſmo & ſtructuræ partium ſolidarum & fluidarum, ex quibus conflatur corpus humanum, ſuperſtruendo. Poſt Phyſiologiam ſcilicèt Pathologiam pariter ac Semiologiam cum Therapeutica ſuccinctâ explicat methodô. Cui adhæreat Autor hypotheſi, ex præfatione libro præmiſsâ patet, quæ perfectum, ſyſtema eorum, ad quæ in ſtudiô Medicô reſpiciendum eſt, continet. Operæ igitur pretium eſſe videtur, ſpeciminis locô, ex eâ quædam nunc communicare.

Ante omnia urget Autor Clariſſimus, ùt in arte hâc quemadmodum in aliis ſcientiis, certa principia, fundamentaque demonſtrationum plena ponantur; ſiquidem ex illis cauſas morborum, curationumque rationem deducere opus habemus. Hæc principia naturalia eſſe decet, adeòque mechanica, utpotè quæ à materiâ & motû, ſeu corporum diſpoſitione ad motum ſunt petenda. Motus quamdiù ſuum ſervat ordinem, juſtam proportionem, certumque tempus, pro regulari habendus eſt; utpotè qui ab artificiali ſtructurâ, diſpoſitione & proportione ad motum, quæ ſolidas inter ac fluidas partes intercedit, dependet; ſin verò ab externis & mechanicis cauſis fuerit alteratus, irregularis atque morbificus evadat, per bonam diætam, convenientiaque medicamenta in ordinem redigendus venit. Inde certè univerſale principium ſtabiliri poteſt, undè omnes actiones tam naturales quàm præternaturales, tanquàm à ſcaturigine primariâ rivuli, ut & omnes methodi medendi, medicamentorumque operationes derivari poſſunt. Sic ſanguinis motus à ſyſtole & diaſtole fibrarum muſcularium, motriciumque, quinimò à temperie & quantitate fluidorum derivandus eſt. Motio verò & impulſus ſolidarum partium non immateriale vel ideale quid eſt, ſed materiale, ſi quod aliud, ſubtiliſſimum, idque catholicum illud fluidum, propter elaſticitatem ſummè activum, à veteribus anima mundi apellatum, ſub reſpiratione ad nos accedens. Quamprimùm enim ſubtilis hic elaſticus aër exhalat ex corporis noſtri humoribus, cum vitâ actum eſt; ſic aër corruptus corpus non minùs quàm animam peſſundat, & utrorumque functiones turbat. Hæc certè cauſa eſt, quod in ſerenô purôque aëre diuturniorem protrahamus vitam, minùſque morbis obnoxii ſimus, ac per aëris mutationem graviores curentur affectus. Quæ ùt meliùs intelligantur, de vitâ & morte, ſanitate & morbis quædam præfatur Autor. Vitâ ſcilicèt corporis organici non præciſè ſanitatem ejus ſtatumque omnis corruptionis expertem, ſed certam quandam actionem, quæ nihil aliud quàm motus eſt, denotat. Vita ſcilicèt eſt conſtans motus fluidorum per certos canales vel vaſa, ſolidorum impulſû adjutus, & corruptibile corpus ab interitu vindicans. Motû hôc benè ſuccedente, pars vel totum corpus vivere dicitur, & à corruptione præſervatur; interruptô verò illô, nec reſtitutô, mortuum hoc pronunciatur; ità tamen ùt corruptio & putrefactio non ſemper immediatè ſequatur mortem, ut in laqueô ſtrangulatis, aquâ ſuffocatis, & frigore peremptis videre eſt. Mors verò per morbi vehementiam accelerata à deficiente ſanguinis motû dependet, & cum diſpoſitione ad patefactionem eſt conjuncta. Quanquam igitur motus hic ſanguinis circularis ſit, datur tamen & alter, inteſtinus videlicèt, à motû particularum activarum, & volatilium productus,

ſanguinem reliquoſque humores à violentâ aëris externi actione defendens, & differenti texturâ imbuens. Præter hunc motum progreſſivum & preſſionem ſanguinis per tot colatoria diverſiſſimi generis, ſeparat hic non ſolum humores laudabiles, verùm & ſeroſas, impuras, ſalinas, ſulphureaſque particulas, quæ etiamſi ſuâ naturâ ad corruptionem tendant, præſervantur tamen ab hâc, quamdiù humores motum ſuum illibatum conſervant. Sic ſanitas non ſimpliciter in motû circulari ſanguinis conſiſtit, qui etiam in morbis celebratur, ſed in certô ordine hujus motûs, in moderatô liberôque progreſſû ſanguinis, cordis pulſû fibrarumque tonô adjutô, fundata eſt, ſeu ab æqualitate motûs ſolidarum pariter ac fluidarum partium dependet. Ad continuandùm hunc motum partìm moderatus & æqualis ſolidarum partium impulſus, partìm humorum debita, & diverſæ amplitudini vaſorum, diverſôque fibrarum vigori reſpondens, quantitas partìm legitima elementorum proportio profluidis, maſſam ſanguineam conſtituentibus, temperandis, partìm vaſa libera & aperta, perquæ abſque obſtaculô ſanguis tranſire valeat, requiruntur. Præ reliquis igitùr pulſus & tonus partium utramque faciunt paginam ad ſanitatem conſervandam; pulſus enim cor & vaſa reſpicit, quæ à centrô ad circumferentiam humores pellunt; tonus verò fibris debetur, ac membranaceis muſculoſiſque partibus, â circumferentia ad centrum eaſdem urgentibus; utraque motûs ſpecies benè ſi vigeat, quâ valorem, æqualitatem, & temperamentum, ſanguis æqualiter & ſine obſtaculô in partibus admittitur, ſecretiones benè ſuccedunt, & ſanitate proſperâ fruitur homo. Verùm enim verô non idem advertitur ſanguinis in ſingulis hominibus motus, ſed pro temperamentorum diverſitate admodùm variat. Aſt hæc differentia non quantitati & magnitudini fibrarum, ſed harum robori & vigori, id eſt, pulſui & tono in acceptum eſt referenda; nec ſubſtantiæ & texturæ ſanguinis vaſorum plenitudini, aut capacitati debetur; ſed quemadmodum diſpoſitio hæreditaria, ætas, ſexus, clima, vel aër variis modis temperamentum hoc humorum, contractionem fibrarum, robur & conditionem vaſorum afficit, & alterat, ità ſanguinis motus uſque adeò immutatur, ùt unô ſemper eôdemque modô in eôdem homine, quôvis anni tempore, ſub quôvis paſtû, ſub quôvis climate non ſuccedat. Quoniam autem in variis ſubjectis varius ſanguinis motus obſervatur, mirum non eſt, miram eſſe in hominum conſtitutione diſcrepantiam, ſive appetitum, ſive excretiones, ſive pulſum, ſive valorem, ſive diſpoſitiones ad morbos, ſive ingenia ſpectes. Morbos quod attinet, horum fundamentum ſeu cauſa immediata in motû hôc quærenda venit, plus minùs immoderatô, interruptô vel inæquali, prout ſcilicèt læſus pulſus vel tonus partium ſolidarum ac temperamentum pravum & diſproportionatum fluidarum hìnc anſam ſuppeditat.

BROWNE [*Richardus*)

Ex eô habetur

Περὶ Ἀρχῶν Liber. In quô recepta veteribus Rerum principia funditùs evertuntur, & nova, ut in Naturâ verè ſunt, ſtabiliuntur. Londini, ap. Thomam Paſſinger, 1678. in 8.

BROWNE [*Joſephus*)

De eô Extat in Actis Lipſienſibus ann. 1721. *p.* 410.

A. Practical Treatiſe of the Plague.

i. e.

Tractatus Practicus de Peſte: Autore Joſephô Browne L. L. M. D. Londini, apud J. Wilcox, 1720. 8.

COlligit in hôc tractatû Autor Clariſſimus, quicquid ante eum Mayerne, Butlerus, Bateus, Burrellus, Fabritius, Johnſtonius, Rudgelerius, Rhedus, Tulpius, Gliſſonius, Harvey, Goddardus, Scarburgus & alii tam quoad naturam quàm curationem & præſervationem peſtis ſtatuerunt, ſigna verò tam imminentis quàm præſentis Peſtis diagnoſtica æquè ac prognoſtica ex Ludovici Gardinii & Eberhardi Gokelii ſcriptis communicat. Dedicavit quidèm eundem Doctori Mead, tantùm tamen abeſt, ùt eandem ſemper cum hôc foveat ſententiam, ut potiùs eum frequentiùs caſtiget. Pauca nunc ex eô recenſebimus. Peſtem definit per ſubtile ac contagioſum venenum, vel in corpore progenitum, vel ab extra communicatum, naturæ malignæ, robur vitale & ſpiritus animales ſubitò aggrediens, ac extremum terrorem & timorem mortis hominibus communicans. Tribus à D. Mead allegatis peſtis cauſis quartam & quintam addit, pravam ſcilicèt diætam, & alios, qui præceſſerunt, morbos. Prava diæta homines in peſtem & alios morbos incurrere poſſe, exemplô probat Hiſpanorum, Italorum, Gallorum, Germanorum, Polonorum & Sileſiorum, qui ardentibus & malignis febribus ſubjecti obſervantur, ex nullâ aliâ cauſâ, quàm quòd cibis acribus & calidis, ut cepis, alliis, &c. delectentur; cui accedit aëris, in quô vivunt, temperies inæqualis, quâ relaxatô muſculorum & fibrarum tonô, ſuppreſſâque inſenſibili tranſpiratione corpora neceſſariò morbis epidemiis exponuntur. Ex aliis morbis alios ortum ducere, in probatulô eſſe putat, ſiquidèm hæmorrhagia narium diſponit partes ad vertiginem, vel apoplexiam, ſudor colliquativus tonum partium relaxando digeſtionem impedit & hecticam promovet, ductûs bilarii obſtructiones generant flavum nigrumque icterûm, & cachexia in febribus acutis malignitatem, malignitas in putridis peſtem producit. Non impoſſibile igitur eſſe exiſtimat, hominem ab aliorum conſortio remotum, ſub aurâ maximè ſalutari, peſte corripi poſſe iiſdem ſtipata ſymptomatibus, quibus alii laborant, qui per contactum luem contraxerunt. Ad vim peſtis refrænandam luculentos ignes hìnc indè non ſolum in plateis publicis, ſed in quibuſvis etiam domuum partibus caminis inſtructis accendi vult, illos potiſſimum, qui lithantracum beneficiô excitantur, partim ùt atomi peſtilentiales in aëre collectæ diſſipentur, partìm ùt earundem prava qualitas ſuccini & terræ bituminoſæ, quibus illæ turgent, exhalationibus corrigatur. Præter alia, à Doctore Mead jam commendata, ut literæ ex locis infectis tranſmiſſæ fumigationibus purificentur, jubet, nec alia ſuffimigia ex thure, ſtorace, &c. diſſuadet, ſiquidem aromaticorum horum partes igne magis ſubtiliſatæ malignas aëris qualitates corrigere aptæ ſunt. Mittimus methodos tam curandi ſymptomata peſtilentialia, quàm à lue præſervandi, quas ex ſupra allegatis Scriptoribus collegit Autor.

BROWNIUS

BROWNIUS (*Thomas*)

De eô Exat in Actis Lipſienſibus Suppl.tom. I. *ann.* 1692. *p.* 279.

The Works of ſir Thomas Brown kt. Doctor of Phyſick late of Norwich.

i. e.

Opera Thomæ Brownii, Equitis, Doctoris Medici, dum viveret, Norvicenſis. Londini, impenſis Tho. Baſſet, Rich. Chiſwell, Thomæ Sawbridge, Caroli Mearn & Caroli Brome; 1686. *in fol.*

VOlumen hoc quadripartitum primô locô exhibet *Pſeudodoxiam Epidemicam.* Hanc Illtris vir, *Chriſtianus Knorrius, Baro à Roſenroth*, meritò dignam habuit, quam in Germanicam linguam transferret ac Norimbergenſibus typis annô 1680. publici juris faceret. Argumentum, quod ingenioſiſſimus Autor ſeptem libris pertractat, ſunt *errores populares.* Ac *priori* quidèm *librô* inquirit in eorum *cauſas*, quas generis humani fragilitatem, pravamque diſpoſitionem vulgi, tot varii generis impoſtoribus & impoſturis circumſepti, ſtatuit; acrius hâc occaſione in Medicos animadvertens, qui è vaſe urinariô, ceu Fati librô, aut *Urim* quôdam tantùm non Aaronicô, oracula petant de virginitate, conceptione, fœcunditate aut imperſcrutabilibus quibuſvis corporis humani infirmitatibus. Obſervat dein, errori magis viam ſterni, quando res auditû perceptæ non rectè intelliguntur, aut poriſmata illinc perperam deducuntur. Accedere credulitatem ſupinamque negligentiam, ut & nimiam autoritatis humanæ, cum primis verò antiquitatis, venerationem. Hæc ubi exemplis non unis illuſtrâſſet Noſter, Scriptores enumerat, qui traditionibus ſuis errores populares aut progenuerunt, aut foverunt & aluerunt. Sunt ii *Herodotus*, *Cteſias*, *Cnidius*, *Phlegon Trallianus*, (quem æquè ac *Philoſtratum* Apollonii, Thyanæi biographum, *Paulum Venetum*, *Jovium*, *Olaum Magnum*, *Nierembergium*, cautè & cum formidine deceptionis legendos monet;) itèm *Dioſcorides*, *Plinius Secundus*, *Ælianus*, *Solinus*, *Athenæus*; porrò *Nicander* & *Phile* Poëtæ, *Baſilius Ambroſius*que in Hexaëmerô, *Epiphanius* in Phiſiologô, *Iſidorus Hiſpalenſis* in de Originibus, *Albertus* denique *Magnus*, *Vincentius Bellovacenſis*, *Bartholomæus Anglicus*, *Kiranides*, *Hieron. Cardanus*, *Alex. Pedimontanus*, *Antonius Mizaldus* & *Joh. Bapt. Porta.* His accenſet etiam *Theologos* quoſdam, experimentis Phyſicis phraſium Biblicarum, ſed popularium, autoritatem opponentes, *Oratores* & *Ethicos* ex vulgi traditionibus ſimilia petentes, *Pictores* tandèm atque *Poëtas.* Extrema verò in hôc recenſû occupat *Satan*, primarius omnium errorum parens.

Librô II. diverſæ opiniones de *mineralibus & vegetabilibus* ſub examen revocantur; ſtatuiturque à verô aberrare, quotquot e. c. putent, vitrum eſſe veneni genus, ſuccinum non attrahere corpora oleô inuncta, ex aurô cordialia medicamenta parari, dari pulverem pyrium *album*, qui *abſque ſonitû* diſplodi & *lethalem* plagam inferre queat, corallium ſub aquis molle eſſe, nec niſi in liberum aërem, protractum obdureſcere, amygdalas amaras ebrietatem arcere, camphorâ impotentiam in Venere effici, &c. Dum de magnete benè multa notatû digna in medium affert *Brownius*, ſententiam quoque ſuam exponit de emplaſtris magneticis, qualia ſunt emplaſtrum *divinum* Nicolai, *nigrum* Auguſtanum, *Opodeldoch*, & *attractivum* Paracelſi, imprimis autem iſtud, quô uſus eſt Daniel *Beckerus*, cùm, operâ Danielis Suevi (*Schwabens*) Chirurgi, è ventriculô ruſtici viventis *Andreæ Grunheidii* cultrum deglutitum die 9. Julii ann. 1635. Regiomonti exſecari curaret; quâ de re totô paſſim orbe celebratiſſimâ videndus eſt C. *Hartknoch* Tomô II. Pruſſiæ c. II. fol. 349.---355. Ut ut enim *Libavius* aliique ejuſmodi emplaſtra ulli uſui fore perſuaderi ſibi haudquaquàm paſſi fuerint, urſerintque, magnetem in pulverem redactum amittere polares reſpectus ac conſequenter vim attractivam; *Brownius* tamen in *emplaſtrô de miniô*, magnetis contuſi drachmam unam maſſæ reliquæ, (eique ſemiunciali,) admiſcuit, ac *magdaleonem* (ſive volumen emplaſtri) admovit acubus, quæ abs eô commotæ fuerunt, adeòque experimentô hôc comprobârunt, etiam particulas qualvis reſpectus polares & vim attractivam ſervare, quanquàm hæc integrô in magnete luculentiùs ſe ſe conſpiciendam præbeat, quam in minutis fragminibus. Ideòque non improbat penitùs emplaſtrum *Beckerianum*; mallet tamen, ut, ſi fortè ſimilis caſus in poſterum contingat, pulvis magnetis craſſiuſculus ſit, aut potiùs loco emplaſtri integer magnes diſſectô ventriculô admoveatur.

Libro III. exploduntur Veterum errores circa *animalia* bruta: e. l. equum & columbā felle carere; dari amphiſbænam, gryphum aut phœnicem; viperas, dum partû eduntur, perrumpere matris inteſtina, ſtruthiocamelum ferrô veſci &c. Inſtar omnium eſto exemplum caſtoris, *qui ſe* (Iuvenali dicente.)

Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno
Teſticulorum, adeò medicatum intelligit inguen.

Verùm ex antiquis *Seſtius*, è recentioribus *Rondeletius* animadverterunt, impoſſibile eſſe, ùt fiber teſticulos ſuos decerpat, abjiciatque, cùm intra corpus lateant; illa verò membra, quæ teſticulos eſſe credidit vulgus, folliculi tantummodô ſunt membranâ contecti, & humore illô turgidi, quem *caſtoreum* vocamus, quemque ipſe caſtor exſugere ac corporis ſui partes eô oblinire quandoquè deprehenditur. Neque enim teſticulis illis ſpuriis via ad mentulam; neque in ſolis maribus exiſtunt. Imò nec ſperma continent, ſed excrementa, quæ cùm è piſcibus comeſtis oriantur, non poſſunt non graveolentia eſſe, aliàs perquam ſimilia futura Zibetho, à felibus Indicis excerni ſolito, ſi fibri paribus alimentis fruerentur.

Acceſſus *librô ſequenti* fit ad *hominem*, ac præter alia id genus, refellitur, quod cor ſub lævâ mammillâ, pleuritis nonniſi in ſiniſtro latere ſedem habeat; quòd mortui pondere ſuperent viventes, & jejuni probè cœnatos; quòd Judæi vitiô naturali ac hæreditariô fœteant; quòd annus ſexageſimus tertius ceu climactericus magnus magnum vitæ noſtræ periculum portendat; quòd in diebus canicularibus medicinâ uti periculoſum ſit.

Libro V. Virgula ſtringuitur in *Pictores*, qui Adamo ac Evæ umbilicos, Iſaaco immolando vultum ſtaturamque puerilem, aſpides duas eaſque non adeò magnas Cleopatræ Ægypti Reginæ morienti, Cajo Julio Cæſari equitanti ſtapedas, divo Hieronymo campanam appingunt, aut, quod Brownius mavult, affingunt. Nec mitiùs agit cum illis, qui filiam Jephtæ à patre immolandam, non autem perpetuo cælibatui addicendam: vel Hamanem è collô in patibulô ſuſpenſum, non manibus pedibuſque cruci affixum, in tabulis ſuis repræſentant. Mox vapulant quàmplurimæ Chriſtianorum conſuetudines, ſuperſtitionem ethnicam redolentes. Huc pertinet, quòd multi ovorum calices ſtatim diffringant, aut cochleari contundant, quamprimùm eos exſorbuerint, impedituri hâc ratione, nè ſagæ illis abutantur, id quòd

id quod ipſiſmet Gentilibus more receptum fuiſſe, vel ex Pliniô conſtat. Itèm quòd, ſi quis aures ſuas tinnire ſentiat, aliquem de ſe loqui autumet, eâ forſan de cauſâ, quoniàm pagani à Mercuriô ſeſe vellicatis auribus moneri perſuaſi fuêre; porrò, quòd non pauci, ethices Chriſtianæ præcepta aphoriſmis gentilium medicorum poſthabentes, ſanitatem ſuam menſtruâ ebrietate ſartam tectam conſervare nitantur. Erronea quoque Browniô audit opinio, quòd embryo pallidus evadat, ſi mater gravida mortui corpus intuita fuerit. Nec religio quorundam ſeſe ei approbat, qui hirundines, utut moleſtiſſimas, occidere verentur, fortaſſis, quia apud Ethnicos *Dis* Penatibus ſacræ fuerunt. Fontes, aquæductus, Ciſternas capitibus leoninis exornare, moris eſt. Hunc Autor non improbat, ejus tamen origines ex Ægyptô repetere non dubitat, ut potè ubi idem fieri aſſolebat, eò quòd, Sole in Leonis ſignô exiſtente, Nilus fluxûs ſui ἀκμὴν attingit, ac in univerſas regionis partes diffunditur.

Liber VI. verſatur circa dubia geographica & hiſtorica, de tempore orbis conditi, de incrementô generis humani antediluviani, de Nili inundatione & pluviis in Ægyptô cadentibus, de rubedine maris Erythræi, de Æthiopum nigredine, quam nec ex Solis fervore, nec Noachi imprecatione, oriundam dictitat Noſter, adjecta digreſſione de verâ naturalis nigredinis cauſâ, quam cauſis nigredinis artificialis analogam eſſe contendit. Quamvìs enim corporum colores ortum ſuum debeant diverſæ receptioni, refractioni aut modificationi lucis; dantur tamen variæ res, quæ illa diſponant ac præparent,ùt colorem aliquē recipiant. Nigredinem autem Brownius aut è *fuligine* aut è *vitriolô* derivat. Quod *fuliginem* concernit, voce hâc latius utitur, ùt & *fumum* & *nidorem* ſuô ambitû complectatur. Obſervat deìn nigreſcere aliquid per materiam fuliginoſam, procedentem è ſulphure corporum aduſtorum, h. e. oleô, pinguedine & partibus unctuoſis, utpotè in quibus inflammabilitatis principiâ ſedem habent. Non enim loquitur de ſulphure purô, quale in ſpiritû vini ſæpiùs rectificatô offendere eſt, ſed continente adhùc particulas terreſtres atque ſal volatile, quale in communi fuligine guſtû experiri licèt. Cave tamen ſulphur vulgare ſive uſuale intelligas; id enim aut plane non, aut parùm denigrabit, niſi fortè corpus metallicum exhalationem ejus excipiat.Cæterùm opus eſt, ùt ſi aliquid caſû aut arte furvum reddi debet, ab igne aduratur & torreatur. Hoc enim ſi factum fuerit, res contrariâ complexione præditæ facili negotiô nigrorem acquirent. Sic carbones lignei propriô ſuô ſuffitu nigreſcunt, canonemque comprobant: *Aduſta nigra*, (ob tincturam fuliginoſam) *Peruſta alba*, (uti videre eſt in cineribus, è quibus tinctura illâ exhalatione jamjam in aërem abiit.) Hâc ratione ſolet ignis corpora, quæ aqua mundare nequit, purificare, dum nimirùm ſulphureas conſumit partes,quibus ea priùs foëdabantur. Sic camphora (ſubſtantia alba) objectum aliquod fuligine ſuâ maximoperè denigrat. Pix & reſina ex eâdem arbore proveniunt. Verùm illa nigra, hæc alba eſt, eô quòd illa igne cogatur, hæc ſponte ſoleat fluere. Ità cholera aduſta in febribus ardentibus nigritiem linguæ, dentibus & excrementis conciliat. Quâ igitur ratione ignis culinaris in id genus materiam vim ſuam exſerit; eâdem ratione Brownius cenſet, non tantùm bitumen, gagatem, ſtibium, variaſque terras minerales abs elementari igne atrô colore tingi, ſed & Æthiopum corpora fuliginoſis effloreſcentiis abundare poſſe, quæ per poros emiſſæ cutem denigrent. Altera via, quam Noſter inſiſtit,deducit nos ad *conditionem* quandam atramentoſam, quô nomine Autor intelligit qualitatem vitriolarem, conjunctam cum humiditate terreſtri ac aſtringente. Ità enim atramentum ſcriptorium conſtat vitriolô ſive calchanthô projectô ſuper decoctum gallarum. Ac ſolum quidèm vitriolum, (non cætera ſalia, v. g. alumen, ſal gemmæ, nitrum, ſal armeniacum) principem ſibi locum in compoſitione atramenti bonæ notæ vindicare poteſt. Terreſtri verò ac aſtringente humore omninò hìc opus eſt. Vitriolum enim decocto lactucæ vel malvæ nigredinem inducere nequit, id quod ei in mixturâ aliquâ adſtringente facillimum eſt, ut ut eam oleum ingrediatur, quale quid in atramentô pictoriô & typographicô uſû venit. Quòd autem gallæ tantùm hanc in rem vulgò adhibentur, minùs neceſſe eſt; cùm quælibet planta, quæ partibus auſteris & ſtypticis conſtat, ſufficiat; cujus experimentum *Brownius* cepit in biſtortâ, myrobalanô, myrtô Brabanticâ, Balauſtiô, & roſâ rubrâ. Pleraque enim decocta plantarum adſtringentium, cujuscunque ſint coloris, liquorem miniſtrant rubrum ſaturum, moſchatumve, qui, additô vitriolô, in atrum abibit. Vis autem denigratoria iſthæc, quam in chalcanthô deprehendimus, reſidere videtur in ejus ſale fixiori, non itèm in phlegmate, neque in ſpiritû, qui volatile ſal ſecum defert. Id quod Brownius fuſiùs probat, monſtratque deìn exemplô non unô, atramentariam illam qualitatem ferrô ac vitriolô ineſſe, ac his mediantibus, variis corporibus metallicis; maximè tamen ferrô, ut potè cujus limatura acetô indita, unà cum decoctô gallarum, optimô atramento conficiendô inſervit. Sic limonium aut cydonium malum cultrô diſſectum nigreſcit, corium cortice quercûs ſubactum atrum fit ſolâ vitrioli ſolutione. Mercurius dulcis & vitriolum vomitivum ejectionibus eundem colorem inducunt. Aqua fortis, quam vitriolum quoque ingreditur, corpora alba denigrat. Contendit cum his inanimatis animata quædam Brownius, ſepiam nempe, cujus humor θολὸς, Latinè *atramentum* nuncupatur; porrò vaccinia, ceraſa nigra, cortices juglandium, quæ omnia inflammationes extinguunt, ſtomachum corroborant, ac pro ſpecificis in epilepſiâ habentur. Sicque tandèm & Æthiopes evaſiſſe nigros, conjicit Auctor. Nè enim alicui abſurdum videatur, vitrioloſas partes & qualitates, imò quadantenùs ipſummet vitriolum in corpore animatô ſtatui, *Brownius* monet, ſal quoddam auſterum atque ſtypticum per tellurem diffundi, ac ubi in plantis concoctum fuerit, dulciùs palatoque noſtro gratius evadere. Hoc vocat vitriolum vegetabile, cujus beneficiô limonia, malogranata, ceraſaque acrimoniam pergratam, pruna autem ſylveſtria, meſpili & cydonia mala auſterum ſaporem nanciſcantur. Tale quoque in animalibus exiſtere non dubitat. Porrò, quòd ſalia coloribus augendis atque ſaturandis apta nata ſint, notat conſtare, tùm tinctorum praxi, tum experimentis Chymicorum. Sic enim cinnabaris maneret alba, niſi acidâ ſulphuris exhalatione in rubrum pulcherrimum tranſmutaretur; ſicque ſpiritus ſalini papyro cyaneo ruborem ſaturum inducunt, &c. Quærenti autem, qui factum, quòd Æthiopum gens aut fuligine aut vitriolô id genus denigrante prædita eſſe cœperit, reſpondet *Brownius*: potuiſſe id fortaſſis fieri ob aquarum certarum, ejuſmodi qualitate conſpicuarum, internum uſum, primis Nigritis frequentatum, quemadmodùm fontes duos in

Bœotiâ

Bœotiâ memoravit Plinius, quorum alter dealbabat, alter denigrabat oves. Imò aqua Siberitana non tantùm boum, ſed & hominum cutem nigram reddebat. Quod ſi hæc Ariſtobuli conjectura lectori ſe ſe minùs approbaverit, ſuccenturiatam habet aliam, ab imaginatione primæ Æthiopum genitricis deſumptam. Quemadmodùm ex adverſô olim accipitres, milvos, urſos aliaque animalia in orbe ſeptentrionali æternas, quas ibi in montibus cernas, nives frequenter adſpicientia albam ſobolem edidiſſe, hinc verò ſimilem progeniem ad noſtra uſque tempora derivatam eſſe, multis perquàm veriſimile eſt. Ulteriùs expendere jubet, num-nè ater Æthiopis primi color cum nigrô icterô (ex atræ bilis ſuffuſione exoriri ſolitô) eaſdem origines habuerit, ac æquè facilè cum ſemine propagari potuerit, ſicuti ex calvis calvos, ex cæſiis cæſios, ex diſtortis diſtortos, ex macrocephalis macrocephalos gigni, Hippocrates obſervavit. Faciliùs autem longè eſt, colorem, quàm membra ἄμετρα monſtroſaque, à patre ad filium generatione naturali tranſmitti. Nigritæ artificiales, Cingari nempe, lardô variiſque unguentis corpora ſua fricant, oblinunt, incraſſant, Soliſque dein radiis, exponunt. Utrùm ex priſcis Æthiopibus tale quid uſû venerit, dicere non auſus eſt Noſter, ſuſpicari tamen non veretur. Fatemur, nos Benevole Lector, juſtô (more-ve ſaltèm noſtrô) prolixius te in hâc Brownii de Æthiopum colore hæreditariô diſſertatione detinuiſſe. Sed nondum pœnitet, quùm opus lectû jucundiſſimum, ut ut Germanicè tranſlatum, in paucorum è civibus noſtris, nedum Italorum, Gallorum, Belgarum, Danorum, Suecorumve manibus verſetur; ex prolixiori autem hoc ſpecimine clarius Tibi conſtare queat, quid è cæteris capitibus expectandum ſit, quæ nonniſi ſuſpensô quaſi pede pertranſire integrum fuit.

Librô deniquè ultimô variæ ex hiſtoriâ, tam Sacrâ, quàm profanâ, enatæ controverſiæ ventilantur, negaturque e. g. turrim Babylonicam metû diluvii alterius extructam eſſe; Ariſtotelem in Euripum ſeſe præcipitem dediſſe, cùm fluxum illiûs & refluxum explicare non poſſet; Tamerlanem paſtoritii generis fuiſſe; Beliſarium ad eam egeſtatem redactum ùt obolum oſtiatim petere opus haberet; Fabios univerſos, exceptô unô nondùm adultô, in pugnâ ad Cremeram, occubuiſſe. Æſchylum mortuum, cùm aquila, (avium penè perſpicaciſſima) calvum ejus caput pro rupe habens, teſtudinem, quam fractam cupiebat, in illud dejeciſſet. Sed & in eam ferè propendet ſententiam *Brownius*, Hiſtoriam de Johanne VIII. Papâ ſequioris ſexûs, fabularum numero adſerendam eſſe, eò quòd ejus autores phraſibus *ajunt*, *ferunt*, ut plurimùm utantur, Leo etiam Allatius teſtetur, veteres Martini Poloni codices pericopam illam famoſiſſimam non habere; Photius deniquè, Metrophanes Smyrnæus, cæterique Græci exoſiſſimis Latinis hanc Sedis Romanæ labem exprobrare neglexerint. Non equidèm fert animus, controverſiam illam curatiùs excutere, cùm id ab aliis dudùm factum ſit. Non incongruum tamen erit paucis commemorare, quod Clariſſimus Fellerus noſter in Bibliothecâ Paulinâ hanc in rem obſervâvit. Nimirùm tria ibi extant Mſcta Chronicorum Martini Poloni; unum membraneum in 4to, & duo chartacea in Foliô. In horum unô tota narratio iiſdem ferè verbis ac in editionibus impreſſis, prolixè recenſetur. In alterô chartaceô iſthæc tantùm Leonis & Benedicti vitis interjecta, legas: *Huic* (*Leoni*) ſucceſſit Johannes mulier Papa; de hôc in Chronicâ Ratiſponenſi. At in membranaceô nulla planè Johannæ mentio injecta deprehenditur.

Alteram voluminis partem abſolvit *Religio Medici*, octavum edita, cum commentariô geminô, alterô à *Kenelmô Digbæô* ann. 1642. alterô ab Anonymô ann. 1654. exaratô. Plura de opere hôc multis præclarè monitis, ſed & non paucis paradoxis refertô dicere haberemus, niſi *Joh. Merryweather*, M. A. Cantabrigienſis, ann. 1644. Latinè id convertiſſet, ejuſque verſionem L. N. M. E. N. Germanus cum notis ſuis ann. 1651. Argentorati recudi curâſſet. Ut verò Lectori aliquatenùs conjectû facile ſit, quid rerum in commentaria ſua contulerint bini illi Browniani interpretes Angli, lubet alterius, *Digbæi* putà, ſententiam de *reſurrectione corporis* excerptam ſpeciminis vice hic adferre. Ea hùc ferè redit; Corporis humani individuum ſemper manet, ut ut particulæ illud componentes perpetuô fluxû & refluxû mutentur, abeant per inſenſibilem tranſpirationem redeantque per nova alimenta in ſuccum & ſanguinem controverſa. Non enim aliud habere corpus cenſetur Petrus ſenex, quam quod in pueritiâ habuit, quamvis non minorem mutationem ſubierit, ac navis illa Athenienſis, toties novis aſſeribus reparata, ùt tandem è veteribus ne unus quidèm ſupereſſet. Ratio identitatis eſt forma informans, quæ uti unica, ità nonniſi unicum corpus pari modô ſe res habebit cum corpore, quod in reſurrectione nanciſcemur, quoniam eadem anima id informabit, quæ præſens noſtrum animat, adeòque idem cum præſenti putandum erit, etiamſi ex planè novâ materiâ; v. g. è monte aliquô Americanô, divinô nutû componatur. Quemadmodùm, & guttæ quæ hodiè circa Withehall. in Tameſi defluunt & in mare deincèps deferuntur, cràs illic non aderunt ampliùs, planè aliis in earum locum ſuccedentibus: nihilominùs eôdem jure fluvius pone Whitehall craſtinâ luce Tameſis nomine veniet, ac hodiè, aut aliquot retrò ſeculis. Numerica individuatio corporis à ſolâ, formâ ſubſtantiali dependet. Materia enim abſque illâ non diſtinctâ ſubſiſtit, ſed in chaos quaſi primævum redit, donèc forma illa, (ſi ſuperſtes fuerit, quod in ſolis hominibus contingit,) ex communi materiæ promptuariô tantùm decerpat, ſibique in corpus aptet, quantùm informare voluerit. Hæc Philoſophus ille, qui an καινῆς αἱρέσεως hoc nomine reus ſit, Theologi viderint.

Nos ad tertiam Voluminis partem pedem promovemus. Geminam ibi diſſertationem offendas. Priori nomen eſt Hydriotaphia. Agitur ea de urnis ſepulchralibus quadraginta quinque, in Norfolciâ effoſſis, quæ à *Browniô* non tantùm deſcribuntur ſed & in effigie repræſentantur. Hinc anſa arripitur, omnia illa, quæ de ritû comburendi mortuos, apud Romanos, Britones, Saxones, Danoſque uſitatô Noſter unquàm legerat, longâ ſerie, ſtrictim tamen, commemorandi. Poſterior hôc titulô inſignitur; Hortus Cyri. Argumentum nempè primarium ſuppeditavit locus Xenophontis de Cyri Minoris hortô Sardicenſi, ubi fuiſſe dicuntur *arbores pari intervallô ſitæ, recti ordines, & omnia perpulchrè in quinquncem directa.* Hinc non modò quincunx arborum, adjectâ æneâ tabulâ, depingitur; verùm etiam, nè nimiùm ſterilis evaderet hæc autoris commentatio, catalogus conficitur rerum artificialium, naturalium & myſticarum, in quibus quincunx aut ſaltem ῥομβοειδὲς aliquid, numeruſve quinarius conſpicuus eſt.

Quarta voluminis pars nonniſi poſthumos Brownii fœtus complectitur, obſtetricante *Thomâ Theniſoniô* in lucem editos. Numerum illi decimum tertium non excedunt, & *diſſertationem epiſtolicarum* nomine non incongruè inſigniri poterunt. Familiam meritò ducunt obſervationes de *plantis* in *Scripturâ Sacrâ* memoratis. Sequens epiſtola *plantas coronarias* enumerat. Tertia diſquiritur, qualia *piſcium* genera intelligantur Joh. XXI. II. probabilique conjectura aſſeritur, truttas, lucios, capitones, tineaſve ſignari, eò quòd hi in lacû Tiberiados, Belloniô teſte, frequentes ſint, non item alii grandiores. Excutitur (4) quid *halec*, *mugil. halcyon*, *niſus*, *ciris*, *nycticorax* atque *cicada* ſint. Mox (5) nonnulla de *re accipitrariâ* in medium afferuntur; pauciora verò [6] de cymbalis. Hinc (7) verſùs *ropalici* ſive *graduales* inter ſemi-eruditorum nugas relegantur. Schediaſmate octavô harmonia veteris *Saxonicæ* & modernæ *Anglicæ* linguæ ad oculum pateſcit. Nonum de *collibus factitiis*, ſive tumulis veterum heroum in Britanniâ hìc illic reperiundis agit. Decimum de *Troade*, per quam Paulus tranſiit. Undecimum de oraculô Delphici Apollinis Croëſô datô. Reliqua nonniſi luſus ingenii ſunt.

BRUCÆUS (*Henricus*) Natus Aloſti, Flandriæ Urbe, A. C. 1531. Patre Gerhardô Brucæô, Senatore Bononiæ in Italiâ Medicinæ Doctor creatus, & haud multò poſt in patriâ cùm Urbis Medicus, tùm Reipubl. Senator electus eſt: indè in Academiam Roſtochienſem à Principe Megapolitanô evocatus, in eâ per annos 25. Mathemata docuit, donec ex apoplexiâ febrim continuam ſecutâ obiit A. C. 1593. ætatis ſuæ 62.

Ex eô habentur

De Scorbutô propoſitiones Roſtochii diſputatæ. Extant cum Severini Eugaleni de Scorbutô Librô. Roſtochii, 1589. in 8. Jenæ, apud Barthol. Voigt, 1624. in 8. Hagæ 1658. in 8. edit. ultima recognita & emendata Amſtel apud J. F. Bernard 1720. 8.

Epiſtolæ de variis rebus & argumentis Medicis. Extant cum Henrici Smetii Miſcellaneis. Francof. apud Jonam Rhodium, 1611. in 8.

BRUCKMANNUS [*Franciſc. Erneſtus.*]

De eô Extat in Actis Lipſienſibus ann. 1722. *pag.* 545.

Relatio Brevis Hiſtorico-Phyſico-Medica de Cereviſiâ Regiô-Lotharienſi, vulgò Duckſtein dicta, recenſita & delineata à Fr. Erneſtô Bruckmannô, Med. Doct. & Practicô Brunſvicenſi. Helmſtadii, typis Hermanni Danielis Hammii, 1722. 4.

PRimus Protoplaſtorum noſtrorum, reliquorumque deindè mortalium potus fuit aqua, hinc lac egregium alimentum pariter ac medicamentum; cui, cùm homines frugalitatis limites ſingulos magis magiſque tranſgrederentur, ſufficiebatur vinum, optimum conſervans & reſtaurans laſſatorum ac deficientium machinæ noſtræ corporeæ ſpirituum; ſed & hujus defectus & penuria hinc indè apparuit, poſtquam ſcilicèt multiplicata mortalium gens varias regiones colere atque inhabitare coëperat. Ad fruges igitur ſe receperunt homines, & primùm quidèm ad hordeum, hinc ad triticum, oryzam, milium, avenam, &c. quæ cum aquâ macerârunt, & potum indè confecerunt, quem cereviſiam vocamus. Cùm autem nec fruges ubiquè locorum terra ferre poterat, aquam cum radicibus & herbis coctam vel ſaltem infuſam, uti eſt infuſum herbæ Thée Indorum, vices Cereviſiæ & vini ſupplere oportuit. Inter cereviſias cùm ea, quæ Regio-Lotharii coquitur, & ob virtutes medicamentoſas egregia, & ob famam, dum ex ducatû Brunſvicenſi per totam fermè Germaniam vehitur, notiſſima ſit, de hâc quædam in chartam conjicere & juris publici facere propoſuit Clar. Bruckmannus.

Præmiſſis igitur paucis de Cereviſiæ antiquitate, inventore, & etymologia in genere, ad Regio-Lotharienſem ſe convertit, quæ ab oppidô, Kœnigſ-Lutter, quod tribus milliaribus Brunſvico, duobus Helmſtadio diſtat, ità vocatur, & germanicè Duckſtein, à ſaxô tophaceô ejuſdem nominis, ſuper quod oppidum hoc exſtructum, & ex quô aquâ, Lutter dicta, ſcaturit, audit. Paratur ex malthô triticeô, & quanquam tales Cereviſiæ ob ſal craſſum & crudum tartarum, quo ſcatet triticum, calefacere inſigniter, nutrire valdè & pinguefacere corpora, ſanguinem viſcoſiorem reddere, aſthma & reſpirationis difficultatem, alioſque pectorales affectus excitare, viſcera obſtruere, alvum nimis lubricam reddere, & deniquè nephritidi fomitem ſubminiſtrare vulgò dicantur, tantùm tamen abeſſe putat Noſter, ùt hæc quidem Cereviſia ullas noxas bibentibus afferat, ùt potiùs modicè calefaciat, ſi non ad voluptatem & in nimis magnâ copia, ſed pro fallendâ tantùm ſiti hauriatur; nutrimentum afferat copori, ſed laudabile atque machinæ noſtræ amicum; ſanguinem fluidiorē & floridiorem reddat; nec pectori officiat, cùm aſthma & difficilis reſpiratio morbi ſint in oppidô Lutteranô rariſſimi & plane fermè ignoti; glandulas & vaſa deobſtruat, facilè per renes, ureteres & veſicam tranſeat, alvum non nimis lubricet, niſi recens fuerit, nec à fæcibus ritè purgata, quem etiam aliæ Cereviſiæ præſtant effectum; & deniquè nephritidi nullam ſuppeditet occaſionem, ſiquidèm nephritis, calculus, podagra, & reliquæ arthritidis ſpecies, imò omnes morbi tartareorum nomine venientes, ab incolis dicti oppidi ignorantur. Cavendum interim docet Cl. Autor, nè malthum nimis ſit toſtum, nec nimis exſiccatum & induratum, quod Cereviſiæ huic, quæ inter albas ſic dictas numeratur, non colorem tantùm præter naturalem ruſeſcentem & brunum, ſaporemque aduſtum conciliaret, ſed bibentibus quoque inextinguibilem ſitim, fauciumque ariditatem ſuſcitaret, ac capitis dolorem & temulentiam induceret, non ſine vitæ & ſanitatis incommodo. Nec in impalpabilem farinam illud frangi & contundi debere, monet, ſiquidèm tum aqua cocta per filtrum ſtramineum non tranſiret, & Cereviſia ad ultimam guttam turbida maneret; cùm viciſſim, ſi nimis groſſè comminuatur, virtutes ſuas menſtruo commodè haud poſſit ſuppeditare. Quanquàm autem hanc Cereviſiam nullus ingrediatur lupulus, virtutes tamen, quas lupulatis tribuunt Scriptores, abundè poſſidet; id eſt, acidos & viſcidos humores corrigit, atque obſtructiones tollit. Menſtruum, in quô coquitur Cereviſia hæc, aqua eſt fontana Lutterana, pellucidiſſima, puriſſima & dulciſſima. Breviter, bonitatem Cereviſiæ Duckſteinenſis dignoſcunt incolæ, ſi ſit clara, & pellucida, cerei coloris, odoris fragrantis, & ſaporis ſubdulcis ac grati; nec inquinata coëculis de Levante vel herbâ & floribus Chamæleagni, ac ſi in vitrum infuſa lineas, literas vel circulos, Hebræorum characteribus analogos, ducat. Præter uſum in vitâ communi cum aliis Cereviſiis communem, medicas etiam obtinet vires, quatenùs (1) ventriculum & viſcerum tonum roborat, (2) ciborum

ciborum appetitum excitat, (3) chylificationem juvat, (4) ſalſum ſanguinis ſerum & muriaticum temperat, viſcidum, lentum corrigit, diluit, & per excernicula propellit; unde ad ſcabiem & ſcorbutum conducit, (5) nullam ſtranguriam excitat, cui ſubjecti ſunt, qui inſuetam bibunt cereviſiam, (6) optimus eruditorum exiſtit potus, cùm nec obſtructiones gignat, nec malo hypochondriaco fores aperiat, & (7) ſolatur eos, qui arthritide, podagrâ, calculô vel hydrope decumbunt.

Ex iiſdem ann. 1727. *p.* 407.

F. E. Bruckmanni, Med. Doct. Acad. Cæſar. Leopold. Carol. Nat. curioſ. Collegæ & Practici Brunſvicenſis, Hiſtoria naturalis Curioſa Lapidis τῦ ἀσβέςυ. Brunſvigæ, 1727. 4.

IN lapidum Hiſtoriis Naturalibus conſignandis admodum ſtudioſum eſſe Clariſſ. Bruckmannum, de Oolithô, Arachneolithô, Lapide violaceo & nummali hactemus editâ ejus ſpecimina abundè teſtantur. Poſtquam igitur ante hos tres annos fodinam Amianthi in Hungariâ inveſtigandi copiam nactus eſt, hunc lapidem, ſi quem alium, ſolidiori contemplatione dignum agnoſcens, præſentem ejus Hiſtoriam Naturalem curioſam pertexere & cum orbe erudito communicare conſtituit. Expoſita itaque Etymologia, Synonymia & Homonymia Amianthi ſeu Aſbeſti, definitionem ejus format ſequentem: Eſt lapis mineralis opacus, non adeò durus, albò gryſeus, nitens, fibroſus, è fibris rectis, plus minus longioribus, argenti inſtar ſplendentibus, conſtans, omni ignis flammæ reſiſtens, nec à menſtruis reſolubilis, flagrans, & materiam, ligno vegetabili analogam, præbens pro ellychniis, pannô linteô, & chartâ; quæ res ex lapide parantur; de ejus incombuſtibilitate participant, & igni haud ſecus ac lapis ipſe fortiter & ſine noxâ reſiſtunt. Addita parapraſi hujus definitionis, exploſaque de Salamandræ pilis fabula, ex quibus Amianthus oriri creditur, in patriam ejus inquirit, & differentiam à talco exponit. Proprietates hinc lapidis explicat, dum ignis vehementiæ reſiſtit, materiam præbet chartæ conficiendæ aptam, & inſtar lini in fila ſubtiliſſima duci ſe patitur; quâ occaſione modum chartam incombuſtibilem ex chartâ ſic dictâ gryſeâ bibulâ parandi docet. Quanquam autem ex lapide hoc ellychnia, quæ affuſô oleô lumen de ſe fundunt ſplendidum, parentur, talia tamen ad lucernas veterum ſepulchrales adhibita fuiſſe negat, cûm Asbeſtus ſine pabulô oleoſo non ardeat, ſed eô deficiente extinguatur, & in loco clauſô circulationi aëris liberæ non expoſito flammam haud retineat, ſed mox ſuffocetur; exiſtimat potiùs, multos deceptos fuiſſe à flammâ quâdam ex ſepulchris clauſis & poſt longum demum annorum curſum apertis eructante, quàm pro ardente lucernæ flammâ habuerunt, præſertim quando ſimul lampada invenerunt, quam veteres Romani ex ſuperſtitioſâ religione in honorem animæ immortalis ſepulchris ſuorum indiderunt. Uſum in Medicinâ Amiantho nullum adſcribit, qui ei ab authoribus tribuitur, de alumine plumoſô potius interpretandum ratus, operam etiam illos atque oleum perdere, qui oleum incombuſtibile ex eô deſtillare allaborant, perhibet.

BRUDUS, Luſitanus Medicus, cujus ætatem ignoramus, ſcripſit.

De Ratione victûs in ſingulis febribus ſecundùm Hippocratem, in genere, & ſigillatìm; Libros III. Venetiis apud hæredes Petri Ravani 1544. 1559. in 8. apud Joannem Rubeum. Tiguri apud Geſneros 1555. in 8. unà cum Conradi Geſneri *Enchiridiô rei Medicæ triplicis*. Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p. 180.

BRUELE [*Gualterus*]

Ex eö habetur

Praxis Medicinæ Theorica & Empirica familiariſſima. In quâ pulcherrima dilucidiſſimâque ratione Morborum internorum Cognitio, eorumque curatio traditur. Antverpiæ, apud Plantinum, 1580. & 1585. in fol. Lugd. Batav. apud Franciſcum Raphelengium, 1589. in 8. Ibidem, apud Eundem, 1599. in 8. Venetiis, apud Ciottum 1602. in 8. Lugduni Batavorum, apud Franciſcum Raphelengium, 1612. in 8. Ibidem, apud Joh. Maire, 1628. in 8.

BRUHESIUS (*Petrus*)

De eô extant

Epiſtolæ Duæ de Thermarum aquiſgranenſium Viribus, Naturâ & Uſû. Antverpiæ in 8. 1555.

Conſilia quædam de Arthritide. Extant in Opere Henrici Gareſii Francofurti in 8. 1592.

BRUITSMA [*Regnerus*,] Friſius

De eô exſtat

Jatricum Votum in publicæ ſalutis, & Medicinæ ſanctioris tutelam. Mechliniæ apud Henricum Jacy, 1617. in 4.

BRUMANUS (*Sigiſmundus*) Italus, Nobilis Cremonenſis, Clementis VIII. Pont. Max. Medicus, foëcundô viviſſimôque inſtructus ingeniô, mira in medendô tùm facilitate, tùm felicitate pollens, ac variæ doctrinæ ornamentô, abſtruſarumque rerum cognitione ditatus.

Hujus eſt mentio in librô Statutorum Collegii Medicorum Almæ Urbis pag. mihi 109. & apud Baldum Baldi in Volumine intitulatô, *Diſcorſo Apologetico del vero Opobalſamo Orientale*, *pag.* 107.

Familiam Brumanam pariter illuſtrârunt Cæſar Brumanus, Romæ præſul, inter Abbreviatores de Pareo Majori ad lectus, cujus cum laude meminit alter præſul, Johannes ſcilicet Ciampinus, amicus meus eximiè colendus, bonarum litterarum cultor aſſiduus, in enarratione Synopticâ Abbreviatorum, ad annum 1566. pag. 22. Matthæus Brumanus Canonicus Regularis Lateranenſis, Theologus, mox Melphienſis Epiſcopus, de quô tractat Ferdinandus Vghellus, in Italiâ Sacrâ, Tom. 1. col. 1018. inſignique decoratur elogiô à Celſô Roſinô in Lyceô Lateranenſi, Tom. 2. lib. 11. pag. 69. diciturque author Tractatuum De Eccleſiaſticorum Reddituum Juribus, & Origine; ac de Matrimoniorum Validitate & Invaliditate.

Commodùm hæc ſcripſeram, quandò Franciſcus Ariſius Cremonenſis, plenus humanitatis & doctrinæ meus amicus, qui de Scriptoribus Cremonenſibus Opus elaboravit, præloque paravit, per Literas de Sigiſmundô, ſequentes mihi notitias præbuit, quare hic reſcribere neceſſariam duxi. Singula ſubnectam verba. Sic igitur fatur. *Sigiſmundus Brumanus, Græci & Latini idiomatis peritiâ perfectè in patriâ inſtructus*, Patavium ex indè annum circa 1555. Philoſophicis, & Medicis ſtudiis inhians profecit, & quidem ſub optimis præceptoribus, diû noctùque operam dedit, nilque illi ſuavius erat, quàm antiquorum

reſponſa librare, Galeni, & Hippocratis Aphoriſmata omni diligentiâ excutere, contrariaſve ſententias enodando, acerrimô judiciô recondita Medicinæ penetralia reſerare. Indutâque Togâ, quod cùm illi ſummâ omnium admiratione contigiſſet, ad patriam reverſus, in clariſſimum Phyſicorum Collegium, cunctis ſuffragiis cooptatur (in cujus albô adſcripti jam fuerant ex ejus gentilibus, Chryſtophorus, quem publicum Phyſicæ profeſſorem habuit Peruſia; Odoardus, in quô patria novum Aëſculapium fuit admirata; Joſeph, quem Aula Saxonica, maximum Medicum obtinuit) penes affines, & neceſſarios cùm per annum conſtitiſſet, à Cælô Romanô allectus, Urbem perrexit & ibi non modicâ pecuniarum erogatione, ruſticum, & frugiferum fundum emit; ſicque in illâ primariâ Orbis patriâ, tot virtutibus, & meritis effulſit, ût non tantùm Romanus Civis, & Medicus nobiliſſimô in illô Collegiô 1567. adſcribi obtinuerit, at ipſius Clementis VIII. Sum. Pont. Phyſicus, familiaris, & continuus Comenſalis, nec non totius Eccleſiaſtici ſtatûs Generalis Archiater meruerit declarari.

Deſiderantur ejus opera, quæ ut monet Joſeph Breſſianus in lib. m. ſ. cui tit. *Virtù Ravivata* &c. ſunt.

De Modô componendi Theriacam.

De Encomiis Medicinæ lib. 2.

De Generatione & Corruptione lib. 2.

Apud Caviteilum in Annal. erga finem, eſt de eôdem honorificâ mentio. Franciſcus Zava, inſignis Orator Cremonenſis in ſuis operibus ſæpè ſæpiùs de Sigiſmundô noſtrô, ejus ſororiô memoriam agit, eumque commendat, & præcipuè in Epiſtolâ nuncupatoriâ Tom. 2. Rerum Illuſtrium, Matthæo Brumano Ab. Can. Regul. & deincèps Nicomedienſi primùm, mox Melphienſi Epiſcopo directa, ubi plura adnotantur de Nobilitate gentis Brumanæ. Fratres habuit Chriſtophorum, Tiburtium, Camillum, & Ludovicum & Sorores Barbaram & Hortenſiam. Chryſtophorus J. C. & Cauſidicus Collegiatus, Sacris exindè initiatus fuit, Eccleſiæ Divæ Luciæ præfectus, morum integritate, Legum cognitione, judicii acumine, reſponſorum prudentiâ maximè laudatur. Tiburtius, miles fortiſſimus, qui à Sanctiſſimô Piô V. vocatus fuerat, verùm morte correptus, cœptum militare munus perficere non potuit, ingens quidem gloriæ ſpecimen, & laudis avitæ in lucem & omnium aſpectum protuliſſet. De Camillô, & Ludovicô nil memorabile mihi reſultat. Barbara nupta fuit Franciſco Zavæ, quam in 2. Tom. Epiſtol. Familiarium lib. ſextô exſtinctam deflet die 10. Junii 1572. ut in Epiſtolâ ad eundem Sigiſmundum & inter alia habet, Barbaram Sororem veſtram nullô genere modeſtiæ, pudicitiæ, temperantiæ, frugalitatis, ulli veterum Matronarum ceſſiſſe, quæque vel apud Romanos, vel apud exteras nationes claruerit. Hortenſia fuit in matrimonium copulata Johanni Baptiſtæ Cropello, viro patritio. Cæſarem Brumanum, Apoſtolicæ Cameræ Clericum & Abbreviatorem de Parco Majori, aliiſque titulis refertum, de quô fuit ſermo, habuit Conſobrinum &c. *Mandoſius in Vitis Archiatr. Pontific.*

BRUNACIUS (*Gaudentius*)

Ex eô habetur

De Cinâ Cinâ, Pulvere ad Febres, ſyntagma Phyſiologicum. Venetiis, apud Nicolaum Pezzanam, 1661, in 8.

BRUNEN (*Joh. Criſtophorus*)

De eô exſtat

Biga Operationum Medicarum, Friburgi, 1652. in 8.

BRUNN (*Joh. Jacobus à*) Natus Baſileæ A.C. 1591. Patre Bonaventurâ à Brunn, Tribunô plebis, inque patriâ, 1611. Philoſophiæ Magiſter, & 1615, Medicinæ Doctor creatus, necnon 1625. Anatomiæ & Botanices, tandèmque etiam 1629. Practicæ Medicinæ Profeſſor publ. conſtitutus eſt. Obiit ibidem, 1660. ætatis ſuæ 68.

Ex eô habetur

Syſtema Materiæ Medicæ. Continens Medicamentorum univerſalium & particularium (ſimplicium ac compoſitorum) ſeriem ac ſylvam, Methodo medendi, ac Formulis remediorum præſcribendis accomodatam. Baſileæ, apud Joh. Jac. Genathium, 1630. in 8. Genevæ, apud Petrum Choüet, 1639. in 8. Lipſiæ, apud Andream Künen, 1645. in 8. Patavii, apud Paulum Fratrabottum, 1647. in 12. Rothomagi, apud Joh. Berthelin. 1650, in 12. Lipſiæ apud Tobiam Rieſium, 1654. in 8. Amſtelodami, ap. Ægidium Janſonium Valckenier, 1659. in 12 Ibidem, apud Eundem, 1665. in 12. Amſtelodami & Hagæ, apud Henricum & Theodorum Boom, 1680. in 12. Hæ tres poſtremæ Editiones auctæ, variiſque modis illuſtratæ ſunt à Gerhardô Blaſiô.

BRUNNERUS (*Balthazar*)

De ejus vitâ hæc habemus à Præclar. Laurentiô Hoffmannô M. D. Halenſi.

D. Balthaſar Brunnerus, in Salinis Saxonicis oriundus, Patre *Laurentio*, cive ac Senatore Halenſe ſatus in ſcholâ patriâ prima jecit artium Liberalium fundamenta; poſtmodum in per antiquam Erfordenſium Academiam miſſus, tam diù inibi commoratus eſt, uſque dum totius Philoſophiæ encyclopediam abſolviſſet & Magiſterii gradum, primum ſtudiorum ſuorum præmium, magnâ cum laude conſequutus eſſet.

Paulo poſt in Academia Salana, præceptore uſus Celeberrimo *Schrœtero*, ſtudium Medicinæ feliciter inchoavit, & in Academiâ Lipſienſi continuavit, ubi etiam à Senatû Academicô in numerum Profeſſorum extraordinariorum receptus, uſque dùm in Italiam proficiſceretur. Commoratus autem eſt in Italiâ per integrum ferè trienium familiaritate & converſatione uſus præcellentiſſimorum totius Italiæ Medicorum & Chirurgorum, inter quos præcipui fuerunt *Capivaccius*, *Mercurialis*, *Augenius*, *Aquapendens* &c. tandem Hiſpaniam, Galliam, Belgium & Angliam perluſtravit, in iiſdemque etiam regionibus illa vidit & annotavit, quæ aliquando ſibi in praxi neceſſaria & fructuoſa futura eſſe arbitrabatur.

Helvetiam tranſiens in inclyta Rauracorum Academiâ Baſilienſi ſummos in arte medicâ honores & Doctoralia petiit inſignia, poſtquam diſputationem de phrenitide habuiſſet, quæ etiam ineffabili omnium cum applauſu, nemine penitùs atque penitùs diſcrepante, conſentientibus & congratulantibus omnibus, feliciter adeptus eſt.

Denique voti ſui compos factus, in Germaniam reverſus, celeberrimo trium Invictiſſimorum Imperator. Medico, Dom. CRATONI à CRAFTHEIM ſe humaniſſimè & modeſtiſſimè aſſociavit, ita ut domeſticus fuerit, ab ipſo filii loco dilectus, cujus etiam ſuaſu clariſſimi Electorum & Marchionum Brandeburgicorum Archiatri Domini

mini D. *Georgii Laureæ* p. m. gener factus eſt, qui ad praxin medicam fores ipſi quàm fideliſſimè & apertiſſimè aperuit, ita ut quotannis non ſaltem ipſius inſignis eruditio, ſed & nominis celebritas ingens indies ceperit incrementum; adeò ut multi Principes, Comites, Barones, Nobiles & alii viri primarii operam & curam ipſius in facienda medicina, quâ domi, quâ foris certatim expêtierint. Tunc igitur temporis Consilia ſua conſcribere aggreſſus eſt, quæ cum diverſis ſint Scripta & collecta ætatibus, diverſitatem etiam fortaſſis aliquam præ ſe ferant.

Et quanquam propter praxin medicam & peregrinationes penè quotidianas fuit occupatiſſimus, interim tamen in oratoriô & laboratoriô chymicô ſudare nunquàm ceſſavit. Quotidiè enim unum vel duos aluit amanuenſes, chymicarum operationum haut ignaros, ſed in arte peritos, qui labores Spagyricos promovere potuerunt. Ita enim in indagandis naturæ myſteriis ardebat, ut intra viginti annorum ſpatium pluſquam ſedecim millia florenorum, ſumma cum animi ſui delectatione & ſatisfactione, in conficiendis arcanis Chymicis, & quæſitando lapide philoſophica conſumſerit. Si etiam benignus & in omnia potens Deus diuturniorem vitæ uſuram conceſſiſſet, nullum ſupereſt dubium, quin ad ſumma philoſophiæ hermeticæ & veræ Chymiæ faſtigia perveniſſet, ità ut poſteritas hermetica nunquam promeritas ipſi gratias reddere valuiſſet.

Cum igitur fama Brunneriani nominis celeriter latè diffunderetur & ad aulas magnorum aliquot Principum aliorumque heroum tranſvolaret, iidemque quoque intelligerent ac exploratum haberent, Brunnerum non ſaltem græcè & latinè eſſe diſſertum, ſed & germanicè eloquentem, inſuper Philoſophum, Medicum ac Chymicum eximium, & elegantem, multi illorum legitimè ipſum per literas vocarunt ac in numerum Archiatrorum ſuorum receperunt, inter quos Sereniſſimi & potentiſſimi heroes, Christianus I. Dux et Elector Saxoniæ & Joannes Georgius, Elector et Marchio Brandenburgicus; non dicam de Friderico Gulielmo, Duce Saxoniæ, & ejuſdem Electoratus Adminiſtratore de Marchione Badense, qui magnis ſumptibus aliquando ipſum avocaverat.

Nec præterire poſſum Illuſtriſſimos & Celſiſſimos Principes Anhaltinos Joachimum Ernestum, Joannem Georgium, Cristianum, Augustum & cæteros, quorum Archiatri munere per annos complures functus eſt. Præter hoſce multi etiam alii Principes & Heroes ipſius uſi ſunt Conſiliis, inter quos primùm facilè ſibi vindicat locum magnanimus & potentiſſimus Daniæ & Norvegiæ Rex, Christianus DEI gratia hujus nominis IV.

Bis etiam ipſi Profeſſoris publici munus oblatum eſt ab illuſtribus Academiis Heidelbergenſi, & Baſileenſi, ſed amore patriæ compluriumque amicorum & cognatorum hortatu & precibus vocationes illas honeſtè recuſavit & in patriâ remanere maluit.

Vixit aliàs vitam inculpatam cum binis uxoribus & numeroſa ex DEI vitæ datoris benedictione ſobole, in timore DEI & amore proximi, ſpartamque quam nactus erat Studiosè exornavit, & quanquam millenis obrutus erat patientibus, interim tamen in Studiô veritatis Chriſtianæ indagandæ occupatiſſimus erat, educationem liberorum & curas domeſticas matrifamilias demandans, pauperibus etiam, Sacerdotibus & præceptoribus omnibus gratis inſerviens, pari etiam fidelitate & curâ pauperes æque ac divites medicando reſpiciens.

Tandem poſt varios exantlatos labores, apoplexiâ debili correptus, per ſeptennium ferè integrum enervatus ac ſenio quaſi confectus, die nocteque de morte, vitæ æternæ januâ, meditatus, anno Chriſti MDCIV. animulam ſuam Redemptori ſuo ardentibus ſuſpiriis commendavit vitamquè placidiſſimè cum morte commutavit, poſtquam LXXI. ætatis ſuæ annum compleviſſet.

De eô exſtant

Conſilia Medica, ſummô ſtudiô collecta & reviſa à Laurentiô Hoffmannô. Halæ-Saxonum, apud Petrum Fabrum, 1617. in 4. & Francofurti in 4. 1727. apud Immig.

De Scorbutô, Tractatus duô. Extant cum Severini Eugaleni de Scorbutô Tractatû. Jenæ, apud Barthol. Volgt, 1624. in 8. Hagæ Comitis, 1658. in 8. Lipſiæ, 1662. in 8. Amſtelodami, apud J. F. Bernard, 1720. 8.

BRUNNERUS (*Joh. Conradus*) M. D. diverſorum Principum, præcipuè Electoris Palatini Archiater, à quô etiam nupèr, cùm Vicariatui S.R.J. præeſſet, Baronatûs dignitate exornatus eſt, ad Illuſtrem Societatem N. C. tranſmiſit obſervationem, in quâ novarum glandularum inteſtinalium deſcriptio continetur, quæ in principiô duodeni, tunicam ventriculi intimam à ſubjectâ nervea ſeparanti occurrunt, lentis primùm magnitudine, dehinc miliares & ſucceſſivè minores, donec ad eam demùm exiguitatem deveniant, ut viſum penè ſubterfugiant. Haſce glandulas à nuper inventis differre dicit frequentiâ; & totum internum ambitum inteſtinorum obſidere, ut tota interior inteſtinorum tunica veluti nil niſi congeries minutiſſimarum glandularum eſſe videatur, undè humor inteſtinalis ubertim exſtillat & in cavum inteſtinorum depluit. Edidit quoque experimenta nova circa pancreas, quibus acceſſit diatribe de lymphâ & genuinô pancreatis usû.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1683. p. 198.

Experimenta nova circa Pancreas. Accedit Diatribe de Lymphâ & genuinô Pancreatis usû, Authore Joh. Conr. Brunnerô M. D. Amſtelodami, 1682. in 8.

Cum obſervaſſet *Cl. Brunnerus*, Pancreas, cui ſuperiora ſecula vix pulvinaris, ventriculum fulcientis, aut ſpongiæ, recrementa ſeroſa abſorbentis, munus conceſſerant, à diverſis magni nominis hôc ævô Medicis atque Anatomicis, v. g. à *Sylviô & Graefiô*, ad vitam ſummè neceſſarii laticis fontem, undè omnis animali ſalus æquè ac interitus promanet, conſtitui, i. e. in theoriâ ac praxi omne ferè pactum illud ferre: per experimenta, in pluribus canibus vivis adornata, hypotheſin hanc laudabili maximè conatû examinavit; ſcilicèt vel pancreas poſt ligaturam decentem extrahendo, vel hujus ductûs tantùm reſecandô, adeòque commercium hujus viſceris cum inteſtinô intercipiendo; & quidèm utplurimùm animali ſoſpite & incolumi manente, commodèque poſt conſolidatum abdominis vulnus edente, bibente, egerente, & unô verbô, cunctas functiones vitales ritè obeunte; imò unô quôque ex martyribus his anatomicis catulos pariente, in diſſectis verò poſt mortem, omnibus viſceribus ordinariè & ſecundum naturam conſtitutis. Atque hæc quidèm aliquoties repetita ex-

perimenta

perimenta horumque adminiſtrandi rationem prolixioribus non tantùm circumſtantiis deſcribit, ſed relationibus etiam illorum alia phœnomena anatomica paſsim immiſcet, v. g. pulſum cordis in cadavere caninô, per flatum receptaculô lumbari immiſſum, reſuſcitatum & ab octavâ matutinâ ad duodecimam cum dimidiâ horam continuatum; humorem pancreaticum non acidum, ſed inſipidum ferè aut ſubſalſum, obſervatum; Thoracici ductus & Lymphatici ſuperioris varium concurſum; & ad venam cavam habitudinem; inſertionem ductûs pancreatici in Cholodocum ſingularem &c. Hìnc lymphæ amplum ſatis in œconomiâ animali uſum explicat, ac duplicem eam pronunciat, glàndularum ſcil. conglomeratarum & conglobatarum; quarum illa viſcidior alimentis digerendis, in ore, ventriculô ac inteſtinis, commiſceatur; hæc verò limpidior magiſque defæcata, immediatè ipſi chylô intra glandulas meſenterii, ductum thoracicum, & venam ſubclaviam affundatur; utramque nihilominùs unam ſcaturiginem, ſc. ſanguinis ſerum, agnoſcere docet. In ſpecie ad Menſtruum ſeu humorem ventriculi ſolventem digreditur, hujuſque acorem, hactenùs ſcholis Medicorum adeò decantatum, per argumenta non minùs ac experimenta, deſtruit; illum autem vel ratione ſubſtantiæ ſuæ aqueæ ſalinas alimentorum particulas diſſolvere, vel activitatis, quam à ſpirituum animalium elaſticitate recipiat, has & alias divellere, digeſtione præprimìs ſuperveniente ait; ità ùt deliqueſcendo quaſi alimenta in chylum abeant, ex iis verò emollitis, per ventriculi & inteſtinorum reciprocas conſtrictiones & triturationes, hic, inſtar emulſionis cujuſdam, ſimùl exprimatur variis experimentis hypotheſin hanc ſuam comprobans. Aſt inteſtinorum tubum poſtquàm elabatur chylus, à conglobatarum demùm lymphâ, tam intra meſenterium, quàm extra hoc, perfectionem ultimam hunc demùm ait recipere: ità tamen, ùt, cùm quædam animalia lymphâ conglobatarum glandularum planè deſtituantur, ſcilicèt ovipara & quæ non lactant, adeòque nec vaſis lacteis gaudent, in his conglomeratarum lympha uberior obſervetur, v. g. in pennatis & ſerpentibus, imò ex his non improbabile fiat, aliquid chyli per venas quoque meſaraicas rubras maſſæ ſanguineæ adduci. Uſum ergò Pancreatis Noſter eum ſuſpicatur, ùt ejus ſuccus chylificationem in ventriculô inchoatam, cum glandularum inteſtinalium latice, continuet, ciborum particulas exagitatas irretiat, ſimulque bilis acrimoniam temperet, neutiquàm verò, quæ *Sylvii*, *Graefii* aliorumque eſt ſententia, cum eâdem effervescat: quâ occaſione in puerô ductum pancreaticum atque cholodochum (præter conſuetum aliàs in homine naturæ ordinem) diverſis & tranſverſi ferè digiti diſtantiâ, in duodenum oculis inſertos, mediante nihilominùs canali quôdam tranſverſô communicantes, ſe vidiſſe refert. Quòd autem reſciſſô quamvis pancreate omnes actiones naturales ritè ſe habeant, ideò contingere putat, quoniàm ad alia filtra glanduloſa tunc temporis idem ſuccus copioſiùs redundat, adeòque in his uſum pancreatis, alimentis & chylô præſtandum, reſtituit. Deniquè quomodô chylus ac lympha ſanguini connubat, quoſque uſus cruor æquè ac aliæ partes ab hâc percipiant, exponit: ſcilicèt quòd ſanguinis partes cunctas involvat, ſpirituoſas irretiat, haſque æqualiter diſpenſet, ſalinas temperet, cunctas verò aliàs agglutinet, à glandulis conglobatis reſorpta chylum diluat, intrà conglomeratas verò aliis, & nominatis jamdùm ſuccis præparandis inſerviat; ſpiritibus animalibus, qui ſine viſcô hôc aliàs facilè evaneſcerent, aut intempeſtivè ac tumultuàriè moverentur, vehiculum ac frænum exiſtat, & animal intra & extra uterum nutriat. Quibus demùm *Joh. Conr. Peyeri* Schediaſma de pancreate & ejus uſû, unà cum Autoris Reſponsô ſubnectitur.

Ibidem Ann. 1716. *p.* 39.

Johannis Conradi à Brunn, Medicinæ Doctoris, Profeſſoris, Archiatri Palatini Glandulæ duodeni, ſeu Pancreas Secundarium detectum. Francofurti & Heidelbergæ, apud Johannem Maximilianum à Sande, 1715. 4.

Duo & triginta præterlapſi ſunt anni, cùm Clariſſimus *Brunnerus* Experimenta nova circa pancreas ac Diatriben circa ejus uſum cùm orbe literatô, Medicô maximè, communicavit, à nobis in Actis 1683. pag. 198. recenſita, à quô tempore viſcus hoc ad experimentorum incudem revocavit ſæpiùs, & exercuit tantiſper, dùm iteratis experimentis ipſi conſtitit, non tantùm ejus eſſe uſum in œconomiâ naturali, quantùm ſibi magnô cum eruditorùm applausû imaginati fuerunt ſuperioris ſeculi Anatomici, nec tam vile tamen & abjectum eſſe; uti crediderunt Veteres. Et cum ſucceſsû temporis vias ſagaciſſimis licèt Anatomicis perquiſitas, uſquè aliquid novi ferre, & fovere partes, tectas licèt & velamine naturæ occultatas, cautâ tamen manû & diligenti indagine revelandas didicerit, ipſe manum ulteriùs admovit, nec ſpe excidit, nec opinione ſuâ. Ventriculum enim humanum in aquam fervidam immiſit inverſum, donec corrugari cœperit. Dehinc tunicam rugoſam à ſubjectâ nerveâ cautè & ſuſpensâ manû ſeparavit, ad pylorum uſque, quem ſupergreſſus in novum planè ſibi antè nunquàm viſum glandularum genus incidit, quas densâ congerie coagmentatas ad implantationem pori choledochi uſque cùm repererit, Pancreas ſecundarium appellare illud nullus dubitavit. Hujus inventi prodromus Diſputationis Academicæ locô prodiit Heidelbergæ annô 1687.; mentio etiam hujus facta eſt eb eô in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum, Dec. II. Obſ. 241. p. 464. Cùm verò, quod in novis ejuſmodi inventis fieri amat, prima deſcriptione nec ſatis excultæ, nec ſufficienti fortè experientiâ aſſertæ fuerint hæ glandulæ, denturque etiamnùm, qui eas in dubium vocant, partium ſuarum eſſe exiſtimavit Clariſſ. Auctor, fidem nunc ſuam liberare, & novô modô auſû eaſdem, nè verba dediſſe videatur, luci meridianæ exponere. Jubet itàque ventriculum unà cum duodenô in aquam ferventem immergi, aut tamdiù igni in lebete relinqui, donec ille corrugari cœperit, explicatô hinc in mensâ ventriculô, fibuliſque affixô, tunicam internam cautè & ſuſpensâ manû à ſubjectâ nerveâ & fibroſâ ſeparare, hinc interior ventriculi tunica, parte convexâ, alba, tenuis, lævis & æqualis apparebit, ubi verò ad pylorum uſque perrexeris, ſtàtim ſub limbô aliâ ejus rerum facies & in conſpectum venient glandulæ. Sunt ſcilicèt hæ corpuſcula incertæ figuræ, plerumquè ſphærica, candicantia, turmatim & densô agmine conſita, diverſi ordinis & magnitudinis, ad inſertionem uſque meatûs bilis. Ab initiô duodeni primi ordinis & majuſculæ dimidiati interdùm piſi magnitudine; minores abhinc ſeminum cannabinorum & ſecundi ordinis viſuntur; tertii verò omnium minimæ densô totum inteſtinum agmine ſtipant ad porum uſque choledochum. Demùm rariores hinc inde & ſparſim diſſeminatè apparent, tandemque

tandemque præ exilitate viſum ſubterfugiunt. Obſervantur etiam hæ glandulæ ſedibus ſuis moveri, imò ſeparari poſſunt integræ, & ex aliis minoribus & minutiſſimis acinis, haud ſecùs ac pancreatis ſubſtantia ſolet, conflantur, apices verò ipſi inteſtinorum cavô inſeruntur. Quid quòd in cadavere ventriculum & inteſtina examinans Autor abſque coctione vel ullâ arte præparata obſervavit glandulas, quas coctas vix ad choledochi oſculum inveſtigare & perſpicere potuit, nunc crudas ad inſignem jejuni tractum conſpicuas, rariores tamen & perquàm exiles. Poſt hæc ſub quâ formâ comparuerint eædem glandulæ in equi, caſtoris, cervi, bovis, ovis, porci & canis inteſtinô duodenô, ſimul inculcat, & quomodò glandulæ ſuæ inventionis à glandulis inteſtinalibus Pechlinianis ſeu Peierianis differant, explicat. De usû harum glandularum dum diſſerit, percolationi chyli minùs aptas illas dicit, quia operibus naturæ magis conſentaneum eſſe putat, cùm exiſtant eô loci, ubi viget ſolutionis negotium, ſecernere eas liquorem ſolventem huncque maſſæ alimentariæ affundere; Villos verò inteſtinorum eſſe ſecretionis ſeu percolationis chyli organa, uberiùs evincit, & quoniam venæ meſaraicæ ad extrema uſque villorum cacumina exporriguntur, majorique frequentiâ inſeruntur, quàm ùt ſuccum alimentarium villi, ceu totidem orificia & infundibula innumera abliguriant, legibus naturæ atque organi colatorii ſtructuræ non repugnare autumat, ſi chylus per eas quoque ad maſſam ſanguineam ferri dicatur. Cùm porrò natura tàm ſollicitè ad chylum & receptaculum ejus derivet lympham, ad continuandum ſolutionis negotium, multò magis in primis viis ad chylificationem tale requiri dicit menſtruum, ſpirituoſum ſcilicèt, ùt ſi quis alius, certè & vel potiùs glandularum harum ſuccus digeſtivus ſpiritibus per nervos adductis impprægnatus eſſe videatur ad primariam alimentorum digeſtionem & concoctionem peragendum. Et præparantur quidèm ingeſta in ventriculô ad perfectionem hanc in duodenô recipiendam non ratione humoris gaſtrici acidi, nec per fermentationis modum, ſed per motum ſubtilis & ætheteæ materiæ. Cùm enim ſuccus ſtomachi & inteſtinorum particulis conſtet variis activis tàm per arterias quàm per nervos advectis, probabile eſſe pronuntiat Autor, has remixtas cum aſſumtis, eorumque poris impactas, intercurrente materiâ ſubtili agitari, agitataſque motû ſuô expanſivô maſſam & compagem ciborum diſſolvere & inſtar ignis ætherei concoquere aſſumta, vitamque ſimul inſpirare juxta leges & indolem animalis, cuique à ſummô rerum conditore inditam; mox in duodenum influere humorem alimentarium, ex anguſtô ſcilicet pylori in amplum inteſtini ſpatium, ùt facilè moram nectat ibidèm, eôque magis, quia inferiora inteſtina, dùm percolant chylum & exprimunt, quodammodò conſtringuntur, chylique progreſſum aliquantiſpèr morari videntur. Cùm igitùr glandulæ novæ magnô diſtent intervallô, & aliûs prorſùs ordinis, figuræ & ſpeciei videantur ab illis inteſtinorum glandulis, quæ per agmina, plexus vocata, hìnc indè diſponuntur, diverſum quoque eas ſecernere ſuccum, probabile videtur Noſtro; qui porrò experimentis, in cane reſectô pancreate per ſex menſes incolumi factis, abundè probat, pancreas ad vitam minùs eſſe neceſſarium. Uſum glandularum in pancreate ſecundariô in eô poſitum exiſtimat, ùt alimentorum ſolutio in ore inchoata, & in ventriculô continuata, in inteſtinis demùm, præſertìm duodenô, per novum affuſum ſuccum perficiatur. Statum præternaturalem patiuntur glandulæ hæ inteſtinales ex *Brunneri* mente, dùm obſtruuntur, in ſtrumas excreſcunt, exulcerantur, & acrimoniâ ſeri arroduntur, humores fundunt peregrinis ſaporibus imbutos, à mœrore & triſtitiâ, potiſſimum fortiori protractioreque reſultantibus; undè febres, arthritis & nephritis exoriuntur.

De cæterô monendus eſt B. L. huic Tractatui Diſſertationem Anatomicam de glandulâ pituitariâ, Heidelbergæ annô 1688. ab Autore habitam, fuiſſe adjectam.

De eô præterea habentur in Miſcell. Cur. Dec. II. ann. 5. Obſerv. 141. De Strepitûs Oſſium curatione.

De Novarum Glandularum inteſtinalium Deſcriptione.

TUnicam ventriculi intimam hominis à ſubjectâ nerveâ ſeparanti, ſub initium inteſtinorum, in principiô, *duodeni* occurrerunt, glandulæ innumeræ lentis primô magnitudine ſub limbô pylori, miliares ab hinc & uſque minores, donec ad eam tandem devenerint exiguitatem ut viſum penè ſubterfugerint. Non incurrunt autem in oculos niſi ſeparatâ tunicâ cruſtaceâ (quam verius glanduloſam dixerim) tunc nempe parte ejus convexâ apparebant corpuſcula ſphærica ſeparatim numeroſiſſima, denſe ſtipata in ſuperioribus hiris, quæ in inferioribus viſum fugiunt. Differunt à nuper inventis inteſtinorum glandulis frequentiâ, quæ penè infinitæ, ſiquidem ex majuſculis ſuperioribus & inde minoribus ſenſim, ceu per tranſennam conſpici poſſunt mentis acie, quæ oculorum lateat, adeò ut, nî me computus fallat tota interior inteſtinorum tunica non niſi congeries minutiſſimarum glandularum videatur, unde humor inteſtinalis ubertim exſtillat & in cavum inteſtinorum depluit. Totum inſuper inteſtinorum ambitum obſident, quorum illæ nonniſi arcolas ſtipant circulo concluſæ.

Frequentiores denique & inſigniores ſunt ab initiô inteſtinorum ubi maximè viget ſolutio, & hinc ſenſim minores circa eorundem finem, ordine planè contrariô, quam cancellatæ, quæ circa principium rariores, circa finem autem & præſertim extremitatem Ilei frequentiores viſuntur, & quaſi in aciem concurrunt & exercitum. Collocantur in ſubtegmine fibrillarum tunicæ nerveæ, intercurrentibus vaſorum ſanguiferorum camuſculis & capillamentis frequentibus. Idem in tribus conſecutivè cadaveribus humanis, & hinc canibus quoque conſtanter obſervavi phœnomenon prorſùs novum, nec unquam mihi ante cognitum. Uſum harum libandum præbebit Diſputatio Academica propediem hiſce ſuccenturianda.

Ibidem ann. 6. Obſervat. 195. De experimentô in dyſenteriâ.

MAtrona nobilis, triginta annorum, temperamenti ſanguinei, habitûs pleni, ſtaturæ juſtæ, vegeta, pulchra & formoſa, &c. die 18. Auguſti 1687. (quô tempore dyſenteria epidemicè graſſabat) peperit infantem egregiæ ſpeciei & benè conformatum. Dolores poſt partum ſenſit acutos; ab uſû ol. amygd. dulc. c. ſpermat. cet. excluſit magnô nixû grumum ſanguinis, undè remiſerunt. Supervenit abhinc diarrhœa, quæ ceſſavit, rediitque. Die 29. Septemb. teneſmum paſſa eſt; die 30. vidit excreta mucoſa, cruore permixta; appetitus ſtatìm penitùs fuit proſtratus.

tus. Plerumquè circa veſperam horrore perfuſa fuit, ſucceſſit calore, mox tormina afflixerant; & dejectiones crebræ. Medicamentis fluxum itâ moderatus eſt Medicus, ùt nonniſi manè horâ plerumquè ſextâ, & veſperi horâ tertiâ tormina ſenſerit ægra, & colluviem dyſentericam excreverit cum εὐφορίᾳ ſuaſit idem, ùt infantem ablactaret tempeſtivè, nè locô nivei illius nectaris, ſub dulci melle latens venenum ſugeret. Paruit illa conſilio, & infantem ſuam alii commiſit nutrici tantiſper, dum valetudinem recuperaverit. Ne interea lac deficeret, aut exaceſſerent lactiferi fontes ùt catulos, ad emulgendum lac mammis admoveret author fuit Medicus. Suxerunt iſti ſtrenuè: alterâ luce diarrhoeâ correpti excrementa largè eliſerunt cùm impetû ſubflava & fluida, (cruenta autem nunquàm viſa fuerunt) ùt crebrâ lotione conſpurcati opus habuerint. Subindè quoque vomuerunt ac ſi cholerâ morbô laboraſſent. Brevi abhinc ambo luridi & ſtrigoſi enecti fuerunt. Tertium proin adhibuit puerpera, & lactavit per biduum diarrhoeâ & idem correptus fuit: in abdomine puſtulæ rubræ densè proruperunt, pedumque extrema intumuerunt, poſteriores pedes ceu paralyſi affectos raptavit morbidus, ùt tandèm & ipſum in profluentem abjicere neceſſe fuerit: ipſa autem puerpera jam meliùs ſe habere occipiebat. A triduô quartum ſuffecit catulum; ægrota autem convaleſcit, appetit, ſellam rariùs adit, & vires redeunt. Sugit & hic canis ſtrenuè, & valet, & nihil morboſi apparet. Poſt diem 14. infantem ſuam propriis iterùm admovit uberibus; habitûs, qui ex alteriùs nutricis lacte minui videbatur, creſcit iterùm, & ambæ vivunt pancreaticè.

Alia nupèr lactavit infantem dyſenterica: cum lacte toxicum brevi huic & labem lethiferam inſtillavit; ſtatìm enim eôdem morbô correptus infans, terribiliter convulſus vitam, quam modò inchoavit finivit.

Scholium.

Flumina exundaverant & rivi paſſim ripas ſuperaverant, cùm tempeſtates inſolitæ obortæ ac nimbi tales ruerunt ùt & ædificia proſternerent, & ſecum raperent hìnc indè torrentes, hominumque plures mergerent. Tùnc quoque ingens vis culinum genus humanum malè habuit, præſertìm ægrotantes, ùt quâ ratione abarcerent beſtiolas & evitarent acumina earum vix ſuppeteret conſilium. Eodem tempore, quô fructus matureſcebant, diarrhœæ ſpecies afflixit, quæ brevi in dyſenteriam epidemicam terminabatur. Non illos ſolùm hominum, qui fructibus veſcebantur immaturis, ſed promiſcuè quoſvis adorta eſt, & tantâ cum ferociâ, ùt primis ferè diebus proſterneret, & ad orcum præcipitaret plures. Infantes præſertìm malè habuit, quos enecuit intra ſeptem plerùmque dies, & tantâ frequentiâ, ùt funera denſa vel metum incuterent parentibus, quibus Deus Ter O. M. proſpexit de ſobole. Cauſabantur plerique teneram eorum ætatem aut texturam; ſed rem omnem vix exhauriebant illi; nam & frequentiùs quàm alii corripiebantur morbô, & correpti decumbebant periculoſiùs, quòd non in omni dyſenteriâ, etiamſi epidemicâ obſervatur. Ab initiô ſparſim quoſdam, ſed ſatis ferociter invaſit: intendebatur abhìnc lues & creſcebat eundo: Vergente æſtate mitiùs egit, & deſæviit tandèm planè exſpiravit, ùt quaſi tempora & ætates morbi diſtinguere licuerit.

Contagium fuiſſe & μίασμον, quod athmoſphæram, in quâ degimus, perſpiravit, & corpora humana pervaſit, ex ſuprà dictis patet; epidemicè quippè graſſabatur. Illa autem corpora, quæ hujus, tanquàm materiæ cujuſdam ſubtilis, (cui omnia, quæ in hôc rerum univerſô parent, & ad ejus modulum aguntur) perpluvio minùs erant proportionata, præ aliis propter oppoſitionem & occurſum particularem ad ortum, maſſam humoroſam inſolitâ fermentatione exagitavit, indè febris exarſit: inteſtina autem peculiari (propter peculiarem particularum figuram) malignitate perculit, ùt mox plorarent mucum glandulæ (in quibus fortè commodiùs nidulatur venenum, quàm alibi) & effunderent cruorem vaſorum oſcula, roſione adaperta. Illa contrà corpora, in quibus talem non invenit particularum maſſam humoroſam conſtantium diſpoſitionem, præteriit contagium & immunia relinquit. Poſtquàm aliquandiù ſæviit, & in quibus opportunitatem nactum eſt, vim ſam exſeruit cum magnâ ægrorum ſtrage, ſenſit ceſſavit & tandèm elanguit venenum, aut ſpontè, quia tempeſtas vergebat, & frigore ejus vis elaſtica fracta fuit; aut quia corpora humana modô aliter erant temperata; aut quia non ſuperfuerunt, quæ non perſpirârit contagium. Pleroſque non niſi ſemel adortum eſt, quia concitatâ fermentatione maſſa humoroſa jam ad modulum ſuum fuit diſpoſita & exaſciata. Eâdem fortè ratione contigit, quòd ii, qui repetitô munctiones mercuriales experti fuerant, tandèm ad ſalivationem permoveri nequeant; quia particulæ maſſam humoroſam conſtituentes, efferveſcentes crebrô cum mercurialibus ità conciduntur, ùt illæ abhìnc in maſſam ſanguineam introductæ non inveniant, cùm quibus efferveſcant humores; id quod aliquotiès miratus fuit.

Contagium, ubi ortum fuerit, ambigitur; promiſcuè enim homines, ſive fructus horæos comederint, ſive ab his ſibi temperârint, invaſit. Illud tamen notandum, in ſuburbiô primô natam impenſiùs ſæviiſſe, quàm alibi; vix enim dabatur domus, in quâ non decumbebant, & decumbebant periculoſiſſimè infantum plerique. Ibi præthereà morantur homines, qui obvia quævis, eſui ſi ſint, etiamſi ſordida promiſcuè latranti ingerant ſtomachô: facilior quoque iſtis patet aditus ad hortos & pomaria, ùt tempore matutinô & ante diluculum graſſentur per ea, & colligant fructus per noctem deciduos, quod urbicis denegatur & delicatioribus, & ab hortis remotioribus. Cùm fructus immaturi ſint fermenteſcibiles & particulæ conſtituentes in viâ ad explicationem & evolutionem, nullum eſt dubium, qui accedente fermentatione in porô alimentariô peculiare miaſma oriri queat, inteſtinis quàm maximè infenſum; quemadmodùm videmus alios aliis partibus inſidiari, humores diverſis ſalibus impprægnatos, ut alii epilepſiam, ulcera ſerpentia alii, alii elephantiaſin, ſcorbutum alii, alii ſiphilidem & alii cancrum efficiant: unô verbô ſexcenta illa Hippocratis reperiuntur, & vix in officinis Chymicorum tanta reperitur tamque diverſa ſalium differentia. Fermentatio autem quid valeat in producendis novis naturæ phœnomenis, illi norunt omnium optimè, qui Chymica tractant.

In ſuburbiô impenſiùs ſæviit lues, quia minùs cauti, etiam moniti excrementa in loca publica projicere non verecundantur, undè denſâ particularum venenatarum agmina per aërem volitant & confertim córpora humana inceſſant, quæ longinquè deducta ſenſim diſperguntur, fiunt rariora, nec tantam nocendi vim obtinent.

Forſan ad fovendum hunc infauſtum fœtum multùm contulit aëris conſtitutio. Propter exundationes aquarum commovebantur corpora, antè

tè quieta diù, & fortè ſitû corrupta: quæ noſtris regionibus invecta poſt aquarum ſubſidentiam computruerunt: undè fortè & ingens illa vis culinum prodiit: ex tali namque putredine vis activa in inſectorum ovulis cietur, & animalcula excluduntur, fortè tali aëre infectô gaudent & animantur citiùs.

Intra dies quatuordecim plerumquè, quemadmodùm in febribus nuperis continuis deflagravit, & fermentatio deferbuit: intra hos enim aut necabat aut liberabat: necuit ubi majorem particularum reſiſtentiam invenit, majorem ità fermentationem cievit, & graviora excitavit ſymptomata: liberavit autem eos, in quibus minus reſiſtentia occurrit, nec enim tanta nec tam gravia excitavit ſymptomata, maſſam tantùm ſanguinis perpurgavit.

Pleriſque cum fructû ab initio morbi exhibebatur deterſivum ex Rhabarb. C. Aq. Plantag. & Syr. Roſar. S. S. quô excuteretur miaſma glandulis inteſtinalibus ceù loculis adæquatis inhærens, & eâdem operâ ſaburra humorum eliminaretur tempeſtivè. Abhinc Ol. Amygd. D. cum Rhabarb. expreſſum: Aq. Roſar. Plantag. cum Saccharô; præſertim Alexipharmaca Theriacalia utramque faciebant paginam: incaſſùm tamen laboratur, niſi opiata ſuccenturientur; remedia planè divina in hoc morbô. Quidam ſecale torrefactum, in pulverem redactum cum vitellô ovi manè atque Veſperi, magnô ſuô commodô ſumpſerunt. Clyſteres parùm profuerunt: mitiſſimi quique ſtatìm reddebantur abſque molimine. Succum cancrorum fluviatilium tam in juſculis, quam clyſteribus commendavit Celeberrimus Francus, collega honoratiſſimus, quô vix dari contra gangrænam in inteſtinis remedium aptiùs experientiâ didici.

Inter plures curæ quoque meæ ſe commiſit Matrona nobilis, cujus hiſtoriam morbi ſuprà memoravi. Inteſtinorum cancellis non includi venenum, aut in eorum glandulis ſolùm nidulari, ſed penitiùs progredi & in ipſam maſſam ſanguinis irrumpere clarô hôc experimentô didici. Non enim ſcaturit lac in mammis, ſed profluit ex fonte, undè dimanant omnes in corpore humores. Tantæ autem eſt pervicaciæ venenum dyſentericum ùt neque in maſſâ ſanguineâ ſubigi potuerit, nec in mammis novâ mutatione emendari, ſed vim ſuam intemeratam retinuit ad intima uſque catulorum exta, & inibi temulentiam ſuam exercuit, quemadmodum in infante ab alterâ dyſentericâ lactatô, quam brevi peremit. Exindè apparet eandem ferè, quæ in febribus continuis & malignis tenendam eſſe medendi methodum. Apparet inſuper lupum ſtabulô includere illos, qui adſtringentibus hic certant; pernicioſos autem eſſe, qui purgantibus inteſtina lacerant; & inflammationem accelerant. Sponte ceſſat excretio, poſtquàm venenum aut abactum, aut ſubactum deſæviit. Clarè hoc patet ex catulorum hiſtoriâ, quorum priores majorem veneni vim experti obierunt; tertius ejus ſpicula non effugit, varias quippè ſubiit calamitates; mitiorem tamen prioribus ſortem expertus vitam ſervavit tantiſpèr dùm ſubmerſus fuit; ultimus impunè ſuxit; & ſuô exemplô infanti fontes ſalutares matris monſtravit, quibus hucuſquè lætatur.

Ibidem Ann. 7. Obſervat. 132. De Experimentis circa Pancreas novis confirmatis.

ETſi experimentis luculentis negotium jam olim confeciſſe, & ingenioſam quorumdam de *Uſû Pancreatis* ſententiam ſatis ſuperque refutâſſe, probabilemque aliam, eamque experientiæ, & veritati magis conſentaneam indè elicuiſſe videri poteram; dantur tamen & qui de experimentorum meorum certitudine dubitant, & qui decantatam *bilis cum ſuccô pancreaticô effervescentiam* ſubindè in ſuis ſcriptis crepant & à carie revocant. Multa laudabiliter inventa tempore interciderunt iterùm, ſeù minùs culta à poſteris, ſeù ſtudiô & opera aliorum ſepulta & oblivioni tradita, quæ tamen noſſe magni referret. Nè eadem fata experirentur, quæ olim magnô ſtudiô exantlavi circa pancreas experimenta, nève veritas, quam eniti conabar, in ipſô ortû iterùm occideret, laboranti manûs porrigere & dicta experimenta novis ſuffulcire mearum partium eſſe exiſtimavi, nè penderent animis diutiùs alii, aut ego verba dediſſe & publicô impoſuiſſe viderer; eòque magis, quod neminem novi, qui eadem & cum ſucceſſû imitando me à falſitatis (quam impingere mihi conati fuerunt nonnulli) ſuſpicione vindicarit, & rem extra omnem dubitationis aleam, etiam apud alios collocarit, quod tamen ſequens experimentum haud obſcurè præſtiturum confido:

Die VI. Octobr. CIↃ IↃC LXXXV. moloſſum aptè ligavi & ſupra menſam ità compoſui, ùt dextrum hypochondrium commodè occurreret ſecanti. Reſectis forfice pilis, cultrum juxta limbum coſtarum notharum adegi fortiter, & vulnus congruæ magnitudinis excitavi. E patefactô ità abdomine pancreas auſpicatô emicuit; quod dextrè prehenſum digitis per vulnus prolicui, & in apricum produxi floridum atque prolixum: quod dum præſtiti, diligenter cavi, aliorum miniſteriô, nè ventriculus aut inteſtina prorumperent, graviori utiquè patientis noxâ. Partem inferiorem pancreatis omentô undiquè annexam ſeparavi, & arteriæ ramum, ejus extremitatem ſubeuntem filô conſtrictum abſcidi: In ductum eò loci, quô in inteſtinum penetrat inquiſivi, & in ſuperiorem ramum ejus primò incidi, mox utriûſque conjunctionem aſſecutus, vulnuſculum inflixi, & adaptatô tubulô flatum immiſi ità, ùt partim in inteſtina meârit, partim remeârit & per ductum inferiorem evaſerit eò loci, ubi arteria detruncata fuit; id quod ex bullis quas excitavit & ſtridore perſpicuum fuit. Quæ quidem omnia notavi tantò diligentius, quantò magis omnem erroris ſuſpicionem à me amoliri ſatagebam. Abhinc ductum propè exitum arctè ligavi, ſuperioremque primò ejus ramum detruncavi, & ablatâ portione decurtavi ſtudiô, nè deinceps excuſſô, quòd aliàs contingit vinculo iterùm coaleſcere poſſet: modò inferiorem quoque, intuentibus & rem quaſi oculis uſurpantibus, qui manûs mihi commodârunt Chirurgis, unà cum ſubſtantiâ pancreatis (undè ſecundarius lateralis & exilis ductus ad meatum bilis ducit, Vid. Icon. lit. k k.k.k.) id quod in aliis quoque experimentis obſervavi, quorum tertium ruminâſſe juvabit. Partem ſuperiorem pancreatis reſcindere tum inteſtini cum eò coalitus, tùm vaſorum ſanguiferorum frequentia, tùm locus ubi reconditur remotior, quàm ùt cultrô attingi queat, vetant; nec opus eſt. Ratus igitur omne pancreati cum inteſtinis commercium ademptum & commeatûs viam interclusam eſſe partes ſaucias adipe porcinô liquefactô calidè perfuſas unxi, & abdomini reddidi, quantùm quidèm potui delicatiſſimè, vulnus ritè conſui, & eôdem inguine perfudi: canem tandèm vinculis ſolutum miſſum feci.

Peractô experimentô medelam ſaucius ſibi allaturus vulnus lambit ſedulò; mox ſeſe per domûs portam, quam vidit apertam proripuit & aufugit; oberravit per bihorium, & viſui ſe ſubduxit. Partem pancreatis abſciſſam intereà luſtravi: ſeptem pollices longa erat, & unum lata cum dimidiô. Ductum detexi & argentô vivô implevi, pollinxi, & inter curioſa repoſui. Miſſi qui fugitivum quærerent, & domum reducerent, obſervârunt in plateâ magnâ contentione ſcybala dura, globoſa & compacta excreviſſe undè omentum juxta ſuturas vulneris prorupit; quod refrigeratum filô conſtrinxi, & commodè reſecui, vulneri autem meliùs proſpexi. Totâ die bellè ſeſe habuit, veſperi autem vomuit nigricantia, aliis ventriculi contentis permixta.

Die VII. Octobris in aream domûs procurrit, urinam redditurus, & inſignem terræ tractum inundavit: redux lac aquâ temperatum comedit: adipe porcinô vulnus manè ac veſperi calidè perfudi, & reliquam curam, de diætâ ſollicitus, cani commiſi. Circa tertiam pomeridianam vomuit biliosa: noctû nihil comedit: nexus aliquot vulneris pro effluviô puris ſolvi.

Die VIII. Octobris vulnus curiosè deligavi & nihil omiſi eorum, quæ ad experimenti ſucceſſum facerent; nihil ciborum admiſit, ſed bibit aquam ſitibundus: vomuit liquida flaventia: veſperi nonnihil juſculi ſorbillavit.

Die IX. Octobris manè ſatis compoſitum inveni; ſcybala compacta duriſſima, mucô tenaci incruſtata magnâ vi & contentione excrevit: appetitus gliſcebat, juſculum carnis frigidum, (calida enim plerumquè averſantur) abhinc pulticulam ex lacte & farinâ, quales tenellulis noſtris in cunis offerimus, comedit; noctû eſuriit & cibum ſollicitavit; conceſſi viſcerum vitulinorum coctorum, & potûs quantùm lac erat; ſic probè paſtus quievit.

Die X. Octobris perbellè ſeſe habuit, famelicus cibum ſollicitavit, vulnus elegans, & omnes ſecundi ſucceſſûs notas præ ſe tulit.

Die XI. ſanus aufugit, & ad herum ſuum rediit: miratus is vulnus horrendum, peſſimè mihi imprecatus eſt: canem cùm per alium popoſci ſe ſe carnifici, ſi interfectum vellet, non Medico traditurum reſpondit. *Perdimidium abhinc annum & quod excurrit, domûs cuſtos fuit ſtrenuus, fortis atque robuſtus, curſû ſaltuque velox, idem qui pridem, nec quicquàm mutatus ab illô.*

Tandem verò, nè experimenti jacturam facerem, & interiora perluſtrandi voluptate privarer omni arte & ingeniô annixus fui, ùt cane potirer; caniculâ proin, cujus amore libidinoſus incenſus flagravit pellectum furtim mecum domum abduxi, philoſophiæ experimentali immolandum.

Canis pancreate ſpoliati anatome.

Die XII. Maji CI IX. LXXXVI. canem denuò produxi, quem niſi per experimenta interire nefas omninò duxi. Poſtquàm aptè hunc ligavi atque in menſâ commodè compoſui, opitulantibus aliis, horâ decimâ matutinâ venam cruralem detexi, & inflictô vulnuſculô per tubulum vitreum Tartari emetici, aquâ ſoluti grana vj. infudi (nonnihil tamen ſoluti in tubulô frigore iterùm concrevit.) Horâ undecimâ languere cœpit & ægreſcere; poſt duodecimam biliosa vomitû rejecta in conclavi, cui incluſus erat, inveni; poſteà vigor corporis rediit.

Horâ abhinc tertiâ aliô experimentô canem excrevi: Tubulum æneum in venam cruralem denuò inſerui, & eò uſque inflavi, dùm jam in præcordiis murmur flatuum audiretur, & canis concitatiùs, mox anhelosè & inæqualiter reſpirarit; ligatâ crurali tubulum exemi & canem dimiſi: ſtatim abhinc tentis mirum in modum artubus tetanô correptus, & revulsô oris rictû exſertâque linguâ concitatiſſimè, inſtar canis curſû defatigati reſpiravit; humi proſtratus clauſis oculis diem ſuum obire videbatur: brevi abhinc oculos movit & ſenſim ad ſe ſe rediit, ſurrexit & obambulavit languidè. Per horæ dimidium dedi inducias, & ſtudiô, quô in Anatome appareret, utrùm unà cum ſanguine & lymphâ in alia vaſa mearet flatus & in circulum moveretur nec ne. Adaptavi abhinc denuò tubulum, & tamdiù inſpiravi, donec ſtrepitus in præcordiis & inſigne flatuum murmur audiretur, ipſe autem profuſâ urinâ & excretis alvi fecibus exſpirârit. Patefactô abdomine ventriculos & inteſtina rubicunda & hæc mirè corrugata & conſtricta apparuerunt. Jecur ſplendidè rubeſcens; omnes autem infimi ventris partes ſanguine ſuffuſæ fuerunt. Venæ flatû turgeſerunt undiquè. Vaſa lymphatica humore rubicundô plena, vix ac ne vix quidem niſi ab attentô & peritô à venis diſtingui poterant; nihil autem flatuum nec invaſis lymphæ nec receptaculô inventum fuit. Cor & imprimis dexter ejus thalamus cum venâ cavâ turgidiſſimum remotô ſternô & pulmones ſplendidè rubentes apparuerunt. Perluſtratis his oculos ad ſe rapuit & rapuit meritò experimenti ſucceſſus, cujus gratiâ cætera acciderunt. Omentum cicatrici & hepar contiguô duodenô annexum fuit. *Pars inferior pancreatis, quam caudam ejus appellare liceat, planè defuit, quippè reſectus olim: ſuperior autem emarcuit & exaruit, nonniſi* (quod mirum) *medium digitum longa, vix minimum ſeu auricularem lata & calamum meum, quô hæc exaro craſſa; cæterùm indurata & grandinoſa*, ceu olim quoque in experimentorum meorum tertiô annotavi. *Oſculum ductûs pancreatici ſtylum ex inteſtinô ad tranſverſi digiti diſtantiam admiſit* [ſcilicet ante ligaturam in experimentô olim factam, ubi ſani nonnihil nucis juglandis magnitudine ſuperfuit: *ulteriùs nec ſtylum nec flatum adigere potui. Ductum inveſtigavi in aridô, ſeu potiùs pancreatis cadavere; cæcum autem inveni, induratum, ſolitô craſſiorem & impervium*, lit. gggg. *præſertim eô in locô ubi ligatura olim facta fuit; callus etenim firmiſſimus ibidem ferrum penè cluſit.* Singula hæc cùm monſtrari meliùs quàm deſcribi queant, rem omnem icone ante oculos poſuiſſe juvabit.

In ventriculô præter liquamen felleum, quale à receptô per venam cruralem *Tartarô emeticô* vomitû rejecerat, nihil inveni. In tenuibus inteſtinis parum chyli offendi, hinc indè autem croceô humore tincta fuerunt: in craſſis fæces pultaceæ propè exitum ſubſtiterunt. Glandulæ inteſtinales gregales dictæ, (duodenales enim tunc temporis nondùm innotuêre, quas tamen obſervaſſe operæ pretium fuiſſet) neque tumidiores ſolitô, neque prominentiores fuerunt; circuli autem quibus includuntur magis, quàm reliqua inteſtinorum ſuperficies rutilavit. Renes ſaniſſimi æquè ac reliquæ partes in abdomine contentæ. Veſica turgida fuit & lotio diſtenta, etſi paulô ante obitum hanc exonerarit, rutilabat quoque impēsè. In hepate nihil vitii apparuit, neque in liene; veſicula

veſicula fellis naturalis fuit. Vaſa lymphatica humore rubicundô turgidula, è ſimâ hepatis parte prodierant numeroſa, quæ ad glandulas conglobatas ducere & in eas, nec ante in receptaculum exonerari eleganti juxtà ac jucundô ſpectaculô contemplati ſumus. Immiſſô enim per tubulum vitreum argentô vivô, rectô illud tramite decurrit, & per varias ramificationes partem glandularum convexam ſubiit. Ità nempè natura promiſſis ſemper majora perſolvere ſolet.

Poſteà equidèm addere & aliud, quod Annô 1687. Die 17. Martii Heidelbergæ in gratiam Dn. Studioſorum in Collegiô Anatomicô feci experimentum, quô ſoſpite cane ex ejus anatome Die 13. Aprilis inſtitutâ conſtitit, locô pancreatis nonniſi exiguam molem & confuſum Chaos ſuperfuiſſe, niſi tempori parcerem & aliorum patientiæ, ſupra recenſitum autem, eſſet locô omnium, quapropter ulteriori ſcriptione hic ſuperſedeo.

Ibidem Annô 8. Obſervat. 100. De Lymphâ, Paracentheſi, felici ſucceſſu extractâ.

MAgaretha *Landolt* in agrô Tigurinô nata, Johannis Windleri, civis noſtratis uxor 49. annorum, ſtaturæ media, firmi habitûs, benè colorata, ætatem in ſervitiô egit uſque ad annum ætatis 39. abhinc nupta viro ſemel peperit, ærumnoſam duxit vitam, pro fame varia ingeſſit cruda, & quæcunque ad explendam ſuppetebant egenæ; parùm ægrotavit per omnem vitam; ab aliquot annis difficiliùs reſpirare cæpit, ùt paribus paſſibus virum ſequi non potuerit in viâ comitem. A bienniô pedes intumeſcere animadvertit; dyſpnœa ſenſim invaluit, tandèm abdomen quoque extumuit. Suaſi tunc temporis pauperculæ varia euporiſta, undè utcunquè meliùs habuit, firmam tamen valetudinem nunquàm recuperavit, quin miſerè & acerbè ſpiritum traxit; æſtate præcedente menſtrua ipſam defecerunt. Sub initium Autumni Anni 1685. affectus qui ante diſparere videbatur, recruduit. Spirandi difficultas præſertim afflixit; facies erat atro-rubeſcens, labia livida, eunti ſuffocationis periculum imminebat: abdomen in inſignem molem extumuit, ùt neque incedere, neque in lectô manere, multò minùs ſomnum capere potuerit. Pedes tunc temporis non intumuerunt, facies autem ſubtumida conſpecta fuit. Tantæ miſeriæ pertæſa, cùm re anguſtâ domi maritô & privignæ moleſta eſſet, me denuò convenit, anxièque opem flagitavit. Jam dum varia euporiſta ſuaſeram, etiam hydragoga ex mercuriô dulci exhibui, ad lympham viſcidam reſolvendam & ſuis colatoriis reddendam. Suadente pauperie de paracentheſi cogitare cœpi muliere adhùc robuſtâ, vegetâ, quin famelicâ, ratus tantam lacunam commodiùs exhauriri non poſſe: ſed & ipſa ægra id auxilii anxiè petiit & præ abdominis tenſione cultrô ſibi conſuli & levamen fieri ſollicitavit, animumque addidit. Annui voto cùm ſatiùs ſit anceps experiri remedium, quàm nullum. Die 16. Octobris 1685. tribus digitis ſub umbilicô totidemque ex latere lanceolâ vulnuſculum inflixi: proſiliit ſtatim aqua cruore mixta: emiſi circiter ℔. iiij. cum bonâ ægræ tolerantiâ; vaſculô nonnihil ejus exceptæ prunis impoſui, ſtatimque concreſcere albuminis inſtar obſervavi. Vulnus deligavi & quadruplici Emplaſtrô munivi, nè quid aquarum me inſciô & nolente efflueret; vix tamen cævi, uſque adeò turſit abdomen, quin prorumperet, & ſubſtratos lectos madefaceret; veſperi prorupit cum impetû & ad ℔. iij. aquæ profuſum fuit; ſenſit debilitatem ægra. Abhinc omni ingeniô ulteriori effluviô cavi, uſque ad Diem 17. Totâ nocte non dormivit præ metû, nè unà cum aquâ efflueret anima; nihilominùs circa tertiam matutinam prorupit tantô cum impetû, ùt lectus permaduerit. Horâ Octavâ matutina dedi ſucci Naſturt. aquat. rec. expreſſi ℥iij. cum Iuſculô. Abhinc ℔. iij. aquæ elutriavi, nec proſiliit tantô impetû, ſed emanans ſubſtitit ſubindè. Inter effluendum in pelvi refrigeratâ *concrevit inſtar gelatinæ*, ùt hamulô prehendere & elevare potuerim inſtar abdominis agitatione autem pars fluidior & aquoſa ſeceſſit à fibroſâ, ùt tandem profuſâ illâ, hæc in exiguum glomum cojerit. Cæterùm viſcida fuit, digitoſque hâc madidos tantùm non conglutinavit; *calore* tamen *iterum liqueſcebat*, quod iteratô expertus ſum. Tenſio abdominis equidem remiſit, permanſit autem ſpirandi difficultas. Urina clara & limpida fuit, pulſus tantillô excitatior & æqualis. Noctû obdormiſcentem inſomnia varia turbârunt. Veſperi ultrà ℔. ß. Aquæ non effluxit, turbidæ jam (ante erat limpidiſſima) nec niſi immiſſô cathetere, propter mucaginem vulnuſculũ ſubindè obturantẽ: dyſpnœa perſeveravit, urina tenuis & flava fuit.

Die 18. Nocte præcedente *rigor* ægram corripuit & exagitavit, emerſit calor acris cum ſiti, totâ nocte non dormivit, manè vomitus laceſſivit; Aquæ ℥vi. eduxi, quæ turbida fuit *putreolens & viridiuſcula inſtar ſeri lactis*, doluit, ex vulnere & inguine lateris ſaucii, appetitus defecit, querebatur de dolore ventriculi; lingua ſicca fuit.

Die 19. Peregrè mihi eundem fuit, rem commiſi Chirurgo, Aquæ ℔j. manè & veſperi ℥iiij. effluxerunt. In eôdem verſabatur.

Die 20. Aquæ ℔ iß. emanavit, abdomen tumidũ, mollius tamen fuit. Aqua fuit turbida, putreolens, qualem odorem infantes dentitionis tempore ſpirare ſolent; minimè concrevit in gelatinam, manifeſtô putredinis indiciô. Diarrhœa vexavit, murmurârunt inteſtina, & decurrerunt ilia; an propter inflammationem? febris perſeveravit.

Die 21. Noctem acerbè tranſegit; manè aqua protrusâ turundâ ſponte proſiliit; non ità putredinem oluit, uti pridiè: conquerebatur de cardialgiâ: ſiti & languente ſtomachô, in cœnâ tantillum carnis comedit, undè totâ nocte oppreſſionem ſenſit. Suaſi fomentum ſtomachicum. Nuper manus, nunc pedes quoque œdemate tumuerunt.

Die 26. Meliùs habere occipiebat, febris remiſſa, nec tantus ex vulnere dolor; abdomen detumuit; quotidiè tamen ℔ß. aquæ effluxit. Adaptavimus cannulam plumbeam cum appenſâ veſicâ, quò perpetim aqua deplueret.

Die 27. ſpontè occluſum fuit vulnuſculum intûs quod denuô pertudi. Emanârunt aquæ ℔iiij. nec putruit, uti antea, viſcida fuit, an propter excluſum aërem? Reſpiravit faciliùs? urina pauca, pulſus citatior; appetiit nec doluit ampliùs ex ventriculô.

Die 28. conquerebatur de leipothymiis ſubindè obrepentibus, parùm aquæ effluxit; appetitus minor, pulſus excitatior, urina tamen naturali ſimilis fuit.

Die 29. Noctû dormivit, melius appetiit, non ſitiit, reſpiravit faciliùs. Aquæ ℥vi. effluxerunt; macreſcit in dies, etſi comedat.

Die 3. Novemb. ab aliquot diebus aquæ nihil profluxit; bellè ſeſe habuit, appetiit, urina modò tinctior, modò minùs tincta fuit; potus quantitati interdùm non reſpondit, interdùm ſuperavit illam. Immiſi Catheterem per vulnus ſatis profundè & circiter ℔jß. aquæ elutriavi, turbidæ; noctû dormivit, ſitiit, leipothymiæ rariores, pulſus languidus, Vigor ex oculis micabat.

Die 4. Parùm aquæ effluxit, extra lectum fuit, inviſens eam cœnantem inveni; comedit juſculum cum carne bubulâ probè coctâ; non ſitiit & bellè ſe ſe habuit; pedes & abdomen detumuerunt. Suaſi Mixturam ex Aq. Naſturt. ag. fl. Sambuc. cum ſpir. Tart. compoſitô.

Die 9. Novemb. indidi catheterem, & ventriculi fundum attigi, quod ſenſit citrà moleſtiam; videbantur interanea lymphâ ſpiſsâ conglutinata aquæ effluvium impedire. Vocatus Heidelbergam ſuaſi abituriens 1. ut turundâ longiori viam in abdomen ſibi muniret Chirurgus. 2. Mixturam ex ſpir. Tartari compoſitô. 3. Succum Naſturtii aquatici cum juſculô manè ac veſperi ſumendum 4. Victum tenuem ſed quantùm rès permitteret auguſta domi, opimum: Valedixi.

Die 1. Decemb. 1685, ſcripſit uxor mea, ægram convaluiſſe, pridiè templum adiiſſe & Deo Servatori prô tantô beneficio gratias egiſſe, præter ſpem omnium & exſpectationem bellè de hinc ſe ſe habuiſſe retulerunt, prodiiſſe in publicum functam ſuô munere; vulnus intereà conſolidari ſcivit Chirurgus, expetente afflictiſſimâ. Ab eô tempore abdomen ſenſim iterùm intumeſcere cœpit, me abſente, Deo rem omnem commiſit; miſeram intereà & inopem vixit vitam, cujus finem fecit eô ipſô die (4. Aprilis 1686.) quô Heidelbergâ redii. Indolui quàm maximè rei geſtæ, & Chirurgi ſocordiæ. Veſperi feſſus ab itinere me ad ejus anatomen accinxi. Faciem ſubtumidam deprehendi, abdomen mole mirè diſtentum. Inflixi vulnuſculum in latere dextrô; proſiliit aqua limpidiſſima ad menſuras X. Abdomen ab hinc patefeci: Omentum floridum occurrit vulneris cicatrici annexum; inteſtina fuerunt libera, pulchra, & candicantia; peritonæum undiquè nitidum fuit: Hepar duriuſculum, ac firmum, non tamen ſchirrhoſum. parte convexâ tùm diaphragmati, tùm coſtis nothis arctiſſimè connexum: Lien durus fuit; pancreas duriuſculum; reliquæ meſenterii glandulæ nihil morbidi præſe tulerunt. Pyloro foris nudus inſtar ganglii adnatus erat. Inter tunicam exteriorem inteſtini coli & interiorem fibroſam lympha gelatinæ inſtar diffuſa abhæſit: Pone rectum protuberantiæ pingues inſtar ſtiriarum conſpiciebantur, quales hydropicorum inteſtinis ſubindè adnaſci viſuntur. Remotô ſternô pulmo in latere ſiniſtrô coſtis undiquè arctiſſimè adnatus fuit; in latere dextrô verò nonniſi dimidiâ parte; reliqua cavitas aquâ turſit limpidâ, glutinoſâ, quæ tamen putredinem ſpiravit, ceu infantes dentientes ſolent. Reliqua ulteriùs examinare per adſtantium affinium impatientiam non licuit.

Scholium

Aquas hydropicorum elutriare non ſemper tam promptum eſt, quàm obvia ejus neceſſitas. Obſtant remoræ plures & obices qui omnem interdùm eludunt operam & diligentiam Medici. Et mirum atque iterùm mirum videri debet attento, quâ fieri poſſit, ùt aqua extra ſuas ripas decurrens & in cavum abdominis deſtillans reſorberi & per urinas reddi queat; de quibus hic commentari nec locus nec tempus eſſet. Per alvum vidi equidèm extorqueri vim aquarum, quam tamen à ſanô, nihil ſeri in abdomine geſtante extorſiſſet quoque idem, ſi remedium draſticum exhibitum fuiſſet. Utrùm autem aqua vi catharticâ per alvum excreta glandulis inteſtinalibus, laticem ſuam ex maſſâ ſanguineâ haurientibus extortam (quemadmodùm videmus glandulas lachrymales, cepa ſi friatur ante oculos, imbrem lachrimarum profundere) aut aliundè derivatum fuerit, de hòc viderint alii. Expertus autem aſſero, perendie plus ſitire purgatos & mingere parciùs, nec quicquam levaminis vidiſſe me, niſi diureſis ſimul à purgantibus cieatur. Per vias igitur urinarias tendere potiſſimum, quicquid ſeri è ventribus hydropicorum fluit, ego quidem perſuaſus ſum; citra diureſin enim reſtitutum vidi hydropicorum neminem; catharſi autem dejectos plures: quæ cauſa fuit, ùt ſuadente etſi Practicorum turbâ, ſedulò ſibi ab uſû purgantium in hydrope temperârint prudentiores, quos longa fecit experientia canos. Quâ ratione autem ejuſmodi aquarum reſorbitio fiat, hoc opus, hic labor eſt; de quibus hic agere ſuperſedeo. Faciliùs ſuccedit, in iis, qui integris vaſis lymphaticis fluidum corporis perverſâ diætâ contaminârunt, aut lympham viſcidam, acidam ad ſtagnandum in ſuis colatoriis aptam reddiderunt, undè febrium leges, quas diuturnas hydrops non rarò excipit; quem ingentem reſolvendo potenter & attenuando lympham, abortô quaſi cataclyſmate & largâ diureſi plus vice ſimplici perſanavi, & perſanantur quotidiè anaſarcâ laborantes, in quibus manifeſta lymphæ reſorbitio obſervatur. Difficiliùs autem illa ſuccedit in iis, quibus glandulæ aut induratæ ſunt, aut vaſa lymphatica rupta, eroſa, aut alias vitium ceperunt organa hæc hydraulica. Id quod ſæpè ſæpiùs contingat apud ebrioſos, & qui tempore matutinô Bacchô litare ſolent; tum verò imprimis expectandum, ſi adhibitis fruſtrà omnibus, negatâ diureſi, diutiùs viſcera aquis ſubmerſa macerentur. Tunc nempè, vires ſi conſtent, ſintque functiones vegetæ ad paracentheſin ceu ſacram anchoram confugiendum eſſe putamus, cùm ambigua ſpes certâ deſperatione ſit potior: ſperare enim licèt exhauſtâ aquarum mole, quâ tantùm non peſſundantur & obruuntur, viſcera, citiùs ea ad officia reditura & valetudinem eſſe recuperatura.

II. Paracenteſin fieri poſſe nec faciliùs nec breviori viâ ventres hydropicorum depleri, res ipſa loquitur. Nulla pars ſecanda venit, aut perforanda, à cujus læſione aut puncturâ gravius quid pertimeſcendum. Neque admiſſio ætheris, quâ talis patefactô abdomine ab eô nos abſterrere debet, aut partibus contentis indè quid metuendum. Ventres animalium pertudi ſæpiùs & inteſtina libero aëri expoſui in Experimentis circa

circa pancreas; quin ventriculum ipſum in tabulâ aëri expoſitum luſtravi, & colluſtrarunt mecum alii; nihil tamen damni à contactû aëris animali reſultavit. Aliàs vidi inteſtina prolapſa ex abdomine pendula, rubra, frigida & gangrænæ proxima, quæ ſpiritu terebinthinæ, (qui fortè ad manus erat) perfuſa repoſui, vulnus conſui, & canem pancreate truncum vivis annumeravi. Sed & ventres hominum patefacere tenentur Chirurgi in Gaſtrorhaphiâ, Partû Cæſareô; & patentem vidi in mulieribus, quâ fœtus, in uterô computreſcentes, negatô exitû per vulvam fruſtillatim per integumenta abdominis excluſerunt. Harum unam Tribaldingæ propè Conſtantiam ſpectavi, quæ fiſtulam prope umbilicum, quâ olim infantem fruſtillatim enixa fuerat, pretiô conducta mihi monſtravit, ſaniem adhùc dum fundentem. Aliam Jeſtettæ prope Scaphuſiam cum Venerandô noſtrô *Wepferô* vidi, quæ gravida, pariundi tempus emenſa, cùm per collum uteri reddere non potuiſſet, ortâ propè umbilicum maculâ nigrâ, eâque Conſiliô Experientiſſimi *Wepferi* inciſâ, infantem, obſtetricante Chirurgô excluſit ſuum, ipſa autem ad vivos rediit. Adeò ùt à perforatione & admiſſione aëris quâ tali periculum ſit nullum. Quin paracenteſin fieri debere bis naturâ didici magiſtrâ:

Virgo 23. *annorum, Aliſhuſii degens in Algotâ*, (ubi tunc temporis Medicinam faciebam Reverendiſſimo Ordinis Teutonici Præfecto,) netrix annô 1682. à Menſe Martiô menſtrua non vidit & chloroſi laboravit. Brévi abhìnc abdomen intumuit, doloreſque ingentes tenſivos & lancinantes ex eô perſenſit. In dies ventris tumor crevit, pedes autem & reliquæ corporis partes tumore caruerunt. Menſe Juliô umbilicus ſenſim protuberavit; in mediô ejus puſtula pullulavit, quam exareſcentem ungue refricuit ægra. Ab opere aut arte ſuâ nunquàm feriata fuit. Quondàm menſæ aſſidenti inter nendum umbilicus crepuit, & aqua impetuosè prorupit, undè perterrita ſe ſe in vicinum conclave recepit verecunda; ubi veſtimenta mutavit, & ex iis tanquam lavacrô extractis aquam expreſſiſſe præſenti mihi retulit. Aqua abhìnc per umbilicum effluxit largâ quantitate, ſubſidente tenſim tumore abdominis: Vulnus Chirurgus deligavit, & quotidiè aliquid ſeri ſtillare obſervavit; Die 27. Julii 1683. me ad ipſam comitatus, monſtravit umbilicum medium ruptum, parùm ſeri effluxit. Cæterùm benè ſe habuit, appetiit & probè ſuô munere functa fuit, menſes autem ab eô tempore non vidit.

Aliam vidi Wiblingæ prope Heidelbergam, cum Celeberrimô Francô; Argô noſtrô, Dominô Collegâ, exoptatiſſimô. Prope umbilicum in ventre hydropicæ diſtentiſſimô maculâ nigra viſa fuit, quâ partim ſponte ruptâ, partìm ſtylô pertuſâ aquâ, nobis præſentibus prorupit impetuosè, ùt cohibenda vix fuerit Chirurgo; tanta autem ſucceſſit perturbatio, ùt debilis jam antè vitam cum morte perendie commutârit. Talia nempè patrat natura, quàm ſubindè imitari licet arte. De Chirurgô Sabaudô legere memini *dans le Journal des Scavans* (quô nunc deſtituor librô) qui in hydropicis paracenteſin citra moram inſtituit feliciſſimè. Acus notantur, quibus pertundas abdomen tenues, perforatas tamen, & quotidiè tantumdem aquarum per eas elutriare dicitur; quantum ferre poſſint ægri commodè; retractâ acû, foramen concidere, aëremque excludi; perendie novum foramen eôdem artificiô excitandum eſſe & educendas aquas tantiſper dum ventres inaniti fuerint.

III. Paracenteſin perfecerunt plures & atrô plerique hunc carbone notarunt, de eventû dubiô certi, cauſæ autem neſcii; Auſus quoque hanc fuit, ſed exoratus Celeberrimus quondàm Cattorum Medicus *Waldſchmid*, Amicus deſideratiſſimus, cùm quô ſæpiùs ſuper hâc re contuli, dùm medicinam faceremus ambo Sereniſſimæ Electrici Palatinæ hydrope tandem piè defunctæ. Mecum ſenſit vir Doctiſſimus, inſignis Philoſophus, aërem ſcilicet eſſe, qui in ventre hydropicorum tantas ludat tragœdias, ceu ex obſervat. 152. Ann. ſext. Dec. 2. Colleg. Curioſorum videre eſt.

Aëris vis elaſtica in fermentandis ſuccis vegetabilium & corporis humani nimis nota eſt, quàm ùt hanc pluribus hìc proſequar. Experiuntur eum in ſuis officinis Chymici, & aërem à ſuccis ſuis, ſuperfuſô oleô ſtudiosè abarcent. Cadavera integra à corruptione vindicant pollinctores, dùm balſamis ea condiunt, poroſque per quos aër corruptivus ingreditur, ſtipant. Animalcula vidi ſuccinô pellucidô immerſa, partibus omnibus abſoluta & per annos à corruptione vindicata apud Celeberrimum quondam Lugdunenſium Botanicum D. D. *Syen*. Cavent ſibi ab aëre in deligatione vulnerum Chirurgi, & ſi ſtatim à vulneratione labia committantur, antequàm vim ſuam exſerat circumfuſus aër, facilè coëunt & citra ſuppurationem coaleſcunt. Os ſi nudum tetigerit, *exfoliationem* ſeu ſeparationem laminæ tenerioris expectant Chirurgi Pariſienſes per 40. dies. Stupendum quantam vim exſerat aër in Cancris occultis, qui vel ſponte vel curantis imperitiâ aperti, nullis deincèps coërcentur repagulis; ad intima enim ſi penetret circumfluus aër, à tunicis anteà excluſus, inſequitur ilicò & major putredo, & uberior partis affectæ luxuries, & inſtar feræ ſævientis depaſcitur quicquid obvium: clauſus autem latet interdùm perannos citra offenſam. In empyemate pus minimè olens ab initiô, ab admiſsô, factâ lateris paracenteſi aëre redditur fœtidiſſimum. Quid mirum igitur in ventre hydropicorum tantam hunc tamque funeſtam edere Cataſtrophen? Etenim perforatô abdomine ingruit æther confertim in paludoſam ventris colluviem; non aliter atque tempore hybernô in piſcinas glacie obtectas, ex hauſtis piſcium reſpiratione particulis aëreis, novas paratô aditû per medias undas irruere, emorienteſque piſces refocillare videmus; Cùmque lympha in abdomine contenta varii generis particulas contineat, ſalinas præſertìm & aculeatas, quas involvit, aër intromiſſus virtute, quâ pollet elaſticâ & fermentativâ, eas exagitat, undè ſalium ſpicula è ſuis theculis depromuntur, acuuntur inter ſe invicèm & vibrantur, fibrillas nerveas, quas feriunt, pungunt, fodicant; hæ autem convulſæ motum ſanguinis & humorum circulantium intercipiunt, nec poſſunt non inflammationes oriri, undè febres, dolores, inquietudines, atque convulſiones, tandèm lethales ſi machinæ animalis virtutem ſuperant. Clarè hoc drama ſpectavi in noſtrâ muliere. Primô à paracenteſi die lympha extracta limpidiſſima fuit, & refrigerata in pelvi gelatinæ inſtar, concrevit; calore autem fundi iterùm & liqueſcere gratô ſpectaculô viſa fuit haud ſecùs atque ſi recens ex lymphæ receptaculô excepta fuiſſet: Salva tunc erant omnia. Quamprimùm verò hanc æther pervaſit, jam mutatâ ſcenâ, rigor vehementiſſimus ægrotantem concuſſit, febris

bris accenſa fuit, cum ſiti, vomitibus, doloribus variis, vigiliis, aliiſque tùm inflammationis tùm convulſionum teſtibus: Eôdem tempore alia prorſùs lymphæ facies ac ingens metamorphoſis & quæ limpida pridiè, nunc turbida, putreolens, minimè concreſcens & inſtar ſeri lactis viridiuſcula conſpecta fuit. Drama hoc luſit tamdiù æther, donèc ſubactâ ſecundum ſui motûs leges lymphâ fermentatio, ſeu particularum aculeatarum vibratio & conflictus deferbuit, & lacuna ventris maximam partem exhauſta fuit; cujus finem pauciſſimi exſpectant tragœdiæ; plures primô hôc actû ſuccumbunt, ceu adverſô quoque factô experta eſt mulier, cujus mentionem facit laudatiſſimus *Waldſchmidius*; ait enim locô citatô: Peractâ paracenteſi novam reconvaleſcentiæ ſpem recuperavit, cùm jam meliùs habere videretur. Verùm hæc ſpes vix inchoata, exſpiravit ocyùs, ſuperveniente inopinatô rigore, cum ardore, inflammatione, & intenſiſſimô imi ventris, præſertim circa pubem, dolore, quibus cùm per ſex vel ſeptem dies conflictaretur, tandèm fatis ceſſit. Quâ quidèm Hiſtoriâ dicta noſtra planè confirmari videntur.

IV. Quæ cùm ità ſeſe habeant, ità autem ſeſe habere, penſitatis ritè omnibus fortè nemo dubitabit, modò adveniendum foret Curioſis Naturæ myſtis remedium, quô aut aër in paracenteſi abarceri, quod factû perdifficile, nè dicam impoſſibile foret; aut ſaltèm emendari, nè tantam ederet ſtragem, aut vis ejus fermentativa eludi aut ſufflaminari poſſet. Cauſam ſiniſtri eventûs cubili ventis expoſito imputare videtur Excellentiſſ. *Waldſchmid*, & quidèm ingenioſè cùm frigidum omne nervis, partibuſque membranaceis ſit inimicum; in locô potiùs calidô paracenteſin perficiendam eſſe ſuadere videtur. At vereor, ùt & ità ſatisfaciat; Conſtat enim aërem in locô calidô fermentationes citiùs, quàm frigidô ciere.

Perplacuit modus, quô hanc perficere Chirurgum Sabaudum ſuperiùs memoravi. Exigua enim cùm ſit acus perforata, per quam aquam educere dicitur, parùm quoque ætheris per eandem irrumpere poterit; detractâ autem acû, penitùs excluditur. Suis tamen & iſte modus laborat difficultatibus. Etenim in noſtrô caſû tantùm abeſt, ùt per exiguum ejuſmodi foraminulum effluxiſſet aqua, ùt vel potiùs, obturatô ſubindè foramine ſpiſsâ quâdam mucagine, Cathetere requirendâ, & inter inteſtinorum volumina obhærens educenda mihi fuerit. Præterea diuturnior per exiguum canalicum effluxus aquæ, compenſare poteſt aëris per majorem aperturam irruentis quantitatem, adeòque res eôdem recideret. Sæpiùs cogitatio ſubiit, annon præter interna inflammationi obluctantia remedia, qualia ſunt diaphoretica, Spir. Camphorat. Tartari compoſitus, Armoniacus &c. injectione liquoris balſamici in abdomen partibus afflictis ſolatium afferri, fermentatio lymphæ atque corruptio impediri, & ipſa inflammatio præveniri poſſet? Fiunt injectiones in cavitatem thoracis ad proluendum empyema; fiunt quoque in fiſtulas, non vitatis nervis atque tendinibus. Ecquid non in abdomen fieri poſſent ſine partium contentarum noxâ? quin magnô fortè earum commodô, dum inteſtina inflammata jam olim in cane ſpiritû terebinthinæ perfuſa in abdomen recondidi, & ab imminente gangrænâ vindicavi. Vix autem occurrit, quod putredini potentiùs reſiſtat Tincturâ ex Myrrh. Aloë cum Spir. Vini Camphoratô, qui vel ſolus inflammationem ſolvere, & putredinem omnem abarcere potis eſt. Nec eſt, quod hanc reformidemus in abdomine. Temperatur enim aquâ intùs contentâ; tolerant hanc tendines atque nervi, quin in cane ſpiritum terebinthinæ, ardentiorem adhùc inteſtinis inflammatis felici jam ſucceſſû adhibui. Nec dubito, qui ſi ullâ arte aut ingenio hæc lymphæ fermentatio in abdomine, & inflammatio impediri poſſet, paracenteſis in majorem dignitatem aſſereretur, eaque præſtari poſſent, quæ aliis impoſſibilia viſa fuerunt. Exantlatâ enim abdominis palude, glandulæ faciliùs deoppilarentur vaſa lymphatica vel rupta, vel exeſa perſanarentur; motuſque humorum remotâ ſarcinâ liberior fieret, partium denique functiones redintegrarentur nec ingemiſcerent tantòpere ſub onere, ægrotantium plures tandemque inopes planè ſuccumberent.

Ibidem Decur. III. *ann.* I. *Obſerv.* 152. *De Hydrocephalô laborantium anatomiis.*

HEnrici Slatteri filia, nata Beringæ, propè Scaphuſiam die 24. Februar. annô 1688. capite benè conformatô mâtri & obſtetrici viſa fuit. In dorſô, ad latus vertebrarum dextrum, macula livida apparuit, uncias quinque longa, & tres lata, quæ in dies aliquantulum augebatur, nunquam tamen ad altitudinem & craſſitiem parvi digiti aſſurgebat; tam ſplendida evaſit ut mater faciem & ſpeciem veſtium intueri in eâ ceu in ſpeculô potuerit. Pes dexter à vitæ primordiô ſemper immotus fuit. Circa decimum ætatis diem, cùm aqua per tenuiſſimam maculæ membranam tranſpareret, à Chirurgô vulnuſculum inflictum fuit; proſiliit aqua limpidiſſima, ac ſi puellus, ut mater loquebatur, mingeret: vulnuſculum brevi coaluit, quod mater ſexies adhùc diebus inſequentibus refricuit: quâlibet vice aqua ex vulnere ad ℥iij. effluxit: hâc emiſſâ, ſinus amplus, & in hôc caro cruda per cutim conſpiciebatur: ſecedente tenerrimâ cute ulcus manſit, quod à Chirurgô paucorum dierum intervallô conſolidatum fuit. Quamprimùm ulcus cute obductum fuit, nihilque ſeri ampliùs exſtillavit, ſinciput dextrum primum, poſteà & ſiniſtrum in faſtigium attolli cœpit, ac intra quartam ætatis ſeptimanam hydrocephalus vaſtæ molis emerſit. Intereà ſemper edit, ſuxitque infans, alvi fæces, & urinam ritè excrevit: habitus autem, qui antè plenus, ſenſim emaciari cœpit.

D. 1. Maij caput vaſtæ molis apparuit, altum tres palmas & fermè totidem latum; ſinciput mirè in utroque latere faſtigiatum, in duos quaſi colles diviſum, intermediâ convalle: tempora ſummoperè prominebant: frons depreſſa, planè non prominula & occiput depreſſum erat. Oſſa ſincipitis ad duas palmas à ſe invicem, & temporum palmam à ſincipitis oſſibus diſtabant. Vaſa ſanguifera in temporibus & ſincipite rutilabant ſanguine diſtenta. Caput tepebat, alicubi frigidum erat. Brachia pedemque ſiniſtrum movit, immotô dextrô, qui ſiniſtrô (etſi nulla apparuerit luxatio) longior erat. Vertebra prima dorſi magis debitô protuberabat; ubi macula olim, ibidèm cutis depreſſior, & rubicunda cicatrix remanſit. Famelica & ſiticuloſa mirè linguam vibravit, & labia lambit: poſtquàm mater lac in infantis oſculum emulſit, avidè illud abligurivit, poſteàque ſuxit; ſecùs ſi fecit, non ſuxit. Pulticulam avidè comedit & ſitiit. Ajebat mater nycthemeri ſpatio præter lac maternum (quô non abundabat) ad ℥viiij. aquæ bibiſſe. Vagiit, brachiaque movit, oculos item, quorum tamen nonniſi album conſpiciebatur, niſi deorſum ductis palpebris inferioribus. Excrementa alvi & urinam

nam rite excrevit. Diaphragma ordinatè movebatur, hypogaſtrium inæqualiter intumeſcebat, mox iterum ſubſidebat, intumeſcentibus inteſtinis tormina pati videbatur; nam præſentibus illis intumeſcentiis ſubindè vagiit. Habitus multum extenuatus erat, non tamen tantoperè, ùt in hecticis & tabidis obſervatur. Illam audire ex nullô indiciô conſtitit, ad tactum integrum eſſe manifeſtô patuit. Mirè lacte maternô delectari ex linguæ vibratione & labiorum lambitione colligere licuit, quæ ad acriùs fiebant ex hujus ſuctione, quàm aquâ ori inſtillata. Cutis capitis non prorſùs depilis erat. Capilli erant ſubfuſci. Inter ſugendum & bibendum interdum aliquid convulſivi patiebatur in faucibus, propter quod deglutitio impediebatur. Hæc omnia abundè contemplatus literis conſignavit *Venerandus Wepferus noſter*, parenteſque ùt infantis obitum indicarent, præmiis inſtigavit.

Die 15. Maij miſella diem ſuum obiit. Abſente Venerandô Wepferô in me ſecandi munus recidit. Perceptô nuntiô, eôdem die ad diſſecandum cadaver properavi, meque è veſtigiô ſecutus eſt Excellentiſſimus Dn. D. Screta. Mirati ſumus ambo ſtupendam capitis molem atque figuram inſolitam; quam cùm ſuperiùs jam ſit deſcripta, hìc repetere ſupervacaneum duco: Anatome autem ſequentia nobis exibuit; Inciſâ decuſſatim cute capillatâ, quatuor ejus lobos detraxi, inter ſeparandum multum ſeri exſudavit; ex inciſis autem & diſſectis venis ſanguis aquoſus effluxit. Separatâque cute, pericranium cum durâ matre coaluiſſe obſervavimus; utrumque cerebri hæmiſphærium mirè faſtigiatum erat, corpuſque falciforme intermediam formabat convallem. In ſummitate cerebrum erat pellucidum, ceu veſica aquâ plena eidem incumberet. Oſſa cranii longiſſimè à ſe invicem, mirâ membranarum extenſibilitate abceſſerant. Sinùs longitudinis utrique hemiſphæriô arte immerſus nonniſi à parte poſticâ, quâ ſanguis pellucebat, fuit conſpicuus: hunc incidi, ſtylumque immiſi, qui in profundum ibat inter utrumque hemiſphærium ad trium digitorum tranſverſorum longitudinem; Corpus falciforme ſecundum longitudinem & latitudinem extenſum & extenuatum fuit. Abhinc vulnuſculum in ſummitate cerebri lanceolâ cautè inflixi, apertâ durâ matre prorupit ſubſtantia cerebri aquâ turgida, ac ſi inciſâ tunicâ corneâ, uvea prorueret; nec craſſior fuit ſubſtantia cerebri papyrô madidô, quem ex amuſſim referebat; nec tamen prorupit aqua, donec vulnuſculum alterum inflixi; tunc nempè proſiliit aqua limpidiſſima. Inſtrumentis idoneis deſtituebamur, quibus aqua ponderari potuiſſet, octo autem librarum pondere tum Excellentiſſimo Dn. D. Scretæ tum mihi quoque viſa fuit. Ejus in cochleari ferreô nonnihil prunis impoſuimus; ſenſim evaporavit; & bulliendo ſpumam concitavit; non in gelatinam concrevit, uti aqua in ventre hydropicorum reperta ſolet, ſed poſt evaporationem ſal acre reliquit.; Effluente aquâ, utrumque cerebri hemiſphærium unà ſubſidit, tandèmque hâc penitus emiſſâ uſque adeò capitis moles concidit, ùt mòdò conſpici caput ſine cerebrô dixiſſes. Dilatatô vulnuſculô, intùs ſpecus nitidus & ingens caverna apparuit, cujus interiora vaſis ſanguiferis ornabantur. Remotô corpore falciformi, quod profundè cerebrum ſulcabat, corpus calloſum candidiſſimum, ſed mirè extenſum & extenuatum in conſpectum venit: ſpeculum lucidum & in hôc cavitatem, quam duplicatura conſtituit intuiti ſumus. Nullam autem ruptionem ultra modum diſtentarum partium reperimus. Corpora ſtriata depreſſa erant, & interiori cerebri ſuperficiei adæquata. Luci expoſita exhibuerunt *innumeras papillulas, acicularum capitellorum magnitudine prominentes*; attactû nec aſperæ nec inæquales, nec niſi radianti luci obverſæ conſpiciebantur. Proceſſus, qui crura medullæ oblongatæ conjungit tranſverſus, brevis aliàs ad unciam unam cum dimidiâ vi aquarum diductus erat. Thalami nervorum opticorum cum protuberantiis orbicularibus ritè ſeſe habuerunt. Glandula pinealis parva & mucaginea inter contrectandum diffluxit. Plexui choroideo utrique tuberculũ phaſeoli magnitudine erat innexum, teſticulos fœmininos ex amuſſim referens, circum circa hydatides, ceu ovula in ovariis mulierum conſpiciebantur. Proceſſus mamillares dicti, exigui cæci & impervii fuerunt: reliqua nervorum paria omni vitiô caruêre, niſi quòd aquis erant ſubmerſa. Infundibulum reſciſſum inflare fruſtrà conatus fui, quippè flatum non tranſmiſit. Glandulam pituitariam diligenter examinavi; nihil tamen præter naturale in hâc offendi, niſi quòd humor unctuoſus, pellucidus tamen ſtylô, viſci inſtar adhæſit.

Cerebellum flaccidum fuit: ventriculus quartus peramplus, emiſſâ aquâ ſubſidit. Spinalis medulla in meditulliô perforata fuit & aquâ referta. Stylus immiſſus mergebatur ſponte ſuâ ad palmæ longitudinem verſus maculam, quæ juxta ſpinam dorſi viſa fuit. Hanc incidi; cavitas adhuc, & ſpinalis medulla nuda apparuit; vertebræ ibidem ad pollicis diſtantiam hiabant. Tubulô exploravi atque flatû, ſi quis fortè meatus ex indè verſus cerebrum & vice verſa daretur: fruſtrà autem fuit nullum quippè flatum tranſmiſit. Circa primam dorſi vertebram (de quâ ſuprà) tuberculum apparuit; inciſâ cute, oſſiculum inæquale & informe ſubfuit. Longiorem perveſtigationem importuni muliercularum fletus prohibuerunt; loculô proin nos, alii terræ mandârunt Cadaver.

11. Michaëlis Flor, Civis Heidelbergenſis filius, natus die 24. Octobr. ann. 1688. omnibus benè conformatus viſus fuit: in dorſô ſuprà os ſacrum macula, ſeu ſubſtantia tendinoſa & coriacea apparuit: ſuxit infans & bellè valere viſus fuit: brachia movit, pedes autem ferè immoti manſerunt: poſtquàm ad eam pervenit ætatem, quâ alii infantes, quorum plures peperit mater, pedibus conſiſtere valebant, penduli manſerunt erectô infante, & urina ſponte effluxit; anus inſuper ad trium unciarum longitudinem excidit, ùt repetitâ repoſitione opus fuerit. Alvus plerumquè fuit lubrica. Macula dorſi in dies augebatur & in majorem molem, quin tumorem tandèm inſignem excrevit, ùt præ hoc nec cubare nec quieſcere liceret infanti, niſi in alterutrum latus devolutô. Tandèm de abſciſſione tumoris monſtroſi cogitare coëperunt parentes, vocâruntque Chirurgum Circumforaneum, qui decimâ quartâ ætatis ſeptimanâ extirpationem auſus fuit. Tumorem circumcidit temerarius, & filô, acû traductâ comprehenſum protraxit, mox abſcidit & extirpavit funditùs. Inter abſciſſionem plus librâ aquæ limpidiſſimæ efluxiſſe, ſaporis ſalſi, relatum fuit. In mediô tumoris radix ſeu pedunculus apparuit cavus, qui inflatus in varias ramificationes tandèmque expanſiones membranaceas abiit, ceu cellulas & concamerationes, in quibus dicta ſtagnavit aquâ. Poſt amputationem caput infantis conſidere ſtatim & mole minui obſervatum fuit; indiciô haud obſcurô, aquam ex ventriculis & cerebri cavitatibus promanaſſe. Sequenti ab operatione die exſpiravit infans: eôdem cadaver vidi & vulnus perluſtravi cum aliis Cu-

rioſis. Pedunculus nonniſi congeries fuit, ceu faſciculus nervorum è ſpinâ dorſi exorbitantium, in mediô pervius, ùt ſtylum facilè admiſerit. Circum circà alii nervi non eôdem faſciculô comprehenſi ad tumorem tendebant, vaſa quoque ſanguifera è ſpinâ dorſi emergentia eôdem appellebant: Subtùs membrana ſpinalem medullam aliàs involvens apparuit inanis; adeò ùt vel omnis medulla ſpinalis hâc exorbitans, in dictum tumorem terminari viſa fuerit. Anus propendit ad unciæ unius cum dimidiâ longitudinem. Caput collapſum fuit eò uſque, ùt fonticulus pollicem meum facilè ceperit, & oſſa temporum ſibi invicem impenderint. Cæterùm nihil vitii foris apparuit; interiora perluſtrare vetuit ſuperſtitioſa matris pietas.

Scholium.

Qui ventriculos cerebri tantùm levitatis gratiâ conditos eſſe exiſtimant, nimis leves mihi Naturæ contemplatores; neque ad rem ſatis attendiſſe illi videntur, qui non ex primariâ naturæ intentione, ſed ſecundariò tantùm & accidentaliter ex cerebri complicatione hos reſultare exiſtimant. Sed & inſuper mirari ſubit eorum ſententiam, qui cerebri ventriculos ſpirituum domicilia ſtatuere non dubitant. Certè ſi attentiùs penſicularent, quæ crebriùs diſſecanti cerebra obtingunt phænomena, modò aquarum illuvies & ſtagnationes in hiſce cavitatibus, etiam in ſanis (uti in capite vituli hodièdum mactati, quod præ manibus eſt, videre licet) modò earumdem vacuitates, glandulæ pinealis [quæ in lepore mira eſt & viſû lepida, in homine etiam ſanô modô mucaginea, modò ſabuloſa, modò etiam lapidea; in canibus verò intricatiſſima) dignitatem non tantoperè extollerent, dùm in hâc ceu ſoliô ſedenti animæ circumſtans ſpirituum ſatellitium famulari, glandulæ motui obedire, mandata audire & fideliter exequi ingenioſè fingunt. Mihi verò pro nobiliſſimâ functione ſtabilis ac certa in microſcomô fabrica, non variâ aquarum illuvie turbata, condita, & aſſignata videtur. Tandèm verò, qui cerebri ventriculos meram cloacam nominant, minùs decenter de Sacrâ Palladis arce ſentire poſteà patebit. Aliter autem ſentiet, qui miram concamerationum cerebri ſtructuram, mirabilem in hiſce plexuum choroideorum expanſionem, ipſam deniquè convallem, quia inclinant & ſponte ſuâ ruunt in iis contenta, attentiùs conſideraverit; nec poteſt non horum uſum hariolari, & ad experimenta converſus ipſis quaſi oculis uſurpare. Alibi laticis lymphici, per totum corpus ubertim manantis hiſtoriam pro modulô tradidi, & experimentis fretus in ipſâ quoque ditione animali hunc contemplatus ſum. Spiritus nempè, ſeu particulæ ſanguinis ſubtiliſſimæ ſub lymphæ involucrô, ceu Schemate fluidô ad penitiſſima cerebri penetralia deducti, craſſius involucrum exuunt & diverſum ab eô iter inſtituunt. Probabile eſt [quod deincèps clariùs patebit) lympham ſuô functam munere, ceu phlegma ſpirituum partìm per venas remeare, partim verò ad intima penetralia poſtquàm pervenit, venarumque ſuperavit regionem, ubi remeare non datur, ulteriùs progredi, & in ipſos cerebri ventriculos tanquàm in ciſternam confluere: Ad quid enim tantus ventriculorum cerebri apparatus & admirabilis ſtructura, niſi humorem, quem etiam in ſanorum cerebris ſat uberem videre eſt, ſuſciperent, ſuſceptumque aliò derivarent? Nec verò excrementitius cenſeri debet, quippè per mirabiles vaſorum & ſerpentinos flexus ad ipſam Palladis arcem perductus, puriſſimus cenſeri meritò & defæcatiſſimus audire poteſt: nobili inſuper hôc functus munere plura adhùc corpori elargiri poteſt commoda, cujus generis recrementa natura nunquam immediatè eliminare ſolet. Quapropter rem minùs attentè penſitâſſe videntur, qui per proceſſus mamillares hunc in narium cavernas excerni putant; ſiquidèm pro narium humectatione,, qui ſecundarius ipſi tribui poſſet uſus, ſat glandularum ſuppetit, adeòque ſuperfluus & inutilis in lus foret. Validum eſt Doctiſſimi *Loweri* de catarrhis argumentum, cùm autem non in omnium manibus verſetur elegantiſſimum ſcriptum (cujus exemplar mihi in Angliâ agenti, Author humaniſſimus Donô dedit) textum ipſum apponere operæ pretium erit; *Humorem*, inquit, intra proceſſus mamillares (de brutis ſermo eſt) contentum, ipſos non permeare aut pertranſire meliùs innoteſcet, ſi ipſorum ſubſtantiam, conformationem & uſum paulò accuratiùs perpendamus; duplici enim ſubſtantiâ, non ſecùs ac reliquæ cerebri partes, medullari ſcilicet, & corticali conſtant, in medullari autem ipſi ſpiritus animales hoſpitantur, undè in nervos ab eâ exortos, & in nares implantatos excurrunt; ſi autem aqua in cavitatibus proceſſuum contenta per medullarem ipſorum ſubſtantiam in nares tranſeat & extillet, neceſſe eſt ut per nervos fluat, & ipſorum corpora pervadat. At quid indè de olfactû fiet, ſi ipſa ejus organa continuò humore excrementitiô ſcateant? In humanô cerebrô proceſſus iſti ſunt exigui, imò cæci & impervii, nec à ventriculis cerebri, ſicut in quadrupedum pleriſque, ſed à ſubſtantiâ medullari ſub corporibus ſtriatis, ubi nulla datur cavitas, utrinquè oriuntur, nervoſque ex amuſſim, interdùm nervorum faſciculum referunt, nervorumque proin, nec aliô officiô fungi credam ta ntiſper, dum alii me perſpicatiores cavos hos mihi oſtenderint in homine.

Viam, quâ excernantur humores contenti, monſtrabit ſedulò natura contemplatori vel unica concamerationum ſtructura, quæ eò inclinare videtur, ùt humor ex omnibus receſſibus cerebri confluus verſus infundibulum ſponte fluat, & ſubjectæ glandulæ inſtilletur pituitariæ. Huic operi velificantur plexus choroidei; Alibi demonſtratum fuit, quàm facilè lymphicus humor à frigore lentorem contrahat, ſuamque fluiditatem amittat. Nè id in his cerebri cavitatibus eveniret, mirabili vaſorum plexû cautum eſt, ùt igne hôc jugi perpetìm calerent ſeu hypocauſta & humor in his contentus liqueſcens commodè in infundibulum devolutus ulteriùs proveheretur, de quô Willis ingenioſè diſſerit. Accedit motus cerebri ſuccuſſorius arteriarum pulſatione & vibratione concitatus. Quemadmodùm autem cribra artificioſè agitantur, & in molendinis percutiuntur, ùt materia contenta cribretur & ejiciatur; ità & in cerebrô humoris redundantis excretio ceu mechanicè perficitur. Ipſum deniquè infundibulum inter binas Carotides continuò pulſantes & verberantes reperitur conſtitutum, quæ motû atque calore ſuô lympham in infundibulum defluentem liquant ejuſque excretionem promovent. Ex hiſce uſum retis mirabilis in brutis perdiſcere licet. Etenim quæ pendula geſtant capita, & ad demetendas herbas in terram defixa pleraque reti mirabili donantur & in ſuô genere gaudent bruta animantia. Facilè quippè latex in cerebrô ſtagnaret, lentorem conciperet, & ad excretionem minùs aptus fieret; pulſatili autem hac & calorificâ plexûs arterioſi machinâ tum fluiditati ejus, tum motui atque excretioni conſultum videtur. Homini, cui erectus ad ſydera vultus, generoſô

generoſô equô, & ut nuper vidi, lepori, animali cerebrô ſedenti erectô capite, eodem machinamentô fortè opus non erat; humor enim in cerebrô reſultans elatô capite facilè, quin ſponte ſuâ depluit: ſuffecit proin carotidum, tum verberando, tum calefaciendo lymphæ motum juvantium vicinia.

Diù mihi cum aliis hæſit aqua. Vidi equidem ceu meridianâ luce clarius humores in ventriculis cerebri collectos in infundibulum confluere, & ad ſubjectam glandulam pituitariam decumbere, viam autem,quâ exeant, aut excernantur nullam reperire potui. Doctiſſimus *Lowerus* duplicem deſcribit in homine ductum & icone illuſtrat: *Duo*, inquit, vaſa ex utrôque ſellæ turcicæ latere conſita ſunt, quæ hiantibus quaſi oſculis aquam omnem à glandulâ pituitariâ deſtillatam excipiunt, & in venas jugulares utrinque extra calvariam deponunt, quorum ductus facilè patebunt, ſi aqua aut lac è ſiphone in venam jugularem utramvis propè calvariam injiciatur, mox enim conſpicietur propè glandulam pituitariam erumpere atque ſcaturire. Idem experimentum Clariſſ. Thomas Willis ante perfecit, qui cum diligentiſſimô Lowerô meritò curioſiſſimus hujus glandulæ ſcrutator audire poteſt. Sed pace tantorum Virorum dicam, quæ ego circa hanc obſervari. Vaſa, ſeu ductus, quos illi detexerunt, certè nonniſi venarum ſunt propagines. Foramina quippè in capite vitulinô oſſi cuneiformi inſculpta ducunt ad ſubjectum, oſſi ipſi immerſum vas ſanguiferum, quod in binos rivulos diviſum reflectitur utrinque ad venas jugulares. In capitis humani anatome injeci olim ope ſiphonis ceram rubicundam in alterutram venarum jugularium, penetravit hæc uſque ad glandulam pituitariam, quam undiquè alluit & coronavit pulchrè, ipſam verò glandulam non ſubire, ſed tantum alluere clarô hôc experimentô didici. In ſcrutiniô glandulæ pituitariæ è calvariâ vituli exemptæ cautiſſimè membranam, quâ inveſtitur, ſeparavi, nullum autem vaſculum excretorium, quod ipſam ſubingrediatur, bibatque infuſum laticem deprehendere, nec vel minimum hujus veſtigium obſervare potui. Adeò, ut ex Anatomiâ tum aliorum, tum propria, parum mihi de excretionis modô in hâc glandulâ conſtet. Nec tamen probabilis mihi videtur Clariſſ. Diemerbrokii ſententia, dum glandulam pituitariam penum ſuum ſupernè verſus cerebrum effundere ſtatuit: quippè per proceſſus mamillares nihil humoris, ſaltem in homine excerni ex ſupra dictis abundè conſtare arbitror, quò autem concederet tandèm humor in cerebrum effuſus, fateor me non concipere. Quin ſtructura hujus glandulæ contrarium innuere videtur, quippè inſigni hæc cavitate prædita eſt, ſaltem in homine, quâ humorem ſupernè infuſum excipit. Veriſimile eſt laticem ex omnibus cerebri partibus confluum in infundibulum devolvi, glandulæque pituitariæ infuſum ejuſdem porulos trajicere ac perreptare, oſculis vaſorum reducentium ad hoc configuratis hiantibus infundi, juvantibus hoc opus pluribus machinamentis perquàm ingenioſis, & ità (more totius corporis lymphæ) in maſſam ſanguinis derivari: hujus enim conſervationi ceu humoris utiliſſimi naturam mirè ſtudere alibi demonſtratum fuit. Nè autem ἀσύμβολος ſim in abſtruſô hôc, ſed ſcitû perquàm neceſſariô naturæ artificiô, fert ſententia, vaſa lympham in hac glandulâ abſorbentia non eſſe ſanguifera, qualia depingit ingenioſiſſimus Lowerus, ſed revera lymphatica exiſtere, quæ etſi ob loci aſperitudinem Anatomicorum diligentiâ nondum fuerint detecta adeòque inviſa, eadem tamen exiſtere nullus dubito. Quemadmodùm nimirùm reliquæ glandulæ conglobatæ in capite lympham ſive circa nervorum expanſiones in membranis (uti dudùm obſervavit Venerandus ſenex noſter Wepferus) ſcaturientem & ad glandulas conglobatas per vaſa lymphatica transfuſam, ſive ab ipſis immediatè arteriis iiſdem ſuffuſam filtrant, percolant & per alia in parte ſimâ exorientia vaſa lymphatica ad commune lymphæ receptaculum remittunt, ità quoque cum glandulâ pituitariâ comparatum videtur. Eperiundo enim didici, in capitibus præſertìm boum, lympham in partibus nutriendis reſultantem, glandulis tum maxillari, tum parotidi, tum aliis conglobatis per peculiaria vaſa lymphatica advehi, earumque parti convexæ fuſis ramificationibus infundi, (cujus elegantiſſimum argentô vivô experimentum cepi) quæ poſteaquàm glandulæ ſubſtantiam pervaſit, ab aliis parte ſimâ oriundis vaſis lymphaticis excipitur, & ad commune lymphæ receptaculum refertur. Cùm itaquè glandula pituitaria ex conglobatorum genere videatur, lymphaque ſupernè inſtilletur, quid obſtat quominùs vaſa lymphatica ſupponamus, quæ per colatam lympham abſorbeant, & more aliorum, ad commune receptaculum revehant? Nec enim fas erat, lympham à cerebrô refluam immediatè in ſanguinis maſſam redire, quin more totius corporis lymphæ ſuô charactere in glandulâ conglobatâ inſigniretur, de quibus forſan aliàs pluribus dicendi erit occaſio. Plura ſunt in nôſtrô Hydrocephalô, quæ hanc theoriam confirmant phœnomena; interquæ illud inprimìs enucleandum eſt, cur in recens natos præcipuè cadat hydrocephalus? Equidem nullum eſt dubium quin humores in cerebri ventriculis collecti apud plures fruſtrentur exitû, & aliis quoque ætatis homines peſſundent, undè meritò Carolus Piſo caput caſtellum ſeu labrum ſeri appellavit. In adultis autem non hydrocephalum, ſed apoplexiam uti ſubſequens obſervatio teſtatum faciet, aut alium affectum ſoporoſum inducit; nimirùm ab exundante perperam ſerò in adultis corpora medullaria ob ſoliditatem & reſiſtentiam cranii cedere neſcii comprimuntur, ſpirituumque animalium effluxus per nervos intercipitur; in tenerâ autem ætate cedit exterior cortex, integumenta membranosâ humiditate ſcatentia dilatantur, & mirum in modum diducuntur. Recèns autem natos præcipuè manet hoc fatum (uti videre eſt apud Fabrit. Hildan. Foreſtum & alios] quia pronô plerùmque capite & inclinatô, nonnunquàm planè demiſſô, præſertìm circa tempus partus in uterô reperiuntur, quô ſitû reſtagnat humor in cerebrô, lentorem forſân concipit, hinc percolationi per glandulam pituitariam minùs idoneus, infarctis ejus porulis congeritur in ventriculis & accumulatur, donec caput in immenſum excreſcat, tandèmque obruatur aquis. Prætereà dum eluctatur infans per uteri clauſtra, caput ejus mirè comprimitur, ùt interdùm vel terrorem incutiat inexpertis primiparis; ex iſtâ coarctatione fibrillæ cerebri non poſſunt non violari: nec mirum ſi humorem nimium admittant in cerebri ventriculos exſudantem, minuſque proportionatum, quàm ut filtri ſui porulos trajiciat atque pervadat. Nullum eſt dubium, quin in memoratô caſû affectus primordia jam in uterô facta fuerint, antequàm lucem aſpexit miſella; nimirùm poſtquàm aquâ in ventriculis cerebri collecta exitum per glandulam pituitariam, ſive propter lentorem, ſive aliud vitium non obtinuit, regurgitavit verſus cerebri ventriculos, quos adimplevit; undè versùs quartum redundans ventriculum ſpinalem medullam perforavit,

cuniculumque

cuniculumque per mediam hanc egit: eô autem loci, quô vertebræ hiant adhùc in tenellâ hâc ætate exitum molita eſt, cutim autem denſam dum perrumpere non potis erat, ſaltèm maculâ lividâ notavit, quæ ſtatim poſt partum animadverſa fuit. Illud verò attentionem meretur, nimirùm quod intra decem dies eò uſque cumulata fuit aqua in ventriculis cerebri, ùt non modò per ſpinalem medullam cuniculum egerit, cutimque firmam in tumorem elevârit, ſed & inſuper eò uſquè extenuârit, ùt aqua intus conſpici potuerit quæ vulneratâ cute tantâ vi proſiliit, ac ſi puellus, ut mater loquebatur, mingeret: Sex inſequentibus diebus; poſtquàm vulnuſculum refricuit mater quâlibet vice ℥iij aquæ limpidæ effluxerunt. Conſolidatô ulcere intra menſem caput in tantam molem excrevit, quanta in Hiſtoriâ morbi deſcribitur. Duplicem autem hujus colluviei in diſſectione capitis videbar mihi videre ſcaturiginem. Sunt equidèm, qui omne ſeri deplurium glandulis plexuum choroideorum tumefactis tribuerent. At verò ventriculi cerebri, quod ad recipiendas hujus ſuperfluitates conditos eſſe tantùm non omnibus probatur, non ſolùm propter haſce glandulas facti videntur; quippè latiùs patent, adeòque etiam aliundè, quam ex hiſce glandulis humores in illos confluere videntur. Diſſecui olim caput vituli vertiginoſi: inveni in ipſâ cerebri ſubſtantiâ fluere humores & epidermide obduci poſſe. Id effecti autem meritò tribuimus papillulis, quæ in corporibus ſtriatis, lævibus aliàs ac perpolitis capitellorum acicularum magnitudine prominebant numeroſiſſimæ, ùt ſerum copioſius eructârint in cerebri ventriculos; ſanè ſimiles in aliis quoque cerebris morboſis obſervavi, præſertìm in colluvie ſeroſâ; de quibus impoſterùm mecum viderint alii, ſiquidem naſcatur occaſio; interìm admonitos velim, nonniſi ad radios ſolis conſpici haſce papillulas. Nec tamen omni culpâ eximimus glandulas plexuum choroideorum, quippè tumidiores repertæ fuerunt, eaſque vitioſas ut plurimùm obſervavit in hydrope cerebri Clariſſ. Tho. Willis. Utrùm primariò & per ſe, an huic immerſæ lacunæ fuerint vitiatæ, dubito. Certum tamen eſt, in hydropicorum ventre glandulas plerumque corrumpi, tandèmque quaſi elixari. In plexibus choroideis glandulis id muneris delegatur, ùt, cùm vix detur immediatus ex arteriis in venas tranſitus, ſanguis arterioſus (qui calore perfundit haſce cavernas) venis perdictas glandulas committatur. Si quis autem has glandulas propterea tantùm conditas, & plexibus choroideis intertextos exiſtimet, ut ſerum ſeu lympham ſecernerent, huic regero, non opus fuiſſe tantâ venarum & arteriolarum luxurie ac frequentiâ, Nec ad depurandum ſanguinem deſtinatæ videntur, quippè is ex arteriis plexuum choroideorum non ad ſubſtantiam cerebri corticalem, ut ſpiritus indè elaborentur, progreditur, ſed proximis redditur venis, ad torcular reducentibus.

Quantâcunque autem copiâ cumulata fuiſſet aqua in cerebri ventriculis, hydrocephalum non produxiſſet, niſi via, quâ aliàs excerni ſolet aut infarcta, aut aliàs obſtructa fuiſſet. Sed unctuoſus circa glandulam pituitariam humor, qui ſtylô viſci inſtar adhæſit, index fuit farcientis intùs, & colatorium ſeu glandulam pituitariam obſtruentis mucilaginis. Interceptâ ità & interclufâ excretionis viâ, ſtagnante & regurgitante verſùs cerebrum aquâ, caput infantis non potuit non brevi temporis ſpatiô in vaſtam excreſcere molem.

Exemplum Hydrocephali, in quô glandula pituitaria planè defuit, videre eſt in Colleg. Curioſ. Ann. 2. Decad. 1. Obſervat. 47. Aliud apud Doctiſſimum Lowerum in tractat. de catarrhis, ubi glandula pituitaria, quâ infundibulum inſerebatur, gelatinâ quâdam viſcidâ ad magnitudinem minoris fabæ penitus oppleta fuit. Uſque adeò verum eſt, humiditates cerebri per glandulam pituitariam tranſcolari & in maſſam ſanguinis derivari. Ex hiſce quoque infertur, impropriè cerebri excrementa dici, quæ natura nunquàm in ſuum ſinum recipere ſolet. Cur verò non immediatè per apertos tubulos ſed mediante glandulâ hâc, lymphâ in cerebrô reſultans venis inſtilletur, ratio videtur, quia quemadmodùm lympha ubi in corpore, ſaltem, quod compertum habeo in capite reſultans, antequàm in maſſam ſanguinis refunditur, glandulas conglobatas alluit, ùt in iis aliquid delibet (nec enim fruſtrà has conditas fuiſſe exiſtimare fas eſt) ità etiam cum lymphâ in cerebrô redundante comparatum videtur, nec enim priùs in maſſam ſanguinis reducitur, quàm in glandulâ pituitariâ, charactere ſuô inſignita fuerit, de quibus alibi forſan pluribus.

Ibidem Obſervat. 153. *De Apoplexiâ fortiſſimâ ex Hydrope Cerebri, cum ejuſdem Anatome.*

CHriſtophorus Weiler, Sileſius, clauſtrarius in arte ſtrenuus, 64. annorum, capillitiô molli, canô atque ſimplici, colore faciei pallidô, & qui huic vitæ generi eſſe conſuevit lurido, ſtaturæ & habitûs medii, vir cæteroquìn ingenioſus; varios caſus expertus eſt in bellô, tandemque ſuperatis variis periculis ad noſtras oras appulit. Panem ſuum manuum operâ lucratus eſt; nec niſi mane atque veſperi veſci contigit, circa meridiem pane & vini hauſtû ſiquidem præſtô fuerit contentus; viduus à duodecim annis egenam duxit vitam, & officinæ ſuæ atræ ſpeluncæ incluſus, Vulcanum egit, ſolertem. Diebus feſtis Baccho litavit ſtrenuè, nec vino irrigua viſcera ſatiabantur, donèc penè inebriata merô permaduerint; potû potiùs & liquidis, quàm cibô victitavit; nonnunquam ſitibundus frigidam affatim hauſit. Olim febri quartanâ diù laboravit; verebatur tùm temporis hydropem, propter habitum cachecticum, ſubtumidum.

Annô 1687. ſtridente modò autumnô, udô atque humidô, defluxionum feraciſſimô, febris; quæ olim afflixit denuò gliſcere videbatur: hanc eludere conabatur frequenti crapulâ; torcularia quotidiè adiit vinumque hornum immodicè bibit increpatus à quôdam ebrius, febrim ſe hâc ratione abarcere repoſuit.

Die 7. Octobris 1687. manè poſtquàm ſurrexit, officinam ſuam adiit ac ſtrenuè laboravit, idem in opere atque ſermone qui pridem: nullius infirmitatis mentionem fecit; jentavit circa ſeptimam domi cum appetitû, abhìnc ad officinam ſuam rediit. Circa meridiem pranſurus cum filiô συντέχνῳ panem appoſuit, vinique heminam afferre juſſit. Inceperunt ad incudem duram prandium Diogenicum; bolum panis ori ingreſſurus mòdò in hæc verba erumpit. *Was will das werden?* ſtatimque attonitus humi concidit & cum ſtertore animam efflavit. Vicini ad lugubres filii clamores accurrentes jam extinctum invenerunt; Fortè fortunâ in viciniâ agebam, perceptô nunciô, adfui haud cunctanter, & apertionem à filiô, qui ipſi unicus ſupererat, flagitavi, conceſſamque non diù poſt adminiſtravi. Bihoriô nempè abhinc aſcitis laborum ſociis, cutim capillatam detraxi & revulſi in formam crucis inciſam.

Pericranium

Pericranium undiquè albicabat; multùmque ſeri exſudavit; circa occiput venulæ rutilabant. Ad auferendam ollam circumcirca inciſô pericraniô, carotides externæ vulneratæ atque diſciſſæ fuerunt; indè ſanguis ſeroſus effluxit copioſè. Serrâ ſatis cautè inciſô craniô, ſcalprôque effractô, dura mater circa frontem lacerata fuit leviter: revulſurus ollam, ſatis firmiter ſinui longitudinati adhærentem, obſervavi piam matrem aquâ limpidâ turgidiſſimam, inſtar hydatidis proruere, & vix cavi, quin dum auferebam cranium, ſubindè effluxerit aqua. Inciſâ durâ matre nihil ſeri inter hanc & piam matrem inveni, quippè jam effluxerat. Sinus longitudinalis amplus, nihil humoris aut ſanguinis continuit, ſed omnis refluxit versùs ſinus laterales fluidus. Corpus falciforme hìnc indè, præſertim propè torcular mediante glanduloſâ ſubſtantiâ cum piâ matre cerebrôque coaluit. Ablatâ durâ matre ſerum perpetìm exſudavit & effluxit limpidum. Ad latera utriûſque hemiſphærii arterias peramplas penè inanes; venas quoque inſignes, & his flatus inveni. Totum cerebrum non flaccidum ſed firmum fuit; diductô utrôque hemiſphæriô, corpus calloſum candidiſſimum apparuit. Aſſulatim ſubſtantiam cerebri abſtuli & ad ventriculos uſque reſecui, vaſa ſanguifera hinc indè notabantur punctulis cruentis: uterque autem ventriculus aquâ ſcatebat turbidâ, qui omnes receſſus & cerebri cavitates hâc inundatæ & repletæ fuerunt. Plexus choroidei ſubmerſi albicabant, qui aliàs rutilare conſpiciuntur; hydatides aliquot in his numeravi; glandulas quoque miliares, ſed flaccidas hiſce irretitas videbar mihi videre. Glandula pinealis cineritii coloris & flaccidior reliquâ cerebri ſubſtantiâ apparuit. Corpora ſtriata, thalami nervorum opticorum, protuberantiæ orbiculares omni vitiô caruerunt, firma fuerunt & quaſi calloſa. Infundibulum aquâ plenum, & reliquæ cerebri cavitates aquarum illuvie inundatæ fuerunt, præſertim quartus ventriculus, ùt immiſſus ſtylus ad ſpinam dorſi uſque dilaberetur. Ad proram cerebri converſus, nervos olfactorios (quos malè in homine proceſſus mamillares dixeris) diligenter examinavi. Nullam in his cavitatem vel flatui perviam invenire potui, neque in exortû, nec mediô nec inſertione: ſtriati videbantur ceu nervorum faſciculi. Reliqua paria nervorum fulgebant pulchrè. Ductus ex infundibulô ad glandulam pituitariam ducens exilis. Carotides aquis merſæ albicabant. Cerebellum minimè flaccidum, ſed ſicuti reliquæ cerebri partes firmum apparuit. Tota baſis cerebri & ipſa ſpinalis medulla aquarum illuvie inundata fuit. Inter membranam duræ meningis ſobolem, quæ ſpinalem medullam inveſtit & ipſam medullam laxa cavitas, aquâ plena reperta fuit: ſtylus huic commiſſus ibat in profundum per ſpinam dorſi. Dum fortè adſtantium quidam pectus compreſſiſſet, ſanguis ſeroſus inſtar loturæ carnium per ſinus laterales abſciſſos regurgitavit; remotâ manû fluentum quod eructaverant, reſorbuerunt venæ: compreſſis denuò præcordiis idem phœnomenon iteratò obſervavimus. Glandula pituitaria firma erat, hinc indè venulæ hanc circumdabant, per quas abſciſſas, compreſſis præcordiis, ſanguis quoque exundavit. Pondus aquæ in cerebrô repertæ certò definire vix poſſem; multum namque inter diſſecandum effluxit & viſum ſubterfugit: certum tamen eſt omnes cerebri receſſus & cavitates fuiſſe repletas & diſtentas aquâ; ipſam quoque ſpinalem medullam in ſuô involucrô hac penitùs ſubmerſam obſervavimus.

Scholium.

I. Qui in tenellâ ætate Hydrocephalum, hìc in adultô homine apoplexiam excitavit hydrops cerebri. Nec enim hoc nomine defraudandus erit uterque affectus, ſiquidèm partes omnes & receſſus cerebri aquarum illuvie inundatæ, omneſque cavitates repletæ fuerunt tùm in hôc, tum in ante memoratô casû. Nec aliam notare eſt morbi differentiam, quàm quòd in membranoſâ compagine vi aquarum ceſſit, & in majorem molem excrevit caput; in hoc autem ceu compagine ſolidâ, cedere neſcia, intùs coacta fuit vis & illuvies aquarum, concluſa immotis limitibus.

II. Diù fuit dubium inter eos, qui de cauſis apoplexiæ commentati ſunt autores, utrùm ex compreſſione cerebri apoplexia quoque oriri poſſit? Contrariæ namque qui fuerunt ſententiæ exiſtimârunt ſerum ſuô fruſtratum exitû in cerebri ventriculis cumulatum, ſubſtantiam medulloſam plùs nimis irrigare & perfundere, donèc permadeſcat, flaccidum evadat, tandèmque actiones animales peſſundentur. Contrarium autem egregiè demonſtravit Venerandus noſter ſenex *Wepferus* in tractat. de Loc. affect. in Apoplexiâ, quibus hæc ſuccenturiare fert animus. Firmum demortuus noſter cerebrum obtinuit, & actiones omnes vegetas habuit; fuit namque in opere ſuô ſtrenuus, & vir aliàs ingenioſus, quique pollebat judiciô, quod plures mirati fuerunt in homine plebejô litterarum neſciô; quod evidens eſt τεκμήριον non aquarum illuvie ſubſtantiam medulloſam cerebri perfuſam, ſpirituumque effluxum in organa ſenſuum hâc ratione interceptum fuiſſe; quippè procul dubiô magis tunc madida & flaccida obſervatur in demortuis cerebri ſubſtantia, ſecùs atque in noſtrô cadavere videre fuit.

III. Mirari autem ſubit quî tam citò ſubitòque hominem cæterà ſanum jugularit lethôque dederit morbus iſte attonitus? Equidem ſenſim ſine ſenſû colluviem ſeri factam fuiſſe in cerebri ventriculis nihil impedit, quominùs credamus: illæſis enim functionibus animalibus hanc fieri poſſe vel hydrocephalus indiciô eſſe poteſt. Si verò eò uſque accreverit ſeri copia in cerebro, ùt jam omnes cerebri cavitates & anfractus hâc ſint repleti, nec ampliùs cedere queant, novus ſi tunc fiat ſeri affluxus, jam illud cerebrum opprimit, poros ejus occludit, ſpiritus perturbat & dicto citiùs hominem perimit & peſſundat. Cauſæ autem huic effectui pares ſat enumerantur in hiſtoriâ morbi; magis nempè liquidis, quàm ſolidis victitavit pauper per annos; ſitibundus frigidam affatìm ingeſſit, diebus feſtis Baccho litavit; tempore autumnali frigidô-humidô, defluxionum feraci quotidie ferè, etiam tunc temporis, quô jam dum morbi ſenſerat præludia ſe ſe ingurgitavit vinô hornô, cujus in hôc casû noxam pluribus oſtendit Vener. Wepferus noſter, adeò ùt ſeri abundantiâ nullum fuerit dubium, quam prodidit quoque habitus cachecticus; qui hydropis metum fecerat ὀργασμὸν ſeri ac deſpumationem frequens horripilatio, quæ febris metum renovârat palam fecit. Binis hiſce cauſis poſitis quàm confertìm ſeri effuſio partiſque alicujus inundatio fieri queat repentinâ intumeſcentiâ hydropicorum, tonſillarum &c. de quibus pluribus doctè diſſerit Venerand. Wepferus noſter, oſtendunt. Huic ſi accedat ſubita ſpirituum animalium perturbatio à causâ nempè validè agente, actum eſt de hominis vitâ dictô citiùs.

IV. Seri abundantiam cùm in totô corpore, tùm

tùm imprimis in maſsâ ſanguineâ teſtatur ejuſdem fluxibilitas : tantùm enim abeſt , ùt ſecundum ingenioſam *Bayle* opinionem contra Vener. Wepferum coagulatus fuerit ſanguis circa cerebrum, ùt vel potiùs fluidus etiam poſt mortem manſerit, cujus clarum ſatis experimentum cepimus in noſtrô caſû. Compreſſis enim præcordiis, ſanguis ſeroſus atque fluidus per abſciſſa vaſorum orificia exundavit ; remotis autem manibus reſorptus fuit ab iiſdem ; indiciô luculentô floridum & debitô ſeroſiorem fuiſſe, non autem coagulatum ſanguinem, apoplexiæ cauſam, id quod ſubſequens quoque obſervatio de Apoplexiâ ſanguineâ docet, quâ ſanguis itidèm planè fluidus, nulliuſque conſiſtentiæ repertus fuit.

v. De fonte ſeu ſcaturigine tantæ illuviei res eſt obſcura. Hydatides equidèm plures obſervavi in plexibus choroideis, ſicut etiam in præcedente caſû, quas in hydrope cerebri plerumquè reperiri meminit Doctiſſ. Thom. Willis de Anatom. cerebri : Magna autem eſt dubitatio, quod jam ſupra monui, utrùm ex conſequenti in ſtagnante aquâ ſubmerſæ vitientur glandulæ plexibus his intertextæ, an verò primariò affectæ hydropis cauſæ exiſtant ? Utrumque fieri poſſe veriſimile eſt. Glandulas enim corrumpi tandèm in ventre hydropicorum nemo practicus dubitare poteſt ; has quoque labefactatas hydropis cauſam exiſtere frequens obſervatio teſtatum facit. Etenim ſi ſint obſtructæ, aut quomodocunquè vitiatæ, ùt motus humorum minùs promptè in his perficiatur, confeſtìm ſerum reſtagnat, & quod experimentum Clariſſ. Loweri palàm facit, vaſis ſuis excidit ; illæ autem intumeſcunt & quæ miliares, fabæ nunc magnitudine conſpiciuntur, quin & in hydatides degenerant, tandèmque ultra modum diſtentæ crepant, undè ſeri depluvium in ventriculos cerebri, minùs forsàn proportionati, quàm ùt philtri, glandulæ pituitariæ porulos trajiciat, ſtagnat proin, congeritur & accumulatur.

vi. Sed & ſeri perpluvium per ipſam cerebri ſubſtantiam & deſtillationem in ventriculos cerebri ſymbolam contuliſſe videtur. Certè cavitates in cerebrô ampliores ſunt & ſpatioſiores, quàm ùt nonniſi à glandulis his miliaribus deciduas ſuſcipiant & colligant humiditates ; cùm autem per totum cerebrum extendantur ventriculi, ex totô quoque cerebrô humiditates colligere veroſimile eſt, & in ſuperiori caſû hujus excretoria, papillulas nempè prominentiores hìnc indè in parietibus ventriculorum oſtendi ; quæ etiamſi in præſenti caſû viſum ſubterfugerint, malo tamen loci & temporis incommoditati, quippè jam veſperaſcebat in obſcurô, quàm fortè earumdem abſentiæ cauſam tribuere, etenim jam pluriès has in morboſis cerebris obſervavi, de quibus viderint & alii, ſiquidèm naſcatur occaſio.

Ibidem Obſervat. 154. *De Apoplexiâ, poſt quinquennium recurrente fortiſſimâ à ſanguine extravaſatô, cum capitis anatome.*

ANna *Oberhauſer*, fabri lignarii, civis noſtratis uxor, 47. annorum, ſtaturæ juſtæ, habitûs pleni, colore faciei albicante temperamenti ſanguineo phlegmatici, olìm cuticulam egregiè curavit : nupta viro, primô puerperiô tres (quorum unus adhùc ſuperſtes,) abhìnc ſedecim alios enixa eſt infantes ; partus plerumquè fuit laborioſus, lochia enormiter manârunt. Rem domeſticam probè adminiſtravit, frugi fuit & attenta ad rem, curta dum fuit ſuppellex & res anguſta domi. Annô 1680. menſe Decembr. gravem inſultum apoplecticum paſſa eſt : ἄφωνος facta, totumque latus dextrum motû ac ſenſû privatum fuit. Accerſitus è veſtigiô adfui venamque ſecari ; veſicatoria variis partibus admoveri, frictiones adminiſtrari, & quæcunque revellere à capite & ſpirituum influxum in organa ſenſuum juvare potuerant, ſeduló perfici curavi. Die ſeptimô exhibitô purgante, nervos quoque ſplanchnicos ſollicitavi ; quibus tantumdèm profeci, ùt quæ anteà loquelam amiſerat, pedem brachiumque dextrum movere non poterat, nunc balbutire & artus movere quomodocunquè valuerit : tandèm benedicente Deô integram horum uſuram recuperavit, exceptâ infirmitate quâdam lateris affecti, quæ tamen non impedivit, quominùs munia ſua obierit. Concepit abhìnc & filium ſanum enixa eſt. In actionibus principibus nulla menda apparuit, niſi quòd ante inſultum tenax & attenta ad rem, ſatis negligenter nunc rem domeſticam habuerit, liberalis nimis & prodiga ; bibula fuit & ſubindè pluſculum ſeſe invitavit, quapropter ſæpiùs à maritô increpata, tandèm verberibus excepta fuit : quin nuper adhuc vulnus capiti inflictum fuiſſe referunt. De cephalalgiâ multùm querebatur, vertigine item titubante lapſumque minitante, ad quæ averruncanda mala crebrò ſanguinem mittere ſolita fuit : fonticulum excitavi & ità rei domeſticæ reddidi matrem familias. Ad reliquias morbi diſſipandas præter conſilium medici, thermas adiit Helveticas, quibus per aliquot ſeptimanas citra ſanitatis emolumentum uſa fuit. Sed & ſpiritum ceraſorum nigrorum ad ebrietatem uſque ſorbillavit, & pulvere ſternutatoriô abuſa eſt, ſpe freta morbum hâc ratione ſublatum iri. Annô 1685. ipſis vindemiis (quô tempore lautiùs vivere & geniô indulgere ſolet apud nos vulgus) poſtquàm vertigo diù multùmque afflixerat, fortiſſimâ apoplexiâ tacta, ſubitòque enecta fuit : ipſis (quod probè notandum) fluentibus menſtruis, propter quæ venæſectionem, quæ ſæpiùs opem tulit antè, differre coacta fuit, ſurrexit equidèm mane horâ ſolitâ, & ad munia diurna rediit. (Retulit quædam ex vicinis horâ nonâ matutinâ Cadum portâſſe capiti impoſitum ad condendum muſtum, inſignis laſſitudinis mentionem feciſſe, incedentem vacillâſſe nec levem ebrietatis ſuſpicionem dediſſe.) Domum reverſa conqueſta eſt de frigore, lectum proìn petitura in ipſis ſcalis concidit ſupina, cùm actionum animalium eclipſi, concurrerunt confeſtim vicinæ mulierculæ à miſerô infantum ejulatû, proſtratamque invenerunt in ſcalis inconcinnè ac miſerè hærentem ; eam proin ſublatam in lectum in hypocauſtô ſtratum compoſuerunt. Accitus preſsô pede adfui. Tremebant artus & ceu rigore concutiebantur : reſpiratio erat inæqualis cum ſtertore : nec acclamationibus nec vellicationibus excitari poterat, ùt ſenſus aut intellectus indicia præberet : contentiùs dum vellicabam, inconditô motû agitabatur membrum quod vellicaveram, modò in dextrô, modò ſiniſtrô latere. Pulſus erat citatior ab initiô, mox tardus & rarus, tandem debilis & languidus. Reſpiratio ſenſim quoque ſufflaminari videbatur, ovi infudi liquoris excitavi nonnihil, qui ad fauces aſperamque arteriam defluens tuſſim bis terve excitavit : caput de pulvinari ſuſtulit inter tuſſiendum, ſed mox recidit : ſulphuratum, dum alia vix ſuppetebant, accenſum naribus admovi, cujus nec odore, nec uſtione morti vicinam commovere potui : vix enim dimidiâ horâ poſt inſultum reſpiratio ceſſavit, pulsû nihilominùs perpetuante. Venæ jugulares mirè agitari videbantur,

tur, quemadmodùm in omnibus, quibus circulatio, in pulmonibus intercipitur, morti vicinis, obſervavi. Senſim autem ſenſimque debilior pulſus & rarior, tandèm quoque ſubſtitit, horâ circiter decimâ matutinâ, ùt anima è ſuô ergaſtulô migrare neceſſe habuerit. Horâ ſextâ veſpertinâ caput cultrô meô ceſſit. Inciſâ decuſſatìm cute capillatâ & revulsâ, ſerum ſubcruentum exſudavit, ex diſſectis autem vaſis ſanguiferis ſanguis ſeroſus effluxit. Ablatâ capitis ollâ circà occiput ubi firmiſſimè hæc corpori falciformi annectebatur, ex divulſis venulis & arteriolis ſuturam coronalem perreptantibus innumeras vidi exſudare ſanguinis guttulas. Ad latus hemiſphærii dextri, dura mater ſcalprô vulnerata fuit, nihil tamen ſanguinis nec ſeri effluxit, nec quicquàm horum interduram piamque matrem collectum fuit. Nè autem importunis conſanguineorum ſollicitationibus impedirer aut turbarer, cerebrum piâ matre obvolutum, diſciſſis nervis & arteriis, quæ quidèm ritè ſe ſe habuerunt exemi & clanculum iis, quorum intererat, domum portari juſſi. Preſſis volâ præcordiis, ſanguis adhùc fluidus copioſè per ſinus laterales, venaſque è ſpinâ dorſi emergentes abſciſſas regurgitavit & exundavit in calvariam, ùt craniô repoſitô & cute deſuper conſutâ ejus effluxum affuſis in loculô cineribus inhibere neceſſum fuerit. Cerebri ſuperficies integra fuit, nulla menda forìs, niſi quòd rubicunda apparuit. In venis ad ſinum longitudinalem ſpectantibus flatum inveni, & hìnc indè pepuli digiti apice. Arteriæ carotidi tubulum indidi, ligatâ alterâ lateris oppoſiti, & ope ſiphònis ceram, quæ virore mirè reficiebat oculos, infudi: pervaſit hæc omnes arteriarum cerebrum perreptantium mæandros ad capillaria uſque vaſcula, donèc parte, quâ meninx ſcalprô vulnerata fuit exitum invenit; ad cerebellum autem nullibì pertigit. Ad ſcrutandam apoplexiæ cauſam, hemiſphærium dextrum cautè & ſuſpenſâ manû ad ventriculum dextrum, cavernulam oblongam, quæ nucem myriſticam cepiſſet offendi conniventem, in quâ nonnihil humoris ſtagnavit; hæc cum vicinâ cerebri ſubſtantiâ fuſci & ſubflavi coloris extitit, ægrè ſecabilis, & dudùm in hanc firmitudinem occalluiſſe viſa fuit. Ad latus ejuſdem hemiſphærii quâ parte carotis in varias abit ramificationes in aliam incidi cavernulam; in hâc itidèm nonnihil humoris aquei ſtagnavit, & ceu membranacei quid ægrè ſecabile occurrit. Tertia quam vidi prioribus ſimilem cavernula ſub corpore ſtriatô ejuſdem lateris reperta fuit: connivebat hæc & jam iterùm mediante glutine coaluit, ità tamen ùt facilè hanc iterùm ſeparare potuerim: flava & iſta fuit & ægrè ſecabilis inſtar priorum. Dexter ventriculus ſanguine ſeroſô plenus fuit, exìn in ſiniſtrum is quoque redundavit. Locus quò erupit, fuit intermedius inter thalamum nervi optici corpuſque ſtriatum in dextrô hemiſphæriô, ubi rimam egit. In ipsâ nempè thalami ſubſtantiâ amplum hiatum ſeu fiſſuram, vi & impetû ſanguinis factam, & in hâc grumum ſanguinis ovi columbini, aut gallinacei magnitudine inveni. Subſtantia cerebri, elutô cruore, circum circa lacera & ad bifurcationem uſque nervorum opticorum divulſa ac diremta fuit. Alibi arteriolas ægritudine ceu aneuriſmate affectas conſpexi, quæ tantam ſanguinis vim fudiſſe videbantur. In ſiniſtrô hemiſphæriô inveni arteriolas in mediô corpore ſtriatô cerâ viridi fulgentes, alibique in ipsâ medullari cerebri ſubſtantiâ eaſdem conſpicatus ſum. Corpus ſtriatum dextrum nec tam floridum nec tam firmum uti ſiniſtrum, ſed flaccidum, obſcuri, ſubflavi coloris & emarcidum apparuit, ceu atrophiâ laborâſſet. In parte poſticâ dextri ventriculi hìnc indè papillulæ capitellorum acicularum magnitudine, inſtar pororum cutis, frigore perſtrictorum prominulæ conſpiciebantur, dùm aliàs interior ventriculorum ſuperficies perpolita & leviſſima appareat. Plexus choroidei ritè ſe ſe habuerunt, niſi quòd dexter cavernulæ primæ ſuprà deſcriptæ annexus fuit: microſcopio ſubjecti perplurimas, quin innumeras glandulas miliares exhibuerunt. Quartus ventriculus ſanguine quoque ſcatebat, infundibulum eôdem plenum, pervium fuit uſque ad glandulam pituitariam, quâ parte abſciſſum fuit. Reliquæ cerebri partes manifeſtô vitiô caruerunt. Proceſſus mammillares nullâ cavitate præditos eſſe obſervavi, nec à ventriculis cerebri, ſicut in brutis quibuſdam cavi, ſed à ſubſtantiâ medullari ſub corporibus ſtriatis, (ubi nulla cavitas) utrinquè oriuntur cœci & impervii.

Scholium.

Duplicis in hôc cerebrô apoplexiæ, recentis nimirùm fortiſſimæ, & jam olim factæ cauſas ſpectare, variorum quoque ſymptomatum à primô inſultû ſuperſtitum cauſas ac rationes diſcere licet. Ut autem à primâ & olim factâ apoplexiâ ordiamur, in tantum hæc, tum artis, tum naturæ beneficiô emendata fuit, ùt olim, munia ſua obire commodè & re domeſticâ iterùm fungi potuerit defuncta. Nullum eſt dubium, quin ſuperſtitis membrorum dextri lateris infirmitatis, & animi negligentioris cauſa extiterit cruris medulloſi dextri flacciditas & atrophia: nec enim tam firmum hoc, nec tam floridum fuit, quàm ſiniſtrum, ſed luridum, obſcurum, flaccidum & marcidum, ac ſi atrophiâ laborâſſet. Quemadmodùm autem fibrillarum cerebri firmitudo & tenſio ad acumen ingenii confert, ùt ii qui attentiùs rem penſitant, nervos quaſi ſeu fibrillas cerebri intendere ſoleant; quippè judiciô qui pollent firmioris cerebri obſervantur; ità hujus flacciditas officit & ſtupiditatem arguit. Spiritus enim nec tàm vegetè, nec tàm promptè in udô cerebrô & flaccidiori moventur, nec animæ ideas tam claras atque perſpicuas repræſentare queunt, quam in cerebrô ſerenô, firmô, nullis nebulis obſcuratô. Quoniàm verò in ipſô cerebrô, ceû fonte non expeditus fuit ſpirituum callis, non mirum eſt, ſi in derivatis indè emanationum viis non tam promptus fuit influxus, undè membra quævis robur ſuum accipiunt; quæ nimirùm negligentioris animi & ſuperſtitis in latere dextrô infirmitatis cauſæ videntur.

II. Cauſam flacciditatis corporis ſtriati propè ſpectare licuit: tres nempè cavernulæ jam olim factæ nunc quaſi calloſæ ac cicatrice obductæ circumcirca corpus ſtriatum apparuerunt. Nullum eſt dubium quin canaliculorum & fibrillarum rectitudo deperditâ hâc ratione ac devaſtata fuerit, undè nec ſpirituum effluxus, nec ſanguinis ac ſucci nutritii affluxus tam liber atque olìm fuit; geniô ità defraudatum ſuô corpus ſtriatum atrophiâ laborâſſe ſuamque firmitudinem amiſiſſe, non eſt mirum.

III. Utrum cavernulæ in primô apoplexiæ inſultû ab exundante ſerô, an ſanguine extravaſatô excitatæ fuerint, non adeò in promptû eſt dicere: factas autem jam olìm fuiſſe exindè apparet, quia calloſæ, ceu cicatrice obductæ & glutine iterùm coaluerunt. Serum fuiſſe arguunt, quia in quibuſdam earum adhùc aliquid humoris ſeroſi repertum fuit; deindè, quia à ſanguine extravaſatô facta apoplexia plerumquè & extemplô enecare ſolet. Sanguinem contrà fuiſſe teſtantur. 1. Quia juvenis adhùc & plethorica fuit, quam ætatem rariùs apoplexiæ ſeroſæ manent. 2. Quia Venæſectio tùm à primô ſtatim inſultû adminiſtrata opem tulit; tùm ſymptomatum abhìnc urgentium, cephalalgiæ & vertiginis unicum ac ceu præſentaneum fuit remedium: à multis quoque puerperiis, lochiis copioſè manantibus ſanguis fluxibilior & acrior factus

factus, faciliùs arteriolarum extremitates eroſit & erupit: ſubitò deniquè apoplexia facta fuit, quæ à ſerô ſenſim aggeſtô intra ſubſtantiam cerebri non tàm ſubitò ac derepentè accidiſſet, quin prævios capitis affectus effeciſſet. Nec enim hydatides in cerebrô brutorum repertæ apoplexiam induxiſſe ex ſupra recenſitis videre eſt. Non exundavit tàm copiosè ſanguis, uti in ultimô inſultû, quia firmius tunc temporis adhùc fuit cerebrum, ſanguiniſque impetus venæſectione aliiſque à capite revellentibus tempeſtivè & ocyùs infractus fuit.

IV. Quicquid ſit, ſaltem apparet vulnera & ſolutiones continui in ipsâ quoque ſubſtantiâ medullari cerebri tum artis tum naturæ beneficiô poſſe conſolidari. Digerente nimirùm calore atque ſpiritibus humorem aut ſanguinem extravaſatum (cui operi nihil invium obſervatur) & interceptô affluxû, ſenſim fibræ priſtinam rectitudinem recuperarunt & mediante lymphâ, quæ in nonnullis cavernulis reperta fuit, ceu glutine naturæ conjunctæ, ſpiritus animales utcunquè in partes reſolutas tranſmittere potuerunt, ùt ſuis muniis obeundis par fuerit per quinquennium adhùc mater familias.

V. Fortiſſimæ deniquè & lethalis apoplexiæ cauſas ſequentes obſervavi. In ipſâ ſubſtantiâ medullari ſeu meditulliô cruris dextri amplum hiatum ſeu fiſſuram, & in hâc ſanguinem concretum ovi columbini aut gallinacei magnitudine inveni; ſuperiùs rimam egit crus medullare, per quam ſanguis concreti pars ſeroſior in omnes cerebri cavitates effuſus eaſdem opplevit & oppilavit. Alibi arteriolas ægritudine affectas conſpicatus ſum in ipſâ medullari cerebri ſubſtantiâ, quas ſanguinem emiſiſſe facilè colligere licuit. Inſtante nimirùm menſtruorum fluxû, totâ maſſâ ſanguineâ effervescente & exagitatâ, poſtquàm pridie ſe ſe pluſculùm invitaverat, venæſectionem quæ ſæpè ſæpiùs opem tulerat, & forsàn graviora mala averruncarat, differre coacta fuit. Nec mirum proin quòd ſanguis in vaſis effervescens (occluſis forsàn propter frigus venulis uterinis) per loca maximè debilia eruperit, & dirutis arteriolarum jam ante labefactatarum aggeribus exundarit confertim, tantôque impetu proſilierit, ùt & ipſam cerebri ſubſtantiam fiderit, omneſque cerebri anfractus oppilarit, tandèmque oppreſſis ſpiritibus animalibus & occluſis emanationum viis miſellam letho dederit. Nec ille motus, quem à fortioribus vellicationibus edidit, ſpiritibus à cerebrô influis deberi videtur, potiùs iis, qui in organa ſenſuum atque motus emiſſi, quemcunque irritati motum ediderunt inconditum & anomalum, nam vix dimidiâ horâ elapſâ & horum vis evanuit, & exſpiravit ægra.

Ibidem Ann. 2. *Obſervat.* 223. *De Experimentô circa venæſectionis neceſſitatem.*

PLures ſunt & magni nominis Medici, quibus mos Veterum in mittendô ſanguine uſque adeò diſplicet, ut hanc ceu planè inutilem, imo pernicioſam atrô carbone notare atque è forô medicô tantum non proſcribere fatagant; Neque ἀλόγως. Etenim cum anima & vita animalium, teſte ſacrô codice, conſiſtat in ſanguine, de eô conſervandô potiùs, quàm minuendô cogitandum eſſe Medicô, primâ fronte apparet. Venæſectionis tamen & ſanguinis miſſionis neceſſitas & utilitas vel ſequenti experimento diſpaleſcit.

Sereniſſimus quidam, poſt ſuperatum morbum chronicum, aëris capeſſendi, ſanguinemque, poſt diutinam in camerâ moram, inſtaurandi causâ, venatum vectus, ſpe diutiùs, voluptate venationis detentus fuit. Velocitate & equorum curſû compenſaturus brevitatem temporis (nam modò adveſperaſcebat, dum domô aliquot milliaribus diſtabamus) urſit citatum equorum curſum. Ex trigâ illorum, quâ & Comes itineris vehebar, quidam in mediô curſû devius factus, panſis quaſi pedibus, & in ſublime elatô capite, hiante ore anhelans luctabatur; ſed quem captare volebat, non poterat aërem. (*Er war aus dem Athem*) Tremulus caſum minitabatur & extrema; referebatque examuſſim animal quod poſt inſufflationem aëris in venam jamjam interiturum eſt. Peritorum quidam, meâ inſtigatione ocyùs incidit venam; vix emiſſô ſanguine, rediit fugiens vita, & qui ante reſpirare non poterat equus, ſpiritum recepit, curſumque ſuum abſolvit feliciter.

Scilicet curſûs velocitate & contentione ſummâ (nã huic inſidebat auriga equo) motûs ſanguinis & localis ſeu progreſſivus & inteſtinus concitatus fuit; bullienſque ſanguis amplius, quàm cõcedebatur, ſpatium in vaſis popoſcit, quemadmodùm in aquâ bulliente quotidiè obſervare licet. Hôc autem denegatô, diſtenſio tum vaſorum, tum imprimìs auricularum cordis facta eſt tanta, ùt ad propellendum ſanguinem inhabiles fuerint fibræ, eô modô quô veſicam ultra modum diſtentam urinam emittere non poſſe cernimus; undè ſanguinis motus & circulatio ſufflaminata fuit, non aliter, quàm ab inſufflatô in animalis venam aëre fieri ſolet: quô factô, certò certiùs extinctus fuiſſet equus, niſi ocyùs venâ ſectâ ſpatium conceſſum fuiſſet æſtû intumeſcenti ſanguinis moli. Patet ità fruſtrà eſſe, qui venæſectionem è forô medicô ceu inutilem proſcribere nituntur. Hujus enim uti abuſus maximus, ità legitimus uſus perquàm ſalutaris eſſe poteſt; & fuit præſentaneum auxilium in caſû memoratô cui ſimiles dari plures nullus dubito.

Ibidem Obſervat. 224. *De Granis ſecalis degeneribus, venenatis.*

QUô fatô & infelici ſydere factum fuerit, ùt annis aliquot flagrante bellô, æthere inſalubri tota quaſi natura morbô laborârit, latet. Plures viri, iique graviſſimi de conſtitutione aëris inſalubri vel ſcriptis conqueſti fuerunt, & ego ſpectator luctuoſorum exemplorum atque triſtium phœnomenorum ipſe quoque fui. Etenim non tantùm inſolita febrium & infenſa cohors genus humanum infeſtavit, nulli ferè remediorum generi cedentium, quæ plures ad orcum præcipitârunt; ſed & belluinum genus ſuis & deleteriis morbis conflictabatur. Novi pecora, armenta, ſues, equos, anſeres quoque non fuiſſe à contagione immunia. Annonæ quoque caritas non tantùm ex quadrigâ & inordinatâ militum conſumptione (ſingulari pœnâ divinâ) nata; ſed terræ naſcentia, etſi lætè egerminantia brevi morbum naturæ experta non adoleverant: nonnulla inſolitô modô planè degenerârunt in hominum perniciem. Novi piſa, quæ victûs apud exercitum magna pars, inſecti genus continuiſſe, quod acutis roſtellis intùs depaſcendo medullam operculum perquàm affabre & ingeniosè excidit, quô remotô avolavit inſolitum planè inſectorum genus. Non memoro illiûs Zizanii generis (*Drümmel oder Schwindel* vocant ob effectum) cum avenâ in agris provenientis luxuriem, quâ farinâ avenaceâ, potiori apud nonnullos victu, fruſtrati fuerunt. Comeſâ enim farinâ avenaceâ, vel pultibus ex eâ paratis vertiginoſi conciderunt, inutiles ad laborem.

Degeneravit quoque ſecale & locô granorum alimentariorum protruſit cornicula nigra, grana ſecalis degenerantia: quæ experti in ſylvâ hyrciniâ, quâ tunc temporis agebam, *Martins Korn* vocârunt & noxam, quam aliàs intulit, generi humano præſagierunt.

Mulier ad me adducta à Chirurgô, lithotomiæ haud imperitô, conquerebatur de convulſionibus quotidiè circiter undecimam recurrentibus: eadem monſtravit manuum digitos, extremitatibus quaſi aduſtos, emortuos, rigidos & induratos, ſenſus

ſenſus motuſque expertes. In cauſam tam ſtupendi pathematis inquirens, à Chirurgô cum ſtupore didici, degener illud frumenti genus eſſe cauſam, quòd incolæ ſylvæ non tantùm convulſionibus tententur miris, ſed & extrema ſphacelo emoriantur: nec faciliùs hæc accidere, quàm pane recens ex clibanô extractô, calente adhùc comeſtô; noxam non tam facilè percipi, ſiquidem refrigeſcat, & ſitû ſiccetur. Faſſa eſt mulier, ſe ſe ſcriblitam (*Dümmen* vocant) calentem comedifſe, indeque luere maleſuadâ fame. Addidit Chirurgus, ſe ſe pedem ex eâdem causâ ſphacelô correptum pronuper reſecuiſſe, alioſque idem ſenſiſſe, cæterùm benè ſe ſe habuit mulier, & reliquæ vitæ functiones ab omni labe immunes perſtiterunt.

Ibidem Ann. IV. *Obſerv.* 73. *De Experimentis circa Venæſectionis utilitatem.*

ANnô ſuperiori mittendi ſanguinis neceſſitatem experimentô luculentô demonſtravi, quô ſanguis nimiô motû & calore rarefactus & intumeſcens uſque eò diſtendere ac dilatare thalamos & auriculas cordis viſus eſt, ùt contrahendi ſe & ſanguinis circa præcordia accumulati molem propulſandi potentiam amiſerint, haud aliter atque animal ex inſufflatô per tubulum in venam aëre extingui ocyùs & ſuffocari *experimentô Wepferianô* conſtat. Idem phœnomenō hactenùs vel oculis uſurpavi in duobus, qui ſanguinem particulis peregrinis refertum, fermenteſcibilem habent & elaſticum. Quidam illuſtri *Hochbergiorum*, ſtemmate oriundus, Regulæ D. Franciſc. addictus, patre podagricô natus, fratres habet ſimili morbô conflictatos: facilè is reſpirat & elatâ voce per horas concionatur, lateraque innoxiè quatit; longiùs autem ſi pedibus eat, aut acclivia ſcandat, aut cum contentione quâdam procedat, præcordia anguſtantur, ſpiritû & animô linquitur, ſuffocationiſque imminet periculum, id quod urgentiùs venæſectione prævertit feliciter.

Illuſtriſſima quædam Imperii Comes, procreata à parente podagricô, matre Cancrô mammarum affectâ, ſanguinem elaſticum, particulis peregrinis refertum nacta, varias patitur phlogoſes & ſanguinis ebullitiones. Imprimìs vernales ſanguinis efferveſcentias graviores experitur, æſtum ſcilicèt, & capitis dolorem qui in liberô aëre, aurâ præſertim frigidiuſculâ mitigatur; nec tamen ceſſat, niſi à miſſô ſanguine, undè præſentaneum levamen percipit. Nuper præcordiorum dolore & ingenti anxietate correpta, nullô remedii genere liberari nec levari potuit, niſi venæſectione ad extremum uſque vitæ halitum mulierum hortatû intempeſtivô dilatâ. Vix autem inciſâ venâ ſanguis impetuosè proſiliit, rediitque reſpiratio, & cum hâc fugiens vita. Nimirùm intumeſcens æſtû ſanguis præcordia replet, farcit & abruit cordis thalamos, & auriculas diſtendit, ùt fibræ ſupra modum extenſæ ad propulſandam aggeſti ſanguinis molem & continuandum Circulationis filum inhabiles fiant & impotentes. Illuſtre prætereà exemplum mihi Viennæ hôc annô videre contigit, in perſonâ illuſtri, cælibe, monaſticæ addicta vitæ. Fuſcus faciei & niger crinium color, vultus & totus corporis habitus floridus, ætas conſiſtens, ſatis ſuperque prodebant morbum hactenùs occultum, ſucci enim & ſanguinis plena mihi viſa fuit. A multô tempore, quô cælibatum perpetuum conceſſit malè ſe habere cœpit; crevitque morbus magis magiſque: miras præcordiorum anxietates experta fuit, quin ceu tetanô correpta præcordia diſtendebantur ùt ſæpiùs ſpiritus & pulſus deficere afflictam viderentur, dolores inſuper per univerſos artus vibrantes intenſiſſimos variis obruta malis medicationes ſubiit, antihyſtericorum, calidiorum, plerùmque inutilium efficaciam nimis multùm experta. Cùmque Carthuſianorum regulæ auſcultaret, quâ non tantùm carnibus ſed & ab his productis veſci, tum ovis tum butyrô prohibitum eſt, inculcârunt medentes, ùt ſtrictiori abſolveretur regulâ, vires ùt conſtarent morbô pares; crevit eò uſque morbus, ùt ſe ſe diutiùs ferre poſſe differret ægra. In conſilium vocatus, copiam ſanguinis & particulas elaſticas undecunquè advectas, indeque intumeſcentem circa præcordia ſanguinis molem, tanta tamque horrenda patrantem ſymptomata ſubolfaciens, affectum *ſpaſmum* ſeu *cordis tetanum* vocare nullus dubitavi, rationes expoſui, & contrariâ planè methodo inſtiti. Omni liberaliori victû interdixi, vinum, quod ſuaſerunt alii, abrogavi, ac frigerantia omnis generis ſubſtitui, tam alimenta, quàm medicamenta: *Sanguinem ſingulis menſibus mitti juſſi* & ùt potaret acidulas author fui; quibus tantumdèm perfeci, ùt mitiorem ſenſerit affectum, mox continuatô horum uſû integram recuperarit valetudinem. Noviſſimè de conſervandâ porrò valetudine per literas conſilium rogatus fui. Et experimentô juxta mecum didicerunt graves Medici plures, quæ monaſticam conſtituerant vitam vel invitas occultos ſentire morbos, quæ tandem in convulſiones miras prorumpant nec melius, nec citiùs, quàm frequenti ſanguinis miſſione levantur.

Quæ à ſanguinis rarefactione in enumeratis caſibus contigit præcordiorum anguſtia, eandem à condenſatione ac concentratione ejus contingere poſſe, ſequenti experimentô didici.

Sereniſſima quædam, floridô vultû atque corporis habitû, ejus temperamenti, quod ſanguinem vocârunt veteres, mortem infantis quem habet & primogenitum & unicum, graviter mœrebat, altôque premebat pectore dolorem quem ſub mammâ ſiniſtrâ ſenſit alatum, ut in abſceſſum vel quid gravius nè terminaretur metueret. Terrore abhìnc novô eôque panicô perculſa, pejus ſeſe habuit, & impenſiùs circa præcordia angi cœpit, ùt ſpiritum vix ducere potuerit, quô ſe ſe verteret neſcia. In vicinum conclave manû ducta, inſcia de ingenti præcordiorum dolore conquerebatur: extrema frigebant; pulſus ſilebat: ſuffocationis periculum imminebat; Lumine capta lucidis oculis ſe non videre quiritabatur; loquebatur interdum delira, interdùm loqui non poterat; artus convellebantur, reſpiratio modò citata, modò intercepta, inæqualis ſemper fuit. Conſilium in arenâ cepimus; extrema pannis calidis & ſpirituoſis liquoribus fricuimus fortiter, graveolentia naribus admovimus. Sal volat. Oleos. Sylv. affatim infundi & liquores alios ſpirituoſos: tandèm urgente ſuffocationis periculô (nec enim citiùs adfuit Chirurgus) venam incidimus: prorupit quidèm ab initiô ſanguis, mox ſtillavit, in pelvi in grumum concrevit, nec tantumdem effluxit, quantùm deſiderabamus; ſenſim nihilominùs pulſus micare cœpit, rediit extremis calor, & præcordiis ſpiritus: brevi abhìnc ad mentem rediit Sereniſſima unicè conqueſta, apertis ſe non videre oculis. Infusô abhìnc juſculô calidô, & vini generoſi aliquot cochlearibus viſum recuperavit; ſenſit nihilominùs dolorem in præcordiis; poſtridiè iterata venæſectio dolorem ſuſtulit. Liquet ex dictis, nimiô mœrore ſanguinem ſpiritibus non ſatis colluſtratum, Lentum in motû, circa præcordia accumulatum tantum dolorem & anxietates intuliſſe, nec debitô ad extremas corporis oras emanâſſe. Etenim frigebant extrema, pulſus ſilebat, ſuffocationis periculum imminebat, lucidis non videbat oculis, ſanguis ſectâ vix effluxit venâ, & tantùm non ſubſtitit *circulatio*, quæ frictionibus ſpirituoſis & imprimìs ſectione venæ proſperè & cum hâc Sereniſſimâ in vitam revocata fuit.

Ibidem Obſerv. 92. De Experimentô circa noxam Lithargyrii.

COlicæ cujuſdam epidemicæ cauſa non minùs ægrotorum viſcera, quàm medentum animos torſerat, cùm aliàs, ubi integra hìnc indè monaſteria, truculentia, & vi morbi incolis orbata opem medicam ſollicitè implorabant, in quibus adhùc dum viſuntur umbræ hominum potiùs quàm viri, elumbes, pendulis artubus & reſolutis, enervati: tam verò imprimis hôc, quem agimus & annô præteritô, quô domos vacuavit monaſteria, inceſſit, & hìnc indè ſporadicè unum & alterum corripuit, nonnullos etiam lethô dedit & funere merſit acerbô. Cauſa & origo mali anxiè quæritabatur, excutiebantur ſuppellectilia, quibus concoquebantur cibi, & memini cuprea nonnullos incuſare, undè renovata, & ſtannô uti ſolent obducta fuerunt: Nec defuerunt qui faſcinationes ſuſpicabantur. Novi Medicum celebrem in celebri monaſteriô, poſtquam ſolitam diù & fidelem aliis navaverat operam, tandem & ipſum morbô correptum tantùm non occubuiſſe: recidivas aliquot expertum tandem locum & unà cum hoc victum mutandi conſilium ſubiit, quô factô convaluit & abhinc immunis manſit à morbô.

Jam olim Wepferus ſagaciſſimus noxam in vinis ſubolfecit, eaque ſulphurata, iis ſcilicèt ſulphuratis, quorum compoſitionem Biſmuthum ingreditur atrô carbone notavit. Memini quoque me vocatum ad monaſteria vi morbi exercita deprehendere inibi vina peſſimæ notæ, quæ niſi ſulphuratione ſuſtentarentur, metus fuit, ne penitùs vappeſcerent & corrumperentur, undè victores, quibus harum cura demandata erat id fecerunt, quod ars imprudentibus dictârat, ità ùt faba iſta jam tùm in vina ſulphurata cuderetur. Modò compertum fuit ad corrigendum vini, quale ab aliquot annis provenit immaturi, acido-auſteri acorem, quoſdam œnopolas excogitâſſe remedium ex lithargyriô paratum, de quô conſtat vel ipſum acetum in ſaccharinam dulcedinem convertere; non vanô quidèm lucri conſiliô, ſed quô ſucceſſû orbis loquitur. Ajunt integra lithargyrii fruſta in cadis reperta fuiſſe: alios parâſſe indè Tincturam & certâ doſi vinis immiscuiſſe, ut dulcedine factitiâ imponerent aliis, at ſæpiùs ſub dulci melle venena latent.

Adeò ùt non dubitârint prudentiores cauſam colicæ epidemicæ in vina lithargyriô infucata rejicere, rei certitudinem ſequenti experimentô didici.

Die VII. Idus Auguſti M. D. CIVC. Cani pulveris lithargyrii acetô ſoluti atque cocti ℥j. infudimus: Circiter octavam matut. cum dimidiâ, brevi abhìnc ad vomitum proritari videbatur, ad quem prohibendum varia tentavimus. Vix mediâ ab hauſtô venenô horâ alvô excluſit mucum ſubcruentum, adeò ùt conſpurcaret hìnc indè Cameram; id eatidèm inſuper ad vomitum, ſed inanem proritabatur; nec obſcura ejulatû torminum edidit indicia; querulus angulos quæſivit & latibula; mox procubuit & ſurrexit iterùm; greſſus glomeravit titubans & vacillans, ſæpiùs ad vomitum ſtimulabatur ſed fruſtrà. Ore expalluit & linguâ, firmiores formabat greſſus; at truculentia toxici mox duplicata rediit; undè procumbens humi laborioſè & ſonorè reſpirare cœpit; mox tardè, circa undecimam citra ullos motus convulſivos aut anomalos viribus deſtitutos fatiſcere cœpit atque deficere, brevique ſpirare deſiit. Cultrô abhinc in lithargyrii noxam inquiſivimus, miratus fui cum Excel. D. D. *Sereta* ruborem cùm ſtomachi, tùm inteſtinorum, omniumque in abdomine contentorum viſcerum, veſicæ imprimìs, quæ ſaturatè rubebat. Sublatô ſternô, veſiculæ pulmonares nonnullibi inflatæ videbantur, alibi autem rutilare parenchymatis inſtar compactâ ſubſtantiâ pulmonum ceu inflammatâ. Cor turſit ſanguine, qui ab interitû fluidus; mox autem concrevit in grumos. Interiora cùm ventriculi, tùm inteſtinorum, rubuerunt undiquè; nonnullibi inflammationum ſtigmata conſpiciebantur; nec mirùm ità mucum cruentum, veneni ſævitie alvô expreſſum fuiſſe; ſed illud mirum, qui tam brevi temporis & vix mediæ horæ intervallô ad extremum uſque inteſtinorum meaverit venenum, ibiquè inflammationem excitârit, ubi & ipſum lithargyrium non albicans, prout ſolutum acetô & coctum cani infudimus, ſed præcipitatum ſuô nativô calore conſpicuum deprehendimus.

Ibidem Ann. 5. & 6. Obſerv. 290. De Phœnomenis quibuſdam circa gravitatem aëris, rationibus ſimul expoſitis, cur Mercurius in Barometrô aſcendat cœlô ſerenô, deſcendat autem pluviô.

ANnô, quem agimus M. D. CIIC. ſub initium menſis Novembris iter cum *Sereniſſimô atque Potentiſſimô Electore Palatinô, Dominô meô Clementiſſimô Viennam*, ſecundô Danubiô feci. In itinere, curis vacuus attentè conſideravi nebulam, diviſim hinc inde in convalle ante ſolis ortum apparentem, quæ eôdem oriente non quidem diviſa, ſed ſenſim diſcuſſa fuit & ità diſſoluta in aëre; ut quæ ante caliginem oculis offuderat, nunc ſpectantibus nobis inviſibilis magis magiſque tenues evanuerit in auras. Hujus phœnomeni rationem altius perpendens, eandem eſſe exiſtimavi, quam in urinâ, quæ ſalibus referta frigore turbatur, in calidam autem immerſione inclareſcit iterum. Nimirùm atmoſphæram variis effluviis & terræ vaporibus refertam eſſe perpendens, facilè perſpexi, eadem effluvia aëre ſerenô ità recipi poſſe ſpatiis intermediis atque diſſolvi & poris laticis ità recipi videmus, ut lucis radios non impediant, quin illibatos tranſmittant. Quâcumque autem ratione loculis ſuis & ſpatiis intermediis pelluntur, aut ſcheſin ſuam amittunt, ſive agglomerentur ſive turbentur alias, lucis quoque radios intercipiunt, & ità medium, ſeu liquorem ſeu aërem turbidum reddunt. Hæc mecum penſitanti & aliud ſuccurrit phœnomenon, cujus ratio inter viros doctos, & Collegas hactenùs agitata fuit eruditè: *qui nempè fiat, ut mercurius Cœlô ſerenô in Barometrô aſcendat in fiſtulâ, deſcendat turbidô, nebuloſô?*

In aëre nimirùm ſerenô perfectam ſupponere licet diſſolutionem particularum atmoſphæram conſtituentium, & ità involutarum, ut lucis radios minimè impediant, ſed illibatos tranſmittant: Factâ autem quâcumque mutatione aëris, contingere, ut corpuſcula aëre ſerenô optimè diſſoluta conglomerentur aut præcipitentur, in turbidô & (ad modum ſolutionis merc. in aquâ forti vel auri in aquâ regis) fundum petant graviores: non ſine conturbatione medii liquoris; unde aliter fieri non poteſt quin, dum fundum petunt & ſubſident graviores, ſupernatantem liquorem leviorem quidem ſed turbatum relinquant. Idem de urinâ hominis, ratione ſalium innatantium, & aliis metallorum ſolutionibus contingere ſolet.

Exinde diſcere licet, cur cœlô turbido, nebuloſô & craſſô deſcendat mercurius in Barometrô, quia præcipitatis corpuſculis ex atmoſphærâ verſus terram gravioribus primò fundum petentibus,

tibus, reliqua aëris columna levior facta minùs gravitat, nec tantoperè ſuperficiem mere in vaſculô appoſitô premit, unde elevatur hæc, deſcendit autem mercurius in fiſtulâ. Contrà cœlô ſerenô, receptis iiſdem aut aliis, atque, ut anteà, diſſolutis, gravior neceſſariò evadit Columna aëris, magis proin premit ſuperficiem mercurii in vaſculô, unde quantùm hic deprimitur, tantum aſcendit neceſſariò in fiſtulâ; *adeò ut Cœlô ſerenô gravior, levior autem turbidô exiſtat* (contra opinionem vulgi) *aëris incumbentis columna.* Gravior autem vulgò videtur craſſior aër & nebuloſus, quatenùs non tam congruus eſt reſpirationi, neque ſanguinem ità attenuat, uti ſerenus, quô omnes vegetiores eſſe ſolemus, propter ſanguinem optimè ſolutum, attenuatum & circulationi aptum redditum.

Difficultas autem hic manet, quî contingat, ut cœlô adhuc ſerenô deſcendat nonnunquam mercurius & ità diuturniorem tempeſtatem præſagiat, & viceverſâ? Cùm autem difficultates rem ipſam non tollant, etſi ratio earum obſcura videatur, dici tamen poteſt, mutationem jam dum in aëre contingere & præcipitationem vel deſcenſum graviorum particularum, antequam cœlum conturbetur, id quod hariolari licet ex volatû avium, præſertim hirundinum ſuper fluminum ſuperficiem, cimicum, culicum & pulicum morſibus, tunc præſertim infeſtantium; quæ quidem animalcula & plura alia venturam præſagiunt tempeſtatem, antequam cœlum conturbetur aut nubila appareant, de quibus *Doctiſſimus Lentillus* Colleg. Curioſ. annô VI. Decad. II. pluribus & eruditè commentatus videri poteſt de *Calendariô ſauciatorum perpetuô.*

Ibidem Obſervat. 291. *De Experimentis circa Motum projectorum.*

DE projectorum motu multus mihi jam olim ſermo fuit cum viris eruditis: nec parùm difficultatis occurrebat, quocumque me vertebam: tandem verò incidens in *Stalii Phyſiologiam novam experimentalem*, veritatem aſſecutus mihi quidem videbar. Nec enim dubitare ſinebant experimenta, quæ abſque hæſitatione adducit, non minùs accuratè peractâ, quàm excogitata ſapienter, quibus omnem impulſionis vim aëris inſequentis virtuti elaſticæ tribuit, uti fuſiùs ſection. XVII. de motû in recipiente pag. m. 600. videre eſt. Quod autem verum eſt, meum eſt, & falſitates, quæ irrepunt in philoſophiam naturalem redarguiſſe juvat. Nec enim aſſequi poteram rationem, quâ projectorum motum, juxta ſuam hypotheſin continuari perſuaſum habet vir Clariſſ. Tandem ad experimenta me converti, ut veritatem diſcerem, in quô quidem opere egregiè adjutus fui ſingulari munificentiâ (quàm publicè deprædicare liceat) *Sereniſſimi atque Potentiſſimi Electoris Palatini, Domini mei atque Muſarum Fautoris benigniſſimi* qui dono dedit nobis Antliam pneumaticam, quâ accuratiorem & perfectiorem noſtra fortè non vidit ætas. Hinc arcubaliſtam affabre factam comparavi, ritè intendi arcum, & unà cum ſagittâ ità diſpoſui in antliâ, ut motô verticillô ſagittam ejaculari poſſem pro arbitriô. Aërem exantlavi quoad ejus fieri potuit, mox verticillum verti ad ejaculandam ſagittam, quæ tantô impetû projecta fuit, ut allidens ſuperiori concavitati recipientis reſilierit cum impetû. Iteravi experimentum præſentibus abhinc Curioſis, eôdem cum ſucceſſû, idemque ſpectare fuit phœnomenon. Nulli quidem malè imprecatus unquam fui; vellem tamen, ut cautiùs agerent Curioſi, nec inferrent nec irrepere ſinerent in rem litterariam falſa pro veris, cum magnô ſcientiarum impedimentô contra intentionem Candidiſſimorum Virorum, Carteſii, Verulamii, &c.

Ibidem Obſervat. 292. *De Experimentô Circa motum elaſticum ſeu efferveſcentiam acidularum in antliâ pneumaticâ.*

EAdem hæc antlia aliud nobis exhibuit phænomenon, in praxi fortè haud inutile. Varias, juxta ſimplicem fontanam poſui ſub recipiente vel campanâ vitreâ in antliæ diſcô aquas medicatas, Aquiſgranenſem ſcilicèt & Anthonianam, quæ mihi tunc temporis ad manus erant. Illa, Aquiſgranenſis ſcilicèt, æque atque fontana poſt longam aëris extractionem vix notabiles emiſit bullulas; hæc autem, Anthoniana, extractô aëre in veras deſpumavit bullas, inſtar aquæ bullientis, non minores atque ſpiritus vini in antliâ, extractô aëre emittere ſolet. Inde nempè didici particulas activas & elaſticas longè plures continere aquam Anthonianam, quàm fontanam aut quamvis aliam. Cùmque ſæpius contingat, ut pro majori humorum viſcidorum, in motû ſegnium atque torpidorum diſſolutione & activitate elaſticæ & in motû celeres requirantur particulæ; opportunas admodum Anthonianas, aut hiſce ſimiles credidi aquas, & reapſe tales expertus haud ità pridem fui in Sereniſſimô quôdam, qui diu languit, variaſque paſſus fuit afflictiones generis nervoſi, aut acidi, aut viſcidi, circulationem lymphæ retardantium vitiô; potatis Anthonianis & quotidie in lecti calore, copiâ ſatis magnâ ingeſtis, tantum inde percipit fructum, ut omnibus literatus ſymptomatibus, ab eô tempore in hanc uſque diem ſanus & incolumis vixerit. Etenim cum Anthonianæ, particularum ♂ lium multum contineant, quas aëris concentrati copiam in ſinû continere exfervida, quam cum acidô quôvis inire ſolent Martialia pugna & efferveſcentia colligere licet, cum acidô ſanguinis & reliquorum humorum commixtæ infringere hoc; invertere, inſimùl in libertatem vindicatæ aëreæ majorem humoribus motum & activitatem conciliare ſolent; id quod eò certiùs & faciliùs præſtant, quatenùs aquæ immixtæ particulæ Martiales cum fluidô univerſô corporis intimè commiſcentur, cum quâ totum corpus & penitiſſimos ejus receſſûs perluunt, particulas concretas, ſimul cum his obſtructiones ſolvunt, glandulas atque ſubtiliſſimos tubulos atque canaliculos eluunt; ſalia peregrina, ubi obvia abſorbent & ſecum per organa excretoria vehunt, maſſam ità ſanguinis peregrinis ſalibus exuunt, liberant, & incolumitatem corpori atque valetudinem afferunt. Idem commodum fortè ex præcipitantibus & alcaſicis, margaritis, Corall. lapill. 69. &c expectare licet, quæ particulas multas, continent elaſticas & aëreas concentratas, tunc demùm conſpicuas & evidentes, quandò acidô quôcunque diſſolutæ in libertatem ſuam vindicantur: Id quod ſucci acidi in corpore noſtrô æque præſtare queunt, particulas activas, fermentativas & elaſticas liberare, & ità majorem humoribus motum & libertatem conciliare, non ſine virium incrementô, id quod ſuaviùs ſuccedit & ſubtiliùs infundendo humoribus æthera, fermentationem vitalem fugentem & augentem, quàm volatilibus, plus nimis tumultuantibus, craſin fortè ſanguinis nonnunquam diſſolventibus atque mixtionem turbantibus, niſi in iis, qui fortiori ariete opus habent, quales ii ſunt, qui in craſsô aëre nati, crudiori & craſſiori victû utuntur.

Ibidem Obſerv. 293. *De Experimentô circa motum muſculorum.*

IN originem & progreſſum vaſorum lacteorum inquirens olim, canem inter ſecundam & tertiam coſtarum notharum acû longâ filum craſſiùs ducente trajeci, ut ligarem ductum thoracicum, & ità chyli progreſſum interciperem, ſpe fretus fore ut turgerent vaſa undique lactea, & ſuô candore incurrerent in oculos evidentius. Conſtrictô itàque vinculô fortiter ſupra ſpinam dorſi, carnis claudicare, mox pedes poſteriores poſt ſe raptare cœpit. Miratus rem inexpectatam, ſubiit, cogitatio, aortæ deſcendentem truncum unà comprehenſum atque ligatum fuiſſe. Apertô abdomine vaſa lactea vix apparuerunt.

Ad alia dum properabam ego, philiater quidam curioſiùs examinando vulnus, obſervavit, infra aortam tranſiiſſe acum, nec comprehenſam vinculô nec conſtrictum fuiſſe aortæ truncum mihi retulit. Dubitare hinc cæpi, annon & alii, qui ligatô arteriæ deſcendentis truncô, partes poſteriores motû privari perhibuerunt, falſi fuerint, credens aliam fortè hujus phœnomeni ſubeſſe rationem. Dubium hôc aliô conſtitit cane, cujus lautè paſti abdomen patefeci, luſtraturus vaſorum lacteorum originem; mox aortæ deſcendentis truncum accuratè ligavi, inteſtina repoſui, & abdominis vulnus aliquot ſutoris conſui, canemque dimiſi languidum; vix pedibus is conſtitit; mox anterioribus nixus, poſteriores vix movere potuit, tandemque poſt ſe raptavit reſolutos. Reſolvi iterùm abdominis nexus, & filium abhinc, quo aorta conſtricta fuit; vulnus abhinc abdominis denuò conſui, Canemque dimiſi, qui ſenſim ad ſe ſe rediens, pedibus anterioribus conſtitit primò, mox poſteriores movit, tandemque iiſdem conſtitit, & ut anteà inceſſit; unde didici verum eſſe experimentum, quod dicunt motum poſteriorum pedum, ligatâ arteriâ aboleri, non autem, quod ſanguis arterioſus neceſſariò ad perficiendum motum requiratur, certus fui. Aliô enim tempore cum Medicô haud ignobili in ſimiles diſputationes incidens, qui negaverat ſpiritus in nervis, omnemque virtutem in muſculis arterioſô adſcripſerat ſanguini, ligavi ramum iliacum parte, qui divaricatâ arteriâ in poſteriores abit pedes: manſit nihilominùs motus ejus pedis intemeratus & canis inceſſit eôdem, uti alterô pede. Unde cogitare cepi, annon pulſatio arteriarum, nervos undique & inſeparabili conſortiô comitantium, id agat, ut cùm calore tùm motû influxuum fluidi, per nervos promoveat, quâ impeditâ, non mirum & hunc ceſſare & per conſequens muſculorum motum. Cûmque ligatâ arteriâ crurali reliquus nervorum ductus ad extremum uſque pedis non tam longus ſit, quin ſpiritus animales, etiam citrà arteriæ pulſationem eò pertingere poſſint, fieri potuit, ut motus pedis, ligatâ crurali integer, abolitus autem fuerit ligatâ penitùs aortâ deſcendente. Saltem id hâc vice innuere volui, multa requiri, antequàm veritates ſtatuantur in œconomiâ animali, quibus incertis non mirum eſt errare, quotquot hiſce ſuas ſuperſtruunt opiniones.

Ibidem Obſervat. 294. *De Animalium & inſectorum variorum excretione per os.*

DAvidis Thummeger, militis in exercitû Electoris Palatini ſtipendia merentis filia XVI. annorum, pro ætate ſatis adultâ & pleni habitus, nata Bredæ in Bataviâ XIV annos vixit; jam olim infans adhùc, ex matris mammâ pendens vim aſcaridum excrevit cùm alvinis fæcibus; tormina ventris paſſa dicitur primô ætatis annô, & ſubinde talia modò in abdomine, modò circa ſtomachum perſenſit; lumbricos nonnunquam excrevit, ſed rarò. Sextô ætatis annô abdomen protuberavit ceu tympaniticum: multa aſſumpſit purgantia, nec tamen imminuebatur abdomen; multa quoque contra lumbricos adhibita fuerunt remedia, ſed fruſtra. Ante novem has ſeptimanas circumforaneus quidam dedit ipſi Balſamum nigrum, qui Terebinthinæ oleum ſpirabat, ad gutt. XVI. mox abhinc lumbricos circiter 40. per gulam aſcendentes, per os reddidit vivos: aliquoties adhùc eôdem die ſumpſit de prædictô Balſamô, & ad quingentos totô die excrevit citra vomitum, nec niſi ſimplici exſpuitione. Per ſex ità continuando dies, quotidie vim vermium per os, nec niſi unum per alvum excrevit. Octiduo abhinc aliûs generis vermes, quinquaginta circiter, medium digitum longos, & digitum craſſos per os reddidit. Modò à menſe Heidelbergæ dedit in arce, ubi parens ſtipendia meretur; ſedecim cochleas vivas, quales in hortis inveniuntur & vineis, teſtis expertes excrevit per os; duos prætereà ſcarabæos cornutos, oblongos, flavos aut fuſcos iis ſimiles, quos vulgò *Ohren-Murm* vocâre ſolent, inter exeundum vellicârunt gulam & ità vulnerârunt, ut ſanguinem ſpuerit puella: abhinc alios digitum longos, vix acum craſſos, cruſtâ durâ, obductos excrevit vermes, poſteà erucas piloſas numerô decem, hinc papilionem alis albicantibus, vivum; denique millepedes, ad centum, omnes vivos & obrepentes, comitantibus omnia hæc animalcula lumbricis vivis; & hæc omnia ex propriâ puellæ confeſſione annotavi. Neque vomitoriis neque purgantibus quicquam horum excretum, nec niſi ſpecificis adhibitis remediis, ſponte aſcenderunt per gulam in os.

Die 27. Octobr. 1698. Weinhemium, ubi tunc temporis Aula Palatina commorabatur pervenit. Vegeta apparuit, habitû plena, in opere muliebri aſſidua: aſtuta & garrula, ventrem autem durum habuit, tenſum & protuberantem ceu tympanitica. Die 28. dedi pulverem ex Rad. Jalappæ: ☿ dulc. cum Syr. flor. Perſicor. purgata inde fuit, ſed vermium aut animalium nihil excrevit.

Die 29. ſumpſit pulverem anthelminticum ☿lem cum anaricantibus mixtum; poſt meridiem circiter tertiam tres prorepſerunt Cochleæ, quas attulit, quaſque ſpectavimus in chartâ exporrectis corniculis ſeu antennis obrepentes.

Die 30. Continuavit pulverem, ſenſit tormina ventris, rugitum & Cardiogmum, nihil tamen dictorum excrevit.

Die 31. Octobr. Teredinem, albicantem, Capitulô rufo à ſumptô pulvere excrevit; ventrem duriſſimum deprehendi atque tenſum.

Die 1. Novembr. Poſt prandium excrevit Cochleam repentem in chartâ unà cum lumbricô &c. Abhinc profecti iter Viennam fecimus, indeque ſub finem anni rediimus; Ipſa autem puella Aulam ſecuta Duſſeldorpium pervenit, ubi meliùs ſe ſe habet, hactenùs parum dictorum excrevit.

Ibidem Ann. VII. & VIII. *Obſerv.* 206. *De Febri malignâ miliari.*

ILluſtriſſima Comes N. N. ad noſtram nuper pervenit Aulam ſaniſſima, ad fallendum temporis

poris faſtidium, quod ipſam ceperat ex illuſtriſſimi Sponſi abſentiâ. Menſe Aprili in morbum incidit. Frigus, quod per integrum diem ſenſit, ſequutus eſt calor febrilis cum laſſitudine, cæteriſque febrium comitibus ſymptomatibus. Imprimis *dolor capitis* intolerabilis afflixit; ad quem aut leniendum aut expugnandum venæſectionem ſollicitavit, & obtinuit primam in brachiô; alteram, cùm prior fruſtranea fuiſſet, ſequenti die in pede: Nec tamen vel quicquam imminutus dolor ſævire perrexit eâdem atrocia, quâ ante, cum febre continuâ. Menſtrua die morbi quartâ, & juſtò citiùs proruperunt. Die morbi ſeptimô apparuerunt *papulæ, ſeu veſiculæ pellucidæ ceu cryſtallinæ, milii ſeminis magnitudine*, hinc inde per corpus diſſeminatæ, non numeroſiores, tandem numeroſiſſimæ, tantâ teneritudine & perſpicuitate, ut hâc vel cum ſubtiliſſimô vaſe lymphaticô certâſſent. Manſit intereà febris & intendebatur, ut circa nonum *delirium* acceſſerit, cum mirô *tendinum ſubſultû* per artus. *Somnolentia* præterea, *ſtupor & oblivio* lethargum minabantur. Intereà ut ægra leviter tecta in æquali calore maneret operam dedimus, dum alexipharmacis intrinſecus id egimus, ut qua fluiditas fluidorum, qua perſpiratio, noxiorum procuraretur. Circa decimum quartum morbi diem, cùm jam ſatis bellè ſe ſe habere videretur, accidit, ut mulierculæ, mutaverint lintea; quibus caput tegitur. Inde ſtatim *dolor capitis*, recruduit non minùs atrox, quàm fuit ab initiô, & febris denuò exarſit, inſtar recidivæ. Manſit 30. dies ceu immota in lectô, tantô cum virium defectû, ut non tantùm non è lectô tolli potuerit, ſed & alvi & veſicæ excrementa involuntariè citra ſenſum effluxerint. Perſeveravit intereà morbus pertinaciter, veſiculæque ſupra deſcriptæ uſque numeroſiores prodierunt, adeò ut jam tota corporis ſuperficies iis denſiſſimè conſperſa videretur, perſtantibus eôdem vigore ſymptomatibus, nec quicquam remittentibus, ægra inter ſacrum & ſaxum hærente, omnibus deſperata. Tandem circiter trigeſimum demùm veſiculæ miliares albeſcere & ſuppurari cœperunt ad inſtar variolarum, ſeminum milii magnitudinem vix excedentes; hinc reſiccatæ exaruerunt, redeunte Illuſtriſſimâ ceu ex veternô: manſit tamen mira rerum atque nominum oblivio, quæ ſucceſſivè emendata quoque fuit, & ità ad vivos rediit, mortuis jam annumerata.

Eandem ſortem alia ex Illuſtriſſimorum ordine, at diſpari ſucceſſû ſubiit. Menſe Majô, anni, quem agimus poſt purgationem & abhinc conſuetam alias ſanguinis miſſionem bibit Acidulas Anthonianas, cùm exoptatô, uti memoravit, effectû. Poſt novem dierum potum ſupervenerunt menſtrua, quæ ritè fluxerunt: quartô abhinc die potum acidularum, cùm jam ante minùs benè valeret, repetiit. Eôdem horrorem perſenſit, qui per ſeptem horas duravit; ſecutus eſt calor febrilis, cum ſolitis febrium ſymptomatibus. Vidua cùm eſſet, ſucci plena, repetita fuit venæſectio: diaphoretica fuerunt exhibita, hinc circiter quintum, cutis aſpera *cum maculis rubris* inſtar morbillorum apparuit, cum bonis ægræ rebus; adeò ut circa nonum ἀπύρετος ſibi & aliis reſtituta videretur. Prodiit hinc inſcio tamen medicô ex lectô, quem ſterni & cibum ſibi parari juſſit, nec dum diſſipatis maculis ſuprà memoratis. Dum extra lectum fuit, horror denuò corripuit ægram, ità ut per trihorium abhinc in lectô vix calefieri potuerit. Inde præter ſolita febrium ſymptomata *dolor capitis* inprimis afflixit. Tertiò recidivarum die ſimiles quæ in ſuperiori casû apparuerunt, *veſiculæ miliares tenerrimæ, viſû propter pelluciditatem vix perceptibiles.* Ægra imprimis conquerebatur de dolore intenſiſſimô artuum, lumborum, & articulorum, adeò ut arthritidem quâdam vice mentiretur affectus. Ad eadem, quibus ante profecimus, remedia confugimus, ſed imparia morbo. Die quintô ſupervenit delirium, ut notos antè non agnoverit, diſparentibus jam pridie undique veſiculis ante memoratis, cum urinâ copioſâ, ceù naturali, pulſus in momenta debilior, reſpiratio tardior: ità intra quinque horas, hâc morbi cataſtrophe ad plures evolavit.

Scholium

Olim jam, dum Heidelbergæ agebam & ad præſidiarum militem Philipsburgum hebdomadim, curandæ valetudinis ergò excurrebam, tempore, quô graſſabantur febres malignæ & petechiales, cum pleuro-peripneumoniâ malignâ, in ſimiles incidi apud ægrotantes milites papulas ſeu veſiculas, quas miliares haud immeritò dixerim: anteà & ab eô tempore ſimiles nunquam in praxi conſpicari datum fuit. Illud imprimis tunc temporis obſervavi, alii quamvis morbum, ſub variâ larvâ ludentem, malignum feliciter ſuperaverint, nullum tamen eorum, in quibus dictæ veſiculæ apparuerunt, evaſiſſe, id quod, in *Diſputatione de Pleuro-peripneumoniâ* malignâ notanter obſervatum volui. Alii an harum veſicularum mentionem fecerint Authores, me quidem latet. Apud *Sydenhamium & poſt ipſum Mortonium*, Practicos in Angliâ inſigniſſimos nullum harum veſtigium inveni, cæterùm variolarum, & exanthematum ſcrutatores exactos. Occurrit tamen mentio ſub purpuratarum titulô febris malignæ miliaris apud Doctiſſimum *Ettmüllerum*, conceptis his verbis: *Ubi corpus hinc inde minutis tuberculis, inſtar milii granis reſperſum apparet, vocatur febris maligna miliaris, ſeu purpura, prout grana ſunt vel rubra vel albæ; quæ alba eſſe ſolet puerperis moleſta & lethalis.* Quæ quidem quantum cum noſtris conveniant, quantumvè diſcrepent ex ſequentibus, quæ de curatione ſubjungit, præſertim ex iis, quæ ex M. A. N. curioſor. (unde ſua mutuatus videtur) adducit, apparet. Etenim nec rubras ego, nec albas quidem, ſed cryſtallinas planè conſpicatus fui, ut ad purpuram ſi referrem, ἑτερῶς planè eſſem. Quicquid ſit, in natales veſicularum tam exitialium hûc inquirere operæ pretium erit.

Nec ego ſatis concipere nec admirari potui, quis ille eſſet in corpore humor, qui ſubtus epidermidâ effuſus, tantam memoratis hydatidibus pelluciditatem conciliaret, ut vel cum diei ſplendore certarent, & aciem viſûs diaphaneitate ſuâ tantùm non ſubterfugerent. Nullus hic rubor aut alienus color, quemadmodum in omni aliô exanthematum genere obſervatur. Nec illud liquet, unde aut quomodò ſuam pelluciditatem ſervent tamdiù intemeratam, cùm in priori casû à primâ apparitione ultra viginti dies eâdem claritate & limpiditate, citra ſuppurationem perſtiterint. Certè vel ſerum vel quivis aliùs è ſanguine tamdiù extravaſatus humor ad ſuppurationem tendit & corrumpitur, præſertim ſi ad extimam uſque per ductus corporis ſuperficiem, aëri ſit expoſitus, manſit autem hic in tenerrimis ſuis veſiculis incorruptus. Gravia tamen hæc portendere & mortem præſagire ſigna tùm aliàs expertus, tùm binis hiſce, poſteriori præſertim casû confirmatus fui. Suffragatur quoque laudatiſſimus *Ettmüllerus*, ſiquidem per febrim malignam miliarem albam, noſtram ſubindicare voluit: *Affectus*, inquit, *acutus, non rarò præceps eſt, qui dum maximè vi-*

detur blandiri, *etiam ex leviſſimô horrore* (*fortè errore*) *ſubitò* jugulat. Qui quidem error in utrôque noſtrô casû, non citra vitæ diſcrimen contigit. In priori quidem, dum *Illuſtriſſima* poſt decimum quartum diem perbellè ſeſe habere videretur, ante victoriam triumphantes mulierculæ vittam, quâ caput obvelatum fuit, nimis officiosè mutantes, cùm antè in continuô tepore & tranſpiratione; ſub ſtrangulis leviter tecta tempus egiſſet ægra, id effecerunt ut ſtatim abhinc immanis dolor capitis, & cum hôc febris, omniaque recrudeſcerint ſymptomata, mihique nova fecerint negotia, cùm ſpe ancipiti. In poſteriori autem casû peccati pœna ſatelles fuit mors. Etenim cùm poſt nonum vel omnibus & ſibimet reſtituta videretur, propriô ausû intempeſtivè ſe ſe è lectô proripuit, unde obortô horrore vires recollegit hoſtis, qui brevi abhinc intentavit ægrotanti internecionem, præſagiumque explevit.

Exinde apparet, plus periculi imminere ab ipſis papulis quam à quovis aliô exanthematum, ex maſsâ ſanguinis oriundorum genere. Quid tandem de hiſce ſentiam, anceps hæreo. Nec poſſum, quia aliquid de *ſuccô nervorum* ſubolent, & in mentem veniat illorum ſententia, qui febrium ſedem ſtatuerant in *genere nervosô*. Omnes in univerſum febres, utrùm in illô hoſpitentur, non attinet dicere, nec meum eſt hic altiùs rimari. Certè dictarum hydatidum facies, geneſis, & ipſa, quæ hiſce superveniunt, periculoſa ſymptomata aliunde, quàm ex maſsâ ſanguinis & arteriis promanare arguunt. Quod ſi ſtatuamus nervoſum fluidum, fortè accommodatius erit ad explicanda, quæ illas comitantur ſymptomata. Etenim cùm cutis non ſit, niſi contextus fibrillarum nervearum, quô ſenſum tactûs conſtituit natura, intertextis glandulis & vaſculis tam ſanguifluis, quàm lymphæ ductibus, facilè limpidiſſimus, qui vel omnem alium ex maſsâ ſanguinis aut arteriis fluentem ſuperat limpiditate humor, à nervis derivaretur, qui inquinatus perperam circa nervorum extremitates interceptus tales hydatides limpidas, citra commixtionem ſanguinis aut aliûs humoris excitaret ſplendidiſſimas, diu incorruptus. Nec ſudoris productum eſſe credere fas eſt: inde enim non tantum periculi immineret. Cæterùm liquor, qui reperitur in ventriculis cerebri, evaporatione parùm in fundô vaſculi reliqui facit; nec concreſcit, uti ſerum ſanguinis; cujus rei ſæpiùs in ſectione cadaverum experimentum feci; indicio, puriorem illum minùs particularum heterogeneitatis continere, eſſeque corruptioni minùs obnoxium: ſoboles tamen iſte fluidi nervei cenſetur, ceu alibi animadvertimus. Et ipſa lympha, quæ nonnullis fluidi nervorum productum videtur, eaſdem cum liquore ventriculorum cerebri notas in evaporatione præ ſe fert, ut non mirum, dictas hydatides, dum ex tali fluidô originem ducere videantur, corruptioni minùs obnoxias, diutiùs citra hanc perſiſtere.

Sed & ſymptomata & periculum, quod inde imminet tale, quid innuit. Etenim pleraque, de quibus conquerebantur, fuerunt generis nervoſi ſymptomata; Dolor capitis acutiſſimus, qui præceſſit & comitabatur veſicularum eruptionem in primô & ſecundô casû: articulorum dolor, ut vel arthritidem mentiretur apud defunctam; ſomnolentia, delirium; ſtupor imprimis & oblivio; tendinum ſubſultus & tremor artuum, qui diu poſt ſuperatum morbum perſtiterunt apud ſuperſtitem; ingens denique debilitas artuum, ut diu pedibus conſiſtere non valuerit convaleſcens, ſatis ſuperque de affectione generis nervoſi teſtantur. Et quod mirum, dum hæc ſcribo, modò nodos circa digitorum internodia naſci conqueritur Illuſtriſſima Comes, ante morbum nunquam viſos, ſed morbi producta; unde quis non tantùm cauſam dictorum ſymptomatum probabiliter à nervis derivatam, ſed & morborum articularium & ipſius podagræ per nervos fluere ſuſpicari poſſet: experimentô ad probandam ſucci nervei exiſtentiam fortè haud ineptô nec incongruo.

Funeſtus tandem exitus apud defunctam rem planè confirmat; Etenim cùm ab initio non admodùm ægrotaſſet, maculæ rubræ ſanguinis teſtes per cutis ſuperficiem apparuerunt, cum febri continuâ & pruritu: quæ blandâ diaphoreſi intra novem dies admodum diſſipatæ fuerant, cum optimis ægræ rebus. Poſtquam autem, imprudenti conſiliô ſurrexit, lintea mutavit, & alias geniô indulſit ſuô, factum eſt, ut perſtricta frigore cutis & corporis habitus repulerit particulas ſanguinis malignas, nondùm planè diſſipatas; quæ repercuſſæ aditum invenerunt circa interiores partes, cerebrum nempè, unde atrox ſtatim à frigore capitis dolor, & hinc nervorum apices, calore lecti priori morbo adapertos: hinc poſt recidivam demum, diſparentibus maculis rubris, priori morbô excluſis, hydatides ſeu veſiculæ diaphanæ, per cutim denſiſſimè diſſeminatæ in conſpectum venerant, ex aliô quam priori fonte derivatæ; quæ quidem tamdiu apparuerunt, nihil periculi imperitis portendebant; evaneſcentes autem congeſtâ in nervis materiâ malignâ ocyus interitum, uti ſolent plerumque, intulerunt.

Nec enim ſatis eſt Medicum ſuum facere officium, niſi ſuum quoque adſtantes, ſuumque faciat ægrotus &c. Hipp. Aphor. 1. ſect. 1.

Ibidem Obſerv. 207. *De Dolore iſchiadicô, periodicô, acutiſſimô.*

ILluſtriſſima quædam 37. annorum tenera, gracilis, vividi ingenii cum Illuſtriſſimô maritô ſecuta exercitum ſub initium æſtatis Anni 1700. maximam ejus partem egit in Palatinatû; nec ſibi temperavit, quin exæſtuans, frigidâ ſe ſe cum ſocia laverit: Loca inſuper ſubterranea ad vitandum æſtum haud infrequenter ſubiit, in quibus cum aliis pranſa fuit. Redux tempore autumnali, ſecundô flumine Rheni minùs rectè valere cœpit, corrupta fuit in itinere dolore iſchiadicô vehementiſſimô, ad quem pellendum Chirurgus accerſitus neſcio quem, externè adhibendum præſcripſit ſpiritum arthriticum, unde meliùs ſe ſe habere cœpit ægra, ut ſequenti die, dolorum expers obambulare potuerit. Nec diu abhinc ſpes inchoata fefellit; dolor enim recruduit tam ſævus, quàm fuerat pridie. Ad priora ſtatim accurrens remedia, non eundem ſenſit effectum; quia dolor per aliquot horas ſæviit, nec quicquam moratus. Pervenit Duſſeldorfium doloris plena, & nihil non medicaminis ad mitigandum ſaltem, ſi non tollendum tantum cruciatum adhibuit. Bibit Decoctum *ſalſæ parillæ* compoſitum, crebroſque in laconicô inſtituit ſudores: Externa varia parti dolenti adhibuit, ad diſſipandum, qui tantos dolores inferre poſſet, humorem. Tandem horum pertinaciâ victa, thermas Aquiſgranenſes adire, auxilii inops, mediâ hyeme conſtituit; quam tamen eadem, quæ impulit, dolorum vehementia refrenavit. Illud imprimis notatu dignum erat, quod non tantùm periodicè exacerbatus fuerit dolor, ſed & in ipsô paroxyſmô obambulare valuerit, quin dolorum vehementiâ

hementiâ currere coacta fuit ægra. Opportunè igitur ſubiit cogitatio, annon fortè paroxyſmum febrilem cujus tamen nulla extabant indicia imitaretur affectus, vix aliô, quam remediô antifebrili expugnandus: nec diſplicuit conſilium aliis, quod initiô morbi viſum, tamen, uti fieri ſolet, neglectum fuit. Pilulas ex pulv. Cortic. Peruviani: Antihect. Poter. Cinnab. Antimon. &c. initiô morbi paratas, irritis omnibus aliis ad uſum revocavimus ſingulô trihoriô repetendas; Inde non tantùm levamen ſtatim ſenſit ægra ſalutem deſperans, ſed & (mutatâ pilularum in infuſi formam) continuatô remedii uſui brevi convaluit.

Scholium.

Plures dantur affectus periodici, plerumque non minùs atroces, quàm curatû difficiles. Antidotum autem monſtravit & immortali nominis ſui gloria publicavit inſigniſſimus Morton, dum plurima adducit exempla morborum atrocium, circa manifeſta febris indicia, ſolis antifebrilibus curatorum; & reverà non mediocrem ità apud cordatos meruit gratiam, eòque majorem, quòd plerumque ad omne aliud remedii genus erant invicti. Hinc non immeritò quæritur, quid illud ſit, quod tantos periodicè intulit dolores, & movit cruciatus apud Nobiliſſimam ægrotantem? Certè dolor tantus citra vehementem ſpirituum animalium excandeſcentiam excitari non poteſt, id quod natura dolorum teſtatur. Etenim ſi influxus ſpirituum per nervos intercipiatur, perit ſenſus; ſi placidè influant, doloris nulla perceptio: contra verò ſi vehementiùs commoveantur & oëſtrô perciti excandeſcant, dolor preſſô ſequitur pede quid autem illud fuerit, quod ſpiritus animales ſponte nunquam furituros in caſû memoratô ſtatis horis in tantam egit rabiem non æquè adeò in promptû eſt dicere. In parte autem ſeu locô affectô neceſſariò aliquid vitii ſtatuendum erit, cum reliquæ partes, quotquot fuerunt, & ipſum femur dextrum, à dolore immunes perſtiterint. Cæterùm negari non poteſt dari particulas in ſanguine incongruas morbidas, quæ ratione figuræ in parte quâdam ceu nidô, ſeu focô morbi congeri queant & adhæreſcere; quæque quietæ nihil motûs aut noxæ, commotæ autem enormes, circa nervos præſertim excitant dolores. Etenim occaſione illarum ſpiritus excandeſcere facilè intelligitur; cùmque iſti motuum tam naturalium, quàm præternaturalium ſint tenaces, id quod exemplis demonſtrare eſſet in promptû, hìnc congeſtionis & exacerbationis ratio certis horis quoque haud obſcurè concipitur. Nec enim dubitare licet, quia plures dentur & ex mente Hippocratis ſexcentæ in maſſâ ſanguinis diverſi ordinis, motûs & figuræ aut ſoliditatis particulæ, pro diverſitate morborum diverſiſſimæ. In Cancrô v. g. in lue venereâ, dyſenteriâ &c. diverſam, nî fallor, & ſpecificam particularum morbificarum naturam videre eſt; id quod cùm de venenis obtineat, cur non de iis quoque corpuſculis credendum, quæ communiter fermentorum morbificorum nomine veniunt?

Cæterùm Illuſtriſſima mulier omnia contulit ad diſpoſitionem febrilem inducendam; frigida ſeſe lavit; in cryptis & locis ſubterraneis ad vitandum ſirii fervorem quæſivit refrigerium; abhinc circiter autumnum per aquam iter fecit; variaque militiæ incommoda experta id egit, quod alii, quando ſibi febrem accerſunt: nervos non multâ carne, pauciore pinguedine tectos (erat enim gracilis & tenerrima) facilè refrigeravit, & eam fortè parti affectæ diſpoſitionem induxit, ut particulæ morbificæ faciliùs ibi, quàm alibi obhæreſcere & nidum formare potuerint. Nec fortè abſonus videbor, ſi in febribus, juxta lentorem & ſanguinis craſſitiem aut acidum, aut fermentum febrile, aut cum aliis venenum ſeu particulas ſui ordinis ſtatuero, quæ quidem partes quaſdam in offensô pervadant, ceu ſanas & incolumes, adhæreſcunt autem in aliis. In ſufficienti autem quantitate congeſtæ, moleſtæ dum incipiant eſſe, ſpiritus, motuum priorum & impreſſionum tenaces, conſimiles ineunt motus, excandeſcunt atque ferociunt, tantiſper dum materiâ morbificâ in eôdem focô, motus ſuô tempore conſuetô repetunt, ſymbolam fortè ſuam conferente æthere, & priſtinos motus concitant ſeu paroxyſmos, uſque dum materia morbifica ſubacta & morbus penitùs expugnatus fuerit.

Mirum illud videri poſſet, qui in ipſô dolorum paroxyſmô & durante illorum ſævitie gradû celeri conclave emetiri potuerit ægrâ; id quod certè non licuiſſet, ſiquidem humor acer circa nervorum è ſpinâ dorſi prodeuntium faſciculum doloris cauſa fuiſſet; ut vel luculenter hinc appareat, non fuiſſe niſi excandeſcentiam & furorem Archæi, concitatum occaſione particularum peregrinarum in nidô circa nervum collectarum, toties recurrentium, donec in totâ maſſâ ſanguineâ ſubactæ & expugnatæ fuerunt.

Præſtitum id fuit, irritis aliis omnibus, ſolô Chinæ Chinæ uſû, & quidem ſpecifica ejus virtute, quâ & lentorem fluidorum & craſſitiem corrigit, & particulas ſui ordinis fermentativas ſeu febriles corrigit. Evidens tamen nulla apparuit in maſſâ ſanguineâ fermentatio, nec ulla manifeſta febris indicia, neque in pulſû neque urina apparuerunt. Nec enim neceſſarium videtur, ut eadem ſemper, in diverſô ſubjectô, gradû & anni tempore reſultent ſymptomata; nec eſſentia febris fortè in eô conſiſtit, ut ſemper exardeſcat & prorumpat in flammam: ſufficit particulas ſupra deſcriptas in & circa locum affectum congeri potuiſſe, & ſuis circuitibus dicta excitare ſymptomata. Conſimiles autem uti in febribus fuiſſe particulas morbificas ex antidotô colligere licet. Et utinam plura darentur, remedia ſpecifica, quibus particulas ſpecificè hunc aut illum morbum patrantes ſubigere, corrigere aut extinguere poſſemus; nec tantâ nonnunquam in curandis morbis laboraremus conſiliorum inopiâ. Suffecit nobis India orientalis plura, & non ità pridem remedium contra diarrhoëam & dyſenteriam efficaciſſimum, mihi juxta cum aliis uſû comprobatum. Cùm autem compertum habeam particulas ſui ordinis in prædictô morbô, quas dyſentericas appellare liceat, natitare in totâ maſſâ ſanguinis & lege circulationis omnes partes inoffenſô permeare, ſola autem inteſtina electivè impetere, tantùm non in eam veni ſententiam, animatas eſſe, & more animalculorum inteſtina petere, aliis intactis partibus; id quod animalculis haud eſt inſolitum. Ad illas igitur extinguendas certiùs & efficaciùs *Ipecoacanna* ego quidem non novi remedium.

In lue Venereâ dominantur aliæ & ſui generis particulæ, quas itidem animatas eſſe tantùm non perſuaſum habeo ex modô invadendi & dolores nocturnas excitandi. Ad illas extinguendas itidem adinventa ſum efficacia remedia, quibus quotidiè hanc luem & radicitùs percurari videmus; Certiùs tamen non novi & jucundius *Aquâ mercuriali, ex Mercuriô in vitrô Hermeticè ſigillatô ſine ullô additamentô in aquam reſolutô*, quæ pondere cum Mercuriô eadem; ſed decies ſexies plus

ſpatii

ſpatii occupat reſolutus Mercurius, quàm non ſolutus. Hæc aqua inſipida ad aliquot guttulas manè ac veſperi exhibita, citra ſalivationis aut ullius excretionis motum placidiſſimè dolores nocturnos ad miraculum uſque cedat, morbumque ſanat radicitùs. Utinam doceatur, & quæ particulas, cancroſicas, quæ podagricas & quæ leproſas delerent & extinguerent. Nec ſatis operæ, ſtudii & laboris impendi poſſe exiſtimaverim, & fortè utiliùs expenderent Magnates & Principes impenſas in inveniendis & detegendis ejuſmodi experimentis, quæ fruſtra ratiocinando quærimus, cùm casû potiùs & fortuitò inventa fuerint, quæcunque tenemus in arte medicâ efficaciora remedia. Sic novi litum apud mercatorem in viciniâ depoſitum eſſe, certum contra impetiginem, morbum rebellem & contumacem, experimentum à me ſæpiùs comprobatum.

Cæterùm fortè in noſtrô casû invenirent, quô ſententiam ſuam defenderent ij, qui febrium intermittentium, cauſam in genere nervosô ſtatuunt, in quorum gratiam illum quoque expoſuiſſe juvabit.

Ibidem in Ephem Germ. Centur. j. & ij. Obſerv. 69. De Guttâ ſerenâ.

FRequens Cadaverum ſectio, etſi ſordida nonnullis, nonniſi nitorem & munditiem amantibus; hinc rarior, quin, quod dolendum, in hiſtoris rariſſima, non parùm lucis affundit morborum cauſas penitùs rimantibus, & fert fructus, qui ſtudium & indagandi faſtidium abundè compenſare ſolent, quin majora quæſitis plerumque oſtendit; id quod caſus, qui ſequitur, palam facit: *Georgius Werhasdt*, Hungarus, ex famulitiô Sereniſſimi *Electoris Palatini*, triginta annorum, vir robuſtus, vultû roſeô & corporis habitû floridô, de visûs imbecillitate conqueri cœpit. Medicus, tunc temporis oculos inſpiciens ſplendidos vidit & lucidos, citra maculam. Guttam ſerenam hinc ominatus varia ſuaſit, ùt malo mederetur, incipienti; ſetaceum præſertim inculcavit, id quod reſpuit pertinaciter æger. Iter hìnc ingreſſus eſt cum Aulâ ſat longinquum, ubi morborum cauſas venari perquam eſt facile. Accidit tunc temporis, ùt viſus in dies minueretur: nec tamen id effecit, ùt generoſiora, morbo paria admitteret remedia. Deniquè non tantùm lumine captus; ſplendidis oculis, ſed & debilitari cœpit pedibus, & doloribus capitis immaniter cruciari, adeò ùt ineptus ad ſerviendum cœcus miſeram domi traxerit vitam, ſuſtentatus munificentiâ *Sereniſſimi* Electoris: Hinc & rationis lumine privari, totumque cerebrum eclipſin pati animadverſum fuit. Poſtquam ſat diu ærumnoſam ità duxit vitam, febricitare cœpit, non appetiit, ſitiit, linguâ ſiccâ; vires in dies deficientes tandem miſeriæ finem fecerunt.

Nolui ùt vel, ego, vel alii, quorum intereſt tantô defraudarentur ſpectaculô. Ablatâ hìnc capitis ollâ, *verrucæ*, piſi magnitudine hinc indè in durâ matre, circa ramificationes præſertim arteriarum hanc perreptantium radicatæ incurrerunt in oculos, ſat numeroſæ, cum ſubjectâ cerebri ſubſtantiâ connexæ. Diſciſſâ hinc durâ matre; cerebrum nitore, quô aliàs apparet, caruit; verſùs proram capitis præſertim flaveſcebat. Nervorum paria contemplando, olfactorios flaccidos & flavos deprehendi. Circa opticorum confinia ſtagnavit ſerum turbidum, quod infundibulum & vicinas carotides inundavit ad motorios uſque. Reliqua nervorum paria ſplendida quidem, ſed ſerô extravaſatô unà cum ſpinali medullâ ceu ſubmerſa fuerunt.

Cerebrum abhinc ſolutum partibus connexis exemi ad intimiùs examinandum: ventriculi ſerô extravaſatô erant referti: Circa infundibulum & nervos opticos ſubſtantia cerebri in ſanguinem ſoluta, ceù ex abſceſſû & in tabum converſa fuit, putridaque ſpongiæ abſtergendo adhæſit; quod quidem vitium ad ventriculos uſque cerebri ſerpſit. Cætera autem evidenti vitio caruerunt.

Notamina.

Dolorum capitis atrocium, pertinaciſſimorum cauſam, ablata cerebri olla ſpectare licuit & quaſi palpare manibus, *verrucas*, ſcilicet duram matrem obſidentes; quæ circa ramificationes arteriolarum, duram matrem perreptantium conſitæ ſanguini obicem poſuerunt eô appellenti unde diſtenſio non potuit non fieri, ſingulis arteriolarum vibrationibus dolorifica, tantò acutiore cum ſensû, quantò vehementior fuit ſanguinis impetus.

Guttæ autem ſerenæ cauſa circa exortum nervorum opticorum manifeſta incurrit in oculos, ſerum nempè aut lympha redundans, quâ illi penitiùs imbuti ſpiritus viſivos tranſmiſerunt primò parcius, unde viſûs debilitas: adauctâ autem ſeri extravaſati copiâ, obſtructis tandemque corruptis nervis opticis omnimoda cœcitas ſubſecuta fuit.

Motûs imbecillitatem & artuum inferiorum impotentiam ab eodem ſerô extravaſatô, totam cerebri ſubſtantiam & ipſam ſpinalem medullam inundante facilè quis deduxerit, ſiquidem nervorum canaliculi ſerò perperam ſtagnante penitiùs imbuti, copiâ oppreſſi aut ulceroſi ſpirituum influxum impediverunt cum motûs imbecillitate & artuum impotentiâ.

Quin ſenſuum internorum exercitium ab eôdem ſerô penitiùs irrigante cerebrum, impeditum & rationis uſus interceptus fuit, cum ideæ olim cerebro impreſſæ, aut oblitteratæ penitùs, aut combinatio earumdem, propter dictum ſeri irrigui impedimentum, fieri non potuit; unde reminiſcentia & ſenſuum internorum exercitium neceſſariò detrimentum cepit.

Febris tandem ſupervenit, quæ miſeriarum finem fecit, propter abſceſſum, in ipsâ cerebri ſubſtantiâ, juxta exortum aut thalamos nervorum opticorum conſpicuum, ex ſeri ſtagnantis corruptione & putredine ortum; unde fieri non potuit quin particulæ putridæ, ſanguini iſta loca permeanti aſperſæ & immixtæ fermentationem aut motum certè ſanguinis præternaturalem ſeu febrim induxerint, primò lentam, poſteà quaſi acutam.

Quemadmodùm in œconomiâ omnis error ſolet eſſe fœcundus & alios concatenatim poſt ſe trahit errores, ità in œconomiâ animali facta ſeri illuvies primô, plura peperit vitia: impeditô ſcilicèt aut perversô ſanguinis & ſpirituum motû, mirum non eſt enumerata conſecutivè ſeſe excepiſſe vitia, tandemque mortem modô, quô ſuprà dictum fuit, intuliſſe.

Setacea quâ ratione opitulentur [opitulari autem experientia docet, & me qui hæc ſcribo, recenti docuit exemplô) non uſque adeò in promptû eſt dicere. Vidi in vertigine titubante, uti credebatur ex ſerô in ventriculis cerebri collectô, veſicatoria capiti raſo applicita vim ſeri traxiſſe, & egregiam opem tuliſſe. Non quod credam illud ipſum in ventriculis contentum ſerum horum beneficiô extractum fuiſſe; tranſitus enim

viam

viam monſtrare perdifficile foret; ſed cùm res peragatur in corpore vivô, ſpiritibus & ſanguine perfuſô, impreſſione aut veſicatorii, aut ſetacei motum ſpirituum atque humorum aliter determinari facilè intelligitur, bonum ità effectum, etſi modô, nobis non ſatis cognitô præſtare poſſunt. Videatur de his *Borellus*, de motû animalium, ubi de Venæſectione, uti aliàs, acutè philoſophatur, illam non ſemper evidenti ratione, deplendo vaſa, opitulari, ſed ſpiritibus alium motum eumque ſalutarem conciliando bonos quoque præſtare effectus.

Ibidem Obſervat. 90. *De Experimentô de bullarum productione in ſolutione chalybis*

IN Philoſophiâ adeò incerta ſunt & dubia, quæ ratione ſolâ nituntur, ut ea, quæ magna ingenia, magnô ſtudiô atque labore non ſine veriſimilitudine producunt, unicô nonnunquam experimentô labefactentur & corruant, unà cum ædificiô huic fundamentô ſuperſtructô. Hinc prudentiores ad experimenta rectè, tanquam ad Lydium lapidem confugiunt, neque quicquam aſſerunt, niſi experientiâ comprobatum. Commentatus olim fui ſuper *chalybe*, ejuſque virtutem aperiendi & obſtruendi in unô eôdemque ſubjectô miratus & rimatus, particulas in hôc activas, & ſummè elaſticas obſervavi tum in praxi, quâ notavi chloroſi affectas, frigidas atque torpentes dextrô chalybis uſû reſuſcitari, agiles, floridas & coloratas reddi; tum experimentô, quô limaturam chalybis poſui in matraciô altioris colli; mox ſuperfudi liquorem ſolventem ad inſignem altitudinem, ut aërem per medium liquorem ad fundum vaſis & limaturam chalybis penetrare poſſe nemo crediderit, qui noverit, in antliâ pneumaticâ, aërem ope aquæ abarceri, ne penetrare poſſit. Incipiente tamen ſolutione chalybis in fundô vaſis bullulæ excitatæ magnâ vi proruperunt ad ſuperficiem liquoris ſolventis, unde concluſi, in ipsô chalybe detineri particulas activas, æthereas, ſummæ virtutis & efficaciæ, quæ ſolutione prorumpentes in liquore bullulas excitent & efferveſcentiam; in corpore humanô vinculis ſolutæ & ad maſſam ſanguinis delatæ, vappidam ceu in chloroſi & cachexiâ eſſe ſolet, invigorent, animent atque inſpirent; fluxilemque reddant, unde virtutem & aperiendi & obſtruendi didici, & difficultates pleraſque facilè ſuperavi. Diſſentientem autem circa productionem bullularum habui magni nominis & exiſtimationis philoſophum, perſuaſum aërem ipſum ceu maximum & potiſſimum ſolutionis inſtrumentum excitare bullas, ſolvere corpora, aut maximam virtutem ad hæc diſſolvenda conferre. Ut de re certi fieremus, ad experientiam progreſſi ſumus. Liquorem apparavimus ex ſpiritû vitrioli, cum ſufficiente quantitate aquæ temperatô. Portionem ejus in antliâ pneumaticâ poſuimus ità, ut extractô aëre limatura ferri, chartulæ impoſita, mediante modiolô, in liquorem ſolventem demitti poſſet. Aliam portionem in liberô aëre juxta poſuimus, viſuri, ubinam ebullitio citiùs & fortiùs ſuccederet, & an aër externus ſit neceſſarius ad ſolutionem metallorum. Adaptatis ritè omnibus aërem extraximus; quô ſubductô, modiolum verſando limaturam, in antliâ, in liquorem ſolventem immiſimus, & eôdem momentô in alium liquorem, in liberô aëre poſitum, tantumdem limaturæ conjecimus, quô factô ſtatim bullire cœpit, menſtruum in antliâ, & efferveſcere magnis bullis impetuosè; tardiùs autem & mitiùs illud in liberô aëre poſitum, & diutiùs. Inde concluſimus, non aërem eſſe ambientem, qui aut ſolutionem, aut bullulas in ſolutione chalybis excitet, quippe exhauſtus & ſubtractus fuit, quantum fieri potuit exactiſſimè, ſed eſſe aut ætherem, aut aërem longè ſubtiliſſimum, aut ſpiritum elaſticum, chalybi incluſum, qui ſolutis menſtruô repagulis prorumpat, bullas in aquâ, in ſanguine autem majorem vigorem, motum & fermentationem excitet, flammulamque vitalem langueſcentem ſuſcitare ſoleat.

Non ſolum chalybs in ſolutione cum impetû bullas emittit, ſpiritumque ſanguini cachecticorum immittit, quem attenuat, ſolvit, & craſſitie ſtagnantem circulationi reddit, ſed & alia corpora mixta, alcalia præſertim, cum ſuis menſtruis ſoluta, uti margaritæ, lapilli Cancrorum, Corallia, &c. Acetô deſtillatô ſoluta ſpiritum bullulis contentum emittunt, qui ſanguinem invigorare intelligitur, & hinc rectè nomen confortantium medicamentorum hactenùs obtinuerunt.

Ibidem Obſerv. 91. *De Carunculâ in Urethrâ.*

INter ea, quæ crucem figunt & ægrotantibus & medentibus, haud poſtremum locum tenet *Caruncula*, quam vocant, ſeu excreſcentia; quam credunt, poſt diuturnam gonorrhoëam in urethrâ pullulans & meatum urinæ obſtruens, tam difficilis curationis, ut Chirurgorum *opprobrium* audiat. Idem infortunium contigit *Nobili* cuidam, qui ex diuturnâ gonorrhœâ hanc contraxit labem, ut nonniſi exile inter mejendum apparuerit urinæ filum, interdum planè clauſus fuerit urinæ tranſitus. Nemo neque Medicorum, neque Chirurgorum, quos conſuluit innumeros, dubitavit cum ægrô aſſerere, *Carunculam*, nominatiſſimum obſidere urinæ canalem, eamque exitû prohibere; eòque magis, quia ſtatim poſt glandem veſicam versùs primum obſtaculum tangenti occurrit, tactû durum & calloſum, & abhinc plura verſus radicem penis. Contigit, ut omnimodâ, quondam iſchuriâ detentus & me conſultum voluerit. Obſervavi diebus, quibus inviſeram ægrotantem pluribus & accuratè annotavi, urethram ſtylô plumbeô, ab hôc fabrefactô dilatari poſſe & diſtendi ità, ut urinæ filum ſat craſſum apparuerit; extractô autem ſtylô, poſt aliquot horas conſtringi canalem iterum & coarctari; id quod ipſe æger attentiſſimus ad morbum perſuaſum quoque habuit. Ut in veritatem & rem præſentem venerim, mors fuit, ex empyemate perperam tractatô contigit. Inciſâ urethrâ, nulla excreſcentia, aut caruncula apparuit, neque fungus, meatum urinæ obſtruens, id quod oppidô mirabatur medicus adſtans, qui ſæpiùs viventi medebatur: Sed mera anguſtia & coarctatio urethræ hinc inde viſa fuit, qualis in vaſis umbilicalibus poſt partum obtingere ſolet coaleſcentibus.

Inde conjeci, opinione fortè frequentiùs contingere, ut quæ creditur à carunculâ aut fungosâ excreſcentiâ in urethrâ procedere urinæ difficultas, ex ſtricturâ & calloſâ duritie ejus proveniat; id quod in caſû memoratô inde quoque colligere licuit, quia obſtructam urinæ viam filô ferreô pertundere vidi ſæpius ægrotantem, id quod ſanâ urethrâ, callô non obſeſſa perferre non potuiſſet, obſenſum ejus exquiſitiſſimum. Et hæc fortè ignoratio, quemadmodum in morbis fortè pluribus cauſa eſt, inſanabilitatis. Hinc ut naturæ myſtæ, data occaſione, quæ rara obſervent diligentius, rem obſcuram illuſtrent, & medendi methodum, fortè

forte perverſam hactenùs emendent, ſalutis publicæ intereſt, ne error longiùs propagetur.

Ibidem Obſerv. 97. De Carunculâ in urethrâ, rarius, quàm hactenus creditum fuit, exiſtente.

ERrores, uti in aliis ſcientiis ſæpiùs, ità in Medicinâ ſæpiſſimè per traducem propagantur, adeò ut quod perhibet veriſimiliter unus, facilè huic ſubſcribant alii, inexperti. Veritatis autem tanta vis, eſt, ut ſciendi cupidos non tantùm propriô motû alliciat, ſed & labores, quos in eruendâ adhibent jucundos & indagandi faſtidium ſuave reddat atque volupe. Superiori annô *Illuſtri Collegiô* ſuppeditavi nonnulla, quibus errorem, quem fortè errârunt tam Medici, quàm Chirurgi circa *Carunculam in urethrâ* detexi. Monui & adhortatus fui debitò naturæ Myſtas, ut, quoties occaſio tulerit, in veritatem juxta mecum inquirere velint, cùm hic ſcopus ſit & intentio ſocietatum, quæ hinc indè laudabili naturæ ſtudiô eluent, falſa arguere, obſcura illuſtrare, vera & occulta in lucem protrahere, undique & ubique ſcientiam naturalem adaugere.

Contigit Generoſo cuidam, cujus nomini pareo, ut poſt inveteratam gonorrhœam in hanc inciderit calamitatem, quæ urinam aut planè non, aut nonniſi exiguum ejus filum ſeu radium, magnô cum nixû & conatû emittere potuerit. Tam Medici, quàm Chirurgi, quotquot conſilium rogaverat, rogavit autem plurimos, unô ore profitebantur, *Carunculam* eſſe in urethrâ, quæ crucem figat & urinæ exitum impediat, cum tamen poſt mortem nihil tale apparuerit, uti ex memoratâ hiſtoriâ colligere, ſi libet, licet. Cùm autem error publicus, pervulgatus, magnô ægrotantium damnô ſubeſſe mihi quidem videretur; ſcio enim Pariſinos Chirurgos inſtrumenta excogitâſſe, quibus Carunculam artificiosè reſcindere dedolare, alii cathæreticâ ſummiſerunt, quibus luxuriantem abſumere anniſi ſunt; hinc mearum partium eſſe duxi, errorem modeſtè indicare, alioſque ad indagandam veritatem invitare; eoque magis, quia (quæ fortè cauſa eſt, quod veritas tamdiu latuit) rarô ex hôc affectû moriuntur ægri, mortui autem vix inveniunt, qui in mali cauſam ſollicitè inquirat anatomiæ peritum.

Contigit nuper, ut idem ſubierit fatum quidam Legioni militum Præfectus, poſtquam per annos eâdem labe & urinæ difficultate laboraverat. Omnes, quotquot & iſte conſuluit Medicos & Chirurgos, nullum autem non, ubi obvium conſuluit, *Carunculam* eſſe in meatû urinæ, quæ exitum ejus impediat, abſque hæſitatione pronuntiârunt, variaque ad hanc auferendam adhibuerut remedia, ut dubitem carunculane hæc venatiſſima, an ſiniſtra medentum conſilia ægrotantem magis vexârint. Res tandem ad agyrtas, barbitonſores & anus ipſas, ut fieri amat, devoluta fuit, cum evidenti ægrotantis damnô: acceſſit enim ſtranguria acerba, urinæ odor acris & mordax feriebat nares: fundô matulæ adhæſit mucago, ad inſtar albuminis ovi aut terebinthinæ tantâ tenacitate, ut vacuando matulam filum ſat longum versùs terram traxerit; id quod haud levem latentis in veſicâ calculi ſuſpicionem movit. Vocatus proin Chirurgus, qui exploraret malum cathetere, nec viam invenit, nec ad veſicam uſque illam adigere potuit, cauſſatus itidem Carunculam. Febris, quæ ſupervenit, miſeriæ finem, ſimul in veritatem inquirendi nobis copiam fecit. Cultrum hinc anatomicum, impetratâ veniâ adhibui. Initiô urethræ nihil vitii aliquouſque apparuit: in mediô autem ejus inſignis ſtrictura & coarctatio, ceu ex aduſtione, occurrit: circa proſtatas mira cicatricum ex ulceribus antiquis, inveteratis, nunc perſanatis facies conſpicua fuit & ſumma meatus anguſtia, quæ catheterem ulteriori progreſſû prohibuit: Collum veſicæ durum & ſcirrhoſum fuit: veſica ipſa mephitim ſpiravit & odorem acerrimum: in orificio ejus hæſit non calculus, ſed portio *cruſtæ calculoſæ*, ſimilis ei, quæ parietibus matularum, diu non purgatarum, accreſcere ſolet; fundum veſicæ plures incruſtârunt ſimiles cruſtæ lapideæ, non ſine ingenti, quod facilè ſuſpicor in vivô irritamine. Cæterùm veſica undiquaque rubra, ceu inflammata, nonnullibi ſphacelata intolerabilem ſpiravit fœtorem acerrimum.

Cautiùs hinc mercari diſcant medentes, ſi in ejuſmodi casûs inciderint & ægrotantes, quos emollientibus, laxantibus, canalem urinarium dilatantibus & anodynis potius tractandos, quàm irritantibus, cathæreticis, non citra inflammationis periculum vexandos; ipſam autem *Carunculam*, decantatiſſimam in Chirurgiâ, figmentum Chirurgorum eſſe planè perſuaſum habeo. Hinc fortè factum, quod opprobrium Chirurgorum audierit: Ignoti enim nulla eſt curatio morbi.

Ibidem, Centur. 6. De Anatome Peripneumoniâ cum hemitritæô defuncti, cum Obſervatione circa venas meſaraicas.

MAgnus Germaniæ Princeps, provectæ ætatis, ſeniô & laboribus confectus, uti in rebus gerendis olim diligentiſſimus, ita toti nunc Germaniæ deſideratiſſimus; temperantiæ exemplar, exceſſus, quos hoſpitalitatis gratia admiſit, abſtinentia plerumque triduana, expiavit; integra hujus valetudine ad ſeram uſque ſenectam. Multa finem vitæ occurrerunt faſtidia, quæ altô preſſit taciteque concoxit pectore. Inter cumulata negotia vertiginem quondam paſſus eſt, non citrà metum apoplexiæ; Ulcus tunc in tibiâ exortum brevi conſolidatum; viciſſim cauterium in brachiô, Medicorum conſiliô excitatum fuit. Tandem ea paſſus eſt ſymptomata, quæ vulgò lieni adſcribi ſolent. Rarò uſus eſt medicamentis, ſtrictiori diætâ contentus. Circa brumam quondam liberiori ſe aëri commiſit, indeque gravem coryzam reportavit ſenex, cum debilitate & appetitûs immunitione: quarta hinc die acceſſit rheuma cum tuſſi, ſiti & oris ſiccitate, non citrà virium decrementum, bibit nihilominùs vinum cum tertiâ parte aquæ, bibitque creſcente illâ copioſiùs. Hinc demum flammam concepit & erupit in febrim morbus, cum urinâ craſſâ, rubrâ, pulsû inæqualiter intermittente, linguâ aridâ atque ſiccâ. Et quod mirum, ſitiit, nec tamen bibit, nares ſtillabant ichore, nec tamen emunxit eas; tuſſivit, nec tamen ſputamina rejecit: illud, ne potû Catarrhi materiam augeret; hoc, ne plus ſubſequeretur, quam tuſſi aut emungendô excerneret pituitæ. Hinc liquida omnia & potulentia, contra quævis naturæ atque Medicorum monita pertinaciter non citra delirationis ſpeciem recuſavit, abſtinentia à potû morbum ſuperatum iri opinatus. Quotide infirmus adivit *Oratorium Miſſamque* audivit, opertis nonnunquam feneſtris.

Die morbi decimô advocatus ſputamina vidi ſubcruenta, cum urinâ craſſâ, rubrâ; pulsû inæqualiter inæquali, linguâque arida & ſicca. Inflammationem ſuſpicatus Peripneumoniam nominavi morbum; interdixi vinô & ut ſe ſe in lectô

lectô contineret æger, ſimul copioſô potu uteretur, ſuaſi cum mixtura antipleuriticâ. Die 15. morbi pus erupit ex aure dextrâ de cujus ſonitu & dolore ante conqueſtus erat: ſputamina cruenta in alba, cocta commutata fuerunt, cum ſpe fore,ut & febris deferveret,quæ tamen defectu, humidorū magis incenſa fuit, cum ingenti ardore præcordiorum & dolore ſiniſtri lateris. Die 20. morbi ſurgere è lectô non valuit:crevit oris ſiccitas,pulſus magis inæqualis & urina intenſè rubra fuit. Die 21. Febris cum intenſô paroxyſmô exarſit, ſubſequente remiſſior fuit, unde Decoctum pector. c. Cortic. Peruv. propoſitum fuit; at eôdem, quô reliqua fatô; Die morbi 23. reſpiratio accelerata cum ſonô ſtridulô, noctis hora undecimâ exſpiravit.

In cadavere ſequentia annotata fuerunt: Apertô abdomine omentum ſubflavum apparuit: ſub hôc venæ meſaraicæ ſtatim in conſpectū venerunt quæ ſanguine nigricante turſerunt impenſe, vix contrectatis inteſtinis materia inſtar amurcæ copioſè prorupit ſub diaphragmate, quam Profector indagans ex ſtomachi parte ſupernâ diſrupta profluere monſtravit.Remotô ſternô, ut omnia in ſitū naturali in conſpectum venirent, lobus dexter pulmonis integer, ſiniſter parte inferiori coſtis annexus fuit: hôc avulſô materia collecta ſeu lympha inſpiſſata, incruſtata. Sud diaphragmate cui annexus fuit ventriculus idem gangrænoſus, diſruptus fuit. Præter turgeſcentiam ramorum portæ & venarum meſaraicarum inteſtina atro rubeſcentia; in inteſtinis, duodeno præſertim, ſanguis nigricans repertus fuit. Lien vitiô caruit; itâ & hepar, uti & renes cum veſicâ. Cor circa valvularum ſemilunarium ſtamina oſſeas habuit prominentias; ita etiam aorta hiſce obſeſſa fuit. In cerebrô ſerum ſat copioſum, turbidum redundavit in ventriculis;cæterâ ſanum fuit. Uſus in Praxi.

Non malè, me quidem judice, Praxis medica Anatomia experimentalis dici poteſt. Etenim poſt cognitum & perſpectum partium ſitum, figuram & connexionem, uſus non melius, quàm ex læſâ earum actione in vivis & morboſâ diſpoſitione in demortuis ex anatome cognoſcitur.

De venâ Portâ multus ſermo inter anatomicos, multus quoque diſſenſus apud Practicos fuit. Sola hæc exiſtit, inter omnes totiûs corporis venas quæ impulſum ſanguini, (elangueſcente illô, circa arteriolarum extrema à corde impreſſô) per hepar ſubdit, cùm cæteræ omnes conales ſint, per quos ſanguis liberè refluit ad cor, hic autem per ramos venæ portæ ab aliis ratio diſpaleſcit. Cæterùm ut preſſiùs hanc vim motivam perſequamur, obſervare eſt, quod per vaſa lactea chylus, vel ſenſû teſte, propellitur ex inteſtinis per glandulas meſenterii, *Pancreas Aſellii* dictas, quibus ille per vaſa lactea primi generis parte convexâ infuſus, & per ſubſtantiam earum percolatus,parte oppoſitâ à vaſis lacteis ſecundi generis recipitur, per ductum thoracicum ad maſſam ſanguinis vehendus, de quibus alibi commentatus ſum. Non abſonum fortè videbitur, ſi dixero, eôdem embolô ſeu impulsû uti naturam tam in vaſis meſaraicis quàm lacteis & admiſſo ex inteſtinis etiam per vaſa meſaraica humore, hepatis ſubſtantiam trajicere ſanguinem per ramos venæ portæ allatum, indeque in radicibus venæ cavæ recipi, ſimili methodô; utrinque, diverſô licèt tramite, tendere viam ad cor: itâ autem cum veteribus loquar, & cum recentiorum anatomicorum pluribus. Faciliorem quoque humoris ſeu chyli per vaſa meſaraica, quam lactea tranſitum monſtrant experimenta: flatus enim per ramum venæ portæ adactus verſus inteſtina facilè tranſit & penetrat in illa, etiam atramentum, id quod circa vaſa lactea nondùm oſtenderunt experimenta. Nec alia, quantum ſcio in piſcibus & volatilibus chyli via ad ſanguinem, quam per vaſa meſaraica viſa aut detecta fuit hactenùs anatomicis.

Utrum diverſi generis humor ex inteſtinis per utrumque vaſorum genus, meſaraica ſcilicèt & lactea feratur in animalibus, quibus utrumque vaſorum genus incidit natura, noſtrum non eſt, (nec locus, nec tempus,) pluribus hic excutere: fortè potulenta per meſaraica; eſculenta per lactea magis feruntur,ùt continuatô menſtruô lymphæ ad majorem diſſolutionem atque perfectionem perveniret chylus, proximè in ſanguinem convertendus. Et hæc fortè ratio eſt, cur perfectioribus animalibus lactea quoque vaſa, præter meſaraica largita eſt natura; imperfectioribus contra nonniſi meſaraica conceſſit; Chylus autem in vaſis meſaraicis propter admixta potulenta non appareat albicans: ſcilicèt pro diverſitate animalium: quam ſtatuit ſummus rerum conditor, diverſa quoque ipſis inſerit organa nutritionis.

Nec proin mirum videri debet, cur venæ meſaraicæ in tantâ tamque pertinaci abſtinentiâ à potû tantoperè diſtentæ fuerint ſanguine: Etenim propter potulentorum, ex inteſtinis robore fibrarum inteſtinalium atque muſculorum abdominis, in quô vis motiva chyli conſiſtit, impulſorum defectum non potuit non ſanguis craſſior, potulentis non dilutus, in canalibus venæ portæ hærere, calore febrili magis inſpiſſari; qui inflammationem, tandem gangrænam intulit atque mortem; id quod in hemitritæô, defunctis obſervavit *Spigelius* & poſteritati annotavit, maximô ſuô meritô.

Cauſa quoque cur noxium ſit febricitantibus, quæ nonnullorum eſt erga miſeros ſtyrannis; negare potum intelligitur. Etenim cùm in primo aditû circulationi officiat defectus humidi ſeu potulentorum, tùm verò in fluidis totiûs corporis nocere, ex his intelligitur; unde tot natura exſtruxit organa hydraulica tam ſecretoria, quàm excretoria, quibus liquidorum copiam expetere & neceſſitatem eorum innuere videtur.

Hypochondriacorum plerique (quibus & noſter & ſub finem annumeratus fuit) parùm bibere ſolent: utrum acidum ſtomachi ſitim extinguat viderint alii; itâ autem circulationi per ramos venæ portæ atque hepar officiunt, &. ſtagnationi ſanguinis inibi anſam præbent. Guavinonius in Conſultat. 584. *ſe ſe non rarò inveniſſe obſtructas meſenterii venas adeò dilatatas, ut ſpeciem inteſtinorum potiùs quàm venarum præ ſe ferrent*, affirmat. Veteres in affectione hypochondriacâ obſtructiones venarum Meſaraicarum atque lienis cauſati fuerunt, & abhinc plures, qui venam portam, portam malorum dicere non dubitârunt.

Ratio quoque eluceſcit, cur in affectione hypochondriacâ acidularum potus præ aliis remediis potiſſimum ferat punctum. Etenim copioſè hauſtæ robore fibrarum inteſtinalium & muſculorum abdominis reſpirando propelluntur per ramos venæ portæ,ſanguis itâ diluitur, ſtagnans propellitur, obſtructiones ſolvuntur, particulis martialibus invigoratur fluidorum maſſa, magnô hypochondriacorum juvamine & ſolamine. Hinc *Zacharias de Aff. hypochond.* humectentia præ cæteris laudat & commendat. Novi ex ſimplicis juſculi potatione matutinâ, longô tempore continuata ingens bonum reportâſſe alios & ex ſeri deſtillati usû adhuc alios. Nec infuſum *Thè* improbandum, dummodò uſus non in abuſum, tantâ eſt hominum intemperies;

peries;

peries, verteretur. Ingens inſuper commodum ſenſiſſe nonnullos ex copioſâ potatione calidæ, ſeu decocti, cujus per ſex continuos dies quotidie ℔xxiv. potando, circulationem ſanguinis ſegnem reſtaurarunt, ſalibus & ſaporibus peregrinis fluida corporis everrerunt, canales glandulaſque perluerunt,non veſcentes niſi vitulina aſſa, in aurem dixerim intelligenti, in ſcorbutô præſertim celebrandum remedium uſque adeò verum eſt, naturam non fruſtra tot & tanta in corpore potuiſſe vaſa hydraulica, quibus fluidorum uſum expetere & innuere videtur.

Prima & hinc lethalis morbi cauſa fuit fluidorum craſſities, quam tum frigore ambientis, tùm animi mœrore contraxit æger: quâ ſerum ſanguinis primò circa tunicam glandulosam narium ſtagnans coryzam; hinc in pectore congeſtum abſceſſum,vomicæ inſtar genuit; nec ſibi in aëre, nocentiſſimô in hòc casû temperavit æger in morbi progreſſû; craſſitiem auxit abſtinentia à potû. Cumque morbi ſedes contigerit in viciniâ diaphragmatis, conſentaneum eſt, ſubjacentem & diaphragmati connexum ventriculum labem contraxiſſe tantò faciliùs, quantò magis venæ epigaſtricæ ſanguine aduſtô turgidæ diſpoſitionem ad gangrænam intulerunt, non citra febrim, quæ continua quidem, incertis tamen, quod fieri ſolet, intervallis exacerbata fuit, hemitritæus hôc nomine *Spigelio* de *Hemitritæô* dicta

Ejuſdem craſſitiei ſeri effectus fortè fuit humor turbidus in cerebri ventriculis qui craſſior forſan, quàm ut per poros glandulæ pituitariæ percolari potuerit, hinc reſtagnavit, de quibus alibi jam olim dictum fuit.

BRUNO (*Jacobus Pancratius*) Altdorphinus.

De eô Exſtant

Caſparis Hoffmanni Iſagogen Medicam edidit Lipſiæ, apud Johannem Bartholomæum Oëhlerum, 1664. in 12. Ibidem, apud I. H. Ellingerum, 1678. in 12.

Oratio de Vitâ, Moribus & Scriptis Caſpar. Hoffmanni, Extat cum ejuſdem Hoffmanni Iſagoge Medicâ Lipſiæ apud Johannem Bartholom. Oëhlerum, 1664. in 12. Ibidem ap. J. H. Ellingerum, 1678. in 12,

D. Johannis Jeſſenii à Jeſſen Equit. Hungar. de ſanguine, Venâ ſecta, dimiſſo Judicium Notis & caſtigationibus ad hodierna & vera Artis Medicæ principia accommodavit & edidit. Noribergæ, apud Mich. & Joh. Frideric. Endteros, 1668. in 12.

Dogmata Medicinæ Generalia in ordinem noviter redacta, à rebus extraneis depurata & ad vera, Recentiorum præſertim, principia accommodata. Ibidem apud Eoſdem, 1670. in 8.

Remoræ ac Impedimenta Purgationis in ſcriptis Hippocratis detecta, per vera Artis Medicæ principia demonſtrata, aliiſque Veterum & Recentiorum Doctorum teſtimoniis confirmata & Exercitationibus quinque comprehenſa. Quibus annexæ ſunt ejuſdem Brunonis Theſes Medicæ de Purgationis Modô ac viis ad alvum: unà cùm quorumdam ἐλλειμμάτων Appendice geminôque Indice Altdorffii, ap. Henricum Meyerurre, 1676. in 4.

Caſtellus Renovatus, hoc eſt, Lexicon Medicum, quondam à Barthol. Caſtellô, Maſſanenſi inchoatum, per alios poſtmodò continuatum, nunc verò ad vera novaque Artis Medicæ principia accommodatum, à pluribus mendis, & vitioſis, allegationibus correctum & innumerabilium penè Vocabulorum acceſſione amplificatum; Norimbergæ, apud Johannem Danielem Tauberum, 1682. in 4.

De hôc librô mox ex Act. Lipſ.

Mantiſſa Nomenclaturæ Medicæ Hexaglottæ, vocabula Latina ordine Alphabeticô cum annexis Arabicis, Hebræis, Græcis, Gallicis & Italicis proponentis. Ibidem, apud Eundem, annò & formâ eâdem.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1682. *p.* 401.

Caſtellus Renovatus, hoc eſt, Lexicon Medicum Curâ & ſtudio Jacobi Pancratii Brunonis, Ph. & Med. D. & PP. Norimbergæ 1682. *in* 4.

Diuturnum ſanè eſt exilium, quod Medicina vel ab incunabulis ſuis per plures incertô admodùm greſſû oberrans gentes, perpeſſa eſt. In Ægyptô enim poſt Cataclyſmum renata,Græciam petiit, & Aſclepediorum familiæ (ex quâ & *Hippocrates*) imprimis adhæſit: deindè ab Arabibus, Mauris & Saracenis, per 500. ferè annos, undiquè quaſi captiva circumducta, tandèm ab Europæ cultioribus populis ſuaviori amplexû ſuſcepta fuit. Sub his migrationibus, non potuit non, propter gentium linguarumque diverſitatem, vocabulorum multiplicium, & terminorum technicorum, origine nunc Græcorum, nunc Arabicorum, nunc planè Barbarorum, varietas inſignis ſuccreſcere; Ut taceam iſta, quæ Chymicorum turba, ad *Paracelſi* potiſſimum imitationem, adjecit pariter & inſeruit. Aſt horum denegata cognitio tyroni Medico maximas difficultates, nè dicam impedimenta, ſub ipſis artis addiſcendæ auſpiciis neceſſario adfert: quibus ùt occurratur maturè, plures jam olim eruditi Dogmatici æquè ac Spagirici deſudârunt Medici, Lexica, Dictionaria, Onomaſtica Medico-Chymica conſcribendo. Inter Dogmaticos quidem, *Anutius Foëſius*, & *Guil. Corneus*, Pariſ. *Bartholomæus Caſtellus Meſſanens*: Cujus Lexicon Medicum Græco-Latinum jam annô 1657. *Adrianus Ravenſteinus* auctius edidit; *Stephan.Blanckardus Med. D.* editô annô 1679. Lexico Medicô Græcô-Latinô, inſigni vocabulorum penu refertô, eminent. Ex Spagyricis verò *Leon. Thurneiſerus,Gerh. Dorneus, Joh. Garlandius, Mart. Rulandus, Mich. Toxites, Guil. Johnſonus*, hôc in negotiô præ aliis occupati fuerunt: ſed cùm horum conatus, ut ut laudandi, imperfecti nonnihil eſſent, nec unâ ex cauſâ ſubindè defectuoſi, neceſſarium hunc laborem in ſe ſuſcepit Autor, ùt omnia vocabula, quæcunquè in arte Medicâ occurrunt cujuſcunque idiotiſmi fuerint, ſive Dogmatica ſive Hermetica in ſcholâ nata, in unum perfectum Lexicon Medicum, ſub nomine *Caſtelli Renovati*, (quia ab hôc inchoatum) congereret, clarè & perſpicuè eadem explicaret, ſcriptorum probatorum allegationibus illuſtraret, & quod à pluribus tentatum, tyronum in gratiam ità magis perficeret. Quô in conatû Autorem, & anteceſſoribus ſuis palmam præripuiſſe, & de Re Medicâ optimè meritum eſſe omninò fatendum eſt.

BRUNO (*Chriſtophorus*)

De eô exſtat

Diſputatio de Variolis, 4. Lipſiæ 1594.

BRUNSFELSIUS (*Otto*) Natus eſt Moguntiæ Patre Johanne à Brunsfels, Doliario. In Collegiô Carhuſianorum extra pomeria Civitatis Moguntinæ aliquandiù vixit; cui poſtquàm valedixiſſet, concionando Evangelium docere voluit: ſed cùm vocem ſonoram morbô amiſiſſet, Argentorati ludo literario præfectus eſt; tum demùm novenniô illô, quo ſcholæ præfuit, Medicinam

dicinam diligenter excoluit, ità ùt Baſileæ Doctoris Medici inſignia adeptus ſit A. C. 1530. inde Bernam vocatus, ibi, honorificô conſtitutô ſolariô Medicinam feliciter exercuit donec obiit & ex ardore & nigredine linguæ, morbo tunc ipſis Medicis ignotô, A. C. 1534.

Ex eô habentur

Catalogus illuſtrium Medicorum, ſive, de primis Medicinæ Scriptoribus. Argentorati, apud Joh. Schottum, 1530. in 4.

Herbarum vivæ Icones ad naturæ imitationem, ſummâ cum diligentiâ & artificiô effigiatæ: Unà cum effectibus earundem, & nominibus Latinis, Græcis, ac Germanicis: cum Appendice Iſagogicâ de uſû & admiratione ſimplicium, & aliquot Tabulis varii argumenti in Re Medicâ. Tomi tres. Argentinæ, apud Johan. Schottum, 1530, 1532, 1537, 1539. in fol.

Novi Herbarii Tomus ſecundus: Adjunctis duodecim Autorum Opuſculis Botanicis. Argentinæ, apud Johannem Schottum, 1536. in fol,

Continet autem

Exegeſin omnium ſimplicium Dioſcoridis, & quomodo iis quæ in Officinis ſervantur, reſpondeant.

Scribonii Largi de ſimplicibus, Fragmentum.

Johannis Manardi Annotationes aliquot ſimplicium, è ſcriptis ejus extractæ.

Nicolaum Leonicenum de falſâ quarumdam Herbarum Inſcriptione à Pliniô.

Pandulphum Collinutium, de Interpretatione ſimplicium, quæ ſunt apud Plinium, calumniis Leoniceni reſpondentem.

Generoſi Comitis Hermanni à Neuënar Cenſuras alias Herbarum ſuper eâdem re.

Leonhardi Fuſchſii Annotationes de ſimplicibus, à Medicis hactenùs perperam intellectis, & æſtimatis.

Joachimi Schylleri Judicium de Caryophyllis.

Hieronymi Tragi Diſſertationes ferè quinquaginta, de Herbarum quarumdam Nomenclaturis.

Marci Gatinariæ Annotatio unà & altera de Taraxacô Cichoreâ, Ivâ, Eſulâ, & Soldanellâ.

Jacobi de Manliis Interpretatio ſimplicium, ſecundum ritum officinarum.

Hieronymi Tragi Herbarii Apodixis Germanica, ex quâ facile vulgares herbas omnes licebit perdiſcere.

Tomus herbarii tertius, corollariis operi præfixis, quibus reſpondet Calumniatoribus ſuis, paſſim errata quædam priorum Tomorum diluens. Argentinæ, apud Joh. Schottum, 1540. in fol. Et huic Tomo acceſſit Appendix, quâ continetur: De uſû & Adminiſtratione ſimplicium: Herbarum uſus, qui primi ſcripſerunt: illarum Inventio: Deque Antiquâ Medicinâ; Et quare hodiè minùs exerceantur earum remedia: Laus Agriculturæ: Agriculturæ ſtudium apud veteres: Illuſtres Romæ Agrorum & Hortorum Cultores: Agricolarum Laus: & quæ obſervanda in Agrô parandô: Hortorum cura: Ratio rigandorum Hortorum, & quæ tranſlata meliùs fiant: Deque ſuccis & ſaporibus Hortenſium: De Hortorum Morbis & Remediis circa Formicas & Culices: Herbarum qualitates, quemadmodùm ex colore, odore, & ſuccis veſtigandæ; Quibus temporibus maximè legendæ Herbæ. De Herbarum Differentiis variis: Claſſes Temperamentorum: Gradus Herbarum: Herbarum operationes & Effectus varii: Tabula Medicinarum & Animalium Venenoſorum: Tabula Edulium: Tabulæ Catharticorum tres: Tabula Evacuantium: Tabula Confortativorum: Tabula Digeſtivorum: Tabula eorum, quæ conveniunt,

ſingulis membris: De Partitione Humorum & Qualitatum Tabula una: Tabula Rerum Naturalium: Tabula Rerum non naturalium: Tabula trium rerum contra naturam. De Præcognitione quatuor humorum prædominantium: Tabula de Temperamentô Corporum: Tabula de Differentiis Morborum: Tabula de Differentiis Pulſuum: Tabula de Judiciis Urinarum: Tabula Febrium ultima.

Theſes, ſeu, Communes Loci totius rei Medicæ. Item, de uſû Pharmacorum, deque artificiô ſuppreſſam alvum ciendi, Liber. Argentorati, apud Georg. Ulricher 1532. in 8. Adjecta eſt Tabula, quæ continet Medicamenta compoſita purgantia, & præparantia ad purgationem, cum ſingulorum doſi aſſignata.

Jatreion Medicamentorum ſimplicium, continens Remedia omnium Morborum, qui tam hominibus, quàm pecudibus accidere poſſunt, in Libros IV. digeſtum. Argentinæ, ap. Georg. Ulricherum, 1533. in 8.

Onomaſticon, ſeu, Lexicon Medicinæ ſimplicis, Additâ Vocum quarumdam Germanicâ expoſitione, juxta veriorem Dioſcordis Hiſtoriam. Argentorati apud Johannem Schottum, 1543. in fol,

Epitome Medices, ſummam totius Medicinæ complectens. Antverpiæ, apud Guilielmum Montanum, 1540. in 8. Pariſiis, apud Ægidium Corrozet, 1540. in 8.

Neotericorum aliquot Medicorum in Medicinam Practicam Introductiones. Argentorati, apud Johan. Albertum, 1533. in 24.

Joh. Scrapionis Practicam, dictam Breviarium: Additis Averrois, Razis, aliorumque Opuſculis, accuratiùs edidit.

Pauli Æginetæ, de Pharmacis ſimplicibus, Tract. interpretatus eſt.

BRUNUS, Longoburgenſis, Chirurgus & Medicus celebris, ſub Fridericô Imperatore. A. C. 1230. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Chirurgia Magna, & Parva. Extant cum Guidonis, Theodorici &c. Scriptis Chirurgicis. Venetiis, apud Octavianum Scotum, 1490. in fol. apud Bernhardinum Venetum, 1559. in fol. apud Juntas, 1546. in fol.

BRUSCHIUS, (*Franciſcus*,) Mantuanus.

De eô extat

Promachomachia Jatrochymica. In quâ Chymiatricæ præſtantia adverſus Miſochymicum pugnando propugnatur. Mantuæ, apud Aurel. & Ludov. Sannam, 1623. in fol.

BRUUN (*Johannes*,)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1687. *p.* 26.

Epiſtola Joh. Bruun, Chirurgi Noſocomii D. Thomæ in Southwark ad unum è Secretariis Societatis Regiæ, de Hepate quôdam manifeſtè & ad oculum glandulosô: Scripta Londini, D. 15. *Dec.* 1685. *Ex Tranſact. Philos. Angl. M. Decemb.* 1685. *n.* 178.

HOmo fuit ætatis annorum 25. circiter, militiâ hôc in oppidô functus inter chiliades Regias: morbum contraxerat ex multô aquæ potû, cùm officii neceſſitas ipſum divagari haud ſineret; ex frigore quoque malè affectus; dum noctû excubias agendas habuerat. Fuit per aliquod tempus ſub manû noſtrorum Medicorum, ex quorum curâ etiam tumores ipſiûs quandoquè remiſerant; verumtamèn poſteà obſervatum eſt, methodum in aliis cum fructû adhibitam, hic quidem

dèm haud ſimilem habere ſucceſſum, tumoribus penes eum ut anteà revertentibus, adeò ùt nil ferè conſilii ſupereſſet, quàm ùt paracentheſis fieret. Quam operationem etſi valdè periculoſam fore judicaremus, cùm ob anni tempeſtatem, tùm quod ægrotus perquàm emaciatus eſſet: tamen ùt eandem inſtitueremus, ipſe nos ſæpiſſimè & maximò ſtudiò ſollicitabat, dum ob nimiam inflationem nè in lectò quidèm jacere abſque moleſtiâ poſſet. Regulam itaquè Hippocratis ſecuti, quæ vult in caſû ancipiti præſtare remedium anceps, quàm nullum; ſatiùs duximus curam tentare, quæ nudè ſaltèm poſſibilis eſſet, quàm ipſum certæ mortis exſpectationi relinquere. Conſenſû itàque ac directione Medicorum adhibitis, paracentheſis à me facta eſt die 14. Novembris nuper elapſi, cujus opè ab ægrotô eduximus tres circiter ſextarios ſeu pintas liquoris ſalſi, ac præterea intra quatriduum proximum tantùmdem: aſt manè diei ſequentis mortem obiit, cujus occaſio, uti poſt diſſectionem apparuit, ex parte fuerat mortificatio, quæ ſcrotum ejus ac penem occupaverat. Cæterùm operatio ipſa peracta fuerat ad mentem ac placitum Medicorum atque Chirurgorum, qui ei adſtiterant; levaminis quoque aliquid exindè tum quidèm ſenſerat ægrotus. Apertô cadavere opinor me 24. circiter aquæ menſuras (*quarts*) extraxiſſe. Largam in peritonæô habebat inflammationem: reliquæ omnes ejus partes, intrinſecæ non multùm alteratæ apparebant, hepate exceptô, quod ipſum nunc deſcribere adgredior.

Magnitudo ejus extraordinarii nihil habebat, quin potiùs ſolitò minor videbatur: verùm quod notatû maximè dignum fuit, (cujuſque ſimilem caſum vix unquàm ab ullô autore obſervatum exiſtimo) haud parùm quoque faciens ad confirmandam doctiſſimi Malpighii opinionem, hoc eſt: conſiſtebat hepar in concavis, convexis ac intrinſecis ſui partibus è glandulis, quæ unà cum vaſis totam ejus ſubſtantiam abſolvebant: his continebatur ichor ſubflavus, quaſi tot eſſent puſtulæ, iiſque, ut arbitror, pars humoris bilioſi inſederat, tametſi aliàs jecur inter glandulas conſuetum ſuum ac rubicundum haberet colorem. Intra veſiculam fellis reperimus calculum mollem ac friabilem: præter hæc verò cæteroquì nihil in hâc parte conſideratione dignum offendimus. Sectio hæc hepatis facta eſt coram Medicis Noſocomii noſtri, *D. Dawkins, ac D. Briggs*, ut & *D. Tyſon*, aliiſque qui ex curioſitate ſpectatores aderant, quos inter etiam adſtabat, *Dn. Faithorn.* Ut adeò, cum hæc teſtimoniô tam egregiorum judicum fulciantur, ulteriùs nihil addendum mihi ſit, quàm quòd caſus hic ab omnibus illis dignus fuerit judicatus, qui Illuſtri Veſtræ Societati repræſentaretur, quod proindè ex votô ipſorum facere conatus ſum, ſperans hanc meam audaciam favorabiliter exceptum iri, &c.

BRUXIUS (*Adamus*)

Ex eô habetur

Simonides Redivivus, ſeu Ars Memoriæ & oblivionis, tabulis expreſſa. Lipſiæ, 1610. in 4.

BRUYERINUS (*Johannes,*) Campegius.

De eô Extant

De Re Cibariâ Lib. 22. Omnium ciborum genera, omnium gentium moribus uſû comprobata, complectentes. Lugduni, apud Sebaſt. Honoratum 1560. in 8. Francof. ap. Palthenium, 1600. in 8. Ab Ottone Caſmannô reviſa, ibidem, 1606. in 8. Noribergæ, 1659. in 8.

Averrois Libr. de Curandis Morbis, Latin. reddidit. Extat cum illius collectaneis de Re Medicâ. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1537. in 4.

Avicennæ Librum de Corde, Latinè interpretatum, Lugduni apud Nicol. Eduardum, 1559. in 8.

BRYLLUS de Lendenariâ (*Hippolitus,*)

De eô exſtat

Opuſculum de Vermibus in corpore humanô genitis. Venetiis, apud Valgriſium, 1540. in 8.

BSCHERER (*Daniel*) Phyſicus Norimbergenſis.

Ex eô habentur in Miſcell. Cur. Dec ij Ann. IV.

Obſerv. 172. *De arteriæ ſpermaticæ ſiniſtræ propagine rariori.*

VArium, illumque ſæpè admirabilem atque curioſum eſſe in corpore humanô Naturæ luſum; hoc annotata multorum Anatomicorum exempla, ſatis ſuperque conteſtantur, multæque etiam in Ephemeridibus noſtris Curioſis prolatæ obſervationes hujus rei fidem facere poſſunt; quas iterùm iterumque recenſere nec æquitas, nec ſcopi noſtri brevitatis ſtudium poſtulat. Attamen verò ejuſdem licèt farinæ exempla, ſubjectô tamen atque loco diverſa, aut planè nova in lucem proferentium curam, non omni utilitate atque delectatione exhauſtam eſſe puto. Hoc enim modô aut dictorum gravius veritatis pondus apponere, aut novorum relatione, ulteriorem delectationis modum excitare voluit. Quapropter exemplar aliquod cuicunque demùm dictorum ſcopo benevolus Lector illud annumerandum eſſe cenſet, in medium proferre lubet. Annô ſuperiori cadaver militis λειποτάκτυ cultrô Anatomicô, in uſum Chirurgorum hìc Noribergæ publicè ſubjiciendum erat, quo elegantiſſima humanæ fabricæ ſtructura ejuſque interna Naturæ myſteria ulteriùs innoteſcerent; horum autem vices Celeberrimus atque Curioſiſſimus noſter Helianthus Primus, Vir de Re Medicâ optimè meritus, in ſe diligentiſſimè ſuſcepit, quibus eleganter & doctè abſolutis, laudem etiam labore condignam meritò deportavit. Cùm autem in ſacellum hocce Naturæ ſacrum intrantibus, viâ nondùm acie Cultri Anatomici apertâ, liber aditus ſit denegatus; quapropter hoc munus Excellentiſſimô Dominô Doctori Grubero Collegæ Noſtrô honoratiſſimô, atque Tenuitati meæ injungebatur. Cùm igitùr primi limites, ut ità loquar parati eſſent, & pedes ulteriores ad partes generationi dicatas figere concederetur; Arteria ſpermatica ſiniſtra propagine valdè rariori oculis noſtris ſe contemplandam exhibuit; ex truncô enim Arteriæ Aortæ deſcendente, non ductû tortuoſô, naturæ aliàs familiari rectâ viâ tendebat; ſed cùm ex truncô Arteriæ Magnæ deſcendente more ſolitô radices egiſſet, iter priùs ſupra Arteriam & venam emulgentem ductû hemiſphæricô capiebat, quas amicô contactû viâ deſcendente cùm ſalutâſſet, ſic demùm more conſuetô teſtes occupabat; quod ex Icone clariùs videri poteſt. Utrùm verò inconſueta hæc Arteriæ ſpermaticæ propago damni quid attulerit vix credi poteſt. Hoc enim in apricô erat hunc militem nec inermem nec ignavum ad Veneris caſtra acceſſiſſe.

Ibidem Dec. III. *Ann.* V. *Obſervat.* 107. *De Quâdam Fiſtularum in abdomine Lithiaſi.*

CIvis quidam hìc Norimbergæ Icterô nigrô laborans, eôque per aliquod tempus valdopere excruciatus, auxilium à me petiit. Adhibitis igitur medicamentis huic malo inſervientibus, priſtinam

priſtinam valetudinem, Deo favente, impetravit. Evenit autem ut ejuſdem viri filia febri quotidianâ corriperetur; ideòque de illius recuperandâ valetudine itidem me conſuluit; hôc factô, caſum non adeò frequentem ideòque hujus loci, ut puto, inſertione dignum de ſe hunc modum mihi retulit. Semeſtri annô elapsô, quô ab Icterô nigrô liberatus fuerim, accidit mihi, ut in latere abdominis dextrô, è regione umbilici, tres digitos ab illô diſtante, macula piſi magnitudine rubra, cum inſigni prurītû exiſteret, quàmprimum utpote rem levem pro nihilô habui; tandem verò in puſtulam abibat, & ſic in dies tantum incrementum cum cruciatibus vix ferendis capiebat, ut ultimis diebus magnitudinem diſci culinarii æquaret; huic malo multis medicamentis, ſed omnia incaſſum adhibitis, tandem ex conſiliô alicujus Emplaſtrum Norimbergenſe vulgò ſic dictum, tumori applicui; hôc factô, tantos dolores perpeſſus fui, ut mortem ob ingentes jam anteà dolores ſæpiùs exſpectatam nunc omnibus precibus exoptatam efflagitaverim; rebus ſic ſtantibus, & cum tantos dolores non ampliùs eſſem ferendo, juſſi ut Emplaſtrum detraheretur, quô factô, tumor eum puſtulâ albicante, illiuſque centrum occupante in conſpectum ſe dabat, quâ apertâ, inſignis copia saniei cùm deterrimô fœtore emanavit, multi levaminis causâ; hôc Emplaſtrô iterùm iterùmque adhibitô omnis tumor evanuit, relictis tribus foraminibus, jam adhuc patentibus, in his ſingulis diebus, bis turundas hôc Emplaſtrô obductas, immitto, quibus extractis, ſanies primùm emanat, concomitantibus poſteà illam lapillis, quorum majores quoad magnitudinem figuræ appictæ reſpondent, hi plerumque in orificiô Fiſtularum hærent, ibique moram aliquam agunt, & ſic dolorem non tamen adeò moleſtum excitant; abdomine verò duobus digitis compreſſô, illiſque orificiô Fiſtularum quodammodò dilatatô, cum impetû proſiliunt, hôcque ſaltû omnem quoque dolorem profligant; ſervô penes me in memoriam ejuſmodi lapillos, jam ultra ſexaginta, illorumque numerum quotidie ferè extrahendo adhùc augeo. Vivo cæteròquin ſatis benè, ità ut etiam munia mea obire poſſim. His relatis, petii, ut dictorum inſpiciendi copia mihi daretur; quâ conceſſâ, omnibuſque ritè examinatis, rem ità verè nudam, & ſine ullâ fallaciâ involutam inveni.

Ibidem, ann. 6. Obſerv. 222. De Liene Cartilaginoſô.

VIr quidam hìc locorum Piſcatorem agens, triumque conjugum Maritus, & viginti quatuor liberorum parens, vitam hactenùs ſatis tranquillam producens, nunc autem ſenex titubanſque factus, de laterum ingenti calore cum intolerabili dolore, necnon veſicam eôdem excruciatû occupante, hancque difficilem urinæ excretionem concomitante, multùm conqueritur, donec hôc annô ſeptuagenarius cum annis duobus, atroci hôc malô è vivis ſublatus fuiſſet. Cùm autem Amici curioſitatis gratiâ ducti in id incumberent; quò corpus jam mortuum aperiretur, viſuri quid mali hactenùs ægrotus intus aluiſſet. Idcircò Excell. Dn. Dr. Ayrerus Collega noſter honoratiſſimus & patientis hujus Medicus ordinarius, id petentibus gratificaturus, haud cunctanter opus ſuſcepit. Placuit autem ipſi, annuentibus unà defuncti agnatis, ut & ego ſectioni intereſſem. Diſſectis igitùr quatuor integumentis unà cum muſculis abdominis, viſcera ejus quæ primùm in conſpectum veniunt, ſine omni labe ſe exhibuerunt: ulteriora autem & imprimìs illa quæ miſeri funeſta fuêre indagantibus, hôc modo apparebant. Veſica valdoperè erat corrugata, & ab omni omninô urinâ inanis, hujuſque locô materiâ purulentâ multum referta. Ureteres nihil monſtroſi intùs fovebant, fuêre tamen juſtô ampliores. Renes autem materiâ putridâ referti eâque infecti fuerunt, ſine ullô tamen lapilli veſtigiô apparente; hos igitùr omnis hujus mali, tot tantorumque dolorum, miſero huic extremum vitæ terminum hactenùs minitantium ſentinam, ſicque totius hujus morbi faciles. Pathologos rectè dixeris. Inceptô ità hôc tramite, cum Anatomiâ & curioſitas noſtra ulteriora abdominis viſcera contemplanda nos quaſi manû ducerent, factum eſt, ùt Lien demùm oculis noſtris ſe exhibuerit, qui ob rei novitatem maximè ſe nobis commendavit, anſamque dedit, quæ obſervationis hujus ſcopus primarius eſſet. Summa verò novitatis hujus viſceris primariò in hôc latet, quòd exteriùs Cartilagine obductum fuerit, cujus ideam, cùm delineatio iconis clariùs & elegantiùs, quàm delineatio verborum exprimere mihi videbatur, idcircò neglectâ verborum deſcriptione, iconem ejus appoſui, Tibi, Curioſe Indagator, Acumen ingenii Tui hâc in re ulteriùs Naturæ exercendi; libertatem faciens, hôc unô, etſi forſan hoc viſcus, ridiculoſum alias veteribus dictum, ob riſum quem movere putabant, non ità denominandum eſſe velis, formam atque ſubſtantiam hujus in ridiculoſam adſpectû tamen jucundam Tibi fuiſſe, contentus eſto.

Ibidem, Annô 8. Obſervatio 25. De Gallis Lavartis.

INdefeſſa hujus Univerſi Mater Natura, non ſolùm omnium rerum, quô primô exiſtebant momentô, ulteriorē earum propagandi modum perficere juſſa, quam accuratiſſimè obſervat, ſed etiam ultra mandatum ferè Officium ſuum, variô nimirùm addendo, mutando, immò tranſmutando genere præſtare videtur. Sæpiùs auditur, & commune dicitur Proverbium, Deus & Natura nihil faciunt fruſtrà. Dùm igitùr aliquandò Natura ultra terminos quaſi progreditur, quis fruſtrà id factum eſſe putabit. Natura verò hoc feciſſe videtur, ùt, cùm à quibuſdam obedientiſſima Dei Filia nuncupetur, hôcque nomine glorioſiſſimô non immeritò ſuperbiens; eò magis vis, efficacia atque ſufficientia ejus ulteriùs pateret, ut potè quæ etiam, conceſsâ veniâ, ultra præſcriptas regulas operari valeat, eamque hoc nomine tantique Parente digniſſimam eſſe abundè teſtaretur: vel hoc feciſſe videtur, ùt Mortales, ſuos imprimis Naturæ Filios hôc modô doceret, eoſque in rebus Phyſicis ſæpiùs titubantes, tanquàm benigna Mater hâc quaſi manû, in hâc viâ invia ad rectam viam duceret: vel ùt cum Filiolis ſuis ſeverioribus laboribus defatigatis & ob id Catonum more corrugatâ fronte ſæpiùs incedentibus, his crepundiis, quaſi colluderet, & ita Animum reficeret, Frontemque eorum expurgaret. De facti hujus certitudine nemo niſi omnium rerum ignarus ampliùs dubitat. Cùm autem non levis exindè reſultet uſus, viri Inſignes, aliique Naturæ Curioſi ſcrutatores, varia horum exempla vel Muſeis ſuis aſſervant, vel fideli calamô ſcriptis ſuis inſerunt. In horum Nominibus autem qui hoc præſtârunt, & curioſitate hâc laudabili delectantur, recenſendis mihi certè liber, ut taceam hæc pagella, deficeret. Evolvantur ſaltèm Ephemerides Societat.

Societat. Natur. Curioſ. Leopold. imprimis earum annus primus. Anni 1670. Obſerv. c. cx. cxii. cxiii. cxiv. cxv. cxvi. item Obſerv. 47. ubi præ aliis fuſiùs de hâc materiâ agitur, & teſtes habebit ſufficientes : quô etiam Lectorem, nè crambe bis coctâ, ipſi Nauſea moveatur, legatum habere volo. Horum igitur, tantorumque virorum exemplô ductus, parem Naturæ Luſum ex Regnô vegetabili, ramuſculum videlicet quernum Gallis lavartis ſuperbientem hâc vice profero; miſſus eſt ille inter alios (plures enim tunc temporis in ſylvâ vicinâ numerabantur,) ex oppidô Hersbruccens. Territorii Norimbergenſis, qui, ùt res eſſet clarior, ad vivum delineatus & poſteà æri inciſus, hic oculis ſpectatum ſiſtitur. Quid autem Gallæ ſint, res eſt notiſſima. Plura qui de his ſcire cupit, adeat Joh. Renodæum de Materiâ Medicâ : Lib. 1. ſect. 6. c. 32.

Ibidem, Dec. III. Ann. 2. Obſerv. 221. De Appetitû Cretæ in Puellâ ſeptem annorum Leucophlegmatiæ cauſâ.

TAntum abeſt quicquam contaminatæ virtutis Cretæ ineſſe, quin potiùs uſum illiûs ſalutarem non parùm commendent Medici : ità quidem, ut eam, quam acidorum humorum cum inimicâ quâdam auſteritate & corrodendi vi in ſanguine, imprimis verò in ventriculô haud rarô ſtagnantium, tantorumque morborum fax atque tuba dicendorum, benignus adeò fortiſque ſit corrector atque deſtructor, multis encomiis, margaritis licèt pretioſis, ni præferre, æqualem tamen reddere moderni quidam audeant. Cùm verò optima quævis ſiniſtra utendi ratione pernicioſiſſima ſæpiùs evadant, non mirum, ſi cretæ perverſus uſus ſanitatis hoſtis interdum fiat infenſiſſimus : Quemadmodum ex ſequenti hiſtoriolâ hoc videre licet. Puella enim ſeptem annorum voluptuoſa gulæ titillatione, mentiſque libidinoſô pruritû tacta, nihil magis quàm Cretam appetens, eamque iterùm iterùmque devorans, non modò exinde malè ſe habuit, ſed brevi poſt in morbum Leucophlegmatia ſic dictum incidit graviſſimum. Nec mirum, cùm enim ex intempeſtivâ & frequenti cretæ in gulam ingeſtione, blandæ illiûs, cum aliquali ſalſedine imprægnatæ, perque ventriculi poros ſenſim ſenſimque ſudantis aciditatis ſpiculæ, præcipitando abſorbendoque infringerentur, hôcque modô fermentandi vis in concoquendis cibis tam neceſſaria enervaretur : accidit, ut ventriculus chylum ex cibis nonniſi crudum & lentum elaboraret, qui cum nec in corde ſatis incidi potuerit, triſti ſegnique motû ad partes remotiores miſſus, ibique in tubulis partium vaſiſque lymphaticis hærens, tantas obſtructiones faciebat, ut ſerum in habitû corporis ſecernendum, nec per habitum ejus difflari, nec per vaſa lymphatica ad cor deferri potuerit, ſed potiùs ibi ſtagnans, corpus hoc modô ſatis funeſtô deforme reddere neceſſe habuit. Hoc ſaltem fortaſſis in admirationem curioſè trahere poſſet, cur puella hæc in teneri adeò ætate inſolitô adeò appetitû vexata fuerit, cùm ciborum inſolitorum devorandi deſiderium virginibus & fœminis, imprimis verò gravidis familiare potiſſimum ſit. Ratio autem fortaſſis hæc eſſe poteſt : Primò, cùm affectus hic ortum ſuum habeat à peregrinô in ſanguine & ventriculô hærente fermentô, quod particulas ità figuratas habet, ut ejuſmodi porulos relinquat, per quos materia ætherea inſolita tranſire poteſt, quæ poſtmodùm inſolitô modô nervos ventriculi afficiendo, occaſionem dat, ut anima inſolitum appetitum ſentiat, ità quidem, ut ſæpius etiam ea, quæ non alimenta ſunt, comedere deſideret ; ejuſmodi verò fermentum non ſolùm in vegetiori & adultâ, ſed quâvis ætate ori poſſit, non mirùm, ſi tenella hæc inſolitô quoque appetitû ceu adultiores vexata fuerit : Deindè cùm morbus hic non minùs ſit morbus mentis quàm corporis, & propterea illis præcipue contingat, quibus debiliores ſunt animæ, & quibus mentis ferè nullum eſt imperium in proprias cogitationes, quibuſque volupè & præcipuum exercitium eſt, dum in ſeriis perpetuò otioſi ſunt, attendere & diſtinguere omnes motuum varietates, quæ accidunt linguæ & ventriculo implantatis, adeòque guſtui & appetitui inſervientibus, tenella verò ætas ad hos conceptus formandos cùm ſit aptiſſima, Puella hæc eò faciliùs ad talia inſueta perſuaderi potuit. Ex his videri licet morbum hunc non minùs perſuaſionibus & reprehenſionibus, quàm medicamentis curandum eſſe : Quod cùm & hìc obſervatum & Puellæ omnis occaſio cretam adipiſcendi negata fuerit, factum eſt, ut horum magis quàm medicamentorum ope, ſana nunc & vegeta vigeat.

Ibidem, Obſerv. 222. De Appetitû Myrtillorum in oris Scorbutô ſalutare auxilium.

APpetitum inſolitum homines ſæpè in maximum ſanitatis diſcrimen ducere, hujus rei clarum evidenſque in præcedenti obſervatione dedimus exemplum. In hâc verò contrarium planè monſtrabimus, dabimuſque hiſtoriam quomodò ex appetitû non quidèm inſolitô quoad cibum, ſed quoad deſiderium ſalutare ſanitatis auxilium ſecutum fuerit : hæc autem hôc modô ſe habet. Conſanguinea mea jam gravida, de mobilitate dentium, cum gingivarum tumore, ejuſque hinc indè, auricularum cordis inſtar excreſcentiâ deformi conquerebatur ; quàm etiam oris turpitudinem eò ægriùs ferebat, quò illud & color eleganti rubedine ſe commendans, & concinna dentium ebore candidiorum ſeries acceptum magis anteà reddebant. Proindè conſilium opemque efflagitanti ſuadebam, ùt os decoctô aliquô antiſcorbuticô & adſtringenti, ſæpiùs elueret ; interim audiebat fœmellam myrtillos venales exclamantem, quâ voce, tanquam ab alterâ ſyrene allecta, & advolabat, emptoſque ſine morâ magnâque cum voluptate deglutiebat : quô factô nec dentes adeò vacillare, nec cætera urgentia mala tam atrocia ſe magis monſtrare ſibi videbatur : ſequenti die, eorum uſum partim illecebrâ gulæ tracta, partim ſpe futuri auxilii, reiterabat, & hôc quidem tantô cum ſucceſsû, ùt brevi poſt omnia rectè ſe habere, denteſque officium debitum facere non ſine delectatione videret : quæ omnia mihi poſt elapſos aliquot dies ad ædes illiûs accedenti, illamque quid ageret inviſuro, ſic enarrabat, & quomodò neglectô omni medicamentorum uſû, ſolô myrtillorum eſû, in integrum reſtituta, optimè nunc ſe haberet. Rarus mihi videtur hic myrtillorum effectus : ſi tamen in cauſam illiûs inquirere velimus, dicendum eſſe videtur, quicquid in hâc re myrtilli præſtiterint, id virtute ſuâ adſtringendi effeciſſe ; quemadmodùm etiam ob eandem in dyſenteriâ ſæpiùs à vulgô recommendantur.

Ibidem annô 7. & 8. Obſervat. 220. De Oculô artificiali.

BUA

BUA (*Joſephus*,)

Ex eô habetur

Tripus Delphicus. Neapoli, apud Scorrigium, 1635. in 4.

BUCCAFERREA, (*Ludovicus*,) Bononienſis.

Ex eô habentur

Oratio de Principatû partium corporis. Exſtat in Apologiâ Franc. Putei pro Gal. contra Veſalium. Venetiis, apud Franc. de Portonariis, 1562. in 8.

In Opuſculis Medicis Caſparis Hofmanni, tum Auguſt. Bucci Diſput. de eôdem negotio & ἐπικρίσει Caſp. Hofmanni. Lutetiæ Paris. apud Caſpar. Meturas 1647. in 4.

BUCCELLA (*Nicolaus*,)

De eô exſtat

Refutatio Scripti Simonis Simonii, *Lucenſis*, cui titulum fecit, D. Stephani Primi Polonorum Regis &c.Sanitas,Vita Medica,Ægritudo, Mors. Cracoviæ, apud Alexium Rodecium, 1588. in 4.

BUCCIUS (*M. Auguſtinus*) è Carmagnoliâ Civis Taurinenſis Primarius Philoſop. Profeſ. in Taurin. Univerſitate; Edidit Tractatum de Peſtilentiâ. Italicê conſcriptum ad Sereniſſ. Sabaudiæ Ducem Carolum Emmanuelem, ſub hôc titulô, *Modo di conoſcere e diſtinguere gli influſſi peſtilente &c.* In Taurinô 1585.

De eô præterea exſtat

Il Reggimento præſervativo della Peſte. 1564.

Trattato del Nutrimento che ſi puo cavar del Vino.

Diſputatio de Partium Corporis Principatû, & alia de Spiritûs Vitalis Animatione. Taurini 1583.

Miſcellanea inſuper, tum oratoria, tum Poëtica, Adde etiam Dialecticam.

BUCHWALD [*Johannes de*,)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1721. *p.* 315.

Johannis de Buchwald Specimen Medico-Practico-Botanicum. Hafniæ, literis Johannis Georgii Hœpffneri, 1721. 8. *maj.*

CLariſſimus Autor, in Botanicis olim à Simone Pauli & Olaô Borrichiô, Profeſſoribus, & Petrô Kyllingiô, Botanicô Regiô, inſtructus, ſtudium hoc in Germaniâ, Belgiô, Galliâ & Italiâ ſummâ excoluit induſtriâ; doluit tamen inſimul, in tantâ Vegetabilium copiâ non pauca eſſe, de quorum effectû nihil certi etiamnùm experientiâ duce conſtet. Manum igitur ipſe operi admovit, & ubi à probatis Medicis commendata invenit, factis crebrioribus experimentis cognoſcere ſtuduit, quantùm eorum efficaciæ fidendum, ùt à poſteriori aliqualem Apodixin nanciſci valeret, quâ à priori in ſcientiâ hâc deſtituimur. Ex quô igitur Botanicam publicè docere juſſus, hortoque Medicô præfectus fuit, munere ſuô haud indignam ſe facturum rem exiſtimavit, ſi, quæ collegit & obſervavit, in præſentem congereret librum, à Balthaſare Johanne de Buchwald, Med. Doct. in Germanicum tranſlatum idioma. Plantas igitur domeſticas atque inquilinas juxta ordinem Alphabeticum hic ſiſtit, ità ùt in unâ folii paginâ nomen Latinum, Danicum, Germanicum & Gallicum uniûſcujuſcumque Vegetabilis inſinuet, additô locô natali, & tempore, quo florem fert, relictôque ſpatio vacuô, cui ipſæ plantæ exſiccatæ agglutinentur (quod in exemplis publicè proſtantibus novô exemplô factum eſſe mirati ſumus) è regione verò, ſeu in alterâ pagina vires, uſum & præparata ejuſdem adumbret. Quô labore id effeciſſe ſe putat, ùt quivis ſtudii Botanici Cultor intelligat, (1) quæ plantæ uſû quôdam Medicô ſe commendent, (2) contra quos Morbos ſint adhibendæ, (3) ùt hæc vegetabilia Medica ab aliis diſtinguat, (4) noſcat, quæ præparata in officinis proſtent, & (5) ùt verum eſſe diſcat, inſipidas plantas nullam virtutem per deſtillationem, magnam verò per decoctionem & infuſionem ſuppeditare.

BUCIUS (*Dominicus*) Carmignolius, Medicus Pedemontanus, vixit A. C. 1555. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur

Quæſita quatuor Medicinalia, juxta Hyppocratis & Galeni ſententiam examinata, I. An pueros citra XIV. annum purgare liceat? II. An in quôlibet morbô magnô, aſſentientibus viribus, & ætate, mittendus veniat ſanguis? III. An à morborum principiô purgandum ſit? IV. An in morbi augmentô vacuare, ſeu, purgare expediat? Venetiis, apud Joh. Gryphium, 1551. in 8. Lutetiæ apud Barth. Honoratum, 1555. in 16. cum Marci Ant. Montiſiani, Medicis Quæſtionibus. Lugd. 1577. in 12.

BUCOLDIANUS [*Gerhardus*)

Ex eô habetur

De Puellâ, quæ ſine cibô & potû vitam tranſegit, brevis Narratio. Pariſiis apud Robertum Stephanum, 1547. in 8.

BUCRETIUS (*Daniel*,) Vratiſlavienſis.

De eô exſtant

Supplementum Tabularum Anatomicarum Julii Caſſerii, *Placentini.* Extat cum Adriani Spigelii, *Bruxellenſis*, Operibus quæ extant omnibus, à Joh. Antonio Vander Linden recenſitis. Amſtelodami, apud Joh. Blaeu. 1645. in fol. reg.

Adriani Spigelii de Humani Corporis Fabricâ Libros X. Tabulis 98. æri inciſis exornatos. Opus poſthumum, Juſſû Authoris, edidit. Venetiis, apud Evangeliſtam Deuchinum, 1627. in fol. reg. Francofurti, apud Matthæum Merianum, 1632. in 4.

BUDÆUS (*Guilielmus*) Pariſinus, Doctiſſimus ſui ſeculi, in omni literarum genere. Libellorum ſupplicum Magiſter, perſuaſit cum Joh. Bellajô, Epiſcopô Pariſinô, Franciſcô I. ùt Collegium Profeſſorum in omni literaturâ inſtitueret. Eraſmô, P. Joviô, *in elogiis*, laudatus. Obiit A. C. 1540, ætat. 73. Genebr. in *Chron.* Familiam hanc nobilem à Johanne Secretariô Caroli V. Regis Franciæ derivant, quam meritis ſuis non Galliæ ſolùm, ſed ſeculi ſui phœnix ac literarum decus Guilielmus hic, Dn. de *Marly & Villeneuve*, imprimis illuſtravit. Eum ex Catharinâ *le Picart* genuit Johannes Dn. de *Yerre*, defunctus A. C. 1501. cujus genitores fuêre Drogo *Budè*. Dn. de *Yerre*, *Villiers* & Johanna *Peſchart.* Ipſe verò præfatus Guilielmus & frater ejus Drogo, duarum linearum Auctores extitêre. Drogo enim Dominos de *Yerre, Baignaux*, *Villiers ſur Marne & Fleury* dedit. Guilielmus verò, ex Robertâ le Lieur, pater fuit Johannis I. Dn. de *Verace* & Antonii, à quô Domini *dela Mothe S. Loup* deſcendunt.

Et quidem Johannes modò dictus, ex Mariâ de *Joüan* ſuſcepit Johannem II. qui extinctus A. C. 1610. ex Eſterâ Alingia, reliquit Bernhardum *Budè* Dn. *de Verace*; (cui uxor obtigit Maria Turretini) Johannem Antonium, defunctum A. C. 1629. Franciſcum, qui Obiit A. C. 1632. Franciſcam (uxorem Iſaaci de *Martines*, Dn. de *Bourion*) & Jacobam (quæ nupſit Diodato Diodati.) vide Philipp. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Tom.* II. Hoff. Dict. T. j.

De eô exſtat

De Curandis Morbis Articularibus, Liber, Pariſiis, in 8.

BUDÆUS (*Theophilus*,) Archiater Duc. Saxon. & Phyſicus Provincial. Ordinar. Marchionatus Luſatiæ. Super.

De eô Extant in Miſcell. Cur. Dec. III. *An.* VII. *&* VIII.

Obſerv. 171. *De Epilepſiâ ex Philtrô per ſalivationem Mercurialem curatâ.*

IUvenis generoſus XXIV. annorum temperamenti phlegmatici, militiæ deditus & in Germaniâ, Hungariâ, Moreâ &c. caſtra ſequutus, variiſque in diætâ erroribus non raro commiſſis, annô 1694. philtrum inſcius accepit, undè paulò poſt maximis & corporis & animi anxietatibus variiſque ſymptomatibus ut dolore capitis, reſpiratione difficili, lipothymiis, aliiſque primùm afficitur, quibus brevi malum Epilepticum, omnes corporis partes graviſſimè affligens, & demùm cachexia ac atrophia totius corporis ſuccedunt, ùt æger vivam mortis imaginem præ ſe ferret.

Vocatis mox in conſilium Medicis, varia adhibita ſunt remedia, ſed malum nullô modô remittit, quin potiùs in dies accreſcit & pluribus paroxyſmis exaſperatur, adeò ùt æger, omni ferè memoriâ ac judiciô deſtitueretur, & vix ac nè vix quidem, quid ſecum actum, aut jam agatur, intelligeret. Tandèm redux militiæque valedicens, meæ ſe concredidit curæ, ubi ponderatâ inſigni cacochymiâ aliiſque circumſtantiis obſervatis, conſultum duxi, morbum hunc graviſſimum ſalivatione Mercuriali, præmiſſis præmittendis debellare. Quamobrem Generoſo ægro primum exhibui medicamenta aperitiva & alterantia, Martialia & Tartarea, v. g. Tincturam Martis Zwölf. Arcan. Tartari C. Tinctura ejuſd. Spir. Carminat. d. Tribus it. pulv. cachect. Cinnabarin. Wedelii. &c. Dehinc, per vices Laxativa ex rhabarb. Al. C. Tartar. Vitriol. & reſin. Gialap. it. Vomitorium ex Tartar. Emet. additô Aurô fulminant. & Cinn. Antimon. purgatôque ſic optimè ἄνω καὶ κάτω corpore ſalivationem ipſam annô 1695. Menſe Novembr. pilulis Mercurialibus ex Mercur. ſubl. dulci ritè ppt. & Extr. Scorzoner. paratis, & tribus doſibus propinatis, ut & externè partibus extremis illinitô unguentô Mercuriali, ex Mercur. Vivi opimè purificati ℥j. Adip. porcin. ℥ij. & Ol. L. Rhod. ʒj. M. facili negotiô excitavi, datô ſubindè Decoctô ex antiſcorbuticis & appropriatis Cephalicis nervinis, v. gr.

℞. Rad. Sarſæparill. ℥iij.
Caryophyllat. Chin. pond.
Poëon aa. ℥j. *Liquirit.* ℥ß.
Raſ. L. Saſſafr. Fraxin. aa. ℥j.
Agallochi alb. ʒij.
Hb. Beton. Mij
Chamædr. roriſmar.
Summitat. Serpill. ana. mj.
Anth. lilior. convall.
Stocch. Ar. ana. pij.
Sem. Coriandr. Anis.
Cinam. Cubab. ana ʒij.

Inciſ. & cont. in Aq. ſimpl. coctum in copiâ quotidie propinando, Diætamque decentem imperando. Curâ iſthâc per aliquot dies ſedulò continuatâ, tantùm quidèm abeſt, ut malum cederet, ùt potiùs 10. 20. & pluribus paroxyſmis quotidie recurreret, ac generoſum juvenem, miſerrimô ſpectaculô, adeò afficeret, ùt de reconvaleſcentiâ omnis ferè ſpes evaneſceret, nihilô ſeciùs ſalivationem, repetitis inunctionibus, ad 30. dies continuandam judicavi, ac demùm, ſerô ſcorbutico acidô & viſcidô tartareô, nigricantis ferè coloris, malique odoris in magnâ copia non ſolùm per os, ſed etiam veſicam, nec raro per alvum eductô, ægrum per 14. dies bis vel ter in Balneô Laconicô ſudandum curavi, continuatô uſu ſuprà dicti Decocti, & interpoſitis pro circumſtantiarum ratione remediis ſpecificis Cephalicis, Cordialibus, Nervinis, v. g. liſiu. C. C. ſuccin. Liqu. Cephal. Wedel. ſal. vol. Oleos. Cephal. noſtr. it. Pulv. Epilept. M. & nigro Cephal. cinnabarim noſtr. C. Caſtor. ſal. vol. Succini aliiſque, nec neglectis externis, v. g. Linimentis, Balſamis, Cucuphis, Emplaſtris ex Cephalicis & nervinis Balſamicis ſpirituoſis. Quibus omnibus accuratè adminiſtratis & adhibitis, tandem ſingulari Dei O. M. clementiâ poſt 35. dies malum hoc graviſſimum ac deteſtandum primùm remittere cœpit, durante ſolum adhùc per aliquot dies, in diverſis corporis partibus, ſpaſmô flatulentô à quô tamen ut & reliquis ſymptomatibus Generoſus æger poſt modùm perfectiſſimè liberatus, priſtinæ ſanitati, reſtitutus fuit, eâque conjugiô ante 2. annos initô, etiamnum divina gratiâ incorruptâ fruitur.

Ibidem Obſerv. 172. *De Atrophiâ à Calculô & ulcere Renum.*

VIr 58. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, à plurimis annis calculô Renum laborans, multoſque non raro calculos variæ magnitudinis excernens, ante annum paroxyſmô nephritico graviori affligitur, ut locô Urinæ magnam copiam ſanguinis floridi excerneret, ſed medicamentis adſtringentibus & traumaticis per aliquod tempus adhibitis, per dimidium & quod excurrit annum, nullis amplius doloribus nephriticis tentatur; contrà verò ex eô tempore urinam copioſam quidem, ſed pellucidam, inſtar aquæ, ſine nubaculâ, & ſedimentô, nonnunquam tamen cum pituitâ aliquâ viſcida, oleaginoſâ & ſebaceâ emittit, tandem per aliquot hebdomadas de appetitûs defectû conqueritur, & ſi quid cibi quaſi coactus aſſumit, illum poſtmodùm abſque ullâ nauſeâ vomitû rejicere cogitur; inſuper doloribus capitis & defluxionibus catarrhalibus vexatur, nonnunquam etiam circa regionem renum, ut & umbilici dolorem quendam gravativum ſentit; alvus modò eſt aperta, modò adſtricta, in ore ſaliva viſcida & mali ſaporis, ſitiſque matutina incompeſcibilis, prætereaque vires in dies ad ſenſum debilitantur, corpus cachecticum ſenſim exareſcit, pedes verò circa veſperam intumeſcunt. His adeò tormentis exagitatus æger variorum Medicorum Celebriorum Conſilia ſibi expetit qui tamen de morbi naturâ & cauſâ in diverſas ſententias abeunt; Quidam cachexiam & atoniam viſcerum, aliqui defectum ſpirituum vitalium, alii calculum Renum, adeòque irritationem nervorum per conſenſum affectorum, incuſantes. Ut tamen omnibus circumſtantiis ſatis fieret, diverſa medicamenta

medicamenta diverſis vicibus ex arte ordinata ſunt, v. g. Vomitoria, Laxativa, aperientia, reſolventia, lithontriptica, ſtomachica, carminativa & confortantia, ſed omnia incaſſum, vomitione imprimìs quotidiè continuante, & Cachexiâ, indeque ortâ febri hecticâ in dies increſcente, vireſque corporis depaſcente, uſque dum convulſiones demùm Epilepticæ ſupervenientes ægrum è mediô ſuſtulêre.

Cadavere poſt mortem apertô viſcera principaliora ut hepar, lien, & ventriculus cum inteſtinis ſana & incorrupta viſa, & fortè propter uſum medicamentorum confortantium & ſuaviter olentium, gratum odorem ſpirantia, Renes verò utrique calculô affecti fuêre, & quidem totus Ren ſiniſter non ſolùm Calculô pondere, unciam unam ſemis æquante infarctus, ſed & materiâ purulentâ repletus, & tantùm non exeſus viſus. In pelvi verò dextri renis, ut & in uretere ejus calculô reperti.

Ibidem Obſervat. 173. *De Hydrope Tympanite Mictû cruentô ſolutô.*

VIr 55. annorum, temperamenti atrabilarii & conſtitutionis debilioris, immaturam mortem fratris ſui, ejuſdemque liberorum relictorum tenuem ſortem nimis dolens, à ſpectrô quôdam uti ſibi perſuaſit, perterritus, magnâ triſtitiâ afficitur, & paulò poſt in graviſſimum morbum incidit, conquerendo primùm de inſigni totius corporis laſſitudine, appetitûs naturalis defectu, difficili & anhelosâ reſpiratione, quæ ipſa brevi adeò exaſperatur, ut neque ambulare, neque ſedere, multò minùs decumbere citra ſuffocationis periculum queat; accedunt inſuper anxietates præcordiales ſummæ, certis vicibus repentes, vigiliæ, dolor & obnubilatio capitis, item tumor hypochondriorum durus ac tenſivus, digitorum tactui non cedens, mox etiam pedum Oedematoſus, cum maculis Scorbuticis purpureis & ferè nigricantibus.

Multis ergò remediis internis & externis propriô ausû ſed abſque ullô affectû uſus demùm neceſſitate coactus à me expetit auxilium. Ego ponderatis omnibus circumſtantiis eidem exhibui varii generis remedia aperitiva, Martialia, Tartarea, antiſcorbutica, purgantia & ſudorifera, carminativa interna & externa. V. G. Tincturam Martis Cydon. C. Spir. Tartar. cochlear. per ferment. Carminat. de tribus, it. Sylvii. Eſſ. Carminat. ſal. vol. Oleoſum ſtomachic. Elix. Viſcerale. Elix. propr. rhabarbar. alcal. it. ſal. Viſceral. noſtr. Antimon. diaphoret. Martial. C. Ebor. S. Igne lap. 69. ppt. arcan. dupl. & ſalibus plantarum; interpoſitis Laxativis Rhabarbarinis, ex quorum uſû per aliquod tempus continuato, divinâ gratiâ melius ſe habere cœpit, ſed curam.

(* *War gantz durchwachſen, und ſahe wie eine groſſe Ingwer-Zehe.*)

Ulteriori medicamentorum uſû non proſequutus, nec malum penitûs eradicari potuit, quô recrudeſcente, deſtillatorum quendam accedit, & ab eô remedium, pluribus eôdem malô laborantibus expertum, nimirùm, aquam Reginæ Hungariæ, *l'Eau d'hongrie* dictam emit, ejuſque ſuaſû tria vel quatuor Cochlearia ſingulis diebus internè ſumit eaque externè totam abdominis peripheriam aliquoties inungit prætereàque Balneô è lixiviô Coriariorum, *ein Lohe-Bad*, utitur; quibus per novem circiter dies continuatis, magnam in corpore ſentit alterationem, oriuntur in abdomine tormina & cruciatus, ſuccedit ſtranguria, & primùm urinam, paulò poſt verò ipſum ſanguinem floridum, mox grumeſcentem continuò excernere cogitur; Id quod per integras octo hebdomadas quotidiè & tantùm non ſingulis momentis, tantâ vehementiâ, duravit, ùt intra illud ſpatium pluſquam 50. libras ſanguinis excreti collegerit, ubi tamen notandum, quod poſt ſingulas excretiones inſigne graviſſimorum dolorum ſenſerit levamen. Præterea etiam circa umbilicum ſe aperturam quandam habuiſſe, & auram quaſi ex abdomine exire accuratè ſenſiſſe aſſeverat, tumore abdominis pedumque ſic ſenſimque remittente. Interim æger hic ſucceſſivè reconvaluit, & divinâ gratiâ etiamnùm in vivis eſt, ſuoſque labores mechanicos ſatis expeditè exercere valet.

Ibidem, Cent. j. & ij. Obſervat. 104.

De Abſceſſû inguinali, innumerabilia ovula ſeu Veſiculas continente, curatô.

VIr juvenis 30. annorum, mediæ ſtaturæ & temperamenti phlegmatici ſeu cachecticus, ab operatione vehementiori vomitorii cujuſdam aliquando ſumti, in inguinali regione ſiniſtri lateris ſentit rupturam, & demum poſt tempus aliquod tuberculum inſtar fabæ enaſci, per ſex annos ſine ullô incommodô durans, poſtmodum ad nucis juglandis magnitudinem increſcens cui eô Chirurgo Emplaſtrum diſcutiens applicari patitur, ex quô illiûs incrementum cum aliquali rubore ac dolore eò magis perſentiſcit, quò longiùs dictum emplaſtrum tumori inhæret. Hoc igitur remotô, mox aliud emplaſtrum ſtypticum applicuit, tumore verò eò magis magiſque accreſcente, auctiſque doloribus, ſtigmatibus ſeu ſtriis obfuſcis ac venis circumcirca ſanguine plenis & lividis conſpicuis. Hinc patiens pejora metuens D. 5. Decembr. 1703. miſeriam ſuam mihi explicat, meumque expetit conſilium. Ego ponderatis omnibus circumſtantiis atque oculis examinatô ſtatû tumoris, ulcus cancriforme omninò metuens dubium edixi prognoſticum, nihilô tamen ſecius ut Dominum Patientem conſolarer, tumorem illum eô tempore, magnitudinem capitis infantilis ferè æquantem, maximè durum, rotundum, inæqualem, aſpectû tetrum magis ac obfuſcum, quàm inflammatum, temperatis & lenientibus remediis tractandum ſuaſi, & adhibitô unà Chirurgo noſtro in arte expertiſſimô, Dominô Johanne *Gottlob Fleiſchero*, curam cum Deo, adhibitis & internè & externè variis ex arte ſalutari remediis, ſum aggreſſus. Et quidem die eôdem Dn. Patienti mixturam aliquam Bezoardicam & cordialem, ad 50. guttas ter de die ſumendam dedi, in lectô ſe continendo, madoremque & tranſpirationem expectando; externè verò cataplaſma diſcutiens, temperans & demulcens, ſæpiùs in die calidè applicandum. Continuatis his remediis uſque ad 13. Decembris, tumor quodammodô emolliri & elevari viſus, accedente fortè aliquâ tuſſiculâ, præter ſpem rumpitur, & ex illô hiatû multæ veſiculæ, vel potius ovula, diverſæ magnitudinis erumpunt. Patiens his aſpectis ſummè perterritus & nunc de vitâ ſuâ actum eſſe perſuaſus, meum & Chirurgi adventum anxiè expetit & expectat. Nos abſque morâ accedentes ſtatum hunc ſatis mirandum intuentes, nec minùs periculoſum primô intuitû tacitè judicantes, inciſionem majorem faciendam juſſimus; quâ factâ ultrà quingenta ejuſmodi ovula cum impetû quaſi proſilierunt. Quod curioſum ſpectaculum, & non ſine admiratione,

ratione, ad noſtrum petitum; Nobiliſſimus atque Experientiſſimus D. D. *Friedericus* Lieffmannus, Medicinæ Practicus feliciſſimus, aliique plures, nobiſcum adſpexerunt. Probè autem examinatis illis ovulis ſeu veſiculis, eadem variæ magnitudinis, uti in effigie videri poſſunt, deprehendimus, quæ inſtar piſorum, alia nucum avellanarum, aliaque ovorum Columbinorum; horumque, quod maximè mirabile erat, continebant liquorem limpidum & pellucidũ, quædã ichoroſum & quaſi albugineum, quædam materiam flavam & quaſi purulentam ad vitelli ovorum inſtar, pauca quædam quoque lividam; ipſaque ovula in ejuſmodi liquore lentô & albugineô, fortè ab ovulis diſruptis exeunte, minùs fœtente, & ſaltem quid. ſebacei olente, innatabant.

Horum ovulorum vel veſicularum magnam copiam infanti curavimus cum liquoribus partim ſpirituoſis, partim Oleoſis, quæ in illis etiamnum conſervantur, nonnullis quidem diſruptis & liquore ſuô vacuis, veſiculiſque membranaceis ſatis craſſis relictis.

Evacuatâ autem cavitate illâ ab ovulis & materiâ albugineâ per vices & dies aliquot, (ne repentina & ſimultanea depletio vires dejiceret,) in eandem injectionem mundificantem ſeu purificantem & defendentem, cum ſyringâ infudimus, totâque ſic cavitate probè elotâ & expurgatâ, manifeſto comperimus diverſos ſinus fiſtuloſos, ultra dimidiam ulnæ profundos, ſuprà citràque & ad latera, intra peritonæum & panniculum carnoſum euntes, immò totam illam regionem inguinalem penitùs excavatam eſſe & quaſi Cavernoſam, membranaque peculiari intùs circumductam. Prætereà viſû admodum curioſum erat, quod ad repletionem cavernæ illiùs pro unâ vice pluſquam unâ libra liquoris conſumi, & propter profunditatem ſinuum ſingulare & flexile roſtrum ultra dimidium ulnæ longum ſyringæ applicari, neceſſum eſſet, alias enim materia illa acris & corrupta eximis illis cavernis [cùm parùm vel nihil ſponte effluxerit initiô curationis) extrahi, & contra, liquor vulnerarius in illas infundi non potuiſſet.

Cæterùm primô curationis tempore Dn. Patiens omnibus planè viribus deſtitutus, febri ſymptomaticâ & lipothymiis frequentibus, aliiſque ſymptomatibus (quæ ipſa varia, durante curâ, per vices continuabant) corripiebatur, quæ tamen adhibitis debitis remediis iterùm cedebant. Continuatâ autem per 16. ſeptimanas, curâ, remediiſque bezoardicis, abſorbentibus, confortantibus, balſamicis, traumaticis aliiſque pro ſymptomatum exigentiâ mutatis, ſedulòque & internè & externè applicatis membranâ illa interior tandem ſeparata ac inſtar omenti educta fuit; quô factô brevi temporis ſpatio, ſinubus fiſtuloſis, totâque caverna, novâ carna adimpletis, æger Dei O. M. gratiâ pleniſſimè convaluit, & jam uxoratus, liberorumque pater optimâ perfruitur valetudine.

Ibidem, Obſerv. 105. *De Cachexiâ à Corruptione Viſcerum, cum abſceſsû & gangrænâ Meſenterii.*

FOëmina Nobiliſſima de H. annorum circiter 38. temperamenti ſanguineo phlegmatici, corporis maximè obeſi & cachochymici, diætæ minùs ſtudens, indeque variis haud rarô malis, ut plurimùm verò paſſionibus hyſterico-nephriticoſpaſmodicis, cum vomitibus, aliiſque ſymptomatibus. Adhibitâ hinc Medici cujuſdam famigeratiſſimi operâ, liberatur brevi ab eâdem, ſed paulô poſt conqueri cœpit de ingenti proſtratione virium, reſpiratione difficili, cardialgiâ, anxietatibus præcordiorum, dolore hypochondrii dextri aliiſque. Appetitus quidem debitus adeſt, ſed ob vomitiones continuas nullum planè alimentum, niſi aquam ſimplicem aſſumere & ferre poteſt. Quare in noſtram Civitatem delata, meam, ut & Nobiliſſimi atque Experientiſſimi D. D. Friderici Lieffmanni, Medici noſtratis Celeberrimi, opem efflagitat. Nos ponderatis probè omnibus circumſtantiis, Ægræ hujus ſtatum maximè difficilem, nec minùs periculoſum, & nil niſi obſtructionem viſcerum, cumprimis hepatis ſcirrhum eſſe duximus. Et quamvis huic malô radicato varia ex arte & interna & externa remedia ordinaremus, omnia tamen planè incaſſùm erant, cûm & ipſa Ægra medicamenta aſſumere, ejuſque ventriculus eadem aliaque aſſumta retinere abnueret; ideôque per plures hebdomadas ſine ullô cibô ac potû, ſed aquâ tantùm ſimplici, quam ſtomachus unicè ferebat, vitam miſeram conſervavit. Demùm in latere dextrô circa regionem renis dextri, tumor aliquis inflammatorius, variiſque gangrænæ, internæ indiciis comitatus, exoriebatur, qui paulò poſt obortâ veſicâ coloris obfuſci & nigricantis, datâque apertura, materiam copioſam corruptam, maximèque fœtentem, coloris hepatici, fundebat.

Interim Ægra ingentes patiebatur anxietates, & omnibus deſtituta viribus, ſæpiùs lipothymiis corripiebatur, adeòque propter corruptionem viſcerum gangrænæ atque mortis metus, ex noſtrô prognoſticô, enaſcebatur.

Poſteà verò quam maculæ quædam ſcorbuticæ & puſtulæ in totiûs corporis ambitû erumperent, atque ulcus illud ab extra benè mundificatum, conſolideſcere videretur, ſpes aliqua reconvaleſcentiæ affulgebat; verùm brevi nullâ ampliùs materia in ulcere apparente Ægra præter ſummam virium proſtrationem & lipothymias frequentes, ſensû auditûs deſtituebatur, vertigine & caligine oculorum, partiumque corporis tremore, viginti circiter ante mortem horis, corripiebatur, durantibus adhuc vomitibus continuis & excretionibus ἄνω καὶ κάτω materiæ nigreſcentis & quaſi piccæ, inſtar ſanguinis congrumati & corrupti; quibus brevi ex gangræna interna certiſſima mors ſubſequebatur.

Apertô poſt mortem cadavere, notavimus ſequentia, nimirum.

1. Panniculum adipoſum maximè pinguem & craſſitie trium digitorum latitudinem æquantem, panniculum carnoſum verò maximè tenuem.

2. Omentum totum pingue, & nil niſi portionem aliquam pinguedinis conglobatam & compactam, decem ad minimùm libras ponderantem.

3. Receptaculum chyli & meditullium meſenterii ad orbiculi minoris latitudinem eroſum & exeſum, illamque regionem lividam & planè gangrænoſam. In hac quippè regione abdominis, die ante mortem, defuncta motum quendam convulſivum ſentiebat, eumque, externè ſtrangulis licèt tecta, oculis maximè conſpiciendum.

4. Ventriculi & inteſtinorum ſubſtantiam tenuiſſimam, flaccidam, albeſcentem & ferè diaphanam, nullis venis conſpicuis, inteſtina inflata, in cavitate autem & fundo ventriculi materiam talem nigram, qualis ante mortem per vomitum excernebatur, ad duas fermè menſuras.

5. Vas brevè è liene verſûs ventriculi fundum tendens, ejuſmodi materiâ nigrâ ſeu fuſcâ infarctum, craſſitie digitum ferè æquans.

6. Hepar exceſſivè magnum, pallidum, totum exangue & quaſi coctum, corruptum ad tactum facilè

facilè penetrabile & ferè ſolubile, præthereàque dextrum lobum in parte imâ vel concavâ coſtiſque proximâ à materiâ acri putridâ corroſum & putrefactum; materia autem illa corrupta putrida, maximèque fœtida (cujus fœtor ab adſtantibus vix ferri poterat) regionem illam &. cavitatem; ubi ren dexter ſitum ſuum habet, occupaverat renemque ab extra quodammodò eroſerat. Et quoniam ,hæc nimis tardè exitum per ulcus ſupra deſcriptum invenerat, nullum eſt dubium, totum corpus, maſſamque ſanguineam ſimul ab eâ infectam corruptamque fuiſſe.

7. Veſicam felleam inſtar ovi anſerini magnam & craſſam, duplici verò longam, turgentem materiâ illâ viſcidâ nigricante & quaſi piceâ & fibroſâ, qualis per vomitum ſubinde & ſub finem maximè morbi, intermixta & excreta fuit.

8. Pancreas in duas partes diviſum inſtar duorum ovorum gallinaceorum, planè ſcirrhoſum, & quaſi cartilagineum, ejuſque portiunculam aliquam exeſam.

9. Renum ſubſtantiam pinguedine obductam & intertextam, in eorumque' cavitate ſeu pelvi vaſiſque ductibus urinariis ſeu ureteribus materiam quandam flaveſcentem tartaream, & quaſi putrilaginoſam, quæ per vaſa ſanguifera eò allata, [nam internè renes non corrupti erant,) Ægra quoque per totam vitam fluore albô laboraverat, & in urinâ Ægrotæ ſemper ejuſmodi ichoroſa & purulenta materia, dimidiam fermè urinæ portionem exæquans, conſpicua fuit.

10. Utrum admodùm parvum, inſtar ovi columbini & quaſi corrugatum.

11. Denique, quod maximè notandum, paucum vel nullum ferè ſanguinem in partibus illis parenchymaticis conſpiciendum. Et quamvis partes variæ venis majoribus & minoribus præditæ diſſectæ ſeparatæque fuerint, attamen nil niſi parum & ſaltem ad dimidiam menſuram cruoris affluxerit.

Cæterùm pectus non fuit apertum, dum cauſarum morbi indicia abdomen ſufficienter monſtrabat.

Ibidem, Obſerv. 106. *De Aſthmate à Scirrhoſâ intumeſcentiâ Pulmonum, & glandulâ Thymi.*

DIe 24. Auguſti 1707. Virum quendam, annorum circiter 32. habitû corporis gracilioris, à primâ infantiâ; reſpiratione difficili laborantem, & demùm illâ aſthmatis ſpecie, quam Orthopnoëam vocant, denatum, præſentibus Nobiliſſimis atque Excellentiſſimis D. Dnn. D. Johanne Georgiô Thummiô, & D. Friedericô Lieffmannô, Compatribus,Fautoribus & Amicis noſtris honoratiſſimis, aperuimus, & ſequentia, curioſo ſpectaculô, obſervavimus, nimirùm

1. Totum pulmonum parenchyma maximè intumeſcens coſtiſque & membranæ pleuræ, ipſique quoad partem anteriorem, diaphragmati adnatum, adeò ut non niſi vi & ſectione avelli & ſeparari potuerit.

2. Ipſam verò illorum ſubſtantiam lividam & nigricantem ac ferè corruptam, cum innumeris hinc inde maculis & tuberculis, materiâ viſcoſâ albicante & quaſi purulentâ plenis, & quoad ejus ſuperiorem partem circa bronchia cartilagineam.

3. Et cum primis Glandulam, Thymum dictam, magnam in molem excretam, maximèque induratam, ſcirrhoſam & quaſi cartilagineam, inſtar ſtrumæ vel potiùs ſteatomatis, vaſis illis magnis adſcendentibus, nimirùm venæ cavæ arteriæque magnæ, eorumque ramis ad brachia & ſcapulas euntibus, ipſique jugulo firmiſſimè adnatam, adeòque totam illam cavitatem thoracis ſuperiorem occupantem, ut pro motû ac ventilatione pulmonum nullum ampliùs ſpatium ſuppeteret.

4. Cor extraordinariæ magnitudinis, ſed flaccidum, ejuſque ventriculos ſanguine nigrô viſcidô feculentô repletum inque illiûs ventriculô dextrô filamenta quædam fibroſa & carnea, figuram vermis corrupti uniûs ferè ulnæ repræſentantia; in pericardiô verò magnam copiam, duas ad minimum libras ſeri, limpidi coloris, & flaveſcentis, inſtar ichoris, mox in patinâ ſtanneâ in gelatinam concreſcentis.

5. Ventriculum tenuem & flaccidum, minùs rugoſum, inanem ferè & paucô liquore putrilaginosô imbutum, interiorem ejus tunicam, quaſi corruptam, lividam & ad tactum digitorum putridam.

6. Hepatis parenchyma magnæ molis & coloris palli ſeu plumbei induratum, cum variis hinc inde maculis lividis & tuberculis ad magnitudinem nucis avellanæ, aut quid his majus æquat; cum primis in ejus parte convexa inferiori tubercula aliquot ſcirrhoſa, rotunda & quædam ſatis magna, in formâ annuli ex gutture anſerinô incurvati, prætereàque in veſiculâ felleâ humorem craſſum, viſcidum, nigrum ac lividi coloris.

7. Lienem magnum ac lividi coloris.

8. Meſenterium multis glandulis induratis & tuberculis, materiâ tartareâ & calculoſâ refertum.

9. Omentum fermè totum corruptum & putridum, dimidiâque ferè parte jam conſumtum.

Ibidem, Obſervat. 107. *De Dentibus molaribus* ἐπιγινομένοις.

FOëmina quædam nobiliſſima de M. annorum 50. firmæque valetudinis, per diuturnum temporis ſpatium dolores circa dentes molares in ſuperiori maxillâ dextri lateris, illis quidem omnibus integris & ſalvis, ſatiſque validis, patitur, variaque remedia ad odontalgiam, alias probata, aliaque pro temperandâ & demulcendâ acrimoniâ lymphæ uſurpat, ſed abſque ullô levamine: urgentibus hinc doloribus maximè ac tantùm non inſtantibus motibus convulſivis, præter ſpem quinque novos dentes paulô minores ἐπιγινομένυς ſeu juxta vel potiùs ſupra dictos molares ex illâ ipsâ gingivâ erumpentes perſentiſcit, ceſſantibus dehinc doloribus. Verùm dentes illi ἐπιγινόμενοι admodùm moleſti, aſperitate ſuâ internam malæ cuticulam roderunt, tandemque poſt annum circiter ſucceſſivè abſque illâ notabili ſenſatione iterùm exciderunt.

Ibidem, Obſervat. 108. *De Ruptura Lienis à concuſſione.*

DIe 30. Januar. hujus anni vocatus ad inſpectionem & ſectionem fœminæ cujuſdam ruſticæ, tribulô, (Germanis *Treſch-Flegel* dictô) circa regionem hypochondrii ſiniſtri à ruſticô quodam percuſſæ & ſummis perpeſſis doloribus & & lipothymiis, poſt triginta circiter horas demortuæ. Cadavere per Chirurgum apertô, nullis ferè ab extra in locô percuſsô veſtigiis alicujus læſionis viſis, invenimus totam abdominis cavitatem ſanguine extravaſatô, partim fluido, partim congrumatô, ad quinque vel ſex menſuras, ſcatentem; Lienem verò tam in extimâ ſive convexâ, quàm in ſimâ ſive concavâ parte, unà cum vaſis ſanguiferis arterioſis & venoſis, majoribus & minoribus

minoribus, aliquoties diſruptum ac ferè conquaſſatum, coſtamque undecimam ſpuriam introrſum diffractam. E contrariò in corde, pulmonibus & hepate, vaſiſque majoribus nullum planè ſanguinem offendimus, quippe qui omnis per diſrupta vaſa ſplenica, interiora verſus derivatus fuerat.

Scholium.

Huic diſrupti lienis hiſtoriæ alia ſubjungi meretur, quæ Annô 1705. in vicinâ quâdam Urbe accidit; ubi cùm D. 28. Julii Maritus uxoris ſiniſtrum hypochondrium baculô faginô ter quaterve, abſque magnâ tamen violentiâ, percuſſiſſet, ipſa quidem nullo de dolore aliove ſymptomate conqueſta eſt, ſed inſuper D. 30. ejuſdem menſis in publicum prodiit, veſperi autem ebria domum reverſa, de doloribus ventris querelas movere cœpit, atque D. ſeq. noctû inter 10. & 11. horam mortua eſt. Cujus cadaver D. 1. Aug. à Medicô loci luſtratum, in brachiis & humeris magnas liveſcentes maculas ac veſicas, in pectore quoque, mammâ ſiniſtrâ, epigaſtriô, & utrôque hypochondriô ecchymomata, abdominis autem aliquam inflationem, internè verò omnia viſcera ſana exhibuit, Liene exceptô, qui non tantùm flaccidus & quaſi putrilaginoſus, nec non ſanguine infarctus, cum venarum & arteriarum inſigni dilaceratione, ab ipsô inventus referebatur, ſed etiam tàm in ſimâ, quàm gibbâ parte fiſſuram, cui craſſior pollex imponi poterat, oſtendebat, magna ſimul ſanguinis grumoſi quantitate abdominis cavitatem ſiniſtram occupante. Ubi quamvis Medicus ille vulneris hujus lethalitatem verberibus mariti adſcripſerit; mihi tamen, & Excell. D. D. Johanni *Mayr*, Phyſico tùm Auguſt. nunc Archiatrô Electorali Palatino, deſuper judicium ferre D. 1. Febr. Ann. 1707. rogatis, dubitare placuit, dum aperturas illas, ob profunditatem & amplitudinem, magnamque ſanguinis effuſionem, cui nullâ arte auxilium ferri potuerit, pro abſolutè letalibus quidem adhibendas eſſe, à verberibus tamen mariti eaſdem fuiſſe inductas, non veriſimile eſſe, ſtatuimus, cùm ex Actis inquiſitoriis colligere daretur; 1. Defunctam quartô ante obitum die, ex ebrietate ipſi conſueta, in labrum duabus anſis inſtructum magnô impetû cecidiſſe, 2. Sextô antequam moreretur die, itidem ſuper trabem fuiſſe prolapſam, 3. verbera mariti moderata extitiſſe, 4. tertio ab ictibus mariti die in publicum abſque ullâ querelâ prodiiſſe, 5. ſanguinem ex inordinatô vivendi genere à ſtatû naturali deflectere, lieniſque ſubſtantiæ ſenſim noxam inferre potuiſſe. 6. circa tertiæ demum diei veſperam de doloribus vel torminibus querelas ab ipsâ fuiſſe auditas, 7. ſuggillationes non tantùm in hypochondriô ſiniſtrô, ſed præcipuè aliis etiam in partibus, quas, baculus non attigerat, comparuiſſe. Licèt autem non ſolùm verbera, ſed repetiti etiam lapſus lieni, præſerſertim ſi is ipſe non adeò benè priùs fuerit conſtitutus, vim aliquam inferre valuerint, inſignas tamen iſtas fiſſuras tum nondùm contigiſſe, credibile eſt, cùm in quartum uſque diem, ob enormem hæmorrhagiam, tam diu ſupervivere mulierem vix potuiſſe, tùm ratio, tùm exempla (Vid. D. Joh, Bohnium in tr. de renunc. Uuln. lethal. pag. 380. & Ephemer. Nat. Cur. Dec. 3. Ann. 2. Obſerv. 23. & 70.) ſuadeant. Ut ità fortaſsè ebrioſa tertiô die novô lapsû vel contuſione marcidam jam lienis ſubſtantiam crepaturæ expoſuerit, Sicque vitalis humoris effuſionem concitaverit.

BUECHERIUS (*Adamus*)

Ex eô habetur

De Nutritionis læſæ Cauſis. Friburgi Briſgojæ, 1598. in. 4.

BUFALUS (*Annibal*) Meſſanenſis, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor eximius, Politiores literas, poetica ſtudia Etruſcâ, ac Latiâ linguâ, Græcaſque literas calluit. A ſecretis Senatûs Meſſanenſis fuit, & in gravioribus negotiis pertractandis admotus. Claruit annô 1602. Ipſum laudant; Franc. Flaccomius *in ludricis pag.* 94. & Placidus Reina *Not. hiſt. Meſſan. par.* 2. *pag.* 503. qui ediđiſſe ait

Hippocratis Aphoriſmata carminibus expreſſa exametris è Græcô, Elegias, & Epigrammata. Hujuſce vidi Italicè

Canzone per l'Epiſtola di Maria Vergine ſcritta à Meſſineſi Meſſanæ apud Petrum Bream, & Laurentium Vallam 1602. in 4.

Canzone alla ſua cara patria Meſſina. Ibidem apud Eundem 1602. in 4. Extant apud Franciſcum Flaccomium in *Librô Carminum* editô Meſſanæ An. 1609. typis Petri Breæ pag. 91. & 100. *Epiſtolæ duæ Annibalis carmine ſcriptæ.* Tandèm apud Rocchum Gambacurtam in fine Fori Chriſtiani, Panormi apud Joh. Franciſcum Carrara 1594. in 4. editum vidi: *Roſarium Deiparæ virginis carmine deſcriptum.* Anton. Mong. Bibl. Sicul. T. j. p. 38.

BUISSON (*Ludovicus du*)

De eô exſtat

Omnibus Orbis Terrarum Mortalibus Hercules Chymicus, Morborum debellator, ſive, Aurum Philoſophorum potabile: curans omnes morbos radicaliter ſine vomitû, pet inſenſibilem Tranſpirationem, penetrando omnes Corporis partes, & à ſingulis per proprietatem ſympatheticam humores noxios removendo, ſpiritumque vitæ renovando. Francofurti, apud Johan. Nicolaum Humium, 1661. in 4.

BULENGERUS (*Julius Cæſar*)

Ex eô habentur

De Conviviis Libri quatuor. Lugduni, apud Ludov. Proſt. 1627. in 8.

De Picturâ, Plaſtice, ſtatuariâ. Lugduni, 1627. in 8.

De Ludis privatis ac domeſticis Veterum. Ibidem, 1627. in 8.

BULENGERUS (*Petrus*) Juliodunenſis; Medicus apud Thoartios.

De eô exſtat

Paraphraſis Pœtica Aphoriſmorum Hippocratis. Pariſiis, 1587. in 12.

BULGETIUS (*Attilius*)

Ex eô habetur

De Affectionibus Cordis, Tractatus, in tres Libros diviſus. Acceſſit de Morbis venenatis, veneniſque Tractatus Generalis, cum ratione cognoſcendi, curandique venenatos Affectus, ſingulari Librô comprehenſus. Patavii, apud Johan. Baptiſtam Paſquati, 1657. in 4.

BULSTRODE (*Whitelocke*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1693. pag. 5.

An Eſſay of Tranſmigration in Defence of Pythagoras, or a Diſcourſe of Natural Philoſophie.

h. e.

Tentamen defendendi Pythagoram, quoad Doctrinam

nam de Metempſychoſi, ſeu Diſcurſus Phyſicus. Londini, apud Thom. Baſſet, 1692. in 8.

IN vulgus nota eſt, quæ Pythagoræ, Philoſophorum veterum principi, tribuitur, de animarum tranſmigratione doctrina. Ea verò cùm exagitetur paſſim, & ita explicetur, ac ſi Pythagoras mentem hominis, ſeu animam rationalem, modò in hominem modò in brutum tranſmigrare tradiderit, vindicandam ſibi ſumſit Philoſophi famam auctor hujus tentaminis, qui in dedicationis fine *Whitelocke Bulſtrode* vocatur, conatuſque eſt oſtendere, nihil ſe indignum cenſuiſſe Italicæ philoſophiæ conditorem, mentemque illius non eſſe aſſecutos, qui tam abſurdam affinxerint ipſi ſententiam. Perſuaſiſſimus enim eſt, de animâ ſenſitivâ, & vegetativâ intelligendum Pythagoram, & hoc ſenſu dogma illud non ad animantia ſolum ſed vegetabilia quoque & mineralia, quæ omnia vitali aliquo communi principio gaudeant, rectè tranſlatum eſſe veriſſimum. Id vero ut oſtendat, philoſophiæ naturalis proponit principia, gemina illis, quæ auctor *Enchiridii Phyſicæ reſtitutæ* tradit, & ab Hermeticis philoſophis maximè probantur, eaque deindè latius explicat & defendit. Cenſet autem, Pythagoræos ſecutus, ex corporibus cœleſtibus catholicum emanare in aërem ſpiritum, qui non ad ſublunarium rerum productionem ſolum concurrat, ſed & animæ, vitam illis impertientis, fungatur munere, tandem vero, cum diſſolvuntur illa corpora, redeat in receptaculum illud aëreum, naturâque privatus ſpecificâ, & virtute novâ imbutus, denuò ad alia corpora animanda adhibeatur. Hoc ergò ſenſu Pythagoram Auctor aſſeruiſſe contendit, Euphorbum ſe quondam fuiſſe, cum eodem quaſi ſenſitivo ſpiritu ſe agitari deprehenderet; nec ideo à carnibus abſtinuiſſe, ne parentes fortè ſuos devoraret, ſed temperantiæ ductum ſtudio, quos faciliùs digereret, cibos ſumſiſſe. Quum verò negari non poſſit, docuiſſe Pythagoræos, animas v. g. laſcivorum in ſues, homicidarum in lupos &c. tranſire, id, *Timæo* teſte, ideo factum aſſerit, ut homines, qui veris admonitionibus locum non relinquerent, fabuloſa illa pœnarum recenſione à vitiis cohiberent.

BUMALDUS (*Joh. Antonius*)

De eô extat

Dialogus de impoſturis Pharmacopolarum. Venetiis. Extat cum Liſetti Benancii Declaratione Fraudum & errorum apud Pharmacopœos commiſſorum. Francofurti apud Juſtum Racherum, 1667. in 8.

BUNCKEN (*Chriſtianus*) Hamburgenſis.

Ex eô habetur

Speculum optimi & perfecti Medici. Ex conditionibus in ſtudioſô artis Medicæ, in Tirone Medicô ad Praxin jam acceſſurô, in Medicô ad ægrum præſentem jam adhibitô, requiſitis. Inaugurali Oratione exhibitum in Almâ Giſſenâ, apud Joh. Dietericum Hampelium, 1651. in 4.

BUNELLUS (*Guillelmus*) Medicinæ Profeſſor in Univerſitate Toloſanâ, circa initium ſæculi XVI. Opus elucubravit de quô nec Geſnerus, nec Vander Linden, nec & ipſorum Continuatores, verbum ullum faciunt, cujus tamen Verderius Vau-Privas titulū excerptaque quædam refert. En Titulum *Euvre excellente & à chacun deſirant de peſte ſe preſerver tres utile. Contenant les Medecines preſervatives & Curatives des maladies peſtilentieuſes & Conſervatives de la ſanté. Compoſé, par Maiſtre Guillaume Bunel en la faculté de Medecine Docteur Regent de l'Univerſité de Tholoſe; leſquelles par luy ſont ordonnées tant en latin qu'en François par rime. Aveq pluſieurs Epiſtres à certains excellens perſonnages en la loüange de Juſtice & de la choſe publique.* Bayle Diction T. j.

id eſt.

Opus excellens & cuicunque ſe à peſte tuendi cupido utiliſſimum remedia præſentaneâ morborum peſtilentium & ſanitatem conſervantia complectens, Autore Guillelmo Bunel Facultatis Medicæ Doctore Regente in Univerſitate Toloſanâ quæ ab ipſo præſcribuntur verſibus tam latinè quàm Gallicè. Additis Epiſtolis plurimis ad quoſdam præſtantiores Viros in laudem Juſtitiæ & Reipublicæ.

BURCELL (*Johannes*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1715. *pag.* 208.

A Treatiſe of The Colick

i. e.

Tractatus de Colicâ; Autore Johanne Burcell, M. D. Londini, apud Wilhelmum Lewis, 1714. *in* 8.

CUm plures dentur cauſæ doloris Colici quàm quæ ab Autoribus Medicis hactenùs, fuerunt obſervatæ, & allegatæ, operæ pretium eſſe duxit Autor Clariſſimus, perfectum ejus ſubminiſtrare Syſtema, & quæ ad ſymptomatum enucleationem, prognoſin & curam pro cauſarum diverſitate inſtituendam ſpectant, ſubnectere. Colicam deſcribit per dolorem violentum abdominis, cujus quidèm ſubjectum communia ejus integumenta, item omentum, proſtatas, vaſa deferentia vel medullam ſpinalem eſſe negat. Pro nervorum quidem affectû Williſius eam habuit, ejuſquè ſedem meſenterium potiſſimum eſſe, pronunciavit; contra quam tamen opinionem tribus modis inſurgit Noſter, fundamenta ſcilicèt Williſii refutando, colicæ ſubjectum rarò vel nunquam meſenterium eſſe probando, & notionem colicæ nerveæ vel convulſivæ deſtruendo. Fundamenta Williſii quod attinet, ſupponit hic, recrementa quædam per nervos à cerebrô in plexûs meſenterii deponi; Noſter verò regerit, talia recrementa nil niſi ſpiritus animales eſſe, cùm præter hos nil quicquàm nervi contineant, cùm autem hi motum ſuum per ſubtiliſſimos nervorum tubulos continuent, nullam adeſſe cauſam, quæ illos in motû impediant intra hos plexus; ſi mediante obſtructione hoc fieri dicatur, ceſſationem potiùs ſenſûs quam dolorem eam ſequi putat, ſin aliô quam per obſtructionem modô, nullam ſuppetere rationem, cur in meſenterii & non in aliis plexibus hoc phænomenon contingat; poſito autem, intra hos plexus ſpirituum motum eſſe ſufflaminatū, nondùm tamen probatum eſſe dicit, fermentationem aut tumorem, vel poſt hunc tantos dolores exindè oriri poſſe. Si excipiat Williſius, humores ſale fixô præditos cum ſpiritibus ibidem concurrere, idem tamē manere dubium, putat Noſter, cur in plexū cardiacô ſeu pneumonicô talis non fiat concurſus. Poſitô autem, in meſenteriô eundem ſolum adverti, fermentationem exindè & poſt eam convulſionem excitari adſtruit Williſius; Noſter verò, à nullâ convulſione dolores, quales colici ſunt, perpetrari poſſe, credit. Meſenterium verò ſubjectū colicæ eſſe non poſſe, ex eô probat, quòd hoc exulceratum & grangrænoſum repertum fuerit in corporibus, poſt fata ſectis, cùm tamen ægri de nullô dolore colicô fuerint conqueſti; quod in hydrope meſenterium plerumquè corruptum ſit; inter cujus tamen ſymptomata colica neutiquàm refertur;

refertur, & quòd tumores, ſcirrhi, apoſtemata, ulcera, & concretiones calculoſæ ejus & vaſorum meſaraicorum ſæpènumero atrophiam inducant, liberum chyli ad ſanguinem tranſitum impediendo, abſque ullô doloris colici indiciô. Quod denique notionem colicæ nerveæ attinet, talem nullô modô admittit Noſter; præter ea enim, quæ jam dum ſunt commemorata, duo ſunt, quibus ſuam confirmat ſententiam, (1) quòd in epilepſiâ tantùm abſit, ùt ægri de vehementioribus doloribus conquerantur, ùt potiùs abolitum habeant ſenſum tactûs; (2) quòd, quandò cauſa colicæ à partibus fibroſis ad genus nervoſum transfertur, ut in pareſi, omnis triſtis ſenſatio ceſſet, quanquàm tum temporis nervi plus afficiantur quàm anteà. Firmiter potiùs credit, omnem ſenſationem vel dolorem oriri ab irritatione nervorum in parte quâpiam factâ, quæ ſpirituum undulationem determinet verſus cerebrum; nullum verò impulſum, preſſuram, aut motum ſpirituum à cerebrô ad partes dolorem quempiam concitare poſſe. Pergit igitùr veram colicæ determinare ſedem, quam peritonæum, vel umbilicum, vel capſulas atrabilarias inflammatas aut ulceroſas, vel uterum eſſe dicit, quandò ſcilicet hic irritatur, corroditur, inflammatur, exulceratur, cancroſus vel ſcirrhoſus evadit, aut excoriatur, vel quandò ovaria aut tubæ Fallopianæ tumorem præternaturalem contrahunt, aut fœtus in alterutrâ harum hæret, aut quandò calculi in uteri cavitate generantur. Nec pancreas omni vacat culpâ, quandò inflammatur, exulceratur, aut tumores ſcirrhoſos vel concretiones calculoſas concipit. Sic lien ſedes colicæ evadit, quando inflammatur, obſtruitur, exulceratur, ſcirrhoſus vel tumidus fit, quandò ligamenta ejus relaxantur, vel rumpuntur, aut tartareæ concretiones intra ejus ſubſtantiam naſcuntur. In hepate vitium hæret, dum hoc inflammatur, obſtruitur, exulceratur, ſcirrhoſus vel tumidus eſt, diaphragmati adnaſcitur, calculoſas concretiones in ſuâ ſubſtantiâ vel porô biliariô aut folliculô fellis generat; item dum veſica biliaris rumpitur, aut quoad ſphincterem relaxatur. Frequentiſſimè tamen inteſtina pro colicæ ſubjectô ſunt habenda, & quidèm quandò excrementa duriora, flatus acres, acidas cruditates, humores vel ſimiles vel pituitoſos, vitreos, frigidos colligunt; quandò inflammantur, exulcerantur, ſcirrhoſa, calloſa vel cancroſa evadunt; quandò eorum glandulæ obſtruuntur, & intumeſcunt; quandò nimiam bilis copiam admittunt; quandò vulnerantur, ſanguinem extravaſatum cumulant, urinam imbibunt, aut ab hâc, ruptâ veſicâ, premuntur; quandò venenum acre corroſivum hauſerunt, ab herniâ, tumore, ſcirrhô, aut calloſitate partium vicinarum comprimuntur, à vermibus roduntur, calculos generant; aut res peregrinas, ut caſeum, nucleos, &c. continent. De cæterô quoniam ventriculus varios dolores, ab iiſdem cauſis, à quibus inteſtinorum pathemata, oriundos perpetitur, omnes, cardialgiam ſi excipias, pro colicis habere fas eſt. Explicatis ſic veris colicæ ſubjectis & cauſis, mechanicam rationem ſuppeditare annititur Clariſſ. Autor omnium ſymptomatum malum hoc concomitantium. Quemadmodùm igitur omnes dolores, ità etiam colici ex ejus hypotheſi conſiſtunt in triſti ſenſatione per violentum refluxum ſeu undulationem ſpirituum à parte affectâ ad cerebrum productum; quatenùs ſcilicèt hi certam impreſſionem faciunt in ſenſoriô communi circa principium illorum nervorum, qui ad hanc vel illam partem ſpectant; undè anima cognoſcit, cauſam latere in illô viſcere, in quô nervi iſti terminantur. Quoniàm autem variæ ſunt dolorum ſpecies ſeu gradus, aliæ ſemper atque aliæ indè exſurgunt ideæ, quas brevitatis ſtudiô nunc mittimus. In Curâ Colicæ tres potiſſimùm Indicationes attendendas commendat, ùt ſcilicèt dolor præſens mitigetur, viſcera roborentur & cauſæ removeantur. Dolor mitigatur ſanguinis miſſione, vaſa deplente, & ſic inflammationem vel ſiſtente, vel præcavente, item anodynis & narcoticis, ut & clyſmatibus tam ſcybala emollientibus, quàm vitioſos humores educentibus. Viſcera roborãtur per ſpirituoſa & balſamica, Clyſmatibus aliiſque remediis admiſcenda, qualia ſunt diaſcordium, terebinthina et mixturæ cordiales. Cauſæ ſingulæ appropriata exigunt remedia. Sanguinis miſſio imprimìs locum invenit in inflammatione cujuſdam viſceris, febre ſymptomaticâ & affluxû humorum ad partem. Si calor excedat, & dolor urgeat cum vomitû, narcotica clyſteribus ſunt jungenda. Secundô vel tertiô die laxans eſt propinandum mane, poſtquàm veſperi antecedente narcoticum aliquod fuerat exhibitum; quòd ſi enim hæc cum illis maritentur, metuendum eſt, nè purgantis vis caſtretur; poſt hujus tamen operationem noctû narcoticum iterùm eſt offerendum. Vomitoria non conducunt, niſi magnus in diæta fuerit commiſſus error. Fomentationes cum oleô & decoctis metum equidèm injiciunt, nè humores moveant, ac æſtum & inflammationem augeant; adhiberi tamen poſſunt, ſi dolor intolerabilis in ſuperficie hæreat, & cum violentâ corporis tenſione, phlogoſi, aut ad inflammationem diſpoſitione conjunctus ſit. Earum vices ſuſtinent pannus ſubtilis lineus in colicâ habituali, in ſpecie ſi cauſa fuerit frigus aut inteſtinorum morbus. Emplaſtra & cucurbitulæ cum magnâ flammâ umbilico impoſitæ penitùs rejiciuntur. Aquæ minerales in ſpecie Sommerſetenſes, maximè laudantur. Mittimus cautelas, quas in ſingulis colicæ cauſis eradicandis inculcat, non poſſumus tamen non Autoris mentem circa lienis uſum hîc aperire. Triplicem ſcilicèt ei aſſignat uſum, (1) ùt juſtam ſanguini concedat conſiſtentiam, ùt ſcilicèt hìc præcaveatur à diſſolutione & deſtructione, quam conſtans diviſio, & interrupta fermentatio inducit, ut in febribus continuis & hecticis quotidiè uſû venit; (2) ùt diſponat ſanguinem ad bilem generandam; (3) ut ſit receptaculum pro ſanguine in quibuſvis vehementioribus motionibus & contractionibus colligendo, ne vaſa hinc rumpantur. Sanguinem in liene debitam conſiſtentiam recuperare, probat, (1) quòd hìc in iſtô viſcere ſemper magis concretus quàm in aliô reperiatur; (2) quòd nigricantioris ſit coloris, qui à diminutô motû procedit, (3) quòd ſingularis lienis ſtructura id ipſum ſufficienter declaret. Eô ipsô enim dum ſanguis ex ramificationibus exiguis arteriæ ſplenicæ in cellulas & cavitates ampliores lienis deponitur, neceſſariò ille in ſe ipſum ſubſidit, & de motû ſuô remittit. Quibus addit, quòd recrementum aliquod fixum acidum ex glandulis albicantibus cellularum ſplenicarum continuò ſecretum ſanguinem coagulat. Quem ſaporem acidum exindè probatum dat, quòd, ſi ſanguis ex liene fuerit expreſſus, veſiculæ hæ glanduloſæ illum abundè linguæ communicent, & ſi lac recens cum liquore ex glandulis expreſſô miſceatur, coaguletur hoc; item quòd liquor aliquis ſaponarius, injectus in cellulas lienis, ſanguine privatas, rupturus citiùs compagem lienis, quàm per venas rediturus ſit; cùm tamen aqua liberè eam transmeet, non aliâ ex ratione, quàm quòd acidum illud fixum, ſulphureo-ſalinis particulis ſaponis miſtum,

miſtum, ſal aliquod vitriolicum producat, quod fibras contrahat & cellulas lienis claudat. Sic ſi lien cani exſcindatur, magis hic agilis, activus, rapax redditur, fœmellas ſuas acriùs proſequitur, & frequentiùs urinam mittit; ex quibus phœnomenis liberior fermentatio. Sanguinis evincitur, quâ aliquatenùs ſufflaminatur, liene exiſtente nigro, & ex hâc cauſâ vigor & vita animalis conſervatur. Lienem diſponere & præparare ſanguinem ad ſuppeditandam bilem in hepate per modum præcipitationis, hòc modô evincitur, quòd ſalia in maſsâ ſanguineâ per hujus naturalem fermentationem jamdum diſſoluta ſint; quòd lien receptaculum ſit ſat capax, in quô ſalia ſubſidere poſſunt, quòd ſegreget acidum fixum ex glandulis ſuis; quòd ſanguis colorem nigricantem, croceum & ſal acre ad hepar devehendum contrahat. Lienem tandem receptaculum commodum præbere pro recipiendô ſanguine in quôvis motû violentô, exinde probari poſſet, quòd poſt exercitia corporis quævis vehementiora dolorem tenſivum in regione lienis percipimus, quem tamen uſum ultimum in mediô relinquit, variis ut potè dubiis expoſitum.

BURCHELATUS (*Bartholomæus*)

Ex eô habetur

Charitus, ſive, convivium dialogicum ſeptem Phyſicorum. In quô quidèm apparatus, ritus, ordines, cibaria, potus, utenſilia, & id genus plurima, ex antiquorum promptuariis appoſita elucidantur. Additis in id qnæſtionibus convivantium. Tarviſii, apud Aurel. Reghettum, 1593. in 4.

BURCKHARDUS (*Jacobus,*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1718. *p.* 480. *Suppl. tom.* 6.

Medicus Graviſſimus Humanitatis ſtudiorum Vindex adumbratus à Jacob. Burckard. Ill. Gymn. Hildburgh. P. P. accedit Joh. Caſelii de Medicis ſapientiæ ſtudiis claris ad Henn. Arniſæum Epiſtola. Wolfenbutteli, apud Godefr. Freytag, 1716. *in* 8.

CL. Autor qui editô de *fatis Latinæ linguæ* commentariô, cujus in his Actis an. 1713. p. 352. facta fuit mentio, aliiſque ſcriptis nominis famam conſecutus eſt, occaſionem conſcribendæ hujus diſſertationis è literis Cl. fratris J. H. Burckhardi, Medici Wolfenbuttelenſis, nactus eſt, quibus ſignificavit, ſe Medicum Polyhiſtorem, ſive accuratum ad univerſam humanitatem pertinentium ſcriptorum, quæ Medicos Autores habent, indicem meditari. Reſpicit autem hic proxima imprimis ſecula, neglectis, quæ ex Græcorum & Romanorum monumentis ad materiam hanc illuſtrandam afferri poſſent. Duas ipſiûs tractationis partes conſtituit Cl. Autor. Pars prior primarios ex cultioribus Europæ gentibus Medicos exhibet, qui humanitatis ſtudiorum ſe præſtitere vindices. In his primum locum occupant Itali, quos inter Nicol. Leonicenus, Hyer. Fracaſtorius, J. C. Scaliger, Ambr. Leo & P. Jovius laudari merentur. In Galliâ Guil. Copi, Patiniorum, Jac. Sponii & Ludov. Savoti in literas humaniores merita memorat. Ex Anglis T. Linacer unus inſtar omnium nominatur. In Belgis Hadr. Junii, Jac. Bordingi, Gisb. Longolii, & Th. J. ab Almeloven in bonis literis promovendis ſtudia prædicat. E Hungaris, potiſſimum J. Sambuci; è Danis Bartholinorum, Borrichii atque Wormii, magnorum inter literatos nominum, memoriam recolit. Alterâ inde diſſertationis parte Medicos humaniorum literarum fautores, quos Germania per proxima duo ſecula fovit, enarrat, eôque duabus ſectionibus partem hanc diſpeſcit, quarum prior Medicos ſeculi XVI. literarum cultura claros exhibet, ubi primò iſti occurrunt, qui Grammaticæ & arti Criticæ operam dederunt. In horum numerum Henr. Stromerum, Adolph. Occonem, J. Cornarium, C. Hoffmannum, J. Cratonem à Crafftheim & alios plures refert. Sequuntur Poëtæ Medici E. Cordus, E. Heſſus, P. Lotichius, J. Poſtius & alii, tum hiſtorici, J. Vadianus, Lazii, Milichius, alii. Alterâ ſectione Medicos ſeculô XVII. de humanitatis literis benè meritos ſiſtit, quos pauciores quidem fuiſſe apparet, quod ipſum harum literarum ſtudium frigere cœperit. Inter Medicos tamen, qui Grammaticis & Criticis ſtudiis hâc ætate vacavêre, J. Pincier, C. Hoffmannus, & qui primô locô nominandus erat, T. Reineſius, inter Poëtas C. Cunradus & J. P. Lotichius celebrantur. Plures è Medicis hiſtoriam ſectati ſunt, in quibus H. Conringium, Meibomios & L. H. Voglerum nominâſſe ſatis fuerit. Cæterùm elegantem, & rarò hactenùs obviam J. Caſelii Epiſtolam ad H. Arniſæum adjecit Autor, quâ amico de honore gratulatus, aliquot in arte Medicâ præſtantes viros Philoſophiæ ſtudiis inſimul claros, quos amicos ipſe habebat, recenſet, quæ legentibus facilè ſalivam movere poſſit, ut cuncta Caſelii ſcripta, quæ ſingulari ſtudiô collecta ſe poſſidere indicat, tandem publico rei literariæ commodo recudi ſeriò exoptent.

BURCKHARDUS (*Joh. Rudolphus*)

Ex eô habetur

Obſervatio, de Cultrivorô Baſileenſi. Extat Ephemerid. Acad. Natur. Curioſ. German. ann. III. num. 178.

BURGENSIS, (*Conſolentaneus,*)

Jac. Hollerium de Morborum Curatione edidit.

BURGENSIS (*Claudius*)

Ex eô habetur

Apologia in Ludovicum Arrivabenum pro D. Jacobo Sylvio, optimo jure ocreato. Extat cum operibus Sylvii. Coloniæ Allobr. apud Jacob. Choüet 1630. in fol.

BURGENSIS (*Ludovicus*) Archiater Regum Franciſci I. & Henrici II. natus Bleſis, circa annum 1494. filius erat Johannis Burgenſis, Medici Ludovici Aurelianorum Ducis, qui deindè Francorum fuit Rex ſub nomine Ludovici XII. annô ætatis 18. Doctor Facultatis Pariſienſis Creatus eſt, anno ætatis 22. inter Medicos ordinarios à Franciſco I. annumeratus eſt. Hujus Regis deindè evaſit Protomedicus; non parùm contulit ad liberationem illius cùm Madriti Captivus eſſet; nec, quâ uſus eſt, induſtriam ſuſpicatus eſt Carolus V. Scilicèt cùm in morbum delapſus eſſet Franciſcus I. Burgenſis Imperatori perſuaſit Curam ejus nullam eſſe expectandam, propterea quòd cœlum Regionis illius ipſi non congrueret. Id Carolum V. Coëgit, celeriter agendi cum Rege, nè redemptionis ejus pretium amitteret; ſic itaquè Franciſcus I. annô 1526. pactionem Contraxit, eâ lege quam aliàs non accepiſſet Imperator. Burgenſis poſt reditum Regis remuneratus eſt, ademitque prædia duo multarum Clientelarum, ſcilicèt Montisgougerii & Mulanchi. Poſt obitum Franciſci I. Archiater etiam Henrici II. fuit, nec ipſe Fernelius qui tunc temporis gratiâ apud Principem valebat, de illô honoris gradu cum eô contendere voluit.

BURGGRAVIUS (*Joh. Philippus*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Suppl. tom. IV. *ann.* 1711. *p.* 228.

Johannis Philippi Burggravii Doct. Med. Darmſtad. Libitina ovans Fatis Hygieæ, ſeu de Medicæ Artis æquè ac Medicorum fatis Diſſertatio Epiſtolica ad D. Frider. Hoffmannum P. P. Hallenſem. Francofurti ad Mœnum, impenſis Joh. Dav. Zunneri, 1701. *in* 8.

QUanquàm Medicina mundo fermè coæva priſcis temporibus rudis omninò eſſet, paucarumque herbarum experientiâ conſtaret, aſſiduâ tamen frugalitatis conſuetudine hominibus annorum numerô egregiè proficientibus, reliquarum artium more in progreſſû ſubtilitate crevit, majoraque incrementa cepit, cum varii undiquè morbi miſeros contererent quâ re contigit ùt de ſuâ ipſorum ſalute ſolliciti poſteri circa omnis generis ægritudinum medelam eſſent occupatiores. Horum verò qui caput altiùs extulerit, & hùc uſque vivâ voce tanquàm per manus à primævis Patribus origini propinquioribus traditam Medicinæ peritiam propriis inventis amplificaverit, Deus an homo? in ambiguô eſt; ſiquidem Prometheum fabulæ, Ægyptii ſuum cum Iſide Orôque Ἄπιν aut Serapin, Græci Apollinem ejuſque filium ἀσκλήπιον extollunt, Æſculapiique coætaneum Chironem Centaurum Theſſalum, filios Podalirium & Machaonem extitiſſe ferunt. Quoniam autem Medica horum ſolertia non æquè internos profligare morbos, quàm vulnera, externiſque cauſis oriundos morbos perſanare commoda erat, hæc verò ſuccincta medendi methodus caſibus atque affectibus ægrorum rarioribus parùm ſufficiebat, cogente neceſſitate major experimentorum cumulus ſuccrevit. Nam quiſque cuique per compita jacenti viiſque publicis, quod noverat remedium aut ſibi olim aut aliis profuiſſe, ſine invidiâ indicavit; quibus accedebant remedia caſû inventa vel revelatione dæmoniacâ per ſomnium demonſtrata; cuncta votivis tabulis in templis notata. Sicque à Podaliriô atque Machaone computationem inſtituere. Si velimus, ſeptem ſecula, quibus nullos omninò, qui nobis ſaltem conſtent, eximios progreſſus Ars ſalutifera fecit, abierunt; donec magnus ille Hippocrates Cous felici ſatis ſidere natus fuerit, qui magnô molimine fauſtôque ſucceſſû ad altius evexit Medicinam faſtigium. Is quando & ubi natus fuerit, quid glorioſè geſſerit, quid novi invenerit, in quô laudandus, in quô vituperandus ſit, quâ morte & ubi diem obierit, prolixiùs hic recenſetur; quam methodum pariter in plerorumque, qui commemorantur, Medicorum vitæ curriculis pertexendis obſervavit Autor Clariſſimus. Emenſô ſeculi fermè poſt Hippocratem ſpatiô inclareſcere cœpit Ariſtoteles Stagirita, quem inſecuti ſunt Theophraſtus Ereſius, Eraſiſtratus Chius atque Herophilus Chalcedonius. Antequàm verò Medici poſt Chriſtum natum florentes commemorentur, ſectarum Empiricæ, Methodicæ & Dogmaticæ ortus & progreſſus delineatur, quarum Empiricam, priſcam ſcilicèt, reliquis anteponit Noſter. Tum Medicorum poſt Chriſti nativitatem maximè famigeratorum vel nomina vel vitæ curricula juxta ſeculorum ſeriem traduntur; ità ùt inter ſeculi 17. Clariſſimos numerentur Helmontius, Williſius, Sylvius & Takenius. De noſtri ævi Medicis quid judicet Autor, ſequentia ipſius docent verba, quæ pag. 68. leguntur: » Hi ferè » Autores illi ſunt, quorum partim ingeniô, partim verò arrogantiâ, ſi loqui ità decet, novum » Medicinæ lumen, aut quandam quaſi, hôc noſtrô » maximè ſeculô, confuſionem acceſſiſſe autumant. » Unum vel alterum experimentum ſufficit hodie, » ut Monarchicam poteſtatem in Medicinâ, tot dif» ficultatibus conſitâ, quis ambiat; ſi hujus certè » phœnomeni aut illius rei in naturâ æquè ac arte » rationes cauſaſve Chymiæ uſû paulò elegantiùs » explicare poteris, tuô inſigni meritô ad principatum medendi adſpirare valebis; ità noſtrorum » hominum mores comparati ſunt, ùt noviſſima quæ» que neſcio quam elegantiam præ ſe ferentia avi» diſſimè arripiant & amplexentur, ipſâ novitate pa» rùm certâ vulgi gratiam ſtudioſè captantes, cùm » quandoque omnia ipſorum roboris exigium obti» neant. » Deniquè Medicorum quorumdam, qui ſuô tempore tanti morborum Hercules mirabili fatô occubuêre, eventus enarrantur.

Ibid. ann. 1726. *pag.* 36. *Johannis Philippi Burggravii, Jun. Doct. Medici, Francofurti ad Mœnum, de Exiſtentiâ ſpirituum nervoſorum, eorumque verâ origine, indole, motu, effectibus & affectibus in corpore humanô vivo ſano & ægrô Commentatio Medica, Virô Clariſſimô, Andreæ Ottomaro Gœlicke imprimis oppoſita. Francof. ad Mœnum,* 1725. *apud Joh. Frieder. Fleiſcher in* 4.

DEcem præterlapſi ſunt anni, cum Clariſſ. *Gœlicke*, publica in Academiâ Teutorburgenſi Cliviæ Profeſſione functus, hæc duo Corollaria Calci Diſſertationis Academiæ de Medicô Cathedrali & Clinico adnecti curaverit: » (1) » Familiam ſpirituum vitalium, naturalium, » & ſi qui alii ſuperſunt, recte quidem exploſe» runt Recentiores, mirum, cur ſolis animalibus » repudium mittere auſi non fuerint; [2] hinc » in Conciliô Illuſtrium Medicorum, Præſide » Apolline, nuper decretum eſt, ſpiritus anima» les, quod à tot retro ſeculis medicos infatua» runt, & adhuc non paucos infatuant, dig» nos eſſe, qui in perpetuum exilium relegen» tur, adjunctâ ſeveriſſimâ comminatione gravio» ris pœnæ, ſi in Ditiones Medicorum unquam » revertantur » Horum Corollariorum uberior tantum deductio eſt, quàm hoc in Tractatû ſuſcipit Clariſſ. Autor, & tribus diſquiſitionibus exequitur, Fabulas ſiſtens Medicorum, quas de ſpirituum animalium I. Exiſtentia, II. Indole, natura, affectionibus & Effectibus, III. Diatheſi morboſa ſuis in ſcholis huc uſque recitarunt. In Diſquiſitione igitur I. non exiſtere ſpiritus animales, probat, quia ab Hippocrate nulla eorum fit mentio; Phyſiologi diſcordes ſunt in imponendo nomine; Medici inter ſe altercantur, quale ſit verum ſecretionis, collectionis & diſpenſationis organum; argumenta allata nil probant, quæ ſunt, a poſteriore per ſenſum & motum eoſdem innoteſcere, cerebri nervorumque actione intercepta functiones animales evaneſcere & perire, cerebri & nervorum conformationem & ſtructuram ſingularem peculiarem eorum actionem & uſum commendare, digitis per nervos phrenicos verſus diaphragma ductis hujus motum conſopitum reſtaurari, objecta admodum ſubtilia & tenuia in organa ſenſoria agere non poſſe, niſi ſpiritus in iis hoſpitentur, per reſpirationem novos cerebro ſpiritus communicari, mediante duræ matris tono & motu ſyſtaltico per nervos ſpiritus ad partes propelli, per ſpiritus cerebrum à corruptione præſervari, muſculis ſuam actionem conſtare non poſſe, niſi influant ſpiritus, à defectu eorumdem, vel inſufficiente volatilitate aut nervorum conſtitutione præter-

præternaturali varios oriri morbos, rationem denique dolorum, tremorum & convulſionum reddi non poſſe, niſi ſupponantur ſpiritus intra nervos undulantes. Rectius igitur egiſſe, pronuntiat noſter, Argenterium, Bidloo & Stahlium, qui de eorundem exiſtentiâ dubitârunt. In II. accuſat iterum diſſenſum Autorum circa nomina ſpiritibus imponenda, quæ omnia rei, quam exprimere debent, minus ſunt adæquata. Si tamen ex mechanicorum mente ruditer definitionem adumbrare liceat, ita quidem, ut nihil eorum, quæ ad univerſum ſpirituum ſyſtema exhauriendum requiruntur, omittatur, talem format: Spiritus animales nihil aliud ſunt, quam corpora tenuiſſima, ſubtiliſſima, atque celerrime mota, ex ſubtiliore & ſpirituosâ chyli, lymphæ & ſanguinis, per arterias carotides & cervicales internas ad cerebrum adlati, parte conſtantiâ, quæ deindè in corticali cerebri ſubſtantia, tanquam genuino ſecretorio, ſeparata & per medullarem cerebri partem tranſmiſſa, inque medulla oblongata, quæ nervorum radix eſt, collecta, tandem per nervea ſtamina, eorumque poros & canaliculos ad organa ſenſuum, imo ſingulas corporis partes ſive ab animâ pro arbitriô ablegantur, ſive automaticè mediante duræ matris tono aut motu ſyſtaltico impulſa influunt, ad ſenſum, motum, imo & nutritionem præſtandam ac perficiendam, tandemque ne inſenſibiliter evaporando corpora derelinquerent, idque iners & trunci inſtar immobile redderent, ſanguini & lymphæ reaffuſa, ut iiſdem, quibus antea, uſibus denuò ſubſerviant. Cum vero tota hæc deſcriptio tot ferme principii petitionibus, quot verba ſunt, niſi videatur Cl. Autori, conſultum judicat ſingula ejus membra ad rationis pariter ac experientiæ cynoſuram examinare & refutare. In III. ad diæthesin morboſam ſpirituum animalium progreditur, ſub quâ vel nimiâ quantitate, vel defectû, vel vitioſâ qualitate vel motuum anomaliis laborare & apoplexiæ, paralyſeos, tremorum, morborumque ſoporoſorum, catalepſeos, lipothymiæ, ſyncopes, maniæ, vigiliarum nimiarum, epilepſiæ, convulſionum, dolorum & vertiginis autores eſſe dicuntur. Verum hæc omnia fabulas eſſe, demonſtrat, certioremque morborum horum ætiologiam ſubminiſtrat, tandemque concludit: Spirituum exiſtentiam neque è priori neque à poſteriori hucuſque ſatis demonſtratam eſſe; latere medicos veram atque genuinam eorum indolem in ſtatû ſanô & integrô, ac proindè ignotam quoque eſſe conditionem illorum in ſtatû morboſô ac præternaturali; atque adeò pathologiam ſpirituum eſſe chymæricam, id eſt, nullum morbum vel à vitioſâ eorum quantitate, vel qualitate vel motuum anomaliis derivari ritè poſſe, ipſamque therapiam fabuloſam eſſe & imaginariam.

Injurias has ſpiritibus animalibus illatas ægrè ferens Clariſſ. *Burggravius*, videnſque, in totô hôc proceſſû criminali de ſpiritibus nervoſis reviſionem actorum revelaturam eſſe Lectori à præjudiciis libero, longe aliam ferendam fuiſſe ſententiam, quam reverà factum fuerat; decreverat quidèm, hocce reviſionis negotium in ſe ſuſcipere; verum mutato conſilio, quod nihil jucundæ utilitatis in ſtudioſam juventutem exin redundaturum credebat, quicquid ad doctrinam de ſpiritibus nervoſis pertinet, ſive eorum originem, indolem, motum, ſive effectus & affectus in corpore humanô vivo, tum ſano tum ægro, concernat, in unum ſyſtema, ichnographicè tamen, fundere, nihilque prorsùs admittere, quod non facilè digniſſimis experimentis & obſervationibus ad ſuas ubique revocatum cauſas, dilucidatum fuerit, conſtituit. Diſtribuit igitur præſentem Commentationem in III. Sectiones, in membra & articulos iterum diviſas, in quarum I. ſtructuram cerebri & nervorum tubuloſam evincit, & ex habitû materiali corporis humani, potiſſimùm ſanguinis, per rationes motuum occurrentium indolem & motum ſpirituum nervoſorum demonſtrat. In II. uſum eorundem pro tenſione partium naturali, pro motibus tam automaticis quàm voluntariis & mixtis, pro nutrimento, pro ſenſibus externis, pro operationibus animæ, pro vigiliis & ſomno, ac pro commercio animæ & corporis præſtandis delineat. In III. morbos ab aucto vel imminuto tam ab ipſo corpore, & rebus corporeis, quàm ab anima excitato motu, & à vitiatâ craſi ſpirituum nervoſorum dependentes examinat. Ubique etiam objectiones Gœlickii jungit & diluit, ſicque magis per theſin quam antitheſin procedit. In genere vero in Scripto Gœlickiano deſiderat, quod (1) ſtatum controverſiæ non rite formaverit, (2) diſcrepantes Autorum ſententias plane erroneas cum confuſis, imo etiam diſtinctis, invicem æquiparaverit, omneſque damnaverit, & (3) potiſſima argumenta vel non omnia, eaque convenienti ordine & connexione allegaverit, vel plurima plane omiſerit, ſicque indicta cauſa ſpiritus hos perpetuo exilio multaverit.

Ibid. ann. 1727. *p.* 528. *Herm. Conringii de Habitus Corporum Germanicorum antiqui ac novi cauſis Liber ſingularis, cum annotationibus, Jo. Philippi Burggravii, Med. D. Francof. ad Mœn.* 1727. *in* 8.

CUm Liber hìc Conringianus, jam pridem editus, & phyſicus ſit & medicus, tum & hiſtoricus, moralis item atque philoſophicus, bene utique fecit Experientiſſimus Editor, quod denuò cum multis annotationibus inſignibuſque auctum additamentis evulgavit. Quare ut inſervire imprimis voluit Medicinæ expertibus; ita ſimul in præfatione eorum morem maximè deteſtatur, qui morborum curationes vernaculâ linguâ exſcriptas plebis etiam captui accommodare allaborant. Præterea verò Muſarum alumnos, qui ultra vulgus ſapere geſtiunt, ad cognitionem ſui, quantum ad corpus ejuſque vel imbecillitatem præcavendam vel robur comparandum attinet, propoſito exemplo veterum Germanorum provocat. Quod qua ratione facere potuerit, ex generaliori ſaltem opuſculi Conringiani deſcriptione luculenter apparebit. Dividitur illud in ſectiones duas, quarum priori documenta hiſtorica de antiquo corporum Germanicorum habitu unà cum principiis phyſicis ac medicis ad ejuſdem cauſas eruendas exhibentur. Atque in has ipſas cauſas deinde ſectione poſteriori inquiritur, ita quidem, ut quemadmodum antea ſingulare quid atque excellens in proceritate, in colore cutis, in oculis, & in capillis veterum Germanorum demonſtratum eſt, ſic poſtea ſingularum harum corporis qualitatum cauſæ exponantur. Quo poſteriori loco multa ſane iterum antiquitatis Germanicæ monumenta indagata reperias; ut potè de liberorum educatione, de ſera parentum venere, de cibi potuſque ratione de exercitiis corporis ejuſque indurationibus ac lotionibus, de exercitatione bellicâ, & quæ ſunt his ſimilia. Cumque ſub finem primæ partis peculiare caput de habitû Corporis Germanorum hodie immutato ſit annexum, in ſecunda quoque parte mutationis hujus

hujus cauſæ recenſentur. Connubia nimirum cum brevioris ſtaturæ gentibus brevitatem corporum in Germaniam introduxerunt, eorumdemque proceritatem priſtinam deminuerunt, & nunc adhuc incrementum impediunt ſtudium aëris calidioris, cibi uſu venientes, abuſus potuum, qui dicuntur, *Thée Caffée & Chocolade*, cerevisia lupuloſa, vini ac ſpiritûs vini itemque fumus Tabacini frequentior uſus, præmatura venus, primæ ætatis morbi, totiuſque vitæ præſentis ratio. Atque hôc eodem modô deinceps cauſas etiam mutari candoris in cute priſtinuſque oculorum & pilorum in Germanis habitus inveſtigavit autor; Clariſſ. Burggravius autem ex hiſce omnibus occaſionem nactus eſt excurrendi in ampliſſimum campum obſervationum plurimarum omne genus eruditionis illuſtrantium: adeo ut non ſolùm Medici ſed etiam Philoſophi, Hiſtorici, omneſque elegantiorum literarum amantes, hîc inveniant, quô delectentur pariter ac informentur.

BURGGRAVIUS (*Joh. Erneſtus*,) Neuſtad-Electoralis.

De eô exſtant

Biolychnium, ſeu Lucerna cum vitâ ejus, cui accenſa eſt Myſticè vivens jugiter; cum morte ejuſdem expirans; omneſque affectus graviores prodens. Huic acceſſit Cura morborum magnetica ex Theophraſti Paracelſi Mumia: itemque omnium Venenorum Alexipharmacum. Francofurti, apud Wilh. Fitzerum, 1629. in 8.

Achilles πανοπλος redivivus, ſeu Panoplia Phyſico-Vulcania in præliô φίλοπλος in hoſtem educitur ſacer & inviolabilis. Cui præmiſſa eſt Marcelli Uranckheim ἐπίχειρις ςοχαςική ad Achillem πανοπεϱοπλόμαχον. Amſtelodami, apud Henr. Laurentium 1612. in 8.

Introductio in Vitalem Philoſophiam, cui cohæret omnium morborum aſtralium & materialium, ſeu, morborum omnium elementatorum & hæreditariorum ex Librô naturæ, Codice Philoſophiæ, & Medicæ veritatis, additis veterum placitis, Hippocratis, Galeni, Celſi, aliorum explicatio atque curatio. In ſpeciali morborum explicatione agitur de curationum myſteriis, indicationum compendiis, remediorum arcanis, & primùm Galeni ac aliorum veterum medicamenta proferuntur: deindè Paracelſi, Thurnheiſeri, Quercetani, aliorumque neotericorum Philoſophorum experientia demonſtratur, Medicamenta omnium morborum ex Anatomiâ & arte ſignata, tam ſimplica, quàm compoſita oſtendendo. Francofurti, apud Johan. Ammonium, 1543. in 4.

De Acidulis Schwalbacenſibus, Epiſtola. Extat cum Reſponſis Medicis, quæ Helvicus Dietericus edidit. Francof. apud Matthæum Merianum, 1631. pag. 70.

BURGIUS (*Johannes*)

Ex eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. II. *Ann.* III.

Obſerv. 171. *De Eryſipelate rarô.*

QUanquam plurima Eryſipelatis exempla ſingularia non in aliis modô Auctoribus, ſed in Ephemeridibus quoque Germanicis hinc inde conſignata legantur, binas tamen hujus morbi hiſtorias, quæ à reliquis, quaſcunque deſcriptas ego vidi, in circumſtantiis non paucis diferre mihi creduntur, annotare hîc liceat, præſertim, cùm implicitum ſcorbuticum Roſâ commercium indiciis non obſcuris teſtentur.

Filiola mea primogenita, menſe Martiô 1682, nata, præter corpus reliquum, quoad omnia membra, Dei gratiâ, benè formatum, ſiniſtram ſolùm manum tumore gravi, rubrô, non ſplendente deformem, ut aſtaci marini chelam potiùs quàm membrum humanum, referret, exhibuit, quô intrà paucos dies diſcuſſô benè habuit, neque illa reſtitutæ ſibi manûs ab alterâ ſanâ remanſit differentia. Duabus à nativitate exactis ſeptimanis, ipsô Paſchatis feſtô, calore præternaturali ex improvisô corripi ſentitur infans, & mox in malâ dextrâ intumeſcente ſubitò macula rubra erumpit eryſipelatodes ſecundùm omnes circumſtantias, quæ non multò poſt naſum tranſcendens iſtumque ſimul obſidens pari quoque modô alteram cum labiis afficiebat. E vanidâ hâc ter biduum facie, frons exceptâ in ejus mediô particulâ groſſi argentei magnitudine & ſinciput eôdem tumore & rubore deformabantur, ſtatimque recipit, collum, humeri, dorſum brachia & manus idem experiebantur fatum, & mentô ſolâ immunitate gaudebat. Notatû dignum eſt, morbô has partes affligente, graviſſimè ægrotaviſſe Puellam, de vitâ periclitantem, adeò enim omni vigore deſtituta vitali, ſubſidente quoque fontanellâ communi illô moribundorum infantum prognoſticô, vultum præ ſe ferebat Hippocraticum. Versô tamen rerum ſtatû intra paucas horas vires proſtratas ægra recolligebat & detumeſcentibus membris modò dictis calamitate ſuâ defuncta videbatur. Sperabam etenim Roſam, quam in adultis aliquoties, & nuper demùm in ſene ferè ſeptuagenariô à capite incipere, nec ultrà colli terminos progredi obſervaveram, in corpore tenellô quoque circa iſthæc confinia ſubſtituram. Præter opinionem autem abdomen, lumbi, clunes & inguina brevi eandem ſubibant fortunam, & ex ejulatû quidem infantis maximô conſtitit, graviorem fuiſſe Inguinum, quam præcedentium partium, dolorem citiùs tamen hîc tumorem, ac alibi, ceſſiſſe, ob urinæ affluentis uti conjicio, medelam, notavi. Tandem & hôc climate reſtitutô in femoribus & pedibus omnis tragœdia lætô cum eventû finita eſt, quæ per tres hebdomadas & quod excurrit, durans omnes affectas partes in paroxyſmô plusquâm triplô monſtrosè auctas reddiderat, rejectiſque demum ſquamis renovata cutis emergebat. Medicamenta pauciſſima adhibere potui, bezoardica volatilia & fixa, pulveremque externum myrrhatum & modicè camphoratum. Valuit tamen ab eô tempore infans ex votô, dentitione etiam felici, & gravium ſymptomatum expertè gaviſa, dum A. 1684. circa Autumnum caput lineâ parcè infeſtari cœpit, quâ poſt exhibitum laxans ſublatâ collum ſcrofulis & maculis rubris exiguis miliaribus obſidebatur, ſed nec iſtæ fuerunt diuturnæ, donec, qui hactenùs occultis ſub latebris ſuam peregerat fabulam, remotô nunc velô manifeſtiùs ſe proderet ſcorbutus. Nam feſtô Michaëlis de laſſitudine, impotentiâ motûs, dolore pedum, & appetitû proſtratô conquerebatur puella, primiſque diebus tumor genua albus prehendebat, ſequentibus autem à meridie ſemper pedes, à genu ad extremitates digitorum eôdem tumore durô, & ad aſpectum æquali, nec à dolore cutis naturali diverſô increſcebant, tactû vero ſub cute durâ hinc inde tubercula, inſtar glandularum induratarum, variæ magnitudinis deprehendi, in quô exactè tuberculorum loco manè ſequenti maculæ rubræ pulicaribus, ut ovum ovo ſimiles, niſi quod excederent quantitate, & ſextam Imperialis partem æquarent nonnullæ, apparebant; degenerabant eæ paucas poſt horas in colorem fuſcum, quem excipiebat lividus, in nonnullis planè ater, poſteà

teà evaneſcebant. Recrudeſcentibus ſingulo veſpere ſymptomatis ſucceſſivè intra tres hebdomadas totum abdomen, lumbi & pedes, cum brachiis, iiſdem maculabantur, & verſicolori hôc partium ſtatû ad paucos dies in naturalem mutatô aliô redibant ſchemate aliæ in cruribus maculæ; quarum circumferentia ampla rubicundiſſima loco puncti in mediô elevatam à ſeroſô pure veſiculam quaſi ambuſtione excitatam, & expreſſâ veſiculâ ulcuſculum profundiùs oſtendebat. His iterùm moleſtiis naturæ potiùs, quàm medicamentorum ope, ſuperatis, hactenùs ſanitate fruitur ſatis commodâ.

Alia Mercatoris Filia, octo annorum puella, Matre Suecâ in Belgiô nata, ibidemque per quadriennium educata, ſeroſioris, & teneræ conſtitutionis, ſcrophulis primò circà collum affligebatur, quibus ultrò cedentibus eryſipelate verò cum horripilatione, dolore capitis, & reliquis ejus ſignis in fronte corripitur, quod intra paucas horas incrementa capiens inſtar ſerti ſeu zonæ caput exactè cingebat, totum frontem cum palpebris obſidens, hinc ab utrôque latere ad aures abiens illas tumore monſtroſô deformes reddens, & inde iterùm ſecedens ac ſub finem oſſis occipitis concurrens integrum circulum latitudine duorum digitorum ſimùl deſcribebat, curatum octidui ſpatiô diaphoreticis internis, & externis in hôc affectû uſitatis camphoratis.

Ibidem Obſervat. 172. *De ſapore cum nauſeâ dulci.*

CUm *Excell. Sylvius L.* 1. *Prax. Cap.* 51. *ſ.* 29. conqueratur, non obtigiſſe ſibi in Praxi exemplum ſalivæ cum faſtidiô dulcis curandæ; Celeberrimus autem *Borrichius Miſc. Cur. Dec.* I. *A.* III. *Obſ.* 237. *p.* 462. Saccharinæ quidem ſalivæ cum linguæ ulcuſculis, antiſcorbuticorum ope feliciter ſublatæ paucis meminerit, caſus, qui hùc facit, ſequens notatû mihi viſus eſt digniſſimus. Vir quidam litteratus, homo macilentus, hypochondriaco ſcorbuticus, arthriticus, cogitabundus, cùm menſe Septembri 1684. febrem tertianam exquiſitam eluctatus eſſet, conqueſtus adhuc eſt de nocturnô ſudore, laſſitudine, ſputatione perpetuâ dolore occipitis ſingulô manè poſt ſudorem ſubſequo, & imprimìs de ſapore cum nauſeâ exceſſivè dulci, ut, quæcunque aſſumeret potulenta vel eſculenta, etiam acida, amara, intensè ſalſa, dulci tamen ſapore ipſi imbuta viderentur, & ſtomachi everſionem minarentur. Datô primùm leni Vomitoriô pro everrendâ ſuperſtite febrilium reliquiarum, colluvie paulò meliùs habere cœpit, redeuntibus tamen mox iiſdem ſymptomatibus pluribus obviam ivi remediis, martialibus ſiccis & liquidis, aromaticis, ſalibus varii generis volatilibus, & fixis, antiſcorbuticis, parùm tamen profeci, niſi quod cephalalgia & ſudor nocturnus ceſſabant inde, urgentibus adhuc ſapore nauſcoſô & ſputatione continuâ. Pertæſô tàm ingrati dulcoris ægrô denuò, cùm ipſe eôdem inclinaret, propinavi vomitorium cùm ſale ammoniacô depuratô mixtum, quo non ultrà vires evacuatus pedetentim ceſſare malum, quo per quatuor ferè ſeptimanas fuerat afflictus, & naturalem omnium ſaporem ſe percipere affirmavit.

Ibidem Obſervat. 173. *Scorbutica per ſalivationem mercurialem curata.*

MOrbos per criticam ſalivæ copioſæ excretionem nonnunquam ſolvi, rarum non eſt, multorumque eâ in re proſtat experientia. Virum magni nominis litteratum ipſe novi, cui tinnitus aurium, quò ſæpius infeſtatur, nonniſi ptyaliſmo ſpontaneô diſcutitur, cùmque alias ob cauſas Acidulis Egranis uteretur Idem, non per urinarum ſalivalium copioſam emunctionem ſuam teſtabantur efficaciam. Motos hôc argumentô Medicos eſſe nullus dubito, ut & ipſi crechyſis hiſce, per Mercurium imprimis, ut maſticatoria taceam, foribus hoſtes morboſos ejicere tentarent, cujus curationis in lue venereâ ſucceſſus invidendus etiam tonſoribus notiſſimus ut hic perducatur, opus eſſe non exiſtimo; non minorem tamen inde ſperari poſſe opem in aliis quoque morbis pertinacibus, quod quidem alii etiam jam docuerunt, & exemplis probaverunt, ſequenti hiſtoriâ confirmare tentabo.

Puella quædam annorum octodecim cachexiâ jam ad hydropem tendente, reſtitutô deficiente menſium fluxû liberata Menſe Februar. 1681. Viro nubit, initoque matrimoniô poſt ſeptimanas aliquot febri quartanâ intermittente corripitur, non adeò contumaci, quæ poſt binos menſes remediis convenientibus tractata evanuit. Momentaneum quaſi fuit hoc gaudium, exiguô enim elapsô tempore ad antiquum veluti ingenium relabentibus humoribus, de apepliâ, appetitû proſtratô, laſſitudine, intenſiſſimis cephalalgiis conqueritur, acceſſitque reliquis novum aliquod ſymptoma, atroces nempe crurum dolores cum motûs impotentiâ & tophosâ in mediô tibiarum oſſe excreſcentiâ, menſibus licèt in hôc rerum ſtatû ordinem debitum obſervantibus. Curationem affectûs moleſtiſſimi per integram hiemem, quo potui, ſtudiô maximô ſum molitus, eludente conatum morbô contumaciſſimô, donec ab acidulis Egranis ſequenti æſtate potis auxilium ſenſit egregium, abſolutôque eorum uſû Thermis quoque Hirſchbergenſibus cum ſucceſſû inſedit. Reverſa inde magnâ cum lætitiâ ad domeſticas redit curas, vixque menſem in iis tranquilla tranſegit, cùm in priſtinam relaberetur charybdin, meamque iterùm ſollicitaret opem. Neſcio quid non medelæ tentaverim, nullô prorſùs cum effectû, niſi quòd primarum viarum ſymptomata, ventriculi putà & ei cognatorum viſcerum mitigarentur aliquantùm. Paralyſi ſcorbuticæ doloroſæ cùm ob Autumnum ingruentem acidulis & thermis repetitis mederi non poſſem, præter alia nervina & decocta liquorum recurro, tophiſque emplaſtr. de ranis cum Mercuriô auctâ hujus doſi, itemque laminas plumbeas &c. applico, ſed nec ità voti damnatus commodè recordor hiſtoriæ *à Willis de ſcorbut. C.* 11. *p. m.* 328. notatæ, eâque viri Celeberrimi experientiâ fretus ſalivationem Mercurio excitandam, tanquam ultimum, licèt ambiguum, remedium ægræ propono. Illa vitæ miſerrimæ conditionem faſtidiens ſpem inde concipit firmam, & pro valetudine recuperandâ extrema ſubire non dubitat. Die 2. Novembr. 1683. inunctionis initium feci, pergendo, dùm Mercur. vivi ℥vj. abſumtæ fuêre, incipiens ab articulationibus pedum, tandem quoque manuum & brachiorum articulos inungens. Primis diebus, antequam ſaliva flueret, inſignem percepit nauſeam, ſingultum, vomitum pituitæ dulcis & viſcidæ, & in locis inunctis hydatides exiguas. Placatis hiſce furiis ſtupor dentium, gingivæ intumeſcentia & linguæ, cum aphoniâ, ſalvo tamen ejus motû, & magnam virium debilitate incipientem ſalivationem comitabantur, quæ pulſis intra biduum ſatellitibus dictis nervinorum uſû ad dies quindecim abſque omni tumultû benè ſuccedat, evacuatis ſæpè unô

 die.

die. Pituitæ Libris tribus. Tandem hâc purgatione defunctâ per aliquot adhuc dies decoctum lignorum bibit, ſanaque ab eô tempore manens nil quicquam ampliùs malorum ante infeſtantium eſt perpeſſa.

Ibidem Obſervat. 174. *De Calculô ad radicem Penis exeunte.*

PUer annorum trium à Matre cacochymicâ & in ſtatum moleſtiſſimum detruſâ natus à primâ infantiâ motibus convulſivis artuum ſæpiùs infeſtatus crura & brachia hinc aliquatenùs incurvata oſtendit, acceſſerunt dolores artuum acerrimi eorumdemque tanta debilitas, ut, diſcuſſis paulò per nervina dictis ſymptomatibus, hôc demum annô greſſus formaret tentaret. Ille D. 31. Julii 1684. ſuppreſſione urinæ corripitur nondùm in ipsô obſervatâ, propinatis eô fine diureticis & commendatô balneô ex emollientibus & paregoricis concinnatô tota virga intumeſcit, nec quicquam prodit lotii. Tantus erat tumor, ut partes virgæ ab invicem dignoſci non poſſent, ex rubrô niger inſtar prunæ reſplendens, quem comitabantur ſudor maximus, & vigiliæ; pavores enim & convulſiones ſomnum, irruentem ſtatim interrumpebant. Patientiâ veluti heroicâ ſuſtinuit tantos dolores ad D. 3. Auguſt. omnem internorum medicamentorum, quin & cibi, potûſque, exceptâ cereviſiâ ſecundariâ, exhibitionem reſpuens, unde totam curationis ſummam in cataplaſmata emollientia, paregorica & gangrænæ adverſos liquores contrahere opus mihi fuit. Die dictô, veſperi horâ octavâ ſubitò detumeſcit monſtroſus penis, parteſque vicinas cum ſubſtratô lectô madefieri ſentit anxia de ſalute Filii Mater. Vocor illicò ad ſpectaculum inſolitum, dum partes læſas curioſiùs luſtrô, invenio in rimulâ quâdam quam ob conformationem vitiatam nondùm exactè poteram dignoſcere, lapillum glabrum, oblongum, dactyliformem, gryſei coloris, grana vj ponderantem. Apertura illa, ex quâ prodierat, ubi poſt applicita medicamina, antiqua partibus forma aliquatenùs rediret, obſervata fuit in radice penis inferiùs, ubi ſcrotô annectitur, eâdemque viâ aliquot diebus poſteà adhùc ingens ſabuli copia colore lacteô inficiens urinam profluxit. Ejectô hoſte nondùm tamen evaſerat Infans, abdomen enim cum ſcrotô tumidum & inflammatum, ſpaſmi brachiorum inſignes, calor præternaturalis, & ſudor quaſi colliquativus periculum non exiguum portendebant. Perſiſtebat ad hæc in contumaci propoſitô puer, quô nihil medicamentorum internorum admittebat, ſolâ tantùm cereviſiâ tenui urgentem ſitim ſolabatur, repudiatis etiam juſculis, intereà tamen externis, quæ conveniebant, topicis intra aliquot ſeptimanas eô res redacta eſt, ut non ſolùm partes tumidæ ſubſiderent, inflammatio reprimeretur, gangræna extingueretur, cutis penis læſa decideret & regeneraretur, & urina viam naturalem, relictâ calculi ſemitâ inſiſteret rurſus. Die ab egreſſû lapilli decimô moriturus videbatur puellus, dùm utraque manus ad carpum uſque liveſcentibus venis cum pulsû debili, inſtar glaciei, frigebat & licèt pannis calidis aſſiduè fricarentur, in eô nihilominùs ſtatû per biduum manebant, tùm recolligente ſe calore inſigniter rubeſcebant & quartô demùm die antiquam reſumebant formam. Conſolidari potuiſſe inflictum à calculô vulnus planè credo, niſi obſtetiſſet infantis moroſitas applicita emplaſtra abripientis, unde jam in fiſtulam abiit, è quâ urina æquè, ac è penis orificiô, abundè profluit.

Ibidem, Ann. VI. *Obſervat.* 58. *De Erroribus naturæ in formatione fœtuum humanorum notabilibus.*

QUanquam uberrima errorum, ſive, ut mitiùs loquar, luſuum naturæ in formatione corporum humanorum quaſi negligentiùs operantis quotidie propullulet ſeges, adeoque curioſa eorum annotatio quibuſdam ſordeat, aut ſupervacanea videatur; non omni tamen utilitate prorsùs hoc ſtudium deſtitui, non mihi ſolùm ſed etiam Eruditorum non paucis perſuaſiſſimum eſt, ex quâ hypotheſi ſequentium obſervationum orta eſt conſignatio.

Natus eſt D. 7. Maji, 1686. infans cæterà ſaniſſimus, hôc ſolô defectû notabilis, quod in dextrâ manû digitus annularis & minimus, itidemque pollex & index ope ligamenti carnoſi tenuis coaluerant, hôc modô, ut pollex minor juſtô indicem annexum, ſicut arcum funis incurvat, ad ſe traheret, accretâ, in mediô eorum carnis parte, velut novi pollicis rudimento: in ſiniſtrâ quoque manû pari ratione uniebantur digitus minimus & huic proximus, interjectâ ad ſuperiorem articulationem etiam carunculâ exiguâ. Nævum hunc, forſan ex matris anſerum veſcendorum appetitû fruſtratô enatum [horum enim ferè pedes connexio hæc digitorum æmulabatur) primô aſpectû emendari poſſe non deſperavi, cum unionis inconvenientis vinculum eſſet tenuè nec vaſis ſanguineis majoribus, aut tendinibus intertextum.

Itaque rem cum Chirurgo aggreſſus ſum non imperitô, ſed, ne doloris, ob repetitam unâ operatione ſectionem ſæpiùs excitatô ſensû convelleretur infans, ſingulæ diviſioni ſingulum impendimus diem, ubi Chirurgus non aptatô priùs lignô triangulari ad imitationem *Plater. Mantiſſ.* Obſerv. 43. cujus hic neceſſitatem nullam videbamus, non ſcalpellô, quod facit *Hieron.* ab *Aquapend. part.* 2. *Chir. c.* 101. ſed unô ictû, acutâ forfice incidit cutis carnosæ parietem integerrimum, quouſque decebat, exſciſſis utrobique ſuperfluis digitorum novorum quaſi fundamentis. Ceſſit è votô propoſitum, niſi quod, monente idem *Henr. Roonhyyliô Obſer.* 10. *p. m.* 41. ſollicita magis requirebatur deligatio ob digitos in novam cohæſionem pronos: pollex præterea, qualis à principiô formationis erat, brevior ſolitô, manſit, indiciſque tanta ad eum inclinatio, ut ligaturis, aliiſque adhibitis remediis ſufficienter ſe coërceri & abduci difficillimè paſſus ſit. Auditô hôc lætô nunciô alii paulò poſt me adeunt Parentes, conſilium & auxilium filiolô ſuô recens natô, quæſituri, cuivis plaſtica in manû dextrâ geminum formaverat pollicem. Infante ipsô visô, & examinatô pollice ſpuriô, non eſſe eum carneam ſolùm excreſcentiam vidi, ſed abſolutum, quoad omnes partes & articulos, ipſum etiam unguiculum, digitum, inſuper arctiſſimè genuino pollici ad baſin unitum, ut medium hujus os formâ litteræ Pythagoricæ bifidum appareret, unde de proſperô eventû ob difficilem operationem dubitans à reſectione manuum abſtinui, donec forſan in adultiori, ſi Deo placuerit, factô feliciùs idem, exemplô *Obſerv.* 42. *Mantiſſ. Obſerv. Plater.* tentari poſſet. Neque id conſilium parentibus diſplicuit, qui circa autumnum poſteà filioli hujus, neſcio, quâ ægritudine defuncti, exſequias celebraverunt.

Die 30. Januar. 1687. manè cum eôdem Chirurgô vocor ad Cerdonem, cui die abhinc quartô natus erat puellus ſaniſſimus, & ab omni formationis vitioſæ ſuſpicione liber viſus. Hic cùm primò

primo biduô nihil excerneret fæcum alvinarum, obſtetrix conſulta, & de ani orificiô apertô certa timorem futuri periculi parentibus eximit, neque temerè quid hoc in casû movendum eſſe, perſuadet. Verùm cùm tertiâ die obſtructa maneret alvus, abdomen inſuper intumeſceret, ſugere nollet infans, & omnia ingeſta vomitû rejiceret, rem demùm altiùs penſitans clyſmate inteſtina muneris ſui oblita proluere tentat, ſed tùm neque fiſtula eburnea profundiùs intromitti potuit, & quicquid vi injiciebatur, regurgitavit, undè de clausô profundiùs anô ſeriùs cogitatum eſt, quod & exploratio per ſtilum, & digitum, cujus articulationem ſeu membrum integrum capiebat introitus inteſtini recti apertus, tacta manifeſtô confirmavit. Reſerationem, quam omnes indicabant circumſtantiæ neceſſariam, & anxiè deſiderabant parentes, diſſuadebant mihi & languor infantis convulſionibus, uti externa facies minabatur, mox corripiendi, & metus, ne vel profundior eſſet combinatio inteſtinorum, quàm ut acie ſcalpelli omnis perforari poſſit, vel, quod aliquando in ſimili casû me vidiſſe memini, inteſtina media jam crepuerint, & in cavum abdominis fœdam colluviem profuderint. Inſtantibus tamen Parentibus ut ſatisfieret, præmiſſô prognoſticô, & propinatis confortantibus nervinis, cannulam oleô inunctam pro defendendô orificiô ani leniter intruſit Chirurgus, & per ejuſdem medium, phlebotomum, quàm profundè poterat, adegit, effluente largô ſatis ſanguine, quietô tamen, & ad horæ dimidium quadrantem obmuteſcente & expalleſcente puellô ut de felici ſucceſſû deſperaremus & nil niſi jam expiraturum puſionem animô conciperemus. Recollectis tamen is viribus tandèm emiſit ſaltim aliquot flatus, dilatatôque per ſuppoſitorium vulnere, à meridie bis dejecit meconium aterrimum, detumeſcente paulatim abdomine; ſub noctis verò ingreſſum afflictus epilepticis motibus natus denuò terruit lætiſſimos parentes, imprimìs cùm nec ſolutâ adhùc ſemel alvô, nec medicamentis generoſis, ſed morte demùm horâ nonâ ſequentis diei matutinâ liberaretur à morbô atroci, ſervandus fortè, ſi citiùs obſervato defectui ſuccurrere fuiſſet integrum. Curioſiùs luſtraturus aberrationem formatricis naturæ, apertionem tamen filioli à parentibus moroſis exorare nequivi; cautiùs autem hôc unicô exemplô, cui par me legiſſe non memini, excitatæ obſtetrices mercari diſcant, ſi quando moram, in recens natis longiorem trahant excrementa, nec primò ſtatim à partû die expellantur.

Major tamen, quem nunc referam, error eſt nullâ ope declinabilis, ſed morte inevitabili piandus eorum infantum, quorum in formatione committitur. Anni nempè 1686. Die 31. Jan. Mercatoris cujuſdam uxor cauſæ nulliûs conſcia, puellum parit pede dextrô varum, quod forſan vitium temporis progreſſû corrigi potuiſſet, utrôque verò crure paralyticum, & in dorſô circà quartam lumborum vertebram tumore eminenti notatum cyſticô, craſſô & muſculosô. Tumor hic, qui exteriùs in uterô abſceſſerat, digitô compreſſus cedebat, & velut burſa inanis apparebat, ſi tamen mediô iſtius, ſive potiùs ſpinalis medullæ exactè inſerebatur digitus, manifeſtam cavitatem tactû deprehendere licebat, & quoties puellus vel ejulabat vel flatus aut excrementa alvi ejicere tentabat, tota cavitas inflari videbatur. Conſultus à Parentibus abſceſſum judicantibus, ejuſque apertionem urgentibus, hinc indè penſitatis circumſtantiis ſpinæ dorſi vitium ſubeſſe non vanè conjeci & Chirurgo, ſaltìm ut exulceratam cutim emplaſtrô ſiccante conſolidaret, inciſionem verò differret, autor fui, motus imprimis Relatione Patris nati, qui mihi narrabat, uxorem ſuam primô partû edidiſſe filiam, quæ adhuc vivit, ſaniſſimam, nullôque deformem nævô; ſecundô, peperiſſe filium, pari, quô præſens ante oculos noſtros puſio, inque eôdem dorſi locô protuberantiâ inſignitum, cujus cyſtidem cùm aperuiſſet Chirurgus, ichoris quidem aliquid effluxiſſe ſeroſi, aſt ſine levamine ægri, qui, denuò intumeſcente folliculô, ſeptimô à partû die expiravit; bienniô poſt iterùm enixam eſſe matrem puellam nullâ rursùs maculâ deturpatam, quæ etiam adhùc vivit; & iſtam itidem abſolutô bienniô hanc quartam ſobolem fratri ſuo jam defuncto in vitiô quoque formationis ſimilem ſecutam eſſe. Paruit monito Chirurgus, unde in eôdem ſtatû manſit tumor, neque increſcens, neque decreſcens, donec alvi torminibus, convulſionibus aliiſque gravioribus ſymptomatibus confectus ejuſdem anni d. 30. Martii exſpiraret miſellus puſio. Suſpicionis de dorſi vitiô conceptæ confirmationem, ſcrupulorumque inde ortorum gravium ſolutionem cùm promitteret anatome, ne tumoris quidem, nedum filioli apertionem conceſſit Parentum ſuperſtitio. Fauſtô tamen, dixerim, an infauſtô ſidere accidit, ut menſe Octobri, ejuſdem anni cum aliis duobus Medicis ego à Mercatore aliô ad conſultationem de filiolô inſtituendam vocarer. Natus is erat 7. April. 1686. cum ejuſmodi quoque cutis muſculorumque dilatatione ex casû matris gravidæ in dorſum occaſionaliter, uti putabatur, orta in eô ipsô dorſi locô, quæ quidem in lucem editô primùm infante fuerat exilis, ſed cum corporis & ætatis incrementô, erat autem puer tunc obeſiſſimus, hæc quoque incrementa ſumſerat. Inſpectô locô affectô, quem talem exactè deprehendimus, qualis eleganter depingitur *Miſc. Cur. Dec.* 2. *an.* 5. *Obſ.* 208. *fig.* 47. de duobus ferre ſententiam jubebamur: primò, cùm tumor applicitis hactenùs diſcutientibus & reſolventibus imò variolis accedentibus, & probè ſuppuratis, nihil cedens ad pugni jam molem accederet, tensâque ad rupturam ferè cute multum in ſe humoris continere videretur, utrùm ſit aperiendus, necnè? Secundò, qui paralyſi crurum, quibus inſiſtere nequibat, licèt ſedere poſſet, infans, & cujus cauſam in pinguedine exceſſivâ quærebant omnes, ſit ſuccurrendum? De paralyſi nos eſſe ſecuros reſpondimus, quam ſublatâ causâ; tumore ſcilicèt nervos comprimente, facilè ceſſuram non diffideremus, hujus tamen inciſionem, metû epilepſiæ ob conſenſum partium vicinarum excitandæ, aliiſque de cauſis, quas nobis ſuggerebat, *Miſc. Cur. Dec.* 1. *A.* 3. *Obſ.* 107. ſuadere non poſſe, quin arbitrari nos fore tutiſſimum, ut topicorum hactenus impoſitorum uſus continuetur. Triduum ità effluxit, & ſponte ſuâ ad extremum tenſa cutis crepuit, ſerumque effudit limpidum & copioſum, ſtatimque iterùm, ac ſi nunquam evacuata fuiſſet, intumuit, biduô verò poſt, d. 19. Octobr. epilepticus obiit Puellus. Tantùm precibus noſtris dedêre Parentes, ut cultrô aperire liceret cyſtidem, quæ poſt obitum planè detumuerat, ne veſtigiô quidem humoris contenti relictô. Apertæ illiûs eadem revera in cavitate apparuit facies interna, qualis eſt auricularum & ventriculorum cordis, tot fibris & columnis nervoſis à vertebris lumbaribus ad extimam cutim tendentibus. Spina dorſi, niſi quod à perioſtico & jam nominatis fibris tegebatur, nuda erat, in cujus mediô foramen rotundum, cui extremitatem medii digiti inſerere poteram, tangebatur, unde, cùm ulteriori

teriori inquiſitioni pro accuratâ magis notitiâ comparandâ obſtaret mater nati, in eâ opinione fuimus, ſpinam eô locô eſſe bifidam, & portenſiones fibrarum iſtas per ſpinæ hiatum ad abdominis membranas ferri, confirmati hâc in re à *Tulpiô*, *Lib. 3. Obſerv.* 30. Licèt autem plura nobis obſtarent adhuc dubia, tandiù tamen iſti ſententiæ inhæſimus, donec Annô 1687. D. 15. Martii Inſectori cuidam iterùm ejuſmodi naſceretur infans, matre itidem caſum in dorſum tempore graviditatis perpeſſum accuſante, quô auditô, ut tandem aliqua circa hanc difficultatem eluceſceret certitudo, vigilandum duxi, rogavique Dn. D. *Samuel. Graſſium*, Amicum honoratiſſimum, qui erat familiae illiûs Medicus, ut ſi moreretur infans, & ejus ſectionem indulgerent parentes, mihi quoque videndi concederetur licentia, & obtinui, quod volui: Namque ut hæc præmittam, die à nativitate ſecundô laudatus *D. Graſſius* unà cum Chirurgô Parentum rogatû moti, aperuêre tumorem phlebotomô, cumque effluente ſerô limpidô ſic ſatis benè habere videretur infans, balſamicis injectionibus & emplaſtrorum debitâ deligatione de felici eventû non deſperavêre, dùm D. 20. Martii accedens epilepſia ſpem conceptam fruſtraretur, & per integras viginti quatuor horas defatigatam puellam è mediô tolleret. Parentum benignitate factum eſt, ut poſterô die aperiremus ambo defunctum infantem, primumque tumore cruciatim, diſſectô ambitum ejus omnem conſtare vidimus ex integumentis corporis communibus extenſis, & ſuccingi intùs membranâ denſâ, propagine forsàn membranæ muſculorum propriæ, cujus fibræ interiùs per trium vertebrarum lumbarium inferiorum cavitatem intrà abdomen, uti conjiciebamus, decurrebant. Spina etenim dorſi ſuperior erat integra, os ſacrum integrum, ſolæ tres vertebræ dictæ ob eximiam in mediô ſui cavitatem ſpinam bifidam referre videbantur. Ut ergò meliùs pateret, quò filamenta iſta fibroſa terminarentur & an aliquod illis cum membranis abdominis vel ratione originis vel ratione complicationis eſſet commercium, illud aperuimus, remotiſque inteſtinis, renibus, & quæ reliqua obſtaculo eſſe poterant, internam vertebrarum omnium partem per totam ſpinam reperimus ſine omni defectû planè integram, & nullibi in duas partes diremtam, ſed ſolitô aliàs more formatam, unde inversô corpore ipſis his oculis vidimus, & ſtilô in ipſam cavitatem ſursùm intrusò tetigimus, trium iſtarum vertebrarum lumbarium proceſſum poſticum, ſeu ſpinam propriè dictam cum proceſſibus obliquis, & dimidiis tranſverſis ſive lateralibus omninò deficere, & neque medullæ extare veſtigium, ex cujus membranis quoque dilatatis prima tumoris fundamenta jecerat aberrans vis plaſtica. Inſolitum hoc ſpectaculum magnam quidem in nobis excitabat voluptatem, univerſæ medullæ ſpinalis, quin & cerebri conſtitutionem cultri acie porrò inveſtigandi, verùm nè rarâ parentum abuteremur benevolentiâ ſubſtitimus, cùm ex hactenùs viſis aliundè nobis conſtiterit de vitii corrigendi impoſſibilitate, & paralyſeos, ortû ob nervos partim malè formatos, partim medullæ ſubſtantiam in ichorem contentum abſumptam; rectiùsque nos feciſſe hinc collegimus, quod Puellum ſuprà notatum ſuô potiùs fatô mori ſiverimus, quam ſi nihil pro futurâ excreſcentiæ ſcarificatione illatæ cladis ſuſpicionem in parentum animis excitaviſſemus.

Ibidem, An. 9. Obſervat. 152. De Opiô in partû difficili feliciter exhibitô.

OPium, horribile quibuſdam Nomen, cum prudentiâ adhibitum polychreſtis & ſalutaribus Medicamentis dudum adſcripſere Medici in arte verſatiſſimi. Quibus ùt meam qualemcunque teſſeram adjiciam, me in omnibus hæmorrhagiis profuſiſſimis, imprimis verò in nimiô & ad lipothymiam uſque protractô menſium, lochiorumvè fluxû præſentiſſimam ægris opem, exhibitô opiatô, tuliſſe, certò affirmare poſſum, plus vice ſimplici expertus, propinatis aliis ſive ſtipticis, ſive confortantibus ſpecificis incaſsùm laboraviſſe, niſi hunc addidiſſem comitem; & vice verſâ, ubi aliis medicamentis requiſitis vel momentum pro re natâ herois hujus junxeram, ſtatim de ſymptomate periculosô retuliſſe Triumphum. Curioſa verò admodum & notatû digniſſima mihi viſa eſt ſequens Obſervatio Opii in partû difficili cum feliciſſimô ſucceſſû diſpenſati. Accidit nempe, ut D. 9. Aprilis 1687. meridie Conſilium meum expeteret Pannificis Uxor, annos tringita duos nata, cæterùm ob teneriorem Corporis texturam in phthiſin ſeu tabem prona, tunc in Partûs negotiô conſtituta. Accedens me ejus nomine Fœmina retulit, tempus pariendi legitimum adeſſe, nullos verò Partûs dolores, obſtetricem autem, utrùm fœtus vivat, necnè, decernere non poſſe, parturientem intereà viribus omnibus exſolvi, ob ingentem ab uterô hæmorrhagiam, quâ purus ſanguis grumosô mixtus per dimidium ferè diem, in copiâ non contemnendâ profluxerit. Ego, quid in casû dubiô agendum ſit, hærens, Potionem dedi ex attemperantibus, & Fœtum roborantibus non adeò ſpirituoſis, ſimulque pulv. Bezoard. Sennerti, ſpecific. Cephal. D.M. coralliis & terræ ſigill. ſtrig. mixti binas doſes, quarum unam ſtatim, alteram poſt bihorium aſſumere jubebatur. Paruit, nihil indè auxilii percipiens, continuante Fluxû ſanguinis, unde efficacius à me petiit remedium. Poſtquàm ergò mecum perpenderem, ſi per fortiora expellentia, aut volatilia fœtus ad egreſſum ſollicitaretur, hæmorrhagiam non deſituram quin potiùs ſpiritus, ni & vitam ægræ peſſum ituram, dedi pulverem ex corall. r. antimon. diaph. martial. additis pulv. anod. gr. ij. urgenti ità ſymptomati obviaturus, in mediô relinquens, utrùm hoc, vel aliô die partus fuerit abſolvendus. Illa ſumptô pulvere, poſt quadrantem horæ tantùm abeſt, ùt in ſomnum rueret, ùt potiùs doloribus partus corriperetur vehementibus, & dimidiâ à deglutitô Pulvere horâ eniteretur puellum vegetum, ceſſante hæmorrhagiâ, debilitatâ quidèm inde Matre, vires autem poſt exhibita confortantia die poſterô in ſtatû ſanitatis conſuetæ, tranſigente.

Ibidem Obſerv. 153. De Clyſteris in molâ ſalutari efficaciâ.

GRegorii apud nos Uxor juvencula, cachectica, dum adhùc Virgo eſſet, correctô per Matrimonium contractum, ex parte, malô, gravida fit, & uti fert conſuetudo hominum ejuſmodi, de curâ proprii corporis non admodùm ſollicita, lubricô pede in glacie vacillat, & modò non corruit, unde ſtatim malè habere torminibus ventris atrociſſimis ſine intermiſſione dies noctesque urgentibus, cum profuſione ſanguinis, licèt non nimiâ, tamen inconvenienti. Vocata Obſtetrix, quæ facienda putat facit, & dolorum iſthanc acerbitatem placare tentat. Cùm verò per quatriduum integrum nihil proficerent Conſilia

ſilia muliebria, doloribuſque in immenſum auctis, & nullâ quiete interceptis, in maniam, convulſioneſvè lapſura videretur ægra, meum in furore uteri tantô, uti vocabat, auxilium implorat. Colicam convulſivam, cum nephritide & doloribus nimiis conjunctam, videns, propono clyſterem ex emollientibus, & demulcentibus. Licèt autem hoc remedii genus fœmellis præſentibus non arrideret, abortui hic anſam præbitum iri, metuentibus, & Fœtum, quem ſuſpicabantur, omni modo conſervandum, urgentibus; cùm tamen illis reponerem, non abortum modò, ſed periculum vitæ imminere ex dolorum atrociſſimorum continuatione, neutrique aliâ curâ, quem mitigatione torminum, opem ferri poſſe, & ægra bona omnia indè ſperaret, conſensêre, & quidèm tantô cum emolumentô, ùt, ſimul ac infuſum fuerat chyſma, ſaltim domeſticum, paucâ interjectâ morâ, iterùm rejectum fuerit, ſimulque mola grandis, quod prædixeram, cum Fœtû puſillô, duorum præter propter menſium, ceſſantibusque quaſi ab incantatione, doloribus, ægra facta fuerit ſtatim quietiſſima, & adhibits poſteà medicamentis paucis ſanitati ſit reſtituta.

Quam obſervationem mecum ruminans, pari modô præſentiſſimô vitæ periculô eripui foëminam nobiliſſimam, quæ gravidam ſe putans menſe tertiô, neſcio quâ de causâ in hæmorrhagiam uteri largiſſimam, cui aliàs erat ſueta, eâque in primô partû ferè non conficiebatur, incidit, cum nauseâ, vomitibus, paſſionibus hyſtericis, lipothymiis frequentibus, averſatione rerum plurimarum ut & medicamentorum, quorum multa vomitû vix deglutita rejiciebat. Adhibita ſunt varia, interna & externa, foëtum & matrem roborantia, cordialia, hyſterica-ſtyptica, anodyna, & opiata, bis tandèm nihil proficientibus, Clyſma ex Lacte cum demulcentibus & leniter adſtringentibus coctô, infuſum, ægram paroxyſmô graviſſimô levavit, rejectâ unà cum hôc, molâ ingenti, cui tamen foëtum fuiſſe junctum, non potuit agnoſci, & ægra pedetentim vires collegit proſtratas. Obiter hic noto, me certiùs molæ ſignum hactenùs, & quaſi pathognomicum obſervare non potuiſſe, quam intumeſcentiam mammarum, & effluxum lactis ſeroſi, in primis ſtatim conceptionis menſibus, neque unquam me eluſit.

Ibidem Obſervat. 154. *De Abſceſsû flatulentô in Collô.*

VIr hujus loci primarius, annos triginta ſex natus, alacris, plethoricus, robuſtus, catarrhô, uti putabat, levi circa Autumni initium cum raucedine correptus, nihilque mali ominatus, medicamenta reſpuit, variis, quales huic anni tempori familiares ſunt, tempeſtatibus medum Collum exponit, quin & Vinum aliquoties liberalius in Converſationibus conſuetis haurit. Horripilationibus inde ſæpiùs revertentibus, monitus, diaphoreticô levi utitur, meliùſque parùm habere viſus, venam pro imminuendâ plethorâ incidi curat. Horâ, & quod excurrit, menſæ accumbit infeliciter, videns nempè, filiolam unicam ſanam ad latus ſuum apoplexiâ repentinâ fortiſſimâ rebus humanis eximi; quô caſû inopinô maximè perculſus, totam diem in negotiis funeribus, & colloquiis familiaribus inſumit, medicamenti ſumendi oblitus. Manè evigilans collum anteriùs, quod ante paucos dies jam parùm à catarrhô intumuerat, incrementum maximum cepiſſe ſentit, cum æſtû internô, ſiti intensâ, febri tenſione partis affectæ, adeò ut, caput anteriùs ad pectus reclinare non poſſet, certô malignitatis latentis indiciô. Corrigi iſta, quæ ab initiô forſan repetitis ſudoriferis potuiſſet, remedia nunc omnia eludebat, eò potiſſimum etiam ſubſidiô creſcens, quod ob deglutitionem impeditam pauciſſimis, & nonniſi liquidis ad interiora aditus concederetur. Parùm muci Viſcidi cum ſummâ autem difficultate & metû ſuffocationis deglutitis epiceraſticis pectoralibus ejiciebat, externè verò tumor collum univerſum in longitudine à mentô ad claviculas & in latitudine obſidens ab emplaſtris & cataplaſmatibus adhibitis quotidie magis extendebatur, cum ſpe ſuppurationis futuræ, abſceſſus aperiendi locum elevatione notabili oſtendens, durior tamen & tenſus manebat. Verum evanuit intra biduum concepta ſalutis obtinendæ opinio una cum elevatione iſtâ, manente tumidiſſimô cum tenſione ſine pulſationis ſensû, gutture, collapſis intra unam noctem ægri viribus, itâ, ut, qui heri à lectô ſolus ſellam petebat, in quâ ſedens collutionem oris per ſiphonem fieri permittebat, poſterô die pedes de locô movere non potuerit, urgente ſemper ad expectorationem mucô viſcidiſſimô, ſed paucô, ut ſuffocandus extemplò videretur, accedentibus deliriis, cum atroci intumeſcentiâ & rubore faciei, ut periculum mortis declinaturis aliud non ſuppeteret conſilium, quam apertio colli inſtar tympani turgentis. Apertione ad latus per lanceolam factâ, flatus cum fragore quaſi ſclopi exploſi, erumpebat, exceptus ſibilo, ventris borborygmis non abſimili cum ſanguinis amurcæque tanti foëtoris, ut non ſolùm totum conclave repleret, ſed & præſentes narium teneriorum fugaret, paucâ quantitate, moriente poſt bihorium ægro, quem cultrô anatomicô penitiùs luſtrare nimia propinquorum in defunctum pietas non permiſit.

Ibidem Obſervat. 155. *De Luxatione Oſſis humeri ſurſùm factâ.*

RAriſſimam Luxationis ſpeciem eſſe eam, quâ os humeri ad ſuperiora emovetur, omnes fatentur Medici & Chirurgi, nonnulli & inter eos Foreſtus L. 9. Obſ. 4. ſchol. p. m. 166. planè negant, eò quod ſcapularum proceſſus anchoræ ſimilis id impediat, unde & de ejus diagnoſi & modo curandi altum apud Authores omnes ſilentium. Licèt enim notabile luxationis humeri Exemplum recenſeatur ab Anton. de Heyde Obſ. 46. p. 108. ſpecies tamen illiûs non exprimitur. Cùm verò illa præteriti Anni 1689. æſtate obſervandam ſe mihi obtulerit, digna mihi fuit viſa, quæ publico communicaretur.

Mercatoris famulus ebrius, ab equô, quô ſpatiatum ferebatur, excuſſus in pratô, ſtatim ſomnô corripitur profundô, & ità ſub diô jacet, donec à ſuis, qui ipſum currû præiverant, & equi, equitis ſui inſeſſû orbati adventû, de emotione ipſiûs moniti, ſtatim eum quærebant, inveniretur. Concuſſus validè, evigilat quidem, ſed nondùm à crapulâ liber. Fati, quod eum oppreſſerat, planè neſcius, de ſtupore ſaltim digitorum manus dextræ queritur, & chirothecam, quæ tamen manum, adhuc tectam habebat, tanquam amiſſam quærit. Domum delatô, Chirurgus ſub veſperam accerſitur, qui extenſione factâ, in tantos cruciatus & ejulatus conjecit ægrum, ut ulteriorem operationem in craſtinum differre cogeretur. Mane ego ad conſilium accitus, auditô casû, ſtatim quidem de Luxatione humeri cogitabam cùm verò ſigna Luxationis ad inferiora, & anteriora deficerent, autoritate ſcriptorum me ſeductum fuiſſe fateor, & de diagnoſi morbi mecum ipſe convenire nequivi, præſertim

tim cùm neque de modô caſûs, alliſioniſvè, neque de ſitû corporis in decubitû, quem ſtupefacti omnes, non attenderant, informari à quô quam poſſem, Inſpectô ægrô, obeſi corporis homine, nullam, ultrà claviculam, video, vel tango eminentiam, brachium tamen attollere nitebatur Chirurgus, de dolore intenſiſſimô circa muſculum pectoralem, & gemellos ſeu brachiales externos, itemque in flexurâ cubiti conquerebatur, ut etiam omnem attactum refugeret, quæ loca omnia quoque tumebant, & à ſuffusô cruore rubebant, livebantque & in cavitate brachii à coſtis uſque ad cubitum, corpus aliquod tenſiſſimum percipiebatur, quod muſculi noni humeri, Placentini, uti vocatur, à Brun. Myol. p. m. 49. tendinem fuiſſe mihi videtur, ob os recedens, quod ſequi nequibat, inſtar chordæ intenſum. Sententiam in re ancipiti præcipitare nolens, Chirurgum inungere juſſi linimentô nervinô læſos muſculos, illorum putans eſſe vitium à contuſione ortum, ægrô verò ob ventriculum gravatum, propino purgans, unde poſt aliquot dies multum dolor & tenſio iſta remittit, motuſque brachii ad ſuperiora reddebatur facilior, unde cauſa morbi, nempe læſio muſculorum quaſi acû tacta videbatur, ſpes reſtitutionis hoc modo obtinendæ oriebatur. Inunximus, fovimus, extendimus, in quantum poſſibile fuit, brachium, quin & ſuppoſitâ culcitrâ robur ipſi addere conati ſumus, nihil querente per integrum hoc temporis ſpatium ægrô, niſi de ſomni defectû quem tamen ſollicitudini animi, ob privatam cauſam potiùs quam dolori adſcribebat ipſe, interim ad interiora, ſeu pectus, ad poſteriora ſeu dorſum, & ad ſuperiora ſeu caput flectere non poterat brachium, ſed quoties ſurſum tendebat, abduci à pectore humerus, quin illud hunc ſequeretur, ſe non paſſus eſt, & ad circulationem humeri cum oſſe ſcapulæ quaſi alliſio ad obſtaculum percipiebatur interim brachium deorſum optimè flecti poterat, adeò ut de terrâ ſufferret pondus non exiguum. His ità viſis, & collatis ſignis Luxationis deorſum factæ humeri planè contrariis his, quæ jam recenſui, præconceptam opinionem exui, & Luxationem, vel potiùs ob prominentiam planè non notabilem, ſubluxationem oſſis humeri ſurſum factam hic ſubeſſe, ſolâ repoſitione curabilem definivi. Deprècatus torturam æger, maluit extrema potiùs, quàm illam pati, tandem tamen cùm meliùs rem perpenderet, & ab Empiricis paſſim lenius, acceptiuſque remedium non acciperet, ſextâ demùm à casû ſeptimana repoſitionem petit, & urget, quam invitus licet, tam ſero & cum prognoſticô inſtituit Chirurgus, alligato mantili ad os humeri extendens pedetentim brachium, dum alias manû forti; caput acetabulo cum fragore aptat, tertius autem tres illos motus, quos anteà obire nequibat, ſurſum nempè, antrorſum, & retrorſum, flexô brachiô perageret & poſteà modô conſuetô curationi ulteriori proſpiceretur. Cùm autem nulla adhùc in membrô læsô tabes obſervaretur; factum eſt, licèt poſt ſemeſtre demùm, ut fotum, & unguentis balſamicis & nervinis litum diligentiſſimè, brachium, ità integritati ſuæ reſtitueretur. Ingenuè errorem meum confiteri volui, ut periculô alienô ſapere diſcant Juniores Practici.

Ibidem Obſervat. 156. *De Experimentô Circa moxam.*

EXperimentô ſequenti infortunium meum anſam dedit. Cùm enim ann. 1682. Menſe Octobr. præcipiti de ſcalâ casû ruerem, accidit, ut dorſum meum & brachium ſiniſtrum, licèt exterius nulla vel inflammatio, aut ſugillatio contuſio vé animadverteretur, adeò contuderim, aut quidem dolores inde orti hôc tempore ultra biduum his in locis me non infeſtarent, anni tamen ſequentis menſe Martiô acerbiſſimô, & ſpaſmodicô punctionis ſenſû nihil tale omnino præſumens, in dorsô ſuperiori, cervice, occipite, ſcapulis, & brachiis, ut vel immobilis ſedere cogerer, vel motû etiam minimô acutiſſimos ſentire cruciatus neque declivis in lectô jacere, aut ſomnum capere poſſem, quô per dies noctesque aliquot coactus carui, quin potiùs, quoties caput in pulvinar reclinarem, quaſi pondus appenſum eſſet occipiti videbatur, & caput nonniſi manû opitulante attollere poteram. Dolor iſte fere intolerabilis primâ vice per ſeptimanas quatuor durans, ſingulis Annis bis, Vere & Autumnô, imprimis circa æquinoctia vel ſolſtitia magnâ cum ferociâ, & quoties currû vel motû citatiori veherer, mitior quidem, rediit, meque tamen afflixit, muneris mei expeditioni ineptum me reddens, ſimulque ſenſus etiam internos turbans, ut adeô, nihil levaminis percipiens, ex omnibus, artis præſcriptô adhibitis internis & externis, fomentatione, linimentis, balneis, veſicatoriis, paregoricis, tandem & fonticulô, de aliquô remediô præſervativô maximè ſollicitus evaderem. Incidit autem commodè ann. 1687. circa ſolſtitium brumale, decumbenti iterùm mihi morbô iſtô contumaci, Moxa, quam præter alias Autorum commendationes illuſtrem mihi reddiderat feliciſſimus eventus, quo Fœmina quædam non ità pridem ab ejus inuſtione in pede doloribus nulli alii remediô cedentibus, & incoërcibilibus, ad incitas redacta fuerat mactata. Experimentum & in meô affectû facturus in præſentiâ duorum Medicorum, Amicorum meorum, d. 19. Decembr. Moxam locô primum affectô, vertebræ nempe dorſali, in quam casû alliſeram ad ſcalam, applico, & in ipſô urendi actû quaſi fulmen curioſiſſimo ſenſû percipio quoddam, omnes partes dolore affectas in momentô tranſire, & dolorem extemplò omnem evaneſcere ut ligatus ante viſus nunc motû liberrimô gauderem, ſurgens. Annô elapsô leniter redeunti ſtatim eôdem remediô ebriatus, tantum per Dei gratiam obtinui, ut per biennium nihil ejus quicquam amplius me infeſtaverit.

Ibidem Obſervat. 157. *De Pedum hydropicorum ſcarificatione & Veſicatoriis.*

MAle de his, imprimis de veſicantibus ſentit Septalius Animad. L. 7. ſ. 56. p. m. 205. & perpetuos Gangrenæ Autores accuſat, unde & timorem Medicis rationalibus non ſine causâ injicit: Referam tamen quid mihi hâc in re obtigerit, in Virô quôdam ſexaginta penè annos natô, nephriticis, & colicis ſymptomatibus, ante ſæpè obnoxiô, herniosô. Is, poſtquam ex morbô diuturnô & maximè moleſtô iterùm ſurgeret, pedes œdemate affici ſentit, illique maturè obviam it multis remediis, imprimis motû frequenti, eôque magnô: parum tamen ſolatii inde percipit, intumeſcentibus quotidie magis pedibus, & abdomine, nonnunquam & manibus. Inſtat medicamentis, imprimis purgantibus crebrioribus, & fortioribus, unde ſemper allevatus eſt. Tandem tamen cum nihil proficerem, ſcarificari juſſi crura tumida profunde hinc inde, applicatis cucurbitulis primo ſanguis exigiit, mox ſerum non adeô copioſum, neque

neque cùm tentatô, ſucceſſû, intra tres vel quatuor dies iterum cute clauſâ, repetii eandem ſcarificationem quater eôdem eventû, nullô ægri emolumentô. Unde factô priùs prognoſticô, ad veſicatoria deveni, quæ minima, poſt majora excitari curavi, quæ quidem plus materiæ evacuabant, ſemper tamen coalitum minabantur, etiam ter repetita. Unde & hoc fine meô excuſſus, de fonticulis inurendis cogitavi, & jam in opere eram, cùm ecce, ex improvisô ire furore percitus æger, malè rebus ſuis conſuluit. Moti enim ità humores, nimis clauſa jam cutis veſicatæ ſpiracula aperuêre & intra paucos dies totum corpus à ſarcinâ ſeroſâ liberârunt, manente tamen ſemper catarrhô ſuffocativô, & 14. demùm morbi die interiit æger, pede dextrô factô lividô, & gangrænosô, cum ſtupore.

Ibidem, Obſerv. 158. *De Potû aquæ in Hecticâ ſalutari.*

Sequens Obſervatio, licèt rari nihil in ſe contineat, iis tamen, qui praxi Medicæ intenti, ex unâ ſæpè circumſtantiâ multum lucis in rebus dubiis hauriri poſſe ſciunt, non fruſtrà eam exarâſſe videbor. Cerdo noſtrâs, aliquot ſupra quinquaginta Annos natus, conſtitutionis integræ, compotationibus inter ſodales, licèt non nimiis, tanquam requiei à laboribus aſperioribus deditus, ſtudens, æſtate anni 1688. ſe laſſitudini majori obnoxium eſſe ſentit, quæ ſenſim ſenſimque ingraveſcens, non ſolùm omnem appetitum, ſed & Vires dejicit, tandemque tuſſis accedens cum aſthmate præcordiali, ipſum conſumit & lecto affigit. Hac ſollicitudine preſſus, ſeptimanas viginti inter variarum medelarum à Medicis & Empiricis convaſationes tranſigit, tandemque 31. Januar. 1689. meum Conſilium expetit. Præter ea ſymptomata, quæ jam tum enumeravi, adhùc erant; ſenſus ebullientium humorum in præcordiis, ſomnus inquietus, & à tuſſi vehementiori ſæpè interruptus, æſtus in volis manuum, & præcipuè in pedum ſoleis intenſus, ut vix eos ſub lectô continere poſſet, aſthma, febris à meridie lenta invadens, & ad mediam noctem continuans, quoties parùm dormiret, proſtrationem virium, Sudoreſque magnos ſentiebat, cum nauſea omnis cibi neque potûs appetentiâ, urinæ variabant & licèt eſſent coloris ſaturatioris, tamen modò turbatæ copioſum ſedimentum deponebant, modò lucidæ integrum diem manebant. Viſis his talibus per dies aliquot digeſtiva propinavi, & cum præter alias indicationes etiam vomituritionem animadverterem, collataſque ad hæc vires magis obrutas, quàm exhauſtas conjicerem, vomitoriô hoſtem aggreſſus ſum, & magnam viſcidorum biliolorumque excrementorum copiam everri, hinc per ſtomachicô-pectoralia, abſorbentia febrilia, etiam in in accisâ doſi, pro re natâ, mixtis anodynis, potiorum ſymptomatum everſionem molitus ſum. His ità per binas ſeptimanas continuatis cùm parùm me proficere viderem, conſtanti in eôdem tenore morbô licèt non in pejus mutatô præterea ſupprimi urinam quereretur, quamvis ſine dolore, aut ſtranguriâ, & de ebullitione magnâ humorum cum metû ſuffocationis æger, denuò propinavi vomitorio laxans tantumque effeci, ùt ad dies 4. parùm comederet, quod quidem hactenùs per dimidium annum non fecerat, cùm aliquâ ſpe ſanitatis. Cùm verò urinas viderem ſemper adeò turbidas, ut manerent turbidæ, nunquàm omne deponerent ſedimentum, parùm inde ſolaminis mihi natum, & dictum factum, omnia in pejus ruere, proſterni etiam appetitum, licèt non obruiſſet ventriculum, ad hæc de dolore & debilitate capitis nunquam ſolitô conquereretur, lipothymiis &c. conjeci, vinculum mixtionis in M. S. & reliquis humoribus eſſe ſolutum, quod dùm remediô convenienti laboro reſarcire, commodè incidit Aquæ potus, cui & juvenis rori natus & educatus, aſſueverat, & in quô, ubi remedium proponerem, aliis in morbis ſalutis inveniſſe anchoram mihi retulit, jubeo experiri, parcâ doſi, plus conceſſurus, ſi videro non nocituram. Paret, benè dormit, æſtus infringitur, Urinæ mutantur quotidiè in meliùs & clareſcunt, addo poſtea gelatinas Zwelferi &c. æger convaleſcit intra 7. 8. ſeptimanas. Cùm verò paulò poſt curis domeſticis intentus, faſtidium, iramque ex re malè curatâ conciperet, in profuſiſſimam hæmoptyſin incidit, à quâ per aliquot dies continuante, è vivis tandem eſt ſublatus.

Ibidem, Obſerv. 159. *De Venæſectionis utilitate & neceſſitate.*

Helmontium, eumque ſecutos plures Medicos rejeciſſe V. S. palàm notum eſt, & recoxit iſtam crambem nuper Ghema, brutô fulmine increpans omnes, qui venam jubeant ſecandam, homicidi titulô, pœnâque dignos reputans. Reſponſum his omnibus fuit ab aliis ſolidè & ſufficienter, vitiô tamen mihi non vertetur, ſi ipſorum argumenta aliquot exemplis confirmem, proſperrimi eventûs.

Piſtor noſtrâs ex Febre continuâ convaleſcens, primô è domô ſuâ egreſsû, nuptias amicæ petit, dùm verò in templô ſponſalia peraguntur, ipſe rigore, Vomitû & pleuritide verâ corripitur meque Amicum cognatumque, quid factô opus conſulit. Plethoricus erat, ut qui maximè, unde quidem indicabatur Venæſectio. Ego verò mecum reputans, nondùm quatuor elapſas eſſe ſeptimanas à principiô continuæ, in quô ipſi vena fuerit ſecta, nondùm tantum augmentum acceſſiſſe ſanguini, ad hæc plurium autorum ſententiam dicentium curari optimè poſſe abſque v. ſ. pleuritides, nolui ergò venam ſecari, ſed propino bezoardica, reſolventibus anodyniſque mixta cum imperatô ſudore. Ille parere, ſudare, ſed ſemper ingraveſcere affectum, accedereque tantam inquietudinem & oppreſſionem circa cor per biduum videt, ùt interitum metueret. In tantis anguſtiis conſtitutus v. ſ. impero, dictum factum, ſtatim omnia conquieſcunt, dormit æger, & intra paucos dies convaleſcit.

Ego ipſe cùm Febri laborarem tertianâ intermittente, ſinguliſque paroxyſmis ſensû ejuſmodi, ac ſi ſpina dorſi Aquâ fervente perfunderetur, vexatus, Venâ ſectâ ſtatim ab eô fui liberatus.

Præterea Faber ærarius hujus Loci plethoricus febre malignâ tertianâ intermittente affectus, cùm quintô paroxyſmô tantâ inquietudine & præcordiorum anxietate corriperetur, poſt alia varia fruſtrà adhibitâ, ſectâ brachii venâ ſtatim allevatus eſt.

Mercator quidam eryſipelate epidemiô circa fonticulum ſiniſtri brachii correptus, cùm primò ad inferiora & ipſam manum malum declinaret, paulò poſt radios ſuos ſursùm ſerpendo latiùs uſque ad ſpinam dorſi emiſit, & progreſſum eſt, donec ibi, ſectâ brachii dextri medianâ, quaſi faſcinô, ſiſteretur.

Socer meus, defunctus febre ardenti criſin moliente, Natura cùm gravata videretur copiâ ſanguinis, ſtatim à V. S. opus ſuum alacriùs aggreſſa, per ſudorem, egregium morbo finem fecit.

BURGIUS (*Johannes*,) Calatajeronenſis; vir ſanè clariſſimus & in Eccleſiaſticô ordine ſat notus, Patritiô exortus genere, antequam clericali militiæ nomen dediſſet, medicâ facultate excelluit; immò inter ævi ſui Medicos primas obtinuit. Doctrinâ ornatiſſimus, Principum, æſtimationem, ac laudum præconia aſſequutus eſt. Patritii munere [Juratum vocant) Calatejeronem pluries gubernavit, Annô 1446. ibidèm Syndicum egit, eôque annô ab ipſâ urbe orator miſſus ad Alphonſum Regem Caëtæ degentem, ab eôdem multa in ſui ac patriæ beneficium obtinuit. Ibi cùm Alphonſus graviter ægrotâſſet, medicâ Johannis ope ſaluti reſtitutus eſt. Hinc Eccleſiaſticô habitû inſignitus, plura ab ipsô in grati animi argumentum accepit, & Abbas Novæ Lucis electus eſt. Eô inſtante à Nicolaô V.Pont. Max. Sipontinus Antiſtes conſtitutus fuit annô 1449.12. Aprilis. Primùm Sipontinum, exindè Manfredoniæ Archiepiſcopum vocat Rocchus Pirrus *Not. Eccl. Panorm.pag.* 168. at Manfredoniæ Archiepiſcopatus idem eſt ac Sipontinus: Sedes enim Sipontina in novam Manfredoniæ urbem fuit tranſlata, cùm Manfredus Siciliæ Rex ob aëris inclementiam novam, ac propinquam urbem Manfredoniæ, à ſe appellatam, ædificâſſet, & Sipontinis in habitandam dediſſet, annô 1258. ex Johanne Antoniô Summonte *Hiſtor. Neapolit. tom.* 2. *Lib.* 2. *p.* 148. 149 *&* 156. Ferdinandô Ughellô *Italiæ Sacræ tom.* 7. & Clariſſ. Pompeô Sarnellô in *Chronolog. Epiſcop. & Archiep. Sipontinorum* pag. 215. Ex facultate Calixti III. annô 1456.plures Sanctorum Reliquias, præſertim oſſis fruſtulum è manû S. Jacobi Majoris Apoſtoli, Calatajeronenſium Patroni, è Sipontinâ lipſanotheca abſtulit, & ad cives ſuos tranſmiſit, quas Nicolaus Monteneus, ſive Monſleo, Archidiaconus Garganicanus, exindè Syracuſanus Canonicus annô 1457. ad ipſos detulit. Cùm Sipontinam Eccleſiam laudabiliter rexiſſet, annô 1464. ex Pirrô *not. Eccl. Panor. pag.* 167. *& not. Eccl. Mazar.* pag, 514. ſive annô 1458. ex Ughellô *cit. pag.* 1167. & Sarnellô etiam citatô *pag.* 301. 25. Januarii, Ferdinandi Regis Neapolitani precibus, ad Epiſcopalem Mazarienſis Eccleſiæ Sedem transfertur & Abbatiâ S. Annæ de Portellâ, ſive de Scâtis cohoneſtatus eſt. Annô 1465. in Generalibus Regni Comitiis Orator electus eſt ad Johannem Siciliæ Regem, apud Terraconam in Hiſpaniâ tunc agentem, ùt Regni Capitula, & decreta regiâ auctoritate ſanciret, & ab eôdem Rege honorificè exceptus, omnia ex votô feliciter obtinuit, ac nonnulla in Eccleſiæ ſuæ commodum & pro Calatajeronenſibus, Netinis, ac Mazarienſibus accepit. Baſſarioni Cardinali Nicænô gratiſſimus fuit, qui Abbatiis ſuis in Siciliâ præfecit, ac vices ſuas præbuit. Paulo II. Poontifici etiam acceptiſſimus vixit, cui graviter ægrotanti ſanitatem reſtituit, ac à mortis limine revocavit, ideòque ab eôdem, annô 1467. ad Archiepiſcopalem Panormi Eccleſiam evectus eſt, quam virtutum ac doctrinæ ſplendore illuſtravit. Supremum vitæ diem ſibi inſtare præſentiens Calatajeronem adiit, ùt in dulciſſimæ patriæ ſinû vitam abſolveret; ibique deceſſit, 16. Januarii 1469. & in majoris illiûs urbis Eccleſiâ ſepultus fuit. At excurſis 84. annis, cùm Johannes Vega Siciliæ Prorex ann. 1553. nimis humilem tanti Præſulis ſepulchrum animadvertiſſet, juſſit, ùt ipſius câdaver effoſſum, ac integrum adinventum, in elegantiorem tumulum collocaretur, cui hæc addita fuit inſcriptio.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Johanni Burgio
Epiſcopo Sipontino, Mazarenſi & tandem
Archiepiſcopo Panormitano.
Suorum temporum totô ferè orbe celeberrimo,
Calathayeronenſi ornamenio
D. Veſpeſianus Bonanno, Franciſcus Rizzari;
Franciſcus Monteleone, ac Nicolaus de Monardo
Anno MDXXXXIII.
Civitatis Patres, antiquitatum non immemores;
Tumbam hanc inſtaurare fecerunt.
Naturæ ceſſit annô MCCCCXLVI.

Sed mendum in annorum notâ irrepſit; obiit enim Joannes non annô 1446. ſed annô 1469. ut ſupra innui. De eô Rocchus Pirrus locis citatis, & *not. Eccl. Syrac. pag.* 233. Vincentius Auria, *in Chronolog. Archiep. Panorm. in fine hiſtor. Crucifixi Panormit. pag.* 207. Johannes Jacobus Adria in *topographiâ Mazariæ*, Vinc. *Littara* de *rebus Netinis pag.*123.qui Jacobum vocat, Ughellus cit. pag. 1166. qui primùm Salentinum Epiſcopum, mox Sipontinum, indè Mazarienſem Epiſcopum enunciat; id ipſum habent Pompeus Sarnellus *in Chronolog. cit. pag.* 298. & ſeq. Petrus Paulus Morretta *de Calatagironô Cap.* 11. *pag.* 41. (qui de eô quoque *cap.* 12. *pag.* 53.] & eruditiſſimus Proſper Mandoſius in librô: *Theatrum in quô maximorum Chriſtiani Orbis Pontificum Archiatros ſpectandos exhibet pag.* 118. Sed advertendum Salentinam, ſeu potiùs Selinuntinanam Eccleſiam, eandem eſſe ac Mazarenſem; Selinus etenim Urbs antiquiſſima ex Adriâ & aliorum ſententiâ floruit ubi nunc Mazara; ſed vetiùs alii alibi conſtituunt, nempè in locô ubi everſæ urbis rudera ſpectantur, quam Terram Publicorum vocant. Conſule Thomam Fazellum *de rebus ſiculis Dec.*1. *Lib.* 6. *cap*4 *pag.* 148. & ſeq. & Philippum Cluverium *Siciliæ Antiquæ lib.* 1. *cap.* 18. *pag.* 225. Hinc Johannes primùm Eccleſiæ Sipontinæ, exindè Mazarenſis & tandèm Panormitanæ præfuit. Adverte etiam, Ughellum, Sarnellum, & Mandoſium ſcripſiſſe, à Johanne Vega Siciliæ Prorege Burgium in patriâ urbe ſepultum; Indè annô 1543. in honeſtiori tumulô conditum:at ſcribendum, Burgium defunctum ac ſepultum annô 1469. Vegam verò meliorem ſepulchrum decreviſſe poſt annos 84. non annô 1543.ut habet vitioſa inſcriptio apud Pirrum *not. Eccl. Pan. pag.*169. Mandoſium cit. & Hieronymum Raguſam in *Siciliæ Biblioth.Veter.p.*150.(hic etiam annum mortis in epitaphiô exſcripſit 1466. pro 1446.ut verè in inſcriptione mendosè legitur.) Sed annô 1553. ut tradit teſtis oculatus Gregorius de Auguſtinô in *ſupplementô m. ſ. ad Fazellum* in fine; & rectè; Vega enim ab annô 1547. ad annum 1557. Siciliæ præfuit ex Pirrô in *Chronologiâ Regum Siciliæ pag.* 111. Antoninô Amicô in *Chronolog. Proregum Siciliæ pag.* 23. *&* 24. & Vinc. Auria *in hiſt. Chronolog. Proregum Siciliæ à pag.* 40. *ad* 44. Multa de re Medicâ ſcripſit, ac Mandoſius citatus *pag.* 119. olim ſe vidiſſe teſtatur apud Franciſcum Falabellam, S. Severinæ Archiepiſcopum, olim Romæ degentem ingens opus m. ſ. noſtri Johannis, cui titulus: *Secreta veriſſima ad varios curandos morbos.* In hujus voluminis calce ſummarium Vitæ Johannis extabat ab anonymô auctore exaratum. *Antonius Mongitor. Biblioth. Siculæ, T. j. pag.* 34.

BURGO

BURGO (*Janus de*)

De eô Extant

De admirandâ Fragilitate Oſſium, Epiſtola. Extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſerv. Chirurg. Cent. II. Genevæ, apud Petrum Chouet, 1611. in 8. pag. 256.

Obſervatio de Percuſſione Capitis & graviſſimis indè ſequutis ſymptomatibus. Ubi quoque de felici perforatione cranii poſt duos menſes à percuſſione factâ agitur. Extat ejuſdem Obſervat. Cent. IV. Oppenheimi, apud Joh. Theod. de Bry, 1619. in 4. pag. 9.

BURGOS (*Alphonſus de*) Medicus Doctor Complutenſis, Cordubæ Medicinam faciebat; Vindicibuſque in eô Tractû, Fidei Patribus à curâ tuendæ ſalutis erat, cùm ſcriberet.

Tratado de Peſte, ſu eſſencia, provencion y curacion, con obſervaciones muy particulares. Cordubæ 1651. 8. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p.* 10.

BURGOS (*Johannes de*) Autor refertur opuſculi Medici ſeu Philoſophici, ut videtur inſcripti

De Pupillâ oculi in 8. *Nicol. Anton. Bibliothecæ Hiſp. T. j.*

BURGOWERUS (*Johannes*,) Schafuſanus.

Ex eô habentur

De Neceſſitate Turundarum poſt extractionem Calculi, Epiſtola. Extat cum Guil. Fabr. Hildani Lithotomiâ veſicæ. Baſileæ apud Ludovicum Konig. 1628, in 4.

De Corporis humani Partibus, Diſputationes quas collegit & edidit Baſileæ, Joh. Jac. Genathius, 1622. in 4.

De Ruminatione humanâ. Extat Decade ſeptimâ earundem Diſputationum impreſſarum, 1631. in 4.

BURGUNDUS (*Vincentius*,) Bellovacenſis.

Ex eô habentur

Speculum quadruplex, Naturale, Doctrinale, Morale, Hiſtoriale. In quô totius Naturæ Hiſtoria, omnium ſcientiarum Encyclopædia, moralis Philoſophiæ Theſaurus, temporum & actionum humanarum Theatrum ampliſſimum exhibetur; ità ex optimorum Auctorum elegantiſſimis ſententiis inter ſe concatenatis contextum Opus, ùt nihil videri laborioſius, nihil ad ſapientiam utilius, nihil deniquè ad honeſtam animi voluptatem inveniri poſſit jucundius. Omnia nunc accuratè recognita, diſtinctè ordinata, ſuis unicuique Autori redditis exactè ſententiis: ſummariis præter eà & obſervationibus, quibus antea carebat, illuſtrata operâ & ſtudiô Theologorum Benedictinorum Collegii Vedaſtini in almâ Academiâ Duacenſi. Duaci, ap. Baltas. Bellerum, 1624. in fol. 4. voll.

In his quæ ad Medicinam ſpectant, ſunt ſpeculi Naturalis, ſeu Tomi primi.

Lib. IV. de variis, quæ ad Aërem ſpectant, de Melle, Mannâ, Ladanô, evaporationibus, Odoribus, Aëris temperie, & Peſtilentiâ.

Lib. V. de Aquæ proprietatibus, differentiis, notis. De Balneis, Aquis Medicatis, his, quæ generantur ex Aquis.

Lib. VI. de Terræ conditionibus, generibus, quæ ad Agriculturam ſpectant, quæ è terrâ ad uſus Medicos ducuntur.

Lib. VII. de Mineralibus, Metallis, & Metallaribus, variiſque eorum Chymicis præparationibus.

Lib. VIII. de Lapidum hiſtoriâ, & quæ eô referuntur.

Lib. IX. de Plantis incultis, Alphabeticô ordine.

Lib. X. de Herbis hortulanis, hortorumque culturâ.

Lib. XI. de ſeminibus Herbarum & earumdem ſuccis, ordine etiam alphabeticô.

Lib. XII. de Arboribus in generali & de ſylveſtribus ſpeciatim.

Lib. XIII. de Arboribus frugiferis, & Aromaticis, de Reſinis, Saccharô, & Plenidiis.

Lib. XIV. de Fructibus Arborum, de Fructuum ſuccis, oleis, vinis, Agreſtâ, aliiſque.

Lib. XVI. de naturâ Avium, tum Volatilium, tum Aquatilium.

Lib. XVII. de Piſcibus & quæ ad eos referuntur.

Lib XVIII. de Animalibus, & quæ ad ea ſpectant.

Lib. XIX. de Beſtiis.

Lib. XX. de Reptilibus, ſerpentibus, eorumque Venenis atque horum remediis, de Vermibus; de Apicibus, & de Melle, & cæteris Inſectis.

Lib. XXI. de Animalium naturâ generatim, eorum partibus & excrementis.

Lib. XXII. de Variis ad Animalia pertinentibus & de ſuperfluis humiditatibus Animalium, de Lacte & quæ ex eô.

Lib. XXIII. ad XXVII. de Animâ & quæ ab eâ procedunt, variis functionibus.

Lib. XXVIII. de Homine, Corpore humanô, ejuſque partibus.

Lib. XXXI. de Generatione hominis & quæ circa hanc veniunt conſideranda, Partu, Educatione Infantis, aliiſque.

Speculi Doctrinalis, ſive, Tomi Secundi

Lib. VI. de Hortorum culturâ univerſim, & ſpeciatim de ſingulis, quæ indè peti debent.

Lib. XI. de Alchymiâ & quæ hùc referuntur.

Lib. XII. de Practicâ Medicinæ univerſâ.

Lib. XIII. de Theoricâ Medicinæ totâ.

Lib. XIV. de Cunctis ſpeciebus Ægritudinum; ac de ſignis particularibus & cauſis earum.

Lib. XV. Præter alia, de humoribus aëreis, Rore, Melle, Ladanô, Mannâ: de Corporibus Mineralibus, de Lapidibus & Metallis à naturâ generatis; de Alumine cæteriſque Mineralibus: de Plantis in generali: de Herbis: de ſpeciebus Herbarum: de Arboribus Aromaticis: de naturâ Animalium in genere, & ſpecie: de ſerpentibus: de Vermibus: De Piſcibus: de Avibus: de Homine, & ætatibus hominis.

BURLINUS (*Jacobus*) Norimbergenſis.

Ex eô habetur

Diſputatio Medica, de Pernicioſô Paracelſiſtarum Hophocriſmate. Extat cum Theatrô ſympatheticô auctô. Norimbergæ, apud Joh. Andr. Endterum, & Wolffgangi Jun. Hæredes, 1662. in 4.

BURNET (*Thomas*) Scoto-Britannus.

De eô extant

Theſaurus Medicinæ Practicæ, ex præſtantiſſimorum Medicorum obſervationibus, Conſultationibus, Conſiliis & Epiſtolis, ſummâ diligentiâ collectus, ordineque Alphabeticô diſpoſitus. Londini apud Robertum Boulter, 1673. in 4. Et nunc à Daniele Puerariô auctus obſervationibus ſelectiſſimis. Tomi II. Genevæ apud Johann. Herm. Widerhold, 1678. in 12. Editio noviſſima, pluribus ipſius Autoris additamentis aliis omnibus hactenus vulgatis, longè auctior. Genevæ, apud Chouet & Ritter, 1698, in 4.

Hippocrates Contractus: Edimburgi, apud Ried, 1685. in 8.

BURRHUS (*Franc. Joſephus.*) Hic fuit filius Burrhi, vel Borro, *Brandæ*, Medici Mediolanenſis celeberrimi, ac per ſua prognoſtica præcipuè commendatiſſimi; unde Petrus Maria Caſtiglio de eô ſcribit, quòd futuros in Praxi Medicâ prædicendo eventus, veluti Divinô adflatus Numine ab omnibus credebatur. Qui præterea Tractatum de Re Medicâ edidit, & obiit die 10. Aug. ann. 1660. Noſter autem Franc. Joſephus fuit itidem Medicus famoſiſſ. qui propter varios errores, eoſque atroces, Romæ ab Inquiſitione in Sti Angeli Caſtellô ann. 1670. incluſus, ibi curationes verè prodigioſas exercuit, ibique Diſſertationem pulcherrimam compoſuit, cui titulus, *de Vini degeneratione in acetum.* Deciſio experimentalis Franc. Joſephi Burrhi. Indicantur à Mercklinô Epiſtolæ illius duæ ad Thomam Bartholinum, de ortû Cerebri & uſû Medicô, nec non artificiô oculorum humores reſtituendi. Hafniæ 1669. 4. Extant præterea Italicè conſcripta. *La Chiave del Gabinetto, del Cavaliere Giuſeppe Franceſco Borri* Milaneſe, col favore della quale ſi vedono varie lettere ſcientifiche, chimiche, è curioſiſſime, con altre coſe politiche, è molti Secreti belliſſimi. In Colonia, appreſſo Pietro del Martello, 1681. in 12. Inſtruzioni Politiche del Cavaliere &c. date al' Re di Danimarca. Ibidem, 1681. 12. Obiit Romæ, in eô ipsô Caſtellô in quô concluſus erat, die 20. Aug. anni 1695. ſeptuagenarius, & ſepultus fuit in Eccleſiâ Parochiali S. Mariæ Tranſpontinæ.

BURSERUS (*Joachimus*)

Ex eô habentur

Introductio ad ſcientiam naturalem. In quâ vitatis, quantùm nunc fieri potuit, autoritatum pedicis, ex ratione & rerum uſû paſſim, ac præſertìm in Pſychologiâ liberè procedit, familiaribus exemplis ac ſimilitudinibus pleraque omnia illuſtrantur. Amſtelodami, 1652. in 8.

De Febri Epidemiâ, ſeu Petechiali probè agnoſcendâ & curandâ commentatio Philoſophico-Medica, locupletata variis Animadverſionibus in opiniones hucuſquè receptas, circa Pathologica quædam tam generalia, quàm ſpecialia, ad illuſtrationem & confirmationem veritatis in Arte Medicâ. Lipſiæ, apud Hæredes Thomæ Schüreri, 1621. in 8.

Diſceptatio de Venenatorum Naturâ & Qualitatibus. Lipſiæ 1625. in 8.

De Fontium Origine, Tractatus. Haffniæ, 1639. in 8.

BUSÆUS (*Johannes*,) Noviomagus.

Ex eô habetur

Arca Medica, adverſus animi Morbos. Herbipoli, apud Johannem Albinum, 1609. in 4.

BUSCHIUS (*Sebaldus*,)

De eô extat

Regimen pro Peſtilentiâ ſcriptum. Erfordiæ, 1540. in 4.

BUSENNIUS (*Antonius*,) Bredanus.

Ex eô habentur

Commentarii in Galeni Librum de inæquali intemperie. Antverpiæ, apud Joh. Richardum, 1553. in 8.

BUSSIERE.

De eô Extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1686. p. 276.

De Granis Avenæ, quæ in Stomachô germinârunt. Obſervatio à Dn. Buſſiere Comitis de Roye Chirurgo, Haſnia ad Auctorem Novellorum Reſp. Litt. D. 25. Aug. 1685. perſcripta. Tranſlata ex dictis Novellis Menſ. ſept. 1685. p. 994. ſeqq.

Miles quidam è præſidiariis Hafniæ, cùm hyeme ſuperiori nonnulla avenæ grana deglutiviſſet, verſus finem uſque menſis Julii in ventriculô eadem retinuit: intereà temporis modò febri, modò vomendi conatû, maximè verò doloribus circa ſtomachum cum ſcorbuticis pathematis haud parùm afflictus. Proximô menſe Juliô cùm graviùs ſolitô angeretur, & Chirurgus legionis, cui adſcriptus æger erat, emeticùm ipſi propinaſſet, grana illa avenæ cum materiâ aliâ ſatis pravâ per vomitum ejecit. Quô in caſû admirationem imprimis meretur, non tantùm diuturna granorum avenæ in ventriculô (nec continuô hujus niſû, nec catharticorum ſæpiùs adhibitorum violentiâ obſtante) commoratio, ſed & quod radices in ventriculô grana illa egerint, ac non ſecùs ac ſi terræ fuiſſent concredita, germinaverint, niſi quòd culmos modò ſine granis produxêre. Culmi ſatis erant tenues, & perquam ſimiles ariſtis ſive barbulis, in tritici ſpicâ aliàs conſpicuis, non quidèm æquè rigidi, ſed longiores; dum granorum iſtorum nonnulla culmum 7. vel 8. digitos longum projecerant, nec ſimplicem illum, ſed tribus vel quatuor interſtinctum nodulis, ad figuram & craſſitiem exiliſſimorum avenæ granorum accedentibus. Ex parte inferiori quodlibet horum granorum trinas quaternaſve radices, 2. vel 3. digitos longas & admodùm ſubtiles jecerat. A vomitû hoc æger meliùs habuit, priſtinamque recuperavit ſanitatem.

Hanc avenam plurimi pro morbi cauſâ in milite habuerunt. Plerique verò commilitones ejus rem tribuebant incantamentis. Ego ab utriſque diſſentio, & veroſimilius arbitror, in milite, cum Avenæ grana deglutiret, morboſam jamdum adfuiſſe diſpoſitionem, à quâ in ventriculô (uti ſæpiùs in ſubjectis ad ſcorbutum inclinantibus evenire ſolet) materia quædam viſcoſa producta fuerit granis detinendis idonea. Eô autem morbô ingraveſcente, iidem quoque ventriculi humores magis devenerunt tenaces, ùt avenæ æquè granis retinendis, ac fermentô ventriculi, nè alterationem iis quandam induceret, velut obtundendo eſſent pares. Verùm humoribus hiſce cum Avenâ vomitorii ope exterminatis, in libertatem ventriculus, in reconvaleſcentiæ ſtatum æger fuit vindicatus.

Ibidem. Ejuſdem Buſſerii Obſervatio alia de extraordinariâ quâdam prægnatione, ex iiſdem Novellis l. c. traducta.

En phœnomenon aliud æquè rarum, jucundamque Anatomicis diſſerendi materiam ſuppeditaturum. Degit in urbe hâc (Hafniâ) uxor quædam militis quinque jam annos gravida. Ea primis novem menſibus motum infantis percepit, mammas quoque non ſecùs ac aliis fœminis gravidis accidere ſolet, lacte turgidas experta. Nono geſtationis menſe ſimiles, atque parturientes ſolent,

ſolent, dolores ſenſit, ſed qui citò evanuerunt, ſenſim ſecuta mammarum ad priſtinum ſtatum redeuntium detumeſcentia. Fœtus interim ſingulari planè ratione in uterô hæſit, utque ipſe inſtitutô examine comperi, ſitum in abdomine matris obtinet tranſverſum, capite dextram, pedibus ſiniſtram coxam occupantibus, dorsô verò anteriora verſus matris ad umbilici altitudinem conversô. Facilè fœtus is manû percipitur abdomini admotâ, cujus adeò tenuis cutis eſt, ut ad fœtus uſque corpus, nonniſi ſceletum repræſentans, vix dimidii digiti ſuperſit craſſities. Omnes ipſius partes commodè diſtingui invicem queunt. Mater motum ejus à quatuor annis non ampliùs ſe ſenſiſſe perhibet, & licèt per moleſtiam indè provenientem alias obire actiones non impediatur, inciſionem tamen in abdomine ſibi fieri extrahendi fœtûs gratiâ mallet. Aſt nemo eſt qui ei rei manum admovere velit, Medicis quippè ac Chirurgis fœtum uteri cavitati inhærere perſuaſis. Quâ in re tamen ab iis diſſentio, exiſtimoque fœtum hunc extra corpus matricis uti conceptum, ità enutritum quoque fuiſſe, ſed cùm viam, quâ è locô ſuô exiret, invenerit nullam, mortem probabiliter ex defectû ulterioris nutrimenti obiiſſe. Caſus hic extraordinarius utiquè eſt, ſed non ſine exemplô. Proſtant enim hiſtoriæ gravidarum, quarum fœtus in uteri tubis fuerunt reperti, ſed evadere præpediti, vitam & ipſi amiſerunt, & una abſtulerunt matribus. Quatuor vel quinque ſunt anni, cùm venatores lepore fœmellâ in campis S. Dionyſii captâ, protuberantiam quandam ad abdominis hujus latus animadverterent, quam præternaturalem ſibi viſam dùm aperuêre, fœtibus eandem deprehenderunt turgidam. Id videns Clericus quidam Cardinalis Bullionii domeſticus, leporem in hortum regium ad Dn. du *Vernay*, cui ſocias tùm in adminiſtrationibus Anatomicis jungebam manus, ferendum curabat. Ità in rem curatiùs inquirentes, uterum fœmellæ ad conceptionem non aliô modô deprehendimus concurriſſe, quàm ſuſtentando placentas ad nutrimentum fœtibus, qui membranis ſuis prorsùs extra uterum involuti erant, ſurrogandum. Undè in mentem venit, gravidæ ſupradictæ accidere potuiſſe, ùt ovulum, cui fœtus productionem ſui debebat, non niſi ad extremitatem alterutrius tubæ (ſive vitio pravæ hujus conformationis, ſive obſtructionis aliundè illatæ) deferri potuerit, quodque ſuffecerit formari in tubâ illâ placentam, quæ materiam incrementi ovulo ſuppeditaret. Indè auctis fœtûs viribus umbilicalem ab eô chordam ruptam, placentamve avulſam, ùt adeò utraque ratione medium continuandi vitam ſibi ipſi ſubduxerit. Tametſi verò nec fluxus lochiorum, nec abſceſſus ſupervenerit, non tamen eſt, ùt de eô ſolliciti ſimus, quid de placentâ carneque fœtûs, quâ denudatus hic planè videtur, factum ſit, cùm virium naturæ in materiæ cujuſdam excretione validæ effectus magis mirandi occurrant. Nec eſt quòd ſtupeamus, fœtum mortuum adeò diù conſervatum, poſtquam hiſtoria de fœminâ Toloſanâ, cujus fœtus mortuus per decem annos uterô geſtatus, integer tamen & ſine ullâ corruptione repertus eſt, omnibus innotuit. Ii verò, qui animalium ortum ex ovô negant, dum hujus generis phœnomena explicare volent, gravi ſe ſentient implicitos negotiô. Invenient verò in ſequenti forsàn obſervatione, quòd magis arrideat.

Ibidem Obſervatio circa tubas uteri muliebris, à Dn. Poſtellô Medicinæ in Academiâ Cadomenſi Profeſſore, communicata Autori Novellarum Reip. Litt. Excerpta ex Novellis menſis Febr. 1686. *artic.* 5.

IN Cadavere mulieris libidinoſæ & furacis annorum circiter 24. menſe Decembri 1684. in ſcholis noſtris diſſectô, circa partes genitales hæc obſervâvimus. Teſtes quàm pro fœmineis ampliores, ſolidiores, rotundiores, & minùs depreſſi, ùt viriles quadantenùs æmularentur, ſemine turgebant abſque ullô ovorum veſtigiô. Tubas verò quod ſpectat, dextra quidèm duplô, ſiniſtra verò quadruplô naturalem modum excedere viſa eſt: utraque ſed præſertìm hæc glanduloſa, inſtar teſticulorum, vel potiùs epididymidis virilis, quàm ſubſtantiâ non minùs quàm figurâ tereti & longa prorsùs referebat, ità ùt dùm utramque confero, mentem ſubierit tubas forsàn mulierum viriles epididymidas ſaltem analogicè referre, & ab iis ſitû ſolummodò diverſas, quod in viris hæ quidèm teſtibus incumbant, unde & nomen ſortiuntur, in fœminis verò teſtes & uterum interjaceant, in cæteris autem præſertìm in officiô ſeminis generandi convenire. In prædictis quippè tubis copioſum ſemen reperimus, non ex teſticulis affluens, cùm vaſorum deferentium nulla portio; ſed præparantium duntaxàt arteriarum & venarum propagines in tubas diſſeminarentur, quæ ideò ſemen in teſticulis confectum non recipere; ſed potiùs in ſeipſis genitum ductû manifeſtô & perviô ſic ùt ſpecillum mediocre admitteret, in uteri fundum excernere viſæ ſunt. In teſticulis verò ſua quoque deprehenſa ſunt vaſa deferentia paulò inferiùs cervicem uteri ſubeuntia, ſpecillo quantumvìs tenui prorsùs impervia. Num ergò ut in virili ſexû ſemen in teſticulô & epididymide, ſic in fœmineô in tubis & teſticulis pariter æqualiterque generantur?

Ibidem, ann. 1701. *p.* 231.

A Letter From MR. Buſſiere, F. R. S. Concerning a ſubſtance &c.
ſeu
Dn. Buſſiere, Societatis Regiæ membri, Epiſtola de ſubſtantiâ, Vas aliquod pulmonale referente, tuſſi rejectâ. Excerpta ex Actorum Philoſ. Angl. Menſ. April. 1700. *p.* 534.

EN obſervationem, quæ ſatis comprobatum dabit, quantùm utilitatis è defunctorum Anatomia in Medicos atque Chirurgos redundet.

Puerulus quintum agens annum, tabe confectus decedebat Kenſingtoni, poſtquàm per integrum annum tuſſi ſiccâ & levi ſubindè hæmoptyſi laboraverat. Decimô aut duodecimô ante mortem die, Nutrix craſſam aliquam membranam cùm ſputô ab eô excerni obſervabat, quam Medicus examinans, conſiſtentiâ & figurâ vas referre deprehendebat. Ideòque pulmonum forsàn vas venoſum eſſe opinabatur, quale à nonnullis expectoratum, *Tulpius Lib.* 2. *Obſ.* 12. *&* 13. commemorat. Infante mortuô vocabar, ùt corpus ejus diſſecarem. Incipienti ab abdomine non aliud occurrebat, quàm quòd omentum, æquè ac reliquæ corporis partes, omni pinguedine deſtitueretur, ac meſenterii glandulæ induratæ & nigricantes eſſent.

Inciſô hinc pectore, viſcera hujus, præter purulentam ſiniſtri pulmonum lobi portiunculam, ſatis apparebant ſana; diſſectâ verò aſperâ arteriâ, interna hujus ſuperficies mucoſa incruſtabatur membrana, quæ e truncô tracheæ bronchiiſque exempta integra, integrum vas à larynge ad bronchiorum uſque extremitates, exhibebat. Internæ tracheæ tunicæ nonniſi tenuiſſimis filamentis, ſine negotiô laceratis, adhæreſcebat, quô vel ipſô extraordinarii hujus vaſis productionem viſcidum ſolummodò humorem, à tracheæ glandulis continuò excretum eſſe perſuadebar. Talem namque magis inſpiſſatum magiſque ab aëre exſiccatum, difficillimum exſcreatû, internam aſperæ arteriæ & bronchiorum ſuperficiem facilè incruſtâſſe, uſquedùm craſſeſcens tandem in violentiori aliquandò tuſſis paroxyſmô excuſſus, mox tamen ab aliô ſuccedente mucô regeneratus fuerit.

Novum ejuſmodi vaſculum, è pulmonibus extractum, in aquam calidam injiciebam, viſurus an ab hâc diſſolveretur, ſed fruſtrà; mecum proin in urbem tranſportati figuram, licèt aliquantò minorem, delineabam.

Vaſa pulmonum, i. e. trachea cum bronchiis, atque arteriæ & venæ, planè illæſa exiſtebant.

Id quod caliginem eorum, ſpero, diſcutiet, qui Autorum nonnullorum relationibus fidem habentes, ſanguifera pulmonum vaſa ab aliquô excreari poſſe reputant.

Ibidem ann. 1702. p. 27.

Epiſtola Buſſierii Societatis Regiæ in Angliâ Socii, ad Editorem Tranſact. Anglic. ſcripta de triplici Veſicâ. Translata ex Tranſact. Philoſ. Angl. 1701.

UT fidem liberem, cum his deſcriptionem & figuram triplicis veſicæ, quam nuper, cùm Societas Regia eſſet congregata, propriis uſurpaſti oculis, tranſmitto. Et quô magis extraordinarius eſt caſus hic, eò minor mihi dubitandi exiſtit cauſa, quin magnæ Tibi is ſit voluptati. Duplicem equidèm veſicam in cadaveribus quandoquè repertam eſſe, Medicorum Obſervationes, & per orbem famigeratiſſimi Caſauboni exemplum teſtantur. Tres tamen in homine nunquam fuêre conſpectæ. Quanquàm autem non negem, ſimilem veſicæ conſtructionem uni alterivè homini obtigiſſe; ab Authore tamen ullô talem literis eſſe commemoratam, non recordor. Cadaverum enim ſectiones negliguntur, nec dubium èſt, quin Medici, corpora inſuetis affectibus perempta majori curâ inveſtigantes, adverſuri ſint, ſoli ſæpè partium conformationi p. n. deberi, quod ipſi ſanguinis humorumque intemperiei adſcribere ſolent. Cujus teſtimonium triplex hæc exhibet veſica, in Cadavere Domini *Booth* reperta. Antequàm autem ipſius tradam deſcriptionem, haud abſonum erit, ſymptomata, quibus hic vir ob veſicæ conformationem, fuit expoſitus, recenſere, & mortis cauſam allegare.

Optimâ hic licèt fruens ſanitate, urinam tamen inter mejendum debitô modô & plenô alveô reddere non valebat; mingebat paulatim, & ſub maximis inſpirationis conatibus, imprimis ubi exilis urinæ quantitas veſicæ inexiſtebat. Ex quô moleſtiam quidem inſignem, ardorem tamen non perpeſſus fuit, niſi ultimis duobus vel tribus annis quibus mucus cum urinâ excerni ſolitus, dolores circa veſicæ collum inter mejendum excitavit.

Quoniam autem hic mucus tandèm in multà majori quantitate prodibat, à calculô veſicæ eum productum judicabat; qua propter Chirurgi inveſtigationi ſe ſubjecit, qui cathetere immiſsô, reſiſtentiam quandam in urethrâ obſervavit, vi tamen eundem uſque adeò adegit, ùt ruptis membranis æger magnam ſanguinis copiam ejiceret, talemque hæmorrhagiam decem per dies, remedia negligens non abſque enormioribus doloribus fuerit perpeſſus. Sanguis enim in urethrâ grumeſcens niſi ſummis cum conatibus & doloribus foras propelli non poterat, quos tandèm gangræna & mors inſequebantur.

Proximô à morte die, Cadaver aperiebam, præſentibus Doctoribus, Dawes, Chamberlain, Woodward, Bernardô Chirurgô & aliis, & inveniebam, veſicam urinariam naturalem in ſiniſtrâ pelvis parte ſupra os ilium ſitum ſuum obtinere, quoniam moles quædam ampla & rotunda, ſub pube & ſupra inteſtinum rectum, totam hypogaſtrii cavitatem impleverat. Ut autem accuratiori omnia ſubjicerem examini, penem & inteſtinum rectum exſecui, apertâque urethrâ nullam carnoſitatem, qualem Chirurgus ſe percepiſſe ajebat, nec quicquam p. n. conſtitutum, præter membranam à cathetere diſruptam, in illâ conſpexi: tum immiſſô in veſicam conductore, diſſecui hanc, & obſervatum fuit primò, dictam molem rotundam ex duabus veſicis aut potiùs cyſtibus per membranam à ſe invicem diviſis fuiſſe conflatam, harumque alteram, quæ veræ veſicæ immediatè adjacebat, hâc majorem, alteram verò, quæ ad ſiniſtrum latus vergebat, minorem extitiſſe, utramque orificiô ſuô in cervicem veræ veſicæ propè cyſtium orificia deſiiſſe, ità ùt ab his æquè, ac à verâ veſicâ, urina commodè potuerit admitti.

Deindè obſervavi, glandulas veræ veſicæ ſupra modum magnas & rubicundas fuiſſe, qui color p. n. forſan ab inflammatione per urethræ dilacerationem producta deducendus eſt. Experientia me docuit, craſſum illum mucum, qui ex veſicâ profluit, & à quibuſdam pro pure ex renum ulcere hùc derivatô habetur, nil niſi productum eſſe glandularum harum in ſcrophulas degenerantium; tum enim mucus hic craſſeſcens & viſcoſitatem induens, eundem dolorem, qualem calculi ſolent, in veſicæ collô producit.

Glandulæ in majori cyſti exiles quidem erant, conſpici tamen poterant; in minori verò conſpectum omninô effugiebant.

Deſcriptis igitur his veſicis, haud arduum erit, ſymptomatum reddere rationem, quibus hic vir fuit expoſitus. Quoniam enim major cyſtis dictum ſitum occupavit, urina nonniſi cum maximô inſpirationis conatû & paulatim exprimi potuit, cùm ipſiûs muſculi eam ejiciendi ſufficientes haud obtinuerint vires. Majoribus autem conatibus opus fuit, exili urinæ quantitate in veſicâ exiſtente, quoniam majores tùm requirebantur urinam ex fundô cyſtis verſus ſuperiora urgendi vires.

Dolor, quem ultimis annis ſuſtinuit Noſter, craſſitiei muci ex glandulis Veſicæ profluentis debetur, ſiquidem ipſius renes ſani admodum exiſtebant.

Ibidem ann. 1702. *p.* 45. *ſuppl. tom.* III.

Epiſtola Dn. Buſſiere, Anatomici ac Chirurgici Gallici, de Ovô in Tubâ Fallopianâ cadaveris fœminini diſſecti repertô.

Exhibita Gallicô Idiomate in Actis Philoſophicis Anglicanis menſe Januariô ann. 1694. *necnon in Diariô Eruditorum Pariſienſi D.* 12. *Sept.* 1695. *In Latinum nunc ſermonem in gratiam Philiatrorum translata.*

MItto Tibi, Domine, Deſcriptionem Tubarum in matrice fœminei corporis à me non ità pridem

pridem diſſecti deprehenſarum. Fæmina erat juvenis 25. vel 26. annorum, quæ non multò antè partum fuerat enixa: id quod cognoſcere mihi licuit, 1. ex cicatricibus infimi ventris adhùc recentibus; 2. ex diſruptione furcillæ, cujus cicatrix admodùm erat nova; 3. ex magnitudine matricis; deniquè ex aperturâ ovarii in latere ſiniſtrô, ex quâ ovum, quod inſervierat priori infanti, exiverat, quæ adhùc dum lata valdè erat, & cujus extrema paululùm adhùc diſrupta videbantur. Ea, tametſi non longô ante tempore peperiſſet, denuò ſeu ex libidine, ſeu quod ſperaret, mortem ſibi, ubi gravida facta eſſet, illatum non iri, cum amicô quôdam, aut fortè aliquô ex captivis aliis congreſſa eſt, ità ùt conceperit. Verùm mortis ſupplicium anteà ſubiit, quàm ovum à ſemine virili imprægnatum deferri potuit in uterum. Eum verò dum inciſione factâ aperiiſſem, deprehendi tubam dextri lateris verſùs extremitatem ſuam præter ſolitum diſtenſam, eaque diſtenſio in maximâ latitudine complectebatur paulò plus quàm pollicem unum in diametrô, & paulò ultra ſequipollicem extendebatur, verſus matricem paulatim diminuta. Ea pars hunc in modum dilatata ſe incurvabat, totumque ferè amplexabatur ovarium, cujus membranæ tàm firmiter adhærebat, ùt ab eâ non niſi vi divelli poſſet. Divulſa verò liquorem præbuit limpidum & pinguem, qui probabiliter iſti fuit uſui, ùt vel membranas tubæ relaxaret, quô diſtenderetur commodiùs ſpatiumque ovulô concederet in matricem delabendi, vel fortè ùt ductum illum, ad parandum ovulô quàm facillimum tranſitum lubricaret, vel etiam ùt præſtaret utrumque. Et illicò quidem inquiſivi, num quid dignoſci in corpore tubæ poſſet, à quô liquor ille produci potuiſſet: ſed nihil tale in eâ deprehendi, licèt multô craſſior eſſet ſolitô. Craſſitudo illa provenerat ex fibrarum illiûs intumeſcentiâ, quæ non minùs carnoſæ erant, quàm fibræ muſculorum conſuetæ: id quod ſine dubiô hôc ſolùm ſtatû accidit, ùt ſatis illi virium motûſque ſappetat ad exprimendum ovulum (poſtquàm ab ovariô ſeparatum eſt,) inque matricem propellendum. Ego itaquè ſic judico, quòd liquor iſte in tubâ contentus ex ovariô proveniat, quodque ex fibris parviſque vaſis lymphaticis aliiſque, quæ ad tranſitum ovô imprægnatô aperiendum rumpuntur, liquor ille defluat, adeò ùt licet laceratio ovarii vulnus ſit ac ſymptoma, utilitatem tamen præbeat, effectuſque abſolutè fortè an neceſſarios producat, ſeu ad primam ovi nutritionem, ſeu ad faciliorem reddendum ejus in matricem tranſitum: ità enim Natura novit cuncta ad ſalutarem uſum dirigere. Confirmatur ſententia mea ex eô quòd in fœmellis brutorum animantium, ex quarum ovariô plura ovula ſimul prodeunt, maxima illic liquoris illiûs copia deprehendatur. Obtigit poſteà mihi ea felicitas, ùt parem, ac in fœminâ hâc, diſpoſitionem in ſcrophâ deprehenderem, cujus tubarum ex utrôque latere ovarium complectentium quæque tres circiter aut quatuor liquoris ejuſmodi uncias continebat. Tubâ tandèm ab ovariô ſeparatâ, liquoreque delapsô, ovum apertè conſpectui noſtrô fuit oblatum. Æquabat illud magnitudine avellanam, liquore in mediâ tubæ cavitate dilatata involutum. Tres ovuli quadrantes jam extra ovarium per factum illic foramen prodierant, ut illi non ampliùs videretur adnexum. Nihilominùs, cùm auferre illud niterer, adhærere adhùc illi deprehendi per petiolum quendam (*un pedicule*) ſatis durum, per quem tranſibant vaſa ſanguinea, intra ovulum & ſuper illô diſpergenda. Per illa vaſa fœtus materiam incrementi & nutrimenti ſui recipit, non in ovariô ſolùm, ſed & in matrice, cum petiolus ille formandæ placentæ inſervire debeat (niſi placenta ipſa eſt, in ovariô jam formata) matricis corpori adhærendo. Atque hinc intelligi etiam debet, quòd ſpiritûs ſeminalis maris deferatur ad corpus fœtûs in ovulô, ad motum illi ac fœcunditatem præſtandam. In matrice nulla adhùc ſenſibilis mutatio deprehendebatur, niſi quòd mucoſi pluſculum contineret; id quod naturæ ſatis eſt conveniens. Tubâ ſiniſtri lateris in ſtatû ſuô naturali erat conſtituta, quemadmodûm & ovarium, exceptâ aperturâ, per quam ovum prioris infantis exierat.

BUSSCOFIUS (*Hermannus,*)

Ex eô habetur

Podagra propriùs, quàm antehàc inveſtigata & inventa unà cum ejuſdem certâ curâ aut Medicina. Francofurti, 1678. in 8.

BUSTAMENTE de Paz (*Benedictus,*] Medicus Doctor Salmantinus, ſcripſit

Methodum in VII. *Aphoriſmorum libris ab Hippocrate obſervatam, quâ, & continuum librorum ordinem, argumenta & ſchemata declarat.* Venetiis apud Aldi filios 1550. in 4. atque eôdem annô Pariſiis, apud Martinum Juvenem in 16. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 164.

BUSTUMANTINUS de la Camara (*Johannes,*) Patriam habuit Complutum, idemque diſcendi, ac docendi Gymnaſium. Medicinam, cujus ſtudiô, atque item Philoſophiæ totius naturalis ardenter incubuit, profeſſus tandèm eſt, in hâc ſcholâ è ſummô, hoc eſt, primariô, (ut vocant) cathedræ ſuggeſtû. Quô locô in primâ docti cujuſque fuit commendatione, inſignemque doctrinæ famam collegit. Commentatus eſt poſt Levinum Lemnium.

De Animantibus Sacræ Scripturæ; duobus tomis. Compluti 1595. in 4. & Lugduni apud Antonium Phileote 1620. in 8. quibus inſigne atque eruditiſſimum bipartitum opus ſuum Hierozoikon, ſive de *Animalibus S. Scripturæ* Samuel Bochartus Rothomagenſis ſuperſtruxit, memor noſtri quibuſdam in locis, præcipuè Lib. VI. poſterioris partis. Cap. IV.

Anus, per me, ſit ejuſdem nominis author libri cujuſdam.

De las Ceremonias dela Miſſa. Conchæ, 1622. in 8. Matritique, 1655. item alteriûs

Rubricas del oficiô divino. Matriti annô 1649. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 505.

BUSTUS (*Angelus,*) Venetus.

De eô extat

De Mellis convenienti quantitate ad Theriacam componendam, Diſputatio. Venetiis, 1614. in 4.

BUTINUS (*Johannes,*)

Ex eô habentur

Hippocratis aphoriſmi Græcè & Latinè ità digeſti in ordinem, ùt mutuò ſeſe explicare, & ad morborum curationem ſinguli ſuô è locô prodire videantur, cum brevi expoſitione ex Galeni Commentariis deſumta. Ejuſdem Hippocratis prænotionum Libri tres, cum explicatione eôdem ex fonte hauſta. Inſigniores aliquot ſententiæ ex Libris Aurelii Cornelii Celſi Medici inter Latinos eloquentiſſimi. Lugduni, ap. Johannem

hannem Tornæſium, 1580. in 12. Genevæ, apud Petrum & Jac. Chouet, 1625. in 12.

BUTIUS (*Vincentius,*)

De eô extat

De Potû Calidô & Frigidô. Romæ, 1653.

BUTNERUS (*Johannes,*)

Ex eô habetur

Catalogus Medicamentorum tam ſimplicium, quam Compoſitorum; ut & Chymicorum Officinæ Pharmaceuticæ Butnerianæ in Republicâ Gorlicenſi. Cum eorundem Taxatione & Legibus. Gorlicii, apud Johannem Rhambam, 1629. in 4.

BUTTNERS (*David Sigiſmundus,*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1711. *pag.* 222.

Zeichen und Zeugen der Sündfluth.

h. e.

Rudera Diluvii Teſtes; authore M. D. S. Buttnerô. Lipſiæ, apud Johann. Frider. Braunium, 1710. *in* 4. *cum figuris.*

Potiſſimus Cl. Autoris, Davidis Sigiſmundi Buttneri, Diaconi Senioris Querfurtenſis, ſcopus eſt, ut virorum doctiſſimorum, *Woodwardi, Scheuchzeri* aliorumque exemplô diluvii Noachici exiſtentiam per foſſilia comprobet, quæ ex viſceribus terræ eruta varias plantas, piſces, conchas, oſſa animantium &c. exactè referunt, cum inſignem talium theſaurum ipſemet poſſideat, ex lapicidinis Querfurtenſibus aliiſque agris vicinis maximam partem effoſſorum. Utitur tamen aliis quoque quamplurimis argumentis, quæ dimidiam operis partem abſolvunt. Provocat nimirum ad teſtimonia Scriptorum profanorum, *Beroſi, Alexandri Polyhiſtoris, Abydeni Hiſtorici, Platonis, Plutarchi, Ovidii, Luciani, &c.* ad maria, montes, præſertim ignivomos, ignes ſubterraneos, ſpeluncas, inæqualem fluviorum diſtributionem, æſtum maris, fontium raritatem ac proprietates noxias, pluvias, exhalationes minerales, tonitru, grandinem, imbres, procellas, nimium ſub polis frigus, vegetabilium ſpecies in aliquibus oris deletas, zizaniorum fœcunditatem, plantas & arbores venenoſas, beſtias hominibus inimicas. Urget nimirum, ſtructuram telluris admodum imperfectam deprehendi, cum e. g. maria maximam ejus partem occupent, nec terra continens tota habitari poſſit, ſpeluncæ ac montes rudera referant, præterea tellus multis malis phyſicis obnoxia ſit. Deus verò cum bonam creare debuerit, ſapientiſſimus quippe, idemque bonus ac potentiſſimus; diluvium quoddam univerſale hanc deſolationem & ἀταξίαν induxiſſe concludit. Argumenti verò palmarii à foſſilibus animalium & vegetabilium figuras exprimentibus petiti robur ut tantò clarius appareat, eos prolixè refutat, qui eadem vel luſus naturæ pronunciant, vel ab Archeo formari, vel ex aura quadam ſeminali cum exhalationibus in poros terræ delata generari ſtatuunt. Non eſſe luſus naturæ, per accuratam eorum proportionem & ſtructuram evincit. De ultimâ hypotheſi Cl. *Stahlium*, Medicum Halenſem, conſuluit, cujus de hoc argumentô epiſtolam integram operi ſuo inſeruit. Cum ſcilicet is (ut ex aliis ſcriptis liquet) ſcholæ placita de animarum immaterialium influxû phyſicô in formationem & actiones vitales corporum viventium acriter propugnet, huicque fundamento omnem theoriam & praxin Medicam ſuperſtruat; impugnaturus illam urget, quod vis plaſtica ſeu principium formans ſit numero unicum, adeoque integrum quidem corpus, ſed non partem unam aut alteram ſigillatim (qualia ſunt foſſilia) formare poſſit; quod locum operationis commodum requirat, adeoque vis plaſtica animalis ſupra terram viventis infra terram ſeſe demittere nequeat; quod effectum in materiâ aptâ producat; quod frigore ventorum, à quibus adveheretur aura ſeminalis, ſuffocaretur. Hinc lithoxyla & lithophyta deſcribit, non modo ex *Scheuchzeri* Herbario ante diluviano, *Beyeri* Oryctographia, *Luidii* Lithophylacio, *Langii* Hiſtoria lapidum & *Mylii* Saxonia ſubterranea varia repetens; ſed ex propria inſuper penu plurima promens. Commemorat arbores integras in Ducatû Mansfeldenſi ſub terra repertas, arundinem & gramen in topho obvium, fungos lapideos non procul à Uratiſlaviâ, Sileſiæ Metropoli, effoſſos, caſtaneam ex lapicidinis Querfurtenſibus ipſi oblatam, ariſtam lapidi ſciſſili incluſam, oſſa humana, maxillam ingentem dentibus inſtructam, capita boum cornuta aliaque caprarum, nidum aviculæ cum ovis, anatum ova, ſceleton integrum bovis, coſtas, vertebras, inſecta varia, piſces, cochlitas, conchitas, nautilitas. Sub finem deniquè ad objectiones prolixè reſpondet, quæ contra ipſius ſententiam moveri poſſunt.

Ibid. ann. 1714. *p.* 326.

Davidis Sigiſmundi Büttners, Coralliographia ſubterranea, ſeu Diſſertatio de Coralliis foſſilibus, in ſpecie de Lapide Corneô, Horn, oder gemeinen Feuer-Stein. Lipſiæ, apud Fridericum Groſchuffium, 1714. *in* 4.

In Actis ann. 1711. p. 222. & 223. jam commendavimus Cl. Autoris in colligendis foſſilibus figuratis ſolertiam, ut adeò nonniſi apprimè curioſa in Phyſica, quam edendam meditatur, diluviana ab eô publicatum iri confidamus. Specimen ejuſdem hortatû Patroni cujuſdam nunc ſe ſiſtere fatetur in Corralliographiâ ſubterraneâ, cujus potiſſimus ſcopus eſſe videtur, ùt doceat [id quod ante à nemine obſervatum conſtat) lapidem corneum ſeu pyriten culinarem, quo ad eliciendum ignem utuntur, eſſe Corallium ante diluvianum. Rejicit in ipſô ſtatim limine quaſdam circa foſſilia figurata opiniones, quas in opere de Ruderibus diluvii teſtibus majori conatû jam evertit, de luſû nempè naturæ, archeô, aurô ſeminali cum exhalationibus in poros terræ delatô, quæ tanquam illorum cauſæ nonnullis allegari ſolent. Ipſe à partibus eorum ſe ſtare profitetur, qui eâdem pro ſubmerſis animalibus, ac vegetabilibus habuere, propterea quòd animaliter (ùt cum ipſô loquamur) & vegetabiliter characteriſata. Ut autem corallia foſſilia tantò faciliùs cognoſcantur, ea cùm marinis conferenda eſſe judicat & ideò hæc primô locô deſcribit. Definit corallia marina, quòd ſint partim ſtirpes, partim effluvia petricoſa, quæ intra aquam ad fundum ac parietes ſaxoſos exoriuntur & ſuccum vireſque auctrices indè trahunt. Dividit nempè

nempè ea cum *Rumphiô* in genus lignoſum ac lapidoſum : utriûſque varias ſpecies recenſet. Notat inter alia, ſe apud *Kreichauſium* mercatorem noſtratem vidiſſe corallium in conchæ teſtâ ortum ; alibi aliud in cochleâ. Se obſervâſſe in coralliô Malayce *Batu Parudan* dictô partes ſupra partes ad modum fluorum cryſtallinorum exoriri, aliorumque lapidum deſtillitiorum, ubi ſemper novæ partes ſuper inducuntur temporę prioribus & hæ illis quaſi inveſtiuntur. Se à *Brucknerô* Chirurgô Hamburgenſi, accepiſſe Corallium globoſum fiſtuliſque radioſis ſive aſtriformibus inſtructum, in cujus ſuperficie caveæ oviformes apparent, intùs exuviis conchicis latentibus : undè colligit, corallia, cùm creſcunt, mollia eſſe. A coralliis marinis ad foſſilia progreditur, quæ magnô numerô muſæum ejus exornant, & cum quâ ſpecie verorum unum quodque conveniat, indicat. In gratiam curioſorum nonnulla exhibemus, quæ præ cæteris obſervatû digna videntur. Siſtimus igitur globum corallinum, quem tantæ integritatis judicat Noſter, quanta à marinis in ſtatû integrô exſpectari poteſt, tubulos, apices, baſin, quâ per modum fungi in matrice ſaxoſâ inhæſit, totamque ſtructuram exteriorem intuenti diſtinctè monſtrantem, ab *Hermannô* Paſtore Maſſellenſi in Sileſiâ acceptum & marinô à *Kreichauſiô* mercatore noſtrate muſæô Autoris adjectô ſimillimum : coralli punctati particulam furcatam ex editiore ſabuleto propè Querfurtum, cujus ſpeciei multa marina in pharmacopoliis reperiuntur : fragmentum maſſæ lapideæ ramulis corallinis repletæ, à Cl. *Myliô* noſtrô propè Lipſiam in piſcinâ quâdam repurgata repertæ & inter amicos diſtributæ, cum *Carang Goyla Aſiaticô* conveniens: corallium globoſum & quodammodò preſſum, ductibus erroneis, gyratis ac contortis, in Principatû Olſnenſi propè Maſſellas ab *Hermannô* repertum, idem cum maſſâ corallinâ Indis *Batu Parudan* dictâ, qualem ex donô *Bruckneri* ſupra laudati Author poſſidet ; utramque faciem ramorum collateralium, nodoſorum, Zonulis elegantioribus inſtructorum ac leviter ſtrictorum adhùc intra maſſam cretaceam, ex areno-fodina Querfurtenſi, teſtem naturæ corallinæ omni exceptione maiorem, judice noſtrô : utramque faciem corallii fiſtuloſi ac luridi ; in quô etiam ab oculis fugitivis, eôdem judice, omnia in coralliis marinis obvia notantur, in arenoſô monte propè Querfurtum reperti : denique foſſile, quod ab *Hermannô* è Maſſellis transmiſſum Noſter cum marinô albô vulgari adeò exactè convenire cenſet, ùt ex mari depromptum videatur. Foſſilibus corallinis ſubjungit varias ſpecies lapidis cornei, quas inter maximè curioſæ ſunt, figuras domuncularum echinorum marinorum, aculeorum echininorum albidorum ac nodulis inſtructorum, conchularum marinarum ſtriatarum impreſſas, immò belemniten & echiniten continentes. Sufficit nobis exhibuiſſe duos, quorum alter echiniten integrum continet, ad fiſſuram montis propè Querfurtum à filiô Autoris repertum ; alter verò figuram exactiſſimam ab aculeô echini ſibi impreſſam. In naturam coralliorum foſſilium inquiſiturus monet, non ſemper tutum eſſe, ùt ad eam detegendam analyſi chymicâ utamur quamvis non diffiteatur eâdem non infeliciter uſum eſſe, *Joh. Samuelem Carolum*, Medicum quondam Oeringenſem, in oſſium foſſilium Canſtadenſium qualitatibus perſcrutandis, quoniam foſſilia in ſtratis humidis facilè putreſcunt, in arenoſis ac tophaceis calcinationem ſubeunt, in ſolidioribus ſuccô cryſtallinô ac aliis mineralibus adimplentur : quod poſtremum exemplô lignorum foſſilium alumine, bitumine, lunâ, marte, vitriolô imprægnatorum confirmat, quæ inter alia iſtiuſmodi cimelia conſervat. Axiomatis igitur locô aſſumit, *nullum foſſile characteris animalis ac vegetabilis, veri ac perpetui, eſſe originaliter minerale, ſed petrefactum vel mineraliſatum*, & ideò ex identitate ſtructuræ corallinorum marinorum & foſſilium naturæ identitatem colligit. Oſtendit nimirùm exemplis foſſilium antè delineatorum, quod perindè ac marina in baſi quâdam radicali inhæſerint, ab initiô mollia extiterint, quædam indolem dendricam prodeant, quædam ramoſa, quædam ramis deſtituta, quædam nodoſa, quædam gyris elegantioribus exornata, quædam ſtriata, quædam punctata, quædam fiſtuloſa, quædam ſtellata, quædam poris tam majoribus, quàm minoribus, atque fiſtulis collateraliter adunitis, tubulis, vel ductibus erroneis, inſtructa, quædam globoſa & gibbosa, quædam placentiformia, quædam ſpongioſa exiſtant. Nec leve argumentum cenſet, quòd corallia foſſilia pro diverſoriô agnoſcant ſtrata ſuper ſtrata materiei mari propriæ fluctuatim ſuperinvectæ, quæque inter foſſilia originis marinæ ſocia, conchyliorum putà ſpecies varias, murices, turbines, oſtreas, nautilos, echinos marinos, articulos ſtellarum marinarum, dentes mandibulas, vertebras, ſcapulas aliaque oſſa crocodili marini. Lapidem corneum nihil aliud eſſe quàm corrallium antediluvianum probat ex ſtructurâ cum externâ, tum internâ, quam in lapide corneô non aliam, quàm in coralliis marinis eſſe oſtendit, ità ùt nihil reperiatur in hiſce, quòd non æquè in illô exhibeat. Monſtrat truncum, ramos tam integros, quàm truncatos, cruſtam albidam, cavitatem in præruptis ramis calcariam, reſidentia in eôdem tanquam matrice corallia placentiformia ac reticulata, fruticiformia, globosa &c. Lapidem quoque corneum ab initiô fuiſſe mollem inſtar coralliorum marinorum indè infert, quia echini marini, aliorumque marinorum figuræ vi ſuperiorum eidem impreſſæ cernuntur. Atque hinc rationem reddit cur in arenofodinis inter alia marina, conchilia putà rariora, anthalia, aſterias, belemnitas, lapides Judaicos &c. & nonniſi fruſtulatim etiam in ſtratis nunquàm apertis vel diſruptis reperiatur. Oſtenſurus tandèm corallia foſſilia & lapidem corneum ex mari per diluvium univerſale in has oras delata eſſe, loca, ubi reperta ſunt, quæ poſſidet ac in præſenti opuſculô ſanè eleganti repræſentavit, deſcribit. Alia nimirùm deprompta ſunt ex arenofodinâ Lipſienſi, alia ex Querfurtenſi varietate marinorum abundante ac locis vicinis, ſtratis præſertim Kuckenburgenſibus, alia deniquè ex ſtratis Maſſellenſibus principatûs Olſnenſis in Sileſiâ. Deniquè diluvii univerſalitatem ſequentibus potiſſimùm argumentis adſtruit : quòd ſtrata ſuper ſtrata per univerſum mundum ex ſedimentô turbidi fluidi exorta ſint, & in iis, elatioribus præſertim, reperiantur creaturæ ſupra terreſtres indigenæ & peregrinæ, ac imprimis marinæ exoticæ & incognitæ, etiam in locis à mari procul diſſitis, certè his in oris corallia, quæ Aſiæ ac Americæ natales debent.

BUTZIUS (*Johannes*)

De eo extat

Obſervatio, ex Anatome Hydropicæ. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. An. VI. & VII. n. 223.

BUTZIUS

BUTZIUS (*Petrus*)

Ex eô habetur

Chriſtoph. de Barziziis Introductorium, cum Practicâ, commentatoriorum in Nonum Razis emendavit.

BUXBAUM.

De eô extat

Catecheſis medica. Marpurgi, in 12. 1695.

BYETIUS (*Thomas*)

De eô extant

Obſervationes in Deſcriptionem Philippi Gæringi & ſuper naturâ & uſû Fontium acidorum Pagi Spa; & Ferrati Tungrenſis. Habentur cum iſtâ Phil. Gæringi Fontium acidorum Deſcriptione. Leodii, apud Henricum Hovium, 1592. in 8.

BYLERUS (*Lucas*,) Auguſtanus

Ex eô habetur

De Ictero flavô, Diſputatio. Reperitur cum Decade 11. Diſput. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jac. Genathius, 1619. in 4.

BYNGESLA (*Buhahylyla.*)

Ex eô habetur

Tacuini Ægritudinum & Morborum ferè omnium Corporis humani deſcriptio; cum curis eorumdem. Argentorati, apud Johan. Schotum, 1532. in fol.

BZOVIUS (*Abrahamus*,) Polonus.

De eô extat

Nomenclator ſanctorum profeſſione Medicorum, anniverſariam quorum feſtivitatem univerſalis celebrat Eccleſia, ad antiquitatis memoriam elaboratus. Romæ, apud Petrum Diſcipulum, 1612. in fol. patenti, & in 12.

Hic pro APPENDICE ad Lib.I.& II. Adjungemus Orationes ſequentes, ex memoriis à Clar. Hennin. Witten collectis, exſcriptas: Adjectis etiam aliis.

FUNUS

Perilluſtris & Excellentiſſimi Viri,

D. HIERONYMI FABRICII AB AQUAPENDENTE Medicinæ Doct. Equitis D. Marci, & in celeberrimo Gymnaſio Patavino Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſoris Supraordinarii. *Die 23. Maij, Annô Epoches Chriſtianæ* 1619.

In auguſto templo S. Franciſci,

Acerbo omnium luctu, celebratum à Joanne Thuilio, Mariæmontano, Phil. & Med. D.

Lacrymæ ubi eſtis? Cur ceſſatis gemitus? quid retardamini ſuſpiria? Et vos oculi quid agitis? an ſicci funeſtum hunc caſum, gravem hanc jacturam intueri poteſtis? Cecidit, heu cecidit Hieron. Fabricius ab Aquapendente, Patriæ ſuæ decus, Medicinæ lumen, Anatomiæ reſtaurator, Chirurgiæ parens, Gymnaſii Patavini gloria, imò univerſæ rei litterariæ commune bonum. Una dies, una hora, unum temporis momentum abſtulit, quod ſæcula non reſarcient: præreptus eſt nobis ille Vir, quem qui æquent, ne dum ſuperent, communi omni judicio vix reperiuntur. Lugeant igitur hunc caſum communiter omnes, defleant hanc miſeriam cives & peregrini, hunc interitum nemo non luctu & planctu proſequatur, & præſtantiſſimum hunc virum hîc jacentem conſpiciens nullus non effundat uberrima lacrymarum flumina. Equidem, Auditores mœſtiſſimi, cùm mihi onus impoſitum ſit, ut perilluſtris viri funus oratione exornẽ, certè multò minus affero facultatis ad dicendum, quàm terſæ aures veſtræ, & rei dignitas poſtulat: apud eos enim dicendum eſt, quibus nihil niſi ſubtili excogitatum ingenio, accuratâ elaboratum induſtriâ ſatisfecerit; quid igitur jejuna & arida vobis polliceatur oratio? De eâ autem re dicendum eſt, quæ etſi penè infinitam ſuppeditet orationis materiam, tamen recenti acerbiſſimi vulneris memoria omnem & mei, & veſtri ardorem animi ſeſe erigere conantis, tanquam flumine obruit & extinguit, adeo ut etiam ab animo promptiſſimo profecta oratio in tanto luctu ſqualere quodammodo, & aſpectum hominum, ac omnino lucem formidare videretur. Nihilominus veſtrâ benevolentiâ & audiendi patientiâ fretus, & autoritate eorum, qui pro jure ſuo mihi id imperant, fultus, vires juveniles experiar & quantum temporis anguſtia admittit, tanti viri præcipuas laudes brevi oratione perſtringam, præteriturus plurima, quæ cuivis veſtrum obvia eſſe poſſunt.

Hieronymum Fabricium, Auditores, nobis progenuit Aquapendens, civitas Thuſciæ inter Phaliſcos non ignobilis, quippe quam Ptolomæus ſub nomine Aquulæ deſignat, ſi Volaterrano fides debetur. Hanc verò multò celebriorem reddidit, & famæ immortali conſecravit noſter Fabricius, ita ut illa proprium non enim eundem ſuum alumnum & civem, ceu grati animi teſſeram, transfudiſſe videatur. Majores habuit mediocrium quidem fortunarum, honeſtos tamen & integræ famæ cives; ex quibus avus paternus, qui eodem Hieronymi gaudebat nomine, pro ſuâ civitate, honorificâ ad Summ. Pontif. legatione functus eſt. Sic autem fieri oportebat, ut ab humiliori enaſceretur proſapia, quo amplior ipſi ad gloriam pateret campus, ſiquidem ab eo exordienda fuit familiæ ſuæ nobilitas, ut illam non hæreditariâ ſucceſſione acceptam, non majorum virtute partam, ſed propriâ induſtriâ acquiſitam poſſideret: nam *quæ non fecimus ipſi vix ea noſtra voco.* Hanc ergo ille in tantum extulit, tantâ claritate illuſtravit, ut ſuam ex fratre neptem, gloriæ & bonorum ex aſſe hæredem, in Illuſtriſſimam Delphinorum famil. matrimonio copulandam deſtinaverit, in familiam nempe illam, quæ cum antiquiſſimis Venetæ nobilitatis ſtirpibus avita generoſitate certat, quæ Principes, purpuratos Cardinales, tot Epiſcopos & Antiſtites, virtute & doctrinâ inſignes, longâ ſerie enumerat, ut in hac illuſtri familiâ virtutum chorum fixam ſedem dicas poſuiſſe. Unde ampliſſimus Senatus nihil dubitavit, eandem inter primariæ nobilitatis matronas adſciſcere, ejuſque poſteritatem ſucceſſivâ nobilitate condecorare. Honeſtè itaque à ſuis educatus hic noſter, ſub primo ſtatim adoleſcentiæ exordio bonis avibus, huc Patavium, tanquam ad mercaturam bonarum artium appulit, atque ad ſanam Medicinam excolendam ſe applicuit: ubi quantum animo conniti potuit, quantum labore contendere, tantum effecit, ne committeret Scholæ & Magiſtrorum authoritatem dedecorari. Eos enim in Philoſophiâ & Medicinâ progreſſus fecit, ut non modò condiſcipulos, ſed ipſos tandem præceptores Cleanteis vigiliis ſic à tergo reliquerit, ut verum eſſe faterentur, quod veteri proverbio dici conſuevit: Plures diſcipulos præſtantiores magiſtris. Etenim cum eſſet doctrinæ perinde ac virtutis cupidus, arbitratus eſt & ad ſuam laudem, & ad patriæ ornamentum pertinere, ſi ut Ariſtoteles Platonem, Demoſthenes Iſæum, Cicero Philonem & Poſidonium præceptores ſuos doctrinâ ſuperarunt, ita ipſe Gabrielem Fallopium, illius temporis Æſculapium, arte antèverteret. Quod eò facilius ipſi fuit, quò pluribus adminiculis ad eam rem juvabatur. Fuit enim ipſi vivida memoriæ vis, ingenium tam acutum, tam ſolers, tam in numerato; judicium tam acre, tam maturum, tam ſincerum, motus animi

mi tam celeres, tam prompti & expediti, ut nihil in arte ſuâ fuerit tam arduum, tam abſtruſum & reconditum, quod labore non veſtigaret, non erueret non aſſequeretur. Hinc factum eſt, ut decedente Fallopio, nullus dignior, nullus aptior judicatus ſit, qui hanc provinciam cum laude publicâ poſſet adminiſtrare. Profeſſor ergo Anatomiæ & Chirurgiæ electus, in hoc unum totó pectore incubuit, ut ſpartam, quam nactus eſſet, pro virili ornaret. Quare hoc publico docendi munere quinquaginta continuis annis cum ſummâ gloriâ perfunctus, dici non poteſt, quàm frequenti auditorum concurſu fuerit auditus, quos tanquam filios vel fratres unicè diligebat, nominatim ſalutabat, & ad præclara ſtudia amantiſſimè hortabatur: quantam autoritatem apud ſuos auditores habuerit, quem ſpectabant, cujus ab ore omnium ora pendebant: quantas eorum aſſenſiones, quantas admirationes, quantos applauſus reportaverit, ut quemadmodum apud Pythagoreos contra quamlibet firmiſſimam rationem plurimum valebat illud, *Ipſe dixit:* ita ipſi omnes Hieronymum Fabricium tanquam Pythagoram colerent. Suo proinde labore, ſuâ diligentiâ, ſuâ aſſiduitate & indefeſſo ſtudio, brevi tempore tantum peperit ſibi nomen, ut inter Celeberrimos Anatomicos facilè primas obtineret. Fuerunt noſtra & Patrum memoria Viri in hac arte clariſſimi: In Galliâ Fernelius, Silvius, Laurentius, Riolanus: In Germaniâ Platerus & Bauhinus: In Belgio Veſalius; nulla tamen talium virorum fœcundior regio fuit quàm Italia, nam ut prætereàm Curtium, Euſtachium, Mundinum, Varolium, Vidium, celebris eſt Verona ſuo Zerbiſio, Cremona Columbo, Roma Piccolomineó, Felſina Arantio, Mutina Fallapio, Placentia Caſerio, quos omnes multis paraſangis præit, & palmam præripit Aquapendens cum ſuo Fabricio. Quis enim tot novis, iiſque utiliſſimis inventis Anatomiam locupletavit? Hieronym. Fabricius ab Aquapendente. Quis à Sereniſſimâ Republicâ Venetâ mille Coronatorum annuo ſtipendio docuit? Hieronymus Fabricius ab Aquapendente. Quis titulum Supraordinarij noſtro tempore ſuâ doctrinâ promeruit? Idem Fabricius ab Aquapendente. Hoc ipſo nemo alius majori felicitate & facilitate Anatomiam & Chirurgiam explicavit, adeò ut ſæpe ſubſellia auditorum multitudine, parietes applauſibus, aures acclamationibus rumpi viderentur. Deſideratis eximiæ hujus doctrinæ teſtimonium? Habetis teſtes locupletiſſimos, præclara, quæ poſteris reliquit, monumenta, quorum quædam publici juris facta, in exteris quoque regionibus iteratâ impreſſione edita, nunc omnium manibus teruntur: quædam verò adhuc inter privatos parietes latitant, quæ propediem lucem aſpectura ſperamus, in ejus ſiquidem devenerunt manus, qui tantum bonum publicæ utilitati non invidebit, quod ut faciat, communis Apollinea turba ſummis precibus contendit. Hinc quod Ovidius poſt decantatas Metamorphoſeon gerras ſibi arrogavit, cur poſt tot, tamque admirabiles non dico libros, ſed theſauros, non idem ſibi jure optimo vendicet Fabricius?

Cum volet illa dies, quæ nil niſi corporis hujus
Jus habet, incerti ſpatium mihi finiat ævi,
Parte tamen meliore mei ſemper alta perennis
Aſtra ferar, nomenque erit indelebile noſtrum.
Ore legar populi, perque omnia ſæcula fama,
Si quid habent veri vatum præſagia, vivam.

Hæc ſiquidem ſcripta doctrinis obſcuris lucem, ſcriptoribus mortuis vitam, Medic. candidatis maximum ad diſcendum adjumentum attulerunt. Viva autem ejus vox hem quàm mirificè Patavium excitavit & exornavit! Ut criſtatus ales reſurgentis ſolis exortum repetitis càntibus annunciat; & mortales ad laborem & opus inſtigat: ſic noſter Fabricius renaſcentem & è tenebris emergentem Anatomiam clarâ voce divulgavit, & ad eam amplectendam omnes invitavit & incitavit. Quæ enim Europæ Natio non huc hodie ſtudiorum cauſa convolat? Quis populus hoc Gymnaſium non ſpectat? in eodẽ auditorio Germanum, Gallum, Italum cognoſcas, ut quos habitus, cultus, lingua, mores, regna diſtinguunt, hos diſciplina & inſtitutio, & arctiſſima Muſarum fœdera communi humani generis benevolentiâ devinciant. Cujus fœderis fæcialem fuiſſe Fabricium quis non intelligit? Primus enim ille Anatomiam in ſcenam produxit, primus theatrum Anatomicum, quod unum in hac Academiarum Academiâ deſiderari videbatur, magnifico ſumptu & mirabili opere excitare fecit, primus in eodem corpora maximo ſpectatorum applauſu diſſecuit. Nec inferiora in Chirurgiâ tum faciendâ, tum docendâ præſtitit, nam quòd priſcorum crudelitas & ſævitia à Chirurgiâ relegata ſit, Fabricio acceptum debemus. Quòd novis rariſque obſervationibus Chirurgiam illuſtratam habeamus, Fabricio acceptum debemus. Quòd novis inſtrumentis, & facillimis compendiis plurimas operationes perficiamus, uni acceptum referendum Fabricio. Verùm non debuit, imò non potuit tanta Virtus latitare, tantus ſplendor non erumpere, ſed in remotiſſimas regiones diffuſus, ſummorum Regum & Principum favorem & gratiam ipſi conciliavit, qui non modo vitæ ſuæ incolumitatem Fabricio, tanquam præſenti alicui Numini, commiſerunt, ſed etiam frequentiſſimè ipſum in deploratis caſibus prece & precio accerſiverunt. Ex plurimis unum exemplum mea dicta confirmet, potentiſſimi Regis Poloniæ, qui non modo humaniſſimis litteris eum appellare, ſed jam ætate laſſatum & lecto decumbentem regio munere, effigie nimirum ſuâ auro impreſſâ, condecorare dignatus eſt. Magnatum itaque liberalitas cum propriâ induſtriâ conjuncta tantas ipſi peperit opes, ut ne Mydæ cuidam vel Cræſo cederet; imo tot facultates & munera ipſi cumulavit neglectum lucrum, quod alius quivis vix datâ operâ ſibi acquirere poſſet. Nec opibus ſolùm & divitiis crevit, ſed honoribus inſuper & dignitatibus ampliſſimis auctus eſt, utpote quem Senatus Venetus præter titulum Supraordinarij, etiam Equeſtri dignitate ornandum cenſuit: quem ordinem non à Principe, ut fieri ſolet, ſed ab ipſomet Senatu ſuſcepit. Quod mihi revocat in memoriam illud quod Plinius de Fabio Maximo Cunctatore gramineâ coronâ donato refert: Cæteras omnes coronas ſinguli, & duces ipſi, imperatoreſque militibus, aut aliquando collegis dederunt, ſola graminea ipſius imperij manibus impoſita eſt, & quod peculiare ei fuit, ſola à totâ Italiâ data. Non ſecus Venerabili noſtro Seni, ut qui non unum Hannibalem, ſed mille morborum monſtra ex Italiâ profligaverit, & cives patriæ reſervaverit, Equeſtris dignitas ab ipſo Senatu, & à totâ quaſi Italiâ decernenda & domanda fuit. Quid? quod ipſum Collegium Patavinum eundem, tanquam præclarè de ſe meritum, collegam ſibi ſociare, & ipſi præter morem aditum ad ſe facere ſuſtinuit.

Maxima ſunt hæc, fateor, & maximopere commendanda, ſed longè commendabilius, quod hiſce diſciplinis ita Virtutes annexuit, ut quantum nominis & gloriæ medicæ artes ipſi conciliarint, tantum decoris & ornamenti ab omnium virtutum choro ſit ei comparatum. Siquidem eâ fuit in victu frugalitate, in cultu corporis neglectione, in geſtu moderatione, in colloquio circumſpectione, in congreſſu comitate, in conſilio dando facilitate, in ſubeundis laboribus conſtantiâ, in adminiſtrandâ domo prudentiâ, in publicis lectionibus aſſiduitate, in ſublevandis

vandis infirmis benignitate, eâ denique in omni vitâ æquabilitate, ut ſtupendum videri poſſit, Fabritij Romani Curij, Lælij, Socratis, ſingulorumque virorum illuſtrium Virtutes in uno noſtro Fabricio eminuiſſe. Ad hoc pulcherrimarum Virtutum agmen accedit ſingularis noſtri Fabricij continentia, quippe qui ne vagâ & inconceſſâ libidine nomini & famæ notam inureret, ſibi ſacroſancto connubij fœdere junxit caſtiſſimam Matronam Violantam, ex ſpectabili Vitalium familiâ oriundam, cum quâ conſtanti fide & ſociali amore ad decrepitam uſque ætatem convixit: Vitalis profectò uterque, illa corpore & nomine, hic corpore & famâ. Nec ſilentio prætereunda ea virtus, quæ agmen ducit, Pietas ſcilicet in DEUM, quæque ſanè in noſtro Sene tanta fuit, quanta in quovis alio. Teſtis eſt ſacra illa ædicula domeſticis ſepta parietibus, ibi quando ſenilis imbecillitas, aut tempeſtatis injuria exitum præcluderent, rem divinam obibat. Teſtis eſt tota Patavina civitas, quæ eum concionibus & officiis Quadrageſimalibus, non obſtante ſummâ frigoris inclementiâ, quæ aliàs ſenibus inimica, aſſiduò præſentem ſpectavit. Teſtes denique ſunt tot ad pias cauſas liberalia legata, ſacella vel inſtaurata vel reſtaurata, altare in hoc auguſtiſſimô templô ſumptu magnifico extruendum inſtitutum. Et hunc tantum Heroem non morum candor, non vitæ probitas, non Medicinæ faſtigium ab interitu vindicare potuit? O duram neceſſitatis legem! O funeſtum mortis imperium!

Talem itaque ætatem uſque ad decrepitos annos innocenter produxit, atque octuageſimum quoque annum ſupergreſſus eſt, ut dubites, morbo ne an ſenio interierit: quod non parum ad laudatiſſimi Medici encomium facere judico, quaſi ſepulchrum recipere cum formidaret, qui tot hominum myriades è Libitinæ manibus eripuiſſet; & diffideret eundem brevi ſpatio claudere, cujus famam vix univerſus orbis caperet. Poſtquam autem eò ætatis pertigiſſet, res ſuas prudenter diſpoſuiſſet, & neptem, (quæ ſola cura ipſum hactenus angebat,) nobiliſſimo ſponſo elocatam videret, annis tandem & laboribus fractus ultrò victas manus dedit; ſatis enim ſibi, ſatis naturæ, ſatis gloriæ vixiſſe viſus eſt, certè non ſatis vobis. Quare cum ſuperioribus diebus febri acutiſſimâ corriperetur, unde aſſiduo vomitu & corporis lubricitate cibos & medicamenta ingeſta regereret, paulatim ſibi vires ſeniles vaſtari & proſterni ſenſit: itaque patientiæ virtute armatus forti animo & integris ſenſibus cum morte in arenam deſcendit; cujus virilis certaminis teſtes adhibuit viros pietate & religione inſignes, qui ei uſque ad extremum habitum aſtiterunt, donec tandem feſſam animam in manus ſupremi Numinis commendatam conſtanti fide & indubiâ ſpe exhalavit. Quis mihi dabit aquas? quis fontem lacrymarum miniſtrabit? ô infelicis miſeræque vitæ ludibria, quæ cum in manibus habere arbitramur, cum frui nos poſſe quàm diutiſſimè ſperamus, derepente avolant, & deſerunt hiantes omnibus ſenſibus. Illane humanitas interiit? ille ſplendor extinctus eſt? illa Virtus ſuperata? illa tandem pendens aqua cecidit, ſub cujus fœcundiſſimis doctrinæ ſtillicidiis tot ſelecta pectora, tot nobilia ingenia irrigata ſunt? ille fons exaruit, à quo in univerſum orbem tam ſalutares producti rivuli? ô rem luctuoſam & acerbam! ô miſerum non hujus modò ſed univerſæ rei literariæ caſum! Utinam, ô mors, vel non eſſes oculis capta, vel non eſſes literarum rudis, temperaſſes profectò ab eô quô ſuperſtite tellus habuit quo ſe cum cœlis auderet comparare, & mucronem in illos diſtrinxiſſes, quibus non fuit operæ pretium naſci, cum nihil in vitâ memorabile factitent, quo ſe vixiſſe teſtificentur. At tu, æterne DEUS, quid paras? (dabis enim id dolori, ut apud te pauliſper querar) quid inquam paras, Sanctiſſime Pater. Cur eripi nobis privarique luce illam gloriam, illam ſapientiam, illam autoritatem paſſus es? An eum ſedibus illis beatiſſimis, quàm hoc calamitoſo exilio judicaſti digniorem? an nos indignos, qui tanti viri humanitate & doctrinâ frueremur? Ille quidem beatus, iterum atque iterum beatus, qui mortalitate exutus omnibus bonis affluentem immortalitatem adeptus eſt, & quæ moleſtiam afferre poterant, videre deſiit, illa videt, ſemperque videbit, quibus perpetuò gaudeat & lætetur. Nos miſeri, nos infelices, qui in hoc exilio relicti, illius ſubſidio ſpoliati ſumus, cujus vel ſola præſentia noſtras ægritudines faciebat leviores. Verùmtamen in hoc nos ſolari & reficere poteſt, quod ut quiete tandem frueretur, emeritum noſtrum Fabricium mors rude donaverit, & è tenebris in lucem, ex turbulentiſſimis tempeſtatibus in tranquillum portum deduxerit. Finis miſeriarum mors eſt, non vitæ; naſcimur, ut moriamur. Non igitur ipſi erepta eſt, ſed donata vita morte, ſi mors dicenda, vitâ brevi relictâ ad æternam migratio: Aut ſi quis emori poſſit, cujus memoriam omnis tuebitur ſeculorum poſteritas. Nunquam enim extinguitur lumen, quod virtus accendit vivaci flamma, pingui ſucco nutritum creſcentis gloriæ. Magnum ſolatium ſit homini, propagandi nominis ſecundum merita præviſa ſpes, ſi ſuperſtes aliquid poſt oſſa relinquat in terris, quod brevis tumulus non poſſit capere. Beatum hunc talem pronuncio, cujus mors ita cognita, ut vivere tùm primùm verè incipiat, cum lapide ſepulchrali preſſus ex oculis in memoriam tranſit honorifico ſpiranti præconio. Quis candelam in laternâ ardentem tectam dixerit, dum circumfuſam lucem rebus communicat? Tale ſepulchrum erit noſtri Fabricij, opertum & ex abdito lucebit; marmor non capiet, quin exiliant & ſe diffundant honoris ſcintillæ. Nemo ergo cum obiiſſe, ſed in cœlum abiiſſe prædicet, ubi tot virtutes ei triumphum pepererunt nobiliſſimum: Satis ornarat terras, cœlum reſtabat, quod magnificentius decoraret, quam vel Urſæ, vel Argo, vel Orion, vel reliquæ ſiderum figuræ, quæ ad Aſtrologorum arbitrium effinguntur; aliter ille, quem divina voluntas mutari neſcia, eò deſtinat.

Ad te nunc, ô celeberrima Patavina Univerſitas, mea declinat oratiô, quam tanto Viro felicem aliquãdo & florentem ſpectabamus; at nunc hoc funere tantam accepiſti plagam, quæ vix ſanari poſſe videatur, unde in luctu & ſqualore jaces, nec mihi in eadem navi vectô quam dolori medicinam adhibeam ſuccurrit. Plange, ô Patavium, & luctum tuum cum meo conjunge, tu ſtudiorum Mater, quæ Fabricium juvenem enutriviſti, virum admirata es, ſenem omnibus obſequiis venerata es; te eadem ſors manet, ut poſthac in deſperatis corporis malis omni ſpe deſtituaris. Tibi quoque, ô inclinata mea Natio Germanica, quam præ cæteris unicè amare & in ſinu fovere, imo præclarô editô opere cohoneſtare tantus Vir viſus eſt, tibi inquam, quæ nunc mens? quis animus? non enim video unde in poſterum tot humanitatis officia, tot doctrinę emolumenta, quæ tecum in patriam referas, repetenda ſint. Tandem ad te, ô Venerande Senex, humanus me rapit affectus, te ultimum appello, ſi modo aliqua vox ad te mea pervenire poteſt, tibi extremum vale mœſtus & ſqualidus parc. Hem ut totus elinguis & mutus jaces, cujus toties accipere & reddere voces mihi dulce fuit? ut obſcura ſunt depreſſa lumina? ut flaceſcunt pallidæ genę; ut ſqualet veneranda canities? ut rigent ſalutiferæ manus? heu quantum mutatus ab illo? Sed ne importuna oratio quietem interturbet, Vale & quiete illâ, quam in terris non inveniſti, in cœlis perpetim fruere. Æternum vale & ſalve! ô longum & triſte vale! DIXI.

EPIGRAMMA.

Martia Fabricio ſe jactat nomine Roma,
Pendula Fabricium tu quoque gignis Aqua.
Nobile Fabricio genus, inclita Roma, dediſti;
Pendentem hic contra nobilitavit aquam.

EPITAPHIUM.

Hoſpes tolle gradum: namque oſſa ſenilia calcas,
Quæ pede nullius promeruere premi.

ALIUD.

Hic Celebris requieſcit Aquæpendentis alumnus,
Sat dixi: reliquum viva fama canit.

L.m.p.

IOANNES THVILIVS,

IN EJUSDEM OBITUM.

Ecquid terra novô ſibi vult effoſſa ſepulcro,
Medoaci glaucas edita propter aquas?
Ille decus Patavi, Medicæque ſuperbia turbæ,
FABRICIUS, *canos clauſit in orbe ſuos.*
Iamque dedit ſolitis, quæ ſunt mortalia, buſtis
Pondera, laude vagas ſed peragrante plagas.
Vix alius doctâ tractavit vulnera dextrâ
Rectius, aut facili depulit arte malum;
Humanos melius vix alter noverat artus,
Pace loquor Celſi, pace, Galene, tuâ.
Teſtantur multis contexta volumina chartis,
Scriptaque pro medico non inhonora foro.
Quæ licet in tenuem corpus tranſiverit umbram,
Authorem rapidâ morte perire vetant.
Exemplum, juvenes, quod laudibus incitet orſus,
Emeriti poſſunt ſuppeditare Senes.

J. P. LOTICHIUS, Hanonnicus,
P. Cæſ.

ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM, *Acta Phyſico-Medica, exhibentia Ephemerides, ſive Obſervationes, Hiſtorias, & Experimenta à Celeberrimis Germaniæ & exterarum Regionum Viris ſingulari ſtudio collecta. Vol. I. cum Appendice. Norimbergæ, apud Endterum, & Jul. Arn. Engelbrecht*, 1727. 4.

De illis ſic in Actis Lipſienſ. An. 1727. *p.* 398.

Illuſtris Naturæ Curioſorum Academia, quæ ſuperioris ſæculi anno 52. fundata, quadringentos ferè numerat Collegas, poſtquam Obſervationes, Hiſtorias, Experimenta & Inventa ſua *Decuriis* primùm *tribus* hinc *Centuriis decem* cum orbe literato communicavit, *Acta* nunc ſiſtit *Phyſico-Medica*, ut omnes atque ſinguli ejuſdem Collegæ palam demonſtrent, ſe nunquam otioſos eſſe. Hoc certè volumen, obſervationes 250. continens, multa exhibet, quæ *Hiſtoriam Naturalem, Chymiam, Phyſiologiam, Anatomiam, Pathologiam, & Praxin* egregiè illuſtrare poſſunt. *Hiſtoriam Naturalem* quod concernit, *Obſ.* 26. Cœli ardentis phœnomena in Haſſia obſervata, & *Obſ.* 233. effectus radiorum ſolarium loco phoſphori ſcotophorum producentium recenſentur. In ſpecie ex *Regno Vegetabili* Obſ. 24. Cheiritis coralloidis albi Americani, 29. radicis Mexicanæ Contrayervæ novæ, 70. Hyſſopi Ratisbonenſis è maceria creſcentis, 101. Arboris Caffée Lipſiæ florentis, 219. fungi querni in Inſulâ Mœnâ monſtroſi, 129. graminis abſciſſi, radice in loco natali relicta, filo in faſciculum collecti, in hypocauſto calido inverſo modo ſuſpenſi, omni aquâ & terrâ deſtituti, mediâ hyeme augmentum capientis, 135. Carlinæ in Haſſia inventæ, 175. roſæ triplicis, *rex roſarum* dictæ, & 219. regenerationis roſarum rubrarum ſpontaneæ in aceto roſarum, mentio fit. Ex *Regno Minerali* Obſ. 115. Turfum Batavum, 118. Cryſtallus Islandica in Amethyſtum mutata, 156. oſteocolla figurata Gieſſenſis commemoratur. Quemadmodum & VI. D. *Joh. Fried. Henckelius* de Thermis artificialibus, ſcoriarum dictis, uberiùs loquitur, tabulamque de aquis mineralibus factitiis Freybergenſium ſubnectit, ac 167. D. *Antonius Valliſnerius* fontem mirabilem in Regno Neapolitano deſcribit, qui quibuſdam horis diurnis penitùs ſiccatur, & hinc abſque ordine modò ſubitò, modò tardè eadem aquæ abundantia, quam antea habebat, repletur. Ex *Regno Animali* Obſ. 5. phocæ, 131. ardeæ ſtellaris, 157. & 210. veſpertilionis anatome ſuppeditatur, cujus & latibula majora in montium ſpeluncis 211 inveſtigantur. Præterea 21. calva ſerpentis Americani diademata, 22. penna anſerina duplici caule prædita, 73. manus in ſepulchro ultra ſeculum ab omni putredine conſervata, 117. naturæ luſus in ovis gallinaceis, 132. cuculus à rubeculâ enutritus, 185. pediculi ſeu pulices muſcarum, & 218. hippolithus ſiſtuntur. In *Phyſiologicis* Obſ. 31. menſes in vetula, 77. gemellæ, quarum nigra altera, altera alba fuit, commemorantur, 143. venenoſitas ſanguinis menſtrui probatur, 183. uterus in gravidis craſſior quàm in non gravidis aſſeritur, 184. communicatio ſanguinis matrem inter & fœtum ſtabilitur, 186. ſanguinis circulum veteribus cognitum fuiſſe, ex loco veteris Scholiaſtæ Euripidis & Plutarchi deducitur, &c. 212. de ſanguine & ſero lacteo diſſeritur. Ad *Anatomica* ſpectat, quando *Obſ.* 82. de appendice præter naturali cœca inteſtini ilei, 90. de veſica urinaria per intermediam membranam in duas cavitates diviſa, 177. de glandulis labii ſuperioris, 178. de glandulis linguæ, & 179. de laryngis facie interiori & ventriculis ejus ſermo eſt. Suum etiam *Obſ.* 178. D. *Laurentius Heiſter* interponit judicium de ductibus linguæ ſalivalibus à *Vatero*, *Coſchwizio*, & *Walthero* detectis, putatque, ductum à *Vatero* deſcriptum magnum illud eſſe linguæ foramen, quod ante 40. annos *Collinus*, Anatomicus Anglus, in ſua Anatomia, ſub nomine foraminis cœci deſcripſit, creditque, glanduloſum illud corpus, circa radicem linguæ ſitum, ſi adeſt, (nam in omni linguâ non reperitur) liquidum aliquod per hoc orificium in os effundere. *Coſchwizii* ductus pro venis potius linguæ habet, quàm pro canalibus ſalivalibus. *Waltheri* verò ductus à *Verheyen* & *Morgagno* jam indicatos eſſe docet. *Obſ.* 224. D. *Joh. Henr. Schulze* modum, quo ductus thoracicus facilè inveniri poſſit, communicat, dum inteſtinis tenuibus à nexu meſenterii liberatis & extra abdomen protractis, meſenterium, qua parte colo in dextro latere adhæret, levi priùs factâ inciſione, digitis ſeparatur, & removetur, tum ductus chyliferus, qui in conſpectum ſe dat, cerâ rubrâ repletur, quæ ad ductum uſque *Pecquetianum* penetrat. Ex *Chymicis* commemorandus venit *Obſ.* 71. Pulvis Acherontis ab aëre flammam concipiens, ſequenti modo parandus. *Aluminis roch. unc. ij. farin. ſecal. unc. ſemis, ſulphur. citr. drachm.* j. ſubtiliſſimè pulveriſata miſcentur, & in ſartagine torrentur, agitando materiam continuò cum ſpatula, ne cohæreat. Calcinatione peracta maſſa ſubtiliſſimè pulveriſatur, & hoc pulvere impletur phiola vitrea ad collum uſque & igni arenæ ſubjicitur, maſſaque tamdiu calcinatur, donec ruffeſcat. Quo viſo orificium phiolæ clauditur, & poſt refrigerationem cerâ obturatur. Monetur ſimul, ſi ſolo alumine rupeo paretur pulvis, mox eùm ſuas perdere vires, novâ calcinatione reſtituendas. Deſcribitur etiam *Obſ.* 72. Pulveris fuſorii compoſitio, quo nomine inſignitur ob virtutem, qua pollet, maximè fuſoriam. Monetam enim quamcunque interpoſitam argenteam & cupream in momento liquat in globulum, ad quam fuſionem nec candelâ nec carbone opus eſt pro accenſione, modo pulvis Acherontis ad manus ſit. Paratur hic ex *nitri unc. ij. ſcob. min. & ſulph. citr. ana unc. ſemis.* Quod ſi ergo ovi putamen ad medietatem uſque pulvere fuſorio repleatur, groſſus ſuperponatur, & eodem pulvere tegatur, ſupra hunc particula pulveris Acherontis charta bibula involuta ponatur, hâc ab aëre accenſâ pulvis fuſorius mox flammam concipiet, & moneta una cum ovi putamine liquabitur igne fortiſſimo. Deniq; *Obſ.* 210. ſpiritum vini tartariſatum haud aptum eſſe pro extrahendâ ex antimonio tincturâ demonſtratur. Plures proſtant Obſervationes, quæ *Pathologiam* reſpiciunt. Sic deſcribuntur *Obſ.* 1. febris epidemica Lipſienſis An. 1720. graſſata; 3. Gravida tonitru perculſa, fœtu mortuo & rigente; *Obſ.* 4. Cachexia incurabilis, 7. Hydrophobia tardiùs enata, 12. falſa plethoræ conceptio, 13. Polypus pendulus cum urinâ excretus, 14. Labiorum coalitus ex variolis, 15. Tumor cruris monſtroſus, 16. Tumor brachii œdematoſus & ſcirrhoſus, 17. Fiſtula ſcroti à calculo veſicæ, 18. Pedes melancholici ex cerâ putati, 23. Calculi renum octaedri, 25. Epilepſia hyſterica cum amauroſi, 27. Arthritis ex dyſenteria, 30. Enema per os reje-

rejectum, 32. Febris ſurda, *Obſ.* 34. Urina frigida in febre maligna, 35. Lacrymæ ſanguineæ ex metu & triſtitia, 36. Mania ex vulnere capitis, 37. ex levi percuſſione Mors, 38. Quartana in ſurditatem converſa, 39. Pus ex parotide per urinam emiſſum, 41. Ophthalmia contagioſa, 42. Hæmoptoë anniverſaria, 45. Cephalalgia æquinoctialis, 55. Tumor præcordialis internus, 63. Sternutationes in tertianâ continuâ lethales, 64. Calculi in ventriculo reperti, 90. ex obeſitate fœminæ ſeptuagenariæ Aſthma lethale, 95. Dolor capitis quartanus, 96. Icterus à morſu felis, 107. Lacerta aquatica per vomitum reddita, 108. Scroti, penis & pedum ſcirrhi ex eryſipelate contracti, 109. Mictus cruentus per octiduum affligens, 110. Ulcus cancroſum in faucibus, 111. ex polypo cordis dependens plenaria Cachexia, 112. Aphonia ſex hebdomadum poſt variolas, 120. Excreſcentia carnoſa in dorſo infantis circa vertebras lumbares enata, 124. Pſeudoiſchuria periodica, *Obſ.* 136. Mictus & vomitus magici, 137. 193. & 197. Faſcina, 141. Mors repentina ex ſubitanea profuſione ſanguinis in cavum thoracis, 149. Dolor lumbaris cum motu femoris abolito ex abſceſſu interno & carie vertebrarum, 150. Ulcus in dorſo magnum ad pleuram penetrans cum carie coſtarum, *Obſ.* 151. Aſthma grave cum hernia umbilicali, 154. Veſicula fellis inſolitæ magnitudinis, 162. Tuſſis epidemica Auguſtana puerilis, 163. Difficultas mejendi ex proſtatis tumefactis, 164. Mors ex iſchuria ob tumorem proſtatarum glanduliformem, 166. Partus veſicularis, *Obſ.* 170. Dubia hydropis pectoris & pericardii diagnoſis, 172. Lumbrici in cavo abdominis reperti propter perforata inteſtina, 176. Ruptura uteri in partu difficili, 181. Calculus in veſicula fellea juglandis magnitudine, *Obſ.* 189. Nævi materni hæreditarii, 195. Maſſa polypoſa per alvum rejecta, 196. Maſſa carnoſa inſtar venæ cujuſdam per tuſſim excreta, 201. ex renis exulceratione & tumore urethræ adnato Hectica & Iſchuria, 202. Ambuſtio pedis chartæ luſoriæ folio ſebo illito facta, 203. Hæmorrhoides conſolidato gingivarum ulcere priſtina relegentes veſtigia, 205. Scabies manuum primò menſium erupturorum conatu, ſingulis denuò menſibus contingens, 207. Vaſorum umbilicalium ruptura in partu, *Obſ.* 209. Ureteres utrique à calculis obturati, 213. Hydrops pulmonum, *Obſ.* 215. Transformatio febrium unâ ſerie facta, 217. Hæmorrhoides menſtruæ in puero decenni, 220. Polypus ἄπους circa diviſionem venæ cavæ in ramos iliacos, œdematis pedum, & exulcerationis cum copioſo lymphæ effluxu, cauſa, 227. Urinæ ſtillicidium perpetuum poſt partum difficilem, non ex urethra, quæ clauſa erat, ſed foramine colli veſicæ, 229. Aneuriſma verminoſum in arteria meſocolica equæ, 230. equiſetū abortuum in integro grege crebriorum cauſa, 235. Pædarthrocace pro luxatione falsò habita, 247. Urina chyloſa ex ventriculi debilitate, 248. Motuum ſeroſorum multiplices valdè & proteiformes ſucceſſus alternationeſque à prima infantia ad 50. uſque annum, 250. Syncope convulſiva pro eeſtaſi habita. Spectat & huc, quando 223. ſurditatis cauſam in ove invenit D. *Joh. Henr. Schulzius* membranam tympani utraque ſui ſuperficie verrucis quaſi, capitula acicularum minimarum æquantibus, & manifeſtè vaſorum quorundam implicationes & conglomerationes præ ſe ferentibus, obſeſſam. Præterea *Curationes felices* delineantur *Obſ.* 2. Anaſarcæ poſt convulſiones, 8. Leproſi, *Obſ.* 33. Hydropici per abſtinentiam à potu, 43. Vertiginis per tubarum ſonitum, *Obſ.* 52. Noxarum à radicum cicutæ eſu variis inductarum, melancholiæ puta, ſomni profundi, abdominis cruciatuum, maniæ *&c.* per emeticum, 56. Hydropis, 60. Mictus cruenti, *Obſ.* 61. & 62. Aſthmatis, 65. Ophthalmiæ per urinæ fotum, 66. Colicæ per nivem, 67. Cœcitatis ex impetigine, 89. Hemicraniæ vehementis & inveteratæ per Corticem Peruvianum, 91. Affectûs hiſterici per urinæ potum, 100. Cachexiæ ad aſciten tendentis, 202. Maniæ per gelidum balneum, 103. Menſium fluxus nimii per lintea frigida & aceto imbuta, 104. Capitis doloris contumaciſſimi per veſicatoria, 125. Rupturæ internorum, paſſionem Colico-Iliacam mentientis, per arnicam, 139. ex colica hypochondriaca tumoris inflammatorii inguinis ſiniſtri cum inteſtinis incarceratis in abſceſſum abeuntis cum ſeptem lumbricorum exitu, 140. Paralyſeos palpebræ ſuperioris poſt morbillos, 141. Diabetis ſpuriæ in variolis & morbillis, 143. Vomitus, tumoris abdominis & furoris ex ſanguine menſtruo philtri loco propinato, 159. Amauroſis, 161. Doloris acerbiſſimi maxillæ ſiniſtræ partes occupantis & per paraxyſmos recurrentis, 192. Phthiſis per acidulas, & 244. Inflationis tympaniticæ pertinacis per venæ ſectionem. Nec minùs legi merentur, quæ hinc inde in *Praxi Medica* fuerunt obſervata, dum *Obſ.* 10. Methodus *Timæana* febrem quartanam per purgantia, quinque vel ſex horis ante paroxyſmum propinanda, curandi confirmatur, 11. Empirica hæmorrhoidum per emetica Curatio deſcribitur, 50. & 51. Arthritis à lumbricis terreſtribus impoſitis inſolentior, à catello ſuccumbente remiſſior facta, 101. ex tertianâ continuâ Cortice Peruviano expugnatâ, magna & pertinax nervorum diſtenſio obſervata, 123. Pſychroluſia variolis funeſta, 130. Felis à frigore hyemali congelata, ſub fimeto vitam recuperans, 168. Uteri inflammatio cum auctâ febre, inteſtinorum lævitate, & lochiorum ſuppreſſione per diarrhæas ſolutâ, 190. Venæſectio, purgatio, acidularum internus & externus uſus in gravidâ ſalutaris, 214. Deformitatis in variolis præcautio dubia, *Obſ.* 216. Scirrhus uteri ſtupendâ & fœtidâ uteri hæmorrhagiâ ſolutus, 238. Melancholia hypochondriaca paralyſi judicata perhibetur, 75. de Inſitione variolarum Londini inſtitutâ diſſeritur, 175. ne gravidæ mortuæ terræ mandentur, donec fœtus exſciſſus fuerit, monetur, & *Obſ.* 249. Variolarum malignarum Francofurti ad Mœnum 1723. graſſantium deſcriptio & curatio ſubjungitur. Phœnomena etiam deſcribuntur in *Jectionibus* Obſ. 49. Tympanitici, 53. Rachitici cum alba oſſium carie, 59. Hectici, 76. Nephritici, 78. Hydrope thoracis, 86. Abſceſſu ſpinæ dorſi à caſu ab alto, 87. Abſceſſu meſenterii denatorum, 98. Hydropici, 160. Hydrope ſaccato, 171. Amauroſi, 173. Phthiſi ex hæmoptyſi, 174. Empyemate laborantium, & 226. Puellæ cum hernia umbilicali natæ obſervata. *Virtutes* porrò *medicinales*, Obſ. 40. Olei olivarum anodyna, 44. Caffæ potus in diarrhœa ſalutaris, 48. Lupinæ carnis antepileptica, 57. Chenopodii folio triangulari *Tournefortii*, vulgò boni *Heinrici*, hydragoga & traumatica in ſcabie, 61. Decocti raparum ad reſpirationem difficilem, 69. Saponis in dyſtocia, 97. Lactis caffeati, 126. Eſſentiæ dulcis Halenſium in epilepſia infantum meſenterica periodica, 127. Lactis in podagra, 128. Corticis

Peruviani adſtringens, 133. Seminis petroſelini antiphthiriatica, 134. Narciſſo-leucoij radicis emetica, 191. Decocti viſci querni in arthritide, cachexia, colica, & acrimonia bilioſa, ſyſtema nervoſum roborans, 194. Corticum ulmi in hydrope, 222. Æthiopis mineralis in glandularum colli, maxillarum, parotidumque tumore inveterato & fiſtula pone aurem, admodum deprædicantur. Ex *Compoſitis* Obſ. 58. in Dyſenteria epidemicè 1719. *Gieſſæ* graſſante Piluiæ probatæ fuerunt *Phil. Eberh. Dillenio*, quæ ℞. *rhab. el. unc. j. extr. aloes, drachm. iij. theriacal. angel. ana drachm. ij. ſem. tinct. alexiph.* Stahl. *q. ſ. F. l. a.* Pilulæ, grani ponderis, conſpergendæ cum *antim. diaph.* D. omni veſperi 25. præmiſſo ex infuſo *rad. ipecacuanhæ vomitorio*, & 153. ſequens unguentum ophthalmicum à D. *Joh. Georg. Brebiſio* commendatur: ℞. *butyri caprini recentis* lib. iij. *herbæ loti odorati florentis, minutiſſimè conciſæ* Manip. iv. *rutæ hortenſis conciſæ* Manip. i. *ſemis, frixentur in ſartagine ferrea lento ignis gradu, donec omnis humiditas conſumpta fuerit, cujus ſignum eſt, quod non ampliùs ſtridet, quo facto tranſcolentur per pannum lineum.* Porro ad *Chirurgica* refertur *Obſ.* 17. Calculus veſicæ ex pueri ſcroto exulcerato protractus; 28. Tumor magnus ingens oſſeoque folliculo incluſus, feliciter ablatus, 55. Phlegmone brachii ſcarificatione curata, 80. Uteri prolapſi reſectio non lethalis, 158. Vulnus abdomen utrinque penetrans ſanatum, 165. Polyporum narium rara ſpecies curata, 182. Digitus enormiter cancroſus ſeu carioſus reſectus, & 208. Percuſſio bregmatis cum ſanguine extravaſato trepanatione curata. Ad *Medicinam forenſem* denique ſpectat *Obſ.* 188. in quâ incertum infanticidii ſignum ex pulmonis fœtus innatatione vel ſubmerſione declaratur. *Obſ.* 177. D. *Laur. Heiſter* glandulas labri ſuperioris à nullo hactenus Anatomicorum exhibitas, 178. Linguam humanam, & præſertim ejus glandulas in ſuperficie poſitas, & *Obſ.* 179. interiorem laryngis faciem, imprimis ejus ventriculos depictos dat.

De cetero in Appendice hujus voluminis leguntur I. Canellæ ſive Cinamomi cujuſcunque generis, arborumque hoc cortice obductarum Hiſtoria curatè ſcripta à Procuratore id genus mercium primario, operiſque ad hujus aromatis ſelectionem conductis Præfecto, ex Germanico ſermone Latinè reddita: II. Hiſtoria Epidemica Hungariæ, conſcripta ab *Andrea Low*, Nobil. Sempron. Hung. Phil. & Med. Doct. & Phyſ. Sempronienſi, nunc verò communicata à filio *Car. Fried. Low*, Regiæ Legat. Suec. Medico ordinario: III. Biga Diſquiſitionum Phyſiologicarum de humanitate, ſeu cur homo ſit? qualiſque humanæ naturæ ſit deſtinatio & indoles in genere, Authore *Joh. Kanoldo*, M. D. IV *L. Imman. Henr. Garmanni* Epiſtola ad illuſtrem Præſidem Academiæ Nat. Cur. quâ pro Receptione gratias agit. V *M. Joh. Erneſti Grundleri* Medicus Malabaricus, ſeu brevis Relatio de ſtatu artis Medicæ inter gentes Malabaricas: VI *D. Mich. Schendi* R. C. Equ. *van der Beck* Epiſtola de quibuſdam rarioribus Indiæ utriuſque Exoticis, imprimis de Terra Sinica Bezoardica *Tanzuè* dicta: VII. Ejuſdem Status Ruſſiæ literatæ: VIII. *D. Gottlob Schoberi* Diſſertatio de Mumi Perſica IX. Memoria D. *Georg. Chriſt. Petri ab Hartenfels*, & X. *D. Rud. Jac. Camerarii.*

Ibidem, Anno 1730. *p.* 300.

Ejuſdem Academiæ Actorum Volumen II. cum Appendice. Ibidem editum, ann. 1730. *in* 4.

JActuram fecit haud levem illuſtris Academia Cæſ. Leop. Carol. amiſſo capite ſuo ac Præſide, D. *Luca Schrœckio*, qui die 3. Januarii hujus anni non immaturâ quidem morte ſublatus, ſed ætate maturiſſima deceſſit, ſenex optimus & vitæ & honorum, ſed & laborum ſatur; poſteaquam octogenario tribus annis totidemque menſibus major, vixit in ſingulare decus & incrementum rei medicæ, ac ſeorſim laudatæ Academiæ, cui ultra ſemiſeculum interfuit Collega maximè induſtrius, eidemque præfuit laudabiliter uſque in octavum luſtrum; inter Medicos longævos, ſaltem gloria meritorum, nulli ſecundus. Solatium interim fuit non minimum Collegis, poſtquam perceperunt, vacuum Præſidis officium ſuffragiis ſuis omnes atque ſingulos Societatis hujus Adjunctos decreviſſe D. *Joh. Jac. Baiero*, Prof. Publ. Altorfino, de re Medica & inprimis de Academia hac jamdum optimè merito, qui Ephemeridum hactenùs Director, etiamſi jam in hoc munere ſucceſſorem ſibi elegerit & conſtituerit D. *Mich. Erneſtum Ettmüllerum*, in noſtra Academia Profeſſorem Publicum, ſuis etiam de arte ſalutari meritis longo abhinc tempore conſpicuum, Volumen tamen II. *Actorum Phyſico-Medicorum*, quod jam excerptum dabimus, luci publicæ exponere non deſtitit, quod 209. *Obſervationes* continens haud ſecus ac prius multa exhibet notatu digniſſima.

Ex *Hiſtoria Naturali* Obſ. 57. Rubigo ſanitati noxia, 122. Cryſtallus inter grandines è nubibus decidens, 123. Cautelæ in venenorum emtione obſervandæ, 134. Nebula quædam morbifera, 172. Hiſtoria terræ motûs commemorantur. In ſpecie ex *Regno Vegetabili* Obſ. 72. Germinatio Vegetabilium in Vegetabili, 117. pili cum ovulis inſecti inſoliti in ceraſo, 169. *Voigtlandiæ* rariores quædam plantæ ac fructus, 176. Chamæmelon monſtroſum, 177. Aloes Americanæ per ſuum ſemen felix propagatio exhibentur. Ex *Regno Minerali* Obſ. 30. Lapides figurati in monte Wetteraviæ, 110. Gemmæ figuratæ, unà cum judicio de gemmis in Mumia Gothana inventis, 156. Examen terræ margæ arſenicalis, *Schabengifft*, ſuppeditantur. Ex *Regno Animali* Obſ. 36. Cauſæ nondùm finitæ Controverſiæ, an bruta habeant ſenſus & rationem? evolvuntur, 83. Modus traditur aſtaco fluviatili ſomnum conciliandi extraordinarium, 91. Rara & varietate colorum diſtincta, ex India allata avis, tribus gaudens pedibus, deſcribitur, 92. Vitulus maculoſus à nativitate, oculorum luminibus orbus, nec caude nec ano perforato præditus, 126. Chela aſtaci fluviatilis tribus apicibus prædita, 127. Nidus veſparum admirandus, ac 120. Alaudarum comeſtio minùs fauſta traditur. In *Phyſiologicis* Obſ. 9. dentes in vetula ſexagenaria renati, 35. Puer inſolitæ magnitudinis, 50. Funiculus umbilicalis infantis recèns nati prope corpus abruptus & non ligatus abſque damno, 76. Mulier imprægnationis tempore ſemper ſurda, 113. Dens ex medio palati emergens, 121. Lac in uberibus canis fœminæ non imprægnatæ, 145. Embryo ſex ſeptimanarum ſingulis artubus & membris integer obſervata leguntur.

guntur. In *Anatomicis* Obſ. 54. Maſſa mammarum glandulоſa unicum conſtituere corpus cum tubulis lactiferis maximis perhibetur, 55, Valvulæ conniventes in tractu inteſtini ilei explicantur, 56. Tegumentum peculiare membranæ tympani fœtuum inſerviens delineatur. In *Chymicis* Obſ. 136. oleum deſtillatum formicarum æthereum, 140. Salium mediorum præparatio curioſa ſine viſibili acido, & 141. Solutio martis ab alcali via ſicca deſcribitur, ac 171. de vera Solis extractione diſſeritur. Plures leguntur Obſervationes ad Pathologiam ſpectantes ut: *Obſ.* 1) de viſu duplicato, 2) Cordis vicinarumque partium prava conformatione, 6) Morte ſubitanea ex forti percuſſione in regione hepatis, 7) Palpitatione cordis ab hydrope pericardii & nimia cordis obeſitate,) 8) Pancreate & hepate corrupto in pingui homine, 11.) Ruptura oculi cum fragore, 16) Tuſſi lotionem pedum ex ſolâ aquâ calidâ ſubſequente, 18.) Abſceſſu ſaccato in thorace phthiſici, 19) Pericardio ſanguine diſtento & corde arroſo in orthopnoico, 20) Pericardio cartilagineo cum corde coalito in hydropico, 21) Lienis & renis ruptura ex caſu ab alto lethali, 22) Cranio & ſterno carioſo, ac calculis pulmonum in ſcorbutico; 23) Corde ſuppurato, 25) Suffocatione ex eſu mytulorum venenatorum, 26) Inedia ſeptem menſium, 31.) Cephalæa ab hydrope ventriculorum cerebri, cauſa autocheiriæ, 33) Suggillatione labii inferioris & menti ſingulari, 49) Ruptura uteri gravidæ cum fœtûs & ſecundinarum in cavitatem abdominis excluſione, 51) Paralyſi partium inferiorum ex fracturâ ſpinæ dorſi, 52) Amauroſi ex vomitu cruento, 53) Polypoſis ſanguinis concretionibus, 58) biennali lumborum Spaſmo, 60) inſigni calculum veſicæ rectè dignoſcendi difficultate, 62) Aphonia & diarrhœa cruenta ex vermibus, 63) Prolapſu uteri ex flatulenta inteſtinorum diſtenſione, 64) Mictu cruento ex hæmorrhoidibus veſicæ, 65) Scirrho inteſtinorum, 66) Aphonia ex catarrho, 69) Polypis binis in corde, cum ingenti lienis tumore & pulmonibus pleuræ undique adnatis, 70) Cœcitate ex contuſione capitis ad parietem, 71) Angina cum ſubſequente febre purpurata & inflammatione renum, 75) Apoplexia ex abuſu pulveris tabaci, 78) inſigni Hæmorrhoidario, 79) Exanthematibus malignis arthritidi vagæ ſupervenientibus, 80.) Hydrope ovarii ſiniſtri, 84) Deglutitione difficili ex epiglottide indurata, 85) Sudore colliquativo inſolito, 86) frequenti ſternutatione ex vapore calcis vivæ, 87) Cœcitate ex calculo, 90) Morte à polypo cordis magno, 94) Hernia umbilicali pro tumore cyſtico habita, 96) Infante ore clauſo & concreto nato, 97) Fœtu bicorporeo circa abdomen concreto, 98) Obſtipo capite cum oſſis occipitis & ſuperiorum colli vertebrarum carie conjuncto, 99) Exoſtoſi ſeu excreſcentia cranii oſſeo-ſpongioſa, 100) Tumore capitis à carne fungoſa cum carie cranii, 101) Femoris luxatione & capituli defectu, 102) Paralyſi à medullæ ſpinalis exareſcentia, 103) Coſtarum à ſterno ſeparatarum coalitu novo, & coli in inteſtinum rectum prolapſu, 104) variis Ulceribus ſinuoſis in ſcorbutico, 105) Carie ulceroſa brachii, manus & genu in cachectico, 106) Parotidibus exulceratis cum vomicis pulmonum & meſenterii, 107) Empyemate cum ſanguine intra pericardium ſtagnante, 108) Lienteria ex abſceſſu meſenterii magno, 109) Aortæ oſſeſcentia in ſene apoplectico, 114) Variolis anomalis, 115) Veſicula fellis monſtroſæ magnitudinis in bove ſaginato, 124) Superfœtatione abortiva, 128) Calculo per anum ſua ſponte ejecto, 130) Stranguria in gravidis, 131) Morbo acuto Lipſiæ 1718 graſſato, 132) Colica periodica, 133) Epilepſia ex viſu epilepticæ, 134) Rabie & hydrophobia tractationi pellis rabie extincti canis adſcripta, 137) diuturno Alvi fluxu periodico, paroxyſmi febris intermittentis exordio quotidiano, 143) Tremore artuum temporario à vermibus, ſæpiùs recurrente, 144) Syncope ex vermibus, 147) ſingulari purpuræ ac variolarum complicatione, 148) chronica intricataque morborum complicatione, 149) tardiori vulneris capitis lethalis progreſſu, 150) inſolitis egredientis ſanguinis viis, 151. 153) Morbis epidemiis, 152) Epidemia bovina tabifica, 154) Variolis verrucoſis, 157) Iſchuria ex plethora, 158) Arthritide maxillæ inferioris, 160) Linguæ paralyſi à vermibus, 161) Menſium per inconſueta loca effluxu, 162) deglutitione annuli innocua, 163) Abortu ex neglecta pertinaci alvi obſtructione, 164) Calculis felleis, 165) Febre tertiana annua, poſt æquinoctium vernale recurrente, 170) Phthiriaſi inſolita, 171) Judæo androgyno recèns nato cum ano imperforato, 173) Satyriaſi epileptica infantis à callo in pene, 178) Hepate ſcirrhoſo concretionibus oſſeis & calculis referto in aſcitico & hernioſo, 182) Salacitate ſingulari, 183) Variolis à cane per contagium contractis, 184) Guſtu depravato, 185) Hæmorrhoidibus à venæſectione in brachio ſuſcitatis, 186) Hæmorrhoidibus à juventute in ſenectutem uſque liberaliter fluentibus, 199) Impotentia virili à faſcino, 200) Vomitu à fulgure, 201) Melancholia ex eſu columbarum, 202) Abhorreſcentia à ſambuco, 203) ad Haleces appetitu & nauſea, 204) Phyaliſmo gravidarum, 208) Margaritarum averſatione, 209) Nævo materno, & 210) Conſtitutione epidemica Ferrarienſi Ann. 1729. Hinc *Curationes felices* delineantur *Obſ.* 3) Tumoris teſticuli dextri ſcirrhoſi, 5) Hydropis, 12) Tumoris ſtrumoſi per mercurium, 14) Clavi per hirudinum appoſitionem, 68) Ficus ſeu tumoris cilii ſuperioris palpebræ abſque ſectione, 77) Panni oculi, 81) Herniæ varicoſo-humoroſæ, 82) Aſthmatis ſpaſtico-periodici, 138) ſterilitatis ab ulcere diuturno pedis per ſalivationem, 142. Sterilitatis à præmature ſuppreſſâ tertianâ cum cortice chinæ cauſatæ, 146) Sphaceli uteri in puerpera remediis externis ſufflaminati, 159) Cardialgiæ per venæ ſectionem, 175) Scabiei per Vinum Hiſpanicum, 189) Apoſtematis panis melliti eſu contracti, & 198.) Odontalgiæ magicæ. In *Praxi Medica* obſervata ſunt ſequentia: *Obſ.* 4. Aciculæ deglutitæ cum urina redditæ: 17) Empyematicus abſceſſu ſponte rupto & aperto præter ſpem convaleſcens, 27) Enteroſcheocele alliſione teſticuli & inflammatione; & Enterocele colicâ ſpaſmodicâ ſuperveniente curata, 29) Sudor ſingularis poſt ſuperatas variolas, 32) Purpuræ non ritè ad finem decurrentis variæ ſucceſſiones, 37) Juvenis ſcorbuticus draſticis occiſus, 41) ex purgantium abuſu Febris hectica & mors, 42) Cachexia icterica ex martialium abuſu, 43) ex draſtici uſu diſpoſitio convulſiva, 46) ex eôdem Ruptura oculi & Cœcitas, 47) Viſus hebetior in ſene ophthalmiâ ſuperveniente curatus, 59) ex tumore pedis in podagrâ evaneſcente aphonia & mali moris ſymptomata, 61) varia in melancholico. 66) inexpectata & funeſta Salivatio, 74) Ebrietas à clyſtere ex vino gene-

generoſo confectô, 89) ex purgantium repetito uſu noxæ, 95) Caries oſſium in malo iſchiadico, 116) Vermis poſt variolas è ſiniſtri oculi cantho majori erumpens, 129) Dolor abdominis enormis ex aſſumto cortice Peruviano, 163) Scabies moleſtiſſima podagram excipiens eamque ſolvens, 164) Abuſus acidularum *Deinacenſium* lethalis, 179) Alvus antiſpaſticis ſoluta, 180) Tumor bubonodes ſuppuratus poſt tormina hyſterica ſalutaris, denuò reverſus cum colicâ inflammatoriâ lethalis, 181) Vulnus ab ictu ſclopeti, lardo ſolùm & cannabi contorta infarcti lethale, 187) Malum iſchiadicum exulceratione tibiæ ſolutum, 188) Diarrhœa ex ſudore matutino ſuppreſſo orta, hoc redeunte ceſſans, 190) Sternutatio crebrior & vomitus autocraticus ab ingluvie ſalutaris, 191) Contagium diarrhoea & ſudore ſpontaneis enervatum, 192) Puſtula genæ variolarum vicaria, 193) Aſcites diureſi ſpontanea ſolutus, 194.) Vomitoriorum diverſus effectus, 195) varia Euporiſta & Specifica, 197) Inflammatio tibiæ ab hirudinibus igne crematis, 205) Hydrophobia nullo præcedente animalis morſu orta & in famem caninam tandem ſoluta, 206) Fruſtum cordis bubuli comeſtum, poſt biennium excluſum, & 207) Hydrops lapſu ſanatus. Porrò phænomena deſcribuntur in *Sectionibus*, Obſ. 7. & 47) Aſthmaticorum, 18) Phthiſici, 20. & 34.) Hydropicorum, 22.) Scorbutici, 107) Empyematici, 108) Lienterici, 109) Apoplectici, 125) Fœtus monſtroſi, 178) Aſcitici & hernioſi, 13) Anaſarca, 31) Cephalæa, 69) Febre quartana, 80) Ovarii hydrope, denatorum, & 155) Arſenico enecati. Inter *facultates & virtutes medicamentorum* Obſ. 10. & 155) Noxæ delineantur ab arſenico albo vel deglutito vel capillis inſperſo inductæ, 93) Opium nec expectorationem, nec alvi lubricitatem impediviſſe dicitur, 118) de Sabinæ virtute emmenagoga, 119) de novica radicis ſolani furioſi, *bella donna* dicti, qualitate diſſeritur, 120) abſorbentium noxæ exemplo juvenis probantur, vomitu fruſtum, molem pugni majoris æquans & ex abſorbentibus remediis compactum, reddentis; 144) ex frequenti mellis cum pane eſu ſcarabæi in inteſtinis geniti perhibentur, & 156) Cautelæ circa uſum internum terrarum margarum injunguntur. In *Chirurgicis*, notantur *Obſ.* 38.) ex tumore claviculæ pendente incautè tractato Cancer lethalis ortus; 39) Cruris ſiniſtri rigiditas ex veſicantium abuſu; 40) ex unguento mercuriali Arthritis fixa ſcorbutica; 44) ex emplaſtrorum incautâ applicatione dolores pleuræ & totius lateris ſiniſtri; 45) ex venæ ſectionis abuſu Amauroſis & Convulſiones; 48) Inſtrumentum novum pro curandâ phimoſi, & 111) Liquor vulnerarius *Dippelii* deſcribitur, qui ita paratur: ℞. *herb. nummular. charefol. fol. beten. plantag. querc. ariſtol. rot. ana manipul. ij. ſanic. verbaſc. ſedi maj. craſſul. vincæ per vinc: rad. pimpinell. alb. ana manip. iij. flor. millefol. manip. ij. ſucc. expreſſ.* Adde *ſpirit. vini ana*, item *ſal gemmæ manip. j.* deſtillentur. Denique ad *Medicinam forenſem* ſpectat *Obſ.* 27) Infanticidii ſcrutinium; 118) Quæſtio, num ſabinæ abuſu abortus procuratus fuerit? & 119.) num mors arthritidi, an radici ſolani furioſi ſit adſcribenda?

De cetero in Appendice hujus Voluminis leguntur I. *Car. Frid. Low* Epiſtola de morbo complicatiſſimo pauciſſimis medicamentis ſublato: II. Ejuſdem Epiſtola de morbo petechiali 1683. *Poſonii* graſſato: III. *Joh. Jac. Scheuchzeri* otia æſtivalia circa Thermas Badenſes: IV. *Joh. Jac. Baieri* Sciagraphia Muſæi ſui & Supplementa Oryctographiæ Noricæ: V. *Georg. Frid. Franci de Frankenau* lugubris Epiſtola de Incendio fatali nupero urbis Hafnienſis, & inſigni Bibliothecæ tam propriæ quàm Academiæ jactura: VI. *Wilh. Huld. Waldſchmidt* de ſuperfœtatione falſò prætenſa, cum Extractu Protocolli judicii inquiſitorii in puncto ſuppoſiti partus ſtellionatus & acceleratæ mortis infantis proprii. VII. Memoria *Viti Riedlini*, Acad. Cæſ. Nat. Cur. Adjuncti, Colleg. Med. Ulmenſis Decani, & Gymnaſii Scholarchæ; & VIII. Memoria *Joh. Maur. Hoffmanni*, Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Directoris, Acad. Altorf. Senioris, & Medicinæ Prof. Publici.

ACTA MEDICA BEROLINENSIA.

De iis præter ſuô locô memorata extant in Actis Lipſienſibus Ann. 1726. p. 479.

Decadis II. Actor Medicor. Berolinenſium, in incrementum Artis & Scientiarum collectorum & digeſtorum Volum. V. & VI. Berolini, apud Godofredum Gedickium 1725. & 1726. in 8.

Præmittuntur hiſce voluminibus *Thomæ Pancovii* & *Johannis Sigiſmundi Elſholzii*, *Friderici Wilhelmi*, Elect. Brandenb. Aulæ Medicorum, Icones & vitæ. Quibus adduntur *Ottonis Botticheri*, *Georgii Wilhelmi* & *Caſparorum Marchiorum*, Patris & filii, ejuſdem Electoris Archiatrorum, vitæ, ſed ſine iconibus. Volumen V. quatuor continet Partes, quarum I. conſtituit Allocutio Epiſtolica ad *Chriſt. Godofr. Stenzelium*, Med. Doct. & Pract. Wittebergenſ. de ſtentomate aortæ cum polypo cordis in Diſputatione quadam A. 1723. Wittebergæ habita confuſo. In II. Hiſtoria morborum Berolinenſium per A. 1723. deſcribitur, ubi inter alia aſthma hypochondriaco-ſpaſmodicum motu corporis ablatum, & podagra, poſtquam ad manuum pedumque digitos, non ſaltem in articulis, ſed etiam in apicibus nodi, initio rubentes, mox albeſcentes eruperunt, & ubi rumpebantur, vel aperiebantur molle & albeſcens mucido-terreum coagulum, ad ignem obdureſcens & topheſcens fuderunt, ſoluta legitur. In III. Epicriſis additur in Indicem Berolini per A. 1723. defunctorum; & in IV. nonnullæ ſectiones & operationes Anatomico-Chirurgico-Pathologicæ commemorantur. Secti ſcilicet fuerunt atrophia verminoſa, febre catarrhali continua in lentam abeunte, ſarcomate cancroſo in vagina uteri, hydrope fluxu hepatico denati; ſic labium cancroſo-ſcirrhoſum extirpatum fuit, ſed ſine ſucceſſu felici: & hydropica, poſtquam bis paracentheſin admiſerat, aquarumque colluviem ſimul & ſemel abſque ulla lipothymia aut noxa evacuaverat, tribus interjectis menſibus, poſt tertiam operationem ſupremum obiit diem.

Volumen VI. quinque partibus circumſcribitur, quarum I. exhibet informationem de morbis, in quibus aquæ & balnea Freyenwaldenſia proficua vel noxia fuerunt obſervata. Solos oculorum morbos quod ſpectat, maximam eorum fuiſſe in debilitate viſus, ſuffuſione, catarrhacta incipiente, glaucomate recente, ophthalmia chronica, & gutta ſerena, utilitatem, exemplis probatur. Nocere vero dicuntur in epilepſia idiopathica, paralyſi puerorum ex epilepſia orta, hemiplegia ſenum, aſcite, amauroſi, catarrhacta matura, faucium exulceratione, luxatione artuum, ariduris, articulorum anchyloſibus inveteratis fungorumque concretionibus, exoſtoſibus, & tophis arthritico-venereis, paronychia, ſpina ventoſa & excreſcentiis præternaturalibus. In II. nonnullæ Hiſtoriæ Clinico-Practicæ necrologicæ, ſeu morborum, quos non reſti-

reſtitutio ſed mors excepit, recenſentur, convulſionis puta hyſtericæ, in duabus fœminis, ac morbi inteſtinorum ſpaſmodici ad hæmorrhoides reſpectum habentis. In III. de morbo ſpaſmodico-epidemico a pane ex clavis ſecalinis piſto & comeſto orto relationes hiſtoricæ leguntur. In IV. monſtrum Berolinenſe deſcribitur bicorporeum, duorum ſcilicet puerorum, quoad partes anticas coalitorum; cui ſimile adjicitur Wrizenæ editum, pueri & puellæ, a ſcrobiculo cordis ad umbilicum ſibi invicem cohærentium, nec non puer cum bronchocele natus. In V. depoſitiones Medico-Legales per A. 1723. a D. *Glockengieſſero*, Poliatro Berolinenſi, exhibitæ ſiſtuntur; de repentina videlicet morte ex Helleboro albo, & puellæ, quæ cultro pro calamis aptandis parato aſperam arteriam ſibi præſciderat, & vulnere conſolidato ſuffocata obierat, quoniam aſperæ arteriæ pars interior carne luxuriante repleta & coarctata fuerat.

Ibidem Annô 1730. *p.* 71.

Decadis II. Actorum Medic. Berolin. in Incrementum Artis & Scientiarum collectorum & digeſtorum Volum. VII. & VIII. Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1727. & 1728. *in* 8.

PRæmittitur Volumini VII. effigies & vita *Martini Willichii*, Ser. ac. Pot. Elect. Brand. *Friderici Wilhelmi*, *Friderici* III. nec non Ser. Elect. Brunſu. Epiſcopi Oſnabrugenſis, *Erneſti Auguſti*, Conſiliarii & Archiatri. Continetur autem in eo I. Epicriſis in Conſpectum mortuorum Berolinenſium per A. 1724. ubi docetur, apoplexiam etiam in infantes cadere, quæ tamen ſæpè cum epilepſa confundatur; in adultis non alligari ſtatis anni periodis, cauſamque ſæpè impeditum menſium vel hæmorrhoidum fluxum eſſe; inſitionis variolarum effectum præſervatorium manere dubium, in Germania certe hanc operationem non æque ſuccedere; pauciſſimos longævos ſenio, ſed quemque proprio morbo conſumi, atque inde mechaniſmi rationem in morbis cadere; quod infantes adeo crebro motibus convulſivis intereant, rationem eſſe, non debile quidem genus nervorum, ſed naturam, quæ febres in corpuſculo inepto excitare non valens, ſpaſmodicum & convulſivum motum pro morbis ſolvendis inducat; rhachitidem denique intra primum ſeptenarium non ſolvi, nec eſſe hæreditariam. Sequitur II. Status morborum epidemicorum per annum eundem Berolini alibique graſſantium, ubi mentio fit ſalivationis infauſtæ, hæmoptyſi inſtante inſtitutæ. Medici reprehenduntur, qui Innocentio XIII. Pontif. Max. humores ad pectus congeſtos per hæmorrhoidum aperturam revellere male conati fuerant; caſus allegatur de puerpera, ſub lochiorum ſuppreſſione diarrhœa choleroide ex uſu decocti foliorum Sennæ concitata laborantis, & alius de impune adminiſtrata venæſectione in diarrhœa cum febre catarrhali. Porro aſſeritur, rupturas vaſorum internorum abdominis quandoque mentiri dolores colico-iliacos; hydrophoborum in mare ſubmerſionem ſubinde fruſtraneam eſſe, vel quia temporis opportunitas neglecta, vel corporis & humorum præparatio debita omiſſa fuit, à qua tamen venæſectio eximitur; & *Ludovico* I. Regi Hiſpaniæ, variolis cum febre intermittente laboranti, venam male toties ſectam fuiſſe.

Volumen VIII. effigiem non ſolum & vitam *Matthæi Flacci*, Med. D. & Phyſici Berolinenſis, ſed & nummum cum effigie *Adolphi Occonis*, Medici quondam Auguſtani famigeratiſſimi, qui temporibus *Cratonis* & *Geſneri* vixit, ejuſque vitæ curriculum exhibet, & deſcribit I. Hiſtoriam hydrope pectoris ex oſſificata aorta laborantis cum ſectione poſt ejus fata. II. *Theod. Val. Crameri* Ephemeridem vulneris thoracici in malignum ulcus degenerantis cum inſequente empyemate, ſed feliciter curati. Vulnus hoc licet non ſolum ad cavitatem pectoris, ſed & ad pulmonem penetraverit, nullam tamen admotæ candelæ ſub inſpiratione ægri attulit alterationem. Legitur hic de chelidonii majoris loco Theæ uſurpati virtute diaphoretica, diuretica, balſamica, & alexipharmaca obſervatio; hinc uſus ejus in catharris, podagra, calculo & omnibus fere morbis malignis admodum celebratur. Sequuntur III. caſus & operationes chirurgicæ A. 1724. Vulnera ſcilicet capitis ex caſu ab alto cum cranii depreſſione in adulto, per retentionem halitus reſtituta; excreſcentiarum infantum recens natorum in occipite extirpatio funeſta, ubi mentio fit infantis medulla ſpinali carentis, aliquot tamen dies ſuperſtitis; Paracentheſis hydropicum ad quartum annum conſervans; fungi oculi carcinomatoſi extirpatio, ſuccreſcente novo fungo; extractio fœtus mortui; amputationes brachiorum, unius ob meliceridem imprudenter tractatam, alterius ob vulnus arteriæ brachiali inflictum, ſed fatalis; ut & pollicis pedis interno ſphacelo ſcorbutico confecti, itidem fatalis; embryulcia eo ſucceſſu mortua matre inſtituta, ut fœtus ſacro lavacro initiari potuerit; abſciſſus umbilicalis poſt partum contractus & in ulcus fiſtuloſum degenerans, ad quod menſes ruentes per fluxum hæmorrhoidalem revellebantur; denique obſervatio de ovario ſteatomatoſo piloſo in mania; qua occaſione docetur, non illud, ſed conformationem cerebri præternaturalem maniæ cauſam fuiſſe, quemadmodum & lienem obſtructum non cauſam ſed effectum exiſtere melancholiæ conſtet. IV. Hiſtoria recenſetur amputati brachii; de cujus dolore & ardore ægra conſtanter fuit conqueſta, hujuſque phænomeni ætiologia in eo conſiſtere perhibetur, quod anima corpori coextenſa ſentiat vel doleat in partibus corporis abſentibus, quibus æque coextenſa fuit. V. Depoſitiones Medico-Legales per A. 1724. à D. *Glockengieſſero* exhibitæ recenſentur, de morte puta flagris immerito imputata; de delirante jugulum ſibi præſcindente, in cujus cerebro magna aquæ flaveſcentis copia & hydatides fuerunt repertæ; de infanticidio culpoſo, fœtus ſcilicet vivi, linteis mox involuti & in aquam projecti. Agmen claudunt VI. Depoſitiones Medico-Legales per eundem annum à D. *J. D. G.* traditæ, de morte ſubitanea cholera, non veneficio extincti, & de vulnere ſclopetario diaphragmatis & hepatis abſolute lethali.

ADAMS (*Archibaldus*)

De eô extant in Tranſ. Philoſ. compend. vol. 1. *part.* 2. *cap.* 2.

Caſus Apoplectici extraordinarius.
Interiorum auris humanæ delineatio.
Cap. 5. Sanguinis per microſcopia contemplatio.
Vol. 2. *p.* 1. *c.* 6. Diſſertatio de Vitulô monſtroſô.

ADOLPHUS (*Chriſtianus Michael*) Phil. & Med. Doctor, Facult. Med. Aſſeſſor, S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. Collega, & B. M. V. Collegii Collegiatus.

De eo præter ſuô locô memorata extat in Actis Lipſienſ. Ann. 1726. *p.* 229.

Trias Diſſertationum Phyſico-Medicarum, ad Chorographiam Medicam potiſſimùm ſpectantium. Lipſiæ, apud Joh. Chriſt. Martini 1725. *in* 4.

MErito inter deſiderata Medica refertur à *Georg. Hieron. Velſchio* in *Somnio Vindiciani*, & *Joh. Anton. van der Linden* in *Manuductione ad Medicinam* Ærologia & Chorographia Medica. Intereſt enim Medico, certo in loco medicinam facienti, ſecundùm ipſius Hippocratis ductum exacte conſiderare aërem, & quæ ejus ſunt affectiones pro urbium & locorum ſitu, telluris & aquarum indole, atque pro diverſo Solis & ventorum acceſſu & receſſu, ut de ſalubritate & inſalubritate loci judicare, morborum, epidemiorum maxime & endemiorum, cauſas expiſcari, & de præſidiis, quæ his opponenda ſunt, in tempore cogitare poſſit. Hæc ſecum perpendens Clariſſimus Autor, ad Chorographiam Medicam perficiendam animum applicuit & tres Diſſertationes conſcripſit, quas in Academia noſtra olim defendit, in præſentem faſciculum collectas, quarum I. de Aëre, Aquis & Locis Lipſienſibus, II. de ſalubritate Sileſiæ, & III. de Incolatûs montani ſalubritate agit. Ut de I. Diſſertatione ſpeciminis loco quædam dicamus, interiora Lipſiæ pariter ac exteriora, circumjacentia ſcilicet loca, ad examen vocat Clariſſ. Autor, regionem, ſitum, ventos, aquam, tellurem, campos, prata, ſylvas, hortos deſcribit, ſoli fœcunditatem, cœlique clementiam laudat, & quæ commoda ex iis in incolas redundent, recenſet. Aëris bonitatem inter alia ex effectibus probat, dum laudabilem Lipſienſium temperiem, utplurimum ſanguineam, notabili ſæpius, maximè in fœminis, phlegmate permixtam, cutem bene coloratam & floridam ſatis, non rubicundam nimium, nec adeo pallidam, flavam vel luridam, vocis claritatem, mulierum fœcunditatem, acuta incolarum & feſtiva ingenia ad ſtudia & artes aptiſſima, ſuaves mores & elegantes, ac animi vim cum prudentia conjunctam. Liceat quædam Autoris verba huc tranſcribere, quibus in laudem Lipſiæ aſſurgit: » Tacemus jam, *inquit*, amœnum atque gratiſ» ſimum vivendi genus atque conditionem in» genuam, quâ vivitur hic, gentis genium ad » omnem humanitatem compoſitum, feſtivitatem » ac urbanitatem, ingenuam libertatem, cultum » bonarum artium, propenſionem erga omnia » honeſta, abundantiam omnium eorum quæ ad » victum cultumque pertinent, & quæ in com» mendationem commoditatis & ſuavitatis veni» re queant; multa enim, quæ in delitiis ha» beri ſolent, & multis aliis negata, indul» gentia almæ naturæ indulſit, quæque fortè » non ſunt hujus regionis, importantur uber» tim, ut frui cujuscunque ferè regionis com» modis boniſque Lipſienſes poſſint, iis com» munibus factis. Nihil alibi uſquam tam ra» rum carumque invenitur quicquam, quod Lip» ſienſibus non domeſticum etiam eſſe poſſit. » Eximia eſt varietas, voluptatum rerumque » omnium condimentum. Notum apud nos at» que notabile eſt, percelebrem illum ſummæ» que exiſtimationis atque autoritatis Lipſien» ſem JCtum, *J. B. Carpzovium*, ex quo, ex » Aula Dreſdenſi, relicto ſplendidiſſimo ibi offi» cio, rediit, albis ſtudioſorum eum accedentibus » adſcripſiſſe: *Extra Lipſiam non eſt vita, & ſi eſt vita, non eſt ita*, aut: *Extra Lipſiam vivere, eſt miſerè vivere:* Quemadmodum autem nulla eſt plaga, cujus felicitatem nulla flagellet calamitas, ita nec reticet Autor Clariſſimus ea » quæ in opprobrium Lipſiæ objiciuntur, effluviorum puta & exhalationum ex adeò diverſis corporibus copiam, foſſarum ſqualorem, atque putredinem, ſolum uliginoſum & pingue, declivem urbis ſitum, aquarum indolem minùs laudandam, ventos humidos admodùm familiares, frequentes nebulas atque nebuloſas tempeſtates, inundationes, &c. quæ aërem humidiorem & putridum, adeòque minus ſalubrem indicant; remedia tamen ſimul allegat, quibus, quæ metuendæ inde ſunt noxæ, facili negotio præcaveri poſſunt & ſolent, dùm nempè foſſæ, quæ urbem cingunt, repurgantur, putei & canales extergunturr, plateæ ab omnibus quiſquiliis mundantur, medicamenta ſpiritus excitantia & in majorem motum conjicientia, ac humores quietos, lentos, viſcidos, & vappeſcentes incidentia aſſumuntur, victus laudabilis eligitur, aquæ potabiles colantur & decoquuntur, exercitationes corporis non negliguntur, & aër matutinus, veſpertinus & nocturnus evitatur, urbanus verò cum ruſticano frequentiùs mutatur. Unde concludit, aërem Lipſienſem non adeò eſſe inſalubrem, ut à plurimis habetur & creditur.

Ibidem Annô 1727. *pag.* 71.

Trias Diſſertationum Medicarum, ad Diæteticam potiſſimùm ſpectantium, in unum faſciculum collecta. Lipſiæ, apud hæredes Groſſianos, 1726. *in* 4.

EXercitatio I. eſt de ægrotantium Conclavi: II. de Frictione, & III. de Balneis particularibus; quarum *prima* contenta nunc paucis enarrabimus. In conclavi ægri aëris potiſſimùm rationem habendam eſſe, monet; hinc tradit, quomodo ille ſit temperandus, calefaciendus, refrigerandus, exſiccandus, humectandus, ſuffimigiis corrigendus; quomodo habitatio commoda tam reſpectu plagarum mundi, quàm partium ædium ſeligenda; docet, quomodo conclavia antè introitum ægri mundanda, à ſordibus repurganda, à muſcis liberanda, illuminanda, à Lunæ radiis defendenda, aulæis, periſtromatibus, ſpeculis, horologiis exornanda, quomodo lecti inſtruendi, obtegendi, mutandi, & ſpondæ adornandæ; quomodo ægri in lectis cubent, eos ſubinde relinquant, rebus gratis & confabulationibus oblectandi; ab ingratis arcendi ſint; qualium hominum animaliumque conſortio fruantur; qualia murmura, ſuſurros, & concentus muſicos admittant; quomodo adſtantes, miniſtrantes, & inviſentes amici, item & medici ſe gerant; denique quomodo lectus & utenſilia, ſive ſuperaverit æger morbum, ſive morti in victimam ceſſerit, iterùm ſint repurganda. Quæ omnia ita pertractat Noſter, ut rationes non ſolùm ubivis luculentas afferat, ſed & tam veterum quàm recentiorum teſtimoniis & exemplis roboret. Speciminis loco propria Autoris verba, quæ *pag.* 78. leguntur, de amicis ægrum inviſentibus adſcribere liceat. » Non poſſum » non, *dicit*, nimiam illam, imprimis apud nos, » ægrum viſitandi conſuetudinem atque aſſidui» tatem atro calculo notare, quando turmatim » vel amicitiæ, officii, vel conſuetudinis ſpecie, » vel placendi, vel hypocriſeos, vel ſpectandi » ſaltem cauſa ſæpius & neſcio ob quas alias ra» tiones, fœmellæ maximè, eæque non rarò » ineptæ ac imprudentes, atque loquaces advo» lant, & non vocatæ ſe ægris obtrudunt, per » horaſque non paucas ibi ſubſiſtunt. Ægrumque

» que tum corona ſpectata circumdatum & multi- » plicata cinctum ſerie ſpectabis. Blaterantium » ibi, murmurantium, divagantium, & non ra- » rò ludentium univerſum conclave reboat ſtre- » pitu, ut intuentibus circa grabatos circumſi- » dentium cohortem jam, non ægrum ac mori- » bundum, ſed ludos ſcenicos ſpectantis concio- » nis, ac non ægrorum cubiculi ſed fori aleato- » rii præbeant ſpeciem. Tantùm certè abeſt ab » officio hoc, ut officio nihil magis poſſit eſſe » contrarium, immodico ita officio nocere, aut » ad minimum moleſtare. Memini enim officium » ſuum debet eſſe damnoſum. Multæ profectò » eæque graviores rationes phyſicæ æquè ac » morales, atque adeo theologicæ ſubſunt, quæ » malum hunc morem abrogandum ſuadent. Æ- » ger tunc cogitur aliorum jure vivere, quæ ne- » ceſſaria eſſent & morbo & naturæ, remedia » præſcripta debito modo & tempore adhibere, » alvum & veſicam excernere, & negligere, va- » na, aliena, ingrata, tædioſa, odioſa, moleſta, » nocua, & pernitioſa vel invitus vel coactus, » audire, videre, & loqui, quo vires ſuas per- » dit æger, inquietior redditur, morbus reſuſ- » citatur, exacerbatur, (imprimis cum in quam- » plurimis morbis, ut imprimis v. gr. in angina, » ſputo cruento, &c. loquela planè eſſet inter- » dicenda, & ſæpius vel reſpiratio paulò fortior » noceat) in requie neceſſaria impeditur, animo » perturbatur, agitatur, vel indignatur, aut ſuſ- » picax, meticuloſus, imò quandoque deſperan- » dus, variiſque aliis modis inquietus redditur, » à piis meditationibus diſtrahitur, avocatur, & » quæ ſunt ejusmodi alia. Taceo, non ſolùm » conclave hominum frequentia calefieri halitibus, » ſed & mutari & inquinari aërem, eumque craſ- » ſum reddi, à tam variis ex hac turba homi- » num adſtantium, adſidentiumque & incommo- » dis ſæpè effluviis exhalantibus.

Edidit prætereà

Triadem Diſſertationum Medicarum, tùm Phyſiologico-Anatomicarum, tùm Pathologico-Therapeuticarum. Jenæ, 1728. in 4.

AIELLUS (*Sebaſtianus*) Neapolitan. Philoſ. ac Phyſ. Doct.

Edidit Italicè

Brevem Diſcurſum de imminente in Regno Neapolitano Peſte, anno 1575. 76. & 77. Neapoli, apud Horatium Salvianum, 1577. in 4. *Toppi Bibl. Neapol. p.* 276.

AIGNAN Medicus Regis Principiſque Condæi, Doctor Medicus Patavinus.

De eô extant

Le Prêtre Medecin &c. id eſt, Sacerdos Medicus, ſive Sermo Phyſicus de conſtitutione Medicinæ in 12.

L'ancienne Médecine à la mode &c. id eſt, Antiqua Medicina in uſu, ſive unanimis Hippocratis & Galeni conſenſus, circa acidum & alkali. Pariſiis, 1693. 12.

Traitè de la goutte &c. id eſt, Tractatus de Arthritide in ſtatû naturali, ſive ars cognoſcendi morborum principia, cum multis remediis conſentaneis Syſtemati Hippocratis, Galeni, & Van Helmontii, quod dilucidius & à ſermone corrupto & falſâ opinione extricatum invenitur. Pariſiis, apud Jombertum, 1707. in 12.

ALBERIZZI (*Petrus Joſephus*) Philoſ. ac Medic. Doctor ſcripſit Italicè librum cui titulus *Critologia Medica, in cui ſi ſtabiliſcono, eſcluſi i vermicciuoli, altre cagioni della peſte, e ſul' diverſo penſamento ſ'addita un idea di metodo preſervativo è curativo:* adverſus Epiſtolam D. *Barthol. Corte*, quæ eſt *intorno all'aria o vermicciuoli' ſe cagione della peſte*, ſcriptam ad R. P. Dn. *Maur. Alex. Lazzarellum* &c. Mediolani editam ann. 1720. 8. ubi etiam prodiit *Critologia* &c. apud Fratres Vigoni, eodem anno: de quibus vid. *Diar. Italic. Tom.* 33. *P.* 2. *p.* 407. & 410.

ALBERTUS (*Michael*) &c.

De eo præter ſuo loco memorata extat in Actis Lipſienſ. Supplem. Tom. IX. p. 465.

Syſtema Jurisprudentiæ Medicæ, Tom. I. *Halæ, apud Orphanotropheum*, 1725. *in* 4. Tom. II. *Schneebergæ, impenſis Car. Wilh. Fuldæ*, 1729. *in* 4.

INtra limites nimis anguſtos coercere Medici officium, qui curam & ſollicitudinem ejus in ſanitate integra conſervanda & labefactata reſtituenda tantum collocatam eſſe exiſtimant, dudū indicavit B. *Joannes Bohnius* Lib. *de duplici Medici officio, Clinico & Forenſi:* dantur enim caſus, ubi ICti Medicorum expetunt judicia in ferendis ſententiis, ne rei mitiore, innocentes graviore afficiantur pœna; de quibus quæſtionibus ad Juriſprudentiam pertinentibus Medici ſuperiori & noſtro ſeculo peculiares ediderunt tractatus, *Fortunatus* puta *Fidelis*, *Paulus Zachias*, *Caſpar a Reies*, *Rodericus à Caſtro*, *Caſpar Bravo*, *Paulus Ammannus*, *Michael Bernhardus Valentinus*, *Johannes Fridericus Zittmannus*, *Andreas Ottomarus Goëlicke*, *Hermannus Friedericus Teichmeyerus*, aliique. Ea tamen inter hos ſcriptores deprehenditur differentia, quod alii Theoriam ſolummodo tradiderint, atque docuerint, ut Reſponſa ad quæſtiones illas prudenter ſint formanda; alii vero exemplis ſeu reſponſis Facultatum privatorumque Doctorum rem illuſtraverint. Utrumque præſtitit Clariſſ. *Alberti* in præſenti Syſtemate Juriſprudentiæ Medicæ. Poſtquam enim hodiernis Medicis Medicinam Sectariam relinquere & Eclecticam, i. e. magis rationalem ſequi conſultum viſum fuit, Cl. Autori quæſtiones, in quarum deciſione, non unanimes eſſe ſolent Medicorum & ICtorum doctrinæ, Lectori proponere & de iis ſententiam ſuam aperte & perſpicue explicare, ac exemplis corroborare placuit. *Priorem* igitur *Tomum* diviſit in duas partes, in quarum *prima* Didactica ſeu Theoretica, ſingula illa dogmata, quæ in Medicina Forenſi occurrere ſolent, propoſuit, adjunctis ubique ICtorum ac Medicorum celebriorum citationibus, imo appoſuit etiam aliqua, quæ hactenus non fuere vulgaria, licet ſcitu digna, utilia & curioſa, ut ex Conſpectu Capitum mox uberius apparebit; addidit inſuper cuilibet ſpecialiori tractationi nonnullos caſus, qui privatæ ſuæ deciſioni hactenus fuerunt commiſſi, quos ea intentione cum ſuccincta epicriſi commendavit, & divulgavit, ut aſſidui Philiatri illis elaborandis & in judicium quoddam ſive reſponſum forenſe convertendis operam dare potuerint, quo ipſo hac ratione præparentur, ut aliquando idonea Judiciis Civilibus aliiſque Collegiis exhibeant deciſa. In *Parte ſecunda*, quæ Practica, Caſuiſtica, exquiſitè Forenſis eſt, multos obtulit caſus, quos elaborandos & expediendos officium Decanatus, quotieſcunque in ipſum transferebatur, ab eo poſtulavit, quibus utplurimum compendioſam & nervoſam epicriſin appoſuit; adjecit etiam in Appendice ſimiles caſus & reſponſa ab honoratiſſimis Collegis ſuis elaborata. *Tomus alter* itidem Practicus eſt, eadem methodo concinnatus

natus, in quo pariter ac in *Parte II. Tomi I.* ejuſque Appendice paſſim addita ſunt excerpta ex Actis ad Facultatem tranſmiſſis, ſententiæ Dicaſteriorum, imo nonnunquam ipſæ defenſiones reorum, contra quos inquiſitio fuit inſtituta, quandoque judicia Medicorum impugnantes. Ex conſpectu Tractationum in *Tom. I. P. I.* obviarum judicabit L. B. de præſtantia libri. Poſt *Præcognita* ſcilicet *Jurisprudentiæ Medicæ* in Capite 1. tractat Clar. *Alberti* de Scientia, Experientia, Conſcientia, Prudentia & Autoritate Medici in Caſibus Forenſibus, ſeu de Officio & Decoro Medici Forenſis; in 2. de Potentia & Impotentia generandi prolem, & Hermophroditis; in 3. de Virginitate integra & læſa, de Stupro ac Sodomia; in 4. de Debito Conjugali, Conceptione & Graviditate; in 5. de Superfœtatione, Mola & Monſtris; in 6. de Animatione Fœtus & Abortu; in 7. de Partu legitimo & illegitimo; in 8. de Primogenitura & Aſſimilatione Parentum; in 9. de Fœtu vivo, mortuo, & Infanticidio; in 10. de Morborum Simulatione & Diſſimulatione, ſeu de Morbis veris & fictis; in 11. de Morborum & Mortis Recognitione; in 12. de Tortura; in 13. de Homicidio per venena; in 14. de Homicidio per malitioſo per manum & inſtrumenta violenta; in 15. de Homicidio artificioſo ſeu Medico; in 16. de Autochiria Medica; in 17. de Inſpectione Medico-Legali; & in 18. de iniquis Advocatorum Stratagematibus in caſibus Medico-Legalibus. De cætero monemus, *Partem I. Tomi I.* latino, *Partem* verò II. cum Appendice, ut & *Tomum* II. vernaculo idiomate exhiberi, epicriſes ſi exceperis, ab Autore additas; præmiſſamque operi Præfationem Icti conſummatiſſimi, *Christiani Thomaſii*, paucos ante menſes beate defuncti, in qua in differentiam & convenientiam quatuor Facultatum Academicarum, in ſpecie in convenientiam Medicinæ & Jurisprudentiæ inquirit; cauſas inveſtigat, cur Icti conſilia à Medicis petant, non vero hi ab illis? de Scriptoribus Medicinæ Forenſis diſſerit, & præſens opus modeſte commendat.

Ibidem Annô 1730. *pag.* 459.

Tractatio Medico-Forenſis de Tortura ſubjectis aptis & ineptis ſecundum Morales & Phyſicas cauſas ventilata à D. Mich. Alberti &c. *Halæ Magdeburgicæ, apud Joh. Chriſt. Hendelium,* 1730. *in* 4.

Quanquam Clariſſimus *Alberti* in *Syſtemate Juriſpr. Medicæ* (de quo ſuprà) tam Theoreticè quàm Practicè excuſſerit caſus, ubi Jureconſulti Medicorum expetunt in ferendis ſententiis judicia, atque in ſpecie de *Torturâ* etiam egerit, operæ tamen pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi idem argumentum accuratiùs explicaret, & cum uberrimis Jureconſultorum & Medicorum ſuffragiis confirmaret & illuſtraret. Etenim ſi Tortura eximium corpori cruciatum ac dolorem affert, aut ſi quæſtio corpus lacerat, & ipſâ ferè morte durior eſt, ad eandem certè cum ſpe obtinendi finis, videlicet eruendæ veritatis, corpus requiritur firmum & congruum, ne torturæ vehementia reum interimat aut mutilet, neve propterea judex torturam concedens homicidii aut mutilationis ſuſpicionem incidat. Neque tantùm corporis ratio habenda eſt, ſed etiam animi qualitates conſiderandæ veniunt; ſiquidem nimia ſenſibilitas, profundus angor, timor, terror &c. multa cauſari poteſt & ſolet, quo minus hujus ardui proceſſus & ultimi medii eruendi veri finis aut deſideratus ſcopus obtineatur. Deliberanda igitur & decidenda occurrit quæſtio, quænam ſubjecta ad quæſtionem rigoroſam ſubeundam & quoad diverſas circumſtantias & qualitates idonea exiſtant? In qua diſquiſitione Clariſſ. Autor partim ad ipſam torturam, ejuſque gradus diverſos, ad locum in quo ſubeunda, ac ad tempus & tempeſtatem, quando illa ſuſcipitur, reſpicit; partim ſubjecta ipſa, quæ tali quæſtioni ſubmittenda ſunt, tam ratione corporis quàm animi, item reſpectu ætatis, virium, perſonalis ſenſibilitatis, ſexus, ſtructuræ corporis, nec non prægreſſorum aut præſentium morborum, ſtatus valetudinarii, partis, quæ & quali morbi ſpecie atque gradu afflicta eſt, examinat. In ſpeciali hujus thematis tractatione, conſideratâ animi conditione, explicatoque modo, quomodo, qui nimiâ ſenſibilitate pollent, aut terrore, timore, angore nimio affecti ſunt, tractandi veniant, ad corpus ſe convertit, & diſquirit ratione ætatis, num impuberes, puellæ quæ nondùm menſtruatæ, aut una alterave vice menſium fluxum paſſæ ſunt, item ſenes conſuetis tormentis ſubmitti queant? ratione ſenſuum internorum imbecillitatis, an furioſi & mente penitùs capti, aut aliqualem & per intervalla recurrentem vel exacerbatum impetum & defectum rationis ſubeuntes, item melancholici vel ſtupidi; ratione ſenſuum externorum verò defectus, cœci, ſurdi, vel muti ſint torquendi? Pergit inde ad reliquam corporis conſtitutionem, & inquirit an ſubjecta obeſa & pingui habitu prædita, fœminæ, quamdiu menſium fluxu laborant, viri hæmorrhoidarii, valetudinarii, in ſpecie verò, qui convulſionibus, febribus, morbis incurabilibus, & per intervalla vel intermittentibus vel miteſcentibus detenti, hernioſi, hydropici, cachectici, luxationes, fracturas vel vulnera paſſi, qui ſpaſmodicis affectibus ſubjacent, ut arthritici, iſchiadici, podagrici, chiragrici & ſimiles, item lue venerea affecti, aut qui ulcera inveterata in pedibus, vel brachiis aut fonticulos gerunt, qui tenerioris ſunt conſtitutionis, gibboſi, procidentiâ ani aut uteri prolapſû laborantes, qui ventriculum debilem habent, ideoque alimenta difficilè concoquunt, qui jejuniis vel vigiliis ſunt emaciati, & an mulieres in ſtatu graviditatis, puerperii aut lactationis torturæ ſint ſubjiciendæ? Addit denique quæſtionem, an in loco frigido ejuſmodi quæſtio rigoroſa inſtituenda, & an Medicus requirendus veniat ut præſtò ſit? Hujus tractationis occaſione, *de Tortura Medica* in Præfatione agere conſultum duxit Clariſſ. *Alberti*, ſub quo nomine intelligit curationes, quibus imperiti Medici non modò præſens malum haud mitigant, ſed potius illud majoribus tormentis augent. Qualis torturæ ſpecies allegat omnia heroica remedia incongruis ſubjectis, affectibus, temporibus &c. adhibita, vomitoria puta, purgantia draſtica, adſtringentia, acria, arrodentia, quæ nimios concitant dolores, & ægros in lipothymiam & ſyncopen, imò & deliria ac varias tormentorum afflictiones conjiciunt; quo & potus denegatio in æſtu febrili ſpectat.

ALBINUS (*Bern. Siegfried*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus, Annô 1728. *p.* 39.

Tractatus de Oſſibus corporis humani: Leidæ Batavorum, apud Henricum Mulhovium, 1726. *in* 8.

Rogatus ab Auditoribus ſuis Clariſſ. *Albini*, ut Epitomen quandam rei Anatomicæ ad uſus eorum conſcriberet, publicaretque, illam ejus partem, quæ eſt de oſſibus, nunc primum exhibet; in qua id operam dedit, ut artificium, quo rerum omnium Creator totam conſtructionem ac formam oſſium hominis adulti perfectique fabricatus eſt, uſuſque, quos omnia tum univerſa, tum ſingula, tum quæque cujuſvis eorum partes habeant, paullo accuratius breviuſque complecteretur. Et ut pictores ad cujuſcunque rei imaginem in tabula exquiſite exprimendam toti ab exemplari dependent, ita & ipſe multiplices illas variaſque oſſium formas verbis quaſi depicturus oculos de iis ipſis nuſquam dejecit. Quæ vero ſit utilitas, quæque opportunitas in nobis eorum, cum ex putrefactis mortuorum corporibus, tum è vivis hauſit; ut in Præfatione aſſeverat. Unde factum eſt, ut communia & pervulgata, & quæ ex aliorum ſcriptis intelligi poſſunt, tradiderit, adjectis plurimis, quæ videntur præteriiſſe priores. Et quo facilius ac melius tot tamque diverſas ac mirificas oſſium formas & commiſſuras animo & quaſi oculis percipere ac memoria cuſtodire poſſent Lectores, earum præſtantiſſimas & intelligentium virorum ductu expreſſas imagines ubique magna cura laudavit. Longe autem omnium, quæcunque in vulgus emanarunt, cum principes ſint *Veſalianæ* & effigierum delectu, & callida partium notatione, & definientium linearum gratia, umbrarumque artificio eximiæ ad eas præſertim legentium oculos relegavit. Ubi vero *Euſtachianas* aliquid præter eas præcipui habere aut eaſdem illuſtrare deprehendit, ipſas quoque allegavit. Præmiſſis igitur paucis generaliora de oſſibus quæ concernunt, ſceletum virilem perfectum examini ſubjicit, ejuſque caput, truncum, pedes & brachia ſeorſum contemplatur, deque oſſe hyoide ſermonem facit: hinc ſceletum fœmininum perfectum conſiderat, & in quo à virili diſcrepet, monet, ac denique appendicem de dentibus ſubjungit. Spes igitur eſt, fore, ut ex præſenti Tractatu non contemnendos Lectores fructus ſint reportaturi.

ALBINUS (*Chriſt. Bernhardus*)

De eo extat

Specimen Anatomicum, exhibens novam tenuium hominis inteſtinorum deſcriptionem. Lugduni Batavor. apud Henr. Mulhovium, 1724. in 8.

ALBINUS (*Bernhardus*)

De eô adhuc extat

Oratio de Incrementis & ſtatû Artis Medicæ ſeculi XVII. data ad diem 5. Id. Febr. 1711. cum Magiſtratu Academico ſe abdicaret. Lugduni Batavor. apud Samuel. Luchtmans, 1711. in 4.

ALFON

De eô extat in Hiſt. Acad. Reg. Pariſ. 1702.

Judicium de ſuperfœtatione.

ALGHISI (*Thomas*) &c. Medicam in illuſtri Univerſitate Patavina obtinuit lauream ann. 1703. d. 15. Aprilis, ut docet *Diarium Ital.* ann. 1710. *Tom.* 3. *p.* 471. Hujus autem obitum deſcribit triſtiſſimus Florentiæ nuntius in præfato *Diario* ann. 1713. *Tom.* 15. *p.* 436. qui ſic habet.

Abbiamo perduto per una deplorabile diſgrazia il celebre Litotomo Sig. Tommaſo Alghiſi, *al quale eſſendo crepato lo ſchioppo, in volendo uccidere una tortore, gli ſquarciò, e portò via la mano ſiniſtra, che fattoſi egli troncar generoſamente da ſe ſteſſo ſopra la giuntura, gli ha dato, ciò non oſtante, la morte &c. La generoſità e pietà del noſtro regnante Gran Duca l'avea proveduto, ſu la ſperanza che egli viveſſe, della Cattedra di Chirurgia nello ſtudio di Piſa, ad inſtanza del Sommo Pontefice* Clemente XI. *con onorevoliſſimo annuo ſtipendio, acciochè, non potendo eſſo Sig.* Alghiſi *più eſercitare la ſua profeſſione per mancanza della mano ſiniſtra, poteſſe vivere con decoro, & ſoſtenere la ſua numeroſa famiglia.*

Ejus *de Lithotomiâ* Tractatus, cujus editionem Florentinam ſuo loco commemoravimus, prodiit anno ſequenti (1708.) Venetiis, apud Ludov. Pavinum, *in* 4. ut videre eſt in eodem *Diario* ann. 1710. *Tom.* 3. *p.* 471. ac præterea in ann. 1711. *Tom.* 6. *p.* 149. commemoratur

Epiſtola noſtri *Alghiſi* ad *Anton. Valliſnerium* Italico idiomate ſcripta, in quâ diſſeritur 1) De Vermibus excretis per virgam, & cujus generis: 2) De novo quodam Liquore in vaſis corporis injiciendo, ad inquirendos ramos omnes, etiam capillares: 3) De ingenioſiſſimis Ægyptiorum in cadaverum balſamatione Faſciis, ex antiquis Mumiis obſervatis.

ALIDIUS (*Carolus Antonius*) Medicinæ Practicæ in Civitate Laudenſi Profeſſor magni nominis.

De eo extat in Diario Italico, Tom. 33. *P.* 2. *p.* 392. *opus cui titulus*

Somnia Medica variâ doctrinâ referta, nedùm Medicis, verùm & infirmis, atque omnibus viventibus ſcitu neceſſaria, ubi quæſtiones multæ ſeu animadverſiones, ab antiquis & recentioribus medicis partim omiſſæ, partim non integrè ſolutæ, partimque vetuſtate ſepultæ, proponuntur ac enodantur. Quæ Ill. & Exc. Dn. Dn. Com. D. *Joſ. Ant. ab Odvyer*, Sac. Cæſ. Majeſt. Generali, Gubernatori Albæ græcæ ac finitimorum terminorum Serviæ, & Chiliarchæ pedeſtris regiminis; nec non bonorum ſtudiorum fautori ac promotori ſingulari, D. D. D. Author. Laudæ, typis Car. Joſ. Aſtorini Seveſi, 1720. in 4.

ALLEN (*B.*) Doctor Medicus.

De eô extat

The natural hiſtory, of the Chalybeat and purging Waters of England &c.

id eſt

Hiſtoria naturalis aquarum Mineralium & Purgantium Angliæ, cum experientiis peculiaribus de ipſis inſtitutis earumque uſibus, in quâ fusè de Apoplexia & hypochondriorum morbis agitur. Adjectæ ſunt obſervationes quædam de Balneis Sommerſeteris. Londini, 1700.

ALLEN (*J.*)

Synopſis univerſæ Medicinæ &c. de quâ ſuô locô, prodiit iterùm Amſtelodami, apud Weſtein, 1723. in 8. & ibidem apud eundem 1729. atque *Gallicè* Pariſiis 1728. 3. vol. in 12.

ALLIOT

ALLIOT (*Joh. Baptiſta*)

De eo extat

Traité du Cancer;

id eſt:

Tractatus de Cancrô, Pariſiis, 1698. in 12.

ALLIOT (*Petrus*) Barroducæus, Ducis à Lotharingia Conſiliarius & Medicus ordinarius.

Ex eô habetur

Nuntius Profligati ſine ferrô & igne carcinomatis, miſſus, ducibus itineris Hippocrate & Galenô ad Chirurgiæ ſtudioſos. Hic tractatus inſertus eſt à Borrichio Actis Haffnienſibus anni 1672. ſub obſervatione 72. Invenitur etiam in hâc Bibliotheca ſub eôdem nomine pag. 383.

ALMELOVEEN (*Theodorus Janſſon. ab*)

De eô adhuc extant

Hippocratis Aphoriſmi cum locis parallelis Hippocratis & Celſi; græcè & latinè. Amſtel. 1685. in 24.

Aliquid contulit ad partem ſextam Horti Indici Malabarici, Amſtelodami editi, 1697. in folio, duodecim voluminibus.

ALPINUS (*Proſper*) &c.

Hîc addemus quædam ex *Diario Italico* ann. 1711. *Tom. 6. p.* 270. ubi legitur celeberrimi hujus viri Vita & Elogium; poſteaque operum ejus enumeratio, ubi de Tractatu cui titulus *De Plantis Exoticis* annotantur ſequentia:

Opus illud, quod, (ut patet ex unica ſua ann. 1613. editione) tredecim circiter annis poſt obitum Autoris, qui hoc idem ann. 1614. ſcripſerat, prodiit, vulgavit Alpinus filius, Patri doctrinâ inferior, cujus adhucdum juvenis, & illitterati, parvum ad ſtudia animum queritur *Proſperi* amantiſſimus *Andr. Moroſinus* in Epiſtola ſcripta ad *Prævotium*, quem, ne optimi adeò agri ſemen florens in malum abire ſinat, enixè rogat. Horum Librorum *primus* de rarioribus Cretenſis Regni plantis, *ſecundus* verò de plantis in variis locis ac provinciis, præcipuèque Conſtantinopoli reperibilibus tractat, quarum ſcilicet maximæ partis notitiam debere fatetur *Girol. Capello*, qui eam cum ipſo communicaverat, cùm primùm apud Ottomanos Legatus eſſet, ac dein Cretæ Proveditor Generalis, unde circa annum 1612. vitâ functus eſt. Hos dicavit *Alpinus* Senatori *Nicol. di Girol. Contarini*, Reipublicæ Hiſtoriographo.

Quæ *Proſperi* MSTa apud ejus hæredes ſervantur, hæc ſunt: quæ loco citato reperiuntur.

I. Prælectiones in Gymnaſio Patavino.

II. De ſurditate Tractatus, quem imperfectum reliquit Autor.

III. De Medicinâ Ægyptiorum Liber V. quatuor prioribus jam editis adjungendus.

IV. De naturali rerum in Ægypto obſervatarum hiſtoria Libri V. variis plantarum, lapidum, & animalium iconibus exornati. Pretioſum iſtum Codicem hodiernis moribus apprimè congruum, in Bibliopolio D. *Ludov. Campolongi* hodiè ſervari novimus, adauctum ac emendatum a *Joh. Rodio*, viro apud Danos Litterato, qui Patavii commorans, eum ut typis ſubjiciat, poſſeſſorem poſtulat; verùm editionem varia infortunia impedivêre.

ALTOMARUS (*Donatus Antonius*)

Ejus ſcriptis adde

Trium Quæſtionum nondùm in Galeni doctrinâ dilucidat. Compendium. Venetiis, apud Gabr. Giolitam, 1550. in 8. *Toppi Bibl. Neapol. p.* 74.

AMMAN (*Joh. Conradus*)

De eo extant

Diſputatio inauguralis, ſiſtens ægrum Pleuropneumonia laborantem. Baſileæ litteris Jacobi Bertſchii, 1687. in 4.

Surdus loquens, ſive methodus quâ qui ſurdus natus eſt loqui poſſit. Amſtelodami 1692. in 8.

Diſſertatio de loquela, quâ non ſolum vox humana, & loquendi artificium ex ſuis originibus eruuntur: ſed & traduntur media, quibus ii qui ab Incunabulis ſurdi & muti fuerunt, loquelam adipiſci, quique difficulter loquuntur, vitia ſua emendare poſſunt. 1708. in 8.

AMMANNUS (*Paulus*)

De eô adhuc extat

Praxis vulnerum lethalium ſex decadibus hiſtoriarum rariorum ut plurimum traumaticarum; Francofurti, 1690. in 8.

AMYANDUS.

De eô extant in Tranſact. Philoſ. compendio.

Tom. 1, part. 2. cap. 2. Fracturam capitis ſingularem refert.

Ibidem cap. 4. Varia in ſtomacho reperta in ſcenam producit.

Ibidem cap. 6. Scirrhoſum tumorem in crure deſcribit.

ANDREA (*De S.*) Conſiliarius, & Medic. Ordin. Regis.

De eô præter ſuo loco memorata extant in Actis Lipſienſibus, Anno 1726. *p.* 185.

Lettres à quelques uns de ſes amis au ſujet de la Magie, des Malefices, & des Sorciers,

h. e.

Epiſtolæ ad amicos quoſdam datæ de Magiâ, Maleficiis, & Incantatoribus. Lutetiæ Pariſiorum, apud Rob. Marc. Deſpilly, 1725. *in* 12.

UT præſentes literas publici juris faceret Clariſſ. Autor, non ſolùm ſuaſerunt Amici, ad quos exaratæ ſunt, ſed & ipſe neceſſarium judicavit; ſiquidem ex his homines, qui promptè nimis Diabolo adſcribunt, ſi quid contingere videant, cujus cauſam pro intellectus imbecillitate aſſequi non valent, meliora edoceri, & perſonæ Eccleſiaſticæ pariter ac Judices, & Medici diſcere poſſunt, ut datâ occaſione ſeſe gerere debeant. Religioni etiam intereſſe putat, erroribus popularibus ſeſe opponere in rebus, quæ eam eſſentialiter concernunt, & tacitè ad ſuperſtitionem, impietatem, vel idololatriam ducunt. Divinitati enim inſultari, ſi Diabolo concedatur abſolutum imperium in elementa, vel tempeſtates pro lubitu mutandas, potentia tonitrua excitandi, terræ motus, inundationes, incendia patrandi, fruges corrumpendi, homines æquè ac animalia interficiendi, regna evertendi, quæ omnia non niſi Deo tribuenda. Ad idololatriam populo viam aperiri, ſi præ metu, quo percutiuntur, cultu intelligentias has venerentur, qui ipſis non competit. Religioni vim inferri, ſi dicantur incantatores in conventibus ſuis ſabbathicis cacodæmonem adorare, ſacrum chriſma & baptiſmum ejurare, ac Jeſu Chriſto ipſiuſque Eccleſiæ renuntiare. Naturæ etiam Angelorum contrariari, ſi uſque adeo deprimatur Diabolus, ut jumenti loco inſerviat maleficis, pro vehendis illis per aëra,

ex

ex unâ provinciâ in alteram, ſuper maria tranſportandis, ut ſervorum inſtar mandatis mancipiorum ſuorum ſint obedientes, reſque ineptas & viliſſimas quandoque peragant. In his igitur Epiſtolis, quarum XII. numerantur, inquirit in cauſas effectuum extraordinariorum, demonſtratque, nihil ſæpè commercii ipſis intercedere cum cacodæmone, & omnia, quæ huic adſcribuntur, eſſe, vel naturalia, vel ficta, niſi in Veteri aut Novo Teſtamento aſſerta, & per Eccleſiam confirmata fuerint. Expoſitâ itaque Magiæ veteris ſeu ſapientiæ differentiâ & Magiæ illicitæ, in ſpecie agit de pacto, conjuratione, maleficiis per figuras cereas, philtra, ligaturas, injecta, de obſeſſionibus, incubis, ſuccubis, modo detegendi autores maleficos, de conventibus Sabbaticis, aliiſque, & in his omnibus Diabolum non concurrere, ſed dependere effectus vel ab arte, vel à natura; ſubeſſe ignorantiam, vel præconceptam opinionem; concurrere caſum, & imaginationem tam incantatoris, quàm incantati, tradit. Ut ex tantâ farragine unicum tantùm exemplum allegemus, figuras cereas frequentius adhiberi dicit à maleficis, hominibus noxam illaturis, & plenos eſſe Poëtarum & Hiſtoricorum libros taliſmodi relationibus. Allegat ex *Hectoris Boëthi* Hiſtoria Scotiæ *Duffum*, Regem, qui incognito morbo affectus, febre lentâ detentus, ſudoribus emaciatus, & tantùm non moribundus viſus fuit, refertque, binas fœminas maleficii ſuſpectas & carceri traditas, crimen faſſas, ſepoſitiſque figuris, quibus illæ abuſæ erant, in loco temperato, Regem à ſudoribus liberum, ſenſim refocillatum, & ex orci faucibus ereptum fuiſſe. Provocat inſimul ad Campanellam, qui dolores acutos hominibus concitari poſſe, pro certo habet, per eaſdem ceremonias & imprecationes circa certa vegetabilia & animalia factas, quæ cum figuris cereis fieri ſolent. Exiſtimat autem Clariſſ. Autor, effectus, qui verbis, characteribus, & ceremoniis maleficorum adſcribuntur, ſupponi tantùm, non verò revera tales eſſe, aliàs nullum hominem de vitâ ſecurum, & ſi qui alii, certè Principes, eorumque Miniſtros & Judices vindictæ expoſitos eſſe illorum, quibus favere vel nollent, vel non poſſent. Hiſtoriam *Duffi*, Regis Scotiæ, apocrypham videri, utpote quam Boëthus vel ex communi rumore recenſuerit, vel ex documentis, parùm fidei merentibus, probaverit; nullumque præter eum alium extitiſſe autorem, qui ejus mentionem fecerit; immò eum ſibimet ipſi contrariari; ſi enim fœminæ illæ Regem occidendi animum habuiſſent, imaginem igni potius commiſiſſent, quàm permiſiſſent, ut à magiſtratu tolleretur: nec Campanellam ipſum credere, effectum ſemper intentioni reſpondere. Poſito autem, noxas inferri hominibus tali modo à maleficis, Diabolum tamen ad hunc actum concurrere, negat, & ſequenti potius modo rem ſuccedere poſſe, credit. Spiritus, inquit, qui exhalant ex corpore incantatoris, eo tempore, quo nocere homini intendit, à phantaſia circa ideam interimendi hominem & vindictæ cupiditatem occupata, adeò maligni & deleterii evadunt, ut propter turbas in ſanguine, ſpiritibus & humoribus motas, & propter actionem ſuam efficacem, quam in partibus, quibus adhærent, nobilibus exerunt, morti tradere queant homines. Exhalationes enim hæ cum effluviis à cerâ prodeuntibus & ab igne calefactis unitæ ſi ad hominem perveniunt, dolores & cruciatus excitant, plus minùs atroces, quo propiùs adſtat vel remotior eſt homo ab incantatore, quò deteriores ſunt vapores vel benigniores exhalantes, vel quò majori minorive præditus eſt ſenſibilitate æger. Imaginatio etiam ipſius ægri ſæpè multum operatur circa hoc negotium, qui, quando ſemel incantatum ſe eſſe credit, raro hanc deponit opinionem, nec vel validiſſimis remediis curari poteſt. Ex quibus concludit, omnia naturaliter & ſine ope Diaboli procedere.

Edidit præterea Librum Gallicum cui Titulus

Reflexions ſur la nature des Remedes &c.

id eſt

Meditationes de Remediorum naturâ & effectibus, operandi modis, indicationibus, ac contra indicationibus, eorumque uſû ac abuſû; Exemplis, Hiſtoriis & Obſervationibus notatu dignis confirmatæ. Rothomagi, apud Franc. Vautier, 1700. in 12.

ANDREÆ (*Johannes*) Scougard Danus, Med. D. Medic. Conſtantinop. Sultanis charus, ibidem defunctus.

Ex eo habentur

Quæſtiones Phyſico-Medicæ. Wittemb. 1624. in 4.

Diſp. de Syncope, Ibid. eodem anno & forma. *Barthol. de Script. Dan. p.* 67.

ANDREAS (*Franciſcus*) Facultatis Cadomenſis Medicus.

De eô extant

Dialogues ſur l'Acide & l'Alcali. Pariſ. 1677.

id eſt

Dialogi de Acidô & Alcali; Pariſiis, 1677.

ANDRY (*Nicolaus*)

De eô adhuc extant

Ecclairciſſement ſur le Livre de la generation des vers dans le corps de l'homme, contenant des remarques nouvelles ſur les vers & ſur les Maladies vermineuſes avec des reflexions ſur ceux qui croient que la moëlle ne nourrit pas les os & qu'elle a du ſentiment. A Paris, chez Laurent d'Houry, 1704. in 12. ſeconde Edition revuë & corrigée par l'auteur & augmentée de la lettre de M. L'Emery, refutée dans ces Ecclairciſſemens; à Amſterdam, chez Thomas Lombrail, 1705. in 12.

Le S. Regime du Carême conſideré par raport à la nature du Corps & des aliments, 2. voll. in 12.

Examen de divers point d'anatomie.

ANONYMUS.

De eô extat in Actis Lipſ. An. 1729. p. 267.

A Diſcourſe concerning Fevers in two Lettres to a joung Phyſician.

i. e.

Diſcurſus de Febribus, duabus Epiſtolis ad Juniorem aliquem Medicum exhibitus. Londini, apud Johannem Clarckium, 1727. 8.

IN Epiſtola 1. Author omnes hypotheſes & theorias tam Phyſicas quam Mechanicas, tanquam vanas atque deludentes in Medicina adhibendas diſſuadet. Hanc enim eſſe cauſam, quo minus ad altius faſtigium evecta ſit medicina, exiſtimat, quod veterum manuductionem neglexerint atque contemtui habuerint Recentiores, libidine novarum hypotheſium atque ſyſ-

ſtematum excogitandorum occœcati; hinc Indicationes curativas non petendas eſſe, addit, à commentis ejuſmodi, quæ obſervationibus non reſpondent, & experientiæ potius contrariæ ſunt. Quapropter explodit ſyſtemata eorum, qui ſalia bilioſa pro febrium non minus quam aliorum morborum, autorum pariter ac chronicorum cauſa agnoſcentes, omnes curationes per emetica, purgantia & clyſmata oleoſa abſolvunt; qui alcali ſupponunt præternaturale, per acida immutandum; qui acidum accuſant, per teſtacea ſupprimendum; qui febrium fomitem venenum aliquod fingunt, ſpiritus animales infeſtans, per alexipharmaca ejiciendum vel cortice Peruviano cicurandum; qui denique certitudinem mathematicam in Theorematibus, Propoſitionibus, Axiomatibus, Lemmatibus, Scholiis, & Corollariis ſuis ſe inveniſſe jactitantes, corpus humanum æque ac aliorum brutorum legibus mechanicis dirigi prætendunt, ita ut partes ſolidæ regulis Geometricis, fluidæ Hydroſtaticis ſint ſubjectæ, quarum æquilibrium juſtum ſanitatem, deſtructum morbos efformet. Practicos potius monet, ut naturam ducem ſequantur, hujuſque diſpoſitiones, motus & tendentias advertant, laudabiles conatus promoveant, erroneos vero corrigant; neceſſe autem eſſe dicit, ut cognitam habeant veram ſtructuram & conditionem partium corporis humani, tam in ſtatu naturali quam præternaturali, repetitis obſervationibus, ratione ſuffultis, confirmatam, tantum ſignorum diagnoſticorum apparatum collegerint, qui ad morbi ſpeciem determinandam & ab aliis diſcernendam ſufficiat, & medicamentorum virtutes in comperto habeant; his enim ſubſidiis inſtructos facili negotio remedia morbis opponere poſſe, quæ vel ab aliis autoribus commendata vel propria experientia probata fuerunt. In Epiſtola II. docet Amicum, quomodo methodum medendi febribus dirigere, & infirmorum conclave ingreſſus gerere ſe debeat. Singulas febrium ſpecies cum Autore examinare, inſtitui ratio non permittit, ſequentia annotaſſe ſufficiat. Ignoratis licet cauſis eſſentialibus febrium, certum eſſe putat, extranei quid & naturæ infeſti tum temporis in corpore contineri, quod natura mediante fermentatione eliminare tentet. Diſpeſcit eas in ſanguineas & nervoſas; illas dicit, quarum cauſa materialis in ſanguine gliſcit, & ad hanc claſſem omnes inflammatorias refert, quas ſequenti modo tollere præcipit. In principio mox vena aperiatur, & ſi error in diæta commiſſus fuit, emeticum ex radice Ipecacuanha exhibeatur: ſi febris augeatur, repetatur venæ ſectio, & alexipharmacum atque cordiale offeratur. Per alexipharmacum non intelligit theriacam vel mithridatium, quæ in febribus nervoſis tantum locum inveniunt, ſed conſervam lujulæ, cum abſorbente quodam mixtam; per cordiale vero pauca grana nitri, ut & emulſionem ex ſeminibus frigidis & amygdalis dulcibus cum aqua hordei paratam. Febres nervoſas illas nuncupat, quando deleteria vel morboſa impreſſio fluidum nerveum occupat, & impedit, quo minus ſpiritus animales in cerebro elaborari, vel per nervos ad cor, pulmones & alias corporis partes diſtribui poſſint. In his præter emetica, ſudorifera & veſicatoria nulla evacuantia adhibeantur, ſub languore vero virium dentur, quæ motum ſanguinis promovent, ut lapis contruxervæ, pulvis ad Guttet. è chelis cancrorum, cum paucis granis croci vel caſtorei, aut ſi ultimum adverſatur nauſeabundus ſtomachus, cum ſpeciebus diambræ. Sudore prorumpente hauſtus vini non eſt denegandus. Febrem hecticam itidem vel ſanguineam vel nervoſam conſtituit, peculiari methodo tractandam. Sanguinea enim, ab inflammatione vel abſceſſu producta, maxime temperata, humectantia, refrigerantia & edulcorantia poſcit medicamenta, ut ſcilicet acrimonia temperetur; qualia ſunt decoctum ſarſaparillæ, & chinæ, abſorbentia, lac aſininum, emulſiones amygdalatæ & cura lactis. In nervea, ab enormiori quodam animi pathemate orta, in qua de frigore magis quam de calore conqueruntur ægri, calidiora dentur remedia, chalybeata puta & amara, ut ſcilicet digeſtio roboretur & appetitus augeatur. In utraque enim omnis cura eo debet intendi, ut fomentum illud, quod poros viſcerum replere & extendere debet, abſumtum vel exſiccatum reparetur. Præterea non approbat Autor methodum *Freindii*, in febre ſecundaria variolarum purgantia exhibentis, nec *Helvetii*, in iiſdem variolis præter venæſectiones repetitas vomitoria, purgantia & juſcula ex carne bubula extracta propinantis. Denique Poſtſcripti loco de pulſu & urina, quatenus ſigna tam diagnoſtica quam prognoſtica ſubminiſtrant, ut & de Criſibus & diebus criticis in febribus agit.

AQUILA (*Joannes dell'*) Medicus famoſiſſimus, qui tanquam alter Æſculapius à cunctis mortalibus tempeſtate noſtrâ (ait *Corſettus*) colitur & obſervatur. Habuit Cathedram Medicinæ in ſtudio Patavino, unde vocatur à Tiraquello *Joannes Patavinus Aquilanus.* Scripſit *Tractatum*

De ſanguinis miſſione in pleuritide. *Toppi Bibl. Napolet. p.* 114.

ARETÆUS Cappadox.

De eo præter ſuo loco memorata extant in Actis Lipſienſ. Ann. 1728. *p.* 97.

De Cauſis & ſignis acutorum & diuturnorum morborum Libri IV. De curatione acutorum & diuturnorum morborum Libri IV. Græcè & Latinè. Cum Mſſ. duobus, Harleyano *&* Vaticano, *contulit, novamque verſionem dedit* Johannes Wigan, *A. M. Ædis Chr. Alumnus. Accedit Præfatio, Diſſertatt. in* Aretæum, *variæ Lectiones, Notæ & Emendationes, Tractatus de Jonica* Aretæi *Dialecto, quodque difficiliores hujus Autoris voces exponit, Lexicon. Oxoniæ, è Typographiâ Chlarendon.* 1723. *fol.*

TAndem præſtantiſſimum hoc & *Oxoniæ* ſua perdignum *Aretæi* opus nanciſci, ejuſque excerptum hic noſtris Actis inſerere licuit. Scilicet, quum jamdiu *Aretæi* exempla ab eruditis fruſtra quæri cœpiſſent; autor fuit Celeb. *Joh. Freind* Cl. Editori, ut illum utiliſſimum Autorem denuò recenſeret, ipſeque illi ad emaculandum limandumque *Aretæum* plurima adjumenta comparavit, quamobrem Cl. *Wigan* quoque in gratæ mentis ſignificationem novam hanc editionem laudato *Freindio* dedicavit. Inter Editiones olim parcè editas facilè eminere ait primam Græcam *Jac. Goupyli* cum 3. Codd. Mſſ. collatam, & Pariſiis ex Typographia *Turnebiana* 1554. *in* 8. accuratè & nitidè editam, nec non variis lectionibus ſelectis, & conjecturis haud contemnendis ornatam; peſſimam contra eſſe pronuntiat poſtremam Græco-Latinam *Georg. Heniſchii*, Auguſtæ Vindel. 1603. *fol.* ſplendidè quidem, ſed vitioſè & oſcitanter exſcriptam, & futilibus jejuniſque Editoris Commentariis oneratam.

Petiti verò luculentas in *Aretæum* obſervationes ſe fruſtrà Pariſiis quæſiviſſe dolet. Ad hanc ſuam novam autem adornandam, quam, quum nullum *Aretæi* exemplum Græcum impreſſum reperire poſſet, integram ſua manu exſcriptam prælo commiſiſſe monet, non libros ſolùm duos editos inter ſe, ſed eos etiam cum duobus Codd. Mſſ. contulit, uno *Harleyano*, altero verò *Vaticano*, à *Dominico Regoletti* fideliſſimè deſcripto; ex quorum illo, licèt annis 300. parum antiquior videatur, plurimùm adjumenti in emendando *Aretæo* ſe habuiſſe fatetur, ſiquidem hujus ope non modò verbis Jonicas ſuas terminationes paſſim redditas eſſe; ſed & proba ac ſana ſententiarum quarundam lectione nitido terſoque huic Autori ſenſum proprium atque elegantem reſtitutum fuiſſe ingenuè prædicat, adeo ut hinc credat, *Aretæi* Codicem *Harleyano* quidem emendatiorem haud ullibi extare: ex hoc verò, *Vaticano*, vix quidquam ſuppetiarum hauſit, ut pote admodum vitioſo & mutilo niſi quod dialectum quandoque illius autoritate emendaverit. Præter hæc à Cl. noſtro *Fabricio* & *Mich. Maittaire* bina exemplaria impreſſa habuit, variis lectionibus in margine conſperſa, quas non conjecturas, ſed ex Mſſ. decerptas collationes eſſe ſuſpicatur. Univerſo operi præmiſit quatuor Diſſertatiunculas de *Aretæi* ætate, ſecta & opinionibus, ſcientia Anatomica & praxi denique medica.

In primâ *Aretæum* vel ante ſuſceptum à *Nerone* principatum & exactum Titi imperium vixiſſe, vel *Trajani* ſaltim aut *Adriani* temporibus haud eſſe inferiorem, eruditè diſceptat. In *alterâ* poſt Cl. *Dan. Clericum* obſervat, eum ſectæ pneumaticæ fuiſſe addictum, cujus diſciplinæ princeps fuit *Athenæus* patria Cilix, Attaliæ natus, cum *Plinio maj.* ferè ætate conjunctus, ſucceſſores verò *Agathinus*, *Magnus*, *Herodotus*, atque *Archigenes*, qui ex *Aretæo* plurima ſua hauſit, ut ex fragmentis apud *Aëtium* adhuc ſuperſtitibus clarè patet, & uberius docetur à Cl. Editore in Notis verſioni ſuæ ſubjectis. Dicitur verò Secta iſta pneumatica, quod ſpiritum vitæ motûſque principium, & prout vel benè, vel malè ſe habet, nunc ſanitatis, nunc autem morborum cauſam eſſe crediderit. In *tertiâ* accuratum ſpecimen de Autoris ſcientia anatomica edit, probatque, eum in nullius Magiſtri verba juratum, modò ad *Hippocratis* aut *Eraſiſtrati*, modò verò ad *Herophili* ſententiam accedere; ſuam tamen interea opinionem liberè ſemper interponere. In *quartâ* denique de curandi ratione *Aretæi* fusè & eruditè tractat, inter alia verò annotat, vomitoria ab ipſo præcipi, non modò, ut primæ viæ expurgentur, ſed ut motu illo vehementi & contentione, qua inter vomendum ventriculus ceteraque viſcera cientur, tum ſolidæ partes ſuccutiantur & ſtimulentur, tum humores aut reſolvantur aut revellantur, quam methodum vomitoria adhibendi vel hodie in morbis Chronicis præſertim, Iſchiade, tumoribus œdematoſis & Ictero apprime utilem eſſe noſter ſubnotat. Primum quoque fuiſſe *Aretæum*, qui venæ ſectionis in manu mentionem fecerit, oſtendit: præterea eum arteriotomiam frequentius adhibuiſſe, item in diæteticis & chirurgicis accuratum & ſolertem fuiſſe, in externis vero remediis applicandis cum Methodicis, à quorum placitis Secta pneumatica ceterum abhorruit, conſpiraſſe, perſpicue docet. Ipſe contextus operis Græcus luculenter & magnificè eſt impreſſus, niſi quod ſcripturæ compendia hodie paullo inuſitatiora frequentiùs in eo occurrant, tanta ceterum cum cura, ut verum omnino ſcripſerit Editor, eum unius tantum atque alterius literulæ menda laborare. Textum excipiunt variæ lectiones ex Codd. Mſſ. *Harleyano*, *Vaticano* & *Auguſtano*, ut & ex editione *Goupyli*, nec non notis marginalibus Mſtis exemplarium *Fabricii* & *Maittairii* ſedulo collectæ & in concinnum ordinem digeſtæ. His ſubjunxit Cl. Editor notas in varias iſtas lectiones, ſuaſque emendationes & conjecturas adjecit, ex quibus clarè patet, quantum valeat in arte Critica & litteratura Græca, plerumque enim *Aretæum* feliciſſime emendat cum ex *Homeri* & *Hippocratis* peculiari loquendi modo, quem imprimis tenuiſſe *Aretæum* liquido oſtendit; tum ex ipſis *Aretæi* atque *Archigenis* reliquiis, quas in ſuum opus, nominibus quamvis celatis, frequentiùs tranſtuliſſe ait *Aetium* ſupra notatum. Sequitur Commentariolus de *Aretæi* dialecto, quem Cl. *Maittairius*, rogatus à Celeb. *Freind*, compoſuit, in quo ſcite obſervat, *Aretæum* Jonicè quidem ſcripſiſſe potiſſimum; Doriſmum tamen atque Œoliſmum cum magno ubique *Homerum* imitandi ſtudio frequentiùs admiſcuiſſe. Idem Cl. Vir iſti Commentario comitem eſſe voluit Indicem Græcum in *Aretæum* locupletiſſimum & accuratiſſimum, in quo, ceu ipſe monet, in præfatiuncula ad Cl. *Wigan*, indici illi præmiſſa, annotantur pleræque voces raræ & inſigniores, loquendique formulæ *Aretæo* vel propriæ, vel cum aliis, *Hippocrate* præſertim, *Homero* & *Herodoto* communes, vocabula quoque à *Conſtantino* & *Henr. Stephano* in ſuis magnis Lexicis Græcis vel prætermiſſa, vel ἀμάρτυρα, occurrunt, diverſimode indicantur, præterea de quibuſdam *Aretæi* locis, quorum lectio ſuſpecta, item de ſtilo ejuſdem peculiari ſyntaxique nonnihil adjectum legitur. Additæ quoque ſunt huic Lexico ab eodem Cl. Viro binæ appendices, una de vocabulis medicis in *Aretæo* obviis, altera de variantibus lectionibus ex quinque *Mſſ. Codd. Bibl. Reg. Pariſ.* ad marginem *Aretæi* Turnebiani ad Cl. *Freind* tranſmiſſi adſcriptis, quas vero aut nullius, aut perquam exigui eſſe momenti, & maximam ſaltim partem ineruditorum ſcribarum errata eſſe, candidè fatetur Cl. Maittairius in præfatiunculâ appendici præfixâ: plurimum interim literarum Græcarum ſtudioſi debebunt pertinaci illius induſtriæ in his omnibus perficiendis. Ad calcem denique univerſi operis, ad quarundam *Stephani* atque *Wechelii* Editionum Græco-Latinarum exemplum, rejecta eſt nova verſio Latina magno ſtudio & cura à Cl. *Wig.* elaborata, quum ipſi antiqua illa Junii Pauli Craſſi anxie plerumque ad Textum Græcum efformata atque hinc intellectu paſſim difficilis in plurimis diſpliceret. In qua pari propemodum felicitate venuſtum latini *Hippocratis*, ut *Celſus* vocatur, ſtilum expreſſit Cl. Autor; ac ipſe *Aretæus* Græci *Hippocratis* teres atque rotundum ſcribendi genus in ſuum opus tranſtulit. Fatendum tamen eſt, abſolutiſſimam ceteroquin hanc *Aretæi* editionem lectoribus longè commodiorem & gratiorem fore, ſi elegans hæc verſio textui ſuo è regione reſponderet. Pauciſſimi enim Græce adeo ſunt periti, ut Autorem imprimis tam arduum, βραχυλόγον, & peculiari prorſus ac à communi multum recedente ſcribendi modo utentem, qualem Aretæum præſertim eſſe conſtat, ſine verſione legere & intelligere poſſint. Moleſtus vero & inamœnus labor eſt, ſemper ad verſionem in fine operis collocatam recurrere, ubi locus dubius & obſcurus remoram injicit, idque ideo magis, quod paginas illius paginis Textus Græci minime reſpondere animadverterimus.

ASCOLI (*Alexander*) Peruſinus, Medicinæ Profeſſor & Lector in Academiâ Patriâ.

Ex eô habetur

Delle febri Theoria e Prattica ſecondo il novo ſyſtema, ove il tutto ſi ſpiega quanto e poſſibile ad imitatione de Geometri; ſi aggiungono in fine alcuni diſcorſi in forma di lettere per chiarezza maggiore di quanto precedamente ſi diſſe. Peruſia, 1699. in 4.

ASH (*Georgius*) Societatis Dublinenſis Secretarius.

De eô extat in Act. Erudit. Lipſienſ. ann. 1686. p. 487.

Epiſtola ſcripta Dublino ann. 1685. ad unum è Secretariis Societatis Regiæ, de puellâ quâdam Hibernicâ, è cujus corpore varia excrevere cornua.

ASSETTATO (*Camillus*) *Chietenſis* Medicus excellens, ac ſingularis doctrinæ, conſcripſit *Italicè*

Annotationes ad Hiſtoriam ſimplicium Aromatorum, quæ præbet India: de quibus *Carol. Cluſius.* Toppi Bibl. Neapol. p. 54.

ASTRUC (*Johannes*) Medicus & Profeſſor per plures annos Monſpeſſulanus verè eximius, jam verò Regis Chriſtianiſſ. Medicus ordinarius, & in Regiô Collegiô Pariſienſi Profeſſor digniſſ.

De eô extant

Memoire ſur la digeſtion des alimens. Montpellier, 1711. *in* 12.

Diſſertation ſur la contagion de la peſte, où l'on prouve que cette maladie eſt véritablement contagieuſe, & où l'on repond aux difficultés qu'on oppoſe contre ce ſentiment. A Toulouſe, chez Jean Joſeph d'Eſclaſſan, 1724. *in* 8.

Tractatus de cauſâ mechanicâ motûs fermentationis. Monſpelii, 1703. vid. *Memoires de Trevoux* 1703. *p.* 231.

Memoire ſur le redreſſement de la perpendiculaire des plantes inclinées par raport à l'Horiſon.

AVANZINI (*Joſephus*) M. D.

Tractationem emiſit, quâ, D. Felicis M. D. ſententiam de exitioſô & periculoſô uſu Chocolatæ confutavit. Florentiæ 1728. in 4.

B.

BACCIUS (*Andreas*) &c.

Operibus ejus jam commemoratis addenda quæ recenſet *Diarium Italic. Tom.* I. *p.* 77. &c.

I. *Diſcorſo dell' Acque Albule, Bagni di Ceſare Auguſto a Tivoli. Dell' Acque di San Giovanni a Capo di Bove nuovamente venute in luce. Dell' Acetoſe preſſo a Roma, e dell' Acque di Anticoli: con alcune Regole neceſſarie per uſar bene ogni Acqua di Bagno.* Romæ apud hæredes Anton. Bladi, Typographos Camerales, 1567. in 4.

II. *Delle dodici Gioie, che riſplendevano nella veſte ſacra del Sommo Sacerdote.*

III. *Del Tevere Lib. III. ne' quali ſi tratta della natura e bontà dell' Acque, è ſpecialmente del Tevere, e dell' Acque antiche di Roma, del Nilo, del Po, dell' Arno, e d'altri Fonti, e Fiumi del mondo. Dell' uſo dell' Acque, e del bevere in Freſco con nevi, con ghiaccio, è con ſalnitro. Delle inondazioni, e de' rimedi che gli antichi Romani fecero, e che oggidì ſi poſſon facere in queſta, e in ogni altra inondazione.* Venetiis, 1576. in 4. & Romæ 1599. in 4.

IV. *L'Origine dell' antica città di Cluana, che hoggi è la nobil terra di S. Elpidio.* Opuſculum illud plurimis poſt Autoris obitum annis prodiit, vulgatum à Nat. Medaglia in libro *Memorie Iſtoriche della città di Cluana* &c. Maceratæ, apud hær. Pannelli, 1592. in 4.

BACHETTI (*Laurentius*) Med. Doct.

De eo extat in Diar. Italic. Tom. 30. p. 219.

Oſſervazione nel cadavere del P. Don Pio Capodivacca, Abate degli Olivetani dell' inſigne moniſtero di Padoua, d'un ſtraordinario, ed enorme allungamento, o rilaſſamento, o prolaſſo del ventricolo, mandata al Signor Antonio Valliſneri.

BAGLIVUS (*Georgius*) &c.

Operum ejus, præter editiones ſuo loco commemoratas, prima prodierat Venetiis apud Gabr. Ertz, 1705. in 8. Dedit autem octavam Pariſiis Rigaud anno 1711. Vide *Diar. Italic. Tom.* 2. p. 478. & *Tom.* 8. p. 430.

BANISTER (*Johannes*)

De eô extant in Tranſ. Philoſ. Mart. & Apr. 1701. *art.* 4.

Obſervationes quædam de inſectis in Virginia ann. 1680. inſtitutæ, cum notis J. Petiver Pharmacopæi & S. R. S.

BARCKAUSEN (*Joh. Conradus*)

De eo extant, præter ſuo loco memorata

Pharmacopeus Synopticus, Medicaminum compoſitiones, & formulas, eorumque tam Chemicam, quam Galenicam conficiendi & componendi methodum exhibens. Ultrajecti, 1696. in 8.

Synopſis Pharmaciæ. Lugd. Batav. 1712. in 8.

Elementa Chymiæ. Ibidem apud Haackium 1719. in 4.

BARHAM.

De eô extat in Tranſ. Philoſ. vol. 2. *cap.* 6.

De productione bombycum.

BARLES

De eô extant

Nouvelles Decouvertes des parties principales de l'homme & de la femme & des organes ſervants à la generation. A Lyon 1680. 4. vol. in 12. avec figures.

BARRERA

Scripſit de viſcô: *vide Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences* 1720. *pag.* 53.

BARRY (*Eduardus*) M. D.

De eo extat in Actis Lipſien. an. 1729. *p.* 220.

A Treatiſe on a conſumption of the Lungs. i. e.

Tractatus de Phthiſi Pulmonali. Londini, apud Wilhelmum & Johannem Innys, 1727. 8.

Effectus, qui in machina humana qua ſanitatem, qua morbos producuntur, explicari non poſſe, niſi cognita ipſius ſtructura & in ſubſidium vocatis mechanicis, hydroſtaticis & hydraulicis principiis, bene cognoſcens Clariſſ. *Barry*, eundem tramitem ſecutus eſt, Atrophiam ſeu Phthiſin Pulmonalem explicaturus. In tres enim Partes præſentem Tractatum dividit, in quarum I. de nutritione, in II. de Structura & Uſu Pulmonum, & in III. de cauſa progreſſu & cura Phthiſeos agit. In *Parte I.* de Nutritione ita ſentit: Continua partium ſolidarum a motu continuo facta abraſio & fluidarum jactura non ſolum ſui reſtaurationem efflagitant;

verum etiam harum qualitas depravata uberiorem exigit nutritionem. Fluidæ enim ſubtilibus & maxime dilutis particulis orbatæ, & repetitis circulationibus agitatæ, tantum abeſt, ut nutrire amplius poſſint ut potius corpus deſtruant, naturam veneni mineralis induentes, cujus malignitas in gravitate & acrimonia particularum conſiſtit. Ex alimentis igitur novus chylus a ventriculo, ſolidas partes attenuatione & expreſſione particularum fluidarum per calorem & motum tam proprium quam viſcerum adjacentium diſſolvente, eſt præparandus, & in pulmonibus pro nutritione præſtanda aptus reddendus. Vis enim compreſſiva vaſorum pulmonalium ab aeris pondere aucta, majorem attenuationem humorum contentorum præſtat, quàm qualis ab aliis in toto corpore vaſis eſt expectanda. Per aeris preſſuram figura vaſorum ita alteratur, ut humor chyloſus, nondum præparatus, per vias capillares ad vaſa pulmonalia ſe recipere cogatur. Diameter enim arteriæ ſanguineæ in pulmonibus, antequam in venam abeat, adeo exilis eſt, ut vix unicum globulum ſanguinis abſque compreſſione in figuram ovalem tranſmittat; vi autem aeris inſpirati canalis hic a circulari in ellypticam figuram tranſmutatur, unde humores circulantes multo anguſtiores vias ſuperare tenentur; ſiquidem diameter vaſis cujuſdam tantum in proportione decreſcit, quantum a circulari figura recedit. Arteriæ hæ ſanguineæ in pulmonibus æque ac in reliquis corporis viſceribus in arterias deſinunt, quæ ſerum vehunt, & hæ iterum in minores, quæ lympham ducunt. Et quoniam per eandem preſſuram aeris inſpirati exiles hi canales circulares infinite parvi redduntur, & ad figuram planam magis reducuntur, neceſſario ſequitur, humores per eos circulantes ita præparari & dividi, ut minima & capillaria vaſcula intrare queant. Nutritio itaque ita ſuccedit: omnes atque ſinguli canales in corpore humano per attritionem, perpetuum motionis effectum, continuo abraduntur & per preſſionem humorum circulantium diſtrahuntur, hinc vacua acquirunt interſtitia. Quoniam enim omnes lineæ fluidi cujuſdam, quod in vaſe conico a baſi ad extremitatem movetur, parallelæ ſunt axi canalis, omnia puncta fluidi neceſſario moventur cum reſiſtentia quadam ad motum, conanturque latera canalis extendere. Aſt omnia vaſa, ut pote virtute elaſtica prædita, eadem vi fluido reſiſtunt, hocque repellunt, & preſſura humorum affluentium regurgitationem impedit, hinc feriunt hi latera canalium eaque diſtendunt. Ampliantur igitur canales; quoniam vero eorum reſiſtentia in proportione ad diſtenſionem augetur, tantam acquirunt per contractionem fibrarum vim, quanta ad propellenda fluida & circulationem promovendam ſufficit; hacque ratione novæ ſuppetiæ feruntur partibus ſolidis attritis & fluidis deperditis. E contrario non bene nutritur corpus vel quando humores ad nutriendum non ſufficienter præparantur, vel quando vaſa non ſunt diſpoſita, ut fluida commode recipiant, vel quando circulationis vis aut juſto major aut languidior exiſtit. In *Parte II.* expoſita pulmonum ſtructura, uſum eorum adeo egregium eſſe demonſtrat Clar. Auctor, ut functiones œconomiæ animalis maximè neceſſariæ immediate ab influentia hujus organi, ſeu a preſſura aeris dependeant; imo calor, color & pleræque proprietates materiales ſanguinis primario iiſdem debeantur: negat tamen, aerem ſanguini admiſceri. In *Parte III.* Phthiſin pulmonalem definit, quod ſit imminutio partium ſolidarum, & corruptio fluidarum à collectione materiæ purulentæ dependens, ejuſque cauſam conſtituit vel obſtructionem vaſorum vel ſolutionem continuitatis. Obſtructio in genere juxta Autorem oritur, quando globuli humorum majores ſunt, quam vaſorum capacitas, dum vel fluida ſunt viſcida, vel ſolida anguſta, vel etiam utrorumque vitia concurrunt. Fluida redduntur viſcida, vel a nimia frigiditate ſeu circulatione languida, vel a calore & motu nimio, vel a mixtura humoris viſcidi, aut coagulantis. Aeris enim frigidi gravitas imminuta non ſufficienter premit vaſa pulmonum, hinc humores non attenuantur, calidus vero ſubtiles partes diſſipat, relictis craſſioribus, quod etiam faciunt exercitationes nimiæ, ſpirituoſorum abuſus, ſudores profuſi; & chylus crudus admiſtus horum promovet viſciditatem, quo & concretiones calculoſæ ſpectant. Solida quod attinet, vaſa fiunt anguſta vel a motu irregulari aut aucto ſpirituum animalium, vel ab acrimonia interna humorum, fibras ad contractionem ſui ſtimulante, vel a cauſa externa comprimente, & irritante, e. g. a fumis arſenicalibus & mercurialibus, aut a conformatione præternaturali thoracis. Harum obſtructionum ſedes eſt vel in vaſis pulmonalibus, vel bronchialibus in glandulas aſperæ arteriæ deſinentibus. Si bronchiales obſtruuntur, jungitur expectoratio copioſa cum raucedine, ſed minore periculo; in pulmonalibus vero nulla expectoratio eſt expectanda, niſi facta ſuppuratione & hæmoptyſi; tuſſis interim ſicca, reſpiratio difficilis, ſine raucedine, oppreſſio conſtans & dolor obtuſus ſub inſpirandum urget; atque hæ obſtructiones quandoque ſe invicem excipiunt, ita ut arteriarum bronchialium inſequantur pulmonalium obſtructiones, & vice verſa. Indicationes & methodi medendi variant pro cauſarum diverſitate, quæ antequam removeantur, cavendum eſt, ne obſtructio ad ſuppurationem veniat; hæc autem fit, quando vi circulationis vel materiæ obſtruentis quantitate uſque adeo vaſa per gradus diſtenduntur, ut demum rumpantur; tunc enim vaſa mediante calore viſceris una cum humoribus obſtruentibus diſſolvuntur, & ubi particulæ diſſolutæ invicem fuerint mixtæ, ſubtiliore parte exhalante viſcidior materiam purulentam format. Diſtenſionis vero augmentum præcavetur, quando quantitas & velocitas fluidorum imminuitur, & motus humorum mediante revulſione aliorſum determinatur. Per ſanguinis igitur miſſionem & lenia purgantia ſuppuratio non modo inhibetur, ſed & imminuta vi humorum diſtendente, vaſorum contractio obſtructorum augetur, ſicque obſtructio aliquatenus ceſſat. Quando obſtructio à viſciditate per motum tardiorem humorum producta dependet, Indicationes ſunt, ut 1) humores impacti reſolvantur, 2) motus acceleretur, ac 3) viſciditas fluidorum attenuetur. In hoc caſu evacuationes caute ſunt adminiſtrandæ, ut pote quæ laxitatem vaſorum & viſcerum augent, atque circulationem languidiorem reddunt; nec calidioribus, volatilibus & activis balſamicis eſt inſiſtendum: quia aucto nimis humorum circulantium motu, fluida magis impinguntur & condenſantur, vaſa magis diſtenduntur, & ſuppuratio loco reſolutionis producitur. Præſtant potius medicamenta virtute aperiente, ſaponacea, leniter ſtimulante & reſolvente prædita, & quæ aucta circulatione ſanguinis perſpirationem reſtituunt, reliquaſque ſecretiones ad debitam proportionem reducunt; qualia ſunt flores ſulphuris, millepedes præparati, pilulæ ex gummatibus

tibus cum ſapone Veneto, terebinthina & balſamo Peruviano paratæ, item decoctum ligni guajaci, ſaſſafras, fol. chamæpitheos, hyſſopi, ſcordii & veronicæ. Obſtructione remota & omni inflammationis metu diſcuſſo, cortex Peruvianus & aquæ martiales ſunt exhibendæ, utpote quæ non ſolum vaſorum tonum augent, & viſciditatem reſiduam attenuant, verum etiam recidivæ obſiſtunt. (Quanquam enim in principio vaſa anguſta obſtructionibus anſam dederint, ſucceſſu tamen temporis à materia obſtruente dilatantur, remotiſque obſtructionibus dilatata manent, ſicque cuicunque alii cauſæ obſtruenti prompte auſcultant, niſi in tono ſuo roborentur. Multum huc confert motus corporis, imprimis equitatio. Tuſſis ab obſtructionibus frigidis pituitoſis orta in ſenibus, quorum tonus pulmonum deſtructus & reliquæ ſecretiones ob circulationis tarditatem, vaſorumque rigiditatem univerſalem imminutæ ſunt, raro curatur; ſolatio tamen ipſis ſunt emollientia & aromatica, tam diætetica quam pharmaceutica remedia; imprimis vinum cum melle mixtum vel præparatum. Humor porro obſtruens ſi fuerit naturæ terreſtris, frigidæ & viſcidæ, & qui in ſcirrhum vel lapidoſam concretionem abire ſolet, mercurio dulci, pilulis gummoſis addito & decocto ligni guajaci corrigitur. Sin humor viſcidus à nimio calore & motu ortum duxerit, poſt venæſectionem & purgantia leniora ac anodyna, diluentia, reſolventia & leniter detergentia utramque abſolvunt paginam. Quando obſtructio vaſorum pulmonalium ab humoribus crudis oritur, digeſtio ventriculi eſt reſtauranda, & humores impacti ſunt reſolvendi. Emetica vero non probantur, ob metum inflammationis vel hæmoptoes. Generis nervoſi & hypochondriacis ſymptomatibus aſa fœtida præ reliquis medicamentis occurrit, ut pote quæ vaſa obſtructa non ſolum ſtimulat, fluidorum viſciditatem corrigit & inſenſibilem tranſpirationem promovet, verum etiam ſpaſmos ſiſtit. Sin ſalinæ ſanguinis particulæ vaſcula contrahunt & ſtimulant, pro diverſitate acrimoniæ alia atque alia, e. g. in muriatica aqua calcis vivæ, in volatilitate nimia aquæ Briſtolienſes, diæta lactea & diuretica blandiora conducunt. Inter expectorantia hyſſopus, ſcordium, majorana, pulegium, veronica, ſulphur præparatum laudantur, quando humores viſcidi & fibræ minus activæ ſunt; ſin humores acres & vaſa contracta fuerint, pulmonaria & tuſſilago iis præfertur. Inter topica in humoribus acribus ſuffimigia ex olibano, maſtiche, benzoe; in viſcidis vapores aquæ, cui herbæ ſtimulantes fuerunt infuſæ; in exhalationibus ſulphureis vel arſenicalibus aut effluviis aquæ fortis vel ſpiritus vitrioli admiſſis vapor urinæ putridæ ſale tartari imprægnatæ ſunt admittenda. Linctus oleoſi & anodyna juvant, non cauſam removendo, ſed tuſſis moleſtias demulcendo: oleoſis tamen præferuntur linctus ex terra Japonica, ſaccharo & mucilaginibus parati. Quoniam autem phthiſis ſæpe ab hæmoptyſi oritur, hujus theoria & praxis ſolerter traditur ab Autore. Hujus cauſæ ſunt, quæ vaſis pulmonum talem teneritudinem, & humoribus talem impetum & acrimoniam conciliant, ut continuitas illico ſolvatur. Talis conſtitutio vel connata aut hæreditaria eſt, vel acquiritur ab uſu calidæ, aromaticæ, ſalinæ diætæ, vel talibus rebus, quæ vaſa relaxant, & ſanguinem oleoſis & balſamicis particulis privant. Indicationes ſunt, 1) ut vaſa rupta conſolidentur, & 2) acrimonia humorum & caliditas attemperetur. *Mangeti Biblioth. Script. Medic.* Tom. I. *Append.* Hinc venæ ſectio toties repetita, donec vaſa diſcontinuata collapſa & contracta fuerint, priori, poſteriori refrigerantia anodyna ſatisfaciunt; in ſpecie decoctum corticis Peruviani in aquis pectoralibus factum; hæcque medicamenta facile penetrare & leniora eſſe debent, ne novas obſtructiones pariant, aut calorem magis accendant, hinc balſamus ſulphuris aniſatus, de Gilead, &c. huc non quadrant. Ratione diætæ omnis motus, imo & loquela interdicatur, lactis vero uſus commendetur; poſt reconvaleſcentiam equitatio ſuadeatur, ſingulis æquinoctiis venæ ſectio repetatur, & lenis purgatio per mannam inſtituatur. Quod ſi vero pulmones vel poſt hæmoptoen, vel obſtructiones, vel vulnus, vel peripneumoniam aut pleuritidem abſceſſum contraxerint, maturandus hic & rumpendus venit, ut manifeſtum fiat ulcus. Rumpitur ille ad aſperam arteriam, admiſſo fotu & vapore decocti emollientis, item motu per vectionem aut equitationem, & expectorantibus; nec nocebit emeticum ex oximelite ſquillitico & oleo amygdalarum dulcium. Aperto abſceſſu præcavendum eſt, ne ulcus incrementum capiat, aut materia purulenta ad ſanguinem ruat; ulcus vero mundificetur & conſolidetur per decocta vulneraria, in quibus gummata ſunt ſoluta, ut & per expectorantia, detergentia & conſolidantia paregorica. Præſens hoc in affectu atrophia nutritionem indicat uberiorem non ex animalibus expectandam, ut pote quæ ratione ſalis volatilis calorem & putrefactionem augent, niſi temperentur acidis & refrigerantibus vegetabilibus. Conducit etiam diæta lactea & exercitium in libero aëre, ut & equitatio. Si ad ſummum gradum pervenerit exulceratio, ita ut à medicamentis nullum amplius ſperandum ſit levamen, paracentheſis inſtituatur eo in loco, quem dolor & oppreſſio pectoris monſtraverit. Sic enim extractio puris promovebitur, & injectionibus balſamicis ulcus mundificari & conſolidari poterit; ſiquidem pulmones in ejus modi caſu ut plurimum pleuræ adhærent. Hæcque operatio tantum locum invenit in phthiſi hæmoptoen inſequente, & ubi lobus affectus pulmonis non multum corruptus exiſtit: ſecus ſi in pluribus locis ille ſit exulceratus.

BARTHOLINUS (*Caſparus*)

De eô præter ſuô locô memorata non erit ingratum adjungere Orationem ſequentem, ex memoriis Cl. *Henn. Witten* excerptam.

Curſus & Equites Iſraelis, hoc eſt, *vita & mors Dn. D.* Gaſpari Bartolini, *inſignis Philologi, celebris Philoſophi, Medici ſcriptis & praxi notiſſimi, Theologi magni, Academiæ Hafnienſis iteratò Rectoris magnifici, viri ad exemplum uſque probi & pii. Publicâ oratione celebrata in Academia Regia Hafnienſi* 25. *Julii, anno* 1629. Caſparo Eraſmo Brochmand, *SS. Theol. Doctore & Profeſſore ordinario, Acad. Hafn. p. t. Rectore.*

DE Domino Doctore *Caſparo Bartolino*, Philologo inſigni, Philoſopho celebri, Medico ſcriptis & praxi ſatis noto, Theologo magno, Academiæ Hafnienſis iterum Rectore Magnifico, viro ad miraculum uſque probo & pio, quam difficile ſit & arduum verba facere, qui ignorant, aut operis magnitudinem digne non æſtimarunt, aut tanto ingenio ſunt, ut immenſam ingenii *Bartolini* noſtri capacitatem, ſingulari quodam & planè admirando *Dei* dono æquent. Non enim adeò acutus ſum vi-

dere ut poſſim, quomodo *Philologum* decenter laudare poſſit, qui maxima & minima, quæ in Critice ſunt, non pervidit: nec ſatis intelligo, quâ felicitate celebrandum ſibi ſumat *Philoſophum*, cui Philoſophia Platonica, Ariſtotelica, Stoica non eſt cognitiſſima: nec ingenio adeò perſpicaci ſum capere ut queam, quo ſucceſſu *Medicum* commendet, qui ſcripta Hippocratis, Galeni, Theophraſti, vigili oculo ac ſagaci mente non luſtravit: hebetior etiam ſum, quàm comprehendam animo meo, quomodò juſtas *magni Theologi* laudes concinne enarret, qui Moſis, Prophetarum, Apoſtolorum ſcripta accuratè non perdidicit: nec capere poſſum, quâ decentiâ oneroſum *Rectoris* magnifici munus deſcribat, qui Rectoratum ſæpius non geſſit: non denique mente aſſequi poſſum meâ, quomodo in *viro ad exemplum uſque probo & pio* laudando occupari feliciter poſſit, quem *Dei* ſpiritus eximiâ pietate & probitate non beavit. Unde de facili intelligitis, quàm non ſatis aptus ſim, qui beatiſſimo *Bartolino*, Academiæ noſtræ Rectori Magnifico, viro dum vixit maximo, non dico magnificè, ſed vel tenuiter juſta faciam. Teneor tamen onus, cui ferendo nullâ parte par ſum, etiam cum quodam famæ meæ periculo, ſubire, idque ſolemnis promiſſi religione obſtrictus. Convenerat enim inter Dn. Doctorem *Bartolinum*, animi pluſquàm dimidium mei, & me, ut qui diem prior obiret, huic is, quem *Deus* volebat ſuperſtitem, publicè parentaret. Quia verò Doctor *Bartolinus*, in his terris, proh dolor, mihi ampliùs non videndus, dignus fuit, qui *Deum*, conditorem ſuum; *Jeſum*, redemptorem ſuum; Spiritum ſanctum, ſanctificatorem ſuum, prior videret: ferendum mihi patienter eſt, quòd flebile parentationis officium mihi ex condicto incumbat. Ubi uberrima ſe offerret dicendi materies: modo mihi aut ingenium eſſet, tantis rebus comprehendendis par; aut facundia ſuppeteret, quæ vitæ Doctoris *Bartolini* non dico exornandæ, ſed vel tenuiter enarrandæ ſufficeret. Interim ingenii defectum & linguæ balbutiem facilè compenſabit mea pietas & in demortuum religioſus animus: cui in ſolitum adſcribetis, quod has dicendi partes, quas nemo non veſtrûm feliciùs me implere poſſet, mihi ſumam. Volo enim tenui hac opellâ quam demortuo D. *Bartolino* commodo, publicè teſtari, quanti ipſum fecerim vivum. Nefas enim duco, ut quem colui vivum, hunc ſine qualicunque μνημοσύνῳ dimittam mortuum. Quocirca à vobis omnibus & ſingulis, qui ad audiendum frequentes conveniſtis, quâ par eſt animi obſervantiâ peto, ut aurium animorumque operam benignam ad exigui temporis moram mihi commodetis: idque ut me interprete, ſed parum facundo, intelligatis, *vixiſſe in Daniâ virum, quem qui norant, non potuerunt ſatis æſtimare: qui non æſtimarunt, nunquam ſatis cognoverant.*

Non perſequar minutatim omnia, quæ huc facere poterunt: id enim nimis operoſum foret, nec diei aut menſis unius opus. Ex uberrimâ & denſiſſimâ, quæ ſe ad tractandum offert, materie, legam tantum ea, & quidem parcâ manu, quæ aut ſcitu digniora, aut aliorum exædificationi quàm maximè ſervire apta ſunt.

Ordiamur à *Patria, Parentibus & pueritiâ*: Nam & hic occurrunt non pauca, quæ magnum illum *Bartolinum* non parum commendent. Celeberrima Scaniæ Urbe *Malmogiâ* oriundus fuit, Anno 1585. XII. Februarii, Patre Reverendo & Cl. Viro, Dn. *Bartolino Caſparo*, in Urbe pariter ac arce Malmogienſi, Paſtore vigilantiſſimo, è ſcriptis, Danica potiſſimùm lingua concinnatis & bono publico publicatis, ſatis noto, homine rarâ pietate, & antiqua planè virtute & fide: matre verò *Annâ Eraſmiâ, Dn. Eraſmi Tenckelii*, præpoſiti Vehemenhojani filia, fœmina ad exemplum uſque proba & pia: cujus avus maternus, *M. Petrus Tenckelius*, Evangelicorum Præpoſitorum in Scania primus fuit, officio iſti ſolemniter admotus à *Franciſco Vormardo*, Evangelicorum Epiſcoporum in Scania primo. Hæc igitur ſparta hunc terris Laconem dedit: hi parentes hunc Daniæ genuerunt filium: emicantibus in ipſa etiam pueritia ſingularis εὐφυΐας & admirandæ indolis radiis, etiam ad admirationem uſque parentum & præceptorum. Nam natus tres annos, libellum, quem vocant, alphabetarium, & præcipuas religionis Chriſtianæ partes ambitu ſuo comprehendens, decurſu XIV. dierum non tantùm accuratè legere didicit; ſed etiam penitùs edidicit. Et quod magis mirere, cùm *Bartolinus* noſter jam primùm fari inciperet, integro propè anno vocibus uſus eſt diverſiſſimis ab his, quas tenellis ſuis auribus aut à parentibus, aut à nutriçe, aut ab ullo magiſtro hauſerat. Cujus rei teſtes auriti ſunt viri quidam docti & linguarum periti: qui etiam expenſis diligentiùs vocibus, quibus *Bartolinus* adhuc puer utebatur, certè deprehenderunt, quod vocum iſtarum non paucæ cum lingua Hebræa exactè convenirent. Diſputent jam Platonici, hoc documento, ſive uſi ſive abuſi, quòd linguæ ſcientiæque non tam improbo labore acquirantur, quàm hominibus connaſcantur: prodeant quoque qui huic firmamento ſuam illam ſuperſtruant ſententiam; homines ſibi relictos, nec certa lingua ab ullo magiſtro imbutos, natura duce Hebraice loquuturos. Ego veluti cum his aut illis litigioſè contendere nolo: ita malo hanc admirandæ loquelæ afferre cauſam, placuiſſe *Deo* hoc teſtamine docere, *Bartolinum* futurum virum Reipublicæ Chriſtianæ & domui *Dei* ſingulariter utilem. Notum enim eſt, quomodo *Deus*, emiſſurus Apoſtolos in univerſum terrarum orbem ad prædicandum Evangelium, ad opus adeò ſingulare ſtupenda cognitione linguarum, quas non didicerant, ipſos admirabiliter præpararit.

Sed verò creſcentibus annis, ignei iſtius ingenii ſtricturæ magis magiſque emicuerunt. Nondum tredecennis, orationem Latinam & Græcam eleganter condebat, iſtoſque eâ ætate fecerat in arte dicendi progreſſus, ut de quovis argumento, etiam memoriter, peroraret. Logicam etiam hac ætatula probè callebat, adeò ut ſi vel quiſpiam ætate provectior litem ipſi intentaret de quæſtionibus Logicis, etiam ſubtilioribus, adverſarium inveniret, imberbem quidem, ſed non imbellem. Uno verbo: Studia ſua adeò calidè tractavit puer, ut non calcaribus, ſed freno eguiſſe ipſum, parentes & præceptores judicarent. Et quanquam vix expletis tredecim annis, abundè maturus eſſet exercitiis Academicis: noluerunt tamen parentes, ut inter cives Academicos nomen ſuum profiteretur, antequam ſeptendecim annos expleviſſet. Non enim judicarunt conſultum, ut tredecim annorum puer libertate gauderet, quam Privilegia Academica ſuis concedunt civibus.

Annum ergò agens decimum octavum, felici ſydere adpulit ad *Academiam Hafnienſem*: ac ſolennibus ritibus ſacro ſtudioſorum ordini inaugura-

guratus eſt, Rectore Reverendo admodum & Cl. Viro, Dn. Doctore *Johanne Paulo Reſenio*, jam Sielandiæ Epiſcopo honoratiſſimo; Decano autem Philoſophico, M. *Jona Venuſino*. Et quia conſtitutiones Academiæ non concedunt, ut quiſquam ſine certo ſtudiorum directore in Academia oberret, χειραγωγὴν ſeu manuductorem ſibi delegit virum πολύγλωττον, Reverendum & Cl. Dn. Doctorem *Cunradum Aslachum*, linguæ Græcæ tùm temporis Profeſſorem, poſtea Theologum, jam μακαρίτην.

Poſtquam verò in Academiâ patriâ aliquandiu vixiſſet, & admirandâ divini ingenii celeritate atque ſingulari morum facilitate & ſuavitate ſingularem in omnium animis de ſe ſpem excitaſſet: rectâ ivit *Roſtochium*, & quidem An. 1603. & inibi aliquantiſper commoratus, docentes audivit *D. Bacmeiſterum Seniorem*, *D. Frederum*, *D. Shaktium*, *D. Lobechium*, Theologos, *D. Pegelium*, Mathematicum: *D. Lubinum*, Poëtam: *Poſſelium*, Linguæ Græcæ Profeſſorem. Hinc profectus eſt *Vitebergam*, fœcundum iſtud veræ religionis ſeminarium, inque Academiâ Vitebergenſi integrum triennium tùm Philoſophiæ, tùm Theologiæ diſcendæ inſumpſit, & quidem tantâ adſiduitate, ut ante lucem ſemper ſurgeret, vix verò ante intempeſtam noctem unquam cubitum iret. Tantum fuit in homine juvene ſapientiæ deſiderium, tanta in præceptores reverentia, tantus zelus atque impetus pietatis, ut inter ſtudioſos non pauci *Bartolinum*, ut vivum quoddam induſtriæ litterariæ & veræ pietatis exemplum ſibi ad imitandum proponerent. Florebant tùm temporis in Academiâ Vitebergenſi Theologi celeberrimi, Doct. *Georgius Mylius*, *D. Salomon Geſnerus*, *D. David Rungius*, *D. Leonhardus Hutterus*: in Philoſophia vero eminebat, *D. Jacobus Martinus*, jam Theologus: in Matheſi, *Melchior Joſtelius*: in litteraturâ Græcâ & Latinâ *Laurentius Rhodomannus*, *Fridericus Taubmannus*, *Adamus Siberus*. Hos omnes *Bartolinus* creberrimè audiebat docentes: ab horum ore pendebat: ab his rectè ſentiendi & vivendi exemplum petebat. Et quoniam beatæ memoriæ D. *Caſparus Bartolinus*, & diligentiſſimus & ingenioſiſſimus fuit, brevi in ſapientiâ Philoſophicâ & Theologicâ ita profecit, tantis inprimis uſus manuductoribus, ut dignus cenſeretur publicâ Senatus Academici auctoritate, qui juventutem Academicam ad adyta ſapientiæ Philoſophicæ feliciter manuducere, & prælectionibus diſputationibusque exercere poſſet. Quod munus, quò & tutiùs & honorificentius obiret, ſolemnibus Magiſterii Philoſophici honoribus ornatus eſt Vitebergæ Ann. 1607. ætatis verò ſuæ vigeſimo: tantâ certè laude & tanto adplauſu, ut nemo non ſubactiſſimum juvenis viri judicium & expeditiſſimam linguam admiraretur.

Porrò veluti aquilæ gaudent motu, nec teſtudinum more & modo contentæ ſunt uno & ſtato domicilio: Ita præclaris & ad maxima quæque natis ingeniis quaſi innatum eſt, varia luſtrare loca, variarum nationum mores & inſtituta obſervare, viros ab eruditione rarâ & ſingulari pietate commendatos, ſed per diſſita regna ſparſos, adire, familiariter cum ipſis converſari. Id quod etiam uſu venit *D. Bartolino*: qui ut ſapientiæ & prudentiæ acceſſionem laudabilem compendio quodam faceret, meliorem orbis Europæi partem peragravit; & quidem ſine viatico, quod aut parentes aut amici ſubminiſtrarent. Non eſt ulla in *Germaniâ* urbs, ſaltem quantivis pretii, quam non viderit: vix ulla Academia, quam non luſtraverit: vix ulli inſigniores Philologi, Philoſophi, Medici, Theologi, in quorum familiaritatem non penetraverit. *Galliam* quoque accurate luſtravit, præcipua rei literariæ lumina vidit; Academias nobiliores adiit; tantamque de ſuccreſcentis *Bartolini* virtute ſpem conceperant *Galli*, ut dignum cenſerent, cui vacans in Academiâ Sedanenſi Profeſſio Græca, per Archiatrum Sereniſſ. Ducis Bullionii, Doct. *Moſen Quadratum*, ſolemniter offerretur. Nec *Angliam* reliquit intactam; Sed vetuſtas in eâ Academias ſagaci oculo inſpexit, viros celebriores convenit, nec quidquam prætermiſit, quod ad ſapientiam & prudentiam augendam facere potuit. *Belgium* etiam, ab arte & Marte commendatiſſimum, viſit & ita viſit, ut nullus propè in univerſo Belgio ſit locus, ſaltem celebris, quem non luſtraverit, perviderit. Fœcundam illam felicium ingeniorum matrem *Lovanium* intravit: magnum illum & toti orbi Europæo notum Philologum *Juſtum Lipſium*, non tantùm vidit, ſed etiam familiariſſimè cum ipſo converſatus fuit. *Lugdunum* quoque *Batavorum* adiit, & inibi ſtudium medicum, quod cum Philoſophico conjungebat, non ſine fructu & ſingulari profectu excoluit. Frequens ipſi cum *Joſepho Scaligero*, mundi miraculo, *Paulo Merula*, *Bonaventura Vulcanio*, *Petro Bertio*, *Scriverio*, *Rudolpho Snellio*, Philologis, Philoſophis, Hiſtoricis, Geographis maximis, converſatio: *Pavio* autem, Botanico & Anatomico notiſſimo planè intimus fuit. Tandem Lugdunenſem Academiam cum *Baſilienſi* commutavit: in qua ſtudium medicum, cui ſe tùm dederat totum, eximiè florebat. Hic commoratus eſt integrum annum, magnaque & planè memorabilis fuit ipſi cum medicis celeberrimis & ſummis, *D. Felice Platero*, *D. Caſparo Bauhino*, *D. Jacobo Zwingero* familiaritas: dignuſque judicatus fuit *Bartholinus* publica Academici Senatus cenſura, qui in Diſputationibus Philoſophicis, & quidem pro gradu Magiſterii inſtitutis, publicè præſideret. Quinimò tanti fecerunt Academiæ Baſilienſis Profeſſores virtutem & doctrinam *Bartolini*, viri adhuc juvenis & nondum viginti duos annos nati, ut ſummos in Medicina honores, non niſi viris judicio & ætate maturis conferri ſolitos, ſolemniter ipſi detulerint: quos tamen, quæ ejus modeſtia erat, ut digniores quàm qui in iſtam ætatem conferri poſſent, tùm temporis recuſavit. Animo *Bartolini* noſtri inſidebat illa mundi regina *Italia*. Hujus montes vitiferos & miraculis admirandos, vernantes ſilvas, ſinus amplos & profundos, fidos portus, alta lataque flumina, lacus limpidos & vivos, inlimes & variarum virium fontes, urbes florentes, oppida clara & civibus numeroſa, pagos prætoriis ſuperbos, & præter innumera alia, miſerandas veterum urbium ſtructurarumque reliquias, & ſtupenda totius antiquitatis monumenta videre, *Bartolino* unicè curæ & cordi fuit. Inprimis vero hoc ſuo in Italiam itinere id ſpectabat, ut jucunda cum Medicis, quos Italia habebat celeberrimos, converſatione, in re medica tùm quà ſcientiam, tùm quà curandi felicitatem, quam plurimum proficeret. Pulcherrimam itaque terrarum Italiam ingreſſus Anno 1609. *Ferrariam* adiit: *Bononiam*, *Florentiam*, *Lucam*, *Piſas*, *Senam* luſtravit. Orbis caput *Romam*, non ſemel, ſed ter adſpexit: nec tantùm adſpexit, ſed etiam diutulè inibi hæſit, partim ut admirandarum antiquitatum oculatus teſtis eſſe poſſet, partim ut praxin medicam obiret: oblata medici exercitii commoditate inſigni, per Doct.

Johannem Fabrum, ipſius Pontificis medicum,& D. *Marſilium Cognatum*; quibus, praxin medicam gnaviter exercentibus, *Bartolinus* ſe adjungebat. Et quoniam tùm temporis Romæ vivebat celeberrimi nominis Philoſophus & Theologus Pontificius, *Benedictus Pererius*, & magnæ famæ Mathematicus, *Chriſtophorus Clavius*: tàm illum quàm iſtum convenit. Inter commoda autem, quæ *Roma* ipſi attulerat, principe loco numerabat, quòd myſterium iſtud iniquitatis vidiſſet,& ita vidiſſet,ut quæ de Antichriſto & Romana Antichriſti curia vulgò memorantur, meritiſſimas nugas eſſe diceret præ iis, quæ ipſe oculis ſuis luſtraſſet. *Neapolim* etiam vidit, & in ea *Johannem Baptiſtam Fortam*, *Ferdinandum Imperatum*, & *Latinum Tancredum*: inprimis verò familiaris fuit Doctori *Julio Jaſolino Siculo*, Profeſſori Anatomico, ſeni oppido capulari: qui *Bartolinum*, ob ſingularia ingenii dona, ut filium amans, hoc unum egit & ſingulari ſolicitudine urſit, ut liberatus & levatus Profeſſione Anatomica, eam in *Bartolinum* transferret. Quod etiam ſucceſſiſſet, niſi *Bartolinus* omnia veræ religioni poſtponenda judicaſſet. Cenſuit enim non decere, ut qui de vera religione rectè inſtitutus eſt, pedem ibi figat, ubi vera non viget religio. *Siciliam*, Inſularum omnium Mediterranei maris ampliſſimam, hortatu Doctoris *Jaſolini*, luſtravit, non ſine extremo vitæ diſcrimine, à piratis intentato.

Sed fruſtra ſudo, ut omnia & ſingula loca, etiam celebria ſigillatim enarrem & enumerem, quæ *Bartolinus* noſter pedibus ſuis calcavit, oculis luſtravit. Plura enim ſunt, quàm ut aut memoria mea comprehendi, aut brevi oratione conſtringi poſſint. Hoc tantum addam: Patavii diutilè ipſum vixiſſe, Academiæ Patavinæ Profeſſoribus Medicis chariſſimum extitiſſe, juventutem Academicam in Philoſophia & Medicina inſtituiſſe, in cadaverum humanorum diſſectionibus laborioſè occupatum fuiſſe, tractatum Chirurgicum & Medicum de Cauteriis in frequentiſſimo auditorio prælegiſſe: & ut verbo me abſolvam, Celeberrimis totius Italiæ Medicis, Botanicis,Anatomicis, Philoſophis, Mathematicis, Geographis, *Aquapendenti*, *Caſſerio Placentino*, *Euſtachio Rudio*; *Thomæ Minadoo*, *Cæſari Cremonino*, *Galilæo de Galilæis*, *Sanctorio de Sanctoriis*, *Julio Cæſari Claudino*, *Flaminio Rotæ*, *Johanni Magino*, aliiſque notiſſimum fuiſſe.

Tot jam luſtratis regionibus: tot viſis Academiis: tantâ etiam factâ ſapientiæ acceſſione, ut *Bartolinus* paucos in Philologia, Philoſophia, Medicinâ haberet pares: præmia qualiacunque exantlatorum laborum reportaturus ſplendido Doctoris Medici titulo in illuſtri Academiâ Baſilienſi decoratur Anno Chriſti 1610. ſuæ verò ætatis vigeſimo quinto; honores iſtos ſolemniter conferente celeberrimi nominis Medico Doct. *Caſparo Bauhino*. Et ne *Bartolinus*, vulgarium ingeniorum cenſum ab ipſa pueritia longiſſimè tranſgreſſus, abire videretur à ſeipſo in velitatione iſtâ, quæ recepto in Academiis more honoribus Doctoreis præmittenda fuit; honoratiſſimo Medicorum ordini oppugnanda propoſuit CCXL. paradoxa, pathologica, ſimiotica, Ætiologica, therapeutica, Botanica, Anatomica, Chirurgica, Pharmaceutica, Chymica: partibuſque ſuis ita functus fuit, ut ſubactum judicium & expeditum ingenium hominis Dani ſtuperent omnes. Venit de hinc *Vitebergam*, inque Academiâ iſtâ, ſibi à teneris carâ, annum ſubſiſtens, felicem ægrotis operam locabat; meliorem juventutem in Philoſophiâ & Medicinâ inſtituebat; nobiles quæſtiones, Philoſophicas & Medicas evulgabat; juſtum univerſæ Anatomiæ ſyſtema elaborabat; compendium Logicæ adornabat & publicis typis exſcudi curabat.

Hac *Doctoris Bartolini* famâ excitatus ſeptentrionis Monarcha, *Chriſtianus* IV. exactum illud magni Regis exemplar, in mandatis dat Illuſtri Domino, *Chriſtiano Friis*, Domino hæreditario de Borreby, Regiæ Maj. Cancellario magno, Regni Daniæ Senatori principi, Acad. Regiæ conſervatori ſupremo, jam μακαρίτῃ, ut D. *Bartolinum*, in patriam revocet, ac vacantem linguæ Latinæ Profeſſionem ipſi demandet. Cui officio ubi jam admotus eſſet D. *Bartolinus* Anno Chriſti 1611. ætatis verò ſuæ vigeſimo ſeptimo, dici non poteſt, quanto numero ad ipſum audiendum concurrerint ſtudioſi. Prælegebat ſcripta Philoſophica, Ciceronis, & interea, *officia Ciceronis*: quæ commentationis ſuæ face ita illuſtravit, ut non modò mens ſententiaque Ciceronis in clara luce poneretur, ſed etiam omnes & ſingulæ controverſiæ Ethicæ, de quibus Platonici, Ariſtotelici, Stoici litigioſè diſputant, ſingulari & planè admirandâ judicii dexteritate deciderentur.

Ut verò à vitâ Doct. *Bartolini* publicâ ad privatam nonnihil deflectam, ita poſtulante annorum ſerie; animum ad vitam ſociam adjiciens duxit An. 1612. lectiſſimam virginem, à ſingulari pietate & probitate commendatiſſimam, *Annam Finckiam*, Excellentiſſ. Viri, Doctoris *Thomæ Finckii*, Mathematici per univerſum propè orbem Europæum ſcriptis elaboratiſſimis notiſſimi, Medicinæ in regiâ hac Academiâ Profeſſoris primarii, medicæque facultatis Decani perpetui, filiam primogenitam: fuitque conjugium non tantùm piâ & placidâ converſatione beatum, ſed etiam felix & fecundum una filia & ſex liberis maſculis, divinum beati Patris ingenium laudabiliter æmulantibus, adeò ut *Bartolus*, filius natu maximus, nondum XIV. natus annos, Græcas orationes è cathedra publica, & quidem memoriter, habuerit, admirante univerſo auditorio.

Sed ut ex hoc vitæ privatæ diverticulo ad publicam revertar: vix annum cum dimidio ornarat Linguæ Latinæ Profeſſionem, cum evocaretur ex hac vita Experientiſſ. vir, *Doctor Gellius Saſcerides*, Medicinæ in Regia hac Academia Profeſſor Ordinarius: cui auctoritate regia ſubrogatur Æſculapius noſter, *D. Bartolinus*. Quam provinciam qua felicitate undecim propè annos adminiſtraverit morborum ille terror, *Bartolinus*, notius eſt, quàm ut mea opus ſit commemoratione. Tanti certè medicam ipſius operam æſtimavit aula regia, ut Sereniſſ. Rex & Electus Daniæ Princeps, *Chriſtianus V.* ea non rarò ſint uſi. Taceo Duces, Comites, Barones, Nobiles, alios, quibus, in malis deſperatis & morbis difficillimis, optatiſſimam locavit operam. Non attingam exteros Medicos, eoſque celeberrimos, in caſibus gravioribus conſilium Doct. *Bartolini* crebrò exquiſiviſſe: atteſtantibus literis longè plurimis, quæ in Bibliotheca Bartoliniana diligenter aſſervantur.

Ad honores verò *Rectoratus Academici* evectus An. Chriſti 1618. immanè quanta prudentia, quanto Academiæ bono, officio adeò arduo præfuerit. Adeatur *oratio Doct. Bartolini*, typis publicis exſcripta, de ortu & incrementis Academiæ Hafnienſis, quam Magiſtratu Academico abiturus habuit: in hac enim ſtrictim annotatum invenies, quanta, ipſo Rectore, facta ſit Academiæ Hafnienſi acceſſio. Privilegia pro

pro immunitate colonorum impetrata ſunt: duæ habitationes, eæque ſatis ſplendidæ & amplæ, reliquis Profeſſorum habitationibus ſumptu publico adjectæ: numerus Profeſſorum Profeſſore Metaphyſico adauctus.

Sed quàm celſum fuit *Doctori Bartolino* ingenium, & ad quævis cum laude obeunda expeditum: tàm imbecilli fuit corpore. Vigilatæ noctes, longæ & difficiles peregrinationes, tenuis victus, continuæ & concatenatæ lucubrationes, corpus adhuc juvenile ita exhauſerant, ut poſtquam jam factus eſſet vir, perpetua ipſi cum pertinacibus morbis fuerit lucta. Dolor iſchiaticus ipſum affligebat; catharri graviter urgebant; calculi exquiſitos dolores excitabant. Et licet vix unquam immunis eſſet à morbis, attamen Anno 1623. menſe Auguſto, varii, iiq; contrarii morbi, tanto impetu ipſum adorti ſunt, ut nemo non de vitâ ipſius deſperarit. Arthritis moleſtiam gravem exhibebat; febris hectica corpus urebat; exquiſitiſſimi in lumbis, dorſo, ſcapulis dolores, vires proſternebant. Tanta morbi vis & valentia erat, tanta mali pertinacia, ut præſtantiſſimi Medici *Doct. Finckius, Doct. Vormius, Doct. Fyrenius* fruſtrà hîc ſudarent. Quocirca cùm in præſidiis medicis atque remediis humanis nihil planè præſidii ſupereſſe intelligeret *Doctor Bartolinus*; ad archiatrum *Jeſum Chriſtum*, ſe toto corde convertit totum, ab ipſo mali ſui medelam petiit, *Chriſto* & *Chriſti* curæ ſe in ſolidum concredidit & commiſit. Et quia experientia jam doctus erat, non eſſe quidquam, præter ſolius *Dei* verbum, quod juſtam propugnationem & tutam conſolationem præſtet contra morbos & mortem: viribus exhauſtus & in mortis colliminio conſtitutus *D. Bartolinus*, ſanctè promiſit *Deo* ſuo, quod ſi vitam redderet & valetudinem, quicquid reliquum vitæ foret, ſacroſancto Theologiæ ſtudio, iſti ſecundum pietatem doctrinæ, impenſurus eſſet. Votum verò impendiò placuiſſe *Deo*, eventus abundè comprobavit. Nam non modò vita redditur & profligato divinâ gratiâ morbo, vires opinione citius admirabiliter redeunt; ſed etiam paulò poſt, mortuo Reverendo & Cl. Viro, Dn. Doctore Cunrado Aslacho, SS. Theologiæ Profeſſore, declaratur auctoritate Regia SS. Theol. Doctor & Profeſſor, oratione inaugurali, publicâ luce digniſſimâ, habitâ Anno 1624. XII. Martii. Qua autem felicitate, quo ſucceſſu, quantâ melioris juventutis exædificatione, Theologi laudabilis partes adimpleverit, ſi prolixe explicare adgrederer, in re omnibus nimis notâ, inutili conatu occuparer. Humana inventa, de religione ubi agebatur, alto animo contempſit: litigioſas Scholaſticorum concertationes riſit & exploſit: intricatas diſputatorum diſtinctiunculas, quas magno pietatis intertrimento in Theologiam invexêre, animoſitate planè divinâ damnavit. Moſen amavit: Prophetas æſtimavit: Apoſtolis juſtum pretium ſtatuit. Cum his ſentire, cum his loqui, *Doctori Bartolino* unicè curæ cordique fuit. In publicis ipſius prælectionibus, nil niſi ſcripta Moſis & Prophetarum audiebatur. Ad hos fontes, planè illimes, palantem juventutem revocare, ſummo ſtudio adlaboravit. In concionibus ad rudem plebem, quas rogatu amicorum ſubinde habebat, immane, quanto zelo, quanto impetu, vivam fidem, bonorum operum feracem & per charitatem efficacem, urſerit. In publicis diſputationibus, quas de articulis Chriſtianæ Religionis inſtituebat, hoc ſpectabat, ut reſectis ſpinoſis quæſtionibus, ea tantùm proponerentur, quæ ad vitam in *Jeſu Chriſto* piè & beatè tranſigendam quàm maximè facerent. Quoniam verò veri Theologi eſt, non tantùm viva voce & ſcriptis auditores ſuos exædificare; ſed inprimis requiritur, ut quod aliis faciendum præſcribis & inculcas, hoc ipſum ipſe re atque facto præſtes: *Doctor Bartolinus*, officii quod geſſit memor, vitam traduxit adeò innocuam, ut qui familiariùs ipſum nôrint, exactum piè vivendi exemplar jure juſto vocare poſſint. Non jam memorabo, quanta attentione ſacras conciones frequens audierit; quanta devotione ad divinum *Jeſu Chriſti* epulum crebrò acceſſerit; quàm liberalis in tenuioris ſortis ſcholaſticos extiterit: quàm ab omni contentione, ambitione, amore ſui, & ſimilibus vitiis, hodiè nimis frequentibus, alienus fuerit. Tacebo quantum templo, Scholæ, Pauperibus legaverit. Hoc tantùm dicam: exercitia pietatis in ipſius familiâ, tantâ devotione viguiſſe, ut pacem præter ſpem admirabiliter reſtitutam, familiæ iſti magna parte adſcribam. Vix unquam ad ipſum ventitabam, quin Pſalmos ſacros in ipſius ædibus concini, Biblia Danica clara voce recitari, adhortationes ad pietatem urgeri, audirem. Et ubi maritus, occupationum publicarum mole à religioſis iſtis exercitiis avocabatur; Uxor, religioſiſſimi & ſedatiſſimi animi fœmina, partes mariti laudabiliter implebat; quippe in Bibliis ſacris verſatiſſima, & ad pietatem velut facta.

Pergerem in hac laudum tela pertexenda, niſi adeò langueret mœrore ingenium, ut neque mens neque lingua amplius apta ſit, quæ officio ſuo decenter fungatur. Ad exitum eapropter properat oratio mea, ſed invita: Nam exitus orationis meæ *exitum Doctoris Bartolini ex hoc mundo* comprehendet: Qui quoties mihi in mentem venit, toties animo meo obverſatur vaſtiſſimum *Doctoris Bartolini* ingenium, immortalitate digniſſimum. Nullum ſtudii genus attigit, quod non penetraverit: nihil adgreſſus eſt, quod non abſolverit. Quicquid rei bonæ invenitur in *Organo Ariſtotelæo*, quicquid ſucci boni in interpretibus Organi, Latinis & Græcis: id totum *D. Bartolinus Enchiridio Logico* ingenioſiſſimè & compendioſiſſimè incluſit. *Naturæ myſteria*, quæ *Ariſtoteles, Seneca, Plinius*, alii, immenſis voluminibus fuſè & obſcurè tradiderunt, *D. Bartolinus elaboratiſſimo Phyſices ſyſtemate*, nuperè evulgato, brevitate tanta, perſpicuitate tanta, ordine adeò concinno pertractavit, ut ne ipſe quidem Momus, ad optima quæque rodenda aliàs nimis paratus & pronus, hîc inveniat, quod culpet, quod carpat. In *Oratoria* verò iſtam præſtitit *Bartolinus noſter* meliori juventuti operam, ut qui libros, quos de *Rhetorica*, de *Oratoria* evulgarit, probè didicit, quicquid *Ariſtoteles*, quicquid *Hermogenes*, quicquid *Cicero*, quicquid *Quintilianus*, de hoc argumento utiliter ſcripſit, exactè didiciſſe, non injuria judicari poſſit. *Enchiridion* autem *Metaphyſicum D. Bartolini*, mole quidem paginarum exiguum, ſed pondere rerum prægnans, qui accuratè intelligit, compendio quodam intelligit, quicquid ſpiſſis ſcriptis de argutiis Metaphyſicis tradidere, qui hoc in genere excellere putantur, *Fonſeca* & *Franciſcus Suarez*. At *Inſtitutiones Anatomicæ D. Bartolini* cui cognotiſſimæ, *Veſſalii* Anatomiam novit: *Andreæ Laurentii* Anatomiam novit: imò multò plura, quam hic aut ille tradidit, novit. Et ut concludam: *libros quinque, quos de ſacris Bibliis concinnavit D. Bartolinus, ſed nondum publicavit*, qui accuratè didicit, compendio quodam didicit, quicquid ambitu monumentorum ſacro-

cro-

crorum continetur. Hæc & innumera alia D. *Bartolini* monumenta, partim publicata, partim ſi vixiſſet publicanda, immortalitatem tanto viro ſpondere videbantur.

Sed ſtat irrevocabilis *Dei* ſententia, *Omnibus moriendum eſſe.* Quam etiam legem, de inevitabili moriendi neceſſitate, ſubiiſſe cum aliis *Doctorem Bartolinum*, iniquius ferrem, ſi mihi non eſſet perſuaſiſſimum, omnia *Dei* providentia regi, & ita quidem, ut omnia fiant inſigni piorum bono & commodo.

Soram profecturus X. Julii, eò ut transferret filium natu maximum *Bartolum* & *Henricum Fyrentum*, in via cum Colico dolore conflictari cœpit: ſed iter ſuum pertinaciter urgens, *Soram* venit XI. Julii, ſed æger, humaniſſimè exceptus à veteri & fido amico, *Dn. Doctore Joachimo Burſero*, in Regia & Equeſtri Academia Sorana Medic. Prof. Ordinario. Sequenti die, ubi dolor Colicus planè abierat, vehemens extremarum corporis partium æſtus fuit, pulſus celer, frequens, inordinatus; aliqualis dexteræ coxæ dolor; ſitis ſatis intenſa. At tertio die, qui *Doctori Bartolino* emortualis fuit, acres catharri, qui ſemper ipſi ſolebant eſſe moleſti, graviter recruduerunt; & ne quid, quod ad mortem accelerandam facere poterat, deeſſet, urinæ ſuppreſſio acceſſit. Invaleſcebat in ſingula momenta morbi vis, obnitente quidem & vires naturæ prolectante, quantum per artem & induſtriam fieri potuit, exercitatiſſ. Medico, *Doct. Burſero*: ſed fruſtrà. Altius enim radices egerat malum, quam ut arte aut induſtria humana extirpari poſſet. Quocirca cum ſatis intelligeret D. *Bartolinus* fatalem illum & ultimum vitæ terminum imminere, eximium illum *Dei* ſervum, Dn. Doctorem *Johannem Cluverum*, SS. Theol. in Regia Acad. Sorana Profeſſorem celebrem & Paſtorem primarium, advocari curavit: coram quo ingenuam peccatorum ſuorum confeſſionem tanta devotione edidit, ut qui vivus vivum rectè vivendi exemplum fuit, moriturus rectè moriendi exemplar reliquerit. Naturæ communis infirmitatem deflebat: fide indubitata in mortem meritaque *Jeſu Chriſti* immotus recumbebat: pro ſe, pro Eccleſia, pro uxore, pro liberis, pro omnibus verè piis ardentes ad *Deum* preces concipiebat. Antequam verò corpus & ſanguinem *Chriſti* participaret, rogatus in præſentia non tantùm celeberrimorum Profeſſorum, ſed etiam Illuſtris Domini *Juſti Hogii*, Domini hæreditarii de Giordslof, Regni Daniæ Senatoris honoratiſſimi, Regiæ & Equeſtris Academiæ Soranæ Directoris ſupremi, Viri in decus hujus ſeculi planè nati; an quæ de *Deo* & rebus divinis, viva voce aut ſcripto, publicè privatimve tradidiſſet, rata vellet: ſpiritu heroico, clara voce, corporeque ad devotionem, ſed cum quadam Majeſtate conjunctam, compoſito, reſpondet: Certum eſſe ſe, quod quicquid de *Deo* aut rebus regnum *Dei* attinentibus publicè privatimve, viva voce aut ſcripto tradidiſſet, cum verbo divino exactè convenire: Paratum eſſe ſe cum hac ſua doctrina coram tribunali *Jeſu Chriſti*, judicis vivorum & mortuorum, comparere. Salvifico igitur epulo refectus, ſtatim in *Jeſu Chriſto* contra morbum, mortem, peccatum, Diabolum, triumphare incepit, & vix elapſo horæ quadrante, defunctus ſtrenuè omnibus Chriſtianæ militiæ ſtipendiis, conſummato curſu, decertato bono illo certamine, ſervata fide, animam ſuam, jam pertæſam curarum, jam ſaturam ærumnarum hujus mundi, jam exoptantem liberationem, jam vitæ æternæ gaudia prægustantem, jam ſervatorem *Jeſum* cernentem, oculis in cœlum ſublatis, palmis ad ſydera tentis, placidè inter devotas eorum qui aderant preces, *Deo* conditori ſuo, *Jeſu* Redemptori ſuo, Spiritui Sancto ſanctificatori ſuo, reddidit, acclamantibus omnes: *Moriatur anima mea morte juſtorum.*

Corpus verò iſtud Spiritus Sancti habitaculum, Sora Hafniam tranſlatum eſt, & in templo Academico, vel à ſola Regum Danicorum coronatione ſatis noto & commendato, in certam reſurrectionis ſpem terræ gremio commiſſum: funere ab eminentiſſimis quibuſdam Regni Daniæ proceribus, ab univerſo Academico & urbano Senatu, ab honorato Paſtorum ordine, à frequentiſſimo ſtudioſorum & civium cætu, ad iſtam quietis ſedem, ſolemniter deducto.

Ita occidit iſte litterati ordinis Sol: Ita occubuit Danicus iſte Æſculapius: ita extincta eſt iſta humanæ pariter ac divinæ ſapientiæ fax lucidiſſima: ita mortuus eſt juſtus: ita ſublatus eſt tot Prophetarum pater: ita curru & equitibus Iſraelis ſubvectus eſt in cœlum Doctor *Caſparus Bartolinus*, quo mundus hic amplius non fuit dignus.

Tu verò, *Jeſu-Chriſte*, Eccleſiæ tuæ Paſtor & Præſes ſumme, tantum damnum ſarci & nos tecum & cum beatiſſimo *Caſparo Bartolino*, te jam in clarâ luce intuente & ſplendore ſuo ſtellas cœli longiſſimè ſuperante, quàm maturrimè conjunge. Vos autem, quoties hoc pietatis Prytaneum, hoc ſapientiæ domicilium ingredimini: toties hujus locum rarâ pietate, ſingulari prudentiâ, admirandâ ſapientiâ *Doctoris Bartolini* vacuum eſſe cogitate. *Dixi.*

EXSEQUIIS
Rectoris Regiæ Hafnienſis Academiæ
Magnifici,
Viri Reverendi, Clariſſimi, longoque rerum uſu exercitatiſſimi
DN. CASPARI BATOLINI;
SS. Theologiæ, Medicinæ & Philoſophiæ
Doctoris Excellentiſſimi,

Amici, Collegæ, Fratris & Affinis ſui deſideratiſſimi.

O *Decus! O columen! O mens ſuprema Lycæi*
Hafniaci! O noſtri delicium generis!
Siccine jam linquis comitem gratumque ſodalem,
Quique animi quondam pars quotacunque tui?
Rauraca nos junxit, fovit nos Danica tellus,
Fratres effecit Finckia caſta Venus.
Artis Apollineæ, juncti tractavimus ambo
Per varios caſus, myſtica ſacra, diu.
Italus eſt teſtis, Germanus, Gallus & acris
Britannus, fortis Belgaque, ſævus Iber.
Per mare, per terras, per tot diſcrimina rerum
Inter nos crevit intemeratus amor:
Quem nec livor edax, nec mentis ſuſtulit unquam
Diſſidium. Ad tumulos integer uſque tuos.
Heu mihi dum raptum, mœſtus jam defleo, DONUM
DIVINUM, *ac lacrymis funera ſæva fleo,*
Uxoris, Patris, gnatæ, dulciſque Sororis;
Ecce tuas etiam cogor ad inferias.
Heu dolor! heu luctus! tantorum nonne malorum
Finis? Quo tandem, Mors inopina, ruis?
Siſte gradum: aut Mortis ſævæ dominator JESU
Per mortem, mortis ſpicula tolle, tuam.

Inter funera & lacrymas plangebat
OLAVS WORM D. Med. Prof. P.

EPITA-

EPITAPHIUM.

Marmorei titulum tumuli lectore Viator,
Da lachrymas, ni des, tu quoque marmor eris.
Iſta perennantis ſuperant monumenta laboris;
Hic amor, hic dolor eſt Portua cara tuus.
Sed benè, ſi vixit, ſitus hac ſub mole ſepulcri eſt.
Nomen at æternum fama ſuperſtes agit.
Sic manet ille quidem, neque mortuus eſſe feretur
Qui poſt prima, nihil fata ſecunda timet.
O nimium felix, qui ſic abit, haud pote quiſquam
Suavius extingui nobiliuſque tegi.

ETEOSTICHON,

Annum, menſem, diem & tempus obitus ſubindicans.

TEr DeCIes erat aCta DIes VIoLentIS IVLI:
HeI, nesCIt VItæ parCere parCa tVæ.

Jo. Meierus.

D. O. M. S.
CASP. BARTOLINO MALMOG.
THEOL. MED. AC PHILOS. DOCT.
REG. ACAD. HAFN. P.P. ET ROSCH. CAP. CANON.
INGENIO DIVINO, DISSERENDIQUE ACUMINE,
PIETATE, PRUDENTIA, JUSTITIA,
INTEGRITATE,
SINGULISQUE INSERVIENDI VOLUNTATE,
NON DOMI MINUS, XVII. ANN. IN
ARTIUM HUMAN.
MED. AC THEOL. PROFESS. REGNIQUE
GYMNASIIS,
VEL REGIO JUSSU DESTINATA INDUSTRIA,
QUAM FORIS IN MELIORE ORBI
EUROP. VARIIS
OBITIS, PEREGRIN. ET MONUM. EDITIS,
NOBILITATO.
EX RECTURÆ ACAD. ITERAT. ET
HONORE ET ONERE.
IN COELEST. PATRIAM IMMAT. MORTE
EVOCATO.
ANNA FINCKIA,
CUM VI. FIL. ET I. FILIA SUPERSTES
AMORIS FIDEIQUE CONJUG. ET
PEREN. DESIDERII MONUM.
B. M. P. C. M.

SCRIPTA.

Threnologia in obitum Annæ Catharinæ Reginæ Danorum, &c. *Francof.* 1614. in 4.

Oratio de ortu, progreſſu & incrementiæ Hafnienſis: *Hafn.* 1620. in 4. *Witteb.* 1645. in 4.

Rhetorica major: *Argent. Lipſiæ, Hafn.* alibi ſæpius in 12.

Rhetorica minor: *Hafniæ* 1630. in 8.

Oratoria major & minor: *ibid.* & alibi ſæpius in 8. & 12.

Epigrammata extemporanea & carminum faſciculus: *ibid.* 1621. in 12.

Janitores Logici bini: *ibid.* & *Argent.* 1624. in 12.

Diſputationes de genere Syllogiſmi, contra Scerbium, & de quæſtionibus mixtis contra Keckermannum: *ib.* in 12.

Logica major locupletata: *ibid.* 1640. *Argent.* 1624. 1629. in 12. & 8.

Enchiridion Logicum: *ibid.* 1628. *Magdeb.* 1622. *Witteb.* 1611. & 1614. *Argent.* 1628. in 12.

Metaphyſica major: *Hafn.* & *Argent.* 1629. in 8. & 12.

Enchiridion Metaphyſicum, ex Ariſtotelis optimorumque ejus interpretum monumentis adornatum: *Francof.* 1616. 1625. in 8. *Argent.* 1652. in 12.

Enchiridion Ethicum: *Hafn.* 1630. in 12.

Præcepta Phyſicæ generalis breviter explicata: *ibid.* 1621. in 12. & ſpecialis *Roſtoch.* 1630. in 12. & *Hafn.* in 8.

De Principiis rerum naturalium opuſculum: *Hafn.* in 12.

De Natura opuſculum: *ibid.* in 12.

De Mundo Tractatus: *Witteb.* in 4. & *Hafn.* 1628. in 8. *Roſtoch.* 1618. in 8.

Uranologia: *Hafn.* 1628. in 8.

Aſtrologia: *ibid.* 1616. in 8. & *Witteb.* in 4. *Argent.* 1624. in 12.

De Elementis in genere, & in ſpecie, de Terra, Aëre & Igni Inſtitutio Phyſica: *Hafn.* in 8. & *Roſtoch.* in 12.

De Aquis lib. duo: *Hafn.* in 8. *Francof.* 1621. in 12. *Roſt.* in 12.

De Mixtione liber unus: *Hafn.* 1618. 1628. in 8. *Roſt.* in 12.

De Meteoris libri IV. *ibid.* 1628. in 8.

De Rerum Naturalium perfectè mixtarum qualitatibus manifeſtis & occultis libri duo: *ibid.* 1628. in 8.

De corporibus perfectè mixtis inanimatis, ſeu Metallis, Lapidibus & Mineral. mediis liber: *ibid.* 1628. in 8.

De Anima: *Witteb.* in 4. & *Hafn.* 1628. in 8.

De Lapide Nephritico opuſculum, ubi ſimul de Amuletis omnibus præcipuis: *Hafn.* 1627. in 8.

De Unicornu opuſculum: *ibid.* 1627. in 8.

De Pygmæis opuſculum: *ibid.* 1628. in 8.

De Studio Medico inchoando & abſolvendo Conſilium: *ibid.* 1628. in 8.

Paradoxa Medica CCXL. *Baſil.* in 4.

Diſputationes Philoſ. & Medicæ decem in Acad. Hafnienſi diſputatæ: *Hafniæ* in 4.

De Aëre Peſtilenti corrigendo Conſilium: *ibid.* in 8. & 4.

De Luthero Panegyricus: *ibid.* 1619. in 4.

De Cœna Domini brevis inſtitutio: *ibid.* in 12.

Manuductio ad veram Pſycholog. ex ſacris literis: *ibid.* in 8.

De Natura Theologiæ: *ibid.* in 4.

De Partitionibus Scripturæ Sacræ: *ibid.* in 4.

In Orationem Dominicam Meditationes: *ibid.* in 12.

De Natura utraque Chriſti: *ibid.* in 12.

De Bello: *ibid.* in 12.

De Viſitatione Mariæ: *ibid.* in 12.

De Benedictione Aharonis: *ibid.* 12.

Inſtit. Anatomicæ, *das iſt, Unterricht der Zerlegung Menſchlichen Leibes: Kopenhagen* 1648. in 8.

BARTOLUS (*Sebaſtianus*) *di Montella*, Medicus percelebris edidit

Breve Ragguaglio de Bagni di Pozzuoli diſperſi, inveſtigati per ordine del Sig. D. Pietro d'Aragona Vicerè, è ritrovati da lui. Neapoli, apud Roncagliolum, 1667. in 4. *Toppi Bibl. Napolet. p.* 276.

BATES (*Thomas*)

Scripſit de morbo contagioſo boum, *vide Tranſ. Phil. Comp. vol.* 2. *cap.* 6.

BATTIER (*Samuel*) Philoſ. & Med. Doctor, Gr. Ling. Prof. P. S. R. I. Academ. Natur.

tur. Curioſ. Coll. dictus Erotianus.

De eo extant.

Diſſertatio de Generatione hominis. Baſileæ, 1690. in 4.

Oeconomiæ Corporis humani brevis deſcriptio: Reſpondente Joh. Rodol. Mieg. Ibidem 1711. in 4.

Ejuſdem deſcriptio continuata: Reſpondente Joh. Jacobo Schlechtio. Ibidem 1721. in 4.

BAYNARD, Doctor.

De eo extat

Lettre, contenant l'hiſtoire de plusieurs cures remarquables faites par les bains froids d'Angleterre, & un petit diſcours ſur les vertus admirables des bains chauds pour les eſtomachs froids & perdus. *Extat cum Floyeri Antiqua* ψυχρολουτρία *reviviſcens.*

BE (*Paulus du*)

De eô præter ſuô locô memorata extant

Medulla Medicinæ Theoreticæ. 12.

Medecin & Chirurgien des Pauvres, qui enſeigne les moyens de guerir les maladies par des remedes faciles à trouver & à preparer à peu de fraix par toutes ſortes de perſonnes, in 12. duquel s'en eſt fait 8. Editions.

BEAUMONTENSIS (*Clem. Guil.*)

Scripſit

De Peſte. Toloſæ, 1629. in 8.

BECHERUS (*Joh. Joach.*)

De eô præter ſuo loco memorata extat

Phyſica ſubterranea &c. cui Editioni acceſſit ſpecimen Becherianum G. E. Stahlii. Lipſiæ, apud J. F. Gleditſch. 1703. in 8.

BECKERUS (*Daniel*)

Orationem de eô ex Cl. *Henn. Witten* excerptam hic addemus.

Ad honorificam Funerationem Viri Nobiliſſimi, Excellentiſſimi, Ampliſſimi, atque Experientiſſimi Domini

DN. DANIELIS BECKERI

Medicinæ Doctoris, ejuſdemque Profeſſoris, P. Celeberrimi, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Archiatri atque Conſiliarii, Academiæ noſtræ, inter hos dies, Rectoris Magnifici, Cives ſuos invitat Pro-Rector atque Senatus Academiæ Regiomontanæ.

UT nunquam in tranquillitate ſubſiſtit Euripus, ſed reciprocantium undarum fluxu atque refluxu agitatur: ita res hominum mirificis viciſſitudinibus feruntur, atque hoc ſolum in iis certum eſt, quod nihil illis inſit certi. Permutantur lætis triſtia, & ſi quid gaudii contigit, mox illud exterit dolor aliquis & caſus, qui pro jucunditate, qua delectati ante fuimus, meram amaritudinem nobis propinat. Pulcherrimo nobis emblemate hanc rerum noſtrarum conditionem exprimunt pictores, quando in tabulis ob oculos ponunt alveare, ex cujus parte inferiore puriſſimus mellis liquor ſudat, ex ſuperiori autem parte, triſtiſſima cupreſſi arbor inſurgit. Quid aliud volunt, quam inter gaudiorum noſtrorum exundantiam miſceri dolores, quin & properare letum, quod ex media vitæ nos voluptate avocet, triſtemque cupreſſum, mortalitatis noſtræ apud Romanos, ſymbolum & ſignum defigat. Nunquam non harum vicium documenta capere licet, & facit in præſenti fidem VIR NOBILISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS, AMPLISSIMUS ATQUE EXPERIENTISSIMUS PER HOC SEMESTRE ACADEMIÆ NOSTRÆ RECTOR MAGNIFICUS, DOMINUS DANIEL BECKERUS, MEDICINÆ DOCTOR, EJUSDEM PROFESSOR PUBLICUS, S. ELECT. BRANDB. ARCHIATER ATQUE CONSILIARIUS, COLLEGA NOSTER DESIDERATISSIMUS, qui ex viduitatis luctu reſpirans, dum vix novam ſibi thalami Sociam conjunxit, nuptiali feſtivitate inter ſolenniſſima gaudia concelebrata, ſubito & inopinato vitam cum morte commutavit. Adeo verum illud Lucani:

- - medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid quod in ipſis floribus angat.

Indicat Poëta voluptatis noſtræ defluxum nunquam eſſe ſincerum, ſed vel ex ipſis mellifluis humanæ jucunditatis fontibus ſubinde, & amaritudinem ſcaturire. Idem nobis evenire quod illis qui in amœniſſimis viretis obambulantes nunc herbas legunt, nunc lilia, nunc roſas, alioſque pulcherrimos flores carpunt, ex improviſo autem lethali ſerpentis ictu ſauciantur. Prorſus idem nobis accidit, qui dum medias inter amœnitates nos vivere arbitramur prope mors eſt, inevitabili telo nos tranſverberans atque elidens. Commode nobis hæc meditantibus ſuccurrunt arbores de quibus Cauſinus ex Pauſania & Theophraſto; in Arabia ſunt balſami Arbores, ea, qua myrti ſtirpes magnitudine: Folia illis qualia herbæ amaraco: ad eas cubilia figunt viperæ, ut quas non modo Balſami liquor, ſed ipſa fruticis umbra delectat. Ubi legendi liquoris tempus fuerit, Arabes lignearum regularem complofione beſtias fugant, occidere enim nefas putant: & ſi quem forte momorderint lethalis non eſt plaga: Præſtantiſſimi enim laticis odore veneni acerbitas miteſcit: Arbores illæ vitam noſtram repræſentant, ſuaviſſimi balſami liquor voluptates notat quibus ſubinde perfundimur, ut tamen ſemper aliquid acerbitatum admiſceatur, atque cum magnopere nos delectare atque reficere ſtudemus, mors prorumpit teterrima, quæ lethale exhalans venenum, omni nos jucunditate privat atque deſtituit. Ita nunquam gaudia mundi certa ſunt, ſed cruciatibus & ærumnis oppleta. Quod ſi unquam graphice Seneca atque ſuis coloribus depinxit: Quid quod gaugia quoque eorum trepida ſunt? Non enim ſolidis cauſis innituntur, ſed eadem qua oriuntur vanitate turbantur. Qualia autem putes tempora eſſe, etiam ipſorum confeſſione miſera; cum hæc quoque quibus ſe attollunt, & ſupra hominem efferunt, parum ſincera ſint? Maxima quoque bona ſollicita ſunt: Nec ulli fortunæ minus bene quam optimæ creditur. Atque quidem quo ſecuriores ſumus noſtris gaudiis, quo majores capimus animos in proſperiori rerum noſtrarum ſucceſſu, eo propinquior dolor eſt, ſubinde & mors obrepere ſolet. Cum longe à nobis abeſſe inevitabilem hoſtem nobis perſuademus, eo propior nobis nihil tale ſpirantibus incumbit. Tunc ſane dum in proſperæ fortunæ ſtatu ultimæ horæ obliviſcimur, imminent extrema momenta, quibus gaudiis noſtris atque fortunatis ſtationibus cedere jubemur. Bene Cicero: quæ hora quietis & tranquillitatis pleniſſima eſſe videbatur, in ea maximè moleſtiarum & turbinum tempeſtates exſtiterunt. Itaque pulcherrimum monitum eſt, quod auribus noſtris inſuſurrat Tragicus:

Nemo confidat nimium ſecundis.

Nam

Nam fortunæ ex ſententia Minutii malè fiditur. Eſt cur exclamemus:

O funeſtus multis populis
Diruſque favor, qui cum flatu
Vela ſecundo ratis implevit,
Vexitque procul, languidus idem
Deſerit alto, ſævoque mari.

Atque videmus fortunam ſæpe nos in alta evehere Faſtigia, perfundere deliciis, ut molli & jucunda illa via in perniciem nos abducat. Veluti enim victimæ ſaginantur ad ſupplicium, & hoſtiæ coronantur ad pœnam: ita inſignit nos fortuna honoribus tractatque delicatius ut affligere poſſit gravius. Mirabile feſtum celebratur apud Perſas, Saccarum appellitant, quo unum ex captivis eligunt jam capitis damnatum, quem regali Solio effulciunt, purpura induunt, Sceptro adornant, cui ſuaviſſimos meracioris liquoris hauſtus propinant, cujus menſam regalibus eduliis gravant, quem ſaliatem in modum epulari atque omnia pro libidine agere permittunt: Sed ludo finito tot opibus ille beatus verberibus contunditur, atque miſerrime agitur in furcam. Talis in vita humana luſus eſt, talia feſta inter homines quotidiana, quos videmus nunc deliciari, ſed medias inter jucunditates affligi ſæpius & ſtrangulari. Atque quidem *Beatiſſimus* noſter annon in ſplendidiſſimo honorum apparatu quando *Magnificus Academiæ Noſtræ Rector* regali purpura atque Sceptris incedebat, quando inter novos thalamos, in proſpero rerum ſucceſſu, inter epulas nuptiales deliciabatur, ex inſperato tamen Fatorum violentiæ ceſſit, abunde hæc omnia quæ deduximus confirmavit. Lachrymabilis ſane caſus eſt, atque pro ſcævo omine habendus noſtræ Academiæ, quæ inter alias plurimas difficultates, nunc & capite ſuo orbata eſt. Illachrymandum ſorti mœſtiſſimæ viduæ, cui breviſſimum illud gaudium, breviſſimus ille cum ſuaviſſimo conjuge convictus longa dolorum ſeries eſt atque materia, maximè verò condolendum clariſſimis liberis, quos ſeptem, omnes adhuc fideli educatione egentes reliquit. Sed quid imus in lachrymas & planctus, quid dolemus? quod dolendo mutare non poſſumus. Hæc humana conditio eſt, hæc poſita lex eſt vitæ noſtræ, ut nullo non tempore eam nobis caſus aliquis eripere poſſit. Quem quia declinare atque mutare haud poſſumus; acquieſcendum præſentibus eſt, & æquo ferenda animo ſors, quam Deus pro tempore nobis imponit. Cepit autem has auras libare anno 1627. d. 5. Januarii, progenitore VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO DN. DANIELE BECKHERO MED. D. EJUSDEMQUE P. P. NEC NON SERENISSIMI ELECTORIS BRANDB. ARCHIATRO, ATQUE CIVITATIS KNEIPHOFIANÆ PHYSICO CELEBERRIMO, genetrice NOBILISSIMA ATQUE SUI SEXUS VIRTUTIBUS ORNATISSIMA MATRONA MARIA, NOBILISSIMI ATQUE CONSULTISSIMI DOMINI JOHANNIS *Lenzen*, MERITISSIMI OLIM WITTENBERGENSIUM CONSULIS FILIA: Qui Parentes amantiſſimi id ſolicite accurarunt, ut Salvatoris Sacris initiatus in pietatis, artium atque linguarum exercitiis adoleſceret. Quare prudentiſſimos in educatione ipſi Magiſtros ſubmiſerunt, ſub quorum ductu atque inſtitutione ita feliciter profecit, ut mature magnæ virtutis atque ſcientiæ ſpem faceret. Etenim dum Thorunii undecennis ſubſiſtit, intra biennium non linguam tantum Polonicam comprehendit, ſed & ſolida humanioris literaturæ fundamenta jecit. Itaque domum reverſus CLARISSIMI MAGISTRI SCHEIDII, NUNC APUD ARGENTORATENSES PROFESSORIS FAMIGERATISSIMI informatione tantum ſuperſtruxit, ut inter Jubilæi Academici Solennia ipſe ſeptendecim annorum Adoleſcens inter magnorum virorum applauſus publicè peroraret, accedentibus deinde variis diſputationibus, in quarum conflictu quantum valeret ingenio, memoria atque judicio, jam tum abundè demonſtravit. Nam & domeſtico Parentis exemplo excitabatur, diverſorumque CLARISSIMORUM MAGISTRORUM quotidiana inſtitutione non poterat non perfici atque grandia capere ſtudiorum incrementa. Qui in Sole ambulant, luce illius colorantur: Ita qui aſſiduè hærent ab ore doctiſſimorum hominum, luminibus ſcientiarum colluſtrantur. Sed jam Tempus imminebat, quo exteras Academias in grandius ſtudiorum ſuorum emolumentum viſitaret, atque ſtuderet augendæ doctrinæ, quam in noſtra Academia jam copioſe imbiberat. Quare divini Numinis ductu anno 1646. d. 24. Junii navim ſolvit, atque *Lubecam*, *Hamburgum*, aliaſque famoſas inter hos diſtrictus civitates prætervectus, *Wittebergenſem Academiam* ingreditur, annumque ibidem integrum commoratus dies noctesque libris ſuis non tantum impalluit, ſed & circumjacentes Reſpubl. & oculo animoque perluſtravit. Hinc excurrit in ſuperioris Germaniæ Academias *Lipſienſem*, *Jenenſem*, *Altorffinam*, *Ingolſtadienſem*, *Tubingenſem* perſpicit, plurimas *Principum Aulas*, atque urbes videt, *Hortos* cum primis *Medicos* atque *Cameras Anatomicas*, aliaque quam plurima profeſſioni ſuæ olim profutura contemplatur, ubique accurata opera enotans, quæ memoratu digniora videbantur. Sed *Argentorati* pedem figit, & ſi unquam alias hic præcipuè ſumma diligentia ſuæ Profeſſioni incubuit, tantoſque fecit progreſſus, ut jam in famam iret Clariſſimorum Profeſſorum, atque dignus haberetur, cui ſupremi in Medicina honores deſtinarentur. Interea flagrabat mirifico deſiderio luſtrandi univerſam *Galliam* atque *Italiam*, cujus gratia iter molitur atque provolat. Veluti enim cœlum ſtare neſcit, ſed jugi agitatione ſe vegetat; Ita mentes æthereæ quieſcere non poſſunt, uſque, quicquid orbis habet, indagaverint. Verus autem PEREGRINATOR BEATISSIMUS NOSTER ERAT, qui quicquid vidit virtutis exteræ gentis, ſibi proprium reddidit, quicquid vitii tranſmiſit atque deteſtatus eſt: Longe alius ab illis qui nulla habita virtutum ratione obviis ſe exterorum criminibus collutulant. Noſter ubi alii araneas imitati venenum ſugunt, ille volitantium apum imitator mel meraciſſimum libavit. Aut veluti amnes aquarum ſuarum dulcedinem inter Salſugines ſervant & transferunt; Ita ille ubique virtutis obſervantiſſimus, per exterorum vitia intaminatus abivit. Neque quod aliis Solenne Regiones ea potiſſimum parte inſpexit, qua ſe inſpectioni ſubducunt; Non ruta & cæſa ſuperſtitioſo horrore perveſtigavit: Non ſectatus eſt ſepultas provincias ut negligeret præſentes: Non miratus eſt rudera ſubverſarum urbium proſtantium artibus, ſed tempora ſua rebus, ſtudia vitæ, labores moribus impendit. Penetrabat ſe animo in Rerumpubl. animas, varios excutiebat adminiſtrationis modos, formas, ordines, mores Gentium, leges, ſtatuta, fundamenta. Teſtis horum omnium

omnium libellus, quo manu ſua peregrinationis ſuæ curſum perſcripſit, qui ambiguum facit an Profeſſionis Medicæ an Politicæ majorem ubique rationem obſervaverit. His legibus ivit per *Baſileam* in *Galliam* atque in celeberrima Academia *Montis Peſſulani* ſtudium cumprimis Botanicum excolens herbarum atque fruticum vires ſtudioſiſſimè trutinavit. Hinc recepit ſe in *Marſiliam*, vidit *Savonam* illuſtrem, *Adarmum Academiam*; Quin & *Bononiam*, *Magnificam Italiæ Scholam* ſalutavit.

Subſtitit *Venetiis*, viſiſque notatu digniſſimis, *Patavinam* Academiam fœcundum Medicorum Seminarium ſalutavit, ubi ad annum 1650, commoratus, facile humaniſſima ſua fronte, moribus politis atque concinnis ſe in familiaritatem profitentium non tantum, ſed & magnorum Principum, Baronum atque Comitum conſuetudines intromiſit. Hinc poſtquam viderat *Romam*, atque *Paradiſum Neapolitanum*, viſiſque omnibus Antiquitatum ibi exſtantium monumentis regreſſus eſt ARGENTORATUM, atque meritos dudum ſupremos in medicina honores Anno 1652.d.22.Septembr. inter virtutis atque artis ſuæ decantata præconia feliciter eſt conſecutus. Dives ita honoribus atque doctrina, ut recrearet ſuos, per Bataviam in patrias ſuas ſedes revenit, nec diu poſt nobiliſſimam atque ſuo ſexui virtute PRÆLUSTREM VIRGINEM REGINAM, NOBILISSIMI DOMINI CHRISTOPHORI SCHIMMELFENGII, HÆREDITARII IN *Gunicken* FILIAM amantiſſimam Anno 1655. ſibi junxit. Tranquilliſſimum atque fœcundiſſimum fuit hoc illius conjugium quando ex amantiſſima uxore duodecim liberos, ex quibus ſeptem adhuc ſuperſunt, quos omnes potentiſſimo orphanorum Patrono commendamus, ſuſcepit. Sed nec defecit eum fortuna in promotione, quando Sereniſſimi propitia voluntate Anno 1653. Profeſſor Ordinarius atque dehinc An. 1663. Conſiliarius atque Archiater conſtituitur, quibus Provinciis ſumma fide atque dexteritate non ſolum eſt defunctus, ſed & defluente illo tempore SEPTIES FACULTATIS MEDICÆ DECANUS, bis autem MAGNIFICUS ACADEMIÆ RECTOR, in quo ſplendido atque pompatico honore & vitam finiit, eſt ſalutatus. Interea ſuo quotidie Numini vacabat, aſſiduus aderat Eccleſiæ, attendebat myſtis, intermiſcebat hymnos, ex abundantia ſua in pauperes diſtribuebat largiter, cum omnibus humaniter atque candide convivebat. Imminentem cumprimis mortem quotidie ſibi ob oculos ponebat, unde in frontiſpicio libelli ſui adſcripſerat; Labora quaſi ſemper victurus, vive quaſi cras moriturus. Regula auro atque cedro digna! Quam utinam omnes quotidie legerent atque meditarentur. Profuit ipſi hæc quotidiana mortis meditatio, ut mors inſperata non imparatum pectus invenerit. Etenim vix ſecunda dederat vota Nobiliſſimæ atque in exemplum PRÆLUSTRI VIRGINI SOPHIÆ, VIRI NOBILISSIMI ATQUE CONSULTISSIMI DOMINI CYRIACI HEILSBERGERI SENATORIS IN PALÆOPOLI GRAVISSIMI FILIÆ, cum ſine ullis mortis adrepentis indiciis, morti tamen, cum illud minime ſperabatur, ſuccubuit. Sed præparatum fuiſſe illius pectus ad ultimum illum ſuſtinendum ictum certum eſt, quando & quotidie de vitæ ſuæ exitu cogitavit, & noviſſima veſpera inter devotiſſimas preces & hymnos quos quotidie cum familia ſua intonabat, animam ſuam Divino Numini commendavit. Ac cum ad horam I. poſtea ſolenne funebre inſtituendum ſit, vos adhortamur ſerio, ut MAGNIFICI VESTRI RECTORIS EXEQUIAS decenti comitatu frequentes velitis proſequi & celebrare. P. P. ad diem 7. Februarii anno recuperatæ gratiæ 1670.

In Effigiem Excellentiſſimi Medici, Danielis Beckeri.

BECKHERUM ecce tibi, Lector, quem clara diſertum
Produxit Gedanum Pruſſidos Hippocratem.

BECKETTUS

De eo extat

Diſquiſitio de antiquitate Luis Venereæ; *Tranſ. Philoſ. Tom.* 2. *p.* 2.

BEDDEVOLE (*Dominicus*) Medicus Genevenſis.

De eô habentur

Diſputatio Inauguralis Medica de Epilepſiâ, habita die 7. Decemb. Ann. 1681. Baſileæ in 4.

Eſſais d'Anatomie &c.
id eſt
Tentamina Anatomica, in quibus clarè explicatur conſtructio organorum eorumque operatio mechanica ſecundùm noſtras hypotheſes. Lugduni Bat. ap. Vander Aa 1686. in 12. *vide in hôc Tomô pag.* 165. *col.* 2.

BELLINUS (*Laurentius*) &c.

Opera ejus in duo volumina collecta prodierunt Venetiis, apud *Mich. Hertz*, 1708. in 4. de quâ editione vid. *Diar. Italic. Tom.* 2. *p.* 1.

De eô præterea extat ibidem p. 41.

Lettera ſcritta al Sig. Antonio Valliſnieri, *nella quale mette in chiaro le vie dell'aria, che ſi trovano in ogni Vovo, notate ne' ſuoi Opuſcoli nella digreſſione che fa* de Ovo, Ovi aëre, & Reſpiratione in genere, *dopo la Propoſitione ottava.*

Tractatus ejuſdem duos, unum ſcilicet *de ſtructurâ & uſu renum*, alterum *de Guſtûs organo* edidit Lugd.Batav.Joh.Arn.Langerack, anno 1711.in 4. Additis in fine aliquot monſtruoſorum renum exemplis, ex Medicorum inſigniorum ſcriptis ab Ill. Dn. *Gerhard. Blaſio*, Medicinæ in Univerſitate Lugd. Batavâ Profeſſore, collectis. *Diar. Italic. Tom.* 8. *p.* 427.

BERGERUS (*Joh. Gottofr.*)

De eô adhuc extant

Excerptum ex Epiſtolâ Wittenberga miſſâ ad amicum, de Arteriæ Aortæ diviſione in ramos Carotides & Subclavios: *vid. Acta Lipſienſ.* 1698. *p.* 295.

Diſſertatio de Vitâ & Morte.

BERGERUS (*Claudius*)

De eô extant

Remarques ſur quelques hydrophobes, ſaignées au front; vid. Hiſt. Acad. Reg. Scient. an. 1699. p. 55.

Sur une Paralyſie du Colon & de la Veſſie; ibid. 1704. p. 42.

Son Eloge. ibid. 1712. p. 205.

BERINGER.

De eô extat

Diſſertatio de Peſte. Norimbergæ, apud Rudigerum, 1714. 4.

BER-

BERNOUILLIUS (*Joh.*) Baſileenſis

De eô adhuc extat

Diſſertatio de efferveſcentia & fermentatione, novâ hypotheſi fundata, ſub Præſidio D. Nic. Eclingeri. Baſileæ, 1690. in 4.

Eadem, cum deſcriptione perpetui mobilis purè artificioſi; Ibidem, *vide Acta Erud. Lipſ.* 1691. *pag.* 64.

BERNOUILLIUS (*Daniel*) Johannis filius, Medicinæ Doctor.

De eo extant

Poſitiones Miſcellaneæ Medico-Anatomico-Botanicæ. Baſileæ, 1721. in 4.

Diſſertatio Inauguralis Phyſico-Medica de Reſpiratione. Ibidem, annô & formâ eâdem.

BESSE

De eô extat

Recherche Analytique de la ſtructure des parties du corps humain, ou l'on explique leur reſſort, leur jeu, & leur uſage, 3. voll. in 8.

i. e.

Perquiſitio Analytica Structuræ partium Corporis humani, ubi earum vis elaſtica, ac uſus explicantur &c.

BEUTHERUS (*David*)

De eô extant

Univerſalia & particularia de Tranſmutatione metallorum ignobilium in nobiliorem auri & argenti naturam, curâ Joh. Chriſt. Sprögel M.D. & Acad. Nat. Cur. Collegæ. Hamburgi 1718. *vide in hac Biblioth. pag.* 17. *col.* 2.

BEZE

De eô extat in Hiſt. Acad. Reg. Scient. an. 1692. *pag.* 433.

Deſcription de quelques arbres & de quelques plantes de Malaque, ſavoir le Durion, le Mangouſtan, le Tanpoc, Badouco, Champada, Anona, Ilacam ou Pomme d'Inde, Grammelouc, Safran ou arbre Triſte de Dia, de Malaque.

BIANCHUS (*Johannes Baptiſta*)

Ejus vitæ adde quæ huc mandari voluit Vir Celeberrimus.

Neque tamen unum hoc opus eſt quod noſter Auctor, ſi otia ſuppetant, expletum aliquandò ac perpolitum evulgabit, ſed alia plurima, propè jam ad umbilicum perducta; *Diſſertationes Anatomicas*; de *Pulſuum intermittentium cauſſis* cum fig. de *Miliari eruptione*; de *Humanis vermibus* cum fig. de *Fœtû Taurinenſi molli & ſuccoſo, XV. annos in ventre matris geſtatô*; de *Mammis & genitalibus muliebribus* cum fig. de *genuinâ duræ matris fabricâ* cum fig. de *inſertione Ilei in Colon* cum novis fig. de *muſculis urinariæ veſicæ* cum novis fig. *Problemata Theoretico-Practica: Caſtigationes explicationum ad Tabulas Euſtachii* &c.

BIDLOO (*Gothofr.*)

De eô adhuc extant

Opera Omnia Anatomico-Chirurgica, cum figuris, 1715. in 4.

BIDLOO (*Lamb.*)

Ex eo habetur in Actis Erud. Lipſienſ. Annô 1683. *p.* 517.

De re herbariâ diſſertatio. Extat cum Jac. *Mangeti Biblioth. Script. Med.* Tom. I. *Append.* Commelini Catalogo Plantarum Indigenarum Hollandiæ. Amſtelod. 1683. in 12. Lugd. Batav. apud Langerack. 1709.

BIDLOO (*Nicol.*) Czareæ Majeſtatis Archiater.

De eô extat in Actis Lipſ. An. 1706. *p.* 39.

Deſcriptio Monſtri humani Corporis Bicipitis, è literis excerpta, quas Nicol. Bidloo, menſe Septem. ann. 1705. ad Excellentiſſimum Huyſſenium &c. &c. dedit Moſcoa.

BILLEREZ

Scripſit de diſſolutione calculorum humanorum in aquâ communi: vide *Hiſt. de l'Acad. Royale des ſciences ann.* 1720. *p.* 30. & 568.

BISOGNO (*Gennaro del*) Neapolitanus, Medicus, Philoſophus, Mathematicus ac Aſtrologus inſignis, fuit Medicinæ Theoricæ Lector in publicis Neapolitanis Studiis, ac ultimò à Patavinis vocatus ad hanc ſedem; verùm patriæ ac amicis inſervire maluit; parabat Opus cui titulus

Doctrinæ morborum particularium cenſura ſceptica. *Toppi Bibl. Neapolet. p.* 105. & 392.

BIUMI (*Paulus Hieronymus*) Phyſicus Collegiatus, Comes & Eques Pontificius & Ceſareus, Conſervator ſenior Magiſtratûs generalis Saluti providentis in ſtatu Mediolanenſi, nec non Medicus Ordin. Anatomiæque in Noſocomio majori Mediolanenſi Lector Celeb.

De eô extat in Diario Ital. Tom. XI. p. 404.

Scrutinium Theoretico-Practicum Anatomiæ Chirurgiæque antiquo-modernæ: *Italicè*: Mediolani, apud Marc. Ant. Pand. Malateſtam, 1712. in 8.

Ibidem in Tom. XIII. p. 480.

Natura contagii bovini: *Italicè*: Ibidem, ann. 1712. in 12.

BLACKMORE (*Richardus*) M. D. & Collegii Medici Londinenſis Collega.

De eô præter ſuô locô memorata extant in Actis Lipſienſibus Ann. 1728. *p.* 278.

Diſſertations on a Dropſy, a Tympany, the Jaundice, the Stone, and a Diabetes.

id eſt

Diſſertationes de Hydrope, Tympanitide, Ictero, Calculo, & Diabete. Londini, apud Jacobum & Johannem Knapton, 1727. *in* 8.

PRæmiſſa prolixa de ortu & Sectis Medicinæ præfatione, quinque morbos clariſſimus Autor explanaturus, id agit, ut uniuſcujuſque definitionem ſuppeditet, ſymptomata recenſeat & explicet, ſpecies nominet, cauſas alleget, prognoſin addat, methodum medendi deſcribat, ſimulque obſervationes & cautelas adjiciat; De ſingulis pauca commemorabimus. *Hydropis* quem in ſeroſorum humorum vel in poris partium hærentium, vel in cavitate quadam collectorum redundantia conſiſtere dicit, cauſas generales vel in ſanguinis conſtitutione ſeroſa, cum relaxatione & flacciditate fibrarum in vaſis ſanguineis combinata, vel in diſruptione lymphaticorum, vel in diſtenſione & obſtructione nimia glandularum quærit, quarum illa ad anaſarcam potiſſimum & hydrocephalum, iſta ad aſcitem, hydropem pectoris &c. hæc ad hydropem ovarii anſam præbeat. Hinc indica-

tiones ſequentes format: 1.) ſuperflui humores ſunt evacuandi, 2.) orificia relaxata glandularum & vaſa lymphatica rupta, ſunt conſtringenda & conſolidanda. Quæ ſuperfluos humores in maſſa ſanguinea fluctuantes evacuant, ſunt purgantia & diuretica. Negat equidem, ulli remedio virtutem evacuandi, aut activam & expulſivam aliquam efficaciam competere, cum omnis energia in naturam cadat, quæ ſicut ſponte ſua heterogeneas particulas in diarrhoea ex ſanguine motu critico eliminare ſolet, ita mediantibus activis cruoris particulis & ſpiritibus animalibus noxias purgantis medicamenti molleculas una cum ſuperflua lympha per loca convenientia, id eſt, per glandulas inteſtinorum ejicere ſatagit. Qua ratione vero eadem purgantia aquas in abdominis cavitate congregatas educere poſſint, ita demonſtrat: Supponit, poros & oſcula glandularum in aſcite nimis ampliari & aperiri, membranoſas vero & muſculoſas corporis partes ultra naturalem dimenſionem extenſas ab aquis extravaſatis majorem acquirere vim elaſticam & renitentiam, haſque ab activarum ſanguinis particularum & ſpirituum animalium actione à purgantis particulis incitatorum roboratas repellere aquas ad patula glandularum orificia & maſſam ſanguineam, ex qua ope circulationis per glandulas inteſtinorum ejiciuntur. Quemadmodum autem lenia purgantia pro hoc ſcopo parum præſtant, ita ex draſticis elaterium potiſſimum commendat. Quodſi vero nec draſticotera deſideratum exhibeant effectum, diutius eis inſiſtere prohibet, quoniam tum particularum ſanguinis vis eſt fracta, vel compages ſeroſarum particularum multo tenacior exiſtit, quam ut in glandulis commode ſecerni valeant; hinc ad diuretica potius & roborantia refugium capiendum eſſe monet. Interim præcaveri poſſe, ne nova colluvies viſcera contaminet, dicit, ſi mixtura ſanguinis conſervetur, atque pori & ductus glandularum roborentur; id quod à chalybeatis cum adſtringentibus miſcendis expectandum. Paracentheſi ubi opus eſt, non errare eos exiſtimat, qui ſimul & ſemel omnes aquas ex abdomine evacuant. In *Tympanitide* flatus non pro cauſa ſed pro effectu morbi habet, utpote qui tam duram expanſionem præſtare nullo modo, facilius autem per paracentheſin expelli poſſunt, cum tamen hic tumor multum negotii faceſſat Medicis. Exiſtimat potius, intumeſcentiam abdominis à præternaturali diſtenſione fibrarum muſculoſarum & membranoſarum partium oriri, anſamque concedere flatibus & aqueis particulis in vapores reſolutis in ſpatium illud quaſi vacuum irruendi. Supponit enim, ſpiritus animales in hoc morbo, haud ſecus ac in hyſtericis & hypochondriacis affectibus, à temperamento inordinato & conſtitutione quadam præternaturali incitatos irruere magno cum impetu in muſculos & membranas, harumque fibras uſque adeo extendere, ut in hoc ſtatu ſpaſmodico ſeu tetanico amiſſa vi elaſtica reſilire neſciant. Hinc quoniam conſtat, cauſas morborum à depravata ſyſtematis nervoſi & ſpirituum animalium conſtitutione ortas difficillime removeri, non mirum putat, tympanitidem adeo facile curari haud poſſe. Omnia enim remedia calida, aromatica, carminativa, plus nocere quam juvare. Operam potius dandam eſſe ſuadet, ut motus irregulares compeſcantur, & ſpirituum animalium activitas refrænetur; pro quo ſcopo leniora tum purgantia tum martialia laudat. *Icteri* cauſam quærit vel in obſtructione tubulorum & acinorum hepatis, vel in bilis quantitate aucta aut qualitate depravata; inter cauſas antecedentes accuſat terrorem ſubitaneum vel alios affectus enormiores, paralyticam fibrarum flacciditatem, metaſtaſin materiæ morbificæ, cruditates primarum viarum, ſcirrhum hepatis, calculos folliculi fellis, menſium ſuppreſſionem, febres intermittentes; colicam, & morſus animalium venenatorum. Præter ea, quæ ſpeciales cauſas corrigunt, ventriculi virtutem digeſtoriam confortandam, ſanguinem roborandum, & bilis particulas depravatas & præcipitatas evacuandas eſſe præcipit, hinc emetica, purgantia leniora, martialia & marina utramque facere paginam perhibet. *Calculi* cauſam remotam & antecedentem ponit in facultate digeſtiva ventriculi, ſanguinis & ſpirituum deſtructa, ob quam impuritates & feculentæ portiones relictæ coagulationes & concretiones producunt, quæ in arctiori combinatione copioſioris ſalis volatilis, & paucioris acidi conſiſtunt. Quoad *Therapiam* curatoriam ſabulum evacuandum, & præcavendum eſt, ne novum generetur; prius peragitur per purgantia, & aquas minerales, quibus interponenda ſunt diuretica; poſterius per talia, quæ ſeparant viſcidas ſabuloſas à reliquis particulis ſanguinis, qualia ſunt chalybeata. Therapia præſervatoria lenioribus purgantibus, ut ſenna, rhabarbaro, elixir ſalutis, &c. ſemel per menſem aſſumtis, vel aquis mineralibus purgantibus, diureticis & alterantibus abſolvitur. Inter diuretica prævalent millepedes; alterantia ſunt, quæ acidas & acres humorum particulas temperant, ut corallia, chelæ & lapides cancrorum, teſtæ oſtrearum, &c. nec negligenda bona diæta ratione motus, aëris temperati, & victus. Lithontripticorum efficacia nulla eſt. Si calculus veſicæ ad tantam accreverit magnitudinem, ut per urethram ejici haud valeat, ad lithotomiam deveniendum, quæ optime per inciſionem in regione pubis peragitur. *Diabetes* cauſa immediata eſt relaxatio ſeu ampliatio præternaturalis tubulorum & glandularum renalium, ob quam major copia ſeri ex maſſa ſanguinea ſecernitur: aut colliquatio & fuſio ſanguinis; aquoſæ enim portiones in cellulis & poris partium ſtagnantes acidam & acrem contrahunt qualitatem, ſerum præcipitantem; inter cauſas antecedentes immoderata ingurgitatio potulentorum ſpirituoſorum, & ſyſtema nervoſum per ſubitaneos animi affectus alteratum accuſatur. Remedio ſunt, quæ connexionem particularum ſanguinearum firmam conſervant, & tonum fibrarum renalium confortant. Utrumque præſtant, quæ incraſſant ſanguinem & craſin ejus firmant, ut glutinoſa & mucilaginoſa, gummi Arabicum, tragacanta, olibanum, & maſtiche, item quæ acidum & auſterum invertunt, ut corallia, margaritæ, cinamomum; quæ fixis vel volatilibus & alcalicis ſalibus ſunt referta, ut & opiata. Nec contemnenda ſunt in principio vomitoria, quia revellunt & ſiſtunt exorbitans profluvium urinæ; item purgantia, ut rhabarbarum; omnium vero optime aquæ minerales tam calcariæ quam martiales conducunt.

BLAIR (*Patrick*) M. D. & Societ. Regiæ Membrum.

De eô extant in Actis Lipſ. Suppl. Tom. VIII. pag. 45.

Botanick Eſſays &c.

i. e.

Tentamina Botanica. Londini, apud Wilhelmum &c.

& Joannem Innys, 1720. *in* 8.

REgiæ Societati Anglicæ ſpecimen eruditionis atque induſtriæ exhibiturus Clariſſimus *Blair*, de differenti plantarum ſexu publice diſſeruit, & cum diſcurſus hi non ſine applauſu fuerint excepti, calcar ſibi currenti addi facile paſſus eſt monentibuſque obtemperans, hoc elucidare uberius argumentum in ſe ſuſcepit, unde præſens prognatus eſt tractatus. Idque munus impoſitum eo alacrius aggrediendum ipſi viſum eſt, quo majores fecit ſtudium Botanicum in Britannia paucis abhinc annis progreſſus, poſtquam ſcilicet D. *Grew* primus utrumque in plantis ſexum detexit, & *Moriſon* ſi non fundator, certè reſtaurator methodi eaſdem ſecundum cognationes & affinitates diſtribuendi extitit, prout in Præfatione teſtatur. Conſiderat igitur hoc in Tractatu Autor doctiſſimus tam ea, quæ plantis ſeorſim competunt, quam quæ eis cum animalibus communia ſunt, qua opera ſua non ſolum tyrones inſtruere, verum etiam illos, qui exactam Rei Botanicæ notitiam acquiſivere, ſalutaria ſe edocere poſſe, confiſus eſt. Quinque enim hic leguntur tentamina, quorum I. Florum, II. Fructuum naturam explicat, utpote quorum conſideratio non minus fundamentum conſtituit methodi in certas claſſes diſtribuendi plantas, quam, ſexus explicationem illuſtrat, quin & modum demonſtrat, quo ſemina imprægnantur. Cognoſcitur hic, quæ ſit differentia inter piſtillum & ſtylum, inter calicem & periantheum, ac inter ſiliquam & capſulam ſeminalem. In tentamine III. de methodis ipſis agitur. Poſtquam enim intra ſeculi ſpatium tam diverſæ præſcriptæ methodi, plantæ tam varie diſpoſitæ, earumque Autores & Inventores ſibi invicem non ſolum contrarii, ſed etiam maximè infenſi fuerunt, tantum abfuit ut hi Auditores melius inſtruxerint, ut potius ad ſuos errores ſequendum invitaverint; unde ſcientia hæc, per ſe innocens, mutuis altercationibus expoſita, ad interitum magis ruere quam ad altius faſtigium emergere viſa fuit. Cui malo oppoſiturus ſe noſter, in originem & progreſſum methodorum inquirit, fundamentum earum exponit, omnes atque ſingulas, quæ à *Moriſonio* ad noſtra uſque tempora fuerunt ſtabilitæ, breviter examinat, diverſaſque plantarum diſtributiones ita explicat, ut demonſtret, quam regulariter vel irregulariter quodvis genus vel particularis ſpecies reſpectu ſuarum notarum characteriſticarum vel diſtinctivarum fuerit diſpoſita. Exiſtimat vero Clariſſimus Autor, illas plantæ partes quæ ſunt eſſentiales, nec variis mutationibus ſubjectæ, characterem conſtituere debere, cum ubivis ſint obviæ, ac præſervationi pariter ac ſpeciei conſervationi inſerviant, quales ſunt flores, qui ut plurimum adſunt, fructus, qui præſervationi, & ſemina, quæ ſpeciei conſervationi præſunt. Cum *Tournefortio* itaque ſtatuit, duas treſve partes, ſi conveniant, genus conſtituere, florem vero atque fructum, aut alterutrum, ſi cum una aut duabus aliis plantæ partibus conjungatur, characterem formare. In tentamine IV. tractatur de generatione plantarum, ubi docetur, æque neceſſariam eſſe ſexus diſparitatem in plantis ac in animalibus, & cum ſemina in ſe ipſa agere non poſſint, accipere hæc aliunde & ab extra quaſdam ſubtiles particulas, à quibus ſubſtantia eorum craſſior actuetur, locoque & tempore opportuno diſponatur, ut ſe explicare & vegetari queat. Facta hinc comparatione ſingularum partium in flore cum partibus generationi in animalibus dicatis, demum concluditur: farinam in ſe continere materiam ſeminalem virilem, ſiquidem, etiamſi quandoque omnes reliquæ, ex quibus flos componitur, partes deficiant; apices tamen nunquam deſiderantur, verum ſemper farina repleti conſpiciuntur, antequam petala expandantur, paratique ſint his ſuum pulverem communicandi; nec ſemina prius turgeſcant, vel augmententur, donec pulvis fuerit immiſſus. Rejecta autem *Morlandi* opinione, qui exiſtimavit farinam eſſe congeriem plantarum ſeminalium, quarum intret una vaſculum ſeminale, ibidemque in ſemen abeat, illis ſubſcribit, qui farinam ſuper piſtillum, vaſculum ſeminale vel ſemen delapſum imprægnare ſemen putant mediantibus ſubtilibus quibuſdam particulis, quæ intrant in ſemen ipſum, hocque in capſula ſeminali vel utero actuant. Qua occaſione in ſententiam *Leeuwenhœckii* de animalium generatione inquirit, qui vermes ſpermaticos ovulum ingredi ibique nutriri & in fœtum faceſſere putavit. Concludit vero, cum farinæ ſubſtantia in plantæ embryonem tranſire haud queat, nec poſſibile eſſe, ut vermiculi ovum fœmininum ingredi poſſint; & cum nullum animal abſque utrorumque ſexuum concurſu oriatur, nec vermes ſpermaticos niſi à mare & fœmina ſuæ ſpeciei produci; nec adeo determinatum ſervari poſſe numerum fœtuum in quibuſdam animalibus, ſi conceptio contingat ab uno horum vermium in ovulum fortuito ingreſſo; nec tam exilem vermem tantas turbas, tamque magnam alterationem in corpore fœminino patrare poſſe; & denique fœtum temperiei & affectuum matris adeo frequenter non poſſe fieri participem, ſi à patre ſolummodo ipſius ſubſtantia fuerit communicata. Ultimum tentamen concernit nutritionem plantarum, ubi ante omnia doctrina de foliis ſeminalibus ante vegetationem in ſemine exiſtentibus, quæ *Joſephum de Aromatariis* agnoſcunt Inventorem, explicatur, & neglectis phyſicis ac chymicis de attractione, ſuctione, fermentatione, concoctione, digeſtione &c. terminis ſola configuratio particularum & pororum pro fundamento ponitur. Hinc demonſtratur, plantas per extremitates fibrarum radicalium, æque ac animalia per os, nutriri; plantam per continuam particularum nutritivarum ſucceſſionem ita extendi, ut, ſi ad extremitatem uſque hæ appulerint, non omnes exhalent vel difflentur, ſed pleræque earum ad radicem remeent, indeque iterum aſcendentes circulationem conſtituant. Demonſtratur inſimul, carnoſas ac parenchymaticas radices in quibuſdam vegetabilibus, & fructus in aliis, particularem ſuſtinere circulationem, ab altera diverſam, haud ſecus ac in quibuſdam corporis animalis partibus contingere videmus. Comparatur etiam cortex, lignum, & medulla arborum cum cute, oſſibus & medulla animalium, earumque perennis & annuæ ſuperficiei idea ſubminiſtratur, qua conſpicuum fit, reciproce fieri hanc nutritionem, ita ut, quando ſuperficies annua extenditur & creſcit, particulis nutritivis perennis tranſitum concedat abſque ſui augmentatione, nutriatur vero, quamprimum illa fuerit emortua; arboremque, ſi in longitudinem creſcat, in latitudine creſcere ceſſare. Explanatur pariter reciprocus motus ſucci nutritii inter radicem & ſummitatem; ſiquidem eo ipſo, dum vernales & autumnales ſurculi vere & autumno protruduntur, fibræ radicis ſucco recipiendo & ad ſuperiora derivando tan-

tantum inſerviunt; quamprimum illi debitam longitudinem acquiſiverunt, hæ protenduntur & cortex cum ligno augmentum capit, ut tempore ſolſtitii æſtivi & hyemalis. Poris externis & tubulis plantarum contrarius, quam qualis hactenus aſſertus fuit, uſus adſcribitur. Oſtenditur enim tracheas *Malpighii* & vaſcula aërea D. *Grew* effluxui, non influxui particularum inſervire, id eſt, inſenſibilis tranſpiratio in plantis, ut in animalibus ſtatuitur. Tandem probatur, nullam plantam nutriri, niſi mediante terra. Specialia magis adducere ex elegantiſſimo hoc tractatu, brevitatis, cui ſtudemus, gratia merito ſuperſedemus, L. B. ad ipſum opus ablegantes.

BLANCARDUS (*Stephanus*)

De eô adhuc extant

De Karteſiaanſe Academie

id eſt

Academia Carteſiana. Amſtel. 1683. in 8. *vide Acta Erud. Lipſ. anno* 1685. *p.* 145.

Anatomia Practica Rationalis ſive rariorum cadaverum morbis denatorum anatomica inſpectio: accedit idem tractatus de circulatione ſanguinis per tubulos, deque eorum valvulis. Amſterd. 1688. in 12. ibid. 1695. in 8.

De Nederlandiſche herbarius, of te Kneidboeck der voor naamſte knuden &c. met kopere platen, Amſterd. 1698.

Collectanea Medico-Phyſica.

Traitté de la Verole & des maladies Veneriennes.

Pharmacopea ad mentem Neotericorum adornata: exſtat (ſine tamen nomine autoris) cum Bontekoë Fundament. Medic. Amſterd. 1688. in 8. *vide Act. Erud. Lipſ. ann.* 1688. *pag.* 617. *& in hac Bibliothec. tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 316.

BLAZERI (*G. M.*) M. P. T.

De eô extat

Compendium novæ & ſuccinctæ Praxeos Clinicæ, 1715. in 4. *vide in hac Biblioth. pag.* 16. *c.* 1.

BOCCACINI (*Antonius*) Chirurgus *di Comacchio.*

De eo extant

I. *Cinque Diſinganni Chirurgici per la cura dell ferite*: dicati Ill. Nigriſoli *&c.* Venetiis, apud Domin. Louiſam, 1713. in 8.

II. *Cinque Diſinganni Chirurgici per la cura delle Ulcere*: dicati Ill. Joh. Mar. Lanciſio: &c. Ibidem, 1714. in 8.

III. *Cinque Diſinganni per la cura de' i Seni*: dicati Ill. Proſp. Magati &c. Ibidem, anno & forma iiſdem.

Vid. Diarium Italic. *Tom.* 14. *p.* 437. *Tom.* 17. *p.* 453. & *Tom.* 20. *p.* 463.

BOERHAAVE (*Hermannus*)

De eô præter ſuô locô memorata extant in Actis Lipſienſ. ſuppl. Tom. VIII. p. 264.

Inſtitutiones Medicæ, in uſus annuæ exercitationis domeſticos. Lugd. Batavorum apud Johan. van der Linden, 1708. in 12.

Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis morbis, in uſum doctrinæ domeſticæ. Ibidem, 1709. *in* 12.

Libellus de Materiâ Medicâ & Remediorum Formulis, quæ inſerviunt Aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis. Ibidem, apud Iſaacum Severinum, 1719. *in* 8.

Ex quo Clariſſimus *Boerhaave* Medicinam publicè Lugduni Batavorum docere fuit juſſus, viginti vero jam abhinc anni ſunt prætérlapſi, ſpartam hanc ex merito ornaturus omnem movit lapidem, ut Artis ſalutaris principia ſtudioſæ juventuti breviter, ſuccinctè, & perſpicuè explicaret. In aphoriſmos igitur coegit, quæcunque proponenda erant, & ad deſcriptionis tædium evitandum, erroreſque indè illapſuros præcavendum, publici juris eos fecit, numeris diſtinctos, & alios ex aliis illuſtrandos. Hinc prodierunt, *Inſtitutiones Medicæ & Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis morbis.* Quam ſalutaria vero præcepta in ultimô hôc Librô tradantur, vel ex eo patet, quod eundem tertia vice ſuperiore anno imprimi curaverit Bibliopola. Regulas ſcilicet in eô exhibet Autor clariſſimus, quæ cauſas morborum expedire, atque eventus ſecundare poſſunt. Experimenta, huic quidem neceſſaria operæ, à Græcorum induſtria, diligentia Arabum, & paucorum inter Recentiores ſolertia mutuo petiit. Ex Anatome vero & Mechanica, Noſtris cultiore, ratiocinio filum & fundamentum comparavit. Autores non allegavit, cum nimis multi vel nulli citandi fuiſſent. Et ſpecioſos medicamentorum titulos & formulas quod minus addiderit, quanquam ſe excuſet, quia Arti nihil exitiale magis novit, nec ullum remedium ſalutare cognoſcit, quia ſolo tempeſtivo uſu tale fiat, ſententiam tamen ſucceſſu temporis mutare coactus, libellum de *Materiâ Medicâ* edidit. Poſtquam enim formulas medicamentorum intra privatos parietes communicatas Londini ſub titulo: *Praxis Medica Boerhaaviana*, anno 1716. ſed non ſine erroribus bene multis & noxiis divulgatas vidit, ut Auditoribus melius conſuleret, MSTa ſua correxit, amplificavit, & prælo ſubjecit; addita tamen admonitione, ut ne quis iiſdem uteretur, ni morborum hiſtoriam fideliter edoctus atque materiæ medicæ effectus noxios æque ac ſalutares probe ſcrutatus fuerit. Compendiorum horum ſpecimen exhibere ſupervacaneum erit, nullum interim exiſtit dubium, quin Artis Medicæ tyrones haud exiguum ex aſſidua eorum lectione ſint reportaturi fructum.

Ibidem Suppl. Tom. IX. p. 137.

Index alter Plantarum, quæ in Horto Academico Lugduno-Batavo aluntur, Partes II. Lugduni Batavor. apud Petrum Van der Aa, 1720. *in* 4. *cum figuris æneis.*

Quem ſub auſpicia muneris ſui jam tum divulgaverat Horti Lugdunenſis Indicem, altera vice pluribus per decennium acceſſionibus auctum, paulòque accuratius digeſtum, binis voluminibus, (ſerius quamvis allatis, non tamen penitus ſilentio prætermittendis) exhibuit Celeberrimus *Boerhaave.* Qui cum intelligeret, multis, qui herbarum cultura delectantur, non ingratam eſſe hortorum, in quibus publica auctoritate ſtudioſius colliguntur, brevem hiſtoriam; quibus tam conſpicuus hoc tempore hortus ab initiis ad tantum ſuccreverit ſplendorem, quibuſve ſua debeat incrementa, ſuccinctè in hiſtoria Indici huic præmiſſa explicat. Primum loci pone ædes Academicas à Curatoribus Reipublicæ A. 1557. horto deſtinati conditorem *Theodor. Augerium Clutium* memorat, qui cum filio, *Augerio Clutio*, per univerſam Europam, imo & Aſiam, ad plantas ſedulò inveſtigandas, aliquot annos ablegato,

ſatis

ſatis egregia horti poſuit fundamenta; cui uberius exornando *Bontius*, *Pavius*, *Cluſus*, *Vorſtii*, *Schuylius*, *Syenus* omnes ſummi inter illorum temporum Botanicos nominis, tanta dexteritate & ſollicitudine manus admoverunt; ut *Paulus Hermannus*, libris non minus Botanicis, quam horti cura, bene de herbarum notitia meritus, anno 1680. ad 1537. ſtirpes in eôdem deprehenderet: quorum ille tamen conatus tanto poſt ſe intervallo reliquit, ut octo annorum ſpatio ad 3029. uſque plantas in hortum congeſſerit. Cui poſt *P. Hottonum*, in digerendis accuratius plantis potiſſimum occupatum, Autor hujus Indicis Celeber. anno hujus ſeculi nono ex merito ſucceſſit.

Primum in hoc Indice locum plantæ occupant ſubmarinæ, ut pote ſimpliciſſimæ, ab Autore antea in privatos uſus collectæ, nunc ſuis inſcriptæ titulis publice in uſum ſtudioſorum expoſitæ; quarum quatuor ab ipſo conſtituuntur genera: Lithophyta, Keratophyta, Titanokeratophyta, & reliqua mollioris fabricæ marina. His terreſtrium ſtirpium ſimpliciores, in quibus partim neque floris neque fructuum veſtigia patent, partim aliqua ſaltem vaſorum ſeminalium rudimenta ſunt conſpicua, ſubjungit. In quarum tamen ſimpliciſſima fabrica floſculorum aliquando fructuumve ſimile quid humanam eſſe detecturam induſtriam contemplatione ductus modi, quem natura ubique ſolet ſervare, confidit; cum ſeminalia in iis organa & ovaria requiri tota clamet natura; eoque minus de felici dubitat ſucceſſu, cum & *Malpighius* in ficu tectos floſculos atque fructus integros tandem omnium præter expectationem deprehenderit. Inde ad plantas, compoſita magis ex organis diverſis fabrica gaudentes, progreditur, omnemque earum gentem bifariam dividit; in Dicotyledones ſeu binis lobis ſeminalibus, embryonem in medio complectentibus, in ſemine præditas, & Monocotyledones, quibus, ſi eo ſpectantes occurrant plantæ, Polycotyledones jungi queant. Arctiores earum ordines à ſemine, quod ad maturitatem provectæ ferunt, conſtituuntur, unde Gymnopolyſpermarum, Gymnomonoſpermarum, Gymnotetraſpermarum, Enangioſpermarum, Diangiopolyſpermarum, aliæque emergunt claſſes. Reliquas earum diviſiones modo à varia floris figura, modo à foliorum cauliumque creſcendi ratione, modo ab aliis deducit momentis; ita ſcilicet Gymnotetraſpermæ in verticillatas, aſperifolias, tetrapetalas ab eo dividuntur. Speciales cujuſvis plantæ characteres ex *Malpighio* potiſſimum & *Grewio*, quos apparatum naturæ herbas molientis optime oſtendiſſe cenſet, deſumſit. Nominum innovationem, quantum licuit, evitare ſtuduit, ſicque, quam in primo admiſiſſe fatetur culpam, in hoc emendare allaboravit. Imo ne ceterorum nova fingendi nomina pruritus ſuis obeſſe queat Auditoribus, potiora cognomina *Caſparis* & *Joannis Bauhinorum*, *Moriſonii*, aliorumque, quorum icones accuratiores evolvi merebantur, ubique ſubjunxit. Quo tamen labore ſuperſedere in poſterum Botanicos poſſe ſperat, ſimulac ampliſſimus *Guil. Sherardus* Pinacem ſuum, opus dudum deſideratum, evulgaverit; cui perficiendo proſperam vegetamque ei ſenectam merito cum Autore iterum atque iterum apprecamur. Ut autem accuratam magis Botanices ſtudioſis notitiam conciliaret, durationem ſtirpium, locum apud Batavos natalem, civitate medicâ ob perſpectas earum virtutes donatas, ut & quæ ad culturam & conſervationem plantarum pertinent, ſuis quæque ſignis annotavit. Hac ratione digeſtas ab Autore deſcriptaſque invenies plantas indigenas æque ac exoticas, quarum non exiguum hinc & inde per totum ſyſtema numerum, quibus rariora periſſimum placent, deprehendent. Imprimis egregie iis ſe probabunt ſtirpes nonnullæ, quibus Africa ſuperbit, elegantiſſimæ, Tomo II. à p. 182. ad p. 206. cum ſollicite deſcriptæ, tum nitidiſſimis tabulis æneis delineatæ, quarum icones à *Joanne Hertog*, herbarum per omnes terras indagatore ſedulo, ſibi conceſſas, perituras forte alias, hac occaſione ab interitu vindicare non inconſultum, neque lectori ingratum fore duxit. Tria ſunt illarum genera Lepidocarpodendron, Conocarpodendron, & Hypophyllocarpodendron, in varias quæque ſpecies diſtincta, loco quarumvis natali, uſuque pariter, ſi quis eſſet in Medicina, notatis. Neque, quibus novas, variis è terrarum angulis excuſſas, accuratiùs noſſe & ſyſtemati inſerere volupe eſt, ingratum erit, ſub finem operis recenſitas legere plantas, de quarum ordine dubitat, quaſve nondum ab autoribus deſcriptas eſſe animadvertit.

De eô adhuc extant

Praxis Medica Boerhaviana, *being a compleat Body of præſcriptions adapted to ach of the Practical Aphoriſms of Herman Boerhaave Profeſſor of Phyſick at Leyden Publiſchd from that Authors Original Manuſcript.*

id eſt

Praxis Medica Boerhaaviana, in qua continetur curſus integer formularum adaptatarum unicuique Aphoriſmo Practico Herm. Boerhaave M. P. juxta Mſſ. ipſius Authoris: adjecta eſt methodus præſcribendi formulas ſecundum Archib. Pitcairnium. Londini apud Couſe 1716. in 12.

Oratio quâ repurgatæ Medicinæ facilis aſſeritur ſimplicitas: habita 20. Mart. 1709. cum Medicinæ & Botanices Profeſſionem ſuſciperet. Lugd. Batav. apud J. V. der Linden 1709. 4.

Oratio de uſû ratiocinii Mechanici in Medicina: Editio altera ibid. 1709. in 8.

Hiſtoria morbi atrocis nec prius deſcripti; *vid. Bibliotheque Litteraire de l'Europe* tom. 1. pag. 177.

Sermo Academicus. Lugd. Batav. 1715. in 4.

BONACURSIUS (*Bartholom.*)

De eô adhuc extant

Theoria Medica. Bononiæ 1632. in 4.

Trattato de Polſi. Bologna 1645. in 4.

BONCORE (*Thomas*) Philoſoph. & Medic. Doct. ac Juriſconſultus Neapolit. duobuſque almis Neapolitan. Philoſophiæ & Medicinæ, ac J. U. D. Collegiis cooptatus, eruditum conſcripſit Tractatum, cui titulus

De Populari horribili, ac peſtilenti Gutturis, annexarumque partium affectione, nobiliſſimam urbem Neapolim, ac totum ferè Regnum (anno ſcilicet 1622.) vexante, Conſilium, Neapoli editum, apud Laz. Scorigium, 1622. in 4. *Toppi Bibl. Neapol. p.* 292.

BONONIUS

Detexit per Microſcopia vermes in ſcabie, *vid. Tranſ. Philoſ. vol.* 1. *p.* 2. *c.* 8.

BONTEKOE (*Cornelius*)

De eô adhuc extant

Nouveaux Elements de Medecine touchant les Maladies du Corps humain & les moiens de ſe conſerver la ſanté. Paris, 1698. 2. *voll. in* 12.

BORELLUS (*Joh. Alphonſus*) &c.

Ejus opus *de Motu animalium* prodiit iterùm in duo volumina diviſum, Lugd. Batav. apud Petr. Van der Aa, 1711. in 4. Additis in fine Mathematicis Illuſtr. Joh. Bernoulli *de Motu muſculorum* meditationibus.

Atrium Phyſico-Mathematicum edidit cum figuris; Lugd. Batav. 1686. 4.

BOSCHETTUS (*Bartholomæus*) Vicentinus, Philoſ. & Medic. Doctor.

De eo extat in Diario Ital. Tom. 35. p. 523.

Diſſertatio de ſalivatione mercuriali Phyſico-Medico-Mechanica, in *tria* capita diviſa; quorum *prius* continet ſalivæ naturalis examen; *alterum* ejuſdem vitia conſiderat; *tertium* ſalivationem artificialem exhibet: Iis accedunt hiſtoriæ felici & lethali experimento comprobatæ: Ad Ill. & Exc. D. D. *Aloyſium Piſanum*, Equitem & D. Marci Procuratorem. Venetiis apud Joh. Radic. 1722. in 4.

BOTIN

De eo extat in Hiſt. Acad. Reg. Scient.

Obſervation ſur un Enfant qui avoit les Orbites mais point d'yeux.

BOTTICHER (*Joh. Guil.*)

De eô extat

De verâ fluidiſſimi nervei ſeu ſucci nervoſi exiſtentiâ ejuſque genuino uſu. Berolini, 1721. 4.

BOTTONUS (*Dominicus*) &c.

Ex eo, præter ea quæ ſuo loco ex *Mongitore* tranſcripſimus, habetur in *Diario Ital. Tom. 37. p. 453.* liber cui titulus

Preſerve ſalutari contro il contagioſo malore. Meſſanæ, typis Amici & Fernandez, 1721. in 4.

BOULDUC

Principia purgantium examinat *in cap. 9. vol. 1. part. 2. Tranſ. Philoſ.*

Sequentia reperiuntur in Hiſt. Acad. Reg. Scient.

1699. *Sur la maniére de connoître le ſublimé corroſif ſophiſtiqué.*

Examen des eaux minerales de St. Amant près de Tournay.

1700. *Analyſe de l'Ypecacuanha.*

1701. *Analyſe de la Colochinte, du Jalap, de la Gomme Gutte & de l'Ellebore noir.*

Sur les effets de l'Ypecacuanha.

1702. *Obſervations ſur la Scammonée.*

1703. *Obſervations ſur les effets du Solanum Bella Donna ou Melanoceraſon.*

1705. *Sur la Gratiole.*

1708. *Sur l'Aloës.*

1709. *Sur le Cachou.*

1710. *Sur la Rhubarbe.*

1711. *Sur le Mechoacan.*

1712. *Sur la Bryone ou Coulevrée. Sur l'Opium, le Pavot rouge ou Papaver Rhaas, ou Erraticum.*

1714. *Sur l'Agaric, & ſur les Fleurs & Feuilles tendres de Pecher.*

1715. *Sur l'Huile de Petrol.*

1718. *Sur le Sel d'Ebſom.*

1719. *Sur le Concombre Sauvage ou l'Elaterium; & ſur le Chaeril.*

1720. *Obſervations ſur les Leſſives de Salpêtre & particuliérement ſur l'Eau Mére de Salpêtre.*

BOULTON (*Rich.*) &c. *de quo vid. ſuo loco*

Rob. Boyle Opera in compendium redegit. Londini 1699. & 1700. 4. Tom. in 8.

BOURDELIN (*Claudius*)

De eô extat in hiſt. Acad. Reg. Scient.

1699. *Son Eloge.*

1700. *Sur les Parties de la generation.*

1702. *Sur les ſels volatils des chairs.*

BOURDON

De eô extat

Anatomie du Corps humain

id eſt

Anatomia Corporis humani in 12.

Magnas & pulcherrimas Tabulas Anatomicas ſculpere fecit.

BOURSIER (*Domina*) Obſtetrix Reginæ, Obſervationes fecit de ſterilitate, partû & morbis mulierum. 8.

BOUTINAUD,

Scripſit de granâ Tournefortii & de ejus virtute in febribus, *vid. Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences ann.* 1702. *pag.* 63.

BOWERUS

Atheroma ſingulare delineat *in Tranſ. Philoſ. vol.* 1 *part.* 2. *cap.* 2.

BOZZAVOTRA (*Antonius*) Neapolitanus, Medicus eruditiſſimus ac Lector in Studio Neapolitano anno 1557.

Sic legitur ejus Epitaphium in S. Auguſtino:

Dum Sophia clarus, Medicaque Antonius arte,
Imperio mortis eripuiſſe poteſt,
Ac pene extinctos Cœli revocare ſub auras
Inſidias in hunc, mors ſua, & arma tulit.
Quin potius tulit arma (licet ſi vera fateri)
In Phœbum, Sophiam, & Medicæ artis opem.
Ille etenim Superos, quæſitaque mente petivit
Tecta, gravem liquit ſarcinam in hoc tumulo.

Joanni Antonio Bozzavotræ Neapolitano,
Libris quos edidit claro,
Et diſcipulos, quos viginti annis
Artes omnes in ſtudio Neapolit.
Edocuit, inſigni,
Filii ob debitam pietatem poſuêre.
Obiit xv. *Januarii,*
An. Sal. MDLVII.

Inter ejus Opera varia elucet

Quæſitum de calido nativo. Neapoli, apud Matt. Cancer, 1542. in 4. *Toppi Bibl. Neapol. p.* 123.

BRADLEY (*Rich.*) de quô vide ſuô locô,

Scripſit de motu ſucci nutritii in vegetatibus & ſingularibus melonis; extat *in Tranſ. Philoſ. vol.* 2. *cap.* 5.

BRAVO

De eô extant

Conſultationes Medicæ. Coloniæ, apud Frieſſem, 1671. 4.

BRENDELIUS (*Adamus*) &c.

De eô adhuc extat

De embryone in ovulo ante conceptionem præexiſtente. Wittemb. 1703.

BRETON (*le*) Doctor Facultatis Medicinæ Pariſienſis defunctus.

De eô habetur

Tableau des Maladies ou les Remedes choiſis & eprouvés tant de Medecine, que de Chirurgie, pour

pour les maladies du Corps humain : dont un grand nombre n'ont pas encore été imprimés : ſuite de l'ouvrage de Lomnius. A Paris chez Briaſſon, 1726. *in* 12.

BRIGANTIUS (*Annibal*) *di Chieti*, Philoſophus & Medicus percelebris, ac Humaniorum litterarum Profeſſor.

De eô hîc addenda quæ Toppi in Biblioth. Neapolit. p. 20.

Auviſi & Avertimenti intorno al governo di preſervarſi di peſtilenza. In Napoli, appreſſo Giuſ. Cacchio, 1577. in 4.

Auviſi & Avertimenti intorno alla preſervatione è curatione de' Morbilli, è delle Variole. *Ibid. apud eundem, anno & forma iiſdem.*

T*Eneva anco per le mani* (ait idem *Toppi*) *un largo & erudito* Diſcorſo ſopra la Manna *in Latino, per darlo alla Luce ; è col inviarlo in Napoli al medico* Altomare, *le fù rubbato, e publicato, ſuppreſſo il ſuo nome, come ſi legge appreſſo il medeſimo Autore* Briganti, *con* l'Annotationi di Carlo Cluſio *nell'* Iſtoria de' ſemplici Arom. che vengono dall' India, cap. 11. fol. 55. della Manna *nella forma ſeguente.*

Leggi il Comento del Matthioli ſopra Dioſcoride al 1. *Lib. al cap.*73. *dove racconta le opinioni, coſi de' Greci, come de' Latini, è parimente de' gli Arabi, & butta à terra l'opinione de' moderni ; ma Donat. Anton. Altomare, nel* Trattato della Manna, *ch' egli hà fatto, riprende lui, è il noſtro Autore, inſieme con tutti quelli ch'hanno fin quì ſcritto di tal materia. Non mi par qui di tacere, ne di reſtar di aggiungere a quello che Carlo Cluſio quì ſcrive, che l'anno* 1562. *eſſendo in Napoli Protomedico di tutto il Regno, il famoſiſſimo Marino Spinelli fu (per non sò che ſiniſtro auvenuto) ricercato di ſapere che coſa fuſſe la Manna, che ordinariamente per tutte le ſpecierie ſi uſava, per ultimo parve à lui, è a molti ſuoi ſeguaci, di dire, che la Manna uſuale non erà tutta buona, ma quella ſolamente, che di foglia era volgarmente chiamata, à differenza di quell' altra, che di corpo era detta, ſtimando, che la Manna di foglia veniſſe dall' aria, è fuſſe più d'ogn'altra perfetta. Laonde per publico editto, è per Pragmatica Regia fu prohibita ſotto graviſſima pena di caſtigo à ſpeciali, che non doveſſero altra Manna uſare, che quella di foglia : Parendo queſta à molti, è à me particolarmente, legge troppo ſevera, è rigoroſa, è fatta per non haver ben conoſciuto, ciò che ſi fuſſe la manna da noi uſata, è che le due differenze di corpo, è di foglia, non erano neceſſarie. Volſi con ogni accuratezza, è diligenza ricercare, sè la noſtra Manna fuſſe la ſteſſa con quella di Galeno, è de gli antichi, o pure altra coſa ; la onde con non picciola mia fatica, percioche fu biſogno, per bene aſſicurarmi, di andar più volte a vedere ne i luoghi, donde la Manna veniva, dove trovai (ſicome mi ponno eſſere approvati teſtimoni, il Signor Camillo Aſſettato da Chieti, Medico Eccellentiſſ. è di ſingular dottrina, Meſſer Giovanni Guidoni, è Meſſer Donato Lanuto Speciali giudicioſiſſimi, è molto accurati, i quali vennero ſempre meco) che la Manna ſcaturiſce ſenſatamente dall' orno, è dal Fraſſino, è che una ſola Manna era quella, che coloro volevano eſſere due. Ciò veduto, mi miſi con un longo Diſcorſo à ſcrivere in Lingua Latina, per far pruova, sè per aventura haveſſi iò coſi rigoroſa legge potuto far ſcancellare, perche non mi parve bene di confidare in me ſolamente, mi riſolſi à communicar queſto mio concetto al Dottor Altomare, al quale nell' iſteſſo anno* 1562. *del meſe di Marzo, mandai di quì da Chieti in Napoli dettò mio diſcorſo, & un altro nè mandai al Signor Luigi Anguillara in Ferrara, Sempliciſta molto famoſo, è mio grandiſſimo amico, perche approvato dal lor ſano giudicio, haveſſi iò con più ſicurezza potuto il mio intento ſeguire. Non credendo, nè penſando, che l'Altomare, altramenti huomo di grandiſſimo valore, è di profonda dottrina, voleſſe così liberamente dar fuori alle ſtampe, ſenza pure un minimo ſegno di gratitudine, quello che iò conſtenti havevo ſcritto, è con tanti ſudori haveva faticato :* Fin qui'l Briganti : *Ritrovaſi in poter mio un Volume in* 4. *M. S. di queſto Autore, intitolato.*

Epiſtole Medicinali di Annibale Briganti, che contengono le ſeguenti materie : *cioè*

Della pietra nelle Reni.

Reggimento di vita per preſervarſi della pietra.

Reggimento per l'hemorrhoide.

Reggimento de Viaggio.

Del Scirro vero.

Del Rottorio nello Scirro.

Dell' Aſma.

Della Paraleſia.

Difeſa ſopra il male per accidente cinica.

Del male d'occhi.

Della Rogna, è del legno Santo.

Della Hydropiſia, & altri mali.

Del parto legitimo.

Del parto ſettimeſtre.

Dell' ulcere della gola.

Delle cicatrici, è durezze de' nervi della mano.

Del mal Franceſe, ontion di Mercurio.

Dell' iſteſſo, è legno Santo.

Dell' iſteſſo, è della Salza, è fumarole.

Del male d'un figlivolo, & ingegni de' rimedii.

Del meſtruo mancato.

Della ſterilità, è diſtemperanza dell' Utero.

Delle reliquie del mal Franceſe.

Della Hydrop. Acciajo preparato, & unguento per l'oſtruſſ.

Delli Accidenti per diſtemperanza di Matrice.

Della Diteritia.

Del fluſſo muliebre.

Del Tiſico.

Dell' Ettica, è putrida febre.

Del mancamento del latte.

Del dolor de' Ginocchia.

Della febre puerile, è cura della Balia.

Del latte vitioſo per cantarelle, & argento vivo preſo.

Del mal Franceſe, & accidenti crudeliſſimi.

Dell' ulcere della verga, è nel canale : Dell' iſteſſo.

Della pietra nella veſica, ſtillicidii d'orina, è altri mali.

Del gonfiamento di gambe.

Dell' Arenella.

Del legno Santo.

Della Terzana doppia.

Del dolor de' fianchi, è pietra.

Delli varioli è morbilli.

Delle forfore volatiche, è impetigini.

Della ubriachezza.

Della palpitatione, ſpaſmo, è paraliſia.

Della goarrea ſpuria.

Dell' hydropiſia hypoſſarca.
Del mal di ſtomaco, è vomito.
Del teneſmo, è fecce corrotte.
Dell' aria, è ſtanza di Peſcara.
Del catarro, debolezza di ſtomaco, è calidità di fegato.
Dello ſtomaco freddo, è fegato caldo.
Della ſciatica.
Della generatione de figlivoli.
Dell' hemorrhoide, è ſoverchio coito.
Della debolezza de gambe, è mani.
Del dolore, inappetenza, debolezza di ſtomaco.
Dell' elleboro Veneno.
Del dolore di corpo innanzi il menſtruo.
Della cordiaca paſſione, è tremore.
Della coſtrittion di pupilla: Dell' iſteſſo.
Della crudità della Salza.
Del diſcenzo ò catarro.
Del ſpaſmo, ò epileſia.
Della Terzana doppia.
Del diafinico.
Che à ſuo tempo procurerò che ſi ſtampino per beneficio univerſale.

BRISSÆUS Medicus Tornacenſis.

De eô adhuc habetur in Hiſtor. operum Doctor. ann. 1698. menſ. Octobr. p. 464.

Extrait d'une Lettre de Mr. Briſſeau à Mr. Fagon *Conſeiller du Roy en ſes Conſeils d'Etat & Privé, & Premier Medecin de ſa Majeſté, touchant une fontaine minerale decouverte dans le Diocéſe de Tournay.*

BROECKUISEN (*Benjamin à*)

De eô adhuc extant

Praxis Medica. Lugduni Batavor. 1687. 4.
Rationes Philoſophico-Medicæ juxta Autoris principia deductæ. Hagæ Comitis, apud Witwerff, 1687. in 4.

BROEN (*Johannes*)

De eô adhuc extant

Exercitatio Phyſico-Medica de duplici bile veterum; in quâ ſecundum Methodum Philoſophiæ præſtantioris problematica & obſcura multa ad Oeconomiam animalem ſpectantia examinantur, dilucidantur & explicantur. Lugd. Batav. 1685. in 12.
Animadverſiones Theoretico-Practicæ in Horti Regii Praxim Medicam. Lugd. Bat. 1695. in 4.

BROTBECK (*Joh. Conradus*)

De eô extat

De Catalepſi ex Galenô. Tubingæ. 4.

BROWNE (*Johannes*) Chirurgus Noſocomii D. Thomæ.

De eô adhuc extant

Myographia Nova ſive Muſculorum omnium in corpore humano hactenus repertorum accuratiſſima deſcriptio, in ſex Præſectiones diſtributa, nomina ſingulorum in ſuô quæque locô, ſituque naturali, in æneis muſculorum iconibus exarantur: eorum item origines, inſertiones & uſus graphicè deſcribuntur: additis inſuper ipſius Authoris & aliorum nuperrimis obſervationibus & inventis. Londini 1684. Lugd. Batav. 1687. & Amſtelodami 1694. in folio.
Exercitatio Phyſico-Medica. Lugd. Batav. 1685. in 12.
Animadverſiones Medico-Theoret. Practicæ. Ibidem, 1695. in 4.
Opera Medica. Roterodami, 1703. in 4.
Epiſtola ad unum è Scribis S. R. de hepate quodam & ad oculum manifeſte glanduloſo ſcripta d. 15. decemb. 1685. Extat *in Tranſ. Phil. decem.* 1685. *nu.* 178. *& in Actis Erud. Lipſ.* 1687. *pag.* 27.

BROWNE (*Andreas*) Med. Doct.

De eô extat

De febribus Tentamen Theoretico-Practicum, ſeu nova febrium hypotheſis mechanica adaucta, ex principiis Bellini conſtructa; in quâ non ſolum febrium antecedentia & conſequentia dilucidè tractantur & tota ferè animalis œconomia enucleatur; & præcipuè methodus curandi febres per Cathartica cum paregoricis à Cl. Sydenhamio primum uſurpata, non modò ſecundum hanc hypotheſim expenditur & ratione confirmatur, ſed etiam ex experientiâ diuturnâ amplius exculta & adaucta traditur. Edimburgi apud Jacob. Watſon, 1695. in 8.

BRUCKMANNUS (*Franciſcus Erneſtus*)

De eô adhuc extant

De Avellanâ Mexicana vulgo Cacao, cum figuris; 1728. in 4.
De Lapide Arachnedito dicto, 4.
Meditatio ad Conſultationem Medicam rectè inſtituendam diſputationis pro exercitiis practicis propoſita. Baſileæ 1634. in 4.

BRUNNERUS (*Johannes Conradus*) Medicus Helvetus magni nominis.

Hic celeberrimi hujus Viri, ſiquidem ſuo loco pauca diximus, vitam, qualem exhibet ultima editio Moreriana *Baſileenſis anni* 1731. *exſcribere non erit ingratum:*

Natus ille eſt *Dieſſenhoviæ* propè *Schafuſiam*, ann. 1653. Januar. d. 16. Patre *Erhardo Brunnero, Dieſſenhovienſi* Prætore; ſtuduit primò in patriâ poſteaque *Schaffuſii*; *Argentoratum* annos natus 16. miſſus eſt, ubi Medicinæ per 4. annos operam navavit, ibique anno 1672. cùm *de Monſtro bicipiti*, cujus modò diſſectionem fecerat, Theſes habuiſſet inaugurales, Doctoratum accepit. *Pariſios* dein adiit, publicis ibi exercitiis perquàm aſſiduus, litteratosque plures, ac inter eos Dn. *Dionis*, & Abbatem *Bourdelotium* ſibi conciliavit amicos. Xenodochia hic frequentavit, quamplurimis Anatomicis Chirurgicisque operationibus adfuit; eumque videns Dn. *du Vernay* circa Pancreatem experimenta agentem, de illo optimè ſenſit. Unde abhinc unà, die noctequc Anatomiæ operam dederunt, injectiones in arterias, venas, aliaque vaſa, novum tunc temporis opus, tentarunt: *Angliam* inde petiit, ubi *Henric. Oldenburgium* Societati Regiæ à ſecretis, *Williſium*, *Lowerum*, alioſque ſibi junxit familiares, hincque abiens, in *Bataviam* iter fecit, audiitque Lugd. Batav. *Syenum, Craanium, Drelincurtium, Maetſium.* Amſtelodami *Schwammerdamium* & *Ruyſchium* inviſit. In *Germaniam* dein greſſus, ſtatim multis conſuluit ægris: Societati *Naturæ Curioſorum* ann. 1685. *Herophili* nomine inſignitus, adjunctus fuit. *Heidelbergæ*, ubi Tractatum *de Experimentis circa Pancreatem*, aliaſque de *Glandulis Duodeni*, de *Glandula pituitaria*, de *Pleuro-Peripneumoniâ*, &c. diſſertationes edidit, Medicinæ Profeſſor ann. 1687. evaſit. Ann. 1696. litteras accepit ab Ill. *Spanheim*, qui eum *Lugd. Batavor.* vocabat: quam profeſſionem, Medicis negotiis diſtentus, admit-

tere

tere non potuit. Eum anno 1711. *Johannes Guilielmus* Elector Palatinus nobilitavit, dominioque de *Hammerſtein* in *Bergenſi* ditione donavit, eique prætereà ac ſuis poſteris *Schafuſiani* beneficiorum ab ipſo acceptorum memores, civitatem ann. 1720 largiti ſunt. Tantam in arte Medicâ ſibi paraverat famam *Brunnerus* ut ad Magnates plurimos, Europæoſque Principes advocatus fuerit. Ann. 1685. in Aulam *Caroli* Electoris Palatini ſe recepit, atque dehinc ab eo Electoris familia conſilia accepit. *Brunnerus* anno 1688. *Palatinatum* Gallis acerbè affligentibus, Profeſſoratum quem *Heidelbergæ* exercebat abdicare ſibi neceſſe vidit, ac in patriam conceſſit, ubi commoratus eſt uſquedum ann. 1695. eum *Duſſeldorpium* vocavit Elector *Joannes Guilielmus*, primarii Medici munere ipſum condecoraturus. *Brunnerum* in eodem munere confirmavit Electoris frater ac ſucceſſor *Carolus Philippus*, addiditque Conſiliarii privati titulum; quem cum priore ad uſque mortem ſervavit. Ann. 1690. ac dein pluries eum ad ſe convocavit *Carolus* Dux Haſſiacus. Ad Electorem Trevirenſem *Franciſcum Ludovicum* ann. 1706. acceſſit. Eum ann. 1708. Viennæ accerſivit Imperator Leopoldus, Imperatricis gratiâ. Ann. 1709. ad Pruſſiacum Regem fuit advocatus. *Hannoveram* anno 1720 ſe recepit, Angliæ Regem, *Wallienſem* tunc temporis Principem viſurus, eodemque anno eum accivit Moguntinus Elector. Suecorum Regem *Fridericum* an. 1721. in Germaniâ tum degentem inviſit. Ann. 1722. ad Danorum Regem *Fridericum*, & ad Reginam balneis Aquiſgranenſibus tùm utentes, convocatus fuit; ac anno 1723. ad Colonienſem Electorem *Joſephum Clementem*. Monachium ann. 1726. petiit, Bavari Electoris *Maximiliani Emanuelis* viſendi gratiâ. At, ſi Magnates omnes qui *Brunnerum* ad vitæ conſervationem conſuluerunt, recenſere animus eſſet, nullus hic terminus. Anno ætatis 24. calculo laborare cœpit, ac vinum album, & præſertim Rhenanum doloribus incrementum afferre obſervavit: remediis attamen opportunis ac diætâ uſus, tot tantaque habere itinera, ac Medica gerere potuit negotia. Annos natus 50 podagrâ tentatus eſt, quæ ad thoracem progreſſa, eum ad lactis uſum devenire coëgit, ex quo adeo benè ſe habuit ut ann. ætat. 74. ſat illi roboris fuerit, quò *Monachium* è *Manhemio* intra biduum ac tres noctes, ſæviente licèt hyeme, Electoris præfati *Maximiliani Emanuelis* adeundi ergo, petere potuerit. Obiit *Manhemii* d. 2. Octob. 1727. ex febri continua remittenti, annos natus 74. menſes 8. dies 26. Uxorem duxerat ann. 1678. Dec. d. 12. *Magdalenam*, Medici perilluſtris *Joh. Jac. Wepferi* filiam, ex quâ liberos ſuſcepit *decem*, quorum *duo* natu majores puelluli extincti ſunt. *Erhardus* numero *tertius* è vivis ſine poſteris exceſſit ann. 1721. qui nempè Haſſiaci Ducis fuerat Conſiliarius Medicuſque, ac Medicinæ Profeſſor *Heidelbergæ*: *Joannes Conradus*, filiorum *quartus* perdiu in equitatu ſtipendia fecit apud Electorem Palatinum, apud quem Conſiliarii *Regii*, *Bellici* ac *Criminalis* munere adhucdum fungitur: *Sextus* Joh. Ulricus. *Joh. Jacobus* junior *Neoſtadii* Medicinam fecerat, verùm poſt mortuum patrem in *Helvetiam* unà cum matre receſſit. *Tres* noſtri filiæ benè nupſerunt. En conſecratum ejus memoriæ in urbe *Manheimio*, ubi reſidet Elector, Epitaphium.

VIVIT POST FUNERA VIRTUS.

In Venerandam Memoriam

J. C. de Brunn à Hammerſtein Scaphuſa-Helvetici nati d. XVI. Januar. A. C. MDCLIII. Ser. ac Potent. Princip. Caroli Philippi Com. Palat. ad Rhen. S. R. I. Archithesaurar. & Elect. &c. &c. Conſiliarii Intimi & Archiatri Profeſſoris Medic. in univerſitate Heidelb. Societat. Nat. Cur. Cæſ. Leopold. Herophili, de diverſis Europæ Majeſtatib. S. Cæſar. ut & Reg. Majeſt. Britann. Suec. Dan. & Boruſſ. permultiſque S. R. I. Magnatibus benè meriti, denati communi omnium mœrore die 2. Octobr. MDCCXXVII. in civitate reſid. Elect. Manheim.

Hoc Lethalitatis monumentum
mœſtiſſimi poſuerunt
Hæredes.

BRUNUS (*Vincentius*) Melfitenſis, Philoſophus ac Doctor Phyſicus, dedit in lucem *Italicè*

Theatrum Inventorum rerum omnium: Neapoli, apud Tarquinium Longum, 1603. in fol.

Dialogos tres: I. de Tarentulis: II. de Vitâ & Morte: III. de Lapidibus pretioſis, ac ſimplicibus, cum multis Quæſtionibus, tùm Philoſophicis, tùm Medicinalibus: Opus eruditum, Neapoli editum, apud eundem, 1602. in 4.

Toppi Bibl. Neapolet. p. 304.

BULKLEY (*Eduardus*)

De eo extat in Tranſ. Philoſ. anni 1703. *art.* 3. *p.* 304. *Maij & Junii.*

Deſcriptio quorumdam animalium quæ ex arce S. Georgii, ad *D. Petiver* miſit *D. Bulkley.*

BURLET.

De eô extant in Hiſt. Acad. Reg. Scient.

Sur l'Eau de Chaux & ſon uſage Medicinal.
Sur les Eaux d'Aix la Chapelle.
Sur la Camphorata de Montpeiller.
Examen des Eaux de Vichi & de Bourbon.

BURRHUS (*Franc. Joſephus*)

De eô adhuc extat

Hippocrates Chymicus, ſeu ſpecimina quinque Chymiæ Hippocraticæ. Bruxellis, apud Uleugaert, 1690. in 12.

BURROUGH (*Jacobus*) Doctor Medicus

Scripſit Litteram D. Hougton M.D.L.S.R. de fame caninâ: extat *in Tranſact. Philoſ. Maii & Junii* 1700. *Art.* 5.

BUSSIERE (*Paulus*) Chirurgus & Collega Societatis Regiæ Londin.

De eô adhuc extant

De Acicula Deglutita: vide *Nov. Reip. Litter. Octobr.* 1685. *pag.* 1167.

Lettre pour ſervir de Reponſe à Mr. Mery de l'Academie Royale des Sciences ſur le trou ovale dans le fœtus. Pariſ. in 12. *Ibidem ann.* 1703. *menſ. Junii.*

Deſcription Anatomique du cœur des tortues terreſtres de l'Amerique. Paris 1703. *in* 12.

BUXBAUM (*J. C.*) Acad. Scientiæ Petropolitanæ Socius.

De eô extat in Actis Lipſienſibus, Annô 1729. *p.* 269.

Plantarum minus cognitarum Centuriæ III. complectentes plantas circa Byzantium & in Oriente obſervatas. Petropoli, ex Typographia Academiæ, 1728. & 1729. in 4.

FINIS PARTIS I. TOMI PRIMI.

JOANNIS JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

Et Sereniſſimi ac Potentiſſimi REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDICORUM, VETERUM ET RECENTIORUM:

IN QUA

SUB EORUM OMNIUM QUI A MUNDI PRIMORDIIS ad hunc uſque Annum vixerunt, NOMINIBUS, ORDINE ALPHABETICO adſcriptis, VITÆ compendiô enarrantur; OPINIONES, & SCRIPTA, modeſtâ ſubinde adjectâ ἐπικρίσει recenſentur; ac SECTÆ præcipuæ, ſub quârumque propriâ appellatione explicantur:

SICQUE

HISTORIA MEDICA VERE UNIVERSALIS

EXHIBETUR.

OPUS DOCTIS OMNIBUS, MAXIMEQUE MEDICIS UTILE, ac perjucundum:

Pro quô concinnandô, neceſſaria undique: Sive ex ipſis SCRIPTORIBUS MEDICIS ANTIQUIS, quorum OPERA ad noſtra uſque tempora pervenerunt; aut aliis, tùm iiſdem contemporaneis, tùm etiam ſubſequentibus, qui de Illis verba fecerunt: Sive variis Dictionariorum Compilatoribus, & Scriptorum Medicorum Catalogis; Miſcellaneis, præterea, Germanor. Curioſis; Actis Bartholinianis; Actis Lipſienſib. Ephemerid. per totam Europam jam à multis annis, variis linguis emiſſis, &c. non mediocri labore ac curâ, ſunt exquiſita.

TOMUS PRIMUS: PARS SECUNDA.

continens Litt. C - H.



GENEVÆ

Sumptibus PERACHON & CRAMER.

M. DCCXXXI.

JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM MEDICORUM VETERUM AC RECENTIORUM

LIBER TERTIUS.

In Quo illi recenſentur, quorum Nomina incipiunt à Literâ C

CABALLIS (*Carolus Comes de,*) Veronenſis

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1688. *p.* 40.

Phœnomena Medica ſingulari intuitû recenſita à Carolô Comite de Caballis, Nob. Veronenſi Equite, & Perſonæ Principis Caſtilionis Medicô.

Venetiis, 1686. *typis Stephani Curtii, in* 12.

CUm Ars noſtra Medica experimentis unicè nitatur, conſervetur, augeatur ac exornetur, nemo eſt, qui de eâ præclariùs mereri queat, quàm ſi obſervationes ſuas eò ſpectantes luci exponat publicæ. Nec deſunt his temporibus, quorum induſtria vel Anatomiæ ſecretiora pandit, vel minutias corporum alias inviſibiles juvante microſcopiorum uſû detegit, vel in explorandâ multiplici Chemiæ facultate omnem omninò lapidem commovet, vel deniquè eò allaborat manibus pedibuſque, quo rerum naturalium cognitio magis magiſque amplificetur. Nihilô inferiores ſunt, qui ad imitationem Divi Hippocratis, operas ſuas in conſcribendis ægrorum hiſtoriis collocant, qui morborum occaſiones atque initia, differentias ac mutationes, curam eventumque prout obviam veniunt, colligere diligenter, candidèque communicare non verentur.

Hôc nomine inter alios non parùm nobis arridet Nob. Caroli de Caballis labor, ad recenſenda phœnomena Medica deſtinatus: nec dubitamus, quin debitam impetraturus ſit gratiam apud omnes, quibus Medica Praxis cordi eſt. Etenim non quævis promiſcuè coacervare voluit, ſed ea ſaltim ſeligere, quæ rariora & notatû digniora ipſi viſa ſunt: itaquè centum præcisè hôc librô continentur obſervationes, adjectis ſub finem aliquot conſultationibus, itidem non contemnendis. Quanquàm verò plura ex iis commemorari poſſint, e. gr. Epilepſia per decem annos durans, à lumbricô inteſtinorum, latô binos digitos, ac ſedecim cubitos longô: palpitatio cordis, ab adſtantibus audienda, ſumtô antimoniali emeticô ſublata: cæcitas in lue venereâ per uſum decocti helleborini & geajaci ligni curata intra 40. dies: cancer ſiniſtræ mammæ feliciter ſanatus per ſectionem atque uſtionem, eamque repetitam poſt hæmorrhagiam inſignem: portio funiculi, ad longitudinem ſeptem transverſorum digitorum, è veſicâ urinariâ Capucini cujuſdam extracta per lithotomum, &c. Unicum hoc ſatis erit, quod in phœnom. 6. retulit. Videlicèt Virgo erat annorum 20. furore uterinô cum frequentibus nocturnis pollutionibus vexata crebriùs, quæ tandèm more ſomnambulorum ſurgebat dormiens, ac totâ ferè nocte circumvaga, eâdem ſedulitate cuncta exequebatur, quæ diurnis horis deſtinata noverat. Interdiù quæſita, nihil eorum omnium recordari potuit, quæ tum egerat. Accidit autem ùt in furore conſtituta quævis obvia, ac inter illa forficem majorem in uteri vaginam violenter intruderet, ſeque hâc ipſâ ſauciaret ſatis periculosè. Nihilominùs & hujus facti adeò fuit neſcia ùt nec ullum læſionis ſenſum aut cognitionem habuerit priùs quàm ſanguis ad ſyncopen uſque profuſus eſſet. Conſolidatum poſteà vulnus eſt, laminæque plumbeæ juxta Galeni præceptum, lumbis impoſitæ fuerunt ad coërcendam libidinem, atque ab eô tempore ad hanc uſque diem per plures annos vivit incolumis.

CABALLUS (*Franciſcus,*) Brixienſis. Vixit circa A. C. 1506. & Profeſſoratum Medicinæ cum magnâ celebritate exercuit Patavij. Perſenex obiit Brixiæ in Patriâ, circa ann. 1540.

De eô exſtat

Libellus de Animali Paſtillos theriacos, & Theriacam ingrediente. Extat cum Antonii Cermiſoni Conſiliis. Venetiis, apud Octavium Scotum, 1503. in fol. Item cum Bartholomæi Montagnanæ Operibus Medicis ſelectioribus atque Conſiliis. Venetiis, apud Octavium Scotum, 1497. in fol. Ibidem, apud Caſparum Bindonum, 1565. in fol. Lugduni, apud Jacobum Myt, 1525. in 4. Francofurti, apud Palthenium, 1604. in fol. Noribergæ, 1652. in fol.

CABÆUS (*Nicolaus*) Ferrarienſis, è Societate Jeſû.

Ex eô habetur

Philoſophia Magnetica: In quâ Magnetis natura penitùs explicatur. Ferrariæ, apud Franciſcum Succium, 1629. in fol.

CABRERA (*Franciſcus de,*)

De eô Extant

Remedia contra Peſtem. fol. 1649.

CABRESRA (*Gundiſalv. Rodriquez de*) Luſitanus.

Ex eô habetur

Theſaurus Pauperum: Qui extat cum Chirurg. Ulyſſip. 1611. & 1614.

CABROLIUS (*Bartholomæus*) Chirurgus Gallus Monſpelienſis, Academiæ Anatomicus, Chirurgus Regius, & Conneſtabuli Mommorantii.

De eô Extant

Αλφάϐητον ἀνατομικὸν, id eſt, Anatomes elenchus accuratiſſimus, omnes humani corporis partes eâ, quâ ſolent ſecari methodô, delineans. Acceſſêre Oſteologia, Obſervationeſque Medicis ac Chirurgis perutiles. Genevæ apud Jacobum Chouet, 1604. in 4.

Obſervationes variæ. Extant cum Celeberrimorum Anatomicorum, Severini, Caſtrenſis, Jaſolini, Cabrolii, Variis Opuſculis Anatomicis. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1668. in 4.

Collegium Anatomicum Clariſſimorum trium Virorum Jaſolini, Severini, Cabrolii. Extat ibidem, typis iiſdem, annô eôdem, eâdemque formâ.

Hujus Autoris Anatomica quædam ſcripta extant cum Johannis Georgii Volckameri Collegiô Anatomicô concinnato ex Clariſſimis Triumviris, Juliô Jaſolinô, Marcô Aurel. Severinô, & hôc Bartholomæô Cabroliô. Hanoviæ, 1654. in 8. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1668. in 4.

CACHETUS (*Chriſtophorus*) Lotaringius.

Ex eô habentur

Controverſiæ Theoricæ Practicæ, in primam Aphoriſmorum Hippocratis ſectionem. Opus in duas partes diviſum, Philoſophis ac Medicis perutile, ac perjucundum. In quô quæcunque ad Venæſectionem, Purgationem, & probam Victûs rationem pertinent, non minùs accuratè, quàm acutè ac eleganter in utramque partem diſputantur ac enodantur. Pars prima. Tulli Leucorum, apud Sebaſt. Philippe, 1612. in 8. apud Simon. San-Martellum, 1618. in 8.

CÆLIUS (*Antonius,*) Meſſanenſis.

Ex eô habetur

Introductio Univerſalis ad Medicam Facultatem, ac brevis methodus curandi particulares præter naturam corporis humani affectus: nec non de Pulſibus Tractatio. Quibus additur Commentarius, in primum Librum Aphoriſmorum Hippocratis. Meſſanæ, ex Typographiâ Petri Breæ, 1618. in 4.

CÆLIUS [*Apitius,*] Vid. Apitius.

CÆSALPINUS (*Andreas,*) Natus eſt Areti in Italiâ, In Academiâ Piſanâ diu Medicinam profeſſus: Fuit Archiater Pontificis Rom. Clementis VIII. & Peripateticus præſtantiſſimus. Obiit Romæ 1603.

De eô Extant

Κάτοπτρον, ſive Speculum artis Medicæ Hippocraticum: Spectandos, dignoſcendos, curandoſque exhibens univerſos, tum univerſales, tum particulares totiûs corporis humani morbos; in quô multa viſuntur, quæ à præclariſſimis quibuſque Medicis intacta prorsùs relicta erant arcana. Francof. apud Lazarum Zetznerum, 1605. in 8. Venetiis, apud Societatem Venetam, 1606. in 4. Tarviſii, apud Robert. Mejett. Venetiis, apud Societat. 1606. in 8. Tarviſii, 1666. in 8. Argentorati, apud Georg. Andr. Dolhopfium & Joh. Eberhard. Zetznerum, 1670. in 8.

De Plantis, Lib. XVI. Florentiæ, apud Georg. Mareſcottum. 1583. in 4.

Appendix ad Libros de Plantis. Romæ, 1603. in 4.

De Metallicis, Lib. tres. Noribergæ, apud Conr. Agricolam, 1602. in 4.

Quæſtionum medicarum Lib. duo. De Medicamentorum facultatibus Lib. duo. Extant cum Quæſtionibus Peripateticis & Peripateticâ Dæmonum Inveſtigatione. Venetiis, apud Juntas, 1593. in 4.

CÆSAR (*Longinus,*)

De eô extant

Trinum Magicum, ſive Secretorum Naturalium, Cœleſtium, Infernalium. Opus admirandum ac planè novum: continens I. Marci Antonii Zimaræ Concluſiones Phyſicas, Metaphyſicas, Elementales, Cœleſtes, Infernales, Morales ac Doctrinales. II. Alexandri Aphodiſei Quæſtiones & ſolutiones Phyſicorum Mathematicas. III. Alberti Magni Tractatus tres de Virtutibus Herbarum, Lapidum & Animalium, ex Magicæ Diſciplinæ fundamentis erutos. Acceſsêre ejuſdem Alberti Libelli de Mirabilibus Mundi & ſecretis Mulierum, ut & Averrois ac Ariſtotelis Propoſitiones ac Solutiones Phyſicæ. Francof. ap. Antonium Hummium, 1609. in 4.

Trinum Magicum, ſive Secretorum Magicorum Opus: continens I. de Magiâ naturali, artificioſâ & ſuperſtitioſâ Diſquiſitiones axiomaticas. II. Theatrum naturæ, præter curam Magneticam, ſive Unguentum Armarium, & Veterum Sophorum Sigilla, & Imagines Magicas, etiam Concluſiones Phyſicas, Elementales, Cœleſtes, & Infernales exhibens. III. Oracula Zoroaſtri, & Myſteria myſticæ Philoſophiæ Hebræorum, Chaldæorum Ægyptiorum, Arabum, Perſarum, Græcorum, Orphicorum, Pythagoricorum, & Latinorum. Acceſſêre nonnulla ſecreta ſecretorum & Mirabilia Mundi. Offenbachii, apud Antonium Hummium, 1611. in 12. Ibid. ap. Eund. 1614. in 12. Francof. apud Conr. Eifridum, 1630. in 12. Additô Tractatû de proprii cujuſque Nati dæmonis Inquiſitione. Ibidem apud Jacobum Gottofredum Seylerum, 1673. in 12.

CÆSARIUS (*Johannes*) Medicus & Philoſophus Juliaci natus, floruit ſeculô XVI. docuit Coloniæ, ac plures Auctores recenſuit. Studiis & laboribus minimè pepercit; nullatenus tamen ut ſic propriæ proſpiceret fortunæ ſuæ, ſiquidem non habuit quô ſe in ſenectute ſuſtentaret; imò fame obiiſſet niſi ab amicis adjutus. Coloniâ

Coloniâ expulſus eſt annô 1543. tanquam Lutheraniſmi ſuſpectus ; natus ultra 90 annos, mortuus eſt anno 1550. cùm apud Comitem à Nuwenar & Meurſiæ ſeſe contuliſſet. Quidam aiunt eum ad Religionem Romanam iterum reverſum fuiſſe, eumque Coloniæ demortuum anno 1551. inhumatus eſt in Cœnobio Hieronimytarum prope magnum altare, cum prolixiori Epitaphio, in quo inter cætera eum nunquam uxorem duxiſſe notabant. Alexander Hegius cujus fuerat Diſcipulus Deventeriæ, cùm Scholarum Monaſterii, circa finem ſeculi XV. ſtabilitarum, Directionem propter provectiorem ætatem rejeciſſet, illum ad id munus propoſuit.

De eô extant

In Celſum Caſtigationes Hagenoæ, apud Johan. Soterium, 1528. & Salingiaci, apud eundem, 1538. in 8..

Nicolai Bertrutii Compendium recognitum ſuæ integritati reſtituit.

CÆSIUS (*Bernhardus,*) S. E. Mutinenſis.

Ex eô habetur

Mineralogia, ſive, Naturalis Philoſophiæ Theſauri, in quibus metallicæ concretionis, medicatorumque foſſilium miracula, terrarum pretium, colorum & pigmentorum apparatus, concretorum ſuccorum virtus, lapidum atque gemmarum dignitas, continentur. Lugduni, apud Jacobum & Petrum Prooſt, 1636. in fol.

CAGNATUS (*Marſilius,*) Veronenſis, Medicus Celebris, qui initiô Sæculi proximè præteriti Clemente VIII. Paulôque V. Pontificibus vixit. Studuit Patavii ſub Zabarello, cùmque per magnos, tum in linguis, tum in Philoſophiâ, tum in Medicinâ progreſſus feciſſet, inter tot Viros illuſtres qui tunc temporis in Italiâ floruere, electus eſt ad edocendum in Romanô lycæo, ubi reliquum vitæ ſuæ tranſegit. Cagnatus admodùm melancholicus erat, ſeverus quoque videbatur, imò vix loquebatur ; niſi ipſi aliqua præberetur loquendi occaſio, tunc etenim quàm facillimè facundiſſimèque ſe explicabat.

De eô extant in Lind. Renov.

De ſanitate tuendâ, Libri duo. Primus de Continentiâ : alter de Arte Gymnaſticâ : In primô, recenſitis antiquorum opinionibus, in cibi potûſque uſû, tempore, & menſurâ, diſſeritur, quiſnam modus in hoc tempore ſervandus. In ſecundô oſtenduntur varia Exercitationum genera, ac de ipſarum utilitate & Balneorum uſû pertractatur. Patavii, apud Franc. Bolzettum, 1605. in 4. Romæ, apud Bernhardinum Donangelum, 1591. in 4.

Opuſcula Varia. Romæ, ap. Aloyſium Zannettum 1603. in 4.

Sunt autem hæc :

De Tiberis inundatione, Medica Diſputatio.

Epidemia Romana, Diſputatio ſcilicèt de illâ populari ægritudine, quæ annô 1591. & de alterâ, quæ annô 1593. in urbem Romam invaſit.

De Romani aëris ſalubritate.

De urbanâ Febres curandi ratione, Commentarius Apologeticus.

De Morte, causâ Partûs.

De Lignô Sanctô Diſputationes binæ.

Ex quintô librô variarum obſervationum nomina hæc parùm nota enarrantur ; Pharmacopola, Aromatarius, Seplaſiarius, Propola, Catholicus, Unguentarius.

Variarum Obſervationum Libri quatuor ; quorum duo poſteriores nunc primùm acceſsêre. Ejuſdem Diſputatio de ordine in cibis ſervandô, Romæ, apud Bernhardinum Donangelum, 1587. in 8. Priores duo cum Diſput. de ordine ciborum prodiêre Romæ, 1581. in 8.

In Hippocratis Aphoriſmorum ſecundæ ſectionis, Viceſimum quartum Commentarius. Romæ, apud Aſcanium & Hieronymum Donangelos, 1591. in 4.

Enarrationum Liber. Romæ, apud Georgium Ferrarium, 1581. in 8.

CAHAGNESIUS (*Jacobus,*) Cadomenſis.

Ex eô habetur

Brevis faciliſque Methodus curandarum Febrium. Cadomi, apud Petrum Poiſſon, 1616. in 8.

Brevis faciliſque Methodus Curandorum Capitis affectuum. Cadomi, apud Petrum Poiſſon, 1618. in 8.

Aquæ Fontis Hebecrevonii Prælectio, habita in ſcholis Academiæ Cadomenſis. Cadomi, apud Jacobum Baſſum, 1612. in 8.

CAIMUS (*Pompeius,*) Natus Utini in Italiâ A. C. 1568. Patre Jacobô, J. C. cùm Patavii Philoſophiæ & Medicinæ Doctor fuiſſet creatus, in patriâ Medicinam exercuit ; poſt Romæ Philoſophiam publicâ è Cathedrâ docuit : hinc non raro Neapolin ad Vice-Regis, Florentiam ad Magni Ducis aliorumque Italiæ Principum, valetudinem accitus, Pontifici etiam Gregorio XV. lethalem morbum 1623. prædixit, & à Pontifice Urbanô VIII. Eques auratus & Comes Palatinus declaratus, paulò poſt in Gymnaſium Patavinum locô Sanctorii Sanctorii conceſſit, factus nempè ibi Medicinæ Profeſſor. Obiit in prædiô ſuô, Forijulii pagô, Patavii peſte ſæviente A. C. 1631. ætatis ſuæ 63.

De eô extant

De Calidô innatô, Libri tres. In quibus non ſolùm ejus natura explicatur, ſed ſolida etiam Medicorum in hôc argumentô doctrina oſtenditur, & Galenica præcipuè à Neotericorum objectionibus vindicatur. Venetiis, apud Hier. Pintum, 1626. in 4.

De Febrium putridarum Indicationibus juxta Galeni Methodum colligendis & adimplendis, Libri duo. Patavii, apud Petrum Paul. Tozium, 1628. in 4.

CAIMUS (*Zacharias,*)

Ex eô habentur

Conſilia quædam Medica. Extant eô in Opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit. Francof. apud Joh. Sartorium, 1605. in 4.

Joh. Hartmanni Diatriben de Uſû Medico Microſcomi evulgavit.

CAIUS (*Bernhardinus,*) Venetus.

De eô extant

De Alimentis, quæ cuique naturæ conveniunt, Liber. In quô etiam de voluptatis naturâ : de ſapore : de Frigidæ potione : de viribus Salnitri ad refrigerandum : de Aurô potabili : ac de Octimeſtri partû, cumulatiſſimè diſputatur. Venetiis, apud Evangel. Deuchinum : 1608. in 4.

Bernardini Paterni Explanationes in primam Fen primi Canonis Avicennæ in lucem edidit ; Venetiis, apud Franciſcum de Franciſcis, 1596. in 4.

De ſanguinis effuſione, Diſputatio. Ibidem, apud Eundem, 1607. in 4.

Diſputatio, de Veſicantium uſû. Ibidem, apud eundem, 1606. in 4.

CAIUS (*Johannes*) Natus Nordvici in Angliâ A. C. 1510. Joh. Bapt. Montani Patavii diſcipulus ; creatus Medicinæ Doctor Cantabrigiæ ;

giæ ; tumque Regis Edoardi VI. Reginæ Mariæ, & tandem Reginæ Eliſabethæ, Medicus ſucceſſivè factus : Cantabrigiæ Collegium Gonnevilli, in quô litteris imbutus eſt, maximâ ex parte propriis impenſis de novô extruxit idque amplis reditibus in perpetuum ditavit : ibique obiit A. C. 1573. ætatis ſuæ 63.

Ex eô habentur

De Medendi Methodô, ex Cl. Galeni, *Pergameni*, & Johannis Baptiſtæ Montani, *Veronenſis*, principiorum Medicorum, ſententia, Libri duo. Baſileæ, apud Frobenium, 1544. in 8. & cum Johann. Bapt. Montani Opuſculis variis ac præclaris ab Hier. Donzellinô editis. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1558. in 8.

Opera aliquot & verſiones. Videlicet de medendi Methodô Lib. II. De Ephemerâ Britannicâ; Liber unus. Verſio Librorum Galeni, nempe de Libris ſuis. Deo rdine ſuorum Librorum. De Ratione victûs, ſecundùm Hippocratem, in morbis acutis. De Placitis Hippocratis & Platonis. Lovanii, apud Anton. Mariam Bergagno, 1556. in 8.

Cl. Galeni, *Pergameni*, Libri aliquot Græci partìm hactenùs non viſi, partìm à mendis, quibus ſcatebant, innumeris, ad vetuſtiſſimos Codices repurgati, & integritati ſuæ reſtituti, annotationibuſque illuſtrati. Baſileæ, apud Frobenium, 1544. in 4.

Sunt autem

Galeni Liber primus *περὶ τῶν ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων* Græcus, jam primùm inventus, & per Johan. Cajum, in Latinum ſermonem verſus.

Ejuſdem *περὶ τοῦ παρ' ἱπποκράτει κώματος*, nunquam hactenùs impreſſus.

Ejuſdem, *περὶ ἀντεμβαλλομένων*, ex vetuſtô codice integer factus, prius mutilus.

Ejuſdem *περὶ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων* Libri IX infinitis in locis ad vetuſtiſſima Exemplaria tria emendati atque Annotationibus & Argumentis illuſtrati, per Johann. Cajum.

Item *περὶ μυῶν κινήσεως* Lib. II. ad vetuſtos codices caſtigati : additis in eoſdem Annotationibus Johan. Caji.

Ejuſdem Lib. VII. *περὶ χρείας μορίων* Fragmentum, in Codicibus Græcis impreſſis deſideratum.

Hippocratis *περὶ φαρμάκων* Liber.

De Canibus Britannicis Liber unus. De rariorum Animalium & ſtirpium Hiſtoria, Liber unus. De Libris Propriis, liber unus : In quô ſingulorum rationem reddit. Londini, apud Guil. Sereſium, 1570. in 4.

Libellus ille de Canibus Britannicis ſeorsìm etiam extat cum Chriſtian. Franciſc. Paullini Cynographiâ Curioſâ, ſeu Canis Deſcriptione. Noribergæ, apud Joh. Georg. Endterum, 1685. in 4.

CALAFATTUS (*Georgius*,) Cretenſis.

De eô Extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1683. p. 197.

Trattato ſopra la peſtè di Giorgio Calafatti Nobile Cretenſe, Dottore e Profeſſore Publico di Medicina Teorica nel celebre ſtudio di Padova.

id eſt

Georgii Calafatti Nobilis Cretenſis, Medicinæ Theoreticæ, in Academiâ Patavinâ Doctoris & Profeſſoris Publici, Tractatus de Peſte. Venetiis, 1682. in 8.

PEſtis, quæ multas hactenùs Europæ provincias afflixit, multorum etiam naturam ejus ac medelam explorantium ingenia, diverſô cum ſucceſſû, exercuit. Idem argumentum tractaturus Nobiliſſimus *Calefattus*, peſtem veram à contagiô diſtenguendam monet : illam enim ab aëris corruptione dependere, & citra aliarum rerum contactum per inſpirationem ſolam homines opprimere : hoc verò, etſi etiam univerſalem cauſam ſupponat, nonniſi per contactum rerum aut perſonarum infectarum propagari. Præterea peſte verâ non homines tantùm ſive benè ſive malè diſpoſitos, ſed bruta quoque corripi aſſerit, contagiô autem homines tantùm malè diſpoſitos, non verò bruta, niſi res infectas devorâverint. Quemadmodùm verò illos ad contagium excipiendum maximè pronos & aptos judicat, qui rariore corporis habitû ac cute gaudent : ſic denſiori texturâ inſtructos majori cum periculô idem experiri cenſet, quòd hæc venenum ſemel conceptum non adeò facilè evaporare ſinat. Indè, quâ ratione homines peſtis corripiat, oſtendit, ſignaque ejus triplicia, ſcilicèt prognoſtica, indicativa, & rememorativa, ſeu *ἀναμνηστικά* & cauſas peſtis explicat, ac demùm remedia tam præſervativa quàm curativa, prolixâ ſerie recenſet.

CALAMINUS (*Georgius*,) Silberbergenſis.

De eô Extat

Vita Johannis Guintherii Andernaci, Medici Celeberrimi, Carmine Conſcripta. Adjuncta eſt in ejuſdem obitum Nænia, & in funus tumulumque Carmen. Argentorati, 1575. in 4.

CALANDER (*Stephanus*,)

Ex eô habetur

Breviſſima Chirurgicæ Facultatis Compendiaria. In quibus parcâ verborum ſerie, ea quæ neceſſariò in Arte Chirurgicâ conſideranda veniunt, cum artificiosâ & facili componendorum Medicamentorum, ad ejuſdem uſum pertinentium ratione, explicantur. Saviliani, apud Chriſtoph. Strabellum, 1623. in 12.

CALANUS (*Mauritius*,) Ferrarienſis. Vir inter ſui temporis Philoſophos, ac Medicos præſtantiſſimus : In Patriâ Univerſitate primò Cathedram Medicinæ Ordinariam obtinuit ; poſteà in primâ Philoſophiæ Cathedrâ Galeotto Becaleo ſucceſſor fuit, ac etiam Anatomica Provincia eidem fuit tradita. Multa ſcripſit, ſed ſolummodò prælo commiſit. Opuſculum, quod inſcribitur, De Proprietatibus Individualibus. Ferrariæ, 1645. apud Joſeph. Gironum.

CALANUS (*Proſper*,) Sarzinenſis Hetruſcus. Vir Doctiſſimus, primùm Romæ, poſteà Bononiæ claruit, Circa A. C. 1524. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Paraphraſis in Librum Galeni de Inæquali Intemperie. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1638. in 8. Huic adjecta ſunt : De tuendâ Valetudine Commentarius. De Arâ bile Commentarius. De Miſſione ſanguinis in Pleuritide morbô. De Sapore Auſterô, Acri, & Acidô. De Cordis tremore Commentarius. Commentarius de Melancholiâ flatuoſâ, quam Mirachialem vocant cum pluribus ſymptomatibus complicatis.

CALCEOLARIUS junior (*Franciſcus*,) Veronenſis.

De eô extant

PEtri Andreæ Matthioli Compendium de Plantis omnibus : unà cum earum Iconibus, de quibus

quibus ſcripſit ſuis in Commentariis in Dioſcoridem editis: in eorum ſtudioſorum commodum, atque uſum, qui Plantis conquirendis ac indagandis ſtudent. Acceſſit præterea ad calcem opuſculum de Itinere, quô è Veronâ in Baldum Montem Plantarum refertiſſimum itur, iiſdem ſtudioſis utiliſſimum. Venetiis, apud Valgriſium, 1586. in 4. Poſterius hoc opuſculum extat quoque cum Anatome Plantarum Petri Andreæ Matthioli, 1586. in 4.

Muſæum à Benedictô Cerutô inceptum & ab Andreâ Chioccô luculenter deſcriptum & perfectum. In quô multa ad naturalem, moralemque Philoſophiam ſpectantia, non pauca ad rem Medicam pertinentia eruditè proponuntur, & explicantur; non ſine magnâ rerum exoticarum ſuppellectile quæ artifici planè manû in æs inciſæ, ſtudioſis exhibentur. Veronæ, apud Angelum Tamum, 1622. in fol.

CALDARONE (*Jacobus*,) Panormitanus, in lucem editus primò Januarii annô 1651. Litteriſque à teneris annis addictus, non vulgarem eruditionem ſibi comparavit. Philoſophus Medicus, Pharmacopola, & Chimicus expertiſſimus, ſui æſtimationem excitavit. Botanicæ facultati dicatus, plenam plantarum, herbarumque cognitionem aſſequutus eſt, earumque naturam, ac vires ſcientiſſimè calluit. A Siciliæ Archiatrô Lectoris, Recognitoris, & Examinatoris Generalis Siciliæ, Inſularumque adjacentium munera promeruit. Amœniores literas non ſine eruditorum commendatione coluit. Dum hæc Typis traduntur Panormi laudabiliter vivit. Edidit Italicè

Epiſtolam Botanicam, in Librô: *Bizzarrie Botaniche dialcuni ſemplicisti di Sicilia publicate, edichiarate* da Nicolò Gervaſi. Neapoli apud Novellum de Bonis, 1673. in 4.

Pretia ſimplicium, ac compoſitorum medicaminum: de Ordine, & Mandatô Ill. Pretoris, & Protomedici D. Joſeph. Vulgnarnera Principis Ninemi, &c. ab omnibus obſervanda. Panormi typis Petri Coppola 1697. in 4.

Scripſit etiam hæc alia, quæ evulgabit; nempè: *Examen & Ædipus Aromatariorum.*

Italicè

Della natura, qualità, e virtù della terra di Baida Chiamata fuori Panacea, e della Pietra di Montagna di Cane, detta la polvere di Chiaramonte, ò vero del Fondacaro, non ancor da alcuno deſcritte.

Del modo come è fatta la China China, con l'Anatomia di eſſa, e vero modo di conoſcerla, e uſarla. Anton. Mong. B. Sicul. T. I. p. 297.

CALDERA de Heredia (*Caſparus*,) Doctor Medicus Hiſpalenſis ex Luſitanâ origine, vir doctus, atque eruditione variâ perpolitus, ad hæc ſingularis humanitatis, quem ultrà laudare virum modeſtia ejus & amicitia noſtra impedit; ad Eminentiſſimum Franciſcum Mariam S. R. E. Cardinalem Brancaccium Moecenatem ſuum, ſcripſit.

Tribunal Medico-magicum & Politicum: ſive ejus Primam Partem. Lugduni Batavorum apud Johannem Elzevirium, 1558. in fol.

Deinde &

Tribunalis Medici illuſtrationes practicas: hoc eſt Febrium & ſymptomatum exactiſſimam curationem etiam à veteribus traditam, à ſe illuſtratam ac totius operis illuſtrationes & obſervationes practicas; cum pleriſque aliis ſelectis, quæ in Tribunali Medico deſiderabantur. Acceſſit Liber aureus, *De facilè parabilibus è Veterum & recentiorum obſervatione comprobatis & ex arcanis naturæ Chymicô artificio, & artis magiſteriô eductis.* Antverpiæ apud Jacobum Meurſium, 1663. in folio.

Alia medica, & politica parata habet; præcipuè *Theatrum honoris*, ſive confutationem falſæ hominum circa duellum privatum opinionis, vernaculâ linguâ. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T.* I. *p.* 398.

CALESTANUS (*Hieronymus*,)

Ex eô habentur

Obſervationes Pharmaceuticæ, in 4.

CALID Filius Jarichi.

De eô extat

Liber ſecretorum, ſive Lapidis Philoſophici ſecreta ſecretorum admiranda, ſtupenda, quibus Artis myſteria facillimè apertiſſimèque traduntur. Ex Hebræô primùm in Arabicum & demùm in Latinum traductus. Acceſſerunt Animadverſiones Chemicæ quatuor Authore incertô. Francofurti, apud Johannem Bringerum, 1615. in 8. Extat cum veræ Alchemiæ aliquot ſcriptoribus à Guil. Grataloro collectis. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1561. in fol. pag. 233. & Volumine quintô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1622. in 8. Additô huic ejuſdem Librô trium Verborum.

CALLISTHENES. Sanctus Epiphanius, de auctoribus qui de plantis ſcripſere mentionem agens, inter eos Calliſthenem numerat. Non alius videtur quàm qui conſanguineus fuit Ariſtotelis. Illius Calliſthenis notum ſatis eſt infortunium. Dixere Alexandrum eum in Caveam ferream incluſiſſe, deinde leonibus lacerandum præbuiſſe, quòd juſtô liberiùs ſecum Colloquutus eſſet, vel quòd in Regem ipſum conſpiraſſet. Plinius in Indice ſuo Calliſthenem quemdam, forſan eumdem, citat. *Cleric. Hiſt. Med. part.* I. *Lib.* IV. *Cap.* IV.

CALMETTE (*Franciſcus*,) Monſpelienſis

Ex eô habetur

Riverius Reformatus, *cujus ſunt ſequentes Editiones, ac Tituli.* Riverius Reformatus, ſive Praxis Medica methodô Riverianæ non abſimili, juxta recentiorum, tum Medicorum, tum Philoſophorum principia, à Franciſcô Calmette, Monſpelienſis Academiæ Medicô conſcripta, & publicè olim prælecta. Notis ac Tractatibus aliis aliquibus illuſtrata & aucta. Genevæ, apud Samuel. De Tournes, 1687. 8.

Eadem à ſuô Autore recognita & ampliata. Ibid. Sumptibus Societatis, 1706. 8. & 1718. in 8.

CALONYMOS

Ex eô habetur

Galeni, de Clyſteribus & Colicâ, Liber ex Arabicô, Interprete Johannitio, quem in Hebræum convertit.

CALOPETRÆUS, Carthuſius (*Thomas*)

Ex eô habetur

Praxis Medica. Extat cum Georg. Hieronym. Velſchii Conſilior Medicinal. Centuriis IV. Ulmæ, ap. Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4. itemque cum ejuſdem Exotic. Curat. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. Ibidem, apud Eundem, annô & formâ eâdem.

CALVINUS (*Innocentius*) Derthonenſis.

Ex eô habetur

De evoraſiâ conſervandâ, Enchiridion. Sapiæ, apud Bern. Geraldum 1514. in 4.

CALVO (*Johannes.*) Medicæ artis Profeſſor Valentinus, laudabili ad vetuſtatis inſtaurationem exemplô edidit opus cujus hæc inſcriptio.

Chirurgia de Guidô de Gauliaco con la Gloſſa de Falco, nuevamente corrigida y emendada muy añadida, y declarados los vocablos obſcuros, que en ella avia, con un Tratado de los ſimples. Valentiæ apud Petrum Patricium annô 1596. foliô. Item ex propria penû

Primera y ſegunda parte dela Chirurgia univerſal y particular del cuerpo humano. Hiſpali annô 1580. in 4. Matriti 1626. fol. apud Didacum Flamenco. Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p. 505.

CALVUS (*Marcus Fabius*) Ravennas. Vixit ſub Clemente VII. Papâ. Obiit Romæ, A. C. 1527. Juſtus in Chronol. Medic.

Hippocratis Coi Opera, in Latinum à ſe translata edidit.

CALVUS à SALONIA, (*Michael*) Abulenſis, Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor egregius. Ingeniô ac Doctrinâ inſignis inter ævi ſui literatos eminuit. Claruit laudatiſſimus, magnâque æſtimatione proſecutus annô 1575. Obiit Abulæ ibique in lapideô tumulô jacebat, in Eccleſiâ S. Mariæ de Jesû Ordinis Obſervantium S. Franciſci ex Rocchô Pirrô *in not. Eccleſiæ Syracus.* p. 250. qui perperam Alexandrum vocat: at eversô oppidô ob terræ motum anni 1693. inter rudera ſepulchrum latet,

Edidit

Super Porphyrii ad Prædicamenta Ariſtotelis introductione Concluſiones. Addita eſt de librô Prædicamentorum pro omnibus Ariſtotelis expoſitionibus adverſus Hieronymum Balduinum Apologia. Venetiis apud Johannem Comencinum 1575. in 8.

De Febre tertianâ Tractationem, quam non edidit, præoccupatus à Ferdinandô Caſſanô, qui de eôdem argumentô librum evulgavit. *Anton. Mongitor Biblioth. Siculæ T. ij. p.* 73.

CALZAVELIA (*Vincentius*) Brixianus.

De eô Extat

De Theriacæ abusû in Febribus Peſtilentialibus, Tractatus. Brixiæ, apud Vincentium Sabienſem, 1570. 1586. in 4.

CAMANNES, (*Petrus*,) Villafranchenſis, (quod oppidum Dertoſani ſacri territorii in Catalanis eſt) Medicus Doctor Valentinus, ad Auguſtin. Spinolam S.R.E. Cardinalem eundemque Dertoſæ urbis præſulem direxit

In Libros duos Artis curativæ Galeni ad Glauconem Commentaria. Valentiæ, apud Michael. Gorolla 1625. in 4.

CAMELIUS, Medicus Auguſti, quô Imperator ante Muſam uſus eſt. Appulejus *de Remediis ſalutaribus, Divus certè hâc lactucâ conſervatus in ægritudine fertur prudentiâ Muſæ Medici, cùm prioris Camelii religio nimia ei abnegaret.* Nempè Camelius lactucarum eſum ægrotanti Auguſto negabat; Muſæ vero opera ex valetudine ancipiti ope lactucæ convaluit. Fuit autem *Camelius* nomen Romanum ut & *Camerius* & *Camellius*: quorum omnium mentio occurrit in veterum *Inſcriptionum* tomô. Nominatim in eô memorantur *C. Camelius Heracla*: Et C. Camelius Africanus, Fabianus. vid. Salmas. ad Solin. p. 1272.

CAMELLUS (*P.*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1700. *pag.* 552.

De Fabâ S. Ignatii excerpta quædam ex Epiſtolâ P. Camelli ad J. Rajum & J. Petiverum, exhibita in Actis Anglicanis Societatis Regiæ, ann. 1699. *p.* 87. *ſeqq.*

FAbæ S. Ignatii, quas Indus, *Igaſur & Manaog*, i. e. Victorioſas; Hiſpanus nucleos, ſeu pepitas de *Byſayas* aut *Cathalogan* vocat, legitimæ ſunt ſerapionis Nuces Vomicæ, quæ recentes ab argenteâ lanugine ſplendent, & inæquales, variæque formæ deprehenduntur. Harum non rarò viginti quatuor in fructû quôdam melone majore, (qui delicatiſſimâ cuticulâ lævi, ſplendente & viroris luridi, ſubterquam alius cortex deliteſcit, ſubſtantiæ quaſi lapideſcentis cooperitur) coarctantur, carne quâdam flavâ & molli interjectâ. Sequitur hic fructus florem ſuum & ſoboles eſt plantæ *Catalongay & Cantara* dictæ; quæ arbores quaſvis altiſſimas ſeſe involvendo ſcandit, & truncum lignoſum, levem poroſum, ad brachii quandoquè craſſitiem accedentem, corticem ſcabrum, craſſum & cinereum, atque folia ampla, nervoſa, amara obtinet. Fabæ exſiccatæ avellanæ nuci cum putamine pares, nodoſæ, duriſſimæ, diaphanæ, & quaſi corneæ ſubſtantiæ ſunt, ſaporis ſemine citri multò intenſiùs amari, coloris autem inter album & glaucum medii, prout & ipſe ſerapio tradidit. In Inſulis Philippinis, quæ natale ipſis concedunt ſolum, magnarum æſtimantur virium. Potiſſimùm præſervare à venenosô maleficorum, varia aconita ore recondentium inſufflatô halitu, & ab omni venenô, peſte, contagio, incantationibus magicis, philtris &c. immunes præſtare dicuntur eos, à quorum collô amuleti inſtar propendent. Internè vel in infuſô, vel in ſubſtantiâ ſub pulveris formâ vel fruſtatim aſſumuntur. Vomitum ut plurimùm concitant, dejectiones quandòque, motus ſpaſmodicos & convulſivos ferè ſemper in Hiſpanis, in Indis minimè. Ad expellendum venenum vel compeſcendos nimios ſpirituum motus ſi exhibeantur, quocunque tempore, in aliis morbis mane jejunô ſtomachô, ad vomitum ciendum unâ alterâve horâ, poſt paſtum ad ℈ß. cum aliis levioribus emeticis ſumuntur. Collaudantur prætereà nucum harum vires in febri tertianâ & quartanâ; ad urinam & menſes provocandos; ſecundinam, fœtum mortuum, lumbricos pellendos; partum difficilem promovendum; dolorem colicum ſedandum; cruditates ventriculi, diarrhœam, teneſmum, hepatis atque lienis obſtructiones tollendas, &c. Nucis fragmentum, viperæ aliorumve animalium morſui, aut vulneri telô venenatô inflictô impoſitum, venenum lapidis Colubrini inſtar adhærendo extrahit; ad hæmorrhagias cæteroquin ſiſtendas pulvis commendatur. In Catalepſi, Apoplexiâ, Paralyſi, Lethargo, Epilepſiâ, Aſthmate, Catarrhô ſuffocativô & Odontalgiâ, fruſtellum linguæ ſuppoſitum apophlegmatiſmi vices ſuſtinet, ità ùt hôc modô agonizantes quaſi reſuſcitati fuerint, ùt res ſuas componere adhùc valuerint. Oleum tandem per infuſionem, & aliud compoſitum ex nucibus paratur, iiſdem viribus celebre.

CAMENICENUS (*Jacobus*)

De eô extat

Epiſtola quæ continet ſecti cujuſdam Hydropici Hiſtoriam. Reperitur Lib. v. Epiſt. Matthioli, pag. 540.

CAMERARIUS

CAMERARIUS (*Elias Ruldolphus.*)

De Hujus obitû ſic in Act. Lipſienſibus ann. 1695. *pag.* 50.

In Germaniâ, Tubingenſis Academia decus haud exiguum, *Eliam Rudolphum Camerarium* amiſit, Primarium Medicinæ Profeſſorem ac Sereniſſimi Würtenbergiæ Principis Conſiliarium & Archiatrum, die 7. Junii, nondum abſolutô quinquageſimô quartô ætatis annô defunctum: imò ſuperſtitem in filiô Eliâ, Medicinæ itidem in Academiâ Patriâ Profeſſore, cujus eruditionis ſpecimen inſigne, Diſſertationum Medicarum trigam, annô ſuperiore pag. 165. exhibuimus.

De eô extat

Obſervatio, de Iſchuriâ ad 22. dies non lethali. Extat Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. German. Ann. II. N. 176.

CAMERARIUS (*Elias*) Phyſicus Tubingenſis Extraordinarius.

De eô Extant in Miſcell. Curioſ. Dec. II. *A.* X.

Obſervatio 168. *De Frigidâ Maris in fundô Temperie, Experimento comprobatâ.*

Ibid. ann. eôdem, Obſer. 169. *De Phœnomenis quibuſdam ad Antliam Pneumaticam ſpectantibus.*

Ibidem Dec. III. *Ann.* II. *Obſervat.* 199. *De Calore aquarum Mineralium Callenſium inſolitô.*

Ibidem Ann. V. *&* VI. *Obſervatio* 39. *De Naturalis Phoſphori Phænomenis.*

Ibidem Obſerv. 40. *De Epilepſiâ, ſenſû atque ratione ſalvis.*

Ibidem Obſervat. 41. *De ſectione Tumoris pinguedine referti.*

Ibidem Obſerv. 212. *De Cauterii Potentialis in auferendis Tumoribus utilitate.*

NOn omnem promiſcuè Cauterii Potentialis utilitatem reſpicit iſthæc obſervatio, ſed eam ſolum, quæ in auferendis exedendiſque ſuperfluis totave ſubſtantia peccantibus ſe ſe exerit. Cùmque ad ſalium Familiam ſpectent ea corroſiva, (quibus ob compares cum Ferrô candente effectus, eſcharamque quam inducunt partibus, cauterii nomen haud immeritò obtigit) duplicem eô ipſô claſſem ſortiuntur, fixis quibuſdam atque lixivioſis alcalium cenſui adſcribendis, aliis verò acidam indolem referentibus, quorum quidem major, tantaque & tam promta efficacia eſt, ut ſtupenda illa, quâ ſcindunt fibrillas lacerantque celeritate, cauteriorum indolentium nomen ſibi comparaverint; atque horum ex cenſû ea ſunt cauteria, quæ præſenti in caſû, ſucceſſû auſpicatô fuêre adhibita; Matronæ nobiliſſimæ in concavâ palati ſuperficie carnoſus excreverat tumor, cujus equidem prima ſtamina atque incrementa haud animadverterat, uſque dùm eam in magnitudinem excreviſſet, ùt caſtaneam mole æquaret; poſteriorem palati, vicinamque uvulæ partem occupaverat tumor, ita tamen, ut uvulam non attingeret, ſed liber totô in ambitû eſſet tumor, ſi eam partem excipias, quæ maxillæ ſuperioris gingivis erat propinquior. Durities tumoris inſignis fuit, nullis cedens remediis, ſcalpellôque, vulnerata maſſa, ut comparebat carnoſa, ſanguinis aliquot guttis effuſis, ſoliditatem ſuam teſtabatur. Erant Chirurgos inter, qui ferrô, nec deerant qui candentibus ferramentis auferendum tumorem exiſtimarent. Penſitatis tamen accuratiùs circumſtantiis, tum loci cui inhærebat malum, tum & connexarum vicinarumque partium ratione habitâ, præferebantur remedia corroſiva, quæ etiamſi generoſa atque violenta ſint, ſuum tamen impetum moderari patiuntur, magiſque eorum operatio ab arbitriô artificis dependet, quam actualis cauterii, ſiquidem ea quâ par eſt circumſpectione fuerint admota. Eligebatur hinc paribus jam in caſibus comprobatum Oleum, ſive butyrum Antimonii, Mercurii ſublimati atque Antimonii, corroſiva ſoboles, quoniam id cum lintei carpti exili portione applicari pro lubitû cuivis tumoris parti parcius largiuſvè poterat, quanquam ea cutis extimæ durities fuit, ut oleum admotum eam haud fuerit aggreſſum, niſi lanceola primùm vulnerata obiter tumoris ſuperficie, paratoque ſpiculis ad interiora aditû; tangebatur Oleo matutino veſpertinoque tempore tumor, abſcedentibus ſubinde quibuſdam membranarum ſtratis; quanquam reticendum non ſit, dolores non rarò ingentes pertuliſſe ægram, quibus tum congruis remediis anodyno-cephalicis, tùm pauciori nec adeò frequenti Olei applicatione occurrimus; unde effectum quidem eſt, ut pluribus etiam ſeptimanis res non abſolveretur, conſultius tamen ducebatur, blandâ atque circumſpectâ methodo haud feſtinanter rem peragere, quam præpoſterâ acceleratione anſam graviſſimis ſymptomatibus præbere; Hauriebat quotidie III. Domina Decoctum Lignorum, cum ſanguine turgeret & viſcidô nonnihil & non parum impuro atque ad cachexiam prono, præmiſſis tamen tum remediô purgante, tum venæſectione; Linguæ autem, ne corroſivis graviter læderetur, ceratô linteô ore aliquandiu poſt olei admotionem detinendo cautum eſt. Erat verò tumor magis quàm opinari primùm poteramus, rebellis & quanquam in mediô ejus profundius corroſio eſcharaque penetraret, margines tamen pertinaces atque obſtinatæ duritiei offerebat, qui crebriùs, ut oleum, quod ſcirrhoſa eorum compages difficulter admiſit; inveniret aditum promptiorem, exilibus vulnuſculis incidebantur, quanquam ne ſic quidem ſcopum aſſequebatur Chirurgus, niſi infernalem illum lapidem, LunæCryſtallos, vocaſſet in ſubſidium qui & promptius duros margines contactû ſuô adoriebatur, cautiſſimè tamen adhibitus; dici verò non poteſt, quantum iſtos inter dolores ſalivæ ex glandulis fuerit extortum, ſputoque ejectum; eò autem res procedebat ſegnius, quo plures profundioreſque egerat radices tumor, quæ tanquam innumeræ fibræ nerveæ vel tendinoſæ in baſi tumoris jam eò uſque corroſi comparuerunt, quarum latè diſperſarum radicularum ablatio, marginiſque & rebellis quædam quaſi malignitas, ægræ doloris haud parùm, & Chirurgo tædium haud leve, attulerunt. Id verò tandem circumſpecta patientiâ cautelaque effectum eſt, ut ablatô penitùs tumore palatum egregiè coaleſceret, ita ut nullum hactenùs vel tumoris vel moleſtiæ veſtigium ſuperſit; Ægraque à perpetuô grandeſcentis mali metû liberrima nunc degat. Quæ quidem tumores auferendi ratio, proſperô hic ſucceſſû celebrata, eos inter referri meritò debet, quæ dextram artificis cautamque requirant manum, & quas imitari promiſcuè, nec ubique nec artifici cuivis, integrum ſit.

Ibidem, obſervat. 213. *De Curâ Vomitus Cruenti enormis.*

Ephemerid. Germ. Cent. j. & ij. Obſervatio. 173. *De Operoſâ Thermometri Fabricâ.*

Ibidem obſervat. 174. *De Modernis Barometri augmentis.*

Ibidem Obſervat. 175. *Conchiformia arenæ granula.*

Ibidem, Centur. III. *&* IV. *Obſervat.* 53. *De Epitome Foſſilium Conchyliorum in unô lapidis fruſtô.*

Ibidem Obſervat. 54. *De Largâ Alabaſtri comeſtione.*

Ibidem Obſervat. 55. *De Exilis in Canthô oculi vulneris ſingularibus ſymptomatibus.*

Ibidem Obſervat. 56. *De Memoriâ Gravi occipitis percuſſione ſingulariter læsâ.*

Ibidem, Centur. 6. *Obſervatio* 34. *De Spinâ Dorſi violenter tortâ atque emotâ.*

Ibidem Obſervat. 35. *De Periculoſô Faucium tumore feliciter ſublatô curatôque.*

Ibidem Obſervat. 36. *De Tumoribus Colli externi ſingularibus.*

Ibidem Obſervat. 37. *De Arenâ Conchiferâ.*

Ibidem, Centur. 8. *Obſervatio* 42. *De Humorum in Tumoribus anadrome.*

NIhil æquè moleſtum eſt in extirpandis Tumoribus, ac conſtanter auferendis, quam recurſus ille humorum ad priſtinam ſedem, vel potius ſucceſſio, ac collectio novi, partem, quæ ſubſiderat, iterum attollentis liquidi quæ evênire haud infrequenter ſolet poſt eductos manû Chirurgi liquores ex tumoribus, iis maximè, qui liquida ſua peculiari clauſa folliculo continent. Maximi etiam tumores recurſus iſtius ac collecti denuò liquidi ſubminiſtrant exempla; Adminiſtrata in Hydrope Paracenteſis, ſi rariore fortunâ ſphacelum mortiſque accelerationem aliquibus haud inferat, funeſto tamen ſeri in priſtinas ſedes recursû novos tumores, nova chirurgis exercitia exhibet, Hydrocele frequentiora adhùc andromes iſtius ſuggerit exempla cùm non ſolùm aliquoties punctum in pueris ſcrotum novô iterum turgent latice, novo vulnere educendo ſed & virorum frequentia ſe offerant exempla, qui ad operationem iſtam pluribus etiam recurrere vicibus coacti ſunt, qualis nuper obſervatus, qui viginti circiter vicibus liquidam iſtam ſcroti ſarcinam manû Chirurgi depoſuit eduxitque, hactenùs quidèm felici ſucceſsû, quod vix aliis eâdem toties felicitate ſucceſſerit. Maximè hinc placuit quondam operari methodus experti in vicinô Rotemburgo Chirurgi, Steinii, qui plures hydrocele laborantes conſtanti ratione ab iſthôc malô metûque liberavit, facta non ſimplici ſeri eductione, ſed ampliori ſcroti inciſione, ut ipſa extillantis ſeri ſcaturigo, jacto acrioribus paulò digeſtivis mediantibus laudabili ſtabilique fundamento, conſolidato ſic intimius vulnere, penitùs occluderetur. Eadem tumorûm alibi in corpore occurrentium ratio eſt, redeunt facilè humores novi, æquè depravati in ſedes à prioribus chirurgi manû eductis relictas: Extat in præced. Eph. N. C. Tom. Cent. VI. Obſ. 36. exemplum tumoris colli mole ſuâ formidandi, qui ab exilibus glandularum intumeſcentium primordiis à majo inde anno 1714. ad ann. 1716. Jul. in tantam tumorum vaſtiſſimorum congeriem excreverat, ut vir ea mole laborans haud amplius vel tantillum inclinare caput antrorſum, laboriſve ſui objectum poſſet intueri. Adacta vi lanceola ex pluribus iſtis tumoribus eduxerat ejaculatæ cum impetû fuſcam referentis cereviſiam aquæ libras octo, nec deſierat octo continuis ſeptimanis effluere obſcura ejuſmodi aqua largiſſima, quam exceperat fluens per quatuor hebdomadas albicans aliud fluidum ſanioſum, quô finitô, decima quarta hebdomada coaluerant iſta colli vulnera, redeunte illô ad gracilitatem, ſervante tamen duriuſculas cicatrices: Uti verò ibi annotatum eſt, protractam diutius fuiſſe conſolidationem, quod iſtæ colli cavitates non tulerint injectiones, quas graves mox colli ſecutæ fuerint inflammationes, ità vir ille hactenùs à bienniô egregiè valuit, unde de conſtanti ſublatione mali vix dubium ipſi ſuperfuerit ullum. Nuper verò efferri denuò coëpit tumor, cùmque altiùs indies attolleretur, teſtareturque proin de novâ collectione liquidi cujuſcunque, idem Chirurgus, quem cit. locô laudaveram, G. W. Sturmius, menſ. ſept. ann. 1717. denuò aperuit tumorem, effluente ejuſdem generis fuſca ſanie ſeu turbido liquamine ultrà fibræ unius quantitatem. Haud inutile exiſtimo, ſi eà quæ quondam Ephemeridibus inſerta ſunt, ſuppleantur in Decuriis ſequentibus, ſi ſcilicèt eveniant nova ac ulteriora quædam circa eadem ſubjecta, morboſque, vel planè, ut videbatur, vel palliativè ſublatos: Neque enim omnes morborum Hiſtoriæ plenæ mox completæque haberi poſſunt. Supplere igitur licebit, quæ ipſe annorum, temporiſque decurſus ſupplevit in Obſervationibus, varios monſtrando eventus. Non poſſum hinc non allegare hic ſupplementum aliùs quoque obſervationis licèt huic planè diſſimilis ac incertæ Eph. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 54. Recenſui ibi Hiſtoriam fœminæ ruſticæ uterô gerentis, quæ cùm frequenter in urbem tendens indeque rediens, reperiret in viâ fruſta Alabaſtri, picaque ſingulari prehenſa inciperet, ea avidiùs ori ingerere, dentibuſque conterere ac deglutire, adeò ardenti deſiderio ſaxei hujus cibi deinceps tenebatur, ut deficiente cum primis pauperculæ mulieri pane quotidiano, inſolitum hoc edulii genus lubentiſſimè avidiſſimèque ſubſtitueret, ejuſque eſui per plures menſes largiſſimò eò uſque inſiſteret, ut magnas lapidum moles abſumeret, ſine moleſtia primùm evidenti, poſtremis tamen graviditatis ſuæ temporibus lædi cœpit chylificatio, acceſſit tuſſis ferociſſima ac dyſpnœa immanis, excepit tuſſim dextri lateris dolor intolerabilis, conſtrictorius, ſub coſtis protenſus, qui eam compulit, ut Medico errores ſuos fateretur, cujus ſuaſû largiſſima infuſa theeformia, ex veronicâ, ſalviâ, acetoſellâ, rad. helm. &c. ingeſſit, pulvereque uſa eſt viſcerali, abſorbenteque. Miſſa tum ad Ephemerides Obſervatione eventum rei plenum nondum poteram annectere; Dixique largam alabaſtri comeſtionem, innocuam eam appellare tum nondum auſus, qualem tamen dici eam in indice omni jure agnoſcendum eſt; ſatis enim diu poſt abſolutum puerperium eadem mulier ob adverſam viri valetudinem me adire coacta, ſuâ quoque fata grata retulit mente, proſpero ſucceſsû haud caruiſſe miniſtrata ſibi remedia, remiſiſſe, tardius tamen, dolores ſucceſſivè partum ægrè quidem, haud tamen infeliciter, fluxiſſe mediocriter lochia, reliquias ſymptomatum ſenſim ſenſimque evanuiſſe; puellam, quam pepererat, tam larga alabaſtrini pollinis copia paſtum, egregiè auctam, poſtquam mater à diſpnœa ſenſim fuerit liberata, priſtinôque reſtituta vigori; manſit tamen mulier ſatis macilenta, vigore tamen haud deſtituta, crebriuſque hactenùs & pro ſe & pro aliis opem expetiit meam, præteritôque jam annô ſecum adduxit puellam, quam alabaſtro penè ſuffocaverat in uterô adhuc herentem, nunc pedibus teneris, at robuſtis aliquot cum matre horarum iter ſine laſſitudine conficientem, natam annos quatuor, obeſam, optimôque corporis habitû præditam, adeò comeſta illa alabaſtri moles

les infanti non nocuerat! adeò τὸ θεῖον in hâc gravidâ evidentiſſimè eluceſcit, quæ tam graviter, tam immani dyſpnoëâ, anxietate ac dolore à duriſſimô hoc cibi genere afflicta, feliciter tamen unà cum fœtû ſub providentiæ divinæ maniſeſtiſſimô adjutoriô eluctavit.

Ibidem Obſervatio 43. *De Mirâ Vermium Foecunditate.*

NUnquam majori ſtudio in geneſin, indolemque vermium inquiſitum, quam hodiernâ quidem die: quo plura verò circa eos detectâ, eò magis attendere ad phœnomena eorumdem convenit, ut certiora tandem de origine, naturâque eorum obtineamus dogmata, quam factum quidem eſt hactenùs: Innumerare obſervationes loquuntur graviſſima ortum vermibus debentia ſymptomata, nec ea nunc proſequemur, id potiùs miramur, paucos ſæpè vermes, imò unicum obſervatum (vid. Eph. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 140. tam ſtupenda producere mala, ſymptomataque immania, cùm integra eorum quaſi agmina alias vix leve pariant incommodum. Copia enim aliquando ſtupenda, numeruſque eſt incredibilis. Quoties enim videmus innumerabilia aſcaridum agmina, intolerabili ſphyncteris pruritû moleſtiſſima; quoties nidos, quos vocant, vermium integros, ſeu convolutos eorumdem glomeres obſervamus. Superavit verò iſtorum numerum, uti mihi quidem videbatur, larga vermium progenies, quam nuper ruſtica expoſuit mulier. Hæc ſcilicet nata annos 32. jam ab octo circiter menſibus quotidie excernit, nunc quindecim, nunc viginti & plures quoque vermes. Sunt illi ultra pollicem longi non rotundi ſed lati, compreſſi, non tres omninò lineas latitudine æquantes, utrinque latiuſculo, ut mulieri videtur, capite præditi, albicantes, vivi ac vivaces admodùm, prorepentes quippe, vel invitæ, ſibique viam per conſtrictum etiam ſphincterem lubricitate ſuâ parantes per totum diei decurſum, interque omnes mulieris labores: Reputa tecum fœcunditatem vilis animalculi, ac numerum prorsùs ſtupendum non minutiſſimorum aſcaridum, ſed vermium latorum, ſatis grandium, per tot menſes, quotidie tantô numerô prodentium, ac proin aliquot jam millia numerô excedentium. Quanta hæc vermium intra hos menſes multiplicatio, quanta fœcunditas! Id verò dignum admiratione, mihi videtur, quod iſta mulier vix conqueratur de moleſtiâ, ac dubitaverit ferè, an uti velit remediô aliquô contra hoſpites ſuos ſatis modeſtos, ac parùm moleſtiæ creantes. Fruſtrà ſæpè purgantibus, anthelminticis, aliiſque remediis exturbare conamur unum, alterumve vermem, immania producentem in corpore ſymptomata, quæ in cantationem ſubeſſe toties adſtantibus perſuaſerunt, & quantam malorum ferociam excitavit unicus ille excretus in obſervatione ſupra allegata; Hic verò ſucceſſivè millia latorum vermium ſatis grandium, ſtatis quaſi numeris, periodiſque ex inteſtinorum prorepunt erguſtulô, nec multum incommodi hoſpiti ſuæ inferunt. Inde enim ab annô illa ablactaverat infantem, quinquies hactenùs experta menſes. Tormina quædam frequenter ſentit, ſed tolerabilia. Cùm inciperent quaſi proripere vermes, ciborum nauſeam aliquandiu patiebatur fœmina, nunc fortiorem juſto appetitum agnoſcit; crudos fructus ſine moleſtiâ non fert; Cætera ſine diſcrimine atque incommodô ullô aſſumit edulia. Manè aliquoties nauſeam, quaſi vomitus imminentis prodromum ſenſit. Suſurros in ventre percipit, ac ſonos peculiares, ſibi tamen moleſtos. Ab iſtô agmine vermium haud videbatur velle ſeriò liberari hæc mulier, adeò illis aſſueverat ut adſtans amicus rogare eam cogeretur, ut adhibituram ſe infuſum herbarum à Medicô commendatum pomitteret. Tam diſſimilia ſunt fata eorum, qui vermibus laborant! non attingam hîc controverſiam de Tæniâ, de faſciâ latâ, de vermibus cucurbitinis ad quorum claſſem iſti candicantes vermes referendi ſunt. Quantam, quamque ſtupendam horum cohæſio potuiſſet formare atque exhibere catenam; qualem aliquandò nobis obtulit alia mulier ultrà quindecim ulnas protenſam, excretamque, non ſine ruptione tamen, ac terrore miſellæ iſtius, quæ prælongam iſtam faſciam ex anô protraxerat. Iſta verò omnis de vermibus eorumque geneſi doctrina multâ adhùc inquiſitione, experimentiſque etiam poſt modernas magnorum Virorum curas, indiget, quo non parùm quoque conferret Leowenhoëkii circa iſtos in piſcibus vermes induſtria.

Ibidem Obſervat. 44. *De Contagiis Boum in Homines tranſeuntibus.*

DE Lue Boum ſcripta proſtant innumera, nec abs re tamen erit annotare paſſim, quæ ad iſtius contagii hiſtoriam, indolemque ſpectant. Illuſtris D. Præſes, & cum eô ampliſſimæ vir doctrinæ ac praxeos, D. D. Riedlinus ult. Eph. Tom. Dec. V. & VI. Obſ. 70. annotat lue demortuorum carnem pluribus, egenis præcipuè in cibum veniſſe, nec ſiniſtri quid iis inde accidiſſe, tutiùs tamen eſſe ab iiſdem abſtinere, cùm & viſcera & carnes eôdem nutriantur ſucco, eodemque proin turgeant ſanguine, vi legum circulationis quibus addit Celeb. Vir nauſeam facilè hinc ſummâ cum noxiâ capiendam. Exemplum addit viri equum lue ſubitò confectum, tumulantem, brevique ortô carbunculô, mortuum; quibus tres alios ſubjungit carbunculis ſuccumbentes, qui ex morbidæ vaccæ carnibus comederant. Erit ſanè inter pecorum morbos, eorumque malignitatem diſcrimen admittendum; non omnis viſcerum particularis labes mox inficit eâdem labe carnes, cujus in ovibus potiſſimùm exempla ſunt quotidiana. Alia verò ratio eſt malignorum morborum & ſubitaneâ inflammatione necantium. Varia admodùm ſunt pecorum contagia, gradibuſque plurimis diſtincta malignitatis & contagii: unde & nuper cùm tantam per tot terrarum tractus ſtragem ederet famoſa illa lues, non eadem ubique luis ratio, moduſque fuit. Exanthemata à doctiſſimis Italiæ Medicis tam graphicè deſcripta alibi non ſunt obſervata, ſed internus viſcerum ſphacelus &c. Nuper in diſtrictû à nobis parùm diſtante malum ſylveſtria quoque attigit animalia, adeò ut brevi ultrà quinquaginta cervos & 150. variæ ætatis apros invenerint mortuos venatores ſylvarumque præfecti Macilenta verò iſta animalia & conſumpta videbantur. Cauſam alii in noxium rorem, alii in alimenta prava conjecerunt. Sed & pecora eodem tempore frequentia peribant. Accuſabatur lienis vaſtitus, & facilis ruptura, ſignum putredinis aut ſphaceli, in aliis vaccis urina cruenta, teſtis inflammationis internæ & aggeſtionis ſanguinis circa renes præcedebat mortem, utrinque ſubita mors, ſummaque malignitas erat, ut tandem jacturam pellis facere, integraque terræ committere cadavera mallent ruſtici quàm

majora

majora ſubire pericula. Vir enim aperiens vaccæ ventrem gravi perculſus odore ac fœtenti miaſmate totus exhorruit, ſimul verò exſilientes ex cavô abdominis putridæ ſaniei guttæ faciem ejus conſpurcaverant, intumuit mox caput, æſtus ſequebatur intenſiſſimus, ſerpens intumeſcentia ipſa adeò præcordia invaſit, quartôque die ſuccubuit vir alias robuſtus ac ſanitatis priùs integræ: Mitiora expertus eſt fata alius ejuſdem conditionis homo agreſtis, qui ſuæ proſpiciens utilitati ægrotantem mactaverat vaccam, quam & domeſtici comederunt, ipſe verò ex eô capite abhorruit ab esū illiùs carnis, quod cùm pellem vaccæ detraheret, odore ingratô, fœtidôque fuiſſet perculſus, graviterque affectus, unde & malè habere cœpit, & angi circum præcordia, febrili æſtû vehementi per omnem corporis ambitum accensô, capiteque pariter intumeſcente tumentibuſque colli glandulis, datâ verò doſibus inſignibus diaphoreticâ, pulvis pannonicus, ac roob ſambuci tantam ſudoris vim elicuerunt, ut totus diffluens largiſſimô illô ſudoris latice tandem eluctaret ex orci faucibus, præſentaneôque periculô; ubi tamen & horroris & imaginationis vis magna in apricô eſt.

Ibidem, Obſervat. 45. *De Deliriô dubiô.*

DEliriorum indolem haud uſque quaque perſpectam ac manifeſtam eſſe, is minimè in dubium revocabit, qui inextricabiles, quæ animæ & naturam & cum corpore unionem premunt, incertitudines ac difficultates penitùs perſpexit. Paradoxa circa Melancholicos paſſim eveniunt, & in ipſis quoque febribus incerta frequenter eſt deliriorum ratio. Juvat ſputantem eò hiſtoriam recenſere. Æſtate anni 1717. Cùm febres malignæ haud graſſarentur epidemicè, 7. auguſt. conſilium petebatur pro rhedariô; ab aliquot diebus ægrotante, ita tamen, ut obambularet, venam is ſibi ante triduum ſecari curaverat, ratus, eryſipelate ſe correptum nunc degere extra lectum non valet, æſtû ingenti urgetur, data ſibi Bezoardica & præcipitantia videtur adſtantibus delirare; 8. Aug. idem ægri ſtatus, urina multum tincta, non turbatur, 10. Aug. perpetuô in ſilentiô decumbit, clausô firmius ore, variè verò diſtrahi vultum vident adſtantes, juſſi hinc convulſionum metû ad ſuras applicare veſicatoria emplaſtra, plantis verò pedum admovere fermentum cur rutâ ſubactum. Acceſſit pedum durus tumor, non œdematoſus. 12. Aug. ſurrexit quaſi ſanus, veſtimenta induit conſuetô more, rectè ſe valere affirmans, non reſiſtunt domeſtici, gaudent potiùs de valetudine tàm citò redditâ, omnia rectè aptèque gerit ac loquitur, donec templum aditurum impediunt liberi, quæruntque ex me, an liceat illi egredi domô & adire templum, offerunt ſimul urinam adhùc uti priùs tinctam, ajuntque pedes magis tumere, non novum eſt febricitantes ſurgere, veſtimenta poſcere, at ii, qui malignè decumbunt, vix quæ conantur, perficiunt viribus haud ſufficientibus, hic verò nec delirabat ampliùs, nec querebatur, nec lectum volebat repetere, monui, ut probè ipſi attenderent, rogarentque ut decumberet, & porrò alexipharmaca nitroſis atque abſorbentibus mixta exhiberent, infuſum quoque Theeforme addidi ex veronica. Acetoſell. flor. nymph. cichor. rad. liquirit. Decumbit lubens ad juſſa Medici. Alterâ die ſurgit, denuò induit ritè veſtes, aptè primum loquitur, ſtabulum petit, officium apud equos facit, abit ad ſutorem, jubet ſibi ocreas fieri, omnia decenter: pauló poſt tamen alia loquitur, eſſe ſibi tentoria figenda, paranda omnia ad expeditionem (anteà enim Duci militiæ inſervierat) adit Victorem, empturus vini ſpiritum, diſſuadent alii, alii jubent dari, cum ſanus obtentô deſideratô potû inde poſſit evadere, bibit ſpiritum vini, mox graviùs blaterat, ac delirat, redit domum, detinent eum domeſtici, ipſe viam, quæcunque patet, affectat, accurrunt ad Medicum ob æſtum ſummum, ac inſolitum ejus robur anxii de faſcinatione, ſagæ præſtigias, neſcio quas, incuſantes, jubentur ſub comitatû amici eum domi nimis furentem in plateas dimittere, diſcurrit ille, aſſumit tandem pulverem, ex pulv. pannonic. antim. diaphoret. Cort. peruvian. C. cerv. phil. calc. nitr. Cryſt. Cinnab. nat. ppt. quôvis bihoriô, bibit infuſum præſcriptum largiſſimè, repetit dein Medici ſuasû lectum, incipit quietus decumbere per biduum, ac urina tùm ſenſim colore imminuitur, non delirat ampliùs nè verbulô quidem; augetur adhùc pedum tumor; utitur iiſdem remediis; accedit tùm tuſſis vehementior, dyſpnoëa inſignis, ſed pectoralium uſû tandem & iſta & pedum tumor, tardiùs tamen diſparuerunt. Incertum ſanè, dubiumque omninò erat 12. Aug. delirium, ſola urina Medico ſuſpecta; omnia videbantur in Vadô, ſequens autem dies ad phreneticum uſque robur delirium horis matutinis vix perceptibile evexit juvante vini ſpiritû; mirum verò tam citò æſtum illum ſummum, ac furorem inſolitum ceſſiſſe remediis hærente diutiùs circa pedes tumidos, ac præcordia malo, indeque tardius diſcuſſo.

Ibidem, Obſervat. 46. *De Hæmoptyſi diuturnâ ac pertinaci.*

EO perículoſiores vitæ inſidias ſtruit Hæmoptyſis, quô citiùs aliquandò faciliusque vel ipſius naturæ robore, vel medicamentorum exhibitione ceſſat, ſecurumque de ſanitate ſuâ relinquit ægrum, dum occulto ſubdoloque ad phthiſin progreſsû in abditis pulmonum veſiculis rem ſuam agit deliteſcens in profundô hoſtis, nec jam ſputô ampliùs cruento ſe manifeſtans. Hæc igitur rariora ſunt hæmoptyſeos exempla, ubi diuturnam, ac per longa etiam frequentatam intervalla exſpuitionem, tandem tamen felix oſculorum vaſculorumque apertorum occluſio, ſanitatiſque confirmatio non expectata ſequitur. Anomaliæ hic ſunt frequentiſſimæ, & maxima caſuum varietas, omnes verò notari exactè, attendique merentur, cùm nec iſtius affectûs indoles ſatis hactenùs poſita ſit in apricô. Legimus in ultimô Ephem. Tom. hiſtorias ſingulares Obſerv. 93. Patrem Jeſuitam, 25. ann. enormi hæmoptyſi intra triduum ſanguinis triginta libras, nullâ inſequente phthiſi excreviſſe. Obſerv. verò Dec. 6. 57. Hæmoptyſeos periculum fortuitâ emeſi declinatum. Plurimorum aliorum diſſimilia admodum fata frequenter ſumus mirati: Pauci tamen phthiſeos evadunt periculum. Vidimus ſtudioſum, qui obortâ ſubitò tempeſtate adducturus celeri nisû feneſtræ valvam, cœpit ſpuere ſanguinem, videbatur ille coërcitus, ſed intra aliquot menſium ſpatium pulmonum lethalis ac plenaria ſuppuratio ſecuta eſt. Alius per intervalla multorum annorum ejiciens vim ſanguinis ingentem, non phthiſi ſed apoplexiâ tandem obiit. Merebitur verò hic locum aliquem diuturna hæmoptyſis, tandem tamen ſublata. Juvenis annorum 15. totus corpore animôque mobilis, agiliſque vehementi exercitio equeſtri, Vinique ac Cereviſiæ largis ampliſque hauſtibus ingurgitandis deditus, diu jam anguſtiâ ac gravitate

tate præcordiorum oppreſſus, & ab aliquô tempore tuſſiens, Aprili anni 1717. adeò increſcere tuſſim ſenſit, ut ferocia ejus ac truculenta vehementia vultum ejus omninò immutaret, oculoſque ſuâ quaſi ſede emotos in torvum mutaret aſpectum, macie corporis celeriter increſcente, ac tuſſi magis magiſque ad ſtupendam violentiam auctô, tandem initiô Maji aliquot horis in ferarum perſecutione exactis, excitatus à ſomnô inter tuſſis conſuetæ conatus os ſanguine repletum advertit, quôvis poſteà mane evigilans eâdem ratione ore detentum ſanguinem exſpuebat, nihil per diem egerens, ferociſſimâ etiam urgente tuſſi, ſenſit in illô ipsô evigilandi exſcreandique actû retractam ad fauces linguam, tuſſis ſummam illam, priſtinamque violentiam non omninò ſervabat, major verò in dies laſſitudo occupabat ægrotum, ſubrepebat nauſea ciborum, dejectuſque appetitus, macies notabilis, oculique oſtendebant, neſcio quem languorem, imò dixeris ſtuporem. Circà vigeſimum Maji cœperunt die quâvis horripilationes ac rigores veſpertini ægrum corripere. Diebus ſequentibus noctû etiam cœpit miſceri cum ſputô ſanguis non floridus,(cùm hactenus manè ſaltim floridior ipſi eſſet conjunctus) inſignis erat dyſpnoëa, ſecta tum fuit in pede vena, exhibita decocta pectoralia, pulveres pectorales modicè adſtringentes, queis chaquerillæ & Chinæ chinæ portio addebatur, non neglectô uſû nitri moderatô tabuliſque diatragacanthi,cum bolô;pulſus veſperi frequentior fuit; diutius extra lectum permanere non valuit, 24. Maji mox poſt mediam noctem multum ſanguinis cum largô ſputô ejectum eſt, quod obtinuit noctibus ſequentibus, tuſſi eâdem horâ redeunte, eâdemque ſequente excretione. Fortiora tum decocta vulneraria, cùm balſamo celebri Lippeliano exhiberi cœperunt, uſui tamen balſami non multum temporis datum, cùm & acrior fieri tuſſis, & ſputum augeri magis videretur, die enim Maji 28. plus ſanguinis admixtum erat ſputô ac purulentæ quoque portiones innatare plegmati viſcido videbantur. Primis Junii diebus parcior ſubinde videbatur copia cruoris ſputo admixti, 8. atrior conſpiciebatur ille ſanguis, ſequebatur vomitus, ac creſcebat laſſitudo; inſiſtendum pectoralibus viſum eſt: diebus ſequentibus tormina, parùm ſanguinis ſubinde, & laſſitudo modica obſervatur; ſemper tamen ſanguis admiſcebatur copioſo ſputô, 18. autem menſis die plus denuô ſanguinis ſputo mixti ejecit, dolore in dextro ſterni latere perſiſtente; ſectâ hinc denuò venâ, minùs dehinc ſanguinis in ſputô comparuit. Ipſa ſolſtitii æſtivi die largior ſanguis ejectus eſt, eratque laſſitudo major, quod uno alteroque poſt die ità duravit, 25. autem parùm ſanguinis ſe obtulit, 26. Junii nihil ſanguinis ejecit, qui tamen iterum ſe monſtrabat, ſub finem menſis quidem copioſior. Juliô demùm menſe ſubſtitit ſanguinis ejectio, quæ tamen poſtliminio rediit circa 19. Julii diem, poſteà ſenſim evaneſcens, redeunte priſtinô corporis habitû ac vigore carnibuſque auctis, ut per multos jam menſes priſtinis vacare exercitiis eadem violentia audeat, robuſtus, ſed exceſſivô ferè faciei rubore perpetuô ſuffuſus. Adſtringentia fortiora adhibita haud fuerunt, plus abſorbentibus, demulcentibus, mucilaginoſis, gelatinoſis, pectoralibus datum eſt. Qui verò difficultatem conſolidarum pulmonis læſionum ipsâ experientiâ duce agnovit, is mirabitur tam diuturnam vaſculorum apertionem ſtipatam tanta tuſſis violentia, imo truculentia, tantâ corporis macie, virium languore, calore febrili tam diuturnô, non tranſiſſe in pulmonum ulcus, veramque hecticam tam difficulter aliàs præcavendum, ac ferè inevitabilem.

De eô præterea Extant in Actis Lipſienſibus ann. 1695. *p.* 165.

Eliæ Camerarii Med. D. & Profeſſoris Tubingenſis Diſſertationes III. *De ſpiritibus animalibus: ſpiritû fumante Boyliano; Potû Thee & Coffe, Tubingæ apud Philib. Brunn.* 1694. *in* 8.

ELegans Mercurium in exiliſſima ſanguiveha æquè ac lymphatica viſcerum vaſcula injiciendi artificium, ut deſideriô aliquot Virorum eruditorum ſatisfieret, præfationi materiam dedit; utpote quod à multô tempore ſtudiô indefeſſô tùm à Cl. Authore ſuô occultatum, tum quæſitum ab aliis fuit. Profitetur ſcil. Author noſter, ſe ab aliquot jam retrò annis perſuaſum habuiſſe, non dari promptiorem ad perficiendas injectiones methodum, quàm petitô ab aëre antliâque pneumaticâ auxiliô, ſiphonibus ordinariis negotio iſti imparibus; eâque in ſententiâ planè ſe confirmatum fuiſſe viſis Celeberrimi Nuckii præparatis anatomicis atque inſervientibus illi ſcopô inſtrumentis; ut nullus dubitet aſſerere, aëreo opus eſſe embolo, remque in eô totam conſiſtere, ut viſcus, cujus vaſculum tubulo alligatum eſt, in recipiente ſuſpendatur, ità ut in apertum aërem hiet tubulus incurvus, cui applicari Majæ filius, & recipiente evacuatô in quoſvis canalium capillarium Mæandros, aëre externô gravitante & premente, intrudi potenter queat. Quamvis haud inficietur, ſe nonniſi generalia hic tradidiſſe, ſic que ad Nuckii Ruyſchiique, in viſceribus præparandis ſi aſpires elegantiam, dexteritatem haud levem, attentamque circumſtantiarum conſiderationem requiri, cùm & hic uſus faciat artificem. *Primâ* verò *diſſertatione* intricatam ſpirituum animalium indolem Clariſſimus Author illuſtrat, occaſionem præbente experimento à Cel. primùm Bellinô inſtitutô, atque ab Excell. noſtrô Bohnio eruditis publicô programmate communicatô, quô nempè diaphragma animalis à motû jam ceſſans priſtinas molitur ſyſtoles, compreſſiva digitorum nervô phrenicô admotorum versùs diaphragma tendentia accedente. Iſtud ſcil. experimentum in detegendâ ſpirituum naturâ quibuſcunque aliis longè antecellere judicat, cùmque id communiter pro adſtruendâ palpabili eorum conſiſtentiâ adhiberi cerneret, diſſertatione iſtâ contrarium, impalpabilem nempe eorumdem tenuitatem modeſtè evincit. Poſtquam enim eos,qui Chymicis ſpiritibus animales ſimiles dicunt, quique eos ex materiâ quavis poſſe generari aſſerunt, perſtrinxiſſet, ſuam explicans ſententiam requirit in ſpiritibus tum tenuitatem atque mobilitatem inſignem, tum notabile robur unde eos non impalpabiles ſolùm ſed & elaſticos, actu compreſſos, niſuque ſe reſtituendi gaudentes, paucis, aëreos ſtatuit, aëriſque, qui nos ambit, portionem, quam in corpore planè neceſſariam dicit; non aërem mediæ naturæ, quem non magis quàm aquam, terramve mediam videtur admittere; quærenti per quas vias ſubeat aër ſanguinem, in pulmonibus id fieri negat, viamque ipſi cum alimentis eandem aſſignat. Oſtendit dehinc, egregiè experimenti, circa quod verſatur, circumſtantias cum ſpiritibus elaſticis concordare, faciliuſque

que ab iſtis, quàm palpabili fluido, ſolutionem admittere; iſtas verò aëris ſpirulas ſanguini adhùc mixtas vitales vocat ſpiritus. At à ſpiritibus his elaſticis lymphæ permixtis nullam, niſi quam aër impertiri poteſt, peculiarem efficaciam ipſi imprimi contendit, eorumque circulationem, etiamſi ab ipsô non negatam minus cenſet neceſſariam, modumque quô ſpiritus hi ſecernantur, attentiùs conſiderat. Subjungit his motus ſenſuumque phœnomena, elaſticis potiùs quàm palpabilibus ſpiritibus adſcribenda, interque, hæc tenſionem ordinariam partium muſculoſarum, ipſumque motum clariùs ab illis deducit, ut & phœnomenon illud ſolutu haud facilè, contractionem ſcilicèt cordis jam à motû ceſſantis calidæ aquæ applicatione iteratam. Idem poſteà agit circa ſenſus, monſtratque, quî ſuppoſitâ ſpirituum elaſticitate ab iiſdem ſpiritibus in eôdem canali fluentibus eôdem prorsùs momentô partis ſenſus, perfici queat & motus. Admirandam porrò objectorum quæ ſenſus feriunt ſubtilitatem elaterem ſpirituum confirmare, ſenſumque auditûs hâc ratione aëri penitùs adſcribendum cenſet; visûs dehinc luciſque & colorum phœnomena hypotheſi ſuæ faventia in medium profert, inquiritque, cur res duplici oculô viſa non appareat gemina. Subjungit his pathologicam ſpirituum conſiderationem, motûſque & ſenſuum depravatorum ſymptomata ſpiritibus, quos ſupponit, elaſticis adſcribenda fuſiùs probat; omnia ſpirituum depravatorum vitia, oriundos hinc affectus, horumque terminationes unde ſententiæ ſuæ non parùm roboris conciliat, altiùs perpendens.

Diſſertationem alteram Nobiliſſimus Author ab encomiô illuſtris Boylii orditur; ejuſque poſteà ſpiritum fumantem ex calce vivâ, ſulphure, & ſale armoniacô vi ignis extortum, conſiderat, modum parandi, rubicundum colorem, exhalantem continuò in liberô aëre fumum huncque in vacuô recipiente ceſſantem, vim penetrandi quâ pollet fumus, ſummam membranas arctiſſimas permeantem, concretam temporis tractû in liquoris ſuperficie cruſtam ſalino-ſulphuream, ſublimatoſque in phialâ flores; tandemque medicam ejus in pectoris affectibus vim, cæteraque phoënomena exhibens. Dilucidè dehinc horum rationes adducit, penitiùſque ſcrutatur volatilem hanc ſulphuris tincturam, tinctumvè ſulphure ſpiritum ſalis armoniaci, à ſulphureis lamellis & moleculis tum rubedinem liquoris, tum fumos conſpicuos derivans; aëris elaſtici preſſioni atque agitationi, non peculiari in eô latitanti menſtruô originem fumi adſcribens, idque experimentis in recipiente vacuô inſtitutis confirmans. Ubi verò fumos adeò promptè poros membranarum permeantes perpendit, notat analogum, quô contagium propagari queat, modum, heterogeneis exhalationibus, & moleculis in aëre natantibus, eô licèt exclusô, poros cutis humanæ permeantibus.

In Diſſertatione tertiâ, cujus quoque aliquos tangemus apices, calidos Theæ & fabarum Coffee potus, eorumque indolem ſcrutatur, non in genere equidem, quod crebrò paſſim factum novimus, ſed quâ regionem, quam incolit ordinariò vini potû gaudentem, uſum eorum & abuſum contemplatur. Cùmque id non Medicis ſolùm ſcribat, ſed Theophilis omnibus, generalem claramque partium corporis fluidarum atque ſolidarum, tam in naturali quam. p. n. ſtatû conſtitutarum conformationis Ideam præmittit, juxta quam potuum effectus eô ordine expendit, ùt primô locô oſtendat, quantùm efficaciæ ab iſtis potibus ſperare liceat, ut pote quos tanquam novantiquos omninò ſervandos, utileſque, tùm in conſervandâ conformatione partium legitimâ, tùm in reſtituendâ judicat; eam unà controverſiam tangens, an aquæ calori, an Theæ fabiſque effectus, quos infuſa hæc edere valent, adſcribendi ſint: cenſet verò ſpecificam illis virtutem minimè denegandam; multùm tamen, quin plurimùm actuanti illam aquæ calidæ tribuendum eſſe. Monet dehinc, nimium iſtis paſſim infuſis, à nonnullis vi quaſi orbi obtruſis, deſerri, quod minimè queant præſtare; devolviturque dehinc ad abuſus, quos in dies magnô numerô committi probat, tùm omnibus promiſcuè potibus iſtis inhiantibus, cujus effectus funeſtos ſpecialiùs exponit, tùm iis calidiùs quàm par eſt, nimiâque quantitate, & ordine nullô obſervatô hauſtis. Demonſtratque, ut mittamus alia, metuendum hinc eſſe, nè ſanguis nimiô humore aqueô diluatur, aqueuſque minùs elaſticus & iners fiat; probat enim hunc in finem, humidam ſanguinis intemperiem non explodendam, ſed reverà & crebrò obviam eſſe, quod dilucidè & prolixè exponit, eos dein perſtringens, qui fervidis iſtis potibus ſalia volatilia jungere audent, eâque occaſione contra illos diſputans, qui ſanguinem non poſſe nimis fluidum fieri contendunt. Subjungit tandem digreſſionem de Œnopotis & Zythopotis, magnamque horum, quâ temperamenta differentiam, praxi quoque confirmatam probè examinat, cenſet tamen eam non potui ſolùm ſed & aëri, cibo, vitæque generi adſcribendam.

Ibidem, ann. 1717. *Supplem. Tom. 6. p.* 15.

Eliæ Camerarii, Prof. Med. Ord. Tubing. Conſ. & Archiatri Wurtenberg. Diſſertationes Taurinenſes Epiſtolicæ Phyſico-Medicæ ad Illuſtr. Ital. ac German. quoſdam Medicos ſcriptæ. Tubingæ, impenſis Joh. Georgii Cottæ, 1712. 8.

Autor Clariſſimus per biennium àvulſus ab Academiâ, Sereniſſimi Principis Hæredis Ducatus Wurtenbergici Sanitati Auguſtæ Taurinorum conſervandæ cùm invigilaret, quicquid tum cura ea præcipua, ac aliorum illuſtrium Metropolis iſtius ægrorum, ſtudiaque & adverſa perpetim valetudo temporis indulſêre, ſcribendis ad amicos quoſdam, quos vel illa demùm urbs ſplendidiſſima conciliaverat, vel in Germaniâ reliquerat, Diſſertationibus Epiſtolicis deſtinaverat, quarum nonnullas in patriam revocatus typis tradidit excudendas, brevibus nunc à nobis, quantùm materiarum ubertas permittit, recenſendas.

In Diſſertatione I. morbos magicâ vi ac diabolicâ energiâ hominibus inferri poſſe probat. In II. Viperarum languidos ægros reficiendi virtutem illi, quod in hoc animalculô obſervatur, γλυχρῷ tribuit, quod blandam nutrientemque gelatinam ac moleculas obvolvendis ſubjugandiſque ſalium ſpiculis aptas abundè innuit, propter quod vitam ſine nutrimentô diu traducunt, & antliæ pneumaticæ vacuum ſuſtinent. Cùm igitur viperæ venenum acre externè morsû inflictum lethalia inferat ſymptomata, meritò miratur Clariſſ. Autor, idem in ſtomachum animalium admiſſum haud nocere; putat nihilominùs dilui nimis ac debilitari aliorum miſcela ſuccorum illud, antequam ad ſanguinem pervenerit; opinionem autem *Mead*, quâ putat, ſpicula veneni viperini acida in alcali mutari, ex eô argumentô refutat, quod eadem correctio aliis in Ventriculô venenis ſimiliter non accidat. Quâ occaſione ſimul eundem caſtigat, quod exiſtimet, venenum tarantulæ ſitum globulorum ſanguinis pervertere; hydrophobiam à dolore intolerabili in faucibus & ſtomachô

ſtomachô oriri; hujuſque curam per immerſionem in aquam marinam compreſſioni in omnem corporis ſuperficiem ab aquæ pondere factæ deberi; mercurii ſublimati vim cauſticam à partibus mercurialibus, inſinuantibus ſe in poros acutarum partium ſalinarum ſine earum diffractione, ipſiſque majorem ſoliditatem, gravitatem, & mobilitatem largientibus dependere; cicutæ vim cauſticæ acrimoniæ effervescenti cum contentis in ventriculô ſuccis, quæ adurat quaſi tunicam ejus nervoſam, in acceptum eſſe referendam; exhalationum malignarum ex variis terræ locis prodeuntium vim non mineralibus venenatorum foſſilium vaporibus, ſed eorumdem craſſitiei, gravitati exceſſivæ & elateris defectui adſcribi debere; malignas atque peſtilentiales febres à calidâ & humidâ aëris conſtitutione, quæ ipſi partem adimat elateris ſui, dependere. Nec ſubitaneæ mortis causæ à *Dionis* adductæ Noſtrô ubique probantur. In III. Mechanicorum principiorum in Phyſicâ ac Medicinâ uſum egregium eſſe non negat; inter abuſum verò refert, quod eundem in aberrantis naturæ phœnomenis, ut monſtris, valere quidam exiſtimant. Quanquam laudatiſſimum ſit Chymicis atque univerſale quaſi menſtruum aër, ignis etiam æſtumatiſſimus credatur analyſta, non minùs tamen aquæ debere Chymiam, ac plus impoſterum debituram eſſe exiſtimat, ſi hydroſtaticam profundiùs excolere Chymiam penitiuſque libuerit Phyſicis, Chymiciſque modernis, ſiquidem ad hujus leges, præcipuæ Chymicorum operationes reduci queant, ipſaque haud parva ſpondeat in ſcrutandis foſſilium contentis ſubſidia, proût hoc in Diſſertat. IV. fuſiùs exponit. Quid enim ſperandum inde non erit, dicit, in tractatione metallorum, eorumque ex mineris eductione, ad majorem ſimplicitatem minoreſque ſumptus reducenda. Notum enim eſt, quid toſtione & extinctione toſtæ mineræ frequenti mutationis ei inferatur. Ac quid eluitio ac lotio valeat, vel ſola auri granulorum ex Rheni arenâ eductione compertum eſt. Ipſaque ſtrictè ſic dicta hydroſtatica in detegendâ genuinâ foſſilium indeque petitorum ac aliundè quoque deſumtorum remediorum indole multùm valet, ſpecificum ſcilicèt eorum pondus ejuſque ad aquam proportionem, tanquam criterium fallere neſcium, indagando. Quin & docimaſtica hic ſua commoda haud fruſtra promittat, mineris cum aquâ quâ gravitatem ſpecificam collatis, earumque hinc vel divitem vel pauperiorem detegendo indolem, e. g. habet penes ſe Autor tres cupri mineras, & cum primæ in aëre pondus ſit gr. 231. in aquâ 157. aquaque proin ad illam uti 1. ad $3.\frac{6}{75}$ ſe habeat, ſecundæ in aëre pondus gr. 133. in aquâ gr. 97. ergò aquâ ad eam uti 1. ad $3.\frac{25}{36}$ ſit, tertiæ in aëre pondus gr. 85. in aquâ 53. ergo aquæ ad eâ uti 1. ad 2. $\frac{21}{33}$ proportio ſit, haud immeritò hinc infert, duas primas, unam Suecicam, alterâ Suevicam, ex fodinis jam cultis extractas tertiâ eſſe ditiores; hanc verò non promittere multùm, ut ut lunæ veneriſque aliquid ignis detexerit, obtuleritque. Quanquam igitur Monſpelienſium Socium, *Rideux*, admodum laudet Autor, quòd diſſolutiones, præcipitationes, ac Cryſtalliſationes ex genuinis deducere principiis allaborans, ad Geometrica Hydroſtaticaque recurrat principia, in eô tamen cum hoc non conſentit, quod rationem redditurus, cur ſolutæ in menſtruis metallorum ponderoſiſſimorum moleculæ natent, ad inæquale quadratorum cuborùmque decrementum refugiat; id enim ſaltem ſuſpenſam dubiamque reddit ſuam mentem, quòd gravitas ſpecifica corporum, mutatâ eorum maſſâ ac partium numerô texturâque, mutetur, nec ſe ad ſuperficiei vel tardiora vel celeriora decrementa, quâ talia, reſtringi patiatur. In Diſſertat. V. Montis, cui Magni Bernardi nomen eſt, difficilem tranſitum ob nives profundas adumbrat, ſub quibus Cadavera aliaſque res diu conſervari commemorat, allegatque conſervationem corporum in quibuſdam locis naturalem ac diuturnam, in quibus & loci ſiccitas & temperies, exſucca corporum quorumdam diſpoſitio, aëris remotio, &c. concurrunt, imò & artificialem, arcendo aërem. De Sanctorum quorundam mortuorum hâc ratione conſervatorum, ut & vivorum corporum, atmoſphæra ſuavi hâc occaſione agit, hujuſque phœnomeni cauſas reddit. In Diſſertat. VI. ubi de terræ motibus diſſerit, multum tribuit ſulphuri, multum ignis, aëriſque efficaciæ, ſed plurimum aquæ, ſive ſalinas terræ portiones abundantiores ſolventi, ſive poroſas terras lapideſque pervadenti ac ſenſim laxanti, ſive calorem ſua in poros inſinuatione atque periculoſas effervescentias excitanti, tùm & mole ſuâ atque pondere irruenti, gravanti, urgentique, nunc ſub ſchemate fluidæ aquæ, nunc in halitus reſolutæ. In Diſſertat. VII. hiſtoriam allegat viri, ex cujus, ſalivationem mercurialem ſuſtinentis, ore copioſus fluxit ſanguis, cujus phœnomeni ætiologium ſequentem ſuppeditat. Chirurgus ſcilicèt ulceratam linguam oriſque fiſſos parietes ac impuros, & tactû inter mundandum duriori, & acribus nimis ad depurandum adhibitis remediis, nimium irritavit, laceſſivit, ac laceravit, corpuſque univerſum nimis larga ac frequenti unguenti mercurialis inunctione imbuit. Æger olim jam gonorrhœâ laboraverat, magiſque tum prædominante ac manifeſtâ lue venereâ. Sanguis dudum erat cacochymicus, diuturna febrium anomalarum ſeries maſſam ejus, ſenſim magis magiſque vappeſcentem, ſpiſſiorem acrioremque effecerat, acceſſit venerea poſt novam acceſſionem acrimonia. Evacuantibus potiùs febribus ac diuturno caçochymiæ curſui obviam iverat Chirurgus, quam alterantibus, acrimoniam corrigentibus, blandas roſcidaſque partes reſtituentibus ac anticachecticis remediis. Hinc vappidus ſanguis, ſeroſus, multis ſalibus tinctus, nimis fluxilis, ſeu ad fuſionem pronus, hinc, ſubſequenti univerſali ac largiſſimâ inunctione, magna promptaque ſeri ſub ſalivationis decurſû profuſio, ac nimia ſanguinis per læſi ob ulcus oris vaſcula effluxus vix commodè ſiſtendus. Alius certè conſtitutionis fuit ſanguis in juvene, qui ex mercurii uſû ad ſalivationem nullô modô perduci potuit, à lue tamen liberatus fuit. Ægros, qui taliſmodi curam mercurialem ſuſtinent, à diætæ erroribus quibuſcunque graviſſimè affici, notum eſt, idque ſuô exemplô docuit vir munere militari inclytus, qui declinante ad finem fluxû incautiùs ſe ſe lavans ac humectans in febrilem inſultum atque pedis eryſipelas, non ſine periculô in ulcus ſinuoſum tranſiens, ſed tandem curatum, incidit. Miles è contrariô gregarius, accedente ſub ipsô jam largiore fluxû inſultû æſtûque febrili, ſui non compos ex hypocauſtô ſe proripuit, ac ſub diô in nive volutavit, inde tamen nihil ſiniſtri paſſus, nec fluxus cohibitus fuit. In Diſſertat. VIII. de tonitrû Autori ſermo eſt, ad cujus obſcuram indolem explicandam lucem ſe prætuliſſe exiſtimat *Hombergius*, dum ex commiſtione

ne duorum liquorum perfectè ad tactum frigidorum, Olei ſcilicèt deſtillati, ſpiritûſque acidi produci flammam, obſervans, duarum exhalationum ejuſdem cum utrôque hoc liquore indolis concurſum ſimilem in aëre inflammationem poſſe producere, credidit. Fruſtrà autem ſpiritus illos, ſimileſvè exhalationes in ſublimi nubium regione ſupponi putat Noſter, fuſiuſque examinat dilatationem aëris ab aquâ calidâ, & de aëre non elaſticô ſententiam, quam lubentes omittimus. In Diſſertat. IX. contra *Mery* diſputat, qui fœtum ſanguine matris nutriri aſſeverat; inter alia argumenta anaſtomoſes inter vaſa ſanguinea matris & fœtus nec detectas, nec conceptû adeò faciles eſſe adſtruens, cum ovulum ad uterum devolutum ſuaſque ſecum gerens ſecundinas facillimè radicibus ſuis ac filamentis molli utero adhærere, quam vaſculum vaſculo, oſculum oſculo occurrere, & coaleſcere queat, ſiquidem liquida injecta nullum illorum vaſculorum permeare, ac vias illas oculis ſiſtere potuerit *Mery*; accedit, quod ſanguis maternus firmiora perluens viſcera proportionatus infantili corpuſculo non ſit; fœtus autem ipſe ſanguificationis ſeu propriæ circulationis organa acceperit. Negat porrò, poſſe Cryſtallinô humore deperditô in oculô ſuperſtitem eſſe viſum, remque eſſe adeò facilem, diſtinguere in oculô præternaturaliter effectô glaucoma à cataractâ. Nec intactam relinquit *Dodartianam* de perpendicularibus plantarum truncis ac caudicibus ſententiam à *D. de la Hire* perfectam. Cum enim hic exiſtimet, radices plantarum ſucco craſſiori ac graviori, caules verò ſubtiliori ac leviori nutriri, & conſequenter poros radicum eſſe majores ampliореſque quàm caulium poros: Noſter in eâ verſatur opinione communem eſſe omnibus plantæ partibus ſuccum nutritium, ex communi terræ promptuariô hauſtum, atque ex radice in altiores plantæ partes delatum, indeque perpetuâ circulationis lege ad radicem redeuntem, quod *Leewenhoëckii* obſervationes confirmant de invertendô plantæ ſitû, radicibuſque in ramos, ramiſque in radices pro lubitû convertendis; imò cùm non ſola augeatur radix, ſed ſimùl omnes ſuâ proportione partes acquirant augmenta molis ſuæ, nullum hypomochlium in radicis cauliſque confiniis admittit, quin potiùs tenellulam plantæ germinantis texturam uniformem, teneram, poroſam, teneriimiſque vaſculis pertextam eidem aqueô terræ fluido ejuſque lubricis moleculis æquabiliter ubique per viam eſſe ſtatuit. In Diſſertat. X. in *Simoncellum* invehit, qui longè rectius ſe profundiuſque inſtituiſſe examen nervi mollis auditorii putat, quàm *Valſalva* fecerat, quatenus hanc ei aſſignat viam ac diſtributionem per organum auditûs, cujus cavitates non inſtar membranæ vel zonæ, ſed filamenti nervoſi ac mollis in modum pervadat, ac magis magiſque ſerpentinô ductû per varios flexus uſque ad arcus labyrinthi progrediatur, & per duram matrem in ſuperficiem cerebri ſuperiorem ac circum glandulam pinealem ſpargatur. Noſter enim putat, hanc *Simoncelli* ἀκρίβειαν eo uſque rem proſequi, quò nec oculi, nec manus aliorum facilè pertingant, & ipſum illum nervi toties per organi concava circumflexi ad cranii cavitatem cerebrumque reditum turbare magis ſtabilitam ſatis evidenter formandi percipiendique ſoni rationem; ſuſpicatur potiùs, ramulum vaſis ſanguiferi ſurculis ſuis duram matrem cerebrique partes varias perreptantem *Simoncello* impoſuiſſe, atque impoſſibile putat, teneram aëris auris internæ percuſſionem non ſaltem ad percutiendum nervulum in organô, ſed & glandulas cerebri corticales, novumque ibi tremorem excitandum ſufficere. Et ſi vel maximè illûc tranſmitteretur tremor, nullas ibi menti ſiſti aut exhiberi harmoniæ, diſſonantiæ, ſimileſque ſoni varietates, ſibi perſuaſum habet; imprimis cùm conjectura de recurrente ex quôvis ſenſoriô nervô, ſpecies ad ſenſorium commune deferente, admodum vacillet. Præter hæc de præparationibus viſcerum Anatomicis fuſiùs agit, & cùm Itali inſigni Anatomicæ induſtriæ laude dudum præclari extiterint, miratur non immeritò, hos illas hactenùs in uſum non convertiſſe; laudat inde de *Noves* conatus, qui per injectiones & conſervationes cadaverum Anatomiam in altius faſtigium evehere conatus eſt; pro re tamen difficili, imò planè impoſſibili, habet methodum ejus, quam in præparatione integri cadaveris gravidæ unà cum fœtû adhibuiſſe ſe ſcribit. In Diſſertat. XI. de epilepſiæ ac Catalepſeos differentiis ac combinationibus, hujuſque certis dubiiſque ſignis agit, variaſque hanc rem concernentes hiſtorias & obſervationes allegat. Non tamen ſubſcribit Monſpelienſium regiôque Medico, *Deidierio*, qui ſenſorii communis humectationem pro genuinâ catalepſeos causâ habet; ſiquidem ut in ſitû, quem ipſis dederis, membra maneant, vigor ac tenſio haud levis requiratur, & iſte fibrarum adeò humore turgentium ac relaxatarum ſtatus non congruat complicatis affectibus, in quibus æque epilepſia ac Catalepſis reciprocô dominiô ſe ſe excipientes ſæviunt. Multò minùs credibilis Autori noſtro ætiologia motuum inæqualium epilepticorum in hiſce complicatis affectibus à *Deidieriô* tradita videtur, juxta quam exiſtimat eos oriri, quod, vaſa ſanguinea cerebri cùm inæqualiter ſiunt infarcta ſanguine turgidaque, ſpiritus animales cogantur influere inæqualiter ac irregulariter in diverſos, non obſtructis cerebri partibus correſpondentes, muſculos. Concludit tandem Noſter, rariſſimam eſſe catalepſin putam ab omni convulſione ſeparatam, imò nullam, ſed catalepſeos immediatam cauſam eſſe convulſionem, ità ut fibræ partium jam turgeant antea ea ſpirituum fortius iis intruſorum copia, quæ ad fortiorem ſufficiat fibrarum tenſionem, quâ demum ceſſante, principii nervorum ſuccedere queant convulſiones. In Diſſertat. XII. mentionem facit febrium cum vermibus conjunctarum, & epidemicè graſſantium, circa quas tamen advertere ſuadet,num in morbis diuturnioribus cauſæ an effectus rationem habeant iidem; atque in anthelmintica ſimul inquirit. In Diſſertat. XIII. eundem continuat diſcurſum occaſione febrium caſtrenſium Tubingæ quondam illatarum, ac per aliquot annos ſub diverſô ſchemate ſævientium; earumdemque Syndromen ſymptomatum, difficiles ac periculoſas terminationes, anomalias inſignes, & vermium connubium, nunc cauſæ, nunc effectus quaſi rationem habentium deſcribit. In Diſſertat. XIV. de magneticâ declinatione differens, varias equidem methodos pro eâ inveniendâ; tum Anglorum, tum Sturmianam, tum Hautefevillanam, Teuberi, Franc. Tertii de Lanis, aliorumque allegat, atque æſtimat; quoniam verò omnes hæ ſuis ubique non carent incommodis, ſimplicem facilem nec incertam ſuppeditat

peditat methodum his verbis : *In trabe ſeu aſſere ſpiſſiore probè complanatô, atque accuratè ad libellam ſive horizontaliter collocato, inque, illô ſitû immobiliter firmatô, eâ quâ fieri poteſt dexteritate atque circumſpectione juxta methodum aliquam ſelectam ac prae aliis certam ducatur ſubtilis linea meridiana, protendaturque & continuetur hæc pro lubitû. In aliquô ejus punctô erigatur parvulus ſtylus cylindricus, exiguæ craſſitiei, cujus apex ità omni curâ acuminetur, ac diſponatur, ut impoſitæ acus magneticæ motus quaquaverſum liberrimus eſſe queat; ita verò infigendus eſt ſtylus, ut centrum ejus lineæ inſiſtat meridianæ, huic verò humili ſtylo circumligetur tenue filum ſericum longitudinis indeterminatæ ? à centrô autem ſtyli exactè incipiendo abſcindatur ex lineâ iſtâ meridianâ portio quædam pro lubitû longior aut brevior, menſureturque in partibus, quantum licèt minimis, partium v. g. 1000. 10000. plurium vel pauciorum; in determinatæ hujus lineæ extremitate erigatur perpendicularis : dehinc acus probè conſtructa diſpoſitaque ac decenter acuminata ſtylo imponatur, & poſtquam quieverit filum ſub acû (ſic tamen ut acum non tangat,) circumſpectè ita extendatur, uſque ad lineam in extremitate meridianæ normaliter erectam, ut cum acû exacte ſit in eodem verticali ac ſub ipsô extimô ejus cuſpide protendatur; locus verò ſeu punctum, in quo filum tenue normalem ſecat, ſedulò notetur, ut portio normalis inter meridianam & filum intercepta in iiſdem minimis partibus poſſit commenſurari. Iſtâ verò menſurâ cognitâ angulus declinationis amplius latere nequit; eruendus ſcilicèt trigonometricè juxta hanc analogiam: Uti determinata pro lubitû meridianæ à centrô ſtyli ad normalem longitudo, ad longitudinem normalis inter meridianum ac punctum interſectionis cum filô interceptæ; ità radius ſeu ſinus totus ad tangentem arcus delineationis magneticæ acus, cujus in magnitudinem inquiritur. Sericum enim filum ex eôdem cum meridianâ centro protenſum cum illâ ac prædictâ normali triangulum rectangulum conſtituit, facilè hâc ratione ſolvendum; cujus duo latera rectum angulum comprehendentia ex ipſâ menſuratione nota ſunt, ac proin cum ſe abeant ad invicem, ut radius ad tangentem, analogiam iſtam ſuppeditant, poteritque angulus eò accuratius, imò in minutis quoque & ſecundis obtineri, quo plurium partium meridiana ſeu radius fuerit aſſumtus; manifeſtum enim eſt, poſſe eum pro lubitû extendi : Filum verò ſericum quædam quaſi acûs magneticæ prolongatio eſt, ipſiûſque ſupplet brevitatem ac ineptitudinem in determinandis declinationum minutis. Unde totius negotii cardo in eô vertitur, ut filum maneat conſerveturque in eôdem cum centrô ac cuſpide acus verticali, quod ipſô oculorum ſollicitè admotorum judiciô commodè fieri poterit, ea tamen obſervata cautela, ut uni tentamini fides non habeatur ſed vicibus iteratis extendatur denuò filum, egregium certitudinis daturum argumentum, ſi in eôdem conſtanter punctô normalem ſecet.* Interim non potuit non *Hallejanam* de cauſis variantis magneticæ declinationis ſententiam taxarè. In Diſſertat. xv. circa gloſſopetras dum verſatur, eam fovet opinionem, nunquam fuiſſe veros dentes dentiformia iſta corpora, quæ *Riviere* in medium produxit; mirum certè eum tenet, quâ ratione iſti dentes cetaceorum tantâ in copiâ intra Germaniæ viſcera rupiumque duriſſimarum intervalla penetrent in locis à mari remotiſſimis; adeò ut vel ipſi *Woodwardo* facilè futurum non ſit, cum ſua iſthæc hypotheſi conciliare, cui tamen varia movet dubia Noſter. Inque hunc ulteriùs invehit in Diſſertationibus quatuor ſequentibus, negans eandem ubique eſſe terræ faciem internam, imprimis quoad magnam illam teſtaceorum ſtratis incluſorum copiam, quam in Angliâ obſervavit Antagoniſta, nec in eô cum hoc conſentit, quod perpetua fundi marini tranquillitas ſit; quod ſtratorum ordo juxta gravitatem ſpecificam ſe non habeat, & quod unicornu foſſile, lapis judaicus, entrochus, aſteria; bufonites, gloſſopetra, cornu Ammonis & alia id genus corpora nil aliud ſint quàm dentes, oſſa, aliæque animalium marinorum in diluviô univerſali cum aliis relictorum partes. Multò minùs concipere ſibi poteſt plenariam terræ diſſolutionem diluvii tempore factam & globo terræ aquis opertô, omnes lapides, metalla omnia ac foſſilia totaliter fuiſſe diſſoluta, & in particulas nullô nexû cohærentes diviſa, quæ unà cum terrâ & arenâ, animaliumque & vegetabilium partibus omnibus aquæ fuerint confuſa & in illa ſuſtentata, ut unam communem conſtituerent maſſam. Nec credit, in imis terræ viſceribus aquarum eſſe collectionem, vaſtam ſphæram centralem conſtituentem, circa quam ſtrata terræ collocari atque expandi incipiunt; hancque aquam per certos meatus communicare cum oceanô, eſſeque commune centrum aquarum centralium & oceani, ità tamen ut ſuperficies illarum ſit adeò plana uti aquarum marinarum, neque harum ſuperficiei paralella; haſque denique aquas per fiſſuras ſtratorum incumbentium aſcendere ex hydrophylaceô ſuô ſphæricô, & fiſſuras omnes, omneſque poros & interſtitia terræ lapidum aliorumque corporum totiûs globi terreſtris ad peripheriam uſque implere. Nec admittit cauſam terræ motuum à *Woodwardô* allegatam, ſtupendos illos effectus ab igne ſubterraneô, aquam abyſſi valdè rarefaciente, in confuſos adigente motus, extendentes ſe in terram abyſſô ſuperſtratam, eumque concutientes deducente. Univerſales enim ſic futuros terræ motus, credit, ſi abyſſi aquæ ità rarefierent, percuterentque terram; mavult potiùs ad aquas confugere, haud ità profundè locatas, caloremque ſuperficiei viciniorem, quanquam nec ſolum calorem, nec ſemper accuſandum exiſtimet. Porrò metalla omnia ac mineralia in terrâ reperiundâ in ſuis locis à diluviô repoſita eſſe, ſibi non perſuadet, ſiquidem ſemper manet maximum κρινόμενον diſſolutio ſolidiſſimorum horum corporum in minutiſſimas moleculas, ſuſtentatio eorumdem in aquâ tot vicibus leviore, ac lenta adeò ſubſidentia. Petrificationis cauſam rejicit *Woodwardus* in aquam fluvialem rapidius ex fontibus ſuis fluentem & particulas ſecum ſeleniticas, argillaceas, &c. convehentem, quæ depoſitæ iterum, ubi de fluxû vehementi remittit aqua, incruſtent corpora obvia. Regerit autem Noſter, ſi nihil aliud requireretur, petrificantes ejuſmodi aquas frequentiores eſſe, quæ tamen in aliquibus regionibus raræ admodum ſint; intimiorem ſanè Saxearum, vel ſi mavis, ſeleniticarum partium cum aquâ unionem, vinculumque arctiùs requiri, ſi aptæ eſſe debeant ad iſtiuſmodi incruſtationes; ſolùm rapidiorem ex fonte fluxum non ſufficere, nec parem eſſe ſolvendis abradendiſque ſub ſubitaneô tali tranſitû lapidum ramentis: neceſſe proin eſſe,

eſſe, aquam talem eas ab ipſâ ſuâ ſcaturigine in ſinû ſuô geſtare, non ſimpliciter natantes, ſed ſolutas quaſi, quanquam diverſos dari gradus ſpecieſque, non dubitet, cùm alia corpora parùm, alia magis incruſtata, alia petrificata compareant. Exhalare ex terrâ tum internô, tum externô Solis calore excitata corpuſcula mineralia varia, ſulphurea, ſalina, illaque cum ſeleniticis, aluminoſis, aliiſque, convehi præcipuè ad thermas, ſtatuit *Woodwardus*, & ea quidem copia, ut hæ natura calidæ aquæ acidulas ſuperent non minùs materiæ mineralis copiâ, quàm calore. Noſter verò exiſtimat, parum mineralium & in thermis & in acidulis eſſe, illas hâc prærogativâ ſaturationis plenioris, partium ſcilicèt activarum, deſtitui; difficile eſſe conceptû, ipſa mineralia craſſa ac graviora corpuſcula, uti ſelenitica, ſub halituum ſpecie in aërem elata ſtalactitas, ſtiriaſque ſpeculares ex cryptarum fornicibus pendentes formare. Ex eâdem origine nitri geneſin repetit *Woodwardus*, jungens tamen interno terræ calori acceſſorium, ex animalibus eorumdemque recrementis exſurgentem. Noſter autem pro compertô habet, colligi & aſſervari fideliùs in ſiccâ terrâ nitrum quàm in eâ, quæ perlui frequentiori ſolent humore. Sulphuris nitrique halitus pro cauſâ tonitruum fulgurumque adducit *Woodwardus*, cui opinioni præter alia hoc opponit dubium Noſter, quod in regionibus meridionalibus, durantibus etiam pluviis, trementibus cœli fragoribus concutiantur omnia. Iiſdem halitibus à calore elevatis peſtem febreſque malignas adſcribit *Woodwardus*, cui regerit Noſter, aliam rationem eſſe febrium epidemicarum, ipſiuſque peſtis facilè propagandæ, ubi nec arſenici, nec noxii alius mineralis veſtigium poſſit oſtendi, imò ipſa febrium ſymptomata huic ſententiæ refragari. Succinum non eſſe ſubſtantiam gummoſam vel reſinoſam Solis vi ex arboribus extractam, in flumina & mare delapſam, ibique coagulatam & induratam, quæ antiquorum fuit opinio, ſed eſſe potiùs foſſile nativum, tempore diluvianô in terræ, arenæ &c. ſtratis primitùs repoſitum, dicit *Woodwardus*, quem tamen breviter refutat Noſter. Mittimus alias ejus opiniones circa ſuperficiei terreſtris mutationes, foſſilium figuratorum ortum, à Noſtrô notatas, hoc ſolum addentes, clariſſimum Autorem, in Diſſertat. XX. ſeu ultimâ ſpecimen tentaminum ſimpliciſſimorum, quibus præcipuas experimentalis Phyſicique ſtudii doctrinas in patriâ nuper Academiâ curioſis exhibuit, ſiſtere.

Ibidem, ann. 1721. *p.* 231.

Eliæ Camerarii, Med. Doct. & Prof. Publ. Ord. Tubing. Conſil. & Archiatr. Wirtemb. Acad. N. C. Hector. III. *Syſtema Cautelarum Medicarum circa præcognita, parteſque ſingulas Artis ſaluberrimæ, diſcentium commodo methodo eclectica concinnatum. Francof. ad Mœnum, in Officinâ librariâ Mulzianâ,* 1721. *in* 4.

ARdua omninò res eſt atque difficultatis plena, Medicinam docere, ac præcepta artis tam ſalutaris inſtillare diſcentibus, hiſce quidem temporibus; quibus qualeſcunque promiſcuè recipiuntur hypotheſes, quæ tamen ab aliis eâdem facilitate exploduntur. Obſoleta enim nunc ſunt ſcholaſtica, Sylviana, Carteſiana, Helmontiana, Chymica principia, pro quorum conſervatione, tanquam pro aris & focis dimicandum eſſe, ſibi perſuaſerunt haud pauci. Et quæ, quæſo, Medicinæ Mechanicæ prædicenda ſunt fata, cùm multi non ſine pompâ ad Mechanicam provocent, qui vel plurima ejus elementa quàm profundiſſimè ignorant? Hæc perpendens Clariſſimus Camerarius, quem in Actorum noſtrorum ſupplemen. VI. pag. 163. Eclecticæ Medicinæ ac Phyſicæ ſpecimina recenſentes, alibique commendavimus, præſtare dicit in præfatione harum Cautelarum Medicarum, viam tenere Eclecticam, tyroneſque ità ad penetralia artis introducere ut per omnia iſthæc atria penetrantes ea retineant, quæ laudem calculumque merentur, ipſumque Hygieines palatium tandem occupant, omnibus iſtis exornatum, ùt, neceſſitate uſûque exigente ea valeant ſeligere, & depromere ex farragine ſelecta principia ac præſidia, quæ ſolida ſint, à partium ſtudiô aliena, atque in ipſâ rerum naturâ firmiter fundata, non habitâ ratione vel auctoritatis, vel opinionis, aut aliorum præjudiciorum. Cùmque Illuſtrem Jureconſultum ac ſtatus Regii Miniſtrum, D. Thomaſium, probare hanc methodum, ac Cautelas circà Jus Civile ſtudioſis Jurium ſuppeditâſſe obſervâſſet, imitari celeberrimum hunc Virum, ac Medicinæ ſtudioſis Cautelas nonnullas ad omnes artis hujus partes juxta ea, quæ in publicis tradidit Lectionibus, ſubminiſtrare annîſus eſt, quæ ipſis poſſint eſſe ſpeciminis locô, quô uti queant in legendis conciliandiſque tam variis Medicorum ſcriptis atque hypotheſibus. Exhibet igitùr in hôc tractatû ad exemplum jam laudati Thomaſii Cautelas circa conceptum veræ eruditionis & ſapientiæ in genere, circa media perveniendi ad ſapientiam, circa conceptum Medicinæ in ſpecie, circa præcognita illi ex linguis ac Philoſophia ſubſtruenda, & circà Botanicam, Materiam Medicam, Chymiam, ac Anatomiam ſpectantia; circa Phyſiologiam, Pathologiam, Semioticam, Diæteticen, ac Therapeuticen; circa obſervationes adhibendas: circa partum naturalem ac violentum ſeu artem obſtetriciam; circa Chirurgiam: circa Medicinam Forenſem; ac circa Anatomiam Practicam. Specimina aliquot hujus operis exhibere eò magis dubitamus, quo certiores ſumus, Lectorem Benevolum, librum ipſum evoluturum, haud exiguum fructum exinde reportaturum eſſe. Hoc ſolummodò monemus, Clariſſimum Auctorem in Cautelis circa obſervationes adhibendis Clariſſimi Stahlii Obſervationes Luculentas, peculiari Diſſertatione exhibitas, exempli loco commendare diſcentibus, ac illuſtrare, ut eâdem methodô circumſpectè utantur in formandis commodô ſuô obſervationibus, ſeu regulis artis, quas ſibi ex phœnomenis non ſine curâ attendendis conferendiſque mente efformant; ne ſibi talia fabricent præcepta practica, quæ, cùm axiomatum certitudinem præ ſe ferre videantur, errores potiùs ac præjudicatas opiniones contineant, ægris funeſtas, aut ſaltem minùs utiles ac proficuas; porrò in cautelis circa partum naturalem & violentum Lagerii de Govey & Domini Peu placita examinare, eaque vel confirmare vel in dubium revocare; eidemque methodo inſiſtere, quandò in Cautelis circa Chirurgiam Dionyſii ſcripta pro exemplô ponit; circa Medicinam Forenſem, Pauli Zacchiæ Quæſtiones Medico-Legales, Pauli Ammani Irenicum Numæ Pompilii cum Hippocrate, & Michaëlis Bernhardi Valentini Pandectas Novellaſque ſub examen vocat; ac denique circa Anatomiam Practicam, Theophili Boneti Sepulchretum in ſcenam producit.

CAMERARIUS (*Joachimus*) Papebergenſis Germanus, eruditione inclytus, præteritô ſeculô ſcripſit plurima, tranſtulit in Latium Geometras, Arithmeticos, Aſtrologos, Oratores, Hiſtoricos, Poëtas, ex vetuſtate varios. Obiit Lipſiæ A. C. 1574. ætat. 74. P. Jovius, *in Elog. C.* 146. *Turneb. Lipſ.* Voſs. de ſcient. Mathem. C. 65. ſ. 14. Vide & *Joachimus.* Addo hîc ſaltem Patrem illum fuiſſe filii cognominis, qui natus A. C. 1534. in ædibus Melanchthonis, Patris amici, educatus, Medicinæ gloriâ effloruit, ac paterna ſcripta collegit, ediditque; ipſe *Horti Medici ac Philoſophici* auctor. Nec non Philippi, qui ſcripſit *Meditationes Hiſtoricas*, à Simone Goulartio Gallicè verſas & auctas. Fuit & tertius *Joachimus Camerarius*, junioris filius, celebris itidem Medicus, de quibus omnibus vide Melchior. Adami, *in Vitis Medicor.* & Antonium *Teiſſier in Elogiis Eruditorum Vol.* 1. *&* 2. Hoffm. Dict. T. j. p. 665.

Ex eô habentur in Lind. Renov.

Commentariolus de Theriacis, & Mithridateis. Item ad Pamphylianum, Libellus. Galene Andromachi. Theriaca Antiochi. Antidotus Philonis. Converſa in Latinum: Adjectis & his, & aliis quibuſdam Græcis, diligentiâ magnâ emendatis. Noribergæ, apud Johan. Petrejum, 1534. in 8.

Barthol. Marantæ Libros duos, de Theriacâ & Mithridatiô, Latinè Italicô vertit, & Indicem eorum, quæ hìc tractantur, copioſum, ad calcem ſecundi Libri rejecit. Francof. apud Hæredes Chriſtophori Egenolphi.

Item Joh. Philipp. Ingraſſiæ, Brevem Methodum Curandi Peſtiferum Contagium, quod annô Chriſti 1575. & 76. Panormum, Metropolim Siciliæ, invaſerat.

Victûs & Cultûs ratio, expoſita quatuor in ſingulos menſes verſibus. Extat cum Scholâ Salernitanâ, Antverpiæ, apud Johan. Withagium, 1562. in 16. Francof. 1612. in 12. Vid. Schola Salernitan. Item Joh. de Mediolan.

Epiſtolæ plurimæ Medicæ. Extant cum Ciſtâ Medicâ Johan. Hornungi. Noribergæ, apud Simon Halbmagerum, 1625. in 4.

Conſilia aliquot Medica. Extant eô in Opere, quod Johan Wittichius collegit & edidit. Lipſiæ, apud Heningum Groſſium, 1604. in 4.

De Tractandis Equis, ſive, ἱπποκομικὸς Ejuſdem Converſio Libelli Xenophontis de Re Equeſtri in Latinum. Hiſtoriola Rei Nummariæ, ſive, de Numiſmatis Græcorum & Latinorum. Tubingæ Suevorum, apud Ulricum Morhardum, 1539. in 8.

Διασκευὴ ὀνομαστική, hoc eſt, Diligens Exquiſitio nominum, quibus Partes Corporis Humani appellari ſolent. Additis etiam Functionum nomenclaturis. Baſileæ, apud Hervagium, 1551. in fol.

CAMERARIUS (*Joachimus J. F.*) Natus Norimbergæ, A. C. 1534. Patre Joachimô Camerariô, Profeſſore Lipſienſi: Impetratô Bononiæ in Italiâ 1562. Medicinæ Doctoris titulô, in patriâ 1564. ſedem fixit, inque eâdem Medicinam facere cœpit; ubi Collegium Medicum inclyti Senatûs auctoritate annô 1592. fundavit, ejuſdemque Collegii Decanus ad vitæ ſuæ finem permanſit. Ad Chriſtianum Saxon. Elector. lethali morbô decumbentem aliquandò evocatus, celeriter quidèm Dreſdam venit, nec tamen vivum Electorem reperit. In Medicamentorum præparatione adeò ſollicitus fuit, ùt plerumque illa priùs deguſtaret, quàm ægroto propinarentur. Chymica etiam excoluit, in quibus non exiguos ſumptus fecit, quamvis illis cautæ & rarò uſus. Et Hortum plantis Exoticis refertum extra urbem magnis impenſis còluit, quem etiam ſub titulô, Hortus Medicus & Philoſophicus: typis exſcribi curavit; hanc ob cauſam inivit amicitiam cum Celeberrimis Botanicis qui tàm in vivis erant, charuſque fuit ob hoc ſtudium Wilhelmo, Haſſiæ Landgravio qui Caſſellis, ad Hortum ſuùm adornandum Camerarii Operâ uſus eſt. Ex Miſniâ ab Elect. Saxon. Auguſtô domum reverſus in morbum difficilem incidit, eòque obiit A. C. 1598. ætatis ſuæ 64. relictô inter alios liberos Joachimô, qui poſteà in Medicinæ Doctorem & Medicum Noribergenſem Celeberrimum evaſit. *Ex eô habentur*

Ἐκλεγὰ γεωργικὰ, ſive, Opuſcula de Re Ruſticâ: quibus præter alia, Catalogus rei Botanicæ & Ruſticæ ſcriptorum veterum & recentiorum, inſertus eſt. Noribergæ, ap. Petr. Kaufman, 1596. in 8. apud Catarinam Gerlachin, 1577. in 4.

Hortus Medicus. Quo plurimarum ſtirpium breves deſcriptiones novæ Icones non paucæ, cum euporiſtis remediis, aliiſque ad rem Botanicam facientibus, afferuntur. Item Sylva Heregnia, ſive deſcriptio plantarum Sylvæ huic ſponte innaſcentium Johannis Thalii, *Northuſani.* Junctim Francof. apud Feyrabendium, 1588. in 4. Ibid. 1654. in 4.

De Plantis, Epitome utiliſſima Petri Andreæ Matthioli, *Senenſis*, novis Iconibus & deſcriptionibus plurimis nùnc primùm diligenter aucta à Joach. Camerariô. Acceſſit Catalogus Plantarum, quæ in hôc compendiô continentur exactiſſimus. Francofurti, apud Feyrabendium, 1586. in 4.

Symbolorum & Emblematum Centuriæ tres: I. ex Re Herbariâ deſumtâ. II. Ex Animalibus. III. Ex Inſectis. Quibus rariores ſtirpium, Animalium, & Inſectorum proprietates, cum Philologicis aliis complexus eſt. Noribergæ, ap. Johan. Hofman & Camoxium, 1593. in 4. Francof. 1654. in 4. Hæc Editio cum Iconibus æri inciſis aucta.

Synopſis quorumdam brevium, ſed perutilium Commentariorum de Peſte Clariſſ. vvv. Donzellini, Ingraſſiæ, Cæſaris Rincii, & poſt hæc ſui ipſiùs eâdem de lue ſcripta in lucem retulit. Adjectæ ſub finem ſunt eôdem Camerariô Authore de Bolô Armeniâ & Terra Lemniâ Obſervationes. Noribergæ, apud Catharinam Gerlachin, 1583. in 8.

De rectâ & neceſſariâ ratione Præſervandi à Peſtis Contagiô, tam imminente, quàm exoriente, loca quælibet, brevis & diligens Meditatio. Extat cum ſynopſi Commentariorum de Peſte à ſe edita. Noribergæ, apud Catharinam Gerlachin, 1583. in 8.

Conſtitutiones, Leges & Edicta quædam, tempore Peſtis annô 1576. & 1577. publicè Venetiis & alibi propóſita, breviter in Latinam Linguam converſa. Extat ibidem.

De Bolô Armeniâ & Terrâ Lemniâ Obſervationes. Extant ibidem.

Epiſtolæ quædam Medicæ. Extant cum Cyſtâ Medicâ Johan. Hornungi. Noribergæ, apud Sim. Halbmayerum, 1625. in 4.

CAMERARIUS (*Rudolphus Jacobus*,) Academiæ Tubingenſis Profeſſor, Hortique Medici Inſpector.

Ejus Vita ſic depingitur in Programmate Funebri à Rectore Univerſitatis Tubingenſis perſcriptô, atque hic jam exſcriptô, ex Actor. Academ. Cæſar. Append. p. 166. *&c.*

TRiſtia, ô Cives? triſtiâ denuò ex hoc locô denuncianda Vobis, atræ iterùm ſuſpendendæ tabulæ, funeſtæ ad Magni hactenùs internos

Viri fores cupreſſus ponenda ſunt. Hoc ſcilicet unicum ſupererat, ut poſt tot tamque graves calamitates & clades, quos inopinata fata ſcholæ noſtræ brevi, heu! tempore inflixerunt, inexorabile mortis decretum gratioſus etiam Noſtrorum medendi artis Magiſtrorum ordo, cum inſigni Noſtro omnium damno, experiretur. Verùm eam ipſam ob rem tantò acerbior jam noſter, ô noſtri! dolor eſt, cùm & in hunc jam irruat mors & præcipuum ejus membrum, *Rudolphum Jacobum Camerarium*, proſternat. Nemo, confidimus, temerè noſtrum eſt, qui non intelligat, quantùm tanti Viri mòrte amittamus. Seniorem iterùm amittimus, quorum jactura parvi pendenda nequaquam eſt. Virum amittimus gravem, pium, ſolidè doctum, conſtantem, jucundum, prudentem & longo rerum uſû exercitatiſſimum. Decus amittimus ſcholæ noſtræ, Senatûs noſtri gemmam, ordinis ſui ornamentum & oraculum, ſtudioſæ pubis patrem & exemplum; Profeſſorem diligentem, fidelem, eruditum, facilem, eloquentem; Medicum amittimus experientiſſimum, circumſpectum, indefeſſum, felicem. Plura certè in unô virô amittimus, quàm vel verbis vel cogitationibus adſequi jam poſſumus. Quæ qui, ut decet, attentiori animo expendit, facere profectò non poterit, quin præſenti viri ſenioris cladi totus ingemiſcat. Ejus verò memoriam inter nos conſervari deſideret. Quod ùt eò certius faciliuſque fiat, Vitam ipſius, facta & rationes ſtudiorum, quantum quidem præſens capit tabella, breviter & ſine multis, quæ optimus Vir merebatur maxima, elogiis exponemus. Indulſit eum orbi in hâc ipsâ urbe ſupremum Numen annô ſuperioris ſeculi 1665. die 17. Mens. Febr. *Patre* uſum Cel. Viro, *Dn. Elia Rudolpho Camerario*, Philoſ. & Medic. Doctore ac Profeſſore in antiquiſſimâ hâcce Eberhardinâ Publicô ordinario, nec non Conſiliario & Archiatro Würtembergico, ac utriuſque per Ducatum ordinis Medici Seniore graviſſimo; Matre verò nobiliſſimâ Matronâ, *Regina Barbara, ex Dn. Johan. Ludovico Neuffero*, Archigrammaceô quondam Tubingenſi, candore ac prudentiâ ſpectatiſſimô, & *Suſanna*, Dn. Salomonis *Friſchii*, Advocati ſupremi Dicaſterii filia prognata, adeòque *Dn. Johan. Valentini Neuſteri*, J. U. D. ſupremi Dicaſterii Adſeſſoris, in Illuſtri Collegio Feudalium, in Academiâ noſtrâ tandem Pandectarum Profeſſoris celeberrimi nepte, quæ inter Proavos & Majores famigeratiſſimos Juris & Medicæ artis Profeſſores numerat. *Avus & Proavus*, Dnn. Joh. *Rudolph.* atque *Abavus Alexander Camerarii* noſtrâ in civitate non minùs, quàm in Eſslingenſium & Reutlingenſium rebus publicis medendo ingentem nominum celebritatem conſequuti ſunt. Prima autem optumorum Parentum cura fuit, ut, poſtquam in Sacrô Baptiſmatis fonte nomen Chriſto dediſſet infans, emicantes præclaræ indolis igniculos piis præceptis & egregiis doctrinis maturè excitarent, augerentque. Neque præceptores ſuo defuiſſe officio inde conjicias, quod, ubi primùm rationis ſe ſe uſus prodidit, tantâ celeritate inſigniter profecerit Noſter, ut in Feſtivitate publicâ ſecundi Academiæ noſtræ Jubilæi, an. 1677. ritû depoſitionis, quam vocant, Academicæ initiatus, dignus judicaretur, qui Albo ſtudioſorum infereretur. Linguarum deinceps omniſque Philoſophiæ, imprimis verò naturalis, cultor extitit. Strenuus, qui præclaris ſpeciminibus publico mox innoteſcere cœpit, habitâ primùm Oratione publicâ, ſub Directione B. Dn. *Caldenbach*, eloq. Prof. Publ. de admirandis partûs Bethlehemitici *Templum in ſtabulô Auguſtùm* oſtendens, atque poſtmodùm conſcripta *Theſium Geometrico-Aſtronomico-Phyſicarum Pentecoſte*, quam ſub præſidiô *B. Dn. D. Mœglingi*, Phyſic. & Matheſ. tùm Prof. Publ. defendit, præmiaque ſingularis diligentiæ ab Ampliſſimô Philoſophorum ordine multis cum laudibus reportavit, an. 1679. primam, ann. 1682. ſecundam, utrinque inter commilitones primus, laureas. Quo facto, ad paternam artem, propriô invitante geniô, curatiùs excolendum animum appulit, atque eum in finem ad naturæ Conſultiſſimorum ejus ætatis virorum *B. Metzgeri*, ad ſacrum fontem pro ipſo ſponſoris & publicæ de *Helleboro nigro* diſſertationis Præſidis *Raithii*, & Parentis ſui, ſive per cultrum anatomicum, aut per ignem chymicum, aut per Mechanicas enchireſes experimenta inſtituerent, ſive chirurgicis operationibus præeſſent, ſive de mediis ad pellendos cujuſvis generis morbos idoneis, ſive de aliis ſalutaris artis capitibus differerent, latus nunquam non hæſit ſpectator, auditor, ſcrutator; Horarum ſubſecivarum autem partem addiſcendis, Italicâ Gallicâque linguis conſumſit. Haud ità multò poſt ſolennem, eamque anniverſariam de *rarô ectáſeos naturalis exemplô* orationem habuit, plaudentibus, quotquot ipſum audierunt, omnibus. Hiſcè ità feliciter defunctus ſtudia mentemque ſuam propiore celebrium extra Patriam Virorum commercio ulteriùs perficere decrevit. Sub finem igitùr Veris ann. 1685. an Avunculi ſui *B. Baurii*, ICti & Conſilii ſuperioris Würtembergici Adſeſſoris meritiſſimi, comitatu œnipontem ſolvit, Ulmæ, Memmingæ, Campidoni, Monachii, Auguſtæ Vindelicorum ad viros doctiſſimos, *Illuſtr. Schroëchium* imprimis, inviſens, plurimaque, in metallifodinis præcipuè, ſingularia paſſim obſervans. Autumnô ejuſdem Anni Perilluſtrem L. B. de *Cloſen* Seren. Würtemb. Ducis Conſiliarium ſupr. Dicaſtr. Præſidem & Toparcham olim Balengenſem &c. Franconiam petentem ſequutus ubicumque divertit inſignem Magnorum Virorum favorem, Heilbronnæ putà *Fabri*, Herbipoli *Virdungi*, Coburgi *Frommanni*, Noribergæ *Volkameri*, *Halbachii*, *Altorfii Hoffmannorum*, Patris & Filii, *Sturmii* &c, expertus eſt. Cùm ſequenti annô denuò patrios relinqueret lares Heidelbergæ *Francum*, *Brunnerum*, *Gerlachium*, Francofurti *Wizelium*, *Horſtium*, *Peters*, *Strauſſium* Gieſſenſem & de *Spina* frequentavit. Inde acidulas Swalbacenſes & thermas Wisbadenſes adiit, Moguntiam deinde, Coloniam, Duſſeldorpium, Noviomagum & Ultrajectum tranſiens, Amſtelodamum pervenit ibique ingente uſus benevolentiâ *Sladi*, *Ruyſchii*, *Guenellonii*, *Bidloo*, *Blancardi*, *Flamerdingii* aliorumque, Noſocomium, Theatrum Anatomicum, Hortum medicum & quæcunque obſervatû digna erant, ſtudioſè luſtravit. Poſteà Roterodami *Scholzium* & *Baileum*, Delphis *Lowenhœkium*, Hagæ Comitum *Nuckium*, *Solingen*, *Helvetium*, *Stalpart van der Wiel* & *Euthium*, familiares ſibi & utiles reddidit. Lugduni Batavorum ſtativa habuit, *Drelincurtium* publicè ac privatìm avidus audivit, *Schachtium*, in Noſocomiô ad praxin manuducentem, ſingulis diebus binis horis comitatus, Maetſii in Laboratoriô publico individuus adſecla, *Marggraviô* in Collegiô experimentali ad latus hæſit, ab Hermanno rem Herbariam hauſit, *Volderi* & *Senguerdi* experimenta ſollicitus obſervavit, *Dekers*, *Broen*, *le Mort*, *Seidleri*, *Muſſenbroeki* utiliſſimum abundè ſentiens favorem. Poſtquam intereà Anglicam quoque addiciſſet linguam ipſe in Angliam trajecit, verè Regiam Societatem Londini, ejuſdem Bibliothecam & Muſæum, Laboratoria Chymica,

Chymica, tam Regium quàm Pharmacopœorum Hortum Medicum, aliaque ſingularia ſexcenta adtentus conſideravit, *Haakio* præcipuo gaudens Patrono, frequentibuſque ſermonibus cum *Boyle*, *Papin*, *Hook*, *Slare*, *Crelles*, *Weidenfeld*, *Bragaſto*, & *Staphorſt*, mirificè delectatus. Quibus cùm ultimum tandem dixiſſet vale, Galliam atque illud orbis compendium Lutetiam Pariſiorum petiit, eôque in locô in ædibus & convictû celeberrimi *Mareſchalli*, Chir. tt. Ordinarii Noſocomii la *Charitè*, ab ineunte Auguſtô menſe ad finem anni ſubſtitit, occaſionem nactus optimam proficiendi & conſervandi cum eruditis; *D. Verney*, enim, *Pelletier*, le *Rat*, *Moreau*, Pater & Filius, *Courtois*, *Fontaine*, *l'Emery*, *Hamelius*, *Malebrancke*, *Verduc*, *Michault*, Patroni, præceptores & familiares Ipſius extiterunt, ſtudiaque Ipſius in anatomicis præcipuè, mirificè auxerunt. Quorſùm plurimum contulit, quod Hortum Regium Noſter, Noſocomia, *l'Hotel Dieu*, la *Charitè*, les *Invalides*, item *l'Ecole des Medecins* & Collegium D. Coſmæ frequens ingreſſus eſt. Ex Galliâ per Sabaudiam in Italiam movit, primò Venetias petiit, & ubique locorum doctiſſimos ejus ætatis Viros convenit, Romamque tandem adtigit, ubi à *Burrhô*, *Triumfetti*, *Gabriele à Porta* aliiſque humaniſſimè exceptus eſt. Româ abiens reliquas Italiæ urbes viroſque eruditos viſit, patriamque ſuam per Lacum d'Iſço, Vallem Tellinam, Rhœtiam, Lindaviam, Conſtantiam, Scaphuſium, ann. 1687. difficilibus omninò itineribus ex votô omnibus confectis, poſtquam ubique omnia, quæ triplex Naturæ, regnum rara, quæque Ars tam Naturalia, Medica, quam Mathematica, ſingulariter produxit curioſo oculo luſtrâſſet, & omnis generis injectiones, ſectiones atque experimenta in peregrinis iſtis oris inſtituiſſet, ſanus & incolumis repetiit, atque laborum fructus continuò percepit ampliſſimos. Non multò poſt enim læta lætiſſimi Parentis manus mitram Ipſi Doctoris impoſuit, cùm jam priùs ante adhùc, quàm ſuo ſeſe commiſiſſet itineri, eodem Parente, Univerſitatis tùm Rectore Magnifico, Præſide Inauguralem ſuam de *Tenſione Cordis Lipothymiæ cauſa*, Diſſertationem publico eruditorum examini ſubjeciſſet; Cujus quidem honoris eò jucundior Noſtro, dùm viveret, recordatio fuit, quòd poſt 30. annos & ipſi contigerit eſſe adeò felici in Filiô natu majore. Proximô annô Profeſſio Medicinæ Extraordinaria & Medici Horti Inſpectio ipſi eſt collata, quod munus eruditâ & ſolenni de *Plantis Vernis* Diſſertatione auſpicatus eſt. Sub idem tempus Academiæ Naturæ Curioſorum tt. Director, jam Præſes Magnificus, *Ill. D. D. Schrœck* honorificè ipſum ut ad exemplum B. Parentes (qui in laudatum collegium jam annô 1669. receptus atque *Hector* vocatus fuerat) ſocietati iſti nomen quoque daret. An. 1689. cùm B. *Metzgeri* tùm defuncti in facultate Medicâ locum occuparet B. Joh. Lud. *Mœglingus*, Phyſicæ Profeſſioni ordinariæ Noſter eſt admotus. Donec annô 1695. ordinarium in facultate Medicâ locum, quem Ipſius B. Parens obitû ſuo tùm vacuefecerat, impetraret, auſpicatus ſtationem iſtam, cui ad vitæ finem uſque ſummâ cum laude præfuit, oratione publicâ, quâ B. Parentem auditoribus in exemplum ſtitit, in eôque *Medicinæ Mutationes*, *Medicorum Soſtra* atque *Fata* monſtravit. Quantâ fide ac dexteritate omnes demandatorum munerum partes explere nunquam non allaboraverit, Academia noſtra, Civitas noſtra, Patria noſtra omniſque conclamat eruditus orbis. Luculentũ quoque præbent teſtimonium tàm, qui ex ipſius inſtitutione prodierunt, Viri munerum gravitate per patriam conſpicui, & Poliatrorum quidem imprimis plerique, quàm Lectionum quas per Profeſſionis ſuæ ſex luſtra habuit, omniũ ſuperſtes conſignatio, fide cujus neglectorum ſibi non fuit conſcius. Præterea Diſputationes ultra ſexaginta (præter cyclicas, numerô multò plures) ſelecti admodùm atque oppidò utilis & jucundi argumenti omnes, ſummâ diligentiâ & judiciô, quô imprimis pollebat, exaratæ, hinc etiam avidè ab Eruditis expetitæ. Alia denique multa, egregia prorsùs doctoque, quod ajunt, pulvere impensè conſperſa, quæ in ſcriniis ſuis reliquit indefeſſi laboris ſpecimina, ex quibus Ephemerides Ipſius Medicas & Meteorologicas, in ſeptimum uſque luſtrum continuatas, vel nominâſſe modò ſufficiat. Faſces academicos quater geſſit, difficillimis etiam temporibus, prudentiſſimè. Supremam autem, quam vocamus, Deputaturam ſemel. Decanatum philoſophicum aliquoties; Medicum, ter & vicies. In adminiſtratione ſtipendiorum, quæ concredita *Ipſi* fuerunt, nunquam quiſquis in eô deſideravit fidem. Hochmanniano & Martiniano Collegio cum magnâ præfuit gravitate. Non capit præſens tabella, quæ propter iſthæc ſingula à Scholâ noſtrâ & Republicâ debentur ampliſſimæ laudes & gratiæ Optumo Viro. Cæterùm thori ſociam ſibi junxit *Chriſtinam Magdalenam*, Viri Ampl. atque excel. Joh. *Craſtii*, in ſextum olim luſtrum Logic. & Metaphyſices hic loci Profeſſoris, tandem Conſiliarii & Abbatis Alpirſpacenſis, filiam ornatiſſimam, quam moribundus in litteris ad ſenatum Noſtrum Valedictoriis ſibi fide, curâ, labore conjunctiſſimam prædicavit & commendavit. Felix illa *decem liberorum* parens fuit, ex quibus quidem non ſuperſunt niſi quatuor, Filiæ, cœlibem agentes vitam, *Regina Magdalena*, natu maxima & Agnes *Chriſtina*, natu minima, dulciſſima Parentis corcula, & florentiſſima *Filiorum* Biga; Vir Excell. *Dn. Alexander Camerarius*, Med. D. & Prof. Extraord. Academicus Nat. Curioſ. dictus Hector IV. & ab ampliſſ. Senatû B. Parenti in Præfecturâ & Inſpectione Horti Medici conſtitutus adjunctus, qui ſuperiori Annô uxorem duxit, Ornatiſſimam Nobiliſſimamque Virginem *Claram Hedwig*, Viri Nobiliſſ. Excellentiſſ. atque ampliſſimi, Dn. D. Jo. *Zelleri*, Medicinæ apud nos Profeſſ. longè Celeberrimi atque Archiatri Würtembergici Primarii, Suſceptoris ſui venerandi, filiam; & *Henricus Camerarius*, Philoſophiæ Cultor feliciſſimus. Incredibile eſt, quàm tenerrimô Beatus hoſce complexus ſemper amore fuerit. In præcipuis delitiis habuit, ipſos perpetuò ad latus habere, jam pietatis præcepta, jam prudentiæ regulas jam præſtantiſſimas diſciplinas inſtillare. Cujus quidem operæ, cum non fruſtrà impendi iſtam videret; adeò ipſum non pœnituit, ut frequentes potiùs Deo, gratias detulerit, quod ſibi ſeneſcenti & per morbos atque calamitates accifarum vehementer Virium viro, conceſſerit Filium, praxeos ſuæ Medicæ Vicarium, cujus curæ ægros ſuos committere ſecurè poſſet, ut ſuæ olim curæ ſuos quoque ægros commiſerat B. Parens ejus. Admodum enim circumſpectum ſollicitumque ægrorum (quorum multa habuit millia & exactas plerorumque hiſtorias reliquit) Medicum egit, nec timidè quidem, ſed & nec temerè quidquam ſuſcipiens, non diurnam modò, ſed nocturnam quoque Morum curam habere & Medicinale filum ducere ſolitus, ut conſcientiam ſervaret tranquillam & famam intemeratam. In reliqua Beati viri vivendi ratione deſcribenda ut

 multi

multi ſimus, neceſſum minimè ducimus. Cui enim non dicta & probata pietas Viri non fucata, patientia, humilitas, fiducia & ſpes in Deum, amor adverſus ſuos & cura pro verâ illorum ſalute, candor, juſtitia, manſuetudo, liberalitas & quibuſcunque inſerviendi promptitudo? Et quid plura? Quid erat muſeum Ipſius, quô per ultimum ſemeſtre detinebatur, quàm cathedra, ex quâ ſelectiſſima pietatis ſolidæ præcepta & divini ſolatii fundamenta indefeſſus propoſuit, ſuis aliiſque quotquot ipſum viſitarunt, inculcavit? quàm piè ſuis aliquoties ultimum dixit vale & vivum benedictionum divinarum fontem recluſit? quàm pie pridie mortis ſuæ ſacro epulo quo ante octo ſuperiores dies demùm refici ſe ſe curaverat, uſus eſt, quantô animi tripudiô verba, quæ dicuntur, inſtitutionis, tremulô licèt ore, repetiit? ſed ad morbum tandem, qui tantum nobis eripuit Virum, properamus. Firmâ juvenis & maritus viguit valetudine donec annô labentis ſeculi ſextô, ipſo die poſt Feſtum *Jacobi* Dominico, gravi morbo correptus in præſentiſſimum vitæ periculum conjiceretur. Evaſit quidem illud, quæ Dei gratia eſt, vivus & dicti diei Memoriam ſingulis annis gratus coluit. Sed, mirum dictû, elapsô decenniô ipſo, *Onomaſtico* die ſuo alterâ vice affligitur febre quâdam malignâ gravi & periculoſâ, quam tamen iterùm & tam feliciter ſuperavit, ut poſteà ipſis Calendis Novembris, in renunciatione novi Rectoris, ipſe decedens, Deoque ſubmiſſas pro reſtitutione gratias agens, orationem de *Medicô Ægrotô* communi omnium applausû recitaverit. Ab utroque autem hocce inſultû infirmus utique & valetudinarius manſit, ac diæta imprimis & provido vitæ regimine ſe ſe ſuſtentavit. Donec tandem ex Hæmoptoe factus fuit phthiſicus, pro cujus morbi more tardè & lentè conſumtus, nec lecto niſi per ultimum vitæ biduum affixus ad ſe ſuoſque, ad imminentem mortem ſuam præparandos nil fecit reliqui, tamque tantâ animi æquitate & conſtantiâ, corporis autem quiete obiit, ut non è vitâ diſceſſiſſe ſed obdormiviſſe modò fuerit viſus, cùm nudius quartus, ſeu d. XI. fluentis menſis Septembris, ſummô mane inter ſuorum ſolatia & amplexus in meliorem vitam commigravit, Vir longiore vitâ omnium digniſſimus. Memoria ipſius maneat in benedictione! Vos verò, *O noſtri*! benè precamini Academiæ noſtræ, cauſam ejus coram Deo piis precibus ſeriò agite. Mœſtiſſimæ autem defuncti familiæ efficaciſſima ab eôdem ſupremô Numine ſolatia exorate ac luctum ejus, cùm funus à meridie in conditorium ſuburbanum ducetur, frequenti præſentiâ & ſupremâ honoris ſignificatione, pro eô ac par eſt, lenite.

De eô Extant in Miſcell. Curioſ. Dec. ij. Ann. V.

Obſervatio 53. *De Tenſione Cordis lipothimiæ causâ.*

Ibidem Decur. ij. Annô VI. *Obſervatio* 98. *De Uſû baccarum ſolani racemoſi tinctorii Americani pro Confectione Alkermes.*

Ibidem Obſervatio 99. *De Excreſcentiâ Oſſium.*

Ibidem Ann. VII. *Obſervatio* 156. *De Fungô Calciformi ſeminiferô.*

Obſervatio 228. *De Novâ Vaſorum ſeminiferorum & Lymphaticorum in teſtibus communicatione.*

PEr vaſa ſeminifera Teſtium propriè dictorum in maſculô, non ovarii in fœminâ, intelligo ipſa aliàs dicta deferentia ſeu ejaculatoria, quem cum lymphaticis ſingularem communicationem habent, cùm ſolùm quatenùs utraque ex unâ parte oriuntur, minùs, quod in progreſſu extra teſtem jungantur, ſed quoniam fluido immiſsô in unum tranſitus conceditur in alterum. Voco novam, quia licèt vaſorum Lymphaticorum, in hâc parte præſentia ab aliis jam ſit demonſtrata, hæc tamen communicatio nondùm fuerit deſcripta, quantùm ego novi: Addo hoc, ut præmoneam, me adducturum non ea quæ ab aliis accepi, ſed quæ ità ſe habere ipſe inveni, neſcius an priùs ab aliis fuerint viſa vel deſcripta. Experimentum non difficile inſtitutum, prout hactenùs à me pluribus vicibus eôdem ſemper ſucceſsû factum fuit, ità ſe habet: Immittatur Tubulus in cavitatem vaſis deferentis (fieri enim hoc poſſe injecti liquores, cera, & Mercurius teſtantur) aërque infletur, fortiter, ſic ubi nullum priùs vaſorum Lymphaticorum indicium plurima ſe manifeſtabunt primùm in ipsâ ſuperficie teſtis, poſt juxta ductum arteriæ & venæ ſpermaticæ exterius quatuor vel quinque majores ductus elegantes, vaſis tamen dictis ſanguineis non inflatis. His notatis ſolvi poteſt problema ſequens: Vaſa Teſtis Lymphatica abſque prævià in vivô corpore ligatione aut modô aliô, quôvis ferè tempore, imò unô alterôque poſt mortem die, aëre ità replere, ut turgida valvulas ſuas ſtructuramque reliquam clariſſimè exhibeant & exſiccata conſervent. Hoc obtinetur dictâ inflatione, non quidem abſque violentiâ, ità ut aër nonnunqam intra interſtitia membranarum erumpat, at vaſa lymphatica nihilominùs diſtincta bellè compareant, quod & aliis eôdem modô rem tentantibus ſucceſſurum ſpero.

Ibidem. Ann.. viij Obſervatio 172. *De Linteis noctû lucentibus.*

Ibidem Obſervatio 173. *De Loliô Temulentô.*

Ibidem Ann. IX. *Obſervatio* 121. *De Linteis Lucidis.*

Ibidem Obſervatio 122. *De ſeminibus Mori ſubventaneis.*

Ibidem Obſervatio 123. *Cerinthe Tetrapermos.*

Ibidem Ann. X. *Obſervatio* 45. *Ova Mercurialis ſubventanea.*

Ibidem Decur. iij. Ann. j. Obſervatio 105. *De ſemine Braſſicæ.*

Ibidem Obſervatio 106. *De Baccarum viſci Germinatione.*

Ibidem Obſervatio 107. *De Floribus Radiatis Diſcoideis.*

Ibidem Ann. ji. Obſervatio 141. *De Fonte mirabili.*

Ibidem in Appendice p. 37. *Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii, Profeſſoris Tubingenſis Acad. Cæſar. Leopoldinæ Nat. Cur. Hectoris* II. *Oratio de Quercuum Gallis, quæ legitur in Epiſtolâ ejus de ſexû plantarum ſcriptâ ad Dn. D. Michael. Bernard. Valentini, Curioſor. Theſſalum Profeſſ. Gieſſens.*

Ibidem Ann. iii. Obſervatio 133. *De Loliô temulentô.*

Ibidem in Appendice p. 31. *Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii Med. D. & P. P. Acad. Cæſareo-Leopold. N. C. Colleg. d. Hect.* II. *Dn. D. Michaëlem Bernhardum Valentini, Prof. Gieſſenum & Curioſ. Theſſalum de ſexû Plantarum Epiſtola.*

Ibidem, Annô V. *&* VI. *Obſervatio* 16. *De uſû Radicis ſymphyti in Iſchiade.*

QUod venerandus ſenex nuper in dolore Iſchiadicô expertus laudavit remedium, obſervationum

ſervationum modò numerum augeat. Eſt autem nihil aliud, quàm nota ſymphyti ſive conſolidæ majoris radix, in formâ cataplaſmatis parti dolenti applicata, de quâ etiam *Rajus* in hiſtoriâ plantarum; *Medicamentum hoc ad dolores podagricos & nonnunquam etiam Ichiadicum leniendum valere iteratis experimentis atteſtantibus ab amicô quodam certior factus ſum.* Circumſtantiæ ſingulares ab ægrô noſtrô recenſitæ ſunt ſequentes: 1. radicem recentem cum urinâ propriâ in conſiſtentiam pultis coctam, tantum non fervidam dolenti ſummô femori admotam, 2. deligatum femur & faſciatum, decubitumque ſuper latus affectum per viginti quatuor horas imperatum, 3. cataplaſma dein ut putreſceret terræ defoſſum fuiſſe. Factum id eô cum ſucceſſû, ut veſiculæ plures puſtulæque exiguæ fuerint excitatæ, cutiſque tandem in latum quaſi impetigine mordaci laboraverit, eò majore cum moleſtiâ, quòd frictione ipſi fuerit interdictum. Nec in hoc ſubſtitit cutanea fœditas, ſed brevi ſcabies reliquum corpus occupavit, ægro jam doloris expertè & liberè ſatis incedente. Duo ſunt, quæ inſuper notari poſſent, unum, quod recens, adhùc fuerit malum, nec inveteratum, remediumque adeò in principiô uſurpatum, alterum, quod æger flatibus aliàs valdè obnoxius, illos ſub ferociâ doloris ex intimô partis dolentis incipere & prodire putaverit, aut potiùs ſe ità ſentire ipſe miratus fuerit. Contra pertinacem iſtum affectum communiter commendari legimus externa varia, quæ ex profundô evocare poſſint, inuſtiones, ſcarificationes, veſicatoria & ſimilia. An itàque in radice iſtâ, quam mitem aliàs & mucilaginoſam experimur, penetrans quædam acrimonia latet, ex quô capite raphanus ruſticus in priore Eph. Germ. tomô juviſſe legitur? An ab urinâ, ab actuali calore, à diuturnô decubitû iſta excoriatio & exulceratio? In defoſſæ radicis putrefactione plurimum fiduciæ poſuerat æger, ſed eam exſibilârunt alii. Notabilis autem ſcabiei ab exiguô ſpatiô per reliquum corpus diffuſio, ſive ob infectionem à contactû partis ſcabioſæ, ſive totius depurationem. Sanè quæ aliàs ſenibus non moleſta modò, ſed & lethi frequenter prænuncia eſſe ſolet ſcabies, huic viribus adhùc conſtanti præſentaneô auxilio fuit. Ità nuper Melancholicum ſanæ menti reſtitutum ſcabie fædatum fama tulit &c.

Ibidem Obſervatio 17. *De Adianthô aureô ſponte in ruderibus enatô.*

Ibidem Obſerv. 131. *De Generatione Viſci univocâ.*

Ibidem Obſervatio 210. *De Figurâ Nivis & Pruinæ.*

Ibidem Obſervat. 211. *De Spinachiâ & Urticâ Androgynis.*

Ibidem Obſerv. 274. *De Fungô creditô ſeminiferô.*

Ibidem annô VII. *&* VIII. *Obſervatio* 88. *De ſtationibus Barometri ſub Eclipſibus.*

Ibidem in Appendice p. 100. *Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii Academici Naturæ Curioſi, Schediaſma Tubingâ miſſum ad Hiſtoriam Epidemiam.*

Ibidem, annô IX. *&* X. *Obſervatio* 71. *De Frigore intempeſtivô.*

Ibidem, Obſervat. 72. *De Fructibus Prunorum Monſtroſis.*

Ibidem, Obſerv. 73. *De Sonô quodam Dubiô.*

Ibidem, Obſerv. 137. *De Diluviô Tempeſtuoſô.*

Ibidem, in Ephemer. Cent. j. & ij. Append. p. 65. *Conſtitutio Epidemica Tubingenſis anni* 1701. *Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.*

Ejuſdem Schediaſma ad Hiſtoriam Epidemiam Anni 1702.

Ibidem, Cent. III. *&* IV. *Obſervatio* 9. *De Lapide Figuratô, ex Cubô & Octaëdro compoſitô.*

Ibidem Obſervatio 10. *De Diabete Strangurioſô Periodicô.*

Particulam exhibeo hiſtoriæ & anatomen ſenis quondam ſtranguriosi: quarum illam olim ipſe collegi; hanc autem accepi à Dn. D. Schafferô, Phyſico Nurtingenſi. Scilicèt Quæſtor Principis ad Rhenum ſuperum habitû corporis præditus mediocri, ad ſenectutem uſque ſanus, nec morbis nec meditationibus obnoxius, niſi quòd interdum ſpaſmi pedum flatulenti, & olim doloris coxæ leve quid ſenſerit, præ ſociis tamen frequentius per noctes mittere urinas, quod recordatur, ſolitus, viduus modò, ab autumnô anni 1705. deducit principium mali longi, doloris & difficultatis in mingendo, quam equitationis & rhedæ motibus vellet adſcribere, exacerbationem utique hinç expertus.

Hic annorum circiter 63. lectica hùc delegatus, inter nos vixit à Juliô 1706. ad Februarium 1707. & diabetis ſtranguriosi periodici phænomena exhibuit ſequentia: Erant dolorum intervalla & paroxyſmi: Hi vix ſolebant recurrere ante octo, vix emanere ultra quindecim dies. Durabant per diem in noctem, remittentes die alterô, cum reliquiis ſenſus adhuc teneri per tertium, quo vel quartô licebat ſeni prodire in publicum, quaſi nil paſſo, ſatis commodè, adhùc vegeto. Erant primò cùm urinæ multæ miſtione, dein paucæ urgentiâ vehementer doloroſâ, non ſine nixibus, ardore, puncturis, ſtricturis per ventrem deorſum, quin totius contentione corporis ad veſicam; varii tamen paroxyſmi, modò breviores & leviores, aliâ vice graviores & longiores, fortè ad anomalias aëris & diætæ, ſæpiùs manè incipientes, quàm aliô tempore; e. g. manè urina multa, ſenſim dolor, meridie intenſior, in ſummô ad noctem, ab hujus medio remiſſior. Sic miſerè tranſactæ noctes, jacendo fortè per quadrantem horæ & ſubdormiendo, mox ad torturam currendo per cubiculum. Urinæ quantitas ab hor. 3. matut. ad meridiem circiter menſurâ dimidia & ultra, à meridie in noctem libra plus minùs una. Sic per 24. horas paroxyſmi ad ſeſquimenſuram. Abhinc ſub intermiſſione quantitas multò minor. Qualitas primò ſubflaveſcens, clara, citrina, ſtraminea, tandem quaſi aquea, nunquam rubra. Matulam obducens cruſta alba. Nunquam cum ſabulô aſperô, vel lapillis; nihil horum nec tùnc nec olim excretum. Sedimentum talis per paroxyſmos collectæ urinæ album nec durum aut arenoſum nec tenax mucoſum, ſed pultaceum vel quaſi Cretaceum; acris odoris; rarò cum guttâ cruoris in imô. Hæc cum alvi quodam teneſmo, & familiari ſiccitate; tardabat ipſa plerumque in diem tertium; ab humida, lubrica, levamen aliquod. Nihil unquam ex ipſâ crueti, nihil tumidi per marginem.

Extra paroxyſmos à deſcenſû ſcalarum, inclinatione corporis antrorsùm, converſione ſubitâ in lectô, ſenſus levis quidem irruptionis tamen cujuſdam in veſiçam. Nullus unquam ibi ſenſus ponderis, nec volutationis; nec dolor à complicatione crurum. Nihil tùnc moleſti per hypogaſtrium vel perineum; minùs in lumbis, perque dorſum reliquum. Caput, pectus, venter, artus in ſalvo. Nec horrores nec Calores. Non vomitus,

tus, non tormina. Nondum magna ſitis; quam valdè auctam audivi ſequenti tempore. Appetitus in mediis doloribus conſtans. Corpus ſenſim rugoſius quidem, ſenile, non tamen conſumptum. Quin ſub ipſis dolorum tormentis deliberatio de alterô conjugio;quod tamen intermiſſum ſanguis autumnô miſſus è brachiô ſiniſtrô ſuperficiei quidem pulchræ, juſto tenacior; caſeolus natans in ſuô ſerô.

Ab affectû hoc dolorosô periodicô, cum ſpe non ſemel bonâ, ſub longiuſculis intervallis & paroxyſmis lenioribus, ſuſtentatus, delinitus, ſublevatus quidem non tamen plenè liberatus Noſter, per eam externa linimenta, epithemata, fomenta & enemata paregorica, quam interna gummoſa, gelatinoſa, blanda balſamica, oleoſa, emulſiva, abſorbentia cum nitroſis, & repetita laxantia. Diſceſſit poſt dimidium annum, lectica iterum delatus verſus Rhenum medium; unde aliquoties non aliud de ipsô inaudii, quam venari ipſum doloribus, jugiter, cum ſedimentô urinæ modò cruentæ, modò non, conſtanter albo, craſſo; & negari paſſim, uti apud nos, ſubeſſe veſicæ calculum, præ anguſtiâ viarum catheterem non admitti amplius, qui quidem apud nos nunquam fuerat applicitus.

Variô fatô tandem actus rediit ad Nicrum, & die 21. Febr. anno 1711. Nurtingæ mortuus, laudato Medico corpus conceſſit ad inſpiciendum. Cui quidem primò admirationi fuit ſuperſtes pinguedo abdominis ſpiſſa, & copioſa ſatis, poſt tot annos dolorum, in hâc ætate, quippe 68. ſupergreſſi: ſecundo veſica urinaria monſtrosô aſpectû; ſimilis maſſæ carneæ, duorum pugnorum magnitudine, ſubſtantiæ fibrosô glandulosô-ſcirrhoſæ, circumcirca ad uſque cervicem duorum pollicum craſſitie, quæ cum membrô & imò muſculorum abdominis omninò jam gangrænam conceperat; Dum reliquum corpus in partibus principalibus videbatur eſſe adhuc ſic ſatis benè conſtitutum. Cavitas ipſa veſicæ adeò incraſſatæ vix major nuce juglande, habuit nè guttam urinæ, nec granulum arenæ,parùm tamen ſpiſſiuſculi & ſpumoſi albi muci: tantùm abeſt, ut fuerit obſeſſa calculo. Adfuit etiam hernia utriuſque lateris; de quâ ſilentium adhùc apud nos, An nixibus demùm contracta?

Hæc ſunt, non plura, quæ ſuppetunt, de hoc casû, fortè non indigna, quæ jungantur hiſtoriis ſenum diu moleſtè ſtranguriosorum. Accedat tamen examen qualecunque ſedimenti urinæ, de quô ſupra; Maſſula ipſius exſiccata cùm prunæ imponeretur, non dedit fulgura, non ſtridores, nec crepitus, non ebulliit, noluit accendi, fumavit fœtidè, abiit in carbonem atrum, digitis facillimè conterendum. Altera injiciebatur oleo tartari per deliquium, ſed abſque eô, ut ibi vel moveretur vel mutaretur. Tertia acetum avidè quaſi arripuit, ſine motû tamen vel luctâ. Cùm verò matulæ adhærens ſicca cruſta elueretur acetô, manifeſtus inde erupit fumus; Liquor decantatus poſt calorem in frigore nil reliquit figurati. Quarta tandem ſedimenti particula per aquam fortem primò etiam non videbatur affici, ſed brevi poſt exhibuit multam deſuper ſpumam; rubuit parùm hæc & aquam levi rubedine tinxit, pariter autem cryſtalliſari noluit.

Ibidem, Obſervatio 58. *De Febre Catarrhali Epidemiâ.*

Ibidem, Obſervatio 133. *De Fonte Soteriô.*

Ibidem, Cent. v. *&* vj. *Obſervatio* 25. *De Barocoſpiô ſub Eclipſi.*

Ibidem obſervatio 43. *De Citâ Morte. De ventriculô perforatô.*

ADoleſcentula 15. annorum per diem 17. Septembr. 1714. ſana, noctû circa horam decimam vix lectum ingreſſa citò graviter queri cœpit de doloribus ventris, talibus ac tantis, ut ſub celeri eorum incrementô torqueretur mirum in modum, ſurſum & deorſum ſe volveret, nullibi valens quieſcere, donec venter intumeſcens ipſam lecto figeret; motumque talem inhiberet. Vocatus chirurgus per noctem externè ſitû oleorum, impoſitione ſacculorum, injectione enematis, quin & internè exhibitione juſculorum,nec non theriacæ, nihil tamen levaminis procurare valuit; ut ut alvus ſolveretur, & ſurſum evomeretur phlegma, ſed illud ſine ulteriore perturbatione alvi aut fluxû, & hoc parcè, ut mane quaſi amplius abſolvi non poſſe videretur; neutrubi autem excernerentur cruenta. Enim verò tam citò inflabatur venter adeò tympanaticè tenſus, inſolitô modô, ut ad reddendum enema, ſtaret erecta, ſedere non potuerit, nec porrò in lectô erigi, præ tumore ventris duri, qui ad tactum valdè tumebat, nè lectum quidem incumbentem facilè ferebat & invaleſcens ad medium, quin collum, uſque loqui concedebat nonniſi ægrè. Inter lamenta de recursû dolorum frequenti conſtabat mens, precibus Deo devota, nec obſervabantur deliquia; hinc nec deliria intervenerunt, nec eruperunt convulſiones; ſed puella ſic afflicta inter horam 7. & 8. diei 18. ſeptembr. cùm potum modô petiiſſet, facie liveſcens, ad latus converſa, vomiturire viſa ſubitò exſpiravit.

Fati hujus cauſa eſt occulta. Quod diſpoſitionem perſonæ & occaſionem externam concernit, hùc redit, quantùm conſtat. Sana quidem fuerat ipſa, ſed tenera, pallidula, gracilis, non parvula tamen, domi ſub laboribus levioribus non gravibus ruſticis educata, ventris plerumque à cibis duriuſculis concoctû difficilioribus murmurantis, nondùm menſtruata, (cùm mater tamen in decimô tertiô quondàm annô jam fuerit) tertia in ordine filiolarum, quas præmaturè abreptas lugent parentes. Per diem quidquam paſſa non fuit, errores diætæ manifeſtos non commiſit, ipſam neque tunc, cùm recens hiſtoria, neque ex poſt factô, malignum quid domi vel foris aſſumſiſſe innotuit, præterquam hoc unicum, ſuſpectum dubium, vix ſuffeciſſe per diem comeſta, reſervarat, tamen ut creditur, pauca ad noctem, antequam cubitum iret. Nihil inde mali paſſa fuit ſoror. Ipſa ergò cùr tam dira? Vix quod nondum matura ſatis; qualia quidem fuerant. Utrùm quod ex ſuis quædam venenô in campô vel roris vel inſectorùm inquinata; vel per eam, à quâ in forô emerat; perſonam malignô modô quôcunque infecta? Hæc omnia quidem varias tùm moverant ſuſpiciones ſed incertas. Illud modò certum, ſolô excesſû in prunis non fuiſſe peccatum: nec Cholerico ipſam obiiſſe modo. Utrùm hoc etiam addi vel attendi meretur, quod fama tulit, ſtatim primis horis aſſeruiſſe ægram; in hôc ſibi moriendum lectô. Unde hoc ſcivit; an victâ dolorum acerbitate, vel quando aut quomodò ſic edocta?

Ex Conſequentibus accedat inſpectio Cadaveris; poſt horam enim Chirurgi duo, ventrem iſtum enormiter turgentem & liveſcentem aperientes, obſervârunt mirabundi & retulerunt, erupiſſe tantô cum impetû non ſine ſonô flatum multum, ut candelam potuiſſet extinguere, fœtoris

nec

nec ſtercoracei, nec putrilaginoſi ſed ſingularis acris, quaſi ſubdulcis, nauſeoſi, hoc autem emiſſo ſubſediſſe ſubitò omnem illam tumoris molem & tenſionem. In Cavô fuiſſe liquoris bruni, fuſci, ſubnigricantis ad menſuram unam, cum paucis innatantibus fruſtulis tunicarum de prunis damaſcenis; non cruorem; etiam vaſis verſus dorſum majoribus inciſis mirati parùm nimis effluxiſſe cruoris. Inteſtina non inflata, ſed collapſa potius, nullibi læſa, nec vermibus obſeſſa, plus juſto rubuiſſe viſa. Hepar aſpectû quaſi ſanum, niſi quod adnatum. Lienem majorem & turgidiorem; ſive quod viciniæ fuerit compaſtus, ſive quod foverit diſpoſitionem quandam p. n. antecedaneam. Ventriculum verſus lienem in parte ſui ſiniſtrâ perforatum, intus mucô quôdam fuſcô obſcùrô obductum, eô deterſô rubuiſſe, continuiſſe liquoris prædictо ſimilis circiter ſemilibram, cum paucis quoque prunorum tunicis; nullis autem eorum nucleis. Unicum iſtud foramen, cui digitus minor potuiſſet inſeri, fuiſſe fontem, unde in cavum abdominis tanta liquoris & flatuum copia pro tam ſubitô tympanite eruperit. Quæſiti quô illud modô ipſis comparuerit, utrum judicent, factum perruptione tunicarum vel exeſione, poſteriùs ſibi viſum eſſe reſponderunt Chirurgi; qui præter iſta nihil ultrà memorabile obſervârunt, nec pectus aut caput aperuerunt.

Quanquam itàque incompleta obſcuri fati ſit hiſtoria, in iis tamen, quæ ſuppetunt, non indigna videbatur, cujus in omnem caſum conſervetur memoria, vel quæ publico innoteſcat; quid quod per modum paralelliſmi addi poterit obſervationibus per E. N. C. ſparſim, quarum loca dabunt indices, laudabili inſtituto conſcripti.

Ibidem, Obſervatio 44. *De Tuberculâ ſubcutaneâ.*
Ibidem, Centur. vj. Obſervatio 82. *De Sphacelô pedis ſponte terminatô.*
Ibidem, Obſervatio 83. *Glabrio.*
Ibidem Centur. viii. Obſervatio 16. *Caſſis, Ribes Nigrum: Ceraſus, onagra, tetragonolobus.*

CAMERARIUS (*Rudolphus Johann.*)

Ex eô habentur

Diſputationum Medicarum in Illuſtri Academiâ Tubingenſi ſuperiore quidem tempore habitarum, & ob exemplarium ſeorſim editorum paucitatem penè deperditarum; jam verò ab interitû vindicatarum Decas Prima, in unum volumen redacta. Cui adjectus eſt Tractatus Johannis Widmanni, dicti Mechinger, de Balneis Thermarum ferinarum, in Ducatû Würtembergicô. Tubingæ, ap. Theodoricum Werlinum, 1611. in 8.

Sylloges Memorabilium Medicinæ, & Mirabilium Naturæ Arcanorum Centuriæ XII. Argentinæ, ap. Eberh. Zetznerum, 1624. in 12. Tubingæ, apud Johannem Georg. Cottam, 1683. in 8. Hæc altera Editio continet Centurias XX. auctaque eſt Centuriis quatuor poſthumis & emendatior prodiit.

Ejuſdem Sylloges Centuriæ XIII. XIV. XV. XVI. Argentin. 1652. in 12.

Ejuſdem Sylloges Centuria prima prodiit Noribergæ, 1614. in 8.

CAMPANELLA (*Thomas,*) Stylenſis.

Ex eô habentur

Medicinalium, juxta propria principia, Libri ſeptem. Lugd. apud Joh. Pillehotte, 1635. in 4.

De ſensû rerum & Magiâ, libri quatuor. Pars mirabilis occultæ Philoſophiæ, ubi demonſtratur Mundum eſſe Dei vivam ſtatuam, benèque cognoſcentem: omneſque illiûs partes partiumque particulas ſenſû donatas eſſe, alias clariori, alias obſcuriori, quantus ſufficit ipſarum conſervationi ac totiûs in quô conſentiunt; & ferè omnium Naturæ arcanorum rationes aperiuntur. Tobias Adami recenſuit, & nunc primùm evulgavit. Francof. apud Egenolphum Emmelium, 1620. in 4. Correcti & aucti Paris. apud Dioniſium Bechet, 1637. in 4.

Prodromus Philoſophiæ inſtaurandæ, id eſt, Diſſertationis de Naturâ rerum, compendium, cum præfatione ad Philoſophos Germaniæ. Francof. apud Johan. Bringer, 1617. in 4.

Apologia pro Galilæô, ubi diſquiritur: utrum ratio Philoſophandi, quam Galenus celebrat, faveat ſcripturis ſacris, an adverſetur. Ibidem, typis Kempffiis, 1622, in 4.

CAMPEGIUS (*Johannes,*)

De eô extat

Catalogus Librorum Galeni, *Pergameni*, & quô hi ſint ordine legendi. Reperitur cum Symphoriani Campegii Cribrationibus Medicamentorum. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1534. in 8.

CAMPEGIUS (*Symphorianus,*) Lugdunenſis Gallus, Eques Auratus & Lotaringorum Principis Archiater. Floruit A. C. 1532. Renat. Moreau de V. S. in pleurit. ſecundùm Juſtum in Chronol. Medic. Floruit A. C. 1506.

De eô extant

Practica nova in Medicinâ, de omnibus Morborum generibus ex Traditionibus Græcorum, Latinorum, Arabum, Pœnorum, ac Recentium Auctorum, aurei Libri quinque. Ejuſdem Liber unus de omnibus febrium generibus. Lugduni apud Johannem Marion, 1517. in 8. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1547. in 4.

Hortus Gallicus, pro Gallis, in Galliâ ſcriptus verum tamen non minus Italis, Germanis, & Hiſpanis, quàm Gallis neceſſarius. In quô Gallos in Galliâ omnium ægritudinum remedia reperire docet, nec Medicaminibus egere peregrinis, cùm Deus & natura de neceſſariis unicuique regioni provideat Huic accedit Analogia Medicinarum, Indarum & Gallicarum. In quâ Gallos in Galliâ omnes Medicinas laxativas Gallis neceſſarias reperire docet, nec Medicaminibus egere peregrinis. Lugduni, apud Melchiorem & Caſparum Trechſel. 1533. in 8.

Campus Elyſius Galliæ amœnitate refertus. In quô ſunt Medicinæ compoſitæ, Herbæ & Plantæ virentes; In quô quidquid apud Indos, Arabes, & Pœnos reperitur, apud Gallos reperiri poſſe demonſtratur. Lugduni apud Melch. & Caſparum Threchſel. 1533. in 8.

His accedunt: Ejuſdem Apologetica Diſceptatio, quâ docetur, an ſanguis mitti debeat in Cauſone & ſub cane aut propè canem & an pharmacia fortis danda ſit in principiô Febrium arſivarum.

Speculum Chriſtiani Medici de inſtituendô ſapientiæ cultû, ac de veris & ſalutaribus animi & corporis Remediis.

De Theriacâ Gallicâ, Libellus.

Periarchon id eſt de principiis utriûſque Philoſophiæ. In quô præclariſſima quæque, & digna lectû, quæ Galenus in demonſtrativis ſermonibus & Ariſtoteles in Libris naturalium diſciplinarum, & Timæus Locrus & Plato in Libris de univerſô ſcriſô ſcripſerunt, breviter, clarèque & placidô ſtylô pertractantur atque declarantur ſententiæ. Lugduni, ap. Melch. & Caſparum Trechſel, 1533. in 8.

Libri

Libri ſeptem de Dialectica; Rethoricâ, Geometriâ, Arithmeticâ, Aſtronomiâ, Muſicâ, Philoſophiâ, naturali, Medicinâ, & Theologiâ; & de Legibus & Republ. eâque parte Philoſophiæ, quæ de moribus tractat. Atque hæc omnia ſunt tractata ex Ariſtotelis & Platonis ſententiâ. Baſileæ, apud Henr. Petri 1537. in 8.

Categoriæ Medicinales, in Libros Demonſtrationum Galeni. In quibus præclariſſima quæque, & digna lectû quæ Gal. in demonſtrativis ſermonibus & Ariſtoteles in categoriis & naturalium Libris ſcripſerunt, breviter pertractantur. Lugduni, apud Joh. Marion, 1516. in 8.

Claudii Galeni Pergameni Hiſtoriales caupoi in quatuor Libros congeſti, & Commentariis non pœnitendis illuſtrati. Clyſteriorum Camporum ſecundum Galeni mentem Libellus utilis & neceſſarius. Ejuſdem de Phlebotomiâ, Libri duo. Baſileæ, apud Andr. Cratandrum, 1532. in fol.

Vita Meſuæ, Extat cum hujuſdem Operibus. Lugduni, apud Giuntam, 1523. in 8.

Vita Arnoldi de Villânovâ. Extat cum hujuſdem Operibus. Lugduni, ap. Guiliel. Hyon. 1520. in fol.

Cribratio, Lima, & Annotamenta in Galeni, Avicennæ & Conciliatoris Opera. Venetiis, 1565. in fol. Lugduni, apud Aſcenſium, 1516. in 8.

Annotamenta, errata, & caſtigationes in Avicennæ Opera. Extant cum hujuſdem operibus. Lugduni, apud Jacobum Myt, 1522. in 4.

Annotamenta, errata, & caſtigationes in Petri Apponenſis Opera. Extant cum his ipſis. Venetiis, apud Luc-Antonium Juntam, 1548. in fol.

Gallicum Pentapharmacum, Rhabarbaro, Agaricô, Mannâ, Terebinthinâ, & ſen, Gallicis conſtans: cum Donati à Mutiis, Medici Raguſini, Epiſtolâ de Terebinthinæ reſinæ facultatibus. Lugduni, apud Melch. & Caſp. Trechſel, 1534. in 8.

Symphonia Galeni ad Hippocratem, Celſi ad Avicennam, cum Clyſteriorum Campis. Contra Arabum doctrinam pro Galenô, unà cum ſectis antiquorum Medicorum. Lugduni, 1528. in 8. Ibid. apud Melch. & Caſp. Trechſel, 1531. in 8.

Symphonia Platonis cum Ariſtotele, Galeni cum Hippocrate. Hippocraticæ Philoſophia Ejuſdem Platonica. Medicina de duplici Mundô, cum Ejuſdem Scholiis. Speculum medicinale Platonicum: & Apologia Literarum humaniorum. Pariſiis ap. Jodocum Badium, 1516. in 8.

Caſtigationes ſeu emendationes Pharmacopolarum, ſive, Apothecariorum, ac Arabum Medicorum Meſuæ, Serapionis, Raſis, Alpharabii, & aliorum Juniorum Medicorum, in quatuor Libros ac Tomos diviſæ. In quas quidquid apud Arabes erratum fuerit, ſummâ cum diligentiâ congeſtum eſt. Liber primus de ſimplicibus Medicamentis, quô docentur errata Seplaſiarum & Pharmacopolarum, ſive Aromatariorum, ac recentium Medicorum: Additis eorumdem Confutationibus. Liber ſecundus, in quô continentur Caſtigationes in Antidotarium ſeu Grabadin Johannis Meſuæ, Nicolai, Serapionis, ac aliorum recentiorum Medicorum. Liber tertius eſt de Ingeniô curandorum corporum per medicinas laxativas. Liber quartus complectitur Curationes ad ad Remedia Ægritudinum principalium humani corporis. Quibus adjungitur Officina Apothecariorum & Juniorum Medicorum: Item de Phlebotomiâ ſive, ſanguinis miſſione, & præſertim in Pleuritide, ex opinionibus Græcorum, quorum dicta in pleriſque non intellexerunt Arabes. Item de Vinis Febricitantium ex Traditionibus Græcorum, Arabum, Pœnorum, ac confirmationibus ſacrarum Litterarum. Lugduni, apud Johan. Creſpin, 1532. in 8.

De Corporum animorumque Morbis, & horumdem remediis; Opuſculum, in duos Libellos partitum. Lugduni, apud Guil. Hyon, 1528. in 8.

De Claris Medicinæ Scriptoribus, Veteribus, ac Recentioribus, Liber. Lugd. ap. Trechſel, 1531. in 8.

Libelli duo. Primus de Medicinæ Claris Scriptoribus in quinque Tractatus diviſus, quorum primus doctiſſimorum Medicorum laudes percurrens, Magiæ partes commemorat & reprobat, Regeſque, qui in Medicinis claruerunt per tractat. 2. eſt de Philoſophis, qui in medicinis claruerunt. 3. de viris Eccleſiaſticis, qui in Medicinis claruerunt, & in eâ Arte ſcripſerunt. 4. eſt de Italis, qui in Medicinis claruerunt & ſcripſerunt. 5. de Claris Medicis, qui in Galliâ, Hiſpaniâ, Angliâ & Germaniâ claruerunt. Secundus liber eſt de Legum Divinarum & Humanarum conditoribus & ſcriptoribus atque de Pſeudo-propheta Mahometô. Symphoriani Campegii & Sebaſtiani Choppini, *Moliſſovienſis*, in Legem Mahometicam Dialogus. Campegii de Corporum Animorumque Morbis, eorumdemque Remediis Opuſculum, in duos partitum Libellos. Primus introductorius eſt in Practicam Galeni: ſecundus Ægritudinum animorum curativus. Religionis Evangelicæ & Chriſtianæ ex Gentilium & Philoſophorum argumentis comprobatio. Ejuſdem Aphoriſmi, ſive collectionum Libellus in decem Capita diviſus. Opera Hippocratis parva noviter de Græcô in Latinum traducta, Libris ſeptem, Andreâ Brentiô, *Patavinô*, interprete. Primus, de Naturâ hominis, ſecundus de Victû: tertius, de tuendâ valetudine: quartus, lex Medicinæ: quintus, Jusjurandum: Sextus, Demonſtratio, quòd Artes ſunt: Septimus, Invectiva in Obtrectatores. Alexander Aphrodiſeus de Febribus, Georgiô Vallâ interprete. Alexandri Benedicti, *Veronenſis*, Aphoriſmi, ſive, Collectionum Libellus de Medici atque Ægri Officiô. Quædam Epiſtolæ ad Symphorianum Campegium. Omnia conjunctim Lugduni, 1506. in 8.

Medicinale Bellum inter Galenum & Ariſtotelem geſtum, quorum hic cordi, ille autem cerebrô favebat, in duos Libros diviſum: primus Cerebri & Cordis de principalitate humani corporis contendentium continet certamen: ſecundus Dianæ & Veneris atrociſſimum conflictum complectitur. Lugd. apud Simonem Vincentium, 1516. in 8.

Roſa Gallica, omnibus ſanitatem adfectantibus utilis & perneceſſaria. Cui accedit Margarita pretioſa de Medici atque Ægri officio. Pariſiis, apud Aſcenſium, 1514. in 8.

Speculum, ſive, Epitome Galeni, ſeu Galenus abbreviatus, vel inciſus & interſectus, quæcumque in ſpeculô continebantur, comprehendens. Medicinæ Propugnaculum, in ſpeculum Medicinæ Galeni. Galeni vita. De Elementis Galeni Epitoma. De Generatione Animalium, Epitoma. De Paſſione uniuſcujuſque particulæ corporis & curâ ipſarum, qui Liber decem Tractatuum, ſive Myamir, intitulatur, Epitoma. Sylvæ Febrium ex Galeni Libris ad complementum Libri Myamir. De Gynæciis, Liber, hoc eſt, de Paſſionibus Mulierum. De Dynamidiis, Liber. De Morbis Oculorum Galeni Libri duo. Addita ſunt, Tabula omnes materias & ſingulares morbos comprehendens. Conſtantini Aphricani Therapeutica,

rapeutica, ſeu Megatechni ſuper Libros de Ingeniô ſanitatis Galeni. Lugduni, apud Joh. Marion, 1516. in 8. apud Johan. de Jonvelle, 1517. in 8.

Paradoxa in Artem parvam Galeni. Epitome Commentariorum Galeni ad Hippocr. Libros Aphoriſmorum, Prognoſticorum, Regiminis acutorum, Epidemiorum, Item, Centiloquium Iſagogicum. Categoriæ Medicinales. Lugduni, apud Joh. Marion, 1516. in 8.

Vocabulorum Medicinalium, ac Terminorum difficilium explanatio, cum ejuſdem argumenti Epitomâ. Item Iſidori Epiſcopi Lib. IV. Etymologiarum, quæ ſunt de Medicinâ, explicatio. Cum Autoris Opere de Quadruplici diſciplinâ, ſcilicèt Philoſophiâ naturali, Medicinâ, Theologiâ, & Morali Philoſophiâ, integrantes quadrivium. Lugduni, ap. Claudium Davoſt, 1508. in 8.

Epiſtolæ Phyſicæ Campegii, Manardi, & Coronæi de Tranſmutatione Metallorum, ad Regios Medicos, Capellanum, & Miletum. Defenſio Avicennæ, Laurentio Friſio Auctore. Epiſtola reſponſiva Campegii in Laur. Friſium, Lugd. ap. Benedictum Bounyon, 1533. in 8.

Epitome Commentariorum Galeni in Libros Hippocratis Coi. Primus Aphoriſmorum. Secundus Prognoſticorum. Tertius Regiminis acutorum morborum. Quartus Epidemiarum. Ejuſdem Centiloquium Iſagogicum in Libros Hippocratis. In quô præclariſſima quæque digna lectû, quæ à Galenô ſcripta ſunt, breviter & placidô ſtylô narrant. Lugd. apud Joh. Marion, 1516. in 8.

Cribratio Medicamentorum ferè omnium, in ſex digeſta Libros. His acceſſerunt Quæſtio aurea de exhibitione Medicinarum venenoſarum. De Miſtorum generatione. De concretis,& abſtractis. Apologia in Academiam novam Hetruſcorum ac contra Avicennam & Meſuem Antonii Galfredi. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1534. in 8. Huic addita eſt Medulla totiûs Philoſophiæ naturalis ac Medicinæ.

CAMPEN (*Van Chriſtophorus*) Poliater Bredanus.

De eô extant

Collectanea Therapeutica de Pleuritide & apoplexiâ in quibus diſſeritur de uſû & abuſû Clyſterium, Purgantium, Vomitorior. Diureticor. Sudoriferor. Venæſectionum, Cucurbitularum, acidorum, ſalium volatilium, Opiatorum, Balneorum, Abſtinentiæ, Hordeatorum, Vini, Lactis, Potûs calidi & frigidi, Juſculorum & Topicorum: his ſubjiciuntur Exercitationes Medicinales decem. Prodiit Bredæ, Typis Cornel. Seldenſlach 1692. in 8.

CAMPENSIS (*Johannes Antonius*,)

Ex eô habetur

Directorium ſummæ ſummarum Medicinæ. Extat cum Phil. Ulſtadii Cœlô Philoſophorum. Lugdun. ap. Guil. Rovillium 1557. in 16. Argentorati, 1630. in 12.

CAMPENSIUS (*Claudius*,)

De eô extat

Hippocratis Aphoriſmorum nova Interpretatio. Ejuſdem in Aphoriſmos Annotationes, quibus illuſtrantur evidentiſſima Galeni erratá. His deinde annexæ ſunt Animadverſiones, ſimul cum Apologiâ in Galenum: itemque Naturales Animadverſiones in Ariſtotelem. Lugduni, apud Claud. Ravot, 1579. in 8.

CAMPO (*Benedictus de*,) Medicus Doctor, cùm in urbe *Alcala* Regni Granatenſis, quam *Regiam* appellant, faceret Medicinam, publicavit,

Commentariolum de lumine & ſpecie ex Philoſophiæ adytis excerptum; nec non ſuper Adianto obſervationem Græcam pariter & Latinam Pharmacopolis & Medicis admodum proficuam. Granatæ 1544. *in* 8. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 164.

CAMPOLONGUS (*Hemilius*) Natus eſt Patavii Ital. ex nobili familiâ Annô Chriſti 1550. Ab annô 1578. uſque ad annum 1604. quô ætatis ſuæ 54. obiit, adeòque integros annos 27. in Academiâ patriâ Medicinam primò Theoricam, & deinde Practicam etiam publicè docuit: Ariſtotelis & Galeni cultor inter Medicos ſui temporis facilè Princeps.

Ex eô habentur

Theoremata de humanâ perfectione, veritatis indagatoribus Patavii diſcutienda relicta. Patavii, apud Laur. Paſquatum, 1573. in 4.

Σημειωτικὴ, ſeu nova cognóſcendi morbos Methodus, ad Analyſeos Capivaccianæ normam expreſſa. Nunc primùm per Johannem Jeſſenium à Jeſſen, rectè diſcentium & medentium uſui publicata. Wittebergæ, ap. Laur. Sauberlichium, 1601. in 8.

Methodi Medicinales duæ, in quibus legitima medendi ratio traditur, propoſitæ in Acad. Patavinâ à Viris Nobiliſſ. Profeſſ. D. Alb. Bottonô, & Æmiliô Campolongô: Operâ Lazari Suſenbeti in lucem editæ. Francof. apud Zach. Palthen. 1595. in 8.

De Arthritide Liber unus: de Variolis Liber alter: ex ejuſdem explicationibus decerpti, ac publicati. Venetiis, ap. Paulum Mejettum, 1586. in 4. & 1596.

De Arthritide Liber unus. Cui acceſſit Ant. Schnebergeri, Medicamentorum facilè parabilium, adverſus omnis generis articulorum dolores, Enumeratio. Item ejuſdem Schnebergeri de multiplici ſalis uſû Libellus: Item ejuſdem Gemma Amethyſtus ſive Carbunculus Æthyops: Tandemque Johannis Fernelii Conſilium pro Epilepticô ſcriptum: Spiræ Nemetum, apud Bern. Albinum, 1592. in 8.

De Vermibus: de Uteri Affectibus: deque morbis Cutaneis Tractatus præſtantiſſimi. Extant cum Hier. Fabricii ab Aquapendente Medicinâ Practicâ. Pariſiis, apud Clodovæum Cottard, 1634. in 4.

CAMPUS (*Balthazar*,) Lucenſis,

De eô extat

Spicilegium Botanicum. Lucæ, apud Franciſcum Mareſcandolum, 1654. in 4.

CAMPUS (*Franciſcus*,)

Ex eô habetur

De Morbô Arietis, Libellus. Lucæ, 1586. in 8.

CAMUTIUS (*Andreas*,)

Ex eô habetur

Excuſſio brevis præcipui morbi, nempe Cordis palpitationis Maximiliani II. Cæſaris Invictiſſimi, ſimul ac aliorum aliquot virorum Illuſtrium præter naturam affectuum. Florentiæ, apud Georg. Mareſcotum, 1578. in 8.

CANAMUSALUS, *ſeu*, ALCANAMOSALUS, de Baldach, Armenicus.

De eô extat

De Paſſionibus Oculorum, Liber. Reperitur

cum Chirurgiâ Guidonis, aliorumque. Venetiis, apud Andr. Aſulan, 1499. & 1500. in fol.

CANANUS (*Anton. Maria,*) Ferrarienſis. Scripſit Comment. in Libr. Art. Medic. Galeni; & in Aphoriſm. Hippocratis.

CANANUS (*Joh. Baptiſta*) Ferrarienſis. Ejus Elogium confecit Amatus, dum ſcripſit. Joh. Baptiſta Cananus in Corporibus diſſecandis fuit alter Veſalius. Hic Typis dedit Diſſectionem picturatam Muſculorum Corporis Humani, Ferrariæ, 1572. in 4.

CANAPUS (*Johannes*) Medicus Regis Franciſci I. vixit anno 1542. A quibusdam nuncupatur Lector publicus Chirurgorum Lugdunenſium. A Græco in Gallicum ſermonem vertit varia priſcorum opera, atque alia ipſe tum latinè tum etiam gallicè conſcripſit.

CANDIDUS DECEMBRIUS (*Petrus,*)

De eô extat

De Geniturâ Hominis, Liber. Romæ, in 8.

CANEPARIUS (*Petrus Maria*) Cremenſis.

Ex eô habetur

De Atramentis cujuſcunque generis. Opus ſanè novum hactenùs à nemine promulgatum, in ſex Deſcriptiones digeſtum. Venetiis, apud Evangel. Deuchinum, 1609, 1619, 1629, in 4. Londini, apud Johan. Martin, 1660, in 4. & Roterodami apud Fritſchium, 1718. in 4.

CANESIUS (*Bernhardus,*) Tabulam Smaragdinam primus edidit.

CANEVARIUS (*Demetrius,*) Philoſ. & Med. Patritius Genuenſis, natus eſt anno 1559. Studuit Romæ, ubi poſtquam peritiſſimus in linguis, humanioribus litteris, Medicinâque habitus fuit, magnum ſibi adeptus eſt nomen, maximaſque opes: ibi obiit annô 1625. ampliſſimamque Bibliothecam reliquit.

De eô extant in Lind. Renov.

Ars Medica. Genuæ, 1626. in fol.

Morborum omnium, qui corpus humanum affligunt, ut decet, & ex Arte curandorum accurata & pleniſſima methodus. Venetiis, apud Rob. Mejettum, 1605. in 8.

De Lignô Sanctô, Commentarius. In quô præcipuæ qualitates ejus & facultates omnes exactâ diligentiâ exprimuntur, ex illiſque lignum quoddam, quod nuper in Italiam delatum eſt, pſeudo lignum ſanctum, & nullô modô verum, ejus Fautoribus accuratô examine demonſtratur. Romæ apud Guil. Facciottum, 1602. in 8.

De primis naturâ factorum Principiis Commentarius, in quo quæcumque ad corporum naturalium ortûs & interitûs cognitionem deſiderari poſſunt, accuratè ſed breviter explicantur 1626.

CANONHERIUS (*Petrus Andreas,*)

Ex eô habentur

In ſeptem Aphoriſmorum Hippocratis Libros, Medicæ, Politicæ, Morales, ac Theologicæ Interpretationes. Antverpiæ, apud Petrum & Joh. Belleros, 1627. in 4.

De Admirandis vini virtutibus, Libri tres. Antverpiæ, apud Hieron. Verduſſium, 1627. in 8.

De Curioſâ Doctrinâ, Libri quinque. Florentiæ, apud Volcmarium Timan, 1607. in 8.

CANT (*Arent,*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1723. pag. 411.

Impetus primi Anatomici ex luſtratis Cadaveribus nati, quos propriâ conſignavit manû Arent Cant, Med. Doct. Lugduni Batav. apud Petrum vander Aa, 1721. in fol.

EX quô Clar. *Cant* in Diſſertatione inaugurali Ductûs Thoracici ſitum deſcripſerat, additâ ejuſdem icone, Amici quidam rerum Anatomicarum admodùm periti, qui Autoris curam & dexteritatem in ſecandis cadaveribus cognitam atque perſpectam habebant, admodùm eum ſollicitârunt, ut ſi quas ſimiles, eâdem induſtriâ delineatas, poſſideret figuras, eaſdem literatô orbi ne invideret. Quod monitum ſecutus vir Clariſſimus, Impetus hos primos, VI. tabulis comprehenſos, & Boerhaaviô inſcriptos, cum Anatomicæ Artis Cultoribus nunc communicat. In Tabulâ I. faciem ejuſque muſculos, arterias carotides, nervum vertebralem & ſeptimi paris ramum duriorem repræſentat; in II. cranii partem interiorem, durâ matre inveſtitam, exitum nervorum ex craniô, muſculos & nervos oculorum exhibet; in III. muſculos, qui ad pharyngem & uvulam ſpectant, enumerat; in IV. cor inveſtigat; in V. eum ventriculi ſitum ante oculos ponit, quem habet dum flatibus aut cibis turget, ſimulque articulationem cubiti cum brachiô & tibiæ cum femoris oſſe, oſſiculum auris, malleolus dictum, & os palati delineat. In VI. denique Ductum thoracicum depingit. In explicatione autem harum Tabularum id agit Autor Clar. ut, quæ in aliorum Anatomicorum libris annotata vel delineata invenit, ſuis obſervationibus vel confirmet vel corrigat, ubi verò ſtructuram fibrarum in muſculis, reptatum in nervis diverſum ab eô, qui ab aliis annotatus fuit, vidiſſe ſe dicit, ſcriptores non ſtatim erroris arguat, cùm id ipſum à ſapientis Dei inſtitutô dependeat, qui vultum e. gr. humanum aliis in hoc, in alterô aliis diſtinxit lineamentis, ne inde confuſio oriretur; ubique verò uſum partium evolvat & eam adhibeat fidem, ut alieni à verô nihil quicquam eum appoſuiſſe, quiſpiam dicere poſſit. Speciminis loco ex eleganti hoc opere nunc quædam apponemus.

Gracilem naſi muſculum ad actionem Zygomaticorum concurrere, ut Lanciſio placuit, non putat, ſed eum pro elevatore labii ſuperioris & ſimul pro depreſſore muſculô palpebræ inferioris habet. Omnes, qui ſyſtema arterioſum depinxêre, erraviſſe dicit, quod dum faciem anteriorem delineârunt, carotides externas & internas quaſi juxta ſe invicem poſitas repræſentârint, cùm tamen in initiô una poſt alteram poſita decurrat, hinc ratione ſitûs, quem obtinent, carotis anterior & poſterior dicenda. Nervum vertebralem nonniſi unicum ramulum, qui anteriora petens tuberculum auris majus ſupergreſſus eſt, emiſiſſe vidit, non plures, quod Valſalva obſervavit. Circa ſinus duræ matris notat, quintum ad lymbum inferiorem proceſſus falciformis poſitum, cùm magnæ capacitatis non ſit, venæ potiùs quàm ſinûs nomen mereri; Longitudinalem verò in lateralem ſiniſtrum tantùm, qui ei continuus eſt, non in utroſque laterales, ut vulgò creditur, ſanguinem effundere, qui ex eô deinde in dextrum, tanquam anguſtiorem, illiuſque ramum ulterius protrudatur. Muſculi trochlearis in oculô ortum non ab imâ orbitæ parte, ſed ſpatiô ab eâ aliquatenùs diſtante obſervavit. Oeſophagum aſperæ arteriæ non ſubjacere, ut Veſalius voluit, ſed versùs latus ſiniſtrum, (non dextrum, ut Morgagni depinxit) deflectere aſſerit, ut tandem planè deferat ferè tracheam. Muſculum cephalopharyngæum quem Valſalva pharyngo-ſtaphilinum, vel ſtaphilino-

lino pharyngæum vocat, & ab imô capitis oriri negat, ortum ducere advertit à parvâ, quâ occipitis os oſſi ſphænoidi jungitur, eminentiâ, inde gracileſcentibus decurrere fibris, donec in mediô ſub foramine oſſis occipitalis magno in lineam tendinoſam deſinat. Muſculum ſalpingo-pharyngæum male ſphæno-pharyngæum dici perhibet, ſiquidem is ab extremitate poſteriori Tubæ Euſtachianæ oſſeæ partis oriatur, & ſenſim in pharyngem, confuſus quodammodo muſculô pterygo-ſpharyngæo, evaneſcat. In uvulæ parte poſteriore fibras carneas obſervavit, muſculus ſine pari vocandas. In exortû arteriarum carotidum id diſcriminis ſubeſſe dicit, quod in ſenili cadavere angulus ſub aſperâ arteriâ obtuſior & truncus innominatus non tam longus ſit ac in infante, itâ ut etiam dextra carotis ex aortâ produci videatur hâcque ratione ſyſtema arterioſum Veſalii ſenili de corpore deſumtum ſalvari queat. Ventriculi ſitum flatibus vel cibis expanſi in eô differre perhibet ab eô, quem vacuus habet, quod ſe tùm in parte anteriori attollat, itâ ut quæ ventriculi vacui pars fundum conſtituebat, in repletô aſſurgens antrorſum ſpectet. Oſſis maxillaris ſuperioris cum oſſe palati connexionem dum deſcribit, hoc orbitam oculi ex parte conſtituere, innuit.

CANTONIUS (*Vincentius*)

De eô extat

Epiſtola de Monachorum quorumdam in Matthiolum Animadverſionibus. Reperitur in Lib. I. Epiſt. Matth. p. 45.

CAPELLA (*Michael de,*)

Ex eô habentur

Flores Avicennæ. Lugduni, apud Bartholomæum Troſt, 1508. in 8.

CAPELLANUS (*Johannes,*) Regius Medicus. Vixit A. C. 1504. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extat

Conſilium de Peſte. Reperitur cum Conſiliorum Libro Joh. Fernelii. Pariſiis, apud Ægidium Beylium, 1585. in 8.

CAPELLUTUS (*Rolandus,*) Chryſopolitanus, Philoſophus & Medicus: Chirurgus Parmenſis. Scripſit Barbarô ſtylô, ſub Fridericô III. Imperatore, & Paulô II. Papâ. Rogerii Imitator. Floruit A. C. 1468. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur

Chirurgia. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1490. apud Bernhardinum Venetum de Vitalibus, 1519. in fol. apud Juntas, 1546. in fol. cum Guidonis, Bruni, *Lanfranci,* & aliorum Chirurgiâ.

De Curatione Peſtiferorum Apoſtematum, Tractatus, utiliſſimis Obſervationibus illuſtratus, ex Bibliothecâ Hermanni Conringii. Francof. ap. Joh. David Zunnerum, 1642. in 8. Brunswigæ, 1640. in 8.

CAPITANEUS (*Petrus*) Danus.

Ex eô habetur

Prophylact. Conſilium Antipeſtilent. Hafnienſib. datum ann. 1553. Extat in Ciſtâ Barthol. Hafn. 8. 1662.

CAPIVACCIUS (*Hieronimus,*) Patricius Patavinus, vir doctiſſimus artem Medicam coluit ab adoleſcentiâ in patriô Gymnaſiô: mox eandem docuit in eodem primùm quidem inter tertiarios Practicæ extraordinariæ ab an. 1552. ad 1561. deinde inter ſecundarios ejuſdem Claſſis ad ann. 1564. Collega poſt hæc fuit Antonii Fracantiani ordinariæ Profeſſoris primarii, in ſecundô ſubſelliô; eôque fatis ereptô docuit ſub eâdem ſede cum Hieronymo Mercuriali pari cum ipſo muneris dignitate. Cum hoc evocatus Venetias an. 1576. ut de morbô, qui funeribus epidemicis urbem funeſtabat, ſententiam ferret, paretque remedium, inſtar numinis cœlô delapſi cum collegâ receptus eſt; Cùm expectationi fortuna minimè reſpondiſſet, penè non ignominiosè cum ſociô reprehenſus, deriſus, dimiſſus eſt. Adeò Medicis ab exitû meritum eſt, & artis longæ fallacia experimenta fallax gloria ſequitur. Vixit deinde Capivaccius in patriâ ſummus artifex Morbi gallici curandi. Quâ ex operâ citrà jactantiam profitetur, ſe ultra octodecim Coronatorum millia fuiſſe conſecutum. Creditus eſt in curationibus ejuſmodi arcano aliquo uti; verùm hoc ipſe conſtanter inficiatus Polono diſcipulo ſuo, ut arcanum ipſum ſibi proderet, impensè roganti, reſpondit: *Lege methodum meam; & habebis mea ſecreta.* Fertur ſenio confectum Aſtrologus quidam admonuiſſe, ne illâ ætate aliò iter faceret, ſuſciperetvè; quod monitum cùm neglexiſſet, profectus Mantuam ad Ducem ibi ægrotantem, in reditû, ſuppreſſô hæmorrhoidum fluxû conſuetô, correptus, diaphragmatis inflammatione vivere deſiit ann. 1589. ſepultus eſt in templô veteri Societ. Jeſû D. M. Magdalenæ Sacrô, unde ad novum oſſa ejus translata ab hæredibus Pimbiolis Patriciis Patavinis, ibi ſecùs aram maximam jacent ab an. 1680.

Ejus Opera edita hos titulos habent

Medendi Methodus univerſalis ad cognoſcendos & curandos omnes Corporis humani affectus in libros VII. diſtributa.

Tractatus de Urinis.

Libellus de ratione componendi Medicamenta.

Explicationes 34. de Methodô medendi.

Methodus Anatomica de Arte ſecandi.

Tractatus de Febribus.

Acroaſes de Virulentiâ Gallicâ, ſeu de Lue Venereâ.

De Morbis particularibus Partes duæ.

Opuſculum de Doctrinarum differentiis, ſeu de Methodis, Philoſophis, Theologis, Juriſconſultis & Medicis neceſſarium.

Alia quædam Tomaſinus M. S. recenſet. *Hiſt. Gymn. Patav. T. I. pag.* 330.

De Operibus hæc rurſus.

Opera omnia, quinque ſectionibus comprehenſa, quarum I. Phyſiologica, II. Pathologica, III. Therapeutica, IV. Miſta. V. Extranea continet. Edita curâ Joh. Hartmanni Beyeri. Francof. ap. Jonam Rhodium, 1603. in fol.

Sect. I. *quæ Phyſiologica, continet Tractatus tres:*

I. De fœtûs Formatione:

II. De ſignis Virginitatis tam Maſculi, quàm Fœminæ.

III. De Methodô Anatomicâ.

Sect. II. *nimirùm Pathologica, agit*

I. De Rebus præter naturam.

II. De Pulſibus.

III. De Urinis.

IV. De modô interrogandi ægros.

Sect. III. *videlicèt Therapeutica, continet*

I. Methodum Medendi.

II. Rationem Componendi Medicamenta.

III. Cauteriorum rectam adminiſtrationem.

Sect. IV. *nempè Miſtâ, comprehenduntur.*

I. Commentarii in ſectionem primam Aphoriſmorum Hippocratis, partim Prognoſi, partim Curationi deſervientes.

II. Practicæ Libri ſeptem: de cognitione & Curatione affectuum Capitis, partim Capiti annexarum, Thoracis, Pulmonum, Cordis, Oëſophagi, Ventriculi, Inteſtinorum, jecinoris, ſplenis, Renum, Veſicæ, Partium genitalium; Uteri: item Arthritidis, luis Venereæ, Febrium ac Venenorum.

III. De Medicâ Conſultandi ratione, ſeu de Arte Collegiandi Tractatus.

IV. Conſilia Medica, Conſultationes, & Epiſtolæ.

Sect. V. *quæ eſt extranea, nimirùm Logica, complectitur.*

Opuſculùm de Methodis, ſeu, Differentiis Doctrinarum.

Seorſim prodierunt

De Compoſitione Medicamentorum, Inſtitutio brevis pro Medicô. Extat cum Pandectis Joh. Georgii Schenckii. Francof. ap. Jonam Rhodium, 1607. in 12.

Medicina Practica, ſive Methodus cognoſcendorum & curandorum omnium humani corporis affectuum, Joh. Hartmanni Beyeri ſtudiô, Lib. VII. interſtincta. Francof. apud Petrum Fiſcherum, 1594. in 4. Venetiis, apud Hæredes Melchioris Seſſæ, 1597. 1598. in fol. Huic adjecta ſunt & reliqua, quæ adhuc extant, ejuſdem excellentiſſimi Viri Opera omnia.

Eadem practica cum reliquis Autoris Operibus. Venetiis, apud Mejettam, 1591. 1594. in fol.

Medendi Methodus univerſalis Tabulis comprehenſa, in uſum Medicorum tum Theoricorum, tùm Practicorum. Francof. apud Coll. Palthenianum, 1606. in fol.

Nova Methodus Medendi, Lectionibus publicis explicata, & recèns ſuis locis Capitibus diſtincta. Francof. apud Henricum Oſthauſium, Juniorem, 1593. in 8.

Opuſculum de Doctrinarum Differentiis, ſive, de Methodis à Petrô Angelô, Agathô editum. Patavii, apud Laur. Paſquatum, 1562. in 16. Francof. apud Henr. Oſthauſium, 1594. in 12. cum Dn. Laurentii Scholzii, *Sileſii* Præfatione.

Methodus Anatomica, ſive, Ars conſecandi, cum Præfatione Teucri Annæi Privati de Anatomiæ laudibus. Francof. ap. Egenolphum, 1594. in 8. Venetiis, apud Joh. Bapt. Ciottum, 1593. in 4.

Methodus, ſeu, Ars curativa. Cum Præfatione Teucri Annæi Privati. Francof. apud Egenolphum, 1594. in 8.

De Urinis, Tractatus. Editus Operâ Laurentii Scholzii, *Silezii.* Serveſtæ, apud Bonavent. Fabrum, 1595. in 8.

De Lue Venereâ Acroaſes, à Philippô Schopfiô publicatæ. Spiræ, ap. Bernhardin. Albinum, 1590. in 8. & Francof. apud Egenolphum, 1594. in 8. cum Conſiliis & Tractatione de Cauteriis, atque Enterocele, tùm à Capivacciô, tum Collegiô Patavinô, aliiſque Clariſſimis Medicis conſcripta, atque è Bibliothecâ Teucri Annæi, Privati eruta.

Conſilia Medica. Extant eô in Opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francof. apud Joh. Sartorium, 1605. in 4. & quod Laurentius Scholzius edidit Francofurti, apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

Epiſtolæ quædam Medicæ. Extant in eôdem Opere à Scholziô editô.

CAPPOCIUS (*Franciſcus,*)

De eô Extat

Praxis Artis Medicæ. Vicentiæ, Typis Joh. Berni, 1586. 4.

CAPRA (*Marcellus*) Nicoſienſis, ex privilegiô Meſſanenſis; Philoſophus, ac Medicus doctiſſimus. Cùm in patriâ non ſine doctrinæ gloriâ floreret, calumniis vexatus, indignatione conceptâ aliò ſe tranſtulit: præſertim Panormum, & Meſſanam inhabitavit; ibique litterarum præſtantiâ magnam ſibi opinionem conciliavit. A Johanne Auſtriacô in Medicum ſuum, & Hiſpanæ Claſſis, in bellô memorandô ad Hechinadas Inſulas patrato, electus eſt. Claruit annô 1593. Edidit

De ſede Animæ, & Mentis ad Ariſtotelis præcepta adverſus Galenum, Quæſitum. Panormi, typis Franciſci Carraræ 1589. in 4.

De Immortalitate Animæ rationalis juxta principia Ariſtotelis adverſus Epicurum, Lucretium, & Pithagoricos, Quæſitum. Panormi apud eundem 1589. in 4.

De Morbi Epidemici, qui miſerrimè Siciliam depopulabatur, annô Chriſtianæ ſalutis 1591. *itidemque* 1592. *Cauſis, Symptomatibus, & Curatione.* Meſſanæ apud Hæredes Fauſti Bufalini 1593. in 4. *Antonius Mongitor Bibl. Siculæ T. ij.*

CAPRILIUS (*Pius Æneas,*) Ferrarienſis.

De eô extant

Libri duo; quorum primus eſt de Febribus putridis in genere; alter in ſpecie; In quibus præter exactiſſimam harum Febrium doctrinam, quamplures etiam Hippocratis, Galeni, & aliorum Authorum Controverſiæ, locique difficiles explicantur. Ferrariæ, apud Benedict. Mammarellum, 1591. in fol. Patavii, apud Paul. Frambottum, 1643. in 4.

CAPUANUS (*Leonhardus,*) Medicus Neapolitanus celebratiſſimus. Obiit octogenarius Annô 1695.

De eô Extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1686. *p.* 367.

Lezioni intorno alla natura delle Mofette.

hoc eſt

Lectiones naturam mephitium concernentes, Autore Leonhardô Capuanô, Academicô inveſtigante. Neapoli, apud Salvatorem Caſtaldum, 1683. *in* 4.

PRæfatio his lectionibus ab Editore Autoris filiô præmiſſa, illiûs Academiæ cujus membrum fuiſſe Leonhardum titulus libri jam recitatus teſtatur, originem & fata commemorat. Scilicet ad exemplum Regiæ Societatis in Angliâ & Academiæ Florentinæ, cui nomen à Lydiô Lapide erat, Neapoli Andreas Concublettus Marchio Arenæ viros quoſdam Clariſſimos ejus urbis invitaverat, ut ſtatis diebus in domô ſuâ convenirent, ac de ornandâ re literariâ confabularentur. Hi nomen *Inveſtigantium* ſibi ſumpſerunt, & emblematis locô elegerunt *canem odorum*, appoſitô verbô Lucretii, *Veſtigia luſtrat.* Vix tamen unus alterque conventus celebratus fuit, cum eô cujus auſpiciis viri coiverant, abeunte, ſocietas iſta, unde univerſæ Italiæ ſingulare celebritatis incrementum multi prædixerant, iterùm ſoluta eſt. Viginti nunc anni ſunt & ampliùs, ex quô hæc ità contigerunt, & Leonhardus

hardus Capuanus in primis iſtis conventibus diſcurſus tres non ineruditos recitavit, quos tertiò abhinc annô Cæſar filius ad conſervandam Societatis memoriam publicæ luci expoſuit & Chriſtinæ Suecorum Reginæ inſcripſit. *Lectione primâ* Leonhardus narratione hiſtoricâ recenſet loca potiora, quæ terræ putorem enecantem olim emiſerunt, aut hodiè exhalant. Diſſerit imprimis prolixè de antris & lacubus Neapolim, Puteolum, Bajarum, Cumarumque rudera circumfluentibus, & avernum monet à mephiti eô diſtingui, quod ille ſolis avibus, hæc omni ferè animalium generi ſit exitialis. Deinde veterum pariter & recentiorum philoſophorum placita de cauſis mephitium colligit, quidque ſingulis incommodi inſit, exponit. *Lectione ſecundâ*, in fermentatione ſanguinis ſuccorumque vitam conſiſtere arbitratus, probat ad eam continuandam omni tam vegetantium quàm ſentientium multitudini neceſſarium eſſe aërem nobis circumfuſum, quem viventia pulmonibus deſtituta inſtrumentis aliis æque idoneis haurire ſoleant. Auram vivificam, quæ ex ſanguine generetur in cerebrô, omnis eſſe motus in animantibus principium docet, ipſamque pectoris dilatationem non aliunde pendere, quàm ab aurâ iſtâ quæ ad nutum animæ præſidentis in membrorum nervos decurrat, & ſic reſpirationem, (quam motibus voluntariis accenſeri vult) efficiat, aëremque attractum per vaſa ad ſanguinem comitetur. *Lectione ultimâ* ſingulos effectus cavernarum mephitim exhalantium examinat, & eorum reddere rationem ſatagit. Extingui in iſtis accenſas faces ſcribit dùm ſpiſſi, compactique halitus minerales particulis ignem componentibus reſiſtant, eaſque ſic comprimant, ut majori vi cedentes diſſiliant ac diſſipentur. In animalibus eoſdem vapores, qui paulatim è diſtinctis terræ venis aſcendant, ac poſtmodùm in cavitatibus ſubterraneis uniantur, per vim ingredi organa reſpirationi dicata, auramque vivificam vel penitus expellere vel ità contrahere ut ceſſet ſanguinis & alius omnis motus, adeòque nec vita ſupereſſe poſſit. Averna, quæ ſint lacus, quorum aquas penetrent halitus minerales è fundô adſcendentes, ſolis eſſe avibus exitialia, quod hæ liberiore aëre, cujus vis elaſtica à vaporibus minùs impedita ſit, opus habeant, alia autem animalia faciliùs aërem exhalationibus impregnatum tolerent. Sub finem univerſi tractatus inquirit, cur avernus in agrô Campaniæ quondam Plutoni ob funeſtos effectus dicatus, jam à longô tempore, & piſces ferat, nec ampliùs ſit avibus exitio? eorumque opinioni ſubſcribit, qui cauſam in incendia adjacentis Gauri, quem hodie Barbarum vocant, Petrarcha verò & Boccacius malè pro Falernô habuerunt, rejiciunt, & halitus lethiferos, qui olim aquas penetraverint, nunc deflagràſſe exiſtimant. Cæterùm non pauca ad hiſtoriæ naturalis incrementum pertinentia, de corporibus intra terræ ſinum abſconditis, & cum his, quæ quotidie oculis uſurpamus, proximè convenientibus jucundè & eruditè paſſim miſcet.

Ibidem, ann. 1692. *p.* 615. *ſuppl. tom.* I.

Parere del Signor Lionardo di Capoa diviſato in Otto Ragionamenti &c.

i. e.

Leonhardi Capuani Cogitata, in Octo Diſcurſibus prolata, in quibus, dum origo & progreſſus Medicinæ diſtinctè enarrantur, incertitudo ſimul ejuſdem perſpicuè detegitur. Editio ſecunda. Neapoli, apud Jacobum Raillard, 1689. *in* 4.

QUod *Clariſſimus Autor*, cujus *Lectiones de Mephitium naturâ* annô 1686. p. 367. recenſuimus, ſua de Medicinâ cogitata in Chartam primùm conjecerit, amicorum poſteà ſuaſû divulgata, occaſionem laudandum Vice-Regis Neapolitani dedit mandatum, quo hic ſtatim ac ſiniſtros ægrorum nonnullorum eventus, Chymicis attribui medicamentis intelligeret, ſolertem à Medicis tanti mali medelam, certamque, ſi opus videretur, ac ſolidam Praxeos Medicæ normam exigebat. Noſter namque, ut promtum in re tam arduâ obſequium teſtificaretur, duo hìc tradere conſtituit: primò Medicinæ, tanquam incertæ & inconſtantis, leges ſtabiles non à Medicis, nedùm à Principibus & Magiſtratibus poſſe condi; dein verò, quomodò quis, quantùm artis conditio permittit, in Medicum bonum & Chymicum meliorem evadere debeat. De illô in ſex prioribus Diſcurſibus, de hôc autem in duobus ultimis ſollicitus eſt, quibus tamen tres diſcurſus de medicamentorum incertitudine, ſeorſim à nobis luſtrandos, in novâ hâc editione adjecit, à priori alias itidem Neapoli an. 1681. impreſſa vix diſcrepante, niſi quod, teſte *Thoma Donzelli*, multa nunc loca Græca lectoris in gratiam omiſſa, in locum verò obſcurarum vocum idiomatis Florentini notiores aliæ ſubſtitutæ fuerint. Nempè *Diſcurſû* I. poſtquam in Ægyptios, Athenienſes & Romanos animadvertit, quod certas Medicinæ leges præſcripſiſſent, omnem ipſorum quoque Medicorum conatum in ſtabiliendis Medicinæ legibus irritum eſſe, è multiplici hujus mutatione, ab initiô ad noſtra tempora uſque facta, demonſtrat. Æſculapium enim, inventorem aut antiquiſſimum ſaltem Medicinæ ſcriptorem, in multis regulis conſignatis mox à ſe ipſô, juxtà Hippocratem in Epiſtolâ ad Democritum, non modò diſſenſiſſe, ſed & oleum atque operam omnes perdere, quotquot ſecundùm ejuſmodi regulas artem medicam exercere vellent, quia limites medicinæ, proùt fuſiùs deducit, poſt tempora Æſculapii multum ultrà paucarum herbarum notitiam protenſi fuerint, ac Medici ſucceſſivè in ſectas varias, rationalem, empiricam, pneumaticam, methodicam, ſpagyricam &c. diverſarum rurſùs partium ſub magiſtris diverſis ſeceſſerint, noſtrôque imprimis ſeculô Anatomici & Chymici egregia incrementa Medicinæ adjecerint. Singularem quippe primorum Medicinæ reſtauratorum ſcientiam è nomine, quod magnum habuerunt, metiendam eſſe minimè, cum prima Medicinæ Opera, licèt minùs polita, apud ſimplicem tamen & creſcentem mundum, admirationem tantò majorem parere potuerint, quò magis partim inſignes Medicorum illorum errores unà cum mortuis humô tegerentur & unicè auxilium eorum, etiamſi leve, in reconvaleſcentibus in ſenſus incurreret, partim Medici iidem, æque ac noſtratium multi, variis emergendi artificiis, v. g. in morborum demùm decrementô conſilia ſuppeditando, item ænigmatibus, incantationibus, oraculis, auguriis ſimilibuſque ſuperſtitionum generibus, quibus medicamina quoque colligebant, callidè ſatis uterentur. Aſt Eclecticis nullam ſectam amplectentibus, ſed naturam liberè indagantibus, alterique aliquid non credentibus, niſi quatenùs propriis illud ſenſibus, & certiſſima experientia comprobari queat; *Diſcurſû* II. argumenta, quibus libertas ejuſmodi ipſis vindicetur, conquirit. Primò ipſum hominem facie erectâ ideò incedentem ac generoſis ſpiritibus exornatum ſiſtit ut ipſemet tot tamque miranda univerſi phœnomena obſervare ac rimari poſſet, nullôque modô tempus in anteceſſorum comentis tantũ legendis & relegendis conſumeret, ceù quod Pythagoræ jamdũ, Antiſtheni, Galeno aliiſque Græcorũ Philoſophis & Medicis Celebribus inviſum fuerit.

Mox perpendere jubet, quam multa recentiores falſa demonſtraverint, veteribus vera viſa, multaque itidem hiſce planè incognita in lucem protraxerint, veteris Medicinæ rationalis fundamenta oppido evertentia: Hinc modernis idem jus convenire urget, quod veteres v. g. Plato, Ariſtoteles, Xenocrates, Zeno, Ariſtipus, Euclides, Epicurus &c. in novis erigendis ſcholis ſibi arrogarunt. Tum commoda extollit, quæ noſtrô ſeculô ex veterum veſtigiis derelictis in Philoſophiam & Medicinam non minùs, ac in artem pictoriam & poëticam, tam quoad errores & fabulas veterum evitandas, quam nova invenienda, redundârunt. Porrò optimum ſolummodò ex Autoribus, ſive veteribus, ſive modernis, ſeligendum nulliûſque ſententiæ tenaciter inhærendum eſſe, niſi in quantum ea cum ratione & experientiâ concordet, multis excellentium Philoſophorum & Theologorum teſtimoniis confirmat, idque tantò ſtrictiùs ad exemplum Hippocratis, Dioclis, Praxagoræ, Herophili, Galeni, Baſilii, Valentini, Paracelſi, Quercetani, Helmontii, Sylvii aliorumque à Medicis obſervandum, quò cum præſentaneô magis ægrorum interitû errores magiſtrorum pertinaciter defendi ſoleant. Multos denique famigeratiſſimos Galeni aſſeclas in ſenam producit, Galenum ac Hippocratem omninò deſerendum eſſe, ubi veritas dictitet, expreſſè ſuadentes, aliis reipſa quoque idem atteſtantibus. *Diſcursû* III. ad Medicinæ incertitudinem rediens, pro hâc penitùs evincendâ tum cauſas ejus, tum & ſingularum Medicinæ ſectarum defectus, aperire ſuſtinet. Scilicèt, quod Medici, v. g. Galenici, non ſecus ac Philoſophi Ariſtotelici, multas vel inter ſe lites acriter foveant, ac utraque pars ad rationem, experientiam & Galenum ſtrenuè provocet, non tam ipſis Medicis, quam titubantibus Medicinæ fulcris, ſive rationi & experientiæ dubiis, imputandum eſſe. Senſus ſiquidem, quibus omnis à nobis notitia comparari debeat, licet in ſe non fallant, nec judicium etiam præcipitetur, intellectui tamen, qui ſolus judicat, aberrandi anſam præbere facillimè, quatenùs non in omnia corpora, nec in ſingulas horum particulas, ob exilitatem aliudve impedimentum penetrant, aut certè non aliud in corporibus, quam impreſſiones ab his receptas, comprehendunt, quarum nihilominùs cauſæ poſſint eſſe diverſæ. Idcircò parciſſimas rerum naturalium, & nonniſi earum, quæ ab unâ causâ dependent, v. g. omne illud, quod organa ſenſuum afficit, corpus eſſe, omne corpus in partes dimenſionibus præditas dividi poſſe, corpora ſolùm ratione magnitudinis, figuræ, motus, in partes diviſionis actualis vel potentialis, harumque ſitûs & ordinis, inter ſe differre, &c. haberi demonſtrationes, nimis tamen generales adeoque inſufficientes, quæ in veram ſpecialium cauſarum cognitionem deducant. Similiter in Medicinâ ſtructuram exactam integrantium corporis humani partium, ſive ſolidarum, ſive fluidarum, item alimentorum, & medicamentorum, conſequenter & uſum, deliteſcere, cum fallacibus ſolum conjecturis, neutiquam microſcopii aut Chimiæ adminiculô minimorum conſtitutivorum magnitudinem, figuram, ſitum & motum aſſequi liceat, ac recentiorum præſtantiſſimi poſt multos exantlatos labores vix aliud, quam veterum errores, patefecerint. Nec circa prognoſin medicam inſtituendam omnes cauſas illam variantes planè conſtare; multò minùs, juxta ipſum Galenum, in praxi medicâ certô exercenda cujuslibet ægri idioſyncraſiam innoteſcere. Experientiam autem, ceu eorum memoriam, quæ ſæpè obſervata fuerunt, quod concernit, & hanc fallacem occurrere atque vanam, dùm hactenùs ne unicæ quæſtioni decidendæ ſuffecerit, ac nemo certò affirmare poſſit, ea, quæ ſæpè evenerunt, impoſterùm eâdem quoque ratione accidere debere, diverſas ob circumſtantias eandem cauſam determinare valentes, ut effectum eundem non ſemper producat. Atque cauſis his medicinæ incertæ expoſitis, ſpecialiùs porrò ipſas Medicinæ ſectas, empiricam, methodicam & rationalem empiricâ antiquiorem, in multis docet deficere, è rationalibus Medicis Sinenſium, Ægyptiorum, Phænicum, Thracum, Aſſyriorum, Arabum & Græcorum Medicinam diſtinctiùs examinans. Græcorum autem cùm plures dentur, quàm ut unâ vice omnes cenſeri valuerint, *Diſcursû* IV. in Erodicô, Euriphonte ac præcipuè Hippocrate convellendis unicè verſatur; quemadmodùm *Diſcursû* V. in Dioclem, Praxagoram, Pliſtonicum, Herophilum, Menecratem, Neſiteum, Eriſiſtratum, Petronam, Atheneum reliquoſque ſectæ pneumaticæ Authores, item Aſclepiadem, Antonium Muſam, Cliniam Maſſilienſem, Carmidem, & Galenum, cenſoriam virgulam ſtringit. Neque *Diſcursû* VI. recentiores, v. g. Baſilium Valentinum, Paracelſum, Campanellam, Roderic. Caſtellum, Helmontium, Petr. Joh. Fabrum, Olivam Sambuco, Williſium, Sylvium &c. parcit excutere, ut demùm è momentaneis de Medicinâ edictis, diverſis & ſæpè contrariis medicandi rationibus, hypotheſibus Medicorum diſcrepantibus nunquam conciliandis, infirmis Medicinæ fundamentis, ac ipſorum Medicorum invidia, malitiâ, & fraudibus, quibus famam aucupantur, Medicinam vix in ordinem cogi poſſe, colligat. Nihilominùs, quô inſimul pateſcat, quamnam viam Medicus artem cum ſuccesſû facturus debeat ingredi, *Diſcursû* VII. omnia ea, quæ ad Medicinam ritè comparandam faciunt, edocet. Præter naturam enim, mores laudandos, locum ſtudiis aptum, inſtitutionem à pueris, induſtriam & tempus, quæ *Hippocratis* Lex requirit, à Medicô futurô linguas, Græcam, Latinam, Arabicam & Germanicam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, Hiſtoriam, Philoſophiam naturalem, & moralem, Anatomiam, Botanicam, Chymiam &c. addiſcendas, Autores cujuſvis ſectæ ſedulò evolvendos, ac peregrinationes denique ſuſcipiendas eſſe inculcat. Speciatim modum, quô Chymia naturæ perveſtigandæ cum primis neceſſaria excoli, & quinam Medicinæ Profeſſores conſtitui debeant, indigitat, quamvis eum, qui cunctis præmemoratis requiſitis animum expolivit, nondùm Medicinæ faſtigium aſcendiſſe ultrò fateatur, ut potè in totâ Europâ vix unum Medicum reperiri ab Helmontiô perſuaſus, eò quòd hic ipſe, qui ſuô forſan tempore ſolus titulò Medici jure ſuperbierat, in multis aberraverit, nec à ſe pleuritidem depellere valuerit, in cujus tamen naturâ & remediis deſcribendis plus rationis, quam ante eum Medicorum ullus adhibuiſſet. Tandem *Diſcursû* VIII. quemadmodum inter ornamenta Neapolis refert, quòd viros liberè philoſophantes ſemper vel produxerit, vel aluerit, e. g. Teleſium, Campanellam, Portam, Stiliolam ac præter alios, Academiæ Inveſtigantium membra; ità ex principum Philoſophiæ, Ariſtotelis, Platonis, Zenonis, & Epicuri, erroribus libertatem Philoſophorum ſtabilire annititur. In Medicorum autem adhuc gratiam, non priùs hiſce Medicinam faciendi licentiam concedendam aut Doctoris gradum conferendum eſſe, quàm in noſocomiô quôdam morbos, medendi methodum, ac remediorum effectus aliquandiu obſervârint, hincque rigoroſum examen ſuſtinuerint, empiricis

vulgaribus

vulgaribus planè repudiatis, annotat, Pharmacopaei experti conditiones ſub calcem enumerans.

Ibidem, in Supl. tom. 1. *p.* 619.

Ragionamenti del Signor Lionardo di Capoa intorno alla incertezza de' Medicamenti.

i. e.

Leonhardi Capuani, de Medicamentorum incertitudine Diſcurſus. Neapoli, apud Jacobum Raillard, 1689. *in* 4.

CUm Medicina, quæ incerta hactenus oſtenſa fuit, ob medicamentorum potiſſimum efficaciam, à Medicis ad unum ferè omnibus quoad cætera ſatis diſſentientibus tantopere commendatam, in pretiô ſoleat haberi, Autor noſter in præſenti & hunc errorem inveteratum eradicare, eamque Medicinæ partem, quæ de Medicamentis agit, non minoris incertitudinis, ac reliquas, *triplici argumentô* convincere nititur. *Primum* enim *vires Medicamentorum cognoſcendi non certam viam haberi*, ſive Philoſophiæ veræ, ſive qualitatibus primis, ſive ſignaturis denique inſiſtatur. *Diſcursû* 1. aſſerit. Accuratioris videlicèt Philoſophiæ hôc in negotiô inſufficientiam ex ſenſibus, quòd hi in remediis explorandis tùm in ſe, tùm ratione objectorum ſenſibilium deficiant, patefacit. Multa ſiquidem virulenta, v. g. fungos ac radices nonnullas à Theophraſtô memoratas, palatô arridere, vice versâ multa ſalutaria, e. g. abſinthium, centaurium minus, &c. minùs ſenſibus approbari. Plura itidem ſapore, v. g. amaro, aloen, colocynthidem, myrhram, maſtichen, &c. dulci, jujubas, poma dulcia, caſſiam, mannam, &c acido, aurantia, limones, tamarindos, tartarum &c. conſpirare, virtute neutiquam; plura è contrario, e. g. carlinam & gentianam, mandragoram & papaver &c. ſapore, non viribus diſcrepare. Imprimis corpora à ſenſibus cognoſci, non qualia in ſe ſint, ſed tantùm quales impreſſiones, eaſque ratione particularum figurâ, magnitudine, motû & ſitû variantium diverſas, in ſenſoriis concitent, quarum tamen mediô differentia recenſitarum materiæ affectionum diſtinctè minimè, conſequenter nec facultas medicamentoſa ab iiſdem exſurgens, pateſcat. Speciatim neque ſaporis, neque odoris, neque tactûs, neque viſus adjumentô ſpecialem magnitudinem, figuram, motum & ſitum earum particularum diſcerni poſſe, quæ ſenſuum illorum objecta conſtituunt, vireſque Medicinales in animalium corpora edunt, pluribus declarat. Sic ex organi guſtûs ac odoratus textura hujuſque porulorum magnitudine & figura incognitis, ex ignorantiâ cauſæ quemlibet ſaporem & odorem diverſimodè rurſus ſpecificantis, aut ſaporem etiam brevi tempore in alium mutantis, ex aliarum demùm particularum cum ſapidis ſive ſalinis & odoriferis ſive ſulphureis conſortiò, & ſaporis & odoris hâc ex parte impotentiam detegit. Tactum verò ad propoſitum facere pernegat, quia natura corporum fluidorum & ſolidorum, cauſæque doloris ac nauſeæ generalius tantùm & confusè innoteſcant, ac multa ad tactum calida vel frigida contrariam in corpore noſtrô, ſenſationem producant, nedum tactus omnes objectorum particulas conſtitutivas dignoſcat, atque leniores multarum rerum impreſſiones v. g. continuas aëris quieti concuſſiones, liquorum quorundam acrimoniam, &c. dijudicet. Viſum denique in rimandâ medicaminum natura ineptitudinis non ſolùm ex eô arguit, quod plura corpuſcula dentur ſubtiliſſima nullô artificio detegenda, corporumque ſuperficies reverâ aliter ſe habeat, quam qualis microſcopiô luſtratur, ſed & quod ſuperficies corporum viſui expoſita in certam ipſarum particularum conſtitutivarum notitiam nullatenùs deducat, in quantùm mutari ea poſſit, e. g. in coralliis, ſuccino &c. pulveriſatis, ſalvâ ipſorum corporum naturâ perſiſtente, multaque naturâ diverſiſſima, v. g. nix, ſaccharum, calx viva, mercurius ſublimatus &c. in ſuperficie e. g. albedine, conveniant. Cur autem in naturam rerum penetrare ſenſibus haud liceat, rationem ab ipſis corporibus unicè externâ ſui ſuperficie ſenſus ferientibus, omnemque inſimùl Chymiæ operam eludentibus, deſumit. In ſolutionibus quippè Chymicis interiorem coporum ſtructuram minùs aperiri, ex inſtrumentis ac operationibus ſuſpectis, necnon ſubſtantiarum quinque è corporibus productarum compoſitione, oſtendit, dubius adhæc, annon inter diſſolutionem corporum ſubtilior magiſque activa ſubſtantia in auras abeat? vel, ſi principia Chymica ſimpliciſſima ponantur, quônam ſensû primæ particularum earum affectiones comprehendi debeant, & annon activæ aliæ eſſe poſſint ſenſibus planè incognitæ? prout in ipſis corporibus compoſitis, v. g. crocô metallorum, vitrô & floribus antimonii &c. particularum activarum figuræ nullô percipi ſensû valent; item annon ipſa materia fluidiſſima, corporum quæ poros replet ac imaginationem tranſcendit, ad effectus eorum corporum, quibus ineſt, producendos concurrat? Quinimò etiamſi particulæ corporum ſenſus afficientium ſimplices, i. e. ex aliis minoribus non compoſitæ, ac figurâ & motû ejuſmodi præditæ, quales ex impreſſionibus conjiciuntur, abſque aliorum corpuſculorum inſenſibilium connubiô, ſupponantur, nè ſic quidem omnium effectuum, ab iis promanantium, rationem ſolidam dari poſſe, v. g. quomodò ab alcalibus nonnullis æque ac ab acidô lac coaguletur, quomodo acidorum, quædam alcalibus ſociata calorem excitent & mox acorem perdant, quomodo mercurius fugitivus in cinnabari & ſublimatô ab acidò ſulphuris & vitrioli retineatur, &c. Aſt ſi Philoſophia elegantior in accuratiori remediorum ſcrutiniô adeò parum valet, certè inferiùs longè ſubſidium à qualitatibus primis & ſignaturis in eôdem expectandum eſſe porrò inculcat. Primis namque qualitatibus medicamentorum operationes non unicè cum Veteribus debere adſignari, nec eaſdem qualitates è ſaporibus cum Galenô certô elici poſſe, partim vel ex ipsô Galenô, interdum ad ſubſtantiam propriam, ad ſimilitudinem, ad tenuitatem, & craſſitiem partium &c. confugiente, ſæpiùſque à propriis de ſaporibus datis regulis recedente, partim exemplô acrimoniæ non modo in concretis calidis, v. g. pipere, zingibere &c. ſed & frigidis, e. g. liquoribus acidis, reperiundæ, præter alios Galeni errores, circa dulcedinis geneſin & ſaporum temperiem commiſſos, demonſtrat. Signaturas autem in viribus præcipuè vegetabilium indagandis ab Iſaacô Hollandô, Baſiliô Valentinô, Paracelsô, Crolliô, Porta & Helvetiô laudatas, tanquam per accidens ſolum & fortuitò illius membri morbô, cujus figuram quodammodo exprimunt, medentium prorsùs repudiat, cum ſignaturæ tali virtus non ſemper reſpondeat, v. g. papaver capiti hominis, quod repræſentat, potiùs adverſetur, multò minùs certa ſignatura in Medicamentis innumeris ulla deſignari phantaſia poſſit. Attamen quia pro remediorum effectibus certò cognoſcendis, non de horum tantum, ſed de partium quoque animalium, in quas illa operantur, natura conſtare debeat, quatenus pharmaca in anima-

animalia ſolum viventia vires exſerunt, varièque ab his aſſumpta mutari ſolent, ità ut v. g. ſpiritus vitrioli per os hauſtus diverſum ab eô effectum præſtet, qui cuti applicatur, vel in venas injicitur; idcircò quamvis certa ſupponeretur via, quâ medicaminum natura & vires innoteſcerent, attamen *Medicamentorum operationibus nondùm tutam haberi fidem poſſe, quod partium animalium natura deliteſcat*, *Diſcursû* II. edocet. Scilicet anima brutorùm, ſive in ſolâ partium corporis diſpoſitione, ſive in ſanguine, ſive in aurâ ſubtiliſſimâ, vel in certâ corporis parte reſidente, vel per omnes partes diffuſa, dicatur conſiſtere, ante omnia, an mirandæ tales corporis diſpoſitiones vel particulæ ſanguinem auramve ſubtilem conſtituentes probè teneantur, & quomodò è rebus naturalibus ſensû deſtitutis ſubſtantia ſenſitiva reſultare poſſit, aut ſaltem, ſi cum Carteſiô anima & ſenſus brutis denegentur, quomodo machinæ ejuſmodi prodigioſæ efformatæ fuerint, ambigit. Hinc nec partium corporis ſolidarum & fluidarum ſub quibus & impetum facientes vult comprehenſas, veram naturam ſatis perſpectam haberi ſtatuminat, quòd ſubtiliſſimæ earum particulæ ſummè activæ pariter atque ſuccini & magnetis omnem rationem ac ſenſum fugiant, prorſusque conſtitutiva rerum naturalium corpuſcula lateant, meræque conjecturæ videantur, quæ de magnitudine, figurâ, ſitu, motû & ordine nonnullorum confusè proponuntur. Id quod ut ſpecialiùs comprobet, ventriculum ejuſque fermentum, Chylum, ſuccum pancreaticum, bilem, (in avibus non tantùm ventriculo ſed ingluviei etiam per exilem tubulum inſtillari ſolitam,) ſanguinem, lienem & hepar, attentiùs perluſtrat, harumque partium ſtructuram, modò etiamnùm abſconditam, modò inconſtantem ſæpiùſque in eôdem individuô variantem, modô actiones, v. g. Chylificationem, ſanguificationem, bilificationem, &c. vel falsò expoſitas fuiſſe, vel probabiliter ſolum fermentis in ſubſidium vocatis evolvi poſſe, quorùm chylificans in glandulis ventriculi, ſanguificans in arteriarum tunicâ glanduloſâ, bilificans verò in glandulis per hepatis tunicam diſperſis ſecernatur, fusè indigitat, inde & rationem earum mutationum, quas medicamenta recenſitis aliiſque in partibus ſubire debent, abſtruſam eſſe colligens. *Tertio* denique *licèt cùm medicamentorum tum partium animalium natura perſpecta eſſet, quod tamen impoſſibile, nihilominus ne ſic quidem pro exploratô haberi poſſe, quomodo medicamenta interne in animalium corpora operentur*, è duplici, ſtatus videlicet individualis atque morborum, oſtendit ignorantia. Etenim ſtatum cujuſlibet individui etiam ſani omni ferè momentô, tam ratione particularum, quæ vi ſanguinis fermentantis in tranſpiratione exhalant, quàm earum intuitu, quæ ex alimentis diverſis atque aëre diſcrepante in locum illarum ſuccedunt, inſigniter mutari, conſequenter vix noſci poſſe, quô in ſtatu corpus tum degat, quando medicamina ipſi propinanda veniunt. Morborum verò naturam & cauſas, internas non minus atque externas, profundis immerſas eſſe tenebris; cùm nec ſanitatis ratio, & è quâ materia ac quomodo particulæ animalium corpus compingentes ſint diſpoſitæ, conſtet, nec præter ea quæ ad corpus pertinent, accuratè ſciatur, in quô partes animalium morbidæ præcisè tum deficiant, ac quænam illæ ſint ſubſtantiæ omnes, quæ à tot diverſis corporibus aëri, terræ, & aquæ inexiſtentibus continuò animalibus ſubminiſtrari ſolent. In ſpecie ad digeſtionem læſam, tantum non omnium morborum originem, quod attinet, fatetur quidem, eam nunc à fermentô digeſtivô vitiatô, nunc à viis, per quas fermentum prædictum ad ventriculi cavitatem defertur, male conſtitutis, nunc à mucilagine ventriculi vel ſaliva, ob acrimoniam, aut aciditatem, aut tenacitatem nimiam aliamve rationem, fermentum digeſtivum pervertente, nunc à ſolâ ciborum qualitate fermento eidem, ſæpiùs in uno eôdemque individuô varianti, minùs proportionata &c. proficiſci. Quantum verò & quomodo fermentum digeſtivum à ſtatû naturali recedat, num per particularum alterius corporis admixtionem, an per propriarum variationem; quô adminiculô viarum illarum cauſæ vel anguſtantes, vel dilatantes, aliâve ratione eas turbantes, inveſtigari debeant; quâ demonſtratione ſpecialis depravationum cunctarum mucilaginis aut ſalivæ notitiâ acquiri poſſit; quomodo & in quas ſubſtantias alimenta fermentô digeſtivô inadæquata degenerent; adeòque quomodò appropriata remedia exploranda ſint digeſtionis læſionem reſtituentia, oppido incognitis accenſet. Solam demùm è dictis experientiam ſupereſſe, quæ in medicamentorum notitiam poſſit ducere, infert, fallacem tamen & merè fortuitam, quia partium corporis ſolidarum & fluidarum diſpoſitiones non ſolùm tunc, quandò Medicina quædam præſentanea aſſumitur, ſed & quandò operari ea incipit, unà cum ipſâ partium eorum corporum diſpoſitione, in quibus eadem ſemel atque iterum profuit, neſciantur. Tandem quô argumentô ultimô majus accedat pondus, *Diſcursû* III. ſummam ipſorum Medicamentorum uſualium incertitudinem, purgantium exemplo, utpote quæ aliis remediis fidem videantur conciliâſſe, ventrem tamen non ſemper ſolvunt, coarguit. Prælibatis ſiquidem iis, quæ purgantium inventionem, inventorem, uſitatiora ſimplicia, differentiam, cauſæque catharticorum & emeticorum identitatem ſpectant, diverſos purgantium effectus, tam è modô horum operandi obſcurô, quàm ex infidis ſimplicium præparationibus præparatorumque ineptis compoſitionibus, perquàm reddit incertos. Equidem ad purgantium effectum explanandum, quem partim humores in primis viis & vaſis ſanguiferis atque lymphaticis ſolvendo & plus minus fermentando, partim vaſa aperiendo, ſoleant exſerere, non attractionem cum Hippocrate, nec acrimoniam, calorem & nauſeabundam qualitatem cum Platero, neque cum Laur. Jubertô inimicitiam, neque ſingulare venenum laxativum ſulphureum cum Paracelsô, neque acidum, amarum vel ſalſum cum aliis, ſed peculiare potiùs ſal volatile plus minùs acutum & anguloſum attendi debere ſtatuit, ab aliis videlicèt ſalibus volatilibus in hôc diſcrepans, quòd à corpuſculorum reliquorum, præſertim ſulphureorum, conſortiô propter particularum exilitatem & inæqualitem ſeparari, cùm ſanguinis verò & aliorum humorum minimis combinari nequeat. Mox tamen ſubjungit, & hanc hypotheſin, æque ac aliam quamcunque, univerſalem tantùm, confuſam & incertam eſſe, minùſque quæſtioni enodandæ, cur purgantia nonnunquàm blandiùs, nonnunquam vehementiùs, interdum planè non operentur, ſatisfacere, imprimis cùm particulæ diverſæ purgantibus admixtæ mutationeſque eorum in corporibus ſuſtinendæ quemlibet fugiant; adeòque nec niſi fortuitò quantitatem purgantium aſſumendorum determinari poſſe pro ſubjectorum diverſitate omninò variantem, quemadmodùm Jeſuitarum non nemo Noſtro notus ferè quotidiè integram ſcammonii drachmam pro fæcibus egerendis devorat. Præparationibus autem, quas diverſas recenſet, purgantium ſimplicium, v. g. hellebori albi, hellebori nigri,

nigri, colocynthidis, ſcammonii, euphorbii, &c. parùm habet fidei, ne mitioribus quidem quâcunque ratione præparatis, e. g. Sennâ, mannâ, roſis, aloe &c. neque mineralibus, v. g. Mercurialibus, antimonialibus, vitriolicis &c. in quibus ſal volatile purgans ab acidis liberatum & activum redditum fuit, exceptis; quod cuncta ejuſmodi præparata vel omnem expectationem planè fallant, vel ſymptomata etiam peſſima, v. g. dolores, ſpaſmos, &c. inferant, de venenosâ eorum qualitate adhuc ſuperſtite ſatis atteſtantia. Purgantia denique aut inter ſe, aut cum aliis, corrigentibus dictis, abſque ullâ ratione miſceri, ſpeciali Quercetani, celebris illius vulgarium compoſitionum reformatoris, extracti Cholagogi & Catholici examine comprobare nititur.

CARANES (*Bernhardus*,)

Ex eô habentur

Adversùs Valentinos, & alios noſtri temporis Medicos, de Ratione mittendi ſanguinem, in Febribus putridis, Lib. III. Barcinonæ, apud Paulum Malum, 1592. in 8. Venetiis, 1595. in 8.

CARANTA (*Jacobus*,) è Cuneô Pedemontanus Phil. & Medic. Doct.

De eô extant

Decadum Medico-Phyſicarum Liber primus, De Naturâ auri arte facti, & num ſit pharmacum cordiale. Saviliani, apud Chriſtoph. Strabellam, 1623. in 4.

Liber unicus de naturâ viſionis. In quô demonſtrat, Viſionem fieri extramiſſione, & difficillimorum morborum oculos afficientium facillimam cognitionem tradit, & curationem. Ibidem, apud eundem, annô & formâ iiſdem.

Decadum Medico-Phyſicarum lib. I. Decadum Medico-Phyſicarum Lib. II. de Morsû canis rabidi. Ibidem.

Judicium Viri nati cum unô teſte tantùm & alteriùs ſine teſtibus ſcroto prorſus vacuo, num ad generationem ſint idonei, Cunei apud eundem 1624. in 4.

CARAVANTES, Hiſpanus.

De eô extat

Practica Chymica, edente Johanne Michaelis, Lipſiæ, 1661. in 4. Extat etiam cum veræ Alchymiæ ſcriptoribus aliquot, à Guil. Gratarolô collectis. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1561. in fol. pag. 264. Tom. II.

CARCANUS (*Archelaus*) Natus Mediolani ex nobili familiâ: in Academiâ patriâ Doctoris Medicinæ titulum, & locum in ejuſdem Collegiô Medic. necnon tandem in Univerſitate Ticinenſi Profeſſoris publ. munus adeptus, obiit in patriâ A. C. 1588.

Ex eô habentur

In Aphoriſmos Hipp. Lucubrationes. Ejuſdem Lib. II. in quorum alterô de Methodô medendi: in alterô verò de modô Collegiandi, pertractatur. Ticini, apud Hier. Bartolum, 1581. in 8.

CARCANUS (*Joh. Baptiſta*,) Mediolanenſis Medicus & in Ticinenſi Academiâ Anatomes Profeſſor.

De eô extant

Libri duo Anatomici. In quorum alterô de cordis vaſorum in fœtû unione pertractatur, oſtenditurque, hac in re explicandâ ſolum Gal. Veritatis ſcopum attigiſſe, reliquos omnes Anatomicos lapſos fuiſſe. In alterô de Muſculis Palpebrarum atque Oculorum motibus deſervientibus accuratè diſſeritur. Ticini apud Hier. Bartholum, 1574. in 8.

De Uulneribus Capitis, Liber abſolutiſſimus, triplici ſermone contentus. Mediolani, apud Petrum Tinum, 1584. in 4.

CARCEUS (*Martinus*,)

De eô extat

Index Materiæ Medicæ, ſeu, Medicamentorum, in Franciſci de le Boe Sylvii Praxeos Medicæ Librô primô, tam in formulis, quàm extra ipſas laudatorum. Lugduni Batavorum, apud Viduam Johannis Carpentarii, 1671. in 12.

CARCHESIUS (*Valentinus*,)

Ex eô habetur

Epiſtola unica. Extat in ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi.

CARDANUS (*Hieronymus*) Natus Mediolani ex Patriciô Stemmate A. C. 1501. Patre Facio Cardanô, Illuſtri JurisConſulto. Noſter ut ipſe teſtatum reliquit, per vim ex uterô extractus, capillôque prælongô nigrô in lucem editus, lavacrô vini revixit, cùm mortuus haberetur. Bononiæ fuit Medicinæ Profeſſor & Mathematicus inſignis, hincque propter Aſtrologiæ, Metopoſcopiæ & Chiromanciæ ſingularem cognitionem multis Magnatibus gratiſſimus. Novarum inventione rerum feliciſſimus, plura ſcripſiſſe, quàm legiſſe, pluraque docuiſſe quàm didiciſſe fertur. Laudis enim maximè appetens immodicâ ſciendi cupiditate flagravit. Unde etiam ſtatuiſſe milleſimô quoque annô vix unum perfectum & excellentem Medicum exiſtere, & ſuperbiuſculè, ſeptimum ſe eorum feciſſe dicitur. Obiit Romæ A. C. 1576. ætatis ſuæ 75. eô ipsô annô & die, quô ſe prædixerat moriturum.

De eô extant

Opera omnia. Genevæ, 1624. in fol. In X. Tomos digeſta per Carolum Sponium; cum vitâ Hieron. Cardani ab eôdem Sponiô & Gabriele Naudæô deſcriptâ. Lugduni, 1663. in fol.

In Cl. Ptolomæi, *Peluſienſis*, IV. de Aſtrorum judiciis, aut, ut vulgò vocant, Quadripartitæ Conſtructionis Libros, Commentaria, quæ non ſolùm Aſtronomis & Aſtrologis ſed etiam omnibus Philoſophiæ ſtudioſis plurimum adjumenti afferre poterunt. Nunc primùm in lucem edita. Præthereà ejuſdem Hieron. Cardani Geniturarum XII. & auditû mirabilia, & notatû digna, & ad hanc ſcientiam rectè exercendam obſervatû utilia exempla. Atque alia multa, quæ interrogationibus & electionibus præclarè ſerviunt, vanaque à veris rectè ſecernunt. Ac Eclipſeos, quam graviſſima peſtis ſubſecuta eſt, exemplum, Baſileæ, apud Henricum Petri, 1554. in fol.

In Librum Hippocratis de Alimentô, Commentaria. Quibus accedit Examen XXII. Ægrorum Hippocratis. Romæ, apud Ant. Baldum, 1574. in 8. Baſileæ, apud Henric. Petri, 1582. in 8.

In Hipp. de Aëre, Aquis, & Locis, Commentarii. Opus in Centum & Octo Lectiones diviſum, quæ Medicis, Philoſophis, Geographis, Aſtrologis, aliiſque facultatibus plurimum profuturæ ſunt. Accedunt præterea ejuſdem ad Illuſtriſſ. Cardinalem I. Alciatum Oratio, admirabilia continens multa, quam tricipitis Geryonis aut Cerberi canem autor appellat. Quod tria capita complectatur, de Medicorum inſcitiâ, & occidendi hominis licentiâ, variiſque erroribus.

Joh.

Joh.Baptiſtæ Cardani de Fulgure Liber unus.Hier. Cardani Conſilia tria in graviſſimis variiſque morbis in quibus apparet in operibus Artis quantùm hic vir prudentiâ & arte valeat, I. pro quôdam Theologô. II. pro Illuſtriſſ. D. Fabriciô Auſtriacô, Gorregii Principe. III. pro Illuſtriſſ. Cardin. S. Clementis. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1570. in fol.

In Hippocratis Coi Prognoſtica, atque in Galeni Prognoſticorum Expoſitionem Commentarii abſolutiſſimi. Item, in Libros Hippocratis de ſeptimeſtri, & octimeſtri Partû & ſimul in eorum Galeni Commentaria, Cardani commentarii. Item pro graviſſimè diverſis morbis laborantibus Conſilia ſeptem, nunc primùm edita, &c. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1568. in fol.

In ſeptem Aphoriſmorum Hippocratis particulas Commentaria. Ejuſdem de Venenorum differentiis, viribus & adverſis remediorum præſidiis ac præſertim de Peſtis generibus omnibus, præſervatione, & curâ Lib. III. Item de Providentia Temporum, Liber. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1564. in fol. Patavii, apud Frambottum, 1653. in 4.

Somniorum Syneſiorum omnis generis inſomnia explicantes, Lib. IV. Quibus inter alios alterius generis Libellos, accedunt de Libris propriis, de Curationibus & Prædictionibus admirandis. Actio in TheſſalicumMedicum: De ſecretis: De Gemmis & Coloribus. Baſileæ apud Sebaſt. Henric-Petri, 1562.. 1585. in 4.

Opus novum, cunctis de ſanitate tuendâ ac vitâ producendâ ſtudioſis apprimè neceſſarium: in quatuor Libros digeſtum. A Rudolphô Sylveſtriô, *Bononienſi*, recèns in lucem editum. Romæ, apud Zanettum 1580. in fol. Baſileæ, apud Sebaſtianum Henricum Petri, 1582. in fol.

Theonoſton, dè Vitâ producendâ atque incolumitate ſervandâ Dialogus. Studiò atque Operâ Fabritii Coccanarii, *Tiburtis*, editus. Romæ, apud Johan. Bapt. Roblettum, 1617. in 4.

Opuſcula, Artem Medicam exercentibus utiliſſima, ut ſunt, de Aquâ & Æthere: de Cynâ radice, ſeu de Decoctis: Conſilium pro Illuſtri Hier. Palavicino, Principe Curtis Majoris, Difficultate ſpirandi laborante: Conſilium pro Fluxû ſanguinis coërcendo: Conſilium pro Mantuanô lepram patiente: Medicinæ Encomion: Præterea ejuſdem in Calumniatorem Librorum de ſubtilitate, actio. Baſileæ, apud Henricum Petri, 1559. in fol.

Medicinæ Encomium. Extat etiam cum DD. Virorum Epiſtolis & Reſponſis tum Medicis tum Philoſophicis & Encomiis Medicinæ, edente Johanne Beveroviciô. Roterodami apud Rudolphum à Nuyſſel, 1665. in 8.

Ars curandi parva, quæ eſt abſolutiſſima medendi Methodus; & alia nunc primùm edita, Opera, in duos Tomos diviſa. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1566. in 8. 2. voll.

Tomô primô continentur

Ars curandi parva, quæ eſt abſolutiſſima Medendi Methodus.

Pro Difficultate ſpirandi Conſilium datum Reverendiſſ. D.D. Johan. Archiepiſcopo Sancti Andreæ, Eccleſiæ Cathedralis regni Scotiæ.

Ephemeris, Reverend. D. Archiepiſcopi S. Andreæ, D.D. Johan. Amulthon.

De Difficultate ſpirandi Conſilium pro Illuſtriſſ. D. Hieron. Palavicino Marchione Curtis Majoris.

Pro ventriculi dolore, cum aliis diſpoſitionibus ob morbum Gallicum laborante Mercatore Mediolanenſi, Conſilium Galenicum & Hippocraticum.

Ad ſurditatem Conſilium, pro Magnificô D. Franciſcô Cire, *Genuenſi.*

Sanguinis Fluxum coërcendi, conſilium generale.

Pro lepram patiente, conſilium.

Medicinæ Encomion.

Podagræ Encomion.

Apologia ad Andream Canutium.

Tomô ſecundô

Dialectica, ex omni parte perfecta.

Hyperchen, Divinum Opus.

De Socratis ſtudiô.

Antigorgias Dialogus, ſeu, de rectâ vivendi ratione.

De Aquâ Liber.

De Æthere, Liber.

De Cynâ radice, ſeu, de Decoctis magnis.

De Methodô medendi ſectiones quatuor; quarum prior eſt, de Erroribus recentiorum Medicorum: II. de ſimplicium nocumentis: III. de Curationibus admirandis: IV. continet Conſilia quædam. Pariſiis, ap. Rovillium, 1565. in 8.

Contradicentium Medicorum, Libri duo; quorum primus centum & octo: alter verò totidem Diſputationes continet. Addita prætereà ejuſdem Autoris de Sarza Parilia: de Cina radice, ejuſque uſû: tum Conſiliô pro dolore vagô & Diſputationibus etiam quibuſdam aliis non inutilibus. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1548. in 4. Pariſiis apud Jacobum acceſsêre Diſputationes etiam aliæ non inutiles: nec non Marpurgi, apud Paulum Egenolphum, 1607. in 8. Jacobi Peletarii contradictiones ex Lacuna deſumtæ, cum ejuſdem Axiomatibus. Vel ut alter habet titulus: Jacobi Peletarii Cenomani, de Conciliatione Locorum Galeni, ſectiones duæ.

De Malô Recentiorum Medicorum medendi uſû: centum errores illorum continens. Cui accedit, de ſimplicium medicamentorum noxâ, & quod componere liceat, Libellus. Venetiis, apud Hieron. Scotum, 1545. in 8. Pariſiis, apud Rovillium, 1565. in 8.

De Cauſis, ſignis, ac locis Morborum Liber unus, à ſuô interitû jampridem vindicatus. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri. 1582. 1583. in 8.

Opuſcula Medica ſenilia in quatuor Libros tributa, quorum I. de Dentibus. II. De Rationali curandi ratione. III. De Facultatibus Medicamentorum præcipuè purgantium. IV. De Morbô Regiô. Omnia nunc primùm ex M. S. Bibliothecæ Romanæ in lucem data. Lugduni ap. Laurentium Durand, 1638. in 8.

De ſubtilitate Lib. XXI. ab Auctore plus mille locis illuſtrati, nonnullis etiam cum additionibus:

Quorum eſt

I. De Principiis Rerum.
II. De Elementis.
III. De Cœlô.
IV. De Luce Lumine.
V. De Miſtis.
VI. De Metallis.
VII. De Lapidibus.
VIII. De Plantis.
IX. De Animalibus.
X. De Animalibus perfectis.
XI. De Hominis neceſſitate & formâ.
XII. De Hominis naturâ & Temperamentô.
XIII. De ſenſibus, ſenſibilibuſque, ac voluptate.
XIV. De Animâ & Intellectû.
XV. De inutilibus ſubtilitatibus.
XVI. De Scientiis.

XVII. De Artibus, artificioſiſque rebus.

XVIII. De Mirabilibus & modô repræſentandi res varias præter fidem.

XIX. De Dæmonibus.

XX. De Primis ſubſtantiis, ſeu, Vitis.

XXI. De Deô & universô.

Addita inſuper Apologia adverſus Calumniatorem quâ vis horum Librorum aperitur. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1560. in 8. & Sebaſt. Henric. Petri, 1582. in 8. 1611. in 8. Baſileæ, 1664. in 4.

De Rerum Varietate Lib. XVII. Baſileæ, apud Henric. Petri, 1557. in fol. & 8.

Metopoſcopia. Cui præfixa Melampi, Græci Scriptoris, Divinatio ex Nævis Corporis, ad Regem Ptolomæum, Græcè & Latinè; curâ Martini de Laurendiere. Pariſiis, 1658. in fol.

CARDANUS (*Joh. Baptiſta,*) Mediolanenſis.

De eô extat

De Abſtinentiâ ab usû Ciborum fœtidorum Libellus exiguus, quem moriens explere non potuit. Reperitur in fine Lib. Hier. Cardani P. de Utilitate ex adverſis capiendâ. Baſileæ, ap. Henr. Petri, 1561. in 8.

CARDELINUS (*Victor,*) Baſſanenſis.

Ex eô habetur

De Origine Fœtûs, Libri duo. In quibus præter cætera, luculentis Græcorum Auctoritatibus calidum à calore dirimitur, ac expenditur, quod utrumque apud eoſdem ſignificet cum adjectione innati, vitalis, naturalis, genitalis, & animalis. Quidve ſit archigonum. Vincentiæ, apud hæredes Dominici Amadei, 1628. in 4.

CARDENAS (*Johannes de,*) Medicus, ut par eſt credere, ſcripſit.

Problemas y ſecretos delas Indias. an. 1591. in 8.

Del Chocolate, que provechos haga, y ſi es bebida ſalutable, o no. Mexici an. 1609. Utriuſque operis author eôdem nomine appellatur: ideò hæc duo eidem adjudicavimus. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 510.

CARDILUCIUS (*Joh. Hiſkias,*)

De eô extat

Officina ſanitatis, ſive, Praxis Chymiatrica planè aurea, antehac à Johan. Hartmannô Med. Doct. & Chymiatriæ in Academiâ Marpurgenſi Profeſſ. Publ. Celeberrimo nec non Celſiſſimorum Principum Haſſiæ Archiatrô, inſolitô candore conſcripta & à Clariſſim. D. D. Joanne Michaelis ac Georgiô Everhartô Authoris Filiô, publici juris facta, aſt à Typographis adeò depravata, ut ejuſmodi falſatio, & depravatio cunctis hactenùs editionibus inemendabilis fuerit, nunc verò indefeſsô labore & pari Chymiatriæ experientiâ ab innumeris iſtis mendis & falſatione Typographicâ re vindicatâ nec non acceſſione prætermiſſæ ab Authore morborum Theoriæ, unà cum eorum ſignis diagnoſticis, Cauſis & Prognoſticis, præcipuarumque totius corporis partium Anatomicâ deſcriptione illuſtrata, atque compluribus arcanis, experimentis & ſecretioribus præparationibus locupletata. Cui annexus eſt Zodiacus Medicus, ſive, Libellus de Concordantiâ Rerum Medicarum cum Zodiacô cœleſti, ſeu duodecim Domibus Solis & Lunæ, earumque virtutibus influentialibus multifariis; præcipuè tamen quadruplicibus, juxta quatuor Trigonos ſeu qualitates elementares, videlicet aëream, igneam, terream & aqueam, totidemque præcipuas hominum complexiones, nimirùm ſanguineam, cholericam, melancholicam, ac phlegmaticam. in quo legitima ſimplicium collectio, efficax præparatio, ſpecifica miſtio atque opportuna adminiſtratio, oſtenditur, tam pro medicaminibus è mineralibus, animalibus ac vegetabilibus parabilibus, quàm ipſorum vehiculis appropriatis. Noribergæ, apud Wolfgang. Mauritium Endterum, & Johan. Andr. Endteri Hæredes, 1677. in 4.

CARDOSUS (*Ferdinandus,*) Luſitanus ex *Celoricô* Beiræ provinciæ oppidô, Pincianus olim Medicæ artis Profeſſor, mox Matriti eam exercuit, doctrinæ nomine atque ingenii laudatus, edidit

De Febre ſyncopali Tractationem, controverſiis, obſervationibus, hiſtoriis refertam. Matriti 1634. in 4.

Necnon & vulgari ſermone.

Utilidades del algua y dela nieve, del bever frio, y caliente. Ibidem: 1637.

Hic deſertor veræ religionis Caſtrorum, ad Synagogam Venetam profugiſſe dicitur, Hebraiſmum impunè profeſſurus. *Nicol. Ant. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 283.

CARDOSUS (*Ferdinandus Rodericus*).

Ex eô habentur

Methodus medendi, ſummâ facilitate ac diligentiâ in tres Libros diſtributa; quorum primô de Indicationibus in genere: ſecundô ſpecialiter de Curativis: ac tertiô de Præſervativis atque vitalibus agitur. Venetiis, apud Vinc. Somaſchum 1618. in 4.

De ſex Rebus non Naturalibus: primùm quidem ab Autore ipsô editus: nunc verò emendatior in lucem emiſſus per Petrum Uffenbachium. Francof. apud Paul. Jacobum 1620. in 8. & Olympon. apud Rodrigues 1602. in 4.

CARELLIS (*Vincentius de,*) Lucenſis.

De eô extat

De Auri Eſſentiâ & ejus facultate in medendis ac ſanandis Morbis, Compendium, ex relatis à ſapientiſſimis ſecretorum ſpagyricæ diſciplinæ ſcrutatoribus. Venetiis, ſub ſignô Minervæ, 1646. in 8.

CARENUS (*Petrus,*)

Ex eô habetur

De ſanguinis Profluviô ex ſede, conſilium. Extat eô in opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francofurti, apud Johannem Sartorium, 1605. in 4. p. 220.

CARERIUS (*Alexander,*) Patavinus.

De eô Extat

Quæſtio, an Metalla artis beneficiô permutari poſſint. Patavii, apud L. P. 1579. in 4. Extat etiam cum Caroli Witeſtein Diſceptatione de Quintâ Chymicorum Eſſentiâ. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri, 1583. in 8.

CARETANUS (*Johannes,*) Scripſit Chirurgiam de omnibus affectibus. C. H. & quarumlibet ejus partium ſcorſim: Quomodo oriantur, & quomodo iiſdem ſuccurrendum ſit. Subjuncta eſt genuina methodus Venæſectionem inſtituendi, in uſum balneatorum & Barbitonſorum.

CARILLO (*Alphons.*)

De eô extat

De Peſte Tractatus. Matriti, in 8. 1598.

CARINUS

CARINUS, ſeu CHARINUS (*Ludovicus*,) Lucernâ Helvetius, Medicus ſingulari candore humanitateque præditus, Fuggerorum quondam præceptor, multis Magnatibus familiaris ac virtutum cauſâ acceptus. Hic ut ſe Baſilienſibus apud quos ſedem fixerat, gratum exhiberet, tribus bonæ indolis adoleſcentibus liberalia ſtipendia conſtituit, hôcque ſe nomine poſteritati commendavit. Obiit die 27. Jan. A. C. 1569. Epitaphiô metricô inſigni honoratus. Chriſt. Urſtiſius, *Epitome Hiſtor. Baſil.* & ex eô Freherus *Theatrô Viror. eruditione Claror.* Hofmann. Dict. T. j. p. 728.

CARL (*Joh. Samuel*,)

De eô habentur in Ephem. Cur. Centur. 1. & 2.

Obſervatio 187. *De Triplicis Cinnabaris Convenientiâ.*

Ibidem Obſervatio 188. *De Alcali vitriolatô.*

Ibidem Obſervatio 189. *De Mortalium Selectû.*

Ibidem Obſervatio 190. *Annotata Chymica de Tincturis alcalinis, Mercurii dulcis ſecurâ præparatione & Calcibus Antimonialibus.*

De eô præterea Extat in Actis Lipſienſibus annô 1704. *p.* 190.

*Lapis Lydius Philoſophico-Pyrotechnicus, ad oſſium Foſſilium docimaſiam analyticè demonſtrandam adhibitus, & per multa experimenta Chymico-Phyſica in lucem publicam miſſus à Johanne Samuele Carl Licent. & Medic. Ordin. Oringenſi. Francofurti ad Mœnum, apud Joh. Maximil. à Sande.*1703. *in* 8.

PRoblema Phyſicum, *an Ebur, unicornu, & varii generis oſſa foſſilia, ſint animalis vel mineralis proſapiæ?* his annis, ob largum eorum in multis terrarum locis proventum, in medium equidem fuit productum; verùm quoniam ſententia illa, quâ ejuſmodi oſſibus efficacia ſingularis panacæis æquiparanda, alexipharmaca contrà quoſvis morbos malignos, imò & venena actuâlia, item confortativa, & Cardiaca fuit adſcripta ex hoc potiſſimum fonte dimanâſſe videtur, quod multi hæc pro ſingulari margâ ab Archæô ſubterraneô artificiosè ità fabricata & in quibus verè mundi ſpiritus hoſpitetur, venditare non deſierint; analyſin chymicam talium foſſilium è doctrinâ mixtionis ſuppeditare in præſenti tractatû ſuſtinuit Noſter. Quemadmodùm autem tantùm abeſſe putat, ut mineralium Claſſi dicta oſſa ſint inferenda, ut potius non modô veram ſtructuram, ſed & veram mixtionem oſſium animalium habeant; ita mixtionem hanc ex eô probat, quòd (1) terram Calcariam præcipuè, & quoque vitreſcentem, (2) pinguedinem ac oleoſitatem, & denique (3) aquoſitatem contineant. Quæ mixtionis principia exinde clariùs deducit, quod dicta oſſa eadem non ſolùm producta, quæ recentia oſſa pyrotechniâ examinata offerunt, exhibeant; ſal volatile, putà, fluidum, & ſolidum cryſtallinum, oleum empyreumaticum, ſal alcali fixum, & vitrum lacteum, verùm eadem etiam phœnomena & experimenta præbeant. Scilicet (1) alterationem diverſam in colorem nigrum & album, ſub igne occluſô & apertô, (2) imminutionem ponderis & fumorum fœtidorum exhalationem, (3) calcinationem à nitrô cum ſequente hujus alcaliſatione, (4) generationem ac mixtionem ſulphuris mineralis, & (5) reductionem metallorum & metallicorum corporum è calcibus & crocis deſtructis. Ex quibus liberô & æquô animô judicantem intelligere poſſe exiſtimat, quorſum ſuprà commemorata elogia pertineant. In uſum equidem vocari oſſa foſſilia poterunt, ubi acidi abſorbendi, vias roborandi & adſtringendi, excretioneſque cohibendi indicatio adeſt; alexipharmacam verò ſeu bezoardicam efficaciam, verè & ſtrictè talem, ab ejuſmodi calcibus nemo expectabit ab experientiâ, nec depoſcet, quicunque malignitatis naturam perdidicit. Licèt autem oſſa foſſilia è terrâ admodum macrâ, lapidoſo-calcaria, marga dicta, eruantur, & cum eâdem combinentur, allegata tamen phœnomena huic an in acceptum referri debeant, Chymiæ peritus judicabit. Oſſa igitur margâ tali involuta inſigniter quidem alterantur, ſed non materialiter quaſi terreæ particulæ in oſſis poros ſe inſinuando, hoc in ſui ſubſtantiam convertant, verùm formali ſolum phyſicô mechanicô concursû; dum marga ſub immediatô contactû per ſui ariditatem, ex ipſis oſſibus ſuperficialem humiditatem aqueam & oleoſam imbibit & abſorbet, ùt nihil ferè, maximè in ſuperficie niſi calcaria terra remaneat. Quinimò humiditatem ab extra advenientem, ſolùm ſucceſſivè magis compingendo & conſolidando, ad oſſa non admittit ſed in ſe recipit, ut ità motus corruptivi putredinoſi inſtrumentum evadere nequeat. Coronidis loco Author Clariſſimus experimenta de oſſibus foſſilibus aliiſque mixtis; à Chymicô ſagaciſſimô *Johanne Daniele Ebilgero*, qui quondam Helmontio juniori, Boyleo & Becherô, ſocius ac amanuenſis erat diligentiſſimus, facta, in tabellâ ſynopticâ ſiſtit, quam Chymiæ cultoribus non parùm profuturam credimus.

Ex eô quoque habentur

Praxeos Medicæ Therapia Generalis & ſpecialis pro Hodegô tum Dogmatico tum Clinico. Halæ, apud Orphanatropheum 1718. in 4. Opus in tres partes diviſum, quarum I. quæ eſt *Therapia Generalis* in duo membra diſtinguitur I. de Methodo medendi in genere. II. de naturâ Indicati ſeu medicamentorum applicatione in genere. Sectiones iterùm duas continet. I. de Evacuatione. II. De alteratione. Duas complectitur ſectiones Pars II. ſeu *Therapia ſpecialis morborum ſingularium*; quarum I. Anomaliæ motus pulſorii ſcilicet Febres. II. Anomaliæ motus tonici ſcilicet I. intentiones, II. relaxationes. Pars III. & ultima *Specialiſſimæ, Cautelæ Clinicæ* in IV. Cap. I. de Febribus in genere & ſpecie; II. de Hæmorrhagiis; III. de Doloribus; & IV. de Morb. Lymphal.

Specimen Hiſtoriæ Medicæ ex monimentis Stahlianis in Syllabum Aphoriſticum redactum, in quô ex Morborum circumſtantiis univerſa Œconomia Medicinæ internæ nec non vera & conſtans Pathologica & Therapeutica conſideratio pateſcit. Plures in partes dividitur hic tractatus variaſque diverſi generis Morborum & febrium Hiſtorias complectitur. Prodiit Halæ, Typis Orphanatrophei, 1719. in 4.

CARMENIUS (*Daniel*) Bononienſis.

De eô extant

De Medendi Methodô, Libri ſex. Bononiæ, apud Nicol. Thebaldinum 1636. in fol.

CARMONA (*Johannes de*,) Medicus, ac Philoſophus Hiſpalenſis, qui jam in *Ellerena* urbe munus perpetui Decurionis, Medicique Apoſtolicorum hæreticæ pravitatis Inquiſitorum geſſerat; publicavit

Tractatum, an Aſtrologia ſit Medicis neceſſaria: cujus quidem quæſtionis inficialem ipſe partem ſequitur. Item

Praxim

Praxim utiliſſimam, ac ad curandam, cognoſcendamque peſtilentiam apprimè neceſſariam: ſive de Peſte & febribus cum puncticulis vulgò Tabardillo, adverſus Johannem Fragoſum, qui negaverat peſtilentes eſſe hujuſmodi febres. Hiſpali annô 1590. in 8. apud Franciſcum Perez, quæ quidem ſecunda editio eſt. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſ. T. j. pag.* 511.

CARNARIUS (*Johannes,*) Gandenſis.

Ex eô habetur

De Thermis Patavinis, Carmen. Et de Podagræ Laudibus, Libellus. Patavii, apud Johan. Bapt. Amicum, 1553. in 8.

CARNEVALA (*Joh. Baptiſta,*) Civitatis Styli.

Ex eô habetur

De Epidemicô ſtrangulatoriô affectû. Neapoli, apud Scipionem Boninum, 1602. in 4.

CAROLUS (*Stephanus,*) Vid. Stephanus (*Carolus.*)

CAROLUS (*Theodorus,*)

De eô extant in Miſcell. Cur. Dec. ij. A. V.

Obſervatio 36. *De Cantharidibus.*

Ibidem, An. VI. *Obſervatio* 67. *De Luxatione tibiæ funeſtâ.*

Ibidem, Obſervatio 130. *De Hæmorrhagiâ uteri feliciter ſanatâ præter opinionem.*

FOemina quædam quadragenaria, temperamenti ad atrabilarium inclinantis, ſubinde valetudinaria, convulſionibus ac deliquiis obnoxia hyſtericis, & ulcerosâ pulmonum labe haud dubiè infecta, ab aliquot etiam jam annis, poſt caſum ab altô de dolore lateris ſiniſtri ſub coſtis ſpuriis gravativo conqueſta, nuper, quod ſolenni aliàs more per uterum ad 11. hebdomadas non purgaretur, gravidam ſe ſuſpicabatur. Diffluebat tamen concepta ſpes inopinata ſanguinis ex uterô eruptione, primò quidem modicâ ratione quantitatis tam continuæ quàm diſcretæ, mox auctione & immodicâ ad aliquot ſeptimanarum decurſum producta; cui etiam coërcendæ nullis utebatur remediis, quòd perſuaſiſſima ab obſtetricibus & aniculis eſſet tandiu colluctandum ſibi cum hocce fluxû eſſe, quamdiu menſtrua ſuſpenſa fuerunt; *Sie muſſe dieſen Fluſſ ſo lang haben, ſo lang ſie ihre ſeitnicht gehabt habe.* Verùm cum diutius juſto protraheretur fluxus, & decima jam elapſa eſſet ſeptimana, vires intereà nimis reſolverentur, facies pedeſque intumeſcerent quin & ſymptomata imminerent hyſterica, diutius cunctari periculoſæ rem aleæ eſſe rata, tandem per maritum, ut ipſam viſitarem, petiit. Ego ſine morâ ad ipſam acceſſi, lectoque affixam deprehendi. Inſtitutô verò cum ipsâ examine, percepi hæmorrhagiam quâ à longo jam tempore tantùm non conſumeretur, non amplius jam ut in principio continuam eſſe, ità ut ſemper aliquid ſanguinis elabatur; ſed periodicam quæ ſcilicet interpoſito plurium horarum & aliquando duorum triumve dierùm ſpatiô penitus ceſſaret, mox autem perruptis quaſi cataphractis tam ſubitò ipſam tamque impetuosè obrueret, ut quo conſtituta ſitû locove corriperetur, eô conſiſtere quouſque impetus eſſe ceſſaret, neceſſe haberet. Sanguis quâvis vice proruentis quantitatem eſſe ſtupendam, ut ſæpius ipſa miraretur, qui vita ſupereſſe poſſit; Quem verò profunderet ſanguinem partim eſſe tenuem & plus minùs ſeroſum, partim concretum, frigidum tamen omnem ſentiri in mulieribus. Concretiones ſanguineas variæ eſſe magnitudinis, omnes ovales & ſatis floridas. Has calidæ injectas quod præſenti mihi monſtravit, non diffluere, nec virgulis agitatas diſſolvi, ſed pertinaciter cohærere ope tenuiſſimarum membranularum & ſibrarum. Inſtantis periodi indicium ſibi eſſe certiſſimum ſonoram intra ſiniſtrum hypochondrium ſtillationem, quam & ipſa imprimis & proximè ſibi adſtantes auditû ſatis clarè perciperent, *Sie hore wie es in der linckẽn Seiten hinunter tropffe und guttere.* Hâc igitur non devictâ auctum cum ipſâ & conclamatum fore. Erigebam ægrotam, quantùm licuit, ordinataque pro rei neceſſitate commoda diæta, vino imprimis penitùs interdicto, ipſam dubii licèt eventûs curationem ſuſcipere inſtituebam. Vocatis hinc in uſum v. ſ. revellendi gratiâ, ligaturis dolorificis, epithematibus ac cataplaſmatibus adſtringentibus, adhibitis inſuper internè roborantibus, modicè adſtringentibus, mucilaginoſis, incraſſantibus, inviſcantibus, emulſionibus, mixturis, pulveribus, pilulis, gelatinis, ad aliquod tempus continuatis, victas dare malum manus videbatur. Nam in quintum uſque diem cruore muliebria nullô polluebantur. Sed infidæ erant induciæ. Quinto enim die vix dum elapsô recurrebat malæ notæ ſtillicidium, pauciſque poſt horis prior ludebatur tragœdia, non ſine deliquiis, extremorum refrigeratione, verticis algore, aurium tinnitû, capitis turbatione & vertigine, quibus tandem motus ſpaſtici ſatis truculenti, ſubinde quidem remittentes, ſæpiùs tamen repetentes per aliquot dies jungebantur. Parùm ergò tum abfuit quin defeciſſet ægrota, totque hoſtilibus inſultibus inferior longè ſuccubuiſſet. Et ſpes ſanè in anguſtô admodùm poſita erat. Nec tamen deſtiti, pertinacique roborantium cephalicorum ac nervinorum è caſtoreô, ſuccinô, cinnabari, continuatione tantum profeci, ut ſedatis inteſtinis illis tumultibus ſensìm ad ſe rediret ægrota, reſtante jam ſolâ uteri hæmorrhagiâ, mitius tamen & rarius invadente, quam & ipſam tandem favente divini Numinis gratiâ electuario ex conſervâ abſynth. pont. rad. cichor. nuc. ind. condit. ſpec. diarrhod. Abb. lap. hæmat. præparat. & ſir. acetos. citr. parato devici, priſtina ex votô ſuccedente valetudine.

Ibidem, Ann. vij. Obſervatio 55. *De Fungis quernis ſingularibus.*

Ibidem, Ann. viij. Obſervatio 59. *De Arbore Cinnamomi.*

CARPENTARIUS (*Jacobus,*) Vid. ſub titulô BERENGARIUS.

CARPINETUS (*Tarquinius,*) Patavinus.

Ex eô habetur

De Guttâ, ſive, Juncturarum dolore, quem Arthritin dicunt, Tractatus. Patavii, 1609. in 4. Venetiis, apud Societatem, annô & formâ eâdem.

CARPUS (*Jacobus*) Vide ſub titulô BERENGARIUS (*Jacobus*)

CARR (*Richardus*) *M. D. & Coll. Reg. Med. Lond. Socius.*

Ex eô habentur in Actis Lipſienſibus ann. 1692. *p.* 37.

Epiſtolæ Medicinales variis occaſionibus conſcriptæ. Londini impenſis Stafford Anſon. 1691. *in* 8.

OCtodecim quæ faſciculô præſenti comprehenduntur Epiſtolæ, totidem reſponſa ſunt ad diverſos ab Autore exarata. *Epiſt.* I. abuſum æquè ac uſum Ptarmicorum exponente, oſſis cribroſi foraminula à filamentis æquè nerveis ac vaſculis lymphaticis illa humectantibus oppleri indigitatur. Autorem quippe Lugduni quondam Batavorum in Cadavere, à Schaftio [Schacht] intenſiſſimô frigore diſſecto, lymphatica vaſa externum cerebri ambitum perreptantia propriis uſurpâſſe oculis & intuitû horum vaſculorum lymphaticorum, narium à frequentioribus ſternutatoriis exſiccatorum olfactum quoque deficere in iis, qui ſternutatorio nimium delectantur pulvere. E multis autem ptarmicis ſolæ roſæ rubræ ſubtiliſſimè pulveriſatæ commendantur. *Epiſt.* II. Nicotianæ fumus bilioſis diſſuadetur, in maxillarum verò tumoribus circa collum emergentibus, odontalgia, uteri ſtrangulatu, ſeroſis oculorum affectibus, aſthmate &c. præcipitur, modò non effectum uſus ejus quotidianus, propterea fugiendus, fruſtretur. *Ep.* III. vires & vitia liquorum in Coffepoliis uſitatorum, Decocti nempè Coffé, Thee, Salviæ neutri horum cedentis, & Chocolatæ, ità recenſentur, ut ſingula deprædicentur proficua, ſi calida & medicamenti inſtar, i. e. rarius uſurpentur, nec unus idemque ſemper liquor, ſed interdum hic, interdum ille pro lubitû ſorbilletur. *Ep.* IV. morborum enarrantur myriades, à potû generoſiori manè hauſtô propullulantes. *Ep.* V. Aquæ Tunbrigienſes ad methodum præſcriptam in doloribus nephriticis extra paroxyſmum ſalutares celebrantur, etiamſi non tam ſpiritum illum gorgoneum extinguant, quàm pabulum ſolum ſubtrahant. *Ep.* VI. in fœminarum ſterilitate ab uterinis dependente obſtructionibus multum Thermis attribuitur. *Ep.* VII. matres multiplicis poſtulantur criminis, quòd infantibus, ubi benè valeant, mammas proprias denegent; vanum enim nonnullarum eſſe metum, ne hyſtericam lactando paſſionem ſibi accerſant. *Ep.* VIII. viro cuidam tabe confecto conſilium impertitur, ut Monſpelium contendat, cùm aër ibi clementior ſpiret, totique itineris decurſû tam corpus variè exerceatur, quàm animus jucundè reficiatur. Fonticulis autem tali in casû parùm fidei habetur, quod pus laudabile ab iis tunc plorari ſolitum non cauſa, ſed effectus melioris videatur valetudinis. *Ep.* IX. de capillitii uſû in cephalalgiis ſedandis differitur. *Ep.* X. dum commoda Hæmorrhoidum fluentium in Melancholicis, Lienoſis & Nephriticis aperiuntur, variæ quoque indagantur cauſæ cur ſanguis peccans ex hæmorrhoidalibus ſaltem venis effundatur. *Ep.* XI. alvi adſtrictæ tùm cauſæ tùm medela hiſce proportionata, exponuntur. *Ep.* XII. graviditatem ex urinâ fruſtrà prædici innuitur, quòd veſica urinaria non magis, quàm inteſtinum rectum cum uterô communicet, nec certò mulierum urina à virorum lotio dignoſci poſſit. Quoad uroſcopiam aliàs ſaluberrimè à Londinenſi Medicorum Collegiô cautum, ne ullus ſive Sociorum, ſive Candidatorum ſive Permiſſorum Conſilii quicquam ſupra urinarum nudâ inſpectione impertiat. *Ep.* XIV. Contactus Regius in ſtrumoſis ſanandis aliquando proficuus, ſubinde irritus, ſolum non nocivus, declaratur. *Ep.* XV. Valetudini ebrietatem etiam menſtruam obeſſe, rationibus & Theologicis, & Medicis oſtenditur, fruſtra aliis vomitum tunc contingentem laudantibus. *Ep.* XVI. de duabus agitur Monialibus, quas Romæ ſexum mutâſſe fama tulit. *Ep.* XVII. Cœnâ non omnibus ſine diſcrimine ſiſtitur negligenda, quemadmodum numerus quoque horarum, quibus dormiendum ſit, ratione circumſtantiarum habitâ, *Ep.* XVIII. eâque ultimâ, determinatur.

CARRANZA (*Alphonſus à,*) Hiſpanus Juriſconſultus, ſtudiorum humanitatis benè gnarus, primùm Hiſpali, deinde in Curiâ Advocatiæ intentus muneri, quod non ſine laude utrobique exercuit; in memoriam tamen poſterorum connixus fuit pervenire, ſcriptis Latinè libris.

De Partû naturali & legitimô. Matriti 1628. in fol. Item Genevæ 1629. 4. additis *Diatribe* ejuſdem, de quâ mox dicimus, & Caroli Hannibalis Frabotti Anteceſſoris Aquiſextienſis *De Tempore humani partûs & numero Puerperii exercitationibus.*

Diatribe ſuper Doctrinâ temporum Dionyſii Petavii. Patriâ verò Linguâ

Rogacion al Rey D. Felipe IV. *y à ſus ſupremos Conſejos de Juſticia y Eſtado en deteſtacion de los grandes abuſos en los Traxes y adornos neuvamente introducidos en Eſpaña.* Matriti ex officinâ Mariæ de Quinnones 1636. 4.

Ajuſtamiento y proporcion de las monedas de oro, plata, y cobre, y la reduccion de eſtos metales à ſu debida eſtimacion ſon la Regalia ſingular del Rey de Eſpaña, &c. Matriti apud Franciſcum Martinet 1628. fol. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 11.

De eo habetur in Lind. Renov. ſuper Tractatû de Partû.

Tractatus novus & accuratiſſimus de Partû naturali, & legitimô: ubi controverſiæ Juridicæ, Philologicæ, Philoſophicæ, Medicæ diſcutiuntur; ad Fori uſum & Praxin: de Partûs conceptione, & formatione: de Fœtû in uterô, de Poſthumis: de Conditione Partûs, expoſitione, ſuppoſitione, Ventre exſectô: Tempore partûs variô (ubi & de Anni computatione prolixè agitur) abortivô, Monſtroſô, Numeroſô partû, ſuperfœtatione, Generatione ſuccubi. Cui propter argumenti ſimilitudinem additæ ſunt Exercitationes Caroli Hannibalis Frabotti Anteceſſoris Aquiſextienſis, de Tempore humani partûs, & de numerô puerperii. Sumtibus Joh. de Tournes, & Jacobi de la Pierre, 1629. in 4.

CARRARIUS De Monte Silice (*Petrus,*)

De eô extat

Quæſtio de Venenis ad terminum. Venetiis, apud Juntas, 1565. in fol. cum Petri de Aponô, Conciliatore.

CARRARIUS (*Vincentius*) Ravennas.

Ex eô habetur

De Medicô, & illius erga Ægrum Officiô, Opuſculum. Ravennæ, apud Andream Miſcroccum, 1581. in 4.

CARRERO (*Petrus Garcias,*) Calaguricanus.

Ex eô habentur

Diſputationes Medicæ, & commentaria in Fen primam Libri quarti Avicennæ. In quibus non ſolùm quæ pertinent ad Theoricam: ſed etiam ad Praxin, locupletiſſimè reperiuntur. Editæ operâ Petri Ferrioli, Autoris Diſcipuli. Burdigalæ, apud Guilielmum Millangium, 1628. in fol.

Diſputationes Medicæ & Commentaria in Fen primam Libri primi Avicennæ. Compluti, ex Offic. Academiæ, 1612. 1617. in fol.

Diſputationes

Diſputationes Medicæ, & Commentaria in omnes Libros Galeni de locis affectis. Compluti, ex Offic. Academiæ, 1605. 1612. in fol.

CARRONUS (*Jacobus.*)

Conradi Geſneri Hiſt. Animalium Lib. v. de ſerpentum naturâ, ex variis Schedis collegit, & edidit.

CARROZZA (*Johannes*,) Meſſanenſis Philoſophiæ & Medicinæ Doctor eximius, natus 8. Junii 1678. literarum ſtudiis ingenium devovens, humaniores literas, ac Philoſophiam cum laude didicit. Sed dum ad alia properabat, à domeſticis curis abſtractus ſtudia intermiſit. Exactô bienniô medicam facultatem aggreſſus eſt ſub Celeberrimi Dominici la Scala diſciplinâ. At eô defunctô, propriô ingeniô duce ac doctore, doctrinam de morbis, ac de febribus, & Chimicam artem didicit. Medicus Civitatis S. Luciæ electus, ibi trienniô Medicam operam ægrotis eâ felicitate attulit; ut ex quatuor millibus incolarum, aliorumque ex propinquis Oppidis, ſolùm ſexagenaria mulier extrema clauſerit. Meſſanam regreſſus annô 1702. ac doctrinâ & omnigenâ eruditione apprimè inſtructus, publicas propugnavit theſes, hôc titulô editas: *Concluſio univerſalis* id eſt, *de omni Scibili.* Meſſanæ Typis Vincentii de Amicô 1702. in 4. Ludovicus Alexander Borbonius Toloſanorum Comes, cui hanc Concluſionem nuncupavit, Dominum Leonhardum Medicum Gallum miſit, ut in litterariâ, ac publicâ Concertatione argumenta objiceret, at eâ in diſputatione ampliſſimam mentem omnium ſcientiarum capacem omnibus patefecit. Vivit nùnc vir eximius doctrinâ, ingeniô & eruditione inſtructiſſimus, gravioribus ſtudiis inſigniter addictus: & dum vel aliis ſcientias tradit, vel ægrotis medicam adhibet curam, ſui opinionem excitat, ac mores Philoſopho dignas ſervare curat. Edidit

Contra vulgo-ſcientias acquiſitas per diſciplinam Opuſculum. Rothomæ typis Leonhardi Simonelli 1702. in 4.

Anthropologiæ, Tomum primum, in quô facilior & utilior medendi Theoria, & Praxis palam fit abſque Electuariis, Confectionibus, Lohoc, Tabellis, Syruppis, Julep, Rob, Apozematis, Saccharis, Catharticis, Sternutatoriis, Maſticatoriis, Epithematibus, Sacculis, Veſicantibus, Phlebotomiâ, tandem ſine quibuſdam Decoctis, Vinis medicatis, Emplaſtris &c. Meſſanæ apud Dominicum Coſtam, 1704. in 4. In lucem emittet hæc alia:

De Vitâ, Tomum I.

De Rerum initiis, Tomum I.

Galeni quærelam contra Galeniſtas.

Præcepta moralia. *Anton. Mong. Bibl. Sicul. T. j. p. 342.*

CARTAGENA (*Antonius*,) Medicæ artis Profeſſor Complutenſis, qui & Galliarum Delphini, ejuſque fratris Aurelianenſis Ducis, pro patre Franciſcô Rege obſidum Caroli Cæſaris, dum in Berlangæ arce detinerentur, ſalutem juſſus fuit curare: dedit foras

De ſignis Febrium & Diebus Criticis. Compluti 1529. fol. ſimulque

De Faſcinatione. Ibidem: &

De Febri peſtilenti. Compluti 1530. in fol.

Promiſerat, cùm ſuperiora ederet, *de ſingulis noſtri corporis membris* Commentarium alium, de quô nihil ultrà ſcio.

Elegantiâ morum fuit in primis (Alvaro Gomezio authore, *in De Rebus Geſtis Franciſci Ximenii* quartô librô) *commendabilis, vultûſque quâdam hilaritate præditus, quâ mirè animos ægrotantium recreabat, atque eâ de causâ principibus viris, ad quorum Morbos curandos perſæpè miſſus erat, valdè gratus.* Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p. 85.

CARTAGENA (*Petrus de*,) Medicus Seguntinus, edidit Libellum, cui nomen indidit

Sermon en Medicina para preſervarſe en tiempo dañado..... apud Arnaldum Guillen 1522. in 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. ij. p.* 142.

CARTERIUS (*Melchior*,)

De eô extant

Exercitationes in Epilepſiam. Toloſæ, 1617. in 8.

CARTERIUS (*Stephanus*,) Riccienſis

Ex eô habetur

Anthologia potiſſimarum Hippocratis & Galeni ſententiarum, earum præſertim, quæ communem hominum victûs rationem ſpectare videntur. Pariſiis, apud Guilielmum Guillard, 1557. in 16.

CARTES (*Renatus des*,)

De eô extant

Paſſiones animæ. Gallicè ab Auctore conſcriptæ, nunc autem in exterorum gratiam Latinâ Civitate donatæ ab H. D. M. I. V. L. Amſtelædami, apud Ludov. Elzevirium, 1650. in 12. Ibidem, apud Johannem Janſſonium Juniorem, 1656. in 4. Ibidem, 1664. in 4. Idem Tractatus extat etiam cum operibus Philoſophicis unô Volumine comprehenſis. Lugduni Batavorum & Amſtelodami, 1677. in 4.

Tractatus de Homine, Iconibus illuſtratus & Latinitate donatus. Lugduni Batavorum, 1662. in 4. Ibidem, 1664. in 4. Ibidem, 1672. in 4.

Tractatus de Homine, & de Formatione Fœtûs; quorum prior Notis perpetuis Ludovici de la Forge illuſtratur. Amſtelodami, apud Danielem Elzevirium, 1677. in 4.

Epiſtolæ, de Motû Cordis & Circulatione ſanguinis. Extant cum D. D. Virorum Epiſtolis & Reſponſis tùm Medicis, tùm Philoſophicis à Johanne Beveroviciô editis. Roterodami, apud Rudolphum à Nuyſſel, 1665. in 8.

De Naturâ & viribus Menthæ. Extat cum iiſdem D. D. virorum Epiſtolis & Reſponſis tùm Medicis, tùm Philoſophicis editis à Joh. Beveroviciô. Roterodami, 1665. in 8.

De Formatione Fœtûs, Gallicè primùm editus, nunc Latinitate fruens. Lugduni Batav. & Amſtelodami, 1672. in 4.

Epiſtolæ, ab Autore Latinô ſermone conſcriptæ, partim ex Gallicô ſermone tranſlatæ, illæque, Morales, Phyſicæ, Medicæ ac Mathematicæ, II. Voluminibus comprehenſæ. Lugduni Batav. 1668. in 4.

CARVINUS [*Johannes*,] Montis Albani Medicus. Floruit A. C. 1562. Renatus Moreau de V. S. in Pleurit.

Ex eô habentur

De ſanguine Dialogi ſeptem. Lugduni, apud Hæredes Sebaſt. Gryphii, 1562. in 8. Hanoviæ, apud Wecheli Hæredes, 1605. in 12.

CASÆUS [*Johannes*] Medicus Anglus, ſub finem Sæculi XVI. vixit. Docebat in Univerſitate Oxonienſi, ubi deceſſit circa annum 1600. Varia ſcripta reliquit. Super Ariſtotelis Organum. Œconomica. Encomium Muſices, &c. *Pitſeus de Illuſtr. Angl. Script.*

CASALENUS (*Joh. Antonius,*) à Francavillâ Hydruntus.

De eô extat

Diſputatio de ſecandâ venâ in Pleuritide, revulſionis gratiâ, adverſus Medicos Francavillenſes. Venetiis, apud Joh. Bapt. Ciottum, 1605. in 4.

CASALIS (*Vincentius,*) Brixianus, Excellens Medicus. Vixit circa A. C. 1556. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Explicatio Medicamentorum ſimplicium, ac eorumdem compoſitio ex Johanne Baptiſta Montanô excerpta. Patavii, 1558. in 8. Ibidem, 1573. in 8.

CASANDER (*Fridericus,*)

De eô extat

Natura loquax, quâ miracula totiûs univerſi ex præcipuis mundi partibus ſive regnis, æthereô, vegetabili, & minerali, ſilvarum nempe, hortorum, pratorum, plantarum &c. proprietatibus, effectis, & virtutibus deprompta proponuntur. Francof. apud Lucam Jeniſium, 1629. in 8.

CASCALES (*Franciſcus Peres,*) de Guadalajra)

De eô extant

De *Faſcinatione. Matriti,* 1611. in 4.

De affectionibus puerorum Liber. Ibidem, 1611. in 4.

CASE

De eô extat

Compendium Anatomicum. Amſtel. 1696. apud Huguetan, in 12. cum figuris.

CASEARIUS (*Johannes,*)

Adornavit cum Henricô Van Rheede Horti Indici Malabarici Part. I. & II. Amſtelodami, apud Johan. à Someren & Johan. à Dick, 1678. & 1679. in fol.

CASELIUS (*Johannes,*)

In Adriani Turnebi Libellum de vinô, Proœmium addidit. Vid. Adrian. Turnebus.

CASERTA (*Joh. Antonius,*) Neapolitanus.

Ex eô habentur

Pars prima Tractationum in Medicinæ Theoriam, non solùm Medicis, ſed Phyſicis omnibus perutilis & perjucunda. Neapoli, apud Joh. Jacob. Carlinum, 1608. in 4.

Pars ſecunda. In quâ tum Febrium Theoria, tum Putredinis natura pertractatur. Neapoli, apud Dominic. Roncaliolum, 1609. in 4.

De Naturâ & ſymptomatibus Motus Animalis. Neapoli, 1620. in 4.

CASMANNUS (*Otto,*)

De eô extant

Anthropologia, hoc eſt, Fabrica humani corporis, methodicè deſcripta, capitibus diſtincta, ſingulorumque capitum Diſquiſitionibus, & variarum Controverſiarum Quæſtionum, è variis, ſæpè etiam diſſentientium opinionum Phyſicis, Anatomicis & Medicis collectarum, Diſceptationibus illuſtrata. Hanoviæ, apud Guiliel. Antonium, 1596. in 8. Francofurti, apud Jonam Rhodium, 1607. in 8.

Nucleus Myſteriorum Naturæ enucleatus, methodicè digeſtus. Hamburgi, ap. Frobenium, 1605. in 8.

Johan. Bruyerini Lib. XXII. De Re Cibariâ recognovit.

CASPIUS (*Georgius,*) Hannonius.

Ex eô habentur

Ad Bonaventuræ Grangerii Admonitionem indoctam & contumelioſam de Cautionibus in ſanguinis miſſione adhibendis, Reſponſio, quâ Leonhardi Botalli Libellus de curatione & ſanguinis miſſione defenditur. Baſileæ, apud Joh. Mareſchallum, 1580. in 8. Pariſiis, apud Jacobum du Puys, 1581. in 8.

Caſtigatio Bonaventuræ Grangerii, ſeu, Villici, Animadverſionis adverſus Leonhardum Botallum. Ibidem, 1582. in 8.

CASSANUS (*Ferdinandus,*) Vigialunenſis.

De eô extant

Quæſtiones duæ; quarum altera eſt; Quod ſanguis & Pituita in venis ſanorum corporum actû ſit, potentiâ humores alii; Altera verò, quôd ſedimentum ſanorum & ægrorum ejuſdem ſit ſpeciei. Neapoli, apud Gio. Mariam Scottum, 1561. in 8.

Quæſtio Medica; Quòd tertiana exquiſita non ſit morbus acutus, contra Recentiores Scriptores. Cum brevi Apologiâ. Venetiis, apud Nicol. Tridentinum, 1564. in 8. Notetur, tres has Quæſtiones in hâc Venetâ Editione ſimùl conjunctas eſſe.

CASSANUS (*Franciſcus,*) Taurinenſis. Claruit circa A. C. 1546. Renatus Moreau de V. S. in Pleuritide.

De eô extat

Quæſtio de ſectione Venæ in Pleuritide. Habetur cum Libellis de Doſibus. Patavii, apud Gratios. Perchacinum, 1546. in 8. Venetiis, apud Vinc. Valgriſium, 1562. in 8.

CASSELIUS (*Joh. Durantius,*)

De eô extat

In Duretum & Martinum, Medicos Pariſienſes, Apologeticus Primus. Ad Joſephum Scaligerum Jul. Cæſ. F. Magiſtophorus primus Joh. Martini; Philippo Conſtantio Autore. Pariſiis, 1579. in 8.

CASSERIUS (*Julius,*) Natus Placentiæ Ital. (indeque à Patriâ communiter dictus Placentinus) Parentibus humilibus & pauperibus: propriis laribus abactus, Patavium adiit, ubi cùm Aquapendentis famulatui ſe dediſſet, ex famulô auditor, ex auditore diſcipulus, Medicinæ demùm & Chirurgiæ Doctor, tandemque Præceptoris in Chirurgiâ ſucceſſor factus eſt. Obiit Patavii, ætatis ſuæ 60. A. C. 1616. vivente adhucdum Aquapendente præceptore, cui ob ſenium ſuffectus fuerat in Chirurg. & Anatomes Profeſſoratû, ann. 1609.

Ex eô habentur

Pentæſtheſeion, hoc eſt, de quinque ſenſibus, Liber: Organorum fabricam variis Iconibus fideliter ære inciſis illuſtratam, nec non actionem & uſum, Diſcurſû Anatomicô Philoſophicô accuratè explicata continens. Venetiis, apud Nicol. Miſſerinum, 1609. in regali fol. Francof. apud Hæredes Baſſæi, 1609. 1610. 1622. in fol.

De Vocis Auditûſque Organis, Hiſtoria Anatomica, ſingulari fide, methodo, ac induſtriâ concinnata, Tractatibus duobus explicata ac variis iconibus ære excuſis illuſtrata. Ferrariæ, ap. Victorium Baldinum, 1600. in regali fol. Venetiis, 1601. in fol.

Tabulæ

Tabulæ Anatomicæ 78. omnes novæ, neç antehac viſæ: Daniel Bucretius, *Uratislavienſis*, XX. quæ deerant, ſupplevit, & omnium explicationes addidit. Extant cum Adriani Spigelii de Humani corporis Fabricâ Libris decem. Venetiis, apud Evangeliſtam Deuchinum, 1627. in reg. fol. Francofurti, apud Matthæum Merianum, 1632. in 4. Extant etiam cum ejuſdem Spigelii Operibus, quæ extant, omnibus à Johan. Anton. Vander Linden recenſitis. Amſtelodami, apud Johannem Blaeu, 1645. in fol. reg.

Tabulæ de formatô Fœtû. Extant cum Adriani Spigelii Operibus, quæ extant omnibus, à Joh. Anton. Vander Linden recenſitis. Amſtelodami, apud Johannem Blaeu, 1645. in fol. reg.

CASSIANUS.

De eô extant

De Re Ruſticâ, Fragmenta aliquot. Habentur in Γεωπονικῶν, ſeu, de Re ruſticâ ſelectorum Libris XX. Græcis, Conſtantinô quidem Cæſari nuncupatis, Joh. Alex. Braſſicani Operâ in lucem editis. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinis autem Jano Cornario interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8.

CASSIUS (*Andreas*;) Hamburgenſis.

Ex eô habentur

De Triumviratû Inteſtinali cum ſuis effervesſcentiis. Groningæ, 1668. in 4.

De extremô illô & perfectiſſimô Naturæ Opificiô ac Principe Terrenorum ſidere, Aurô, de admirandâ ejus naturâ, generatione, affectionibus, effectis, atque ad operationes Artis habitudine, Cogitata, nobilioribus experimentis illuſtrata. Hamburgi, apud Georgium Wolffium, 1685. in 8.

CASSIUS (*Felix*,) Vide ſub Titulô. Jatroſophiſta.

De eô tamen ſub Caſſii nomine hæc habet Gœlicke, Hiſt. Chirurg. p. 77.

Memorandus nunc venit *Caſſius*, ſcriptor problematum medico-chirurgicorum Græcus, quem *Adrianus Junius*, Hornanus, interpretatus eſt, & ex Græcô in Latinum vertit, multiſque locis mutilum atque mendis plurimis miſerè deformatum reſtituit. Inter problemata Chirurgicam artem reſpicientia, ſequentia deprehendere licuit: Cur ulcera rotunda difficilius cæteris coaleſcant? Cur ſupremæ corporis ſedes ad nomas, i. e. depaſcentia ulcera, ſint opportunæ, ſimiliter & concavæ? Cur ulceribus ſanari, ut inflammationibus diſcuti minuique incipientibus pruritus creentur? Cur piſcatores & id genus homines in mari agentes pterygio ſeu ungue oculorum infeſtentur? Quâ de causâ in capitis vulneribus, ubi eô uſque deſcenderit vulnus, ut cerebrum ambiens membrana læſa ſit, parteſque ſauciæ, jam integræ cogantur, atque ad cicatricis inductionem perveniant, tum plerumque convulſio ſuboriri ſoleat, ex quâ mortem illi incurrunt? &c.

CASSOLA (*Scipio*)

Ex eô habetur

Diſceptatio: An Epithematum uſus, antiquis Medicis fuerit cognitus. Parmæ, apud Sethum Viottum, 1565. in 4.

CASTAGNERUS (*Jacobus*,) Medic. Theoreticæ in Taurinenſi Academiâ Profeſſor. Commentarios edidit in Primam Fen. Avicennæ. Taurini, 1613.

CASTALIO (*Joſephus*.)

De eô extat

De Frigidô & Calidô Potû. Romæ, 1607. in 4.

CASTALLUS (*Pomponius*,) Olivetanus.

Gaudentii Merulæ, Memorabilium Opus, recognovit, & IV. Lib. auxit.

CASTANEA (*Chriſtophorus*,) Laudenſis.

De eô extat

Jacobi Forlivienſis Nova Caſtigatio Expoſitionis Aphoriſmorum Hippocratis. Papiæ, apud Jac. de Burgofranco, 1521. in fol.

CASTELLANUS (*Honoratus*,) Fuit Profeſſor Medicinæ Monſpelii, & deinde Caroli IX. Galliarum Regis Archiater. Obiit Peſte A. C. 1569.

Ex eô habetur

Oratio, quâ futurô Mèdico neceſſaria explicantur, Lutetiæ habita. Lutetiæ, apud Mich. Vaſcoſanum, 1555. in 4. Argentorati, apud Conradum Scher, 1607. in 12. Cum Johan. Georgii Schenckii Enchiridiô de Formandis Medecinæ ſtudiis.

CASTELLANUS (*Johannes*,) Romanus.

De eô Extant

Phylactirion Phlebotomiæ, & Arteriotomiæ. Cum Figurâ admodùm neceſſariâ & utili, Venas & Arterias totiûs corporis, tam ab antiquis, quàm noſtri ſæculi Chirurgis, ſecari ſolitas, ad vivum repræſentante. Argentinæ apud Paulum Ledertz, 1628. in 8.

Antonii Baldes Quæſtionem de Gangrænæ & Sphaceli diverſâ curatione collegit, recognovit & edidit. Venetiis, 1616. in 8.

CASTELLANUS (*Petrus*,)

De eô Extant

Κρεωφαγία, ſive, de Eſû Carnium, libri quatuor. Antverpiæ, apud Hieron. Verduſſium, 1626. in 8.

Vitæ illuſtrium Medicorum, qui toto orbe ad hæc uſque tempora floruerunt. Antverpiæ, apud Guil. à Tongris, 1618. in 8.

Index Omnium Medicorum, qui in hôc Operê memorantur.

A

Actuarius.
Acron.
Adrianus Junius.
Æmilius Macer.
Æſculapius.
Aëtius.
Albucaſis.
Albutius.
Alexander Benedictus.
Alexander Maſſaria.
Alexander Trallianus.
Alexias.
Amatus Luſitanus.
Andreas Veſalius.
Andromachus.
Antonius Caſtor.
Antonius Cermiſonus.
Antonius Galatheus.
Antonius Muſa.
Apollo.
Apollodorus.
Apollonius Myſ.
Archigenes.
Archagatus.
Aretæus.
Ariſtogenes.
Ariſtoteles.
Arnoldus Villanovanus.
Artorius.
Aruntius.
Aſclepiades.
Athenæus.
Avenzoar.
Averrhoes.
Avicenna.

B

Bacchus.
Baſſianus Landus.
Bernhardus Paternus.
Bernhardus Gordonius.
Bertrucius.

C

Cajus Valgius.
Carpitanus.
Caſſius.
Cælius Aurelianus.
Charicles.
Charmis.
Chiron.
Chryſippus.
Cleombrottus.
Cleophannus.
Clidamus.
Conſtantinus.
Cornelius Celſus.
Cornelius Gemma.
Cratevas.
Critias.
Critobulus.
Cteſias.

D

Democedes.
Democritus.
Dinus de Garbo.
Diocles Caryſtius.
Dioſcorides.
Dracon.

E

Empedocles.
Eraſiſtratus.
Evax.
Eudamus.
Eudemus Chius.
Eudemus Pharmacopola
Euphorbus.

F

Franciſcus Valleſius.

G

Gabriel Fallopius.
Gemma Friſius.
Galenus.
Gentilis Fulginas,
Guilielmus Rondeletius.
Guilielmus Copus.

H

Hieronymus Capivaccius.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Thriverius.
Honoratus Caſtellanus.
Hugo Senenſis.
Haly Abbas.
Hercules Saxonia.
Herophilus.
Hippocrates.
Horatius Augenius.

I

Johannes Arculanus.
Johannes Argenterius.
Johannes Sermoneta.
Johannes Tornamira.
Johannes Guinth. Andernacus.
Johannes Thomas Minadous.
Johannes Bapt. Montanus.
Johannes Fernelius.
Johannes de S. Amando.
Johannes Manardus.
Johannes Ruellius.
Johannes Phil. Ingraſſias.
Iſaac.
Jacobus Carpenſis.
Jacobus de Partibus.
Jacobus Forlivienſis.

L

Laurentius Joubertus.
Laurentius Laurentianus.
Leonhardus Fuſchſius.
Levinus Lemnius.
Lupus.
Ludovicus Mercatus.

M

Machaon.
Magnus.
Marcellus.
Marcellus Virgilius.
Marcus Nevianus.
Marcus Anton. Turrianus.
Marcus Cato.
Marſilius.
Marſilius Ficinus.
Mathæus Sylvaticus.
Matthæus de Gradi.
Melampus.
Melchior Guilandinus.
Menecrates.
Meſuè.

N

Nebrus.
Nicander.
Nicias.
Nicolaus Bieſius.
Nicolaus Myrepſus.
Nicolus.
Nicomachus.

O

Oribaſius.

P

Pæon.
Paulus.
Paulus.
Paulus Craſſus.
Pauſanias.
Periander.
Petron.
Petronius.
Petrus Hiſpanus.
Petrus Leonius.
Philippus Arcanan.
Philippus Cous.
Philiſtion.
Plinius.
Podalirius.
Pompeius Leneus.
Praxagoras.

Q

Quintus Serenus.

R

Rhaſes.
Rembertus Dodonæus.
Ruffus Epheſius.
Rubrius.

S

Savonarola.
Scribonius Largus.
Serapis.
Serapion.
Soranus.
Symphorianus Campegius.

T

Thadæus.
Themiſon.
Theon.
Theophraſtus.
Theſſalus Hippr. Fil.
Theſſalus.
Thomas de Garbo.
Thomas Fienus.
Thomas Linacer.
Thraſias.
Turiſanus.

V

Valeſcus de Taranta.
Vectius Valens.
Vidus Vidius.
Victor Trincavellius.

X

Xenophon.

Z

Zeno.

CASTELLI albi (*Joh. Fridericus*,) Luſitanus. Hic ſe poſteà appellavit Amatum Luſitanum: Sub quô vid. ejus vitam ac præcipua Opera.

Ex eô habetur ſub nomine hic memoratô,

Index Dioſcoridis, ſive Hiſtoriales Campi; Exegemataque ſimplicium, atque eorumdem Collationes cum his, quæ in officinis habentur, nedùm Medicis, & Myropoliorum Seplaſiariis, ſed bonarum Litterarum ſtudioſiſſimis perquàm neceſſarium Opus. Cujus ſingulis Capitibus Dioſcoridis Philologiam præponit, hoc eſt, Nomenclaturas ſimplicium in variis Linguis, Hiſpanicâ, Luſitanicâ, Germanicâ, Theutonicâ & Gallicâ, Italicâque interdum: deinde Judicium quoque ſuum, quoad res ipſas, ſingulis Capitibus ſubjungit. Antverpiæ, apud viduam Martini Cæſaris, 1536. in fol.

CASTELLIONIUS (*Petrus Maria*,)

De eô extat

Reſponſio, ad Ludovici Septalii Judicium. Mediolani, 1618. in 4.

CASTELLO (*Tura de*,) Bononienſis.

Ex eô habetur

Recepta Aquæ Balnei de Porrectâ. Extat Operis Veneti de Balneis pag. 46. & Venetiis, apud Bernhardinum Venetum de Vitalibus, 1519. in fol. cum Chirurgiâ Guidonis, Bruni, Rolandi, &c.

CASTELLUS (*Bartholomæus*,) Meſſanenſis.

Ex eô habentur

Totius Artis Medicæ, methodô diviſâ in Compendium & ſynopſis. In quâ quidquid ab Hippocrate, Galenô, Avicennâ, cæteriſque ſummæ auctoritatis Doctoribus, ad eandem artem ſcriptum eſt, mirâ dexteritate, facilitate, & ſtudiô, acervatim contexitur. Meſſanæ, apud Petrum Bream, 1597. in 4.

Lexicon Medicum Græco-Latinum. Venetiis, apud Nicol. Polum 1607. in 8. & operâ Emmanuelis Stupani auctum. Baſileæ, apud Johan. Jacob. Genathium, 1628. in 8. Iterùm Venetiis 1626. in 8. apud Johan. Bapt. Cæſari, 1642. in 8. Auctum tertiâ ſui parte, & ab innumeris, quibus ſcatebat, mendis repurgatum. Operâ Adriani

Adriani Ravenſteinii: ex Hippocratis, Galeni, Avicennæ, atque aliorum Celeberrimorum Medicorum monumentis. Roterodami, apud Arnoldum Leers, 1644. in 8. Ibidem, apud Eundem, 1651. in 8. Ibidem apud Eundem 1657. in 8. Ibidem apud Arnoldum Leers Jun. 1665. in 8. Ibidem, 1670. in 8. Norimbergæ, apud Joh. Danielem Tauberum, 1682. in 4. Hæc editio ad vera novaque Artis Medicæ principia accommodata, à plurimis mendis & vitioſis allegationibus correcta, & innumerabilium penè Vocabulorum acceſſione amplificata eſt à Jacobô Pancratio Brunone. Additâ ejuſdem Brunonis Mantiſſa Nomenclaturæ Medicæ Hexaglottæ, Vocabula Latina Ordine Alphabeticô cum annexis Arabicis, Hebræis, Græcis, Gallicis & Italicis proponentis.

CASTELLUS (*Edmundus*,)

Ex eô habetur

Oratio ad Botanologicam Sacræ Scripturæ Partem. Londini, 1657. in 4.

CASTELLUS (*Felix*,)

De eô extant

Conſilia Medica, eô in Opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francof. apud Johan. Sartorium, 1605. in 4.

CASTELLUS (*Johannes*,)

Ex eô habentur

Pharmacopœa, Medicamenta in Officinis Pharmaceuticis uſitata complectens & explicans. Gadibus, apud Johannem de Bojet, 1622. in 4.

De Peſte, ejuſque Cauſis, ſignis, præſagiis, curatione, & præſervatione, Tractatus. Auguſtæ 1608. in 8.

CASTELLUS (*Petrus*,) Romanus.

De eô extant

Epiſtolæ Medicinales. Romæ, 1626. in 4.

Epiſtola ad Joh. Malelphum, & Aëtium Cletum. In quâ agitur, nomine Hellebori ſimpliciter prolatô, eùm apud Hippocratis, tum alios Auctores, intelligendum album: & ab hoc purgatas à Melampode Proeti Regis Argivorum furentes filias, atque ab Anticyreô ſanatum Herculem inſanientem. Romæ apud Joh. Maſcardum, 1622. 1628. in 4.

Epiſtola ſecunda de Helleborô. In quâ confirmantur ea, quæ in priore allata fuerunt. Romæ, eôdem annô & formâ.

Hortus Meſſanenſis. Meſſanæ 1640. in 4.

Evangelia. In qua Lectiones hôc annô ab ipsô habendæ in publicô Gymnaſiô ſuper primum libri Aphoriſmi Hippocratis enumerantur. Mantuæ, 1646. in 12.

Chalcantinum dodecaporion, ſive, duodecim Dubitationes in uſû olei Vitrioli: cum defenſione Veterum, in Arſenici, atque Sandarachæ potû. Romæ, apud Jac. Maſcardum, 1619. in 4.

De Abusû Phlebotomiæ. Romæ apud Franc. Colbelletti, 1628. in 8.

De Abusû, circa Dierum Criticorum enumerationem. Meſſanæ, apud Viduam de Biancô, 1642. in 8.

Emetica. In quâ agitur de Vomitû & Vomitoriis. Opus Medicis omnibus utile & neceſſarium ad curandos morbos, Hippocraticam Diætam ſequentibus, tum Galenicam, Paracelſicam & Empiricam. omnibus demonſtratis ratione, auctoritate & experimentis, Libri decem. Romæ, apud Jac. Maſcardum, 1634. in fol.

De Viſitatione Ægrotantium. Pro ſuis Auditoribus & Diſcipulis, ad Praxim inſtruendis. Romæ, apud Jac Maſcardum, 1630. in 12.

De Febre Tritæophyâ. Coſenzæ, apud Jac. Baptiſt. Ruſſium, 1648. in 8.

In Hippocratis Aphoriſmos primi Libri Critica doctrina: per Puncta & Quæſtiones: Ad faciliorem Tyronum, qui à Philoſophicâ Auditione ad Medicam ſe transferunt intelligentiam. In quâ omnium ferè, qui Aphoriſmos expoſuêre, Opiniones referuntur, probantur, improbantur, & vel optima eligitur, vel nova additur. Maceratæ, apud Petrum Salvi, 1648. in 4.

Opobalſamum examinatum, defenſum, judicatum, abſolutum, & laudatum. Meſſanæ, apud Viduam Joh. Franc. Bianco, 1640. in 4.

Opobalſamum triumphans. Baſileæ, apud Francis. Pernam, 1640. in 4.

Optimus Medicus. In quô conditiones perfectiſſimi Medici exponuntur. Meſſanæ, apud Viduam Johannis Franciſc. Bianco, 1637. in 4.

Præſervatio Corporum ſanorum ab imminente Lue ex aëris intemperie hôc annô 1648. Meſſanæ, apud Hæredes Pet. Breæ, 1648. in 4.

De Smilace aſperâ. Meſſanæ, 1652. in 4.

Hyæna Odorifera. Ibid. 1638. in 4. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1668. in 12. quæ Editio auctior & Figuris æneis adornata eſt.

Tripus Delphicus. Neapoli, 1635. in 4.

Relatio de Qualitatibus frumenti Meſſanenſis. Ibidem 1637. in 4.

De Venæ ſcilem Phlebotome, Diſputatiuncula. Extat cum Celeberrimorum Anatomicorum, Severini &c. Opuſculis variis Anatomicis. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1668. in 4.

De Efferveſcentiâ. Meſſanæ, 1652. in 4.

CASTELLUS (*Philotheus*,)

Ex eô habetur

Flagellum Calumniantium, ſeu, Apologia. In quâ Anonymi cujuſdam calumniæ refutantur, ejuſdem mentiendi libido detegitur. Clariſſimorum Luſitanorum Medicorum legitima methodus commendatur, & Empiricorum inſcitia ac temeritas tanquam pernicioſa Reipublic. damnatur. Amſtelredami, 1681. in 8.

CASTELVITREUS (*Jacobus*,)

Thomæ Eraſti Varia Opuſcula Medica edidit.

CASTIGLIONE (*Petrus Maria*) Natus eſt patre Franciſco, Mediolanenſi Medicô Collegiatô, & Protophyſicô Exercitum Regis Catholici in Mediolanenſi Statû. Incepit noſter demonſtrare quantùm valeret, dum ann. ætatis 24. publici juris fecit, Reſponſionem ad Ludovici Septalij judicium de Margaritis &c. Mediolani, apud Feriolum, 1618. 4. Quatuor præterea poſt annos alium librum edidit, cui titulus. Admiranda naturalia ad renum calculos curandos. Mediolani, apud Gratiadeum Feriolum, 1622. 8. In ſequentibus præterea. De Sale ejuſque viribus. Mediol. apud Gratiadeum Feriolum 1629. 8. Obiit in vegetiſſimâ ſuâ ætate annorum 35. ex febre acutâ malignâ, die octobris 27. 1629. *Bartholom. Corte in Notitiis Hiſtor. &c.*

CASTIGLIONE (*Joh. Honoratus*,) de Monterutiô Filius Brandæ, Comitis Palatini: Quæ dignitas collata fuerat nobiliſſimæ huic Familiæ à Sigiſmundô Imperatore, ann. 1417. & confirmata ab Hiſpaniarum Rege, die 13. Maij, 1633. & Februar. 13. 1662. Medicâ Laureâ ornatus fuit in Univerſitate Paduanâ, & identidem ejuſdem collegiô adſcriptus. Factus poſtea Reg. Du-

cal. Protophyſicus Mediolan. Status, edidit Antidotarium Mediolan. non parum auctum,ſub ſequenti titulô. Proſpectus Pharmaceuticus,ſub quo Antidotarium Mediolanenſe ſpectandum proponitur. Mediol. apud Joh. Bapt. Ferrarium 1668. fol. Obiit ann. 1679. &c. *Ex eôdem Corte, ibidem.*

CASTILLO Ochoa (*Thomas del,*) ex Opp. *La Calahorra* Marchionatus *de Zenete*, regni Granatenſis, Accitanæ diœceſis, Medicus Doctor Granatenſis, magnæ apud cives ſuos exiſtimationis, ſcripſit.

De Venenis. Granatæ, 1645. in. *Nicol. Ant. Bibl. Hiſp. T. ij. p.* 241.

CASTNERUS (*Johannes,*)

Ex eô habentur

Epiſtolæ quædam Medicæ, cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ apud Sim. Halbmayerum, 1625. in 4.

CASTOR (*Antonius,*) Medicus Antiquus, docuit piperitim herbam, quam, aliô nomine ſiliquaſtrum nominant, bibi contra morbos Comitiales. Plin. l. 20. c. 17. *Hofman. Dict. T. j. p.* 756.

CASTRENSIS (*Franciſcus,*)

Stephani Roderici Caſtrenſis, Patris, ſyntaxin Prædictionum Medicarum: Cum triplici Elucubratione 1. de Chirurgicis Adminiſtrationibus. 2. De Potû Refrigeratô: 3. de Animalibus Microcoſmi edidit. Lugduni, 1661. in 4.

CASTRIUS (*Jacobus,*) Haſebrocanus.

De eô extat

Epiſtola de ſudore Epidemiali, quem Anglicum vocant, ad Medicos Gandenſes. Antverpiæ apud Joh. Grapheum, 1529. in 8.

CASTRO (*Andreas Antonius de,*) Luſitanus, Medicus Doctor, ſcripſit, cùm Medicus eſſet Brigantini Ducis;

De Febrium curatione, Libros III. Villævicioſæ 1636. in fol.

De Simplicium Medicamentorum facultatibus. Ibidem.

De Qualitatibus Alimentorum, quæ humani corporis nutritioni ſunt apta. Omnia hæc ſimul dictô annô apud Johannem Carvalho. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 55.

CASTRO (*Ezechiel de,*)

Ex eô habentur

Ignis lambens, Hiſtoria Medica, Proluſio phyſica, rarum pulchreſcentis naturæ ſpecimen. Veronæ, apud Franciſcum Rubæum, 1642. in 8.

Amphiteatrum Medicum. In quô Morbi omnes, quibus impoſita ſunt nomina ab Animalibus, rarô ſpectaculô debellantur. Liber primus, ab homine in morbô palimbulô. Verona, apud Franciſcum Rubæum, 1646. in 8.

CASTRO (*Petrus à,*)

Ex eô habentur

Antonii Ponce Santacruz de impedimentis magnorum auxiliorum Libr. III. Secundis curis emendatiùs edidit. Patavii, apud Paulum Frambottum, 1651. in 12.

Peſtis Neapolitana, Romana & Genuenſis, Annorum 1656. & 1657. fideli narratione delineata, & Commentariis illuſtrata. Veronæ, apud Rubeanos, 1657. in 12.

Febris maligna puncticularis, Aphoriſticâ methodô delineata. Ibid. 1650. in 16. Norimbergæ, ex Officinâ Endterorum Jun. 1652. in 12. Patavii, 1653. in 12.

Bibliotheca Medici eruditi. Patavii, apud Matth. Cadorinum, 1654. in 12.

Imber Aureus, ſeu, Chilias Aphoriſmorum, ex Libris Epidemion Hippocratis, eorumque Franciſci Valleſii Commentariis extracta. Ulmæ, 1661. in 12.

Scheda in formâ patente de Oleô antipleuriticô Petri à Caſtrô. Ferrariæ, apud Alphonſum & Johan. Baptiſtam Maretos, 1669.

Obſervatio de Remediô antipleuriticô. Extat Ephemer. Acad. Natur. Curioſ. German. Ann. 1. Num. 10.

De Loquelâ mutis, & Auditû ſurdis reſtitutis. Ibid. Ann. eôd. N. 35.

CASTRO (*Rodericus à*) Luſitanus, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, decurſo apud nos Salmanticæ harum artium ſtadiô in Germaniam, neſcio quâ de cauſâ, venit, Hamburgique jam ab annô ſuperioris ſæculi ſextô ſuper nonageſimum fixô domiciliô Medicinam in eâ urbe fecit, necnon & libris editis illuſtravit. His nempe.

De univerſâ muliebrium morborum Medicinâ, duabus partibus, alterâ theoricâ quæ Philoſophiam muliebriſque ſexûs hiſtoriam & membrorum iiſdem peculiarium anatomen; alterâ practicâ, quæ morborum continet curationes. Hamburgi, 1603. 1616. & 1628. in 4. Coloniæque in foliô.

De Officiis Medico-politicis, ſeu Medico-politico. Hamburgi, 1614. in 4. in Officinâ Frobenianâ.

Tractatu brevi de Naturâ & cauſis peſtis, quæ annô 1596. Hamburgenſem urbem afflixit. Ibidem 1597. in 4. apud Jacobum Lucium Juniorem.

Eximius is Medicus, juniorum facilè princeps, audit à Zacutô Luſitanô. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. jj. p.* 211.

Ex eô habentur in Lind. Renov.

Tractatus brevis de Naturâ & Cauſis peſtis; quæ annô 1596. Hamburgenſem civitatem afflixit. In quô ſuccinctè ſed accuratè demonſtratur, quænam in præſenti Lue præcavendi & curandi ratio ſit obſervanda ut tum univerſa urbs, tum etiam unuſquiſque ſe poſſit ab exorienti malô præſervare, ac ſubinde occupantem jam perniciem faciliùs propulſare. Multa etiam in hâc re hactenùs ſubobſcura obiter declarantur. Hamburgi, apud Jacobum Lucium Juniorem, 1596. in 4.

Medicus-Politicus, ſive de Officiis Medico-Politicis, Tractatus, quatuor diſtinctus Libris. In quibus non ſolùm bonorum Medicorum mores ac virtutes exprimuntur; malorum verò fraudes & impoſturæ deteguntur: verum etiam pleraque alia circa novum hoc argumentum utilia atque jucunda exactiſſimè proponuntur. Hamburgi, apud Frobenium, 1614. in 4. Ibidem, 1662. in 4.

De Univerſâ Mulierum Medicinâ, novo & antehac à nemine tentatô ordine, opus abſolutiſſimum. Pars prima Theorica quatuor comprehenſa Libris. In quibus cuncta, quæ ad Mulieris naturam, Anatomen, ſemen, menſtruum, conceptum, uteri geſtationem, fœtûs formationem, & hominis ortum attinent, abundantiſſimè explicantur. Pars ſecunda, ſive Praxis quatuor contenta Libris. In quibus mulierum morbi univerſi, tam qui cunctis fœminis ſunt communes, quàm qui Virginibus, Viduis, Gravidis, Puerperis, & Lactantibus peculiares, ſingulari Ordine traduntur, ſubindeque variæ ſterilitatis ſpecies, earumque naturæ, cauſæ, ſigna, & curationes, diſtinctâ & accuratâ methodô edocentur. Additis inſuper ſingulis ferè Capitibus ejuſdem ſcholiis quibus, quæcunque circa fœmineos Morbos curandos dubia

aut controverſa hactenùs apud Medicos fuerunt, breviſſimè deciduntur; ab eiſque non parva lux cunctis aliis morbis profligandis acceſſit ut pote quibus pleraque Hippoc. & Gal. difficillima loca, univerſaque Ars Medica illuſtratur. Coloniæ, in fol. Hamburgi, apud Frobenium, 1604. in fol. & 1628. in 4. Ibidem apud Zachariam Hertelium, 1662. in 4.

CASTRO (*Stephanus Rodericus, vulgò Rodrigues,*) Luſitanus, Oliſſipone urbe regiâ ortus, Medicus Doctor & in Piſanâ Academiâ præſtantiſſimæ hôc ſeculô famæ Profeſſor primarius, quem Zacutus Luſitanus & ipſe, ex Batavis non dubitavit *Medicinæ Phœnicem & eruditiſſimum* appellare: eam quippe artem inſigni rerum antiquarum eruditione ſic exornavit, ut omnia ejus opera non minùs doceant, quàm jucundè animos legentium paſcant. Ea ſunt

De Meteoris Microſcomi, *Libri* V. Venetiis apud Juntas 1621. in folio: deinde purgatiores, correctiores, & indice illuſtriores labore & induſtriâ Valerii Nervii. Ibidem, 1624. folio.

De Complexû morborum Tractatûs, ſtudio ejuſdem Nervii Piſani editus. Florentiæ apud Zenobium Pignonium, 1624. in 8.

Aſitia Tractatus. Florentiæ, apud eundem 1630. in 8.

De *ſerô lactis Tractatus.* Ibidem apud Sermatellium, 1631. in 8. Prodierunt poſteà Perſii Trevi (hic eſt Petrus Servius) ad hunc Librum *Declamationes*, ſeu, *privatæ quædam ac domeſticæ exercitationes.* Romæ apud Franciſc. Corbelletum, 1634. in 8.

Quæ ex quibus Opuſculum; ſive de mutatione aliorum morborum in alios; quem *aureum libellum* vocat Zacutus; Florentiæ apud Petrum Cecconcellium: Francofurti recuſum 1667. in 12.

Commentarius in Hippocratis Coi Libellum de Alimento: opus in quatuor partes diviſum, quarum priores duæ hôc volumine continentur. Florentiæ apud Sermartellium 1635. in folio.

Philomelia. Florentiæ 1628. in 8.

Poſthuma prodierunt curâ Franciſci filii aut aliorum.

Poſthuma varietas. Florentiæ apud Amatorem Maſſam 1639. in 4. quam poſt obitum parentis in lucem ediditſe Franciſcum filium notat Johannes Antonides Vander Linden *de ſcriptis Medicis.*

Caſtigationes exegeticæ, quibus variorum Dogmatum veritas elucidatur. Florentiæ ex eâdem officinâ, 1640. in fol.

Medicæ Conſultationes. Ibidem apud eundem 1644. in 4. Præter hæc à Vander Linden annotata reperimus not.

Exercitationes Medicas. Venetiis ann. 1653. in 8. ſi aliæ ſunt à *Conſultationibus.*

Syntaxim prædictionum medicarum; cui acceſſit

Triplex elucubratio. I. *De Chirurgicis adminiſtrationibus.* II. *De Potû Refrigeratô.* III. *De Animalibus Microcoſmi:* operâ Franciſci authoris filii publica facta. Lugduni apud Philippum Borde & ſocios 1661. in 4.

Pythagoram, ſive Librum ità inſcriptum & Lugduni editum anno 1651. Hic authore éditus noſtro eſt, ut credimus.

Luſit quoque in Juvenili ætate,

De ſimulatô Rege Sebaſtianô Poëmatium; cui lucem typorum donavit, poſteàquam Stephanus deceſſiſſet, idem Franciſcus filius. Florentiæ in Officinâ Amatoris Maſſæ, 1638. in 4. annô ſcilicèt, qui proximè ſequutus fuit emortualem authoris annum; qui duobus minor Octogenariô deſiit mortalis eſſe, 1637. Epiſtoliô quôdam hic exornavit veſtibulum operis Jacobi Gaddii *De ſcriptoribus non Eccleſiaſticis*, Florentiæ datô anno 1613. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. ij. p.* 235.

CASULANUS (*Prothus*,) Senenſis

De eô extat

De Linguâ, quæ maximum eſt Morborum autorum ſignum. Opus in re Medicâ, novi argumenti. Florentiæ, apud Petrum Cecconcellium, 1621. in 4. Coloniæ Agripp. apud Matthæum Smitz 1626. in 8. Ulmæ, 1651. in fol.

CASUS (*Johannes*) Oxonienſis.

Ex eô habetur

Lapis Philoſophicus, ſive, commentarius in 8. Libb. Phyſicorum Ariſtotelis. Acceſſit Ancilla Philoſophiæ. Francofurti ad Mœnum, 1600. in 8.

CATALANUS (*Arnoldus.*)

De eô extant

Regulæ univerſales curationis morborum ter centum quadraginta quinque, Georg. Pictorii *Villingani Enſishemii*, Commentariis illuſtratæ. Evacuandi ratio per Ant. Gazionem breviſſimâ methodô conſcripta; ejuſdem G. Pictorii ſcholiis diligenter explicata. Præterea Rerum fortuitô evenientium Conſolationes quatuordecim, Autore eôdem Pictoriô. Inſuper his accedunt etiam Epicyclidem Pictoriô Authore. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1565. in 8.

CATANEUS (*Jacobus*) de Lacumarcinô, Genuenſis.

Ex eô habetur

De Morbô Gallicô, Tractatus. Reperitur in Tomô I. Operis de Morbô Gallicô, pag. 123.

CATANIA (*Franciſcus*,) Panormitanus Doctor Medicus Clariſſimus, natus ex D. Gabriele Cataniâ, & D. Lutiâ Anſelmô. Cùm medicæ facultati operam navaſſet, Doctoris laureâ inſignitus, Panormi ægrotorum curam ſuſcepit, non ſine doctrinæ laude. Ad oppidum Vicaris tranſlatus, honeſtô conſtitutô ab oppidi Dominô ſtipendiô, ſalutarem operam in ægrotantes contulit. Inde ad oppidum Ciminnæ digreſſus, ubi uxorem duxit Magdalenam de Urſô Ciminnenſem annô 1627. & ex eâ, præter alios, filium ſuſcepit nomine Gabrielem, qui Vicaris, inde Ciminnæ Archipresbiter fuit; quâ oblatâ occaſione noſter Franciſcus in utrôque oppidô longas protraxit moras; ex quô perperam aliqui Ciminnenſem, alii Vicarenſem putârunt. Defunctâ uxore, cùm filius vitam etiam abſolviſſet, noſter Franciſcus Panormum regreſſus eſt: Clericali militiæ ſe adſcripſit; & Sacerdotio pietatem fovit; ſed non multô poſt nonagenarius obiit Panormi annô circiter 1688. & in Eccleſiâ domûs Profeſſorum Societatis Jesû ſepelitur. Laudatur a P. Bernardô Mariâ de Jesû in vitâ Joannæ Mariæ a Sanctiſſ. Trinitate par. 3. cap. 16. p. 278. In Poſterorum beneficium, protulit

Quæſtionem de Medicamentô purgante. Panormi apud Petrum Iſola 1648. in 4. *Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ Tom. j. p.* 211.

CATANUTUS (*Nicolaus*) Catanenſis Pharmacopola peritiſſimus, plantarum cognitione magnam ſibi opinionem excitavit. Politiores etiam litteras coluit, & inter Claros Academicos Catanæ recenſitus effulſit. Florebat annô 1658. Ipſum laudat Joſephus Munebria in librô, *Muſa Riſvegliata par.* I. *pag.* 232. Edidit librum inſcriptum

Iſagogicon, *ſive facilis introductio ad univerſam Pharmaceutricæ artis praxim.* Catanæ apud Johannem Roſſum, 1650. in 4.

Italicè

Rime

Rime Parte Prima, e ſeconda. Catanæ apud Vincentium Petronium 1658. in 4. Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ Tom. ij.

CATELAN (*Abbas de,*)

De eô extant in Actis Lipſienſibus ann. 1682. *pag.* 161.

Obſervationes quædam Abbatis de Catelan, oculos Inſectorum concernentes, ex Ephemeridibus Eruditorum Pariſienſibus. n. 24. 1680. *n.*12. *&* 18. 1681. *excerptæ.*

INter reliqua, quibus Inſecta nos in ſuî naturæque providentiæ admirationem rapiunt, *Dn. Catelan* horum oculos refert, diſpari ſatis ratione & numerô in illis conformatos. Sc. gaudere, inquit, *primò* eorum multas ſpecies, etiam minutiſſimas, v. g. pediculos, pulices, (ſquammis munitos) & exigua illa animalcula, quæ in Caniſtris & ſcatulis, muſcarum aut papilionum, quibus veſcuntur, cadavera continentibus, reperiuntur, ac tineas, quæ æſtate chartas, libros menſaſque tranſcurrunt, inſtar animalium majorum, duobus ſaltem oculis nigris, rotundis, ſatis duris & magnitudine corpori reliquo proportionatis, in quibus tamen nullas adhuc palpebras deprehenderit. E contrà & *ſecundò* aliorum inſectorum capita naturam pluribus quamvis eò minoribus, oculis ſtipâſſe: illorum nempè quibus numerus tantus neceſſarius videbatur, i. e. maximè alatorum partis. Et inter hæc quidem alia nonniſi unam ſaltem oculorum ſpeciem geſtare, ſc. ſcarabæos, exceptis cornutis pauciſque aliis, qui integrâ oculorum ſerie globulos binos ad latera capitum prominentes, oppleant, quod itidem in papilionibus proboſcide inſtructis, obſervare contingat; dum contra culicum criſtatorum capita, loco harum eminentiarum globoſarum circulus protuberans cingat, qui totus oculis obſitus cernatur, quem circuitum nominatus Obſervator ex viridi rutilantem, totidemque quaſi adamantibus ornatum teſtatur. Ab eminentiore verò ejuſdem culicum capitis parte, cujus color ferè gryſeus, duas prodire criſtas plumatiles, ex fuſcô rubicundas, in quarum mediô proboſcis ejuſdem coloris, ſceptrum æmulans, conſpiciatur: lateribus autem earum alias binas adſtare, quarum caules, cryſtallinam pelluciditatem oſtendentes, nodis multis, ab omni ſui parte infinitas plumas, aurei coloris, emittentibus, gaudeant.

Alia verò horum inſectorum genera, v. g. muſcas, formicas volatiles & perlas ſeu libellas, quas gallicè *Demoiſelles*, Germ. *Jungfraulein* appellant, pluraque alia, oculos diverſæ molis & ſitus habere, i. e. præter tres majores in anticâ capitis parte, à *Dominô Hire* annotatos, infinitos minores in lateribus & vertice ejuſdem. Nimirùm ſine microſcopio in cunctorum horum capitis lateribus duos exiles deprehêdi globulos, in muſcis igneî, in reliquis ſpeciebus alterius coloris, quos ratione numeri, ſitûs & ſplendoris binos animalculorum horum oculos crediderint; aſt microſcopii applicationem duas has eminentias oculis pluribus ſtipatas & ornatas manifeſtâſſe. Et quidem in Muſcâ vulgari, quæ caput animalculi denotat, in eminentiis magnitudine uvas minores oculos hos æmulari aſſerit, tres verò majores deſignat Noſter. Ambiguus nihilominùs, an granula illa exigua lateralia revera totidem oculi eſſent, bina hunc in finem adornavit experimenta. Nempe primò delineatas muſcarum nonnullarum eminentias pice molliore, aliarum capitis apicem ubi oculi majores, cera ſigillatoria, ac aliarum denique omnes has partes ſimili materiâ obtexit, cunctas verò phiolæ vitreæ immiſit, obſervavitque ſemper, quòd duæ priores muſcæ, quibus ſaltem partes erant incruſtatæ, evolarint, imò poſtmodùm feneſtram petierint, quaſi visû ſatis clarô adhùc pollerent, dum reliquæ, quarum cunctæ illæ tres protuberantiæ cerâ aut pice obvolutæ, leviter ſaltem in phiolâ ſe converterent; exemptæ verò, inſtar cœcarum, palpando progrederentur, & nunquam evolarent. Deinde partes quas accuratiſſimè & ſubtiliſſimè à cute ſeparavit, atque harum faciem inferiorem per microſcopium inſpiciendo ſub tria foramina trianguli, apicibus reſpondentia, innumera autem foramina, in ſchemate expreſſa, deprehendit: ità quidèm, ut tria foramina, majora aut obvelata fuerint membrana tenuiſſima & pellucida, quæ rugoſa & in diverſis locis ſanguine tincta obſervabatur, probabiliter ob rupta ac diſciſſa vaſa ac fibras cerebri, quæ in inſectis cum his partibus communicant.

Aſt in parva Libella, (notantur enim hujus tres ſpecies, magnitudine diſtinctæ) quæ delineata nudô oculô paulò gracilior, paulòque longior muſcâ communi apparet, alis rectis ác pedibus brevioribus, atque inſtar Lacertarum diſtractis gaudet, cute rugoſâ & muſci colore tinctâ, caudâque in bifurcatum mucronem abeunte, ſeu ſetis albis duabus inſtructa eſt, inter duo hujus cornua pellucida ſeu antennas, tres magnos & virides oculos conſpici, idem *Catelan* perhibet, quorum duo tertiô paulò majores exſtant, præter laterales autem eminentias, exiguis admodùm atque innumeris oculis ſtipatas, in vertice quaſi pileolos ſeu mortariola duo rutilantia, aſſurgere, pariter oculis multis exilioribus & cœlum ſpectantibus ornata.

CATELANUS (*Laurentius,*)

De eô extat

Genuinus Confectionis Alchermes apparandæ modus. Habetur cum Joh. Steph. Strobelbergeri Tractatû de Cocco Baphica. Jenæ, apud Joh. Beithmannum, 1620. in 4.

CATO (*Marcus Porcius,*)

Ex eô habetur

De Agriculturâ, ſive, de re ruſticâ Liber. Regii: apud Bartholom. Bruſchium, 1482. in fol. apud Franc. Mazalum, 1498. in fol. Lutetiæ, apud Johannem Parvum, & Galeotum à Pratô, 1533. in fol. Coloniæ, apud Johan. Gymnicum, 1536. in 8. Pariſiis, apud Robertum Stephanum 1543. in 8. cum aliis ejuſdem argumenti. Lugduni Batavorum apud Chriſtoph. Raphelengium, 1589. in 8. poſt ultimam A. Pompæ editionem centum ampliùs locis auctus correctuſque, ſtudiô & operâ Johan. Meurſii. Item Fragmenta ejuſdem ſcriptoris, ab A. Pompâ diligenter collecta & reſtituta.

CATOSIUS (*Matthæus,*)

De eô extat

Chronoſophia, ſive, Diſputatio de quatuor anni temporibus eorumque naturâ & temperamentis, adverſus placitum Ariſtotelis, Philoſophorum & Medicorum omnium. Venetiis, ap. Societatem, 1630. in 4. Florentiæ, 1603, in 4.

CATTIER (*Iſaac,*) Pariſienſis.

Ex eô habentur

De Rheumatiſmô, Diſſertatio. De ejus naturâ & curatione. Simulque, ex occaſione, de naturâ doloris intricatiſſimâ, perſpicuè enodantur, novis Obſervationibus illuſtrantur. Pariſiis, apud Viduam Petit, 1653. in 8.

Obſervatio-

Obſervationes Medicinales raræ. Extant cum Petri Borelli Hiſtoriis & Obſervationibus Medico-Phyſicis. Caſtris, 1653. in 12. Pariſiis apud Johan. Billaine & viduam Mathurini Dupuis, 1656. in 8. Francofurti, apud Laurent. Sigiſmund. Cornerum, 1670. in 8. Ibidem, apud eundem, 1676. in 8.

CAVALCANTIBUS (*Guido de,*)

De eô extat

De Naturâ & Motû Amoris Venerei Cantio. Cum Enarratione Dini de Garbo. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1498. in fol.

CAVALLARIUS (*Joh. Baptiſta,*) Neapolitanus.

Ex eô habetur

De Morbô Epidemiali, qui Nolam & Campaniam univerſam vexavit, Curativus & Præſervativus Diſcurſus. Neapoli, apud Joh. Jac. Carlinum, 1602. in 4.

CAVALLUS (*Franciſcus,*) Agrigentinus, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, optimô exortus genere, doctrinâ claruit: at in dementiam prolapſus, in Civitate Nari obiiſſe tradunt circa annum 1660. Hujus extant

Opuſculum de Objecto Phyſicæ. Panormi apud Alphonſum de Iſolâ 1638. in 8.

De inſitô morborum, medicum Opus & novum. Catanæ apud Vincent. Petron. 1658. in 8. *Anton. Mongitor Bibl. Siculæ T. j. p.* 212.

CAUFUNGER (*Georgius.*)

Joh. Margiri Antropologiam complevit & locupletavit. Præterea edidit Trutinam Medicam. Patavii, 1654. in 4.

CAVIGIOLIS (*Joh. Baptiſta de,*)

Ex eô habetur

De Morbis novis interpola, cum aliquot Paradoxis. Pictavii, ap. Mareſios Fr. 1541. in 8.

CAULIACO (*Guido de,*) N. Bertrutii fuit diſcipulus, & cùm ad provectiorem ætatem perveniſſet, Chirurgiam ann. 1363. in ſyſtema diſpoſuit, ac quamvis pauca nova, iis, quæ à ſuis prædeceſſoribus data fuerant, addidiſſet, ut ipſe declarat, non ſic minùs à Fallopiô harumce rerum judice peritiſſimô, Hippocrati comparatur. Profeſſor Monſpelii, Praximque etiam exercuit Lugduni, & tandem Avenionem commigravit, ubi Medicus fuit Clementis v. aliorumque aliquot ejus ſucceſſorum.

De ejus Scriptis hæc reperiuntur in Lindeniô Renovatô.

Chirurgiæ Tractatus ſeptem. Cum Antidotariô. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1490. in fol. apud Bernardinum Venetum de Vitalibus, 1519. apud Juntas, 1546. in fol. Cum Chirurgiâ Bruni, Theodorici, Rolandi, Lanfranci, Rogerii, Bertapaliæ. Venetiis, apud Simonem de Luere, 1499. in fol. Lugduni, 1572. in 8. apud Johan. Cambray, 1518. in 4. apud Hæred. Jacobi Juntæ, 1569. in 8. Addita his Recepta Aquæ Balnei de Prorecta per Turam de Caſtello, *Bononienſem.*

Chirurgia parva. Venetiis, apud Octavianum Scotum, 1500. in fol. Cum Albucaſis Chirurgiâ.

De CAUSE.

Ex eô habentur

Varia Philoſophica & Medica de Atomis & Circulari ſanguinis Motû, adverſus Pyrrhonios, de Generatione hominis: de Uſû Lienis: de Cauſâ Motûs Pulmonum in Inſpiratione: Anatomica quædam. Rothomagi, 1674. in 12.

CAXANES (*Bernhardinus*)

De eô extant

De Mittendo ſanguine in febribus putridis; Lib. 3. Barcinonæ, 1592. in 8.

CECKIUS (*Johannes,*) Bononienſis.

De eô extat

De Puerorum tuendâ valetudine, atque de eorumdem morbis profligandis, brevis & integra methodus: ex Latinorum, Arabum, & Græcorum placitis excerpta. Wittebergæ, apud Wolffgangum Meiſnerum, 1604. in 8.

CELLA NOVA (*Andreas à,*)

Ex eô habetur

Conſilium de Aquis Aquenſibus. Extat cum Bernhardini Paterni, Julii Delphinique Medicorum Ticinenſium Conſiliis, in Opere Venetô de Balneis. Venetiis, apud Juntas, 1553. in fol.

CELLARIUS (*Salomon,*)

De eô extant in Actis Lipſienſibus Ann. 1701. *p.* 86.

Origines & antiquitates Medicæ, poſt præmaturum illius exceſſum emendatiores auctioreſque editæ à Chriſtophorô Cellariô Patre. Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1701. *in* 8.

Quam Vir ampliſſimus, Chriſtophorus Cellarius, Illuſtris Academiæ Fridericianæ Profeſſor Celeberrimus, extare voluit Filii dilectiſſimi, Salomonis Cellarii, Medicinæ Licentiati, præmaturô fatô Nonis Novembribus A. C. CIƆ IƆCC Parenti optimo erepti, inter eruditos memoriam; eam pro cultû, quô dudum proſequimur Virum Clariſſimum, & pro rei dignitate, meritò etiam in his Actis conſervatam volumus. Servabunt autem illam *Origines & Antiquitates* Medicæ, à beatè defunctô pridem concinnatæ, poſt ejus autem exceſſum emendatiores auctioreſque à Patre ipſiùs editæ. In iis Auctor tùm è Gentilium Mythologiâ, tùm ex aliis rei litterariæ monumentis doctè illuſtrat rem Medicam. Et primò quidem Apollini ac Minervæ artis Medicæ inventionem tribui ab antiquis, illumque propterea *Medicum*, hanc *Pæoniam* i. e. *Medicam* κατ᾽ ἐξοχὴν dici, ſelectioribus quibuſdam teſtimoniis probat. Secundô locô Æſculapii & Chironis fabulas explicat: quorum ille Apollinis filius acceptam à patre, vel à nutritore Chirone Centaurô, medendi artem feliciter exercuit; ideòque non à Græcis magis quàm Romanis, ob artis claritatem, (mortuos quippe reſuſcitâſſe, i. e. lethaliter afflictos reſtituiſſe, dicitur) cultus ac tandem poſt certiſſimum humanitatis argumentum, mortem, Deus creditus, & inter ſidera *Ophiuchus* dictus eſt. Quam ejus Divinitatem è multis inſcriptionibus, pluribuſque ipſi templis extructis demonſtrat. Inter cultores ejus, Celeberrimarum urbium, Epidauri, Smyrnæ, Pergami, &c. incolas referendos, ex ipſis Æſculapii cognominibus conficit. Imaginem, quâ cultus fuerit, hominem cum prolixâ valdè barbâ, alibi tamen, ut ex nummô apud Illuſtr. Ezech. Spanheimium de Præſt. Num. p. 181. probat, etiam imberbem: ſignum verò ejus draconem vel ſerpentem, baculum nexibus ambientem, ex nummis & antiquis ſcriptoribus fuiſſe oſtendit; hujuſque ſigni originem ad ipſum Moſis æneum ſerpentem refert, plura etiam alia de templis & cultû

cultû ejus commemorans. Æſculapio ſuum præceptorem Chironem jungit, Saturni & Phyliræ filium, cujus fabulam & fatum ex probatiſſimis autoribus explicat. Poſt enarratam Æſculapii originem, ejus etiam filii Podalirius & Machaon, & filiæ ſex, Hygeia, Panacea, Jaſo, Aceſo, Ægle, & Roma ſeu Valentia recenſentur, illarumque nomina, artes, & ἀποθέωσις è re nummariâ & præſtantiſſimis antiquæ hiſtoriæ conditoribus illuſtrantur. Liberis Æſculapii ob temporis æqualitatem artiſque ſimilitudinem, Pæona, & Melampodem ex Homerô & Virgiliô additos videas. Explicatâ origine Medicinæ fabuloſâ, veriora è Pliniô Lib. XXIX. C. I. de generibus & ſectis Medicorum proponuntur. Alios enim *Clinicos*, qui lectô affixis præſtò erant, alios *Vulnerarios*, ſive, *Chirurgos*, *Ocularios* alios, aliud demum eorum genus fuiſſe, qui *paraliptice* i. e. per unguenta & olea curabant, docetur. Quâ occaſione multa egregia de olei apud veteres variis ſpeciebus & uſû, ex antiquitate afferuntur. His ex Mercuriali L. VI. C. I. quædam de *inſolatione*, quâ vel uncti vel non uncti ad ſolem ſedere, jacere, ſtare vel ambulare, jubebantur; item de victûs ratione, Xerophagio imprimis, adjecta ſunt. Illa excipit de motû ſeu mutatô aëre tractatio. Quô poſt ambulationem ſedentariæ vitæ ſaluberrimam, omnis veterum gymnaſtica modica, *geſtatio*, *pila*, *venatio*, *peregrinatio* etiam refertur; ultimaque Ciceronis potiſſimùm exemplô, de Cl. Orat. c. 91. commendatur, moneturque illam olim ab ægrotis ità fuiſſe inſtitutam, ùt itinera, certis morbis profutura ſuſciperentur; & Romani Phthiſici vel propter navigandi longinquitatem, vel propter Ægyptiaci cœli ſalubritatem, Medicorumque Alexandriæ copiam & peritiam, Ægyptum: alii eôdem morbô laborantes Forum Julium Umbriæ; comitiali lue afflicti Anticyram, alii alia loca peterent. Poſt artem Medicorum, illorum etiam conditionem ac dignitatem tradit Autor. Ac primi quidem Medicæ artis inventores inter Deos apud Mythologos relati: poſt fabularum nebulas, Medicina penes Sapientes, i. e. Philoſophos fuit, inque ſummô honore habita; indeque apud Athenienſes lex condita dicitur, *nè quis ſervus aut fœmina Medicinam diſceret*, Hygino Fab. 274. teſte; quamvis aliqua exempla fœminarum & ſervorum medicam artem callentium Autor adferat. Quod tamen cum Cl. Virô Jacobô Sponiô Miſcell. erud. antiq. p. 144. contra Robortellum, non eò pertinere vult Cellarius, ut poſteà apud Romanos, ſervos tantùm exercuiſſe Medicinam credatur; cùm adſint clariſſima argumenta, Medicos vel nullos omninò, vel ocularios ſolùm ac Chirurgos, & ne hos quidem omnes, ſervos fuiſſe. Conſtitiſſe itàque & Medicis dignitatem ſuam, quæ à Cæſaribus, inſtitutô ampliſſimô Æſculapii & Hygiæ LX. Virorum Collegiô, datâque ab Antoninô, Diocletianô, Maximianô, Conſtantinô M. & aliis immunitate, aucta maximoperè fuerit. Huic illorum dignitati neque Medicorum Græcorum taxata à Catone apud Plin. L. 29. ſub initium fides, neque Plinii de Medicinâ infrà gravitatem poſita Romanorum, judicium quicquam derogare poſſe evincitur. Tandem quod οἰώνισμα τῆς ὑγιείας quidam ità explicant, ut per ὑγίειαν Æſculapii filiam intelligant, quædam etiam de hoc ſalutis augurio adjicit Autor: ac ipſe quidem cum Iſaacô Caſaubonô ὑγίειαν hôc locô idem eſſe ac σωτηρίαν adeòque non augurium ſalutis ſive ſanitatis, ſed felicitatis publicæ dicendum cenſet: ritum verò ipſum ejuſque formam ac raritatem è Dione Caſſiô, L. 37. p. 40. deſcribit, adeòque tria ſolùm aut quatuor hujus celebrationis in hiſtoriis exempla, primùm Cicerone Conſule, ſecundum Auguſtô V. Conſule, tertium Imperatore Tiberiô, & quartum Claudiô imperante occurrere, ex Dione, Suetoniô ac Tacitô probat. An verò hoc ſalutis augurium in Æſculapii templô, quod Meibomius aſſerit, peractum ſit, atque propterea ad antiquitates medicas pertineat, dubium omninò relinquit.

CELLIUS (*Erhardus*,)

Ex eô habetur

De vitâ & Morte Nobilis ac Clariſſ. Viri Philippi Apiani, *Ingolſtadienſis* M. Doct. ac Profeſſor. in Academiâ Tubingenſi, annô 1589. die 4. Novemb. piè in Chriſtô mortui. Tubingæ, apud Georg. Gruppenbach, 1591. in 4.

CELSUS [*Apuleius*] Centuripinus [Centuripæ urbs Siciliæ, nunc vulgò *Centorbi*] Medicus præſtantiſſimus. De eô Scribonius Largus *Lib. de compon. medicamen. cap.* 171. Fazellus *de reb. Sicul. dec.* 1. *lib.* 10. *cap.* 2. *pag.* 216. & Goltzius *Hiſt. poſt. Sicil. pag.* 92. qui affirmant, quòd cùm in ejus patriâ canes ſæpiùs rabie aggreſſi lætales morſus non modicâ jacturâ in cives infligerent, ipſe patriæ amore exſtimulatus ſingulis annis ſalutare pharmacum contra canum rabiem excogitabat civibuſque ſuis tranſmittebat. Valentis, & Scribonii citati, celebrium Medicorum præceptor fuit, teſte eôdem Scriboniô loc. cit. cap. 69. & 171. Claruit Auguſti Imp. tempore ex Octaviô Caëtanô in *animad. ad Tom.* 2. *S. S. Siculor. pag.* 106. Ex Moreriô *in dict. tom.* 1. *pag.* 300. quem ſequitur Coronelli *Biblioth. tom.* 4. *nu.* 823. *pag.* 171. ſub Tiberiô circa an. 30. & 35. humanæ ſalutis. Marcellus Empiricus, qui ſub Theodoſiô, & Gratianô vixit, Apulejum inter eos recenſet, qui de Medicinâ meliùs ſcripſêre, ut ait Morerius citatus. Scripſit librum

De Herbis: quem inconſultò nonnulli Apulejô Madaurenſi Philoſophô Platonico adſcripſêre. Prodiit cum ejuſdem operibus Lugduni apud Viduam Antonii de Harly ad inſigne ſcuti Colonienſis 1614. in 8. Quòd autem opus hoc ibi editum & inſcriptum de *Medicaminibus herbarum*, non ſit Apuleij Madaurenſis, habetur ex Johanne Pirrô *in Obſervat.* ad ipſum, ibidem editis *pag.* 104. ubi ait: *in Libellô etiam de virtutibus Herbarum, quem ego vervex ſim, ſi unquam adſcribo Apulejo*, Cælius Rhodiginus *lect. antiq. Lib.* 20. *Cap.* 19. ſcribit: *propterea herbam ſceleratam dixit Apulejus, ſi ejus tamen eſt de Plantis Commentarium.* Ex his deducimus dubitâſſe Doctos, eſſetnè hoc opus Apuleij Madaurenſis: Jo. Mollerus de *Scriptoribus Homonymis cap.* 4. *nu.* 4. *p.* 354. ex Homonymiæ vitiô, Madaurienſi adſcriptum putat: Jo. Albertus Fabricius *in Biblioth. Latinâ pag.* 139. inter Apuleji Madaurenſis opera dubia, vel ſuppoſita, hoc opus de herbis collocat, aitque nunquam opus hoc editum inter Apuleij opera, ſed ſub Apuleii Platonici nomine, cum Antonii Muſæ libellô de Betonicâ, Baſileæ, 1528. in fol. ad calcem Plinii Valeriani & annô 1537. in 4. Tiguri cum commentariô Gabr. Hummelbergii. Addit Fabricius pag. 140. quòd malunt quidam Apuleiô Celſô Medicô adſcribere, qui Auguſti ævô floruit, ſed junioris ſcriptoris fuiſſe putat, qui Dioſcoridem, Pliniumque præ manibus habuit; ambigit tamen, quòd fortè ex Apuleij Platonici Medicinæ Libris, aliiſque Auctoribus collectus, contractuſque ſit liber: ſed Hummelbergius ab Apulejô ipſô ità ſcriptum fuiſſe non dubitat; ac fatetur codices maximè depravatos & mutilos ad

nos

nos perveniſſe. Fabricius tandem ad aliud opus ſuum inſcriptum fuiſſe non dubitat; ac fatetur codices maximè depravatos & mutilos ad nos perveniſſe. Fabricius tandem ad aliud opus ſuum inſcriptum *Centuria Plagiriarorum* n. 58. Lectorem remittit in quô, teſte Jo: Mollero cit. Veterum de illô loca exhibet, ſed Madaurenſi, vindicare videtur. Thomas Reineſius *Ep.* 30. *ad Hofmannum pag.* 146. dubitantur ait. *Fuit Apulejus Celſus Centuropinus Siculus, Vectii Valentis, & Scribonii Largi, qui fuêre ſub Claudiô, Præceptor; hujus ſunt, qui circumferuntur, Botanica; vel hic eſt, in quem referuntur: hoc enim fidentius adſererem, non illud.* Morerius, cum Coronellô etiam cit. Apulei Celſi opus hoc putant, additque Morerius libri hujus ſtylus ex Auguſti, & Tiberii temporibus haud videtur, at ex aliâ parte parùm conformis ſtylo Platonici Philoſophi apparet. At noſtro Apulejo Celſo ſine hæſitatione accenſent Andreas Tiraquellus de *Nobilit. Cap.* 31. *pag.* 259. & Octavius Caetanus cit. In vitâ Apulei Madaurenſis ex recenſione Bonaventuræ Vulcanii edita Lut. Pariſiorum 1601. forſan ab eôdem Vulcaniô ſcripta, legitur quòd opus de herbis etſi in editione Baſilienſi Madaurenſi aſcribitur, potiùs Apulejo Celſo tribuendum quamvis Auguſti, Tiberiique ætatem non ſapiat ex elegantiæ Romanæ defectû. In vitâ etiam ejuſdem cum ipſiûs operibus editis ad uſum Delphini à Julianô Floridô, Pariſiis 1688. de hôc librô habetur: *falsò huic Platonico Madaurenſi aſſignatus: ſed eruditi erroneum ſcriptum Apulejò Celſo medico vindicant.* Prodiit opus de Herbis ex Ant. Antonid. Vanderlinden de *Scriptis Medicis pag.* 758. & 1077. Baſileæ apud Andr. Cratandrum, 1528. in fol. cum aliis de re Medicâ libris, & apud Johannem Oporinum, 1549. in fol. Pariſiis ap. Chriſt. Wechelum 1528. in fol. cum Galeni librô de Plenitudine. Venetiis apud Aldum, 1547. in fol.

De Re Ruſticâ fragmenta aliquot. Extant in Librô: *De Re Ruſticâ ſelectorum* Lib. xx. Græcè, Johannis Alex. Braxicani operâ in lucem editi. Baſileæ apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinè Janô Cornariô interprete. Ibid. apud Frobenium 1540. in 8. ex Vanderlind. *de ſcript. Medic. pag.* 85. Operis hujus autorem noſtrum Apulejum putat Vulcanius *in vitâ Apulei Madaurenſis* & Morerius in dict. cit. Librum hunc citat *Palladius Lib. de Re Ruſticâ.* Conſtantinus, vel ut alii volunt, Caſſianus Baſſus in Lib. inſcriptô *Geoponicon*, qui Conſtantini Imp. nomine editus eſt, ex eô multa mutuatus eſt, eôdem Vulcaniô teſte, Tiraquello cit. & Simlerô *Epit. Biblioth. Geſner. pag.* 16. His adderem

Libellum de Betonicâ. Hunc ut obſervat Simlerus in *Epit. Bibl. Geſn. pag.* 121. & Vanderlinden cit. *pag.* 1077. quidam Antonio Muſæ, nonnulli L. Apulejo aſcribunt; at noſtri Apulei fœtum ſuſpicor. Ipſum recognovit, emendavit, & commentariolô illuſtratum edidit Tiguri Gabriel Hummelbergius ex Simlerô cit. *pag.* 14. 56. & 121. prodiit etiam in volumine *de Re Medicâ.* Baſileæ apud Andream Cratandrum 1528. in fol. & apud Joh. Oporinum 1549. in fol. Tandem addam quod Servius *in Virgil. Georg. Lib.* 2. in eô: *media fert triſtes ſuccos*, Apulei librum de *Arboribus* citat: at eundem ac librum de Herbis puto, quem Rhodiginus *Lect. antiq. Lib.* 20. *C.* 19. de Plantis vocat. *Anton. Mongitor Bibl. ſicul. T. j. pag.* 76.

CELSUS (*Aurelius Cornelius*,) Medicus ſub Cæſare Tiberiô, qui methodicam Aſclepiadis ſectam ſequebatur. De eô Joh. Heurnius Medicus Doctiſſimus ait; Pluris Latinitatem ejus, quàm Medicinam fieri; ac etiam Quintilianus ſic de eôdem. » Corn. Celſus, mediocri vir ingenio, » non ſolùm de his omnibus conſcripſit artibus, » ſed amplius rei militaris, & ruſticæ, etiam & Medicinæ præcepta reliquit. De Rethoricâ ſcripſiſſe ex eôdem Quintilianô L. 2. c. 15. & L. 3. c. 6. conſtare poteſt. Libros de R.R. ſæpiſſimè laudat Columella, circa cujus tempora etiam fuit; nam l. 1. c. 1. ità ſcribit: *Non minorem laudem meruerunt noſtrorum temporum viri Corn. Celſus; & Julius Atticus, quippe Cornelius totum Corpus diſciplinæ quinque libris complexus eſt.* Eundem etiam de Philoſophiâ ſcripſiſſe Quintilianus teſtis eſt, *l.* 10. *c.* 1. *ſub finem.* Alius Julius *Celſus* fuit multò recentior, qui & de vitâ Cæſaris ſcripſit, & commentarios Cæſaris recenſuit, an corrupit. Vide Voſſ. *de Hiſtor. Lat. l.* 1. *Cap.* 13. & *inſtit. Orat. C.* 3. *ſect.* 10. itemque Salmas. *Proleg. Exercit. Plin. ſub finem.*

De eô extant in Lind. Renov.

De Re Medicâ, Libri octo. Qui reperiuntur cum Ætii contractæ ex veteribus Medicinæ Tetrabibl. in fol. Venetiis, apud Johannem Rubeum, *Vercellenſem*, 1493. in fol. apud Philippum Pinzi, 1497. in fol. apud Aldum, 1524. in fol. ex emendatione Bapt. Egnatii. Ibidem cum Medicis Antiquis, 1549. in fol. apud Aldum, & Andr. Aſulanum, 1528. in 4. Pariſiis, apud Henr. Stephanum, 1567. in fol. Tomô 1. Medicorum Principum, apud Chriſt. Wechelum 1529. in fol. Acceſſit curâ Johannis Ruellii, Scribonii Largi de compoſitione Medicamentorum, Liber. Lugduni, apud Joh. Tornæſium, 1549. in 16. 1608. in 12. Patavii apud Marc. Anton. de Galaſſis, 1563. in 8. Lugduni Batavorum, apud Raphelengium, 1592. in 4. Genevæ, apud Joh. de Tournes, 1625. in 12. Additis Q. Sereni Lib. de Medicinâ Q. Rhemmii Fannii Palemonis de Ponderibus Lib. & Vindiciani Carmine; omnibus ex diverſorum Codicum diligentiſſimâ collatione caſtigatis, additis ad marginem variis lectionibus ex recognitione Johann. Antonidæ Vander Linden. Lugduni Batavorum, apud. Johan. Elzevirium, 1659. in 12. Ex ejuſdem recognitione apud Salomonem Wagenar, 1665. in 12. Lugduni, apud Johannem Torneſium & Guilielmum Gazejum, 1554. in 12. Lugduni, apud Rovillium, 1566. in 8. & 12. cum Annotationibus & Correctionibus Roberti Conſtantini. Hagenoæ, apud Joh. Soterium 1528. & Salingiaci apud eundem 1538. in 8. utrobique cum Joh. Cæſarii Caſtigationibus.

De Febribus, Liber. Extat Operis Veneti de Febribus pag. 179.

De Balneis, excerpta. Extant pag. 304. Operis Veneti de Balneis.

Epiſtolæ duæ, de Medicinâ. Extant cum Medicis antiquis. Venetiis, apud Aldum, 1547. in fol. pag. 85. ℣. 86. ſed quæ non Celſi, ſed Julii Calliſtii eſſe creduntur.

De Poſitû & figurâ Oſſium totius humani Corporis. Extat cum Galenô de Oſſibus Græcè & Latinè, quem edidit Johan. Van Horne, Lugduni Batavorum, apud Danielem Vander Boxe, 1665. in 12.

De Celſô ſic in Act. Lipſ. ann. 1688. *p.* 145.

Aur. Corn. Celſi de Medicinâ Libri VIII. *brevioribus Rob. Conſtantini, Iſ. Caſauboni, aliorumque ſcholiis ac locis parallelis illuſtrati, curâ & ſtudiô Th. J. ab Almeloveen. M. D. Am-*

Amſtelod. apud Joh. Wolters, 1687. *in* 12.

PRimus inter Latinos de re medicâ ſcriptores Aur. Corn. Celſus, magnô ſemper in pretiô à politioribus ingeniis fuit habitus meritô ſuô. Eſt enim puriſſimæ non ſolùm latinitatis auctor, qui ex Hippocrate cæteriſque ex Græciâ ortis Principibus præſtantiſſima quæque tranſtulit, haud infeliciter, ſed in Chirurgicis imprimis plenè perſpicuèque tradendis operam inſumſit ſanè laudabilem. Unde & eruditiſſimi viri ſtudiô ſuô illuſtrare eum ſunt aggreſſi: ex quibus *Joh. Cæſarii, Guil. Plantini, Jodoci Lommii, Rob. Conſtantini, Hierem. Threverii, Bald. Ronſſei, Hieron. Rubei, Pet. Pauvii, & Joh. Lindani* labores extant in publicum editi; deſiderantur adhuc, & forſan deſiderabuntur perpetuò, quarum ſpes unà cum ſuis Auctoribus intercidiſſe videtur, *J. C. Scaligeri, Johan. Walæi, Æl. Ever. Vorſtii, Johan. Rhodii & Mentelii* promiſſæ lucubrationes. Quarum tamen jacturam ut æquiori feramus animô, ſpectata jam multoties Cl. Viri *Theodori Janſonii ab Almeloveen* induſtria facit, qui ſicuti Medicus eſt atque Philologus doctiſſimus, Celſoque adeò in priſtinum nitorem reſtituendo aptiſſimus; ità jam dudum eam ſibi ſumſit operam ut elegantiſſimum hunc ſcriptorem juſtô commentariô illuſtratum emittat indiceque ampliſſimô, qui lexici vicem ſupplere poſſit, quale in Scribonium Largum dedit *Joh. Rhodius.* Intereà ut ſatisfaceret plurimorum deſideriis, minorem ſaltim & quaſi portatilem Celſi editionem requirentium, hanc apparavit, ultimæ illi, quam *Lindanus* publicaverat, paginarum linearumque numerô exactè reſpondentem, ſubjunxitque ſingulis ferè paginis locorum ex *Hippocrate* aliiſque auctoribus parallelorum ſeriem non contemnendam, quemadmodum jam ante hos tres annos ad *aphoriſmos Hippocraticos* curâ ſuâ ac ſtudiô editos, ſententias ex Celsô ὁμοψήφους annotaverat. Præcedit *Lindani* dedicatio ac præfatio; tum ipſius *Celſi* effigies ex Iconibus Medicorum ac Philoſophorum illuſtrium à *Sambucô* editis deſumta, cui addi potuiſſet epigramma *Poëtæ veteris anonymi* imagini Cornelianæ ſubſcribendum quod eſt inter *Epigramm. Vet. à Pithoeô*, ut apparet, *edita l.* 11. *p.* 48.

Dictantes Medici, quandoque & Apollinis artes
Muſas romanô juſſimus ore loqui.
Nec minus eſt nobis per pauca volumina famæ,
Quàm quos nulla ſatis bibliotheca capit.

Imaginem excipit *Vita Celſi à Rhodiô* ſcripta, quæ ferè ſola ex viri eruditiſſimi curis in Cornelium impenſis injuriam ignis effugit, unà cum ejus diſſertatione *de Aciâ & de ponderum ac menſurarum apud Celſum ratione à Th. Bartholinô* edita. Hanc ſequitur omnium; de quibus conſtat, *Celſi* editionum indiculus cum nonnullis variorum auctorum de eô teſtimoniis ac elogiis. Ad calcem libri ſubjiciuntur breviora ſcholia *ex Jo. Cæſarii, Robertique Conſtantini* annotationibus ac aliorum ſcriptis, qui Celſum velut in tranſcurſû emendârunt aut illuſtrârunt, collecta, quibus & interſperſæ notulæ hactenùs nondum viſæ, quas ad codicem quondam ſuum alleverat *Iſaacus Caſaubonus.* Rerum denique & verborum index librum claudit, in omnibus hactenùs editionibus deſideratus & tanquam majoris lexici Corneliani prodromus, quod ut propediem cum commentariis à doctiſſimô editore perfectum emittatur, omnes illi seriò exoptant quibus curæ ſunt literarum ſtudia.

Ibidem ann. 1713. *p.* 215.

Aurelii Cornelii Celſi de Medicinâ Libri Octo cum Præfatione Georgii Wolfgangi Wedelii, & indice locupletiſſimô. Jenæ, apud Joh. Fel. Bielkium 1713. 8.

QUod alii ante ſequuti ſunt inſtitutum ut antiquiſſimum & Latiniſſimum ſcriptorem Medicum propriâ pulchritudine amabilem, abſque externô cultû proderent, idem in præſenti editione ſervatum eſt. Et certe ideò magis devincti eſſe videntur tyrones artis; quod illa in veterum libros prolixa, vel ad oſtentationem multæ lectionis, vel ingenii acuminis, facta commenta, & noſtro potiſſimum ſeculô uſitata, ſtudioſos magis à lectione deterreant quàm alliciant. Celſus ſi quis alius, ea non ſolum orationis latinæ puritate & elegantiâ ſe commendat ſed & rerum perſpicuitate ut vel artis elementis tincti eum facilè intelligant, atque adeò propriis radiis coruſcans alienâ face non indigeat. In additâ Præfatione meritis in artem ſuam illuſtris Wedelius ob duo commendat artis amantibus lectionem ejus ſedulam, ob artis ſummam peritiam, & inſignem oris facundiam. Et hoc quidem adeò verum eſt, ut nemo adhùc, vel veterum, vel recentiorum Medicorum cum eô comparari valuerit, quod magis eô inculcandum artis tyronibus, quoniam ſui Doctores, plerumque ab eô diſcedunt longiùs, & non pauci artis magiſtri in eâ verſari videntur opinione, puritatem linguæ & nativam elegantiam artem ſuam non admittere: cui veritatem contrariari, ex Celsô addidiciſſe poterant. Habere etiam criticos, monetur, quæ in Celsô ex eorum uſû ſint, vocabulorum in eô occurrentium raritatem ſingulareſque ſignificationes; & ut ſibi à nimiâ mutandi in veteribus licentiâ temperare diſcant, ne ſtatim manus illis inferant, quæ inſolentia quidem, ſed bona tamen ſunt, qualia non pauca in Celsô reperire licet, unde & negligentiæ accuſantur illi, qui lexica vulgo compilant, quod in Medicorum ſcriptis pervolvendis nimis incurioſi ſint. Exemplum temerè turbatæ à criticis lectionibus adducitur ex præfatione ad librum 1. p. 3. hujus editionis, ubi antiquos ſapientiæ antiſtites Medicæ artis inventores conſtituuntur, quoniam illi ipſi *corporum ſuorum robora inquietâ cogitatione nocturnâque vigiliâ minuerant:* ubi loco poſtremi verbi in alia (ut putat Wedelius, Rob. Conſtantini) editione legerat, *minervant*, quod jure retineri poſſe autumat, cùm propter vocis concinnitatem, tum propter analogiam, quam cum paribus habeat: quam conjecturam ſuo autori, manuſcriptorum librorum autoritate deſtitutô, relinquimus, id ſaltem monentes, analogiam iſtam difficultate non carere, quia verba à Deorum attributis petita, aliquid eorum indolis conferre ſignificentur, ut ab ſalutis numine fit ſalutare, id eſt, ſalutis opem precari, à Fortunâ fortunare, id eſt, Fortunæ bona largiri, & ſic minervare ex eâdem analogiæ regulâ debebat idem dicere, ac ſi Minerva ſua dona, ſapientiam putà, conferat, non verò corporis vires infringat, & quid ad corpus non verò mentem refertur docta Pallas? Sed ad Celſum redimus & ejus potiſſimum uſum, quem lectoribus præſtat Medicis; hìc ſunt equidem, qui partim gratiæ ex artis uſû illi concedant, ſed omne laudis, quod mereatur, ex ingeniô & facundiâ petendum eſſe tradant, morbos autem, quod ipſe ſuis verbis fatetur, non eloquentiâ, ſed remediis curari; hinc etiam Scriboniô Largô ipſum inferiorem judicant. Sed tuetur ipſius cauſam ſtrenuè Wedelius, quod quidem ex aliorum & præcipuè ex diſerti & expertiſſimi Coi forulis multa petierit, ipſe tamen experimentis factis doctrinam confirmaverit, unde

unde paſſim in præſcribendis remediis unum præfert, vel aliquid conducere abſolutè prædicat, quod ſine experientiâ facere non poterit. Imò ipſe Celſus diſertè in Præf. Lib. I. teſtatur, ad curandi rationem nihil plus conferre, quàm experientiam. At verò ſi etiam nihil egiſſet Celſus, niſi quod de ſe ipsô iterum profitetur, quod iſta, quæ per multa volumina perque magnæ contentionis diſputationes à Medicis ſæpè tractata ſint, ſine ambitione, quæ proxima verò videri poſſunt, media inter diverſas ſententia adſtruxerit, & in eum, quem exhibet, ordinem digeſſerit, ſatis ipſi debere artem profeſſos, certum eſt, & meritò Experientiſſimus Wedelius concludit, librum ejus quaſi artis Medicæ plenarium compendium haberi poſſe ſui temporis, ſummam ſapientiam ſpirans & experientiam. Quis igitùr de fructû dubitabit, quem ſtudioſi artis ex lectione ſui Celſi capiant. In noſtrâ, quam hic proponimus, editione meritò laudes commodam formam, typi chartæque nitorem, accuratam emendatæ editionis Cl. Almeloveenii, (qui olim luculentum commentarium promiſerat) deſcriptionem, cujus etiam diligentiæ debentur loca allegata in fine paginarum, ex quibus vel ſua hauſiſſe putatur Celſus vel ubi ab aliis idem argumentum pertractatum eſt, & tandem copioſum rerum & verborum indicem.

CENTANNIO (*Valerianus*,) Vincentinus, Galeni Libr. de Parvæ Pilæ exercitiô interpretatus eſt.

CEPHALUS (*Arioponus*,)

De eô extat

Mercurius triumphans, & Hebdomas Eclogarum Hermeticarum: unà cum Commentariis Acroamaticis & Myſticis. In quibus, de universâ, verâ, ſummâ & antiquiſſimâ Philoſophorum Medicinâ diſſeritur, Libris XVIII. Magdeburgi apud Joh. Franck, 1601. in 4.

CERASARIENSIS (*Tricaſtus*,) Mantuanus.

Ex eô habetur

Enarratio principiorum Chiromantiæ. Ex quâ facillimè patere poſſunt omnes ſignificationes quorumcumque ſignorum Chiromanticorum. Item chiromantia incerti Authoris. Operâ Balduini Ronſſei, *Gandavenſis*, in lucem edita; cùm ejuſdem in Chiromanticen brevi Iſagoge. Noribergæ, apud Joh. Montanum, & Ulricum Neuberum, 1560. in 4.

CERDA (*Emanuel de la*,) Ulyſſipon.

Ex eô habetur

De venenosô pulvere Mediolanenſi. Ulyſſip. 4. 1631.

CERETI (*Daniel*,) Brixianus. Medicus Doctiſſimus vixit ſæculo XV. Filius erat Baptiſtæ Cereti Medici, qui nomen habebat ſuum ab agrô Bergamæ vicinô; Panegyricum de patriâ, elogiumque virorum illuſtrium quos protulerat, edidit. Inter vivos adhuc erat anno 1470. Voſſius de hiſt. lat. l. 3. c. 10.

CERF (*Petrus le*,) Phil. & Med. D. Sereniſſimi Haſſiæ Principis Archiater & Phyſicus Darmſtadinus.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1695. pag. 16.

Tractatus de Febri Gallicâ. Francofurti apud Martin. Hermſtorff. 1694. in 4.

Occupatis hodie ſeculô in febrium naturâ inquirendâ Medicis, Nobiliſſ. Autor juſſus de morbis populariter graſſantibus h. t. ſcribere, malignam, à bellô adhùc durante & occaſione Gallicam nominatam, ſibi eruendam ſumpſit. Præmiſsô hinc diſcursû de ſanitatis & morbi eſſentiâ, febrim in genere motui lymphæ, ſanguinis & ſpirituum præternaturali, actiones lædenti, ſeu efferveſcentiæ, h. l. alcali Gallorum cum acidô ſanguinis Germanici, adſcribit,) fermentationi naturali ipſi habitæ, contrariæ,) ei quæ in glandulis potiſſimùm, lymphæ quidem, frigus, ſanguinis verò calorem cauſanti indeque ſubitam actionum læſionem. Hinc miaſmatum, & Gallici hujus naturam inveſtigat, impeditam ſpirituum tranſpirationem ſeorſim laudans, & cauſas è rebus naturalibus corporis conſtitutionem, diſpoſitionem ſpirituum & partium, aëris, ciborum & reliquorum non naturalium, ex præternaturalibus vermium rationem ſubjungit. Porrò ideam febris hujus ſiſtit è ſignis eruendam, præſervationem, diætam, quam in ſequentibus pertexit, additis remediis, illis titulis congruis. Inde prognoſin, hinc curationem methodô dogmaticâ proſequitur, ubivis interſperſis obſervationibus & cautelis practicis; ubi & de emeticis, venæſectione, usû volatilium & bezoardicorum aliorum, denique & de ſymptomatibus quibuſdam conſequentibus, petechiis, anginâ, linguæ paralyſi, veterno, agit.

CERMISONUS (*Antonius*,) natus Patavii, fuit ibidem Profeſſor ord. & Medicus omnium ſuâ ætate excellentiſſimus; Præceptorque Savanarolæ; claruit ſub Fridericô III. Cæſare. Obiit A. C. 1458. ut habet Juſtus in Chronol. Medic. vel, ſecundùm alios, A. C. 1467.

De eô extant

Conſilia Medica, numerô 153. contra omnes ferè ægritudines à capite ad pedes. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1503. in fol. Additis Conſiliis Gentilis aliiſque. Extant etiam cum Bartholomæi Montagnanæ Operibus ſelectioribus. Venetiis, apud Octavium Scotum, 1497. in fol. Lugduni apud Jacobum Myt 1525. in 4. Venetiis apud Caſparum Bindonum 1565. in fol. Francofurti ap. Palthenium, 1604. in fol. Noribergæ, 1652. in fol.

CERVIENSIS (*Theodoricus*,) Epiſcopus Cervienſis, Chirurgus, Ordinis Prædicatorum, vixit A. C. 1494. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Chirurgia ſecundùm Medicationem Hugonis de Luca. Venet. apud Octavianum Scotum 1490. ap. Bernardinum Venetum de Vitalibus, 1519. in fol. cum Chirurgiâ Guidonis, Bruni, Rolandi aliorumque; apud Juntas, 1546. in fol. cum Arte Chirurgicâ.

CERUTUS (*Benedictus*,) Veronenſis.

De eô extant

Muſæum Franc. Calceolarii Jun. *Veronenſis* incepit. Veronæ apud Angelum Tamum, 1622. in fol.

Epiſtola Medica. Extat cum ciſtâ Medicâ Johan. Hornungi, Norimbergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

CESALPINUS (*Andreas*,) Natus eſt Areti in Ital. In Academiâ Piſanâ diù Medicinam profeſſus: Fuit Archiater Pontificis Rom. Clementis VIII. & Peripateticus præſtantiſſimus. Obiit Romæ 1603.

Ex eô habentur

Κάτοπτρον, ſive ſpeculum artis medicæ Hippocraticum: ſpectandos, dignoſcendos, curandoſque exhibens univerſos, tùm univerſales, tum particulares totius corporis humani morbos: in quô multa

multa viſuntur, quæ à præclariſſimis quibuſque Medicis intacta prorsùs relicta erant arcana. Francof. apud Lazarum Zetznerum, 1605. in 8. Venetiis, apud Societatem Venetam, 1606. in 8. Tarviſii, apud Robert. Mejett. Venetiis, apud Societ. 1606. in 8. Tarviſii 1666. in 8. Argentorati, apud Georg. Andr. Dolhopſium & Joh. Eberhard. Zetznerum, 1670. in 8.

De Plantis, Lib. 16. Florentiæ, apud Georg. Mareſcottum, 1583. in 4.

Appendix ad Libros de Plantis. Romæ, 1603. in 4.

De Metallicis, Lib. tres. Noribergæ, apud Conr. Agricolam, 1602. in 4.

Quæſtionum medicarum Lib. duo.

De Medicamentorum facultatibus Lib. duo. Extant cum Quæſtionibus Peripateticis & Peripateticâ Dæmonum Inveſtigatione. Venetiis, apud Juntas, 1593. in 4.

CESTRENSIS (*Raſes*,)

De eô extant

Liber Luminum. Reperitur in Harmoniæ imperſcrutabilis Chymico-Philoſophicæ Decade primâ; ab Hermannô Condeeſianô collectâ, & editâ. Francofurti apud Conr. Eifridum, 1652. in 8.

Liber, qui dicitur Lumen Luminum, in expoſitione compoſitionis Alchymiæ. Extat in eôdem Opere pag. 93.

CHABRÆUS (*Dominicus*,) Medicus Genevenſis, qui Ebroduni in Helvetiâ ubi Medicinam cum maximâ laude exercebat obiit, paulò poſt medium ſeculi xvij.

Ex eô habentur

Augmentum Hiſtoriæ Plantarum univerſalis Joh. Bauhini. Extat cum Ejuſdem Bauhini Hiſtoriæ Plantarum univerſalis Tom. I. II. III. Ebroduni, 1650. in fol.

Stirpium Icones & Sciagraphia, cum ſcriptorum circa eas conſensû & diſſensû, ac cæteris pleriſque omnibus, quæ de plantarum naturâ, natalibus, ſynonymis, usû & virtutibus, ſcitû neceſſaria ſunt. Genevæ, apud Phil. Gamoneti, & Jacob. de la Pierre, 1666. in fol. Ibidem apud Samuelem de Tournes, 1677. in fol. Hæc Editio paulò alium nempè hunc habet Titulum; Omnium ſtirpium ſciagraphia & Icones, quibus Plantarum & Radicum tum in Hortis cultarum, tum in urbium foſſis & muris, Pratis, Arvis, Montibus, Collibus Nemoralibus, Fluviis, Riguis, & Littoralibus, Villis & Pagis ſpontè provenientium, Nomina, Figura, Natura, Natales, ſynonyma, Uſus & virtutes docentur. Cum Doctiſſimorum ſcriptorum circa eas conſensû & diſſensû.

CHACON (*Dionyſius Daza*,)

Ex eô habetur

De Chirurgiæ Theoriâ & Praxi, Tomis duobus compreh. Hiſpanicè & Latinè. Villadoli 1609. in fol. Matriti 1626. in fol.

CHÆREAS, Athenienſis. Ei tribuitur quod Carduo Sylveſtri virtutem adſcripſerit ſtomachum corroborandi & quòd vulvis id conferat ut mares gignantur.

CHALIN de Vinariô (*Raymundus*,) Monſpeſſulanus.

De eô extat

De Peſte Liber: purâ Latinitate donatus à Jacobô Dalechampiô. Lugduni apud Gul. Rovillium, 1552. in 16.

CHALMETEUS (*Antonius*,) Vergeſacus

Ex eô habetur

Enchiridion Chirurgicum, externorum morborum remedia, tum univerſaliá, tum particularia breviſſimè complectens. Quibus morbi Venerei curandi methodus probatiſſima acceſſit. Pariſiis, apud Andr. Wechelum, 1564. 1567. in 8. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1570. in 12. additâ Inſtrumentorum & Ferramentorum delineatione. Ibidem, apud Johan. Lertout, 1568. in 12. Hæc Editio, præter tutiſſimam Chalmetei Practicem, brevem externorum Morborum Theoriam complectitur: ut & Luis Venereæ brevem & dilucidam deſcriptionem, Methodicamque Curationem: nec non conciſos de Febribus ex probatis Authoribus collectos Tractatus quatuor: omiſsâ Inſtrumentorum & Ferramentorum delineatione. Patavii, apud Paulum Mejettum, 1593. in 4. & 1594. in 8. adjectis de Febribus ex probatis Auctoribus Lib. IV. Aureliæ, apud Petrum de la Roviere, 1621. in 8. Extat & cum Enchiridiô Practicô-Medicô-Chirurgicô incerti Auctoris. Aureliæ, apud Petrum de la Roviere 1626. in 8. Lugduni, apud Matthæum Berion, 1627. in 8. Genevæ, apud Petrum & Jac. Chouet, 1644. in 8. Ibidem 1659. in 8.

CHAMBRE (*Marinus Curæus de la*,] Regis Medicus ordinarius, natus in tractu Cenomanenſi, nomen quod ingeniô ſibi adeptus erat, eum Seguerio Cancellario clarum fecit; qui ipſum apud ſe habere voluit, non ſolùm uti præſtantiſſimum Medicum, verùm etiam uti Philoſophiâ, humanioribuſque litteris ornatiſſimum: Richelius Cardinalis cui paulò poſt inclaruit, ità & de eo cenſuit, magnique admodùm eum fecit, dum eum Academiæ Gallicæ, quam nuperrimè inſtituerat, ut decus futurum deſtinavit: locum in illâ etiam habuit initio anni 1635. ab eo tempore idem Cardinalis inter tam multos ſcriptores qui fortunæ ejus adhærebant eum prætulit, ut reſponderet Libro ſummoperè ſeditioſo, cui titulus erat *Optatus Gallus, de cavendo Schiſmate*: Jam varios atque optimos Tractatus ediderat noſter, perrexit etiamnum in publicandis iis quæ ab eo tenemus, quique famam non mediocrem Auctori ſuo paravêre, quorum præcipui extant; *Affectuum ingenia: Ars cognoſcendi homines: De notione brutorum: In Digeſtionem Conjecturæ: De Iride: de Lumine: Syſtema de Animâ: Effluvium Nili: Phyſices Ariſtotelis Converſio: De philoſophiâ Platonicâ: Uſus Aphoriſmorum &c.* Unam ex primis ut occuparet ſedem in ſcientiarum Academiâ, etiam electus eſt: Chriſtianô digniſſimâ morte vitam clauſit, annô ætatis 75. novembris 29. anni 1669. inhumatus eſt in Eccleſiâ Sancti Euſtachii; duos reliquit liberos, qui propriis meritis famam ejus tuiti ſunt: natu maximus, nimirùm Franciſcus de la Chambre, Reginæ Archiater erat. Alter, Petrus *ſcilicet* de la Chambre, Abbas fuit, unuſque è Sociis Academiæ Gallicæ; inter quos numeratus eſt, anno 1670. Medicinæ etiam aliquamdiù ſtuduerat.

De eô extant in Lind. Renov.

Novæ Methodi, pro explanandis Hippocrate & Ariſtotele, ſpecimen. Pariſiis, apud P. Rocolet 1655. 4. Quô in opere eſt I. Authoris ratio explanandi Aphoriſmos Hippocrat. per quam uſus aphoriſmorum ab Hippocrate intenti, nec tamen conſcripti aperiuntur. II. Nova ratio exponendi libros Acroamaticos Ariſtotelis; per quam tota illius mens clarè patet, & loca obſcuriora facilè intelliguntur.

CHAMEAU (*L.*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1683. p. 543.

Traitè

Traitè du ſcorbut par L. Chameau Docteur en Medecine.
ſive
Tractatus de Scorbutô. Autore L. Chameau Med. Doct. Londini, 1683. in 12.

QUantas in Angliâ latè ſtrages edat ſcorbutus tanquam morbus regioni huic præ cæteris endemius, cùm obſervâſſet tunc temporis Autor noſter Gallus, quando cum aliis Proteſtantibus ſic dictis religionis ergò patriâ relictâ eò ſe receperat, (licèt poſtquam fortunam minùs ſecundam Londini experiretur, Burdegalam repetere, ac ad Pontificios, quo praxin ibi Medicam liberè ſibi exercere liceret, tranſire haud dubitârit,) in gratam hoſpitii remunerationem, præſentem imprimi curavit libellum, quo ſuppetias quaſi ad ulteriorem ſcorbuti progreſſum inhibendum ferre nititur. Scorbutum ipſum non niſi ſanguinis diſſolutionem eſſe contagioſam, quæ diù multas corporis partes modò unâ vice, modò ſucceſſivè, afficiat male, arbitratur, cujus ortum à ſale acri & ſubtili proximè derivat, velut quod aut immediatè aut interveniente ſanguinis diſſolutione pathemata quævis ſcorbuticis familiaria gignat. Cur verò in Angliâ frequentiores dentur ſcorbutici, ac in Galliâ, & cur Angli levamen quoddam hujus mali in Galliâ perſentiſcant, Galli contra ſcorbutici in Angliâ evadant, ab Aëre potiſſimùm, vivendi genere, & demum conſuetudine, quæ cum ſcorbutô, jam infectis in Angliâ excolitur, deducit. Differentiam tandem ſcorbuti, prout hunc celeberrimus Medicus Anglus Williſius & cum eo plures alii Medici, in ſulphureô ſalinum & ſalinô ſulphureum diſpeſcunt, plauſibiliter ſatis refellit; in curâ nihilominus, nùm calor quidam præternaturalis, an verò obſtructiones conjunctæ ſint, animadvertendum adhuc eſſe præcipit, præ cæteris remediis (in quorum præſcriptione famigeratiſſimum Practicum Monſpelienſem Barbayrac, Præceptorem quondam ſuum preſsô pede ſequitur) imprimis Lac ceu veriſſimum Antiſcorbuticum extollens, acria vice verſâ tantum non penitùs velut noxia rejiciens.

CHAMICUS (*Joh. Brabus*,) Profeſſor Anatomiæ in Academiâ Conimbricenſi.

Ex eô habetur

De Capitis vulneribus Lib. Conimbricæ, apud Didacum Loureiro, 1516. in fol.

CHAPUSIUS (*Claudius*,)

De eô extat

De Infeliciſſimô ſucceſsû Cauterii potentialis brachiô applicati. Item de graviſſimô Tumore Brachio ex Cancrô Mamillæ progenitô, Obſervatio. Habetur cum Guil. Fabr. Hildani Obſerv. Chirurg. Cent. IV. Oppenheimii: apud Johan. Theod. de Bry, 1619. in 4. pag. 167. Francof. 1646. in fol.

CHARAS (*Moſes*) Uticenſis, peritiâ quam habuit in Pharmaciâ ſæculo XVII. clarus fuit. Arauſioni Artem ſuam coluit; unde Lutetiam petiit, atque per tractatum ſuum de Theriacâ, quam etiam coram Magiſtratibus, Regis Archiatrô, atque aliis à facultate Pariſiorum demandatis, præparavit, famam ſibi maximam conciliavit. Animum plurimum ad viperæ intuitum atque ad morsûs illius curam intendit, de viperâ itidem Tractatum evulgavit; Poëmate latinô Anatomicam ejus deſcriptionem comprehendente adauctum; quô per totam celebratus eſt Europam: deinde Chymicum curſum ut in hortô plantarum Regiô, perficeret electus eſt, quô munere per novem annos non ſine univerſali applauſû functus eſt; hujus ſtudii fructus fuit Pharmacopœa ſua Regia, Galenica & Chymica, in quaſcunque Europæ linguas; & quidem jam in Sinenſem pro Sinarum Imperatoris commodô verſa. Præſcripta circa annum 1680. adversùs reformatos emanata Charam noſtrum coëgerunt, qui hanc Religionem colebat, ùt ſe in Britannos reciperet, ibi honorificè à Carolô II. exceptus eſt, qui ad eum Cymbam immiſit ad mare trajiciendum. Per quinquennium ibidem vixit, Doctorque creatus eſt; Batavos inde adiit, Medicinam Amſterodami cum magnâ exiſtimatione fecit; Regis Hiſpanorum Legatus, in Regis ſui valetudine admodùm debili gaudente, ſubſidium, in Hiſpaniam venire eum voluit; at Inquiſitionem ille expavebat, Legatus verò metum ejus coercuit atque ei totique familiæ ſumtus Madritum uſque ſuppeditavit; ibi experimenta maxima in Viperas egit; pluresque diſſuaſit Magnates ab errore illô populari quod viperæ, duodecim circa Toletam leucis, venenô omni poſt morſum ſuum careant, quod diù ante hujus Civitatis Archiepiſcopus à poteſtate inficiendi, illas, quæ ſemel momorderint, privâſſet. Plura ſcilicet à *Charas* experimenta in diverſis animalibus peracta eos in contrariam ſententiam diverterunt: tandem Medicorum hujus Aulæ invidiâ ob excelſiorem quâ pollebat doctrinam, ad Inquiſitionem delatus eſt; & in Carcerem hujus Tribunalis juſsû conjectus, annos natus 72. quatuor ibi ſletit menſibus. Tandem poſt plura, tùm cum Theologis, tùm cum Inquiſitoribus Colloquia, qui eum ità facilè doctèque latinè loquentem mirabantur, patrum ſuorum ejuravit fidem, & Sacramenta confirmationis, pœnitentiæ atque Euchariſtiæ accepit. Filius ejus natû major paulò antè, inſciô patre, eandem Religionem profeſſus fuerat. Charas inde in Galliam reverſus, Regis ſalutationi admiſſus eſt, qui gaudium quoddam de converſione ejus demonſtravit. Non multò poſt in Regiam ſcientiarum Academiam adſcriptus eſt. Obiit 17. Januarii 1698. Natus annos 80.

De eô extat

Pharmacopœa Regia Galenica & Chymica; Gallicè ab Authore conſcripta, jam verò Latinitate donata. Tomus primus: ſecundus, tertius, continens Hiſtoriam naturalem Animalium, Plantarum & Mineralium, Theriacæ Andromachi compoſitionem ingredientium, cum Experimentis circa Viperas: additâ ſerie novorum experimentorum. Genevæ, apud Joh. Ludovicum du Four, 1684. in 4.

CHARENSIUS Toſettus, (*Ludovicus*,) Patavinus.

Ex eô habentur

Quæſtio, de tribus doctrinis ordinariis in univerſali, ſecundùm Galeni ſententiam. Venetiis, apud Octavianum Scotum, 1577. in fol.

Introductorium in artem medicam practicam. Ibidem apud eundem, 1515. in fol.

CHARICLES. Medicus arte inſignis, non quidem regere valetudinem Tiberii ſolitus, conſilii tamen copiam præbere. Is Gn. Acerroniô & C. Pontiô Conſulib. velut propria ad negotia digrediens & per ſpeciem officii manum Imperatoris complexus, pulſum venarum attigit; ac labi ſpiritum, nec ultrà biduum duraturum Macroni firmavit. Tacit. L. 6. *Annal.* C. 50. Hofm. T. j. p. 822.

CHARLETON (*Gualterus,*) Medicus Londinenſis longè celeberrimus.

Ex eô habentur

Spiritus Gorgonicus, vi ſuâ ſaxiparâ exutus, ſive, de cauſis, ſignis & ſanatione Lithiaſeos, Diatriba. Lugduni Batav. apud Elzevirios, 1650. in 8.

Exercitationes Phyſico-Anatomicæ, ſive Oeconomia animalis,novis in Medicinâ Hypotheſibus ſuperſtructa, &mechanicè explicata.Londini, ap.R. Danielis, & I. Redmannum, 1659. in 12. Amſtelodami, apud Joh. Ravenſteyn. 1659. in 12. Lugduni Batavorum,apud Petrum de Graef.1678. in 12. Hagæ Comitis apud Arnoldum Leers,1681. in 12. Huic poſtremæ editioni acceſſerunt Guilielmi Cole, de ſecretione Animali, cogitata, ad hanc Oeconomiam præcipuè ſpectantia.

Exercitationes Pathologicæ, in quibus Morborum penè omnium Natura, Generatio & Cauſæ ex novis Anatomicorum Inventis ſedulò inquiruntur. Londini, apud Thomam Newcomb, 1661. in 4.

Onomaſticon Zoicon,plerorumque Animalium differentias & Nomina propria pluribus Linguis exponens. Cui accedunt Mantiſſa Anatomica, & quædam de variis Foſſilium Generibus. Londini, apud Jacobum Alleſtry, 1668. in 4. Ibidem, apud eundem, 1671. in 4. Oxonii, 1678. in fol. min.

De ſcorbutô Liber ſingularis. Cui ſub finem acceſſit Epiphonema in Medicaſtros. Londini, apud Guilielmum Wells & Robertum Scotum 1672. in 8. Lugduni Batav. apud Felicem Lopez, 1672. in 12.

Inquiſitiones Medico-Phyſicæ de Cauſis Catameniorum, ſive fluxus menſtrui; nec non uteri Rheumatiſmô ſive fluore albô; in quâ etiam nervosè probatur, ſanguinem in animali fermenteſcere nunquam. Lugd. Batav. apud Petrum Vander Aa, 1686. in 12.

De eô prætcrea hæc in Actis Lipſienſibus annô 1684. p. 253.

Three Anatomic Lectures Concerning. 1. the Motion of the Bloud through the Veins and Arteries 2. the organic ſtructure of the Heart. 3. the efficient cauſes of the Hearts Pulſation, read by Walter Charleton M. D.

hoc eſt:

Tres Lectiones Anatomicæ, concernentes 1. ſanguinis per venas & arterias motum. 2. ſtructuram cordis organicam. 3. Cauſas cordis pulſationem efficientes: habitæ à Walterô Charleton M. D. Londini 1683. in 4. apud Walterum Kettelby.

INter ſcripta ter ſeptem, in lucem hactenùs ab Autore Clariſſimô emiſſa, Lectiones præſentes in catalogô, calci earum adnexô,ultimum locum occupant. Argumentum earum præ aliis *circularem ſanguinis Motum* evolvit,nō quaſi hic ab aliis nondum ventilatus ſit, ſed quemadmodum in præloquiô ediſſerit, ut in ejus cauſas,conditiones & circumſtantias, item rationem mechanicam de quibus illi nedum cogitârant, accuratiùs inquireret.Sicut autem ultro fatetur, ſe doctrinæ clarioris gratiâ demonſtrationes aliquot mechanicas *ex Joh. Alph. Borelli* ſcriptis eſſe mutuatum: ità ſi illæ propoſitiones, quas Autor de ſanguinis per arterias & venas circulô, hinc de cordis ſtructurâ organicâ, ac tandem de cauſis vibrationem illiûs præſtantibus exponit, cum *Borelli de Motû Animal. part.* 2. *cap.* 4. 5. & 6. conferantur, in iis dictorum Capitum maximam partem comprehendi conſtabit. Imo à Borelli hypotheſibus vix unquam recedere obſervatur Noſter, ſi ſanguinis fermentationem ejuſdemque cum ſuccô nerveô ebullitionem, pro fibrarum cordis pariter, ac reliquorum muſculorum motû peragendo excitatam excipias: quarum illam, in primô ſtatim hujus ſcripti limine, cum reliquis viſcerum fermentis particularibus, à modernorum nonnullis eum in finem excogitatis, ut per ea proprias partium actiones explicent, refellit; hanc verò à Williſiô primò inventam, in fine Operis, diverſis impugnat ratiociniis, ſolis ſucci nervoſi guttulis, poris fibrarum cordis rhomboidalibus inſtillatis, hoſque inſtar cuneorum dilatantibus, ſyſtolen hujus organi in acceptis referens. Ut proin dubitare liceat, utrum Nobiliſſimus hic ſcriptor Borelli Epitomator, an interpres, nuncupari debeat?

CHARRIERE (*Joſephus de la,*) Chirurgus Sabaudus, qui per plures annos Pariſiis vixit, & jam in Patriâ, Annecij commoratur.

Ex eô habentur in Actis Lipſienſibus ann. 1693. pag. 267.

Nouvelles Operations de Chirurgie &c.

i. e.

Novæ Operationes Chirurgicæ &c. Autore Joſephô de la Charriere. Pariſiis, apud Danielem Horthemels, 1692. in 12.

TAmetſi Autori noſtrô Syntheſis, Diæreſis, Aphæreſis & Protheſis operationum chirurgicarum quatuor tantùm ſumma ſint genera; ſpeciatim tamen operationes Chirurgicas, unà cum morborum naturâ & cauſis, nec non medicaminum operationibus, exponens, eum potiùs ordinem, qui Pariſiis,Medicorum pariter atque Chirurgorum ſcholæ familiaris quidem eſſe ſolet, multas nihilominùs operationes negligit, obſervat. Etenim poſtquam paucis indigitavit, quæ Chirurgus circa hominis operam ſuam poſtulantis temperamentum, diſpoſitionem ac partem affectam noſſe debeat, mox à *futuris* incipit. Hinc ad operationes, infimô, mediô & ſupremô ventri dicatas, *Paracenteſin* videlicet *abdominis, Chirurgiam herniarum, phimoſeos, & paraphimoſeos, Lithotomiam, inciſionem fiſtulæ anûs, Paracenteſin thoracis, Cancri extirpationem, Bronchotomiam, Chirurgiam fiſtulæ lachrymalis & polypi, cataractæ depoſitionem atque Trepanationem* progreditur, in operationibus demùm iis, quæ artubus imprimis debentur, ac *aneuriſma, artus amputandos, panaritium & ventoſarum uſum* reſpiciunt, finiens. Suturarum ſpecies nonniſi tres edocet utiles, nempe interſciſſam tum ſimplicem, (*entrecoupée;*) tum quæ vel ſpleniis ſimul vel pennis adhibitis peragitur, Galliſque *enchevillée & emplumée* denominatur; ac intortam (*entortillée*) labiô leporinô uniendo appropriatam. Specialius tendines quoque quâ ratione conſui filumque ſupra ſplenia firmari debeant, cum aliis circumſtantiis ſuggerit; gaſtroraphiæ autem vice in vulneribus abdominis futuram itidem interſciſſam ſimplicem,duplici ſaltem acû filum per utrumque vulneris labium extrorsùm ducente peragendam, commendat. In abdominis paracenteſi adminiſtrandâ lanceolæ, aliis quæ placet, acum parvam triangularem cannulâ ſtipatam & *trocar* à Gallis dictam, meritò præfert. Sectionem enteroceles circumſpectè aggreditur, incidendo ſcrotum juxta femur ſecundùm tumoris longitudinem, uſque dum inteſtinum appareat; tum ſeparando hoc cautè,

ubi

ubi adhæreſcat ; pergendo denique ad annulos in muſculorum obliquorum tendinibus conſtrictos ſucceſſivè diſſecandos, quo ſpatium reponendi inteſtinum prolapſum habeatur. Teſticulum quippe per caſtrationem haud excindit, niſi vel inteſtinum teſticulo nimium adnatum, vel teſticulus ipſe inſigniter aut contuſus, aut varicoſus fuerit, vireſque Medicamentorum reſolventium eluſerit omnes. In hydrocele totum ſcrotum ſi occupet, paracenticam adhibet acum ; ſi verò in vaginali tantum teſticuli tunicâ unius plerumque lateris hæreat, cauteriô potiùs potentiali, quàm lanceola, nè puncturâ lædatur teſticulus, utitur, operationem tamen omnem, niſi fons remediis appropriatis exſiccetur, fruſtraneam pronuncians. Quam minori apparatû nonnulli perficere audent Lithotomiam, ceu inteſtinum rectum, cum veſicâ valdè lædentem, prorſùs rejicit. Pro thorace perforando locum ſecundam inter & tertiam coſtam veram, numerationis initium ab inferioribus coſtis ſumendo, ad quatuor digitorum ab inferiori ſcapulæ angulô & totidem à ſpinâ diſtantiam, ſeligit. Rationem autem operandi tradens, integumenta ſecundùm longitudinem & per transverſum muſculi dorſi longiſſimi fibras : quod foramen aliàs pleuræ inflictum obturent, eâdemque ratione muſculos intercoſtales in mediô pro fiſtulâ evitandâ, jubet incidere. Pleurâ tum apparente, ſcalpellum digitô cautè dirigendum, minùſque profundè, ne pulmones aut diaphragma lædantur, eſſe adigendum : digitum denique ipſi thoracis cavo immittendum, ut inciſio æquè dilatetur, atque pulmones & diaphragma repellantur, ubique adhæreant, ſeparentur. Cancrum extirpandi duplicem ſiſtit modum, vulgatum alterum, alterum proprium, quô carnem Cancroſam à cute, in crucis formam priùs inciſa, ſollicitè removet. Cranio per trepanum apertô, nares atque os vulnerati obturare ac exſpirationem cohibere præcipit, quo ſanguis duræ matri incumbens ope diaphragmatis & pulmonum expellatur. Si aneuryſma aperiendum vel artus amputandi veniant, id vinculi genus, quod torculari [*tourniquet*] pro lubitû conſtringitur, aptat. Ventoſarum & hirudinum uſum nihili faciens, venæſectionem aut diaphoreticum qualecunque illis, his verò in hæmorrhoidibus remedia emollientia & reſolventia longè anteponit. Tandem in generali vulnerum ideâ, operationibus hiſcè adnexa, fideliter Chirurgum ; quomodò tùm in vulneribus cæſim punctimque inflictis, tum in tendinum, ligamentorum & oſſium, necnon ſclopetorum vulneribus ſe ſe gerere debeat, inſtruit : quô autem ſæpiùs ſucceſſû affectuum naturam & cauſas vireſque remediorum evolvat ; præſertim ubi Chymiam in ſubſidium vocat, noſtrum meritô judicium ſuſpendimus, utpote de ipſis hactenùs operationibus magis ſolliciti.

Ibidem, *Ann.* 1703. *p.* 467.

Anatomie nouvelle de la Tête de L'Homme &c. i. e.

Anatomia nova Capitis Humani &c. Autore Joſephô de la Charriere, Medicô-Chirurgô. Pariſiis apud viduam Danielis Hortemels, 1703. *in* 12.

INtegram meditatur Anatomiam Vir Clariſſimus, qui ante duo Luſtra *Novas Operationes Chirurgicas*, à nobis annô 1693. menſe Juniô pag. 267. recenſitas edidit, cujus partem primam, primum corporis ventrem continentem, jam exhibet. Quoniam autem hic, præter partes ſibi proprias, etiam ex talibus conflatur, quibus nec reliqua vel membra vel viſcera deſtituuntur, in his explanandis ità ſe gerit Noſter, ut generalem de iſtis ideam Lectoribus communicet. Orditur verô ſuum tractatum ſtatim à motibus capitis, pro cujus ſemicirculari potiſſimùm motû perficiendo, ſingulare Naturæ artificium celebrat. Factâ tum partium caput conſtituentium diviſione, cuticulæ, cutis, pinguedinis, ſalivæ, & muſculorum, naturam & uſum explicat. Quemadmodum autem muſculos pro faſciculô fibrarum membranâ quâdam, ex quâ omnes exiliores fibræ membranoſæ reliquis fibris motum præſtantibus intertextæ originem ducunt ; involutô habet : ità exiſtimat, quamprimum muſculi venter intumeſcit, membranam hanc plus minùs tendi, hinc fibras membranoſas versùs principium ſuum moveri, ſicque fibras carneas à centrô ad circumferentiam pro contractione præſtandâ cogi, omnemque motûs muſcularis vim in eô conſiſtere, ùt hæ duplicis generis fibræ ſibi invicem cohæreant, vireſque conjungant. Reſpirationem verò motum mixtum, i. e. partim voluntarium, partim involuntarium vocare dubitat, utpote quæ abſque vitæ jacturâ ſufflaminari diu neutiquam poſſit, & potius ab aëre, quem inſpiramus, quàm à muſculis pneumaticis perficiatur : quapropter merè involuntariam eam pronuntiat. In ſpecie tum capitis muſculos recenſet, & pericranium examinat. Accuratam dein oſſium formandorum rationem init, eorumque prima ſtamina in ovô latere putat. Cùm enim omnes partes ſolidæ ſint faſces exiliſſimorum filorum perforatorum, & contextum infinitorum vaſculorum, exinde ſequi dicit, canales illos, qui oſſa conſtituunt, eſſe continuationes fibrarum, reliquorumque vaſorum, quæ tendinem formabant, eôdem modô, quo tendines ex muſculis, hi ex nervis propullulant. Duritiem denique oſſium à dilatatione canalium, ſubtilitate ſucci ſalini, pondere partium prementium, & teneritudine fibrarum derivat. Nec in illorum concedit ſententiam, qui oſſa medullâ aut ſuccô nerveô nutriri adſtruunt, ſed quoniam natura univoca ſit in omnibus ſuis operationibus, oſſa eôdem ſuccô, quô muſculi & tendines, nutriri probat. Poſtquam igitùr oſſium medullam, partes, cavitates & articulationes conſideraverat, ad capitis oſſa revertitur. Quibus quoad ſingulas partes examinatis, cerebrum evolvit, cujus fibras medullares concavas eſſe, prolixius probat. Eôdem modô & cerebellum & medullam oblongatam examini ſubjicit. Quemadmodum autem cerebrum, omnium conſensû, pro ſpiritibus animalibus elaborandis formatum eſt : ità Noſter, ejus uſum dum commemorat, mechaniſmum naturæ pro ſecernendô ſubtiliſſimô ex ſanguine liquore, tàm animæ & corporis functionibus, quàm generationi impendendo, maximoperè deprædicat. Hinc in pneumatoſi ad varias triturationes attendendum eſſe monet, quas ſanguis patitur, antequam depuratos ex ſuô dimittat ſinû ſpiritus. Primam triturationem ſubit in dextrô cordis ventriculô, dum hìc ſe conſtringit, & contentum fluidum in arteriam pulmonalem propellit ; alteram in arteriâ pulmonali quæ ceſſante cordis motû, ſanguinem pulmonibus inſinuat ; tertiam in pulmonibus, dum in inſpiratione aër ei admiſcetur ; quartam in iiſdem pulmonibus, dum in exſpiratione iterùm conquaſſatur, & per venam pulmonalem cordi redditur ; quintam in corde dum hujus contractione majori impetû in arteriam magnam injicitur ; ſextam

tam in arteriâ aortâ, carotidibus & vertebralibus, & ultimam in vaſis capillaribus. In cerebrum hâc ratione delati ſpiritus cum ſanguine triplici modô præparantur; in corticali enim ſubſtantiâ formantur, in medullari ſubtiliſantur, in protuberantiis medullæ oblongatæ poliuntur. De ſede, facultatibus & paſſionibus animæ dum agit, multus in refutandô Carteſiô eſt, ad nervos tùm pergit, quorum originem & uſum tradit, ſenſuum organa deſcribit, & modum, quô perficitur ſenſatio, explicat; ubi inſimul, quæ ad doctrinam opticam ſpectant, in compendiô enucleata inveniet Lector benevolus.

CHARSTÆDIUS (*Valerius,*) Stetinenſis Pomeranus.

Ex eô habentur

Diſputationes Medicæ tredecim, in auguſtiſſimâ & perinclytâ Argentoratenſium Univerſitate, conſenſû ampliſſimæ Facultatis Medicæ, propoſitæ. Argentorati, apud Joſephum Richelium, 1626. in 4. Ibidem, 1634. in 12.

Synopſis univerſæ Medicinæ dogmaticæ, brevi & perſpicuâ methodô in duodecim Diſputationibus adumbrata. Argentorati, apud Eberhardum Welperum, 1634. in 12. Ibidem, 1678. in 4.

CHARTARIUS (*Joh. Ludovicus,*) Bononienſis.

Ex eô habentur

Conciliationes dilucidæ omnium Controverſiarum in 11. Ariſtotelis Lib. de Generatione & Corruptione. Bononiæ, apud Johan. Roſſium, 1595. in 8.

CHARTERIUS (*Renatus,*) Vindecinus.

Barthol. Perdulcis Univerſam Medicinam primùm edidit.

Hippocratis & Galeni Opera, Græcè & Latinè conjunctim edidit, plurima interpretatus, univerſa emendavit, inſtauravit, notavit, auxit atque omnia in XIII. Tomos digeſſit. Lutetiæ Pariſ. 1639. in fol.

Ludov. Dureti ſcholia, ad Jac Hollerii Lib. de Morbis internis recenſuit & publicavit.

CHARTIERUS (*Joh.*)

Ex eô habetur

Scientia Plumbi Sacri, ſeu Cognitio rararum poteſtat. ac virtutum Antimonij. Extat in Vol. VI. Theat. Chimici.

CHATEL (*Petrus du,*) Grandimontii in Flandriâ natus, anno 1585. Celebris inter Medicos fuit: ſtudiis poſteaquàm animum addixiſſet, tum Montibus, tum Duacis, tum Aureliis, tum Lovanii, Doctoratûs inſignia hoc in ipſo ultimo Oppido accepit, anno 1618. Linguas, politioreſque litteras callebat; quædam etiam opera reliquit, qualia ſunt De Græcorum geſtis; Vitæ illuſtrium Medicorum &c. annô obiit 1632. *Valerius Andreas in Biblioth. Belg.*

CHEMNITIUS (*Johann.*)

De eô extat

Index Plantarum circa Brunſvigam trium ferè milliarium circuitû naſcentium: cum Appendice Iconum. Brunſvigæ, apud Chriſtophorum Fridericum Zilligerum, 1652. in 4.

CHESELDEN (*W.*) Chirurgus Soc. Reg. Socius.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1714. pag. 483.

The Anatomy of Humane Body, &c. i. e.

Anatomia Corporis Humani, Figurarum, Potiores partes ad vivum adumbrantium, Viginti tribus Tabulis æneis illuſtratâ; Londini, ap. Wilh. Innys & reliquos, 1713. 8.

Autor præſentem Anatomen in uſum edens eorum, qui ipſi in Medicinâ & Chirurgiâ proficere annituntur, ſtudiô non ſolùm varias ſubtiliores, minùs neceſſarias, diviſiones omiſit, ſed & iis præcipuè partibus, quæ figuram & ſitum conſtantem ſervare ſolent, ſuam impendit operam. Cùm verò vix quicquam abſurdius videatur, quàm unam partem deſcribere per alteram nondum deſcriptam & cognitam, ideò ab oſſibus auſpicatur, quòd ſine hiſce muſculi nequeant intelligi; eâ tamen ratione *in Lib.* I. oſſa pertractat, ut ſimul de Cartilaginibus, ligamentis & juncturarum glandulis lubricantibus ſit ſollicitus. Hinc *in Lib.* II. ad muſculos tantò magis progreditur, quantò minus abſque eorum cognitione vaſcula deſignari valeant, quæ per illos feruntur. Tùm *in Lib.* III. viſcera cum integumentis tali methodô explanat, qualis potiſſimùm ad œconomiam animalem cognoſcendam poſſit conducere, utpote præter integumenta communia & membranas, diſtinctis capitibus glandulas ſalivales, omentum, ductum alimentorum, & meſenterium, hepar, folliculum fellis, pancreas & Lienem, vaſa lactea, pulmones, pericardium & cor, arterias & venas, vaſa lymphatica glandulaſque concomitantes, meningem duram & piam, atque cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam & ſpiralem, exhibens. In *Lib.* denique IV. circa urinæ & generationis in utrôque ſexû organa, fœtum in uterô degentem, atque oculos & aures occupatur, tum huic, tùm reliquis Figuras ſubnectens, quæ partes deſcriptas ad vivum repræſentent, hinc inde autem Obſervationes proprias interſpergens, è quibus ſequentes ſuffecerit appoſuiſſe. In duobus nempe corporibus à ſe diſſectis collum oſſis femoris fractum detexit, ob quam fracturam per abbreviatus occaſionem dederit femur luxatum falsô conjiciendi. In fœminâ, à tumore aliquô ſuffocatâ, per anatomen deprehendit, quomodo talis tumor verè ſcirrhoſus 26. unciarum pondere in alterô latere à ſternô uſque ad glandulam parotidem extiterit protenſus. Tanſillas ſcirrho affectas haud omnes cenſet extirpandas, quô aliqua eorum portio relicta cibum maſticatum in pharyngem adhuc queat dirigere. In ſubjectô muliebri tres aliquandò lienes, in virili autem hepatis molem, 14. libras & 4. uncias adæquantem, pariter annotavit, ac in alio ex icterô denatô ductum choledochum communem à pancreate ſcirrhoſô compreſſum, è diversô bilis folliculum, ductus felleos & cyſt-hepaticos multum dilatatos. In muliere ab hydrope extinctâ ſemilunares aortæ valvulas lapide calcariô vidit opertas, hydropem eatenùs poſt ſe relinquente, quatenùs earum munere ſic ſublato ſiniſter itidem cordis ventriculus à ſanguine hunc nimium replente, nimiumque diſtendente, in contractione ſuâ fuerit impeditus. In non nemine, qui cum guttâ ſerenâ vivere deſiit, omnes cerebri ventriculi lymphâ turgidi apparuerunt, ac thalami nervorum opticorum, nervique optici, dùm è craniô elabuntur, ad planitiem compreſſi. De cæterô in Præfamine Noſter operam, à D. Douglas Anatomicô & Green atque Ferne Chirurgis ſibi præſtitam, gratus extollit, variaſque Figurarum Tabubas non minùs, ac exactiorem muſculorum deſcriptionem laudato Douglas fert acceptas. Quemadmodum verò Librorum contenta & introductio-

troductionem, conſtitutivarum corporis animalis partium definiendarum gratiâ, præmiſit, ità ſyllabum ſive indicem humani corporis partium, anatomicum ſub calcem adjecit, in 35. Prælectiones diſtinctum.

CHESNEAU (*Nicolaus*,) Maſſilienſis.

Ex eô habentur

Obſervationum Libri quinque: Quibus acceſſit ordo remediorum Alphabeticus: ad omnes ferè morbos conſcriptus. Sicut & Epitome de Naturâ & viribus Luti & Aquarum Barbotanenſium. Pariſiis, apud Fridericum Leonhard, 1672. in 8. & editio nova, Lugduni Batav. ap. Theodorum Haak, 1719. in 4.

CHICOTIUS (*Johannes*,)

Ex eô habentur

Epiſtolæ & Diſſertationes Medicæ de Annô & anni tempeſtatibus. De purgandi ratione. De Rheumatiſmô. De Variolarum & Morbillorum ortû, cauſis & curatione. De Dolore. De ſomnô & Vigiliâ. De Melancholiâ morbô. Acceſſit Manuductio ad Medicinam faciendam. Pariſiis, apud Carolum du Meſnil, 1656. in 4. Ibidem, apud Emanuelem Langlois, 1669. in 8. Cui poſtremæ editioni auctiori emendatiori ſub titulô poſteriorum cogitationum acceſſit, præter Epiſtolam de Colerâ morbo, Diatriba de Aſthmate, ſeu, ſuſpirioſô anhelitû.

CHIFFLETIUS (*Johannes*,) Patricius, Conſularis & Archiater Veſontinus, Civis Roman. Johannis ibidem Archiatri fil. Antiquarius inſignis, in Patriâ Gubernatoris quoque munere diu functus, Iſabellæ tandem Claræ Eugeniæ à Conſiliis Medicis fuit. Auctor *Dædalmatum Lib. 2. Veſontionis illuſtratæ, obſervationis de locô legitimô Conſilii Epaunenſis, Lachrymarum in exequiis Alberti Principis, Portus Jecii Jul. Cæſaris demonſtrati &c. Floruit* A. C. 1630. Franc. Sweertius *Athenis Belg.* Hoffm. Dict. T. j. p. 832.

Ex eô habentur in Lind. Renov.

Singulares, tam ex Curationibus, quàm Cadaverum ſectionibus, Obſervationes. Extant cum Dædalmatis Fil. Joh. Jacobi Chiffletii. Pariſiis, apud Joh. Richer, 1612. in 8.

CHIFFLETIUS (*Joh. Jacobus*) Natus Veſontii in Italiâ A. C. 1588. Patre Johanne Chifletio, Patricio, Conſulari, & Archiatrô Veſontinô. Dum varias Europæ provincias ad luſtrandas Antiquariorum Pinacothecas & illuſtrium Virorum Bibliothecas peragravit, ubicunque vixit, Principibus, Magnatibus & Litteratis omnibus charus fuit. Redux in patriam 1614. Archiater Civitatis in Parentis locum ſuffectus, omnibuſque Reipubl. honoribus auctus, ipſôque etiam Gubernatoris munere per multos annos functus cùmque tandem ab Imperiali ſuâ Civitate ad Sereniſſ. Principem Iſabellam Claram Eugeniam delegatus eſſet, ab eâ in Palatii ſui interiora, Medici cubiçularii titulô, admiſſus eſt.

De eô extant

Aſitiæ in puellâ Helveticâ mirabilis Phyſica exſtaſis. Veſontione, apud Nicol. de Moingeſſe, 1610. in 8.

Dædalmatum Libri duo priores. Pariſiis, apud Johan. Richer. 1612. in 8.

Acia Cornelii Celſi, propriæ ſignificationi reſtituta: Alphonſus Nunnez, Regius Archiater defenſus. Antverpiæ, apud Balth. Morettum 1633. in 4.

Pulvis Febrifugus Orbis Americani. Pariſiis & Lovanii, 1653. in 4. & 8.

CHIOCCUS (*Andreas*) Veronenſis.

Ex eô habentur

Quæſtionum Philoſophicarum & Medicarum, Lib. tres. Veronæ, apud Hieron. Diſcipulum, 1593. in 4. Venetiis, apud Societat. Venetam, 1604. in 4.

Pſoricon, ſeu de ſcabie, Libri duo; in quibus de contagii naturâ, ſiderum vi & Thermis Chalderianis, agitur, carmine ab Auctore conſcripti. Veronæ, apud Hier. Diſcipulum, 1593. in 4.

Commentarius Quæſtionum quarumdam de febre mali moris & de morbis epidemicis. Item, Diſputatio de ſectione venæ in obſtructione ab humorum qualitate. Venetiis, apud Societatem, 1604. in 4.

De Collegii Veronenſis illuſtribus Medicis, & Philoſophis qui vel ſcribendo, vel publicè profitendo Collegium, Patriam, & bonas litteras illuſtrârunt, ex quorum moribus & inſtitutis, præceptiſve perfecta optimi Medici Idea colligi poteſt. Veronæ, apud Angelum Tamum, 1623. in 4.

Muſæum Franciſci Calcolarii, Jun. *Veronenſis*, à Benedictô Cerutô inceptum, luculenter deſcripſit & perfecit. Veronæ, apud Angelum Tamum, 1622. in fol.

CHILIAN (*Balthazar*,)

Ex eô habetur

Obſervatio, de Monſtroſô fœtû. Extat Epherid. Acad. Nat. Curios. Germ. Decur. II. Ann. I. N. 143.

CHIRAC (*Petrus*,) Medicus & Profeſſor Monſpelienſis celeberrimus, & poſtmodum Regis Galliarum Archiater digniſſimus.

De eô habetur in Miſcell. Nat. Cur. Decur. 2. Ann. 4.

Obſervatio 125. De Experimentô Anatomicô circa naturam Vomitionis.

Experimentum nuper feci circà naturam Vomitionis explorandam, quod clarè, ut opinor, patefacit actionem ventriculi in vomitû nullatenus eſſe in contenta ejus; dedi Cani in offâ panis mercurii ſublimati corroſivi ʒj. quam mox poſteà evomuit cum incredibili vomendi conatû ulteriori, tùm temporis ipſi abdomen aperui ſc. muſculorum rectorum longitudinem, quô citò obſervarem quid in ventriculô fieret, verùm nullatenus obſervare datum motum adeſſe aliquem in ventriculô extraordinarium, motus enim periſtalticus leviter ac confusè ſaltem apparuit, cum contractione fibrarum ità debili & parvâ, ut quamvis nil eſſet in capacitate ventriculi (jejunô enim ventriculô ipſi bolus exhibitus erat) ille tamen inde capax eſſet ſe vel ad vigeſimam partem conſtringendi prout fieri deberet ad evacuationem ejus per orificium vel ſuperiùs vel inferiùs; intereà tamen temporis inanis vomendi conatus ſæpiùs recurrebat; unde ulteriùs mecum conſtitui ventrem apertum conſuere, relictô non niſi exiguô foramine ad experiundum digitô immiſſô quid ibi peragеretur; hôc factô continuatiſque in cane vomendi conatibus; nulla contractio in fibris ejus obſervanda fuit, ſed ſolummodô quòd ventriculus eſſet planus ob preſſionem viſcerum ad inferiora ex motû diaphragmatis & conſtrictione muſculorum abdominis, vel ut verbo dicam, eô tempore quô vomebat canis nulla omninò erat

erat contractio; tùm ergo de novô ventrem aperui, rursùſque aliquoties dictô modô clauſi, nullis apparentibus indiciis alicujus conſtrictionis fibrarum ventriculi ad ejicienda contenta in eô foràs per orificium vel ſuperiùs vel inferiùs.

De eôdem prætereà habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1696. *p.* 435.

Extrait d'une lettre ecrite à Mr. Regis &c. i. e.

Excerpta ex litteris ad Dominum Regis, unum ex illis quatuor, quibus cura Ephemeridum Eruditorum injuncta eſt, de pilorum ſtructurâ perſcriptis; à Dn. Chirac, Conſiliariô Regis ac Profeſſore Medicinæ Monſpelienſi. Monſpelii, apud Gontierum; 1688. *in* 12.

CHMIELECIUS (*Martinus,*)

Ex eô habentur

Epiſtolæ Medicæ. Extant cum ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

CHOMEL (*Franciſcus,*) Annonæenſis.

Ex eô habentur

Obſervationes Medicæ. Exſtant cum obſervationibus Laz. Riverii. Londini, apud Milonem Fleſcher, 1646. in 8. pag. 356.

CHOUL (*Johannes du,*)

De eô extat

De variâ quercûs Hiſtoriâ. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1555. in 8. Acceſſit Pilati Montis deſcriptio.

CHRISTIANUS.

Ex eô habetur

De Auri optimâ confectione. Extat Græcè; apud D. Johannem Elichmannum, Medicum Leidenſem.

CHRISTIANUS (*Andreas*) natus Ripis Cimbrorum Annô Chriſti 1551. Patre Chriſtianô Severinô Chriſtiano. Wittebergæ Philoſophiæ Magiſter, & Baſileæ Medicinæ Doctor creatus: exactôque decenniô, Haffniæ Medicinæ Profeſſor, conſtitutus eſt; quâ in ſtatione 17. annos verſatus, ad Præfecturam Sorenſem Reg. Maj. juſſû proceſſit. Soræ vixit magnô ſcholæ commodô per annos 5. ubi dolore lateris obiit Annô Chriſti 1606. ætatis ſuæ 55.

De eô extat

Enchiridion medicum de cognoſcendis, curandiſque externis & internis humani corporis morbis, ex Vict. Trincavellii Prælectionibus de compoſitione medicamentorum, atque morbis particularibus, confectum. Baſileæ apud Oporinum 1583. in 8. Ibid. apud Ludov. Köning 1607. in 8. Cui acceſſit Tractatus de Febribus, decerptus ex ejuſdem Victoris Trincavellii Prælectionibus ac Commentariis ſuper Galenum de differentiis febrium, & Librum primum curativæ ad Glauconem, operâ Joh. Friderici Werdenbergii

CHRISTIANUS (*Wolffgangus*) Bernenſis, Med. Doctor.

Ex eô habetur

Theſaurus Ludovicianus, ſive compendium Materiæ Medicæ ſelectum, ex B. Ludovici Pharmaciâ moderno ſeculo applicandâ, & editum olim ab Anonymô, Francof. ad Mœnum; nunc autem denuò recenſitum exactiſſimè; Notis, Doſibus, & Indicibus neceſſariis illuſtratum. Operâ & ſtudiô Wolffg. Chriſtiani, M. D. Bernæ, ſumptibus Nic. Em. Halleri & Socior. 1707. 12.

CHRISTIERNUS (*Johannes.*)

De eô extant

De variis Morbis. Schleſw. 4. 1596.

Quâ ratione vita inſtituenda tempore Peſtis, Schleſwig. 12. 1578.

CHRISTINUS à Juvellinâ (*Bernhardinus,*) Cyrnæus.

Ex eô habentur

Inſtitutiones Medicæ, & Regulæ, Conſultationes & Obſervationes. Quibus acceſſerunt Centuriæ quinque Curationum Morborum: Tractatus de Lue, ſeu, de Morbô Venereô: de Febre Peſtilentiali: cum brevi Romæ contagii narratione: & Aſtrologicus ad Medicinam pertinens. Præmittuntur Arcana Lazari Riverii ab eodem Autore primùm edita. Venetiis, apud Bartholomæum, Tramontinum, 1676. in 4.

CHROSCZIEYOIOSKII (*Johannes*)

Hieron. Mercurialis, de Morbis Puerorum Tractatum, in tres Libros digeſſit, & edidit.

CHROUET (*Warnerus*) M. D. Transmoſanus.

De eô extat

Diſſertatio Medico-Phyſica de trium oculi humorum aliarumque ejus partium origine, naturâ & formatione mechanicè explicata; Leodii, apud Guihelmum Henricum Streel, 1688. in 8.

CHRYSÆUS (*Bartholomæus*)

De eô extat

Epiſtola Medica ad Abrah. Seyllerum. Habetur eô in Opere quod Laur. Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. pag. 84.

CHRYSIPPUS Vid. Crysippus.

CHRYSOGONUS (*Fridericus,*) Jadertinus.

Ex eô habetur

De modô Collegiandi, Prognoſticandi, & Curandi febres, nec non de humanâ felicitate, ac denique de fluxû & refluxû maris, lucubrationes. Venetiis apud Joh. Ant. de Sabbio, 1528. in fol.

CHUDEN (*Fridericus*) Phyſicus Provincialis in veteri Marchiâ & Collegii Medici, Berolinenſis Adjunctus.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1727. *p.* 525.

Methodus nova præſervandi & curandi Atrophiam ſeu Maciem Infantum: Lipſiæ ſumptibus Erneſti Henr. Campen, Bibliopolæ vet. March. ſoltquellæ; excudebat Chriſtianus Schuſter, 1726. 4.

IN cauſas atrophiæ infantilis ante inquirit Autor Clariſſ. quàm novam ſuam eidem medendi methodum exponat. Silentio autem præterit nimiam, voracitatem, panem calidum, potum nocturnum & alia eſculenta ac fœculenta, quæ infantibus obtruduntur, vel conceduntur, quæque concoctionem & aſſumptorum reſolutionem impediunt, ut potè quæ ablactatis nutritionem, retardant vel abolent, in eô ſolùm occupatus, ut inquirat quare infantes ſtatim primis menſibus à partû, nullum incrementum capiant, ſed potiùs marceſcant. Flocci etiam pendit cauſam ſupranaturalem, incantationem ſcilicet, cùm iſta opinio

nio multis tenebris adhuc ſit involuta : Pro genuinâ potiùs allegat causâ primariò inſenſibilem tranſpirationem in uterô cohibitam, & collectam inde in poris cutis materiam mucidô-viſcidam, quæ quò diutius ibidem ſtagnat, eò magis tenellum corpus deſtruere & ad obſtructiones glandularum & infimi ventris cruditates coacervandas apta eſt; ſecundariò verò glandularum meſenterii occluſionem. Haſque viſcidas impuritates idem eſſe putat, quod alii per vermes, crinones vel comedones dictos explicare malunt. Hinc in Therapiâ tam præſervatoriâ quàm curatoriâ unicum atque præcipuum remedium erit, ùt ſordes iſtæ in poris cutis hærentes removeantur, motuſque tranſpiratorius liber reſtituatur, ac ut infarctus glandularum ductuumque lacteorum quantocyus tollatur, Chyloque alibili liber tranſitus concedatur. Præſervatio obtinetur ſimpliciſſimâ methodô, Authori per quinque luſtra nullô non tempore probata, atque conſiſtit in balneorum uſû repetitô, imprimis tertiâ, quartâ, ſextâ hebdomade à partû inſtituendo. Novam hanc vocat methodum. Quanquam enim Authores tantum non omnes balnea commendent, faciunt tamen hoc non tam præſervationis quàm curationis gratiâ, alio etiam & à Noſtri methodô alienô eadem adornant modô. Suadent ſcilicèt iſti balnea aquæ dulcis, cui parùm mellis additum, ut crinones, ſeu vermiculi, quos credunt, dulcedine allecti, capita per poros cutis exerant, & vel cultrô vel novacula vel cruſtâ panis extrahantur & abradantur. Adornatur verò illa ſequenti modo : Paratur balneum ex herbis nervinis & emollientibus, v. g. meliſſæ, chamomillæ, ana Manip. jjj. & roſmarini Manip. j. Aquâ virtute harum herbarum impraegnata tepido--calida vaſi ligneo oblongo infunditur tunc obſtetrix pedetentim dimittit in hoc balneum infantem nudum, & providè ſiniſtrâ illum tenens manu ità ut caput ab aliâ perſonâ ſimul ſuffulciatur, manû dextrâ optimè hâc aquâ totum lavat infantis corpuſculum, imprimis in dorsô, femoribus, brachiis circa regionem, ſcapulæ, imò & in facie & temporibus, hinc eadem loca palma manus, farinâ triticeâ imbuta, optimè fricat, denuò abluit, & iterum fricat, idque toties repetit, donec ſordes ex poris cutis ſub formâ ſetarum craſſiorum prodire viderit. Infans tùm mappulâ involvitur, optimè calefactâ, & leniter corpuſculo apprimendâ, ut ei ſordes viſcoſæ implicentur ; nec refert, an de his cuti aliquid adhæreſcat, cùm exarefactæ ſponte decidant. Quô factô mammæ apponitur alumnus, novis linteis involvitur, & cunis committitur. Interim balneum citius in uſum vocandum non eſt, niſi de umbilico exſiccato certi fuerimus ; nec aqua ſit nimis calida, nè lædat infantem, nec nimis frigida, nè pori claudantur ; frictio non juxta longitudinem & digitis, ſed palma & in circulos eſt inſtituenda, quia aliàs pori rotundi comprimerentur, nec ſordes foras prodirent. Sed amplior eſt uſus ejuſmodi balneorum ; inquieti enim per hæc ad ſomnum componuntur, ac ab achoribus, tineâ, & aliis cutis defœdationibus præſervantur. Solet etiam Autor Clariſſ. primis ſeptimanis unà cum balneis pulv. Jalappæ gr. j. vel ij. cum pulv. Marchion. gr. iij. ad cruditates primarum viarum eliminandas exhibere. Sed pergimus ad therapiam curatoriam, quæ locum habet, quando ipſa atrophia ob neglectum balneorum jam in ſenſus incurrit, id eſt, quando unà cum pororum cutis obſtructione ferè plenariâ, glandularum quoque adeſt infimi ventris & vaſorum lacteorum infarctus. Abſolvitur verò eadem, præter repetita balnea, per interna medicamenta, quæ viſciditati acidæ ex abdomine educendæ, obſtructioni tollendæ, ventriculi actioni juvandæ & chyli diſtributioni promovendæ apta ſunt, unô verbô, aperientia, laxantia, temperantia, corrigentia, & roborantia ; inter quæ potiſſimùm tinctura vitrioli martis tartariſata Ludovici, cum interpolatis laxantibus commendatur. De cæterô cum Rachitis tranſpirationem impeditam itidem pro causâ agnoſcat, nullus dubitat Autor aſſerere, ab eô morbô infantes præſcriptâ methodô pariter præſervatum iri.

CHYTRÆUS (*David*,)

Ex eô habetur

Oratio, de ſtructurâ humani corporis, & expreſſis in eâ ſapientiæ divinæ & virtutum veſtigiis. Roſtochii, apud Jac. Lucium, 1579. in 8.

CHYTRÆUS (*Nathanael*,)

Ex eô habetur

Epiſtola Satyrica, adverſus peſtem. Roſtochii, 1624. in 4.

CIACONIUS (*Petrus*,)

De eô extant

Opuſcula in Columnæ roſtratæ inſcriptionem de Ponderibus, Menſuris & Nummis. Romæ, 1608. in 8.

CIASSUS (*Joh. Maria*,)

De eô extant

Meditationes de Naturâ Plantarum : Tractatus Phyſico-Mathematicus de Æquilibriô fluidorum, ac levitate ignis. Venetiis, apud Benedictum Milochum, 1677. in 12.

CICCARELLUS (*Alphonſus*,)

Ex eô habetur

De Tuberibus ; & de Clitumnô fluviô. Patavii, 1564. in 8.

CICONIA (*Flaminius*,) Vicentinus.

De eô extant

Quæſtiones naturales. Vicentiæ, 1593. in 4.

CIGALINUS (*Franciſcus*,) Natus in Italiâ Comi ſive Novicomi, oppido non procul à Mediolanô ad Larium Lacum ſitô : fuit Medicus & Aſtrologus ſuâ ætate excellentiſſimus, Græcæque prætereà Linguæ æquè peritus ac vernaculæ. Obiit in patriâ A. C. 1530.

Ex eô habentur

Epiſtolæ duæ ad Taddæum Dunum de Oxymelitis uſû & viribus, maximè in Pleuritide. Extant cum ejuſdem Duni Epiſtolis Medicinalibus. Tiguri, apud Joh. Wolphium, 1592. in 8. impreſſis.

CIGALINUS (*Paulus*) Natus eſt Comi in Italiâ : fuit Medicinæ Doctor & Profeſſor in Univerſitate Ticinenſi primarius : cujus Lectiones eruditæ nunquam à ſtudioſis interruptæ vel ſibilô exceptæ fuerunt, ſicut aliis Profeſſoribus in Italiâ fieri conſuevit. Obiit ibidem A. C. 1598. ætatis ſuæ circiter 70.

De eô extant

Prælectiones duæ : una, de verâ patriâ Plinii : altera de fide & auctoritate ipſius. Habentur cum Plinii Operibus. Francofurti apud Claud. Marnium 1608. in 8.

CIGOGNA (*Strozzius*) Vicentinus Theol. Philoſ. & Med. Doct. Clariſſ.

De

De eô extat

Magiæ omnifariæ, vel potiùs, univerſæ Naturæ Theatrum, in quô à primis Rerum principiis arceſſitâ diſputatione, univerſa ſpirituum & incantationum natura &c. explicatur. Coloniæ, apud Conrad. Butgenium 1607. in 8.

CINUS (*Julius*,) Colenſis.

Ex eô habetur

Epiſtola Apologetica, contra Vincentium Cibum, *Fulginantem*, Medicum Clariſſ. de Erroribus in curâ tertianæ commiſſis unde æger mortuus eſt. Extat Tomo I. Epiſt. Horatii Augenii, Lib. IX. Epiſt. II. p. 209. edit. Francofurtenſis.

CITADINUS (*Henricus*,) Conſiliarius Medicus Regius.

De eô extat

Paradoxum Orthodoxum de Homæromeriâ maſſæ ſanguineæ. Opus novum, & in duos Libros diviſum. Pariſiis, apud Joh. Henaut, 1659. in 8.

CITESIUS (*Franciſcus*,) Pictavienſis.

Ex eô habentur

Opuſcula Medica. Pariſiis, apud Sebaſt. Cramoiſy, 1639. in 4.

Sunt autem

De tempeſtivô Phlebotomiæ, ac Purgationis uſû, Diſſertatio, adverſus Hæmophobos.

Abſtinens Confolentanea, cui obiter annexa eſt pro Joubertô Apologia. Apud Franciſcum Choüet, 1602. in 8. Extat etiam cum Pauli Lentuli Hiſtoriâ de prodigioſâ Apoloniæ Schreieræ inediâ. Bernæ Helvet. apud Johan. le Preux, 1604. in 4.

Abſtinentia Puellæ Confolentaneæ ab Iſr. Harveti confutatione vindicata. Cui præmiſſa eſt ejuſdem puellæ ἀναβίωσις.

De novô & populari apud Pictones dolore colicô bilioſô Diatriba.

Advis ſur la nature de la Peſte & ſur les moyens de ſ'en preſerver & guerir.

CITTADINUS (*Antonius*,) Faventinus.

Ex eô habentur

Auſcultationes in parvam Artem Galeni. Faventiæ, apud Johannem Mariam de Simonetis 1523. in fol.

CIUCCIUS [*Anton. Philippus*,) Chirurgus Aventinus.

De eô extat

Promptuarium Chirurgicum. Maceratæ, apud Joh. Picini 1679. in 4.

CIVININUS (*Laurentius*,)

De eô extat in Ephem. Germ. Cent. 7. & 8. in append.

Nob. Dn. D. Laurentii Civinini Relatio de Anatomiâ Dn. Alexandri Marchetti, Celeberrimi Matheſeos Profeſſoris in Univerſitate Piſanâ, ad Ill. Dn. D. Antonium Valliſnerium.

CLAF [*Cyriacus Lucius de*,)

De eô extant

De Ligni Cotonei naturâ, viribus, & facultatibus, Libellus. Ingolſtadii, apud Sartorium, 1580. in 4.

De Lithoſo phiſtica, erroneâ quorumdam de Lapide Philoſophicô nunc diſceptantium doctrinâ, Religioni Chriſtianæ incommodâ, Obſervatio, atque de Lapide Chriſtolophico, ſummo Chriſtianorum bono, admonitio: Ibidem, apud eundem, 1582. in 4.

De variis Medicorum ſectis, nunc in Republicâ vigentibus; optima Doctrina & Medicina Philoſophica. Ibidem, apud Wolfgangum Eberum, 1583. in 4.

De Medicinâ Philoſophicâ in quâ oſtenditur, quod ſcientia Medica liberalibus diſciplinis omnibus, &c. uſui eſſe queat. Ibidem, apud eundem 1597. in 4.

Diſputatio Phyſiologica de humoribus & ſuperfluitatibus. Ingolſtadii, 1588. in 4.

CLAPICEUS (*Jacobus*,) Utinenſis.

De eô extat

De Dolore capitis cum fluore albô muliebri Conſilium. Habetur eô in opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit Francof. apud Joh. Sartorium, 1505. in 4. pag. 10.

CLARAMONTIUS (*Scipio*,) Cæſenas.

Ex eô habentur

De Conjectandis cujuſque Moribus, & latentibus animi affectibus σημειωτικὴ Moralis, ſeu de ſignis. Venet. ap. Marcum Ginammum, 1625. in 4. Helmſtadii, 1666. in 4.

De Atrâ Bile, quoad mores attinet, Libri tres. Paris. apud Nic. & Joh. de la Coſte, 1641. in 8.

CLARCK (*Guilielmus*.)

De eô extant

De Corporum reſtitutione. Londini, 1662. in 8.

Hiſtoria naturalis Nitri, ſive diſcurſus Philoſophicus de Naturâ, Generatione, Loco, & artificiali extractione Nitri, cum ejus viribus & effectis. Hamburgi, 1675. in 8.

CLARKIUS (*Timotheus*.)

Ex eô habentur

Obſervatio de Lienis reſectione in cane vivô. Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. IV. & V. n. 164.

De Lienis reſectione in homine vivô. Ibid. ann. eôd. n. 165.

CLAROMONTIUS (*Carolus*.)

Ex eô habetur

De Aëre & ſolô, & aquis Angliæ, deque morbis Anglorum vernaculis, Diſſertatio: necnon Obſervationes Medicæ Cambro-Britannicæ, ratiocinatione & curandi methodô illuſtratæ. Londini, 1672. in 12.

CLARUS Mons (*Hieronymus*) Leontinus Medicus Doctor, floruit Neapoli annô 1636. Edidit Italicè

Compendio del ſuo Eliſir Vitæ ridotto in polvere. Florentiæ 1620. Genuæ 1628. in 4. & Neapoli apud Secundinum Roncaliolum 1633. in 4.

Oſſervationi, e brieve diſcorſo de Contaggioſo mal di Canua; che coſa ſia queſto male, e da che proceda, e come, e con che ſi debba curare. Neapoli apud eundem 1637. in 4.

Dichiarationi contro il ſommario metodo di D. Gio. Antonio Rianchi, e contro il diſcorſo di Pier. Franceſco Giraldini ſopra la ſua ritrovata polvere, che fu ſtimata Belzuar minerale. Genuæ apud Joſephum Pavonum 1627. in 4. *Anton. Mongitor Biblioth. Siculæ T. I.*

CLAVARIIS (*Joſephus Phavorinus à*,) Fabrianenſis.

De eô extant

Medicarum exercitationum Liber. In quô φυσιολογικὴ παθολογικὴ, ac θεραπευτικὴ, inter alias

ſummas

ſummas Medicinæ partes explanantur; Res ſcil. naturales, & præter naturam: unà cum rectâ, eiſdem occurrendi, Methodô, juxta Principum Medicorum ſententiam enodatâ veritate diſcutitur. Camerini, apud Franc. Jojoſum, 1599. in 4.

Synopſis de Hominis excellentiâ, variâ & multiplici doctrinâ, lectione & eruditione refertâ, Philoſophica, Medica, & Chriſtiana. Pars prima. In quâ explicantur quatuor Naturæ gradus eorum, quæ ſunt, vegetant, ſentiunt, & intelligunt; eorumdemque cum homine factâ comparatione decernitur in eſſentiâ, vitâ, ſensû, & intellectû, ſolum hominem excellentiſſimum eſſe, nihilque in Lapidibus, Plantis, Animalibus, & Mundo reperiri, quod in eô non ſit præſtantius, ſublimius, excellentius. Peruſiæ, apud Petruccios, 1606. 1607. in fol.

CLAUDERUS (*Chriſtian. Erneſt.*)

Ex eô habentur in Miſcel. Nat. Cur. Dec. II. *an.* IV.

Obſervatio 164. *De Vomitû ſanguineô-carnosô rariſſimô, lethali.*

GEneroſus à Waldau inter Sereniſſ. Saxoniæ Electoris noſtri milites locum tenens, per 6. 7. annos laborabat totius abdominis ferè, infrà umbilicum uſque, duritie tam validâ ac inſolitâ, ut digitis, ne minimè quidem comprimi potuerit. Procul dubio igitur totum meſenterium, unà cum hepate ac liene obſtructionibus validiſſimis, radicatis, ſcirrhoſis, affectum; nihilominùs appetitus ſemper bonus fuit, compotationibus, præcipuè vini, liberaliſſimè indulſit, ad miraculum uſque ſæpiſſimè! Vox & loquela per aliquot annos continuos, nùnc rauca, nùnc difficilis, nùnc gracilis, nùnc gravior. Pro curatione hujus affectûs internè ac externè multa, à multis etiam excellentiſſimis Medicis adhibuit, paucô tamen emolumentô. Ante aliquot menſes, poſt continuatum medicamentorum uſum, totus venter, exceptâ lienis regione, emollitus; Tumor verô quidam cachecticus totum corpus occupavit, de dolore quoque hypochondrii ſiniſtri, versùs ventriculum, difficultate quâdam reſpirandi, voce raucâ & depravatâ manente conqueſtus. Tandem die 2. Nov. 1685. inopinatô, nullô prægreſſô violentô motû circa noctis initium in Diarrhœam incidit ſeroſam, cruentam, ſine omni tamen dolore, ſed adeò vehementem, ut illâ nocte 16. ad 20. ſedes primò nigricantes ſummè fœtidas, poſteà ſinceras habuerit; inſequenti primo mane ſedili inſidens, abſente omni vehementi commotione vel doloris cujuſdam ſensû, patitur vomitum ſanguineo-carnoſum, magnô impetû per fauces erumpentem, unà cum ſanguine ſincerô multâ copiâ, unam libram excedente, carnis parenchymaticæ, membranis tenuibus præditæ, in fruſtula nùnc minora, nunc majora, quorum aliqua ferè 1. 2. digitorum longitudinis ac craſſitiei concerptæ, Lienem, Hepar, vel Pulmonem corruptum & laceratum, ſine omni tamen putredinoſo ac corruptibili odore, accuratè repræſentantis. Factâ hâc evacuatione, viribus totaliter proſtratis, pulsû extremè debili & vix perceptibili, ipſe ſemimortuus quaſi jacuit; ſalvâ tamen ſemper manente ratione ac ſuô modô reſpiratione; circa hujus diei veſperam adhûc unum vomitum ac ſeceſſum talem; alteroque inſequenti mane tertium denique, quamvis in minori quantitate, paſſus eſt; Poſt hæc neque ſanguinem, neque carnoſam ſubſtantiam excrevit, niſi per aliquot vices dejectiones ſeroſas, nigricantes, aliquoties ſummè fœtidas, injectô priùs clyſtere abſtergente, conſolidante.

Sub prognoſi Medicamenta confortantia, traumatica, balſamica, conſolidantia ordinavi, quorum uſu melius quoque ſe habebat, vireſque paulatim recolligebat. Sed verebar ſemper, ne anguis ſub herbâ lateret; ſiquidem poſt vomitiones ſummos adhùc dolores in latere ſiniſtrô perſentiebat, qui tamen ſucceſſivè magnâ ex parte ſopiti videbantur. Ventriculus tamen cibum rursùs appetit, ac digerit, quod fœcum naturales excretiones indicant; licèt diætâ diligenter quâvis admonitus, non, ut debet, obſervet.

Quod metuerim, ſub herbâ anguem latitare, jamjam retuli, nec metus fuit vanus; poſtquam enim generoſus æger à graviſſimô & lethali morbô liberatus, priſtinæque ſanitati in tantùm reſtitutus videbatur, neceſſitate urgente ac jubente officiô publicô, iter, per plures dies ſummè moleſtum aëre maximè injurioſô, alternatim pluvioſô, ventoſô frigidiſſimôque, concidente ſimul ſolſtitiô hybernô ſubire tenetur; Quô jam peractô in regreſſû in Febrem continuam incidit, à cujus invaſione, tertiâ tandem die hùc redit, curamque diligenter ſuſcipit, verùm Natura à graviſſimô prægreſſô Morbô ſummè debilitata, viribuſque denuò proſtratis, Morbique vehementiâ auctâ, die hujus ſeptimô beatè obiit, ſcilicet die 30. Decembr. 1683.

Ibid. Ann. V. *Obſerv.* 197. *De Lapide magno inteſtinali lumbricis prægnante, per anum excretô, ſuperſtite manente muliere.*

UXor Venatoris, uti videbatur, benè ſana, lotricem agens, elapſis abhinc novem annis, pro lævigandis linteaminibus, machinam lapidibus repletam, trahendo & retrahendo, violenter nimis & incautè corpus extendens, eô ipsô momentô dolorem acerbum, ruptorium quaſi, in hypogaſtriô ſiniſtrô ſentit, qui dolor in dies auctus ipſam demùm lectô penitùs alligat, tamque immaniſſimè dies nocteſque per tres ſeptimanas ſævit, ut non ſolum totam domum ſed viciniam clamoribus & ejulationibus quoque impleret. Hôc tempore mulierculæ adſtantes ſexcenta, & plura remedia uti appellant, domeſtica pro diſcutiendis, earum opinione, doloribus colicohyſtericis, adhibuerunt, & quod notandum, frictionibus & fomentationibus acrioribus, actûque calidiſſimis totum latus adeò aduſſerunt, ut veſtigia hodienum videnda præbeat; Verùm his omnibus fruſtrà tentatis, alvôque inſuper in ſextam diem occluſa, tamen, nullis etiam precibus ad uſum clyſterum perſuaderi potuit, uſque tandem permanentibus & vix ampliùs ferendis cruciatibus, ſuppoſitoria ex melle cocta admitteret. Horum applicitô alterô, dolorem ex ſede ſuâ, (dulcedine fortè ex allectis lumbricis) hactenùs fixâ, moveri & tranſverſum per abdomen, verſus lumbos tendentem accuratè ſentiebat, moxque magnâ cum vehementiâ doloriſque exacerbatione mulier ſemimortua quaſi, lapidem hunc anô egeſſit; qui magnitudine pugnam ferè æquabat, oblongus, inſuper erat durus & ponderoſus, facie externâ læviſſimus, coloris cineritii, cum albicantibus ſtriis, in utrâque extremitate foramen, digiti craſſitiei exhibens, per quod lumbrici n. 7. 8. calamum ſcriptorium craſſi, ad unius vel duorum digiti articulorum longitudinē, vivi propendebāt, arctiorique nexû, internè in lapide ſeſe invicem complicantes, adeò firmiter hærebant, ut nec fortiter etiam tracti, extrahi tamen minùs potuerint. Hiccè lapis cùm tàm duræ conſiſtentiæ, ut nec malleô, fortiter quamvis percuſſus confringendus, Maritus neſcio quô inani metû perculſus, & anili ſuperſtitione actus, admirandam dictam Microcoſmi progeniem, animatum hunc lapidem, ante ſolis ortum in fluvium projecit, ſicque undis ac tenebris perpetuis ſubmerſit, quod luci meridianæ omniumque oculis exponi longè digniſſimum fuerat; Mulier poſt hæc benè ſe habere, vireſque ſenſim recolligere cœpit, vitamque in hunc uſque diem integrâ ſanitate, miſerè licèt, cum paupercula Vidua nunc, dum hæc ſcribo, vivit, annum ætatis agens quinquageſimum ſeptimum.

Ibid. Obſerv. 198. *De Lapide Veſicæ admirandæ magnitudinis excretô, ſuperſtite Muliere.*

CUm præteritis annis Ronnenburgi, Phyſici munere fungerer, in pagô *Hirſchfeld*, milliari

liari uno à dictô oppidô diſtante, incolæ cujuſdam, Andreæ Rollens, uxor, 48. annorum poſtquam crudeliſſimô dolore nephriticô, per aliquot annos ſtatis periodis miſerrimè afficeretur, multaque à multis Dogmaticis, iiſque excellentibus Medicis, æquè ac Empiricis medicamenta adhibuiſſet, plurimos lapillos, quorum aliquæ ſatis conſpicuæ magnitudinis, excreviſſet, in paſſionem iterùm nephriticam, per plures dies vehementiſſimè urgentem, incidit, & cùm inſuper in quintam diem jamjam omnimodam urinæ ſuppreſſionem pateretur, miſerabili ſpectaculô in terram proſtrata & præ dolore immaniſſimè furente, ubi ſe contineret, neſcia, in extremô quaſi vitæ limine poſita videbatur; Ejus Maritus ultimô meam opem Medicam vehementiſſimè ac lachrymis implorabat. Quare ejus petitis ſatisfaciendo ut debui, volui, & quidem ſub prognoſi, ordinavi Balneum ex emollientibus & antinephriticis; Pulverem ex operculis cochlearum calcinat. oculorum cancrorum, ſalis fimi columbini, additô granô unô vel alterô opii cum ſulphure præparati pro aliquot præbiis, it. Eſſentiam ex eſſent. lumbricorum terreſtrium cum ſpiritû propriô, ſpiritû flor. acaciæ, ſalis armoniaci volatilis & Tinctura anodyna remixtam.

De his unâ vel alterâ doſi alternatim ſumtâ, aliquatenùs alleviata inſequente die, inopinàtô, maximô tamen Naturæ conatû, æquè ac fœtum enixuræ, lapis prorumpit, ac vi quaſi quâdam magnâ adactus, per ſatis notabile ſpatium in pavimentum propellitur, ſequentibus inſimùl largâ aquarum ſtagnatione corruptarum profuſione, plurimaque mucilagine ac pituitâ viſcidâ putridâ in fruſtula majora & minora diſcerpta, intolerabili fœtore, ut adſtantes præter morem hujus generis hominum pravum odorem vix, ac ne vix quidem magni æſtimantium, ex hypocauſtô feſtinare coacti fuerint. Lapis formæ erat rotundæ, optimè ſphericæ, coloris ochrei, externè læviſſimus, ſubſtantiâ compactus ac duriſſimus, adeò ùt cultrô difficillimè aliquid eò deradendum; magnitudo ovum gallinaceum æquabat, pondus verò libram unam medicam, ℥xij. ſc. ʒj. & paulò plus.

Mulier hôc pondere levata, ex faucibus orci quaſi erepta, recèns nata ſibi videbatur, viribuſque ſenſim recollectis, integrâ ſanitate gaudebat, hancque per reliquos vitæ annos ab omni inſultû nephriticô liberam ſervavit, remanente ſaltèm affectû moleſtiſſimô, urinæ incontinentiâ, mihique plus vice ſimplici lætâ fronte obvium factâ gratam mentem ſemper conteſtata eſt.

Ibidem, Obſervatio 199. *De Abſcedente poſt mortem Epidermi.*

Vir plurimum reverendus Arthritide vagâ ſcorbuticâ per 11. hebdomadas graviſſimè afficiebatur, adeò ùt morbô in ἀκμῇ exiſtente per 3. ſeptimanas, nè digitum, multò minùs aliud quoddam corporis membrum loco movere poterat, & planè immobilis jacere cogeretur, inſuper ab atrociſſimis doloribus, nunc hanc, nunc illam, nunc plures ſimùl partes urendo, lancinando ac pertereбrando adorientibus, itâ, non ſine ſummâ adſtantium commiſeratione toties enecabatur; Tandem per Dei gratiam, & methodicè adhibita generoſa remedia morbus ad declinationem venit, brevique priſtinæ ſanitati reſtitutus; quô factô, ex Epidermis integra & tota in manibus & pedibus dehiſcere incipiebat poſteàque facillimè & ſponte quaſi ſuâ à dictis partibus tota inſtar chirothecarum abſcedebat & detrahebatur.

Scholium.

Excell. D. D. Georg. Segerus Ephem. noſtr. Decur. 1. *ann.* IV. *Obſerv.* 88. univerſales totius corporis decorticationes, quia non ſunt ità vulgares, meritò ab Autoribus annotari ſcribit; quarum ipſe ex *Linſchottano*, *Salmuthô*, *Hoferô*, & propriâ obſervatione aliquot recenſet; quibus jungatur ſocer *D. Thom. Bartholini, in Act. Med. Hafn. Vol.* 1. *Obſerv.* 37. qui à deſperatô maraſmô ſenili reconvaleſcens cuticulam exuit, quaſi reſumtâ juventute; & Nobilis ille apud *Petrum à Caſtrô de febr. puncticul. malign. ſect.* 9. *Aphor.* 58. cui poſt morbum malignum tota Epidermis in loca oblonga, quæ à totô dorsô unô tractû avellebantur, abſceſſit; ac denique Virgo, cui ab usû lapidis bezoardici mineralis ſiculi, itidem in febre malignâ, tota cuticula fuit ſeparata, cujus hiſtoria & ætiologia *Num.* 26. *ſuis Obſervationibus naturalibus fuit inſerta à D. Paulô Boccone.*

CLAUDERUS (*Frideric. Guilielmus.*) Practicus Altenburgenſis.

De eô habentur in Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. ij. ann. 6.

Obſervatio 190. *De ſtupendâ pueri recèns nati obeſitate ex matris gravidæ impreſſione.*

Ibidem, Obſervat. 191. *De Eroſione inteſtinorum & abdominis à vermibus, excrementis per alvum non amplius excretis.*

Raram hiſtoriam Medicam nobis reliquit *Guilh. Fabritius Hildanus, Cent.* 1. *Obſervat. Obſervatione* 74. Huic ferè ſimilem impræſentiarum adducere, non inutile fore cenſeo. Fœmina nimirùm 56. annorum ante aliquot annos in pratô tempore æſtivô improvisô & ſubitô corripitur in hypochondriô dextrô dolore aliquot dies continuô; ſuccedit tumor quotidiè magis magiſque ſe acuminans, & tandem per centrum rubicundum ſe offerens, locus dictus, aperitur, quô apertô ſtatim tres notabilis magnitudinis lumbrici exeunt; diebus verò ſequentibus effluxit liquamen flavum, craſſum atque pellucidum; continuante hoc effluxû per quatuor annos. Ægrota interim ſemper tractare potuit negotia domeſtica ſolita, donec annô ſubſequente quintô per foramen abdominis ampliùs redditum, cœcum inteſtinum cum inteſtini coli parte longitudinem digiti æquante protuberabat; per foramen coli digitum tranſverſum longum copioſè in dies ſerum flavum, craſſum; chylo, indigeſto analogum profluebat. Utrumque inteſtinum, cœcum quidem integrum, Colon verò digitum longum ſemper erant exteriùs propendula; Natura ab aëris injuriis eadem defenſura, obducebat cute rubrâ carnoſâ. Totô hoc tempore ægra per alvum nil ampliùs excrementitii excernebat; poſt aliquot menſes propendebat quoque è jam nominatô foramine inteſtini Ilei pars, quotidie aucta, uſque dum ulnam dimidiam longam exteriùs ſeſe oſtendebat continuante ſemper per Colon apertum ſeri flavi, craſſi, Chyloſi, & minimè fœtentis effluxû. Ægra noctû decumbente bona Ilei pars retrogrediebatur. Cæterùm ægra obambulabat, œconomica tractans more ſolito; foramine nullam clauſuram vel ligamentum, aëris injurias avertens, tolerante, ob ſerum in affluxû impeditum, dolorem ardentem excitans, minimè autem fœtens. Poſtremô hôc in casû admiratione dignum, quod fœmina dicta ſine vitæ diſpendiô vivere potuerit, ſerumque mucoſum vel chylus indigeſtus effluens non fœtuerit, cùm puri ab impurô nulla facta ſeparatio, multô minùs excrementorum alvi excretio. Hæc habeo è relatione Chirurgi docti ac fide digniſſimi; cùm paupercula nullis planè remediis utebatur; ſed Deô ac complexioni ſuæ robuſtæ rem totam commiſerit. Unô alterôque adhùc annô tranſeunte mortua eſt, aliis, neſcio quô morbô vitæ filum abrumpente.

Ibid. Obſerv. 192. *De Lumbrici lati Hiſtoriâ.*

Ibidem, Decur. ij. ann. 7. Obſervatio 179. *De Debitô pulſum inveſtigandi locô.*

Ibidem, Obſervatio 180. *De Pulsûs per triginta ſex horas ante obitum ceſſatione.*

Ibidem, Obſervatio 181. *De Purulentâ variolarum materiâ criticè per urinam excretâ.*

Ibidem, Obſervatio 182. *De Cervô Venatorem modô ſubitaneô & rarô occidente.*

Ibidem, Obſervatio 183. *De Pinguedine ſine ſanitatis damnô aliquot annis per Urinam ac Vomitum excretâ.*

Ibidem, Obſervatio 184. *De Abortû certô tempore & ſeptimanâ ſæpe accidente.*

ABortus omnibus ac ſingulis menſibus apud mulieres uterum gerentes, contingere, plena ſunt Medicorum præclariſſimorum ſcripta; ſic abortus unius menſis mentionem facit Ferdinand. Epiphanius Hiſtor. Medic. 50. Hieronymus Mercurialis Tom. 4. Medic. Mercurialis Med. Conſult. Tom. 1. Conſil. 57. literis caſum conſignavit. Et licet propterea jam actum agere videar, lubet tamen ſequentem addere obſervationem: Matrona nempè complexionis aliàs laudabilis, bonôque corporis habitû prædita ac regulas diætæ ſummè obſervans intra ſpatium ſex annorum abortum circa finem tertii menſis & ſtatô tempore, imô ſeptimanâ octies patitur. In ſpem itàque ac deſiderium prolis, nihil unquam quæ ad ſanitatem conſervandam requirantur, intermiſit, dum nimirum medicamentis tonum viſcerum corroborantibus, maſſam ſanguineam purificantibus, præ cæteris autem nervinis ac uterum reſpicientibus uteretur, ſed omnia incaſsùm adhibita. Cauſam hujus multivarii & ſtatum ſemper tempus obſervantis abortûs ſi inveſtigare mihi licet, ſtatuo, illum ex nativâ uteri anguſtiâ ac p. n. denſitate & ad extendendum ineptitudine à primâ conformatione ortum traxiſſe, dum nimirùm Embryo in dies majus ſumens incrementum, uterus ob fibrarum nimiam conſtrictionem ſufficienter dilatari haud valeat, quapropter amicabilis ille hoſpes diverſorium ſuum ſpontè reliquere cogitur.

Ibidem, Decur. ij. ann. 8. *Obſervatio* 218. *De Arſenici aſſumti lentâ præter ſolitum operatione.*

Ibidem, Obſervatio 219. *De Pure pleuriticô quaſi Vomicâ ruptâ ſimul expectoratô, fœminam ſuffocante.*

Ibidem, Obſervatio 220. *De ſtupiditate à nimiô ſpiritûs Vini potû.*

Ibidem, Obſervatio 221. *De Lienis ſubſtantiâ corruptâ in Equô.*

Ibid. Obſerv. 222. *De Nanorum generatione.*

NAnos ob ſemen, qualitate ac quantitate deficiente peccans generari, Medicorum nota eſt opinio: ſic maritus quidam cum uxore generavit octo liberos, utriuſque ſexûs, quorum pars dimidia fuêre Nani, ubi præcipuè notabile, alternatim ſemper eſſe productos modò ſolitæ magnitudinis, modò Nanos.

CLAUDERUS (*Gabriel,*) Præclariſſ. Viri, ac ſagaciſſimi Naturæ perſcrutatoris Gabrielis Clauderi, Vita, cum debitô ejuſdem Elogiô, melius enarrari nequit, quàm tranſcribendo illa omnia quæ in hujus Memoriam profert ipſius ſocer Frideric. Wilhelmus Clauderus, in Appendice A. x. Dec. ij. Miſc. Curioſ.

Illuſtriſſimæ Naturæ Curioſorum Academiæ D. Gabrielis Clauderi Electoris atque Ducum Saxoniæ Archiatri, Memoriam L. M. Q. conſecrat Fridericus Wilhel. Clauder, Med. D. Pract. Altenburg. Theſeus III. *Nat. Curioſ.*

TRiſtis officii debitum expedio, ut grati animi monumentum Tibi, *Patrue* atque *Socer* deſideratiſſime, collocem. Immortali memoriâ à te in me profecta beneficia niſi colam, cum humanitate nihil habeam commercii. A ſupremô enim Numine ſi abeam, nemo te laudabilius de vitæ meæ curriculo eſt meritus. Optimi Patris (quem fratrem habuiſti) providentiam mors repentina mihi in primæ pueritiæ annis abripuit. Tanti columinis jactura miſerrimum me reddidiſſet, niſi Dei indulgentia te mihi reliquiſſet ſuperſtitem. Memori ſiquidem animo reputans, quô iſte meus Pater quondam te complexus amore fuerat, omnem adhibuiſti diligentiam, ut ſoboli miſeræ ſiſteres, quod ipſi exhiberi non potuit, mutui favoris teſtimonium. Quis eum idoneis commemorabit laudibus? Quæ lingua illius magnitudini ſufficiet? cujus calami excellentia iſtius claritati reſpondebit? ſi poëtici deſiderii particeps ora centum conſequerer, haud tamen iſti paria poſſem eloqui præconia. Plurima dabo pauciſſimis. Non curæ modò tibi fuit incredibili, ut optimis in patriô lyceô tingerer literis; ſed etiam, ut, Academicis conſecratus ſtudiis, Medicæ artis notitiâ imbuerer. Quantâ benignitate meam juviſti inopiam, ut ille conatus proſperè procederet? Quàm ingente facilitate aditum mihi aperuiſti ad excellentiſſimorum virorum benevolentiam, ut illorum inſtitutione in variarum rerum peritiâ, quam Medicinæ amplitudo poſtulat, proficerem? Cùmque non inidoneus judicarer, qui aliis in valetudinis vel cuſtodiâ vel reparatione opera mea quantulacunque inſervirem, ſuaſû tuo primum vicinum oppidum & deinde dulciſſimam elegi patriā ubi novus Roſcius experirer, quid deſiderantibus mea prodeſſe poſſet induſtria. Quod poſtquam ſubieram, innumeræ tuo erga me amori factæ ſunt acceſſiones. Non modò enim tuarum curarum vices mihi demandaſti ſæpiùs ſed & vitæ tuæ delicias, unicam filiam mihi deſpondiſti, unde non exiguam in me derivatam eſſe proſperitatem, intellectû eſt facillimum. Nihil à veritate alieni aſſeram, angelum te fuiſſe pronuncians, à Deô O. M. ſalutis meæ procurandæ cauſâ mihi ſalutariter conceſſum. O ſi diutius te frui potuiſſem! Utinam longinquior vitæ hujus uſura tibi fuiſſet data! Id ſi contigiſſet, quantâ alacritate ſenii tui incommoda ſublevâſſem, ut gratæ mentis ſignificatio tibi eſſet edita. Sed quoniam per arcana Numinis cōſilia tam felici mihi eſſe non licuit, cineribus tuis præſtabo, quod incolumi exhibere non valui, laudatiſſimi nominis tui memoriam calamo levidenſi delineaturus, ut ſi qua futura, poſteritas in egregiorum Medicorum numerô te collocare poſſit. Arduum autem eâ ratione in me ſuſcipio negotium, non virium mearum fiduciâ, quas imbecilles eſſe non ignoro, ſed officii erga te declarandi promptitudine excitatus. Medicum dici aliquem, non magnô indiget conamine, dum, multos ſine veritatis ipſius ſuffragiô tam nobili venire nomine, experientia dictitat; ſed eſſe reverà Medicum, & poſſidere omnia, quæ illius tituli excellentia ſibi vindicat, non eâdem facilitate contigit hominibus. In optimorum catalogô non poſtremum tibi decernendum eſſe locum, grati agnoſcent poſteri, quibus laudum tuarum fama commendabitur. Singula enim tenuiſti cumulatiſſimè, quæ ab oblivionis injuriâ te liberare queant. Non autem tumultuario ſaltû ad encomii hujus tranſvolaſti faſtigium, ſed plurimorum annorum ſpatio fuit opus, antequam illud contingeres. Quidquid à primâ pueritiâ peradoleſcentulus, in juvenilibus annis & in ipsâ virilis vitæ maturitate peregiſti, ad illum te perduxit

duxit apicem. Fruſtraneô labore ad Medicinæ ſtudium animum adjiciunt, quibus naturæ benignitas ingenii felicitatem denegat. Quomodo enim ſine illius dotibus in tam arduæ artis ſanctuaria penetrent? In te fingendo ſingulari optima illa mater uſa eſt liberalitate, omnia largiter impertiens, quæ ad illam imbibendam idoneum te efficerent. Imò hæreditariô quaſi jure felicior indoles à te ex parentibus tranſiit honeſtiſſimis ex quibus annô 1633. 28. Octobr. Altenburgi natus es, venerabili nempè patre *Joſephô Clauderô*, qui de re literariâ pariter & ſacrâ præclarè meritus, Illuſtre urbis noſtræ Gymnaſium per viginti annorum ſpatium laudabiliter moderatus eſt, totidemque annos diverſis Eccleſiæ noſtræ muneribus parili fide præfuit; & matre *Barbara*, M. Michaëlis Neandri, Archidiaconi Neapolit. ad Orlam filia, quæ Octoginta ſex utriuſque ſexûs hæredum mater, avia proaviaque facta, Octogenariæ major beatè obiit, ſed cui bono eſt ingenii excellentia, niſi cum eximiarum rerum cupiditate copuletur? Naturæ pignoribus multi gaudent, quæ aut ignava ſepeliunt ſocordia, aut rebus perdunt turpiſſimis. Ab ejuſmodi furfuris homuncionibus ipſe fuiſti remôtiſſimus, ab ipſis incunabulis meliorum conatuum ſingulari flagrans deſiderio. Admirati ſunt clariſſimi viri, quibus uſus es Doctoribus, induſtriæ tuæ contentiones egregias. In iis primum obtinuit locum *Georgius Crauſerus* patriæ ſcholæ tùm Rector, Eiſenbergenſis poſteà Ephoriæ Antiſtes, cum *M. Flæſſerô* & *M. Liſtio* correctoribus. Quantâ cupidine ab illorum pependiſti ſtudiis? Nihil docuerunt, quod non didiceris, freno potiùs, quàm calcari indigens. In plurimorum animis humanitatis diſciplinæ frigere ſolent; ipſe autem illarum accenſus deſideriô non potuiſti priùs quieſcere, quàm intimâ illarum familiaritate fuiſti beatus; turpitudini tibi fore ratus, niſi & in illis excelleres artibus, quarum notitia & Patri & Fratribus in eruditorum concionibus laudes non exiguas pepererat. Minima non neglexiſti, ut magnis eniteſceres. Linguis non indiligentem navaſti operam, ut haberes claves, quibus artium altiorum conclavia reſerares. Multi, ſolidiorem fidei capitum ſcientiam illis tantùm relinquendam eſſe autumant, qui in Eccleſiâ ſanctis fungi cupiunt muneribus. Quaſi negligi poſſint dogmata, è quibus æterna haurienda eſt felicitas. Aliam tu amplexus es ſententiam. Quippe ſub laudati *Crauſeri* diſciplinâ non ſaniorem modò religionis noſtræ doctrinam ſed & ſecùs ſentientium opiniones cognoviſti, per univerſæ vitæ ſpatium fructus inde expertus multiplices. Hinc ſine fidei ſalutaris naufragiô inter adverſariorum Scyllas atque Charybdes in exterarum regionum perluſtrationibus navigaſti ſalvus, & uſque ad extremum vitæ tuæ halitum divinæ veritatis amorem retinuiſti perpetuum. Provocare poſſum teſtes, non modò quos conſuetudo quotidiana tibi reddidit familiares ſed & imprimis, qui Eccleſiæ curant negotia, quam ſolicitus de fidei ſanctitate ſemel cognita fueris, quantâ indignatione nonnullorum audieris temeritatem, quos inſanæ novitatis ſtudium cum magnô Eccleſiæ periculô in noxias præcipitavit ineptias. Sed redeo unde digreſſus ſum. Annum in patriô Lyceô decimum octavum expleveras, cùm Patris, fratrum Præceptorumque juſſû atque conſenſû Academicas ἀκροάσεις colere conſtitueres. Eô animô primùm te contuliſti Jenam, in celeberrimum omnis humanæ pariter & divinæ ſapientiæ emporium. Factum id eſt refloreſcente Majo anni 1652. Menſis ille tantâ vernæ amœnitatis copiâ non renitet, quantâ laudabilium deſideriorum multitudo in te fuit conſpicua. In omne artium genus lætiſſimô excurriſti ſtudio, perdiſcens ſingula, quorum cognitio nominis clari famam amaſiis ſuis conciliat. Imprimis naturalium rerum notitiam incredibili ſectatus diligentiâ, non ignarus, quod juxta πολυθρύλλητον, *Medicus incipiat, ubi deſinit* Phyſicus, doctiſſimorum Profeſſorum, *Stahlii*, *Leiſoldi*, *Bechmanni*, *Olpii*, uſus operâ, ſub & cum quibus etiam non rarò in diſputatoriam arenam magnô aliorum applauſû deſcendiſti. Quô factô, dici non poteſt, quàm ſingulari felicitate Medicis artibus incumbere cœperis. Gaudebant illæ tum temporis ibidem doctoribus, quorum fama nunquam intermorietur, *Rollfinckio*, *Mœbio* atque *Schenckio*, apud exteros quoque celeberrimis. Nihil neque voluptatum neque moleſtiarum ab horum auſcultationibus te potuit abſtrahere. Hos non ſomniculosè, non frigidè audiviſti, ſed ardentiſſimè ſed conſtantiſſimè. Quem in te diſcendi fervorem admirantes unanimi dixerunt mente! O nos felices tam induſtrium nacti auditorem! Si perrexerit, ceu hactenùs conſuevit, tam inuſitatam in rebus Medicis ponere diligentiam, in illarum ſanctuaria penetrabit, magno nobis quondam futurus ornamento. Colligi inde poteſt, quàm acceptus illis fueris, quantâ facilitate tibi januam ad interiora doctrinæ ſuæ penetralia patefecerint. Neque illis tantùm laudis tuæ claritas innotuit, ſed & aliis, qui publicè perceperant, quàm acriter ſub laudati Mœbii præſidiô *de hepatis atque bilis uſû* diſputaveris. Integrum illic vixiſti triennium, manſurus diutius, niſi mirifica Numinis providentia te Lipſiam avocaſſet. In ſummâ ibi agebat celebritate, non de Chymicis modò experimentis, ſed & reliquis Medicinæ ſtudiis incredibiliter meritus, quem ut alterum Æſculapium univerſus orbis politior adhùc admiratur, excellentiſſimus *Johannes Michaëlis*. Ille ut ampliſſimorum negotiorum ingenti copiæ ſufficeret, in contuberniô ſuô duos aut tres Medicinæ candidatos liberaliter aluit, quibus non tantùm ſelectiſſimæ Bibliothecæ, in ordinem locoſque communes, ceù vocant, redigendæ curam, cum Chymicorum laborum cuſtodiâ, ſed etiam complures ægrotos inviſendi ſollicitudinem commiſit. Cùmque eô tempore nonneminis diſceſſus in illorum numerô locum cuipiam novitio vacuefeciſſet, Pater meus pro eâ, quam cum Eminentiſſimô iſtô Medicô colebat familiaritate efficiebat, ut in tantâ ambientium id multitudine judicaveris dignus, qui domeſtica tam magni viri conſuetudine in maximum ſalutis tuæ emolumentum fruereris. Pro quâ benignitate quàm calidas Dei providentiâ, egiſti grates! Anguſtæ ſiquidem ſupellectilis inopia cupidini tuæ non mediocre ſufflamen injecerat. Hujus autem beneficii particeps omnes difficultates feliciter ſuperare potuiſti, quod gratâ commemoratione te ſæpius recolere audivimus. Neſcio autem, cui potioris præconii titulum in ejus rei recenſione tribuam, Patronine ſalutem tuam juvandi promptitudini, an fidei tuæ & iſtius deſideriô inſerviendi diligentiæ. Utraque certè fuit ſingulariſſima. Nihil habuiſti priùs & antiquius illarum rerum ſtudiô, quas ei gratas fore cognoſceres. Et iſte contra pluſquam paterno te proſecutus eſt animo. Nihil profectò arcanarum tenuit doctrinarum, quas aut multiplici rerum uſû aut ex aliorum egregiorum Medicorum literis, undique ad ſe quotidie advolantibus, didicerat, quarum notitiam tibi non aperuerit. Tam benigni hoſpitis gratiâ te ſine ſumptibus perduxit, quos paucis aliis ingentium munerum multitudo vix aditum comparat.

parat. Neque ab hujus tantùm pependiſti ore, ſed & aliorum Medicorum ſcholis frequenter ardor tuus interfuit. Teſtem ejus rei adducere poſſum diſputationem, Præſide D. *Langio* annô 1656. in conflictû publicô, de *Miſcellaneis Curioſis Medicis*, à te habitam. Cui acceſſit annô 1659. alia, de *Phthiſi* nempe, ſub inclyti Michaelis tui moderamine, eruditorum velitationi, multæ cum electionis & ſeduiitatis encomiô propoſita. Peregrinationes magno illis ſunt uſui, qui eas ſalubriter inſtituunt. Terræ diverſis pignoribus, populi verò inſtitutis, differunt. Non omnia & eadem ubique vel inveniuntur, vel pari modo excellunt. Alia florent alibi, & quælibet provincia poſſidet, quibus ſe præ cæteris felicem prædicare poſſit. Medicis certè incredibilia eveniunt commoda, ſi cognoſcant, quibus & exteri remediis morborum vehementiam frangere ſoleant. Inde & te non parva alio ſole calentes provincias viſendi cupido tenuit. Non dicam, quod A. 1658. & Miſnicas & Bohemicas metallifodinas cum diverſis thermis atque acidulis, quæ ibidem inveniuntur, perluſtraveris. Tacitus præteribo, quod An. 1659. incomparabilem Saxoniæ Electoris ſedem cum incredibili inuſitatarum rerum copiâ, quibus illa inſpicientium animis ſtuporem incutit, non minore commodô quàm voluptate videris. Neque tradam quod Ann. 1660. illuſtrem Leucoream ut & inclytam Brandenburgici Electoris Aulam ſalutaveris, ſingulis in locis mirabiliter perſpiciens, quæ è re tuâ fore prudenter judicaveras. Sed cur, talia me referre nolle, aſſerui, cùm ipſe,non parum inde commodi in te profectum eſſe, ſæpe numero prædicaveris? Non poſſum non, quin tuis id verbis efferam, ità ſonantibus; præcipuè in binis illis Auguſtiſſimorum Electorum ſedibus tam multiplices, tam inutiles, tamque notatû dignas res oculis meis uſurpavi, quas cum ingentium ſumptuum imò vitæ ipſiûs jacturâ,quamplurimi per multorum annorum ſpatium vel in Galliâ vel aliis remotioribus provinciis conſpiciendi vix nanciſcuntur facultatem. O egregiam de re veriſſimâ ſententiam? Quod ſi omnes eam reciperent, non tot cordatioribus viris naſcerentur quærimoniæ, cernentibus quod in itineribus minùs circumſpectè ſuſceptis plurimi, dum exteras induunt maculas, domeſtica decora exuant, quippe qui domum referant pro divinâ purioris doctrinæ ſimplicitate horribilium errorum monſtra, pro candore & ingenuitate inſidioſas ficti vultûs blanditias & callida machinamenta, pro frugalitate & continentiâ damnoſiſſimi luxûs libidines. Sed quò me abripit de tantâ perverſitate indignatio? De illis tantum loquor, quos peregrinationum abuſus non injuria in omnium conjicit ignominiam. Illi autem infelicium numerô præclarum inveniunt locum, qui providè alienas regiones perambulare didicerunt. Hiſce tu quoque annumerari potes, ſocer honoratiſſimè; ſiquidem Majô anni 1660. per civitates Saxonicas, Magdeburgum, Selenopolin, Hamburgum in uniti Belgii provincias profectus es, atque viſitatis pleriſque Celebrioribus illarum urbibus, iis præcipuè quas Academiæ nobilitant, Franekera ſcil. Groëninga atque Trajecto, Leidæ atque Amſtelodami per aliquot menſes commoratus es. Poſteà reliquis Hollandiæ atque Zelandiæ oppidis perluſtratis, trajeciſti in Angliam, Londini potiſſimùm atque Oxoniæ victitans. Inde in Germaniam redux, viſis Coloniâ Agrippinâ, Confluentiâ, Francofurtô, Norimberga, Ingolſtadio, Auguſta Vindelicorum, Monaco,per Comitatum Tyrolenſem in Italiam excurriſti, Venetiis præcipuè & Patavii ſubſiſtens,non neglectis tamen cæteris iſtius terræ civitatibus, quas clariora laudum præconia dudum egregiis extulerunt encomiis. Singulis in locis quàm ſanctè, quàm moderatè, quàm circumſpectè, quàm ſapienter te geſſiſti! Peregrinarum voluptatum lenocinia facili labe incautis ſubrepunt, & noxiâ ſuavitate animorum extinguunt vigorem. Tu autem Ulyſſis inſtar contra omnium deliciarum blandimenta, quibus illa luxuriant loca, incorruptus, integer atque invictus ſtetiſti, antiqui animi ſervatô ſpecimine. Admiratus es, quicquid in ingeniis excellens, in animis laudabile, in moribus decorum, in inſtitutis frugiferum deprehendiſti, non tam chartis perituris quàm feliciſſimæ illa inſcribens memoriæ, quæ & cuſtodivit accepta & ſine morâ, cùm deſiderarentur, reddidit. Maximoperè autem in id incubuiſti, ut Medicarum rerum notitiæ quamplurimas faceres acceſſiones; quod eò feliciùs factum eſt, quò faciliorem commendatitiæ tui Michaelis literæ ad plerorumque locorum Medicos Celeberrimos tibi patefecerunt aditum, quoque clarius animi tui dotes exſplenduerunt ad magnam ergà te benevolentiam ſingulos, quibus innoteſcere potuiſti, allicientes. Neque moleſtiis caruiſti, quæ peregrinantibus ſolent accidere. Parùm profectò à naufragii abſuiſti periculô; ex Hollandiâ contendens in Angliam ſubitis tempeſtatibus in ſæviſſimi maris æſtû horribiliter tumultuantibus. Inſuetuſque maritimorum locorum aër varias corpori tuo ægritudines attraxit. Inde & factum eſt, ut in Angliâ non adeò diu permaneres, benignius in Italiâ corpori tûo Cœlum fore, conjiciens. Sed & illud expectationem tuam fefellit. Tantum enim abeſt ut in gratiam ibi cum valetudine potueris redire, ut pluribus potiùs, iiſque gravioribus malis conflictari debueris. Unde & mutaſti in Galliam hinc abeundi propoſitum, per Alpes Helveticas, Baſileam, Argentoratum, atque inde in patriam, quo fieri potuit viarum compendiô, rediens. Virtute quid efficacius? Cunctorum ad ſe pellicit animos, peragens, quæ ſunt incantationi impoſſibilia. Ignis eſt, fulgida erumpens flamma, & radiorum claritate ubique conſpicuus. Pulcherrimæ certè dotes tuæ non latuerunt in ſilentiô, ſed in altâ veluti ſpeculâ omnibus ſe dederunt conſpiciendas. Lipſia poſtquam annô 1661. te receperat, de honoribus in te conferendis fuit ſollicita. Habitâ enim de *philtris* diſputatione, ſuperatiſque examinibus *licentiam ſupremum Medicinæ aſſumendi gradum*, quem *Doctoris* nominant & ſequenti annô poſt tam *ſplendidum axioma*, Brabentis iiſdem, quos ſupra ſeptem annorum ſpatium habueras præceptores fideliſſimos, tibi impertiit. Quô factô parùm abfuit, quin, nonnullis invitantibus, Hamburgum te contuleris, artis tuæ promptitudine inſervitурus, quicunque eâ uti cuperent. Sed aliud placuit ſupremi Numinis providentiæ. Cùm enim Patriæ Reipubl. Conſul, Poliater atque Polyhiſtor, *Thomas Reyneſius*, at quantum inter eruditos nomen? domicilium ſuum Altenburgo transferret, Lipſiam Fratris tui, meique Patris, Archiatri Ducalis ſuaſû, natalem locum urbi à nobis valdè remotá non immeritò prætuliſti, Novembri Anni 1661. feliciter huc veniens. Velim eâ mihi benignitate cœleſtis jam detur facundia, ut omni orationis genere tuas laudes ità commendem poſteris, quò invictæ perdurent contra malevolorum invidiam, ne obterant, contra tyrannidem temporum, ne perdant, contra auſteritatem caſuum, ne conſumant. Profectô vix in patriam redieras, cùm mox virtutes famæ januam tibi patefecerunt. Sicut enim

enim ſolis exorientis calor benigniſſimus terram roſis & rore ſpargit; ità in curarum Medicarum primordiô, complures magnâ extuliſti lætitiâ, ægrotorum deſideriô mirificè ſatisfaciens. Inde non noſtræ tantùm urbis ſed & vicinorum locorum incolæ quamplurimi valetudinis aut reparandæ aut conſervandæ a te expetiverunt conſilium pariter & auxilium. Neque plebeij magis quàm illuſtres Viri, Nobiles, Barones, Comites atque Principes vitæ ſuæ curam tibi crediderunt, quorum ingens multitudo recenſeri poſſet, ſi neceſſarium videretur. Quâ cupiditate, quâ ſolertiâ adfuiſti omnibus? Actionum tuarum fuit ſcopus Dei gloria proximique incolumitas. Neque prœmiorum ſpes exacuit te ad ſedulò inviſendorum ægrotorum ſtudium neque horum paupertas à ſanandis illorum morbis te deterruit; ſic ditiſſimorum habuiſti rationem, ut Iro pauperiores nè negligeres. Mercedem enim te conſecutum eſſe ſatis magnam, credidiſti, ſi miſeriæ hominum grato ſubvenire potuiſti levamine. Quantâ iis in rebus uſus es dexteritate? Nullum ægritudinis genus, nullæ medendi viæ te latuerunt, neque temerè unquam fefellit eventus. Quem prævidere Medici prudentiâ, ex omnium autem votô ſemper præſtare ne feliciſſimi cura poteſt. Optimus eſt Imperator, non qui hoſtem ſemper ſuperat, ſed qui in acie circumſpectè ſe gerit, omnia ſubiens, quæ iſti damno eſſe pòſſunt. Medicumque laus non exigua condecorat, ſi morborum crudelitati ea opponit, quæ artis providæ ſapientia præcipit. Semper autem proſternere morbos non eſt Medici quemadmodum nec Imperatoris hoſtium ubique profligare copias. Neutrum enim ſua decepit ars, neque tam ſcientia deſeruit, quàm ſuccesſûs felicitas, qui à Dei expectandus Numine. Sicut autem plurimorum valetudini aſſiduâ ſedulitate proſpicere ſolitus es uſque ad extremum vitæ halitum; ità & doctiſſimis literarum monumentis conſulere voluiſti iis, quibus volupe eſt eruditorum lucubrationes induſtriis verſare manibus. In illis poni poſſunt diſſertatio *de Tincturâ univerſali contra abuſum Alchymiæ; methodus balſamandi cadavera, etiam majora ſine omni eviſceratione;* cui annexa *ratio medicamenta Chymica extemporanea ſine deſtillatione* concinnandi, item tractatus oſtendens *Cinnabarim nativam Hungaricam novum figendi modum.* Varia etiam *Ephemerides Medico-Phyſicæ Germanicæ Academiæ Imperialis Curioſæ* continent, quæ te agnoſcunt auctorem. Quid dicam, quâ promptitudine miſerorum inopiæ ſubveneris? Illorum ſi repræſentari voces poſſent, quàm innumera de te perciperentur præconia? Æquiparâſſe te, dicerent, eorum liberalitatem, quos canæ antiquitatis teſtimonia noſtræ conſecrârunt memoriæ. Veritatis ſum amantiſſimus. Atque reipſa non abhorrere, quæ jam attigi, unanimi teſtantur ore atque calamo, qui Eccleſiæ ſcholæque noſtræ præſunt, viri multâ laude commendabiles. Poſteri etiam id confitebuntur, cogrituri, quam dicaſti, egenæ juventuti ſcholaſticæ ad comparandos quotannis libros, pecuniam. Quid quoque adjiciam, quàm ingenuô Numen ſupremum domi foriſque veneratus ſis obſequiô? Rectè verèque ſentire de iſtô, ſanctèque illud colere, fuerunt artes, quas imbibiſti, ut dictum eſt, puer, & conſtanter per omnem exercuiſti vitam. Illis ante omnia totis incumbendum eſſe viribus, illis adoleſcentem ætatem, illis juventutis florem, illis virile robur, illiſque ſenectutis canos conſecrandos eſſe cenſuiſti. Neque caruit illa pietas variis Dei O. M. remunerationibus. Non repetam, quantâ benignitate tibi providerit, ut in magnâ rerum penuriâ ad Medicæ artis apicem potueris aſcendere. Vitæ annum in illuſtri exegeras Salana, cùm Pater optimus ſui deſiderium incredibile tibi relinqueret. In quam magnam hujus abitûs te conjecit inopiam? Nihilominùs Dei providentia illam ità adjuvit, ut, multis non opinantibus, & feliciùs, quàm ipſe ſperaveras, ſtudiorum tuorum metam potueris contingere. Neque commemorabo, quàm luculenter res tua familiaris in urbe patriâ creverit, ut non tuis tantùm tuorumque uſibus, ſed & plurimorum pauperum deſideriô ſufficere potuerit. Id autem tacitus, præterire non valeo, quod non exiguam clari nominis famam, virtutibus tuis convenientem, Dei munere ſis adeptus. Annô 1665. Sereniſſima Princeps, *Magdalena Sibylla*, Dux Saxoniæ, Medicum ſuum ordinarium te eſſe voluit. Et annô 1667. Ipſe Patriæ Pater O. M. *Fridericus Wilhelmus* Archiatri ſui munus clementiſſimè tibi tradidit. Idemque *Sereniſſimæ ſobolis* ſuæ valetudini cuſtodiendæ annô 1669. te præfecit, quam ſpartam, illô pie defunctô, ſereniſſimorum Tutorum ſuffragia comprobarunt. Cùm autem poſt præmaturum juventutis Principis, Friderici *Wilhelmi* diſceſſum, *Erneſtus Pius*, Saxoniæ Dux Auguſtiſſimus, harum provinciarum dominium jure hæreditario annô 1672. acciperet, ille etiam ſui ſuorumque Archiatri titulô te ornavit, ſæpenumerò conſiliis tuis, interprete Medicô ordinariô, Daniele Ludovici in curandô corpore uſus. Quin & annô 1680. in aulam ſuam te pertrahere geſtiit. Valetudinis autem adhibitâ excuſatione, in urbe patriâ remanere maluiſti, quàm aulæ fluctibus te iterùm iterùmque exponere. Eandem ob cauſam non potuiſti annuere ſereniſſimô Marchioni Brandenburgico, Domino Chriſtiano Erneſto, An. 1673. deſideranti, ut Archiatri munus in Aulâ ſuâ ſuſciperes. Ad parilis excuſationis neceſſitatem confugiens familiam tuam transferre Dreſdam noluiſti, cùm Potentiſſimus Saxoniæ Elector, *Dominus Joh. Georgius* III. per principem miniſtrum efflagitaret, ut Medici ſui provinciam imponi tibi patereris. Bis autem Annô 1682. & 1684. ab eô valetudinis ſuæ causâ evocatus, præter alia gratiæ ingentis teſtimonia *Electoralis Archiatri reportaſti* encomium. Colligi inde poteſt, dexteritati tuæ quid tribuerint ſummi Principes. Niſi enim te excellentiſſimum cognoviſſent Medicum, tantô animorum conſenſû vitæ ſuæ curam à te minus expetiiſſent. Quid de aliis afferam dignitatibus, quæ & aliunde tibi obtigerunt? nimirùm quod *Academiæ Leopoldinæ Directores* Celeberrimi tam illuſtris Collegii ſui *Adjunctum* te conſtituerint; quod multi exterorum litteris ſæpènumerô miſſis teſtati fuerint, quanti te facerent, quantâque cupidine, amicitiam ſibi tecum intercedere, optarent, quod & maximi Principes ad te direxerint literas cum ſingularis erga te gratiæ ſignificatione exaratas, in quibus non injuria eminentiſſimum Romanæ Eccleſiæ *Cardinalem Collonitzium*, quin & ipſum Cæſarem Leopoldum invictiſſimnm cum nonnullis Romani Imperii Electoribus collocare poſſem, ſi exigeret neceſſitas. Quorum munificentiâ ſi uti voluiſſes, ad quæ honorum, ad quæ divitiarum culmina potuiſſes emergere. Sed prætuliſti patriæ terræ dulcedinem ſplendidiſſimis aliorum locorum muneribus. Maluiſti in illâ honoris mediocritatem obtinere, quàm alibi magnis explendeſcere dignitatibus. Illi enim cùm præprimis te natum eſſe judicares, neglectâ ſanitatis tuæ ratione, cum ipsô vitæ periculô, aſſiduâ diligentiâ inſervire ſtuduiſti. Quilibet inde con-

conjiciet, patriæ amantiſſimum, ſtudioſiſſimumque te fuiſſe, quamdiu inter mortales exiſtere tibi licuit. Neque illa Dei clementia ſilentii peplo involvi debet, quam ab initiô uſque ad finem matrimonii tui es expertus. Conceſſit enim tibi ann. 1662. florente Majô, in proſperis & adverſus ſociam conſtantiſſimam, *Victorini Gruneri*, qui ſereniſſimis Patriæ noſtræ Patribus, à ſecretis Cameræ atque Feudorum fuit, filiam, natu mediam, fœmineæ probitatis, prudentiæ, aliarumque dotium exemplar fulgidiſſimum. Quid tuô cum illâ matrimoniô blandius, quid auſpicatius, quid omni parte beatius cogitari poteſt? Quæ animarum arctiſſima copula? qui amor æmulus? Quæ reverentia mutua? Nulla inter vos fuit diſcordia, niſi uter utri dilectionis mutuæ palmam poſſet præripere. In cæteris una voluntas, una mens, diverſa tantum corpora inhabitans. Non familiam modò illa circumſpectè adminiſtravit, ſed & utile in Chymicis laboribus atque in laborioſiſſimâ methodi ſine eviſceratione balſamandi inventione officium tibi præſtitit. Quin & enixa eſt tergeminam tibi ſobolem, filios nempè duos cum unicâ filiâ, *Johannem Victorinum*, paucis à nativitate diebus iterùm denatum; *deinde Mariam Eliſabetham* ex quâ mihi annô 1686. in matrimonium collocata binos vidiſti nepotes, alterum in matris uterô mortuum, alterum infantilibus ineptiis multiplices ſenio tuo creantem delicias; & denique *Johannem Chriſtianum*, qui diverſis hactenus in Academiis multa edidit egregiæ indolis ſpecimina, per veſtigia tua ad eximiæ laudis culmina contendens. Nonnè ea omnia ſupremi *Numinis* ſunt beneficia, quibus pietatem tuam exornare voluit? Neque abfuiſti à variis vitæ vexationibus. Nam quò ſinceriore Deum colimus obſequiô, eò frequentiorem perſentiſcimus caſtigationem, non ut pereamus, verùm ut conſtantiore cultû ipſi ſtudeamus adhæreſcere. Paternô certè animô multa ab incunabulis uſque ad obitum tibi impoſuit. Nihil autem moleſtius accidere tibi potuiſſet, quàm uxoris conjunctiſſimæ ſub Anni 1686. exitum diſceſſio. Quo arctiore animi veſtri copulati erant vinculô, eò difficilius disjungi poterant. Acquieviſti tamen in Dei voluntate quam tuæ cynoſuram conſtanter veneratus es. Alia etiam dolorum lenimina tenuiſti, & occupationum multitudinem, quas omnibus deliciis ſemper duxiſti anteferendas; & dicti filioli mei teneritatem, dulciſſimorum geſtuum blandimentis, omnem tibi abſtergentis ſollicitudinem. O ſi diutiùs te habuiſſemus ſuperſtitem! ſed arcana Fatorum conſilia deſiderii noſtri vota præoccuparunt, cùm vitæ tuæ adhùc longinquæ ſpes nos reficeret. Adeò incertæ hominum ſunt cogitationes. Fallimur cùm nullius erroris opinio nos titillat. Morbo eheu correptus pertinaciſſimo, quem nulla medicamentorum vis poterat frangere, inſtante noctis meridie IX. Januarii 1691. abiiſti, quo Dei conſilia te avocabant. O lugubre verbum, quo me abripis! Quibus triſtiæ fluctibus me abſorbes! ſatis quidem Deo, ſatiſque tibi vixiſti, ampliſſimas conſecutus dignitates, nobis autem præpropero diſceſsû obiiſti, amore adhuc tuô indigentibus; Nimis maturè mortuus es patriæ, officii tui per longinquum adhùc ſpatium cupidiſſimæ; Nimiumque citô miſeris, quorum ægritudinem variis ſublevaſti beneficiis. Sed cur te mortuum eſſe pronuncio, cùm adhùc agas incolumis? Non enim anima tua tantum inter innumeras beatorum ſpirituum myriades æternis gaudet beatitudinibus; ſed & vivit in hôc terrarum orbe nominis tui nobilitas, omnis interitus deriſura ignominiam. Superſtes agis in filiô de quô patria optima quæque ſibi pollicetur; perennas in animi tui monumentis, quæ gratâ prædicatione ſera circumferet poſteritas; illa immortalitatis tabulæ famam tuam inferet, & ab omni oblivionis liberabit injuriâ. Eam quicunque conſpicient, excellentiſſimi Medici exemplum te fuiſſe dictitabunt. Hiſce dictis, ſalve, indulgentiſſime ſocer, æternùmque vale.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1684. *pag.* 283.

Gabrielis Clauderi D. Medici Ducalis Saxonici, Academici Curioſi, inventum Cinnabarinum: h. e. Diſſertatio de Cinnabari Nativâ Hungaricâ, longâ circulatione in majorem efficaciam fixata & exaltata. Ad normam Acad. Nat. Curioſ. Jenæ ſumptibus Joh. Bielkii, 1684. *in* 4.

PUblico & curioſis rerum phyſicarum ſcrutatoribus denuò litaturus Vir hic Nobiliſſimus, poſtquam medicamen tamineralia & in ſpecie Mercurialia contra Miſochymicos defendit, eorumque poſteriorum nonnulla ritè præparata, eorumque effectus mirabiles, tam in Chymiâ, quàm Alchymia indigitavit, illorum noxam à minùs rectâ eorum confectione ſeu inſufficiente fixatione derivat. Hinc medicamina merè mercurialia quamvis abhorreat, præprimis in corporibus noſtris, à labe ſcorbuticâ vix immunibus; tutiora nihilominus & mitioris fati ipſi videntur Cinnabarina, de eſſentiâ & qualitate Mercurii participantia; Cinnabaris autem Antimonii ac nativæ vires dum deprædicat, hanc illi anteponit. Aſt quoniam ſylveſtreitas Mercurio ſolennis, in Cinnabari hâc aliquantum equidem, nondùm tamen plenariè, extincta eſſet, per longiorem fixationem & digeſtionem illam abſorptum iri ſibi promittebat, non per ſeparationem partium, ſed arctius earum connubium, minerale hoc ad meliorem frugem reduci, diverſorum ſcriptorum teſtimoniis, ſibique & aliis pyrotechnis perſpectâ magnâ digeſtionis vi confirmatus. Modum ergo, quô in circulandâ hactenùs Cinnabari Hungarica uſus, prolixius exponit Noſter, qui in accuratiore potiſſimum ignis lampadis moderamine & annuâ ferè applicatione conſiſtit. Quô factô fixati hujus medicamenti doſin atque utendi modum, cum ejuſdem virtutibus ſingularibus in morbis gravioribus, imò ipſa peſtis virulentia recenſet, ſubnectendo quædam de illarum ætiologiâ, ſc. quod eaſdem per idealem illuminationem, ſeu irradiationem ut Helmontius loquitur, minerale hoc exaltatum exerat.

De eô prætera habentur in Lind. Renov.

Methodus Balſamandi corpora humana aliaque majora ſine eviſceratione & ſectione hucuſque ſolitâ. Ubi non modò de conditurіs Veterum Ægyptiorum, Arabum, Hebræorum, ac in ſpecie Corporis Chriſti, ut & Modernorum diverſa proponuntur; ſed etiam modus ſubjungitur, quô cadavera integra ſine exenteratione poſſint condiri. Adnexa item eſt methodus, parandi varias eſſentias atque Spiritus chimicos extemporaneè, ſine igne, aut deſtillatione. Altenburgi, apud Göttofredum Richterum, 1679.4.

Diſſertatio de Tincturâ Univerſali, (vulgò Lapis Philoſophorum dictâ) in quâ 1. quid hæc ſit? 2. quòd detur in Rerum Naturâ; 3. an Chriſtiano conſultum ſit immediatè in hanc inquirere? 4. è quâ materia? & 5. quomodo præparetur? per rationes, & variorum experientiam, perſpiçuè proponitur, aliaque curioſa & utilia huic analoga

analoga, adnectuntur. Altenburgi, apud Gottofredum Richterum, 1678. 4.

De eôdem rursùs ſequentia reperiuntur in Miſcell. Nat. Cur. Dec. ij.

Ann. 3. Obſervatio 72. Fœtum pariens fœtus recenter excluſus.
Ibidem, Obſervatio 73. De Hippomane.
Ibidem, Obſervatio 74. De Lare illô, vel Beſtiolâ domeſticâ, quam den hauſ Unčten vocant noſtrates.
Ibidem, Obſervatio 75. De Hermaphroditô.

LUdere in humanis rebus Divinam potentiam, ac inter creaturas non raro monſtroſa, & contra ſolitas Naturæ vias accidere, ſingulis, qui æquâ rationis lance Phyſica ventilant, non eſt incognitum. Similibus extraordinariis contingentibus non immeritò adnumerantur homines illi, Hermaphroditorum nomine quos inſignimus, dum ſcilicet & virile & muliebre genitalia, bonam tamen partem ùt plurimùm imperfecta, à Naturâ ludente vel errante talibus inſimul impertiuntur.

Cùm horum hiſtoriæ in obſervationibus Medicorum non ſint adeò paſſim obviæ; junioribus autem Medicis aliiſque intereſt noſcere circumſtantias hujus erroris naturalis, ob divortium ſæpe ideò quæſitum, & alia diverſa, lubet hic aliquam proponere; præprimis cùm nonnulla ab aliis ſimilibus diverſa contineat, atque rariora; civis quidam in vicinô aliquô oppidô honeſtè natus, & honeſtè educatus, nec inhoneſtè vivens, ſimili, id eſt honeſtô propoſitô matrimonium ingreſſurus, elegit ſibi virginem, parentum honeſtorum filiam, famæ itidem non inhoneſtæ. Dùm conjugii debitum ſponſæ ſuæ perſolvere aggreditur, dapes haſce venereas neutiquam experitur ità dulces, veluti quidem eaſdèm ſibi promiſerat; (primâ autem vice dum vixerat, coitum tunc exercebat.) Rem enim ſuam in novellæ uxoris rem immiſſurus, (ignoſcant mihi, caſti oculi, caſtæ aures; egomet caſtus Medicus hæc caſtis ſcribo; ſiquis Genius protervus ſcandalum inde accipiat, ſibi ipſi habeat;) invenit portam hancce nimis anguſtam, & vix duos digitos tranſverſos amplam; & quod majus adhùc fortunæ adverſæ obtigit tragicum ſymptoma, mentula conatu violentiore intruſa ſentit aliquid interiùs contrà audentiùs ire audens, atque ità huic introitum ſummè dubium reddens.

Miſellus iſte cœci cupidinis miles, duellum hocce amatorium, præter opinionem ingratum, ſatis ægrè ferens, ex amicis clanculùm ſciſcitatur aphrodiſiorum caſtrorum exercitia, conſuetaſque circumſtantias; atque ità de hiſce certior factus, de deſideratâ caſtelli hujus mirabilis atque miſerabilis expugnatione deſperat; propterea rem geſtam Magiſtratui Eccleſiaſtico denuntians, divortium petit; & quod petit, obtinet.

Ocularis enim inſpectio, Magiſtratus juſſû à peritô Chirurgô inſtituta, docuit, hominis hujus pudendum muliebre duos ſaltem digitos tranſverſos eſſe amplum, atque intra hoc, ſuperiore in parte, membrum apparere virile, primô intuitû duas ad tres digiti articulationes longum, inter leves autem contactus in æqualem magnitudinem adhuc excreſcere, durius inſimul redditum; contrectatione accuratiore itidem edocente, ſub carne adhuc latitare ejus portionem digitum longam; penem iſtum glande eſſe præditum non perforata, ac ſine præputiô; labiiſque pudendi muliebris diductis ſolitas non apparere nymphas; collô item uteri anteriore exiſtente quaſi cartilaginosè durô.

Cæterùm ſanguineæ illa erat complexionis, ac ſatis vegetæ, corpus obtinebat forte, vocem virilem, mammis carens, barbæ rudimentis & viſum & tactum eludentibus; & quamvis tunc 26. ætatis ſuæ annum abſolverat, menſtruum tamen fluxum nunquam fuit experta. Modò dictis tamen non obſtantibus, illa ipſa ſe ſe credebat fœminam, pluribus jam annis maſculorum inhians amori ac contubernio, imò è congreſsû mariti matrimoniali delectationes & deſiderans & ſentiens, modò monſtroſa conformatio, & confuſa partium genitalium ſtructura haſce ipſi non invidiſſet.

Ibidem, Obſervatio 76. De ſubſtantiâ renum nondùm corruptâ fruſtulatim exerctâ, cum mictione ſanguinis lucidi, lethali.

QUinquagenarius poſt ſæpiùs peractas meditationes ſerias, labores vehementes, commiſſoſque diætæ errores varios auget pedetentim in maſſâ ſanguineâ cruditates acido-ſalſas, ſuccedente cachectico-ſcorbuticâ viſcerum debilitate, & imprimis, ob tartarum in renibus coagulatum, calculô, ad quem hæreditariè ab utroque parentum proclivis.

Quibus tamen ſymptomatibus per commoda remedia, atque accuratiorem diætam aliquot annis ivit obviam, ipſe enim erat Medicus, ut negotiis ſuis obeundis bonam partem fuerit ſufficiens; cauſâ mali quidem non penitùs ſublatâ; hinc ingraveſcente denuò ſucceſſivè ſtatû morboſô cachecticô, non omiſſis novis, in diætam peccatis, augetur laſſitudo, aſthma, vomitus, nauſea, ac imprimis calculus, ut remedia probatæ in aliis experientiæ incaſſùm exhiberentur. Propterea ſibi perſuadere ab aliô patitur impatiens patiens, me licèt ingenuè diſſuadente, & ſummè contradicente ut unâ & alterâ vice aſſumat ſpiritus ſalis armoniaci volatilis drachmam unam, ſperans fore ut ità acidum viſcoſum ac p. n. ſanguinis impuri infringeretur, calculique è renibus πὺξ καὶ λὰξ exturbarentur.

Verùm enim verò tantum aberat, ut maſſa ſanguinea cum viſceribus chyli & ſanguificantibus ſolamen ſenſerit à violento medicamenti hujus nimium penetrabilis auxilio, ut potiùs eorum Archæus balſamicâ ſpirituum virtute jamdum depauperatus ſuccubuerit; dum ſcilicet cruditatum ſcorbuticarum p. n. fermentationes mirum quantùm auctæ, ac vi diureticâ medicamentum ad renes anteà debiles præcipitatæ & ſubitò raptæ cauſabantur dolorem nephriticum vehementiſſimum; inſequente non modò largâ mictione cruentâ, ſed & corroſione ſubſtantiæ renalis, unde ſucceſſivè ſpatio 2. ad 3. ſeptimanarum, Ren primò ſiniſter dein dexter (quod dolor Renis adfecti indicabat) fruſtulatim, particulis aliquando nucem juglandem æquantibus, imò ſuperantibus, & quidem maximam partem integris & incorruptis, quaſi jam jam cultrô fuiſſent diſſecti, ſpectaculô mirandô ac miſerandô ob ſummè doloroſum per anguſtas & tenues ureterum tranſitus, excernebatur.

Ulterius aliquot diebus ſanguis lucidus ac tenuis, qualis in venæſectione ſolet, exibat, ad libram unam pro doſi, admixtis inſimul vaſorum & ureterum particulis non parvis. Quorum ſymptomatum non poterat non eſſe pediſſequa, virium proſtratio ſumma, febris ſymptomatica & tandem mors. Truculentæ ac rariſſimæ huic fermentationi opponebantur quidem diverſorum generum remedia v. g. Ebur uſtum C. C. uſtum balſamus è ſaccharô ſaturni oleô amygdal. dulc. factus,

factus, balſamus ſulphuris amygdalinus, eſſentia terræ Catechu, extractum agrimoniæ, cerefolii hyperici, bellidis albæ, mucilaginoſa item è radice ſymphyti, altheæ, ut & alia confortantia; mixti cautè inſimùl anodynis, imò narcoticis; varia non minùs externa applicabantur, v. g. inunctiones adſtringentes, alternantes e ſaturnô &c. ſed omnia incaſſum. Proindè cautius mercari diſcant Medici juniores, imò alii, ſibi ipſi medicamenta inconſideratè propinantes alienis exemplis, caveantque, ne remedia generoſa abuſivè adhibita evadant gladii in manibus furientium.

Ibidem, Obſervatio 77. *De Convulſionibus Epilepticis violentis à Clyſtere acriori in doloribus Ventris ſcorbuticis incautè applicitô excitatis, ſanatis.*

Ibidem, Obſervatio 78. *De Lapide quaſi bezoardicô in Cervæ ſtomachô repertô, veſicæ incluſô.*

Ibidem, Obſervatio 79. *De Calculô in naſô genitô.*

Ibidem, Obſervat. 80. *De Mucô cadaveri extillanti innoxiè potô ab inſciâ.*

Ibidem, Obſerv. 81. *De Mortuô ex falsâ imaginatione.*

Ibidem, Obſervatio 82. *De vini Malvatici Hiſpanici & ſimilium generoſorum æmulatione, aut reſuſcitatione artificiali, in quâcunque Terræ regione, ſingulisque anni temporibus citò, tutò ac jucundè abſolvendâ.*

Ibidem Obſervatio 83. *De Remediô contra Deliria laude dignô.*

ORandum eſt, ut ſit mens ſana in ſanô corpore! ſuſpirium hocce jure meritò unusquiſque quot horis ad cœlum tranſmittit, ſi non linguâ tamen gemitû, tam ſuo corpori, quàm præprimis ſuæ Divinæ Auræ particulæ decenter conſulturus œconomus microcoſmicus. Si enim tantis moleſtiis, particulisque tantis ſcateant morbi corporis partes invadentes, facillimè ſubſumere licebit calamitoſæ miſeriæ augmentum, ſi ſimul animus laboret. Mirabiles ac miſerabiles phantaſiæ depravatæ operationes ac modos enarrare ſupervacaneum duco, partim quòd diverſorum librorum Obſervationes, partim frequenter obvia ſimiles, dolor! edoceat experientia, quas phrenetici, Maniaci, Melancholici, atque his cognati offerunt. Proinde extra dubium gratius erit, & conducibilius, de ſanandi methodô nonnulla proferre. Scopus quidem meus eô non inclinat, ut per ambages & prolixiùs hìc proponam integram ſimilium ægrotorum medicam tractationem atque curam; cùm hactenus unô plures Neotericorum eleganter ac perſpicuè publicis ſcriptis id edocuerint ſed in genere ſaltem præmittô, me pro diverſitate complexionis ætatis, ſexûs, & inde orientium ſymptomatum varietate optatô effectû exhibuiſſe poſt laxantia, ſudorifera, venæſectionem, aperientia, impuram ſanguinis maſſam corrigentia, ventilantia atque alterantia, acidum edulcorantia, circulum in ſtatum naturalem reducentia, qualia ſunt martialia, ſaturnina, nitrata, ac volatilia non omiſſis aliquando opiatis, v. g. inter alia Tinctura e vitriolô Martis & ſaccarô ſaturni, Tinct. è Vitr. Martis & ſale tartari, Eſſentia Martis ſuccô pomor. Borſdorff. arcanum duplic. Myns. Eſſentia Caſtorei volatilis, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, &c. &c. Horum autem, aliorumque propinatorum remediorum efficaciam valdoperè exaltavit, vel palmam iis præripuit. Sanguis aſininus, veluti ejus parandi modum deſcribit, *Joh. Hartmannus, in Praxi Chymiatricâ, p. m.* 30. Dum ſcilicèt ſanguis aſini vel aſinæ menſe Martiô vel Aprili Lunâ decreſcente circa aures evacuatur linteolis mundis excipitur, & ità ſiccatus uſui ſervatur. De hôc linteô capitur fruſtulum duos pollices longum, & 2. vel 3. digitos tranſverſos latum, infunditur in aquæ anagallidis fumariæ, vel ſimilis hauſtû ad coloris rubei extractionem; hauſtus hicce propinatur manè ægrotanti, tribus diebus ità repetendo, expectatô ſemper in lectô ſudore. In adfectibus melancholicis, ac ubi tardior ſanguinis, craſſioris circulus per ſalia volatilia promovendus, plus vice ſimplici peculiarem mihi oſtendit ſuam virtutem eſſentia è ſale fuliginis liquore alcalicô parata, alexiphàrmaca aliàs mihi à potiori denominata; veluti quidem ejus deſcriptionem jamdum literato communicavi orbi in capite ultimô tractatûs mei de Balſamatione ſive eviſceratione peragendâ.

Ibidem, Obſervatio 84. *De Diabolicô delirii Remedio.*

Ibidem, Decur. ij. Ann. 4. *Obſervatio* 132, *De Lapide animali è ſale Microcoſmi vel urinæ.*

Ibidem, Obſervatio 133. *De ſtomachico Poterii.*

Ibidem, Obſervatio 134. *De ſtomachicô Poterii exaltatô.*

Ibidem, Obſervatio 135. *De Cornu Cervi bezoardicô.*

Ibidem, Obſervatio 136. *De Medicamentorum obſeſſô infanti exhibitorum effectû.*

Ibidem, Obſervatio 137. *De Faſſinô recèns nuptorum ſanatô.*

Ibidem, Obſervatio 138. *De Sanguine Apoplecticorum frigidô.*

Ibidem, Obſervatio 139. *De Sanguine è naribus frigidè ſtillante.*

Ibidem, Obſervatio 140. *De Urinâ frigidè emiſſâ.*

Ibidem, Obſervatio 141. *De ſternutatione violentiſſimâ.*

SI ſternutatio unicâ ſaltem vice cuidam accidens Medicorum pluribus, & quidem non immeritò, audit apoplexia parva, nullus dubito, quin ſequentem relationem inſigni admiratione ſinguli ſint percepturi; Ancilla 20. annorum experitur nimiam maſſæ ſanguineæ tenuitatem, ac ſeroſam ſalſedinem, inde ortos & ſimiles, quos dicunt & catharros; cætera ſana, & negotiis ſuis peragendis idonea, corripitur à ſerô hoc acri nares p. n. petente ac ſtimulante improvisô ſternutamentis uti vehementiſſimis, ità frequentiſſimis per integras octo horas, & quod excurrit, aliquot mille vicibus & hoc quidem ſtimulô tam continuô ut ſermonem diſtinctum proferre & medicamenta interna deglutire neutiquam ipſi licuerit, ob motum capitis imò totius corporis concuſſi continuum. Proinde ad externa ſaltem remedia confugiendum erat; applicitô itaque clyſtere revellente è ſpeciebus fl. & fruct. ac carminativis; cùm electuarii hier. pier. & agar. ℥j. nitri reſin. ʒj. &c. per nares attractis incraſſantibus & dulcificantibus ex oleô amygdalar. ac hyoſcyami; admixtô Opii extractô, mucilagine ſemin. cydonior. Capitis item partibus ac nuchæ illitô ſpiritû externô compoſitô aliquoties in præcedentibus allegatô, additâ extracti opii portione, ſucceſſivè ceſſavit malum hoc ſymptoma, miſerabile adſtantibus exhibens ſpectaculum; Poſteà cauſa fuit correcta & remota per laxantia, ſudorifera, ſanguinem dulcificantia, ejusque ſerum tenuius ac largius incraſſantia.

Ibidem.

Ibidem, Obſervatio 142. *De ſuturarum Cranii diſceſſione ab adſtantibus perceptibili, à Cephalalgiâ contumaci.*

UTi univerſa Microcoſmi ſtructura, jure meritò ſingulos rerum naturalium ſcrutatores in extraordinariam rapit admirationem, ità globus huic impoſitus, caput intelligo, ſpeciâlem meretur ſtuporem; in quo, præter plurima mirabilia alia, non minùs arctè, quàm artificiosè Cranii partes mediantibus ſuis fiſſuris cohærere voluit ac juſſit Natura naturans, Deus. Coalitus hicce in adultis adeò firmus eſt, ut cruditatibus vaporoſis aliqualis tranſitus difficulter ulterius pateat. Hôc tamen nonobſtante, aliquot in perſonis obſervavi, aliquando tam violenter ac p. n. ebullire atomos ſanguinis impuri doloroſas, atque exitum moliri, ut ſubſecutæ ſuturarum Cranii divaricationes à quolibet adſtantium manifeſtô ſensû percipi potuerint; (*daſſ man es cnacken horet;*) Tali in ſtatû partim obviam ivi ſymptomati dolorosè urgenti, partim causâ mordax illud ſerum capiti communicanti; Hoc autem peregi bonam partem per medicamenta in antecedentibus commendata interna & externa; v. g. Eſſ. Caſtorei volatilem, *in diſſertatione meâ de Tinctura univerſ.* deſcriptam', liquorem CC. ſuccinatum, ſal volatile oleoſum ſuccini &c. quæ volatilia tamen cum incraſſantibus ſunt alternanda, ipſiſque addenda eſſentia opii, vel è ſuccô hyoſcyami, deſpumatione purificatô per ſpiritum verbenæ extracta; Aliis tamen palmam hic præripere obſervavi uti omnia Cinnabarina (antimonii & nativæ) ſuccino, cranio humano, denti equi marino, ſpinis viperarum, radic. pœoniæ, cum modicô laudani opiati mixta, itâ præprimis Cinnabarini nativam Hungaricam meâ methodo præparatam, veluti in *peculiari Tractatû* deſcripta eſt.

Ibidem, Obſervatio 143. *De eodem affectû in partû Obſervatô.*

Ibidem, Obſervatio 144. *De Dolore auris & capitis violentô, aliiſque periculoſis ſymptomatibus poſt mictionem in aurem.*

GEnuinam morbificæ cauſæ cognitionem dimidiam abſolvere partem in ſanandô morbô; veritati ſummè conſentaneum. Ego ſemper credidi, imò hujus rei plurima è propriâ experientiâ producere poſſem exempla; proinde philiatros ac novellos Practicos cautos hic eſſe, ac vigilare, candidè moneo. E pluribus unicum hâc vice proferam caſum: ſemiebrius quidam frivolâ ſtimulatus petulantiâ ſociô ebriô inter pocula obdormiſcenti mingit in aurem. Expergefactus iſte, vaporosâ crapulæ narcoſi quodammodò diſſipatâ, ſentit dolorem auris, imò totius capitis tantum non intolerabilem, ſuccedente delirosô capitis ſtupore, ac calore inſigni, ob lixivioſam urinæ, organa auditû delicatiſſima parteſque nervoſas titillantis atque debilitantis, ſalſedinem. Remediis variis incaſſum exhibitis, ob cauſæ genuinæ, nec per ſomnium conceptæ, ignorantiam, cum in pejus ruere omnia perceperit malitioſus morbi artifex, conſcientiæ metuens, cauterium, quid jocosè peregerit, detegit, proptereà pro acri lixiviô immiſſô & partes inflammante dulcificando, auri infunditur mucilago è ſemine pſyllii & cydonior. aquâ ſymphyti facta; vapor item è flor. verbaſci, pæonia; chamomill. ſemine lini, &c. in lacte coctorum eidem per infundibulum communicabatur; internè vero exhibitis nervinis roborantibus annicabatur; internè verò exhibitis nervinis roborantibus anteà aliquoties propoſitis, item alterantibus Tinctur. flor. pœoniæ, papaver, err. nitratis, & præprimis cinnabarinis non omiſſâ inſimul opiatorum portiunculâ, pro ſopiendo ſpirituum cerebri ac nervorum fervore, ſanitatem cum Deô recuperavit.

Ibidem, Obſervatio 145. *De Miſerandis torminibus à formicâ in aurem ingreſſâ.*

OB affectus homogeneitatem lubet ſequentem ſubjungere obſervationem; Inſecta in aures aliquando irripere dum in pratis decumbitur, aliiſque de cauſis variis, notum eſt. Hæc à cautâ manû Chirurgica commodorum inſtrumentorum ope feliciter plus vice ſimplici extrahuntur; non tamen ſemper procedit, veluti ſequentia docent; Puello ſeptenni in prato obdormiſcenti formica aurem intrabat; ac parvâ eâque agili corporis ſui mole ad ejus interiora penetrabat; Hinc dolor intentiſſimus, quem miſellus geſtibus miſerandis ac clamore exaltatô adſtantibus ſatis oſtendebat ut ſic inflammatio interna, ac ejus pediſſequa, convulſiones; veluti Hannibal ad portas, fuerint metuendæ. Chirurgus accerſitus eludebatur inſtrumentis ſuis aliàs efficacibus, utpotè ferreis; Cùm igitur remediis fortioribus vix domandus videretur hoſtis iſte, in proprium ſimùl interitum ruens, ad ſtratagemata, & blanditias, more in caſtris conſuetô, confugiendum fore, cenſui; Proinde juſſi lac calefactum auri adponere; dulci hujus vapore vix ingrediente, regrediebatur moleſtiſſimus iſte hoſpes, atque hoc reditû & puero, & ſibi vitam ſervabat.

Ibidem, Obſervatio 146. *Aqua, quâ mortuus lavatur, ſedat nimium & abuſivum vini appetitum.*

Ibidem, Obſervatio 147. *De Liquoribus Chymicis, præprimis volatilibus, qui aliunde non ſunt tranſportandi niſi vitris penitùs repletis.*

Ibidem, Obſervatio 148. *De Iliacâ paſſione ſanatâ.*

Ibidem, Obſervatio 149. *De Coriô vegetabili è lignô quercinô hæmorrhagias ſiſtente.*

NObiliſſ. *Jac. Breynius, Ephemerid. Medicar. Germanor. Anni.* 4. *Obſervat.* 150. refert, in mediô quercûs repertum fuiſſe fungum coriaceum, narium hæmorrhagias ſiſtentem, ſi cordis applicetur regioni; cui obſervationi propter analogiam materiæ & effectûs addo ſequentem: Corticem talem tenerum corio molli ſimillimum, ſæpiſſimè reperire eſt in lignô quercinô diu aëri expoſito quaſi putrefacto, ac cariosè corrupto. Hujus corii teſſulatim inter ligna repoſiti vegetabilis particulas plurimas exſcindere & ſeparare facilè licet; quas itidem in manû detentas, uſque dum incaleſcant vel cordis regioni applicitas pro cohibendis narium hæmorrhagiis plus vice ſimplici feliciter operari vidi. Quàm mirè abſcondit Naturæ arcana Autor, etiam inter res abjectiſſimas, inter ligna ſemiputrida, ignis combuſtione indigna judicata! Proinde meritò haberemus, cur adcuratius inquiramus in tot & tanta adhuc occulta phyſica.

Ibidem. Obſervatio 150. *De Mirandâ ac jucundâ Vegetabilium plurium ſtructurâ.*

Ibidem, Obſervatio 151. *De Partû quinque Filiorum.*

Ibidem, Dec. ij. Annô 5. *Obſervatio* 177. *Medicamenta è Mercuriô vivô difficillimè ſunt præpara-*

præparationis ; ideòque ſummè cautam Chymiatri prudentis & experti expoſcunt manum.

Ibidem, Obſervatio 178. *Opium, inter moderna medicamenta generoſa neutiquam poſterius, in præparatione & propinatione molliter vult tractari.*

Ibidem, Obſervatio 179. *De Opiô crudô quotidie per plures menſes largâ doſi optatô effectû à Germanô aſſumtô.*

Ibidem, Obſervatio 180. *Phthiſici auxiliô Medicô anxiè inhiant, qui ipſis Hannibal revera ad portas.*

HYdrops quartana Medicorum ſcandala plana: ità ſonat in non vile Artis ſervandorum hominum opprobrium antiqua ſatyra, utinam hodiè non ampliùs vera! Conſtat mihi tamen tùm aliorum, tum propriâ experientiâ aliquot per luſtra noſtri ſeculi bigam hancce malitioſam cornua deponere fuiſſe coactam, præprimis quidem Hydropem. Poſtquam ſcilicèt contra Hydras haſce Lernæas fortiùs frequentiuſque remediorum chymicorum clavâ Herculeâ pugnare didicerunt naturalium Chymici ſcrutatores, laudabilem operam conferendo Medicamentis è Tartari ſale fixo & volatili item Martialia, ſaturnina, nitrata &c. v. g. Tinctura è ſale Tart. & Vitriolo Martis, Tinctura è vitriolô Martis, & ſaccaro ſaturni; aliis verò palmam dubiam faciunt ſalia alcalia tam communia ex herbis, quàm liquores chymici per hæc compoſiti, quales apud diverſos Neotericos-Chymicos, ut & in *Capite ultimô Tract. mei de Methodô balſamandi* largè inveniuntur. Fine autem ſuô facilius potiuntur ſi ſanguis innato non nimis privatus balſamo, ac viſcera chyli ac ſanguificationi deſtinata depurando, colando, muneris ſui non obliviſcantur. Sed ut ad rem; Majori jure Medicorum ſcandalum dici meretur Phthiſis, & ejus conſanguinea, febris hectica; quippe de quibus expugnatis, ſi aliquales egerint radices experientiſſimis etiam Chymiatris communi querela triumphare vix licet, non modò propter luxuriantem materiæ ulceroſæ in pulmonibus ſpongioſis truculentiam; ſed & ob clancularias ſubdoli caloris hectici vires, cui hucùſque ſufficiens præcipitans extinguens, veluti fit aliarum febrium calori, opponere & invenire, quantum mihi conſtat, nemo valuit. Nihilominus tamen gratioſiſſima Clementia Divina more ſuô neque hic ſuam humano generi denegavit opem, veluti magnam merentur laudem ſequentia; (niſi malum per longas invaluerit moras;) Agmen ducat Aqua antiphthiſica egregia *Epiphanii Ferdinandi*, vel ideò cedro digniſſima, cùm ſanguinis acrimoniam mirè dulcificet, purificet, confortet, attenuet, humectet, nutriat, conſolidet; eam deſcribit *in ſuis obſervationibus Hiſtor.* 20. Quam tamen ob climatis diverſitatem, ſcorbutumque ingraveſcentem quodammodo mutavi, aliud addendo, omittendo aliud: ℞. ſanguinis è porcellô recent. decollato ℔iiij. Terebinthinæ Venetæ, liquiritiæ raſæ ā ā ℔j. ſummitat. pini menſe Aprili vel Majo decerptarum Mviij. Flor. bellid. rubræ Mij. albæ Miiij. micæ panis triticeæ recent. coctæ ℔j. Mixta deſtillentur in vaſe vitreô; doſis eſt 1. vel altera uncia. Huic aquæ efficacia neutiquam cedit Tinctura è vitriolô Martis & ſaccarô ſaturni; ejus varii extant præparandi modi, v. g. ℞ ſaccari ſaturni ʒvj. Vitrioli Martis ʒiij. Mixtis extrahatur ſpiritum vini non adeò forti Tinctura; Alii ſeq. præferunt; ℞. Vitrioli Martis ℥ß. ſalve in liquoris ſaturni (dum nimium acetô ſolvitur) ℥iijß. ſpiritus vini ℥i. digere, filtra, doſis 25. 30. 40. guttæ, primâ methodo paratam plus vice ſimplici mirabili virtute ſum expertus. Antihecticum Poterii è regulô antimonii & ſtannô compoſitum maximi ſanè ſolatii & operationis eſt remedium, præprimis, ſi portiuncula pulveris anodyni miſceatur. Non minùs egregiam præſtat operam radix aronis aliquoties Tincturâ fl. bellidis & papaver; erat impprægnata & exſiccata, pro roborando pulmone acrimonia hectico-phthiſica læſo, præprimis ubi ſtomachus malè coquens uſû aliorum refrigerantium & præcipitantium vires perdidit neceſſarias. Sperma ceti cum lacte ſulphuris variis indicationibus quoque ſatisfacit; ut & potus tepidus lactis humani, aſini, caprini.

Ibidem, Obſervatio 181. *Nimis rigoroſa & iniqua eſt Galenicorum nonnullorum in Chymicos Cenſura.*

Ibidem, Obſervatio 182. *De Thematum Genethliacorum incertitudine.*

Ibidem, Obſervatio 183. *De feli ſciurum pariente.*

Ibidem, Obſervatio 184. *De Tranſmutationis Metallorum poſſibilitate.*

Ibidem Obſervatio 185. *Bryonia egregium exhibet regno ſuo vegetabili ornamentum.*

MUlta latent adhuc Naturæ in gremiô arcana, quæ Deus & dies ſucceſſivè offerunt inquirendo hæc expetentibus; mirè item ludit in humanis Divina potentia rebus. Talibus arcanis meritò annumerantur curæ tranſplantatoriæ; hæ ſub Chriſtianis Artis Medicæ legibus inſtitutæ, omiſſis ſuperſtitioſis, opemque diabolicam olentibus, minimè ſunt contemnendæ. Radix Bryoniæ, præter alias virtutes contra diverſos morbos pro uſibus internis ipſi innatas, laudabile hujus rei oſtendit teſtimonium contra ſymptomata & quæ his analoga, arthritica, ſi ſcilicet è terrâ recèns evulſa locis adfectis affricetur, ſoloque iterum concredatur, ut more ſibi naturaliter inſitô creſcere pergat. Præter dictam hancce qualitatem virtuoſam, hoc in frutice præprimis notatû dignum eſt, quòd variorum botanicorum experientiâ conſtet, è baccis ejuſdem licèt largè prodeuntibus, nullam planè ſperandam eſſe prolem, etiamſi ſerendo, aliiſque modis cautiſſimè tractentur à manû botanicâ. E contrà, ſi aves baccas haſce devorent frequentiſſimè veluti fieri ſolet, eæque poſteà excrementa ſua hinc inde diſpergant, atque ità ſimul dictas baccas quaſi fermentatas, calcinatas, vel deſtillatas excernant, frutices hoſce protuberare, ut poſteà ab hortulanis in loca commoda transportari atque excoli poſſint.

Ibidem, Obſervatio 186. *Cricetus (der Hamſter) providus ſibi contra famem hyemalem promuscondus, ſingularibus à Naturâ organis ad hæc inſtructus.*

Ibidem, Obſervatio 187. *Simia mas, conſtans uſque ad exilium ſuum Virginis pulchræ Amaſius.*

Ibidem, Obſervatio 188. *De Pennis albis Corvo nigro ex alâ ſucceſſivè excreſcentibus.*

Ibidem, Obſervatio 189. *De Rarâ ſomnambuli hiſtoriâ.*

ADmiratione dignas, quæ à ſomnambulis ob depravatos Phantaſiæ motus peraguntur, actiones non ſine ſtupore legimus; harum plures

plures videre eſt apud laborioſum *Schenkium*, alioſque; lubet aliam proponere; ſcholæ Alumno, gnavo Palladis militi, à Præceptore aliquot vicibus exhibetur argumentum) quod vocant ſcholæ,) Germanicè ſcriptum latinâ donandum civitate, vel latinitatis exercendæ ſpecimen. Diſcipulis lucubrationes aliis impendens ſtudiis; dicti ſpeciminis verſionem in latinum, auroræ ſemper reſervat; e lectô autem ſurgens manum ac mentem operi admoturus, hoc à ſe infectum jam jam factum invenit. Re inſolitâ attonitus factus, diabolicas ſuſpicatur illuſiones; Proinde Rectori omnia detegit; hic jubet binos ejuſdem commilitones accuratam dormientis curam gerere. Dictum factum, ſanus ille æger unâ alterâque horâ ſomnô uſus ſurgit, muſeum ingreditur latinitatis ſpecimina inſcius conficit, ac lecto ſe ſe reddit, pro ulteriori ſomnô capeſſendo. Cùm majora mala minetur ſæpiùs hic affectus, exhibui tam ratione causæ univerſalia, laxantia, ſudorifera, dein Hypochondria aperientia v. g. Tincturam è ſale Tartari & vitriolô Martis, Tincturam è vitriolô Martis & ſacc. ſaturni, aliaque Martialia ac tartarea; Pro cerebrô verò roborandô eſſentiam Caſtorei volatil. ſal volatile oleoſum ſuccini, Cinnabarin meam fixatam, &c. inde ceſſavit affectus. Obiter moneo, de hoc ſymptomate niſi hoc nimis ingraveſcens majora poſt ſe traheret incommoda, imò pericula vitæ inſidias ſtruentia, nullus dubito, quin plures, qui vacunæ, Morphei ac pigritiei ſunt ſacrificuli, eô modô, qui ſcholaſtico obtigit, ægrotare potiùs velint, quàm ut medicamentis hoſce conatus Naturæ expelli, ſint conceſſuri.

Ibidem, *Obſervatio* 190. *Scortum album ab Æthiope parit Filium biçolorem.*

Ibidem, *Obſervatio* 191. *Melancholica imaginariè ſibi viſa gravida, & poſteà Puerpera.*

Ibidem, *Obſervatio* 192. *De Verme importunô & moleſtiſſimô dentis cavi inquilino.*

Ibidem, *Obſervatio* 193. *De vomitû quadraginta librarum muci corrupti ac pici liquatæ ſimili, lethali, aliiſque rariſſimis in diſſecto corpore Obſervatis.*

OFfero curioſitati Tuæ, Benevole Lector, caſum, qui non heri aut nudius tertius, ſed 28. abhinc annis Lipſiæ dùm ibidem ſub favoniô Magni D. Joh. *Michaelis* praxin Medicam initiabar, accidebat; mihi autem certè promitto illum antiquitatem ſuam raritate fore compenſaturum. Quid interiùs æger monſtri aluerit ſummè meritus *Thom. Bartholinus Centur. 6. hiſtor. Medic.* de ſtomachô in thorace ſitô meminit; ſed breviter ſaltem. Integra autem morbi hiſtoria, ac reliqua notatû digna erant talia: Juvenis 24. annorum habitûs athletici ac corpulenti; ſagô indutus Palladis fuit miles, ſub exercitû Suecico Vexilliferi munere aliquot annis fungens, rebus ſuis magis conſultum judicat, ut denuò in togâ per tempus ipſius legibus ſe ſe ſubjiciat, ac pro ſcopô ſuô obtinendô celeberrimam ſibi eligit Academiam Lipſienſem: Finitô ibi trienniô bellica caſtra repetiturus, in prædiô Amicis ultimum dicit vale. Epotô hilaritatis, quod vocant, poculô, Hectores iſti Bacchici cereviſiarium dolium è cellâ curant inferri hypocauſto, illud benè agitant, & ſic quod ſucceſſivô labore cauta ars ſeparaverat, purum ab impurô, illi incauti & temerarii rurſus conjungunt. Circà tertiæ diei finem exhauriunt nectar illud; ſuccedit huic renovato belli candidato unô alterôque ſtatim die laſſitudo, anorexia, cardialgia, ſingultus, quibus accedunt vomitus frequentiſſimi; excernebatur materia aduſta, picea ac fœtens, admixtô pituitæ viſcidæ albæ pauculô. Cum rejectorum color niger ac piceus, illorumque fœtor cum ſubitaneâ, eâque vehementi virium proſtratione monſtrarent, ob potum cereviſiæ fæcibus ſuis denuò impraegnatæ ac deturpatæ largiorem, cruditates in corporis craſſi ſtomachô, inteſtinis, meſenteriô, totâque maſsâ ſanguineâ contentas fermentatione præternaturali eſſe commotas corruptas, ob œconomiam Microcoſmi, violentè turbatam in ſtomachum regurgitatas ac revocatas eſſe, malignitate aliquâ Archæô ſimul inſidias ſtruentes, adhibebantur ſtatim alexipharmaca, præcipitantia è C.C. uſtô, ebore uſto, terrâ ſigillatâ, ſpiritus maſtichis, balſamica item è ſulphure, mumiâ miſcebantur, theriaca internè & externè applicabatur; nec omittebatur opium, & clyſteres acres revellentes, additô electuar. hier. pier. cum agaricô & nitrô; ſed truculentia cauſæ eludebat opem ac operam omnem, donec circa diei tertii finem accedente plenariâ, eâque celerrimâ virium proſtratione, atomis putridis balſamum vitæ extinguentibus, ſub copioſiſſimâ dictæ materiæ piceæ per os, nares & alvum, quâ datâ portâ, proruptione ſuffocatus ad plures abierit, inter togam & ſagum medius. Novimus, illum cum collegis thyrligeris potatum in rus abiiſſe; neſciebamus autem, quod fæces denuò cereviſiæ conjungatas biberint; proinde obſtupeſcebamus ſubitam & lethalem fermentativam corruptionem, ſuſpicabamur quaſi venenum; Hinc juſſû *Dn. D. Michaelis* inſtituebamus cadaveris ſectionem. Primariam & primam vomituum horum miraculoſorum cauſam alibi, quam in ſtomachô primùm quærere non poteramus. Diſſectis & ſeparatis abdominis viſcera continentibus partibus externis hic nullibi apparebat. Inde quaſi occæcati manuductionem implorabamus duodeni, ut pote ventriculo alias connexi; illud tranſibat diaphragma in thoracem per foramen, à Naturâ factum, non verò aliquâ violentiâ, quale exemplum reliquit Magnus *Dan. Sennertus in Medic. Practicâ*, *Tractatû de vulneribus.* Apertô igitur Thorace, inveniebamus faſtuoſum noſtrum ſtomachum, altioribus inhiantem, in ſiniſtrô ejus latere latentem ſub omenti portione, cui firmiter erat adnexus; inciſus hic tres adhùc libras materiæ iſtius nigros viſcidæ contentæ ſpectatoribus monſtrabat; Polypori ſphincter adeò erat relaxatus, ut ex inteſtinis mucus iſte plenô impetû in ſtomachum redire non difficulter potuerit; Hic, cætera liber, inferiore ſui parte ligamentis aliquot membranoſis, iiſque fortiſſimis diaphragmati & pleuræ circa coſtas ſpurias alligabatur; nunquam tamen de aſthmate ilie conquerebatur, niſi de ſubitaneô ac quaſi ſuffocante, mox tamen iterùm evaneſcente, poſtquam unam alteramque potûs libram præcipitatâ deglutitione ingurgitabat, qui modus hauſticῶς bibere, in potatoriâ palæſtrâ Bacchi diſcipulis audit. Libera ſemper in hoc homine reſpiratio eò magis erat admiranda, cum ſtomachi moles mirum quantum magnâ ſuperiore ſui parte claviculas ferè attingebat, ſiniſtrumque latus planè occupabat, adeò ut vix minimæ ſiniſtri Pulmonis particulæ (in favorem ſtomachi parcè ibi à Naturâ providâ creatæ;) locus ſupereſſet neceſſarius; Ingratus iſte inſuper & ſuperciliosſus Thoracis hoſpes cor quoque (quod mediante pericardiô pleuræ erat copulatum) de ſuâ in dextrum latus depellebat ſede; ità ut dexter pulmo cordi cedens dorſi adhæreret ſpinæ, ſed nondum ceſſant ſtomachica iſta ludibria; ſitum enim obtinuit à Naturâ opifice inverſum; œſophagus

phagus enim deſcendens propè diaphragma ipſi inſerebatur, (unde in morbô præſente de ſolitô cardialgiæ locô affectô conqueri poterat ;) è contrà Pylorus Duodeno annexus altiùs, ferè uſque ad claviculas erat ſituatus, ſuperjacebatque ſuperiori, quod dicunt, Ventriculi orificio. Diaphragma totum erat carnoſum ; Hepar magnitudinis inſolitæ ac tantæ, ut locum ſtomachi infrà deficientis ordinarium impleret, Diaphragmati quoque erat, adnatum. Abdomen ità ingreſſi non immeritò volebamus oculorum holocauſtum offerre lieni ; verùm & hic nullibi adparebat ; Veluti autem antea ſtomachi latibula per connexum Duodenum licebat expiſcari ; ità & hìc non minùs per vas breve ſtomacho conjunctum, aliaque vaſa viis ordinariis ad hunc tendentia reperiebamus, ſanum quidem, ſed exilem in peculiari capſulâ, quâm Diaphragmatis duplicatura ipſi in ſiniſtrô latere compoſuerat, nidulantem. Supereſſent alia addenda rara ; ſed erena ſtupefacta ampliùs non obedit.

Ex adductis pateſcit, quantæ accidunt in corporibus humanis contentorum variationes, (licèt in aliis ſubjectis non tam copioſæ ſemper & rariſſimæ) quæ ſæpius eludant in cognoſcendô morbô etiam cautiſſima Medicorum experientiſſimorum ingenia ; ideòque modeſtiùs agere & cenſoria indicia ſuſpendere ; vel ad minimum ſine aculeis proponere ea deceret Medico-Maſtiches contra Practicos innoxios, cauſas morbificas tam accuratè divinare neutiquam valentes.

Scholium.

Eadem hæc ventriculi in thorace reperti hiſtoria, prout eam ann. 1661. Nobil. D. Autor Pataviô ad *D. Marcum Ruych*, Medicum Amſtelodamenſem præſcripſit, recenſetur in Exc. *D. Laurent. Strauſſii tr. de fœtû Muſſipont. pag.* 196. *cujus etiam pag.* 15. necnon in *D. Thom. Bartholini Cent.* 6. *hiſtor. anatom.* 55. ex editô Lipſienſi programmate mentio facta ; dignæ ſanè, quæ ob raritatem has quoque Ephemerides exornet. Cæterùm etiam ventriculus in thorace repertus legitur in *Laz. Riverii Cent.* 4. *Obſerv.* 67. ubi nempè is dextri pulmonis deficientis locum in juvene per naturam occupaverat.

Ibidem, Obſervatio 194. *Vagitus uterinus an mala prædicat?*

Ibidem, Obſervatio 195. *De Clyſtere innoxiè vomitû rejectô.*

Ibidem, Obſervatio 196. *Severa animi adfectuum biga, Ira & Mœror, crudeli ingratitudine humanæ imperant valetudini ; aliquando tamen eam huic quaſi invitam profuiſſe, obſervatum eſt.*

Ibidem, Decur. 2. *ann.* 6. *Obſervatio* 170. *De Baculô betulæ exſiccatô, viti novellæ pro fulcimentô admotô, viridem vitis ramuſculum è trunci ſui mediô protrudente.*

Ibidem, Obſervatio 171. *De Tritici in agris per artem Multiplicatione.*

Ibidem, Obſervatio 172. *De coitû Diaboli per* 25. *annos frequenti cum muliere, nulla veneficii opera exercente.*

Ibidem, Obſervatio 173. *De Termoſcopiô noviter inventô.*

Ibidem, Obſervatio 174. *De Compendioſâ & ſubitaneâ ſpiritus vini ac ſimilium rectificatione.*

Ibidem, Obſervatio 175. *De Thermometrô vivô.*

Ibidem, Obſervatio 176. *Pediculos vivos recens captos avide devorans.*

Ibidem, Obſervatio 177. *De Candidô de Theriacæ ac Mithridati compoſitione monito.*

Ibidem, Obſervatio 178. *De Miris herbæ hyoſcyami viribus.*

Ibidem, Obſervatio 179. *Tinctura Nephritica hypochondriaca, in præparatione deſtillatoriâ rubro colore ſtatim prodiens.*

Ibidem, Obſervatio 180. *Medicorum è Româ antiquâ olim factam expulſionem Arti Medicæ neutiquam dedecori ſed magno cedere honori demonſtratur.*

Ibidem, Obſervatio 181. *De Cultro coſtæ medium transfodiente, vulnere lethali.*

Ibidem, Obſervatio 182. *De Capreâ Cornutâ.*

Ibidem, Obſervatio 183. *De Lepore Cornutô.*

Ibidem, Obſervatio 184. *De ſputo ſanguinis largo & frequenti ob pulmones globulo olim transfoſſos.*

PRæteritô annô *Ephemeridibus noſtris* inſerebam remedia antiphthiſica, placet jam ſubjungere in gratiam juniorum Practicorum Hæmoptyſin, crudelem non minùs vitæ Humanæ hoſtem ; & hoc quidem occaſione caſus ſequ. ſatis rari : Vir generoſus trigeſimô circiter ætatis annô à latronibus in ſylvâ ſclopeto transfoditur per pulmones, ob vaſa majora læſa ſanguinis maxima ſtatim copia profunditur, adeò, ut latrones mortuum eum credentes, rebus omnibus ſecum portatis, abreptis, fatô ſuô reliquerint. Hic poſteà ab itineris ſociô, fuga ſtatim ſibi conſulente, ac poſt ſocii ſpolium reduce, rheda urbi vicinæ immiſſus, Medico-Chirurgicis auxiliis fuit concreditus. Quæ quidem id præſtiterunt, ut rivi hæmoptoici conſolidati ſubſtiterint ; poſteà tamen quotidiè fuit coactus ſputum cruento-purulentum, quale aliàs Phthiſici protrudunt, excernere. Cæterùm valebat ut licuerit ipſi rebus ſuis publicis valdè ſeriis etiam per itinera, eaque aliquandò non brevia, ſine aliô incommodô ſatisfacere ; cogebatur tamen ſalſedinem ſeri ſanguinei corrigere, pulmoniſque balſamum neceſſarium conſervare per nonnulla medicamenta, inſimulque diætæ regulis ſtrictiſſimè obedire. Hôc modô per 16. vel 17. annos vitam protrahebat tantùm non miſerè ; hinc ob robur Archæi à laboribus ſeriis & ſeniô accedente debilitatum majores vires ſumebat ſalſedo ſeri, & vaſa jamjam marcida rurſus erodebat, & quidem tantâ violentiâ, ut ſæpiùs 2. vel 3. dierum ſpattio ſputô excreverit, 5. 6. ad 10. libras ſanguinis puriſſimi, non ſine vitæ periculô vel ad minimum metû inſtantis hecticæ vel cachexiæ, ob ſanguinem ſpiritibus balſamicis depauperatum. Plus vice ſimplici tamen occludi ſeſe patiebantur hæc vaſa per 5. 6. 10. imò 15. menſes, uſque dum tandem aliis inſerviendo, uti candelæ, conſumebatur. Dictis modò ſymptomatibus obviam ibam remediis ſeqq. alternatim & ſucceſſivè exhibitis, inſimùl repetita, licèt pareâ, venæſectione, ac ſub regularum diæteticarum favoniô ; & quidem in Paroxyſmô : ℞. Tinctur. ſulphur. vitrioli ℥iij. doſis 30. vel 40. guttæ, 2. 3. 4. vicibus in die (hujus Tinct. elaborandi modum ſequens docet obſervatio,) ℞. Lapid. hæmatitis præpar. gr. x. antihectici poterii gr. vij. pulveris anodyni, terræ catechu. ana gr. iv. M. detur in triplô, veſperi unus ; ℞. Lixivii lapidum cancri (dum his vinum ſuperfunditur & per noctem ità relinquitur) ℥iii. S. confortans ac acidum corrigens, 1. 2. cochlearia aliquando ſumantur, ℞. Pulver. ſympathetici è vitriolô ℥iii. indatur vaſculo, ſputô cruentô humectetur, ſicceturque in locô

in locô temperatô ; Alia vice, vel poſt hæc: ℞. Uſneæ Cranii Hum. Magiſterii Jovis ana ℈ij. Sperniolæ Crollii ʒij. Miſce optimè, ʒß. pro doſi. ℞. Tinctur. ſulphur. Vitrioli adſtring. ʒij. Eſſent. opii vel hyoſcyami ſuperiùs deſcriptæ ʒß. ſ. 30. guttæ pro doſi. ℞. Terebinthinæ Venet. ʒj. cum lapid. cancri & ſpecier. diatragac. frigodar. ana q. ſ. f. l. a. pilulæ, harum nonnullæ per vices deglutiantur ; ℞. ſpernat. uti non rancidi gr. xv. vel per ſe in ovô ſorbilli vel mixtô panis ſaccarini ℈ß. detur in quadruplô. ℞. Tinctur. flor. Papav. errat. Bellid. rubr. ana. ℥ß. diſſolve nitri rifinati ℈ij. pro alteratione ſanguinis 60. guttæ ſumantur inter cibum. Deinde : ℞. Lact. Lunæ ʒiß. lapid. hæmatit. præpar. ʒj. antihect. Poterii, Terræ catechu. Cinnabar. nativ. Hungar. ana ʒß. M. ʒß. pro doſi. ℞. ſemin. papaver. albi ʒiij. portulacæ ʒij. hyoſcyami ʒj. cum ſ. q. aquo ſymphiti & portulacæ f. l. a. Emulſio, adde Ebor. ſ. igne, Terræ ſigill. Boli armen, præparat. ana ʒj. pro viribus refocillandis & dulcificandâ acidâ ſalſedine. ℞. Raſur. eboris ℥iß. ras. dentis equi marini, priapi ceti vel cervi ana ʒij. flor. papav. errat. bellid. rubr. ana p. iij. gummi trugacanth. ʒiij. ebulliant in aquâ, exprimantur, f. l. a. gelatina, ʒij. vel iij. pro doſi in brodiô. ℞. Lactis virginis, id eſt, lithargyrii aceto ſoluti & cocti, olei roſar. vel ſambuci, ana, q. v. Miſce pro unguentô ſpinæ dorſi ad ſanguinem alterandum. Aliô in paroxyſmô. ℞. Lapid. hæmatit. præpar. lapid. cancri ana ʒj. ſemin. portulac. plantaginis, hyoſcyami ana ℈ij. Miſce, doſis ʒß. ℞. Pulver. rad. ſymphyti ℥j. cum ſ. q. aquæ ſymphyti f. l. a. Potio contrà acrimoniam. ℞. Lapid. cancri, pulver. virgæ aureæ, agrinconiæ, millefolii ana ʒiij. Miſce, aliquando ſumatur ʒj. ℞. C. C. uſti, Ebor uſti ana ℈ß. pulver. Terr. catechu gr. v. M. detur in ſextuplô. ſ. ℞. Nitri refin. ʒiß. diſſolve in aquæ ſpermat. ranarum, plantaginis, aceti roſati ana ℥ij. M. linteô duplici applicentur thoraci & dorſo pro ſanguine alterando, in paroxyſmô vehementi. ℞. Eſſent. terræ catechu. ℥ß. d. ſ. 40. guttæ aliquando inter cibum pro ſtomachô aliis læſô ſolandô. Extra paroxyſmum & vaſis conſolidatis per intervalla exhibebantur pro ſerô acri dulcificandô & incraſſandô & balſamô pulmonibus adeò debilitatis reſtaurando varia jam jam dicta ; quibus addebantur alia purificantia, v. g. Tinctura è Vitriolô Martis & ſale Tartari, Tinct. è Vitriolô Martis & Sacc. Saturni, Eſſ. Martis ſuccô pomor. facta, Tragea è lap. cancri, Ebore, Corallis, Croco Martis, &c. Pro chyli & ſanguificatione juvandâ inter cibum aliquando mixtura ex Eſſentiâ abſinthii ; terræ catechu, cum ſpiritû ſalis armoniaci. Extra cibum verò mirabile auxilium in hoc, & aliis ſeri acris violentiam experientibus vidi in potu lactis tepidi, cui fruſtum chalibis igniti 2. 3. vicibus immiſſum ab ℔ß. vel plus hauſtum ; cum euphoriâ quoque applicabantur clyſteres è ſolô lacte, additô ſaccari modico.

Ibidem, Obſervatio 185. *De Tincturam ſulphuris Vitrioli parandi modô.*

IN antecedente obſervatione mentio facta eſt Tincturæ ſulphur. Vitrioli ; cùm autem methodus parandi non ſit ubivis obvia ; aut ab aliis occultetur, pro ægrorum commodô hic ſe ſiſtat ; ℞. Capitis mortui ſpiritus vitrioli communis q. v. toties huic affunde aquam communem, donec, omne ſal, & virtus vitriolicæ elixivietur, & reddatur terra planè emortua & inſipida ; alias certè movet vomitus hujus uſui ſummè contrarios. Huic in vitrô ſuperfunde ſpiritûs ex anaticâ portione ſalis & nitri deſtillati q. ſ. ad eminentiam 4. digitorum ; ſi tædium ex hâc deſtillatione nauſces, ſuperfundantur ſaltem ità dicti ſpiritus mixti ſeorſim, ſ. a. deſtillati. Hæreo hæc ſanè, an hoc medicamentum ratione ortûs ſui, an verò ratione rariſſimæ operationis, nos in majorem rapiat admirationem. Paratur enim è Terrâ verè mortuâ, innatiſque ſuis qualitatibus, quantum quidem poſſibile, penitùs privatâ, cùm aliàs ad medicamenta paranda deſideretur virtus quò fortior, melior ; norunt inſuper Pyrotechni, ſi caput mort. Vitrioli dictum poſt deſtillationem ſpiritûs in ſuperiore domûs contignatione vel ſub tectô per unius vel alterius anni ſpatium aëri exponatur, ità tamen, nè à pluviâ tangatur, à Vitriolicô ſeminiô attrahi ſal aëris tam copioſum, ut fœcundam deſtillationem denuò præſtet, veluti priùs factum. Virtus autem medicamentoſa Tincturæ noſtræ conſiſtit in hoc, ut non modò ſedet miraculosè omnes hæmorrhagias internas, pulmonum, uteri, narium, dyſenteriæ ac vulnerum ; & hôc quidem tantâ efficaciâ ut me pauciſſimis ſaltem vicibus deſeruerit ; ſed inſuper quoque edomat cephalalgiam ; imò in aquâ aliquâ appropriatâ in ore detenta odontalgiam ſedat ; doſis ſunt 30. ad 40. guttæ. operationem autem hujus remedii mediante aliquô Magnetiſmô fieri, non poterit negari ; de quô effectû varia controverti in Tract. meo, *Inventum Cinnabarinum* inſignitô, quæ ibidem à Curioſis videri & ventilari pro lubitû poterunt.

Ibidem, Obſervatio 186. *Vomicæ pulmonis pluſquam quadrageſies ſanatæ in muliere.*

PUlmonum Vomicas ut plurimùm interimere miſellos qui experiri eas coguntur, novit Medicina noſtra, & dolet ; dùm ſcilicèt ſubitanea ejus apertio ſuffocationem balſami vitæ ac reſpirationis cauſatur ; vel quibus lethalis ea non eſt, ad minimum portio puris effuſi putrida relicta ſucceſſivè in ſui ſimilem corruptionem pulmones tranſmutat, ut lentô ac diuturnô ulcere non minùs ad plures ablegentur. Admiratione dignum eſt ſequens exemplum ; Fœmina quinquagenaria pluribus annis plurima patitur ſymptomata nephritica ſplenetico-hyſterica à ſerô acri bilioſô, quæ ſalſedo dein pulmonibus in ſpecie moleſta fuit, & tandem vomicas ibidem paravit non unam, vel alteram, ſed ſpatiô 12. annorum 40. ad 50. imò 60. circiter. Quas ſingulas, mirum ſanè dictû uti ſine longis tædiis, modicô ſaltem calore, & modicâ tuſſi generabat, ità quoque poſt aliquot uncias puris cocti expectorati feliciter conſolidabat ſemper benefica natura, uſque dum tandem dictô ætatis tempore pulmone aliquot menſibus tuſſi ſiccâ, aſthmate vehementi, & calore præprimis maraſmode ad incitas redactô, experiretur humanum fatum. Niſi modò propoſita oculis meis ſæpè viderim, & auribus meis audiverim, tam facilè hoc mihi perſuadere vix paterer. Ità non rarò quaſi monſtra fiunt in Medicinâ. Obviam autem ivi malo & ingratô huic hoſpiti, extrà paroxyſmum quidem acidô-ſalſas cruditates

tes dulcificantibus, purificantibus, præcipitantibus &c. quæ paſſim videre licèt in paulò *præcedente obſervatione de Hæmoptyſi & præteriti anni Obſervat. de Phthiſi, ut* & alibi. In ſpecie multùm ei profuerunt, uſta, V. G. ℞. C.C. uſti, Eboris uſti ana ℈ß. Lact. ſulphuris, Pulv. terr. catechu. ana gr. IV. Pulver. Anodyni, Cinnab. nativ. Hung. ana gr. iij. Miſc. detur in quadruplô; ℞. Balſ. Peruviani ℈ß. Pulv. ſaccari candi ʒiij. Miſc. ſumatur aliquando modicum; Tragea è Lap. Cancri, Ebore, Unic. foſſili, Crocò Martis, cum ſem Aniſi ac Foeniculi pro uſû ferè quotidiano adhibebatur. In paroxyſmô optimè conducebat ſperma Ceti, Balſamus ſulph. oleô Amygdalar. factus, & alia, quæ de Hæmoptiſi ac Phthiſi propalavi, fundamentis medicis enim initiatus, facilè ventilabit, quæ proſunt. Hæc addendum cenſui monitum me præteritô annô *obſervat. de Phthiſi* inſeruiſſe aquam antihecticam compoſitam Epiphanii Ferdinandi, quæ quidem dictô modô eſt parabilis; ſed parca ſaltem liquoris portio procedit, imò niſi cautè tractetur, empyreuma facilè contrahit; propterea ſecuriùs ſpeciebus ſimùl affunditur, quantitas aquæ appropriatæ cerefolii, veronicæ aut ſimilis.

Ibidem, Obſervatio 187. *De Virô ſuffocatione uteri laborare Creditô.*

Ibidem, Obſervatio 188. *De Fonticulô à ruſticô arthriticô ex indignatione, ſibi ipſi factô.*

Ibidem, Obſervatio 189. *De Patris familias morituri in arboribus & fructibus præſagiô.*

Ibidem, Decur. ij. Ann. 7. *Obſervatio* 159. *De Impenetrabilitatis armorum veritate & vanitate.*

Ibidem, Obſervatio 160. *De Exploſionis tormentorum bellicorum prohibitione itidem verâ, at non minùs vanâ.*

Ibidem, Obſervatio 161. *Cœcitas ſubitanea Epilepſiæ prodromus, binis in fœminis obſervata.*

Ibidem, Obſervatio 162. *De Convulſionibus epilepticis à purgante reſinoſô excitatis.*

Ibidem, Obſervatio 163. *Ex Oſſibus Microcoſmi Calcinatis ſpectriformis apparitio.*

Ibidem, Obſervatio 164. *De Riſu Sardoniô involuntariô plurium annorum innoxiô, tandem lethali.*

Ibidem, Obſervatio 165. *De ſuperfœtationibus.*

Ibidem, Obſervatio 166. *De Fœtû in uterô mortuô vi quaſi expulsô.*

IN præcedenti Obſervatione prodière ſuperfœtationes, rariſſima conceptionis ac partûs opera; Læto huic contingenti ſuccedat triſte in mundanæ inconſtantiæ memoriam; Fœmina generoſa partui vicina ſentit ipsâ Eclipſeos Lunæ horâ quaſi partum inſtare, ob aquas mucoſas tali in ſtatû prodire ſolitas prodeuntes, adjunctis quoque ſimilibus doloribus, paucis tamen. Cùm autem modò dicta per triginta horas evanuerint, licèt applicita neceſſaria fomenta, inunctiones, ut & internè propinata fœtum de exitû tentatô modeſtè commonentia ac ſtimulantia, huic item, & Matri robur addentia; e contra virium proſtratio, cordis anxietas, aliaque fœtum valdè debilitari docentia acceſſerint; alterô autem die motus ejus decens planè evanuerit, mole è latere in latus alterutrum abdominis prolabente, mucô inſuper ſubnigrô ac fœtente per genitalia effluente, auctô parturientis p. n. calore, cordis palpitatione, deliriôque, ob atomos putridas toti maſſæ ſanguineæ pro noxiâ fermentatione commovendâ communicatas, fœtum planè mortuum eſſe, clarè patuit. Proinde, cùm neceſſitas inordinarias methodi medendi regulas jam jurare prohiberet, quippe quæ jubent, tùnc demùm fortia expellentia exhibere, dum fœtus ſitû legitimô ad partum inclinet, Mundô amplô ſe ſe oſtenſurus, futurus incola; metuendumque foret, ne ingratus filiolus mortuus matricidium committeret, mortuô ſcilicèt in vivâ impunè minimè hærere valente, hinc remedium dubium certæ deſperationi anteponendum cenſui, atque ſucceſſivè adhibui Pulveres è cineribus ſecundinæ Primiparæ & Pulvere Borracis ãã. ℈j. item Pulveris Borracis. ʒß. ſalis ſuccini Volatil. gr. vj. Pulveris Hepatum Viperarum gr. IV. Cinnabaris nativæ fixatæ gr. iij. Eſſentiam item è ſale Fuliginis meam; Pubem inſimùl inungi juſſi Mixturâ ex Olei Cheirini ℥j℈. Pinguedinis ſerpentum. ʒj℈. Olei ſtillatit. ſuccini ʒj. non omiſſis fomentationibus ex Herbâ ſabinæ, Artemiſiâ, Malvâ, Flor. Chamomillæ, Cheiri, &c. unde dolores neceſſarii rurſus excitati, uſque dum exturbatus fœtus mortuus, ad putredinem jamdum tendens quam hujus pediſſequa, ſecundina, ſociata mucô largô fœtidô, magis & maximâ ſui parte experta erat, inſequebatur. His peractis, Puerperæ ſanguini novus Balſamus conciliandus erat, putridâ corruptione & inde ortis ſymptomatibus ſuffocatis, per Elixir Proprietatis & Eſſentiam Mumiæ alcalicam, è ſale fuliginis, Eſſ. Caſtorei Volatilem, Terræ Catechu &c. Et, Deô gratioſè jubente, reconvaleſcentia rediit.

Ibidem, Obſervatio 167. *De Bufonum Venenô nonnulla.*

Ibidem, Obſervatio 168. *De Cervô Caſtratô in venatione lethaliter globulô transfoſſô.*

Ibidem, Obſervatio 169. *De ſanguine ferè albô, additô ſerô Chyloſô, ſine ſanitatis damnô aliquot annis durante.*

Ibidem, Obſervatio 170. *De Trifoliô quadrifoliô.*

Ibidem, Obſervatio 171. *De Caprâ pariente fœtum humano anologum mortuum & ſimul caprum.*

Ibidem, Obſervatio 172. *De Pullorum Cuculi excluſione verâ.*

Ibidem, Obſervatio 173. *De Effigie ſudante.*

Ibidem, Obſervatio 174. *Odontalgiæ violentæ cauſa vermis, dentis inquilinus.*

Ibidem, Obſervatio 175. *De Rarâ in Geminis animorum & corporum ſimilitudine.*

Ibidem, Obſervatio 176. *De Excreſcentiâ Carnoſâ ſuper corneam oculi dextri tunicam.*

Ibidem, Obſervatio 177. *De Mercuriô è metallis & mineralibus copioſè ac facilè obtinendô.*

Ibidem, Obſervatio 178. *De ſpeculorum confectione.*

Ibidem, Dec. ij. anno 8. *Obſervatio* 204. *De horrendô Bomborum & Carcaſſorum militarium effectû, an & quomodo irritus reddendus, per rationes phyſicas inquiſitio.*

Ibidem, Obſervatio 205. *De Balſamatione Cadaverum, etiam majorum, ſine eviſceratione nonnulla*

Ibidem, Obſervatio 206. *De Herbâ Nicotianâ Curioſa quædam.*

Ibidem, Obſervatio 207. *De Infantibus à Diabolô ſuppoſititiis, aliiſque in ſimilibus inſidiis Satanicis.*

Ibidem, Obſervatio 208. *De Fruſtulô cultri acutiſſimô deglutitô.*

Ibidem, Obſervatio 209. *De Cancrô Mammarum.*

INter morbos plurimos à peccati Adamici fermentô Nobis dolor! relictos, non infimum ſanè occupat locum, Cancer; ejus enim eſſentia conſiſtit in malignâ aliquâ, eâque clandeſtinâ maſſæ ſanguineæ corruptione, cujus viſcidâ craſſities innatam eidem virtutem balſamicam & ſpirituum ſubtilitatem, ac circulationi neceſſariam lymphæ tenuitatem ſuffuratur; Et tanta eſt cancri crudelitas, ut à ſanioribus Medicis *noli me tangere* vocetur; cùm tantum abſit, ut facilè cedat medicamentorum medelæ, (niſi in principiô & cautiſſimè exhibeantur,) ut potiùs majora inde ſumat incrementa, ob cruditates ſanguinis magis commotas, in majorem fermentationem redactas, ac parti affectæ communicatas. Præcipuè autem agreditur carnem molliorem, & ſpecialiùs mammarum; quod ſanè crenam quoque incitavit, ut hæc jam proferrem; ſiquidem ſanctâ teſtor fide, per 37. hoſce annos, quibus Talentô meô medicam exercui praxin, nunquam hunc me obſervâſſe tam frequentem, ac aliquot hactenùs annis, & hoc ob cauſas Theologico Phyſicas, dùm ſcilicèt ſcorbutus magis magiſque ingraveſcens cancroſæ putredini irrepenti feneſtram ſimùl aperiat, ſexus inſuper noſter ſequior mammas denudatas aëri frigido & cuicunque injurioſo exponat, & ità ſanguinis lymphæque circulationem jamjam tardiorem ſufflaminet, accedit, quòd per illecebras haſce impias ſcandalô ampliſſimô impuberibus paleſtræ venereæ ſtudioſis, aliiſque intempeſtivè ſalivam moveat; quod tamen ſcandalum dictô hôcè morbô ſummè miſerabili expiare à juſtiſſimô Dei judiciô ſtatim coguntur.

Nec tamen immiſericordiæ arguamus gratioſiſſimum noſtrum Deum, quidnam experiri mihi licuerit contra durum hunc nodum, candidè exponam; ſi in ullô alio; ſanè in hôc affectû antiquum illud, principiis obſta; reverenter eſt habendum; cerebrôque providô exhibenda interna, quæ ſanguinis putredinem ſcorbuticam corrigunt, ejus viſciditatem attenuant, aciditatemque incraſſantem depurant. Hoc autem partim peragitur medicamentis in prioribus hiſce Ephemeridum annis propoſitis, partim verò & in ſpecie hic per ſalia volatilia & fixa, ſalia volatilia & oleoſa, ſpiritum ſangu. cervi propriô ſale exaltatum, & quæ loco omnium quaſi ſunt remedia è fuligine furnorum; ſal & ſpiritus ejus, præprimis Eſſ. mea ex hôc ſale elaborata alibi jam deſcripta; quibus alternatim addenda martialia, ſaturnina, tartarea, nitrata; quæ inſimùl ordinariè, V. G. laxantia, ſudorifera, res diæteticæ, &c. requiruntur; ſapienti ſunto ſatis. Per quæ auxilia diverſis per diverſos annos, Deô juvante, vitam extendi. Tuberculô autem vel adfectui externo cancroſo vel nulla, vel cautiſſima applicanda remedia, nec crebro ille irritandus emplaſtris è pinguibus & calidis; in ſpecie vitanda ſummè emollientia, humectantia, ſuppurantia, nè Hannibali illi ad portas, ſuppurationem intelligo, via monſtretur. Empl. è ſpermate ranar. cum Saccharô Saturni benè aliquandô conducit. Si verò tandem ad ſuppurationem tranſierit, dictis internis, in ſpecie è ſale fuliginis optatô effectû & ſolatiô varios juvi, externè præ aliis laudabilem præſtitit operam decoctum calcis vivæ aquâ fumariæ, ſummitatum pini & hyoſcyami factum, additô alcali aliquô fixô vel cinere Cancrorum, alumine uſtô, vel mixtura ex aquâ florum hyperici è ranis integris & ſperm. ranar. additô pulvere è ranis & bufonibus calcinatis. Mirabilem opem quibuſdam præſtitit aqua Fabritii Bartholetti, quam deſcribit in ſuâ encyclopœdiâ. p. m. 195. 196. & latrabilem curioſè vocat, dùm canes juvenes lacte adhùc utentes maternô, vel deſtillat vel ſaltem ſ. a. coquit, liquoremque linteis adplicat.

CLAUDINUS (*Julius Cæſar.*) Bononienſis, Medicinæ Doctor ejuſdemque in Patriâ Academiâ Profeſſor famigeratiſſimus. Floruit ann. 1574. Obiit 2. Februar. 1618. & amictû Patrum Capucinorum veſtitus, in eorum Eccleſia ſepultus eſt.

Ex eô habentur

Quæſtio de ſede facultatum Principum. Baſileæ, apud Johan. Jac. Genathium, 1617. in 4. Pariſiis, apud Caſp. Meturas, 1647. in 4. cum Auguſt. Buccii Diſput. de Princ. Part. & ἐπικρίσει Caſp. Hoffmanni.

De ingreſſû ad infirmos, Libri duo. In quibus Medici omne ex tempore Medicinam facturi munus, ſive per ſe curet, ſive cum aliis de curando conſultet, accuratiſſimè tanquam in Tabulâ delineatum continetur. Acceſſit Appendix de Remediis generoſioribus: nempe I. de Naturâ & uſû Aquarum naturalium, tum ſimplicium, tum medicatarum, ubi de Latis quoque & Vaporariis II. de Naturâ & uſû Chalybis ac Medicamentorum Chalybeatorum. III. de Naturâ & uſû Radicum ſalſæ parillæ, Chinæ, Caponariæ, Cannarum Vulgarium, item Lignorum Guajacini, ſaſſafras, Juniperini, Tamariſcini, Lentiſcini, Viſci quericini, Fraxinei, Santalini. IV. de Naturâ & uſû aquæ Hordei, & Ptiſanæ. V. de Naturâ & uſû Vinorum medicatorum. VI. de Naturâ & uſû Medicamentorum ex Viperis. VII. de Naturâ & uſû Juris Galli Veteris, Pulli, & Columbi. VIII. de Naturâ & uſû Lactis. IX. de Naturâ & uſû ſeri. X. de Naturâ & uſû Balneorum XI. de Naturâ & uſû rectô ſtillicidiorum. Adjecta eſt Coronidis loco Quæſtio Philoſophico-Medica de ſede principum facultatum. Bononiæ, apud Joh. Baptiſt. Bellagambam, 1612. in 4. Baſileæ, apud Johannem Jacobum Genathium, 1616. in 8. Et additô Tractatû de Criſibus & Diebus criticis, Venetiis, apud Donatum Paſquardum, 1628. in 4. Baſileæ, apud Johan. Jac. Genathium, 1641. in 8. Venetiis, 1663. in 4. Francofurti ad Mœnum, apud Albertum Ottonem Fabri, 1675. in 8.

Paradoxa Medica, ſive Tractatus de Naturâ & uſû Thermarum: Lutorum: Fovearum: Stuffarum: Guajaci: ligni: Saſſafras: ſalſæparillæ: Chinæ radicis: Vini medicati: Chalybis: Stillicidiorum: Balnei aquæ dulcis tepidi: Medicamentorum ex Viperis Lacte & ſerô &c. Collegit hos Joſephus Lautenbachius, ediditque cum Conſiliis Medicinalibus præſtantiſſ. Italiæ Medicorum & Antonii Mariæ Venuſti. Francofurti, apud Wolfgangum Richterum, 1605. in 4. Ibidem, apud Chriſt. Gerlachium & Sim. Beckenſtein, 1660. in 4.

Reſponſionum & Conſultationum Medicinalium Tomus. Venetiis, apud ſocietatem, 1606. in fol. Francofurti apud Lazar. Zetznerum, 1607. in 8. Venetiis, apud ſocietatem, 1607. in fol. apud

apud Bertanos, 1646. in 4. Cui addita eſt exercitatio de ultimô corporis Alimentô Florii Bernhardi.

De Criſibus & Diebus Criticis Tractatus. In quô cùm de cæteris omnibus quæ ad horum pertinent cognitionem, tum de cauſis præcipuè accuratè juxtà, & ordine diſſeritur. Bononiæ, apud Barthol. Cochium, 1612. in fol. Baſileæ, apud Johan. Jac. Genathium, 1620. in 8. Extat etiam cum ejuſdem Authoris Libris duobus de ingreſſû ad infirmos. Venetiis apud Donatum Paſquardum 1628. in 4.

De Catarrhô, Tractatus. In quô, quæcunque ad mali hujus, ſive cognitionem, ſive, curationem pertinent, exactè juxtà, & breviter enodantur. Bononiæ, apud Victorium Benatium, 1612. in fol.

Conſilium de gonagrâ & podagrâ. Extat eô in opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit. Francof. apud Joh. Sartorium, 1605. in 4. pag. 319.

Empirica rationalis. Libris ſex abſoluta, & in duo Volumina diviſa. In quorum primô univerſi Corporis humani Affectus penes totum & partes: in alterô verò penes ſpeciem, individuum, ætates, cauſas manifeſtas reconditaſque, ſive Practicis omnibus noti, aut prolapſi. ſive novi & peregrini, rationabiliter & abſolutiſſimè curantur. Cui, ut faciliori negotiô Medicinam facientes, quicquid in Opere continetur, inveniant, præter Annotationes in margine; geminus acceſſit Index Johan. Caroli Mattheſiani. Bononiæ, apud Jacobum Montium, 1653. in fol. 2. voll.

Defenſio Medicorum Galeniſtarum adverſus A. Sala.

CLAVENA (*Nicolaus*,) Bellunenſis.

Ex eô habentur

Hiſtoria Abſinthii Umbelliferi. Cenetæ, 1609. in 4. Venetiis, ap. Evangeliſtam Deuchinum, 1610. in 4.

Hiſtoria ſcorzoneræ Italicæ. Venetiis, apud eundem, 1610. in 4.

CLAVENNA (*Jacobus Antonius*,)

Ex eô habetur

Clavis Clavennæ, aperiens Naturæ Theſaurum ejuſque Gemmas depromens. Vires ſcilicèt Plantarum, in generali earumdem Hiſtoriâ ex Dalechampiô potiſſimùm ſumpta à Guilielmo Rovillio, Lugduni ſemel edita, ſparſim deſcriptas. Nunc collectas, & omnibus ac ſingulis morbis ordine Alphabeticô attributas, adeò feliciter & accuratè, ut eis tutò, etiam ſine Hiſtoriâ, quilibet uti poſſit. Cum Indicibus I. Plantarum, ex illis quamplurimarum multiplici nomine. II. Plantarum cum Morbis. III. Morborum & his multorum adhùc ſub Græcô vocabulô cum definitionibus, ex Johan. Gorrhæô, *Pariſienſi*. IV. Morborum cum plantis. Tarviſii, apud Hieron. Righettium, 1648. in fol.

CLAVERONUS (*Hyacinthus*,)

De eô extat

Clavis in Peſtem. Neapoli, 1651. in 8.

CLAVEUS, ſeu Gaſto Dulco, Nivernenſis.

Ex eô habentur

Apologia Chryſopœæ, & Argyropœæ, adverſus Thomam Eraſtum. In quâ diſputatur & docetur, An, quid & quomodo ſit Chyſopœa & Argyropœa? Cum novô Authoris opere de Triplici auri & Argenti præparatione. Urſellis, apud Corn. Sutorium, 1602. in 8. & Volumine ſecundô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8. pag. 1.

Philoſophia Chymica tribus Tractatibus comprehenſa. Coloniæ Allobr. 1612. in 8.

De Triplici præparatione Auri & Argenti ejuſdem, de rectâ & verâ ratione progignendi Lapidis Philoſophici, ſeu, ſalis Argentifici & Aurifici, Tractatus duo. Extat Volumine quartô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

CLAVIUS (*Claudius*,)

De eô extat in Miſcellan. Natur. Cur. Decur. II. Ann. 3. p. 417.

Obſervatio de Piſcaturâ Margaritarum communicata à Rev. D. Servatiô Claviô, Miniſtrô Verbi Divini Bataviæ novæ, in Javâ majore.

URinatores veterum athletharum ritû oleô per aliquot dies corpora frequenter inungunt, ciboſque confortantes ſumunt, ne aqua corporibus nudis damnum exterius inferat, vireſque eorum perdurent; deinde muniunt etiam ſeſe tribus Oltiis; (i. e. foliis arboris meſpili ſylveſtris; in quibus ſtylo ferreo ſolent ſcribere & characteres exârare) contra piſces infeſtos qui Lamiæ vocantur. Hæc folia ipſis *Ole* dicta, peculiaribus characteribus inſignita, ibi locorum publicè venduntur à vetulâ quâdam & ejus filiô qui à Luthecoryn eò ſe lucri cauſâ conferunt, & foliis his à mercatoribus urinatoribus & piſcatoribus non exiguam pecuniam acquirunt. Hæc cùm ità ſint parata, urinatorum nomina, patriæ, loca, ubi habitant, & contractus initi, regiſtro inſcribuntur, quò jura ſolvant Domino loci. Hæc olim erant æqualia cunctis urinatoribus, ſive eſſent Ethnici, & Æthiopes ſive Chriſtiani & pendebantur Luthecoryni, ubi ſæpius Ethnici cum Æthiopibus diu ad hanc piſcaturam non admiſſi fuerunt, donec Portugalli videntes abſentiam Ethnicorum & Æthiopum nullum adferre lucrum, denuò illos invitarent, ut conſueta hæc munia, cum ipſis iterùm obirent, hac tamen conditione, ut Æthiopes ſupra conſuetum tributum quinque thaleros, Ethnici verò ut complices diſſidii duos cum dimidiô plus ſolverent, quàm Chriſtiani, quorum quilibet urinatorum vetus tantum tributum præſtare debebat; & ità illud quod ab Ethnicis & Æthiopibus expenditur, pœnarium æs etiamnùm hodie dicitur; cùm itàque piſcatura inchoatur urinatores quorum 8. 10. quandoque 12. una comprehendit navicula, incipiunt ſe ſubmergere, exilientes in mare, quibus ſingulis duo inſerviunt viri ad id deſtinati, ut eos obſervent, & cibô potûque reficiant. Summô igitùr manè datur ſignum ex tormentô bellicô, quô factô, naves omnes in altum ventô ſecundô è terrâ flante navigant. Cùm ventum eſt ad loca conchyliorum, quæ facilè cognoſcuntur, vaſis ligneis, circa eos poſitis, urinator quilibet pedes ſuos ponit in reſtim, cui inſidet, & cui alligatus eſt ponderoſus lapis, ut eò celeriùs fundum maris pertingat, circa collum pendet verſus abdomen rete quoddam, in quod conchylia colliguntur. Præparatus ita urinator ſpiritum validiſſimum haurit, aërem, quantùm poteſt attrahendo; alterâ manû nares arctiſſimè claudit, nequid ſpiritûs ſub aquis egrediatur, & ità in fundum maris ſe demittit.

Quô factô lapidem ſtatim ſolvit, ut à ſociis ſuis ſursùm in navim trahatur, deinde rete ſuum laxat ut expanſum ante abdomen ſuum pendeat in quod tot oſtreas margaritiferas, quantum poteſt, & ſpiritus præcluſus permittit, legit: demùm rete ſuum oſtreis plenum projicit ſuper humeros in tergum & datô ſignô celeriter à ſociis ſuis eâdem reſte retrahitur ſurſum in aërem, ut reſpirare iterùm poſſit. Urinatoribus primâ vice ſubmerſionem hanc expertis, cùm ad aërem redeunt, ob ſpiritum diu præcluſum & aquæ marinæ in fundô pondus, ſanguis ſæpè ex naribus & auribus ſolet erumpere: hoc autem ſymptoma alterâ vice & conſequenter ceſſat. Productæ ex mari oſtreæ, (quæ vulgaribus planiores & verſus caput paulò latiores & depreſſiores ſunt, carneſque tenaciores habent) circa veſperam in continens littus devehuntur, ubi in foveam quandam, ad id factam, conjiciuntur, in quâ moriuntur, & fœtorem vix tolerabilem de ſe latè ſpargunt. Confluunt ad locum tot muſcarum myriades, ut homines præ illis vix comedere aut aliud quid agere poſſint, ſi que una illarum muſcarum hauſtû per œſophagum fortè in ventriculum feratur, evertitur ſtatim ventriculus & vomitû rejicitur, quidquid cum muſcâ aſſumtum fuit. Vincit tamen hanc moleſtiam omne ex piſcaturâ hâc proveniens lucrum. Uniones carnibus oſtrearum, quandoque teſtis, diverſimodè equidem, uni magis quàm alteri inhærent.

CLAUSSIUS (*Matthæus*) Ochſenhauſanus.

Ex eô habetur

De Rebus ſalubribus, inſalubribus, & neutris, Diſputatio. Extat Decade IV. Diſputat. quas collegit & edidit Johan. Jac. Genathius, 1622. in 4.

CLEEMPUS Medicus fuit, cui Pythagoræ liber de *Magicis herbis* à nonnullis adſcribitur. *Hofm. Dict. T. j. p.* 890.

CLEMENS (*Julius,*) Scotus.

Ex eô habentur

Opuſcula aliquot. Patavii, 1650. in 4.

CLEMENTINUS (*Clementius.*) Ametinus Medicus Chriſtianus, nulli, quos Roma & tota Italia habuit, ſecundus. Vixit circa A. C. 1468. Juſtus in Chronol. Medic. Secundùm Renat. Moreau de V. S. in Pleurit. vixit A. C. 1505.

Ex eô habentur

Lucubrationes, in quibus nihil eſt, quod non ſit ex uſû artis, quodque non ſit tam probatâ fide traditum, quàm ſapienti judiciô ſcriptum, ſive Theoricem, ſive Praxin, quarum vocant, ſpectemus. Præterea adjiciemus Richardum de ſignis febrium: Antonium de Gradis Febres tractantem. Chriſtophorum Barziſium de Febrium cognitione & curâ. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1535. in fol.

Clementia Medicinæ, Clementii Clementini de Americô. Romæ, 1512. fol. In quô Librô de pluribus rebus ad Artem ſpectantibus agit.

CLEON.

De eô extat

Collyrium, apud Aëtium Amidenum, Tetrab. 2. ſerm. 3. cap. 107.

CLEOPATRA.

Ex eâ habentur

De Morbis Mulierum Varia. Extant in Harmoniâ Gynæciorum ex diverſis collecta, edita ab Iſraële Spachiô cum Gynæciorum Libris. In fol. Argentinæ, apud Lazarum Zetznerum, 1597. in fol.

De Ponderibus & Menſuris expoſitio. Extat Græcè Mſ. in Doctiſſ. Viri Johan. Elichmanni Medic. præſtantiſſ. Bibliothecâ.

CEOPHANTUS, Herophili Diſcipulus; ſcripſit, de vini uſû in Morbis. De quô ſic Celſus, librô 3. cap. 14. de tertianâ febri agens. » Quidam ex antiquioribus Medicis, Cleophantus, » in hoc genere morborum, multò ante acceſſio» nem, caput ægri multâ aquâ calidâ perfundebat, » deinde vinum dabat: Quod, quamvis pleraque » ejus viri præcepta ſecutus eſt Aſclepiades, rec» tè tamen præteriit: eſt enim anceps.

Le CLERC. Conſiliarius & Medicus Ordinarius Regis Galliarum, gallicô idiomate *Chirurgiam completam* edidit, traditam per quæſtiones & reſponſiones, in quâ præmiſſis fundamentis & principiis artis Chirurgicæ, Oſteologiâ nempè & myologiâ; imò univerſâ, quantùm ſcil. huic ſcopo ſubſervit, Anatomiâ; tractatur de tumoribus, ulceribus, vulneribus, tam ſimplicibus quàm compoſitis, imò & vulneribus Sclopetorum, de malô venereô ejuſque pravis conſectariis, de universô adparatû deligationis & faſciationis, de fracturis, luxationibus & omnibus reliquis operationibus Chirurgicis ſpecialibus. Subjuncta eſt ſub finem totius tractationis, *Pharmacia Chirurgica*, quâ docetur methodus componendi medicamenta, ſcopo Chirurgico inſervientia, unà cum arcanâ compoſitione panaceæ mercurialis. Ut verò publicum applauſum eò magis mereretur, Auctor hanc ſuam Chirurgiam dedicavit D. Fagoni, Conſiliario Regio ſuæque Majeſtatis Chriſtianiſſimæ Proto-Medico. Quò autem ſimul tyronibus artis gratam eam atque acceptam redderet; ſub formâ Colloquii inter *Magiſtrum & Diſcipulum* eam prodire voluit, quæ methodus omnium maximè accommodata ipſi viſa fuit ad inſtruendùm vivaciter Chirurgiæ diſcipulos. Veniam tamen rogavit, nè hanc puerilem docendi rationem provectiores deriſui, contemptui aut deſpicatui haberent; ad excuſandum enim ſufficere ſibi poſſe exiſtimavit, quòd ingenio diſcentium ſe ſe accommodare neceſſarium judicaverit. Sed ùt paulò diſtinctiùs & particulariùs indicemus, quam tractationis methodum obſervaverit Auctor, adnotari meretur, quòd univerſa *Clerici* Chirurgia *ſex* ſequentibus comprehendatur *tractatibus*: In *primô* agitur de Chirurgiâ & artifice Chirurgicô in genere, deque operationibus Chirurgiæ generalioribus, ſyntheſi, diæreſi, exæreſi atque proſtheſi, quidque ante ſuſceptam operationem obſervandum Chirurgo incumbat? Ubi ſimul etiam de inſtrumentis Chirurgi portatilibus & fundamentis artis, Anatomiâ nempe tam partium ſolidarum, *Sceletô*, quàm ſolideſcentium *myologiâ* tractatur. Quibus omnibus brevis tractatio faſciarum, compreſſarum, lemniſcorum, ferularum, veſicatoriorum, ſetaceorum, cauteriorum, ſanguiſugarum, cucurbitularum, venæſectionis &c. ſubjungitur. In *ſecundô* tractatur de tumoribus in genere, de Apoſtematibus & abſceſſibus, quot modis tumores terminentur, quas circumſtantias circa apertionem abſceſſuum oporteat obſervare, quomodo deligatio adornanda, de aneuriſmate & varicibus, de Echymoſi & contuſione, de gangrænâ, de ambuſtionibus, de eryſipelate & tumoribus eryſipelaceis, de œdemate, polypo, cancro, de apoſtematibus & tumoribus malignis, venereis atque peſtilentialibus deque tumoribus peculiari cyſtidi incluſis, meliceride, ſteomate &c. In *tertiâ parte* agitur de vulneribus atque ulceribus eâque occaſione de ſuturis earundemque variâ adminiſtratione, quibus adnexa eſt brevis tractatio morborum

borum venereorum & adfectuum cum illis complicatorum. In *quartâ* parte ordine recenſentur præcipuæ operationes Chirurgicæ, quorsùm reducit trepanationem, & deligationem eidem neceſſariam, fiſtulæ lacrymatis, inciſionem & faſciationem eidem adpropriatam, cataractæ depoſitionem cum apparatû deligationis, polypi extractionem, labiorum leporinorum Chirurgiam, bronchotomiam, mammarum cancroſarum reſectionem & apparatum deligatorium eidem neceſſarium, empyematis apertionem, paracentheſin abdominis & ſcroti, gaſtroraphiam, exomphali, bubonoceles, & ſcrotalis herniæ Chirurgicam tractationem cum universô faſciationis requiſitæ apparatû, caſtrationem, exſectionem calculi ex urethrâ, lithotomiam tam in ſexû maſculinô quàm fœmininô, fiſtulæ ani apertionem, perinci puncturam, ſuturam tendinis, ſectionem Cæſaream, amputationem membrorum ſphacelatorum, apparatum venæſectionis, Chirurgiam aneuriſmatis, valvæ apertionem, phimoſeos, paraphimoſeos, & varicum Chirurgiam; panaritii tractationem, uteri ani prolapſorum reductionem, cauteriorum, ſanguiſugarum, ſetaceorum, ſcarificationis, veſicatoriorum cucurbitularum, &c. adminiſtrationem &c. In *quintâ Parte* agitur de fracturis oſſium in genere, & in ſpecie de fracturâ maxillæ inferioris & apparatû, quem requirit, deligatoriô; de fracturâ claviculæ, homoplatæ, coſtarum, oſſis ſterni, vertebrarum dorſi & lumborum, oſſis ſacri, coccygis, brachii, cubiti, carpi, metacarpi, & extremorum digitorum, nec non oſſis femorum tibiæ petallæ, tarſi, metatarſi & extremorum in pedibus digitorum, quibus omnibus peculiaris adnexus eſt deligationis modus, pro conditione oſſium ubique varians. In *ſextâ & ultimâ parte* tractatur de luxatione Oſſium non tantùm *in genere*, verùm etiam in *ſpecie* oſſis narium, maxillæ inferioris, clavicularum, vertebrarum coccygis, coſtarum, humeri, cruris, patellæ, tibiæ, aſtragali, celcanei &c. Quorum omnium monſtrantur non modò reductiones in iiſdem, mediantibus certis & cuilibet luxationi appropriatis faſciis. *In Pharmaciâ Chirurgicâ*, quæ ultimô locô reſervatur, agitur primùm de *Balſamis*, Arcaæi, Hiſpanico, viridi, & Samaritano, deinde de *Ungentis*, mundificante, nigro ſeu ſuppuratorio, albô ſive de ceruſſa, Aegyptiaco; ſequuntur tertiò locô emplaſtra, diapalmæ, diachyli ſimplicis divini &c. Quibus ſuccedunt *cataplaſmata*, *Olea*, *pulveres*, Aquæ ſtypticæ &c. Ex quibus omnibus cuilibet colligere integrum erit, Auctorem nihil neglexiſſe, quod ad accuratam completæ Chirurgiæ in compendiô ſiſtendæ, ideam facere potuit. Mereretur proinde, ùt in linguam latinam vel vernaculam ex idiomate gallicô, niſi jam factum fuerit, transferretur, ſicque ſcholarum uſibus adcommodatior evaderet tractatulus. Idem ille *Clericus*, quod oblivioni tradendum non eſt, ſingulari denuò ſcriptô, quod jam ſparſim egerat alibi; comprehendit univerſum adparatum deligatorium valdè commodum juniorumque Chirurgorum uſui adcommodatum: Cùm revera adparatus Chirurgicus benè vel malè ægro admotus, vel fiduciam creare, vel metum eidem incutere; imò etiam ipſius Chirurgi exiſtimationem, vel conſervare, vel eidem detrahere, felix vel infauſtus faſciationis ſucceſſus valeat. Ut igitùr faſciandi artificium, quod ſupervacaneô & tædioſô plurium faſciationum numerô auctores tyronibus difficile reddere ſolent, eiſdem faciliùs reddat, totum iſtum adparatum expeditâ methodô oculis ſiſtere & adplicandi rationem clarè inculcare cordi habuit. Præmiſſis itàque præceptis generalibus, ſingulos deinde adparatus ſingulis operationibus convenientes ſeorſim explicat. Hinc omnes partes vel inſtrumenta, quæ ad integrum adparatum requiruntur, ſecundùm ordinem, quô applicari debeant traductô filô ſibi invicem alligavit & numeris eadem diſtinxit. Quæ docendi ratio non ſolùm facilis eſt & diſtincta, ſed etiam, ſicuti non vana, eſt perſuaſio Auctoris, captui juniorum Chirurgorum tantò meliùs adcommodata. *Gœlicke Hiſt. Chirurg.*

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1706. pag. 158.

L'Appareil commode en faveur des jeunes Chirurgiens, par Monſieur le Clerc, Medecin ordinaire du Roy.

i. e.

Apparatus commodus in uſum juniorum Chirurgorum adornatus à Clericô, Archiatrô Regiô. Lutetiæ Pariſiorum apud Johannem Baptiſtam Deleſpine, 1700. *in* 12.

CUm apparatus Chirurgicus benè vel malè ægro applicatus, huic non minùs vel fiduciam & ſpem ſanitatis recuperandæ concitare, & animi tranquillitatem conciliare, vel metum male ceſſuræ curæ incutere, quàm Chirurgi etiam exiſtimationem vel conſervare vel famæ detrahere aptus ſit; infinitus autem faſciationum numerus, quemvis à Chirurgiæ ſtudiô deterrere poſſit; operæ pretium duxit Author Clariſſimus, facili methodô Apparatum illum omnem oculis ſiſtere, ejuſque applicandi modum genuinè inculcare. Poſtquam igitur in Præfatione præcepta quædam generalia ſuppeditavit, in ipsô tractatû, quem adeo ſerò ad nos perveniſſe dolemus, omnes Apparatus cunctis operationibus Chirurgicis convenientes ſeorſim explicat; qui cùm multùm ſæpe negotii faceſſant, partim ob ingentem eorum copiam, partim quòd Juniores Chirurgi illis nondùm adeò ſint aſſueti; omnes partes vel inſtrumenta, quæ ad integrum apparatum requiruntur, juxta ordinem, quo applicari debent, traductô filô ſibi invicem alligavit numeris eadem diſtinguendo.

CLERICUS, Gallicè Le Clerc (*Daniel.*) Medicus non mediocris nominis apud ſuos & exteros; in Praxi ſagaciſſimus, feliciſſimus, Reipublicæ Genevenſis Senator per 24. annos & dimidium, integerrimus, prudentiſſimus: Natus eſt Genevæ 4. febr. anni 1652. & obiit die 18. Junii, ann. 1728. Patrem habuit Stephanum Clericum, Virum verè doctum, in variis linguis verſatiſſimum, medicum ſolertiſſimum in Patriâ Academiâ primùm linguæ Græcæ Profeſſorem celeberrimum, poſtea Reipublicæ Senatorem conſultiſſimum, qui annô 1675. circiter octogenarius mortuus eſt: Fratrem verò, qui adhucdum, Dei beneficiô, vegetus vivit, magnum Johannem Clericum, Virum omniſcium àc omni elogiô majorem, qui permultis, ac multiplicis generis doctiſſimis ſuis Scriptis immortalem famam meritò ſibi paravit, ac quoad vivet, ampliorem paraturus eſt. Filios verò reliquit, 1. Jacobum le Clerc, jam à pluribus annis Medicinæ Doctorem, Illuſtriſſimorum Parentis & Avi imitatorem aſſiduum ac felicem, eorumdemque veſtigia ad Reipubl. dignitates prementem. 2 Jacobum Theodorum Le Clerc, verbi divini Miniſtrum vigilantiſſimum, & linguarum Orientalium Profeſſorem eruditiſſimum.

Ex eô habentur,

Bibliotheca Anatomica &c. De cujus duabus Editionibus vid. ſub titulô *Mangetus*, quem ſocium habuit in hôc opere concinnandô.

Danielis Clerici, Med. Doct. Hiſtoria Naturalis & Medica latorum lumbricorum intra hominem & alia animalia naſcentium. Genevæ, apud Fratres de Tournes, 1715. 4.

De hôc Librô hæc habentur in Actis Lipſienſibus ann. 1715. *p.* 408.

TRia eſſe vermium genera, quæ in corporis humani inteſtinis hoſpitantur, Aſcaridum ſcilicèt, teretium, & latorum, Græci & Latini obſervârunt Medici. Arabes teretes parvos ſeu graciles & latos ſtatuerunt, quos ultimos aliô nomine cucurbitinos vocârunt, cum quibus tamen horum interpretes aſcarides confuderunt. *Petrus* verò *de Abanô* aliique pauci eos ità inter ſe quandoque colligari obſervarunt, ut catenam efforment unius animalis ſeu vermis ſpeciem præ ſe ferentem. Duæ ſpecies vermium latorum ab *Arnaldô Villanovanô* diſtinctæ, ſed non deſcriptæ ſunt; quarum hæc longorum & latorum, illa brevium & latorum ſeu cucurbitinorum ſit. His tertiò accedunt longi & rotundi, ſeu teretes, quartò curti & rotundi, qui Aſcarides Græcorum ſunt, quintò maximus quidam lumbricus, aliàs ſolium ſeu cingulum dictus. Putat tamen *Gabucinus*, *Arnaldi* lumbricum maximum nihil aliud eſſe quàm ſacculum cucurbitinos vermes quandoque involventem. Circa lumbricorum latorum naturam atque inter ſe diſcrimen multa in Medicorum poſteriorum ſcriptis confuſio annotatur. Quidam enim cucurbitinos lumbricos Arabum figmentum eſſe putant; alii, quicquid de lumbricô latô narratum eſt, nugas eſſe ajunt; alii duo latorum genera admittere videntur, ſed ea invicem quô pactô diſtinguant, neſciunt. Alii, quorum agmen ducit Platerus, duo quidem latorum lumbricorum ſeu tæniarum genera expreſſè diſtinguunt, ac vermem latum longumque à cucurbitinorum catenâ re ipſâ diverſum deſcribunt, ſed catenam hanc, tæniam ſecundi generis ab ipſis vocatam, pro unô etiam prælongô verme contrà *Petri de Abanô* ſententiam habent, vermemque Arabum latum brevem ſeu cucurbitinum nil aliud eſſe ajunt, quàm tæniæ corporis fragmenta cucumeris ſemini ſimilia. Alii demum, qui vermem eundem cucurbitinum viderunt, ipſum vel pro aſcaride vel pro monſtroſô quôpiam aliô verme habuerunt, ità ùt cucurbitinus diu ignoratus ſit, vel in obſcurô jacuerit. Hæc ſingula Clariſſimus *Clericus* prolixiùs & ipſiſſimis Autorum verbis *prioribus* IV. *Capitibus* probat. Poſthæc *Eduardi Tyſon*, cujus diſſertatio ex Anglicô idiomate in Latinum verſa hic legitur, item *Leeuwenhoekii*, *Nicolai Andry* de lumbricis latis & ſpeciatim de *Plateri* Tæniâ ſecundi generis, ſolium ipſi dicta, ſententiam *Capite* V. exponit. Præ reliquis verò *Antonii Vallisnerii*, cujus cogitata & experimenta circa ordinariorum vermium in corpore humanô generationem in Actorum ſupplem. T. V. Sect. VII. p. 279. communicavimus, vermium cucurbitinorum & tæniæ *Plateri* ſecundæ ſeu tæniæ de generis *Spigelii* tubulique cucurbitinos interdum involventis deſcriptionem, quâ *Andry*, *Tyſonis* & aliorum, tæniam iſtam pro unô verme habentium, opinio refellitur, in *Capite* VI. allegat, maximèque deprædicat. Inde in *Capite* VII ad tæniam primam *Plateri* revertitur. Quamcunque autem ſolertiam adhibuit in evolvendis Autoribus, qui de hâc vermis ſpecie ſcripſerunt, nihil tamen ſolidi reperit. Hinc allegatis in *Capite* 8. & 9. illis Medicis, qui corporis vermis iſtius truncum aut deſcripſerunt aut ſe vidiſſe dixerunt, vel caudam aut caput conſpexerunt, ſuas communicat obſervationes, imprimis quæ caput & caudam concernunt. Variis tum argumentis in *Capite* X. probat, plures tænias in hominum inteſtinis quandoque reperiri haſque per generationem ſe multiplicare, & unum eſſe reverà vermem, non plures inſtar cucurbitinorum, vivaceſque admodum exiſtere; inter latentis taliſmodi tæniæ in inteſtinis ſigna famem caninam neutiquam referendam eſſe, imò eorum nulla pathognomonica aut perpetua, vel quæ aliis morbis communia non ſint, dari; gravioribus ſymptomatibus ægros haud vexari, imò nullum eorum exiſtere lethale. Atque hæc poſtquam de lumbricô latô commentatus eſt Author Clariſſimus, haud abſonum eſſe credidit, quædam de aliis vermium generibus, qui hominibus moleſti ſunt, ut & qui in aliis animalibus reperiuntur, quæ eorum ſit origo, quæ remedia, addere. Agit itaque *cap.* XIII. de tæniâ caninâ aliiſque canum & felium vermibus; de teretum in hominibus lumbricorum inter ſe differentiis, & anatome; de vitulorum lumbricis teretibus, & illis, qui longi & tenuiſſimi extra inteſtina fuerunt reperti; de Aſcaridibus; de dracunculô ſeu venâ Medinenſi; de vermiculô affectum, bovinum dictum, inducente; de vermiculis Americanis, pedibus hominum moleſtis; de ſyronibus, mortem inferentibus; & ſyronibus oculorum; de vermibus cum urinâ excretis, de vermibus ulcerum, vaſorum ſanguiferorum, ſpermaticis, crinonibus, cerebri, narium, oſſis frontis, oculorum, dentium, aurium, cordis, pulmonum, hepatis, lienis, umbilici vermibus & eô, quem omao nuncupant; item de vermibus villoſis, monſtroſis, agit. Prolixus hinc *in Capite* XIV. eſt in inquirendâ vermium origine variaſque hâc de re Autorum opiniones allegat, & vermes in humanis corporibus ſtabulantes non ſolùm ſemper noxios non eſſe, ſed utiles quandoque & neceſſarios, in infantibus potiſſimùm, ἀδηφαγία laborantibus, evincit. Ad remedia denique *Cap.* XV. progreditur, quorum ope moleſti interraneorum noſtrorum hoſpites ejiciuntur; quorum varias recenſet claſſes. Sunt enim, quæ manifeſtâ gaudent qualitate, propter quam cur vermibus ea infeſta ſint, ratione aſſequi poſſumus; ſunt quæ vi quâdam occulta & ſpecifica, id eſt quorum ratio perſpecta nobis non eſt, etſi de effectû experientia teſtetur, hoc præſtant. Sunt etiam, quæ certis tantùm vermium generibus expellendis enecandiſque inſerviunt; ſunt denique quæ omnia perinde fugare vel interimere queunt. Quarum ſingula allegare prolixius foret.

Publici juris præterea fecit Opus cujus hic eſt titulus.

Hiſtoire de la Medecine, ou l'on voit l'origine & le progrés de cet Art de Siécle en Siécle dépuis le commencement du Monde, par D. L. C. D. M. à Genéve, chez Jean Ant. Chouët, & Dav. Ritter 1696. 12.

i. e.

Hiſtoria Medicinæ, in quâ hujus Artis origo & progreſſus de Seculô in Seculum à natô Mundô enarrantur; Autore D. C. D. M. Genevæ, apud J. A. Choüet & D. Ritter, 1696. 12.

Hæc prima Editio, non ultra Hippocratis tempora incluſivè progrediebatur; ſed aliæ duæ Amſtelodami in 4. emiſſæ ſunt, in quibus eadem hiſtoria ad Galenum uſque incluſivè procedit; quarumque

quarumque ultima priore auctior eſt, & ſequentem præfert titulum.

Hiſtoire de la Medecine, où l'on voit l'Origine & les Progrés de cet Art de Siécle en Siécle; les Sectes qui s'y ſont formées; les noms des Médecins, leurs Découvertes, leurs Opinions, & les circonſtances les plus remarquables de leurs Vie. Par Daniel Le Clerc, Docteur en Médecine. Nouvelle Edition, revuë, corrigée, & augmentée par l'Auteur en divers endroits, & ſur tout d'un Plan pour ſervir à la continuation de cette Hiſtoire, depuis la fin du Siécle II. juſques au milieu du XVII. A Amſterdam, aux Dépens de la Compagnie, 1723. 4. i. e.

Hiſtoria Medicinæ; in quâ hujus Artis Origo & Progreſſus de Seculô in Seculum enarrantur; Sectæ in eâdem enatæ explicantur; Medicorum Nomina, Inventa, Opiniones, ac eorum Vitæ memorabiliores circumſtantiæ, recenſentur. Autore Daniele Clericô, Medicinæ Doctore. Editio noviſſima, ab Autore recognita, correcta, & in variis ſui partibus aucta. Superadjectâ compendiariâ deſcriptione eorum quæ utiliora creduntur pro continuatione hujuſce Hiſtoriæ à fine Seculi II. uſque ad medium Seculi XVII. Amſtelodami, ſumptibus Societatis, Ann. 1723. 4. Cart. Aug.

Eximium hoc Opus à perdoctô Autore magnâ curâ ac ſedulitate confectum, applauſum univerſalem meruit, & perdignum foret quod latinitate donaretur; ſed perquiſitio citationum in innumeris Scriptis unde excerpantur, obſtaculo eſt ejuſmodi traductioni, præterquam illis qui grandiorum bibliothecarum uſum habere poſſunt, nullatenus verò apud nos qui ejuſcemodi auxiliis caremus. Utinam Noſter Hiſtoriam ſuam non minùs utilem quàm jucundam ad noſtra uſque tempora perduxiſſet, verùm ætas ſenilis, & valetudo querula, imò ſæpe non parum afflicta, improbo huic labori obſtaculo fuerunt, ut & carentia Bibliothecarum in id idonearum: Clariſſ. D. Freind famoſiſſimus Doctor Anglus, hoc quidem onus in ſe non parum feliciter ſuſcepit, ſed exquiſitiſſimâ ſuâ Hiſtoriâ nos beare non dignatus eſt, dum Anglicô idiomate illam conſcripſit & alias hactenus nobis nota non ſit quàm ex traductione Gallicâ Lugduni Batavorum editâ, quæ forſan in pluribus Archetypo ſuo minùs accuratè reſpondet. Verùm alia traductio multò accuratior Pariſiis annô 1728. emiſſa huic incommodo planè medetur.

CLETUS (*Aëtius*,) Signinus.

Ex eô habentur

Dilucidatio in Aphoriſm. 22. primæ ſect. pro defenſione interpretationis Marſilii Cagnati, nuper edita per Philandrum Colutium. Romæ apud Barth. Zannettum, 1621. in 8.

Dodecaporion Calchantinum. Romæ, apud Barthol. Zannettum, 1620. in 4.

De Morbo ſtrangulatoriô Opus. Romæ, ap. Lud. Grignanum, 1636. in 8.

CLEYER (*Andreas*) Haſſo - Caſſellanus.

De eô extant

Specimen Medicinæ Sinicæ ſive Opuſcula Medica ad mentem Sinenſium, continens I. de Pulſibus Libros quatuor, è Sinicô translatos; II. Tractatus de Pulſibus ab eruditô Europæô collectos. III. Fragmentum Operis Medici, ibidem ab eruditô Europæô conſcripti. IV. Excerpta ex Litteris eruditi Europæi in Chinâ: V. Schemata ad meliorem præcedentium intelligentiam; VI. De Indiciis Morborum ex Linguæ coloribus & Affectionibus: Cum Figuris æneis & ligneis. Francofurti, apud Johannem Petrum Zubrodtum, 1682. in 4.

Obſervatio de Ovô Gallinaceô, cum ſerpentis imagine in teſtâ. Reperitur in Ephemer. Acad. Nat. curioſ. Germ. Decur. II. An. II. Numer. 16.

De Ovô gallinaceô prægnante, & Epate gallinarum inſigni. Ibidem Ann. eod. nu. 17.

De Corporibus ſphæricis per multis in ventriculô humanô inventis. Ibid. Ann. eod. n. 18. & in annotationibus ad eam.

De Obſervatione cometæ, quæ effulſit A. C. 1681. Bataviæ Ind. Orient. menſ. Januar. Ibid. an. eôd. in annotat. ad Obſerv. 36.

De Elephantiâ Javæ novâ. Ibid. Decur. II. an. II. nu. 5.

De ſerpente magnô Indiæ Orientalis, Urobubalum deglutiente. Ibid. an. eôd. n. 7.

De Nube pyramidali in Oceanô attractivâ. Ibid. anno eôd. n. 8. unà cum ſcholiis ad eam.

De Herbâ Thee Aſiaticorum. Extat Act. Haffn. volum. IV. nu. I.

De eô habentur præterea in Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. II. ann. 3.

Obſervatio 13. *De S. Thomæ Chriſtianis Indiæ Or. pedibus ſtrumoſis.*

Eſt ſingularis in Regnô Malabar Indiæ orientalis tractus, in quô homines alterutrô pede, ſæpiùs tamen ſiniſtrô, tumores ingentes, ſtrumoſos, ex uterô maternô ſic conformatos, geſtant, adeò ut pondere iſthoc tumorum, celeritas currendi ipſis gravior reddatur, & impediatur, licèt præter iſtam molem nullum dolorem ſentiant, & pedetentim gradatimque incedere poſſint. Ingraveſcente horum hominum ætate ingraveſcit quoque hæc pedum moles. Incolæ hi à Chriſtianis in Indiis Orientalibus viventibus, imò ab ipſis Mahummetanis & Malabaricis inveteratô nomine appellantur S. Thomæ Chriſtiani (*Thomas Chriſten*) eò quod orientales populi annoſâ traditione credant, Thomam Apoſtolum Chriſti, qui in iſtis Regionibus Evangelii propagandi cauſâ vixit & ibi mortuus eſt, cuidam peccatori ejuſmodi ſtrumoſum pedem cum poſteris omnibus geſtare advoverit. Dantur hic Bataviæ Indorum plurimi ſervi & mancipia talis ſtrumoſis pedibus, quorum omnium patria iſte Malabariæ diſtrictus eſt. Hic pedum affectus neque per Brachmanes Medicos, Philoſophos & Phyſicos inſignes Regni Malabariæ, qui Pythagoricæ ſectæ ſunt addicti, neque per noſtros Medicos & Chirurgos curari poteſt, quoniam incurabilis ideò cenſetur, quia naturalis eſt.

Ibidem, Dec. ij. Ann. 4. Obſervatio 2. De Radice Genſingh.

Radix Genſingh vel Nyli crebrô uſui inſervit populis Aſiaticis multæque illi ſingulares virtutes, imprimis calidum nativum quæ confortant, adſcribuntur; unde ad venerem augendam ut plurimum in uſum ducitur, ideòque etiam tam carô pretiô redimitur, quælibet nempè libra in Bataviâ pro 40. 50. 60. imò 80. Imperialibus. Intereà tamen facilè cariem concipit, ſicque non diû in vigore permanet, niſi major, ſæpius aëri exponendo, cura adhibeatur. Sine ullô

nullô ferè medicamentô in formâ decocti utuntur, quod non aliquid iſtius radicis recipiat, rarò tamen vel nunquam ſola per ſe uſurpatur, niſi admodùm parvâ in doſi, ita ut interdùm exigua ejus taleola, duorum granorum pondere, ore ſumatur, ſenſimque manducetur. Nimius enim uſus non noxius tantùm, ſed & mortifer exiſtit; ſanguinem etenim plus juſtô accendit, novi quippe venereô amori admodùm deditum, qui extractum inde Chymicâ arte parare ſibi curaverat, ejuſdem, ſpiritui vini permixti, cochleare ſæpius hauriens, libidinique tam diu indulgens, ut febre ardente correptus tandem mundo valediceret. Uſus ideò radicis hujus eſt in debilitatis valdè corporibus, ſed providè uſurpanda nec immoderatius ſumenda. Provenit potiſſimùm in peninſulâ Coreâ, regnum inter Sinicum & Japonicum ſitâ apud Japonenſes non eô in pretiô quali apud Sinas habetur; illis magis Camphoram Borneenſem æſtimantibus, cui gens iſta eandem magnamque virtutem adſcribit, & omnibus in Decretis ſuis adhibet. Utraque autem Natio ſimplicibus ut plurimùm utitur, aut non facilè ternarium eorum numerum in mixturis tranſcendit, eadem cum aquâ in parvô tectôque vaſculô ex quô nihil exhalare queat coquens & ſucceſſivè ità uſurpans. Radicem hanc nobili Croco comparare ſoleo, qui itidem præſtantiſſimas vires poſſidet, & ipſi iſti Radici præferendus eſt, nec immeritò à nunquam ſatis laudatô *Helmontiô* ac *Polemannô* tantoperè idcircò laudatur; quamvis & idem cautè fit in uſum trahendus. Veram effigiem decantatæ hujus Radicis, necnon fruticis nobiliſſimi Thee vel Chiæ, ad *Naturæ Curioſos* hac occaſione mittam, cùm utrumque iſtud vegetabile jam viderim, teneriorèſque eorum plantas aliquot mecum Bataviam aſportaverim, tentaturus, an ibidem propagari pariter queant. Habui equidem olim Radicis iſtius delineationem, ſed quæ à meâ jam obtenta diſcrepat, & cùm Rapunculô noſtrô figurâ, ut & flore coëruleô coincidit; nec radice etiam multùm differt, ut ferè crediderim, unam eandemque eſſe & radicem illius decoctô Liquiritiæ priùs impregnatam, ſingulari poſteà dexteritate fuiſſe exſiccatam; Quam verò nunc poſſideo, Trifolii ſpecies eſt; cujus tamen florem videre haud potui.

Ibidem Obſervatiô 3. De Catechu.
Ibidem Obſervatio 4. De Herbâ Thee aliiſque.
Ibidem Obſervatio 5. De fructû Ananas.

FIdem adhiberè cogor Incolarum noſtrorum relationi de Fructû Ananas, qui à D.D. *Piſone*, *Garzia*, aliiſque deſcribitur, & hic locorum copiosè provenit, calculum nempè ab eô expelli; quamvis cautè cum eô ſit procedendum, nè vis ulla inferatur, hominèſque periculum vitæ incurrant, ſi calculus mole exceſſerit & in medicamenti uſû modus non obſervetur. Fructum hunc, poſtquam maturuit, decorticant, & teſſelatim incidunt, vitreæque lagenæ Anglica probè occluſæ inditum in ahenô, aquam continente & ſuprà ignem poſitô, inſtar gelatinæ caponis coquunt, ut ſuccus ejus hâc ratione exſudet atque cocturâ corrigatur, cùm crudior ille vim corroſivam contineat. De hôc liquore pro libitû & exigentia aliquid bibitur, qui ſapore gratô palato placet; prout maturus etiam fructus decorticatus & in oblongas partes diſſectus, ſaleque confricatus, vinô Hiſpanicô ſuper infuſô, ſuavi ſapore non ſecùs ac optimâ Fraga, ſe commendat.

Ibidem, Obſervatiô 6. De Cinnamomô & Caſſiâ ligneâ.
Ibidem, Dec. ij. Ann. V. *Obſervatio 40. De Arbore Cacciferâ Japonenſi.*
Ibidem, Obſervatio 41. De Arbore Mami Itabo Japonenſium.
Ibidem, Annô VI. *Obſervatio 49. De Cicadis Indicis.*
Ibidem, Obſervatio 52. De Plantâ Japonicâ Vingaſanâ.
Ibidem, Obſervatio 53. De Duabus Plantis aquaticis Japonenſibus, Koëbe & Faſnoſana.
Ibidem, Obſervatio 54. De Canſchy & Fiewa, Japonenſium arboribus.
Ibidem Annô VII. *Obſervatio 70. De Plantis Japonenſibus Iſnoacky Germ. (Ghſerholz,) & Tzumacky.*
Ibidem, Obſervatio 71. De Plantis Japonenſibus Cumi, Gummi, & Miaco Bana.
Ibidem, Obſervatio 72. De Plantis Japonenſibus Kyrama & Fickoſax.
Ibidem, Obſervatio 73. De Plantis Japonenſibus Niſum Schin, Srogat, Mominoky, & Feggo.
Ibidem, Decur. ij. Ann. VIII. *Obſervatio 21. De Cetô minore ambrophagô.*
Ibidem, Obſervatio 22. De Monſtroſis Animalibus.
Ibidem, Obſervatio 190. De Plantis Japonenſibus Mitznoſana & Fataſirô.
Ibidem, Obſervatio 191. De Floribus Japonenſibus, Kanako Juri, & Jama Juri.
Ibidem, Obſervatio 192. De Arboribus Fiſakaky & Tſutta.
Ibidem, Annô 9. Obſervatio 75. De Plantis Japonenſibus Din nanſcho & Omodio.
Ibidem, Obſervatio 76. De Floribus Japonenſibus Vohſnoſana & Ghimi.
Ibidem, Obſervatio 77. De Arboribus Japonenſibus Kutzinèſch & Tobera Nocky.

Ibidem, Anno 10. Obſervatio 35. De Opiô Aphrodiſiacô.

SAlaciſſimæ & veneri nimiùm deditæ Indiæ Orientalis gentes, licèt natura ſtrenui milites in caſtris venereis ſint, arte tamen naturæ ſuccurrere maximopere ſtudent, hinc ex variis rebus, varia aphrodiſiaca parant medicamenta imprimis autem ipſis maximè celebre & magnæ virtutis eſt, illud, (quod multis paradoxon videbitur) quod ex opiô parant; putantes opium ſequenti modô præparatum ſpiritus animales & vitales ità ligare & concentrare, ne in auras avolare poſſint, ſed ſemper in ſufficienti copiâ ad actum venereum adeſſe; Non multum jam diſceptabo, an & quâ ratione Opium hocce, illud præſtare poſſit, ſed ſaltem ejus ad uſum hunc deſtinati præparationem Curioſis Europæis communicabo, hoc tamen ἐν παρόδῳ priùs dicam, me multos & innumeros in Regnô Japan reperiſſe ſenes, qui ſenectutem ſuam ſoli Opio hujus uſui adſcribebant, & ità illô delectabantur, ut non ſolùm illud in quotidianô uſû haberent, ſed etiam ad drachmam ſine ullô incommodô devorare poſſent. Præparatio autem fit ſequenti modô; primum ollam fictilem lacte vaccinô plenam igni admovent, continuô ſpathula lac agitando ne empyreuma contrahat, poſteà libram unam aut alteram opii, tenui & rarô linteô involvunt & ſuper ollam pendunt, ut ſic exhalationes ſive vapores, ab ebulliente lacte adſcendentes, opium penetrare & paulùlum ſolvere aut liquefacere poſſint unde ſubtiliſſimæ opii partes,

partes, ſolutæ, per poros lintei tranſſudant & exteriori parti adhærent, quas poſteà ſpatula, aut aliô inſtrumentô abradunt & ad uſum reponunt, hujus ità præparati opii, primò granum unum ſolùm in liquore quôdam, aut aromaticis quibuſdam mixtum exhibent, paulatim doſi adſcendendo, donec quotidie drachmam integram devorare poſſint.

Ibidem, Obſervatio 36. *De Arboribus Japonenſium Itabe & Hambu.*
Ibidem, Obſervatio 37. *De Arbore Camphoriferâ Japonenſium, Kuſnoky dictâ.*
Ibidem, Obſervatio 38. *De Plantis Japonenſium Ran & Schoboe.*

RAn, planta eſt arundinacea, cum radice molli alba & ſucci ſummè venenoſi plena, ideòque à Japonenſibus & Sinenſibus magni æſtimatur, namſi parum hujus radicis, quis comedat, ſtatim mente orbatur & brevi poſt è vitâ diſcedit; ſi autem poſt ejus uſum confeſtim patienti aquâ in quâ ſaccharum album eſt ſolutum, præbeatur, ut hujus aliquid ore exhauriat, tunc nihil incommodi inde patitur, ſed vis toxica infringitur. Flores hujus venenoſæ plantæ dulcem ſpirant odorem & ſunt lutei coloris, cum lineolis rubris, ſemen eſt oblongum & acutum.

Schoboe ſpecies eſt Acori ſive Calami aromatici vulgaris: nam vires ipſius & folia cum calamô aromatico Europæorum conveniunt, caules tamen ſunt purpurei coloris, radices villoſæ multis tuberculis ſunt intertextæ. Japonenſes radicibus utuntur in cibis ſuis & illas in ſecky ſuo (genere potûs) ſive aliô liquore infundunt, infuſionemque contrà colicos dolores bibunt; Naſcitur in Campis humilibus & paludoſis ſine cultû.

Ibidem, Decur. iij. Ann. II. *Obſervatio* 179. *De Plantis Japonenſibus Jamaran & Deeku.*
Ibidem, Obſervatio 180. *De Fruticibus Japonenſibus Tzinſinqua & Danawathas.*
Ibidem, Obſervatio 181. *De Floribus Japonenſibus ſchinobu & Tzooſchinkiku.*
Ibidem, Obſervatio 182. *De Arboribus Japonenſibus Mechebii & Inſur.*
Ibidem, Decur. iij. Anno 3. *Obſervatio* 118. *De Arbore Japonenſium Tſchooditſoo ſive Tſchoot Itzu.*
Ibidem, Obſervatio 119. *De Floribus Japonenſium Kuko ſive Aſangu & Zuri-Jani.*
Ibidem, Obſervatio 120. *De Plantis Japonenſium Zumani & Jamiuncka ſive Jamamiuncka.*
Ibidem, Anno V. & VI. *Obſervatio* I. *De Plantis Japonenſibus Jooſie.*
Ibidem, Obſervatio 2. *De Arboribus Japonenſibus Gummy & Fiaku ſchyqua.*
Ibidem, Obſervatio 3. *De Fruticibus Japonenſibus Tſingkikœ & ſanadatzibana.*

De eô prætereà habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1682. *p.* 201.

Specimen Medicinæ Sinicæ, ſive opuſcula Medica ad mentem Sinenſium edita, ab Andreâ Cleyer, Haſſo Caſſelano, ſociet. Indiæ in novâ Bataviâ Archiatro. &c. Francofurti, ann. 1682. *in* 4.

OPuſculorum horum ſex ſunt, quorum potiſſima contenta pulſuum in morbis explorandorum maximam vim, pro morbis horumque eventibus determinandis & medicamentis applicandis, reſpiciunt. Quippe in *primo* certi ſcriptoris Sinenſis pulſuum inveſtigandorum ſuppeditantur regulæ, cum cordis, hepatis aliorumque membrorum ad pulſus habitudinibus atque exinde petendis ſignis; Hinc pulſuum differentiæ horumque mutationes recenſentur, variis tamen aliis corporis affectionibus adjectis, quæ ſigna diagnoſtica & prognoſtica ſuppeditare valent. Et quia non tàm morbis quàm pulſibus iis,reſpondentibus Sinenſes medentur, regula his per compoſita medicamina medendi additur, cum Catalogô ſimplicium uſualium, quæ ab Europæorum medicamentis maximè differunt.

Alterum pariter de pulſibus agit, ſecundum principia & placita Philoſophiæ Sinenſium Medicæ, proùt quidem ex codice quodam horum veteri illa extraxerat Medicus quidam Europæus; quatenùs ſcilicet illi doctrinam hanc ſympathiæ & relationi membrorum corporis, necnon pulſuum, cùm quinque ſuis Elementis, nempe aqua lignô, igne, terrâ & metallô, necnon cum anni tempeſtatibus, ſuperſtruunt.

Tertium fragmentum operis Medici eſt, ab Europæo quodam ex hypotheſi Sinenſium conſcripti, pariter horum rationem pulſus explorandi hiiſque medendi exponens; In quô tamen, quomodò etiam ſine pulsûs inveſtigatione, ex ſolis corporis coloribus, ſonis, appetitû, ſomniis ſimilibuſque morborum conditio & mortis periculum indagari poſſit ſimul docet. Inter alia Sinenſes à ſanguinis miſſione & quidem per argumenta haud levia abhorrere, uromantiam negligere ac rejicere, Chymiam ignorare, ſed alchymiam ad inſaniam uſque colere, compoſitiones Medicamentorum & Medicinam, ab Hippocrate, Galeno, Avicennâ aliiſque Græcis & Europæis traditam & hactenùs uſitatam, neſcire, Chirurgiæ aliquantum peritos habere, perhibet opuſculi hujus ſcriptor. Interim ex pulsû eos cunctâ dijudicare & pulſibus appropriata remedia propinare, diætam ſtrictiſſimam ac victum tenuiſſimum commendare, nè ſuorum medicamentorum, utpote Europæis minùs potentum, vis ab alimentis obtundatur; atque has regulas diæteticas accuratè & obſequiosè obſervare ægros, perſuaſos alias aut mortem ſecuturam, aut morbum rediturum. Formulas illorum eſſe vel potiones, vel pulveres, vel pilulas, quibus mediantibus modò ſudorem, modò vomitum, modò catharſin, modò tepidi introductionem præſtant, modò ſpiritus & qualitates quinque ſuorum elementorum quarum aliquam ſingulis membris potioribus attribuunt, reſtaurant,

Eadem ferè docet opuſculum *quartum*, excerpta è litteris cujuſdam Europæi continens; Explicant hæc præprimis circulationem quandam ſanguinis & ſpirituum Sinenſium, licèt ab Europæorum quàm diverſiſſimam & ridiculam ſatis; utpotè quæ cum *doctrina* eorum de pulſibus, non Anatomicis fundamentis à quibus ſemper abhorrent, ſed ſoli longiori uſui ſeu experientiæ, ac codici cuidam antiquiſſimo innititur.

Tandem poſtquam *quinto* ſchemata pro explicatis meliùs declarandis, eaque autopſiæ Anatomicæ minùs adæquata adjecerat; *ſextô* opuſculô terminum huic ſpecimini imponit Noſter, excerptum ex Medici cujuſdam Chriſtiani librô, de indiciis morborum ex linguâ, coloribus aliiſque affectionibus corporis præternaturalibus; quorum ope, ſine omni pulsûs exploratione, morborum plurium, in ſpecie febris malignæ, vim & qualitates dignoſci poſſe, ille aſſeruerat.

CLIVOLO

CLIVOLO (*Bartholomæus à,*) vide ſub Titulô *Viottus.*

CLODIUS (*Balduinus*)

De eô extat

Officina Chymica. Francofurti, 1633. in 4.

CLOKE (*Thomas,*) Anglus.

Ex eô habetur

De Atrophiâ. Lugdun. Batav. 4. 1675.

CLOS (*Dominicus du,*) Pariſienſis Medicus Regius.

Ex eô habentur

Obſervationes ſuper Aquis Mineralibus diverſarum Provinciarum Galliæ, in Academiâ ſcientiarum Regiâ in Annis 1670. & 1671. factæ. Et ejuſdem Diſſertatio ſuper Principiis Mixtorum Naturalium, habita annô 1677. Lugduni Batavorum, apud Petrum vander Aa, 1685. in 12.

CLOSIUS (*Paulus,*)

Ex eô habetur

Epiſtola medica. Extat eô in Opere, quod Laurent. Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. pag. 310.

CLOZIUS (*Joh. Antonius.*)

De eô extat

Obſervatio de Calculô veſicæ inſigni feliciter excreto. Habetur in Eph. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. II. N. 124.

CLUEYRATS (*Ludovicus,*)

De eô extat

Tractatus de Vulneribus Capitis. Toloſæ, apud Arnoldum Colomerium, 1657. in 8.

CLUSIUS (*Carolus,*)

De illô hæc habentur in M. Henningi Witten Decad. I. Memoriar. Medicor. noſtri ſeculi Clariſſim.

EVERHARDI VORSTII
Medicinæ Profeſſoris

ORATIO FUNEBRIS

In obitum

V. N. & CL.

CAROLI CLUSII ATREBATIS.

Habita fuit in Academiâ poſt ductum funus, die VII. April. Anno cIↃ. IↃc. IX.

SEnatores Academici, Profeſſores CLmi, Illuſtres ac generoſi, Barones, Viri Ampliſſimi, doctiſſimi & reverendi, juventus ornatiſſima atque Reip. Spes florentiſſima;

Recens ac nuperum Academiæ noſtræ fatum, alius nunc iterum longè acerbiſſimus excepit caſus. Extulimus paucis ab hinc diebus Joſephum Scaligerum, temporum noſtrorum Phœnicem; hunc brevi adeò intervallo ſubſecutus eſt Carolus noſter Cluſius; vix dum dolor noſter aliquantò ſubſederat, ecce novo percellimur luctu, malumque paulò remiſſum rurſus integraſcit. Nec enim uno contenta Scaligero (in cujus tamen jacturâ totus ingemuit orbis) mox & alterum hoc nobis ſubduxit ornamentum invida Parca. Huic Venerando Seni hodiè pro veſtrâ pietate parentaſtis, hujus honorandæ memoriæ huc frequentes conveniſtis; hujus defuncti gratia foris ſordidatos, intus mœrore obſeſſos vos mœſtus intueor; hujus denique causâ in hunc locum, non tam meâ voluntate, quàm veſtrâ, Patres Academici, petitione atque impulſu aſcendi. Quàm durum ſuſceperim onus, non me fugit. Dicturus enim ſum de eo Viro, cujus virtutes, eruditio, in remp. litterariam merita, omnem meam dicendi vim, omnem ſupellectilem excedunt longè: dicturus ſum in eo loco, in quem nihil adferri ſolet, nihil debet, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ, & quod demorſos ſapiat ungues. A quo dicendi ſplendore tametſi quàm longiſſimè hanc meam orationem abeſſe probè ſciam, veſtrâ nihilominus fretus benevolentiâ multus in me excuſando apud vos non ero. Excuſabit me Senatûs Academici Decretum, quod dicendi hanc impoſuit neceſſitatem. Excuſabit pietas, quâ defuncti manes proſequutus, extremum hoc officium à me deſiderari paſſus non fui. Excuſabit vitæ ac profeſſionis meæ genus, quod ab amœnioribus iſtis litteris & eloquentiæ ſtudiis multum ſemotum eſt. Excuſabit demum temporis anguſtia, quæ meditationi accuratiori ſpatium perexiguum conceſſit. Quare ſi non ex dignitate omnia dixero, & ex tam multis pauca ſolùm delibavero, haud ſpero apud Auditores tam æquos judicia mihi ulla fore parata iniqua. Favete igitur conatibus, Auditores humaniſſimi, favoriſque veſtri auram tantiſper mihi concedite, dum quæ de tanto viro ab aliis aliquando ornatiùs dici aut feliciùs ſcribi poterunt, ego ὡς ἐν τύπῳ craſsâq; quod ajunt, Minervâ, adumbrare ſtudeo.

Qui Viros præclaros laudandos ſibi ſuſcipiunt, à ſolo natali in quo orti, in quo primùm hauſerunt cœlum, orationes ſuas auſpicari ſolent non immeritò; huic enim tantum à majoribus eſt tributum, ut parentis Sanctiſſimum nobiſcum commune habere voluerint, nihilque prorſus eſſe, quod à nobis vel fortiter geri, vel prudenter agi, vel ſapienter dici poſſit, cujus patria ſibi non arroget jure ſuo partem, æquiſſimi rerum æſtimatores cenſuerunt. Atrebatum urbs Galliæ Belgicæ ad Scarpum fluvium antiquiſſima eſt, ampla, elegans, amœna, aëre ſaluberrimo, ingeniis ac nobilitate florens, totius gentis Metropolis jam olim habita. In hac Cluſius noſter naſcitur anno Salutis milleſimo quingenteſimo & vigeſimo ſexto, menſe Februario, Patre Michaële de l'Eſcluſe, Domino de Watenes, & Conſiliario Curiæ Provincialis: Matre Gulielma Quineaut, rari exempli fœminâ, quo in loco parentes ſimul cum anima illi tradiderunt, patriam non obſcuram, familiam non pœnitendam, domum innocentem, opes honeſtas, ingenium liberale, ſtudiiſque optimarum artium capeſſendis aptiſſimum. Quare ut primùm ex ephæbis exceſſit, Gandavum à parentibus miſſus, ſub optimis præceptoribus iis artibus, quibus ætas illa ad humanitatem informari ſolet, ritè imbutus eſt. Quo quidem tempore multa neque ea vulgaria ſpectatæ indolis edidit ſpecimina. Ætate jam grandior factus, ad graviores diſciplinas & imprimis jus civile diſcendum, Lovanium totius Europæ florentiſſimum tunc Gymnaſium, ac litterarum Emporium ablegatur: Ubi celebriores in omni ſcientiarum genere Viros publicè docentes cupidiſſimè audivit; privatim etiam quibuſdam ex præcipuis & familiariter uſus, aſſiduâ illâ doctorum hominum conſuetudine effecit, ut brevi admodum inſignem optimarum rerum peritiam, nomenque inter æquales clarum ſibi compararet. Erat enim ea tunc in urbe ſummus præſtantiſſimorum Virorum & adoleſcentum concurſus ex omnibus Europæ provinciis; & docentium diſcentiumque ſtudia ad æmulationem æquè fervebant. Annô ætatis vigeſimo ſecundo Lovanio digreſſus, ad uberiorem ingenii cultum capien-

capiendum, & externarum regionum viſendarum cupidine flagrans, in Germaniam contendit, & Marpurgi apud Chattos aliquandiu ſubſtitit, ubi Oldendorpium clariſſ. apud ſuos & exteros Juriſconſultum, diligentiſſimè audivit: ibidemque in familiaritatem incidit Andreæ Hyperij, magnæ exiſtimationis ac famæ apud Germanos Theologi. Hujus conſilio annô inſequente Wittebergam Saxonum adiit, potiſſimùm ut Philippum Melanchthonem videret, audiret & coram cognoſceret; virum mehercle egregium, qui ſcientiarum orbem univerſum vel ſolus, vel cum paucis apud populares ſuos intellectione complexus eſt; & ob id, dum viveret, Germaniæ ſuæ Oraculum habitus. Circa annum Chriſti CIↃ. IↃ. L. Witteberga profectus Francofurtum, indeque Argentinam petiit, ubi paululum commoratus, cùm Galliæ luſtrandæ teneretur deſiderio, per Helvetios & Allobroges Lugdunum pervenit, hinc Montepeſſulum: in qua urbe certo conſilio triennium totum egit, Guilielmi Rondeletij Medici celebratiſſimi contubernio ac menſa uſus. Hoc primùm in loco illum cepit Medicinæ ſtirpiumque noſcendarum amor, quo ad extremum uſque vitæ diem raptus, juris Civilis profeſſioni nuntium remiſit, ſeque totum ſacræ artis, & præcipuè ſimplicium medicamentorum cognitioni tradidit, inſito quodam naturæ ductu. Aſſiduus ac ſedulus Rondeletij, cui unicè carus & acceptus erat, auditor, ex ore docentis excepit methodum curandorum morborum particularium, quam poſtea typis vulgavit Laur. Joubertus. Rei herbariæ ſtudio ſupra modum delectatus, ſæpiſſimè in agrum & circumvicina loca prodibat, totamque Galliam Narbonenſem perreptabat: neque, quod multi peregrinantes hodie faciunt, perfunctoriè aut veluti canis Nilum lambit, exteras regiones obibat, verùm penſiculatè minutiſſima etiam quæque animadvertebat; nec ſolùm rerum naturalium ibi naſcentium indagatione contentus, quicquid præterea ad ſitum, antiquitates & populorum mores ſpectaret, mente & oculis attentiſſimis obſervabat. Cui inter cætera fidem facit Tabula illius chorographica Galliæ Narbonenſis, quam theatro ſuo Geographico Abrahamus Ortelius inſeruit. Dum apud Montepeſſulanos degeret, Petrum Lotichium, Poëtarum Germaniæ principem, cognovit, & inter reliquos amicos familiariſſimè coluit. Hujus ad Cluſium verſus aliquot & Epiſtolæ cum reliquis ejus operibus leguntur. Porrò in ſtudio Botanico, cujus incredibili flagrabat amore, ita brevi profecit, ut vel tunc Rondeletio, Scyronio aliiſque Academiæ illius Doctoribus liqueret, quantus in illa profeſſione aliquando futurus eſſet: non obſcuris quippe indiciis collegebant, ad rem herbariam ornandam augendamque natum atque unicè factum; utpote cujus animo altiſſimè infixum hærebat grave illud dictum, quod apud Galenum extare novimus, & ab Oribaſio repetitum legimus, ſimplicium medicamentorum & facultatum, quæ eis inſunt, cognitionem adeò Medico neceſſariam eſſe, ut ſine ea nemo ritè mederi queat. Equidem ita judico, ſi Medici alioquin eximii animum herbarum notitiâ ſpoliaveris, mentemque nativâ ſtirpium ſpecie nudaveris, licèt cœlo dejectus, licet Æſculapius ipſe fuerit, licet omni Muſarum choro ſtipatus, Phyſica, Anatomica atque Chirurgica callens, placere tamen poſſe ne Apollini quidem ſuo, utpote herbarum ſcientiſſimo. Fuit ſanè hæc ſapientiæ pars quæ ſtirpium hiſtoriam complectitur, non ita multis ab hinc annis in obſcuro planè poſita, denſiſſimiſque involuta tenebris. Nam præterquam quòd per ſe ſat difficilis eſſet, temporum longinquitas & crebræ populorum migrationes, in cauſa fuerunt, ut pleræque, ne dicam omnes, plantæ veteribus abjectis nova ſæpius induerint ac commutârint nomina, ita ut priſtinæ nomenclaturæ nec vola nec veſtigium appareat ullum. Hinc etiam moroſior ac ſcrupea prorſus reddita, quod priſci materiæ medicæ ſcriptores, ſtirpium, quas pro vulgò cognitis habebant, paucas inter deſcribendum, non raro nullas tradiderint notas, quibus à poſteris recognoſci poſſent.

Quibus & tertium acceſſit incommodum, quod recentiorum quidam ad primam quamque vel leviſſimam notam à veteribus appoſitam, alienas ac nonnunquam contrarias ſupponunt plantas, adeò ut loco ſalutarium remediorum, venena etiam quidam nobis ſurrogârint nocentiſſima, damnabili prorſus atque ſceleratâ inſcitiâ. Quibus malis ne diutius conflictaretur Ars medendi, Summi Numinis providentiâ factum, ut patrum noſtrâque memoriâ multi præclari exorti ſint viri, qui hanc Philoſophiæ partem illuſtrandam ſibi ſumpſerunt; inter quos primas obtinuit Leonicenus, Ruellius, Matthiolus, Fuchſius, Tragus, Dodonæus, Dalechampius, Lobelius, Caſpar Bauhinus, Cluſius denique hic noſter; de cujus in hoc ſtudiorum genere excellentia & ſingulari peritia non eſt quod multis apud vos diſſeram; res ipſa loquitur, & quæ omnium manibus teruntur, Viri eminentiſſimi Scripta id abundè teſtantur. Inde enim apparet duo ſibi potiſſimùm propoſita habuiſſe, ut ab antiquis deſcripta aut memorata, altaque jam caligine merſa, erueret atque in lucem protraheret; nova verò aliiſque indicta ipſe reperire poſſet, repertaque optima fide bono publico omnibus communicare. Utrumque feliciſſimè peregit, & cum immortali nominis ſui gloria perfecit. Verùm ad reliquum de Vita optimi noſtri Senis ſermonem regredior. Montepeſſulo, poſt gradum, ut vocant, Licentiæ in Medicina adeptum, diſcedens per Galliam Lugdunenſem, Genevamque, iterum Baſileam pervenit, ubi exquiſitiſſimis honoribus ab ordine Academico exceptus, ſecundo Rheno vectus Coloniam uſque Aggrippinæ, inde terreſtri itinere Antverpiam petiit, & ab annô quinquageſimo quinto ſupra milleſimum quingenteſimum uſque ad annum ſexageſimum tertium in Belgio ferè hæſit, niſi quod Lutetiam Pariſiorum ſemel excurrere illi viſum. Vertit interea temporis in ſermonem Gallicum Vitas Hannibalis & Scipionis à Donato Acciaivolo Latinè priùs editas, quæ inter opera Plutarchi Gallicè evulgata hodie leguntur. Dodonæi præterea Plantarum hiſtoriam in eandem linguam convertit. Annô verò ſexageſimo tertio Auguſtam Vindelicorum petiit, proximoque repetiit, & inde in comitatu Illuſtrium fratrum Fuggerorum per Belgicam, cæteramque Galliam Oceano proximam, in Hiſpaniam profectus eſt; quam univerſam peragravit & accuratiſſimè perluſtravit à Pyrenæis montibus ad fretum uſque Gaditanum: quo in itinere ad Calpen equo dilapſus os tibiæ confregit. Olyſipone cùm eſſet, incidit forte fortunâ in Dialogos Gartiæ ab Orta Luſitanicâ linguâ conſcriptos, Aromatum apud Indos naſcentium deſcriptionem complectentes, quos cùm avidè percurriſſet, dignoſque qui toti orbi innoteſcerent judicaſſet, Latinè vertit, & parergis amiſſis contraxit, additis etiam Notis. Hos primùm annô ſeptuageſimo quarto Chriſtophori Plantini typis Antverpiæ publicavit: Quibus adjunxit Nicolai Monardis, Medici Hiſpalenſis de ſimplim-

ſimplicibus med. novi orbis Librum, ex lingua itidem Hiſpanica in Latinam traductum. Hiſpaniâ totâ diſcurſâ in Belgium reverſus eſt, & in eo uſque ad annum ſeptuageſimum commoratus eſt, amicitiâ multorum præſtantium Virorum uſus; Boyſotti, Brancionis, Laurinorum fratrum, Plantini; Raphelengij & aliorum. Hoc tempore ex ſermone Italico in Latinum tranſtulit Antidotarium, ut vocant, Florentinum, quod annô LXVII. apud Plantinum edi curavit. Annô verò LXXI. in Britanniam navigavit, indeque redux biennio exacto ab Imper. Maximiliano II. Auguſto Viennam Pannoniæ honeſtiſſimis conditionibus evocatus fuit, & numero familiarium aulicorum adſcriptus, commiſsâ illi etiam Horti Cæſarei curâ: In quo munere ad annos circiter quatuordecim duravit, in ſumma Maximiliani Auguſti & Rudolphi F. exiſtimatione ac gratia. Quo tempore Pragam unà cum Imp. Maximiliano profectus eſt; quo ibidem vitâ defuncto, à Rudolpho Succeſſore priſtinum illi munus confirmatum fuit. Hungariam etiam, totamque Auſtriam peragravit. Britanniam etiam permiſſu Imp. iterum adiit: ubi in familiaritatem incidit generoſiſſimi Viri Philippi Sidnæi, & Franciſci Drake, à quo ſociiſq; ejus navalibus permulta didicit, quæ ad Exoticorum hiſtoriam ſpectant. In aula Cæſarea quamdiu fuit, totum inveſtigationi ſtirpium ſe dabat, ejuſq; rei cauſa ſæpiſſimè in vicinos Pannoniæ agros monteſque excurrebat. Hyberno verò tempore, & quoties otium illi eſſet, aſſiduè aliquid, quod ad ſtudium hoc pertineret, commentabatur. Edidit enim an. LXXVI. typis Plantinianis, Hiſpanicarum ſtirpium à ſe obſervatarum Hiſtoriam; præter Gartiæ ab Orta Dialogos, Chriſtophori à Coſta Hiſtoriam Aromatum, & Nicolai Monardis Novi Orbis Simpl. med. Annô autem 83. Plantarum Pannonicarum obſervationes. Verſabantur eodem tempore in aula Jo. Sambucus, Jul. Alexandrinus, Crato, Dodonæus, aliique non pauci Viri doctiſſimi; quos omnes amore ſibi divinctos habuit. Patuit etiam illi aditus in multorum principum & illuſtrium Virorum amicitiam; inter quos potiſſimum colebat, maximeque familiares habebat Comitem à Serotin, & Baronem à Batthyan, Hungariæ Proceres. Aulicæ tandem vitæ pertæſus, annô LXXXVII. Francofurtum ad Mœnum conceſſit; ibique per annos fermè ſex privatim egit, ſibique vixit: niſi quod interdum ad Principem Guilielmum Lantgravium commeare ſoleret: cui tantoperè acceptus fuit, ut annuo illum honoraret ſtipendio, tantoperè familiaris, ut eâdem cum illo veheretur rhedâ, intimèque conſueſceret. Complures etiam alios in hoc ſeceſſu, ut erat leniſſimæ conſuetudinis homo, comparavit ſibi amicos, magni nominis regum ac principum legatos. Illîc cùm eſſet, vertit è lingua Gallica in Latinam P. Bellonij Obſervationes, quas ann. LXXXIX. publicavit addito ejuſdem Bellonij libello de neglecta ſtirpium cultura. Demum annô XCIII. ab Academiæ noſtræ Curatoribus honorificis litteris & ſtipendio invitatus, huc venit. Ita enim judicabant Viri prudentiſſimi, à tam clari hominis præſentia, non minimum ſplendoris Academiæ huic acceſſurum: nec opinione ſua fruſtrati ſunt: quamdiu enim apud nos fuit, quà publicè quà privatim utilis eſſe nullo unquam tempore deſtitit. Scripta ſua omnia ad incudem hîc revocavit, extremamque manum addidit, & in duos tomos digeſſit, titulis Hiſtoriæ Rariorum Plantarum & Exoticorum: additis etiam aliis quibuſdam libellis, Epiſtolis & Obſervationibus. Nec ſolùm ſcriptis æterna memoriâ dignis illuſtre reddidit Gymnaſium hoc: ſed quotidianis ſermonibus omnes, qui ad ipſum ventitabant, erudiebat, benignèque omnia ſua commonſtrabat atque communicabat. Adeò ut cui conferre cum illo liberet, non inter plantas verſari, ſed in Philoſophiæ ſinu conquieſcere ſibi videretur. Erant quippe in hoc viro præter ſtirpium cognitionem exactiſſimam, complures aliæ & inſignes dotes Linguarum præter Græcam & Latinam, Hiſpanicæ, Italicæ & Germanicæ callentiſſimus fuit: & qui Italiam nunquam viderat, optimè tamen illius gentis loquebatur & ſcribebat linguâ. Hiſtoriarum & Geographiæ peritiſſimus; memoriæ tam felicis, ut quæcunque inter peregrinandum etiam minutiſſima quæq; obſervaſſet, ad unguem teneret & tanquam in numerato haberet. Pietatis in DEUM atque homines non obſcura reliquit indicia: Ipſe cùm major natu eſſet, fratri tamen minori ceſſit ultrò feudo ac dominio Watenefij; exemplo noſtris hiſce moribus raro. Attritis præterea ſuorum ob bellum noſtrum civile opibus, liberali manu ſubvenit ex eo quod frugali ſua & cœlibe vita reliquum ſibi fecerat: cibi enim potuſque deſiderio naturali, non voluptate, modus illi finitus erat; ab eorum ingenio procul, quorum corpora in ſagina, animi in macie & veterno obtorpeſcunt. Tranquillitas porrò animi ac ſerenitas in illo incredibilis, quam longo uſu ſibi pepererat ex bona conſcientia, rectis atque honeſtis actionibus, contemptu fortuitorum, placido vitæ & continuo tenore, unam eandemque perpetuo premente viam. Temporis tam diligens diſpenſator, ut nunquam deprehenſus ſit, extremâ etiam illâ ætate, quin aut legeret aliquid aut commentaretur. Amicorum cultor religioſiſſimus; quos illi plurimos omnis ordinis conciliavit, præter doctrinam, multa ejus atque rara virtus animique manſuetudo. Ita ut vix dies præteriret, quo non aut ipſe litteras daret, aut ab aliis acciperet, etiam ex remotiſſimis regnis ac provinciis. Summis Principibus quanto in pretio quàmque carus fuerit, vel ex ſolis litteris eorum ad ipſum ſcriptis abundè colligere eſt; ita ut vix credibile ſit, hominem privatum exterumque in tanta maximorum Virorum dignatione vixiſſe. Poſtremis annis duos ex amicis præcipuè obſervavit, Joſephum Scaligerum & Vincentium Pinellum; quorum exceſſu ita bonus indoluit Senex, ut deinceps manifeſtè in pejus labi & à priſtino vigore ſenſim remittere viſus ſit. Valetudo illi ab ineunte ætate varia, nec ſatis proſpera. Francofurti in luxationem coxendicum incidit: quod incommodum eo ſolùm nomine moleſtiùs ferebat, quòd non, ut ante, montes campoſque inviſere, plantaſque indagare liceret. Hernioſus etiam poſtremò factus eſt: ſenſibus alioquin integris ac mente. Viſu tam perſpicaci atque acuto, ut in extremo illo ſenio citra ocularium adjumentum optimè adhuc legeret, calamoque pingeret. Tandem longâ ætate & annorum decurſu feſſus, poſtquam jam expleviſſet annum octuageſimum quartum, extremum clauſit CLUSIUS diem. Vir, abſit invidia dictis, paucis conferendus, vita innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, &, ut verbo dicam, priſci moris & ævi. Hîc agnoſco libens divinam tuam, beate Scaliger, ac præſagam mentem. Recordor enim, cùm paullo ante obitum tuum Cluſius per internuntium ſeſe excuſaret, quod valetudine impeditus inviſere te ægrotantem non poſſet, reſpondiſſe te; viveret, valeret tantiſper; brevi ſe viſuros iterum in beatorum ſede. Verus, ah nimium verus vates: quantulo enim tempore Cluſium præceſſit ingens illa anima?

vix

vix altero elapſo menſe fidiſſimum ſuum ſequitur aſſequiturque *S*caligerum Cluſius. Quàm forti verò ac conſtanti animo fatum ſuum excepit? quàm placidè ſupremum illud momentum & quàm avidè captavit? Quidni verò captaret homo in Chriſti Servatoris Scholâ enutritus, & in ſpem beatæ reſurrectionis erectus? Meminerat probè, animoque ſuo procul dubio tunc volvebat dictum illud Jobi, conſolationis pleniſſimum: Scio quod Redemptor meus vivit, & noviſſimo die de terra ſurrecturus ſim; & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM. Repoſita eſt hæc Spes mea in ſinu meo.

Talem tantumque Virum amiſimus, Auditores; cujus ſanè beatitudini uti nos invidere impium planè foret, ita rurſus noſtrum nos lugere caſum nulla vetat religio. Te quidem, ô beati Cluſi, ô fortunate Senex, non eſt, quod lugeamus, qui ſempiterna apud ſuperos jam frueris gloria: & apud nos in Summa nominis celebritate vixiſti, viveſque etiam poſt fata æternùm: eos verò attigiſti annos quos noſtrum aliquis vix ſperare auderet. Et quid ſi non attigiſſes? Nôras mortalium conditionem, cui naſci contigerit, mori reſtare; intervallis nos diſtingui, exitu æquari: utque mori neminem contingit, qui non vixerit; ita nec vivere aliquem poſſe, qui non ſit moriturus. At verò noſtram nos dolemus jacturam, noſtrum totiuſque reip. litterariæ irrecuperabile damnum. Luget Academia Cratevâ, Theophraſto, Dioſcoride ſuo orbata. Luget ſtudioſa juventus, & Aſclepiadum ſoboles tanto rei Botanicæ reſtauratore ac patre deſtituta. Quin neque omnis intra loci hujus ſepta conſiſtit dolor, claudique ſe patitur tam anguſto ſpatio: emanabat hinc in univerſam Europam, imo ad extremos Indos uſque diffundet ſe longè latèque triſte hoc nuntium, Lugebit ipſa parens rerum Natura Myſten ſuum Cluſium, cujus ingenio atque induſtriâ, opes ſuas recluſas & tam accuratè deſcriptas paullò ante lætabatur. Quare exceſſiſti tu quidem à nobis, beate Senex, & ad authorem originis tuæ lætus reverſus es, ſed nobis omnibus deſiderium tui reliquiſti triſtiſſimum, ſimulque memoriam nominis tui nunquam interituram. Tua enim te monimenta, tua te Virtus, ac ſeriæ aliorum laudes, non levis hæc mea ac brevis prædicatio, perpetuò celebrabunt. DEUM Soſpitatorem ſupplicibus votis oro, obſecro, obteſtor, uti volens propitius ſoſpitet Academiam hanc, tantiſque circumventam luctibus expediat, & mala, quæ jam pridem plurima perpeſſi ſumus, lætioribus aliquando compenſet eventibus. Ita voveo, ita auguror. Dixi.

Ex eô habentur in Medicis.

Rariorum Plantarum Hiſtoria. Cui acceſſerunt ejuſdem Commentariolum de Fungis: Honorii Belli, Med. Doctiſſ. aliquot ad Clar. Cluſium Epiſtolæ de Variis ſtirpibus agentes: Alia item, eruditiſſ. Viri Tobiæ Roelſij Med. de certis quibuſdam Plantis, Epiſtola; Præterea accurata Montis Baldi in agrô Veronenſi Deſcriptio. Autore Johanne Pona, *Veronenſi*, à Carol. Cluſiô ex Italicô in Latinum ſermonem verſa. Antverpiæ, ex officinâ Plantinianâ, apud Johannem Morettum, 1601. in fol.

Exoticorum Libri decem: quibus Animalium, Plantarum, Aromatum, aliorumque peregrinorum Fructuum Hiſtoriæ deſcribuntur, Item Bellonii Obſervationes, eodem Carolô Cluſiô interprete. Antverpiæ, ex Officinâ Plantinianâ, apud Johannem Moretum, 1601. in fol. Lugd. Batav. apud Raphelengium, 1605. in fol.

Series totiùs operis:

Sex priores exoticorum Libros, variam materiam continentes, Car. Cluſius nunc primum in lucem profert.

Quatuor autem reliquos ejuſdem penè argumenti, videlicèt, Garciæ ab Ortâ Libros II.

Chriſtophori à Coſtâ Lib. I.

De ſimplicibus Medicamentis ex Indiæ Occidentalis & ex novô orbe delatis, quorum in Medicinâ uſus eſt, idem Cluſius Latinos olim faciebat, & aliquoties evulgabat: at nunc quintùm recenſitos, & locupletioribus ſcholiis illuſtratos publici juris denuò facit.

Iis adjunctæ ſunt Clariſſ. cujuſdam Viri utiliſſimæ in Garciam Notæ.

Acceſsêre:

Nicolai Monardi Libri III. à Carolô Cluſiô jam recèns Latini facti: nempè

De Lapide Bezzaar, & Herba Scorzonera,
De ferrô, & ejus Facultatibus.
De Nive, & ejus commodis.

Prætereà

Petri Bellonii Obſervationum Libri III.

De neglectâ ſtirpium culturâ, Lib. I. è Gallicô ſermone olim in Latinum converſi à Carolô Cluſiô, jam verò ab eôdem diligentiore curâ recogniti, & ſcholiis illuſtrati.

Additæ ſunt etiam Clariſſimi cujuſdam Viri in Obſervationes Notæ.

Seorſim extant

Curæ poſteriores, ſeu plurimarum non ante cognitarum aut deſcriptarum ſtirpium, peregrinorumque aliquot animalium novæ deſcriptiones: quibus & omnia ipſius Opera, aliaque ab eô verſa augentur, aut illuſtrantur. Acceſſit ſeorſim: Ælii Everhardi Vorſtii de ejuſdem Caroli Cluſii Vitâ & obitû Oratio, aliorumque Epicedia, paulò ante edita Lugduni Batavorum, apud Raphelengium, 1609. in 8. Ibid, apud eundem, 1611. in 4. Antverpiæ eôdem annô in fol.

Rariorum ſtirpium per Hiſpanias obſervatarum Hiſtoria, quatuor Libris expreſſa. Antverpiæ, apud Chriſtophorum Plantinum, 1583. in 8.

Antidotarium Florentinum, ſive de exactâ componendorum, miſcendorumque Medicamentorum ratione Libri tres, omnibus Pharmacopœis longè utiliſſimi. Ex Italicô ſermone Latini facti. Antverpiæ, apud Chriſtoph. Plantinum, 1561. in 8.

CLUTIUS (*Augerius.*)

Ex eô habentur

Opuſcula duo ſingularia. I. De Nuce Medicâ. II. De Hemerobiô, ſive Ephemerô Inſectô; & Majali Verme. Amſtelodami, apud Jac. Charpentier, 1634. in 4.

Calſuce, ſive Diſſertatio, Lapidis Nephretici, ſeu Jaſpidis viridis, à quibuſdam Callois dicti, naturam, proprietates & operationes exhibens, quam ſermone Latinô recenſet Guilielmus Guil. F. Lauremberg. Roſtochii apud Johan. Pedanum, 1627. in 12.

CNŒFFELIUS (*Andreas*,) Budiſſina-Luſatus.

De eô extant

Epiſtola, de Podagrâ curatâ. Amſtelodami, apud Johannem Blaeu, 1643. in 12. Gorlicii apud Conradum Wornernerum, 1644. in 12.

Methodus Medendi Febribus Epidemicis & Peſtilentialibus. Argent. 1655. in 12.

Reſponſum ad Poſitiones de ſpiritû Mundi, quod in ſe continet Reſerationem Tumbae Semiramidis. Extat cum Miſcellan. Curioſ. ſive Ephemerid. Medico-Phyſicarum Germ. Annô Quartô & Quintô in Appendice. Lipſiæ, apud Johann. Fritzſchium, 1676. in 4.

Obſervatio de Febri brachii dextri particulari quotidianâ. Extat Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. III.

De Lapide veſicæ felleæ mirabili & rarô. Ibidem, annô eôdem.

Obſervatio de Lapide mirabili, Chamæleonte ſeu Polypô minerali. Ibid. Annô eodem.

De Urinæ per umbilicum effluxû. Ibid. An. eôd.

De Iliaci morte à Clyſtere. Ibid. ann. eôd.

De rarâ ardoris ſtomachi metamorphôſi, & ejuſdem diverſâ curatione. Ibid. Ann. Eôd.

De Febris tertianæ admirandâ, aquâ frigidâ, curatione. Ibid. annô eôdem.

De Naſſâ vel corbi piſcatoria naturali. Ibid. ann. eôdem N. 245.

De Icteritiâ curatâ. Ibid. Ann. IV. & V. *N.*49.

De Grillô in aure. Ibid. Ann. IV. & V. *N.* 50.

De Remediô ſympatheticô antiſcorbuticô. Ibid. Ann. eod. N. 51.

*De Gallô Indicô hydropicô. Ibid. Ann. eôd. N.*52.

De Urinâ piloſâ ſ. filoſa. Ibid. Ann. eod. N. 53.

De Malô citriô prægnante triplicatô. Ibid. Ann. eod. N. 54.

De Roſâ triplicatâ. Ibid. Ann. eod. N. 55.

De Dorſi ineffabili pruritû & obſtructione menſtrui. Ibid. Ann. eod. N. 56.

De uterô Cartilagineô. Ibid. Ann. Eod. N. 57.

*De Febri petechiali comitatâ hydrope, icterô flavô & tandem nigrô, curatâ. Ibid. Ann. eôd. N.*58.

Obſervatio de Aquilâ albâ in Poloniâ. Ibid. Ann. eôd. N. 59.

De Gangrænæ in genis infantum curatione. Ibid. Ann. eôd. N. 60.

De Infante monſtroſô cutem porcelli aſſati ſimilem & duram ex parte gerente. Ibid. Ann. eôd. N. 61.

De Læſô in brachiô à duplici viperæ morſû, curatô. Ibid. Ann. eôd. N. 62.

De Pleuritide vagante. Ibid. Ann. eôd. N. 63.

De Singulari ſuppreſſione urinæ. Ibid. Ann. eôd. N. 64.

De Lapide uteri in pullâ quinquenni. Ibid. Ann. eôd. N. 65.

De Mercuriô fixô Helmontii. Ibid. Ann. eôd. N. 91.

De Drif Helmontii. Ibid. Ann. eôd. N. 92.

De Alkaheſt Helmontii & Paracelſi. Ibid. Ann. eôd. N. 108.

De Aroph. Paracelſi. Ibid. Ann. eôd. N. 109.

De Seminis Dauci uſû in lithiaſi. Ibid. Ann eôd. N. 110.

De Oleô Ludi Helmontii & Paracelſi. Ibid. Ann. eôd. N. 111.

De Spiritû ſamech. Ibid. Ann. eôd. N. 112.

De Balſamô ſamech. Ibid. Ann. eod. N. 113.

De miſerandô & inexplicabili aurium dolore. Ibid. Ann. VI. & VII. *N.* 82.

De Arthritide vagâ, mirabili & exitioſâ. Ibid. Ann. eôd. N. 83.

Obſervatio de Affectû ſcorbuticô, arthritidem fixam mentiente, in vagam deſinente. Ibid. Ann. eôd. N. 84.

De Aeris inſpirati per aurem ſiniſtram emiſſione. Ibid. Ann. eôd. N. 85.

De Singulari & rarâ febris continuæ curatione. Ibid. Ann. eôd. N. 86.

Arcana & Experimenta ſpecifica à Martinô Bernhard. edita. Extant cum Ephemerid. Medico-Phyſicar. German. Ann. VI. & VII. Lipſiæ, apud Johannem Fritzſchium, 1676. in 4.

CNUTIUS (*Juſtus.*)

Ex eô habetur

Compendium univerſæ Medicinæ, juxta doctrinam Hippocratis & Galeni. Vicentiæ, apud Petrum Bertellium, 1608. in 8. Patavii 1666. in 8.

COBERUS (*Tobias.*)

De eô extant

De Lacte & Pultibus, quibus Infantes paſſim ſuſtentantur. Gorlicii, 1593. in 8.

Obſervationum Caſtrenſium & Hungaricarum Decas prima Auſtriaca. Francof. è Collegiô Paltheniano, 1606. in 8.

Obſervationum Caſtrenſium & Hungaricarum, Decas ſecunda Sileſiaca. Ibid. ex eôdem, annô & formâ iiſdem.

Obſervationum Caſtrenſium & Hungaricarum Decas tertia. Ibidem, ex eôdem, annô & formâ iiſdem.

Obſervationum Medicarum Caſtrenſium Hungaricarum Decades tres, in uſum publicum conjunctim recuſæ. Cum Indice & Præfatione Henrici Meibomii. Helmſtadii, ap. Fridericum Luderwaldum, 1685. in 4.

COBOLDUS (*Johannes,*) Aldenburgenſis.

Ex eô habentur

De Puerô Ecſtaticô Aldenburgenſi, Narrationes aliquot Epiſtolicæ. Extant cum Pauli Lentuli Hiſtoriâ de Prodigioſâ Apolloniæ Schrejeræ Inediâ. Bernæ Helvet. apud Johan. le Preux, 1604. in 4.

COCANARIUS (*Fabritius,*) Tibur.

De eô extat

Theonoſton, ſeu, de Vitâ producendâ, atque incolumitate corporis conſervandâ, Dialogus. Coloniæ, apud Gerhardum Grevenbruch, 1620. in 4. Romæ, 1617. in 4.

COCKBURN (*Guilielmus,*) D. M. Londinenſis & Societ. Regiæ Socius.

Ex eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1697. *pag.* 549.

An account of the nature, Cauſes, ſymptoms and Cure of the Diſtempers, that are incident to ſeafaring people.

hoc eſt.

Recenſio naturæ, Cauſarum, ſymptomatum & Curationis morborum, qui navigantes ſolent corripere, cum obſervationibus circa diætam Claſſiariorum Regiorum; quibus illuſtrationis gratiâ accedit hiſtoria quorumdam morborum in Claſſe regiâ, proximâ æſtate obſervatorum à W. Cockburn, Collegii Medici Londinenſis membrô, & Medicô turmæ in Claſſe regiâ. Londini, apud Hugh. Newmann. 1696. 12.

CUm Medicorum hucûſque pauci admodùm accuratè in morbos inquiſiverint, quibuſcum nautæ claſſiariique conflictari ſolent, utiliſſimam hanc operam in ſe ſuſcepit Experientiſſimus Cockburnius, præſertim quia vel ipſum, quo fungitur, officium eum ad hoc invitabat, occaſionemque ſuppeditabat omnia exactius indagandi. Exhibet verò hôc librô particulam tantùm futuri operis, continentem generaliora de morbis navigantium, & hiſtoriam morborum æſtatis proximæ 19. obſervationibus traditam, cui deinde quotannis addet hiſtoriam morborum ſingulorum annorum ſequentium, cum curationis modô & ſucceſſû, ut hinc de theoriâ, quam

quam hôc librô propoſuit, legitimum ferri poſſit judicium. Ejus hæc ſumma eſt: morbos navigantium ex tranſpiratione inſenſibili impeditâ & hinc orta plenitudine nimiâ, nec non ſalſis, quibus veſcuntur, cibis trahere originem. Id ut oſtendat, vivendi rationem & imprimis cibum potumque nautarum conſiderat, quem ſatis eſſe bonæ notæ cenſet ac utilem hominibus perpetuô labore exercitis, quippe qui motû continuô efficiant, ut chylus attenuetur, ſatis, perſpiratioque fiat continua & ſufficiens. Quoniam verò idem cibus ab omnibus quieti indulgentibus, (præſertim panis bis coctus, carneſque ſale conditi,) nimiâ quantitate, ut fieri ſolet, ingeſtus, in viſcidum craſſumque chylum mutatur, ſanguiſque hinc acredine inficitur, & ex infauſtâ hâc radice ſcorbutus & febres variæ propullulant, mirum non eſſe exiſtimat, ſi & Claſſiarii, quibus à laboribus ſatis eſt otii, præcipuè cùm ſolemne illis ſit, non ſatis à frigore corpus defendere, his morbis ſint obnoxii, in aëre nebuloſô, humidô & frigidô. Hanc theoriam ut ſtabiliat, ſymptomata morborum commemoratorum accurate recenſet, & ex ſanguinis viſcidi acriſque nimiâ quantitate derivat, ſtatuitque totam curandi rationem in eô poſitam eſſe, ut minuatur ſanguinis maſſa & alteretur. Id verò cùm optimè fieri poſſit per evacuationem, quâ ſanguis reliquus in majorem vindicatur libertatem, ut velocitatem acquirat naturalem, & ſecretiones debitô peragantur modô; diſquirit, quô illa facienda modô, cùm & per purgantia & ſudorifera & ſanguinis miſſionem peragi poſſit. Quæ ſingula media ſuô tempore adhibita quamvis præſtantiſſima eſſe cenſeat, maximè tamen purgantia laudat, & venæ-ſectionem ritè adminiſtratam, cùm ſudorifera non raro fruſtrà exhibeantur, præſertim in juvenibus quorum ſanguinem & ſpiritus in tantam abripiant velocitatem, ut ſecretiones vel planè ceſſent, vel parcè fiant, ſudorque nullus provocetur. Hâc ergò methodô, ut ex obſervationibus adjectis conſtat, feliciter in curandis morbis uſus eſt, ut primùm ægroto aliquot uncias ſanguinis detraheret, ſequenti die emeticum propinaret, poſt aliquot dies perpurgaret alvum, atque interim pulverem teſtaceum, aliaque pro re natâ remedia præſcriberet, quæ ex ipsô Autore petenda. In febribus acutis poſt vomitum non dat paregorica, ut alias ſolet, cùm obſervârit opiata exacerbare febrim, & ægrotum in delirium præcipitare. In abigendis intermittentibus febribus, quarum periodos ex viſcidâ lentâque materiâ ſtatis temporibus in ſanguinem delata deducit, Cortice Chinæ utitur in formâ electuarii ab ægrô aſſumendi poſt paroxyſmun, poſtquam ante illum vomitu fuit purgatus. Corticis hujus vim totam in eô ſitam eſſe cenſet, quod ſanguinem fluxiliorem reddat, omittendumque proinde illiûs uſum ubi ſanguis fluidior ex motû nimiô eſt redditus. Helvetii methodum formâ clyſteris injiciendi corticem ſub cenſuram vocat, & modum per os aſſumendi defendit, longeque majoribus incommodis probat laborare Helvetii modum, quam uſitatam exhibendi rationem, quæ effectû optatô non careat, ſi modò corticis illiûs detur quantitas debita, v. g. uncia, ſtomachô evacuatô, nullaque præſente diarrhœâ. Obſervatione 14. refert, curatam à ſe diarrhœam drachma pulveris cujuſdam cum conſervâ roſarum rubrarum veteri in pilulas redacti, quem tamen ſilentiô involvit, cùm præſtantiorem cenſeat ipsâ Ipicochoanâ, ob virtutem ejus in pluſquam 200. ægris exploratam, quod ſcilicèt certò ſiſtat fluxum ventris, ſine vomitû aut aliis incommodis, quæ alterius uſum ſequuntur. Obſervat. 18. gonorrhœam ſanatam refert ſine aſſumtione vel grani Mercurii aut Mercurialium remediorum, terebintinæ, decoctionis lignorum, ſine injectionibus aliiſque vulgò uſitatis medicamentis. Sed & hoc remedium celat, judicans incertam curandi hujus morbi rationem ex non ſatis intellectâ ejus natura duxiſſe originem: cauſam enim hujus mali non latere affirmat in proſtatis, aut veſiculis ſeminalibus, ſed ipſa virga, ejuſque anteriori parte exulceratâ, & ex ulceribus illis ſaniem, ut alias, ſtillare, carnemque illam excreſcere ſpongioſam, quæ urethram occupat, perinde ut hyperſarcoſes, quæ in ulcerum aliorum vulnerumque curationibus obſervantur. Receptam autem opinionem vel hinc refelli putat, quod injectionibus fluxus ille ſiſti poteſt quæ cùm non poſſint pertingere ad proſtatas & veſiculas ſeminales, ob valvulam regurgitationem urinæ prohibentem, malum utique illud, quod tollunt, ipsâ in Virgâ, quam perluunt, eſſe oportet. Obſervat. 19. nullius dicit eſſe uſûs in praxi diſtinctionem inter ſynanchen & paraſynanchen, cùm muſculus laryngis externus & internus tam ſint propinqui, & tenui tantùm membranâ diviſi, ut unô inflammatô alter quoque prematur & inflammetur, nullôque ſignô uniùs inflammatio ab alteriùs inflammatione diſcerni poſſit.

Ibidem Ann. 1698. *p.* 522. *A Continuation of the account of the nature, Cauſes, Symptoms and Cure of the diſtempers, that are incident to ſeafaring people, &c.*

hoc eſt.

Continuatio recenſionis de naturâ, Cauſis, ſymptomatibus & curatione morborum, qui navigantes ſolent corripere &c. Auctore W. Cockburn, Collegii Medici Londinenſis Membrô, Medicô, turmæ Coëruleæ in Claſſe regiâ, & Regiæ ſocietatis ſociô. Londini, apud Hugh Newmans, 1697. 12.

Præſtitit Doctiſſimus Auctor, quod in ejuſdem Argumenti Librô, à nobis in *Actis Eruditorum anno* 1697. *menſe Decembr. p.* 549. laudatô, fuerat pollicitus, obſervationibus quadraginta quatuor tradens hiſtoriam ægritudinum quæ in Claſſe Britannicâ æſtate præteriti anni fuerant ab ipsô obſervatæ; de cujus inſtituti utilitate prolixius in præfatione agitur. Quandoquidem autem in primâ operis hujus parte conatus eſt evincere, evacuationem in febrium curatione abſolutè eſſe neceſſariam, eamque commodiſſimè fieri ſanguinis detractione; hujus libri principiô ſtatim diſquirit quibus cognoſci poſſit indiciis, quantùm ſanguinis dimittendum ſit; idque ſine virium ægri læſione, ut reſpondeat particulis ob interruptam perſpirationem in corpore detentis, aut certè efficiat, ut ſecretio fiat liberior, & ſponte ſuâ deinceps exhalet quod eſt ſuperfluum, oſtendens quàm incerta frivolaque ſint, quæ vulgò ab auctoribus de hâc re traduntur. Ipſe verò experientiſſimus Auctor, pleniorem rei tractationem in aliam occaſionem differens, duos hìc proponit modos, quos quærit inveſtigandos. Primum enim ad pulſum reſpicere jubet, ejuſque naturalem explorare conſtitutionem, quod ſcilicèt in quôlibet homine ſanô micet vicibus arteria minutis ſingulis cum hoc cognito & comparato cum numerô pulſuum ægroti, facilè judicari poſſit de celeritate ſanguinis auctâ aut diminutâ, quantumque mittendum ſit ejuſdem, ut ad ſtatum naturalem reducatur. Deinde ſuadet thermometron in uſum vocare, ut hinc innoteſcat, quantum

quantum naturalis hominis calor elevet thermometri liquorem, idemque deinde doceat, quantum calor increverit aut diminutus fuerit in præternaturali ſtatû, quô deinde & numerus pulſuum cum calore minore majorique comparari, & tantùm detrahi poſſit ſanguinis, quantùm requiritur, ut ad naturalem redeat temperiem.

In Obſervationibus ipſis (quarum priores haud paucæ ad febres pertinent) non ſolùm tota curationis ſeries recenſetur, ſed animadverſiones quandoque non inutiles traduntur. Ità in *Obſervat.* v. vertiginis cauſa deducitur ab arteriis, quæ proximæ ſunt nervis opticis, ſanguine nimium diſtentis, quæ preſſione ſuâ nervum opticum eique conjunctam retinam moventes efficiant, ut radii ab objectô fixô profecti in diverſas uſque retinæ partes incidant, atque adeò objectum nobis moveri videatur. *Obſervat.* xix. febris intermittens perſonam podagræ induta repræſentatur. *Obſervat.* xxii. venæſectio in brachiô dyſenterici inſtituta commendatur. *Obſervat.* 27. apoplexiæ, quæ medelam admittit, cauſa conſtituitur in ſtagnatione ſanguinis in arteriis cerebri & medullæ ſpinalis, quæ ideò principium nervorum comprimunt, ut ſpiritus animales per illos ritè fluere nequeant; unde efficitur, nullum præſentius eſſe remedium, quàm venæſectionem in pede aut brachiô, vel etiam venâ jugulari inſtitutam. In *Obſervat.* 29. gonorrhœam quoque olim Judæos afflixiſſe, neque demùm in obſidione Neapolitanâ ortam, ex Levit. xv. 2. probatur. *Obſervat.* 38. tuſſis venæſectione curatâ & purgatione deſcribitur. *Obſervatione ultimâ* contra illos, qui ſecretiones ope ſpecificorum fermentorum fieri cenſent, diſputatur.

Ibidem, *Ann.* 1702. *p.* 22.

Oëconomia Corporis animalis, auctore Guilielmo Cockburn. Londini apud Hug. Newman, 1695. in 8.

Tanta olim de Fermentis, quorum beneficiô functiones corporis noſtri peragi voluerunt, commenti ſunt veteres, inventô tam ſuavi ac felici, ut plurimi ex Neotericis eidem ſubſcribere non dubitaverint hodiernô etiam die. Vanum verò omne confictumque eſſe, quicquid de iis traditur, ut oſtenderet Autor Clariſſimus, appulit animum ad ſcribendam hanc Oëconomiam Animalem Corporis, in Germania etiam non ità pridem Auguſtæ Vindelicorum recuſam, quâ omnes functiones, quæ in corpore noſtrô obſervantur, ſine fermentis, modô planè naturali perfici, declarare omnibus allaborat viribus. Exorditur verò ab alimentorum aſſumtione quam maximè neceſſariam judicat, quòd notabilis quotidie ex corpore noſtrô particularum fiat ſeceſſus. Alimenta igitur à dentibus conquaſſata, & cum ſalivâ intimè ſubactâ, quamprimùm ventriculi cavum ſubintrârint, hujus fibras carneas ſe ſe contrahere, interioremque ſuperficiem hactenùs aſſumpta complecti, motûque leni eadem, à ſalivâ benè diſſoluta, diſcontinuare ſuſpicatur. Maximum verò ponderis ponit in ſalivâ, à cujus commiſcela coctionem abſolvi debitam, aſt ſi deficiat à geniô ſuô quôcunque id fiat modô, lædi chylificationem non dubitat. Inteſtina porrò ex alimentis natum chylum craſſiorem ad anum uſque protrudere, tenuiorem verò in vaſorum lacteorum orificia cogere cenſet, abſque ulla bilis ſuccique pancreatici, quàm ſomniare aliis placuit, luctâ atque efferveſcentia; cùm nihil niſi viſcidiorem chylum diſcerpant & tenuiorem reddant. Hunc motû ordinariô in venam ſubclaviam infuſum cum refluô ſanguine in cor devolvi, ſanguinique intimiùs admiſceri, nullum ipſi eſt dubium. Ad quam hujus cum ſanguine permixtionem motû locali atque cuneis, qui chyli partes dirimere valeant, opus eſſe cenſet. Quapropter contractioni cordis aliarumque partium, quâ liquores moveantur & agitentur in ſe ipſos, multum, imò totum tribuit, rejectis aliorum de fermentatione figmentis. Hôc humore ſanguineô, qui in arteriis veniſque continetur, nos nutriri oſtendit, circulationiſque hinc infert neceſſitatem; motum tamen illiûs non à ſe ipsô, nec à rarefactione, nec à fermentatione aut ebullitione nec ab attractione, ſed ab impulsû à corde, quod impetum ſuum ſpiritibus debet animalibus, deducit. Calorem ſanguinis à motû quidem procreari, pendere tamen ab attritione partium calorificarum declarat. Pulſum à ſanguine majoris molis, digitos noſtros repellente derivat, de ejuſque judiciô fallaci plura diſſerit; habitâ tamen temperamentorum ratione, cuique temperamento proprium certumque, ſcilicet bilioſis magnum, melancholicis rarum, pituitoſis parvum & depreſſum aſſignans. Sanguinem porrò in ſuô contemplatur circulô, ejuſque mutationes ordine explicat. Ille enim cùm ad renes devenerit, urinam, reliquis hactenùs maſſæ ſanguineæ partibus involutam, manifeſtat. Hujus ſtatum inveſtigans Auctor naturalem, ex quâ communi, ſale & terrâ inſipida ſive tartarô conſtare perſuaſum habet, ex quorum variâ commixtione ſedimenta, ſuſpenſiones atque nubeculas in urinâ fieri exiſtimat. Ratione temperamentorum variare hanc, nihilque certi ex inſpectione hujus haberi poſſe opinatur. Sequens denique problema ſolvere allaborat; quî fiat, quod potatores quidam liquidum æquè ferè celeriter ac biberint, excernant? Sanguinis motum & fluxilitatem debitam ad urinæ in renibus ſecretionem ſupponens, in potatoribus ex ventriculô à potû repletô aortam vaſaque vicina comprimi oſtendit, quare ſanguis in motû impeditus majorem tenuioris partis ſuæ copiam dimittere, inhibitaque ſimùl tranſpiratio molem augere & cumulare debeat. Progreditur ad ſecretionem ſanguinis qui ad teſtes appellens liquorem dat ſeminalem. Hujus ſpirituoſas partes tunicas ovuli fœminei, in quô omnia extitiſſe compendioſè putat, penetrare, liquoreſque in eô contentos agitare ac rarefacere credit. Iter porrò ſanguinis ad lienem proſequitur, hujuſque viſceris uſum rimatur. Comminuere ſanguinem, pulmonumque vices præſtare illud in non natis, h. e. ſanguinem chylô intimè miſcere; hincque abſque periculô in natis, qui pulmonibus utuntur, exſcindi poſſe autumat. Secretiones tandem omnes fieri cenſet, quod partes corporis ea tantùm admittant, quæ reſpectû magnitudinis figuræque maximam cum earum porulis & meatibus agnoſcunt analogiam, excluſis cæteris, quibus nihil cum his eſt proportionis. Ità ſanguinem per arterias carotides & vertebrales ſenſim ad cerebrum appellentem, porulis glandularum hujus ſubtiliorem ſui relinquere partem credit, quæ arteriarum dilatatione in origines nervorum prematur, tandemque in omnes corporis partes dimittatur. Hanc vocat ſuccum nervoſum, quem exiſtere & materialem eſſe, experimentô, quod ligatura in nervô facta ab influxû intercipiatur, comprobat. Hunc ſuccum per totum ſyſtema nervoſum fluentem, muſculos inflare, qui cum antagoniſtis ſuis, qui ſunt quaſi eorum antipodia, ſimùl inflati, in æquilibriô manent, donec bilanx vertatur, ſibi perſuadet.

Quieſ-

Quieſcentibus tamen omnibus cor moveri debere, quod antagoniſta careat, ex apoplecticorum conſtitutione confirmat. Demonſtrans, quæ ſanguini circulanti obvenire ſoleant, tranſpirationem paucis attingit. Poros corpori noſtro non denegat, aërem verò per eos corpus noſtrum ingredi poſſe pernegat, quod particulæ quædam continuô ac vividô motû ad exteriora propellantur, quæ aërem externum protrudere longius valeant. Explicat inde phœnomenon, quod melancholici triſteſque graviores in bilance inveniantur, quàm ſi læti fuerint; rationem ponens in aëre externô, qui corpora in quibus ſanguis non adeò velociter circulatur, graviora reddit. Ad reſpirationem hinc tranſitum faciens, illius cauſam, dicit muſculos cùm aër & pulmones paſſivè ſe habere videantur. Eandem neceſſariam deprædicat; interim non admittit, aërem ejuſque particulas ſulphureas ſive nitroſas ſanguini in pulmonibus admiſceri, quod pulmo extractô in antliâ pneumaticâ aëre externô diſrumpatur. In eam tamen deſcendit ſententiam, quod aër mediocris conſiſtentiæ particulas ſanguinis chylique dirimere poſſit: ubi plura de nullâ fœtûs in uterô reſpiratione tradit. Evacuationibus naturalibus accenſet etiam auctor coronidis loco fluxum menſtruorum, fœminis ſolemnem & proprium. A repletione ſanguinis illum fieri, nullum quidem ipſi dubium eſt: in cauſam verò repletionis inquirit. Sanguine igitùr perpetuò fluente, non tantùm è fluidis, ſed etiam ex carnibus, nervis, membranis, tendinibus, oſſibuſque particulas diſſolvi, pro compertô habet. Particulas has cum ſanguine in vaſorum interſtitia impingentes repelli, hincque pro majori minorivè quantitate ſanguinem augere & promovere ejus motum dicit, adeò ut canales tenſiles diſtendat, & ſi ſint tenuiores, rumpat, hæmorrhagiamque procreet. Cuicunque igitùr, ſtructura narium uterique nota eſt, per horum vaſa ſanguini facilè exitum præberi fatebitur. Hinc provectioris ætatis puella hôc laborare malô tantùm videtur Auctori noſtro, quod durioribus factis deprehendatur. Ideò incerta menſtruorum quoque eſſe initia evincit, nulla verò obſervari temporis decurſû, ex rigidis factis vaſis eſſe judicat. Quod ſervent periodum, fortuitum ipsô judice eſt; quibus enim temperamentum vivendique ratio diem conſtituerunt certum, eundem, cùm idem vivendi modus ſervetur, neceſſe eſt ùt retineant. Concludit denique, lactis ſecretionem eſſe ex chylô, & à vaſis lacteis in mammas deferri, vaſis lymphaticis glanduloſâque mammarum ſtructurâ ſecernentibus. Ex hâc ſanguinis diminutione deficere menſtrua non ambigit, interim coitû ad uterum denuò regredi, mammaſque ſuo ſpoliare opimô Nectare, teſte experientiâ confirmat.

COCLES (*Bartholomæus.*) Bononienſis Medicus, Chirurgus, Deſtillator, Phyſiognomiſta, Chiromanticus, & Geomanticus. Claruit ſub Maximilianô Imperatore, & Carolô VIII. Galliæ Rege: & Galeatio Sfortiâ, Piſaurienſis Principis fratre A. C. 1500. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum. Juxta Renat. Moreau Vixit A. C. 1440.

Ex eô habentur

Anaſtaſis Chiromantiæ & Phyſiognomiæ, ex pluribus & penè infinitis Autoribus. Bononiæ, 1504. in 4. cum earundem principiis Alexandri Achillini.

Phyſiognomiæ Compendium, quantum ad partes capitis, gulamque & collum attinet. Cui accedit Andreæ Corvi Chiromantia. Argentorati, 1533. in 8.

CODRONCHIUS (*Baptiſta*,) Imolenſis Medicus.

De eô extant

De Chriſtianâ & tutâ Medendi ratione, Libri duo, variâ doctrinâ referti. Cum Tractatû de Baccis Orientalibus, & Antimoniô. Ferrariæ, 1591. in 4. Bononiæ, apud Clementem Ferronium, 1629. in 4.

De Morbis Veneficis, ac Veneficiis, Libri IV. In quibus non ſolùm certis rationibus veneficia dari, demonſtratur; ſed eorum ſpecies, cauſæ; ſigna, & effectus novâ methodô aperiuntur & de eorum curatione & præſervatione pertractatur: veraque nova, & experta remedia proponuntur. Venetiis, apud Franc. de Franciſcis, 1595. in 8. Mediolani, 1618. in 8.

De Vitiis vocis, Libri duo. In quibus traditur definitio vocis, illiûs differentiæ, inſtrumenta, & cauſæ aperiuntur: ultimò de conſervatione, præſervatione ac vitiorum ejus curatione. Opus ad utilitatem Concionatorum præcipuè editum. Cui accedit Conſilium de Raucedine: ac Methodus Teſtificandi in quibuſvis caſibus Medicis oblatis. In quâ nonnullæ difficillimæ ac pulcherrimæ quæſtiones explicantur, & Formulæ quædam Teſtationum proponuntur. Opus non modò neotericis Medicis, ſed & Juriſperitis ac Judicibus plurimùm ex uſû. Francofurti, apud Hæredes Andræ Wecheli, Claudium Marnium, & Johannem Aubrium. 1597. in 8.

De Morbis, qui Imolæ, & alibi communiter hôc annô 1602. Vagati ſunt, Commentariolum. In quô potiſſimùm de Lumbricis tractatur: & de Morbô novô, Prolapsû ſcilicèt mucronatæ cartilaginis, Libellus. Bononiæ, apud Bindonum, & Johan. Bapt. Bellagambam, & Venetiis, apud Societ. 1603. in 4.

De Annis Climactericis: necnon de ratione vitandi eorum pericula, itemque de Modis, vitam producendi, commentarius. Bononiæ, 1620. in 8. Coloniæ, apud Matth. Smitz. 1623. in 8. Ulmæ, 1651. in 8.

De Rabie, Hydrophobiâ communiter dicta, Libri duo: De ſale Abſinthii, Libellus: De iis, qui Aquâ immerguntur Opuſculum; & de Elleborô Commentarius. Francof. ap. Nicol. Baſſeum, 1610. in 8. & apud Matthiam Beckerum, 1610. in 8.

CŒLI (*Antonius*,) Meſſanenſis Philoſophus ac Medicus Doctrinâ inſtructiſſimus, in Meſſanenſi Collegiô Prioris munere claruit. Vixit annô 1618. quô in lucem emiſit.

Introductionem univerſalem ad medicam facultatem ac brevem methodum, curandi particulares præter naturam corporis humani affectus: necnon de pulſibus tractationem: quibus additur commentarius in primum librum Aphoriſmorum Hippocratis. Meſſanæ apud Petrum Bream, 1618. *in* 4. *Anton. Mong. Bibl. ſiculæ. T. j. p.* 44.

COGOLLUS (*Vincentius*,) Vincentinus.

Ex eô habentur

Adnotationes ad Practicam Marci Gattinariæ. Extant cum Georg. Hyeron. Velſchii Exotic. Curat. & Obſervat Medicinal. Chiliad. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

Tentamina Phyſico-Medica, Oſnabrugi, 1714. in 4.

COHAUSEN (*Joh. Henricus.*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1721. *Supplem. tom.* 7. *p.* 435.

Diſſertatio ſatyrica; Phyſico-Medico-Moralis, de Picâ naſi, ſive Tabaci ſternutatorii modernô abuſû & noxâ; Autore Johanne Henricô Cohauſen, Hildeſienſi, M. D. Amſtelodami apud Johannem Oëſterwyk. 1716. 8.

Pica depravatum in ſcholâ Medicâ, imò aliquandò brutalem appetitum denotat, cùm quis inſigni voluptate & deſideriô in res ſæpè abſurdiſſimas fertur, ſub quô & guſtus & odoratus, ſemper tamen phantaſia afficitur & laborat, cui rerum etiam peſſimarum ideæ ſub ſpecie boni, jucundi aut utilis repræſentantur. Non ineptè igitur perpetuum illum pulveris Tabaci ſternutatorii appetitum Picam naſi appellari, exiſtimat Autor Clariſſimus cujus *novum Lumen Phoſphoris accenſum* Menſe Februariô hujus anni 1718. p. 60. relatum dedimus. De hâc in præſenti Diſſertatione agens modernum Tabaci ſternutatorii abuſum & noxas duabus delineat Partibus, illumque definit, quod ſit inordinata citra neceſſitatem & nullâ habitâ temporis aut loci ratione ſub variô ſæpè prætextû tabaci ſternutatorii naribus ingerendi cupiditas utrique ſexui hodie communis & difficulter, ubi ſemel invaluerit, curabilis. Antequam Nicotianam orbis Europæus conſpexerat, noſtrates herbæ cephalicæ acriores pulveribus ptarmicis materiam præbebant, quæ ſubtili & volatili ſale ductus narium aperirent, & impacti muci coagula reſolverent, ſuâque acrimoniâ fibras irritantes violentum ſternutationis motum ad remoras iſtas excutiendas concitarent. inventô autem à Columbô novô Orbe, forſan nautæ & milites & aſſidens verna triremibus casû experti ſunt, Nicotianæ foliorum in navi reconditorum exſpirantem pulviſculum naribus exceptum excitare ſternutationes, quibus & mucoſa adduceretur illuvies & ſub humidiori frigidiorique aura caput levaretur. Hocque experimentum ad Hiſpanos, Anglos, Batavos, demum & ad Italos, Gallos & Germanos, aliaſque Nationes provolavit, ſat celeri curſû, in uſum priùs utilem, mox in ſupervacuum, tandem etiam in voluptuoſum abiens. Ità nempè jam tùm inoluit mos ille novus naſales prenſandi pulveres, ut hodie apud innumeros illô nihil ſit antiquius, quos tamen nec invitat utilitas, nec cogit neceſſitas, ſolius nempè conſuetudinis imperio obſecundantes. Ejus uſus per omnes hodie ſtatus paſſim obvius & familiaris eſt; circumferunt iſtum Principes non minùs & Politici, ſapientiæque ſtudioſi, ac ruſtici, & infimæ plebis homines in capſulis & pyxidibus variæ formæ variique pretii, ità ut hæc affectatæ novitatis vanitas etiam ad fœminas tranſierit. Nec verò deſunt cauſæ, quas Pica naſi infatuati prætendere ſolent. Sunt enim, qui pulvere illô atras cerebelli fuligines diſſipari, melancholiæ nebulas difflari, & capiti ſerenitatem conciliari putant. Alii ad depellendos ex encephalô catarrhos, quos ex vapore debilioris ſtomachi ſurſùm elatô genitos in pectus depluere & phthiſeos metum ſibi incutere conqueruntur, eundem adhibent. Alii oculorum aciem iſtô acuere, ſpiritus excitare alii, corporiſque languorem profligare volunt. Juvenes ſub civilitatis prætextû pyxidem manibus continuò verſant: Medici Tabaci pulvere nares defricant, ne fœtida ægrorum anima eas oppugnet: Fœminæ non abhorrent ab iſtô, nè ſeculi moderni genium moreſque negligere videantur. Et quandò pilulæ clyſtereſque ſæpiùs repetiti materiam catarrhoſam evacuare neſciunt, per breviores has vias, eandem excernere allaborant quidam. Non autem immoderatus ſolùm ſed & intempeſtivus Tabaci uſus taxatur. Nullum enim diei aut noctis, neque etiam ullum anni tempus excuſat à ſumptione Tabaci; naſum enim & æſtuantem farciunt & algentem. Non ſatis eſt in lectô, in templô, in forô & plateis, inter pocula indulgere narium appetitui, etiam in menſâ, dum os & dentes & œſophagus & ſtomachus laborant, & primæ digeſtionis muneri vacant, pyxis locatur tabacaria,ejuſque pulviſculus, velut condimentum, & bellariorum omnium longè maximum, non ſemel capitur. Ut immenſa pulveris Tabacini diſpendia taceamus, multæ ejus dantur ſpecies. Poſtquam enim quibuſdam perſpecta fuerat Tabaci Hiſpanici leviſſimi noxa, feriari tamen nares renuerunt, de ejuſdem correctionibus & mangoniis cogitare cœptum eſt, variâque praxi quæſitæ ſunt gratiæ, tùm pro lenociniô narium, tùm pro numorum aucupiô. Luſitania ex Nicotianæ nigræ optimæ foliis mittit pulverem coloris ex citrinô virideſcentis, Hiſpanicô nonnihil correctiorem, quod aquâ roſarum facta maceratio detrahat acrimoniæ. Inter Hiſpanicos tamen pro optimô habetur, quem mittit Havana & Sevilia. Hiſpani *Dala Vana* appellant, quô ſeu ſuaviſſimô maximè delectantur. Quò minùs autem levitate atque tenuitate ſuâ iſti pulveres moleſtiam creent, Tridenti, Bononiæ atque Venetiis in minutiora granula compinguntur, quæ porrò ad majorem gratiam oleô de Cedrô, Jaſminô, & quod *Pergamotte* vocant, inficiuntur, ut naturalis herbæ fœtor occultetur. Qui in Galliis de *S. Dominique* audit, etiam lotus & granulatus multorum naſis blanditur. Auguſta Taurinorum aurantiorum & roſmarini flores Nicotianæ jungit gratô connubiô. Helvetii ex variarum radicum herbarumque miſcella pulverem conſtruunt naribus ſtillantibus phlegmagogum. Colonia Agrippina offert ex Domô, ceu vocant, rubra Nicotianam ſternutatoriam oleô lavendulæ non ingratô imbutam. Scaphuſia Comitis Maximiliani pulverem naſalem ex petô Virgineô paratum, & ob majoranæ, lavendulæ & roriſmarini flores, ut & lignum rhodium ireoſque Florentinæ radicem admixta admodum ſuavem, cæteris præfert. Gallia ſuum jactat *Tabac de Jaſmin, Tabac muſquè* &c. Ex his elige, quem velis, omnes abuſû ſunt noxii. Pergendum enim nùnc ad noxas eſt, quæ abuſum ſequuntur. Odoratus potiſſimùm in multis valdè imminuitur, in pluribus tollitur. Tubuli namque nervei narium, ab ejus acrimoniâ perpetim vellicati, corrugati criſpatique tandem penitùs obſtruuntur, lympha naturaliter blanda ex narium glandulis exſtillans membranamque internam humectans odoratumque facilitans exſiccatur, atque ſucceſsû temporis ſenſibilis membrana omninò occaleſcit, unde, niſi odoratus tantùm non penitùs omnis aboleatur, ſpecifica ſaltem vis Tabaci amatores fugit. Ad hæc vocis gratia inde perit; Tabaceo nimirùm ſternutatoriô nimium adſueti plerùmque nares ad radicem adſtrictas habent, aut ſaltem ſe habere imaginantur, unde impoſitam ſibi putant pulveris hujus ſumendi perpetuam neceſſitatem, quo ille divellat repagula. Rara tamen inde fit ſolutio, quam non major conſtrictio breviter ſequatur, pulviſculô imprimis ibi reſtagnante, maximè ſi intrà cerebrum acrior materia ſtabuletur; hinc de nare loqui coguntur. Id interim beneficii Tabacophili reportant, quod, cùm aliàs naſus ne quidem minimam Nicotianæ portionem tolerare queat abſque motû convulſivô, noxiô, periculosô, imò ſæpè lethali, hi viciſſim ejus abusû illum continuò irritatum, copioſioris lymphæ affluxû rigatum, & corrugatum, imò cal-

lo obductum obtineant, quem jam impunè quæcunque Tabaci acrimonia poſſit laceſſere. Oculi nihilominùs multùm patiuntur à Nicotianâ, quæ viſcoſum humorem ad nervos opticos prolicit. Nec immunes ſunt aures, quòd irritatis à Tabaco nerveæ narium tunicæ fibris ſpiritus animales in nervos paris quinti exploſi non tantum diaphragma & thoracis muſculos ad crebras validaſque ſternutationes contrahant, ſed & violentius in nervum acuſticum illapſi aërem auris interiorem ità commoveant, ut tympanum nimis dilatatum flaccidumque redditum auditum planè aboleat. Eſto autem, non omnibus, imò vix paucis inde hebeſcere vel oculos, vel aures, ſufficit, magna & longè nobiliora ſunt viſcera, quibus virulentiam ſuam affricet Nicotiana. Cerebro enim quod ſubjacet, os cribriforme ſpongioſum, atque cartilago narium ſumma pulveris ſternutatorii uſû nimiò aliquandò vitiatur, conficiturque adeò ut naſo injectus pulvis rectô tramite in cerebri membranam queat penetrare: ex quô quæ pericula valeant imminere, nemo non videt. Et continuata ejus attractio impetuoſior ſeri ad fauces & pectus fluxum in iis, qui delicato ſunt thorace, concitat magis, quàm avertit. Subtiliſſimus imprimis Tabaci Hiſpanici, eô casû nocentiſſimi, pulvis fugacitate ſuâ ad laryngem penetrat, ibique adhærens inſitum loci Archeum cuſtodem corrumpit, & uberiorem laticis colliquationem ac exundationem ciet. Molerius equidem ſummis evehit laudibus Tabaco utendi conſuetudinem; ſed notum eſt, nihil adeò malè aut benè agi, quod Archimimis non fiat Comœdiæ argumentum, ut novitate quadam ſuſpendant & delectent ſpectatores. Caveant potiùs adoleſcentes, inprimis ſtudioſi, ne hôc fermentô corrumpantur, quod ſemel admiſſum vix pellitur. Caveant corporis aridioris ſenes ab eô, niſi magis exſiccare cupiant corpus, atque paralyſin, memoriam debilem, cerebri exſiccationem majorem, obtuſionem oculorum, auditûs hebetationem, ſymptomata huic ætati familiaria, accerſere vel augere velint. Qui tamen frigidioris ſunt naturæ, pituitoſâque ſanguinis conſtitutione gaudent ſenes, à moderatiore Tabaci uſû malè ſe non habebunt. Sexui verò fœminino inutilis & probroſa eſt pulverem ſternutatorium ſumendi conſuetudo, ut potè quô perdat, qua æſtimatur, pulchritudo. Multò minùs fœminas fumum Tabaci per fiſtulam ore haurire decet, quia hic dentium candorem corrumpit, animam reddit fœtentem & oculorum lacrymas proritat. Permitti tamen hoc ipſum eis poteſt ad furorem uterinum compeſcendum, & ùt relaxatis fumô oris repagulis irrequieta lingua ſaltem eô tempore ſtringatur. Fumet fœmina, quæcunque mobilior ventis eſt, ſed ſimul capiat aptum voluptati ſymbolum, Tabaci fumum. Fumet, quæcunque aſſiduè ſpeculô adſtat formæ ſuæ arbitro, & in fumô cernat mortalitatis imaginem.

COITERUS (*Volcherus.*) Natus eſt Grôningæ Fris. A. C. 1534. Noribergæ verò honeſtô ſtipendiô conductus Medicinam exercuit. Hinc expeditionem Gallicam ſecutus Caſtrenſis Medicus factus eſt, ut corporum diſſecandorum occaſione morborum abſtruſorum intima penetralia cognoſceret, ibi dùm egit, obiit Medicus, Chirurgus, & Anatomicus Celeberrimus. A. C. 1600. ætatis ſuæ 66.

De eô extant

De Cartilaginibus, Tabulæ. Bononiæ, apud Johan. Boſſium, 1566. in fol.

Externarum & internarum principalium humani corporis Partium Tabulæ, atque Anatomicæ Exercitationes, obſervationeſque variæ: novis, diverſis, ac artificioſiſſimis Figuris illuſtratæ. Norimbergæ, apud Theodoricum Gerlachium, 1573. in fol. Lovanii, 1653. in fol.

Diverſorum Animalium ſceletorum explicationes, Iconibus artificioſis & genuinis illuſtratæ, quæ omnia loco Appendicis Anatomicarum Exercitationum priùs editarum inſervire utiliter poterunt: Extant cum Lectionibus Gabr. Fallopii de Partibus ſimilaribus, ab eôdem Volcherô Coiterô collectis. Noribergæ, apud Theodoricum Gerlachium, 1575. in fol.

Oſſium Infantis Hiſtoria. Extat cum Henrici Eiſſonii Tractatû de Oſſibus. Groningæ, 1659. in 12.

COITTARUS (*Thæreus Joh.*) Alviſienſis.

Ex eô habentur

De Febre purpureâ epidemiali & contagiosâ, Libri duo. Pariſiis, apud Martinum Juvenem, 1578. in 4.

COIVART (*G.*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1713. *Supplem. Tom.* 5. *pag.* 401.

Pratique abregée de Medecine & de Medicaments, i. e.
Compendium Practicum Medicinæ & Medicamentorum, Autore G. Coivart, Medicô Anglô. Pariſiis, apud Laurentium D'Houry, 1711. 12.

MAxima optimorum medicamentorum pars & optima eadem applicandi methodus vel casû inventa fuit, vel poſt ſpeculationes quaſdam, quas frequentior eorum uſus ſuppeditavit, cœpit adhiberi. Noſtrô certè ſeculô, in quô Medicina, factô ſingularum partium, ex quibus quodcunque corpus componitur, ſedulô examine, ad ſummum ferè faſtigium fuit evecta; ſæpè videmus, eruditiſſimos & ſubtiliſſimos Medicos non majori felicitate medicamenta præſcribere, quàm inferioris ſubſellii Practicos ſeu Empiricos. Cùm enim theoria ſubtilis nonniſi incertas conjecturas circa morbos profligandos ſubminiſtret, eventus illi ſemper reſpondere non poteſt. Hinc meliorem ſibi nullô non tempore polliceri potuerunt ſucceſſum in affectibus propellendis, qui experientiam ſecuti ſunt, quàm qui abſtractivis ideis pertinaciter inhæſerunt; & remediorum apparatus, quorum effectum experientia confirmavit, plus utilitatis contulit infirmis, quàm libri, qui vel optima circa generales corporum proprietates præcepta continent. Quanquam autem vix duo concurrant morbi ejuſdem ſpeciei, in quibus omnes obſervare liceat circumſtantias adeòque dubium exurgat, an idem medicamentum, quod priorem extirpavit, eâdem felicitate poſteriorem ſit profligaturum, ſpes tamen eſt, fore ut de felici ſucceſſû, quivis ſibi gratulari poſſit Practicus, qui caſus diſtinguere, remedia ſeligere, & prudenter eadem applicare noverit. Atque hic finis hicque ſcopus eſt præſentis opuſculi, quod novam ſiſtit Medicinæ tabulam, in formâ theſium primùm à Coivarto, Practicô Londinenſi famigeratiſſimô, feliciſſimè comprehenſam. Poſt brevem enim morbi cujuſque definitionem indicationes determinantur, & quæ his ſatisfaciunt, remedia compoſita, ab illô nominetenùs ſaltem indicata, deſcribuntur, quibus aliæ adduntur compoſitiones, famigeratiſſimorum Chymicorum & Medicorum, quæ in Officinis benè conſtitutis facilè reperiuntur. Morbi juxta ordinem Al-

phabeticum

phabeticum diſpoſiti leguntur & cum experimentorum Boyleanorum Centuriâ, Anglicô idiomate conſcriptâ, & apud nos Lipſiæ Germanicè ante aliquot luſtra verſa, ſed nunquam anteà in Gallicam linguam traducta, multâ experientiâ fuerit comprobata, operæ pretium eſſe duxit Bibliopola, eandem ſub calce opuſculi hujus cum civibus ſuis communicare.

COLBATH (*Johannes.*) Medicus Anglus, cùm obſervaret, tritam & hucuſque receptam vulnera curandi rationem minùs convenientem; imò à ſanâ ratione alienam eſſe; aliam ſibi viam ingrediendam eſſe exiſtimavit, ac proinde *novum lumen Chirurgicum* publicô exhibuit, in quô magis tutam & expeditam viam curandi vulnera ſibi detexiſſe viſus eſt, & quidem non ſolis ſpeculationibus *à priori* ſubnixam, ſed variis experimentis annô 1695. in Flandriâ factis illuſtratam. Cùm verò poſthâc multis adverſariorum objectionibus & imputationibus laceſſeretur, coactus fuit, in aliô ſcriptô, cui eundem planè titulum præfixit, priores ſuas adſertiones vindicare, edendo iterùm *novum lumen Chirurgicum*, à multis injuſtis accuſationibus quorumdam calumniatorum vindicatum, cum additione quorumdam paucorum experimentorum in Angliâ factorum. Agit autem potiſſimùm Auctor de curatione vulnerum recentium, atque à methodô vulgari chirurgorum talia vulnera curandi penitùs recedit, quia non ſolùm illorum medicamenta naturam in ſuô opere præpediunt, ſed & moleſta quædam ſymptomata vulneribus inducunt, imò plerique illorum hæmorrhagiæ in vulneribus præcipuè internis, in partibus nempè nobilioribus, hepate, pulmonibus &c. mederi neſciant. Sibi verò, auctori, pulverem vulnerarium aqua calida ſolvendum & tincturam ſulphuris veneris in promptû eſſe adſeverat, quæ non ſolùm nullam vulneri noxam adferant, verùm etiam tutò, citò, jucundèque illud, ſive externum fuerit ſive internum, perſanent, profluvium ſanguinis ſtatim inhibendo, nullum tumorem, nullam inflammationem nec febrim cauſando, imò potiùs ſuccum nutritium à corruptione præſervando ipſumque vulnus ſubſtantiâ tali Cero-gelatinoſâ adimplendo. Quæ ſi vera ſint, ſicuti ad experimenta multiplicia in Angliâ à ſe facta provocare non dubitat, optandum certè, ut in gratiam tot Chirurgorum, caſtra potiſſimùm ſequentium, remedia talia evulgarentur: Ità enim ſaluti plurimorum in acie vulneratorum hôc mediô proſpici poſſe clariſſimum eſt. *Gœlicke Hiſt. Chirurg. p.* 327.

Ex eô habentur in Actis Lipſienſibus ann. 1697. *pag.* 554.

A Phyſico-Medical Eſſay Concerning Alkali and Acid &c.
i. e.
Tentamen Phyſico-Medicum de Alcalibus & Acidis, quatenus habent reſpectum ad morborum curationem &c. Auctore Johanne Colbath Medicô. Londini, apud Dan. Brown, 1696. 8.

SAtis decantata eſt illa de acidô & alcali hypotheſis, quæ ſenſim ad ipſam traducta Medicinam, opinionem peperit: Acidum omnium morborum eſſe cauſam ſolaque ideò alcalia remedia in uſum vocanda. Quæ quamvis confutata à plurimis Doctiſſimis viris jam fuerit, ſuas tamen Auctor vires experiri hôc in argumentô etiam voluit, oſtendendo, plurimorum morborum cauſas eſſe alcalia, uſumque remediorum alcalinorum multùm quandòque afferre damni. Quod ut probet, de variolis agit in cap. primô, putatque pulverum teſtaceorum, aliorumque diaphoreticorum uſum huic morbo non ſatis convenire, quoniam frangantur, ità dividanturque globuli ſanguinis ab his remediis, ut non ſolùm copioſæ expellantur puſtulæ, ſed & ipſe quoque ſanguis per glandulas cutaneas tranſeat, purpureas pingens in cute maculas, certiſſimæ necis nuncias, & parvos cerebri mæandros ingreſſus animalium ſpirituum motum per nervos impediat, deliriaque producat. Cui accedat, quod ſanguis ità rapidè à diaphoreticis moveatur, ut vaſis ſuis difficulter contineatur, profluviaque ſanguinis conſequantur; cùmque ſerum per ſudores omne prodigatur, puſtulæ, quæ ad maturitatem pervenire non poſſunt, concidant, & acris corroſivaque materia in ſanguinem reſorbeatur. Alcalibus ergò & diaphoreticis repudiatis, ſuam profert methodum, quam non fefelliſſe expectationem in plusquam 500. ægris affirmat. Primùm ergo ſi ſtomachus viſcidâ materiâ repletus lene propinat emeticum, hujuſque operatione finitâ, ſyrupum è meconiô, aut aliud opiatum. Ut verò inordinatum ſanguinis motum, ortum ab intromiſſis heterogeneis particulis quas natura expellere conatur, ſedet texturamque ſanguinis confirmet, julepum ex saccharô, decoctô hordei, aqua cinnamoni, ſuccoque aurantiorum vel limoniorum componit, ab ægrô pro lubitû bibendum, cui etiam concedit potum cereviſiæ ſecundariæ acidulatæ; ſi delirat jam æger, ſanguinem mittit, acidaque adhibet validiora, v. g. ſpiritum volatilem vitrioli, nitri, ſulphuris, decoctô hordei & aquæ cinnamomi admiſtum, ſaccharôque aut ſyrupô convenienti dulcoratum. Si ſpiritus ægri ſunt languidi, cordialia non omittit, & poſtquam puſtulæ evanuerunt quinquies vel ſexies lenia præſcribit purgantia, hiſque in uſum vocatis, tandem corroborantia. Capite ſecundo ſcorbuti ſymptomata non ab acidis, ſed acribus potius, lixivioſis, alcalibuſque particulis deducenda eſſe contendit, quippe cum chymica analyſis oſtendat, ſanguinem ſcorbuticorum majorem continere copiam particularum volatilium alcalium, quam ſanorum ſanguis habet, & præterea partem aliquam alcali fixi lixivioſi, quo ſanguis ſanorum hominum planè deſtituitur. Idem quoque hinc probat, quòd ſcorbutô laborantes nautas eſû malorum aurantiorum & limoniorum hôc morbô levari, experientia teſtatur. In hôc autem affectû tincturam antimonii à Glaub. Part. 1. oper. Miner. traditam, & in decoctô granorum juniperi propinatam, maximè commendat. In tertiô capite, ubi de podagrâ agit, neque hanc ortum ſuum acidis debere concedit, cùm materia ex nodis extracta manifeſtè ſit alcalina. Nodos autem illos oriri exiſtimat, cùm ſpiritus vinoſus, congreſſus cum volatili alcalicô ſanguinis ſale, in offam coagulatur, quæ obſtructiones, doloreſque acutiſſimos parit tandemque accedentibus particulis terreis in cretaceam ſubſtantiam induratur. Unde infert, non ideò podagrâ laborantibus infectum eſſe vinum Rhenanum, quod ſit acidulum, ſed quod ſpirituoſis particulis plusquam alia vina abundet. Eodem modô Cap. quartô & quintô, ubi de rheumatiſmô & phthiſi agitur, acida ad morborum horum curam commendantur. Rheumaticorum enim ſanguinem alcalibus magis particulis quàm ſanguinem ſanorum eſſe refertum, nullumque continere acidum, & viſciditatem ejus à copiâ ſalis volatilis alcalici, ut in gelatinâ cornû cervi, ortam afferit Auctor. Unde huic morbo potiùs acida remedia v. g. tincturam antimonii commemoratam, & chalybeata, quàm alcalica convenire judicat.

judicat. Chalybeata enim non alcalibus ſed acidis annumerat, cum non agant, nec proſint, niſi in vitriolum redacta. Laudat autem imprimis chalybis præparationem Williſianam, (dum calcinatur cum ſale ammoniacô) contra rheumatiſmos pariter ac inveteratas menſium obſtructiones, necnon cinnabarim tum antimonii, tum vulgarem, mixtam cum gummi guajaci, & ſatis magnâ quantitate exhibitam. Si autem pulvis ille Williſianus vertatur in oleum Martis per deliquium 50. aut 60. guttas ejus, bis de die exhibitas in forti corticis quercini decoctô, ſeminalem fluxum feliciter ſedare affirmat. In phthiſi ſanguinis globulos nimiùm comminutos in glandulas pulmonum delatos exiſtimat, atque hinc obſtructiones inflammationes & exulcerationes conſequi; quibus malis occurri poſſit, ſi principio ſtatim acida convenientia in uſum vocentur. Concluſio libri hiſtoriam continet tympanitidis in juvencula decennali curatæ per ſubmerſionem in aquâ frigidâ maris, necnon de remediis ſpecificis nonnulla, quæ quandoque neque acida neque alcalia eſſe concedit. Suâ enim confirmat experientiâ quæ Boyleus memoriæ prodidit de virtute paronichiæ foliis rutaceis, in curandis ſcrophuloſis tumoribus; provocatque ad corticem Peruvianum, quem febres certò, ſine recidivæ metû, extirpaſſe obſervavit, ſequente in eô aſſumendô methodô adhibita. Duabus ante paroxyſmum horis lene detur ægro emeticum, ejuſque operatione finitâ, opiatum; paroxyſmo autem ceſſante quantitas nucis moſchatæ, de electuariô, quod ex cortice febrifugô & ſyrupô limoniorum paratum, cum quartâ parte ſextarii (pint) decocti corticis Chinæ, radicis gentianæ & herbæ centaurii; eademque remedia quaternis ſemper horis repetantur, ſpatio quinque aut ſex dierum, itâ tamen ut æger elapsâ horâ poſt ſingulas doſes aſſumat parùm cibi digeſtionis facilis. Sex diebus elapſis, mane tantùm & poſt meridiem horâ quinta idem aſſumatur electuarium & decoctum, eôdemque modô per hebdomadem integram. Hâc methodô ſi aſſumatur cortex, ejus uncias tres aut quatuor quartanam ſine recidivâ curâſſe afferit, fruſtra vel integrâ librâ adhibita ſecundum morem vulgarem. Denique optat Auctor, ut diligentius obſerventur communicenturque cum publico ſpecifica remedia, inter quæ etiam refert recens inventum illud à Domino Pitt Pharmacopœô Worceſtrienſi, folia nimirùm *Aſſarabaccæ*, contra vehementiſſimam cephalalgiam. Nempe tria, quatuor aut quinque grana pulveris foliorum arefactorum cubitum euntibus inſtar ſternutatorii exhibentur, quæ, non turbata ægri quiete, efficiunt, ut mane ſequenti per naſi glandulas materiæ ſeroſæ non parva quantitas exoneretur. Reſtat ut moneamus, promittere diligentiſſimum Auctorem editionem completæ Hiſtoriæ humani ſanguinis, tam in naturali, quàm morbido ejus ſtatu, quam procul dubiô non ſine applausû eruditus orbis excipiet: falli verò eundem, dum in Præfatione, ubi Pharmaceuticam commendat, beatum *Etmullerum* noſtrum, quem inter eminentiſſimos Europæ Medicos meritò annumerat, *Octo annis pharmacopœo cuidam* ſerviviſſe refert.

Ibidem, Ann. 1698. *p.* 525.

A Treatiſe of the Gout &c.

h. e.

Tractatus de Podagrâ, in quo tum ejus cauſa, tum curatio, demonſtrativè aperiuntur, à Johanne COLBATCH, *Medico, Membroque Regii Medicorum Collegii, quod Londini eſt. Londini apud Dan. Brown,* 1697. 8.

PAuci abierunt anni, cum morborum omnium cauſa Acidum proclamatum fuit; jam, verſa rerum ſcena; Alcali in medium ab Auctore Cl. producitur, omniſque culpa in illud congeritur. Unde & Podagræ ſæviſſimi dolores illi accepti feruntur, ſicubi in ſanguine prædominetur. Quod ne gratis dictum videatur, ad experientiam provocat Autor, confirmans, ſerum podagrâ laborantium, mixtum cum ſolutione ſyrupi violarum ſemper colorem cœruleum in viridem, ut ſolent lixivioſa ſalia aut volatilia, non in rubrum convertere. Dolorem ergò podagricum derivat Auctor ab extravaſatô humore alcalicô, qui irritet membranas juncturarum & partium adjacentium relaxatarum. Quam ſententiam hinc quoque probabilem reddit, quod tophi nodique ex materiâ omnium conſensû alcalica conſtant. Idem ex analyſi ſanguinis podagricorum Chimicâ, collata cum analyſi ſanguinis ſanorum probat, teſtatus alcali, quod in illorum ſanguine reperitur, ſæpiùs ſe inveniſſe ad alcali, quod ex horum ſanguine elicitur, ut 6. ad 4. aut quoque ut $5.\frac{1}{2}$ ad 4. Remedia, quæ poſt venæ-ſectionem in plethorici corpore celebratam, huic malo opponuntur, ex tartarô vitriolatô cremoreque tartari conſtant, quibus additur infuſum radicis bardanæ, eringii & ligni ſaſſafras, ac tandem pulvis lapidis hæmatitis cum cremore tartari hauſtus in infuſione rad. ering. ſem. bardanæ & fraxini. Externè applicat Autor balſamum ex olei oliv. unciis Octo & Olei vitrioli optimè rectificati unciis duabus mixtum, ejuſque vires ſummis effert laudibus: vel etiam partes affectas fovet urina vaccæ, in cujus bullientis libris quatuor ſalis marini libræ tres fuerunt diſſolutæ. Elixir ſulphuris, quod pro inſigni ſtomachicô & antifebrili habet, podagricisque proprium componitur ex olei ſulph. per campan. unciis duabus, ſpiritûs vini optimè rectificati libra una, ſacchari cand. alb. unciis duabus, caryophyllorum & maceris ana drachmis ſex, in matraciô optimè clauſô per dies decem digeſtis. Accedunt huic libro nonnullæ obſervationes Medicæ de febrium curatione per acida, quibus hypotheſis Auctoris confirmatur.

Ibidem, Ann. eôd. pag. 526.

The Doctrine of acids in the cure of diſeaſes farther aſſerted &c.

i. e.

Doctrina de Acidorum in curandis Morbis uſû ulterius aſſerta, ſeu Reſponſio ad Objectiones contra illam factas à Dr. F. Tuthill &c. Auctore Joh. Colbatch. Londini apud Dan. Brown, 1698. 8.

JUngimus hunc librum præcedenti; cùm totus in defendendo acidorum uſû verſetur, occaſione ſumtâ ex litteris Dn. *Tuthill* ad Auctorem ſcriptis, in quibus non contemnendæ Auctori circa ſuam hypotheſin moventur difficultates. Ac primò quidem Objectionum Auctor facilè largitur, eſſe aliquid in ſerô alcalici aut huic analogi, quod itâ commutet ſyrupum violarum, neque tamen hinc concludi poſſe putat, ſerum illud alcalizatum eſſe originem omnium morborum præſertim cùm benè valentium hominum ſerum eôdem modô ſyrupum violarum viridi colore inficiat. Porrò neque hoc phœnomenon ſatis ipſi conſiſtere videtur cum hypotheſi de ſerô alcalizatô, quod ſcilicet ſerum illud viridi colore

lore à ſyrupô violarum imbutum non effervеſcit cum ſpiritû vitrioli more omnium alias alcalium. Deinde quamvis in ſerô ſint nonnunquam particulæ quædam calidæ, quæ ab acidis optimè domantur, in quæſtione tamen adhuc eſſe ait, utrùm alcalicæ ſint necne? quoniam ſi eſſet fixioris naturæ, non appareat, cur ſumma petant & ſerò innatent; ſin volatilioris, acredine ſe ſua proderent, cùm tamen hoc experientiæ adverſetur, quâ ſerum illud ferè inſipidum deprehenditur. Jam cum in hydrope, catarrhis & quandoque in podagrâ ſanguis valdè tenuis, fluxiliſque reperiatur, quærit, annon hæc tenuitas acidorum potiùs, quæ ſanguinem fundunt, quàm alcalium abundantiam arguat? Provocat quoque ad rerum magiſtram, quæ docet ab acidis exhibitis plurimum doloris excitatum fuiſſe, miraturque Auctorem lignum ſaſſafras in uſum trahere, cùm tamen hoc lignum acidum non ſit, nec alcali podagra laborantium ſubjugare poſſit. Tandem vel ſine alcali poſſe ſyrupi violarum colorem mutari; hinc non improbabile putat, quod infantibus, in quibus nulla alcalium abundantia, ſed quandoque pulveres teſtacei fermentationem excitant, exhibitus ab iiſdem viridis excernitur.

His objectionibus, ut ſatisfaciat Libri Auctor, primùm allegat experimenta ſua, quibus ex ſanguine morbidorum ſatis notabilem ſpiritus alcalici quantitatem elicuit, nihil moratus illos, qui ab ignis violentiâ novas ſubſtantias, quæ concreto non inerant, produci contendunt, ſatiſque firmô ſtare talô arbitratur, quæ de alcalibus ex commixtione cum ſyrupô violarum cognoſcendis, omnium conſenſû tradantur. Porrò non negat, etiam ſanorum hominum ſanguinem aliquid alcalici continere: præſertim cùm rariſſimi ſint homines perfectâ ſanitate gaudentes; ſed id ſibi concedi quoque vult plus alcalici in ægrorum reperiri ſero, atque id quidem conſiderandum eſſe, ut excrementum ex ſanguine eliminandum, ſit recrementum quaſi flammæ vitalis, quæ ſulphureis paſcitur particulis, quibuſcum acida ſemper conjunguntur. Serum morbidorum cum oleô vitrioli effervеſcere omninò confirmat. Calorificas autem in ſanguine particulas, de quibus objiciens loquitur, alcalicas eſſe ſtatuit, quæ dum ſanguinis globulos comminuunt, & ſulphureas particulas, quæ pabulum ſunt flammæ vitalis, dividunt,vel fermentationem, excitant, vel flammam vitalem maximè augent. Cæterùm quamvis Auctor ad probandum in ſerô alcali, id miſceri juſſerit cum ſyrupô violarum, non tamen eam ſibi mentem fuiſſe teſtatur, ac ſi ſtatuerit, in ſolô ſerô hærere alcalicas particulas, ſed potiùs eaſdem toti ſanguini eſſe admixtas. Neque verò concedit opponenti, ſerum febricitantium inſipidum ferè eſſe, cùm Auctor ſæpè numerô ſatis acre illud ut & linguam morſicarit, invenerit; aut acida omnia ſanguinem tenuiorem reddere, cùm acida quæ plurimo ſulphuri ſunt unita, aperientia ſint & ſanguinem ſuccoſque in convenienti fluiditatis ſtatû retineant, ſed quæ parùm ſulphuris habent, ſint ſtyptica, & ſanguinem ſuccoſque nimis fluidos ad debitam conſiſtentiam reducant. Ad acidorum autem claſſem refert Auctor non tantum manifeſta acida, ſed quæcunque deſtillationi expoſita ſtagma fundunt acidum, uti v. g. ligna. Ad reliqua reſpondet, ab acidis dolores quandoque exaſperari mirum non eſſe, præſertim initiô & non ſufficienti quantitate exhibitis: lignum ſaſſafras ad acidorum tribum pertinere; ſyrupum violarum in infantibus viridi colore tingi à bile, quæ manifeſtum eſt alcali; eſſe tandem quandoque acidum aliquod in ſtomachô, ibique turbas dare, ſed nulla alia in corporis parte. Appendicis inſtar adjectæ ſunt duæ obſervationes medicæ cum formulis remediorum adhibitorum.

Ibidem, in Supplem. Tom. 3. p. 112.

A new liyght of Chirurger &c.
hoc eſt.

Novum Lumen Chirurgicum, in quô detegitur magis tuta & expedita via curandi vulnera quam antehàc in uſu fuit, illuſtratum variis experimentis hôc annô in Flandriâ factis. Auctore Joh. Colbath. Med. Londini apud D. Brown, 1695. *in* 8.

Item:

The new light of Chirurgery Vindicated from the many unjuſt aſperſions, &c.
hoc eſt.

Novum Lumen Chirurgicum vindicatum à multis injuſtis accuſationibus quorundam incognitorum calumniatorum, cum additione paucorum, quorundam experimentorum hâc hyeme in Angliâ factorum. Auctore Johan. Colbath, Medico. Londini, apud D. Brown, 1696. *in* 8.

CUm horum librorum Auctori parùm arrideret trita Chirurgis methodus in curatione vulnerum recentium, accuratius in illam inquiſiviſſe, cumque eam à ratione planè abludere deprehendiſſet, aliam tutiorem ſe & inveſtigâſſe & inveniſſe, in priori librô profitetur. Id verò ut comprobet, primùm nutritionem animalium explicat, quæ non ſanguine fiat, qui pabulum ſit biolychnii, ſed ſerô, quod expleat interſtitia fibrarum poſt tranſpirationem inſenſibilem vacua relicta; atque hinc concludit, vulnerum ſanationem à naturâ eodem peragi modô. Deinde probare nititur, omninò impediri naturam in vulnerum curâ à vulgaribus Chirurgorum remediis & methodô, quia medicamina uſitata fibras diviſas relaxant, ut ſuccum nutritium continere nequeant, ſed ille in vulnus effundatur, ibique corruptus in ſaniem degeneret, à cujus particulis fermentantibus tumores & inflammationes, imò febres ſymptomaticæ producantur, poſtquam in ſanguinem fuerunt delatæ. Porrò id quoque taxat in Chirurgorum pleriſque, quod parùm opis adferre poſſent, ut ipſimet confitentur, vulneribus internis, pulmonum, hepatis &c. quod, cùm vas ſanguiferum læſum eſt, in ſiſtendo ſanguine ad cauteria & ſtrictas ligaturas confugiunt, irreparabile non rarò damnum læſis adferentes; quod carnium eſû vinique potû ægris interdicunt; ac licèt jam magna ſit ſanguinis facta profuſio, venam tamen ſæpiùs incidunt ad febrim propellendam. Contra autem ſibi in promptû eſſe remedia, pulverem nimirùm vulnerarium aqua calida ſolvendum, & tincturam ſulphuris veneris, aſſeverat, quæ nullam talem noxam inferant, ſed vulnera tutô citô, jucundèque perſanent, ſive externa ſint, ſive interna; quia profluvium ſanguinis ſtatim inhibent; nullum tumorem neque inflammationem efficiunt, nec febrim; quia ſuccum nutritium à corruptione & vulnus à ſuppuratione præſervant, ità ùt quarto circiter die expletum reperiatur ſubſtantia gelatinoſa, quæ deinde in carnem convertatur: bis tantùm applicantur in vulneribus gladiô inflictis, & quartô demum die, ſæpius autem in illis, quæ à globis ſclopetariis illata, quia ex illis aliquandiù notabilis quantitas materiæ aqueæ effluit, ſimulque ex illis corpora forinſecus illata eliminat; in eorum uſû non opus eſt, ut fragmina oſſium eximantur, quia cum reliquis promptè conglutinantur; neque ægroti carne & vino moderate

deratè aſſumendo prohibentur. His ergò ut fidem conciliet, 14. inſignia experimenta in Flandriâ facta enumerat.

Ob hanc autem novam & humano generi maximè proficuam medendi rationem, libellis editis ſe impetitum fuiſſe à Chirurgis quibuſdam invidis, tum multa quoque falſa de infelici remediorum ſuorum in uſû vulgus ſparſa quæritur Auctor, haſque proinde quas vocat, calumnias ut à ſe repelleret, conſcripſit libellum poſteriorem, in quô & falſitatem eorum, quæ perperam de ſuis medicamentis relata, tum uſum eorum innoxium & valdè conducibilem experimentis ipſa in Angliâ factis demonſtrare ſatagit.

COLBIUS (*Joachimus,*)

Ex eô habentur

Judicium & Conſilium de mirô veneficii quôdam casû, ad D. Balthaſarem Han ſcriptum. Extat ad finem Lib. VI. Practicæ Medicinæ Dan. Sennerti, in 4.

Sententiæ de faciendâ Medicinâ olim ab Arnoldô de Villâ novâ, in proſâ ſcriptæ. Altenburgi, 1638. in 12.

COLE (*Guilielmus,*) Anglus.

Ex eô habentur

Cogitata de ſecretione Animali. Oxonii, 1674. in 12. Extant etiam cum Gualter. Charletoni Oëconomiâ Animali, Editâ Hagæ Comitis, apud Arnoldum Leers, 1681. in 12.

De ſecretione Animali, Cogitata; extant etiam cum Daniel. le Clerc & Johan. Jacob. Mangeti Bibliothecâ Anatom. Genevæ, apud Joh. Anton. Choüet, 1685. in fol.

De eô extat in Actis Lipſienſ. ann. 1693. *p.* 481.

Novæ hypotheſeos ad explicanda febrium intermittentium ſymptomata & typos excogitatæ, Hypotypoſis, &c. Auctore Guilielmô COLE, *M. D. Londini impenſis D. Browne, &c. an.* 1693. *in* 8.

ELegantem Clariſſimi Mortonis hypotheſin de febrium intermittentium naturâ & curatione, quam Tractatû de morbis univerſalibus acutis literato orbi patefecit, ſuperiùs menſe Aprilis hujus anni uſitatâ nobis brevitate recenſuimus. Nunc verò ejuſdem argumenti librum ſiſtimus eruditum, à celeberrimô auctore in lucem publicam nuper emiſſum. In utrôque horum ſcriptorum non pauca leguntur ſibi invicem conſentanea, maximè quæ ad curandi methodum per decantatam Peruviani corticis virtutem attinent. In reddendâ tamen ætiologiâ cùm ſymptomatum, tùm remediorum, paſſim à ſe invicem abeunt, ceu perlecturis de facili innoteſcet. Circumſcribitur autem integra tractatio x. capitibus, quorum tabulam nunc ſolitô in compendiô ſumus daturi.

Cùm tot variorum ſententias de ſede & ratione formali febrium intermittentium adverteret Clariſſimus Auctor, Cap. I. eas examinaturus in duas claſſes diſpeſcuit. Prima illos refert qui focum materiæ febrilis in locô aliquô extra ſanguinem contineri aſſerunt: altera, qui in ipſâ ſanguineâ maſſâ illum collocare contendunt. Quoad primam; miſſis veteribus cum humorum quaternione, recentiores rimatur, atque inter hos cum Sylvii in pancreatis vaſis recondi fermentum febrificum ſtatuentis: tùm Joneſii in habitû partium circa arteriarũ extremitates illud deliteſcere opinantis dogmata refellit. Quoad alteram; Williſii in ſanguinis maſſâ focum quærentis ſententiam ſex potiſſimùm rationibus deſtruit, atque ad interpolatum morbum invehendum, interpolatum pariter fermentum requiri oſtendit, quod extra ſanguinis vias debeat ſubſiſtere. Ut verò pleniùs innoteſcant conditiones cauſæ febriũ intermittentium continẽtis, atque de ipſiûs ſede atque materiâ certi quicquam definiatur, capite II. Sex potiſſimùm requiſita proponuntur: (1) ut cauſa magna ſit ſaltem virtute, ſi non mole; (2) ùt univerſali modò cùm in ſanguinem ubicunquè ſcatentem, tùm in univerſum corpus agat; (3) ut unô fermè inſtanti ad prima ſymptomata producenda ubivis erumpens ſe in totum corpus diffundat; (4) ut ſatis promptè ex loculis ſuis (ubicunque demùm recondatur) in ſanguinem, ubi ſecundaria ſymptomata ſe exhibent, exitum inveniat; (5) ut tempore intercalari inter duos paroxyſmos materia febrifica ſpatium & locum commodum obtineat cumulandi ſe & maturandi in novum fomitem ſive fermentum; (6) ut omnium ſymptomatum ordine ſuô producendorum rationem aptè reddat. His præſuppoſitis oſtenditur, conditiones haſce, quamvis aliquæ huic, aliquæ aliis ex ante memoratis hypotheſibus quadrent, collectivè tamen ſumptas neutri competere, Hinc propriam celeberrimus Auctor ſententiam prodit; cerebrum ſcilicèt & ſyſtema nervoſum ſedem eſſe; ſuccum verò nervoſum depravatum febribus intermittentibus materiam ſuggerere. Mox fibras omninò omnes ſub ſyſtematis nervoſi nomine ait contineri: cerebri meditullium eſſe quaſi arboris humanæ radicem, cujus truncus, rami ac ramuli ſint nervi atque fibræ. Porrò ſuccum nerveum dari, nec quicquam hactenùs reſponſum eſſe argumentis pro ejus exiſtentiâ ab Entiô, Gliſſoniô, Williſiô, prolatis aſſeritur. Inde an ſolus aër in nervis circumferatur, ſpiritusque animales ex hôc conflati ſint, diſquiritur, ſubnexô ſtatim dogmate, nutritionem veram non formaliter ſolùm & directivè ſed vel materialiter à ſuccô nerveô præſtari, nervoſque vel ſaltem eorum propagines ipſa eſſe vaſa, quorum miniſteriô hoc opus peragatur. Id quod Cap. ſequ. III. multò pleniùs declaratur ſex potiſſimùm notabilibus: (1) expoſitione quid per nutritionis vocem intelligendum ſit, electivam ſcilicèt appoſitionem materiæ alicujus in corporis viventis ſubſtantiam, ſive ad deperditæ inſtaurationem, ſive in augmentum à naturâ præſtitutum. (2) recenſione ſex omninò requiſitorum ad nutritionis negotium neceſſariorum; unde infertur, hoc lentis peragi gradibus. (3) commemoratione totidem impedimentorum quæ nutritioni ritè faciendæ obicem ponant; (4] negatione, ſanguinem immediatè nutritionis materiam eſſe, quia non reſpondeat requiſitis paulò ante adductis: (& hâc occaſione oſtenditur, ſanguinis maſſam eſſe particulis omnigenis multiſque acribus & viſcoſis imò valdè confuſis conflatam, motû tamen ſat concitatô perpetuò gaudentem.) (5) applicatione eorumdem nutritionis requiſitorum ad ſuccum nervoſum, ubi quibuſdam ſimùl objectionibus ſolutione obviam itur. (6) oſtenſione modi, quô nutritionis opus peragi concipiatur, inſertis ſimùl quibuſdam objectionibus, quæ pariter reſponſione diluuntur. Atque hìc clariſſimi Entii modus, quô olim corpori nutrimentum ingeri opinatus eſt, paucis proponitur, rationibuſque refellitur. Cæterùm Cap. IV. ex diverticulô quaſi regreſſus fit ad conditiones cauſæ febrium intermittentium ſuperiùs allegatas, & fuſiùs docetur, eas ad unam omnes ſucco ſyſtematique nervoſo competere. Hinc capite V. hypotheſeos partes ſingulæ ob oculos ponuntur. Et initiô quidem aſſeritur, quòd in cortice cerebri radices nervorum laxentur, idque vel propter poros ab aëre occluſos, vel ob anomaliam aliquam, quæcunque tandem ſit, circa unum vel alterum ex cæteris non naturalibus, vel denique propter ſubitam aliquam (forſan & inexplicabilem) aliam occaſionem. Hoc factô contingere, ut in ampliatos ſic nervorum ſinus ex laudabili etiam ſanguine craſſior quàm alioquin excernatur liquor, ſive materia incongrua, quæ mora, quam inibi trahit, variis de cauſis ſenſim exaltetur. Verùm eam quoque ad aliquot horas, forſan & dies, ſine moleſtiâ per

per nervos & fibras progredi poſſe docetur, donec ad debitum plenitudinis & maturationis gradum evecta lancinare incipiat conceptacula, unde hæc in motus contractivos ad moleſtum hunc hoſpitem extrudendum ſeſe componentia rigorem inducant extemplò in univerſum ſyſtema nervorum propagandum. Atque hunc poſſe non ſtatim deſinere, quoniam lancinatio ſemel incepta brevi per totos ubi vis fibrarum tractus diffundatur, hinc fieri, ut ubi ad earum extremitates pertigerit, has in corrugationes arctioreſque contractiones adigere, neceſſe habeat; hinc omninò diutule coërceri lancinantem materiam, atque ſic rigorem aliquandiu perdurare. Quomodò verò erumpente poſteà in ſanguinem hâc materiâ, febrilis accendatur æſtus; item quomodò illa per ſudores aliaſque naturæ lege præſtitutas vias criticè eliminetur; necnon quâ ratione ob perſiſtentem corticalium cerebri glandularum atoniam novorum paroxyſmorum materia toties congeratur, donec in ordinem redacta fuerint omnia, fuſiore expoſitione traditur. Quemadmodum verò hactenùs dicta hypotheſeos totius ſummam exhibent: ità ſtatim ſubnectuntur nonnullæ conſiderationes, quæ confirmandæ ſententiæ inſerviant. Mox Capite VI. ſymptomata febrium eorumque fiendi ratio enucleantur. Ad tria verò potiſſimùm genera revocantur, ità ut alia præluſoria audiant, alia exhorreſcentiæ, ac tandem alia incaleſcentiæ nomine inſigniantur. Prioris generis ſunt pandiculationes, oſcitationes, plurimarum quandòque corporis partium coarctationes, cutis aſperitas, ſcroti corrugatio &c. Secundæ claſſi annumeratur rigor ſeu horror cum magnô frigoris ſensû, qui à levioribus velitationibus ad immanes quandoque concuſſiones progrediens, in dorsô ut plurimùm ſentiatur, pulsû intereà ſolitô tardiore, cum anhelitû difficili, hypochondriorum contractione, interdum vomitione &c. Tertiò demùm locô refertur calor brevi plerumque ad ingentem aſſurgens gradum, cum capitis dolore, deliriis, vomitionibus, diarrhœâ, difficultate anhelitûs, ſiti, moleſta univerſi corporis quaſi diſtenſione & laſſitudine &c. quæ omnia tandem ſuperveniente ut plurimum ſudore paulatim ſoleant diſparere. Præmiſsô autem hoc notabili, quod hactenùs recenſita ſymptomata omnia non omnes febricitantes, ſed nùnc hæc, nùnc illa affligant, ad ætiologias ſingulorum reddendas devenitur, quibus non inanem operam adhibuiſſe Clariſſimus Auctor videtur. Pergit deinde ad typorum expoſitionem, quos Cap. VII. præfixis quibuſdam prolegomenis evolvit. Hic autem conſtitutiones anni diverſæ curatè expenduntur, cùm juxtà illas variæ febrium ſpecies ſoleant occurrere. Ut paucula ſaltem ex plurimis attingamus; in vernali conſtitutione, quamvis multimoda corpuſcula ex Solis altiùs aſſurgentis actione excitentur, atque in aëre volitent, quæ tamen in corpora noſtra maximè forſan notabilem influentiam tunc temporis exerceant, nitroſa eſſe judicantur. Atque in hâc conſtitutione febres tertianas ut plurimum enaſci, pluribus evincitur. In autumnali autem acidas prævalere particulas (quarum figuram cum Philoſophis plurimis gladiolarem eſſe arbitratur Celeberrimus Autor) eaſque quartanis anſam præbere prolixè ediſſeritur. In hyemali crudas & heterogeneas particulas febribus quotidianis pabulum ſuggerere adſtruitur, quod earum extruſio non adeò tardè ut in modò memoratis conſtitutionibus, ſed citiſſimè peragatur, intrà nycthemeri ſcilicèt ſpatium, imò quandoque multò citiùs, pro ratione ſcilicèt quantitatis congeſtæ materiæ & hujus nervorumque dyſcraſiæ. Æſtiva conſtitutio febribus generandis intermittentibus ferè inepta cenſetur. Cæterùm rationes hinc inde inſeruntur variorum phœnomenorum, & imprimis curiosè indagatur, cur periodi febrium diverſi generis varient? item, quæ cauſa anomaliarum; quæ inter diverſos ægros ſentiuntur? unde regularis paroxyſmorum recurſus? cùr nitroſæ particulæ alternis tantùm diebus ſe exerant? cùr acidæ nocendi vim non ante quartum diem obtineant? quæ cauſa irregularitatis quâ in typis, quâ in ſymptomatis? unde quintanæ, ſextanæ, octanæ febres? Hæc & alia plura doctiſſima explicatione demonſtrata non licet in compendiô referre, ſed lectioni potiùs attentæ meritò relinquimus. Ad caput VIII. nùnc devenimus, in quô de curationis methodô, & ſpectantibus ad eam variis adminiſtrationibus agitur. Cùm verò ex dictis hactenùs liqueat, quod tres anni conſtitutiones ſint, in quibus variæ oberrare febrium intermittentium ſpecies obſerventur, quæ geniô ab invicem ſat longè diſtent, hinc ſingulis ſua quoque methodus medendi adaptanda judicatur. Et quoniam inter has quædam omnes ferè indiſcriminatim adminiſtrationes admittunt, operæ pretium fuerit has primò locô in genere percurrere, & deinde generalibus deſignatis medendi indicationibus ſingulas ſpecies illis accommodare. Itàque in quâvis febre triplici huic ſcopo inſiſtendum: (1) materiæ morbificæ orgaſmi contemperationi, (2) ſpirituum in ordinem reductioni, (3) toni partium affectarum, præcipuè cerebri corroborationi. Ad primum non tantùm evacuationes cùm generales, ut phlebotomia, vomitio, catharſis, diaphoreſis, diureſis, tùm particulares, ut veſicatoria, ſputum moventia, & ſi quæ ſint aliæ, pertinere dicuntur; ſed & digeſtiva, & attemperantia, ut & forſan topica. Secundæ autem indicationi evacuantia ex accidenti putantur conducere, dum nimirum cauſas inordinatæ ſpirituum agitationis removeant: magis tamen immediatè cum digeſtiva & attemperantia, tum opiata quandoque conferre perhibentur, ita ùt maximâ ex parte hæ duæ indicationes inter ſe conveniant: Tertia demùm ſpecifica dicta potiſſimùm deſideret. Hinc de phlebotomiâ variè diſquiritur, quæ in cujuſvis ferè febris principiô celebranda, aliiſque evacuationibus præmittenda, imò in ipsô paroxyſmô, dum calor maximè urit, adminiſtranda atque pro re natâ iteranda ſtatuitur. Mox vomitoria ac catarthica, vel potiùs lenientia tantum, horumque ante paroxyſmum adhibendi tempus opportunum, deinde diaphoretica ac diuretica memorantur: quæ omnia pro circumſtantiarum indigentiâ vocari in uſum queant. Inde ad alterantia deſcenditur duplici titulô, digeſtivorum ſcilicet & ſpecificorum, involuta. Illa deſcribuntur, quod partim ſanguinis aliorumve in corpore liquorum particulas placidè comminuant & tranſponant, partim taliter hinc aptent, ut per urinæ vias leniter ſecedant, partim ſolidas partes molliter, imò imperceptibiliter, quô debitam contractionem ſubeant, vellicent, atque ſic tum liquorum craſin depravatam, tum partium tonum amiſſum corrigendo vim ſuam exerant. Exiſtimantur autem digeſtiva plerumque ſalinæ ſubſtantiæ eſſe, ac totô ferè morbi decurſû uſurpanda: ſpecifica verò complexam obtinere naturam, nec ſalium aliorumque principiorum ratione energiam ſuam in febribus intermittentibus domandis prodere, ſed potiùs ratione craſis ſuæ & texturæ. Et hâc occaſione de opiatorum quoque viribus, item de pericarpiorum (quale ex cortice Peruvianô ſubtiliſſimè pulveriſatô & cum ſapone nigrô ad conſiſtentiam cataplaſmatis redactô memoratur pag. 207.) efficaciâ, ſermo inſtituitur. Omnium verò in univerſum hactenùs allatarum adminiſtrationum ætiologiæ hypotheſi efformatæ conformes eruditè ſubnectuntur. Hinc Cap. IX. propoſita hactenùs methodus medendi generalis ad varias febriū intermittentiū ſpecies, quotidianas nimi-

mirùm, tertianas & quartanas adaptatur. Ac primò locò in quotidianarum curâ univerſim ferè ſanguinis miſſio ſuadetur, quoniam in his magis heterogenea materia referta ſit ejus maſſa, unde majori curâ de præcavendâ effervescentiâ proſpiciendum. Deinde vomitoria vel ſale vitrioli, vel oxymelle ſquilliticô, vel infusô croci metallorum, vel aliô quôdam antimoniali propinanda, imò ſi uſque perſtet vel redeat ventriculi oppreſſio, repetenda cenſentur. Quô factô ad digeſtiva accedendum, quô ſic & reprimatur ſanguinis orgaſmus, & pars materiæ morbificæ ab hiſce maturatæ per urinæ vias amandetur. Inter illa numerantur cremor tartari, ſal mirabile Glauberi, Abſynthii, corallia, aliave alcalia vel ſeorſim data vel acido alicui maritata &c. Quod ſi hæc per 5. vel 6. paroxyſmorum decurſus incaſsùm exhibita deprehendantur, tum opportunè putantur ſpecifica in uſum vocari, (inter quæ præcellat cortex Peruvianus,) quorum poſt evacuationes efficacia major ſe efferat. Ad tertianæ curationem quod attinet, ea cum priori in omnibus convenire dicitur, niſi quod majori copiâ & frequentius celebranda phlebotomia jubeatur; in quartanâ verò parciùs, quod magis effœtus eô, quô invadere ſolet, anni tempore ſanguis deprehendatur. Vomitoriis deinde agendum, item digeſtivis alcalinis ſalibuſque volatilibus ad acorem edomandum cura perficienda, iiſque diutiùs immorandum ſuadetur. Quin decoctis amaris, quæ & huic intentioni ſatisfaciant, & craſin ſanguinis reſtituant, obſtinatiùs inſiſtendum. Quod ſi poſt 6. vel 8. paroxyſmos febris adhùc perſtet duretque, ad certiſſimum illud ſpecificum, corticem Peruvianum, confugiendum eſſe. Atque de hoc caput X. idque ultimum tractat, ejus ſcilicèt circa febres intermittentes ſiſtendas facultatem exponens, quæ quinque potiſſimùm punctis patefieri perhibetur: (1.) conſideratione notorum corticis effectuum, quod nimirùm juxtà regulas exhibitus febriles paroxyſmos ſtatim arceat: quod ordinariè abſque notabili evacuatione ſeu per vomitum, ſeu ſedem, ſeu urinam, ſeu ſudorem opem ferat: quod cum acidis vel auſteris propinatus majorem vim exerat: quod ab ejus uſû reſtituti citiùs vigorem priſtinum recuperent, quàm qui ab exhibitis febrifugis aliis reconvaluerunt. (2.) Exploratione texturæ ipſius, quæ ſtricta eſſe aſſeritur, h. e. particulas ſalis, ſulphuris & ſpiritûs (ſi quæ hujuſmodi actû ſint, ex quibus concreta conſtent) tam arctè cum terreſtribus implexas eſſe, ut ægrè extricabiles ſint. Quid quod & adeò ramoſæ ſint conſtituentes particulæ atque invicem implicatæ, ut nexuum iſtorum ſolutio non parùm negotii faceſſat. (3.) Inveſtigatione ſcenæ operationis, ubi quatuor imprimis corporis regiones, quas cortex pertranſeat, perluſtrantur (α) via nimirùm chyli à ventriculô, uſque ad vaſorum ſubclaviorum oſtiola, (β) venarum ſanguiferarum tractus, (γ) habitus corporis, & (δ) genus nervoſum. In ſingulis his locis quid ejus agant particulæ, & quod non ſingulæ regiones ab illis eôdem modô aut gradû, nec adæquate ad effectum, de quô ſermo eſt, producendum afficiantur, pluribus ediſſeritur. Hinc quæſtio, an afficiant ſuccum nervoſum ac admittantur in nervoſi ſyſtematis tractus corticis particulæ, eruditâ affirmatione ſolvitur. Quod ut clariùs innoteſcat, & ut operationis ratio adæquata in quartâ regione ſive in cerebrô, & ſyſtemate nervoſô invenienda demonſtretur, quinque notabilia circa relativam medicamentorum actionem in genere præmittuntur. His verò mox ad corticis vim determinandam applicatis, objectioni de perpuſillâ quantitate medicamenti, quæ in cerebrum deportetur, obviam itur & ingenioſâ ſubtilitate aſſeritur, perpauculas in tam exilia vaſa admiſſas particulas grandi effectui procreando pares eſſe poſſe. Imo ſi vel unica in ſingulos nervulos particula forſan penetret, ſat eſſe ad effectum, qui per totum eorum tractum ſentiatur, inducendum. (4.) Enucleatione modi agendi, qui à pag. 243. ad 246. traditur lectû maximè dignus. (5.) Denique ſolutione phænomenon, & obſervatorum juxta hypotheſin hactenùs ſtabilitam, ubi variis quæſitis docta redditur reſponſio, e. g. cur præmatura corticis exhibitio vel irrita vel damnoſa ſit? cur ab uſû ejus morbus ſine evacuatione diſpareat? cur lectô affixi rarò inde leventur? cur cathartica præproperè propinata paroxyſmos quandoque reducant? cur cum acidis aut amaris exhibitus cortex magis conſpicuos prodat effectus? &c.

His omnibus conſiderationes practicæ circa uſum Chinæ ſubnectuntur. Et primò quidem experientiâ conſtare dicitur quod evacuationes, maximè verò per vomitionem, corticis exhibitioni præmittendæ ſint, niſi hanc fortè maturandam ſuadeant vel magna debilitas, vel urgentia ſymptomata. Ità enim tam elui ſaburram, quæ in primis viis, potiſſimùm ventriculô, non rarò hoſpitari ſoleat, & medicamenti vim peſſundet, quam laxiora ſanguinis recrementa exturbari. Vomitoria verò pro cujuſvis euphoriâ & proclivitate variari & vel infuſum croci metallorum, vel ſulphur antimonii vel tartarum emeticum, item ſal vitrioli, Oxymel ſquilliticum &c. porrigi poſſe. Ex purgantibus leniora tantùm propinanda ut decoctum amarum, mannam, infuſa rhabarbari, tamarindorum, caſſiæ, item pilulas tartareas ſtomachales. Deinde de modô exhibendi monetur, quod efficaciſſimè in ſubſtantiâ (ſub pulveris ſcilicèt, boli vel pilularum forma) jubeatur cortex aſſumi, & quidem drachmæ pondere, quæ doſis tertiâ vel quartâ quâlibet horâ iterari queat. Quod ſi autem quis averſetur Chinam hôc modô ingerendam, hauriri poſſe decoctum ipſius ſed benè ſaturatum, additô vel vinô in ſubtriplâ forſan vel ſubquadruplâ proportione, vel aquâ aliquâ ſpirituoſâ, ut aqua gentianæ compos. Sed in minori quantitate; imò admiſtô interdùm acidô aliquô, nempe ſuccô limonum, aurantiorum, ſpiritû vitrioli &c. vel ſale aliquô alcalinô, ut tartari, abſynthii &c. In diarrhœam verò ubi pronus fuerit æger, par eſſe ut vel laudanum opiatum, vel ſtypticum aliquod unà exhibeatur. Deinde poſt devictos paroxyſmos ad plures dies, duarum ſcilicèt vel trium periodorum, quæ alias invadere conſueverint, decurſum continuandum eſſe medicamenti uſum, imò repetendum non ſine cauſa poſt decendium, nè ſcilicèt defectû antidoti recrudeſcat morbus.

Cæterùm hanc medicinam non ſolis febribus intermittentibus ſed & affectibus chronicis pleriſque, cùm intermiſſione affligentibus non rarò cum exoptatô ſucceſsû adhiberi obſervatum perhibetur. Hinc infertur, cauſam periodorum æquè ac ipſorum morborum mineram in nervoſô genere reſidere. Id quod duplici hiſtoriâ confirmatur: unà inſomnium inſolitum cum vividâ ideâ poſt uſum corticis exortum refert: altera poſt Chinæ exhibitionem convulſiones periodicas, inſtar tertianæ typum ſervantes, memorat. Utriùſque verò ratiò ex hypotheſeos hactenùs expoſitæ fundamentô eruitur, ex quô paſſim quoque variorum phænomenon cauſæ redditæ leguntur. Sic pag. 69. cur emaciati non citò ad priſtinum habitum redeant, edocetur; item pag. ſequ. cur à febribus convaleſcentes urinam (quæ maximam partem ex materiâ nutritiâ conſtare aſſeritur pag. 71.) parcè reddant? pag. 80. quomodo nutritio in paralyſi, deficientibus motû & ſenſû peragatur, &c.

Prodiit ſimul diſſertatiuncula elegans olim Anglicô idiomate conſcripta, & nunc demùm civitate Romanâ donata, de mechanicâ ratione periſtaltici inteſtinorum motus, quâ oſtenditur fibras, quæ pro annularibus habentur, eſſe reverà ſpirales.

COLERUS (*Johannes.*)

De eô extat

De Bombyce. Gieſſæ, 1665. in 4.

COLES (*Eduardus*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Supplem. Tom. 3. p. 233.

Experimentum Dn. Eduardi Coles ex mixtione ſpiritûs ſulphurei cum Alcali Volatili producendi liquidum coloris rubri. Excerptum ex Tranſact. Anglic. Menſ. Maj. 1697. p. 541.

Duas treſvè libras Benzoini cum paucâ arenâ ex retorta deſtilla uſque ad ſiccitatem, ſpiritumque cum oleô pariter & floribus inde filtrô chartaceô, & quod primum per philtrum prodit, ad uſum ſerva. Dicti ſpiritus duas partes junge uni parti ſpiritus ſalis Ammoniaci & probè ſuccutiendo miſce, ità fiet, ut momentô rubeſcat miſtura.

COLIUS (*Jacobus*,) Ortelianus.

De eô extat

Syntagma Herbarum Encomiaſticum, earum utilitatem & dignitatem declarans. Lugd. Batav. apud Raphelengium, 1614. in 4.

COLLADO (*Ludovicus*,) Medicus Doctor Valentinæ Academiæ, corporum ſectionis, anatomicæque diſciplinæ omnis peritiſſimus, eô tempore Valentiæ profitebatur, quô in Caſtellanâ Regum curiâ velut Æſculapius alter, Podalyriuſvè habebatur, Franciſcus Valleſius, cui nè in aliquô cederet, aut ſecundus eſſet, recuſavit etiam vocatus eò venire, urbanô iſtô uſus jocô, miram videlicet rem futuram, ſi vallis ſub ſe collem haberet, in cognominibus Valleſii ac ſuo feſtiviſſimè ludens. Scripſit ergò Valentiæ ſemper manens.

In Galeni librum de Oſſibus Commentarium. Valentiæ 1555. in 8.

Ex Hippocratis & Galeni monumentis Iſagogen ad faciendam Medicinam. Ibidem, apud Philippum Mey, 1561. in 8.

De Indicationibus Librum unum. Ibidem apud Davidem Perez, 1572. in 8.

Inedita alia reliquiſſe eum *ad Hippocratem, & Galenum*, quæ poſteriores Medici veluti Cynoſuram ſectati ſunt, affirmat cum exageratâ hominis laude Gaſpar Eſcolanus Lib. V. *Hiſt. Valent. Cap.* 33. Nicol. Anton. Bibl. Hiſpan. T. ij. p. 23.

COLLADO (*Theodorus*,) Biturix.

Ex eô habentur

Adverſaria, ſeu Commentarii Medicinales Critici, Dialytici, Epanorthotici, Exegematici, ac Didactici. Ubi varii & multiplices Neotericorum, qui centum ab hinc annis ſcripſerunt & Medicinam fecerunt, errores aperiuntur, excutiuntur, refelluntur, & ex familiâ Medicâ eliminantur: ac priſtina, genuinaque antiquorum doctrina, à Zizaniis ac ſordibus perpurgata ſuo nitori ac puritati reſtituitur. Tomus prior & Tomus alter. Genevæ, apud Jacobum Stoer 1615. & 1617. in 8. Ibidem, apud Johannem Landré, 1680. in 8. Hæc editio novum titulum nacta eſt: nempè ſphalmata Medica tam in Theoriâ, quàm in praxi adnotata & correcta, ubi &c.

COLLARDUS (*Adrianus*)

De eô extant

Tabulæ Quadrupedum æri inciſæ.

COLLE (*Johannes*,) Beluni in Italiâ uſurâ lucis hujus frui cœpit, qui poſtquam abſolutis ſtudiis ſuis in Academiâ Patavinâ Doctoris in Medicinâ titulum honoreſque impetraverat, in celeberrimâ Venetorum Republicâ Medicinam practicam exercere cœpit, ubi fama ejus tam latè diſſeminata fuit, ùt à Franciſcô Mariâ II. Urbini Duce, Proto-Medicus & Nobilis à cubiculô, adſignatô annuô honorariô 500. ducatorum, renunciatus fuerit. Tandem aulæ valedixit otiôque Academicô uti maluit: Ac proinde in Cathedrâ Medicâ ſucceſſit Roderico Fonſecæ, inque Academiâ Patavinâ Profeſſionem ſummâ cum laude ſuſtinuit. Scripſit Elucidarium Anatomicum, quod cum reliquis ejuſdem tractatibus exſtat.

Ex eô habentur

Coſmitor, Medicæus triplex. In quô exercitatio totiûs artis Medicæ: Loca dilucidata, & quæſita varia deciſa: ac Conſultationes Medicinales, et Quæſtiones Practicæ enucleatæ proponuntur: unde elegans Medica Ars theorica, & Practica, fida nempe Methodus tuendæ ac recuperandæ ſanitatis & luculentus omnium præſidiorum uſus tutus atque jucundus ſtudioſis objicitur: ex Græcorum, Arabum, & tam Latinorum veterum, quàm recentiorum Doctrinâ. Venetiis, apud Baretium, 1621. in fol.

Elucidarium Anatomicum, & Chirurgicum; ex Græcis Arabibus & Latinis ſelectum: unà cum Commentariis in quarti Lib. Avicennæ Fen tertiam. Inſerti ſunt Tractatus, de Vulneribus, Ulceribus, Tumoribus, Fracturis, Lue Gallicâ, Luxationibus. Venetiis, apud Evang. Deuchinum, 1621. in fol.

De Cognitû difficilibus in Praxi ex libellô Hippocratis de Inſomniis, & ex Libris Avenzoaris; per commentaria & ſententias dilucidata. Venetiis apud Evang. Deuchinum, 1628. in 4.

Methodus facilè parandi jucunda, tuta, & nova Medicamenta, & ejus applicatio adverſus Chymicos, de Tincturis, Extractis, Quintis Eſſentiis, ſalibus, Cremoribus, Syrupis Chymicis, Aquis Spagyricis, Purgantibus Hermeticis, Coſmeticis, Fucis, Tartaro vini, & aliorum; Calcantho, Vitriolo, Menſtruis propriis medicamentorum. De vitâ & ſenectute longiùs protrahendâ. De Alexipharmacis Chymicis adverſus omnia venena. Necnon de antiquâ Morbi Gallici naturâ, ejuſque ſymptomatibus, notitiâ, & medela ſingularis. De Plicâ, Cyrris, Capillorum agglomeratione & ejus antiquâ origine. De Faſcinô dignoſcendô & curandô. Venetiis, ap. Evang. Deuchinum, 1628. in 4.

De Morbis Malignis. Patav. 1620. in fol.

De Ideâ & Theatrô Imitatricium & imitabilium ad omnes intellectûs facultates, ſcientias & artes, Libri Aulici. Quibus cunctæ intellectûs facultates inſtrumentariæ, Grammatica, Logica, Rhetorica, Poëtica Hiſtoria; omnes ſcientiæ activæ & ſpeculativæ; Mathematicæ, multi Tractatus jucundiſſimi, Moralis Philoſophia, Politica, Naturalis Theologia, Metaphyſica; omnes artes, Medicina, Agricultura, Typographia, Pictura, Sculptura, Ferraria, Vitriaria, Architectura, & Mechanicæ, non ſolùm quô ordine, & quâ methodô inveniendæ & inventæ ſint ordinandæ & perſpicuè exponendæ; manifeſtatur; ſed ſingulæ mirâ brevitate, ordine & methodô ante oculos locantur. Principibus & Aulicis Viris utiliſſimæ, & jucundiſſimæ qui multis negotiis obſtricti longius tempus in his litterarum ſtudiis conterere nequeunt. Item Tractatus de Nobilitate, de falsô à vulgô creditis, & aliis, &c. Piſauri, apud Flaminium Concordiam 1617. in fol.

Medicina

Medicina Practica, ſive Methodus cognoſcendorum & curandorum omnium affectuum malignorum & peſtilentium. Piſauri apud Rob. Mejettum, 1617. in fol.

COLLENUTIUS (*Pandulphus*) Piſaurenſis.

Ex eô habentur

Pliniana Defenſio, adverſus Nicolai Leoniceni Accuſationem. Ferrariæ, apud Andr. Belfortem, 1511, in 4. & Tomo II. Herbarii Ottonis Brunsfelſii.

Libellus de Vipera. Venetiis, apud Johan. Petrum Quarengium, 1506. in 4.

COLLESSON (*Johannes*,) Gallus.

Ex eô habetur

Idea Philoſophiæ Hermet. &c. Reperitur in Vol. vj. Theatri Chemici.

COLLIMITIUS (*Georgius*,) Transſtetterus Medicus Germanus, circa annum 1530. Andreæ Stiboricæ Canonici Viennenſis peritiſſimi ſæculô ſuô Mathematici diſcipulus erat. Aſtrorum ſcientiæ ſeſe dederat, quam etiam Medicinæ adjungi volebat: propterea compoſuit Artificium de applicatione Aſtrologiæ ad Medicinam. De ratione dierum criticorum. De diebus criticis, &c.

De eô extant magis explicata in Lind. Renov.

Artificium de Applicatione Aſtrologiæ ad Medicinam, deque convenientiâ earumdem; De ratione dierum criticorum, Canones; ſuper eâdem re Axiomata novem; De Diebus criticis inveſtigandis ex figurâ cœli & punctô temporis, quo laborare cœpit infirmus: De naturis & proprietatibus Planetarum, Compendium: Item de Adminiſtratione Pharmacorum & Phlebotomiâ, Canones poſtremi: Judicium Tempeſtatum. Argentorati apud Georg. Ulricherum, 1537. in 8.

COLLINUS (*Sebaſtianus*) Medicus Fontenæi in Pictaviô, vixit annô 1564. varios è Græcâ in Gallicam linguam tranſtulit tractatus; inter cæteros, Alexandri Tralliani Librum XI.

COLLIUS, Vid. (*Colius.*)

COLLUTIUS (*Franciſcus*,) Veliternus.

De eô extant

De Querelis Nephriticis ex renum calculô, Libri tres. Venetiis, apud Johan. Bapt. Ciottum, 1620. in 8. Romæ, 1624. in 4.

COLMENERUS de Ledeſma (*Antonius.*) Medicus & Chirurgus Aſtigitanæ urbis in Bæticâ Provinciâ; ſcripſit

Tratado de la naturaleça y calidad del chocolate, Matriti 1631. Hunc Gallicè vertit, & annotationibus illuſtravit Renatus Moreau Profeſſor Medicus Pariſienſis, Dialogumque proprium adjunxit, atque edidit Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoyſi, 1643. in 4. Marcus etiam Antonius Severinus Tarſenſis Latio donavit, typiſque commiſit Norimbergæ apud Wolfgangum Enderum, 1644. in 12. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 86.

COLUMBA (*Gerhardus*,) Meſſanenſis, Doctor Medicus: eâ floruit doctrinâ, ut inter primarios Medicos ævi ſui cooptatus, in Celeberrimô Patavinô Lyceô Medicam facultatem magnô cum plausû docuerit. Eloquentiâ, ſtudiô, ingeniô conſpicuus claruit annô 1596. Ipſum laudant Philadelphus Mugnos *in Theatrô Genealog. par.* I. *pag.* 284. Vincentius Ferrarottus de *offic. ſtraticoti* Cap. 24. pag. 125. Petrus Anſalonus de *ſuâ familiâ pag.* 265. Joſeph Bonfilius in *ſuâ Meſſanâ Lib.* 7. *pag.* 54. & Franciſcus Flaccomius *in ſecalide ſect.* 3. *pag.* 38. Edidit.

De Febris Peſtilentis Cognitione, & curatione Diſceptationum Medicinalium libros duos, in quorum priore agitur de ſtellarum influxibus adverſus Johannem Picum Mirandulanum; in poſteriore de Abuſis Phœnigmatum in febre peſtilenti. Meſſanæ apud Petrum Bream 1596. in 4. Venetiis apud Majettum 1600. in 4. Francofurti apud hæredes Romani Beati, Georgium Beatum & Johannem Ludovicum Bitſchium, 1601. in 8. Ibidem apud Nicolaum Hofmannum, 1608. in 8. duabus poſtremis editionibus acceſſit Nicolai Machelli Tractatus *de Morbo Gallico, ejuſque curatione*, ex Vanderlinden *de ſcrip. Medicis pag.* 349.

Tractatum de Lue Venereâ. Francofurti apud Porſium 1609. in 8.

Apologiam pro Illuſtri Franciſco Biſſo Regio protomedico in hoc Siciliæ Regno ad Excel. Philoſophiæ, & Medicinæ Doctorem Dominum Paulum Crinò. Meſſanæ apud Tauſtum Bufalinum 1589. in 8. nempe de Eryſipelate in Siciliâ vigente. *Anton. Mongitor. Bibl. ſiculæ T. j. p.* 256.

COLUMBUS (*Franciſcus*) Italus Peruſinus doctiſſimus Medicus, atque Philoſophus, in Platonicis libris tam exactè verſatus, ut publicè legendo, vel diſputando Platonis nomen, & doctrinam in ore, atque in ſcriptis ſemper haberet; Plato itaque cognominatus, ſuæ familiæ poſteri in tanti memoriam Viri, hoc Platonis cognomine uſi ſunt.

Auguſtinus Oldoinus in citatô volumine, mſ. penes me, in quô ſunt collecti ſcriptores Italici per multi, ità ſcripſit; *Franceſco Colombo cognominato Platone Perugino, Medico & Filoſofo, di gran nome, introduſſe in Perugia l'Academia de' ſemplici. Fu Medico Cariſſimo del Cardinal Marcello Cervini, ch'elleto Papa Chiamoſſi Marcello ſecondo, e lo ſoleva nomare il mio caro Platone Fatto Papa dichiarotolo ſuo Medico, ſarebbe ſtato molto beneficato, ſe la morte non aveſſe coſi toſto tolto dal Mondo quell' ottimo Pontefice.* Teſte eodem Oldoinô in alio opere editô nempè in Athenæô Auguſtô, eruditiſſimarum Franciſci.

Lectionum, & lucubrationum de re Medicâ & Philoſophicâ Volumina plura, apud hæredes adſervantur.

Proſapia hæc dedit in lucem per doctos viros alios, ſcilicet Hieronymum ſacræ Theologiæ Profeſſorem, qui edidit in ſacram Chriſti nativitatem, Diſquiſitionem Theologicam, quônam pactô Planetæ, & ſidera Domino famulentur. Paratos etiam typis ſcripſerat de Angelicâ, & Humanâ Hierarchiâ, lib. 8. De Regimine Eccleſiæ l. 2. in Cantica Canticorum Metricam Expoſitionem. Davidis Regis Pſalterium Carminibus explicatum. De Epiſcopis Peruſinis Opus.

Titum Columbum nobilem Carminum artificem.

Nicolaum ſac. Theologiæ Magiſtrum, ordinis Prædicatorum, in omnibus ſcientiis inſtructum, adeò ut illas publicè Romæ contra quoſcunque lutatus ſit, ſcripſitque plura eruditiſſimè ſuper ſacram ſcripturam, ſervata olim Mſſ. in Bibliothecâ Ducis Urbini, & alia in re Theologicâ.

De quibus tractant præter Oldoinum, Leo Allatius in Apibus Urbanis; Ludovicus Jacobillus in Bibliothecâ Umbriæ. Ambroſius de Altamura in Bibliothecâ Dominicanâ, Annô 1530. Cæſar Criſpoltus in Peruſia Auguſta, lib. 3. pag. 366.

Mandoſius de Vitis Archiatr. Pontific.

COLUMBUS (*Michael.*)

Ex eô habentur

Hippocratis Index longè refertiſſimus. Extat cum Operibus ejuſdem ad Hieron. Mercuriali editis. Venet. apud Juntas, 1588. in fol.

Hieron. Mercurialis Tractatum de Compoſitione Medicamentorum, de Morbis Oculorum & Aurium, ex ejuſdem Prælectionibus excerptum edidit. Item, de Morbis Muliebribus.

Collegiandi Ratio. Extat cum Tomô 11. Conſult. Medic. Mercurialis. Venetiis, apud Mejettum, 1589. in fol.

Joh. Valverdi de Hamuſcô Anatomen Corporis Humani, ex Hiſpanicô in Latinum tranſtulit.

COLUMBUS (*Realdus* ,) Cremonenſis; Præſtans fuit Anatomicus, qui de Re Anatomicâ xv. Libros conſcripſit continentes ea, quæ raro in Anatomicis conſpiciuntur, 70. chartis illuſtratos, qui Venetiis impreſſi ſunt. Succeſſit Veſaliô, magno ac celeberrimo ſui temporis Anatomico, Patavio diſcedenti, ac deinde in Gymnaſiô Romanô Anatomiam publicè profeſſus eſt. Quamvis autem Veſalio Magiſtro uſus ſit in Anatomicis, cum tamen irritandi acerbiuſque vellicandi nullam occaſionem prætermiſit, eamque ob cauſam non tantum ingrati hominis crimen ſibi accerſivit, ſed & à Veſaliô itidem acerrimè caſtigatus, ſimùlque inſimulatus eſt, quod ſcientiæ Anatomicæ ſatis peritus non fuerit. Cæterùm Columbo huic Realdo tribuitur, quod eximiam methodum conficiendi ſceleti monſtraverit. Gœlike Hiſt. Anat. p. 49.

De eô extat

De Re Anatomica, Libri xv. Venetiis, apud Nicol. Bevilacquam, 1559. in fol. Lutetiæ, apud Andr. Wechelum, 1572. in 8. Francof. apud Johannem Wecchelum, 1590. apud Petrum Fiſcherum & Martin. Lechter, 1593. in 8. Utrique acceſſerunt Johannis Poſthii, Med. D. Obſervationes Anatomicæ. Francofurti, 1599. in 8.

COLUMELLA (*Lucius Junius Moderatus.*) Inſignis Philoſophus. Vixit eô tempore, quô Seneca, nempe ſub Nerone Imperatore, A.C. 57. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur

De Re Ruſticâ Libri 12. Regii apud Barthol. Bruſcium, 1482. in fol. cum Catonis, Varronis Palladii ejuſdem argumenti Libris: & Junii Pomponii Fortunati ad Hortulum Columellæ Interpretatione. Regii, apud Franc. Mazalum, 1498. in fol. Lugd. apud Johan. Parvum & Galeotum à Pratô 1533. in fol. Coloniæ, apud Johan. Gymnicum, 1536. in 8. additis huic edit. priſcarum vocum in Libris de Re Ruſtica Enarrationibus per Georgium Alexandrinum. Philippi Beroaldi in Lib. xiii. Columellæ Annotationibus. Pariſiis apud Robertum Stephanum, 1543. in 8.

De Cultû Hortorum. Extat cum Cœnâ Baptiſtæ Fieræ Argentorati, apud Chriſtianum Egenolphum, in 8.

COLUMNA (*Fabius.*)

De eô extant

Φυτοβάσανος, ſive, Plantarum aliquot Hiſtoria. In quâ deſcribuntur diverſi generis Plantæ veriores, ac magis facie viribus reſpondentes, antiquorum Theophraſti, Dioſcoridis, Plinii, Galeni, aliorumque delineationibus, ab aliis hucuſque non animadverſæ. Acceſſit inſuper Piſcium aliquot, Plantarumque novarum Hiſtoria. Neapoli, apud Joh. Jac. Carlinum & Ant. Pacem, 1592. in 4.

Minus cognitarum rariorumque noſtrô Cœlô orientium ſtirpium Ἔκφρασις. Qua non paucæ ab antiquioribus Theophraſto, Dioſcoride, Pliniô, Galeno, aliiſque deſcriptæ, præter illas etiam in φυτοβασάνῳ editas, diſquiruntur ac declarantur. Item de Aquatilibus aliiſque nonnullis Animalibus Libellus. Omnia fideliter ad vivum delineata, atque æneis typis expreſſa. Romæ, apud Jacobum Maſcardum, 1616. in 4.

Minus cognitarum ſtirpium Pars altera: In quâ non tam novæ plures Plantæ, eæque rariores à nemine hactenùs aut animadverſæ, aut deſcriptæ, nunc primùm proponuntur, quàm nonnullæ aliæ apud Antiquos dubiæ atque obſcuræ dilucidantur. Cum imaginibus ex typis æneis, Elencho rerum initio & Indice in fine locupletiſſimô. Ibidem annô & formâ eâdem.

Purpura, hoc eſt, de Purpurâ ab animali teſtaceô fuſa, de hôc ipsô animali, aliiſque rarioribus teſtaceis quibuſdam, Tractatus. Romæ apud eundem, 1616. in 4. Kiliæ Holſat. apud Joachimum Reumannum, 1675. in 4. quæ Editio operâ & ſtudiô Johann. Danielis Majoris prodiit, qui Annotationes etiam quaſdam addidit: itemque ſpecimen Doctrinæ de Teſtaceis in ordinem congruum redactæ Tabulis aliquot comprehenſum & non minùs connexum cum editis Annotationibus in Columnam de Purpurâ, quàm cæteròquin inſerviturum facilè ad Conchylia & teſtacea reliqua in Conclavibus Principum, ac aliis rectè diſponenda, cum brevi Dictionariô Oſtracologicô de Partibus Teſtaceorum.

COLUTIUS (*Phylander* ,) Veliternus.

De eô extat

De Uteri querimoniis. Romæ, ap. Nicolaum Mutium 1599. in 8.

COMBACHIUS (*Johannes* ,) Wetteranus.

Ex eô habentur

Liber de Homine. In quô de Nobiliſſ. creaturæ eſſentiâ & partibus, ejuſdemque ordine ad Deum, Univerſum, aliaſque creaturas agitur. Addita eſt Diſquiſitio duplex, prior de Caſeô, altera de Divinationibus. Marpurgi, apud Rod. Hutwelcherum, 1620. in 8.

De Philtris: utrum animi hominum his commoveantur, necne? Tractatus. Hamburgi, apud Hermannum Mollerum, 1609. in 4.

COMBACHIUS (*Ludovicus.*)

De eô extat

Tractatus de verô ſale ſecretô Philoſophorum, & de Univerſali Mundi ſpiritû, Gallicè primô conſcriptus à Dominô de Nuyſementô; nùnc ſimpliciſſimô ſtylô latinè verſus. Liber non minùs curioſus, quàm proficuus, ut pote tractans de cognitione veræ Medicinæ Chemicæ. Caſſellis, apud Jacobum Genthium, 1651. in 8. Lugduni-Batavorum, apud Arnoldum Doude, 1672. in 12.

COMENIUS (*Joh. Amos.*)

Ex eô habetur

Phyſicæ, ad Lumen divinum reformatæ, ſynopſis. Lipſiæ apud Gotofred. Groſſium, 1633. in 8.

COMITIBUS (*Ludovicus de.*)

De eô extant

Clara fideliſque Admonitoria Diſceptatio Practicæ Manualis, experimentô veraciter comprobata, de duabus Artis & Naturæ Miraculis, hoc eſt, de Liquore Philoſophicô atque umborum materiâ,

materiâ, operandi ratione, difficultate, viribus, ac inter ſe convenientiâ & diſcrimine: De ſale quoque Tartari Volatili &c. Venetiis, 1661. in 4. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1664. in 12.

De Metallis, ſive Metallorum & Metallicorum Naturæ Operum Elucidatio: ex Orthophyſicis Fundamentis. Coloniæ, 1665. in 8.

La COMMARE, ò Raccoglitrice (*i. e. Obſtetrix*) diviſa in Trei Libri, in Venetiâ, 1686.

Agit in Libr. I. de Portû Natur. In II. de Præternaturali. In III. de Morbis Puerperarum & Infantium. Proptereâ in his libris multa docentur. Præcipuè verò munus obſtetricum.

COMMELINUS (*Johannes*)

Ex eô habentur

Henrici Van Rheede & Johannis Cæſarii Horti Indici Malabarici de Fruticibus Regni Malabarici apud Indos Celeberrimi, Partem II. Notis adauxit & Commentariis illuſtravit. Amſtelodami, apud Viduam Johannis à Someren, & Joh. à Dick, 1679. in fol.

Henrici Van Rheede & Johannis Munnicks Horti Indici Malabarici Partem III. de Arboribus Regni Malabarici Notis adauxit & Commentariis illuſtravit. Amſtelodami, apud Viduam Johannis Van Someren, Hæredum Johannis Van Dick & Henrici & Viduæ Theodori Boom, 1682. in fol.

Ex eô habentur in Actis Lipſienſibus ann. 1683. *pag.* 517.

J. Commelini Catalogus Plantarum indigenarum Hollandiæ, cui præmiſſa Lamb. Bidloo Diſſertatio de Re Herbariâ. Amſtelodami, apud Henricum, & viduam Theod. Boom, 1683. *in* 12. *&* *Lugd. Bat.* 1709. *in* 12.

EX Angliâ menſe hujus anni Majô Botanicum eximium repræſentavimus *Joh. Rajum*, cùm *novam plantarum methodum* in publicum evulgaſſet. Nùnc ex Hollandiâ exhibemus virum & ipſum rei herbariæ ad ſtuporem uſque deditum *J. Commelinum*, ſenatorem Amſtelodamenſium ampliſſimum cujus Catalogus plantarum in Hollandia nùnc naſcentium, hôc ipsô annô à Lambertô Bidloo, Pharmacopæô amſtelodamenſi, fuit editus. Libellus, ſi molem contempleris, valdè eſt exiguus, ſed ſi laborem in tot agris, nemoribus, dumetis, collibus littoribuſque perreptandis, plantiſque exinde colligendis adhibitum, ſatis grandis atque operoſus; nec plantarum tantùm Catalogum, ſed arbores etiam, ſata, & quicquid ex terræ Hollandicæ exſurgit gremiô complexus. Plantas verò *indigenas* dum nuncupat Auctor, non eas tantùm, quæ ſupra hominum memoriam in Hollandiâ ſuapte ſponte creſcunt, ſed & quæ ex aliis in eam delatæ oris cœlô & ſolô Hollandiæ aſſuefactæ, & civitate quaſi ejus ſunt donatæ exhibet; & quidem ordine alphabeticô diſpoſitas, nec Latinè tantùm à *Caſparô & Johanne Bauhinis* fratribus, aliiſque Clariſſimis Botanicis, quorum ſeries cum contractorum nominum explicatione diſſertationi Editoris ſubjicitur, ſed & Belgicè à Belgis duobus *Rambertô Dodonæo & Matthiâ Lobelio* denominatas. Expreſſa etiam ſunt nativitatis loca nominibus propriis, quibus gaudent, urbes putà Hollandiæ, pagi, villæ, fluvii & canales, ut adeò ab iis quoque, qui linguam Latinam in Bataviâ haud callent, & herbarum tamen diligentiſſimi ſunt Collectores, inveſtigari oſtendique aliunde advenientibus poſſint. Uſum libelli hujus ulteriorem fusè jam dictus Bidloo in diſſertatione præliminari expoſuit, atque ea pariter, quæ à Medicô quodam in ſcriptô invectivô cùm contra Botanicen omnem, tùm contra indigenarum plantarum præſtantiam à ſe aſſertam protulerat, partim experientia certa partim aliorum populorum atque authorum teſtimoniis confutavit. Atque uti Botanices patronum ſe ſemel eſt profeſſus, ità non ab iis tantùm, qui rejectis Botanicæ ſacris, Chymiæ apotheoſin quandam affingunt, ſe facit ſegregem, ſed & illos, qui totum Medicinæ negotium ad normam Matheſeos ſe inſtituere atque abſolvere gloriantur, ſatyricô ſale perfricat: oſtenditque præterea, Neotericos nihil aliud quàm veterum crambem, dogmata videlicèt *de atomis, motû, materiâ primâ, fermentatione, diſſolutione & concretione*, recoxiſſe. Patrocinatur poſteà Empiricis ſed ratione utentibus, Hippocratique ſimilibus, qui divinos aphoriſmos ſuós ex tabulis ægrotantium euchariſticis concinnâſſe traditur. Quanquam autem non approbat Bidloo, qui ex Chymiâ, Botanicâ inſuper habita, deam quaſi faciunt, eam tamen Phytologicis diſquiſitionibus non minùs, quàm Metallurgiæ, & mineralium anatomiæ cenſet neceſſariam, quippe cujus ſine adminiculô plantarum deſtillatio, decoctio, extractioque non poſſit fieri. Quæ & alia poſtquam fusè ac doctè pro Botanicâ herbiſque indigenis ediſſeruit Bidloo, de rectè inſtituendô ſtudiô Phythologicô nonnulla adjicit. Exiſtimat autem, Botanicorum priſcorum & coætaneorum figuras diligenter examinandas, an eædem ſint, quibus nos utimur? nec tantùm radicum, foliorum, caulium, florum, ſeminumque figuras indagandas, ſed & palati nariumque examini offerendas. Hoc excipere debere Chymicam analyſin, unde luculenter patere poſſit, num eôdem ex proceſsû ſuccedant eadem; dein diſcernenda legitima à ſpuriis, & tum conſpicuum fore, nùm rectè Botanicorum mentem, titulos, vocumque ſignificationes perceperimus; quin & apparituum, Auctores quoſdam minùs dextram tribuum diſtributionem confeciſſe. Præmiſſæ huic diſquiſitioni uſum medicum tanquam coronam atque coronidem imponendum; hunc enim, ſi contrarium teſtetur ſucceſſum, documento fore, aut erráſſe anteceſſores noſtros, aut nos non ſatis homogeneam inveſtigâſſe plantam. Quod ignota attinet, hæc primum, quantùm ex figurâ externâ, odore & ſapore conjicere liceat, ad claſſem alicujus generis referenda, igniſque examini deſtinanda, unde cui ſpeciei propius unaquæque herba accedat, manifeſtum ſit futurum. Definit tandem in laude ſtudii botanici, cùmque circiter bis mille annos parùm vel nihil luminis allatum ei fuerit, (quod & Botanicis objecit Helmontius) id vel maximè nunc temporis excolendum exornandumque eſſe contendit, laudatque tum Conſules ſenatumque Amſtelodamenſium, qui uſui Medico, exoticorumque culturæ hortum ſpatioſiſſimum deſtinârunt, tùm *Commelinum* imprimis ſpectatiſſimum, qui non notas tantùm collegit herbas; ſed & ab aliis nullibi & nunquam repertas Hollandiæ plantas nota N. D. diſtinctas, detexit, longèque plures hôc opuſculô jam ſub prælô ſudante congeſſit, aliquandò & ipſas luci exponendas.

Ibidem an. 1692. *ſupplem. Tom.* I *pag.* 387.

Johannis Commelini Catalogus plantarum Horti Medici Amſtelodamenſis pars prior. Amſtelodami, ex Typographiâ Commelianâ, ſumptibus Arnoldi Ooſuen, 1689. *in* 8.

NOn ignobile in his Actis noſtris nomen eſt *Johannis Commelini*, Amſtelodamenſis Reipublicæ ſenatoris ampliſſimi, Botanici excellentiſſimi; quippe cujus *Catalogum plantarum indigenarum Hollandiæ ann.* 1683. editum, jam in Actis illiûs anni, menſe Decembri pag. 517. recenſuimus; operam verò ac ſtudium, quod poſt *Dn. Henricum Van Rhede tot Draakenſtein* exornandô Hortô Malabaricô impendit in Actis ann. 1684. menſe Aprili p.161. iterumque ann. 1688. menſe Septembri, p. 479. ex meritô laudavimus. Præſens verò hoc opus tardius ad nos, nec niſi ante paucos dies pervenit, ex Belgiô benevolè tranſmiſſum, nec adhùc in officinis librariis noſtris proſtat; de quô proinde, ne utiliſſimi libri notitia Botanophilis diutius carendum ſit, ſine morâ, dum ſeptimam hanc ſupplementorum ſectionem in lucem extrudimus, pauca nobis erunt dicenda.

Cùm poſt everſum ob urbis ampliationem priorē Hortum Medicum, ante annos aliquot novum adornare Ampliſſimo ſenatui Amſtelodamenſi viſum eſſet, ejus rei cura Duumviris ſpectatiſſimis, *Johanni Huidekoper*, Equiti, Toparchæ in Maarſeveen & Neerdyk, conſuli & ſenatori, atque *Commelino* noſtro fuit commiſſa. Iſti verò tam gnaviter ſtrenuèque munere illô defuncti ſunt, ut loco omninò paludoſo cultiſſimus emerſerit Hortus, quodque meritò mireris, intra quadriennii ſpatium tanta omnis generis & rariorum præcipuè, tum indigenarum tum exoticarum plantarum copia fuerit, exornatus, ut nulli hodie ſecundus ab incolis, accolis & advenis ſummâ cum delectatione perluſtretur. Unum deerat, Catalogus nempe plantarum (quali Hortum Medicum Lugduno-Batavum Clariſſimus *Hermannus* A. 1687. ut in Actis illiûs anni pag. 245. à nobis memoratum eſt, cum omnium applauſû illuſtraverat) multorum votis deſideratus, quem componere tandem, qui huic rei, quod plantas ipſe comparaſſet, digeſſiſſet, excoluiſſet, maximè idoneus erat, *Commelinus* noſter aggreſſus eſt, felicique ſtudio abſolvit; etſi prima tantùm parte publici hactenùs juris facta. Ordinem in eô ſecutus eſt *Celeberrimi Raji*, cujus in diſtinguendis, per genuinas naturaleſque earum notas characteriſticas, plantis induſtriam non immeritò laudat, neque nos in Actis A. 1687. pag. 105. & ſectione II. ſupplementorum p. III. laudare non potuimus. Itàque ſecundum litteras Alphabeticas, ejuſdem generis plantas conjungit, notaſque Characteriſticas ex Raji Hiſtoriâ Plantarum ſubjungit. Denominationes verô plerumque *ex Caſparo & Johanne Bauhinis, Jacobo Breynio, Paulo Hermanno, Piſone, Horto Malabarico;* ſynonyma ex *Recchiô, Cluſiô, Dodonæô* recentioribuſque aliis deſumit; Belgicis etiam nominibus prudenti conſilio ſubjectis. Sed, ut diximus, prima tantùm pars prodiit; alteram verò eò avidiùs harum rerum curioſi expectaturi ſunt, quia illi plantæ plurimæ in Europâ antehàc non cognitæ, tam ex ſeminibus productæ, quàm ex utrâque Indiâ & aliis locis allatæ magnisque ſumptibus excultæ, & iconiſmis fortaſſe (ut in Hortô Lugduno-Batavo *Hermannus* fecit) repræſentandæ, ab Auctore ſunt reſervatæ. Dubium verò non eſt, quin honeſtiſſima inter peritiſſimos in Hollandiâ Botanicæ ſcientiæ viros, *Hermannum & Commelinum* æmulatio, qua ille Lugdunenſem, hic Amſtelodamenſem Hortum rariſſimis plantis inſtruere laborant, ad Hollandiæ decus & gloriam haud parùm cum tempore ſit collatura. Denique ignorare Lectorem Benevolum nolumus, ſpem à *Commelinô* in præfatione factam, vaſtiſſimum illud *Horti Malabarici* opus, in quô typis exſcribendo ultra duodecim jam annos deſudatum eſt, abſolutum propediem iri, duodecim tomos complexurum.

Ibidem, ann. 1697. *pag.* 533.

Flora Malabarica, ſive Horti Malabarici Catalogus, Auctore Caſparô Commelinô. Lugduni Bat. apud Fred. Haaring, 1696. *in fol. & oct.*

INter opera Botanica, quæ hôc tempore celebrantur, vel maximè *Hortus Malabaricus* eminet, nobiliſſimi celeberrimique viri *Henrici Van Reede tot Draakenſtein* auſpiciis, in Hollandiâ editus, ac duodecim in foliô, ut loqui ſolent, voluminibus comprehenſus. Et priores quidem quatuor illiûs partes in *Actis hiſce ann.* 1684. *p.* 195. ſeq. exhibuimus, totiûs ſimùl inſtituti ratione uberius expoſitâ. De parte quintâ *ann.* 1685. *p.* 401. de ſextâ, ſeptimâ & octavâ *an.* 1688. *p.* 479. quædam nos dixiſſe meminimus. Reliquas quominùs ſpeciatim recenſeremus, vel ipſa librorum novorum, qui ſe undique offerunt, copiâ fuimus prohibiti: tametſi minime nos latuerit, partem nonam *an.* 1689. decimam *an.* 1690. undecimam *an.* 1692. & duodecimam eamque ultimam *an.* 1693. cunctas ab eôdem Van Reede adornatas, *ab Abrahamô à Poot* in ordinem redactas & Latinitate donatas, à Jo. *Commelinô* notis illuſtratas, typis Amſtelodamenſium in lucem publicam prodiiſſe.

Ad tam ſplendidum verò opus uti poſt Reedium Jo. *Commelinus* Reipublicæ Amſtelodamenſis, dum viveret, Senator & Horti Medici Præfectus plurimùm contulit, ſingulis præter primum, in quod *Arnoldi Syen* notæ extant voluminibus commentario ornatis: ità ejuſdem ex fratre nepos, qui hôc tempore Horti Medici Amſtelodamenſis curam gerit, vir clariſſimus *Caſparus Commelinus*, id ſuarum eſſe partium duxit, ut pretioſum opus plurium uſibus accommodaret, & elegantiæ illius ac velut majeſtati utilitatem haud paulò majorem adjungeret. Nimirùm cùm in opere ipsô plantæ Malabaricis ut plurimùm nominibus deſignentur, quas aliis & ſæpè convenientioribus tùm veteres tùm recentiores rei herbariæ ſcriptores inſignire conſueverunt, (quorum quidem non pauca Jo. *Commelinus* jam indicaverat in notis,) præſentem accuratumque Horti illius Malabarici Catalogum componere voluit, plantarum nomina omnia in ordinem Alphabeticum diſpoſita complexum, ut quiſque plantam ſibi propoſitam, modô qualecunque ejus nomen noverit, ſine moleſtiâ invenire poſſet. Nos uti non dubitamus, quin gratô animô agnituri ſint laborem iſtum Botanophili: ità, ne ſpecimen ejus deſit, duo exempla producere non gravabimur. Tomô II. p. 53. *Reedius* plantam ſiſtit *Ericu* Malabarenſibus *Roey* Bramanibus dictam. Eandem *Jacobo Breyniô in Prodromô ſecundô Faſciculi rariorum plantarum* Apocynum erectum majus latifolium Indicum, flore concavô, amplô, carneô, ſuavepurpuraſcente, *Paulo Hermannô in Catalogo Horti Academici Lugduno-Batavi* Apocynum latifolium Ægyptiacum, incanum, erectum, floribus ſpicatis maximis pallidè violaceis, ſiliquis folliculatis rugoſis, *Caſparô Bauhinô in Pinace* Apocynum Ægyptiacum lacteſcens ſiliqua Aſclepiadis, *Abrahamo Munting in curioſâ Deſcriptione Terra Naſcentium* (*Naukeurige Beſchryvinge der Aardgewaſſen*) Apocynum Syriacum, *Pittoni Tourne*-

fort

fort in Elementis Botanices (*Elemens de Botanique*) Apocynum Ægyptiacum floribus umbellatis, *Johanni Parkinſonio in Theatrô Botanicô*, Apocynum rectum Americanum majus ſive latifolium, *Jo. Veslingio in Obſervationibus de Plantis Ægyptiacis* Beidel Sſar, Jo. Bauhinô in *Hiſtoriâ plantarum univerſali*, Beidelſar Alpini, ſive Apocynum Syriacum, ſive Palæſtinum, & fortè Ægyptiacum, *Zeylonenſibus* Waraghalam appellari, ex Catalogô noſtrô Commelinianô diſces. Tomo III.p. 59. Reedius arborem exhibet *Malabarenſibus* Panja, *Bramanibus* ſangori, *Luſitanis* Algodano, *Malaccis* Kapock, *Belgis* Douſboom, ut ipſe monet dictam; quam ex Catalogô noſtrô comperies eandem eſſe, quam *Hermannus* l. c. Goſſipium arboreum Orientale foliis ſalicis digitatis latioribus, *Jo. Rajus in Hiſtoriâ plantarum* Goſſipium Indicum ſalicis foliô fructû quinque capſulari, *Leonhardus Plukenetius in Phytographiâ* Goſſipium ſeu Xylon, arborem Orientalem, ſeu digitatis foliis levibus, fructû quinque capſulari albâ & nitente lanugine farctô, *Caſpar Bauhinus in Pinace* Goſſipium Javanenſe, ſalicis foliô, *Car. Cluſius in Hiſtoriâ Exoticorum & Jo. Bauhinus* in Hiſt. Plant. Univ. lanigeram arborem peregrinam. *Jac. Bontius in Hiſtoriâ Naturali & Medicâ Indiæ Orientalis* arborem lanigeram ſive Goſſampinum Plinii appellitant.

Ibidem, Ann. 1698. *p.* 128.

Rariorum Plantarum Horti Medici Amſtelodamenſis Deſcriptio & icones. Auctore Johanne Commelinô. Opus poſthumum. Amſtelodami apud P. & J. Blaeu & Abr. à Sommern. 1697. *in fol.*

SI quô in totô terrarum Orbe locô Botanices hoc tempore ſtudium floret, in Hollandiâ certè floret quàm maximè. Uti enim celeberrimæ huic provinciæ nunquam excellentia defuerunt ingenia, quibus omne literarum genus excultum promotumque fuit, ità Plantarum imprimis amore accendi in eâ plurimos videas, & amœniſſimæ Arti magis magiſque exornandæ incumbere. Accedit negata aliis gentibus commoditas exoticis quibuſque plantis potiundi, per commercia ab Inclytis Indiæ Orientalis & Occidentalis ſocietatibus per univerſum ferè Orbem propagata. Neque ſumptibus eam in rem impendendis parcunt, qui ad clavum reipublicæ ſedent. Nam & Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores Ampliſſimi Hortum Lugduni Medicum publico uſui inſtruxerunt, de quô noſtris temporibus imprimis *Paulus Hermannus*, Vir in hôc ſtudiorum genere exercitatiſſimus, dum viveret, egregiè meritus eſt, cujus & nos *plantarum horti Medici Lugduno-Batavi Catalogum* in his Actis A. 1687. p. 245. & *Floræ Lugduno-Batavæ Flores* A. 1690. p. 217. recenſuimus: & Amſtelodamenſis Reipublicæ Proceres graviſſimi hortum ſimilem commodò in novâ urbis regione locô adornandum cenſuerunt, curâ ejuſdem tum D. *Johanni Huydecoper*, Equiti, Toparchæ in Marſoveen &c. Conſuli ac Senatorii urbis ampliſſimo, nec non Societatis Indiæ Præfecto, tùm *Johanni Commelino* Senatori itidem ordinis Viro, dùm in vivis eſſet, ſpectatiſſimo, demandatâ. Quorum inſigni induſtriâ, brevi temporis ſpatiô, novus hortus tantâ exoticarum imprimis rariſſimarum que, nec ante in Europâ ſpectatarum plantarum copiâ fuit inſtructus, ut hoc tempore non ſine admiratione perluſtrari à Botanophilis queat. Cui rei vel præſens hic, quem ſiſtimus, Catalogus ſelectiorum centum & duodecim Plantarum documento eſſe poteſt, iſque Belgico-Latinus, à Johanne *Commelino* nimirùm patriô ſermone compoſitus, inque Latinum à *Fridericô Ruyſchiô* Botanices Profeſſore clariſſimô & *Franciſco Kiggelario* converſus, notiſque illuſtratus. In quô non ſolùm plantæ ſingulæ accuratè deſcribuntur cujuſque ferè natali ſolo, radice, pediculis, foliis, caule, floribus, ſeminibus, tempore quô floret, viribus, ſapore, uſû, culturâ, & propagatione deſignatis, ſed & nitidiſſimis iconibus ad vivum ità delineantur, ùt, qui in lectionem libri inciderit harum rerum cupidus, in hortô ipsô ſpatiari, rariſſimaſque nec niſi è regionibus aliô ſub Sole calentibus in Hollandiam advectas plantas, maximâ cum oculorum animique delectatione, coràm intueri ſibi videri queat.

COMMELINUS (*Caſparus*,)

De eô extant

Præludia Anatomica. Lugduni Batav. 1703. in 4.

Præludia Botanica cum figuris. Ibidem 1703. apud Haaring. & 1715. apud Duvivier.

COMMINTIUS (*Andreas*,)

Ex eô habetur

De Acidulis Schwalbacenſibus, Epiſtola. Extat cum reſponſis Medicis, quæ Helvicus Dietericus edidit. Francof. apud Matthæum Merianum, 1631. in 4. pag. 76.

CONCILIATOR, vid. *Abano.*

CONCOREGIO (*Johannes de*,) Natus Mediolani; inque Collegium Medicum patriæ receptus: primùm Bononiæ, deinde etiam in aliis Italiæ Academiis, & tandem Ticini Medicinam publicè profeſſus eſt. In hôc munere lectoriô Ticini obiit A. C. 1438.

Ex eô habetur

Praxis nova totiûs ferè Medicinæ: Lucidarium; & Flos florum Medicinæ vulgò nuncupata, quæ quidem quatuor Tractatibus continentur: videlicèt, de Diſpoſitionibus Capitis & Partium ejus, Tract. I. De Diſpoſitionibus cordis, Pectoris, & Partium ejus, Tract. II. De Diſpoſitionibus ſtomachi, Hepatis, ſplenis, & aliorum membrorum naturalium, Tract. III. De Diſpoſitionibus Genitalium membrorum, Teſticulorum, Matricis, & aliorum annexorum, Tract. IV. Summula item de curis Febrium, &c. Venetiis, apud Hæredes Octaviani Scoti, 1515. in fol. & ap. Lucam Anton. Giuntam, 1521. in fol. Extat quoque Mſſ. in Bibliothecâ noſtrâ.

CONDE (*Joh. Baptiſta de*,)

De eô extant

Aphoriſmi, ſeu, Axiomata Hippocratis, ſeptem Libris comprehenſa, versû Heroicô explicata. Bruxellis, apud Joh. Mommartium, 1647. in 12.

CONDEESYANUS (*Hermannus*,)

Ex eô habetur

Harmoniæ imperſcrutabilis Chimico-Philoſophicæ, ſive Philoſophorum antiquorum conſentientium, hactenùs quidem plurimùm deſideratorum, ſed nondùm in lucem emiſſorum Decas prima. Francof. apud Conr. Eifridum, 1625. in 8.

CONFALONERIUS (*Joh. Baptiſta*,) Veronenſis Philoſophus & Medicus, conſummatiſſimus. Vixit circa A. C. 1535. Juſtus in Chronol. Medicorum.

De

De eô extat

De vini naturâ, ejuſque alendi ac medendi facultate abſolutiſſima diſquiſitio. Venetiis, ap. Petrum de Nicolinis da Sabio, 1535. in 8. Baſileæ, apud Joh. Bebelium, 1535. in 8.

CONFLENTIA (*Panthaleon de*,)

Ex eô habentur

Pilularium Summa Lacticiniorum completa. Cautelæ Medicorum non inutiles, Gabrielis Zerbi, *Veronenſis*. Lugd. ap. Anton. Blanchard. 1525. in 4. Papiæ, 1508. in fol.

CONFORTUS (*Hieronymus*,) Brixienſis.

De eô extat

Libellus de vinô mordaci. Brixiæ, apud Thomam Bozolam, 1570. in 4.

CONINGIUS (*Antimus*,) vel, ut verum nomen ſonat, Honoratus Fabri.

De eô extat

Pulvis Peruvianus Febrifugus Vindicatus. Romæ, 1655. in 8.

Idem depulſus à Philippô Protimô Lovan. 8.

CONNOR (*Bernhardus*,)

Ex eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1696. pag. 554.

Diſſertationes Medico-Phyſicæ, de Antris lethiferis, de Montis Veſuvii incendio, de ſtupendo Oſſium Coalitû, de Immani Hypogaſtrii Sarcomate Authore Bernhardô Connor, M. D. Seren. Polon. Regis Medicô, è Regiâ Cameræ Pariſienſis Societate. Oxonii, apud Henr. Clements, A. 1695. in 8.

QUamvis hactenùs, quidquid vaſtiſſimô ſuô ſinû rerum mater Natura complexa eſt, ingenium hominum atque ſolertia ſtudioſiſſimè exquiſiverit; infinita tamen adhuc eſſe quæ cognoſcere humanus animus poſſit, Auctor nobiliſſimus non dubitavit. Occaſionem igitur iter faciendô opportunam nactus indagandi Naturam, ſtudiô quantô potuit maximô in cauſas rerum inquiſivit, & quatuor diſſertationibus Medico-Phyſicis illa, quæ obſervatû digna videbantur, publici juris facere, orbique erudito exponere voluit. Ordinem ab auctore inſtitutum in recenſû earundem ſervabimus. Primam Diſſertationem quæ agit de Antris lethiferis, articulis abſolvit undecim. Art. 1. terram univerſam nitidè corpori humano comparans, meatus ſubterraneos ac cavernas à vaporibus produci ſuſpicatur, qui ex conſtipatis ab hyemali gelû telluris ſpiraculis deorſum reverberati, terræ motus atque eruptiones cauſentur: non aliter, ac miaſmata corporis noſtri, poris à frigore conſtrictis præcluſa, inordinatos procreant tumultus. Has verò cryptas latente halitû veneficô ſæpiùs ſcatere, qui animalia faceſque accenſas extinguat, ſpiſſum item malignumque emittere fumum, qui lethalis ſit, negare non audet: interim perſuaſum habet, eſſe quaſdam, quæ, licèt nulla virulentæ auræ ſuſpicio adſit, mortem animantibus inferant; quarum effectum ex denegatô aëre elaſticô, hoc eſt, materia reſpirationi conveniente ut in antliâ pneumaticâ conſpicimus, produci veriſimile credit. Art. 2. ſpecificam virulentorum miaſmatum naturam inveſtigans, ſola mineralia, præcipuèque illa, quæ ſalina, aut ſale acerrimô impregnata ſunt, (quicquid alii de mercurialibus & antimonialibus ſentiant) exiſtimat lethiferis aërem inquinare particulis poſſe. Illa verò fixa aut volatilia angulis ſolidis aut acutis ſanguinem præter modum coagulare vel diſſolvere arbitratur. Hinc pro majori minorivè eorum copiâ, mortem ſubitò vel paulatim animalibus inferri, ſtupendis comprobat exemplis, quæ inter primarium eſt, quod Pariſiis contigit. Foſſores, theſaurum in cellâ vinariâ detegere cupientes, extinctos, inque ſitû naturali repertos fuiſſe narrat, ex vapore ſubtiliſſimô, accedente frigore, id accidiſſe credens. His tandem, ſi nondum mortem obierint, remedia convenientia adjungit. Art. 3. ſcrobes Charoneas, quæ ſpiſſam continuò eructant nubem, examinat, illaſque non tam veneno, quàm craſſitie effluviorum animalia è medio tollere faceſque extinguere, ſibi perſuadet; ſtatim enim ac liberiori exponantur aëri, ſponte reviviſcere conſpexit, quod poruli Veſicularum in pulmonibus, qui à vaporoſo aëre obſtructi fuêre, aperiantur, liberumque aëri, concedant ingreſſum. Nec obſtare ait, quod aliæ cryptæ ſubterraneæ, licèt vapore ſpiſſô gaudeant, nihil afferant damni; cùm experientia doceat, in his ſemper vel auram tenuem, ut in Cumanæ Sibyllæ antrô, vel ventum haud exiguum, ut in Cracovienſibus ſalifodinis perſenſit, denſum fumum detergere. In his denique ſi qui in deliquium animi incidant, eos idoneis ſolatur remediis. Art. 4. examinatis cavernis, quæ aut virulenta materia aut fumô craſſiori necant, aliam producit cryptam, quæ Canicidio celebris, Italis *la Grote del cane* dicitur, quam aliô planè modô lethalem credit. Hanc in fundô ſubvirideſcentis, in ſuperiori verò regione nativi terræ coloris ſe vidiſſe, modicumque calorem inibi ſenſiſſe teſtatur, figuram cryptæ ipſam, ut eò clariùs res pateat, adjiciens; ubi feralis Cavernæ facies & ingreſſus, altitudo ſpatii lethiferi & virideſcentis muri coloris; æther ſubtiliſſimus & inſenſibilis, in horizontali lineâ à totô antri ambitû in cavitatem ejuſdem ingrediens. Regio cryptæ ſuperior, in quâ animantia vitâ fruuntur. Art. 5. experimentum vulgare cum cane, qui cavernæ immiſſus, in convulſivos motus & ſpaſmos incidit ore hiante, paulò poſt in lacum, Agnanum dictum, rejectus ſibi reſtituitur, exponit. Art. 6. ſua quoque, quæ ipſe fecit, commemorat experimenta. Columbam nempè in antri areâ detinuit, quæ languens ferèque mortua, vitam aëri expoſita recuperavit, è manibuſque evolavit; idem iterùm iterùmque alia columba caneque expertus fuit. Aërem denique exploraturus inferiorem, bilance ſumta, unum illiûs brachium, contortis in nodum ſtaminibus, brevius reddidit, poſitumque in æquilibriô cum longiori, quod inferiori immiſit aëri vix ad ſenſum mutatum fuiſſe deprehendit. Art. 7. varias circa mortiferam foveæ hujus virtutem enarrat auctorum opiniones, omnibus ferè venenoſum halitum defendentibus, aliis tamen alkalinam, aliis acidam potiùs naturam ipſi tribuentibus. Art. 8. nihil verò veneni hâc in cryptâ quempiam ſuſpicari poſſe, evincere conatur, quòd columbæ intra cavernam mortuæ ſanguinem in ſolitô fluore retinuerint, & in alimentum à cuſtode cryptæ hujus ſumptæ fuerint. Cæteras Autoris rationes adducere ſuperſedemus. Art. 9. in eam abit ſententiam ut ſtatuat, æthereum quendam & tenuiſſimum ſpiritum, aëre communi longè ſubtiliorem, ſubire hujus foveæ regionem lethiferam qui rapidô motû ſuô vivificum removere aërem, animaliaque, ac faces extinguere poſſit, idque experimentô, ſi aër elaſticus in antliâ pneumaticâ extractus fuerit, fuſius declarat. Hujus tamen auræ originem non perpendiculariter

riter è terrâ eſſe, ſed in lineâ horizontali è margine viridescentis parietis ad oppoſitum determinari, unde torrens æthereus parietibus reſpondens naſcatur, perſuaſum habet. Latere verò diſperſum quoddam ſeminium minerale vel marcaſitam metallicam, cujus beneficiô ingreſſum egreſſumque æther liberum inveniat, haud ambigit. Modum circulationis à parietibus ad centrum, & vice verſâ à centrô ad parietes perenni motû fieri, veriſimile ipſi eſt. Art. 10. perſuadet tandem ſibi, perire animantia in hâc cavernâ, quòd aër elaſticus ſive craſſior deficiat, h. e. quòd innatans aëri ſal, nitroſam indolem æmulans, ſanguinem reducem ex venis craſſeſcentemque novô fermentaceô ſtimulô non rarefaciat. Quod ad flammam attinet, extingui eam putat, quòd nulla ſit aëris gravitas, quæ comprimat particulas igneas cogatque, (ut conica teſtatur figura,) in ſe invicem. Nam licèt aër non abſolutè neceſſarius videatur ad flammam eliciendam, (ut pulvis pyrius docet, cujus granula diſſeminata, extractô aëre craſſiori in antliâ pneumaticâ in flammam & auram fumoſam abeunt) requiritur tamen, ut flamma aliunde generata diu conſervetur. Nitrum aëreum, quod Majow aliique ſtrenuè defendunt, ejuſque defectû interire animalia credunt, rejicit, quòd omnes præparationes nitri, quomodocunque cum ſanguine mixtæ fuerint, ipſum coagulent, hincque inſpiratæ ejus particulæ motum ſanguinis retardare neceſſum habeant. Art. 11. de locis ſubterraneis ſive fodinis diſſerit, in quibus artifices quidem liberè reſpirant, paulò poſt verò in varios prolabuntur morbos. Id quòd inde fieri credit, quòd pulmonum veſiculæ arenulis vel aliâ ſpiſſâ materiâ infarciantur, aut quod ſanguis acrimoniam acquiſiverit. His generalem adjicit curam.

Secundam aggredimur Diſſertationem, cujus titulus eſt Mons Veſuvius, & noviſſimum ipſius incendium, quod contigit A. 1694. Ad ſummum montis Veſuvii faſtigium, circa Idus Decembris A. 1693. maximô cum labore per inſtabiles, atque arenoſos cineres, Auctor aſcendit anhelus lapideæque naturæ materiam, ferreis præprimis particulis gravidam, è barathrô ejus tum temporis ejectam deprehendit: quare incendia hæc à ferrô, ſulphure & nitrô forſitan excitari opinatur. Eructantem verò peculiare quid Veſuvium A. 1694. (Romæ tum erat) examinat diligentiùs, recenſetque, montem per triduum diû noctûque ardentiſſimas flammas ſpiſſaſque fumi nubes evomuiſſe, quartô ſtrepitû conflagraſſe minori; quintô igneum liquefacti metalli flumen ex apice ad mare devolviſſe, quòd juſsû Proregis fovea exceptum fuerit. Hunc torrentem mineralem ad diſtantiam uniûs milliaris in materiam ſolidam concreviſſe. Superius ſtratum levius, materiam verò fundum tenentem longè graviorem ſplendidioremque ad metalli naturam propius acceſſiſſe. Maſſam igitur hanc malleô percuſſam in pulverem abiiſſe videns, non uniûs eſſe ſubſtantiæ, imò nitrô & antimoniô abundare conjecit: confirmatuſque experimentô, factô à D. *Scaly* Anglô (qui materiam liquefactam in vaſculum efformavit, cui vinum rubrum infuſum famulo propinavit, quô ſumtô ille bis evomuit) concludit, emeticum vinum regulinis antimonii particulis rigidiſque nitri cuſpidibus fuiſſe aculeatum. Denique è terræ viſceribus nova quotidie generari mixta, ex hôc Veſuvii phœnomenô evincere conatur contra illos, qui omnia mineralia à creatô mundô fuiſſe ſtatuunt.

Tertiæ diſſertationi conſcribendæ de ſtupendô oſſium coalitû anſam dedit ſceleton humanum, quod Pariſiis apud D. Molalli videre ipſi licuit, cujus oſſa omnia in unum combinata erant. Deſcriptio cadaveris hæc eſt: oſſa omnia trunci humani, qui ex vertebris dorſi & lumborum, coſtis, oſſibus ſacro & innominatis alias compoſitus eſt, intimè unita nonniſi unicum monſtrarunt corpus figuræ ſemicircularis. Coſtarum extrema, quæ ſterno adhærent, deorſum ad hypogaſtrii regionem inclinarunt, oſque ilium attigerunt. In Campania truncus repertus fuiſſe dicebatur. Sententiis aliorum, qui ab acidô, ſale, aquis petrificantibus, ſpiritû oſſificô &c. hanc oſſium cohærentiam deducebant, rejectis, ſuam hâc de re declarat mentem. Curvaturæ verò primùm originem indagat, à quâ hôc oſſificium fuiſſe oſtendit. Explicatâ itàque formatione fœtûs naturali, præter naturam, ſi fortè ab ambientibus partibus in unâ ſui parte embryo comprimatur magis quàm alia, truncum in figuram curvam determinari, veriſimile credit. Incurvatô hunc in modum truncô, coſtas neceſſariò ad os ilii & pubis accedere, neminem latet, quî modò pectus cum capite ad genua flectere velit. Ex hâc compreſſione non potuit non ex mente Auctoris impediri ſanguinis & humorum inter fibras coarctatas circulatio, quæ ſiccæ in oſſeam neceſſariò abeunt ſubſtantiam. Coſtarum cartilagines & ligamenta facilè indurari potuiſſe ſuſpicatur, quòd fœtus in uterô non reſpiret. Majoris difficultatis fuiſſe putat, quomodo talis homo natus vivere diu ac reſpirare potuerit, cùm pectus propter continuationem coſtarum cùm vertebris minùs commodè dilatare potuiſſet. Verùm paſſionibus hyſtericis atque apoplexiâ correptos cenſet ſatis teſtari, haud magnam abdominis dilatationem requiri, ut ſufficiens ingrediatur aër. Ad hæc coſtæ ſternum verſus, quarum cartilagines non erant oſſificatæ, motum ſuum retinebant. Accedit, quod ſanguinem alimentô auctum per foramen ovale & canalem arterioſum, ſtructurâ trunci idem ſatis urgente, curſum ſervâſſe ſuum, nullum ſit dubium.

Quarta ſe denique offert Diſſertatio, quam de immani uteri ſarcomate conſcripſit: Materiam ſuggeſſit vidua quinquaginta circiter & ſeptem annorum, quæ, cùm ejus hypogaſtrium maritus ebrius pede percuſſiſſet, ſuppreſſis hinc menſibus, ſucceſsû temporis in tumorem horrendæ molis incidit, quem viginti quinque annos ſuſtinuit. Mortuam aperuit Auctor clariſſimus, obſervavitque aquæ ſubſalſæ & ſubrubicundæ paulùm exiiſſe ex abdomine, uterum peritonæô adnexum fuiſſe, vaſa hypogaſtrica præter modum tumida, venam cavam inteſtini craſſi inſtar ampliatam extitiſſe, nervoſque uteri externam ipſius ſuperficiem circumdediſſe; in cujus cavitate carneam molem conſpexit, quæ præter modum in ſiniſtrâ parte extenſa, ovarium deſtruxit. Cultellô anatomicô porrò explorans uterum, glanduloſam hujus membranam detegere non potuit; quare glandulas in hanc ſurrexiſſe molem tot annorum ſpatio ſuſpicatur, confirmatus in eo ex conſpectâ inſertione vaſorum uteri ſanguineorum in maſſæ centrum.

Ibidem, annô 1698. *p.* 355.

Evangelium Medici, ſeu Medicina Myſtica, de ſuſpenſis Naturæ legibus, ſive de miraculis reliquiſque ἐν τοῖς βιβλίοις memoratis, quæ Medicæ indagini ſubjici poſſunt. Auctore Bernardô Connor, M. D. è Regiâ ſocietate Londinenſi, necnon è Regali Medicorum Londinen-

dinenſium Collegiô. Londini, apud Samuelem Briſcœ, 1697. 8.

Cum multi ſint, qui in dubium vocant, commemorata in ſacris literis miracula, hâc potiſſimùm ratione moti, quòd mente concipere non poſſint modum, quô illa fuerint producta, hos ut refelleret doctiſſimus Auctor, in librô præſenti demonſtrare ſuſcepit, non magis arduum eſſe conceptû, quomodò infinita Numinis potentia miracula, in homine præcipuè, operetur, quàm quô repetit in dies neglecta naturæ phœnomena. Hunc ergò in finem primum de ſtatû corporis præſertim organici ſecundùm naturam agit, tres ſtatuens hominis partes, ſpiritum nempè ſeu ſubſtantiam cogitantem, corpus, h. e. partium ſolidarum ſeriem & fabricam, & animam ſeu fluida corporis; harumque poſteriorum partium œconomiam & uſum breviter explicat. Hinc ad ſtatum corporis humani præter naturam pergit, qui in depravatâ aut perturbatâ partium ſolidarum & fluidarum diſpoſitione conſiſtit, qua omnia vel aliqua corporis ſeorſim aut animi, vel utriûſque ſimùl munia læduntur, aut quædam abolentur, & de morbis nonnulla commentatur. Tandem ad ſtatum corporis humani ſupra naturam tranſit, inculcans ſupremum rerum opificem qui ſolus ſit unica & immediata effectuum omnium cauſa, etiamſi per motus leges, quas ipſe ſancivit, omnes naturæ effectus ut plurimùm hactenus produxerit, poſſe tamen pro arbitriô vel eaſdem leges abolere penitùs vel ſuſpendere aliquandiù, prout ipſi libitum fuerit, & ſuſpenſis illis legibus diverſos effectus vel novos creare. Cûm enim motus ſit effectuum omnium unica cauſa, ipſeque unicè & immediatè à Deô ſolô procedat, adeòque materia, ejuſque figura & moles, quæ vulgò naturales ſeu ſecundæ cauſæ dicuntur, veræ cauſæ non ſint, ſed tantùm paſſiva quædam, apta tamen inſtrumenta & occaſiones, quæ ſummum opificem ad producendos, ſecundum leges à ſe latas, effectus determinant: manifeſtum eſſe putat, immenſam Dei potentiam, etiam ſine ullâ motûs lege & naturæ auxiliô, varia in corporibus admiranda efficere. Quoniam autem tres præcipuæ ſunt motûs leges, nimirùm (1.) corpus quod movetur, ab aliô movetur; (2. Corpus in motû poſitum obviis corporibus, ſi molis non ſint ingentis, motum communicat. (3) Corpus in motû poſitum in motu ſemper conſiſtit, donec motum alteri corpori communicaverit; Authore judice, hæ leges ità ſuſpendi poſſunt, ut (1) Deus moveat corpus, ſine occaſione alterius corporis irruentis; (2) datâ corporis irruentis occaſione, Deus non moveat impulſum corpus; (3) Deus corpus in motû poſitum ſubitò ſiſtat, non communicatô eôdem alteri corpori. Primæ autem legis ſuſpenſione factâ, cùm corpus tripliciter moveri poſſit à Deô, ût ſcilicèt vel motû totiûs uniformi & cum totâ ſuâ mole moveatur, vel ſingulæ minutiſſimæ ejuſdem particulæ non tantùm communi totiûs, ſed etiam propriô motu agitentur; vel ſingulæ exiliſſimæ particulæ non tantùm moveantur, ſed etiam figuras deponant & novas recipiant: Juxta primum ex his modis planè concipi poſſe cenſet experientiſſimus Auctor, quomodo aſpectabilis hæc mundi materia in tam diverſas partes, in tam miras formas diſpoſita ſit & coagmentata; quomodò rurſus in priſtinum ſuum chaos reduci poſſit; quomodô corpora ſine naturali impellente per aërem ferri, maria removeri, necnon aquæ abyſſi ſuprà terræ ſuperficiem evehi & terram inundare poſſint; juxta ſecundum autem movendi modum, quâ rationè homo, ex motûs inteſtini in fluidis corporis defectû mortuus, reſtauratô principiorum ſanguinis motû, ad vitam revocari; quomodo materia morbida in totô ſanguine vel aliquâ corporis parte latitans ſubitô auferri, vel intùs corrigi poſſit, ut cœci videant, ſurdi audiant, muti loquantur &c. contra verò nervorum canaliculi alienâ materiâ infarciri & obturari, ut homines ſurdi, muti, cœci evadant, imò tota ſanguinis maſſa corrumpi & inquinari, latentes morborum fomites ſuſcitando, & novas figuras iiſdem imprimendo, ut homines peſte, leprâ, aliiſque morbis corripiantur; juxtà tertium denique illorum modorum, quomodo (cùm corpora inter ſe non diſcrepent, niſi quoad molem, texturam, figuram, & proportionem molecularum, ex quibus conſtant) aqua in vinum aut ſanguinem, corpuſque humanum in ſalem poſſint commutari. Porrò ſi ſecundam motûs legem ſuſpenſam ponamus, poterit corpus humanum famelicis ſævientium belluarum rictibus expoſitum illæſum perſiſtere, & vitâ frui ceti ventriculô concluſum; poterit rubus coacervatis in verticem flammis non comburi; poterit homo fieri immortalis & in æternum vivere ſine alimentis, dum principiorum attritio & tranſpiratio præpeditur, ut nullum eorum fiat diſpendium. Tertiâ denique lege ſuſpenſâ, poterit flumen ad mare properans in curſû ſiſti, Solis motus inhiberi, ſingularum, ex quibus fluida conſtant, particularum motus inteſtinus coërceri, ut ex fluidô fiat ſolidum corpus, & mare in parietes hinc inde diviſum ſolideſcat, poſſitque humanum corpus aquæ aut aëri inambulare.

Quibus generatim explicatis, ſpecialia quædam miracula declarare aggreditur Auctor, qualia ſunt corporis humani ortus miraculoſus ejuſdemque reſurrectio. De his ità differit, ut primò recenſeat modum, quô generationis opus, ſecundùm ſtatutas naturæ leges, perficitur. Cùm autem generatio aliud nihil ſit, quàm ſtaminum in ſemine ſeu ovô muliebri contentorum debita expanſio & rarefactio, à fermentô maris prolificô facta, idque cauſa tantùm ſit occaſionalis hujus motûs à Deô producti, hinc efficit, Deum ſine ullô fermenti virilis appulsû aut miſcelâ, ſtamina, quæ ipſe jam dudum ſolus in debitam ſeriem & ordinem diſpoſuit, expandere & ità diſponere poſſe, ut ovulum in uterum virgineum delapſum incrementa ſumat, & in embryonem fœtumque paulatim turgeſcat. Nec difficiliùs explicatû cenſet quòd Deus, eâdem lege motûs ſuſpensâ, hominem ex informi glebâ ſeu certâ terræ, ſalis & aquæ ſulphuriſque portione condiderit, cordique & fluidis partibus impreſſerit motum, aut ex coſtâ viri fœminam formârit, ità ut vel paucæ virilis coſtæ materiæ, tanquam ſtabili baſi, nova ſuperaddita ſit materia, ut fœminæ ſtatura viri ſtaturæ pro generandâ prole reſponderit, vel fœmina primùm cum puſillô formata corpore, ex aſſumtis in dies alimentis ad debitam muliebris corporis magnitudinem, puellarum more, paulatim adoleverit. Quod ad reſurrectionem corporum demortuorum attinet, vel illorum partes ſolidæ adhùc integræ ſunt, vel in minimas moleculas hinc inde diſperſas reſolutæ. In priori caſû Auctor facilè concipi poſſe cenſet, quod reſuſcitari poſſint corpora, ſi ſuſpensâ lege motûs primâ, ceſſans fluidorum motus reſtauretur, vel effuſus ſanguis venis reſtituatur: in poſteriori autem ità requirit ſuſpenſionem legis motûs primæ, ut Deus colligat non ſolùm particulas, quot-

quotquot ad idem corpus conſtituendum ſufficiunt, ſed eaſdem quoque illis figuras imprimat, aptèque diſponat; ſi vel maximè ponamus, eaſdem à ſe invicem longiſſimè eſſe diſſitas, & poſt tot annorum orbes, figuras & naturam ſuam ſæpiùs depoſuiſſe, ut v. g. quod corpuſculum olim ſulphur fuit, nùnc fortaſsè ſalis naturam induerit, & quod terræ quondam, nunc aqueæ ſit indolis. Ut enim idem corpus reſuſcitetur, neceſſarium eſſe judicat, ùt non ſolùm adſit una eademque num. materia & una eademque terræ, aquæ ſalis & ſulphuris proportio, ſed etiam partes illæ eundem ſervent ſitum quem anteà habuerunt, prætereàque ut partes quæ nùnc ſunt ſulphureæ, aqueæ & terreæ eædē ſint olim fuerunt ſalinæ, quæ ſulphureæ, aqueæ & terreæ; neque tamen opus eſſe cenſet, ut tota eadem materiæ moles & quantitas, & idem elementarium particularum numerus, iterùm ſibi aptetur & reſurgat, cùm ut aliquod idem ſit corpus organicum, non neceſſe ſit, ut habeat eaſdem omninò dimenſiones, aut molem, aut pondus, ſed ut habeat eandem materiam cum eâdem organorum fabricâ, ſitû & numerô. Ex quibus porrò colligit, corpora hominum non reſurrectura cum tota illâ materiâ, cum quâ moriuntur, nec cum tricenarii hominis ſtaturâ, ſed cum eôdem corpore & cum eâdem materiæ quantitate, cum quâ primò nata ſunt, imò forſan cum quâ in uterô generata ſunt, dum illis ſpiritus cogitans conjungebatur, ità ut omnes homines futuri ſint ejuſdem magnitudinis. Credibile quoque exiſtimat, corpus noſtrum reſurrecturum cum iis duntaxat partibus, quæ ad vitam conſtituendam & conſervandam omninò neceſſariæ ſunt, cariturum autem organis, quæ præparando chylô & ſecernendis à ſanguine humoribus vel etiam reſpirationi ſunt deſtinata, cùm nullum olim futurum ſit ſpirituum aut ſanguinis diſpendium, neque partium ſolidarum à ſanguine nutritio, ſed una eademque, quæ renata eſt, ſanguinis ſpirituum & partium ſolidarum quantitas incorrupta ſemper, juxta ſecundæ legis motûs ſuſpenſionem, perduratura; ità ut corpus redivivum non ſolùm tota poſt ortum advena materia, ſed etiam ab omnibus fœculentis partibus expurgatum, & ſuperfluis organis tanquam exuviis ſpoliatum, ad minimam molem reducat & volumen, nec tamen deſinat eſſe totum & integrum corpus humanum, quia omnibus partibus in hôc ſtatû ad vitam neceſſariis conſtat. Unde concludit fore ùt homines qui cum naturali ſeu ponderoſô & craſſiori corpore olim obierunt, cum ſpirituali quodam microſomate ſeu puſillô corpuſculô, paſſerum forſan, imò fortaſſis & muſcarum inſtar, leves maximè, agiles, & ſummè mobiles renaſcantur. Porrò Auctor, an multiplex eſſe poſſit corporis humani præſentia, diſquirit affirmans, quamvis omnia argumenta quæ hactenùs allata ſunt, ut multiplex corporis noſtri pręſentia probetur, non tantum rationi, ſed etiam corporis cujuſvis præcipuè organici, naturæ & ſtructuræ penitus repugnent, ſe tamen poſt diuturnum per devias naturæ ſalebras ſcrutinium dùm fortè de exilibus embryonis ſtaminibus & de diverſis nutritionis gradibus cogitaret, clarè tandem & perſpicuè concepiſſe, quod ſuum vel Theobaldi corpus, operante Numinis potentiâ, novô quôdam ſed unicô tantùm modô, & in peculiari quôdam ſenſu, ità verè multiplicari poſſit, ut integrum & vivum poſſit eſſe in plurimis diſſitiſſimiſque locis, in eôdem temporis momentô, non tamen cum ſolitâ magnitudine: concipere autem haud potuiſſe, hominem totum, ſeu corpus ejus cum animâ, poſſe eſſe duobus in locis ſimul, in eôdem inſtanti; neque tutum tamen aliis, nec ſibi congruum viſum fuiſſe, enodatum hocce problema promulgare, quod quidam ex amicis veriti fuerint, id novis inter literatos litibus, bellis inteſtinis & neſcio, quibus tumultuoſis erroribus, originem daturum; cæterùm cùm non in humanô ſolùm corpore, ſed etiam animâ rationali miracula producta legantur, hæc quoque illuſtraturus Auctor primùm agit de ſtatû animæ ſecundum naturam, queſtus animam deſcribi ſatis non poſſe, cùm non planè ſciatur, quid ſpiritus ſit, & fortaſſis anima conſtet ex ſui generis materiâ, ſubtilitate, agilitate, & pluribus aliis proprietatibus ætherem longè ſuperante. Deinde exponit, quis uſus ſit animæ humanæ in corpore, quem, cùm anima non ſit cauſa motuum vitalium, in eô reponit, ut ſenſus ſit Auctor & liberi motûs arbiter, hoc eſt, ut ideas habeat & conceptus de ſuô corpore & de omnibus circumſtantibus, tam nocivis quàm ſalubribus corporibus, corpuſque in motum agat, ut noxia corpora fugiat & proficua complectatur, corpuſque adeò noſtrum juxta rationis normam gubernet & conſervet. Quomodo autem anima & corpus in ſe mutuò agant, id quidem fatetur Auctor nullis poſſe mechanicis legibus explicari, ſed ad Deum omninò confugiendum eſſe; qui dum illas diverſæ naturæ ſubſtantias connubiô quôdam aſſociavit, leges quaſdam & quaſi pacta conventa inter utramque ſtatuerit, quarum prima ſit, quod juxta peculiares in humanô corpore motus peculiares in animô excitari debeant ideæ; altera quod ſecundum diverſas animæ cogitationes & affectus, peculiares in corpore motus debeant produci. Quibus legibus ſuſpenſis à Deô, exoriatur animæ ſtatus ſuprà naturam, ùt (1) anima poſſit cogitare, ſine ullâ factâ in organis ſenſuum impreſſione; (2) hâc factâ, anima poſſit non cogitare; atque adeò prioris legis ſuſpenſione factâ, homo quivis ſine ullô ſtudiô, ſine ullis præceptis, ſine ullô prorsùs animi labore poſſit, quæ ante multa ſecula evenerunt, certò dijudicare, quæ poſt multa ſecula futura ſunt, certô vaticiniô prædicere, & aliis ſub aptis diverſorum ſonorum & linguarum vocabulis exponere, latentemque ſomniorum, aliarumque myſticarum rerum ſenſum cœcô caliginis velô tectum explicare, & in apertam lucem proferre: quoad ſecundæ tandem legis ſuſpenſionem, poſſit homo, etſi toto corpore ſanus ſit, & nullô ſomnô, veternô, aut apoplexiâ correptus, in clarô meridie adſtantes homines, aut aliud quoddam obvium corpus, apertis oculis non videre. Quæ quidem omnia maturô Auctor eruditorum judiciô emendanda ſubjicit, necnon probis & ſagacibus rerum ſacrarum præconibus fidei myſteriis, patefactô jam itinere, applicanda relinquit. Nos verò exponere hæc more noſtrô voluimus, i. e. hiſtoricè, cenſura Lectoribus relicta; quibus nùm ea, quæ paradoxa in iis ſunt, omni ex parte ſe ſint probatura, non ſine cauſâ fortè dubitamus. Subnexæ huic librô ſunt duæ Auctoris Epiſtolæ, in quarum primâ ad nobilem virum D. *Eduardum Sutwell* S. R. ſocium ſcripta, ſuam de ſecretione animali ſententiam dicit, rejectiſque aliorum hypotheſibus, affirmat, veram rationem, cùr bilis v. g. in hepate ſecernatur, non eſſe, quod ſimilis ſit pori & humoris figura, ſed quia integrantes ſucci bilioſi partes ſeu moleculæ, ex peculiari ſuorum elementorum proportione, atque ex conſimili texturâ & figurâ, ſibi ipſis faciliùs uniri poſſunt, quam moleculis lymphæ, urinæ, aut alteriùs liquoris ac proinde bilis per glanduloſos acinos, quoniam per ipſos primò poſt fœtûs conceptionem in uterô filtrari cœpit, ad vitæ terminum cribrari non deſinit; perinde ut per chartam bibulam oleô imbutam, ſi eidem aqua cum oleô commixta affundatur, oleum tantùm, non aqua, tranſmittitur. In alterâ Epiſtolâ ad literatum quendam Cantabrigienſem datâ, ſciagraphia exhibetur œconomiæ animalis, demonſtratæ Oxonii primùm A. 1695. deinde Londini, & tandem Cantabrigiæ, A. 1696.

CONRADI (*Caſparus*,) Vratiſlavienſis.

Ex eô habetur

De Vertigine, Diſputatio. Extat Decade III. Diſputationum quas collegit & edidit Baſileæ, Joh. Jac. Genathius, 1620. in 4.

CONRADINUS (*Balthaſar*,) Suvacenſis.

De eô extat

Spicilegium Botanicum. Lucæ, apud Franciſcum Mareſcandolum, 1654. in 4.

CONRADUS.

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1684. p. 325.

Deſcription Curieuſe d'une Fontaine ardente & Medicinale en Pologne

id eſt:

Deſcriptio Curioſa Fontis cujuſdam inflammabilis & Medicinalis, in Poloniâ ſuperioribus annis reperti, juſſu Regis Polonorum Sereniſſimi per Dominum Conradum Reginæ Archiatrum ad Dominum Dionyſium Lutetiam Pariſiorum tranſmiſſa.

INter plura Fontium phœnomena, nos in ſui admirationem rapientia, flamma meritò refertur, quam illorum nonnulli exerunt, & à quâ *Ardentium* nomen acceperunt: qualis eſt Jovis Dodonei Fons in Epirô, quem præter *Plin. Hiſt. nat. L. 2. C. 103. Lucretius de Rer. Natur. L. 6.* canit:

Frigidus eſt etiam fons ſupra quem ſita ſæpe.
Stupa jacit flammas concepto protinus igni,
Tædaque conſimili ratione accenſa per undas
Collucet &c.

qualemque illum in Galliæ Delphinatû, prope Gratianopolin, noctû & ſub nubilô flammigerum, ideò *la Fontaine qui brule* dictum, novimus. Aſt hunc portentum ſeu phœnomenon ſi non majus, certè par ſpeculationi tuæ, L. B. concedimus, cui tamen ſimile in Angliæ provinciâ, Lanchashire dicta, obſervatum, Tranſact. Angl. Philos. 26. perhibet.

Sc. in Poloniæ minoris Palatinatu Cracovienſi mons reperitur, *Admirabilis* appellatus, herbis & floribus aromaticis ac odoriferis pariter ac quercubus annoſis & pinis atque abietibus reſinoſis obſitus, fontibus tam dulcibus quam ſalinis ſcaturiens, diverſæque indolis metallis ac mineralibus fœtus: in cujuſplagæ meridionalis mediô ſcaturigo quædam aquæ limpidiſſimæ cum ſtrepitû ac vibratione notabili exurgit, cujus quidem ebullitio ſeu turgeſcentia cum Lunæ augmentô intenditur, cum decrementô remittit. Limus in fundô fontis ſubſidens, ſcabiei, arthritidi inveteratæ, paralyſi ſimilibuſque pertinacioribus affectibus medelam adferre dicitur. Aquæ odor intra ſcaturiginem fragrantiſſimus & maximè balſamicus obſervatur, ſapore lactis illa æmulatur ſuavitatem & præter vim medicamentoſam, quam diverſi equorum morbi experiuntur, homines quoque modò per alvum, modò per urinam, evacuat, ità tamen, ùt illi, quos non ſtatim commovet, alacritatem nihilominùs & robur ſingulare inde percipiant, hinc ipſius accolæ vix unquam morbi cujuſdam patiantur inſultum, ſed longævi valdè, ut plurimùm ad 100. & 150. annos, evadant. Longius tranſvehi & ſine ullâ corruptione diù ſatis conſervari poteſt; evaporatâ bituminis nigricantis ſpeciem exhibet, ulceribus recentioribus ac vetuſtis valdè ſalutarem. Nullo intra natales hyemis congelaſcit frigore, imò, quod mirabile à face propiùs admota inſtar ſubtiliſſimi ſpiritus vini exardeſcit, ut flamma ſuper aquæ ſuperficiem inſtar bullarum agitetur & ſubſultet, ideòque fons hic *Ignis fatuus* audiat. Atque hic quidem ignis ſponte ſuâ nunquam extinguitur, niſi ſcopis percutiatur; quemadmodum ante annos circiter 35. cùm accolæ accenſum reſtinguere negligerent, per cataractas ſubterraneas ſenſim progrediendo radices arborum, & cum his totam vicinam ſylvam in cineres redegit, per tres ferè annos durans, antequam perfectè ſuffocari poſſet: à quô tempore publicæ etiam excubiæ conſtitutæ ſunt, quæ frivolas ejuſmodi accenſiones impediant. Dum autem aliquantulùm flagrat hæc aqua, multum ſui impetus deponit, intrà 14. dies vix recuperandi. De cæterô quamvis ligna admota brevi comburat hæc flamma, adeò tamen ſubtilis eſt, ut aquam non calefaciat; ſed hauſta hæc, perinde ac Lucretii fons, frigida percipiatur: imò nec ipſa extra ſuam ſcaturiginem exardeſcit, ut ut in vaſis exactiſſimè clauſis aſſervetur. Inflammabilitatem hujus fontis, cunctis ſuperioribus ſeculis ignotam, fulmen manifeſtavit, quod casû eum feriens eundem accendit. Hinc lignatores ex ſylvâ vicinâ accurrentes, virgultis ex cæſis arboribus aquas ſummitatem verberando ignem reſtinxerunt, à quô tempore aliquoties poſtmodum, experimenti causâ, mediante face ardente illa denuò accenſa & virgultorum ſuccuſſione quoque extincta fuit. Unde factum, ut provinciæ illiùs incolæ cœcâ crudelitate ſibi perſuaſerint, fulmen ſeu tonitru à primâ illâ accenſione in profundô fontis remanſiſſe, quod dum egredi conetur, aquam adeò exagitet & flammam hanc ad ejus ſuperficiem erumpere faciat.

Rogatus ergò ſupra nominatus *Dn. Dionyſius*, *Theoriam circa Fontis hujus recenſitas proprietates*, ſequenti ratione exponit.

Sc. quod motui Lunæ motus & agitatio illius reſpondeat, fieri per communicationem, quæ ipſi cum mari, cujus fluxum & refluxum à diverſis Lunæ phaſibus dependere ſupponit, intercedat: quatenùs cataracta ſubterranea mari & fonti huic intermedia ad certam tantùm altitudinem aqua, reliquum ejus verò, ideò quod æquilibrium maris tranſcendat, aëre repleatur. Hinc quando maris circa plenilunium elevatio maxima canalem hunc irruat, adeòque aërem & vapores incluſos verſùs ſcaturiginem urgeat, neceſſariò hanc aquis exuberare: contra, ſi mare Luna decreſcente ſubſideat, aquam marinam cum aëre & vaporibus, in aquam coagulabilibus, recedentem fonti huic multum lymphæ ſubtrahere.

Virtutes medicas à ſulphure copioſiore, tanquam inſigni morborum panacea, quo venæ hujus montis ſcatent, derivat: cujus pariter vapores, particulis aqueis leviores niſû atque tendentia ſua ſtrepitum & ebullitionem hujus fontis, ſimulque ſuaveolentiam præſtent, dum ejus craſſiores moleculæ in limum, qui fundum petit, cœant. Bitumen quod poſt aquæ hujus evaporationem remanet; balſamum quaſi ſulphuris naturale ait, per frequentiorem agitationem ſulphuris & aquæ invicem productum. Inflammabilitatem pariter ſulphuri hujuſque exhalationibus, ex aquâ prorumpentibus, in acceptis refert, ac ideò flammam aquæ ſupernatare, percuſſionibus verò illis cum virgultis factis, extingui & ſuffocari; quatenùs hâc ratione ſpiritus ſeu miaſmata illa ſulphurea aqueis particulis, à quibus recedere conabantur, denuò involvantur; ità quidem, ut his per deflagrationem conſumptis, multùm virium medicarum perdat aqua

aqua eadem. Ideô verò illam, extra ſcaturiginem ſuam tranſportatam, minimè accendi, quòd paucæ ipſi inſint particulæ ſulphureæ, eæque aquis involutæ, & impetû atque impulſû fontis deſtitutæ: quibus nihilominùs præſentibus, aqua intra fontem omnem frigoris rigorem, perinde ac ſpiritus vini potentior, eludat.

CONRADUS (*Iſrael,*)

De eô extat

Diſſertatio Medico-Phyſica de Frigoris Natura & effectibus. Gedani, typis & ſumptibus Monaſterii Olivenſis S. Ord. Ciſt. 1677. in 12.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1709. *p.* 312.

Iſraelis Conradi, Med. Doct. Phyſ. Gedan. Senioris, Cognitio ſui ipſiùs problematica Philoſophico-Medica. Gedani, ſumtibus Autoris, 1708. 8.

Autor ætate & doctrinâ venerandus ex eorum numerô eſt, qui principium movens in homine ſpiritum eſſe, omnis corporeæ naturæ expertem, negant, ità tamen, ut ei præ craſſa materia peculiares perfectiones tribuat. Lucem enim eſſe ſtatuit, quæ ſit *ſubſtantia à Deo creata, finita & ſimul indefinita, ratione noſtri conceptûs ſpirituoſa, ſeu ſpiritus non immaterialis; ſimpliciſſima, inviſibilis, denique ſecundum voluntatem conditoris peculiaribus donis aucta vel augenda, ut ad ſingulas deſtinationes ipſi ſoli notas diverſa genera & ſpecies lucis conſtituere ſit apta.* Lucem verò Deum in principiô rerum præter Solis lucem, & hâc multò puriorem, condidiſſe ſupponit doctiſſimus Autor, cujus conditiones & modi queant eſſe varii, atque ex ejus ordine primô locô vitalis ſpiritus putatur eſſe, vitæ præſes, & qui ſuſtentationis & propagationis negotium in animalibus quibuſque ſine ullô principiô aliô perficiat, non ad ſolas Mechanices regulas, ſed quâ ratiocinandi facultate intrinſecâ eſt præditus, quam magis vel minus in brutis, pro diverſitate horum naturæ præſtantiæ, exerit. Alia autem eſt iterum lucis ſpecies quæ homini eſt propria & intelligendi vi pollet, & ſummi boni capax eſt, quæ dicitur eſſe *ſubſtantia à Deô creata ſpiritualis non immaterialis, luce conſtans, vivens, intelligens, cogitans, ſui conſcia, ratione, perceptione, ſenſu, judiciô, conſiliô, memoriâ, voluntate, prædita, denique & immortalis, in quâ ſola apud hominem imago Dei quæri & inveniri queat.* Hoc problema tam diu conſiſtere debere Cl. autor poſtulat, donec alius quid evidentius & ad principii moventis & intelligentis naturam capiendam aptius in medium adferat. Media autem hæc videtur via eſſe inter ſententias, quarum altera animum aſſerit eſſe ſpiritum immaterialem, cujus nec diſtinctos conceptus ſuppeditare poteſt, nec ſubſiſtendi rationem tradere, aut phœnomenorum nodos ſolvere, altera materiam ſubſtituit craſſiorem quidem, & operationibus mentis perfectionibus imparem. Proniori quidem nexû videntur Noſtro ex ſuâ ſententiâ fluere, quæ ad commercium inter mentem & corpus pertinent, ad quod facere quoque permultum putat ſanguinis ac reliquorum, quæ in corpore ſunt, indolem, nec non, quæ externè accedunt, ut ſunt aer, alimenta, educatio, conſuetudo, valetudo, morbus, & hujus naturæ alia. Abſolvitur verò illa mutua actio inter mentem & organa corporis, per medium vitalem ſpiritum, qui luce animi eſt inferior, & corporis, cui quoque lucis certa & deterior fortè portio tribuitur, lumine præſtantior. Quæ quidem omnia ità proponuntur ab Autore, ut meliora docentem ſequi paratus ſit. Subjiciuntur primæ tractationis parti plura ſcripturæ loca, quæ quôquô modô argumentum explicare poſſunt, in quibus partim literæ ſenſus, partim allegoria locum obtinet. In ſecundâ parte occupatur in exponendâ naturâ corporis, ubi ad tria reſpiciendum eſſe commonet, qualis nimirùm homo ſit in matris uterô, qualis extra eum, & quid poſt obitum illi accidat. Quoad primũ conciliantur illorũ opiniones, qui vel ex ovô, vel ex vermibus hominẽ naſci docent, etenim vermiculi ſeminis ovulis in uterô bombycum inſtar ſe poſſunt includere, quibus operam ſuam confert deinde vitalis ſpiritus ante jam expoſitus, qui & vitam ipſam cùm intra uteri clauſtra, tùm quandô homo in lucem exponitur vitalem, conſtituit, quæ vita, uti & corporis ſanitas conſiſtit in hujus ſpiritus actione & juſta partium formatione, diſpoſitione, proportione, quantitate & debitô ſitû, necnon motû ſanguinis & aliorum fluidorum ac ſolidorum, in quæ vitalis hic ſpiritus virtutem ſuam exercet, qui ità conſtitutus nutritionis etiam, digeſtionis, ſecretionis, excretionis, retentionis & alia munia obit. Functiones animo & corpori communes fiunt beneficiô materiæ lucidæ ſubtilis in canalibus corporis contentæ & ad cerebrum appellentis, cui veſtigia, neſcio quæ, imprimit, cogitatio, imaginatio, ingenium, & quæ hùc ſpectant, ope potiſſimùm cerebri vel juvari, vel impediri poſſunt, quamvis & ſtomachus & viſcera, & ſanguis non excludantur plane. Ratio, meditatio, judicium, voluntas & intellectus mentis propria ſunt opera. Senſus externi à ſocietate mentis & corporis dependent. Quæ ultimô locô ſequuntur, agunt de conſervatione corporis ſani, ut ſana in eo mens degere valeat, verum ea ulteriùs proſequi non fert inſtituti ratio: quæ verò corpori poſt mortem eveniunt, relinquuntur altioribus innutritis. Cæterùm doctiſſimus Autor præter hoc Problema Phyſico-Medicum *Inſcriptiones* quoque miſcellaneas eleganter ſatis conſcriptas ſimul in lucem edidit.

CONRINGIUS (*Hermannus,*) Friſius. Natus eſt Nordæ, Friſiorum urbe, A. C. 1606. Patre Hermannô Conringiô, Eccleſiæ ibidem Antiſtite. A. C. 1636. Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris titulô Helmſtadii adeptô, eoque ipſo die unà celebratis nuptiis, primùm dictâ in Univerſitate Phyſices, paulò poſt verò, elapſô nempè unicô tantùm annô etiam Medicinæ Profeſſor publicus conſtitutus, & 1649. ab Illuſtriſſimâ Friſiæ Principe nunc regente, annô inſequente ſereniſſ. Chriſtianæ, Sueciæ Reginæ, nec non ſuccedentibus annis aliorum prætereà Regum, Electorum & plurium Imperii Principum Archiater & Conſiliarius, atque in univerſitate Politices ſimùl Profeſſor publ. declaratus eſt. Obiit totiûs Univerſitatis Senior, A. C. 1681. ætatis ſuæ 75.

Ex eô habentur

De Calidô Innatô, Liber unus. De Vitâ & Morte, Libri duo. De origine Formarum, Liber unus. Omnia ad Ariſtotelis ſententiam elaborata. Lugduni Batav. apud Johan. Maire, 1631. in 8. Helmæſtadii, apud Martinum Richterum, 1647. in 4.

De ſanguinis generatione & Motu naturali, opus novum. Helmæſtadii, apud Jeremiam Rixnerum, 1643. in 4. Lugd. Batav. & Amſtelodami apud Franciſcum Hackium, & Lud. Elzevirium, 1646. in 8. Huic editioni accedunt ejuſdem Antonii Guntheri Billichii de Fermentatione Lib. duo. Lug. Batav. 1647. in 8.

De Germanicorum Corporum Habitus antiqui, ac novi cauſis Diſſertatio. Helmæſtadii, apud Henningum Mullerum, 1645. in 4. Ibidem 1652. in 4. Ibidem, 1666. in 4. & Francofurti ad Mænum, apud J. Adolph. Stock 1727. in 8. quam poſtremam editionem curavit & amplioribus notis illuſtravit J. Phil. Burggravius.

De Animâ, Liber unus. Helmæſtadii, apud Jerem. Rixnerum, 1640. in 8.

De vitiis Nutritionis, Libri duo. Helmæſtadii, apud Jerem. Rixnerum, 1640. in 12.

Exercitationes de Fermentatione Platoniâ. Extat cum Theſſalô in Chymicis redivivô; & Anatomia Fermentationis Platonicæ Antonii Guntheri Billichii. Francof. apud Johan. Beyerum, 1639. in 8. Ibidem, apud eundem, 1643. in 8.

De Hermeticâ Ægyptiorum Vetere, & Paracelſicorum nova Medicina, Liber unus. Quo ſimûl in Hermetis Triſmegiſti omnia, ac univerſam cùm Ægyptiorum, tum Chimicorum doctrinam animadvertitur. Helmæſtadii, apud Henningum Mullerum, 1648. in 4. Ibidem, 1669. in 4. Hæc ſecunda Editio, auctior eſt & emendatior.

Introductio, de Doctrinâ Pathologicâ. Extat in Philipp. Samulthi Obſervationum Centuriis. Brunſvigæ, apud Gottofred. Müllerum, 1648. in 4.

Thomæ Fieni Opera poſthuma Chirurgica, Libros nempe XII. de Præcipuis Artis Chirurgicæ Controverſiis edidit. Francofurti, ap. Thom. Matthiam Gozium, 1649. in 4.

Diſſertatio Phyſiologica de lacte. Extat cum Antonii Deuſingii de Motû cordis & ſanguinis itemque de Lacte ac Nutrimentô Fœtûs in uterô Diſſertationibus. Groningæ, apud Francof. Bronckhorſt, 1655. in 12.

Diſcurſus, ex Hermeticâ Medicinâ de Morborum Remediis Magicis & Unguentô Armariô. Extat cum Theatrô Sympatheticô auctô. Norimbergæ, apud Joh. Andr. Endterum, & Wolffgang. Jun. Hæredes 1662. in 4.

De Hermeticâ Medicinâ Libri duo; Quorum primus agit de Medicinâ, pariterque de omni ſapientiâ Veterum Ægyptiorum, altero non tantùm Paracelſi, ſed etiam Chemicorum, Paracelſi laudatorum, aliorumque, potiſſimùm equidem Medicina omnis, ſimùl verò & reliqua Univerſa doctrina examinatur. Editio ſecunda. Helmæſtadii, apud Henningum Mullerum, 1669. in 4. Huic Editioni annexus eſt ejuſdem Authoris Apologeticus adverſus Calumnias & Inſectationes Olai Borrichii. Id. cum ſuper.

CONSALVUS (*Ferrandus.*) Owietenſis.

De eô extat

De Guajacanô Lignô, Tractatus, unus: De Lignô Sanctô Tractatus alter, ambo à peritiſſimô Hiſpanicæ Linguæ Medicô in Latinam verſi. Extant Tomo I. Operis de Morbô Gallicô Venetô, pag. 308.

CONSENTINUS (*Petrus Matthæus.*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1707. *pag.* 405.

Petri Matthæi Conſentini Animadverſiones Phyſico-Medicæ, in Decem Dialogos digeſtæ. Neapoli apud Dominicum Antonium Parrinum, 1704. *in* 4.

CUm ad Medicinam addiſcendam animum applicâſſet Clariſſimus Matthæus, ab ore Thomæ Cornelii Conſentini pendere pro gloriâ duxit. Et quoniam eôdem tempore præter alios Franciſcus Salernitanus & Joſephus Lambertus Maſſanenſis ejuſdem domum frequentabant noſtroque Autori, dum viverent, exiſtebant amiciſſimi, horum amicorum memoriam vivam cuſtodire & in Dialogis hiſce eos differentes inducere ipſi placuit, ut ſaltem hôc conatû felicibus eorum manibus parentaret. Phyſiologiam igitur tradit, ſingulaſque partium actiones rimatur, objectiones movet, eaſque reſolvit. Incipit à Chylificatione, ubi Problema ſoluturus, cùr fluida alimenta aliquandò ſatis difficulter & cùm ſuffocationis metû animalia deglutiant, ſolida & dura nullô labore demittant? ſupponit, in omnium alimentorum deglutitione quicquid à linguâ in pharyngem defertur, ſtatim ejus muſculos movere, & per hos fibras œſophagi tranſverſales dilatari; quod ſi autem hæ ob aliquam læſionem conſtringantur, ità ut canalis hic non adeò facilè aperiatur, liquida, quia in pharynge nullam vel levem motionem & preſſuram producunt, etiam ipſius muſculos minimè commovere, nec fibras gulæ tranſverſales dilatari, ſed foras potulenta regurgitare: ſolidos verò cibos ſemper majori vi à linguâ in pharyngem impelli, hujuſque muſculos magis laceſſere, hinc per dilatatas œſophagi fibras tranſverſales feliciùs deſcendere ad ventriculum, digeſtionem ciborum intra ventriculum perfici putat, dùm ex mutuâ unione & miſcelâ humoris digeſtivi ità cibi agitantur, ſolvuntur & exaltantur, ut tertium quid ab illis omninò diſſimile proveniat; quod dùm ſeparata erant, nec in cibis, nec in humore digeſtivô aderat, id eſt per ſolam in extractionem digeſtionem non abſolvi. Purgantium non tam draſticorum, quàm blandiorum & lenitivorum noxas experimentis in variis animalibus quibus folia ſennæ, Diagridium, conſerva florum Perſicorum, pilulæ ex Aloe violatâ, Rhabarbarum, Crocus metallorum, communicata varias eaſque noxias ſanguini & inteſtinis qualitates induxerant, adornatis exagerat. Pergit tum admotum chyli ejuſque depurationem, lactis elaborationem, ſanguificationem, & motum animalem. Cordis equidem motum non tantùm à ſpiritibus per nervos Cardiacos influentibus, ſed ab ipſô ſanguine in cor injectô, fibrillaſque ejus vellicante & ſtimulante produci exiſtimat. Cordis palpitationem à ſanguine alteratô & acri provenire, uberiùs docet ſanguinis miſſionem poſt timorem nocivam pronunciat. Reſpirationis neceſſitatem declaraturus, ſubſtantiam quandam volatilem ſtatuit, quæ in ſanguinem penetrat, ac intimè cum eô miſcetur, unde illiûs fluxibilitas, attenuatiô & motus provenit; illamque in ventriculum delatam ſuccum digeſtivum acuere, à quô excrementorum ſeparationes & perfecta chylificatio dependent. Omnem ſanguinis miſſionem inutilem judicat, quia non ſanguis ſed humores vitiô aliquô laborant, quod per venæ ſectionem non corrigitur, potiùs cruore magis elaboratô, tenui, fluidô & mobili eductô, reliquus parte ſui ſpiritus ſpoliatus ægrè in priſtinam & congruentem craſin reduci poteſt, atque virium diminutio, debilitas, & penuria naturalium functionum ſequitur; ſanguinis autem abundantiam, quæ pro venæſectionis indicante vulgò proclamatur, à copioſô & nondum ſubactô chylô vel à crudis viſcidiſque particulis admiſtis, per diætam & ſpirituoſi ſanguinis motum circularem æque ac inteſtinum attenuandis, dependere ait. Poſt hæc circulationem ſanguinis declarat, vaſorumque anaſtomoſes defendit. Explicatô hinc lienis, hepatis, renumque officiô, capſulas atrabilarias portiones ſalſas & acidas, à quibus ſtimulum & vellicationem in veſicâ urinariâ percipiunt nati, in fœtû tandiù conſervare & retinere, donec tempus partus adveniat; ... at in-

at infante in lucem editô nullum ampliùs uſum habere, ſed paulatim diminui & extenuari exiſtimat. Mittimus ea quæ de cerebrô & glandulis diſſerit.

CONSENTINUS (*Thomas Cornelius.*)

Ex eô habentur

Progymnaſmata Phyſica, in ſeptem exercitationes diviſa: ſcil. 1. de Ratione Philoſophandi: 2. de Rerum Naturalium Initiis 3. de Univerſitate: 4. de Sole: 5. de Generatione Hominis; 6. de Nutritione; 7. de Vitâ; Francofurti, apud. Thom. Matthiam, Gotzium, 1665. in 12. Lipſiæ & Jenæ, apud Tobiam Ochrlingium, 1683. in 12. ſed hæc Editio nunc habet titulum: Thomæ Cornelii Phyſiologia, peculiari ſtudiô, novis atque hactenùs inauditis, poſt alios quæ ad perſpiciendam cognoſcendamque Hominis naturam ad amuſſim conducere videntur, rationum ponderibus atque momentis illuſtrata &c. Idem tamen continet hæc Phyſiologia, quod illa Progymnaſmata, etiamſi titulus ſit diverſus.

Epiſtola ad Marcum Creſcentium, quâ Motuum, qui ob fugam Vacui fieri dicuntur, cauſa per circumpulſionem, ad mentem Platonis explicatur. Extat cum ejuſdem Conſentini Progymnaſmatibus.

CONSTANTINOPOLITANUS (*Manlius.*)

De eô extat

De Lapide Bezoar, Epiſtola, ad Joh. Cratonem. Habetur eô in opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. pag. 307.

CONSTANTINUS (*Antonius.*)

De eô extat

Opus Medicæ Prognoſeos. In quô omnium quæ poſſunt in ægris animadverti, ſymptomatum, in omnibus morbis, cauſæ & eventûs copioſè & luculenter exponuntur. Omnia à Galenô, Hollerio, Duretô, & Jacotiô, fideliſſimis ſummi Hippocratis interpretibus, deprompta. Lugduni, apud Claud. Morillon, 1613. in 8.

CONSTANTINUS (*Aphricanus*)

Hæc de eô habet Clariſſ. Doct. Freind in ſuâ Hiſt. Med. part. 3.

Sub finem ſeculi undecimi florebat Conſtantinus Aphricanus. Celeberrimus hic Medicus Chartagine natus qui poſt peragratum Orientem, Babilon. & in urbe Bagdad, per 30. annos commoratus eſt. Unde in Linguis Orientalibus earumque nationum cognitionibus peritiſſimus evaſerat. Poſteà chartaginem iterùm reverſus eſt; at cùm detexiſſet quòd in ſe ipſum ibi conſpiraretur, effugit in Apuliam. Ubi cùm Robertô Guiſcardô, qui hujus Provinciæ Dux annô 1060. fuerat creatus commendatus eſſet hic Princeps eum amanuenſem ſuum elegit. Tunc Rhegini Cognomen accepit, forſan quià Reggii vixerat dum Amanuenſis officium præſtabat; tandèm Montis Caſſini Monachus evaſit, & quoſdam ex ſuis libris dicavit Didieriô hujuſce Cœnobii Abbati, qui & ipſe Medicinam quidem delibaverat quique paulò poſt ſub nomine Victoris tertii Pontifex maximus creatus eſt. Conſtantinus, primus videtur Medicinam Græcorum tum etiam Arabum in Italiam induxiſſe. Plures compilavit libros, in quibus multa ex propriô fonte ſe in iis appoſuiſſe dicit. Ex Arabicô in Latinum tranſtulit *Tractatum* Iſaci de Febribus, alia in Græcum etiam convertit opera qualia *viaticum* ex Syriacô, & *Antidotarium* ex Latinô; Primum ſe ait eſſe, qui clarè & diſtinctè de Morbis ventriculi ſcripſerit, cujus diſſertationem Alfano ſalernæ primo Archiepiſcopo dicavit. Conſtantinus noſter litteratus & in Medicis rebus verſatiſſimus fuit, & copiâ rerum non minùs quàm methodô valuit; imò præcipua veterum fragmenta, hùc & illud anteà ſparſa, collegit. Tractatum de Melancholiâ ſeorſim quoque reliquit, in quô Ruphi Epheſii in hunc morbum opus, quod Galenus mirificè laudat, fere totum exſcripſiſſe videtur. Aliud quoque evulgavit Volumen quod *Loci Communes* inſcripſit quodque Abbati Conſecravit ſuo Theoriam Praximque Medicinæ totam complectens. Illud tanquam Hippocratis Galenique Commentarium exhibet; quamvis id ipſum ex opere *Haly Abbas* totum nullâ de hoc factâ mentione, imò abſque ullâ varietate tranſcripſerit. Viri doctiſſimi nomen habuit & revera eô tempore quô vixit illud meruit. De iis etenim quæ ad Medicinam ſpectare tunc videbantur, amantiſſimus fuit, ejus fine dubiô ſuaſû Dux Robertus Celeberrimam Salernæ Medicinæ ſcholam dotatus eſt, poſtquam annô 1076. in hujus urbis poſſeſſionem venit.

Opera ejus ſic enarrantur in Lindeniô Renovatô.

Opera, conquiſita undiquè magnô ſtudiô, jam primùm typis evulgata, præter paucula quædam, quæ impreſſa fuerunt, ſed & ipſa à nobis ad vetuſtiſſimorum exemplarium, manuſcript. Veritatem tantâ curâ Caſtigata, ùt hujus Autoris antehàc nihil editum cenſeri poſſit. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1536. in fol.

Sunt autem Libri in hôc opere contenti:

De Morborum Cognitione & Curatione, Lib. VII.

De Remediorum & Ægritudinum cognitione, Lib. I.

De Urinis, Lib. I.

De ſtomachi Affectionibus naturalibus & præter naturam, Lib. I.

De Victûs ratione variorum morborum, Lib. I.

De Melancholiâ, Lib. II.

De Coitû, Lib. I.

De Animæ & ſpiritûs diſcrimine, Lib. I.

De Incantatione & Adjuratione, collis ſuſpenſione, Epiſt. I.

De Paſſionibus Mulierum, & Matricis, Lib. I.

De Chirurgiâ, Lib. I.

De Gradibus ſimplicium, Lib. I.

Opera reliqua. In quibus omnes communes loci, qui propriè theorices ſunt, ità explicantur & tractantur, ùt Medicum futurum optimè formare & perficere poſſint. Ibidem, 1539. in fol. Additus eſt Antonii Gazonis de ſomnô & vigiliâ, Libellus.

De Febribus, Liber; extat operis Veneti de Febribus pag. 102.

De Animalibus ad Octavianum, Liber unus. Extat cum Georgii Pictorii Ζωοτροφείᾳ Baſil. 1560. in 8.

De Humanâ Naturâ Liber I. Item de Elephantiâ Lib. I. & Remediorum ex Animalibus materiâ Lib. I. Extat cum Albucalæ Methodô Medendi. Vid. Albucala.

CONSTANTINUS (*Robertus*) Cadomenſis, profeſſione Medicus, intimus Bezæ amicus, Hebraicè, Græcè & Latinè doctus, docuit humaniora Cadomi, Jul. Cæſaris Scaligeri, cujus domeſticus fuerat, *Commentar.* in *Theophraſtum* partem edidit, ac complura ipſe ſcripſit. Obiit A. C. 1605. ætat. 103. Simlerus, *Biblioth.* Joſ. Scaliger *Ep.* 17. *& lib.* 1. *Biblioth. Cur.* Anton. Teiſſier, in Elogiis Part. 2.

Ex eô habentur

Annotationes & Correctiones Lemmatum in Dioſcoridem. Extant cum Amati Luſitani, ad eundem Commentariis. Lugd. apud Viduam Arnoleti, 1558. in 8.

Annotationes & Correctiones in C. Celſum, Q. Serenum, & Q. Rhemnium Palæmonem. Lugd. apud Guil. Rovillium, 1566. in 8.

Annotationes in Hiſtorias Theophraſti. Extant cum Julii Cæſaris Scaligeri, in eaſdem Animadverſionibus. Lugd. apud Johannem Jacob. Juntæ F. 1584. in 8.

Nomenclator inſignium ſcriptorum, quorum Libri extant vel manuſcripti, vel impreſſi, Indexque totiûs Bibliothecæ atque Pandectarum Geſneri. Paris. apud Andr. Wechelum, 1555. in 8.

Dictionarium Græcum & Latinum.

Theſaurus Rerum & verborum utriuſque linguæ.

De antiquitatibus Græcorum & Latinorum, libri tres.

Aphoriſmi Hippocratis verſibus Græcis & Latinis &c.

CONTARENUS (*Caſparus,*) Venetus.

De eô extant

De Elementis & eorum mixtione, Lib. v. Pariſiis, apud Nicolaum Dives, 1548. in 8. apud Sebaſt. Nivellium, 1571. in fol. cum cæteris ejus operibus. Lugd. Batav. apud Jacobum Marci, 1632. in 16.

CONTECILLIS (*Joh. Angelus de,*) ab Aquila,

De eô extant

Practica rationalis, de medendis Morbis per cauſas & ſigna, Libros tres percurrens. Tractatus de differentiis & curatione Febrium, ac de ſanguinis Miſſione. Romæ, 1590. in 8.

Tractatus de Febrium differentiis & curatione: ac de venæſectione. Venetiis, 1583. in 8.

CONTULUS (*Joh. Baptiſta*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1698. *p.* 137.

Breve inſtruzione Medica &c.

i. e.

Brevis inſtructio Medica de Glutine in corporibus humanis productô, ejuſque effectibus, Calculô & Arthritide &c. Autore Johanne Baptiſtâ Contuli, Jatrophyſicô Bononienſi. Romæ, apud Bernabò, 1697. in 4.

Ibidem, ann. 1699. *pag.* 396.

De Lapidibus, Podagrâ & Chiragrâ in Humanô Corpore productis. Auctore Johan. Baptiſta Contulo, Bononienſi Philoſophiæ ac Medicinæ Doctore. Romæ, apud Bernabò, 1699. *in* 4.

QUam Nobiliſſimus Autor de Calculorum & arthritidis generatione ac curatione foveat ſententiam, in Actis ſuperiori jamdùm annô ſtrictim indigitavimus, cùm brevis ipſius Inſtructio Medica de Glutine, Italicô conſcripta ſermone, atque hic etiam denuò annexa, eſſet recenſenda. Ne repetendo itàque nùnc eundem actum agamus; è præſenti ſcriptô, ſpecialius cùm primis tùm calculorum in diverſis corporis noſtri partibus, ipſiſque veſicæ quoque vulneribus ac ſteatomate cruris productorum exempla enumerante, tùm methodum docente, quâ veſicæ calculis, ſive marmoreis, ſive mucoſis, argilloſis & ſaponaceis in principiô debeat ſuccurri, unicam figurarum Tabulam, cutis quæ ſtructuram illuſtrat, nobiſque VI. eſt, unà cum Autoris Obſervationibus nonnullis, è cadaverum ſectione petitis, liceat tranſcribere. Nempè quemadmodum Berlingerius Gipſeus, Profeſſor quondam Bononienſis, in cerebrô ægri, præternaturali capitis figurâ dotati, ac ex continuâ demum Cephalalgiâ denati, pinealem glandulam totam petroſam, magnitudine nucem avellanam adæquantem annotavit, æri inciſam: ità Noſter in gibbâ dextrâ pulmonum adoleſcentis, à fixô pectoris dolore pertinaci conſumti, calculum marmoreum ſtriatum, ovi Columbini ſpeciem præ ſe ferentem, cum aliô in lobis illis prope arteriam aſperam hærente, deprehendit; in æramentorum autem fuſore quinquagenariô, qui de capitis & ventriculi doloribus, inappetentiâ febrique continuis fuerat conqueſtus, laterem quaſi perdurum & excoctum in ventriculi fundô propè pylorum obſervavit. Neque negligenda, quæ annô elapſô in Eminentiſſimi Cardinalis Franzoni, annô ætatis octogeſimô ſextô defuncti, tam thorace quàm abdomine apertis, fuêre detecta: ibi enim pulmones parvæ molis prorsùs putridi; hìc verò ren dexter multô minor ac flaccidior ſiniſtrô, in ſiniſtri tamen ureteris extremitate propè veſicam duo calculi, magnitudine & pondere olivarum oſſiculis reſpondentes, ſed inæquales ac ferè triangulares, tandem præter utramque arteriam cruralem, cartilagineo oſſeam, in veſicâ tres calculi perquam ſcabri, alter rotundus, reliqui autem fermè ſemilunares; omnes ſibi invicem combinati ac interiori veſicæ membranæ ſtrictè agglutinati, cum prioribus libræ unius pondus attingentes, comparuerunt.

COPHON.

Ex eô habentur

De Arte Medendi Tractatus, omnibus morborum curam auſpicaturis apprimè neceſſarius. Hagenoæ, apud Valentinum Kobian, 1532. in 8. Venetiis, apud Juntas, 1582. in fol. cum ſupplemento in Meſuem.

De Anatomiâ Porci, Tractatus publicatus cum Meſuæ operibus.

COPUS (*Guilielmus,*) Natus eſt Baſileæ: Creatus Medicinæ Doctor Lutetiæ Paris. Deinde famâ in dies magis clareſcens, etiam Regi Gall. Franciſco I. innotuit, qui eum Archiatrum ſibi elegit, & honoribus multis affecit. Cùm magnas opes honeſtè acquiſiviſſet, Lutetiæ obiit. Floruit circa A. C. 1520.

Ex eô habentur

Galeni, de Locis affectis, Lib. VI. Latinè expoſuit. Lugduni, 1549. in 12.

Item; Hippocratis Coi Lib. III. Præſagiorum. Ibid. 1550. in 12.

Item: Pauli Æginetæ, de Ratione Victûs.

Galeni de Morborum & ſymptomatum cauſis & differentiis, Libri VI. Guilielmô Copô interprete. Lugduni, 1550. in 12.

[COPUS

COPUS (*Martinus.*)

De eô extant

Apoteleſmata Philoſophica Mercurii triumphantis. Magdeburgi, 1601. in 4.

COQ (*Paſchalis le,*) Pictavienſis.

Ex eô habetur

Ἀλεκτρυόνος περολεγόγενος, ſive Oratio de Galli gallinacei naturâ & proprietatibus. Auguſtoriti Pictonum, apud Anton. Meſnerium, 1614. in 8.

COQUILLATUS (*Scipio Sebaſtianus,*)

Ex eô habetur

Cl. Galeni Libellus, cui titulum fecit; Quos, quibus, & quando purgare oporteat, in linguam Latinam converſus, & Commentariis illuſtratus. Cui acceſſit Materia & Forma Medicamentorum, tam eorum, quae intrò aſſumuntur, quàm quae foris adhibentur. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1557. in 16.

CORADO (*Ludovicus,*) Mantuanus.

Philotei Commentaria in Aphoriſmos Hippocratis è Graecô in Latinum convertit.

CORBEUS (*Hermannus,*)

Ex eô habentur

De vulneribus lethalibus ſanabilibus oratio Panegyrica, habita in Academiâ Marpurgenſi. Francof. 1620. in 8.

Gynaecium, ſive de cognoſcendis, praecavendis, curandiſque praecipuis Mulierum affectibus, libri duo; quorum prior affectus omnibus Mulieribus communes; poſterior, qui cuique ſorti ſunt proprii, proponit. Adjecta eſt in calce Quaeſtio de Vulneribus lethalibus & non lethalibus. Francof. apud Palthenium, 1620. in 8.

Brevis totius Medicinae delineatio. Extat in Praefatione, ad Pathologiam Theod. Corbei P.

CORBEUS (*Theodorus,*) Hervordianus.

Ex eô habentur

Pathologia, ſive, Morborum & Affectuum omnium praeter naturam, qui corpus humanum invadere ſolent, enumeratio, ex veterum Graecorum, Latinorum, Arabumque fontibus, ac recentiorum Limpidiſſimis rivulis exhauſta, & compendiosâ, facili, accuratâ, & perſpicuâ methodô diſpoſita. Francofurti, apud Zach. Palthenium, 1616. in 8. Noribergae, apud Wolfgangum Endterum, 1647. in 8. Francofurti, 1653. in 8. Noribergae, 1661. in 8. Cum brevi totiûs Medicinae delineatione, in Praefatione praemiſſa, adumbrata & additamentis exornata, ab Hermannô Corbejô, aut. F.

Pharmacia ſimplicium & Compoſitorum bipartita. Francof. apud Schonwetterum, 1656. in 4.

CORBISERIUS (*Joh. Bernhardus.*)

Joh. Hieron. Pulverini Methodicae, curandi Febres, plurima addidit. Extant cum ejuſdem Praxi.

CORDÆUS (*Mauritius,*) Rhaemus.

Ex eô habentur

Hippocratis Coi, Medicorum Principis, Libri prioris de Morbis Mulierum Interpretatio & explicatio. Pariſiis, apud Dionyſium Duvallium, 1585. in fol. & in Gynaeciorum Libris ab Iſr. Spachiô editis, pag. 492.

Hippocratis Libellus περὶ παρθενίων, hoc eſt, de iis, quae virginibus accidunt. Ad hoc opuſculum acceſſerunt ejuſdem interpretis Annotationes, quarum quaedam primae Menſtruorum eruptionis, & periodici eorum fluoris cauſas, demonſtrat: ex Hippocratis & Ariſtotelis doctrinâ, adverſus Neotericorum quorumdam ſententiam. Pariſiis, apud Gabrielem Buon, 1574. in 8.

CORDEMOY (*de*)

De eô extant

Tractatus Phyſici duo I. De Corporis & mentis diſtinctione. II. de Loquelâ; Latinè verſi à J. C. Genevae, apud Johannem Pictetum, 1679. in 12.

CORDO (*Simon à*) Italus, Genuenſis, qui diligentis, doctique Medici famam tulit, *felicis recordationis,* (ſcripſit Auguſtinus Oldoinus in opere Mſ. apud me ſaepè allegatô) *apud Romanos, quorum bonae valetudini admodùm dum vitam vixit, ſtuduit, adfuitque Nicolao* IV. *Pont. Max. Medicus, ſacerdoſque à ſacellô.* Laudem apud poſteros conſequutus eſt ſcribendo opuſculum, cui nomen dedit

Clavis ſanitatis, in quâ ſimplicia Medicamenta Latina, Graeca, & Arabica ordine alphabeticô mirificè elucidat. Recognitum, & Notationibus Plinii maximè, ac aliorum in marginibus ornatum, per Georgium de Ferrariis de Varolengo Montis Ferrati. Venetiis, apud Octavianum Scotum 1510. in fol. apud Gregorium de Gregoriis 1514. in fol.

Contexuit etiam

Expoſitionem Gloſſae marginalis ad Alexandri Tralliani Libros Medicinales. Lugduni apud Franciſcum Fradin, 1504, in 4. Papiae 1520. in 8. &

Synonima Medica, quae per Magiſtrum Mundinum abbreviata, aſſervantur in Bibliothecâ Regiâ Gallicâ, teſte Philippô *Labbe* in Bibliothecâ Mſſ.

Ex Arabicâ in Latinam linguam vertit

Tractatus plures in Re Medicâ, & praeſertim illum ſerapionis, inſcriptum de ſimplicibus Medicamentis; adeò quidem doctè (aiunt) & eleganter, ut ſi eum tolleres, magnam ſanè Medicinae partem ſuis velut inſtrumentis privares.

Authores de Simone tractantes videas apud eundem Oldoinum, in aliô tamen opere, in Athenaeô nempè Liguſticô; ſed adverte, quod ubi legitur Nicolao V. loco Nicolao IV. eſt error impreſſoris. *Mandoſius in Vitis Archiatr. Pontific.*

CORDUBA (*Alphonſus de,*) Hiſpalenſis, Artium ac Medicinae Doctor, opus foras emiſit, quô,

Almanach perpetuum Abrahami Zacuti, Emmanuelis Luſitaniae Regis Aſtronomi ſupplevit, correctis ejuſdem erroribus. Idem ſe ſe nuncupans Cardinalis de Borgiâ Medicum ſcripſit ad Ferdinandum & Eliſabetham Reges Catholicos.

Tabulas Aſtronomicas; Venetiis editas apud Melchiorem Seſſam & Petrum de Ravannis, 1517. in 4.

Hiſpalenſem patriam ipſe ſibi arrogat in nuncupatoriâ hujus operis Epiſtolâ. *Bibl. Hiſp. T. j. pag.* 15.

CORDUS (*Euricius,*) Natus in Haſſiae Vicô, cui nomen *Simjuſa* vel *Simeſuſa,* unde *Simeſuſii* cognomen aliquandò aſſumſit, Parentibus ruſticanis, A. C. 1521. Ferrariae in Italiâ audivit Joh. Manardum & Nicolaum Leonicenum jam nonagenarium, à quô etiam Medicinae Doctor creatus eſt. Poſt haec in patriam reverſus Erfordiae docuit ad annum uſque 1527. Inde Marpurgum ad Profeſſionem vocatus: & hinc 1535. Bremam invitatus abiit, ubi brevi poſt 1538. obiit, relictô Filiô Valeriô Cordô.

Ex eô habentur

Botanologicon, ſive, Colloquium de Herbis, Coloniae, apud Johan. Gymnicum, 1534. in 8.

Pariſiis, apud Morellum, 1551. in 16. unà cum Valerii Cordi Annotationibus ad Dioſcoridem.

Nicandri Theriaca, & Alexipharmaca in Latinos verſus redacta. Francof. apud Chriſtoph. Egenolphum, 1532. in 8.

Judicium de Herbis, & Medicamentis ſimplicibus. Ibidem, 1549. cum Dioſcoridis contextû & Gualtheri Ryffii Scholiis.

De Abuſû Uroſcopiæ, Concluſiones, earumdemque Enarrationes, adverſus mendaciſſimos errores Medicaſtros, qui imperitam plebeculam, vanâ ſuâ Uroſcopiâ & medicatione, miſerè bonis & vitâ ſpoliant. Ibid. 1546. in 8.

CORDUS (*Valerius.*) Natus eſt Sineſuſii, in Haſſiâ A. C. 1515. Patre Euricio Cordo, Medicô & Poëtâ inſigni: laborioſas ſæpè peregrinationes unius ſimplicis medicamenti inveſtigandi causâ ſuſcepit: omnia loca metallica, præſertim Miſniæ & Saxoniæ perſcrutatus herbaſque mirificô ſtudiô, inquiſivit; fuit primus Author diſpenſatorii, ſive Antidotarii Noribergenſis. Obiit Romæ, A. C. 1544. ætatis ſuæ 29.

De eô extant

Annotationes in Pedacii Diſcoridis, *Anazarbæi* de Medicâ Materiâ, Libros quinque, longè aliæ, quàm antehàc ſunt evulgatæ. Hiſtoriæ ſtirpium, Libri quatuor poſthumi, nùnc primùm in lucem editi. Adjectis etiam ſtirpium Iconibus, & breviſſimis Annotatiunculis. Sylva, quâ rerum Foſſilium in Germaniâ plurimarum, Metallorum, Lapidum, & ſtirpium aliquot rariorum notitiam breviſſimè perſequitur, nunquam hactenùs viſa. De artificioſis extractionibus, Liber. Compoſitiones Medicinales aliquot non vulgares. His accedunt, ſtochornii & Neſſi in Bernatium Helveticorum ditione Montium & naſcentium in eis ſtirpium Deſcriptio Benedicti Aretii, Item, Conradi Geſneri de Hortis Germaniæ, Liber recens, unà cum deſcriptione Tulipæ Turcarum, Chamæceraſi montani, Chamæmeſpili, Chamænerii, Conizoidis. Omnia ſummô ſtudiô atque induſtriâ Conradi Geſneri collecta, & Præfationibus illuſtrata. Tiguri, apud Andr. Geſnerum, 1561. in fol.

Diſpenſatorium Pharmacorum omnium, quæ in uſû potiſſimùm ſunt. Ex optimis Auctoribus, tam Recentibus quàm veteribus, Collectum, ac ſcholiis utilibus illuſtratum, in quibus inprimis ſimplicia diligenter explicantur. Norimbergæ, apud Johan. Petrejum, 1535. in 8. Pariſiis, apud Jac. Gazellum, 1548. in 12. Antverpiæ, apud Chriſtoph. Plantinum, 1568. in 16. Cum Petri Condenbergii Scholiis & correctionibus. Norimbergæ, ap. Lochnerum, 1592. in fol. Ibidem, apud Paulum Kanfmannum, 1589. in fol. Ibidem, apud eundem, 1612. in fol. operâ & ſtudiô Collegii Medici Inclytæ Reip. Norimbergenſis emendatiùs ac ſelectis compoſitionibus auctius redditum & quartò publicatum, apud Johannis Andreæ Endteri & Wolffgangi Junioris Hæredes, 1666. in fol. Lugduni Batavorum, ap. Joh. Maire, 1627. in 12. cum Petri Condenbergii & Matthioli & Lobelli Scholiis, Emendationibus, & Auctariis. Acceſſit hâc editione, præter Guiliel. Rondeletii; de Theriacâ, Tractatum emendatiorem, & Formulas ſelectiorum Pharmacorum, quorum poſt Val. Cordum uſus paſſim receptus eſt, auctiores, alius Franciſci Diſſaldei ejuſdem argumenti Libellus. Et ibidem, apud eundem, 1652. in 12. Cui editioni præter nominatorum Authorum additos Libellos acceſſit etiam ſub fin. Franciſci Joëlis Methodus Medendi.

De Haloſanthô, ſeu ſpermate ceti, vulgò dictô, Liber. Extat cum opere de omnium Foſſilium genere, à Conr. Geſnerô editô. Tiguri, apud Jacob. Geſnerum, 1565. in 8.

Epiſtola ad Andr. Aurifabrum de Trochiſcorum Viperinorum adulteratione. Extat eô in opere, quod Laurentius Scholzius edidit, Francofurti, apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. pag. 534.

Stirpium Deſcriptionis, Liber quintus, quas in Italiâ ſibi viſas deſcribit, in præcedentibus vel omninò intactas vel parciùs deſcriptas, à morte præventus perficere non potuit: Argentorati, 1563. in fol.

CORDICIUS (*Petrus*) Erycinus, Medicus eximius. Diu in Oppidô Corilionis Medicinam fecit. Panormi ſupremum clauſit diem. Floruit annô 1630. De eô Rocchus Pirrus *in not Eccl. Mazar. pag.* 569. qui ſcripſiſſe teſtatur: *Plurima volumina de re medicâ*, quæ extabant apud P. Franciſcum à Corilione Capucinum ejus filium. Antonius Cordicius *in Hiſtoriâ m. ſ. Erycis lib.* 4. *cap.* 27. hæc diſtinctè ſcripſiſſe fatetur, quæ mſ. vagantur. horum tituli ſunt.

De Præparatione materiæ in totô, & in partibus ad concotionem, & expurgationem & de præparatione viarum. Pars prima.

De ſenſibili evacuatione materiæ morbificæ diverſæ à ſanguine à totô corpore per medicamentum purgans per alvum, vomitum, lotium, & ſudores. Pars ſecunda.

De ſenſibili evacuatione materiæ morbificæ diverſæ à ſanguine à partibus omnibus noſtri corporis, Pars tertia.

De Ratione victûs ægrotantium, præſertim circa cibum & potum, cum duplici indice alterô capitum, alterô rerum, Pars Quarta.

De Rebus præter naturam, id eſt de morbis, cauſis, & ſymptomatibus. Pars Quinta.

De Febribus in genere & ſpecie, alterô modô per compendium diſpoſitis, alterò verò per extenſum enucleatis. Pars Sexta.

Methodus Medendi. De Arte Colligendi. Pars Septima.

Compendium continens in verſû tractatum de conſervatione virtutis, de præparatione materiæ ad coctionem. De purgatione materiæ morbiferæ in genere, & pro ſingulis partibus corporis. De præparatione materiæ fluendæ ad partes, de reſolutione materiæ morbiferæ contenta in partibus. *Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ T.* II. *pag.* 135.

CORELLA (*Alphonſus de*,) alias Lopez de Corella, Navarrus, ab oppidô forsàn cognomine, à quô dictus Latinè Coreolanus, poſtquàm in Complutenſi Academiâ profeſſus fuiſſet magnâ cum laude Doctrinæ ingeniique Medicam Artem, in Patriam Evocatur publicis expenſis Medicinam facturus; ubi, & Turiaſone manens plura ſcripſit; nempe

Annotationes in omnia Galeni Opera. Cæſaraug. 1565. fol. Matriti, 1582. 4.

De Morbô puſtulatô. Librum unum. Valentiæ, 1581. 4.

Enchiridion, ſeu Methodum Medicinæ. Cæſaraug. 1549. in 12. Valentiæque, 1581. 16.

Naturæ querimoniam. Cæſaraug. 1564. in 8. Quod opus adjunctum fuit *Annotationibus* in lucem datâ jam editione anni 1565.

De Naturâ venæ. Cæſarauguſt. 1573. 8.

De Febre malignâ & placitis Galeni. Ibidem, 1574. 8.

De Arte Curativâ. Libros IV. Stellæ Navarrorum, 1555. 8.

Catalogum Auctorum, qui poſt Galeni ævum, & Hippocrati, & Galeno contradixerunt. Valentiæ, 1589. 12.

De tuendâ valetudine, librum: cujus ipſe meminit in *Annotationibus* laudatis.

Vulgari quoque linguâ

Secretos de Filoſophia, Aſtrologia, y Medicina, y de las quatro Mathematicas ciencias divididos en cinco quinquagenas de preguntas. Pinciæ, 1546. Cæſaraug. 1547. fol. per Georgium Coſſi. *Bibl. Hiſp. T. 1. p. 15.*

CORNACHINUS (*Horatius.*)

Thomæ Cornachini Patris Tabulas Medicas edidit.

CORNACHINUS (*Marcus.*)

Ex eô habentur

Methodus, quâ omnes humani corporis affectiones, ab humoribus copiâ, vel qualitate peccantibus genitæ, tutò, citò, & jucundè curantur. Florentiæ, apud Cecconcellium, 1629. in 4. & cum Joh. Dan. Mylii Pharmacopææ Spagyricæ Librô ſecundô. Francof. apud Theobaldum Schonwetterum, 1628. in 8. Extat etiam cum Praxi Chymiatricâ Joh. Hermanni. Genevæ, apud Petrum Chouet, 1647. in 8.

Hieron. Mercurialis Commentarios in Hippocratis Coi Prognoſtica, Prorrhetica, de Victûs ratione in Morbis acutis, & Epidemicas Hiſtorias, diligenter & ore exceptas, additô Tractatû de Hominis Generatione, Vinô & Aquâ, Balneiſque Piſanis, edidit. Francofurti, apud Joh. Theob. Schönwetterum, 1607. in fol.

Edidit item Thomæ Cornachini, P. Tabulas Medicas.

CORNACHINUS (*Thomas*,) Aretinus.

De eô extant

Tabulæ Medicæ. In quibus ea ferè omnia, quæ à principibus Medicis Græcis, Arabibus, & Latinis de curationis apparatû, Capitis, ac Thoracis Morbis, Febribus, Pulſibus, Urinis, ſcripta ſparſim reperiuntur, methodô adeò abſolutâ collecta ſunt ut & illa, & loci, unde ſunt hauſta, ſub unum cadant oculorum obtutum. Additæ ſunt ejuſdem, in pleraſque Tabulas, Adnotationes. Opus hoc ediderunt Marcus & Horatius F. F. Patavii, apud Petrum Paulum Tozzium, 1605. in fol. Venet. apud Societatem, 1607. in fol.

CORNARIUS (*Diomedes*,) Suiccavienſis.

Ex eô habentur

Conſiliorum Medicinalium habitorum in Conſultationibus à Clariſſ. atque expertiſſimis apud diverſos ægrotos, partim defunctis, partim adhuc ſuperſtitibus Medicis, Tractatus. Lipſiæ, apud Mich. Lantzenberger, 1595. apud Barth. Vogt, 1599. in 4. Additæ ſunt Obſervationum Medicinalium partim ab Autore, partim ab aliis eruditiſſimis viris annotatæ Præmeditationes. Item Hiſtoriæ admirandæ raræ, ab eôdem collectæ. Additæ quoque ſunt orationes quædam ab eôdem habitæ.

Conſilium in ſtomachi dolore. Extat eô opere, quod collegit Laurentius Scholtzius. Hanov. 1610. in fol.

CORNARIUS (*Janus.*) Natus Zwiccaviæ, Oppidô Saxoniæ, antè Hanypol, vel Hagenbut, poſteà verò demùm Cornarius vocatus, A. C. 1500. annô 1521. Wittebergæ Magiſter Philoſophiæ, & ibidem 1523. Medicinæ Licentiatus, poſteàque demùm Ticini vel Papiæ in Italiâ Medicinæ Doctor renunciatus eſt. In Academiis Marpurgenſi, Roſtochienſi & Jenenſi Medicinam publicè docuit, eamque diverſis in locis, nominatim apud Livones, Putenos, & in Principum Megaloburgicorum Ducatû atque aulâ nec non Northuſii in Thuringiâ, deinde Francofurti ad Mœnum publico Reipubl. ſalario conductus, tandemque in patriâ, cum laude exercuit. Multos Philoſophos, Medicos & Theologos veteres Græcos uti Galenum, Aetium, Æginetam, Dioſcoridem & ex Patribus Chryſoſtomum, Baſilium magnum, ac Epiphanium, & imprimis Hippocratem, Latinè convertit, quem ſuprà 2000. illos totos annos deſideratum nemo unquam ante ipſum Latinum reddere tentavit. Unde cùm hoc opus, quos integros 15. annos conſumpſit, confectum ſenatui Auguſt. dedicâſſet, ab eô, 100. ſolaribus Coronatis donatus eſt. Adverſarium habuit Leonhardum Fuſchſium, qui ſuper verſionibus quibuſdam litem ei movit. Obiit Jenæ apoplecticus A. C. 1558. ætatis ſuæ 57. relictis Filiis duobus, Achate & Diomede, Medicinæ Doctoribus.

De eo extant

Univerſæ rei Medicæ Epigraphe ſeu Enumeratio. Baſileæ; apud Frobenium, 1529. 1534. in 4. apud Joh. Hervagium, 1551. in 8.

Medicina, ſive Medicus, Liber unus. Baſileæ, apud Michaëlem Martini Stellam, 1556. in 8. apud Oporinum, 1568. in 8. Accedunt Orationes duæ: altera Hippocratis: altera de rectis Medicinæ ſtudiis amplectendis.

Hippocratis Epiſtolas interpretatus eſt & edidit. Coloniæ, 1544. in 8.

Hippocrates, ſive, Doctor verus, oratio; extat cum operibus Hippocrates à ſe Latinè verſis, & editis Baſileæ, apud Oporinum 1543. in fol. Baſileæ, apud Michaëlem Martini Stellam, 1556. in 8.

De Rectis Medicinæ ſtudiis amplectendis, oratio. Marpurgi, apud Chriſtoph. Egenolphum, 1543. in 8.

De Peſte, Libri duo. Baſileæ, apud Joh. Hervagium, 1551. in 8.

De Conviviorum veterum Græcorum & hôc tempore Germanorum ritibus, moribus, ac ſermonibus: item de amoris præſtantiâ & de Platonis ac Xenophontis diſſenſione Libellus. Baſileæ, apud Oporinum, 1548. in 8.

Vulpecula excoriata, ſive, refutatio Hiſtoriæ Leonhardi Fuchſij de Plantis. Francof. apud Egenolphum 1543. in 4.

Nitra ac Brabyla pro vulpeculâ excoriatâ aſſervanda. Ibidem, apud eundem, 1545. in 4.

De Utriûſque Alimenti Receptaculis, Diſſertatio, contra quam ſentit Plutarchus. Extat cum Adamantii Sophiſtæ Phyſiognomicon Libris à ſe latinè conſcriptis. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1544. in 8.

Interpretatio Latina ex Græcô ſelectorum, de Re Ruſticâ, xx. Libris comprehenſorum. Baſileæ, apud Frobenium, 1538. in 8.

Interpretatio Latina, ex Græcô, Phyſiognomicorum, Adamantii Sophiſtæ. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1544. in 8.

Interpretatio Aëtii Amideni, Lib. IV. Medicinæ ſuæ, ex veteribus contractæ. Baſileæ, apud Froben, 1535. 1542. 1549. in fol.

Interpretatio Latina Anatolii de re Ruſticâ. Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8.

Artemidori Daldiani Philoſophi Græci V. Libros latinè interpretatus eſt. Quos excudit Frobenius, Baſileæ, annô 1544.

Galeni, de difficultate Reſpirationis, Lib. III. interpretatus eſt. De compoſitione Medicamentorum, Localium. Baſileæ, 1537. in fol.

Marcelli, de Medicamentis Empiricis ſuæ integritati pleriſque locis reſtituit.

Pauli Æginetæ Libros VII. de Re Medicâ, in Latinum vertit: Adjectis Annotationibus.

Pedacii Dioſcoridis Libros V. de Materiâ Medicâ caſtigavit, in Latinum tranſtulit, & Emblemata ſingulis Capitibus adjecit. Additâ interpretatione ejuſdem Dioſcoridis, de Beſtiis Venenum ejaculantibus Lib. 2. Baſileæ, apud Frobenium, 1557. in fol.

In Dictum Hippocratis: Vita brevis: ars verò longa eſt, oratio. Jenæ, 1557. in 8.

Hippocratis Coi Libelli aliquot ad Artem Medicam præparatorii. Baſileæ, in 4.

De Podagræ Laudibus, Oratio. Patavii, 1553. in 8.

Interpretatus eſt Galeni Libros de uteri Diſſectione, Fœtûs formatione & ſemine, qui nunquam anteâ Latinè ab hominibus viſi ſunt. Baſileæ, 1536. in fol.

CORNARUS (*Aloyſius,*)

De eô extat

De Vitâ ſobriâ. Patavii, apud Gratioſum Perchachinum, 1561. in 8.

CORNARUS (*Ludovicus,*) Venetus.

Ex eô habetur

Tractatus de vitæ ſobriæ commodis. Extat cum Leonhardi Leſſii Hygiaſtico, ex Italicô in Latinum ſermonem ab ipſô Leſſiô tranſlatus. Antverpiæ, apud Balthaſ. Moretum, 1622. in 8. Molshemii, 1670. in 12.

CORNAX à Medelâ (*Matthias,*)

Ex eô habentur

Hiſtoria quinquennis ferè Geſtationis in uterô: & quomodò infans ſemiputridus reſectâ alvô exemtus ſit, & Mater curata evaſerit. Viennæ, apud Johan. Carbonem, 1550. in 4. Extat etiam cum Remberti Dodonæi Medicinalium Obſervationum Exemplis variis. Item cum ejuſdem Cornacis Medicæ Conſultationis Libellô.

Hiſtoria ſecunda, quod eadem femina denuò conceperit, & geſtaverit, fœtum vivum perfectum maſculum ad legitimum pariendi tempus; quodque ex poſt habitâ ſectione mater unà cum puellô interierit. Extat ibidem.

Medicæ conſultationis apud ægrotos ſecundum artem & experientiam ſalubriter inſtituendæ enchiridion, Libellus unus pro multis. Adjectæ ſunt & Hiſtoriæ aliquot geſtationis in uterô Fœtûs mortui &c. Baſileæ, ap. Jo. Oporinum, 1564. in 8.

CORNEIO (*Johannes,*) Medicus Doctor, Matriti agebat opuſque Artis ſuæ faciebat, ſcribens circa annum 1594.

Diſcurſo y deſperdator preſervativo de Corrimientos, y enfermedades dellos: Ad Clementem VIII. Papam. Itemque

Diſcurſo particular preſervativo de la gota: ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem. Item *otro diſcurſo preſervativo de la gota: modo del oro potable: Virtudes del Lentiſco.* Matriti ſimùl in 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 516.

CORNELIUS (*Aloyſius,*) Patricio apud Venetos genere, ſed non ex legitimô thorô natus, Patavii circâ ann. 1465. in patriô Gymnaſiô bonis artibus imbutus, varioque diverſarum diſciplinarum uſû inſtructus eſt, & quamvis ex eô non admodùm claruerit; quippe qui doctus fuit magis quàm diſertus, quas tamen ipſe leviter, nè valetudini ſuæ obeſſet, attigit litteras, in aliis laborioſiùs exercitas, & excultas amavit ſtudiosè, amantiſſimè fovit. Annorum 25. juvenis ægrotare cœpit, diverſiſque cum morbis conflictari. In his fallacem expertus Medicinam, cujus è pharmacis nullas ad annum quadrageſimum ætatis habuit ſuppetias, tandem ſe Medico uſus planè convaluit, habuitque pro certo ac certiſſimo malorum ſuorum remediô & Medico, quam ſibi præſcripſit, arctiſſimam vitæ ſobrietatem. Cibus illi quotidie non ultrà duodecim uncias, potus non ultrà quatuordecim fuit; atque hâc victus parcitate ultra ſæculum robuſtiſſimam vitam extendit. Uxorem duxit Utini Veronicam à Spilembergô nobilem apud Carnos Virginem, quâ cum ſterili matrimonio diu vixit, ex quô jam tandem ſeni ex inſperatô ſoboles prodiit filia unica, quæ nuptui data *Johanni Cornelio* patricio Veneto Fantini filio; avi memoriam in monumenta regia Cypriæ Corneliorum familiæ invexit. Carus omnibus, erga omnes præſertimque ſapientiæ Profeſſores, quibus domus ejus opulenta patuit, humaniſſimus, munificentiſſimus, pacatiſſimè vixit, nec morbo quopiam, ſed unâ ſenectute extremâ mortalitatem exuit Patavii Centenario major annô 1566. Falliturque Ghilinus, qui mortem ejus ſignat annô 1557. Edita ſunt ejus hæc pauca Italicè.

Libellus de Vitâ ſobriâ. Vertit Latinè Leonhardus Leſſius Societ. Jeſu Theologus. Annotationes utiliſſimas addidit Cl. Ramazzinus.

Libellus de Oeſtnariis Venetis, ex quo habet aliqua in conſimili argumentô vir doctiſſimus & noſtrâ ætate doctorum virorum ſtudioſiſſimus Bernhardus Triviſanus patricius Venetus & Philoſophiæ patriciæ Profeſſor Venetiis.

Libellus de Vitâ ſuâ, ex quô, quæ hìc delibavit, hiſtoria noſtra decerpſimus. *Hiſt. Gym. Patav. T.* II. *pag.* 219.

CORNELIUS Mechelburgenſis.

De eô extat

De Puerorum Infantiumque Morborum dignotione & curatione, Liber. Sebaſtianus Auſtrius, *Rubeaquenſis*, ex Barbarô Latinum fecit & emaculavit. Baſileæ, apud Ueſthemerum, 1540. in 8.

CORNELIUS (*Thomas,*) Conſentinus.

Ex eô habentur

Progymnaſmata Phyſica, in ſeptem exercitationes diviſa: ſcilicèt 1. de Ratione Philoſophandi; 2. de Rerum naturalium Initiis; 3. de Univerſitate; 4. de Sole: 5. de Generatione Hominis: 6. de Nutritione: 7. de Vitâ. Francofurti, ap. Thom. Matthiam, Gotzium, 1665. in 12. Lipſiæ & Jenæ, apud Tobiam Ochrlingium, 1683. in 12. ſed hæc editio nùnc habet titulum: Thomæ Cornelii Phyſiologia, peculiari ſtudiô, novis atque hactenùs inauditis, poſt alios, quæ ad perſpiciendam cognoſcendamque Hominis naturam ad amuſſim conducere videntur, rationum ponderibus atque momentis illuſtrata &c. Idem tamen continet hæc Phyſiologia, quod illa Progymnaſmata, etiamſi titulus ſit diverſus.

Epiſtola ad Marcum Creſcentium, quâ Motuum, qui ob fugam vacui fieri dicuntur, cauſa per circumpulſionem, ad mentem Platonis explicatur. Extat cum ejuſdem Conſentini Progymnaſmatibus.

CORNICIUS (*Jacobus,*) Embdanus.

De eô extat

Adverſùs peſtiferæ Luis contagia, in dialogi formam digeſtum, προφυλακτικὸν juxta ac ἀλεξιτήριον.

Cum

Cum Præfatione Phil. Melanchtonis, Wormatiæ, apud Phil. Cæphalæum, 1563. in 8.

CORNUTUS (*Jacobus*,) Pariſienſis.

Ex eo habetur

Canadenſium Plantarum, aliarumque nondum editarum Hiſtoria. Cui adjectum eſt ad calcem Enchiridion Botanicum Pariſienſe, continens indicem Plantarum, quæ in pagis, ſylvis, pratis & montoſis juxta Pariſios locis naſcuntur. Pariſiis, apud Simonem le Moine, 1635. in 4.

CORTACIUS (*Georgius*.)

De eo extat

Trutina Medica de ſanguinis Miſſione & Vini exhibitione in Febribus. Patavii, 1654. in 4.

CORTE (*Hieronymus*) Cenetenſis.

Ex eo habetur

Summa Medendi Methodus, in quâ de Phlebotomiâ Medicis Cucurbitulis, Hirudinibus, eorumdemque recto uſu, accuratiſſime agitur: nec minùs de purgatione per Pharmacum, de Vomitu, de Clyſmis, de Concoctione, de Frigidæ Potu, & de Victu ægrotantibus exhibendi, lopcupletiſſime diſſeritur. Acceſſit certa Viſendi, Rogandi, ſolandique Ægrotos ratio. Venetiis, apud Hæredes Johannis de Salis, 1638. in 4.

CORTE, Latinè Curtius (*Bartholomæus*,) Mediolanenſis. Natus eſt annô 1666. è Proſapiâ Nobili, ut atteſtantur duo Lapides, quorum alter in Monaſteriô majori Mediolanenſi, alter in ejuſdem Urbis Eccleſiâ Patrum qui Beatæ Virginis Mariæ Servi vocantur; reperitur. Inter Avos numerat hujuſce Metropolis Senatorem Ampliſſimum; & alterum Quæſtoria dignitate, ac præcipuis muneribus apud duces functum. Noſter Medicinam profitetur in eâque excellit: Verùm quandoquidem ejus exercitiô minimè opus habet, & morum eſt exemplarium, pro omni alimentô cibos conſumens quadrageſimales, quos ſibi facilioris digeſtionis eſſe fingit, ut veram rationem, quæ tota religioſa eſt, ſic contegat: Lubentiùs pauperes quàm alios inviſit, eoſque etiam pecuniis ſuis ſuſtentat. Studiis ſemper incubuit, ac etiamnum incumbit, tum iis quæ ad propriam profeſſionem faciunt, tum aliis quæ eruditionem hiſtoricam, & naturalem philoſophiam ſpectant, quod abundè notum faciunt illius Opera typis mandata, & apud omnes Doctos totius Europæ celebrata, quæque hæc ſunt.

Notizie iſtoriche intorno à Medici Scrittori Milaneſi, & à principali Ritrovamenti fatti in Medicina dagli Italiani. In Milano, 1718. 4. i. e. Notitiæ hiſtoricæ circa Medicos Scriptores Mediolanenſes, & circa inventa præcipua, Medicam Artem ſpectantia in Italiâ facta.

Lettera nella quale ſi dinota da qual tempo probabilmente s'in fonde nel feto anima ragionevole, 1702. 8. i. e. Epiſtola in quâ diſſeritur de tempore à quô probabiliter anima rationalis in Fætum infunditur.

Rifleſſioni del Dottor Bartolomeo Corte ſopra alcune oppoſizioni addutte contro del Galaſſo, 1713. in Milano, 8. i. e. Conſiderationes D. Doctor. Bartholomæi Corte, ſuper quibuſdam objectionibus Venæſectioni oppoſitis.

Oſſervationi del Dottor Bartolomeo Corte, ſopra la Relazione, fatta del ſuo opuſcolo, intitolato *Rifleſſioni &c.* In Milano, 1714. 8. i. e. Obſervationes D. Doctor. Bartholomæi Corte, ſuper Relatione facta ſui opuſculi, cui titulus, *Conſiderationes* &c.

Lettera intorno all' Aria & Vermiciuoli ſe cagioni della Peſte. In Milano, 1720. 8. i. e. Epiſtola in quâ diſſeritur, an Aër, an verò Vermicelli, ſint occaſio Peſtis.

Lettera apologetica, intorno agli Effluvij, ſi organici, o Inorganici, cagioni d'ella Peſte. In Milano, 1721. 8. i. e. Epiſtola apologetica, circa Effluvia Organica, aut Inorganica, quæ ſunt Peſtis occaſio.

De eo extat in Actis Lipſienſibus ann. 1723. p. 254.

Notizie iſtoriche intorno à Medici Scrittori Milaneſi, da Barthol. Corte &c. i. e.

Bartholomæi Cortii, Philoſophi & Medici Mediol. Notitia Scriptorum Medicorum Mediolanenſium, & de inventis præcipuis Italorum in Medicinâ. Mediolani, è typogr. Joh. Pandulfi Malateſtæ, 1718. 4.

CUm *Jo. Paulus Mazzuchelli* novum theatrum pararet eruditorum Mediolanenſium, eam *Cortio* noſtro provinciam dedit, ut in Medicos clariores, à Picinellô in Athenæô Mediolanenſi prætermiſſos vel leviter tactos, inquireret, quam & ſuſcepit alacriter, &, illô quidem mox ann. 1714. D. 13. Aug. mortuo III. Comitis Caroli Pertuſati, in Conſiliô Regiô ſtatus Mediol. Queſtoris, cui opus hoc dicatum eſt, conſiliô fortiter ſuſtinuit. Præmiſſis nonnullis de rerum præſtantiſſimarum inventoribus Italis, primum è ſeculô XI. producit *Johannem de Mediolanô* qui cum juſſû ſcholæ ſalernitanæ, librum de conſervandâ valetudine carminicè olim compoſuerit in gratiam Roberti Regis Angliæ, Noſter prolixè probat, ſcholam ſalernitanam, inde ab ann. 974. florentem, omnium Medicarum fuiſſe antiquiſſimam. *De Andreâ Ciſalpinô*, Aretinô, qui ſub initium ſeculi XVI. floruit, dum memorat, primum hunc circulationis ſanguinis mentionem injeciſſe, ſimul diſquirit, an inventi hujus gloria ad ſolum Harvæum ſpectet, an verò is è Pauli Sarpii, tractatû manuſcriptorem didicerit; ſimul & Bartholomæi Euſtachii, Gabr. Fallopii aliorumque Italorum in rem Anatomicam merita commendat. Mediolanenſes obſervat ob artis Medicæ famam plures à Principibus domus Auſtriacæ Archiatros conſtitutos, in quibus numerat Angelum Candianum, Joh. Bapt. Biumi, Nic. Boldonem, Zach. Caimum, Joh. Bapt. Beſutium & Bapt. Boldironem. Ubi ad ſeculi XVII. ſcriptores pervenit, præmittit vitas celebriorum Medicorum Italorum, ut ut Mediolanſes non fuerint, Malpighii puta, Borelli, Bellini, Fr. Redi, Fracaſſati, aliorumque quorum in re Medicâ inventa celebrat, pari modô ſub initium ſec. 18. de Ant. Valliſneriô, Jo. Bapt. Morgagnio, Ant. Maria Valſalva, Diacinto Ceſtoni, an. 1718. D. 29. Jan. mortuo, Joh. Zambeccario, Joh. Maria Lanciſio, Ant. Pacchiono, aliiſque, ut & de inventis eorum præcipuis fuſiùs agit. Inter Mediolanenſes noſtri ſeculi laudat *Joh. Cabiati*, qui edito Mediolani 1709. 4. de inclementiâ hyemis anni ejuſdem tractatû Etruſcô, deceſſit ſeptuagenarius ann. 1714. Die 8. Julii; *Joh. Bapt. Blancam*, qui cum annô ætatis 14. publicè defendiſſet theſes philoſophicas & biennio poſt lauream Medicam reportâſſet Auguſtæ Taurinorum, ibidem de hepate 1710. de ductibus lacrymalibus novis 1715. & de Fabricâ humanâ libros edidit; *Car. Franc. Cogroſſi*, qui de radice Peruvianâ China Chinæ 1711. iterum-

iterumque 1716. & 1718. & de lue contagioſâ boum, 1714. Italicè ediſſeruit & de Praxi medicâ promovendâ Latinè 1714. Cremæ commentatus eſt; *Joh. Bapt. Carcanum*, A. 1626. natum, mortuum 1705. D. 13. Oct. ejuſque filium *Ignatium*, hodieque ſuperſtitem, utrumque ſcriptis clarum; *Hippolytum della Porta*, edito Mediolani 1715. de peſte tractatû Italicô clarum (quâ occaſione Noſter etiam Celeb. Lud. Ant. Muratorii tractatum, quem *Governo della Peſte* inſcripſit, Mutinæ 1714. 8. editum commendat) & Car. Ant. *Bizzozerum*, qui, editô Mediolani 1715. ſcripto Etruſco, Patrem *Bernhardum*, Medicum, contra Diarii Veneti Autores defendit. His abſolutis Autor exteros recenſet, (fide Pauli Freheri,) qui in Italiâ ſummos in Medicinâ honores capeſſiverunt, ſimulque obſervat inter alia, Fortunati fidelis, Siculi, *de relationibus Medicorum Libros* IV. *in quibus ea omnia, quæ in forenſibus ac publicis cauſis Medici referre ſolent, pleniſſimè traduntur*, Panormi 1602. 4. iterùmque Lipſiæ apud Jo. Chriſt. Tarnovium, 1674. 8. curante Paulo Ammanno, editos; poſteà 1679. pariter Lipſiæ, apud eundem typographum, eademque forma, vel recuſos, vel certè novô hôc eoque planè diverſô titulô inſtructos prodiiſſe: *Scholâ Ictorum Medica, relationum aliquot libris comprehenſa, quibus principia Medicinæ in jus tranſſumpta ex profeſſô examinantur, autore D. Thomâ Reineſio, olim Archiatro, Poliatro atque Conſule Altenb.* Et teſtatur quidem typographus, librum inter Schedas Reineſii prelo paratum fuiſſe repertum, imò præfationem velut ab ipſô Reineſiô Kal. Jan. 1661. ſcriptam præmiſit; facile verò patet, hanc fraude typographi, ſumma Reineſii injuria, ſuppoſitam, nimirùm ut libro, qui ſub priori titulô paucos invenerat emptores, novam hederam ſuſpenderet. Subjunctæ ſunt operi Epiſtolæ duæ Latinæ. *Lazari Auguſtini Cottæ* ad Autorem, in quarum primâ ei ſupplementa quædam ad hunc librum haud vulgaria ſuppeditat, in alterâ obſervata Joh. Bapt. Carcani de exenteratione cadaveris Divi Caroli (Borrhomæi) communicat; tum & *Jo. de Sitonis de Scotia* ad Noſtrum Epiſtola, quâ & ipſe quædam à Cortiô prætermiſſa eruditè ſupplet.

CORTES (*Johannes*,) Scripſit,

Apologia por la Medicina. Matriti annô 1638. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T.* 1. *p.* 416.

CORTES (*Petrus*,) Medicus Regius, & à cubiculô Principi Excellentiſſimo D. Johanni Alphonſô Henriquez de Cabrera Caſtellæ Architalaſſo, Siciliæ Proregi; dùm in eô regnô & inſulâ ejus lateri adhæret, ſalutemque tuetur, ſcripſit

De Diebus decretoriis Tractatum. Panormi 1642. in 4.

CORTESIUS (*Joh. Baptiſta*;) Patavinus, Natus eſt Bononiæ A. C. 1554. Parentibus plebejis. In pueritiâ Barbitonſoriam & Balneatoriam Artem didicit, eamque in adultam uſque ætatem exercuit, quâ factum, ut in Xenodochiô Patriô Div. Mariæ Mortis, in quô ægrotis ſervitia præſtitit, horis à miniſteriô ordinariô ſurreptitiis, ſummô animi fervore Grammaticam primùm, & deinde Philoſophiæ quoque ſtudia tractaverit; in quibus brevi adeò profecit, ut Aſſiſtentis in eôdem Xenodochiô munus acceperit; Tunc verò Medicinæ tantô ardore inſudavit, ut paulò poſt, impetratâ Doctorali laureâ, dignus habitus fuerit, qui in patriâ Academiâ Chirurgiam & Anatomiam publicè doceret: quô munere per 15. annos cum applauſû functô, Meſſinæ Profeſſionem Chirurgiæ iterùm per 35. annos ſuſtinuit, adepto intereà etiam comitis titulô. Hinc denique Bononiam rediit, Profeſſor publicus declaratus. Ibique obiit A. C. 1634. ætatis ſuæ 80.

Ex eô habentur

Miſcellaneorum Medicinalium Decades denæ. In quibus pulcherrima ac utiliſſima quæque, ad Anatomen, Chirurgiam, & totius ferè Medicinæ Theoriam & Praxin ſpectantia ſparſim quidem, ſed jucundiſſimô ordine continentur. Meſſanæ, apud Petrum Bream, 1625. in fol.

Practicæ Medicinæ, Pars prima. In quâ externi & interni capitis affectus illuſtri methodô explicantur. Meſſanæ, ap. Hæredes Petri Breæ, 1635. in fol.

Practicæ Medicinæ pars ſecunda; in quâ interni partium nutritioni famulantium affectus illuſtri methodo explicantur. Meſſanæ apud eoſdem 1635. in fol.

Practicæ Medicinæ, Pars tertia. In quâ interni partium generationi famulantium affectus, Febriumque Tractatio illuſtri methodo explicantur. Meſſanæ, apud eoſdem, 1631. in fol.

In univerſam Chirurgiam abſoluta inſtitutio. In quâ Tumorum omnium præter naturam, ulcerum, Vulnerum, Fracturarumque oſſium, ac eorundem Luxationum exacta cognitio, faciliſque curatio habetur. Meſſanæ, apud eoſdem, 1633. in 4.

Tractatus de vulneribus capitis. In quô omnia, quæ ad cognitionem curationemque læſionum Calvariæ attinet, accuratè conſiderantur, & ſingula, quæ ab Hippocrate tradita ſunt in Librô περὶ τῶν τρωμάτων τῆς κεφαλῆς uberrimis Commentariis illuſtrantur. Adjecti ſunt in calce duo Tractatuli: alter de Contuſione Calvariæ in pueris; alter de eorumdem Hydrocephalô: Meſſanæ, apud eundem, 1632. in 4.

Pro Illuſtriſſimô D. Ferdinando Matute, & Acebedo Regio Conſiliariô, Pro Regum Siciliæ Conſultore pro ſuâ Catholicâ Majeſtate, ſteatoma exulceratum à dextri femoris internâ regione marſupii in modum pendens patiente, conſultatio & curatio. Ibid, ap. eundem, 1614. in fol.

Pharmacopœa, ſeu, Antidotarium Meſſanenſe. In quô tum ſimplicia, tum compoſita Medicamenta uſu recepta accuratè examinantur. Meſſanæ, apud eundem 1629. in fol.

Conſtantii Varolii Anatomiam edidit.

CORTESIUS (*Petrus*)

Ex eô habetur

Tractatus de Diebus Decretoriis. Panormi, 1642. in 8.

CORTILIO (*Sebaſtianus*,) Ariminenſis.

Ex eô habentur

Libri quinque inſtitutionum Chirurgicarum; cum Practicâ Chirurgicâ ejuſdem, Libros quatuor continente. Extant cum Joh. Marquardi Practicâ. Francofurti, apud Nicolaum Hofmannum, 1610. in 8.

CORTNUMMIUS (*Juſtus*,) Cellenſis.

Ex eô habentur

De Morbô attonitô Liber unus, ad Hippocraticam ſanguinis in corpore Humanô periodum exaratus. In quô Medici vulgares in veternô excitantur, & ad accuratiorem morborum inveſtigationem Hippocratiſque Lectionem adhortantur. Lipſiæ, apud Georg. Heinr. Frommannum, 1672. in 4. Ibidem, apud eundem, 1677. in 4. Hildeſiæ, apud Chriſtianum Denhardum, 1685. in 4. ſed hæc poſtrema editio alium, & quidem hunc nacta eſt titulum: J. C. M. D. ſive, Johannis Conradi Michaëlis D. nova, utilis ac curioſa Apoplexiam, ſeu Morbum Attonitum Curandi Methodus &c.

Obſer-

Obſervatio, de Doloribus Hypochondriacis menſtruis. Extat Ephem. Acad. Nat. Cur. Germ. Ann. IV. & V. N. 40.

De Paraplegiâ brachii à tumore. Ibid. Ann. eôdem. N. 41.

CORVINUS (*Joh. Petrus*,) Romanus.

De eô extat

De Diatartari Electuarii Temperamentô, Qualitatibus, uſû, & Doſi, Dilucidatio. Meſſanæ, apud Hæredes Petri Breæ, 1644. in 8.

CORVUS (*Andreas.*)

Ex eô habetur

Chiromantia. Extat cum Baſth. Coclitis Phyſiognomiæ compendiô. Argentorati, 1533. in 8.

COSCHWITZ (*Georgius Daniel*) M. D. & Profeſſ. Ordin. in Fridericianâ Halenſ. Comitatus Mansfeldienſ. & Palatinor. Halenſ. Phyſic. Regius Academ. Imperial. Leopold. Carolinæ Nat. Curioſ. Colleg.

De eô extat

Organiſmus & Mechaniſmus in homine vivô obvius & ſtabilitus, ſeu hominis vivi conſideratio Phyſiologica; ex veris naturæ Principiis eruta, & Reliquis Medicinæ tàm Theoreticæ quàm Practicæ partibus fundamenti Locô præmiſſa. Lipſiæ, apud hæredes Frider. Lanckiſii, 1725. in 4.

Hic Liber duabus dividitur ſectionibus, quarum I. *de Statu Hominis ſecundum naturam* in IX. cap. diſtribuitur. I. de Homine Phyſiologiæ Objecto. II. de ſtructurâ Corporis, & Partium uſû. III. De Elementis, & mixtione Corporis. IV. De naturâ, ſeu Principio agente in Corpore Vivo. V. De Vita, Moribus Vitalibus, eorumque effectibus. VI. De Nutritione VII. De Generatione. VIII. De Senſatione. IX. De Temperamentis. Tria in ſect. II. *De Conſervatione ſtatus naturalis*, *ſeu Hygieine.* Sunt cap. quorum I. de ſanitate in genere ejuſque conſervatione. II. de Rebus non naturalibus. III. de Diæta.

Organiſmi & Mechaniſmi Pars ſecunda ſeu Hominis Vivi Conſideratio Pathologica, Ibid. 1728. in 4. quæ duas quoque partes comprehendit quarum I. *Pathologia Generalis.* IX. capita complectitur I. de Pathologiâ in genere II. de Morbis. III. de ſubjectô Morborum. IV. De Morborum differentiis, V. de Morborum Cauſis. VI. De Morborum temporibus. VII.. De Symptomatibus VIII. De Læſionibus Humorum in genere. IX. De Læſionibus, motuum in genere *Pathologia ſpecialis* ſeu Pars II. tribus comprehenditur ſectionibus, quarum I. quæ agit de *morbis ex vitiô ſanguinis* in IX. quoque capita diſtincta eſt. I. de Plethorâ. II. De Hæmorrhagiis in genere. III. De Hæmorrhagiis in ſpecie; Hæmorrhagiâ Narium, & Menſium Hæmoptyſi; Vomitu & mictu cruento; Hæmorrhagiâ Lochiali, Uterinâ, Varicum. IV. De ſanguinis defectû. V. De ſanguinearum evacuationum naturalium ſuppreſſione, Hæmorrhagiæ Narium, Menſium, Lochiorum & Hæmorrhoidum ſuppreſſione. VI. De congeſtionibus ſanguineis in genere. VII. De congeſtionum ſanguinearum effectibus in ſpecie: Doloribus Capitis: Ophtalmiâ ſanguineâ: Otalgia: Odontalgia: Vertigine: De Tuſſi ſiccâ Juvenum & Plethoricorum: Phthiſi: Doloribus Nephriticis ſpuriis: Nephritide calculosâ: Calculô renali: Apoſtemate & ulcere Renum: Hæmorrhoidibus cœcis: Malô Hypochondriacô & Hyſtericô: Scirrho Hepatis, nec non Lienis: VIII. De Inflammationibus, Eryſipelate & Phlegmone, Anginâ, Synanche, Tonſillarum inflammatione, Phrenitide, Paraphrenitide, Peripneumoniâ, Pleuritide verâ, Empyemate, Vomica Pulmonum; Ventriculi, Hepatis, Lienis, Veſicæ, Uterique inflammatione; & ſphacelô internarum partium. IX. agit de Febribus acutis ſimplicibus, benignis: Contagioſis malignis: Peſtilentialibus & Peſte: De Febre Ephemerâ, Synocha ſimplici & Putridâ, Catarrhali benignâ, Cholericâ, ardente, S. cauſo, Scarlatinâ, Papulari, Petechiali, Petechizante, Lentâ, Hecticâ, Quotidianâ, Tertianâ, Quartanâ: deque febribus Anomalis, Corruptis, Symptomaticis, Compoſitis, Duplicatis, Chronicis & Intermittentibus: itemque de Variolis, Morbillis, Variolis ſpuriis, & Purpurâ malignâ. Quinque ſect. Secundæ, quæ *de Morbis ex Vitiô Humorum particularium*, Cap. ſunt, I. de Morbis à Vitiô bilis; Icterô flavô nigroque & Diarrhæâ bilioſâ. II. De Morbis ex Vitiô lymphæ & ſeri; Cachexiâ & Chloroſi; affectibus Hydrophicis & Oedematoſis; Oedemate; Anaſarca; Aſcite; Hydrope Pectoris & Pericardii; Hydrocephalo; Tympanite Spuriâ; Congeſtionibus & Stagnationibus Lymphæ & Seri; Coryzâ; Gravedine; Branchô; Ophtalmiâ & Cephalalgiâ Seroſâ; Tuſſi ſiccâ humidâque; De Aſthmate ſiccô & Humidô; Catharrô ſuffocativô; Vomitû; Diarrhæâ ſeroſâ; Dyſenteriâ; Lienteriâ & Paſſione Cæliacâ; Scirrhô; Atrophiâ; affectibus externis, cutim deturbantibus; Cruſtâ Lacteâ; Achoribus; Tineâ capitis; Scabie; Intertrigine; demùmque de Impetigine & Serpigine. III. De Lue Venereâ; Gonorrhæâ; Fluoreque albô venereô. IV. De Pollutione; & Fluore albô mulierum Benignô. V. De Vitiis Excretionis Urinæ; Diabete; Iſchuriâ; Dyſuriâ & Stranguriâ. Tandem, ſect. Tertia & Ultima, *de Morbis ex Vitiô Motuum orientibus* agens, duo continet Cap. I. De Motuum exacerbatorum Vitiis; Cordis palpitatione; Spaſmis; Arthritide; Chiragrâ; Gonagrâ; Podagrâ; Malô Iſchiadicô; Aſthmate Convulſivô; Colicâ ſpaſmodicâ; Cardialgiâ; Convulſionibus; Epilepſiâ; Maniâ; Moroſi; Erotomaniâ; furore Uterinô; Melancholiâ & Hydrophobiâ; Cap. Ultimum tractat de Morbis ex Motuum defectû; de Apoplexiâ; Hemiplexiâ; Paralyſi; Pareſi; Catochô; Lethargô; Comate; Carô; Memoriæ debilitate; Incubô; Lipothymiâ; Syncope atque (omnium fine) Morte.

COSTA (*Chriſtophorus à*,) Natione Luſitanus, in Arricâ (Tingi fortè aut Septæ Luſitanorum Coloniis) natus, Africanâ, & Aſiaticâ longi temporis peregrinatione multiſque experimentis, etiam inter barbaras illius orbis gentes in captivitate, & ærumnis manens, Medicam Artem, & Botanicam, quibus ſe ſe addixerat, egregiè promovit ſcribens (mutuatus tamen magnam partem à *Garcia de Orta*, quod nec ipſe diſſimulat.)

Tratado de las drogas: y medicinas de las Indias Orientales. Burgis apud Martinum de Victoriâ 1578. in 4. Hunc librum Latinè dedit in ſummarium contractum Carolus Cluſius Atrebas Lib. IX. *Exoticorum*, Antverpiæ, apud Plantinum, 1582. qui ſeorſim annô 1593. in eâdem officinâ editus eſt. Et quidem Cluſius Stirpium iconiſmos à Coſtâ editos, ut ineptos, prorſuſque diſſimiles rejecit. Italis etiam communicatum prodiit opus ex Officinâ Venetâ Ziletti 1585. in 4. Obligaverat autem ſe author, cum de ſpeciebus Indiæ medicinalibus commentarium publi-

publicaret, edendo vaſtiori operi, in quô reliquarum plantarum, fructuumque aviumque, & animantium omnis generis apud Indos, Perſas, & Sinas viventium naturam virtuteſque proponeret. Quod Votum, credo, ei non ſucceſſit. Miſcella etiam alia edidit; nempe

Tratado en contra, y pro de la vida ſolitaria: con otros dos Tratados; uno de la Religion, y religioſo: otro contra los hombres, que mal viven. Venetiis, 1592. in 4. apud Jacobum Cornetti.

Tratado en loor de las mugeres: ad Catharinam Auſtriacam: Ibidem eôdem annô in 4. Qui ad hunc librum præfatur, authoris quidem familiaris, præter laudata hic opera meminit etiam horum, quæ jam apponimus;

Del Amor divino, del natural, y humano, y de lo que debemos à los animales. Libellus, ſeu Tractatus tres: item

Tres Dialogos Theriacales.

Diſcurſo del Viage de las Indias Orientales, y lo que ſe navega por aquellas partes. Apud Burgenſes in Caſtellâ Veteri Medicinam faciebat eô tempore, quô in eâdem urbe edi curavit Princeps illud opus de Orientis rebus Medicinalibus. Cùm autem ſolitariam celebravit vitam, vacare Deo cupiens, in ſolitarium quemdam locum ſeceſſerat. Compoſtellæ hoc de eô diſtichum reperiri ajunt.

Africa te genuit, te fertilis Aſia pavit.
Te nunc Europa, Doctor Acoſta, tenet.

COSTA (*Johannes*,)

De eô extat

De Venarum Meſaraicarum Uſû, Liber. Venetiis, 1565. in 4.

COSTA (*Joſephus à*,)

De eô extat

De Rebus novi Orbis. Matriti 1610. in 4.

COSTA (*Nonnius da*,) Luſitanus, Medicus Doctor, ſcripſit

De Quadruplici hominis ortû & de re Medicâ. Patavii, apud Laurentium Paſquatum 1594. in 4. Johannes Antonides Vanderlinden duo ex hôc unô opere facit. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T.* II. *p.* 123.

COSTA (*Romanus à*,)

Johan. Varandæi Tractatum Therapeuticum, de Morbis ventriculi, edidit.

Item ejuſdem, de Morbis Mulierum, Lib. III.

COSTÆUS (*Johannes*,) Natus eſt Laudæ, Galliæ oppido: in Academiâ Taurinenſi primùm in primâ Cathedrâ Medicinam publicè profeſſus; deinde verò Bononiam vocatus, ibidem etiam Profeſſionis munere functus eſt, donec Bononiæ obiit A. C. 1603. relictô Filiô, Joh. Franciſcô Coſtæô, Medicô, Philoſophô inſigni, nec non Patavii primò Medicinæ, & poſteà Bononiæ Juris Profeſſore publicô.

Ex eô habentur

Annotationes in Avicennæ Canonem, cum novis alicubi Obſervationibus, quibus principum Philoſophorum ac Medicorum diſſenſus, atque conſenſus indicantur. Venetiis, apud Juntas, 1595. in fol.

In Joh. Meſuæ ſimplicia & compoſita, tum ejuſdem Antidotarii, IX. poſtremas ſectiones, Annotationes. Extant cum Meſuæ operibus.

Miſcellanearum Diſſertationum, Decas prima. Patavii, apud Johan. Bapt. Paſquatum, 1658. in 12.

Johannis Bapt. Montani in Galeni Libb. de Elementis, de Naturâ Humanâ: de Atrâ bile: de Temperamentis Comm. edidit. Hannoviæ, 1595. in 8.

Diſquiſitionum Phyſiologicarum in primam primi Canonis Avic. ſect. Libri ſex. Bononiæ, apud Joh. Roſſium, 1589. in 4.

De Humani conceptûs, formationis, motûs & partûs tempore. Bononiæ, apud Johan. Roſſium, 1596. in 4. Papiæ, apud Petrum Bartolum, 1604. in 4.

De Univerſali ſtirpium naturâ, Libri duo. Auguſtæ Taurinorum, 1580. in 4. Venet. 1578. in 4.

De Potû in morbis. In quô de Aquis, Vinô, omnique factitiô Potû in univerſum ac de privatô in ſingulis morborum generibus, eorum uſû plenè diſſeritur. Papiæ, apud Johan. Bapt. Viſmarum, 1604. in 4. Venetiis, apud Robertum Mejettum, 1604. eâdem formâ.

De Facili Medicinâ per ſeri & Lactis uſum, Libri tres. Bononiæ, 1595. in 4. Papiæ, apud Petrum Bartolum, 1604. in 4.

De Igneis Medicinæ Præſidiis, Libri duo. Venetiis, apud Robertum Mejettum, 1595. in 4.

COSTERUS (*Johannes*,)

Ex eô habetur

Affectuum totius Corporis humani præcipuorū Theoria & Praxis, Tabulis exhibita, non ſolùm ſtudioſis operam Medicinæ daturis, ſed & omnibus Litteratis ope Medici indigentibus, maximæ utilitatis futuris. Acceſſit Autoris, Auguſtiſſimi, Glorioſiſſimæ memoriæ Caroli Guſtavi Regis Sueciæ &c. Morbi & Obitûs, Relatio Medica. Francofurti, apud Balthaſar. Chriſtophor. Wuſtium, 1664. in 4. Ibidem, apud Ulricum Wetſteinium, 1675. in 4.

COUDENBERGIUS (*Petrus*,)

Valerii Cordi Diſpenſatorium Pharmacorum omnium, quæ in uſû potiſſimùm ſunt cum ſcholiis Correctioribus, & Auctariis edidit. Norimbergæ, apud Lochnerum, 1592. in fol. Ibidem, apud Paulum Kauffmannum, 1598. & 1612. in fol. Lugduni Batavorum ap. Johan. Maire, 1627. in 12. Et ibidem, apud eundem, 1652. in 12.

COULEUS (*Abrahamus*)

De eô extat

Poëmata Latina, quibus continentur ſex Libri Plantarum, videlicèt, duo Herbarum: duo florum: duo ſylvarum: & unus Miſcellaneorum. Londini, 1678. in 8.

COURCELLUS *Franciſcus*,) Ambianus.

Ex eô habetur

De verâ mittendi ſanguinis ratione in hæmatothraſcas, Liber, quatuor ſectionibus explicatus. Appenſô ejuſdem Authoris Conſiliô de Valetudine. Francofurti, ap. Hæred. Andreæ Wecheli, Claudium Martinium Aubrium, 1593. in 8.

COURTIN (*Germanus*,) Pariſienſis.

De eô extat

Adverſus Paracelſi, de Tribus principiis, auro potabili, totaque pyrotechnia, portentoſas opiniones, Diſputatio. Pariſiis, apud Petrum l'Huillier, 1597. in 4.

COWARD (*Guilielm.*)

De eô extat in Actis Lipſienſ. Supplem. Tom. 3. p. 225.

De fermentô Volatili nutritio Conjecturæ rationales &c. Auct. Guil. Coward M. D. & Collegii Merton. Oxon. Sociô. Londini ap. T. Bennet, 1695. in 8.

PRopoſitum eſt Cl. Auctori oſtendere, ſpiritum volatilem oleoſum, à ſanguine ventriculo in-

lo infuſum, eſſe verum ac genuinum concoctionis ac nutritionis inſtrumentum. Quem in finem primum de fermentis & fermentatione in genere agit, ſaliumque variorum natura declarata, nonnulla his de fermentorum animalium ratione ſubnectit. Speciatim autem ad ventriculi fermentum accedens, Gliſſonii opinionem, qui illud in ſale acri & pungente ſpiritibuſque impraegnatô conſtituit, examinat, & vel ideò rejicit, quod omne acre provenit ab igneô focô, & acrimonia ſanguinis & humorum morboſa eſt. Neque probatur Auctori Williſii ſententia, qui acidi cujuſdam fermenti ope concoctionem fieri ſtatuit. Cùm enim Cachecticis, quibus languidus reſtituendus appetitus, ſalia ſtomachica & volatilia cum ſucceſſû propinentur, non acida, ſed ab his potiùs magna morborum oriatur colluvies, hinc efficit, ventriculi fermentum eſſe nihil aliud, quàm ſal volatile oleoſum paucô phlegmate dilutum ex arteriis, nervis & glandulis, in ventriculi cavitatem emiſſum, quô cibi deglutiti fermenteſcant, & in nutritionem idoneam abeant. Neque enim huic ſententiae obſtare credit, quod acida quandoque digeſtionem juvant, cùm id per accidens fiat, quando viſciditatem novâ fermentatione cum fermentô ventriculi orta, diſcindunt & diſſolvunt, vel etiam ventriculi plicas ad laevitatem tendentes iterùm contrahunt. Digreſſus hinc ad ſpiritum volatilem oleoſum Sylvii, vulgares ejus parandi rationes carpit, ipſiſque praefert alium modum, quô levi digeſtione paretur. Eſſe autem fermentum ventriculi noſtri ejuſdem indolis cum jam dictô ſpiritû, vel hinc conſtare putat, quod quamplurimùm in animali corpore ſalis volatilis elaboretur, (deſtillatione ex ipsô eliciendum) idque facile deinde cum chyli globulis oleoſis connubat. Vim autem digeſtivam liquorum volatilium probat experimentô cerebri vitulini, quod cum his potiùs, quàm aliis ſalibus, in liquamen abiit, additôque aniſi oleô flavedinem acquiſivit. Quibus propoſitis, ad fermenti volatilis oleoſi vim, quam in ſuccô chyloſô diſponendô & corporis partibus alendis exſerit, exponendam pergit. Contendit autem contra G. Charletonum, ſuccum illum nutritium membris non à nervis, ſed ab arteriis adferri, parum motus argumentô illiûs à celeri nimis ſanguinis motû deſumtô. Nequaquam enim concedit, tam rapidam eſſe ſanguinis celeritatem, quae impediat partium nutritiarum appoſitionem, ſed propter obliquam vaſorum inſertionem, ſatis aſſerit huic negotio accommodatam. Tam lentum autem ſucci nutritii motum non eſſe, ac in nervis à Charletonô concipitur, hinc colligit, quod non ſolùm infantes recèns nati, brevi quandoque tempore in magnitudinem inuſitatam excreſcunt, noſque ipſi, quantum ſingulis diebus inſenſibili tranſpiratione perdimus, ex alimentis reſarcimus, ſed in diabete quandoque ſeſquicongius ſucci nutritii excernitur: quae quidem omnia cum lentiſſimô illô ſucci nutritii per exiles nervos motû conciliari nequeunt, ſed celerem ſatis & promtam ejuſdem ſuggeſtionem requirunt. Deinde explicat Cl. Autor quomodò fermentum hoc ritè ſe habens famem ſitimque excitet; contrà verò, ſi à genuinâ ſuâ indole degenerârit, innumeras morborum cohortes poſt ſe trahat. Ultimô tandem locô de medicamentis ſtomachicis agit, cenſens, Poterii ſpecificum ſtomachicum & pulveres teſtaceos non magni eſſe momenti; praeſtare his pulverem digeſtivum Riverii, & ſal volatile oleoſum Sylvii rite paratum; elixir ſtomachicum vitrioli Mynſichti plus juſto laudari; vires elixir proprietatis ab admixtô ſpiritu quôdam volatili exaltari; ſalia lixivia fruſtra praeſcribi, niſi acidum aliquod viſcoſum lateat in ſtomachô; amaricantia palmam ferè omnibus praeripere, & ex Cortice Peruvianô tincturam contra affectus ventriculi praeſtantem poſſe elici.

COWPER (*Guilielmus,*) Chirurgus Londinenſis, tendinum ſuturam & reunionem poſſibilem eſſe ſingulari obſervatione oſtendit. Equidem plerique *antiquorum* & nonnulli quoque *recentiorum* dubitârunt imò negârunt, tendines planè diſſectos vel diſciſſos reuniri denuo poſſe; Nam *Hippocrates*, tendines ſeu nervos praeciſos non coaleſcere, diſertè docuit. *Ambroſius Paraeus* tendines ſectos, extremis ad unionem admotis conſuere, dolorum, convulſionum aliorumque horrendorum ſymptomatum metû, nunquam auſus eſt; Intereà tamen aliqui *eorum* aeque ac *illorum* huic Chirurgiae patrocinati ſunt, ut *Galenus Avicenna, Guido de Gauliaco, Marcus Aurelius Severinus, Johannes Veſlingius, D. Bienaiſe*, qui ſingularem tendinis conſuendi modum excogitavit, quem ſuperius jam retulimus, quemque plerique operatorum adhuc in praxi ſequuntur, *D. Vauguion,* Antonius Nukius aliique. Succeſſum ejuſdem operationis ſingulari obſervatione illuſtravit dictus *Cowperus* in hiſtoriâ de *magni tendinis inter ſuram & calcem tranſverſim diſſecti unitione atque curatione, interveniente ſuturâ.* Nempe vocatus *Auctor* ad fabrum lignarium, in tibiâ ſiniſtrâ de Gaſtrocnemiorum muſculorum magnô tendine tres digitos tranſverſos ſupra os calcis integrô diſſectô conquerentem deprehendit, ſuperiorem partem tendinis duos ad minimum digitos ab interiori ſejunctam. Ut itàque felicibus auſpiciis haec operatio ſuccederet, integumentis externis inciſis, extrema tendinis diſſecti denudavit; Quibus in conſpectum productis primùm acum, filô ſericô validô ac probè inceratô munitam per tendinem ad dimidium circiter digitum ſupra diſſectam extremitatem, alteram verò per eandem ſuperiorem tendinis partem paulò ſub priori trajecit, atque ſic utraque acû inferior diſſecti tendinis, pars perforata fuit. Pede extenſô, duo tendinis extrema vinculorum conſtrictorum ope ità ſibi invicem adaptata ſunt, ut, pede in iſtô ſitû perſiſtente, ſectae partes conjunctae ſervarentur. Poſt haec quatuor horum vinculorum terminis reſciſſis labia quoque vulneratae cutis unica utrinque punctura paulò ſuprà tendinis ſuturam adducta fuerunt. Quibus peractis ſplenium lineum balſamo therebintinae imbutum vulneri impoſitum & injectô aliô ſpleniô latô contectum. Conſuetis denique faſciis & pulvillis admotis, quô partes inflexae detinerentur, omniſque motio punctus tendini injectos forsàn perrumpens praecaveretur, ferula craſſior in modum arcus concinnè efformata, pedique ac tibiae anterius adplicata fuit. Tertiô ab operatione die vulnus eâdem ratione deligatum, & die ſextô nec non duobus inſequentibus ſincerae ſuppurationis primordia apparuêre & ſubſtantia quaedam albicans versùs ſuperiorem vulneris partem progerminare viſa, quae paucis diebus elapſis aucta, duoque tendinis extrema fungoſâ carne cooperta, donec decem ab operatione diebus praeterlapſis, & alterutrô tendinis vinculô relaxatô deprehenſô, diſciſſum & extractum tandemque alterum quoque vinculum eôdem modô relaxatum fuit remotum. Atque ità nondùm triginta dies elapſi erant, cùm claudus ſatis validè obambularet, donec tandem ſenſim ſenſimque uſus pedis ità reſtaurabatur, ut octavâ ab operatione ſeptimanâ omnes pedis motiones perfectè recuperaret, & ſine incommodô artem ſuam exerceret. Unde

Unde illud ſaltem addiſcimus, multas operationes ab antiquis pro impoſſibilibus judicatas eſſe, quæ in hodiernô Artis Chirurgicæ incrementô pro talibus ampliùs haberi non poſſunt. *Goelike Hiſt. Chir. p.* 328.

De eô extat in Actis Lipſ. ann. 1699. *p.* 49.

The Anatomy of Humane Bodies
i. e.
Anatomia Corporis Humani, Figuris ad vivum delineatis æque illuſtrata atque amplis earumdem Explicationibus, Obſervationes novas, cùm Anatomicas, tum Chirurgicas comprehendentibus &c. Autore Guilielmô Cowper, Chirurgô. Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1698. *in fol.*

INtegra Corporis humani Anatome, uti omnium elegantiſſima, ità & accuratiſſima, ab *Experientiſſimô* hic ſiſtitur *Autore*, qui ex editâ jam, *& in Act. ſupplement. Tom.* 2. *p.* 506. à nobis recenſitâ *Myotomia reformata*, magnum Anatomicos inter obtinuit nomen, cujuſque effigies in frontiſpiciô cum aliâ figurâ Anatomiæ etiam *Bidloi* præpoſita cernitur. Quamvis enim nitidiſſimarum figurarum *tabulæ centum & quinque* vix abludant ab iis, quibus *Clariſſ. Bidloo* Anatomiam ſuam, in *Actis* pariter à nobis *ann.* 1685. *p.* 295. commemoratam, exornavit: quoniam tamen nova primùm ad Anatomiam Introductio, hinc novarum Annotationum & Obſervationum ingens numerus fruſtrà quæ in laudatô *Bidloi* volumine quærantur, plures denique figuræ novæ *novem tabulis* comprehenſæ, unà cum indice, editioni noſtræ acceſſerunt, hæſitare meritò quis poterit, num Anatomia præſens pro novâ prorsùs, an pro *Bidloi*, auctiore tamen longè & correctiore, debeat haberi. Nempe poſtquam in præfixâ *Introductione* ſolennes œconomiæ animalis functiones, cùm naturales, tùm animales, è principiis mechanicis ſtrictim deductæ fuerunt, ante omnia quæ ſymmetria partibus externis in fœtû uterô etiamnum incluſô, infante ac adultô, non minùs ac in mare ac fœminâ intercedat, quæque habitudo muſculorum & aliarum partium in motibus diverſis occurrat, in prioribus trium tabularum explanationibus declaratur. Tum in reliquis ad Appendicem uſque tabulis harumque explicationibus non ſolùm aliquot centum loca litteris convenientibus anteà omiſſis ritè notantur & enodantur; ſed & obſervationes Anatomiæ, Chirurgiæ, & Pathologiæ illuſtrandæ cauſâ ſpiſſe adjiciuntur, quarum potiores ſicuti promiſcuè ab Autore proponuntur, ità ſi promiſcuè quoque à nobis nùnc indigitentur, haud ingratum Lectori fore ſperamus. Cuticula v. g. in aquâ maceratâ, pro diverſâ cutis craſſitie modò in duas, modò in tres vel quatuor dirimi valet lamellas, ſub microſcopii examen ſingularem ſquamularum contextum exhibentes. Cùm pericranium æque ac communis muſculorum tunica è pluribus laminis coaleſcat, perioſtium cranii, ſub muſculô etiam temporali locatum, inferior ſive interna pericranii, temporali muſculô ſuperincumbentis, reputatur lamina. Aneuryſma in arteriâ frontali riſus ſubitanei & vehementioris occaſione enatum, feliciter demùm curatum fuit, ubi os frontis per quod arteria dicta progreditur, cauteriô actuali eſſet inuſtum. Qui cerebrô & piâ meninge vulneratis, ſæpe in meninge dura & craniô propullulat fungus, abſque hæmorrhagiæ metû exſcindendus præcipitur. Ex ſtructurâ nervorum accuratiùs trutinata ipſorum ſpirituum animalium exiſtentia in dubium vocatur, quia hi liberum per nervos tranſitum vix inveniant, dùm nervi neutiquam tubuli exiſtunt per omnem longitudinem cavi, ſed poroſitas ipſorum cellulis, à vaſculis ſanguiferis oriundis & Globulos repræſentantibus, habetur interſtincta, itemque nervi in exortû perquam anguſtati hinc inde in progreſsû circa ganglia multùm dilatantur. Ipſi propterea globuli nervos interiùs conſtituentes ac ſibi invicem contigui, pro mediô agnoſcuntur, quod impreſſionem ab objectô in ſenſoriô externô factam ad ſenſorium commune deferat. Pingues glandulæ mucilaginoſæ intrà vertebrarum ſpecum pro humectandis membranis medullæ ſpinalis liquorem ſeparare dicuntur, interdùm adeò copioſum, ut effluat, quandò vertebræ ob medullam luſtrandam rumpuntur. In curâ fiſtulæ lachymalis, ubi tumor ſecundum ductum fibrarum orbicularis palpebrarum muſculi primùm inciſus, mox ſcalpellô profundè ſatis uſque ad os unguis ſive lachrymale adactô, arteria & vena canalem unà lachrymalem pertranſeuntes eum in finem reſectæ, nè à ſanguinis effluxû cauterium obtundatur, ipſum denique os lachrymale acutô cauteriô actuali, cannulâ ſuâ munitô, pro viâ lachrymis ad nares parandâ, pertuſum fuerunt, vulnus externum ad oſſis uſque exfoliationem haud apertum ſervandum jubetur, ſed calloſitate intra triduum vel quatriduum remota, & materia evacuata, ſtatim turundæ imminuendæ vulnuſque carne replendum ac cicatrice occludendum; quod foramen aliàs oſſi lachrymali inuſtum promptè denuò obturetur, ipſaque operatio repeti debeat, ramenta verò poſt cauterium ab oſſe dictô per exfoliationem ſecedentia commodè per nares ipſas queant eliminari. Pro cataractâ deponendâ non tam acus anguloſa, veluti vaſcula Choroideæ tunicæ latiùs lædens, ac ſanguinem eandem inter & ſcleroticam tunicam perniciosè effundens, quam rotunda in tunicam oculi adnatam ad majorem à pupillâ diſtantiam, quam plerumque ſolet, ſuadetur adigi. Si tumor in maxillâ inferiori ad anteriorem muſculi maſſeteris partem incidi debeat, quoniam ratio habenda arteriæ à cervicali aſcendentis & juxta inſertionem maſſeteris ſupra maxillam inferiorem antrorſum progredientis, nè incautè hâc reſectâ perículoſa hæmorrhagia concitetur, ideò ad Autoris exemplum cutim ſemper duobus in locis, utrimque videlicèt juxta arteriam, cauterio aliave ratione priùs perforare, & arteriam filô interceptam ad triduum vel quatriduum ſenſim ſtrictiùs conſtringere præſtat, quàm tutô eandem dividere. In corpore morbidô diſſectô uti dextra thoracis regio multa repleta fuit aqua, ità & pulmo ejuſdem lateris aquæ impoſitus fundum hujus petiit. Ex eô, quod cera in receptaculum lumbare injecta lymphatica etiam vaſa thymi aliarumque partium in ductum thoracicum ſuperius deſinentia diſtendat, thimum ipſum cum glandulis thyroidæis in fœtû diverticuli loco inſervire ſuperabundanti chylo, atque exin lacte turgere colligitur. Quæ venæ arteriæ bronchiali ſæpè reſpondent,in ramos ſubclavios terminari,vaſcula verò membranæ pulmonum ſanguinea,ab arteriis & venis pulmonalibus, itemque bronchialibus oriunda frequenter cum vaſis intercoſtalibus pleuræ combinari anſamque pulmonum

cohærentiæ

cohærentiæ cum pleurâ præbere aſſeruntur. In juvenculâ locô omenti non niſi acervus parvarum glandularum adfuit ſteatomatoſâ ſive pingui materiâ turgidarum, quales & externam ventriculi, inteſtinorum ac peritonæi membranam hinc inde occuparunt. Neque tantillùm pinguedinis in univerſô corpore perquam macilento comparuit; quod in abdomine duæ cum primis meſenterii glandulæ inſigniter tumæfactæ, receptaculum chyli comprimendo omnem hujus ad ſanguinem diſtributionem remoratæ fuerint. Inteſtinorum autem, quæ à pylorô ad anum uſque propter impeditum forſan motum periſtalticum infarcta fæcibus ac multis in locis inflammata, ipſa tenuia adeò arctè invicem coaluerunt, ut cerebrum quaſi piâ meninge tectum repræſentârint. Quâ occaſione mucus à peritonæô ſecerni reputatur, qui ſicuti cum exhalationibus omenti pinguibus linimentum aliquod conſtituat, externæ inteſtinorum ſuperficiei lubricandæ eòque ipſô motui horum periſtalticô facilitandô inſerviens, ità ſi vel deficiat, partes inter ſe coaleſcere, vel feroſior etiam excernatur, hydropem enaſci. Ventriculi duo enarrantur vulnera; alterum hypochondriô dextro, ſiniſtrô alterum gladio inflictum; prius, mox enormi ſanguinis vomitû atque ſyncope ſtipatum, haud lethale; lethale autem poſterius, in quô multus ſanguis cum copioſis ventriculi contentis in abdominis cavitatem fuit effuſus. Lieni humano, (qui ut diverticulum in Introductione conſideratur, quô ſanguis ſerô impregnatus ſecedat per venas ſplenicas in venâ portæ denuò ſanguini, à ventriculô, inteſtinis, pancreate, &c. remeanti craſſiori, motus hujus circulatorii per hepar neceſſariò promovendi gratia, affundendus) copioſiores; minores tamen, vindicantur cellulæ, intra venarum & arteriarum extremitates hiantes, ſine negotiô impulſione vel flatus in venam vel aquæ in arteriam, ſalva tantummodò membrana externa, demonſtrandæ. In humanô hepate, folliculô fellis evacuatô & ductû cyſticô ad aliquam ab iſtiûs cervice diſtantiam ligato, flatus copioſè in porum hepaticum intruſi nequicquam ad folliculum penetrat; nec mercurius ad hunc in quadrupedibus eâdem ratione propelli valet. Vaſis lacteis primi generis duplex adſcribitur exortus, alter ab extremitatibus arteriarum per mercurii in haſcè injectionem detegendus, & alter ab oſculis in cavum inteſtinorum hiantibus, quemadmodum ligamentis coli fibræ carneæ, fæcum excretionem promoventes, adſignantur. In procidentia ani internam potiſſimùm inteſtini recti tunicam relaxari exemplo viri nobilis comprobatur, qui hæmorrhoidibus & ani procidentia diu quidem vexatus & aliquandò à ſubitaneô exceſſû ipſius ani prolapſi & inflammati ſphacelum perpeſſus, perfectam nihilominùs ſanitatem ità recuperavit, ut poſteà nec hæmorrhoidibus, nec procidentiæ ani amplius eſſet obnoxius. In honoratiori Virô qui Viginti ante obitum annos urinam fœculentam excreverat, ren ſiniſter major deprehenſus fuit & laxiori texturâ præditus; flatuſque in ureterem immiſſus mox ad venam pervenit. Vaſcula ſanguifera in teſticulis glandulas conſtituentia longè minora quàm in glandulis aliis ex eô monſtrantur, quod mercurius in arteriam ſpermaticam injectus neutiquam per venam redeat, ſed extremitatibus perruptis intra tunicam potiùs albugineam colligatur neque lymphatica vaſa à flatû in arteriam ſpermaticam impulſo intumeſcant. In pudendo muliebri præter glandulas meatui urinariô adſitas inſignes duæ inferiùs propè anum notantur, quarum canaliculi ad radices caruncularum myrtiformium pateant. Vaſorum uteri cum vaſis uterinæ placentæ communicatio injectione mercurii evincitur, dum hic in arteriam matris hypogaſtricam intruſus per venam umbilicalem placentæ remeat, in arteriam autem placentæ injectus per venam hypogaſtricam matris regurgitat. Fundus autem uteri ſi poſt partum vel abortum tumidus perſiſtat, occaſionem hæmorrhagiæ ſæpè lethali præbere ratione orificiorum patulorum meritò aſſeritur. Licèt amnios tunica videatur tranſparens, vaſcula tamen ſanguinea à vaſis umbilicalis chordæ oriunda detegi queunt copioſa arteriæque venis continuæ, ſi mercuriô in arterias & venas injectô microſcopium adhibeatur. Notabile ulcus paulò ſuprà trochanterem majorem fiſtuloſum; quam ſæpiùs anteà reſpuit medelam, ſatis promptè admiſit, cum ſubſtantia cartilaginis inſtar dura fundum ſinus aperti occupans, ut potè muſculô glutæô mediô inſtrata & eſcharoticis minimè cedens, ab Autore eſſet exciſa. Ductus excretorii mucilaginoſarum genu glandularum, in ſitû oſtenſarum, humorem contentum non æque per orificia patula ac in glandulis v. g. faucium evacuant, ſed in lacinias potius ſive fimbrias ultra ſuperficiem glandularum protenduntur, intra ſinum articulationis flaccidè propendentes, quô oſculorum non minùs obſtructio & mucilaginis regurgitatio quam nimia humoris mucilaginoſi excretio arceantur. In non nemine, qui à primis annis vehementi cephalalgiæ obnoxius ex apoplexiâ demùm obiit, veſtigia vaſorum calvariæ impreſſa per quam notabilia & quaſi pellucida apparuerunt, ob vaſa duræ meningis calami craſſitiem æquantia. Membranula dentis radicem intrà alveolum externè inveſtiens haud difficulter reperitur, ubi è vivô vel recens mortuo is extractus & per aliquot dies in aquâ maceratus fuerit. In Virô magni nominis diſſectô cauſa promptè patuit, cur ante diſceſſum ille de paralyſi partium inferiorum ſimulque inſigni dolore circa octavam & nonam vertebram dorſi ac imprimis hypochondrii dextri fuerit conqueſtus, præterquam quod propter ſpinoſum aliquem proceſſum; nimis tunc ibidem prominentem nè quicquam attactus perferre valuerit; etenim cùm viſcera extracta & arteria magna cum ductû thoracicô à vertebris ſeparata eſſent, circa has non ſolùm tumor, ſed & hôc inciſô & materia ſubfuſca evacuata, vertebra nona anteriùs & ſuperiùs, octava autem inferiùs carie ità conſumptæ comparuerunt, ut per foramen digitus ad medullam ipſam ſpinalem facilè immitti potuerit. Luxatio acromii cum Claviculâ connexi traditur in iis aliquoties, qui ex altô in ſummum humerum corruerunt, ab Autore obſervata, haud difficulter cognoſcenda, ſi extremitate claviculæ externâ protuberante ſcapulâ cum humerô depreſſa fuerit. In puerô decem vel duodecim annos agente ſingularis humeri annotatur fractura, dum appendix hujus ſuperior à reliquô eſſe ex perpeſſâ injuriâ externa, diſceſſit, humerique motum æquè læſit, ac ſi humerus à ſcapulâ fuiſſet luxatus, poſt reductionem tamen humeri ad figuram convenientem & emplaſtri de ſapone, ſanguinem congrumatum reſolventis, applicationem brevi ab *Auctore* reſtituta. Neque ſilendum omninò, præter exactiorem muſculorum deſcriptionem, *Bidloi* aſſerta & ſchemata ſubinde à *Noſtrô* corripi & corrigi, e. g. meningem cerebri intermediam nonniſi externam piæ meningis lamellam

lam haberi. Nervorum paria per calvariam prodeuntia præter neceſſitatem multiplicari plerumque. Choroideum nervuli omnis eſſe expertem. Fibras carneas circa naſi alas neutiquam occurrere circulares. Neque ductum ſalivalem inferioris glandulæ maxillaris tali reperiri facile, quali à *Bidloô* delineatur. Muſculos item laryngis vitiosè depingi. Multô minùs lobulos pulmonum ea figura ſeparari poſſe, quali à *Willisiô* repræſentantur. Radices cyſticas vaſcula potiùs mera eſſe ſanguifera. Ductus thoracici inſertionem falsò depingi in ſubclavia vena dextra. Tubulos umbilicalis chordæ ſucciferos, placentæ uterinæ glandulas atque tunicam allantoideam hactenùs ab *Auctore* noſtrô fruſtrà indagata fuiſſe. Apophyſin humeri externam & internam perversè invicem confundi. In figuris oſſium pedis ſecunda digitorum internodia penitùs negligi. Tandem in *Appendice*, cum copiosô *Indice* adnexa, quadraginta figuræ in novem tabulas digeſtæ, ac partes in *Bidloi* tabulis vel plane omiſſas v. g. muſculos omnes externos in ſitu, glandulas inguinales, labiorum, epiglottidis, ſubclavias, tonſillarum conformationem; vel minùs accuratè delineatas, v. g. arterias in fœtû, organum auditûs, laryngem, linguam, veſiculas ſeminales, baſin calvariæ & cerebri, muſculos varios &c. exhibentes repræſentantur, ſufficientique textû, exquiſitis Obſervationibus Anatomicis refertô: dilucidantur: quarum nonnullæ etiamſi *in Myotomiâ Autoris* ſuperius laudata, itemque *in Ridley Anatomia Cerebri*, *in Actis ann.* 1696. *p.* 201. memorata deprehendantur, multæ tamen novæ penitùs exiſtunt.

Ibidem, *Ann.* 1700. *p.* 23.

Hiſtoria de Magni tendinis ſuram inter & calcem transverſim diſſecti, ſuturâ interveniente, unitione ac curatione, additis annotationibus, coram Societate Regiâ recitata à Guilielmo Cowperô Societatis laudatæ Membrô. Ex Actorum Philoſophicorum Anglicorum Menſe Majô, ann. 1699. *ſive N.* 252. *Latinè reddita.*

AD *Thomam Weatlhy*, fabrum lignarium, triginta annos agentem, ac in tibiâ ſiniſtrâ de gaſtrocnemiorum muſculorum magnô tendine, tres digitos transverſos ſupra os calcis, integrô diſſectô conquerentem accerſitus nuper, primô Februarii die, ſuperiorem tendinis partem duos ad minimum digitos ab inferiori ſejunctam deprehendebam. Acubus tamen ei operationi, quam in animô volvebam, ſatis proportionatis haud inſtructus, domum repetere eaſdemque inde afferre, habebam neceſſe; rediens verò Dominum *Gooddiar*, experientiſſimum Chirurgum, qui præſens eſſet, ac in operatione ſequenti mihi aſſiſteret, advocabam.

Apparatû omni inſtructô, atque in duas vel tres magnas acus ſericô filô validô & probè inceratô immiſsô, ante omnia integumenta externa incidenda mihi erant, quô diſſecti tendinis extrema denudarem. Hinc acum primam per tendinem ad dimidium circiter digitum ſuper diſciſſam extremitatem, alteram verò acum per eandem ſuperiorem tendinis partem paulò ſub priori trajiciebam, nè fila duo ſibi invicem occurrerent, ſeque in tendinis mediô decuſſarent. Hinc utrâque acû diſſecti tendinis pars inferior eô perforabatur modô, qui indigitatur. Pede extenſô, duo tendinis extrema vinculorum conſtrictorum ope ità ſibi invicem adaptabantur, ut, pede in iſtô ſitû perſiſtente, ſectæ partes ſervarentur conjunctæ. Verùm quatuor vinculorum horum terminis reſciſſis, labia quoque vulneratæ cutis unicô utrinque punctû paulò ſupra tendinis ſuturam adducenda ſibi invicem videbantur. Quô peractô, ſplenium linteum, Terebinthinæ Balſamo intinctum vulneri imponebatur, impoſitumque aliô latô ſpleniô lineô & *Linimentô è Gummi Elemi* imbutô tegebatur. Conſuetis denique faſciis, pulvillis &c. admotis, quô partes inflexæ detinerentur, omniſque motio punctus tendini injectos forſan perrumpens præcaveretur, ferula omninò craſſior, in modum arcûs concinnè efformata, pedi ac tibiæ anteriùs à me erat applicanda. De dolore exquiſitô quærebatur æger, cum acus per ſuperiorem tendinis ſecti partem traducerentur; quamvis in ipſô diſſectionis locô vix digitum meum perciperet. Nec dolebat, ubi acus per inferiorem partem tendinis adigebantur. Poſtquam ſanguis in brachiô ad quatuordecim uncias evacuatus eſſet, diſcedebam ab in eô lectô recumbente. Sex horis elapſis (circa octavam circiter veſpertinam) pulſum ejus aliquantò majorem quàm anteà obſervabam. Unciam tùnc unam ſyrupi de Meconiô aſſumebat. Proximô mane conditionem ipſiùs haud pejorem cognoſcebam. Nonnihil hâc nocte ſe dormiviſſe, à lancinationibus ſolùm in ſurâ tibiæ vulneratæ ſæpiùs expergefactum, commemorabat. Tertia ab operatione die, vulnus eadem ac anteà ratione deligabam, fomenti tantummodò vice decoctum abſynthii, ſalviæ, roris marini, foliorum lauri &c. adhibendo. Die quartâ ab operatione faſciatio circa vulnus multô humore ſerosô, ſynovia, qui vulgò audit, madefacta occurrebat. Sextô die materies paulò craſſeſcebat, cute autem circa vulnus parùm diſtenta, ſuturam ultimam cogebar reſcindere, quo puri, duobus inſequentibus diebus magis adhùc ſpiſſeſcenti, adeòque ſynoviæ imminutæ, liberior pateret exitus.

Hoc circiter tempore duo tendinis extrema non parùm dilatabantur, & ſubſtantia quædam albicans, verſus ſuperiorem vulneris partem, in eô progerminabat; cui loco Balſami Terebinthinæ Tincturam Myrrhæ applicabam. Paucos dies poſt, ſubſtantia iſta augebatur, duoque tendinis extrema fungosâ cooperiebantur carne; certiorem me reddente, vaſcula ſanguifera & tubulos nutritios à duobus vinculis prioribus haud fuiſſe compreſſa. In uſum poſteà vocabam ſicciora, nùnc ſplenia ſolùm lintea, nùnc verò pulverem terebinthinæ, admovendo. Decem circiter ab operatione diebus præteritis, alterutrum tendinis vinculum deprehendens relaxatum, diſcindebam, & extrahebam; nec modô diversô alterum vinculum removebam, cùm poſt duos vel tres dies pariter laxum illud eſſet. Pars intereà temporis ſemper ferulæ ſuperiùs indigitatæ adjumentô ſervabatur inflexa.

Sæpiùs tenebar levia eſcharotica adhibere tendinisve fungum abſumere. Triginta nondùm abierant dies, cùm valdè claudus obambularet, neque multi dies interjecti, cùm totum S. Jacobi vivarium pedibus ſe peragrâſſe aſſereret. Nulla tamen inſequebatur moleſtia, etiamſi ipſe aliquod opus artis ſuæ quotidie ſedens efficeret; pedis potiùs uſus magis magiſque reſtaurabatur, in tantùm, ut vigeſimô ſextô die Martii (quô octavâ ab operatione ſeptimanâ, complebatur,) Grenovicum expatiaretur, magnam ibi balænam in littore proſtratam viſurus, paucarumque horarum ſpatiô inde reverteretur. Omnes pedis motiones

tiones nunc perfectè recuperavit, eundum inter vix claudicans, nec incommodi quicquam artem ſuam exercens percipit.

Quòd ſi tot hiſtoriæ hujus circumſtantias particulares tædioſiùs recenſuiſſe videar, excuſabor quodammodò, quod tam in genere modus conſuendi tendines infrequens, quàm exempli hujus raritas in ſpecie, neceſſitatem impoſuerint nullam omittendi circumſtantiam, cùm multi eorum, qui Operationes Chirurgicas accuratè deſcripsêre, futuram tendinum vel planè negligant, vel ſaltem improbent, alii autem ejus praxin multò ab eâ differentem, quàm hic tradidi, exhibeant.

Annotationes.

Apud omnes Authores, quos hâc occaſione conſului, non niſi unicum caſum ſimilem reperire licuit, à Veslingiô, accuratiſſimô ſui ævi Anatomicô, nudè quidem, non tamen ſine admiratione inſigni, enarratum.

Communis fert opinio, diſſectorum tendinum ſuturam periculoſam, ſi non impoſſibilem, eſſe; neque Chirurgicos inter ſcriptores defuêre, qui conjecturam talem approbarent. Equidem, *Ambroſii Paræi opera*, magni facere convenit, (ſpeciatim, quod in artuum amputatione pro ſanguinis effluxû inhibendo arteriarum extrema ligari optimè jubeantur, atque adverſus obſtinatum adverſarium, *Bartholomæum Perdulcem* ſtrenuè defendantur, qualis praxis & nuper apud nos exoptato revixit,) laudatuſque Autor de genere humanô præclarè meruit. Hic tamen neutiquam prætereunda, quæ *Lib. 9. C.* 36. protulit; *Quidam Chirurgi*, inquiens, aliquandò auſi ſunt, cùm tendines penitus ſecti eſſent extremis admotis, conſuere ad unionem. Id tamen ego tentare nunquam ſum auſus, doloris, convulſionis, & ſimilium horrendorum ſymptomatum metû. Quod (pergit) ad craſſi illius tendinis, qui in cruris ſura ex trium muſculorum concursû conflatur, adque calcem pertingit, vulnera, animadverti illum enſe reſectum, vulnera relinquere diuturnæ & difficilis conſolidationis, quin etiam cicatrice tandem obductâ, cùm primùm è lectô reſurgens in viam ſe daret æger & incedere conaretur, recrudeſcere illa iterumque dehiſcere.

Opportunitas aliquandò dabatur idem in dicti tendinis vulnere obſervandi, eô ipsô nihilominùs Chirurgos à conſuendô ipsô, ſi integer diſſectus fuerit, haud terreri debere, exemplum modò in medium allatum ſatis evincet.

Hippocrates Lib. 1. *de Morbis* VII. 21. ejuſmodi opinioni videtur favere, quòd nervus ſive tendo præciſus ac diſſectus non coaleſcat; nec ullibi (quantum mihi conſtat,) ſuturæ ejus mentionem injecit.

Etiamſi verò nec *Galenus* diſſectorum tendinum ſuturam ſuadeat; *Guido* tamen, *Tract.* 8. *Doct.* 1. *cap.* 4. è verbis, quibus *Galenus de Meth. Medend. Lib. 6. c.* 3. *curationem nervi præciſi cum eâ communem* aſſerit, *quæ aliorum eſt ulcerum*, nititur colligere, praxin talem tacitè *à Galenô* ratam haberi, *quod alia ulcera ſuuntur, ut ſerventur partes adductæ.*

Avicenna, *Fen.* 4. *T.* 4. *Cap.* 2. dicit: ſi autem difrumpatur in latitudine nervus, tunc neceſſarium eſt ſuere ipſum, & ſi non, non conglutinatur. Cùm *Avicennâ* conſentiunt *Gul. è Salicetô Lib.* 2. *cap.* 9. *Rogerius Lib.* 3. *cap.* 13. *Lanfrancus Lib.* 2. *c.* 9. *Doct.* 3. *cap.* 3. *& in Chirurgiâ parvâ c.* 4. *Nicolaus Florentinus* de tendinum ſuturâ pariter loquitur, itemque *Brunus* L. 1. c. 5.

Guido operationem hancce propugnans ad eorum objectiones reſpondet, qui partes iſtas per primam intentionem haud denuo coaleſcere, ideòque ſubſtantiâ aliqua extranea, pororum continuitatem lædente ac vias ſpirituum obſtruente, reſarciendas eſſe contendunt, dum, *vidi*, ait, *& audivi in multis Nervos & Tendines inciſos, & eos ità reſtauratos ſutura, & aliis auxiliis, ut poſteà incredibile videretur ipſos fuiſſe inciſos.*

Marcus Aurelius Severinus itidem ſuturæ tendinum patrocinatur: fatendum tamen, ex *Ambroſiô Paræô* falsò aliquem locum ab eô allegari. Edocet namque ibi *Paræus*, *thecam* ex ferrô albô efformandam ſe curaſſe, in quam pollicem indiderit, ejuſque mediò erectum detinuerit, poſtquam tendines eundem erigentes planè reſecti fuiſſent; neutiquam verò ejuſmodi tendines denuò conglutinatos adſtruit, prout *Severinus* innuit. Cujus erroris *Petrus de Marchettis Obſerv.* 63. non ſolùm *Severinum* arguit ſed & perſtringit, quòd ipſam tendinum ſuturam commendaverit.

Felix Wurtz cum propria, tum aliorum aſſeverat experientia, tendines penitus diſſectos ſuturæ adminiculô coaleſcere.

Doctiſſimus atque ſolertiſſimus *Johannes Veslingius in Epiſt.* 15. *ad Fabricium Hildanum* perſcripta, ubi Galenum de tendinum vulnere parum ſibi conſtare, è diverſis monſtrat locis) exemplum aliquod noſtro haud abſimile adducit, *vidi*, inquiens, in *parentis mei amanuenſe Othone Loſerô tendinem à gaſterocnemiis & ſoleo muſculis conflatum, paulò ſuprà calcis os diſſectum, ſuturis aliquot à Chirurgis conjunctum. In Arabe item*, (*adjungit*) *cui acinace tendo à tibiæ extenſoribus conſtitutus tranſverſim ſub patellâ genû vulneratus, ſimilem in modum à Tunitariô Chirurgô adducebatur. Deteſtabar hominum audaciam: ſed felix ſucceſſus & vix notabile à peracta curatione detrimentum timoris vanitatem arguebant.*

Dn. Bienaiſe tendinum diſſectorum ſuturam perhibetur in uſum revocâſſe *Miſcellanea Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *A.* 3. *Obſ.* 121. & *Dn. Verduc* rationem, quâ eandem ille adminiſtraverit, diverſimodè exponunt; methodus tamen prior *in Miſcellaneis* indigitata votô haud reſpondere videtur, nec altera, quam *Verduc* tradit adeò certa eſt & evidens.

Dn. Vauguion in Operationibus Chirurgicis (Anglicè nuper verſis) exhibendo modum *Dn. Bienaiſe*, veſtigiis *Dn. Verduc* inſiſtit; uterque videlicèt in eô conſpirant, unam tendinis reſecti extremitatem ſuper alteram eſſe adducendam, quod tamen in præſenti casû haud factum, nec aliis occaſionibus id neceſſarium reputo, neque proficua tot in ſuturâ tendinum ſplenia, de quibus verba faciunt in ipſis eorum ſcriptis legenda.

Equidem præter hos & alii habentur, qui operationes Chirurgicas Gallicè deſcribentes rationem conſuendi tendines oſtendere præſumunt, in *Dn. Bienaiſe* methodô tamen videntur acquieſcere.

Nuck in Operationibus Chirurgicis inter alia ſequentibus eam exprimit verbis. *Parte læsâ decenter locatâ duobus in locis unamquamque tendinis extremitatem perforamus; filumque ſericum cerâ obductum trajicimus; hinc interpoſita ſuberis aut corii particula extremitatum adductio filorumque adſtrictio certior redditur, neque etiam*

tendinis extremitates adeò facilè, ac omni ſpleniô omiſſô, lacerantur, nùm verò alterutra tendinis extremitas ſuper alteram debeat adduci, ne verbô quidem innuit.

☞ Aſt quamvis tot ſcriptorum auctoritas ex parte apud me prævaluiſſet, ut de ſucceſſû ejuſmodi operationis benè ſperarim, aliorum tamen non infimi ſubſellii contradictiones animum tenuiſſent ſuſpenſum, niſi aliquandò in tendine tibiæ equinæ inſignia vaſa ſanguifera videre licuiſſet, tunc enim perſuadebar, tendines etiam planè diſſectos æquè ac oſſa & alias partes, poſſe conglutinari, modò partes vicinæ illæſæ & duo tendinis extrema, ſolerter ſibi invicem ſine ullâ vel ſaltem notabili vaſorum ſanguineorum compreſſione; adductæ eſſent. Diſtributionem vaſorum ſanguiferorum repræſentat adjecta figura, in qua truncus cum ramis ad tendinis fibrillas protenſis exhibetur; num autem vena eſſet, an arteria, in iſtô quidem ſubjectô haud poteram diſcernere; probabiliter tamen in ejuſmodi magnô tendine utrumque vaſorum genus ſimili diſpenſatur ratione. Eò nihilominùs inclinat ſententia, parilem vaſorum ſanguiferorum diſtributionem in præſentis exempli tendine diſſectô haud reperiri, ſed vaſa ejus ſanguiflua internè propè digitorum ac tarſi muſculos accedere & recedere. Id quod ab eô notandùm qui in ſimili caſû operationem aggreditur, ne pinguedinem & membranas propè dictos muſculos à tendine ſeparando communicationem hujus cum vaſis ſanguiferis unà tollat.

Ibidem Annô 1702. *p.* 499.

Glandularum quarumdam, nuper detectarum ductuumque earum excretoriorum Deſcriptio, cum Figuris Autore Guiliellmô Cowper, Chirurgo Londinenſi, S. R. S. Londini impenſis S. Smith, & B. Walford a. 1702. *in* 4.

QUam duarum glandularum, in membrô virili ab *Autore* Clariſſimô repertarum, in *Actis noſtris Menſæ juniô a.* 1700. *p.* 255. ex Anglicanis Actis latinè redditam exhibuimus deſcriptionem, eandem & *Noſter* hic in Latinum ſermonem à ſe tranſlatam ſiſtit, nova tamen ſimul glandula, noviſque figuris locupletatam. Ab illo namque tempore porrò in ipsô corpore humanô aliam inſuper glandulam, ejuſdem cum antecedaneis uſus, in angulô curvaturæ urethræ, ſub oſſibus pubis, in eâ parte perinæi, quæ ano adjacet, unà cum duobus excretoriis ductibus in urethram hiantibus obſervavit. Ut eò felicius autem nova hæc glandula dictô in locô inveſtigetur, corpus cavernoſum ſecundum longitudinem, uſque ferè ad internam urethræ membranam, jubet incidere, hincque caute à membranâ ſeparare. Magnitudinem ac figuram ejuſdem glandulæ, pariter atque ductuum excretoriorum oſcula, ad digiti circiter quadrantem infra priores in urethrâ quærendâ, in figuris, à nobis etiam tranſcriptis, curavit exprimi.

Ibidem Anno 1704. *p.* 21.

Deſcriptio Modi, quô ſanguis ex arteriis ad venas moveri per microſcopia in quadrupedibus vivis viſus fuit, ſuppeditata à Guilielmô Cowperô Societ. Reg. ſociô. Excerpta ex Actis Philoſoph. Angl. Anni 1702. *n.* 280.

EX quô Circulatio ſanguinis per cor, pulmones & vaſa ſanguinea majora, ab Harveô demonſtrata fuerat, modus, quô arteriarum vaſa capillaria ſanguinem ad venas tranſmittant, dubius adhùc erat donec per microſcopia Leewenhôekiana extremitates horum vaſorum in piſcibus, ranis, &c. continuas eſſe, fuit detectum. Verum enim verò non defuerunt, qui in humanis & quadrupedum corporibus idem contingere dubitārūt ex eô quod hæc phænomena nonniſi in piſcibus & amphybiis, quæ unicô ſolùm in corde ventriculô inſtructa ſanguinem actû frigidum obtinent, fuerint viſa, (exceptô veſpertilione, in quô hæc obſcurè admodum apparuêre) imprimis cum ſanguis harum creaturarum tantô cum impetû, quo in animalibus duobus in corde ventriculis præditis, circulari non ſoleat. In omnibus enim animalibus, quæ duos habent in corde Ventriculos, vaſa ſanguinem ex totô corpore redeuntem cordi reddunt eôdem tempore, & in eâdem quantitate; ac vaſa pulmonalia, non obſtante viarum diſcrimine.

Hæc differentia circa præcipua circulationis ſanguinis organa in dictis creaturis, anſam mihi dedit, inſtituendi experimenta hæc in animalibus, quorum organa equidem quoad figuram minorem, non autem quoad ſtructuram intimam ab humanis differunt.

Quem in finem felis 10. vel 12. dies nati & aſſeri affixi omentum per microſcopium contemplatus, ſanguinis Globulos velociſſimè intra vaſa exiliſſima, quæ non niſi in pellucida membranæ omenti parte viſui ſe offerunt, motos obſervavi; ſed hic motus mox remittebat, & ejus globuli à vaſorum extremitatibus reducebantur; ac paulo poſt, in ramis majoribus ſtagnare cœperant.

Hoc experimentum non ſemper eôdem ſucceſſû adornabatur, aliquandò tamen copia mihi fiebat canis macri, non adeò magni, in cujus omentô non ſolùm dicta phænomena egregiè apparebant, ſed meſenterium ejus certô inſtrumentô expanſum, omnia meliùs exhibebat; hæc enim pars majora, magiſque diaphana ſpatia, & vaſa ſanguinea magis regulariter habet diſtributa.

Qui per microſcopia partes creaturarum viventium tranſparentes luſtrabit, extremitates arteriarum & venarum non ſemper in vaſa capillaria abire, uniri tamen invicem obſervabit. In caudâ lacertæ aquaticæ & pleriſque piſcibus, quos examini ſubjeci, quaſdam ſæpè vidi communicationes arteriarum & venarum per quas plures quàm duo globuli ſanguinis ſimul tranſire poterant, & in eâdem areâ alias, quæ unicum tantùm tranſmittendi capaces erant globulum lentè procedentem.

In piſcibus Junioribus, imprimis in anguillis parvis, ſæpè adeò anguſtum vidi ramum communicantem, ut unicus globus vel intervallo vix tranſgredi potuerit; aliô tempore majora advertere licuit intervalla, ità ut quandoque ſemi minutum quandoque integrum, imò aliquandò vel requirerentur, antequam unus globulus ſuperâſſet ramum communicantem.

Promtus liquorum in arterias ſplenicas injectorum tranſitus ad venas, communicationes horum vaſorum ibidem magis patere, quàm in reliquis corporis partibus, planè evincit.

Liquores in arteriam pulmonarem ad venas non adeò libere ac in ſplene, transferuntur.

Extremitates vaſorum ſanguiferorum in pulmonibus ranæ viventis cùm conſiderarem, vidi ampliores communicationes quàm in membrana inter digitos earumdem intercedente. Nec facilè quis ſimiles communicationes, arterias inter & venas, in pulmonibus humanis & quadrupedum, in dubium vocabit, qui perpendet, ſanguinem

guinem ex eorum pulmonibus, in æquali temporis menſurâ & quantitate, ad cor redire ac reliquus ſanguis ex totô corpore redit, prout jam diximus.

Atque exin apparet, quàm neceſſaria ſint vaſa bronchialia, à Ruyſchiô detecta, pro nutriendis pulmonibus & ſecernendo liquore, ex glandulis bronchiorum; id quod à ſanguine per arterias pulmonales allatô & velociſſimè per pulmones rapto, expectari neutiquam poterat.

Membranam digitos pedum in ranâ diſtinguentem contemplaturus, cùm pedem alterutrum ſæpè digitis meis tenerem microſcopiô applicandum, ea membrana diaphana nullum monſtrabat motum globulorum, ſed pauló poſt redibat ſanguis, jucundô ſpectaculô in omnes arterias, & venas, repens quaſi, & eaſdem ſucceſſive replens.

Dum igitùr ſanguis lentè, prout dictum, ad venas prorepit, globuli, à contractis vaſorum lateribus, in figuram ovalem plus minus oblongam comprimuntur; id quod plus ſimplici vice in lacertarum caudâ obſervavi.

Ibidem, *ann.* 1705. *pag.* 110.

Epiſtola Guilielmi Cowperi, Societatis Regiæ ſocii, ad D. Eduardum Tyſon data, Anatomen earum Marſupialis Americani maris partium, quæ à fœminæ partibus diſcrepant, exhibens. Excerpta ex Actis Philoſophicis Anglicis Menſ. Mart. 1704. *n.* 290.

Ibidem Annô 1713. *p.* 448.

Relatio eorum, quæ in diſſectô cadavere Dn. Dove obſervavit Guilielmus Cowper, Chirurgus, ſocietat. Reg. Socius. Excerpta ex Actis Philoſoph. Anglic. a. 1712. *n.* 335.

SI occaſio fuiſſet oblata, citiùs communicaſſem, quæ in D. Dove diſſectione annotaverim. Cadaver diverſis in partibus nigrum, cœruleum, lividum variumque præ ſe ferebat colorem, antequam illud inciderem: ſpeciatim dorſum (cui ſanguis inhærebat ſuffuſus) nigredo cadaveroſa occupabat, ubi cuticula hinc inde in veſicas à ſerô erat elevata ſive diſtenta, quale quid ante mortem haud comparuerat.

Muſculi abdominis ſphaceloſi deprehendebantur, ut potè ſub nigrô cœruleô colore infecti Hepar omne ſphacelo erat correptum. Lienis ſuperficiem latè maculæ nigræ obſidebant. Utraque hæc pars levior occurrebat, quam in ſtatû naturali dum portiones utriuſque innatarent æquæ, pluſque aëris continere videntur, quàm pulmones in naturali alias ſtatû ſolent. Reliqua infimi hujus ventris viſcera haud adeò pravè erant conſtituta, licèt inteſtina maculis nigricantibus hinc inde notarentur.

Muſculorum pectoralium diſpoſitio paulò melior advertebatur, quàm abdominis, nec muſculi intercoſtales ſimiles erant lumborum muſculis. Cuncti videlicèt muſculi, reſpirationi vacantes, plus minùs nigricantes mihi videbantur. Dextri pulmonum lobi cernebantur morboſi, idemque thoracis latus parùm ſeri comprehendebat. Alterius autem lateris pulmones à præternaturali conſtitutione exiſtebant immunes. Cor verè flaccidum erat & amplum: ventriculus dexter & vena cava polypos haud exiguos continebant. Vena pulmonalis prope cordis baſin nimiùm dilatabatur: Ventriculus cordis ſiniſter parvum polypum multumque ſanguinem grumoſum recondebat. Arteria magna verè tenuis exiſtebat, nec leviter diſtenta apparebat, exhibens unà corpuſcula quædam cartilaginoſa, ſuis tunicis intertexta.

In capite mater dura cum ſuperiori calvariæ parte arctiùs cohærebat, quàm ut potuerit ſeparari. Ex ſupremâ cerebri venâ, quæ ſinus falſis ſuperior audit, eximebatur polypus.

Arteriæ carotides verè tenues erant & ampliores, quàm debebant, priuſquam cerebri ſubſtantiam intrarent. Breviter omnia vaſa ſanguifera, a me examinata, nimium videbantur diſtenta, tantôque flatû, ac ſanguine, turgida.

Ibidem, anno 1694. *Supplem. Tom.* 2. *p.* 506.

Myotomia reformata:
Or, a new Adminiſtration of all the Muſcles of Humane Bodies
ſive
Adminiſtratio nova cunctorum corporis humani Muſculorum; in quâ veri uſus muſculorum explanantur, errores ſuperiorum Anatomicorum circa eoſdem confutantur, ac muſculi diverſi hactenus ignoti deſignantur, unà cum figuris ad vivum expreſſis. Autore Guilielmo Cowper, Chirurgo. Londini, apud Sam. Smith, & Benj. Walford, 1694. *in* 8.

INduſtrius *Autor* ex repetitis cadaverum humanorum diſſectionibus probè cognovit, à *Veſalii & Fallopii* temporibus parùm hucuſque incrementi acceſſiſſe Myologiæ, à multis licèt pertractatæ ſcriptoribus, ſed veterum circa muſculos aberrationes multiplicari magis, quàm corrigi à recentiorum pleriſque, nec ſympatriotâ ſuô Johanne *Brown* exceptô, dum autopſiâ accuratiori neglectâ potiſſimum alios exſcribunt. In gratiam proin publici univerſam muſculorum doctrinam utiliſſimam in præſens reformare voluit, eamque tum ab Autoribus excultam emendare; genuinâ muſculos ſecandi ratione ſubnexâ, tùm obſervationibus novis locupletare, tum figuris deniquè illuſtrare, quæ non modò muſculos novos à ſe inventos; ſed & notos nonnullos, verùm à *Veſaliô, Caſſeriô & Bidloô* minùs exactè repræſentatos, ad vivum ſiſterent, atque ſcheletide ſuper conformationem, & à pectore & a tergô, pro muſculorum ortû, progreſſû & terminis deſignandis exprimerent. Quemadmodum verò obſervationes novæ vel muſculos novos, vel aliorum ſcrutinium, diligentiùs quoad originem progreſſionem atque inſertionem, vel uſum denique muſculorum concernunt: ita potiores earum ſpeciminis ergò promiſcuè hic excerpemus: ſcilicèt, poſtquam muſculorum texturam motumque in genere explanavit Autor, ab abdominis muſculis incipiens, obliquos horum, cùm deſcendentem, tùm aſcendentem, à proceſſibus lumborum tranſverſis ex parte oriri, contra communem Autorum ſententiam pernegat. Acceleratorum penis ſive urinæ principium ab ipſius urethræ penis parte ſuperiori, dum ſub oſſibus pubis progreditur, derivat. A levatoribus ani, quatenus proſtatas & veſiculas ſeminales ſimul comprimere valent, ſeminis quoque emiſſionem in coitû promoveri aſſerit. A muſculô oculorum obliquô ſuperiori poſteriorem bulbi oculi partem verſus trochleam moveri, hâcque ratione & globum quodammodò antrorſum trahi & pupillam deorſum dirigi, è contrariò ab obliquô inferiori poſteriorem partem bulbi ad externum angulum palpebræ inferioris adduci, ſicque pupillam ſurſùm, globum verò integrum quodammodò extrorsùm ferri, ex ſitû

ſitû trochleæ; atque obliqui inferioris exortu colligit; ſicuti oculum ab utroque obliquo non ſolùm recta antrorſum moveri, ſed & in ſitû detineri, quandò ab aliquô rectô is retrahitur, annotat. Buccinatorem, ordinibus fibrarum diverſis haud inſtructum, nec eâ figurâ præditum, quæ vulgò ipſi tribuitur, anteriùs ab acutô maxillæ inferioris proceſsû, qui corona audit, deducit, terminum ejus ſuperatis gingivis, quibus utrinque adhæret, in labiorum angulô quærens. Inter proprios labii inferioris muſculos non ſolùm depreſſores, verùm elevatores quoque recenſet, à nemine adhuc deſcriptos, intrà labium inferius ita lòcatos, ut principiô carneô inferiùs à gingivis ad dentes inciſores pertinentibus recta ad inferiorem cutis menti portionem, cui inſeruntur, deſcendant. Auris internæ quatuor numerat muſculos, unum ſtapedis & tres mallei, externum videlicet *Aquapendentis*, externum *du Verney* a ſitû obliquum vocandum, & internum *Euſtachii*. Muſculi ſterno-hyoidei originem non tam à ſternô juxta vulgarem opinionem, quàm ab internâ claviculæ parte propè ſternum arceſſit. In vicem duplicis muſculorum pharyngis paris, quod cephalopharyngeum & ſphænopharyngeum dici ſolet, unicum par ſubſtituit intuitû principii pterigopharyngei titulô inſignitum. Muſculis capitis, in ſpecie anterioribus, novum adjungit muſculum, eumque nunc à ſitû rectum internum minorem, ad differentiam recti interni majoris ante *Bidloum* à multis aliis obſervati, nùnc ab usû annuentem appellat, quod interveniente hoc muſculorum pari, ſub rectô internô majori, à primâ cervicis vertebrâ juxta proceſſus hujus tranſverſos ad exteriorem oſſis occipitis appendicem aſcendente, caput imprimis flectere ſive annuere liceat, pariter atque ope rectorum minorum poſteriorum renuere. Præter notos colli muſculos inter bifidas hujus ſpinas quinque nova parvorum muſculorum ſub nomine inter ſpinalium deſcribit paria. Sub muſculô ſacrô, quem non minùs tranſverſalem lumborum, ac ſemiſpinatum tranſverſalem dorſi nominat, aliquando ſpinalem quendam lumborum occurrere innuit, ſpinali cervicis omninò ſimilem, à quatuor ſpinis oſſis ſacri ad vertebrarum lumbarium ſpinas protenſum. Muſculum humeri teretem minorem interdùm cum infrà ſpinatô confundi, alibi diſtinctum apparere tradit; in quibus verò is deficiat, latiſſimô dorſi peculiares fibras carneas ab inferiori ſcapulæ angulô æquè accreſcere, ac alias faſciculi ejuſmodi carnei à coſtarum parte inflexâ ſoleant accedere.

Circa humerum pariter aliquod ligamentum latum perpendit, à tendinibus immerſi, ſupra ſpinati infra ſpinati & teretis minoris concinnatum. Muſculi bicipitis initium alterum exteriùs à margine acetabuli ſcapulæ petit, illudque ipſum in lotrice quâdam quæ de humerô luxatô conquerebatur, unicè dislocatum fuiſſe teſtatur. Inſertionem autem ejuſdem non ſolùm tendine robuſtô ac rotundô in ſuperiùs radii ſub condylô tuberculum, ſed & aliô externô tenuiori ac inſtar membranæ expansô in communem muſculorum membranam, cunctos externos radii, carpi ac digitorum muſculos involventem, obſervat fieri, quô à faſciâ ejuſmodi tendinoſâ, in phlebotomiâ pro ſymptomatis perverſis evitandis nonniſi ſecundum longitudinem incidenda, tum flexio cubiti, tùm actio muſculorum, quos inveſtit, adjuvetur egregiè. Ortum palmaris brevis nec in membranâ carnoſâ cum *Columbô*, nec in octavô carpi oſſiculô cum *Fallopiô*, ſed in externâ parte oſſis metacarpi digiti minimi atque carpi oſſiculô quodam, terminum verò in octavô oſſe carpi conſtituit. Lumbricalium in manû principium neutiquam à tendinibus perforantis, ſed commune cum ipsô perforante exin ſuſpicatur, quod in corpore ultimùm diſſectô ejus lumbricalis muſculi partis, quæ ad indicem pertinet, exortum carneum diſtinctum porroque tendinem tenuem longum viderit. Ab usû, quem lumbricales muſculi potiſſimùm in Muſicis inſtrumentalibus exerunt, dum parvas digitorum motiones edunt, fidicinales appellat. Flexorii tertii internodii pollicis duplex ſæpe eſſe principium advertit quorum alterum ſuperius ab internô humeri tuberculo inter perforatum & perforantem, alterum inferiùs duplici fibrarum ſerie inſtructum à radiô ſuperiùs emergat. Membranoſi muſculi terminum haud unicè in ſuperiori fibulæ proceſsû quærit, verùm ab eôdem cum ſimili tendinoſa expanſione glutæi magni junctô faſciam pariter latam efformari aſſerit, quæ omnes tibiæ externos aliosque tarſi muſculos inveſtiat, eorumque actionem corroboret. Extenſori pollicis in pede longô, à fibulâ anteriùs & ſuperiùs oriundo, alium extenſorem brevem aſſociat vulgò neglectum, aut ſaltem pro portione extenſoris digitorum brevis habitum, ab anticô calcanei latere ad ſuperiorem ſecundi oſſis pollicis excurrentem. Flexorem itidem pollicis brevem in duos ſubdividi muſculos arbitratur. Lumbricales pedis non tam à tendinibus perforantis, quàm à maſſâ quâdam carneâ in plantâ pedis derivat. Tandem, ut evidentius conſtet, quâ ratione muſculi penis deſcripti hunc erigant, ſtructuram penis è partibus cùm externis, tùm internis reſultantem deſcribit, deſcriptamque figuris aliquot exornat. Miſſis verò iis, quæ à *Graaffio* atque *Ruyſchio* imprimis mutuatur, eam cuticulæ portionem, quæ glandem ſtipat, microſcopii adminiculô villoſam innuit. Cùm ſuſcipiô ſit, vaſa penis lymphatica, quæ mercuriô præparatô in alterutrum vaſorum ſanguiferorum injectô primùm detexit ſollicitèque depinxit, inſtar aliorum lymphaticorum partium inferiorum ad glandulas inguinales ferri, viam patentem ſatis reputat, quâ in lue venereâ materia morbifica hiſce ſpeciatim glandulis communicetur. Circa præputium, ubi penem contingit, parvas memorat glandulas à *Tyſone* ſub titulô glandularum odoriferarum obſervatas. Præter frænulum præputii aliud ligamentum conſiderat, quod ſuſpenſorium penis vocat, anteriùs ab oſſibus pubis ad dorſum penis protenſum. Venas totidem arteriis continuatas uti duplicis generis conſtituit, ità externas præputii, internas verò penis ipſiûs denominat. Superiorem corporis cavernoſi urethræ partem, quæ duo corpora nervoſa penis interjacet, propter figuram bulbi nomine indigitat, erectionem penis ſanguini acceptam ferens, quatenùs ille à muſculis non ſolùm verſus glandem urgeatur, ſed imprimis per venas refluere impediatur, dum erectores, penem ad oſſa pubis interventû ligamenti ſuſpenſorii adducendo, truncum ipſum venoſum, qui per dorſum penis fertur, æquè comprimunt, ac muſculi acceleratores venas cavernoſi corporis urethræ coarctant. Ne tamen hâc ratione ſanguis omnis ſubſiſtere cogatur ac congrumeſcat, portionem ejus aliquam per venas præputii remeare, hinc in priapiſmô pertinaci aliquando ipſam venam penis cùm ſucceſsû pertuſam fuiſſe edocet.

Ibidem;

Ibidem, Ann. 1724. p. 345.

Myotomia reformata : or an anatomical Treatiſe on the Muſcles of the human Body id eſt :
Tractatus Anatomicus de muſculis Corporis humani, Autore Guilielmo Cowper, Chirurgo & ſocietatis Regiæ ſocio. Præfixa eſt Introductio de motû Muſculorum. Lond. ap. Ro. Knaplock Guil. & J. Innys & rel. 1724. *fol.*

A Deò largè & effusè in editionem hujus libri omnia collata ſunt, quæ ad augendum ejus pretium & ſplendorem pertinent, ut difficile ſit ſtatuere, utrum deterrere voluerint Angli Anatomicarum rerum ſtudioſos, an allicere ad theſaurum iſtum, exornandis divitum bibliothecis quàm publico uſui multò magis accommodatum. Typi certè nitidiſſimi, charta auguſtiſſima & pulcherrima æneæque figuræ, ſive ad res ipſas iis illuſtratas ſive ad ornatum libri reſpexeris, cùm abundantiſſimæ tum etiam elegantiſſimæ; nec quicquam aliud deeſſe videtur, niſi quod Autor, in his rebus apprime ſine dubiô verſatus, ultimam manum operi ſuo adhibere non potuerit. Is enim jam ante annos 13. morte abreptus, cum tabulæ quidem ab ipsô eſſent abſolutæ, ſed textus nondum in ordinem redactus, curam edendi & perficiendi operis reliquit Viro doctiſſimo, *Richardo Mead* quem etiam eo adhùc ſuperſtes adduxerat, ut de motû muſculari aliquid introductionis loco commentaretur, ſuâ ipſius, quæ hâc de re extabat diſſertatione perfectius. Et ſocios quidem laboris nactus eſt Richardus Mead viros clariſſimos, *Joſephum Tanner, D. Pembertonium, & D. Jurin* qui poſtremus chartas *Cowperi*, & annotationes ad priorem editionem manû exaratas, in ordinem digeſſit, non ſolùm ſententia, ſed & verbis Autoris, quantum fieri potuit, ſervatis. Poſt brevem Richardi *Mead* præfationem, ipſius Cowperi ſequitur proëmium, eò quidem, quod priori editioni (à nobis in Actis his ſupplem. Tom. II. Sect. XI. pag. 506. recenſitæ) præfixum eſt, aliquantùm auctius neque tamen prorſus abſolutum. Et poſtquam methodum, quâ clariſſimus *Cowperus* in explicandis muſculis uſus fuit, loc. cit. ſatis copiosè deſcripſimus ulteriùs eidem inhærere nunc non attinet. Quoniam autem introductio illa Richardi Mead de motû muſculari, quam modò laudavimus, non exigua totiûs libri pars eſt, noſtrum omninò eſſe arbitramur, ut de eâ paulò uberius diligentiuſque verba faciamus. Ac principio quidem de verâ falsâque methodô inquirendarum in phyſicis veritatum autor diſſerit, craſſioreſque illas antiquorum qualitates occultas vix magis progreſſum in his rebus impediiſſe cenſet, quam ſubtiliores earundem qualitatum ſpecies, à recentioribus hypotheſium nomine introductas. Unicum ait remedium eſſe, ut omnes iſtas hypotheſes omneſque incomprehenſibiles loquendi formulas penitùs abjiciamus, ac de operationibus fictarum incertarumque rerum haud ſolliciti, experimentis, & poſteà juſtis ratiociniis ad Mathematicorum principia accommodatis, unicè inhæreamus: iſthoc enim pactô, & genuinas reperiri cauſas & cauſarum vires ad calculos vocari ritè poſſe. His præmiſſis, quæ in extremâ diſſertatione fusè repetit atque inculcat, de muſculorum naturâ & conſtitutione generatim quædam affert, oſtenditque, eos non aliter quàm contractione munus ſuum exequi valere. Deinde ad præcipuas duas quæſtiones circa actionem muſculorum expediendas ſe accingit. Primò enim in ipſam cauſam contractionis fibrarum muſcularium inquirendum, ac poſtea etiam de eô diſpiciendum judicat, quomodò illa contractio tantos tamque varios efficere motus poſſit. Cæterùm, inversô ordine, poſteriorem quæſtionem, quippe expeditû magis promptam, priori, priorem verò poſteriori loco pertractat. Cùmque pars muſculorum ſuper unum, alii ſuper duos, nonnulli etiam ſuper plures articulos extendantur, de ſingulis generibus ſeparatim diſſerit, vires eorum ac directiones, juxta leges mechanicas ad exemplum Borelli, examinans. Hunc ipſum tamen meritiſſimum ſcriptorem, qui omnium princeps de arduis illis rebus doctiſſimè commentatus eſt, quâvis occaſione carpere ac contemtim ſatis percenſere non omittit. Cujus rei hoc exemplum eſt: docet Borellus, de Motû Animalium Part. I. Cap. 10. ſi altera extremitas funis non ponderoſi clavo alligetur, & altera à pondere vel quâvis potentiâ trahatur, vim, quâ funis diſtenſioni reſiſtit, duplam eſſe potentiæ trahentis, perinde ſcilicet, ac ſi altera illa extremitas non clavo eſſet alligata, ſed ab æquali pondere vel potentiâ ad partes oppoſitas trahatur. Atque hoc lemma ad vim muſculorum applicans, alterô tantô majorem eſſe illam vim contendit, quam eadem paulò ante ab ipsô fuerat ex principiis mechanicis computata; ſexcentarum, verbi cauſa, librarum, quæ priùs trecentarum erat, reperta & ità porrò. Sed quid ad hæc Richardus noſter? luſum verborum judicat. Nam quô jure à Borellô, inquit, aſſeritur, funem ab unô pondere non minùs trahi ac diſtendi quàm à duobus oppoſitis, propthereàque reſiſtentiam funis, utrôque casû, duobus ponderibus æqualem eſſe, eôdem jure viciſſim licet aſſerere, funem à duobus ponderibus non magis trahi quàm ab unô, atque ideò reſiſtentiam funis neutrô casû majorem eſſe quàm pondus ſingulare. At iſto modo etiam in hôc pronunciato luſus verborum erit, majorem eſſe vim librarum 600. quàm 300. quod nobis certè non videtur. Rem clarius eloquemur. Trahatur funis circa trochleas, à duobus ponderibus æqualibus, quorum utrumque ſit 300. librarum: tum funis diſcindi concipiatur, applicata mox potentia externa, quæ duas funis partes etiamnum continens, utrumque pondus ſuſtineat: hæc, quantacunque invenitur, tantam quoque eſſe vim fatendum eſt; quâ ipſe funis tractioni ponderum ante diſſectionem reſtitit. Jam remotô pondere & clavô ſubſtitutô, quo funis non diſſectus affigatur, cùm funem ab unicô pondere non minùs quàm anteà duobus (vel mavis, à duobus non pluſquam ab uno) diſtendi certum ſit, quæritur, an vis, quâ funis, utrôque casû, reſiſtit, æſtimanda ſit librarum 300. an 600. ac denique an tota hæc quæſtio, pro lusû verborum haberi debeat? Atqui par eſt ratio alteriùs illiûs lemmatis Borelliani, de virgâ rigidâ, supernè à pondere vel aliâ quâvis potentiâ compreſſa, & infernè à ſoli duritie ſuffulta, cujus vis, quâ compreſſioni reſiſtit, iterùm eſſe duplex comprimentis potentiæ docetur. Sed his longius inſiſtendum non eſt. Poſtquam de muſculis, unos pluresve articulos flectentibus, cùm ratiocinando tùm exempla afferendo, ſatis multa Autor diſputavit, pauca quædam de aliô muſculorum genere, ad nullas partes ſolidas movendas facto, hoc eſt, de ſphincteribus addit, quorum actionem virtutemque demonſtrat, atque ità partem Introductionis priorem finit. Poſterior

rior inquirendæ genuinæ cauſæ motus muſcularis, uti jam ſupra indicavimus, deſtinata eſt; quæ cauſa ut inveniatur, ſtructura fibrarum carnearum, potiſſimùm perveſtigari debet. Quod ſi recentiſſimos autores conſulas, hæ fibræ ex meris conflatæ ſunt veſiculis, quarum inflatione ac diſtenſione muſculi contractio efficitur. Hanc hypotheſin nullô quidem argumentô directô probatam eſſe, ſed tantùm propterea receptam, Clariſſimus Richardus *Mead* contendit, quod difficillimum videatur, aliam concipere rationem, explicandis effectibus idoneam. Principio igitur veriſimilitudinem ſtructuræ veſicularis expendere, ac deinceps præcipuas affere conjecturas inſtituit, quô pactô iſtæ veſiculæ inflari ſoleant. Ut de veriſimilitudine ſtructuræ veſicularis rectè judicari poſſit, de fibrarum totorumque muſculorum neceſſaria intumeſcentia, quanta illa vi hypotheſeos eſſe debeat, atque an cùm obſervationibus concordet, inprimis diſquirendum arbitratur. Obſervat autem quod veſiculæ, pro ut major minorve muſculis contractio ſit adſcribenda diverſimodè formatæ concipi queant. Si tribuenda fibris eſt contractio, quanta fieri poteſt maxima, tùm veſiculas perfectas eſſe convenit, tenuiſſimâ duntaxat parte inter ſe connexas; quô pactô contrahi fibram in ſpatium minùs quam dimidium licebit. Sin minor ſufficit contractio, tùm quidem non aliter formatam eſſe fibram opus eſt, quam inſtar cavi alicujus cylindri, ope tranverſorum ligamentorum in partes ſive cellulas diſtincti, ita ut poſt factam inflationem ejuſmodi figura oriatur. Sed definiendum accuratius, quod genus figuræ ac curvaminis latera harum veſicularum expanſa induant. Celeberrimus Jo. Bernoullius figuram iis omninò circularem tribuit. (Vid. Act. 1694. pag. 202.) cujus calculos propterea non ſatis juſtos Noſter arbitratur, quod conſideraverit has cellulas Vir ſummus ut figuras planas, non verò ut ſolida per revolutionem figurarum planarum circa axem generata. Quâ de re ut melius conſtare poſſit, præmiſſis V. proportionibus ad iſoperimetras ſpectantibus, tandem ſexta propoſitione, hoc problema ſibi ſolvendum ſumit: *Ad datam axem, per duo data puncta, curvam deſcribere cujus ea ſit proprietas, ut demiſſis ad axem perpendiculis, ſpatium inter axem, curvam, & duo iſta perpendicula comprehenſum, majus generet ſolidum, facta circa axem revolutione, quamſi alia quavis curva, ejuſdem longitudinis, & per eadem data puncta tranſiens, fuiſſet deſignata.* Solutio in compendium redacta eſt hujuſmodi: aſſumta pro lubitû recta, ſit curva ut ducta quavis ordinata, rectangulum in dimidiam circumferentiam circuli, radiô deſcripti, ſit æquale circulo ab ipſâ in revolutione ſpatii circa axem, generato. Addita ſunt ab Autore huic propoſitioni IV. corollaria in quibus, ut & in propoſitione ſeptimâ, de tangentibus curvæ quæſitæ nonnulla demonſtrantur. Propoſitio octava hæc eſt: *Inter omnes curvas juxta prop. VI. deſſcriptas & ad axem uſque continuatas, ea, cujus tangentes, in ipſis punctis concurſus ad axem ſunt normales, majus generabit ſolidum, factâ revolutione quam alia quavis curva, ejuſdem longitudinis & circa eandem axem deſcripta.* Denique propoſitio IX. ita ſe ſe habet *ſi in curvâ expoſita, à quibuſvis duobus punctis, perpendicula ad axem, demittantur, ſpatium, inter hæc perpendicula & interjectam curvæ portionem comprehenſum majus ſolidum generabit quam quodvis aliud ſpatium inter duo æqualia perpendicula & curvam aliam ejuſdem longitudinis interceptum.* Jam ope harum propoſitionum primò quidem inveſtigat Autor, quantum cavitas fibrarum in hypotheſi veſiculari amplificari debeat, ut neceſſaria ſequi contractio poſſit. Deinde illud ſibi conſiderandum proponit, quantum inflari atque intumeſcere totus muſculus debeat, propter amplificatas iſtô modo fibrarum cavitates. Atque hic inquit, primus gradus eſt ad examen præſentis hypotheſeos: nam ſi muſculus, opus ſuum faciens, non tantum inflari reperitur, quantum iſta computatio poſtulat, utique abſurda & falſa videri poſſit hypotheſis. Et quid multa? non inflatur; aut nulla certè notabilis inflatio, diligentiſſimâ inſpectione, animadverti potuit, nedum tanta, quanta ad hypotheſin veſicularem neceſſaria videtur. Adhuc tamen non rejicienda hypotheſis eſt. Provocat enim enim Borellus, de motû Animalium, Part. II. prop. 14. ad inſignem muſculi in actione conſtituti duritiem ac tenſionem, quam eſſe argumentum evidens inflationis exiſtimat, quamvis hæc inflatio propterea non cadat ſub oculorum ſenſum, quod poſt laxitatem quando tenſæ fiunt fibræ, magis illæ uniantur atque invicem reſtringantur, craſſiores redditæ ob corrugationem. Atque hoc non modò cum ratione ſed etiam cum experientiâ apprimè convenire idem docei Borellus: nam in muſculô cordis, licèt externa ejus ſuperficies, dum pulſat, non amplificetur, tamen totam ſubſtantiam carnoſam magnopere inflari & augeri, cùm ex eô conſſtat, quod ampliſſimæ cavitates, quæ priùs ſanguine, nunc ſola ſubſtantia carnoſa, expulſô ſanguine, replentur, tum etiam ex illâ obſervatione, quod immiſſô digitô intra vulnus, in apice cordis incifum, vivente adhùc animali, quâlibet cordis pulſatione digitus, tanquam à prelô, violentam conſtrictionem patitur. Haudquaquam tamen iſtiuſmodi demonſtrationes doctiſſimô Anglô noſtrô ſatisfaciunt: nam ex flacciditate muſculi non neceſſariò ſequi putat, ut fibræ minùs craſſæ & unitæ ſint, ſed ſufficere ad iſtum effectum, ut vi cuivis facilè cedant fibræ laxæ & quietæ, tenſæ autem & agentes fortiùs reſiſtant, ceterum in cordis in ſyſtole externam ſuperficiem non modò non amplificatam, ſed nec imminutam, ſine juſtô fundamentô ſumi arbitratur. Quô loco optandum quidem foret, ut vel propria vel aliorum Anatomicorum diligenti experientiâ oſtendiſſet, externam cordis ſuperficiem in ſyſtole reverà tantum imminui, quantum repletæ & conſtrictæ cavitates interiores exigunt, itemque ut luculenter demonſtraſſet, quâ viâ & ratione corpus muſculi, quod ex partibus ſolidis, cavis, & flexibilibus ferè totum conſtat, ſine acceſſû novæ materiæ, aut proprii voluminis notabili contractione, aut incluſi laticis expanſione, aut neſcio quâ fortè congelatione, durius fieri & minus laxum poſſet. Interim hoc ipſe ultrò fatetur, muſculum, cùm propter alias quaſdam cauſas, tùm imprimis propter interſperſa vaſcula ſanguinea & nervea, itemque propter copioſam pinguedinem, aliaſque particulas expanſionis & contractionis expertes, multò minùs inflari debere, quam fibrarum amplificatæ cavitates requirere videantur. Immò cum experientiâ conſtet, quantopere muſculi in corporibus emaciatis, ſolius pinguedinis defectû, attenuentur, hypotheſin hactenùs expoſitam, quantumvis dubiam, ulteriori tamen inquiſitione non oppidô indignam cenſet. Quanquam cùr muſculi, ſaltem in corporibus hujus generis vehementer emaciatis, non notabiliter intumeſcant, opus ſuum facientes, ſi verum eſt, quod in muſculis pinguioribus id accidat non

propter

propter interceptas ante inflationem inanes cavitates, ſed propter abundantiam pinguium particularum, vix prætextus aliquis videtur inveniri poſſe. Sed diſpiciamus nunc de ulteriori Autoris inquiſitione, cujus hæc quidem præcipua ſunt momenta; Quicquid à Borellô ad demonſtrandam veſicularum in fibris exiſtentiam afferatur, obſcuritate & tædiô plenum, illô tandem unicô axiomate niti, quod natura ſimpliciſſimè & via breviſſima agat, quodque ipſe ſimpliciorem aliquam hypotheſin, in præſenti negotio, quam veſicularem, excogitare nequeat: indignam hanc eſſe methodum philoſophô, cùm & incredibile ſit, Deum in formandis rebus ad imbecillitatem captûs nôſtri reſpexiſſe, & ſæpiſſimè fieri queat, ut, quod nobis ſimpliciſſimum & cumprimis obvium jure videatur, cum reliquâ naturæ œconomiâ parùm concordet. Quo circa ab iis multò prudentiùs factum, qui in ipſô muſculô aliquid detegere conati ſint, quod fibrarum ſtructuræ veſiculari faveret: atque his potiſſimùm oblata eſſe tenuiora illa & tranſverſa filamenta, cùm ad diſcriminandas tum etiam ad connectendas fibras carneas comparata: ſed reaptè nihil in his filamentis præſidii eſſe, cùm non ſolùm Cowperô ſed & accuratiſſimô Morgagnio, diligenti facta inquiſitione anatomicâ, non ità ambire fibras obſervata fuerint, ut Bernoullius quidem vellet, ſed tantùm ut tenuia quædam vaſcula ab aliis fibris ad alias progredientia. Nec magis ad rem facere membranulas illas, quas oculatiſſimus Leeuwenhockius per muſculos pererrare, & ramulos ſuos, quam longus & craſſus eſt muſculus, per omnes ſubtiliſſimas fibrarum diviſiones diffundere obſervavit, ità quidem, ut non modò ſingulas fibrillas, quæ majores fibras componunt, amplectantur, ſed eas quaſi tunicâ quadam circumveſtiant, corrugationes efficientes, ſpiræ vel cochleæ circumvolutionibus perſimiles. Itàque cum fibrarum veſiculas detegere immediatâ experientiâ nullô modô valeamus, ad imbecille illud Borelli argumentum ferè redeundum eſſe: ad quod tamen paulò magis confirmandum duæ dentur viæ; aut, ut in ipſô corpore aliquid deprehendamus, ad inflandas veſiculas, ſi quæ ſunt, accommodatum; aut ſaltim ejuſmodi aliquid concipere queamus, quod cum reliquâ œconomiâ animali nullô modô pugnare conſtet. Nihil verò aliud reperiri aut omninò concipi poſſe, ad hanc rem idoneum, quam ſuccos in ipſis fibris, & in nervis ad fibras pertinentibus, comprehenſos. Et Croonium quidem ac Borellum non ulterius progreſſos eſſe, quam ut fermentationem in muſculis fieri contenderent, à commixtione ſpirituum animalium è nervis exſtillantium cum latice fibrarum; Bernoullium verò & Jac. Keilium, ad iſtud ſingulare fermentationis genus luculentius explicandum, duplicem excogitâſſe hypotheſin: ab utrôque aſſumi, globulos ſanguineos nihil aliud quàm tenues quaſdam bullulas eſſe, vel aërem includentes, vel aliam quandam materiam elaſticam, magis quàm externum aërem compreſſam: hanc materiam ab ipsâ bullularum tenacitate impediri, quò minùs ſe expandere in amplius ſpatium poſſit: quô impedimentô ſublatô, & expanſionem oriri & inflationem fibrarum bullulas iſtas complectentium neceſſe eſſe & Bernoullium quidem ſpiritibus animalibus ſubtiliſſimorum ſpiculorum formam, atque adeò pungentem quandam vim tribuere, quâ perforare & diffringere latera globulorum ſanguineorum atque inſitô aëri condenſato exitum præbere valeant: ex Keilii verò ſententiâ iſtos ſpiritus & globulorum latera ſe ſe invicem attrahere dicendum eſſe: Utramque hypotheſin vel propterea parùm ſatisfacere, quod verò ſit ſimillimum, globulos ſanguineos haud quaquam bullulas, materiâ elaſticâ repletas ſed ejuſmodi potiùs corpuſcula eſſe, quæ per motum & calorem, in ſtatû fluidô conſervata, cum ſerô non facilè commiſceantur. Licere etiam aliam hypotheſin comminiſci, ad mentem magni Newtoni magis accedentem: dici enim poſſe ſuccum nerveum, ſeu ſpiritus animales, nihil eſſe aliud, quàm partem ſubtilis illius, rari, atque elaſtici ſpiritus, per univerſum diffuſi, *cujus vi & actionibus* (ſunt ipſa verba Newtoni in extremô tertiô de principiis Philos. Nat. mathem.) particulæ corporum ad minimas diſtantias ſe mutuò attrahunt & contiguæ factæ cohærent, & corpora electrica agunt ad diſtantias majores, tam repellendo quàm attrahendo corpuſcula vicina, & lux emittitur, reflectitur, refringitur, inflectitur, & corpora calefiunt & ſenſatio omnis excitatur, & membra animalium ad voluntatem moventur, vibrationibus ſcilicèt hujus ſpiritûs, per ſolida nervorum capillamenta, ab externis ſenſuum organis ad cerebrum, & à cerebrô in muſculos propagatis. Ceterùm ſe non eum eſſe qui errorum & hypotheſiun falſarum numerum, novô aliquô & propriô figmentô augere velit; ſatis jam ſuperque apparere, nos nec diſtinctè concipere poſſe, quâ viâ & ratione veſiculæ fibrarum inflentur, nec ullum in promptû habere directum argumentum, ad exiſtentiam hujuſmodi veſicularum approbandam: ex quô illud omninò conſequatur, ut tota hæc hypotheſis nihilo præferenda ſit cæteteris illis conjecturis, quibus Carteſius atque ejus diſcipuli in contemplandâ naturâ rerum luſerint vaniſſimè. Habes, benevole Lector, præcipuas Viri doctiſſimi, Richardi Mead, ſententias. In quibus ſi quæ ſunt, quæ deſiderari poſſint, imprimis quod hypotheſin, quam ipſe interfictas, vanas, noxias & verò philoſophô penitùs indignas numerat, tot foliis, tantô ſtudiô & ornatû, tantôque ex intimâ matheſi de promptô apparatû perſequutus fuerit, eâ prudentioribus dijudicanda relinquimus.

COURVEE, (*Joh. Claudius de la,*) Veſulanus.

Ex eô habentur

De Nutritione Fœtus in uterô; Paradoxa. Dantiſci, apud Georgium Forſterum, 1655. in 4.

Oſtentum, ſeu, de Ferramentis è dorsô extractis. Paris. 1648. in 8.

Frequentis Phlebotomiæ uſus & cautio in abuſum Pariſiis 1647. in 8.

CRAANEN (*Theodorus,*) Medicus eximius, Archiater ac Conſiliarius Electoralis Brandenburgicus, & Medicinæ Profeſſor in Academiâ Lugdunô Batavâ,

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1689. *p.* 534.

Theodori Craanen Phil. & Med. D. &c. Tractatus Phyſico Medicus de Homine, in quô ſtatus ejus tam naturalis, quàm præternaturalis, quoad Theoriam rationalem mechanicè demonſtratur. Edente Theodoro Schoon M. D. Hagienſi, cum Figuris Æneis, & Indicibus tam Capitum quàm Rerum & Verborum locupletiſſimis. Lugduni Batavorum, apud Petrum Van der Aa 1689. *in* 4.

DE Homine equidem *Nobiliſſimi des Cartes*, jam jam inclaruit Tractatus : Hunc tamen, ſi ullibi, certè hic ingeniô magis, quàm veritati litâſſe, quod experientiâ exactiori, Anatomica cùm primis deſtitutus, ſtructuram Hominis tantum non meris adaptarit ideis, omnes inter, ad experientiæ pariter atque rationis lydium lapidem res phyſicas & Medicas liberè examinantes, videtur convenire. Tantò majorem proin præſens de Homine opus merebitur applauſum, etiamſi Recentioris præmemorati Philoſophi potiùs, quàm Veterum methodo inſiſtat, quominùs præſumi poterit eum, qui Autor ab Editore perhibetur, multâ, dum viveret, experientiâ pollentem, ad eundem alliſiſſe ſcopulum: Et omninò in capitibus ferè ſingulis, numerô 156. quibus corporis noſtri ſtatus & naturalis, & præternaturalis, necnon multa ad manus huic auxiliatrices ferendi rationem ſpectantia edocentur, adeòque Phyſiologia, Pathologia, & Therapeutica, propemodum abſolvuntur, experientiam Rationi prælucere, vel per pauca ſubſequentia è multis annotata ſufficienter atteſtabuntur. Scilicèt cùm non niſi in adultis Anatomica hauriri poſſit cognitio, quâ demùm perſpecta tùm generationis negotium, tùm morborum natura commodè explanari poſſunt, adulti potiùs hominis, quàm infantis fabrica automatica primùm conſideranda proponitur, ſecus quidem ac *Carteſio* ex primis initiis mundi hujus ſenſibilis machinam deducere fuit viſum. In hâc pinguedinem ad ſalivæ eſſentiam nihil conferre cenſetur, quia ob pinguedinem intermixtam minùs evaderet penetrans, gladii inſtar vagina reconditi ad ſecandum & pungendum prorsùs inepti. Loco pulveris dentifricii, tartarus vitriolatus deprædicatur præſtantiſſimus. Alimentorum diverſitati concoctio ventriculi maximam adſcribitur partem, in quantum in tranſlatione tam diverſorum & diſcrepantium particularum, diverſi relinquantur & efformentur pori, diverſæ magnitudinis & figuræ, ad quos vacuo omni exulante replendos materiâ æthereâ pariter requiratur diverſa, pro magnitudinis & figuræ diverſitate ubique ſeſe accommodans, eôque ipsô alimenta ingeſta ulteriùs comminuendo & fermentando concoctionem in ventriculô abſolvens. Acidum æque ac ſalinum ſanguini noſtro ineſſe, ex iis, quæ ſolent aſſumi, colligitur, nam non ſolùm condimenta inter obſervatur acetum, ſed & multa alia facile v. g. cereviſia, aceſcunt, aut acidis particulis abundant, e. g. panis ſecalinus. Lac ab acidô ventriculi fermentô, aliiſque quæ ingeruntur, ſemper coagulari, adeòque lactis in ventriculô coagulationem vix, niſi exceſſivam, metuendam eſſe traditur, imprimis cum æſtate lac ab acidô ventriculorum vitulinorum ſuccô coagulatum, aliiſque temporibns caſeus ſine detrimentô aſſumi ſoleant. Medicamenta verò ventriculo extrinſecè applicanda non tam regioni epigaſtricæ, quàm dorſo debere admoveri, quia dorſum faciliùs, quam tot integumenta abdominis, à medicaminum ſpiritibus penetrari queat. Circa vermium in corpore noſtrô proventum ova præſertim in aëre volitantia, & vel cum alimentis vel cum aëre ipsô inſpirandum inter haurienda, perpenduntur; dari ſiquidem ova ejuſmodi ſubtiliſſima, intuitû inſectorum adeò exiguorum, ut in oculum niſi microſcopiô armatum haud incurrant, declaratur. Clyſteres tùm ratione, tùm experientiâ affirmantur nutrientes: primò namque hominem phrenitide laborantem per decem dies lolô clyſteris nutrientis uſû in vitâ fuiſſe ſervatum, item anginâ laborantibus vix niſi iiſdem ſuccurri poſſe; deinde inteſtina craſſa lacteis vaſis non penitùs carere, cuniculorum exemplô, in quorum recèns mactatorum inteſtinis craſſis lactea apparuerint. Quin etiamſi vaſa lactea in craſſis inteſtinis deeſſent, operari nihilominùs adhuc poſſe clyſmata nutrientia, per poros inteſtinorum blandos vapores ad ſanguinem emittendo ſimili prorsùs ratione ac clyſteres anodini & emollientes in dolore colicô deprehenduntur proficui. Vapores aliàs in cavitate abdominis obvolitantes, aliquam ad minimum urinæ in veſicâ contentæ partem reputantur conſtituere, quod poros veſicæ foras intrò ſpectantes facilè ingredi, ob valvularum verò impedimentum minùs regredi, ſed coagulari potiùs & condenſari in urinam poſſint ac debeant. Lien in thorace aliquandò repertus ſimul annotatur. Sanguinis arterioſi major præ venosô fluiditas chylô cumprimis tribuitur admixtô. Fixorum in genere triplex conſtituitur differentia, ratione vel ad ignem vel ad aerem, vel ad noſtrum denique corpus habitâ. Omnes interim morbi cùm ab obſtructione primùm oriri videantur, panaceæ vel medicamenti alicujus univerſalis adſtruitur poſſibilitas, attendendo unà, remediorum efficaciam non ſolùm à particularum ſubtilitate, reſpectû cujus ſæpiùs reflexa mox è corpore avolant, ſed à ſtabilitate quoque pororum, certam, ſtabilem & copioſam primi elementi materiam ſanguinis noſtri ætheri amicam ſecum vehentium, dependere. Febres omnes cenſentur putridæ, quatenùs putredo tùm introduci dicatur, quando ordo rerum compoſitarum turbatur & tollitur à cauſâ levi, ſenſim atque ſenſim particularum nexum deſtruente. Viæ ubi adſignandæ, per quas materia purulenta è pulmonibus ad veſicam poſſit deferri & cum urinâ excerni, partim pori venarum pulmonalium ſubtiliorem puris partem recipientium, circulationis beneficiô dehinc in renibus cum urinâ ſecernendam, partim diaphragmatis pori vaporibus purulentæ materiæ in thorace è pulmonibus extravaſatæ tranſitum ad abdomen concedentes, quô in hujus cavô oberrantes veſicæ tandem poros foras intrò ſpectantes ſubintrent, proferuntur in medium. Anaſtomoſes ſive inoſculationes arteriis cum venis intercedere, ex celeri ſanguinis effluxû è vulnere vaſi inflictô demonſtratur, proptereà ſiquidem, quod Anatomicô cultrô minùs detegi queant, exiſtentiam earum haud negandam eſſe. Cauſa fontium vera in diurnô telluris noſtræ motû conſtituitur, quô rapidiſſimè ab occidente in orientem procedente tellus ſine negotiô ab aliis ſeparetur, præſertim iis, quæ nexû parùm firmô gaudent, uti aqua copioſè tùnc ſuperficiei ipſius adhærens. Arteriotomia ob periculum, cui exponitur, diſſuadetur; arteria enim in Cephalalgiâ ſecta quod opem tulerit, non arteriotomiæ ſimpliciter ſed repetitæ potius ſanguinis eductioni venire adſcribendum. Quemadmodum inter omnes conſtat, in membris vulneratis malè denuò conſolidatis ſæpiùs variam aëris percipi mutationem, ità hæc omnis diverſitati pororum certam ſaltem aëris materiam tranſmittentium adſignatur. In animi deliquiô homines, ut citiùs ad ſe redeant, ſupini poni cenſentur, quô in ſitû tali corporis horizonti paralellô ſanguis promptius & copioſiùs ad caput aſſurgens majorem ſeparationi ſpirituum, à quorum novô influxû omnis recreatio, ſuppeditet anſam. A remediis autem ſomniferis, v. g. opiô & camphorâ, ſomnium conciliari propter coagulationem in ſanguine & humoribus horum auxiliô introductam, ſimilem ei, quæ à ſpiritû urinæ rectificatiſſimô

alcohol

alcohol vini additô fieri deprehenditur. Item ex acidorum uſû dentes ſtupere, quatenùs nervorum radicibus dentium inſertorum fibrillæ ſolvantur, ut tenſione ad tempus amiſsâ ſenſationi haud inſerviant, æquè ac narcotica nervorum quaſdam fibrillas ſolvendo ſtuporem inferre ſoleant. Reſpirationem à diaphragmate, tanquam verò inſtrumentô ejus activô, dependere, vel ex ſolâ reſpiratione difficiliori, cum quis ſe ingurgitaverit, comprobatur, ventriculô tùnc ab ingeſtis diſtentô diaphragma ſurſùm urgente, ut non niſi majori cum vi deorſùm ferri queat. Medicamenta multis pro memoriâ confortandâ extolli ſolita flocci penduntur quod omnia talia aſſumta in primis viis ac maſſa ſanguinea ità invertantur, ut ad cerebrum delata, nec humiditatem hujus nativam corrigere, nec fibras ſiccas flexiles reddere ullô modô valeant. Sapor fumi tabaci perquam gratus fertur ei, cujus lingua oleô vel ſpiritû vitrioli fuerit imbuta indiciô manifeſtô, ſaporum diverſitatem ac mutationem à rerum proficiſci mixturâ. Ligaturæ in affectibus ſoporoſis ſupponuntur conferre, in quantum nervorum tubuli à materiâ viſcidâ obſtructi, dum in unâ parte vinculô arctè ad ſe invicem comprimuntur, in extremitate alterâ magis ab invicem recedant, adeòque apertiores evadant, ut ſpiritus novi à cerebrô adfluentes pituitam removere ipſumque ſoporem tollere poſſint. Bilis ad ventriculum in bilioſis deferri dicitur, non quod per pylorum è duodenô regurgitet, ſed potiùs, quod ab arteriâ gaſtricâ ad ventriculum eôdem modô deponatur ac in hepate ab arteriâ hepaticâ fieri animadvertitur. Fœtûs reſpiratio in uterô maternô aſſeveratur neceſſaria, quô pulmonum cellulæ exiguæ conſervari poſſint cavæ, neque nervi phrenici intuitû obſtructionis omninò ob quietem ſuppoſitam ſubſequentis inutiles emergant, ità tamen, ut locô aëris aqua potiùs, cui fœtus innatat, quemadmodum in piſcibus inſpiretur, hinc & pulmones fœtus propter cellulas aquâ repletas graviores eſſe & fundum aquæ petere, ſecus ac ubi in lucem edito aër jamjam inſpiratus fuerit. Infantibus alimenta potiùs liquida exhibenda ſuadentur, quàm ſolida, ne horum aſſumtione oſſa tam citò ad ſtatum perfectæ duritiei perveniant, adeôque in longiorem excreſcere ſtaturam impediantur. Tandem cum *Carteſiô* ex eô nos mori ſtatuitur, quod corpus ab animâ recedat, i. e. tùm animam cogi à corpore ſecedere, quando ineptum hoc ad illi ampliùs inſerviendum exiſtit; animam quippe immortalem omniſque varietatis expertem nequaquam mortis poſſe dici cauſam, ſed corpus potiùs, vel per morbum, vel per meram ſenectutem labefactatum.

Ibidem, ann. eôd. p. 539.

Theodori Craanen, Phil. & Med. D. Prof. olim Leidenſis ac Conſiliarii & Archiatri Brandenburgici &c. Obſervationes, quibus emendatur & illuſtratur Henr. Regii Praxis Medica, medicationum exemplis demonſtrata. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa, annô 1689. *in* 4.

INter illos, qui artem noſtram à ſcholaſticis erroribus vindicare conati ſunt, primus fortaſsè fuit Henricus Regius, Profeſſor Medicinæ Ultrajectinus, qui ſecundum Carteſii placita artis Aſclepiadeæ emendationem aggreſſus eſt. Et quamvis Celeberrimi hujus philoſophi teſtimoniô rem maſculè nec ſine fructû geſſerit, non tamen omnimodè perfecit. Partim enim Carteſii dogmata ſponte reliquit; partim quâ ſemel imbutus erat à teneris, priſtinæ philoſophiæ præjudicia omninô exuere non potuit. Itàque memoratæ hypotheſeos Celeberrimus patronus Craanius in Collegiô quôdam Praxin Regii, quam Inſtitutionibus ſuis, ſub Medicinæ nomine olim jam publicatis, adjunxit, notis ſuis nunc emendavit, nunc illuſtravit. Tantô hoc factum auditorum fuit applauſu, ut non tantùm ipſi eas innumeris vicibus, nec ſine gravibus impenſis deſcribi curaverint, & vix cum aliis niſi amiciſſimis communicare dignati fuerint, ſed alii etiam earumdem publicationem avidè deſiderârint. Verùm quia hæ *Craanii* notæ non conceptis ab ipſô verbis propoſitæ, ſed pro Auditorum ingeniô ex ejus ſermonibus collectæ fuerant, non potuerunt non illæ quandoque mutilæ & invicem diverſæ exiſtere. Precibus igitùr quorumdam intimioris admiſſionis diſcipulorum fatigatus *Craanius* favit, & quæ conceperant calamô ſuô, corrigere aggreſſus eſt, ſed ſolùm ùt auditoribus de ſententiâ ſuâ rectiùs conſtaret, non verò ùt unquam ea prælô committenda expeteret. Deſideriô nihilominùs plurium ſatisfacturi alii has *Craanii* in Regium animadverſiones, diverſo tamen ſub ſchemate, in publicum emiſerunt. Quamobrem jam ann. 86. Medioburgi Praxis Medica Reformata Henrici Regii, ſub Luminis Rationalis Medici titulô prodiit in lucem, uti in Actorum ejuſdem anni menſe Novembri pag. 555. recenſuimus. Atque hæc editio ex ſententiâ genuinorum quorumdam diſcipulorum cum emendatis à *Craaniô* notis imprimis convenire perhibetur, jam verò induſtrius ille Lugdunenſium Bibliopola, poſtquam theoriam Medicam in tractatû de Homine exhibuit, practicam quoque partem, adeòque *Craanii* Obſervationes Regii ipſiûs praxi interſperſas tradere non incongruum exiſtimavit. Verùm enim verò hæc bina ſcripta non ubique Craanianam exprimere hypotheſin, Bibliothecæ Univerſalis & Hiſtoricæ Collectores teſtantur, ſed ad inſtitutum. Regius medicationibus 130. totidem ægrotantium caſus proponit, in libros quatuor diſtributos. Primus morbos capitis, ſecundus pectoris, tertius abdominis, quartus qui habitum & artus corripiant, recenſet. Poſt hiſtoriam, in morbi denominationem, partem affectam, cauſas procatarcticam & continentem, & per has in ſymptomatum rationes, prognoſin tandem & curam inquirit. *Craanius* verò quæ minùs appoſitè dicuntur, aut à ſuâ ſententiâ recedunt, interjectis notis emendat; quæ autem cum ratione & experientiâ conveniunt, ſuis obſervationibus illuſtrat. In genere verò nullam intemperiem calidam aut frigidam partium ſolidarum, v. g. hepatis, cordis, admittit; humidum, quâ humidum peccare negat, venæſectionem ubique purgantibus etiam clyſteribus quandoque præmittit; venarum ſelectum ſuperſtitioſum rejicit, eum concedens, quâ in ſanguine ſubtiliore educendo vena in brachiô, in craſſiore in pede ſecatur. Partibus ſolidis nulla corroborantia tribuit, cucurbitulas & ſcarificationes improbat, veſicatoria evacuandi cauſâ damnat, in apoplexiâ excitandi ergò præcipit. Magnam fiduciam in decoctis ſudoriferis ex lignis paratis reponit, omnem apozematum purgantium uſum detrectans. Aſt in ſpecie, ubi animus eſt motum ſanguinis impetuoſiorem refrænare, lapidem prunellæ, ſaccharum ſaturni, imò & camphoram ſæpiùs exhibet, adeòquè horum uſum in cephalalgiâ à cauſâ calidâ, maniâ, phrenitide, inflammationibus, ſynochô, febre, &c. iterùm iterùmque commendat. Nimias vigilias cautè opiatis

opiatis debellandas eſſe aſſerit; pulverem verò ſequentem extollit, quod & bilis motum infringere & ſanguinis impetum coercere valeat: Rec. tartari vitriolati gr. xv. laud. opiat. gr. j. vel ij. camphoræ gr. iij. vel iv. M. F. pulvis. Similiter tincturam ſuam opii & ſæpiùs alibi deprædicat; quæ eſt ſolutio opii leviter toſti in ſpiritûs vini tartariſati inſigni quantitate, creberrimè repetitis filtrationibus depurata. In catalepſi non ſpiritus animales congelari, ſed glandulam pinealem fortuitò catarrhô obſideri pronuntiat. Quippe hanc cum Carteſiô primarium mentis inſtrumentum agnoſcit, quo & corporis motus illa percipiat, & ſuos cum corpore communicet. Sic etiam quod hâc ratione nec à ſpiritibus commoveri, nec hos ad partes determinare valeat, objecta externa non tantùm non percipi, ſed etiam motus voluntarios quieſcere. Epilepſiæ, in quâ viſciditatem cum acrimoniâ conjunctam accuſat, mederi tanquam ſpecificum affirmat pulverem ſecundinæ humanæ in umbrâ exſiccatæ, à ſcrupulis duobus ad drachmam unam. Febrium naturam in eô conſiſtere arbitratur, quod ad ſanguinem aliqua deferatur materia per ſuos poros trajiciens ætherem non convenientem cum eo, qui per poros noſtri ſanguinis fluit, ſive illa ab eryſipelate, & inflammationibus, ſive ab aliis cauſis ſuppeditetur. Adeòque ſudorifera ſola appropriata remedia aſſerit ante paroxyſmum propinanda, imprimis è mineralium claſſe, ut pote quæ fomitem in partibus hærentem eluere & eliminare valeant. His tincturam croci, opii, item camphoram pro circumſtantiarum diverſitate admiſcet. In quartanâ magni facit decocta ſudorifera diebus à paroxyſmô vacuis, eidem verò obnoxiis ſudoriferum, cui cortex Peruvianus additur, ante paroxyſmum commendat: uti hic pariter radici oſtrutii ſplendenti dum frangitur, tam in decoctô, quàm in formâ pulveris ſingularem efficaciam tribuit. Hypochondriaci mali extirpationem per decocta ſudorifera attenuantia, cum purgantibus ex melanagogis & mercuriô dulci compoſitis, atque venæſectionibus alternata aggreditur. Et ſimili fundamentô reliquorum affectuum reſolutiones innituntur.

CRAFT (*Juſtus*,) Wertheimenſis.

De eô extat

De Cardialgiâ, Diſputatio. Habetur in Decade VI. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jac. Genathius, 1622. in 4.

CRAFTIUS (*Joh. Jacobus*,)

Ex eô habentur

De Lumbricis, Epiſtola. Extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſervationibus Chirurg. Cent. II. Genevæ, apud Petrum Choüet, 1611. in 8.

De Peſte, aliiſque Morbis acutis extinctis, non protinùs inhumandos eſſe, Hiſtoriis quinque oſtenſa Obſervatio. Extat ibid. pag. 397.

Obſervatio de excretione Menſtruorum per os. Extat cum ejuſdem Obſervationum Cent. III. Oppenheimi, apud Joh. Theod. de Bry, 1614. in 8. pag. 59.

CRAMERUS (*Caſparus*,)

Ex eô habetur

Diſputatio de tranſmutatione Metallorum. Erfurti, 4. 1673.

CRAMERUS (*Fridericus*,)

De eô extat

Diſputatio inauguralis de Podagrâ. Erfurti, 4. 1675.

CRAMERUS (*Gabriel*) Medicus Genevenſis verè Doctus, prudens ac fœlix, quique proptetea praxim apud ſuos & exteros cum magna laude, per ſexaginta circiter annos exercuit. Natus eſt Genevæ 24. Martii anni 1641. Patre Joh. Ulrico Cramero Argentoratenſi, qui poſtquam per aliquod tempus ſtudiis Medicis incubuiſſet, & Sereniſſ. Erneſti Haſſiæ Principis educationi ſe dediſſet, huicque propter abdicatam Religionem Reformatam valedixiſſet, Genevæ domicilium collocavit, ibique civis factus, omnibus pergratus vixit. Noſter vero, Medicâ Laureâ in Academiâ Argentinenſi die undecimâ Octob. ann. 1664. condecoratus, Artem honorificentiſſimè profeſſus, ac inter Academiæ Roſſanenſis in Italiâ, quæ Spenſieratorum vocatur ſocios die x. menſis Decembris anni 1699. cooptatus, ſenex demum, & Collegii Medici Genevenſis Decanus obiit, die 15. Junii ann. 1724.

Ex eô habentur

Theſes Anatomicæ totam Anatomiæ Epitomen complectentes. Argentorati, 4. 1663.

Diſputatio inauguralis de obſtructione Jecoris. Argentorati, 4. 1664.

CRAMERUS (*Johannes Iſaacus*,) prædicti Gabrielis filius natu major, Patris inſiſtens veſtigiis Medicinam univerſali cum omnium applauſu ſagaciſſimè profitetur, poſtquam in ea Doctor factus eſt die 12. Maij annô 1696. Hic rurſus quatuor habet filios, quorum duo natu majores magna ſunt Academiæ Genevenſis ornamenta, primus ſcilicet *Johannes* in Cathedrâ Juridicâ; ſecundus, *Gabriel* in Mathematicâ; tertius verò *Johannes Antonius* ſtudiis Medicis operam dat, & brevi laureâ Medicâ eſt condecoraturus.

Ex eô ſcilicet Johanne Iſaaco Cramero habetur quamvis ſine ipſius nomine.

Theſaurus ſecretorum curioſorum, in quo curioſa non ſolum ad omnes Corporis Humani, tum internos, tum externos morbos curandos; ſed etiam ad Cutis, Faciei, aliarumque partium ornatum, formam, nitorem & elegantiam conciliandos, continentur ſecreta; Quibus inſuper quamplurima varii generis, non minùs curioſa, quàm utilia addita ſunt alia ſecreta. Cum Indice Partium, Capitum, & Materiarum quæ in toto opere continentur. Coloniæ Allobrogum, ſumptibus ſocietatis, ann. 1709. 4.

Opus hoc eximium, in Partes XXII. diſtributum, & ordine perquàm concinnô diſpoſitum, Medicis omnibus, ac præprimis Junioribus, perutile erit: Quippe ipſis opulentiſſimam Medicamentorum, variis Corporis affectionibus, tum internis, tum externis, in viginti primis Partibus facientium, miniſtrat ſegetem, in quâ quicquid accommodatius crediderint, pro diverſæ ſortis ægrotis ſeligere, ac præmiſſis Univerſalibus, cum fructû uſurpare licebit. Præterea in ejuſdem Partibus ultimis, ſcilicet XXI. & XXII. varii generis Coſmetica, aliaque multa curioſa continentur, quorum quædam ad delectationem, plura verò ad utilitatem in re Venatoriâ, Metallicâ, Vitrariâ, Veſtiariâ &c. ſpectant.

CRASSUS (*Carolus*,)

De eô extat

In Meſuæ de ſimplicibus: & in Manardi Epiſtolas. Ven. 1588. in 8.

CRASSUS (*Hieronymus*,) Utinenſis.

Ex eô habentur

De Calvariæ curatione, Tractatus duo. Venetiis, apud Jordanum Zilettum, 1560. in 8.

De Tumoribus præter naturam, Tractatus. Venetiis, apud Jordanum Zilettum, 1562. in 4.

De ſolutione continui, Tractatus. Venetiis, apud Jordanum Zilettum, 1566. in 4.

De Ceraſte, ſive Baſiliſcô, Morbô novô Medicis incognitô. Cui adjecimus Problemata quædam ad dictum morbum attinentia. Utini apud Natolinum, 1593. in 8.

De Cauteriis, ſive, de Cauterizandi ratione. Utini, apud Natolinum, 1594. in 8.

CRASSUS (*Junius Paulus*,) Patavinus. Natus eſt Patavii: in Patriô Gymnaſiô circa A. C. 1559 cum Baſſianô Landô, & poſtmodùm cum Bernhardinô Paternô, publicè Medicinam docuit. Obiit Patavii, A. C. 1574.

Ex eô habentur

Mortis repentinæ examen. Cum brevi methodô præſagiendi & præcavendi omnes, qui ſubeunt ejus periculum. Mutinæ, 1612. in 8.

Meditationes in Theriacam, & Mithridaticam Antidotum, ab eô, Bernhardinô Tauriſanô, & Marcô Oddô, ex inclytô Patavinorum Collegiô ad id ſelectis, accuratiſſimè elucubratæ, & ab eôdem Collegiô confirmatæ. Venetiis, apud Paulum, & Anton. Majettos, 1576. in 4.

Aretæi Cappadocis Lib. VIII. de Acutorum & diuturnorum Morborum cauſis & ſignis, atque eorumdem cautione, in Latinum ex Græcô tranſtulit. Extat inter Medicæ Artis Principes, Pariſiis, apud Henr. Stephanum, 1567. in fol.

Galeni de optimâ ſectâ ad Thraſybulum interpretatus eſt. Item; de cujuſque animi peccatorum cognitione, atque medela. Item; Ejuſdem Lib. ad Thraſybulum: Num ars tuendæ ſanitatis ad Medicinalem, aut exercitatoriam ſpectet Artem. Item: Ejuſdem Commentaria in textum Hippocratis Librum de Morbis popularibus. De Medicinis facilè parabilibus, ad Solonem.

Medicos Antiquos Græcos, Aretæum: Hippocratis Libellum de Purgatoriis Medicamentis: Palladium in ſextum Librum Hippocratis de Morbis Popularibus: Ruffi Epheſii de Corporis Humani Partium Appellationibus Libros tres: Theophilum de Corporis Humani Fabricâ: Phyſicos & Chirurgicos, partim nunquam partem anteà, ſed nunc auctiores edidit & interpretatus eſt. Quibus acceſſerunt ipſius Craſſi Quæſtiones Medicæ & Naturales: nec non Stephani Athenienſis, Philoſophi, explanationes in Galeni priorem Librum Therapeuticum ad Glauconem, Auguſtinô Gadaldinô Mutinenſi, Interprete. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1581. in 4.

CRATERUS, Medicus inſignis, quô T. Pomponius Atticus uſus. Cicero L. 12. *Epiſt. ad Attic. Ep.* 13. 14. Hujus ſervum ſcribit Porphyrius Tyrius morbô inuſitatô affectum, cùm medicamenta non prodeſſent, viperâ piſcis in formam figuratâ, & ab eô devoratâ ſanum factum. *Crateri* meminit etiam Horat. *L.* 2. *ſerm. ſat.* 3. v. 16.

Non eſt Cardiacus (Craterum dixiſſe putato)
Itemque Perſius, *ſat.* 3. *v.* 65.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Hoffm. Diction. T. j. p. 1008.

CRATEVAS. A Dioſcoride in præf. libri ὁ Ριζότομος cognominati, dicitur ſcripſiſſe de Plantis, quod opus Ριζοτομικὸν appellavit. Hujus operis fragmenta quædam græcè edidit in opere de Simplicibus Italicô ſermone à ſe conſcriptô Aloyſius Anguillara. Pompeij ætate vixit, quippe qui multas Mithridati, ut autor eſt Plinius, herbas adſcripſerit. Alium ejuſdem nominis Medicum multò vetuſtiorem, hoc eſt Hippocratis ævô, fuiſſe, etiam memoratur.

CRATO à Craffthеim (*Johannes*,) natus Vratiſlaviæ in Sileſiâ A. C. 1519. Patre Chriſtophorô Kraffiô, Senatore ibidem: per integrum ſexennium Wittebergæ ſub D. Martin. Lutheri diſciplinâ Theologiæ operam dedit: tum demùm ad Medicinam Lipſiæ converſus: quam Vratiſlaviæ inprimis & Auguſtæ Vindelicorum tam diu exercuit, donec Viennam Auſtr. vocatus, Cæſareus Medicus electus eſt, & quidem Imperatoris Ferdinandi I. Maximiliani II. cui ipſe facie ſimilis erat, & Rudolphi II, idque per annos 26. Obiit Vratiſlaviæ A. C. 1585. ætatis ſuæ 66.

Ex eo habentur

Iſagoge Medicinæ. Venetiis, apud Valgriſium, 1560. in 8. Hannoviæ, ap. Guil. Antonium, 1595. in 8.

Periocha methodica in Galeni Libros de Elementis, Naturâ humanâ, Atra bile, Temperamentis & Facultatibus naturalibus. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1563. in 8. Acceſſerunt in Libros Galeni Johannis Baptiſtæ Montani Periochæ cum Epiſtola Johannis Cratonis, quâ rectè Galenum Legendi ratio breviter oſtenditur. Hanoviæ, apud Guil. Antonium, 1595. in 8.

In Cl. Galeni divinos Libros Methodi Therapeutices Perioche Methodica. In quâ perſpicuâ brevitate obſcura explicata, & quæ reprehenſionem habuerunt, confirmata ſunt. Acceſſit his Analogiſmus ſeu artificioſus Tranſitus à Generali Methodô ad exercitationem particularem. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1563. in 8.

Μικρότεχνη, ſeu, parva Ars Medicinalis, nunc primum ſtudiô & induſtriâ Laurentii Scholzii, *Vratislavienſis*, in lucem edita. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1592. in 8. Hanoviæ, apud Claudium Marnium, 1609. 1646. in 8.

Methodus Therapeutica ex Galeni & Montani ſententiâ. Francof. 1608. in 8. Idea etiam Hippocratica. De Generatione Pituitæ. De Victûs Ratione. Unà cum Methodô de humore melancholicô. Baſileæ, apud Oporinum, 1555. 1563. in 8. apud Pernam, 1558. in 8. cum Opuſculis Variis ac præclaris Johan. Bapt. Montani ab Hier. Donzellinô editis. Francofurti, apud Nicol. Steinium, 1594. in 8. Ibidem, apud Nuckelium, 1621. in 8.

Conſiliorum, & Epiſtolarum Medicinalium, Liber. Ex collectaneis Clariſſ. Viri Domini Petri Monavii, *Vratisl.* quondam Medici Cæſarei ſelectus, & primum à Laurentiô Scholziô, *Sileſiô*, in lucem editus. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1591. 1595. apud Aubrios, 1620. in 8. Ibidem, apud Johannem Preſſium, 1654. in 8.

Conſiliorum, & Epiſtolarum Medicinalium, Liber ſecundus, Laurentii Scholzii ſtudio in lucem editus. Ibidem, apud eoſdem, 1592. in 8. Hanoviæ, apud Hæredes Johan. Aubrii, 1609. in 8. Francofurti, apud Johannem Preſſium, 1650. in 8.

Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium Liber tertius, ejuſdem L. Scholzii operâ editus. Ibid. apud eoſdem 1592. 1609. apud Preſſium, 1646. in 8.

Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium, Liber quartus, ejuſdem Scholzii induſtriâ editus. Ibidem, apud eoſdem, 1593. in 8. Hanoviæ, apud Hæredes Johan. Aubrii, 1614. 8.

Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium Liber quintus. Ejuſdem ſtudio editus. Francof. 1593. in 8. Hanoviæ, apud Aubrios, 1619. in 8. Francofurti, & Hamburgi, apud Johan. Wilhelm. Ammonium, 1655. in 8.

Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium, Liber ſextus. Ejuſdem Scholzii ſtudiô editus. Hannoviæ, apud Hæredes Johan. Aubrii, 1611. in 8.

Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium, Liber ſeptimus per eundem in lucem emiſſus. Ibidem, apud eoſdem, 1611. in 8.

Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium, Libri ſeptem unà editi à Laurentiô Scholziô. Francof. 1654. in 8. Ibidem, apud Joh. Petr. Zubrodeum, 1671. in 8. 7. Tom.

Johan. Bapt. Montani Conſultationum opus, ſuis totidem auctum edidit. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1583. in fol. Francof. 1587. in fol. Ejuſdem expoſitionem, in IX. Lib. Razis, ad Almanſorem Regem integritati reſtituit.

De Morbô Gallicô, Commentarius, nùnc primùm ſtudiô & operâ Laur. Scholzii in lucem editus. Francof. 1594. in 8. Hanoviæ, apud Aubrios, 1619. in 8.

De verâ, præcavendi, & curandi Febrem peſtilentem contagioſam, ratione, ex Idiomate Germanicô in Latinam Linguam converſa à Dominô M. Martinô Weinrichiô. Extat p. 1070. Conſiliorum Medicinalium à Laur. Scholziô collectorum, editionis Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

Aſſertio pro Libellô ſuô Germanicô. In quô peſtilentem Febrem putridam ab eâ, quæ à contagione oritur latèque diſſeminatur, diſcernit. Adjecta eſt brevis de contagione & putredine, verâ etiam, curandi & præcavendi contagioſam febrem Peſtilentem, ratione, Commentatio & Commonefactio. Francofurti, apud Wecheli Hæredes, 1585. 1595. in 8.

Epiſtola ad Caſp. Peucerum de Peſte. Extat Tomô II. Conſiliorum Montani.

Epiſtola ad Petrum Andr. Matthiolum. Hortatur Crato Matthiolum, nè ob malevorum inſectationes à Republicâ juvandâ ſuis ſtudiis ſe dimoveat. Extat Lib. II. Epiſt. Matthioli, pag. 379.

Epiſtola alia. In quâ probantur Matthioli defenſiones in Guilandinum, quædam verò pluribus aſſerenda cenſentur. Extat ibidem Lib. IV. pag. 452.

CRAUSIUS (*Rudolphus Wilhelmus*) Primum Vitæ uſuram hauſit *Numburgi Miſniæ*, D. XXII. Octobr. A. C. 1642. Patrem habuit illuſtrem ac excellentiſſimum Dn. D. Rudolphum Wilhelmum Crauſium, Hæreditarium in *Mellingen*, ICtum, Conſiliarium intimum, Cancellarium & Protoſynedrii Præſidem Saxo-Vinarienſem Annô 1689. beatè demortuum: Matrem verò matronam ſpectati exempli, Mariam Wolfſiam. Avum lineæ paternæ Petrum *Kraus*, Med. D. Portenſium Medicum & Numburgenſium Phyſicum ac Conſulem primarium: aviam ejuſdem lineæ Barbaram, filiam Sixti *Brauns*, *uf Groſſen-Iehna*, ICti & Conſulis Numb. primarii (qui Senatui Numburgenſi Jus Patronatûs; ſibi verò & ſuæ familiæ nobilitatis inſignia & privilegia conciliavit, quæ D. Ferdinandus, Rom. Imperator ipſi anno 1613. clementiſſimè conferebat.) Avum lineæ maternæ Pancratium Wolffium, Conſulem de Numburgenſibus optimè meritum; Proavum lineæ paternæ Petrum *Kraus*, Capituli Magdeburg. Canonicum & aulæ Berolinenſis quondam Miniſtrum celeberrimum. Proaviam ejuſdem lineæ Margaretam *Oberts*, Conradi Redii, Patricii Magdeburg. Viduam. Abavum lineæ paternæ Petrum *Kraus*, potentiſſimi Electoris Brandenburg. Conſiliarium: abaviam ejuſdem lineæ Margaretam Lindholſin, quæ annum ætatis 110. attigit. Abavum maternum Valentinum Braun, *Wurcenſium* ſuperintendentem Generalem, Philippo Melanchthoni charum, qui eum ſæpè ità eſt allocutus: Tu (*Brauni*) meus es *Oecolampadius* (propter faciei ſimilitudinem) ſed heus tu, eruditionem hujus imitare, religionem fuge! quæ etiam omni ſtudiô obſervavit. Originem ducit hæc *Cruſiorum* familia à majoribus Equitibus pariter ac Baronibus, quod facilè demonſtrari poſſet, niſi indignationem Noſtri, ambitionis etiam ſpeciem mirum in modum fugientis, timeremus. Noſter igitur, ùt Majorum veſtigiis feliciter inſiſteret, omnem pii parentes curam intenderunt, quare ſacrô lavacrô tinctum & annum ætatis quartum agentem eruditorum Præceptorum fidei commiſerunt, quorum primus erat Michael Caſpari, poſteà conſiliarius *Naſſovienſis*: Secundus Caſpar Zimmerman, poſt Eccleſiaſtes in *Gros und klein Obringen*: Tertius Nicol. Beyer, poſtmodum Paſtor *Salbornenſis* & *Kiliansrod*. Inſpectores etiam, quorum cura & conſiliis ſtudia tractabantur, conſtituebantur Chriſtian Chemnitius, eô tempore Eccleſiæ Vinar. Archidiaconus, poſt Jenæ S.S. Theolog. D. & Profeſſor P. nec non ſuperintendens & Paſtor Prim. Martinus Moſe, Concionator Aulicus, & Chriſtophorus Giglingius, negotiorum feudalium Secretarius. Tandem & morum & ſtudiorum rector ei dabatur M. Georg. Goetzius, poſt Jenæ Philos. Profeſſor P. ac deniquè S.S. Theol. Licentiatus & ſuperintendens Generalis &c. cujus ductû in capitibus pietatis pariter ac in ſtudiis Philologicis ac Philoſophicis intra triennium ità profecit, ùt cum præceptore fideli & fratre Petro Pancratio in Academiam Jenenſem mitti potuerit, ubi eadem ſtudia continuavit eâ induſtriâ, ùt deindè & aliorum Dominorum Profeſſorum Collegia frequentaverit & publicè ac Privatim opponere conatus ſit. *Goetzius* cùm Noſtrum ingeniô felici præditum animadverteret ut ſtudium Theologicum excoleret, ſuaſit: ad Medicum tamen, ad quod propenſior, animum adjecit. Ductû igitur excellentiſſimi Medici & Profeſſoris, Gottofredi Moëbii, cui excellentiſſimus parens Noſtrum commendaverat, Medicorum caſtra ſtrenuè eſt ſecutus. Intererat etiam reliquorum Dominorum Profeſſorum Medicorum collegiis lectoriis, dictatoriis, examinatoriis, diſputatoriis, anatomicis &c. ventilabat Diſputationes ſub præſidiô *Rolfinciano* de *calculo veſicæ*, nec non ſub Joh. Theod. *Schenckii*, ex ipſius ſchola partium, prætereàque ſæpè opponentis munus publicè ſuſcipiebat. *Jenæ* autem cùm ingenium ſatis excoluiſſet, non ſolùm Germaniæ urbes primarias; ſed & exteras Nationes inviſit, imprimis *Lipſiam*, *Wittebergam*, *Francofurtum ad Moen. Darmſtadiam*, *Moguntiam*, *Erfurtum*, *Hamburgum*, *Emdam*, *Groeningam*, *Ultrajectum*, *Amſterdamum* &c. eſt contemplatus, non eô quidem modô, quô hodiè plerique, qui adſpectu ſolô contenti ſunt; ſed in omnes partes, angulos, templa, arces &c. oculos & mentem ita conjecit, ùt magnum peregrinationis fructum reportaret. *Amſterdamô Lugdunum* profectus in ſtudioſorum numerum ibidem fuit receptus à Magnificô Rectore, Dn. Florentino *Schuyls*, gratuſque celeberrimo Profeſſori Medico Johanni *Van Horn*, commendatione D. Jo. Theodori *Schenckii*,

ckii, ad cujus litteras commendatitias traditas reſpondit ; *Schenkius tuus eſt homo profundè doctus & judicioſus*, nec non clariſſimo *Franciſco de le Boe Sylvio*, qui Noſtro conſilia de ſtudiis ſalutariter tractandis fideliter ſuggerebant. *Lugdunô* cum ſtudioſis quibuſdam in *Britanniam* migrabat & poſtquam *Hagam*, *Schevelingiam*, *Dordracum*, *Harlemum*, *Delphos*, *Alckmorum*, *Hardevicum*, *Woerdam*, *Schiedam*, *Schonhoſiam*, *Vorcomium*, *Roterdamum*, *Brielam* aliaſque celebres urbes luſtraverat, navigatione ſecundâ *Londinium* perveniebat, ubi imprimis *Boyleum* & *Gliſſonium* viſebat, ac abſolutis demonſtrationibus anatomicis à *Loboro* inſtitutis *Amſterdamum* redibat, eô quidem tempore, quô celebris Medici *Franciſci Joſephi Burri* qui ob aëris alieni magnitudinem ſolum verterat, ſupellex & libri plus licitantibus vendebantur, cujus ex Bibliotheca Noſter ſibi pretioſum librum comparabat. Ibidem ſtatim aggrediebatur Doctorem & Profeſſorem Medic. celeberrimum *Gerhardum Blaſium*, cujus conſiliis & amore ex votô fruebatur, explicabat enim ipſi privatim *Franciſci Joelis* Praxin atque in Cadaverum brutorum ſectione & in exercitiô chymico ductorem ſe ſe præſtabat. Appropinquabat intereà tempus quô juſsû magnifici parentis in *Italiam* ſe conferre debebat, Diſputatione igitur de *Angina* ſub præſidiô *Blaſiano* publicè habitâ ac viſo celeberrimo *Ruyſchio*, cujus primam demonſtrationem publicam anatomicam in Theatrô Chirurgicô perceperat, laudatæ urbi & præceptori valedicebat ac per *Arenacum*, Caſtellum *Schenkenſchantz*, *Veſaliam*, *Reinbergam*, *Duſſeldorffium*, *Bonnam*, *Confluentiam*, *Aquiſgranum* aliaſque celebres urbes *Francofurtum ad Moenum* proficiſcebatur, ubi ipſi *Auguſtam Vindelicorum* ac indè in *Italiam* progrediendi ſuggerebatur occaſio. Per Dei gratiam quoque intra undecim dies non quidem ſine magnô periculô magniſque moleſtiis *Venetias*, hinc autem *Patavium*, perveniebat, ubi eôdem hoſpitiô, quô quondam *Rolfinkius*, utebatur. Ibidem Domini Parentis juſsû ſummum in Medicinâ gradum ambiebat ac ſub Decanatu viri excellentiſſimi *Antonii Molinetti*, P. P. in numerum doctorandorum receptus atque eruditionis ſpeciminibus datis conſensû omnium Doctorum & Profeſſorum, nemine eorum diſcrepante aut diſſentiente, Promotore ac Brabeata D. *Jacobo Cadenedo*, Scoto, Prof. P. in præſentiâ plurimorum ſtudioſorum & Doctorum publicè Doctor Philoſophiæ & Medicinæ creabatur. Deindè cùm Die Aſcenſionis Chriſti Dux *Venetorum* mare *Adriaticum* pro more ſolemniter ſibi deſponderet : Noſter cum quibuſdam ſtudioſis *Patavio* illùc navigiô proficiſcebatur. *Lidum* priùs accedebat, ubi annulus ante deſponſationem dictam ſolenniſſimè conſecratur, indè pergebat in altum maris, ubi Dux in undam immittebat annulum. Quô factô *Malomacham* & *Muranam* Inſulas viſebat, ac Die ſequente *Venetias* ſe conferebat, ubi omnia viſu notatuque digna noſtro oſtendebantur. *Patavium* verò reverſus optatam nanciſcebatur occaſionem *Palmam novam*, Caſtellum munitiſſimum, viſendi ac indè *Forum Julium*, ubi ipſi militum in noſocomio demortuorum anatome concedebatur. Facile quoque *Candiam*, *Græciam*, *Siciliam*, & *Hieroſolymam* adire potuiſſet, niſi parentum conſensû deſtitutus fuiſſet. *Palmâ novâ* verò *Venetias* rediturus mari ventis fluctibuſque motô & navi ad ſcopulos appulsâ tantum fecit naufragium, ùt, niſi cymba ad littus perveniſſet, cum ſupellectili ſuâ etiam vitam amiſiſſet. *Venetias* igitur per Dei gratiam reverſus excellentiſſimi parentis litteras iter in *Candiam* prorsus diſſuadentes accipiebat. Cùm verò paucos poſt dies Veneti naves tres cumque illis milites à Noſtrô anteà, cùm caſtra voluntariè ſecutus eſſet, conſcriptos, qui *Candiam* Obſidione Turcicâ liberarent, *Zacynthum* mittere vellent, Noſter, quem impensè amabant, rogabatur, ùt illos per Iſtriam comitaretur, quod non recuſabat ; ſed *Zacynthum* & *Corfu* viſurus annuebat, eâ tamen conditione, ùt itinere in Iſtriam abſolutô reverti eſſet licitum. Poſtquàm igitur quinque hebdomadas multis iiſque magnis periculis expoſitus conſumſerat, decem dierum ſpatiô *Venetias* redibat. Hinc priſtina valetudinis, quæ navigando mirum in modum infirmata erat, recuperandæ gratiâ *Bergomum*, oppidum ab aëris clementiâ commendatum, ſe recipiebat. *Romam* indè perrecturus *Mediolani* varias perpeſſus eſt calamitates, in morbum enim incidebat graviſſimum, Comes *Forerius*, Clericus *Bergomenſis* res Noſtri inhians, mucronem inſidioſè in ipſum acuebat, venenum in offa abdebat, & opiô ſopitô omnia, quæ ſecum portaverat, ſubducebat. Per Dei gratiam tamen malis hiſce ſuperatis *Romam* petiturus urbes adibat claras, imprimis *Melignanum*, *Laudem Pompeiam* ad *Adduam*, *Placentiam*, *Florentiolam*, *Burgum S. Domini*, *Parmam*, *Bononiam*, ubi conſiliô celeberrimi *Malpighii* biduum ſubſiſtebat, & nomen ſuum apud Dn. *Maximilianum à Cauriani* & comitem à *Wolckenſtein*, inclytæ nationis Germanicæ conſiliarios profitebatur, à quibus etiam in ſtudioſorum numerum recipiebatur & diploma accipiebat cujus inſcriptio ità ſe habebat ; *Nos Maximilianus à Cauriani & Paris Dominicus à Wolckenſtein, S. R. J. Comites, inclytæ Germanicæ nationis in almâ Bononienſium Univerſitate Conſiliarii, & ſanctæ aulæ & Palatii Lateranenſis comites Palatini &c.* cujus autoritate Noſter tributo, vectigali aliiſque in ditione aliàs ſolvendis liberabatur. Intereà laudatus *Malpighius* Noſtro inſignia benevolentiæ exhibebat ſigna, dum in ſuô domiciliô illi oſtendebat omnia rara, quorum in Anatomicis ſuis mentionem facit. Ejuſdem commendatione Noſtro Comitis *Ferdinandi Cuſpi* nec non *Aldrovandi* muſea variis raris inſtructa aperiebantur. Inviſebat etiam *Aloyſium Magnum*, qui annô decimô Doctor creatus duodecimô Profeſſor P. in Academiâ *Bononienſi* conſtitutus fuit. His aliiſque viſis cum quodam *Marco Gulielmetto Piſtorium*, *Clementis* IX. tum *Romæ* imperantis Pontificis, oppidum patrium hinc *Luccam* uſque ad *Piſam* progrediebatur. Ibi etiam notatu dignis perluſtratis *Liburnum*, emporium celebre, *Florentiam Tuſciæ* caput, ac deniquè *Senam*, pervenit. Moribus civium & puritate linguæ Italicæ allectus ſubſtitiſſet ibidem ad tempus aliquod, nec *Romam* feſtinaſſet, niſi ſanctum jejunii tempus inſtitiſſet, quô ritus ſolennes videre ſibi propoſuerat. Cum comite igitur *Gulielmetto* per *Aculam*, montem *Flaſconis* (in cujus radicibus oculis adventantium ſe offerebat hoſpitium, cujus in clypeô ſuſpensô pedes, quem eques ſequebatur, præſentabatur, adjectâ inſcriptione : Eſt, in memoriam hiſtoriæ eruditis notæ,) deinde per *Viterbium*, *Roncilionemque*, *Romam* veniebat. Plurimis iiſque notatû digniſſimis ibi in *Vaticano*, Bibliothecis, hortis, noſocomiis, templis, Capitoliô ; viris item Celeberrimis imprimis *Athanaſio*, *Kirchero*, imò ipsô *Pontifice*, viſis auditiſque *Neapolim* ventô ſecundô navigavit,

gavit, ubi templa, palatia & reliqua viſû digna perluſtrâvit. Veſuvium quoque aſcendit. Indè *Puteolos* proficiſcebatur, quâ occaſione non procul à crypta *Panſilippi* in horto *Severini* ſepulchrum *Virgilii* videbat. Per Neapolim autem Romamque cum comitibus *Venetias* reverſurus *Narniæ* gravibus pedum doloribus corripiebatur: brevi tamen illis liberatus Terniæ in hoſpitiô ſolitariô noćte hoſpitis & ſociorum, raptorum conatibus in vitæ diſcrimen adigebatur, quod tamen per Dei gratiam repellebatur, ità ùt *Spoletium*, *Umbriæ* oppidum, *Tolentinum*, *Maceratum*, *Recinetum*, *Fanum Mariæ Lauretanæ*, ubi camera lapidea, in quâ Chriſti conceptionem Angelus Mariæ annunciaſſe fertur, feliciter veniret. Indè *Anconam*, *Fanum Fortunæ*, *Piſaurum*, *Urbinum*, *Ravennam*, *Forum Livii*, *Vincentiam*, *Villam Francam*, *Mantuam*, *Brixiam*, *Cremam*, *Mediolanum*, *Novariam*, *Tortonam*, *Paviam*, *Burgum*, *Genuam*, *Nicæam*, *Montem Peſſulanum*, aliaſque urbes adiit. Deindè abitum parabat in *Hiſpaniam*, certior autem factus, ſe ſcopum ſuum non eſſe aſſecuturum, animum mutavit, & *Lugdunum*, *Viennam* ac porrò per Delphinatum *Gratianopolin*, *Ebrodunum*, *Valentiam Lutetiaſque* ſe contulit. Harum templa, palatia & reliqua rara poſtquam contemplatus erat: *Stampas*, *Aureliam*, *Bleſas*, *Verſaliam*, quô & Rex ſe recipiebat, *Ambaciam*, *Salmurium*, *Andegavum*, *Ambianum*, *Flexiam*, deindè per *Picardiam Bruxellas*, *Sedanum*, *Lovanium*, proficiſcebatur *Dubrim* in *Anglia* & Londinium, ubi & Regem & Reginam in regiô Palatiô quotidie fermè bis videre licebat, Thomam *Willis* quoque, Reginæ archiatrum alioſque viros celeberrimos viſitabat. Interim præter ſpem à parente accipiebat litteras, quibus ſignificabatur matrem ægrotare & peregrinationem ante ejuſdem anni finem eſſe abſolvendam. Cui mandato obediturus Cantabrigiam & Oxoniam adiit ac *Londinium* reverſus d. 1. Nov. 1670. pedem referre incepit atque per *Roterdamum*, *Amſterdamum*, *Oſnabrugam*, *Helmſtadium*, *Magdeburgum*, *Halam* menſe Decembri anni dicti, peregrinationis verò quintô eôque fermè abſolutô *Vinariam* ad patrios lares redibat, atque à parentibus maximâ lætitiâ receptus, Deo T. O. M. pro benigna protećtione gratias egit maximas. Sereniſſimi autem Principes, Nutritores *Academiæ Jenenſis* Clementiſſimi de Noſtri eruditione certi circa initium anni 1671. mandabant, ut *Jenæ* Medic. Profeſſor extraordinarius cum ſpe ſucceſſionis introduceretur, quô factô publicè *Hippocratis* Aphoriſmos explicabat, domi verò & lećtoria & diſputatoria collegia aperiebat. Poſt paucos menſes Domini D. Johannis *Theodori Schenkii*, piè demortui, ſucceſſor denominabatur, & Diſputatione pro Loco, de *Ićtero* publicè ſine Reſpondente habitâ introducebatur illuſtris Facultatis Medicæ membrum ſecundum, atque Academiæ Proviſor. Annô verò 1673. quô Excellentiſſimus D. *Rolfinckius* diem ſupremum obibat, laudatæ Facultatis Prof. primarius ac ſenior conſtituebatur. Annô 1674. menſe ſeptembr. nuptias celebrabat cum virgine lećtiſſimâ *Eleonora*, Concionatoris aulici ac poſt ſuperintendentis *Gerani* filia ſecunda, quæ quamvis primâ vice abortum faceret; poſtmodùm tamen edebat filiam *Mariam Eleonoram* (Domini D. Jo. Chriſtophori *Popigs*, *Altenburgi* Advocati aulici & ſyndici ſponſam) 1696. beatè demortuam; Nec non *Charlottam Reginam*, hodie Dn. *Johannis Chriſtiani Fritſchii*, Hæreditarii in *Mellingen*, Med. Doćtoris & Vinariæ Ducalis Archiatri, conjugem: item filium *Rudolphum Wilhelmum* annô ætatis tertiô mortuum. Cum alterâ conjuge Noſter Rećtoratû academicô aliquotiès; Decanatû ſuâ in Facultate ſæpiùs eſt functus. Annô 1676. præter expećtationem recipiebatur collega academiæ Naturæ Curioſorum & *Tiphys* cognominabatur. Vivat vir excellentiſſimus ſalvus ac ſoſpes quàm diutiſſimè, & in poſterum quoque, uti in hunc uſque diem fecit, ſingulari ſuâ curâ, prudentiâ, conſiliô atque operâ rem litterariam & imprimis Parnaſſum Salanum ſuffulciat?

Scripta Excellentiſſimi Crauſii ſunt ſeqq.

Diſputatio Medica de Scorbuto. 1671.
Diſp. inauguralis de cordis palpitatione. 1672.
Diſp. inaugur. de ferro. eôd. annô.
Diſp. inaugur. de Marte. eôd. annô.
Diſp. Medica de Podagrâ. 1673.
Diſp. inaugur. de Frigidis. 1674.
Diſp. de ſterilitate eôd. annô.
Diſp. inaugur. de Fonticulis. 1675.
Diſp. inaug. de Febribus catharrhalibus. 1676.
Diſp. inaug. de Fœtûs extraćtione ex uterô. 1677.
Diſp. inaug. de ſpaſmo Cynico. eôd. annô.
Diſp. inaug. de Cachexiâ. eôd. annô.
Diſp. inaug. de Febre intermittente. 1678.
Diſp. inaug. de tuſſi, 1678.
Diſp. inaug. de ſphacelo. annô eôd.
Diſp. inaug. de ranula ſub lingua. 1680.
Diſp. inaug. de Cachexiâ ſcorbutica. ann. eôd.
Diſp. de hypercatharſi. 1681.
Diſp. inaug. de Pleuritide, eôd. annô.
Diſp. inaug. de Contraćtura. eôd. annô.
Diſp. inaug. de tabe. annô. eôd
Diſſertatio inaug. de Lochiis, 1682.
Diſſertatio inaug. de fermentatione in ſanguine non exiſtente. Ann. eôd.
Diſp. inaug. de febre petechiali. 1683.
Diſp. inaug. de atrophia. eôd. annô.
Diſp. inaug. de cordis palpitatione. 1686.
Diſp. inaugur. de Gonorrhoëâ ſimplici. eôdem annô.
Diſp. inaug. de Iſchuriâ. eôd. annô.
Diſp. inaug. de deliriô in genere. eôd. annô.
Diſp. inaug. de Principiis & tranſmutatione metallorum. eôd. an.
Programma de Calendariô Valetudinariorum perpetuô. 1687.
Diſſert. inaug. de ſtrumis. ann. eôd.
Diſſert. inaugur. de morbillis. eôd. annô.
Diſp. inaugur. de Anarexiâ. eôd. annô.
Diſp. inaug. de morbis ſpirituum. 1688.
Diſp. inaug. de Phrenitide, 1689.
Diſp. inaug. de ægrô chylificatione læsâ hypochondriaca laborante. annô eôd.
Diſp. inaug. de calculo renum & veſicæ. ann. eôd.
Diſp. inaugur. de morbis mammarum. annô eôd.
Diſp. inaug. de apoplexiâ. annô eôd.
Diſp. inaug. de Vertigine. 1690.
Diſp. de abſceſſu. ann. eôd.
Poſitiones medicæ inaugurales. ann. eôd.
Diſp. inaug. de nymphomania. 1691.
Diſp. inaug. de diabete. 1692.
Diſp. inaug. de Febre quotidianâ intermittente. 1692.
Diſp. inaug. de dyſenteriâ. 1693.
Diſp. inaug. de fulmine tactis. 1694.
Diſp. inaug. de ſchirrô lienis. 1694.

Diſp.

Programma de principatu cordis, ann. eôd.
Diſp. de dentium ſenſû. 1694.
Diſp. inaug. de hirundinibus. 1695.
Diſp. inaug. de naturâ & uſû ſternutatoriorum. ann. eôd.
Diſp. inaug. de ſclopetorum vulneribus. 1695.
Diſp. inaug. de Cardomomis. ann. eôd.
Diſp. inaug. de febre Hecticâ. ann. eôd.
Diſp. inaug. de ægrô bulimico. ann. eôd.
Diſp. inaug. de aphiſtotono: 1696.
Diſp. inaug. de memoriâ ejuſque remediorum naturâ, uſu & abuſu. ann. eôd.
Diſp. inaug. de varis 1697.
Diſp. inaug. de abortu. annô eôd.
Programma de aurora, quomodo ut muſis, ità quoque ſanitati amica ſit ann. eôd.
Diſp. inaug. de potu frigidô. annô eôd.
Programma de aſtrorum influxû. ann. eôd.
Diſp. inaug. de ſignaturis vegetabilium. ann. eôd.
Diſp. inaug. de Pica, 1698.
Diſp. inaug. de Malacia. ann. eôd.
Programma de meteoris microcoſmi ſeu flatibus. 1699.
Diſp. inaug. de Carminativis. ann. eôd.
Diſp. inaug. de phtiſi, 1700.
Programma de temerariô quorumdam ſimplicium remediorum à priſcis commendatorum contemtu. ann. eôd.
Diſp. inaug. de incantatis. 1701.
Commendatio ſtudii inquirendi facultates medicamentorum. 1702.
Diſp. inaug. de Aphonia. annô eôd.
Programma de ærumnoſa muliebris ſexûs conditione, ann. eôd.
Diſp. inaug. de regulis antimonii. 1703.
Programma de peregrinationibus Germanorum medicæ artis ſtudioſorum. 1704.
Diſp. inaug. de Philtris. ann. eôd.
Diſp. inaug. de menſtruis difficilioribus, ann. eôd.
Diſp. inaug. de morbô caſtrenſi. annô eôd.
Theſes medicæ inaugurales. annô eôd.
Diſp. inaug. de tonſillis. 1704.
Diſp. de ardore ſtomachi. 1705.
Programmata quatuor de varietate luſuum naturalium, ſpeciatim in animalibus & cum primis hominibus. annô eôd.
Diſp. inaug. de Podagra, annô eôd.
Diſp. inaug. de arteriotomia. annô eôd.
Diſp. inaug. de liene. annô eôd.
Diſp. inaug. de dentium dolore. 1707.
Tractatus luculentus, de ruta, nondùm editus.

Ex Zeumer. vit. Profeſſorum Jenenſinm.

CREGUTUS [*Frider. Chriſtian.*) Profeſſor Hanoveranus.

De eô extat in Miſcell. Cur. Decur. iij. A. v. & VI.

Obſervatio 287. *De Coitû ſine ullâ ſeminis ejectione.*

VIr 34. circiter annorum, ſtaturæ & corpulentiæ mediocris, egregiè etiam barbatus, necnon proſperâ ac vegetâ valetudine præditus, cum conſtitutionis optimæ Fœmina jam undecim annorum ſpatiô, ac quod excurrit, in matrimoniô vivit. Et quamvis ab eô tempore ſæpè numerô cum uxore congreſſum Venereum celebraverit, nè guttulam tamen liquoris in hunc uſque diem in naturæ ſinum effudit. Nihilô ſeciùs ſalaciſſimus eſt, ſæpiſſimè toro coit, Teſtes craſſiuſculos ſed ferè inſenſibiles, naturalique longitudine ac craſſitie præditum membrum habet. Illudque rigidiſſimum in pudoris ſinû, nonnunquam ſatis diu, etiam cum uxoris cruciatu, agitat, uſque elangueſcat. Durante hoc matrimonii tempore ambo contenti vivunt, maritus, quia uxorem contentam & de nullâ re conquerentem videt, uxor quia per ignorantiam non aliter actum perfici debere putat. Etenim ignoti nulla eſt cupido. Dûm intereà in ejuſmodi ignoratione Fœmina verſatur, ſterilitatiſque veram cauſam nondum tenet, Ecce! ſoror ejus natû minima ante duos annos nuptui cuidam traditur, celebrantur nuptiæ, quarum arcana recondîtiſſima ſorori protinùs revelat, unde unô veluti momentô talia diſcit, quæ tandiu ignoraſſe vehementer jam dolet. Hinc etiam planè alia rerum obſervabatur facies, quippe quæ anteà ſuâ ſorte contenta vivebat, nunc malè animo erat, multiſque ſollicitudinis vexabatur. Quem maritum ſemper ex animô medullitùs amaverat, nunc non tantô amore proſequebatur. Poſtquam enim ſororis uterum viſcosâ quâdam materiâ irrigatum fuiſſe audiverat, illicò ſuam ſterilitatem ab ejuſmodi liquoris genitalis defectû derivabat. Sine ullâ quoque morâ maritum adit, eique, quicquid ex ſorore didicerat, protinùs refert, ſimùlque conqueritur, quod tanti momenti res illam tandiu neſcire voluerit. Quinimô ſeriò monet, omni ſtudiô nùnc cogitandum eſſe, quâ ratione ille ſeminis productione, illa verò dulciſſimâ dein prole beari poſſit. Hæc quali animi perturbatione ac commotione maritus audiverit, facile quivis dijudicare poterit. Nam reliqua ſilentiô de induſtriâ prætereo: Ambobus interim nihil magis cordi erat, quàm ut eorumdem familia, ſi adhùc poſſibile eſſet, heredibus ornaretur, ideò Medicum à me obnixè & anxiè conſilium poſtulant. Affectum itàque diligenter & accuratè examinavi, nihilque, præterquam ſummum frigus à Juvenilibus annis perpeſſum, hujus affectus auctorem accuſare potui. Nam iterùm atque iterùm affirmavit, in diſciplinæ ac tyrocinii annis à frigoris vehementiâ ſæpiſſimè crudeliterque divexatis ac quaſi ſopitis membris, ſe fruſtra ſeminis excretionem tentâſſe. Cùm tamen notandum ſit, ſe antea non ſemel nocturnas pollutiones ſenſiſſe, ac manuſtupratione nonnunquam ſemen excretum vidiſſe. Uxorem verò ſe duxiſſe, ait, partim quod ſtimulis venereis ad id compulſus fuerit, partim quod naturam, ſi venere uteretur, tùnc certò mutari ſibi firmiter perſuaſerit. Quibus ſingulis attentô animô perpenſis, affectum incurabilem, quia per longas nimis moras invaluerat, ſtatim pronunciavimus. Nihilominùs ut ambobus aliquomodô ſatisfieret, Remedia, ut dicunt, producentia & vias clauſas reſerentia ad tempus marito, ſed incaſsùm propinavimus. Hinc tandem maritus ſe nullis ampliùs medicamentis ad ſeminis productionem uſurum, uxor autem ſe rem ſecretam cum nemine ampliùs communicaturam, & reliquam vitæ particulam tranquillè ac in pace tranſacturos ambo conſtituerunt. Ego verò caſum non quotidie occurrentem erudito orbi, ſuppreſſis tamen nominibus, communicandum operæ pretium eſſe duxi.

Aſt antequam manum de tabulâ trahamus, breviter & propiùs prædicti affectus cauſam inveſtigabimus. Idcircò ex Phyſiologicis præſupponere liceat; 1. Maſſam ſanguineam duplici motû moveri, unô progreſſivô, quatenùs ope cordis & arteriorum motus ad ſingulas corporis partes tota moles urgetur; alterô inteſtinô, quatenùs ſingulæ moleculæ ſitum mutant, & ex viciniâ

viciniâ unius in viciniam alterius volvuntur. 2. utroſque dictos ſanguinis motus ad vitæ perpetuationem, nutritionem, & partium auctionem variaſque in hos fines ſecretiones inſtituendas abſolutè neceſſarios eſſe 3. ſanguinem innumerorum diverſorum corpuſculorum congeriem eſſe, diverſaſque has particulas ad ſecedendum & varia fluida efficienda jam eſſe diſpoſitas ac præparatas. 4. Ejuſmodi verò in ſanguine arterioſô exiſtentes moleculas à M. S. per ſolam transſcolationem citra ulteriorem immutationem ſeparari poſſe, tùncque nomen mutare, & varia fluida, v. g. Lympham, ſalivam, bilem, urinam, ſemen &c. conſtituere. 5. Diverſarum molecularum tranſcolationes à diversâ glandularum vel partium ſtructurâ dependere. 6. Structuræ diverſitatem in hoc conſiſtere, quod foraminula, per quæ ſecernenda, corpuſcula urgeri debent, tùm ratione amplitudinis, tùm ratione configurationis differant. Quibus præſuppoſitis, ſeminis elaborationem, neque per Facultatem quandam, quæ doctrina jam diu corruit, neque per fermentum quoddam in teſtibus ſuppoſitum, ſiquidem omnia talia fermenta noſtrâ ætate deferbuerunt, ſed per ſolam tranſcribrationem perfici dicimus. Nimirùm quatenùs cordis vibratione per arterias dictas ſpermaticas ſanguis ad albugineam tunicam, ſeu corticalem glanduloſam teſticulorum ſubſtantiam appellit, & moleculæ ſeminales aliis ſanguineis laxè cohærentes congrua ac determinata glandularum foraminula ſubeunt, & à novis jugiter inſequentibus ex poris in ſeminifera vaſcula, ac ex iiſdem in unum canalem, quem vas deferens vocant, & dein per labyrintheos epididymidum, flexus in veſiculas ſeminales protruduntur. Dictas veſiculas receptacula vocamus liquorem genitalem tandiù continentes, donec vel in coïtû concuſſione vereneâ in uterum projiciatur, vel per vaſcula minutiſſima ſpongiformia in veſiculas hiantia M. S. ad dextrum cordis ventriculum pergenti iterùm advehatur. Ubi ſimul notandum venit, in veſiculis ſeroſum, in proſtratis verò oleaginoſum fluidum pro ſpirituoſæ ac penetrantiſſimæ ſeminis ſubſtantiæ vehiculò ac feliciori forſan ejaculatione filtrationis etiam modo à ſanguine ſecerni, prout fuſiùs alibi diximus. Conſideratâ itàque ratione, quâ ſemen elaborari tandiu firmiter credimus, donec meliorem fuerimus edocti, haud difficile erit defectus ſeminis cauſam reddere. Etenim penitùs ſemen deficit, ob vitium, quod nùnc in ſanguine materiam ſeminis præbente, nunc in organis ſecretoriis, ſeminales moleculas à ſanguine ſeparantibus, hæret. Sanguinem accuſamus, quando præternaturaliter ſe habet, aut non ſatis ejuſmodi moleculis ad ſemen conſtituendum turgidus exiſtit; Organa verò ſecretoria, quandò aut planè deſunt, aut obſtructa vel alio modo affecta ſunt. Maſſam ſanguineam vix ego accuſarem, præſertim ubi animadverto, virum noſtrum varii generis alimentis uti bene edere, benè dirigere, verbo pancraticè atque athleticè, unicô hôc incommodô exceptô, vivere. Neque ullis organis ad ſeminis ſecretionem, aſſervationem aut ejaculationem ab ipsâ nativitate privatus eſt, quod ſatis ſuperque patebit, ubi in memoriam revocaverimus, illum in juventute ſuâ ſemen ſæpiùs voluntariè & involuntariè profudiſſe. Ergo organa ſecretiora, à frigore in delicatioribus annis perpeſſô, præternaturaliter affecta, ſine morâ hujus mali matrem accuſabimus; præſertim cum ab illô tempore ſe ſemine orbatum viderit. Et ſanè maxima intenſi frigoris in corpus noſtrum vis eſt, quippe ſuccos noſtros inſpiſſat, ac ſæpiùs corrumpit, organorum verò fibrillas contorquet, dilaniat, ſicque illas vario modo præternaturaliter diſponit, ut pori relicti ad ſecretiones ut anteà inſtituendas inepti relinquantur. Tali ratione à frigoris vehementiâ viri noſtri Organa glanduloſa genitalia fuiſſe corrupta exiſtimamus, quatenùs eorum fibrillæ talem diſpoſitionem tùnc temporis nactæ fuerunt, ut ad ſeminis elaborationem penitùs nunc inepta ſunt. Hinc etiam quivis facilè perſpiciet affectum arte humanâ curari minimè poſſe. Nobis enim vera ac genuina pororum ſecretoriorum amplitudo & configuratio in hunc uſque diem adhùc ignota eſt, & ſi perſpecta eſſet, confuſas tamen à frigore quidem à longô adeò tempore glandularum fibrillas in verum ordinem nunquam redigeremus. Cæterùm quæritur an ſine ſeminis præſentiâ membrum erigi poſſit? Reſpondet F. Platerus Obſerv. lib. 1. pag. 240. naturaliter minimè accidere poſſe, ut viris membrum virile attollatur, ſine præcedente veneris ſtimulô, qui cùm à ſemine in vaſis genitalibus pruriente, eaque ad excretionem incitante, excitetur, illos quoque ſi congrediuntur, ſemen emittere. Contrarium evincit præſens caſus noſtri viri, qui toto matrimonii tempore ſæpiſſimè coivit, ſine ullâ tamen ſeminis ejectione. Refert etiam *Schenckius* Obſerv. med. Lib. IV. Helideum quendam noviſſe, qui propter Teſtium duritiem nunquam ſemen excrevit ſimilemque caſum in montibus Sebenenſibus, Galliæ non procul Monſpeſſulô obſervatum fuiſſe in homine, cui tendebatur quidem membrum, & actû venereô utebatur, ſed non abſolvebat, quia nec tantillum ſeminis ejaculabatur. Alios ejuſmodi caſus ſilentii peplo nùnc involvo, neque inficias eo, a ſeminis pruritû ordinario ſpiritus animales ad mentulæ erectionem determinari, quamvis aliorum ſpirituum animalium influxum nunc deducendum eſſe, ſupra recenſitus caſus nos credere jubeat. Membrum autem intumeſcere ac rigidum evadere exiſtimamus, quando ſpirituum animalium ad nervoſa corpora uberior influxus determinatur, & hinc muſculi penis breves, craſſi ac robuſti in ejus radice exiſtentes conſtringuntur, ut ſanguinea vaſa comprimantur, refluxus per venas impediatur, ſicque ſanguis in membrô morulam quandam peragere cogatur. Uti variis experimentis anatomicis ac Phyſicis demonſtrari poteſt. Cùm interim à ſeminis pruritû ſpirituum animalium in Penem influxum, ob ejus totalem effectum, derivare non liceat, forsàn non malè agemus, ſi dicamus ſpiritus animales ab objectô amabili & fortiori imaginatione in membrum ità urgeri, ùt erectio dictô modô contingere debeat Verùm ulterius hujus rari phœnomeni ſcrutinium ſapientioribus relinquimus.

CRELLIUS (*Jacobus*,) Ortelianus.

De eô extant

Arnoldi de Villanovâ Enarrationes, in ſcholæ Salernitanæ Opuſculum, de conſervandâ bonâ valetudine, recognitæ & auctæ. Piſis, 1484. in 4.

CREMA (*Liberalis*,) Tarviſinus;

Adriani Spigelii, de Formatô Fœtû, Librum ſingularem æneis Figuris exornatum: Item ejuſdem Epiſtolas duas Anatomicas: nec non Tractatum de Artritide, Opera poſthuma edidit. Patavii, apud Johan. Baptiſtam de Martinis Livium Paſquatum, 1626. in fol. reg. Francofurti, apud Matth. Merianum, 1631. in 4.

CREMERUS, Abbas Weſtmonaſterienſis, Anglus.

De eô extat

Teſtamentum hactenùs nondùm publicatum, nunc in diverſarum nationum gratiam editum, & Figuris cupro affabre inciſis ornatum. Extat cum Tripode Aureô à Michaële Majeto edito. Francof. apud Lucam Jenniſium, 1618. in 4. Et in Muſæô Hermeticô reformatô, & amplificatô. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1677. in 4.

CREMONENSIS (*Gerhardus*,) Medicus in Toletô. Juſtus in Chronol. Medic.

Avicennæ Lib. Canonis & cantica, ex Arabicô, in Latinum tranſtulit; emendatior prodiit curâ And. Alpagi. Venet. apud Juntas, 1544. & 1553.

Jani Damaſceni Metaphraſis Lib. VII. Methodi Therapeuticæ. Extat ibidem.

Abhengnefit, de Virtutibus Medicinarum & Ciborum, ex Arabicâ in Latinam Linguam vertit.

In Abubetri, filii Zachariæ, Librum ad Almans Additiones interlineares.

CREMONENSIS (*Otto*,)

De eô extat

De Electione meliorum ſimplicium ac ſpecierum Medicinalium Rythmi. Habentur cum Scholâ Salernitanâ à Johanne Curione enarrata. Francof. apud Hæredes Egenolphi, 1559. in 8. Pariſiis apud Carolum Perier, 1559. in 8.

CREMONINUS (*Cæſar*,) Centenſis.

Ex eô habentur

Apologia Dictorum Ariſtotelis de Origine, & Principatû Membrorum, adverſus Galenum. Venetiis, apud Hier. Piutum, 1627. in 4.

Apologia Dictorum Ariſtotelis de Calidô innatô, adversùs Galenum. Venetiis, apud Deuchinum, 1626. in 4.

De Calido innatô: & ſemine, pro Ariſtotele, adverſus Galenum Galeni de Semine, Libri II. Lugd. Batav. apud Elzevirios, 1634. in 24.

Tractatus tres. I. de ſenſibus Externis. 2. de internis. 3. de facultate Appetitivâ. Meſſanæ, 1637. in 4. Venet. 1644. in 4.

CRESCENTIUS (*Franciſcus*,) Panormitanus Doctor Medicus Celebris, doctrinâ inſtructiſſimus, floruit annô 1575. Inter Clariſſimos Panormitanos Medicos recenſetur a Franciſcô Baroniô *de Maeſt. Panorm. L. 3. p.* 117. Ipſiûs etiam meminit Matthæus Donia *in Polyſtic.* Prodiit ejus liber poſthumus inſcriptus

De Morbis Epidemicis qui Panormi vagabantur annô M. D. LXXV. ſeu de peſte, ejuſque naturâ, & præcautione tractatus. Panormi apud Baptiſtam Maringum, 1624. in 4. *Anton. Mongitor Bibl. Siculæ T. j. pag.* 212.

CRESCENTIUS (*Petrus*,) Bononienſis;

De eô extant

De omnibus Agriculturæ partibus, & de Plantarum Animalium que naturâ & utilitate, Lib. XII. Lovanii, apud Joh. de Weſtphalia, 1473. in fol. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1548. in fol.

CRINITUS (*Petrus*,)

Ex eô habentur

De Honeſtâ Diſciplinâ, Libr. XXV. Pariſiis apud Jodocum Badium Aſcenſium, 1525. in fol. In quibus, quæ ad illuſtrandam Medicinam faciunt, Capita quædam ſunt: Videlicet

De Viribus atræ bilis: ac de Eurylochô, & Poëtâ Malachô, qui graviter eô morbô ad inſaniam vexarentur. Lib. III. cap. VI.

Quid Mulſum apud Veteres. Lib. IV. Cap. VIII.

De ſpatiô humanæ vitæ, & adnotanda Obſervatio de Pondere humani cordis, quomodo creſcat & decreſcat, ex Anatomica Ægyptiorum Obſervatione, Lib. VII. Cap. IV.

De Anatomicâ Diſciplinâ, & Hiſtoriâ de Ariſtomene Meſſenio, qui hiſutô corde fuerit; ac ibidem relata quædam ex veteribus de humanô Corde. Lib. XIII. Cap. VII.

De Aſclepiade, Medicô, qui lectos ſuſpenſiles primus pro ægrotis excogitavit. Lib. XIV. cap. XIV.

De Viribus & ægritudine Amoris, ac de ejus remediis, copiosè relatum ex Arabum Commentariis. Lib. XV. cap. IV.

Quid ſi morbus Tonſillarum, in quâ maximè parte corporis, qualique origine dicantur Tonſillæ, Lib. XVI. cap. XVI.

De Morbô Elephantiaſi, & unde nomen acceperit: ac de Lichenis ibidem & Gallicâ ſcabie, contra quorundam inſcitiam. Lib. XX. cap. X.

Vinum eſſe remedio contra aconitum, &c. Lib. XXIII. cap. IX.

Qui maximè homines Comitiali Morbô vexarentur, & quibus argumentis agnoſcantur. Lib. XXV. cap. I.

Quô nomine apud veteres Manna diceretur: ac de illiûs uſû & cognitione apud Medicos: tum de Mannâ Thuris nonnihil: Lib. XXV. cap. VII.

CRINOUS (*Paulus*,) Caſtroregalenſis, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor egregius. Claruit annô 1589. Cùm Franciſcus Biſſus Panormitanus, Siciliæ Archiater, Reſponſionem ſcripſiſſet de Eriſipelate per Siciliam vagante, Paulo Reſtiferæ Medicô, qui ejuſdem judicium impugnare attentavit noſter Paulus, editô librô inſcriptô:

Cenſura in Reſponſionem Franciſci Biſſi Regni Siciliæ Prothomedici de Eriſipelate vigente. Meſſanæ apud Fauſtum Bufalinum, 1589. in 4.

At cùm Cenſuram Pauli, in Biſſi defenſionem ſcripſiſſet Gerhardus Columba, Meſſanenſis, iterùm noſter Paulus ſcripſit, ediditque

Reſponſiones Apologeticas in Apologiam Excel. Domini Gerardi Columba Meſſanenſis Philoſophi, Medici celeberrimi pro illuſtri Dominô Franciſcô Biſsô Regni Siciliæ, & Inſularum Coadicenentium Prothomedicô. Meſſanæ apud Fauſtum Bufalinum 1589. in 4. *Anton. Mong. Bibl. Siculæ T. ij. p.* 122.

CRIPPA (*Bernhardinus*,)

Ex eô habetur

Peripatetica vitæ conſervatio. Romæ, 1592. in 4.

CRISPUS (*Antonius*,) Drepanitanus Sacerdos, natus II. Junii 1600. Patre Johanne Criſpo Medico celebri ab infantiâ litteris admotus, non modò in humaniorum literarum, verùm etiam & graviorum facultatum Philoſophiæ, Theologiæ ac Medicinæ ſtudiis ingenii ſublimitatem detexit. Medicinæ laureâ inſignitus, eâ in arte ità profecit, ut Medicus numeris omnibus abſolutus evaſerit. Hinc doctrinâ ac ſaluberrimis experimentis in ægrorum beneficium adhibitis, nomen ſibi celebre comparavit; ac venerationem nèdum in Siciliâ, verùm etiam extra Regni limites obtinuit. Ad ipſum tanquam ad oraculum in difficillimis morborum languoribus confugere conſuevêre Principes viri, Dynaſtæ, Præſules. Apud Rodericum

dericum Mendoza Infanta di Ducem Siciliæ Proregem magnâ valuit opinione : Drepanum n. appulſus Antoniô corporis ſui ſanitatem commendavit. Franciſcus Fernandez dela Cueva Dux Alburqueque, Siciliæ etiam Moderator, ad vitæ ſuæ tuitionem, curatorem doctiſſimum expertus eſt Panormi, ubi accerſitum Antonium voluit, ut promptam ſui opem haberet. Frequentes etiam literæ à Longinquô ad ipſum datæ tùm à præſulibus, tùm à primariæ nobilitatis viris, ut ſalubres ipſiûs conſultationes obtinerent, nominis ſui celebritatem & egregiæ doctrinæ, præſtantiam teſtantur. Maritali vinculô primùm ligatus, unde uxoris morte ſolutus, Clericalem militiam amplexus eſt, ac Sacerdotio inſignitus, egregiarum virtutum edidit argumenta. Senio confectus, rejectâ omni ſeculi, ac medicinæ curâ, eximiô animi ardore totus in pietatis officiis fuit; ideòque annum agens 88. piiſſimè deceſſit Drepani 30. Novembris 1688. & in Eccleſiâ S. Annæ Fratrum ſtrictioris obſervantiæ S. Franciſci ſepultus eſt. Funebri oratione, & emeritis laudibus Antonium exornavit Franciſcus Valcaſſar, quam Drepani edidit annô 1689. Ipſum etiam laudat Vincentius Nobilis *in Theſaurô abſconditô de Virgine Drepanit. cap.* 23. *pag.* 782. *& cap.* 18. *p.* 619. Edidit.

In acutæ Febris hiſtoriam Commentarium. Panormi apud Dominicum de Anſelmô 1661. in 4.

In Letargum febri ſupervenientem acutæ Commentarios duos; nec non in Icteritiam ante ſeptimum Commentarium in quibus nonnullam etiam quæ ad febris malignæ & peſtilentis dignotionem & curationem faciunt enucleantur. Ibid. typis Petri Inſulæ 1668. in 4.

De ſputô ſanguinis à Corporis partibus infirmis provenientis cum tuſſi & ſine vomitû conſultationem. Nec non & in Epiſtolas Medicinales dilucidationes, in quibus agitur de neglectâ venæſectione in febribus, vel omiſſa. Drepani apud Joſephum Barberam 1682. in 4.

Medicinalem Epiſtolam ad Grandonium ſeminara Medicinæ, Philoſophiæ, & Chirurgiæ Doctorem, in quâ reſpondetur, & ſimul exponitur ratio curandi febres putridas per venæſectionem & purgationem per alvum. Panormi apud Joſephum la Barbera 1682. in 4. cùm autem Antonius Ruaſi Criſpi Nepos, & Diſcipulus Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor: *Epiſtolium interrogativum in medicinam epiſtolam,* Drepani apud Joſephum la Barbera, 1682. in 4. in lucem emiſiſſet; ſcripſit Antonius

In Medicinalem epiſtolam dilucidationes: & ſimul interrogationibus reſpondetur per epiſtolium factis à Phil. ac Med. Doctore Nepote Antoniô Ruaſi. Drepani apud Joſephum la Barbera, 1682. in 4.

De S.S. Coſmæ & Damiani Thermalibus Aquis librum in ſex diviſum ſectiones, in quibus earum non ſolùm ſed etiam nonnullarum aliarum aquarum vires & facultates exponuntur, & rectus adminiſtrationis uſus indicatur: cui ſunt aggregatæ de iiſdem aquis à Doct. Johanne Criſpô Philoſophiæ & Medicinæ Authoris Genitore compoſitiones. Drepani apud eundem 1684. in 4.

Hæc etiam mſſ. reliquit opera.

Theoricam & Practicam Medicinæ.

De Febribus. De Criſibus. De Flatibus. De Variolis & Morbillis. De Aëre terræ Paceçæ.

Obſervationes & Conſultationes medicæ.

Appendicem ad librum de Aquis Thermalibus Miſcelle eam Medicam.

Diſputationes limologicas pro ſanitate Patriæ; id eſt de Peſte. Anton. Mongitor Bibl. Siculæ T. j. p. 63.

CRISPUS [*Johannes*] Drepanitanus, Philoſophus ac Medicus doctiſſimus; inter excellentiores ætatis ſuæ Medicos non immeritò recenſitus claruit annô 1630. Ipſum laudat Franciſcus Vacaſſar in *Oratione funebri pro Antoniô Criſpô ejus filiô pag.* 23. Scripſit

De Aquis Thermalibus compoſitiones, quas edidit Antonius Criſpus in librô *de S.S. Coſmæ & Damiani Thermalibus Aquis.* Drepani apud Joſephum Barberam 1684. in 4. *Antonius Mongitor. Bibl. Siculæ T. j. p.* 342.

CRISPUS [*Petrus*]

Ex eô habentur

In Aphoriſmorum Hippocratis Librum primum, Commentaria. Romæ, apud Vincent. Accoltum, 1575. in 4.

CRITON, Galenô major. Vixit ante Chriſtum natum. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum. De ejus Vitâ, aut ætate vid. ſub titulo Rufus.

De eô extant

Fragmenta varia. Habentur apud Aëtium Amidenum, ſcilicèt

Cataplaſmata æſtiva, odorum corpus reddentia. Tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 7.

De Maculis à ſole provocatis, quas Græci ἐφηλίδας vocant; ibid. Cap. 11.

Ad manantes menti popularum eruptiones, ib. cap. 15.

CROLACHIUS [*Henricus*] Gotthanus.

De eô extat

Iſatis Herba. De culturâ Herbæ Iſatidis, quam Guadum vulgò vocant; quamque Thuringia producit: ac ejuſdem præparatione, quâ ad tingendas lanas apta redditur, Narratio. Tiguri, apud Jac. Geſnerum, 1555. in 8.

CROLLIUS (*Oſwaldus* ,) Vetteranus Haſſus.

De eô extat

Baſilica Chymica, continens Philoſophicam propriâ laborum experientiâ confirmatam, deſcriptionem & uſum Medicamentorum chymicorum ſelectiſſimorum è Lumine Gratiæ & Naturæ deſumptorum. In fine Libri additus eſt ejuſdem Autoris Tractatus novus de ſignaturis rerum internis. Francof. apud Claudium Marnium, 1609. apud Gottofredum Tompochium, 1647. apud Gottofred. Schonwetterum, 1647. in 4. Lipſiæ 1634. in 4. Genevæ, apud Petrum Chouet, 1643. in 8. Ib. 1658. 8. Hæ duæ poſtremæ Editiones pluribus ſelectis & ſecretiſſimis propriâ manuali experientiâ approbatis deſcriptionibus & uſû remediorum chymicorum auctæ ſunt à Johanne Michaelis & Georgiô Everhardo F.

CRONÆUS Croone (*Guilielmus*,)

Ex eô habetur

De Ratione motus Muſculorum. Londini, 1664. in 8. Amſtelodami, 1667. in 12.

CRONENBURGIUS (*Bernhardus Deſſenius*) Natus Amſtelodami; in Italiâ Medicinæ Doctoris titulô decoratus ac reverſus in Hollandiam, Groningæ Friſiorum per integrum novennium Medicinam publicè profeſſus eſt. Inde Coloniam Agrippinam digreſſus, ibique Medicinam, Liberali ſtipendiô conductus, fecit & obiit

Medicus

Medicus & Botanicus eximius A. C. 1574, ætatis ſuæ 64.

Ex eô habentur

Defenſio Medicinæ veteris & rationalis, adverſus Georgium Phœdronem, & ſectas Paracelſi. Item purgantium Medicamentorum & Pillularum in minore pondere particularis diviſio. Coloniæ, apud Gualtherum Fabricium, 1573. in 4.

De Compoſitione Medicamentorum, hodiernô ævô apud Pharmacopolas paſſim extantium: & quo artificio eadem rectè parari queant, cum ſimplicium, atque Aromatum (quibus conſiſtunt) expoſitionibus, ac plerorumque omnium delectû Libri decem. Non Medicis & Pharmacopœis tantùm, ſed omnibus inſuper rerum cognoſcendarum ſtudioſis, utiliſſimi pariter ac neceſſarii. Ubi ſingula ad ipſiſſimam veritatem expenduntur, plurimi errores aperiuntur, & controverſiæ frequentes conciliantur. Francof. apud Hæredes Chriſtophori Egenolphi 1555. in fol. Lugduni, apud Gul. Rovillium, 1556. in 8.

De Peſte, Commentarius verè aureus. In quô cauſæ, ſigna, Præſagia, cùm univerſalia, tùm particularia Peſtilentis Contagii dilucidè explicantur. Deinde ejuſdem præſervatio ac curatio ſummâ fide ità docentur, ut à nemine hactenùs, ſimili ratione, & methodô, tradita habeantur. Coloniæ, apud Gualtherum Fabricium, 1564. in 4.

Epiſtola ad Andr. Matthiolum; extat Lib. II. Epiſt. Matth. pag. 235.

CROONE vid. CRONÆUS.

CROQUERUS (*Johannes*,) Polonus. Gulielm. Rondeletii Opera Medica correctiora edidit.

CROSS (*Franciſcus*)

De eô extat

De Febre intermittente. Oxoniæ, 1668. in 12.

CRUCE (*Antonius de*,) Oliſſiponenſis Luſitanus de Chirurgiâ Portugallicè quædam commentatus eſt.

CRUCE [*Joh. Andreas à*,] Venetus.

De eô extat

Chirurgiæ univerſalis opus abſolutum. In quô quorumcunque Affectuum univerſô corpori humano obvenientium, & ad Chirurgi curam ſpectantium, notio, prædictio, atque curatio, perſpicuâ methodô narrantur & tam Medicorum inſignium auctoritate quàm experimentorum, approbatione confirmantur. Addita eſt inſuper Officina Chirurgica, in quâ nempe, inſtrumenta omnia, aliaque Chirurgo convenientia ſuis figuris delineata expreſſaque cernuntur. Venetiis, apud Robertum Mejettum, 1596. in fol.

CRUCE [*Vincentius Alſarius à*,] Genuenſis.

De eô extant

De Morbis Capitis frequentioribus, quorum cognitio & curatio ità traduntur, ut ad alios etiam cognoſcendos & curandos mirificè conducant, hoc eſt de Catarrhô, Phrenitide, Lethargo, Lib. ſeptem. Romæ, apud Guiliel. Facciottum, 1617. in 4. Venetiis, 1519. in 4.

Ephemeridum, id eſt, diuturnarum Obſervationum, Libri duo priores & poſteriores. Bononiæ, 1641. in 4.

De Verme admirandô per nares egreſſô, Commentariolum ad Fulvium Angelinum, cum hujuſdem de eôdem brevi Diſcurſû. Ravennæ, apud Hæred. Petri Johannelli, 1610. in 4.

De Epilepſiâ, ſeu Comitiali Morbô Lectionum Bononienſium Libri tres. In quibus, præter magni illiûs Morbi Theoriam, hoc eſt, Definitionem, ejuſque probationem, differentias, cauſas, & ſigna, veterum quoque loca explanata, Neotericorum errores detecti, multaque demùm juxta Medicorum, Philoſophorumque mentem haud injucundè diſputata, reperiuntur. Venet. apud Daniel. Zanettum, 1603. in 4.

De Quæſitis per Epiſtolam in Arte medicâ, Centuriæ quatuor. Ubi varii Caſus, Obſervationes, Conſilia, Reſponſa, Diſputationes, atque Curationes, non ſine promiſcuâ doctrinâ deſcribuntur. Venet. apud Juntas, 1622. in fol.

Veſuvius ardens, ſive Exercitatio Medico-Phyſica ad μιγοπύρετο, id eſt, Motum & Incendium Veſuvii Montis in Campaniâ, XVI. Menſis Decembris, Ann. 1631. Libris II. comprehenſa. Romæ apud Guil. Facciotum, 1632. in 4.

Diſquiſitio generalis de Fœtû nonimeſtri, parvæ adeò molis, ut vix quadrimeſtris appareret, in Adoleſcentulâ primipara. Romæ, 1627. in 4.

Conſultatio Medica pro Adoleſcente Oblivione & ſurditate laborante. Romæ, 1629. in 4.

Conſilium Prophylacticum à Lue Peſtiferâ. Romæ 1631.

De Hæmoptyſi, ſeu ſanguinis ſputô Liber. Romæ, 1633. in 4.

A CRUCE, ſeu, CRUCIUS. (*Vincentius Alſarius*.) Italus, Ligur, quem Roma in Civem ſuum adſcivit, & Gregorius, XV. Pont. Max. in Medicum, merito ſane, rei Medicæ etenim ac Philoſophiæ ſcientiſſimus erat. Medicinam publicè, & laudabiliter, præſertim in Romanô Archigymnaſiô viginti, & amplius annis, mira facundia, eruditioneque docuit, atque in quibuſcunque morborum generibus medendis, ſanandiſque, omni ſolertiâ, ac Diligentiâ cum omnibus utebatur. Semper in ore habebat (eximia namque in eô pietas elucebat) inprimis memores eſſe Medicos oportere, cùm primùm dignitatem Doctoris adepti ſunt, pauperum curam ſe gratis habituros jure jurando pollicitos fuiſſe; quamobrem egeſtate æquè ac ægritudine preſſos exquirens, ſine ullâ mercede curabat, imò pecuniam illis diſtribuebat; omniumque ordinum Medicos paſſim ad hoc per agendum, non tantùm exemplo, quam acri ac vehementi oratione incitabat. Jure itâque Vincentium commendatum legi hiſce verbis. *Tu de omnibus Vincenti optimè meritus es, tu opem indigentibus, ſalutemque tuliſti*; Commendant inſuper tantum virum Leo Allatius in Apibus Urbanis & Auguſtinus Oldoinus in Athenæô Liguſtico, & alii. Apud eoſdem ſcripſit, ediditque

Opus de invidiâ, & Faſcinô veterum. Lucæ.

Ephemeridum, hoc eſt diuturnarum obſervationum libros duos. Bononiæ

De Epilepſiâ, ſeu comitiali Morbô Lectiones Bononienſes lib. 3. Venetiis, 1603. Apud Danielem Zannetum, in 4.

Conſilium de Aſthmate pro Bonifaciô in Cardinali Caietano.

Diſputationem de Melonibus Hieronymi Rubei Rauennatis, cum Epiſtolis quibuſdam ejuſdem Vincentii, & aliorum, ad Cardinalem Gyptium. Venetiis.

Conſilium de variis ſymptomatibus in Principibus illuſtriſſimis, ad Hieronymum Mercurialem. Venetiis.

De Verme admirandô per nares egreſſô Commentariolum. Ravennæ, 1610. Apud heredes Petri Joannelli, in 4.

De ſugillatione, quam Græci, ὑπώπιον, id eſt ſub oculis vocant.

Conſilium de Catarrhô. Ravennæ.

Diſſertationem de ſalis, ac ſalitorum uſû in febribus.

Præfationem de Medicinæ Practicæ Laudibus. Romæ.

Præfationem in Romanô Gymnaſiô habitam die ſeptimâ Novemb. 1612.

De Morbis Capitis frequentioribus; hoc eſt de Catarrhô, Phrenitide, Letargho, Epilepſiâ lib. 7.

Inſerta eſt Diſputatio de Liquore Calcanthi, ſeu Vitrioli, ejuſque abuſû in febrium, & morborum calidorum curatione. Romæ, apud Facciottum 1617. in 4.

De Quæſitis per Epiſtolam in Arte Medicâ Centurias. Venetiis, apud Juntas, 1622. in fol.

De Morbis Pectoris frequentioribus, Hemophtyſi, Phtyſi, Aſthmate, Peripneumoniâ, Pleuritide, lib. 3. Editus verò eſt primus tantùm Romæ, apud Facciottum.

Diſputationem Generalem ad Hiſtoriam Fœtûs nonimeſtris quidem, & organici, ſed emortui, ac parvæ adeò molis, ut vix quadrimeſtris fuerit æſtimatus. Romæ; Typis Gulielmi Facciotti, 1627. in 4.

Conſultationem Medicam pro nobili adoleſcentulô, ſurditate ſecundum alteram aurem, ſubſurditie & obauditione ex tinnitû ſecundum oppoſitam, nempe ſiniſtram laborante. Romæ, apud Facciottum, 1629. in 4.

Conſilium Prophylacticum à lue peſtiferæ graſſante, pro Principe Franciſco Columna. Romæ, apud Facciottum, 1631. in 4.

Veſuvium Ardentem, ſive Exercitationem Medico-Phyſicam ad ἐγχοπυέλον, id eſt motum & incendium Veſuvii Montis in Campaniâ 16. Menſis Decemb. 1631. lib. 2. Romæ. Apud Facciottum, 1632. in 4.

Providenza Metodica per preſervarſi dall' imminente peſte, Diſcorſo Pratico, ove ſono Rimedii preſervativi, e curativi ancora, cavati col mezzo di ſcopi Metodici dalla Cirugia, Farmacia, e Dieta, per commune intelligenza di tutti in lingua volgare. In Roma, App. Paolo Maſotti, 1630. in 4.

Reliquit in obitû mſſ. partim inchoata, partim nondum perpolita infra ſcripta opera.

Conſultationum Variarum Tom. I.

Ad Lucretii libros de Naturâ Commentarium Jatro-Phyſicum.

In Hippocraticam faciem Commentarium Jatro-phyſico-gnomonicum.

Librum Apologeticum, in quô Author cunctis penitùs omiſſis dicteriis, ac lædoriis, quæ de aliorum famâ detrahant, ſe tantummodò, ſuaque modeſtiſſimè tuetur, & expiat, tam in re medicâ quàm extra.

De Morbis Ventris. Opus, quod promittebat in Litteris præmiſſis Libro de Hemophthyſi. *Mandandoſius in Vitis Archiatr. Pontific.*

CRUCIGER (*Caſparus,*)

De eô extat

In Obitum Valerii Cordi, Elegia. Reperitur cum Librô quintô, deſcriptionis ſtirpium. Argent. 1563. in fol.

CRUGERUS (*Daniel,*) Sereniſſ. Elect. Brandenburg. Archiater, & Poliater Stargardienſis.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Decur. II. A. III.

Obſervatio 190. De Cerebris paſſerum comeſtis Epilepſiam inducentibus.

NObilis quidam, convivis ſuis, pro conditione illius loci epulis quibuſdam inſtruxit menſam, loco alaudarum verò appoſuit paſſeres aſſatos. Poſt cœnam verò ancilla quædam inordinatô appetitû allecta, capita paſſerum detruncata aperit, atque cerebrum dictorum paſſerum ſibi attribuit, & avidè devorat. Cupediis his aſſumtis lectum repetens de noctû Epilepſiâ corripitur, ſibilum ore pip. pip. emittens, brachia & manus corpori allidens, mirando adſtantium aſpectû, quoniam exactè paſſerum congreſſum & epilepſiam imitabatur.

Hinc apparet, quanta efficacia in cerebrô animalium lateat; quemadmodum Authores ex cerebrô felis & muſtelæ comeſto maniam ortam, & contra maniam cerebro canis vel vervecis aſſumto curatam fuiſſe referunt, annotante Sennertô in praxi, cap. de Maniâ. *Vid. Dec. I. Eph. 45. fol. 209.*

Ibidem Obſervatio 195. De Exciſô Liene ex homine, ſine noxâ.

SCultetus pagi *Heniclen-Hagen*, non procul à Colberg. à ruſticô, quem in terrâ proſtraverat, ſibi ſubjacente in ſiniſtrô latere cum cultrô graviter fuit ſauciatus; in cultri acie mediâ fiſſura magnam ſimul partem lienis extraxit, ſubſequentibus inde vomitibus, magis fuit lien expulſus, & per noctem illam in ſuô ſanguine, ob abſentiam talium, abſque adjutû illiûs, qui potuiſſet opem afferre, decubuit. Manè è Colbergâ juſſû Magiſtratus, Nicolaus Matthiæ, Chirurgus Colbergenſis, adveniens, miſerum in cruore immerſum invenit, lienemque è corpore propendentem tumidum. Omnes, qui tum præſentes cum Sacerdote fuêre, videre ſplenis parenchyma & admirati ſunt, tam nobile viſcus per vulnus prominere. Chirurgus cum lacte, cæteriſque ad idoneam fomentationē facientibus herbis plagam curare aggreſſus, patientem circa ſolis occaſum in urbem Colbergam transferri curavit. Poſterô die Medico ad Conſilium vocato lienem per vulnus prætumidū monſtravit & utrùm præſcindere eundem deberet, quæſivit. Ille verò, quia neminem ſine liene vixiſſe unquam docuerint Authores, renuit; nec enim unde poſteà effluens affatim ſanguis ex abdomine, viam vel modum exitus habeat, ſibi conſtare, reſpondit. Chirurgus è contrà, quia lien ampliùs per vulnus intrudi in que locum ſuum convenientem reponi poſſe non videret, ſatiùs eſſe illum auferri judicavit. Huic aſſenſit paties, in tali mortis verſans diſcrimine omnia pati patienter paratus. Tunc ſericeo partem ſplenis propendentem arctè ligavit vinculô, & integrum viſcus extraxit; Hinc eam, quâ adhærebat corpori, partem funiculo conſtrinxit, & tertiô poſt die inverſum ſectione abſtulit lienem, ſanguinem abundè fluentem pulvere ſtipticô compeſcuit, cæteriſque convenientibus medicamentis intrà trium ſeptimanarum ſpatium ad ſanitatem, vulneratum reduxit, remanente ſaltem in illô vulneris locô tuberculô avellanam æquante; quia vaſa ibidem abſciſſa carni ſe agglutinârunt. In hunc uſque diem commodè cum uxore, non exors prolis vivit, laboribuſque ſolitis præeſt.

Ibidem, Anno 4. Obſervatio 9. De Phthiſis deſperata Curâ.

Ibidem Obſerv. 10. De Inſaniâ per venæſectionem tricies repetitam curatâ.

Ibidem Obſerv. 11. De ſanguine verbis recitatis ſuppreſſô, ſed malô exitû.

Ibidem Obſerv. 12. *De Cryſtallô foſſili, verô Arſenici Antidotô.*

STudioſus quidam, Præceptor vicini mei à Steinbach in pagô noſtrô Pegelô præſervationis gratiâ ſudationem intendit, & idcircò in repoſitoriô quôdam fruſtum arſenici albi apprehendit, exiſtimans eſſe Cornu Cervi; Hoſpes arſenicum hoc pro callis equorum abſumendis recondiderat. Aſſumta igitùr ʒj. arſenici pulveriſati, incidit in horrenda ſymptomata, vomitum, dyſenteriam, ſummum ventris cruciatum, convulſiones epilepticam. Pagus hic milliare diſtabat ſtargardiâ; miſſô igitur currû, & egregio ſcilicèt hôc medicamentô quod ex pondere minerale eſſe atque arſenicum cū Pharmacopolâ mox cognoſcebam, non diu cunctandum ſed inſtructis medicamentis neceſſariis properandum exiſtimavi. Quatuor tamen horæ elapſæ erant antequam neceſſaria medicamenta exhiberi poſſent, Accedens igitùr ægrotum in ſummis anguſtiis & prædictis ſymptomatibus ſtipatum, quoniam ſatis vomuerat, vomitoria non dedi, ſed Cryſtalli foſſilis. ℈iiij. exhibui, certè cum ſubitaneô auxiliô, imò poſt horam iterùm ʒj. Cryſtalli dedi, & hoc remedium poſt 2. & 3. horas iteravi, propter ſitim verò inexhauſtam, nihil niſi lac vaccinum conceſſi, emulſionem tamen pinearum per vices etiam hauriebat, aliquandò etiam lapid. Bezoar. gr. xv. interjiciebam & theriacam, & quoniam venenum nervos aggrediebatur, & patiens reſolutis nervis ingredi non valeret, exhibitâ theriacâ & pulvere cæſaris rubeô mane & veſperi corpus ad ſudorem diſpoſui & ità tandem poſt 4. ſeptimanas, Dei auxiliô & meâ induſtriâ, ſalvatus eſt. Similiter & vocatus ſum ad mulierem quandam ſtargardiæ dum Dicaſterium Electorale ibidem ſubſiſteret, quæ poculum aquæ arſenicalis, quâ muſcæ æſtivô tempore interficiuntur, ex errore pronunciationis pro aquâ ſambuci emerat, *geſſt*, im *ſlegenvater*, pro *fledersvater* Idiomate Pomeranicô dixerat. Hâc methodô hanc per Dei gratiam reſtitui, quoniam mox accurrebam, ſtatim ℥vi. butyri liquati tepidi porrexi, hinc poſt moram butyrum planè nigrum vomitû reddebatur, deinde cryſtallum foſſilem ſumſit, lac bibit, & ſumtâ theriacâ ſudavit, ac alterâ die ſana prodiit.

Idcircò nihil eſt, quod crato ſcribat, Cryſtalli uſum non eſſe tutum, cùm ego multoties cū fructû eam adhibeam, non pridem filia Conſiliarii Buchii motibus convulſivis ventriculi horrendis, ſingultuoſis, ſingulis diebus circa veſperam corripiebatur, exhibui oc. cancr. præp. & lapid. percar. ana ℈ß. aliquoties & remedia alia, ſed his nihil juvantibus. Rec. Cryſtall. foſſilis ℈ß. ſmaragd. præp. gr. vii. primâ vice remiſit & tertiâ exhibitione planè intermiſit Filio Domini à *Thum* 40. ſeptimanarum adhùc lactenti exhibui hunc pulverem in Epilepſiâ; Recip. Cryſtalli foſſil. ſmaragd. præp. ana ℈ß. margar. or. præp. gran. v. corall. rubr. præp. gran. iij. præſenti auxiliô. Imò Blucherianæ ſoboli per multos dies talem pulverem in epilepſiâ dedi, & pluribus aliis, qui omnes adhùc ſani degunt. Et in dyſenteriâ hìc olim graſſante cryſtalli & ſmaragdi uſum proficuum expertus ſum. Unicum adhùc de erodente arſenici qualitate adjiciam; Mulier Treptovienſis pro cruſtâ tineæ ſobolis removendâ adſpergit pulverem Arſenici, verùm unâ operâ poſteà Chirurgus & cruſtam & ſubjectum cranium quaſi exciſum aufert, ut ipſe Chirurgus *Ludovicus Müller*, teſtatus eſt; puer hic duodecim annorum bis (ex arſenicô illô tineæ conſperſô) epilepſiâ correptus eſt, tandem tamen ſanatus. Alius quidam pulverem arſenici & oxicroceum anaticâ proportione mixtum clavis pedum imponebat & clavos multos uxoris extrahebat hocque pro arcanô commendabat; ego timidior ſum, quàm ut hoc tentem.

Ibid. Obſervat. 13. *De Tumore cum pediculis.*

Ibid. Obſervatio 14. *De Viduâ ducentos calculos excernente.*

SOcrus mea, Matrona 60. annorum, incidit in ſuppreſſionem urinæ totalem A. 1683. concomitantibus doloribus nephriticis acutiſſimis, cum ejulatû. Dedi primò ʒj. Tartari vitriolati, poſt duas horas ſenſim Elyxyr Juniperi ℥j. cum ʒß. ſpirit. terebinthinæ, exteriùs cataplaſmata & unguenta, hinc ſenſim prodiit urina cum calculis rotundis, formâ & magnitudine piſorum, interdùm iterùm ſubſiſtebat urina, unde ordinavi ſucci citri ℥ij. cum vini Rhenani ℥vj. & ſirup. violar. ſicque prodiit urina cum calculis; poſt conſului vinum alkekengi: ℞. ℥ij. baccar. alkekeng. affunde ſenſim ℔ij. vel q. ſ. vini Rhenani, terantur aut arilli in pulverem abeant, colaturæ adde rob. cynosbati ℥j. ſirup. fragor. ℥ij. calcinati ſalis q. ſ. ad acorem. Mirum quantòperè conduxerit hoc vinum. Deinde *℞. radic. pimpinell. bardan. petroſelin. an.* ℥j. *fol. parietar. chæreſol. veronic. an Mj. baccar. Juniper.* ℥iß. *cicer. rubr.* ℥ß. *coq. in ſ. q. Franc. Vini, colaturæ* ℔ij. adde ſacchari q. ſ. bibat ſingulis diebus pro lubitû hauſtum aliquoties. His vulgaribus remediis continuatis ſingulis diebus ad minimum quindecim excrevit calculos, æquales, quaſi in unâ formâ fuiſſent compacti, magnitudine piſorum: excretionemque hanc tamdiù continuavit, uſque dùm numerum ducenteſimum compleret, & nî remedia prædicta in uſum adhiberet, urina mox cum calculis ſubſiſtebat. Urina cùm tam viſcoſa pituita prodibat, at fermè ulnis, uti in proverbiô eſt, demetiri eam quis potuiſſet. Lapillos iſtos omnes tùm temporis ad D. D. Weiſſium &c. tranſmiſi. Poſt ſemeſtre ſpatium eodem parturiendi calculos conatû afficiebatur Matrona prædicta, iterùmque eodem modô ducentos edidit lapillos, quos adhùc aſſervat, iiſdemque remediis curata eſt, interjectis aliquandò purgantibus. Colligi ex hâc obſervatione poteſt, Calculum in inſtanti generari poſſe in renibus, ſiquidem unô die ad minimum quindecim geniti ſunt, fiuntque ex diverſorum ſalium concurſû, quemadmodùm ex confuſione olei tartari & calcinati vitrioli videmus fieri. Obiter hoc adjicio, in me ipſô valdè proficuum inveniſſe uſum aniſi in cerviſiâ decocti & cum butyrô conditi, ſed ad minimum ℥ß. aniſi in ℔j. cereviſia ſumſi, quod decoctum calidè hauſi urgentibus doloribus. Operculum cochlearum bis in uſum revocavi, remittentibus exinde doloribus, ſed in lapidibus aſelli Merlangi (*Dorſch*) idem expertus ſum. Nam remedia iſta ebullitionem in corpore ſedant, & ſalia fermentantia præcipitant.

Ibidem, Obſerv. 15. *De Plebeô quartanæ remediô.*

Ibidem Obſervat. 16. *De Noxâ inunctionis mercurialis.*

Ibidem Obſervatio 64. *De Præſtantiâ ſpiritûs ſulphuris in tertianâ.*

Ibidem Obſervat. 65. *De Morſû Viperarum.*

Ibidem Obſervatio 66. *De Venenô Aranci.*

QUæſtoris Provincialis Pomeraniæ Generalis filius natû major 4. annor. Fratri natu minori $1\frac{1}{2}$ annor. arancum devorandum in os intrudit. Vix Nutrix hoc obſervans pedes aranci adhùc ore extrahit, meque veloci curſû accerſit, ego mox ℈j. vitrioli albi in aquæ calidæ cochleari

leari exhibeo, hinc vomitus unus comeſtorum tantùmmodò cum araneô ſequebatur, non ſufficientem, arbitrabar hunc vomitum, idcircò mox vitrioli albi crudi ℈j. infundo cum aquâ, hinc multa pituitoſa & tandem bilem vomitû reddidit & ſic omni materiâ venenatâ, ejectâ, poſt horæ dimidium, bolum Armemam ad ʒß. cum lapid. bezoar. gr. VI. dedi, quæ doſis manè repetita, & ſic nullis ſupervenientibus ſymptomatibus puer lepidiſſimus liberatus, niſi quod ab initiô circà ventriculum tormina ſentiret & lingua puſtulis referta intumeſceret. Sæpiùs notavi vim emeticam in vitriolô albô per correctiones multùm imminui, idcircò crudo vitriol. albo feliciùs uſus ſum, quod in talibus caſibus intrà horæ quadrantem, & citiùs operationem ſuam abſolvit.

Ibidem ann. 5. *Obſervat.* 24. *De Efficaciâ Smaragdi in menſium fluxû nimiô.*

VIrgo quædam ſedecim annorum formæ atque morum præſtantiâ conſpicua, incidit in fluxum menſium nimium, durantem ad ſex ſeptimanas, uſque dum viribus fractis cogeretur morbum manifeſtare; vocatus cum Collegâ meô *D. Doct. Avenio*, ordinavimus potum *Riverii Obſerv.* 94. *Cent.* 1. ex quâ plantag. naphæ, *roſar. āā.* ℥j. *ſang. Dracon. gr.* XII. *ſalis prunell.* ℈ij. M. Exinde omnia ſymptomata & ipſe fluxus deſiit, ſed alterô die recrudeſcebat. Reiteravimus potum præſcriptum ſed retinere non potuit, idcircò ad pulveres adſtringentes & alterantes confugimus, ad Margaritas, corallia, croc. Martis adſtring. bol. armen. ſang. Dracon. lapid. hæmatit. nihil inde levaminis, uſneam, ſuccum urticæ & alia ſpecifica, item opiata temporaneum tantùm auxilium contulerunt, pectoris accedente anguſtiâ. Bufones ſub axillis & genubus applicati, fotus ex adſtringentibus cum acetô & aquâ fabrorum, nihil contulerunt, omnia fruſtrà; itàque cùm res eſſet deſperata ità ut omnia medicamenta evomeret & abhorreret, ſacrôque viaticô ad aliam vitam ſe præpararet, tandem ex analogiâ argumentatus ſum, ſi ſmaragdus in diſſenteriâ, meâquidem experientiâ, ſæpius contulit, non incongruè eundem & hic cum fructû exhiberi poſſe, itàque honoratiſſima virgo multis precibus exorata, tandem pulviſculum exiguum ſine ſapore & odore à me commendatum ſumpſit. Dedi itàque ſmaragd. præparat. gr. VIII. mox ſe levamen cordis & ſymptomatum ſentire deprædicavit, poſt ſex horas reiteratum medicamentum, & hoc continuatum per quinque dies & ſic virgo nobiliſſima, unica Parentis de Republicâ meritiſſimi filia, abſque ullis aliis remediis, Deo benedicente, cui ſit laus & gratiarum actio, convaluit.

Ibidem Obſerv. 25. *De Febrifugô Riverianô.*

VArias obſervationes Clariſſimus Autor de hoc febrifugô ſuô habet Centur. 3. idque ſecuriſſimum deprædicat ejuſque deſcriptionem ænigmaticè in *Appendice* proponit. Cujus enodationem *Rolfincius*, Profeſſor & Præceptor meus Jenæ olim meritiſſimus tentatus eſt in *Chimiâ ſuâ* A. F. R. Vid. p. 373. nempe medicamentum conſtare ex aurô, Antimonio, & Mercuriô, quem modum & recenſet ex eô *Digby* in *experimentis Chymicis & Arcanis* ſuis explicante *Harmanno an.* 1684. *editis*, *p.* 211. Verum aliam explicationem addit p. 213. & pro verò febrifugo agnoſcit, ſi componatur ex Mercuriô dulci duodecies ſublimatô & Mercuriô vitæ correctô, modô ibidem enarratô; cui adſtipulatur curioſus & laborioſus J. H. *Juncken*, operibus ſuis in Medicinâ editis clariſſimus *p.* 374. *in ſuo Medic. præſent. ſec. accomm.* Verùm jam ante annos decem Medicus quidam ſenex hoc Medicamentum ex Mercuriô dulci duodecies ſublimatô Mercuriô vitæ correctô ad mentem *Riverii in Inſtitut.* & in Pomeraniâ ad experientiam annô 1672. revocavit, qui ex intimô *Riverii* ſe in Italiâ illud accepiſſe jactitabat, & certè in multis & ultrà 50. Quartanariis id benè ceſſit, graſſabatur enim tùm temporis Quartana Epidemicè, primâ enim vel ad ſummum ſecundâ exhibitione febris emanſit. Aſt in tribus perſonis Clariſſimis malum effectum habuit.

Primus erat Conſiliarius Provincialis Pomeranæ meritiſſimus Dn à *Küſſow*, qui in enormes vomitiones incidit, & tertiò die mortuus eſt, cùm aliàs ex febre iſtâ non eſſet mortuus.

Alter erat Conſiliarius Regiminis, *Dn. Brunnemanus*, qui quidem ab aſſumtô remediô à febre liberatus, aſt in magnam cachexiam incidit, ità ut poſteà demùm multis remediis reſtitutus ſit.

Tertius itidem erat Conſiliarius Dicaſterii Electoralis Brand. meritiſſ. *Rabnerus*, qui aſſumtô hôc remediô tantas turbas in corpore animadvertebat, ut vix è morte, vinô Rhenanô eriperetur.

Jam quæritur ſi nonaginta tali remediô poſſent a quartanâ liberari, centeſimô autem eſſet moriendum an tali remediô ſalva conſcientia Chriſtianus uti poſſit? Reſponſionem aliis relinquô. Forſan reſponderi poſſit, Medicamentum illud non fuiſſe ritè & accuratè correctum. Verum Medicus ipſe præparavit & multotiès aliis exhibuit. Aſt ego exiſtimo non omnium naturarum proprietates, ad talia remedia exquiſita, quæ in radice ſuâ aliquid magni fovent, eſſe proportionatas, & idcircò ſuccumbere. Quid ſenex noſter *Thonerus* honorandus in antimoniô diaphoreticô ſaltim obſervaverit *in obſervat. ſuis*, proponit *Obſerv.* 7. *in Append. de Peſtilentiâ.*

Scholium.

Variæ de Febrifugô hoc Riverianô circumferuntur conjecturæ. *Chriſtophor. Schorerus in lib. Medic. peregrin. pag.* 99. haud dubitandum eſſe putat, ex antimoniô illud procedere aut minimùm antimonium recipere, ab amicô non aliud quàm pulverem Cornachinianum eſſe monitus. *Tackenius*, illud declaraturus, præter quartum *Riverio* ſic vocatum athletam, quem Diagryd. eſſe putat, ex unicô ſubjectô, alcali repræſentante & binis acidis fieri, *in Hipp. Chim.* innuens, per illud mercurium, per hoc vitriolum & ſub intelligere videtur, qui ſanè modus, cum D. *Frider. Hoffmanni* illô, in *clav. pharmac. Schrod. l.* 3. *c.* 15. *p.* 275. ex quô *Cl. D. Helf. Juncken* eundem *Chim. Experim.* inſeruit, convenit. Sed *Bernhardinus Chriſtini*, qui *arcana Riverii*, Præceptoris quondam ſui, Venetiis An. 1676. in lucem edidit, ex floribus Antomii ter cum ſale ammoniacô ſublimatis, vitrô antimonii hyacinthino, mercuriô vivô cinnabarino, aurôque, in aquis ſtygiis eadem ſolvendo, duodecies illas abſtrahendo &c. parare hoc edocet, hoc unicum eſſe ſincerum adfirmans, quartumque athletam itidem ut videtur, ſcammonium, & quidem ſulphuratum illud conſtituens: quod ſanè medicamentum, licèt compendioſiori ratione parari queat, in quartanis deſtruendis non contemnendas poſſidere virtutes, haud eſt incredibile: quamvis & alterum illud ex mercuriô ſublimatô & antimoniô ſub mercurii vitæ nomine latente, ritè paratum & prudenter exhibitum, non minùs ſalutare in febribus iſtis edomandis eſſe queat.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 26. *De ſuppreſſione Urinæ octo dierum lethali.*

Ibidem Obſervatio 38. *De oleô majoranæ deſtillatô in ſal volatile mutatô.*

Ibidem, annô 6. *Obſervatio* 40. *De Quartanâ.*

BIs jam de quartanâ Obſervationes communicavi; opus eſt certè, ut pertinax hic morbus accuratius obſervetur, ne tantas injurias Medicis inferat. Ante annos decem advena quidam ad Conſiliarium quendam hujus Dicaſterii Electoral. Brandend. divertebatur, qui in cœlum uſque remedium aliquod quartanarium extollebat, pro communicatione ultrà triginta thaleros obtinebat. Fateor multas me experientias à Dnô Conſiliariô gratis factas vidiſſe præſertim qui malâ viſcerum depoſitione non laborârunt, prægreſſis tamen à Medicis ordinariis purgatione & corporis præparatione; nunquam tamen multa tanquam ſæpiùs adhibitâ ſollicitatione, expiſcari potui. Tandem tamen ſub fide taciturnitatis, (quam & hâc in urbe ſemper præſtabo) communicavit. Remedium eſt tale; ℞. ſtercus anſerinum quantum placet, affunde ſuccum Carduibenedicti q. ſatis, deſtilla per alembicum deſtillatum ſuper aliud ſtercus affundi poteſt, & reiterari deſtillatio, ut ſatis ſalis volatilis evehat, eſt aqua valdè penetrans. Si Menſe Majô ſeu ſub finem hujus menſis colligatur, penetrantior evadit aqua. Itàque proùt ſecundùm ſaporem acris eſt, dentur ℥ij. vel ℥iij. duabus horis ante paroxyſmum cum ſudore aliquoties repetenda. Nec dubitandum in tertianâ, ictérô & aliis morbis aquam hanc fore proficuam. Verum ſi mala viſcerum diſpoſitio adſit, etſi conferre poſſit, ſi ſæpiùs ſine ſudore etiam uſurpetur, tamen vix ſufficere exiſtimo, ſed aliis prius utendum. Exemplum contumacis quartanæ adjiciam. Matrona quædam Nobilitatis ſtemmate clara, quartanâ laborans requirit Medicum, qui medicamina adhibens ex ſimplici duplicem facit, ſecundus accerſitus ex duplici facit continuam vomitorio ex antimoniatis non juſtô tempore exhibitô, ex aliô locô tertius vocatus iterùm febrem mutat in priorem ſtatum, duplicem ſcilicèt, quartanam; Verùm morbus quotidie in deterius vergit; quartus igitùr ſubſtituitur, Medicus; Verum tumor lienis, ventriculi & abdominis incrementum ſumunt, & menſes emanſêre. Vocatus igitùr & ego quintus Medicus, à Chymicis Medicamentis ad herbas appello, de quibus quidam ſcribit, illas jam in deſuetudinem veniſſe, ego illas iterùm in conſuetudinem vocabam atque ſequentia ordinavi. Nam cinnabarina, præcipitantia & ſpiritum ſalis Armoniac. ad nauſeam uſque uſurpaverat, aliaque per ſex menſes ℞. *radic. gentianæ*, ℥j. *herb. Carduibened. chamædr. centaur. min. abſinth. ā. mj. affunde vin. Franc.* ℔iiij. *vel q. ſ. ſtent in infuſione per noctem loco calidô.* De Colaturâ bibat ſingulis diebus mane ℥*iij*. vel IV. die verò quartô apyrexias (unum enim diem ſaltem vacuum à febre habebat,) ſumebat de vinô ſequenti ℥iij. ℞. *radic. polypod. q. rec.* ℥ß. *fœnic. ruſc. aſparag. ā.* ʒ*ij. herb. abſinth. Cuſcut. agrimon. ceterach. adiant. utr. chamæd. cent. min. ā m*ß. *fol. ſenn.* ℥. 3x. *agaric. troch. rhab. el. ā* ʒ*iij. cryſtall. Tartar.* ʒ*ij.* his communibus quotidie uſurpatis, degeneravit febris in ſimplicem quartanam poſt 4. ſeptimanas, cùm lien & venter detumeſcerent. Suaſi ut continuaret medicamenta, quoniam levamen ſentiret, tandem poſt ſex ſeptimanas menſtrua redierunt; finitis his, hoc εὐπόριστον exhibui bis: ℞. ſummitates centaur. min. p. ij. cortic. Chinæ de Chin. ʒ*ij.* infunde per noctem, malè colatur, ʒ*iiiß.* exhib. & febris planè emanſit, (dùm hæc ſcribo) per 2. menſes, color vivus rediit, & ſe ſanam ægra profeſſa atque è mortis faucibus erepta eſt. Faſſus maritus jam ultrà centum thaleros curam priorem abſumſiſſe. Deo ſit laus & gratiarum actio, qui benedixit curæ meæ. De primô remediô hoc adjicio, infuſum ſtercoris anſerini in vinô cum expreſſione eſſe adhibitum & efficacius repertum, ab Advenâ illô, poſteà demùm deſtillationem à Dnô Conſiliario eſſe inventam.

Scholium.

Stercoreum, quos febres intermittentes curandi modum Excell. *D. Alb. Herm. Cummius* per litteras quondam Nob. *D. Joh. Theodorô Schenkiô* his verbis communicavit. Non poſſum quin tibi εὐπόριστον aliquod ad febres intermittentes, non aliter, nec leviori cum ſucceſſû vim ſuam exerens, atque ſolet cortex iſte magni pretii, magnique à pluribus æſtimata China de China, revelem hoc mihi communicavit Monachus quidam Dominicanus Tremoniæ, magnum ex felici febrium curatione nomen adeptus. Eſt autem ſtercus porci maris per aliquot horas in ſpiritû vini Rhenani infuſum, inde colatum & expreſſum, poſtmodum ad duo vel tria cochlearia adhibitum. Hoc medicamentum ſi corpore præparatô exhibetur, plerùmque unà vice per ſudorem materiam febrilem expellit, ſin verò; febrem ad quatuor ſeptimanas differt &c. Cùm autem ſtercora, præter ſulphureum principium, ſal etiam volatile, aut nitroſum quâ ratione ad febres abigendas valeant, ſatis liquere poteſt. *Vid. Ann. præced.* IV. *Obſervat.* 15. Ad febrim quartanam ſtercus quoque Anſerinum exſiccatum in ollâ novâ in aquâ duorum digitorum coquere & & bibere jubet *Guſerus Tab. Medic.* 13. Excell. Frommann. Anſer. Martinian. *Part.* II. *cap.* IV. *ſ.* 2.

Ibidem Obſervat. 41. *De Epilepſiâ.*

Ibidem Obſervat. 42. *De Podagrâ ad interiora recurrente.*

Ibidem Obſervatio 43. *De Magnâ imaginationis & impreſſionis vi in anate.*

Ibidem Obſervatio 44. *De Arcanô contra Calculum D. Timæi.*

BIs in uſum hoc revocavi, ſemel in ſocru meâ multoties calculô obnoxia, & ſemel in uxore ſutoris cujuſdam, & certè levamen indè ſecutum. Proſtat autem hoc arcanum *in Epiſtolis p.* 246. *lib.* 3. *Epiſt.* 32. & ità ſonat; Kalendis Maij ante exortum ſolis collige Nenaſiræ viridis manipulos octo, Lecaſe viridis manipulos quatuor, exprime ſuccum, adde vini rubri ad pondus omnium, miſce & filtra, exhibe quotannis primò, ſecundò & tertiò die Maij in aurorâ uncias ſeptem, purgatô prius corpore.

Levis eſt enodatio hujus arcani, ſi quis hoc ſciat & conſideret, literas in priori vocabulô eſſe transpoſitas; Nenaſiræ, hoc eſt Anſerinæ; in alterô vocabulô verò ſyllabas Lecaſe, hoc eſt, ſecale.

Ratio hujus experimenti eſt ſal volatile rorisMajalis, quod eô tempore ab herbis attrahitur; antè ſolis exortum collectio inſtituenda, nè à ſole poſteà abſumatur ſal illud volatile.

Ibidem Obſervatio 45. *De Deſperatâ Diarrhœâ curatâ.*

FIlia 4. annorum Conſiliarii Electoralis Brand. meritiſſimi Dn. Schmalzen incidit propter inordina-

dinatam diætam & calidam hepatis diſpoſitionem in diarrhœam contumaciſſimam per 3. ſeptimanas durantem, tandem cùm dejectiones ſinceræ atræ inſtar atramenti, aliquandò æruginoſæ, aliquandò ſanguine tinctæ adeſſent cum maximis torminibus, accedentibus ſimùl convulſionibus, vocor; cùmque jam lachrymas parentum viderem, rem quidem periculoſam eſſe denuntiavi, attamen non omninò animum abjiciendum; Ordinavi primò hunc pulverem, ℞. *Corallior. rubr. præp.* ℈j. *margarit. præparat.* ℈ß. *ſmaragd. præp. gr.* VI. *lapid. bezoar. gr. iiij. M. F. Pulvis*, cum liquore conveniente ſumendus, inde convulſiones remiſerunt, & dejectiones, correctis acribus humoribus, meliores videbantur, exhibitô ſcilicèt aliquoties hôc pulvere. Pro potû ordinavi; ℞. *Fruct. cynosbatos & ceraſor. nigr. ſicc. ā. Mj. coq. in aq. colatur.* D. pro potû: Vel dedi Tinctur. roſar. Exhibitus eſt ſemel pulvis rhabarb. ad ℈j. Item pulveres ex terrâ lemnia, *Corall. C. C. uſt. præp. ſmaragd. præp.* Dejectiones tamen non in totum ceſsârunt, etiamſi meliores apparerent. Tandem hôc remediô generoſô & efficaciſſimô in integrum reſtituta eſt; ℞. *Corallior. rubr.* ℥iij. affunde ſucc. citri ad eminentiam 4. digitor. ſtent manè cochlear unum cum paucô ſaccharô & horâ 5. pomeridianâ iterùm cochlear magnum à ʒvj. ad ℥j. ferè. Hoc remedium proponit Riverius in obſervationibus ſuis; & certè majoris eſt efficaciæ ſolutio hæc coralliorum, quàm decantata illa corallior. tinctura, quæ paucis propinatur guttulis; Uncia una ſiquidem liquoris plus de virtute coralliorum participat, quàm ʒj. liquoris.

Scholium.

Remedium hoc Corallinum cum ſirupô de coralliis *Joſeph. Quercetani, in Pharmacop. dogmat. reſtit. lib.* I. *cap.* 12. deſcriptô, coincidit, niſi quòd hic innoxiam ſacchari, gratiam majorem medicamento conciliantis, & diuturniori adſervationi faventis, additionem ſuſtineat; qui cæteròquin in fluxû hepaticô, dyſentericô & lientericô ab Autore egregiè commendatur.

Ibid. in Addendis ad anni hujus Obſ. 41. *De uſu medico Cinnabaris.*

Ibidem annô 7. *Obſervatio* 77. *De Fonte Polzinenſi miraculoſô.*

Ibidem Obſervatio 78. *De Epilepſiâ.*

MEntem meam de Cinnabari præteritô annô aperui. Verùm cum rationibus ſolùm fidere noluerim ad experientiæ incudem Cinnabarim revocare conſtitui, idcircò cùm in unô Menſe quatuor Epilepticorum cura mihi obtigerit tantopere laudatos trochiſcos Riverii antepilepticos, quos in noviſſimâ editione in foliô in Arcanis videre licet, in uſum revocavi. Quorum deſcriptio hæc eſt; ℞. *Cinnabaris Antimonii, ſingulari modô, ibidem deſcripto, facta* ℥j. *Magiſter. Margarit. corallior. āā.* ʒiß. *Ambr. Gryſ. Croci āā.* ℈j. *Vngul. Alc.* ʒj. *Cranii humani præp.* ʒiij. *Fœcul. Pæon.* ℥ß. *Ol. ſuccin. deſtill. Mucilag. C. C. Cranii q. ſ. ad trochiſcos formandos, dotis* ℈j. *ad* ʒß. Virgo quædam nobilis integram compoſitionem ſucceſſivè abſumpſit, continuis diebus ſumere non potuit, nam ingens turbatio in corpore ſucceſſit, ut ſputationis metus adeſſet, idcircò per intervalla quandiù potuit, uſurpavit, nullô ſubſequente commodô. Aſt ſequenti Decoctô multum levaminis ſenſit, ità ùt per quadrantem anni paroxyſmus non conſpiceretur, cùm aliàs bis in menſe vel ad minimum ſemel corriperetur, hoc & ultrà annum. ℞. *Radic. Pæon. Maris* ʒij. *Viſci querni* ℥j. *Herb. Rutæ, Betonicæ, Verbenæ, Hyſſopi, āā. Mj. incid. d. ſ. Kraüter zum Kochen*, manè & horâ unâ ante cœnam ℥iij. ſumſit, tum ex aquâ ciconiarum, admodum aq. hirundinum cum ſpeciebus antepilepticis deſtillata, levamen ſenſit; præcepi ut Medicamenta continuaret, non tamen obtinui obedientiam.

2. Secretarius quidam ex Verborum conflictû iracundiâ ſuccenſus in epilepſiam vehementiſſimam incidit, quater de die recurrentem, datô purgante & ſectâ venâ dedi remedia communia primùm, ut pulv. epilepticum Riverii, de guttetâ, Marchionis, aquas epilepticas cum ſale ſuccin. volat. C. C. &c. Sed cùm intrà duos dies non ſuccederet, acceſſit quidam Cinnabarim Antimonii laudans, annui dictis, ut adſtantium petito ſatisfieret, datus igitùr eſt hic Pulvis; ℞. *Cinnabar. Antimon.* ℥j. *Cran. human. Corallior. rubr. præp. āā.* ʒij *Margarit. præp. Vngul. Alc. āā.* ʒj. *F. Pulvis*, dedit ℈j. ter in die, dixi forſan doſin eſſe juſtô minorem, idcircò alterô die dedit cum aquis ſpecificis ʒß. ter in die ſed cùm pejus haberet, & res jam in anguſtô eſſet, patienſque & adſtantes mortem timerent ſucceſſuram, iterùm curam mihi obtulerunt, idcircò ſequenti modô curam aggreſſus ſum: ℞. *Radic. Valerian.* ʒij. *divid. in duas part. æqual. d. ſ. Pulver auf zwen mal.* ℞. *Aq. Cardui bened.* ℔j. *Theriacæ* ℥j. *M. d. ſ. Vermiſcht Waſſer zum Pulver*; de hâc aquâ ſeu mixturâ ſumſit ℥iij. cum unâ doſi pulveris prædicti & ecce in univerſalem incidit ſudorem & paroxyſmi mox remiſerunt, à meridie accepit alteram doſin Pulveris cum Mixturæ prædictæ ℥iii. & planè intermiſerunt eâdem die paroxyſmi, mador continuabat, & ſic ſenſim viribus collectis convaluit, qui morti vicinus erat. Deo ſit laus.

3. Ancilla Conſiliarii cujuſdam ex terrore, quod ſervus, veſperi, diabolicâ larvâ indutus & veſtitus, ipſam comprehenderet, incidit in epilepſiam bis aut ſemel in menſe recurrentem, Trochiſcos prædictos Cinnabarinos aliquoties dedi, poſt purgationem & venæſectionem, ſed nihil levaminis ſenſit, idcircò pulv. Radic. Valerianæ per octo dies cum ſudore datus in conveniente vehiculô, ipſam curavit.

4. Attamen majoris tentationis gratia, adhùc ſemel in quartô patiente experiri volui. Ancilla quædam oſtiatim ſtipem colligens, cùm & meas fores acceſſiſſet, ex commiſeratione dixi, me non pecuniam, ſed medicamenta pro curatione ipſius morbi gratis porrecturum, poſt purgationem iteratam dedi trochiſcos Cinnabarinos ſingulis diebus, uſque dum in ſalivationem incideret; verùm convulſiones epilepticæ frequentiùs accedebant, idcircò ab illâ curâ abſtinendum erat, Pulverem itàque Divinum ex Radice Valerianâ, ſingulis diebus manè aſſumebat drachmæ pondere cum Aquâ Ciconiarum cum ſudore, & ecce poſt 15. dies mihi flexis genibus gratias egit, afferens poma, pyra & nuces in patellâ, ſeque non alia munera acquiſiviſſe aut poſſidere. Ego verò ut fides huic curæ adhiberetur, miſi hanc ancillam ad fœminam quandam nobilem & alios, ut ediceret quid contigiſſet.

Ibidem Obſervatio 240. *De Remediô contra lumbricos novô.*

VAria habemus uſualia medicamenta contra lumbricos, ſemen ſantonicum, corallinam &c. verùm exotica quærimus & domeſtica negligimus. Cùm peregrè ad Paſtorem in Eck, vocarer, mirandum exemplum contigit; Filius ruſtici cujuſdam diu languidus ægrotavit, diuque

que de torminibus, tumore & roſionibus ventris conqueſtus eſt, tandem pater ſarmenta lupuli vetuſta in fornace combuſſit, & cinerem non exactè tamen combuſtum puerulô, cum lacte propinandum, porrexit; Ecce tanta exinde farrago lumbricorum prodiit, ut omnes in admirationem inducerentur; quô viſô & aliis in pagô, hic pulvis puerulis exhibitus eſt, ſemper lumbricis prodeuntibus; quod jam de ſarmentis dixi, id Matthiolus de ſemine lupuli pronunciat his verbis; ſemen tritum & potui datum ſemidrachmæ pondere interaneorum animalia necat. Verùm quis domeſtica in uſum revocat? quæ aliquandò præſtantiorem habent effectum quàm exotica.

Ibidem Obſervatio 241. De Præſtantiâ Balſami de Tolu.

Ibidem Anno 9. Obſervatio 138. De Gallinæ anxietatis remediô.

Ibidem Obſervatio 139. De Lacte virginis Illibata.

Ibidem Obſervatio 140. De fluxû hepaticô chronicô.

Ibidem Obſervatio 141. De Hemicraniâ ſingulis diebus certâ horâ recurrente.

VIrgo quædam horâ 10. pomeridianâ quotidie ſæviſſimô corripiebatur dolore capitis, in dextrô latere & quidem tantum in unâ plagâ magnitudinem thaleri æquante ſuper oculum dextrum, durante ad horas 6. tantâ cum vehementiâ, ut lipothymiam incideret, & odoriferis cordialibus refocillari opus haberet; Remittente verò dolore, rubore ſuffundebatur. Methodicè curam inſtitui, purgavi corpus, vena ut tunderetur curavi, veſicatorium nuchæ adhibui; aſt omnia fruſtrà, tandem in ipsô paroxyſmô hirudines quatuor ipſi parti dolenti applicari juſſi: Et ecce! dolores nunquam redierunt. Eodem remediô Conſiliarius quidam, cui multum negotii hic affectus faceſſerat per multas ſeptimanas, curatus eſt. Doctor quidem juris Celeberrimus eôdem affectû correptus, præmiſſis univerſalibus & veſicatoriô in nucha, item cucurbitulis in dorſô, tandem unicâ cucurbitulâ ipſi locô affectô in paroxyſmô adhibitâ, ab hoc affectu liberatus eſt.

Ibidem Obſervatio 142. De Motibus convulſivis horrendis, ſingulis diebus recurrentibus.

Ibidem Dec. III. Anno 2. Obſervatio 63. De vaccâ ſerpentem lactante.

Ibidem Obſervatio 64. De Vino Hippocratico febres curante.

Ibidem Obſervatio 65. De Graminis Juncei virtute anodynâ & ſoporiferâ.

JUncus communis paluſtris à Botanicis & quidem Bauhino part. 1. 589. tanquam inutilis herba & quæ nullum uſum in Medicinâ habeat æſtimatur. Verùm experientiâ nuper comprobavi medullam illius vim ſoporiferam admodùm conducibilem habere. Juvenis quidam in febre quotidianâ aliquot noctes inſomnes tranſigebat; Cùmque ipſi laudanum opiatum ad g. 11. exhiberem, parùm quidèm dormivit, conquerebatur tamen ſomnum hunc ſibi magis nocere quàm conducere, ideòque quoniam hic apud multos in uſû eſt gramen junceum, præcepi ut decorticaretur illud, & medullæ ejus Mj. in △ coqueretur, decoctô hôc aſſumtô, quietas ſemper noctes cum ſomnô conferente, habuit, quod remedium poſteà in aliis eôdem affectû expertus ſum.

Scholium.

Junci etiam ſeminibus vim ineſſe ſomniferam, *Dioſcorides* quondam & *Galenus* docuerunt; quorum ille *lib. 4. de mat. Med. cap. 47.* Æthiopici junci ſemine ſomnum allici teſtatur, modum tamen in potione ſervandum eſſe addens, ne ſopor fiat; hic autem *lib. 8. de ſimpl. Medic. facult.* Juncitam oligôſchoëni, quam onyſchoëni ſemen ſomnum adferre, priore tamen caput tentari, ſcribit.

Ibidem Obſervatio 66. De Phthiſi decocto ligni ſancti curatâ.

MAtrona quædam omnibus hic nota à Maritô phthiſi mortuô infecta eſt eôdem morbô, cum jam per novem ſeptimanas variô modô curata, lectoque affixa ſanguinem & pus ejiceret, imò tuſſi continuâ die noctûque affligeretur, pus etiam manifeſtè in urinâ in fundô vitri conſpiceretur, ſudoreque hecticô difflueret, & omnia jam apud omnes conclamata eſſent, quoniam carne & viribus jam conſumta, meum efflagitavit auxilium. Conſiderans, matronam hanc alias in ſtatû ſanô, bonô habitû & viſceribus præditam, à fermentô malignô pulmones depaſcente, ſanguinemque corrumpente morbum hunc contraxiſſe, judicavi fermentum hoc eſſe annihilandum, propoſui igitur decoctum ligni ſancti uti alias in morbô Gallicô decoquitur & adhibetur, quô uſurpatô per 4. ſeptimanas, ab omnibus ſymptomatibus & ipsô morbô eſt liberata. Ad tuſſim ſyrupi & trochiſci ſimul in uſum ſunt revocati ut & conſerva roſarum. Hôc exemplô confirmatur Arcæi & Riverii Experientia. Remedium non in aliâ Phthiſeos ſpecie locum habere exiſtimo, niſi in illâ quæ à Contagiô contracta & ubi Character Phthiſeos neque in familoxâ neque ipsô corpore hæret.

Ibidem Obſervatio 67. De Febre per accidens Curatâ.

Ibidem Obſervatio 68. De ſtramoniæ ſemine per errorem ſumto, ejuſque ſymptomatibus & curatione.

Ibidem Obſervatio 69. De Tincturâ ſolari, præſtanti remedio ad calculum.

Ibidem Obſervatio 112. De veneficio admirando.

Ibidem Obſervatio 196. De Exuviis anguillæ urinæ ſuppreſſionem curantibus.

MAtrona quædam prænobilis, ex calculô incidit in ſuppreſſionem Urinæ triduanam; internè °ₒ°. Spiritus, pulveres & alia à diverſis Medicis uſurpavit; externè balnea & cataplaſmata, ſed ſine fructû, tandem ſuasû mulieris cujuſdam exuvias ſeu cutim anguillæ integram in fruſtula diſciſſit & in tigillô ferreô, alio tectô, ſuper prunas exſiccavit, in pulverem redegit, & totum hunc pulverem cum vinô Hiſpanicô hauſit, poſt ſex horas in profluvium ingens urinæ incidit, ſuccedentibus poſteâ multis calculis.

Ibidem Obſervatio 197. *De Doloribus intolerabilibus hæmorrhoidum brevi curatis.*

VIr quidam Excellentiſſimus & generoſſimus dolori intolerabili inteſtini recti ex hæmorrhoidibus cruciabatur, quamquam varia adhiberentur medicamenta, parùm fuerunt proficua, uſque dum tandem cum decoctô malvæ ℔j. ℅. popul. Auguſtan ad ℥v. in clyſteris formam applicaretur, ab hôc ſolô remediô levamen & tandem etiam exulceratarum hæmorrhoidum ſanationem recepit. Loco ℅ populei unguentum populeum præſtaret. Revelatio hujus & in præcedenti obſervatione memorati medicamenti multum conſtitit.

Ibidem Obſervatio 198. *De Melancholiâ & Febri intermittente ex terrore.*

EPilepticos inſultus non omnes tutò aſpiciunt, ſiquidem & terror horrendus aſpectus quoſdam ſingulariter afficiunt, quod exemplum ſequens declarat. Virgo quædam ex menſium ſuppreſſione variis affligebatur ſymptomatibus, febre, tumore hypochondriorum, accedente tamen epilepſiâ, quam cùm alia Virgo ſana ex inopinatô conſpiceret, mox malè afficiebatur, in intermittentem febrem incidebat, omnia præ oculis volitabant, imò membra & caput ipſi perpetuò commoveri autumabat, cùm tamen ad adſtantibus quieta conſpiceretur, tandem in melancholiam incidebat, ſæpè ſine causâ plorabat. Prior virgo epileptica ſequentibus eſt curata. ℞. gum. ammoniac. ſagaper, opopanac. aloës ana ʒß. extract. alhandal. diagrid. ana gr. xv. F. Pill. è ℈j. N. x. de quibus decem ſumebat ſingulis diebus, erat enim difficulter alvus commovenda. Veſperi hor. 4. ſumebat gt. 50. de Elyxyr. uterinô Timæi cum vinô, his brevi convaluit, redeuntibus menſibus. Altera melancholia vomitorio ex aſarô 2. laxativô, 3. venæſectione ter repetitâ, luculentô cum auxiliô, & 4. vinô chalibeatô cum herbis alterantibus eſt curata, imò vinô Rhenanô refocillata.

Ibidem, Anno 3. *Obſervatio* 147. *De Oculis cancri factitiis, eorumque notis & ſignis.*

Ibidem, Obſervatio 148. *De Intempeſtivo chinæ chinæ uſû admodum noxiô.*

Ibidem Obſervatio 149. *De Antipathiæ effectû horrendo.*

VIr Reverendiſſimus atque Generoſiſſimus Dominus Conſiliarius Elect. Brand. D. *Below* Caſeum averſabatur, neque comedere propter antipathiam poterat; hoc pro fabulari hiſtoriâ juvencula quædam uxor Nobiliſſima exiſtimans, vim hujus antipathiæ experimentô deprehendere conabatur, idcircò inter confabulandum ipſi ſuggerit duo panis ſegmenta butyro illita, atque conſuetô modô coagmentata, incluſô tamen clam caſeô Hollandicô, quid fit? Secundo bolo buccis celeribus deglutito, viridia, rubra & crocea ante oculos verſari ipſi conſpiciebantur, idcircò domum temulentô quaſi gradû repetens, & in lectum cum impetû ſe dejiciens, mox in lipothymiam incidebat ſæviſſimam, cum compreſſione pectoris ut aliquando ſtertere viſus ſit. Poſtquam verò multis agitationibus expergefactus & aquâ apoplecticâ aſperſus eſſet, motus tremuli manum & pedum cum ſudore frigidô & totius corporis refrigeratione obſervabantur, mox tamen cum lypothymia conflictari incepit; infundebantur aquæ apoplecticæ & cordiales, ſed fruſtrà; cùm per horam & quod excurrit, ità tractaretur, ego vocatus vomitum neceſſarium eſſe exiſtimavi; exhibui itàque vitrioli albi crudi ʒj. cum aquâ calidâ, intrà quadrantem horæ ἄνω καὶ κάτω aliquoties evacuabatur & ſic ab omnibus ſymptomatibus liberabatur, ejectô hôc modô caſeô. Idem in Medicinâ contingere poteſt, ità ut hoc alteri ſit alexipharmacum, quod alteri venenum.

Ibidem Obſerv. 150. *De Præſtantiâ paſſularum in affectû hepatis.*

Ibidem Ann. 4. *Obſerv.* 125. *De effectû cerebri canis in Maniâ.*

Ibidem, Obſerv. 126. *De urinæ ſuppreſſione.*

Ibidem Obſerv. 127. *De Hydrope paracenteſi Curatô.*

Ibidem, Ann. 7. & 8. *Obſerv.* 104. *De Epilepſiâ horrendâ & contumaci.*

Ibidem, Obſerv. 105. *De Æthiope minerali, ſanguine Regis abluiô, illuſtratô & nobilitatô ſeu Cinnabari ſolari.*

Ibidem, Obſerv. 106. *De ſtellâ curioſâ ſereniſſimô Electori Brandenb. Magno nunc Boruſſiæ Regi oblata, cum Homagium Stargardiæ ſuſciperet.*

Ibidem, Obſerv. 107. *De Infantis in ſyncopen lapſi ſingulari curâ.*

Ibidem, Obſerv. 108. *De Clavorum Pedum certâ Curâ.*

Reſcip. ſpir. vitrioli veneris, & illinantur clavi optimè bis vel ter de die quoties opus.

Poſt 12. horas impone ſequens emplaſtrum;

℞. *Gummi-Galbani gum. ammoniaci â* ℥ß.
Solve in l. q. ſpir. vini & inſpiſſa, adde
euphorbii ʒß.
alum. uſt. gr. 45.
virid æris ℈iiiß.
Mercur. dulc. vulgaris ʒj.
Olei euphorbii & ceræ â q. ſ.

M. F. Emplaſtrum, poſt duodecim horas removeri poteſt & cultello clavus eximi, imò ſi magnus fuerit clavus, ſecundâ vice repeti poteſt.

Ibidem, Obſerv. 109. *De ſingulari remedio contra Calculum.*

VIr ſexagenarius varia remediorum genera â Medicis præſcripta adhibebat fruſtraneô ſuccèſſû, erat enim prægrandis calculus, ità ut ſanguis quotidie affatim flueret per anum, tandem remediorum pertæſus, tantùm propter acrimoniam uſus eſt veſperi, ſequenti amygdalato;

℞. Decocti hordei ℔ij. amygd. d. ℥iß. F. C. a. emulſio adde panis Triticei quantum placet. Hâc cœnâ contentus veſperi, effecit ut calculus ſenſim diſſolutus intra menſem prodierit, nam ſemper ex illius eſû arenas emolliri animadvertit, & certe flavedo ex corticibus hordei cum amygdalarum oleo in decocto diſſoluta & urinam egregiè pellit & ſal calculum coagulans diſſolvit, ſed & decoctum Foreſti mane continuavit.

Ibidem, Obſerv. 190. *De Diaſcordiô anthelminticô magnâ doſi ſumtô.*

Ibidem, Obſerv. 191. *De ſanguine, poſt quintum diem à morte, præternaturaliter ad mulieris famoſæ tactum fluente, cum Iudiciô Medicô.*

Ibidem, Obſerv. 192. *De ſole ſine veſte.*

Ibidem Obſerv. 193. *De Doloribus lumborum intolerabilibus.*

Ibidem Obſerv. 194. *De Lacte poſt quatuor ſeptimanas revocatô.*

Ibidem Obſerv. 195. *De Iſchuriâ Oleo ſcorpionum ex errore ſumto curatâ.*

Ibidem Obſerv. 196. *De Calculi Renum comminutione.*

QUæſtio inter eruditos agitatur, utrum calculus comminui poſſit? Potiſſima ratio negantium ſat valida eſt, non dari liquorem, in quem Lapis ſeu Calculus humanus injectus extra Corpus ſolvatur, etſi daretur, talis liquor tamen in ventriculô, & reliquis viis alteratur, & novam acquirit naturam ſeu texturam, ut vim diffringendi calculum exuat; verùm primò conſiderandum, omnem calculum eſſe concretum terreoſalinum, ubi ſalſa principia cum terreſtribus particulis firmiſſimô nexû juncta ſunt, ſi itàque ſal hoc poteſt ſolvi terreſtres particulæ à compage & nexû liberantur, & ſic calculus ſenſim, ex affluxû humoris in quô hoc ſal liqueſcit, in dies minor fit ità ut tandem nucleus excernatur, nec neceſſe eſt ut liquor acris & corroſivus ſit, imò hoc dulce ſal in aniſô contentum, facere poteſt, Chærefolium inſuper & petroſelinum acrimoniâ deſtituuntur. Quale ſal igitur huic calculosô ſali contrarium ſit, per experientiam colligere neceſſe eſt.

Nam & ſuccus citri acidus & ſal oculorum cancri alcalinum, in nephritide conferunt, ſed etiam in corpore accedit calor & forma agens, ut ſalia longè aliter ſe aggrediantur quam ſi extra corpus Lapis ſeu calculus liquori infundatur; ſecundò experientia quotidiana ſententiam prædictam refutat, quod meo exemplo teſtari poſſum, qui prægrandem calculum per duos menſes in rene dextrô cum dolore gravativô moleſtô & renis prædicti intumeſcentiâ tactû animadverti & deprehendi, & ſanguinem ſingulis diebus domum reverſus cum animi mœrore in urinâ conſpexi, præſertim poſt celeriorem & concitatiorem greſſum, nihilque certius augurari potui, quam ulcus renum, & exinde febrem hecticam, & tandem mortem. Verùm alma Dei miſericordia medicamentis ità benedixit ut conſtanti & pertinaci eorum uſû calculus diminutus, ſine magnô dolore octavo Iduum Junii cum multis arenulis prodierit. Sit laus Deo & gratiarum actio in ſempiterna ſecula.

Medicamenta quibus uſus luculentô cum commodô, ſequentia fuerunt, nam multa ab Autoribus proponuntur quæ parum calculum attingunt, ſedulò enim urinam excepi effectum medicamentorum aſſumptorum experturus, à ſequentibus igitur ſemper animadverti arenulas prodiiſſe, quando autem nullis medicamentis uſus ſum, nullum etiam ſabulum conſpiciebatur, manifeſtâ demonſtratione à medicamentis aſſumtis arenulas iſtas à peripheriâ calculi eſſe emollitas & deterſas, ità ut ex quantitate arenularum colligere poſſem, calculum prædictum ad minimum ovi columbini magnitudinem æquaſſe; Nam calculi quidam ſunt quaſi extemporanei & momentanei, qui etiam ex unicô hauſtû cereviſiæ non benè defecatæ, vel aceſcentis ortum trahere poſſunt, qui etiam vel ſponte vel levi adhibitô medicamentô exturbantur, quidam ſenſim incrementum ſumunt & forſan renibus impreti, vel quovis modô adhærent, quemadmodum à lithotomis quibuſdam percepi, calculum veſicæ ſæpè tam firmiter veſicæ annexum, ut priùs ſeparatio quàm extractio molienda; ſed liberum de hoc cuilibet relinquo judicium. Sufficit me non prius calculum animadvertiſſe dum ſanguinem in urinâ viderem, & renem tumidum tangerem, magnamque quantitatem arenularum ſenſim attriviſſe, & tandem nucleum ipſum accepiſſe, hoc excretô ne minimum ſabuli neque ſanguinis inveniſſe. Sed ut in ſolatium confratrum meorum medicamenta mea proponam, primò molitorem meum conſuetum & ſæpiùs dictum adhibui. ℞. baccar. Alkekengi ℥ij. contunde in mortariô, affunde Vini Franciſci & aquæ. Fragor. à ℔i. contunde in mortariô ut arilli quaſi in pulverem abeant, exprimantur, adde rob. cynosbat. ſyrup. Fragor à ℥j. ſpir. ſal. gt. 30. d. ſ. *Steintranck* de quô ℥iiij. vel v. manè & horâ v. pomeridianâ hauſi, ſemper ſubtiliſſima arenulâ, parvâ quidem quantitate prodeunte, & verum eſſe deprehendi quod Zacutus Luſitanus dicit; Baccæ alkekengi ità atterunt calculum ut manibus colligi poſſit; Verùm ego nauſeabundus aliquandò mutavi medicamenta & aſſumpſi pulverem ſequentem, quem Excell. Borrichius in Actis Medicis Bartholini proponit & calculum reverà eô ipsô contrivit; ℞. pulv. Lapid. lyncis, Judaic. Cryſtall. foſſil. præparat. ocul 69. præpar. ana ʒj. divid. in 4. part. æqual. *S. Bier Stein-Pulver* cum aqua fragor. ſumpti & iterum veritatem Borrichii deprehendi & arenulas conſpexi. Aliquando in uſum traxi ſolos oculos cancri quorum ʒj. cum aquæ naſturtio è ſuccô deſtillatæ ℥jß exhauſi & quidem cum fructû, iterùm enim arenulæ ſubſiderunt; nam aqua naſturtii à Wirſungio & Grulingio valdè laudantur, ſic enim Grulingius: Scio multos ejus uſû à Calculo ejuſque doloribus eſſe liberatos, p. 32. in tract. de Calcul. magnam etiam efficaciam deprehendi in ſemine Dauci cretici & D. Boyle adſtipulator, qui in exper. Phil. aliquot proponit exempla de calculô per ſolum ſemen Dauci diſſolutô; hoc etiam ultimò uſurpavi cum jam calculus meus ingreſſum in ureteres tentaret & ibi hæreret, nam avidè ʒj. cum cereviſiâ calidâ deglutivi, & alacrem egreſſum ad veſicam ſenſi. Neque hoc juſculum efficaciſſimum ebibiſſe more eorum, qui infusô Thee delectantur; ℞. herb. Chærefol. Petroſelini, aniſi, Paſſular. à mj. coque in aquâ colaturæ calidiſſimæ adde vitellum ovi de hoc ſorpſi ℥viii. etiamſi urina ſanguine tincta eſſet, non timui medicamentorum diureticorum uſum, nam ex attritione calculi ſanguis tantùm de die egrediebatur; noctû nequaquam: de chærefoliô etiam Sennertus dicit dum de diætâ in principiô aliquid affert. Chærefolium eſt ſingulare calculi remedium. Sed & ſequentem potum etiam ſemel probare volui & effectus non fuit inanis. ℞. radic. pimpinell. Bardan. â ℥ii. herb. hæder. terreſtr. herniar. Chærefol. betonic. â mi. cicer. rubr. ℥iii. Semin. aniſ. ℥ß. radic. Glyzyrrh. ʒvi. bacc. Junip. ℥iii. coque in aquâ ℔vi: Colatur. ℔iii. de quâ ſumantur ℥iiii. Hæc ſunt quæ cum fructû à me uſurpata ſunt, & aliis ſincerè commendo. Comminutô & excretô hoc meô calculô neque ſabulum neque urinam ſanguine tinctam ulterius conſpexi. Tantæ molis erat lapidem diſſolvere renum.

Ibidem Obſervatio 117. *De Cuneô Metallicô & ſaxeô.*

Ibidem in Append. p. 30. *De Aurô potabili & ſexaginta auri tincturis & reſolutionibus Proceſſus.*

Ibidem A. 9. *&* 10. *Obſervatio* 101. *De Veſicatoriorum efficaciâ.*

CRUGIU,

CRUGIUS (*Theodorus Chriſtophorus*,)

Ex eô habetur

De Morbis Chronicis ex Acidô vitioſô. Marpurgi, 1676. in 4.

CRUSERIUS (*Hermannus*) Natus Campis in Belgio, Græcis potiſſimum litteris delectatus: unde Plutarchum fideliùs ut Critici exiſtimant, quàm Guilielmus Xylander, Latinè reddidit. Guilielmo Clivorum Principi gratus & à Conſiliis fuit, cujus Filiam dum Alberto Fridericô Boruſſiæ Principi, ſponſam adduxit, in reditû ad ſuos immaturâ morte, extinctus eſt, annô Chriſti 1573.

De eô extant

Commentarius in Hippocratis I. & III. de Morbis vulgaribus. Item in Lib. de ſalubri diætâ. Baſileæ ap. Guarinum, 1570. in 8.

Galenum de Pulſibus ad Tyrones interpretatus eſt. De Pulſuum Differentiis Lib. IV. De Dignoſcendis Pulſibus Lib. IV. De cauſis Pulſuum Lib. IV. De Præſagitione ex Pulſibus Lib. IV.

CRUSIUS (*David*,) Crimnicenſis.

Ex eô habentur

Theatrum morborum Hermeticorum Hippocraticum, ſeu; Methodica Morborum, & curationis eorundem diſpoſitio: multis elegantiſſimis Problematis, ac Hermeticæ Medicinæ Floſculis illuſtrata. Erfurti, apud Johan. Epiſcopium, 1615. in 8. Ibid. 1616. pari formâ.

Theatri Morborum Hermetico-Hippocratici, ſeu Methodicæ Morborum & Curationis eorumdem diſpoſitionis Pars poſterior. Ibid. apud eundem, 1616. in 8.

CRUSUS (*Johannes*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1702. *pag.* 259.

Medicamentorum ευπορίστων *Theſaurus, ſuccinctè comprehendens ad omnes ferè morbos experta nec non ſpecifica Remedia. Opera & cura Johannis Cruſi. Londini apud Sam. Smith & Benj. Walford.* 1701. *in* 12.

IDem Auctori quoque huic, quod *Fullerô* propoſitum, prodeſſe nempè aliis, & propinare medicamenta, morbis quibuſque mitigandis tollendiſque. Verum longè ſimpliciorem *Cruſus* viam ingreſſus eſt, nec medicamenta pomposè compoſita aut è longinquô petita, magnoque ex Pharmacopœorum officinis ære redimenda, ſed è ſolô regnô vegetabili deprompta, velut plantas earumque decocta, adeoque cuivis facili negotiô nullôque ſumptû parabilia exhibet. Quorſum reſpexiſſe etiam Londinenſes librorum Medicorum Cenſores videntur, dum in approbatione libellô præfixa, non prorsùs indignum judicarunt, qui in juniorum *rurique degentium* Medicorum gratiam typis mandaretur. Cæterùm ea Auctor uſus fuit methodo, ut ordine alphabeticô morbos nominet, ſingulis ευπόριστα ejuſmodi remedia ſubjiciat, adſcriptis ubique Medicorum, à quibus commendata fuêre, quos inter beati Ettmulleri noſtri mentio frequentiſſima eſt, nominibus.

CRYSIPPUS (*Solenſis*) Siculus Medicus. Multos Chryſippi nomine inſignitos inter ſcriptores proditi ſunt. A Laertiô in vitâ Chryſippi Solenſis præter hunc Solenſem, alii quinque recenſentur. Jouiſius *hiſt. Philoſ. Lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 150. & 159. apud Mollerum de *Scriptoribus Homonymis c.* 3. *p.* 297. Viginti Chryſippos enumerat, & inter hos novem Medicos. Hos inter Medicos unum Medicum Siculum claruiſſe patet ex Galeno *Lib.* 2. *de differ. pulſuum*; ubi ipſum reprehendit, quod in Siciliâ natus, & Græcam minimè callens linguam, attamen legem Græcis dare voluit de nominibus. Quô vixerit ævô incertum eſt; at doctrinâ phyloſophica, ac medicâ ſatis inſtructum effulſiſſe ex dicendis patet. Hic Chryſippus Siculus, teſte Luca Antoniô Portiô in *Eraſiſtratô, ſive de ſanguinis miſſione dial.* 2. *pag.* 102. & Nicolaô Lanzone *in Pſeudo Galenicos pag.* 38. Scripſit accuratè & diligenter,

De affectibus, & ægritudinibus animi, deque remediis; ægrô animô convenientibus. Hoc opus in quatuor libros diſtributum citat Galenus, *de Hippocratis & Platonis decretis, Lib.* 4. *cap.* 4. & 7. *Lib.* 5. *cap.* 5. *pag.* 257., & *cap.* 7. *pag.* 259. qui etiam ipſius errores his in libris ſcriptos recenſet & expendit. Poſſidonium contra Chryſippum etiam ſcripſiſſe colligimus. Eoſdem libros alibi citat etiam Galenus præſertim *Lib. de Cognoſcendis, curandiſque animi morbis cap.* 1. *p.* 50.

De Animâ Libros. Hujuſce operis librum primum citat Galenus in tractatû *de Hippocratis & Platonis decretis, Lib.* 5. *cap.* 7. ubi ait, quod totum primum librum de Animâ inſipientium ſermonibus, ac Poëtarum carminibus replevit. Quod etiam innuit *Lib.* 2. *ejuſdem tractatûs cap.* 2. ubi ipſiûs fragmentum adducit: *Lib.* 3. *per totum* quæ librô I. de Animæ primatû ſcripſit, pluribus refellit: ejuſque verba perſæpè adducit. Opus hoc de Animâ à noſtrô Chryſippô ſcriptum ex eô deducimus, quia Galenus *de Hippocratis & Platonis decretis, Lib.* 2. *cap.* 1. de hoc Chryſippi opere agens hæc habet. Chryſippum præterea Siculum notat in tractatû de *differentiis pulſuum Lib.* 2. *cap.* 10. Noſtri Siculi Chryſippi fuiſſe puto hæc alia; nempè-

Commentaria Logica &c.

Commentaria abſque Cauſis conſcripta curatoria & moralia, quæ citat Galenus *de Hippocratis & Platonis decretis Lib.* 2. *cap.* 2.

De Venæſectione, ex Portiô, & Lanzone locis citatis ſed hujus operis auctorem non Chryſippum Siculum, ſed Chryſippum Cnidium Eraſiſtrati præceptorem fuiſſe puto, ex Galenô *de Venæſectione adverſus Eraſiſtratum Lib.* 2. *cap.* 2. & *Lib.* 3. *c.* 2. ubi ſemel & iterum Chryſippum Cnidium vocat. Hujus etiam meminit Laërtius *in vitâ Chryſippi Solenſis.* Anton. Mongitor Bibl. Siculæ T. j.

CRYSIPPUS Cnidius, de quô mox unô verbô ex Mongitore, ad differentiam Solenſis Siculi. Is Medicus fuit famoſiſſimus, Eraſiſtrati Magiſter, ut Plinius ait, lib. 29. ſect. 3. Galenum lib. de Venæſect. contra Eraſiſtratum, c. 2. & Eraſiſtratus ipſe, apud Laertium lib. 7. in Chryſippô. Vixit Alexandri Magni, & Ptolemæi Lagidæ temporibus. Venæſectionem prorsùs improbabat. De Braſſicâ ſcripſiſſe ſcimus ex Pliniô, Laërtiôque. Sed & opus integrum περὶ λαχάνων, de Oleribus, ab eô editum auctor eſt Scholiaſtes Nicandri ad Theriacam, p. 39. Cryſippum alium ab eô diverſum, Medicum pariter, ſed Rhodium, laudat Scholiaſtes Theocriti, ad Idyll. 16. v. 128.

CUBITO (*Wenceslaus Payer de*)

Ex eô habetur

Tractatus de Thermis Caroli IV. Imper. ſitis prope

prope Elbogen & Vallem S. Joachimi. Conſilium de Peſte Ejuſdem. Lipſiæ apud Val. Schumannum, 1522. in 4. Lipſiæ, apud Thom. Schurerium, 1614. in 8. adjectis à Michaële Reudeniô ejuſdem argumenti Epiſtol. Clariſſ. quorumdam Medicorum.

CUELLAR (*Henricus à*,) Luſitanus; Doctor Medicus Conimbricenſis; ejuſdemque Academiæ Profeſſor, edidit

Commentaria in Prognoſtica Hippocratis: cum commentariis Galeni. Conimbricæ ex officinâ Academiæ, 1543. 1582. in fol. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſ. T. j. p.* 43.

CUFFARUS (*Joh. Jac.*) ex Oppidô Naſi, Philoſophus, & Medicus Doctor expertiſſimus: Poëta etiam non vulgaris. Floruit annô 1645. Ipſum laudat Didacus de Maſtrô in *cauſâ Poëtarum Medicorum* pag. 57. Edidit Italicè.

I Biaſmi del Tabacco, ò vero l'uſo pernicioſo d'eſſo, diſcorſo. Panormi apud Nicolaum Buam, & Michaëlem Portamnovam, 1645. in 4.

Il Ritratto di San Franceſco Saverio Panegirico. Meſſanæ apud Hæredes Petri Breæ, 1635. in 12.

La Figura di S. Franceſco d'Aſſiſi. Meſſanæ apud eoſdem 1635. in 12.

Vita del Glorioſo S. Cono Naſitano Poëma ſacro. Ibidem apud Johannem Franciſcum Biancum 1636. in 12. *Anton. Mongitor Bibl. Sicul. T. j. pag.* 347.

CULMAN (*Johannes*,) Geppingenſis.

Johan. Marinelli Commentariis in Hippocratem, argumenta nova in ſingulos Libros addidit.

CUMANUS (*Marcellus*,)

Ex eô habentur

Curationes & obſervationes Medicæ. Extant cum Georg. Hieronym. Velſchii ſylloge Curationum & Obſervationum Medicinalium. Auguſtæ Vindel. apud Gottlieb. Gobelium, 1668. in 4.

CUMMENUS (*Albardus Hermannus*.)

De eô extant

Obſervatio de Hydrocephalô incipiente curatô. Habetur Ephemer. Acad. Natur. Cur. Germ. Ann. 1. *N.* 46.

Obſervatio de Hydrocephalô diſſectô, Ibid. an. eod. n. 47.

De Apoplexiâ lethali ex ſcabie retropulsâ. Ib. ann. eod. n. 58.

De Dolore Meſenterii tremulô in paralyſin manuum deſinente. Ib. ann. eod. n. 59.

De Paralyſi pedum ex longiore in frigidâ morâ. Ib. ann. eod. n. 84.

De Epilepſiâ hypocondriacâ curatâ. Ib. eod. an. n. 85.

De Epilepſiâ ex retentis menſibus; Venere & puerperiô ſanatâ. Ibid. ann. eod. n. 86.

De rarô circa viſum ſymptomate. Ibid. ann. eod. n. 92.

De viſû duplicatô. Ibidem ann. eod. n. 93.

De Puris ſputô menſtruô ſine phthiſi. Ibid. ann. eod. n. 94.

De Vomitû ſanguinis menſtruo. Ibid. ann. eod. n. 95.

De Hæmorrhagiâ menſtruâ per talum in gravida. Ib. ann eod. n. 96.

De Oſſiculô pruni Germinante à ruſtico excreto. Ibidem ann. III. *n.* 109.

De teſtibus in viro coalitis. Ibid. Ann. eod. num. 110.

De Macie cum tuſſi à materiâ quâdam peregrinâ pulmones obſidente. Ibidem Ann. eod. n. 111.

De Abſceſsû Oſſium, Ibidem Anno eod. numero 112.

Obſervatio de Arteriis ſpermaticis deficientibus. Ibidem Annô eod. n. 113.

De Menſtruis ſerotinis: Item ante ſtatum Naturæ ordinem fluentibus: Ibidem Anno eod. numero 114.

De Fluore Muliebri croceo. Ibidem Anno eodem num. 115.

De Anatome fœminæ dyſentericæ. Ibidem Ann. eod. n. 116.

De ſecundinæ fruſtulo ultrà menſem in utero retento, excreto. Ibidem Anno eod. n. 117.

De Variis in Anatome viri notabilibus. Ibidem Ann. eod. N. 118.

De Anatome Phthiſicæ. Ibidem ann. eod. numero 119.

De ſtercoris ſuilli vi antifebrili. Ibidem ann. eod. nu. 120.

De Anatome Hydropicæ. Ibidem ann. eod. nu. 131.

De noxâ à vapore plumbi. Ibidem ann. eôdem num. 131.

De Parturiente ſine aquis. Ibidem ann. eodem num. 132.

De Hepate Bovis nyctalopes curante. Ibidem ann. eod. n. 133.

De Palpitatione Cordis ex nimio Cinamomi uſû. Ibidem ann. eod. n. 134.

De Oſſis Coccygis luxatione. Ibidem ann. eod. num. 135.

De ſingulari ani exulceratione. Ibidem ann. eod. num. 181.

De Fulmine tactæ curatione. Ibidem ann. eodem num. 182.

Obſervatio de Diabete brevi curatâ. Ibidem ann. eod. n. 183.

De ſingulari Hemicraniæ ſolutione. Ibidem ann. eod. num. 184.

De Agrypniis diuturnioribus. Ibidem ann. eod. num. 185.

De Anatome Aſcitici. Ibidem ann. eod. n. 186.

CUNEA (*Martinus*,)

Ex eo habetur

De Entelechiâ ſpiritûs, Liber. Pariſiis, apud Chriſtianum Wechelum, 1543. in 4.

CUNELIUS (*Georgius*,)

Ex eô habentur

Diſputatio, De Hæmorrhoidibus, Lipſiæ, 1591. in 4.

De Dracunculis. Baſileæ, in 4.

CUNEUS (*Gabriel*,) Mediolanenſis, diſcipulus atque ſectator magni Anatomici, Veſalij deinde verò in Academiâ Ticinenſi Anatomiæ Profeſſor, ægrè ferens, Præceptorem ſuum à quôdam diſcipulorum Jacobi Sylvii, Franciſcô Puteô, qui apologiam in Anatome pro Galenô contra Veſalium ſcripſerat, tam indignè tractari, ejuſdem defenſionem ſuſcepit, editô examine doctiſſimo ejus hujus apologiæ Puteanæ. Pullulârunt autem controverſiæ hæ inter Veſalium & Sylvium ex his præcipuè fontibus: Cùm Veſalius primum inciperet ſeveriùs animadvertere in Galenum ejuſque dogmata, quem hactenùs infallibilem ac veluti claſſicum judicaverant medici

medici iſtius temporis propemodum ad unum omnes, tam graviter inde irritabatur Sylvius, ut in epiſtolâ ad Veſalium ſcriptâ eundem graviſſimè increparet, quod dogmata Galeni reprehendere, imò planè falſitatis arguere auſus eſſet. Cui epiſtolæ oppoſuit Veſalius mox alium librum, quem quidem proprie de radice Chinæ inſcribit, multa verò ad rem Anatomicam potiùs pertinentia exponit, ac proinde demonſtrat; Galenum non ſolùm Anatomias corporum humanorum nunquam inſtituiſſe, verùm etiam hiſtoriam partium earumque uſum imperitè tradidiſſe. Quô ſcriptô longè adhuc vehementiùs exaſperatus Sylvius, in furorem propemodum agi cœpit, ac proinde libellum edidit, cui hic fuit titulus: Depulſio veſani cujuſdam calumniatorum in Hippocratis atque Galeni rem Anatomicam; Cui tamen virulentô ſcriptô nihil repoſuit Veſalius, apologiam tamen pro Veſaliô ſuſcepit *Renatus Henerus*, in quâ totiùs pene negotii anatomici controverſiæ explicantur. *Goëlike Hiſt. Anat. p.* 53.

CUNO (*Clemens Johan.*) Natus eſt Noribergæ Patre Johanne Cunone, Med. Doctore & Phyſicô Ordinar. Noribergenſi: creatus Medicinæ Doctor Baſileæ A. C. 1614. annôque inſequente, nempè 1615. in Collegium Medicum Noriberg. receptus, ibidem Medicinam exercuit, & obiit, A. C. 1632.

De eô extant

Epiſtolæ binæ Medicæ; quæ habentur cum ciſtâ Medicâ Johan. Hornungi. Noribergæ, ap. Simon. Halbmagerum, 1625. in 4.

CURÆUS (*Joachimus*,) Natus Freiſtadii, Sileſiæ oppido, A. C. 1532. Patre Gregoriô Curæô, ibidem Judice urbano: & Wittebergæ Saxon. 1554. Philoſophiæ Magiſter renunciatus, ſcholæ patriæ Collega factus eſt. Poſt hæc demùm Patavii 1557. Medicinæ operam dare cœpit, illiuſque Doctor Bononiæ 1558. creatus, & reverſus in Germaniam, Reipubl. Glogovienſis Siles. Medicus Ord. 1559. conſtitutus: Obiit ibidem A. C. 1573. ætatis ſuæ 40.

Ex eo habentur

Conſilia Medica. Extant eô in operè, quod Laurentius Scholzius edidit. Francof. apud Andreæ Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

Phyſica Wittebergæ, 1584. in 8.

De ſensû & ſenſibili. Francofurti, 1595. in 8.

CURIO (*Jacobus*,)

De eô extant

Inſcriptus Hermotimi nomine Dialogus. In quô primum de Umbraticô illô Medicinæ genere agitur, quod in Scholis ad diſputandum, non ad medendum, comparatum videri poteſt, deinde & de illô recens & Chymicis furnis natô eductôque alterô. Ubi præter rectam animorum inſtitutionem, de Auri factrice Chimiâ aliquid quoque attingitur, & de ipsô Naturæ rerum ingenioſiſſimô ſcrutatore Theophraſtô Hohenheimiô Lectori narrantur cognitû quædam, nec inutilia, nec injucunda. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1570. in 4.

Hippocratis Coi, Medici vetuſtiſſimi, & omnium aliorum Principis, de Naturæ, Temporum anni & Aëris irregularium conſtitutionum propriis, Hominiſque omnium ætatum morbis Theoria: ità in enarratione Tertiæ Aphoriſmorum ſectionis expoſita, ut non ſolùm rei Medicæ, ſed omnibus valetudinis, ac vitæ tuendæ ſtudioſis, magno uſui, eſſe poſſit. apud Georg. Corvinum & ſocios, 1596. in 8.

CURIO (*Johannes.*)

Arnoldi de Villanovâ Enarrationes, ſive Exegeſin in conſervandæ ſanitatis Præcepta ſaluberrima, Regi Angliæ quondam à Doctoribus ſcholæ Salernitanæ Verſibus conſcripta, ſive in Medicinam Salernitanam recognovit, & acceſſione aliquot Opuſculorum ità locupletavit ac auxit, ut novum Opus jure videri poſſit. Vid. Arnold. de Villanova; item Johannes de Mediolanô.

CURTIUS (*Benedictus*,) Symphorianus.

Ex eô habentur

Hortorum Libri triginta. In quibus continentur Arborum Hiſtoriæ, partim ex probatiſſimis quibuſque Auctoribus, partim ex ipſius obſervatione collectæ. Lugduni, apud Johan. Tornæſium, 1560. in fol.

CURTIUS [*Matthæus*,] Natus eſt Ticini in Italiâ: & non ſolùm in Gymnaſiô patriô, ſed & Patavii, Bononiæ, Florentiæ, & Piſis ſummâ cum laude Medicinam publicè docuit & feliciſſimè exercuit: unde etiam a Clemente VII. Pontifice, Romam ſæpiùs vocatus, & aliquandò cum eô Maſſiliam profectus eſt. Obiit Ticini, A. C. 1544.

De eô extant

In Mundini Anatomen Explicatio. Papiæ, apud Franc. Moſchenum, 1550. in 8. Lugduni, apud Paganum, 1551. in 8.

De Prandii ac Cœnæ modô, Libellus. Romæ, 1566. in 8.

De Curandis febribus, Ars Medica. Venetiis, apud Franc. Portonarium, 1561. in 8. Patavii, apud Mejettum, 1521. in 4. cum Vidi Vidii Libris VII. de Febribus; & Lud. Mercati de Febre malignâ, Tractatû; cum Opuſculis Inſcriptis: Tractiones Medicinales de Doſibus. Venet. apud Vinc. Valgriſium, 1562. in 8.

De Venæſectione cùm in aliis affectibus, tum vel maximè in Pleuritide. Haganoæ, 1534. in 4. Venetiis 1534. 8. apud Melch. Seſſam 1539. in 16. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1538. in 8. Bononiæ, apud Joh. Bapt. Phuellum, 1539. in 4.

Methodus Doſandi, ad Tyrunculos. Extat inter Opuſcula illuſtrium Medicorum de Doſibus. Patavii, ap. Paulum Mejettum, 1579. in 4. Lugduni, apud Johan. Mareſchallum, 1584. in 8.

De Septimeſtri Partû, Conſilium. Extat inter opuſcula inſcripta, de Doſibus Tractiones Medicinalis. Venetiis apud Vinc. Valgriſium, 1562. in 8.

Conſilia Medica. Extant eô in Opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

CURTIUS (*Nicolaus*,) Natus eſt Brixiæ in Italiâ: Vir parvô præditus corpore, hincque vulgò dictus Nicolinus: Fuit in Gymnaſiô Patavinô Medicinæ Profeſſor publ. per annos circiter ſex & viginti. Cùmque inde in patriam ſuam iviſſet, ut peſtilentiam fugeret, Brixiæ

Brixiæ ipſam peſtem incurrit, eâque obiit A. C. 1576.

Ex eô habentur

Libellus de Medicamentis Lenientibus, Præparantibus, & Purgantibus, Medicinæ ſtudioſis utiliſſimus, ac maximè neceſſarius. Olim in Academiâ Patavinâ, annô 1575. propoſitus. Extat cum Joh. Jeſſenii Conſiliô, adverſus peſtem &c. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1615. in 12.

Methodus Conſultandi. Extat cum Lib. XIV. Cap. III. Bibliothecæ ſelectæ Antonii Poſſevini, editæ Venetiis, apud Altobellum Salicatium, 1603. in fol.

CUSA (*Nicolaus de*,)

Ex eô habetur

Idiotæ, de ſtaticis experimentis, Dialogus. Extat cum reliquis ejus operibus. Baſileæ, apud Henr. Petrum, 1565. in fol.

CUSPINIANUS (*Johannes*,) Suinfurtô oriundus. Poëta & Medicus, Maximilianô Imperatori gratus. Scripſit *Commentarium*, *Conſulum*, *Cæſarum & Imperatorum Romanor. Hiſtoriam Auſtriæ*, de *Origine Turcarum*, &c. De eô conqueritur Spondus, quod ſcripſerit, Cunigondem Fil. Friderici III. quæ Albertô Bavaro nupſit, priùs deſponſatam fuiſſe Mahometi. A. C. 1487. Calviſius idem habet, *in Chronol.* p. 890. Nicol. Gerbelius, *in Vitâ Cuſpiniani.* Voſſius *de Hiſt. Lat. lib.* 3. *cap.* 10. Hoff. Diction. T. j. p. 1053.

CYNALOCHUS (*David*,)

Ex eô habetur

De Anatome & Morbis internis Liber, qui extat part. II. Deliciarum Poëtarum Scotorum, Amſtelod. 12. 1637.

CYNTHIUS (*Joh. Baptiſta*,) aliàs *Girardus*: Medicus inſignis, docuit Ferrariæ, Mondovii, Patavii Rhetoricam. Scripſit plurima, de quibus vide *Elogia* A. Teiſſier, *Part.* 1. Obiit A. C. 1573. ætat. 69. *Hofmann. Diction. T. j. p.* 1065.

CYPRIANUS (*Abrahamus*,) M.D. Anat. & Chir. in Acad. Franecker. nuper Profeſſor.

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1701. *pag.* 82.

Epiſtola, *Hiſtoriam exhibens fœtûs humani poſt* 21. *menſes ex Uteri Tuba, matre ſalva ac ſuperſtite, exciſi, ad D. Thom. Millington, Equitem Auratum, Medicum Regium ordinarium, & Collegii Medicorum Londinenſium Præſidem. Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans*, 1700. *in* 8.

QUanquam juxta tritum proverbium incurabiles morbi non ſint attingendi, ne ars diffametur; dubium tamen nullum eſt, multos, qui incurabiles credebantur, funditus extirpatum iri, modò animoſiùs rem aggrederentur illis præpoſiti. Id quod vel unicus hic caſus, quem Author clariſſimus in Epiſtola hâc recenſet atque examinat, palam facit.

Militis ſcilicèt uxor 32. annorum tertium imprægnata, lac tamen geſtationis tempore in mammis nullum obſervavit, fœtûſque ſitum in locô juſtô altiori deprehendit. Novem præterlapſis menſibus fœtus ſe movet, ac ſi exitum moliatur, irritô tamen conatû atque ſucceſſû. Decimô menſe fluxus menſtruus redit, nec ullus porrò fœtûs motus percipitur. De dolore interim conqueritur miſera acutô circa umbilicum quem ulcus fungoſum in regione umbilicali ſequitur. Vigeſimô primô demùm à conceptione menſe advocatus Author noſter, mortuum fœtum à muliere geſtari, reliquis licèt in contrarias ſententias abeuntibus Medicis pariter ac Chirurgis, pronuntiat, immiſſo per ulcus ſtilô atque digitô in opinione ſuâ confirmatus. Inſtitutâ itàque cæſareâ operatione, eum in modum ſanitati reſtituit ægram, ut tertiô menſe præterlapsô domo exire potuerit, imò proximô annô poſt filiam, ſequente gemellos, filium & filiam, fuerit enixa. Singula quidem caſus hujus phœnomena ulteriori ſubjicit Author Clariſſimus examini, quorum tantùm notatû maximè digna referemus. Rationem nempe redditurus, cur mammæ gravidæ lac non ſtillaverint, ſupponit, intimam intercedere uterum inter atque mammas connexionem ac ſympathiam, eo potiſſimùm tempore quo uterus in majorem molem extenditur, vaſa tum ſanguifera versùs inferiora deſcendentia comprimi, & ſanguinis fluxum verſus ſuperiora magis dirigi, & plus pinguedinis in mammarum Glandulis exprimi & ſecerni; hoc autem in præſenti caſû non contigiſſe docet, cùm fœtus in latere ſeu tuba Fallopiana reconditus, vaſa deſcendentia nec comprimere, nec ſanguinis curſum verſus ſuperiora urgere potuerit. Quod fœtus in tubâ quandoque hæreat, duplicem conſtituit cauſam, naturalem aliam, dum ex conformationis vitiô illa nimis anguſta eſt, aliam accidentalem, ubi poſt partum difficilem, e. g. à violentâ placentæ avulſione tuba inflammata fuit, ejuſque in uterum inſertio coaluit. Capacem autem eſſe tubam alendi embryonem, deducit ex conformatione tubæ glanduloſâ, cui placenta fœtûs commodè connecti valet; ex cavitate exili, cui accedente mutuô contactû coaleſcentia debetur; & ex vaſorum texturâ, quæ licet non æquè magna ac in uterô, patentia tamen pro tubæ dilatatione aperiuntur, & ſanguinem recipiunt. Notatû pariter dignum eſt, quod recenſet exemplum de muliere, quæ gravida ſibi viſa uſque adeò tumidum geſſit abdomen, ut partes corporis tam ſuperiores quam inferiores conſpici vix potuerint. Apertô cadavere tubæ tumor in conſpectum prodiit, quæ ultra 150. libras aquæ in cavitate ſuâ continebat, quâ exhauſtâ moles ipſa ultrà 30. libras pendebat; putatque Noſter, imprægnatam omninò fuiſſe mulierem, fœtum autem brevi poſt conceptionem in tubâ eſſe mortuum, ità ut propter exilitatem ſui & ſubſtantiæ tubæ perturbatum chaos conſpici hic poſt diſſectionem haud potuerit; eô verò mortuô vaſiſque tubæ dilatatis, lympham continuô in ea fuiſſe ſecretam, indeque hunc tubæ hydropem eſſe deducendum. Tandem rationem adjungit, cur fœtus, mortuus in uterô, non autem in tubâ corrumpatur, putatque aëris acceſſui ad uterum per hujus orificium interiùs faciliori, ad tubam verò denegatô id eſſe tribuendum. De cæterô monet, inciſionem, ſi qua facienda, magnam fieri debere, ut operatio feliciùs ſuccedat, ac partium contuſiones præcaveantur. Reliquas Obſervationes, exempla, & monita, quæ hinc inde inſpergit, prætermittimus.

CYRUS, fil. Apollonii, Medicus inſignis; cujus memoriam ſervat *Inſcript.* Lampſaci (quæ ejus genitale ſolum erat) hodieque ſuperſtes.

Quæritur, an idem hic ſit cum *Cyrô*, Liviæ Druſi uxoris Medico, cujus meminit alia *inſcr.* Florentiæ extans; quòd omnino probabile videtur; ſiquidem Principes Romani Medicis è Græciâ accerſitis libentiùs utebantur quàm aliis. *Jacob. Sponius Itinerar. parte 3.*

CZANAKIUS (*Matthæus*,) Ungarus.

De eô extat

Scabiei Encomium, ad Nobiliſſimos Scabianæ Reipublicæ Scabinos; apud Leopardum, 1627. in 12.

CZASCHELIUS (*Tobias*,)

De eô extant

Obſervatio de Abſceſſû hepatis in gravidâ, morte repentinâ terminatô. Habetur in Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. III. N. 267.

De Fragis recentibus in fœtû enixô inventis. Ibid. Ann. eôd. Num. 268.

BIBLIOTHECÆ

BIBLIOTHECÆ
SCRIPTORUM MEDICORUM
VETERUM AC RECENTIORUM
LIBER QUARTUS.

IN QUO illi recenſentur quorum NOMINA incipiunt à Literâ

D

DACA (*Alphonſus*,) Hiſpanus.

De eô extat

De Ratione Cognoſcendi cauſas, & ſigna tam in proſpera, quàm adversâ valetudine Urinarum, deque earum necis indiciis, & prænunciationibus, Libri tres. Nonnulla etiam de Febribus, & Diebus decretoriis. Hiſpali, apud Alphonſum dela Barrera, 1577. in 4.

DACIER (*Nicolaus*,) Trecenſis.

Ex eô habetur

Synopſis Methodica Pharmacorum omnium, quæ in communi ſunt Practicantium uſû: omnibus qui Medicinæ factivæ ſtudiô tenentur utiliſſima: in duos Libros deducta. Trecis, apud Nicol. Ruſſet, 1618. in 8. Ibid. apud Joh. Griffardum, 1614. in 8.

DAGRONETTUS (*Hieronymus*,) Catanenſis: Pharmacopola, ac Chimicus expertiſſimus. Claruit annô 1610. Edidit Italicè

Raccolta di varii ſecreti. Meſſanæ apud Petrum Bream. 1618. in 12. *Anton. Mongitor Bibl. Sicula, T. j.*

DAILLÆUS (*Petrus*,)

De eô extat

Tractatus de Vulneribus ab armis ignivomis inflictis. Pariſiis, apud Andream Boutonne, 1668. in 12.

DALDIANUS (*Artemidorus*,)

Ex eô habentur

De ſomniorum Interpretatione, Libri quatuor. De Auguriis & Manuum Inſpectione, Libri duo Græcè. Venetiis apud Aldum, 1527. in in 4. Latinè, Janô Cornariô, interprete. Baſileæ apud Frobenium, 1539. in 4. Græco-Latinè. Lutetiæ apud Marcum Orry, 1603. in 4. cum Notis Nicolai Rigaltii.

DALE (*Samuel*,)

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1694. *p.* 336.

Pharmacologia
ſeu
Manuductio ad Materiam Medicam, in quâ Medicamenta Officinalia ſimplicia deſcribuntur, Londini, apud Sam. Smith, & Benj. Walforth, 1693. *in* 12. *& Bremæ, apud Bravey*, 1696. *in* 8.

MAteriæ Medicæ ſeu ſimplicium cognitio, quanti quanti etiam momenti res eſt, ità tamen ſuperioribus temporibus negligebatur, ut poſteàquam Hippocrati, Theophraſto, Dioſcoridi, Galeno, paucîſque aliis decentem conceſſeris honorem, non tantùm nil in eâ ageretur, ſed & dictorum Artis Principum Obſervationes Rerum Naturalium peritiam & uſum concernentes, corrumperentur, Mercatorum, Seplaſiariorum, Pharmacopæorum fraudibus conſpurcarentur, adeò, ùt iis expurgandis perſpicaciſſimorum ingeniorum ſudores vireſque poſtmodum vix ſufficerent. Sicuti verò præſens hoc, quod colimus, ſeculum, ſuperiora poſt Hippocratem & Galenum, quamcunque etiam nuncupes Medicinæ partem, ſolertia & inveniendi dexteritate antecellit, ità & in eruendis Naturalium arcanis longe priora ſuperat. Etenim *Cæſalpini* ſub fotû vegetabilia cuncta reviréſcere incipiebant; *Georgii Agricolæ* ſolertia Mineralia primùm felicius ſuccedebant; *Geſneri* demùm & *Aldrovandi* vivaciſſimô ſpiritû emortua penè animalia anima quaſi reddita reſuſcitabantur; adeò, ut accedentibus ſequacium curis cuncta nunc copioſè luxurient, & in elanguidæ ſanitatis robur felicius conſpirent. Intereà tamen nemo Neotericorum adhuc dùm unô volumine omnes illas tres rerum naturalium claſſes, ſi unicum, mancum in quibuſdam, aliàs per utile, *Schroëderi*, opus excipias, percenſuit, ut non immeritò *Velſchius*, Polyhiſtor, & Medicus Auguſtanus Celeberrimus, inter Deſiderata Medica ejuſmodi Syſtema in ſomnô Vindicianô retulerit. Laudabili proinde conſiliô Auctor noſter clariſſimus è plurimorum Celeberrimorum Medicorum in hâc ſcientiâ deſudantium, *Raji* autem potiſſimùm & *Hermanni* ſcriptis & Prælectionibus, adhibitô quoque diligenter *Schroëderi* opere, neceſſaria, & ad cognitionem ſimplicium, eorumdemque uſum facientia, in faſciculum collegit, quæque tot vaſtis voluminibus tradita erant, in gratiam Philiatrorum, tum & aliorum,

aliorum, brevi quaſi tabella delineavit, & accurata perſpicuaque à Celeberrimis Medicis, excogitatâ methodo, expoſuit. Promiſit prætereà Elucubrationes Botanicas, Anglicè conſcriptas, quibus præſentem facilemque Lucinam Botanicorum ordo exoptat.

Ibidem annô 1707. *pag.* 126.

Pharmacologiæ, ſeu Manuductionis ad Materiam Medicam Supplementum; Londini, impenſis Sam. Smith, & Benj. Walford. 1705. *in* 12.

NObiliſſimum *Autorem* extitiſſe primum, qui diffuſam omnis Materiæ Medicæ, ſive cunctorum ſimplicium, Triplici Naturæ regno comprehenſorum, cognitionem ex vaſtis multorum voluminibus in epitomen ſtudiosè contraxerit, contractamque in Philiatrorum aliorumque gratiam emiſerit, in *Actis* noſtris *Menſe Juliô An.* 1694. *p.* 337. meritò aſſeruimus, cum *Pharmacologiæ ſive Manuductionis ad Materiam Medicam*, ab eôdem Londini Ann. 1693. editæ, ſtrictam exhiberemus recenſionem. Neque laudatum opuſculum publico diſplicuiſſe, variæ novæ ipſiûs impreſſiones, hic illic magnô plausû factæ, certiſſimè atteſtantur. Ab eò autem tempore quia *Noſter* in plurimos libros de Re Medicâ agentes incideret, vel recentius impreſſos, vel ſaltem anteà non viſos, adverteretque à ſe multa omiſſa fuiſſe, quæ in Medicum nihilominùs vocarentur uſum, haud deſtitit talia omni diligentiâ colligere, atque tum ſimplicia officinalia, tum alia priori librô neglecta, in præſens compigere ſupplementum. Quod avidè pariter exceptum iri, eò minùs dubitamus, quò majorem *Autor* operam dedit, ut, præter notas Vegetabilium Characteriſticas ex *Rajô* petitas, ubique de Materiâ Medicâ Dioſcoridis liquidô conſtaret, quamvis in votis habeat, à Clariſſ. *Tourneſortiô*, itinere per Græciam inſulaſque adjacentes feliciter abſoluto, de antiquorum Græcorum plantis obſervata cum orbe literariô prius fuiſſe communicata. Quorum operâ uſus eſt, nomina hic quoque fideliter non minùs indigitantur ac ſub calcem, tam ſimplicia omnia officinalia, & in Pharmacologia, & in præſenti ſupplementô contenta, quam nomina eorundem Anglico-Latina, Indice duplici deſignantur. Cæterùm de modô pigmentum Cœruleum ex Cobaltô in terris noſtris Saxonicis conficiendi, pro ſecretô diù habitô, non poſſumus non annotare, *in ſpeculô Metallurgiæ poliſſimô à Balthaſare Rœslerô* Dreſdæ idiomate Germanicô Ann. 1700. f. divulgato p. 162. & ſeqq. exactiorem multò ipſum haberi, quàm quem D. D. *Davidi Krieg*, *Autori* æquè noſtro pag. 27. ac in *Actis Philoſoph. Anglican.* N. 293. p. 1754. communicare placuit.

DALECHAMPIUS (*Jacobus*,) Nobilis Cadomenſis, qui Medicinam Lugduni fecit ab A. C. 1552. uſque ad A. C. 1588. quo obiit.

Ex eo habentur

Adminiſtrations Anatomiques de Claude Galien, traduites fidelement du Grec en François par M. Jaques Dalechamps. A Lion, 1572. 8.

i. e.

Claudii Galeni Adminiſtrationes Anatomicæ, è Græcô in Gallicum fideliter tranſlatæ, à M. Jacobô Dalechampiô.

Hiſtoria generalis Plantarum, in Libros 18. per certas claſſes artificiosè digeſta. Hæc, pluſquam mille imaginibus Plantarum locupletior ſuperioribus, omnes propemodùm quæ ab antiquis ſcriptoribus, Græcis, Latinis, Arabibus nominantur: nec non eas, quæ in Orientis atque Occidentis partibus ante ſeculum noſtrum incognitis, repertæ fuerunt, ibi exhibet. Habes etiam earumdem Plantarum peculiaria diverſis nationibus nomina; & amplas deſcriptiones, è quibus ſingularum genus, formam, ubi creſcant, & quô tempore vigeant, nativum temperamentum, vires deniquè in Medicinâ proprias cognoſces. Lugduni, apud Guilielmum Rovillium, 1585. in fol.

De Peſte, Libri tres. In quibus etiam continetur Raymundi Chalin de Vinariô, Liber de Peſte, in Latinam Linguam converſus. Lugduni, apud Rovillium, 1552. 1553. in 16.

Caji Plinii Hiſtoriæ mundi noviſſima & accuratiſſima Editio. Lugduni-Batavorum apud Elzevirios, 1635. in 16. Lugduni, ſumptibus Caldorianæ ſocietatis 1606. in foliô. Nunc denuò quantâ præſtari potuit fidê, curâ & diligentiâ, tam ex vetuſtiſſimorum & aliorum hactenùs excuſorum, quàm plurium etiam manuſcriptorum codicum attentiſſima collatione; idque poſt ultimam defuncti doctiſſimi D. Jacobi Dalechampii præſtantiſſimi Medici manum, ita feliciter repurgatum; variis quoque Lectionibus, Caſtigationibus, & Adnotationibus erudiſſimis ornatum; ut nihil poſthàc huic operi deſiderari poſſe videatur.

Scholia in Pauli Æginetæ Libr. VII. de Re Medica. Extant cum iiſdem.

Cælii Aureliani Celerum, vel Acutarum Paſſionum Libros III. nec non ejuſdem Chronicor. ſive Tardarum Paſſionum Libros V. ad fidem exemplaris Manuſcripti caſtigavit & Annotationibus illuſtravit. Vid. *Cælius Aurelianus.*

DAMAGERON,

Ex eô habentur

De Re Ruſticâ Fragmenta aliquot. Extant in Γεωπονικῶν, ſeu, de Re Ruſticâ ſelectorum, Lib. XX. Græcè Joh. Alex. Braſſicani operâ in lucem editis. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinè autem, Johan. Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1538. in 8.

DAMASCENUS (*Janus*,) Monachus. Presbyter, Cognomine Manſur, Decapolitanus. Claruit ſub Valentinianô, Fratre Gratiani, & Theodoſiô, qui cum Filiis Arcadio, & Honoriô imperavit, A. C. 390. Juſtus in Chronol. Medic. ſecundùm Moreau de V. S. in Pleurit. A. C. 484. Græcus nempè ille, non Arabs.

De eô extant

Therapeuticæ Methodi, hoc eſt, Curandi Artis Libri VII. partim Albano Torino, *Vitodurano*, Paraphraſte; partim Gerhardo Jatro, *Cremonenſi*, Metaphraſte. Baſileæ, apud Henric. Petri, 1543. in fol.

DAMASCENUS (*Johannes*,) Monachus Benedictinus, qui, ut quibuſdam placet, ſcripſit Græcè, ſecundùm alios Arabicè. Floruit Adrianô IV. Pontificatum exercente, annô ſcilicèt C. 1158. ſecundùm alios verò Imperante Fridericô Barbaroſſâ, A. C. 1155. *Wolfgang. Juſtus in Chronol. Medic.*

Ex eô habetur

Aphoriſmorum Liber. Bononiæ, apud Platonem de Benedictis, 1489. 4. Baſileæ, apud Henricum Petri, 1579. 8. cum Aphoriſmis Rabbi Moyſis. Cum Rhazis operibus, Venet. 1497. fol.

DAMIANUS [*Tertius*,] Viſſenacus Decipolitanus Medicus A. C. circiter 1530. maximi pretii. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extant

Theoricæ Medicinæ, totam rem mirò compendiò complectentes, non modò Medicis aut Chirurgis, verùm & omnibus, quibus ſanitatis divitiæ cordi ſunt, accommodatæ atque adeò neceſſariæ. His acceſſit Libellus *de* ἱδρωνῦσι tempore, quô hoc malum ſæviret ab eôdem concinnatus. Antverpiæ, apud Antonium Dumæum, 1541. in 4.

DAMOCRITUS, DEMOCRITUS, vel DAMOCRATES. Tractatum de Medicinâ verſibus ſcripſit. Galen. Plin. *l.* 14. *c.* 2. *l.* 20. *c.* 5. *l.* 25. *c.* 2. *l.* 26. *c.* 4. *l.* 28. *c.* 1.

DAMPIER [*Georgius*,]

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1699. *pag.* 111.

Remedium contra morſum Animantium Rabidorum, longô uſû comprobatum; excerptum ex litteris Dn. Georgii Dampier, quæ cum Annotatione D. Sloane extant in Tranſactis Philoſophicis Anglicanis, menſe Februariô, 1698. p. 49. ſeq.

Lichen cinereus terreſtris, deſcriptus à Dn. Rajô in Hiſtoriâ Plantarum p. 117. exſiccetur & in pulverem ſubtiliſſimum redigatur, eique tantundem piperis ſubtiliſſimè contriti admiſceatur & ad uſum ſervetur. Si cani exhibendum hoc remedium, ex aure ejus ſanguis priùs detrahendus eſt, deinde canis probè abluendus, atque à paſtû cohibendus totam noctem, aut maximam diei partem, antequam ei propinetur, mixtum lacti aut juſculo tepido. Si pecus aliquod admorſum fuerit, ſanguis etiam mittendus eſt, idque probè abluendum; doſis autem magnitudini aut viribus ejus eſt attemperanda. Hominibus tandem propinandum eſt remedium poſt ſanguinis miſſionem factam & ablutionem faciei aut manuum vel partis læſæ, expedit etiam ut veſtes, quibus indutus fuit ad morſus, laventur. Doſis una eſt ℈iv. aſſumenda manè jejunis, duobus aut tribus diebus ſe conſequentibus.

DANDINUS (*Hieronymus*,) Cæſenas:

De eô extant

De Corpore animatô, Libri ſeptem. Luculentus in Ariſtotelis tres de Animâ Libros Commentarius Peripateticus. Pariſiis, apud Chappeletum, 1611. in fol.

DANIELIS (*Daniel*,)

Ex eô habetur

De Morſû Canis rabidi, & uſû Cauterii actualis in eô, obſervatio. Extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſervat. Chirurg. Cent. IV. Oppenheimi, apud Johan. Theod. de Bry, 1613. in 4. pag. 220. 222. Francof. 1646. in fol.

DANIELLI (*Stephanus*,) Honeſtis Parentibus Butrii, quod Bononienſis tractus oppidum eſt, natus Kal. Junii an. 1656. à prima ætate apud P. P. Soc. Jeſu humanioribus Litteris, tùm Philoſophiæ apud P. M. Hyeronymum Baſſanam Ord. Prædic. & Medicinæ demùm apud Jo. Hyeronymum Navaleam, ſedulam operam dedit. Semel atque iterum, tum anteà, tum poſt quàm doctoralem conſequeretur lauream, Theſes in Archigymnaſio Bononien. propugnavit, ubi Magiſtralem tandem obtinuit Cathedram, quam adeo egregie adimplevit, ut adhuc vivens publicum ibidem monimentum quod in calce adjungemus, promeritus fuerit. Varia Typis dedit opuſcula, quæ ſunt, 1. *Animadverſio hodierni ſtatus Medicinæ practicæ Venetiis* 1709. *apud Louiſam in* 8. *Animadverſioni prædictæ Additio &c. Bononiæ* 1719. *Typis Borzaghi in* 8. *Vita Præceptoris ſui Sbaraleæ, Bononiæ* 1710. *Typis Barbirolii*, 4. *Avenamenti, per chi volesse renderſi ben' informato della cauſa trattata dà Franceſco Simoni, e Pietro Egidio Olandi, nella riſpoſta dà eſſi data ad Orazio Floriani Bologna*, 1722. *nella ſtamperia dalla Volpe in* 8. *Raccolta di quiſtioni intorno à coſe di Botanica, Notomia, Filoſofia, e Medicina, agitate già tra il Malpighi, e lò Sbaraglia. in Bologna per il medemo.* 1723. *in* 8. Præter alias diſſertationes in ephemeridibus Forolivienſibus impreſſas.

Ex Inſtituti Scient. Accadē. Bonon. cujus membrum eſt, pluries publicè, & privatim diſſeruit. In Clinica etiam adeo excelluit ut intimus plurium Eminentiſſ. Card. Bononiæ Legatorum, & aliorum Principum, Bononiæ ſubinde commorantium, Medicus fuerit; inter quos Antonius Card. Pignatellus, qui & poſt Innocentius XII. Summus Pontifex fuit, Franciſcus Maria Picus Minrandulæ Dux, Uxor & Nati Principis Sancti Boni, Vice Regis Mexici & Diſcipulos pariter inſtituit plurimos, inter quos Auguſtinus Fantini, Dominicus Polinelli, Johan. Hyacinthus Vogli, quorum in ipſo hoc opere, ſuo uniuſcujuſque loco, fit mentio. Filiam unicam, nomine Lauram ita pariter educavit, & ut variis idiomatibus, tumque Philoſophiæ, & Geometriæ operam navaret, curavit, quo publicis non ſemel certaminibus ſatisfecerit, & inter Eruditas Bononienſes Mulieres à ſcriptoribus connumerari meruerit. Nunc denique valetudinarius vivit, in geſtis ſuis nunquam interiturus, ob quæ æneum Numiſma, ejus nomine & effigie ex altera parte inſignitum, ex altera verò hoc lemmate. *Prò Virtute Sbaralæ Fortis*, de annô 1726. ei fuit inſcriptum. Monimentum autem ejus famæ in Archigymnaſio erectum eſt hoc.

D. O. M.

S. V. D. Stephano Danielli ætatis ann. ſexaginta quatuor, Philoſophiæ & Medicinæ Doctori,
Civi Bononienſi,
Muſis amiciſſimo,
Inſtituti ſcientiarum Academico honorario;
Rectorri Meritiſſimo:
Ob cadaveris humani ſectionem pluries exhibitam multos diſcipulos, hic & domi edoctos;
In Anatomicam Cathedram ſemel iterumque aſcenſum frequentiorem in Theatro Anatomico Argumentationem,
In Præceptorem ſuum Sbaraleam gratum animum, editaque Opera:
Devincti animi ergo, Antonius Ronchi Mutinenſis Prior æſtivus ac Utraque Artiſtarum Univerſitas
Poni curavit annô ſalutis
MDCCXIX.

DANTZIUS (*Johannes*,) Aſtenſis.

De eô extant

Tabulæ ſimplicium Medicamentorum, quæ apud Dioſcoridem, Galenum, & Plinium ſunt, omnium, exceptis iis quæ ab animalibus ſumuntur, facultates tam generales quàm particulares, continentes, & eam, quæ eſt ad principia, ſequelam; & omnia ad elementorum rationes conſequantur nec quicquam in iis reperiatur pugnans, mirâ induſtriâ evidentiſſimè ob oculos ſpectanda, exponentes. Quas aliæ conſequuntur Tabulæ, eô judiciô, doctrinâ, & compendiô compoſitæ diſpoſitæque, ùt, ſimplicium viribus ex prioribus Tabulis cognitis, primô aſpectû Medicis ad pleroſque morbos remediorum præſidia invenire promptiſſimum & facillimum ſit. De ſimplicium Medicamentorum Facultatibus in genere, deque iis tum ratione, tùm experientiâ, inveſtigandis, Dialogi quatuor. Baſileæ, apud Henricum Petri, 1543. in fol.

Univerſales Johannis Meſuæ Canones, cum Jac. Sylvii Annotationibus in eoſdem; unà cùm quàmplurimis ex Galeni Libris de ſimplicium Medicamentorum facultatibus. Acceſſerunt his Meſuæ præcipui Loci communes per Tabulas in ordinem compendiumque diſpoſiti, ùt ſine negotiô Medicus ob oculos poſitos totam artem Medicam percurrere poſſit, Georgiô Pictoriô auctore. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1545. in fol.

DARIOTTUS (*Claudius*,) Pomarcenſis Medicus & Mathematicus.

De eô extant

Aſtrorum Judicia facilis Introductio. Accedit Tractatus, de Electionibus Principiorum, idoneorum rebus inchoandis. Et fragmentum de Morbis & Diebus Criticis. Lugduni, 1557. 4.

De Præparatione Medicamentorum Liber. Lugduni, apud Carolum Peſnot, 1582. 8.

DAVIDIS (*Gottofred.*) Unnenſis.

De eô extat

Diſcurſus Medico chimicus de Medicinâ Magnatum. Tremoniæ, apud Johannem Fridericum Rühlicum, 1681 in 8.

DAVINUS (*Joh. Bapt*, (Sereniſ. Raynaldi, Mutinæ, Regii, Mirandulæ &c. Ducis Medicus.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1721. *pag.* 124.

De Potû Vini Calidi Diſſertatio. Mutinæ, Typis Antonii Capponi Impreſſoris Epiſcop. 1720. 4.

INter Medicæ artis difficultates & veluti fluctuationes, quas medicamentorum non minùs magna copia, quam parva felicitas & fallax uſus quotidie parit, ſemper ſibi ante oculos poſitum eſſe illud Hippocratis: Saltem ne noceas; fatetur Clariſſimus Davini ſub initiô hujus Diſſertationis, paucìſque idcircô ait remediis ſe uſum, eiſque tutis, quantum fas fuit & pompæ nihil habentibus, ſe que beatiſſimum judicavit, quoties casû vel conſiliô in medicamenta inciderit, quibus præter innocentiæ prærogativam inſit domeſticum & gratum cum naturâ commercium. Hujuſque generis cùm ſit vinum calidum, ei commendando geminam allegat curationem. Prima concernit illuſtrem quendam virum, Simonem Tamburinum, ſæviſſimis ventriculi & inteſtinorum doloribus, iiſque habitualibus ſæpiuſque recurrentibus, laborantem. Ultimi paroxyſmi A. 1702. tempore autumnali & hyemali acerbius torſerant eundem, cujus res cum, reliquis remediis fruſtrà adhibitis, deſperatas credidiſſent & Medici & adſtantes, Noſter vini calidi uſum, quô dolores ejuſmodi aliquandò apud Coſtæum conſopitos legerat, propoſuit, & obſervantem nactus ægrum obſervavit, eôdem die, quô primum in prandiô illô uſus fuerat, dolorem quieviſſe, noctem ſecutam placidam, alvum, hactenùs adſtrictam, ſuâ ſponte paulatim laxatam, vires paucis diebus recreatas fuiſſe, oblitamque penitus malorum ſuorum naturam, priſtinam alacritatem vigoremque reſumſiſſe. A quô tempore ſumma fuit religio Illuſtri viro à vinô calidô diſcedere, ſive prandium ſumpſerit, ſive coënulam, quâ utitur tenuiſſimâ. Nec ulli hactenùs dolori expoſitus idem, curis, quas pro bonô publicô dies noctesque ſuſcipit, alacriter expediundis ſufficit, Octuageſimum annum jam supergreſſus. Altera hiſtoria reſpicit Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Stephanum Folianum, ante hàc Archipresbyterum civitatis Carpi, nunc Epiſcopum Mutinenſem. Hic à pueritiâ per intervalla aſthmati convulſivo, cum annis vires acquirenti, obnoxius, nunc ſexagenarius factus tantam reſpirandi difficultatem paſſus fuit, ùt ob eam per plures menſes lectum ingredi non auſus, certiorem tabis metum, quam recuperandæ ſanitatis fiduciam ceperit, hinc inſtante autumnô majorem mali atrocitatem veritus, clariſſimum Davini ad ſe accerſi curavit. Cujus conſilium de bibendô vinô calidô in prandiô & cœnâ ſecutus, proximum autumnum & hyemem proſperè tranſegit, & ab omni aſthmatis inſultû immunis hoc beneficium vinô calidô in acceptum retulit. Hujuſque uſû continuatô factum eſt ut, Antiſtite interim Mutinenſi defunctô, ipſe deſignatus urbis hujus Epiſcopus per ventos niveſque brumali tempore Romam iter feliciter abſolvere, ibi per tres menſes incolumis ſubſiſtere, Mutinamque reverſus, magnô animi robore curas Epiſcopatûs abſolvere potuerit. Cùm igitur vinum calidum ſtatim ſtomachi dolorem ſanaverit, præcipuam hoc ſuam vim in iſtius viſceris utilitatem conferre; & cum diuturnô uſû tùm inhibuerit recidivam doloris, tum orthopnœam extirpaverit, non diſſolvendis tantummodò flatibus & abſtergendo favere ſtomacho, ſed etiã chyloſin emendare ac perficere hoc medicamentum, judicat Noſter. Plura etiam allegat exempla reſpirandi difficultate, atrophia ex catarrhô, & hæmoptoe afflictorum, quibus vini calidi uſus admodùm ceſſit feliciter. Hinc in laudes excurrit θερμοπόσιον, & cum veteres non ſine cauſâ vinum aqua calida miſcuerint, atque noſtratium Chocoladæ, niſi hauriatur præcalida, multùm venuſtatis, energiæ atque ſalubritatis decedat, exinde diſcere nos debere docet, magis amicos eſſe naturæ noſtræ potus calidos, quàm frigidos & vim ipſam potûs calore excitatam explicare ſe uberius, amplioremque fieri ac validiorem. Digeſtionem ventriculi fotû caloris in animalibus calidis juvari, in propatulô eſt, & vini calore ſtomachum emendari, nec Hippocratem latuit; qui vinum meracum, non actû ſed potentia calidum, commendavit. Quoniam verò hæc validiora vina, quæ in regione Hippocratis naſcebantur, in quotidianum uſum ſine noxâ, trahi non poſſunt, vina Italica, quæ moderatis turgent ſpiritibus, nec naturæ vim faciunt, nec indolem habent acrem aut inflammantem; ſuavius & tutiùs prodeſſe judicat Clariſſ. Davini, ſi actualis frigoris præjudicium eis detraxeris. Ut autem vini calidi uſu expecta-

expectationi reſpondeat, victûs rationem admodum temperatam ineundam, vinumque ex uvis maturis expreſſum ſeligendum eſſe jubet, taleque, quod nec durum ſit, nec indomitum, nec aquoſum nimis ſed leniter generoſum, quodque blandè ſtomacho adaptetur, & facili ac molli lapsû ſubeat urinæ vias. Hocque non tepeſcere ſolum, ſed ad eum uſque gradum calefieri debere imperat, qui comode ferri poſſit; potum enim tepidum aut ſubvertere aut debilitare ventriculum, roborare calidum. Præſtare etiam nigrum, quàm album, quia illud ſtomachi fibras magis firmat, & ſpiritibus fortiorem texturam conciliat. Nec ubertim nimis bibendum eſſe, ſed pro ventriculi modulô, atque indigentia. De cæterô nec corporis exercitationem negligendam, nec decedendum eſſe à potû calidô, etiam poſt redditam ſanitatem monet.

DAVISSONUS (*Guilielmus*,) Nobilis Scotus, Chriſt. Galliarum & Navarræ Regis Conſiliarius & Medicus, Hortique Plantarum Pariſienſis olim Præfectus, nunc autem S. Regiæ Majeſtatis Poloniæ & ſueciæ Senior Archiater & Chemicus: S. Reginalis itidem Majeſtatis in vulgari Medicinâ Perſonæ Medicus.

Ex eô habentur

Philoſophia Pyrotechnica, ſeu Curriculus Chymiatricus, nobiliſſimâ illâ & exoptatiſſimâ Medicinæ parte Pyrothecnicâ inſtructus, multis, iiſque haud Vulgaribus obſervationibus odornatus, & ab ipſis prinus, Phyſicæ, Theoreticæ, & Practicæ Elementis, inexpugnabili demonſtratione illuſtratus, artificioſam novamque rerum naturalium ſpeculationem, & in uſus Medicos præparationem, & adminiſtrationem in ſe continens. In quô adminiculô διακρίσεως & συγκρίσεω Chymicæ, ex Veget. Animal. & Miner. Familia petitæ, veræ & legitimæ rerum cauſæ deprehenduntur; ipſa αὐτοψίᾳ demonſtrantur, cum recentiorum, tum veterum omnium Philoſophorum autoritate confirmantur. Hactenus ab omnibus hujus ſeculi Chymicis, aut in ſimili ſtudii genere ſe ie exercentibus, deſideratus; nunc autem ſolidis & inconcuſſis radicibus ſtabilitus, aſſiduô ſtudiô & longâ rerum praxi exaratus. Pariſiis apud Jac. Beſſin, 1635. in 8. Ibidem, 1657. in 8.

Commentariorum in Petri Severini Dani Ideam Medicinæ Philoſophicæ, propediem prodituroru Prodromus; in quô Platonicæ doctrinæ explicantur fundamenta, ſuper quæ Hippocrates, Paracelſus, & Severinus: nec non ex anthitheſi, Ariſtoteles & Galenus ſua ſtabilivêre dogmata. Hiſce ſelectiorum chemicorum remediorum, omnibus à capite ad calcem affectibus appropriatorum, 40. annorum uſû probatorum, ſine fucô & jactantiâ deſcriptorum Manipulus adjicitur. Hagæ Comitis, apud Adrianum Ulacq, 1660. in 4. Ibidem & Roterodami 1668. in 4. apud Arnoldum Leers.

DAUSTEN [*Johannes*,] Anglus.

De eô extant

Viſio, ſeu, de Lapide Philoſophorum, Liber. Extat cum Decade II. Harmoniæ Chymico-Philoſophicæ à Johan. Rhenanô collectæ. Francof. ap. Conr. Eifridum, 1625. in 8.

Roſarium, ſecretiſſimum Philoſophorum arcanum comprehendens. Extat cum Tractatibus aliquot Chimicis, editis Geiſmariæ, 1647. in 8.

DAZA Chacon [*Dionyſius.*] Pincianus Chirurgicæ Artis Magiſter, cui pietatis, doctrinæ, atque induſtriæ experientiæque elogia tribuunt ejuſdem ſtudii, & Medicinæ Profeſſores; edidit

Practica, y Theorica de Cirugia, duabus partibus. Pinciæ typis Annæ Velez annô 1605. in foliô. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j.*

DEANUS [*Edmundus*,] Anglus.

Samuelis Nortoni Catholicon Phyſicorum & ejuſdem Mercurium Redivivum edidit. Francof. 1630. in 4.

DECEMBRIS [*Angelus.*]

De eô extat

De Cognitione ac Curatione Peſtis. Habetur cum Conſiliis Baverii de Baveriis. Papiæ, apud Platonem de Benedictis, 1521. in fol.

DECEMBRIUS [*Petrus Candidus.*]

De eô extat

De Genitura Hominis, Liber. Romæ, in 8.

DECKERUS [*Fridericus.*]

Ex eô habentur

Exercitationes Medicæ Practicæ circa Medendi Methodum Obſervationibus illuſtratæ; Cum Capitum, Rerum, Verborum ac Medicamentorum Indice locupletiſſimô. Lugduni Batavorum & Amſtelodami, apud Danielem Abrahamum & Adrianum à Gasbeck, 1673. in 8. Ibidemque, apud Luchtmans. 1695. in 4. cum figuris. Hoc opus dividitur in octo capita quorum I. De Errhinis & Sternutatoriis. II. De ſuffimentis. III. De Apophlegmatiſmis, maſticatoriis & Gargariſmis. IV. De Medicamentis vomitum moventibus. V. De Medicamentis purgantibus. VI. De clyſteribus & ſuppoſitoriis. VII. De ſudoriferis & Diaphoreticis. VIII. De Diureticis.

Edidit præterea.

Pauli Barbettis Tractatum de Peſte cum Notis. Lugduni Batavorum, 1667. in 12.

Praxin Barbettianam cum Notis & Obſervationibus nec non capitum, ut & rerum verborumque locupletiſſimo Indice Lugd. Batav. apud Gaasbekios, 1669. in 12. Amſtelodami, apud Adrianum Gaasbekium, 1678. in 12.

DEE [*Johannes*,] Londinenſis.

De eô extat

Monas Hieroglyphica, Antverpiæ, apud Guilielm. Sylvium, 1584. in 4. & Volumine ſecundô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

DEE (*Arthurus*,) Magni Imperatoris Ruſiæ Archiater.

De eô extat

FaſciculusChymicus, abſtruſæ Hermeticæ ſcientiæ ingreſſum, progreſſum, coronidem explicans, ex ſelectiſſimis & celeberrimis Authoribus collectus & diſpoſitus, ita ut omnibus inſtar ſpeculi Philoſophiæ habeatur; à nemine hac methodo diſtributus. Pariſiis apud Nicolaum de la Vigne 1631. in 12.

DEETZIUS (*Johannes*,) Torgenſis.

Ex eô habetur

De Arthritide Diſputatio. Extat Decade V. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ, Johan. Jac. Genathius, 1621. in 4.

DEIDIER (*Antonius*,) Regis Conſiliarius & Medicus; nec non in Almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſor Regius.

De eô extat

Phyſiologia tribus Diſſertationibus comprehenſa. 8. Monſpelii, apud Honoratum Pech, 1708.

Chimie raiſonnée, ou l'on tâche de découvrir la nature & la maniére d'agir des remedes chimiques les plus en uſage en Medecine & en

Chirurgie. i. e. Chimia Rationalis, ubi pro viribus Autor explicat naturam, & modum quô remedia chimica operantur, tàm intùs, quàm extùs. Lugduni, apud Marcellinum Duplain. 1715. in 12.

Ille ipſe poſtmodùm Gallicè conſcripſit Obſervationes verè curioſas de Peſte ejuſque effectibus, in Maſſilienſi Peſte adnotatis.

Ex eô præterea habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1724. pag. 449.

Diſſertatio Medica de Morbis venereis, cui adjungitur Diſſertatio Medico-Chirurgica de Tumoribus, Londini apud Guilielmum & Johan. Innys, 1724. 8.

IN I. Diſſertatione Auctor clariſſimus, explicatis ſymptomatibus, quibus ſe prodit lues venerea, expoſitaque prima ejus origine inter Europæos, illos refutat Autores, qui ſalia acida fixa corroſiva in hoc morbô omnem ludere ſcenam contendunt. Quod ſi enim virus illud hujuſmodi indolis eſſet ſtatim ab impurô coitu vel coagulari humores, vel partes ſolidas rodi exulcerarique debere exiſtimat, ſiquidem nullum acidum fixum corroſivum, ſive exterius applicetur, ſive intra ſanguinem injiciatur, non illicò vires ſuas exerat, Virus verò venereum non ſtatim ab impurô coitû gonorrhœam, cancros, ſarcomata, bubones, ſed paucis diebus elapſis producat. Nec putandum dicit, ſpicula illa acida partibus ſulphureis, quibus ſanguis ſcatet, implicari, & ad libitum ſe ſe ab his vinculis liberare, ſiquidem virus hoc in ſanguinem raptum tandiù, ut interdùm fit, reſiſtere illibatum naturali ſanguinis fermentationi & febribus diverſi generis haud poſſit; imprimis cùm rami ſulphurum perpetuò exſolvantur, atque tum extricatæ partes acidæ cum ſalibus alcalinis efferveſcerent, ſicque formam ſuam mutarent, amitterent, imò deſtruerentur. Nec ullam rationem dari poſſe exiſtimat, quô pactô virus adeò multiplicari poſſit, ut quod vix ab initiô milleſimam unici grani partem æquaverit, jam creſcat in immenſum; vel quomodò, quod uni duntaxat humani corporis parti primùm adhæſerit, jam ſingulos humores coagulet, una cum ſanguine per vaſa rapiatur, idque liberum, nec ampliùs ſulphurum vinculis irretiatur, dein plurimas erodat partes intactis aliis, modò unicam dumtaxat partem aggrediatur. Negat igitur, ſalia corroſiva, eaque acida poſſe de novô produci, generari, multiplicari, intra contextum ſanguinis alcalini, alcalinæque lymphæ; aut certè dicendum foret, totum venereâ lue inquinatum ſanguinem & univerſam lympham ex alcalina natura in acidam mutari, quod experientiæ repugnet. Exiſtimat potiùs Autor Clariſſimus, omnia luis Gallicæ phoënomena vermibus inacceptum eſſe referenda. Hipotheſis hujus ſumma hæc eſt; vermes venerei oriuntur ex ovis, nec citiùs excluduntur, niſi convenienti calore hæc priùs fuerint incubata; incubantur autem in ſemine putreſcente, ab impurô coitû inquinatô; excluſi vermes alios procreant, ſicque ſe multiplicant. Qui luem veneream ex elephantiaſi priſcorum ortam putant, hanc verminoſam prolem protinùs agnoſcere cognoſcuntur. Virus venereum hodie minori atrocitate atque celeritate in Europâ graſſatur, quia verminoſa proles jam languore & marcore confecta aliquatenùs immutata fuit ſive ſoli conditione, ſive novis & inſuetis variorum vermium copulationibus, ſive remediorum miniſteriô; ſicque potuerunt ejuſmodi vermes, qui priùs leproſi, dentibus forſan inſtructi, carnes depaſcebantur, nunc venerei, mutatâ priori formâ dentibus orbati piſcium inſtar humoribus innatant. Cum nonniſi impurô coitû procedant, primùm ſolo ſemine nutriuntur, & ſpermatici vocantur, gonorrhœam & teſtium inflationem excitantes; hinc ad ſanguinem, lympham vel lac transmiſſi ſanguinei, lymphatici, vel lactei nuncupari poſſunt, varia in variis locis cudentes ſymptomata, non quidem mordendo atque erodendo ſed ſimpliciter obſtruendo; ſubque his obſtructionibus vaſcula diſrumpuntur, humores effluunt & computreſcunt. Fœcundandis ovulis,ipſiſque vermibus fovendis modò magis modò minùs commoda eſt adultorum conſtitutio, modò penitùs adverſa; & hinc maturiùs aut tardiùs ſe ſe prodit venerea lues. Sique pauciores admiſſi fuerint vermes tunc vel penitùs extinguentur, vel nonniſi ad ſequentes generationes lues ſuſcitabitur. Ova memorata faciliùs excluduntur & vermes blandiùs nutriuntur, in virili ſemine & lacte muliebri; citiùs quoque in fœtû ac puero recens inquinatô, quod in his dulciuſculi & tepidiuſculi ſint humores, è contrâ fervidiores & acriores in adultis. Rariores verò ſunt vermes ſanguinei, frequentiores lymphatici, frequentiſſimi ſpermatici & lactei. In curandâ itaque lue mercurius vivus adhibetur, ſub formâ unguenti, qui eſt corpus metallicum, ſummè liquidum ac maximè ponderoſum hincque aptum, quod vermes eorumque ova diſcendere & diſſolvere poſſit, quô factô malum eradicatur, etiamſi nulla ſenſibilis ſequatur evacuatio.

In Diſſertatione II. Medicô-Chirurgicâ Tumorem vocat Autor Clariſſimus, quicquid eminet in humanô corpore, eumque vel naturalem vel non naturalem vel præternaturalem conſtituit; ad naturales mammas muliebres & uterum gravidum revocat, non naturales nuncupat eos, qui nulli officiunt actioni, verrucas putà, lentigines, nævos quoſdam & ganglia. Præternaturales verò definit, quod ſint morbi in quibus corporis noſtri partes à naturali ſitû, magnitudine aucta, recedunt. Cum autem hi tumores præternaturales vel ex inhærente humore; vel ex collectô flatû, vel ex ſitû ſolidarum partium producantur, miſſis reliquis tantùm de tumoribus humoralibus, qui partes externas obſident, in hâc Diſſertatione agit, & quod occurrant frequentiùs in praxi & quod eorum curatio Medicam pariter ac Chirurgicam opem efflagitet. Horum cauſam proximam quærit in humorum præter naturam factâ collectione, aut in propriis vaſis aut extra vaſa. Cùm enim totum corpus noſtrum reſolvatur in vaſa & humores, nullam ſolidam partem intumeſcere poſſe dicit, quin ex vaſis alia dilatentur, ultra modum comprimantur, alia & ſolutâ unitate humores profundant; hocque modô perverti naturalem humorum ſitum, quod ſi fiat quaſi derepente fluxionem, ſin ſenſim, congeſtionem nuncupari. Inter cauſas remotas recenſet plethoram, cacochymiam, & vitium partis affectæ. Subjungit hinc, quâ ratione tumores dignoſcantur, à ſe invicem diſcrepent, quid in illis tractandis ſit ſperandum, quid metuendum & quomodo cura in genere ſit inſtituenda; idque in ſpecie circa phlegmonem, eryſipelas, œdema & ſcirrhum explicat. Phlegmonem, non ex eô fieri putat, quod ſanguinis ſalia extricentur in affectâ parte, & à ſulphurum compedibus liberentur, ſed quod præcludatur liberâ in parte ſanguinis via. Non confundendam verò eſſe phlegmonem monet cum inflamatione; hanc enim progenere habet, quod

tanquam

tanquam ſpecies ſub ſe complectitur phlogoſin, quæ eſt inflammatio ſimplex abſque tumore ullô, eryſipelas, in quô tumor ſuperficiarius conſpicitur ob ſanguinem per partem affectam; propter perſpirationem uberiorem aut craſſiorem retentam, circulantem, ibique æſtum concipientem; & phlegmonem, quæ tumorem ſublimem & circumſcriptum comitem habet. Oedematis cauſam proximam & immediatam eſſe judicat lympham ſeroſiorem in parte ſenſim depoſitam & aggeſtam, remotiorem verò, quidquid reditum ſanguinis per venas remoratur, vel lympham ſeroſiorem reddit, vel ſeroſorum humorum excretionem cohibet. Ad Oedema univerſale ex vitiosâ Chyloſi oriundum, ubi hydrops, vel imminet, vel jam conjunctus eſt, ſequentem commendat tincturam hydragogam; Rec. Radic. Ireos Florent. exſiccatæ & Jalappæ pulveriſatarum, partes æquales, reponantur in matraciô vitreô, ſuperafundendo aquæ vitæ vulgaris ad ſupereminentiam quatuor tranſverſorum digitorum; obturatum matracium exponatur balneô cinerum per 24. horas, materiam ſubinde agitando, ut educatur tinctura, variis doſibus, jejunô ventriculô exhibenda, procedendo gradatim per ſemiuncias, nimirùm ab unciâ ſemis ad uncias duas, & per 15. aut 20. dies continuanda.

DELASSUS (*Raymundus*)

Ex eô habetur

De Officiô Medici, ſive de Vitâ Calriſſimi viri, Domini Franciſci Sanchez, quam in exemplum omnibus Medicis futuram, ſervatô veritatis ſacrario, candidè exaravit. Extat cum operibus ejuſdem *Franc. Sanchez.*

DELPHINUS (*Julius*,) Ticinenſis.

De eô extant

In III. Galeni Artis Medicinalis Librum, Explanatio. Ejuſdem de Ratione Medicamentorum præſcribendorum Liber. Venetiis, apud Johan. Franc. Camotium, 1557. in 4.

Quæſtiones Medicinales, quarum I. de Thermarum uſû. II. de Cauteriis, III. de quatuor Morborum Temporibus, IV. quônam pactô trahatur humor à Medicamentô & nutrimentum à membrô? V. de Febri hecticâ. VI. de ſpiritibus, VII. de Influxibus cœleſtibus. VIII. de Facultatibus principibus Animæ Venetiis, apud Joh. Franc. Camotium, 1559. in 8.

Conſilium, quod unà cùm Joh. Andreâ Cellanovâ, & Bernhardinô Paternô illuſtriſſimô virô Ferdinandô Gonzagæ de Lutô, quod eſt apud Aquas Statiellorum, Aquenſes vulgò nominant, dedit. Extat p. 303. Operis Veneti de Balneis.

DELRIUS (*Martinus*,)

Ex eô habentur

Diſquiſitionum Magicarum Libri ſex, in tres Tomos partiti. Quibus paſſim, quæ illuſtrandæ Medicinæ faciunt, traduntur. Moguntiæ, apud Johan. Albinum, 1600. in 8. Coloniæ, 1655. in 4. Ibid. 1678. in 4.

DEMETRIUS, Conſtantinopolitanus.

De eô extant

De Re Accipitrariâ, Liber, Græcè & Latinè redditus à Petro Gilliô. Lutetiæ, apud Sebaſt. Cramoiſy, 1612. in 4. cum Rei accipitrariæ ſcriptoribus, & ſeorſim Latinè eôdem interprete. Lugduni, apud Guiliel. Rovillium, 1562. in 8. cùm Æliani Hiſtoriâ Animalium.

Galeni Libr. de Oculô, in Latinum tranſtulit.

DEMETRIUS Pepagomenus.

De eô habemus parvum *de Arthritide* Tractatum Michaëli Paleologo dicatum circa annum 1260. ſi de priori hujus cognominis Imperatore vel 1310. ſi de alterô agatur. Hæc diſſertatio nihil magni quaſi momenti comprehendit; atque etiam, ſaltem ut plurimum ab *Alexandrô* exſcripta eſt, tamen non meretur titulum *Infantis* & *Elinguis* &c. quem Interpres, qui ejus nomen ignorabat, ei impertit, quaſi balbutienti nec quid exprimere voluit ſcienti. Fabricius ductus videtur ut credat Tractatum *de cura calculi* Galenô falsè adſcriptum ab hôc Demetriô veriùs conſcriptum fuiſſe. At nequaquam detegere mihi fas eſt, unde hæc illi nata eſt cogitatio; niſi ob affinitatem quæ intereſt inter utrumque horum Morbum, nempe Arthritidem & calculum, conjiciendi locum quodammodo habuerit, eundem Autorem de utriſque mentionem feciſſe. *D. Freind Hiſt. Medic. part. j.*

DEMOCEDES, Crotoniata, fil. Calliphontis, Polycratis Samii familiaris, Medicus illuſtris, qui cùm inter Darii captivos eſſet, & Darius ipſe ob inverſum pedem graviter ægrotaret; ità ut jam ſeptem noctes inſomnis exegiſſet, nec à Medicis ſuis vel parum juvaretur, ductus in medium, ut erat vinctus, Darium penitùs liberavit, dein Atoſſæ Carcinoma ſanavit, ab hoc tempore maximô in honore apud Regem & Perſas omnes habitus. Darii contra Græciam apparatus bellicos avertit, tandem è Perſiâ in patriam profugus Milonis gener evaſit. Herod. l. 3. & 4. vid. Ælian. *Var.* 8. c. 18. *Hoff. Dict. T. ij. p.* 38.

DEMOCLIDES, Medicus, qui Polycratem Samiorum Tyrannum talentis 2. curavit, ſcripſitque libr. de Medicinâ. *Suid.*

DEMOCRITUS. Natus eſt Olympiade LXXVII. Medicinæ ſicut & cæteris Doctrinis animum addixit, & deſideriô ſciendi ita flagravit ut in peregrinationibus patrimonium ſuum omne abſumpſerit, ut viros quotquot erant in orbe doctrinâ celebres viſeret. Ægyptum, Perſas, Babylonem, Indoſque adiverat, ubi cum Philoſophis, Geometris, Medicis, Sacerdotibus, Magis, Gymnoſophiſtiſque colloquutus erat. Diogenes Laertius multorum Democriti Librorum titulum conſervavit, qui de Phyſicâ vel generali Philoſophiâ, vel Geometriâ agunt. Quidam etiam adſunt, ſpeciatim de Medicinâ. Primus inſcribitur, *de hominis naturâ*, ſive *de Carne*; qui idem etiam titulus eſt unius, ex Libris Hippocrati adjudicatis. Alter eſt in quô differit de *Peſte & Morbis peſtiferis*; Tertius de *Prognoſticô*; Quartus de *Diætâ*, ſeu de vivendi normâ; Quintus de *Morborum cauſis*, & de *Rebus ad Corpus*, juxta tempora, *aptis vel contrariis.* Cæterorum quidam cauſas ſeminum, Arborum, fructuum, animaliumque inquirebant. Quidam deniquè inſcribebatur *de Lapide*, περὶ τοῦ λίθου, id eſt juxta Chymiſtarum ſententiam, de Lapide Philoſophicô. Quædam etiam hodie manuſcripta Græca de Chymiâ extant, quæ Democriti nomine donantur, quæque in Bibliothecâ Luparenſi [du Louvre] reperiuntur: Verùm manifeſtum eſt ea eſſe ſuppoſititia. Plinius quoque variis in locis Libros Democriti de Plantis laudat, de quibus vires tantùm Magicas attuliſſe

attuliſſe videtur. *Democritus,* ait ille, *in his poſt Pythagoram Magorumſtudioſiſſimus, quantò portentoſiora* tradit? De quô conſulatur Plinii Hiſtoriæ, caput 17. libri 24. Ibi inter Cætera invenietur remedium, ſeu potiùs medicaminum quorundam compoſitio ad jucundos optimoſque liberos procreandos. Tatianus Rethor Chriſtianus, Juſtini Martyris Diſcipulus, Democritum Nænia tantùm ſcripſiſſe obſervat. Columella duos Democriti Libros *de Agricultura* alium verô de Antipathiâ laudat. Sed idem Columella monet Libros Democrito, ſæculô ſuô, adſcriptos, *Doli* eſſe ſive *Boli* cujuſdam Mendeſii Ægyptii, qui & idem haberi poteſt ac ille quem Galenus Horum Mendeſium vocat; De duobus aliis libris ſub nomine Democriti notis verba facit Cælius Aurelianus quos etiam pro ſuſpectis habet; quorum unus *de Morbis Convulſivis, de Elephantiaſi* alter agebat. Seceſſum ſibi fecit Democritus ùt liberiùs viveret. Ibi

Perpetuô riſu pulmonem agitare ſolebat.

Atque ideô quia hominum dementiam vanitatemque irridebat, cùm eam è contrà Heraclitus continuô defleret. Abderitis concivibus ſuis, pro inſanô habitus fuit. Ad quem curandum miſſus Hippocrates, cum eô collucutus, ſapientiſſimum ipſum, dementeſque concives ſuos pronunciavit, dum eum ſtultitiæ incuſarent. Aiunt præterea quòd in hôc Hippocratis congreſſû, lac ſibi allatum, ſtatim cognoverit eſſe capræ nigræ, & primiparæ, puellamque tunc ad ſe accedentem, ex ipſius adſpectû, præcedenti nocte vitiatam fuiſſe deprehenderit. Si Petronio creditur, Democritus ſuccos ex herbis omnibus excerpſerat, & ætatem inter experimenta ſuper arbuſculis ac lapidibus conſumpſerat. Senecca ait eum modum detexiſſe ebur emolliendi, Smaragdoſque per ſilicum coctionem factitandi Celſus, qui hæc de Democrito refert virum jure Magni nominis eum vocat. Ipſi adſcribitur quoque quòd dixerit Coitum minorem epilepſiam eſſe. Tandem obſervare eſt hunc Philoſophum de Morbis peſtilentialibus, atque de iis, qui aut incogniti aut novi habentur, ſingulariter admodum ſenſiſſe: Opinabatur enim Mundos quoſdam extra hunc noſtrum ſitos, excifionem ſui aliquam quandoque pati, unde corpora dilaberentur, quæ cauſæ horumcè eſſent affectuum. Democritus annum agebat Centeſimum & ultrà cùm mortuus eſt, Vitæ tædium dixere eum impulſiſſe ùt quotidie aliquid ex cibis ſibi detraheret, quò tandem inediâ periret. *Sic doctiſſimus Clericus Hiſt. Med. part.* I.

De eô extant in Lind. Renov.

De Arte ſacrâ, de Rebus naturalibus & miſticis, Libellus, ex venerandæ Græcæ vetuſtatis de Arte Chimica reliquiis erutus; necnon Syneſii & Pelagii, Antiquorum Philoſophorum, in Eundem commentaria, Interprete Dominico Pizimentio, *Vibonenſi Italo.* Extat cum Ant. Mizaldi Memorabilium, ſive Arcanornm omnis generis centuriis novem, Coloniæ, apud Joh. Birkmannum, 1572. in 12. 1574. in 16.

Phyſicorum & Myſticorum, Lib. Extat Ms. Græcè cum Syneſii & Stephani commentariis. Lugd. Batav. apud Doctiſſ. Med. Johannem Elichmannum.

DEMOSTHENES,

Ex eo habentur

Fragmenta Varia. Extant apud Aetium Amidenum: ſcilicèt, de oculorum inflatione: illabentibus in oculum animalculis aut paleis, aut arena: oculorum debilitate, obfuſcatione; ſuffuſione: everſione palpebræ, lagopthalmis, lippitudine durâ, abſceſſû in palpebris. Tetrab. 2. ſerm. 3. cap. 12, 16, 44, 48.

DENSTONIUS [*Arnold. Bachimius*] Coſmolophus.

De eô extat

Pan-ſophia Enchiretica, ſeu Philoſophia univerſalis experimentalis, per quam Natura univerſalis rerum omnium, veſtibus denudata, in Virginitate & ſimplicitate ſuâ, omnium oculis ſpectabilis exponitur. Noribergæ apud Joh. Ziegerum, 1682. in 12.

DEODATUS (*Alexander,*) Conſiliarius ac Medicus Regis Chriſtianiſſimi.

De eô extat

Valetudinarium, ſeu Obſervationum, Curationum, & Conſiliorum Medicinalium Satura. Lugduni Batavorum, apud Johannem Elſevier, 1660. in 12. Ibidem 1668. in 12.

DEODATUS (*Claudius,*) Gebweyſenſis.

Ex eô habentur

Pantheum Hygiaſticum Hippocratico-Hermeticum de Hominis vitâ ad centum & viginti annos ſalubriter producenda, Libris tribus diſtinctum, &c. Buntruti, apud Ludov. Köning, 1629. in 4.

De verô & legitimô aquæ cordialis concinnandi modô & utendi ratione, Libellus. In quô præter ingredientium examen, nonnulla quòque ſcitû digna, atque jucunda, ex uberrimô ſpagyriæ fonte deducta, proponuntur. Patavii apud Laurentium Paſquatum, 1603. in 8. Hannoviæ, 1652. in 12.

De admirabili admodum & horrifica Mania, Obſervatio; Extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſervat. Cent. IV. Oppenheimi apud Johan. Theod. de Bry, 1619. in 4. pag. 21. Francof. 1646. in fol.

De admirando dentium dolore & graviſſimis inde conſequutis ſymptomatibus, Obſervatio. Extat ibidem, pag. 126.

Utrum Hydrargiri Inunctio Arthriticis conveniat? Epiſtola. Extat ibidem, pag. 190.

De Dyſenteriâ & uſû Aquæ chalybeatæ in dyſentericis, Epiſtolæ tres. Extant Cent. I. Epiſt. Guil. Fabr. Hildani. Oppenheimi, apud Johan. Theod. de Bry, 1616. in 4. pag. 286. & ſeq.

De Leproſô malè examinatô, Epiſtola. Extat ibidem, pag. 302.

De admirandâ & Obſervatione digniſſimâ cujuſdam Vulnerati Hiſtoria, Epiſtola. Extat Cent. VI. Obſerv. Chirurg. Hildani. Francof. apud Matthæum Merianum, 1627. in 4. pag. 239.

DEREBECQUE (*Jacobus Conſtantius,*) Medicus Lauſannenſis, Botanicus non parùm exercitatus.

Ex eô habentur

Medicinæ Helvetiorum Prodromus, Pharmacopœæ Helvetiorum ſpecimen. Genevæ, apud Johannem Landre, 1677. in 12.

Atrium Medicinæ Helvetiorum, ſeu eorumdem Pharmacopœæ Promptuarium; obſervationeſque Medicæ rariſſimæ ac ſelectiſſimæ. Genevæ, apud Samuelem De Tournes, 1690. in 12. quem ultimum à ſe Gallicè verſum atque auctum edidit. Bernæ, 1709. in 12.

Nicolai Lemery curſum Chymicum ex ultimâ Editione

Editione Gallicâ Latinè vertit. Genevae, apud Johan. Pictetum, 1681. in 12.

DERHAM (*Samuel,*) Medicus, aulae S. Mar. Magdalenae Oxonienſis Socius.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1686. *pag.* 444.

Hydrologia Philoſophica, or an Account of Ilmington Waters in Warwickshire, with Directions for the drinking of the ſame: by Sam. Derham Bachelour in Phyſick Lately of Mad. Hall. Oxon.

ſive

Deſcriptio Aquarum Mineralium apud Ilmington in comitatû Varvicenſi repertarum, unà cum bibendi eaſdem methodô. Oxonii, apud Joh. Howell, A. 1685. *in* 8.

NOn eſt dubium, quin Aquae Medicatae, de quibus Noſter hic agit, ad oppidum *Ilmington* recens repertae, aque locô ubi ſcaturiunt, quibuſdam *Balmoore Waters* denominatae, multùm illuſtrent famam, quâ Comitatum jamdum Varvicenſem in Angliâ prae reliquis hujus provinciis ob ſalubrem aëris conſtitutionem celebrem *Dn. Briot, dans l'Hiſtoire des Singularitez Naturelles d'Angleterre p.* 191. commemorat. Primus Medicorum, qui Aquas iſtas in uſum Medicum vocaverit, *Cl. Cole* ab Autore effertur in praefatione, rationes, quibus inductus praeſens de iiſdem ſcriptum in *tres* diſtributum *partes* concinnaverit, exponente. In partium harum primâ autor in mixtorum corporum principia, & in glebas minerales, Aquarum Spadanarum eſſentiam primario conſtituentes, inquirit. Quoad principia corporum, quatuor potiſſimum Philoſophorum hodie excellere hypotheſes refert, *Ariſtotelicorum* videlicet, *Chymicorum, Thaletis & Helmontii*, *Epicuri* denique ac *Democriti*; è quibus *Ariſtotelicorum* ac *Chymicorum* Elementis rejectis, poſteriorum ità amplectitur ſententias, ut cum *Thalete* quidem & *Helmontiô* Aquam ſeu ſuccum potiùs ſui generis nutritium materiale mixtorum principium, ex quô omnia corpora, adeòque Aqua ipſa, tanquam Elementum ſecundarium componantur, cùm *Epicurô & Democritô* in determinatam quandam afferat Materiam. Glebas verò Minerales quod concernit, juxta harum diverſitatem in terrae viſceribus ab acidô eſurinô ſeu univerſali diverſa efformari ſalia à quibus omnis Aquarum Mineralium deſcendat varietas, cum *Helmontiô*, quem ſtrenuè adverſus *Liſterum de Fontibus Medicatis*, tam quoad ſal eſurinum univerſale, quam quoad vitrioli generationem propugnat, defendit. In ſpecie Aquas Ilmingtonenſes de vitriolô Martis participare in *Parte Secundâ* oſtendere nititur, ceu in quâ praeter alia Experimenta, ſequentia circa colorem, pondus ac naturam iſtarum à ſe inſtituta exhibet. Scilicet Aquas Ilmingtonenſes in ſe luſtratas colore apparere multo pallidiore, quam aquam è petrâ alias exeuntem; miſtas verò cum violarum ſyrupô, hunc in viridem mutâſſe, cum pulvere autem gallarum colorem modò purpureum, modò etiam nigrum contraxiſſe: à decimâ quippe ſextâ grani gallarum parte, vel integrum Aquae ſextarium, ſive pintam, colore tinctum fuiſſe purpureô, quem magis tamen conſpicuum, ac Syrupô roſarum Damaſcenarum cum Aquâ ſimplici miſto perquam ſimilem, octava ſaltem grani gallarum pars adjecta reddiderit; non ſecùs ac major pulveris gallarum quantitas addita obſcuriorem ac atramentoſum penitùs Aquae colorem induxerit. Ab Aquae ejuſdem pintâ ſicciori tempore trutinata, pintam aquae communis dimidiam ferè drachmam fuiſſe ſuperatam: humidiore autem tempeſtate & ubi ochra jamdùm ſubſederat, aequilibrium utramque inter aquam adfuiſſe; unde ferè nullum certum cujuslibet aquae fontanae definiri poſſe pondus conjicit. Aluminis nequicquam Aquis Ilmingtonenſibus ineſſe, è comparatione harum cum aquis aluminoſis facta perſuadet; aluminis ſiquidem ſolutionem oppido lacti inferre coagulum, non item aquas Ilmingtonenſes; Aquas aluminoſas vi pollere cathartica, fontium apud Scarbrough, Epſom & Barnet, &c. exemplo; Spadacrenem verò Ilmingtonenſem diureticâ potiùs gaudere virtute; è diverſô aquas apud Ilmington faeces alvinas inficere nigredine, ſecùs ac aquas impraegnatas alumine cui ipſi alias ſolenne quoque eſſet, ſit cum ſpiritibus urinoſis, v. g. Spiritû cornu Cervi ſ. effervеſcere, cum pulvis tamen rubellus poſt evaporationem aquae Ilmingtonenſis relictus non niſi cùm acidis in effervеſcentiae abiret motum. Porrò neque nitrum in aquis ſaepiùs memoratis deliteſcere, multò minùs ſulphur commune ſubeſſe, exinde deducit, quod primùm aquae quôcunque examinatae modô, ſive deſtillatae, ſive evaporatae &c. ne veſtigium exhibeant nitri, quin potiùs pulvis poſt evaporationem reſiduus multùm à nitrô diſcrepare obſervetur; dein verò deſtillatae aquae eaedem partim aquam fundant prorsùs inſipidam, nec odore ſulphureô nares ferientem, partim autem ſuppeditent remanentiam, quae, uti & ſedimentum, carbonibus vivis aut ferro candenti impoſita, ſulphuris communis ad inſtar nequaquam concipiat flammam. Quod verò Aquae praedictae, ubi aliquandiù ſtagnaverint, cuticulam ſive cremorem quendam ſubcoeruleum in ſuperficie contrahant, odoremque tetrum exhalent, non tam ſulphuri cuidam adjudicat communi, quàm putrefactioni ſulphuris embryonati, cum minerali ſimùl adportati, tantillùm exaltanti. Concludit proin è mutationibus, quas à pulvere gallarum fons Ilmingtonenſis patitur, hunc ingredi omninò vitriolum; an album tamen ſive venereum hoc ſit, an verò martiale, ulteriùs ſcrutatur. Sed cùm Aquas Ilmingtonenſes omni vi emeticâ & cauſticâ deſtitutas deprehendat, è contrà talem obtinentes ochram, quae ad terram mineralem potiùs ferri, quàm cupri accedat, mox vitrioli albi aut venerei deliteſcentis ſuſpicionem removet. Nihilominùs ut ad Oculum quaſi vitriolum Martis praeſentibus in Aquis monſtret, phoenomena Aquae Minerali ac ſolutioni vitrioli Martis Aquâ ſimplici factae, ochrae itidem ac vitriolo Martis communia, prout à ſe obſervata ſunt, ſtudioſè ſubnectit; (1) videlicèt, & Aquam mineralem & Aquam vulgarem vitriolo Martis impraegnatam, eôdem propemodum ſapore affeciſſe linguam; (2) utramque Aquam à minori gallarum portione colorem acquiſiviſſe purpureum, ſub hâc tantùm diſparitate, ut purpureus Aquae Mineralis color ad rubrum, ſolutionis verò vitrioli ad coeruleum magis accederet; quod tamen diſcrimen ab ochrâ ſubrubrâ, ſaltem aquae Minerali combinatâ, provenire, nec diverſam arguere materiam, prolixè ſatis evincere ſatagit; (3) Aquam utramque à majori pulveris gallarum copiâ atramentoſô colore ità fuiſſe tinctam, ut nigredinem hanc, ob rationes additas, modò cum tranſparentia priſtina adjecto acido commutarit, modò etiam ab alcali inſtil-

latô

latô denuò recuperaverit; (4) Aquam neutram lacti conciliâſſe coagulum; [5] verò utramque Aquam parùm ab oleô tartari per deliquium fuiſſe præcipitatam; [6] terram ſubrubram poſt evaporationem relictam, item ochram ſponte ſuâ ſubſidentem, cum paucis aliquot guttulis ſpiritus æque nitri, ac vitioli inſtillatis, notabilem & cum ſpumâ fumôque ſociatam concepiſſe ebullitionem, cui ſimilem quoque in vitriolô Martis à ſpiritû nitri, non tamen à ſpiritû vitrioli, cum ab hôc ferrum in vitriolo Martis perfectius jamdum, ac quidem in Aquâ Mineri ab acidô eſurinô ſaturatum ſit, annotatum fuiſſe effervescentiam; (7) denique, ſal è terrâ inſipidâ, poſt evaporationem multam ſuperſtite convenienter extractum, colorem quidem pallidum figuramque irregularem obtinuiſſe, eoſdem tamen cum vitriolô Martis dediſſe effectus. Satis ſic natura Ilmingtonenſium Aquarum vitriolica comprobata ad *partem Auctor* progreditur *tertiam*, ubi poſtquam varias in corpore ſanô fermentorum ope expoſuit digeſtiones, morboſque pariter à fermentis deperditis aut depravatis oriundos enumeravit, ipſum perſequitur uſum qui nominatis in morbis ab Aquis Ilmingtonenſibus, intuitû Vitrioli Martis, poſſit ac debeat expectari; quem in finem uſitatas quoque Martis præparationes cum operandi harum ratione ſuppeditat, in Methodô tandem ab iis, qui Aquas deſcriptas fructuosê haurire geſtiunt, obſervanda finiens.

DESIDERIUS (*Guido*,) Delphinus

Ex eô habetur

Epitome Operis per quam utilis morbis curandis valeſci de Taranta in ſeptem congeſta Libros, Adjectâ Epitome Chirurgiæ Valeſci de Taranta, ſtudiô ejuſdem Deſiderii. Lugduni, apud Joh. Tornæſium & Guilielmum Gazæium, 1560. in 8.

DESSENIUS *Chronenburgius* (Bernhardus) Natus Amſtelodami A. C. 1510. nacto in Italiâ Medicinæ Doctoris titulô, reverſus in Hollandiam, Groningæ Friſiorum per integrum novennium Medicinam publicæ profeſſus eſt. Inde Coloniam Aggrippinam, digreſſus, ibidem Medicinam, liberali ſtipendiô conductus, fecit, & obiit Medicus & Botanicus eximius A. C. 1574. ætatis ſuæ 64.

Ex eô habentur

Defenſio Medicinæ veteris & rationalis, adverſus Georgium Phædronem, & ſectas Paracelſi. Item, Purgantium Medicamentorum & Pilularum in minore pondere, particularis diviſio. Coloniæ, apud Gualterum Fabricium, 1573. in 4.

De compoſitione Medicamentorum, hodiernô ævô apud Pharmacopolas paſſim extantium: & quô artificiô eadem rectè parari queant, cum ſimplicium atque Aromatum (quibus conſiſtunt) expoſitionibus, ac plerumque omnium delectû Libri decem, non Medicis & Pharmacopœis tantùm ſed omnibus inſuper rerum cognoſcendarum ſtudioſis utiliſſimi pariter ac neceſſarii. Ubi ſingula ad ipſiſſimam varitatem expenduntur, plurimi errores aperiuntur, & controverſiæ frequentes conciliantur. Francof. apud Hæredes Chriſtophori Egenolph. 1555. in fol. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1556. in 8.

De Peſte, Commentarius vere aureus. In quô cauſæ, ſigna, præſagia, cùm univerſalia, tum particularia Peſtilentis contagii dilucidè explicantur. Deinde ejuſdem præſervatio ac curatio ſummâ fide ità docentur, ùt à nemine hactenùs, ſimili ratione, & methodô, tradita habeantur. Coloniæ, apud Gualtherum Fabricium, 1564. in 4.

Epiſtola ad Andr. Matthiolum. Extat Lib. II. Epiſt. Matth. pag. 235.

DETHARDINGIUS (*Georgius*) Senior Archiater Ducalis Megapolenſis.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Decur. III. *Ann.* 7. *&* 8. *in Append. p.* 69

Continuatio Paralleliſmi ad Miſcellan. Curioſorum Germ. Decur. I. Ann. II.

Ibidem pag. 73. *Dn. D. Georgii Dethardingii Continuatio Paralleliſmi ad Miſcellan. Curioſorum Germ. Decur.* I. *Ann.* III.

Ibidem annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 31. *Ex Anatome Cithiaſi laborantis & infelici ſectione defuncti.*

Ibidem in Ephemerid. Centur. I. *&* II. *Append. pag.* 185.

Continuatio Paralleliſmi ad Miſc. Curioſ. German. Decuriæ I. Ann. IV. & ſeqq.

Ibidem Cent. V. *&* VI. *Obſervatio* 80. *De Epiphorâ Auris.*

Ibid. Obſervat. 81. *De ſurditatis remediô.*

NOn multi anni ſunt quando Batavus quidam noſtram urbem accedens plurimos ſurdaſtros feliciſſimô experimentô reſtituit; lucri inde non parum ſibi parans, nec enim ultra tres quatuorvè dies cura protrahebatur, quam afflicti pendebant decem thalerſ. Specillô meatû auditoriô externô dilatatô, ſiphonis ope injiciebat liquorem quendam albicantem, conſiſtentiâ lac æmulantem, obturabat abhinc meatum bombace, & biduo peractô remotâ bombace auditus erat ſalvus; nec facile fallebatur. Omne verò momentum gloriabatur, (ceu donô jactantiæ erat præditus) eſſe repoſitum in liquore, quem injiceret, cujus quoque compoſitionem ſe nemini communicare velle, regerebat. Aſt, qui obſervabant à bombace remotô, illum protraxiſſe quoddam ſolidioris compagis, facilè inducebantur ùt crederent totum artificium in ceruminis incuneati remotione blandâ & neceſſariâ conſtitiſſe, ut in vulgus tandem abierit; *Er lehre vor* 10. *Rthlr. die Leute ihre Ohren rein machen.* Quòd tandem liquoris notitia ad me pervenerit, nec adeò incongruus, hujus ſit uſus errhinus, communicare illum placuit. ℞. *ſapon. alb. minut. conciſ.* ℥j. *Terebinth. Venet.* ℥ß. △. *niv.* ℥VIII. *M. l. a & ſolutis adde Tinctur. Benzoes.* ʒij. *M.* ſerventur ad uſum. Addere aliquandò & temperare liquorem illum ſoleo oleo amygdal. dulcium.

Ibid. Centur. 7. *&* 8. *Obſervat.* 72. *De Matre nunquam menſtruo fluxui obnoxiâ.*

AD fœminam tenuioris fortunæ (nupſerat verò hortulanô) vocabar, ùt lotii ſuppreſſioni mederer, quæ per ſeptem jam dies continuaverat. Hanc intellexeram nunquam ſolviſſe tributum lunare, quamvis Lucinâ propitiâ ſeptem liberos excluſerit. Ipſam adiens, ex ore ipſius comperi, ſe quinquageſimum jam annum ſuperaſſe, aſt, nec virginem nec conjugem fluxû menſium fuiſſe inquinatam, nè quidem ab illô unquam tentatam; athleticam ſe vixiſſe & laboribus domeſticis ſat arduis, commodè vacare potuiſſe; à partû

partû manaſſe quidem lochia, aſt longè minori flumine quàm in aliis fœminis, obſervaſſet, nec inde quicquam damni in ſe redundâſſe; Matrem pariter vixiſſe menſibus immunem, & attigiſſe ætatis annum centeſimum; æquè filiam, quam unicam peperit, (reliquis liberis ad ſexum digniorem ſpectantibus) jam tranſiiſſe annum decimum octavum citra veſtigium evacuationis talis uteri, vel quod inde malè habuiſſet; ſe hinc metuiſſe, quin & hæc menſibus ſit tributum negatura; aſt, quòd maluerit ut eadem ſe ad morem aliarum fœminarum componat, ſe huic ex conſiliô medicaſtri cujuſdam propinâſſe pharmacum, à quô inter luctus vitæ cum morte proruptio menſium fuerit inſecuta, ùt jam menſtruatim uterus ſanguinem pendat. Ante ſeſquiannum verò ipſi mœrore ex abitû filii correptæ, uterum ſanguinem ſtillâſſe, & abhinc valetudini multùm deceſciſſe, addebat, ut ex mutatione adeò inſolita ipſa credat diem emortualem fore proximum. Præſagium hoc eventus non vanum fuiſſe docuit, quando die novô ſuppreſſionis memoratæ obiit.

Ibidem Obſervatio 73. *De Hæmorrhagiâ ex faucibus.*

Ibid. Obſervat. 74. *De Hæmorrhagia ex anô.*

Ibidem Obſervatio 75. *De Facilitate deceptionis in inſpectione Cadaverum.*

Ibidem Cent. 8. *Obſervatio* 41. *De Mirâ ſalivatione.*

DEUCERUS (*Johannes*,)

De eô extat

Tractatus de Thermis Ferinis Enzianis Ducatus Wirtembergici, vulgò Wildbad. Argentorati, apud Caſp. Diezelium, 1638. in 12.

DEVENTER (*Henricus à*) Doctor Medicus Hagienſis, pertinet ad cenſum authorum, qui artem obſtetriciam tractarunt; Quem in finem etiam obſervationes Chirurgicas edidit, quibus artis obſtetricandi novum lumen accenditur. Quamvis enim multi jam ante ipſum extiterint tam Medici quàm Chirurgi, qui morbos & ſymptomata, quibus prægnantes antè, ſub & poſt partum corripiuntur, ſatis exactè tradiderunt, pauci tamen methodum ipſam hanc artem exercendi, nempe operâ manuariâ aggreſſi ſunt. Interim in novô hôc artis obſtetriciæ lumine candidè docet, non ſolummodò, quàm variæ ſint fœtuum poſituræ præternaturales, ſed & imprimis, quâ ratione in caſû neceſſitatis ejuſmodi poſituræ fœtuum, ſive mortuorum ſive adhuc viventium abſque ulla artificialis inſtrumenti ope, ſolâ manuum dexteritate ſint reducendæ vel ipſi fœtus pedibus extrahendi, matre pariter ac fœtû in vivis manentibus. Eſtque hic Tractatus tantò magis approbatione dignus, quantò certius eſt, ex multiplici exercitiô & multijugâ propriâ experientiâ eundem profluxiſſe; Quia per integrum 12. annorum ſpatium ipſemet auctor artem obſtetriciam exercuit, atque hìnc, ut cogitari facilè poteſt, non contemnendam peritiam practicam ſibi comparavit. Continet verò dictus tractatus multa ſingularia, in quibus à communi auctorum hypotheſi longiſſimè recedit; Cujus v. g. generis eſt, partûs difficilis cauſam non ſemper imputandam eſſe præternaturali ſitui fœtûs, ſed ipſius uteri: Indubitatis enim argumentis demonſtrat, uterum ex naturali ſuo ſitû in alienum & præternaturalem ità quandoque deflectere, ùt non raro partûs difficilis cauſa evadat; Quô caſû omnem felicem ſucceſſum non tam à Synergiâ naturæ, quippe quæ hoc in caſû nihil prorſus valeat, quàm potiùs à peritâ manuali operatione in ſolidum dependere affirmat. Ità plerique hactenùs artis obſtetriciæ ſcriptores partum illum maximè naturalem eumque inſuper facillimum judicarunt, ſi infans capite innitatur oſculo uteri interno ſicque ingreſſum moliatur; Auctor verò noſter planè demonſtrat contrarium, poſitô nempe, uterum perverſum & planè obliquum habere ſitum; ſucceſſurum enim hôc modô partum difficillimum, etiamſi poſitura fœtûs citra contradictionem optima ſit & maximè naturalis. Quæ dubiô procul etiam ratio eſt, quare Auctor noſter diverſas illas minùs naturales & incongruas uteri poſituras non ſolùm accuratè deſcripſerit, ſed & figuris æneis exprimi curaverit. Quod qualitates fœminarum ad obſtetricandum habilium, tam naturales, quam morales attinet, illas uti & univerſam obſtetricum theoriam ad 6. diverſa capita reducit, nempe noſſe illas debere (1) partium muliebrium conditionem ex Anatomia. (2) Quâ ratione gravida tangi debeat? [3] Quomodo ſecundina ſit excludenda? (4) Quomodo fœtus pravum ſitum obtinentes verti aut pedibus extrahi debeant? (5) Quaſnam res ad manum eſſe oporteat? Et [6] quomodo poſt partum erga matrem & fœminam gerere ſeſe debeant? In pleniori autem horum momentorum deductione notat ſubinde errores à D. *Pauco*, quem ſuâ linguâ ſuperiùs *Peu* nominavimus, commiſſos, & oſtendit, quâ ratione vitandi ſicque novum lumen arti obſtetriciæ verè accendi valeat. Non eſt inſupèr contemnendum, multò minùs, quæ naſutulorum perverſa conſuetudo eſſe ſolet, riſû excipiendum, conſilium auctoris noſtri de erigendis ſcholis publicis, in quibus obſtetrices [non exceptis etiam Chirurgis ignaris] arti obſtetriciæ exercendæ ſeſe deſtinaturæ neceſſariis præceptis primùm inſtituerentur, quàm actuali artis exercitio à Magiſtratû publico admoverentur, & beneficiis publicis afficerentur: Ità enim innumeris hujus artis abuſibus obicem poni, multa damna præcaveri, imò potiùs miſerarum mulierculalarum parturientium commoda infinitis modis promoveri poſſe, cordatè monet. Commendat deniquè obſtetricibus *ſellam ſtructuræ* planè *novæ*, & à nemine hactenùs deſcriptæ ejuſque differentiam à *ſellâ* obſtetricis *Brandenburgicæ*, imò & non minorem illiûs præ hâc prærogativam, quippe quæ omnibus incommodis & periculis, ex incongruô ſitû in partû difficili metuendo, tutiſſimè ſimulque efficaciſſimè medeatur; proindèque optat, dummodo vota aliquid valerent, quamlibet obſtetricem, publico muneri admotam, ejuſmodi ſellâ inſtructam eſſe. De apparatû inſtrumentorum ſive ferreorum ſive quorumcunque aliorum, extractioni fœtuum vulgò dicatorum hoc ipſiûs candidùm eſt judicium, ea magis periculoſa quàm neceſſaria eſſe: ſe enim ſola peritâ manuum ſuarum directione, licèt non ſine ſudore, in fœtuum extractione idem perfeciſſe quod alii prolixô ac ſæpiùs pretioſô inſtrumentorum artificialium apparatû efficere conſueverunt. Illos tamen nihilominùs caſus providè excipit, ſi nimirùm infantes ob monſtroſam magnitudinem, totius corporis aut alicujus tantùm partis, pelvim integri prorsùs tranſire non valeant, aut ſi propter negligentiam, vel inſcitiam obſtetricis in uterô quàm maximè obliquato, infantis rectè verſi caput in anguſtam cavitatem pelvis delapſum inibique ſimul cum humeris adeò coarctatum ſit, ùt ad impetum dolorum validiſſimorum, nihilo ſeciùs nè minima quidem percipiatur deſcenſio fœtûs &c. *Goëlicke Hiſt. Chirurg. pag.* 319.

DEVENTER (*Henricus à*,)

Ex eo habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1701. *pag.* 281.

Obſervationes Chirurgicæ, quibus manifeſtatur Artis obſtetricandi novum Lumen. Lugduni Batavorum apud Andream Dyckhuyſen, 1701. *in* 4.

VArii quidem jam proſtant libri, in quibus poſt Medicos Chirurgi obſtetricantes, aut obſtetrices artem obſtetricandi tradere conati ſunt: Verùm quoniam iſti præter ſexcenta morborum & ſymptomatum genera, quibus prægnantes ante, ſub & poſt partum corripi ſolent, pauciſſima ſolum continent, ex quibus vera artem hanc exercendi methodus addiſci queat; animum induxit Author Clariſſimus, omiſſis illis, ſolam operam manuariam exhibere. Et cum ad unum omnes ſuppoſuerint hactenùs Authores, partum difficillimum à pravâ infantum verſione in uterô dependere, infantem verò benè verſum eſſe, ſi caput prævium ori uteri objaceat; è diametrô contrarium ſtatuit Noſter: etiamſi infans talem in uterô occupet ſitum, nihilominùs exinde propter obliquam uteri poſituram partum difficillimum neceſſariò ſequi, atque uterô obliquè poſitô ſitum infantis magis inconvenientem obſtetricanti obvenire non poſſe, quàm ſi caput prævium ad os uteri fuerit converſum.

Quod ut eò feliciùs demonſtret Author, qualitates delineat fœminarum, quibus eæ ad obſtetricandum habiles cenſeri poſſint. Excludit enim ab hâc arte exercendâ fœminas provectioris ætatis, juniores natû, debiles, morbidas & tabeſcentes, gravidas, nimis denſas & corpulentas, mutilas, digitis ſc. manibus, cubitiſque curvis vel rigidis, aut membris flaccidis vel laxis præditas, ſtupida & obtuſa, pervicacia & obſtinata obtinentes ingenia: eas potiùs ſeligendas ſuadens, quæ vigilantes, ſolertes, ſedulæ, & promptæ ſunt manû, gravitate & exercitata ſenſuum membrorumque agilitate gaudent, beneficæ, ſoſpitales, miſericordes, benignæ atque mites ſunt, conſcientiæ ſtudent, Deum venerantur, ac temperantiæ & ſobrietati operam dant. Chirurgis verò, qui ad hoc opus vocantur, caſtitatem, verecundiam & modeſtiam ſuadet. Obſtetricum theoriam ad 6. capita revocat. Noſſe enim illis convenit (1) partium muliebrium conditionem, (2) quomodò gravida debeat tangi? (3) quomodò ſecundina ſit excludenda? (4) quomodò fœtus pravum ſitum obtinentes verti aut pedibus extrahi debeant? (5) quænam res ad manum ſint, & (6) quomodo ſe gerere debeant poſt partum erga matrem & infantem. Partes genitales igitur breviter, quantùm ſcil. ab obſtetrice ſciri convenit, explicat, atque in figuris ſiſtit. De uterô agens, Domini Mauriceau ſententiam refutat, qui uteri imprægnati parietes extenuari exiſtimat, atque probaturus, uterum diverſimodè poſſe locô moveri, ſupponit, ligamenta, quæ uteri nondum impregnanti fundo annexa videntur, tempore impregnationis longe inferiorem occupare locum, imò uterum ea, quâ ligamenta tranſcendit, parte duplo triplove grandiorem & graviorem evadere, cum extenſio & dilatatio uteri infinitè magis in fundô quàm aliâ parte ſuccedat: item uterum ſubinde accreſcentem plerumque altiùs elevari, & non ampliùs in pelvis anguſtiâ poſſe contineri; hinc ſupra ligamenta ampliorem, latiorem, multòque graviorem eſſe, quàm infra; ac ratione ſuæ molis faciliimè hùc vel illùc ferri, & inclinare, nec dubium eſſe, quin ligamenta iſta poſſint laxari. Quemadmodum igitùr uterus rectus & benè ſitus eſt, cujus pars acuminata recta tendit in cavitatem pelvis, fundus verò circa umbilicum verſatur: ità pravus ejus notatur ſitus, vel quando fundus diaphragmati, uteri verò corpus ſpinæ dorſi nimis apprimitur, vel quando uterus in ventroſis mulieribus pronus propendet, ore ad os ſacrum converſô, vel quando fundus uteri in latere ſiniſtrô aut dextrô modò altius modò demiſſius ponitur, ore ad dextram aut ſiniſtram pelvis partem converſo. Ad tactum progrediens modum docet, quô obſtetrix uteri conditionem explorare debeat, ut cognoſcat (1) an verè gravida ſit mulier, nec nè? (2) an tempus pariendi inſtet? (3) an gravida genuinis ad partum corripiatur doloribus? (4) an gravidæ doloribus jam correptæ futurus ſit partus facilis vel difficilis? (5) an infantes benè ſiti ſint, nec ne? (6) quomodo parturienti ac fœtui ſit ſuccurrendum? (7) an extraordinario tempore partus ſit promovendus? Partus hinc naturalis requiſita recenſens, arctioribus, quàm alii Authores ſolent, eum circumſcribit limitibus, ità ut illum naturalem tantummodò vocitet, qui ſolâ naturæ vi, ſine arte vel alienô auxiliô perficitur, neque ulla obſtetricantium opera, præter eam, quæ in fœtû excipiendô, ejuſque fune umbilicali abſcindendo locatur, opus habet ad excluſionem fœtus, ut eò diſtinctiùs partus p. n. & difficilis cauſas exhibere valeat. Ad quas recenſendas antequam ſe accingat, obſtetrices inſtruit, quæ inſtrumenta & medicamenta ad manus ſint oporteat, antequam operationem moliantur; ſella ſc. perforata, forfex acuta, filum quadruplex, linteamina, clyſmata, medicamenta anodyna, confortantia &c. Quâ igitùr ratione morbi generales gravidarum, ut febris, epilepſia, hydrops &c. abigi, quantum poſſibile, & fœminæ partium conformatione pravâ laborantes, ut gibboſæ, incurvatæ, tractari debeant, docet. Monſtrat tum, quomodò parienti opitulari deceat, quæ pelvim nimis parvam vel nimis magnam, vel nimis planam, orificium uteri craſſum & prædurum, vaginam prolapſam obtinet; dein quid agendum ſit, ſi membrana infantis nimis firma non rumpatur, aut placenta ab uterô diſſoluta, & ad oſtium dilapſa viam intercludat; ſi fœtus mortuus ſit, [cujus certiſſimum ſignum ſupremæ capitis cuticulæ diſſolutionem pronuntiat;] ſi circa ſeptimum menſem, poſt enormem uteri hæmorrhagiam prodeat; vel ſi idem nimia gaudeat mole. Diverſas mox eaſque pravas infantis verſiones rimatur, ità quidem, ut eas in uterô benè locatô contingentes, non ſolùmmodò ex Authorum ſententiis hactenùs receptis recenſeat, verùm etiam monſtret, tales cum pravô uteri ſitû conjunctas partum longè difficiliorem reddere; modumque ſubnectit, quô fœtui pariter atque utero legitimus, quantùm poſſibile, ſitus poſſit conciliari; notans inſimùl quoſdam à Dominô *Peu* in Librô de Arte Obſtetricandi commiſſos errores. Quemadmodum itàque Author Clariſſimus novum Lumen hypotheſi hâc arti obſtetricandi additurum ſe confidit: ità prolixius de partû difficili ex prave ſitô uterô agit, atque perpendit potiſſimum, cur ex uterô nimis propendulô

dulô partus difficilis proveniat ? unde cognoſci poſſit, uterum nimis propendere ? & tandem quid agendum ſit, ad prævertenda mala inde oriunda ? Quoniam autem partus non ſemper retardatur ex pravâ uteri poſiturâ, aut ex infantis pravô ſitû, ſed & alia ſymptomata enixum remorari poſſint, de his ſeorſim agit, & inter ea potiſſimùm recenſet dolores pravos ac tergiverſantes. Quæ circa funiculum umbilicalem conſtringendum, ſecundinaſque excludendas obſervanda ſunt, in peculiari capite pertractat. Appendicem operi addit, in quâ de inſtrumentis Chirurgicis agit, quæ tamen in arte hâc exulare jubet, duos ſi excipias caſus, nimirùm ſi infantes ob monſtroſam magnitudinem totius corporis aut partis alicujus, pelvim integri tranſire prorſus non valeant ; aut ſi propter negligentiam vel inſcitiam obſtetricis, in uterô quàm maximè obliquatô, infantis rectè verſi caput in anguſtam cavitatem pelvis delapſum, inibique ſimul cum humeris adeò coarctatum ſit, ut ad impetum dolorum validiſſimorum nè minima quidem percipiatur deſcenſio. Tandem ſilentio prætereundum non eſt, quòd Author Clariſſimus mentionem faciat Correctoris Univerſalis, herbas venenatas & opium ità corrigentis, ut abſque noxâ aſſumi valeant, ut & Pilularum ſudoriferarum, quarum quidem uſum & virtutes prolixè exponit; modum tamen eas, ut & Correctorem præparandi retinet ; aliam tamen herbarum & opii correctionem & præparationem communicat ; ſcilicèt R. herbas oleoſas, ſeu virides ſeu arefactas ; has in pulverem ſubtiliſſimum, illas in pulmentum redige, tunde quam minutiſſimè ; adde medullæ panis ſecalitii recentis duplum vel triplum, (quadruplum vel ſextuplum ad opium) maſſam inde in vitream ampullam, probè conglutinandam, hancque balneo vaporis per 40. dies noctesque ſub æquali ignis regimine expone : digeſtione peractâ, maſſæ in catinum fictilem inditæ tantùm aquæ pluvialis affunde, quantum ſufficit eidem manibus rarefaciendæ, ut liquor à medullâ ſeparetur expreſſione, deinceps decantandus & in vitreis vel nitidis vaſis fictilibus ſenſim evaporandus, ad craſſiorem uſque maſſam ; opio adde anaticam optimi Croci portionem & hoc uſui ſerva.

DEUSINGIUS (*Antonius*) Natus Meurſæ Annô Chriſti 1612. Patre Johan. Ottone Deuſingiô in militiâ Belgicâ ſigniferô : Arabicæ, Perſicæ, & Turcicæ Linguæ peritus : nactô in Academiâ Lugdunenſi Batav. Doctoris Medicinæ titulô, in patriâ tam diu Medicinam fecit, donec Gröningæ 1638. Matheſeos Profeſſor Publ. denominaretur. Sed hinc mox ſequente annô, nempe 1639. Hardervicum receſſit ad Profeſſionem Phyſicæ & Matheſeos, itemque functionem Medici dictæ urbis ordinarii. Annô 1647. iterùm Grôningæ Medicus Provincialis, ſimùlque hôc ipsô annô, Philoſophiæ Magiſtri titulô aſſumtô, Philoſophiæ & Medicinæ Profeſſor, tandemque 1652. Illuſtr. Comitis Naſſoviæ, Wilhelmi Friderici, Friſiæ Gubernatoris, Medicus Aulicus conſtitutus eſt. Obiit Grôningæ 1666. ætatis ſuæ 54.

Ex eo habentur.

Canticum Principis Abi-Alis, Ibn Sinæ, vulgò dicti Avicennæ, de Medicinâ, ſeu, breve, perſpicuum, & concinnè digeſtum Inſtitutionum Medicarum Compendium. Cui adjecti

Aphoriſmi Medici Johannis Meſuæi, *Damaſceni.* Ex Arabicô Latinè reddita. Acceſſit ejuſdem Authoris oratio de felicitate ſapientum. Grôningæ, apud Johannem Nicolai, 1649. in 12.

Synopſis Medicinæ Univerſalis, ſeu Compendium Inſtitutionum Medicarum, Publicis Diſputationibus exhibitum ac ventilatum. Grôningæ, apud Joh. Nicolai, 1649. in 12.

Idea Doctrinæ de Febribus, breviter, perſpicuè, ac methodicè propoſita, publicæque ventilationi ſubmiſſa. Grôningæ, apud Viduam Elzardi Agricolæ, 1655. in 12.

Anatome parvorum naturalium : ſeu, Exercitationes Anatomicæ ac Phyſiologicæ, de Partibus humani corporis, conſervationi ſpecierum inſervientibus. Grôningæ, apud Joh. Sus, 1651. in 4.

Diſſertationes duæ. Prior, de Motû cordis & ſanguinis. Altera, de Lacte, ac Nutrimentô Fœtûs in Uterô. Grôningæ, apud Johan. Collen, 1651. in 4. Ibidem apud Franc. Bronckhorſt, 1655. in 12. Huic ſecundæ Editioni acceſſerunt I. Notæ ad diſſertationem de Motû cordis & ſanguinis viri alicujus Clariſſ. II. Commentarius Authoris in Diſſertationem eandem adverſus Notas prædictas. III. Objectiones Viri Clariſſ. D. Johannis Andreæ Schmitzii adverſus Diſſertationem de Lacte ; atque Reſponſiones Authoris ; aliaque hùc ſpectantia ; IV. Diſſertatio de Lacte D. Johan. Anton. Vander Linden. V. Exercitatio Phyſiologica de Lacte D. Hermanni Conringii. VI. Diſſertatio de venæſectione in Pleuritide ipſius Deuſingii. VII. Ejuſdem oratio Panegyrica de Judicii Difficultate.

Geneſis Microſcomi, ſeu, de Generatione Fœtûs in uterô, Diſſertatio. Grôningæ, apud Johan. Nicolai, 1653. in 12. Amſtelodami, apud Petrum Van den Berge, 1665. in 12. Huic Editioni acceſſerunt ejuſdem Authoris Curæ ſecundæ de Generatione & Nutritione.

Diſquiſitio Medica, de Morborum quorumdam ſuperſtitioſâ origine & curatione ; ſpeciatim de morbô vulgò dictô Manſchlacht, ejuſque curatione. Item : De Lycanthropiâ : nec non de Surdis ab ortû, Mutiſque, ac illorum cognitione. Ubi & de Ratione & Loquelâ Brutorum animantium. Grôningæ, apud Johan. Côllen, 1656. in 4. Extat etiam cum ejuſdem Authoris Faſciculô Diſſertationum ſelectarum unà editarum Grôningæ, 1660. in 12. Ibidem, 1664. in 12.

Diſſertatio de Morbô Manſchlacht, ejuſque Curatione, ſeparatim edita. Gröningæ, 1656. in 12.

Diſſertatio de Mandragoræ Pomis ; vulgò Piſſe-Dieſies. Grôningæ, 1659. in 12.

Diſſertationes, de Unicornu : Lapide Bezoar : Pomis Mandragoræ : illiuſque Mangoniis, vulgò dictis Piſſe-Dieſies : Agno vegetabili : Anſeribus Scoticis : Grôningæ, apud Johan. Côllen, 1659. in 12. Extant etiam cum ejuſdem Authoris Faſciculô Diſſertationum ſelectarum unà editarum. Grôningæ, 1660. in 12. & ibidem 1664. in 12. Item cum ejuſdem Vindiciis Fœtus extra uterum geniti. Ibidem, 1664. in 12.

Idea Fabricæ Corporis Humani, ſeu Inſtitutiones Anatomicæ, ad Circulationem ſanguinis, aliaque Recentiorum Inventa, accommodatæ. Grôningæ, apud Franciſc. Bronckhorſt, 1659. in 12.

Diſſertationes de Mannâ, Saccharô, & Monocerote, ſeparatim editæ. Gröningæ, apud Joh. Côllen, 1659. in 12.

Diſquiſitio gemina de Peſte. Prior, an contagioſa Peſtis ſit? Altera, an vitanda? Et quomodo. Gröningæ, apud Franciſcum Bronchorſtium, 1656. in 12.

Tractatus de Peſte. In quô de Peſtis Naturâ, cauſis, ſignis, Præſervatione, ac Curatione agitur. Gröningæ apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1658. in 12.

Exercitationes de Motû Animalium, ubi de Motû Muſculorum & Reſpiratione; itemque de ſenſuum Functionibus ubi & de Appetitû ſenſitivô, & Affectibus. Groningæ apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1661. in 12.

Faſciculus Diſſertationum ſelectarum, primùm per partes editarum; nunc verò ab ipſô Authore collectarum ac recognitarum; cum auctario. Gröningæ, apud Johannem Collenium, 1660. in 12. Continentur autem hoc Faſciculô Diſſertationes ſequentes: de Morborum quorumdam ſuperſtitioſâ origine & curatione: de Morbô Manſchlacht, vulgò dictô, ejuſque curatione; de Lycanthropiâ: de ſurdis ab ortû, Mutiſque ac illorum cognitione: de Ratione & Loquela Brutorum Animantium: de Unicornu: de Lapide Bezoar: de Mannâ: de Saccharô: de Mandragoræ pomis: pro Doudaim vulgò habitis: de Mandragoræ Mangoniis vulgò dictis Piſſe Dieſies: de Agnô vegetabili: de Anſeribus ſcoticis: de Pelicano: de Phœnice: de Unicornu Africanô.

Oeconomia Corporis Animalis, in quinque Partes diſtributa. Pars I. quâ continetur, de Nutritione Animalium, Exercitatio Phyſiologico-Medica. Gröningæ apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1660. in 12. Cujus ſunt ſectiones ſequentes: 1. de Generationis & Nutritionis Differentiâ, hujuſque ratione formali. 2. De Efficiente causâ Nutritionis hujuſque Neceſſitate. 3. De Materiâ Nutritionis. 4. De Fame & ſiti.

Pars II. ſive, de Nutrimenti in Corpore elaboratione Exercitationes Phyſico-Anatomicæ. Ibidem, apud eundem annô & formâ iiſdem. Hâc continentur ſequentes Exercitationes. 1, De Chylificatione & Chyli Motû. 2. De ſanguificatione. 3. De Depuratione Alimenti in Corpore. 4. De ſpiritibus, cum Appendice: De Chyli Motû; & Nutrimenti in corpore Elaboratione: necnon de admirandâ Anatome Nobiliſſimi Viri, Ludovici Bilſii. Hæc Exercitatio, quæ ſeparatim extat, excuſa eſt Groningæ, apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1661. in 12.

Pars III. ſive, de Nutrimentô Animalium ultimô Exercitat. Phyſico-Anatomic. Groningæ, 1660. in 12. Hæc complectitur Exercitat. ſeqq. 1. de uſû ſanguinis. 2. De Nutritii ſucci per Nervos influentis Commentum; Item Diſſertationem Epiſtolicam de Hepatis officiô, & Appendicem ad Diſſertationem de Hepatis officiô; ſeu, Vindicias Hepatis Redivivi.

Pars IV. ſive, de Motû Animalium, Exercitatio Phyſico-Anatomicæ. Groningæ, 1661. in 12. Cujus Exercitatio 1. agit de Motû Muſculorum. II. De Reſpiratione.

Pars V. de ſenſuum functionibus ſeu Exercitationes tres; quarum 1. eſt de ſenſuum Functionibus in genere; 2. De ſenſuum Functionibus in ſpecie: 3. De Appetitû ſenſitivô & Affectibus. Hæ Exercitationes in œconomiâ Corporis Animalis contentæ, etiam ſeparatim extant, omiſſô titulô œconomiæ: Prodieruntque eædem Editiones eôdem annô formâque eâdem.

Oeconomus Corporis Animalis, ac ſpeciatim de ortû Animæ Humanæ, Diſſertatio. In quâ demonſtratur non eſſe homini ſimpliciter impoſſibile, per naturale intellectûs Lumen ſeipſum noſſe; oppoſita conceptibus Excellentiſſimi Viri, D. Gualter. Charletonis. Gröningæ, apud Johannem Collenium, 1661. in 12.

Oëconomus Corporis animalis reſtitutus. In quô genuinus Animæ humanæ ortus, itemque poſſibilis Cognitio ſui ipſius, aſſeruntur ac muniuntur. Groningæ, 1662. in 12.

Apologeticæ Defenſionis pro œconomiâ Corporis Animalis, Prodromus; quô perſonatô cuidam Benedicto Blotteſandeo, larva detrahitur. Cui additum ſpecimen Ingenii, Indolis ac Religionis, quibus claret Blotteſandeus: Nec non vindiciarum Hepatis Redivivi ſupplementum. Groningæ, apud Franciſcum Bronckhorſt. 1662. in 12.

Reſurrectio Hepatis aſſertæ, contra ſocium Larvatum, Vincentium Schlegelium, ſub perſonati Blotteſandei Cohorte furioſâ, ſigniferum. Acceſſit Diſquiſitio ulterior de Chyli Motû; & officiô Hepatis. Groningæ, apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1662. in 12.

Sympatethici Pulveris Examen: Quô ſuperſtitioſa ac fraudibus Cacodæmoniis implicita Vulnerum & ulcerum Curatio in diſtans, per rationis trutinam, ad ipſas naturæ leges expenditur; ſubverſis Curæ Sympatheticæ fundamentis: ab Illuſtriſſ. Comite Dighbæô, nec non D. D. Papiniô, & Mohyopoſitis. Groningæ, apud Johannem Collenium, 1662. in 12.

In ſylvam Echo: ſeu, Sylvius Heautontimorumenos. Cum Appendice de Bilis & Hepatis uſû: Itemque Exercitatione, utrum Medicina ſit ſcientia, an Ars; Sylvianæ vitiligationi oppoſitâ. Groningæ, apud Johannem Collenium, 1663. in 12.

Diſquiſitio Anti-Sylviana de Calidô Innatô & auctô in Corde ſanguinis Calore. Quâ celeberrimi Viri Franciſci Sylvii ſuſpiciones, opiniones, ac Conjecturæ, (ut ab ipſô dicuntur) quin imò verè ineptiæ ejus & Nugæ ad libellum veritatis expenduntur, excutiuntur ac refutantur. Groningæ, apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1663. in 12.

Diſquiſitio Anti-Sylviana, de Motû cordis & Arteriarum. Quâ celeberrimi viri, Franciſci Sylvii Ineptiæ & Nugæ ad libellum veritatis expenduntur, excutiuntur, ac refutantur. Groningæ, apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1663. in 12.

Diſquiſitio Anti-Sylviana, de ſignô Febrium Pathognomicô: quod Fundamenti locô habendum ſit pro Febrium Eſſentiâ inveſtigandâ. Cum Præfatione, Epiſtolam Cacologeticam Sylvii concernente: & Additamentô, ad erroneam Sylvii Experientiam ſpectante, quâ is Febres frigidas cum Helmontiô comminiſcitur. Groningæ, apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1664. in 12.

Sylva Cædua Cadens: ſeu, Diſquiſitiones Anti-Sylvianæ; De Alimenti aſſumti Elaboratione & Diſtributione; quarum 1. de Alimentorum Fermentatione in Ventriculô, II. de Chyli à Fœcibus alvinis ſecretione & in vaſa meſaraica propulſione. III. De Chyli Mutatione in ſanguinem, ac Circulari ſanguinis Motû. Præmiſſa eſt Præfatio, cauſas Sylviani in Deuſingium Furoris nudè repræſentans: ſimulque Sylvium injurioſum, Aggreſſorem evidenter demonſtrans. Groningæ,

Grôningæ, apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1664. in 12.

Sylva Cædua Jacens : ſeu, Diſquiſitiones Anti-Sylvianæ ulteriores ; quarum I. de ſpirituum Animalium in Cerebrô Cerebellôque confectione ; per Nervos diſtributione, ac uſû variô, II. De Lienis & Glandularum uſû. Addita eſt Diſſertatio de Naturâ. Grôningæ apud Johannem Cöllenium, 1665. in 12.

Diſputatio Anatomico-Medica, de Chyli à Fæcibus alvinis ſecretione, ac ſucci Pancreatici Naturâ & uſû. Grôningæ 1665. in 4.

Examen Anatomes Anatomiæ Bilſianæ ; ſeu Epiſtola de chyli Motû, ad Excell. Virum, D. Johannem Caſparum Fauſium. Grôningæ, apud Franciſcum Bronckhorſtium, 1665. in 12.

Exercitatio de admirandâ Anatome Ludovici de Bils. Extat cum Ludovici Bilſii Reſponſione ad Admonitiones Johannis ab Horne. Roterodami, apud Arnoldum Leers, 1661. in 4.

Hiſtoria Fœtûs extra uterum in Abdomine geniti, ibidemque per ſex propè luſtra detenti, ac tandem lapideſcentis, Conſideratione Phyſico-Anatomicâ illuſtrata. Grôningæ, apud Johannem Collenium, 1661. in 12. Extat etiam cum Laurentii Strauſii Reſolutione Obſervationis ſingularis Muſſipontanæ Fœtûs extra uterum in Abdomine retenti, tandemque lapideſcentis. Darmſtadii, apud Chriſtophorum Abelium, 1661. in 4. Ibidem, 1663. in 4. Extat etiam cum Johannis Benedicti Sinibaldi Geneanthropia. Francofurti, apud Petrum Zubrottum, 1669. in 4.

Fœtûs Muſſipontani extra uterum in Abdomine geniti ſecundinæ detectæ. Grôningæ, 1662. in 12.

Fœtûs Hiſtoria Partûs infelicis : Quo Gemellorum ex uterô in Abdominis cavum elapſorum oſſa ſenſim, multis annis poſt, per abdomen ipſum in lucem prodierunt, unà cum Reſolutione. Grôningæ, 1662. in 12.

Vindiciæ Fœtûs extra uterum geniti ; nec non quorumdam ſcriptorum ſuorum Faſciculo Diſſertationum ſelectarum comprehenſorum de Unicornû, Lapide Bezoar, Mannâ, Saccharô, Agno Vegetabili, Anſeribus Scoticis, Pelecano, Phœnice, contra Bernhardi à Domâ furioſos Inſultus: ut & aliquarum Elegantiarum Philologicarum Examen : ſeu, Calonum Caterva disjecta : cujus Anteſignanus Antonius Roſinus perſonatus. Grôningæ, apud Johannem Cöllenium, 1664. in 12.

Conſiderationes circa experimenta Phyſico-Mechanica Roberti Boylei, de vi Aëris elaſticâ, & ejuſdem effectibus ; quibus obſervata illius rationibus Philoſophicis omne vacuum, ipſumque elaterem Aëris Pecquetianum arcentibus, illuſtrantur. Grôningæ, 1662. in 8.

Diſquiſitio Phyſico-Mathematica gemina, de vacuô : itemque de Attractione ; quibus probatur, nullum in rerum naturâ dari vel poſſe dari vacuum ; ipſaque experimenta variorum pro vacuô probandô hactenùs afferri ſolita expenduntur ac refelluntur ; oſtenditurque, (contra J. Pecquetum imprimis) non pulſione duntaxat, ſed & tractione in rerum naturâ fieri motum. Amſtelodami, apud Petrum Vanden Berge, 1661. in 12.

DEXIPPUS Hippocratis Diſcipulus ; qui atteſtante Suidâ ſcripſit de Medicinâ in genere, ac de Prognoſticis in ſpecie ; erat origine Cous.

DIAGORAS ex Inſulâ Melô, unà ex Cycladibus, non verò ex Miletô, uti quidam dixêre ſcriptores. Philoſophus hic notus eſt opinione ſuâ, quâ Deum eſſe negabat. Medicus etiam & Poëta fuit, namque Diagoras hic non alius videtur eſſe ac ille, cujus Plinius, Dioſcorides & Aëtius meminerunt, quodque eum in Medicis rebus inſtructum fuiſſe denotat, ex eô petitur quòd illum Democritus ob elegantem Phyſiognomiam, coëmerat atque in Medicis ac Philoſophicis erudierat. Apud Aëtium reperitur compoſitio cujuſdam Collyrii à Diagorâ deſcripti. Dioſcorides de eô præterea refert, quòd, uti dicebat Eraſiſtratus, Diagoras opium, ſeù papaveris ſuccum damnaverat, de quô in aurium doloribus, ophtalmiiſque utebantur, quoniam medicamen iſtud periculoſam ſomnolentiam producit viſumque hebetat. Quod ferè eôdem modô refert Plinius. Ante Eraſiſtratum vixiſſe videtur Diagoras ex locô Dioſcoridis jam laudatô. *Clericus Hiſt. Med. part. I.*

DIATRISTAN, de Acuna (*Chriſtophorus,*)

Ex eô habetur

Antitheſis ad Repetitionem de Tertianâ, pro Medicinâ Iberorum. Lovanii, apud Jac. Zegers, 1642. in 4.

DIAZ (*Franciſcus*) Medicus Doctor Complutenſiſque Philoſophiæ Magiſter, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Chirurgus, ad Franciſcum Valleſium, cubicularium ejuſdem Medicum, ſcripſit

Tratado de todas las enfermedades de los riñones, Vexiga y Carnoſidades de la verga y orina. Matriti apud Franciſcum Sanchez, 1588. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I.* 321.

DIDYMUS,

De eô extant

De Re Ruſticâ, Fragmenta aliquot. Extant eôdem Γεωπονικῶν, ſive de Re Ruſticâ Opere Græcô Latinôque ſæpius citatô, in 8.

De Mulomedicinâ, Capita aliquot. Extant inter Veterinariæ Medicinæ ſcriptores, qui editi ſunt Græcè quidem Baſileæ apud Johan. Valderum, 1537. in 4. Latinè verò ex interpretatione Joh. Ruellii. Pariſiis, apud Simonem Colineum, 1530. in fol.

Quæ collabentes Comitiales excitant, Fragmentum. Extat apud Aëtium Amidenum, Tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 15.

DIEMERBROECK, [*Iſbrandus de*,] Montforto-Trajectinus, Anatomes in Academiâ Ultrajectinâ Profeſſor fuit. Edidit Anatomen C. H. plurimis novis inventis inſtructam, variiſque obſervationibus & paradoxis cùm Medicis tùm Phyſiologicis adornatam. Meliùs verò feciſſet meâ ſententiâ, ſi, prout ſemel conſilium iſtud ſuſceperat, nova ſua inventa & obſervationes peculiari libellô conſignâſſet, ſicque publici juris feciſſet, quàm integram Anatomiam conſcribendo. Suaſû verò amicorum ſuorum paſſus fuit ab hôc bonô conſiliô ſe ſe dimoveri, ſibique perſuaderi, ùt integram totiùs C. H. hiſtoriam concinnaret, in eamque non ſua ſolùm, ſed & aliorum inventa nova introduceret, ut ſic unâ quaſi tabulâ totius anatomes veteris novæque facies depingi & exhiberi poſſet. Quod Conſilium tantò minùs ipſi deinde diſplicuit, quò magis obſervabat ; neminem ante ipſum hoc æquè tentâſſe. Hoc verò potiſſimum eſt, quod in hâc Anatomiâ ſummopere mihi diſplicuit, quòd prolixas tales nimiumque eva-

gantes faciat digreſſiones medicas æquè atque phyſicas, & *has* quidem multò adhuc frequentiùs quam *illas*. Deinde, quòd ipſemet in Præfatione haud diffiteatur, ſe tanquam artis delineandi imperitum, pictoribus ſua præparata relinquere coactum fuiſſe, qui eadem potiùs ità obſcuraverint, ut ipſemet agnoſcere illa non potuerit: in gratiam tamen Typographi figuras quaſdam rariores ex aliis Anatomicis ſe ſe mutuò accepiſſe & in opus ſuum tranſtuliſſe, ingenuè fatetur. Quemadmodùm verò in figuris ipſis haud raro requiſita deſideratur exactitudo, ità ſimiliter non omnia ejus inventa ità comparata ſunt, ùt iis tutò fidem adhibere integrum ſit. Cujus generis v. g. ſunt vaſa lactea, quæ per occultos & hactenùs incognitos meatus immediatè ad Veſicam ferri ſuſpicatur: Alioquin enim reddi rationem non poſſe, cur in potatoribus urina tàm citò & in tantâ copiâ ad veſicam feratur? Cur in diabete potus anteà adſumptus parùm vel nihil mutatus per veſicam reddatur &c. verum in Anatomiâ plus valet αὐτοψία quam ſuſpicio, licèt ſpecioſa illa aliàs videatur. *Goelicke Hiſt. Anat.* 152.

De eô habentur in Lind. Renovat.

De Peſte, Libri quatuor; truculentiſſimi Morbi Hiſtoriam ratione & experientiâ confirmatam exhibentes. Arenaci, apud Johan. Jacobi 1646. in 4. Amſtelodami, apud Johannem Blaeu, 1665. in 4. quæ Editio ab Auctore emendata, plurimiſque in locis adaucta eſt.

Diſputationum Practicarum Pars prima & ſecunda, de Morbis capitis & Thoracis. Trajecti ad Rhenum, apud Theodorum ab Ackersdyck, 1664. in 12.

Anatome Corporis Humani plurimis novis Inventis inſtructa, variiſque Obſervationibus, & Paradoxis, cùm Medicis, tùm Phyſiologicis adornata. Ultrajecti apud Meinardum à Dreunen, 1672. in 4. Genevæ, apud Samuelem de Tournes, 1679. in 4. Lugduni, 1679. in 4. Hæ duæ poſtremæ Editiones innumeris nævis, quibus prior ſcatet, ſedulò repurgatæ & multis figuris æneis de novo emendatis ditatæ ſunt.

De eô extant præterea in Actis Lipſienſibus ann. 1686. *pag.* 1.

Opera omnia Anatomica & Medica. Ultrajecti, apud M. à Dreunen, & Gu. à Valgeren, A. 1685. *in fol.*

QUinque ſunt ſcripta, quæ ſub hocce Operum omnium Anatomicorum ac Medicorum titulô à Filiô Auctoris *Timmannô de Diemerbroeck* Med. Doctore ac Reipublicæ Ultrajectinæ Poliatrô, eruditô ſiſtuntur orbi. Primum ex ipſis *Anatome eſt corporis humani*, opus jam ante aliquot annos typis exſcriptum, nunc vero variis in locis emendatum ac auctum. Cùm enim poſt primam editionem, ipſimet Auctori adhuc viventi plurima nova, tum ſua, tum aliorum celebriorum Anatomicorum occurrerent inventa, cœpit ille non pauca, quæ tum temporis tanquam veritati admodum conſentanea ſcripſerat, ipſe iterùm immutare, rationibus & experimentis magis ſuffultas opiniones in locum illorum ſubſtituens. Et quidem non ſparſim, ſed variis in locis correctum nunc & auctum deprehenditur hoc anatomicum opus; imprimis verò emendationem hanc in primô librô de infimô ventre notare licet, ut pote ubi tota capita reformat Auctor. Cæterùm tribus etiam in locis figuræ novæ æneæ ex Aquapendente, Caſparô Bartholinô, & Regnerô de Graeff inſertæ conſpiciuntur. Quanquam verò Anatome Diemerbroeckii creverit non ſolùm majorem in molem ſed novis figuris, ac experimentis novis exornata novam penè faciem aſſumſerit, non tamen cuncta Modernorum Anatomicorum & Autoris inventa & obſervata inibi leguntur; noluit enim Editor ſcriptô huic aliquid (certas, prout in præfatione commemorat, ob cauſas) adjungere, quod in Parentis Manuſcriptô non repererit, pollicetur tamen opportunô tempore omiſſas genitoris obſervationes publici juris ſe facturum.

Secundum in ordine ſcriptum agit *de Peſte*, quod itidem antehàc excuſum eſt, attamen in præſenti editione variis tam ipſius Auctoris, quàm aliorum Clariſſimorum Medicorum rationibus, opinionibus ac remediis auctum conſpicitur.

Tertiô locô Tractatus cernitur *de Variolis* ac *Morbillis*. Vidit hic nunc primò lucem publicam, ac ex decem & tribus componitur capitibus, quibus ſubjunguntur viginti hiſtoriæ rariores ab Auctore in Praxi obſervatæ.

Excipit hunc tractatum quartò *Obſervationum centuria*, exhibens hiſtorias & curationes variorum morborum, quæ Auctori in praxi ſuâ occurrerunt. Nullus hic obſervatur ordo, ſed promiſcuè proponuntur morbi diverſarum partium, ſemper tamen accuratè hiſtoria uniuſcujuſque affectus recenſetur unà cum methodô medendi. Sæpiùs etiam annotationes ſubnexæ ſunt obſervationibus, in quibus ex aliis practicis exempla ſelectiſſima ad comprobationem obſervationis & explicationem curæ facientia leguntur.

Tandem quintum & ultimum locùm occupant *diſputationes practicæ* in tres claſſes diviſæ. Prima continet 25. hiſtorias de morbis Capitis, olim publicè diſputatas. Altera x. de morbis thoracis, & tertia tres de morbis infimi ventris. Proponunt verò ſingulæ ſingulis diſputationibus primò hiſtoriam affectûs cum omnibus circumſtantiis, tam ratione temperamenti ægrotantis, quàm ratione cauſarum externarum ac antecedentium, ac denique principia morborum, progreſſus ac ſtatus. Abſolutâque hâc enarratione, in notis ſubnexis latiùs diſſerit de ſubjectô cujuſvis morbi definitione, cauſis ac curâ pharmaceuticâ juxta ac Chirurgicâ & diæteticâ.

DIENHEIM [*Joh. Wolffgang.*]

De eô extat

Medicina univerſalis, ſeu, de generali Morborum omnium remediô, Liber. Quô veritas facilitaſque Medicinæ cujuſdam Catholicæ, omnes omninò Morbos curantis, oſtenditur, ad eandemque adipiſcendam aditus aperitur. Argentorati, apud Lazarum Zetznerum 1610. in 8.

DIES Daza (*Alphonſus*,) Medicus Hiſpalenſis, Artium ac Medicinæ Doctor, edidit Latinè

De Ratione cognoſcendi cauſas, & ſigna tam in proſperâ, quàm in adversâ valetudine, urinarum, deque earum necis indiciis, & prænunciationibus, Lib. III. Nonnulla quoque de febribus, & diebus decretoriis. Hiſpali apud Alphonſum de la Carrera 1575. in 4.

Hiſpanè etiam:

Aviſos, y documentos para la Preſervacion y cura de la Peſte. Ibidem apud Clementem Hidalgo, 1599. in 4.

Los

Los Provechos, y duños de la ſola bebida del' Agua, y come ſe debe eſcoger la mejor. Ibidem apud eundem Carrera, 1576. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. pag.* 16.

DIETERICI (*Joh. Conradus,*)

Ex eo habentur

Jatreum Hippocraticum, continens Marthecium Medicinæ veteris & novæ, juxta ductum Aphoriſmorum Hippocratis adornatum. Giſſæ Haſſorum, ex officinâ Chemlinianâ, 1655. in 4. Ulmæ Suevorum, apud Balthazar. Kühnium, 1661. in 4.

Hippocratis Aphoriſmi illuſtrati. Gieſſæ, ex Officinâ Chemlinianâ, 1656. in 4. Ulmæ, apud Balthaſar. Kühnium, 1665. in 4.

DIETERICUS (*Helvicus,*) Darmſtadinus.

De eô extant

Reſponſa Medica de Probatione, Facultate & Uſu Acidularum ac Fontium Schwalbaci ſuſurrantium, à Celeberrimis aliquot Medicis ſcripta. Francofurti, apud Matthæum Merianum, 1631. in 4. Ibidem, apud Merianæos 1664. in 4.

Elogium Planetarum cœleſtium & terreſtrium Macrocoſmi & Microcoſmi. Argentorati, 1627. in 8.

Vindiciæ adverſus Ottonem Tackenium. Hamburgi, typis Piperianis, 1655. in 4.

DIETERICUS (*Joh. Daniel,*)

Ex eô habetur

Oratio funebris, quâ Gregoriô Horſtiô, Archiatrô Ulmenſi, parentavit. Extat cum Gregorii Horſtii Operum Medicorum Tomô tertiô. Norbergæ, apud Johan. Andr. & Wolffgang. Jun. Endteri Hæredes, 1660. in fol. Goudæ, apud Guilielmum van der Hoëve, 1661. in 4.

DIGBÆUS (*Kenelmus*) Anglus.

De eô extant

Demonſtratio Immortalitatis Animæ Rationalis, ſive Tractatus duo Philoſophici. In quorum priori natura & operationes Corporum: in poſteriori verò, natura Animæ, rationalis, ad evincendam illius Immortalitatem, explicantur; ex Anglicô in Latinum verſa à J. L. cum Præfatione Metaphyſicâ & Appendice Inſtitutionum Peripateticarum Thomæ Angli. Pariſiis, apud Jacobum Vyllery & Georg. Joſſe, 1651. in fol. Francofurti, ſine nomine ejus apud quem proſtet, 1664. in 8.

Diſſertatio de Plantarum Vegetatione, ex Anglicâ in Latinam linguam verſa. Amſtelodami, apud Joh. Duysbergium, 1660. in 12. Ibidem, apud Jodocum Pleymer, 1678. in 12.

Oratio de Pulvere ſympatheticô, Monſpelii in conceſſû magnorum Virorum ſermone Gallicô habita, & a Laurentio Strauſſio in Latinum verſa. Extat cum Theatrô ſympatheticô auctô, exhibente varios Authores de Pulvere ſympatheticô & unguentô Armariô. Ibidem apud. eoſdem, 1662. in 4.

DIGOPIUS (*Johannes*)

Ex eô habetur

Alchymia, ſive, Auri multiplicatio. Pariſiis, apud Dionyſium à Pratô, 1573. in 8.

DILECTUS (*Luſitanus,*)

Ex eô habetur

Ocyrrhoes, S. præſtantiſſimum Morborum Auxilium, Venæſectio. Venet. 4. 1642.

DILLENIUS (*Joh. Jacob.*) Poliater Giſſenſis, & M. L. ac Natur. Curioſor. Collega.

De eô extant in Ephem. Germ. Cent. 3. & 4.

Obſervatio 125. *De Plantis Novi Orbis, veteris ſpontaneis & inquilinis factis.*

Ibidem Obſervatio 150. *De Cahve Arabicô & Germanô Europæô.*

Cahve equidem, quod nuper quidam leguminoſum, alii valvulaceum eſſe, alii, à S. Dale ſine αὐτόψια nominatione perſuaſi, prægrandem Tiliæ inſtar arborem, flores pentapetalos, fructus baccis Lauri ſimiles habentem cenſent, vulgatam à Pr. Alpinô ortam ſententiam ſequentes, pro arbuſcula habemus tantiſper, donec de ejus geneſi curioſi & verſati cujuſdam Botanici inquiſitione certiùs nobis conſtiterit. Equidem porrò licet Buncho *Avicennæ* & Bunca *Rhaſis*, qui ſeculô poſt natum Salvatorem noſtrum nonô vixit ex Alpini & Veslingii, Arabicum idioma priore intimiùs callentis, ſententiâ cum Cahve ſatis conveniat, immò idem ſit, auſcultandum tamen potiùs ſummo in hiſce interpreti, G. A. Velſchio, qui Tract. de Venâ Med. Cap. XII. Ebnſinam, diverſum quid, quod idem ſit cum Naſcaphtho *Dioſcoridis*, deſignâſſe, ex Ebn Beitharo & Ebn Maarufi, auctoribus Arabibus, probatum dedit; & licèt demùm calidæ (ſimplicioris tamen) potum Antiquis familiarem, & idcircò cauponas publicas extitiſſe docti viri plures (nempe Lipſius contra Hadr. Turnebum & Freinshemius ad J. Cueferum, itemque Ant. Perſius, qui adverſarium habuit Petrum Paulum Fuſconem Tr. Ital. de Potû Cal. & Fr.) docuerint, & jus ſuum nigrum, etiam Spartani (an verò ſatis ſpeciosè hùc a nonnemine relatum? cùm ut Pollux L. 6. docet, id αἱμάτια, ſeu igne coctus ſanguis fuerit & ideò à Cicerone in Tuſcul. Quæſt. pulmentum Laconum vocetur, quo quidem nomine cum acidis juſculis noſtris ſanguine atratis ſatis convenit, ſi non idem fuerit) habuerint, res tamen omnis prorſus indubia nondum eſt, nec rationes & monumenta quædam undevis conquiſita fructûs hujus notitiam, non dico apud Antiquiores, ſed nec apud Turcas, immò nec apud Ægyptios & ferè etiam Arabes ultra duo ſecula indubitatum, quoad uſum ſaltem reddunt. Nunc ejus uſus potatioque notiſſima latiſſimèque patet ùt thermopolia eô fine per omnem Europam & maximam Aſiæ partem conſtructa paſſim cernas, & ampla cum hoc fructû mercimonia inſtituantur, non modicis ſanè reditibus, è vectigalibus & tributis talibus tabernis impoſitis, æraria publica locupletantibus. Tentavimus varia & experimenta multa fecimus, annon ad ſimilitudinem [in opinione tamen veriùs, quàm ſenſûs veritate & judicio) Theæ Germanizantis hic Europæ ex Inquilinô toſtum parari poſſet, ei, quod ex Arabicis Cahve arboris ſeminibus fit, ſi non idem, ſimile tantùm. Piſa tum huic uſui penitus inepta comperimus; phaſeoli ponderoſum & egregii ſimul coloris pulverem dabant, ſed penitus adverſum & nauſeabundi ſaporis non minùs, quàm odoris; inter frumentacea hordeum adverſi quid ſpirabat; avenam ob maciem & paleoſitatem mox abjecimus; triticum minùs benè torreri ſe patiebatur, nec ſapor ejus nobis placebat: ſecale verò expectationi noſtræ plenè planèque reſpondebat. Confecimus indè, intermixtâ ad oleoſitatem conciliandam ſufficiente amygdalarum quantitate, (qui ex folis iis parare vellet non pulverem, ſed per-

tuſionem

tuſionem pulpam mollem oleoſam acquireret) & animadverſis, quæ in omni Cahve toſtione requiruntur, circumſtantiis, juſtôque (quo, ſal jam ſemialcalinum cum oleoſis particulis rectè jungatur) toſtionis punctô, Cahve Europæum, quod tenuiter pulveriſatum & rite per coctum (eget verò aliquantùm longiore præ vulgari coctione, & ad minimum quinquies vel ſexies in ſpumam attolli debet) potum præbuit exotico planè ſimilem, immô eundem prorſus tùm ſapore, tùm odore, tùm extra omnem dubitationem viribus etiam. Hoc noſtrum Cahve ſæpiùs hujus rei gnaris juxta & ignaris appoſui, nec ii diferentiam aliquam animadvertere potuerunt. Tandem, tum quòd præ aliis leguminoſis dulces eſſent, & ideò à vermibus crebrò perforentur, tùm occaſione Obſervationis 90. Dec. III. A. V. & VI. Eph. Germ. (noſtra enim experimenta certò ante feceramus, quàm in hunc locum incideremus) fabas quoque experti ſumus, ſed nè quid diſſimulemus, potus earum, licèt ſaporis odoriſque judiciô exoticum Cahve exactiſſimè ſimularet ob affinem phaſeolis naturam ventriculum gravabat & ei negotium aliquantiſper faciebat, ceu aliàs & cephalalgiæ indè ortæ tum Arabicum tùm noſtrum fermentaceum Cahve ſubvenit, id tamen fabaceo pulveri tribui debet, quod præ frumentaceô magis ponderoſus & denſus (adeòque minoris molis) & jucundioris coloris in ſubſtantiâ ſit; verùm licèt frumentaceum eô reſpectû tùm fabaceo, tum Arabico inferiùs ſit, decoctum tamen ejus vero ſeu Arabico ſimilius, i. e. ſalubrius eſt, nec aliqualis levitas pulveris decocti præſtantiæ officere poteſt. Mayz, quod non ineptum putamus quantùm huic fini conducat, nondùm experiendo didicimus. Quod eorum cauſa, qui inquilinorum amore ducuntur & rei familiari ſtudent, lubens communicare volui. De viribus modòque operandi multa dici poſſent, quæ, quoniam obſervationis neceſſitatem non habent, conſultò omittuntur.

Ibidem Centur. 6. Append. p. 45.

Diſſertatio Epiſtolaris De Plantarum propagatione maximè capillarium & muſcorum cum Iconibus & Deſcriptionibus Herbarum aliquot novarum.

Ibidem pag. 69 De Plantarum propagatione Diſſertatio Epiſtolaris altera quâ prioris aſſerta ulteriùs explicantur & Figuris novis illuſtrantur; Præter radiolam etiam, ſuperiùs deſcriptam, duo Genera Plantarum nova, Centunculi, nimirùm & Camerariæ, deſignantur.

Ibidem Centur. viij. Obſervatio 57. De Hirudinibus & duobus Papilionibus.

Ex eô præterea habetur

Catalogus Plantarum ſponte circa Giſſam naſcentium, cum appendice qua Plantæ poſt editum Catalogum, circa & extra Giſſam obſervatæ recenſentur, ſpecierum novarum vel dubiarum Deſcriptiones traduntur Genera Plantarum nova figuris æneis illuſtrata deſcribuntur. Francofurti, apud Joh. Maximilianum à Sande, 1719. in 8.

DILLENIUS (*Juſtus Frider.*) in Univerſ. Giſſenſi Medic. Profeſſor Publ. Facultati Med. Decanus.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 3. A. 7. & 8.

Obſervatio 161. *De Strychni manici veterum vel ſolani ſomniferi Recentiorum baccis, earumdemque eſû noxiô.*

Ibidem Obſervatio 162. *De Lienis exſectione.*

Ibidem Obſervatio 163. *De Cane* μονόρχει.

Ibidem Obſervatio 164. *De ſex Lumborum vertebris in ſceletô Virili.*

Ibidem Obſervatio 165. *De Memorabilibus nonnullis in cadavere muliebri Obſervatis.*

Ibidem Obſervatio 166. *De Vulnere arteriæ magnæ per medium abdomen illæſis inteſtinis omnibus inflictô, lethali.*

Ibidem Obſervatio 167. *De Ulceroſâ phlegmone auris ſiniſtræ topico paregorico* εὐπορίστῳ *percuratâ.*

Ibidem Obſervatio 168. *De vulnere arteriæ tracheæ, Sclopetô chartâ maſticatâ, ceù referebatur, ſaltem inflictô lethali.*

Ibidem Obſervatio 169. *De Febre lentâ* ἑκτικώδει *graviſſimâ 4. hebdomadum ſpatiô feliciter curatâ.*

Ibidem Obſervatio 170. *De Febre continuâ cum dolore Occipitis & vertebrarum colli acutiſſimô, &c. ex Cerebri commotione per caſum ab altô factum, oriunda, brevi curatâ.*

EOdem locô ac tempore, vel paulò ante Dn. N. N. *Mangold*, p.m. Sereniſſimi noſtri Principis ac Domini nec non illuſtris Academiæ Ludovicianæ redituum in diſtrictû Grunbergenſi Rationarius 64. annorum, conſtitutione corporis macilentâ, cholericâ vulgò dictâ, cùm ante menſes aliquot ſub veſperam ex improviſô de ſcalis lapideis Arcis Grunbergenſis præceps in pavimentum decidiſſet, occiputque graviter illiſiſſet, ità, ùt aliquandiù ſine voce, ſineque motû ad inſtar mortui proſtratus jacuerit, brevi tamen (cute capitis leviuſculè ſaltem vulneratâ, ipsâque contuſione partis emplaſtrô vulgari perſanatâ) meliùs habere ſibi viſus omnem medicamentorum uſum neglexiſſet, non multò poſt occipitis dolorem gravativum cum perturbatione ſenſuum ac memoriæ debilitate per vices experitur. Quæ ſymptomata menſibus aliquot elapſis ingraveſcere, dolor acutus in vertebris colli cum ventriculi nauſeâ & bilis humoribus ſeroſis, permixtæ, vomitû ſpontaneô accedere, cumque febriculâ continuâ & membrorum motui voluntario deſtinatorum tremore ac impotentia urgere; urinâ rufâ, tenui & crudâ, pulsûque celeri & minùs æquali exiſtente. Accerſitus ego, in cauſas antecedentes ſive procatharticas, inquiro, quibus cognitis memor illicò graviſſimorum ſymptomatum, capitis ejuſmodi concuſſiones ac cerebri commotiones temerè neglectas inſequi ſolitorum, atque à Præſtantiſſimô Chirurgô *Guil. Fabriciô Cent.* 1. *Obſ. Med. Chirurg. ij & 12. nec non Cent.* 3. *Obſ.* 9. *c.* 4. *Obſ.* 5. *& c.* 5. *Obſ.* 8. *& ſeqq.* curioſè delineatorum, ad curam illicò me accingo; cumque nulla vel Cranii depreſſio vel fractura ſub rarô tenuique capillo appareret, ità ùt eorum deraſione opus non eſſet; nec vertebrarum colli contorſio vel diſlocatio ulla adverti poſſet; *Sacculos Cephalicos reſolventes ac diſcutientes*, ad imitationem *Fabricii* prælaudati primùm occipiti & nuchæ calidè apponi curo, præſcriptâ ſimùl ſub veſperam primæ diei *Emulſione alterante paregorica*, poſtridie verò *Sudoriferum antifebrile* tum *Cucurbitulas* ſcapulis affigendas impero; Hinc *Enemate emolliente ac leniente* alvum ſubduci ac die tertiô ſanguinem è venâ Cephalicâ S. humerali dextrâ modicè mitti jubeo; adjunctô ſtatim *pulviſculô antifebrili præcipitante* atque *Cephalicô è vehiculô appropriatô* ter de die capiendo & aliquandiù

diù continuando, non omiſſis intereà *Enematis* ac *Emulſionibus* alterantibus & paregoricis. Tum quoque *linimentis atque ſpiritibus nervinis* atque *Cephalicis*, caput & ſpinam dorſi totam, colli-que vertebras ſæpiuſculè calidè inungi atque fricari, quin & *Cataplaſmata Cephalica reſol-ventia & paregorica*, occipiti nuchæque imponi, &, ſedatâ jam intemperie febrili, *Tragema & Eclegma Cephalicum nervinum & conſortati-vum* confici curo, tandemque Ceratô de betonica & *Cucuphâ temperatiori, hauſtulôque ecco-protico* præſcriptis curationem ante 14. tùm feliciter abſolvo.

Ibidem Ann. 9. *&* 10. *Obſerv.* 238. *De Catalepſi biduanâ, cum Palpitatione Cordis horrendâ in moribundô.*

Ibidem Obſervatio 239. *De Anatome pueri aſcitici.*

Ibidem Obſervatio 240. *De Puelli rhachitici Anatome.*

Ibidem Obſervatio 241. *De Anatome Cachectici pleuripneumonici.*

Ibidem Obſervatio 242. *De Calculô* ℥j. *pondere citrà ſectionem excretô.*

Ibidem Obſervatio 243. *Ex Anatome Phthiſici.*

Ibidem Obſervatio 244. *De Mammæ ſiniſtræ exulceratione in cancrum apertum faceſcente curatâ.*

CUm vertente annô 1685. Werthemiæ cum familiâ appuliſſem, ab Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis utriùſque lineæ comitibus regentibus ac Dominis à *Lonenſtein*, *Wertheim*, *Bierneburg*, &c. Comitibus ac Dominis meis gratioſiſſimis ad Archiatri ſimul, ac Phyſici ordinarii ſpartam obeundam Darmſtadiô evocatus, inter alios ægros imprimis oblata & à D. D. *Allmacherô Prædeceſſore meô b. m.* curæ fideique meæ commendata fuit conjux *viri pluri-mum Reverendi atque Clariſſimi*, Dn. N. N. *Firnhaberi*, *Paſtoris & Eccleſiaſtæ Wertheimenſis*, è puerperiô vix tùm egreſſa, quam mammæ ſiniſtræ eryſipelate jam ante puerperium correpta fuerat, quod cùm a barbitonſore Wertheimenſi minùs ritè curatum in ulcus apertum tranſiiſſet, parùm aberat quin in cancrum exulceratum degeneraſſet; Qui tamen, divinâ benedictione præſtite, multiſque generoſis auxiliis ac remediis magnô ſtudiô ac labore diu multùmque adhibitis, quæ inter palmam ducebant, præter *univerſalia*, v. ſ. ſcil. iterata & *purgantia appropriata* benè diù continuata, nec non *diaphoretica varia*, *decoctum* nempe lignorum *primum atque ſecundum cum Mixturâ ſimplici & Tincturâ bezoardicâ ſalibuſque volatilibus*, longo item tempore uſurpata, cerevisia medicata Timæi à *Guldenklee* l. 4. Cas. Medic. 39. *ſuccus millepedarum cum vinô expreſſus*, & *externè*, ab initiô quidem, *emplaſtrum ex vernice*, *medulla crurum vituli*, *Oëſypo*, *croco & cuminô tritis è Jonſtono*. Item *Emplaſtrum de ſperm. ceti Myns. Oleum momordicæ, balſamum ſulphuris terebinthin. balſ. Peruvian. Empl. diaſulph.* Rul. & *Saturnin. Myns.* &c. præcautus atque præventus eſt; ità ut abhinc benè habuerit, & ſequenti Annô 1687. cum Maritô reverendô, Hamburgum ad Eccleſiaſtæ munus ibi obeundum Werthemiâ evocato ſalva & incolumis abierit.

Ibidem Obſervatio 245. *De Venæſectione puerulis bimulis, trimulis, quinquennibus, ſeptennibus &c. utiliter adhibita.*

Ibidem Obſervatio 246. *De Ictero & Doloribus colico-nephriticis è Calculis cyſtidis felleæ*

EOdem Annô 1686. Uxor *Domini Michaelis Hotzii Senatoris & Cauponis Wertheimenſis ad inſigne Catenæ* doloribus colicô nephriticis aliquandiù torta, indeque ictero correpta, tandem poſt uſum variorum anticolico-nephriticorum, internorum, pariter ac externorum anodynorum, eccoproticorum, linimentorum, epithematum, enematum, inſeſſuum &c. lapillos pluſculos, fulvos omninò, ac ſi felle tincti eſſent, in trullam ſedili nocturno ſuperpoſitam non ſine ſtridore per alvum excrevit, quos è Cyſtide felleâ per porum choledochum, in inteſtina deſcendiſſe & color flavus & dolores in hypochondriô dextrô ab ægrâ bene diù perpeſſi veriſimile faciebant; prout calculorum ejuſmodi in veſiculâ biliariâ collectorum paſſim mentionem faciunt obſervationes Medicorum.

Ibidem Obſervatio 247. *De Paralyſi digitorum quorumdam particulari, ob ſectionem venæ baſilicæ malè peractam.*

Ibidem Obſervatio 248. *Ex Hydropicæ Anatome.*

Ibidem Obſervatio 249. *De Febre lentâ* ἐκλικῶδει, *antiſcorbuticis imprimis & martialibus ſubacidis tandem expugnatâ.*

Ibidem Ephem. Germ. Cent. 3. *&* 4. *Obſervatio* 39. *De Pareſi ex colicâ, balſamô vitæ potiſſimum curatâ.*

Ibidem Obſervatio 40. *De Inſolitâ poricholedochi via, aliaque obſervatû digna in cadavere pueri* 13. *annorum reperta.*

ANte paucás ſeptimanas in gratiam ſtudioſorum Medicinæ aperui cadaver pueri cujuſdam 13. annorum hydrope, uti credebant, extincti. Abdomen tamen haud adeò tumere deprehendi, ſed potiùs collapſum, nec quicquam notatû dignum in exteriore ſuperficie occurrebat, præter oëdematoſum pedum tumorem qui ad tactum digiti veſtigium ſui ſatis profundum in illis relinquebat. Ubi verò cultri aciem ad infimi ventris cavitatem direxi, mox apertô abdomine viſcera omnia naturalem ſuum ſitum obtinere deprehendi & vix ultrà ℔j. aut ℔jß. aquæ in abdominis cavitate reperi. Per omenti tamen ſubſtantiam varios variæ magnitudinis globulos, ſive tubercula piſorum inſtar, diſperſos obſervavi, quorum ſinguli venam & arteriam (turgida enim hæc erant vaſa) copioſô & ſeroſô ſanguine repleta recipere videbantur.

Hinc ſuſpicari protinùs cœpi, an glandulæ forent omenti, quarum primus oculatiſſimus Malpighius mentionem fecit, an viſcidâ potiùs & forſan in hocce cadavere purulentâ materiâ repleta tubercula. Et hanc meam ſententiam confirmabat glanduloſa illorum ſubſtantia, quam in pluribus antehac diſſectis deprehendi, & albicans quæ ex illis exprimebatur materia, de pure ſuſpicionem augebat.

Sic & in hepate atque liene parvula ejuſmodi notavi tubercula, quæ pus concretum & induratum exacte referebant qualique materiâ tota pulmonum ſubſtantia diſtenta erat, & ità rigida, ut vix comprimi poſſet. Omnium autem maximè conſiderationem noſtram ad ſe trahebat porus bilarius; viam enim, quâ bilis ad inteſtinum Duodenum fertur, & eructatur, diſcipulis monſtraturus, ventriculum infra pylorum ligandum curavi, tùm duodeni partem aperio & ſordes

ſordes ſpongiâ detergo, hinc folliculum fellis comprimi jubeo. Ibi verò nulla bilis ſed ſpuma tantùm bilis prodibat, & vix locum inſertionis in duodenô ſatis notare poteram.

Rei ergo novitate ſuſpenſus in cauſas inquirere cœpi; ductum bilis, quem porum bilarium vocant Anatomici, ſatis notabilem deprehendi & viam apertam, ſed mox duorum circiter digitorum latitudine poſt ſuum ex veſiculâ fellis ortum in duos dividebatur ramos, quorum minor ad inteſtinum duodenum tendens, eidem 4. circiter digitorum tranſverſorum infra pylorum ſpatiô inſerebatur tam exilis, ùt nullum quoque ſtylum, qui ad manus fortè erant, nè minimum quidem admitteret.

Alter pori bilarii ramulus multò capacior & amplior pancreatis ſubſtantiæ inſerebatur, quin velut immiſcebatur; Vix enim digitum tranſverſum latum progreſſus per totam pancreatis ſubſtantiam, in plurimos minutiſſimos ramulos deſinens ſe ſe diffundebat & preſsâ veſiculâ plurimùm bilis ex pancreatis ſubſtantiâ in mediô diſſecta effluebat. En inſolitam bilis viam & luſum naturæ mirabilem, quem, quod ſciâm, nulli ante me obſervare licuit unquam. Nollem tamen negare, bilem per pancreaticum ductum in inteſtinum duodenum non eructari iterum, quanquam ego ut ingenuè fatear (omni licèt diligentiâ adhibitâ,) viam nullam invenerim, nec, quem uſum in arte, hæc qualiſcunque obſervatio habere poſſit, pluribus exponam, ſed hôc Tuô, Vir doctiſſime, judiciô, quô plures antecellis, dijudicandum relinquo.

Doctiſſimi Sylvii & Celeberrimi Græfii, de mutuâ bilis & ſucci pancreatici pugnâ, opinio labem hinc contrahere videtur maximam. Interim doleo de Ægri vitâ, morbô & mortis genere nihil certi me comperire potuiſſe. In pectoris cavitate quanquam plurima p. n. erant, illis tamen ſingulis recenſendis non immorabor, cum ab aliis eadem jam annotata ſciam. Pulmones coſtis & ſterno undiquè adnati erant. Subſtantia illorum indurata valdè & craſſiſſima, & p. n. omninò pulmones inveſtiebat membrana. Pericardium ultrà ℥j, aquæ continebat. E dextrô cordis ventriculô & ejuſdem lateris auricula ipſius cavæ orificiô ſanguinem grumoſum polypum æmulantem extraxi. In ſiniſtri thalami fundô albicantem quandam conſpicere licuit ſubſtantiam figuræ rotundæ, magnitudinis fabæ minoris, à pure, quod plurimùm in pulmonibus continebatur, concretam.

Ex litteris Dn. Bötticheri ad me datis.

Ibidem Obſervatio 41. *De Ductû Cyſticô retrogradô & plurimis lapillis minuſculis refertô.*

Ibidem Obſervatio 42. *De Linguâ duplici.*

Ibidem Obſervatio 43. *De Infante puella atretâ.*

Ibidem Obſervatio 44. *De Lapide Orancorum.*

Ibidem Cent. 7. & 8. *Obſervatio* 42. *De Gemellarum partû.*

Ibidem Obſervatio 43. *De Puellulâ ſeſquienni atretâ.*

Ibidem Obſervatio 44. *De Rupturâ perinæi muliebris per ſuturam curatâ.*

Ibidem Obſervatio 45. *De Obſervatione Anatomicâ.*

Ibidem Obſervatio 46. *De Oſſium pubis articulatione molli & laxâ.*

Ibidem Obſervatio 47. *De Hæmorrhagiâ uteri lethalis in puellâ ſexenni.*

Ibidem Obſervatio 48. *Menſes Matronæ nobili Octogenariæ ſalutares: Nec non alii gravidæ ex faucibus erumpentes iidem reſtituta.*

Ibidem Obſervatio 49. *De Dolore Nephriticô acerbiſſimô.*

DILLENIUS (*Philippus Eberhardus,*) Poliater Giſſenſis.

De eô extant in Ephem. Germ. Cent. VII. & VIII.

Obſervatio 50. *De ſpaſmô venæ ſectione curatô.*

Ibidem Obſervatio 51. *De Curâ Omphaloceles ſympatheticâ.*

Ibidem Obſervatio 52. *De Noxâ terroris in curâ ſalivatoriâ.*

Ibidem Obſervatio 53. *De Arthritide Hæmorrhoidali.*

Vir plebeius Gieſſenſis 40. annorum temperamenti ſanguineo - cholerici A. 1716. mens. Majo præter conſuetudinem, Hæmorrhoidibus cæcis affligitur. Chirurgus vicinus hæmorrhoicos motus & naturæ directiones ſalutares parùm cogitans, dolorem & tumorem inſignem unguentô nephriticô anodynô non tam curat quàm palliat. Durant hæc ità per tres hebdomadas; vocatus ſum, & in præcedentia æquè ac præſentia inquirens, certior fio de omnibus, & quod Chirurgus dolores Hæmorrhoidales pro nephriticis falsô habuerit. Tumor in anô diſparuit, & dolores aliàs ferè intolerabiles jam ſunt tolerabiliores, & circa os ſacrum tantùm ſubſiſtunt aliquales, è contra pedes, brachia & nucham ægri ſucceſſivis periodis miſerrimè excruciant, & quo magis circa os ſacrum evaneſcunt, eò vehementius circà prædictas partes intenduntur. *Arthritis erat vaga, ex hæmorrhoidibus* in Maſſam *ſanguineam tranſlatis.* V. S. in talô pedis fat larga, *Balneum vaporoſum, veſicatoria* in brachiis, & ſpirit. *Theriacal. Camphor.* externè, internè verò *diaphoretica, refrigerantia Cinnabarina & anodyna,* adeò benè intentioni meæ reſpondebant, ùt æger intrà 14. dies à dolorum & mali ferociâ ex votô liberaretur: externè ſpirit. theriacal. camphor. internè *Mixtura ſimplex* omniū optimè ſe geſſerunt.

Ibidem Obſervatio 54. *De Hydrophobiâ & Rabie Caninâ.*

DINGHEMIUS (*Leonh. Franciſcus,*)

Ex eô habentur

Fundamenta Medico - Phyſica ad ſcholæ Acribologiam ſtudioſè adaptata, in ſex Libros diviſa. Quibus accedit Tractatus de Febribus. Lovanii, 1678. in fol.

DINKELIUS (*Johannes*)

De eô extat

Oratio habita in ſcholâ Gothanâ, de Clariſſimô & Opt. Virô D. D. Juſtinô Pezolto, Medico, Urbiſque Patriæ Phyſico doctiſſimo. Erphordiæ, apud Eſaiam Mechterum, 1583. in 8.

DINUS de Garbo: Vide ſub titulô Garbo.

DIOCLES, Cariſthius, cujus poſt Hippocratem maxima fuit exiſtimatio, unde *Alterum Hippocratem* Atenienſes ipſum appellabant. Eundem hunc Galenus laudat, quod primus fuerit, qui libros Anatomicarum adminiſtrationum poſteritati reliquerit: Exiſtimat enim, Anatomiam;


PETRVS DIONIS ANATOMICVS
CELEBERRIMVS PARISIENSIS
Jean Gaspard Morf fe.
Graveur de Zurich 1694.

miam, in ſcholâ Aſclepiadeâ perfectiſſimè excultam & orali traditione propagatam monimentis literariis non indiguiſſe, proindè vitio ipſis non vertendum quòd de adminiſtrandis ſectionibus nemo illorum aliquid memoriæ prodiderit. Quia enim domi apud Parentes pueri exercebantur, uti lectione & ſcripturâ, ità etiam cadaverum ſectionibus, quid libris Anatomicis fuiſſet opus? Quare etiam, nè incidendi rationes cuiquam ſic edocto memoriâ exciderent, non magis erat metuendum quàm linguæ elementa ſcribere obliviſcerentur ii, qui ab ineunte ætate ipſa didicere; Poſteàquam verò, narrante ſic Galenô, temporis progreſsû non modò liberis, verùm etiam alienis artem communicare honeſtum cenſuerunt, ſicque factum fuit, ut non ampliùs in corporum conſectionibus exercerentur pueri;Hinc protinùs neceſſariò accidit, ut eam infeliciùs condiſcerent exercitatione, quàm in pueritia auſpicari ſolebant, abolitâ, quæ, quantùm ad omnia valeat, omnes priſci palàm videntur oſtendiſſe non ſolùm vocantes eos humanos, qui in Artibus excellunt, ſed breviter univerſos, qui totâ vitâ probitatis titulô inclaruerunt, quemadmodùm & his contrarios inhumanos & rudes. Cùm igitur ars [& potiſſimùm pueros in Anatomiâ exercendi] Aſclepiadum familiâ excidiſſet, deinde multis ſucceſſionibus in deterius vergeret, opus fuit commentariis, quibus ſpeculatio ipſius integra conſervaretur. *Goelike Hiſt. Anat. p. 29.*

De eò habetur in Lind. Renovato.

De Tuendâ ſanitate, ad Antigonum Regem, Libellus. Albano Torinô interprete. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1541. in fol. cum Alex. Tralliano, Ejuſdem Antonio Mizaldo interprete. Lutetiæ, apud Morellum, 1572. in 8. Francof. apud Joh. Saurium, 1612. in 12. cum Scholâ Salernitanâ.

Aurea, ad Antigonum Regem, Epiſtola, de Morborum Præſagiis & eorumdem extemporaneis remediis, Antoniô Mizaldo interprete. Lutetiæ, apud Fredericum Morellum, 1572. in 8.

Diocles etiam alium ſcripſerat librum, *de Morbis*, eorum cauſis & curâ. Galenus Fragmentum ex iſtô laudat de morbô quem Diocles affectum melancholicum ſeu flatuoſum appellabat, quemque ità deſcribebat. Oritur, inquit, priſcus ille Medicus, morbus à ventriculô, nominaturque ab aliis melancholicus, ab aliis flatuoſus, quem ſumtô cibô, maximè coctu difficili & ardorem inducente, ſputum humidum, idemque multum comitatur. Item ructus acidus, flatus, æſtus in præcordiis, fluctuatio non illicò, ſed cùm retinuerint; interdùm ventriculi quoque vehementes dolores, qui nonnullis ad dorſum uſque procedunt, concoctis deindè cibis quieſcunt, moxaliis ingeſtis,eadem rurſùs revertuntur accidentia, quæ interdùm jejunos, interdum etiam à cœnâ moleſtant, atque evomunt crudos cibos & pituitam, vel ſubamaram vel calidam vel acidam; adeò ùt nonnunquam dentes ſtupore afficiantur. Atque horum plurima ab ineunte ſtatim ætate eveniunt. Utcunquè tamen acciderint, omnibus protebantur. His præſcriptis, *Diocles* mox cauſam ſubjungens ità ſcribit, cæterum flatuoſos vocatos ſuſpicandum eſt, plus caloris, quam decet, habere in his venis, quæ alimentum à ventriculô excipiunt; ſanguinemque in ipſis craſſiorem factum. Quippè in his venis ſanguinem contineri conſtat vel hôc argumentô, quòd alimentum corpori non diſtribuitur, ſed in ventriculô manet incoctum, cùm ipſum meatus anteà ſuſciperent, magnamque ipſius partem in imum ventrem excernerent. Item quòd poſtero die vomant, ut potè non digeſtis per corpus cibis. Sed quod Calor, id quod ſecundum naturam eſt, excedat, facillimè intelliges, tùm ab æſtû, qui ipſis accidit, tum ab his, quæ ingeruntur: Siquidem juvari videntur à refrigerantibus cibis, qui videlicèt calorem refrigerare, extinguereque ſolent. Deinde alia quoque *Diocles* jam propoſitis in hoc ſermone addidit; aiunt autem nonnulli, os ventriculi, quod inteſtinis continuatur, in hujuſcemodi affectionibus inflammari, ac ob inflammationem ipſam & obſtrui & prohibere, nè alimenta ſtatutô tempore ad inteſtinum deſcendant, quamobrem diutiùs, quàm decet in ventriculô manentia & tumores, & æſtus atque reliqua, quæ prædicta ſunt, efficiunt.

Diocles *de morbis Mulierum* ſingulariter tractaverat; de Plantis quoque Librum inſcriptum *Taberna Medici* compoſuerat, ſub eôdem titulô quô Hippocrates unum ex ſuis libris inſigniverat. Tandem alterum & librum de ſeptimanis conſcripſerat. *Cleric. Hiſt. Med. part. j. Lib. 4.*

DIODORUS Euchyon ſcripſit De Polychimiâ Libros IV. quorum I. de Aquis. II. de Oleis. III. de Salibus. IV. de Lapide Philoſophorum; editos an. 1567. in 8.

DIOGENES.

Ex eô habetur

Purgatorium, pituitam ducens. Extat apud Aetium Amidenum, Tetrab. I. Serm. 3. cap. 109.

DIONIS (*Petrus*) Defunctæ quondam Conjugis Delphini, nunc autem Duciſſæ Burgundiæ Chirurgus Primarius nec non Celeberrimus Anatomicus Pariſienſis.

De eô extant in Actis Lipſienſibus ann. 1709 pag. 130.

Cours d'Operations de Chirurgie
i. e.
Curſus Operationum Chirurgicarum, in Hortô Regiô ab ipsô demonſtratarum. Bruxellis, apud Fratres t'Serſtevens & Antonium Claudinot, 1708. in 8.

Novendecim jam effluxerunt anni, quod Autor noſter corporis humani Anatomiam Pariſiis (nempe A. 1690.) imprimi curaverit; quia hæc tamen editio planè non, tertia verò Ann. 1695. & verſio Latina Genevæ A. 1696. adornata, paulò tardius ad manus noſtras pervenit, in Supplementorum demùm Tomô quartô, cujus Sectio prima quàm primùm prodibit, à nobis recenſebitur. Anatomen autem, ceu baſin Chirurgiæ, Chirurgia præſens excepit, Pariſiis itidem A. 1707. primum, mox annô elapsô Bruxellis typis exſcripta, atque non minùs quàm Anatomia, tùm in hortô Regiô Pariſinô ab A. 1673. ad A. 1680. publicè propoſita, tum x. Demonſtrationibus comprehenſa, recentioribus nihilominùs obſervationibus aucta. In primâ videlicet totidem Demonſtrationum, Chirurgia Chirurgicisque operationibus, cùm inſtrumentorum, turundarum, plumaceolorum, emplaſtrorum, compreſſarum & faſciarum apparatû, in genere declaratis, in ſpecie ſuturæ interſciſſæ, circumglomeratæ ac ſiccæ adminiſtratio reliquis operationibus cunctis præmittitur. Quales namque quomodò ſpeciatim in abdomine ritè debeant inſtitui v. g. ligatura umbilici

bilici in infante recens natô, gaſtroraplia ſutura inteſtinorum pellionum more, in hernia umbilicali & ventrali, paracenteſis, partus cæſareus, lithotomia, catheteriſmus, punctio perinæi, in partibus genitalibus utriûſque ſexûs, parturientibus, hernia inguinis ac ſcroti, nec non in affectibus ani, in II. III. & IV. Demonſtratione hinc edocetur. Tum operationes pectoris v. g. in empyemate, fiſtulis thoracis, morbis mammarum, gibboſitate, vena jugulari & broncho, in Demonſtratione V. in VI. autem medela fracturarum cranii, trepanatio, variæque operationes in oculorum malis; quemadmodum Chirurgi ſubſidia in naſi, labiorum, gingivarum, dentium, linguæ, uvulæ, tonſillarum, faucium, auricularum & glandularum diſpoſitione morboſâ, cum venæſectione capitis, in Demonſtratione VII. deſignantur. Aſt quæ artubus competant operæ, v. g. venæ ſectio, inciſio aneuryſmatis, tendinum ſutura, reſtitutio digitorum cohærentium, incurvatorum, vel panaritio affectorum, ut & digiti extirpatio, in Demonſtratione VIII. cruriſque amputatio, artificialis verò repoſitio, tractatio varicum, venæ ſectio pedis, depravatæ hujus figuræ immuttatio, callique & clavi pedis, itemque unguium carnem lædentium, remotio, in demonſtratione IX. porrò explanantur. Tandem rerum peregrinarum extractio, ſetaceum, apertio abſceſſuum, carbunculi, anthracis & tumorum tunicatorum chirurgia, cauteriorum, cucurbitularum, hirundinum & veſicatoriorum applicatio, ſuggillationis item & verrucarum auxilia chirurgica, cum cadaverum inciſione ac balſamatione, in Demonſtratione X. pertractantur. Pertractantur autem tot operationes eum in modùm, ut non ſolùm ſingulis Figuræ appoſitæ, quæ apparatum convenientem illuſtrent, & affectus morbidi, qui operam Chirurgi efflagitent, præmittantur ſed & præter remedia alia, obſervationes, ex propriâ potiſſimum Autoris experientia 46. annorum depromptæ, aliquandò interponantur vel adjungantur. Sic exomphalon haud à peritonæi dilatatione, ſed ſolâ ejus ruptione produci, frequenti ejuſmodi tumorum inſpectione anatomicâ, quâ omni peritonæo interiùs deſtituti apparuerunt, evincitur. Sic inter alios aſciticos, paracenteſi reſtitutos, aliquis ſiſtitur, cujus abdomen vigeſies quinquies acu triangulari cannulata (*trocart*) compunctum, plurium quàm viginti ſex ſextariorum ſeri effluxum conceſſerit. Nè prolixiùs adducamus, quæ de Bubonocele in utrôque ſexû feliciter ſecta, cum inteſtini etiam adhæreſcentis à ſcrotô ſeparatione; de amputatione mammæ cancroſæ, nec filô, acû trajectô, nec tenaculô, ſed ſolâ manû ſiniſtrâ, adſtipulante; de puellæ à gravi oſſis bregmatis & temporum comminutione per trepanum duodecies applicatum reſtitutione; de hydrocephali externi medelâ per duas ſcarificationes longitudinales, capiti poſteriùs & inferiùs inflictas; de curatione anthracis per inciſionem commemorantur. Ex iis autem, quæ de Empyricis ſubinde curioſiùs annotantur, imprimis Fratris Jacobi hiſtoria reſtaret innuenda, niſi Domini Mery in ejuſdem lithotomiam judicium noſtrorum Actorum Menſi Octobri A. 1700. p. 460. jamdum inſertum proſtaret.

Ibid. An. 1711. *Supplem. Tom.* IV. *p.* 20.

Nouvelle Anatomie de l'Homme &c.

i. e.

Anatomia corporis Humani nova, juxta ſanguinis Circulationem & obſervationes recentiores in Hortô Regis demonſtrata. Editio tertia, reviſa, correcta & duabus tabulis aucta. Pariſiis apud Laurentium d'Houry 1695. *in* 8.

Cum Potentiſſimus Galliarum Rex ſectiones Anatomicas Pariſiis in Hortô Regiô aliquandiù omiſſas, A. 1672. voluiſſet reſtaurari ſuamque voluntatem edictô Parlamenti A. 1673. declarâſſet, Dominus quidem de la *Chambre*, quod ipſi primario tunc Reginæ Medico, Profeſſoris Anatomiæ fungi munere haud liceret, Dominum *Creſſe*, Facultatis Pariſienſis Medicum, ſubſtituit; Autor verò noſter, qui diſſecaret & demonſtraret, fuit electus. Quam ſolerter itàque provinciam hanc ab A. 1673. uſque ad A. 1680. adminiſtrarit; Anatomia præſens, demonſtrationes, cùm oſſium octo, tùm reliquarum partium decem, continens, atque Pariſiis A. 1690. primum excuſa, nobis tamen non viſa, Genevæ autem A. 1696. Latinè reddita, uberiùs teſtatur. In duabus namque Demonſtrationibus primis de Oſſibus in genere, in tertiâ & quartâ de capitis, in quintâ & ſextâ, de trunci, atque in duabus poſtremis de artuum oſſibus in ſpecie agens, obſervationem propriam de crudeliſſimâ cephalalgiâ ex abolitione ſuturarum hincque oſſis coronalis & bregmatis eroſine, in Dominô *Raiſſant*, Medico & Regii Nummophylacii cuſtode habitam adjungit. Aſt dum reliquarum demonſtrationum priores quatuor contentis abdominis vindicat, ventriculum epulonibus & bibonibus non ſemper capaciorem eſſe, licèt denſiorem, annotat: hominem tamen, ſi unicum obtineret inteſtinum, ciborum cupidiſſimum fore, inſtar lupi cervarii & corvi aquatilis, notabili exemplo alicujus confirmat, qui per totam vitam ſingulis horis comedere habuerit neceſſe, ex hydrope autem mortuus & ab Autore inciſus, perbreve ſolummodò inteſtinum, à ventriculô ad anum protenſum, exhibuerit. Circa ſubſequentes denique demonſtrationes, quarum 5. & 6. thoracis viſceribus, 7. & 8. capitis partibus, atque 9. & 10. artubus dicatur, nihil aliud innuendum ſupereſt, quàm quod hiſce æquè ac prioribus omnibus, figurarum tabula deprehendatur præfixa.

Ibidem ann. 1711. *pag.* 426.

Diſſertation ſur la Mort ſubite.

i. e.

Diſſertatio de Morte ſubitaneâ, cum Hiſtoriâ Virginis Catalepticæ. Pariſiis, apud Laurentium d'Houry, 1710. 12.

Duobus *Lanciſii* atque *Barnabei*, Celeberrimorum Medicorum Italorum, de morte ſubitanea ſcriptis, *in Actis Menſe Apr. A.* 1708. *&* 1710. à nobis recenſitis, tertium nunc addimus de eâdem materiâ annô elapſô prioris occaſione Pariſiis divulgatum à Chirurgô experientiſſimô, cujus Curſum tam Chirurgicum A. 1709. *Menſe Martio* quàm Anatomicum, *ſupplementorum Tom.* IV. *ſect.* I. jam jam exhibuimus. Nempe cum Noſter laudati Lanciſii de ſubitaneis mortibus libros duos in *Ephemeridum Eruditorum Pariſienſium Menſis Februarii an.* 1709. *ſupplemento* legiſſet excerptos, ſuas de morte repentinâ meditationes eò minùs dubitavit literis conſignare, quo certius ex frequentiori ejuſmodi cadaverum diſſectione cognovit, talia fata cùm in Gallia, tum alibi, ab iiſdem manare cauſis. Quemadmodum enim in plurimis de improviſô examinatis per Anatomen ſanguinis circulum ſemper evidentiſſimè deprehendit interruptum, ita in eo totus hic eſt, ut partim oſtendat, progreſſivum ſanguinis motum citò ſufflaminari, culpa aut ſanguinis abundantis, aut deficientis, aut obſtaculorum in ſanguinis viâ obviorum, partim remedia

remedia quoque innuat cauſis iſtis oppoſita pro inopinata nece avertenda, Lanciſianis tamen aſſertis ubique interſperſis. Nonnullos ſiquidem, ut potiores tantummodò obſervationes tranſcribamus, ex plethorâ & tempeſtivâ venæſectione neglecta celerrimè deficere, exemplô imprimis duarum perſonarum illuſtrium utriûſque ſexûs dat comprobatum, Ducis videlicet Aurelianenſis, Regis Galliarum hodierni fratris unici, atque Principis d'*Eſpinoy*, ut pote à tantâ Apoplexiâ ſubitò jugulatarum, ut poſt mortem in utrâque ventriculi cerebri ſanguine extravaſatô turgidi apparuerint. In Fanô S. Germani cum triginta abhinc annis quatuor viri terram non procul ab Autoris habitaculô pro cellâ inducendâ ad 8. vel 9. pedes effodiſſent atque aquâ fœtidiſſima per murum vicinæ domûs tranſſudans aërem infeciſſet, hos omnes tantò velociùs vidit enectos, quantò vehementiùs ejuſmodi aër inſpiratus veſiculas pulmonum conſtringendo circulum ſanguinis inhibuerit. Ex multis aliis quibus ob viarum obturationem, ſanguinis regreſſum ad cor impedientem, ſubitò pereundum fuit, duos Regis miniſtros inferiores adducit, in quorum alterô pulmones adeò incraſſatos, ut omnem ſanguini tranſitum interdixerint, in alterô verò pulmonem dextrum pleuræ ac diaphragmati adhærentem & ſanguine vacuum, è diverſô pulmonem ſiniſtrum triplô majorem ac ſanguine ſpiſſiori & nigriori infarctum invenerit. Neque Marchiones de *Seignelay* atque de *Louvoy* alium vitæ exitum habuiſſe, quam ex ſanguinis per pulmones circulô, in illô tardiùs, in hôc celeriùs interruptô, ex inſpectione Anatomicâ ſubjungit, in quantùm in prioris cadavere membrana pulmonum mediaſtini, pericardii ac pleuræ perquàm craſſa atque duris piſique magnitudinem æquantibus glandulis conſita extiterit, in venâ verò cavâ, arteriâ magnâ & vaſis pulmonalibus ſanguis ità induratus ſubſtiterit, ut è vaſis inciſis exemptus ramos corallii referret; in thorace autem poſterioris pulmones inflati ac ſanguine repleti fuerint, cor autem magnum flaccidum & linteô humidô ſimile, nè guttulam quidem ſanguinis in ſuis ventriculis, veluti à nervulis impetuoſiùs ante conſtrictis, continuerit. Quod Petitus, primarius quondam Fratris Regii Medicus, & Quercetanus, primarius itidem Ducis Burgundiæ Medicus, ad nonageſimum ſecundum uſque ætatis annum optimè valuerint, ſummæ eorum ſobrietati, quâ nonniſi parùm alimenti quotidie aſſumſêre, maximè adſcribit. Inter cauſas pulſûs intermittentis vix removendas, præternaturalem viarum auguſtiam haud eſſe poſtremam exemplô alicujus Muſici regii, *Burry*, illuſtrat, quippe qui cibos ingeſtos continuò paucis poſt horis evomens in atrophiam atque debilitatem totius corporis eâ inciderit ratione, ut pulſus evaderet parvus & intermittens, antequam vitam deponeret, in diſſectô autem inferius ventriculi orificium totum calloſum multùmque arctatum conſpiceretur, nonniſi tantillum alimentorum digeſtorum ad inteſtina tranſmittens. Ante viginti demum annos Domina Comes de *Brienne* ab inſultû apoplecticô ad perfectam rediiſſe ſanitatem dicitur, poſtquam Noſter ipſi unô eôdemque die venam brachii, pedis, jugularem & raninam ſecuiſſet. De cæterô illuſtrem Lanciſium octogenariô ſuperiorem exiſtere atque praxin medicam per ſexaginta annos exercuiſſe, difficilem apud eos Autor inveniet fidem, qui ex brevi vitæ ipſiûs curriculô, *Actorum noſtrorum ann.* 1708. *Menſi Octobri* occaſione novæ editionis inſerto, eum tum quartum & quinquageſimum annum egiſſe, perſpexerunt. Ex locô etiam, quem Ephemeridum Collectores allegant, ſatis eluceſcit, Lanciſium neutiquam ſe ipſum, ſed Cl. D. Placentinum Medicum urbis Romæ ſeniorem, octogenariô aſſeruiſſe majorem: nullique dubitamus, quin Noſter itidem, ipſum Lanciſium ſi evolviſſet, rariorem ab hôc diſſenſum feciſſet. Sed veniamus ad hiſtoriam Virginis catalepticæ inſequentibus circumſtantiis, quas à matre, vicinis atque Medicis accepit, à Noſtrô deſcriptam. Eliſabetha *Devigne*, 25. annorum, tenerrimæ conſtitutionis, faciei ſatis elegantis, ſed ſcapularum inæqualium, dum cum matre, in celebri ſuburbiô illô Pariſienſi, quod à S. Germanô nominatur, honeſtè ac piè degit, ſub finem an. 1707. menſium primò ſuppreſſionem, paulò poſt cephalalgiam patiebatur, adeòque à frigore externô lædebatur, ut nullâ ratione poſſet calefieri & quamvis menſe Januariô ann. 1708. cum frigore magnô dolor pariter capitis increſceret, neutiquam tamen hic cum illô remittebat, verùm ad pentecoſtalem uſque continuabat ſeptimanam, quâ fluxus primùm catharralis, hinc deliria varia, demumque d. 26. Maj. primum inſultum catalepticum experiebatur. Sub acceſsû hujus, qui quotidie horâ primâ pomeridianâ contingebat atque horâ quintâ terminabatur, manû ſemper frontem incipiebat fricare, quòd fluvius tunc in caput irruere atque ſtrepitum movere ſibi videretur, mox verò oculis apertis & fixis ſine loquelâ, motû ac ſenſibus, veluti mortua, perſiſtebat, donec manum rurſus fronti adducendò finem paroxyſmi proderet. Acus brachiis & cruribus ſine ullâ infigebantur ſenſatione, paroxiſmô nihilominùs ſuperatô de dolore partium punctarum querebatur. Durante paroxyſmô artus, quaſi leviſſimi, facillimè poterant moveri, in quôcunque autem collocabantur ſitû, in eôdem permanebant, niſi talis nimis eſſet coactus, qui à motibus convulſivis accedentibus omninò mutabatur. In paroxyſmô pariter dentes ità conſtrictos habebat, ut diduci haud potuerint, aſt illô finitô nolebat alimenta aſſumere, nec quicquam horum etiam leviſſimorum ſine difficultate valebat deglutire lipothymiam potius incurrens; neque urinam per tres vel quatuor dies excernebat, imò catheteris ſubinde indigebat uſû. Taleſque paroxyſmos jam vigeſies octies vel trigeſies ſuſtinuerat, cùm intereà varii incerti rumores de eâ ſpargerentur, vulgò pro ecſtaticâ ipſam reputante, quia ſub paroxyſmi finem digitis & manibus varia pietatis edebat ſigna, nonnullis verò aliis omnem morbum pro ſimulato venditantibus. Quibus ſummus tandem Prætor permotus juſſit eam monaſteriô Virginum, quod ab hoſpitalitate dicitur, inferri atque trium Medicorum curæ committi, uſque perfectam recuperaverit ſanitatem, à menſibus jam redeuntibus atque paroxyſmis levioribus haud fruſtrà ſperandam.

DIONYSIUS, aliàs Muſſaphia (*Benjamin*,)

Ex eô habentur

Sacro-Medicinæ ſententiæ. Acceſſit ejuſdem de Aurô potabili, Epiſtola: olim preſſô Auctoris nomine in lucem edita. Hamburgi, apud Jacobum Rebenlini, 1640. in 8.

DIONYSIUS (*Paulus*,)

De eô extant

Aphoriſmi Hippocratis verſibus redditi. Veronæ, 1599. in 4.

DIOPHANES, (*Nicaenſis*)

Ex eô habentur

De Re Ruſticâ, Fragmenta aliquot. Extant in Γεωπονικῶν, ſeu, de Re Ruſticâ ſelectorum, Lib. xx. Græcè Joh. Alex. Braſſicani operâ in lucem editis. Baſileæ apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinè autem, Janô Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8.

De Mulomedicina, Capita aliquot. Extant inter Veterinariæ Medicinæ ſcriptores, qui editi ſunt Græcè Baſileæ, apud Joh. Valder, 1537. in 4. Latinè autem ex interpretatione Johan. Ruellii, Paris. apud Sim. Collinæum, 1530. in fol.

DIOSCORIDES,

Ex eô habentur

Fragmenta varia. Extant apud Aëtium Amidenum, ſcilicet,

Communia auxilia Febrium per circuitum repetentium, Tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 88.

Auxilia ad Comitiales, Tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 16.

Cataplaſmata oculorum lippientium, Tetrab. 2. ſerm. 3. cap. 96.

DIOSCORIDES (*Pedacius*) Anazarbeus, ab Alexandrinô diſtinctus, teſte Galen. ſcripſit de Materiâ medicâ, & Alexipharmacis; quæ etiamnum ſuperſunt. Vixit ætate Neronis, quod ipſe indicat, dum præfatione librorum de re Medicâ, Licinii Baſſi ſe æqualem eſſe dicit. Atqui Licinius ille Baſſus Conſ. fuit cum Craſſo Frugi ſub Nerone A. V. C. 816, teſte Frontin. de Aquæductibus. Vide Galen. præf. l. 6. ſimpl. Medicam. & l. 4. de Comp. Med. Phot. Bibl. Cod. 178. P. Caſtellan. *de Medicis Ill.* Jonſium *de Script. Hiſt. Phil.* p. 146. Morer. *Diction. Hiſt.* Dioſcoridem Olymp. 186. vixiſſe, Antonii Cleopatræque Medicum refert, ſed priori convenit, idem; Nic. Lloyd. *Hoff. Dict. T. J.*

De eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Opera quæ exſtant omnia. Ex novâ interpretatione Jani-Antonii Saraceni, *Lugdunæi.* Addita ſunt ad calcem ejuſdem interpretis ſcholia, in quibus variæ codicum Variorum lectiones examinantur, diverſæ de Medicâ Materiâ, ſeu priſcorum, ſeu etiam recentiorum ſententiæ proponuntur ac interdum conciliantur: ipſius denique Authoris corruptiora, obſcuriora difficilioraque loca reſtituuntur, illuſtrantur & explicantur. Francofurti, apud Claud. Marnium & Joh. Aubrium 1598. in fol.

De Materiâ Medicâ, Libri quinque. Græcè; Venetiis apud Aldum, 1506. in fol. Baſileæ apud Joh. Bebelium 1529. in 4. Jano Cornario caſtigatore. Græco-Latinè. Pariſiis, apud Viduam Arnoldi Birckmanni, 1549. in 8. Libri ſex Johanne Ruellio interprete. Paris. 1537. in 8. cum Caſtigationibus Jacobi Goupyli. Latinè Libri ſex, ex Interpretatione Marcelli Vergilii, cum ejuſdem commentationibus, ex ſecundâ interpretis recognitione excuſi. Cum Indice Latinè & Græcè, ſuper Autorem, atque commentationes Interpretis; Nec non de lethalibus Venenis eorumque præcautione & curatione; de Cane Rabido: deque Notis quæ morſus ictuſvè animalium venenum relinquentium ſequuntur, deque eorum curatione Lib. 1. Florentiæ apud Hæred. Philippi Juntæ, 1523. in fol. Coloniæ, apud Johan. Soterem, 1529. in fol. Et Jani Cornarii, cum ejuſdem Emblematis ſingulis capitibus adjectis; et Dioſcoridæ de Beſtiis Venenum ejaculantibus & lethalibus Medicamentis, Libri duo, eodem interprete. Cumque ejuſdem in eoſdem Libros expoſitionum Lib. III. Innumeris locis ab Andreâ Matthiolô emendati, ac reſtituti. Baſileæ, 1557. in fol. Lugduni, apud Antonium Vincentium 1554. in 16. Rurſus interprete Jano Antonio Saraceno *Lugdunæo.* Francof. apud Hæredes And. Wecheli, 1598. in 16.

Andreas Lacuna Annotationes in Dioſcoridem *Anazarbeum*; juxta vetuſtiſſimorum Codicum fidem elaboratas, addidit. Lugduni, apud Rovillium, 1555. in 16.

Εὐπόριστα ad Andromachum, hoc eſt, de Curationibus Morborum per Medicamenta paratû facilia, Libri II. Nunc primùm & Græcè editi, & partim à Johanne Moibano; Med. Auguſtano, partim verò poſt hujus mortem à Conradô Geſnerô in Linguam Latinam converſi: Adjectis ab utrôque interprete Symphoniis Galeni aliorumque Græcorum Medicorum. Argentorati, apud Johan. Rihelium, 1565. in 8.

Pharmacorum ſimplicium, Reique Medicæ Libri octo. Ibid. 1529. in fol.

DIPELIUS (*Chriſtianus*,)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1713. pag. 330.

Vita animalis Morbus, & Medicina ſua Vindicata origini diſquiſitione Phyſico-Medica, quâ ſimul Mechaniſmi & Spinoſiſmi deliramenta funditus deteguntur & mathematica evidentiâ ex ſana rationis circulô deturbantur, & integrum univerſi motûs ſiſtema concinnis vinculis nectitur. Lugduni Batavorum, ex officinâ Luchtmanniana, 1711. in 8.

PRincipia rerum naturalium adhùc latere, in Actis an. 1711. p. 391. monuimus; neque enim per ea ſatisfacere licet difficultatibus circa diviſionem continui, cohæſionem molecularum, productionem, continuationem & communicationem motûs, nec non circa commercium mentis cum corpore, quæ ab omni tempore præſtantiſſimorum Virorum ingenia incaſſum defatigârunt. Nec facile, multò minùs cujuſvis eſt ſupplere hunc defectum. Certè ſceptici de ſolutione nodorum iſtorum prorsùs deſperantes, nonniſi phœnomena admiſerunt, corpora verò realia eſſe pernegârunt; neque inventus eſt in hunc uſque diem, qui eos ſolidè refellerit. Etenim quod *Carteſius* in Meditationibus ſuis à Veracitate Dei petit argumentum & *Malebranchius* in Dialogis Metaphyſicis Dialog. 6. fuſius deducit, non multam vim habet, ad perſuadendum corporum exiſtentiam. Alii nodos Gordianos intricatiores gladiô diſſecantes ad precaria confugerunt & vel Deo immediatè, vel ſpiritui creato tribuerunt, quorum rationem reddere non poterant. Ex horum numerô eſt *Dippelius*, qui ſub *Democriti* perſonâ hactenùs fidem orthodoxam riſit, nunc *Mechaniſmum* Phyſicorum ridet. Quodlibet enim extenſorum cum ſpiritû quôdam modificante, omnium diverſarum qualitatum corporis autore, immò ipſius corporis compactore, nexû indiſſolubili cohærere defendit; quaſi verò ità intelligatur, quomodò moleculæ cohærere, motus produci, continuari & communicari poſſit, cum potiùs difficultatibus prioribus novæ addatur, de influxû nimirùm reali ſpirituum in res corporeas, quem

quem nemo hactenùs concipere ac aliis explicare valuit. Hinc capite primô, quô naturam vitæ in genere declarandam ſibi proponit, non modò animæ rationali functiones vitales in machinâ animali ſubdit, eique exploſa, dudùm ſcholæ battologia formationem proprii corporis in uterô maternô adſcribit; verùm etiam vegetabilibus, mineralibus ac lapidibus non minùs, quàm brutis animam intelligentem ac ſentientem judiciô mathematicô exquiſitiſſimè præditam tribuit. Immò corporum particulas cohærere aſſerit actû vitali & immobili cujuſdam ſpiritûs à particulis independentis eaſque intrà ſphæram activitatis ſuæ continentis ac coarctantis, totumque globum noſtrum terraqueum conſtare, cohærere ac verſari actû vitæ generalis cujuſdam & agitatores Planetarum animas eſſe. Generationis æquivocæ cauſam vivum & ſpiritualiter activum ex defunctis inſectorum myridiabus reſiduum aſſignat: metempſychoſin tamen non admittit, licèt ejus fautores, quos hodie numerô quàmplurimos eſſe ait, mechaniſmi fabricatoribus præferat, ſed animarum per traducem propagationem propugnat. Inter alia generationum æquivocarum exempla refert, quod ex ſcobe corticum quercus mictû per incuriam ſervorum ſubinde adſperſa tantam pulicum copiam proceſſiſſe expertus fuerit, ùt incolæ domus atque vicini deſerendarum ædium conſiliô angerentur. Capite ſecundô in genuinam morbi & Medicinæ originem inquirens affirmat, morbos ex ſenſatione vitæ pendere. Lædi animam & morborum ſenſû corripi per objecta externa in ſenſus animæ ad exteriora reflexos incurrentia. Duplicem nimirùm morborum occaſionem ſtatuit, alteram dum anima per reflexa ad extra ſenſus vitæ ſuæ proprios; alteram dum per deſcendentia mentis præſidentis confuſa phantaſmata læditur. Primarium objectorum externorum & cauſarum morborum occaſionalium eſſe machinam corporis humani, animæ domicilium. Hinc animam ſui ipſius Medicatricem optimam prædicat, Medici artem in eô ſaltem verſari pronunciat, ut blandioribus & congruis objectis vitam turbatam demulceat ac ſedatè ità rurſùs ſenſus infeſti impetû eandem ad reſarciendum damnum illatum & redintegrandum officinæ ordinem invitet ac excitet. Animam ad functiones corporis obeundas hujus organis ceù inſtrumentis uti. Dari in ventriculô ignem flammantem, quod ſit præcipuum concoctionis inſtrumentum, quia ſpiritus vini nimiùm hauſtus inflammatur, cùm tamen carbonibus ſine flammâ candentibus impoſitus tantùm evaporetur. Flammulam quoque Cordis defendit. Morbidorum affectuum animæ occaſiones pronunciat nimiam humorum reſolutionem & orgaſmum atque nimiam coagulationem & circulum impeditum. Cùmque bilis & ſuccus pancreaticus præcipua animæ inſtrumenta Chymica ipſi videantur, quibus alimenta aſſumta alterat; ab illorum vitiis morborum cauſas propinquas petit; ac Anatomiam Chirurgiæ quidem aliquod, Medicinæ autem nihil lucis attuliſſe affirmat. Morbi reſolutivi originem refert ad concitatiorem per ignem culinarem & ſuffuſum bilis reſolventis oleum circulum & inde ſubſequentem partium diſgregationem; coagulantes & tartareos ad ſuccum pancreaticum balſamum bilis infringentem, immò prorsùs deſtruentem. Quamvis autem in generalibus plerùmque cum Cl. *Stahliô*, Medicô Halenſi, conſentiat; in ſpecialibus tamen, theoria præſertim febrium, adeò ab eô alienus, ut (quod *Stahlius ex Sydenhamiô* inculcat) ridiculum affirmet, bona naturæ criſi per aliquod tempus poſſe graſſari febrem, nec illicô ſiſti debere. Ex ejus enim ſententiâ noxam humoribus infert, non in iiſdem invenit. Commendat contra hunc morbum medicamentum à ſe inventum, cujus unica doſis eam curat. Eſt iſtud, Oleum deſtillatum & ſeparatum à ſuô ſale ex animalis partibus quibuſcunque ex cornuta ſine ullius rei additione eò uſque rectificatum, donec nil aduſtarum fæcum nigrarum ampliùs in fundô relinquat quod vel quindecim ad minimum, repetitionibus obtinetur. Iſtud oleum 30. vel 40. guttarum, pondere ante paroxyſmum exhibitum ſomnô dulci, per quindecim interdùm horas protractô & de nullâ narcoſi ſuſpecto, febres ſepelit. Cæterùm obiter notamus ex Autore noſtrô, Amſtelodami adhuc vivere ſenem octogenario majorem, qui per 30. ferè annos benè ſemper eſuriens & paſtus benè cibis ſolidis proſperâ uſus eſt valetudine in corpore macilento ſed admodùm agili, nunquam niſi ordinariè diebus 20. aliquando etiam 30. elapſis aliquid fæcum alvinarum deponens. Denique capite tertiô mechaniſmi naturæ nullitatem oſtendere nititur, quod per eam gravitas, ſoliditas, durities ac motus explicari nequeant. Ait autem cum Mathematicis ſibi potiſſimum rem eſſe, qui ab antiquô ſuis erroribus phyſicas veritates ludibriô expoſuerint & ſimùl Dei veſtigia veraque religionis ſemina ex animis mortalium eradicare allaborârint. Quaſi verò in Matheſi doceatur, extenſionem uniformem & in infiniteſimas diviſibilem eſſe corporis eſſentiam & leges motus per extenſionem ſolam explicari poſſe. Agnoſcunt enim Matheſeos apprimè periti in ratiociniis Geometrarum circa extenſum aliquid imaginarii, nec Mathematicam in infiniteſimas diviſionem pro reali habent ſeu naturæ genio congrua, uti jam aliquoties monuimus in Actis. Dudum etiam in iiſdem docuit *Leibnitius*, leges motus ex ſolâ extenſione non conſequi, ſed altius quoddam principium ſupponere. Tolle Mathematicorum ex Phyſicâ inventa, nec quicquam ſolidi ac certi reſtabit, niſi quæ Anatomicorum & Chymicorum induſtriæ debentur. Nihil e. g. conſtabit de verô ſyſtemate mundi, de naturâ corporum cœleſtium eorumque affectionibus, de legibus motûs, de proprietatibus aëris, de iride, de legibus gravitationis, aliiſque ſimilibus argumentis. Immò vir ſummus *Leibnitius* in ſuâ Theodicæâ non demonſtrâſſet exiſtentiam Dei iſtiuſmodi, qualem Chriſtiani veneramur, (quod ante ipſum invictis rationibus præſtitit nemo,) niſi mathematicis meditationibus intellectus acumen perfeciſſet. Quæ Author phyſices principia tradit, ex *Jacobi Boehmii* ſutoris ſcriptis deſumpta ipſe fatetur; unde non opus eſt, ut imaginariis recenſendis immoremur. Etſi denique Autor confidat, ſe vere phyſicæ & Medicinæ principia Mathematica evidentia demonſtrâſſe; nulla tamen veſtigia deprehendet, qui ex Matheſi perſuaſus, nihil pronunciandum niſi explicatum, nihilque admittendum niſi probatum.

DISSALDEUS (*Franciſcus*,) Pariſienſis.

De eô extat

Pharmaconetes, ſive Pharmacitis biblos, Liber, continens pharmaca tam ſimplicia, quàm compoſita quæ in officinis parata habere debent Pharmacopœi, Lugduni Batav. apud Johan. Maire, 1627. in 12. cum Val. Cordi Diſpenſatorio. Et ibidem, apud eundem, cum eôdem, 1652. in 12.

DIVERSUS (*Petrus Salius*,) Faventinus.

Ex eô habentur

De Febre Peſtilenti Tractatus: & curationes quorundam particularium Morborum, quorum Tractatio ab ordinariis Practicis non habetur: atque Annotationes in Artem Medicam de Medendis humani corporis Malis, à Donatô Antoniô ab Altomari, *Neapolitanô*, conditam. Bononiæ, apud Johan. Roſſium, 1584. in 4. Francof. apud Hæredes Andr. Wecheli, 1586. in 8. Hardervici, apud Societatem 1656. in 8. Amſtelodami, ap. Henricum & Viduam Theodori Boom, 1681. in 8. quæ poſtrema editio emendatior ſub titulô Opuſculorum Medicorum extat.

Commentaria, in Hippocratis Libros quatuor de Morbis, luculentiſſima. Quibus non ſolùm difficillima Artis Medicæ capita explicantur, ſed Hippocratis quoque obſcuriora loca quamplurima ità enarrantur, ut, his delibatis, ad reliqua etiam ejuſdem ſcripta facilis Lectori pateat aditus. Francof. apud Nicol. Baſſæum, 1602. in fol. apud Johan. Treudelium, 1612. in fol. apud Joh. Davidem Zunnerum, 1646. in fol.

In Avicennæ Librum III. de Morbis Particularibus Corporis Humani & eorum curatione. Patavii, 1673. in fol.

DIURIUS (*Johannes*,) Bellovacus.

De eô extat

Scrinium Medicinæ, ſive: Aphoriſmi, & Collectiones Medicinales. Pariſiis, apud Neobarium, 1536. in 8.

DODARTIUS, (*Dioniſius*,) Galliarum Regis Medicus, Facultatis Medicinæ Pariſienſis Doctor regens, natus eſt Pariſiis, Annô 1634. Poſtquam humanioribus litteris operam navaviſſet, Medicinæ ſtudium amplexus eſt, atque cum tali adeò ſucceſsû ut Guido Patinus, laudum alioquin ſatis parcus, eum inter ſapientiores Doctioreſque ſæculi ſui viros annumerandum eſſe diceret & monſtrum ſine vitiô nuncuparet. Duciſſæ Longæ Villæ fuit Medicus, deinde Sereniſſ. Contiaci Principis Viduæ, ac ea defunctâ Principibus hujus natis adhæſit: Inter ſcientiarum Academiæ ſocios anno 1673. adſcriptus eſt; hiſtoriæ plantarum animum addixit, doctiſſimamque ſcripſit praſationem Libri quem Academia prælo commiſit annô 1676. ſub titulô Commentarii Hiſtoriæ plantarum inſervientis. Per 33. annos tranſpirationem inſenſibilem juxta *Sanctorii* obſervationes indagavit, de quâ Diſſertationem compoſuit. Varias etiam alias prodidit Diſſertationes de Venæſectione, de priſcorum Diætâ, deque eorum potibus, quæ nondùm editæ fuere. De Medicinæ Hiſtoriâ componendâ cogitabat; ſed à celeberrimô Supplementaryô Genevenſi Medico in hoc ſtadiô præventus fuit; Hiſtoriæ Muſices operam navavit, ejuſque de illâ commentaria Academiæ dicata extant prælúdia. Obiit 5. Novembris Anni 1707. Natus annos 73. tùm ob pietatem, tum ob ſummam Doctrinam ab omnibus deſideratus; filium reliquit, qui veſtigia Patris optimè premit, quique Regis Archiater 3. Aprilis anni 1718. nuncupatus eſt. *Moreri Dict. T. iij.*

De eô habetur

Medicina Statica Gallica, Auctore Cl. D. Dodart Doctore Medico Pariſienſi, è Regia Scientiarum Academia. Extat cum Sanctorii Sanctorii de ſtatica Medicina Aphoriſmorum, ſectionibus ſeptem diſtinctorum Explanatione Phyſico-Medica cui ſtatica Medicina tum Gallica Cl. Dodart, tum Britannica Cl. Keill Notis aucta, ſimul cùm appendice de variolarum inſitione, accedit. Auctore *P. Noguez*, Medico Pariſienſi. Pariſiis, apud Natalem Piſſot, 1725. voll. II. in 12. Hic Dodartii tractatulus de perſpiratione olim annô 1702. in Academia Scientiarum Pariſienſi ab Auctore lectus jam fuerat.

DOBRZENSKY (*Jac. Joh. Wenceslaus*,) de Negroponte in perantiquâ univerſitate Pragenſi Prof. Publicus Extraord.

Ex eô habentur

Præſervativum univerſale naturale, bono publicô inſerviens, cùm Experimentô Medicô D. Johannis Baptiſtæ Alpruni de contagione Viennenſi, in fine adjectô. Pragæ, apud Univerſitatis Typographum, 1680. in 4. Extat etiam Miſcell. Med. Cur. Germ. Ann. IX. & X. Obſ. 170.

Johannis Marci à Kroland Otho - ſophiam ſeu Philoſophiam Impulsûs univerſalem edidit. Vetero Pragæ apud Danielem Michalek, 1682. in 4.

Obſervatio de Morte horridâ febre malignâ laborantis. Extat Ephem. Acad. Nat. cur. German. Ann. I. *n.* 78.

De Artificiali Pygmaeorum efformatione. Ibid. ann. eôd. n. 79.

De Morte miſerâ Hypochondriaci ab inunctione mercuriali. Ibid. ann. eod n. 80.

Obſerv. de calculis Cyſtidis felleæ & Meatû hepaticô. Ibid ann. eod. n. 129.

De Anatome Cerebri Bovis petrefacti. Ibid. an. eod. n. 130.

De Calce Podagricorum. Ibid. ann. II. *n.* 65.

De Analogiâ terræ motûs, anno elapſo in Tyroli facti cum Hypochondriacis. Ibid. ann. eod. n. 66.

De Epilepſiâ fœminæ parturientis. Ibid. ann. eod. n. 67.

De Morte repentinâ ex morbo caduco. Ibid. ann. eod. n. 179.

De Partû impedito ob abſceſſum uteri. Ibid. ann. eod. n. 180.

De Calculo pulmonum & ventriculi. Ib. ann. eod. n. 181.

De Morte ex uſû Hellebori albi. Ibid. ann. eod. n. 182.

De Perlarum maturationis hiſtoria. Ibid. ann. eod. n. 183.

De incremento Plantarum & fructuum impedito. Ibid. ann. III. *n.* 242.

De Hæmorrhagiâ Nyctalopiam ſubſequente. Ibid. ann. eod. n. 243.

Ibid. A. IX. *&* X. *De ſalivâ contra omnem in aëre Sepentem, contagionem præſervativô optimô.*

Dec. II. *A.* IV. *Obſervatio* 29. *De Juvene bis variolis à terrore correptô.*

Nobilis & Doctiſſimus Dn. Henricus. B. Prænobilis & Conſultis. Domini Fabiani B. viri mihi dilectiſſimi Filius Septennis, conſpicit Fœminam infantem ex variolis defunctum circum portantem, ſtipemque prò ſepeliendo illô oſtiatim petentem, terrefactus, immediatè ægrotare cœpit, & graviter ex Variolis copioſis decubuit, à quibus feliciter liberatus vixit vitam incolumem decem Annis. Poſt denuò ſimili ſpectaculô fortuitò visô, iterum terrefactus, denuò variolis multò graviùs quàm anteà laboravit, à quibus tamen feliciter reſtitutus vivit hucuſque.

De primò Variolarum acceſſû non diſputarem, illum ex diſpoſitionibus jam à primò ortû in corpore latentibus ortum duxiſſe, ſpectaculumque illud Matris deferentis infantem, fuiſſe Cauſam occaſiona-

caſionalem tantùm moventem internos humores ad propellendam Materiam morbilloſam, in ſanguine dudùm latentem, quæ copioſis prorumpentibus variolis non dubito quin tota tùm evaporaverit.

At de ſecundò Variolarum acceſſû mihi naſcitur dubium; an ille ex miaſmate adhùc in ſanguine latente aut tantùm ex apprehenſione illa terrificâ purè Ideali, ſigillum varioloſum ſanguini illô inſtanti imprimente, ortum ſuum duxerit. Ego certè non aliter mihi imaginor; Notæ enim mihi ſunt Hiſtoriæ, ſic Variolas, ſic dyſenteriam, ſic etiam peſtem ex ſolô terrore alibi locorum conceptam fuiſſe. Nævi Materni fœtui impreſſi, infinitis Exemplis confirmant, ſolam terrificam apprehenſionem aut rei alicujus cupitæ & illo inſtanti denegatæ, imaginationem ſufficientem eſſe ad pingendum id in corpore Embryonis quod Mater appetiit, & quidem eô locô, ubi fortuitò manum corpori ſuo tùm appoſuit; Novi hominem mihi perquàm dilectum, qui viſô in pueritiâ ſuâ, dùm pranderet, ſpectaculô aſſidentis ad menſam hominis ſenis Apoplexiâ correpti, ità tùm terrefactus eſt, ut immediatè dextram manum & pedem inſtar ſtipitis ſibi eſſe adverteret. Habuerunt Conſanguinei ejus multos dies, quod agerent, quibus Juvenis illius brachium & pedem priſtino ſenſui reſtituerent. Hic homo Juvenis tùm erat duodecennis, jam agit 53. Annum, aliàs optimæ Complexionis & commodæ valetudinis ſed omni omninò terrore ex levi quâcunque cauſâ perculſus, immediatè brachii dextri & pedis plus minùs acutô ſenſû deſtituitur, paroxyſmuſque ille integrâ die durare ſolet, maximè ſi ſummô mane (quod ſæpiſſimè fit) id ipſi contingat. Mutationes futuræ auræ ſtupor manûs & pedis, nullâ terroris præcedente cauſâ, longè antè præſagire ſolet. Si irâ exſcandeſcat, etiam quidem torpore ſed modicô partes illæ afficiuntur. Omnium tamen plus terror ipſum percellit, ita ut unicus latratus canis inadvertenter factus, unicus repentinus intuitus aut allocutio ab homine inopinatè erga ipſum facta, brachium & pedem in ictû oculi ita ſtupidum reddant, ùt totâ impoſterùm die valdè ineptus ad munia ſua obeunda ſit, jamque ætate ingraveſcente dum tali paroxyſmô terrificô corripitur, etiam obtuſitatem capitis & linguæ modicam ſentire incipiat, unde in domô ejus Lege quaſi ſancitum eſt, ùt homines fortiter ambulent, & priùs antequam portam cubiculi aperiant, tuſſiant, leniter ſtrepitent, per hoc ſignum dantes, ſe ante portam eſſe, velleque ingredi.

Sic igitùr unicus actus terrificus tantam impreſſionem cauſare potuit, & de factô cauſat immediatè ſtuporem corpori inducendo, quæ ampliùs non eradicari, nec deleri poteſt, quam probabiliter aliquando ſequetur etiam Paralyſis.

Unde non impoſſibile, idem cum aliis morbis, nullis aliis diſpoſitionibus præviis, ſolùm per fulmen terroris, imaginationi communicatis & fortiter apprehenſis, effici poſſe; adeòque ſolam Idealem apprehenſionem fortiter Menti & poſteà ſpiritibus communicatam, ex non Ente Ens Reale in corpore noſtrô producere poſſe, ità ego, quantum per tempus licuit, ſubmittendo me ad aliorum Doctiſſimorum Virorum judicium ſentio.

Et ut rei narratæ majus pondus addatur, allego hìc litteras Clariſſimi Domini Parentis dicti Domini patientis, quas proximè causâ hujus ad me exaravit.

Prænobilis, Excellentiſſime & Magnifice Domine, Patrone gratioſiſſime.

Mille refero gratias pro memoriâ ſervi tui, ſignifico autem Filium meum Henricum paulò ante completum 8. Annum, ex ſolô aſpectû mortui Infantis puſtulati, eundem morbum variolarum contraxiſſe. Poſt decem iterùm Annos, ſine tribus vel quatuor diebus, ex ſolô & pari viſû repentinô ſimilis Infantis puſtulis pleni, recidivam cum ſummô periculô recepiſſe. Hæc prout in notatis meis habeo, fide bonâ teſtor; nec mirum, dum namque in Juventute Linui pro aliquô tempore degerem, vidi hominem ſexagenarium puſtulis mortuum & prout ex domeſticis ipſius accepi, bis antè morbum hunc ſuſtinuiſſe.

Ibidem Obſervatio 163. De Puerô tertiô ætatis annô barbatô.

NAtus eſt Puer parentibus ruſticis annô 1673. in diſtrictû Rockonienſi 7. milliaribus Pragâ ex Pagô Teirzovitz, nomine Jacobus Sima; hic tertiô jam ætatis annô in tantum ſtaturæ & roboris excrevit, ùt triturare & omnia munia robuſti ruſtici peragere potuerit, barbaque eodem annô eidem creſcere cœpit. Nunc 12. cum dimidio ætatis annum agens, inſigniter barbatus & benè aliàs reliquo corpore proportionatus eſt, excepto quòd ſiniſtrô pede claudus à nativitate ſit (pes enim ſiniſter intortus non exæquat ulnam mediam) longitudo corporis ei eſt duarum ulnarum & unius quadrantis, latitudo duarum ulnarum, Pectus eſt hirſutum, & genitalia dicitur habere inſignia, quam ob cauſam mirum non eſt cur uxorem nunc tantoperè appetat.

DODONÆUS (*Rembertus*,) Natus eſt Machliniæ Belgii A. C. 1517. factus dein ob Medicinæ ſummam peritiam Imperatoris Maximiliani II. & Rudolphi II. Archiater: tandem verò 1582. Lugduni Batavorum Medicinæ Profeſſionem publicam ſuſcepit, ibique obiit A. C. 1585. ætatis ſuæ 68.

Ex eô habentur

Stirpium Hiſtoriæ, Pemptades ſex, ſive Libri triginta; variè ab Auctore, paulò ante mortem, aucti & emendati. Antverpiæ, apud Balthaſarem & Johannem Moretos; 1583. Ibidem, apud eundem, 1616. in fol.

Trium priorum de ſtirpium Hiſtoria, Commentariorum, Imagines ad vivum expreſſæ. Unà cum Indicibus, Græca, Latina, Officinarum, Germanica, Brabantica, Gallicaque nomina complectentibus. Antverpiæ, ap. Joh. Loëum, 1553. in 8.

Poſteriorum trium de ſtirpium Hiſtoriâ, Commentariorum, Imagines ad vivum artificioſiſſimè expreſſæ: unà cum marginalibus Annotationibus. Item ejuſdem Annotationes in aliquot prioris Tomi Imagines, qui trium priorum Figuras complectitur. Antverpiæ, ap. Joh. Loëum, 1554. in 8.

Florum & Coronariarum, odoratarumque nonnullarum Herbarum ac eorum, quæ eò pertinent, Hiſtoria. Antverpiæ, apud Chriſt. Plantinum, 1569. in 8.

Purgantium, aliorumque eò facientium, tum & Radicum Convulvorum, ac Deleteriarum, Herbarum Hiſtoriæ Libri quatuor. Antv. apud Plantinum, 1574. in 8.

Frumentorum, Leguminum, Paluſtrium, & Aquatilium Herbarum, ac eorum, quæ eò pertinent, Hiſtoria. Antverpiæ apud Chriſtoph. Plantinum, 1566. in 8.

Hiſtoria Vitis, Vinique, & ſtirpium nonnullarum aliarum. Item Medicinalium Obſervationum exempla. Coloniæ, ap. Maternum Cholinum, 1580. in 8.

De Frugum Hiſtoriâ, Liber unus. Ejuſdem Epiſtolæ duæ. Unà de Farre, Chondro, Trago, Ptiſana, Crimno, & Alicâ. Altera de Zythô, & Cereviſiâ. Antverpiæ, apud Johan. Loëum, 1552. in 8.

Appendix Variarum, & quidem rariſſimarum nonnullarum ſtirpium, ac Florum quorumdam peregrinorum, elegantiſſimorumque & Icones omninò novas, nec anteà editas & ſingulorum breves Deſcriptiones continens, cujus alterâ Parte umbelliferæ multæ exhibentur. Antverpiæ, ap. Plantinum, 1574. in 8.

Praxis Medica. Amſtelredami, ap. Henr. Laurentium 1616. in 8. In eandem Sebaſtiani Egberti Conſ. & Medici Amſtelædamenſis Scholia, cum Auctariô Annotationum Nicolai Fontani. Ibidem; apud eundem, 1640. in 8.

Medicinalium Obſervationum Exempla rara. Coloniæ, apud Maternum Cholinum, 1518. in 8. Antverpiæ, apud Plantinum, & Lugduni Batavorum, 1585. in 8. Hardervici, apud Thomam Henricum, 1621. in 8. Acceſſerunt Antonii Benivenii, *Florentini*, de Abditis nonnullis ac mirandis Morborum ac ſanationum cauſis, Liber: cum Annotationibus Dodonæi. Medicinalium Obſervationum Exempla rara Valeſci de Tarant. & Alex. Benedicti. Hiſtoriæ geſtationis fœtûs mortui in uterô per annos plus quatuor, Matthiæ Cornacis, Ægidii Hertoglii, Achillis P. Gaſſari. Phyſiologices Medicinæ Partis Tabulæ expeditæ Remb. Dodonæi.

Phyſiologices, Medecinæ Partis Tabulæ expeditæ. Coloniæ, apud Maternum Cholinum, 1581. in 8.

Conſilia Medica. Extant eô in opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francofurti, apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

DOEBELIUS (*Joh. Jacobus*,)

De eô extant

Johannis Antonidæ Van der Linden Meletemata.

Medicinæ Hippocraticæ contracta edidit. Francofurti, 1672. in 4.

Lazari Riverii Operum Medicorum univerſorum, quibus continentur.

I. Inſtitutionum Medicarum Libri quinque.

II. Praxeos Medicæ Libri ſeptemdecim.

III. Obſervationum Medicarum & Curationum inſignium Centuriæ IV. cum Obſervationibus rarioribus, ab aliis communicatis, editionem ultimam auctiorem & correctiorem adornatam à Johann. Daniel Horſtio recenſuit. Francofurti, ap. Johan. Petr. Zubrodtum, 1674. in fol.

DOERINGIUS [*Michaël*,] Uratiſlavienſis.

Ex eo habentur

De Medicinâ, & Medicis, adverſus Jatromaſtigas & Pſeud-Jatros, Libri duo. In quibus non ſolùm generatim Medicinæ origo, progreſſus, dignitas, & Medici officium, prolixè aſſeritur; ſed etiam particulatim tam Hippocraticæ & Galenicæ præſtantia, quàm Empiricæ, Magicæ, Methodicæ, & Paracelſicæ uſus atque abuſus excutitur. Gieſſæ Haſſorum, apud Nicol. Hampelium, 1611. in 8.

Acroama Medico-Philoſophicum de Opii uſû, qualitate calefaciente, virtute narcoticâ, &, ipſum corrigendi, modô. Jenæ, apud Joh. Eyring, & Johan. Perfectum, 1620. in 8.

Διατριβή de Opobalſamô Syriaco, Judaico, Ægyptiaco, Peruvianô. Tolutanô, & Europæo. Jenæ, apud eoſdem. 1620. in 8.

De Calculô Renum, ejus ſectione, & diureticorum uſû, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. pag. 418.

De Muſculorum uſû, Epiſtola. Extat Ibid. pag. 519.

De Aneuriſmate, Dyſenteria, & Aqua Chalybeata, Obſervatio. Extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſerv. Chirurg. Cent. III. Oppenheimii, apud Johan. Theod. de Bry, 1614. in 8. pag. 192.

De Gangrænâ, poſt Hemicraniam, in pede oborta; ubi etiam, an pruna & uva recentia dyſentericis conveniant? declaratur. Extat ibidem, pag. 207.

De Partû monſtroſô, Pragæ natô, Obſervatio. Extat ibidem, p. 240.

De monſtroſô tumòre Omenti, Extat Ibid. p. 269.

Epiſtola, de novâ, rarâ, & admirandâ Herniæ uterinæ, atque, hanc, juſtô tempore, ſubſequentis Partus Cæſarei, Hiſtoriâ. Extat ibidem pag. 449.

De Vulnere in hypochondriô dextrô, & aliis quibuſdam Medicis. Extat Cent. I. Epiſt. Hildani. Oppenheimii, apud Johan. Theod. de Bry, 1619. in 4. p. 412.

Nicolai Muton Μεθοδοτεχνίαν ſub limam & incudem revocatam, politam, emaculatam, Annotationibus atque Controverſiis utilibus juxtà ac neceſſariis locupletatam, in publicum produxit. Jenæ, 1620. in 8.

DOGMATICA Medicina, vide ſub titulô *Empirica Medicina*, ubi diſputatio inter duas haſce Sectas ex Aureliô Corneliô Celſô exſcripta reperitur.

DOIONUS [*Julius*,] Nominis inter claros Medicos, & Profeſſores Gymnaſii noſtri famam, ac decus *Julio Doiono*, quem alii cum Tomaſino *Doleonum* appellant, Pilumno V. Cl. Bellunenſi Canonico, ſapientiſſimo, ac permunifico amico noſtro debemus. Is illum ad nos ſcribens virum fuiſſe teſtatur hôc noſtrô Catalogô, ſi quis alius, dignum. Belluni natus familiâ nobili, quæ etiamnùm claret, inſtructuſque plenô bonarum artium apparatû, ex Phyſicis præſertim, ac Medicis diſciplinis inter paucos præſtitit. Accitus Patavium Senatûs conſultô & ad Medicas explanationes accedere juſſus, publicè docuit interpres Avicennæ locupletiſſimus. Mox honeſtis conditionibus evocatus Conſtantinopolim à Venetô Conſule apud Barbaros Medicinam bienniô fecit. Indè ab alio apud Syros Conſule Tripolim ad majora ex arte commoda, & operas lucroſiores pellectus, ibi diu ægrotorum curationibus feliciter labores impendit, præſertim graſſante peſtilentiâ: quâ factum, ùt, licèt jam dives, & quietis cupidus, fruſtrà patrios penates exoptarit, ibi enim deceſſit circa Ann. 1552. neque enim qui ann. 1545. Avicennam profitebatur, Patavii; niſi poſt eum, quem ſignavimus, annum obierit ſaltem quinquennio verſatus in Oriente. Præmaturâ ejus morte, quæ multa in Philoſophiâ & Medicinâ paraverat, imperfecta reliquit, nec præter *Commentarium* de *Lithoſi*, ſeu *morbo Calculi*, quem laudat in ſummâ Philoſophiæ Dulcius poſteritati memorabile ſupereſt. *Hiſt. Gymn. Patav.* p. 307.

DOLÆUS [*Johannes*,] Potentiſſimi Haſſiæ Principis Conſiliarius & Archiater, necnon Naturæ Curioſorum Collega, edidit Encyclopediam Chirurgicam Rationalem, in quâ omnes affectus externi C. H. unquam invaſiſſe obſervati aucto-

auctoritate tam veterum quàm recentiorum ; in ſpecie verò Galenicorum, Paracelſi, Helmontii, Williſii, & Carteſianorum ex fundamentis quoad cauſas & curandi methodum ſolidè pertractantur; additô non modò de cauſis & curatióne, ſed nominibus etiam morborum, ſede affecta, accuratâ diagnoſi & prognoſi nec non diætâ ſervandâ, Auctoris libero ubivis judiciô ; unà cum ſelectis & multiplici experientiâ confirmatis ad eoſdem abigendos remediis ; quâ occaſione etiam plures difficultates Anatomico-Chirurgicæ reſolvuntur, res Medico-Chirurgica illuſtratur, & omnia ſecundum rectam rationem & ſanioris experimentaliſque Philoſophiæ principia dilucidè demonſtrantur, de qua, priuſquam adhùc ederetur, honorificè admodùm ſenſit *Waldſchmidius* in inſtitutionibus Medicinæ, nempe quod perfectius opus nulla unquam ætas viderit, eò quòd non ſolum omnia ad Chirurgiam ſpectantia nova & accurata methodô recenſeantur; verum etiam egregia ſimul remedia cuilibet affectui adpropriata fideliſſime deſcribantur. Neque negandum eſt, ſtrenuum ubiquè reformatorem egiſſe *Noſtrum*, & ſuperflua reſcindendo & neceſſaria ac deficientia ſupplendo. *Goelicke Hiſt. Chir. p.* 250.

De eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Theatrum Theriacæ Cœleſtis Hoffſtadianæ, hoc eſt, Delineatio Originis ingredientium ex tribus Regnis, Vegetabili, Animali & Minerali, deniquè virium & modi uſûs Theriacæ Cœleſtis; cum notabili augmentô; confectæ à Johanne Dieterico Hoffſtadio, Pharmacopœô Chymicô Hanovico. Hanoviæ, apud Aubrium 1680. in 12.

Encyclopedia Medicinæ Theoretico-Practicæ. Quâ tam veterum, quam Recentiorum, Paracelſiſtarum nempe, Helmontianorum, Williſianorum, Sylvianorum, Carteſianorum, de Cauſis & Curationibus Morborum ſententiæ exhibentur. Additâ ſimul Authoris de his opinione. Unà cum Medicamentis Galeno-Chymicis, ut plurimùm ab ipſô Authore experientiâ comprobatis. Francofurti ad Mœnum, apud Fridericum Knochium, 1684. in 4.

Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. ann. VI. *&* VII. *nu.* 58.

Obſervatio, de Podagrâ lacte curatâ. De Cutis Tigris uſu in partû difficili. Ibid. A. eod. n. 59.

De Arteriotomiâ. Ibid. ann. eod. n. 60.

De Vulnerum à ſagis illatorum mirâ curatione. Ibid. ann. eod n. 61.

De lapidis Hæmatitæ viribus. Ib. ann. eod. n. 62.

De Præcoci menſium fluxû. Ibid. ann. eod. n. 63.

De Matre fœcundâ nunquam menſes paſſa. Ibid ann. eod. n. 64.

De Puellâ Aſcitica curata. Ibid. ann. eod. n. 65.

Obſervatio de Lapidibus, varias tum arborum, tum fructuum, tum animalium figuras exprimentibus. Ibid. ann. eod. n. 66.

De ſudore Cœruleô dextri Hypochondrii. Ibid. ann. eod. n. 67.

Ex aſcitici exenteratione. Ibid. an. eod. n. 68.

De Ovario muliebri. Ibid. an. eod. n. 131.

De moxâ antipodagricâ Germanicâ. Ibid. ann. 9. *&* 10. *n.* 128.

De ſtrepitû Oſſium. Ibid. ann. eod. n. 129.

De Vermibus in ſalivâ. Ibid. ann. eod. n. 130.

De vulneris ſive fiſtulæ Ventriculi felici curatione. Ibid. ann. eod. n. 131.

De Lacertâ alatâ. Ibid. ann. eod. n. 132.

De ſalis cornu cervi volatilis ad tactum frigiditate. Ibid. ann. eod. n. 133.

De novâ dentis Canini erupitone in virô octogenariô. Ibid. ann. eod. n. 134.

Ex Exenteratione Ancillæ Hæmoptyſi extinctæ. Ibid. ann. eod. n. 135.

De Auri fulminantis improviſâ detonatione. Ibid. an. eod. n. 136.

De Puellâ Bilingui. Ibid. ann. eod. n. 137.

De Anû puerperâ. Ibid. ann. eod. n. 138.

Obſervatio de Hepate. magnô & Lapide Cyſtis. felleæ, Ibid. ann. eod. n. 139.

De Inſectis per faſcinationem. Ibid. Decur. 2. *an.* 1. *n.* 37.

De Puellâ à variolis Aphonâ factâ, & poſt ſeptennium inopinatò à Naturâ ipſâ reſtitutâ. Ibid. an. eod. n. 38.

De vulnere Cor pertranſiente, non illicò lethali. Ibid. Decur. II. *ann.* II. *n.* 188.

Et rurſus de eô habentur in iiſdem *Miſcel. Cur. Decur.* 2. *ann.* 3.

Obſervatio 169. *De Epilepſiâ Saltatoriâ.*

HAc in Civitate degit filia ſeptimum nondùm egreſſa annum ; quæ continuò movebatur, ac ſi ſaltaret vel choream duceret S. viti ; Medici à vermibus hoc malum productum ſuſpicati ſunt & plura anthelmintica fruſtrà exhibuerunt ; ego tandem in Conſilium vocatus ; internè liquorem C. C. ſuccinatum præſcripſi, externè verò nuchæ *Aſtrum* meum *Cephalicum* quod ex camphorâ & oleô ſuccini componitur, applicui, quâ bigâ medicamentorum intra unius menſis ſpatium, Deo T. O. M. benedicente, filia convaluit, & nunc optimè vivit, *Hannoviæ.*

Ibidem Decur. 2. *ann.* 4. *Obſervatio* 118. *De Exanthematibus ſcorbuticis nigerrimis, totum corpus defœdantibus.*

Ibidem Obſervatio 119. *De Tumore volatili.*

Ibidem Obſervatio 120. *De Infauſtâ inunctione mercuriali.*

Ibidem Decur. 2. *An.* 5. *Obſervatio* 135. *De Iſchuriâ lethali.*

RArum eſt quod Romæ obſervavit Celeberrimus Noſter Ettmullerus, Amicus poſt buſta etiam colendus, in Principis Tuſciani Iſchuriâ letali laborantis cadavere; in quô ſolæ glandulæ proſtatæ ad radicem penis tumefactæ inventæ fuerunt; à quô tumore lethalis urinæ ſuppreſſio oborta fuit, cui obſervationi & hanc addere lubet: Vir ſexagenariô major Paſtor noſter Gallicus ex Galliâ propter religionem profugus, *l'Enfert* dictus, iter ſuſcepit Rintelium, in viâ poſt aſſumptum Bryanium incidit in colicam, quam comitabatur urinæ ſuppreſſio, urinam neque catheter neque candela cerea, neque optima alia remedia tum interna tùm externa, balnea aliaque prolicere poterant, tandem accedentibus vomitû, ſingultû momentaneô & convulſionibus, decimô morbi die placidè moritur; poſt mortem, diſſectô cadavere nil mali in renibus, veſica verò erat inſtar capitis in immenſum extenſa & ſanguine ſeroſô referta, glandulosæ proſtratæ erant inſtar pugni tumefactæ inventæ cum maximâ duritie, à quô tumore collum veſicæ & inteſtinum rectum ita comprimebantur,

ùt urinæ & fæcibus tranſitus denegaretur, hinc lethalis hæc urinæ ſuppreſſio noſtrô judiciô orta fuit, quare multorum morborum cauſæ latent in hiſce glandulofis partibus, hactenùs à pluribus Medicis malè neglectis.

Ibidem Obſerv. 136. *De Atrophiâ unius lateris.*

Ibidem Obſervatio 137. *De Motû Fœtûs in uterô Matris jam exſtinctæ.*

Ibidem Obſervatio 138. *Ex aſſumptione* XII. *gran. theriacæ Cœleſtis, Mors ſecuta.*

Ibidem Obſervatio 139. *De Filiâ urinam per inconſuetam viam reddente.*

Ibidem Decur. 2. *ann.* 6. *Obſervatio* 75. *De Lapide veſicæ figuram Infantis mentiente.*

Ibidem Obſervatio 76. *De viâ lactis extraordinariâ in Fœminâ.*

Sequentem ex Belgiô caſum mihi communicavit *Cl. Dn. D. Hooghmaade, Practicus Lugdun. Batav. Celeberrimus & feliciſſimus*; Uxor prætoris in vicô Auſthooren lactans puerum, gravida iterum fit, hinc puerum ablactavit. Ex aliorum Medicorum perſuaſione neglexit exſuctricem (quæ hic loci ad exſugendum lac adhibetur) rata lac ſuâ ſponte evaneſcere. Verùm dextra mamma inſigniter intumuit & paulò poſt *noctû quâdam ſenſit copiosè lac cum dolore in os proſilire*, mamma verò ſtatim prorsùs detumuit. Hinc quartô graviditatis menſe à me conſilium petiit, ſed ſuaſi illi ùt hanc lactis ſcaturiginem naturæ committeret; (lac omne deglutiebat, ſic iterùm in proprium nutrimentum cedebat) nullus enim dubito, quin inſtante partûs tempore hic lactis fonticulus obturetur atque lac priſtina relegat veſtigia. Cauſam addit, conjeci in vas quoddam Chyliferum, quod cùm ſe in mammam exonerare nequiret, impetû in os ſive per ſe ſive per glandulam, viam fecit. A ſalivalibus laxatis deducere commodè nequivi, eò quòd fonte hòc ſaliente mamma è veſtigiô detumuit, hinc indè itàque copiam derivâſſe proximum eſt conjicere; hactenùs ille. Quæ de hâc re mea ſententia eſt, videri poteſt in Epiſtola meâ ſecundâ ad Cl. Dn. Waldſchmidium; aliorum tamen doctius de hâc re exſpecto judicium.

Ibidem Decur. 2. *ann.* 7. *Obſervatio* 130. *De Puerulô quatuor annorum Calculô afflictô.*

Ibidem Obſervatio 131. *Abſorbentia alvum quandoque laxant.*

Ibidem annô 8. *Obſervatio* 129. *De Polypô Inſigni in corde Phthiſici cujuſdam repertô.*

Ibidem Obſervatio 130. *De bubonoceles ſphacelatæ curâ, rejectâ corrupti inteſtini parte.*

Ibidem Obſervatio 131. *De Transfuſione ſanguinis in cane.*

Ibidem Obſervatio 132. *Imaginatio in gravidis ut agat?*

Ibidem Obſervatio 133. *De Vomitû poſt paſtum affligente, cum examine Cadaveris ægroti à tali morbô extincti, à D. D. Du Clerc. Dn. la Serre communicato.*

Ibidem Obſervatio 134. *De Fœtû viginti ſex annos in matre hærente.*

Iſto hic Epiſtolam D. D. Bayle D. M. Tholoſæ ſcriptam die 22. menſis Junii an. 1678. ad authorem Ephemeridum Eruditorum, in quâ continetur compendioſa fœtûs viginti ſex annorum hiſtoria.

Margareta *Matthieu* uxor Johannis *Puget* tonſoris lanarii anno 1652. uterô gerens, circa finem noni menſis geſtationis ſuæ eos perpeſſa eſt dolores, iiſque mitibus ſtipatos, a quibus vulgò vexantur parturientes. Lochia excrevit, ſed fœtus in lucem nequaquam prodiit; per viginti annorum ſpatium motus quoſdam percepit variis cum incommodis, juxta quorum vehementiam Chirurgum ſuum ordinarium efflagitabat, ùt apertô ipſiûs uterô, illam ab importunô iſtô onere liberaret; per ſex ultimorum annorum curriculum nihil ampliùs perſenſit; ſed nuperis hiſce diebus malè ſe habens, à Chirurgô ſuô iterùm expoſtulavit, ùt ſtatim ab ipſius obitû, fœtum quem geſtabat, ab uterô educeret.

Dictâ muliere die 18. menſis Junii 1678. fatô functâ, die proximè ſubſequente cadaver illius apertum fuit: & fœtus mortuus, in abdomine extra uterum repertus eſt nullô cum uterô vinculô conjunctus, capite inferiora versùs deturbatô, natibus ad ſiniſtrum latus declivibus, alterô brachio capiti impoſitô, & alterâ tibiâ verſus exteriora implicatâ à ſiniſtrô femore ad dextrum tendente, quod verò ad peculiarem, quem brachia tibiæque obtinebant, ſitum, videatur figura in Ephemeridibus Gallicis expreſſa.

Fœtus iſte contectus erat à tergô Epiploo duobus digitis tranſverſis craſſo, & variis corporis illius partibus validè adnato, adeò ùt ſcalpelli ſolùm ope ſeparari poſſet, pauco, dum ſepararetur, effluente ſanguine.

Cadaverculum iſtud octo libras, quarum unaquæque ſex decim uncias valet, ponderabat. Cranium in plures partes erat diffractum, cerebrum conſiſtentiâ & colore unguentum roſatum referebat. Carnes rubrô gaudebant colore iis in locis, in quibus Epiploo adhæreſcebant. Aliæ verò ſubalbidæ aut flavæ vel ſublividæ apparebant, exceptâ linguâ, quæ naturali mollitie atque colore potiebatur. Partes omnes internæ marcidæ conſpiciebantur, colore nigrô perfuſæ abſque ullô ſanguinis veſtigiô, ſi cor exceperis, quod aliquantulum ruborem conſervaverat. Frons, aures, oculi, naſus, os obducta inviſebantur, materiâ quâdam cartilaginosâ digitum tranſverſum craſsâ, quâ ſublatâ, partes apparuere quales in ſupradictâ figurâ exhibentur. Diſciſſis gingivis, dentes eâdem pollentes magnitudine quam in adultis poſſident viſi fuere. Corpus iſtud omni penitus caret fœtore etiamſi jam ante tres dies à matris abdomine fuerit exemtum.

Mirum quid id eſt, quod fœtus ille extra uterum & omni cum ipsô conſortiô orbatus per viginti ſex annorum ſpatium abſque putredine in abdomine ſubſtiterit. Corpus iſtud à natibus ad ſummum caput undecim pollices aut circiter obtinebat. Mater, circa ſexageſimum ætatis ſuæ annum obiit.

Ibidem Obſervatio 135. *De Libellâ novâ.*

Ibidem Anno 10. *Obſervatio* 68. *De Febre continuâ, Vomitû atrabilariô, alvi fluxû bilioſô, & tandem Phthiſi à Diarrhœâ Ovis induratis ſuppreſsâ.*

Ibidem Obſervatio 69. *De Purgantium poſt Diarrhœam nuper ſuppreſſam Uſû maximè ſuſpectô.*

Ibidem Obſervatio 70. *De Purgantium uſû in alvi fluxû, præſertim infantium, periculoſô.*

Ibidem Obſervatio 71. *De Abſceſsû internô abdominis à purgante diſruptô.*

Ibidem Obſervatio 72. *De Mure albiſſimô.*

Ibidem Decur. 3. *Ann.* 2. *Obſervatio* 74. *De Convulſionibus poſt Conſolidata pedum ulcuſcula.*

Ibidem Obſervatio 75. *De Febre & Epilepſiâ amatoriâ.*

Ibidem Obſervatio 76. *De Injectione mercuriali in fiſtulam.*

Ibid. Obſervat. 77. *De Atheromate ſub linguâ inſigni, loquelam impediente.*

Ibidem annô 4. *Obſervatio* 62. *De ſarcomate Figurâ fermè Orbiculari.*

Ibidem Obſervatio 63. *De Opiô anthelmenticô.*

Ibidem Obſervatio 64. *De Calculi extemporaneâ generatione.*

Ibidem Anno 5. *&* 6. *Obſervatio* 253. *De Miſcellaneis notatu dignis Chirurgo Medicis.*

OBſervationes haſce nomine Exercitatiſſimi Dn. Verduini, chirurgi Amſtelodamenſis Clariſſimi, Amici noſtri ſuaviſſimi, curioſis noſtris communicare voluimus qui inter alia hunc in modùm ad me tranſcripſit. Poſtrèmô pergratum mihi erit, ſi caſus tuos Chirurgicos mihi notum facere placuerit; ſequentes Tu accipe, Præcedenti annô, Juveni quindecim annos nato, præſentibus & adjuvantibus *Genero* & Filio, calculus ovô columbinô major, apparatu majori, exſectus eſt, in cujus mediô acicula inventa eſt, calculi autem extremitatibus, inter extrahendum quadantenùs contritis, globulus & cuſpis antea abſcondita, detexebantur. Jam quæſtio eſt, quâ viâ hæc acicula veſicam ſit ingreſſa? quidam eam deglutitam, membranas inteſtini recti ac veſicæ permeaſſe autumant, quod & mihi & pluribus non veriſimile videtur, quippe quod globulus, quo alterum aciculæ extremum eſt munitum, tranſitum impediret; ſed multò probabilius eſt, eam per meatum urinarium intrâſſe, ſive illud negligentiâ cujuſdam mulierculæ, quicquam hâc aciculâ ex pene eximere conantis, factum ſit, ſive aliô quodam caſû; à primis enim cunabulis infans malè cœpit habere magnis conatibus purulentam reddendo urinam, imò ter inter pus, paulatim auctum, vermes ſatis longos excrevit, quorum duos in meatû hærentes, à Chirurgô extrahi neceſſe fuit. Patiens hic Divinâ benignitate optimè eſt ſanatus, & ab omnibus ſymptomatibus liberatus.

Alius caſus, præcedenti infrequentia non eſt minor. Alio cuidam juveni novemdecim præter propter annos natô anteà bis à diverſis lithotomis, calculis liberatô, novus in ſcrotô accrevit calculus, forſan ex fragmentô quodam præcedentis inter extrahendum contritô, & inter cutim & muſculos in peritonæô remansô, ibique deliteſcente. Hic calculus ſexennii ſpatiô ita auctus eſt, ùt Beſſis pondus adæquaret; quâ mole ac pondere cutis extenſa & extenuata, lapidem diutiùs retinere non valuit: Verùm ea ſuppurata ac quadantenùs gangrænata, ultrô decidit, ægro ex prioribus operationibus perterritô omnemque Chirurgiam denegante. Poſtquam tamen calculus excidit, Chirurgus Chriſtianus *Brouver*, vocatus, partem affectam tractavit, & quantùm potuit curavit, ſed non ut hic, ad gloriolam ſibi captandam, gloriatur, ſanavit; Æger enim relictis quibuſdam fiſtulis, urinæ involuntarium tranſitum præbentibus, miſerrimè vivit.

Addam tertium inſolitum atque nuperum caſum; Juvenis quidam triginta annos ætate major, quâdam mejendi laborat difficultate, unde calculum ſibi in veſicâ latere ratus, tereti quodam inſtrumentô plumbeô, propriâ manû id explorare ac difficultatem mejendi demere conatur; quô inſtrumentô in meatum urinarium ductô, ac ibi rupto, pars ejus in veſicam labitur. Hinc præcedenti mejendi difficultate auctâ, aliiſque ſymptomatibus accedentibus, æger tandem lithotomi explorationem admittere cogitur, quæ, propter meatus urinarii, ex carunculis, anguſtiam ægrè fieri poteſt, cathetere tamen inductô Calculus ſectione indigens ſentitur, quæ lithotomô prædicto, Samuele Benarento, Judæo, pluribus ut & me præſentibus, & Genero adjuvante, ſextô Iduum hujus menſis, Harlemi feliciter eſt inſtituta, plumbei illam ſtili portionem indicis longitudinis, totamque materiâ lapideâ obſeſſam extrahens, patiens pro re natâ benè ſe ſe habet, & priſtinæ valetudinis recuperandæ non exigua affulget ſpes. Ex his aliiſque exemplis liquidò patet, ſi in veſicâ, imò extrà veſicam, modò quid ſit, cui materia lapidoſa alluente duntaxat urina, ſe ſe affigere poteſt, facilè calculos oriri; Imò Dom. Abr. Cyprianus Medicus & lithotomus eximius mihique familiaris, retulit nobis, ſe ſe ſubindè portiunculam ſtraminis, cani per penem in veſicam truſiſſe, quô quôdam tempore pòſt diſſectô, calculus in veſicâ reperiebatur in cujus mediô ſtraminis portio latebat. Quare in hâc operatione cautè eſt proſpiciendum, nè ullus lapillulus aut fragminis quicquam in veſicâ relinquatur, unde novus facilè poſſit oriri calculus.

Ibidem Obſervatio 254. *De ſingulari viſus ſymptomate.*

PUerulus unius anni & quatuor ſeptimanarum, quotiès defertur in conclavi radiis ſolaribus aut candelæ illuminatum, totiès inſigniter intumeſcunt oculi, colore rubicundô ſuffunduntur, lachrymæ fluminis inſtar fluunt, ſalivaque aquoſa tenuis, canis ad inſtar rabidi in magnâ quantitate ex ore deſtillat, eô tempore nihil videt, ſed maximô ac miſerrimô clamore omnes adſtantes ad commiſerationem invitat, quàm primùm verò iterum defertur in conclave radiis deſtitutum, oculique Tincturâ croci ac Benzoini illinuntur, illicò tumor ac rubedo ſecedit & pancratice vivit, intereà quoad omnes partes ſanus libenter edit & bibit, aſſumptaque in laudabilem Chylum mutantur. Hujus mali cauſam puto conſiſtere in tenuitate fibrillarum, ideôque juſſi, ùt vitam degeret in camerâ quâdam obſcurâ, quæ ſucceſſivè illuminaretur, quô ſucceſſû temporis aſſueſcat radiis ſolaribus. Ex relatione etiam Matris habeo, quod ipſa puerulô illô gravida, cùm aliquandò in templum iret, ſpeculo ſoli obverſo fuerit moleſtata.

De illô prætereà in Actis Lipſienſibus hæc habentur, ann. 1689. *pag.* 559.

Encyclopedia Chirurgica Rationalis &c. Francofurti ad Mœnum, ſumtibus Friderici Knochii, 1689. *in* 4.

INter Recentiores, qui Praxin non ſolum modò Medicam ſed & chirurgicam ad evidentiora Phyſices & anatomes principia ſedulò reformare fuerunt anniſi, apud Batavos cum primis *Bontekoe*, *Overkamp*, *Blancardus*, *Muys*, *Solingen &c.* hactenùs eminuere. Palmam tamen hiſce ſi non præripit, dubiam ſaltem facit Autor noſter clariſſimus, qui haud contentus interna corporis noſtri pathemata morbida ſexennio ab hinc in *Encyclopædiâ Medicâ* A. 1685. p. 131. à nobis recenſita dilucidâſſe, in Encyclopædiâ præſenti

præſenti Chirurgicâ, quo fidem tùnc datam coacervata inter Praxeos & Aulæ negotia liberet, ſimulque ſtrenuum utrobique agat Reformatorem, externis morbis eâdem methodô extricandis operam addicit, eôque quidem, Præfatione innuente, promptius, quantò avidius Opus primùm fuiſſe arreptum, vel ex novis hujus editionibus brevi temporis intervallô, & in Belgiô bis idiomate eôdem Latinô & ſemel in Anglia lingua huic vernacula repetitis, præter ſpem intellexit. Omnem ſiquidem Chirurgiam tyronum gratia ſeptem hic comprehendens *libris*, horum *primo* morbos capitis externos, *ſecundo* Thoracis morbos, *tertio* morbos externos Abdominis, *quarto* morbos partium genitalium utriuſque ſexûs, *quinto* affectus artuum ſive variarum corporis partium tum magnitudinem vitiosè augentes, tùm cutem deformantes, *ſexto* morbos artuum ſive variarum corporis partium tam magnitudinem vitiosè imminuentes, quàm continuitatem diſſolventes, *ſeptimo* denique manuum & pedum in ſpecie morbos, capitibus diſtinctis ità pertractatos ſiſtit, ut ubivis quoad pathematum ætiologiam æque ac medelam, quid Anteſignanis illis famoſiſſimis, Galeno, Paracelſo, Helmontio, Williſio, Sylvio, & Carteſii aſſeclis, pariter atque ſibi videatur ultro pateſcat. Quod per ſingula nihilominùs Libri cujuſvis capita in præſenti deducere cum prolixum nimis ac tædioſum foret, ſufficere poterit, nonnulla ſaltem circa Autoris tum fundamenta, tum Obſervationes, tùm Medicamina denique delibâſſe. Scilicet propriam Autor ſententiam circulantium humorum motui, cum Deaſtra veterum Natura paria facienti, ſuperſtruit, internas morborum cauſas nonniſi in ſuccis vel canalibus indagans, quorum illi defectû, acredine acidâ, motû tardiore vel craſſitie peccare videantur, nunquam copia, in quantum aliis nunc omiſſis rationibus, in morbos incidentes ad pondus librati leviores, quàm ſani dum erant, deprehendantur; horum verò ſive canalium vitia, Obſtructio, Apertio, Inflexibilitas, Teneritudo, ac Motus convulſivus vel paralyſis obſerventur; pediſſequarum adinſtar, pro reliquis morbis patrandis, Calculo, Pure, vermibus, Flatibus ac contagiô interno ſeſe habentibus. Quod verò Autoris Obſervationes, necnon medicamenta potiſſimum ea, quorum præparationem ſimul communicat, promiſcuè concernit, Trepanationi ſæpiùs præter fotus externos, injectiones in cerebrum per nares anteponuntur. Fiſtulæ lachrymali cauterium Auctoris indolens, quod ex cineribus fraxini ſacculô linteô incluſis conſtat, præcipitur imponendum. Succum taraxaci lacteum oculis inſtillatum leniter mordicare quidem, attamen viſui clarificando & cuticulæ in ungue abſumendæ inſervire optime. Vermem ex aure alicujus nuper egreſſum longitudine digiti, capite inſtar ſerpentis præditum. A cepâ manibus comminuta nuchæ in filiâ 13. annorum applicita hæmorrhagiam narium, omnibus etiam nobiliſſimis remediis incaſſum adhibitis, confeſtim fuiſſe ſedatam. In Aphoniâ aliiſque affectibus cephalicis, Aſtrum Autoris cephalicum, ex oleô ſuccini & camphorâ compoſitum, præ aliis conducere. In reſolvendis tumoribus ſtrumoſis linimentum Autoris ad ſcrophulas maximi videri uſus. E thorace ſuppuratô infantis cujuſdam tertium annum nondùm egreſſi, ſpicam frumenti materiæ purulentæ admixtam prodiiſſe. Modus exponitur, quô chirurgus quidam Francofurtenſis *Almacherus* luxationis vertebrarum introrsùm factæ reſtitutionem a multis pro impoſſibili planè habitam, ſoleat perficere. Neque dexteritas reticeatur Chirurgi cujuſdam *Melling*, Caſſellis gibboſos vinculô idoneô ad tempus ſuſpendentis, ut vertebræ reponantur. In cancrô mammarum non exulceratô expertum celebratur colcothar edulcoratum & cum aquâ albuminis ovorum in cataplaſma redactum. Vulnera Ventriculi non ſaltem ſuperficiaria ſed & profunda Limburgi ac Deciæ ſanata perhibentur. In virô quôdam Francothalenſi tempore peſtis A. 1666. Hernia inteſtinali laborante, quamvis tumor in dies majorem ruborem concipiens tandem gangrænâ correptus medicamentorum ope apertus fuerit, fæceſque intolerabili cum fœtore emanarint, cum ſucceſsû nihilominùs felici remedia adpropriata fuiſſe admota, ità ùt æger etiamnum ſanus degat, ſed cibis copioſius ingeſtis eô loci tenuem tranſudantem percipiat limpham. Emplaſtrum Hoffmanni magneticum ſæpiùs ullo abſque levamine Hernioſis adaptari perhibetur. Balſamus vitæ *le Mort* deſcribitur in fiſtulis ſanandis præ aliis longè præſtantiſſimus. In Scirrhô viſcerum tincturæ antimonii volatili, nec non tincturæ martis cum ſale eſſentiali tartari internè, externè emplaſtrô Autoris emollienti multùm tribuitur. Nec minor virtus de Tincturâ aperiente ac Tincturâ Antimonii ſolari in ſcirrhô effertur uteri. In corpulentiâ nimiâ Autoris eſſentiam tùm lignorum, tùm catarrhalem eximium præbere ſudoriferum. In Bubone peſtilentiali eidem quoque ſcopo Tincturam ejuſdem Bezoardicam & pulverem Bezoardicum ſatisfacere. Pro bubone verò ſimplici diſſolvendo Liquorem Autoris valere diſſolventem, æque ac emplaſtrum ejus de Herba Thee paratum, in reſolvendis tumoribus rebellibus potentem exiſtere. Puellam 10. annorum leproſam ac toto corpore ſquamis cruſtoſis coopertam ſolo Noſtri pulvere ſudoriferô Mercuriô antimoniali ad grana decem & ultrà de die in diem propinato, perfectam recuperâſſe valetudinem, quod remedium tamen Autor æque ac Balſamum ſuum divinum in vulneribus excellentiſſimum Mercurium ſolarem, ſal Mercurii &c. ſibi ſervat arcanum, quale & coſmeticum ejus advertitur in cutis nigredine multoties expertum, ob Empyricos verò haud propalandum. Quod verò Anglis coſmeticum in nævis aliiſque cutis maculis & tuberculis in uſû ſit, fidâ traditur manû. Decoctis vulnerariis Eſſentia Autoris traumatica commodè ſubſtituitur. In oſſium autem fracturis præ aliis Emplaſtrum ejuſdem ad rupturam ceû multis experimentis comprobatum extollitur. Clavis denique pedum extirpandis oleum lini vel profundius iiſdem prius inciſis tepidè illitum, vel linteô exceptum ac impoſitum ſuadetur certiſſimum.

Ibidem Anno 1706. *p.* 124.

Tractatus novus de Furiâ Podagræ lacte victâ & mitigatâ, propriâ experientiâ conſcriptus. Amſtelodami apud Janſſonio - Waeſbergios, 1705. *in* 12.

METHODUS lac arthritide vexatis propinandi jamdiu nota, ſed à plurimis Medicis, tanquam ſummè noxia, mortemque accelerans hactenùs impugnata fuit. Extiterunt tamen non minus antiquis temporibus ut *Cornelius Celſus*, quàm noſtrô ævô, *Greiſelium* puta, *Sachſium* & *Waldſchmidium*, qui inſignem ejus efficaciam contra arthriticum furorem ſcriptis ſatis laudare non potuerunt. Sic & litteræ quædam à Nobili

bili Gallo, qui ipſemet cum aliis per longum temporis ſpatium ſæviſſimos arthritidis dolores ſuſtinuerat, jam autem uſu lactis curatus per plures annos bene valet, conſcriptæ, *Clariſſimo Dolæo* fuerunt communicatæ ex quibus hic magnam potus lactis efficaciam mirabundus intelligens & ipſe Caſſellis ejus uſum pluribus ægris, ſimili morbo detentis, ſuaſit, qui omnes, regulis circa uſum ejus neceſſariis ritè & exactè obſervatis, optimè ſe habuerunt, adeò ut quidam ferè contracti jam iterum incedere, imò ſaltare potuerint. Hinc experientia certiſſima pariter ac ratione fretus, divinum hoc remedium ex ſingulari gratiâ divinâ in ſolatium tam crudeli morbô affectorum conceſſum, præſenti in opuſculô communicare ac confirmare, utque alii pariter inde emolumentum conſequi valerent, deſcribere non fuit gravatus.

Conſiſtit autem dicta cura in hoc; Præparari ante omnia debet corpus, cibos εὐπέπτους & potum tenuem mediocriter aſſumendo, purgantia uſurpando, ab animi affectibus & venere abſtinendo, radicesque morborum, cum arthritide complicatorum, eradicando. Lac ipſum petendum eſt ex vaccâ mediæ ætatis, boni habitus, gramine herbiſque laudabilibus paſtâ, & à taurô longè ſemotâ. Calefaciendum eſt illud, dum hauriri debet, abſque tamen ebullitione & aſſumendum per diem ter quater vel quinquies, prout ventriculus robuſtus vel debilis exiſtit, ejusque quantitas in dies uſque ad uncias quadraginta augenda; loco prandii & cœnæ panem ſimilagineum leviorem capiendo. Nec inconveniens erit; quandoque manè doſin oculorum cancrorum vel aliùs abſorbentis aſſumere. Continuanda autem eſt hæc cura, quamdiu non omnis materia peccans è corpore eſt proſcripta; quô diutiùs enim hauritur lac, eò perfectior ſanitas ſperanda eſt. Hinc quidam, per annum integrum poſtquam lactis potû uſi fuerant, denique ad victum ordinarium ſenſim redierunt continuando tamen manè lac ad uncias ſedecim, ſummâ cum euphoriâ. Majori pariter commodo, ſingulis menſibus purgans aliquod Lunâ decreſcente aſſumitur. Mittimus exempla, quæ tanquam totidem fauſtæ curæ teſtimonia allegantur, hoc ſolummodo commemorantes, quod ipſemet Author clariſſimus lac omnibus lithontripticis falsò ſic dictis palmam præripere, in ſe obſervaverit, cum intra unius anni ſpatium quô lacte uſus eſt, calculus veſicæ, quocum diu fuerat conflictatus, ad unciam unam & plus fuerit imminutus, (tot enim fruſtula collegit, & in muſeô reſervat) peracta verò cura, non unicum calculi fruſtulum ampliùs prodierit, firmiter ſibi perſuadens, lac nullum calculum, ſed potiùs phlegma viſcidum in veſicâ aliiſque locis generare poſſe. Hiſce præmiſſis, unde lacti tantæ vires accedant, examinaturus, in arthritidis naturam paulò accuratius inquirit Clariſſimus Dolæus, ejuſque cauſam primariam & proximam, liquorem quendam viſcidum, acrem, ſale acido vel lixivioſo corroſivo magis minuſve volatili vel fixo imbutum eſſe ſupponit. Inter remotas cauſas ventriculi accuſat dyſcraſiam, quôcunque modô contractam, ità ut per eam chylus craſſioribus ac viſcidioribus impraegnetur particulis, ipſamque ſanguinis maſſam craſſiorem reddat, unde procul dubiô ſecretiones humorum lentius peragantur, ſtomachus & inteſtina magis labefactentur, liquor que gaſtricus, & qui in inteſtinorum glandulis ſecernitur, reddatur viſcidior, donec tandem alimenta aſſumta multò adhuc difficilius digerantur, ac ob diuturnam moram in ſaburram acidam, viſcidam, flatulentam commutentur, ipſeque chylus acidô quôdam ſalinô corroſivô ebrius, ſanguinem reliquoſque humores eôdem charactere imbuat. Accedit & hoc, quod humores recenſitas ob cauſas tardiùs circulantes, ſalibuſque dictis moram, ut magis motû inteſtinô quam progreſſivô agere queant, concedentes, omnium primò notabiliter corrumpantur, atque lentorem & ſpiſſitudinem quandam contrahant. Jam in juncturis articulorum glandulæ hærent mucaginoſæ, ſerum aliquod mucilaginoſum continuò plorantes, quod juncturas pro motû præſtando leves, & lubricas reddat & conſervet. Cui ſerò permiſcetur oleoſa quædam ſubſtantia medullaris, ab oſſium cavitatibus per certos meatus illorſum tranſmiſſa. Sic enim mucilago olei lubricitatem adauget, oleum verò mucilaginem conſervat, ne inſpiſſetur, aut gelatinæ conſiſtentiam contrahat. Ex quibus pateſcit, mucilaginem hanc in glandulis in & circa juncturas ſecretam, non modò à ſalibus acidis corroſivis viſcidiorem & tenaciorem evadere, ſed & admodum corroſivam & lancinantem reddi, dumque membranas & tendines adjacentes quaſi continuò vellicat & irritat, non môdô ingentes patrare dolores, verùm etiam, impedita ſanguinis ob nervorum ſpaſticam contractionem liberâ circulatione, accedere tumorem inflammatorium. Præter alias autem juncturas, pedes & manus potiſſimum afficiuntur, quia ſanguis, ob motum inſtante paroxyſmô maximè inæqualem, non ubique pari violentia ſalia impellere aptus eſt, ſed in partibus pendulis, ubi ipſius preſſio & impulſiô graviùs incumbit, poros canaliculorum dilatat, & fomitem mali communicat, quo ex parte ex ſanguinis ſinû proſcriptô, quod reliquum eſt, faciliùs per ſudorem, urinam &c. eliminari poteſt. Reliqua mittimus, & ad lac revertimur, quod conſtat triplici potiſſimum ſubſtantiâ, (1) pingui, butyroſâ, oleosâ & ſulphureâ, (2) caſeosâ, terreſtri & limosâ, quodammodo ſalina, [3] ſeroſa, aquea, cum admixtione ſalium nitroſorum; quarum quælibet proprios edit effectus, ſi in Arthritide exhibeatur lac. Ratione enim pinguis ſubſtantiæ, particulas ſalinas, auſteras & rigidas, ſcindentes oblinit; ratione caſeoſæ, acrimoniam humorum blandè temperat, imbibit ac abripit; & ratione ſeroſæ, eoſdem humores acres dividit, invertit, & per urinam, ſudorem, & ubi via patet, eliminat. Tres autem hæ ſubſtantiæ unitæ & benè mixtæ prout ſunt in lacte, majori non modò efficacia ſalia & humores lentos, viſcidos, circa articulos morantes, diſſolvunt, invertunt, materiamque arthriticam eliminant, ſed & inſuper ſanguini communicatæ glandulis mucilaginoſis benignum ſuppeditant humorem, ut juncturarum membranæ & tendines eò commodius foveantur, laxentur, & ad priſtinum vigorem remotis obſtructionibus reducantur. Nec quicquam obtinebunt, qui contra hanc lactis curam crebriores & atrociores recidivas, dum ægri ad priſtinum victum ſe receperunt, recurrentes objiciunt, ſiquidem hoc ipſum, teſte Authore, experientiæ non minùs refragatur, quàm rationi; ſiquidem conſtat, quo faciliùs alimenta in bonum chylum commutantur, ac ſanguini juſtâ quantitate communicantur, eò meliores ac laudabiliores progigni ſpiritus, ac ſic per conſequens partium vigorem reſtitui & augeri, idque à lacte expectandum eſſe, nemo in dubium vocabit. Multò minùs ventriculi debilitatem, & partium languorem in principiô curæ occurrentem aliquem in contrariam ſententiam abducere,

con-

confidit Author Clariſſimus. Quemadmodum enim hæc ſymptomata ab obſtructis glandulis humorem gaſtricum & inteſtinales ſuppeditantibus oriuntur, ſiquidem parùm pinguedinis lacteæ ſubigi & cum ſanguine pro partium nutritione communicari poteſt; tolluntur tamen eadem, quam primùm poruli ab aqueis lactis particulis reſerati & ampliores facti fuerint.

Opera omnia; exhibentia non modò Encyclopædiam Medicam Dogmaticam, in quâ affectus humani corporis interni: ſed & Encyclopædiam chirurgicam Rationalem, in quâ iidem affectus externi, juxta Celeberrimorum in Medicinâ antiſtitum principia plenariè pertractantur; adeò ut in Compendio quodam, tùm Veterum tum Recentiorum Hypocratis, Galeni, Paracelſi, Helmontii, Williſii, Sylvii, Carteſii & aliorum Sententiæ de morborum maximè cauſis & curatione perſpiciantur; quibus ipſius authoris Judicium de ſede affectâ, diagnoſi cauſâ, prognoſi & curatione unà cum ſelectiſſimis Remediorum longâ & propriâ experientia approbatorum formulis ſtatim adjicitur. Venetiis, apud Hertz. 1696. & Francofurti ad Mænum, apud Fridericum Knochium 1703. in folio 2. Tom. quorum 1. 6. Libris abſolvitur, de Morbis & affectibus Capitis. II. de Morbis & affectibus Thoracis III. de Morbis abdominis. IV. De Febribus. V. De Morbis mulierum. VI. De Infantum & Puerorum morbis, ſecundus vero Tomus VII. Libros complectitur. I. nempè de morbis Capitis externis. II. de Morbis Thoracis. III. De Morbis externis abdominis. IV. de Morbis Partium genitalium utriuſque ſexus. V. de Morbis artuum, ſeu variarum corporis partium, tùm magnitudinem vitiosè augentibus, tùm cutem deformantibus VI. De iiſdem, tùm magnitudinem vitiosè imminuentibus, tum continuitatem diſſolventibus. VII. De morbis manuum & Pedum in ſpecie. His adjecta nova appendix, quæ continet I. de Theriacâ cœleſti ejus uſu viribuſque. II. Obſervationes Authoris rariores & curioſas hactenùs tum eruditis communicatas tum privatis ſcriniis hucuſque aſſervatas. III. Commercium ejus Epiſtolare cum Celeberrimô quondam Archiatrô Haſſiacô D. D. Jacobô Walſchmidiô, Philoſophico-Medicum, multa varii argumenti curioſa & utilia continens IV. Centuriam Epiſtolarum & Obſervationum ab aliis viris Eruditis ad Autorem tranſmiſſarum; ut nihil nunc omiſſum videatur quod tam in Theoriâ quam in Praxi Medicâ Philiatrorum deſiderio ſatisfaciat.

DOLÆUS [*Joh. Daniel.*] Poliater Caſſellanus.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. iij. Ann. V.

Obſervatio 255. *De ſcirrhis ventriculi vermiuoſis, canibus admodum familiaribus.*

Ibidem Obſervatio 256. *De Fœtus mortui Anatome.*

Ibidem Obſervatio 257. *De Eruptione ſanguinis è Vaſe brevi in ipſum ventriculum mortis ac Vomitus cruenti cauſâ.*

CUm nuper Miſcellanea curioſa evolverem, caſûque obſervationem 20. Decur, 1. ann. 9. & 10. de Vomitû cruentô [quam Excellentiſſimus ac Celeberrimus D. Wedelius Fautor meus Colendiſſimus communicaverat] per legerem, ubi in matronæ 38. annorum exenteratione vas breve calamum ſcriptorium majorem æquans, inque ventriculum deſinens, aliquot ibi ramos diſſeminans unô horum ſtylum in ventriculum admittente, reliquis in exteriorem ejus tunicam inſertis conſpectum fuit, ſimilem hæc in mentem mihi, revocavit quam hic breviter recenſere eſt animus. Mihi enim [dum Halæ ſtudio Medico invigilarem] ſingularem ejuſmodi caſum licuit obſervare; & quidem hâc occaſione; Puella quædam undecim circiter annorum ſanguinem craſſum coagulatum per ſuperiora pariter ac inferiora copiosè rejiciebat; magna deniquè tormina ac cruciatus inteſtinorum ſentiebat, doloremque fixum in ſiniſtrô hypochondriô, quàm maximè accuſabat, appetitus omninò proſtratus, ſumma virium dejectio, pulsus rarus &c. corpuſculum angebant. Mater tenuioris conditionis, practicum ibidem dùm Doctorem *Stange* Amicum noſtrum ſuaviſſimum, conſilii causâ adiit, hic variis aliàs laudatiſſimis remediis fruſtrà exhibitis morbum expugnare non valuit, nam febris putrida ſimul aderat quæ etiam vitæ filum puellæ tandem abripuit. Ille pariter ac ego & Dn. Hillerus (practicus nunc Sanctogallenſis olim contubernalis meus exoptatiſſimus] magno ardore ſciendi cauſam tam multorum exitialium ſymptomatum flagravimus, hinc à matre defunctæ ſectionem facilè impetravimus. Sequentia igitur notatû digna occurrebant; cutis omninò macra ac pallida ſubque eâ pinguedo ferè nulla reperiebatur, apertô abdomine flatus mali odoris erupit, inteſtina erant corrugata, ac ferè plumbei coloris, lien ſolitô major, dimidiâ ipſius parte, ſanguine craſsô, turgidô, ac plumbeô, cùmque ibi mali fomitem ſuſpicaremur, paulò intimiùs ipſum contemplavimus quòd vas breve ſanguine craſsô partim turgeret, diverſiſque [uti fieri ſolet] ramis in ventriculi tunicam deſineret, uno illorum majori ſanguinem in ventriculi cavum admittente, quod manifeſtè ex levi ſaltem ſupradicti vaſis brevis compreſſione obſervare licuit, apertô deniquè ventriculô, oſculum hians quod facile ſtilum ac flatum admittebat, fuit deprehenſum, manifeſtam vomitûs cruenti cauſam nobis exhibens, ipſeque ventriculus adhùc quantitatem extravaſati craſſi polypoſique ſanguinis continuit.

Dubium tamen ſi quis moveat, dicendo, hoc contra manifeſtum ſanguinis motum accidiſſe, quod quidem negare nolumus, venulæ enim numerô ternæ vel quaternæ in ramum ſplenicum è ventriculi fundô tendentes, quæ vaſa dicta brevia audiunt, ſanguinem tantummodò revehunt à ſtomachi fundô in lienis venam, indeque in portam; omne autem dubium ceſſabit ſubitò, ſi quis conſideret primò venas ventriculi nullis gaudere valvulis ſuſque deque tam verſus ſuperiora quàm inferiora ex iiſdem exprimi poſſe, uti illud autopſiâ pariter confirmat Excell. Dn. *Stalpartus in Obſervat. part.* 2. p. 190.

Secundò Medicorum quis non obſervat læſâ œconomiâ animali ſanguinem alium planè acquirere fluxum? Uti illud in quotidianis hæmorrhagiis ſat ſuperque conſtat; cùm enim ſerum ac ſanguis in puellâ hâc admodum fuerit viſcidum ac acre, hinc facilè irritatæ venarum ac nervulorum &c. fibræ ſpaſmodicè ſe conſtrinxêre, ſanguinique tranſitum denegavêre, qualis conſtrictio accedente ſanguine craſsô viſcidô quàm maximè fuit aucta, hinc ſanguis exitum quærens, quâ datâ viâ erupit, ac regurgitavit, præſertim ſi maxima pars viſceris quod tranſire debet ſit ſanguine grumosô repleta, uti in puellâ hâc lien apparuit; Hæc de ſanguinis in Ventriculum defluxione ſufficiant; cætera tamen quæ ſimul

mùl in ejuſdem ſectione occurrebant paucis tradere eſt animus. Cor igitur cùm diſſecaremus, illud flaccidum, paucô ſanguine craſſô repletum reperimus, uti quoque venam cavam ac arteriam magnam, quæ tamen poſterior paulò majorem ſanguinis congrumati continuit quantitatem, pulmones nigricantes erant & corrugati; hepar ſanguine craſſô infarctum, colore lividô, inteſtina partim inflammata corrupta, bilis in veſicula fellis lutei erat coloris, renes ad tactum duri, hinc illis diſſectis maximum calculum in rene, ni fallor, ſiniſtrô offendimus, qui totam pelvim *figurâ ac craſſitie* replebat, alter parvos quoſdam in gremiô aluit lapillos, cuſpidibus inſtar ſpinarum acutis, armatos, colore autem luteô. Mater autem ſanctè affirmabat, ſe nunquàm obſervâſſe filiam dolore nephriticô vel ſtranguriâ urinæ laborâſſe, quod tamen vix crediderim; accedit fortè an quoniam lapillorum cuſpides mucô quôdam fuêre obliniti aut fortè an ab imbecillitate ac laxitate nervorum qui non facilè arctè conſtringi potuerunt, aut potiùs quòd mater filiæ dolores non multùm obſervaverit, uti inter homines infimæ ſortis ſæpiùs accidit; uterus tamen ac ovaria ſat magna ætatem ſi ſpectes, deprehendebantur; præter hæcce non multùm obſervavimus, mater enim ac cæteræ fœminæ finem ſectionis accelerabant.

Ibidem Obſervatio 258. De Corpore glandiformi ingenti in abdomine mortis causâ.

DOLDIUS (*Leonhardus*,) Natus Hagenoæ in Alſatiâ, A. C. 1565. Medicinæ Doctor Baſileæ, 1594. creatus: annô inſequente in Collegium Medicum Norimberg. receptus, Praxin Medicam feliciter ibi exercuit; donec obiit A. C. 1611. ætatis ſuæ 47.

De eô extat:

Epiſtolæ Variæ Medicæ. Extant cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

DOMERGIUS,

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1696. p. 56. Supplem. Tom. II.

Moyens faciles & aſſurez pour conſerver la ſanté, ſans prendre aucun remede, &c.

i. e.

Modi faciles ac tuti ſanitatem conſervandi abſque omni medicamentorum uſu. Pariſiis apud Nicolaum le Gras, 1689. in 8.

OPpido multos eſſe ex ægrotantium numerô, qui medicamenta omnia faſtidiente oculô contueantur, nauſeabundo ſtomacho recuſent & averſentur, optimè norunt, qui medendi provinciæ admoti eandem vigilantius adminiſtrant. Hinc fieri plerumque amat, ut & propera vi morborum invaleſcat malignitas,& curæ diligentiſſimæ operam fruſtrà Medici ſuſcipiant. Sed verò iſthuic malo haud difficulter ibitur obviam, modo quæ tradita præſenti libellô ſunt, ubivis veritate nitantur. Scilicèt quatuor potiſſimùm modi docentur, quibus tam rectâ valetudine utentes, quan extra ſanitatem projecti, abſque omni medicamentorum ope ſeſe valeant conſervare. Et ſecundâ quidem jam vice apparata tractatuli editio eſt, quod prioris exemplaria omninò cuncta fuerint diſtracta. Neque verò in ſectiones aut capita diſtributus ille deprehenditur, ſed periodis ſaltem vel rubricis 26. materiam omnem comprehendentibus circumſcribitur. Antequam autem in explicationem ipſam veniatur, de cauſis morborum earumque effectibus nonnulla præmittuntur. Scilicèt hoc pro principiô adſtruitur, quod cauſa generalis cunctarum ægritudinum ſint aquæ, cùm in capite, tum in ſtomachô & pectore productæ, ac pituitæ & aëris ſeu ſtatuum in abdomine generatorum nomine inſignitæ. Fundamentum iſtius principii deducitur ab experientiâ Auctoris quippe quia longô tempore omnes ſuperarit morboſas afflictiones abſque ullô Medicinæ ſuccurſû. Hinc enatam ſibi perſuaſionem exiſtimat, quod aquæ & flatûs veriſſimæ morborum cauſæ ſalutentur. Quâ ratione utriûſque in corpore origo contingat, pluribus ediſſeritur. Scilicèt (1) aquas è vaporibus generari, qui ſub alimentorum in ventriculô coctione aſcendant, non ſecus atque aër calidus in aquam convertitur, ad locum frigidiorem ſi appulerit; ità illos vapores aëreâ conditione & igneâ levitate gaudentes ſurſùm ferri, & penetrare in capitis ſummitatem, ubi tanquam in regione frigidâ, & à centrô caloris, corde ſcilicèt, remotiore facillimè condenſentur. Sic illos acquirere humiditatem, & cum craſſitie ſimul gravitatem aquæ, nunc minùs pro diverſô ſcilicèt gradû frigiditatis quam cerebrum obtineat. (2) Aërem ſeu flatus pariter formari in ſtomachô & abdomine, mediante calore; qui agat in materias humidas, eaſque in aërem convertat. Cæterùm hæ aquæ continuò à frigore produci aſſeruntur, jugiterque iterùm evaporari ac diſſipari vi caloris naturalis & ſpirituum, qui illas conſumant, viiſque diverſis expellant V. G. per nares, per exſcreationem, per alvum per vomitus, per ſudores, per apoſtemata aut abſceſſus. Sæpè tamen contingere aſſeveratur, quod dictæ aquæ ſeu phlegmata craſſa & corrupta ſi in capite abundent, effundantur & depluant in carnes atque in parte quâdam debiliore & infirmâ ſubſiſtentes, inflammationes & dolores pariant. Atque hæc generalis Auctoris noſtri eſt ſententia, quam plerîſque affectibus ſuô modô applicare annititur. Sic inde derivat, dolorem capitis, odontalgiam, coryzam, podagram, calculum, hydropem, apoplexiam, colicam, febres, ac certô modô à venenô derivatos morbos contagioſos. His ſubnectit Obſervationem è penû propriæ experientiæ depromtam, quod nimirùm decubitus in lectô uſitatus, ità ut caput elevatum ſit, ſanitati noceat maximè. Scilicèt vapores, ſiquidem igneæ ſint naturæ, hôc modô faciliùs & copioſiùs aſcendere in caput, unde in aquam ibi condenſati decidant in ſubjectas corporis partes, harumque invaletudines adaugeant, vel de novô efforment. Contrarium verò evenire teſtatur, ſi caput cervicali recumbat vel demiſſiore, vel tamen æquali cum pectore ſitû. Sic enim vapores cùm ab aſcenſione, tum ab intimiore ſui conjunctione & defluxû in membra corporis omninò prohiberi.

Ex hactenus dictis infertur, ſanitatis rationem conſiſtere in tranquillitate ſpirituum, functiones naturales abſque obſtaculô obeuntium; morbos verò procreari, ſi iſthæc tranquillitas turbetur per aquas & flatus in corpore ab exceſſû alimentorum, & debili eorum coctione, nec non communicatione veneni peregrini, oriundos. Hinc tandem colligitur, quod medicamenta vi ſuâ & effectû eô debeant collineare, ut è corpore eliminent quicquid ſpirituum quietem vel tranquillitatem interturbat.

Poſt habitis autem remediis, quæ reparandæ valetudinis ergò ordinariè dicuntur uſurpari, diæta ſcilicèt & Vomitoriorum imprimis uſû, ad ſuos Auctor quatuor modos deſcendit, quibus promiſſorum in libelli titulô fidem liberare præſumit. Et I. eductionem aquæ è corpore inſtituit cum pennâ anſerinâ, in cujus extremitate ad digiti longitudinem plumas relinquit. Illam ſic immittit ori protruditque ad uvulam uſque, ac ibi detinet pro lubitû. Sic irritari ait ſpiritus, abſque ullô tamen dolore & incommodô, ut idem effectus inſequatur, qui aliàs à medicamentô in ventriculum aſſumtô ſoleat provenire. Ità nimirùm aquas & phlegmata ex pectore & Capite profluere & magna abundantia continuôque quaſi rivulô ex ore atque naribus decurrere. Sed II. duabus prætereà parvis extremitatibus pennarum, iiſque deplumatis utitur, eas naribus immittendo; unde ex jugi vellicatione æque fluxum, ſed longè majori copia atque à pulveris ſternutatorii uſû, concitari aſſerit. Atque id quidem ſingulis diebus & quâvis horâ putat peragi poſſe, quoties nimirùm vel corpori vel capiti male ſit. Quæ autem ratio operationis ſit, & quomodò hæc cum pulvere ptarmicô conveniat, brevi enucleatione ſubnectitur. III. aërem ſeu flatus è ventriculô & inteſtinis expellendi modus optimus cenſetur, ſi fiant frequentes compreſſiones abdominis cum inſpiratione ſeu attractione aëris. Confirmat autem hactenùs dicta omnia Autor noſter, quod per 17. annos non aliâ uſus fuerit medicinâ; ſed his euporiſtis ſanum ſe liberumque præſtiterit à defluxionibus catarrhalibus, à Coryzâ, odontalgiâ, ab abſceſſû, à febribus &c. Et quamvis eâ ſit ætate, quæ infirmitates ſoleat poſt ſe trahere, adeò perfectâ tamen ſe ſanitate frui prædicat, ut nec venæſectione indigeat nec dolorem in ullâ corporis parte perſentiat, bellè & cum appetitû comedat, quietiſſimè dormiat ac gradiri commodâ promptitudine valeat. IV. novus ſudorem proliciendi modus abſque omni medicamentorum adminiculô talis ſiſtitur, ut ſcilicet eleventur aut plicentur non nihil genua ad acquirendam majorem vim validè, & quantum poſſibile, intendendi vel inflandi ventrem. Quod ſi hoc membrorum poſitû, & vel in dorſô vel in alterutrô latere quis decumbens ſe benè contectum in lectô contineat, fore promittitur, ut ne horæ quidem ſpatium intercedat, quin totum corpus ad calcem uſque ſudore perfluat. Peculiare hic in ſecundâ hâc editione ſcholium ſubjicitur, quô non tantùm ſingula hactenùs memorata auxilia dilucidius exponuntur, ſed & eorum prærogativa præ medicamentis adſtruitur. Scilicèt hæc non æquè atque illa abſque prævia corporis præparatione quôvis locô ac tempore ac quâcunque horâ poſſe adhiberi. Tandem ſequuntur diſcurſus de œconomiâ naturali ſpirituum in corpore animatô, de converſione aëris in aquam, de rore, de nubibus, pluviâ, ventis, eorumque effectibus, item de ſcaturiginibus aquarum, & quomodò aquæ iterum in aërem reſolvantur. In his omnibus ſemper annotatur, quicquid forſan ſtabilimentô prolatæ hactenùs ſententiæ conducere videtur. Finem libelli conſtituit perbrevis conſideratio plurium impreſſionum, quas pati elementa queant. Adjicitur ſimul excuſatio ob inconcinnam fortè argumenti pertractationem, in quam multi poſſint errores irrepſiſſe, quòd Auctor nec Medicum ſe, nec Philoſophum profiteatur.

DONATELLUS (*Johannes*,) Caſtilionenſis.

Ex eô habetur

De Febre malignâ Diſputatio, cum Theodorô Angelutiô &c. de ejuſdem malignæ febris naturâ & curatione differente. Venetiis, ap. Rob. Mejettum, 1593. in 4.

DONATIUS (*Joh. Baptiſta*,)

De eô extant

Apparatus Medicus. Lugduni Rei 1566. in 8.

Rei Medicæ ſtudio ſtipendia ſex: quorum nomina hæc ſunt;

I. Τῶν παρασκευαστικῶν, id eſt, Apparatus Medici Lib. I.

II. De Judiciis Lib. I.

III. De ſignis Morborum judicialibus Lib. I.

IV. Τῶν ἐπιδημιῶν, ſeu, Divinationum Lib. I.

V. Commentaria in Libros Hippocratis de Morbis Virginum Lib. I.

VI. De Aquis Lucenſibus Libri IV. Francofurti, apud Joh. Wechelum, & Petrum Viſcherum, 1591. in 8.

De Aquis Lucenſibus, vulgò Villenſibus, Libri IV. Lucæ, apud Guidonem Bonum, 1580. in 4.

De Maturitate Materiæ in Morbis Lib. III. Francof. apud Wechelum, 1591. in 8.

Commentationum Medicarum Liber IV. de Judiciis, qui in Galeni Voluminibus planè deſiderari videntur. Venetiis, 1580. in 4. Lugduni, apud Alex. Marſilium, 1581. in 8.

DONATUS (*Bernhardinus*,)

Galeni Libr. de dignoſcendis, curandiſque Animi morbis, interpretatus eſt.

DONATUS (*Marcellus*,) Mantuanus, Sereniſſ. Mantuæ & Montisferrati Principis, quondàm à Conſiliis.

De eô extant

De Variolis & Morbillis Tractatus. Et de Radice purgante, quam Mechoacam vocant. Mantuæ, 1591. in 8. apud Philoterpſem & Clidanum Philopones F F R. 1569. in 4. ap. Franciſcum Oſanan, 1597. in 8.

De Medicâ Hiſtoriâ mirabili Libri ſex. Opus variâ & rarâ lectione refertum, Medicis non ſolùm utile ſed & cæteris pergratum futurum. Mantuæ, apud Franc. Oſanan, 1586. in 4. Venetiis, apud Felicem Valgriſium, 1588. 1597. in 4. Francof. apud Johan. Martin. Porſſium, 1613. in 8. Editio hæc à Gregoriô Horſtiô notis eſt illuſtrata & integrô recentiorum Obſervationum Librô ſeptimô completa. Ibid. ap. eundem, 1664. in 8. Hæc editio itidem à Gregoriô Horſtiô æneis Tabulis & variorum à Faſcinô ortorum Morborum enarratione & curatione, prætereà in priori Editione jam contenta, aucta eſt.

DONCKERS (*Laurent.*) Sylva-Ducenſis M. D. Pract. Colon. olim in Scholâ illuſtri Paternâ ejuſdem Facultatis ac Philoſophiæ naturalis Profeſſor nec non Chirurgiæ & Anatomiæ Prælector.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1688. *pag.* 353.

Idea Febris Petechialis, ſeu Tractatus de morbô puncticulari, ſpeciatim de eô quo annis abhinc circiter 13. Colonia afflicta fuit; in quô *præter* exactam hujus Epidemiæ deſcriptionem & curam, Alexipharmacorumque operandi rationem, *non ſolùm* abſtruſiſſima cujuſcunque Epidemiæ

pidemiæ quantumvis contagioſæ & peſtilentis, ipſiuſque contagii phænomena: *ſed etiam* prima cauſa & eſſentialis ratio fermentationis efferveſcentiæ & caloris naturalis; neceſſitas & uſus reſpirationis; ſanguiniſque intima compages; multaque alia ſingularia tàm ad medendos quàm cognoſcendos omnis generis morbos ſcitu ſummè neceſſaria per prima & ſimpliciſſima naturæ principia clare & diſtinctè explicantur. Lugduni Batavorum, apud Petr. Van der Aa, 1686. in 8.

DONDIS (*Jacobus de,*) Patricius Patavinus, à primis annis totum ſe Philoſophicis, Aſtronomicis & Medicis credidit ſtudiis: claruitque præ cæteris inter Euganeos ex his artibus & ſcientiis. Artem medicam fecit Clugiæ, deindè Patavii; iſque primus horologii, quod in forô Nobilium eſt, extruendi author & inventor fuit. Præfuit quoque fabrilibus operis Antonii Patavini, quô artifice, atque opifice machinæ à Jacobo excogitatæ, horologium hujuſmodi Ubertini Carrarienſis juſſû ac ſumptû confectum eſt annô 1344. Indè tùm ipſi Jacobo fuit, tùm deinceps ejus familiæ cognomen eſt ab horologiô. Claret hæc inter præcipuas Patavinas, & nobilitate & opibus; alterâ quidem parte adſcripta Patriciis Venetis, alterâ Marchionum titulis glorioſâ. Obiit Jacobus Patavii Circas Ann. 1350. Memoratur à Vergeriô, Scardeoniô, Portinariô, cæteriſque ſcriptoribus Patavinis. Sepultus extra templum urbis primarium in arcâ marmoreâ ſublimi locô poſitâ extra baptiſterium ad meridiem in pariete cum hôc Elogiô.

Ortus eram Patavi Jacobus, terræque rependo
Quod dedit & calidos cineres brevis occulit urna.
Utilis officio Patriæ, ſat cognitus orbi:
Ars Medica mihi, cœlumque & ſidera noſſe:
Quo nunc corporeô reſolutus carcere, pergo:
Utraque namque meis manet ars ornata libellis.
Quin procùl excelſæ monitus de vertice turris
Tempus, & inſtabiles numero quod colligit horas,
Inventum cognoſce meum, gratiſſimè Lector,
Et pacem mihi vel veniam tacituſque precare:

Scripſit, De Aggregatione Medicamentorum ad omnes ægritudines.

De Modô conficiendi ſalis ex aquis calidis Aponi.

De fluxu & Refluxû Maris. Opus poſthumum editum Venetiis ann. 1372. *Hiſt. Gymn. Patav. T. ij. p.* 156.

De eô adhuc extat in Lind. Renov.

Promptuarium Medicinæ. In quô non ſolùm facultates ſimplicium & Compoſitorum Medicamentorum declarantur: verùm etiam quæ quibuſvis morbis medicamenta ſint accommodata, ex Veteribus Medicis copioſiſſimè, & mirô ordine monſtratur. Venetiis, 1481. apud Juntas, 1576. in fol.

DONDIS (*Johannes de,*) ab Horologio Jacobi filius, origine & nobilitate Patavinus, Clugiæ tamen, ubi Medicinam, ut diximus, pater faciebat, natus eſt; in patrio deinde Lycæo educatus, ex eo prodiit Philoſophus maximus, Orator eloquentiſſimus, præſtantiſſimus Medicus. Archiatrus ſuâ ætate Celeberrimus vixit in patriâ, ibidemque mortuus eſt an. 1380. V. Kal. Octobris, ut Colligo ex inſcription. arcæ marmoreæ ad baptiſterium templi majoris, quam ſatis barbaram & mendoſam dabit Salomonius. Octavo poſt annô ibidem ſepultus eſt Joannis Frater & Jacobi filius Gabriel Medicus non minor utrôque forte major, quippe claruit ex hac arte non ſolùm apud Euganeos, verùm etiam per totam Italiam. Natus & ipſe Clugiæ, Venetias autem magnis præmiis accerſitus, praxim feliciſſimè profeſſus eſt, eaſque ſibi ac poſteris divitias comparavit, quas ante eum Medicorum nemo. Venetiis obiit; relatuſque Patavium jacet apud Fratrem & Patrem cum Epitaphio. Scripſit omninò nihil, cùm Frater ejus Johannes plurima ſcripſerit, quorum hæc maximè memorantur. Volumina III. Planetarii, quibus docuit rationem conſtruendi mirabilis inſtrumenti, quod motus Planetarum Cœleſtes ſpectantibus proderet. De Balneis Patavinis librum unum, alterum de Cauſis Caliditatis aquarum Aponenſium, tertium de naturâ earumdem. Ex his ſummus Philoſophus habitus eſt, dictuſque Ariſtotelis anima. Ex iiſdem amiciſſimus fuit Franciſco Petrarchæ, quamvis erga Medicos non admodùm æque, laudaturque ſæpe in ejus Epiſtolis, quarum apocopas aliquot leges apud Scardeonium. Hoc teſte, Petrarcha tabulis extremis Joanni aureos quinquaginta legavit, ùt annulum emeret ad amici legantis memoriam geſtandum ſemper in digito. Vide ad hoc Tomaſinum. *Gymnaſ. Patav. Hiſt. T.* II. *p.* 158.

Ex eô habetur in Lindeniô Renovatô.

De Fontibus Calidis Agri Patavini, Liber; extat p. 94. Operis Veneti de Balneis.

DONIA (*Matthæus,*) Panormitanus, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor eximius, Benedicti Vitalis egregii Medici Panormitani diſcipulus: doctrinâ, eruditione, variiſque ſcientiis inſigniter excultus, magnâ cum laude claruit. Poetica ſtudia Latinè & Italicè coluit; græciſque literis inſtructus enituit; & in Panormitanâ Academiâ, cui nomen *Gili Spreggiati*, præclarum obtinuit locum. Medicâ facultate celeberrimum ſibi nomen comparavit, & inter ævi ſui doctiores eminuit; ideòque haud exiguas laudes promeruit; Multa ſcripſit, at pauca typis tradidit; plura attamen edidiſſet ſi vitæ commoda permiſiſſent; & illorum ingratitudo, quibus opuſcula ſua nuncupavit, ob conceptam indignationem, ipſius animum ab operum editione avertiſſet. Floruit annô 1600. Hunc laudant Franciſcus Baronius *de Majeſtate Panor. Lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 115. Honorius Dominicus Caramella *in Muſæô Illuſtr. Poët. pag.* 215. & Michaël Foſcarenus *in notis.* Vincentius de Johanne *in Panor. Triumph. Lib.* 12. *pag.* 124. *& in Panor. Reſtaur. Lib.* 2. Leonhardus Orlandinus *in diſcur. in laudem S. Georgii ejus Doniæ, & in Lib. Imaginum pag.* 69. *&* 88. & Didacus de Maſtrô *in Cauſâ Medicorum Poëtarum, pag.* 55. Quæ in lucem emiſit hæc ſunt.

Ad Petrum Angelum Bargæum Oratorem, & Poëtam illuſtrem Epiſtola, & Votum pro Epiſtolæ navigiô. Panormi typis Johannis Franciſci Carraræ, 1595. in 8.

Melicus Ecloga. Ibid. apud eundem Carraràm 1595. in 8.

Formica Dialogus. Ibid. apud Joh. Ant. de Franciſcis, 1595. in 8.

Ad Poſteros Gephyraptoyca deſcriptio. Ibidem apud eundem, 1595. in 8.

Panormi Queſtus, & Charontis cum Panormitanô Geniô colloquium, de Caſû lignei Pontis in Proregis reditum fabricati. Ibid. apud eundem, 1595. in 8.

Italicè

Il San Georgio Poëma Sacro, & Eroico. Ibid. apud Joh. Baptiſt. Maringum 1606. in 4. hoc opus meritò laudat Marcus Antonius Nali in *Lib. Aviſi di Parnaſo à Poëti Toſcani.* Scripſit etiam hæc alia, quæ inedita reliquit, nempè:

De humoribus Opus medicum.

Orationem publicè habitam de artis Medicinæ præſtantiâ.

De nivis uſû contra Nicolaum Monardes.

Centiloquium Medicinale.

Sinonyma dictionum.

De raptû Helenæ metricam orationem.

Tabulam partitæ Philoſophiæ.

Medica miſcellanea.

Epilarion, Carmina.

Lira Toſcana. *Anton. Mongitor. Bibl. Sicul. T.* II. *p.* 56.

DONIUS (*Auguſtinus*) Conſentinus.

De eo extant

De Naturâ Hominis, Libri duo. Baſileæ, apud Frobenium, 1581. in 4.

DONIUS (*Joh. Baptiſta,*)

Ex eo habetur

Tractatus de Salubritate Agri Romani reſtituendâ. Florentiæ, 1667. in 4.

DONOLI (*Alphonſus,*) Annô 1702. 20. April. à ſecundâ claſſe traductus eſt ad primam Alphonſus Donoli Ilicienſis Hetruſcus, auctô ad ſexcentos ſtipendiô, quod ann. 1709. 18. Julii crevit ad octingentos, eoque etiamnum docet, ſenex incurvæ ætatis, ſed mentis erectæ, ac vividæ, quem non Æſculapius & Hygia duntaxat in praxi Medicâ, verùm etiam Apollo, Muſæque in humanitate literariâ maximè diligunt; quippe his omnibus & litavit egregiè olim, atque etiamnum litat. Edidit etiam Latinè, *Comment. de iis qui ſemel in die cibum capiunt.* Italicè, Medicum Practicum, & quædam opuſcula de *Varietate Medicinæ.* Carmine luſit *Job Hetruſcum, ſeu Paraphraſim proſa & Verſû libri Job. Lyricorum Tomos duos, Panegiricos aliquot, Orationes, Odas, Dithyrambos, & alia.* Hiſt. Gym. Patav. Tom. I. p. 177.

De eo extat præterea

Il Medico Prattico, cio è della vita attiva con la qual può regolarſi ogni Medico, che intende Profeſſar Medicina Pratica. In Venetia, 1666. 12. i. e. Medicus Practicus, ſeu, de Vitâ activâ omni Medico neceſſariâ, qui Praxim Medicam exercere ſibi proponit.

DONZELINUS (*Joſeph. Anton.*) Filius Coſſentinus.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1713. *Supplem. Tom.* V. *pag.* 82.

Sympoſium Medicum, ſive Quæſtio Convivalis de uſû Mathematum in Arte Medicâ. Venetiis, typis Aloyſii Pavini 1707. 8.

CUm hôc ævô de Mathematum in Arte medicâ uſû non eadem ſentiant omnes, Auctor doctiſſimus ſolenniter in argumenta inquirit, quæ vel pro eô ſtabiliendô, vel pro eôdem oppugnandô afferri ſolent ut tantò luculentiùs appareat, penes quos ſtet veritas. Fingit itàque varios Medicos in conviviô amicè eâ de re colloquentes animique ſui ſenſa liberè exponentes. Quæſtio, quæ ventilatur, hæc eſt: an diſciplinæ Mathematicæ ad artem Medicam extenſæ aliquam ipſi perfectionem addere poſſint, ita ut Medico practico artis ſuæ ſummam affectanti neceſſariæ ſint? Qui pro affirmativâ pugnant, non minùs methodi, quàm ipſarum doctrinarum Mathematicarum in Medicinâ uſum oſtendunt atque commendant. Methodus prodeſſe judicatur tum ad obſervationes cautè inſtituendas, tùm ad concluſiones per ratiocinia accuratè inde deducendas. Mathematicus, qui obſervandi & demonſtrandi habitû pollet, rectiùs & obſervabit, & ratiocinabitur illis, qui per omnem vitam veritatem nullam coram intuiti ſunt, ſed in conjecturalibus ſemper verſati. Medicinæ methodus Mathematica convenit. In Matheſi enim ex quibuſdam ſuppoſitis alia concluduntur; ſingula quippe theoremata ex hypotheſi & theſi conſtant. Suppoſitiones Mathematicorum ſunt facti determinationes quæ ſi occurrant, locus eſt demonſtrationi. Iſtiuſmodi determinationes facti in Medicinâ ſunt præſens corporis affecti ſtatus, medicamenti natura aut compoſitio, viſcerum, & in univerſum corporis totius ſtructura &c. quas adeò Phyſica, Chymia, Anatomia & obſervationes ſuppeditant; atque ex his inferendæ ſunt theſes, quibus regimen actionum in praxi clinicâ continetur. Singulæ propoſitiones Mathematicæ dicuntur totidem principia, ſi occaſio tulerit, demonſtrationum Medicarum. Quomodò hæ juvent Phyſiologum, docetur exemplô *Borelli,* cui jungi poterant Celeberrimus *Bernoullus,* in ſchediaſmate de motû muſculorum his Actis inſerto & *Pitcarnius* in ſuis diſſertationibus: Quomodo Practicum, oſtenditur exemplô *Bellini,* egregiorum tractatuum de Pulſibus, ſtimulis, ſanguinis miſſione Autoris, & *Pitcarnii* qui Matheſeos beneficiô veram marmarigmata, curandi methodum detexit. Prodeſt Matheſis in Phyſiologia: omnia enim à mole, figurâ & motû in naturâ corporeâ pendent, magnitudinem autem ac figuras Geometria, motum mechanica evolvit. Immò ſunt nonnulla in Medicinâ, quæ æquè ac alia in Matheſi mixta applicatis Mathematis evidentia fiunt. Talia e. gr. ſunt, quæ de Viſione ab opticis demonſtrantur, Medicinæ etiam practicæ utiliſſima. Prodeſt Matheſis in Pathologiâ; morbus enim ſemper conſiſtit aut in pravâ habitudine fluidorum, aut ſolidorum aut utrorumque inter ſe, quorum perveſtigatio exquiſitior non ab aliô, quàm à Mechanicô exſpectanda. Prodeſt in praxi medicâ: ad electionem enim medicamentorum non parum facit, ut modus agendi intelligatur, qui tamen ſine Matheſi non diſtinctè patet, cùm actio in motû efficienter, in figurâ inſtrumentaliter conſiſtat. Hæc ex mente illorum dicta ſunt, qui Matheſeos in Medicinâ uſum propugnant. Qui verò eundem impugnant, largiuntur equidem omnia in machinâ corporeâ mechanicâ ratione peragi, ipſamque medicamentorum operationem à principiis mechanicis pendere; non tamen concedunt, ad praxin feliciùs abſolvendam illâ cognitione opus eſſe. Quemadmodum enim ſaltator non ideò eſſe debet Geometra aut Mechanicus, quod ars ſaltatoria Geometrica ſit & Mechanica; ità nec opus eſſe judicatur, ut Medicus talem perſonam induat, quod ejus ars per Geometriam & Mechanicam explicari poſſit. Sufficit Medico remediorum pro quôlibet morbô, eorumque adminiſtrandorum methodi ac ordinis cognitio, quæ abſque ullô ſcientiarum Mathematicarũ ſubſidio haberi poteſt. Urgetur ulteriùs nullũ novũ præceptum à Matheſi Medicinæ ſuperadditũ:

nec

nec ullum à Matheſi provenire remedium, quo feliciùs ac anteà curentur ægri. Quin immò multa ægrorum millia à Medicis ſanari, etiamſi Matheſeos prorsùs ſint ignari. Bonus Anatomicus & Mathematicus peſſimus dicitur eſſe practicus, & per experientiam confirmatur, in Medicinâ ſufficere æſtimationem conjecturalem, à legibus prudentiæ, haud quaquam à menſurâ & proportionibus Mathematicis pendentem. Ad hoc alii varia reponunt, quæ ex ſuperioribus à Lectore attentô haud difficulter colliguntur. Ut tamen ea in medium afferamus, quæ ab iis longiùs recedant; notandum eſt, exemplis *Fracaſtorii*, *Fernelii*, *Cardani*, *Plempii* evinci, viros Matheſeos peritos etiam in praxi Medicâ excelluiſſe, ut adeò abſurdum ſit, quod Matheſis ſuôpte ingeniô Medicinæ, adverſetur. Additur, ipſum *Hippocratem*, *Galenum & Paracelſum* fuiſſe Mathematicos, hincque concluditur, à nebulonibus inventum eſſe illud dicterium; *Bonus Mathematicus & Anatomicus eſt malus practicus:* qui enim cum delirantibus delirare nolint, eos ludibrio verti. Optime autem obſervatur, in comparatione duorum Medicorum, quorum unus eſt Matheſeos apprimè gnarus, alter verò ignarus, probè diſpiciendum eſſe, utrùm praxi Medicæ eandem operam uterque impenderit, necnè. Quemadmodùm nimirum facilè conceditur, virũ Mathematicum & Anatomicum curando dexteritate deſtitui, ſi nullam unquam praxi operam dederit; ità quoque optimè defenditur ſi duo eandem praxi operam navârint, alter verò eorum præterea lumine Mathematicô, Phyſicô & Anatomicô illuſtretur, quod hujus etiam praxis multò inſignior ſit futurâ praxi alterius. Quale autem ſit illud Lumen, quod Matheſis, Phyſica & Anatomia quàm maximè ſubtilis, praxi Medicæ affundit, & ex doctâ Autoris diſſertatione addiſci & aliunde evidenter oſtendi poteſt.

DONZELLINUS (*Hyeronymus*,) Brixienſis

De eo habentur

Epiſtola ad Petr. Andr. Matthiolum adverſus invidos & blaterones. Extat lib. IV. Epiſtol. Matthioli, p. 429.

De remediis ferendarum injuriarum, ſ. de compeſcendâ Irâ, liber unus. Venet. apud Jordanum Zilettum, 1586. 4. Altorphij, apud Nicolaum Cnorium, 1587. 8. Lugduni Batav. apud Elzevirios, 1635. 12.

Commentarius de Peſte, converſus ex Italicô ſermone in Latinum à Joachimô Camerariô. Norimbergæ, apud Catharin. Gerlachin, 1583. 8. cum Synopſi Commentariorum de Peſte.

Epiſtola ad Joſephum Valdanium, de naturâ, cauſis & curatione Febris Peſtilentis. Ubi inſuper de Theriacæ naturâ & viribus exactiùs diſſeritur. Venet. apud Andr. Bochinum, 1570. 4.

De naturâ & cauſis, atque legitimâ curatione Febris Peſtilentis. In quibus etiam de Theriacæ viribus latiùs diſputat. II. Apologia Eudoxi Philalethis, adverſus Theſſali Zoili oppugnationes. Venet. apud Andr. Bochinum, 1571. 4. Solô titulô differt à priore.

Conſilia & Epiſtolæ Medicæ. Extant eô in opere quod Laurent. Scholzius edidit Francof. apud Andreæ Wecheli Hæredes, 1598. fol.

Galeni de Ptiſanâ in Latinum convertit. Item ejuſdem de Sanitate tuendâ, cum recognitione Linacri Interpretationis.

Joh. Baptiſtæ Montani Opuſcula varia, correctiſſima & in duo volumina digeſta, edidit Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1565. 8.

Item ejuſdem Conſultationes, in congruum ordinem congeſſit, & in III. partes diſtribuit.

Leonhardi Jacchini Commentaria in IX. lib. Rhaſis emendata, & perpolita edidit.

DONZELLIUS (*Joſephus*,) Neapolitanus Medicus.

Ex eô habetur

Liber de Opobalſamô. Additio Apologetica ad ſuam de Opobalſamô Orientali Synopſin. Neapoli, 1640.

Teatro Pharmaceutico, Dogmatico, e Spagirico del Dottore Giuſeppe Donzelli Napoletano, Barone di Digliola; nel quale s'inſegna una moltiplicita d'Arcani Chimici piu ſperimentati dall' Autore, in ordine alla ſanitâ, con evento non fallace, e con una canonica norma di preparare ogni cõpoſitione piu coſtumata dalla Medicina Dogmatica: con una diſtinta, curioſa e profittevole Hiſtoria di ciascheduno ingrediente di eſſe. Con l'Aggiunta in molti luoghi del Dottor Tomazo Donzelli, figlio dell' Autore. In Roma, per Felice Ceſaretti, 1677. fol.

DORDONUS (*Georgius*,) Plaçentinus.

De eô extant

De Morbi Gallici curatione, Tractatus quatuor. Annotationes ejuſdem centum in ſimplicium materiam. Papiæ, apud Hier. Bartholum, 1568. in 8.

DORNÆUS (*Gerardus*,)

Ex eô habentur

Congeries Paraçelſicæ Chemiæ de Tranſmutationibus Metallorum, ex omnibus, quæ de his ab ipſô ſcripta reperire licuit hactenùs. Acceſſit Genealogia Mineralium atque Metallorum omnium. Francof. apud Andr. Wechelum, 1581. in 8. & Volumine primô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazar. Zetznerum, 1613. in 8. pag. 533. & p. 619.

Chymiſticum Artificium Naturæ, Theoricum & Practicum. Francof. apud Andr. Wechelum, 1568. in 8.

Artificii Chymiſtici, Phyſici, Metaphyſicique ſecunda pars, & tertia. Acceſſit etiam tertiæ parti, de Præparationibus Metallicis in utrôque lapidis Philoſophorum opere majore minoreque, Tractatus excellentiſſimus. Francof. ap. eund. 1569. in 8.

Bernhardini Triviſani Chymicum miraculum quod lapidem Philoſophorum vocant; unà cum Dionyſii Zacharii, *Galli*, opuſculô Philoſophiæ naturalis Metallorum, autoritatibus variis hujus artis Principum, Democriti, Gebri, Lullii, Villanovani, confirmatum & illuſtratum edidit. Baſileæ apud Petrum Pernam, 1583. in 8. Ibidem, apud Conradum Waldkirchium, 1600. in 8. Extat etiam cum Volumine primô Theatri Chemici editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

Compendium Aſtronomiæ magnæ Theophraſti Paracelſi, de naturalium & ſupernaturalium Arcanorum, Myſteriorum, Dei quoque Magnalium, ad artes & ſcientias adeptas conſequendum, optimâ conſideratione. Francof. 1584. in 8.

Theophraſti Paracelſi de ſummis naturæ Myſteriis Commentarii tres Latinitate donati. Baſileæ, 1584. in 8.

Lapis Metaphyſicus aut Philoſophicus, qui univerſalis Medicina vera fuit patrum antiquorum, ad omnes indifferentes morbos, etiam eos, quos incurabiles vocârunt illi, qui curare non potuerunt. Et ad metallorum tollendam lepram, fabricandos lapides pretioſos, &c. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1570. in 8.

In Libros Paracelſi de vitâ longâ Commentarium ſcripſit, editum Francof. 1582. in 8.

Dictionarium Theophraſti, continens obſcuriorum vocabulorum quibus in ſuis ſcriptis paſſim utitur De finitiones. Francof. apud Chriſtoph. Rab. 1583. in 8.

Aurora Theſauruſque Philoſophorum Theophraſti Paracelſi. Francof. 1584. in 8. Acceſſit Monarchia Phyſica Dornæi in Defenſionem Paracelſicorum Principiorum, à ſuô Præceptore poſitorum. Præterea Anatomia viva Paracelſi, quâ docet Autor præter ſectionem corporum, & ante mortem, patientibus eſſe ſuccurrendum. Baſil. apud Guarinum 1577. in 8.

De Luce Naturæ Phyſicâ, ex Geneſi deſumtâ, juxtà ſententiam Theophraſti Paracelſi, Tractatus. Cui annexa eſt modeſta quædam Admonitio ad Thomam Eraſtum, Germanum etiam Philoſophum atque Medicum, de retractandis calumniis, & convitiis in Paracelſum & ſuos perperam ac immeritò datis in lucem per quatuor Tomos, de novâ Medicinâ. Francofurti, apud Chriſtoph. Corvinum, 1583. in 8. & Volumine I. Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Laz. Zetznerum, 1613. in 8. pag. 352.

Commentaria in Archidoxorum Libros x. D. Doct. Theophraſti Paracelſi, &c. Quibus acceſſit Compendium Aſtronomiæ magnæ ejuſdem Authoris, in amplam Operum ejus declarationem, etiam latinè priùs nunquàm editum. Francof. apud Corvinum, 1584. in 8.

De reſtitutâ utriuſque Medicinæ verâ Praxi, Liber primus. Lugduni, apud Jac. Dupuys, 1678. in 8.

De Summis Naturæ myſteriis Commentarii tres. Baſileæ, apud Conrad. Waldkirch. 1584. in 8.

Sunt autem:

De ſpiritibus Planetarum.

De Occultâ Philoſophiâ.

De Medicinâ Cœleſti, ſive de ſignis Zodiaci, & Myſteriis eorum.

Clavis totiûs Philoſophiæ Chymiſticæ, per quam obſcura Philoſophorum dicta referantur. Compendium, tres Libros continens, partim Phyſicos, Medicos, & pro majori parte Chymicos. Lugduni, apud Hæredes Jac. Juntæ, 1567. in 12. Herbornæ, apud Chriſtophorum Corvinum, 1594. in 12.

Huic Editioni recens acceſſit Artificium ſupernaturale & Volumine I. Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Laz. Zetznerum, 1613. in 8. p. 205.

Faſciculus Paracelſicæ Medicinæ veteris & non novæ, per floſculos Chymicos & Medicos, tanquam in compendioſum promptuarium collectus. Francof. apud ſigiſmundum Feyrabend, 1581. in 4.

Veneni, quod Leo (neſcio quis) ſuavius in Theophraſticos evomere conatur, proprium in pectus ejus Apologetica Retorſio. Extat cum Leonis Snavii Compendiô Medicinæ utriuſque Theophraſti Paracelſi; Baſil. apud Petrum Pernam, 1568. in 8.

DORNAVIUS (*Caſparus*)

Ex eô habentur

Menenius Aggrippa, hoc eſt, Corporis Humani cum Republica perpetua Comparatio: Obſervationibus Hiſtoricis, Ethicis, Oëconomicis, Politicis, Medicis, illuſtrata. Hanoviæ, apud Hæredes Johannis Aubrii, 1615. in 4.

Epiſtola, de Luxatione Brachii, Extat Cent. I. Epiſtol. Guil. Fabr. Hildani. Oppenheimi, apud Joh. Theod. de Bry, 1619. in 4. p. 279. Francof. 1646. in fol.

DORNCREILIUS [*Tobias*) ab Eberhertz Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Civitatis Luneburgenſis Phyſicus ordinarius.

Ex eô habentur

Diſpenſatorium novum, continens, ad omnia propèmodum humani corporis pathemata, remedia ſelecta, ac comprobata; aliorum quoque Auctorum Formulis ac Remediorum Deſcriptionibus, titulis complendis, auctum. Ulyſſeæ, apud Michaelem, Crônerum, 1600. in 4. Et cum Ejuſdem Autoris Tractatû de Purgatione. Hamburgi apud Frobenium, 1604. in 12. Lipſiæ, apud Eliam Rhefeldium & Johannem Groſium, 1623. in 12. Jenæ, apud Chriſtianum a Saher, 1645. in 12. Huic editioni accedit quoque Taxa ſive Pretium Medicamentorum tam ſimplicium quàm compoſitorum Chymicorum atque Galenicorum quæ hodie in pleriſque aut ſaltem præcipuis per Germaniam Pharmacopoliis ad uſum comparata proſtant, ad modum Taxæ Wittebergenſis per capita & ſecundum ordinem Alphabeticum recenſita. Cui quàm fieri poteſt etiam convenienter reſpondent:

I. Taxa Medicamentorum Pharmacopœiæ Auguſtanorum annexa.

II. Taxa Medicamentorum Reformationi Noricæ ſuperaddita.

III. Taxa Reformationi Wormacenſi adjecta.

IV. Taxa Lunæburgenſis, Diſpenſatorio Dornckreilii olim affixa.

V. Specificatio Medicamentorum Pharmacopoëiæ Hamburgenſis.

Johan. Stockeri Empiricam edidit.

Medulla totius Praxeos Medicæ Aphoriſtica, ex monumentis Excellentiſſimorum Medicorum extracta. Erfurti, typis Armſtenio - Smidanis, 1656. in 14. Hoc opus IV. Libris diſtributum eſt, hiſque præmiſſum Proëmium III. Capit. agit de Requiſitis Medici, De officio ægri & aſtantium, De Methodo medendi. Liber I. de conſervatione ſanitatis cap. XIX. abſolvitur. Lib. II. cap. VI. de Sanitatis reſtitutione. Lib. III. de Medicamentis in LXX. cap. dividitur. IV. De Chirurgiâ XVII. cap. comprehensâ.

De Purgatione Tractatus, Medicô futuro tum maximè neceſſarius, tum apprimè utilis. In quô non tantùm ex mente Hippocratis & Galeni de dextrô Purgationis uſû agitur; Verùm etiam cur Purgantia familiarem ſibi humorem attrahant, vera cauſa excutitur. Omnium inſuper Purgantium, tam compoſitorum, quàm ſimplicium Doſes uſitatæ diligenter annotantur. Annexô præterea modô, ſecundum quem uniuscujuſque purgantis compoſiti exacta doſis facili negotiô inveſtigari vel corrigi poſſit? Hamburgi, 1604. in 12. Extat etiam cum ejuſdem Tobiæ Dornckreilii, Diſpenſatoriô novô. Jenæ, apud Chriſtianum à Saher, 1645. in 12.

DORSTENIUS [*Joh. Daniel,*)

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 2. Ann. 3.

Obſervatio 59. De Aſcicula deglutitâ

Conticere hic nequeo, quod puellâ hic Mapurgi ſutoris filia aciculam æneam majorem longitudinis dimidii digiti non ità pridem deglutierit nullô perceptô ferè dolore præter quod deglutire

glutire vix potuerit; quæ acicula externè infrà cartilaginem ſcutiformem iterùm extracta eſt modoque puella ſana vivit.

Ibidem Obſervatio 60. *De Lumbricô tereti.*
Ibidem Obſervatio 61. *De duobus Epilepticis.*
Ibidem Obſervatio 62. *De Puerô ſurdô.*
Ibidem Obſervatio 63. *De Calculis per tuſſim & Exſcreationem rejectis.*
Ibidem Obſervatio 153. *De Fœtû abortivô hydropicô.*
Ibidem Obſervatio 154. *De Polypô cordis & duplici ventriculô in puerô.*

DORSTENIUS [*Theodoricus*) Medicus optimus & ſimplicium explorator eruditiſſimus. Vixit circa A. C. 1539. Juſtus in Chronolog. Medicorum.

Ex eô habetur

Botanicon, Continens Herbarum, aliorumque ſimplicium, quorum uſus in Medicinis eſt, Deſcriptiones, & Icones ad vivum effigiatas: ex præcipuis tam Græcis quàm Latinis Auctoribus concinnatum. Additis etiam quæ Neotericorum obſervationes & experientiæ vel comprobàrunt denuò, vel nuper invenerunt. Francof. apud Chriſt. Egenolphum, 1540. in fol.

DORTOMANNUS (*Nicolaus*,) Monſpelienſis.

De eô extat

De Cauſis & Effectibus Thermarum Belilucanarum, parvô intervallô à Monſpelienſi urbe diſtantium, Libri duo. Lugd. apud Carolum Peſnot, 1579. in 8.

DOUGLAS (*Jacobus*) M. D. Societ. Regiæ Socius & in Colleg. Chirurg. Londin. Prælect. Anatom.

Ex eô habentur, in Actis Lipſienſibus ann. 1707. *pag.* 82.

Obſervatio de Tumore magnô in anteriori Colli parte. Ex Act. Philoſ. Anglic. 1706. *N.* 305. *p.* 2214.

OCcaſio mihi nuper ſuppetebat ſecandi mulierem 50. circiter annos natam, quæ in anteriore colli parte tumorem ſat magnum, omne ſpatium inter maxillam inferiorem & ſuperiorem ſterni partem replentem, obtinebat. Hic in mediô enormiter protuberabat, apice verſus latus ſiniſtrum inclinante, latâ verò parte in dextrô hærente. Apicis cutis tenuis & rugoſa exiſtebat, alius, quam qualem reliquus tumor monſtrabat, coloris, & videbatur omninò hic loci tumor ad rupturam, diſpoſitus. Quemadmodùm & reliqua cutis tumorem tegens valdè tenuis erat, omni pinguedine privata, niſi quod in cavitate quâdam inter duos lobos in latere dextrô aliqua conſpiceretur; quoniam enim hic loci cutis non adeò expanſa erat, cellulæ membranæ adipoſæ non omni pinguedine carebant. Fibræ carneæ muſculi latiſſimi dorſi vix conſpici poterant. Maſtoidœus & Coraco-hyoidæus valdè erant tenues, & ubi aſcendunt, tumori ſubjacenti firmiter affixi. Sterno-hyoidæus & Sterno-thyroidæus qui ſuper partem anteriorem hujus tumoris ferebantur, uſque adeò erant expanſi, ut difficulter ab hoc ſeparari poſſent, potiſſimùm ultimus. Arteria carotis dextra ſuper apicem currens, à tumore in dies aucto compreſſa, ſanguinem ad caput liberè vehere non poterat. Sic & vena jugularis interna, par vagum & intercoſtale eundem attingebant, ubi ad thoracem deſcendebant. Duæ glandulæ lymphaticæ propè venam jugularem ad ovorum minorum magnitudinem intumefactæ cavitatem inter ſe pinguedine repletam relinquebant, & ſic tumoris ſuperficiem inæqualem in latere dextrô reddebant.

Muſculis & vaſis dictis remotis, tumoris magnitudo, figura, peripheria & cum partibus viciniſ cohærentia melius in oculum incurrebant. Magnitudo excedebat duos pugnos invicem conjunctos. Figura triangularis ferè erat, à baſi latâ ſub mentô deſcendebat tranſverſim uſque ad ſterni partem ſuperiorem, quam ferè attingebat, tumor. Superficies inæqualis erat propter tres protuberantias, quarum maxima ſiniſtrum latus reſpiciebat, reliquæ dextrum occupabant, ut dictum. Adhærebat per filamenta membranacea glandulis maxillaribus, muſculis Digaſtrico & Stylo-hyoidæo; ſub quô in latere dextrô exilis ejus portio inſtar papillæ ſub linguam protendebatur, in parte ſuperiore & anteriore oſſi hyoidæo affigebatur. Lateraliter connectebatur Levatori ſcapulæ, & paulò inferiùs illi portioni Cucullaris, quæ in claviculam terminatur. In parte poſticâ toti aſperæ arteriæ ſpatio, quod inter tertiam vel quartam ejus cartilaginem & os pectoris intercedit, ut & muſculo Capitis, Rectus internus major dicto, & cuidam ſcaleni portioni adhærebat; pars inferior jugulo ſeu parti falcatæ ſterni affigebatur. Ab his partibus omnibus faciliùs ſeparari poterat, quàm à glandulis thyroidæis, ubi enim hæ ſibi invicem accumbunt, paulò ſub cartilagine cricoide in parte anteriore aſperæ arteriæ, uſque adeò his connectebatur tumor, ut abſque dilaceratione nullô modô avelli poſſet: unde apparet, ab unione harum glandularum, radices propullulâſſe ingentis hujus tumoris; licèt quod notandum, glandulæ hæ naturalem obtinerent & figuram & magnitudinem.

Hic tumor admodum durus & firmus erat, ejuſdem conſiſtentiæ, quam ubera vaccina cocta habent; in paucis tamen locis, ubi mollis exiſtebat, liquorem continebat craſſum. Color erat ex albô luteus, in quibuſdam locis propter vaſorum ſanguineorum majorem copiam rubicundus.

Cùm tumorem diſſecarem, cultri apicem in rem aliquam duram impingere non ſine ſtupore advertebam, hinc ſeparatâ omni ſubſtantiâ molli, duram coquebam & mundabam, ità tamen nè partem cartilagineam teneriorem ipſi cohærentem removerem.

Hæc certè, ſi diutius vivere conceſſum fuiſſet ægræ, eundem cum priori indurationis gradum nacta eſſet. Durum hoc corpus ſimile videbatur corallio albo rupeo, nondum polito; num verò oſſium ſit, an potius ex humore viſcidô glandularum dictarum in irregularem ejuſmodi tartaream & lapidoſam ſubſtantiam concreto, vel quavis aliâ materiâ conflatum, aliorum relinquo judicio.

Ante duos annos in proſtatis ſenis decrepiti aliquot dura corpuſcula me inveniſſe recordor, piſis albis ſimilia, quoad conſiſtentiam dicto corpori reſpondentia, magis tamen polita, quoad faciem externam; quorum quædam ipſi harum glandularum corpori inſidebant, quædam exilibus radicibus membranæ has obtegenti adhærebant.

Viginti jam abhinc annis tumor hic colli apparere cœperat, occaſione venæ, ut mulier rem exprimere ſolebat, in partû difficili ruptæ; à

quô tempore ſenſim accreſcebat, nec tamen notabilem acquirebat magnitudinem, niſi paucos ante obitum annos; nec dolorem concitabat; erat enim totus ſcirrhoſus. Varia quidem à variis fuerunt applicata, ſed fruſtra. Tandem valdè moleſtus evadebat hic tumor, ingentem magnitudinem nactus, ſiquidem deglutitionem & liberam reſpirationem enormiter non ſolùm impediebat, verùm etiam hanc tandem penitus intercipiebat, aſperam arteriam, cui incumbebat, comprimendo.

Præter hunc tumorem alio, eôque moleſtô & doloroſô, ultimis annis vexabatur fœmina hæc ſymptomate, mortem itidem accelerante. Uterus ſcilicèt totus erat ſcirrhoſus, & uſque adeò diſtentus, ut totam pelvis cavitatem repleret; Coli & Ilei pars firmiter ipſi cohærebat, ut abſque laceratione ſeparari inde haud poſſet; ovaria & tubæ ipſi ferè immerſa erant, ità ùt niſi ovaria hydatidibus hinc inde fuiſſent obſeſſa, vix ea dignoſcere potuerim. Cervix uteri uſque adeò erat depreſſa, ut ſub labiorum levi admodum dilatatione in conſpectum veniret; maximè inſimul exiſtebat dura, ſed polita, æqualis, & adeò occluſa, ut abſque ſectione nihil in eam intrudere valuerim. Veſica urinaria verſus os pubis adacta & compreſſa parùm vel nihil urinæ continere potens erat, hinc eandem ſæpiùs reddere, idque nec ſine dolore cogebatur miſera. Sic pariter inteſtinum rectum compreſſum nihil fæcum tranſmittebat, & laboraverat fœmina ante mortem quinque ſeptimanas alvi obſtructione.

Per anum equidem aliquandiu materia purulenta & pituitoſa in ſat magnâ copiâ evacuari obſervabatur, ſed hæc uterô natales ſuos debebat. Humor enim acris qui aliô tempore per vaginam excernebatur, jam propter firmam ejus clauſuram nullum inveniens tranſitum, in ejus cavitate ſtagnaverat, & corrodendo parietes uteri, novam ſibi paraverat viam ad inteſtinum rectum. Qualem deplorandum caſum in ſectionibus plus ſimplici vice obſervavi.

Uteri craſſities duos ferè æquabat pollices, in cujus fundô magna humoris albi & craſſi copia reperiebatur, quæ digitos meos albos & rugoſos cuticulam contrahendo reddebat, haud ſecùs ac ſi eoſdem lixiviô quôdam acri lavâſſem; quemadmodum ſimili modo ſal cauſticum in ſapone latens lotricum manus afficere ſolet. Difficulter uterus propter firmam cum partibus vicinis cohæſionem ex pelvi extrahi poterat.

Notandum adhuc, quod parùm fæcum inteſtina continuerint, quoniam per longum tempus nihil ciborum ſolidorum deglutire poterat miſera; quicquid autem ibidem reperiebatur, durum erat, & in varias diſtinctas glebas coactum.

Ibidem Annô 1716. *p.* 83.

Bibliographiæ Anatomicæ ſpecimen. Londini, apud Chr. Bateman, Georgium Strahan, & Guil. Jnnys, 1715. 8.

IN ſpecimine hoc, Illuſtriſſimæ Societati Regiæ, quæ Londini floret, dicato, Catalogum exhibet Autor Clariſſ. omnium penè Autorum, qui ab Hippocrate ad Harveum rem Anatomicam ex profeſſô, vel obiter ſcriptis illuſtrârunt. Quicquid enim præclarius invenerunt erudita hominum ingenia, aut quicquid ex aliis compilârunt viri famæ cupidiores, juxta temporum ſeriem annotavit, ut utriſque laudis ſuæ præmia rectè decernerentur. Inventa hæc nullô cum negotiô cognoſcet Lector, ſiquidem librum, capita, paginam, quibus tractantur, ſigillatim indicata inveniet. Ut autem eò majori jucunditate ſe commendaret liber iſte, Hiſtorias, Vitas, & Elogia Anatomicorum ab ipſis Autoribus, aut ab eorum editoribus, vel Commentatoribus, qui illorum Nomina, Cognomina, Patriam, quando nati & quô ætatis annô occubuêre, quos Præceptores nacti ſunt, ubi floruerunt, & quibus ſtudiis inclaruerunt, ſcriptis mandârunt, ut plurimùm excerpſit Noſter. Libros quod concernit, eorum editiones, quâ linguâ prodierint, quâque formâ extent, unâ cum locô & tempore, quibus typis impreſſi fuerint, qui planè novi ſint libri, quique duntaxat recuſi, quales icones ſint præfixæ, an nativæ, an mutuatitiæ, an ligno vel æri inciſæ fuerint, in tabulâ quaſi perſpiciet Lector. Ex quibus omnibus haud obſcurum illi amplius fuerit, quid ex librô iſtô utilitatis in ipſum redundare queat, ità ut ſpeciminis hujus ſpecimine ſuperſedere nos poſſe judicemus.

DOUTE (*Philippus*,) Pariſienſis.

De eo extat

De ſuccô Cyreniacô Diatriba: adverſus Bertinum Dieuxivoye. Paris. apud Nicol. Boiſſet, 1658. in 8.

DOVYNETUS (*Jacobus*,) Tricaſſinus Medicus. Floruit circa A. C. 1582. Renatus Moreau de V. S. in Pleurit.

Ex eo habetur

Apologia adverſus multorum, præſertim Theophraſti Paracelſi, calumnias de antecedente, & legimâ Arthritidis cauſâ, necnon de legitimâ hujus morbi curatione. Lib. IV. comprehenſa. Pariſiis, apud Step. Prevoſt, 1582. in 8.

DRAGEUS (*Guilielmus*,)

De eô extant

Obſervationes de Febribus Intermittentibus. Londini, 1668. in 12.

DRAGOIÆVUS (*Johannes*,)

Ex eô habetur

Theriaca atque Mithridatium, duo antiquiſſima nobiliſſimaque Græcorum Antidota, contra tertium quendam recens nunc atque ex improvisô de Cœlô delapſum Catonem ſtudiosè propugnata ac defenſa. Francofurti, 1552. in 8.

DRAKE (*Jacobus*, Collegii Medicorum, & ſocietatis Regiæ ſocius, novum conſcripſit Anatomiæ ſyſtema ſeu antropologiam novam, in quâ oëconomia animalis deſcribitur. Adnotârunt verò Dni Collectores Actorum Lipſienſium, duo eſſe, quæ dictam Anatomiam minùs commendent. *Primum* eſt, quod Autor ipſe fatis priùs ceſſerit, quàm ultimam operi manum admovere valuerit. *Alterum* verô eſt, quòd eaſdem figuras comprehendat, quas *Blancardus* in Anatomiæ ſuæ editione primâ ex aliis Auctoribus, nullâ eorum mentione factâ, & quidem maximam partem inverſas inconſideratè & ſine judiciô exhibuerat, quâ de cauſâ etiam ſuô tempore noſtras cenſuras, &, quas juſtiſſimè promeruit, cribrationes, non effugiet. Si verò figuræ *Blancardianæ* malâ fide ex aliis mutuatæ, multis modis mutilæ ab ipsô exhibentur, quis dubitaverit, fœdius adhuc eaſdem deturpatas fuiſſe ab Auctore qui inde illas deprompſit. Nihilominùs aliquâ ex parte utile eſſe non definit opus, poſtquam *Cowperus* Obſervationibus errorumque Correctionibus & figurarum quàmplurimarum ſubminiſtratione, operam ſtrenuam eidem

dem! commodavit. *Goelike Hiſt. Anat. p.* 128. Fuit etiam Archiater Principis Würtembergici.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1709. *p.* 360.

Anthropologia nova; or anew Syſtem of Anatomy, &c.

id eſt:

Novum Anatomiæ Syſtema, œconomiam animalem deſcribens, varioſque morbos Corporis humani ſuccinctè innuens; Londini, apud Samuel Smith & Benj. Walford, 1707. 8.

DUo equidem Anatomiam præſentem minùs commendare videntur: primum, quod Autor ipſe naturæ prius ceſſerit, quam ultimam illi manum addere ac de ampliſſimô Anatomes in Praxi, cùm Medicâ, tùm Chirurgicâ, uſû in Præfatione diſſerere, aliumve etiam librum de morbis congeneribus abſolvere potuerit; deinde quod eaſdem Figuras comprehendat, quas *Blancardus* in Anatomiæ ſuæ editione prima ex aliis Autoribus, nullâ mentione horum factâ, partem maximam inverſas exhibuit, ut potè ad Bibliopolæ Londinenſis deſiderium brevi commentariô à Noſtrô illuſtrandas. Quibus tamen non obſtantibus, totum *Syſtema*, quod hic ſiſtitur, *Anthropologicum, quatuor Libris in duo volumina* digeſtis conſtans, tantò majorem meretur & invenit applauſum, quantô pluris æſtimanda venit opera, quam D. *Branchwait* conſilio & calamo, *Cowperus* autem Obſervationibus, errorum Correctionibus, capitibus integris, & figuris quam plurimis Autori noſtro, dùm viveret, aliis negotiis detento, ſtrenuè commodârunt; reliquæ namque figuræ præter tres ex *Swammerdamiô* & unam ex *Valſalvâ* deſumtas, non minùs ac quæ de pene nasôque agunt capita, *Cowperô* laudatô debentur, cùm *Blancardi* figuræ *Appendicem Voluminis primi*, nomine Autorum una adjecto, tantummodò conſtituant. Sed ut nonnulla circa partium modò ſtructuram naturalem, modò functionem rectam vel diſpoſitionem morbidam ſubinde additas, decerpi nunc queant, ad Librum I. qui *Volumine primô* continetur atque potiorum partium ſolidarum & fluidarum deſcriptiones non tantùm in genere, verùm & potiſſimum partes abdomen contexentes in ſpecie complectitur, accedamus. Cuticulæ, ceu cutis integumento, ſua quoque eſſe vaſcula, à nemine licèt adhuc detecta, ex glandulis colligitur, quæ in eâdem, veſicatorii adminiculô elevata, conſpiciantur; nec dubitatur, quin alia pariter incognita microſcopiô exactiori in ſimili cuticulâ valeant reperiri. Lepra Græcorum & Arabum, utraque cuticulam afficiens, non niſi gradû differre reputatur, in quantum ſalia vehiculô humidô in priori gaudere, in poſteriori verò carere tali videantur. Quod homines autem plerumque ſemel ſolum in totô vitæ curriculô corripiantur variolis, tanquam lepra critica, glandularum & pororum cutis immutationi ac dilatationi per eaſdem jam ità factæ adſcribitur, ut febre etiam ſimili præſente materiâ liberum tranſitum inveniat, neutiquam verò pro puſtulis excitandis ſubſiſtere cogatur. Tympanites verus in ſerô inter peritonæi duplicaturam extravaſato collocatur; dum villi cruſtæ œſophagi ac ventriculi villoſæ pro canaliculis glandularum excretoriis venditantur. Muſculi cephalô-pharyngæus, ſphæno-pharyngæus, & à *Valſalvâ gloſſo-pharyngæus* atque hyo-pharyngæus additi, cũ *Cowperô* pro unô muſculô pterygo-pharyngæô habentur, à diverſis tantùm partibus enaſcente, principiũ ſiquidem ejus, à proceſſû etiam pterygoideô regulariter occurrens, à *Valſalvâ* fruſtrà negari: Nomine fermentationis à quâ fluidorum animalium geneſin, perfectionem & decrementum plerique derivent, talis partium, mixtum corpus conſtituentium, motus inteſtinus expanſivus in genere intelligitur, qui ad permanentem corporis fermentati alterationem (unionem videlicèt aut diſſolutionem) tendat, ab aere, tanquam inſtrumentô primariô, ſi naturalis fuerit, peragendus. Salivæ & liquoris gaſtrici uſus potior aſſeritur, variorum cibi & potûs fluidorum miſcelam unionemque in formam lacteſcentem adjuvare, poſtquam ſolidiores alimentorum partes ab aere ipſis intertextô æque ac oſſa in machinâ Papinianâ, fuerunt reſolutæ; quemadmodum famis ſenſatio in ventriculi vacui motum periſtalcium, rugas tunicæ nerveæ conterentem ſive ad ſe invicem affricantem, rejicitur. Lienis glandulæ in dubium vocantur; arteriarum verò & venarum anaſtomoſes in hôc viſcere, ſi in ullô aliô mercurii injectione oſtenduntur facillimè, in quantũ mercurius, prout vel in venam, vel in arteriã impellitur, per arteriã aut per venam eâdẽ promptitudine remeet, hincque vaſa cuncta in liene ſic præparatô, ac per menſem illis ligatis ſuſpenſô, ab inciſione in dimenſionibus ſuis appareant. Flatum à D. D. *Branthweit* in porum hepaticum intruſum per plurima oſcula folliculi fellis aperti erupiſſe indigitatur; prout arteria hepatica in homine major, quàm in brutis notatur, ſimilemque etiam vaſorum differentiam circà alias partes diligentius ab aliquô conſignari deſideratur. Arteriæ ſpermaticæ minores in exortû, quàm in progreſſû ſic perhibentur; brutorum autem penem organis paulò aliis erigi ac in homine, Maſculi Marſupialis, Delphini atque canis exemplô evincitur; in Marſupiali enim ſanguinis per venas penis refluxum imprimis à ſphinctere ani juxta *Cowperi* obſervationem, ex *Actis Anglicanis* in noſtra *Acta* A 1705. p. 111. tranſcriptum, impediri, in Delphinô autem duo oſſa cum ſuis ligamentis eundem in finem efformata, & in cane muſculum digaſtricum, tendine medio venis incumbentem, *Covperum* laudatum vidiſſe. Infans commemoratur puella, cujus clytoridis excreſcentia nimia in causâ fuerit, ut pueris à parentibus, hermaphroditis verò ab aliis illa accenſeretur, neque mentio negligitur alicujus gravidæ, quæ fœtum putrefactum cum vivô in lucem ediderit.

In *libro* hinc II. qui cum duobus reliquis *Volumen Secundum* complet atque thoracis partes exhibet, Syſtolen cordis à diaphragmatis & muſculorum intercoſtalium motû diverſimodè in inſpiratione promoveri, ejuſdem autem diaſtolen ab ipsâ atmoſphærâ aeris, externè corpori incumbente, adjuvari, prolixis ipſiſque verbis, quæ jam in *Actis Philoſophicis Anglicanis* N. 281. p. 1217. leguntur, demonſtratur. Quamvis aqua tracheæ pulmonum cujuſcunque animalis in ſitû verticali infuſa, dum repletis vaſculis aeris per vaſa ſanguifera effluit, realem aeris cum ſanguine in pulmonibus miſcelam videatur perſuadere, quia per arterias tamen non minùs, ac per venas egreditur, de viâ dubitatur, an non talis rupturæ potiùs vaſorum, ab aquæ pondere inductæ, debeatur. Sanguificationis duo admittuntur gradus, quorum primus merâ chyli cum ſanguine confuſione ſive miſcela ejuſmodi, quâ rurſus ab hoc rubicundô poſſit ſecedere, abſolvatur, alter verò, in perfectâ chyli albi in purpuram ſanguinis exaltatione conſiſtat, utraque

que nihilominùs à motu ſanguinis, tùm inteſtinô, tum progreſſivô, perficienda.

In *Librô* III. Capitis partes oſſaque in genere ac eorum connexionem involvente, primum nervorum par verius proceſſuum papillarium titulo, quàm olfactoriorum, cenſetur innuendum, ramulúſque etiam paris ſexti nervorum ad linguam pro guſtatû deducitur. Glandula pituitaria, cujus uſus dubius, brutis major, quàm hominibus, vendicatur; *Bidloo* autem erroris arguitur, quod cerebro venas denegaverit. Puer octennis ſiſtitur ſurdus, quia in meatû auditoriô ea membrana reſtiterit, quæ hunc in fœtû alias ſolet tueri; & quemadmodum muſculi, quos trago & antitrago auriculæ *Valſalva* aſſignat, reputantur imaginarii, ità eum itidem muſculum, quem *Valſalva* novum tubæ,& alii pterygo-ſtaphylinum vocant à totô tubæ latere anteriori enaſci, negatur.

Tandem *in Libro* IV. partim muſculos & glandulas mucilaginoſas in genere, partim oſſa & muſculos omnes in ſpecie pertractante, in dubium vocatur, num fibræ muſculorum carneæ mera exiſtant vaſcula arteriſa & venoſa invicem continuata, numque in piſcium etiam caudis venarum cum arteriis continuitas rectè demonſtretur. Muſculum quippe omnem cingi membranâ, & ab hâc alias membranas ad ſingulos fibrarum Carnearum faſciculos, ut tales pariter inveſtiantur aptique ad ſanguinis expanſionem reddantur, protendi; in caudis verò piſcium ſanguinem microſcopio unicè eum, qui ad nutritionem in extremitatibus requiritur, non verò, qui ipſis partibus muſculoſis, ſive moventibus inexiſtit, conſpici. In infantium difficilius dentientium gingivis tumidis pertundendis inſtrumentum aliud, magis appropriatum, quam lanceolam, Anglis in uſû nunc eſſe traditur. Cùm triangularis ſterni muſculus antagoniſta omni deſtituatur, ab ejus continuâ tenſione ſternum paulò incurvari, in infantibus autem, rachitide laborantibus, ſterni morboſam acuminationem à nimia ipſius contractione dependere, eò veroſimiliùs conjicitur ſi muſculus dictus in tenellis comparativè amplior, quàm in adultis, occurreret; qui muſculus verò pſoas parvus audit, dorſi potiùs quam femoris, annumeratur muſculis.

De Cæterô ſicuti Syſtemati huic Index omnium capitum, & ſyllabus contentorum ſingulis capitibus præmittitur, ità Index pariter rerum geralis ſub calcem ejus adjicitur.

DRAKE [*Rogerius*,]

Ex eô habentur

Vindiciæ, contra Animadverſiones Primiroſii in Theſes ipſius, quas pro ſanguinis Motû Circulari, ſub præſidiô Johannis Walæi in Acad. Leidenſi, publicô examini ſubjecit. *Londini, ap. Joh. Rothwel*, 1641. *in* 4. Lugd. 1647. in 4.

DRAWIZ (*Johannes*,) *Scripſit German.* De Scorbutô. Lipſ. 8. 1647.

DREBELIUS [*Cornelius*) Alcmarianus.

De eô extant

Tractatus duo: I. De Naturâ Elementorum, quomodo venti, Pluviæ, Fulgura, Tonitrua ex iis producantur, & quibus ſerviant uſibus? II. De Quinta eſſentia; ejus viribus, uſû, & quomodo ea ex mineralibus, metallis, vegetabilibus, & animalibus extrahenda. Editi curâ Joachimi Morſii. Accedit Ejuſdem Drebelii Epiſtola, ad ſapientiſſimum Britanniæ Monarcham, Jacobum, de Perpetui Mobilis Inventione. Petrus Laurembergius è Belgicô idiomate in Latinum vertit. Hamburgi, apud Henricum Carſtens, 1621. in 8. Genevæ, apud Johan. de Tournes, 1628. in 12. Francofurti eôd. annô in 8.

DRELINCURTIUS [*Carolus*,] caroli Drelincurtii Eccleſiæ Pariſienſis Paſtoris filius, Natus eſt Pariſiis anno 1633. Menſis februarii die primâ. Doctor Medicus creatus eſt Monſpelii Annô 1654. poſtquam clarus per Praxim ſuam tùm in exercitû, cui præerat Turenius, in Belgio, tum Lutetiæ Pariſiorum evaſiſſet; à curatoribus Academiæ Lugduno-Batavæ pro cathedrâ Medicâ advocatus anno 1668. Id munus lubens ſuſcepit, ſummoque, nec vulgari cum ſucceſsû adimplevit. Ejus docendi methodus, nitidiſſima accuratiſſimaque erat; dexteritatem ſagacitatemque quam præſertim in Anatomicis demonſtrationibus adhibuit mirati ſunt omnes. Doloribus per menſes aliquot acutiſſimis, Chriſtianâ admodum conſtantiâ perpeſſis, anno. 1697. Maji. 31. Lugduni Batavorum è vitâ hâc migravit. Carolum Drelincurtium unicum filum ſuum vidit annô 1693. Doctoris Medici titulô ornatum, & ex matrimoniô poſtea contractô duorum liberorum patrem. Nullam ſibi funebrem panegyrim juſſit fieri. *Bayle in Dict. Criticô.*

De eo extant in Lindenio Renovato.

Oratio Inauguralis Monſpeſſula, qua medicos, jugi Dei operum Conſideratione atque contemplatione permotos, cæteris hominibus religioni adſtrictiores eſſe, demonſtratur, atque etiam impietatis crimen in ipſos jactatum diluitur, atque propulſatur. Monſpelii, 1653. in 12.

Clariſſimum Monſpelienſis Apollinis ſtadium currente Carolo Drelincurtio, Doctoratum ambiente Annô ſalutis 1654. Ibidem, 1654. in 12.

De Partû octimeſtri vivaci, Diatriba. Lugduni Batavorum, 1667. in 12.

Apologia Medica, quâ depellitur calumnia; Medicos ſexcentis annis Roma exulaſſe. Ibidem 1672. in 12.

Opuſcula Lugduni Batavorum, apud Felicem Lopez, 1680. in 12.

Continentur autem his opuſculis

I. Clariſſimum Monſpelienſis Apollinis ſtadium, currente Carolo Drelincurtio &c.

II. De Partû Octimeſtri vivaci, Diatriba.

III. *La Legende du Gaſcon ou la Lettre de Charles Drelincourt.* &c. i. e. Vaſconis Legenda, cum duabus ad D. Vallot. Regis Galliarum Primarium Archiatrum Epiſtolis, ſuper Lithotomiâ in Nobili Normannô inſtitutâ &c.

IV. Oratio, quam ſuper Civitatis & Academiæ calamitatibus, generatim & paucis, tum ſuper clariſſ. viri Joh. Van Horne Natalibus, Vitæ inſtitutô & è vivis exceſsû, ſingulatim & pleniùs, brevibus tamen annô habuit ineunte, 1670.

V. Apologia Medica, quâ depellitur illa calumnia, Medicos ſexcentis annis Româ exulaſſe.

VI. Præludium Anatomicum &c.

VII. Libitinæ Throphæa, pro concione, quum Faſces Academicos deponeret, computata die ſolemni VIII. Febr. 1680.

VIII. Appendix ad Libitinæ Throphæa.

Præludium Anatomicum, quod Lugdunenſium in Amphitheatro ad primam Anatomes ſuæ Εγχείρησιν adhibuit. Lugduni Batavorum, apud Danielem à Gaesbeck 1672. & 1680. in 12.

Experi-

Experimenta Anatomica ex Vivorum ſectionibus petita. Edita per Erneſtum Gothofred. Heuſeum, *Dantiſcanum*. Lugduni Batavorum, apud Cornelium Bouteſteyn, 1681. 1682, & 1684. in 12.

De Conceptû, conceptus. Extat cum Danielis le Clerc & Johan. Jac Mangeti Bibliothecâ Anatom. Genevæ apud Johan. Anton. Chouet, 1685. in fol.

De ſemine virili; item de ſemine Muliebri, ovis, Uterô, Tubis uteri: cum Corollariis de Humanô Fœtû. Extat ibidem, apud eundem, annô & formâ iiſdem.

Experimenta Anatomica ex vivorum ſectionibus petita. Extat ibidem, apud eundem, annô & formâ iiſdem.

De Humani foetûs Membranis, Hypomnemata. Lugduni Batavorum, apud Cornelium Bouteſteyn, 1683. in 12. & in Bibliothecâ mox memoratâ.

De conceptione, Adverſaria. Ibidem, apud eundem, annô & formâ iiſdem, ut & in prædictâ Bibliothecâ.

Plures præterea ejuſdem Diſſertationes & Obſervationes in Mangeti Bibliothecâ Medico-Practicâ diſperſæ reperiuntur.

DRESSERUS (*Matthæus*) Erphordienſis.

De eo extant

De Partibus humani corporis, & Animæ, ejuſque potentiis, Libri duo. Adjectæ ſunt ad finem Morborum & Medicamentorum communiſſimorum Appellationes. Lipſiæ apud Jacobum Apelium, 1593. & 1607. in 8. Wittebergæ, apud Hæredes Johan. Cratonis, 1581. in 8. Francof. apud Nicol. Baſſæum, 1584. in 8.

DREYERUS (*Abrahamus*) Bremenſis.

Ex eo habetur

De Scorbutô, Diſputatio. Extat Decade VI. Diſputationum, quas collegit & edidit Baſileæ Johan. Jac. Genathius, 1622 in 4.

DROETUS (*Petrus*) Pariſienſis.

De eô extat

Conſilium novum de Peſtilentiâ. Pariſiis, 1573. in 8. Argentorati, apud Bernardinum Jobinum, 1576. in 8.

DRUSIANUS aliàs *Turriſanus de Turriſanis* Florentinus pluſquàm Commentator dictus, propter ſubſtilitates & argutias. Auditor & Diſcipulus Thaddæi. Claruit ſecundùm Tritemium A. C. 1300. Gaſſarum verò A. C. 1343. Obiit Bononiæ Octogenarius. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur

Pluſquàm Commentum in Parvam Galeni Artem. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1504. in fol. apud Juntas, 1543. 1557. in fol. cum duplici Textûs interpretatione antiquâ, ſcilicet & Leoniceni, & Ejuſdem Libellô de Hypoſtaſi; Opus utile, quod olim Jul. Martianus Rota pluribus auxit & emendavit; nunc verò additis quibuſdam ad eandem rem pertinentibus; recognitum, atque aptiùs exornatum. Ea autem ſunt Hali, qui eandem Galeni Artem primus expoſuit. Johannitii ad eandem Introductio. Gentilis, qui primum ejuſdem Artis Librum partim explicando, partim dubitando declaravit. Nicolai Leoniceni Quæſtio de tribus doctrinis, in capita diviſa.

Turiſani in Artem parvam Expoſitio MS. Extat in noſtrâ Bibliothecâ.

DRYANDER (*Johannes*) Natus eſt Weteran, in Haſſiâ: creatus verò Medicinæ Doctor Moguntiæ: & Medicinæ, nec non Matheſeos in Academiâ Magpurgenſi Profeſſor publicus conſtitutus, poſtquam illud munus per annos 24. ſuſtinuiſſet; ibidem Obiit A. C. 1560.

De eô extant

Anatomiam Mundini quâ ad vetuſtiſſimorũ, eorũdemque aliquot manuſcriptorum Codicum fidem collatam Juſtoque ſuo ordini reſtitutam edidit. Adjectæ ſunt quarumcunque Partium Corporis ad vivum expreſſæ Figuræ. Adſunt & ſcholia non indocta, quæ prolixorum Commentariorum vice eſſe poſſunt. Marpurgi, apud Chriſtianum Egenolphum 1541. in 4.

Anatomicæ, hoc eſt, corporis humani diſſectionis Pars prior; In quâ ſingula, quæ ad caput ſpectant, membra & partes recenſentur, cum Figuris & Iconibus. Item Anatomia Porci, ex Traditione Cophonis. Et Anatomia Infantis ex Gabriele de Zerbis. Marpurgi, apud Eucharium Cervicornum, 1573. in fol.

De Balneis Emſenſibus, Liber. Marpurgi, apud Cervicornum, 1535. in 8. & operis Veneti, de Balneis pag. 290.

Johannis Vochſii opuſculum præclarum de omni Peſtilentiâ, ſive ſit ab aëreo corruptô, ſive, ab aquis putridis aut à Cadaveribus: & de diuturnâ Peſte Morbi Gallici, quæ non ceſſabit, donec putredo ejuſdem morbi funditùs eradicetur, noviſſimè repurgatum edidit. Magdeburgi, apud Jacobum Winter, 1508. in 4. Coloniæ, 1537. in 8.

DUBRAVIUS (*Janus*)

Ex eo habentur

De Piſcinis & Piſcium, qui in eis aluntur; naturis, Libri quinque. Item Xenocrates de Alimentô ex aquatilibus Græcè & Latinè: cum ſcholiis Conradi Geſneri. Tiguri, apud Geſneri FFR. 1559. in 8. & cum Auctariô Joachimi Camerarii. Noribergæ, apud Paul. Kaufman, 1596. in 8. Ibid. 1623. in 8.

Hippocratis Aphoriſmi, verſibus Heroicis Latinis redditi. Cum ejuſdem de Piſcinis extant. Noribergæ, 1623. in 8.

DUCHAT (*Stephanus le*)

De eô extat

De Cauſâ Menſium perpetuò ſine noxâ retentorum: & de nimiô menſium fluxû itidem innoxiô, Epiſtola. Extat Cent. V. Obſerv. Chirurg. Guil. Fabr. Hildani: Francofurti, apud Matth. Merianum, 1627. in 4. pag. 139.

DUCRETUS [*Tuſſanus*,) Cabilunenſis.

Ex eô habentur

De Arthritide vera Aſſertio, ejuſque curandæ Methodus, adverſus Paracelſiſtas. Lugduni, apud Bart. Vincentium 1575. in 8.

Commentarii duo: unus, de Febrium cognoſcendarum & curandarum ratione: alter, de earumdem Criſibus. Lauſannæ, ap. Franc. le Preux, 1578. in 8.

DUDITHIUS (*Andreas ab Horecovizâ*,)

Ex eô habentur

Epiſtolæ variæ & inſignes Medicæ. Extant eô in Opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

DUGO Philonius (*Johannes*)

De eo extat

De Regimine ſanitatis, Libellus. Extat cum reliquis

reliquis ejuſdem ſcriptis. Baſileæ, apud Oporinum, 1553. in 8.

DULCO, ſive, CLAVEUS (*Gaſto*) Nivernenſis.

Ex eô habentur

Apologia Chriſopoëæ, & Argyropoëæ, adverſus Thomam Eraſtum. In quâ diſputatur & docetur, An, Quid, & Quomodò ſit Chryſopoëa & & Argyropoëa? Cùm novô Authoris Opere de Triplici auri & argenti præparatione. Urſellis, apud Corn. Sutorium, 1602, in 8. & volumine ſecundô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum 1613. in 8. pag. 1.

Philoſophia Chymica tribus tractatibus comprehenſa. Coloniæ Allobr. 1612. in 8.

De triplici præparatione Auri & Argenti. Ejuſdem de rectâ & verâ ratione progignendi Lapidis Philoſophici, ſeu ſalis Argentifici & Aurifici, Tractatus duo Extât Volumine quartô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

DUMBELIUS de Angliâ (*Johannes*)

De eo extat

Hortus amoris. In quô docetur creatio veriſſimæ arboris Philoſophicæ. Extat Decade II. Harmoniæ Chymico-Philoſophicæ, ſtudio Johannis Rhenani collectæ. Francof. apud Conrad. Eifridum, 1625. in 8. Ejuſdem Practica vera Alchymiæ: & via univerſalis, ibidem extant.

DUNCAN (*Daniel,*) M. D. Facultatis Monſpelienſis.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1684. *pag.* 82.

La Chymie naturelle, ou l'Explication Chimique & Mechanique de la Nouriture de l'Animal.

hoc eſt:

Chymia Naturalis, ſive Explicatio Chymica & Mechanica Nutritionis Animalis. Pariſiis 1682. *in* 8. *& Hagæ* 1707. *in* 8.

DUNUS (*Thaddæus,*) Locarnenſis.

Ex eo habentur

Epiſtolæ Medicinales. In quibus de Oxymelitis facultatibus, & curatione Pleuritidis, Morborumque articularium tractatur. Ejuſdem de Hemitritæo, ſive, Febre ſemitertianâ libellus. Item Miſcellaneorum de re Medicâ Liber omninò utilis, aliàs non editus. Tiguri, apud Joh. Wolphium, 1592. in 8. apud. Andr. Geſnerum, primùm, 1555. in 8.

De ratione curandi per venæſectionem, Libr. III. Lutetiæ, apud Stephanum, 1544. in 8. Tiguri, apud Chriſtophorum Froſcoverum 1570. in 8.

De ratione curandi per venæſectionem, Liber quartus, prioribus tribus aliàs editis adjungendus. In quô Revulſionis Derivationis, ſimplicisque Vacuationis natura penitiùs inſpicienda proponitur, & ſuperiorum Librorum loca aliquot cumulatiùs confirmantur: ad ea verò, quæ objecta fuerunt κατ' ἐξιν factis, deque occultis meatibus fuſiùs diſputatur. Tiguri, apud Chriſtophorum Froſcoverum, 1571. in 8. Ibid. apud Eundem, 1579. in 8.

Nova conſtitutio Artis Revellendi, Derivandi, ſimpliciterque vacuandi per venæſectionem unô quidem Librô, eôque brevi comprehenſa, cæterùm duobus aliis pleniùs illuſtrata & confirmata. Tiguri, apud Andr. Geſnerum, 1557, in 8.

Muliebrium Morborum omnis generis Remedia, ex Dioſcoride, Galeno, Plinio Barbariſque & Arabibus collecta & diſpoſita. Argentorati, apud Joſephum Richelium, 1565. in 8.

De Reſpiratione, Liber. Quod Reſpiratio non ſit motus voluntarius, hoc eſt, non ex noſtrô arbitriô pendeat, (quod tamen Galenus cenſet) ſed animalibus tum rationalibus, quàm irrationalibus, à naturâ ingenita eſt. Tiguri, apud Chriſt. Froſcoverum, 1588. in 8.

DUPRE' Xenodochii Pariſienſis, quod *Hôtel Dieu* vocant, Chirurgus Ordinarius; Edidit deſcriptionem 5. parium muſculorum, diverſis capitis motibus ſuper primam & ſecundam cervicis vertebram inſervientium, nec non durorum ligamentorum vel caput cum primâ vertebrâ vel hanc cum ſecundâ connectentium. Quamvis autem magnificè admodùm de hôc ſuô inventô ſentire videatur Autor: Meritô tamen dubitatur, an tantô hiatû digna ſint ejus conamina quia non difficile eſt unum eundemque muſculum in multô plures dividere, ſiquidem in curiosâ eorumdem indagatione multùm temporis, operæ atque laboris impendere quis vellet. *Goelike Hiſt. Anat. p.* 105.

DURANDUS (*Raymundus*) Naienſis.

De eo extat

Methodus Cognoſcendi & Curandi omnes Febrium differentias, verâ & brevi diviſione, Libris duobus. Burdigalæ, apud Franc. Morpain, 1554. in 8.

DURANS ſeu DURANTES (*Caſtor,*) Italus, Gualdenſis, Civitate Romanâ donatus, Petri Dilecti Durantis Juris Conſultiſſimi, multæque eruditionis, & Operibus evulgatis clari, filius non degener, quippe qui doctiſſimus, & ipſe caſtor, peritiſſimus Medicus & Poeta floruit. Sixti V. Pont. Max. præſtantiſſimus Medicus emicans, jugiter ſtudiis addictus, plura elucubravit, pluraque formis dedit notiſſimus Orbi. In Biblioтecâ Umbriæ, Ludovici Jacobilli, pag. 82. ſequentia adnotantur opera, nempè.

Theſaurus ſanitatis, & de naturâ ciborum multoties editus.

Sanazarium imitatus cecinit.

Il Parto della Vergine. In Roma, per Gio Batiſta Cavalieri. 1518. in 8.

Tranſtulit

Libros 4. Æneidorum Virgilii, carmine rythmicô.

Herbario nuovo: Elegantibus carminibus decoratum Opus, non ſemel typis datum, & noviſſimè Venetiis, 1684. in fol. apud Johan. Jacobum Hertz.

Theatrum Plantarum, Animalium, Piſcium & Petrarum. In fol. Venetiis, Annô 1636. & alibi.

Alia Opuſcula poſt ejus mortem, quæ accidit circa annum 1590. impreſſa fuerunt. Denaſcitur Viterbii, & in Eccleſiâ Minoritarum ſepelitur, teſte Bonaventurâ Theulô, in librô, qui inſcribitur, *Apparato Minorico della Provincia di Roma, pag.* 57. Illum audi *Nell' uſcire dalla Sacreſtia vi ità la ſepoltura di Caſtore Durante, che fu Medico molto ſtimato di Siſto Quinto ſommo Pontefice, huomo virtuoſo, è celeberrimo ma ſenza Epitaffio, che pur degnamente, gli conveniva.*

Ejuſdem etiam memoriam celebrant Hyppolitus Maraccius in Bibliothecâ Marianâ, p. 1. Johannes

nes Baglionus in Opere, *Le Vite dé Pittori, Scultori & Architetti,pag.* 394. Johan. Ant.Van der Linden meminit etiam de eô, necnon operis.

De Bonitate & vitiô Alimentorum centuria. In quâ continentur ferè omnia, quæ ad rectam victus rationem inſtituendam, & tuendam valetudinem pertinent. Piſauri, apud Hæredes Bartholomæi Cæſani. 1595. in 4.

Carolus Cartharius in Athenæô Romanô affirmat, Caſtorem eminenter profeſſum fuiſſe in Romano Litterarum Emporiô.

Caſtoris Uxor fuit Hortenſia Ruſcona, Nobilis Romana, uti aſſeritur in Herbariô, pag. mihi 264. Ex eâ ſuſcepit

Octavium, qui non minori quam pater doctrinarum eruditione coruſcat. Apud famigeratiſſimum Antonium Magliabechi ſervatur Octavii m. ſ. opus præmotatum, *Rimedi per le infirmita del corpo umano, incominciando dal capo, ſino à i piedi; parte cavati da gli ſcritti di gravi Autori, e parte imparati dall' eſperienza, vera maeſtra di tutte le coſe.* De Octavio ſcripſi olim in meâ Bibliothecâ Romanâ vol. 2. Centuriâ 7. Num marg. 83.

Julius Durantes, alter Caſtoris filius, Medicus æquè ſpectatæ doctrinæ, acceptam à genitore & fratre nominis claritatem virtutum ſuarum præſtantiâ longè, lateque extendit. *Mandoſius p.* 53.

Il Teſaurò della ſanità, nel quale ſi da il modo di conſervar la ſanità, & prolongar la vita, e ſi tratta d'ella natura di Cibi, e dei Rimedi, e dei Nocumenti loro. In Roma, 1589. 4.

DURANTIUS (*Johannes*) Caſſelius

Ex eo habetur

In Duretum & Martinum, Medicos Pariſienſes, Apologeticus Primus. Ad Joſephum Scaligerum Jul. Cæſ. F. Magiſtophorus primus Joh. Martini, Philippô Conſtantiô Autore. Pariſiis, 1579 in 8.

DURASTANTES [*Janus Matthæus*) Sancto-Juſtanus.

Ex eô habentur

Problemata tria. I. Dæmones an ſint & an morborum ſint cauſæ? pro Theologorum, Philoſophorum, & Medicorum ſententiis. II. An virium imbecillitati juncta cacochymia per epicraſin ſit curanda? III. Et an Rhabarbarum ob Lienteriam, Dyſenteriam & Adſtrictionem ſit comburendum? Venetiis, apud Jordanum Zilettum, 1567. in 8.

Libri duo Medici. Primus de Aceti Scyllini triplici compoſitione, mirificis ob ſanitatem ac vitam diutiſſimè producendam viribus ac congruô uſû. Secundus de Aloës ſubſtantiâ, quantitate, relatione, qualitatibus, actionibus, paſſione, habitû, ubi & quando. Ibid. apud eund. 1567. in 8. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1614. in 12. cum Joh. Jeſſenii Conſiliô adverſus Peſtem, &c.

Libellus de Voluminibus à ſe compoſitis. Extat ad finem Tractatûs de Acetô Scylinô, Italicè editi Maceratæ, apud Sebaſt. Martellinum, 1574. in 8.

Recognitio Opuſculi aurei de Febribus Anton. Gradi. Extat in Johan. Matth. de Gradi Practicâ.

DURATIUS [*Joh. Franciſcus,*]

De eô extant

Galeni de Locis affectis Libri ſex: cum eruditiſſimis Commentariis. In quibus totus ferè Medicinæ theſaurus reconditus eſt. Venetiis, apud Jord. Zilettum, 1557. in 8.

DURETUS [*Claudius,*]

Ex eo habentur

Hiſtoriæ admirabiles de Plantis Herbiſque mirabilibus & Miraculoſis per Naturam. Pariſiis, in 8.

DURETUS [*Ludovicus,*] Natus eſt Seguſi in ultimâ Burgundiâ A. C. 1527. primis ſtatim ætatis temporibus Pariſios venit pauper & inops: ſed Doctor Medicinæ promotus, & conjugiô ditiſſimô beatus ipſe dives factus eſt: mox Regiâ Pariſiis Profeſſione & Praxi illuſtris, vitam docendo, ſcribendo, & Praxi aulicâ tranſegit. Artem Hippocraticam Barbariè ſopitam inter primos reſuſcitavit, & locos Hippocratis ferè omnes memoriâ tenuit. Fuit Caroli IX. & Henrici III. Regum Galliæ Medicus Cubicularis perpetuus, à quibus adeò delectus eſt, ùt, cùm filiam elocaret, Rex Henricus à dextris, ipſeque à finiſtris Filiam in templum ad ſolemnia ſponſaliorum deduxerint, ipſeque Rex præſentiâ ſuâ nuptias cohoneſtans, omnem auream & argenteam ſuppellectilem, quâ miniſtrabatur, cujus pretium 40000. florenorum excedebat, ſponſæ pro honorariô donârit. Tantus enim Regis hujus ergà Duretum fuit affectus ùt non niſi ipſô adſtante cibum ſumpſerit. Obiit tandem Lutetiæ Paris. A. C. 1686. ætatis ſuæ 59.

Ex eô habentur

Hippocratis Magni Coacæ Prænotiones. Opus admirabile, in tres Libros tributum: Interprete & enarratore L. Duretô. Pariſiis, apud Jac. Du Puys, 1588. in fol. Græco-Latinè, apud Petrum Billaine, 1621. in fol. Argentinæ, apud Caſparum Dietzelium, 1633. in 8. Lutetiæ Paris. apud Caſp. Meturas, 1658. in fol. Genevæ, 1665. in fol.

In Magni Hippocratis Librum de Humoribus purgandis. Et in Libros tres de Diætâ acutorum, Commentarii, interpretatione & enarratione inſignes. Editi ſunt à Petrô Girardetô. Adjecta eſt ad calcem accurata conſtitutionis primæ Lib. II. Epidemiωn ejuſdem Autoris interpretatio. Pariſiis apud Johan. Joſt, 1631. in 8.

Adverſaria, ſive, Scholia in Jacobi Hollerii Libros de Morbis internis. Vide in *Jac. Hollerio.*

DURRIUS (*Georgius Tobias,*) Sereniſſ. Elector. Palatini Conſiliarius, Collegii Medici Auguſtani Vicarius & Officinarum Pharmaceuticarum Viſitator.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. II. *Ann.* VII.

Obſervatio 56. *Tympanites & virtus Conſervæ Spagyricæ.*

Ante duos annos occurrebat in praxi virgo Auguſtana triginta aliquot annorum adeò tympanitica, ùt de ſanitate recuperandâ ipſamet deſperaret, urinâ autem neque ruffâ neque turbidâ

bidâ ſed clarâ & pallidâ exiſtente bonam concepi ſpem; remque aggreſſus ſum medicamentô penetrante, incidente, deobſtruente, flatus diſcutiente, & ſimul confortante, quod erat conſerva ſpagyrica, de quâ ſingulis diebus jejunô ventriculô magnitudine nucis moſchatæ ſumſit, interdictô omni medicamentô purgante; potus ordinarius erat decoctum Radicis Petroſelini, Raphani Sylveſtris, Radicis Glycirrhizæ, & ſeminis Cumini; Sic venter ſenſim ac ſenſim detumeſcebat integrâ ſubſecutâ ſanitate. Deſcriptio hujus Conſervæ, quæ recipit arcanum duplicatum Mynſichti, eſt in noſtrâ Pharmacopœiâ Auguſtanâ reformatâ & auctâ annô 1684. Alii tamen pro arcanô duplicatô ſubſtituunt ſequentem calcem; ℞. Nitri purificati ℔j. injice in cucurbitam vitream, affunde guttatim & ſenſim ſpiritus vitrioli rectificati ℔j. poſtquam deferbuit & quievit, impone Alembicum cæcum, & ne quid expiret, cum Albumine ovi & calce commiſſuras benè firma, pone in Balneum Mariæ ad digerendum 6. 7. vel 10. dies, priùs tepido dein calido, attamen non plus quàm ùt manû tractari poſſit cucurbita, dein amotô Alembicô cæcô impone roſtratum, deſtilla phlegma in receptaculum, donec ſicca calx in fundö maneat, hanc fractô vitrô, in hypocauſtô calidô exime & ſerva. Hâc in talem modum paratâ conſervâ, curavi ante aliquot annos ſereniſſimam Electricem N. N. ex inordinatô uſû acidularum obſtructione meſenterii cum colicâ periodicâ periculoſâ & adſtrictione alvi laborantem; cùm enim clyſteres, balnea, laxantia, & alia interna, & externa ritè quidem adhibita parùm proficerent, à primâ ſumtione hujus medicamenti & ſic pergendo quotidie, alvus cum optatô levamine, & diſſipatis doloribus, depoſuit varii coloris excrementa malè olentia, reſeratis nimirùm obſtructionibus.

Scholium.

Aliam conſervæ hujus habet præparationem, ab ipô ejus Autore deſcriptam, quæ loco Arcani duplicati Nitrum regeneratum recipit, in eleganti tractatû, quem *Regnum minerale* vocat, Collega noſter Curioſ. Nobil. *D. Eman. König p.* 136. quæ cùm diverſa ſit ab iſtâ in *Diſpenſatoriô* noſtrô *Auguſtanô novô* communicata, quænam harum ſit præſtantior, dubitari poſſet, & à quibuſdam etiam dubitatur. Mihi verò pro diverſâ Medici intentione, utrique prærogativam deberi videtur; *& vitulô hac eſt digna, ut & illa.* Amantiſſimo enim noſtro *D. Konigio* factæ deſcriptioni laudem genuinitatis uti vocare in dubium animus non eſt, ità noſtram ad uſus, quos præſtare nobis debet, magis accommodatam eſſe arbitror; licèt, ùt & hoc fatear, largiorem olei cinnamomei doſin magis imminutam vellem, quô de tamen, reliquiſvè ingredientibus jam diſpicere nolo, de Nitrô, Arcanovè duplicatô tantummodô pauca dicturus. Ubi ſanè in genuina Helmontii formula paulò operoſior, quàm ſit neceſſe, Nitri ſingulari ſtudio præparati acceſſio omitti poſſet, cùm reverà non aliud quàm Nitrum vulgare purificatum exhibeat, paucis coralliorum & perlarum (modò & hæ in ignis tortura non aliquid patiantur,) granulis commixtum; ab iſtâ enim Nitri per fuſionem, & cum pulvere carbonum detonationem alcaliſatione ac poſteà per Nitri ſpiritum ſaturatione, nil niſi vulgare Nitrum obtineri, tum ſtiriarum, in quas concreſcit, figura, tum ſapor, tum quoque inflammabilitas evincunt; unde jamdudum *Ant. Guinth. Billichius Obſ. ac Paradox. Chim. Lib.* 1. *cap.* 7. *&* 14. Spiritum Nitri cum Alcalibus ad matris ingenium redire edixerat; ſcio equidem non incelebrem quendam Chimicum alicubi ſcripſiſſe, pulverem ſclopetantem, qui ex Nitri partibus, 3. Salis Tartar. part. 2. & ſulphur. part. 1. conficitur, cum Nitrô hoc paratum, nullum edere ſtrepitum, ideòque non videri Nitrum iſtud eſſe idem, quod fuit anteà, i. e. vulgare; verùm experimentô hujus inſtitutô, non ſecùs in fulmen erumpere, ac ſi cum vulgari eſſet paratum ſal illud ſclopetans, cognovi. Excell. *D. Joh. Helfr. Jungkenii* confectio hæc ſplenetica quam *pag.* 581. *Chim. Experiment.* profert, quoad ſalis hujus additamentum cum noſtrâ convenit, ſiquidem Nitrum Vitriolatum, cujus deſcriptionem pag. 218. exhibet, idem eſt cum Arcanô duplicatô Conf. *Pharmacop. Auguſt. nova, pag.* 328. Neque Calx, quam Clar. D. Author hìc ab aliis ſubſtitui innuit, multùm ab iſtô recedit, cùm per nitrum purificatum, cui ſpiritus Vitrioli affundendus eſt, idem illud Nitrum per Carbones in Alcali reductum, eſſe intelligendum, effervefcentia, quæ à dicti ſpiritûs affuſione excitari dicitur, indicet.

Ibidem Obſervatio 57. *Aſcites in muliere ſeptuagenariâ.*

Foemina Eſchelocheria, relicta Piſtoris civis Auguſtani vidua ſeptuagenaria, aſcite decumbebat, ùt vix è lectô potuerit ſurgere, tumor enim abdominis & pedum impedimento erat, quo minùs unus aut alter greſſus perficeretur, tuſſis quoque, & anheloſa reſpiratio minabantur ſuffocationis periculum; in tali ætate relictâ purgatione, præſcripſi ſpiritum ſalis; ℞. Spiritus ſalis rectificati ʒij. ſalis Abſinthii ʒß. miſc. & ſumat omni manè guttas v. aut vj. cum ℥ij. aquæ ſequentis; ℞. aq. Agrimoniæ, Fragor. Petroſelini, Raphani, cumini āā. potus ordinarius erat decoctum diureticum in caſû præcedente notatum; continuatô per v. aut vj. hebdomades horum uſû convaluit rei domeſticæ perficiendæ apta exiſtens, & cùm poſt duos annos recidivam pateretur, iiſdem remediis rursùs reſtituta, tandem ſecundâ aut tertiâ recidivâ oppreſſa victas morti dedit manus. Alia majoris paulò ætatis mulier aſcitica quoque, ſimiliter eâdem methodô tractata ſalva evaſit, dum hæc ſcribo, octuageſimum agens annum.

Ibidem Obſervatio 58. *Anaſarca.*

Plurimos anaſarcâ laborantes priſtino vigori reſtitui decoctô radicis Vincetoxici, quod quidem ſapore & odore valdè ingratum eſt, ità ùt donec ventriculus quaſi aſſueſcat, per vomitum ſæpè rejiciat; propinavi autem in tali formâ: ℞. Radicis Vincetoxici ab arenoſis lapillis mundat. & minutim inciſ. ʒvj. infund. per noctem in vini alb. ferventis ℔ij. in ollâ Vitreatâ, manè vaſe tectô coquantur, unicâ ebullitione, de Colaturâ expreſſâ bibat patiens jejunô ventriculô ℥iij. calidè, expectando poſteà ſudorem aut in lectô, aut in ſudatoriô, priùs tamen corpus unô aut alterô Hydragogô juxta naturæ permiſſionem purgavi, modò in formâ pulveris, ut: ℞. *Spec. Diaturb. C. Rhabarb.* ℈ij. *Mag. Mechoac. nigr. Gummi gotta vitriolat. āā. gr.* vj. *Tartari Vitriolat. gr.* v. *Miſc. pulvis pro doſi unâ;* modò in formâ Electuarii: ℞. *Conſerv. Violarum,*

Violarum, Chalyb. Acet. Tamarindor. præp. ãã. ℥ß. *pulv. Radic. Jalapp.* ʒj. *Diacryd. Sulphurat.* ℈ijß. *Cryſtal. Tart.* ʒj. *Baccar. Laur.* ℈ij. *Rob. Ebuli* ʒiii. *ol. ſtill. ſem. Aniſi gr.* v. *cum Syr. Fl. violar. Miſc. f. Elect. dividendo in* 4. aut 5. doſes matutinas. Potus ordinarius ferè ſemper erat lixivium ex cineribus juniperi & ligni quercûs.

Scholium.

Vincetoxici vires in educendo hydropicorum ſerô & alii præſtantiſſimi Medici deprædicarunt, quos inter *Clar. Gaſp. Hoffmannus* in conſiliô, cachexiâ & anaſarcâ laboranti ſcripto, apud *Laurent. Scholzium Conſ. med.* 337. ejusdem radicis ℔ß. per noctem in vinô maceratam atque ad tertias decoctam conſulit, manè jejunô ſtomachô calidè potatam, ſudore copioſô aquam inter cutem mirificè expellere teſtatus quod pariter in *comm. lib.* 3. *Dioſcor. cap.* 90. tradidit *Petrus Andreas Matthiolus*, radicem ſcilicet iſtam in vinô albô decoctam ſelibræ pondere, diebus pluribus potatam hydropicos, ſi à potû ſtatim ſudor provocetur, juvare. Id quâ ratione præſtet, Exc. quondam noſter Collega, D. *Elſnerus in Dec.* 1. *Ephem. Ann.* 1. *Obſerv.* 57. docuit, maximâ nempè penetrandi vi eam eſſe præditam, ſuâque ſubtilitate lympham incraſſatam attenuare ut per glandulas commodè tranſcolari denuò poſſit; quâ virtute etiam ſcrophulis mederi oſtendit.

Ibidem Obſervatio 59. *De Teneſmô.*

Ibidem Obſervatio 60. *De Calculô ſine Lithotomô è Veſicâ prodeunte.*

Ibidem Obſervatio 61. *De Icterô nigrô cum ſcabie ſiccâ.*

Ibidem Obſervatio 62. *De Ann. Occluſô.*

Ibidem Ann. 8. *Obſervatio* 170 *De conditurâ Cadaveris & ſubſequente Maniâ.*

Ibidem Obſervatio 171. *De ſphacelô capitis cum paralyſi artuum univerſali.*

Ibidem Ann. 9. *Obſervatio* 214. *De Empyemate periculoſiſſimo pleuritidi ſuccedente curatô.*

Ibidem Obſervatio 215. *Ex hæmoptyſi, Phthiſis Curata*

Ibidem Obſervatio 216. *De Ulcere veſicæ, amore proximi, per ſuctionem maximè, Curato.*

Ibidem Anno 10. *Obſervatio* 177. *De Foecunditate in ſenio.*

Ibidem Obſervatio 178. *De Dyſenteria periculoſiſſima ſuperveniente fluxû hepatico.*

Ibidem Obſervatio 179. *De ſudore ſanguineo in Juvene.*

Ibidem Decur. 3. *Ann.* 1. *Obſervatio* 155. *De Melancholiâ cum taciturnitate ultrà medium annum.*

Ibidem Obſervatio 156. *De Morte ſubitaneâ in volucribus Canarienſibus ex esû Amygdalorum amarorum.*

Ibidem Ann. 3. *Obſervatio* 86. *De Calculô in Pectoris cavitate reperto.*

Ibidem Obſervatio 87. *De convulſione circumrotatoriâ.*

INfrequentia convulſionum exempla adducuntur à graviſſimis Authoribus. Tulpius annotavit convulſionem, ſedentariam Lib. 1. Obſerv. cap. 14. in virgine quindecim annorum, quâ nonniſi ſedens corripiebatur, ſtans verò aut ambulans nihil mali ſentiebat. A contrariô procurſivam ſeu ambulatoriam deprehendit Bootius de Affect. omiſſ. cap. 6. & Thomas Eraſtus narrante Raymundo Johan. Fortis Cent. 1. conſil. 41. de convulſione ſtatariâ refert Thirmair. in conſiliis Lib. 2. cap. 12. de quôdam Religioſô, qui durante paroxyſmô pedibus adeò, firmiter inſiſteret quôcunque prehenſus, ùt licet ſæpiùs ab adſtantibus vel in ſellam aliquam vel lectum truderetur illicò tamen in pedes ſe erigeret, ac ità ſtans convulſivam acceſſionem abſolveret. Circumrotatoriam convulſionem oſtendit ſequens caſus; Religioſa virgo Maria Johanna Schmidin Monialis, annorum triginta ſex in Monaſteriô quôdam Rhenanæ Provinciæ vivens, ex incuſsô ingenti terrore, per novem annos diverſis temporibus corripiebatur ſurditate ſolummodò dextræ auris, durante ſemper ad 14. dies, eâ autem remittente ſequebatur dolor dentium ejuſdem lateris ſat vehemens, ùt ex conſiliô Medici ſectæ fuerint venæ ſublinguales, ſed poſt duas horas ſupervenit magnum ſuffocationis periculum cum vomitû materiæ quaſi purulentæ periodicô ultra 14. dies durante, cùm autem ob ſævientem tyrannidem Gallorum, ex Monaſteriô migrare coacta fuerit, & Auguſtam exul perveniret, ſingulis diebus cum timore maximô, clamore & tremore totius corporis invaſit ipſam oculorum, linguæ & oris motus convulſivus, cùm tali totius capitis retractione circumrotatoria, ùt retortô ad tergora vultû horribilis aſpectus eſſet, ſtridebant ſimul dentes, & aderat tumor externus in præcordiis farciminis inſtar, ratio autem ſemper manebat integra, paroxyſmô ad duas horas ſe extendente, ultrà annum in lectô decumbere non potuit ſed in ſella ſedens vigilare & dormire coacta fuit. In tam difficili casû in conſilium vocatus, anxius hærebam quid faciendum eſſet, maximè cùm jam in aliis locis à Clariſſimis & Experientiſſimis D. D. Medicis pro incurabilii proclamata fuiſſet, nè tamen prognoſtico omninò relinqueretur, ſequentibus remediis curam tentavi anno 1689. menſe Novembr. & per menſis ſpatium diligenter continuatis, feliciter abſolvi: Ægra in integrum reſtitutâ.

℞. *Extr. Guajaci.* ℈ij. *Diapoëon Mendereri* ℈j. *ſalis ſuccini volatil. ſalis CC. volatil. ãã. gr.* 25. *C. Opobalſ. or. M. f. pill. n.* 60. *deaur. d. ad Scatul. S. Pillulen, davon morgens und Abends* 5. *zu nehmen.*

℞. *Aquam Panac. Heracl. Hirundin. C. caſtor. ãã.* ℥ij. *Tinct. Bezoard. ſpir. ſalis Armoniaci ſuccinat. ãã.* ʒj. *M. ad Vitr. S. haubt-und Muter-Wäſſerle, darvon im Tagein oder zweymal.* 1. *Löffel Voll zu nehmen.*

Quid Chimica operentur in morbis deſperatis, omnibus notiſſimum eſt; certè ſpiritus ſalis Armoniaci crocati efficaciam non ſatis laudabilem nuperrimè experti fuerunt mecum Clariſſimi viri D. Doctor *Bruner* & D. Doctor. Thomas in quôdam Religioſô, qui propter ſtagnationem ſanguinis & lymphæ morbum Chronicum Cacochymium ſubſequentem morti proximus viſus à ſumptione hujus bis in die ad guttas quindecim ad ſe rediit, & intrà paucos dies ſanus evaſit.

Ibidem Annô 5. & 6. *Obſervatio* 95. *De Febre Continuâ malignâ Verminoſâ.*

Ibidem Annô 7. & 8. *Obſervatio* 148. *De Hydrophobiâ felinâ ultrà annum occultatâ.*

Ibidem Obſervatio 149. *De Menſibus quartô ætatis*

ætatis annô fluentibus.

Ibidem Obſervatio 150. *De Vermibus umbilicalibus.*

Ibidem Ann. 9. *&* 10. *Obſervatio* 126. *De Morbo Caduco Curato.*

Ibidem Obſerv. 127. *De Vermiculis cum urinâ cruentâ putridâ excretis.*

DUSUS (*Aemilius*,) Braidenſis Philoſ. & Medic. Doctor.

De eô extat

De Valetudine tuendâ liber. Taurini, apud Hæred. Nicolai Bevilaquæ, 1582. in 8.

DUTEMPLÆUS (*Stephanus*,)

Ex eo habentur

Tabulæ in Galeni Libros de Morbis, & ſymptomatibus. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1576. in 8.

DUVAL (*Balthaſar*,)

De eo extat

De Peſtis curatione, Liber. Pariſiis, apud Claudium de Montroëil, 1583. in 8.

DUVALIUS (*Johannes*,) Ponteſianus.

Ex eo habetur

Ariſtocratia humani Corporis. Pariſiis, apud Franciſc. Jaquin, 1615. in 8.

DUVALLIUS (*Guilielmus*,) Ponteſianus.

De eô extant

Præfatio Parænetica, in Phytologiam, ſeu, Doctrinam de Plantis; Pariſiis, apud Joh. Liberti, 1614. in 4.

Phytologia, ſeu, Philoſophia Plantarum. Opus poſthumum. Pariſiis, apud Caſparum Meturas, 1647. 1658. in 8.

Invitatio Ampliſſimi ordinis, duas complectens Oratiunculas; quarum prior habita fuit in majore Conſiſtoriô Senatus; poſterior in primô ordine Curiæ Subſidiorum, die 2. Junii, annô 1612. pro Medicorum Pariſienſium ſolenni & publica Panegyri, quam Paranymphum vocant. Lutetiæ Paris. apud Franc. Jacquin, 1612. in 4.

879 Hermaphrodits, Accouchemens des Femmes et Traitement qui est requis pour les relever en santé, et bien élever leurs enfans, &c. par J. Duval, *curious plate, neat*, RARE, *2l. 2s.* 8vo. *Rouen.* 1612

BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM MEDICORUM VETERUM AC RECENTIORUM

LIBER QVINTUS.

IN QUO illi recenſentur quorum NOMINA incipiunt à Literâ

E

EBELIUS (*Henricus Chriſtophorus*,)

De eo extat

Obſervatio, de Febre Quintanâ duplici. Miſcel. Curios. Decad. I. *Ann.* IX. & X. N. 77.

EBEN (*Rodan*) aliàs Haly Rodoham, Ægyptius; Aſtrologus, Phyſicus & Medicus nobiliſſimus. Vixit ſub Henricô II. & Conradô II. Imperatoribus. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum.

Ex eô habentur

Commentarii in Artem Parvam Galeni. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1496. in fol. Lugduni, apud Joh. Marion 1516. in 8.

EBENESUS

De eô extant

Commentarii in V. Canonem Avicennæ. Venetiis apud Domitium de Tridinô 1547. in fol. cum Avicennæ Librô de removendis nocumentis, quæ accidunt in regimine ſanitatis.

EBENUS (*Philippus Ludovicus*) Natus Neoburgi ad Danubium oppidô Palatinô A. C. 1576. Patre Joanne Ebeno, Med. Doctore & Archiatrô Palatinô, per annos 40. impetratô Tubingæ 1598. in Philoſophiâ Magiſtri, & Baſileæ 1601. in Medicinâ Doctoris gradû: paulò poſt Ducis Palatini Archiater conſtitutus eſt. Hinc verò 1606. Ulmam Suevor. abiit, ubi receptus in Collegium Medicum per triennium Medicam Praxim exercuit; quô exactô, exinde vocatus Memmingam, in Imperialem Urbem Suevor. in eâ per reliquum vitæ tempus Medicinam feliciter facere perrexit, donec ibidem obiit A. C. 1657. ætatis ſuæ 81.

Ex eo habetur

De Hydrope, Diſputatio. Extat Decade III. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jac. Genathius, 1620. in 4.

EBERHARDUS (*Johannes*)

De eo extat

De Angina diſputatio: habetur Decade V. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Johan. Jacob. Genathius 1621. in 4.

EBERSBACH (*David. Laurent.*) Poliater Lubavia-Luſatus.

De eo extat in Ephem. Nat. Cur. Cent. V. & VI. *Obſervatio* XX.

De Fœtû humano in veſicâ urinariâ contento.

GRavidas ſemper plura diſcendi, imò quandoque & admirandi præbere anſam, tritum eſt proverbium, & ab experientia variis modis comprobatum. Cui noſtris in oris A. 1714. D. 5. Octobr. ſingulare quoddam exemplum firmum addit robur. Loebaviæ enim Aromatopolæ, cujuſdam uxor juvencula, ætatis 28. annorum per 5. vel 6. annos ſterile ducens matrimonium, hydrope aſcite laborabat; anguſtias perſentiſcebat præcordiorum enormes, diutinam urinæ patiebatur obſtructionem, de ſenſatione circa os pubis conquerebatur tenſoriâ. Varia, licèt incaſsùm ſingula, adhibebantur remedia. Profluvium urinæ multis modis promovere moliebatur obſtetrix, ſed laterem lavabat, quippe quæ ſemper aliquod in veſicâ obſervabat, digiti ingreſſum & urinæ egreſſum prohibens, obſtaculum. Affligebant porrò ægram labores ad partum, omnes tamen ad illos promovendos fruſtraneô molimine applicabantur vires. Succumbebat tandem ægra fatis. Aperiebam, præſentibus aliis Medicis, cadaver; in cujus abdomine multa offendebatur aqua, quâcum & uterus impletus erat. Veſica verò urinaria turgida admodùm conſpiciebatur, quæ poſt inciſionem multam pallidamque aquarum profundebat copiam & ex eâ Embryo trium præterpropter prominebat menſium, cujus funiculus umbilicalis in fundô veſicæ variis cum vaſculis ſanguiferis intertextæ iisque nonnullas quaſi partes, inter ſe tamen invicem cohærentes, diſtinctæ adhæreſcebat maſſa carnoſa, ſecundinis quoad colorem & conſiſtentiam non abſimilis.

Per quas vias fœtus hic in veſicam penetraverit urinariam, vix auſim dicere, dum nulla uteri cum veſicâ nimiùm arctâ connexio, nec ulcus uteri, nec aliæ viæ ex uterô ad veſicam obſervari potuêre perviæ. Celeberrimi Bartholini verba, quæ in Diſſertatione ejus de inſolitis partûs humani viis pag. 57, leguntur, hùc quadrare poterunt: Vias quidem nobis eſſe obſcuriores, neutiquàm tamen Naturæ, cui ubique pateat corpus humanum, hinc alium quemcunque locum

cum capacem, & calore tepentem ad fœtûs conformationem aptum eſſe poſſe, quanquam non ad ejus excluſionem.

EBERUS (*Paulus*,)

Appellationes Quadrupedum, Inſectorum, Volucrum, Piſcium, Frugum, Leguminum, Olerum, & Fructuum Communium, cum Caſpare Peucerô collegit, cum Vocabulis rei Nummariæ, Ponderum & Menſurarum.

EBICHIUS (*Johannes*,) Bremenſis.

De eo extant

De officiô fidelis & prudentis Magiſtratus tempore peſtilentiæ, Rempubl. à contagiô præſervandi liberandique Libri duo. Neapoli Nemetum, apud Matthiam Harniſch, 1582. in 8. Bremæ, 1657. in 8.

Hippocratis de Naturâ humanâ, Libellus genuinus & elegans : novo Gymnaſio Bremenſi propoſit. Cum brevi εἰσαγωγῇ ejuſdem, & Hippocratis vitæ ἐπιτομῇ Bremæ, ap. Theod. Gluickſtein, 1584. in 4.

ECHTIUS (*Johannes*) Natus eſt in Belgiô : Medicinæ verò Doctor renunciatus in Italiâ : tùm Coloniæ Agrippinæ Medicinam exercuit, quô tempore cum aliis collegis ſuis Diſpenſatorium Colonienſe conſcripſit. Obiit circa A. C. 1554.

Ex eo habetur

De ſcorbutô, vel, ſcorbuticâ paſſione, Epitome. Extat cum Dan. Sennerti de ſcorbutô Tractatû. Wittebergæ, apud Zach. Schurerum 1624. in 8.

ECK (*Paulus*,) de Sultzbach.

De eo extat

De Lapide Philoſophorum Tractatus, ex editione Joachimi Tanckii. Francof. apud Bitſchium 1604. in 8. & volumine quartô Theatri Chemici, editi Argentorati apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

ECKARDUS (*Fidelis*) Neſcio an ſcriptis Chirurgicis etiam *Fidelis Echardi*, ſub quô nomine fictô D. *Etnerum*, Sacræ Cæſareæ Regiſque Poloniarum Majeſtatum Conſiliarium & Archiatrum latere plerique credunt, *temerarium Chirurgum* (*des getreuen Eckardts verwegenen* Chirurgum) adnumerare liceat. Negari certè non poteſt, multas egregias chymicas, medicas, atque chirurgicas obſervationes in dictô librô reperiri: has verò ex talium ſcriptorum genere eruere velle, admodùm mihi tædioſum eſſe videtur, quamvis utiquè modus proponendi delectet, & animum ſeriis feſſum ad lectionem denuò invitet. Ingenuè tamen confiteor ſemper mihi ſuſpectos fuiſſe Moralium Doctores qui ex vivâ actuum Comicorum repræſentatione doctrinam moralem apprehendi poſſe præſumpſerunt ; Ac proindè eôdem jure vereor, nè eadem fata maneant illos, qui inter tot hiſtoriolas (fictas pleraſque circumſtantias) latentes hìnc indè encheireſes Chirurgicas addiſci poſſe perſuaſi ſunt. Nihilominùs differit hinc indè auctor de Curatione herniarum, de tractandis ambuſtionibus, de adornandâ trepanatione, de elevatione cranii depreſſi per triploidem, de tractandis vulneribus ſclopetorum, de cognoſcendis fiſſuris & contrafiſſuris, de juvandis ſurdaſtris aurium artefactarum artificiali adaptatione, de curandis fiſtulis, vulneribus ex imprudente tractatione plerumque ſupervenientibus, de paracentheſi abdominis adminiſtrandâ, de bronchotomiâ in anginâ inſtituendâ, de adminiſtrandâ lithotomiâ, de cognoſcendâ & curandâ lue venereâ, de amputatione crurum ſphacelatorum, quibus omnibus etiam inſertum eſt judicium de Chirurgiâ infuſoriâ. Præter dictas operationes ſubinde etiam variorum, uſû imprimis & multijuga experientiâ comprobatorum medicamentorum, tam internorum, quàm externorum mentionem facit; Ex quâ ultimâ claſſe ſunt imprimis D. *Etneri* emplaſtrum ad tophos, emplaſtrum ſtycticum *Paracelſi*, Balſamum vulnerarium, deſcriptio olei efficacis ad hernias *Paracelſi*, deſcriptio aquæ ad injectionem in ulceribus fiſtuloſis, unguentum *Barbette* ad fiſtulas, præparatio aquæ ſtycticæ, præparatio lapidis imperialis in purificandis ulceribus magnæ efficaciæ &c. Nec deniquè omittit, quæ ad Chirurgum generaliter inſtruendum pertinent, quibus non ſolùm attributis eundem inſtructum eſſe oporteat, ſed etiam, quas virtutes ſectari, quæ contra vitia cane & angue pejus fugere debeat ? Quoad attributa, requirit (1) cum peregrinando & hoſpitia publica viſitando ſufficientem in ſcientiâ Chirurgicâ peritiam poſſidere (2) linguas exoticas, imprimis latinam callere (3) materiæ medicæ, & (4) anatomiæ peritum eſſe debere. Virtutes in Chirurgô requirit ſequentes, ùt nempè ſit pius, prudens, providus, induſtrius, eloquens & facundus, conſcientioſus, taciturnus, mitis atque comis, jejunus & ebrietatis hoſtis infenſus. Ambidexter obſequioſus, verax, in amictû modeſtus, urbanus & moribus decentibus inſtructus, pro ſuorum ægrotantium ſalute, quantùm in ipsô, ſemper ſollicitus, qui ante omnia diuturnâ experientiâ agilitatem ac dexteritatem in agendô & operandô ſibi adquiſiverit. E contra omnia his oppoſita vitia, imprimis avaritiam, ſuperbiam, invidiam, ſuperſtitionem, meticuloſitatem nimiam, uti & temeritatem aliaque his congenera vitia ſtudioſè evitare debeat. Quæ quidem omnia in abſtractô ſatis benè ſe ſe habent, ubi verò in unô ſubjectô hæc talia ſimul aut illorum ſaltem pleraque obſerventur, id quidem magis optandum quam ſperandum eſt. *Goëlicke Hiſt. Chirurg. p.* 252.

ECKOLDUS (*Jacobus*,)

Ex eô habentur

De Admirandis Convulſivis Motibus Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinalium ſingularium Lib. IV. prioribus. Ulmæ Suevorum, apud Saurium, 1628. in 4.

De Calculis humani Corporis, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinalium ſingularium Lib. IV. poſterioribus. Ulmæ Suevorum, apud Saurium, 1628. in 4.

ECLECTICA Medicina Sic dicta fuit hæc ſecta, quia qui eam colebant, ea omnia quæ ſibi in aliis ſectis melioris videbantur notæ, seligebant.

EFFERRARIUS, Monachus.

De eo extat

De Lapide Philoſophorum, ſecundùm verum modum formando, Epiſtola. Extat cum veræ Alchemiæ ſcriptoribus aliquot, à Guil. Grataroiô collectis. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1561. in fol. pag. 232. Tom. II. & Volumine tertiô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazar. Zetznerum, 1613. in 8.

EGBERBUS (*Sebaſtianus*,)

Ex eo habentur

Scholia in Remberti Dodonæi Praxin Medicam. Extant cum illâ Praxi. Amſtelodami, apud Henri-

Henricum Laurentium, 1640. in 8.

EGGERDES (*Alardus Mauritius*) Univerſitatis Elector, Trevirenſis Prof. Publ.

De eo habentur in Miſcell. Cur. Decur. II. *An.* 6.

Obſervatio 203. *Hepar humanum pondus librarum* 27. *Medicarum excedens.*
Ibidem Obſervatio 204. *De Auditû Capitis Vulneribus recuperatô.*

Ibidem Obſervatio 205. *De Muliere abſque inteſtinis vivente.*

IN oppidô ſancti Wendelini inveni mulierem ſeniculam quæ multô tempore herniâ inteſtinali in inguine dextrô laboraverat. Inteſtina prolapſa, ſuperveniente ante duos annos paſſione Iliacâ, gangrenâ infecta, accedente demùm ſphacelô, unà cum continente ſacculô deciderunt. Per relictum in inguine foramen cuncta inteſtina fruſtratim unà cum fæcibus alvinis ſponte ſubſecuta ſunt. Ipſe etiam ventriculus ſe per abdominis cavitatem vacuam adeò inclinavit, ùt orificiô ejus inferiori per dictum foramen ad duorum digitorum latitudinem, inſtar colli lagenæ vitreæ proſtet; hanc ob cauſam miſera patiens ſemper corpore incurvatô decumbere cogitur, nè ſcilicèt retractô ventriculô ſordes in cavum abdominis elabantur & miſeræ mulierculæ uti aliquotiès jam contigit, ſummum fœtorem excitent. Prolixiùs hanc hiſtoriam dabo, ubi [ſi *Deus* vitam mihi tribuerit] poſt ſeniculæ hujus è vitâ diſceſſum, conſtitutionem interiorem per chirurgum ejus loci ſatis expertem, & ad id jam à me informatum percepero.

Ibidem Obſervatio 206. *De Pſeudohippô ſive Equô monſtroſô.*
Ibidem Obſervatio 207. *Auricula cordis monſtroſa cum arteriæ pulmonalis aneuriſmate.*
Ibidem Obſervatio 208. *De ſcorbutô hominibus brutiſque Lethali.*
Ibidem Obſervatio 209. *De Chylô per thoracis Vulnus effluente.*

Ibidem Obſervatio 210. *Mamma Oſſea in Virgine, cum pectoris hydrope.*

VItam degebat valdè triſtem, & miſeram ob continuam reſpirandi difficultatem, & cancri in mammis futuri perpetuum metum, devota quædam, & pia monialis, mammæ huic ità induruerant, ùt eas tangenti, aſſere, imò lapide duriores viderentur, cutis etiam circa totam thoracis regionem ità tendebatur, ùt circulos vaſa colligantes tenſione æmularetur; multis licèt adverſus hoc malum pugnârit remediis; non potuit tamen fatalem à ſe mortis falcem avertere. Redditâ Deo animâ, ùt quid in mammis geſtaret, explorarem, cultrum admovi anatomicum, cutimque ad longitudinem ſterni, à claviculis ad cartilaginem mucronatam uſque diſcidi, quæ inſtar chordæ laxati arcûs ad latera reſilijt, ſternumque ſponte ſuâ notabiliter detexit. Mamma è pectore unà cum contentô ſuô pondere ſeparata, globum hemiſphæralem ſed totum oſſeum & tam durum ùt cultrô meô, quantumvis acutô diſcindi nequiverim, accuratè exhibuit, tam arctè oſſea hæc materia cum ambiente cute concreverat, ùt nullô negotiô ſeparari ab invicem potuerint. His viſis neque tantæ tenſionis adhùc perſpectâ cauſâ, ad ſterni elevationem pro inſpiciendo thorace accedo, adactô inter coſtas & ſternum cultrô, ea inſtar baculi fracti cum impetû reſiliebant, & aqua limpidiſſima in tantâ quantitate ex factô foramine prodibat, ùt fontem altè ſalientem ibidem perennare quis dixerit. En difficilis reſpirationis, en tenſionis, en oſſeæ concretionis malorumque reliquorum cauſam! numquid miſella patiens modo cauſa tanti mali conſtitiſſet, facillimè & ſecuriſſimè per paracenteſin, à morbô liberari & diutiùs in vitâ conſervari potuiſſet? Præſertim cùm aqua illa, quæ tantâ copiâ è thorace exiit, ùt per totum cubiculum defluxerit, ſine omni putredinis aut malæ qualitatis fuerit notâ; rationem Concretionis oſſeæ alibi oſtenſurus ſum.

Ibidem Ann. 10. *Obſervatio* 65. *De Sudore ſanguineô Infantis recens nati.*
Ibidem Obſervatio 66. *Nucleus Ceraſi per aſperam arteriam in pulmones delapſus, phthiſin cauſat.*

Ibidem Obſervatio 67. *De Clavo in pulmonem per aſperam arteriam illapſo, poſt novem menſes feliciter rejecto.*

JOhannes S. Adoleſcens ob ſingularem vocis ſuavitatem, & muſices experientiam, multùm commendatus, amatuſque, ſtans aliquandò propè officinam fabri ærarii, & cum amicis jocoſa miſcens colloquia, manû inconſideratâ clavum ex Vaſculô, in quô ad feneſtram vendibiles proſtabant, eduxit, eumque incautè ori ingeſſit, & tam diù linguâ per os circumvolvit, donec inſperatô in arteriam aſperam illaberetur. Undè tanta per novem menſes concitata eſt tuſſis ùt non tantùm noctes dieſque inſomnes ſed ipſius vocis angelicæ, ùt ità dicam, deſtructio, & raucedo immedicabilis indè inſequerentur, cùm miſer Adoleſcens tantô temporis ſpatiô ferino huic malo nullum inveniſſet remedium, votum ad Sanctum Nicolaum Tolentinum emiſit, quod cùm in feſtô dicti Sancti, peccatis per confeſſionem Sacramentalem, & ſacri convivii frequentationem expiatis compleviſſet, plenus ſpe, & fiduciâ domum revertitur. Aſſumtô prandiô in violentiſſimam incidit tuſſim, quâ tribus horæ quadrantibus miſerè vexatus Adoleſcens tandèm clavum validô impetû cum exiguâ quantitate ſanguinis ſinceri rejecit. Factus voti ſui compos, ad templum cucurrit & in veſperis jam inchoatis, Deo Patronoque ſuo gratias egit. Præter vocis ad cantum muſicum ineptitudinem nihil inde mali paſſus eſt, vivitque jam ſanus uxori junctus.

Ibidem Decur. 3. *Ann.* 4. *Obſervatio* 7. *De Omenti, uteri, & veſicæ concretione lethali.*

Ibidem Obſervatio 8. *De Aphoniâ ſeu mutitate inſolitâ.*

ATtonitam reddidit totam civitatem feralis illa aphonia, quæ Anno 1693. multos ex militibus præſidiariis, unô fermè eôdemque tempore apprehendit, mira fuit hujus affectûs indoles, præter omnimodam enim vocis privationem, relictis omnibus aliis facultatibus ſartis & intactis, nihil omninò mali attulit, modô diverſô, diverſiſque in locis, non fucos neque fungos, ſub ſordium & pediculorum pondere ferè fatiſcentes ſed robuſtiſſimos quoſque, & maximè athleticos martis alumnos, hunc in ſtatione ſuper muros, & valla excubias agentem, illum ſomnô ſuper aſſeres ſepultum, alium cum commilitonibus confabulantem, multos ad parietes

& muros mingentes, plurimos verò in Zytopoliis cereviſiam potantes invaſit, atque omnes momentaneè piſcibus magis mutos reddidit. Inſolitum hocce ſpectaculum, ſicut præſentibus primò riſum & cachinnos movit, ità demùm non levem iis incuſſit terrorem, nam geſticulationes, quibus correpti miſeriam ſuam indicare volebant à nemine cognitæ, pro jocis habebantur, donec tragœdiam, non ficta ſed vera ſcena muta comprobaret. Plurimi hôc malô affecti, catervatim ad me deducti, meæ committebantur curæ; quale verò conſilium in casû tam inſolitô foret ineundum, primò intuitû non occurrit, præſertim cùm nullus infauſtæ iſtius gregis infelicitatis ſuæ cauſam rationemque reddere poſſet; nè verò Medici officiô deeſſem, in mentem revocavi Hippocraticum illud remedium, quod *popular. 2. ſect. 5. L.* 17. proponitur; nempe quicunque derepente voce deſtituuntur, ſi ſine febre ſunt, ipſis venam ſecato, omnes itàque phlebotomari juſſi, exhibitô inſupèr unicuique eorum Emeticô Antimoniali, cum Oxymell. Scyllit. Plurimi his amiſſam vocem ſine aliô quôvis remediô recuperabant, qui verò aphoni perſiſtebant, iis reiteratum vomitorium propinabam vocatis ſimul in uſum Liquor. C. C. ſuccin. & ſp. Ammon. aromatiſat. quibus per aliquot dies in vehiculô idoneô exhibitis, omnes quotquot meæ curæ fuerunt commiſſi, reſtituti ſunt. Recidivam quidem pauci paſſi, iteratis tamen jam dictis remediis integrè ſalvati ſunt. De causâ hujus phœnomeni, variæ erant opiniones, quidam veneficio, & philtris, quidam auræ & aeri malignis, alii cereviſiæ in Zytopoliis potatæ eam attribuerunt. Aliam ego ratus ſum cauſam, nempè milites illi athletici & lucri amantes, non tantum in erigendis munimentis, ſed etiam in perficiendis ductibus ſubterraneis & cuniculis ſtrenuè operam ſuam locârant, unde facilè ex commotâ terrâ venenati vapores ſulphure narcoticô & arſenicali volatili infecti exhalare & à circumſtantibus inſpiratione attrahi potuerunt, qui cum tempore ad nervos linguæ delati hanc mutitatem produxerunt; alia inſuper Phœnomena ex eâdem causâ ſed multò graviora imò lethalia, Annô, ſi Deo placuerit, ſequenti communicabo.

Ibidem Obſervatio 9. De Miraculô medicô quod natura in curatione Herniæ inguinalis cum abſceſſu operata eſt.

GRaves ſæpè poſt ſe affectus relinquunt laborioſi partus, quod mercatoris cujuſdam noſtratis, uxor, non ità pridem eſt experta; hæc per ejuſmodi partum herniam inguinalem contraxerat, cui poſt menſes tres, dolor acerbiſſimus ſupervenit; mulier dolorum pertæſa me vocari fecit; cùm eam acceſſiſſem, de dolore ventris intenſiſſimô conquerebatur, herniam verò ex pudore reticebat, importunis precibus auxilium & levamen flagitanti, mixturam paregoricam, ex ▽ maſtich. menth. ſyr. Cort. Citr. ſp. carminat. & paucis gran. Laud. op. præſcripſi, clyſterem etiam ex decoct. emoll. & carminat. Oleô Aureô Ruland. & ſale gemm. acuatum injici, & abdomini cataplaſma anodyn. imponi curavi. Hiſce dolor per noctem ità fuit mitigatus, ùt patiens ſibi ſanitatem perſuaſiſſet, niſi odor ſtercoreus, quem ex ſtomachô ad os aſcenderè ſentiebat, Ileum jam jam futurum prænuntiâſſet. Hoc ſignô inductus ex patiente quæſivi, utrùm præter ventris dolorem nullum aliud ſentiret incommodum? reſpondebat, ſe in ultimô partû per violentiſſimos conatus tumorem durum in inguine ſiniſtrô contraxiſſe, quem cùm manû examinâſſem, duas in illô reprehendi particulas inſtar farciminis lucanici, oblongas & duras, quas portiones inteſtinorum illùc in partû per violentam preſſuram protruſas judicabā; quare reductionem ſedulò adhibitis quibuſcunque intrinſecis & extrinſecis, inceſſanter urgebam, ſed eludebat omnem diligentiam pertinax malum. Mulier interim ſummô cum faſtidiô fæces alvinas per os continuò rejiciebat, donec die morbi ni fallor vigeſima appareret in tumore illô herniali puſtulâ nigra, quæ paulò poſt excidua largum relinquebat foramen, per quod ceſſantibus omnibus aliis ſymptomatibus excrementa alvi cum impetû effluebant, & licèt dirum hoc accidens inſtar monſtri horridi patientem perterrefaceret, recepit illa nihilominùs intra paucos dies appetitum & vires, quô viſô recordabar ſeniculæ iſtius cujus hiſtoriam Ephem. noſtrarum, Decur. 2. ann. 6. p. 413. retuli, adductôque ex eâ prognoſticô, mortis proximæ timorem à patiente meâ abegi. Sed ecce miram metamorphoſin, quam quis non malè miraculum medicum dixerit. Poſtquam enim per tres ferè ſeptimanas ex dictô jam foramine excrementa effluxiſſent, mulier priſtinæ integritatis avida, Clyſteribus à me antè præſcriptis propriô conſiliô alvum ſæpiùs ſollicitare, priſtinamque fæcibus alvinis viam adaperire tentat, neque vanô effectû aut irritô conatû, redierunt enim relictô foramine ad antiquum canalem excrementa, vulnere interim à Dnô Baver eximiæ ſcientiæ & experientiæ Chirurgô, ritè deligatô percuratôque, mulier, quæ letho jam adjudicatâ fuerat per Dei gratiam integrè convaluit.

Ibidem Obſervatio 10. De Gravioribus Inteſtinorum perforationibus ſponte naturâ curatis.

Ibidem Centur. 3. & 4. Appendicis p. 89. Dn. D. Alardi Mauritii Eggerdes, Sereniſſimi Ducis Supremi Magiſterii in Pruſſiâ Adminiſtratoris, Ord. Teuton. magni Magiſtri, Conſiliarii & Archiatri; nec non in Sileſiâ Protophyſici, Academici Naturæ Curioſi.

Aphoriſmi

Peſtis eſſentiam, ejuſque cauſam, nec non infallibilem eam tam avertendi quàm extinguendi methodum continentes.

EGLINUS (*Raphael*,) Iconius.

De eô extat

Diſquiſitio de Helia Artium. Lipſiæ, apud Joh. Roſam, 1606. in 8.

EGNATIUS (*Baptiſta*,)

Aurelium Cornelium Celſum edidit, cum Emendationibus. Venetiis, apud Aldum, 1524. in fol.

EICHSTADIUS [*Laurentius*,] Veteris Sedinenſis Pomeranus.

Ex eô habentur

De Confectione Alchermes, Diſſertatio & exercitatio Medica. Stetini 1634. in 4. apud Davidem Rhetium, 1635. in 8.

De Diebus Criticis, Libellus. Extat p. 321. Partis alterius Ephemeridum. Stetini, ap. Georg. Rhetium, 1639. in 4.

Collegium Anatomicum. Gedani, 1649. in 8.

De Theriacâ & Mithridatiô, Diſſertatio Medica. Stetini, 1624. in 4.

EISINSCHMIDIUS [*Joh. Caſpar.*]

Ejus hoc extat Elogium in Actis Lipſienſ. Ann. 1713. *pag.* 280.

NAtus fuit Joh. Caſparus Eiſenſchmidius, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, necnon Mathematicus Celeberrimus, Argentorati D. 15. Septembr. St. v. An. Chr. 1656. Patre Cive hujus urbis integerrimô, ſpectatiſſimôque *Johanne Caſparô Eiſenſchmid*, Fabro ſtannario, & judicii cenſorii Aſſeſſore, nec non Eleemoſynis Præfecto, Matre verò fœmina virtutibus ſexum decentibus ornatiſſima *Suſanna*, nata *Erhardia*, jam pridem fatô defunctis. Cùm verò elapſis aliquot annis non exigui felicioris ingenii igniculi in eô ſeſe proderent; maturè traditus eſt tam privatæ, quàm publicæ clariſſimorum præceptorum, in Gymnaſiô patriô tunc temporis docentium, informationi, quâ adjutus bonarum literarum fundamenta jecit, ità quidem ut illô jam tempore non obſcuros futuræ eruditionis & ſcientiæ radios de ſe ſpargeret. Curſus Claſſici ſtadium cum intra decennium feliciter emenſus eſſet, an. 1673. ſuum Matriculæ Academicæ nomen inſeruit. Promotus hinc ad Lectiones publicas privata partim, partim publica Profeſſorum inſtitutione inſigni cum fructû uſus eſt, & quidem in Mathematicis diſciplinis, quarum incredibili amore flagrabat. Venerandi ſenis Julii *Reichelti*, in Eloquentiâ & Hiſtoriâ addiſcendâ illuſtris Obrechti, quô duce incomparabili egregios ſibi comparavit profectus. In Ethicis *D. Schallerum*, in Logicis & Metaphyſicis *D. Johannem Fauſtium*, & in Phyſicis *D. Johan. Rudolphum Saltzmannum* Præceptores habuit. Sub quorum manuductione adeò profecit, ut ann. 1676. Diſputationem Geographicam, de Umbilicô Terræ, ſub umbone ſuprà memorati *Reichelti* ſingulari cum laude defenderet, & paulò poſt, exantlatis feliciter examinibus, lauream ipſi ſecundam ſeu Doctoris Philoſophici inſignia Promotore D. *Schallerô*, Ampliſſima Facultas Philoſophica conferret. Cum animum ità ad altiora præparaſſet, ſtudiô Medicô ſe potiſſimùm dedit, ità tamen ut Mathematicum felici admodum connubio ipſi jungeret. In quô tractandô eximia hujus Univerſitatis lumina eidem prælucebant, quæ etiam alacri animo, & ad præclara quævis tendente, ſecutus eſt: nempe *D. Joh. Albertum Sebizium & D. Marcum Mappum*, apud quos in Lectionibus & collegiis tam reſpondendo quam opponendo cum induſtriâ indefeſsâ ſe ſe exercuit, non neglectis rei Herbariæ, Anatomicæ, & Chymicæ exercitiis, aliiſque quæ ad ſcientiam Medicam ſolidè acquirendam quovis modô conferre videbantur. Hoc apparatû abundè inſtructus, Matriculæ Candidatorum Medicinæ nomen ſuum dare, ſeque examini Collegii Medici ſiſtere non dubitavit, in quô ſuos in hâc arte profectus eidem ità probavit, ut conſcribendæ Diſſertationis Inauguralis facultatem facilè impetraret, quam etiam de Scrophulis proprio Marte elaboratam A. 1681. cum totius Auditorii applausû tuitus eſt, actû in hôc ſatis memorabili, quod primus erat, ex quô unà cum urbe Univerſitas in *Chriſtianiſſimi Regis* tutelam recepta fuit. Quibus ita intra quinquennium abſolutis, memor iſtius Lipſiani: *Humiles iſtæ ac plebejæ animæ domi reſident, & affixæ ſunt ſuæ terræ; illa divinior eſt quæ cœlum imitatur & gaudet motû*, iter ad exteras regiones meditabatur, vel ut, quam ſibi jam ante comparavit artis Medicæ ſcientiam augeret, vel etiam ut animô curioſitatum naturalium avidiſſimo ſatisfaceret. Relictâ itàque eôdem adhuc annô patriâ, Gallia ipſum ad ſe traxit, hinc viſis anteà Metis & Nanſiô, primùm Lutetiam Pariſiorum properavit: & quia quindecim ibidem menſes commoratus eſt, arctum familiaritatis commercium contraxit cum illuſtribus viris, Du *Vernay*, Anatomicô, & *Tournefort*, Botanicô, Profeſſoribus Regiis, aliiſque fama per orbem notiſſimis. Inde ſalutatis Aurelianenſi Univerſitate, caſtro Bleſenſi & Turonibus, Salmurium, inferioris Andegavenſis Ducatus caput contendit. Exactis & ibidem aliquot menſibus, porrò Andegavum, Condivincum, Rupellas, Burdegalam, Tholoſam, Narbonam, & Montem Peſſulanum, qui celeberrimam Academiam in ſinû fovet, ſeſe contulit. Ubi viris in arte Medicâ doctiſſimis, *Chicanaldô*, *Berbeiraco*, & *Vieuſſanô* aliiſque innotuit. Cùmque & in his urbibus viſû notatûque digniſſima per quatuor circiter menſes annotâſſet, per Nemauſum & Arelatum, Maſſiliam celebrem olim ſtudiorum metropolin pervenit; ex quâ navi vectus legit fertiliſſimum littus Liguſticum atque Genuam, urbem ædificiorum ſplendore ac magnificentiâ præ aliis ſuperbientem, delatus eſt: viſis in tranſitû celebrioribus locis, nempe Antipoli, Nicæa, Villa-franca, portû Herculis Monœci, Sanctô Remo, Savona. Relictâ deinde Genuâ, Dertonam, Placentiam, Cremonam, Mantuam, Veronam, Vicentiam, & tandem celeberrimum illud Athenæum, Patavium, indeque pedem promovens Venetias ſalutavit. Inde per Ferrariam tandem, Bononiam, Ariminum, Anconam, & Fanum D. Mariæ Lauretanæ, Romam perrexit. Viſis ibi rebus notatû dignioribus, per Sienam, Florentiam atque Bononiam Venetias reverſus, & peragrata ità non minima Italiæ parte per Tridentum, Auguſtamque Vindelicorum ſalvus ſoſpeſque menſe Majô A. 1684. Argentorato ſuo redditus eſt. Inſtructus itàque tam egregiis univerſæ antiquitatis & multiplicis eruditionis ſubſidiis, paulò poſt, quam dudum promeruerat, tiaram, Doctoralem cum omnium Muſarum applausû impoſuit *D. Mappus*, ſibi de genuinô hoc artis Medicæ filiô non parùm gratulatus. Tum verò & thori ſociam felicibus auſpiciis ſibi junxit ſexus ſui virtutibus exornatiſſimam virginem, *Catharinam Eliſabetham*, *Joh. Jacobi Bœhleri*, Notarii publici & Senatus urbis Majoris Aſſeſſoris, filiam unicam. Quod quidem matrimonium omni felicitatis genere, ſi ſobolis procreationem excipias, beatum fuit. Et conjugalis quidem amor ſe ſe quàm maximè prodidit in triſti illô caſu & lapsû, qui A. 1696. accidit, & quô Noſtrô latus alterum antè ædes ipſiûs adeò concuſſum fuit, ut domô exire non amplius valuerit. Unde etiam vaga quædam arthritis ſubinde ingruens, cum contracturâ femoris ſiniſtri juncta, ſuos duxit natales, ità ut ſæpiùs & ſæpiſſimè lectô affixus hærere coactus fuerit. Defatigato licèt hiſce malis corpore, animô tamen adeò non concidit B. Vir quin potiùs majori cum vigore & indefeſsâ aſſiduitate ingenii laboribus vacaret. Negotiis namque publicis, Medicinæ præſertim faciundæ, ex hôc morbô planè impar, priſtina ſtudia, & præ aliis Mathematica, quorum mirô à primis unguiculis amore tenebatur, repetiit; in quibus non minori cum ſucceſsû, quàm conatû ità verſatus eſt, ut Clariſſimorum in Orbe Eruditorum favorem facilè meruerit, id quod luculentiſſimè teſtatur Diploma,

Diploma, quô A. 1699. ab Academiâ ſcientiarum Regiâ, quæ Lutetiis Pariſiorum eſt, in ſodalem fuit adoptatus, quippe quod publicum teſtimonium à veris rerum æſtimatoribus profectum, ſi non alia ſuppeterent argumenta, ad Noſtri eruditionem orbi demonſtrandam unicè ſufficere poſſet. Sed extant & alia, quæ in poſterùm quoque mirabitur Literarius Orbis, publica ſolidæ ſcientiæ documenta, nimirùm, de *figurâ Telluris elliptico-ſphæroide, item de ponderibus & menſuris variarum gentium, nec non de valore pecuniæ veteris*, ut quæ in ſcriniis ejus vel effecta vel affecta adhuc latent, in Geographicis imprimis, taceamus, quæ ut lucem publicam videant, omnibus votis annitendum eſt. Unde non mirum, quod tot hinc inde Viri in Galliâ, Germaniâ atque Bataviâ in omni ſcientiarum genere illuſtres, Noſtrum literarum ſuarum commerciô ſint dignati. In quibus ſunt *Ill. Abbas Bignon* quem non ſolùm Academiæ ſcientiarum Regiæ, ſed totiûs orbis Litterarii Præſidem meritò dixeris, *Caſſini*, *De la Hire*, *Henrion*, *Reland*, *Lochner*, *Thomaſius*, *Wurzelbaur*, *Junius*, *Schuckard*, *Ott*, aliique. Præterea cùm in Hiſtoriâ ſæpiùs jam laudatæ & per orbem celebratiſſimæ Academiæ ſcientiarum Eclipſium obſervationes unà cum ductô calculô Argentorati factas produxiſſet, à *De la Hire* peritiſſimi Aſtronomi titulô mactatus eſt. Pari modô Ephemerides Eruditorum Gallicanæ, & illæ quæ ſub auſpiciis *Sereniſſimi Principis Dombenſis* ſingulis menſibus in lucem prodeunt, aliæque additis eximiis laudibus nomen ejus inſerere non dubitârunt. Ut taceamus, ipſum Regem ejus operâ in Tabulâ quadam Geographicâ adornandâ uſũ fuiſſe. Quod verò ad ultimum ejus morbum attinet, quẽadmodum peritus Aſtronomus Eclipſes corporum Cœleſtium ipſe prævidere & aliis prædicere poterat, ità etiam non minùs felix Medicus lucem vireſque vitales non levia decrementa pati aliquô abhinc tempore ſenſit aliiſque declaravit. Siquidem aliquot ante obitum menſes defluxionibus cathararralibus laborare cœpit, quæ poſteà ad bronchia deſtillantes atque pectus obruen- & veluti obſidentes tuſſim procreârunt, quod malum corporis vires, jam ſatis infirmas non parùm debilitavit, atque ità invaluit, ut diſpoſitio quædam hectica inſequeretur, & calor depaſcens corpus adureret. Unde factum eſt, ut ſuperiore Annô D. 4. Dec. placidè expiraret, Vir ob eximias animi corporiſque dotes, & præſertim ob raram in Mathematicis ſcientiam longiore vitâ digniſſimus.

EISLINGERUS (*Balthaſar*,)

De eô extat

De Peſte Curandâ, Liber in 4. locô tempore impreſſionis non expreſſis.

ELAMA (*Regnerus ab*,) Friſius,

Ex eô habetur

De Podagrâ, Diſputatio. Extat Decade v. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Johan.Jac. Genathius 1631. in 4.

ELIANUS MONTALTO [*Philotheus*) Luſitanus.

De eô extat

Archipathologiâ. In quâ internarum capitis affectionum eſſentia, causæ, ſigna, præſagia, & curatio accuratiſſimâ indagine ediſſeruntur. Lutetiæ, apud Franc. Jacquin, 1614 in. 4. Gervaſii, 1628. n 4.

ELIMITHAR (*Elluchaſem.*) De Baldacht. Videtur fuiſſe Indus. Vixit A. C. 1305. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Tacuini ſanitatis, de ſex Rebus non naturalibus earum naturis, operationibus, & rectificationibus, duplico omnium uſui, conſervandæ ſanitatis, recens exarati. Additi ſunt Abhengnefit ſeu Albengnefit de virtutibus Medicinarum, & Ciborum: Jacobus Alkindus de rerum gradibus. Argentorati, apud Joh. Scottum, 1531. 1533. in fol.

ELISIUS (*Johannes*,) Neapolitanus.

De eo extant

Breve compendium de Balneis totius Campaniæ; item Ænariæ Inſulæ, ejuſdemque mirabili incendiô. Extat p. 209. Operis Veneti de Balneis.

Libellus Idem, qui inſcribitur Aenariarum Balnea, cum ſcholiis Joh. Franciſci Lombardi Neapolitani, adjunctus eſt Tractatui Italico Julii Jaſolini, *de Rimedi Naturali che ſono nell' Iſola di Pitechuſa.*

ELLAIN (*Nicolaus*) Pariſienſis.

Ex eo habetur

Tractatus de Peſte, ejuſque præcavendæ modô. Cui nonnullorum Medicamentorum ab Empiricis, Agyrtiſque circumforaneis invectorum Cenſura adjuncta eſt; Itemque Notæ luculentæ Guidonis Patini, Doct. Med. Pariſiens. & Profeſſ. Reg. Extat cum Philippi Guiberti Operibus. Pariſiis, apud Viduam Thomæ Pepingue, 1649. in 8.

ELLEBODIUS (*Nicolaus*)

Nemeſii Librum, de Naturâ Hominis è Græcô, in Latinum converſum edidit. Antverpiæ, apud Plantinum, 1584. in 8.

ELLINGERUS (*Andreas*) Natus Orlamundæ in Thuringiâ, Wittebergæ Philoſophiæ Magiſter Annô 1549. & Medicinæ Doctor Lipſiæ Annô 1557. creatus eſt, impetratô jam antè, nempè annô 1554. inter Profeſſores Publ. locô. Hinc Jenam annô 1569. vocatus, Medicinam è Publicâ cathedrâ docuit, ibique obiit Annô Chriſti 1582.

Ex eô habentur

Hipocratis Aphoriſmorum, id eſt, ſelectarum maximèque rararum ſententiarum Paraphraſis Poëtica. Francof. apud Andr. Wechelum, 1579. in 8. Accedunt Cornelii Celſi aliquot Aphoriſmorum Hippocratis Converſio Latina: Morborum & ſymptomatum, in Aphoriſmis Index. Oratio in Aphoriſmos Hippocratis.

Hippocratis Prognoſticorum Paraphraſis Poëtica. Cum Corn. Celſi aliquot Hipp. Prognoſticor. Verſione Latinâ. Ibidem, apud eundem, annô formaque iiſdem.

Conſilia quædam Medica. Extant eô in Opere, quod Johannes Wittichius collegit & edidit. Lipſiæ, apud Henningum Groſſium 1604. in 4.

ELSHOLTIUS (*Joh. Sigiſmundus*,)

Ex eô habentur

Antropometria, ſive, de mutuâ Membrorum Corporis humani proportione, & Nævorum harmonia, Libellus. Cui acceſſit Doctrina Nervorum Patavii, apud Math. Cadorinum, 1654. in 4. Francofurti ad Oderam apud Rupertum Volkerum, 1663, in 8. quæ poſt Patavinam altera editio Figuris æneis illuſtrata eſt. Stadæ, apud Golium, 1672. in 8.

Flora

Flora Marchica, ſive, Catalogus Plantarum, quæ partim in Hortis Electoralibus Marchiæ Brandenburgicæ primariis, Berolinenſi, Auragiburgico, & Poſtamenſi, excoluntur; partim ſuâ ſponte paſſim proveniunt. Berolini, apud Danielem Reichelium, 1663. in 8.

Clyſmata nova, ſive, Ratio, quâ in venam ſectam medicamenta immitti poſſint, ùt eôdem modô, ac ſi per os aſſumta fuiſſent, operentur: additâ etiam omnibus ſeculis inauditâ ſanguinis Transfuſione. Editio ſecunda variis experimentis per Germaniam, Angliam, Gallias atque Italiam factis, nec non Iconibus aliquot illuſtrata. Coloniæ Brandenburgicæ, apud Daniel. Reichelium, 1667. in 8.

Clyſmata nova, ſeu, Chirurgia Infuſoria hominibus adhibita 1665. Extat cum Celeberrimorum Anatomicorum, Severini, Caſtrenſis, Jaſolini, Cabrolii, variis Opuſculis Anatomicis. Francof. apud Hermannum à Sande, 1668. in 4.

Deſtillatoria Curioſa, ſive, Ratio ducendi Liquores coloratos per Alembicum, hactenùs ſi non ignota, certè minùs obſervata atque cognita. Accedunt Utis Udenii & Guerneri Rolfinckii Non-Entia Chymica. Berolini apud Rupertum Volcherum, 1674. in 8.

Hiſtoria ſteatomatis reſecti & feliciter ſanati. Coloniæ Brandenburgicæ apud Rupertum Volckerum, 1666. in 4. Extat etiam cum Miſcellan. Curioſ. ſive, Ephemerid. Medico-Phyſicar. German. Annô Quartô & Quintô. Lipſiæ apud Joh. Fritzſchium, 1676. in 4.

De Conceptione Tubariâ, quâ humani Fœtus extra uteri cavitatem, in Tubis quandoquè concipiuntur; item de Puellâ Monſtrosâ, Berolini nuper natâ, Epiſtola. Extat ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem.

De Phoſphoris, Obſervationes quatuor. Berolini, 1676. 1681. apud Schultzium, in 8.

Obſervatio, de Equiſeto ſubterraneô. Extat Ephem. Acad. Natur. Curioſ. Germ. Ann. VI. *&* VII. *n.* 17.

De ſale ex Aëre & ſulphure ex Sole colligendô. Ibid. ann. eodem n. 18.

De Badiani Moſcoviticô. Ibid. ann. eod. n. 79.

De ovô prægnante. Ibid. ann. eôd. n. 80.

De ſulphure putatitiô cum pluviâ deſcendente. Ibid. Ann. eod. n. 87.

De Artificii, quô oculorum humores reſtituuntur, veſtigiis apud veteres. Ibidem ann. eod. num. 126.

De ſemine Zinæ Officinarum, an ſit Genuinum? Ibid. ann. eod. n. 127.

De Hominis conceptione ex ovariô. Ibid. ann. eod. n. 106.

De ovariô humanô atque Tubis. Ibid. eod. n. 107.

De Gemellorum Origine. Ibid. an. eod. n. 108.

Obſervatio, de Moxâ Sinenſi antipodagricâ. Ibid. an. eod. num. 224.

De Cordis diſſecti fragrantiâ. Ibid. an. eodem n. 225.

De Hirudinum ex cacatione & reſtitutione. Ib. ann. VIII. *n.* 18.

De quatuor Phoſphoris. Ibid. An. eod. numero 19.

De Phoſphorô liquidô. Ibid. ann. eod. num. 20.

De Aquâ rubicundâ foſſæ Berolinenſis. Ibid. ann. eod. n. 79.

De pilâ plumbeâ per renem redditâ. Ibid. an. IX. *&* X. *n.* 85.

De Frutice ſenſibili & lapide Belmnite. Ibid. ann. eod. n. 87.

De Microſcopiis globulariis. Ibid. an. eod. n. 115.

ELSNERUS (*Joachim Georgius*)

Ex eô habentur

Obſervatio cum ſcholiis de Remedio Atrophiæ Oculi. Extat Ephemer. Acad. Nat. Cur. German. ann. 1. *nu.* 12.

De mirâ ſecundinæ humanæ texturâ. Ibid. an. eod. n. 40.

De vincetoxico, ſcrofularum remedio. Ibid. an. eod. n. 57.

De Albedine Chyli tegente rubedinem. Ibid. an. eod. n. 61.

De veronicæ uſû in Calculo. Ibid. an. eod. n. 107.

De Reſtitutione Humorum oculi. Ibid. an. eod. in ſcholiis ad Obſervat. 117.

De Liene, veneris ſede. Ibid. An. eod. n. 118.

De Anguillis viviparis. Ibid. ann eod. n. 119.

De Naturâ & præparatione ſpermatis leti. Ibid. an. eod. 136.

ELYSIUS [*Johannes*,]

Scripſit de Balneis Inſulæ Ænariæ. Item de Balneis totius Campaniæ. Quæ opera extant cum alis ejuſdem argument. Neap. & Venet. fol. 1553.

EMBITAR, Arabs.

De eo extat

Tractatus de Limonibus, Latinitate donatus ab Andreâ Alpagô. Pariſiis, apud Bindonum, 1602. in 4.

EMERICUS [*Franciſcus*] Oppavianus, Medicus Viennenſis clariſſimus. Vixit A.C. 1538. Juſtus in Chronol. Medic. Renat. Moreau de V. S. in Pleuritide.

Ex eo habetur

Medicorum auxiliorum dexter uſus, ad veram Hippocratis, & Galeni mentem. Noribergæ, ap. Joh. Petrejum, 1537. in 4.

EMERICUS (*Valentinus*) Cervimontanus.

De eo extat

De Herniâ Diſputatio. Extat Decade IV. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jac. Genathius, 1620. in 4.

EMPEDOCLES Agrigentinus nobiliſſimus, non modò Philoſophus celeberrimus, verùm etiam Medicus, Poëta, Hiſtoricus, & Orator egregius. Si Empedoclis omnia per otium colligerem, in librum ſanè coaleſcerent. Præſtantiora ſeligam. De ejus patre multæ ſcriptorum ſententiæ. Metonem vocant Hippobatus, & Timæus: Archinomū Telauges: Exanetum Satyrus apud Laërtium *Lib.* 8. *in Empedoclis vitâ:* Melitonem Johannes Tzezes *hiſt. Chil.* 1. *Cap.* 58. Archionium ex aliis à Goltziô, in *Siciliæ hiſt. poſt. pag.* 86. vocatur: Xanet à Suidâ *Tom.* 1. *pag.* 889. Agrigentinum fuiſſe, nihil inter ſcriptores certius, nec confirmatione indigemus, cùm longa ſcriptorum ſeries id ipſum clariſſimè tradat. Sit pro omnibus Laërtius cit. qui ipſius Empedoclis teſtimonium adducit, ait enim: *Empedocles Agrigentinus fuit,* & infra: *quòd autem Agrigentinus ex Siciliâ fuerit, ipſe in primô Luſtrationum refert,*

O Socii ingentem flavas Acragantis ad undas,
Vrbem qui colitis poſitam ſub mœnibus altis.

Repellenda ideòque Philippi Bergomenſis ſententia ſingularis, qui *in ſupplem. Chron. Lib.* 5. Empedoclem Athenienſem fuiſſe putat; ut etiam illa Petri Opmeeri in *opere Chronicô*, qui Syracuſanum opinatur, his Ovidii carminibus innixus in *Ibin.*

Vtque

Utque Syracuſio præſtrictâ fauce poëta,
Sic animæ laqueo ſit via clauſa tuæ.

Hîc etenim inconſultò putat Ovidiū de Empedocle loquutum; meritò à Jacobô Bonanô Bonannô *in Syrac. Illuſtr. Lib. 2. pag.* 247. *&* 285. rejectus, nam tum Bergomenſis, tùm Opmeerus contra omnium mentem, ac ſine aliquô rationis fulcimentô ſcripſere. Studiis addictus noſter Empedocles Parmenidem audivit, ex Suidâ *Tom.* 1. *pag.* 889. quod ex ætatis diverſitate haud conſiſtere videtur Voſſio *De Poëtis Græcis cap. 6. p.* 33. *&* 35. Alii Xenophanis, alii Teleaugis Pythagoræ filii, alii Anaſſagoræ, alii Architæ, alii tandem Pythagoræ diſcipulum fuiſſe putant, ut videre eſt apud Suidam *cit.* Laërtium *in vitâ Empedoclis, & in vitâ Pythagoræ,* Jamblicum *de vitâ Pythagoræ cap.* 23. *&* 36. Gyraldum *dial.* 3. *de Poëtar. hiſt. pag.* 98. Voſſium *de hiſt. Græc. lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 437. *de Poëtis loc. cit. & de Philoſophiâ cap.* 11. *ſ.* 15. *p.* 84. Leonhardum Cozzandum *de Magiſterio antiq. Philoſophor. Lib.* 5. *cap.* 3. *pag.* 322. Teleaugem audiiſſe etiam ſcribit Euſebius *Lib.* 10. *præp. Evang. cap.* 3. Theodoretus *Lib.* 2. *de curat. Græc. affect.* & Tzetzes *hiſt. chil.* 1. *c.* 58. ſed ex Cozzandô cit. Pythagoram, vel Teleaugem, vel ex Pythagoricis aliquem audiviſſe, patet argumentô metempſychoſis, hoc eſt, tranſmigrationis animarum, cui fidem præſtitit; ideòque ipſemet Empedocles apud Laertium cit. Philoſtratum *in vitâ Apollonii Lib.* 1. *cap.* 1. Ælianum *de animal. Lib.* 12. *cap.* 7. aliòſque cecinit.

Ipſe puer quandoque fui, quandoque puella,
Arbuſtum, & volucris, gradienſque per æquora piſcis.

Vidè Voſſium *de Philoſophorum ſectis cap.* 6. *S.* 38. *pag.* 42. qui ex his & ex carminibus in laudem Pythagoræ editis, apud Porphyrium & Jamblicum *in vita Pythagoræ,* inter Pythagoricos accenſet. Hinc ex Hieronymo apud Hofmannum, omne quod vivit & movetur non edendum putavit, ſicut Pythagoras docuit: & præſertim à fabis abſtinendum dixit: ideòque apud Clem. Alexandrinum, *Lib.* 3. *Strom.* carmen legitur.

Par eſt quippe fabam atque caput corrodere patris. Quod Empedoclis eſſe opinatur Voſſius citatus *pag.* 43. ſanè, eôdem Voſſiô teſte, Empedoclis illud eſt apud Gellium *Lib.* 4. *cap* 11. Noct. *Att.*

Ter miſeri, nolite fabas attingere manû.

At ſubdit Voſſius S. 39. Gellium ſequutus, non ſine rationis ſoliditate forſan Pythagoram & Empedoclem de fabarum abſtinentia ſymbolicè loquutos nempè, non à Fabis ſed à Veneris proluviô abſtinendum docuiſſe. Parmenidis imitatorem & ipſius æmulum in poëmatibus fuiſſe ex Theophraſto, tradit Laërtius, at Hermippus ap. eundem non Parmenidis ſed Xenophanis imitatorem fuiſſe ſcripſit, poſtmodùm Pythagoricis congreſſum eſſe. Ex Anaſſagorâ, Laërtiô teſte, conſtantiam, gravitatem, & habitus; ex Pythagorâ verò, rationes de naturâ accepit. Fazellus de *reb. Sicul. Dec.* 1. *Lib.* 6. *cap.* 1. *pag.* 134. ex eô Anaſſagoram audiviſſe deducit, quod ea quæ de rerum naturâ docuit, magnâ ex parte cum Anaſſagoræ ſententiis cohærent. Id ſanè certum, præſtantiſſimum Philoſophum fuiſſe. Nec egregii ingenii dotes inter Philoſophiæ limites continuit, ſed ad alias etiam facultates protendit: ideòque Poëſi excelluit: Ex Neante Laertius tradit, Pythagoricos uſque ad Philolaum, & Empedoclem, ad ſermonum communicationem admitti ſolitos: ubi verò Empedocles poëmata ſua evulgare cœpit, editam eſſe legem, ùt verſificator omnis indè excluderetur: quod confirmat Gyraldus *cit. p.* 99. Sed cùm poëmatibus ſuis naturæ res cecinerit, à multis verſicator potiùs, quàm poëta exiſtimatur; Adhùc enim ſub judice lis eſt, an inter Philoſophos, vel Poëtas recenſendus ſit, ex Lactantiô *Lib.* 2. *divin. inſtit. cap.* 13. Ariſtoteles ſanè Phyſicis potiùs quam Poëtis addendum docet. Hanc verò quæſtionem etiam de Lucretiô, Nicandrô, Hieronymô Fracaſtoriô in Siphilide, Aratô, Maniliô, Jo. Pontano in *Uraniâ, Heſiodô* & Virgiliô in *Georgicis*; exagitant multi, quos inter Poëtas excipiendos dubitant. De hâc re conſule Paulum Benium in *Poet. Ariſtotelis* cap. 1. par. 9. à n. 77. Magium, Robertellum, Ricobonum, Minturnum art. poët. Lib. 1. & alios qui *lib.* 1. *Poëticæ* Ariſtotelis explanant: eruditiſſ. Hyacinthum Gimmam *in Elogiis Academ. Roſcian. par.* 2. *pag.* 50. & præcipuè de noſtrô Empedocle, longam inſtituit diſſertationem Patritius in *Poet. decad. diſp. lib.* 7. *per totum*, qui inter Poëtas recenſendum putat, ac Homero præferendum. Inter illuſtriores Poëtas Empedoclem excepêre Quintilianus, Horatius, Dyonyſius Halicarnaſſeus, Strabo, Plutarchus, & Sextus apud Patritium cit. quibus addo Ciceronem Lib. 1. *de Oratore, qui* Empedoclis opus de rerum naturâ, *egregium poëma* vocat; & *in l. de amicitiâ*, carminibus vaticinâſſe tradit; Giraldus cit. Voſſius *de Poëtis Græcis cap.* 6. *p.* 33. & Laurentius Craſſus *de Poëtis Græcis pag.* 182. inter Poëtas aſcribunt. Poëtam & quidem Homericum fuiſſe teſtis eſt Ariſtoteles de *Poëtis*, qui & acutum in dicendo, tranſlationibus, cæteriſque poëticis figuris refertum fuiſſe. Addit apud Laertium cit. & apud Abrahamum Gravium *de hiſtoriâ Philoſophicâ Lib.* 2. *Cap.* 11. *pag.* 180. Ingenii excellentiâ Rethoricæ artem adinvenit ex Ariſtotele in *Sophiſtâ* apud Laertium tum in *vitâ Empedoclis* tùm *in vitâ Zenonis Eleatis*, Quintiliano *inſt. orat. lib.* 3. *cap.* 1. Suidâ in Zenone, Polydoro, Virgiliô de rer. invent. Lib. 1. cap. 13. ſextô Empiricô *Lib.* 8. *contra Mathem.* Voſſiô *de Rethor nat. & conſt. cap.* 9. *p.* 61. Franciſcô Patritiô *Poet. dec. hiſt. lib.* 1. *pag.* 72. aliiſque apud Vincentium Auriam *in Sicil. Inventrice cap.* 8. *S.* 1. *pag.* 21. *& in meis ad ipſum addiction. pag.* 134. ubi cum Bonanô *Syrac. Illuſtr. lib.* 2. *pag.* 306. aliqua hujus artis tetigiſſe ſcripſimus; nam ejus perfectionis gloriam Coraci, & Tiſiæ Syracuſanis debemus; quod ex Quintiliano cit. deducitur, qui Empedoclem aliqua circa Rethoricam moviſſe ſcribit. Fuit noſter Empedocles Orator Clariſſimus quem Georgias Leontinus audivit, teſte Laertiô, Suidâ, & Patritiô cit. Empedoclem etiam audierunt Corax, & Tiſias prædicti, ex Patritiô. Addit Cozzandus *cit. pag.* 332. ab eô claſſem oratorum nobiliſſimam originem duxiſſe. Fuit etiam Medicus egregius, ex Laertiô, Corneliô Celsô *in præf.* Petrô Caſtellanô in vitis Illuſtr. Medicor. pag. 44. aliiſque, Doctiſſimos ſcripſit de Medicinâ libros; & Heraclide teſte apud Laertium, Empedocles Pauſaniæ dictavit, quæ iſte de Aponô ſcripſit, quô cadaver ad triginta dies incorruptum ſervatur, ut ipſemet experimentô probavit. Ex Galenô de *Hippocratis & Platonis decretis Lib.* 9. *cap.* 5. humanitate & benignitate medebatur. Ob ſingularem verò medicam doctrinam tumidus, elatuſque divinos honores, ambitionis ſtudiô, perquiſivit,

ſivit, ut ex infrà dicendis apertè patet, & omnia curare mala & ſenectutis morbis ſe mederi jactabat, ex Tzetze loc. cit. Muſices etiam fuit peritiſſimus, ideòque ex Philippô Bergomenſe *in ſupplemen. Chron. lib.* 5. Voſſiô *de Muſicâ cap.* 4. *num.* 16. *pag.* 45. & Joſephô Blancanô *in Chronol. Mathem. pag.* 42. muſicis modulis adoleſcentis animum compoſuit, qui urgente furore, patris ſui interfectorem, ſtrictô jam enſe, occiſurus perſequebatur. Jamblicus verò *in Vitâ Pythagoræ Lib.* 1. *cap.* 25. *pag.* 110. ait quod Empedocles adoleſcentem, quòd patrem ſuum publicô judiciô, capitis ſuppliciô damnâſſet, cantû furentem placavit. Vide etiam Nicolaum Scutellium *in Vitâ Pythagoræ pag.* 8. qui addit in flectendis quoquò vellet concentû, ſonôque hominum præcordiis, illuſtriſſimum inter Pythagoricos inclaruiſſe; & ex metallorum ſonitû cudentium Fabrorum, diapaton, diapente, & diateſſeron, proportionem, & organa muſica haud pauca, Tetacordum, Heptacordum, Monocordum, & Pentacordum conſtituiſſe; Magicis artibus operam dedit quas ùt ediſceret multas peragrâſſe regiones tradit Plinius *hiſt. nat. lib.* 30. *cap.* 1. in his autem diſcipulum & ſpectatorem habuit Gorgiam, ut ait Laertius: ideòque nonnullis magicis potiùs, quám Philoſophicis experimentis in ſui admirationem omnes traduxit. Futuras tempeſtates prædicere ſolitus erat, quibus remedia objiciebat. Hinc cùm Eteſiis flantibus, fruges corrumperentur, aſinos excoriari juſſit, factiſque utribus, ipſos ſupra montium colliumque vertices conſtituit, quibus ventorum impetus fregit: inde Alexanemos, quòd ventos arceret vocatus, ex Jamblicô *lib.* 1. *c.* 28. *pag.* 128. & Porphyriô *in Vitâ Pythagoræ pag.* 19. Colyſanemon, id eſt ventorum inhibitor vocatur à Laërtiô cit. Suidâ *Tom.* 1. *pag.* 209. *&* 890. Clemente Alexandrinô *lib.* 6. *ſtrom.* aliiſque; id verò magicæ arti adſcribit Martinus del Rio *diſquis. magic. lib.* 2. *quæſt.* 9. *pag.* 57. & Raynaudus *in Theolog. naturali diſt.* 4. *qu.* 4. *artic.* 2. *n.* 274. At Hieron. Mercurialis *Var. ſect. lib.* 4. *cap.* 14. *pag.* 94. ait, hanc hiſtoriam multis parùm fide dignam videri: veriſimiliorem putat, ex Plutarchô *contra Colotem*, quòd cùm animadvertiſſet gravem quemdam, & peſtiferum auſtrum per montium ſciſſuram in campos emitti, eâ obſtructâ, peſtem & ſterilitatem è locô avertit; quod etiam S. Gregorius infrà citandus innuit. Petrus Caſtellanus *in Vitis illuſtrium Medicorum pag.* 44. narrat, ventos ſterilitatem minitantes, extructis circa montium anguſtias muris, avertiſſe. Addit Gyraldus quòd nèdum ventos propulſavit, verùm etiam aëris vitia depreſſit; ideòque inditum ipſi nomen Alexanemian. Hâc de re nimis elatè gloriatur, editis Carminibus apud Laërtium. Peſtilentiam etiam, quæ multos in locos graſſabatur, exterminavit, adhibitô ignium ſuffitû, ut Plinius ſcribit *lib.* 36. *c.* 27. Alibi etiam ſæviſſimam extinxit peſtem occluſô quôdam montis hiatû, è cujus corruptis viſceribus inſalubrem efflare auſtrum animadvertit, teſte Plutarchô de *Curioſitate & in opuſc. contra Colotem.* E' Selinuntinorum civitate ejuſque agris aëris infamiam ſubſtulit: nam in adjacentem amnem (è quô noxii alitus exhalabant, ac peſtem intulerant) duorum fluviorum aquis non longè defluentibus derivatis, ex àquarum commixtione, peſtis cauſam diluit: ut habet Laërtius, & Golzius de *Sic. Hiſt. poſt. pag.* 86. *& alibi.* Mathematicis diſciplinis imbutū prædicat Faber de *Poëtis Græcis par.* 1. *pag.* 7. Liberô animô ornatum teſtatur Ariſtoteles apud Laërtium, & ab omni prorsùs, dominandi ambitione alienum; patriæ enim abſolutiſſimum imperium, ab Agrigentinis ſibi ultrò oblatum, conſtantiſſimè recuſavit; ac vitæ tranquillitati regios honores prætulit: immò apud Cives æqualitatem ſervari curavit, conſtitutô triennali Magiſtratû mille hominum; adeò ùt cujuſlibet ordinis Viri in eum deligerentur. At ſimultates ſemel conceptas, pertinaciſſimè exercebat; hinc exortum proverbium; *Empedoclis ſimultas*, ex Suidâ, *pag.* 890. Gyraldô cit. & Manutiô *in adagiis pag.* 925. Sed gloriæ ſtimulis actum nonnulli ſcribunt, ac divinos honores ſibi deferri curavit; ideòque auream coronam in capite, Delphicas coronas in manibus, calceoſque æreos in pedibus geſtare ſolitus: purpurâ, ac aureô ſtrofiô indutus, comâque prolixâ, tumidè in civitatibus deambulans, plauſus, ac divinitatis honores, aucupare contendebat, ut inter alios ſcribunt Suidas *Tom.* 1. *pag.* 209. *&* 889. Ælianus *Var. Hiſt. lib.* 12. *cap.* 33. Gyraldus, Patricius, Faber, Heſychius, & Laërtius, qui cum Heſychio addit ex eâdem cauſâ multas puellas, elargitâ dote, nuptui tradidiſſe. Ipſeque Empedocles divinum nomen uſurpâſſe patet ſuis ex carminibus apud Laërtium cit. Philoſtratus etiam *in Vitâ Apollonii lib.* 8. *cap.* 3. ait in capite purpuream vittam geſtâſſe, Diis affigi ſolitam: eôquo ſignô Græciæ urbes perambulans hymnos concinnabat, in quibus Deum ſe futurum jactabat. Sed in his carminibus:

At cur inſiſto his tanquam magnum quid agatur:
Mortales à me ſi homines ſuperantur abunde;

Empedoclem defendit Sextus Empiricus *cap.* 17. *contra Mathematicos;* ubi ait hæc ſcripſiſſe non arrogantiâ dementatus, ſed ex mentis candore, utpote, qui ob ſapientiam magis ſe, quam alios Deo accedere videretur. Et profectò virum egregium, doctrinâ præclariſſimum laudibus extollunt ſcriptores innumeri: inter quos non prætermittendus Lucretius, qui de Siciliâ ſcribens l. 1. ait:

Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, clarumque videtur,
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
Ut vix humanâ videatur ſtirpe creatus.

In Olympico pulvere decertare ipſi placuit: cùm autem ſemel equeſtri certamine victor diſceſſerit, (Olympiade 71. Ann. 1. ex Voſſiô de *Poëtis Græcis cap.* 4. *pag.* 26.) bovem myrrhâ, thure, aliiſque aromatibus condidit, ùt illis diſtribueret, qui ſibi de victoriâ gratulabantur, ut ex Athenæo, *lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 3. Cælio Rodig. *lect. ant. lib.* 19. *cap.* 7. habemus: Laërtius verò & Philoſtratus *in vitâ Apollonii lib.* 1. *cap.* 1: ex melle & farinâ compoſitum opinantur. Cùm enim Pythagoræ veſtigia ſectaretur ab animalium nece abhorrebat: ideoque carminibus ſuis, apud Plutarchum de *ſuperſtitione*, eos reprehendit, qui animalia ſcarificant, quos verſus citat Origenes *l.* 5. *contra Celſum.* Addit & Laërtius quòd cum ad olympia progrederetur omnium obtutus in ſe attrahebat, nec de aliô tanta, quanta de Empedocle colloquebantur. De ejus morte multæ ſcriptorum opiniones, quas retulit Laërtius: aliqui etenim volunt quòd ut aliquorum odium declinaret, è Siciliâ in Peloponneſum digreſſus ibi deceſſerit. Alii, quòd cùm artificiorum ſuorum virtute, mulierē jam defunctam ad vitam revocâſſet (quod vel fabulam putandum, vel magicis artibus tribuendum) incomparabilē aſſequutus gloriā, ſacrificiū inſtituit in campis Piſanactæ. Convocatis itaquè ad convivium amicis, ac abſolutô ſacrificiô, cùm omnes receſſiſſent, ùt ſub arborū umbris quieti indulgerent, ipſe in eôdē ſacrificii locô permanſit: ſed craſtinâ die cùm quæſitū

non inveniſſent; ſervorum unus retulit quòd inſtante noctis mediô, vocem, Empedoclem vocantem, audivit: ſurgenſque neminem vidit præter lumen cœleſte, ac facularum, ſplendorem. Stupentibus omnibus, tandem concluſiſſe tradunt, eô in locô divinos honores, Empedocli, tanquam Numini, conſtituendos. Hæc exſcribit Heſychius *de iis qui eruditionis famâ claruêre.* Aliis autem placet, quòd cùm Panteam Agrigentinam mulierem, à Medicis deſtitutam, ſanitati reſtituiſſet, immortalem ſibi famam comparavit, & ut conceptam opinionem firmaret, ſacrificium obtulit: ante ſolis ortum Ætnam aſcendit, in ejuſque Crateres ſe ſe conjecit: ùt cùm ampliùs non appareret, crederent omnes, inter Deos relatum: ſed cùm ignis æneum ejus calceamentum evomuiſſet, hoc ipſius ambitionis ſtudium ac temeritatem detexit. Alii, opinantur, Meſſanam profectum, & in itinere lapſum è currû, fractâ crure, morbum lethalem contraxiſſe, ac apud Megaram ſepulturæ traditum fuiſſe; ita etiam Heſychius, & Neantes Cizycenus apud Craſſum *in hiſt. Poët. Græc. p.* 183. & Fazell. cit. & hanc etiam opinionem Placidus Reina in *not. Meſſanæ par.* 1. *pag.* 160. amplexus eſt. Democritus ſcribit, ſe ipſum laqueô ſuſpendiſſe: & Teleuges, ſeniô confectum in mare lapſum obiiſſe. Diodorus Epheſius ait, Empedoclem tragicâ eloquentiâ, & veſtium gravitate Anaximandrum imitatum: ac liberatis Selinuntinis, peſtiferô morbô laborantibus, ut ſuprà expoſui, dum hi ex gaudiô epularentur, ſupervenit Empedocles, cui omnes beneficii memores, divinos honores tribuere non dubitârunt: hinc ùt inanis divinitatis opinionem roboraret, in Ætneas flammas ſe injecit. Quamvis autem opinionem hanc, quòd extimulante divinitatis ſtudiô in Ætnæ voraginem ſe conjeciſſet, Timæus apud Laërtium, Strabo *lib.* 6. & Faber *cit.* fabulam putent: attamen vulgatiſſima eſt opinio, quam innumeri ſcriptores teſtantur, & ùt alios prætermittam, hoc ſcripſêre Suidas *Tom.* 1. *pag.* 209. *&* 890. Gyraldus *dial.* 3. *de Poët. hiſt. pag.* 99. Lucianus *in dial. Menippi, & Æaci, in Icaromenippo,* & alibi, Ovidius *in Ibin,* Claudianus *in Paneg. Manlii Theodori,* Lact. Firmianus *divin. inſtit. lib.* 3. *cap.* 18. Horatius *de Art. Poët. v.* 463. S. Gregor. Nazianzenus *Or.* 3. *contra Julianum.* Tertullianus *in Apolog. cap.* 50. *pag.* 224. *de Pallio. cap.* 4. *pag.* 24. *& lib. ad Martyres cap.* 4. *pag.* 337. Lud. la Cerda in eoſdem Tertulliani locos *pag.* 35. *num.* 192. *& pag.* 227. *num.* 1090. & poſt alios Lex Civilis ff. *de Injuſtô ruptô Teſt. l. ſi quis filio, quod ſi quis.* Sed non reticeam opinionem illam, quæ mihi maximè arridet, a M. Ant. Sabellicô *enn.* 1. *hiſt.* relatam, apud Beyerlinck *Theatr. Vitæ humanæ Tom.* 1. *V. alacritas pag.* 189. Matthæo Silvagio *de trib. Peregrin. cap.* 43. *pag.* 158. & non longè diversè narratam à Joſephô Carnilivariô *hiſt. Sicil. lib.* 2. *pag.* 187. Chriſt. Scannellio *Chro. Sicil.* Bonfilio *hiſt. Sicil. par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 30. aliiſque; nempè, quòd cùm doctrinâ inſtructiſſimus Ætneorum incendiorum arcana propriùs examinare exoptaret, æneis calceamentis munitus, ùt cinerum fervorem perferret, uſque ad montis hiatum aſcendit: & cùm incautè ulteriùs philoſophando procederet, in flammarum gurgite lapſus eſt; ejuſque caſum calceamentum ab incendii vi rejectum, detexit. Hoc autem firmari ex eô poteſt, quod Fazellus *Dec.* 1. *de rebus Siculis lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 57. Antonius Philothæus *in Ætnæ topographiâ* & Vincentius Maria Cimarelli in reſol. *cap.* 11. *pag.* 99; teſtantur, quôd in tertiâ Ætnæ regione adhuc veſtigium vetuſtiſſimi fornicis lateritium ſpectatur, quod à Catanenſibus, Turris Philoſophi nominatur: ſiquidem apud ipſos viget, ductâ à majoribus fama, hanc Empedoclem ex teſtudineô opere ædiculam conſtruxiſſe, ad explorandas Ætnei incendii cauſas. Favorinus vixiſſe ait annos 77. Ariſtoteles 65. alii verò 109. ut habemus ex Laërtiô, qui floruiſſe ſcribit Olympiade 84. nempè ante orbem inſtauratum an. 440. Claruit ex Euſebiô in *Chron.* Olymp. 81. & 86. Philippus Bergomenſis cit. ante Chriſti Domini adventum an. 439. collocat: Maurolycus *hiſt. Sicil. pag.* 27. *An.* 454. at paulò poſt ante annos 425. defunctum dicit, quod & ſequitur Bonfilius *par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 48. Reina verò *not. Meſſan. par.* 1. *pag.* 160. annos 443. Johann. Bap. Ricciolius *in Chron. refor. Tom.* 1. *l.* 3. *cap.* 3. *pag.* 129. *& Tom.* 2. *Chron.* 3. *pag.* 16. *An.* 444. Fazellus ex Gelliô *lib.* 17. *cap. ult.* vixiſſe putat ætate ferè, quâ Xerſes ab Athenienſibus juxta Salaminam fugatus eſt, & Fabii ad Cremeram fluvium cæſi occubuêre, ac M. Corolianus Romam debellaturus advenit. A Fabrô *de Poët. Græcis par.* 1. *pag.* 69. etiam tempore Xerſis, an. 470. ante Chriſti nativitatem, & à Voſſiô *de Philoſophiâ cap.* 11. *ſ.* 15. *pag.* 84. ſub Artaxerſe Longimanô collocatur. Ad tanti viri memoriam, qui Siciliam illuſtravit, teſte Laertiô, ſtatua conſtituta fuit Agrigenti, indè Romam tranſlata, & ante Curiam collocata. Quæ autem Empedocles ſcripſit, hæc ſunt.

De rerum naturâ Libri tres: ex Suidâ *Tom.* 1. *p.* 890. Franc. Patritiô *Poët. lib.* 1. *Dec. hiſt. pag.* 72. qui teſtantur quòd opus hoc duo millia carminum continebat. De eô etiam Gyraldus *de Poët. hiſt. Dial.* 3. *pag.* 99. Geſnerus *in Bibliothec. pag.* 1. 214. Jamblicus *in vitâ Pythagoræ cap.* 29. Scribit Fazellus cit. cum Goltziô, quod hujus operis fragmentum Florentiæ ſervatur in Bibliothecâ Medicæâ: immò obſervat Fazellus Ariſtotelem hos vidiſſe libros: quod liquidò conſtat, tum quia cum ejus Philoſophiâ cohærent, tum etiam quia multis in locis Empedoclis carmina exhibet. Tullius verò *lib.* 1. *de Oratore*, hos Empedoclis libros, egregium poëma vocat: idemque hujuſce operis meminit *in librô de amicitiâ.*

De Expiationibus. Hoc opus tria millia carminum conſtituebant; teſte Patritiô cit. at Laërtius & Caſtellanus, hoc, & ſupra relatum, quinque millia verſuum comprehenſa ſcribit. Athenæus *lib.* 14. *cap.* 3. *pag.* 620. ex Dicæarchô in Olympicô narrat, Cleomenem Rhapſodum, Empedoclis Expiationes in Olympicis ludis memoriter reddidiſſe.

De Medicinâ verſus ſexcentum, ex Laertiô & Patritiô. Laſcaris apud Maurolycum *hiſt. Sicil. lib.* 1. *pag.* 21. ait, opus hoc metrô & proſâ ſcripſiſſe; Suidas verò, oratione ſolutâ.

Hymni naturales, ex Menandrô apud Gyraldum cit. *pag.* 99. Geſnero, & Patritio, qui *lib.* 2. *pag.* 161. Deorum laudes fuiſſe opinatur.

Expeditio Xerſis, ſive Xerſis tranſitus, & in Apollinem proœmium, teſte Laërtiô, Geſnerô & Graviô *in hiſt. Philoſophicâ lib.* 2. *cap.* 11. *pag.* 180. Has lucubrationes igni tradidit quædam Empedoclis ſive ſoror, ſive filia ut ait Laërtius: id ipſum narrat Gyraldus ex Ariſtotelis ſententiâ in *Librô de Poëtis.* Sed Voſſius *de hiſt. Græcis lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 437. haud ſatis credit, combuſtas fuiſſe, cùm Ariſtoteles earum meminerit, præſertim *ſect.* 21. *probl.* 22.

Tragœdiæ, ex Laertiô, Gyraldo, Geſnerô, Patritiô, & Craſſô *in hiſt. poët. Græc. pag.* 182. aliiſque: at ex Hofmannô *Lex. tom.* 1. *pag.* 569. ejus ex ſorore nepotis eſſe videntur. Morerius *in Dict. tom.* 1. *pag.* 1139. etiam tradit, quòd alii nepotis ejus eſſe putant.

Politica, ex Laertiô.

Pythagoræ laudes carmine expreſſæ, ex Jamblicô *in Vitâ Pythagoræ cap.* 25. apud Gravium *cit. p.* 181.

Opuſcula 43. ex Laertiô. Addit Suidas, quod alia multa ſcripſit.

Empedoclis ſphæra, vel Demetrii Triclinii Senariis verſibus ab eruditiſſimis viris caſtigatis, deſcripta. Vetus eſt, & nunc primùm in lucem edita ex Bibliotheca ornatiſſimi, & prudentiſſimi Viri Jo. à S. Andreâ. Lutetiæ apud Fridericum Morellum, 1586. in 4. & ibidem Latinè 1587. in 4. At opus hoc, ait Voſſius de Mathem. *cap.* 33. *ſ.* 10. *pag.* 150. & de Poëtis Græcis, *cap.* 6. *pag.* 33. Hofmannus, & Morerius cit. potiùs Demetrii cenſendum, quàm Empedoclis. Ex Ægidiô Menagiô *in Obſerv. ad lib.* 8. *Laërtii num.* 77. non eſſe Empedoclis; ex eô patet, quòd ejus Phyſica fuerunt hervicô verſû ſcripta, hic autem libellus jambis conſtat. Sed noſtrô Empedocli aſcribit Joh. Friſius *in Biblioth.* apud Jo. Gualterium in Chron. *lib.* 2. *pag.* 845. qui Græcè in Bibliothecâ Strozæ aſſervatum ait. Apud Laurentium Craſſum *in hiſt. Poët. Græc. p.* 440. legitur; Quintum Septimium Florentem Empedoclis opera traduxiſſe. Multa adhuc carmina noſtri Empedoclis paſſim occurrunt apud Græcos interpretes Phyſicorum Ariſtotelis, teſte Geſneriô *in Biblioth. p.* 214. Multa afferri tùm ab aliis, tum à Pachemerô Philoſophô *in Ariſtotelis Ethicâ*, & à Sophroniô, in iis, quæ de animâ edidit, *& in primô Phyſicorum Ariſtotelis*, à Simpliciô aliiſque, teſtatur Gyraldus cit. Multa etiam invenies apud Laertium *in Vitâ*, apud Ariſtotelem *in Poëtic. cap.* 23. *lib.* 1. *de animâ*, & alibi. Athenæum *lib.* 7. *cap.* 3. *pag.* 334. *& lib.* 8. *cap.* 17. *pag.* 365. *lib.* 10. *cap.* 6. *pag.* 423. *& lib.* 12. *cap.* 1. *pag.* 610. Gellium *noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 11. *Jamblicum de Vitâ Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 15. Porphyrium *de vitâ Pythag. pag.* 20. *& de antrô nymphar. pag.* 109. Plutarchum *in opuſculis* & alibi, Stobæum, ſeu veriùs Antonium, & Maximum in opere Stobæi *Ser.* 68. & 210. Tiraquellum de Nobilit. *cap.* 31. *num.* 223. & alios, quæ ſi unum quiſquam colligeret, non dubito quin juſtum conficeret Librum. Selecta quædam Empedoclis edidit H. Stephanus in librô: *Poëſis Philoſophica.* Genevæ, 1573. *in* 8. *à pag.* 17. Quædam ejus Epigrammatum fragmenta citantur à Clemente Alexandrinô tum *in admon. ad Gentes*, tùm *in ſtromat. lib.* 2. *&* 4. Theon Smyrneus expoſitionem edidit eorum, quæ ad Platonis lectionem utilia ſunt: nempè Platonis loca ad Matheſim pertinentia explicavit. Hoc opus Latinè verſum, notiſque illuſtratum edidit Iſmaël Bellialdus, in quô multa commemorat ex Empedocle, teſte Millier *in Curſû Mathem. Tom.* 1. *in tract. proëm. pag.* 30. Multæ ipſius opiniones ac ſententiæ adhùc ſuperſtites habentur, quas, nè ampliùs Empedoclis notitiæ turgeſcant, leges apud Laërtium, Philoſtratum, Gyraldum, Suidam, Athenæum *lib.* 8. *cap.* 17. *pag.* 365. Origenem, Ariſtotelem, Ciceronem, Senecam, *nat. quæſt.* Plutarchum *de placitis Philoſophor.* & alibi, Galenum *in lib. Hippocratis de nat. hom. Comm.* 1. *& de ſemine cap.* 3. *&* 4. & in librô Galeno adſcriptô de Hiſtoriâ Philoſophicâ, Euſebium *lib.* 1. *præp. Evangel. cap.* 5. Sext. Empiricum *lib.* 7. *adverſus Mathem.* Clementem Alexandrinum Strom. *lib.* 5. *&* 6. Cenſorinum die natali *cap.* 4. *&* 6. Abrahamum Gravium *hiſt. Philoſoph. lib.* 2. *cap.* 14. 15. 16. *&* 17. aliosque. Empedoclis doctrinam propugnat Plutarchus in opuſc. contra Colotem, qui magnum, divinumque putat. Anaxagoræ præfert Empedoclem Ariſtoteles 1. *Methaph.* 1. *Phyſicor. &* 3. *de Cœlô* ut obſervat Cozzandus cit. *pag.* 327. qui addit, de Empedoclis laudibus legendus Xanthi Lydii liber, ſi extat. Ex antiquis etiam Theophraſtus librum protulit de Empedocle, teſte Laertiô *lib.* 5. *in Vitâ Theophraſti.* Hermachus Epiſtolas XXII. de Empedocle ſcripſit, ex eôdem *lib.* 10. *in Vitâ Epicuri*, Joſeph. Barberius in Librô *de miſeriâ Poëtar. pag.* 37. *&* III. *Empedoclem reſtitutum* ſe editurum promiſit. Johannes Caramuel Empedoclis Philoſophiam Lovanii expoſuit & typis tradere cogitabat, ut ipſe ait *in Criticâ Philoſoph. diſſert.* 5. *methâph. numer.* 815. *pag.* 353. *ubi ſcribit: Empedocleam Philoſophiam quam Lovanii jam ante multos annos ſcripſi, cùm primùm occurrat occaſio emiſſurus in lucem.* Demùm in Britanniâ Regiam Academiam florere teſtatur Johannes Baptiſta Pacichellus *in Epiſt. erud. Tom.* 1. *pag.* 288. *& in novis itiner. par.* 1. *pag.* 389. cujus alumni Empedoclei vocantur. *Anton. Mongitor Bibl. Siculæ T. j.*

EMPIRICA MEDICINA.

Qui rationalem Medicinam profitentur, hæc neceſſaria eſſe, proponunt: Abditarum & morbos continentium cauſarum notitiam; deinde Evidentium; poſt hæc etiam Naturaliam actionum; noviſſimè partium interiorum; Abditas cauſas vocant, in quibus requiritur, ex quibus principiis noſtra corpora ſint; quid ſecundam, quid adverſam valetudinem faciat. Neque enim credunt poſſe eum ſcire, quomodô morbos curare conveniat, qui undè hi ſint, ignoret. Neque eſt dubium, quin aliâ curatione opus ſit, ſi ex quatuor principiis vel ſuperans aliquid vel deficiens adverſam valetudinem creat, ut quidam ex ſapientiæ profeſſoribus dixerunt; alia, ſi in humidis omne vitium eſt, ut Herophilo viſum eſt; alia, ſi in ſpiritû, ut Hippocrati; alia, ſi ſanguis in eas arterias, quæ ſpiritui accommodatæ ſunt, transfunditur, & inflammationem, quam Græci φλεγμονὴν nominant, excitat, eaque inflammatio, talem motum efficit, qualis in febre eſt, ut Eraſiſtrato placuit; alia, ſi manantia corpuſcula per inviſibilia foramina, ſubſiſtendo, iter claudunt, ut Aſclepiades contendit; Eum verò rectè curaturum, quem prima origo cauſæ non fefellerit; Neque verò inficiantur, experimenta quoque eſſe neceſſaria; ſed nè ad hæc quidem aditum fieri potuiſſe, niſi ab aliquâ ratione contendunt. Non enim quidlibet antiquiores viros ægris inculcaſſe; ſed cogitaſſe quid maximè conveniret, & id uſû exploràſſe, quod ante conjecturâ aliquâ didiciſſent. Neque intereſſe, an nunc jam pleraque explorata ſint, ſi à conſilio tamen cœperunt. Et id quidem in multis ità ſe habere, ſæpè verò etiam nova incidere genera morborum, in quibus nihil adhùc uſus oſtenderit; & ideò neceſſarium ſit animadvertere unde ea cœperint; ſine quô nemo mortalium reperire poſſit, cur hôc, quàm illô potiùs utatur. Et ob hæc quidem in obſcurô poſitas cauſas perſequuntur: Evidentes verò has appellant, in quibus quærunt initium morbi, calor attulerit an frigus; fames, an ſatietas; & quæ ſimilia ſunt. Occurſurum enim vitio dicunt eum, qui originem non ignorâ-

ignorârit. Naturales verò corporis actiones appellant, per quas ſpiritum trahimus, & emittimus; cibum potionemque & aſſumimus,& concoquimus; Itemque per quas eadem hæc in omnes membrorum partes digeruntur. Tum requirunt etiam, quare venæ noſtræ modò ſubmittant ſe,modò attollant,quæ ratio ſomni,quæ vigiliæ ſit;ſine quorum notitiâ neminem putant vel occurrere, vel mederi morbis intra hæc naſcentibus poſſe. Ex quibus quia quàm maximè pertinere ad rem concoctio videtur; huic potiſſimùm inſiſtunt, & duce, alii Eraſiſtratô, alteri cibum in ventre contendunt, alii Pliſtonico Praxagoræ diſcipulo,putreſcere; alii credunt Hippocrati, per calorem cibos concoqui. Accedúntque Aſclepiadis æmuli, qui omnia iſta vana & ſupervacua eſſe proponunt. Nihil enim concoqui, ſed crudam materiam (ſicut aſſumta eſt) in corpus omne deduci. Et hæc quidem inter eos parùm conſtant. Illud verò convenit, alium dandum cibum laborantibus, ſi hoc; alium, ſi illud verum eſt; Nam ſi teritur intùs, eum quærendum eſſe, qui facillimè teri poſſit. Si putreſcit, eum in quo hoc expeditiſſimum eſt. Si calor concoquit,eum qui maximè calorem foveat; at nihil ex his eſſe quærendum, ſi nihil concoquitur: ea verò ſumenda quæ maximè manent, qualia aſſumta ſunt. Eademque ratione cùm ſpiritus gravis eſt, cùm ſomnus, aut vigilia urgent, eum mederi poſſe arbitrantur, qui priùs illa ipſa qualiter eveniant perceperit. Præter hæc cùm in interioribus partibus & dolores & morborum varia genera naſcantur, neminem putant his adhibere poſſe remedia, quæ ipſe ignoret. Neceſſarium ergo eſſe incidere corpora mortuorum eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari; longèque optimè feciſſe Herophilum & Eraſiſtratum, qui nocentes homines a regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint, conſiderârintque etiam ſpiritû remanente, ea quæ natura ante clauſiſſet, eorumque poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, lævorem, contactum; proceſſus deindè ſingulorum & receſſus; & ſive quid inſeritur alteri, ſive quid partem alterius in ſe recipit. Neque enim cùm dolor intùs incidit, ſcire quid doleat, eum, qui quâ parte quodque viſcus, inteſtinumve ſit, non cognoverit. Neque curari id quod ægrum eſt poſſe, ab eô, qui quid ſit, ignoret. Et cùm per vulnus alicujus viſcera patefacta ſunt, eum qui ſanæ cujuſquam colorem partis ignoret, neſcire quid integrum, quid corruptum ſit. Item nè ſuccurrere quidem poſſe corruptis. Aptiùſque extrinſecùs imponi remedia, compertis interiorum & ſedibus & figuris, cognitâque eorum magnitudine; ſimileſque, omnia quæ intùs poſita ſunt, rationes habere. Neque eſſe crudele (ſicut plerique proponunt) hominum nocentium, & horum quoque paucorum ſuppliciis, remedia populis innocentibus ſeculorum omnium quæri. Contrà, hi qui ſe Empiricos ab experientiâ nominant, evidentes quidem cauſas, ut neceſſarias amplectuntur; obſcurarum verò cauſarum, & naturalium actionum quæſtionem ideò ſupervacaneam eſſe contendunt, quoniam incomprehenſibilis natura ſit. Non poſſe verò comprehendi, patere ex eorum, qui de his diſputârunt, diſcordia; cùm de iſtâ re, neque inter ſapientiæ Profeſſores, neque inter ipſos Medicos conveniat. Cùr enim potiùs aliquis Hippocrati credat, quàm Herophilo? Cùr huic potiùs quàm Aſclepiadi? Si rationes ſequi velit omnium poſſe videri non improbabiles; ſi curationes, ab omnibus his ægros perductos eſſe ad ſanitatem. Ità neque diſputationi, neque auctoritati cujuſquam fidem derogari oportuiſſe. Etiam ſapientiæ ſtudioſos maximos Medicos eſſe, ſi ratiocinatio hoc faceret; nùnc illis verba ſupereſſe, deeſſe medendi ſcientiam. Differre quoque pro naturâ locorùm genera Medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægyptô; aliud in Galliâ. Quòd ſi morbos eædem cauſæ facerent, ubiquè remedia quoque, ubiquè eadem eſſe debuiſſent: ſæpè etiam cauſas apparêre, ut putà lippitudinis, vulneris; neque ex his patere Medicinam. Quòd ſi ſcientiam hanc non ſubjiciat evidens cauſa, multò minùs eam poſſe ſubjicere, quæ in dubio eſt. Cùm igitùr illa incerta, incomprehenſibiliſque ſit, à certis potiùs & exploratis petendum eſſe præſidium, id eſt his, quæ experientia in ipſis curationibus docuerit, ſicut in cæteris omnibus artibus. Nam nè agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed uſû fieri. Ac nihil iſtas cogitationes ad Medicinam pertinere, eô quoque diſci, quòd qui diverſa de his ſenſerint, ad eandem tamen ſanitatem homines perduxerint. Id enim feciſſe, quia non ab obſcuris cauſis, neque à naturalibus actionibus, quæ apud eos diverſæ erant, ſed ab experimentis, prout cuique reſponderant, medendi vias traxerint. Nè inter initia quidem ab iſtis quæſtionibus deductam eſſe Medicinam, ſed ab experimentis. Ægrorum enim, qui ſine Medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinùs cibum aſſumpſiſſe, alios propter faſtidium abſtinuiſſe; levatumque magis eorum morbum eſſe, qui abſtinuerant; itemque alios in ipſâ febre aliquid ediſſe, alios paulò ante eam, alios poſt remiſſionem ejus, optimè deindè his ceſſiſſe, qui poſt finem febris id fecerint. Eâdemque ratione, alios inter principia protinùs uſos eſſe cibô pleniore, alios exiguô; gravioreſque eos factos, qui ſe implerent. Hæc ſimiliaque cùm quotidie inciderent, diligentes homines notâſſe, quæ plerumque meliùs reſponderent; deinde ægrotantibus ea præcipere cœpiſſe. Sic medicinam ortam, ſubindè aliorum ſalute, aliorum interitû pernicioſa diſcernentem à ſalutaribus. Repertis deindè jam Medicinæ remediis, homines de rationibus eorum diſſerere cœpiſſe; nec poſt rationem Medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam Medicinam, rationem eſſe quæſitam. Requiritur etiam, ſi ratio idem doceat, quod experientia; an aliud. Si idem, ſupervacuam eſſe; ſi aliud, eſſe contrariam. Primò tamen remedia exploranda ſummâ curâ fuiſſe; nùnc verò jam explorata eſſe; neque ulla, aut nova genera morborum reperiri, aut novam deſiderari Medicinam. Quòd ſi jam incidat mali genus aliquod ignotum, non ideò tamen fore medicò de rebus cogitandum obſcuris; ſed eum protinùs viſurum, cui morbo id proximum ſit, tentaturumque remedia ſimilia illis, qui vicino malo ſæpè ſuccurrerint, & per ejus ſimilitudinem opem reperturum. Neque enim ſe dicere conſiliô Medicum non egere, & irrationale animal hanc artem poſſe præſtare; ſed has latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere; quia non interſit, quid morbum faciat, ſed quid tollat. Neque ad rem pertinere, quomodò, ſed quid optimè digeratur. Sive hâc de cauſâ concoctio intercedat, ſive de illâ; &, ſive concoctio ſit illa, ſive tantùm digeſtio. Neque quærendum eſſe, quomodò ſpiremus; ſed quid gravem tardumque ſpiritum expediat. Neque quid venas moveat, ſed quid quæque motûs genera ſignificent. Hæc autem cognoſci experimentis, & in omnibus ejuſmodi cogitationibus in utramque partem diſſeri poſſe. Itaquè ingenium, & facundiam vincere, morbos autem non eloquentiâ, ſed reme-

remediis curari; Quæ ſi quis elinguis, uſû diſcreta benè norit, hunc aliquantò majorem Medicum futurum, quam ſi ſine uſû linguam ſuam excoluerit. Atque ea quidem, de quibus eſt dictum ſupervacua eſſe tantummodò. Id verò quod reſtat etiam crudele, vivorum hominum alvum atque præcordia incidi, & ſalutis humanæ præſidem artem, non ſolum peſtem alicui, ſed hanc etiam atrociſſimam inferre; cùm præſertim ex his, quæ tantâ violentiâ quærantur, alia non poſſint omninò cognoſci, alia poſſint etiam ſine ſcelere. Nam colorem, lævorem, mollitiem, duritiem, ſimiliaque omnia, non eſſe talia inciſô corpore, qualia integrô fuerint; quia cum corporibus inviolatis, hæc tamen metû, dolore, inediâ, cruditate, laſſitudine, milleque aliis mediocribus affectibus ſæpè mutentur; multò magis veriſimile eſſe interiora, quibus major mollities, lux ipſa nova ſit, ſub graviſſimis vulneribus, & ipsâ trucidatione mutari. Neque quicquam eſſe ſtultius, quàm quale quicquam vivô homine eſt, tale eſſe exiſtimare moriente, imò jam mortuô. Nam nè uterum quidem, qui minùs ad rem pertineat, ſpirante homine poſſe diduci. Simul atque verò ferrum ad præcordia acceſſit, & diſciſſum tranſverſum ſeptum eſt, quod membranâ quâdam ſuperiores partes ab inferioribus diducit (διάφραγμα Græci vocant) hominem protinùs animam amittere: Ità demum mortui præcordia & viſcus omne in conſpectum latrocinantis Medici dari; quod neceſſe ſit tale eſſe, quale mortui ſit, non quale vivi fuit. Itàque conſequi Medicū, ut hominē crudeliter jugulet: non ùt ſciat qualia vivi viſcera habeamus. Si quid tamen ſit, quod adhùc ſpirante homine conſpectui ſubjiciatur, id ſæpè caſum offerre curãtibus. Interdùm enim gladiatorem in arenâ, vel militem in acie, vel viatorem à latronibus exceptum, ſic vulnerari, ùt ejus interior aliqua pars aperiatur; & in aliô aliàs ità ſedem, poſitum ordinem, figuram ſimiliaque cognoſcere prudentem Medicum non cædem ſed ſanitatem molientem; idque per miſericordiam diſcere, quod alii dirâ crudelitate cognoverint. Ob hæc nè mortuorum quidem lacerationem neceſſariam eſſe, quæ etſi non crudelis, tamen fœda ſit, cùm aliter pleraque in mortuis ſe habeant; Quantum verò in vivis cognoſci poteſt, ipſa curatio oſtendat, &c. *Cornel. Celſ. in præf. Lib.* I. *de Re Medicâ.*

ENCELIUS (*Chriſtophorus*,) Salveldenſis.

De eo extant

De Re Metallicâ, hoc eſt, de Origine, Varietate, & Naturâ Corporum Metallicorum, lapidum, Gemmarum atque aliarum, quæ ex Fodinis eruuntur, rerum, ad Medicinæ uſum deſervientium, Libri tres. Francof. apud Chriſtoph. Egenolphum, 1557. in 8.

ENGELBERTUS de Wenhoven [*Hermannus Wernerus*,) S. R. J. Nobilis & Eques, comes Palat. & Poëta Laur. Cæſar. Medic. Hammenſis.

De eô extat

Diſſertatio de Anginâ. Lemgoviæ apud Meyerum, in 8.

De eo habentur in Ephem. Germ. Cent. V. & VI.

Obſervatio 28. *De Vetulæ partû monſtroſô*

CUm haud ità pridem in Civitate Tiel ad Moſæ, Vahaliſque confluentes ſita, ſeptuageſimum quintum annum agens vetula monſtroſum in lucem ediderit partum; commodum eſſe duxi, raram iſtius hiſtoriam, cum illuſtri ſocietate Academicâ Leopoldinâ Carolinâ Naturæ Curioſorum communicare. Benevolus Lector ante oculos ponat ſequentem mihi quintô Calend. Julii A. C. favore excellentiſſimi & experientiſſimi Doctoris Jacobi à Cuelemborg, ſupra nominatæ civitatis Medici Ordinarii, tranſmiſſam hiſtoriam.

Mulier ſeptuageſimum quintum annum agens, tertio vinculo jugali ſociata, cùm tertiô maritô, etiam hodie ſuperſtite, pluſquàm quinque luſtra, non contemnendâ utens valetudine, vivit mater quinque liberorum, ac trium filiarum, quorum duo ex primô, tres autem alios ex ſecundô, nullum verò ex tertiô virô ſuſtulit. Verùm an plures anteà eduxerit fœtus, necnè, me latet. Sed ante menſes aliquot de ſalute non admodùm proſperâ conqueri cœpit; vix caput ſuſtentat languens, vexant inſomnia, & varii dolores, tùm artuum, & præſertim capitis & femoris dextri, tùm verò ipſorum & ventriculi. Faſtidit cibum. Accedunt motus convulſivi diverſi, anxietates, nauſea, borborygmi, rugitus, commotiones in abdomine, pulſationes hypochondriorum, ſitis, ſenſaticnes vivi fœtûs in uterô, menſes obſtructi, qui aliàs ad eum uſque diem, quod hic animadverſione digniſſimum eſt, & mirum quid in anô ætate feſſâ aliaque ſymptomata plura, ludentia triſtem ſcenam, tùm morbi arthritici, tùm nephritidis, tùm colicæ, tùm hydropis, tùm rursùs paſſionis vel hypochondriacæ vel hyſtericæ, necnon ingravidationis; ità enim ſæpè loqui amat Patiens; *Si non certò ſcirem, hiſce poſtremis ævis, tot obſitam annis non impregnari, crederem me uterô geſtare.* Præteritô an. 1714. poſtridiè nonarum Auguſti ad me itur, cum optatô ſucceſſû dies paucos ipſi medicinam feci, indè ipſam ſibi relinquo. Interim tamen ſe ſe ex votô non benè habens (ut varia eſt, & mutabilis fœmina) propriâ ſuâ, ſibique ſimilium auctoritate accipit à Matronâ nobili, non adeò longè abhinc habitante, quoſdam pulveres antiarthriticos ut eos vocant, qui plebi arrident, & ſæpiùs hic loci, & imprimis in circumjacentibus pagis in auxilium vocantur, ſed & hic, ut & alibi plerumquè plùs damno quam emolumento patientum. At hoc an. 1715. quartô Calendas Aprilis, erroris deniquè & damni pertæſa, conſilia illa temeraria ſpernit, me denuò ad ſe vocari jubet, adſum & opem imploranti, jam verò multùm emaciatæ, & doloribus, moleſtiiſque tantùm non depoſitæ, præſcribo liquidum quoddam mihi familiare, quodque ſæpè efficaciſſimum expertus ſum, externè illinendum; mirum dictû! quantum illicò indè levamen ſenſerit, dolores mox evanuêre; quid multis? Ægrotans ſequenti luce ſe ſe lectô elevare, foco aſſidere, in dies ſe ſe meliùs meliùſque habere, domum perambulare, edere, bibere, dormire & rectè valere. Interim tamen quandoquè conquerebatur commotiones & elevationes uteri, (ut loquitur vulgus) nonnihil moleſtas; paſſionibus hyſtericis & motibus vividi fœtûs uterô matris jam quinque vel plures menſes gravidæ haud abſimiles. Atque hucuſquè ſublanguida membra trahit. Donec tandem 13. Calend. Maij (mira loquor & tamen veriſſima atque extra omnem dubitationis aleam poſita,) labores novem menſium experta, & ὑστέρας, ſeu matricis moras ſolvens, molliter abſque multô dolore conceptum ſemen partû reddat, & inopinatò in lucem det inſolens tripartitum, bicolle, & triceps monſtriolum. Depoſitô & à domeſticis probè luſtratô hoc novô, & ſubitô uteri onere, obſtu-

obſtupeſcunt & horrent, convocantur vicinæ & obſtetrix, non ùt opem ferant, ſed ùt dignoſcant, quodnam id ſit prodigii genus, quidve id ſibi velit? Omnes ad ejus conſpectum attonitæ horrent, teſtantes, & exclamantes, viſû mirabile ſed inſolitum quid, & inauditum eſſe. Hinc illi rumores paſſim ubilibet extemplò ſparſi, & volitantes per ora incolarum non tantùm noſtrorum ſed & alienigenarum. Tribus autem circiter poſtquam hæc contingere horis, ex itinere domum reverſus & ex uxore meâ intelligens me eò vocatum, accedo ad puerperam, (liceat mihi eam hoc nomine indigitare) quæ lectô ſimul & focô aſſidens, mihi id, quod uterò prodierat, contemplandum atque examinandum, quin & aſſervandum exhibet, & præſentibus maritô ſuô, unâ filiarum, nurû, & ancillâ altiùs omnia, & eô narrat ordine, quô hìc apertis & planis verbis accuratè complexa vides. Obſervandum verò eſt, patientem, quamprimùm dejecerit, atque excreverit hoc prodigium, priſtinæ ſanitati reſtitutam omnibuſque incommoditatibus, & malis liberatam eſſe. Verùm reſtat & hoc unum, (nè quid deſit,) ùt notificem nempè Genitricem, eam cum ſuis jam tùm à paucis diebus occæpiſſe omni ſtudiô facti veritatem diſſimulare; ſcilicèt filias ejus, atque ex iis natos, nataſque, nepotes, ac neptes (quorum plerique & numerô non paucæ jam pridem ephebi, & nubiles ſunt) pudet ejuſmodi cognationis & affinitatis; Eamque ſibi ac toto generi turpi opprobriô fore autumant. Itaquè fingunt, ac ſimulant, id non prodiiſſe ex genitricis alvo, ſed exciſum, & extractum ex viſceribus piſcis aſelli minoris, & cum iis, aliiſque immunditiis, in terram projectum, verùm à muliere ſerva id poſtridie repertum, & ut rarum quid productum; cùmque omnibus aſpectû mirabile videretur, mox de eô vagos rumores per urbem vulgatos & brevi per oppida delatos. Aſtutè ſatis equidem, ſed gratis tamen hæc comminiſcuntur; ipſa rerum teſtimonia, propria ac voluntaria ipſius uxoris, mariti, filiarum, multæ circumſtantiæ, & ipſa valetudo eô ipſô temporis inſtanti, incantamenti inſtar, recuperata & quâ deinde ſatis felici fruitur, aliaque infinita, refellunt omnia ejuſmodi effugia & evincunt, id non aliundè, ſed nullibi, niſi ex eâ ipſâ originem & natales ſuos habere. Atque hæc cuncta ità ſe ſe reverà habere, ac nihil ficti adeſſe, ut pravi ſunt hujus ſeculi mores, Belgicâ, ac ſincerâ fide præſtare poſſum.

Ibid. Centur. 7. & 8. Obſervat. 7. De Muliere, inteſtinô ileô in regione hypogaſtricâ lumbricorum immanitate perforato, planè perfectèque ſanatâ.

Ibidem Obſervatio 8. De Corde duplici.

ENTIUS (*Georgius*,) Londinenſis, Eques Auratus & Colleg. Londin. Socius.

Ex eô habentur

Opera Omnia Medico-Phyſica, Obſervationibus Curioſiſſimis, ratiociniiſque ſolidiſſimis, ex ſolidiore & experimentali Philoſophiâ petitis, nitidè ſuperſtructa, orationiſque elegantiâ famigeratiſſima. Lugduni Batavorum apud Petrum vander Aa 1687. in 8.

Animadverſiones in Malachiæ Truſtoni Diatriben de Reſpirationis Uſû primariô. Londini, 1678. in 8.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1686. pag. 279.

Apologia pro circuitione ſanguinis, quâ reſpondetur Æmilio Pariſano Medico Veneto. Editio altera, auctior & correctior. Londini, impenſis Gualteri Kettilby 1685. in 4. & Ibidem apud Guil. Hope 1541. in 8.

QUod ſubitaneis & inſperatis rebus, juxtà Senecæ effatum, rarò conſtans ſit fortuna, id præprimis rixæ doctorum circa moderni ſeculi inventa nova anatomica ſufficientiſſimè comprobant. Uſque enim adeò quidam ſunt ſuperſtitioſi, ut veteribus ullâ in re adverſari pro crimine habeant horrendo, malintque potiùs cum Bartholomæô Euſtachiô errare Galeno duce, quam cum his vel illis Magiſtris novis vera ſentire. Mirum itàque non eſt, aureum circulationis ſanguinis inventum præſenti ſeculô præter omnium opinionem à Guilielmô Harvæô patefactum, idem manſiſſe fatum, h. e. à quibuſdam Galeni mancipiis tanquam commentum frivolum atque ineptum fuiſſe exceptum. Stitit verò præ reliquis hujus inventi adverſarium acerrimum Æmilius Pariſanus Medicus Venetus, inque peculiari librô funditùs illud evertere anniſus eſt. Sed quàm infelici ſucceſſû id præſtiterit, præſens apologia clariſſimè monſtrat. Superſedemus autem prolixè contenta ac methodum exponere, cùm circa annum currentis Seculi XLI. primam ejus editionem jamjam viderint Eruditi. Sufficiet igitùr ſolùm indigitâſſe de hâc novâ Editione, innumeris locis illam eſſe emendatam & locupletatam ità ut jure novâ facie indutam Apologiam hanc, ex multifariis neotericorum experimentis ac rationibus inſertis, quivis illam inſpiciens dixerit.

EOBANUS (*Helius*,) Heſſus.

Ex eo habentur

De tuendâ bonâ valetudine, Libellus, Commentariis doctiſſimis illuſtratus à Johanne Placotomo. In quibus multa eruditè explicantur, ſtudioſis Philoſophiæ plurimùm profutura. Acceſſerunt ejuſdem Placotomi de Naturâ & viribus Cereviſiarum & Mulſarum, Opuſculum: ejuſdem de cauſis, præſervatione & curatione Ebrietatis, Diſſertationes. Item de Cauſâ conjunctâ erudita Diſſertatio; ejuſdem Placot. Medicinæ Encomium ex Deſideriô Eraſmô, *Roterodami*, per Eobanum verſû redditum. Chorus illuſtrium Medicorum in Muſæô Georgii Sturtiadæ Erphordiæ pictus, & ab Eobanô deſcriptus. Chorus Muſarum in eôdem Muſæô per eundem Eobanum itidem Carminicè deſcriptus. Ejuſdem ἐξάστιχον in Menſam Facultatis Artium Erphordianæ Academiæ. Ejuſdem Diſticha de Monaſteriô Weſtphaliæ urbe ab Anabaptiſtarum impietate vindicata. Strabi, *Galli*, Hortulus amœniſſimus. Joh. Baptiſtæ Fieræ, *Mantuani*, de Herbarum Virtutibus, & eâ Medicæ Artis parte, quæ in victûs ratione conſiſtit, Deſcriptio ligata. Francofurti, apud Hæredes Chriſtophori Egenolphi, 1564. in 8. Ibidem, apud Chriſt. Egenolphum, 1582. in 8. Ibidem, apud eundem cum Commentariis Petri Haſſardi, 1568. Pariſiis, apud Simonem Colinæum, 1533. in 8. Ibidem, 1555. in 12. Polybo de ſalubri victûs ratione privatorum, Johan. Guintheriô Andernacô interprete. Ariſtot. Problematis, quæ ad ſtirpium genus, & oleracea pertinent.

De conſervandâ valetudine: Medicinæ laus: Muſæum Sturtianum: Tabula differentiarum Febrium: Tabula cognoſcendorum Humorum, ſecundum

cundum Cometarum & Planetarum horas. Erfurti, 1524. in 4.

Ludus de Podagrâ. In quô ejus affectionis natura, commoda juxtà ac incommoda recenſentur. Moguntiæ, apud Ivonem Scheffer, 1537. in 4.

EPHESIUS (*Ruffus,*) Medicus Græcus inſignis. Vixit ſub Trajanô Principe. A. C. 112. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur

De Veſicæ, Renumque Morbis. De Purgantibus Medicamentis, de Partibus Corporis humani. Acceſſit Soranus de Uterô, & Muliebri pudendo, Græcè. Pariſiis, apud Adrianum Turnebum, 1554. in 4.

Appellationes Partium humani corporis. Juniô Paulô Craſſô interprete. Venetiis, apud Juntas, 1552. in 4. Baſileæ, 1581. in 4. ſcilicet, de Corporis humani Partium Appellationibus Libri tres, eôdem Juniô Paulô Craſſô Patavinô interprete. Cum Medicis Antiquis Græcis Aretæô, Palladiô, Theophilô, Phyſicis & Chirurgis. Quibus acceſſerunt Stephanus Athen. & ipſius Craſſi Quæſtiones Medicæ & Naturales.

Fragmenta Varia. Extant apud Aëtium Amidenum, ſcilicèt.

De Re Venereâ, Tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 8.

Hiera ad Melancholias, Ibidem cap. 115.

De Vomitû, Ibid. Cap. 119.

De Aquis, Ibid. cap. 165.

De Melancholiâ, Memoriâ amiſsâ, commorſis à Cane Rabidô, aut his, qui aquam timent, Tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 9. 23. 24.

De Renum cruentam urinam excernentium debilitate, Renum inflammatione, ſuppuratis Renibus. Inflammatione, & Ulceribus veſicæ, Tetrab. 3. ſerm. 3. cap. 2. 16. 18. 26. 29.

De ſanguinis eruptione, & quæ cruſtam inurant, Tetrab. 4. ſerm. 2. cap. 51.

De Menſtruis ſuppreſſis, Tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 51.

EPHESIUS (*Michael*)

Ex eo habentur

Scholia, in Ariſtotelis Libros aliquot: nempè de Juventute; Senectute, Vitâ & Morte: de Longitudine ac Brevitate vitæ: de Divinatione per ſomnum. E Græcô nunc primùm converſa, Conradô Geſnerô, *Tigurino* interprete. Acceſſit quoque Nicolai Leonici Thomæi converſio atque explanatio primi Libri Ariſtotelis de Partibus Animalium, Lucubratio valdè utilis, nunc primùm etiam ex Authoris archetypô in lucem edita. Baſileæ, ap. Bartholom. Weſthemerum, 1541. in 8.

EPICHARMUS, Celeberrimus Poëta. De Epicharmô ampliſſima, denſaque mihi paratur ſylva: ideòque ut cultiorem reddam, multa reſecare, multaque expolire oportet. Tum de hujus poëtæ patriâ, tum an plures ſint Epicharmi contendunt ſcriptores. Quod plures fuerint, non ſolius Fazelli *Dec.* 1. *de rebus Siculis lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 102. *&* Vinc. Mirabellæ, *Syrac. antiq. par.* 2. *pag.* 114. Opinio fuit, qui duos fuiſſe putârunt, ut ipſis objecit Bonanus *lib.* 2. *Syrac. Illuſtr. pag.* 262. nam teſte Gyraldô *dial.* 6. *de poët. hiſt. pag.* 247. alii hanc ſententiam amplexi ſunt, inter quos adſcribendi Geſnerus *in Biblioth. pag.* 215. *&* 216. Tiraquellus de *Nobil. cap.* 31. *pag.* 273. Hyeronymus Columna *in Ennii fragment. pag.* 274. aliique. Immò Fazellus, non duos, ut putavit Bonannus, ſed tres fuiſſe, Epicharmi nomine inſignitos prodit; unus nempè Cous Syracuſarum incola, de quô *Dec.* 1. *l.* 4. *Cap.* 1 *pag.* 102. alter Megarenſis cujus meminit *Dec.* 1. *l.* 3. *Cap.* 4. *pag.* 102. Alter Megarenſis cujus meminit *Dec.* 1. *L.* 3. *cap.* 4. *p.* 39. tertius ex oppidô Caſtri, de quô Dec. 1. *l.* 10. *c.* 1. *p.* 212. Sed cit. Bonânus unum Epicharmum fuiſſe firmat, qui & Philoſophus, Medicus & Poëta fuit; quod ex his, quæ infra exponam, liquidò patet, Gualterius etiam *in animad. ad tabulas Sicil. pag.* 33. *n.* 112. unum tantummodò extitiſſe Epicharmum opinatur. Nec de patriâ Epicharmi minor ſcriptorum contentio, ex quâ multiplicitas Epicharmorum orta, non ambigendùm puto. Plutarchus apud Bonannum cit. ait quod vel Cous, vel Siculus fuit: ex quô eundem fuiſſe animadvertimus Epicharmum, quem alii Coum, alii Siculum volunt. Diogenes Laërtius *Lib.* 8. *in vitâ Epicharmi* tradit, quod fuit Cous, ac trimeſtris è Siciliâ profectus Megaram pervenit, indeque Syracuſas digreſſus eſt. Abrahamus Gravius *in hiſt. Philoſophicâ lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 174. Coum putat ex Laertiô, cum Megarenſibus, & Syracuſiis diverſatum, ex Jamblicô in *vitâ Pythagoræ cap.* 36. *& ult.* Ex his patet, quòd Epicharmus Cous dictus, idem ſit quem Megarenſem & Syracuſanum dicunt. At idem Laërtius carmen Epicharmi ſtatuæ adjectum exſcribit, in quô Syracuſanus proclamatur: & Thomas Aldobrandinus *in Annot. ad Laërtium p.* 118. ipſum expendens ait quòd Epicharmum omnes ferè Siculum & Syracuſanum dicunt: quidam verò Coum. Diomedes *lib.* 3. *Gramm.* Gualterius *animad. ad tabul. Sicil. pag.* 33. Aſcentius *comm. in Horatii Poët.* in illud: *aut agitur res in ſcenis*, & Faber. *de Poëtis Græcis par.* 1. *pag.* 73. volunt quòd Epicharmus in exilium pulſus à Hierone tyrannô in Coum inſulam, ibi comœdiam adinvenerit, quæ ab eâ inſula nomen accepit: ideòque ex hôc orta opinio quòd Cous fuerit. Scriptis tradidit Suidas *tom.* 1. *pag.* 1023. quod in Co inſula natus, in Siciliam unà cum Cadmô advenit: additque quòd alii Samum, alii Siculum Megarenſem volunt: ſed ipſemet Suidas lucis uſuram accepiſſe credit vel Syracuſis vel Craſti in Siciliâ. Ex his clarè evaneſcere puto multiplicitas Epicharmorum, nam ex varietate opinionum de ejus patriâ plures fuiſſe Epicharmos falsè putârunt nonnulli ex recentioribus: ſed inter vetuſtiores Scriptores haud aliquem video, qui hanc multiplicitatem admittat; ut etiam perpendit Bonannus *cit. pag.* 263. Sed excluſâ Co, [nam ut dixi ibi exul comœdiam invenit, ex quâ celeberrimum ſibi nomen comparavit] vel fuerit Megarenſis, ut aliquibus placet, quos ſuppreſsô nomine citat Suidas, ut etiam voluêre Ariſtoteles *in poëticâ*, Fazellus *dec.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 79. & Goltzius *hiſtor. poſt. Sicil. pag.* 89. vel fuerit ex urbe Craſtô, ut ſcribunt Suidas *cit.* Stephanus *de Urbib. V. Craſtus*, Laſcaris apud Maurolycum *hiſt. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. Neanthes apud Hieron. Columnam in *fragment. Ennii pag.* 273. Franciſcus Flàccommius in Sicelide ſect. 3. p. 36. & Carolus Stephanus *dict. pag.* 750. vel tandem fuerit Syracuſanus ex Athenæô *lib.* 15. *cap.* 16. *pag.* 698. Caſaubonô in *Athen. lib.* 3. *cap.* 14. *pag.* 180. Theocrito in *epigrammate* quod Epicharmi ſtatuæ affixit. Columella *de re ruſticâ lib.* 8. *cap.* 3. *p.* 498. Auctore epigrammatis, apud Laërtium *cit. & in Antologiâ*, Bonannô *in Syrac. illuſtr. lib.* 2. *pag.* 264. Mirabella *in Syrac. par.* 2. *pag.* 114. Oct. Caetano *in animad. ad tom.* 2. *Sanctor. Siculor. pag.* 43. Laur. Craſſo *hiſt. poët. Græc. pag.* 184.

Hofmanno *lex. tom.* 2. *pag.* 405. Moreriô *dict. tom.* 2. *pag.* 1141. aliiſque innumeris; optimô jure Siculis adſcribimus: ac Siculum voluere Cicero *in epiſt. ad Atticum lib.* 1. *epiſt.* 17. & *Tuſcul. lib.* 1. Ariſtoteles *poet.* Horatius *l.* 2. *ep.* 1. *v.* 58. Hyginus in fabulis n. 277. Athenæus *lib.* 8. *cap.* 16. *pag.* 362. Caſaubonus in eundem *lib.* 3. *cap.* 13. *pag.* 176. Voſſius *de poët. Græc. cap.* 6. *pag.* 33. Scaliger *poët. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 24. Angelus Roccha *in Biblioth. Vatic.* qui inſcriptionem ejuſdem Bibliothecæ adducit. Hieronymus Columna *in Ennium pag.* 273. Paulus Beni in Ariſtot. poët. *cap.* 1. *par.* 17. *n.* 114. *p.* 93. Faber *cit.* Leonhardus Cozzandus de *magiſt. antiquor. philoſoph. lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 300. Morerius *tom.* 1. *dict. pag.* 1147. Carolus Stephanus *in dict. pag.* 883. aliiſque. Sed lapſum quiſque omninò exiſtimabit Joſephum Carnilivarium *in deſcript. Sicil. lib.* 2. *pag.* 252. qui Himerenſem voluit, quod apud alium non leges. Epicharmus itaque Elothalem habuit patrem, ex Laërtiô *l.* 8. *in vitâ Pythagoræ & in vitâ Epicharmi*, quem Mirabella cit. mendosè vocat Elolaum. Attamen Suidas Epicharmum Tityri vel Chimari, & Sicidis filium opinatur. Metrodorô patre natum putat Jamblicus *de vitâ Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 34. *pag.* 202. Ex Achille verò Originem traxiſſe auctorem habeo Ptolomæum Hepheſtionem apud Photium in Biblioth. *Cod.* 190. *pag.* 474. Litterarum ſtudiis addictus Pythagoram audivit, teſte Laertiô *cit.* Phythareô *in Numa* & Leonhardô Cozzandô *loco cit.* aliiſque ex recentioribus: ideòque Pythagoras, ut ait Laërtius *in vitâ Pythagoræ cap.* 36. *pag.* 220. etſi ex diſcipulis, & auditoribus ejus fuiſſe concedat, non autem ex virorum congregatione putat. Thomas de Pinedô *in Breviariô auctorum quos ad teſtimonium vocat Stephanus pag.* 762. contra Voſſium *de Poëtis Græcis cap.* 6. *pag.* 33. opinatur, Epicharmum Poëtam, alium fuiſſe ab Epicharmô Philoſophô. Sed eundem eſſe nedum Voſſius, verum etiam penè omnes, quos hic adducimus auctores, id ipſum tradunt, inter quos non ultimus Plutarcus *in Numa*, & Cicero *l.* 1. *Tuſc.* qui acutum appellat Poëtam ejuſque ſententiam detulit etiam *l.* 1. *epiſt. ad Attic.* Medicæ facultati etiam operam dedit; at doctrinâ inſigniter excultus claruit; multaque de eâ ſcripſit ut infrà notabimus. Hieronem etiam Syracuſarum Regem audivit, ex Columellâ *lib.* 1 *de re ruſticâ cap.* 1. quod de rebus agrariis intelligendum, quibus Hiero mirificè tenebatur, ut habet Bonannus cit. *pag.* 265. 334. & 335. Immò Regis intimus familiaris fuit, ut innoteſcit ex Pauſaniâ apud Bonannum cit. *pag.* 335. Attamen præclariorem à poëſi gloriam accepit, quâ excellere viſus eſt ac magnâ cum nominis celebritate, doctrinâ, ac cultiori linguâ multa cecinit, ex *Comment. Theocriti*, apud Johannem Viginti millium *de poët. Bucol. Sicul. pag.* 151. & Jamblicô *in vitâ Pythagoræ* c. 34. Hâc in facultate ità profecit ùt ingenii acumine ſuprà cæteros clarus, Comœdiam adinvenerit, cùm in Co inſulâ exularet, quam ab inſulæ nomine dictam voluêre, ut ait Diomedes *lib.* 3. *Gramm.* Scalig. *l.* 1 *poët. cap.* 5. *pag.* 24. & 25. aliique. Quòd autem Epicharmo tribuenda hujus inventionis gloria, innumeros habeo ſcriptores: pro omnibus ſint Theocritus *in epigram.* Ariſtoteles *poet. cap.* 1. & *cap.* 2. (ubi & ipſi ſocium addit Formum) ipſius commentatores. Suidas *tom.* 1. *pag.* 1023. Gyraldus cit. *pag.* 247. Franc. Patritius *poët. Dec. hiſt. lib.* 1. *p.* 64. & 65. ubi ait primum Syracuſis recitâſſe comœdias Olymp. 52. & iterùm *in decad. diſp. lib.* 2. *pag.* 56. in Siciliâ Comœdiam adinveniſſe ſcribit: Jacobus Mazzonus *in defenſ. Dantis lib.* 2. *cap.* 26. *pag.* 315. aliique, præſertim ex noſtris Siculis, quos videſis *in Siciliâ inventrice* Vincentii Auria *cap.* 10. *S.* 1. *pag.* 37. & *ſeq.* & *in meis ad ipſum obſervationibus pag.* 157. Non inventionem tantùm Comœdiæ, verùm etiam, & ejus nobilitatem, cultum, àc progreſſus Epicharmo, & Formo deberi fatetur Scaliger cit. Addit Horatius *epiſt. lib.* 2. *ep.* 1. Plautum, Epicharmi veſtigia ſequutum; ubi ait; *Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.* Immò Scaliger cit. *lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 32. inter autores, à quibus accepit Plautus, Epicharmum collocat. Magnetem etiam comicum vetuſtiſſimum noſtri Epicharmi diſcipulum fuiſſe ſcribit Suidas *tom.* 2. *pag.* 77. Patritius *Poët. dec. hiſt. lib.* 1. *pag.* 66. aliique; & cùm ab eô excepiſſet comœdiæ formam, hoc poëſis genus Athenas invenit. Noſter etiam Epicharmus duas adinvenit græcas literas, etſi in his deſignandis pugnent ſcriptores. Plinius *lib.* 7. *hiſt. nat. cap.* 56. *ex* Ariſtotele fuiſſe ait *Thita*, & *Chi*: ità Voſſius de *Poëtis Græcis c.* 6. *pag.* 33. & Angelus Rocca *de Biblioth. Vaticana*, qui perperam Plinium, & Ariſtotelem pro literis *Thita* & *Phi* citat. Hyginus *in fabulis n.* 277. *Pi* & *Pſi*: Julius Cæſar Scaliger de *Cauſis linguæ latinæ cap.* 6. *pag.* 10. *Xi* & *Phi* fuiſſe putat. Alii ex eôdem Rocchâ inveniſſe tradunt *Xi*, & *Chi.* Ermolaus Barbarus apud eundem, literam *Pſi.* Laſcaris apud Maurolycum *hiſt. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. Fazellus *Dec.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 79. Vinc. Mirabella *in Syrac. par.* 2. *pag.* 115. Goltzius cit. pag. 89. fuiſſe prodidere: *Zita, Xi,* & *Pſi.* Demùm ex Polydorô Virgiliô *de rer. inventor. lib.* 1. *cap.* 6. *Thita* & *Rho.* Ideòque meritò à Cicerone *lib.* 1. *Tuſcul.* vocatur vir acutus, nec inſulſus: à Phalare *in epiſt. ad ipſum*: Omnis Siciliæ Norma & Regula. Demetrius Phalareus in *Epitetis* mirum in modum excelluiſſe teſtatur. Ab Epicharmô etiam originem traxit illud dicendi genus, quod Græci Epicharmium vocant, ex Giraldô *cit. pag.* 247. Mirabella *cit. pag.* 115. & Gualteriô ad tab. Sicil. pag. 33. Fuere etiam Epicharmi inventa, Eſculenta farinæ, ut ait Suidas *tom.* 1. *pag.* 193. & 398. Critias Sculptor eximius æream Epicharmi ſtatuam affabrè expreſſam fecit, veluti ſe in armatorum curſû exercentem, ut ſcribit Pauſanias *in Atticis lib.* 1. & Natalis Comes *mytholog. lib.* 7. *cap.* 16. ex quô rectè Bonannus educit *pag.* 264. bellicis ſtudiis operam dediſſe. Phalaridem, ut agrigentinam tyrannidem deponeret, cohortatus eſt, licèt irritô labore, ut accipimus ex ipſiûs Phalaridis epiſtolis, ex Fazellô *Dec.* 1. *lib.* 6. *c.* 1. *pag.* 132. & Bonannô *pag.* 265. Ipſum Plutarchus adulationis inſimulat *in Opuſc. de differentiâ inter Adulatorem & Amicum*; nam cùm Hiero Rex quoſdam domeſticos ſuos vitâ privâſſet; aliquibus elapſis diebus ad convivium accerſitus Epicharmus, quærelas effudit, quod ipſum priùs non advocaverat ad amicorum Sacrificium. Idemque Plutharcus *in apopht. Imperatorum* ſcribit, à Hierone ſuppliciô affectum, cùm turpia carmina ante ejus uxorem, (ante filias ait Alexander ab Alexandrô *dier. Genial. lib.* 2. *cap.* 25. *pag.* 179.) recitâſſet, ut etiam Laſcaris, apud Maurolycum *cit. pag.* 19. & Gyraldus *cit. p.* 247. qui ait, in pœnam ſolùm vertere coactum fuiſſe: ſed huic cauſæ Epicharmi

charmi exilium adſcribunt. Mirabella *Syrac. ant. pag.* 116. & Gualterius *in Animad. ad tab. Sicil. pag.* 33. Sed indè conciliatâ ſibi Regis benevolentiâ, ab exiliô fuit revocatus. Filium habuit Dinolocum Comicum etiam Poëtam, quamvis nonnulli ejus diſcipulum velint, ut ſcribit Suidas *tom.* 1. *pag.* 669. aliique, quos ubi de Dinolôco ſcripſi, leges. Obiit tandem Syracuſis: ubi ob doctrinæ excellentiam æream ſtatuam ipſi condidere, cui hæc inſcripſit carmina celeberrimus Theocritus.

Et vox dorica eſt, & vir qui Comœdiam
invenit, eſt Epicharmus.
O Bacche æneum ipſum pro voto
Tibi hic dicamus;
Quem Syracuſis collocârunt in prægrandi civitate
Ut virum civem decet:
Acervum enim habebat rerum utilium qui memores erant,
Rependere mercedem:
Multa enim ad vitam pueros docuit utilia;
Magna gratia illi habenda eſt.

Alterius ejus ſtatuæ meminit Laërtius, cui hæc inſcripta carmina teſtatur.

Quantum ſol vincit ſublimia ſidera cœli,
Quantò vis pelago major ineſt fluviis:
Tantum Ego profiteor ſophiâ præſtare, Epicharm.
Cui Syracuſa comis patria ſerta dedit,

Hanc ſtatuam in Bacchi templô collocatam opinatur Mirabella *par.* 1. *Syrac. antiq. pag.* 61. Sed ex præcedenti inſcriptione, non hanc, ſed aliam ſuprà memoratam in illô templô excitatam deducitur. De hujus poëtæ ætate non una eſt authorum ſententia. Suidas ſcribit, *tom.* 1. *pap.* 1023. aliique, quod ſex annis ante Perſicum bellum fabulas ſuas Syracuſis docuit, & edidit. Alii apud Gyraldum pag. 248. tempore Perſici Regni, ac poſt claruiſſe volunt. Morerius *dict. tom.* 1. *pag.* 1147. Faber cit. tempore Xerſis floruiſſe ait Olymp. 77. ante Chriſti Domini ortum 470. hæc autem omnia vera eſſe poſſunt; nam, ut Gyraldus & Voſſius perpendunt, longævus fuit Epicharmus. Supremam ſenectutem attigiſſe ait Ælianus de *varia hiſt. lib.* 2. *cap.* 34. Obiit ex Laërtiô annô ætatis ſuæ 90. & ex Lucianô in *Macrobiis* & Fabro cit. anno 97. Vixit ex Mirabella tempore Hieronis primi Olymp. 75. qui nimis durè nè dicam immeritò cenſoris virgulâ notatur à Jacobô Bonannô *pag.* 265. nam ex ipsô vixit uſque ad ætatem Phalaridis. Hippobatus apud Laërtium *in vitâ Thaletis*, ait ante Pythagoram floruiſſe, ſed rejicitur à Bonannô cit. nam Epicharmus Pythagoræ diſcipulus fuit, ut ſupra dixi. Hieronymus Maraſioti *in Chronic. Calabriæ lib.* 3. *Cap.* 5. *p.* 170. Olymp. 16. collocat, quod error eſt palmaris. Franciſcus Patritius *in poëtic. cit.* ait Olympiade unâ, antequam Theſpis Athenis tragœdias ſuas edidiſſet, Epicharmus Syracuſis comœdias ſuas expoſuit: Theſpis autem floruit Olymp. 61. ex Suidâ *tom.* 1. *pag.* 1315. ideòque juxta Patritii ſententiam vixit Epicharmus Olymp. 60. Jacobus Gordonius floruiſſe voluit Olymp. 62. quod Bonanno maximè arridet, ſed apud Gordonium *in Chronolog.* Olymp. 95. conſtitutum video. Philippus Brietius *annal. par. ult. tom.* 1. Olymp. 73. *annô* 3. collocat. Johann. Bapt. Ricccio-lius *in Chronol. refor. tom.* 4. *ind.* 1. *pag.* 174. ad Olymp. 77. tranſtulit. Voſſius tandem de *Poët. Græcis cap.* 6. *pag.* 33. ætatem Epicharmi ad Olympiadem 84. protrahit. Alexis Calaber Poëta Comicus ex Athenæo *Lib.* 4. *cap.* 18. *pag.* 164. ait in quâdam ejus comœdiâ, cui nomen Linus, quòd cùm Linus Herculem erudiret, juſſit ùt ex libris ſuis acciperet unum; erant autem hi libri Orphæus, Heſiodus, Cherilus, Homerus & Epicharmus; ſed hoc ut rudiſſimum commentum rejicit Bonannus cit. *pag.* 267. nam omnes hi auctores longè ante Lini & Herculis ætatem vixiſſe putant. Eâ claritate ſuperſtes fuit Epicharmi fama, eâque doctrinæ laude apud ſapientes ſupervixit, ùt ex Jamblicô de *vitâ Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 29. *pag.* 150. Philoſophi de aliquâ re diſceptantes circa hominum vitam, ad roborandas opiniones, Epicharmi ſententias adducebant; omnes penè Philoſophi eas ingenioſè dictas, ratiocinando in promptû habebant. Multa ſcripſit ut Philoſophus, nempè:

Commentaria de naturâ rerum, de ſententiis, de Medicinâ, notaſque breves commentariorum locis appoſuit., quibus indicat ab ſe elaborata opuſcula; ità Laërtius in vitâ Epicharmi, qui etiam lib. 3. *in vitâ Platonis;* Heſychius *de his, qui eruditionis famâ claruêre*, aliique teſtantur, Platonem ex Epicharmi libris multa uſurpâſſe & philoſophica multa circa res inſenſibiles, & intelligibiles exſcripſiſſe. Nonnulla etiam ex Epicharmi Philoſophiâ à Clemente Alexandrinô *lib.* 2. & 5. Stromat. Theodoreto *de Græc. affect. curatione*, Tertulliano *de Animâ cap.* 18. Plutarcho *de Fortunâ*, & alibi citantur. *De Medicinâ* ſcripſiſſe teſtis eſt etiam Plinius, qui inter auctores è quibus librum viſigemum, & ſeptem ſequentes, res ſuas medicinales excerpſit, noſtrum collocat Epicharmum. Columella etiam de re ruſticâ *lib.* 7. *cap.* 3. *de medicinâ* ſcripſiſſe tradit, præſertim *pecudum medicinas;* ideòque Tiraquellus de *nobilitate cap.* 31. inter Medicos veterinarios qui de pecorum morbis, aliorumque animalium ſcripſêre, accenſet. Commentaria autem hæc de rerum naturâ, & de Medicinâ, Volaterranus l. 15. antropolog. teſtatur, quod ævô ſuô Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ aſſervabantur. Id ipſum confirmant Tiraquellus locô *cit. n.* 261. Geſnerus *in Biblioth. p.* 216. & Paſchalis Gallus *in Bibliothecâ Medicâ* p. 90. Scripſit etiam

De re Ruſticâ, ex Columellâ *de re ruſticâ lib.* 1. *cap.* 1.

De Divinatione ſomniorum ex Tertullianô de *Anima c.* 27. & Voſſiô *de Philoſophia c.* 23. *S.* 10. *p.* 178.

Contra Xenophontem ex Ariſtotele *in metaphyſ. lib.* 3.

Orationem ad Anthenorem, ex Plutarchô, *in vitâ Numæ.* Plura etiam poëtica lucubravit, nam teſte Suida tom. 1. pag. 1023. ſcripſit

Comœdias LII. Sed ex Licone apud eundem Suidam XXXV. ex Patritiô *lib.* 1. *poët. decad. hiſt. pag.* 65. XXXIV. ſed 35. numerum exceſſiſſe clarè probat Bonannus, nam ut ipſe obſervat, ejus comœdiarum nomina, quæ ab Athenæô, Suida, Julio Polluce, Fulgentio Placidio, aliiſque citantur, ad 37. pertingunt; præter ea, quæ vel ab hominum memoriâ exciderunt, vel non citantur. Gyraldus *de poët. hiſt. dial.* 6. *pag.* 247. majorem harum comœdiarum numerum putat: quas Apollodorus in decem volumina digeſſit, ut tradit Porphyrius *in vitâ Plotini.* Harum nonnulla nomina hæc ſunt.

Comeſſationes ex Athenæô, *lib.* 9. *cap.* 10. *pag.* 389.

Habes nuptiæ. ex eôdem *lib.* 3. *cap.* 8. *p.* 85.

Muſæ ex eôdem; ibidem, & *l.* 3. *c.* 27. *p.* 111.

Pyrrha ex eôdem *lib.* 3. *cap.* 9. *pag.* 86. & *lib.* 10. *cap.* 6. *pag.* 424.

Prome-

Promethæus, ex eôdem *lib.* 3. *cap.* 9. *pag.* 86. Caſaubonô in *Athenæum lib.* 3. *cap.* 9. *pag.* 167. & *Jul.* Polluce *Onom. lib.* 10. *cap.* 23. *pag.* 476.

Orya, ſive *Lactes*, ex Athenæô *lib.* 3. *cap.* 14. *pag.* 94. Caſaubonô *in Athen. lib.* 3. *c.* 14. *pag.* 113. & Coëliô Rhodiginô *lect. antiq. lib.* 4. *c.* 14.

Mare & *Terra*, ex Athenæô *lib.* 3. *cap.* 24. *pag.* 105. & 106. & alibi. Antonius Poſſevinus in *Biblioth. lib.* 13. *cap.* 30. *pag.* 134. opinatur, Epicharmum non de Piſcibus aliquid, ſed Comœdiam inſcriptam Terra, & Mare edidiſſe. Sed deceptum Poſſevinum putat Bonannus: nam Comœdia hæc piſcium numerationem, eorumque qualitatem complectebatur, ut ex Carminibus ab Athenæo, aliiſque allatis patet.

Logus, ſive, *Sermo*, ex Athenæô *l.* 3. *cap.* 25. *pag.* 106.

Theori, id eſt, *ſpectatores*, ex eôdem, ibidem, & *lib.* 8. *cap.* 16. *pag.* 362. *ac lib.* 9. *cap.* 18. *pag.* 408.

Bacchæ, ex eôdem *lib.* 3. *cap.* 25. *p.* 106.

Agroſtinus, ſive, *Ruſticus*, ex Athenæô *lib.* 3. *cap.* 33. *pag.* 120. & *lib.* 15. *cap.* 8. *pag.* 682. ab Heſychio nimiùm laudatur.

Dionyſiæ, ex Athenæô *l.* 4. *cap.* 15. *pag.* 158.

Feſtum, ex eôdem *l.* 4. *cap.* 16. *pag.* 160.

Inſulæ, ex eôdem *ibidem*, & Polluce *l.* 10. *cap.* 16. *pag.* 471.

Sirenes, ex Athenæô *lib.* 7. *cap.* 5. *pag.* 277.

Megaris, ex eôdem *lib.* 9. *cap.* 1. *pag.* 366. & *lib.* 7. *cap.* 9. 286.

Cyclops, ex eôdem *lib.* 9. *cap.* 1. *pag.* 366. & *lib.* 11. *cap.* 14. *pag.* 498.

Ulyſſes Proditor, ſive, *Transfuga*, ex eôdem *l.* 3. *cap.* 33. *pag.* 121. & *lib.* 9. *cap.* 4. *pag.* 374. & Polluce *l.* 9. *cap.* 5. *pag.* 427.

Ulyſſes naufragus, ex Athenæô *lib.* 14. *cap.* 3. *pag.* 619. Polluce *l.* 10. *cap.* 30. *pag.* 489. & Scaligero *Poët. l.* 1. *cap.* 4. *pag.* 20.

Buſyris, ex Athenæô *l.* 10. *cap.* 1. *pag.* 411. Polluce *l.* 10. *cap.* 5. *pag.* 428.

Athalanta, ex Athenæô *l.* 14. *cap.* 3. *pag.* 618.

Alcion, ex eôdem *loc. cit. pag.* 619. Scaligero *loc. cit.*

Philoctetes, ex Athenæô *lib.* 9. *cap.* 3. *pag.* 371. & *l.* 14. *cap.* 6. *pag.* 628.

Cherion. Hanc alii Epicharmo, alii Chriſogono vel Aſiopiſto adſcribunt, ex Athenæo *l.* 14. *cap.* 17. *p.* 648.

Sphinx, ex eôdem *l.* 3. *cap.* 3. *pag.* 76. & Stephanô *de Urbibus v. Chitone.*

Spes, ex Athenæô *l.* 4. *cap.* 6. *pag.* 139. Polluce *l.* 10. *cap.* 36. *pag.* 495.

Spes, ſive Plutus (eadem forsàn ac prædicta.) ex Athenæô *l.* 6. *cap.* 6. *pag.* 235.

Perialus, id eſt, is qui cæteris præſtat, aut præſtare vult videri, ex eôdem *lib.* 4. *cap.* 25. *pag.* 183. & *lib.* 4. *cap.* 6. *pag.* 139. Caſaubono in Athen. *lib.* 4. *cap.* 6. *pag.* 261. & Voſſiô cit.

Politia, ſive, *Reſpublica*, ex Clemente Alexandrinô *Stromat. lib.* 5. *pag.* 605. apud Gravium *pag.* 205. & Giraldo cit. *pag.* 248.

Antomolus, ex Stobæo *ſer.* 224. *pag.* 742.

Harpagi, ſive, *Latrones.* Ex Polluce *lib.* 9. *cap.* 4. *pag.* 423. *cap.* 5. *pag.* 427. & *cap.* 6. *pag.* 436.

Perſæ, ex eôdem *lib.* 9. *cap.* 6. *pag.* 438.

Nuptiæ Niobes, ex eôdem *l.* 10. *cap.* 23. *p.* 477.

Scyron, ex eôdem ibidem.

Philocnides, ex eôdem *lib.* 10. *cap.* 20. *pag.* 474.

Ollæ, ex eôdem *l.* 9. *cap.* 6. *pag.* 434.

Junonis nuptiæ, ex Æliano *de animal. lib.* 13. *cap.* 4. *pag.* 754.

Has etiam Bonannus Comœdiarum nomina exhibet, nempè

Vulcanus. Deiphilus. Conſolatores. Qui choreas ducunt, & canunt. Phileni, ſive Otii Amicus. Python.

Ex Epicharmi Comœdiis nonnulla adducunt carmina autores allati tum in locis citatis, tum alibi etiam ſupreſſo fabularum nomine. Aliqua etiam ſervantur apud Clementem Alex. *Strom. l.* 1. 2. & 4. Euſebium *de præpar. Evang.* Plutarchum de *fortunâ Alexandri* & alibi, Ciceronem de *Conſolatione & in Epiſtolis*, Lucianum *de ſectis*, Heſychium *de iis, qui eruditionis famâ claruêre, ubi de Platone*, alioſque. Quod ſi omnia aliquis colligeret, haud parvæ molis librum conderet. Nonnulla ipſius fragmentá extant in librô, cui titulus: *ſententiæ inſignes Græcorum quinquaginta Comicorum, quorum opera integra non extant, latinô idiomate collecta: Ignatii Albani operâ in lucem edita.* Brixiæ per Bartholomæum Fontanam 1612. in 12. in librô etiam inſcriptô. *Excerpta ex Tragoëdiis, & Comoëdiis Græcis tum quæ extant tum quæ perierunt emendata, & latinis verſibus reddita ab Hugone Grotio. Græco lat.* Pariſiis, apud Claudium Buon 1626. in 4. ibique has etiam comoëdias nominatas reperies, nempe: *Herculem Delirantem & Trojanos.* Epicharmi etiam fragmenta edidit Henricus Sthephanus in librô: *Poëſis Philoſophicâ*; Genevæ, 1573. in 8. à pag. 54. Aliqua ejus fragmenta ab Enniô latinè reddita, & ab Hieronimô Columnâ collecta prodiêre cum Ennii fragmentis. Neapoli ex typographiâ Horatii Salviani 1590. in 4. tom. 2. à p. 271. ab eôdem Columnâ explanata. Ennius etenim Epicharmi Philoſophiam latinitate donavit, teſte eôdem Columnâ *in vitâ Ennii p.* 32. ideòque Varro *l.* 4. *de linguâ Latinâ*, Ennii Epicharmum citat. Dionyſius II. Syracuſarum Tyrannus commentaria edidit etiam in Epicharmi poëmata, ex Suidâ *tom.* 1. *p.* 347. & Voſſiô *de hiſt. Græcis lib.* 1. *cap.* 6. *p.* 25. & tandem memoriæ proditum eſt, Apollodorum Grammaticum Epicharmi & Sophronis Poëmata commentariis illuſtrâſſe, ut tradit Caſaubonus *in Athenæum lib.* 7 *cap.* 6. *pag.* 502. ex Porphyriô *in vitâ Plotini* Epicharmus ità libros ſuos concinnabat, quaſi ſuperſtrueret ùt majus aliquod ſemper videretur, ut teſtatur Ariſtoteles *Rethor. lib.* 1. qui etiam *in Poëtic.* cum Athenæô *lib.* 15. *cap.* 16. *pag.* 698. ait, Parodiis uſum eſſe. In epitetis excelluiſſe ſcribit Demetrius apud Voſſium de *Poëtis Græcis cap.* 6. *pag.* 33. Epicharmi excellentiam extollit Euſebius *de præp. Evang. lib.* 14. *cap.* 4. qui Comicorum Principem vocat, & Athenæus *lib.* 8. *c.* 16. *pag.* 362. *Anton. Mongitor Bibl. Siculæ T.* 1. *pag.* 180.

EPIPHANIUS, Epiſcopus Conſtantiæ.

De eô extant

Ad Phyſiologum D. Conſali Ponce de Leon Hiſpalenſis interpretis & Scholiaſtæ, bimeſtre otium. Romæ apud Zanettum & Ruffinellum, 1587. in 4. Græcè & Latinè.

De XII. Gemmis, quæ erant in veſte Aaronis, Liber Græcus, & è regione Latinus, Jolâ Hierotarantinô Interprete, cum Corollario Conradi Geſneri. Extat cum Opere de Omnium Foſſilium genere à Geſnerô editô, Tiguri

guri apud Jacob. Geſnerum, 1566. in 8.

EPIPHANIUS Ferdinandus. Vid. FERDINANDUS.

EPIPHANIUS (*Nicolaus*)

Ex eo habetur

Succincta Medicinalis Practica, nec non aliquot Medicamentorum Compoſitiones præſtantiſſimæ. Extant cum Diſpenſatoriô Chimicô Johan. Rænodæi, Pariſiis, 1623. in 4. *Francof. apud Theobald. Schonwetterum*, 1626. *in* 8.

EPISCOPUS (*Theobaldus*)

Scripſit de Naturis xij. Animalium. Quod Opus cùm Autor incerti rudi comment. prodiit circa finem Seculi 15. in 4.

EPISYNTHETICA *Medicina.* Non multùm fuit celebrata hæc ſecta, cujus nomen à verbô Græcô ſignificante congregare; quia ſcilicèt quicquid in aliis ſectis reperiebatur, in proprium uſum aggregabat.

ERASISTRATUS Pari cum *Herophilô* infamiâ notatus eſt, quod exutâ omni humanitate homines vivos Anatomiæ ſubjecerit. Vixit, Euſebii teſtimoniô, ſub Ptolomæô Philadelphô, vel ſecundum alios, ſub Seleucô Nicanore, A. M. 3714. & Præceptorem habuit Chryſippum. Quanta ejus fama fuerit, non ſolùm modò ex Curationibus ejus eſtimari poteſt, ſed & elogiis, quæ ipſi tribuuntur. *Macrobius* enim *Saturnal Libr. Ult.* ipſum vocat *Veterum Medicorum famoſiſſimum & nobiliſſimum.* Quoad peritiam Anatomicam quâ omnes præcedentium temporum artifices Galeni ipſiûs, qui tamen in multis ipſi contrarius eſt, teſtimoniô, ſuperavit; illius pauca quædam fragmenta in ſcriptis Galeni hinc inde occurrunt. Propria enim *Eraſiſtrati* ſcripta ad noſtram uſque ætatem non pervenêre. Memoratû dignum eſt, quod vaſa lactea per meſenterium decurrentia, jam ſuo tempore Obſervaverit *Eraſiſtratus*; ſed ſimul notandum, quod primò vaſa iſta habuerit pro arteriis, lactis copiâ repletis, deindè quòd tantum in hœdis nuperrimè lactatis eadem obſervaverit, quamvis abſurdum non ſit ſtatuere, in hominibus quoque eundem vaſa iſta obſervare potuiſſe, ſi verum eſt, quod communiter dicitur, eum nempe eôdem modô, uti Herophilus, vivorum hominum ſuppliciis deſtinatorum corpora diſſecuiſſe. Credidit tamen etiam, vaſa iſta lactea primum ſolo aëre repleta eſſe, deindè verò lacte demum repleri; Quod non æquè in malam partem accipiendum eſt, quia ignoravit, vaſa lymphatica à lacteis non differre ſubſtantiâ, ſed omnem differentiam in eô tantùm conſiſtere, quod ordinariè, & primariò lympham, ſecundariò Chylum vehant. Uſum cerebri & nervorum indè prodeuntium rectius agnovit cum *Hierophilô*, quàm omnes præcedentium temporum medici. Alios tamen nervos ſenſui, alios motui inſervientes & priores ex membranis cerebri, poſteriores verò ex Cerebrô & cerebellô ſuam habere originem agnovit, licèt *Galenus* moneat *Eraſiſtratum* ſeniorem factum hanc ſuam hypotheſin immutâſſe & omnes æqualiter, ſive ſenſui ſive motui ſubſerviant, ex cerebrô originem deducere, tandem conceſſiſſe. Statuit quoque in cerebrô ventriculos, eoſque omnes inter ſe ſe mutuò habere communionem. Valvulas vaſorum cordis diverſamque earum ſtructuram, quatenùs vel intrò ſpectant, unà cum duplici cordis motû, ſyſtalticô æquè ac diaſtalticô pariter perſpectas habuit: Credidit tamen, venam cavam tantùm ſanguine, arteriam verò aortam ſpiritû repletam eſſe: Quod idem ferebat judicium de omnibus reliquis arteriis, nempè ſolô ſpiritû ſeu aëre ſecundum naturam repletas eſſe uti ipſe quoque ſiniſter ventriculus. Judicabat autem, hunc ſpiritum naturaliter in arteriis contentum eſſe vitalem & procreari ex aëre, intra corpus adſumptô, & primò quidem in pulmonem, deinde verò in cor ortaſque ab eô arterias irruere: Hinc verò arterias & muſculorum cavitates extendi neceſſe eſſe. Quam opinionem refutavit *Galenus peculiari libellô*, & quidem hoc argumentô: *Si vulnere arteriis illatô ſanguinem egredi conſpicimus, vel in arteriis ſanguis continetur, vel in ipſas aliundè confluit; ſed vulnere arteriis illatô ſanguinem ſtatim exire conſpicimus; Igitur in arteriis ſanguis continetur, non ſpiritus vel aër:* Interim huic errori anſam ſubminiſtravit, quod comprehendere non poſſet neceſſitatem duplicis generis vaſorum, ſanguini vehendo dicatorum: Ex quô tamen dubiô extricare ſe ſe facilè potuiſſet, ſi myſterium circulationis ſanguinis cognoviſſet. Ità enim mox ſimul comprehendiſſet, arterias eſſe, quæ ex corde ſanguinem excipiant & ad periphericas partes advehant; Venas verò eſſe, quæ eundem poſteà quàm ſuô officiô defunctus eſt, ad communem fontem revehant. Cutem dixit eſſe contextum arteriarum, venarum, nervorumque, in quô refutatur *à Galenô.* Subſtantiam hepatis mollem, dixit parenchyma ſeu maſſam venis hepatis, ex quarum coalitû conſtat, circumjectam. Splen eſſe viſcus in corpore humanô prorſus inutile, credidit *Eraſiſtratus.* Quâ in re communem habuit ſententiam cum *Ruffô Epheſiô.* Unde poſteà pullulavit traditio, ſplen hominibus ſalvâ vitâ exſcindi poſſe, imò & curſoribus actû exſcindi. *Goelike Hiſt. Anat. p.* 24. His addatur, quod cum Cryſippô, Præceptore ſuô, ſanguinis miſſionem damnavit, ac primus digeſtionem alimentorum in ventriculô per molitionem ſeu, triturationem fieri, aſſeruit.

ERASMUS (*Deſiderius*,) Roterodamus, eruditione & ſcriptis Celeberrimus. Natus eſt A. C. 1467. patre Gerardo, Goudano, ex Margaretâ Medici cujuſdam filiâ. Studia ſub Alexand.Hegio, Daventriæ, feliciter urſit, memoriâ tam invictâ, ut Terentium Horatiumque totum brevi edidicerit. Exin bis corvus, his pica fuit, ter cannabe vinctus. Apud Henr. Bergenſem, Ep. Cameracenſem aliquandiù verſatus, Pariſios venit; indè à duobus nobilibus in Angliam pertractus, ubi in Regis regnique laudes librum edidit. In Italiam dein cùm Medici Regii filiis delatus, Taurini Annô Æt. 40. Doctor Theolog. creatus eſt; Bononiæ Adagia abſolvit, quæ Venetiis imprimenda Aldo Manutio commiſit. Alexandrum poſtmodùm Scotiæ Regis filium Acrhiepiſcopatui S. Andræano deſtinatum, Patavii Rethoricam docuit, ibique Græcos Latinoſque auctores admirabili facilitate evolvit. Indè Romam tranſiens à Cardinalibus cultus eſt, ſed indè rediit ad ſuum Alexandrum. A Paulô III. Clemente VII. Henrico. VIII. Franciſco I. Carolo V. Sigiſmundo Pol. Ferdinando Hungar. Regibus vocatus, nulli ſe addixit. Commerciô eruditorum totius Europæ honoratus, Annô Ætat. 60. Baſileam venit, Joh. Frobenii, typographi celeberrimi, hoſpitiô uſus; ubi Adagia primùm, dein Colloquia edidit, quæ brevi diſtracta, ſecundò impreſſit Colinetus Pariſiis, A. C. 1527. exemplaribus 24000. feliciter divenditis. Porrò Auguſtini, Hyeronimi, Arnobii, S. Hilarii, Plinii, Senecæ, &c. editiones accuravit. Novum teſtament.

ment. Latinè vertit. A. C. 1529. Cùm Evangelii lux inclitæ huic urbi divinitùs affulgere cœpiſſet, Friburgum abiit, ſed ſeptennio poſt reverſus, ibi obiit, die 11. Jul. A. C. 1536. æt. 70. Academicorum humeris elatus. In ſummô templô cubat, à Bonifaciô Amerbachiô hærede, marmoreô monumentô honoratus, cum inſcriptione & Symbolô Eraſm. *Nemini cedo*, ſub Termini icone. Nec omiſerunt totius Chriſtiani orbis eruditi certatim demortui præconia decantare. Placuit plurimis Lud. Maſii diſtichon:

Fatalis ſeries nobis invidit Eraſmum,
Sed Deſiderium tollere non potuit.

Bibliotheca & Cimelia ejus, illuſtre Baſilienſis Bibliothecæ ornamentum ſunt. In religione, Pontificiorum errores ſic pervidit, ut vulgò diceretur: Aut *Lutherus Eraſmizatus* aut *Eraſmus Lutherizatus.* Interim à ſe impetrare non potuit, ùt ad Evangelicos apertè ſe applicaret, conciliationi utrorumque perpetuò intentus. De Lutherô quid judicaverit, *vid. Ep. ejus L.* 2. *Ep.* 1. *L.* 12. *Ep.* 23. *&* 31. *L.* 6. *Ep.* 4. *L.* 14. *Ep.* 1. *Item Ep. ad Fridericum Sax. T.* 1. *Lat. opp. Lutheri* &c. Opera ejus, impreſſionis Frobenianæ, 9. tomis continentur. &c. *Hoff. Dict. T. ij. pag.* 178.

Ex eô habetur in Lindeniô Renovatô.

In Laudem Artis Medicæ, Declamatio. Extat cum Henrici Montui ſelectis. Lugd. 1556. in 8. Extat etiam cum D. D. virorum Epiſtolis & Reſponſis, tum medicis, tum Philoſophicis & Encomiis Medicinæ. Roterodami, apud Rudolphum à Nuyſſel 1665. in 8.

Plutarchi de tuendâ ſanitate præcepta interpretatus eſt.

ERASTUS [*Thomas*] Natus Badenæ Helvetior. A. C. 1523. Parentibus tenuis fortunæ; creatuſque in Italiâ Medicinæ Doctor, reverſus in Germaniam, primùm aliquandiu in Aulâ Principum Hennebergenſium vixit; deinde ab Electore Palat. Fridericô II. Heidelbergam vocatus, in eâ Univerſitate Profeſſor Medicinæ publicus unàque Archiater conſtitutus eſt: hinc Baſileam 1581. abiit, ibidem Profeſſor Medicinæ public. ſalutatus: dextræ manûs uſû deſtitutus, ſiniſtram ad formandas litteras expeditiſſimè adhibuit. Obiit Baſileæ, A. C. 1583. ætatis ſuæ 60.

Ex eo habentur

Diſputationum de Medicinâ novâ Philippi Paracelſi Pars prima. In quâ, quæ de Remediis ſuperſtitioſis & magicis curationibus ille prodidit, præcipue examinantur. Baſileæ, ap. Petr. Pernam, 1572. in 4.

Generalia hujus Partis primæ capita quædam:

I. De Creatione. pag. 5. lin. 13.
II. De virtute Miraculorum effectrice. pag. 30. lin. 6.
III. De viribus Imaginationis, quas vel in proprium vel in alienum corpus exercet, pag. 53. lin. 11.
IV. De Faſcinatione & affinibus ei affectionibus. pag. 75. lin. 8. pag. 93. lin. 29.
V. De Cœleſtium orbium rotatoribus Intelligentiis, quædam. pag. 119. lin. 24.
VI. An aliqua detur Magia naturalis & licita. pag. 126. lin. 9.
VII. De Magiâ operatrice, ejuſque ſpeciebus; ubi de Verborum, Characterum, Imaginum, Figurarum, atque aliorum Medicamentorum ſuperſtitioſorum efficaciâ fusè diſputatur. pag. 155. lin. 4.
VIII. De Lamiis, ſeu ſtrigibus, non inutilia ſcitû. pag. 193. lin. 27.
IX. De Magiâ Divinatrice, ejuſque ſpeciebus: ac de Divinatione quoque non pauca: pag. 215. lin. 19.
X. De Cœli aſtrorumque poteſtate & efficientiâ. p. 231, lin. 2.
XI. De vitâ & moribus Paracelſi, nonnulla. p. 236. lin. 16.
XII. Appendix. p. 243.

Diſputationum de novâ Philippi Paracelſi Medicinâ Pars altera. In quâ Philoſophiæ Paracelſicæ Principia & Elementa explorantur. Continet præſens hæc Diſputatio præter ſolidam fundamentorum doctrinæ Paracelſi confutationem, alia plurima, ad veræ Philoſophiæ perceptionem utiliſſima. Baſil. apud Petrum Pernam, 1572. in 4.

Generalia quædam Capita hujus ſecundæ partis Diſputationum adverſus Paracelſum.

I. De Doctrinâ, & Doctore, ſive, Magiſtrô Paracelſi, pag. 2. lin. 13.
II. De Rerum naturalium veris principiis. p. 25. l. 4.
III. De Salſis Paracelſi naturæ principiis. p. 34. l. 28.
IV. De Elementis rerum miſtarum. pag. 45. l. 32.
V. De Seminibus rerum in abyſſô Elementorum Paracelſicorum latentibus, p. 138. l. 5.
VI. De Miſtione, p. 194. l. 23.
VII. De Miſtorum imperfectorum quorumdam generatione & cauſis, p. 232. l. 13.
VIII. De Generatione Lapidum, pag. 247. lin. 8.
IX. De Cabalâ ejuſque ſpeciebus ſeu partibus: & utrùm aliqua licita ſit, an non ſit, p. 272. l. 1.

His adjecta ſunt

X. Tractatus de Ortû, ſpeciebus, & materiâ Metallorum: in quô famoſa de Metallorum Tranſmutatione Quæſtio diligenter & fusè enodatur.
XI. Epiſtola de lapidis ſabuloſi [qui in Palatinatû ad Rhenum reperiuntur] hiſtoriâ, ortû, naturâ & cauſis.

Diſputationum de novâ Philippi Paracelſi Medicinâ, Pars tertia. In quâ dilucida & ſolida veræ Medicinæ aſſertio, & falſæ, vel Paracelſicæ Confutatio continetur. Cui acceſſit Tractatio de Cauſâ continente, eôdem Auctore. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1572. in 4.

Diſputationum de novâ Medicinâ Philippi Paracelſi Pars quarta & ultima. In quâ Epilepſiæ, Elephantiaſis ſeu Lepræ, Hydropis, Podagræ, & Colici doloris vera curandi ratio demonſtratur & Paracelſica ſolidiſſimè confutatur. Baſileæ, ap. Petr. Pernam, 1573. in 4.

De Aſtrologiâ divinatrice, Liber, operâ Johannis Grynæi editus. Baſileæ, ap. Pernam, 1580. in 4.

Repetitio Diſputationis de lamiis ſeu ſtrigibus, in quâ plenè, ſolidè & perſpicuè de Artis earum poteſtate, itemque pœnâ diſceptatur. Baſileæ 1577. in 8.

Explicatio Quæſtionis famoſæ: utrùm ex Metallis ignobilibus Aurum verum conflari poſſit, 1572. in 4.

Diſputatio de Aurô potabili, in quâ accuratè diſquiritur, num ex Metallis operâ Chemiæ, concinnata

concinnata pharmaca tutò utiliterque bibi poſſint. His adjectum eſt ad calcem Libri Judicium ejuſdem de Indicatione Cometarum, ex veris fundamentis, & naturæ principiis erutum. Baſil. apud Petrum Pernam, 1578. 1594. in 8.

Comitis Montani, *Vincentini*, novi Medicorum Cenſoris, quinque Librorum, de Morbis, nuper editorum viva Anatome. In quâ multa Artis Medicæ capita accuratiſſimè declarantur. Acceſſerunt ejuſdem Theſes de Melancholiâ: de Morbis totiûs ſubſtantiæ: & de Convulſione. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1581. in 4.

De cauſa Morborum continente Tractatus. In quo integra, perfecta, & dilucida hujus Quæſtionis, & ad eam pertinentium rerum explanatio continetur. Baſil. apud Petr. Pernam 1572. in 4.

De Occultis Pharmacorum poteſtatibus: quid & quotuplices eæ ſint: quibus in Morbis, quomodò, quando, quem in curationibus uſum habeant. Acceſſit huic Tractatui Diſputatio alia ejuſdem ferè argumenti, de Medicamentorum Purgantium facultate, tribus abſoluta Quæſtionibus, in quâ tota propè horum Pharmacorum natura declaratur. Baſil. apud Petr. Pernam, 1574. in 4. Francof. apud Jonam Rhodium 1611. in 8. Lib. II. & III. Miſcellaneorum Henrici Smetii.

Diſputatio de Putredine, in quâ natura, differentiæ, & cauſæ Putredinis, ex Ariſt. & ipſa rerum evidentia clarè exponitur, conſenſio inter Philoſophos & Medicos declaratur, omnia deniquè ad perfectam ejus notitiam neceſſaria diligenter explicantur. Accedunt ejuſdem Theſes de Putredine: & Diſputatio de Febribus putridis: in quâ tria de Febribus Paradoxa Laurentii Joberti, excutiuntur. Baſileæ, apud Oporinianos, 1580. in 4. Lipſiæ, 1590. in 4.

Ad Archangeli Mercenarii Diſputationem de Putredine, Reſponſio. Adjecta eſt ea, cui reſpondetur, Diſſertatio, bonâ fide. Baſileæ, apud Conr. Waldkirchium, 1583. in 4.

Diſputationum & Epiſtolarum Medicinalium Volumen doctiſſimum. Nunc recèns in lucem editum operâ & ſtudiô Theophili Maderi, Phil. ac Med. Doct. & Profeſſ. Tiguri, apud Johan. Wolphium, 1595. in 4.

Diſputationum, ſive, Theſium Ordo.

I. De Conſtitutione Hyemis præteritæ anni 1559.
II. De Tumoribus præter naturam.
III. De Humoribus.
IV. De Saporibus.
V. An occultæ Medicamentorum, in quô numerô & cibos ponimus, poteſtates, methodô inveſtigari poſſint, vel, per ſolam experientiam in ſubjectis rebus deprehendere & obſervare neceſſe habeamus.
VI. De Purgantibus Medicamentis.
VII. De Dentibus.
VIII. De renum Calculis.
IX. De Febrium definitione.
X. De revulſione.
XI. De Hydrope.
XII. De Naturâ, & cauſis Epilepſiæ.
XIII. De Contagiô.
XIV. De ſingultû.
XV. De Morbis totius ſubſtantiæ.
XVI. De Putredine.
XVII. De Melancholiâ.
XVIII. De ſomnô.
XIX. Utrùm Humores alii à ſanguine, ſcilicet Pituita, Bilis flava, & ſuccus Melancholicus, corporis integrè ſani partes aliquas nutriant?
XX. De Pinguedinis in animalibus generatione & concretione. Seorſim quoque Heidelbergæ apud Jac. Mylium, 1580. in 4.
XXI. De Convulſione.
XXII. De Amuletis.
XXIII. De ſtupore, Medicamentorumque ſtupefacientium naturâ & viribus.

Examen de ſimplicibus, quæ ad compoſitionem Theriacæ Andromachi requiruntur. Unà cum Conradi Hoffmanni Analyſi ejuſdem compoſitionis, collatione factâ cum Methodô medendi, & Methodô componendi Medicamenta: quâ oſtenditur ſummum artificium, quo ſenior Andromachus in hâc compoſitione omnium præſtantiſſimâ eſt uſus. Item Johan. Baptiſtæ Sylvatici Tractatus, de Compoſitione & uſû Theriacæ Andromachi. Lugduni apud Commelinum, 1606. in 4. 1607. in 8.

Varia Opuſcula Medica, quæ cùm ipſe ſtudioſis communicare ſtatuiſſet, morte præventus in lucem edere non potuit. Francof. apud Johannem Wechelum, ſumptibus Jacobi Caſtelvitrei ſenioris, 1590. in fol.

Index Titulorum totiûs Operis.

I. De Medicinæ Laudibus, Oratio.
II. Medicinæ Methodus breviſſima.
III. Diſputatio de ſaporibus quatenùs hi utiles ſunt ad perveſtigandas Medicamentorum vires, in quâ etiam aliæ quædam utiles ſcitû Quæſtiones declarantur.
IV. Epiſtola, de naturâ, & ortû lapidis ſabuloſi, qui in Palatinatu ad Rhenum reperitur, ac de uſû ejuſdem.
V. De Vapore, Diſputatio, ad D. Matth. Stojum, Medicum.
VI Epiſtola, de quibuſdam Quæſtionibus ad curationem Peſtilentiæ pertinentibus ad Conr. Geſnerum, Med. Tigurinum.
VII. Anatome Librorum quinque Comitis Montani.
VIII. In aliquot primi libri Aphoriſmos Prælectiones.
IX. In primum & ſecundum Hippocratis Prognoſticum Prælectiones.
X. Expoſitio primi Aphoriſmi ſect. 5. Lib. VI. Epidem. Hippocratis (Morborum naturæ medicatrices.)
XI. Varia ad Morbos varios Conſilia.

Conſilia & Epiſtolæ quædam Medicæ. Extant eô in opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæred. 1598. in fol. Hanoviæ, 1610. in fol.

ERICIUS [*Ericus*)

De eo extat

Epiſtola de Avibus. Hafniæ, 1671. in 8.

ERNDL (*Chriſtianus Henr.*) S. R. M. Polon. Medicus Aulicus.

De eo habentur in Ephem. Germ. Cent. 3. & 4.

Obſervatio 141. *De Scirrhô Pulmonis & Pericardii Hydrope extincti Anatome.*

DIe 30. Januar. A. C. 1714. offerebatur mihi ægrotans, triginta quaſi annorum juvenis ex Equiſonibus Regiis, qui præteritâ die 27. Januarii Bloniæ, quinque milliaria á Warſaviâ, cùm in convehendô fænô occupatus eſſet, derepentè inſignem horrorem cum vomitû, maximôque dolore regionis Epigaſtricæ, qui il-

lum incurvabat ferè penitùs, ſequente æſtû, tuſſi ſiccâ, ſummâque inquietudine, paſſus fuerat. Erat igitûr dies jam quarta, cùm delato ad hoſpitium, quod Ujazdovii prope Warſaviam habebat, relatione à Chirurgô noſtrô factâ, ipſi contra puncturas lateris & tuſſim ſiccam, de quâ tùm maximè querebatur, pulveres reſolventes ex ſperm. Ceti cum Cap. 69. ſanguine Hirc. ♁. Diaph. Cinnab. Croc. & ſal. volat. C. C. ordinarem.

Die 31. Januarii ipſô mane illum inviſi & cùm maximè anxium, unà cum Reſpiratione difficili, dolore pectoris, in ſpecie dextri lateris, tuſſi continuâ ſiccâ penitùs, pulſûque frequenti invenirem, ſtatim ipſi venam brachii ſiniſtri ſecare jubeo, ordinatâ ſimul Eſſentiâ Fuliginis D. Meibomii, cum pulveribus reſolventibus, alternatis vicibus propinanda.

Die 1. Februarii rediens & de ſtatû præſenti patientis ſciſcitans, de continuante adhuc & jam ad quintum diem durante agrypniâ & inquietudine ſummâ querebatur, dolor ex latere dextrô ſeceſſerat ad epigaſtricam regionem, quam totam ferè occupabat ſecundum ipſum diaphragmatis tractum, tuſſis continuò moleſta erat, difficulter jam & non niſi erectô corpore reſpirabat, genæ rubebant, pulſus frequens ac debilior, ſitis urgebat; quapropter potionem Pector. Off. cum præparatis & G. Ammoniaco Diacod. Mont. ordinavi, unà cum ſpiritû ⊖ Ammon. anis. cum eſſent. Pect. Meib. mixtô: circa veſperam autem, propter aſthmaticam paſſionem ſummè moleſtam, & quia ad tertiam diem jam alvus obſtricta fuerat, clyſma emolliens carminat. cum ſapone Ven. acuatum, ipſi injiciebatur, ſequentibus tribus ferè ſedibus naturalis conſiſtentiæ.

Die 2. Februarii manè adhùc tuſſiebat continuò, & parùm flaveſcentis vel divideſcentis potiùs ſputi ejiciebat, per totam noctem nihil quieverat, non niſi erectus ſpirare poterat, pedes & manus nudas oſtendebat; tegumenta omnia ipſi erant moleſta, dolor eundem locum ac heri, gravativus maximè occupabat, genæ rubebant cum facie de cæterô Hippocraticâ, pulſus erat celer ac debilis: repetita fuit potio Pectoral. cum Oxymell. ſquill. & Cinnab. jam mixta: infuſum fl. Papav. Err. Bellidis cum Hordeô & Liquiritiâ pro potû; externè autem Unguent. de Alth. Fern. C. Ol. ſtill. Aneth. Chamom. coer. & Cumini, offerebatur. Poſt meridiem invaſit ipſum leve delirium continuans uſque ad veſperam: horâ autem nonâ veſpertinâ expiravit ſuffocatus die ſeptimô decubitûs.

Hæc morbi brevis hiſtoria; Interim, quantùm ab ipſô patiente & ſodalibus ejus cognoſcere potui, non ſolùm antehàc ſæpiùs ab equis calcitratus & malè habitus fuit, ſed etiam jam à ſemeſtri ferè ſemper tuſſicula cum inappetentia: languore, laboravit, ità, ùt ad ſervitia conſueta nonnunquam incapax ferè penitùs fuerit.

Die 3. Februarii, Opitulante Chirurgô noſtrô Cadaver aperui, & hoc quidem, ſingulari illâ curioſitate ductus, quam in rimandis pectoris affectibus, qui Medicis imponere non rarò ſolent, ſemper habui. Antequàm cultrum applicavimus, patefiebat contuſio in latere dextrô ſub veris coſtis, ubi diaphragmatis expanſio; erat autem livida macula, imperialis magnitudine cum cicatrice, vulneris ante hàc inflicti ſignô, quæ tamen in cute ſaltem terminabatur, nec ad interiora pectoris penetraverat, manifeſtô indiciô, ab equi ungulâ ferratâ hoc olim fuiſſe factum, diductô ſternô neque Pulmones neque pericardium cum corde, uti fieri aliàs ſolet, apparebant, ſed omnia hæc denſâ membranâ erant obducta, ità ùt pulmones cum pericardio unum quaſi viſcus repræſentarent; prætereà in utrôque latere pulmones ad vertebras uſque validâ membranulâ pleuræ adnati erant; in ſiniſtrô latere quidem leviùs, ita, ùt facilè abſcederet lobus pulmonum à pleurâ, adhibitis in ſubſidium ſaltem digitis, in dextrô latere fortiùs, ubi & cum pleurâ & cum pericardiô tam arctè cohærebat lobus, ùt ſine cultrô & diſciſſione ſeparari ab invicem nequaquàm potuerint. Productâ ſectione & inciſâ dictâ illâ ſub ſterno membranâ, vel potiùs pericardii capſulâ, exiliebat cum impetû aqua viridiuſcula ichoroſa, quâ tota pericardii cavitas adeò erat repleta & extenſa, ùt pluſquam duas vel tres libras Medicinales in ſe contineret, in fundô autem diaphragmati firmiſſimè adnata erat, ità ùt prædictô jam modô, Pulmones, Pericardium, Diaphragma, in unum quaſi viſcus coaluiſſe viderentur. Cor ipſum cum auriculis flaccidum penitùs & coloris naturalis ac conſueti expers, muriâ quaſi arroſum & exeſum erat, inciſis autem ventriculis parùm cruoris ſeroſi fundebat. Quod ad ipſam Pulmonis ſubſtantiam, in ſiniſtrô quidem latere ſic ſatis illa naturalis erat coloris & conſiſtentiæ, in dextrô autem non æquè, ut potè in quô, præter firmiſſimam cohæſionem cum pericardiô ac diaphragmate totus lobus ſcirrhoſus erat, nec flatum per ramos arteriæ aſperæ admittebat, intùs autem Vomiculis ichore refertis ſcatebat. Diaphragma prætereà, quòd cum pulmonibus & pericardiô cohæreret arctiùs, nihil ferè inſoliti, ratione coloris & conſiſtentiæ monſtrabat.

Habes hìc totam & fidelem morbi & ſectionis Cadaveris hujus hiſtoriam; Ex quâ facilè colligendum laboraſſe defunctum ſcirrhô Pulmonis & Hydrope Pericardii; qui poſtremus affectus quò rarior, eò dignior ùt perſcrutetur, quâ ratione in hôc ſubjectô gigni & febrim acutam inflammatoriam producere potuerit.

Acutioribus autem liberum hâc de re relinquendo judicium, ità ſentio;

Ab equis ſæpiùs & quidem præcipuè in dictô latere dextrô ultimâ vice calcitratus & læſus, primò quidem ſanguinis grumos, ex his autem, quia neglectum fuit malum, ſucceſſivè indurationem ſcirrhoſam Pulmonis contraxit; ex ſcirrhoſitate hâc, lymphæ ſeparatio impedita fuit, & quæ in hôc lobô fieri debuit, cognitis naturæ, aſt erroneis viis, ad pericardium delata, ibi Hydatides formavit, quæ tandem, fortaſſis per motum corporis ineptum ac violentum inter labores conſuetos, ruptæ, ſimùl & ſemel ſerum ſuum ichoroſum acre in cavitatem capſulæ cordis effuderunt, quò effuſô, per conſenſum, ſtatim vomitus cum ingenti regionis epigaſtricæ dolore, horrore febrili, tuſſi ſiccâ &c. ſecuta! Febris autem lenta, quâ diu jam, propter Pulmonis ſcirrhoſitatem & aliqualem exulcerationem laboraſſe exiſtimo miſerum, per ingentem illam alterationem rupturâ Hydatidum, in œconomiâ vitali factam, ità exarcerbata fuit, ùt in Acutam, Peripneumoniam ſimulantem, abiverit, quæ viribus jam exhauſtis, & viſceribus corruptis, medicum auxilium omne eludens, vitæ finem ſeptimô, uti in Acutis ſolenne eſt, fecit.

Ibidem Centur. 6. Obſervatio 30. *Febris Peſtilentialis in Aulâ Regiâ Polon. Annô* 1710. *&* 1711. *graſſari deprehenſa Hiſtorica Relatio.*

Quan-

QUantam ſtragem Peſtilentalis Lues Annô currentis ſeculi nonô, Gedani & Mariæburgi in Pruſſiâ fecerit, ſatis ubiquè notum, & per ſcripta Theologorum non minus quam Medicorum divulgatum; quid enim D. *Schelwigius* partim, partim etiam D. *Weickmannus*, utrique magni nominis Theologi, ex hoc capite in monumentum inflictæ tunc urbi & agro Gedanenſi Divinæ pœnæ, publicaverint, curioſos latere non poteſt. D. *Gotturald* autem, D. Culmus, & poſt illos Chirurgus *Manaſſe* Stoeckel, quid de eâdem hâc materiâ Medicè ſcripſerint, Jatrophilis non minùs notum.

Ceſſaverat hæc poſt anni 1710. initium, ità ferè penitùs, ùt commercium cum exteris, Gedanenſibus iterùm eſſet ut anteà liberum ſtatim poſt Paſchatis feſtum, circa quod ipſum tempus ſolenni etiam pro gratiarum actione inſtitutô feſtô, liberationem plenariam à contagioſâ Lue publicare non dubitârunt ejuſdem Reipublicæ Proceres.

Eôdem illô annô poſtquàm vere jam adultô, Sereniſſ. Poloniarum Rex Warſaviâ Mariæburgum in Pruſſiam cum Aulâ ſuâ conceſſerat, comitatus Regius colligere cœpit ex contagiô miaſmata illa maligna quæ robuſta Pruſſorum gens jam induraverat, nobis autem ſatis adhùc erant funeſta, partim propter teneriorem corporum noſtrorum conſtitutionem, partim propter valdè noxiam tùnc temporis aëris temperiem, celeri & frequenti mutatione ex calidiſſimâ in humidam tranſeuntem, ſubjecta per pravam diætam & dictam teneriorem Corporis craſin jam prædiſpoſita graviter afficientem. Poſt ferventiſſimum enim æſtum, per totum Junium & Julium ferè durantem, menſe Auguſtô creberrimi ingruebant imbres, & tales per univerſum autumnum, & ultrà ferè continuabant; qualis præhumida aëris tempeſtas, notante jam *Hippocrate*, febres longas & putredines producere communiter ſolet. Quid victus & regionis conditio contribuerint, illis facilè patere poteſt, quibus Pruſſici cœli ac telluris conditio nota; aquæ ſcilicèt ibi ſcaturiunt communiter guſtû etiam ingratæ, graves, fœtentes, calce aluminoſa & nitrô impurô infectæ, quibus cum terræ fruges etiam correſpondent & pecorum carnes, craſſioris longè & crudioris ſubſtantiæ, quàm in Germaniâ & ſpeciatim Saxoniâ noſtrâ; quæ ex fœtente illô cœnô nata alimenta non poterant non apud minùs conſuetos continuam in primis viis poſt ſe relinquere ſaburram, & halituoſâ putredine vitales corporis noſtri humores peſſimô modô inficere, in ſpecie apud illos, qui gulæ indulgebant, in aſſumendis alimentis nec modum nec ſelectum obſervantes.

Morbos igitùr ipſos quod attinet, qui ex hâc humorum vitalium corruptione naſcebantur, invadebant hi primò quidem ſpeciatim illos, quorum vires per antecedentes morbos, præſertim intermittentes febres jam erant fractæ, ſub ſpecie recidivæ, & memini tales ſub morbi principium intermittentes quaſi perfectè retuliſſe, aſt minùs durabili illô typô; ex intermittentibus enim mox continuæ fiebant,& nonniſi obſcuriorem remiſſionis umbram oſtendebant ampliùs, imò quintô vel ſeptimô die accedebat communiter delirium cum linguâ vel ſqualore obſitâ, vel nigrore & ariditate quaſi rigente; occupabant quoſdam in tali ſtatû ſimul petechiæ, in brachiis potiùs ac pedibus, quàm in pectore conſpicuæ; alii præſentiori venenô infecti; ſtatim puſtulas nigricantes ſolitarias carbunculi formes in fronte vel hìnc indè in artubus monſtrabant, lentiori gradû quidem, quàm Peſtilentiales anthraces, partes affectas mortificantes. Talem carbunculum in pedis ſiniſtri pollice nactus erat ex venatoribus Regiis, quidam robuſtus homo, euſarcos, & conſiſtentis ætatis vir, rixoſus aliàs & ſtomachoſus, qui firmiter credebat, ex preſſione pedis ab ocreis factâ, eſſe hoc malum, nec ullam malignitatem puſtulam illam præ ſe ferre perſuaderi poterat; aſt vix triduô elapſô, cùm in mediô tibiæ ejuſdem pedis novus carbunculus, & circa inguina in ſummitate femoris ejuſdem lateris bubo emergeret, delirium prætereà vehementiſſimum accederet cum anxietate & immani ſiti, maximè maligni genii morbô prehendi ipſum patefiebat, ſequente mox funeſtô & lethali circa nonum exitû. Pari ferè modô & lentô malignitatis progreſſû quidam emergentibus circa inguina bubonibus ſolis infeſtabantur. Et cùm inter hos plures eſſent, qui aliàs impuræ Veneri maximè erant dediti, dubioſos primò reddebant adſtantes de malignitate ac Peſtilentiali febre, præſertim cùm primis tribus vel quatuor diebus, de gravitate artuum ac ſomnolentiâ ſaltem, ſymptomatibus Venereis bubonibus infectis aliàs conſuetis, conqueri audires, quæ laſſitudo & inſomnolentia autem brevi ſummâ virium proſtratione, deliriis, comate, excipiebantur, ſymptomatis, neglectô morbi principiô, ut plurimùm ferè lethalibus. Quâ occaſione reticere non poſſum, me in omnibus illis, qui tales bubones patiebantur, obſervâſſe, non in ipſô inguine, uti Venerei ſolent, ſed in ſummitate femoris potiùs abſceſſus hos ſedem habuiſſe; quô vel ſolô vel unicô ſignô, à Venereis ſtatim ab initiô diſtingui poterant; & memini etiam Gedani à quibuſdam præcipuis Medicis, qui contagii tempore ibi artem exercuerunt, ſimile quid exaudiſſe. Vehementiori autem gradû malum hoc invadebat alios cum vomitionibus, hæmorrhagiis, quibus accedebat apud nonnullos etiam ſudor effuſus, ità ut colliquatione univerſali humores ex corpore exterminarentur quaſi, in quibus, propter veneni Peſtilentialis vehementiam, ultra tertium diem vix differebatur lethalitas. Hypochondriorum autem itemque ventris in hypogaſtricâ regione dolores adeò etiam exercebant quoſdam ſub invaſione mali, ùt colicam adeſſe paſſionem juràſſes; primô intuitû, ſiquidem & tales patientes nil niſi medicamenta contra Colicam efflagitabant anxiè; adeò à malignitate Protheum agente decipiebantur miſeri; ſicuti autem nil niſi ſubitanea virium proſtratio cum ardente æſtû totum corpus afficiente, ſtatim ab initiô in tali caſû Medicô diagnoſin ſuppeditabat, ità progreſſus morbi per accedens delirium, anxietates præcordiorum ſummas, aliaque peſſima ſigna, malignitatem patefaciebant ſufficienter. Simili ferè modô & fœminas de inſtanti menſium fluxû, hincque natis, uti putabant, immanibus dorſi & capitis doloribus conqueri audiebas, quæ Lue maximè deleteriâ jam infectæ erant, & præ morbi vehementiâ ante tertium ſuccumbebant. Gravidæ quædam iiſdem ferè cum ſymptomatibus abortum patiebantur, cum incredibili uteri hæmorrhagiâ, intra ſpatium duodecim horarum miſeras jugulante. Qui petechias ante mortem excludebant, communiter antequam hæ ipſæ erumperent de vehementi dorſi dolore, quaſi calculô affecti Renali, querebantur; nonnulli ſimùl etiam per omnes corporis artus inſignes dolores, quaſi arthriticos vel à rheumatiſmô ortos, patiebantur; excluſis maculis, dolores ſtatim remittebant, aſt communiter paulò pòſt diarrhœa fœtidiſſima cum immani ſudore, aliquandò etiam diabetis

diabetis ſpecies, accedebant, decumbentes intra paucas horas extinguentes. Purpurâ autem, qui afficiebantur, ante eruptionem ejus, punctûras pectoris, cephalalgiam, cardialgiam, æſtum patiebantur non minùs ac dorſi dolorem, nonnunquam & vomitus, ad inſtar febre catarrhali correptorum; elapſis autem vix viginti quatuor horis, delirium, & paulò pòſt, propter continuas jectigationes, exanthematum retroceſſio, delirii exacerbatio, convulſiones, mors. Memini cujuſdam, qui in tali ſtatû, ſtatim poſt Purpuræ retroceſſionem, diabete afficiebatur, ità, ùt intra paucas horas, pluſquam centiès matulam lotiô inſtar aquæ fontanæ limpidô, impleret.

Gravidæ quid paſſæ fuerint, ratione abortûs jam ſuprà notatum; quamdiù autem venenum Peſtilentiale in propriô corpore abſcondere poſſint tales, in Viduâ, 20. ferè annorum fœminâ, obſervavi. Hujus ipſius maritus Peſtilentiali febre cum petechiis, ſummô malignitatis gradû, extinguebatur, miſeram octavô menſe gravidam relinquebat viduam, quæ intereà temporis graviditatem ſuam uſque ad legitimum partûs tempus ſic ſatis valens & ſana ad apparentiam abſolvebat, ſtatim autem ac partû ſatis felici puellum ediderat, latens hactenùs contagium ſe exerebat per dolores poſt partum vehementiſſimos, cum ſuppreſſione lochiorum, quam autem, poſt ſex circiter horas excipiebat enormis uteri hæmorrhagia, ſimulque hæmoptyſis, ità, ùt ſanguine ferè diffluentem ipſam maximè horrendô ſpectaculô, ſub primâ viſitatione invenerim, quâ ſanguinis jacturâ nullis medicamentis cedente ità ſtatim proſternebatur exhauſtis viribus, ùt 24. horis nondùm exactis, vitam cum morte commutaverit, ſuperſtite quidem adhùc puellô, qui tamen & ipſe, poſt paucas ſeptimanas, purpurâ malignâ prehenſus non minùs occubuit. Ex quô caſû vel ſolô notavi, quandiù vehementiſſimum etiam venenum peſtiferum in corpore humanô aliquandò latere poſſit, & quàm juſta ſit Politica illa ad præcavendum contagium cautela, ùt illi qui ex infectis locis veniunt, licèt ſaniſſimi videantur, tamen ad aliquot ſeptimanas ab aliorum commerciô arceantur, donec probatorium tempus, quadrageſimali dierum terminô circumſcriptum, expiraverit.

Hactenùs de illis, quorum decubitus ad quinque, ſex, ſeptem dies & ultra protrahebatur; interim non pauci erant, qui intra viginti quatuor horas & perfectè ſanis & mortuis accenſebantur. Præſertim autem illi, quibus carbunculi ſimul cum bubonibus in corpore emergebant, communiter brevem habuere decubitûs terminum. Memini hæc occaſione fœminæ, cujus jam ſuprà occaſione Abortûs facta fuit mentio, hæc non ſaltem intra tam breve tempus per Venenum Peſtilentiale fuit extincta, ſed & alios domeſticos & adſtantes ſimul infecit contagiô tam præſentaneô, ùt eôdem modô ac celerrimô morbi decurſû ex vitâ erepti fuerint. Hæc licèt vilioris eſſet conditionis, tamen per diligentiam ſuam non ſpernendam acquiſiverat auri ſummam ad ſeptuaginta Hungaricos aſcendentem, hos coriaceô cingulô inſutos moriens non marito, qui tunc adhùc in vivis erat, ſed cuidam ex amaſiis ſuis, quorum plures habebat, donaverat; infelix hic ex infeliciori adhùc ratione hæres, ſtatim bubone & carbunculo affectus, tertiâ die poſt mortem fœminæ extinguitur, dictam auri ſummam alteri amico ſuo ante mortem tradens, quô brevi etiam non minùs contagiô infectô atque extinctô, aurum illud ad tertium devenit, qui omnium graviſſimè hanc hæreditatem luens, non ſaltem bubone, ſed etiam carbunculô in brachio, & ab hoc ad cordis regionem tendente vibice afficiebatur, & intra biduum vitam cum morte commutabat. Ad quem ab hoc poſteà infelix illa auri ſumma pervenerit, nemo facilè & planè expiſcari potuit; communis autem tunc erat inter noſtros opinio, Paſtorem illius loci, qui animam ſolaturus morienti aſſiſtebat, theſauri hujus hæredem factum fuiſſe, qui impunè fortaſſis hôc ipſô loculos ſuos ditavit, expiatâ jam per tot hominum cædes, divinâ vindictâ; ipſe autem maritus, cui jure competebat illa hæreditas, brevi etiam poſt uxoris obitum, moriebatur. Eôdem ferè tempore, quô hoc ipſum accidebat, in pagô quôdam vicinô cum equis Regiis degens auriga, bubone ſubitò affectus, à Chirurgô noſtrô cum cataplaſmate in lacte coquendo & calidè applicando providebatur, qui alterô ab invaſione mali die, ſic ſatis ad ſenſum externum adhùc valens, ex manſione ſuâ in culinam deſcendebat, carbones ibi, pro calefaciendo cataplaſmate petens, aſt rediens in mediâ viâ batillum cum carbonibus in manû tenens concidebat, quaſi apoplexiâ tactus & è veſtigiô ultimum exhalabat ſpiritum.

Hæc ipſa Luis & Febrium Peſtilentialium hiſtoria: nunc ad cauſas deſcendendum eſſet; de quibus autem ſilendum potiùs, imprimis quod immediatam illam & proximam attinet, quàm inſufficientibus ratiociniis obſcurum per æquè obſcurum probare, exiſtimo. Sufficiat de procatarticis illis ſaltem breviter monuiſſe, inſolitum & craſſiorem victum, impeditam itidem tam per alimenta, quàm per ipſam aëris inclementiam, tranſpirationem inſenſibilem, plurimùm apud noſtros contuliſſe, ùt contagium ipſis adeò lethalem intulerit ſtragem. Aliàs enim non video, quomodò ceſſante jam apud Pruſſos epidemicâ lue & penitùs ferè profligatâ, nobis tantæ à venenô Peſtilentiali cædes infligi potuiſſent. Per teneriorem autem corporum noſtrorum conſtitutionem & ſuprà jam allegatas rationes, ità factum fuit, ùt illæ, quas incolæ jam diù induraverant, veneni reliquiæ, nobis adhùc fuerint deleteriæ; & quidem adeò graviter, ùt, niſi per plures pagos hìnc indè diſperſi fuiſſent noſtri Aulici, ſine dubiô univerſalis & vera Peſtis nobis facta fuiſſet illa lues, quæ hinc indè ſaltem quaſdam devaſtavit familias. Quamvis & hoc non reticendum, quoſdam ex noſtris, per temeritatem vel ſorditiem in infectam ſupellectilem invadentes, & ſibi vindicantes res ab incolis adhùc pro ſuſpectis habitas, tali contagio occaſionem ſat evidentem dediſſe. Ità memini unum ex Agaſonibus Regiis cum uxore ſuâ partui proximâ, lectos, quibus ante menſes aliquot Peſte laborantes immortui fuerant, repugnantibus licèt domeſticis, ad ſe rapuiſſe, ipſiſque incubuiſſe, aſt tam infelici ſucceſſû, ùt poſt paucos dies febre Peſtilentiali cum petechiis prehenſi utrique, non minùs ac puerulus recèns natus, occubuerint; adeò præſens autem illud in plumis & ſtragulis latens erat venenum, ùt ambo nondùm elapſis bis viginti quatuor horis, petechias ſubſequente hæmorrhagiâ, quâ diffluere quaſi videbantur, extinguerentur.

Therapiam quod attinet, quâ in tractandis hac ipſâ lue decumbentibus uſi fuimus, illam paucis verbis hìc etiam attingere operæ pretium duco. Ante omnia autem fateor, expertum me tunc fuiſſe, veriſſimum eſſe Medicorum, qui Peſtem obſer-

obſervârunt, effatum, nimirùm, qui ante elapſum viginti quatuor horarum hâc lue correptis non opitulari poſſit, communiter incaſsùm poſteà omnem ſuum laborem impendere Medicum. Quia autem plerique ægrotantium, vel ex ignorantiâ periculi, vel ex metû ſeclusionis à cæteris, morbum non indicant priùs, quàm viribus jam exhauſti, eô ipſô fit, ùt ex viginti perſonis vix unus evadat communiter. In principiô igitùr epidemicæ hujus luis, ubi febris tam acuta adhùc non exiſtebat, & morbi principium ad plures protendebatur dies, ſtatim ſub primum morbi inſultum, vomitorium ex Arcanô Dupl. cum Tartarô Emeticô, admixtâ ſemper Camphorâ, dare nullus dubitavi, præſertim ubi crebra horripilatio, moleſtiſſima cardialgia, cum ſingulari appetitûs ab omni re averſione, tale remedium indicare ſolebant. Dici enim non poteſt, quantùm tale emeticum, ſucceſſionibus ſuis; ſpiritus per veneni violentiam oppreſſos & quaſi attonitos excitet, humores ad coagulum & ſtaſin pronos diſſolvat, & ad ſudorem, ſtatim poſt tale purgans quàm fieri poteſt citiſſimè urgendum, diſponat. Venæſectio autem, Heroicum etiam ſuô locô & tempore remedium, nunquàm à nobis præcepta fuit in curatione ejuſmodi febrium. Propter maximam enim veneni vehementiam, ſpiritus ferè plus quàm ſanguinem infeſtantem, nullus hìc optimo aliàs & præſentaneo remediô, erat locus. Inſtituebat quidem, me inſciô, fœmina quædam, natione Polona, Contagium à vicinô ægrotante & mortuô nacta, hanc ipſam, uti putabat, præſervatione in brachiô, quâ tamen impedire non poterat, quin graviſſimè poſtmodò decumberet cum bubone in utrôque inguine; & non niſi difficillimè iterùm reſtituebatur, quamvis propter commiſſum per venæſectionem errorem, inter perditos à me ab initiô curationis numeraretur. Reliqua Chirurgica præſidia, quæ miſeris cum ſucceſſû aliquô applicabantur, erant in bubonibus cataplaſmata & emplaſtra emollientia, & in Carbunculis ſcarificatio & ſeparantia. Quicquid enim dicant de applicandis Veſicatoriis in Bubonibus nonnulli, nunquam auſi fuimus, apud noſtros tale quid imitari, imò ex Medicis & Chirurgis Gedanenſibus non ſemel audivi, quòd bubones his applicatis potiùs diſparuerint, quàm ad citatiorem inflammationem ac ſuppurationem hinc diſpoſiti fuerint; ex criſpaturâ enim illâ dolorificâ fibrarum, quid aliud ferè quàm induratio, & proximè inſequens retroceſſio materiæ in abſceſſû formatæ, accidere poteſt? Poſt Vomitoria ſtatim ſudorifera, potentiora alexipharmaca & bezoartica dicta communiter, eligebantur; Imò in plerisque, ubi intempeſtivum erat, propter formatos jam à naturâ per bubones & carbunculos, criſes & abſceſſus, Emeticis uti, ſtatim ad hæc, tanquam ad ſacram anchoram, confugimus. Inter omnia autem Alexipharmaca prævalebant Diaſcordium Fracaſt. & Theriaca Andr. non ad drachmam unam vel alteram ſed ad tres, imò unciam ſemis & ultrà præſcripta, ſale volatili Cornu cervi præterea & camphorâ acuata, & cum acidulis locô vehiculi, propinata. Nunquam auſus fuiſſem, ad tam exceſſivam Opiatorum doſin aſcendere, niſi ab Illuſtri quodam Medicô applicationem talis remedii ſalutarem, dum Mariæburgi adhùc degeremus, apud ægrotantem aliquem obſervâſſem. Decumbebat hic dictâ Peſtilentiali febre, carbunculis & bubone ſtipatâ, per quinque dies integros nihil dormiverat, vehementiſſimè autem, præ dolore inflammatoriô, delirabat, huic Elect. Diaſcordii drachmas ſex, Theriacæ drachmas tres, cum ſalis vol. Cornu Cervi drachma ſemis & Camphoræ ſcrupulô ſemis; additô Acetô Bezoarticô & aquâ convenienti, pro tribus doſibus intra ſex horarum ſpatium aſſumendis, propinabantur, ſucceſſû tam exoptatô, ùt ultimâ doſi vix abſolutâ, in ſomnum ſolveretur; ad ſeptem horas & ultrà durantem, emergente ſimul ſudore & ceſſante deliriô. Imitatus hunc talem Theriacalium uſum fui poſtmodùm frequentiſſimè in Peſtilentialibus æque ac aliis malignis febribus, mutatis tamen mutandis, & pro re natâ in refractâ doſi, & nunquam quidem ſine optatô ſucceſſû; Veriſſimum enim eſſe tùnc intellexi, quod *Ol. Borrichius* de Peſte Haffnienſi obſervavit, & in tractatû ſuô *de ſomnô & ſomnif.* verbis ſequentibus expreſſit; *Mihi nihil ſecurius obſervatum in Peſte ipſâ Theriacâ; ſed liberalius non improvidè tamen propinatâ. Plures enecti qui drachmam hauſerunt; etiam ſubindè drachmæ geminæ nihil attulerunt opis, eoque in adultis nonnunquam ad tres aſcendendum fuit, non ſine periculô quidem, minùs tamen quàm malum ipſum periculoſô.* Certè dici non poteſt, quantùm poſt uſum Theriacalium, dictô modô mixtorum & propinatorum remittat urens calor, ſitis, cephalalgia, delirium; ſcilicèt Heroicô tali, & tantô remediô opus eſt, ubi reſolvenda citò incipiens jam & ad grangrænam tendens inflammatoria ſtaſis, quæ in Peſtilentialibus mirum quantùm celeri curſû pergit, & miſerorum ægrotantium interiora ad mortalem ſphacelum diſponit. Memini, eôdem tempore, poſt ſolſtitium Hyemale, quô vehementiſſimè inter noſtros Peſtilentiales febres graſſabantur, correptum fuiſſe contagiô quendam ex Cellâ vinar. Reg. viginti præter propter annorum juvenem, hic ſtatim poſt decubitum vehementi corripiebatur deliriô cum firmiſſimâ impreſſione ſe ducem exercitûs Saxonici eſſe electum, adeòque nihil niſi ſclopeta, incendia, tormentorum exploſionem &c. meditabatur & loquebatur, qui autem adhibitâ dictâ mixturâ Theriacali completâ, pro tribus vicibus adeò quidem ſimùl & ſemel ab æſtû urente, cephalalgiâ ac deliriô liberabatur, ùt, cùm altero die manè illum inviſerem, ipſe mihi dixerit, ſibi, quaſi manû applicatâ, omnem æſtum & cephalalgiam à capite abſterſam fuiſſe, poſtquam alteram ſaltem dictæ mixturæ doſin, inſequente largô ſatis ſudore, aſſumpſiſſet. Licèt autem propinatô Herculeô hôc antidotô malignitatis furor plerumquè mox remiſerit, non deſtiti tamen protinùs ab uſû ejus, ſed interpoſitis alterantibus ac reficientibus, ex diaphoreticis fixis, Viperinis, ſuccô citri, vel acetô, Confect. Alkermes vel Syrupo Rubi Id. &c. in potiones gratiores mixtis, vel etiam Tinctura Bezoartica Camph. Tinct. Antimonii cum ſale volat. Ol. & Eſſent. Viper. alterâ die iterùm ad Diaſcordii & Theriacæ uſum acceſſi, expertiſſimi *Rolfinccii* effati memor, ſcilicèt, quòd ille, qui Peſte correptis, *ſpatiô viginti quatuor horarum, quater vel ſæpiùs ſudorem non excitat, parùm omninò ſit profuturus.* Hoc unicum de Heroicô hôcce remediô eſt obſervandum, abſtinendum ſcilicèt eſſe de uſû ejuſdem, ubi ſanguinis fluxus ſimùl in Peſtilentialibus concurrit, aut ſignis benè obſervatis, fores ſaltem jam pulſat, brevi erupturus, tunc enim & in tali ſtatû certò certiùs, maſſam humorum nimis reſolvendo, colliquationem accelerabit, magiſque nocebit quàm opem feret. Non minùs etiam petechiis & Purpurâ jam præſentibus, vel imminentibus ſaltem, cautè cum his armis pugnandum, facilè enim, ſecùs ſi fiat, retrocedunt,

quæ jam effloruerunt exanthemata, ſupervenien-te dictâ jam reſolutione humorum colliquativâ. De cæterô, locô potûs ordinarii apud ægrotantes, inſerviebat decoctum tenuiſſimum radice Acetoſæ & Scorzoneræ cum raſurâ L. Santal. rub. alteratum, quod illis, qui immani ſiti, conſuetô his in febribus ſymptomate, infeſtabantur, liberaliter concedebatur. In Comatoſis acidula & ſpir. ſalis Ammon. volat. fuerunt adhibita; concurrente diarrhœâ, Mithridatium Damocr. cum pulv.Pannon.Maſtich.& Catechu in bolos mixtum, ſufficiebat; Ubi Petechiæ & Purpura largiorem Opiatorum uſum prohibebant, Myrrhæ & Antimonii Tinctura, itemque Liquor C. C. ſuccin. & M. S. vel per ſe data, vel cum diaphoretic. fixis in potiones mixta, officium faciebant; De Hæmorrhagiis colliquativis nil attinet dicere; ubi enim in Peſtilentialibus eò res redit, mors præ foribus, & convenientiſſima etiam remedia tunc gratis & incaſsùm exhibentur.

Poſtquam igitùr hæc noſtra Lues, à Menſe Decembri potiſſimùm, uſque ad Februarium ſequentis anni ſatis vehementer, & frigore quidem creſcente, omnium vehementiſſimè graſſata fuerat, circa Martium menſem ferè penitus rabiem ſuam depoſuit, quô ipſô tempore, & quidem decimâ Martii, juſſû Sereniſſimi noſtri, ſarcinas collegimus, Gedanôque Warſaviam tranſmigravimus; & id quidem vel maximè opportunè. Niſi enim mutatio aëris & loci tùnc interceſſiſſet, adultô vere malignitas fortaſſis denuò repullulâſſet, quod autem hôc ipſô itinere & motû impeditum ſalutariter fuit. Ego quidem, qui ægrotantes diligenter viſitavi, exceptâ ophthalmiâ, quam inclementiori aëri, à ventis ex mari ſpirantibus, potiſſimùm adſcribo, nihil, Deo juvante, de cæterô paſſus ſum mali. Chirurgi autem Aulici diſcipulus, qui ſedulitatem ſuam, in deligandis ac tractandis ægris ſatis nobis probavit, circa finem Februarii, ſpecie ſalivationis ſpontaneæ corripiebatur, cum capitis dolore vertiginoſô, quæ per duas ferè ſeptimanas eundem exercebat graviter, maximè ſalutari tamen naturæ beneficiô, maligna & venenata miaſmatum ab ægrotantibus in corpus ſuſceptorum ſpicula, ad glandulas dirigente, ùt ibi per copioſiorem ſalivæ effluxum eliminari è corpore valerent.

ERNESTI (*Johannes*)

Ex eô habetur

De Oleis variis arte Chymicâ deſtillatis, Tractatus. Extat cum Praxi Chymiatrica Johannis Hartmanni. Francofurti, apud Caſparum Rotelium, 1634. in 8.

ERNIUS (*Andreas*)

De eô Extant in Miſc. Curioſ. Decur. ii 4.

Obſervatio 35. De Apertione thoracis Phthiſi Extincti.

Ibidem Obſervatio 36. De Hydropicâ ſalivatione curatâ.

VIrgo 26. Annorum ſcorbutico- Cachectica aquâ lunare tributum per ſpatium aliquot menſium haud exſolutum erat; ineunte æſtate 1684. febri tertianâ affligebatur, quæ tamen certis adhibitis medicamentis,ſed nimis præcipitantibus, brevi poſt proffligata; Præterlapſis aliquot ſeptimanis dum tumorem pedum in dies magis magiſque ſe ſe augentem animadvertit, recrudeſcit febris & abit in quotidianam cui inſequitur & magna abdominis & faciei intumeſcentia, urinam pauca in quantitate illamque lixivioſô colore imbutam excernebat, ſpiritum difficulter trahebat, ſitiebat continuò & exanthemata ex nigrô liveſcentia in cruribus ſe ſe conſpicienda præbebant; itâ ùt perfectam hydropicam faciem exhiberet. Sic per duos Menſes infecta, meum expetebat conſilium, cui ùt ſatiſfacerem, præſcripſi Tincturam Rhabarb. quotidie ad aliquot cochlearia, quibus aliquot guttulæ ſpiritûs ſalis armoniaci aniſat. admiſcebantur, aſſumendam, ut & pulverem ex hydroticis & menſium fluxum procurantibus, ex tartarô vitriolatô; Trochiſc. de Myrrh. Mercuriô dulcificat. millepedib. præparat. flor. ſalis armoniaci Martiat. Quibus cùm utitur, liberior urinæ profluxus cauſatur, reſpiratio faciliori negotiô perficitur & maculæ in cruribus evaneſcunt; nihilominùs tumor recenſitis in partibus perſeverabat; quapropter catharcticum ex Mercuriô dulc. Rhab. & Magiſt. Gumm. guttæ ordinavi, quô ingeſtô, quamvis ſatis validô, nulla alvi ſubſequuta commotio; ſed ab illô tempore, quô prædictum purgans propinatum, magnus humoris limpidiſſimi per palatum initium duxit effluxus, qui per 14. dies noctesque continuatus, itâ ùt ſingulis diebus plus quam quatuor libras exſpueret, erat huic lymphæ tanta intermixta acrimonia, ùt linguam, gingivas, reliquaſque interioris oris partes profundiſſimis ulceribus depaſceret; quæ cùm aguntur, magnum intumeſcentiæ abdominis & pedum obſervo decrementum, propterea naturæ minimè in munere excretoriô obicem ponendum ratus, quod tamen anxiè expetebat ægrota, omnem dentium & linguæ deperditionem metuens, collutionem ex antiſcorbuticis & mundificantibus uſum aggreſſus, ad omnimodam intumeſcentiæ ſublationem uſque. Tandem linimentô ex diaſcord. Fracaſt. melle roſar. antimoniô diaphoret. Balſ. ſulphuris terebinth. & oleô vitrioli dulc. ulcera optimè perſanata ſunt. Sicque in totum ab utrôque moleſtiſſimô malô liberata & perfectæ ſanitati reſtituta.

Scholium.

Morbos ſalivatione ſpontaneâ curari, rarum equidem eſt, fieri tamen hoc nonnunquàm, phthiſis tali modo ſoluta teſtatur, quam *Ephem. harum Ann.* 1. *Dec.* 11. *Obſ.* 122. exhibet, ubi in ſcholiô, ſimilem eventum etiam ab aliis in febre ardente Vertigine, ac ſcorbutô fuiſſe obſervatum, monui. *Contingit aliquandò, ſcribit D. Franc. de le Boë Sylvius lib. 4. prax. med. tract. 6. de Hydrope ſ.* 324. *licèt rariùs, ſalivatio ſponte, quod in hiſce regionibus nonnunquam factum obſervavi, & quidem cum notabili ægrotorum commodô, & liberatione à morbis Chronicis à pituitâ ſemper pendentibus.* Unde qui naturam ducem in hôc paſſû providè ſequuntur, quin laudabilem à procuratô per mercurialia medicamenta ptyaliſmo, humore ſeroſô ac pituitoſô ſic liquatô atque è corpore ſenſim eductô, obtinere queant effectum, non poteſt eſſe dubium; quam methodum, præter laudatum *Sylvium* L. c. etiam innuit *Franc. Oſvald. Grembſius in Tr. arb. integr. & ruin. homin.* qua de re videatur quoque *D. Franc. Ignat. Thiermairius Conſil. Medic. lib.* 2. *cap.* 10. *in ſcholiô.*

Ibidem Obſervatio 37. De Hæmorrhagiâ in puerô Variolis laborante, innoxiâ.

NUllus ſanè Medicorum eſt, qui non ut plurimùm variolis laborantibus, dum in illis per alvum & urinam excretiones ſanguinolentas obſervat, funeſta prædicet; De quibus & ego nullum

nullum è mortis faucibus, cui ſimile accidit, ereptum vidi; Præter puerum 5. annos natum, ad quem ut ipſi manus auxiliatrices porrigerem, vocatus; primô intuitû deprehendi illum maximè æſtuantem, unà cum magnâ puſtularum copiâ expulſarum ſtipatum. Adſtabat inter alias naſula anus, inquirens, quodnam expellens hic exhibendum, cui dedi reſponſum, hactenùs nullum cùm natura ſe ipſam in munere hôc exequendô ſatis validam præbeat; modò diæta & conclavis calor ritè obſervetur; Tantummodò de abigendis frequentioribus ſupervenientibus ſymptomatibus cum parentibus agens, diſceſſi; vix deſerueram ædes, ſtatim præpoſterô hujus vetulæ conſiliô puero ℈j. pulv. marchion. & aliquid diaſcord. aquæ fumariæ diluti propinatur, quibus aſſumtis tantus ſubſequutus febrilis fervor, ùt in totum deliqueſcere videbatur puer, quô in ſtatû per integrum diem deſperatus quaſi jacuit, ùt nemo non in ſingula momenta animam exhalaturum ſuſpicaretur. Ego iterùm accerſitus, invenio miſerum ægrotantem, ex naribus, oculis, veſicâ & alvô ſanguinem fundentem, quaſi ab hæmorrhoô morſum; ſtatim horrenda hæc ſymptomata ab intempeſtivô expellente producta adſtantibus expoſui. Quapropter citiſſimè emulſionem, cui admixta erant leviter ſanguinis ebullitionem & acrimoniam temperantia, propinari, præcordiis autem pullum columbinum per medium diſſectum imponi juſſi. Pro potû erat ſpiritus terræ ſigillatæ &c. quibus adhibitis, præter omnium exſpectationem ſanatus puer, quem Charon jam Cymbâ ſuâ exſpectaverat.

ERNSTIUS (*Joh. Georgius*)

De eo extat

Obſervatio, de verme ex nare ſiniſtrâ cum longâ hæmorrhagiâ emunctô. Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Decur. II. Ann. I. Num. 99.

EROTES.

Ex eô habetur

Muliebrium Liber. Extat in Gynæciorum Libris ab Iſr. Spachio editis, p. 42. cum Medicis antiquis. Venetiis, apud Aldum, 1547. in fol. pag. 71.

EROTIANUS.

De eô extat

Vocum, quæ apud Hippocratem, collectio & ejus operum in ſeptem ſectiones diſtributio cum Annotationibus Bartholomæi Euſtachii. Venetiis, apud Luc-Antonium Juntam, 1566. in 4. Extat etiam cum Hippocratis Operibus Græc. Latin. quæ Anutius Foëſius Annotationibus illuſtrata edidit. Genevæ, 1657. in fol.

EROTIS, aliàs *Trotula.*

De eô extat

Curandarum ægritudinum Muliebrium ante, in, & poſt Partum, Liber unicus, nuſquam anteà editus, quô fœminei ſexûs accidentes morbi & paſſiones, Infantum & Puerorum à partû cura, Nutricis delectus, ac reliqua iiſce adnata, diſpoſitiones utrique ſexui contingentes, experimenta denique variarum ægritudinum, cum quibuſdam Medicamentis decorationi corporis inſervientia, edocentur. Extat cum Medicis Antiquis Latinis. Venetiis, apud Aldi Filios, 1547. in fol. pag. 71.

ESCULO (*Saladinus de*) Serenitatis Principis Tarantini Phyſicus ordinarius. Vixit circa A. C. 1163. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medic.

De eo extat

Compendium Aromatariorum. Extat cum Joh. Meſuæ operibus, aliiſque. Venet. apud Luc. Antonium Juntam, 1527. in fol. apud Juntas, 1581. in fol.

ESDRA.

Ex eô habetur

Antidotus. Extat apud Aëtium Amidenum, Tetrab. 4. ſerm. I. cap. 101.

ESPICH, (*Valentinus*)

De eô extat

De Errore externô, Oratio & Quæſtio. Additâ Diſputatione de Melancholiâ, cùm gradus Doctoris aſſignaretur Joſepho Stubendorff. Wittebergæ, apud Zachariam Lehmannum, 1591. in 4.

ESTANOVE (*Petrus*) Monſpelienſis

Ex eô habentur

Obſervationes Medicæ; Extant cum obſervationibus Laz. Riverii. Londini, apud Milonem Fleſcher, 1646. in 8. pag. 425. aliiſque ejuſd. Edit.

ESTEVE (*Petrus Jacobus*) Natus Valentiæ in Hiſpaniâ: Medicus non ſolùm Medicinam exercendo, ſed & docendo, Clariſſimus: Commentarius ejus in Epidem. Hippocratis adeò eruditus, & à Viris doctis tanti habitus eſt, ùt vel æmuli, invidiâ judice, Galeni compilâſſe ſcrinia, cujus in hos Libros labor temporum injuriâ intercidiſſet, jactitârint.

Ex eo habentur

Commentarii in Hippocratis Lib. II. Epidem. Valentiæ, 1551. in fol.

ESTHIUS (*Lubertus*) Natus poſthumus Argentorati A. C. 1569. Patre Lubertô ab Eſth. ex familiâ nobili & ſplendidâ in Geldriâ ortô: Baſileæ Doctoris in Medicinâ gradû impetratô, paulò poſt Crucenaci Palat. Oppido Poliatrum egit, exactôque quadrienniô Heidelbergam commigravit, ubi in numerum Profeſſorum Medic. cooptatus in eâdem ſtatione Heidelbergæ obiit A. C. 1606. ætatis ſuæ 37.

De eô extat

Dilucida, brevis, & Methodica Formularum Tractatio. In quâ Medicamenta tam interna, quàm externa digeruntur: ubi quoque ratio ponderum & Menſurarum perſpicuè explicatur & monſtratur, quâ ratione, ordine, & quantitate, Medicamenta miſcenda, quamdiu coquenda, & quâ etiam doſi exhibenda. Hanoviæ, apud Claud. Marnium & Aubrii Hæredes, 1604. in 8.

ESTIUS (*Franco*,) Gorcomius.

Ex eo habetur

Laus Rei Herbariæ. Extat cum Remb. Dodonæi Hiſtoria Stirpium. Antverpiæ, apud Plantinum, 1583. in fol.

ETSHENREUTERUS [*Gallus*] Ratiſpoletanus.

Ex eô habentur

Δραχμόληπτον, ſeu, Calculus perutilis & Medicis & Ægrotantibus: ſi ſcire deſiderent, quot grana ſingulorum ingredientium medicamentorum in drachmâ unâ aſſumantur. Item Δραχμοτομία, ſeu partium drachmæ doſis. Argentorati, 1659. in 8.

De naturâ & viribus, effectibuſque Balneorum, & ſalubrium fontium, qui per Germaniam celebres ſunt. Argentorati, 1571. in 8.

Epiſtola ad Guilielmum Gratarolum. Extat cum Opuſculis Chemicis, Francof. apud Johan. Bringerum, 1614. in 8. editis: & ibidem, apud Hæredes Chriſtiani Mylii, 1580. in 8.

ETTMULLERUS (*Michael*) Germanus, Philoſ. & Med. D. & Prof. Publ. Lipſiæ.

De Michaele Ettmullero ſic ejus filius D. Michael Erneſtus Ettmullerus in Epiſtolâ ad D. Lucam Schroëckium Academiæ Leopoldinæ Præſidem, annô 1703. datâ, atque *Præfaminis locô operibus Patris præmiſſâ.*

Michael Ettmullerus lucem hanc mortalem adſpicere primùm cœpit ſub Tiliis annô à natô Salvatore 1644. Patre Michaële Ettmullerô, Cive & Mercatore apud Lipſienſes, Matre Clara Maulia. Mox optimorum Parentum ductû & auſpiciis vineæ Chriſti inſitus, & quam primum ferebat ætas, Muſis, quarum amore maximoperè ferri videbatur, initiatus curâ domeſticâ, ſub moderamine Viri Clariſſimi M. Tobiæ Wachſmuthii à decimo uſque ad decimum ſextum ætatis annum, in literis uſque adeò profecit, ùt Muſas Gratiis cùm maritaſſet, primam ab inclytô Philoſophorum ordine Laurum die XI. Junii, Anni 1660. retulerit. In vicinam tum conceſſit Leucoream, vitæ Studiorumque Rectorem nactus M. Johannem Wolffgangum Rentſchium, ſub quô & L. Ægidiô Strauchiô, Polyhiſtore ac Theologô ſummô, in Mathematicis probè ſe exercuit, id quod in ſtudio Medico magno ſibi fuiſſe emolumento, in vitæ curriculô propriâ manû conſcriptô teſtatur. Poſt tredecim menſium decurſum patriæ redditus fuit, poſtquam ante abitum, à ſe elaboratam de Maculis & Faculis Solaribus diſputationem ſub commemorati M. Rentſchii præſidio defenderat. Cœptis tum inſtitit fervendiſſimus, reportatôque Annô 1662. ſupremô philoſophiæ brabiô cum cæteris ejus ſive ſpeciebus ſive partibus, tum Mathematicæ imprimis ac Scholaſticæ Doctrinæ aliquantiſper vacavit, quanquam operæ Scholaſticis impenſæ non ſemel ipſum pœnituerit, eò quòd gemmarum parùm, vel planè nihil in barbaris illorum fimetis reperiſſet, quod ſupra citatum Mſtum abundè loquitur. Indè habitâ adhuc eôdem annô de Conjunctionibus magnis diſputatione, quam Præſes tuitus eſt, totum ſe Divæ Hygeæ devovit, ad quam à primis incunabulis geniô quôdam duci videbatur, cujus ſacris cùm annô ſequente per Baccalaureatum Medicum ritè eſſet initiatus, ſub umbone D. Godofredi *Welſchii* P. P. de ſingularibus diſputavit. Maximoperè tum ſibi gratulabatur, anſam ſe nactum eſſe D. Johannis Michaelis apud Exteros decantatiſſimi Chymici latera frequentiùs cingendi, ab ipſius ore dependendi, Bibliothecam penitius excutiendi, pharmacaque & præparare & diſpenſare addiſcendi. Sed omnem ferè tum apud eum proficiendi ſpem infringebat, atque inhibebat, concatenatiſſima non minùs Viri hujus Experientiſſimi Praxis, quàm fatalis illa Apoplexia, quâ, in itinere *Schlaccowerdano* hic fuerat correptus. Propriis igitur conatibus rem gerere coactus optimus Pater, Praxin perveſtigare cœpit, ita ùt à primis anni 1665. auſpiciis ad feſtum Paſchatos uſque doctrinam febrium, ab hoc ad Michaelis Feſtum affectus capitis, inde ad finem anni uſque pectoris ægritudines, tum intra primam ſequentis anni quadram affectus abdominis & morbos externos, intra ſecundam tandem mulierum morbos, atque ſic intra uniûs anni cum dimidiô ſpatium, integram praxin propriâ induſtriâ penitus exhauſerit. Aliorum interim non neglexit Doctorum manuductionem, quin D. Michaelis Heylandi, D. Sigiſmundi Ruperti Sultzbergeri, D. Leonhardi Urſini Scholis Medicis lubens interfuerit; ſi quod intereà temporis otium ipſi concedebatur, conſcribendæ diſputationi tempus impendit, quam etiam de Coralliorum Tincturâ ſub D. Martini Friſii præſidiô Annô 1665. publicè defendit. Inſtabat Annô 1666. aliqua Promotio Doctoralis, nè igitur de ſuô jure concederet, Doctoris gradum pariter aſſumeret; ſuaſerunt amici. Verum juvenilis ætatis ſibi conſcius, ut potè viceſimum ſecundum annum nondùm tranſgreſſus, & ne cruda ſtudia in forum Medicum protruderet, cujus per totum vitæ curſum ipſum pœnitendum foret, ceſſit ambitioni, firmioribus fundamentis peritiam Medicam ſuperſtructurus. Cui ſcopo ad Exteros itinera inſervitura ſperans, Italiam adire meditabatur, habitâ prius poſt rigoroſorum, quod vocant, examen pro Licentiâ Medicâ ſub Pro-Cancellariô D. *Paulo Ammanô* de Morsû viperæ diſputatione. Itàque Annô 1666. Menſe Auguſtô per Jenam, Bambergam, Noribergam, Auguſtam Vindelicorum, Monachium, Oenipontum, Brixiam, & Tridentum, Venetias tetendit, quam tamen ditionem, ob graſſantem, diverſis in locis Germaniæ, potiſſimùm Francofurti ad Mœnum peſtem, ingredi prohibebatur, per quadraginta dies ſegregatus propter temporis jacturam, cujus maximam nunquam non habebat rationem, detineri abnuens; hinc Tridentum reverti cogebatur. Neſcio tamen quô ſtratagemate uſus, aliâ electâ viâ Veronam & Paduam pervenerit, ubi per quinque commoratus menſes, & Germanicæ Nationis Aſſeſſor ac Bibliothecarius declaratus, ſectionibus corporum & adfuit & præfuit; hinc Venetias demùm adiit, quibus accuratè perluſtratis per Ferrariam, Bononiam, Forum Cornelii, Faventiam, Riminum, Anconam, Lauretum, Spoletum aliaſque urbes Romam commigravit; cui perreptandæ menſes conſumſit tres, ita tamen ùt Neapolin intereà temporis excurreret, & ejus quoque admiranda intueretur. Relictâ Româ, Viterbium, Senas & Florentiam abiit, ubi propter æſtuoſam Julii tempeſtatem paulò ſubſiſtens, Piſtoriam, Lucam, Piſas, & Liburnum exſpatiabatur. Indè Bononiam denuò, poſtque hanc Mutinam, Regium Lepidi, Parmam, Placentiam, Mediolanum, Ticinum, Dertonam, Genuam, Savonam & Turinum ſalutavit; ſuperatiſque Alpibus, Lugdunum Gallorum & mox Lutetiam Pariſiorum ſe contulit; quâ poſt ſeptem Menſium ſpatium, Menſe Martiô Annô 1658. per Rothomagum Diepam profectus eſt, unde per Oceanum Germanicum in Angliam vectus poſt Londinum luſtratum Oxonii per ſeptem ſeptimanas commorabatur, ùt Anglicæ linguæ ſibi compararet notitiam, & Bibliothecæ Bodlejanæ cimelia evolveret. Londinum dein reverſus ſubſiſtit & hic pauliſper, factâque poſtmodum transfretatione, Belgii Hiſpanici pariter ac Fœderati nobiliores urbes, Roterodamum, Gertrudenbergam, Bredam, Bergen ob Zom, Antverpiam, Bruxellas, Delphim, Hagam Comitum, Amſtelodamum percurſavit, hyemem Lugduni Batavorum tranſacturus, niſi à Parentibus domum fuiſſet revocatus. Inſtabat enim dies Promotionis Doctoralis, hinc monita ſecutus paterna, ſalutatis in viâ Oſnabrugô, Mindâ, Hamburgô ac Magdeburgô, Lipſiam rediit;

rediit, alterôque poſt reditum die Gradum Doctoris, primum inter Candidatos locum obtinens, aſſumſit. Atque hâc ratione ampliſſimus ipſi aperiebatur campus, in quem excurrere, & animi dotes à *Deo* conceſſas, multaque induſtriâ improboque labore excultas prodere poterat. Decumbentium enim valetudini non minùs adeſſe, quàm ad ſtudioſæ juventutis, Hygeæ conſecratæ, utilitatem aliquid conferre, ſuum, id eſt, Eruditi Medici eſſe putavit. Et quoniam indulgentiſſimè tum ei fortuna ad lectum æquè ægroti ac in Cathedrâ favebat, maximam ſibi brevi famam atque gloriam conſcivit. Ne autem illis ſolùm, qui ab ejus dependebant ore, prodeſſe videretur, quod à negotiis ſibi conceſſum videbat otium in diſputationes de ſelectiſſimis materiis conſcribendas inſumpſit. Quemadmodùm Annô 1668. Chirurgiam infuſoriam, Annô 1675. Valetudinarium infantile, Annô 1679. Virtutem Opii Diaphoreticam, Annô 1681. Præcipitantium verum uſum, ferumque abuſum Anno 1682. Ideam præſcribendarum formularum publicè explicatum dedit. Ut alias Diſputationes Academicas, quibus à Reſpondentibus elaboratis, atque à ſe reviſis & emendatis, ut de dolore Hypochondriaco, ſpermate Ceti, Balneis Medicis artificialibus, Reſpirationis humanæ negotiô abſtrusô, malo Hypochondriaco, Epilepſiâ, parvis magnorum morborum initiis, temulentia & corpulentia Præſidem ſe dedit, nunc non commemorem. Quibus omnibus effecit, ùt Medici ſat numeroſi, qui ex ejus ſchola prodierunt, Principum Aulas, Academias, Urbeſque varias ac Regiones non modò exornarint; verum etiam Germanos pariter atque Exteros in ſui admirationem traxerint. Hinc nec honores atque virtutis præmia ipſi defuerunt, ſiquidem Annô 1670. Illuſtri Naturæ Curioſorum Collegiô adſcriptus; Annô 1676. cùm D. Macaſius noſtram relinqueret urbem, in Facultatem Medicam cooptatus, & Annô 1681. cùm D. Hornius è vivis diſcederet, Botanices Profeſſorem Ordinarium & Chirurgiæ Extraordinarium agere juſſus fuit. Cæterum cùm conſortii maritalis ſe indigere intelligeret, tori ſociam adeptus eſt Ann. 1671. Virginem Margaretham, Viri Ampliſſimi Johannis Erneſti Boſii, Senatoris & Ædilis Lipſienſis Filiam natû minorem, ex quâ Filiam adhuc ſuperſtitem per Dei gratiam, atque quatuor ſuſcepit filios, qui, me ſi exceperis, vivere deſierunt omnes. Reſtant ſuprema. Annô 1680. febris Parentem corripuit cum Scorbuto, malo Hypochondriaco, aliiſque ſymptomatibus conjuncta; Et quanquam poſt trimeſtre ſpatium ægrorum lectis ei adeſſe iterùm fuerit conceſſum, radices tamen morbi penitùs evelli nullô modô potuerunt; quin vires in dies magis decreſcere perſenſerit, ſudoribus nimiis, ſiccâ tuſſi, & calore depaſcente valdoperè vexatus. Prodidit tandem ſe morbus complicatus, & ſubeſſe non pulmonum tantùm vomicam, ſed & lienis atque hepatis ſcirrhum, nec non obſtructionem meſenterii pertinaciſſimam, haud obſcurè licebat conjecturari. Cùm igitur anorexia, præcordiorum anxietates & reſpirandi difficultates dictos affectus comitarentur, Hecticâ Febre laborare eum, certò ſatis conſtabat. Lecto demùm affixus eſt ſub anni 1682. terminum & exhauſtis ſenſim ſenſimque viribus, ſequentis anni Menſe Martiô animam *Deo* reddidit, triceſimum nonum nondùm tranſgreſſus annum.

Vides ex his, Vir Magnifice, Patrem meum, dum in vivis eſſet, ſi commemoratas excipias Diſſertationes Academicas, & quædam Programmata, nil ſcriptorum in publicum emiſiſſe; malle enim ſe nihil ſcribere, quàm talia repetere, quæ in vulgus jam nota ſunt, Parenti ſuo, ùt, quæ cum praxi conjuncta ſunt, tædia cum ſcribendi labore commutet, monenti ſæpè reſpondit. Nullus tamen dubito, quin, ſi vitam conceſſiſſet Altiſſimus, Obſervationes, quas uberrima ſuppeditaverat praxis, & experimenta, quibus nunquam non invigilabat, chymica cum orbe Erudito communicaverit, atque quæ in Arte Medica videbantur erronea correxerit, manca ſuppleverit. Sed placuit Divino Numini in optimo ætatis flore omnibus eum eripere terræ miſeriis atque ærumnis æternaque frui felicitate jubere; ſicque nobis nihil niſi ſui recordationem & futuri laboris rudimenta reliquit. Quàm breve autem extiterit temporis ſpatium, intra quod ipſi Medicinæ præeſſe fuerat permiſſum, egregiam tamen eum de ſuâ peritiâ atque dexteritate nactum eſſe exiſtimationem, nemo inficiabitur. Vix enim ſcholas ſuas aperire cœperat, cùm undique concurrentes ab ejus ore dependere geſtiebant Auditores, vixque ſcriptum aliquod emiſerat, cùm ſedulis illud verſare manibus delectarentur Eruditi. Teſtimonium hujus deſideras, *Vir Illuſtris*, ſcias, Medicinam Hippocratis Chimicam, quam Annô 1670. diſputationis loco publicè exhibuit, annô ſequente Lugduni Batavorum ex Officinâ Arnoldi Doude in formâ duodecimâ prodiiſſe, & quam pro locô in Facultate Medica obtinendo habuit diſputationem, poſt mortem ipſiûs Gallicô Idiomate donatam annô 1690. Lugduni Gallorum & ſequenti annô Amſtelodami in formâ duodecimâ lucem denuò vidiſſe publicam. Hocque Eruditorum deſiderium, quô verſus ſcripta à B. D. Patre edita ferebantur, primam dedit anſam Bibliopolis, ùt de diſcurſibus ab Auditoribus ejus in Collegiis calamô exceptis corradendis primùm ſeorſim, tum conjunctim ſub operum Ettmullerianorum titulô edendis, animum induxerint. De quô conatû quid ſentiendum, *Georgius Fabritius Hildanus* audiendus eſt, qui in Obſervationum Chirurgicarum Cent. v. Obſerv. 2. ad Caſparum Hoffmannum ſequentem in modum loquitur: *Scriptum mihi fuit non ità pridem Patavîo, Vratislavienſem quendam Bucretium, Doctorem Medicum, D. Spizelii p. m. Scripta Anatomica & Chirurgica in lucem miſſurum; ſed utinam id ante obitum Spizelii factum fuiſſet; rarò enim ſcripta poſthuma mentem Authoris rectè aſſequuntur. Video id in Chirurgiâ Veſalii à Proſpero Borgarutio edita, in quâ nonnulla, quæ Veſalius propter immaturam mortem perficere non potuerat, ipſe Borgarutius ex aliis Authoribus decerpſit, & Chirurgiæ Veſalii de verbo ad verbum inſeruit, donec tandem perfectum compilarit opus.* Quod ſi enim hæc maneant fata opera poſthuma à defunctis Authoribus conſcripta, quid non metuendum erit de illis, de quibus edendis Author ante obitum nè per ſomnium quidem cogitaverat? Tantùm enim abeſt, ùt Conceptus ſuos eâ intentione ac methodô conſcripſerit B. Parens, quæ in publicum prodire queant, ùt nè dictaverit quidem, exceptis Caſibus reſolvendis, ac Theſibus privatim ventilandis unquam aliquid Auditoribus. Quemcunque igitur hi diſcurſum extemporaneum ferè in chartam conjecerunt, in talia opera coëgerunt. Quis autem neſcit, quantùm differant diſcurſus ejuſmodi in Collegiis prolati à ſcriptis luci publicæ exponendis? quis neſcit, quantâ ſæpè incuriâ Auditores dictata Præceptoris calamô excipiant, & contrarium haud rarò Authori affin-

affingant ſenſum? Etſi autem teſtamentô Paternô erat cautum nè Libri & Mſta. diſtraherentur, donec neutrum filiorum litteris operam daturum eſſe conſtiterit, nihilominus

Sub ejus nomine talia hæc extant Opera à nobis non emiſſa.

Chimia Rationalis, ac Experimentalis Curioſa ſecundum principia recentiorum adornata, variiſque ac propriis experimentis tam Chimicis, quàm Practicis, ut & Medicamentis nobilioribus referta, comite ſemper ratione, nunquam adhuc publicam lucem viſa, jam verò in ordinem redacta, ac boni publici causâ edita curâ ac ſumptibus Joh. Chriſtophori Auffeldi Med. Doct. Lugduni Batavorum Annô 1684. in 4.

Medicus Theoriâ & Praxi generali inſtructus, hoc eſt, Fundamenta Medicinæ vera, olim à D. Michaele Ettmullero Medico & Practico Lipſ. Celeberrimo Prof. Publ. privatim tradita, Luci publicæ nunc primum donata & Indice duplici ornata: cum Privilegio Elector. Saxon. Francofurti, ac Lipſiæ, ſumptibus Michaelis Guntheri Bibliopolæ Dreſdenſis 1685. in 4. In quo libro ea continentur, quæ in Inſtitutionibus Medicis privatim Authoribus fuerunt propoſita.

Opera omnia Theoretica & Practica, in quibus univerſa Praxis Medica, ſive omnium totius corporis humani morborum dilucida deſcriptio, eorumque cauſarum accurata explicatio, & curatio per ſelectiſſima & optima medicamenta ſecundum principia & experimenta Chymica ac Anatomica Clariſſimorum Virorum Helmontii, Williſii, Sylvii, Tackenii, aliorumque Neotericorum exhibetur. Accedit Chirurgia Medica, pulcherrima methodo omnes affectus externos explicans, eorumque cauſas, reſtitutionem & curam deſcribens. Ut & Methodus Conſultatoria, per variorum Caſuum exempla docens morborum reſolutionem & Curationem. Annexi ſunt in fine de particularibus quibuſdam Materiis Tractatus ejus ſingulares. Lugduni, 1685. in 4. Quæ editio eadem eſſe videtur cum illa, quæ Londini annô 1683. in Quarto impreſſa in Actis Philoſophicis Anglicis perhibetur.

Opera Pharmaceutico-Chymica, Ejus ſcilicet I. Schrœderus dilucidatus, ſeu Commentarius in Johannis Schrœderi Pharmacopoeiam Medico-Chymicam II. Commentarius in Danielis Ludovici Diſſert. de Pharmacia moderno ſeculo applicanda III. Pyrotechnia Rationalis ſeu Collegium Chymicum Experimentale. Quibus pro Appendice annexæ ſunt Ejuſdem diſſertationes ſelectæ Academicæ multum hactenus expetitæ cum Præfationibus & Indicibus Rerum & Verborum copioſiſſimis. Lugduni, 1686. in 4.

Opera omnia, nempe Inſtitutiones Medicinæ cum Notis, Collegium Practicum, generale & Speciale, de Morbis Virorum, Mulierum & Infantium, Collegium Chirurgicum, Notæ in Morelli Methodum de formulis Medicamentorum præſcribendis, in Ludovici Diſſert. Pharmaceuticas, & in Schrœderi Pharmacopœiam; Chymia Rationalis cum Collegio caſuali, & variis Curioſiſque Diſſertationibus aliis. Opus poſthumum, poſt varias Editiones mancas nunc hinc indè ſuppletum & Indice copioſiſſimô inſtructum; cum Præfatione D. Georgii Franci à Franckenau, in Electorali Heidelbergenſi univerſitate Medicinæ Profeſſoris Primarii, ac Pro-Cancellarii, aliquot S. R. I. Electorum & Principum Conſiliarii & Archiatri. Cum Gratia & Privilegio S. Cæſ. Maj. & Sereniſſim Elect. Saxon. Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Johannis Davidis Zunneri Annô 1688. in folio.

Opera Medica Theoretico-Practica, hoc eſt, Exercitationes & Collegia omnia, ab eodem tam publicè quàm privatim & privatiſſimè quondam habita, in quibus univerſa doctrina & Praxis Medica, ſive omnium totius humani corporis morborum dilucida deſcriptio, eorumque cauſarum accurata explicatio & curatio per ſelectiſſima & optima medicamenta, ſecundum principia & Experimenta Chymica ac Anatomica Helmontii, Williſii, Sylvii, Tackenii aliorumque Neotericorum exhibetur; unà cum Chirurgia Medica, Methodo item Conſultatoria, qua per variorum caſuum exempla, morborum reſolutio & curatio docetur; Adduntur & Tractatus ſingulares alii de particularibus quibuſdam materiis. Opus poſthumum & Philoſophis & Medicis, omnibuſque rerum naturalium curioſis ſummè neceſſarium atque utile; olim quidem ab Illuſtri Viro Domino Georgio Franco Lib. Bar. à Franckenau &c. recenſitum, nunc verò ſecundum ultimas B. Authoris hypotheſes harmonicè connexum, ac prioribus Editionibus duplô plus auctius, accuratius, correctiuſque & ob novæ Materiæ cumulum in duo Volumina digeſtum, cum Indice locupletiſſimo, curâ & operâ Johannis Caſpari Weſtphali, Medic. Doct. Academici Curioſi. Cum Privilegio Cæſ. & Elect. Saxon. Francofurti ad Mœnum, Impenſis Joannis Davidis Zunneri A. O. R. 1696. in folio.

Libri hujus Textum ſi examinaveris atque cum prioribus Editionibus contuleris, parum offendes quod hæ nondum exhibuerunt; Et quæ in prioribus paucis & claris verbis fuerant dicta, & expoſita, in nova hac longis amplificationibus obſcurata invenies; imò cramben ter quaterve coctam deguſtabis, & quæ medicamentorum præparationes in Collegio Chymico propoſitæ fuêre, in Collegio Schrœderianô, Ludovicianô & in Practicô iiſdem ferè verbis repetitas obſervabis.

Operum omnium Medico-Phyſicorum Editio noviſſima, cæteris omnibus tum accuratior, tum felicior; operâ & ſtudiô Petri Chauvin, Med. Doct. Collegio Lugdunenſi aggregati in fol. 2. Vol. Lugduni, Hæc Editio in Ephemeridibus Eruditorum Gallicis Annô 1690. recenſita eſt.

Opera omnia in Compendium redacta, in quo continentur I. Inſtitutionum Medicarum ſynopſis ab ipſo Authore concinnata. II. Pyrotechniæ Rationalis ſeu Collegii Chimici Epitome. III. Commentarius in Schroederi Pharmacopœiam contractus. IV. Univerſa Praxis Medica in anguſtum coacta. Cui in calce adjicitur Chirurgia Medica ſummatim perſtricta. Londini, 1701. & Amſtelodami 1702. in 8. Qui hujus curam editionis geſſit, omnibus omiſſis ambagibus, neglectiſque Authorum allegatorum locis in compendium conatû forſan non contemnendô omnia redegit, & quæ integram occupaverant paginam, in enunciationem quaſi logicam coëgit.

Opera Medica Theoretico-Practica per Filium Mich. Erneſt. Qui innumeras quibus hactenùs ſcatuerunt, mendas ſuſtulit, Hiulca ſupplevit, Luxata reſtituit, ſuperflua delevit, novoſque ex manuſcriptis Paternis Tractatus addidit. Francofurti ad Mœnum ex Officinâ Zunnerianâ, 1708. in fol. tribus voluminibus diviſa.

Sic tandem denuò prodierunt in lucem opera Ettmülleriana, poſt varia fata ſuo reſtituta nitori. Cùm enim Miſtorum Beati Viri unicus exiſtat

exiſtat hæres Filius ejus Collega noſter per induſtrius, fas piumque hic duxit, memoriam Beati ſui Parentis ab immortalitate vindicare, & ex illis innumeras, quibus priores horum operum editiones ſcatuerunt, mendas tollere, hiulca ſupplere, luxata reſtituere, atque ſuperflua delere. Imò addidit, quæ hactenùs lucem nondùm viderant publicam, Tentamina Vromantica, Tentamina Chymica, Diſſertationem de fermentationis & putredinis convenientia, atque Caſus & obſervationes Practicas. Quod benevolum Lectorem latere noluimus.

Elenchus Librorum in hiſce Operibus contentorum. In Tomo I. *continentur*

I. Michaelis Erneſti Ettmulleri D. Epiſtola ad Illuſtrem & Magnificum Dominum Schrœchium, Annô 1703. data, & Præfaminis loco operibus præmiſſa.

II. Diſcurſus Phyſicus de Principiis Corporum Naturalium, ſeu Collegium Phyſicum Generale, continens ea, quæ Tyroni Medicinæ ſcitû ſunt neceſſaria.

III. Inſtitutiones Medicæ.

IV. Tentamina Uromantica.

V. Collegium Chymicum.

VI. Tentamina Chymica.

VII. Diſſertatio de fermentationis & Putredinis convenientia.

VIII. Collegium Pharmaceuticum in Johannis Schrœderi Pharmacopœiam Medico-Chymicam.

IX. Collegium Pharmaceuticum in Danielis Ludovici Pharmaciam moderno ſeculo applicandam.

Tomi II. Pars I. continet.

X. Collegium Practicum.

Tomi II. Pars II. continet

XI. Collegium Medico-Chirurgicum.

XII. Diſputationem de Fermentatione, & Lectiones publicas de Chirurgia transfuſoriâ.

XIII. Collegium Conſultatorium.

XIV. Caſus & Obſervationes.

XV. Diſſertationes Academicas vel à B. Parente elaboratas & Diſputationum loco publicè expoſitas, vel ſub ejus Præſidio habitas. Bina tandem etiam Programmata Medica.

Nuperrima jam extat editio Typis hoc anno 1729. exorſa Neapoli, in V. volum. digeſta in fol.

De eo etiam habentur in Lindeniô Renovatô

Diſſertatio de Virtute opii diaphoreticâ. Jenæ, apud Johannem Bielchium 1682. in 4.

Obſervatio Medica de Crinonibus ſeu Comedonibus Infantum. Extat Act. Eruditor. 1682. publicat. p. 316. Lipſiæ apud Johan. Groſſium & J. F. Gletiſchium 1682. in 4.

Obſervatio Medica de Sironibus. Extat ibidem pag. 317. apud eoſdem annô & formâ iiſdem.

ETTMULLERUS (*Mich. Erneſtus*,) Michaelis Filius, Philoſoph. & Medicinæ Doctor Anatomiæ & Chirurgiæ in Academiâ Lipſienſi Profeſſ. Publ. Extraordin. & Acad. Leopold. Nat. Curioſ. Collega.

De eo habentur in Ephemer. German. Centur. I. *&* 2.

Obſervatio 44. *De Fœminâ gravidâ, Ana ſarcâ laborante, multùm purgatâ ſine noxâ.*

Foemina 40. Annorum patiebatur appetitum proſtratum, laſſitudinem, abdominis tumorem, faciei colorem pallidum, ejuſque cum artubus tumorem. Pulſum habebat parvum, urinam reddebat tenuem & aquoſam. Accerſitus ad eam, ſeduló ſciſcitabar, nùm gravida eſſet? id cùm conſtanter negaret, ſiquidem ex nullô ſignô imprægnationem hariolari valebat, propinavi purgans, ex jalappa & nitrô depuratô; unde decies dejecit aquoſas fœculentias cum euphoriâ. Interpoſitis quibuſdam medicamentis amaris & diureticis cum omnis nondùm evanuiſſet tumor, ùt eundem ordinarem pulverem purgantem, multis me efflagitabat precibus miſera, ſummum ſe exindè iterùm percepturam forè levamen rata. Id quod annuebam & eôdem cum ſucceſsû operabatur pharmacum. Tertiâ vice paucis diebus poſt, me inſcio, à Pharmacopolâ petit purgans, ex quô ultrà 20. habuit ſedes; continuatis ſic amaris convaluit. Sed interjectô menſis ſpatiô me accedit, narratque gravidam ſe eſſe, & medium jam ingravidationis tempus ſuperâſſe, ſiquidem enormem fœtûs motum percipere ſe referebat. Debitô igitur tempore ſanam atque vegetam enixa eſt filiam, quam ex ſacrô baptiſmi lavacrô ſuſcepi.

Scholium.

Multùm ſæpè negotii faceſſit Medicis hydrops, dum eum ab imprægnatione diſtinguere geſtiunt. Quandóque enim uſque adeò conceptionis veræ latent ſigna, ùt pro hydropicis habeantur, quæ tamen impraegnatè ſunt. *Franciſcus* enim *Mauriceau des Maladies des femmes Groſſes* Libr. I. cap. I. bina refert exempla fœminarum per 6. vel 7. menſes draſticis medicamentis vexatarum, donec fœtum in lucem pepererint incolumem. Alia exempla lege apud D. *Riedlinum Linearum Med. Ann.* 6. *pag.* 121. *&* 943. Sic ſuperiori annô apud nos honeſta mulier, quæ per 44. annos ſterile egerat conjugium, præter alia ſymptomata abdominis molem ſenſim increſcere ſenſit, menſes quidem erant ſuppreſſi, ſed nullum præterea aderat impraegnationis ſignum, uſque adeò ùt Medicus, ejus curam gerens, ſeptuagenariô Major paucis ante partùm diebus dixerit, æquè impoſſibile eſſe, ùt ipſe ſit gravidus ac iſta fœmina. Ut taceam talia exempla muliercularum, quæ ex furtiva venere conceperunt, ac etiamſi fœtûs motum manifeſtè percipiant, id tamen conſtanter negant, ſicque ſtudio imponentes Medico hydropicas ſe fingunt. Vid. *Foreſti Lib.* 28. *Obſ.* 59. *in ſcholiô.* E contrariô non raró verus fœminas torquet hydrops, ſub cujus tamen larvâ fœtum latere Medicus, ſed fruſtrà veretur Scytæ enim non ſolum mulieres juxta *Hippocratem* de *Aere aquis & locis* hac ratione decipiuntur, ſed noſtratibus idem contingere fatum *Bartholini* teſtatur hiſtoriâ 6. Libri 3. & *Zacchias Quaſt. Medico-Legal.* Tom. 3. Conſ. 26. Nec rari ſunt caſus, ubi cum verâ ingravidatione hydrops combinatur, quales reperiuntur *apud Hildanum Cent.* 2. *Obſerv.* 56. *Schenckium Obſerv. Medicinal. Lib.* 4. *Obſerv.* 15. *Foreſtum Lib.* 2. *de incertô ac fallaci urinarum judiciô. Mercurialem de Morb. Mul. Lib.* 1. *cap.* 2. *Dodonæum Obſerv.* 49. *in ſchol. Primeroſium Lib.* 2. *cap.* 7. *Gockelium Lib.* 2. *conſil.* 35. *Platerum Lib.* 3. *Obſervat. pag.* 637. alioſque. Et tùm certè non ſemper & ubiquè purgantibus atque diureticis, quæ præſentiſſimi aliàs obſervantur eſſe præſidii, in hydropis curâ uti licet. Verendum enim foret, nè virulen-

ta

ta purgantium qualitas nutrimentum fœtus corrumpat, & acrimoniâ uterum, inteſtinô rectô contiguum, vellicando hunc ad ſui contractionem ſicque fœtus ante tempus expulſionem ſtimulet. Innoxiè tamen purgantia quandoquè ferre gravidas, præter noſtrum caſum aliorum docent obſervationes Medicorum, e. g. *Rhodii* Lib. 3. Obſerv. 15. Zacuti Luſitani Medic. Princip. Hiſt. 14. Lib. 3. & Praxeos admirandæ Lib. 2. Obſervat. 144. Renealini obſ. Med. rar. 148. &c. ſcilicèt obſervanda eſt regula Divi noſtri *Coi ſect.* IV. *aph.* I. *Prægnantes*, dicentis, *purgabis, ſi materia turgeat, quadrimeſtres & uſque ad ſeptimum menſem, ſed has parcius; Juniores autem & ſeniores cautè purgare oportet. In hydrope* enim turget & abundat omninò materia ſeroſa, & ad ſecedendum maximè eſt idonea. Nec tamen lenientia & laxantia primis tribus menſibus incongruè propinari poſſunt, modò abſtineamus ab aloë & caſſia; ab illa quidem, quia venas reſerat, ab hâc verò propter flatulentias & tormina, quæ patrat. Et quidni Naturæ Miniſter debitis ſub cautelis diarrhœam ejuſmodi quaſi artificialem concitet, cùm ipſa natura in gravidis talem ſubindè ſine noxâ paret. Quanquam enim juxta effatum *Hippocratis* ſect. IV. aphor. I. Mulieri uterum gerenti, ſi alvus multùm fluat, periculum ſit, nè abortiat; tenendum tamen, quod Nævius apud Scholzium Conſil. 340. inculcat; ubi videris fluorem ad ſiſtendum inobedientem, nè multùm urgeas; ferunt enim nonnunquam prægnantes ejuſmodi evacuationes uſque ad partum citra noxam; uti contigit in uxore fratris mei, quæ prægnans per 4. menſes ſanguinolentas dejectiones etiam cum raſurâ inteſtinorum paſſa eſt, nec ullô medicamentô ſiſti poterat, tandem excluſô fœtû ſanô & incolumi ſponte ſuâ intermiſit. Id quod pariter Platerus Lib. 3. Obſervat. pag. 855. & *Bonettus* Pharos Medicorum pag. 564. confirmant.

Ibidem Obſervatio 45. *De Certô & infallibili imprægnationis ſignô.*

ANna Maria, Pauli *Heerbects*, calceis reſarciendis operam navantis uxor, quotieſcunque concepit, & antequam alia ingravidationis ſigna compareant, ſanguinem ex bregmate ſiniſtrô extillare percipit qui fluxus licèt ſat copioſius ſit, innoxiè tamen eundem ad partûs uſque tempus fert, ubi ſponte ceſſat.

Scholium.

Quam difficile ſit, ab hydrope ingravidationem dignoſcere in ſuperioris obſervationis Scholiô monitum fuit. Sed nec certa adeò in genere conceptionis ſigna primis potiſſimùm menſibus exiſtunt, quin vel falsâ vel fallaciâ, & aliis morbis communia eadem, atque experimenta, circa hanc rem commendata valdè periculoſa ſint. Indè enim fit, non modò utque revera fatentur obſervationes variæ, e. g. *Zacuti Luſitani Praxeos admir. Lib.* 2. *Obſ.* 148. *Zacchiæ Quæſt. Med. Legal. Tom.* 3. *conſ.* 26. *pag.*40. *Miſcel. Nat. Carioſ. Dec.* I. *Ann.* I. *Obſerv.* 45. *&c.* Verùm etiam ut illæ, quæ neutiquam exiſtunt gravidæ, ad partus tamen dolores urgeantur, conf. D. *Riedlini Lin. Med. Ann.* V. *pag.* 1004. Multominùs ſexum embryonis prædicere quidam, ut gloriantur, poterunt, *Hippocratis* effatô ſect. V. Aphor. 48. *Fœtus mares dextra uteri parte fœminæ ſiniſtrâ magis geſtantur*, decepti; ſiquidem hoc ipſum *Thomas Bartholinus Cent.* V. *hiſt.* 88. propriæ & Braſavoli uxoris exemplis refutat, & animalium ſectiones juxta Benedictum *Veronenſem Lib.* 25. *cap.* 7. redarguunt, dum ſæpenumerô evenit, ùt eâdem in parte uteri Gemini, mas & fœmina gerantur. Et novi ego fœminam, quæ utriuſque ſexus liberos in lucem produxit, omnes tandem in dextrâ parte conceperat. Aſſeverare tamen auſim, dari in quibuſdam individuis certa & infallibilia ingravidationis ſigna; quemadmodum *Guillemeau dans l'heureux accouchement* Lib. I. cap. II. refert de fœmina, quæ à primô, quô concepit die, Vomitus pati ſolebat; continuatos, donec fœtum iterùm enixa eſſet. Sic novit *Fernelius* V. *Patholog. Cap.* 3. non paucas mulieres, quæ quotiès uterùm geſtabant, crebrò epilepſiâ corruebant, à quâ aliô tempore, liberæ exiſtebant. Et *Panarolus Jatrologiſm. Pentecoſt.* V. Obſ. 46. fœminam allegat, in quâ, quotiès uterô gerebat, ſtatim primis menſibus vena tumens in femoris internâ parte propè genu apparebat. Porrò *Ballonius in Conſil.* 140. in Scholiô teſtatur, quod mulier quædam continuis cephalalgiis vexata ab iiſdem extiterit immunis, ubi conceperat. Spectat hùc obſervatio *Sauleji* in fœminâ quæ non niſi gravida herniam uterinam eſt perpeſſa, vid. *Zodiac. Med. Gallic. Ann.* 3. *p.* 52. item *Plateri Lib.* 3. *Obſ. p. m.* 638. de muliere, quæ quotiès imprægnata erat, in aſcitem incidebat, ut & *Samulthii Cent.* II. *Obſ.* 54. referentis, fœminam ſingulis imprægnationibus crebros vomitus materiæ purpureæ, ſubcraſſæ & copioſæ paſſam eſſe, ac tandem *Hagendornii* in *Hiſtor. Medico-Phyſic. Cent.* I. *hiſt.* 91. in fœminâ, quæ quotiès uterum gerebat, hoc ſibi proprium habuit, ùt circa quartum & quintum geſtationis menſem levi de causâ nihil tale cogitans in planitie etiam in terram deciderit, alioquin nec epilepſiæ nec lypothymiæ obnoxia. Atque hùc deniquè & noſter caſus eſt referendus. Nec culpandus forſan ero, ſi dixero, poſſe quandoquè certò præſcire mulieres quaſdam, cujus ſexûs fœtum geſtent; Edoctus hoc fui exemplô materteræ meæ, quæ octiès jam peperit, primâ vice filiam, ſecundâ, tertiâ, & quartâ filios, quintâ & ſextâ filias, ſeptimâ filium, octavâ filiam; quotiès igitùr filias conceperat, nihil extraordinarii quoad uterum notaverat, aſt ſemper quotiès filios geſtabat, ultimis geſtationis menſibus inſignem uteri prolapſum paſſa eſt; quemadmodùm & aliam novi fœminam quæ quotiès filium enitebatur, totiès lactando lacte abundare ſolebat, dùm verò filiam peperit, parciorem longè lactis proventum experiebatur. Quod hæmorrhagias attinet, quas perpetiuntur frequentiùs gravidæ, proſtat equidèm Hippocratis Aphoriſmus 60. ſect. V. *ſi prægnanti purgationes menſtruæ procedunt, benè valere fœtum eſt impoſſibile.* Excipiuntur tamen ab hâc regulâ plethoricæ; ſiquidèm quotidiana docet experientia, ſolvere quaſdam mulieres tributum lunare non primis ſolùm menſibus, ſed per totum quandoquè geſtationis tempus abſque ullô tamen abortûs metû. Sic & reliquas hæmorrhagias uteri, modò non cum diſruptione ſecundinarum ab uterô contingant, gravidis & fœtui minùs exiſtere funeſtas quotidie docemur. Talia exempla leguntur apud *Blegny in Zodiacô Medicô - Gallicô Ann.* 2. *pag.* 141. *Thomam Bartholinum in Cent.* 3. *hiſt.* 13. *Gabelcho - verum in Cent.* IV. *Curat.* 94. *& Horſtium in Lib.* 4. *Obſ.* 5. *p.* 158. Minùs periculoſæ obſervantur hæmorrhagiæ ex aliis corporis locis profluentes. Vomitus enim ſanguinis copioſos

copioſos eoſque innoxios annotârunt *Salmuth. loc. cit. & Scharffius in Miſcell. Nat. Curios. An. 9. & 10. Obſ. 6.* hæmorrhoidum fluxum enormem abſque tamen vel matris vel fœtûs noxâ *Schenkius Obſervat. Medicinal.* Lib. 3. p. 358. narrat. Hæmorrhagiam menſium per talum *Cummius in Miſcell. Nat. Curios. Dec.* I. *Ann.* I. *Obſervat.* 96. commemorat; & ſanguinem per dextram papillam fluentem *Amatus Luſitanus Cent.* 7. *Curat.* 48. recenſet.

Ibidem Obſervatio 46. *De Cephalalgiâ ex Lactatione.*

Ibidem Obſervatio 47. *De Ulcere mammarum ex Phthiſi.*

Ibidem Centur. 3. *&* 4. *Obſervatio* 126. *De Arſenicô ſine inflammatione necante.*

ETZLERUS (*Auguſtus*,) Albimontanus.

Ex eo habentur

Brevis Tractatus, Fundamentum Medicinæ æternum explanans, & ad quintuplicis entis morbifici Cognitionem viam ſternens. Halæ-Saxonum, apud Chriſtoph. Biſmareum, 1613. in 8.

Introductorium Jatro-Mathematicum. Ibidem, apud Petrum Fabrum, 1622. in 8.

Iſagoge Phyſico-Magico-Medica. In quâ ſignaturæ non paucorum Vegetabilium & Animalium, tam internæ quàm externæ, accuratè depinguntur, ex quibus Mundi ſuperioris Aſtralis, cum inferiori Elementali Mundo Concordantia, & influentia, mirabiliſque & occulta ſympathia & Anthipathia rerum, manifeſtè eluceſcunt. Argentinæ, apud Caſp. Dietzelium, 1631. in 8.

EVANDROPHYLAX.

Ex eo habetur

Adverſus Aceſiam Cacodoxum, qui ſe falsò Eudoxum Philalethem facit, Ant-Apologia. Brixiæ, apud Hæredes Damiani Turrini, 1572. in 4. Auctor eſt Vincentius Calzavelia, *Brixianus.*

EVAX. Rex Arabum, Medicinæ ſtudioſiſſimus, familiaris Neroni. Vixit A. C. 59. Juſtus in Chronol. Medic. Moreau de Pleurit. Vixit A. C. 50.

De eô extat

De Gemmis ſcriptum, olim à Poëtâ quodam non infeliciter Carmine redditum, & nunc primùm in lucem editum operâ & ſtudiô D. Henrici Rantzovii. Lipſiæ, apud Georg. Defnerum, 1585. in 4.

EUCHYON (*Diodorus*,)

Ex eo habentur

De Polychymiâ, Libri IV. 1567. in 8.

De Aquis, oleis, ſalibus, & Lapide Philoſophico. Amſtelodami, apud Cornel. Nicolai, 1604. in 8.

EVELYNUS (*Johannes*,)

De eô extat

Sylva & Pomona, de novô impreſſa: cum Auctario. Londini, 1667. in fol.

EVERHARDUS (*Aëgidius*,) Antverpienſis.

Ex eô habentur

De Herbâ Panaceâ, quam alii Tabacum, alii Petum, aut Nicotianam vocant, Brevis Commentariolus. Quo admirandæ, ac prorſus divinæ hujus Peruanæ ſtirpis facultates, & uſus explicantur. Antverpiæ, apud Johan. Bellerum, 1587. in 16. Acceſſerunt huic Libello, ut averſâ tituli facie eſt videre, ejuſdem Autoris operâ, editi ſeqq. Lib.

Compendioſa Narratio de Uſû, & praxi radicis Mechoacanæ, ex Hiſpaniâ novâ Indiæ Occidentalis nuper allatæ.

Gerhardi Bergenſis Medici, de Peſtis præſervatione Libellus ad. S. P. Q. Antverpienſem. Vid. Gerhard. Bergenſis.

Galeni Pergameni Libellus de Theriacâ ad Piſonem, interprete & Commentatore Johanne Juvene, Medico Iprenſi.

Ejuſdem de Antidotis Libri II. ab Andreâ Lacunâ in Compendium redacti.

Johannis Juvenis Opuſculum de Medicamentis Bezoardicis, quorum uſus à peſte præſervat.

EVERHARDUS (*Antonius*,) Medioburgenſis.

De eo extant

Novus & Genuinus Hominis Brutique Animalis exortus. Medioburgi, apud Franciſcum Kroock, 1661. in 12.

Lux è tenebris affulſa ex Viſcerum Monſtroſi Partûs enucleatione. Ibidem, apud Jacobum Firenſium, annô & formâ eâdem.

Collatio Antiqui Morbi recrudeſcentis cum Gallico vel Indico. Medioburgi, apud Franciſcum Kroock, 1661. in 12.

EVESHAM (*Hugo de*,) aliàs Atratus & Atractus, Anglus, ab Oppidô Diæceſis Wigornienſis, in quo eſt natus, cognominatus Eveſham, in pietate, ac litteris enutritus, tantùm in illis profecit, ùt ſui ſeculi Phœnix diceretur. Scientiam omnium cupidiſſimus, totus in ſtudiis erat, ſtudiaque intermittebat nunquam. Hinc omniſcia ditatus eruditione, Medicinæ tamen apprimè operam dedit, & optimus habitus Medicus, ac ex Gymnaſiorum frequentatione continua, totâ Europâ notiſſimus fuit. Hujus Medici famâ permotus Martinus II. dictus IV. Pont. Max. Romam accerſivit, ſuumque Medicum dixit, & Pontifici imprimis carus, eidem variis in rebus doctrinâ & diligentiâ ſuam ille fidem probatum ivit, hinc a Martinô in numerum Cardinalium S. R. E. meruit cooptari: Medicinæ peritiæ, Matheſeos quoque cognitionem perbellè Hugo immiſcebat, quapropter ſui ævi eruditis & aulicis curioſis gratiſſimus enituit. Scripſit ex Oldoinô in Athenæo Romanô.

Medicinales Canones.
Problemata quædam.
De Genealogiis Humanis Librum I.
Super Opere Febrium Iſaac Opuſculum.
Diſtinctiones Prædicabiles.
Poſtillas ſuper Biblia. Et alia quædam.

Alios de eô tractantes videas apud eundem Oldoinum, præter Ciaconium Vitarum Pontificum, & Cardinalium, noviſſimæ editionis Tom. 2. *Mandoſius in Vitis Archiatr. Pontific.*

EUGALENUS (*Severinus*,) Doccumanus.

De eô extat

De Scorbutô, Morbô, Liber. In quo omnia, quæ de ſignis ejus diagnoſticis dici poſſunt,

ſunt, tractata continentur. Cui adjectæ quædam Obſervationes ſunt: cum brevi & ſuccincta cujuſque curationis indicatione, à Joſephô Stubendorfiô, *Halenſi*, conſcriptæ. Lipſiæ, apud Bartol. Voigt, 1604. in 8. Jenæ apud eundem. 1624. in 8. Hagæ Comitis, apud Adrian. Ulacq, 1658. in 8. Lipſiæ, 1662. in 8. & Amſtelodami apud J.F. Bernard, 1720. in 8.

EUGENUS (*Lactantius*,) Montis-Fanenſis.

Ex eô habentur

De Maris & Fœmellæ Generatione, Opuſculum. Anconæ, apud Aſtulphum de Grandis, 1568. in 8.

EUMELUS.

Ex eô habentur

De Mulomedicinâ Capita aliquot. Extant inter Veterinariæ Medicinæ ſcriptores, qui editi ſunt Græcè. Baſileæ, apud Johan. Valderum, 1537. in 4. Latinè autem ex interpretatione Johannis Rüellii. Pariſiis, apud Sim. Colinæum, 1530. in fol.

EUNAPIUS Sardianus, ſub Valentiniano, Valente, & Gratianô, Sophiſta, Medicus, ac Hiſtoricus inſignis, Proæreſii diſcipulus, ac affinis Chryſanthii, quippè qui Euſtapius impulſû hujus Chryſanthii ſcripſit de vitis Sophiſtarum, opus elegans ac venuſtum; ſed in quô paſſim prodat; quàm Chriſtiano nomini fuerit infeſtus. Idem res geſtas Cæſarum, exindè orſus, ubi deſierat Dexippus, a Claudiô Videl. ad Arcadii & Honorii perduxit: Velut alii, à fine Herodiani, uſque ad ſua tempora. Sed nihil reſtat præter vitas Sophiſt. & fragmenta quædam. Julianum Apoſtatam Conſtantino Mag. antetulit; Compilatorem nactus eſt Loſtmum. *Vid. Phot. Bibl. Cod.* 77. 68. & Voſſ. de Hiſt. Gr. L. 2. C. 18. Hoff. Dict. T. ij.

EVONYMUS (*Philiat.*)

De eo extat

Theſaurus de Remediis ſecretis. Tiguri, 1553.

EUSTACHIUS (*Bartholomæus*,) Sancto-ſeverinus, Romæ ex eôdem, quod hic tractamus, ſtudio ingentem ſibi famam comparavit, dùm non ſolummodô in ſectionibus brutorum animantium, ſed ipſorum quoque Cadaverum humanorum diligentiſſimam navavit operam. Non quidem integram partium H. E. hiſtoriam concinnavit; Attamen Varias ſcientiæ Anatomicæ partes ſibi evolvendas ſumpſit. Etenim de ſtructurâ & officiô renum, de Venâ Azygos, de organis auditus, examen oſſium, de dentibus, aliaque opuſcula Anatomica ſcripſit. *Goëlike Hiſt. Anat. p.* 49.

De eo extant

Opuſcula Anatomica; nempè, de Renum ſtructurâ, officiô, & adminiſtratione: De Auditûs organis: Oſſium examen: De motû Capitis: De Venâ, quæ Αζυγος Græcis dicitur: & de aliâ, quæ in flexû brachii communem profundam producit: De Dentibus. Venetiis, 1563. apud Vincentium, Luchinum, 1574. in 4.

Erotiani, Græci Scriptoris Vetuſtiſſimi, Vocum, quæ apud Hippocratem ſunt, Collectio. Cum Annotationibus Barthol. Euſtachii. Ejuſdemque libellus de Multitudine. Venetiis, apud Luc. Ant. Juntam, 1566. in 4.

Tabulæ Anatomicæ Clariſſ. Viri Bartholomæi Euſtachij, quas è tenebris tandem vindicatas, & S. D. Clementis XI. Pontif. Max. munificentiâ, donô acceptas, Præfatione, Notiſque illuſtravit, Johan. Maria Lanciſius, Intimus Cubicularius, & Archiater Pontificius. Romæ, 1714. apud Franciſcum Gonzagam, fol. Item Genevæ in fine Theatri Anatomici Mangeti, apud Cramer & Perachon, 1717. fol.

De harum priori editione ſic Acta Lipſienſ. Ann. 1715. *pag.* 329.

Anatomicos inter, qui Seculô decimô ſextô inclaruerunt, Bartholomæus Euſtachius, Sancto-Severinas, Medicus & Philoſophus, tantò majorem nominis meruit celebritatem, quantò majus ſtudium, cùm in brutorum, tum in hominum penè infinitorum corporibus incidendis, multos per annos Romæ collocavit, quantoque fidelius plura obſervata cum publico in Opuſculis ſuis Anatomicis communicavit. Hæc ſiquidem, Renum ſtructuram, officium & adminiſtrationem, Auditûs organa, Examen Oſſium, Capitis motum, Venam, quæ ἄζυγος Græcis dicitur, aliamque, humerariæ, propaginem, atque Dentes pertractantia, poſtquam Venetiis Ann. 1563. in 4. lucem primùm aſpexiſſent, tam avidè ab artis Anatomicæ cultoribus excepta fuerunt & diſtracta, ut Petrus Matthæus Pinus, Urbinas, quem vivus laborum ſuorum ſocium eſſe voluerat, alteram eorum editionem Venetiis pariter Ann. 1574. in 4. paraverit, ſed partim Autoris annotationibus ex Hippocrate, Ariſtotele, Epheſo, Aretæo, Galeno, Veſalio, aliiſque, quorum operâ in ſcribendo adjutus fuerat, partim Tabulis nonnullis Anatomicis, Renum potiſſimum conformationem, tria oſſicula auditus cum aliquo mallei muſculo, brachii vaſa ſanguifera & dextrum cordis ventriculum dilucidantibus locupletatam. Nihilominùs & hujus exemplaria quoniam dudum defecerunt, omnes, qui laudata Euſtachii Opuſcula rariſſima, lectû tamen digniſſima, fruſtraneô quæſierunt auſû, plurimum Clariſſimo Hermano *Boerhaave* debent, quod primam eorum Editionem, à Nobiliſſimo *Hotton* obtentam, Lugduni Batavorum Ann. 1707. elegantibus typis in 8. exſcribi atque ex alterâ Figurarum Tabulas, in Bibliothecâ Cl. Ramazzini repertas, non minùs ac *Lealis* ſcriptum de Partibus ſemen conficientibus in Viro, addi curaverit. Aſt cùm Euſtachius non ſolummodò de renum ſtructurâ Cap. 16. Tabularum ſuarum Anatomicarum, annô ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimô ſecundô ære inciſarum, mentionem injecerit, ſed & ſub Opuſculorum frontiſpicio Lectorem ſex & quadraginta Tabulas æneas librumque de Diſſenſionibus ac Controverſiis Anatomicis propediem ſperare juſſerit, multi quidem incredibili deſiderio Tabulas haſce videndi meritô flagrarunt, an voti tamen ſui unquam compotes futuri eſſent, tantùm non deſperârunt. Et certè jactura commendatarum Tabularum æque ac libri de Controverſiis Anatomicis etiamnum deploranda veniret, niſi Illuſtriſſimus Lanciſius eaſdem apud Rubeorum familiam adhuc latentes ſumma ſummi Pontificis perſpicaciâ & autoritate

toritate ex ſtudioſiſſimi Pini capſis in lucem duobus abhinc annis protrahere, ac protractarum impreſſioni quam hic ſiſtimus, annô elapsô Romæ abſolutæ, multum inſuper ſplendoris doctiſſimis ſuis epiſtolis & notis, itemque Fantoni & Morgagni literis, adjicere contendiſſet. Ex quibus omnibus, immortalem Euſtachii gloriam decantantibus, pauca ſolummodò referre hic liceat, quorum præter alia primum inventorem, aut ſaltem delineatorem Euſtachium extitiſſe, tùm opuſcula ejus anatomica, tum præſentes Tabulæ, apertè loquuntur, etiamſi nonnullorum iſtorum inventionem alii poſtmodum ſibi tribuere fuerint annisi. Quemadmodum enim ille omnium conſenſû glandulas renibus incumbentes, quas *Caſſerius* poſteà Renes ſuccenturiatos, Thom. *Bartholinus* Capſulas atrabilarias, & *Whartonus* Glandulas ad plexum ſalutârunt, de Renum ſtructura cap. 6. cum earum ſitu primùm conſignavit, ac in Epiſtola de Auditûs organis meatum, à cavernâ tympani ſive conchæ in narium cavitatem latiori foramine terminantem, ideòque Tubæ Euſtachianæ titulô à multis inſignitum, primus indigitavit, ità & tertium oſſiculum auditus, quod ſtapedem appellant, multò ante, quem Fallopius inventionis ejus laudem in Johannem Philippum ab Ingraſſia referret, Romæ non paucis ſe oſtendiſſe atque in æs incidendum curaſſe, in laudatâ de Auditûs organis Epiſtolâ commemorat, externum unà muſculum, in majorem mallei apophyſin inſertum, exactè primus deſcribens ac in Tab. 7. duabus Figuris exprimens. Equorum adhæc venam albam & aquei humeris plenam, quæ poſteriùs à venâ jugulari interna oſtiô ſemicirculari oriatur, nec longè ab ortû in duas partes ſcindatur, paulò poſt rurſus ità coëuntes in unam, ut hæc nullos ramos diffundens juxta ſiniſtrum vertebrarum latus, penetratô ſeptô tranſverſô, deorſum ad medium uſque lumborum feratur ibique latior effícta magnam arteriam complectatur, dum in Antigrammate 13. Tr. de vena ſine pari detegit, quid aliud innuit quam ductum thoracicum atque receptaculum lumbare in equis primùm à ſe viſa fuiſſe, multò poſt à *Pecquetô* accuratiùs in canibus obſervata. Renum porrò membranam propriam in horum cavo introrſum reflecti, atque vaſorum ramos excipere exceptoſque per omnem renum ambitum ſuffulcire, de Renum ſtructura C. 17. diſtinctè non minùs, ac ſubſtantiam quæ in gibbâ renum cernitur, perquam tenuiſſimis ac viſum propemodum effugientibus vaſorum ramulis ubique haberi refertiſſimam, carunculas verò ſive papillas ex canaliculis reſultare pilorum inſtar ſubtiliſſimis, lotium in pelvis tubulos percolantibus cap. 7 ſcitè annotavit, totamque Renis humani conformationem internam in Tab. 1. Figura 1. arteriarum verò venarumque ramos & pelvis tubulos, Fig. 2. adumbravit. Sepoſitis tamen 8. Tabulis prioribus minoribus & Bartholomæi noſtri Opuſculis etiam anatomicis adjunctis, ex reliquis 39. Tabulis figuras nunc totiûs corporis humani, nunc ſingulorum ejus viſcerum, nunc vaſorum ſanguiferorum & nervorum, nunc muſculorum & oſſium, eleganter repræſentantibus, quæ in Tab. 12. 16. 17. 18. 27. 29. 35. 37. 40. 41. 42. & 46. Lanciſio & Morgagnô celeberrimis potiora fuerunt viſa, haud gravabimur attexere. Nempe in Tab. 12. Fig. 3. & veſiculas ſeminales, & deferentium vaſorum cum iiſdem conjunctionem & duos ſeminis in capite, ut vocant, gallinaceô meatus perſpicuè depicta primus dedit, in Figura 7. quâ veſicularum dictarum ſedes à poſteriori parte oſtenditur, veſicæ urinariæ ſimul fibras monſtrans, quas de Renibus Cap. 13. dixerat craſſas, ferè carneas, variaſque, quoquoverſum diſtributas, ut intuentibus multarum tunicarum ſpeciem habere viderentur. In Tab. 16. Figura 3. præter auriculam dextram, cavam ſuperiorem à Jugulo reducem, ventriculum dextrum per longum ſectum, attentione maximè dignas Illuſtriſſimus Lanciſius duas cenſet valvulas, alteram majorem, quam ſeculô ante *Lowerum* Euſtachius demonſtravit, & alteram minorem orificio venæ coronariæ admotam, cui laudatiſſimus Vir inſignem in Tractatû, quem de motû cordis pollicetur, adjudicabit uſum. Tabulam 17. & 18. quas conſideratione omnium digniſſimas Morgagnus reputat, attentius luſtrantibus ac in Tab. 17. Fig. 2. 4. & 6. ſtudioſius examinantibus haud difficulter pateſcet, Euſtachium haud latuiſſe medullæ oblongatæ duo genera proceſſuum cum cerebello commiſſorum, inferiores videlicèt, à Varolio poſtmodum ſibi adſcriptos, atque ſuperiores, à teſtibus juxta Williſium ad cerebellum protenſos, cum ipſis nervis patheticis ab hiſce prodeuntibus, nec ipſum prætериiſſe duplicem proceſſum choroideum ac nervorum opticorum circumductionem veramque originem, tametſi Ridley duplicem ab utroque latere proceſſum choroideum à nemine ante ſe obſervatum fuiſſe perhibeat, dictamque nervi optici incurvationem cum exortu vero Varolius itidem ſibi adſcribat. In Tabula verò 18. Fig. 1. & 2. accuratiùs excutientes, ibi non modò portionem duram nervi acuſtici ſed & hujus poſt inflexionem, quam in aquæ ductu ſubit, cum chordâ tympani, à pari quintô proveniente unionem, demumque cum hoc eodem pari conjunctionem, hic autem decem nervorum parium intra cranium, egreſſum ex medullâ, reperient, licet Euſtachius non niſi ſeptem, priſcorum linguâ utens, in opuſculis dixerit. In Tabulæ 27. Figuris 2. & 4. eæ mutuæ vaſorum meſaraicorum admodum arcuum communicationes tam eleganter occurrunt expreſſæ, ut vix melius à Johan, Henrico Pauli in Anatome Anatomiæ Bilſianæ exhibitæ fuerint. In Tab. 29. primus omnium Euſtachius occipitales pinxit muſculos quos Fallopius à reliquis omnibus Anatomicis ſcribit eſſe prætermiſſos. Tabula 35. maſtoidæos muſculos, & duplicem habere originem, & ſic in duos utrinque dividi poſſe, ut Euſtachius adverſus Veſalium in opuſculo de motû capitis ſcripſerat dilucidè oſtendit, prout ea, quæ adverſus eundem de duobus capitis muſculis, quos complexos vocant, in proximis ſuperioribus periodis attulerat, à Tabula 37. confirmantur. In Tabula 40. ea cernere licet, quæ Euſtachius in Examine oſſium à ſe præſtita enarravit; *Nonne*, inquiens, *ſolutô prius oculo in ſingulas ſui membranas, quod vix animus capere poteſt, foramen nervi viſorii Tibi & aliis, vel multis reclamantibus, ante oculos ſexcenties poſui?* quaſque venas & arterias *à cerebro per intimiorem nervi viſorii ſubſtantiam trajici ac inde in retinam oculi tunicam diſpenſari* in Libri de multitudine (quem librum Euſtachius cum ſuis Annotationibus ad Erotiani vocum Hippocraticarum Collectionem Venetiis A. 1566.

1566. in 4. emiſit) Capite 32. affirmavit. Cl. Morgagnus ipſe lætatur, quòd Euſtachius in Fig. 5. & 12. Tab. 41. veros muſculorum ſterno & hyothyroidum indigitaverit terminos, quos primus innuiſſe ſibi viſus erat in primis ſuis Adverſariis Anatomicis, à nobis in Actis annô 1708. pag. 29. recenſitis, quodque nec diſſimili à ſe ratione unam itidem glandulam thyroideam cum appendice per thyroidis faciem surſum ſæpe protenſa in Fig. 5. & 8. dictæ Tabulæ propoſuerit, muſculoſque pariter arytænoideos, ſe invicem decuſſantes, in Fig. 1. & 2. Tab. 42. adumbraverit. Quibus demum addere juvabit, in Fig. 3. Tab. 46. Cranium delineari, ſutura ſagittali deſtitutum, ceu cujus defectum Euſtachius in oſſium examine frequenter à ſe detectum fuiſſe aſſeruerat. De cæterô quomodo ſingulæ partes in Tabulis, quos gradus, tum perpendiculares, tum tranſverſales ambiunt, ope Regulæ, ex chartâ vel ære conſtruendæ, ritè ac promptè queant inveniri, *Franciſcus Soldatus* Lectorem uberius docet in ſuis Monitis, cum generali Tabularum Indice non minus hiſce præpoſitis, ac ſub calcem earum ſpecialis rerum & verborum Index deprehenditur.

EUSTACHIUS (*Ferdinandus*,)

De eo extat

De Vitâ humanâ à Facultate Medicâ prorogandâ. Romæ, 1588. in 4.

EUTHIUS (*Joh. Ægidius*,) Diverſorum Principum Conſiliarius & Archiat. Pract. Hagæ Comitis.

De eô habentur in Miſcellan. Decur. 3. Ann. 2.

Obſervatio 4. De Muliere aliàs mente ſanâ, gravidâ demente.

ANnô 1668. *Francofurti* ad *Mœnum*, uxor D. P. 35. annorum, 4. vel 5. liberorum mater, quotiès gravida, totiès mentis fit impos, cachinnatur, garrulatur, geſtus edit diſtortos, indecoros, indè maritus, cunctique conſanguinei, graviditatis indicium deſumunt indubitabile.

Partum enixa, ratio redit illicò, compoſitè & aptè loquitur, comitatem & beneficentiam gravitati aſpergit, ἐυπρεπῶς mulierum obit munia; Magis mirum, partibus numeroſis nè minimam fuiſſe impreſſam labem, ut in aliorum aliàs morborum infectis annotavi acceſſibus.

Et ſequitur leviter filia matris iter.

Ex parentibus aſotiæ deditis, naſcuntur liberi, temperantiæ hoſtes. Κακȣ̃ κόρακος κακὸν ὠόν. Mali corvi malum ovum. *Tiberii* bibacitas, *Caligulæ* crudelitas, nutricibus unanimiter imputatur. Perindè ac ille apud *Juſtinum*, cervæ uberibus enutritus, tantâ pedum velocitate excelluit, ùt cervis ipſis vix cederet. Cæterùm pharmaca tribus è fontibus hauſta hactenùs à gravidâ ſed incaſsùm; quia uterus, ſuffragio facilè omnium, perennis mortalium officina ac diverſorium peropportunum, primò protinùs & ſuppreſſionis & conceptionis ὀργασμῷ καὶ ζυμώσει, idioſyncraſiâ laborans, lunari tributo vacuô, videlicèt, denegatô menſtruô conſuetô, cerebrum, ſummam mentis arcem, mollem & raram ſubſtantiam, naſſæ piſcatoriæ adinſtar, particulis mordicantibus, ſulphureis, acido-auſteris eructantibus, perniciter afficit, ſine tragico tamen exitu, ſpectantium animos nullatenùs perturbante, doloremque ipſis inurente.

Ibidem Obſervatio 5. De Frictionis nimiô uſû.

Ibidem Obſervatio 6. De Epilepſiâ per Metaſtaſin.

Ibidem Obſerv. 7. De Laryngis inflammatione ſuffocationem minante, Curatâ.

ANnô 1685. Magnanimus *Princeps de Croy*, Exercitûs Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Dux primi ordinis, cujus memoriam, ob res præclarè & paſſim geſtas, excipient omnes anni conſequentes; *Viennâ Hagam Comitis*, cælô admodùm inclemente, iter faciens, proque vitæ ſuæ genere ſpernens Diætam, aliàs ſanitatis hodogetam; Quippè ſuſtentatur valetudo, notitiâ ſui Corporis & continentiâ omni in victum & prætermittendis voluptatibus, *Calendis Martii* appulit; noctû feſtinanter accerſor, hunc Heroëm, cujus *Pater Æneas & avunculus extitit Hector*, periculoſo laryngis affectû oppreſſum ac obrutum offendi; haud excluſô rubore, ardore, dolore, tumore, reſpirationem præcludente deglutionemque impediente, abſque quâ vitâ ſuſtentari nequit; niſi enim præproperô niſû & juvamentô Τέκμαρσις, intra 24. fiat horas, perſæpè ſtrangulatione aç ſuffocatione moriuntur.

Phlebotomia aliquotiès peracta, clyſmata conducibilia, alexiteria, temperata, Gargariſmata lepida repellentia, diſcutientia, ſuppurationem præcaventia ὁλικῶς adhibita; Quæ verò arceri nequivit, ea propter maturantia, rumpentia, evacuantia, ulcus ſordidum detergentia, putredinem inhibentia & conſolidantia, in uſum tracta; ſeq. congruô reiteratum tempore, mira ſanè præſtitit.

℞. *Sal. ſuccin. volat.*
Fl. Benz.
Lact. Sulph.
Ambr. gryſ. ver. ā. g. IV.
Moſch. or. g. ij. f. pulv. ſubtil.

Div. in 2. part. æqual. pro duabus Doſibus.

Laudatiſſimus Princeps exoptatum laudavit effectum, ἐυπρεπῶς convaluit, ac curam & diligentiam meam ingenti lenivit congiariô.

Sæpè labore fuit virtus, virtute parata
Gloria &c.

Ibidem Obſervatio 8. De Mandibulis Lucii Piſcis minoris, inſcienter deglutitis, per anum extractis.

Ibidem Obſervatio 9. De Apertione Cadaveris tabe enecti.

Ibidem Ann. 3. Obſervatio 84. De Pædarthrocace ſeu abſceſſû pueris propriô.

Ibidem Obſervatio 85. De Igne perrari artificii Martem lapideſque comburente.

Ibidem Ann. 4. Obſervatio 29. De Piſce marinô prægrandi & monſtroſô.

Ibidem Ann. 5. & 6. Obſervatio 73. De Atramentô ſcriptoriô per benè multos annos abſque ullô aſſervatô rancore.

Ibidem Obſervatio 74. De Piſce monſtroſô & prægrandi.

Ibidem Obſervatio 75. De Piſce figurâ vittæ Gallicanæ vulgò Fontange.

Ibidem Obſervatio 76. De Odontalgiâ pertinaci Venere edomitâ.

Ibidem Obſervatio 214. De Balſamô de Gilead. in apnœâ hyſtericâ, trichiaſique Chronicâ, pertentatô.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 215. *De Tibiâ penitùs ſideratâ, at non extirpatâ ſine corporis tamen noxâ.*

Ibidem Obſervatio 216. *De Roris Majalis mirâ vi variis in Morbis.*

Ibidem Ann. 7. *&* 8. *Obſervatio* 3. *De Apertione cadaveris muliebris.*

Ibidem Obſervatio 4. *De Glacie pentecoſtali, Nive caniculari, & Inundatione autumnali.*

Ibidem Obſervatio 5. *De Zibebarum Smirnæarum gigartis.*

Ibidem Obſervatio 6. *De ſuppreſſione Urinæ in pleuriticâ cum ſudoribus ſummis conjunctâ, non inſalutari*

Ibidem Ann. 9. *&* 10. *Obſervatio* 48. *De Oligaimiâ.*

Ibidem Obſervatio 49. *De manuum ambarum Curvaturâ & ἀδυναμίᾳ.*

Ibidem Obſervatio 50. *De Phlegmone ac ejus progenie.*

EWICIUS (*Johannes,*) Bremenſis.

Ex eo habentur

De Officiô fidelis & prudentis Magiſtratus tempore peſtilentiæ, Rempubl. à Contagiô præſervandi liberandique, Libri duo. Neapoli Nemetum, ap. Matthiam Harniſch, 1582. in 8. Bremæ, 1657. in 8.

Hippocratis de Naturâ humanâ, Libellus genuinus & elegans; novo Gymnaſio Bremenſi propoſitus. Cum brevi εἰσαγωγῇ ejuſdem, & Hippocratis vitæ ὑπομνήματι. Bremæ, apud Theod. Gluickſtein, 1584. in 4.

EYSELIUS (*Joannes Philippus,*) M. D. Anatom. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ. & Facultat. Medicæ in Perantiqua Electorali Geranâ Aſſeſſor Ordinarius P. L. C.

De eô extat

Compendium Phyſiologicum, Modernorum Dogmatibus accommodatum, per Quæſtiones & Reſponſiones diſtinctum, Corporis humani fabricam, quoad omnes partes concinnè deſcribens. Erfordiæ apud Groſchianum, 1698. in 8.

Enchiridion de Formulis præſcribendis ſecundum methodum Caſpari Crameri; multa experimenta jucundiora atque arcaniora continens, ac Junioribus Practicis maximè utile. Ibidem apud eundem, annô & formâ iiſdem. Hic Liber XXV. capit. abſolvitur. I. & II. De formularum præſcriptione in genere, & ſpecie. III. de Bolis. IV. De Electuariis. V. De Rotulis. VI. De Trochiſcis. VII. De Morſulis. VIII. De Pilulis. IX. De Mixturis. X. De Potionibus ſeu mixturis diffuſioribus. XI. De Julapiis. XII. De Emulſionibus. XIII. De Infuſis. XIV. De Decoctis. XV. De Fomentis. XVI. De Balneis & Pediluviis. XVII. De Cataplaſmatibus. XVIII. De Cliſteribus. XIX. De Suppoſitoriis. XX. De Gargariſmatibus. XXI. De Eclegmatibus. XXII. De Injectionibus. XXIII. De Perſariis. XXIV. De Emplaſtris. XXV. De Unguentis & Linimentis.

EYSENMENGERUS (*Joh. Chriſtophorus,*) Heilbrunnenſis.

De eô extat

De Epilepſiâ Diſputatio. Extat Decade IV. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Johan. Jacob. Genathius, 1620. in 4.

EYSSONIUS (*Henricus,*) M. D. in Academiâ Provinciali Patr. Groningæ & Omland.

De eo extant

Tractatus Anatomicus & Medicus, de Oſſibus Infantis cognoſcendis, conſervandis & curandis. Acceſſit Volcheri Coiteri eorumdem Oſſium Hiſtoria. Gröningæ, apud Joh. Collenium, 1659. in 12.

Diſſertatio Medica de Fœtû lapidefacto. In quô ejuſdē in uterô generatio, in abdomen irreptio, ultra viginti annos retentio, atque lapideſcentia, aliaque huc ſpectantia per circumſtantias & cauſas explicantur & confirmantur. Gröningæ, 1661. in 12.

Collegium Anatomicum ſive omnium humani Corporis Partium Hiſtoria, examinibus triginta breviſſimè comprehenſa & publicis diſputationibus propoſita. Ibid. 1662. in 12.

Syntagma Medicum Minus, ſolidiora Medicinæ Generalis fundamenta, novâ tùm Doctrinâ naturæ, tum methodo arti conſentaneâ, ita comprehendens, ut haud difficulter ſpeciali Medicinæ applicari queant. Groningæ apud Dominicum Lens, 1672. in 12.

BIBLIOTHECÆ
SCRIPTORUM MEDICORUM
VETERUM AC RECENTIORUM
LIBER SEXTUS.

In Quo illi recenſentur quorum Nomina incipiunt à Literâ

F

FABA (*Antoninus,*) Meſſanenſis Barbitonſor peritus, Italicè edidit

Prattica di Barbiero circa il cavar ſangue, ed altre coſe appartenenti à detto officio. Meſſanæ apud Vincentium Amicum 1698. in 8. *Anton. Mongitor, Bibl. Sicula T. j. p.* 47.

FABA (*Auguſtinus,*) Savilianenſis Pedemontanus, Philoſ. & Medic. Doct.

De eô extant

Commentarii in III. Libros Ariſtotel. de Animâ. Saviliani, A. 1596. fol.

FABER (*Albertus Otto,*)

Ex eo habetur

Practica recenſitio de Aurô Potabili Medicinali ejuſque Virtute, ad Carolum, Magnæ Britanniæ Regem, ex Anglicô idiomate in Latinum translata. Francofurti, 1678. in 4.

FABER (*Claudius,*)

De eo extant

De Peſte Curandâ, Liber. Pariſiis, apud Nicolaum Cheſneau, 1568. in 8.

Paraphraſis in Cl. Galeni Librum, cui titulus: Prognoſtica de decubitû Infirmorum, ex Mathematicâ Scientiâ. Lugduni, apud Theobaldum Paganum, 1550. in 8.

FABER (*Georgius,*)

De eo habentur

Epiſtolæ Medicæ. Extant cum Ciſta Medica Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

De Vulnere quodam faciei inflictô, Obſervatio rara & admiranda: extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſerv. Chirurg. Cent. III. Oppenheimi, ap. Johan. Theod. de Bry, 1614. in 8. p. 112.

De Cerebrô non putrefactô in Cadavere 50. annis ſub terrâ repoſitô, Obſervatio. Extat cum ejuſdem Cent. v. Francof. apud Matth. Merianum, 1627. in 4. pag. 20.

FABER (*Honoratus,*)

Ex eô habentur

Tractatus duo: quorum prior eſt de Plantis & de Generatione Animalium; poſterior de Homine. Pariſiis; apud Franciſc. Muguet, 1666. in 4. Noribergæ, apud Wolffgang. Maurit. Endterum, & Johan. Andreæ Endteri Hæredes, 1677. 4.

Pulvis Peruvianus febrifugus vindicatus, editus ſub nomine Antonij Coningij, Romæ, 1655. 8.

Synopſis Optica. Lugduni, 4.

FABER [*Joachimus*]

Ex eô habetur

De Venæſectione in Febre Malignâ. 8.

FABER [*Joh. Matthias*] Sereniſſ. Ducis Wurtemb. Archiater, Civit. Heilbronnenſis Med. Ordin. Academ. Curioſus.

Ex eô habetur in Lindeniô Renovatô.

Strychnomania; explicans ſtrychni Maniaci Antiquorum, vel ſolani furioſi Recentiorum, Hiſtoriæ Monumentum, Indolis Nocumentum, Antidoti Documentum. Quam occaſione ſtragis quâ crebritate, quâ celeritate, quâ gravitate, mirabiliter noxiferæ ac miſerabiliter neciferæ, in Ducali Wurtemberg. ſede, quæ eſt Neoſtadii ad Cocherum, abortæ, 1667. prid. Kal. Septemb. ſtyl. Jul. memoriæ, cautelæ, medelæ gr. publico bono dedicata: cum figuris. Auguſtæ Vindelicorum, apud Theophilum Gobelium, 1677. in 4.

De eô præterea extant ſequent. in Miſcel. Curioſ. Dec. ij. A. IX.

Addenda ad Decur. 2. *Ann.* VIII. *Parerga perfunctoria.*

Ibidem Anno X. *in Append. p.* 197. *Pilæ Marinæ Anatome Botanologica.*

Ibidem Decur. 3. *Anno j. Obſervatio* 121. *De Spongite Lapide.*

Officinis noſtris ſatis frequens, nil aliud eſſe videtur, quam antiquorum Adarce vel Adarcion, adeòque ſpongitis titulum nequaquam à ſpongiâ marinâ, uti perperam aliqui putant accepit, inter plurimas enim accuratè perluſtratas nè unum hujus Lapidis veſtigium invenimus. Ipſa etiam textura non intrà corpus aliud, ſed foris circumnaſci oſtendit. Ob raritatem tamen &

levitatem

levitatem cum ſpongiâ communem titulum hunc ei fuiſſe impoſitum veriſimile eſt. Peculiarem hunc eſſe plantæ Sphærigeræ pluries memoravimus, ideòque penitiùs eum inſpicere, Pilæque indagini connectere opportunum eſſe putavimus.

Maritimis quoque plantis accrementa diverſa eſſe familiaria, ſive ſalina illa ſint, ſive mucoſa, ſive lutoſa, ſive deniquè ſabuloſa vulgatum eſt; ac in his ſalia liquida perinde & viſcoſas mucoſaſque partes alluvione cum receſſione alternante, tùm tempeſtatum impetû, tùm fluxûs & refluxûs alternatione, modò liquorem craſſiorem advehente, modò receſsû ſuô exſiccante, ſubindè Cruſtas lapidiformes inducere conſentaneum.

Hinc varia priſcorum nomina, quorum in diſquiſitione pilarum meminimus. Modò ἁλὸς ἄνθος dicebatur, ceu filos ſalis, Spuma Maris, ἁλὸς ἄχνὴ, recrementum aliis, aliis acus maritima &c.

Adarce verò vel Adarcium convenienter cum ſpongite noſtro Plinio Calamochium & Pericalamitum ap. Enzel. de re metall. L. 2. cap. 44. nuncupatur, quo generationis ejus nidus genuinus calamorum arundinetum deſignatur. Vidimus tamen etiam granulis gypſeis conſperſam ſuperficiem ſemiformati globi ſeu pilæ marinæ ipſius.

Quidquid ſit; terreſtrium atomorum hæc eſt accretio, ſpiritus Lapidifici Virtute coactâ ſaliſque maritimi acceſſione augmentata. Quod & Philoſophus agnovit. Primum inquit, L. 2. de plant. C. 2. de lapidum generatione in aquis differens, undarum colliſione ſpuma fit, hæc mox coagulatur, in molem lacti unctuoſo non abſimilem, dùm verò unda arenæ alliditur, congregat arena hanc veluti unctuoſitatem ſpumæ, & deſiccat illam maris ſiccitas cum multâ ſabedine. Hoc autem in ſpongite obſervamus quoque, quòd cùm plantæ marinæ plures lapideis tegminibus undiquè ſecundum baſeos ſuæ ideam incruſtentur eamque repræſentent, hic ſtrumoſâ mole uni duntaxat loco adhæret ſemper ferè; licèt nobis obtigerint quoque radices groſſiores pari lithaſis Cataphragmate muniti. Illorum complura genera commemorat Curioſiſſ. Conr. de fig. Lap. C. 11.

Spongitem itaquè quod mireris non ſalſuginoſum duntaxàt ſed & unguloſum aliquid vel cornu vehementer olere, imò quaſdam particulas etiam (recentiores forſan) oleaginoſum quiddam vel pingue ad focum ebullire deprehendimus. Non perinde id evenit in petrefactis aquarum dulcium, quorum experimenta diverſa fecimus. Cantſtadii, ſedi Würtemberg. Stuttgardiæ vicinæ, fons eſt atque rivulus juxta quem, imò ſub ipsâ quoque terrâ lapides reperiuntur, interdùm grandes, ſolidi, lineamenta foliorum ſalignorum, populorum, aliorumque etiam ramorum cruſtas quibus inducti fuerunt quàm accuratiſſimè referentes. Hujuſmodi incruſtationem radicis arundineæ ſtructuram integram exprimentem obſervavimus, quæ in memoriam vocabat nobis tubulos lapideos ex accretione tophacea vaſorum etiam majorum Venæ Cavæ & Portæ, in Hepate bubulô coralii ramos exprimentes, *Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 8. Hiſt.* 147. Illorum iconem *Tab. 6. Fig.* 1. adjicimus. Sic & juxta minutiſſimam ejuſdem Ducatûs Arcem *Hohen Aurach* ſpelunca cernitur intra montis viſcera, fornicibus admirandis, pyramidibus, columnis, naturæ luſû admirabili conſtructa, ſpatioſa ſatis, ubi muſculus tenerrimus barbis veluti prælongis propendens, temporis diuturnitate, ſtillantes aquas tophigenas imbibens, inductus undiquaquè, totuſque nunc Lapis admirabili criſpaturâ & pulcherrimâ facie cernitur, ejus portionem bipedalem, è muſeô noſtrô quoque depictum damus Tab. ead. fig. 3. In Neccari ſive Nicri noſtri (uti Ammiano Marcellino & Flavio Vopiſco Romanorum in Germania bellorum ſcriptoribus commilitantibus appellatur,) littore, qua fabricæ metallicæ fuſoriæ, mallearıæ &c. ſitæ ſunt, præter ſcorias, invenimus etiam ferramenta ſabulo ſalicibuſque arctiſſimè inter glaream concreta. Adeòque exemplum clavis & unci, ferreorum, his obductum etiam fig. 2. adjicere voluimus. Nunc verò ad ſpongitem noſtrum revertimur, quem nos pro Adarce antiquorum accipere diximus, quamque ipſam nil minùs quam plantam eſſe ſed algis & arundinibus lacuum & marium adhærere teſtatur, l. C.

Hanc equidem peritiſſimus & curioſiſ. Naturæ perveſtigator Matthiolus ſibi nunquam viſam ait, Comm. ad Dios. l. 5. C. 95. Cauſa facilè fuit diſcrepans admodùm Authorum Plinii ac Dioſcoridis Deſcriptio, qui Ἀδάρκην cum Halcyoniis cæteriſque marigenis admodum confundunt. Primarium verò gnoriſma ſi attendiſſet, vel ſpongitis penetralia conſideratiùs adſpexiſſet, deprehenſis arundinum vel calamorum portionibus, facile hoc ipſum eſſe illorum Calamochnon, ſeu ut illi deſcribunt, calamis aquarum dulcium & maritimarum agnoviſſet accrementum. Nunquam autem propriâ ſoliditate naſci vel ipſa ſtructura docet, ſemper cavata, conſumtis nimirùm exeſis temporis diuturnitate ſtaminibus, quibus inductus fuerat, vel vacui cernuntur anfractus, vel plantarum reliquiæ ſic arefactæ ùt quos virides expleverant cuniculos, nunc ſicca tanquam ſceleta in illis dilabantur.

Apotypos curioſiores ſpongitis jam antehàc Beatus noſter Velſchius typis exprimi curavit Hecatoſt. 1. tit. 19. & Ven. Medinens. pag. 93. Noſtra potiſſimùm intentio eſt oſtendere, eum ferè ſemper ramentis pilæ marinæ concreſcere ſolitum, ſimùl tamen etiam heterogenea diverſa ſibi apponere quod Tab. noſtra 7. docebit ubi Num. 1. è ſpongite extractam damus portionem caulis ſive cannæ portionem. 2. foliorum vaginam 3. & 5. folium ipſum nerveum 4. 6. 7. 8. 9. 13. 17. radicum portiones, 14. 15. 16. 18. fibras & radices poſterioris generis cannæ nigrioris quam paulò ante deſcripſimus; & cujus antequam plantæ incognitæ per cavum ſpongitis tranſeuntis Conr. Geſner. meminit Tr. S. C.

Præthereà ſpongiti adnata invenimus fig. 12. Adianti marini ramulum, ut & plantam muſeo arboreo non abſimilem Tab. 8. fig. 43. aliamque muſci marini Coralloïdei ſpeciem tenerrimam & è conchiliis conchæ cælatæ operculum vulgò umbilicum mar. fig. 35. Chamulam levem fig. 37. Neritam ſeu Trochum exiguum F. 38. Tubulum ſive dentem marinum F. 41. ſpongioidem particulam unam & alteram lanæ tenerrimæ æmulam, coloris ſpadicei. Tab. 7. fig. 19. Denique tubulorum vermiformium giris mirificis implicatorum variationes curioſiſſimas, quorum ideas aliquot Tab. 8. adjungere viſum fuit, ut Naturæ ſcrutatoribus & inſpectoribus curioſis plures & elegantiores ejus luſus perveſtigandi anſam præberemus.

Ibidem Anno 2. Appendicis pag. 23.

De Comedente Cibus. Devaſtatio Militaris exitioſa. Divinitus compenſata. Meſſe ſine ſatura miraculoſa.

FABER [*Petrus Johannes,*] Caſtrinovidárenſis,

ſis, Doctor Medicus Monſpelienſis.

De eô extant

Panchymici, ſeu Anatomiæ totius univerſi Opus. In quô de omnibus quæ in Cælô & ſub Cælo ſunt, ſpagyricè tractatur; & Author Rerum omnium Deus perquiritur, laudatur, glorificatur ac benedicitur. Toloſæ, apud Petrum Boſc. 1646. in 8. Francofurti ad Mœnum ap. Joh. Beyerum 1651. in 4. Panchymici Tomus tertius ſive ultimus. Toloſæ 1655. in 8. Conſtat autem hoc opus Libris quinque. In I. agitur quid ſit natura & ejus Lumen. In II. Chymicè indagatur & perquiritur, quicquid in totô Cæli ſpatio continetur, quid ſit, & quibus conſtituatur. In III. Chimicè indagatur & perquiritur quicquid in toto aëris ſpatiô continetur, quid ſit, quibuſque conſtet. In IV. Chymicè indagatur quicquid in intimis Aquæ viſceribus coërcetur, quid ſit, & quibus conſtet. In V. & ultimo de omnibus his, quæ ſuper terram reperiuntur, Chymicè tractatur, & ipſa terræ natura indagatur. Sub finem acceſſit Propugnaculum Alchymiæ adverſus quoſdam Miſochymicos.

Opera reliqua volumine poſteriore comprehenſa continent Tractatus ſequentes;

Propugnac.
Herculem Piochymicum.
Hydrographum ſpagyricum.
Pædagogum Chriſtianum.
Secreta Chymica.
Myrothecium ſpagyricum.
Palladium ſpagyricum.
Chirurgiam ſpagyricam. Francofurti apud Johan. Beyerum 1656. in 4.

Seorſim autem etiam extant

Alchymiſta Chriſtianus. Toloſæ, 1632. in 8.

Theſaurus utriuſque Medicinæ. Ibid. in 8.

Hydrographum ſpongyricum. In quô de mirâ Fontium Eſſentiâ, origine & virtute tractatur. Ibidem, 1639. in 8.

Palladium ſpagyricum. Alchymiſta Chriſtianus. Hydrographia ſpagyrica. Chirurgia ſpagyrica. Toloſæ 1629. in 8.

Myrothecium ſpagyricum ſive Pharmacopœa Chymica, occultis naturæ arcanis, ex Hermeticorum Medicorum ſcriniis depromptis, abundè illuſtrata. Toloſæ Tectoſagum, apud Petrum Boſc. 1628. in 8.

Inſignes Curationes variorum Morborum, quos Medicamentis chymicis jucundiſſimâ methodô curavit idem Autor. Toloſæ, apud Petrum Boſc. 1627. in 8.

Palladium ſpagyricum. Toloſæ, apud Petrum Boſc. 1624. in 8.

Alchymiſta Chriſtianus. In quô Deus rerum Auctor omnium & quamplurima fidei Chriſtianæ myſteria, per Analogias Chymicas & Figuras explicantur, Chriſtianorumque orthodoxa doctrina, vita & probitas, non oſcitanter, ex arte Chymicâ, demonſtrantur. Toloſæ, apud Petrum Boſc. 1632. in 8.

Chirurgia ſpagyrica. In quâ de Morbis cutaneis omnibus ſpagyricè & Methodicè agitur, & curatio eorum cita, tuta, & jucunda tractatur. Toloſæ, apud Petrum Boſc, 1626. in 8. Hi quatuor Tractatus deindè ſimul editi ſunt Argentorati, apud Hæred. Laz. Zetzneri, 1632. in 8.

Sapientia univerſalis, IV. Libris comprehenſa. v de Mediis ad ſapientiam perveniendi. II. de cognitione hominis. 3. de Medendis Morbis hominum. IV. de Metallis meliorandis. Toloſæ, apud Raymundum Boſc, 1654. in 8. Francof. apud Joh. Beyerum, 1656. in 4.

Hercules Piochymicus. In quô penitiſſimè tum moralis Philoſophiæ, tùm chymicæ Artis arcana, laboribus Herculeis, apud Antiquos tanquam velamine obſcurô obruta, deteguntur. Toloſæ, apud Petrum Boſc, 1634. in 8.

Propugnaculum Alchemiæ adverſus Miſochymicos quoſdam, Philoſophos umbratiles, naturæ humanæ Larvas, qui ſe Philoſophos profiteri audent, dum chymiam ſtultè vident, nec tamen brutorum genia tenent. Ubinam ſit lapis Philoſophorum, quid ſit, & quâ methodô & viâ ipſum habuerint Antiqui, clariſſimè tractatur, & authoritate, ratione & experientiâ probatur, adverſus Miſochymicos illos, ùt tandem reſipiſcant & veritatem noſcant. Toloſæ apud eundem, 1645. in 8.

Opera chymica, duobus voluminibus comprehenſa. Francofurti, 1652. in 4. Poſteriore continentur opera reliqua; nempè I. Propugnaculum Alchymiæ; II. Hercules Piochymicus. III. Hydrographum ſpagyricum; IV. Pædagogus ſeu Alchymiſta Chriſtianus; V. Compendium ſecretorum Chymicorum, ſive ſecretorum ſecretorum Libri V. VI Myrothecium ſpagyricum, ſeu Pharmacopoëa chymica; VII. Inſignes curationes variorum Morborum; VIII. Palladium ſpagyricum. IX. Chirurgia ſpagyrica. Ibidem, apud Johannem Beyerum 1656. in 4.

De eo præterea habetur in Miſcell. Cur. Decur. ij. Ann. 8. Appendicis p. 73.

Petri Johannis Fabri Medici Regii Gallici celeberrimi Manuſcriptum, ad Sereniſſ. Holſatiæ Ducem D. Fridericum olim tranſmiſſum, res Alchymicorum obſcuras extraordinariâ perſpicuitate explanans è Muſeô Gabrielis Clauderi D.

De eodem rursùs in Actis Lipſienſibus Ann. 1721. Supplem. Tom. 7. p. 270.

Alle in zwey Theile verfaſte Chymiſche Schrifften i. e.
Opera Chymica, duobus voluminibus exhibita. Hamburgi, apud Lucam Edingium, 1713. 4.

QUemadmodum præcipuus ſcopus Authori Clariſſimô in operibus ſuis Philoſophico-Medico-Chymicis divulgandis fuit, ut perciperent viri docti & ſanæ mentis Alchymiæ pondus & momentum in naturis rerum pernoſcendis, ſine quâ vana eſt & inutilis, quæ habetur rerum notio, ut ipſemet in præfatione operibus præmiſſa faſſus fuit; ita non fruſtratum eum eſſe ſuo voto, quicunque illa diurnâ nocturnâque versârunt manû, Philochymici uno ore profitentur. Atque hæc pariter cauſa fuit, quæ permovit clariſſimum Jacobum Jebſenium, Comitatus Oldenburgici Prætorem quondam Provincialem, ut operam in iiſdem ex Latinô in Germanicum idioma traducendis adhiberet. Quem laborem eô promptiùs in ſe ſuſcepit, quo certius credidit Fabrum Medicinæ univerſalis fundamenta, ſi quis alius, luculentiſſimè expoſuiſſe. Tractatus, qui in hiſce operibus continentur, ut prolixius nunc recenſeantur, ſupervacaneum eſſe videtur, cùm liber hic in omnium tam Medicorum quàm Chymicorum manibus vel ſit vel eſſe omninò mereatur.

FABER [*Johannes,*]

De eo extant

Oratio funebris de nobili & experientiſſ. V. Dn. Andrea Planero, habita Tubingæ, ibidemque apud Cellium 1607. in 4. edita.

De

De Calculis in corporis humani partibus inventis, Epiſtola. Extat cum Gregor. Horſtii obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. poſterioribus. Ulmæ Suevorum, ap. Saurium, 1628. in 4.

FABER (*Johannes,*) Bambergenſis.

Ex eô habentur

De Nardô & Epithymô, adverſus Joſephum Scaligerum Diſputatio, Quâ Plantarum iſtarum vera deſcriptio continetur: Dioſcoridis, Propertii, & Ovidii loca declarantur & à corruptelâ defenduntur: Medicorum denique & Pharmacopæorum honos à Scaligeri calumniis vindicatur. Romæ, apud Barthol. Facciottum, 1606. in 4. apud Guilielmum Facciottum, 1607. in 4.

In Nardi Antonii Recchii Rerum Medicarum novæ Hiſpaniæ Volumen, Annotationes. Extant cum Johannis Terentii, Lincei, Theſaurô, in fol. pag. 465.

FABRA (*Aloyſius d'ella* ,) Ferrariæ natus ann. ſal. 1655. ex Honeſtô Virô Franciſcô à Fabra Chirurgô, poſt acceptam in Philoſophia, & Medicina Lauream in Almo Medicorum Ferrarienſium Collegio, ad ordinarias Medicinæ Lecturas in publico Gymnaſio Promotus fuit, ac tandèm ad Primariam deccenii; medendo, docendo, & ſcribendo magnam ſibi comparavit nominis Laudem, donec annô 1723. fato cedere coactus fuit, annô ætatis ſuæ 68. biennio tamen, antequàm fato cederet, Lector Emeritus renunciatus fuit. Multa vivens ſcripſit, variaque eorum typis mandavit. Hæcque fuere,

De Arthritide diſſertatio, ac de Sacchari Lactis uſu obſervatio. Ferrariæ, per Antonium Carrara, 1699.

De Nuceriana Terra minerali Diſſertatio. Ferrariæ, typis Antonij Carraræ, 1700.

Ad Diſſertationem de Nuceriana Terra appendix Epiſtolica de Tartaro ejuſdem. Ferrariæ, typis Antonij Carraræ, 1700.

Dioptra Phyſico-Medica pro nutritione, aliiſque naturæ arcanis revelandis, nova methodo exculta. Ferrariæ, typis Filoni Typographi Epiſcopalis annô 1701.

Diſſertatio de Animi affectionum phiſica cauſa, & loco, ac de Tabaci uſu. Ferrariæ, apud Pomatellum 1702.

Diſſertatio Phyſico-Medicà de Meteoris, ac morbis ab eiſdem derivatis. Ferrariæ apud Pomatellum, 1704.

Diſſertatio Phyſico-Medica de vitæ naturali termino, de Ingeniorum varietate, de Chocolata, Caphè, herba thè & de ſpiritû vini, ſeù Aqua Vitæ, & Roſoli. Ferrariæ typis Bernardini Pomatelli, 1710.

Duæ ulteriùs Epiſtolæ, quarum prima ad Ludovicum Teſti dirigitur, varias continens obſervationes & experimenta circa Sacchari Lactis facultates, quæ per Jacobum & Joh. Gabrielem Hertz annô 1700. Venetiis impreſſa fuit in quodam volumine, cui titulus: De novo Sacchari Lactis inventore Ludovico Teſti Regienſi M. P. Venetiis, quorundam Præſtantiſſimorum Medicorum judicia, & rariſſimæ obſervationes.

Altera verò oratoria, ad Antonium Camilli ſcripta, ac in univerſali adnotatarum diſſertationum, in unum ab Authore collectarum, volumine impreſſa annô 1712. per Hæredes Bernhardini Pomatelli, Impreſſoris Epiſcopalis.

FABRICIUS (*Balthaſar* ,)

De eo extat

Opuſculum Phyſiologicum & Medicum, Libris tribus diſtinctum, tractans accuratè primò corporis humani temperamenta: deinde compendiosè ſex res non naturales, Medicis ità dictas. Cui ob materiæ cognationem acceſſit Appendicis loco Tractatiuncula de Literatorum tuendâ, & reſtituendâ valetudine. Amſtelodami, apud Paul. Arn. à Ravenſtein, 1629. in 8.

FABRICIUS (*Erneſtus Fridericus,*) Charitinus.

De eô extat

Medicinæ utriuſque Galenicæ & Hermeticæ Anatome Philoſophica, brevem, ſuccinctam & perſpicuam abſolutæ artis Medicæ oculis ſubjiciens Sciagraphiam. Francofurti, apud Johan. Frider. Weiſſenhorn, 1633. in fol.

FABRICIUS (*Franciſcus* ,) Ruremundanus.

Ex eo habentur

De Balneorum naturalium, maximè eorum, quæ ſunt Aquisgrani & Porceti, naturâ & facultatibus tum quâ ratione illis utendum ſit, Libellus. Coloniæ ap. Maternum Cholinum, 1564. in 8. Ibid. apud Caſparum Gennepæum, 1546. in 4. Coloniæ, apud Johan. Kinckium, 1616. 1617. in 8.

Conſilia quædam de Arthritide, extant eô in opere, quod Henricus Garetius edidit. Françof. apud Joh. Wechelum, 1592. in 8.

FABRICIUS (*Georgius,*)

De eô extat

De Metallicis Rebus, ac nominibus, Obſervationes Variæ, & eruditæ. Quibus ea potiſſimùm explicantur quæ Georgius Agricola præteriit. Extant cum opere de omni Foſſilium genere, &c. à Conr. Geſnerô editô. Tiguri, apud Jac. Geſnerum 1565. in 8. & cum Georg. Agricolæ de Ortû & Cauſis ſubterraneorum Lib. V. Wittebergæ, apud Zach. Schurerum, 1612. in 8. Baſileæ, 1665. in 8.

FABRICIUS, HILDANUS (*Guilielmus* ,) Vide ſub titulô, HILDANUS.

FABRICIUS *ab Aquapendente,* Vid. AQUAPENDENS.

FABRICIUS (*Jacobus,*)

AUGUSTUS VARENIUS SS. Theol. & Phil. D. Hebraicorum Profeſſor ordin.

Univerſitatis Roſtochienſis

RECTOR,

Eminentiſſimo & Experientiſſimo Viro,

DN. D. JACOBO FABRICIO, Medico Celebratiſſimo, Profeſſori Med. & Super Mathem. in Univerſit. Roſtoch. per XL. Annos Excellentiſſimo, Ducalium Profeſſorum & Medicorum Collegij, totiuſque adeò Academiæ Seniori venerando, Archiatro Mekelburgico, & Sereniſſimorum ac Potentiſſ. Daniæ ac Norwegiæ Regum *Chriſtiani* IV. Glorioſiſſ. mem. & *Friderici* III. Perſonæ Medico Primario,

Funus, quod parant, cum Filio, Generi Excellentiſſimi,

Apud omnes Cives Academicos ſolemniter indicit.

Conventus fiet in Templo Jacobæo horâ I. pomerid.

SI quis ad indicendum, quod ſolemnibus exequiis hodie efferetur, & condetur, funus, & in illo, δημόσιον πένθος imparem me judicabit, is ad

is ad ſententiam ſuam meum adſcribat ſuffragium. Abiit, abiit magnus ille *Fabritius*, cui poſt *Guilielmum*, *Laurenbergium*, poſt *Magnum Pegelium*, poſt *Jacobum Bordingum*, poſt *Henricum Brucæum*, poſt *Petrum*, *Memmium*, poſt *Gerhardum Nennium*, poſt *Petrum Stratageum*

ὑμιθέες ὧν ἔργα θεὸς θνητοῖσιν ἔδειξε

(ut *Bacmeisteros*, *Amsingios*, *Paulos*, *Roſeleros*, *Tunichæos* illibatæ laudis Medicos diſcretâ memoriâ veneremur)

jamdudum doctior orbis
detulit in Medecis faſcibus imperium.

Abiit, qui, ne acerbior Epidemiarum febrium inteſtabiles flammas aliis imperaretur abitio, totiens effecit, &, eluſo illo alvei infernatis præſide, profugas ac in ſupremo jam ore verſantes animas, alter *Æſculapius* revocavit: abiit qui ſcientiis hunc ultra Herculis columnas celebrem Balthicum Heliconem, & in hoc totum illuſtravit orbem: abiit, qui per ἐμπειρίαν & εὐδαιμονίαν ἰατρικὴν, ab hoc ipſo Reip. Acad. corpore, omni tabe magis noxias peſtes repulit, & tempeſtivâ antevortit prudentiâ: abiit, qui jam rude donatus, jam primi ordinis comitivam aptus in *Germania*, novâ *Archiatri* apud *Glorioſiſſimum Chriſtianum* IV. & *Potentiſſimum Fridericum* III. *incomparabiles ſub Aquilone Reges*, comitivâ inclaruit in *Dania*

λαχὼν τοσούτω κῦδος εὐκλεέστερον

Abiit, qui amor patriæ *delicium* Daniæ, *præſidi- & columen* noſtræ fuit Academiæ, cujus, ut propter ſenectutem deflendus non ſit, quia maturè diſceſſit: propter raras tamen dotes & tot illuſtria merita (projectis, qui hæc mallent εἰς ὕδωρ γράφειν *Laconibus*, *imi ſubſellii viris*) lamentabilis eſſe debet memoria. Abiit, qui dignius, quam aliquis *Archontius*, vel *Theombrotus*, vel *Thadæus Florent.* vel *Petrus Patavinus* (quos Purpuratis honoratos apprimè, *Camerar.* meminit *op. ſubciſ. c.* 55. & *Valleſ. de ſac. Phil. c.* 74.) vel ipſe *Æſculapius* propter unum *Hippolytum*, ſuſtinuit expertus, quod Eccleſiaſticus expreſſit c. 38. 3. Ἐπιστήμη ἰατροῦ ἀνυψώσει κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ ἔναντι μεγιστάνων θαυμασθήσεται, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόξαν. Cæterum, Threnodias, lacrymas, lamenta, quæ tamen in Seniorum funeribus, nec *Scripturæ*, nec *Naturæ*, nec perſeveræ *Stoæ* prohibet ſententia, indicere, vel *atro cilicio* Academiam, ipſaque ejus mœnia Punico more (*Diod.l.* 19.*teſte*) obvelare, non poſcimus nec ad exequiarum Magnificum apparatum, quem, ſuſpenſo Gelone, *Excellentiſſimi* curabunt *Generi*, quicquam conferre poſſumus, quàm ut frequentes exequias ejus eamus, quo dignioris nunquam ibimus. Quod in *Fabritio* noſtro excellens, & ſupra communem vulgi captum ſe offerret, peculiari recordatione perſequemur. Equidem uti Anacharſis in Scythia: ita

Magnos poſſe viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patriâ, craſſoque ſub aere naſci.

nec omnes *Boetos* ſtupidos eſſe præter *Demoſthenem*, cui βοιωτιάζειν *Æſchines* objecit, timiditatem in dicendo ex tempore, *Demades*: enthymemata lucernam olentia, *Pytheas*, Plutarch. *in vit. Demoſth.* teſte, vel ſoli teſtantur *Cappadoces*, ex quibus, (licet acerbius in hos luſerint *Ammian. l.* 46 *l.* 2.

θᾶττον ἐὴν λευκοὺς κόρακας, πτηνὰς δὲ χελώνας
εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκην.

& *Demodor. l.* 2. *t.* 43. dum vocat Cappadoces φαυλεπιφαυλοτάτους uſque adeò ut

(κόσμος ὀλισθήσῃ Καππαδοκιζόμενος)

Viri extiterunt, qui & virtutum ſanctimoniâ, & ſcientiarum excellentiâ totum illuſtrarunt orbem, neque nos vel κρᾶσιν ἠθῶν καὶ οὐρανοῦ τόπους examinabimus, vel an Roſtochii *cœlum Attium* ſit, an *Boeoti cum* inquiremus, nec ut, vel jam inde ab equo, Trojano, imaginum, vanæ ſcil. Pompæ, ſi virtus abſit, deducendo ſimulacra, *parturiant montes*, *naſcatur ridiculus mus*, obſtetricem accerſemus: interfuit tamen ad natale ſolum *Fabritio*: qui cum die XXVIII. Auguſti anno LXXVII. ſuperioris ſeculi Patre *Viro integerrimo & ſpectatiſſimo Henrico Schmidt*, *Sitopœo primario*, *Reip. Centumviro*, *& ærarii publici per annos benè multos præfecto* p. m. *Matre item pudiciſſima & honeſtiſſima Dorothea Wulfes*, *Reverendi Viri Dn. Joachimi Wulfes*, *primi Evangelici Paſtoris in Brütze prope Goldbergam in Ducatu hoc Mekelpurgico filiâ* p. m. natus & λουτρῷ ὕδατος ἐν ῥήματι renatus eſſet, ſimul prætextatus bullam ſumſit, magnum illum *Nathanem Chytræum* pueritiæ & adoleſcentiæ Regem habuit, cujus, in Scholam Patriam Roſtochienſem, tantum fuit meritorum, quantum celeberrimi Philologi Rhodomanni in Lüneburgenſem: ex qua utraque ſchola *Fabritius* vix quinque & *decimas emenſus ariſtas*, ita eſt egreſſus, ut *aggreſſus metuenda viris veſtigia magnæ indolis* adhuc prætextatus ediderit. Perſas *Iſidorus Peluſiota* lib. 4. ep. 108. meminit, quod in virorum claſſem aſcribendi jurarent prius: καταφρονήσω ἡδονῆς σώματος, καταφρονήσω δόξης κενῆς καὶ κέρδους πονηροῦ, ζηλώσω δ' ἀρετὴν καὶ τιμήσω τὸ θεῖον καὶ γονεῖς, ἀληθῆ πράσσων οὐδὲ τι τούτων ὑπερβήσομαι εἰδὼς οὔτ' ἑκών. Non aliter *Fabritius*, qui ex quo poſitâ prætexta *togam virilem* aſſumſit, non illam (quod Antonio objicit Cicerero Phil.2.) flagitioſa mollitie *muliebrem reddidit*. ſed veræ pietati, & ſublimiori Doctrinæ, quaſi *datâ ſtolâ in Matrimonio certo ac ſtabili locavit*, ſtudiumque illi fuit λέγειν πρακτικῶς καὶ πράσσειν λογικῶς: ut planè in illo fuerit, quod alicubi præſcribitur ab Ambroſio: *In ſenibus gravitas*, *in juvenibus alacritas*, *in adoleſcentibus verecundiâ*, *ab ipſâ commendatur natura*: unde & noſter μακαρίτης expertus eſt, id quod nobililis Græcorum habet verſiculus:

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα δυσσεβέων δ' οὔ.

Inclaruerat jam tùm, & totius Orcheſtræ Aſtronomicæ judicio *Aſtronomorum Princeps* audiebat, Stemmatibus generoſus: ac ſcientiarum excellentiâ ſupra ſtemma Eminentiſſimus *Tycho Brahe Eques Danus*, qui in ſuâ illâ *Baltica Vranopoli*, totus obſervationibus & admirandis Aſtronomicis *non ſine ſacris* deſudabat: militaverat idem, poſtea incomparabilis Aſtronomus, XX. annorum juvenis ab Annô 1566. quo Albo Academiæ noſtræ eſt inſcriptus, in his ipſis Varniadum caſtris: & proinde, cum indigeret, cujus expromtâ operâ in laboribus Aſtronomicis uti poſſet, Studioſum Juvenem ex hac noſtra expetiit Academiâ. Mittitur *Fabritius*, dignus &, Ouranopoli, & Præceptore *Tychone* diſcipulus anno æt. XVII. Hîc hîc verè in ſalo *Cœlum terreſtre* habuit noſter *Fabritius*, qui niſi ipſe Uranopolin ſatis oſtendiſſet, ex tanto Præceptore, & ſummi ingenij Commilitone *Chriſtiano Longomontano*, Mathematico celeberrimo æſtimari poſſet. Sed ipſe ſe in Uraniâ; non niſi οὐράνια, & cœleſtibus ac igneis animabus digna ſtudia excoluiſſe, ſatis orbi teſtatus eſt, quando poſt quadriennium, non ſine illluſtri munificentia Nobiliſſimi Tychonis dimiſſus, per *Belgium & Britanniam*, illa quæ in *cœlo* didicerat, magno cum aplauſu, docuit, Studia Aſtronomica, & id impetravit, ut & per Præceptoris *Tychonis, ac Longomontani* commillitonis, & per proprii ingenij pariter ac exercitationum monumenta & merita

merita *Eminentiſſimorum* in re litteraria Virorum dignaretur amicitiâ, & ex illis Studiis ſibi compararet *peculium caſtrenſe*, ac Aſtronomiæ ὀψωνια. *Belgium* jam & *Anglia* viderant *Fabricium* ex Uraniâ: exoptabat eundem Germania: venit ille, & lauream poëticam invocanti oblatam admiſit. Verùm altiùs ferebatur mens Juvenis *Fabricii*: in τέχνῃ ἰατρικὴν velispaſſis contendebat: quas quidem ὁρμὰς *Hippocraticas*, excellentia nobiliſſimi Studij, & diffuſiſſimus ejus in genere humano uſus, ex quo

Poſt lapſum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors
Abſentiſque prius nulla neceſſitas
Leti corripuit gradum

vehementer accendebat. Equidem, cum ex quo *per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors*, quatuor ſint modi quorum unus hanc mortalem vitam conficit: 1. *violentiæ* per quem externæ vi mortalis ſuccumbit: 2. *carentiæ*, ubi fame vel ſiti deficit. 3. *humorum dyſcraſiæ & intemperiæ*: 4. τοῦ θερμοῦ ἐμφύτου *deficientiæ*: & tota ἰατρικὴ circa tertium maximè occupetur, fatemur, extra *pollucibiles cœnas* ſi foret, & illam Vacunæ indulgentiam, quam graphicè Sapiens expreſſit *Eccleſiaſt. c.* 37. 32. 33. 34. minus Medicorum fore, at quis ſeculum ἄνευ ἀπληστίας καὶ γαστριμαργίας, &, etiam ubi hæc exulant, ἄνευ δυσκρασίας in *corpore mortali*, reddet? Næ id dabitur, ubi novum cœlum aër, aqua terra ἐν μακάρων νήσοισι dabitur, & ubi *at immortalitatis* à Sinenſium Regulis explorabitur. Cæterum, extra illa ſi eſſet, annon nobiliſſima eſt & glorioſa, quæ *Altiſſimum, à quo eſt Medicina, & qui è terâ procreavit Pharmaca*, vel in Botanicâ *palpabilem* facit naturâ? Lucas Evangeliſta Medicus fuit: quam autem ille *Apoſtolo* in medullis ac viſceribus hæſerit, vel ex *ſalutatione* hic conſtare voluit, quando ad Coloſſ. c. 4. *Salutat*, inquit, *vos*, *Lucas* ὁ ἰατρὸς ἀγαπητὸς *Medicus ille, ſingulariter dilectus* (verè enim Chryſoſt. σφόδρα μέγα τὸ εἶναι ἀγαπητὸν τῷ Παύλῳ in h. l. ſcripſit) & præclarè *Baſil. Magnus* in Aſceticis: *cum in Paradiſo non ſimus, Medicis indigemus.* Sed nos ad τὸν ἰατρὸν ἀγαπητὸν *Fabritium* redimus: qui cum poſt Uranopolin, *Belgium*, poſt *Belgium Britanniam* illuſtraſſet, in *celebrioribus Germaniæ Academiis* clariſſimos Medicos, & tum ἰατρικῆς ὕλης ad miraculum uſque doctos; tum τῆς ἐμπειρίας εἰς τὸ ἄκρον ἐληλακότας audiviſſet, & eminentia eruditionis Medicæ ſpectacula edidiſſet XXVI. æt. anno, hujus ſeculi II. *Biretum Doctorale Hippocraticum* Jenæ virtute intaminatâ & *repulſæ ſordidæ neſciâ* admiſit, & Doctorali honore fulgens in patriam velut palæſtram Medicam reddiit. Doctor ergò reverſus planè ex præſcripto *Poëtæ*.

ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι
μήτε τριήκοντ' ἐτέων μάλα πολλ' ἀπολείπων
μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά. Γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος.

27. ætatis anno *lectiſſimam ac pudiciſſimam virginem Margaretam, Rudolphi Mulleri* Civis Roſtoch. ſpectatiſſimi ex *Tilſa Denia, Experientiſſimi quondam Viri Dn. Franciſci Denii, Medici per Mekelb. & vicinas provincias incluti*, ex fratre, nepte, *filiam* ſolemni ritu domum duxit, cum quâ & τίμιον γάμον & κοίτην ἀμίαντον, eamque benedictam amœnitate ſobolis amœniſſimæ, coluit. Epaminondas, moriturus, *cum quidam adſtantium profuſis exclamarent lacrymis. Siccine* ſine liberis è vitâ diſcedis! *Non*, Δία *reſpondit*: Sed *filias duas, Leutricam ſc. & Mantineam victorias poſt me relinquo*, Diod. Siculus teſte. Quod ſi id eſt liberos relinquere, tot beatiſſimus noſter Senior habuerit, quot *Diſcipulos*, quot feliciter *curatos*, quot *virtutis monumenta reliquit.* Cœterum nec propriâ magis ſobole *Fabritius* caruit, qui ex fœcundiſſimâ & pudiciſſimâ ſuâ Cajâ *Philippum Jacobum, Johannem Adolphum, Margaretam Eliſabetam, Sophiam I.* Henricum I. *Sophiam II.* feliciter quidem ſuſtulit: ſed quos omnes *abſtulit atra dies & funere merſit acerbo* Superant tamen, *Fabritii* ſanguis (& ſupererit quum diutiſſimè!) *Eliſabetha* nobile ſexus ſui decus & corona, *Experientiſſimo & Excellentiſſimo Viro* Dn. *Simoni Pauli*, Medic. D. & uti *antehàc in Acad. patriâ, Profeſſori celeberimo: ita poſtea in alterius patriæ, Daniæ, Regia Hafnienſi Academia, Sereniſſimi ac Potentiſſimi, auguſtiſſ. memoriæ Regis Chriſtiani IV. Anatomicæ, Botanicæ, ac Chirurgicæ primo ac publico per IIX. annos Profeſſori Publico, & Practico publicitùs exercenti: nunc Sereniſſimi pariter ac Potentiſſimi Danorum & Norwegorum Regis Friderici III. Medico Aulico*, ſtabili, & pulcherima ſobole in delicium ac decus Avi ac Patris efflorefcente, florido feliciter antehac eſt juncta connubio: Superat *Henricus II.* Med. Cand. Superat *Sophia III. virtutum ſui Sexus decoribus fulgida*, vereque σημεῖον τῆς ἀρετῆς, Ampliſſimi ac Conſultiſſimi Viri Dn. *Danielis Sandovii J. V. D. celeberrimi, Practici, & Advocati in Judicio Provinciali ſolertiſſimi, Coſta fideliſſima, & elegantiſſimæ Sobolis Mater fœcundiſſima.* Et hactenus quidem vidimus *Fabricium Doctorem, Maritum Patrem*: videamus nunc per quos gradus adſcenderit ad illum eruditi honoris apicem. Incubuerat Arcto huic per Autumnum anni 1602. *lues vehementiſſima*, quæ, cum putaretur extincta, ſequenti anno 1603. ardentiori etiam recruduit flammâ, ut unâ æſtate 1300. homines ex Rep. Oppidana: ex Academica, benigniore fato, nonniſi *celeberimum Theologum D. Davidem Lobechium*, & 4. Studioſos leto immaturo dederit. Venit tùm *novellus Doctor Fabritius*, impavidus morborum domitor *Roſtochium*, totâ patriâ plaudente, nonniſi illâ *febrium Morboniâ* ejulante, cui morti ipſe pallida mors, peſtiſque fuit, qui ex relegata, feliciſſimis curationibus, illa peſtium hydra, primum *Æſculapij* honorumque Signum ſibi ipſi *candidis velis* in Patria explicuit: unde factum, ut ab *Illuſtriſſ. Domina, Domina Sophia, Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Dn. Johannis, Ducis Mekelb. Vidua, Sanctæ memoriæ*, non ſolùm in *aulam Lüpzenſem*, dato annuo Stipendio vocaretur: ſed & *ejus filiis Junioribus, Ducibus Mekelburgicis*, in Sveciam proficiſcentibus jungeretur itineris comes. Reverſus ex *Svecia Archiatri* eminenti honore attolitur ab *Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principe ac Domino, Dn. Johanne Alberto*, Duce Mekelb. *glorioſ. memoriæ*: cumque exceſſiſſet ex vita pariter ac Academia *Incomparabilis Medicus Guilielmus Laurenbergius Medicin. & Mathemat. Superiorum in hac Acad. Profeſſor* celeberrimus, acceſſit. anno cIↃ IↃc XII. *Profeſſoris Superiorum Mathemat. & Medicinæ titulus*: quàm in utroque *Archiatri & Profeſſoris* faſtigio, ex aſſe ſatifecerit, teſtantur præter aulam Mekelburgicam *prælectiones publicæ*, teſtantur *demonſtrationes Anatomicæ*: teſtantur *operationes Chymicæ*, gratis ut plurimum, nec ſine ſacris, Studioſis domi per XXV. annos exhibitæ, ut plurima ſilentio nunc veneremur potius: quàm impari eloquio recordemur. Memor erit Academia, donec erit, inſignis illius beneficii, quod celeberimus Ictus Dn. *Petr. Waſmundt. Rector* tùm

tùm hujus *Univerſ.* ad ann. cIɔ Iɔc XXIIX. in membranis Academicis autoritate publica his verbis deſcripſit : *Cæſaris Ferdinandi II. inclementiore juſſu, Illuſtriſſimi noſtri Dn. Adolphus Fridericus, & Dn. Johannes Albertus celebratis hujus anni Paſchatos ſolemnibus, ex avitis ſuis provinciis triſtiſſimo exemplo emigrarunt, ſuique ingens deſiderium cunctis ſubditis reliquerunt, quorum loco Albertus Waldſteinius, Fridlandiæ & Saganæ Dux nobis præficitur, qui infinitis exactionibus, pleroſque incolas in 4. uſque annum miſerrimè divexatos, omnibus ferè fortunæ bonis exuit & ad incitas redegit. In his verò publicis malis, optimatum bellicorum inſperata erga Academiam benevolentia, quam Collega noſter D. Jacobus Fabritius apud illos ſua ſedulitate in arte Medica primitus obtinuit, & deinde nobis etiam conciliavit, ac diligentiſſimè fovit, ab horridis militum injuriis mediocriter tuti viximus, & mirabiliter ſervati fuimus, idque ſolius Dei prrovidentiâ, cui merito cum poſteritatis poſteritate gratias debito corde perſolvimus.* Agnoſcet beneficium, quiſquis illorum temporum, & hujus maximè urbis, quæ militare Cæſaris præſidum ad 3000. habuit, ac Academiæ, die imprimis XXII. Jan. ann. XXXI.

quo cæde dira, niſu inaudito caput
præſcindere auſa eſt Strenuo belli duci H.L. ab H.
furens Erynnis

Statum, revocabit. Cum autem æſtate anni cIɔ Iɔc XXXI. maxima hujus Provinciæ pars, à milite Cæſareo, ſub *Ducis Fridlandiæ Generalatu*, liberata fuiſſet, tandem & *Roſtochium* menſe *Octobri*, Domitium *Decembri*, Wiſmaria *Januario*, in Ducum Mekelburgicorum, *Dominorum legitimorum* poteſtatem rediiſſet [pro quo in Sereniſſima Capita & nos omnes, qui ſub illorum vivimus patrocinio, collato inſigni beneficio, Gratia ſit *Jeſu Chriſto!*) uti in abſentes Celſiſſimos Principes, ita in redditos Illuſtriſſimò Patrimonio Dominos clementiſſimos, integro & ſubjectiſſimo fuit affectu: & ſubſtitiſſet in illo Archiatri & Profeſſoris [ac an. 1632. & 1636. Rectoris Univ. Roſt.] faſtigio, jamdudum, Conſtantinop. fuiſſet, emeritus & comitiva donatus niſi mors Celſiſſimi ſui Princ. *Dn. Johannis Alberti, Ducis Mekelb. &c. &c.* interceſſiſſet, cui non potuit non, qui tot annos Archiater incomparabili Principi fuerat, monumentum propria manu conſcriptum in Albo Academiæ his verbis *Fabritius* relinquere; & in illo ſimul devotiſſimum affectum exprimere : *Hoc anno* cIɔ Iɔc XXXVI. *menſ. April. die XXIII. poſt XV. ſeptimanarum pertinacem ægritudinem, Ictorum cum Hydropi, in plena ſpe ac fiducia meritorum Chriſti Illuſtriſſimus & Celſiſſimus Princeps Dn. Johannes Albertus, Dux Megapol. &c. Guſtrovij animam ad cœlum exhalavit, poſtquam vivendo abſolviſſet annos 46. min. 13. diebus.* Sublato ergo *Johanne Alberto* glorioſiſſ. mem. cum ex feliciſſimis per Holſatiam curationibus, quæ Rectoratum *Fabritio* per trimeſtre protulerunt, fama *Æſculapii* noſtri jam glorioſiſſimum Danorum Regem totamque Arctum in ſui venerationem & deſiderium convertiſſet, *quod felix fauſtumque fuit.* Anno 1636. Potentiſſimus *Rex Daniæ, Norw. &c. &c. Chriſtianus IV. immortalis memoriæ*, *Fabritium* in Regii corporis Medicum *à Celſiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino Dn. Adolpho Friderico*, Duce Mekelburgico, &c. &c. *Domino noſtro longè clementiſſimo* expetiit, & ſalvo Profeſſoris emeriti honore, impetravit. Quam ſe in hâc illuſtri Comitivâ, tùm *Regi incomparabili* : tum *toti Regno Daniæ* Domi, foriſque probaverit, teſtatur glorioſi Regis *Chriſtiani IV.* in *Fabritium* munificentia, & reconciliata ſnunquam clementia : teſtatur *Potentiſſimi Hæredis ac Succeſſoris Friderici III.* ſententia, quâ ſimul ſucceſſit, & locum & Salarium gratioſè *Fabritio* noſtro confirmavit : cui Sereniſſimo Regi talem ad noviſſimum uſque ſpiritum ſe præſtitit : qualem magno *Chriſtiano* Patri. Vidimus *Fabritium* jam inde à natali & Thalaſſicâ illâ *Huenæ* Uranopoli, aduſque illam, in quâ ad veram aſcendit Uranopolin, honorum qui in *Medicum* unquam cadere potuerunt, eminentiam. Non caruit equidem illa felicitas ſuis calamitatibus, quas tum publicè ab anno maximè 28. ad 32. exactionibus & deprædationibus militaribus expoſitâ Provinciatum tùm domi expertus eſt acerbiſſimas. Præter enim, quod, uti Symbolum piè def. fuit,

Vigiles dat purpura noctes :

Vidit ſexies ſobolem elegantiſſimam acerbis efferri funeribus *Philippum* maximè *Jacobum* qui cum jam igneâ, planeque Patris ſimili mente, linguas Orientales ommes penitus imbibiſſet, & Oratoriæ apud nos Profeſſor publica jam fama excelleret, in ipſo flore juventutis, XXIII. annorum Juvenis, anno ſc. cIɔ Iɔc. XXX. menſe Auguſto, dum Orientem ſcrutatus eſt, corpore occidit, mente ad ἀνατολὴν ἐξ ὕψους evolavit. Vidit fideliſſimam domus columnam pariter ac tori ſociam anno XXIII. lamentabili funere conditam. Vidit : ſed & id *Cypriani* admiſit : *non poteſt eſſe victoria, niſi præceſſerit pugna : cum fuerit in pugnæ congreſſione victoria, dabitur vincenti corona : gubernator in tempeſtate dignoſcitur, miles in acie probatur. Delicata jactatio eſt, cum periculum non eſt :* & expreſſit quod vetus apud *Babr. etymol.* verſiculus requirit :

Ἃ σοι πέπρωται ταῦτα τλῆθι γενναίως
καὶ μὴ σφίζου· τὸ χρεὼν γὰρ οὐ φεύξεις.

Auguſt. l. 6. Confeſſ. *Ambroſium*, dicit, *felicem quendam hominem ſecundum ſeculum ſibi æſtimatum, quem ſic tantæ poteſtates honoraverint, cæterum cœlibatum ejus laborioſum ſibi viſum eſſe :* magis id de Eminentiſſimo *Fabritio* per 30. annos viduo dicere liceret, niſi ἐπ' ἄκραν γραμμὴν & *ultimam rerum lineam* properandum eſſet, de qua pulchrè Euripid. Electr.

Μή μοι τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς
νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν πέλας
γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.

Diodorus, equidem, Siculus : *inſigni*, inquit, *corporis robore & ſublimi mentis acumine præditum eſſe perquàm eſt difficile*, unde Epaminondum vel illo nomine attollit, quod in illa peritiæ militaris excellentia, in illa æquitate ac celſitudine animi, qua omnes Imp. ſuperaverit, *firmo ac robuſto corpore fuerit*, miratus *utriuſque boni largitionem* ab invidente aliàs natura conceſſam, ut idem *& Valentiſſimus eſſet & ſapientiſſimus* [Valer. Max. l. 1. c. 12.] licet autem à robuſta & valida ætate panegyricum Fabricius p. d. non poſcat, qui & ſcientiarum excellentiam & illud, uti *Herm. Triſmegiſt.* vocat ἓν καὶ μόνον ἀγαθὸν εὐσέβειαν, & illos, quos *Peluſiot. l. 3. ep.* 151. ἐλευθερίας ψυχῆς characteres ponit, excellenter habuit, cœli tamen beneficium fuit, quod & *habitudo contigerit valida, & ſanitas robuſta Fabritio* Medico: quem uti *Juvenem mori*, in ſalibus habetur : ita in jocoſeriis, ſi Medicus ante noviſſima, frequenter ingeminet illud Comici:

lien necat, renes dolent,
pulmones diſtrahuntur : cruciatur *jecur,*
radices cordis *pereunt ; vires omnes dolent.*

Vixerat hactenus *Fabritius* valetudine ſatis integra,

tegra,& ætate ultra Davidica, quippe jã in LXXV. æt. anno: non expertus alium ex Morbonia hoſtem, niſi communem ſenibus *Maraſmum*, per quem cum mortali *Spiritu & humore* deficit τὸ θερμὸν ἔμφυτον. Sed tot morborum terror, impavidus hunc *invincibilem* admiſit: nec *mori timuit, qui ex aqua & ſpiritu renatus* (verba ſunt *Cypriani Martyris ſerm. 4. de mort.*) *ſe Chriſti cruce & paſſione cenſeri, & de hoc ſeculo recedentem* ad æternam vitam *tranſiliturum ſcivit. Mortalitas*, quippe „*Chriſti hoſtibus peſtis eſt: Dei ſervis ſalutaris exceſſus.* Quod ergo jam moriturus *Auguſtinus* ſuprema voce expreſſit: *laudatos Chriſtianos ſine digna & competenti pœnitentia de corpore exire non debere*, id *Fabritius* noſter qui cum Iſidoro lib. 3. epiſt. 285. οὔτ' ἀναμάρτητος fuit οὔτ' ἀναμαρτήτους ζητῶν φίλους, ſerio meditatus, pridie ante obitum Reverendo & Clariſſimo Viro Dn. M. *Johanni Bremero Seren. R. M. Dan. & Norvveg, Concion. Aulico Germanico*, devotiſſimè peccata confeſſus, *Sacramentum corporis ac ſanguinis Jeſu-Chriſti impetravit. De Monica* Matre *Auguſtinus* l.9. conf. *Quanquam*, inquit, *illa in Chriſto vivificata, etiam carne, nondum reſoluta, ſic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribuſque ejus, non tamen audeo dicere ex quo illam per baptiſmum regeneraſti, nullum verbum exiviſſe ab ore ejus contra præceptum tuum. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam.* Non aliter ſenſit ὁ μακαρίτης noſter, qui, quod *tutiſſimum* æſtimat Bellarm. l. 5. de juſt. c. 3. & 7. in *ſola Dei gratia* & propoſito in *ſanguine Jeſu-Chriſti* ἱλαστηρίῳ, de quo ſuaviter Θεολογοῦντα mente adhuc integra, illo ipſo noviſſimo inter mortales die, audivit reverendum admodum & excellentiſſimum Virum Dn. *Thomam Lindemannum, SS. Theol. D. Celeberrimum, & Teuton. Hafnienſ. Eccleſ. Paſtorem Regium*; ſine dolorum vehementiorum, qui oculis in morte natantibus atra, excruciare corpuſculum ſolent, ſuaviter d. XIV. Aug. Hafniæ ἐξέπνευσεν. Ita ergò *abiiſti, abiiſti*, magni *Fabriti. Et abitionem quidem ex hac vita*, quæ verè eſt σκιᾶς ὄναρ & ξένης ἐπιδημία ad amœniſſimas amœnitates, ubi nunc ultra *purpuram, ſceptra, coronas*, cœlo recepta mens triumphat, gratulamur: neque enim *potuiſſet vita æterna ſuccedere niſi*, ut Cypr. loquitur, *hinc contigiſſet exire: non eſt exitus, ſed tranſitus: & temporali itinere decurſo ad æternè tranſgreſſus. Quis te ad meliora feſtinaſſe, invideat? quis non ſe quoque ad Chriſti ſpeciem reformari & ad cæleſtis gloriæ dignitatem venire citius exoptet? Hoc nos oſtendamus eſſe quod credimus, ut cum accerſitionis propriæ dies venerit, incunctanter ac libenter ad Dominum, ipſo vocante, veniamus. Quantus te ibi charorũ expectavit numerus? parentum, fratrum, filiorum frequens te turba deſideravit: jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra incolumitate ſollicita; ad horum conſpectum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt? illic Apoſtolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & Paſſionis victoriam coronatur.* Quod ergò jam requieſcas, quod *pulverem detergas*, quod *vigiles det purpura ſoles*, quod *jam ſoluto ſtadio coronam exigas*, gratulamur: at meritorum tuorum pondera revolventes, ereptum terris te dolemus & *Fabritium* exoptamus.

Quod ergò ſupremi honoris ſupereſt, omnes quotquot juriſdictionem Academicam agnoſcunt, monemus, ut Celeberrimi *Fabritii per XL. annos Mathematici & Medici Profeſſoris, Collegij Ducalis, & Facult. Medicæ totiusque Academ. Senioris Archiatri, item Mekelburgici & Potentiſſimorum Daniæ Regum Perſonæ Medici* exequias, ubi ſignum dabitur *eant reverenter*, & huic bono *hora* I. *in Templo Iacobæo conveniant frequenter*, rati ſe digniorem nunquam comitaturos. Inter eundem meditamini illud Cypriani cont. Demetr. *Quando hinc exceſſum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ eſt: nullus ſatisfactionis effectus: hîc vita amittitur, aut tenetur: Hîc ſaluti æternæ cultu Dei & fructu fidei providetur: Hîc cum Chriſto ſemper vivamus, & facti per ipſum Filij Dei, cum ipſo ſemper exultabimus. Non enim poteſt non ſemper eſſe lætus, qui cum morti eſſet obnoxius, factus eſt immortalitate ſecurus*, & illud Mon. Cl.

Hora noviſſima, tempora peſſima ſunt: Vigilemus: Ecce minaciter imminet arbiter ille ſupremus.

P. P. Roſtochii XV. Septemb. Anno cIↃ IↃC LII. ſub Rectoratus Academici Sigillo.

Plura de laudibus meritiſſimi hujus Viri videantur, in *oratione Panegyricâ* Roſtochij habitâ, ab *Andrea Tſcherningio* P. P. anno 1653. in 4.

EPITAPHIUM.

D. O. M. S.

DOCTOR. JACOBUS. FABRICIUS.
ROSTOCHIENSIS.
DUORUM. POTENTISS. DANIÆ. NORWEGIÆ. REGUM.
CHRISTIANI. IV. AC. FRIDERICI. III.
NEC. NON.
ILLUSTRIS. PRINCIP. MEGAPOLITAN.
JOHANNIS. ALBERTI. AC. SOPHIÆ
MATRIS. ARCHIATER.
PATRIÆ. ITID. ACAD. PER. XL. ANN.
MEDIC. AC. MATHEM. PROF. PUBL.
VIRTUTE. AC. ERUDITIONE SUA.
FAMILIÆ. SUÆ. PRÆLUCENS. POSTQUAM. ANNOS. LXXV. NATUS.
cIↃ IↃC LII. XIV. AUG. VITAM.
GLORIOSE.
HAFNIÆ. FINIISSET.
HUC. TRANSFERRI. VOLUIT.
UT. EADEM. URNA. CUM. UXORE. SUA
MARGARETHA. MYLIA.
LIBERIS. AC. NEPOTIBUS. ALIQUOT.
HIC. ANTE. TUMULATIS.
CONDERETUR.
CUJUS. HONORI. AC. MEMOR. ÆTERN.
HOC. MONUMENTUM. L. M. Q. STATUERE. VOLUERUNT. GENERI ET
FILIÆ.
D. SIMON. PAUL. DANIEL SANDOVIUS.
S. R. M. DAN. & NORW. J. U. D.
FRIDER. III. MEDIC. AC.
PRÆL. ARHUSIENS. SOPHIA. FABRIC.
ELISAB. FABRICIA.

SCRIPTA.

De Vulneribus capitis & aliarum partium ſingularibus, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medic. ſingularium lib. IV. prioribus p. 483. *Ulmæ*. 1628. in 4.

Inſtitutio Medici Practicam aggredientis. *Roſtochij* 1619. in 4.

Periculum Medicum, ſeu juvenilium fæturæ priores: *Halæ Saxonum*, 1600. in 8.

Uroſcopia ſeu de Urinis Tract. *Roſtoch.* 1605. in 4.

De Cephalalgia autumnali: *ibid.* 1617. in 4.

Diſſertatio de nov-antiquo capitis morbo & dolore, cum aliis diſquiſitionibus Medicis, de difficilioribus nonnullis materiis practicis: *ibid.* 1640 in 4.

Oratio Renunciationi novi Medicinæ Doctoris præmiſſa, de cauſis cruentantis cadaveris præſente homicida: *Roſtoch.* 1620. in 4.

Diſputationes præterea Medicas plures habuit in Academiis Hafnienſi & Roſtochienſi.

FABRICIUS (*Johannes*,) Montanus.

De eô extant

Differentiæ animalium quadrupedum, ſecundum locos communes, opus ad animalium cognitionem apprimè conducibile. Tiguri, apud Geſneros F. F. R. 1555. in 8. Huic accedunt ſimilitudinum ab omni animalium genere deſumptarum Libri ſex. Ex optimis quibuſque Authoribus, ſacris & profanis, Græcis & Latinis, per Ottonem Werdmüllerum collecti & pulcherrimâ methodô digeſti.

Epiſtola Medica. Extat cum Ciſta Medica Johan. Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

FABRICIUS (*Septimus Andreas*,) Norimbergenſis.

Ex eô habentur

Diſquiſitio Medica, de Catulis Hydrophoborum: quam in Almâ univerſitate Patavinâ, Exercitii gratiâ, conſcripſit ac edidit. Patavii, apud Frambottum, 1665. in 4.

Μελέτημα ἰατρικὸν, de Medicinâ Univerſali, quod, cum Epimetrô, Synomilis ſuis, in Itinere Neapolitanô, ad demulcendas viarum moleſtias, recenſuit & evulgavit. Venetiis, è Typograph. Scalean, 1666. in 4.

Diſcurſus Medicus, de Terminô Vitæ humanæ: quem in antiquiſſimô Romanorum Gymnaſiô, inter familiares inſtituit, &, ad inſtantiam illorum, publici juris fecit. Romæ, 1666. in 4.

FABRICIUS (*Wolfgangus Ambroſius*,)

De eô extat

De Signaturis Plantarum. Noribergæ, 1653. in 4.

FABROTUS (*Carolus Annibal*,) Aqui-Sextienſis.

Ex eô habentur

Exercitationes duæ, de tempore partûs humani: & de numerô puerperii. Aquis-ſextiis, apud Joh. de Tournes, & Jac. de Pierre, 1629. in 4.

FACKHIUS (*Andreas.*) Conſiliarius & Proto-Medicus Cæſareus, Acad. Curioſus.

De eo extant in Ephemerid. Nat. Cur. Centur. 5. & 6.

Obſervatio 74. De Aneuriſmate.
Ibidem Obſervatio 75. De Colicâ.
Ibidem Obſervatio 76. De Hydrope.

PLurimi & innumeri morborum inſultus humàna corpora infeſtare ſolent, quorum aliqua iiſdem tanquam delictorum ſuorum vindicibus, juſtô Dei judiciô, plectuntur, non pauca hæreditario jure, & morboſâ parentum diſpoſitione dotantur, plurima verò diætâ depravatis modis peccante, & occaſionalibus cauſis trucidantur, interquæ ex ſexcentis aliis unicum ſubjectum, idque ex nobiliſſimâ Proſapiâ Hiſpanicâ oriundum, præfigurare placet,quod à juventute variis miſeriarum humanarum & infirmitatum ſatellibus ſtipatum, in virili dein ætate formalis & actualis Aſcitis malo erat moleſtatum, in quô, non obſtantibus ſuô tempore adhibitis prophylacticis, & curativis auxiliis, urgebant difficilis reſpiratio, tuſſis ſicca, ſitis intenſa, hypochondriorum tenſio gravativa, anxietates præcordiorum, urinæ craſſæ, crudæ & paucæ, intenſôque colore tinctæ, quibus ſucceſſivè pedum & femorum inſignis tumor veſtigia digiti prementis in foveâ retinens, moles abdominis grandior cum fluctuationis & diſtenſionis ſenſû, totius corporis laſſitudo, & partium ſuperiorum Contabeſcentia accedebant.

Hæc itaquè phœnomena tumorem aquoſum & aſciticum abdominis, & pedum præfigurantia inſinuant lympham variô modô peccantem, extravaſatam, & hinc inde ſtagnantem, quæ tanquam genuina cacochymiæ cachecticæ progenies, defectuoſam chyli & ſanguificationis functionem, labefactatam circulantium circulorum craſim, ac fermentationem volatilium, & activarum partium ſuppreſſam; Cruditatum verò variarum exaltationem agnoſcit, & veneratur; dum enim principia activa ob varias cauſas occaſionales languida, & effæta nullam digeſtionibus, ſecretionibus & diſtributionibus perfectionem conciliant, neceſſariò lympha craſſitie, viſcoſitate, aciditate, aut acrimoniâ peccare incipit, quæ proinde talibus vitioſis qualitatibus contaminata, irregulari, & diſproportionata ſua dyſcraſia circulationis legi refragatur, in motû ſuô impedita & ſtagnans à tergò inſequenti obicem ponit, maximè ſpirituum impetû deſtituta, unde vaſa lymphatica ultra ſphæram ſuam extendi neſcia adeò diſtendit, & extendit, ut eadem, aut copia diſrumpi, aut acrimoniâ accedente dilacerari neceſſe ſit, quæ dein liquorẽm in ſe contentum, quâ datâ portâ, in cavitatem abdominis exſtillare & in muſculoſarum partium interſtitia effluere ſinunt, non minùs ubi lympha hæc ſtagnatione vitioſâ majorem contrahit acrimoniam, tùnc continui unitatem diſſolvere, vaſa tenella exedere,excoriare & fores vi ſibi paratas reſerare, clauſtra perrumpere, ſicque abdomen in tumorẽ elevare poteſt, qui pedes pariter occupans,eò contumacior eſt, quò difficilior per vaſa lymphatica graviorum aſcenſus, minor circulantis & impellentis naturæ impetus exiſtit, à cujus vitioſæ lymphæ degeneratione, ſtagnatione, & confuſione reliqua in ſimili caſû accedentia ſymptomata ſuam deſumere ſolent progeniem.

Affectus hic juxta magni ſenis prognoſim in Coac. tit. 451. & Aphor. 55. ſect. 7. non ſine ratione graviſſimus, & curatû difficilis judicatur, quam quotidiana pariter experientia talem confirmat contumaciſſimum, maximè, ubi graviora ſymptomata, ſitis, difficilis reſpiratio, tuſſis & viſcerum forſan organicæ læſiones adjunguntur, dictante eodem Hippoc. 2. prognoſt. Si quis hydrope correptus, ſuperſtes eſſe volet, viſceribus bonis præditus ſit, oportet, & hinc, etſi patienti huic in dubiô hoc ſtatû verſanti generoſiora, longo etiam tempore, cum bonâ methodô, adhiberentur auxilia, nunquam tamen deſideratum obtinuêre effectum; medicamenta enim, quæ juxta indicationes lympham craſſam, viſcoſam, & vappeſcentem incidere, & præparare, præparatam per competentes vias evacuare, viſcera reſerare, eorum fermenta invigorare, ſicque coctionum perfectionem procurare intendebant, conſiſtebant partim in digeſtivis ſalinis, & martialibus, ſuccos viſcoſitate acidâ peccantes incidentibus, & obſtructa emunctoria reſerantibus, partim evacuantibus, ut colluvies vitioſorum ſuccorum, qui nullam coctionem admittunt, per epicraſin & varia emunctoria ſuavi modo eliminentur, quibus præmiſſis, diuretica varia, in quibus Hippoc. in Coac. omnem & principalem reconvaleſcentiæ ſpem ponit, in uſum vocata ſunt, ut eorum lixiviali ſale, vel aquoſitate diluente, aut virtute præcipitante ſeroſitates per vias urinarias copioſiùs elutriarentur; tandem verò non erant omiſſa illa alterantia, & confortantia, juxta modernorũ praxim & neceſſitatẽ etiam exigentẽ, quæ frequentiùs & ſeveriùs juxta Riveriũ, Ettmüll. Hoffm. alioſque

aliosque Practicos, quâ ipſa purgantia adminiſtrari debent, ùt perfectior circulantibus ſuccis craſis conciliaretur, volatilis & balſamica vis invigoraretur, acida & viſcoſa pernicies ulteriùs peſſundaretur, fermenta, & tonus viſcerum iterùm ſtabiliretur.

Cùm itàque fruſtraneô labore, longô jam tempore fuerint adhibita dicta auxilia, in Conſiliô hac de re convocatô, à Medicis Hiſpanis propoſita eſt quæſtio, an non acidulæ in diſtrictû Wickenſi ſcaturientes in uſum vocari poſſint? experientiâ enim purâ & multiplici ducti aſſeverârunt, plurimis hydrope formali laborantibus fuiſſe ſalutares, ac proficuas. Reſpondebam quidem mihi nec ex libris practicorum, minùs propria experientia conſtare, aliquem realiter hydropicum Acidulis quibuſcunque fuiſſe reſtitutum, maximè ubi contumacibus obſtructionibus, ſcirrhoſitatibus aut alio organico vitio quis eſſet obnoxius. In dubiô hôc ſtatû hæſitans tandem conſenſi, juxta Celſi ſententiam melius eſſe anceps, quàm nullum experiri remedium, Acidulas ſcilicèt propoſitas hâc conditione eſſe tentandas, ùt à principiô in paucâ doſi ſumantur, ulteriùs aſcendendo juxta tolerantiam eſſe pergendum; & ità practicatum eſt, incipiendo à ℔j. ad ℔ij. cum aliquali euphoriâ addendo tamen ʒß. ſpiritus ſalis coagulati pro majori penetratione, hinc ſequentibus diebus mane ad ℔iij. à meridie ad ℔ij. tranſitus & aſcenſus aquarum eſt inſtitutus, adeò fortunatus, ùt cum copioſâ urinâ diu noctûque redditâ, excrementa etiam ſeroſa, & viſcoſa per ſeceſſum cum euphoriâ per epicraſin eliminarentur, unde continuatis hiſce ultra menſis ſpatium aquis mineralibus, abdomen totaliter cum pedibus detumuit, functiones naturales cum incrementô virium in integrum, & perfectum ſtatum ſunt redactæ, & ità deſiderata ſanitas in hodiernum adhùc diem vigens, eſt recuperata, quam dictus Patiens in patriâ adhùc exiſtens, iiſdemque aquis ultra annum ante Chocolatam ad ℔j. hauſtis conſervare ſatagebat.

Finita itàquè Acidularum curâ, in reditû adiit nobiliſſimus Dominus thermas in Civitate Caldes dicta ſcaturientes, quæ ſulphure ſuo penetrante & embryonato, unà cum ſubtilibus mineralium ſalibus revolvunt quasvis partium ſordes, nervoſô præcipuè generi inimicas, eaſque per ſudorem, qui poſt balneationem, conceſſô ad lectulum decubitû, copioſiſſimè erumpere ſolet, evacuant, tumores quoſcunqne flatulentos, duros & ſcirrhoſos auſpicatò tollunt, ſimùl & ſapore ſuo ſubſtyptico reſolutas, ac debilitatas partes firmant, & corroborant, quæ in plurimis aliis morbis, atoniâ atque reſolutione fibrillarum, paralyſi, contractura, ſtupore partium, doloribus quibuſcunque fixis, aut vagis, convulſionibus, fluore albo, ſterilitate, aliiſque calamitatibus ſummè proficuæ & ſalutares deprædicantur.

Quamvis Hiſpani Medici de conſtitutivis hujus ſaluberrimi fontis nullam hactenùs inſtituerint Encheireſim, colligere tamen ex effectû licet, ſal quoddam alcalinum, ſpiritu elaſtico, ac volatili imprægnatum magnæ efficaciæ in eôdem vigere, quod ex marcaſitâ martiali ſulphureâ, accedentibus aliis mineralibus, & invicem fermentantibus reſultat, ſpiritûque inde elaſticô per fermentationem elevatô, nobilitatum maximas virtutes in reſerandis obſtructionibus, dyſcraſia ſuccorum peccantium corrigenda, & ſubtilizanda, per emunctoria competentia evacuanda, tonoque partium flaccidarum roborando poſſidet, ac manifeſtat, ut vox populi earumdem Acidularum uſum in morbis plerumquè chronicis ſaluberrimum pronuntiet; eſſet itaquè ſuadendum, ut & Medici, inſtitutâ priùs exactâ ingredientium inquiſitione, ulteriorem ſacri hujus fontis inſtituerent medelam, pro chronicis & inveteratis morbis, qui pharmaceuticis quandòque auxiliis minimè auſcultant, feliciùs abigendis & curandis.

Ibidem Obſervatio 77. *De Calculis.*
Ibidem Obſervatio 78. *De Febribus malignis.*
Ibidem Obſervatio 79. *De Ichoroſô Hæmorrhoidum Fluxû.*

FALCO (*Jaimus de,*) Aragonenſis, *Sariñenæ* Civis, Medicæ artis Profeſſor Monſpeſſulanus, Guidonis Cauliaci Galli *Artem Chirurgicam* in vulgarem ſermonem convertit, explanationeſque & notas adjunxit. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 469.

FALCO (*Johannes,*) Hiſpanus, Medicus ſuô tempore excellens, in Monte-Peſſulanô. Vixit A. C. 1504. Juſtus in Chronol. Medicorum.

De eo extant

Additiones ad Practicam Antonii Guainerii. Papiæ, apud Bernhardinum de Geraldis, 1518. in 4. cum aliis Guainerii Operibus.

FALCONEUS (*Aymarus,*)

Ex eo habetur

De ſecretis Agri, Liber. Lutetiæ, apud Fridericum Morellum, 1560. in 8.

FALLOPIUS (*Gabriel,*) Quem natum ſcribit Caſtellanus ann. 1523. mortuum 1551. nondum quadragenarium. Conſtat ex Tomaſinô natum an. 1490. Mutinenſis fuit patriâ, ab honeſtis parentibus ortus, qui domicilium tranſtulerunt Venetias, & Patavii ſibi prædia comparaverant, puer acutiſſimi ingenii, & robuſtiſſimi corporis, litterarum ſtudiis admotus, brevi ſeverioribus diſciplinis idoneus viſus eſt. Præ aliis ſibi agnoſcendam, ac penitùs introſpiciendam Medicinam elegit; fuitque auditor in Gymnaſiô noſtrô clariſſimorum virorum omnium, qui eâ ætate illam artem profitebantur, cui Aſtrologiæ notitiam adjunxit, excitatuſque famâ Jacobi Carpenſis, ad Botanicam, & Anatomen animum appulit, idque urgente Jo. Baptiſtâ Montanô, quô præcipuô præceptore uſus eſt. Hanc ob cauſam totam ferè Europam dicitur peragraſſe, ut abdita cognoſceret arcana naturæ, plantarum abſtruſas virtutes deprehenderet, & ad cœleſtia penetranda mente pertingeret. Hinc à peregrinationibus redux, locus datus eſt inter Anatomicos in Gymnaſio Piſano, unde à Senatû Venetô evocatus, Anatomicam artem non minor deceſſore Veſaliô, ſucceſſoribus major, ſummô explicavit cum plauſû. Nam multa noſcenda detexit, atque inter alia Tubas, ſeu cornua Matricis, undè, ex recentioris Medicinæ ſententia, ova, quæ hominum ſeminarium ſunt, in Uterum deſcendunt: quamobrem Cornua hujuſmodi Tubæ appellantur Fallopii. Hæc in Theatrô Anatomes ediſſerens, ſimul & virtutes herbarum ab Exedra docuit, & in Hortô Botanicô poſt Bonafidem plantas demonſtravit ab annô 1551. ad obitum uſque. Mortalitatem explevit Patavii, Senex annorum trium & ſeptuaginta ann. 1563. Jacuit in Baſilicâ Antonianâ; noſcendus ex appoſitô diſtichô hoc.

Fallopi, hic tumulo ſolus non conderis, unà
Eſt pariter tecum noſtra ſepulta Domus.

Nùnc nulla memoria ejus, monumentum nullum eſt, nam cùm in eô locô janua fuerit conſtructa, oſſa tanti viri aliquandiu in Capſâ ligneâ ad oſſuaria vetera neglecta jacuêre, donec in ſepulchrô Melchioris Guillandini condita quievêre in primô Clauſtrô Cœnobii.

De eo habentur in Linden. Renovatô.

Opera genuina omnia, tam Practica, quàm Theorica, in tres Tomos diſtributa. Venetiis, apud Felicem Valgriſium, 1584. in fol. Ibidem, apud Johan. Anton. & Jac. de Franciſcis, 1606. in fol. 3. Voll. Francof. apud Hæred. Wecheli, Marnium & Aubrium, 1600. in fol. cum operum Appendice, ibidem 1606.

Tomus primus continet :

I. Inſtitutiones Anatomicas.
II. Obſervationes Anatomicas.
III. Obſervationes de Venis.
IV. De Partibus ſimilaribus.
V. De Medicamentis ſimplicibus.
VI. De Materiâ medicinali in Librum primum Dioſcordis.
VII. De Thermalibus aquis.
VIII. De Metallis, atque Foſſilibus.
IX. De Medicamentis purgantibus ſimplicibus.
X. Epiſtola ad Mercurialem de Aſparagis.

Secundus :

I. De Ulceribus & eorum ſpeciebus: de Morbô Gallicô: de Ulceribus ſingularum partium.
II. De Vulneribus in genere: de Vulneribus Capitis: Oculorum: Naſi: Colli: Vaſorum: Thoracis: Medullæ Spinalis: Abdominis: Nervorum: Sclopetorum, &c.
III. Commentarius in Hippocratis Coi Librum de Vulneribus Capitis.
IV. De Cauteriis.

Tertius :

I. De Tumoribus præter naturam.
II. De Decoratione.
III. Expoſitio Libri Galeni de Oſſibus.
IV. De luxatis & fractis Oſſibus.
V. Methodus Conſultandi.
VI. De Compoſitione Medicamentorum.

Seorſim prodierunt :

Opuſcula. Accedit Guilielmi Rondeletii Tractatus de fucis. Item, Arcanorum Liber I. Omnia hæc Petri Angeli Agati operâ atque diligentiâ edita: à quô paſſim inſertæ ſunt Annotationes quædam, hâc notâ [ ] à reliquô orationis contextû ſecretæ. Patavii apud Lucam Bertellum, 1566.

Index Librorum in his opuſculis contentorum :

De Morbô Gallicô Liber abſolutiſſimus inque hâc tertiâ editione multò Caſtigatior.
De Bubone peſtilenti Tractatus.
Quæſtio, de Principiô Venarum.
De Balſamô.
De Aſpalathô.
De Sandalis.
De Muſcô.
De Moſchô.
De Ambrâ.
De Zibettô.
De Decoratione.
Gul. Rondelet. de Fucis.
Gab. Follopii de Caloribus, Tractatus, in quô agitur de Concoctione.
Pet. Ang. Agathi Arcanorum Liber primus.
Expoſitio in Librum Galeni de Oſſibus. Huic acceſſerunt Obſervationes Anatomicæ ejuſdem, à Franciſcô Michinô nùnc primùm fideliſſimè in lucem edita. Venetiis, apud Simonem Salignanum, 1570. in 4.

De Compoſitione Medicamentorum. Cui acceſſerunt tabulæ ejuſdem de cauteriis. Venetiis, apud Mejettos F. F. 1570. in 4.

De ſimplicibus medicamentis purgantibus, Tractatus non minùs elegans, quâm utilis. In quô proponuntur Medicis cognoſcenda medicamenta purgantia ſimplicia omnia, eorum conditiones, falſitates & ſpecierum diverſitates; daturque modus illa præparandi, exhibendi, ac corrigendi: Nunc recèns exactiſſimâ curâ ab Andreâ Marcolinô collectus & in lucem editus. Unà cum Epiſtolâ, in quâ agitur de utriûſque Aſparagi, in medicamentis utilitate; & quiſnam eorum conſervari debeat in officinis. Venetiis apud Jordanum Zilettum, 1566. in 4.

De Thermalibus Aquis Libri ſeptem. De Metallis & Foſſilibus Libri duo. Nùnc primùm editi per Andream Marcolinum Faneſtrem, qui Epiſtolam præfixit, quâ utilitas, docendi modus, & totius rei, quæ in hôc ipſô opere continetur, ſumma, breviter, explicatur. Venetiis, apud Ludovicum Avantium, 1564. in 4. Ibid. apud Vincentium Valgriſium, 1584. in fol. cum aliis ejuſdem.

Lectiones de Partibus ſimilaribus Humani Corporis: ex diverſis exemplaribus à Volcherô Coiterô collectæ. Noribergæ, apud Theodoricum Gerlachium, 1575. in fol.

Libelli duo, alter de Ulceribus: alter de Tumoribus præter naturam. Venetiis, apud Donatum Bertellum. 1563. in 4.

De Ulceribus Liber, nunc primùm emendatior, magnâque acceſſione auctus & integer editus operâ ſtudioque Brunonis Seidelii ſententia, de iis, quæ Laur. Joubertus in Paradoxis ſuis de Febrium humoralium origine ac materiâ diſputavit. Erphordiæ, apud Georg. Baumannum, 1577. in 4.

De Parte Medicinæ, quæ Chirurgia nuncupatur, nec non in Librum Hippocratis de Vulneribus Capitis, dilucidiſſima Interpretatio. Venetiis, apud Mejettos, 1571. in 4.

De Humani Corporis Anatome, Compendium. Patavii, 1585. in 8.

Obſervationes Anatomicæ. Venetiis, ap. Marc. Anton. Ulmum, 1562. in 8. Pariſiis, 1562. in 8. Helmæſtadii, apud Jac. Lucium 1588. in 8. Hæc editio in quinque Libros digeſta certiſque Capitibus diſtincta, & illuſtrata eſt à Sigfrido Margeulenſi.

De Morbô Gallicô, Tractatus. Venetiis, apud Franc. Laurentium de Turrinô, 1565. in 8. Patavii, apud Lucam Bertellum, 1564. in 4. Cum Petri Angeli Agathi, *Matheratis*, ſcholiis marginalibus & exercitationibus quibuſdam nobilibus; & operis Veneti de Morbô Gallicô Tomo I. pag. 661.

FANESTER (*Andreas Marcolinus,*)

Fallopii de Thermalibus Aquis Libros VII. præfixâ Epiſtolâ, quâ utilitas, docendi modus, & totius rei quæ in hoc ipſô opere continetur, ſumma, breviter explicatur, publici juris fecit. Vid. Gabriel Fallopius.

FANIANUS (*Joh. Chryſippus,*)

Ex eô habetur

De Arte Metallicæ Metamorphoſeos Liber ſingularis. Quo omnia, quæ ad Philoſophici Lapidis opus pertinent, apertiſſimè deſcribuntur. Item de Jure Artis Alchemiæ Veterum Auctorum, & præſertim Juriſconſultorum, Judicia & Reſponſa ad Quæſtionem, an Alchemia ſit Ars legitima? Baſileæ, ap. Petrum Pernam, 1576. in 8. & volumine primô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Laz. Zetznerum, 1613. in 8. ſine additamentô de Jure Artis, &c. Pariſiis, apud Guil. Guillard, 1560. in 4. Baſileæ,

Baſileæ, 1600. in 8. Extat etiam cum Libris illis duobus de Arte Chemicâ; quorum prior eſt Roberti Vallenſis de Veritate & Antiquitate Artis Chemicæ &c. poſterior verò eſt hic ipſe Faniani. Montisbelgardii, apud Jacobum Foillet, 1602. in 8.

FANNUS (*Palamon, Rhemnius,*)

Ex eo habetur

De Ponderibus & Menſuris Liber. Salingiac. 8. 1538.

FANOISIUS (*Guido,*)

Ex eô habetur

Diſſertatio Medica de Morbo Epidemico hactenus inaudito: præteritâ æſtate anni 1669. Lugduni Batavorum viciniſque locis graſſante. Lugduni Batavorum apud Lothum de Haes, 1671. in 12.

Nicolai Stenonis Diſſertationem de Cerebri Anatome è Gallicô exemplari, Pariſiis 1669. edito, Latinitate donavit. Lugduni Batavorum, apud Felicem Lopez, 1671. in 12.

FANTONUS (*Johannes*) Taurinenſis, Vir eximius, in omni Humaniorum Literarum elegantiâ, Doctrinâ Medicâ, ac ejuſdem Praxi, verè conſpicuus. Patrem habuit Virum doctiſſimum Joh. Bapt. Fantonum Bibliothecarium, Medicum & Conſiliarum Victoris Amedei II. Sabaudiæ Ducis, & in Taurinenſi univerſitate primum Anatomiæ, tum Medicinæ Theoreticæ Profeſſorem: qui anno ætatis ſuæ circiter quadrageſimo ex acuta febre interiit Ebroduni Caturigum A. C. MDCLXXXXII. cùm ibi Sabaudiæ Dux caſtra teneret. Scripta quædam omnino imperfecta reliquit, ex quibus ſelectiores de rebus Medicis & Anatomicis Obſervationes decerpſit Joh. Filius, & publici juris fecit.

Hic igitur Johan. Fantonus, natus A. C. MDCLXXV. cum litteris humanioribus, Philoſophiæ, & Medicinæ Operam dediſſet, & in Patria Univerſitate Doctoralem Lauream conſecutus eſſet, Regis ſui munificentia Germaniam, Belgium, & Galliam ſtudiorum cauſa peragravit. Domum reverſus cæpit in publico Gymnaſio Anatomiam docere; deinde ad Medicinæ Theoreticæ; denique ad Practicæ primarii Profeſſoris dignitatem evectus eſt. Eum porro Sardiniæ Rex unico Filio ſuo Pedemontij Principi Medicum à Cubiculo inſtituit.

Obſervationes Anatomico-Medicas ſelectiores parenſis ſui, ut paulo ante admonuimus, adjectis ſcholiis, edidit Taurini A. MDCLXXXXIX. Quod opuſculum auctum & emendatum in lucem iterum prodiit. Venetiis. A. MDCCXIII. Ejuſdemque tertiam editionem cum novis acceſſionibus autor propediem curaturus eſt.

Diſſertationes Anatomicas evulgavit Taurini A. MDCCI. quas multis rebus locupletatas ſub titulo *Anatomiæ Corporis Humani ad uſum Theatri Anatomici accommodatæ* denuo in publicum emiſit Taurini A. MDCCXI. Atque id etiam opus quo partium infimi ac medii ventris hiſtoria, & uſus tantummodo continentur, recenſere ac perficere meditatur.

Extant ejuſdem Clar. viri Diſſertationes Duæ de ſtructura & uſu Duræ Matris, & Lymphaticorum vaſorum, ad eruditiſſimum Antonium Pacchionum conſcriptæ, quæ una cum ipſius Pacchioni Opuſculis, de eôdem argumentô evulgatæ fuerunt Romæ A. MDCCXXI. Item Duæ Diſſertationes de Thermis Valderianis, Genevæ A. MDCCXXV. In cujus libelli Præfatione promittit Autor Tractatum de Thermis Aquenſibus Sabaudiæ. Pluraque ab hoc ſcriptore inpoſterum nobis expectanda ſunt, ubi majori otiô & minùs infirma valetudine perfruetur.

De eô præterea hæc in Actis Lipſienſibus Ann. 1713. Supplem. Tom. 5. pag. 525.

Anatomia Corporis Humani, ad uſum Theatr. accommodata. Auguſtæ Taurin. ex Typog. Alph. J. Bapt. Guigonii, 1711. 4.

NOva hic ſiſtitur Editio Diſſertationum Anatomicarum quas Cl. *Autor* multis jam abhinc annis in lucem primum emiſit, cum è Galliâ & Belgiô redux Anatomen in patriâ publicè inciperet profiteri; ſiſtitur tamen non niſi *prima pars* in *tredecim Diſſertationibus* infimi & medicii ventris hiſtoriam ex Recentiorum potiſſimùm obſervationibus dilucidans. Qualia verò ſingulis nunc Diſſertationibus prioribus acceſſerint, quoniam tantò magis nos latet, quantò minùs editio illarum prima ad noſtras pervenit oras, ideò ordinem tantummodò earum ità percurrere liceat, ut ad ea imprimis, quæ circa partium vel ſtructuram vel uſum, Noſtro videantur, attendamus. In I. nempè *Diſſertatione* prælimi nari, dum mirabilis corporis humani fabrica veluti lineamentis adumbratur, partium durarum & mollium non modò neceſſitas ſtrictim demonſtratur, ſed & quâ mechanica utræque partes ad multiplices uſus à natura concinnatæ fuerint, fuſius indagatur. In *Diſſertatione* 2. communibus velamentis ac propriis abdominis deſtinata, inter ſebaceas cutis glandulas craſſiuſcula quædam ſubſtantia albicans refertur, quæ in alpino mure ad anum ſub cute reperiatur atque per ampla foramina ſtylum promtè admittat. Peritonæi autem humani non niſi duæ laminæ, hinc indè difficiliùs ſeparandæ, conceduntur, etiamſi in Peritonæô bubulô tres ſine negotiô ſejungi queant, in quô etiam recenti innumeri obſerventur pori è quibus compreſſa membrana multus humor viſcidulus ſcaturiat. *In Diſſert.* 3. quæ circa organa maſticationis & deglutitionis nec non circa œſophagum & ventriculum occupatur, plurimæ ad bovis fauces annotantur glandulæ uberrimam mucilaginem eructantes; ventriculi autem duplex conjicitur ſuccus, liquidior alter pro fame excitandâ cibiſque ſolvendis, alter viſcidior, cavitati ventriculi oblinien dæ inſerviens. *In Diſſert.* 4. inter inteſtina, quæcum omentô expenduntur, vermicularis cylindrulus pro cœcô habetur, qui in juvenculâ octo tranſverſorum digitorum longitudinem obtinuerit, ad Colon inſtar infundibuli amplior. In *Diſſert.* 5. meſenteriô ac ductibus chyliferis & lymphaticis conſecrata, millena chyli vaſcula in agnô diſſectô enumerantur, ab inteſtinis ad meſenterii glandulas excurrentia & ab his rurſus pauciora, ſed majora, ad ciſternam tendentia; quemadmodum aliquandò in corpore cachecticô viginti poſt mortem horis apertô non modo hepar, pancreas, lien ac reliquæ glandulæ obſtructæ cum geminô cordis polypô, ſed & ipſa vaſa lactea apparuerint. Ex *Diſſert.* 6. in quâ de hepate, liene ac pancreate agitur, & ex *Gliſſoniô* hepar 180. librarum (quod totius erat corporis pondus) non ſine errore allegatur, haud difficulter pateſcit, ab *Auctore* arteriam hepaticam aliquoties duplicem fuiſſe inventam, ſemel verò inductû choledochô hepatis humani enormiter dilatato plures meatus excretorios detectos, qui tenuem admiſerint ſtylum. *Diſſertatio* 7. renes, ureteres, veſicam & renes ſuccenturiatos

turiatos comprehendens, ſpem non levem injicit fore, ut renes nonnulli veſiculares à Noſtrô in obſervationibus edendis illuſtrentur iconiſmis, quorum veſicis cum tubulis ureterum aut latiori pelvi amplum intercederet commercium, prout ab eôdem in puellâ, quæ calculis renum laboraverat, loco renum ſuccenturiatorum meri ſacculi membranoſi inſignis cavitatis fuerint deprehenſi. In Diſſert. 8. dum genitalia virorum deſcribuntur, in ſtrictiorem tunicarum ſcroti cohæſionem rejicitur culpa, cur ſeptum hujus ad ductum *Rau* aliquandò minùs feliciter queat dividi, à liquore autem, proſtratarum nonniſi urethram inungi ac lubricari, nè ab urinâ acriori moleſtè vellicetur, veriſimiliter aſſeritur, cum glandulæ circà hominis glandem locatæ oblongos folliculos in meatum excretorium deſinentes perhibeantur repræſentare. In Diſſert.9. mulierum organis dicata portionem ſeminis virilis ad ovarium per tubum ferri atque ovo inſinuari eò minùs conceditur, quo magis ejus activitas à mucilagine tubæ videatur enervari ulteriorque motus ad ovarium uſque in prolixô iſtô & tortuosô canali cohiberi. *Diſſertatio* 10. circa uterum gravidarum, fœtum, involucra, placentam & umbiliculam funiculum ità verſatur, ut tum tempus quô fœtus verti ſoleat, incertum reddat, tum nutritionem fœtûs per os in dubium vocet, quòd fœtus longè ante ſeptimum menſem capite ſuo uteri orificiô deprehendatur inſiſtere, humor autem omnis unicè ex hujus glanduloſis folliculis in minori proveniat quantitate, quàm ut fœtui per os nutriendo ſufficiat. Neque ſtimuli partûs cauſas quas alii adſtruunt, tam admittit, quàm prolixiùs refellit. *In Diſſert.* 11. partes medii ventris continentes, mediaſtinum, pericardium & thymus pertractantur atque tanta pericardii cavitas indigitatur, ut hoc vulneratum non ſine admiratione duas ferè aquæ libras recipiat. *In Diſſert.* 12. cordis ſtructuram evolvente, arteria coronaria aliquando in adoleſcente unica, in ſene autem triplex à *Noſtrô* annotata innuitur, ſanguinis verò in utrumque cordis ventriculum infuſio non ſolùm ab auriculis ſed à venâ quoque cavâ & pulmonali deducitur. Tandem *in Diſſert.* 13. ſicuti pulmones pro præcipuô reſpirationis organô venditantur atque in poſticâ tracheæ parte tales numeroſiſſimæ glandulæ quales *Morgagni* expreſſit, autopſia *Autoris* confirmantur, ità reſpirationis modus & uſus latiùs enodantur. De cætero quàm primùm altera quoque Pars ad nos commeaverit, in quâ tantùm non omnia noviſſima promittuntur, nulli deerimus, in eâdem cum benevolô Lectore pariter communicandâ.

Ibidem Annô 1726. p. 324.

De Thermis Valderianis Diſſertationes duæ, Auctore Johanne Fantono, Regii Principis Pedemontii Medico Ordinario & in Taurinenſi Univerſitate Practicæ Medicinæ Profeſſore. Genevæ, apud Marc. Mic. Bouſquet & ſocios, 1725. 8.

THermæ Valderianæ ſex milliaribus à pagô Valderienſi in tractû montanô Provinciæ Cuneenſis Pedemontii ſitæ ſcaturiunt, & inde nomen ſortitæ ſunt; vetuſtiſſimis temporibus ignotæ, patrum verò noſtrorum ævô frequentatæ & ad potum, balneum, ſudationem & ſtillicidium adhibitæ ac inter alias thermas à Viottô, Bariſanô, aliiſque commemoratæ fuerunt. Fama potiſſimum earum apud omnes gentes percrebuit, ex quô Victoris Amadei Regis Auguſtiſſima Mater propter infirmam valetudinem ad eas ſe contulit, non ſine maximô ſanitatis emolumentô. Publico igitur conſulturum ſe confiſus Autor, factis variis experimentis, obſervationes ſuas collegit & ad Johannem Mariam Lanciſium, Clementis XI. Pont. Max. Archiatrum, jam è vivis ereptum per litteras quondam tranſmiſit, nuncque publici juris fecit. Conſpiciuntur itàque hic binæ Diſſertationes, in quarum 1. de Thermis Valderianis, in 11. de reliquis fontibus Valderii agit. In *priori* refert, thermas Valderienſes, ex præruptæ rupis clivo ſcaturientes, vel ſuperiores, vel inferiores eſſe; ex illis binas ad potum & balneum adhiberi, ſed adeò calidas & quaſi urentes exiſtere, ut eas immerſi digiti ferre vix queant, & qui bibunt, paululum hærere ſoleant, antequam calicem labris admoveant; has verò mox epotas nullam afferre moleſtiam, ſingulas perſpicuas maximè eſſe levioreſque aquâ torrentis, in quem proximè confluunt, nonnihil tamen ſulphurei redolere, & unctuoſi quid digitis imprimere; alia etiam quædam pinguia corpora, vulgò muffas dicta, in vicinia fontium & eorum defluxû ipſiſque ſaxis inhærentia obſervari. Præter ſulphur adeſſe quoque inculcat ſal alcalicum, nitro antiquorum ſimile, & ſedimentum in lagenis terreſtre & ſalſum deponi. Sicque didicit, in aquæ unciis decem ſalis vix grana duo, terræ grana tria contineri. Utiles judicat has aquas non ſolùm curandis morbis, quibus in univerſum omnes adhibentur thermæ, ſed propter modicum ſulphur, quod vehunt, & minimam ſalis quantitatem, longè aliis quibuſvis etiam præcellere ac tutiùs uſurpari, ſive puræ ſive addito ſtimulante aliquo pharmaco, quod modò alvum aperiat, modò urinæ ſecretionem promoveat, in uſum vocentur. Muffas commemoratas luti, quo hæ aquæ deſtituuntur, vices ſupplere addit, & eò tutius quidem quò pauciore ſulphure & ſale ſint refertæ, minorique calore polleant. In *Diſſertatione poſteriori* alios commemorat Valderii fontes, ut vitriolatum dictum, qui tamen parùm vel nihil de marte participat, & alterum exiguum, citra torrentem ſcaturientes, in parte aversâ rupis tres alios parvô intervallô à ſe invicem diſtantes, ut S. Luciæ, binoſque alios, omnes calidos; imò quamplurimos etiam frigidos fontes in iiſdem rupibus, è quibus thermales profiliunt, ſcaturire perhibet, ac exiſtimat, æque facilè thermas abſumptâ omni materiâ, quâ ignis ſubterraneus fovetur, primùm in tepidas, mox in frigidas aquas, ac gelidos fontes in thermas, novâ affluente materiâ, mutari poſſe.

FARRA (*Graſſinus*)

De eo extat

Trattato dell' Ipochondria, è ſuoi accidenti con ſua cura ed inſignamento rimedii. In Venetia, 1686. 12.

Tractatus de Affectione Hypochondriacâ, & ſuis ſymptomatibus, cum ejus curâ, ac remediorum indicatione.

FARVACIUS (*Robertus*) Inſulenſis.

Ex eô habetur

Diſquiſitio Medica: num Pilulæ dejectoriæ cum cœna rectè exhibeantur. Patavii, apud Livium Paſquatum, 1637. in 4.

FASCHIUS (*Auguſtinus Henricus*) Primam auram vitalem hauſit *Arnſtadii* A. O. R. 1639. D. 19. Febr. Patre genitus plurimùm reverendo & clariſſimo viro, M. Auguſtino Faſchio, ibidem Archidiacono & Conſiſtorii Aſſeſſore; matre honeſtiſſimâ fœminâ Margaritta Eckoldina, viri

viri ampliſſimi Jeremiæ Eckoldi, Senatoris *Ordruf.* prudentiſſimi, filia. Sub oculis parentum domi profecit ad pietatis & boni moris exempla aſſuefactus ſollicitè, ut quàm primùm caperet litteras & præcepta audiret, ſpem de ſe eximiam faceret. Educatus itàque ab annis primis & inſtructus quotidianâ induſtriâ, nec quidquam commiſſum, ex quô ſentiret aliquandò impedimentum. Jam pubertati propior ſcholam frequentavit patriam, & linguas præcipuè didicit Latinam atque Græcam, probè gnarus iſtarum cognitione plures cum dedecore deſtitui. Sæpè hinc in concione æmulorum & claſſe publicâ, ſæpè auſcultantibus paucis, ſed doctis & gravibus viris, in utrâque linguâ dedit ſpecimina moderante ſemper ac ſtimulante ad ulteriora Jo. Stechanio, exercitatô imprimis ac peritô homine in Scholaſticis meditationibus. Annos viginti natus in *Jenenſem* abiit Academiam, ingenium porrò variis diſciplinis exculturus. Nulli autem Doctorum ſe magis obſtrictum eſſe adſeveravit memori animo multoties, quàm inclyto quondam Philoſopho ac Medico, *Guernero* Rolfinckio, qui muſeum illi conceſſit in ædibus ſuis & quinquennio ampliùs ſecum eſſe voluit, ſic adeò exoptatiſſima fuit occaſio patefacta Noſtro in chymicis & practicis ad plenam ſcientiam adſpirandi. Intereà temporis cum Doctoribus Medicis Moebio, Schenckio, Friderico, in diverſis ſcholis conſuetudinem habuit, & id præſertim egit, ùt Deo volente patriæ cum fructû deinceps inſerviret, at placuit aliter Numini benigniſſimo. Quamvis enim annô 1665. aulæ *Arnſtadienſi* ab excellentiſſimo D. *Rolfincio* optimè commendaretur; varia tamen objecta ſunt, quominùs voti ſuis compos fieri potuerit. Quæ cum laudatiſſimo *Rolfincio* renunciarentur, indignabundus quaſi Noſtrum ſic alloquebatur: *Gn, herr Doctorand, laſſet den Aenſtadtiſchen Gott fahren, in Jena wird auch einer ſeyn.* Paulò poſt in aulâ Bernhardinâ ipſi patuit aditus, ubi etiam reducem ex Ungariâ militem, lue Caſtrenſi infectum, & per hunc plures quaſi contagione cum eô laborantes feliciter reſtituit. Primordia hæc fuerunt promotionis futuræ, quibus mox acceſſerunt ſupremi Doctoratûs honores, annô 1567. & non multò poſt in complementum veluti, auſpicatiſſimæ nuptiæ cum nobiliſſimâ virgine Anna Sybilla Krauſoldia. Matrimonii tam fauſtè contracti fœcunditatem teſtantur novem utriûſque ſexûs liberi, ex quibus deceſſit filiolus unicus, quinque autem filii ſuperſtites & tres filiæ, quarum *prima* admodum reverendo D. Chriſtiano Eberh. Ottoni, verbi Divini miniſtro; *ſecunda* viro ſummè reverendo atque excellentiſſimo Dn. Jo. Phil. Freunero, S. S. Theol. Doctori celeberrimo, & quondam Jenenſi Profeſſori Publ. longè meritiſſimo, hodie Auguſtæ Vindelicorum Paſtori Minorit. & Rever. Miniſterii ſeniori graviſſimo: *Tertia* Nobiliſſimo ac Conſultiſ. Hulſemanno, hodie Arnſtadienſi Præfecto, nupſit, cùm annô 1673. Collegiali denominatione ritè factâ Jenæ in ordinem adſcriberetur Profeſſorum, juſſuque Sereniſſimorum Sax. Ducum, Nutritorum Salanæ clementiſſimorum Chirurgiæ, Botanices & Anatom. Profeſſ. introductus eſſet: non in Academiâ modò, ſed in aulis & civitatibus quoque omnia cum ſalute mortalium peregit. Inter omnia notatû eſt digniſſimum, quòd ſex & quadraginta fœtus in uterô mortuos citra noxios fœminei ſexus angores peritiſſimè extraxerit vitamque matribus ità oppreſſis conſervaverit, unâ ſaltem exceptâ, quæ aliquot dies poſt fœtûs extractionem animam efflavit. His de extractionibus feliciter peractis, aliquando inſigne prodebat gaudium, affirmans, nullam ſibi viſam eſſe majori agnitam gratia quam eam, quam paupercula quædam pyxide butyrô impletâ remunerare conata fuerat, quam & puerperio ſuo finito ipſa attulerat. Hoc unicum dolebat Academia, quòd citò nimis ereptus fuerit, morbô ex diſpoſitione cacochymicâ ſeroſâ ortô, quem poſtea febris catharralis & anginoſa magis magiſque accendit, licèt oppoſitis remediis deflagraret ignis ac paulatim cederet: interim remanens acrior lympha, viſcida & intemperata, dubia valetudinis ſigna præbebat. Ad omnem tamen eventum optimè præparatus, cùm anteà ordinaſſet ſingula prudenter, & Chriſto Salvatori reconciliatus eſſet, per Sacro-Sanctam corporis & ſanguinis Domini communionem, primô anni 1690. menſe, placidè exſpiravit & 26. ejuſdem die ſepultus eſt. Extant Diſſertationes variæ ſub Præſidiô Faſchianô habitæ. *Zeumer de vit. Prof. Med. Jenens.*

FAVENTINUS de Victoriis (*Leonellus*) apud Feldenſes Practicus ordinarius & famoſiſſimus Medicus. Vixit A. C. circiter 1530. Juſtus in Chronol. Medic.

De eo extant

De Ægritudinibus Infantium Tractatus, operâ Georgii Kufneri luci datus. Adjecto Autoris de Febribus Fragmento: & de Hiſtericis affectibus Tractatû, cum ejuſdem Appendiculâ. Ingolſtadii, apud Alex. Weiſſenhorn, 1544. in 8. Lugduni, apud Joh. Frellonium, 1546. in 8. 1547. in 16. apud Anton. de Harſy, 1574. in 16.

Practica Medicinalis, ſive, de medendis Morbis membrorum omnium totius corporis humani liber, cum ſcholiis Johannis Kufneri. Ingolſtadii, apud Alex. Weiſſenhorn, 1545. in 4. Lugduni, apud Frellonios FFR. 1546. in 8. Ibidem, apud Anton. de Harſy, 1574. 1593. in 12. addito de Ægritudinibus Infantium Tractatû: item, Appendice ad eundem per Georgium Kufnerum Juniorem. Francofurt. apud Schonwetterum 1628. in 8.

Commentaria in Prognoſtica Hippocratis. Florentiæ apud Ducalem, 1551. in folio.

FAULISIUS (*Joſephus*,) ex oppidô Petraliæ Supranæ, natus 19. Martii 1630. Medicinæ ſtudia amplexus, Doctoris Lauream accepit, ac inter Siculos Medicos doctrina & experimentis refulſit: Panormi & alibi æſtimationem non vulgarem promeruit. In patriâ Archiatri, Proconſervatoris & Theſaurarii munera cum laude exercuit. Obiit in oppidô Petraliæ, 6. Decembris 1669. & in Eccleſiâ Montis Pietatis ſepultus eſt. Edidit

De Viribus Salapæ, quod non ſit venenoſa, neque Cordi, aut ventriculo inimica, nec denique nimis laxativa, medicam diſcuſſionem. Panormi apud Petrum de Iſolâ 1658. in 8.

Plura etiam in Philoſophiâ, ac Medicinâ elucubravit; quæ apud Hæredes mſ. ſervantur. *Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ T. j. pag.* 378.

FAWLERUS (*Johannes*,) Chirurgus.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1711. *pag.* 123.

Relatio de duobus ulceribus ſinuoſis, totum brachium dextrum occupantibus, ad D. Guilielmum Cockburn, Societatis Regiæ Socium. Translata ex Tranſactionibus Anglicanis. N. 302. *A.* 1707. *ſ.* 4.

Johannes Marsh, juvenis 16. annorum, ſub declinatione febris continuæ tumorem nanciſcebatur in brachiô, cujus curam cuidam Chirurgo comittebat. Cùm autem duobus præterlapſis annis nulla ſanationis ſpes affulgeret, ego accerſitus duo reperiebam ulcera ſinuoſa in brachiô dextrô, uno circa muſculum deltoidem ad juncturam ferè uſque aſcendente, & ad cubitum deſcendente & ad pollicem unum cum dimidiò aſcendente. Apertis ſinubus os carioſum & ſeparatum ſe offerebat, quod quinque pollices longum extrahebam. Tres ſeptimanas poſt aliud fragmentum ſeparabatur, duos pollices longum quod medullam immediatè contingebat. Hæc ulcera intra novem menſium ſpatium ſuccreſcente firmiſſimô callo ità curabantur, ut 50. librarum pondus brachio tollere poſſet juvenis.

FEALDUS (*Laurentius,*) Turonenſis, Profeſſ. Monſpel.

De eô extat

Tractatus de Epicraſi, conſtans II. Partibus. I. Demonſtrat Epicraſin, juxta Galeni mentem, omnem Phlebotomiam atque Catharſin excludere. II. Nova adverſarii in Medicinam Dogmata examinat. Paris, 1644. 8.

FEDERERUS (*Joh. Jacobus,*)

De eo extat

Brevis & Compendioſa Febris Ungaricæ curandæ, cognoſcendæ & ab aliis Febribus diſcernendæ Methodus. Friburgi Briſgojæ, 1624. in 8.

FEHRIUS (*Joh. Laurentius*) Phyſicus Suinfurt. Acad. Curioſus.

De eo extant in Lind. Renovatô.

Obſervatio de Vermium copioſâ, aſt ſalutari, ἄνω καὶ κάτω ab adultâ perſonâ, facta excretio. Extat. Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. German. Decur. II. An. I. n. 164.

De Calculô Veſicæ ab imperitô Medicaſtrô in urethram protruſô lethali. Ibid. Ann. eod. num. 165.

De inconſuetô Menſium fluxû. Ibidem Ann. eôdem n. 166.

Ex eô prætereà habentur in Miſcell. Cur. Dec. II. ann. 6.

Obſervatio 30. *De Imaginatione forti in gravidis fœtui plurimùm noxiâ.*

Ibidem Obſervatio 55. *De ſectione* ἀμεθόδως *in Virô factâ lethali.*

Ibidem Obſervatio 56. *De ſectionibus Herniarum in pueris & Virô methodicè inſtitutis ſalutaribus.*

Ibidem annô 7. *Obſervatio* 229. *De Cataracta Depoſitione in utrôque Oculô celebratâ.*

Ibidem Obſervatio 230. *De Tumore juxta oculi iridem feliciter Curatô.*

Ibidem annô 8. *Obſervatio* 96. *De Tumore circa interius ventriculi orificium lethali.*

Ibidem Obſervatio 97. *De Herniâ umbilicali diu neglectâ, tandem ligaturâ, alleviatâ.*

Ibidem Obſervatio 98. *De Paralyſi particulari in dextrô Capitis latere.*

Ibidem Obſervatio 99. *De Vulnere inter Iridem atque pupillam Corneæ inflictô.*

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 76. *De Cancrô mammarum exulceratô rarò perfectè curabili.*

Cancrum mammarum eſſe affectum graviſſimum & tam Medicis, quàm Chirurgis ſæpè moleſtiſſimum, atque ob fœtoris gravitatem inter deligandum potiſſimùm notabilem, tædioſiſſimum, imò rariſſimè curabilem, imprimis exulceratum, non latere poteſt illum, qui libros Medicorum & Chirurgorum, de hâc materiâ varia proponentium evolvit; quale judicium de Cancroſis affectibus jamdudum tulerit Hippocrates Medicorum Princeps vel ex ſectionis 6. aphor. 38. patet, dum inquit; Quibus occulti fiunt Cancri, eos non curare meliùs eſt; Curati enim citiùs moriuntur; non curati verò longiore tempore durant. Ac licèt poſt Hippocratis tempora multi fuerint; qui tales cancroſos affectus vel per medicamenta vel per cauteria vel per ſectionem curare tentaverunt, rarò tamen felices & optatos in curatione ſucceſſus habuiſſe conſtat; inter alia plura ſufficiat hic unicum Brunonis *Seidelii* adduxiſſe teſtimonium, qui in Libr. de morbis incurabilibus ait: Cancer, à quô percuratus, ſit neminem adhuc fuiſſe credo, quantumvis nonnulli magnâ impudentiâ vanitateque curati hujus gloriam ſibi arrogârunt. Et audivi idem affirmantes Excellentiſſimos Medicos ac ſenes, quorum nonnulli ultrà 40. annos artem exercuerant & quidem in Italiâ, iis locis, ubi Medicinæ rectus uſus ac dignitas plurimùm excolebatur, magnique æſtimabatur; Exciſi etiam ejuſmodi Cancri in exterioribus membris, tamen recruduerunt, ac nonnunquam ſæviores redierunt, quàm initiô fuerant. Ut alia multa in libris Medicorum & Chirurgorum paſſim obvia prætereeam, tantùm illa, quæ intra paucos annos hic locorum acciderunt, brevibus enarrabo.

Vidua 47. annorum in juventute fluxû oculi ſeroſô, epiphorâ dictô, laborabat, cujus curatio Chirurgo demandata fuit, qui quidem neglectis medicamentis internis, externis ſeduló ſcil. mundando, cutem conſolidando & circumſpectè deligando officium ſuum fecit, ſed poſtmodùm certis temporibus malum recruduit, & partes vicinas ſubjacentes muſculoſas atque oſſeas erodendo læſit, tandem, continuante fluxû ſeroſô, in cancroſum affectum cum quâdam faciei deformitate degeneravit, aſt dum vel fluxus menſium ritè ſuccedebat, vel gravida erat, parùm incommodi indè ſentiebat, interdùm tamen occaſionali cauſâ ſuperveniente, dolores ſolebant ingraveſcere, qui paucis adhibitis remediis leniter evacuantibus, ſudoriferis ac menſes promoventibus rurſùs evaneſcebant, interim dum aliquotiès dolores à fluxû ſeroſô concitati cum faciei deformitate urgebant, tandem Medicorum Conſilia & Chirurgorum auxilia ſunt implorata, qui jam ante viginti annos fluxum illum pro cancroſo agnoſcebant affectû difficulter curabili, in quô removendô nihil non fuit tentatum. Intereà malum, quod adhibitis convenientibus remediis tolerabilius erat, non omninò ceſſabat. Annô 1689. menſe Octobri, Patiens tum temporis vidua, in exprimendô muſtô dum erat occupata, paulo fortiùs partem mammæ ſiniſtræ inferiorem premebat, indè leviores quoſdam ſentiebat dolores, quos parùm curabat, & ſudoriferis aliis que diſcutere tentabat, ſed dum poſtmodùm omninò remittere nolebant, Medicus atque Chirurgus in Conſilium denuò vocati ſunt, qui cognitô ſtatû periculoſô, remedia in hiſce caſibus neceſſaria atque conducibilia ſequentia ordinabant;

℞. Fol. ſenn. ſel. ℥vj.
Rad. polypod. cichor.
Rhabarb. opt. ãã. ʒij.
H. Card. ben. fumar. ãã. p. j.
Cort. tamariſc. fraxin. ãã. ʒiß.

Fl.

fl. borrag. bugloſſ. ãã. p. j.
Paſſul. min. ℥j. M. infunde ſ. q. aq.
Stet per noct. ad calorem manè leniter ebulliat.
Hinc cola & Colat. ℞. ℥viiij. adde
Tinct. Tartari ʒi. ℈i. M. D. ſ. Larier Tränctlein auff zwey mahl. Früh zu nehmen:

Dein quartô die V. S. in brachiô dextrô fuit adminiſtrata.

℞. Maſſæ pillul. aloëphang.
Extr. pill. marocoſt. ãã. ℈ß.
Cent. minor.
gent.
Caſtor. ãã. g. iij.
Croc. g. ij.
M. c. Tinct. Tartar. f. pil. no. 33. Deaur. D. S. pill. 11. Abendes zu nehmen.
℞. Lign. ſanct. raſp.
Saſſafr. raſp. ãã. ℥iß.
Cort. lign. Sanct.
Rad. Chin. ſarſaparill. ʒvi.
polypod. liquirit.
Sem. anis. ãã. ℥ß. M. D. ad chart. ſ. ſpecies zum geſottemen Waſſer.
℞. Antimon. diaphor. ℈j. g. v.
Magiſt. C. C.
Sal. volat. C. C. ãã. gr. iiij. M. D. ad ch. S. Schweiſpulverlein in dem geſottenen Waſſer zu nehmen.

His vidua per medium annum non ſine levamine uſa eſt; aſt dum fluxus ſeroſus in facie evaneſcebat, dolores circa mammam ingraveſcebant, in quibus leniendis ac diſcutiendis, quin & menſibus movendis licet porrò omnia ſint tentata & fonticulus in brachiô excitatus, exteriùs inſuper emplaſtrum ex gumm. Ammoniac. galban. Camphorâ & croco cum ſebô cervinô & Ol. tartari malaxatum applicatum, nihil tamen ex votô ſuccedebat, ſed tumor durus, quô in principiô vix avellanæ magnitudinem æquabat, jam incipiebat ſumere incrementum, tandemque in apertum ulcus faceſſebat, in quô leniter tractando, purificando atque curando tam Medicus quàm Chirurgus ſuum faciebant officium; Dum ſuperiora medicamenta paucis mutatis cum eſſentiâ ſanguineam maſſam purificante ex eſſent. Lignor. lign. ſaſſafr. fumar. elix. propriet. conſtante ſunt repetita; aſt ob continuum humorum pravorum affluxum non modò ulceris conditio fiebat deterior, ſed & tantùm ſumebat augmentum, ùt defenſivis licèt optimis externè applicatis, integram mammam ſiniſtram occuparet, cùm temporis ſucceſsû intolerabilem ferè fœtorem de ſe ſpiraret, & labia ulceris mirum in modum hiſcerent, Chirurgus particulas quaſdam de labiis nimiùm excreſcentibus reſecare coactus fuit, ſub quâ operatione Patiens dolores nonnihil acutos ſentiebat, & leve animi deliquium patiebatur, aſt adhibitis paucis medicamentis refocillantibus rurſus ad ſe rediit. Pro ulceris mundificatione Chirurgus ſequenti decoctô quotidie bis uſus eſt.

℞. Herb. Scord. ſolan. ãã. m. j.
Geran. Robert. abſynth. plantag. fl. hyperic. ãã. m. ß.
Rad. ariſtoloch. rot. ſymphyt.
Lign. ſanct. raſp. ãã. ʒvj.
Rad. ir. flor. Myrrh. aloës epat. ãã. ʒiii.
Maſtich. thur. alumin. ãã. ʒij.
Nuc. Cupreſſ. cort. granat. ãã. ℥ß.
Lythargyr. ℥j. M. coqu. in ſ. q. aqu.

Colaturæ ℞. ℔ß. Huic calefactæ immitte toties, quotiès deligatio neceſſaria eſt, aliquid Camphoræ, eôque pro ulceris mundificatione utere, tam per ſyringam injiciendo quàm lintea hôc madefacta exteriùs apponendo. Dumque Medicus & chirurgus omnia, quæ opus erant, faciebant, nec tamen optatus effectus ſuccedebat, Patiens mali & fœtoris pertæſa, ab aliis auxilia petit & ſe peregrino Chirurgo, qui arcanis quibuſdam in auferendis tumoribus præternaturalibus & ſimilibus caſibus ſæpiùs probatis remediis curationem promiſerat, in præteritô annô nobis etiam invitis committit: Hic præmiſsô laxativô, cauterium potentiale in formâ linimenti craſſioris linteis oblongioribus inductum mammæ ſiniſtræ circumferentiæ in ſuperiore parte, hinc & emplaſtra defenſiva ac lintea decoctô purificante atque defendente madefacta applicat, ſicque ſequentibus diebus pergit, ac partes per cauterium potentiale ex antimonialibus vel arſenicalibus (arſenicum enim & butyrum antimonii ad aliquot uncias è noſtra petiit officinâ Pharmaceuticâ) paratum vitalitate ſuâ privatas nigricantes aufert, dumque per aliquot dies hunc proceſſum continuat, factum eſt, ùt ob recurſum pravorum humorum verſus interiora Patiens quæ nil niſi vel liberationem ab hôc graviſſimô malô, vel placidam mortem anxiè affectabat; de aliquâ colli inflammatione, difficili deglutitione, appetitûs proſtratione, viriumque debilitate conquereretur, pro quibus ſymptomatibus arcendis etiamſi multa ſint adhibita, & cauteriorum applicatio planè intermiſſa, tertiô tamen die vidua ſummè debilis, voti compos facta placidè obdormivit.

Uxor primaria 54. annorum ſimili affectû cancroſô in mammâ ſiniſtrâ ultra dimidium annum laborabat, quæ jam poſt ultimum puerperium per aliquot annos doloribus à causâ, neſcio quâ, abortis ſub ſiniſtrâ mammâ vellicantibus conqueſta fuerat dum verò certis temporibus remedia leniter evacuantia, & ſanguinem purificantia adhibuerat, aut ſeroſa materia quandoque è mammæ papillâ effluxerat, paulò meliùs ſe habebat, & conſuetis remediis adhibitis ſæpiùs levamen ſentiebat, tandem verò, ubi pars per multos annos durifica, tumefacta & exulcerata eſt, Chirurgorum auxilia expetebat, qui nihil intermittebant, quæ ad rem facere videbantur, ſed dum curatio non ex votô ſuccedebat, & peregrinum Chirurgum, in civitate quâdam primaria Civem qui in curandis iſtiuſmodi affectibus magnā promitteret, adeſſe audiebat, ſtatim ejuſdem curæ ſe ſubjiciebat, aſt dum Chirurgus eandem medendi methodum, quam in priore viduâ obſervavit, adhibebat, factum eſt ùt eundem quoque ſucceſſum, cura haberet, dum binæ fœminæ quæ unô eôdemque malô laborabant, eodem fere tempore animam exhalabant, ſicque ſimul ab hiſce gravioribus malis liberatæ; ſimùl Chriſtianô ritu terræ mandabantur.

Uxor cujuſdam civis noſtratis 38. Annorum ante biennium ex improvisô tumore parvô cùm quadam dolorificâ ſenſatione circa inferiorem mammæ ſiniſtræ partem corripitur, unde Chirurgum adit, & pro eô diſcutiendô remedia quærit, qui per trimeſtre ferè ſpatium emplaſtra reſolventia & defenſiva applicabat, interim ægra ſat benè ſe habebat, nec menſium fluxus, licèt inordinatus quandoquè fuerit, ceſſabat, tumor verò, dùm nullâ ratione diſcuti poterat, vicinas quoque partes corripiebat, tandemque in ulcus apertum abibat, in quô mundandô & optimè deligando Chirurgus per ſemeſtre ſpatium multa quidem faciebat, aſt ægra à Chirurgô aliiſque de periculosô difficillimæ curationis ſtatû certior facta, multorum, etiam Empiricorum auxilia

auxilia quærebat, qui intra breve tempus perfectam mali curationem audacter promittebant, tandem verò, ubi reſcivit, Judæam in prætеritô annô ſimili affectû laborantem à Balneatore eſſe ſanatã, ejuſdemque animus ab ipsâ Judæâ non procul hinc in pagô habitante fuerat confirmatus. Medici quoque Conſilium in hôc difficili casû expetebat, qui, datô difficilis & ſæpè impoſſibilis curationis prognoſticô, internè humores vitioſos corrigentia ac leniter evacuantia, nec non, præmiſſâ etiam Venæ ſectione, ſanguinem mundificantia & menſes moventia, medicamenta præſcribebat, à quibus ſe pauló melius habebat, aſt prava ulceris conditio perſtabat, & dum à Medicô atque Chirurgô curandi difficultatem, ſi non impoſſibilitatem exploraſſet, Balneatoris curæ ſe quoque ſubjicere decrevit; Balneatorem ergò eâ de causâ convenit, qui rei difficultatem exponendo, curationem iſtiuſmodi affectuum eſſe ſæpiùs dubiam atque periculi plenam prædicit, ac ſimùl ſuadet, ſi firma ſtet ſententia, Medicum quoque conſulat & medicamenta in hiſce caſibus convenientia adhibeat, dein ſe officium ſuum pro poſſe eſſe facturum. Ægra Medicum adit & medicamenta affluxum humorum pravorum avertentia ac leniter evacuantia, nec non ſanguineam maſſam purificantia per ſex ſeptimanas cum inſigni levamine adhibet; nam non modò inflammatio nonnihil remiſerat, ſed & tumor duriuſculus ſub axillâ ſiniſtrâ omninò diſparuerat; & fonticulum in ſiniſtrô brachiô excitari curat. Tandem ſpe melioris futuræ conditionis plena, Balneatoris manibus mammam affectam offert, qui mane filô ſericeô rubrô duplicatô aut triplicatô, mammæ ſiniſtræ bis circumductô, integram mammam conſtringebat, inque parte ſuperiore, non tamen nimis fortiter ligabat, circa meridiem & veſperam rursùs paulo arctiùs filum contrahebat, idque per tres dies continuabat, quartô die novum filum ſericeum circa mammam bis ducendo ſuperiùs ligabat, ſicque per duos adhuc dies, non tamen nimis fortiter conſtringendo pergebat, & pro inflammatione avertendâ externè defenſivum applicabat; Patiens poſt ligaturam de quibuſdam doloribus, non tamen ultra horam perſeverantibus conquerebatur, cæteròquin ſat benè valebat. Die ſeptimô manè operator omnibus probè inſtructis, & erectô Patientis, quæ nocte præcedente atque manè potionem confortantem & anodynam tribus doſibus ſumſerat, animô, ipſam ſectionem aggrediebatur. Patiens ſellæ imponebatur, cujus manum ſiniſtram famulus tenebat, & operator è regione Patientis juxta feneſtram in ſcamno ſedebat; novaculam acutam dextrâ arripiebat, ſiniſtrâ mammam, quam juxta ligaturam à ſuperioribus verſus inferiora & quidem à parte dextrâ verſus ſiniſtram ducendo, per aliquot fortes ac celeres ſectiones reſecabat, famulus in dextrô ſtans latere mox venulas ſanguinem fundentes cauteriô actuali tangebat, ſiquidem nimiam ſanguinis profuſionem inhibebat, poſtmodùm Operator ſanguinem ſiſtentia & inflammationem arcentia remedia applicabat & vulnus debitè obligabat. Patiens intereà confortantibus internis atque externis refocillabatur, & lectô imponebatur, in quô per aliquot dies bene quievit, ac mediocriter ſe habuit, circa diem ſeptimum de appetitûs dejectione & quâdam colli inflammatione conquerebatur, ac licet tam per Clyſterem, quàm alia remedia interna atque externa in ſedandis motibus convulſivis & viribus reparandis, conducibilia debilem ſublevare naturam tentaverint, omnia tamen fruſtrà ſunt peracta & Patiens deglutiendi facultate omninò privata, ac tandem magis magiſque debilitata, animam exhalavit.

Quæ tandem de Judæâ ſuprà allegata ex aliorum relatione habeo, paucis hìc quoque recenſere volui, cum ea ipſa magnam cum ſuperioribus habeant affinitatem. Illa autem 40. circiter erat annorum, atque ante tres annos tumore dextræ mammæ laboraverat; in quô reſolvendô varia quidem adhibuerat, ſed omnia fruſtra; tandem ubi eſt exulcerata, & à variis diu, ſed ſine optatô ſucceſsû deligata, mortem vitæ tædioſæ atque miſeræ præponens, doloriſicam & dubiam Balneatoris curam ſuſtinere ſtatuit, qui eôdem modô, de quô in priore caſu mentio facta fuit, proceſſit, atque præmiſſâ per aliquot dies ligatione per filamentum ſericeum rubicundum, integram mammam dextram feliciter reſecavit, factaque deligatione per trimeſtre ſpatium tantô ſucceſsû curavit, ùt in publicum prodire & conſuetos domeſticos labores expedire potuerit, interim pars quædam, veluti fonticulus artificialis, quotidie ſeroſam emittens materiam, manſit aperta; ſucceſsû autem temporis variis doloribus in mammâ præcipè ſiniſtrâ fuit vexata, tandemque tumor duriuſculus tam ſub axillâ, quam ſubſequenti tempore in mammâ ſiniſtrâ obortus, in quibus curandis, neglectis medicamentis internis, Balneator quidem multa egit, ſed per annuum ſpatium optatum ſcopum aſſequi non potuit, deniquè multis doloribus excruciata, & viribus deſtituta, in præteritâ æſtate vitæ hujus ſcenam clauſit.

E caſibus ergò nunc allegatis patet,

I. Omnem cancrum ſive ſit occultus, ſive apertus, eſſe malum grave, pertinax & periculoſum.

II. Cancrum omnes quidem homines, magis tamen fœminas, humoribus abundantes infeſtare.

III. Cancrum ſæpiùs partes glanduloſas, in quibus eſt major humorum affluxus, afficere, eârumdemque tonum naturalem pervertere.

IV. Cancri Cauſam proximam eſſe humores pravos, ſeroſos, acres, acidos, melancholicos vulgò dictos, corroſivos, parteſque vicinas corrumpentes.

V. Cancrum remediis lenioribus, humores vitioſos, ſeroſos, acreſque temperantibus ac leniter evacuantibus nec non ſanguineam maſſam purificantibus & menſium fluxum promoventibus mitigari, acrioribus verò & corroſivis, ùt arſenicalibus, antimonialibus, mercurialibus & ſimilibus exaſperari. Vid. Sennert. Lib. 5. part. 2. Inſtit. Medic. item lib. 4. par. 3. ſect. 1. cap. 7. item lib. 5. part. 1. cap. 20. Jacob. Holler. inſtit. Chirurg. cap. 3. Hartmannus in praxi Chymiatr. Paræus Lib. 6. cap. 30. Hildanus centur. 1. obſerv. 89. cent. 6. obſerv. 22. & 89. Imò idem Hildanus crebrâ experientiâ fuit edoctus, unguentum Ægyptiacum aliàs in vulnerum atque ulcerum mundificatione probatiſſimum, in cancro nihil præſtare, ſed potiùs illum deteriorem reddere. Vid Cent. 3. Obſ. 86. & Cent. 6. Obſ. 81. Quod Chirurgi qui ut plurimum hic frequentius impingunt, & ulcera cancroſa ſæpè non aliter atque reliqua communia tractant, ſedulò deberent attendere & ſimul memores eſſe obſervationis à Paræô d. l. allegatæ, ubi fœmina magnæ familiæ cancrô laborans, Chirurgo minùs prudenti & experto ſe commiſerat, qui, dum curationem emollientibus, calefacientibus & pus moventibus fuerat adortus,

adortus, cancrum ità irritavit, ùt ægram brevi interemerit.

VI. Cancrum omnem eſſe difficilis; exulceratum verò & inveteratum ut plurimùm nullius curationis. Vid. Heurn. in comment. Hipp. ſ. 6. aphor. 38. Sennert. lib. 5. part. 1. Med. Pract. cap. 20. Bruno Seidelius lib. de morbis incurabilibus; ac licet non nunquam perfectè curatus creditus fuerit cancer, intra breve tamen tempus recruduit, & multò gravioribus ſymptomatibus ſtipatus, patientem anguſtavit, quale exemplum refert Schenk. in Obſerv. Medic. lib. 2. Obſerv. 302. Vid. etiam Fabritius ab Aquapendente.

VII. Cancrum præprimis in mammis obortum, exulceratum & inveteratum ſectione vel uſtione rarò, & ferè nunquam perfectè curari. Talis enim rarò, præcipuè ſi ſit magnus & loca profundiora occupet, cum omnibus radicibus ſectione vel uſtione poteſt auferri, & ſi hoc non fit, mox iterùm recrudeſcit, ac vehementiùs, quàm anteà, affligit. Maſſa equidem ſanguinea in perſonis cancrô exulceratô affectis jam vitioſô eſt inquinata fermentô, ac licèt pars primariò affecta per ſectionem vel cauteria removeatur; tamen fermentum malignum ſanguini inhærens, quod per remedia etiam optima atque exquiſitiſſima vix unquam poteſt radicitùs exſtirpari, interjectô brevi temporis ſpatiô vel leviſſimâ accedente cauſâ occaſionali vires reaſſumit, & ſimilia mala aliis in partibus rursùs excitat, quæ ut plurimùm ægros ad ultimum uſque vitæ halitum miſerandum in modum excruciant.

Quibus fœminis menſtrua fluere deſinunt, ſi quandam pedum venam illô fluxûs tempore quater ſequente annô ſecuerit, ſibi de Cancrô commodè prævidere poterit.

Ibidem Decur. 3. annô 2. Obſervatio 40. De Icterô flavô infantis neviter nati.

Ibidem Obſerv. 200. De Efflorеſcentiâ Candicante in partibus oris infantum interioribus.

IN Libris Medicorum tam veterum quam Recentiorum licèt varia, ad theoriam & praxin facientia de morbis infantum proſtent, pauca tamen de efflореſcentiâ albicante in partibus oris infantum ſæpius notabili, reperiuntur, unde de illâ ſequentem placuit conſignare obſervationem. Infans ſeptem dierum cæpit laborare calore præter naturali cum ejulatû & inquietudine, Matris papillæ erant nonnihil fiſſæ & leviter exulceratæ, per applicationem mucilaginis ſeminis Cydonior, cum ſaccharô & flore lactis miſtæ curatæ, pro calore autem præter naturali & torminibus alvi ſedandis adhibebatur enema appropriatum, cum potiunculâ ex aquâ. Ceras. n. fl. acatiar. ſyr. viol. & è ſucc. fl. cham. necnon pulvere marchion. Corall. rubr. præparat. ocul. Cancror. die nonô in linguâ, palatô, gingivis, floſculi quidam albicantes paſſim protuberantes conſpiciebantur, os aquâ cum melle roſatô permiſtâ fuit purgatum; die decimô & undecimô plures iſtiusmodi floſculi in variis oris interioris partibus hærentes apparebant, qui ab obſtetrice aut matre quotidie ter, linteô digitô applicatô & miſturæ primum ex aquâ melle roſatô, poſteà ex aquâ fl. acatiar. plantaginis melle roſat. & ſyr. viol. immiſſô abſtergebantur, & linteò ſemper mutatô miſturiſque dictis intinctô aliquotiès eluebantur, dumque hæc per ſex dies ſequentes continuabatur, calor præternaturalis ſenſim remittebat, & floſculi albicantes iterùm evaneſcebant.

De hôc effectû nonnulli quidem Medicorum generalem inter aphtas mentionem faciunt, & eſſe quaſdam exulcerationes in ſuperficie oris ſummè conſpicuas dicunt, Vid. Foreſt. lib. 14. Obſ. Sennert. lib. 2. prax. part. 1. cap. 18. &c. Sed licèt aphtæ propriè ſic dictæ tales ſint exulcerationes tam adultioribus quam junioribus communes, quandòque ſatis periculoſæ & ſæpiùs infantibus lethales, tamen cùm ejuſmodi candicantes efflореſcentiæ inſtar minutiſſimarum albicantium puſtularum in partibus oris cutaneis, mirum in modum propullulantium cum leviore cutis exulceratione ſint conjunctæ, & tantùm infantibus, primis ut plurimùm, poſt partum menſibus, obſervetur, & tam formâ, quàm materiâ, modôque efficiendi atque curandi ob mitiora, quæ hìc ordinariè occurrunt ſymptomata, in plurimis ab aphtis propriè dictis ſic differant, meritò peculiarem merentur conſiderationem. Cum adminiſtratione ſæpiùs notavimus, iſtiuſmodi efflоreſcentiæ ſub albicante ſpecie inſtar floſculorum membranis oris, linguæ palati, gingivarumque inſidentium primùm rariores, hinc in ſubſequentibus diebus copioſiores & diverſimodè figuratæ appareant, atque à noſtratibus mulierculis ſatis appoſitè germanicè *der weiſſe Ruhn*, ob aliquam cùm mucagine albicante doliis quibuſdam minùs cautè concluſis inhærente ſimilitudinem, appellentur, & in puerulis noſtratibus, primis à partû menſibus, admodùm familiares ſint, quæ ut plurimùm per ſeptem dies augmentum ſumunt; tuncque oris partes interiores minutis floſculis albicantibus quaſi mucagine vel ſitû obductæ ſæpius conſpiciuntur, deinceps per ſubſequentes ſeptem dies ſenſim iterùm decreſcunt & ſi os internum quotidie bis vel ter cum aquâ ſimplici vel, quod meliùs cum aquâ plantaginis aut veronicæ, cum melle roſatô miſta eluatur, ac ſimul mater vel nutrix diætam ſervet, atque ab acidis abſtineat, tandem omninò evaneſcunt. Autores equidem de aphtis earumque cauſis & curationibus multa proponunt, ſed in cauſâ proximâ determinandâ in varias abeunt ſententias. Petrus Foreſtus lib. 14. Obſ. 21. p. m. 121 acres & ſeroſas fluxiones à Cerebrô vel evaporatione à ventriculô vel pulmone provenientes; Sennertus lib. 2. prax. cap. 18. p. m. 63. acres & erodentes humores in os defluentes, vel vapores à ventriculô pulmone, hepate aut uterô aſcendentes; Sylvius halitus acidos è ventriculô elevatos, tunicam oris erodentes incuſat; Nos cum Recentioribus ſalivam & lympham aceſcentem, ut plurimùm à peculiari lactis corruptione obortam accuſamus. An verò infantes in uterô adhùc latentes, & ultimis præcipuè menſibus ſugendo alimentum quærentes cum bonis ſuccis vitioſas iſtiuſmodi impuritates ori communicent, ſicque partes oris fermentô aut ſeminiô quôdam peculiari certis temporibus, ut in variolis & morbillis fieri ſolet, efflоreſcente, inquinent, an verò à pravâ lactis in mammis ante & poſt partum ſubſiſtentis, & moram trahendo acriorem qualitatem acquirentis, diſpoſitione dependeat, nondum ſatis eſt exploratum.

Ibidem Ann. 3. Obſervatio 145. De ulcere in brachiô circa articulationem humeri & cubiti periculoſo tandemque lethali.

Ibidem Obſervatio 146. De Verme ſub Graniô latitante cephalalgiæ diuturnæ cauſâ.

VIrgo 54. annnorum ab ineunte ætate plurimis variorum morborum inſultibus afflicta, annô

annô 1694. menſe Auguſtô cephalalgiâ graviore, in ſiniſtrô præcipuè latere urgente, laborabat cum calore præternaturali, appetitûs dejectione, vigiliis ferè continuis & licèt tam internè, quàm externè omnia, quæ ad humorum vitioſorum in corpore præſentium evacuationem, per leniora purgantia & venæſectionem, per veſicatoria & conſuetas ſcarificationes, nec non capitis roborationem & doloris continui mitigationem per appropriata cephalica anodynis mixta tentarentur, dolor tamen per aliquot ſeptimanas ferè ſemper conſtans permanebat, & rarô niſi ubi jejunus erat ventriculus, per aliquot horas remittebat, gravior autem fiebat ut plurimum, ſi cibum & potum aſſumebat. Dum hæc per tres ferè menſes continuaverant, tandem quidem dolores nonnihil remittebant, interpolatè tamen, ſed non cum tanta vehementiâ, uti antehac repetebant. Annô 1695. die 18. Julii priores redibant capitis dolores, quibus accedebant inſuper dolores colico hiſterici & per tres dies, adhibitis licet convenientibus & appropriatis medicamentis cum theriaca cæleſti miſtis ut & Clyſteribus &c. continuè urgebant, à quibus patiens ſummè debilitata tandem inter lacrymas & ſuſpiria animam exhalavit. Cum omnia jam eſſent conclamata, ecce! principalis graviſſimi & diuturni doloris cauſa, quæ hactenùs omnes latuerat prodibat, vermis nempè albicans, rotundus inſtar vermium inteſtinalium, longitudine ferè dimidiam ulnam noſtratem æquans, è ſiniſtrô narium foramine ſenſim prorepebat, & paulo poſt pabulô atque calore conveniente deſtitutus vitalitatem omnem amittebat, qui è materiâ vermium ſeminali in præterito annô genitus in partibus capitis interioribus, ſi non ipſô cerebrô, vitioſis humoribus repletô, ſatis diu delituerat & ſucceſſû temporis incrementum ſumſerat, indeque ſe movendo atque agitando membranas ſenſû exquiſitiſſimô præditas vel premendo aut extendendo, vel vellicando atque rodendo dolores graviores pepererit, tandemque pabulô & calore vitali deficiente membranas arrodendo & perfodiendo, per nares exitum quærere coactus fuit.

Ibidem Ann. 7. & 8. Obſervatio 67. De Fœtû mortuô à Chirurgis ſalvâ Matre feliciter extractô.

FEHRIUS (*Joh. Michaël* ,)

De Clariſſ. Joh. Michaelis Fehrij vita, ſic Michael Frideric. Lochnerus, in Append. A. VIII. *Decur.* II. *Miſcell. Curioſ.*

NAtale *Fehrii* heu! quondam Noſtri ſolum Francia exiſtit Orientalis, Martis olim nunc Palladis quoque Palæſtra; Ferocitatis ante aliquot ſecula militaris jam Eruditionis omnis feraciſſima; Hujus in Provinciæ ſinû & quidem *Kizingæ*, quam Urbem nonnulli pro *Quinctianis* venditant *Caſtris* cunina noſtrum *Fehrium* excepit Dea. Fauſtiſſima Caſtra quæ Medicorum Caſtris & Academiæ Nat. Curioſorum Hodogetam Caſtore & Polluce cariorem chariorem que dedêre. Et quid prodeſt ubi Lucem quis aſpexerit, modò Luci proſit publicæ, & ipſa orbis literarii Lux exiſtat.

Protulit autem hunc Margaritarum partum *Margereta* ex *Martiniorũ proſapiâ* orta, Caſtiſſima *Michaëlis Fehrii* Coſta, à quô hoc Amoris conſummatiſſimum hauſerat pignus. Fuerat Beatiſſimi Parens Xenodochialis Præfectus Detelbachenſis, ſed mutata illic Religionis facie, ſolum cum cæteris mutare cogebatur. Quò ſe verteret neſcius, Exilii tandem Fatum Quinctiana elegit Caſtra, & hoc juſſu quidem Viri integerrimi *Dn. Johannis Fehrii*, Senatoris Kizingenſis Primarii, Germani Michaëlis verè Germani. *Genus* ſic contigit *Noſtro Fehrio* non ὑπόχαλκον, ſed uti Plutarchus loqui conſuevit, ἀκίβδηλον, honeſtiſſimis quippè parentibus ortus, licet opibus & honoribus non diffluentibus; & fortè ſic in Fatis erat, quò tandem aliquando ſplendor *Fehriani Nominis* ex propriis Virtutum Radiis, non autem ſtemmatis ſucceſſivâ caligine eluceſceret, & inclareſceret. Nam

> *Quid ſtemma juvat? Patriæ quid opes?*
> *Exul, profugus, contemptus, inops,*
> *Virtute ſua ſurgit in altum.*
> ——— *Proprium cuique eſt*
> *Vivere vitam, ſed nempe ſuam,*
> *Quærere honores, ſed nempe ſuos.*
> *Spoliiſque frui, ſed nempe ſuis.*
> *Utque alterius corpore manans*
> *Sudor non per mea membra fluit;*
> *Ità nec pulchri gloria Facti*
> *Communis erit.*

Qui bonus eſt, bene natus hic eſt, virtutis namque proles, quæ iis cum manibus perennat, quos inſedit, adeòque immobile Poſſeſſoris ſui Bonum.

Annus quô Dias Luminis auras hauſit, fuit ſeculi hujus in quô degimus agonizantis initium, milleſimus nempè ſexcenteſimus & decimus, innumerô calamitatum numerô ſcatens, atrôque exinde Capillô ſignandus Annus. Sic prima Pientiſſimi Præſidis Infantia, navi ſimilis, quæ vix læta Pelagum tentat; navalis architecti egreſſa demùm manibus, dum fluctuum crudelitate jam lethum ipſi intentat Pelagus. *Natalis dies* IX. Maij, de horâ non conſtat, nec enim Genethliacorum conſuluit oracula, horoſcopumque excuſſit ſuum, optimè gnarus Lineolarum in veteri Palatio Pragenſi reperibilium;

> *Sydera Corporibus præſunt cæleſtia noſtris*
> *Influxûque regunt cuncta Elementa ſuô.*
> *Cogere ſed nequeunt Animam ratione fruentem;*
> *Namque ſub Imperiô ſolius illa Dei eſt.*

In Luſtralibus Sacris ex veteri Eccleſiæ prô inſtitutô Vir candidi Pectoris germanæque Fidei, *Johannes Brunnerus* Senator Kitzingenſis *Vadem* ſe præſtitit, hincque nomen *Johannis Michaëlis* ὁ μακαρίτης obtinuit. Corpore erat pulchellô, ſucci plenô, & exquiſitiſſimæ membrorum omnium concinnitatis; ludebant ejus in facie gratiæ, inque ſui Amorem tantô vehementiùs invitabant τὴν στοργὴν parentum, ùt nulli pepercerint, hoc in educando & benè nutriendo Comptulo Aſcaniolo ſedulitati. Rationis ſcintillulæ in tenellô ſe exſerentes corpuſculô citò citiùs declarârunt, naturam *Fehriolum* non ſortitum eſſe Novercam, præcipuè cùm ætati prævolaret Ingenium & quod in *Imperatore Decio* olim laudârat Cana Antiquitas; *Virtutes cum ætate adoleſcerent.*

Erant autem Parentes *Beatiſſimi Præſidis* non ex *Mægarenſium* Civitate, qui Laërtio teſte Pecora ſua ritè curabant, Filios verò & Filias otiô & Luxû diffluere permittebant, minimè! jactis enim in ſinù matris & intra privatos parietes Pietatis fundamentis, vix ἄλαλος Ferulæ Scholaſticæ *Fehriolus* ſubmiſſus eſt. Præerat tunc ſcholæ patriæ Kizingenſi *Johannes Georgius Hochſtätterus*, non plagoſus quidam orbilio, aut (uti falsè nimis nitidiſſimus Barlæus in Æpiſtola Stylô Gruterianô elaborata nominat) peccantis pueritiæ bifoliorum Calendariorum perpetuus Inſpector

pector & Dictator; ſed vir modeſtus, ſobrius, lenis, integræ vitæ ſcelerūque purus, doctrinæ quoque eximiæ, qui *Febriolum noſtrum* magno cōplexus amore in literarum deduxit pelagum, generoſos diſcipuli conatus laudibus dulcique humanitate nimiū quantum fovens & promovens? ſed dum à Pallade primâ mutuatur rudimenta, en! pallida Mors Patrem rapit, & ann. 1618. funere mergit acerbô.

Amiſſô Palinurô in Naufragiū prona fuiſſet Febriana Cymbula, nì, qui vadis in luſtralibus jam quoque in Palladis Sacris Conſiliariis ſuſtinuiſſet vices Johann. *Brunnerus*, duxque & author mœrenti nimiū extitiſſet Viduæ, nè *noſtrum* in Decus & Patriæ ſalutem jamjam graſſantem *Febriolum*, literario eximeret ſtadio & ſtudio; Annuit quidem Mater optimo optimi Viri conſilio, ſed aliud pro Filiolo ejus vota exoptant ſtadiodromum, cui deſiderio quoque humaniſſimè *Brunnerus* refragatur, oſtendendo, *nuſquàm eſſe illos qui ubique ſunt, & Vagabundos in ſcholis, Cani ex Nilô bibenti exiſtere perſimiles.*

Conſenſum & huic præbuit Effato Mater, atque ſic *Febrius* noſter, juxtà Plinii monitum, eruditus eſt ubi natus, quô monitô Romanorum reprehendit conſuetudinem, quòd filios ſuos non ſine corruptelæ & valetudinis periculo in Græciam mitterent. Hæſit in Kizingenſis Scholæ gremiô ad An. 1629. uſque, & diutiùs inibi hæſiſſet, nî ſecuritati invigilans Mater ob mutatā Kizingæ quoque Religionem, ſuadente ejus Fratre Dn. *Caſpare Martinio* Suinfurtum cum Kizinga commutâſſet. Repetierat ſic patriam Viduata Margaretha, duobus Filiis orbis, totidemque Filiabus, comitibus. Salutaverat Suinfurtenſes Lares, ad quos referebat genus.

Profitebatur tùnc temporis iſtic locorum elegantiorem Litteraturam Michaël *Abeſſerus* Excellentiſſimi Vir ingenii, qui in dubium poſuit omnes, an Litteræ ab illo ſplendorem & Fulgorem mutuaverint, an verò à Litteris Abeſſerus? & certè ſi non ex aliô glorioſus capite, certè ex hoc extitiſſes O! Abeſſere! quòd *Febrii* fueris Præceptor. Animadvertit hic in noſtrô ejus inſpectioni & curæ commiſſo, optatiſſimam Indolem, omnigenæ Eruditionis & honorum jam Præſagam.

Certè uti ſolares, ità & ingentis Mentis radii ubiquè emicant, undiquè penetrant. *Alexander* ſerperaſtris nondùm excuſſis, dum Philippi Patris victorias invidô & impatienti intuetur oculô, quaſi nihil ipſi relinqueretur, quò nomen ſuum tandem aliquandô cum omni conjungeret Immortalitate, glorioſæ Mentis ſtimulos luculenter prodidit. Scitam & Geometricè quaſi compoſitam Ligni Venalis Sarcinam, quam *Protagoras* ephebus adhùc tam promptiſſimè junxerat, inque oppidum expeditiſſimè tulerat, acutiſſimæ mentis Indicem interpretatur *Democritus Abderitanus*, ideòque exclamat! O! *Adoleſcens, quiſquis es, tuum certè ad majora factum ingenium. Thucydidis* pueruli adhùc lacrymæ, quas in *Herodoti* ſeſamo atque papavere ſparſâ oratione, (quâ Herculis adinſtar Gallicani aureis Catenis os populi & Aures civium attraxerat) fudit, tanti commotus Viri gloriâ, æmulæ Mentis dedêre teſtes uberrimos; ità ut *Herodotus* cùm ἐυτεκνίαν hanc animô concepiſſet, *Oloro Thucydidis* gratularetur Parenti, hæc in erumpens verba; ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σου πρὸς τὰ μαθήματα. Natura Filii tui magno impetû liberales ad diſciplinas fertur.

Sic Abeſſerus quoque in *Febrio* noſtro ingenioſiſſimæ Mentis ſcintillas ubertim expertus. Ex arduis ſcilicèt noſcitur qui ad alta naſcitur. Inſomnes ſæpè ſæpiùs ex propenſô in Muſas amore agebat noctes.

Et nunquam madidis veniens aurora capillis
Nec citus occiduas currû properante per oras
Ceſſantem Cœli Phœbus proſpexit ab arce.

Lucernam olebant ſemper ſcholaſtica *Febrii* exercitia, aſt corpus à Pallade mutuabatur Pallorē & à Minervâ nocturnâ nimiùm quantùm minuebantur Nervi, ità ùt *Abeſſerus*, ceu *Plato* olim *Ariſtotelem*, hunc quoque noſtrum non calcaribus incitandum, ſed fræno potiùs retrahendum judicaret, ſedulô eum admonendo & Ciceronianum illud Auribus inſuſurrando; *Cura ùt valeas.* O! divinum & ad maxima natum ingenium!

Vertit ſic in ſuccum & ſanguinem Oratores & Poëtas ac qualia in Philologiâ fundamenta poſuerit, ex ædificiô grandiore ætate ſuperſtructô apparet. Non enim ex eorum erat numerô, qui elegantiam ſermonis abhorrent, perpetuum cum Priſcianô gerentes Bellum, à quibus miſellum hoc Grammaticaſtri Caput ubertim vapulat, & totiès pugnis contunditur. O! inficetos & inſulſos homines, quibus elegātior ſordet Litteratura! qui ſilices & Saxa loqui potiùs amant, quàm Attico rore ſuavioribus floſculis elaborandam exornare materiem. Siccinè Medicam Medicò ſufficere artem O! vani & profani! creditis! *Bartholinianum* conſulite hâc de re oraculum, *qui purum putum Medicum, purum putum pronuntiat Aſinum.* O! bellam Beluam! Et quis huic Effato non tam è veri quàm Phœbi tripode promananti non ſubſcriberet? Experientia certiſſima rerum magiſtra has buſtuarias Gratiarum Veſpas (ſic Danieli Heinſio audiunt) incuſat, dùm luculēta (vel potiùs ob innumerabilia Præli & Styli Sphalmata luculenta) craſſæ Ignorantiæ teſtimonia Luci exponunt publicæ, cedrum pro Citrô ut in proverbiô eſt venditantes, totque ac tantis vitiis, puerulis ſub ferulâ clunium fatigatrice adhùc ſudantibus inviſis & exoſis chartas conſpurcant. O! dignos homines imbibere

——— purgantes pectore ſuccos
Quicquid & in totâ naſcitur Anticyrâ.

Alia planè *Febrio* Mens erat; ut enim Luna antequam ultimum & oculos in ſe allicientem colorem combibat, ſuccis quibuſdam præparanda; ſic Animus noſter Muſarum priùs Liquore imbuatur, neceſſe eſt, quàm ſublimioris diſciplinæ Purpurâ ſeriò tingatur. Muſis ipſis obſtetricantibus hoc ad officium natus erat *Abeſſerus*, ùt non infeliciorem ſe ex hôc capite crediderit *Alexandro Febrius*, quòd illi *Ariſtoteles*, huic verò *Abeſſerus* contigiſſet Præceptor. Tantùm enim aberat, ùt venientibus annis memoria tanti viri mente Febrianâ expungi potuiſſet, ùt potiùs ejus Effigiem tanquam Aurô omnì inæſtimabilius Pignus, veneratus fuerit, & principem Amicos inter Locum *Abeſſeri* manibus decreverit; in raræ ſanè diſcipuli erga Præceptorem, attamen debitæ venerationis perenne ſymbolum.

Sed tempus erat, ùt ex umbratili loco & ſcholarum pulvere in Academicam evolaret lucem, & quaſi ex hibernaculis extraheret copias. Biennium ſub *Abeſſerô* exegerat, cujus non tam conſenſû & juſſû juxta ac Matris voluntate, Academico ſe accingit itineri. Nec enim Μαμμότρεπτος fuit, quales temporibus *Auguſtini* molles, delicati & effæminati dicebantur; nec cognatorum retardavit amor. Remoræ non abſimilis, officiis officiens, & amplexû implicans; optimè enim noverat Noſter, aquilas illas literarias Solem intueri cupientes, neceſſe habere ùt nidum derelinquant & Solum.

Tribus igitùr comitibus in Inclytam Phyruleam, tanquam liberalium artium profectus Mercatū, ceu ùt *Herodianus* ἀνδρῶν σοφῶν φορὰν nuncupat, ann. 1633. almæ hujus Academiæ Albo nomen dedit. Philoſophicis jam cupediis in Suinfurtenſi Gymnaſiô accenſus ad ulteriorē & plenariam indicibili ferebatur impetû deguſtationem. Nec autem ſibi ſoli

ſapere ratus, ſed agrorum imitatus eſt naturam, qui licèt inſitô quôdam fœcunditatis principiô feraciſſimi exiſtant, cultores tamen ſuos expoſcunt; itaquè in latiſſimô Philoſophiæ Pelagô commodè trajiciendo uſus fuit tanquam peritiſſimis *Naucleris, Mülleris, Corvinis, Pollionibus, Schneideris, Zeidleris,* ſub quibus cœptos jam principiorum igniculos nitidè perpolivit, curſumque tandem Philoſophicum abſolvit, quô abſque aridas & ſiccas reliquas credebat ſcientias.

Ad altiora ſic adſpirans, Pœoniæ artis dulcedine captus, hanc omnes inter expetiit Artem. Sanè neceſſe eſt ùt Naturæ ſtimulos Mentis ſequantur opera, navigia equidem Ægyptiorum Hieroglyphica, adversô flumine & ventis tantummodò navigant. Feliciter divinæ artis hauriebat principia Noſter, quippè Philoſophicis dapibus jam egregiè ſaturatus. Nec enim quod plurimorum hodie mos eſt, incomptus planè & abſque Philoſophico Philologicoque ornatû & Icario quopiam conatû Hygejam ſalutavit; noverat quippè, quòd jam olim *Xenocrates* quendam, ejus manus prenſantem, diſciplinamque ſuam efflagitantem, ἀπαίδευτον tamen, indignabundus, abegerit; *Abi*, inquiens, *nondùm enim ſcientiarum aſſecutus es anſas.* Invaluit proh! dolor hoc malum, non ſine Docentium indicibili Cordolio, & diſcentium probroſo obſtaculo.

Strinxit jam ſuô tempore Lanſius calamum in ſonticum hunc ad Barbariem degenerantis ſeculi Morbum. Fera quodamodo ejus verba, ſed heu! vera. *Cùm ferè ſint*, inquit optimus Vitiorum Cenſor, *in Grammaticâ pulli, in Poëticâ nulli, in Logicâ Aſini, in Rhetoricâ muli, porci in Ethicis, Canes in Phyſicis, oves in Muſicâ, boves in Arithmeticâ, bardi in Mathematicis, inque cæteris Philoſophici Regni partibus Talpæ, & in congreſſibus familiaribus magis muti quàm Piſces, audent tamen temerarii illotis manibus ſacra Aſclepiadea attrectare.* Hæc Lanſius. O! deplorandam Barbariem! O! deridendum ſtudium.

Alios planè Ignes ſenſit Noſter, & non niſi per Philologiæ & Philoſophiæ ſcalas pedetētim & gradatim ad ſacra aſcendit Pœonia. Invidendos brevi tēporis ſpatiolô in *Arte*, ex *Hippocratis* Dictatoris effatô, *longa*, fecit progreſſus, in vernante jam ſtudiô opulentā maturitatum frugem parturiens. Contigerat etenim Febriano fundo cultor optimus *Johannes Michaël* (quātus vir!) feliciſſimus ille Chymiater è quô velut Equô Trojanô tot hactenùs Principes emerſêre undiquè, & undiquè Medicorum. Geſſit ſe hoc ſub Ductore & Doctore *Febrius* ceù illi ſolent, qui non præterpropter ſtudia vivūt, ſed in ipſis. Erat renaſcentis Hermeticæ Doctrinæ alter quaſi Camillus Excellentiſſimus Michaël; huic igitur novo Lumini quoque Triumphum canebat Noſter, omneque otium & negotiū in chymiâ collocabat. Licèt autem parùm adhuc tunc temporis exculta eſſet ſplendida illa per Ignem Philoſophia, exhauſit tamen improbus *Noſtri* labor profundiſſimæ hujus Artis Abyſſum. Et quid mirum! cùm Labori nulla via invia, *Febriique noſtri* excelſæ menti nihil extiterit gravius Corpore otiique ærugine; Congener Cælo erat, unde ortum habuit, & ab ingloriâ quiete ſemper abhorrebat.

Extulerat, dum *Phylureæ* noſter commemoraretur, in vicinâ *Leucorea* Caput, Germanicus ille Galenus *Sennertus, qualem invenire in præſenti, aut expectare in impoſterum* (ex Panegyriſtæ *Buchneri* Encomio hæc fluunt) ne arduum multò ac lubricū eſt. Ad hunc ſtudii Medici Heroa excurſionem inſtituit an. 1634. ſalutando dextram jungit dextræ, & ab ejus ore, Hybleâ Artis mella fundente, pendet.

Inciderat hôc temporis articulô bellorum in Germaniâ civilium Tragœdia, quam qui ſine animi Mœrore ſpectavit ex Orcheſtra, illum certè

—— *genuit durus è cautibus horrens*
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera Tigres.

Superatis ad Nôrdlingam Suecis, noſtri quoque inundabat Patriam Belli fluctus, inſimùlque fontes è quibus neceſſarii promanârant hactenùs ſumtus claudebat. Illiſerant hi Fluctus adeò *Febrium*, ùt parùm abfuiſſet, quin ſtudiorum fregiſſent Ratem, certè occubuiſſet, ni cœlum, cui mens contermina erat, intuens totidem novas vires & ſolatio recuperaſſet, non minores illis, quas *Antæus* cum *Hercule* pugnans, ex Terræ matris acceperat attritû.

Neceſſariis igitùr ad abſolvenda, quibus per integrum triennium incubuerat ſtudia, expenſis, & Lipſiâ toties hoſtili impetû infeſtatâ, Erffurtum expetiit, calamitatis Vadum. Neque hìc mora, nam eôdem temporis momentô

—— *Sæva paſſim Peſtis accendit Faces*
Viruſque ſparſit ira quod ferox Deûm
Impreſſit auræ, depopulatrix urbium
Quæ Nata Ditis, ſive Ditis ſit Parens
Neptis Charontis & fatigatrix ſimul
Legata Mortis, & Satelles Inferi
Funeſta Regni

Neſcius, tantis novercantis fati ſtimulis ſtipatus, in quem ſalutis provolaret portum, Patriam tandem elegit, Ferrô cruentatam, flammiſque adhùc fumantem.

Admirabatur in *Febriô* Noſtrô reduce ſtupenda omnigenæ eruditionis præſagia literaria Suinfurtenſium Cohors; videbant ejus in Agrô fertiliſſimô non infelix otii Lolium ſterileſque Vacunæ avenas; ſed ſpem jam in herbis & æternantis Gloriæ germina. Ità reverà res ſe habet. Talem unuſquiſque ſe futurum ſciat, qualem pollicentur initia; inſunt enim plerumque ultima Principiis. Commorationis hæc in Patriâ mora non morabatur Animum Noſtri diſcendi cupidiſſimum, Lipſiam ſemper cogitabat vel aliud Palladis Stadiodromum. Aſt nervus deerat rerum gerendarum, & belli conſumpſerant Faces *Febriani* ſubſidia ſtudii. Cernebat tandem Cernuâs Camœnas cognatorum Amor, impatiens Noſtrum longiuſculè ſi non novercantis certè durioris Fortunæ vocari Filium.

Recreatus itàquè modicô peculiô, tanquam aureô perfuſus Jovis imbre, Salanam adiit Academiam, moxque Lipſiam reſalutavit. Si Arma inter Leges, certè quoque Muſæ, quæ caſtæ & ſilentium amantes Virgines ſilent, armorum ſiquidem ſtrepitum, effrænemque Militum exhorreſcentes Licentiam. Abitum parat cum Muſis Apollo, quotiès tonat & fulminat propinquus Mars. Ubi hic æſtuat, frigent ſtudia, rigent Muſæ, congelaſcit Hippocrene. Silentibus igitùr ob Martialia tempora Phylureis Muſis tam publicis quam privatis, alicrsùm cogitare cœpit Noſter. Aſt dum in dubitationis pelagô fluctuat, capillata ſe offert occaſio, quam nè poſt hæc calva foret, arripit. Expetebant tres Nobiles gente Saxones, Oſterhuſanorum Biga, & Van Ende Ephorum. Suſcepit Spartam hanc Noſter, undiquè tacente Muſarum Chorô, Annô ſeculi hujus 1636. Mens. Decembr. cui exornandæ aptiſſimus natus erat; docendo eos diſcebat, diſcendo docebat, monendoque ad altiora indefeſſô Labore jājam tendētibus calcaria addebat.

Biennii ſpatio hôc officiô functus, en! melioris Fati radios fulgere percipiebat. Emicabat inter Electorales Dreſdæ Archiatros velut inter ignes Lunâ minores t. t. Vir Excellentiſſimus Dn. Sultzberger Cōſiliarius & IV. Electorales Æſculapios nteir Principes; qui ſi temporibus vixiſſet Homericis, nullos Machaonas aut Podalirios ſed Sulzbergerianum nomen victuris æternùm carminibus conſecraſſet. Ægrorum inviſendâ Vir hic obrutus copiâ, cùm ſuſtinendo huic oneri impares judicaret impoſterùm humeros, *Febrium* noſtrum ſuſcepit, Labo-

Laboratoriique chemici, cui vacare ampliùs non poterat, Directorem declaravit, & totiès quotiès tantis ægrorum curis obrutus eſſet, partem viſitandorum ægrorum in Noſtrum devolvit.

Latiſſimus campus hìc ſe aperuit ad Praxin medicam inhianti noſtro, ùt pro aridis Diſputationibus tricisque; ſolidæ artis, quâ ad Deos proximè accedimus, ſalutem hominibus dando, capeſſeret Fundamenta. Nec enim quod plurimorum hodie Chalybe duriorum Pectorum mos eſt, experimenta agere per Mortes, & hominum diſcere periculis ægros innoxiè Libitinæ adſcribendo, decreverat. Piaculum hoc morte piandum credebat, nec ullius mali hactenùs conſciæ Menti talem infamiæ inurere notam deſiderabat. Manuductore ergò Excellentiſſimo Sultzbergero Praxi litabat Medicæ. Viderat quippè noſter, quantum diſtent æra Lupinis, & Theoriæ à Praxeos ſtudio. Concinnè hanc in rem Excell. Waldſchmidius heu! olim quoque noſter. Ægri, inquit, curantur quidem in Cathedrâ & Libris; ſed moriuntur in Lectis. Datur aliquid in Medicinâ quod nec dici nec ſcribi poteſt.

O! triſte igitùr Miniſterium ſi ars ſaluti hominum deſtinata & inventa, aut inſcitia fallat, aut incuria venales Vitas impunè traducat! O! furioſum iſtum qui nec deguſtatâ primis Labris Aſclepiadeâ Ambroſiâ, Harpyarum inſtar in ægrotos involat! O! inſanum illum aliorum pernitie, pernitiem ſibi accerſentem æternam. Siccinè rem credis Levidenſem, nauci, nihili, vitam Hominis! O! Bipedum ſtupidiſſime! De corio ludis humano! Arcadico conſimilis Pecori beſtia! extinguis tuâ Inſcitiâ vitalem ignem, qui ſemel extinctus, accendi minimè poterit. O! Ignorantiæ Στάλα! * Noſtinè πολυθρύλλητον? Medico bis peccare non licet? ſed quotiès tu peccas verberaliſſime? quot peragis homicidia ἁιματοςαλαγὴς.

O! miſeræ Leges, quæ talia crimina fertis!
O! Cæci Reges, qui rem non cernitis iſtam!
Vos quibus Imperium eſt, qui Mundi fræna tenetis
Conſulite humano generi; quot nocte dieque
Hujus carnificis culpâ mittuntur ad Orcum

Herclè in hâç artium ſola evenit (Pliniana hæç verba ſunt) ùt cuicunque Medicum ſe profitenti credatur, cùm ſit periculum in nullô mendaciô majus. Nam morte plerumquè luunt Credulitatis Pœnam Impoſtoris hujuſmodi Patroni. Sed quod tibi reſtat O! excrementum Medicum! lethalis hujus ſtoliditatis infame Præmium?

Et te pœna manet ——— nec Rhadamanti
Effugies uncum ———
Te rota, te vultur, refugô te Tantalus Hortô
Expectat: Saxumque tuâ cervice recumbet
Siſyphium & quicquid Furiæ coxère nefandum.

Sed ad noſtrum calamus redit Fehrium cui
De meliori Luto finxit Præcordia Titan.

Conſiliis hic Excellentiſſimi Sultzbergi tanquam Ancili munitus ſcutô ægros viſitabat, medicamenta, quibus ratio ſimùl & experientia ſubſcripſerat, exhibebat, & quàm lætus ægros bearat ſucceſſus Sultzbergero referebat. Peperit ſtrenuus hicce conatus omnium Archiatrorum Favorem *Fehrio* ùt ſemper ejus Acceſſui pateret Benevolentiæ Janua, & ex his Principum Medicorum fontibus dulciſſimas pro Lubitu haurire Aquas poſſet. Per ſex & quod excurrit Menſes Dreſdæ non ſibi magis quàm Chimico & Praxeos ſtudio vixerat, laudatiſſimoque Teſtimoniorum comitatus Syrmate, Dreſdâ relictâ Berolinū advolavit. Comorabatur hìc Dn. Joh. *Febrius*, Quæſtor Electoralis Brãdenburgicus, qui dum Muſis Lipſiæ noſter militârat, beneficiis beneficia cumulando, nimium quantum ſtudia ejus promoverat. Sed dùm in Agnatorum ruit amplexus, illiſque adhùc compectoratus hæret, mellea oſculorum hauriens millia, en! Felle amarius omni nuntium irruit; Matrem nempè Noſtri, quam unicè deperibat ad plures abiiſſe.

Quaſi Jovis ignibus ictus ſtetit, in Lacrymas tandem ſolutus & ſuſpiria, pientiſſimæ Genitrici levem precabatur Terram, ann. 1693. Suinfurtum reſalutans. Rebus inibi conſtitutis non precum vinculô cognatorum detineri poterat Domi; ſed Baſileam cogitabat, quam Bauhinorum illuſtrabant ſydera, primæ ſemper magnitudinis in Cœlô Medico ſtellæ; aſt Bellorum viam intercludebant Faces. Vicinam igitùr Noricorum Palæcomen ſalutabat, Triūviris in arte divina incõparabilibus ſemper coruſcãs. Præerat Hygejæ Sacris *Caſpar Hofmann*, Vir ſeculi hujus (Antagoniſtæ Bartholini hoc Encomium) maximus, magni nominis & Eruditionis Profeſſor, præclarè de univerſâ medentum ſcholâ & Galeno meritus. Junxerat huic ſors Clariſſ. Ludovicum Jungermannum Botanicorum ævi ſui Ocellum; qui licèt pharetratū iſtum Puerum Vatiniano proſequeretur odio, ſicque ἄγαμος ſemper tranſigeret vitam, vota nihilominùs Hymenæo ſe daturum ſpopondit, modò plantulam in agrô Noricô propullulantem, ipſi incognitam, quis oſtendiſſet. O! mirandam viri ἀκρίβειαν! O! digniſſimum Noſtro *Fehrio* Præceptorem? Abſolvit præclariſſimorum virorū Trigam, Georgius *Noeſſlerus*, Vir reverâ Experientiſſimus, in cujus vultû, verbis, factis, quædam quaſi Venus vel gratia potiùs divina habitare videbatur, & artem ſuam quotiès ad ægrorum curam accerſebatur ità factitabat, ùt aſpectû propè priùs ac ſermonibus, quàm arte aut remediis curare videretur. Cujus dexteritatis teſtem ſe ſiſtit, Noridos quondam noſtræ conſultiſſimus, Georgius Richterus, è cujus *Noeſsleriana* memoriâ has deſumpſimus lineolas.

Crevit ſub umbra Favoris horum Triumvirorū, quorum laudes nulla conticeſcet ætas, in immenſum Fehrianum ſtudium; nec dimoveri ſe ab illis paſſus eſſet, ni deſiderium Venetas viſitandi Athenas diſjunxiſſet. Faſtidiunt quippè altæ & erectæ Animæ glebæ eſſe affixæ, & cœlum imitando nulla re magis capiuntur quàm aſſiduo motû. Æſtuante igitùr cœlô, dulciſſimam Germaniæ Patriam derelinquere cœpit, per Bavariam, Styriam, Carinthiam, nivoſas Alpes, Cœlôque contermina juga, urbem Pelagô innatantem, Latiique Latium (Venetias innuo) ingreſſus. Salutavit hanc Hadriæ Dominâ diverſô ab iis Geniô, qui hùc ex ſingulis mundi angulis confluūt

Ut Curios ſimilent & Bacchanalia vivant,

quos eleganter nitidiſque vel potiùs nativis coloribus depinxit Alexis apud Athenæum, ſub Diodori cujuſdam ſchemate

Διόδορος ὀπίτελατος ἐν ἔπεσιν δύο
Σφαῖραν ἀπέδειξε τὴν πατρῴαν ὀσίαν
Οὕτω ἰταμῶς ἅπαντα κατεμασήσατο.
Diodorus perditus Lurco biennio
Patrimonium fecit Pilam
Tam præcipiti animô abſorpſit omnia.

Nec Fehrio Noſtro Mens erat plerorumque Peregrinantium. Quemadmodum enim Paris Homericus è præliô profugus in Helenæ ruebat amplexus, ità noſtri peregrinatores relictis ſeriis voluptaria conſectantur. O! deteſtanda itinera! O! mores! O tempora! Galliam ſi peragrans, Gallinis potiùs quàm Gallis inhiant, & Gallicam lucrantes quandoque Luem, nil niſi novas Veſtium Lacinias, laceràque tot vitiis conſcientiam reportant. In Italiâ Veneris Idaliæ inſectantur magis Puerum, quam Muſas, nihilque in Patriam, quàm proniſſimam in omnigenas voluptates mentem, vindiceſque revehunt Aminas. Sicco prætereo pede Angliam, & Belgium cæteraſque Regiones, in quibus tantummodo vitia, effrænes licentias, doloſque malos magno argento cumulant, innocenteſque in Patriam reditû animulas obruunt. Exindè eſt quod

quod Parentum votis non reſpondeant Filiorum Fata, quæ enim reducem ſibi promiſerunt Agamemnonem, vix aç nè vix quidem Therſitem recipiunt.

Non eâdem oberravit Chordâ Noſter, ſed Viros Laude & Litterarum Gloriâ præfulgidos acceſſit, raritheciorum Venetorum conſuluit oracula, Xenodochia uberrimis ægritudinibus luxuriantia, quæ veræ Praxeos viva exiſtunt Exemplaria & Ideæ, viſitavit. His peractis è marmore conſtructa Pario Palatia, auro gemmantia Tecta, ſcandentes ex æquore arces, Cælo minantes Turres, & mœnia ac propugnacula fluitantia, vidit. Obſtupuit Martis illud Theatrum, urbem potiùs quandam, quàm Armamentarium adumbrans, aliquot armorum & cataſtarum ſuperbiens myriadibus. Admiratus eſt Purpuratum Senatum, Laconicâ fulgentem Prudentiâ, Atticas ventilantem adhùc Leges, Romanam revocantem gravitatem.

Perluſtratâ hôc urbium orbe & orbis ſplendidiſſimâ urbe, Venetum adiit Palladium, Livii Patriam, Italicaſque Athenas. A Germanicâ Artiſtarum Natione Noſter *Febrius* non aliter ac fatô profugus Ulyſſes, naufragiô ad Phæacum litora ejectus, beneficio Palladis quàm humaniſſimè excipiebatur, ejuſdemque Nationis precibus ad ſuſcipiendas Bibliothecarii & Conſiliarii Bohemi vices compellabatur. In Profeſſorum cenſû numerabat tùnc Patavium Immortales illas Animas, Sylvaticum, Salam, Marchettos, Friſimelicam, Rhodium, lucida Medicæ artis Lumina, propria juxta ac ſalutaria, quorum beneficâ vi ab ipſô ſæpè ſæpiùs mortales ſubducti. Horum conſuluit Oracula noſter; his attentas & bibulas in & extra Cathedram nervosè diſſerentibus præbuit aures, illiſque, cùm à morte jam ſubjugatis vitam redderent ac ſpiritum adſtitit. Imprimis verò Wirſungo extitit familiaris, qui dum publicæ excubabat ſaluti, immiti obitu ante diem functus, ceu ejus Epitaphium Patavii à Germanicâ poſitum Natione innuit.

Omnes tamen inter venerabatur Johannem Veſlingium Mindanum Naturæ verique ſcrutatorem ſolertiſſimum, qui ſapientiæ atque Exoticorum ſtirpium ſtudiô, Ægyptô ac Syriâ peragratâ, à Venetô Senatû rei herbariæ & ſectioni Corporum Præfectus eum Latinitatis & Græcæ Eruditionis cultum mutis artibus circumfudit, ùt illìc naturæ ludentis Pompam cumularet, hic ſpectaculi diritatem orationis dulcedine deliniret, ùt quantum oculi paterentur, tantùm ſibi aures placerent, quod ipſi in Epitaphiô quoque Encomium porrigit Joh. Pueppa. Hoc ſub ſtrenuo Duce per annum & quod excurrebat ſpatium, Botanices ſtudio & Cadaverum ſectioni vacavit noſter, inque Gremiô almæ hujus ſtudiorum Matris & Altricis ſeſſitavit.

Sed quod Liviæ olim & noſtro quoque contigit *Febrio*. Illius enim poſt Auguſti Nuptias in gremium, miniſtra fulminis Ales Volucrumque Princeps prætervolans, gallinam albam ramulum Lauri Roſtro tenentem dimiſit. Hujus Noſtri in ſinum, Ingeniorum ævi ſui Aquila Veſlingius non quidem Gallinam Livianam, Æſculapicum Gallum, ſed Lauream Privilegiorumque Doctoralium Syndromen depoſuit. Et uti Felicitatis habebatur olim faſtigium, votorumque ſumma; ſi quis victor Olympiorum in totius Græciæ conſpectû pronunciaretur; ità hic noſter non in vulgi frequentiâ, ſed inter omnis ſcientiæ fulgidiſſimos Viros & nitidiſſimam ſtudioſorum Coronam Veſlingiô auſpice Inſcitiæ omnis Victor Philoſophiæque & Medicinæ annô 1641. die $\frac{18.}{28.}$ Februarii creabatur Doctor.

Et certè ſi ulli unquam in Laboris Præmium & virtutis Honorem Laurea ſuprema Apollinaris jure meritòque impoſita, (nam ὀὐχ ἅπαντες πάρεργς ἄξιοι non omnes Tiarâ digni ;) huic Noſtro fuit, cujus tempora quernâ quoque ob tot ac tantos ſervatos jam & ſervandos cingere potuiſſet Coronâ, quippè ferè per decennium, quid enim dulcius otio literato ? haud profanum Hygejæ Fanum inhabitaverat. Licèt enim illis non tradam victas manus qui Naturæ ponendo Leges, cum Ictorum nonnullis decennium, vel ex Pontificis Decretô ſeptennium; vel quinquennium ſtudiis dandum præcisè determinent, cùm non quidem diù ſtuduiſſe, ſed benè laudandum ſit; ità nec ex ſciolorum illorum ſum partibus, qui ferulæ vix ſubducti ſcholaſticæ, hinc inde adhùc vulpeculam & glabella labella oſtentantes, ſupremos jam in arte affectant, & dicacitate quadam anili vagâque Eruditione, neſcio quos in artibus & ſcientiis profectus mentientes, extorquent honores.

Sed peſſimè rebus conſulunt publicis Argentanginenſes iſti Profeſſores, jurati Deæ Monetæ ſervi, dum vix juventam egreſſis micantes adhùc Judicioli oſtendentibus ſcintillulas, humani generis fata commendant, & Vitæ Neciſque Arbitros conſtituunt hinc enim proh ! dolor eſt, quòd totiès hôc Divinitatis Imperiô abutantur in perniciem, adoleſcenturientes iſti Narciſſi. Sic, Eheu ! ad Eclipſin declinat Dictatoris Medici oraculum; ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Experimentum periculoſum, judicium difficile. Nec enim ætati prævolat judicium.

Certè uti ex Aſtrææ Themidoſque effato XXV. Annis minores ad Rem adminiſtrandam publicam, honoreſvè in Republicâ gerendos non admittendi, tum quòd fragile & infirmum ſit minoris ætatis Conſilium, multiſque captionibus & inſidiis ſuppoſitum, & imprudenti imperiô regatur. Ità nec hâc ætate minores de Laureatô tripode veluti in Pythicis Victores pronuntiandi eſſent, ſi tot Armatis ſæpè ſæpiùs reſiſtere poſſent Apollinei Sacerdotes.

Sed ad noſtrum redeo *Febrium*. His annis, ſtudiis, meritis, honoribus maturus, in felicitatis portum, beneficiô Patavinorum Profeſſorum tanquam Lædeorum ſiderum deductus eſt; quibus etiam ceu Litoralibus Diis per totum vitæ decurſum Vota ſolvit & grates. Bearat interim Germaniam noſtrâ Pacificationis roſea Aurora, quæ noſtrum Cephali adinſtar, vel ſi mavis Orionis, & Tithoni ad ſe rapiebat. Et quis tam ferreus foret, ùt Pacis almæ non flagraret Amore, exclamando:

In triſte Belli Numen ad Thracas tuos
Utcunque phaleras, ſpolia, Captivos, Greges
Criſtata Regum Capita, & Exuvias Ducum
Odioſa magno nomina afflatû crepas!
Nos Pacis almæ certa præferimus bona
Hæc arva ſpicis veſtit, & cellas replet.

Fatorum Ducum ſecutus *Febrius* ultimum Patronis dixit Vale, viſâque in reditû Vicentiâ, Veronâ, Tridentô, Bolzanô, Brixiâ, Oëniponte, auguſtiſſimam Auguſtam orbis delitias urbiumque Germanicarum Gloriam adiit, inibique Famigeratiſſimum Practicum Dn. Hœniſium, cujus de viri laudibus, ùt de Carthagine olim Saluſtius, ſilere potiùs puto, quàm paucâ loqui, convenit. Acceſſit quoque Noridem noſtram, Principem Franciæ Orientalis urbem, Teutonici Sydus Poli, & ab Amicis D. 2. Jun. 1641. exceptus, Suinfurtum in alteram quaſi Patriam deductus eſt.

Rediit ſic ex Italicâ Hyblâ & Hymettô Apis tot Hortulorum floribus libatis gravida, nil magis geſtiens quàm ùt *Mel*

Mel illud roſeumque Nectar
Cœli delicias, ciboſque Divum

In Convivium ſalutem promere poſſet, ad mortem ſcilicet virginum veſtalium, quibus teſte Plutarchô, tempus diſtributum fuit, quo primum diſcerent, deinde quæ percepta ſunt peragerent, denique alios docerent vel aliis inſervirent.

Et certè vix mortalium dabitur ullus, qui plus Naturæ ſuæ debuerit quàm Noſter, ùt quod de Poëtis dicitur *Febrius Medicus Natus ſit.*

Ut verò Semi-Patriæ amori & conſuetudini arctius conſtantiùſque inhæreret, implicandus erat dulcibus Cupidinis Vinculis. Accendit caſtos ignes ipſiſſima virtutum & pulchritudinis Idea, in virgine Mariâ Barbara Meiſteria, quæ nihil amari & barbari præter nomen habebat, coruſcans. Non autem cupido velle dederat Noſtro, poſſe abnegaverat, minimè. Quos Venus amavit fecit Amoris Compotes. Noverat illud Poëtæ.

Ne terreare; Non recuſant dum negant,
Rigor pudicas gratus accendit preces
Nulli Puellæ Tigris uber præbuit.

Et ſenſit quoque mutuas Amoris ex Glycerii Mente ſcintillas; hancque ſuam gratiarum ſororem Sithonias candore ſuperantem nives, ore Poëſtanas Roſas, ſemper hucuſque virginem, indicto Chariſiorum & Hymenæorum ſacrorum feſtô die D. 7. Junii Annô 1642. in Divô St. Johannis Suinfurtenſium Templô, devota inter acclamantium ſibi ſociari paſſus eſt, Vota.

Dignus tali Penelope Ulyſſes, qui ſurdis auribus Subantium Sirenum molles Cantus, libidinumque Scyllam præternavigârat & Charybdin. Imperatorem hôc paſſû Valentinianum ſecutus, qui ſe unâ ſaltem Victoriâ gloriari dixerat, dum inimicorum nempe nequiſſimum carnem viciſſet ſuam. Perennis floruit caſta hæc inter corcula concordia, quippè ex caſtô profluxerat fonte. Hærebant ſemper compectoratæ individuæ hæ animulæ, nullis calamitatum fluctibus, nullô adverſitatum Eurô ſeparandæ.

Riſit noſter ſuaviſſimo hoc in Conjugiô Hipponacem, qui duos dies Marito fauſtos pronuntiaverat & felices; primum ſi Uxorem deduxerit domum, alterum cùm mortuam domô extulerit. Riſit & altô deſpiciens animô vaniloquos ſimiles, experientiâ aliud edoctus de falſitate hujus effati triumphavit. Placidiſſimè ſic tranſigebat vitam, mediis in otiis ſemper negotioſus, omnium captando inſuper benevolentiam oſque populi demerendo. Sed dùm per omnium volitaret ora, convertit quoque Senatus in noſtrum oculos, & quem annô 1648. numeroſiori Senatui adſcripſerat, cùm virum ſe geſſiſſet Roſcius noſter, hoc in civicô Theatrô, bienniô pòſt in ſecretioris Senatûs admiſit conclave. Aſcendit ſic per intercapedines Noſter ad eminentiores ſemper dignitatis gradus, non abſimili methodô ac Nautæ, non feſtinatô ſtatim inundiſonum & velivolum mare invehunt curſû, ſed priùs in pacatis lacubus clavi periclitantur regimen.

Hoc in circa tempus Beatiſſimus quondam Jaſon Noſter de Argonautica cogitare cœperat expeditione, cujus conatus ſtrenuè fovere & promovere cœpit noſter, ceù ex ortû S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum, ſecundæ Decuriæ primô Annô præmiſſâ, abundè liquet. Quare calamum retraho, nè poſt Homerum ſcribere videat Iliada.

Peperit Annus 1654. *Febrio* Aſſeſſoris in Dicaſteriô Eminentiam, aſt dum Civium Favonio & Patrum Conſcriptorum. Amore regiminis ſulcat æquor Fehriana Cymba, en! tumidus irruit Africus, coſtamque à latere rapit & capit. O! luctifica Fata! O! horridam Calamitatem! Nempè

Solida in Terris nulla voluptas,
Vitiant ſubiti gaudia Luctus
Modò ſol ridet, modò ſub nebulâ
Tenet obſcurum luridus Æther;
Dulces amarô melle madent Favi;
Trepidant Venena vino ſuffuſa,
Roſa Verna acutis cingitur ſpinis;
Fulcra regnorum ſua frangit Ætas,
Chloridis Regnum populatur Æſtas.

Quatuor Filiis tribuſque filiabus ex deſideratiſſimâ Eurydice auxerat Orpheum Noſtrum Lucina è quorum numerô II. filios iterùm eripuit Libitina: Hæc Amoris Pignora, mœſtiſſimi vidui oculis quotidie obvia quotiès intuebatur, totiès novis & recrudeſcentibus premebatur doloribus, ſine Compare Turtur. Revocabat in animum quam perdiderat, Thori Sociam, omnibus Romanis comparandam Heroinis; Semproniam tenui deducentem ſtamina fuſo, Liviam ſine malô dolô & fraude amara marito blandientem, Portiam in perenne Conjugalis Amoris Symbolum extrema tentantem, Corneliam Soboli vacantem, Fauſtinam rem familiarem augentem, nec ſordidam. Heu! qualem!

His cogitationibus immerſo coibat frigidus pavore ſanguis in præcordia; in pectore fulmen erat, pronuſque in naufragium ſpiritus, ni ſolatia tandem Mens Fehriana in adverſis nunquam timida, neç tumida in proſperis ſuppeditâſſet. Inſuſurrabat hæç Ambulatori ſine ſociâ: Heus! nihil immortale ex mortalibus naſcitur, omnia in Lethum ruunt. Et quid luctus? quid ſuſpiria? quid lachrymæ? quid querula labra bibulique oculi proſunt? dolorem intendunt,non minuunt,nec his mutâtur Fata, neç Parcæ flectuntur cum parcere non decreverunt. Incuſabiſnè Deum omni jure ſua repetentem? Naturamnè culpabis quod genuerit Mortalem? Dilexiſti conjugem; ſed & vitæ Neciſque arbiter qui eam repetiit, dilexit. Placuit Uxor pia, modeſta, facilis, ob eaſdem quoque Virtutes Cœlo placuit. Poterant hæ in terris mundi contaminari ſordibus, in cœlô non poſſunt. Subducta Tibi, propiùs adducta Servatori Jeſu. Fatale te tangit & angit Thalami divortium, Corporis illud ſolummodò eſt non animarum; harum copula interrupta eſt & viget quàm maximè inter diſruptos. Non divellimur toti, ſed parte tenùs; caduca cadunt, perire neſcia remanent. Corpus abeſt nec debebat ſemper adeſſe. Fuit tua Uxor, quia fuiſſe hominis, erit quod fuit, erit qualis non fuit, quia glorioſior jam in Cœlis eſt. Invidebiſnè igitùr maritæ gloriam? His & ſimilibus intonatus quaſi mœroribus *Febrius* iterùm erectus; juſtô viduitatis & annuô exactô ſpatiô, cùm publicæ rei privatæque intentus, Liberorum curæ vacare minimè poſſet, ad ſecundas tranſiit Nuptias, minimè illorum præbens aſſenſum dogmati, qui veteris Eccleſiæ caligantem præ ſe ferentes ritum quendam, à denegatâ ſacerdotali benedictione mutuatum, ſecundas improbant, imo damnant Nuptias; cùm tamen Jus Divinum & Humanum Patrumque Eccleſiæ aurea ſcripta, has non permittant modò, ſed præcipiant, ſed jubeant.

Elegit è Suinfurtenſium Nympharum Chorô non quidem formoſiſſimam, non opum & nummorum fœnore præfulgidiſſimam Venerem; aſt piam, modeſtam, caſtam; Annam indefeſſo precum ſtudiô, Mariam caſtitate & modeſtiâ, Domini Johannis Jacobi Ottonis Senatoris & Dicaſterii Aſſeſſoris optimi, filiam; ſuperſtitem mœſtiſſimam viduam acerbè mariti fata lugentem.

Revixit ſic cum novâ conſorte, qui hactenùs tantummodò luctui vixerat. Recepêre novos motus torpidi triſtitiâ ſpiritus, obnubilataque mœroribus Mens priſtinæ reſtituta ſerenitati. In littore adhùc tt. hærebat Naturæ Curioſorum Argo, quippè Jaſon Excell. *Bauſchius* variis negotiorum irretitus vinculis erat; & ulteriùs hæſiſſet, ni *Febrius* noſter, crebrioribus monitis ad ſolvendam exſtimulaſſet Puppim. Sic reverà Argonautæ, non abſque omine noſtro impoſitum Nomen, qui omnes ad Argonauticam expeditionem intendit nervos, ſocios undiquè conquiſivit Heroas, tandemque indictô Celeuſmate cum Excellentiſſimo *Bauſchiô*, Fatis obſtetricantibus Anchoram ſolvit.

Neque ad SuinfurtenſisRegiminis clavum otioſus & inglorius ſeſſitavit Argonauta. Nimiùm quantùm hoc in ſtadiô efferbuit, & Patriæ amore Fabios, manſuetudine Valerios, conſtantiâ Brutos, prudentiâ Scipiones, benignitate deniquè Publicolas è Romanorum revocavit monumentis, nihil ſibi proprium, ſed omnia Senatûs populique Suinfurtenſis eſſe, cum M. Antonino Imperatore credidit.

Redditus Annô 1664. ordini Sevirorum ad altiora jam Reipublicæ munia aſpirans, vix credibile dictû qualem ſe geſſerit neminem à facie ſuâ triſtem diſcedere paſſus.

Annô ſubſequenti, cùm Jaſon Argonauticæ Naturæ Curioſorum Expeditionis cecidiſſet, ridente hactenùs malaciâ, naufraga non effugiſſet fata felix lætaque Argô, ni errantem in pelagô, inque illâ Argonautas, Argonauta tandiù rexiſſet, & de mature proſpiciendô novô Ductore & Capite quod in Jaſone deperditum, ſuaſor extitiſſet & Author. Sed ad quem confugerent aptiùs quàm ad ſalutis Vadem *Febrium* ſolum tot inter fluctus non fluctuantem. Salutatur ſic conſpirantibus Votorum Favoniis, Præſes II. inſimùlque à Senatû Suinfurtenſi, quòd antiqua artis miracula revocans, non ſemel fugientes Animas repreſſiſſet, membriſque hærere compuliſſet, Phyſicus denominatur ordinarius.

Evictô ſic naufragii Academici infortuniô *Febrius* noſter ad fortunatas almæ Matris Inſulas proram vertit Argonauticam, Anchoramque Anchorâ Sacrâ vel Scorzonerâ, nitidiſſimâ opellâ, eroſos ſapiente ungues, ſolvit. Nec hôc contentus Præſidii digniſſimi ſpecimine, ſed ùt omnibus ſe nunquam otioſum oſtenderet Præſidem, ſuôque concitaret exemplô, nè vitam ſilentiô tranſigerent veluti pecora, fellei laboris melleum fructum, Hieram Picram, ſive de Abſynthiô analecta, luci commiſit publicæ. Pharos his ſcriptis fuit & Cynoſura & Helice Academicis reliquis, ùt Ducem recti hoc quoque paſſû ſequerentur. Nec enim errorem noſter ſcriptitantium communem erravit, quorum pruriens calamus craſſâ quidni invitâ & indignante Minervâ immania ſcribillat volumina, quæ præter molem nihil exhibent ſolidi, nullumque aliud promerentur præmium, quàm

Ut nigram cito raptâ in Culinam
Cordillas madidâ tegant Papyrô,
Vel Thuris piperiſque ſunt cuculli.

Aut enim ex chartâ in papyrum congeſta lacinia, chaos adumbrant & ſic veri exiſtunt literarum Porci (quod infame nomen doctiſſimo Varroni imponit mordax Grammaticus Palæmon) multa quidem undecunquè, ſine judicio tamen & delectû congerentes, vel meros Centones & plagia ſiſtunt alienis ſuperbientes plumis, vel Fœtus paupertini Ingenioli promunt, quibus ſi titulus, montes ſæpè ſpondentes aureos demas, nihil quàm ſceleta, & exanguia reſtant corpora; nihilominùs Canoris Oloribus, rauci hi Anſeres, vel ſibilantes ſturni, mintrientes Veſpertiliones, ſtridenteſque Noctuæ interſtrepere conantur. Comportabat noſter ſedulò Apis adinſtar undiquè in mellificium ſuum, authoritatibus ſcriptorum non ſerviens ſed aſſenſum præbens. Nam diſſentiebat quandoquè à multis & veritatis ſtudiô, tanquam Ariadnæô filô ductus, ex obſcuritatum Labyrintho parabat exitum. Uti enim Momos Zoïloſque redolet, omnia quæ vulgò ſtatuuntur Carbone notare, cenſoriâque tangere virgulâ, ita timida quoque & ſervilia innuit ingenia, nimiùm aliorum, nihil ſuo tribuere judicio.

Sed facem non ſolùm in elaborandis Academicis penſis Naturæ prætulit curioſis, in communicandis quoque pro Ephemeridum Tomis annuis præivit Obſervationibus. Non enim futilia protulit & proletaria, totôque die obvia, ſed utilia maximè, curioſa, & raritate cara; non ficta inque cerebrô ferias agentis Mentis picta monſtra & experimenta communicavit; ſed vera, crebriori confirmata experientiâ, quippè fingere obſervationes non Naturæ Curioſos, ſed potiùs Furioſos decet. Stringet in hos Inſulſos (ſal enim veritatis illis deeſt) aliquandò calamum, ſi concatenati permiſerint labores, Illuſtriſſimus *Argus* noſter, præſidium & dulce Decus noſtrum; uti jam in monitis Acad. S. R. I. Nat. Curios. pro annô 1685. per tranſennam, & aliud quaſi agendo, hùc digitum intendit *Febrius* noſter.

Dùm Præſidis ſic Academiæ ſpartam pro virili exornat, annô 1672. vacante Prætorii Munere, à Suinfurtenſi Senatû Judex Privilegiatus primæ Inſtantiæ ſive Prætor Imperialis denominatur, & à Sacrâ Cæſareâ Majeſtate clementiſſimè hôc in honoris confirmatur Culmine. Nec enim Suinfurtenſium & Epheſiorum una Mens erat. Hi quippè Hermodorum virum ſingulari eruditione, virtute, & rerum præfulgidum Prudentiâ, ob id expulerunt Civitate; facto eam in rem plebiſcito, quod ex Græcô ſic Latinè loqui fecit Cicero; *Nemo de nobis unus excellat; ſed ſi quis exſtiterit, aliô in locô & apud alios ſit.* Suinfurtenſes è contrariô Romanorum inſiſtentes Veſtigiis, terris undiſque jactatum *Febrium* ceu illi Hermodorum Civitate omnibuſque donârunt Honoribus, altiùſque eum extuliſſent, ſi altiùs attolli potuiſſet prætoriam dignitatem emenſus.

Quâ æqui rectique ſcientiâ morumque manſuetudine hoc in faſtigiô ſe geſſerit, notum erit, dum ad Trajectum Suevorum (ſic apud Canam Antiquitatem audit Suinfurtum) homines erunt. Non enim blandientium munerum Eſcæ damnatæ ſtygiaque fercula; non improborum reorum ſimulati ſingultus Crocodilinæque lacrymæ; non malevolorum jurata odia vindiceſque minæ; non agnatorum & cognatorum balantes preces, plurimarum Rerumpublicarum proh! dolor hodie peſtes & furiæ, ab amuſſitatô recti tramite hunc noſtrum juſti propoſiti tenacem deviare fecerunt Virum. Inconcuſſus ſtabat alter, ſive Juſtitiæ cultum ſive artis Medicæ ſpectes Peritiam, Chiron. Virtutibus præluxit Civibus ſuis vivum virtutum Exemplar. Nam mortuæ Tabulæ ſunt, quibus regentum facta non inſpirant animum. Vim legis geminat Legislator, cùm ſua eam obſervatio veneratur.

Sic ſancta Dei templa ex veteri L. L. XII. Tabb. inſtituto caſtè omninò atque devotè adibat. Sic ſumptuoſiori cultû indubiâ egeſtatis genitrice, nummorumque Voraci Scyllâ abhorrebat.

Sic

Sic epulantes Apicios, Formianos, Tigillios, Sybaritas, helluonum ac decoctorum principes deteſtabatur, frugali contentus prandiolô. Sic præterea fulgens gloriâ, quoties otium à gravibus ſuppeteret curis; Praxeos id impendebat negotiis, vel literario commercio; & Vacunæ litantes vatinianô proſequebatur odiô.

Nec enim, quæ præconcepta quorundam quibus Pepo fortè pro capite opinio honeſta literarum aut facultatum profeſſio Senatoriam vel prætoriam dignitatem deſtruit, exornat potiùs eam, clarioremque reddit. Reſpublicas quandòque æquè ac corpus humanum morborum excruciat Phalanx, quibus debellandis Æſculapiis opus & Chironibus, qui licet in principiis ſint diſcordes & diſpares, vix tamen in morborum civicorum variant cura, nam & in Rebuspublicis ſæpè

Enſe recidendum eſt nè pars ſincera trahatur.

Febrius noſter

Conſulto Conſultus erat Medicuſque Medenti.

Adiit ſic vicinas Principum aulas tot ſæpiùs votis expetitus & precibus, Suinfurtumque non Æſculapico Gallo vel Lauro, ſed Auro Comite rediit. Sic Ann. 1680. à Reverendiſſimo & Celſiſſimo Principe Dn. Petro Philippo Epiſcopo Bambergenſi & Herbipolenſi, Franconiæ Duce evocabatur, ad quinque Herbipolenſium viſitanda Pharmacopolia. Conſentiente ſic Suinfurtenſi ordine Senatoriô aliquot ſeptimanas in hoc purgando Augiæ ſtabulo alter deſudavit Hercules. Tandem ob rem improbo Labore geſtam, aureo perfuſus imbre domum reductus fuit.

Repetiit eum annô 1686. Principis Herbipolenſis Clementia; ſed gravior Ætas quæ ipſiſſima quandoquè morborum idea; innumeris humeri defatigati Laboribus, viriumque nimius hoc onus recuſabant defectus. Scilicèt Atlantes tantummodò à Principibus expetuntur, & experientiſſimi quique Phaëtontes ſolùm præcipitiis inſerviunt.

Quod publicis & Medicis eripuerat curis ſpatium, exarandis ad Academica Membra & Patronos literis dicavit. Hìc ego ſi vela ſcriptionis meæ pandere & aperto mari literarii commercii *Febriani* invehi vellem, ingens mihi proponeretur æquor. Sed revocant me Typographi carceres nundinæque inſtantes; ita ùt hoc & alia plura de beatiſſimo dicenda Præſide, Gloriæ *Academicæ* in cujus elaboratione inglorius occupatur calamus, reſervare neceſſe habeam. Hoc leviſſimô attigiſſe Pennæ ſufficiat apice; extendiſſe *Febrium* amicas ſcripturientis Manus collocutiones,

——— quâ Titan populos deſpectat Eoos!
Et Tarteſſiacâ pronus quâ mergitur undâ,
Quâ Cynoſura nitet; Et qua contrarius Axis,
Aſpicit Antipodas pendentes vertice; qui jam
Caſuri, opponunt pedibus veſtigia noſtris.

Sed quod navibus ſæpe ſæpius nimbiſona procellarum prælia & tumultuoſos Nerei fluctus expertis accidere ſolet, ut tandem per laceras rimas aquas haurire, naufragaque minari pericula incipiant; hoc noſtro quoque contigit *Febrio.* Corporis enim Carina à pugnacibus calamitatum agitata Africis, tot protervis concuſſa laborum curarumque fluctibus, morboſam haurire Lympham truceſque ſentire Parcas cœpit. Annô ſiquidem 1686. dum lætus accedit Prandiolum, horridô & momentaneô percuſſus frigore, neque pes neque manus ſiniſtra ſuô ampliùs fungitur munere, inque ſtuporis Conſortium linguam, ſub quâ olim ſuada ſeſſitaverat, aſt Niobeam jam & mutam rapit.

Obſtupuit hoc terroris fulmine tacta Febriana familla, & rigida frigidaque membra crebriore frictione calidiſſimis fomentis ex letho revocare lætumque invocare ac congenitum calorem cœpit. Rediêre in dies priſtini vigoris igniculi, ità ùt lingua tandem generoſis reſoluta medicaminibus, verborum fragaverit de novâ favis, pedemque iterùm in ædibus paululùm motitare potuerit.

Has inter novercantis Valetudinis turbas irradiavit Noſtrum, *Invictiſſ. Monarchæ Leopoldi Clementia* ultrò Cæſarei Medici ſplendidum titulum aureo cum torque clementiſſimè concedens, & indulgentiſſimâ hâc gratiâ ut olim Auguſtus Muſam, ſic *Febrium* noſtrum tot annorum nunquam otioſum Præſidem beans. Admirabatur ſic mœſtô gemitibus pectore, & hiſpidis nubibus obvelatâ fronte, fortunæ volubilitatem; inter ſuſpiria tandem & lacrymas lætus, grates & pia vota *Auguſtiſſimo* reddebat *Monarchæ*; illud Poëtæ veriſſimum expertus dictum.

Quod vexant hodie Noti,
Cras lambent hilares æquor Eteſiæ:
Mœſtum ſol hodie Caput,
Cras lætum roſeo promet ab æquore.
Alternô redeunt chorô.
Riſus & gemitus & madidis propè
Naſcuntur mediis gaudia luctibus.

Remanens in membris Febrianis torpor ſtuporque, ſpontaneæ Præſidii Academici anſam præbuit renunciationi. Unanimi igitùr *Dnn.* Adjunctorum conſenſû, ſuffragio votoque Illuſtris *Helianthus* I. tanquam meritiſſimus & digniſſimus electus Argonautæ ſucceſſor, quippè qui jam jam primis Academiæ Incrementis ſalutari adſtitit conſilio & invidenda tunc obrutus praxi cùm membrum eſſe non poſſet, florenti tamen condecoravit Elogiô, & immane quantùm hactenùs promovit. Hinc igitùr ex officiô noſter ſingulis Argonantis Naturæ Curioſis ſolenni commendavit Programmate Argonauta, & lampada tandem vivens adhùc læto ob tantum ſucceſſorem pectore tradidit.

His peractis tot jam laboribus defunctus ſe quieti dedit, Cœlo, Deoque proximiori & à terrenis quiſquiliis planè liberatô animô. Intuebatur Filios Filias, Nepotes, Neptes, in quibus in dies ſeipſum renaſci & eas jam gliſcere virtutes animadvertebat, quibus arduam navavit operam. Nec enim verſiculum illum Homerianum cantillare neceſſe habebat, quem Auguſto olim extorſit malè adoptatus Agrippa.

Αἴθ᾽ ὄφελον ἄγαμός τε μένειν ἄγονός τ᾽ ἀπολέσθαι

O! utinam Cælebs vixiſſem orbuſque periſſem. Æmulos videbat in poſteris ſuis imò Majores. Maxima ſcilicèt Parentum Laus eſt progenuiſſe majores. Nec ille magnus eſt, quem magni avi commendant, ſed quem illuſtriores Filii & Nepotes contrariâ procedunt ſemitâ Parentum hæreditas & gloria. Illa deſcendit in Filios, hæc in Patres. Et certè fuit hoc *Febrianæ* Felicitatis faſtigium & ſumma, quòd illum decem, Filios & Filios conjugali nodô ex votô (unicô juniore Filiô ſub Minerva Jenenſi militante exceptô) junctos, exque iis 32. ſurculos cernere licuerit. Nullô aliô ampliùs quàm hôc poſteritatis afficiebatur gaudiô, cogitationibus divinis tantùm immerſus. Mortis ſic vivebat vitam, & ſenili accedente maraſmô, umbram repræſentabat hominis; adeò jam, dùm cum vitâ & morte pepegiſſe virebatur, ùt in unô corpore eôque exſucco penè exangui ſimùl habitaret aliquid utriuſque. Signis his & prodromis Naufragii ingruentibus die 3. Novemb. an. 1688.

internâ æſtuans exſcandeſcentiâ, cui vorax Diarrhœa virium ſe ſociavit, penitus atque penitùs affigebatur lectulo. Vana erant omnia hoc in ſalvando Æſculapio conamina, infructuoſa antidota, alexica aliàs pharmaca omnis efficaciæ expertes, infelicia denique conſilia. Irrita ſcilicet planè Medicorum in morbos ira, cùm vitæ ſcindere fila Atropos firmiter conſtituit. Inſtante ſic inevitabili vitæ naufragiô, pium ſe geſſit Argonautam; & cum Creatore ſermones habere, deque Redemptore ſuo, quam de mundi hujus immundi, quæ plurimos occupare ſolent tricis loqui maluit. Sic omni dulciùs melle ſemper ingeminabat Jeſu, nomen hoc ſemper ſonabat, hoc ſitiebat, *Satur Laborum, Satur honorum, ſatur bonorum, ſatur annorum, ſed omnibus miſerationibus divinis indigens, quæ verbula* ſæpè ſæpius & ex agonizantis Argonautæ noſtri profluxerunt ore. O! lætum lethum! O! plenam ſolatii mortem! O! ſuavem interitum! ſalutari ſic Cataſtrophe abſolvit vitæ hujus actus. Laudabili Epilogô deſiit eſſe facundus, & poſtquam de ſalutis ſuæ momentis & divinâ in poſteritatem circumſtantem benedictione perorâſſet, in Pium *Dixi* deſiit. Tandem

——— *Fluctu moriens verſatur ab omni.*
——— *Sentitque admoto forfice Parcas*
Jamque aliquod filum circa præcordia ruptum
Vltima vox animam dein ſingultavit in undas
Ingreſſamque oculis velavit palpebra noctem.

Vix ſpatii quicquam interceſſit de *Jeſu* loquentem, inque ejus amore morientem inter.

Cùm obitus tanti viri in urbe percrebuiſſet, nil niſi manantes oculos ſingultientes lamentationes, ex imis præcordiis hauſta ſuſpiria, luctiſonos gemitus, exanimantes planctus, & communem ob merita tanti Præceptoris mœrorem produxit. Exclamavit cum Metellô ob Scipionis obitum Suinfurtenſis Reſpublica: Concurrite cives, mœnia civitatis noſtræ everſa atque elapſa ſunt!

Ite mei, celebrate graves, quæ præfica clamat,
Exequias nunquam Majoris funus Amici,
Nunquam Majoris Civis lugebitis umbras.

Sed quid Academia noſtra? Fudit ob pium ſenem lacrymas, cùm lugubri Programmate deſideratiſſimum abitum & obitum Præſidis Emeriti Præſes III. intimaſſet. Minuit tandem doloris immenſitatem τοῦ μακαρίτου ſuperſtes Paternarumque virtutum æmulus Filius. Minuit Lacrymas digniſſimus ſucceſſor, pro quo Argonautarum illorum apud Valerium Flaccum fundimus Vota,

Hoc Pater hoc nobis refove caput, ulla laboris
Si noſtri te Cura movet, qui cardine ſummô
Vertitur, atque omnis manibus nunc pendet ab unis

Minuit gemitus Tua, nunc piiſſima Animula, Felicitas; poſt labores quies, poſt funera gloria, poſt humanarum calamitatum fluctus navigato in Portu fortunatiſſimarum Inſularum. Minuit ejulatum quod poſt confectam hominis Chriſtiani militiam rude donata præmia Carpis & Brabæa. Vale igitur æternumque ſalve Cœli Incola.

Extremum; ſal ve Præſes, nova gloria Cœli,
Æternumque Vale. Salve ſub marmoris umbra
Eliſia ſub Valle, Vale.
O! Fehri æternùm nobis ſalveto, valeto.

Ex eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Anchora ſacra, vel, Scorzonera. Acceſſit Johannis Laurentii Bauſchii ſchediaſma Curioſum de univerſi cornu foſſili. Uratiſlav. apud Vitum Jacobum Treſcherum, 1666. in 8. cum figuris.

Hiera Picra vel de abſinthio, analecta. Ibidem apud eundem, 1667. in 8. & Lipſiæ 1668. cum figuris.

Obſervatio de ſingulari Catarrhorum extractione. Extat Ephemerid. Nat. Cur. Germ. Ann. I. *N.* 34.

Obſervatio de Eſû rerum abſurdarum. Ibid. Ann. eod. N. 83.

De Tumore monſtroſo Faſcino proximô. Ibid. Ann. II. *N.* 4.

De Puero ἀχόλῳ & Bulimo. Ib. Ann. III. *N.* 51.

De Pinguedine Abdominis mirabili. Ibid. Ann. IV. *&* V. *N.* 28.

De Aneuriſmate & varicibus. Ibid. An. VI. *&* VII. *N.* 26.

De urinæ incontinentia. Ibid. Ann. eod. N. 88.

De Noxâ carnis animalium ægrotantium. Ibid. Ann. eod. Num. 191.

De Arnicâ, Lapſorum Panaceâ. Ibid. Ann. IX. *&* X. *N.* 2.

De Chryſanthemo monſtroſo & Citrio manuformi. Ibid. Ann. eod. N. 3.

De Catalepſi ſtatariâ periodicâ. Ibid. Decur. II. *Ann.* I. *N.* I.

Ex anatomiâ hydropici & de Liene monſtroſo. Ibid. Ann. eod. N. 2.

De fiſtulâ umbilici feliciter curatâ in Patre Theadino. Ibid. Ann. eod. N. 3.

De uva verſicolore. Ibid. Ann. eod. N. 4.

De Numerô quaternariô naturæ ad prodendos morbi mores frequentiſſimô. Ibid. Ann. eod. in ſcholiis ad obſervat. 24.

De Barbi ovis comeſtis noxiis. Ibid. Ann. eod. in ſcholiis ad obſervat. N. 25.

De Aphoniâ, ex variolis. Ibid. Ann. eod. in ſcholiis ad obſervat. N. 38.

Obſervatio de Plicâ, ex vulnere capitis. Ibid. Decur. II. *Ann.* II. *N.* I.

De Aſitiâ quatriduanâ. Ibid. Ann. eod. N. 2.

De Lactis Vaccini Virtute in curandâ Podagrâ. Ibid. Ann. eod. N. 3.

Ibidem Decur. ij. Ann. 3. *Obſerv.* 2. *De fluxû hepaticô.*

Ibidem Decur. ij. Ann. 4. *Obſervat.* 109. *De Carinâ Nautili elegantiſſimâ.*

Ibidem Decur. ij. Ann. 5. *Appendicis p.* 183. *De Palpitatione Cordis.*

FELDE.

De eô extat

Tractatus de Peſte. Halſanon. apud Hubner. 1681. 12.

FELDNERUS (*Caſparus,*)

Ex eô habetur

Obſervatio, de Pleuritide lethali à frigidiori cereviſiæ hordeaceæ potû, in viro, qui paulô antè curâ lactis erat uſus. Extat Ephem. Acad. Nat. Curios. Germ. Ann. II. N. 358.

FELICIANUS (*Joh. Bernhardus,*) Venetus, utrâque linguâ Medicus ac Philoſophus inſignis. Vixit circa A. C. 1520. Juſtus in Chronol. Medicorum.

Galeni Lib. de Hippocratis & Platonis Decretis interpretatus eſt.

Item, Galeni de Fœtûs Formatione. Item, ejuſdem de Semine Libros II. Item, de ſeptimeſtri Partû.

FELIX (*Antonius,*) Abbas Marſilius.

Ex eo habetur

De Ovis Cochlearum Epiſtola, ad Marcell. Mal-

Malpighium. Extat cum Joh. Jacob. Harderi Epiſtolis aliquot, de Partibus Genitalibus Cochlearum; Generatione item inſectorum ex ovo, ad Præfatum Abbatem, & Lucam Schröckium. Auguſtæ Vindelicorum, apud Theophilum Goëbelium, 1684. in 12.

FELIX (*Caſſius*,) vid. JATROSOPHISTA.

FELTMANNUS (*Gerhard.*)

De eo extat

De Ideâ Podagræ, Liber ſingularis. Bremæ apud Herman. Braverum, 1693. in 8.

FENDIUS (*Melchior* ,) Natus Nordlingæ Rhætiæ inferioris oppidô A. C. 1486. Wittebergæ 1543. nactis Medicinæ Doctoris inſignibus, eâdem in Academiâ Profeſſor conſtitutus, per annos 40. ibi docuit & initiô Libros Ariſtotelis enarravit, poſt in Collegium Medicorum demùm cooptatus eſt. Obiit Wittebergæ, A. C. 1564. ætatis ſuæ 78.

Ex eô habentur

Oratio de dignitate & utilitate Artis Medicæ. Extat Tomo IV. Declamat. Phil. Melanchtonis, pag. 244. Wittebergæ, 1548. in 8.

Oratio de Appellationibus Panum. Extat ibidem pag. 318.

FENOTA (*Joh. Antonius*,)

De eô extat

Alexipharmacum ſive Antidotus Apologetica ad virulentias Joſephi Quercetani, evomitas in libellum Jacobi Auberti de ortû & cauſâ Metallorum, contra Chymicos. In quô præter quorumdam Paracelſicorum medicamentorum diſcuſſionem, omnia prope argumenta Chymiſtarum refelluntur. Cum Epiſtola ad Joſ. Quercetanum. Baſileæ, apud Oporinum, 1576. 1579. in 8.

FERDINANDUS (*Epiphanius* ,) Meſſapienſis.

De eo extant

Theoremata Medica & Philoſophica, mira doctrinæ varietate, novôque ſcribendi ordine donata, & in tres libros digeſta. Venetiis apud Thomam Ballionum, 1611. in fol.

Centum Hiſtoriæ, ſeu, Obſervationes & Caſus Medici, omnes ferè Medicinæ partes, cunctoſque corporis humani morbos continentes, quæ non minùs ob Theoricam, & Praxin, quàm ob variam eruditionem aureaſque digreſſiones erunt Philoſophis & Medicis, aliarumque bonarum artium ſtudioſis apprimè utiles, neceſſariæ, ac perjucundæ, lectûque digniſſimæ. Ibidem apud eundem 1621. in fol.

De Vitâ prorogandâ, Juventute conſervandâ & ſenectute retardandâ. Neapoli adud I. B. Gargam & Lucretium Muccium, 1612. in 4.

Aureus, de Peſte, Libellus, variâ, curioſâ, & utili doctrinâ refertus, atque in hôc tempore unicuique apprimè neceſſarius. Neapoli, apud Dominicum Maccaranum, 1631. in 4.

FERDINANDUS (*Jacobus*,) Barienſis.

Ex eô habetur

De regimine à Peſte Præſervativô, Libellus. Cracoviæ, 1543. in 8.

FERG, Fergus (*Chriſtophorus*,) Medicus Bibliothecæ Ingolſtadii in Bavariâ Præfectus, Catalogum Hujuſce Bibliothecæ edidit, ordine alphabeticô digeſtum; ità tamen ùt juxta unamquamque Facultatem, Theologiæ, Hiſtoriæ, &c. diſtribuatur, quæ omnes in 25. Claſſes iterum diſtinguuntur. Hunc Indicem prælo commiſit annis 1599. & 1600. Ingolſtadii, in fol.

FERNANDÆUS (*Franciſcus*,)

Ex eô habetur

Hiſtor. Animal. & Mineral. Novæ Hiſpaniæ. Extat in Ricci Hiſtor. Mexican. Plantarum. Romæ, 1648. fol.

FERNANDEZ (*Franciſcus Matthæus* ,) Pacenſis.

De eô extant

Quæſtiones in Libros quatuor Ariſtotelis de Meteoris. Lugduni, 1643. in fol.

De Facultatibus Naturalibus, Diſputationes Medicæ & Philoſophicæ. Granatæ, apud Barthol. de Lovencana, 1619. in 4.

FERNELIUS (*Johannes*,) Claromontiô oppidulô (quod viginti duntaxàt milliaribus à Lutetiâ diſtat) natus, atque ingenuè educatus, ambianum in operibus idcircò ſe prædicat, quod patrem inde oriundum habuerit.

Hic natû jam grandis cùm ſub triviali magiſtrô Grammaticam didiciſſet, etiamſi mater rebus eum curiſque Domeſticis potiùs, quàm literis tam ſerò deſtinandum contenderet, maximô litterarum amore incenſus, à patre cæpit poſtulare, ut Eloquentiæ ac Philoſophiæ operam daturus Lutetiam commigraret, acti temporis jacturam ac detrimentum incredibili ſtudiô ſummôque ſe ſarciturum pollicens. Quod non ægrè impetravit. Noverat enim multarum rerum uſû peritus ſenex, *ut in ſegetibus fertilitas ac graviditas futuræ frugis ubertatem ſignificant, ſic litterarum ſtudia tantoperè expetita, & divini ingenii ſeminaria jam ab adoleſcentiâ, totiùs vitæ ac ſenectutis in viris ornamenta præſagire.* Erant tunc temporis Lutetiæ in gymnaſiô Barbaranô, præter artium liberalium Doctores, innumeri etiam juvenes non mediocriter (ut temporibus illis) eruditi, quorum diligentiâ & doctrinâ, veluti calcaribus, ad artes, quæ tum erant in pretiô, alacriùs amplectendas incitatus, tantos in arte diſſerendi bienniô progreſſus fecit, ùt quam de ſe concitaverat expectationem, longè latèque ſuperarit.

Magiſterii laureâ publicô eruditionis teſtimoniô haud multò poſt donatus, à gymnaſiarchis certatim ad profeſſionem Dialectices ſplendidis muneribus invitatus eſt, quibus non ante parere voluit, quàm privatis lectionibus & ſtudiis ſe in Ciceronis, Ariſtotelis, & Platonis doctrinâ diligentiùs exercuiſſet. Quod cùm eſſet aggreſſus, quantùm olim in conſtituendis ſuis ſtudiis aberraſſet, primùm animadvertit. Nihil enim antè præter ineptas quæſtiones è barbaris præceptoribus hauſerat: ſed illud eò æquiore animô tulit, quòd ſibi cum pluribus commune eſſe, nec ulli ſuo, ſed ætatis vitio imputandum intellexerat. Quippe tunc temporis artium omnium barbaries Academiam Pariſienſem, ſcholarum omnium, quas ab orbe conditô floruiſſe legimus, præſtantiſſimam, ità etiamnum obſidebat; ùt Grammatici & Rhetores nihil niſi barbaros, Alexandros, Theopagitas, Græciſmos, Theodoletos, atque ejuſdem farinæ reliquos authores in manibus haberent; Dialectici verò non niſi Clichtovæi terminos, Petri Hiſpani ſummulas, Bricotii logica, aliaque id genus opera interpretarentur.

Quum igitur in ipſô veſtibulô aditûque impegiſſet, judicavit temporis jacturam aſſiduô labore diligenter compenſandam. Itaquè ludos, jocos, & commeſſationes, ſermones etiam omnium penè condiſcipulorum, ac familiarium, fugere ſtatuit, non cibi, non ſomni, non corporis non valetudinis, non rei familiaris rationem habere, omnia perpeti, dum liberalium artium

artium cognitionem aſſequeretur, omnes in eis ſtudium, diligentiam, curam, induſtriam, adhibere, nullam præterquàm ex diſcendo voluptatem capere; arbitratus omnem horam perire, quæ in bonorum authorum lectione & ſtudiis non collocaretur; tanta in illius animô inſita erat diſcendi cupiditas, tantus cognitionis amor & ſcientia.

Hanc porrò habuit inſtituti rationem ùt primô quoque tempore barbariem, quã ætatis vitiô, ſub indoctis præceptoribus hauſerat, Latinorum authorum, maximèque Ciceronis lectione repurgaret; ejus Academicas, cæteraſque potiſſimum de Philoſophiâ diſputationes & de Naturâ Deorum, ac de officiis, in id ſelegit in quarum lectione aliquot menſes ad dicendi facultatem collocavit. Celſum quoque cùm ob orationis puritatem, tum ob ſententiarum pondus habuit quam Chariſſimum; atque etiam Platonem, cujus opera M. Ficinus Latinè reddiderat.

Sed cùm Mathematices indoctus, in exemplis, quæ ab authoribus ſæpè proponuntur, titubaret, inhoneſtum eſſe duxit eâ parte ſapientiæ vacare quæ certior cùm ſit, plus admirationis habet. Itâque diſtinctis & diviſis ſtudiorum temporibus, cœpit ità ſuum ingenium excolere, ùt manè Arithmeticis & Mathematicis diſciplinis, â prandiô verò ei Philoſophiæ parti quæ in naturâ verſatur, operam daret; à Cœnâ Latinos authores, Latinis que ſermonis obſervationes diligenter excuteret.

In hæc literarum ſtudia dum inſatiabili, & indefeſſô labore incumbit, febre quartanâ tandem corripitur, quâ crudeliter ac diù conflictatus, Cœptum ſtudiorum curſum interrumpere, utque ſalubriore aëre frueretur, ſolum vertere cogitur.

Profligatâ tandem quartanâ, recreatiſque ruri viribus, Lutetiam redire Cogitat, de deligendo vitæ genere cum amicis deliberaturus. Horum alii Theologiam, alii Mathematicas diſciplinas, alii aliam artem proponebant, in quam reliquum vitæ ſuæ curſum conferret. Juriſprudentiam plures contendebant, & ad opes maximas, & ad ſummos honores, dignitatiſque gradus cæteris præſtare; in quâ etiam facilè eſſe dicebant eum excellere, qui ſingularem artium liberalium cognitionem ſibi comparaſſet. At verò ille non minùs prudenter quam acutè officiorum omnium momentum ad naturam ſuam revocari accommodarique debere, nihilque temerè nec invitâ, quod aiunt, Minervâ, ſibi aggrediendum eſſe, contendebat. Quum igitur ſolitarium ſe, ac taciturnum, neque ad dicendum ſatis expeditum agnoſceret, facilè judicavit, neque clamoribus forenſibus neque ſacris Concionibus ſatis ſe idoneum fore; idcircò Medicinam præ cæteris artibus ac diſciplinis elegit, vel hôc nomine quod non ità pridem in febre quartanâ ejus opem ſenſiſſet.

Sed ecce dum hæc cogitat, à patre litteras accipit, quibus graviter conquerebatur, in unius filii ſtudia nimiùm multa jam eſſe impenſa, alios ſibi quperetſſe quos æquâ curâ fovere debeat. Itâquè aut domum ſe recipiat, aut quæ ad honeſtè & liberaliter vivendum neceſſaria ſunt, aliundè petat. Quibus minimè exterritus, retinuit etiam priſtini conſilii inſtitutum, vel quòd ſibi nihil poſſe deeſſe ſperaret, vel quòd obſequiô parentem tandem flecti poſſe perſuaſum haberet.

Primùm igitur, quoniam nullâ re æquè ut exercitatione ingenium acuitur, confirmaturque memoria, Philoſophiam non intra privatos parietes, ſed in Gymnaſio Barbarano publicè profiteri decrevit, & Philoſophicum curriculum emetiri, quod rudi adhùc ſæculô ſummâ cum laude omniumque applauſû abſolvit. Interim verò Mathematicis ſtudiis plurimùm capiebatur, in quibus quantùm jam profeciſſet, oſtendunt ipſius de iiſdem diſciplinis ſcripta olim emiſſa, in quibus ſi minùs terſus, aut politus, quàm in Medicis operibus, ſermo videatur, tempora accuſanda. Tùm quippè, ut ſuprà commonefeci, perſonabant adhuc ſcholæ omnes vocibus imperitorum hominum & Barbarorum, necdùm politioris doctrinæ ſplendor Gallis Philoſophis illuxerat.

Quum ſatis ſuperque in hiſce artibus, quæ ad Medicinam viam ſternunt, operæ laboriſque poſuiſſet, omnes meditationes ſuas, omneſque ingenii nervos integrum quadriennium ad ipſam intendit, ità proficiens ùt illius ſacris initiatus, non diſputationibus ſolùm, ſed etiam publicis prælectionibus, egregium ſuæ eruditionis ſpecimen ediderit. Exantlatis per biennium primis illis ſcholarum laboribus, quum permulti primas Doctoratûs ſedes certatim ambirent, totus celebrium hujus Academiæ Medicorum cœtus, ſecundas illi ultrò detulit, primas profectô daturus, ſi quantas ad diſputandum, tantas ad inſumendum facultates habuiſſet.

Doctor jam factus, Lutetiam ſedem ſibi delegit, propter eximiam hominum, quibus familiariter utebatur, eruditionem, & urbis frequentiam, quorum & ſcientiâ augeri, & exemplis infinitis illuſtrari poterat.

Neque enim, quod plerique ferè omnes facimus, poſtquam laureâ Medicâ decoratus eſt, vanâ & inani eruditionis perſuaſione ac opinione inſoleſcens, otiandum jam & à feriis ſtudiis feriandum ſibi putavit, ſed magis ac magis evolvendis veterum ſcriptis ſcrutandiſque eorum ſententiis, invigilandum. Hoc enim (quod res eſt) certò ſciebat è ſcholaſticis diſputationibus rudem duntaxàt & inchoatam haberi rerum cognitionem, quæ manca & inutilis omninò futura ſit, niſi continuatô labore aſſiduâque vigilantiâ compleatur. Itaquè philoſophicas ac medicas quæſtiones miſſas fecit, ùtque intermiſſam inſignium authorum lectionem continuaret, domi ſe aliquot annos continuit.

Florebat tum temporis Lutetiæ inſignis Rhetor, optimarum artium ſtudiis erudiſſimus Jacobus Strebæus, qui ſe Johanni Fernelio, quem Mathematicas artes apprimè callere noverat, conjungendum curavit. Itàque dum Strebæus à Ferneliô Mathematicarum diſciplinarum, Fernelius viciſſim à Strebæô politioris literaturæ cognitionem & gravem plenumque orationis ſtylum accipit, integrum biennium exigitur.

Intereà quamplurima Mathematices inſtrumenta magnô rei familiaris diſpendiô excogitavit, ac fabricanda curavit, nè uxoris quidem (quam non ità pridem duxerat) doti parcens. Tantùm in ſui admirationem & amorem mentes hominum rapit atque allicit ſyderum cæleſtiumque rerum contemplatio, ùt animum ſemel illecebris ſuis captum, perpetuâ gratâque ſervitute ſibi poſteà addictum ac divinctum retineat.

Uxoris pater, vir perindè prudens ac eruditus, generum ſæpè inviſebat, nonnunquam & convivam advocabat; cùmque inter epulas non rarò in Medicas diſputationes incideret, oblatâ occaſione apud generum querebatur, quòd Medicinæ, cui totum jam pridem ſe dediderat, nimium oblitus, Mathematicis diſciplinis adeò inhæreſceret, ùt inde hactenùs illum nec uxoris amor, nec liberorum blandimenta, nec rei familiaris cura revocare potuerit. *Mathematicarum artium cognitionem homine quidem liberali dignam eſſe, & per*

per ſe animi cauſâ expetendam ſi quis modum adhibeat, & per ætatem attingat : ſed in eâ tanquam in Sirenum ſcopulis virum probum & Reipublicæ ac familiæ ſtudioſum obdormiſcere, atque conſeneſcere, indecorum. Non enim illam eſſe ad Reipublicæ conſervationem neceſſariam, ut quæ quamminimum uſum, nullam autem aut certè exiguam actionem ad retinendam civium ſocietatem ſi tamen Arithmeticam & Geometriam exceperis, proferat. *Medicinam, ſive ad ea oculos menteſque convertimus, quorum naturas præclarâ ac nobili contemplatione perveſtigat, ſive ejus uſum, commoda, & utilitates diſpicimus, omnium artium meritò præſtantiſſimam judicari* ad cujus cognitionem parùm Mathematicæ diſciplinæ conferunt.

Hæc aliaque multa ad perſuadendum efficaciſſima rerum plurimarum uſû edoctus Senator Pariſienſis genero proponebat, quibus cùm minimè flecti videretur, ille filiæ lacrymis permotus atque inſenſus, querelis cum genero paulò gravioribus egit, quas nihil refert hic adſcribere. Quâ admonitione & objurgatione tandem fractus, artem Medicam majori quàm unquam ſtudiô perſequi cœpit, Mathematicis artibus intermiſſis. Itaque & Sculptores quos non ſine magnis ſumtibus jamdiu domi alebat, remittere, & nobiles aliquot diſcipulos, quos in hâc habebat diſciplinâ, alium præceptorem quærere jubet, & è conſpectû tum Mathematica omnium veterum opera, tum aſtrolabos & innumera alia quæ ille jam ſibi cuderat inſtrumenta ænea, abjecit, ùt totum ſe Medicinæ devoveret.

Quoniam autem à privatâ Medicorum authorum lectione & meditatione multùm ſibi ſupereſſe temporis videret, id nè ſibi periret, interim dum ad artis opera ſe compararet, ad explicanda Hippocratis & Galeni ſcripta, quæ in publicis Medicorum ſcholis nondùm Doctor deſignatus olim enarrare cœperat, animum contulit, quod rantô diſcipulorum concurſû tantâque frequentiâ præſtitit, ùt paucis annis fama eruditionis ejus extra Galliæ fines tranſiliens, in Germaniam, Italiam, Hiſpaniam, cæteraſque exteras Europæ regiones pervolarit, & hâc tantâ celebritate etiam abſentibus innotuerit.

In hoc exercitii atque docendi labore dum annos ſex totos ſummâ cum laude verſatur, ſenſim ità Lutetiæ increbuit nominis ipſius celebritas, ùt curandis ægris opem ab eô poſcentibus vix ſatis eſſe poſſet. Ad eum namque non Cives modò Lutetiani, verùm exteri quoquè fere omnes confugiebant, qui graviore aliquô morbô tenebantur. Quod illum ſuſceptam docendi provinciam intermittere coëgit.

Sed nè ſic quidem Theoreticen Medicinæ partem neglexit, verùm quidquid otii à gravioribus rebus, curis & negotiis dabatur, id omne in eâ Medicinæ parte, quam Phyſiologiam inſcripſit, commentariis & lucubrationibus ſuis illuſtrandâ comſumpſit; in quô tam egregiô opere, qualem ſe præſtiterit, poſteritas livoris expers apertiùs fortaſsè prædicabit. Primus certè, quod ſciam rudi adhuc ſæculô, ineptas illas quæſtionariorum nugas, nihil præter ſpuream fœdamque barbariem perſonantes, & inextricabiles argutulorum ſophiſtarum labyrinthos, qui rebus per ſe claris denſas tenebras offunderent, è Medicis ſcholis expulit naturalem Medicinæ partem Latinô ſermone luculenter adeò ac nihilominùs breviter explicans, ùt ſi quis præceptis inſtitutiſque Philoſophiæ inſtructus, opus de eâ Medicinæ parte ab ipſo conſcriptum non oſcitanter ſemel atque iterum perlegerit, tenacique memoriâ longâ meditatione impreſſerit, eum nihil eorum latere poſſit, quæ de eâ veteres omnes cùm Græci, tum Latini & Arabes, infinitis voluminibus, vix ſemel in vitâ homini legendis, obſervatione dignum prodiderunt.

Hoc opus typis jam excuſum, ùt interpretaretur, à Philiatris omnibus & precibus & muneribus ſollicitatus eſt, quod onus, (quæ erat ejus humanitas, ùt prodeſſe vellet quampluri-mis, imprimiſque docendo) uxore, amicis omnibus, & ægrorum curis reclamantibus, vel magnô rei domeſticæ diſpendiô ſuſcepit. In hoc verò opere explicando annos tres ſtrenuè adeò laboravit, ùt Reipubl. Litterariæ civem ſe utiliſſimum præſtiterit, & ex ſcholâ ejus plures docti Medici, quàm ex Equô Trojanô milites, prodierint, per omnes Europæ regiones atque tractùs diffuſi.

Intereà dum hoc docendi munere ſummâ diligentiâ & fide perfungitur, opus aliud de venæ ſecandæ ratione, Medico perneceſſarium, nocturnis vigiliis elucubrat, non minùs quàm illud terſum & elaboratum, quod in lucem emiſſum mox interpretandum ſuſcepit.

Nec abſolverat ejus commendationis explicationem, cùm in graviſſimô mulieris nobiliſſimæ caſû ad aulicos quaſi edictô regiô rapitur. Pervagabatur enim incredibilis ad hujus imperii proceres de Fernelii eruditione fama & perſuaſio, quaſi unus eſſet è Galliæ Medicis calamitoſi illius morbi perſtrenuus oppugnator, & impendentis mortis fortiſſimus vindex, malorumque depulſor, quaſi Hercules Alexicacus; quam ille opinionem de ſe ſtrenuè ſuſtinuit, ùt non tam ſit creditus mulierem in vitâ retinuiſſe, quàm jam profligatâ ſalute ex inferorum faucibus revocaſſe.

Prima hæc cauſa fuit cur in poſterùm Henrico, Galliarum Regi deſignato, cui illa chariſſima erat, magnô ſemper in pretiô Fernelius habitus ſit, quem jam indè primarium Medicum ſibi delegit annuô honorariô propoſitô, ſi in aulicô ſatellitiô commoratus, ſuæ valetudinis curam reciperet.

Sed quia eruditionis quàm gloriæ ſemper fuit avidior, tanti Principis munera & propoſitos maximos honores contemnens, nec pollicitis deliniri, nec hortatû incitari, nec aliorum Principum & amicorum frequentium precibus in Aulâ Regiâ diutiùs potuit retineri. Itàquè & infirmam valetudinem ſimulavit, & in artis Medicæ operibus nondùm ſe ſatis exercitatum & verſatum ingenuè confeſſus eſt, cui Principes valetudinis ſuæ curam committerent. Idcircò futuri Regis Majeſtatem & ſummam humanitatem obteſtatus eſt, ùt Lutetiam Pariſiorum redire liceret, in quâ urbe & cœpta ſtudia abſolvere, & in artis operibus diù ac multùm ſe ſe exercere poſſet; ſe enim poſteà & Regi, & Principibus omnibus, ſuam induſtriam probaturum.

Noverat enim, & ſæpè prædicabat, frequentem medendi uſum Magiſtrorum præcepta ſuperare; neque Medicos, neque Imperatores, & Oratores, neque Jure-conſultos,neque ullos alios artifices, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magnâ laude dignum, ſine uſû & exercitatione conſequi poſſe; quod nuſquam commodiùs quàm Pariſiis, tum propter doctiſſimorum hominum frequentiam, tum morborum, qui iſtic graſſantur varietatem, ſe poſſe adipiſci putavit.

Itàquè eos ille Medici nomine indignos ſemper arbitratus eſt, qui Medicinæ præceptis inſtitutiſque cognitis, antequam in ejus operibus diù multùmque in frequenti & populoſâ urbe ſe ſe exercuiſſent, & multa ad perfectam morborum cura-

curationem ſcitû digniſſima (quæ ut Seniores veluti per manus à majoribus ſuis acceperunt, ſic poſterioribus, tradere neceſſe eſt) obſervaſſent, in oppidula faciendæ Medicinæ cauſâ ſe reciperent. Etenim ſi vel in morbi cauſâ pervestigandâ, [quod ſæpè fieri veriſimile eſt] vel in decernendis remediis aliquandò aberrent, à quô revocentur, & caſtigentur ? Neque enim diſſimulandum, ſed ingenuè confitendum, in iis qui artem quam profitentur, jam diu feliciter & magnâ cum laude exercent, ineſſe neſcio quid, quô cæteris & excellere & admirationi eſſe videantur, quodque ut ab omnibus ſummoperè expetitur, ſic nec facilè literis mandari; nec verbis luculenter explicari poſſit, ſola obſervatione & longô uſû cognoſcendum,

Quocirca tutiſſimam ac breviſſimam diſcendæ Medicinæ artis viam eum ſequi arbitrabatur, qui poſtquàm præceptis inſtitutiſque Philoſophiæ abundè inſtructus fuerat, ſtatim è terſô & politô quôdam, eôque compendiariô authore Medicô, primum quidquid ad humani corporis naturam exquiſitè cognoſcendam neceſſarium eſſet hauriebat; mox ſimplicium & compoſitorum medicamentorum temperamentum, ſapores, vires & facultates omnes examinabat, tum demùm morborum, ſymptomatum, & ſignorum omnium differentias & cauſas addiſcebat, ac tenaci memoriâ complectebatur, poſtremò in artis operibus cum ſeniore aliquô, eôque doctô, & longô jam medendi uſû peritô Medicô, diù multùm que ſeſe exercebat, & quod è libris & vivâ præceptoris voce didiciſſet, in ipſis ægrotis obſervabat. Multa in theoreticæ Medicinæ parte occurrere, quæ niſi ab eô qui longô uſû artis & exercitatione valeat, nec rectè explicari, nec intelligi poſſint; neminemque è ſolis libris omnibus numeris abſolutum evadere putabat. Medendi uſum & exercitationem tanquam optimos Medicinæ interpretes quidquid in totâ arte obſcurum, vel dubium tyronum ingenia retardat ac remoratur, luculenter aperire & ſtabilire; ùt idcircò in theoriâ minimè (quod tamèn plerique faciunt) conſeneſcendum ſit, ſed ad artis opera, tanquam ad optimos docendi magiſtros, ſi quis judiciô valeat, ſed Medicô ſeniore & exercitatô duce properandum.

Contra opinionem, & hæreſim, quam plerique omnes Medicinæ Profeſſores hactenùs defenderunt, contraque recentiorum errorem, qui in ſcholis nihil ferè præter ſimplicem verborum interpretationem & inanes λεπτολογίας ſuis auditoribus inculcant & obtrudunt.

Damnabat etiam eos, qui politioris orationis ſtylum, & linguæ cognitionem curioſius conſectantes, non tam modum, quàm copiam in dicendo quærunt & verbis ornatiorem quàm ſententiis illuſtriorem orationem contexunt, ipſarumque rerum ſpeculationem & contemplationem (quarum gratia linguarum cognitio expetitur) in totum ferè negligunt. *Ut enim in nummis non ſpectatur elegantia ſculpturæ, ſed pondus, & materia; ita parum referre quàm ſit elegans oratio, dum pura & perſpicua ſit ſententiiſque abundans.* Indè enim fieri, ùt facundi & diſerti quidem plurimi; Philoſophi verò & rerum medicarum ſcientia præſtantes pauci ad Medicinam faciendam accederent, quod multò plus operæ in benè & ornatè dicendo, quàm in rectè, tutò, & jucundè medendo collocarent.

Sæpè etiam audivi, cùm affirmaret eos falli, & judiciô præpoſterô, qui in evolvendis anatomicis libris, & in cognoſcendis ſimplicibus medicamentis, ad extremum uſque ſenium deſudarent, nullum interim nec ægrum inſpicientes, nec quæ à veteribus prodita ſunt in ægris obſervantes. Ille ſatiùs eſſe ducebat, eorum aliquô, qui de re anatomicâ doctè pariter & politè ac nihilominùs breviter perſcripſerunt, ſemel atque iterùm perlectô & accuratè examinatô, ad res ipſas in ægrotis multis cognoſcendas & explorandas deſcendere, quàm in conciliandis tot diſſentientibus inter ſe ſcriptoribus (jam enim plures ferè anatomici libri, quàm ægroti reperiuntur, & plures herbarii ſcriptores, quàm herbæ numerando recenſeri queunt) vix homini in vitâ ſemel legendis, tempus & ætatem perdere.

Linguarum autem peritia, quoniam ad rerum cognitionem aditum patefacit, futuro Medico utiliſſima cenſenda, ſi modò eâ rectè utatur, at ſi ob eam ità ille inſoleſcat ùt nec à pharmacopolâ componendorum miſcendorumque medicamentorum modum, nec à ſeniore medico faciendæ Medicinæ rationem diſcere ſuſtineat, ſed è libris rectà ſe ad artis opera conferat, perfectam Medicinæ cognitionem arroganter ſibi vindicans, quantô in errore verſatur ? quantô ægrotantium atque adeò Reip. totius damnô inſanit ?

Ille etiam, quemadmodùm eam Aſtronomiæ partem, quæ cœleſtium orbium motus, converſiones & ſiderum ortus, curſus atque occaſus, tradit, Medicò perutilem ſemper exiſtimavit & libris editis illuſtravit, ità genethliacam divinatricemque Aſtrologiam; quæ ſuperſtitioſâ quâdam obſervatione ex aſtris neſcio quæ portenta & mendaciorum plauſtra comminiſcitur, quæque cœleſtes domos & nulla ratione excogitatas ſedes conſtituens, uniuſcujuſque, ſecundam & adverſam fortunam ex horoſcopô auguratur, ad varios ſiderum motus, congreſſiones, aſpectus & conjunctiones, certos characteres & imagines confingit, & de futurarum rerum præſenſione ſeſe venditat, omninò damnabat, eique ſe olim operam dediſſe conquerebatur, quòd eam fallacem, incertam, & à verâ religione alienam comperiſſet. Quin etiam dierum criticorum rationem minimè ex vanis Aſtrologorũ commentis, qui certiſſimam veterum Medicorum Obſervationem pervertunt, & dierum decretoriorum ordinem perturbant, ineundam eſſe contendebat, etiamſi olim variis divinatricis Aſtrologiæ pollicitis deceptus, & nondùm in artis medicæ operibus ſatis verſatus aliter cenſuiſſet, ſed ſpectandum morbi impetum, progreſſionem, committentis morbum humoris naturam, & morem, denique abditam, & occultam motuum naturæ, & eorum dierum, in quos hi motus incidunt, ſympathiam & conſenſionem naturæque robur. Horum enim animadverſione quibus diebus, ex certamine naturæ & morbi, repentinæ ad ſalutem vel ad mortem, ad melius vel deterius mutationes excitentur, non autem ex Siderum Lunæque influxû, & aſpectibus, qui neque in dies criticos, incurrunt, neque humorum hyparxin conſtituunt, neque criſeon inclinationes efficiunt, prævideri prædicique poteſt.

Ego igitùr tanti viri Doctrinam imitatus vanos iſtos divinatricis Aſtrologiæ Profeſſores, graviſſimum Veteribus Medicis & Cœlo bellum indixiſſe, dum ſua apoteleſmata vana & incerta pertinaciùs defendunt, conjicio; ut qui Veterum Medicorum Obſervationibus poſt-habitis, quidquid in inferioribus corporibus materiæ vitiô accidit præter naturæ ordinem, id totum Siderum aſpectibus & congreſſionibus acceptum referant, neque Medicis ſuam conſtare authoritatem & dignitatem opinentur, niſi clades, incendia, peſtes, bella,

bella, alluviones, morborum contagiones, ærumnas deniquè & calamitates, quæcunque mortalium genus dixerant, ex ſyderum motibus, aſpectibus, & conjunctionibus prænuntient, & quis eorum decurſus, quis exitus futurus ſit, prædixerint, quô quid abſurdius, & vero magis contrarium, dici excogitarique poſſit, non video. Ingenuè quidem fateor, arcana præpotentis *Dei* voluntate, atque conſiliô, peſtilentes morbos, ſævæque contagionis ſemina, ad vindicanda ſceleratorum flagitia, & revocandos ad bonam frugem ex morum corruptelâ & vitiorum inquinamentis homines, excitari & hùc non rarò immitti; nec eò inficias, vi & maleficiô ſiderum ſic ſæpè aërem infici, ùt non ſolùm nobis, ſed etiam brutis animantibus morbidus aut exitialis ſit. At id quidquid eſt, haud divinatricis illius aſtrologiæ, quæ tantoperè iſti prædicant, ope ſed ſolô eventû hactenùs cognoſci deprehendique potuiſſe contendo; ſed ad rem redeo.

Cùm à deſignatô Rege dimiſſionem impetrare non poſſet Fernelius, ſimulatâ pleuritide, & conſictâ ementitâque à Chirurgô, qui Principi familiaris erat, periculi magnitudine, per eum nuntiari jubet, tanti mali cauſam ab animi ægritudine & mœrore proficiſci; quòd à ſtudiis eſſet abductus, ab uxore chariſque liberis diſtractus, à lectione revocatus, & è Philoſophicâ vitâ in inquietam & militarem, è tranquillâ in actuoſam, è ſedentariâ & litterariâ in turbulentiſſimam pertractus; nec, niſi conjugi, niſi litteris, niſi ſuis ægrotis, niſi Collegis redderetur, poſſe ſervari. Quibus impulſus Princeps, non modò eum domum remiſit, ſed etiam, ad ſtudia quò magis inflammaret, nihil de annuô honorariô, quod ſexcentas libras Gallicas efficiebat, demit. Verùm aſſidendi onus moleſtum & grave, liberaliſſimè remittit, aſſeverans eum apud ſe ἀρχίατρον fore, qui in benè medendo & ſapienter præcavendo cæteris præcelleret. Grata hæc tanti Principis verba non ſolùm ementiti morbi curationem ſtatim attulerunt, ſed magis ac magis ad difficilia quæque ſubeunda animum impulerunt.

Itaquè poſt biduum domum reverſus, interruptam libri de venæ ſecandæ ratione interpretationem ad calcem uſque operis perduxit. Hoc perfunctus munere, alia quædam Hippocratis & Galeni interpretari ſcripta cogitabat, idque ab eô quotidianis precibus & acclamationibus contendebant philiatri omnes; ſed, præ ægrorum, qui undiquè ad eum opis cauſâ quotidie confugiebant, turba, id muneris aggredi non potuit. Et verò ne quid illi effluerct temporis, quod in communem omnium utilitatem non cederet, nocturnis lucubrationibus inſigne opus de abditis rerum cauſis conſcripſit, in quô de rerum omnium primordiis, deque valdè obſcuris Philoſophiæ Theorematis, tam doctè tamque appoſitè in utramque partem diſſerit, ùt recentiores in hoc ſcribendi genere longè multùmque ſuperaſſe videatur.

Hujus ſcribendi operis hæc fuit occaſio. Quum in veterum Philoſophorum ac Medicorum ſcriptis multa ille deprehendiſſet non parum obſcura & dubia axiomata quæ incertis conjecturis in ſuam quiſque opinionem facilè traheret, atque detorqueret, ſine quorum tamen certâ intelligentiâ Medicus in magnarum rerum ignoratione verſaretur, & in ipſis artis operibus non rarò hallucinaretur; ad certam eorum quæ inPhyſiologicis & aliis libris ſuis haberentur, demonſtrationem, putavit propriô opere exactam controverſorum illorum problematum tractationem ſuſcipiendam, nè, ſi ſingulorum explicatio illis interjecta fuiſſet, tot ac tam longè petitis digreſſionibus perpetuæ orationis curſus & deſcriptarum rerum ordo interruptus, rebus per ſe claris veluti denſas tenebras offunderet.

His quaſi fundamentis Medicinæ poſitis, præclarum atque illuſtre de morbis opus, cui pathologiæ nomen indidit, ante paucos annos perpolivit, tandemque in lucem emiſit. In hôc quæcunque à veteribus benè ſcripta, ac rationibus firmis comprobata extant, ille retinuit; quæ verò omiſſa videbantur, de ſuô addidit, dubia ſtabilivit, obſcura illuſtravit, falſa ſubvertit, ſuperflua reſecuit, nullius unquam in verba juravit, nè abſurdarum ſæpè opinionum defenſor eſſe cogeretur.

Proximum erat ùt cognitorum certiſque notis deprehenſorum morborum profligandorum methodum traderet. Verùm nè in ſingulorum morborum curationibus eadem identidem repetere cogeretur, & ſuſceptæ rei cognitionem variis medicamentorum formis interturbare tùm ſimplicium, tum compoſitorum medicamentorum deſcriptionem præmittere decrevit. Itaquè pari fide nec minori diligentiâ quàm quæ diximus operâ, librum de medicamentorum compoſitione ſucciſivis horis exaravit. In quô præter nova multa compoſita medicamenta, quæ longô uſû efficaciſſima compererat, eorumque utendi modum, ea etiam quæ ex veterum præſcripto ad quotidianos uſus in officinis aſſervantur, diligenter examinavit, & alieniſſima, quæ vel nunquam vel nonniſi curioſa ad nos perveniunt, expungens, noſtratia illis ſuffecit, magnô omnium mortalium commodô.

Solebat ille palàm profiteri, noſtratia pharmaca neſcio quam habere nobiſcum Sympathiam, omnemque orbis partem, & ſuis, iiſque peculiaribus malis affligi, & propriis ac peculiaribus remediis à ſummô rèrum omnium opificè conceſſis abundare. Ideoquè *ſummô in errore illos verſari, qui non niſi peregrinà, & longè petita, atque idcircò cara medicamenta & commendant & omnibus præſcribunt.* Gallos quidem, quoniam poſtremi Medicinæ cognitionem amplexi ſunt, multa hactenus medicamenta, quæ adverſus domeſticos ſuos hoſtes, morbos inquam ipſos, in illorum finibus natura produxit, latuiſſe, quæ noſtris ſint laboribus non ſolùm invenienda & in uſum afferenda, ſed etiam literarum monumentis ad perpetuam rei memoriam committenda. Et idcircò niſi præmaturâ morte nobis fuiſſet ereptus, de nobiſcum natis medicamentis purgantibus paratû facillimis, quorum omnium diligentiſſimus fuerat perveſtigator, opus integrum aliquandò edidiſſet.

Conſcriptum de medicamentorum compoſitione librum ſemel atque iterùm relegendo abſolvit; purgantium medicamentorum non ſolùm quantitatem ad calculum revocans, ſed etiam illorum vires in multis ægris explorans, nè quid uſquã in ſuis ſcriptis reperiretur, cujus vires in multis nõ eſſet cõprobatæ.

Quod dum ille facit quidquid de ſimplicium medicamentorum temperaturâ, ac viribus, inprimis ſcitu dignum veteres literis conſignâſſent, id ego ipſius hortatû ex eorum monumentis excerpſi & in unum contuli. Quod dùm ille poſteà accuratiùs examinaret atque relegeret, parentheſeos, (.) notam poſt deſcriptum ſingulorum temperamentorum paſſim interſeruit, ſuam de unoquoque ſententiam interjecturum, & quas in ſingulis deprehendiſſet ſingulares atque eximias vires à veteribus minimè animadverſas, in omnium mortalium uſum atque utilitatem aliquandò ſe explicaturum confidens. Etſi enim Reipublicæ literariæ & communis omnium utilitatis imprimis erat ſtudioſus, nolebat tamen quæ ad complures difficiles & pervica-

ces morbos multô labore, longôque medendi uſû, ſibi comparaverat inſignia & valdè efficacia remedia, ſtatim omnibus innoteſcere, ſed ea veluti arcana & ἄῤῥητα ſibi reſervanda putabat, dum editis libris ea à ſe excogitata & in uſum primũ allata omnes intelligerent, haberentque gratiam. Neque enim novum eſt, optimum quemque duci gloriâ, & propagandæ nominis ſui memoriæ deſideriô inflamari.

Itàquè ne quis eam ſibi eriperet laudis & gloriæ occaſionem, quam tot vigiliis ac laboribus quæſierat, operi de medicamentis ſimplicibus, in quod totus incumbebat, ſupremam manum admovendam non cenſuit, antequam curandorum morborum rationem literis tradidiſſet quam eodem tempore emittere decreverat.

Verùm enimverò dùm hæc animô cogitabat, ecce Henricus Galliarum Rex ſalutares ejus conatus & omnia conſilia interturbat. Ille enim jam ante annos aliquot, mortuô Franciſcô Patre, imperiô potitus, Johannem Fernelium (quem ob ſingularem eruditionem & incredibilem medendi felicitatem vehementer amabat, atque in Archiatrum ſibi jampridèm ſelegerat) ad ſe venire & valetudinis ſuæ curam habere juſſerat; ſed hic tantos honores præ literis, quarum amore flagrabat, aſpernatus, id muneris quaſi hæreditariô jure D. Burgenſi, Franciſci Regis vitâ perfuncti, primario Medico obtigiſſe, deberique, multis rationibus verecundè contendens, veniam à Rege tantiſper impetraverat dum certiùs in multis ægris ea experiretur, atque probaret quæ jam inter medendum annotaverat cum veterum ſcriptis parùm conſentanea, vel nova ad difficiles quoſque morbos propulſandos excogitaverat. Sed demortuô Burgenſi quùm ſufficeretur, cauſam dicere non potuit.

Annum tùnc ille quidem agebat ætatis ſuæ circiter ſexageſimum, ſed cui tamen corpus erat robuſtum, & laboribus aſſuetum. Quæ cauſa fuit, ùt vita illa aulica, etſi tumultuoſa, illi tamen præ inexhauſtis laboribus, quos Lutetiæ per annos jam multos ſuperaverat, gratiſſimus Muſarum ſeceſſus videretur; in quô ſe à Regis Principumque negotiis plus otii ad ſuas lucubrationes, quàm Lutetiæ à civium curis habiturum ſperaret. Neque profectò ſuâ ſpe excidiſſet, niſi renovata ſæviſſima bella, quæ jam diu Galli adverſus Hiſpanos & Anglos continenter gerebant, Regem, qui Fernelium à ſe nunquam dimittebat, ſed quocunque proficiſceretur ſecum deducebat, modò caſtra ſequi, modò in hanc vel illam regni partem, in quam maximè hoſtes arma ſua converterent, præſidi in eâ vel collocandi vel confirmandi cauſâ commeare coëgiſſent.

Sed nè in tot quidem tantiſque occupationibus diem ullum abſque lineâ ſibi effluere aut elabi paſſus eſt Fernelius. Siquidem febrium curandarum rationem in peregrinatione cæpit deſcribere, eamque ferè jam delineaverat, quum Rex Icium portum maritimum (Caletum dicunt) munitiſſimum, Anglis (qui eum centum jam annos occupabant) ſæviſſimis hyemis frigoribus armis ereptum, ſecum pertraxit.

Indè reverſus, uxorem otioſæ & ſedentariæ vitæ deditam, ſecum in fontis Belaii regiam ſociam perduxit, quam mœrentem ſe à ſuis avelli, paucos poſt dies febris continua, eaque acutiſſima corripit; quâ crudeliter jactata, die tandem morbi viceſimô phrenetica convulſaque moritur.

Hìc quàm nemo omni ex parte ſit beatus, facile fuit intelligere. Nam qui in calamitatibus, quas non rarò illi in vitâ præter animi ſententiam accidiſſe memini, gravem, conſtantem, & fortem virum hactenùs ſe præſtiterat, hôc unô uxoris ſuæ caſû ità repentè perculſus ac proſtratus eſt, ùt ante duodecimum ab ejus funere diem ex ſummô animi mœrore & anguſtiâ in febrim inciderit continuam.

Lutetiæ Pariſiorum tum agebat Rex Henricus; ad quem cùm renunciatum eſt, Johannem Fernelium febre continuâ diſcruciatum jam ac debilitatum jacere, ejus vicem ſanè quàm graviter moleſtèque tulit, & Medicos alios ſibi charos ſedulò adhortatus eſt, ùt ejus valetudinem curarent diligenter. Illud addidit, ſe haud poſſe ſine gravi animi mœrore ejus viri jacturam facere, quô vivô vix unquam ſe moriturum crediddiſſet. Itàquè Aulici & Celeberrimi quique Medici, in eô inviſendô mutuas operas conferre cœperunt. Hic interim minimè malos Medicos imitatus eſt, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere Medicinæ ſcientiam, ipſi autem ſibi mederi non ſatagunt; ſed mox ut febre prehenſum ſe animadvertit, primùm ejus cauſam perveſtigare, & morem obſervare, & minima quæque ſymptomata quid portenderent prævidere & ut ſemel dicam, quæ ad ejus cognitionem aut curationem facere viderentur, excutere; deinde remedia efficaciſſima comparare, Medicorum qui illi quotidie aderant, de his omnibus opiniones rationi conſentaneas cogere cœpit.

Et me herclè ad ſeptimum hujus morbi diem cùm urinæ inclareſcerent, & febris ſymptomata omnia multò leviora facta eſſent, qui illi opem ferebant Medici, felicem exitum unà cùm ægrô expectabant. Verùm ad undecimum mirum in modum exaſperata ſunt omnia, ideòque æger urinarum cruditate, atque aliorum ſymptomatum ſævitiâ permotus, & mortis metû perculſus, doctiſſimos Regis & hujus urbis Medicos aliquot in conſilium adhibuit.

Hic, ut ſuprà poſitum eſt, febre quartanâ aliquando conflictatus fuerat, & totô vitæ curriculô non ſolum vinô oligophorô aquâ abundè dilutô uſus eſt, ſed etiam extra paſtus, æſtate frigidæ potû ſitim extinguere ſolitus erat, unde lien non parùm læſus videbatur. Indè enim acoris cujuſdam ſenſus ori ac faucibus integrum jam biennium inerat, qui nullis remediis diſcuti potuerat. Cùm ergo cauſæ quædam externæ, hæque graves admodùm, acerbiſſimum mœrorem attuliſſent, ſuperveniente uxoris obitu, quô omnia exaſperata ſunt, humor in liene collectus tandem incaleſcens, atque putreſcens, inflammationem ejus viſceris peperit, unde & febris accenſa eſt continua, quæ ſenſim increſcens, ità naturæ vires omnes attrivit, ùt eum decimo octavo die nobis immatura mors ſuſtulerit annô ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, Chriſti 1557. Nam cauſam interitûs ex anatome perveſtigantes, è lienis inflammatione perniciem manâſſe, judicavimus, cùm & valdè tumidum & prorsùs lividum & vireſcens id viſcus eſſet, & ſcalpellô diſſectum magnam ſaniei inſtar picis nigerrimæ copiam profuderit.

Hic certè ad morbi diem decimum quartum cùm ſalutis ſuæ ſpem in anguſtô eſſe prævideret, ſe præproperâ morte tam celeriter rapi graviter indoluit, non quidem vitæ, ut dicebat, deſiderio (ſàtis enim naturæ, ſatis gloriæ, ſatis etiam uxori demortuæ, ſatiſque liberis vixerat.) Sed Reipublicæ literariæ, atque adeò Medicinæ cauſâ; cui ùt prodeſſet, omnes corporis voluptates atque valetudinem nihil fecerat. Hic dolor hominem præcipuè angebat, hæc cura ſollicitabat, quòd therapeuticæ poſtremæ Medicinæ parti, in quâ multùm diuque verſatus erat, quamque ſuis inventis plurimùm locu-

locupletare poterat,extremã manum non addidiſſet. Nec verò (quod Plinius de Apelle, qui imperfectum Veneris corpus ac rude Cois reliquit, memoriæ prodidit) qui inceptum opus excoleret, propagaret, abſolveret, inventus eſt. Inchoata ab eô opera Guillelmi Plantii fidei commiſſa ſunt, de quibus aliàs.

Johannis Fernelii nunciata mors gravem Regi, Reginæ, ac aulicis proceribus mœrorem attulit. Non enim potuit non graviter ferre tam Celebris Medici jacturam humaniſſimus Rex Henricus, cujus opem totiès perſenſerat, quem tot ſtrenuos milites præclaroſque duces à morte revocâſſe, tot hominum millibus auxiliares manus porrexiſſe viderat; nec minùs reliqui Principes, qui ejus experientiam in graviſſimis ſuis domeſticorumque ſuorum morbis annos viginti perſpexerant.

Hic equidem non tam ſibi, quàm Hominum ſaluti, ac poſteritatis commodis natus, nullum remittens tempus, nec ſeipſum reſpiciens, quod interdiù præ ægrorum ad ſe confugientium multitudine ſcriptis mandare non poterat, id nè breviſſimis quidem noctibus parcens,vel magnô valetudinis ſuæ diſpendiô, elucubrabat. In illuſtrandâ phyſiologiâ & pathologiâ, cùm hujus ſæculi ſcriptores omnes facilè ſuperârit, quid illum facturum fuiſſe putetis, ſi quam annos triginta tantâ laude, tantô omnium applauſû, in tantâ ægrorum turbâ, Lutetiæ exercuerat, curatricem Medicinæ partem inventis ſuis illuſtrare fata voluiſſent? ſed ea eſt miſeriarum humanarum viciſſitudo, ùt neminem ad ſummum aſcendere, aut Votis omnibus ſuis ſatisfacere patiatur.

Cùm Lutetiæ Medicinam facere cœpit, jampridem in ſummô pretiô habebantur docti aliquot Medici, qui eum in ipſis principiis deterrere atque remorari conati ſunt, quibus non multò poſt, fatô neſcio quô, morte immaturâ de mediô ſublatis, ſuperſtes Fernelius, aliis palmam brevi præripuit.

Unus Flexelius jam benè audientem & promeritum de civitate, vel obſcurare, vel opprimere cogitavit. Cùm enim uterque arcanorum Medicinæ ſacrorum ſummus princeps & myſtagogus eſſe & haberi cuperet, in eâque parte excellere inprimis præclarum & illuſtre exiſtimaret; in eô conatû tanta facta eſt contentio ùt inter illos benevolentia ſervari non potuerit. Flexelius namque gloriæ avidiſſimus, cujuſdam æmulationis ſtimulis impulſus, cùm Fernelium à quô nullum amoris, nullum ſtudii, nullum benevolentiæ officium deſiderare poterat, reliquorum hujus urbis Medicorum, qui illum ætate anteibant, & auram popularem jam ante ejus adventum conſecuti fuerant, diligentiam, atque famam, non ſolùm adæquare, ſed etiam longè latèque ſuperare cerneret, ejus conatibus ſeſe objicere, atque pro virili provectam ejus famam & exiſtimationem extinguere conſtituit.

Arreptâ inde anſâ, quòd Fernelius in cacochymiâ plenitudinis expertæ ſanguinem abundè mitti non pateretur, purgatione contentus, quæ peccantem duntaxàt cacochymiam, ſed omnes humores æquabiliter magnâ ſæpè virium jacturâ evacuet, atque tum maximè incommodet, cùm obſtructione jecoris, & meſenterii, & caloris inſiti aut ventriculi imbecillitate (quod ferè ſit) contrahitur cacochymia, ut in quodam icterô, in cachexiâ, & Leucophlegmatiâ. Flexelius enim & in omnibus febribus, quas putridus humor accendit, & in pleriſque aliis morbis à cacochymiâ ortis, ſanguinem audentiùs ac ſæpiùs mittebat, etiamſi nulla inerat plenitudo.

Inquô uterque ſuæ ſententiæ nimiùm inhærere viſus eſt. Fernelius quidem, quòd parciùs & religioſiùs ſanguinem detraheret, neque ſemper cùm opus eſſet. Flexelius autem, quòd ſæpiùs atque ultra modum mitteret in omni ferè morbô, frigidô pariter ac calidô, aliis Medicis fruſtra obluctantibus; unde vires in multis ſic ſæpè proſterni atque labefactari vidimus, ſicque ſpiritus & nativum calorem diſſipari, ùt vel repentina mors vel gravis & periculoſus alius affectus conſequeretur.

Verùm cùm Flexelius nec ſcriptis nec diſputationibus publicis auderet Fernelium adoriri convitiis ingenuô & liberali homine indignis, cum eô abſente agere cœpit. Quæ cùm Fernelius nihili faceret, ità Flexelius exarſit, ùt illum qui & prælectionibus publicis & editis libris ſingularem ſuam eruditionem orbi jam univerſo patefecerat, hominem ignarum, impoſtorem & circulatorem dicere non ſit veritus. Sed hic tamen nulla in Flexelium maledicta vel laceſſitus retorquere unquam voluit, nec ei obtrectare & de ejus famâ detrahere. Si quando de Flexeliô, ejuſque in ſe maledictis, ab aliquô mentio fieret, meliorem ei mentem precari ſolebat; & ad ægros curandos ſi quandò cum illô vocaretur, negabat per ſuſpecta negotia, & occupationes ſerias, id ſibi licere.

Non paucis Fernelius ejuſdem ordinis parùm gratus extitit, ſed potiùs inviſus, quòd domeſtica remedia, quæ amicis periclitantibus exhibebat, non pateretur vulgò in officinas abire, ſed domi vel ipſe compararet vel amicorum paucorum fidei concrederet. Quod tamen ante ſe nemini vitio datum eſſe comperio.

Sed de his plus ſatis. Jam quem tenuerit ſtudiorum modum, ex quô Lutetiæ Medicinam facere cœpit, paucis perſtringendum.

Jampridem apud Gallos invaluit conſuetudo, ùt quando infimæ ſortis homines in morbum incidunt, urinã confeſtim ad Medicum deferendam curent, è quâ ille non ſolùm quamdudùm æger decumbat, quô morbi genere teneatur, quæ pars in eô præcipuè laboret, quæque ſymptomata crudeliùs illum diſcrucient, ſed etiam ejus ſexum & ætatem internoſcat, ac nuntio referat, tandemque accommodata remedia decernat. Hoc jam olim vulgò perſuaſerunt ſcelerati quidam impoſtores Empirici, qui Medici nomen ac dignitatem falsò & impudenter ſibi arrogantes, populo eruditionem ſuam ità venditabant, ùt eum dicerent Medici nomine indignum, qui ſpectatâ urinâ cùm affectiones corporis præter naturam omnes, tùm animi etiam perturbationes non poſſet aſſequi. Ex horum officinâ præclari illi, & Reipublicæ (ſi Diis placet) non parùm utiles, de urinarum cautelis libri prodiêre, quibus rudis adhùc Medicus inſtituitur, acutè excogitatis inanium verborum labyrinthis, eorum qui ad ſe urinas deferrent, mentes & judicium ità eludere, ùt tametſi temerè, confusè, & fortuitò multa ſymptomata proponat & enumeret, ſi fortè tamen vel unicum de quô æger conquerebatur, attigerit; illi ſtatim rectè eum conjectâſſe, & ex urinâ totam morbi hiſtoriam intellexiſſe arbitrentur.

Receptæ igitùr Medicorum conſuetudini, licèt iniquæ, & depravatæ, morem gerens *Fernelius*, ab urinarum inſpectione Medicinam facere cœpit. Manè ſiquidem ad quartam ferè horam experrectus, è lectô proſiliens in Bibliothecam deſcendebat, ibique vel è veterum ſcriptis quidpiam de quo ſibi non ſatisfaceret, vel cujus non ſatis meminiſſet, percurrebat, vel ipſe aliquid commentabatur, dum illuceſcens dies illum ad publicas prælectiones, vel ad inviſendos ægros prodire cogeret. Interimque afferebantur

urinæ ; omnes ille inſpiciebat , & de iis quid ſentiret, paucis præfatus , remedia inſtituebat morbi cauſæ , & ægri naturæ , quantùm conjecturâ colligere poterat, conſentanea.

Domùm ad cibum reverſus, intereà dum prandium apparabatur, in Bibliothecam, atque rursùs ſumtô prandiô in eandem ſe abdebat , dum illi in urbem ad ſua negotia eſſet redeundem. Non aliò ante cœnam interim dum menſa inſtruebatur, ac deniquè aliò poſt cœnam ſe recipiebat, ad horam noctis undecimam ; quô ferè tempore capitis gravitas ſomnum illùm capeſſere cogebat. Hanc quidem tenuit ſtudiorum ac vitæ rationem annos ampliùs triginta & eas in ſtudiis progreſſiones ſemper habuit. Omnia animi & corporis oblectamenta præ literarum ſtudiis & Medicæ artis exercitatione, pro nihilô ducens ; ùt nulla vitæ pars neque publicis, neque privatis , neque Medicis, neque domeſticis in rebus vacaſſe officiô videretur. Si quem fortè ad cœnam vel prandium aliquando invitaret, ab eo neque turpe , neque inhoneſtum ducebat, aliquantò poſt ſumtum cibum ſtudiorum cauſâ ſe ſurripere.

Uxoris hortatû prædium Pentinianum, annnis aliquot antequam è vivis abierit, comparavit, ad quod colligendi animi gratiâ è turbulentis urbis fluctibus tanquam in tranquillum portum ſe aliquandò reciperet. Verùm vix ſemel aut bis in annô eò proficiſci voluit. Erat enim hôc robore animi , atque hâc indole virtutis , & conticentiæ ùt reſpueret omnes voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis atque animi contentione conficeret ; quem non quies , non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi non convivia delectarent, nihil in vitâ expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & honore, & cum dignitate conjunctum, nihilque ex omnibus rebus humanis præclarius atque præſtantius haberet , quàm de Republicâ Chriſtianâ benè mereri , afflictis opem ferre , periculis ægrotos liberare , ſuccurrere omnium ſaluti, ſuamque ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere , deniquè intercludere omnes morborum vices. Quippè tantus ægrorum numerus ad eum confugiebat, ùt per totam ferè æſtatem Stans prandere cogeretur; neminem quantumlibet pauperem à ſe abire dimittebat morbi quô angeretur ignarum, remediiſque ad eum profligandum deſtitutum. Quòd ſi illum nonnunquam de curandâ corporis ſui valetudine, deque nocturnis ſtudiis intermittendis, commonefacerem, & ad quieſcendum cohortarer ; (erat enim ſomni parciſſimus) reſponſum in promptû habere ſolebat, *Longa quieſcendi tempora fata dabunt.*

Quanquam autem vultum ille præ ſe ferebat Philoſophicum , ſeverum , ac triſtem, cùm tamen ad ægros accederet, ſubridendo ſe hilarem præbebat, blandèque ac comiter illos vel de minimis ſymptomatis interrogabat, dum & morbi cauſam & affectam partem, perſpectam haberet ; atque haud ſcio an ullus tam obſcurus morbus ei unquam occurrerit, cujus Scaturiginem ac naturam ſtatim non agnoverit, an unquam tam implicita , tamque varia ſymptomata propoſita ſint , quæ non ſtatim ad peculiares morbos tanquam ad ſuos fontes revocarit ; tantô tamque acutô , & perſpicaci ingeniô, judiciôque preditus erat.

Ille ægrum, vel moribundum , ac deploratum, deterrebat nunquam , ſed ſemper in ſalutis ſpem erigebat ; occultorum necdùm planè cognitorum morborum prædictiones ambiguis & obſcuris verbis involvebat , quæ alii in aliam partem deflectere & interpretari poſſent ; vixque initiô quicquam de horum eventû, niſi ex hypotheſi aſſeveranter pronunciabat. In diuturnorum præſenſione vix unquam fallebatur ; futurum exitium triſti vultû , mæſtâ & Clangolâ voce laborantis amicis metuendum inſinuabat ; prævisſam ſalutem hilari fronte , & jucundâ oratione , pronuntiabat. Aliorum Medicorum calummias nunquam ridebat , recognoſcens , ſibi & bonis omnibus ſimiles quotidie impendere.

Quemcunque ægrum ingeniô præſtantem curandum inviſebat , ſiquidem morbi vehementiâ pateretur , & per negotia liceret, poſt intellectam morbi cauſam, & deſcripta remedia , familiarem cum eô ſermonem aliquandiù conferebat, cum Philoſophis Philoſophica , cum Mathematicis Mathematicâ ; cum ducibus, ac militibus, de urbium ſitû, & fluviis eas alluentibus, deque inſtrumentis bellicis, & eorum inventoribus, de arte militari ; cum nautis, de navigandi ratione, de regionibus nuper repertis : cum Theologis, de *Deô*, ac cœleſtibus ; cum mercatoribus, de negotiis ; ùt afflictos omnes conſolaretur, & jacentes extolleret , confabulationes iniens. Sermones, & colloquia planè Philoſophica & nimiùm ſevera, ſalibus ita aſpergebat, atque condiebat, ùt ab omnibus coleretur, & obſervaretur, & tamen urbanus facetuſque videretur.

Corpore erat ſatis procerô ac robuſtô ſed quod nephriticus dolor acerbiſſimus, quater aut quinquiès quotannis repetens , non parùm debilitaverat , color faciei liveſcens ac plumbeus, pilus nigerrimus, iſque multus.

Quod ad animi mores pertinet, ſi quando iracundiam exerceret, mox cohibebat ; ſemper ferè cogitabundus , ſubtriſtis ac taciturnus erat: nemini ſua conſilia communicabat , ſuſpecta habebat omnia ; attentus quidem ad rem familiarem ſed in ſuos beneficus , & liberalis. Quandiu cum eo vixi (vixi autem integrum decennium) lucrum annuum ſæpe duodecim librarum Gallicarum millia exceſſit , vix unquam infra decem ſubſtitit.

Ex eô habentur

Univerſa Medicina , ſive , Opera Medicinalia : quæ continent Phyſiologiæ Lib. VII. Pathologiæ. Lib. VII. Therapeuticæ univerſalis, ſeu, Medendi rationis Lib. VII. atque in ſeptimum horum Guil. Plantii, *Cenomanni*, doctiſſima ſcholia. Febrium curandarum methodum generalem. De Luis Venereæ curatione perfectiſſima, Librum. Conſilium Epileptico præſcriptum. De Abditis Rerum Cauſis Lib. II. Conſiliorum Lib. Cui acceſſerunt Reſponſa quædam Clarorum Medicorùm Pariſienſium. Venetiis , apud Rutilium Borgominerium , 1564. in 4. Sed huic Editioni nondùm addita ſunt Guil. Plantii, *Cenomanni*, ſcholia, nec febrium curandarum Methodus ; nec Liber de Luis Venereæ Curatione ; nec Conſilium Epileptico præſcriptum ; nec Conſiliorum Lib. nec Reſponſa quædam Clarorum Medicorum Pariſienſium. Lutetiæ 1567. in fol. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, Marnium & Aubrium, 1592. in fol. Ibidem, apud eoſdem, 1603. in 8. Hæc Editio à Guil. Plantio , *Cenomanni*, elimata & edita eſt. Ibidem , apud eoſdem , 1607. in 8. 2. Voll. Hanoviæ, apud Johan. & Andr. Marnium, 1610. in fol. Pariſiis, apud Johan. Veyrat & Thom. Soubron , 1602. in fol. Lugduni Batav. apud Franc. Hackium , 1645. in 8. duobus Voll. Novâ hâc editione , quæ obſcura erant , illuſtrata , quæ deficiebant , ſuppleta ſunt. Cum notis , Obſervationibus & Re-

& Remediis ſecretis Johannis & Ottonis Heurnii, *Ultrajectini* aliorumque præſtantiſſimorum Medicorum, & cum Indice locupletiſſimô, apud Gisb. à Zyll & Theod. ab Ackersdyck, 1656. in 4. Item Genevæ, apud Samuelem de Tournes, 1679. in fol. Huic editioni præterea acceſſerunt de novô varii Tractatus, quorum ope opus hoc in Corpus Medicum omnibus abſolutum partibus exurgit, operâ Theophili Boneti.

Series eorum, quæ continentur in hâc editione.

Typographus hujus Editionis, Emptori.
Vita Fernelii, Auctore G. Plantio.
Elogia Fernelii.
G. Plantii Præfatio ad Lectorem.
Index Capitum.
Johan. Fernelii ad Henricum II. Regem Gall. Epiſtola: & in Medicinam ſuam Præfatio.
Ejuſdem Phyſiologiæ Libri VII.
Ejuſdem Pathologiæ Libri III.
Johannis Magiri Appendix de ſignis Prognoſticis.
Johan. Fernelii Therapeuticus univerſalis, ſeu, Medendi rationis, Libri VII.
Ejuſdem Pathologiæ, Liber IV.
Ejuſdem Febrium curandarum Methodus generalis.
Ejuſdem Pathologiæ Libri V. VI.
De Luis Venereæ curatione perfectiſſima, Liber.
Ejuſdem Pathologiæ Liber VII.
Ejuſdem de Abditarum rerum cauſis, Libr. II.
Ejuſdem Conſiliorum Medicinalium Liber.
Index Locupletiſſimus.

Seorſim edita ſunt:

De Vacuandi ratione, Liber. Pariſiis, apud Chriſtianum Wechelum, 1545. in 8. Lugduni, apud Johan. Tornæſium, 1548. in 8. Venetiis, 1549. in 8. Francof. apud Joh. Saurium, 1612. in 12. Cum Scholâ Salernitanâ.

Emiſſi ſanguinis Obſervatio. Extat cum Scholâ Salernitanâ. Francofurti, 1651. in 12.

Febrium curandarum Methodus generalis. Francofurti, apud Andr. Wechelum, 1577. in 8.

Experimenta Medicamentorum facile parabilium, Liber. Francof. 1570. in 8.

Pathologiæ Liber Quartus, continens Explicationes de Febribus: Cui Rutgerus Loënius earum Prognoſin & Curationem adjecit. Amſtelodami, 1664. in 8.

Pharmacia. Cum Guilielmi Plantii & Franciſci Saguyerii Scholiis, in uſum Pharmacopæorum nunc primùm edita. Hanoviæ, apud Claudium Marnium & Hæredes Johannis Aubrii, 1605. in 12.

De Luis Venereæ, ſive Morbi Gallici curatione perfectiſſimâ, Liber. Antverpiæ, apud Chriſtoph. Plantinum, 1579. in 8. Patavii, apud Paulum Mejettum, 1580. in 8. operis Veneti, de Morbô Gallicô pag. 524.

Conſilium pro Epilepticô ſcriptum. Extat etiam cum Æmilii Campolongi Librô de Arthritide. Spiræ Nemetum, 1592. in 8.

Conſiliorum Medicinalium Liber. Ex ejus adverſariis Quadringentarum Conſultationum ſelectus. Francof. apud Joh. Wechelum 1585. in 8. Pariſiis, apud Ægidium Beylium, 1585. in 8. Cui acceſſerunt Reſponſa quædam clarorum Medicorum Pariſienſium; Francof., 1593. in 8. Hanoviæ, 1607. in 4.

De Abditis rerum cauſis, Libri duo. Pariſiis, apud Andr. Wechelum, Bibliop. Francof. 1560. in 8. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1581. in 8. Lugduni 1604. in 8. Extant etiam cum univerſâ Medicinâ ſive operibus Medicinalibus.

Diſputatio, de Partû cujuſdam Infantulæ Agennenſis, an ſit ſeptimeſtris, an novem menſium? Extat Parte VI. Operum Jacobi Sylvii. Coloniæ Allobr. apud Jacobum Chouet, 1630. in fol.

Therapeutices Univerſalis ſeu Medendi rationis Libri ſeptem. Quam totius Medicinæ tertiam fecit Partem, ad Praxim perutilem & neceſſariam. Lugduni, 1569. in 8. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1581. in 8. Ibidem apud Andreæ Wecheli Hæredes, Claudium Marnium & Johan. Aubrium, 1593. in 8. Extat etiam cum Univerſâ Medicinâ, ſive, Operibus Medicinalibus.

FEROLDUS (*Hieronymus*,)

Ex eô habentur

Epiſtolæ ad Joſ. Valdanium, quibus tractatur Quæſtio: utrùm in Lienis Affectibus ſecanda ſit Vena, quæ eſt ad annularem digitum ſiniſtræ manus? Patavii, apud Petrum Anton. Alciatum, 1567. in 8.

FERRANDUS (*Conſalvus*,) Owietenſis.

De eô extat

De Guajacanô Lignô, Tractatus unus: De Lignô Sanctô, Tractatus alter, ambo à peritiſſimô Hiſpanicæ Linguæ Medicô in Latinam verſi. Extant Tomo I. operis de Morbô Gallicô Veneti pag. 308.

FERRANDUS (*Jacobus*,) Doctor Medicus Agennonenſis. Scripſit Librum *de la Maladie d'Amour*. De Morbo Amoris. Pariſiis 1622. Bibliotheca Medicorum nullam adhuc de eo mentionem fecit, multo tamen potiori jure locum in ea meruit, quàm plures alii qui admiſſi in ipſâ fuere. *Bayle in Diction. Criticô.*

FERRANDUS (*Johannes*,) Pictavienſis.

De eo habentur

De Nephriſis & Lithiaſis, ſeu, Renum & Veſicæ calculi definitione, cauſis, ſignis, prædictione, præcautione, & curatione. Ex Hippocrate, Dioſcoride, Galeno, Avicennâ, Aëtio, & Paulô Ægynetâ, aliiſque celeberrimis Medicis, collectis. Pariſiis, apud Mich. Somnium 1570. in 8. Ibidem, 1601. in 12.

De Febribus Libellus, ex Variis Auctoribus collectus. Pariſiis, apud eundem, 1602. in 12.

FERRANTUS (*Ludovicus*,) Biturix.

Ex eo habentur

Magni Hippocratis Coaca Præſagia, brevi enarratione illuſtrata, decerpta à Galenô, Hollerio, Duretô, Foëſiô, Jacotiô, & aliis non inferioris notæ Viris & in formam Encheiridii ad uſum faciliorem compoſita. Lutetiæ Paris. apud Johan. Pecquet, 1657. in 12.

FERRARA (*Gabriel*,)

De eô extat

Sylva Chirurgiæ, in tres Libros diviſa: in quorum I. de Obſervationibus Chirurgicis: II. de Medicamentis itidem ad Chirurgiam pertinentibus: III. de Medicamentis per deſtillationem acquiſitis & quàm maximè etiam in Chirurgia uſurpandis agitur. Quibus Figuræ non ſolùm Inſtrumentorum Chirurgicorum in ſecundô Librô ſed in tertiô etiam vaſorum deſtillatoriorum ſunt adjectæ. Ex Italicô idiomate in Latinum verſa per Petrum Uffenbachium; Francof. ap. Palthenium, 1625. in 8.

FERRARIUS (*Jacobus* ,)

De eo extat

Idea Theriacæ & Mitridatii , ex pragmatia Ant. Bartioli & Flaminii Evoli ſcriptis. Venetiis, 1691. 1606. in 4.

FERRARIUS (*Joh. Baptiſta* ,) Senenſis è Societate Jeſû.

Ex eô habentur

De Florum Culturâ libri IV. Romæ, apud Stephanum Paulinum, 1633. in 4. Ibidem, 1638. in 4. Amſtelodami, apud Bernh. Rottendorff, 1646. in 4. cum Figuris æneis, & ibidem apud Janſonium, 1664. in 4.

Heſperides, ſive, de Malorum aureorum culturâ & uſû, libri quatuor. Romæ, apud Hermannum Seheus, 1646. in fol.

FERRARIUS (*Omnibonus*,)

De eô extant

De Arte Medicâ Infantium, libri quatuor; Quorum priores duo de tuendâ eorum ſanitate; poſteriores de curandis Morbis agunt. Brixiæ apud Franc. & Petrum Mariam, Fratres, de Marchettis, 1577. in 4. Ib. apud Petrum Mariam de Marchettis, 1598. in 4. Lipſiæ, apud Henningum Groſſum, 1605. in 8.

De Arte Medicâ Infantium Aphoriſmorum Particulæ tres. Wittebergæ, apud Wolffgangum Meiſnerum, 1604. in 8.

De Regulis Medicinæ Libri tres, ex Hippocrate, Galenô, & Avicennâ, ſummâ cum diligentiâ collecti. Brixiæ, apud Vincentium Sabienſem, 1566. in 8. Venetiis, apud Camillum & Rutilium Frat. Borgominerios 1573. in 8. Cum Additamentis Autoris propriis, quô quâlibet regulâ in hâc ſecundâ Editione recogniti, multiſque locis aucti, emendatioreſque redacti.

FERRARIUS (*Frater*,)

De eô extat

Tractatus Chemicus Excellentiſſimus. Geiſmariæ, apud Salomon. Schadewitz, 1647. in 8.

FERRERIUS (*Augerius*,) Natus Tholoſæ in Galliâ A. C. 1513. Patre Chirurgô & Medicô, Aſtrologus & Mathematicus inſignis : Jul. Cæſar. Scaligeri intimus Amicus : Catharinæ Galliarum Reginæ Archiater : in patriâ obiit, 1588. ætatis ſuæ 75.

De eô extant

Vera Medendi Methodus, duobus Libris comprehenſa. Ejuſdem Caſtigationes Practicæ Medicinæ; Lugduni, apud Ludov. Coloq. & Steph. Michaelem, 1574. in 8. apud Franc. Fabrum, 1602. in 8. Toloſæ, apud Petrum du Puys, 1557. in 8.

De Pudendagrâ, Lue Hiſpanicâ, Lib. duo. Adjecimus de Radice China, & Sarza Parilia Hier. Cardani Judicium. Antverpiæ, apud Mart. Nutii Vid. 1564. in 8. Pariſiis, apud Jacobum du Puys, 1577. in 16. cum Joh. Liebaultii Theſauro Sanitatis. Et in Appendice ad Tomum I. Operis Veneti de Morbô Gallicô, p. 51.

De Radice Chinâ, Liber. Quo probatur, diverſum eſſe ab Apiô. Toloſæ, apud Johan. Colomenium, 1554. in 8.

De Diebus Decretoriis, ſecundum Pythagoricam Doctrinam & Aſtronomicam Obſervationem. Lugduni, ap. Tornæſium, 1541. 1549. in 16.

Liber de ſomniis. Hippocratis, de Inſomniis, Liber. Galeni Liber de Inſomniis. Syneſii Liber de ſomniis. Lugduni, apud Tornæſium, 1549. in 16.

FERRIOLUS [*Petrus*,]

Petri Garciæ Carrero, Diſputationes Medicas, & Commentaria in Fen primam Libri quarti Avicennæ collectas edidit.

FERRUS (*Alphonſus* ,) Italus Neapolitanus, Publicus in patriâ Chirurgiæ Lector, ac teſte Nicolaô Toppiô in Bibliothecâ Neapolitanâ, p. 9. Pauli III. Sum. Pont. Medicus. At in Libro primo de Scriptis Medicis Jo.Anton.Vander Linden, dicitur hujus Pontificis Chirurgus Primarius. Cui credendum ? Cui vis. De ſententiâ non gravabor, nec conquerar. Verùm ùt ſe ſe res habeat, fuit ſanè Alphonſus, acri præditus ingeniô, totus ad bonas artes, totuſque ad Medicinæ ſtudia ſe contulit, & Romæ Anatomiam ſingulari omnium plauſû exercuit & in Romanâ Univerſitate docuit. Mandoſius in Vitis Archiatrorum Pontific.

De eo extant in Lind. Renovatô.

De Sclopetorum, ſeu Archibuſorum vulneribus Lib. tres. Corollarium de Sclopeti, ac ſimilium tormentorum pulvere. De Caruncula, ſive Callô, quæ cervici veſicæ innaſcuntur opuſculum. Lugduni, apud Matth. Bonhom. 1559. in 4. Antverpiæ, apud Arnoldum Coninx 1583. in 4. cum aliis. Tiguri, apud Geſneros, 1555. in fol. cum Chirurgiæ Scriptoribus. Extat etiam cum Leonhardi Botalli Tractatu de curandis vulneribus Sclopetorum, quem vide ſuo loco; Item cum Johannis Franciſci Rotæ librô de Tormentariorum Vulnerum naturâ ac Curatione, quem confer ſuô locô.

De Morbô Gallicô : Ligni Sancti naturâ; uſûque multiplici, Libri quatuor. Extant Tomo I. pag. 347. Operis de Morbô Gallicô. Venetiis, apud Jord. Zilettum 1566. in fol.

De Ligni Sancti multiplici medicinâ, & vini exhibitione, Libri quatuor. Baſileæ, 1538. in 8. Pariſiis, 1542. in 12. Lugduni apud Frellonium 1547 12. Cui Editioni accedit Fracaſtorii Syphilis, ſive Morbus Gallicus.

FEUILLEE (*R. P. Ludovicus*,) Religioſus Minimus, Mathemat. & Botanicus Regius atque Academiæ Regiæ Scientiarum Socius.

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1715. *p.* 185. *&* 281.

Journal des Obſervations Phyſiques, Mathematiques & Botaniques &c.

i. e.

Diarium Obſervationum Phyſicarum, Mathematicarum & Botanicarum, Juſſû Regis ad littora Orientalia Americæ Meridionalis & in Indiâ Occidentali ab an. 1707. *uſque ad an.* 1712. *ab ipſo Authore factarum. Tomi* II. *Pariſiis, apud Petrum Giffart,* 1714. 4.

PLantas non modò deſcribit, verùm etiam æri nitidiſſimè incidi curavit & uſum Medicum fideliter recenſet, quem faciunt incolæ Americæ. Delineantur verò 1. Gramen Bromoides Catharticum, vulgò *Guilno*; 2. Tithymalus perennis, Portulacæ folio, vulgo *Pichua*; 3. Tithymalus foliis trinerviis & cordatis; 4. Hemerocallis floribus purpuraſcentibus ſtriatis, vulgò *Ligtu*; 5. Hemerocallis floribus purpuraſcentibus maculatis, vulgò *Pelegrina*; 6. Hemerocallis ſcandens floribus purpureis, vulgò *ſalſilla*; 7. Salſa foliis radiatis floribus ſubluteis; 8. Bermudiana cœrulea phalangii ramoſi facie, vulgò

Illea;

Illea : 9. Onagra laurifolia flore amplô pentapetalo ; 10. Nicotiana minor, folio cordiformi tubo floris prælongo ; 11. Granadilla folio triſcuſpidi obtuſô & oculatô ; 12. Granadilla pomifera tiliæ folio ; 13. Polygala cœrulea anguſtis & denſioribus foliis, vulgò *Clin-Clin* ; 14. Solanum Chenopodioides acinis albeſcentibus ; 15. Solanum foliis quernis ; 16. Alkekengi amplô flore violaceô ; 17. Epipactis floribus unô verſû diſpoſitis, vulgò *Nuil* ; 18. Epipactis flore albô, vulgò, *Gavila* ; 19. Epipactis flore vireſcente & variegato, vulgô *Piquichen* ; 20. Epipactis amplô flore luteô, vulgò *Gavilu* ; 21. Rapuntii facie, foliis ſinuatis, flore ampliſſimô, ſanguineô & ſtriatô ; 22. Bignonia flore luteo, foliis radiatis & elegantiſſimè diſſectis ; 23. Oxys roſeô flore erectior, vulgò *Cullè*, 24. Oxys ampliſſimô flore luteô ; 25. Oxys luteô flore, radice craſſiſſima ; 26. Melongena laurifolia, fructû turbinatô variegato ; 27. Caryophillata foliis alatis, flore amplô coccineô, vulgo *Quellgon* ; 28. Viola arboreſcens, origani acutô foliô ; 29. Rapuntium ſpicatum, foliis acutis, vulgô *Tupa* ; 30. Panke Anopodophylli folio ; 31. Llaupanke ampliſſimo Sonchi folio ; 32. Bidens Mercurialis foliô, flore radiatô ; 33. Bidens Artemiſiæ folio, flore albô radiatô ; 34. Gratiola foliis ſubrotundis nervoſis, floribus luteis ; 35. Centaurium minus, purpureum, patulum, vulgò *Cachen* : 36. Conyza foliô ſubrotundô, utrinque acutô, vulgô Munga Paki ; 37. Coniza fruteſcens, foliis anguſtioribus nervoſis ; 38. Conyza Africana humilis foliis anguſtioribus nervoſis, floribus umbellatis, vulgò *Chilca* ; 39. Malva lutea, calyce ſimplici, obtuſo Carpini folio, pediculis florum prælongis, vulgò *Ancoacha* ; 40. Poinciana Spinoſa, vulgò, *Tara* ; 41. Polypodium radice ſquamoſâ, vulgò *Pillabilcam* ; 42. Momordica fructû ſtriatô lævi, vulgò *Caigua* ; 43. Cardamindum quinqueſidô foliô, vulgò *Malla* ; 44. Urtica Chilienſis ureus, Acanthi foliô ; 45. Jacobæa Leucanthemi vulgaris folio, vulgò *Nillguè* ; 46. Periclymenum foliis acutis, floribus profundè diſſectis, vulgò *Ytiu* ; 47. Stramonoides arboreum, oblongo & integrô foliô, fructû lævi, vulgò *Floripondio* ; 48. Pentaphylloides Alceæ minori folio, flore purpureô ; 49. Capraria Peruviana, Agerati foliis abſque pediculis ; 50. Cynogloſſum foliis nervoſis acutiſſimis ; 51. Bidens denique folio trinervi, lanceato, flore ſingulari & radiato. De harum plantarum uſû Medico ſequentia annotavit Autor. Infuſum ex radice plãtæ primæ purgat. Paratur intervallô unius noctis ; manè ad ignem admovetur & ubi ebullit, per linteum urgetur ac maximè calidum hauritur. Tithymali utriúſque vis itidem purgativa. Sexta uſum præſtat in morbis Venereis. Nonam maximi faciunt Indi. Folia contuſa inſtar Cataplaſmatis applicantur, habentque vim reſolvendi & emolliendi. Conducunt diſſipandis tumoribus inveteratis & bubonibus. Polygala cœrulea diureticum præſtantiſſimum. Parant Indi infuſum intervallô unius noctis & mane hauriunt. Utuntur eôdem contra lumborum dolores. Solanum Chenopodioides eſt remedium præſens contra febrim, quæ inflamationem & alvi dejectionem extraordinariam cauſatur & ſexui ſequiori infeſta. Succus ex ramorum extremitatibus contuſis exprimitur & cum vitellô, pauco alumine &c. permiſcetur. Ejuſdem plantæ ſuccus collirii uſum præbet Indis, quando dolor in oculis ſentitur viſûſque aliquis defectus. Alkekengi admiranda præſtat in retentione urinæ & contra calculum. Quatuor aut quinque ejuſdem fructus contuſi in aquâ communi aut vinô ſumuntur. Infuſum plantæ *Nuil* eidem uſui ſervit & ventoſitatem pellit. Nec alius eſt uſus plantæ agnatæ *Gavilu*, quæ decimum octavum occupat locum : altera verò ejûſdem nominis, quæ locô vigeſimô exhibetur, ad lactis augmentationem utilis, unde fœminæ partû editô ſuccum ejus juſculo commiſcent. Decoctum plantæ vigeſimæ eſt apertivum : decoctum foliorum ejuſdem diminuit fermentationem ſanguinis & bilem temperat. Melongena laurifolia in hortis creſcit & fructus delitiis ſerviunt inſtar melonum. Decoctum Caryophillatæ aperit & reſolvit ; idem judicium eſt de Violæ arboreſcentis decocto. Rapuntium ſpicatum eſt planta venenoſa : ſiquis eam evellit & mox digitis oculos fricat, viſu orbatur. Odor ejus horrendos vomitus ciet. Foliorum plantæ trigeſimæ decoctum refrigerat tempore æſtivô. Radice utuntur ad tingendum colore nigrô. Trigeſima prima eſt remedium contra hemorrhoides. Infuſum trigeſimæ quintæ eſt ſudoriferum, ſtomachum roborat, vermes necat, febres intermittentes & icterum pellit. Decoctum trigeſimæ ſextæ dolores colicas & dyſenteriam ſedat. Decoctum trigeſimæ nonæ eſt ſtomachicum prorsùs egregium. Decoctum quadrageſimæ primæ obſtructiones diſſipat. Infuſum quadrageſimæ ſextæ contra febres intermittentes ſervit.

FEVINUS (*Robertus*,) Ambianus.

De eô extat

De Abuſû Medicinæ çoercendo, Tractatus. In quô tùm Empiricorum, tùm ἰατρομάγων Medendi ratio refellitur, & qui hactenùs receptus eſt, faſcinandi modus impoſſibilis demonſtratur. Paris. apud Joh. Charron, 1574. in 8.

FEYNIUS Gallicè du FEYNES (*Franciſcus*,) Vixit Monſpelii quod natale ſolum ipſi fuit, ibidemque Medicinam ſummâ ſuâ cum gloriâ exercuit, ac Regii Profeſſoris dignitate inſignitus, multos per annos Philiatros publicitùs docuit, imprimiſque *Practicas prælectiones* ipſis dictavit, non tantùm ſtylô terſiſſimo exactèque edecumato, verùm etiam maturô gravique judiciô ac rerum delectû contextas & adornatas, planè ad mentem atque obruſſam principum ac probatiſſimorum medendi artificum, inter quos fatendum eſt, ipſum peculiariter Latinorum duûm Hippocratum, *Cornelii* (inquam) *Celſi* ac *Johannis Fernelii*, magnum & admiratorem & imitatorem ſe præbuiſſe, ità ùt expreſſis ipſorum verbis, cùm melioribus vix liceat, identidem uti non vereatur, quibus tamen lucem de ſuô non raró conciliat. Cùm autem inter Medica præſidia, expeditus pharmaceuticorum uſus χαριεστάτῳ cuique Aſclepiadæ maximè ſit tum decorus, tum neceſſarius, ſuam in hâc parte ſedulitatem noſter hic haud quaquàm paſſus eſt deſiderari, adeòque lectiſſimis remediorum formulis ſuas lucubrationes ubertìm inſtruxit. Quod quidèm ὁμώνυμον auctoris factum quia facilè præcipitis judicii hominum patere poſſet calumniis, quaſi Pharmacopœolarum rebus magis quàm ægrorum ſaluti conſulere voluerit, ſicut alios pleroſque πρεσβεύοντας ſummô artis dedecore patrare paſſim videre eſt, alienum fortaſsè non fuerit, ad amoliendam hujus reatus ſuſpicionem, verbulum adjicere. Equidèm fidi Medici eſt, ſuas actiones ad exemplum almæ Naturæ componere ; Hæc autem, ſi nulla urgeat neceſſitas, nil ſuperfluum, nil fruſtrà molitur, pauciſque contenta eſſe ſolet ; ubi verò uſus aliter ſuadet, fugit omninò πενιχρῶς agere, libenterque entia multiplicat. Similiter ;

liter ergò facere debet Medicus, paucis, inquam, remediis rem gerere, quantùm res feret, cùm majori laude digna prædicet remedia Hippocrates, quæ ὀλίγα ἐόντα αὐτάρκεα ἐστι; ſed ubi magnis implicitiſque affectibus, unô aut alterô, ſimplicique remediô ſatis occurri non poſſe intelligit, multifaria parare non dubitat. Quapropter plurimùm hallucinari conſtat, qui πολυφαρμακίαν in Medicô perpetuò dignam putant vituperatione, ſuus enim illi in docendo ſemper, ſæpè verò etiam in medicando locus eſſe debet. Undè honorificô epithetô apud Græcum Poëtam, Medicinæ numen πολυφάρμακον nuncupari animadvertimus. Atque huc ſpectans ipſemet Auctor, inſtituti ſui rationem verbis hiſce notatu digniſſimis reddere voluit; *Plures (inquit) remediorum Compoſitiones adſcripſimus, quò major habeatur remediorum ſupellex faciliùſque ſibi quiſque copiam vindicet contumaciſſimis vitiis accommodatam; variis enim remediis interdùm pugnandum, quibus vel iteratis plerumquè non cedunt* Quid appoſitius, obſecro, quid veriùs ſuper hôc negotiô pronunciari poterat, videbat nimirùm *Feyneus*, qui non corpus erat ſine pectore, quàm abſurdum eſſet morborum portenta minutis & inefficacibus remediis, adoriri, Polyphemorum proſtrationem victi pomi jaculatione ſibi polliceri, totorum exercituum difflationem ſolo ſpiritû meditari. Meminerat quàm rectè jam olim ſenſiſſet perſpicaciſſimus Aſclepiades, ſcribens, *ultimæ ſortis eſſe Medicum, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternaſve compoſitiones, & expertas habeat.* Intelligebat denique quanti referret, *ut earum copia ſelecta haberetur, quoniam reverà quædam magis quibuſdam, at non omnes omnibus, propter differentiam corporum &, affectionum conveniant.* Quò fit ut Paulus prudenter monuerit, *Idem auxilium huic quidem articulo prodeſſe, alteri verò in eôdem ægrotô ſimiliter inflammatô non ſolùm non prodeſſe eâdem etiam horâ, ſed quandoquè etiam inſuper lædere.* Qui ipſe diſcolor medicaminum eventus in cæteris etiam morborum generibus quotidiè comprobatur. Tametſi verò hujuſmodi πολυφαρμακείαν ratione & experientiâ probè ſubnixam, contendamus non modò extra noxam eſſe, ſed etiam magnô habendam in pretiô; abſit tamen ùt hôc nomine, pudendo iſti profanæ multitudinis abuſui patrocinari cogitemus, quô tumultuariè omnis generis medicamenta, meri κακῶν ὁρμαθοὶ, per ſummum nefas languentibus obtruduntur. In quô hominum genere quoſdam τῶν μιγματοπωλῶν tyrannidem in re Medicâ dudùm affectantes, familiam ducere audimus, qui totas officinas ægreſcentibus corporibus inconſultò advolvunt, leviſſimoque affectui medicinas ex novô orbe petitas adhibent, nullò penitùs freti indicationum ductû, nullâ occaſionum, quas Hippocrates τῶν θεραπειῶν ψυχὰς nuncupabat, habitâ ratione. In eodem quoque reatû apertiſſimè verſantur imperitiſſimi ſexûs utriuſque Empirici, qui longè præſidentiùs immitiùſque quam nocturni quivis præmiatores (ùt Næviam verbo utamur) mediâ luce incautos impunè nummis aut etiam vita ſpoliant, His autem fortè adjungi poſſent quotquot ſacris addictorum, fictæ pietatis obtentû, multiplicia ἄκη aut potius ἄχη temerè popello venditant, ſuam in alienam meſſem nullô jure falcem injicientes. Quid de glorioſis Chemicis modò dacèmus, qui non verentur ſummum in Parcas imperium ſibi arrogare, ſuis συνταγὰς titulis ornare adeò magnificis, ùt propter ipſos vadimonium deferi poſſit, deniquè mille modis credulos decipere?

De eo extat

Medicina practica in quatuor libros digeſta. Opus verè aureum, ſummorum medendi artificum puram putam doctrinam præferens, ac ſelectiſſimis probatiſſimiſque remediorum formulis abundè inſtructum ad fœlicem facilemque internorum omnium Corporis humani affectuum diagnoſin, prognoſin & curationem. Nunc primum è Bibliothecâ Clar. Viri Renati Moræi Archiatri, Regiique Medicinæ apud Parienſes interpretis, ſtudioſorum uſibus benignè conceſſum. Lugduni, ſumtibus Johannis Antonii Huguetan, & Marci Antonii Ravaud, 1650. in 4. Liber primus hujus operis agit de febribus curandis. II. de morpis capitis. III. De morbis thoracis. IV. De affectibus ventris inferioris.

FICHARDUS (*Johannes*,) Francofordianus.

Galeni Libr. de libris propriis, latinè reddidit.

Item ejuſdem, de Ordine Librorum ſuorum ad Eugenianum.

Item: Quomodo morbum ſimulantes ſint deprehendendi?

De parvæ pilæ luſû, interpretatus eſt. Lugduni, 1555. in 12.

FICINUS (*Marſilius*,) Florentinus.

Ex eô habentur

De Vitâ, Libri tres. Quorum primus de ſtudioſorum ſanitate tuenda. Secundus, de vitâ producendâ. Tertius de vitâ cœlitus comparandâ. Ejuſdem Apologia. Acceſſit Epidemiarum Antidotus, tutelam quoque bonæ valetudinis continens. Lugduni, apud Gul. Rovilium, 1657. in 16. apud Johan. Lepræux, 1595. in 16. Baſileæ apud Andr. Cratandrum, 1538. in 8. apud Cratandri Hæredes, 1549. in 8. Huiç editioni, præter præcedentia, inſunt: De ratione victûs ſalubris, Gul. Inſulanô Menapiô, *Grevibrugenſi*. De Victûs & Medicinæ ratione, quum aliô, tum peſtilentiæ tempore obſervandâ Commentarius. Auctore Joh. Guinteriô, *Andernacô*. Extant quoque hæc, operum Autoris Tomô, I. pag 493. 576. edit. Baſileæ, apud Henr. Petri 1561. in fol.

Tractatus de Epidemiæ morbô. Auguſtæ Vindel. apud Sigiſmundum Grim, 1518. in 4.

Oratio de Laudibus Medicinæ. Extat operum ejus Tomô I. pag. 759.

Syneſii de Inſomniis Græcum Librum, Latinum dedit.

FICKIUS (*Joh. Jacobus*,)

De eo extat

Manuductio ad Formularum compoſitionem; Tabulis XXIII. cum ſcholiis notarum ſchemate atque exemplis idoneis abſoluta; in his agitur de mixturis, potionibus, Julepis; emulſionibus; infuſis & claretis; Decoctis internis; Cliſteribus; Decoctis externis; Bolo; electuario; linctibus; pilulis; trochiſcis; rotulis; morſulis; pulveribus; topicis in genere; topicis ſiccis; cataplaſmatibus; unguentis; balſamis; emplaſtris; epitematibus; collyriis; & gargariſmatibus. Jenæ, apud Andr. Frider. Bœtticherum 1713. in 4.

FIDELIS (*Fortunatus*,) Argirenſis, Doctor Medicus doctiſſimus & æque celeberrimus. Medicinam ſummâ cum laude exercuit, & primus fuit, qui opera Medico-Legalia ſcriptis mandavit, ideòque his immortalem ſibi gloriam comparavit, ac Paulus Zacchias paſſim *in ſuis quæſtionibus Medico-Legalibus*, Fortunatum magiſtrum ſuum

ſuum vocare non ceſſat. Octogenarius obiit in patriâ ſuâ 25. Novembris 1630. & in Eccleſiâ Fratrum Tertii ordinis S. Franciſci ſepelitur. Laudatur à Rocchô Pirrô *not. Eccl. Catan. pag.* 109. Edidit

Biſſum, ſive Medicinæ Patrocinium quatuor libris diſtinctum. Panormi ex typographiâ Baptiſtæ Maringhi, 1398. in 4.

De relationibus Medicorum libros quatuor in quibus ea omnia, quæ in forenſibus, ac publicis cauſis Medici referre ſolent, pleniſſimè traduntur. Ibidem apud Johannem Antonium de Franciſcis 1602. in 4. Venetiis, 1617. in 4. ex Bibliothecâ Claſſicâ pag.495. & adjectô duplici indice, Capitum ſcilicet & rerum memorabilium; reviſis ac mendis librariis pleriſque deletis, prodiêre ſtudiô Pauli Ammanni. Lipſiæ apud Johannem Chriſtianum Tornonium, 1674. in 8. ex Vander Linden *de ſcript. Medicis pag.* 275.

Contemplationum Medicarum Libros XXII.*in quibus non pauca præter communem multorum Medicorum ſententiam notatû digna explicantur. Panormi apud* Joh. Bap. Maringum, 1621. in 4. *Anton. Mongitor. Bibl. Siculæ T. j. pag.* 199.

FIDELISSIMUS (*Raynerus*,) Piſtorienſis.

De eô extat

Enchiridion Pharmaceuticum Medicamentorum omnium, quæ in Antidotario Florentino continentur, breviter facultates complectens. Bononiæ, apud Barthol. Cochium 1616. in 12.

FIENUS (*Johannes*) Antverpianus.

Ex eo habetur

De Flatibus, humanum corpus moleſtantibus, Commentarius novus, ac ſingularis. In quô Flatuum natura, cauſæ & ſymptomata deſcribuntur, eorumque remedia facili & expeditâ methodô indicantur. Antverpiæ apud Henr. Henricium, 1582. in 8. Francof. apud Sanct. Andream, 1592. in 8. cum Notis Levini Fiſcheri emendatior. Hamburgi, ap. Henr. Wernerum, 1644. in 12. Amſtelodami, 1643, in 12.

FIENUS (*Thomas*,) Natus Antverpiæ A. C. 1567. Patre Johanne Fienô, item Medicô, & Commentarii de Flatibus Authore: in Lovanienſi Academiâ 1593. Profeſſionem primariam adeptus: interim à Bavariæ Duce Maximilianô, Archiater electus: ſed vix annô exactô, amore patriæ revocatus: poſteaque ab Albertô, Archi-Duce Auſtriæ Medicus Cubicularius conſtitutus eſt. Obiit A. C. 1631. ætatis ſuæ 64.

De eô extant

De Formatrice Fœtûs, liber. In quô oſtenditur, animam rationalem infundi tertiâ die. Antverpiæ, apud Guiliel. à Tongris, 1620. in 8.

De Formatione Fœtus, Liber ſecundus. In quô prioris doctrina pleniùs examinatur & defenditur. Lovanii, apud Henr. Haſtenium, 1624. in 8.

Pro ſuâ de Animatione Fœtûs, tertio die, opinione, Apologia, adverſus Anton. Ponte Sanctacruz, olim Primarium Profeſſorem, *Valliſoletanum*, nunc verò Regis Hiſpaniarum Medicum Cubicularium & Protomedicum generalem. Lovanii, ap. Viduam Henrici Haſtenii. 1629. in 8.

De Viribus Imaginationis, Tractatus. Lovanii, apud Gerardum Rivium, 1608. in 8. Lugduni Batavorum, apud Elzevirios, 1635. in 12. Lipſiæ, 1657. in 12.

De cauteriis, Libri quinque. In quibus vires, materia, modus, locus, numerus, tempus ponendorum Cauteriorum, ex veterum Græcorum, Arabum, Latinorum nec non Neotericorum ſententiâ quàm dilucidè explicantur. Lovanii ap. Joh. Bapt. Zangrium, 1598. in 8. Coloniæ apud Hieratum, 1607. in 8.

Libri Chirurgici XII. de præcipuis Artis Chirurgicæ Controverſiis: nempè I. de Trepanô ſive Apertione Cranii. II. de Depoſitione ungulæ. III. de Depoſitione Cataractæ. IV. de Laryngotomiâ, ſive, ſectione Aſperæ Arteriæ. V. de Paracenteſi thoracis. VI. de Paracenteſi Abdominis. VII. de Arteriotomiâ, ſive ſectione Arteriæ. VIII de Hyſterotomatocia, ſive, ſectione fœtûs ex uterô viventis Matris. IX. de ſectione Calculi. X. de ſectione Herniæ. XI. de Amputatione Membrorum externorum; XII. de Naſi amputati ex carne brachii Reſtitutione. Opera poſthuma, Hermanni Conringii curâ nunc primùm edita. Francof. apud Thom. Matthiam Götzium, 1649. & 1669. in 4.

FIERA (*Baptiſta*,) Mantuanus.

Ex eô habentur

Commentaria in Artem medicinalem definitivam Galeni. Ejuſdem Quæſtio de virtute movente Pulſum. Ejuſdem Quæſtio de Phlegmaticô & Bilioſô æqualiter Febrientibus. Ejuſdem Tractatus de Intenſione & Remiſſione, cum aliis quibusdam Philoſophicis. Mantuæ, 1515. in fol. Venetiis, 1548. in fol.

Cœna: de Herbarum Virtutibus & eâ medicæ artis parte, quæ in Victûs ratione conſiſtit. Extat cum Eobani Heſſi Libellô de tuendâ valetudine, & Commentariô Placotomi, ad Eundem. Francof. apud Egenolphum, 1564. in 8. Patavii in 4. Hæc Editio prodiit cum Annotationibus Caroli Avantii.

Quæſtio de Attractione Medicinarum ſolutivarum. Extat cum Ejuſdem Opuſculô de Animæ Immortalitate contra Pomponatium, *Mantuanum*. Venetiis, apud Franciſc. Bindonum, 1524. in fol.

Cœna. Notis illuſtrata á Carolô Avantiô. Cui noviſſimâ hâc Editione acceſſerunt Marci Aurelii Severini Epiſtolæ duæ: altera de Lapide Fungiferô: altera de Lapide Fungimappa. Patavii, apud Sebaſtianum Sardum, 1649. in 4.

FIGUEROA (*Franciſcus de*) Hiſpalenſis, Doctor Medicus, libellum edidit, cui titulus hic.

Luxus in judicium vocatus, & ad recta evocatus; gelida ſalutifera, ſive, de innoxiô frigidô potû; cui acceſſit hujus tituli alter Libellus, Aciam, de quâ loquitur Celſus Cap 26. Lib. V. filum ſemper, acum nunquam ſignificare: infibulationem & futuram utramque ex aciâ molli non nimis torta, ſive ex molli filô non nimis tortô ſericô, lineô, vel ex aliâ materiâ molli, non autem æreô, ferreô, argenteô, aut aureô, ſecundum ejuſdem Celſi mentem ſemper fieri debere. Hiſpali 1633. 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. pag.* 325.

FIGULUS (*Benedictus*,)

Ex eô habetur

Paradiſus Aureolus Hermeticus, Francof. 1600. 4.

FIGULUS (*Carolus*,

Ex eô habentur

Dialogus, qui inſcribitur Botano-methodus; ſive, Herbarum methodus. Coloniæ, apud Johân. Schœnſteinium, 1540. in 4.

Ἰχθυο-

ἰχθυολογία, ſive, Dialogus de Piſcibus. Coloniæ, 1540. in 4.
Moſella. Ibidem, annô & formâ eâdem.

FIGULUS (*Nicolaus*,
De eo extat

Novum Medicinæ univerſalis ſpeculum. Bruxellis 1660. in 12.

FILESACUS (*Johannes*,)
Ex eo habetur

Medicinæ Defenſio, adverſus Plinium Majorem. Excerpta ex Librô primô Selectorum. Lutetiæ Pariſiorum âpud Sebaſt. Cramoiſy, 1618. in 8. cum aliis ejuſdem.

FILHOLLT (*Raimundus*,) Ruthenenſis.
De eô extat

De ſenectute, ſeu, de tuendâ Valetudine in ſeniô, brevi methodô comprehenſâ, ex Galenô præcipuè & Prælectionibus Jacobi Sylvii ſelecta. Extat cum Operibus Jacobi Sylvii. Coloniæ Allobr. apud Jacobum Choüet, 1630. in fol.

FINCELIUS (*Johannes*,)
Ex eô habetur

Tractatus, de Peſte. Wittebergæ, 1598. in 8.

FINCKIUS (*Joh. Vincentius*) Fulda Buchonius.
De eô extat

Enchridion Dogmatico Hermeticum, Morborum partium Corporis humani præcipuorum curationes breves continens. Lipſiæ, apud Eliam Rehefeldium, 1618. in 12. Ibidem apud Eundem, & Johann. Groſium, 1626. in 12.

VITA
Viri Ampliſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi,
DN. THOMÆ FINCKII,
Philoſ. & Medic. Doctoris eximij. Illuſtriſſ. Holſatiæ Ducis Medici quondam Aulici, in Acad. regia Hafnienſi Prof. P. Facult. ſuæ Decani, & Senioris meritiſſimi atque Celeberrimi.

Cùm in terris XCVI. An. vixiſſet, placidè in Chriſto defuncti,

Contracta ex Programmate funebri Magnif. Acad. Hafn. Rectoris.

M. SPORMANNI, P. P.

Ortus eſt THOMAS FINCKIUS in Cimbria Meridionali, in oppido Flensburg. annô 1561. die 6. Jan. patre Jacobo Finckio, Avo Jacobo, Senatorij ord. matre Anna Thorſchmeden, Thomæ Senatoris filia. In patris qui Philippum Melanchthonem audiverat, ſinu educatus primò, mox in ædibus avunculi Reinoldi Torſchmeden, donec annos natus 16. ſedem Studiorum Argentinam eligeret, cui quinquennium impendit, & ſub Sturmio, Melch. Junio, Beutero, Giphanio, Golio, Daſypodio, Wolcenſteinio, Benzio, Havenrutero Philoſophiæ, Matheſeos & eloquentiæ fundamenta poſuit. De hinc annum fermè Academiis Germaniæ, inprimis Jenenſi, Wittebergenſi, Heidelbergenſi, ac Lipſienſi tribuit. Domum reverſi famæ celebritate motus Henricus Rantzovius, Cimbriæ Vicarius, Brædenbergam ad ſe vocavit honorificè, & reliquo deinceps vitæ tempore ejus honnoribus maximè favit. Deinde Baſileam conceſſit, ubicum paſſim viri docti urgerent, ut quas Triangulorum Analyſes ſolidas illas ac expeditas delinearat, partimque ex Albategnij, Regiomontani, Reinholdi, Mauraulici particularibus præceptis, partim privata induſtria in regularum generalitatem redegerat, eas publici juris faceret, ſemeſtris temporis ſpatio commoratus, Geometriam Rotundi edidit, viris doctis acceptiſſimam & publicè ſæpe laudatam. Relictis ibidem amicis & præceptoribus, Platero, Eraſto, Zvingero, Stupano, Bauhino, Italiam petiit. In Patavina Academia audivit Paternum, Mercurialem, Capivaccium, Bottonum, Guilandinum, Aquapendentem, Saxoniam, Piccolomineum, Mercenarium, Jac. Zabarellam, Malerium, &c. Nationis Germanicæ interim & Procurator electus & poſtea Conſiliarius, monumenta inibi in Templo D. Sophiæ erecto, & Bibliotheca tum primum inſtituta. In Piſana Academia Cæſalpinum & Bonamicum elegit amicos, à quibus quoque in publicis Scriptis eſt laudatus. Florentiæ Mariæ Noſocomium aliquot menſium ſpatio illum detinuit. Italiâ, quadriennio confecto, viſâ univerſâ, Baſileam rediit, ubi â Theodoro Zuingero Medic. Doctor, die Barthol. 1587. renunciabatur. Inde celebriores Germaniæ partes & Academias perluſtravit, totumque tractum Danubianum, item Poſoniam, Jaminum ac Comorram Hungariæ, & per Moraviam, Bohemiam, Miſniam Marchiamque ad ſuos domum rediit. Reverſum Illuſtriſſ. Princeps PHILIPPUS, Dux Sleſvici & Holſatiæ, Gottorpium evocavit, Medicũque ſuũ conſtituit. An. 1591. delatam in hac Academia Mathematicâ Profeſſionẽ adiit, donec 1602. Eloquentiæ Profeſſioni præficeretur. Non longo poſt tempore Oeconomiæ & Communitatis Regiæ bona adminiſtrandâ ſuſcepit. Et quamquam Profeſſio Medica, poſt obitum D. Andreæ Chriſtiani, Cl. Viro D. Petro Severino Archiatro decreta eſſet; tamen cum ille immaturo fato Academiæ eriperetur, & paulo poſt D. Andreas Lymvicus Medicus Senior eſſe deſiiſſet, factum eſt, ut priusquàm ab illo relictam Medici ſecundi ſtationem adiret, hujus locum An. 1603. conſequeretur. Interim conjugium quod 1590. cum Virgine pudiciſſima, Soſtrata Ivaria, in Friſia Eidorenſi prognata contraxerat, filiis tribus & 6. fiiliabus auxit. Primus natu M. Jacobus Finckius, Phyſ. P. & Acad. jam poſt parentem Senior, cum conjuge Margaretha Tetens, Avum fecit duorum filiorum & totidem filiarum, Proavum vero duorum filiorũ totidemque filiarum; Filia natu major Anna quæ nupſit D. Caſparo Bartholino, Prof. P. Sex nepotes unamque neptim Seni Finckio genuit, novem pronepotes totidẽque proneptes, duas abneptes. Altera Margaretha, quam duxit D. Georgius Fuiren, tres nepotes duaſque neptes, pronepotẽ unum & tres proneptes. Tertia Dorothea, conjux D. Olai Wormij Profeſſ. P. ſex neptes, quinque pronepotes & ſex proneptes. Quarta Druda, uxor D. Joh. Brochmanni Prof. Theol. duos nepotes, quatuorq; neptes & duos pronepotes, quos ſi numerare mavis, erunt 79. (Anno 1661. excrevit numerus ad 107.) Magiſtratum interea Academicum ſummum quintum geſſit, & Academiæ negotiis ſpatio 65. annorum vacavit. Regis CHRISTIANI IV. valetudinem ſæpe, imprimis in itinere Norwegico, curavit. Oeconomi priores ædes & aream dupla acceſſione locupletavit, novo inſuper cœnaculo pro Studioſis alumnis extructo. Splendidum illud ædificium, quod Regentiam vocant, habitationibus alumnorum regiorum deſtinatum ædificavit. Oeconomiæ res ita diſpenſavit, ut plus quàm 40. ultra numerum con-

conſuetum, alumni libera menſa alantur. Ædes communitatis incendio conflagratas, reſtauravit ad iſtam, quam nunc in platea Septentrionali viſuntur magnificentiam. Medicinæ & Philoſophiæ Studioſis 3000. Imperiales legavit, præter alia in pauperes erogata. Annum agens 96. laborum & annorum ſatur, viribus quotidie magis magiſque debilitatis, 10. April proximè elapſi febricula corripiebatur, quæ accedentibus graviſſimis ex Calculo, aliiſque pectoris doloribus, Senio confectum corpuſculum lancinarunt, ut decimo quarto à decubitu die, 24. ejuſdem Aprilis, animam Creatori placidiſſimè redderet, &c. Hafniæ. d. 2. Maj. 1655.

EPITAPHIUM.

D. O. M. S.

THOMAS. FINCKIUS. FLENSB. PHILOS. ET. MEDIC. DOCTOR. ILLUSTRISS. HOLSATIÆ. DUCIS. PHILIPPI. MEDICUS. QUONDAM. AULICUS. ACADEM. POSTEA. HAFNIENS. MATHEMAT: ET. ELOQUENTIÆ. PER. XIII. MEDICINÆ. VERO. LIII. PROFESSOR. PUBL. FACULTAT. DECANUS. ET SENIOR. CANONICUS. ROSKILDENSIS. REGIÆ. STUD. OECONOM. LIV. ANN. PRÆFECTUS. DUM. VIXIT. PATER. AVUS. ABAVUS. ATAVUS. LXXIX. LIB. VIDUITAT. XLII. ÆTATIS. XCVI. VI. KAL. MAII. M. DC. LVI. PLACIDE. DEFUNCTUS. EX. DORMITORIO. SUO· GLORIOSAM. RESURRECTIONEM. EXPECTAT.

* *
*

In Domo Anatomica Hafniæ legitur & hæc Inſcriptio:

MUSÆUM. NATURÆ.
LIBERALI. MANU·
DIVINI. SENIS.
D. THOMÆ. FINCKII.
PROFESSORIS. PER. ANNOS. LVI.
OPTIME. MERITI.
IN. QUEM. NATURA. OMNIA. SUA.
MUNERA. CONTULIT.
PUBLICO. BONO. EXSTRUCTUM.
UT. CUM. NATURÆ. PERENNITATE.
FAMA. EJUS ESSET. SEMPER.
SUPERSTES.

A. C. cIↄ cIↄ LVII.

Scripta.

Geometriæ Rotundi libri XIV. Baſileæ 1583. 1591. 4.

De Conſtitutione Matheſeos. Hafn. 1591. 4.

Horoſcopographia, ſive de inveniendo ſtellarum ſitû Aſtrologia. Sleſwici, 1591. 4.

De Hypotheſibus Aſtronomicis, Dimenſionibus Mundi, ac primi Motûs Circulis. Hafniæ, 1594. 4.

De Ortû & ocaſu Siderum. Ibid. 1595. 4.

De diebus & noctibus. Ibid. 1601. 4.

De Menſibus & Annis. Ibid. 1602. 4.

Tabulæ Multiplicationis & Diviſionis Ibid. 1604. 4. forma oblongâ.

Ephemerides variæ. Ibid. 4.

Tres Tabulæ, quotidiano numerandi uſui accommodatæ. bIid. 1615. 16.

De Medicinæ Conſtitutione Diſput. xvij Ibid. 1627. 4.

Appendix de Canonis Triangulorum uſû etiam in Cyclometricis. Ibid. 1627. 4.

Diſpp. de Peſte, de Hydrope, &c.

FINELLA (*Philippus*,)

Ex eo habentur

De Metopoſcopia, Libri tres. Antverpiæ; 1648. in 8.

Ejuſdem Nævorum Libri 3. Ibid 1648. in 8.

Ejuſdem, de quatuor ſignis, quæ apparent in unguibus Manuum. Ibid. 1649. in 8.

FIOCHETTUS (*Joh. Franciſcus*,) Sabaud· Ducis Archiater.

Ex eo habetur

Tratato della Peſte, ò ſia Contagio di Torino, dell' anno 1630. In queſta ſegonda Editione in piu luoghi corretto ed accreſciuto, di alcuni ricordi ſalutevoli, in occorrenza di Peſte. Aggiuntevi in fine Varie Notizie concernenti il morbo Contagioſo che ora nella Provenza ſi va dilatendo. In Torino, 1720.

FIORAVANTI (*Leonhardus*.) Bononienſis Medicus & Chirurgus. Obiit Ann. 1588. die 4. Sept.

De eo extant

Compendio dei ſecreti Rationali, Libri v. Compendium. Secretorum Rational. &c. Taurini, 1580. 8.

Capricio Medicinale. Venezia, 1617. 8.

Teatro della Vita Humana. Regimento contro la Peſte &c. De Capricci Medicinali Libri quattro. Nel primo de quali s'inſegna a conoſcere diverſi ſegni delle coſe naturale, con molti ſecreti nella Medicina e Cirugia. Nel ſecondo ſi moſtra di fare varii, & diverſi medicamenti utiliſſimi. Nel tertio ſi tratta dell' Alchimia dell' huomo, e dell' Alchimia minerale, con molti Capricci a figlivoli dell'Arte. Nel quarto ſi contengono alcuni belli diſcorſi Filoſophici, & Medicinali, di nuovo dall' iſteſſo Autore in molti luoghi, di ſecreti importantiſſimi, ampliati; i quali coſi à Profeſſori di Fiſica, come di Cirugia, erano grandemente neceſſarii. In Venetia 1595. appreſſo Michaele Bonibelli, 8.

Della Fiſica Diviſa in Libri quattro. Nel primo ſi tratta della creatione de gli elementi, delle quatro ſtagioni dell' anno, della Creatione de l'humo; & ſi diſcorrono molte coſe curioſe e belle da ſapere. Nel ſecondo ſi ſcrive un nuovo Antidotario, dove s'inſegna fare varii e diverſi rimedii, non mai più inteſi, ne letti, e ſono di mirabili virtù, & eſperienza. Nel terzo ſi diſcorre ſopra varie e diverſe coſe; & maſſime ſopra diverſe infirmità, e ſuoi rimedii. Nel quarto ſi diſcorre ſopra molte coſe Filoſofiche, con belliſſimi trattati di Alchimia, e altre coſe notabiliſſime, di nuovo poſta in luce. In Venetia 1603. Appreſſo Lucio Spineda, 8.

FIRENS (*Petrus*,)

Ex eô habentur

Piſcium vivæ Icones in æs inciſæ.

FISCHARTUS (*Johannes*,) Francofordianus.

Galeni Libr. de Libris propriis, Latinè reddidit. Item ejusdem, de Ordine Librorum ſuorum ad Eugenianum.

Item Quomodo morbum ſimulantes ſint deprehendendi?

De parvæ pilæ luſû. Johanne Fichardô interprete. Lugudni, 1555. in 12.

FISCHE-

FISCHERUS (*Lævinus*,)

Ex eo habentur

Corpus Medicinæ Imperiale facili ideâ per certa & apodictica Neotericorum veræ artis principia ac Panacei remediorum Methodicorum, Chimiatricorum ſpecificorum normam digeſtum. Annexis Examine Candidatorum Medicinæ hactenùs conſueto : Reſolutione Caſuum & Aphoriſmorum Hippocratis genuinâ. Hemipoli, ſumptibus Autoris, 1656. in fol. Ibidem, ſumtibus Hynitzſchianis, 1680. in 8. omiſſis Annexis in priori Editione.

De prolongandâ vitâ Dialogus Philoſophico-Medicus. Quo inſuper de Medicinæ principiô primô enucleatè diſſeritur : unde modus, Corpus Medicinæ univerſale digerendi, aliaque ſcitu digna intimantur; pro reſtituendâ verâ Medicinâ, Artium nobiliſſimâ. Sine loci nominatione, quo impreſſus ſit; proſtat apud Authorem, 1640. in 8.

De Locô verô ac Fociô affectûs Præcordialis vulgo Hypochondriaci dicti : deque Viis per quas ſeroſitates morbificæ excernuntur : ex verô Medicinæ fonte Hippocrateô, præviis iſtius rei Obſervationibus Anatomicis, ſuccinctè deducta ἐξέτασις. Sine nominatione loci & anni, ubi, & quando excuſa ſit. Proſtat apud Authorem, in 8.

De Aureâ Auri Tincturâ, ſive, Veri Auri Potabilis Medicinâ, Commentarius; quô & genuina ejus præparatio ac uſus ſpectabilis intimatur. Acceſſit Conſilium Antihypochondriacum, 1630. in 12. & 1643. in 12. ſine locô, ubi, & apud quem proſtet. Omiſſô in ſecundâ Editione Conſiliô antihypochondriacô.

FISCHERUS (*Joh. Andreas*,) Med. & Profeſſ. Publ. Extraord. in Academ. Hier. & Med. Provinc. Ducalis Iſenac.

De eô extant

Conſilia Medica, quæ in uſum Practicum & Forenſem pro ſcopo curandi & renunciandi adornata ſunt. Tomus I. cui acceſſit ejuſdem Authoris *Conſiliarius Metallicus*, cujus officium in Rei Metallicæ cognitione & directione verſatur, quæ ex metallorum generatione, probatione, ſeparatione, & ſpeciatim ad forum Medicum applicatione deſumantur. Francofurti apud Joh. Maximil. à Sande 1705. 8. Ibidem an. 1706. horum prodiit Tomus II. cui adjecit Author *Mantiſſam* Medicamentorum ſingularium. Tomo autem III. ibi quoque an. 1712. edito acceſſit L. Mich. Crügneri P.M.C. Tractatus deſideratiſſimus de Materiâ perlatâ.

FLACHT (*Fridericus*,) Vormatienſis.

De eo extant

De Chloroſi, ſeu, Morbô Virgineô, Diſputatio. Extat Decade V. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ, Johan. Jac. Genathius, 1621. in 4.

De Melancholia & idiopathicâ & ſympathicâ Diſputatio. Extat Decade VI. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ, Johan. Jac. Genathius, 1622. in 4.

FLACIUS (*Matthias*,)

Ex eô habentur

Themata de Concoctione & Cruditate. Roſtochii, apud Myliandrum, 1594. in 8.

Diſputationes partim Phyſicæ, partim Medicæ, in Academiâ Roſtochianâ propoſitæ. Roſtochii, apud Stephanum Myliandrum, 1602. in 8. Ibidem, apud Laurentium Albertum, 1603. in 8.

Commentariorum de vitâ & morte, Libri quatuor. In quibus ea, quæ ejuſdem argumenti ab Ariſtotele & Galenô, cæteriſque tum Philoſophis tum Medicis brevius, ſparſim obſcuriùſque tradita ſunt, expeditiori methodô copioſiùs explicantur. Francofurti, apud Chriſt. Corvinum 1584. in 8. Lubecæ, 1616. in 8.

FLAMELLUS (*Nicolaus*,)

De eô extant

Annotationes Chymicæ : ex Democritô, Gebrô, Lulliô, Villanovanô, aliiſque Autoribus. Extant cum Bern. Treviſani Librô de Chymicô Miraculô per Gerhardum Dorneum editô. Baſileæ, apud Conr. Waldkirch 1600. in 8. & Volumine primô Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8. pag. 820.

Summarium Philoſophicū. Extat cum Muſæô Hermeticô Reformatô & Amplificatô. Francofurti apud Hermannum à Sande 1677. & 1678. in 4.

FLAVIUS (*Camillus*,) Faneſtris.

Ex eo habetur

In Magni Hippocratis Coi Librum de Aëre, Aquis, & Locis, Paraphraſis. Venetiis, apud Rob. Mejettum, 1596. in 4.

FLECKIUS (*Melchior*,)

De eô extat

Oratio de præſtantiâ Corporis humani, habita in Doctorali ſuâ Coronatione, die VII. Januarii annô 1668. Extat Tomo. I. Orationum Ingolſtadienſium. Ingolſtadii, apud Alex. Veiſſenhorn 1571. in 8.

FLEISCHMANNUS (*Chriſtianus*,)

De eô extat

Diſputatio Phyſica de ſomnô & vigiliâ, Inſomniis & Divinationibus, ex Lib. Ariſtotelis de Communibus Animi & Corporis affectibus deſumta. Argentorati, 1590. in 4.

FLESSELLIUS (*Philippus*,)

Ex eô habetur

Chirurgia. Pariſiis, apud Petrum Drovard, 1553. in 16.

FLOREMBENUS (*Pamphilus*,) Foroſempronienſis

De eo extant

Collectanea de Febribus. Venetiis, apud Nicol. Baſcarinum, 1550. in 8.

Epiſtola ad Petrum And. Matthiolum, quâ agitur de alterâ Dioſcoridis Clematitide. Extat lib. I. Epiſtol. Matth. pag. 42.

FLORENTIA (*Gentilis de*,) Vixit circa A. C. 1320. Wolffg. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extat

Super primum & ſecundum Tractatum Fen quintæ quarti Canonis Avicennæ, ſc. de Diſlocationibus & Fracturis, quos Dinus non expoſuit, expoſitio. Extat cum Dini de Garbo Chirurgia. Venetiis, apud Luc. Antonium Junctam, 1536. in fol. fol. 119. v.

FLORENTINUS.

De eô extat

De Re Ruſticâ, Fragmenta aliquot. Extant in Γεωπονικῶν, ſeu, de Re Ruſticâ ſelectorum Lib. XX. Græcè, Joh. Alex. Braſſicani operâ in lucem editis.

editis. Baſileæ apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinè autem, Janô Cornariô interprete. Baſil. apud Frobenium, 1540. in 8.

FLORENTINUS (*Nicolaus*,)

Ex eo habentur

Sermonum Scientiæ Medicinæ Tom. III. Venetiis, 1507. in fol.

FLORENTIUS (*Henricus*,) Leidenſis.

Ex eô habentur

Additamenta ad ſingula Capita Tractatus Petri Paavo de Peſte. Extant cum hôc ipſô. Lugduni Batav. apud Abrahamum Commelinum, 1636. in 12.

FLORIDUS (*Ambroſius*,) Patavinus.

Ex eô habetur

Tractatus de annis Climactericis ac diebus criticis, dialogiſticô contextus ſermone. In quô mira doctrina ex fontibus Aſtrologorum excerpta Philoſophorum panditur, quô pactô totiûs vitæ humanæ curſus per ſeptennarium annorum numerum regulatus, ſecundum varias planetarum conjunctiones, in diverſis temporibus agitetur & torqueatur. Patavii, apud Matthæum de Meniis, 1612. in 4.

FLORIUS (*Marcus Anton.*)

De eô extat

De Morbis Epidemicis. Ferrar. 1587. 8.

FLORUS (*Johan. Fridericus*,) Argentinenſis.

De eô extat

Conſultatio Medica de curandô Melancholicô. Extat Orationum Argentinenſium Tom. I. pag. 512. edit. Argentorati, apud Laz. Zetznerum, 1611. in 8.

FLOYERUS (*Johannes*,) Eques Auratus & Medic. Doctor.

Ex eô habenturin Actis Lipſienſibus Ann. Supplem. Tom. I. 1692. *pag.* 502.

ΦΑΡΜΑΚΟ-ΒΑΣΑΝΟΣ.

Or, the Tonchſtone of Medicines.

i. e.

Lapis Lydius Medicamentorum, Virtutem Vegetabilium, Mineralium & Animalium in duobus Voluminibus detegens. Londini, apud Samuelem Smith & Robertum Clavel. A. 1687. *&* 1691. *in* 8.

Ut nobiliſſimam artium Medicam à vulgari opinione, quâ conjecturalis proclamatur, Clariſſ. Autor Vindicaret, *duobus his Voluminibus*, ſucceſſivè editis & *partes ſex cum Appendice* comprehendentibus, medicamentorum pariter atque humorum animalium ſaporibus & odoribus evolvendis ſtrenuam navavit operam, ceu quorum adminiculo Medicamina detegi, humores examinari, ac utrorumque ad ſe invicem convenientia vel diſconvenientia obſervari poſſint ac debeant. *Parte Imâ* de Vegetabilium ſaporibus & odoribus in genere ſolicitus, non ſolùmmodò ſaporum differentiam, principia cum viribus inde dependentibus ac odores, ſed & qualitates occultas, remedia ſpecifica, diverſos remediorum vires cognoſcendi modos, ac diſcrepantes ſaporum gradus indagat. Ante omnia ſiquidem ſapores in ſimplices & compoſitos, ratione habitâ differentis texturæ motûſque principiorum primorum, diſpeſcit, quatuor ſaltem plantarum ſapores ſimplices aſſerens, aqueum, terreum, oleoſum & acidum, cum nonniſi terra, aqua, acidum & oleum principia earum deprehendantur, pro diſcrepante particularum figura & motû diverſimodè guſtum afficientia. Sapores verò compoſitos, tanquam ſpeciales particularum texturas, ad quatuor revocat genera prout vel è nonnullis principiorum, uti ſapor amarus, adſtringens, mucilaginoſus, pungens & dulcis; vel è ſapore ſimplici & compoſitô, v. g. acris & acerbus; vel è ſaporibus compoſitis invicem mixtis, e. g. nauſeoſus, auſterus & nitroſus; vel ex aliis ſaporibus compoſitis peculiari odore concomitante, uti ſapor aromaticus, fœtidus & naſturtii ſive antiſcorbuticus, proficiſcuntur. Compoſitos tamen hoſce ſapores, reſpectivè ſimplices denominari poſſe adſtruit, quod ad compoſitos plantarum ſapores efformandos concurrant, qui vel in eôdem ſuccô v. g. in terebinthinatô amarus, mucilaginoſus & acris, vel in vaſculis & ſuccis diverſis, v. g. in lymphaticis lympha dulcis, in muciductibus mucilago, in lacteis lac vel amaro-acre, vel amaro-fumoſum, vel dulce, in vaſculis balſamicis terebinthina, in partibus parenchymaticis ſive utriculis ſuccus crudus, &c. advertantur; radicibus, caulibus, foliis & fructibus ejuſdem plantæ ſapore differentibus, propter ſuccorum digeſtionem, mixturam, texturam & colaturam differentes. Curioſius dein in principia ſaporum indeque dependentes vires inquirens, ſaporem muſcorum, lignorum & corticum à terrâ, crudum à multâ aquâ terræ & acido commixta, mucilaginoſum à multâ itidem aquâ acidô & oleô aſſociata, adſtringentem ab acidô & terrâ, amarum, aromaticum & fœtidum ab oleô cum acidô & terrâ, combinato & diverſimodò exaltato, nauſeoſum ab amarô & mucilaginoſo ſive dulci, pungentem ſive acrem à ſale volatili, dulcem denique ab æquali principiorum mixturâ, deducit, variaſque tantum non ubivis differentias conſtituit. Sic adſtringentia, v. g. vel aquea, vel amara, vel dulcia, vel aromatica exponit: adſtringentia aquea, e. g. plantaginem, polygonum &c. ob multam aquam in morbis calidis fluxû præternaturali ſtipatis convenire; adſtringentia amara, v. g. corticem Peruvianum, radicem tormentillæ &c. ratione amaritiei ventriculô & mixturæ ſanguinis proſpicere, ratione verò ſaporis adſtringentis particulas febriles è ſanguine præcipitare, adeòque utrôque modô febribus mederi; adſtringentia dulcia, v. g. filicem, adianthum, vitriolum Martis &c. vulneribus ſuccurrere, fluxus præternaturales cohibere, ac ſanguinis turgeſcentiam in hypochondriaco-ſcorbuticis compeſcere &c. Tum plantarum odore in frigidum, temperatum & calidum diſtinctô, odorem frigidum vel terreum in fungis, muſco &c. vel acidum, in acetoſa &c. vel crudum ſive herbaceum in plantagine &c. ob minorem ſuccorum digeſtionem, quam in plantis aut fructibus maturis temperatum odorem ſpirantibus ac nutrimenti vice inſervientibus, annotat. Odorem autem calidum vel gratum obſervat, vel ingratum: illum quidem pro diverſâ olei rarefactione nunc terebinthinatum & vulnerarium, v. g. in ladanô ſegetô; nunc aromaticum & cordialem in aromatibus, nunc fragrantem ſummè analeptium in floribus v. g. aurantiorum, Jaſmi-

Jaſmini &c. Hunc verò ſive ingratum, modò ob ſal volatile inſigniter pungere exemplô ſeminis ſinapi, modò ratione ſalis & olei volatilis fœtere in morem vel ſambuci, vel allii, vel olei rancidi, vel papaveris, vel vaginæ ari. Hinc quoad qualitates occultas, licèt ſapores & odores à texturâ ſpeciali propullulent, caloriſque & frigoris qualitates à particularum motû dependeant; nihilominùs cùm particularum minimarum nec figuræ viſui, nec motus internus tactui aliiſve ſenſibus pateſcant, omnium plantarum cunctorumque reliquorum corporum texturas pro occultis qualitatibus æque reputat, ac ea corporum effluvia, quæ in ſenſus noſtros haud incurrunt. Quod verò medicamentorum nonnullorum operationes præ aliis explicatû difficiliores videantur, cauſam partim in corpus animale quoad multas adhuc partes incognitum, partim in medicamenta quoque nondùm ſufficienter ſecundum ſpecialem ſaporem compoſitum examinata, rejicit. Sic opii quidem gummoſitatem, acrimoniam, amaritiem, & fœtorem percipi, quibus corpus animale ſtupidum reddat, operationis tamen hujus modum vix explanari poſſe, niſi ſpirituum animalium natura & motus exactè priùs innoteſcant. Interim pro ratione, quâ Vegetabilia vires medicamentoſas exerant, uberius inveſtiganda, duo attendi jubet; (1) Plantas ratione ſaporis compoſiti ſpecialem edere operationem, exemplo rhabarbari, ope ſaporis amari, mucilaginoſi, ſubacris & adſtringentis, per inferiora evacuantis, quamvis quilibet ſapor particularis in ſe conſideratus, ſuâ virtute haud deſtituatur; (2) in quâlibet animali diſcrepantiam humorum qui in diverſis partibus ſecernuntur & excernuntur, intuitû ſaporis, naturæ, digeſtionis & motus ſpecialis, à mechanicâ corporis ſtructurâ dependere, ipſaſque inter partes organicas adeò elegans artificium intercedere, ut una affecta mox totum corpus notabiliter alterari queat, quemadmodùm hyſtericæ ab odoribus ipſis ingratis quotidie experiantur. Sed ad medicamenta ſpecifica accedens, hoc nomine ea inſignit, quæ ratione particularis ſaporis vel compoſitionis ſaporum aut odorum, quâ gaudent, longè ſpecialiùs & efficacius, quàm alia remedia, in certos animalis humores operantur; qualia ſpecifica vel purgantia, vel alterantia contraria ſive ſapore humori alterando contrario inſtructa, vel alterantia amica ſive ſapore cum humore corrigendo convenientia, fuſius explicat. Poſt hæc plantarum virtutes & tactû quoque, & viſû generaliùs explorari poſſe indigitat; tactû namque mucilaginem earum & gummoſitatem, ſuccorum aquoſitatem & veſicatoriorum acrimoniam percipi: viſû autem tum vegetabilium & humorum colores, tùm plantarum ſignaturas dignoſci, modò de morbô, v. g. pulmonariam, ſcrophulariam &c. modò de cauſâ morbi externâ v. g. doronicum, modô de parte affectâ v. g. nucem myriſticam, juglandem &c. atteſtantem. Pluris tamen methodum adjumento ſaporis vires plantarum ſcrutandi æſtimat, eò quod hæc in partibus & humoribus eaſdem, atque in linguâ affectiones detegat, ac multis inſuper experimentis diverſimodè circa ſapores ſpeciales inſtituendis valeat promoveri. E multis saporibus, quibus aſſerti veritatem it comprobatum, ſoliûs acidi in præſenti meminiſſe ſufficiat; hunc frigore, aciditate, acrimoniâ & aliquali auſteritate linguam afficiendo indicium quidem præbere, quod acidâ ratione ſaporis frigidi ſanguinem & ventriculum refrigerent, ſitim ſedent ac externè inflammationes repellant, intuitû acrimoniæ aperiant, penetrent & phlegma reſolvant, ratione demùm auſteritatis, adſtringentium inſtar, ſed lenius, fluxus alvinos & hæmorrhagias compeſcant; majorem nihilominus acidorum efficaciam experimentis variè declarari; Ex eô quippè quod ab acidis lac, bilis & ſerum ſanguinis coagulentur, majorem eorum refrigerandi facultatem innoteſcere; quòd acida ſalibus volatilibus adverſentur & cum his in ſal mixtum coaleſcant, virtutem eorum diureticam pateſcere, quod acida mineralibus juncta vitriolicum saporem producant, de ratione ſimilis ſaporis in ſcorbuticis nonnunquam obvii conſtare; quod acida cum certis concretis frigidam, cum aliis Calidam pariant effervefcentiam, horroris & excandeſcentiæ in nobis cauſam haberi. Saporum denique experientiâ duce tres ſtatuit gradus: parvum, moderatum & ſummum; amaris v. g. vel parùm, vel moderatè vel intensè linguam afficientibus.

Parte II. ſapores plantarum tum earum, quæ ſponte in Angliâ naſcuntur, tùm quæ in hortis coluntur, aut in officinis aſſervantur, juxta ſeriem alphabeti edocet, potioribus viribus ex Auctoribus adjectis, quo totidem veluti exemplis generaliora partis primæ ſpecialiùs dilucidentur. v. g. Agrimoniam vulgarem moderatè eſſe amaram, ſubacrem & adſtringentem, odoremque ſpirare aromaticum; ratione amaritudinis ventriculo convenire, obſtructiones hepatis reſerare, acidumque urinæ in hujus continentia corrigere; intuitû ſaporis adſtringentis vulnerariam eſſe, mictumque involuntarium cohibere; ratione denique odoris aromatici refocillare. Primulæ Veris vulgaris folia dulcia & mucilaginoſa marmeladam recentem olere; radicem verò amaram eſſe & acrem, ac pulveriſatam, odorem plantæ præ ſe ferre, & ſternutationem æquè ac helleborum ciêre, it. ratione irritationis, quâ gulam ſive fauces vellicat, ſalivam movere & ſtrumas curare. Mirabilem Peruvianam ſolani odore & virtute gaudere; radicem ejus mucilaginoſam, acrem & amarulentam æquè ſtrenuè ac Julappam purgare, ab hâc tamen reſpectû facultatis narcoticæ differre. Scorzoneræ radicem, folia & flores ſapore inſipidô, aqueô & dulci frui, refrigerare & nutrimentum præbere; ubi verò vires diaphoreticæ & cordiales deliteſcant, minùs patere.

Parte III. quâ *Volumen* I. finit, ſapores & odores Productorum vegetabilium exhibet, tam naturalium v. g. gummatum, reſinarum, balſamorum, &c. quàm artificialium, quæ fermentatione videlicèt aliiſve modis è Vegetabilibus præparantur. Fermentationem omnem, pariter atque Vegetationem ab acidi & olei derivat conflictû, quorum illud cum acidô ſulphuris ſive vitrioli, hoc verò cum terebinthinæ oleô coincidat, modo pro effervefcentiâ celebrandâ actualis calor ignis vel externi, vel interni accedat. Acidū quandoquidem & alcali minùs diu effervefcere, ſed mox in ſal tertium degenerare, nec è vinô aut cereviſiâ novellis parùmque fermentatis ſpiritum aut ſal lentâ deſtillatione acquiri poſſe, benè verò a nimiô acidô, æque ac à ſale fixô, fermentationem impediri. Vice verſâ dulcia concreta, v. g. ſaccharum, mel, muſtum, &c. ceu ex acidô cum primis & oleo compoſita, promtè fermenteſcere, acidumque & oleum calori concitando unicè apta eſſe, ac cuncta vegetabilium effluvia odorata oleoſa videri; quamobrem

obrem alcalia quoque volatilia, fermentationis producta, ex oleô, acidô & terrâ, ſpiritus autem ardentes ex oleô, acidô & ſale volatili cenſet coaleſcere. Reliquarum verò præparationum Vegetabilium optimas reputat eas, quæ omnem eorum ſaporem & odorem, adeòque texturam virtutum radicem, integram conſervant, quales ſunt; Infuſa, Decocta, ſucci, ſyrupi, Pulveres, olea expreſſa, Emulſiones & Conſervæ. Etenim Tincturas, Aquas deſtillatas, ſpiritus, olea deſtillata, Extracta & Mucilagines de certis ſolùm viribus participare; putrefacta verò, calcinata &c. nova planè eſſe mixta, ſalutaria quidem, à plantarum tamen virtute aliena. Interim ut præparationes mox appareant, quæ certis Vegetabilium ſaporibus præ aliis conſervandis conveniunt, dum v. g. ſapores ſabuloſi optimè pulveriſatione conſervantur, ab acidô verò additô deſtruuntur; è diverſô ſapores lignoſi magis decoctionibus proportionati ſunt, pulveriſationibus autem & deſtillationibus labefactantur, in Catalogô appoſitô, ſuccinctè eaſdem tradit.

Parte autem III. qua *Volumen alterum* auſpicatur, poſtquam multiplicem ſaporum in medicamentis dijudicandis utilitatem in Præfatione expoſuit, totus in eô eſt, ut Mineralium partim principia cum Vegetabilium principiis eadem eſſe, partim virtutes à ſimilibus proficiſci ſaporibus, oſtendat. Obſervat proin, ipſa vegetabilia acidum, oleum & terram à mineralibus haurire, cùm ſolum, in quô plantæ progerminant, mera mineralium corporum exiſtat congeries, & corallia v. g. lapilli fructuum &c. primum vegetabilia videantur, ab acerbi verò poſtmodùm ſucci acceſſû petrefacta mineralia evadant, vice verſâ bitumina mineralia facillimè in vegetabilia tranſeant, terebinthinæ exemplo, nec quoad odorem & ſaporem, nec quoad deſtillationis producta à bitumine diſcrepantis; hinc Hepaticam quoque terreſtrem Petroleum redolere. Neque plura, quàm quatuor ſuperius indigitata principia è mineralibus haberi poſſe, talium concretorum commemoratione adſtruit, quæ vel aquam, v. g. terræ & ſalia, vel oleum, e. g. carbo foſſilis, bitumen, vel acidum, v. g. ſulphur, antimonium, vel terram, e. g. lapides, ſuggerant; præter acidum enim non aliud ſimplex ſal dari, cuncta reliqua compoſita eſſe, ipſaque ſalia fixa & volatilia è certâ olei, acidi & terræ proportione compingi. Sic lixivia quod aëri libero expoſita, obſervante D. *Grew*, in ſal primò nitroſum, dein marinum degenerent, ſimulque aliquid terræ præcipitetur, olei tam ſeparationi, quàm omnimodæ evaporationi adjudicat. Mineralium verò & perfectorum ſive metallorum & imperfectorum, ſalium videlicèt, ſulphurum ſive bituminum, terrarum & lapidum principia, ſapores & vires ſpecialiùs explicans, aurum v. g. e ſulphure & acidô ſummè digeſtis & cum terrâ quâdam lapidea intimè unitis venditat coagmentatum; aurum fulminans ejus productum eſſe vitriolicum, inſtar aliorum vitriolorum vomitum & alvum movens fæceſque nigredine tingens; tincturam & flores ſolis itidem de Vitriolô à ſalium tamen additione correctô participare, ideòque non purgare, ſaltem aliquandò vomitum ſtimulare, ſed plerumque in modum tincturæ Martis acidum æque, ac crocum ſolis, corrigere. Mercurium metallis annumerat, è ſulphure arſenicâli, acidô & plumbô, coagmentatum, qui in medicamentis naturam alcalinam obtineat, ab acidô tamen vel in præparationibus, vel in corpore noſtrô accedente, corroſivus emergat & ſerum coagulando ſalivationem concitet. Antimonium è multô acidô ſulphureô & terrâ vitreſcente aſſerit compoſitum; propterea medicamenta antimonialia vel flores ſulphureos v. g. Tincturam, vel acidum continere, uti clyſſum; à mutuâ verò florum & acidi antimonii miſcelâ emeticam virtutem dependere, mineralium ſulphure reſinis vegetabilium correſpondente. Corallia & perlas ſapore arenoſô gaudere, ac terendum inter odorem moſchi ſpirare annotat, ratione ſaporis acidum abſorbentes, intuitû verò odoris cordialem vim exerentes.

Parte IV. de humorum animalium ortû ſaporeque naturali, analogia inter animalia & mineralia, & medicaminum denique, quæ ex animalibus deſumuntur, ſapore & odore ediſſerit. Scilicèt cum animalia è vegetabilibus ulteriori in ventriculô horum fermentatione magis exaltatis incrementum æquè capiant, ac vegetabilia è ſuccis mineralibus fermentatione ſupervenienti magis rarefactis enaſçantur, eadem omninò principia in Mineralibus, Vegetabilibus & Animalibus occurrere, ſaltem ratione diverſæ digeſtionis & mixturæ diſcrepare. Inter humores primum commemorat chylum, qui cum lacte conveniens vegetabilium in ventriculô fermentatorum & in duodenô à bile coagulatorum tenuior exiſtat portio ab inteſtinis ad vaſa lactea tranſcolata. Fermentationis hìc autorem agnoſcit acidum tam ſalivæ quàm reliquiarum à priori digeſtione ſuperſtitum, ceu quod cum oleoſis vegetabilium maſticatorum & in ventriculô calefactorum particulis efferveſcendo texturam horum diſſolvat, atque ità præparet, ut à potû aſſumptô & lymphâ glandularum ventriculi ipſa Tinctura alimentaris extrahi valeat, in duodenô porrò à bile coagulandâ. Ab amaris proin & amaro-acribus propter acidum oleoſum promptè in ſtomachô ſeparabile, multùm digeſtionem adjuvari. Fuſius hinc exponit, quomodò à chyli parte ſeroſâ ſerum ſanguinis, lympha glandularum, urina, ſudor, ab oleoſâ pinguedo, ab oleoſo-acidâ ſanguinis purpura, ſpiritus animales, bilis, ſemen, à viſcidâ demùm ſivè caſeoſa fibroſarum partium nutrimentum & mucilago in glandulis ventriculi & inteſtinorum, item pro bile viſcidâ reddendâ in lienis & folliculi biliarii glandulis ſeparari ſolita, deſcendere ſoleant. Aſt analogiam animalibus cum mineralibus intercedere, animalium humoribus immediatè ad ſtatum mineralem reverſis, v. g. urinæ ſabulô & calculis è ſale ammoniacô animali & terra enatis, item ſaporibus ſalivæ interdum aluminoſis, ſæpiùs vitriolaceis, dat comprobatum. Medicaminum denique ex animalibus petitorum ſaporem, odorem & vires excutit, qualia ſunt ſal ammoniacum animalium, ſal volatile, Lac, Caſeus, Butyrum Adipes, Sperma Ceti, Caro, Viſcera, Oſſa, Inſecta, Stercora, Zibethum, Moſchus, Caſtoreum, & Coagulum Vitulinum non inſtar acidi, ſed fermenti vice lac coagulans, v. g. hepar anguillæ pulveriſatum, ceu ob vaſa biliaria amaricans & fœtidum, partum facilitare: albumen ovorum ratione mucilaginoſitatis acrimoniam humorum temperare externèque ophthalmias refrigerare, deſtillationi verò ſubjectum ſal volatile præbere &c.

Parte V. remedia ſpecifica recenſet tam interna, quàm externa: internorum claſſes viginti duas conſtituit, Laxantium videlicèt, Purgantium & Corrigentium, Sternutatoriorum, Maſti-

catoriorum, Emeticorum, Acidorum, Abſorbentium, Stomachicorum, Hepaticorum, Spleneticorum, Thoracicorum, Cephalicorum, Uterinorum, Cordialium, Diaphoreticorum, Alexipharmacorum, & ſudorem impedientium, Nephriticorum & Diureticorum, Arthriticorum, Opiatorum, Lactis proventum augentium & imminuentium, Venereorum, Ophthalmicorum ac Anthelminticorum. Externa verò nempè Coſmetica, Veſicatoria, Cauſtica, Narcotica, Anodynia, Diſcutientia, Repellentia & Traumatica ſub octo comprehendit Claſſibus, doctrinâ venenorum è triplici regnô petitorum ſub calcem adjecta, quemadmodum Catalogum ſaporum, quorum in ipſis claſſibus eorumve tabulis mentionem facit, præmiſit. In ipſa verò ſpecificorum enarratione rarius & non niſi ea addit Compoſita officinalia, quæ certô odore certovè ſapore pollent; ſimplicia quippe compoſitis anteponit, neque compoſita, ubi his opus fuerit, alia commendat, quàm quæ pauciores ſapores tres vel quatuor ingrediantur, ac eoſdem ſapores, quos natura conjungere ſoleat, combinatos recipiant.

Parte VI. & *ultimâ* poſtquam Anatomiam plantarum, quoad horum vaſcula quadruplicia ſuccoſque iiſdem contentos è Malpighiô & Grew prælibavit, novam communicat methodum Vegetabilia ratione ſaporis & odoris, cumprimis in oleoſô ſive terebinthinatô vaſculorum ſpecificorum ſuccô perceptibilium, in ſumma genera diſtribuendi. Ad hujus quippe normam in genere plantas, quæ oleoſo vaſculorum ſpecificorum ſuccô conveniunt, ſub eôdem collocat genere, magno compendio tum virtutes earum cognoſcendi, tum diſputationes varias decidendi, v. g. Naſturtium Indicum à flore Conſolidam regalem, à foliis Umbilicum Veneris, à ſcandendi ratione Convolvulum, à ſeminibus Heliotropium videri, promptè tamen ſapore, Naſturtii ſpeciem eſſe, diſcerni. In ſpecie autem plantarum non niſi octo ſiſtit ſumma genera, terrearum nempe, mucilaginoſarum, dulcium, amararum, aromaticarum, fœtidarum, acrium & corroſivarum; acida, acerba & adſtringentia intuitû ſucci oleoſi, quô leviter ſimul amaricant, ad amaricantia auſtera ablegans. Quodlibet enim horum generum reſpectû diverſorum ſaporum compoſitorum aut peculiaris odoris, in certas ſpecies ſubalternas ſubdividit atque exemplis illuſtrat: ſic ſub plantis terreis Vegetabilia arenoſa, lignoſa, lanuginoſa, muſcoſa & terrea perquam fœtida complectitur; plantarum dulcium octo innuit ſpecies, herbacearum videlicèt, frumentacearum, ſubacrium, aromaticarum, filicearum, terebinthinatarum, fragrantium, & fœtidarum &c. Qualem methodum eò præſtantiorem judicat, quod magis Dioſcoridis & Galeni plantarum ſapores & odores annotantium veſtigia premat, omni tempore quo ſemina etiam, fructus & flores deficiant, in cortice, radice & foliis locum inveniat, magnô Medicorum emolumentô plantas ſaporibus, adeòque virtutibus conſpirantes, coordinet, ac facilitate demùm & brevitate emineat. De exactitudine nihilominùs ejus cum exinde dubitari poſſit, quod plantæ etiam diſcrepantibus ſaporibus in diverſis gaudeant partibus, quod plantæ viribus differentibus in multis earum partibus polleant, & quod eædem plantæ pro ſoli differentiâ differentes ſapores acquirant; triplici huic dubio ita ſatisfacere annititur. Sc. primò pro plantis diſtinguendis non omnem ſaporem ſufficere, ſed eum præcisè, qui prævalet ac ſucco oleoſô ſpecifico ineſt, licet utriculorum ſuccus ejuſque in foliis & fructibus alteratio ſimul deſcribi debeant; ubi autem duo vaſcula ſpecifica in eâdem plantâ præſtò fuerint, diſtinctionem à ſapore eorum notabiliori ſumendam eſſe. Deinde virtutes varias vel eidem ſapori, vel diverſis ſaporum gradibus, quibus vegetabilium ſucci in multis eorum partibus gaudent, aſſignandas venire. Sapores denique earumdem plantarum, quæ vel ſponte in ſylvis proveniunt, vel hortis coluntur, gradû ſaltem, neutiquam ſpecie diſcrepare.

Tandem *Appendice* Animalium & Mineralium ſapores duplici Tabulâ expreſſos accuratius explanat, multa adjiciendo obſervata, quæ ſuperius vel omiſſa vel obſcurius tradita fuerant.

Ibidem Annô 1697. *p.* 106.

The preternatural State of animal Humours deſcribed by their ſenſibile qualities &c. hoc eſt.

Præternaturalis Status animalium humorum deſcriptus per ſenſibiles eorum qualitates, quæ dependent ex diverſis gradibus fermentationis: nec non medela cujuſvis particularis cacochymiæ, peracta remediis ſaporis peculiaris ſpecifici &c. Londini, apud Sam. Smith, 1696. in 8.

Cum experientiſſimus Auctor rationi maximè conſonum judicaret, ut præſens ætas admitteret omnes obſervationes ſenſibiles à veteribus circa humana corpora factas, eaſque explicaret & illuſtraret Philoſophia temporis præſentis; conſtituit in hôc tractatû explicare animales humores, tam per obſervationes à veteribus traditas, quam per acceſſiones, quas recentior Philoſophia, Chymia & Anatomia illis adjecit. Primo ergò capite de morbis in univerſum agit, eoſque diſtribuit in morbos partium ſolidarum, humorum, & ſpirituum, ſpecialiuſque intemperiem ſolidarum partium explicat. Secundô autem capite fluidarum partium intemperiem ut exponere poſſit, diſtinctè recenſet originarios liquores animalium, ex quibus reliqui ſecernuntur, eorumque ſtatum naturalem deſcribit, ut eò luculentiùs præternaturalis hinc poſſit intelligi. Quem in finem quoque capite tertio præparationem animalium humorum contemplatur, perſuaſus chylum fermentatione præparari, reliquos autem humores ab illô ortos, ſerum nempe, ſanguinem, & fluida ab his ſecerni ſolita, circulatione, longiori digeſtione, mixturâ & ſecretione, ità ut his mediis, acquirant peculiares craſes & ſapores: contra vitiari chylum quando fermentatio vel nimis eſt languida & ſuppreſſa, vel major quam naturalis animalium temperies requirit, atque labem ſuam reliquis etiam humoribus affricare. Quapropter capite quartô in genere agit de nimis debili fermentatione, ejus afferens cauſas, noxas, & remedia ex ſapore ſpecificô cognoſcenda, qualia v. g. ſunt acria, amara, aromatica, ſulphura mineralia, teſtacea, nec non illa quæ fermentum animale in ſe continent &c. quâ methodô etiam in ſequentibus utitur. Specialius enim in ſequentibus vitia humorum ex remiſſiori fermentatione ortum trahentia conſiderat, exponens capite quintô de ſtatû mucilaginoſô animaliũ humorum, in ſpecie chyli & lymphæ, qui vulgò pituitoſa cacochymia vocatur; ſextò de tartareâ illorũ aciditate vel acerbitate, quæ communiter ſe exerit in

aci-

aciditate ſtomachi noſtri ; ſeptimò de flatulentâ cruda cacochymia chyli aliorumque humorum ; octavo de cacochymiâ ſeroſa. Porrò capite nono ad alteram generalem morborum cauſam, nimiam ſcilicet chyli fermentationem accedit, & cùm illa bilis maximè augeatur, de hujus naturâ, uſû, coloribus & coagulatione per acida, prolixius differit ; ad ſpeciales mox cacochymias hinc oriundas deſcendens. Nam diſquirit decimô capite de ſcorbutô calidô, ſeu ſtatû oleoſô, vitriolicô & rancidô ſanguinis ; undecimo de viſciditate ſeri & inſpiſſatione chyli ; duodecimo de ſalſedine ſanguinis aliorumque humorum ; decimô tertiô de vitriolicâ ſanguinis aciditate, & decimô quartô tandem de putrefactione humorum animalium. Accedunt duæ appendices, in quarum primâ de febribus agitur, oſtenditurque, veterum pariter ac recentiorum opiniones de iiſdem inter ſe poſſe conciliari atque in hanc conjungi definitionem, quod febris ſit præternaturalis fermentatio aut efferveſcentia ſanguinis, orta à fermentô quôdam irritante ſpiritus ſanguinis & nervorum, ut diſſolvatur, putrefiat & ſeparetur pars ſucci cacochymici nutritii ex maſſâ humorum, cui admixtus eſt. Poſt traditam autem febrium curam concludit, valde probabile eſſe, cum ſingulis ferè 40. annis peſtis in Angliâ recurrat, quæ à putridô humorum ſtatû dependet, reliquas etiam cacochymias, quæ ſpecies febrium diverſas pariant, quandam habere revolutionem, & has cum illis reverti. Nimirum cùm ſtatus humorum eſt mucilaginoſus, febrem eſſe ſimilem quartanæ ; cùm tartareus, habere ſymptomata cholica : cùm ſeroſus, febrem eſſe catarrhalem ; cùm flatulentus, vertiginoſam cum flatulentiâ in primis viis & doloribus vagis : Sed ſi cacochymia eſt cholerica, produci tertianam ; ſi rancida, oleoſa, ſcorbuticam ; ſi viſcida, dolores rheumaticos ; ſi vitriolica, quartanam. Unde ſperat, ſi diligenter obſervetur, quænam febres quotannis graſſentur, explorari poſſe, quænam Cacochymiæ febreſque ſibi invicem ſuccedant, quibuſque temporum periodis illarum recurſus ſit exſpectandus. Appendix ſecunda introductorius eſt diſcurſus ad tractatum de aſthmate, continens explicationem defluxionis humorum (termini veteribus valdè uſitati) qua aſthma diverſique alii morbi chronici producuntur. Oſtenditur ergò omnes humorum fluxus vel ab intermittente vel ephemerâ febre produci, ejuſque cauſam eſſe effervescentiam in ſanguine ; terminum a quô, ſanguinem ; canales hujus fluxus, venas arterias, vaſa lymphatica, nervos & glandulas excretorias ; terminum ad quem, partem affectam. Specialius quoque recenſentur morbi hinc profluentes eorumque cura ſubnectitur.

Ibidem Annô 1698. *pag.* 524.

An enquiry into the right uſe &c.

i. e.

Inquiſitio in uſum & abuſum Balneorum Angliæ calidorum, frigidorum & temperatorum. Londini, apud R. Clavel, 1697. 8.

ROmanam pariter atque alias gentes balneis olim frigidis, non tam delectationis aut munditiei, quàm ſalubritatis cauſâ, uſas fuiſſe, ſatis conſtat. Quod remedii genus à noſtris moribus, qui thermas potiùs ſectamur alienum ferè eſt, ſed retentum tamen fuit in Angliâ præcipuè, quoad aquas Buxtonienſes, quarum illa temperies eſt, ut ad frigus magis quam ad calorem vergat. Horum balneorum uſum commendaturus experientiſſimus Auctor, præmiſſâ prolixiori Præfatione, ex Sanctoriô præcipua de perſpiratione inſenſibili dogmata repetit, reprehendens imperitos medicos qui neſcii quibus in caſibus perſpiratio augenda, quibus minuenda, aut quomodò æquabilis conſervanda ſit, ægros ſine diſcrimine ad thermas ablegant, atque adeò in cauſâ ſunt, ut pereant multi, qui per balnea frigida ſanitatem recuperare potuiſſent. Quod ut fiat manifeſtius, Cl. Auctor varia balneorum genera examinat, eorumque virtutes per qualitates ſenſibiles exponere conatur ; deinceps verò confirmat, rectè thermas adhiberi, ubi regnat intemperies frigida, ſed frigida balnea, ubi calida intemperies dominatur, temperata tandem pro re nata in utrôque caſû, contexitque ſingulorum morborum catalogum, in quibus ſalubria ſingula balneorum genera fuerunt deprehenſa, non omiſſis illis, in quibus plus noxæ quàm commodi attulerunt. Potiſſimùm autem Anglis auctor eſt, magis ut frequentent balnea temperata, qualia Buxtonienſia, & deinceps frigida, qualia S. Mungi, S. Winefridi &c. atque his undis durent ſua corpora, ut aëris injuriis eô meliùs reſiſtere poſſint. Maximè autem Buxtonienſia commendat, quorum virtutem & uſum ſingulatim deſcribit, curationeſque ibi peractas recenſet.

Ibidem Annô 1699. *p.* 350.

A treatiſe of the aſthma.

i. e.

Tractatus de Aſthmate. Londini, apud Richardum Wilkin, 1698. *in* 8.

CUm Experientiſſimus Auctor ipſe periodicô Aſthmate triginta ferè annos multùm laboràſſet, nullumque è remediorum à Recentioribus præſcriptorum uſû, ſenſibile autem ex iis, quæ veteres laudàrunt, percepiſſet levamen ; in præſenti de Aſthmate tractatû, in Actis à nobis jamdum indigitatô, quando Noſtri opuſculum de præternaturali humorum animalium ſtatû, Annô 1697. pag. 106. recenſeremus, tantô exactius diuturni hujus affectus cùm Theoriam, tùm Praxin, è Veterum præcipuè monumentis explanare, noviſque Obſervationibus corroborare voluit, quò magis & Medicorum alii, ad integram eorum morborum chronicorum, quibus ipſimet forſan detinentur, accuratius conſignandam hiſtoriam incitarentur. Nempè ut de ſymptomatibus ante omnia conſtaret, quæ Aſthmatis flatulenti, vulgò humidi, paroxyſmos & præcedere, & concomitari ſoleant, ac quô anni tempore quamque ſæpè hi ingruant, ventriculus plerumque à meridie ſecundâ vel tertiâ ab ingeſtis cibis horâ notabiliter primùm inflari, mox ſub noctem ſanguis æqualiter effervescere, corpuſque leniter incaleſcere ac ſpiritus rareſcere, cum levi cephalalgiâ, multâ ſomnolentiâ, laſſitudine artuum, pectoris gravitate, tuſſi convulſivâ, multa urinæ pallidæ excretione &c. annotantur, uſque dum circa ſecundam vel tertiam horam nocturnam, ſenſibilius paroxyſmô affligente, atque reſpiratione difficulter admodum cum ſtertore procedente, æger lectum, in quô non minùs ac in febris paroxyſmô perquam incaleſcat, & cum pulſû frequenti, inæquali tamen, ad ſudorem propendeat, cogatur relinquere, ac in ſellâ erectus ſedere. Frequenter tunc alvus deponitur, & propter circulum ſanguinis impe-

impeditum, pulſus in lentum atque intermittentem mutatur, extrema frigent, facies ſubinde nigricat, interdùm pallet vel livet, oculi trepidant & lacrymas involuntarias ſtillant, labia ſugentis ſpeciem præ ſe ferunt, & muſculi totiûs corporis multùm ſubſident, artuſque ad motum languent, bilis aliquandò evomitur viridis vel flava, urina autem tinctior & ſedimentum deponens in fine redditur paroxyſmi. Qui brevior ſi habeatur, à diætæ errore vel inclementiâ aëris adinſtar ephemeræ reſultans, ac poſt duas vel tres horas iterum ceſſans, ſputatorius dici meretur, quia flatus ſolummodo ac ſputum cum pulſû frequenti ac diſpoſitione ad ſudorem ſocientur, præter ſomnolentiam verò nulla ventriculi anguſtia, nec urina pallida prægrediatur. Si longius autem ad duos, tres, quatuorvè dies protrahatur paroxyſmus, primis diebus nihil vel parùm ſcreatû rejicitur phlegmatis, tertiâ verò vel quartâ die tuſſi expectoratur mucus magis digeſtus minùſque viſcidus, coloris albicantis ac ſaporis dulcis, interdum putridi, ſalſi vel acidi, ſæpè ſanguine nigricante interſtinctus. E diariô, in quod ſingulos paroxyſmos Aſthmatis proprii, occaſione demum febris intermittentis facti periodici, Autor ſeptem per annos aſſiduè retulit, ſedecim paroxyſmi hyberni, æſtivi autem iique graviores viginti, omniumque graviſſimus menſe Auguſti, enumerantur, circa Lunæ phaſes plerùmque contingentes ac citiùs vel tardiùs repetentes, quò breviores vel longiores iidem anticipârint; paroxyſmô inopinatô inſignis ſemper in tempeſtate mutationis inſecuturæ præbente indicium. Neque evacuantia tamen, neque pectoralia & cephalica calida in paroxyſmis antevertendis quicquam profuiſſe, pluribus ante innuitur, quàm Aſthmatis hyſterici, nobili fœminæ viginti annos moleſti, pro hujus ſimùl cum Aſthmate flatulentô oſtendenda convenientia, deſcribatur hiſtoria. Haccè nihilominùs impræſenti neglecta, humorum potiùs & ſpirituum animalium præternaturalem porrò attendamus ſtatum, periodico aſthmati cum tot pathematis producendo commodum; in quantum aſthma ſublimis, tarda, rara & laborioſa perhibetur reſpiratio, ab inflatione membranarum pulmonum, bronchia, veſiculas pulmonales & vaſa ſanguifera comprimente, immediatè oriunda, dum ſpiritus animales flatulenti occaſione vel externorum accidentium vel periodicæ febrilis efferveſcentiæ ſanguinis rarefiunt, & per cerebri glandulas propelluntur. Humores videlicèt inter, chylus potiſſimùm accuſatur, fermentationis deficientis, vel imminutæ culpa in ventriculô flatulentus & viſcidus progenitus, gaſtricam pariter lympham crudam, viſcidam & flatulentam ſuppeditans, ac ventriculi inflationem tam in aſthmate ſputatoriô, quam in hyſtericô procreans. Sicut namque naturalis per fermentationis modum chylificatio à Recentiorũ nonnullorum dubiis vindicatur, ità & ſuccus nutritius flatulentus tanquam fermentum conſideratur, quod commixtum ſanguini hunc ad efferveſcendum pronum exagitet, lentamque febrim aſthmaticam concitet, ab ephemera parum diſcrepantẽ, quod eædem cauſæ evidentes,quæ in corpore ſanô ephemerã gignunt,v.g. caloris vel frigoris exceſſus, nimia corporis mentiſve commotio &c. in cacochymicô aſthmaticam pariant febrim, multæ defluxionis ſeri in partibus variis, præſertim urinæ pallidæ in renibus ac lymphæ flatulentæ in ventriculô, inteſtinis, pulmonibus ac cerebrô, cauſam proximam. Spiritus autem animales, comparati cum vegetabilium ſpiritibus inflammabilibus, quorum particulæ oleoſæ, acidæ ac aëreæ bullulis aqueis incluſæ, iidem taxantur flatulenti & vehiculô mucilaginoſô irretiti, occaſione magnæ rarefactionis facilè in nervis ſubſiſtentes horumque pneumonicos & intercoſtales; veluti ex morbo antecedaneô debilitatos, inflantes, per conſequens diverſarum partium membranas contrahentes rigidaſque efficientes. A bronchiis quippe inflatis ſtertor ſive ſonitus in exſpiratione, à veſiculis autem pulmonum anguſtatis, ſufficientem aëris ingreſſum debitumque diaphragmatis deſcenſum impedientibus, ipſiſque diaphragmatis & aliorum pectoris muſculorum membranis contractis, thoracem haud ſufficienter diſtendentibus, tarditas inſpirationis & exſpirationis deducitur; quemadmodum reſpirationis raritas pulſui impedito, cephalalgia verò & hebetudo membranarum capitis rigiditati & flatulentia primarum viarum, membranarum ſimùl ventriculi ac inteſtinorum conſtrictioni, adſcribitur. E quibus quamvis haud difficulter intelligatur, quomodò è remotarum ſive evidentium cauſarum cenſû, cùm ſex res non naturales Medicis denominatæ, tum varia morborum genera ad aſthma producendum concurrant, lubet tamen è rebus non naturalibus aërem, in corpus animale eâdem ratione ac in barometrum agentem, ſpecialiùs adhùc perpendere, hinc catalogum morborum attexere, quos aſthma tanquam ſymptoma comitari ſoleat vel inſequi. Etenim quilibet aëris ſtatus, in quô Mercurius barometri ob aëris elaſticitatem ac preſſuram à particulis aqueis infractas locum inferiorem petit, noxius declaratur aſthmaticis, quod horum tunc ſpiritus magis elaſtici non æquè ac à graviori aëre ſiccô coërciti ſe ipſos expandant, nervoſque pneumonicos ac membranas inflent; qualis effectus non minùs contingat, ubi iidem ſpiritus vel ab aëre calidiori nimium rarefiant, vel à fumis etiam inſpiratis aut odoribus quibuſcunque irritentur. Atque hic mentione odorum factâ, qui pariter atque ſapores ab olei, acidi, terræ & aquæ commixtione reſultent, magnamque cum ſpiritibus animalibus affinitatem colant, in genere odores non tam in gratos & ingratos, quàm in calidos & frigidos ità diſpeſcendi cenſentur, ut calidi, vel acres, vel aromatici, vel fœtidi, ſpiritus expandere, frigidi autem, vel crudi vel acidi, vel narcotici, ſpirituum calorem, motum & expanſionem compeſcere aſſerantur. Sed è morbis, aſthmate veluti ſymptomate ſtipatis, hæmorrhoidum menſiumque ſuppreſſio, plethora, cordis & pulmonum polypus, catarrhus ſuffocativus, peripneumonia, pulmonum calculi, pica, aliæque cachexiæ, catarrhi diuturni, magnum in pulmonibus tuberculum,ſcabies retropulſa & ulcera exſiccata, febres ac variolæ, vomica pulmonum, horumque compreſſio quælibet externa, tumores viſcerum, apoplexia, podagra, paſſio hyſterica, malum hypochondriacum & ſcorbutus prolixè numerantur. Tandem, quô aſthmatis medela ritè ac feliciter abſolvatur, in paroxyſmô, pro curationis ſcopô, quantitas chyli flatulenti nunc clyſmate, nunc mitiori emeticô evacuanda, conſtrictio bronchiorum & vaſorum ſanguiferorum venæ ſectione allevianda, ſpirituum rarefactio liquoribus frigefacientibus condenſanda, motus ſpirituum ad artus veſicatoriis revocandus, ac membranarum ventriculi & pulmonum inflatio blandis opiatis ſufflaminanda ſuadetur, remedii loco haud caſtoreo, ſuccino, aſa fœtida, ſalibus volatilibus, & ſulphureis, verùm aqueis, acidis, acido-ſalſis & carminativis per acida temperatis commendatis. Extra paroxyſmum autem, hujus arcendi gratiâ, uti cacochy-

cochymia flatulenta & viſcida tam evacuantibus omnis generis imminuenda, quàm diluentibus ac digeſtivis amaris, ſalſo-acidis &; chalybeatis ſive vitriolicis corrigenda, effervescentia humorum & rarefactio ſpirituum præcavenda & glandularum pulmonalium, ſi adfuerit, obſtructio removenda, glandulæ autem cerebri conſtringendæ & roborandæ præcipiuntur: ità è medicamentis febrifugis, quibus humorum & ſpirituum turgeſcentia præcaveatur, tùm cortex Peruvianus, tùm alia, cùm primis acida, in certas claſſes ſolicitè digeſta, extolluntur, omniumque remediorum ant-aſthmaticorum optima, quæ ſine calore incidunt, è magnâ Obſervationum catervâ fusè adſtruuntur.

Ibidem Anno 1704. *pag.* 180.
The ancient ψυχρολυσία *Revived.*
i. e.
Antiqua ψυχρολυσία *reviviſcens, ſeu exercitatio de Balneorum frigidorum uſu æque tutô ac utili. Londini apud Sam. Smith, & Benjam. Walford*, 1702. 8.

Poſtquam Author Clariſſimus in *Inquiſitione in uſum & abuſum Balneorum Angliæ calidorum, frigidorum & temperatorum, ante luſtrum edita & à nobis Annô* 1698. *Menſe Novembri pag.* 524. recenſita, quoſdam ex vulgo Medicorum caſtigaverat, quod pro inſenſibili tranſpiratione conſervandâ & promovendâ, ad thermas ſine diſcrimine, neglectis frigidis balneis, ægrotos ablegent, ſuū nunc eſſe putavit in quibuſdā epiſtolis, ex quibus præſens tractatus conflatur, modum frigida ſe aqua abluendi & ſalubrem & tutum eſſe, prolixius probare. Ad quod dum ſe accingit, antiquitatem ψυχρολυσίας in *primâ Epiſtolâ* commendat, & ad Patriarcharum luſtrationem reſpicit, quam deinceps Ægyptii, Judæi, Græci, Romani, & omnium terrarum, ſive calidarum, ſive frigidarum incolæ, non minùs pro animæ quam corporis munditie recuperandâ, imitati ſint. Annectit inſuper quaſdam cautelas, circa balneorum uſum obſervandas, ut ſcilicet V. S. & purgatio corporis præmittatur, pro diverſa & morbi & ægri conditione; frigidam ſub æſtû corporis ſudoribus, ventriculô repletô, nè intrent ægri, nec diutiùs, quam vires permittere videntur, inibi permaneant, ſed nonies vel decies, aut certè bis vel ter per ſeptimanam, balnea repetant, ut poſt eorum uſum, ſudores provocent, imprimis, ſi paralyſi, vel rachitide, aut aliô morbô genus nervoſum cum obſtructionibus afficiente laborent, qui tamen in flatulentis affectibus & quando balnea præſervationis aut ſpirituum corroborandorum gratiâ uſurpantur ſint omittendi.

In Epiſtolâ 2. opinionem *Hippocratis*, circa naturam & utilitatem balneorum, ex ejus de *Veteri Medicinâ, de Diætâ, & de Humoribus* libris commemorat, & exin concludit, balnea frigida nos calefacere, poros occludendo, ac effluvia calida cum ſpiritibus aëreis conſervando, ſed calida frigefacere, poros aperiendo, ſpiritus diſſipando, & vires proſternendo: ſubjectum in quod utraque balnea operantur, eſſe cutem, quæ humectetur, & ſpiritus aëreos, intra humores contentos, quorum quantitas & elaſticitas per frigida augeatur, per calida imminuatur: utraque balnea cacochymiam non tollere, ſed mediante vel calore vel frigore, modò rarefacere, modò condenſare: frigida balnea jejunô ſtomachô uſurpata calefacere, poſt paſtum admiſſa exſiccare; & qui ſunt alii effectus, quos utraque balnea, pro corporis & morbi conditione, præſtare dicuntur.

In Epiſtolâ tertiâ Veterum immerſionem infantium baptizandorum proponit, ac in ſpecie hunc ritum in Angliâ ad annum uſque 1600. fuiſſe obſervatum dicit, atque exinde infert, quod cùm Deus & Eccleſia immerſionem in aquam frigidam, tanquam innocuam, per 16. ſecula commendaverit, hujus immerſionis pariter, ac balneorum frigidorum, ſalubritas malè in dubium fuerit vocata. Maximè autem ſalubre eſſe tale lavacrum & animæ & corpori, exinde porrò evidens eſſe putat, quod genus nervoſum maximè roboretur, ſpiritus animales augeantur & conſerventur; quapropter veteres Sacerdotes ſe non tantùm frigidâ ablutione ad ſacra officia præparârint, ſed etiam proſelytorum corpora aquâ lavârint, & hoc modô ad novam capiendam doctrinam diſpoſuerint. Quinimò morbos hæreditarios in infantibus, per immerſionem in frigidam aquam, quemadmodùm curari, ità & præcaveri, exemplo rachitidis, (quæ poſt illud demum tempus in Angliâ orta ſit, quô immerſio baptizandorum fuit abrogata) calculorum, torminum, exanthematum, excoriationum & inflammationum probat.

In ultimâ Epiſtolâ varia allegantur exempla eorum, qui ex frigidorum balneorum uſû, ſanitati fuêre reſtituti, ex quibus infert Noſter, convenire has aquas non ſolùm pro corrigendis humoribus ſive biliofis, ut in ſcorbutô calidô, ſive flatulentis, ut in malô hypochondriacô & hyſtericô, ſive ſalſis, ut in renum affectibus & podagrâ, ſive viſcidis, ut in rheumatiſmis, ſive putridis, ut in leprâ, febribus &c. ſed generi nervoſo quoque magnâ ſe commendare utilitate, ut in paralyſi, ſtupore, vigiliis, maniâ, epilepſiâ, convulſionibus, vertigine, inflammationibus, nervoſarum partium. Adjecta eſt hiſce Epiſtolis Appendix prolixa, in quâ, quæ ad dictorum illuſtrationem facere poterant, adduntur.

Ibidem Annô 1710. *pag.* 4.
The Phyſicians Pulſe-Watch.
i. e.
Pulſuum Horologium Medicum, ſive, Tentamen antiquam pulſum tangendi artem explanandi, eamque horologii pulſuum auxiliô promovendi. Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1708. 8.

Cum Clariſſ. Autor inſignem guſtatûs & odoratûs in medicamentis æquè ac humoribus explorandi utilitatem jamjam in iis declaraverit opuſculis, quæ *Lydium Lapidem Medicamentorum*, atque *de præternaturali ſtatû animalium humorum* inſcripſit, quæque non minùs ac duo alia, de *balneis frigidis* atque *aſthmate*, in *Actis* recenſuimus, in præſenti totus deprehenditur in egregiô pariter uſû, qui ex tactû in Medicum redundat, dilucidando. Vix enim aliud occurrere objectum reputat, in quô Medicus exquiſitum experiatur & comprobet tactum, quàm pulſum, veluti ad cujus differentias exactè dignoſcendas vel multorum annorum experientia, teſte Galenô, requiratur. Veterum tamen Græcorum multùm admiratur diligentiam; quâ in cognitionem uſuum effectuumque facultatis pulſificæ pervenerint, etiamſi veram pulſus cauſam, ipſis fatentibus, ignoraverint, multò minùs ullam menſuram certam ad pulſus excedentes & deficientes diſcernendos adhibuerint. Nullus proin dubitat, quin ex pulſû, ſi hic ad aliquam examinetur menſuram, non ſolùm cum

Græcis certior naturalis & præternaturalis ſanguinis ac ſpirituum ſtatus diagnoſis & prognoſis, ſed & cum Sinenſibus veriores indicationes pro morborum medelâ, valeant obtineri. Ipſe ſiquidem ad minutum horologii portatilis pendulo inſtructi, pulſum ægrorum per multos primum exploravit annos; poſtea in clepſydram marinam arenariam, minuta horarum quæ deſignat, incidens ad hanc pleraque in ſe ipſo experimenta fecit: ſed quia talis ſecum portari habeatur inepta, in ægrorum demùm pulſum horologio inquiſivit & adhuc inquirit, quod ſexaginta ſecunda emetitur, interdum etiam clepſydra arenaria, quæ non niſi minuti dimidii menſuram comprehendit atque capſæ inſtar laternæ ſecretæ verſatili inhæret. Utramque nihilominùs machinam poſteriorem ad clepſydram minutariam, tanquam normam rectificare habuit neceſſe & aliquot pulſuum ictus demere vel addere, prout minuti curſum ab horologiô paulò celerius, à clepſydrâ verò ſemiminutaria tardius, vidit abſolvi. Sicque certæ menſuræ adminiculô in proclivi Noſtro fuit accuratius, tùm pulſum naturalem & præternaturalem cognoſcere, tum ex præternaturali indicationes eruere, h. e. perſpicere pariter, quot pulſuum ictus minuti intervallô in ſtatû, cùm ſano tùm morboſo, edantur, atque ex pulſû, vel excedente, vel deficiente, indicationes elicere, omnia verò & cum Græcorum, maximè Galeni, cujus de pulſu libros magnâ cum curâ evolvit, & cum Sinenſium obſervatis conferre, utrorumque errores corrigere, atque in tres digeſta partes, quô ab aliis poſthac confirmentur, in lucem hic emittere. Parte namque prima locis indigitatis, quibus Hippocrates ob morborum diagnoſin & prognoſin Medicis pulſum præcipit obſervandum, ante omnia circa Galeni de pulſûs naturâ, utilitate & differentiis ſententiam occupatur, alia in eâ refutans, alia emendans, epitomen vero ejus de pulſû tyronibus magis, quam tractatum ipſum commendans, quod notionibus Logicis & Geometricis minùs turgeat. Rejicit nempè, cor & arterias ſe follium inſtar dilatare atque à cordis ventriculô dextrô ſanguinem per venam cavam, à ſiniſtrô autem aërem per arteriam pulmonalem attrahi; rejicit, digitos pulſum explorantis ab arteriæ contractione feriri, pulſumve humidum vel ſiccum deprehendi. Curioſiorem duorum pulſus intervallorum diſtinctionem cum rhythmo aliiſque veterum de dimenſionibus pulſus obſervationibus inutilitatis arguit: oſtendit verò, quomodo uterque pulſus naturalis uſus, quorum alterum in ſpirituum vitalium à corde generatione, alterum verò in fuliginum ab arteriis ex pulſione Galenus collocavit, ritè queant explanari. Hinc pulſificam veterum facultatem verius in partium, ſanguinis circulo inſervientium, ſtructura mechanica ita ſcrutatur, ut arteriæ pulſum ſive diaſtolen ipſi ſanguini, à corde propulſô & pro roboris, magnitudinis, celeritatis, frequentiæ & æqualitatis diverſitate, diverſam in digitos impreſſionem facienti, adſcribat, ſyſtolen verò propriis arteriæ adjudicet fibris annularibus, non magis ſe contrahentibus quàm à ſanguine irruente fuerint dilatatæ. Et quia venæ quadruplô latiores exiſtant arteriis, ſanguis verò in arteriis contentus inſequenti renitatur, arteriæque figuram obineant conicam, prioris intuitû ſanguinem in arteriis triplô vel quadruplo celerius, quam in venis, ratione autem poſteriorum, ſanguinem in arteriæ principiô celeriùs, quàm in extremitatibus, moveri annotat, omnem ſanguinis circulum in virô, pondus ℔. 160. adæquante ac tredecim ſanguinis libras continente, vel vigeſies intra horam abſolvi ex eô colligens, quod, corde, nonniſi unciam unam, quantum videlicèt dextra ejus auricula capit, propellente, ſanguinis ℔. IV. & ℥. VI. minuti ſpatiô, quô 70. pulſuum ictus in corpore ſanô repetunt, per cor ſoleant transferri. Naturalem tamen pulſum, qui magnitudine, robore, celeritate ac frequentiâ moderatus & æqualis habeatur, ab externô aëris calore, diverſâ ſanguinis quantitate, diætâ & medicamentis poſſe alterari, ultrò concedit, qui ſanguinis per venas reditum à circularibus harum fibris partium tonô atque potiſſimùm venæ cavæ & portæ inſpirandum inter compreſſione, deducit ac triplicem circulationis ſanguinis uſum naturalem, in debitâ videlicèt hujus craſi conſervanda, ſpirituum ànimalium & humorum laudabilium ſecretionibus, excrementitiorum autem humorum excretionibus promovendis exponit. Tùm, etiamſi naturalis pulſûs magnitudo non tam verbis deſcribi, quàm experientiâ longâ in ſubjectis diverſis diſcerni detur, pulſum nihilominùs magnum & parvum, celerem & tardum, fortem & debilem, durum & mollem, frequentem & rarum, æqualem & inæqualem, non minùs ac eorum combinationes diverſas variaſque ſignificationes, ſtudet enodare ſuiſque è cauſis derivare, ex omnibus autem pulſuum differentiis eam ceu utiliſſimam & certiſſimam commendare, quâ pulſum excedentem alium, alium deficientem ſtatuminat. Per experientiam quippe ſuppoſito, pulſum in ſtatû perfectè ſanô intra minutum ſeptuageſies vel ſeptuageſies quinquies recurrere, pulſum excedentem, experientiæ itidem innixus appellat, qui in ſubjectis morbiſque calidis à 75. ad 80. 85. 90. 100. vel 120. quovis minuti ſpatio repetat, deficientem contra, qui in ſubjectis atque frigidis morbis à 70. ad 65. 60. vel 55. intervallo minuti redeat. Ad res porrò naturales, nonnaturales & præternaturales acceſſum faciens, à quibus pulſus alteretur, res inter naturales temperamentum, ſexum, ætatem, anni tempora atque corporis habitum perpendit, & quemadmodum temperamentô ſanguineô pulſum moderatum attribuit, in quô 70. vel 75. ictus intra minutum obſerventur, ità temperamentis calidis pulſum excedentem, frigidis autem deficientem tali adſignat ratione, ut ſpatiô minuti in temperamentô cholericô a 75. ad 80. in ſalinô ſive calidô ſalſô, ab 80. ad 85. in atrabilariô ſeu melancholicô calidô ad 85. ad 90. ex contrariô in pituitoſô à 70. ad 65. in ſeroſô à 65. ad 60. in melancholicô frigidô à 60. ad 50. annotet pulſus ictus. Viris pulſum vehementiorem & majorem, quàm fœminis, ceu calore plerumque viris cedentibus æque largitur ac macilentis præ corpulentis; in ſenibus autem pulſum parvum, tardum & rarum, in infantibus frequentem, celerem & parvum, in juvenibus magnum & vehementem invenit. Vere ac autumnô, dum aër occurrit temperatus, pulſum magnum & vehementem, æſtate autem & in regionibus calidioribus, quoniam aër calidior, pulſum celerem & frequentem deprehendit. In ſpecie ad æquatorem aëre calidiſſimô exiſtente, pulſum parvum, languidum, celerem & adeò frequentem, ut vel centies ac vigeſies intra minutum repetat, circa gradum verò 45. ubi aër temperatus, pulſum quoque moderatum, i. e. 75. ictuum, ſuſpicatur, cum in Angliâ, Septentrioni viciniore, pulſus inter 70. & 75. remeet, ſub Septentrione autem, tanquam climate frigidiſſimô, æque ac hyeme, pulſus minor & tardior habeatur & non niſi trigeſies intervallô minuti recurrat. Autor

in ſe ipſô ultimô Januarii intra minutum mane 83, ab exercitiô mediocri 100, ante meridiem 76, à meridie 86, ſub horâ octavâ vespertinâ 82, pulſus advertit ictus. Neque abſimiles pulſus alterationes à rebus non naturalibus, in quantùm hoc ſanguinem & ſpiritus ſimili alterent modô, commemorantur, in parvis ſaltem thermometri mutationibus nullam pulſûs mutationem ſignificari, pulſum verò à diætâ, exercitiis & affectibus animi inſigniter alterari, propriô Autoris exemplô corroboratur. Sed morbos quod concernit, ex pulſû quem alterant, cognoſcendos, equidem ſolidarum partium morbi, nec conformationis ſive organici, nec compoſitionis ſive continuitatis & contiguitatis ex pulſû innoteſcunt, quoniam verò in ſanguinis & ſpirituum diſpoſitionibus præternaturalibus pulſus afficitur, fusè prætereà monſtratur, quomodo pulſus in humorum abundantiâ ſive plethorâ vel defectû, in eorumdem ebullitionibus, in vaſorum obſtructionibus, præternaturalibus humorum evacuationibus, morbis ſpirituum aut denique ventriculi ipſius notabiliter alterentur, adeòque morbi à plethorâ, meraſmus, febres, catarrhi, dolores, inflammationes, ſupurationes, polypi, varices, ſcirrhi, multique alii ex pulſû queant indagari. Unde pulſus etiam eò majus in morbis periculum portendere aſſeritur, quò magis ille à naturali deprehendatur recedere, imprimis autem in febribus malignis apulſû formicante & vermiculoſô, in febribus intermittentibus à pulſû intermittente, & in pleuritide a pulſû verè parvô, durô ac frequente, mortem denuntiari, aſt humorum in febribus coctionem expectari, ſi pulſus parvus, languidus, inæqualis, celer, cum magnô, vehemente, æquali, minùſque celeri commutetur. Pro pulſûs denique exploratione dirigendâ jubetur primùm, ut pulſus naturalis ejuſque uſus ſolicitè perpendatur, deinde ut pro cujuſlibet pulſû ſanô detegendô hìc in ſtatû optimæ valetudinis mane potiſſimum examinetur, antequam ciborum aſſumtione, exercitiis, aliiſve caſibus fortuitis ille alteretur, numeruſque ictuum, intra minutum contingentium, ad Autoris exemplum computetur. Ideòque à prudentioribus etiam poſtulatur ægrotis, ut adhùc ſani in pulſum propriùm mane ad normam commendatam inquirant, quô de numerô ictuum pulſus, quem in ſtatû ſanô deprehenderunt, Medicum erudire effectumque remediorum ab hoc præſcriptorum in pulſû immutando percipere poſtea ipſi valeant. Cognito enim pulſû naturali, in ſtatû morbidô ex ictuum exceſſû vel defectû haud difficulter conſtare Medico, num pulſus excedat, an deficiat, adeòque an ſanguis & ſpiritus rareſcant, ſecretiones amaræ, acres, ſalinæ, acidæ fiant, atque excretiones humorum ſecretorum violentiùs contingant, an è diverſô ſanguis & ſpiritus denſiores, frigidiores & crudiores exiſtant, omneſque ſecretiones perversè procedant, proùt variis hoc morbis in ſpecie denuò illuſtratur. Dùm verò ratio ſimul rerum naturalium & præternaturalium, pulſum alterantium, debet haberi, pulſus vel per quadrantem horæ explorari meretur, non tam duobus vel tribus digitis, quàm pro exactiori examine unicô digitô & cum Autore pollice ipſô, ubi manus priùs aliquantùm ad carpum arteriæ relaxandæ gratiâ fuerit inflexa, aut in pulſû debili potius extenſa. Atque in hâc Pulſus theoriâ, ex Anatomicâ non minùs ac Medicâ experientiâ hactenùs deducta, nova fundatur methodus mechanica, cùm ſanitatem conſervandi & vitam prolongandi, tùm morbos curandi, quam Autor in Parte ſecundâ uberius it propoſitum. Naturali enim pulſû per horologium inveſtigatô, talis debito rerum non naturalium uſû ſuadetur conſervandus, Angliſque, quorum aër ad frigus magis quàm ad calorem vergit, liquores & balnea frigida in valetudinis tuendæ gratiam præſcribuntur. Sin naturalis ſanguinis circulatio immutari & vel decrementum, vel incrementum capere advertatur, ibi exercitia, frictiones, balnea tepida, diæta calida, calidi ſapores & alimentorum, & medicamentorum, hic autem aër frigidus, diæta frigida, ſomnus, quies, metus, ſudoriſque ac urinæ excretio, præcipiuntur; pulſumque ſemper à jejuniô, tam matutinô, quàm vespertinô, itemque à tranſpiratione aucta, imminui, è diverſô autem a ventriculô plenô & excernendis humoribus retentis augeri, pro certiſſimô aſſeritur. Nequevita difficulter prolongabitur, modò in vigore ſpirituum animalium, naturali ſanguinis craſi & rarefactione, debitis ſecretionibus & excretionibus, ac recta partium ſolidarum & fluidarum diſpoſitione, per media indigitata conſervandis, impendatur opera. Longævorum tamen pulſû exiſtente magnô & rarô in tabulâ diverſorum ſenum, qualis in noſocomiô notatus fuerit, exprimitur pulſus, atque ille ſenex, cujus pulſus minuti ſpatiô ante meridiem 60. à meridie verò 100. ictus erant, colligitur hecticus. Aſt morborum medela quo mechanicè procedat, in morbis calidis, ex pulſû excedente patentibus, non niſi methodus refrigerans, in frigidis autem morbis, qui per deficientem pulſum innuuntur, calefaciens poſtulatur methodus, variis nihilominùs obſervatis cautelis, nè pulſus à Medicô nimium aut intendatur aut deprimatur. Qualis morbis ſuccurrendi ratio, artis ſphygmicæ ſuperſtructa, tantò certior affirmatur, quantò certiùs ex pulſû non ſolùm morbus, ſed & remediorum quantitas & qualitas, morbi itidem magnitudo ac robur ægroti, queant cognoſci. Speciatim ad pulſus excedentis curationem tum balnea frigida, quies, ſomnus, diæta frigida, metus & triſtitia, nec non humorum evacuationes, tùm venæ ſectio, cathartica lenia, & ex alterantibus frigidis, ſtyptica, mucilaginoſa, acida, aquoſa & opiata, balnea calida & exercitia multa, quatenùs ſudorem moveant, mercurialia, jejunium, omnes ſanguinis evacuationes, ligaturæ & pericarpia refrigerantia, motio muſculorum tonica, arteriæ compreſſio, variaque aquæ frigidæ affuſio, injunguntur. Econtra in pulſûs deficientis medelâ, non ſolùm exercitia, aër calidus, diæta calida, gaudium, & ſtudia, vigiliæ atque excretiones retentæ, ſed & remedia acria, cauſtica, aromatica, dulcia, amara, odorifera, ſalia alcalica fixa & volatilia, nauſeoſa, emetica, ſternutatoria, liquores calidi, veſicatoria, balnea frigida, in quantùm poros conſtipent, atque evacuationum ſolennium ſuppreſſiones, commendantur. Quâ occaſione acidulæ Bucoſtenienſes, aliorsùm etiam tranſlatæ, & ſive frigidæ, ſive calefactæ hauſtæ, aliis acidulis & thermis, in pulſû augendô & pulmonibus hecticorum abſtergendis, multùm præferuntur, methoduſque Autoris ſubveniendi hecticis per iſtas acidulas calefactas, venæſectionem, equitationem, corticem Peruvianum cum diacordiô, atque balneum frigidum communicatur. Tandem omnem ejuſmodi methodum mechanicam morbis ex pulſû medendi Autor in Parte tertiâ per Sinenſium artem, cùm pulſum explorandi, tùm pulſum præternaturalem curandi, illuſtraturus, partim *ex Samedo Luſitani & le Counte Relationibus, generali Sinæ deſcriptione à legatione ſocietatis Batavorum Indiæ Orientalis edita* atque *Dn. Wotton Animad-*

ver-

verſionibus de Veterum ac Recentiorum Eruditione, planum facit, quod Sinenſes artem verum indagandi pulſum, longè etiam ante Galenum, invenerint, ſententiæ tamen eorum de differentiis pulſuum ex fundamentis verioris Anatomiæ debeant emendari, partim oſtendit, quomodò à ſinenſibus Praxis Medica, in pulſûs fundetur cognitione atque à nobis pariter veniat imitanda, omnibus aliis quæſtionibus ſuperhabitis quæ de locô affectô, ſymptomatibus &c. fieri alias ſolent. Eum in finem cum Ciſta Medica diverſæ adjunguntur Tabulæ, quarum aliæ pulſum naturalem ſecundum climata æque ac ætates, aliæ pulſus præternaturales, pulſuumque mutationes, menſibus diverſis annotatas & cum thermometris ac barometris collatas, aliæ denique diætam ex vegetabilibus & frigidam & calidam, exhibeant : in Anglorum verò Ciſtæ Medicæ loculis medicamenta omnis generis, adſtringentia, acida, mucilaginoſa, dulcia, amara, aromatica, acria, fœtida, corroſiva, præparata chimica, atque ex animalibus deſumta, comprehenduntur. De ceterô quia Sinenſium Artem inveſtigandi pulſum, à *Cleyerò* editam, autori videre haud licuit, niſi tribus ad finem perductis Partibus, quas adhuc recenſuimus, eundem Appendicis locô ſiſtit excerptum, Sinenſium primum in explorandô pulſû directiones, deinde errores, tùm differentias pulſuum, hinc alterationes eorum per res naturales & non naturales, porò expulſû prognoſin, atque pulſus demùm præternaturalis curationem per medicamenta ſimplicia annotandi.

FLUDD, aliàs *de Fluctibus*, (*Robertus*,) Natus eſt in Angliâ, ex antiquâ & nobili proſapiâ : in juventute Armigeris dignitatem in bellô meruit : tum demùm arcana Naturæ penitiſſimè rimari & Medicinæ operam dare cœpit, in quâ etiam ſummos honoris gradus aſſumpſit, adeptus dignitatem Doctoris Academiæ Oxonienſis.

Ex eô habentur

De Anatomiâ triplici, in Partes tres diviſa. Quarum priori, Panis, Nutrimentum facilè princeps, ignis acie diſſecatur, ejus elementa, occultæque eorum proprietates diſcutiuntur. Duabus ſequentibus, Homo, Nutritus dignitate præcellentiſſimus, ſectione Anatomiæ bifariâ, videlicèt, vel vulgari ſeu viſibili, vel Myſticâ ſeu inviſibili dividitur. Francofurti, apud Johan. Theod. de Bry 1623. in fol.

Medicina Catholica, ſeu, Myſticum Artis Medicandi Sacrarium. In Tomos diviſum duos. In quibus Methaphyſica, & Phyſica tam ſanitatis tuendæ, quàm Morborum propulſandorum ratio pertractatur. Francofurti, apud Wilhelmum Fitzerum, 1629. in fol.

Hoc Tomô primô continentur :

Sanitatis Myſterium, ſeu Tomi primi Tractatus primus, Myſticum ſalutis propugnaculum deſcribens. In quô Supercœleſte, Cœleſte, & Elementare Sanitatis Myſterium, ejuſque tuendæ & conſervandæ ratio, Sacrorum Bibliorum teſtimoniô verorumque Chriſtianorum ritû, explicatur. Cui in fine, Appendicis locô, Reſponſum ad Marini Merſenni calumnias annectitur.

Sophiæ cum Moriâ certamen, in quô Lapis Lydius à falſo ſtructore, Fr. Marinô Merſennô, Monacho, reprobatus, celeberrima Voluminis ſui Babylonici (in Geneſin) figmenta accuratè examinat.

Summum bonum, quod eſt verum Magiæ, Cabalæ, & Alchymiæ veræ ac Fratrum Roſeæ Crucis verorum ſubjectum. In dictarum ſcientiarum laudem, & inſignis calumniatoris Fratris Marini Merſenni dedecus publicatum, per Joachimum Frizium.

Integrum Morborum Myſterium, ſive, Medicinæ Catholicæ Tomi primi, Tractatus ſecundus, in ſectiones diſtributus duas ; Quarum prior generalem Morborum naturam, ſive, variam munimenti ſalutis hoſtiliter invadendi atque oppugnandi rationem, more novô, & minimè anteà auditô, ſive intellectô deſcribit. Ultima, vniverſale Medicorum, ſive Ægrotorum depingit Catoptron. In quô Meteororum morboſorum ſigna tam demonſtrativa, quàm prognoſtica lucidè ſpeculantur, & modô haud vulgari atque alienô planè deſignantur. Francof. apud Guilielm. Fitzerum, 1631. in fol.

Continentur autem ſpeciatim in Tomi hujus primi Tractatûs ſecundi ſectione ultimâ, ſeu, καθολικῷ Medicorum κατόπτρῳ.

Prognoſticon Supercœleſte, ſeu portionis primæ pars prima : de ſignis prognoſticis & ſupercœleſtium ſpeculatione collectis in Librô unicô.

Speculum Criticum, ſeu, portionis primæ Partis ſecundæ Membrum primum, de Criſium ſcientiâ in Libros quinque diviſum. Quorum eſt

I. De Criſis Myſteriô.

II. De Criſis eſſentiâ, atque differentiâ.

III. De Dierum criticorum, ſeu decretoriorum inquiſitione.

IV. In quô meatus, ſeu, viæ explicantur, quibus Morbi mediantibus Criſibus aſſolent fugari.

V. Membra habet tria.

1. De Radicali Criſis causâ.

2. De ſpeculi ægrotorum critici compoſitione.

3. In quô ſpeculi ægrotorum uſus, atque praxis explicatur.

Prognoſticon Arithmeticum, ſive portionis primæ Partis ſecundæ Membrorum ſecundum, de ſignis prognoſticis ſuperſtitioſâ Pythagoreorum traditione magis quàm ratione ſolidâ ſtabilitis atque innitentibus diſcurrens. Habet Libros duos quorum eſt

I. De Arithmeticâ divinatriçe Lunari, Solari, Meteorologicâ.

II. De Nomantiâ, ſive, Onomantiâ.

Prognoſticon Meteorologicum, ſive portionis primæ pars tertia, quæ ex obſervatione Elementali idque Librô unicô, ſigna haurit Prognoſtica.

Catoptri ægrotorum portionis primæ pars quarta & ultima. Cujus Liber

I. De Morborum Cardinalium præſagiis.

II. In quô futura infirmi imprimis ſalus, deinde mors portenditur.

Catoptri Medicorum, ſive, ægrotorum, generalis portio ſecunda, in tres partes diſtributa ; quarum

Prior Complexiones Cardinales tam naturales, quàm præternaturales in Librô unicô deſcribit, in duo membra diviſô.

Media, Morborum ſeu meteororum morboſorum præſentiam, eorumque à quator fontibus ventoſis ortum in Librô itidem unicô oſtendit.

Ultima, Inſtantia. Temporum morborum, Plenitudinis, Obſtructionis Indicia Librô unicô declarat.

Generalis ægrotorum Catoptri, Portionis tertiæ Pars prima. Quæ verſatur in obſervatione conditionis ſeu proprietatis figuræ.

Cœleſtis, de quâ Membrum hujus primum intendit in Jatro-Mathematica verſatum, quæ Libris tribus eſt comprehenſa.

Terreſtris, atque de iſtâ intendit membrum ſecundum in Geomantiâ Medicâ, quæ Librô includitur unô.

Portionis tertiæ Pars ſecunda, quæ verſatur circa contemplationem Membrorum ægroti, & præcipuè Faciei, de quâ, in unicô libellô tractat Phyſiognomia.

Manus, atque de iſtâ agit, unicô itidem Libellô, Chiromantia.

Portionis tertiæ Pars tertia, quæ in conſideratione atque obſervatione Excrementorum ægroti verſatur, inque membra dividitur duo, quorum

Prius Urinam non viſam, Libro unicô Iatro Mathematicè tractat,

Viſam, more Phyſiologicô deſcribit.

Ultimum, ſigna Egeſtionis per vomitum & ſeceſſum, ſudoris, ac ſputi in Librô unicô exprimit.

Portionis tertiæ Pars quarta, de Pulſuum ſcientiâ.

Clavis Philoſophiæ & Alchymiæ Fluddanæ, ſive, ad Epiſtolicam Petri Gaſſendi, Theologi, Exercitationem, Reſponſum. In quô inanes Marini Merſenni, Monachi, Objectiones, Querelæque ipſius injuſtæ immeritò in Robertum Fluddum adhibitæ examinantur atque auferuntur: Severum ac altitonans Franciſci Lanovii de Fluddô Iudicium refellitur & in nihilum redigitur: Erronea Principiorum Philoſophiæ Fluddanæ detectio, à Petrô Gaſſendô facta, corrigitur & æquali juſtitiæ trutinâ ponderatur: ac deniquè ſex illæ Impietates, quas Merſennus in Fluddum eſt machinatus, ſinceræ veritatis fluctibus abluuntur atque abſterguntur. Francof. apud Guiliel. Fitzerum, 1633. in fol.

Philoſophia Moſaica. In qua ſapientia & ſcientia creaturarum ſacra verèque Chriſtiana ad amuſſim & enucleatè explicatur. Amſtelædami, apud Joh. Janſſonium, 1640. in fol.

Tractatus Apologeticus integritatem ſocietatis de Roſeâ Cruce defendens. In quâ probatur contra D. Libavii, & aliorum ejuſdem farinæ calumnias, quòd admirabilia nobis à Fraternitate R. C. oblata, ſine impoſturâ aut Diaboli præſtigiis & illuſionibus præſtari poſſint. Lugduni Batavorum, apud Gottofr. Baſton 1617. in 8.

Diſcurſus de unguentô armario. Extat cum Theatrô ſympatheticô auctô. Norimbergæ, apud Joh. Andr. Endterum & Wolffgang. Iun. Hæredes 1662. in 4.

Opera Varia. Oppenheimii fol. 2. Tom. cum figuris 1617.

FŒNISECA (*Johannes*,)

De eô extat

Phyſica Medicinæ ſubalterna. Extat cum ejuſdem reliquis ſcriptis. Auguſtæ Vind. 1515. in 4.

FŒNO (*Ægidius de*,) Anglus.

Ex eo habetur

De Plantarum Cauſis, Hiſtoria ac Deſcriptio.

FOESIUS (*Anutius*,) Natus Divioduni Mediometricum Annô Chriſti 1528. creatus Medicinæ Doctor Lutetiæ Paris. Poſtquàm ultra 40. annos in patriâ Medicinam feliciſſimè feciſſet, in eâd. obiit, 1596. ætatis ſuæ 68.

Ex eo habentur

Magni Hippocratis, Medicorum omnium facilè Principis, Opera omnia, quæ extant, in octo ſectiones ex Erotiani mente diſtributa, nùnc recèns Latinâ Interpretatione & Annotationibus illuſtravit. Adjectis ad VI. ſect. Palladii ſcholiis Græcis in Librum περὶ ἀγμῶν nondùm anteà excuſis, & nunc primùm latinitate donatis. His prætereà acceſſêre variæ in omnes Hipp. Libros Lectiones Græcæ, ex reconditiſſimis manuſc. exemplaribus ſummâ diligentiâ collectæ, nec non quorumdam doctiſſimorum virorum in aliquot Hipp. Libros Obſervationes. Francofurti apud And. Wecheli Hæredes, Cl. Marnium, & Johann. Aubrium, 1595. & 1603. in fol. Ibidem, apud Dan. & David. Aubrium & Clement. Schleichium, 1624. in fol. Genevæ, 1657. in fol.

Hippocratis Coi Liber ſecundus, de Morbis vulgaribus, difficillimus, & pulcherrimus: olim à Galenô Commentariis illuſtratus, qui temporis injuriâ interciderunt: nunc verò penè in integrum reſtitutus; Commentariiſque ſex, & Latinitate donatus. Baſileæ, apud Vid. Mich. Iſingrinii, 1560. in 8.

Oëconomia Hippocratis, Alphabeti ſerie diſtincta, in quâ dictionum apud Hippocratem omnium, præſertim obſcuriorum, uſus explicatur, & velut ex ampliſſimô penû depromitur: ita, ùt Lexicon Hippocrateum meritò dici poſſit; Francof. apud Wecheli Hæredes, Marnium & Aubrium, 1588. in fol. Genevæ, 1662. in fol.

Pharmacopœa: medicamentorum omnium, quæ hodiè ad publica Medentium munia in officinis extant, tractationem & uſum, ex Antiquorum Medicorum præſcriptô continens. Baſileæ, apud Thomam Guerinum, 1561. in 8.

Claudii Galeni in Aphoriſmos Hippocratis Commentaria cum Guiliel. Plantiô interpretatus eſt, & Annotationibus illuſtravit. Noviſſimè autem edidit, & à multis, quibus anteà ſcatebant, mendis, diligenter repurgavit Adrianus Toll. Lugduni Batavorum, apud Johannem Maire, 1633. in 12.

Hippocratis Aphoriſmorum ſectiones octo, vel, ut altera habet Editio, Libr. VII. interpretatus eſt. Græc. Latin. Lugd. Batavorum, apud Johannem Maire, 1633. in 24. Huic Editioni acceſſit Johannis Erneſti Scheffleri Methodus, quâ Aphoriſmi in certum ordinem digeſti & accuratè diſpoſiti ſunt. Ibidem, 1666. in 24.

FOGELIUS (*Martinus*, Hamburgenſis.

De eo extant

Joachimi Jungii Præcipuas opiniones Phyſicas paſſim receptas, breviter quidem, ſed accuratiſſimè examinatas recenſuit, diſtinxit, & Annotationibus quibuſdam auxit. Hamburgi, apud Johannem Naumannum, 1679. in 4.

Obſervatio, de ſubmerſis non ſuffocatis. Extat Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. VI. & VII. N. 125.

FOGEROLÆUS (*Franciſcus*,)

Ex eô habentur

De Senum Affectibus præcavendis, nonnulliſque curandis, Enarratio. Lugduni, apud Joh. de Gabianô 1610. in 4.

Methodus in ſeptem Aphoriſmorum Libros ab Hippocrate obſervata, omnibus tamen retrò ſæculis inaudita &c. Pariſiis, apud Adrianum Perier, 1612. in 4.

FOGLIA.

De eô extat

De Faucium ulceribus. Neapoli, 1563. in 4. Ibid. 1631. in 4.

FOGUEDA (*Johannes de*,) Medicæ artis ac Philoſophiæ Doctor, Johanni Tellio Gironio Comiti Ureniæ dedicavit olim Libellum,

De

De Puſtulis, quæ Saaphati nominantur. Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p. 526.

FOLLINUS (*Hermannus*,) Sylvæducenſis.

De eo extant

Amuletum Antonianum ſeu, Luis peſtiferæ fuga, in duos Libros diſtributa, multiſque remediis, uſû, & obſervatione cognitis expedita. Cui acceſſit utilis Libellus de Cauteriis. Antverpiæ, apud Hier. Verduſſium 1618. in 8.

Orationes de naturâ Febris peticularis, ejuſque curatione & de ſtudiis Chymicis conjungendis cum Hippocraticis. Coloniæ, apud Gerhardum Grevenbruch, 1622. in 8.

Naturæ Humanæ, ſive, Mores, & temperamenta Hominum uſque ad intimos animorum receſſus cognoſcendi modus, methodô Ariſtotelis illuſtratus. Edidit ex Belgicô idiomate in Latinum verſum Joh. Follinus F. Colon. Agrippinæ, apud Jodocum Kalcovium, 1649. in 12.

FOLLINUS (*Johannes*,) Silvæducenſis

Ex eo habentur

Synopſis tuendæ & conſervandæ bonæ valetudinis. Sylvæducum, 1646. & 1648. in 12. Coloniæ, 1646. in 12.

Tyrocinium Medicinæ Practicæ, ex probatiſſimis Autoribus digeſtum, & tam ſimplicibus, quàm compoſitis adornatum medicamentis, tam pro conſervandâ valetudine, quàm curandis morbis. Coloniæ Agrippinæ, apud viduam Hatſgeri Weringii, 1648. in 12.

Speculum Naturæ Humanæ, ſive, Mores & Temperamenta hominum, uſque ad intimos animorum receſſus, cognoſcendi modus ex Belgicô in Latinum idioma tranſlatum. Coloniæ Agrippinæ, apud Jodocum Kalcovium, 1649. in 12.

FOLLIUS (*Cæcilius*,) Eques, Mutinæ natus poſt obitum Patris in bellô Carnicô interfecti, apud patruum Jo. Baptiſtam Archiatrum in Venetæ ſanitati præpoſitô magiſtratû fuit; educatuſque ſplendidè, poſt inſtitutionem humaniorum litterarum, ad Medicinæ ſtudia miſſus Patavium, hinc lauream Doctoris reportavit. Regreſſus Venetias Medicinam fecit egregiè, tanti habitus, ut adhùc adoleſcens equeſtris ordinis ornamenta fuerit conſecutus. In eadem urbe anatomici publici munere diù perfunctus laudem & plauſum omnium promeruit. Florebat maximè Ann. 1640. ac deinceps an vixerit, ignoramus. Edidit latinè,

Sanguinis à dextrô in ſiniſtrum cordis ventriculum defluentis facilem repertam Viam. Novam auris internæ delineationem. Francofurti apud Beyer 1641. in 12.

Italicè

Diſſertationem Anatomicam de Pinguedine: Alia quoque ſcripſit, quæ ab Incognitis recenſentur. *Hiſtor. Gymn. Patav. T. II. p. 296.*

FOLLIUS (*Franciſcus*,)

Ex eô habetur

De Circulatione ſanguinis. Florent. 1665. 8.

FONSECA (*Antonius*,) Ulifſiponenſis.

De eô extat

De Epidemiâ Febrili graſſante in exercitû Regis Catholici in inferiori Palatinatû annô 1620. & 1621. Tractatus. In quô Febris malignæ eſſentia, cauſæ, ſigna diagnoſtica, & prognoſtica, & methodus curativa, Philoſophicè & Medicè elucidantur. Mechliniæ, apud Henr. Jaye, 1623. in 4.

FONSECA (*Gabriel de*,) Luſitanus, Lamecenſis, Doctor Medicus, Piſis olim Philoſophiæ Profeſſor, dein Romæ Medicinam uſque ad obitum fecit, nemini ſecundus, nè ulteriùs aliquid aliorum ad invidiam dixerim. Quare ei curam ſalutis ſuæ commiſit Innocentius X. Papa. Scripſit, Allatiô teſte in *Apibus Urbanis*

Medici Oëconomiam. Romæ apud Andream Phæum in 8.

Romæ in ſapientiæ ædibus docuit etiam Medicæ artis Praxim; meditabaturque paucis abhinc annis experimenta quædam ſuæ artis publicare, ad exemplum Roderici *Fonſecæ* viri doctiſſimi, quem patruum habuit & ſtudiorum auſpicem. Obiit tamen An. 1668. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p. 387.*

FONSECA (*Rodericus*,) Luſitanus, Ulifſipone ortus, Medicus Doctor, propter eximiam doctrinæ exiſtimationem evocatus fuit honorificâ conditione ad docendum hanc artem, in Academiâ Piſanâ ex principe ejus profeſſionis locô; quem cùm diù tenuiſſet, huic renuntiavit Gymnaſio, ad Patavinum, ejuſque principem quoque Medicinæ Cathedram invitatus. In quô & ubiquè non ſolùm præſentibus quotidianô prælectionum labore, ſed & univerſis, poſteriſque lucubrationum doctiſſimarum editione prodeſſe voluit. Scripſit namque

Opuſculum, quo adoleſcentes ad Medicinam facilè capeſſendam inſtruuntur, caſus omnium febrium methodicè diſcutiuntur & curantur &c. Adduntur Conſultationes aliquot, & modus demonſtratur curandi capitis vulnera ſine apertione & per admirabile Aparitii oleum, ſecretum unicum, quô ille apud Hiſpaniarum Regem non modò glorioſum nomen, ſed opes magnas conſequutus eſt. Florentiæ apud Michaël Angelum Sermatellium, 1596. in 4.

De Hominis excrementis, libellum; Piſis apud Johannem Bapt. Boſchettum, 1613. in 4.

Tractatum de Febrium acutarum & peſtilentium remediis diæteticis, Chirurgicis, & Pharmaceuticis. Venetiis, apud Johannem Guerilium, 1621. in 4.

Leonhardi Jacchini methodum quoque curandarum febrium in lucem edidit, adjungens quæ ad operis abſolutionem deſiderabantur. Baſileæ apud Johannem Jacobum Genathium, 1625. in 8.

De Calculorum remediis, qui in renibus & veſica gignuntur. Romæ apud Johannem Angelum Ruffinellum, 1586. in 4. ad Sixtum V. Pont. Max.

De Tuendâ Valetudine, & producendâ vitâ, librum ſingularem. Florentiæ apud Bartholomæum Sermatellum, 1602. in 4. Hunc in Italicum vertit Politianus Mancinus ex Monte-Politianô, ediditque Florentiæ 1603. in 4.

De Venenis, eorumque curatione, Lib. ſingularem. Romæ, apud Vincentium Accoltum, 1587. in 4.

In Hippocratis Legem commentarium, quô perfecti Medici natura explicatur. Romæ apud Titum & Paulum de Dianis, 1586. in 4.

In Hippocratis Prognoſtica, commentaria. Patavii, apud Franciſcum Bolzetum 1597. in 4.

In ejuſdem Aphoriſmorum libros, commentaria. Florentiæ 1591. in 4. Venetiis apud Franciſcum de Franciſcis 1596. in 4. & apud Johannem Antonium de Franciſcis 1608. 8. poſteaque Patavii typis Jac. de Cadorinis 1678. in 4.

In ejuſdem duos priores Aphoriſmorum libros commentaria. Florentiæ apud Barthol. Sarmatellium 1590. in 4.

Conſultationes Medicas: quibus acceſſit.

De

De Conſultandi ratione ; breve compendium & conſultatio de Plicâ Polonicâ ; duobus Tomis ; Francof. apud Aubrios, 1625. in 8. Venetiis, apud Johan. Guerilium, 1628. in foliô duobus tomis. Item de Morbis Virginum, qui intra clauſuram curari nequeunt. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. ij. pag.* 215.

FONT (*Carolus de la*,) Pariſienſis.

Ex eo habentur

Diſſertationes duæ Medicæ, de Venenô Peſtilenti. In quarum priori agitur de Veneni peſtilentis naturâ & cauſis, abſque ullô occultarum qualitatum figmentô ; ubi etiam D. Thomæ Williſii, de Veneni peſtilentis naturâ, opinio examinatur & oſtenditur, Venenum peſtilens nullâ coagulandi, ſed corrodendi vi eſſe præditum : in alterâ agitur de Veneni peſtilentis Curatione, ubi de ſeptem remediorum generibus veneno peſtilenti corroſivo ſpecificè adverſantibus diſſeritur. Avenione apud Offray 1670. 12. & Jenæ, apud Joh. Gollnerum, 1683. in 12.

Diſſertatio Medica, de Hydrope Tympanite, ubi tum genuinæ ipſius cauſæ ex recentiorum principiis deductæ, declarantur ; tùm vera curandi methodus ex iiſdem principiis deſumpta, & experientiis innixa, proponitur ; ſimul contra Williſium ; morbum hunc non convulſivum ſed fermentativum eſſe oſtenditur. Genevæ, apud J. A. Choüet, & Ritter, 12.

FONTANA (*Alexander*,) Mutinenſis.

Ex eô habentur

De Morbô Gallicô, Quæſtiones. Extant operis de Morbô Gallicô, Tom. 1. p. 610. Venetiis, apud Jordanum Zilettum, 1596. in fol.

FONTANONUS (*Dionyſius*,) Montispeſſulanus Medicus undecunquè doctiſſimus. Vixit A. C. 1532. Juſtus in Chronol. Medic. Juxta Moreau de V. S. in Pleuritide Vixit 1542.

Ex eô habentur

Practica Medica, ſive de Morborum internorum curatione, Libri quatuor. In lucem dati à Johanne Renerið : qui ſingulis capitum initiis cauſas & ſigna Morborum ex veteribus claſſicis appinxit. Lugd. apud Frellonium, 1550. in 8. apud Ant. Vincentium 1556. 1605. in 12. & apud Ant. de Harcy 1606. in 16. Francof. apud Nic. Baſſæum, 1600. Ibidem, apud Joh. Saurium, 1611. in 8. Lugduni Batavorum apud Johan. Antonium Huguetan, & Marcum Anton Ravaud, 1658. in 12. His poſtremis tribus Editionibus acceſſerunt ſelectæ Obſervationes Chirurgicæ quinque & viginti Guil. Fabricii Hildani. Nec non ejuſdem Fabricii Hildani de Gangrænâ & Sphacelô Tractatus Methodicus & ſuccinctus.

Cephalalgiæ à Gallicô Morbô curatio. Extat in Appendice ad Tomum 1. Operis Veneti de Morbô Gallicô, pag. 94.

FONTANUS (*Carolus*,)

De eo extat

De Venenô Peſtilenti, & ejus Curatione, contra Williſium. Avenionæ, 1670. in 12. Amſtelodami, 1671. in 12.

FONTANUS (*Gabriel Jac. F.*)

De eo extat

De Veritate Hippocraticæ Medicinæ, firmiſſimis rationum & experimentorum momentis ſtabilitâ & demonſtratâ, ſeu Medicinâ Anti-Hermeticâ. In quâ Dogmata Medica Phyſiologica, Pathologica, & Therapeutica contra Paracelſi & Hermeticorum placita, clariſſimè promulgantur ; non rejectis penitùs Chymicorum inventis, ad Hippocraticam Artem conferentibus ; Adjectus eſt ad Calcem generalis Index rerum in hôc Opere contentarum : nec non Introductio ad Methodum Medendi : atque II. Apologeticon adverſus Helmontium ; ubi firmiſſimè demonſtratur, quatuor humores Galeniſtarum non eſſe fictitios. III. Epitome Tractatûs de Febribus. IV. Tetras graviſſimorum Capitis Affectuum, Vertiginis, Epilepſiæ, Convulſionis, & Apoplexiæ. V. Quæſtio Medica Practica : utrùm mulieri ab abortû, vel partû, acutô morbô, ut potè Febre continuâ primariâ affectæ, liceat Venam malleoli ſecare, an potiùs ex brachiô ſanguinem ducere ? VI. Aphoriſmi Hippocratici XV. VII. Apologeticon, quô vera Galeniſtarum doctrina circa Pleuritidis ideam & curationem defenditur adverſus Van Helmont. VIII. Conſultandi methodus ad quoſlibet affectus propoſitos neceſſaria. Lugduni apud Phil. Borde, Laur. Arnaud, & Cl. Rigaud, 1657. in 4.

FONTANUS (*Jacobus*,) Sammaximitanus.

De eo extant

Prognoſticorum ad Artem Medicam ſpectantium generalis & dilucida Perioche, ex Hippocrate & Galenô ſummô ſtudiô collecta. Turnoni, apud Claudium Michaëlem, 1597. in 12.

Opera. In quibus univerſæ Artis Medicæ ſecundum Hippo. & Galeni doctrinam Partes quatuor methodicè explicantur. Præponuntur Libri duo de Demonſtratione Medica, ad Artem Medicinalem comparandam penitùs neceſſarii. Acceſſerunt Commentaria in omnes Hippocratis Aphoriſmos abſolutiſſima, & Criſium doctrina : nec non Conſilia Medica ejuſdem Authoris accuratiſſima. Coloniæ Allobr. apud Petrum & Jac. Choüet, 1613. in 4. Hi duo Tractatus ſeorſim Pariſiis, apud Adrianum Beys, 1608. in 12. excuſi ſunt.

Methodus generalis cognoſcendi, prædicendi, & curandi Morbos, eorumque ſymptomata. Ad Veterum, maximèque Hippocratis, & Galeni mentem exacta. Avenionæ, apud Jac. Bramereau, 1601. in 8. Pariſiis, apud Adrianum Beys, 1612. in 8.

Practica curandorum morborum corporis humani, in quatuor Libros diſtincta. Pariſiis apud Adrianum Beys, 1611. in 8.

Reſponſio ad Diſputationem Reſcriptam D. Serpillonii de uſû partium : de Actione earumdem & motû muſculorum. Ejuſdem de Demonſtratione Medicâ Lib. 2. Avenionæ, Joh. Bramereau, 1603. in 8.

De Aſtrologiâ Medicâ, Liber. Lugd. 1620. in 8.

FONTANUS (*Johannes*,)

Ex eo habentur

Fons ſcientiæ cupidorum. Lugduni, apud Johan. Tornælium, 1547. in 16.

Phyſiognomia, Ariſtotelis ordine compoſitoriô edita, ad facilitatem doctrinæ. Commentariis illuſtrata breviſſimis, & propter methodum perſpicuam, facillimis. In gratiam eorum præſertim, qui mores hominum proſpicere ſtudent. Pariſiis, apud Johan. Paquet, 1611. in 8.

FONTANUS (*Nicolaus*,) Amſtelredamenſis.

Ex eo habentur

Inſtitutiones Pharmaceuticæ, ex Bauderoniô, & du Boys, in Pharmacopœorum gratiam potiſſimùm concinnatæ. Amſterdami, apud Jacob. Charpentier, 1633. in 12.

Aphoriſmi Hippocratis Methodicè diſpoſiti. Quibus accedit Tractatus de Extractione Fœtûs mortui per uncum. Amſtelodami, apud Jacobum Charpentier, 1633. in 12.

Florilegium Medicum. In quô Flores Medicinæ, tam Theoricæ, quàm Practicæ, per Partes diſtinctas proponuntur, & raris, utilibus, illuſtribuſque Quæſtionibus exornantur. Opus non ſolùm Medicis, verùm & Chirurgis apprimè jucundum & neceſſarium. Amſtelredami, apud Henric. Bernhardi ab Hartoghsvelt, 1637. in 12.

Commentarius in Sebaſtianum Auſtrium de Puerorum Morbis. Amſtelædami, apud Johan. Janſſonium, 1642. in 12. & 8.

Obſervationum rariorum Analecta. Ibid. apud Henr. Laurentii, 1641. in 4.

Reſponſionum & Curationum Medicinalium Liber unus. Amſtelodami, apud Johan. Janſſonium, 1639. in 12.

Syntagma Medicum de Morbis Mulierum, in quatuor Tomos diſtinctum. Amſtelodami, 1645. in 12.

Fons, ſive, Origo Febrium, earumque Remedia. Ibidem, 1644. in 12.

Reſponſio ad propoſitam ſibi Quæſtionem: an manus clavis transfixæ pares ſint ferendo corpus indè pendulum. Amſtelod. in 4.

Annotationes ad Epitomen Anatomiæ Andreæ Veſalii. Ibid. apud Johan. Janſſonium, 1642. in fol.

Auctarium Annotationum in Praxin Artis Medicæ Remberti Dodonæi. Ibidem, apud Henr. Laurentii, 1640. in 8.

FONTE (*Lælius à*,) Eugubinus.

De eo extant

Conſultationes Medicinales. In quibus vera, vivaque conſultandi effigies elucet, plurimorumque difficilium, & notatû dignorum affectuum Agnitio, Tractandique ratio doctè artificioseque explicatur. Ejuſdem Diſputationes duæ ſuccinctæ ſimul & accuratæ; Una de modô Viſionis; altera de Veſicantium uſû. Venetiis, apud Joh. Guerilium, 1608. in fol. Francof. apud Matthiam Beckerum, 1600. in 8.

FONTECHA (*Joh. Alphonſus a*,) patriâ ex oppidô *Daimiel* ordinis militaris S. Jacobi, Medicus Doctor Complutenſis, hujuſque artis pomeridianis horis Profeſſor, edidit

Medicorum incipientium Medicinam: ſeu Medicinæ Chriſtianæ ſpeculum. Compluti apud Johannem Gratianum annô 1598. in 8. Hoc eſt de Carnium eſû aut jejunii Eccleſiaſtici diſpenſatione non ſic facilè propter infirmitatem indulgenda: De Anginis Diſput. Compluti 1611. 4.

Nec non vernaculô ſermone,

Dies Privilegios para mugeres preñadas, con un Diccionario Medico. Compluti apud Ludovicum Martinez 1606. in 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 478.

FORBERGIUS (*M. G.*)

Alexandri à Schuten Librum de ſecretis Antimonii ex Germanicô in Latinum vertit. Baſileæ, apud Petr. Pernam, 1575. in 8. Londini, 1670. in 8.

FORELLUS (*Dominicus*,)

Ex eô habentur

Conſilia Medica. Extant eô in opere, quod Joſephus Lautenbachius collegit & edidit Francofurti, apud Joh. Sartorium, 1605. in 4.

FORESIUS.

De eô extant

Hippocratis Coi Aphoriſmi, Commentariis ſuccinctis ac dilucidis illuſtrati: editi per Adamum Lonicerum, Françof. apud Chriſtoph. Egenolphum, 1551. in 8. Ibid. apud eundem, 1554. in 8.

FORESTERIUS (*Thomas*,)

Ex eô habetur

Regimen Pauperum, contra Peſtilentiam, Fluxum ventris dyſentericum, & Tenaſmum. Rothomagi, 1590. in 4.

FORESTUS (*Petrus*,) Natus eſt Alcmariæ, ex nobili & antiquâ familiâ A. C. 1522. Patre Jordano: creatus Medicinæ Doctor Bononiæ in Italiâ: primò omnium Lutetiæ Praxin Medicam exercere cœpit, gratus Vido Vidio & Jacobo Sylvio: poſteà Pythurcas venit, quâ in urbe per annum Medicinam cum honore fecit. A. C. 1545. in Patriam reverſus, per annos 12. Medici munere functus, indeque Delphos evocatus, ibidem annos 40. Medici Spartam ornavit. A. C. 1575. in Academiâ Lugdunenſi Batav. tùm introductâ inter primos Medicinam profiteri cœpit, primùmque in Medicinâ lectionem & orationem pro laude ejus habuit. Mercatorem quendam diarrhœâ diuturnâ laborantem curâſſe aliquandò fertur ſolis meſpilis, eumque ſibi honorarii loco 300. aureos numerâſſe. In extremâ ſenectute Alcmariam urbem patriam reverſus, ibidem obiit, A. C. 1597. ætatis ſuæ 75.

De eo extant

Obſervat. & Curationum Medicinalium, Libri 2. Lugd. Batavorum, 1591.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 3. 4. *&* 5. *Lugd. Bat.* 1591.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 6. & 7. *Ibid.* 1591.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 8. 9. *&* 10. *Ibid.* 1602.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 11. 12. 13. 14. *&* 15. *Ibid.* 1602.

Obſervat. & Curat. Medicin. Lib. 16. *&* 17. *Ibid.* 1602.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 18. *Ibid.* 1606.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 19. *&* 20. *Ibid.* 1595.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 21. 22. *&* 23. *Ibid.* 1596.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 24. *&* 25. *Ibid.* 1596.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 26. *&* 27. *Ibid.* 1597.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 28. *Ibidem* 1599.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 29. *Ibidem* 1603.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 30. *&* 31. *Ibid.* 1606.

Obſerv. & Curat. Medicin. Lib. 32. *Ibid.* 1606. *omnes in octavô.*

Obſervationum & Curation. Medicinalium, ſive, Medicinæ Theoricæ & Practicæ Libri 28.

Quorum

1. De

I. De Febribus Ephemeris Synochis.
II. De Febribus Continuis.
III. De Febribus Intermittentibus.
IV. De Febribus Hecticis.
V. De Febribus Compoſitis.
VI. De Febribus publicè graſſantibus : cum Morbis Epidemiis, deque Febribus malignis, contagioſis, peſtilentibus, ac Peſte.
VII. De Febrium Symptomatis.
VIII. De Exterioribus Vitiis, & Morbis Capitis.
IX. De Variis Corporis Doloribus.
X. De Univerſis Cerebri, & Meningum ejuſdem Symptomatis & Morbis.
XI. De Morbis Oculorum & Palpebrarum.
XII. De Aurium Morbis.
XIII. De Naſi affectibus.
XIV. De Ægritudinibus Labiorum, Gingivarum, Dentium, Oris, ac Linguæ.
XV. De Faucium, Gutturis, Gulæ, & Aſperæ arteriæ Affectibus.
XVI. De Pectoris, Pulmoniſque Vitiis & Morbis.
XVII. De Cordis ac quibuſdam Mammillarum Affectibus.
XVIII. De Stomachi & Ventriculi Affectibus.
XIX. De Hepatis malis, ac Affectibus.
XX. De Lienis Morbis, Vitiis, ac Affectibus & de Scorbutô.
XXI. De Meſenterii & Inteſtinorum Affectibus, ac de Colicis & Iliacis doloribus: de Vermibus.
XXII. De diverſis Profluviorum Alvi generibus.
XXIII. De Sedis & Ani Vitiis & Affectibus.
XXIV. De renum Affectibus & Morbis.
XXV. De Veſicæ Malis ac Affectibus.
XXVI. De Renis ac Virgæ Vitiis.
XXVII. De Scroti ac Teſticulorum Affectibus, Vitiiſque, ac de Ramicum diverſis ſpeciebus.
XXVIII. De Mulierum Morbis & Infantis regimine agunt. In quibus eorumdem cauſæ, ſigna, prognoſes, & curationes graphicè depinguntur. Francofurti apud Zach. Palthenium, 1602. in fol. 2. Voll.

Obſervationum & Curationum Medicinalium, ſive, Medicinæ Theoricæ & Practicæ Lib. XXIX. De Arthritide, & aliis affectibus partium externarum. In quô ejus cauſæ, ſigna, prognoſes, & Curationes graphicè depinguntur. Francof. apud Palthenium, 1604. in fol. Operum Tomus tertius.

Obſervationum & Curationum Medicinalium, ſive, Medicinæ Theoricæ & Practicæ Libri 30. 31. & 32. de Venenis, Fucis, & Lue Vencreâ. In quibus eorumdem cauſæ, ſigna, prognoſis, & Curationes, graphicè depinguntur. Francof. ap. Palthenium, 1606. in fol. Operum Tomus quartus.

Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Libri quinque. Quorum I. de Tumoribus præter naturam ſanguineis : II. Bilioſis; III. Pituitoſis : IV. Melancholicis: V. Mixtis, ſeu compoſitis. In quibus eorumdem cauſæ, ſigna, & prognoſes & curationes graphicè depinguntur, cum Scholiis. Lugduni Batavorum : apud Raphelengium, 1610. in 8. Francofurti, apud Palthenium, 1610. in fol. Huic Editioni acceſſerunt ejuſdem Libri III. de incertô ac fallaci Urinarum Judiciô, adversùs, Uromontas, & Uroſcopos. Operum Tomus quintus.

Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Libri quatuor poſteriores. Quorum primus de Plagis, ſeu Vulneribus cruentis, caſû, offenſioſione, percuſſione, contuſione, ac concuſſione. II. Ulceribus, III. Fracturis; IV. Luxationibus, agit. In quibus eorumdem cauſæ, ſigna, prognoſes, & curationes graphicè depinguntur. Francofurti, apud Palthenium, 1611. in fol. Operum Tomus ſextus & ultimus. Ibidem, 1634. in fol.

Omnes autem hi Libri ſeorſim quoque ſinguli prodierunt Lugduni Batavorum, apud Franc. Raphelengium ab annô 1589. uſque ad annum 1610. in 8. Et Libri tres de incertô urinarum judiciô, &c. Antverpiæ apup Chriſtoph. Plantinum 1583. in 8. Lugduni Batavorum, 1589. in 8.

De Venenis & Fucis, Liber. 1606. in 8.

Obſervationum & Curationum Medicinalium ac Chirurgicarum Opera omnia. In quibus omnium & ſingularum Affectionum Corporis humani cauſæ, ſigna, prognoſes & Curationes graphicè depinguntur : Cum univerſali Titulorum, Obſervationum, Morborum, Secretorum ſingularium, ac Rerum Memorabilium Indice locupletiſſimô. Francof. 1623. Opera omnia quatuor Tomis digeſta, quibus acceſſerunt ejuſdem Autoris Libri III. de incerto ac fallaci urinarum judicio adverſus uromantas & uroſcopos in fol. Rothomagi, ſumpt. Johan. & Davidis Berthelin. 1653. in fol. Francof. proſtant, ap. Joh. Andream, & Wolffgangi Endteri Junioris Hæredes, 1660. 1661. in fol.

FORESTUS (*Thomas*,)

Ex eo habetur

Regimen Pauperum contra Peſtilentiam, Fluxū ventris Dyſentericum, &c. Rothomagi, 1590. 4.

FORGE (*Ludovicus de la*,)

De eô extat

Tractatus de Mente Humanâ, ejus Facultatibus & Functionibus, necnon de ejuſdem unione cum Corpore, ſecundum Principia Renati Des-Cartes. Pariſiis, apud Theodorum Gerhardum, 1666. in 4. Amſtelodami, apud eundem, 1669. in 4. Bremæ, apud Johannem Weſſelium, 1674. in 4. Hæc editio, præter numeratam paragraphorum diſtinctionem, ſummariis marginalibus, atque rerum primariarumque Quæſtionum Philoſophicarum Indicibus emendata & aucta eſt per J. F.

Renati Deſ-Cartes Tractatum de Homine Notis perpetuis illuſtravit. Amſtelodami, apud Danielem Elzevirium, 1677. in 4.

FORGET (*Johannes*,) Lotharingus.

Ex eô habetur

Artis ſignatæ deſignata fallacia. Nanceji, apud Antonium Charlot, 1633. in 8. Tractat autem de Vanitate Artis Phytognomicæ ſive de vanitate ſignaturarum Plantarum.

FORMIUS (*Samuel*) Monſpelienſis.

Ex eô habentur

Obſervationes Medicæ. Extant cum Obſervationibus Lazari Riverii. Londini, apud Milonem Flescher, 1646. in 8. pag. 403. & aliis Edit.

FORNERUS (*Fridericus*,)

De eô extat

De Temulentiâ, ejuſque Remediis. Ingolſtadii, apud Andream Angermanum, 1603. 8.

FORNESIUS (*Antonius*,) Perrottinus Allobrogis Medicus.

Ex eô habetur

De Peſte, ejuſque Curatione, Liber. Baſileæ, apud Bryling, 1583. in 4. & Lugduni 1588. in 4. prodiit ſic inſcriptus: De Medicinæ victûſque ratione, qui tempore peſtis & ſemper erit obſervandus.

FOROLIVIENSIS (*Jacobus*,) Philoſophus & Medicus celeberrimæ opinionis, Coævus Florentini & Marſilii. Juxta Trithemium verò claruit A. C. 1439. ſub Sigiſmundô Imperatore, & Henricô Gallorum Rege. Wolffg. Juſtus, in Chronol. Medic.

De eo extant

Expoſitio in primum Avicennæ Canonem, cum Quæſtionibus ejuſdem, ac Indice dicti cujuſque in marginibus appoſiti. Huic novæ Editioni, ſcito, addita eſſe Expoſitionem Jacobi de Partibus, *Ultramontani*, ſuper capitulis, videlicèt de regimine ejus, quod comeditur, & bibitur VII. De Regimine Aquæ & Vini VIII. Doct. II. Fen, III. Primi. De quibus nulla per Jac. Foroliv. inventa eſt eruditio. Papiæ, apud Jac. de Burgofranco, 1512. in fol. Et Venetiis, apud Juntas, 1547. in fol. Addita eſt quoque ad finem ſubtilis quæſtio Hugonis Senenſis de Malitiâ complexionis diverſæ. Apud Aloyſium de Caſtellô Comenſis, 1512. in fol.

Antiqua Hippocratis Tranſlatio, quæ eſt Conſtantini Aphricani, ſeu, Monachi, ſupra ſeptem ſectiones Aphoriſmorum; unà cùm eruditiſſimâ Galeni commentatione. Nova ejuſdem Hippocratis tranſlatio ſupra eaſdem ſeptem ſectiones per Theodorum Gazam habita, cum Jacobi Foroliv. Marſiliique Expoſitionibus. Quæſtiones eorumdem Jacobi & Marſilii ſupra prædictas ſeptem ſectiones. Demùm nova Caſtigatio Textuum Hippocratis: Commentationis Galeni: Expoſitioniſque Jacobi Forolivienſis: nec non omnium auctoritatum fida collatio, per Chriſtoph. Caſtaneam, *Laudenſem*. Papiæ, apud Jac. de Burgo Francô, 1512. in fol. Venetiis, apud Locatellum, 1495. in fol. Idem opus poſteà editum eſt ſequenti titulô:

In Hippocratis Aphoriſmos & Galeni ſuper eoſdem Commentarios Expoſitio & Quæſtiones quàm emendatiſſimæ. Additis Marſilii de Sanctâ Sophiâ interpretationibus in eos Aphoriſmos, qui à Jacobô expoſiti non fuerant. Tabula inſuper denuò ampliſſima adjuncta, longè abſolutior priore. Venetiis, apud Juntas, 1547. in fol.

Commentarii in Artem Galeni cum Quæſtionibus nonaginta una. Papiæ, apud Aloyſium de Caſtellô Comenſis, 1514. in fol. Venetiis, apud Juntas, 1547. in fol.

Expoſitio in Avicennæ aureum Capitulum de Generatione Embrii, cum Quæſtionibus ſuper eôdem. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1502. 1518. in fol. cum aliis ejuſdem argumenti Libris.

FORSTIUS (*Angelus*,)

Ex eo habentur

De Mirabilibus humanæ vitæ, Naturalia fundamenta. Venetiis, apud Bernhardinum de Vianis, 1543. in 8.

Veritatis redivivæ Militia. Venetiis, apud eundem, 1541. in 8.

FORT (*Joh. Amedeus* LE,) Medicus Genevenſis Præſtantiſſimus, natus eſt 20. die Novemb. 1683. Patre Nobiliſſ. & Ampliſſ. Virô Amadeô Le Fort, Primariô Reipub. Genevenſis Conſule; cujus filius primogenitus Patriis Muneribus hodie, magnâ cum dignitate & Reipublicæ emolumentô fungitur: Noſter autem Principiis Anatomiæ ac Phyſiologiæ aliquatenus imbutus, ſe ſe, ineunte annô 1703. Marpurgum in Haſſiâ contulit; auditurus Celeberrimum Daniel. Nebelium, tunc temporis Medicinæ ac Botanices Profeſſorem, cujus convictû, Collegiis privatis, & prælectionibus publicis non ſine magnô fructû uſus eſt. Illinc diſceſſit, valetudinis cauſsâ, menſe April. annô 1705. in patriam rediturus. Autumno ſequenti Valentiam in Delphinatu profectus eſt, gradûs Doctoratûs capeſſendi gratiâ: quô factô, Monſpelium citò petiit, ſecum portans commendatitias literas ad Clariſſimos Viros DD. Vieuſſens & Chirac, à quibus ſic humaniter exceptus eſt, ut conſuetudine utriuſque familiariter totô commorationis tempore uſus fuerit. Decem pòſt menſibus, migravit Lutetiam, ubi, ſic ut in cæteris ſuis peregrinationibus, ſedulam, Medicinæ, Chirurgiæ, & rei Herbariæ navavit operam. Vergente annô 1707. Redux in patriam viſitare ægros cœpit; quodque facere hodie (1729.) cum maximâ laude, & publicô commodô pergit.

Ex eô habentur

Theſes Anatomico-Medicæ, de reciprocô aëris in pulmonibus motû, quas compoſuit & publicè propugnavit Marpurgi 1704.

Libellus, Gallicè conſcriptus, cujus titulus eſt *Methode ſimple & facile pour guerir quelques maladies tant internes qu'externes.* Genevæ typis Fabri & Barillot 1708. In cujus Epilogo Autor graviter crepat Populum Genevens. quòd tam facile circulatoribus, & Pſeudo-Medicis fidem adhibeat.

Diſſertatio ſeu Epiſtola de Tumore ſingulari, imum ventrem occupante, Mortiferô; ad Clar. DD. Eſaiam De Communi, Medicum Genevenſem, virtute ac doctrinâ conſpicuum. Genevæ typis P. Jaquier 1712.

Schedula Monitoria, Gallico idiomate conſcripta: *De Punctione perinæi* in viro propemodum ſeptuagenario, ſuppreſſione urinæ totali à triduo, laborante; (irritis omnibus aliis præſidiis) feliciter, præter exſpectationem omnium, inſtitutâ annô 1717. ita ut Patiens hodie (1729.) octuagenarius, benè valeat nec unquam ab eô tempore difficultate urinæ laboraverit. Ante hanc diem hæc operatio Chirurgica nondum Genevæ uſitata fuerat: Id in hoc caſu obſervatione dignum eſt, quòd per ſex hebdomadas integras, ne guttula quidem urinæ per urethram tranſierit, adeò parietes ejus coaluerant: ſubitò & ſponte ſuâ Iter urinæ naturale apertum tandem eſt, & callosum Vulnuſculum non ſine multô labore cicatrice obductum. Genevæ typis Fabri & Barillot 1719.

Aphoriſmorum de Peſte, quorum Autor DD. Eggerdes, Medicinæ Doctor Celeberrimus, in Gallicum ſermonem Converſio. Vid. *Mangeti Tract. de Peſte. Traitè de la Peſte & des moyens de s'en preſerver, recueilli des meilleurs Auteurs Anciens & Modernes; Tom. 2. pag. 247.*

Obſervatio, Clariſſ. Nebelio, Medic. Doct. & Marpurgenſi Profeſſori, communicata, ac ab eôdem Miſcellan. German. Curioſis inſerta. De Ruſticô


RAYMVNDVS IO. FORTIS VERONEN. IN PRIMA
SEDE PRAXIS ORD. PROF. ÆTAT. AN. LXV.
Fr. Diodati Sculp.
Iam RADIVS MVNDI per totum funditur Orbem
IAM FORTIS Mortem terret, et ENSE fugat.

Ruſticô quôdam, qui poſtquam comediſſet duodecim vitellos ovorum, ad duritiem coctorum, abſque ullâ potione, ſubitò moriebatur.

ANnô 1712. die xv. Julii, in pago, cui nomen eſt *Voirambel*, haud procul ab urbe Genevâ diſtante; Res non minùs ſtupenda quàm ſingularis contigit, quam breviter, nullâque adhibitâ ratiocinatione, narrabo. Quidam *Sabaudus* Feniſeca, natus annos 28. temperamento robuſtiſſimo, pignore certare ſuſtinuit ſe pro jentaculo abſque ullâ potione duodecim vitellos ovi, ad perfectam duritiem coctos, comeſturum. Id ab alio negatum eſt; & victori quoddam præmium ponitur. Helluo igitur vitellos ſibi appoſitos, ita avidè deglutire incipit, ut intra ſpatium quatuor vel quinque minutorum, omnes duodecim aſſumpti fuerint. Sed vix dum ultimus gulam ingreſſus erat, cùm homo titubare cœpit, paulòque pòſt cecidit mortuus in terram. Aqua vitæ, corporis concuſſio, cæteraque auxilia fruſtra adhibita fuêre. Res protinus per urbem divulgatur; atque Dn. *Sabourin*, experientiſſimus Chirurgus ſe, mandato Judicis, in prædictum pagum contulit, tam ſubitæ mortis cauſam diligenter quæſiturus. Corpus defuncti jacebat ſupinum; Facies tota livebat, tumebatque; Collum, venæque jugulares grandiores quoque ſolitô erant; Os aliquantisper hiabat; oculi denique, præ tumore, ex orbitâ egredi videbantur, ita ut Chirurgus omnia extrinſecus adeſſe ſtrangulationis, vel ſuffocationis ſigna obſervaverit. Ubi autem cognovit quid rei eſſet, non dubitavit quin cauſa tam ſubitæ mortis in ſtomacho reperiretur. Itaque imum ventrem incidit, poſteà ſtomachum: verùm in iſto viſcere, nihil præter aliquantùm juſculi, cum quo erant commixtæ aliquot particulæ vitelli, detexit: Hæ verò particulæ omninò, vix magnitudinem avellanæ æquabant. Cæterùm ſtomachus, qui capaciſſimus erat, aliaque imi ventris viſcera, ſana, naturaliaque extiterunt. Deinde Chirurgus thoracem aperuit, œſophagumque unum quæſivit. Is autem à principio ad ſeptum tranſverſum uſque ita durus, tenſus, atque ita vitellis ovi plenus ac infarctus erat, ut omnino ratione habitâ diametri duritieique, Lucanicæ Bolonienſi ſimilis extiterit. Illo inciſo, toti duodecim apparuêre vitelli, non ita accuratè dentibus contriti. Cætera verò pectoris viſcera, ſana extitere.

FORTANERIUS (*Carolus*,)

Ex eô habetur

Diſputatio de partû cujuſdam infantulæ Agennenſis: An ſit ſeptimeſtris partus, an novem menſium? Extat parte vi. Operum Jacobi Sylvii. Coloniæ Allobr. apud Jacob. Choüet, 1630. in fol.

FORTIS (*Raymundus Johannes.*) vulgò Zanfortius Veronenſis, natalium humilitatem virtutis & ſapientiæ ſplendore deterſit. Puer indolis experrectæ, magnaque, ſi coleretur, pollicitæ, diviti cuidam magno fortunæ beneficio placuit; effecitque ùt is puerum in pa; trocinium ſuſciperet, erudiendum inſtituendumque minoribus litteris curaret, ſuis ſumtibus; Patavium ad quæſtum ſcientiarum tranſmitteret, & ibi uſque ad exitum tyrocinii gymnaſtici ſuſtentaret. Relatâ doctrinæ laurô, cùm patronus obiiſſet, Venetias venit; paulatimque ità ex Medicinæ praxi in eâ urbe frequentiſſimâ inclaruit, ùt omnium ſuffragiô inter Medicos principatum habuerit, atque à praxi privatâ ad primum Practicæ Medicinæ ſubſellium annô 1658. mille quingentorum ſtipendiô evectus ſit. Reipſâ vir fuit in hâc arte peritiſſimus, quem ſuæ curatorem ſalutis ſummi Principes expetierint, Leopoldus Cæſar ad id Vindobonam evocaverit, doniſque ac titulis honorificentiſſimis onuſtum & adlectum Archiatrum aulæ Cæſareæ Patavium remiſerit, ubi Veneti Senatûs Eques, auctuſque honorariô ad mille & octingentos, impetratâ miſſione cauſariâ ob ſenectutem, quam duxit magnificè ac planè baſilicè, cum ſupraordinarii titulo. Patavii devixit annô 1678. v. Kal. Martii; ſepulchrum ſibi paraverat in templô ſervorum Deo ſacrum Trino & Uni, ac B. V. M. ubi jacet; Hæredes ibidem parieti appoſuêre ejus effigiem cum hac Epigraphe:

Raymundo Johan. Forti Veron. Venet. Senat. Equ.

Leopoldi Cæſaris Archiatro Medic. Prof. emerito, cujus nomen optimè de humano genere meritum

poſteritati diutiùs, quàm marmori hærebit an. 1679. *hæres Mon. P.*

Obiit ſeptuaginta quinque annos natus. *Hiſt. Gym. Patav. T. j. p.* 371.

De eo extant in Lindenio Renovatô.

Conſilia de Febribus & Morbis Mulierum facilè Cognoſcendis & Curandis. Patavii, 1668. in fol.

Conſultationum & Reſponſionum Medicinalium Centuriæ Quatuor. Patavii, apud Matthæum Bolzettum de Cadorinis, 1669. in fol. Genevæ, apud Leonhardum Choüet, 1677. in fol. Cui Editioni acceſſerunt ejuſdem Authoris Conſilia de Febribus, & de Morbis Mulierum.

Conſultationum & Reſponſionum Medicinalium Centuriæ Quatuor. Tomus alter. Quibus accedit Auctoris Vita. Patavii, apud Petrum Mariam Frambottum, 1678. in fol.

FORTOLUS (*Antonius*,) Joſerienſis.

Galeni Libr. de Venarum Arteriarumque Diſſectione interpretatus eſt.

FORTUNATUS (*Julius Pomponius.*)

Ex eô habetur

Interpretatio in Hortum Columellæ. Cui Annotationes Virorum illuſtrium. Bapt. Pii, & Phil. Beroaldi, & aliquot aliorum ſunt adjectæ. Extat cum Libris de Re Ruſticâ Catonis, Varronis, Columellæ, Palladii. Lutetiæ, apud Johan. Parvum, & Galeotum à Pratô, 1533. in fol.

FOTTICH (*Theobaldus.*)

De eo extat

De Conſolidatione partium genitalium præter naturam, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervation. Medicinal. ſingul. Lib. iv. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. pag. 508.

FOVETIUS (*Claudius*,) Conſiliarius Medicus Ordinar. Regius, Aquis Vicialenſibus Præfectus.

De eô extat in Actis Lipſienſibus ann. 1687. *p.* 684.

Nouveau Siſteme des Bains & Eaux Minerales de Vichy &c.
i. e.
Novum Syſtema balneorum & aquarum mineralium Viciacenſium, fundatum ſuper pluribus egregiis experimentis & doctrina de acidô & alkali &c. Pariſiis, apud Robertum Pepie, 1686. *in* 12.

UT in demandata Provincia Regi ſuam probaret induſtriam, aquarum Viciacenſium, quibus præfectus eſt, inveſtigationem ſuſcepit Autor. Hinc multa de præſtantiâ doctrinæ de acidô & alkali, præ antiquorum de qualitatibus hypotheſi præfatus, primo capite loci ſitum exponens, Viciaci in Burbonenſi diſtrictû oppidi, cui ab aquis calidis Vici Calidi nomen impoſitum cenſet, hiſtoriam, conditores, inſtauratores, fortunam & alia enumerat. Aëris puritatem, (quæ urbem, vicinia licet peſtis contagio circumcirca infecta, immunem ſemper præſtitit) agrorum fertilitatem, domiciliorum commoditatem, incolarum humanitatem, & quæ ſunt alia, miris encomiis extollit. Sex inibi reperiri refert ſcaturigines aquarum mineralium, non longè ab invicem remotas, caloris gradû tamen differentes, imò quoſdam planè frigidas. Refutata deinde vulgarium principiorum Chymicorum triga, doctrinæ de acidô & alkali patrocinatur, illamque fuſiùs paulo C. 2. nùnc ſimili, nùnc diverſa à reliquis ejus aſſeclis ratione deducit. Caloris verò ætiologiam non cum Milæô, Heliodotô, Democritô, Ariſtotele eandem agnoſcit, ſed per motum explicat ignium ſubterraneorum, qui à materiâ quâdam, ſulphure & bitumine imprimis, foveantur, & aquam in canalibus ſuis motum iiſdem circumfuſi calefaciant. Quibus præmiſſis accuratiùs, aquas ſuas examinat, hincque eadem aut ſimilia cum *Boyliô*, *Liſterô*, & aliis experimenta inſtituit. Itàque odorem deprehendit ſpiritui ſalis ammoniaci ſimilem, guſtum in Calidiſſimô fonte dulcem & inſipidum, in reliquis ſalinum & leviter amaricantem, & hunc ſecundum remiſſionem caloris intenſiorem. Quando Aquæ hæ lentô igne evaporârunt, aqua inſipida ſecedit: remanet ſal albicans & amaricans, quod tardius in frigidâ, quàm calida, citiſſimè autem & cum ebullitione in acetô deſtillatô diſſolvitur: filtrationibus iteratis albicat, cryſtalliſari poteſt, non crepitat carbonibus injectum, cum acidis quibuſvis, nullatenùs cum alkalibus efferveſcit; ſyrupum violarum viridem reddit, quamvis à ſpiritû vitrioli in rubedinem mutatum; Mercurium ſublimatum confundit & aurantiô colore imbuit, quem, mixtura licèt à ſpiritû vitrioli ad limpiditatem perducta, denuò affuſum regenerat; alvum, & quô impurius, minùſque à terrâ ſuâ liberatum, eò feliciùs movet, atque omnibus ſcaturiginibus idem eſt. Limpiditatem aquarum gallæ pallidâ rubedine commutant, illas tamen magis quibus acrimonia major ineſt, & quæ magis purgant, quod Mercurio illarum, ſeu alkali volatili deberi exiſtimat. Hyeme non congelantur, ſed plus calent; rivuli à fontibus remoti pariter illud ſal reddunt; recrementa illic pinguia & nigra ſunt, & aëri aliquantum expoſita cinerea, nullatenùs tamen flammam concipiunt. Et quod mirandum, vaccas æſtate odore allectas, per tria milliaria accurrere, & arietando invicem de primô hauſtû pugnare, vegetaſque illic loci præ aliis reperiri, recenſet. Poſtquam igitùr ex iis, quæ ſuperiùs enumeravimus, aquarum harum vires alkali cuidam naturali C. 4. inſcripſit, ſequente in illiûs naturam inquirit. Illud nullis metallis, non aliis mineralibus, ſoli nitrô convenit. Hoc tamen non quatenùs ſal petræ, utique ab illô diſtinctum, vulgô pro eô habetur, ſed borraci foſſili, & nitrô veterum ſimile intelligit. Cum enim iidem cum illô effectus ab Hippocrate, Galenô, Dioſcoride deſcripti Viciacenſes, aquas ſequantur, harum nitrum cum illorum ejuſdem naturæ eſſe concludit, Medicorum quorumdam Gallorum autoritate confirmatus. Omnium proin fontium indolem eſſe aperire & purgare, illorumque, qui minùs purgant, magis balſamicam & dulcem eſſe oſtendit; ſingulorum deinde diſcrimen delineans. Cùm acidum igitùr quoddam peregrinum, morborum plerorumque, ſi non omnium, cauſam agnoſcat, illis, inprimis inveteratis, aquas has alkali ſuô fœtas, & interius aſſumtas, & ſub balneorum ſpecie adhibitas, mederi aſſerit. Quibus poſteà regimen, ante potum vel balneum, durante illô, & poſt eadem neceſſarium, longumque catalogum illorum, qui aquis his feliciter uſi convaluerunt, annectit.

FOXIUS (*Sebaſtianus*,) Morzillus-Hiſpalenſis.

De eo extat

De Naturæ Philoſophiâ, ſeu, de Platonis & Ariſtotelis conſenſione Libr. v. Wittebergæ, 1598. in 8. Ibidem, apud Hæredes Bartholomæi Vogelii & Andreæ Hoffmanni, 1594. in 8.

FRACASSATUS (*Carolus*,) Bononienſis Medicus & Prof. Piſanus, vere celeberrimus, Magni Malpighij amiciſſimus.

Ex eo habentur

Epiſtolæ Anatomicæ; & quidem I. de Linguâ: II. de Cerebrô. Extant cum Marcelli Malpighii Epiſtolis Anatomicis. Amſtelodami, apud Caſparum Commelinum, 1669. in 12.

Diſſertatio Epiſtolica reſponſoria de Cerebrô. Extat etiam cum Daniel. le Clerc. & J. Jac. Mangeti Biblioth. Anatom. Genevæ, apud Joh. Anton. Chouet, 1685. in fol.

Exercitatio Epiſtolica de Linguâ. Extat etiam ibid. apud eund. annô & formâ iiſdem.

Caroli Fracaſſati Prælectio Medica in Aphoriſmos Hippocratis. Bononiæ, apud Ferronium, 1659. 4.

FRACASTORIUS (*Hieronymus*,) Veronenſis, Fracaſtoriâ perantiquâ Veronæ ac valdè nobili familia ortus, non antiquorum modò civium ſuorum Catulli & C. Plinii gloriam æmulari, ſed omnes prorſùs noſtræ & ſuperioris ætatis homines præſtanti omnis doctrinæ laude, & eximiâ in pangendis carminibus gloriâ, longô intervallô ſuperare contendit. Is, Paulô Philippô Fracaſtoriô, & Camillâ Maſcareliâ ſummæ probitatis parentibus ortus, atque à patre honeſtè ac liberaliter educatus, ut primùm per ætatem in lucè hominum verſari cæpit, tale de ſe ſpecimen apud omnes præbuit, ut, jam tum ex eô adhuc puerô, qui poſteà vir futurus eſſet, facilè homines conjectarentur, quod immortalis Dei maturô quoque teſtimoniô pridem fuerat confirmatum, cùm penè infantem, & vix cunis egreſſum, à matre, quâdam die, in ulnis blandè pertractatum, ipſa fatali de cœlô icta fulmine, incolumis ſervaretur. Patavium, ad capiendum animi cultum, adoleſcens adhùc, à patre miſſus, ingenti curâ atque indefeſſô labore, jam tum ad ſummum gloriæ faſtigium generoſi ſpiritûs indole ſibi iter aperuit, cùm poſt omnium bonarum

rum literarum cognitionem ad arcana cujuſque doctrinæ, ſed mathematicarum præcipuè ſcientiarum, infinitâ etiam lectione muſitatâque memoriâ ſibi eſſe penetrandum judicaſſet. Sed cùm Philoſophiæ ſtudiis per multos annos operam dediſſet, Petrô Pomponatiô Mantuanô præceptore uſus, tantô animi ardore atque alacritate, Geniô ſuadente, ſe totum ad Medicinam convertit, tantâ porrò contentione in gymnaſiô per quotidianas Medicorum Diſceptationes ſe ſe exercuit, ùt Doctores ipſi atque æqualis juventus, eum ad omnia natum eſſe divinô quôdam conſiliô faterentur, illique maximos ſuggeſtûs honores tunc detulerint, quod Patavii, ante illum memini, niſi maturo in ſtudiis, & perfectæ demùm ætalis viro contigerat. Studiorum ſocios & ſodales habuit Patavii illuſtriores quoſque ejus ætatis juvenes Gaſparem Contarenum, qui poſteà Cardinalis fuit, Andream Naugerium, & Marcum Antonium Contarenum Patritii Ordinis Venetos, eoſdem poſteà Clariſſimis legationibus ac Magiſtratibus inſignes, Johannem Jacobum Baldulonum Mantuanum, qui graviſſimus Philoſophus fuit, Pomponium ac Lucam Gauricos fratres Aſtronomiæ peritiſſimos, & Johannem Baptiſtam Rhamnuſſium, qui poſtmodùm x. virûm Conſilii Senatûs Uenetiarum à ſecretis fuit, Græcarum literarum, ſed Coſmographiæ præcipuè atque omnis ferè Hiſtoriæ peritiſſimum. Sed præter, Cæteros Marcum Antonium, Johannem Baptiſtam & Rhamundum, Turianos, nobiliſſimos fratres Veronenſes præſertim coluit, quibuſcum quotidianô ferè in Convictû Patavii verſabatur, cùm Hieronymus eorum pater exactæ doctrinæ, & autoritatis vir, primum inter Medicos, in eâ civitate honeſtiſſimis conditionibus ſuggeſtûs locum obtinebat. Sed, exortô demùm bellô, & everſô Patavinô Gymnaſiô, cùm nuntiata eſſet illi patris mors, & in patriam iter pararet, Livianus Venetarum Copiarum Imperator, Muſarum liberalis hoſpes, & ingeniorum Cenſor longè graviſſimus, honeſtiſſimis accitum conditionibus in Academiam Forojulienſem ad Portum Naonem inſtitutam in Andreæ Naugerii Patricii Veneti, & Johannis Cottæ præcellentium Poëtarum Contubernium evocavit. Ubi cùm diu multùm verſatus eſſet, Carminumque quæ ab eô quotidiè ex nobili ſemper occaſione ſummæ dignitatis emanabant, authoritate univerſæ Italiæ carus ac jucundus eſſe cœpiſſet, illius ſcripta exindè publico ſemper excepta plauſu, reliquorum ad hanc diem omnium famam oppreſſerunt. Sed cùm pluribus bellis Livianum aliquandiù ſecutus eſſet, eô tum demùm ex ipſâ Gallorum ad Abduam victoriâ fuſô ac captô, ſe in patriam ſerò contulit, cùm omnia penè funditùs everſa ac devaſtata direptionibus & incendiis paterna bona expoſita reperiſſet. Duxit uxorem vivô adhùc ſuadenteque patre, dum ſtudiorum causâ Patavii moraretur, haud pari fœlicitate, cùm non duorum modò, quos immaturè ſibi ereptos nobili carmine acriter dolet, filiorum funeri interfuiſſet, niſi præter Paulum Philippum, (quem hodiè Veronæ præclarô florentem ingeniô admiramur) tertium quoque annis gravem, & conſiliô maturum amiſiſſet. Fuit Fracaſtorius parvâ quidem, ſed quadratâ corporis ſtaturâ, latis humeris, & barbâ decenter honeſtatus: nigrâ comâ prolixâque, facie rotundâ, ſubnigris oculis, naſô, ab diutiſſimè contemplandis ſtellis contractô, ſimôque; Cæterùm totius oris aſpectû miram probitatem ſincerique animi candorem referente. Domum habuit Veronæ juxta ædem D. Euphemiæ dicatam, quanquam ſeceſſû Caphio, Melſineoque plurimùm oblectaretur, de quo quidem Caphio monte antequàm ſermo ulteriùs proferatur, pauca ideò dicenda eſſe videntur, nè locus, totô Veronenſi agrô hôc tam eximiô cultore Celeberrimus, cùm is, ingenuô pudore detentus pauca admodùm deſcripſerit, omninò ignoretur. Eſt Caphius mons ad radices Baldi XV. millia paſſuum Veronâ diſtans, inter Atheſim, & Benacum medius. Ibi, cùm paululùm aſcenderis, villa in collis jugô, in mediâ planitie ad conſpectum Benaci (non eximiis illa quidem, ut reguli, ac beatioris fortunæ homines, opibus ingeniôque validiores, ſupra civilis fortunæ cenſum ædificârunt, picturis exornata, ſed unô tantùm loci geniô, ac ſitûs prærogativâ admirabilis) reperitur. Quadrata domus eſt, ac liberiori undiquè præterquàm ab Aquilone, Cœli facie Coronata; Nam quà ab Oriente Atheſim ad radices montis ex intimâ Germaniâ propè Baldum rapidô curſû defluentem attingit, Veronam urbem & circumfuſas innumerabiles in ſubjectâ planitie villas longiſſimè proſpectat; atque in his, omnis generis armenta errantia, & fumantia ſub veſperam tecta intuetur. Ab Occidente autem Benacum è converſô lætiſſima facies excipit; pari herclè occurrentium Collium varietate mirabilior, jucundior; cùm vel altos interdùm Benaci fluctus, & Beatam Catulli peninſulam, ac Veliferas item claſſes, & piſcantium naviculas longè advenientes proſpectare, tum diverſa oppida apricis promontoriis expoſita lubet contemplari. Hinc Bardolinum ſubjectum; hìnc frequenti oleâ & citriis colles coronatos, hìnc demùm numeroſa & læta virentibus paſcuis naſcentium montium juga deſpectantur. Noxios ventorum flatus ad meridiem paululùm extans ante domum cubitûs eminentibus pomiferis arboribus jucundus, ac Baldus mons ad Aquilonem vergens, omnem hyemis duritiem procùl expellit, ità tamen ùt & in mediâ æſtate, cùm ex altô Sol urget, obortis Ætefiis blandiſſimè ventiletur, nec ardere in Cœlô Sirium ſentiat; & per hyemem, apricum ferè ſemper Solem & nebulæ omnis expertem diem admitat. Benacus porrò, qui, maritimi littoris naturam æmulatus nunquàm gelaſcit, atque omnem hyemis duritiem ſuaviter frangit, frequenti nobilium Troctarum, & Carpionum piſcatione, non parum momenti cæteris quoque affert commodis. Hic illum interior domus æſtivis hyberniſque cubiculis atque interioribus conclaviis, ubi amicos benignè atque hilariter excipere conſueverat, perquàm commoda, quòd magnôperè muſis expetitur, ſtrepitû vacua, atque alti plena ſilentii, omnibusque munditiis, nitida, ad ſecretiora accedentem ſtudia comiter accipiebat; quando editis æternæ famæ, carminibus, nobile illius caput ſertis, & virenti per omnem Europam laurea Conoraret. Vitæ genus adamavit quietum, cunctis ſolutum curis & litibus, Cùm vir minimè ambitioſus & parvô contentus, honeſtæ ac jucundæ vitæ ad bonam ſemper frugem percupidus, unam tantùm ſtudiorum laudem ſpectaret; hilari ac frugi menſâ exactiſſimâ ſemper ad tuendam valetudinem ratione inſtructâ; tam apertô, liberali, & perblandô ſemper ingeniô, ùt cùm ſummâ eſſet morum temperie, facilateque naturæ, non eloquiô, non cultû, faſtum ullum oſtenderet; nunquàm in alieni operis cenſurâ amarulentus aut parcus laudator eſſe conſueviſſet; ùt etiam Johannis Baptiſtæ Montani Medici Clariſſimi, illius vel æmuli, vel, ut plures judicabant, principatum in re Medicâ acriter affectantis, mortem nobili epigrammate ſit proſecutus

ſecutus. Medicinam, ad quam perdiſcendam ſe totum ab adoleſcentiâ convertit, & in quâ, nominis celebritate primum inter illuſtres totius Europæ Medicos locum obtinebat, totô vitæ tempore ità exercuit, ùt in affectis corporibus ſanandis, in quibus illi mirifica quædam & divina prorſùs vis fuit, nullius quæſtûs potiùs quàm officii rationem haberet, & quoniam, ac vitæ ratione multorum amicitiam ſuô ſibi beneficiô comparaverat, inimicum verò meritò habebat neminem, omnes non Venetiæ tantũ atque illius oræ, ſed externi etiam principes & reguli, ùt de, vel deſperatâ vel dubiâ vitæ re illum conſulerent, maximis ad ſe conditionibus accerſebant; à quibus ille diſcedens, ſalute eiſdem reſtitutâ, nullum prorſùs pretium præter amicum animum in patriam referebat. Delectabatur cum in otiô eſſet, antiquorum hiſtorias, & illuſtria clariſſimorum Virorum facta perlegere; Mathematicis etiam ſcientiis, ſed præſertim Muſicæ, oblectandi animi cauſâ ſtudium adhibere; ſed, ex mitioribus omnibus diſciplinis in unam Coſmographiam incumbebat; quam tantô ſtudiô quandoquè colere conſueverat, ùt terrarum omnium ab Luſitanis primùm in Oriente, mox á Columbô in Occidente ſuperioribus annis inventarum deſcriptiones & loca, ligneis orbibus ad amuſſim affabrefactis, altitudinũ & latitudinũ adhibitis dimẽſionibus delinearet. Conſuetudo aſſidua illi erat multũ cogitandi, plurima ſecum animô volvendi, neque enim tempus ullum labi fruſtrà vir nunquam otioſus patiebatur; ideòque & rarò admodùm & niſi plurimis adhortationibus invitatus, loquebatur; triſtemque ac ſeverum homines exiſtimabant, cùm illius ſermonibus ad hilaritatem ſæpiùs converſis, nihil lætiùs, nihil urbaniùs poſſet reperiri. Sed qui herbariæ facultati ac ſimplicibus medicamentis ex antiquorum libris accuratè perdiſcendis egregiam pridem operam navârat, non obſcuræ laudis compoſitionem atque adverſus peſtilentes febres miræ poteſtatis antidotum, quod *Diaſcordion* appellant, medentibus ſimùl & pharmacopolis neceſſarium ſuperioribus annis magna herclè noſtri ſæculi utilitate paravit, cum multis prætereà herbis ab antiquis pridem deſcriptis, ſed noſtrô ævô incertâ ſimilitudine perobſcuris, eruditam claritatem attulerit. Amicos habuit nobiles quoſque totius Europæ atque in omni doctrinæ genere præſtantes viros, nè ullum aut alterum eorum hôc locô commemorem, tam fauſtô, fælicique ſemper eventû, ùt illum omnes, non ut ſummæ doctrinæ ac probitatis virum adamarent, ſed quaſi quoddam in terras delapſum numen mirarentur. Sed graſſante demùm in urbe peſtilentiâ, cùm primô quoque tempore in ſuos ſe Caphios tranſtuliſſet, & multùm otii nactus eſſet, ſuperatis herclè omnibus, quicunque plurimos abhinc annos floruiſſent, Poëtis, Syphilida ad Petrum Bembum Card. Leonis x. Pont. Max. tunc à Secretis miſſum, perenni atque eô propè æternô carmine decantavit, tantâ omnium admiratione, ùt cùm mox Neapolim ad Jacobum Sanazarium in lucem edita deferretur, vir ille omnium noſtræ & ſuperioris ætatis diſertiſſimus, & Virgilianæ Majeſtatis affectator egregius, atque alieni carminis laudator alioqui parcus atque amarulentus, Hippolyto-Medici Cardinali, qui fortè ad eum ſalutandum, nobili eruditorum Coronâ ſtipatus, atque adeò ipſô Montanô acri æmulô acceſſerat, hunc unum eſſe confeſſus ſit, à quô non Jovianus modò Pontanus, ſed ipſemet quoque in Partu Virginis accuratâ Carminis dignitate, viginti annorum limâ ac labore perpoliti, eſſet victus. In amicitiis porrò alendis ac conſervandis (ut pauci ſolent) fuit Hieronymus imprimis diligens ac circumſpectus; amabat omnes, omnium ſemper obſequiis ac commodis erat intentus, ùt, vel in mediâ hyeme à Madrutiô Principe Tridentinô arctô ſibi benevolentiæ atque amoris vinculô conjunctô, valetudinis cauſâ accerſitus, Tridentum magnis itineribus proficiſci non gravaretur; eorum verò, quorum fidem benevolentiamque in ſe cognitam atque exploratam habebat, mutuis atque iis quidem ferè ſemper majoribus obſequiis proſequeretur, & non viventes ſolùm, quod magnum eſt, coleret, ſed ſuam in vitâ functos etiam, quod præſtantius eſt, benevolentiam, quantùm in ſe eſſet, voluerit teſtatam relinquere. Id quod ex poſtremis illius ſcriptis facilè patet, quibus Turrianorum Veronenſium nobiliſſimorum fratrum memoriam, cùm eorum alterum in dialogô de intellectione acriter diſputantem, alterum in dialogo de Animâ multa diſſerentem & acutè percunctantem induceret, poſteritati voluit commendare; Andreæ porrò Naugerii Patricii Veneti præaltam ingenii vim atque eloquentiam & Johannis Jacobi Bardulonis Mantuani ſubtile ac valdè acutum in omni Philoſophiâ ingenium, cùm vel nulla, vel ea certè pauca ſui monumenta reliquerint, ſuô de poëticâ dialogô Johanni Baptiſtæ Rhamnuſio, tanquam veteri Amico & ſodali dedicatô, appoſitè atque eleganter poſteris mandare definivit. Sed quod ad Fracaſtorii gloriam vel maximè pertinet, tantâ, vir eximius nullius faſtus appetens & humilia hæc atque terrena ſemper deſpiciens, non apud ſuos Veronenſes, aut in reliquis tantum Italiæ Civitatibus, ſed omni etiam Europâ authoritate fuit; ùt ex innumerabili diverſarum gentium & Illuſtrium alioqui Virorum multitudine quæ Piſcheriam ad Carolum v. Cæſarem ex Germaniâ Mediolanum & Genuam proficiſcentem, atque indè in Algeriam expeditionem parantem viſendum convenerat, ipſe quoque qui fortè ſolennis pompæ die è proximis Caphiis cum jucundioribus amicis ſpectatum deſcenderat, ſolus demonſtrante illum palàm Madrutiô Principe Tridentinô greſſum Cæſaris hùc illùc proſpectantis tenuerit. Sed poſtremò, cùm Chriſtianæ Reip. quæ totius orbis Tridenti generale pridem Concilium indixerat, ſuam non ſemel operam ac fidem præſtitiſſet, in patriam eô ſe animô contulit, ùt, abdicatâ prorsùs omni antiquæ Medicinæ operâ, quæſtûque, quicunque ex eâ poſſet provenire, Æſculapio ſacra facturus, lætô animô ad Muſarum Vireta contenderet. Quò alacriore mente extremum poſteà vitæ diem, qui exactè Chriſtianam ſemper pietatem coluiſſet, cùm gravis quotidiè ætas præcipitante jam canitie properaret, fæliciter clauderet. Scripſit ſummâ ingenii fertilitate nondùm ſenex de ſtellis, Aſtrologiæ omnis peritiſſimus, in Johannis Matthæi Giberti antiſtitis Veronenſis, & gratiſſimi Mæcenatis gratiam, librum ſummæ eruditionis, Paulo, III. Pontifici Maximo dicatum, in quô præter alia multa, quæ de eccentricis orbibus atque homocentricis diſſerit, de duobus illis præcipuè motibus à Johanne Baptiſtâ Turriô inventis agit, quorum ope cùm aditus ad multa eorum, quæ in naturâ abditiſſima ſunt, pateat, tùm via ad ea ſine ulla obliquitate demonſtranda aperitur, quæ circa ſtellas apparent. Scripſit de Criticis item diebus. Alterum, contra Galenum. Scripſit graviori ætate, ac planè ſenex, de ſympathiâ & antipathiâ rerum, & contagionibus & contagioſis morbis pari ingenii ſplendore libros ad Alexandrum Farneſium Card. atque indèpræclaram

ram nominis famam latiſſimè propagavit. Noviſſimè verò, dum duos dialogos accuratè & eleganter, de poëticâ unum, & de intellectione alterum conſcriptos in manibus haberet, jam jam editurus Tertium de Animâ, quem adverſus inſana non minùs quàm impia Pomponatii Præceptoris placita conſcripſerat, & Joſephi hiſtoriam quam heroico Carmine fuerat aggreſſus, ſummô Vate dignam, fatali morbô properante abſolvere non potuit. Carmina quædam ingenii ad majora tendentis præludia, quæ vivens publicari nunquam voluit, magni tamen atque ingentis illius ſpiritûs vim referentia extant. Ex iis, ea præſertim, quibus Cæſar Fregoſius Palladis Virenti olea coronatæ caput, nobili gemmâ vel decenter Cælatum, Margaritæ Valeſiæ Navarræ Reginæ Franciſci Gallorum Regis ſorori, donô miſit. Citriorum Epigrammata, & perennis famæ odæ, tenera quâdam ac prædulci ad Malſeſenum ſuavitate decantatæ, ac nuſquàm apud amicos repertæ, ideò perierunt, quòd eruditus vir, atque unâ tantùm ſciendi gloriâ contentus, omnem qui ex carminibus inani herçlè ſi non ridendâ antiquorum comparatione publicatis provenit faſtum ità prorſùs contempſit atque deſpexit, ùt quod plerique alii ſummâ ope nituntur nè illorum quidem archetypum apud ſe in hunc uſum eſſe unquàm pateretur. Ut, hæc etiam qualiacunque ſunt quæ nunc in lucem emiſſa leguntur, non exiguô labore ac curâ ab amicis hinc indè collecta, prout diſperſa priùs quæque reperiebantur, in unum redacta ſint. Fatô functus eſt ſeptuagenariô major, octavô Idus Auguſti 1553. dum pranderet, apoplexiâ correptus in menſâ, cùm nimiô æſtû damnatos menſes, in ſuis Caphiis, urbe ſecedens, devitaret. Eô quidem tranquiliore vitæ exceſſû, quòd Paulum Philippum filium tanti nominis hæredem relinqueret, cum bonâ etiam ſpe poſteritatis, quando jam ex eô plures avitæ indolis nepotes non ſemel aut iterum amplexus eſſet. Ferunt Hieronymum dum langueret, cognitô fatali morbô, poſt multas amicas ſibi herbatas in olfactum balbutiente linguâ efflagitatas, amiſſô penitùs ſermonis uſû, manû ſæpiùs in verticem exporectâ, iis, qui aderant, innuere voluiſſe, ùt celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro, quô ille præopportunô remediô ſe Deo dicatam Veronæ Virginem curâſſe adhuc meminerat, ſubvenirent; ſed re nequaquam intellectâ, cùm alii alia adhibenda tum eſſe remedia prædicarent, fruſtrà expectatô remediô, leniter ſub noctem expirâſſe. Illius oſſa Veronam in D. Euphemiæ templo, honorificentiſſimo relata funere, ſunt condita; flebili id carmine celebrantibus omnibus poëtis; aenea illius & Andreæ Naugerii effigies ſcitè expreſſa Patavii in fornice portæ juxta pontem D. Benedicti, à Patavinâ juventute atque univerſô Gymnaſio ſalutatur; quàm, Johannes Baptiſta Rhamnuſius ſupremum amicitiæ munus perſolvens, additâ antiquorum Aræ pervetuſtâ dicatione ex ruinis Salonarum urbis Dalmatiæ eruta, ad ſtudioſæ poſteritatis ſolatium luculenter exornavit, ùt doctiſſimorum hominum ſimulachra, qui arctâ viventes inter ſe neceſſitudine conjuncti fuerant, à poſteris quoque in nobiliſſimo terrarum orbis Gymnaſio eodem in loco pariter ſpectarentur. Cæterum Veronenſes graviſſimi Cives, quod ad perenne Fracaſtorii decus vehementer pertinet, nè à Rhamnuſio ejuſdem Amico, pietate in tantum Civem ſuperari paterentur, bienniô poſtquàm idem Rhamnuſſius Patavii æneam Fracaſtorii imaginem Collocaſſet, iidem Communi Conſenſu, uno omnium nobiliſſimo decreto, marmoream Veronæ ſtatuam præclarâ Majorum ſuorum imitatione, qui Catulli Vaſis, & C. Plinii, reliquorumque civium ſuorum memoriam marmoreis imaginibus honeſtare voluerunt, in publico cum laurea erigendam curarunt: quæ hodiè Veronæ viſitur in veteri Arcu lapideo urbis prope Comitium, in Area quæ Dominorum appellatur: nec procul ab eodem Catullo, Cæteriſque illuſtrioribus Civibus Veronenſibus, artificio Daneſci Catanei Carrarienſis ex Lunenſi agro, preſtantiſſimi hujus ætatis ſtatuarii, non minus piâ quàm admirandâ Comparatione Conſpicitur. Quum autem variis elogiis ab amicis ſepulchrum Fracaſtorii veronæ ornaretur, Adami Fumani Carmen omnium Conſenſu principem locum obtinuit.

Adami Fumani Veronenſis Carmen.

Longè vir unus omnium doctiſſimus,
Verona per quem non Marones Mantuæ,
Nec noſtra priſcis invident jam ſecula,
Virtute ſummam conſecutus gloriam
Jam grandis ævo hic conditur Fracaſtorius.
Ad triſtem acerbæ mortis ejus nuntium
Vicina flevit ora, flerunt ultimæ
Gentes, periſſe Muſicorum Candidum
Florem, optimarum & lumen artium omnium.

De eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Opera omnia Philoſophica & Medica, Venetiis, apud Iuntas, 1555. 1584. in 4. Genevæ, apud Jac. Stoër, in 8. duobus Tomis. Lugduni apud Franciſcum Fabrum 1591. in 8. duobus Tomis, parte nempè priori & poſteriori. Monſpeſſuli 1622. in 8. duobus Tomis. Genevæ, apud Samuelem Chouet 1671. in 8. in Partem priorem & poſteriorem diviſa, cum Indice Rerum ac Verborum locupletiſſimo.

His continentur.

Homocentricorum, ſive, de Stellis, Liber unus.

De Cauſis Criticorum dierum, Libellus.

De Sympathiâ & Anthipathiâ rerum Liber unus.

De Contagionibus & Contagioſis morbis & eorum Curatione, Libri tres.

Naugerius, ſive, de Poëticâ, Dialogus.

Turrius, ſive de intellectione, Dialogus.

Fracaſtorius, ſive, de Animâ, Dialogus.

De Vini temperaturâ, ſententia.

Syphilidis, ſive, de Morbô Gallicô, Libri tres.

Joſephi Libri duo.

Carminum Liber unus.

Alcon, ſive, de Curâ Canum Venaticorum.

Seorſim prodierunt.

Homocentrica, & de Cauſis Criticorum dierum, per ea, quæ in nobis ſunt. Venetiis, apud Hieronymum Scotum, 1538. in 8.

De Sympathiâ & Antipathiâ Lib. I. De Contagione & contagioſis morbis, eorumque Curatione, Lib. tres. Venetiis, apud Eundem, 1546. in 8. Lugduni, apud Guilielm. Gazejum, 1550. in 12.

Syphilidis, ſive Morbi Gallici Lib. III. Baſileæ apud Bebelium, 1636. in 8. Antverpiæ, apud Mart. Nutium. 1562. in 8.

De Sympathiâ & Antipathia Rerum Lib. I. Extat etiam cum Theatrô Simpatheticoaucto. Norimbergæ, apud Joh. Andr. Endterum, & Wolffgangi, Jun. Hæredes 1662. in 4.

FRA-

FRAGOSUS (*Johannes* ,) Toletanus , Medicæ artis, maximè ejus , quæ à manuariâ operâ humanis corporibus ſanandis impenſa græcô vocabulô Chyrurgica audit, peritiſſimûs, Philippo II. Regi Catholico propter excellentem hujus Cognitionem ac feliciſſimam executionem , ab utrôque fuit munere , & quod medicamentis, & quod manû plurimum ægris opitulatur , ediditque foràs utiliſſima & quæ in manibus omnium ſunt , hæc ſui ſtudii monumenta.

De Chirurgiâ Librum, Hiſpanicè, ſimulque, *De las evacuationes* ; nec non & *Antidotario* ; omnia Hiſpanicè : Matriti apud N. Gomeſium, an. 1581. fol. *Chirurgia univerſal. emendada y añadida.* Compluti 1601 in fol.

De ſuccedaneis medicamentis ; cum Animadverſionibus in quam plura medicamenta compoſita , quorum eſt uſus in Hiſpanis officinis. Ibidem, apud Petrum Coſio annô 1575. in 8. & apud Gomezium annô 1583. in 4. Adjungit Vander Linden

De Medicamentorum compoſitione. Ibidem *in* 4. Annô 1575. Niſi idem ſit cum ſuperiore.

Diſcurſos de las Coſas aromaticas , arboles , frutas y medicinas ſimples de la India ; ad Johannem Principem. Matriti, apud Franciſcum Sanchez ann. 1572. in 8. Quod opus Latinè reddidit Iſraël Spachius Argentinenſis, atque edidit Argentinæ apud Johannem Martinum ann. 1601. 8.

Erotemas Chirurgicos , en que ſe enſeña lomas principal dela Cirurgia , con ſu gloſa. Matriti apud Petrum Coſſio 1570. *Nicol Anton· Bibl. Hiſp T.* 1. *Pag.* 526.

FRAMBESARIUS (*Nicolaus Abraham*) natus apud Guiſianum Oppidum in Veromanduiſ, Medicinæ, & Chirurgiæ laude clarus fuit circa annum 1595. Patrem habuit *Hectorem Abrahum Frambeſarium* , pariter Medicum atque Chirurgum Celebrem , à quò in primâ ſtatim adoleſcentiâ variorum affectuum externorum, vulnerum, ulcerum atque fracturarum curationi adhibitus eſt , ſicque ipſâ veluti praxi tantam ſibi dexteritatem & experientiam adquiſivit , ùt planè in Academiâ Pariſienſi inter Profeſſores Regios locum perhonorificum obtinuerit , imò tandèm Archiatri ſimulque Conſiliarii Regii functione donatus ſit. Inſeruit reliquis ſuis ſcriptis Medicis paſſim etiam Chirurgica quædam , ſub titulô Canonum Chirurgicorum, quibus exteriorum & interiorum corporis affectuum methodicam curationem proſequitur. *Gœlikę. Hiſt. Chirur. pag.* 134.

De eo extant

Operâ Medica. Quibus continentur. I. Canones & Conſultationes Medicinales , medendis omnibus partium Corporis affectibus Animalium, Vitalium, & Naturalium, veram Medendi Methodum &Praxim ſex prioribus Libris exhibentes. II. Canones, Chirurgici, Curationem Methodicam exteriorum corporis affectuum & interiorum tribus poſterioribus Libris proponentes. III. Apologia pro veritate & innocentiâ Medicamentorum Chymicorum adverſus Criminatores. IV. Laurea Academica Franbeſariana. V. de præſervatione Peſtis. Francof. apud Guil. Fitzerum, 1629. in 4.

Scholæ Medicæ ad Candidatorum Examen, pro Laureâ impetrandâ, ſubeundum ; Pariſiis apud Abrah. Pacard, 1622. Ibidem, apud Eundem, 1636. in 12. Lugd. Bat. apud Joh. Maire, 1628. in 12.

Ambroſiopœa. In quâ elegantes Medicamentorum præparationes, ad morborum curationem, citò, tutô, & jucundè moliendam præſcribuntur. Pariſiis, apud Abrah. Pacard 1622. in 12. Ibidem, apud Eundem, 1636. in 12. Lugd. Batav. apud Johan. Maire, 1628, in 12. Cum ſcholiis Medicis.

Canonum & Conſultationum Medicinalium Libri tres. Quibus Aphoriſtica Methodus medendi affectibus corporis partium animalium, vitalium, & naturalium continentur. Pariſiis, apud Mich. Sonnium, 1595. in 8. 1619. in 8.

FRANCANCIANUS (*Antonius* ,) Vincentinus, Medicus Patavinus. Vixit A. C. 1540. Iuſtus in Cronol. Medic.

De eo extant

De Morbô Gallicô, Liber. Patavii , apud Luc. Berzellum, 1564. in 4. Bononiæ, apud Peregr. Bonardum, 1564. in 4. Nunc primùm â mendis, quibus in primâ Editione circumfluebat, vindicatus, ac è tenebris in lucem revocatus, a Camillô Corbiô *Viterbienſi.* Venet. apud Franc. Laurentianum , 1565. in 8. Operis de Morbô Gallicô , Tom. I. pag.721.

Conſilia Medica. Extant eô in opere, quod Laurentius Scholzius edidit : Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes 1598. in fol. & cum Victoris Trincavellii Conſiliorum Libris.

Lectiones practicæ. Extant cum Georg. Hieronym. Velſchii Conſil. Medicinal. Centuriis IV. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthas. Kuenium, 1676. in 4. itemque cum Ejuſdem Exoticar. Curat. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. Ibidem apud Eundem, annô & formâ eâdem.

FRANCHIMONT (*Nocolaus* ,)

Ex eô habetur

Lithotomia Medica , ſeu, Tractatus Lithontripticus de Calculô Renum & Veſicæ. Pragæ, apud Joh. Ziegerum, Bibliopol. Norib. 1683. in 8.

FRANCHINUS (*Franciſcus* ,)

De eô extat

De ſanguinis miſſione, Liber. Venetiis, 1571. in 8.

FRANCIONUS (*Salvator* ,) Panormitanus, pharmacopola peritiſſimus. Claruit haud exiguâ opinione, obiitque Panormi 4. Junii 1627. & in Eccleſiâ S. Mariæ Angelorum, Fratrum Obſervantium S. Franciſci, ſepultus eſt. Edidit Italicè

Diſcorſi, nelli quali s'inſegna con diligenza alli Diſcepoli dell' Arte, l'Arte della ſeptiaria. Parte Prima. Panormi apud Johannem Antonium de Franciſcis 1625. in 4. *Anton. Mong. Bibl. ſiculæ. T.* II. *p.* 206

FRANCIOTTUS (*Georgius* ,) Lucenſis.

De eô extat

De Balneô Villenſi, in agrô Lucenſi poſitô ; Tractatus. Exhibetur p. 158. Operis Veneti de Balneis.

FRANCISCIS (*Franciſcus de* ,)

Ex eô habetur

Prælectionum Monſpelienſium Tomus primus. In quô Continentur Commentarius in Hippocratis Iusjurandum : Pathologia univerſalis abſoluta : & Tractatus de Criſibus. Genevæ, apud Jacobum Stoer, 1618. in 8.

FRANCISCO (*Joh. Franciſcus de* ,)

De eo Extat

De Venæſectione , contra Empiricos. Neapoli , apud Camillum Caballum, 1655. in 12. Francofurti. & Lipſiæ, ex officinâ Hafnienſi, apud Chriſtianum Hauboldum & Joh. Liebe 1685. in 8.

FRANCISCUS Phrygius (*Petrus*,) Ticinenſis.

De eo extant

Commentarii in Hiſtorias Epidemicas Hippocratis, in tres Partes digeſti. Lugduni, apud Johan. Ant. Huguetan, 1644. in 4. Ibidem, 1657. in 4.

FRANCO (*Franciſcus*,) Valentinus, ex urbe Setabi, apud Complutenſes Medicam artem didicit, docuitque circa annum 1543. Qui cùm in Luſitaniam conceſſiſſet, Johannis III. Sereniſſimi Regis ſalutem curæ ſuæ commiſſam habuit. Aliquot annis alibi peregrinatus, Hiſpalim venit, atque in urbe hâc, & Collegiô Deiparæ Virginis, in quô erecta eſt nobilis Academia à Rodericô de Santa-Ella, primarium Medicinæ docendæ locum tenuit; ſcribebat per id tempus

Libro de enfermedades contagioſas, y de la preſervacion de ellas. Cui appenditur Tractatulus

De la Nieve y del uſo de ella. Hiſpali apud Alphonſum de la Barrera, 1569. 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. pag.* 326.

FRANCOIS (*Alexander* LE) Doct. Medic. Facult. Paris. Aſſeſſor.

Ex eo habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1718. *p.* 124.

Projet de la Reformation de la Medecine &c. i. e.

Conſilium de Medicinâ emendandâ. Lutetiæ Pariſiorum, apud Guil. Cavelier & Jac. Quillau, 1716. 12.

EX quô Autor Clariſſimus Meditationes ſuas Criticas de erroribus atque imperfectione Medicinæ, ſupplementorum Tom. 7. Sectioni I. inſerendas cum orbe literatô communicavit, id operæ ſibi incumbere exiſtimavit, conſilia proponere, quomodo in meliorem ſtatum res Medicorum reduci poſſint. Quem in finem tres potiſſimùm allegat cauſas, quæ omnes atque ſingulos, penes quos ſumma eſt rerum poteſtas, ut manum emendandæ Medicinæ admoveant, commovere debent; quarum prima defectum verorum Medicorum reſpicit, altera genuinos concernit Medicos, qui ad illam pervenire perfectionem nequeunt, quam attingerent, ſi emendata fuerit Medicina, tertia fraudes & impoſturas, quæ circa medicamenta obſervantur, accuſat. De ſingulis ſeorſim agit Noſter. Defectus verorum Medicorum ex eô non ſolùm patet, quod numerus eorum, qui in arte minùs periti eandem tamen exercent, multis modis ſuperet illos, qui omnem operam in ea addiſcendâ collocarunt; verùm etiam quod inter illos, qui ſe Medicos profitentur, pauciſſimi genuinorum titulum mereantur. Pro talibus enim neutiquam habendi ſunt qui vel ſcientiâ, vel judiciô, vel probitate carent. Cùm enim Medicina ars ſit admodum difficilis, pauci exiſtunt, qui debitis inſtructi ſunt donis ad illam addiſcendam; & ſi vel maximè iiſdem gaudeant, à pravâ tamen conſuetudine, quâ communiter hi tractari ſolent, arcentur, quominùs ſtudiis ſe hiſce addicant, aut ex votô & debitô ad perfectionem pervenire queant. Ex alterâ parte ſpecimina eruditionis ſuæ, quæ exhibere annituntur multi, exilioris licet valoris, non tamen deterrent Profeſſores quarundã Academiarũ, quo minùs immunitates & Privilegia Doctoralia iiſdem tribuant. Quod ſi verò capacia dentur ſubjecta, quæ genuini Medici characterem præ ſe ferunt, ad ſummam tamen perfectionem nullô modô pervenire poſſunt, niſi erroribus medela fiat, qui ubique vigentes obicem ponunt plus ultrà emergendi. Ut enim quis bonus evadat Medicus, tribus utatur mediis, neceſſe eſt, a ſe invicem non divellendis; talia ſunt lectio librorum, inſtructio a fidelibus expectanda Præceptoribus, atque exercitium, quod circa dogmatum hauſtorum applicationem verſatur. Libri Medici, cùm obſcura ſæpè, incerta, imò falſa contineant, inſtruere ſatis tyrones nequeunt, neſcios adhuc, quæ ſervanda, quæve rejicienda ſint. Longâ enim experientiâ opus eſt, ſi quis bonum à malô, verum à falſô diſcernere velit. Regulæ in illis offenduntur noxiæ, præjudiciis tamen & ſyſtematibus conformes, quæ ſi coram ægrorum lectis applicanda forent, horum ſaluti parùm conſuleretur. Remedia mala cùm ſemper infauſtum, bona non ſemper optatum effectum edant, erroribus ſternitur via, ſi quis, perſpicaciſſimô licet præditus judiciô, parvô experimentorum numerô inhærere velit. Præcepta, quæ in collegiis traduntur, utilitate quidem ſuâ non carent, quoniam autem ſyſtematibus innituntur, Praxi Medicæ contrariis, parùmque de juſta remediorum applicatione monent, nihil emolumenti in ſtudioſos inde redundat. Nec tempus permittit, ut in lectionibus publicis minima in morbis obſervanda attingantur. Conſultum igitùr eſſet, privata frequentare collegia; verùm ſponte ſuâ eligere neſciunt tyrones verum Doctorem, cui limando ſe tradant. Et cùm parvus genuinorum Medicorum ſit numerus, exigi ab his non poteſt, ut omnes, qui Arti ſalutari operam navant, quôvis tempore & quantum neceſſitas poſtulat, admittant. Dum tyrones Practicos ad noſocomia comitantur, parùm inde proficiunt: multitudo enim ægrorum non permittit, de ſingulis morbis prolixos formare diſcurſus. Exercitium quod attinet, quò quis perfectior in arte reddi debet, hoc certè non ſupplebit defectum, quem libri Medici aut inſtructio Præceptoris tollere neſcivit; multæ enim obſervationes requiruntur, ut cognoſcamus, quid quâvis occaſione agere deceat, quarum tamen numerum decentem colligere admodùm difficile eſt, imprimis cùm non niſi ſeniores Medici ad ægrorum lectos convocentur. Ad hæc obſervationes quas Medici faciunt, ſæpènumero falſæ ſunt, ſiquidem Medicorum præcepta mirum in modum immutant vel ægri, vel adſtantes, qui medicamentis ab his præſcriptis dein tribuunt, quicquid ſiniſtri in curâ contingit. Ut taceamus fraudes, quæ quotidie committuntur circa medicamenta, vel corrupta, vel malè præparata, ubi effectus minùs fauſtus remedii qualitati adſcribitur. Fraudes, quæ circa medicamenta vel ſimplicia vel præparata committuntur, tertiam conſtituunt cauſam, ob quam corrigendus Medicinæ ſtatus eſt. Qui enim in vendendis ſimplicibus lucrum quærunt, ſæpe quid pro quô offerunt, rancida corruptaque recentibus ſubſtituunt, aromata melioris notæ non procurant, adulterata corruptaque pro veris boniſque venditant. Qui autem præparandis medicamentis operam collocant, errores committunt, vel quando idonea ſimplicia ad medicamentorum compoſitionem non recipiunt, vel ipſam præparationem juxta artem minùs dextrè adornant, aut compoſita ab aliis emunt, neſcii, an eâ, quâ decebat, cum ſolertiâ fuerint præparata. Quicquid igitur ad Medicinæ conditionem emendandam facere poteſt, in eô ſitum eſt; ut partim id, quod hactenùs obſtitit, quominùs illa ad perfectionem pervenire potuerit, removeatur, partim ut media ſuppeditentur, quibus

quibus ad meliorem conditionem redigi; in eâque conſervari queat. Obſtacula, quæ hactenùs Medicinæ obfuerunt, ſunt nimia Medicorum propenſio certa ſyſtemata pandendi, & amplectendi, libertas, quâ gauiſi ſunt cujuſcunque generis atque conditionis homines artem hanc abſque præviâ ejus cognitione exercendi, & multitudo eorum, quibus cum medicamentis negotium interceſſit. Syſtematibus igitùr omnibus renunciandum erit. Cum enim cognitio, quam in Re Medicâ habemus, vel à notionibus naturalibus, vel ab experientiâ proveniat, ſola hæc revelat, quicquid de morbis & medicamentorum facultatibus novimus, cùm Deus nulli à nativitate, ejuſmodi notitiam inſpiraverit. Per illam enim diſcimus, quid conducat, aut noceat ſanitati, & hæc eſt, cui omnia præcepta Medicinæ ſuperſtrui debent, imò abſque eâ nihil certi ſtabiliri obſervatur. Advertundum igitùr eſt ſedulò in morbis ad id, quod natura ſponte ſuâ efficere valet, & quod arte adjuta præſtat, idque per magnam obſervationum copiam, ni quis ſibi ipſi imponere velit. Non autem adeò frequentes occurunt caſus, qui per omnia ſibi ſimiles ſunt, hincque impoſſibile eſt ut unus Medicus detegere queat omne id, quod in tam diverſis caſibus optimô ſe ſemper cum effectû commendavit. Admodùm etiam difficile eſt Medico, etſi ampliſſimam exerceat Praxin, ſimiles offendere Caſus ex quibus judicare poſſit, quale optimum ſit remedium præ reliquis, quæ in certô morborum genere, in uſum trahi ſolent, pro circumſtantiarum varietate applicandum. Neceſſe igitùr eſt, ut aliorum Medicorum obſervationes, ſimiles caſus proponẽtes, evolvãtur, & ex iis annotetur, quid ut plurimũ proficuũ erit. Hanc methodũ ſi ſequantur Medici, pravis hominum judiciis prævenient, quibus nulla tum erit cauſa, de eorum dexteritate dubitandi; convincent unumquemque erroris, ſi forſan in aliquod medicamentum cœcô impetû rapiatur, quod longa experientia nondum probatum eſt; aliiſque remediis fidem conciliabunt, quæ obſervationes frequentes experta teſtantur; occaſionem præſcindent aliis dubitandi, cui vitam ſanitatemque ſuam concredere debeant; confundent illos, qui eorum ſe committunt curæ, qui artis ſunt imperiti; eorumque denique delebunt errorem, qui Medicum mortis cauſam allegare non erubeſcunt. Libertas, quâ cuilibet, etiam ignaro artis, licet Praxin exercere, non leve hactenùs obſtaculum fuit Medicinæ evehendæ. Magiſtratui interim incumbit, Bonum publicum procurare etiam invitô Publicô. Novit enim ejus levitatem, quamque pronum ſit ad errores fovendos. Quod ſi enim libertas ei concedatur vitam ſanitatemque ſuam concredere, cuicumque velit, id idem eſt ac multis confuſionibus viam aperire. Præter mortes enim hominum, qui ſanitati fuiſſent reſtituti ſub genuini Medici regimine, præter morborum etiam prolongationem & augmentationem, quam remedia imprudenter data efficiunt, impedit ea, quò minùs Medicina altiûs evehi queat, & genuinos Medicos deterret atque retinet, quo minùs per ſufficientem ægrorum numerum debitam ſibi experientiam comparare queant. Exceſſivus numerus eorum, qui colligunt, præparant, vendunt medicamenta, maximum Rei Medicæ infert detrimentum. Ad quod obſtaculum removendum neceſſe eſt, ut illis cura medicamentorum committatur, de quorum peritiâ, dexteritate & probitate ſatis ſuperque conſtat; utque Medici conſtituantur, qui quandoque officinas pharmaceuticas viſitantes benè obſervent, an omnia juxta præſcriptas regulas peragantur. Viſitationes equidem, quæ hactenùs fuerunt adornatæ, parùm utilitatis afferre potuerunt. Singulis enim annis ſemel tantùm Medici officinas frequentârunt & tempore quidem Pharmacopolis benè cognitô, unde deterioris conditionis remedia hi occultare & quæ non poſſident, ab amicis mutuò petere potuerunt. Cui verò obviam ire licèt, ſi parcior permittatur officinarum numerus, frequentiores autem inſtituantur quocunque tempore viſitationes: & quidem non ſolùm penes Pharmacopœos ſed & Rhyzotomos & Herbarios, imò Aromatarios. Poſtquam igitùr in obſtaculis removendis hactenùs occupatus fuit Autor Clariſſimus, media proponit, quibus ad feliciorem ſtatum Medicina evehi queat; hinc primùm de ratione inſtruendi tyrones loquitur, in quibus excitatum ingenium, memoriam felicem, & ardorem rebus Medicis ſe addiſcendi poſtulat. In informandis ſtudioſis temporis ratio habenda eſt, cùm ars longa, vita brevis ſit, monſtranda ſunt, ſcitû neceſſaria, reliquis omiſſis, & modi proponendi, quibus, quæ docentur, concipi & retineri poſſint. Status naturalis corporis humani exactè exponendus, aberrationes ab eô inculcandæ & juſta remediorum euporiſtorum applicatio injungenda eſt. Poſt Autorum lectiones, demonſtrationes publicæ plantarum & remediorum præparandorum non veniunt negligendæ. Ut autem eò meliùs, quæ propoſita ſunt, retineantur, neceſſe eſt, ut tyrones in Anatomicis e. g. non ſolùm ab ore Præceptoris dependeant, ſed & manum ipſi cadaveribùs, ſi non humanis, certè brutinis admoveant. Quoad reliquas Medicinæ partes bono publico intereſſet, ſi formetũr Medicinæ corpus, quantùm fieri poteſt, accuratiſſimum, ità tamen ùt ſingulæ ejus partes ſingulis elaborandæ committantur doctoribus, cùm non omnes in omnibus excellere valeant. Ubi tamen cavendum eſt, ne quid, quod rem facti non concernit, adducatur, ac ſubtiles quæſtiones vel imaginariæ poſitiones omittantur. Syſtematum tamen mentio ſimul facienda eſt, ut libros evolventes tyrones, Autorum mentem capere queant. Hocque modô multô dictitandi labore Profeſſores, magnô ſcribendi tædiô Auditores ſuperſedere poterunt, tempuſque ad utiliora impendetur. Talis theoria firmiter imprimenda eſt ſtudioſis, & per exempla monſtrandum, quemadmodum in uſum converti poſſit & debeat. Hôc modô inſtructi Auditores examinibus, iiſque pluribus, tentandi ſunt, antequam ad Praxim exercendam admittantur, & primùm quidem in capacitatem Candidati inquirendum, hinc ad ea tranſeundum eſt, quæ per experientiam cognita ſunt, & quoniam de morbis agitur, in eorum ſigna, differentias atque remedia, imò & occaſionem ea ritè applicandi, inveſtigetur. Nec ncongruum foret, publicè talia inſtituere examina, ut in ſtudioſos Medicinæ aliquid inde redundet utilitatis, atque ex ſedulitate Profeſſorum in Candidatorum profectus inquirentium fiduciam ægri in illos capiant. Poſt talia publicè edita ſpecimina ægris viſitandis operam dabunt Candidati, ſub moderamine tamen & ductû Medici cujuſdam. Et cùm Medicinæ evehendæ hactenùs multùm obfuerit partim applicatio Practicorum minùs juſta, dum non omnia adhibuerunt media, quæ ad perfectam artis cognitionem ducere potetant, libros non evolverunt neceſſarios, vel ex his debitas obſervationes non annotârunt, effectus medicamentorum non adverterunt, nec ex deſidiâ omnem in viſitan-

viſitandis ægris adhibuerunt ſolertiam, partim nimium complacentiæ ſtudium, dum, quæcunque ab ægris vel adſtantibus exiguntur, aut commendantur remediorum genera, in uſum vocant, vel eô etiam tempore, quo nihil propinâſſe conſultius fuerit, partim temeritas, quâ cædibus civium experimenta facere audent multi; his obviam ire licere putat Noſter, ſi Practici de erroribus ſuis rationem reddere teneantur, ad quam exigendam Medici & ætate & experientiâ conſpicui forent conſtituendi, qui non juxta regulas ſyſtematum, ſed rei veritatem medendi methodum examinent, reoſque vel dignis reprehenſionibus afficiant, vel certa pecuniæ ſumma mulctent, velPraxi ad tempus interdicant. Ut igitùr Medicina majorem acquirat perfectionem, neceſſe eſt, ut eam exercentes omnem impendant operam, ut diſtinguant ſingulas morborum ſpecies, eorumque circumſtantias ſingulas, quæ curationem variare ſolent, ſelectioraque, quæ quævis morbi ſpecies exigit, remedia noſcant. Non autem uni homini datum eſt, in hæc omnia propriâ induſtriâ inquirere; conſultum igitùr foret, ut plures in ſe hanc ſuſcipiant ſpartam, ac ſinguli ſingulas morborum ſpecies elaborandas ſumant, deque iis obſervationes conquirant quam plurimas. Quem in finem Collegium Medicum eſt inſtituendum, & auctoritate publicâ muniendum, quod quâ ratione ſtabiliendum ſit, pluribus refert Autor. Nec reliquæ Medicinæ partes ſunt negligendæ, Anatomia puta; Chirurgia, Botanica, & Pharmacia, quibus ſingulis excolendis certi præficiendi ſunt Medici. Quantamcunque autem Medici adhibeant curam in Arte Medicâ evehendâ, fruſtrà tamen omnes laborabunt, niſi circa remedia, eorumque adminiſtrationem, maximæ, quoad licet, cautelæ adhibeantur. Eorum igitùr, qui illa tractant, exiguus debet permitti numerus, ut dictum; Rhyzotomi eò adſtringantur, ut omnes plantas officinales procurent, bene exſiccent, quæ ad diutius tempus ſunt aſſervandæ, radices à putredine præſervent, correptas ſpecies rejiciant, novaſque quotannis vetuſtis ſubſtituant. Eorumque tabernæ, & loca, in quibus aſſervantur ſimplicia, ſedulô viſitentur, pœnaque eis dictetur, ſi in locô quodam remotô corruptas uſui ſervent vendantque ſpecies. Seorſim etiàm quibuſdam injungendum eſt, ùt exotica procurent remedia. Aromatariis, dum plantas, folia, radices, flores, fructus, & ſemina exotica, gummata, reſinas, cortices, & ſuccos, qui in uſum Medicum cedunt, venales exponunt, prohibendum eſt, nè in parvâ doſi ea vendant, omni autem commerciô cum illis reliquis Seplaſiariis interdicendum. Periti igitùr ſeligendi ſunt aromatarii, qui eorum ſufficientem copiam procurent. Et hâc ratione Pharmacopolæ bonas ab his emere poterunt merces, pro medicamentorum præparatione. Ut autem in hâc nullæ committantur fraudes, certa per urbem laboratoria ſunt ædificanda, frequenter viſitanda, moduſque præſcribendus, juxta quem omnia atque ſingula præparanda veniunt medicamenta, ad certum numerum reducenda, nec ullô modô pharmacopolis concedendum, ut quid pro quô vendant. Et ut, quæ monita hactenùs ſunt, in actum deducantur, & conſtanter ſerventur, neceſſe eſt, ut ſingulis Provinciis & Civitatibus majoribus Director conſtituatur Medicinæ, qui curam habeat, ut omnia ſecundum regulas præſcriptas adminiſtrentur, quibus Inſpector quidam generalis præſit, qui publicâ pollens autoritate immorigeros coërceat, debitâque afficiat pœnâ. Quorum, tam Inſpectoris generalis, quàm Directorum, quæ ſint requiſita, quod officium, & ſub quâ formâ Collegium ejuſmodi ſit conſtituendum, pluribus tandem edocet Autor.

Ibidem annô 1721. *Supplem. Tom.* 7. *p.* 11.

Reflexions Critiques ſur la Medecine &c.
i. e.
Meditationes Criticæ de Medicinâ, ubi in veritatem & falſitatem judiciorum, quæ de hâc arte vulgò feruntur, inquiritur. Lutetiæ Pariſiorum, apud Jac. Quillau 1714. *&* 1715. 12.

QUanquam multi hodie ſint, qui contemnere Artē Medicā & omnibus modis traducere geſtiant; tantùm tamen abeſt, ut Autor Clariſſ. eôdem cavillandi pruritû tentetur, ut potius illam etiam atque etiam commendet, maxima generi humano commoda ſanitatem conſervando vitamque prolongando præſtantem. Licet enim multa non omni penitùs carere fateatur fundamentô; quæ in ejus opprobrium allegantur, non ſufficere tamen iſta exiſtimat, quæ totam proſternant Medicinam abſolutè, multò minùs derogare quicquam cordatis Medicis, qui omnem, quæcunque ab iis exigi poteſt, operam in illâ non minùs exercendâ quàm evehendâ adhibent, modò iidem fruantur ſubſidiis, quibus nullô modô carere poſſunt. Conſiderari enim poteſt Medicina, ad inſtar omnium rerum, duplici, eôque admodùm differenti modo; uno commoda, quæ affert, collaudando, alterô defectus, quibus ſcatet, annotando. Priùs ſi reſpiciamus, artem eam appellare convenit, quæ ſui ſimilem non habet; poſterius eam, tanquam rem, quâ pernitioſior nulla extitit unquam, proclamabit. Medium tenet Autor, Medicinam in ſe ſpectatam, tanquam artem celeberrimam deprædicans, abuſum tamen inſimùl deteſtans. Non enim negat, in Medicos cadere reprehenſiones digniſſimas, monſtrat tamen inſimùl aliis earum cauſas in acceptum eſſe referendas, falſa non minùs de Medicinâ, quàm Medicis judicia ferentibus. Quemadmodum enim in eô ſtatû ut conſtituta ſit Medicina, optandum eſt, ut, qui eam exercent, in compertô habeant, quicquid ſalutare in conſervandâ vel reſtaurandâ ſanitate inventum hactenùs fuit, illudque quâcunque datâ occaſione adhibere, ei quoque in dies plura addere ſtudeant; ità ſi quid alienum ab hôc ſtatû in Medicinâ occurrit, non niſi pro abuſû id ipſum eſt habendum, & à falſis judiciis aliorum dependet. Horum enim præjudicia de ægrotis pariter ac de remediis ſæpenumerò obſtant, quò minùs Medicus eis inſiſtat mediis, quæ ad cognoſcendam veram methodum medendi ſunt neceſſaria, & cogunt potiùs eundem, ut ægros juxta pravam hanc opinionem tractet. Et cùm à Medicis exigatur, ut naturam & cauſas morborum recenſeant, remediorum relationem ad affectus præternaturales explicent, ſuamque hypotheſin diſertè proponant, obſtrictos ſe profitentur Medici, in publicum uſum tempus illud, quod in eruendis morborum cauſis conſumi debebant, ad certum ſyſtema excogitandum impendere, cui quò magis invigilant negotio, eô minus ob rerum varietatem, totque circumſtantiarum concurſum, in ſuâ ſcientiâ redduntur certi. Si verò Medicus, lucri non adeò cupidus, nec ex ægrorum copiâ gloriam quærens, ea negligat, quæ ſcopo ſuo non inſerviunt, ſufficientem experientiam certè non acquiret nec omni orbatus cum aliis Medicis conſultatione, in ſuâ arte perfectus evadet. Quôcunque igitùr modô circa cognitionem Artis ſuæ ſe gerat Medicus, aliis potiùs

potiùs adſcribendum erit, ſi, quæ ab eô requiruntur, ex votô præſtare minùs queat; imò idem in culpâ eſt, quominùs Artem ad altius evehere faſtigium valeat. Ad hunc enim ſcopum Medicus niſi obſervationum ſubſidiis pertingere non poteſt; quæ quidem ex incuriâ adſtantium, methodum præſcriptam non ſequentium, admodùm ſufflaminantur. Maximè tamen accuſandus eſt contemtus, quo Medicina pariter ac ipſi Medici fuerunt excepti ex eô, quod vulgus vera eſſe, quæ hinc inde fuerunt ſparſa, firmiter credat; inde enim, qui ob ingenii felicitatem boni evaſiſſent Medici, ab hâc arte addiſcendâ fuerunt fuerunt abſterriti, & eam profeſſi non tantô cum zelô ingenii nervos intenderunt, quàm ſi majori in pretiô illa fuiſſet habita. Quid quod fiducia ex hâc ratione ceſſante ægrorum in Medicos, fruſtrà moliuntur hi, quæcunque artis præcepta docent. Quemadmodum igitùr notum eſt, artes reliquas magnum cepiſſe incrementum, quandò præmiis affecti fuerunt, qui eas exercere & provehere ſtuduerunt; ità nemo mirabitur, ab Hippocratis ætate parùm incrementi Medicinæ acceſſiſſe, ſiquidem illô tempore Medici Deorum numerô fuerunt adſcripti, poſteà verò ludibrio habiti. Quid igitùr conſilii, ut Arti priſtinus reſtituatur honos & vigor? Penes alios homines contemtus cauſa reſidet, hi igitùr ſuum agnoſcant errorem & emendent, neceſſe eſt, quod optandum potius eſſe quàm ſperandum quanquam plerique credant, duo tamen ſunt argumenta, quæ de bonô utique ſucceſſû meliùs ſperare jubent Noſtrum: primum eſt, quod ſingulis hominibus inſtinctus quidam ad veritatem inveſtigandam a naturâ ſit inditus, ſi de eâ fuerint convicti; alterum, quod cùm de vitâ & ſanitate res agatur, quilibet commodis ſuis invigilans rationes facilè ſit admiſſurus, quibus ad ſaniorem mentem pervenire queat. Cùm igitùr argumenta, hominum falſis opinionibus & erroribus oppoſita, veritatem præ ſe ferant, ſpes eſt, fore ut aſſenſum ſint inventura. Atque hæc poſtquam ſæpiùs ſecùm hactenùs penſitaverat Autor Clariſſimus, rem ægris utilem, ordini Medicorum gratam, ſuôque officiô dignam ſe peracturum exiſtimavit, ſi ſuas Meditationes circa hoc argumentum publici juris faceret, cùm vox viva in converſationibus ob contradicendi ſtudium tantam vim non habeat, ut convincere adverſarios ſufficienter queat. Quoniam itàque judicia reliquarum circa Medicinam partim ipſam artem, partim Medicos concernunt, conſultum eſſe duxit Noſter, hunc tractatum in duas diſpeſcere partes, quarum prima de judiciis, quæ de Medicinâ, altera verò de illis, quæ de Medicis feruntur, agit. Medicinam quod attinet, neceſſe ante omnia fuit, diſquirere, (in quô rerum cardo vertitur,) num Medicina utilis ſit, necne. Quem in finem allegat non ſolùm argumenta, quæ ſummam ejus utilitatem ante oculos ponunt, ſed & ad objectiones reſpondet, ab adverſariis allegari ſolitas, cauſaſque adducit, per quas hi fuerint ſeducti, inſimùl probans, quantôcunque in pretiô Petrarchæ, Montani & Molerii nomina apud ipſos ſint, non tamen eſſe cur horum autoritatem in contemnendâ Medicinâ ſequântur. Hinc in principia inquirere neceſſe eſſe duxit, quoniam ea plerorumque animis inſidet opinio, deſtitui Medicinam certis principiis. Dictum etiam fuit antea, multos Medicos ſyſtematibus quibuſdam admodùm delectari, adeòque quæ horum ſit origo, quis progreſſus, quam vanum, imô periculoſum ſit illis fidere, inculcat Autor. Nec incognitum eſt alios Medicos ſoli experientiæ, alios ſoli rationi inniti, quapropter quantum periculi huic conſuetudini ſubſit, & quâ occaſione alterutri, vel utrique ſit adhærendum docet. Multa inſuper præjudicia circa remedia foventur, quæ & ſanitati & vitæ multum derogant; hinc regulas proponit Noſter, atque cautelas injungit, quæ circa hos errores evitandos ſunt tenendæ. Cùm denique ſcientia Medicinæ è libris ſit primùm haurienda, quantâ præcautione opus ſit, ne quis ſeducatur, fideliter monet. Quæ itaque Autor Clariſſ. circa Medicinam in hâc priori parte adduxit, regulæ inſtar ſunt eorum quæ in alterâ de Medicis conſideranda reſtant, ubi requiſita boni Medici inculcat; Media proponit quibus ad veram ſcientiam pervenire liceat, in ſigna inquirit quibus genuini à pſeudo-Medicis diſtinguantur; circumforaneos depingit, eoſque commemorat qui rerum medicarum minùs periti, conſilia ægris communicare non erubeſcunt; quis ſelectus Medicorum faciendus ſit commonet; opprobria allegat quæ Medicis communiter objiciuntur & de Religione Medicorum quædam inſinuat.

FRANCUS de Frankenau (*Georg. Frideric.*) S. R. I. Eques, in Acad. Wittenbergenſi Medicinæ Publ. Extraordinarius; in Coll. Conſiſtor. Aſſeſſ. nec non Academ. Nat. Curioſ. Collega.

De eô habentur in Miſcell. Nat. Cur. Decur. 3. Ann. 1.

Obſervatio 122. *De Hepate humanô ſtupendæ magnitudinis.*

Ibidem Obſervatio 123. *De Diatreſi ani non ſuccedente.*

Ibidem Obſervatio 124. *De Graviſſimô capitis vulnere per cranium, meninges ad ipſum cerebrum uſque penetrante.*

Ibidem Ann. 3. *Obſervatio* 170. *De Maniâ gravi ex Clandeſtinâ & immodicâ Daturæ ſeminis exhibitione.*

EX ſanguinis humani vitiata ſtaſi, ſpirituum animalium quoque nexum variè commoveri, diſſolvi ac turbari poſſe, ùt mentem humanam in exercendo ſuô imperio, quod habet in corpus, obnubilet quaſi & peſſundet, neminem fore arbitror, qui ſanâ mente præditus ullam hâc de re dubitandi capiet anſam. Poſſem quidem hîc, ni tempori parcendum & legibus laudatiſſimorum Academiæ noſtræ Antiſtitum eſſet obſecundandum, varias deliriorum ſpecies eorumque cauſas commemorare, quarum etiam ſingulares aliquot præcedentes noſtræ Ephemer. Cur. in ſe continent lectû haud injucundas & inutiles. Sed mitto illas & ad nuperam ſolùm me converto deſcribendam obſervationem præſentique annô accommodandam, quantum per temporis penuriam licet. Sat in apricô eſt, intempeſtivum immoderatum atque noxium Daturæ ſeminis uſum ejuſque præparationem familiarem adeò hodiè perverſos quoſdam maliſque artibus imbutos ſibi reddidiſſe homines, ùt per illas etiam Principibus placuiſſe viris ſtuduerint, eorumque gratiam atque laudes venari proximi ludibriô & ſanæ mentis ſuſpenſione, quæ turpes omnes aliàs à nobis & inconditas amoliretur actiones, quo currus audiret habenas nec laxis adeò ferretur auriga equis. Id quod exempli locô de Virô 28. annor. aliquot jam liberorum, patre, honeſtô & publicô in officiô conſtitutô, cuique anteà ſana ſēper & imota in corpore ſano hac vice *αὐτόπτης* affirmare auſim, quem temerarium atque malignum

Caſtra

Caſtra ſequentium hominum conſortium in ſubitaneam præſentemque *μωρίαν* adduxit. Vix enim è comeſſationibus ruri domum rediens, lectumque cum uxore ingreſſus, circa mediam noctem expergefactus abſurda varia fari cœpit; horâ poſt è lectô proſiliens ipſam uxorem, liberos, matrem & quoſcunque obvios invaſit magnâ cum violentiâ atque impetû, enſem & ſclopetos poſcens; quibus inſaniam porrò exercere in innocentes poſſit. Denſiſſimâ nocte adeò vociferari, rixari, tumultuari, ſtultiſſimoſque ſermones edere plurimos conatus eſt, ùt vicinorum omnium meumque fregerit ſommum, qui unà omnes hæc attoniti, hominis veſaniam, rabiem ac ineptias mirabamur, neſcii unde jam tot abſurda mediis in tenebris. Nec deſiit ſacras plurimas quoque cantilenas intermixtis pluribus impiis, exſecrandis diriſque verbis ebuccinare, quibus totam ferè noctem abſumſit. Circa diluculum parùm quievit; alterô mane parùm manſuetior, veſtitus templum adiit & labores conſuetos inviſit, quibus quotidiè erat deſtinatus. Sed nec ab illis poterat recedere, quin adſtantes aliquam dementiæ in eô animadverterent notam. In viâ homini prætereunti gladium lateri commiſſum mox abſtulit, mox tamen reddens, cùm vidiſſet hominem eâ de re non contrà ſe fuiſſe motum, inquiens; ſcio te mihi non inſidiari, metueram tamen mihi abs te. Ecce mutabilitatem hominum furibundorum, & quàm varias induant actiones, ùt mox alios adoriantur, mox ab aliis ſibi caveant & trepident. Concurrunt enim hìc, ſi ullibi, omnis generis conceptus, quos mens unquàm effinxerat, & quibus domandis reprimendiſque omninò tùm erat impar. Totô illius diei decurſû mitis ſatis fuit, ùt etiam adſtantes eidem ſiſi nullam adhùc medentis implorarent operam, neſciverant enim adhùc cauſam ſtultiſſimi effectûs; verùm non diuturna hæc eorum erat fiducia, nam collectis per ſomnum viribus, aſſumtus malus hauſtus atrociùs in eum egit, & circa matutinam alterius diei, majori eum vi furere coëgit, ût 6. robuſtorum militum præſidiô ſe adverſus illum muniendi, opus haberent uxor & domeſtici, Sacerdotes & Medicos unà quoque citarent, ùt promptiſſimam ferrent opem; verùm nullos audire voluit ſtultorum totus plenus, qui omnia reſpuit furibundus. A Medicô Ordinariô V. S. primùm imperabatur in brachiô ad ℥v. ſolùm inſtituenda (quæ meô quidem judiciô parca nimis & ut *ὕστερον πρότερον* emetici uſum anteibat.) Exhibebatur ab ipſô dein Tinctura anagallidis in potû, ut & decoctum ex hypericô, anagallide purpur. nitrô, ſyrup. papav. rhœad. & ſimil. Tertiô demùm die vomitorium propinatur ex tartari Emet. Mynſ. gr. v. quod 4. vel 5. tantùm ad vomendum ipſum incitârat. Videbatur ſemper unô die tranquillior præ alterô, Myſticis Cantilenis in furore ſuô admodùm delectabatur, ùt vix quandoquè illarum cantû poſſet delaſſari, pari modô ac in Tarantatis interdùm videre eſt, qui auditô ſemel muſicô murmure ſibi acceptô, à tripudiis feriari ampliùs non valent. Totô furoris decurſû largiter ſudorem emiſit, corpus nudum aëri licèt adhuc frigidiori expoſitum, multa etiam comedit, potum valdè negligens præter vinum, quod palato adhùc arriſerat. Die 6. abhinc ego cum ordinariô vocor Medicô, quem itineris faciundi neceſſitas ægrum porrò deſerendi anſam dederat, meæque curæ deincèps tradiderat, poſtquàm ante dicta omnia mihi aperuiſſet. Illô ipsô adhùc die largiorem multò, ac ante, venæſectionem impero ad ℥x. vel ℥xj.

Inveni enim ipſum multis ſcatere particulis biliofis, ſanguineis & inflammabilibus, quæ facilè in actum deduci poſſunt magis magiſque & accendi. Pulſum habebat magnum, robuſtum atque celerem, calor per totum corpus intenſus & igneus quaſi, ſudor copioſiſſimus, nullôque ad hunc uſque diem abreptus ſomnô, multa loquens de incendiis, vi ſibi illatâ, atque minis atrocibus. Circa veſperam illius diei exhibebatur pulvis ultimus adhùc à priori Medico præſcriptus, ſed ſine levamine, totam enim duxit noctem inſomnem. Alterô die ſequentem cum eôdem curam inii; Veſicatorium utrique brachio hactenùs affixum removeri juſſi, compertus majorem calorem atque cruciatus ipſi creari talibus igneis quaſi præſidiis, nec quietem conciliari poſſe ullô pactô, quamdiù illa circumgeſtet irritamenta. E contrario capillos de capite omnes auferri quantùm poſſibile, curavi forfice; barbam autem radere jam duxi inconſultum. Tenuiorem & parciorem præfixi diætam, juſcula hordei excorticati plurima cum ſuccô acetoſæ recentis vel Syrupo papav. errat. Decocta item oryzæ & ſimilia, quæ liquoris gaſtrici energiam in ventriculô obtundere admodùm poſſunt cuncta ſi hauriuntur ſæpiùs. Nec hic nos fefellit ſucceſſus, nam mox ad ea faſtidire data cœpit; potui ordinario, (qui è tenui conſtabat cereviſia) magnam nitri depurati partem quotidiè commiſimus; interdiù pulveris pauxillùm ſorpſit ex nitrô præpar. camphora, corall. rubr. & laud. opiat. conflatum; temporibus linimentum inungi juſſi ex oleô papav. alb. expr. popul. anethi, camphor. & opii crud. gr. aliquot mixtum. Tertiô ex eô, quô ipſum accedo, dic facetè ridiculèque ad omnia reſpondit, nihil verò ad Rhombum. Sudavit tamen non ità ampliùs, pulſus enim paulò remiſſior fuit. Epithema fronti per hunc diem applicabatur ex aquâ ſolani, lactucæ, ſemper vivi cum lap. prunell. &c. Poſt cœnam hodiè demùm theriacæ cæleſt. Hoffſtadianæ, quam ipſemet mihi à Domino authore confectam ſervâram, gr. vij. in tantillô vini rubelli exhibui, quâ ſumtâ, 4. horis poſt, nempè circa Veſpertinam 11. ſomnô primâ vice intra 10. dies indulgere cœpit cum ſtertore ad 5. ferè horas duranti, animô dein magis etiam valuit, iterùmque Divinâ adſiſtente gratiâ meliùs ſe multò cœpit habere. Biduô pòſt cùm cæteris ſuperiori ſerie à nobis adductis ex præſcripto fuiſſet uſus, unam adhùc exhibere nobis placuit theriacæ cœl. doſin, gr. viij. Valentem circa noctis acceſſum in pauxillô vini rubelli, ad quàm ſummâ cum euphoriâ per 6. horas & ultrà dormierat. Pediluvia interim plurima frigidè ſolùm à nobis etiam in uſum fuêre vocata, quorum efficaciam non minùs ac priorum probatam ſatis cognovimus. Ità per 6. dies medicamentorum uſum protraximus, in quibus egregiè profecimus; cœpit etiam rationi tùm magis auſcultare, factum tamen fuit, ùt ſub declinationem furoris aliquandô collectis iterùm viribus & poteſtate liberè vagandi, ab impetû provocaretur, ùt ageret denuò in adſtantes & uxorem; quare conſultum duxi adhùc ſemel mente captum purgante largiori ſub formâ hauſtûs aqua vitæ jejunô ſtomachô fallere, quoniam & aliquot dierum curriculô alvum non ſenſerat apertam, itemque pharmaci reliquias penitùs eôdem tollere, nè latibulum inveniant aliquandô in corpore. Sequenti die v. ſectionem adhùc ſemel ad ℥vj. imperavimus, & prodiit ſanguis paulò dilutior, lymphâ & ſerô ſupernatante, nec adeò craſſus, fibroſus & atro-rubens, ſpiſſus ut prioribus vicibus. Recuſavit porrò militû cuſtodiâ & adſtantium, ne-

neque illis ſe ampliùs opus habere affirmavit, cùm mente magis nunc conſtaret, moxque penitùs convaliturum ſe teſtatus eſt coràm. Atque ità ante 18. diei decurſum Deo T. O. M. benedicente totus convaluit, præteritorum omnium memor, quæ peregerat, non ſine pudoris notâ, me quidem Medicum ejus ſtante adhùc morbô non noverat, quare etiam difficulter admodùm ad medicamentorum uſum adigi poterat, quoniam, nè ſemel adhùc falleretur potû, ſubdolus ſibi caveat. Decocta quædam ipſi dein ſanguinis reliqui texturam magis emēdantia, interque alia ſeri lactis caprilli cumprimis uſum omni mane hauriendum imperavi. Aliam hujus ipſius delirii cauſam allegare potuit nullam, quàm clandeſtinum inter convivandum ſibi potum fuiſſe paratum ex daturæ ſeminis præparatione diabolicâ, nam vidiſſe illam eô in locô, ubi fuerat, & ab aliô ſternutatorii pulveris locô in perâ fuiſſe circumgeſtatam in thecâ ab Hiſpanicô tenuiſſimè pulveriſatô vix ac ne vix recedentem colore & ſubtilitate.

Certiſſimum eſt è vegetabilium claſſe ſelecta fuiſſe hæc ſemina, & apud Orientales gentes communi nomine Maſlach ſcilicèt circumferri, quæ præparationem ejus & doſin intimè norunt, non recedentes tàm frivolè à genuinô illius uſû ac vellent ipſam de ſoliô ſuô deturbare mentem & hominem bruto ſimilem efformare, quô anima cum corpore ſimùl in præſentiſſimum adduci queat periculum, prout ejus rei funeſtos triſteſque plurimos citare poſſemus effectus peſſimæque notæ ſpectacula inter Chriſtianos minimè toleranda. Interim nolo cum quibuſdam variorum Auctorū Mazlach ſpecies ità confundere, aut ſub unô omnes vendere nomine, quæ tamen hodiè à Botanicis meritò inter ſe diſtinguuntur. Scimus è certis quorumdam relationibus vulgare Maſlach Turcarum, ſive Magnanimitatis aliud non eſſe quàm opium album, ſive ſuccum papaver. albi, qui è capitibus inciſis elicitur in Oriente, propriô ſolô enutritum, taleque opium ſummô ſtudiô ab omnibus depuratur ſordibus, & nonniſi magnô comparatur pretiô. Hoc igitùr pharmacum alienum planè eſt ab illô, quod noſter miſerè delirans improviſô hauſerat, ut ut ferè ſimilem colorem & effectum cum reliquorum Mazlach obtinuiſſe ſibi quis poſſet imaginari. Fuerunt tamen quædam illi adhùc ſingularia nobiſque imponunt fuiſſe nullum opium iſtud pharmacum, cùm aliud ex noſtrâ medendi methodô, & quod ſemel videre licuit, ſemine non præparatô ejuſque proprietatibus cum aliis ſui generis communibus addiſcamus. Dico enim fuiſſe Stramoniæ ſive Daturæ ſemen pomô ſpinoſô rotundô, flore longô ut vult B. D. *Paul. Hermannus in Hortô Lugd. Batav.* vel ut vocat *Caſp. Bauhinus lib. 5. ſect.* 1. Solani pomo ſpinoſo rotundo, flore longo. Dantur porrò paucæ aliæ etiam ſpecies Stramoniæ, quæ meô quidem judiciô ſimile omninò præſtabunt intra corpus ſumta earum ſemina uſui accommodata. Recenſet etiam prælaudatus *Caſp. Bauhin. in Pinace ſect.* 1. *lib.* 5. ſubque hâc complectitur primò varia Solanorum, ſecundò Mandragoræ, tertiò Hyoſcyami, quartò Nicotianæ, quintò Papaverum, ſextò Hypecôi & Argemones ſpecies quæ vid. Jā verò & inter has notabilis occurrit ſpectatori curioſo differentia quoad vires & uſus, quos poſſidere perhibentur ab Auctoribus quibuſcunque; ità ùt quædam haud ſine magnô periculô vitæ & noxâ corporis poſſint applicari, quædā autem innoxiè tractari, & levem tantùm poſt ſe relinquunt alterationem aut nullam; ùt ſilentiô præteream alias porrò proprietates, quas hìc deſcribere ſupervacaneum duco.

Ibidem Obſervatio 171. *Lithophyton purpureum Geſneri Marinum.*

Ibidem Ann. 5. *& 6. Obſervatio* 176. *De Rene unicô & inſigni in Homine.*

Ibidem Ephem. Centur. 1. *&* 2. *Obſervatio* 31. *De Violâ Lunariâ majori ſiliquâ rotundâ C. B. P. ſive Lunaria Græca monſtroſa.*

Ibidem Obſervatio 32. *De Unguibus recurvis monſtroſis manuum in puerô.*

Ex eo habentur præterea in Actis Lipſienſibus An. 1696. *p.* 15.

Onychologia curioſa, ſeu de unguibus Tractatio Phyſico-Medica. Jenæ ſumptibus Joh. Bielkii, Ann. 1695. *in* 4.

CUm præmonuiſſet Clariſſ. Auctor, magni Parentis celeberrimique Viri *Georgii Franci de Frankenau,* Potentiſſimi Regis Daniæ h. t. Archiatri, Filius paternarum dignitatum ac virtutum æmulus, abjectos videri ungues nec eſſe tamen tales, ſed diſquiſitione æque ac nobiliores corporis humani partes dignos, varias hinc unguium acceptiones delibat, in ſolâ parte corneâ, convexâ, flexili & pellucidâ extremorum digitorum occupatus. Diviſione pro ſitû terminorum radicali, laterali, extimô viſa, in partium corporis ſimilarium numerum adſerit, ſui generis, non tam induratorum nervorū extremitates, vel ex oſſis, nervi & cutis portione, quam ex pluribus pelliculis tenerrimarum fibrillarū papillaceis coalitis & protractis gigni ſtatuens. Idque exemplô affinium maximè cornuū in brutis, è plurimis ſimiliter filamentis ex omni cutis ſuperficie productis, & ungularum, à protractis è cutaneô corpore nerveis papillulis ſenſim ſolidatis magis oriundarum; unde & per membranam reticularem prolongatis papillulis filamenta & ſtriæ corneæ longitudinales efformentur in ungue, confirmante idem microſcopii examine. Uniri verò illas ope humoris lenti & viſcidi, ſalino-oleoſi, in quem modum & cornua animalium efformentur, ad quorum inſtar & ungues gelatinam coctione præbeant. Maturè admodùm in fœtû apparere unguium primordia, citra ligamentum aliquod quoad radicem, ſolâ cute ſufficiente, cui adnaſcatur unguis ſemper, non item oſſi, carne ſubſtratâ non muſculoſâ, ſed ſpongioſâ & levi, tùm membrana nervoſa & tendinea, paronychiæ ſede. Nutrimentum unguium derivat ab univerſalis fluidi purpureô latice, ejuſque imprimis gelatinoſâ & unctuoſâ portione, particulas ſalino-ſulphureas volatiles alcalinas ſub ſe complexa; concinente analyſi chimicâ, per deſtillationem unguium, indeque inſtitutis experimentis; è ſuccô cutis ubi radices agunt, illuc derivata. Hinc & vaſculorum ſanguiferorum huc pertingentium fit mentio, factâ nutritione proportionatâ, per omnes dimenſiones, & nervorum, unde ſenſus, ſaltim juxta radices, proprius, communicatur in reliquâ parte. Relatum hùc quoque augmentum unguium ac pilorum poſt mortem, propriâ fide & aliorum probatum, ex reſiduâ humidi unctuoſi ſalino-volatilis portione; regeneratio item & figura unguium ſemicircularis, uſibus eorū peraptâ addita differentiâ in ſimiis, rapacibus & aliis. Hinc numerus, magnitudo & conſiſtentia expenditur, ſingula uſui congrua, color item nativus & morbis vitiatus, vel tingentibus quoque extrinſecis, etiam alicubi ornatûs cauſâ, non minùs ac elongatio ſtudiô facta, alendo ungues, nec reſecando. Uſus aſſignatur præcipuus apprehenſioni rerum durarum ſervire in manibus, tutari & firmare extrema, aliaque præſtare pro lubitû & exigentiâ. Vires ciendi vomitum unguibus aſſeruntur, autoritate & experientiâ, diluendo rationes in contrarium allatas; aliæ etiam laudantur, aſſignatæ ab

ab Autoribus. A ſtatû naturali ad præternaturalem digreſſus, varios morbos memorat, in figurâ, magnitudine, inæqualitate, ſcabritie, craſſitie, decidentiâ, aliiſque, interſperſis Obſervationibus & remediis; à venenis & leprâ imprimis mirum quantùm immutari. Non abſcindi aliquandò tutô excreſcentes, niſi præmiſſis evacuantibus; à liberaliori verô reſectione & improvidâ, periculum majus, quin mortem aliquandò ſubſequi poſſe. Docet &, quomodò ad latera incurvati poſſint corrigi. Afferuntur exempla monſtroſorum unguium, tum aliis ex cauſis, tùm à gravidis impreſſa idea peregrina; & defectû motûs ſufficientis. Coronidis locô adducuntur, quæ ex phyſiognomiâ, chyromantia, transplantatione morborum, moribus & traditionibus ungues reſervandi, reſecandi, & alia illuſtrare hæc potuêre. Quam in rem & quædam ſubjunguntur in præfatione à G. W. Wedelio, Virô illuſtri, ſcripta.

Ibidem annô 1706. *p.* 395.

Anaſtomoſis retecta. Hafniæ, typis Reg. Maj. & Univerſit. Typogr. 1705. *in* 4.

Anaſtomoſeos vocabulum antiquitati ſatis quidem cognitum, ac primis Artis Reſtauratoribus nominetenùs non inviſum, quoad rem tamen atque modum, per omnia fortè non adeò planum ac perſpectum fuit. Illis enim temporibus ſumebatur tantùm in ſenſû pathologicô, pro oſculi venæ vel etiam arteriæ laxatione & apertione, per quam ſanguis effundebatur & inter fluxûs ſanguinei reponebatur differentias. Alii intelligi ſimul poſſe hanc putabant vocem non tantùm de ſanguinis ſed & lymphæ, chyli, alteriuſvè humoris per hiantia vaſorum oſcula effluxû. Naturali tamen magis atque commodiori ſignificatione nominant Recentiores Anaſtomoſin mutuam certamque venarum & arteriarum connexionem, per oſcula ſeu parvos meatus, vel rectiùs inoſculationem. Tacemus enim illam vocis acceptionem, quâ vaſa ſimilia inter ſe communicantur, ut videre eſt inter hepatis vaſa, venas uteri, hujuſve arterias, vaſa arterioſa ab umbilico versùs chorion tendentia, ramos venarum mammariarum, arterias cordis, venaſvè coronarias, vaſa cordis in embryone, venas jugulares, arterias carotides, arterias medullæ ſpinalis, venæ meſaraicæ ramos, renum vel ſtomachi vaſa, inter venam ſuralem & iſchiam majorem, tubulos lacteos mammarum, nervos brachiales, ductus hepaticos aquoſos & venas lacteas, ductus adipoſos &c. Veram igitùr Anaſtomoſin vaſorum retecturus Clariſſimus Autor, Medicos non ſolùm allegat, qui eandem negant, verùm etiam eorum adducit autoritatem, qui pro eâ militant. Palmarium Autoris noſtri argumentum & experimentum, pro ſtabiliendâ Anaſtomoſi arterias inter & venas, in eô conſiſtit, quod in canis aut cuniculi arteriæ magnæ truncum lac, aquam vel alium tenuem liquorem colore quôdam tinctum immittat per ſiphonem; unde omnia viſcera totumque genus arterioſum eôdem implentur, atque citò, abſque intumeſcentiâ partium, quam quidam ſupponunt, per venas redeat, ex dextrô cordis thalamô pulmones ſubeat, & ex his per cordis ſiniſtram cavitatem & arteriam magnam tranſeat. Hocque phænomenon, quoad vaſorum horũ communicationem, in peculiaribus corporis partibus, ut in capite, pulmonibus, aſperâ arteriâ, hepate, renibus, teſticulis, & uterô frequenter apparet. Ad hæc provocat ad legem generationis & primam formationem, cum arteriæ & venæ ex parte regenerentur, & modus indicetur, quô ſanguis ex arteriâ repens reſecta poſſit ad latera protrudere particulas quaſdam ramoſas, & ad motum minus aptas, quæ ſibi invicem implicitæ forment ibidem rudimentum alicujus tunicæ, quæ arteriolæ nomen mereatur; & ſanguis in curſû offendens aliquod impedimentum, non poſſit reflecti, ſed particulis ramoſis ad latera iterum projectis rudimentum ibidem producat alicujus venæ. Cui pariter ſententiæ non parùm roboris accedere confidit ex phænomenô, quod morbos, inediamvè perpeſſis, aut magnis corporis exercitiis defatigatis, obvenire ſolet, ſiquidem tùnc pinguedo ſeu adipis materia in cavitatibus pulpæ ſuæ membranoſæ aſſervata viciſſim reſorbetur, ac maſſæ ſanguineæ denuò commiſcetur, haud ſecùs, ac quotidie videmus, humorem ſeroſum aut hydropicorum aquam carnoſarum partium poros, in anaſarcâ vel aſcite præter modũ opplentem, aut ſponte aut poſt data hydragoga à venis reſorberi, ſicque modò per alvum, modò per vias eliminari urinarias. In additamenti denique locum ſubdit è vegetabilium claſſe exemplum, actum nimirum illum, quem inoculationem vocant; ubi ſurculi inſerti & latè creſcunt & utiliter propagantur, factâ priùs ſtipitis certâ apertione, deindè ſcuti, ut appellant, inſertione, atque debitâ demùm ligaturâ. Sed ad adverſarios revertitur Noſter, eorumque argumenta ponderat, quæ inter illud, quod ab ἀυτοψίᾳ petitur, nullum habere pondus exiſtimat, cùm negativa non procedat argumentatio: Ego non vidi, ergò non datur; quin ad propriam & Leeuwenhoekii provocat αὐτοψίαν, ubi mediantibus microſcopiis, anaſtomoſes ejuſmodi in tenerioris anguillæ caudæ pinna clare viderint. Ad *Marci Aurelii Severini* argumentum, debere nempè uniones tales vaſorum patere poſt mortem, & ſectionis cultri Anatomici opera inveſtigari, reſpondet, non confundendos eſſe ſtatus ſecundum & præter naturam. In Cadaveribus enim rimæ aut oſcula obliterantur facile à materiâ viſcidâ & tenaci, ut viſum effugiant, & omnia flaccida ſupra ſe invicem recumbunt, fibrillæque à ſe invicem nonnihil diſtantes nùnc accedunt propiùs, & oſcula claudunt. Quæ conditio in vaſorum finibus obſervatur, uti in reliquis diverſâ temperie præditis ſubjectis, ità & in ſanguineis & phlegmaticis, carnes habentibus turgidas, poroſas, laxumque habitum, in quibus ſummè conſpicuas debere tales eſſe continuitates exiſtimaverat *Georgius Erneſtus Stahl,* cum quô tamen in eô conſentit Autor Clariſſimus, quod ex decrementô eximiô & arctatione muſculoſarum partium mille naſcantur incommoda, obſtructiones, ſtaſes & corruptiones in illis locis. Contrà *Johannem Alphonſum Borellum,* qui intermediam ſpongioſam ſubſtantiam carnium, viſcerum &c. ſenſim debilitari, amitti, atque languere in extremorum anguſtiis vim impulſivam, motumque ſanguinis nec ſemper venularum orificia, quarum conſiſtentia mollis & lubrica eſt, non dura & oſſea, permanere dilatata & aperta; ſanguinẽ verò à capillaribus venis exugi & attrahi exiſtimat, diſputans, negat omne interſtitium vel intermediam mollem aut fibroſã partium ſubſtantiam; concedit verò ſanguinem in remotis à ſuô principiô canalibus multùm à celeritate motus quidem remittere, nullô autem modô ſedari; & in ſtatu naturali vigere tonum viſcerum ac juvare fibrarum motricium in muſculis actionem adſtruit; ſuctionem autem & attractionem venarũ capillariũ, ut potè diu exploſam, recoqui ab eôdẽ miratur. Nec metuit ruptionem nimiamque venarum dilatationẽ à ſanguinis motû violentô in arteriis liberôque in venas influxû; ſiquidẽ motus ſanguinis in extremis remittit, & vaſorum rotunditati debitum ad reſiſtendum robur ineſt. Quod autem *Regnerus de Graaff, Johannes Bohnius & Petrus Dionis* regerãt, nullum ſanguinem teſticulorũ parenchyma, venularũ extremitates, aliaſve vias difficiles ingreſſurum, ſi vaſa

ſi vaſa unirentur, ſed quâ datâ portâ ruere, quotieſcunque patentiorem & commodiorem invenit; conſiderandum eſſe putat Autor Noſter, quod vaſa ordinariè humore ſuo turgeant, motôque unô principiô moveatur ſtatim & alterum ob contiguitatem, pateantque ſumma æquè oſcula indifferenter deorsùm propulsô ſanguini certô reſpectû in teſtibus, viſceribus, & glandulis ac artuum extremis, aliiſve corporis partibus. Quæ verò in contrarium producuntur experimenta, tanquàm à violentâ manû producta rejicit. Sed maximus adhùc, iſque duriſſimus ſupereſt nodus ſolvendus, fundatus partim in nutritione & accretione, partim ſecretione humorum, cum quibus vaſorum continuitas & immediatus per ea fluxus ſanguinis, ſecundum *Borellum, Bohnium, Ortlobium, Stahlium* alioſque ſtare nequit. Nutrionis equidem negotium & augmentum partium hôc modô ſibi concipit Noſter. Scilicèt Globuli ſanguinis, quandiù in vaſis feruntur amplioribus, majorem diametrum, capacitatem atque expandendi vim obtinent, quæ ſenſim minuitur & decreſcit in vaſis minoribus, ità ut ex unô tres, quinque vel ſex tandem fiant circa extremitates, certiſque rationibus conſtent plurimùm ex aëris bullis rarefactis, ſerolas ſimùl nutritias chyloſaſque arripientibus particulas, cordis impulsû & jugi reſpiratione hùc vectas, parietibuſque quamdiu molliores & cedere adhùc ſunt aptæ arteriarum tunicæ, id quod laudabile eſt nutriendis & augendis partibus aſſimilent; quamdiù verò accreſcente ætate factæ rigidiores debitumque nactæ incrementum expanſioni particularum ſanguinis reſiſtunt, motumque per eas unicè & ſic cum calore conſervant vitam. Quoad ſecretionem verò exiſtimat, per vaſa immediatè hiantia anaſtomoſis lege in arterias & venas ſeque mutuô reſpicientia tunicarum oſcula, diverſimodè conſtructa ac figurata, omnes depurationes & ſecretiones fluidorum contingere, & ubi tales fiunt, membranas ſeu tunicas, quamvis ſubtiliſſimas, ſimùl adeſſe, omneſque eadem muniri glandulas ac muſculos. Magna enim inter membranas vaſorum datur differentia, dùm alia eſt retiformis & vaſculoſa, qualis eſt vaſorum extima; alia glanduloſa, alteri ſuccedens, quæ, quandò ad glandulas pervenit, eaſque includit, ſubjectæ in pleriſque membranæ adeò firmiter adhæret, ut ſæpè non ſine dilaceratione ab eâ ſeparari poſſit; alia muſcularis; alia tenuiſſima & ferè tantùm membranacea, aut nervea; hæc que, Autore Judice, illa videtur eſſe, quæ immediatè tegit, ac unit utriùſque generis vaſa ſanguiveha, & reliquis ſolùm à ſerô venientibus ſanguinis particulis, præterquàm rubris, tranſitum ob certam pororum conſtitutionem, more diapedeſis concedit. Quibus poſitis ſponte patet, uſum Anaſtomoſis eſſe, ut ſanguinis motus reciprocus ejuſque circuitus expeditior per totum fieri poſſit corpus & ut totum corpus alatur, in ſtatû ſuô conſervetur & ut variæ in diverſis organis procedant fluidorum ſeparationes atque ſequeſtrationes ab univerſali illô fluidô microcroſmico purpureô.

Ibidem Annô 1717. *pag.* 26.

Diapedeſis reſtituta. Haffniæ, typis Reg. Maj. & Univerſit. Typogr. 1616. 4.

OMnes depurationes & ſeparationes fluidorum per ipſa immediatè hiantia anaſtomoſis lege in arterias & venas, ſeque mutuò reſpicientia tunicarum oſcula, diverſimodè conſtructa ac figurata, contingere, &, ubi tales fiunt, membranas ſeu tunicas, quamvis ſubtiliſſimas, ſimùl adeſſe, omneſque eadem muniri glandulas & muſculos, ex mente Clariſſ. Franci de *Frankenau* in his Actis annô 1706. Menſe Septembri pag. 399. Anaſtomoſin ejus retectam recenſentes, monuimus. Id igitùr muneris ſibi nùnc incumbere putavit Autor, doctrinam hanc per ſingula corporis humani viſcera explanandi, eandem ſecutus methodum & dogma ſuum Celeberrimorum Medicorum autoritate roborando, & contra ſentientium opiniones declinando, ùt cum ſuâ hypotheſi conciliando. In ſenſû itàque phyſiologicô accepta διαπηδήσεως notio audit Clariſſimo Autori ſubtilis illa, rara atque poroſa tunicarum in ſummis vaſis ſanguiferis diſpoſitio, ſeu textura, cujus ope fluidiſſima ſeri pars roris vel ſudoris modò tranſit, exprimitur, aut expellitur, vel in ductus lymphaticos, vel excretorios ſummos, proximos, iiſdem conjunctos, poſtquam priùs ſanguinis globuli purpurei ex ſummis arteriis in venas continuô impulſû fuerùnt delati. Diapedeſin in ventriculô experimentô illô probat, quod in Actis etiam noſtris annô 1705. Menſe Octobri pag. 456. ex *Raymundi Vieuſſenii* Novô Syſtemate vaſorum corporis humani allegavimus, dùm ſcilicèt aliquid liquidi, poſt infuſam in ventriculum eſſentiam croci per tubulos ejus lymphaticonerveos ad venas fuit tranſcolatum, vel tranſſudavit, ità ut intra bihorium non modò ſtomachi parietes, ſed & vaſa ſanguifera tam ventriculi quam omenti cum ductibus adipoſis flavô colore fuerint infecta. Hydropem pariter lacteum oriri cum *Dn. Mery* credit, quoties hæ aquæ per ventriculi ac inteſtinorum membranas ad abdominis cavitatem depluant, quemadmodùm in Praxi quotidie cernimus, hydropicorum ſerum, ſi viſcera adhùc valent, remediis purgantibus aut diureticis fortioribus ad viam excretionum ordinariarum rursùs quærendam adigi, ſeu per inteſtinorum aut renum membranas filtrari atque ſic reſorberi. Et quanquam hodie comprobatum ſatis ab Anatomicis ſit, nullum chylum à ventriculô immediatè per vaſa ſanguinea ferri, non impoſſibile tamen judicat, ſubtiliorem ſaltem alimentorum partem ibidem, per poros & tunicarum rarefactam texturam vaſis ſanguineis non minùs quàm nervis communicari. In inteſtinis pariter eundem non ſolùm à vaſorum lacteorum hiantibus oſculis excipi, ſed & in illâ motû illorum periſtalticô intrudi, ſibi perſuadet, ſiquidem obſervatum fuit, liquorem in venam meſaraicam ciconiæ injectum, inteſtinorum cavum ſubiiſſe, & parte inteſtini lacte impletâ, ac utrinque preſſâ portionem ejus in venam meſaraïcam commeaſſe. In hepate per ductus cyſthepaticos, ab extremitatibus vaſorum ſuam trahentes originem, tranſſudationis modò bilem recipi, & in folliculum fellis deponi, putat, ſiquidem, ſi ſuſpenſâ manû ſeparetur veſicula à reliquâ hepatis ſubſtantiâ, innumera vaſorum bilem advehentium oſcula diſſecta fuiſſe, comprehendit. In pancreate ductus excretorii initia conſpiciuntur, ubi ramuli à ſiniſtrô arteriæ cœliacæ ramo prodeuntes terminantur, interjectâ ſolummodò ſubtili quâdam membranâ, poroſâ tamen, & lymphatico tantùm huic humori largiente tranſitum, ſanguineis particulis non item, quippe quæ arctioris vaſorum unionis lege ſtatim ac immediatè recipiuntur in venam ſociam. Et ne contentus humor iſtum præterlabatur ductum, ſubminiſtrata eſt alia paulò craſſior membrana, undique eam cingens extimæque communi debens ortum. Atque eandem agnoſcunt originem vaſa

vaſa lymphatica lienis, hepatis, renum, uteri, teſticulorum &c. quæ mirô reptatû extimam dictorum viſcerum percurrunt tunicam, atque limpidas ejuſmodi particulas ab oſtiolis ſummorum vaſorum ſanguineorum hauriunt. Diapedeſin porrò collectionem urinæ in veſicâ, ligatis ureteribus, in cane ſtabilire, aſſerit Noſter, quam poris ejus foris intrò ſpectantibus tribuendam dicit, indeque evenire judicat, ut potatores urinam juſtò citiùs reddant. Sic Clyſmata emollientia, carminantia, oleoſa, & anodyna calculoſis injecta inteſtinorum membranas penetrant, atque renibus, ureteribus, imò & veſicæ ſubtiliorem ſuam vim communicant; id quod magis adhùc illuſtrat *Baglivi* experientia, ubi vir aquam tepidam, ſub clyſmatis formâ receptam, omnem retinuit, & paulò poſt per urinam penitùs reddidit, ità ut ne gutta per alvum redierit. Hùc faciunt Obſervationes, ubi iſchuria laborantes omnem urinam per alvum excreverunt. Renes quod attinet, habent certè eorum vaſa emulgentia ſummitates poroſas, quarum ope lixiviales ſeroſæ à reliquis ſanguinis particulis ſegregantur, & ſtatim papillis ſeù carunculis inferuntur, dùm ceteræ abeunt ad venæ emulgentis oſtia; ne autem ulteriùs, quàm par eſt, urinoſæ extravaſentur particulæ, præter communem inveſtientem membranam durior alia à pelvi originem trahens, ei eſt circumdata, introitum quidem concedens, exitum non item. Ex eôdem fonte humor amnii ſeroſus derivandus venit; arteriarum ſcilicèt minimarum per totam placentam uterinam incredibiliter diſperſarum extremitates ſeu radices in tunicam illam ſubtiliſſimam hiant, ſicque geſtationis tempore continuô humor talis depluit in membranam valdè meabilem ut in mediis quaſi nudis per os deinceps eôdem alatur fœtus. Tranſſudare ex veſicâ fœtus urinam per urachum ad tunicam alantoidem, experimentô probat Clariſſimus Autor ab Hum. *Ridley* factô, & à nobis etiam in Actis annô 1705. Menſe Martiô p. 122. allato. In pulmonibus veſiculæ membranam habent vaſorum oſcula cingentem, undique ac munientem, eamque poroſam, per quam inſpiratum pabulum aëreum tùm admittitur, tum exſpiratur, halitus exploduntur & mucus bronchias ſæpiùs inferciens ac obſtruens rejicitur. Sic ſoliùs διαπνήσεως beneficio contingit, ut in pleuritide ad ſuppurationem vergente, tum etiam ſanguine vel ejus ſerô, tùm quoque pure extra ſua vaſa hærente, in empyicis, tum etiam in cavis corporum ac muſculorum ſubinde intervallis tam membrana pleura, quàm quæ pulmones ſuccingit, habeat poros ità conſtitutos, qui humorem in thoracis cavitate contentum promptè admittant. Humoris pericardii natales non tam glandulis per hoc diſperſis, quam ipſiûs cordis vaſis coronariis illum continuô de ſe dimittentibus tribuit Autor. Spirituum animalium ſecretionem explicaturus, corticalem cerebri ſubſtantiam pro minutiſſimorum vaſculorum glomeramine habet, quæ ſubtiliſſimum hoc fluidum perpetuô per ſuos poros tranſmittant. Circà humorem oculorum aqueum hanc fovet ſententiam, portionem lymphæ ſubtiliorem & maximè aquoſam tranſſudare ex poris arteriarum tunicæ ſcleroticæ, & choroideæ in cavitatem oculi, portionem verò humoris aquei ſenſim ſenſimque per poros partim venarum aut vaſorum lymphaticorum recipi in vaſa, partim verò per ſubtiles corneæ exhalare poros, atque conſtantem ſic ſervari naturæ ordinem tam in reſtituendis quàm excernendis variis corporibus humoribus.

FRANCUS de Frankenau (*Georgius*)

De ejus Vitâ, ſic in Appendice Cent. 1. & 2. Ephemer. German.

Cùm magnos & in exemplum poſteritati præfulgentes Viros non quotannis enaſci, pervulgata ſit omnium ore ac ſcriptis ſententia; tum eos cùmprimis rariùs in lucem conſtat prodire, qui arti ſalutari ad vitam mortalium, quantùm licet, ſervandam ac producendam, feliciter & cum ſucceſſû operantur, & ſupra vulgus ſapientes, quod nihil eſſe judicat tam proletarium, quam medicandi facultatem, omnem eò dirigant vim ingenii ùt conjecturas, quibus præcipuè omnis artificis peritia atque uſus abſolvitur, non fluxis ſuperſtruant relationum mirè ſæpenumerò detortarum ac planè fallacium fundamentis, ſed veritati unicè innitantur. Quod dum faciunt, ſolicitè cavent præterea nè vocibus fiat luſus in re omnium maximè ſeriâ, neve vaga luxuriantis ingenii commenta pro principiis habeantur rerum agendarum, ſed rationi maximè inſiſtatur, lucidè omninò ac perſpicaci, quæ ſi experientiæ, optimè illius magiſtræ dictatis eſt ſtabilita, non poteſt facilè errare, aut parùm, cautos myſteriorum naturæ indagatores in deviâ abducere. Tantæ ſcilicèt eſt molis in artium nobiliſſima excellere, ùt mirum neutiquàm debeat haberi, quod rari inveniantur, quibus ea obtigit felicitas, ùt ex ſummis difficultatibus, quibus illa jacet immerſa, eluctati in planô conſiſtant, & optimè de omnibus meriti, officioſô ſtudiô rem agant humano generi maximè proficuam & præ cæteris unicè expetendam. Hâc igitur ſorte, præter alia virtutis & doctrinæ decora, mirum quantum beatus fuit *Georgius Francus de Frankenau*, Medicus ſanè ſi quiſquam omnibus perfectionis numeris planè abſolutus, in judicando ſolers, in docendo gravis & perſpicuus, eloquiô perquàm facundus, ſive recondita diſciplinæ axiomata inſtillaret animis juventutis diſcendi cupidæ, ſive ſermonis ſuavitate tanquàm delinimentô mulceret dolores decumbentium; quamobrē ſummis orbis Chriſtiani Principibus oppidò acceptus in aulis pariter atque Caſtris miniſteria tulit ardua cum primis, ſed gloriæ quoque ad conferendam nomini celeberrimo immortalitatem pleniſſima. Cujus memoriam ùt ad poſteritatem transferamus, ſtilô quantumvis impari, nec ſatis aptô, pietas jubet ac perpetua erga Præceptorem optimum & ſtudiorum amplificatorem obſervantia, quæ uti vivo ſemper conſtitit multiplici documentô; ità remiſiſſe omninò videretur, niſi erepti ex oculis Virtutem ac præſtantiſſima, quibus inclaruit, ornamenta quâvis ratione ac modô ſibi ſumeret recolenda.

Patriam habuit Numburgum, elegans ac celebre oppidum in Miſniæ ac Thuringiæ finibus ad Salæ fluenta poſitum, quod ſede Epiſcopali nobilitatum, Gymnaſiorumque laudibus inſigne, tum nundinarum cumprimis opportunitate celebratur, & confluentium eò circa diem, divis Apoſtolis Petro ac Paulo feſtum, mercatorum atque emtporum ex omnibus Germaniæ angulis ſummâ certè frequentiâ. Hodie caput effert & palmam facit dubiam Vicinis Civitatibus, optimi Maximique Principis, cui ſe ſe gaudet ſubjectam, fauſtô ac fortunatô regimine, *Mauritii Guilielmi*, qui omnia tanti faſtigii decora in ſe complexus, Patriæ verè Pater eſt clementiâ munificentiâque indulgentiſſimus, ſtirpis Saxonicæ præcipuum decus, exemplum poſteris, viventibus imago ac ſpeculum, in quô fulgentes Serenitatis Auguſtæ radios omnes contueantur; literis etiam ac lite-

rarum amantibus ſalutare ac beneficum ſidus, quos ad ſolium trahit & lateri nonnunquàm admovet, colloquiiſque eorum delectatur Dux Sapientiſſimus, earumque ſcientiarum, quibus imperandi ars abſolvitur, penitiori cognitione inclutus, tum præcipuè hiſtoriæ omnis ævi doctrinâ eminens, quem nihil lateat eorum, quæ ad familiarum hodie orbi imperantium genealogias quidquam attinent, aut inter gentes amplificandarum finium poſſeſſioniſque adquirendæ avidas controverſa, ferventiori animorum non minùs, quàm armorum contentione ſubindè diſceptantur. Hoc igitur tam beatæ jus Civitatis *Francus* ſibi commune habuit cum *Johanne Georgio Grævio*, magnô dum viveret, literarum fugientium ſtatore, & in Academiâ ad Rhenum Trajectinâ Doctore, multis ac maximis in univerſam eruditorum hominum rempublicam meritis longè celeberrimô; cujus hìc non ſine elogiô commemorandi neceſſitatem injicit ſuavis exacti jam pridèm temporis recordatio, quòd ejuſdem adhærentes lateri inter amœniſſima ac penè invidenda Muſarum Charitumque Conſortia traximus. Dies V. Non. Maji annô ſervati orbis CIↃ IↃC XLII. noſtro illuxit natalis, cui pater fuit *Sebaſtianus Francus* inter primarios urbis cives relatus, antiquâ Vir fide ac virtute inſignis & hanc ob rem præclarô aliquandò munere ornatus, templi videlicèt, quod in eâ urbe eſt, cathedralis tutelâ, & ſacrorum proventuum adminiſtratione; cujus generis officia non niſi iis, quorum eſt perſpecta integritas & benefactorum laude ſtabilitus honor, ſolent à ſuperioribus demandari. *Sebaſtianum*, hujus Sebaſtiani patrem, avumque *Guilielmum* ecquid attinet fuſiùs dicere quos nobili conſtat fuiſſe proſapiâ, *Puniceraviæ* ac *Saalbuſiæ* Clientelarum dynaſtas hereditarios? Maluerunt hi, facultatibus bellorum ac temporum injuria magnam partem accifis, nominis dignitatem præclarè geſtorum conſcientiâ aſſerere, quàm faſtu ac tumore omnibus inviſô elati, deſidiam inter & oſcitationes inerti otio torpeſcere. Maternum genus ex *Vinecciis* deducitur, cujus propago *Barbara* Sebaſtiano nuptui data *Georgium* progenuit, barbariei omnis hoſtem, elegantiæ in doctrinâ moribuſque vivum ſimulacrum. Egregia illa animi ad magna nati indoles in puerô ſtatim emicuit, & felices ingenii, ſupra communem tenerioris ætatis captum vivacis prodidit igniculos, quibus de pabulô mature proſpexit pater literis ſatis excultus, & prima diſciplinæ puerilis elementa gnato tradidit, nihil quidquam in ſe paſſus deſiderari eorum, quæ ad ſollicitam ejus curam requiri viderentur. Igitur non erat ei ſatis privatâ inſtitutione veræ in *Deum* pietatis & doctrinarum fundamenta jeciſſe; ſed & publicarum pariter atque privatarum operam ſcholarum adhibuit in auxilium, ùt pii amantiſque genitoris munus omni ex parte expleret, filiique unicè cari commodis proſpiceret. Neque verò fruſtrata eſt ea cura optimum virum, cùm brevi admodùm temporis ſpatiô eos faceret in litteris progreſſus *Georgius* noſter, quibus & parentes & neceſſarii impenſè gauderent, ipſique Præceptores in amorem tam gnavi tamque ſolertis diſcipuli raperentur. Iam annum agebat ætatis quintum ſupra decimum, cùm in Matiſburgenſe Gymnaſium miſſus, celeriter adeò doctrinarum ibidem ſparſa ſemina imbiberet, ùt mox in patriam reverſus ſe ſe totum traderet artibus elegantioribus, Philologiæ, Hiſtoriarum, Sphæricæque tractationis ſummam omnem animô complexus, earumque artium rudimenta etiam inſtillaret æqualium conſortio & nondùm emenſô tirocinii curriculo didaſcalum ageret, nec ſine laude repræſentaret. Ex Præceptoribus plurimùm in acceptis tulit *Johanni Pretteno*, Epiſcopalis in urbe Gymnaſii tum quidem Rectori, poſthàc cùm ſupremos in Theologiæ ſtudiô honores eſſet conſequutus, Paſtori Eccleſiæ Cathedralis primario, Viro ſanè literatiſſimo, cujus nonnulla extant, quæ Criticen, alia quæ ſacram diſciplinam colluſtrant, monumenta. Hujus ſuaſû & commendatione, duodevigeſimô annô vix expletô, ad Salanas, quæ in Jenenſi Academiâ lautè hoſpitantur, Muſas proceſſit, uberiorem ingenii cultum percepturus, nomenque inſcripſit, diptychis, *Johanne Volomaro Bechmano*, ICto undiquaquè celeberrimo, faſces tum gerente Academici magiſtratûs, quem Rectoratum vocant. Non huic latuit diu præclari vigor igneus ingenii, ad altiora prorumpens & lauream poëticam primis ſtatim à Vitæ Academicæ ingreſſû menſibus ſibi promeritus, quam *Chriſtophorus Philippus Richterus*, anteceſſor ſpectatiſſimus, idemque CæſareæAulæ ac Palatii Lateranenſis Comes, lubens contulit juveni, in pangendis vernaculô, Græcô, Latinô itemque Hebraicô idiomate Carminibus mirè promptô atque expeditô, cujus generis jam plura dederat in Gymnaſiô patriô ſpecimina, ut extemporali facilitate, nativoque verſuum lepore palmam faceret dubiam omnibus qui certamen hâc de re auſi eſſent ſuſcipere. Hôc inſigni capitis ingenui ornamentô initiatus, felicioris porrò genii ductû ad ſublimiora ferebatur noſter, animô ad ſalutaris ſcientiæ ſtudia cumprimis raptô, quod moribus ſuis ac vitæ rationi judicaverat convenientiſſimum, quâ in re neutiquam fefellit eum eventus, & omnia ſanè videbantur favere inſtituto laudatiſſimo quod miro ardore atque induſtriâ proſequebatur. Præterquàm enim quòd Reverendus Canonicorum in Eccleſiâ patriæ Cathedrali cœtus per triennium ad perficienda hæc ſtudia ſumptus liberaliter ſubmitteret, iis utebatur tum artis medicæ, famulantiumque illi diſciplinarum Doctoribus, quorum nomina hodie etiam aures diſcentium perſonant, & ſcripta omnium manibus verſantur. Facilè intelligent, qui hæc legendo attingunt, de *Guernerô Rolfinciô* eſſe ſermonem, omnem artis ambitum diffuſis quidem ſed accuratis voluminibus complexô; de *Gothofredô* item *Moëbiô*, conciſô magis, neque tamen minùs perſpicuô ſcriptore; de *Johanne Theodoro Schenckio*, humorum præcipuè noſtri corporis doctrinâ inclutô; deque *Johanne Arnoldô Fridericiô*, præclaris ac duraturis operibus famam promeritô. Nihil ingero de *Caſparô Poſnerô*, naturalis Philoſophiæ diſertiſſimô explanatore; nihil de cæteris ex ordine Philoſophiæ luminibus, quorum ſtudiô factum, ùt magis quotidie in artes Medico neceſſarias accenſus animus miris utique modis efferveſceret.

His egregiis & laudem omnem supergreſſis magiſtris junctus, nunquàm ferè à latere poterat amoveri; hos ſectandos ſibi judicabat tam in publicis acroateriis docentes, quàm ſcholis privatis interiora ſcientiæ adyta pandentes myſteriorum cupidis. Neque habebat difficilem ad hos aditum, ſed planum omninò atque expeditum, ideo quòd viam paraverat inſatiabilis illa diſcendi cupido, cum ſuaviſſimâ morum modeſtiâ & comitate conjuncta, quibus omnium adeò mentes tanquàm beatioris naturæ lenocinio ad ſe trahere ac in ſui amorem pellicere ſolebat. Itàquè eos ex aſſiduô hôc cum viris in quôvis doctrinæ genere eminentibus commerciô fructus collegit

ac

ac retulit, ùt cùm animi reſiciendi cauſâ ad vicinas in Germaniâ Academias iter expediviſſet, mox à reditû in Salanam dignus fuerit declaratus ſuffragiis procerum, cui Botanicas, Anatomicas, Chemicas, & quas vellet alias de hoc cenſu ſcholas aperiundi licentia benevolè liberaliterque decerneretur. Hâc ratione quos commilitones habuerat in palæſtrâ iatricâ, eoſdem nunc auditores experiebatur, neque magis proficere ingenia diſcendo ſentiebat, quàm ubi docendi auſpicia capiunt, eorumque, quæ pronis auribus imbiberunt, in alios transferendorum faciunt pericula. Hiſce ac ſimilibus exercitamentis exactum in Academiâ triennium, quô elapſô ſuaſû hortatûque patronorum ad Alſatos proceſſit, Argentinam præcipuè diligens, quam elegantiſſimam Machaoniæ gentis nutriculam ſibi ac Muſis ſuis propitiaret. Eô tempore præerat Cœtui Academicorum *Balthaſar Bebelius*, immortalium in puriorem Chriſti Eccleſiam meritorum Theologus, antiquitatum ac hiſtoriarum Sacrarum apprimè gnarus, controverſiarum perſpicax diribitor, in diſputando acer, lenis in docendo & ad omnem ingeniorum vim planè compoſitus. Hujus auctoritate nitens *Francus*, quod Jenæ occæperat, hæc pariter ore diſertô & calamô ad miraculum penè fœcundo, laudabiliter proſequebatur. Utriuſque fori, Philoſophici putà & Medici, ſubſellia pariter atque Cathedræ ab hoc unô frequentatiſſimâ induſtriâ premebantur, ùt raræ præterirent hebdomades, quæ pugnantem noſtrum aut amicæ diſceptationis tela excipientem detorquentemque non viderent, ejuſque in hâc palæſtricè exercitatiſſimo geniô applauderent. Neque clinicis opem denegabat, ubi occaſio eſſet, ea quæ abs mutis pariter ac ſpirantibus oraculis præceperat, in uſum ducendi ac ſolatium malè affectorum. Igitùr jam omnia conſpirabant in honores capiti huic, de ſtudiis deque turbâ ægrotantium tam præclarè meritô, majorum more conferendos. Cui rei tametſi ſupervacuum penè videretur ejus in arte profectus privatim explorare, cujus eſſent publica & omnium linguis extollerentur, ingenii ac doctrinæ ſpecimina; tamen nè quidquam præter morem & inſtituta magiſtrorum hic accideret, ſubeundum erat ſine diſcrimine decretorium certamen, & cum veteranis in hoc amphitheatrô athletis cominùs congrediendum manibus poſt velitationem arctiùs conſertis ad pugnam animoſiorem. Ex hâc arenâ perindè diſceſſit laude ac præconiis procerum mactatus, & brabeum reportavit promeritam utiquè ſupremi honoris in arte ſalutari lauream, poſtquàm de pleuritidis curatione inaugurale thema maſculè, nec præſidiariò ſub clypeô latitans, fuiſſet in magnâ auditorii frequẽtiâ tutatus. Honorum diſpenſatorem egit *Melchior* ille *Sebizius*, magnũ & memorabile præ cæteris nomen, & canitie non minùs quàm perpetuâ in artis operibus felicitate venerandũ, cujus eam præcipuè ob rem commendatur medicandi ratio, quòd à ſeſquipedalibus ferè abhorrens præſidiorum formulis, ea duntaxat adhibere docuerit, quæ ſimplicitate placerent, & longô certôque uſû comprobata cenſerentur. His exornata præmiis fama viri ad præclara quævis nati, non inter eruditos modò & umbratico vitæ generi deditos conquieſcebat; Sed Principum aulas & Magnatum palatia attingebat; ſicque ſumma jam præmonſtrabat honorum ac dignitatum culmina, ad quæ poſthàc evectum conſpexit orbis litterarius. Sereniſſimus Elector Palatinus *Carolus Ludovicus*, Sapientiæ laude præ cæteris conſpicuus, primus ſanè fuit ex eorum numerô Principum, qui adoleſcentem *Franci* eruditionem amore ac præmiis ad ſe pertraxerunt, ac virtuti exercendæ campum aperuerunt. Cùm enim omnem Reipublicæ conſtituendæ, quæ tricennali bellô miſerè fuerat devaſtata, operam impenderet, tùm præcipuè curam eò dirigebat, ùt Academiæ Heidelbergenſis ſplendor novis luminibus auctus effulgeret, & de cineribus quaſi renaſceretur. Quamobrem celeberrimos ac præſtantiſſimos quoſvis in omni artium ac ſcientiarum genere viros jam undiquè conquiſiverat, qui ſuâ ope ac laboribus in ſubſidium venirent, & antiquiſſimam Germaniæ Academiarum priſtinæ famæ ac nitori reſtituerent. Ad hoc tam ſalutare opus & gloriæ pleniſſimum cùm haud obſcuris indiciis perſpiceret, Francum noſtrum præ multis aliis fore idoneum, Argentorato eum tractoriis clementiſſimè invitatum ad ſe evocavit, exceptumque omni gratiâ per unius alteriuſque horæ ſpatium in Sanctiori Conclavi detinuit, ùt dotes ingenii penitùs exploraret, & ſuô quô ſanè acerrimô pollebat, judiciô munus ei ac ſtationem aſſignaret. Hâc ratione in Cathedrâ Academicâ ſucceſſit Cl. Viro *Johanni Caſpari Fauſio*, aulæ Electoralis Medico, cujus ſingularem in hiſtoriâ plantarum peritiam encomiô dignam cenſuit, ſummus virorum *Ezechiel Spanhemius*. Igitùr annô 1672. togam induit noſter Profeſſoriam, collatamque docendi provinciam auſpicali oratione de *fabulis Medicis* inauguravit, maximâ auditorum frequentiâ ad Oratorem diſertiſſimum, vulgi & anicularum circa artem noſtram deliramenta maſculè profligantem, tanquam curriculô confluentium. Vix ad aures Principis hæc res pervenerat, cùm exquiſitâ viri doctrinâ & nitore eloquii delectatus, eidem negotium daret diſſertationis de *hæmorrhoidibus* conſcribendæ, quæ publicis ſumptibus exprimebatur typis, eâque aviditate accipiebatur, ùt & madentes à prælo pagellæ *Manhemium*, in quâ arce tum Princeps agebat, curſorum miniſteriô fuerint perlatæ. Dignum ſanè argumentum, cujus difficultatibus neutiquàm exiguis immerſa obſcuritas, præcipuè ante cognitum vitalis humoris circulum, iſtô tempore magis dilucidè atque pro ratione felicioris & perſpicacioris ſæculi exponeretur. Splendorem conflictui non quotidianum conciliavit, quòd ſummus Elector, cum Filio Principatûs Hærede, Carolo item Duce Bipontino, Raugravio Carolo Ludovico, aulæque elegantiſſimæ coronâ ſtipatus, præſentiâ ſuâ acroaterium illuſtraverit. Nec abs re erit antagoniſtarum nomina hìc commemorare, ab ipſô Principe delectorum, qui ambigua diſceptationis diſcrimina in hoc martio campo, cum fortiſſimô promachorum experirentur. Agmen ducebat *D. Jacobus Iſrael*, Franci in munere Profeſſorio Collega; huic latus cingebatur à *D. Waſmuthio*, militaris in arce Francothalenſi Præſidii Medico, cujus veſtigia mox premebat *D. Johannes de Houſt*, Gallus natione, urbis Heidelbergenſis Medicus, lampadem eruditæ contentionis indè tradens *D. Luberto Erbenio*, Celeberrimo Moguntini Electoris & Spirenſis Epiſcopi Medico. Hos, nè quid in themate eruditô intentatum relinqueretur, factô quaſi agmine excipiebant *D. Joh. David Porzius* ſcriptis poſthàc de Rhenenſis vini naturâ & pædarthrocaces curatione opuſculis clarus, *D. Fislerus* aulæ Palatinæ Machaon, *D. Frid. Chriſtianus Wincklerus*, Electoralis Principis Archiater, adverſis ab hujus exceſſû fatis agitatus, & ex Allobrogibus denique *D. Andreas Steigerus* Poliatros. Horum omnium ictus Franco fuerunt ſuſtinendi, cui ſublimem hæc pugna gloriam peperit, & laude encomiiſque cumulatum dimiſit, ipſo Principe

partes

partes præconis agente, & in Senatûs Academiæ univerſi præſentiâ aeris atque copioſi diſputatoris peritiam dilaudante. Neque hoc ſatis; requiſiti denuò altero mane cum *Franco Erbenius Porziuſque* & in ſecretius conclave deducti, ùt omnem de ſalubri hôc argumentô dubitationem, ſi qua fortè Principi obhæſerit, prorsùs eximerent, & novis ab eô, ſubtiliterque excogitatis rationibus primò vexati, mox omnibus ex animi ſententiâ confectis, ad gratiæ Principalis complementum, lautiſſimô conviviô excepti, ad ſuos quiſque lares dimitterentur. Ab his primordiis nova ſubindè favoris ac benevolentiæ documenta capiebat Francus & benè de Academiâ, de Aulâ, de omnibus merendo id efficiebat, ùt ex Medicorum ordine nemo facilè viveret magis acceptus & gratus genio Principis omnium ſapientiſſimi. Cujus alterô ſtatim annô ſummam expertus eſt non contemnendâ ſalarii acceſſione, ad incrementum rei familiaris eidem decretâ, ob fidem in medicando & dexteritatem, in afflicta ſæpè numerò Electoris valetudine, optatô plerumquè ſucceſſû probatam. Cùm verò res proſperæ mortalium rarò ſint diuturnæ, ſed irruentibus continuò adverſorum procellis turbari ſolent atque inquietari, immaturus *Caroli Ludovici* ex hâc vitâ exceſſus, cùm aulicis ut fieri ſolet, gravis fuit atque acerbus, tùm præcipuè Franco lugubris admodùm accidit, triſtiora etiam viſus minari, amiſſô poſt *Deum* fortunæ ſuæ auctore & firmiſſimô contra malevolorum artes præſidiô. Tametſi enim optimus Principis optimi ſucceſſor *Carolus* iiſdem, quibus hactenùs cum laude functus erat, miniſteriis eum deſtinaſſet, operamque etiam multotiès ſibi ſalutarem fuiſſet expertus, invidiâ tamen & obtrectationibus ſycophantarum alienior fuit obſervatus Heri animus, aliiſque addictior, magnô ſui ipſius ac ſubjectarum ditionum, imò rerùm penè in univerſum Germanicarum detrimentô. Tantùm verò abeſt, ùt hi fortunæ luſus & inconſtantia animum Franci, ſemper ſibi conſtantem, à rectô quidquam dimoverint, ùt potiùs certa præclarè factorum conſcientiâ fretus, minis fatorum fidei in Principem ſuæ & alacris ingenii invictum robur opponeret, & vigilanti pro ſalute purpuratorum curâ, ſtudiiſque in Academiæ gloriam indefeſſis, clementem Domini genium facilè rursùs ſibi propitiaret, & adverſariorum hâc ratione technas feliciſſimè eluderet. Duobus enim ſupra viginti ante obitum diebus ad curandam valetudinem Principis ad extrema jam ruentem revocatus, potiorum inter Magnates ſuaſu, & auctoritate, eum in ſe ſenſit Heri optimi amorem ac benignitatem, ùt quocunquè ſe ſe converteret, non alium præter Francum ſibi comitem vellet, ac deniquè etiam in hujus amplexû digniſſimam ævô longiore vitam finiret annô ſæculi quintô & octuageſimô, & corpus exangue aromatum ac balſami condimentis traderet inferciendum. Quantam autem gravibus quantumvìs aulæ negotiis diſtrictus Academicæ rei curam geſſerit, vel indè conſtabit, quòd nec publicis nec privatis acroaſibus defuerit unquàm, & collegâ ſui amantiſſimô *D. Iſraele* in Cœleſtem Academiam tranſlatô, per quinque & quod excurrit, annorum intervallum ordinis Medici munia, & functiones ſolus expediverit in docendo aſſiduus, in explorandis eorum, qui honores ambirent, profectibus acer ac ſeverus, in perquirendis rei medicamentariæ officinis ſedulus, inque conſultationibus deniquè ac reſponſis elucubrandis mirè negotioſus & incomparabilis. Philoſophiæ etiam Doctoris dignitatem quaſi poſtliminio requiſivit & facili negotio impetratam ſibi imponi paſſus eſt in gratiam amici; Illuſtris illius *D. Henrici Cocceii*, qui nunc maximo ſapientiſſimoque Pruſſiæ Regi à Conſiliis ſecretioribus ſupremam, inter Anteceſſores Academiæ Viadrinæ locum tuetur immortalibus in Juris, præſertim publici, diſciplinam meritis; huic enim à ſummô *Puffendorffio* primùm ſtabilitæ Cathedræ, quâ naturæ ac gentium Jura docentur, tum præfecto, non licuiſſet tribunitiam inter Philoſophos poteſtatem, quam decanatum vocant, exercere, niſi eâdem fuiſſet magiſterii artium corollâ redimitus. Annus jam volvebatur ſextus ultra octogeſimum, Academiæ natalis & propterea ſæculari feſto majorum more concelebrandus, Francoque cumprimis noſtro glorioſus, cui Vicariæ tum Rectoris Magnificentiſſimi *Friderici Guilielmi* Principis Palatini partes erant ſuſtinendæ. Quod ille munus pro maximâ rei dignitate prudenter omninò ac decorè adminiſtravit, copioſâ elegantique oratione de *primordiis Academiæ ac fatis* in encæniis dictâ publicè, auditoribus quotquot aderant & ſermocinantem percipere poterant, ad unum omnibus mirificè applaudentibus. Neque hæc reticendum exiſtimamus. Illuſtriſſimum Heroa *Philippum Franciſcum Everardum* Liberum Baronem *Dalbergium*, Imperialis fori, quod in Vangionibus tum frequentabatur, Præſidem & Cathedralis apud Wormatienſes Eccleſiæ Præpoſitum, Cancellariatûs in Academiâ Heidelbergenſi munus, Præpoſituræ iſti ſemper innexum, Franco noſtro unicè demandaſſe, ùt hìc rarò & alibì forſan inauditô exemplô, Vicarias ejuſdem partes inter publicas panegyres ſemper ſuſtinuerit, perpetuus Academiæ Procancellarius propterea conſalutatus. Sed nec à ſacris officiis fuit immunis vir religioſæ pietatis amantiſſimus, Curator quippè Eccleſiarum Auguſtanæ confeſſioni addictarum Electorali decretô conſtitutus, quod quidem munus quamdiù in Palatinatû permanſit, uti cætera omnia, ſummâ cum dignitate ac laudibus adminiſtravit, ejuſque ratione templum apud Manheimenſes Sanctæ Concordiæ dicatum, in quô trium in imperiô conſtabilitarum religionum Sacra partitis vicibus peraguntur, ne de aliis hic dicamus, inauguravit unà cum *L. B. de Borch*, ab arcanis Electori Conſiliis, & Collegâ in hâc miniſterii parte conjunctiſſimô. Hæc ſumma ferè eſt à Franco, quandiù apud Palatinos conſedit, laudabiliter ac præclarè actitatorum, ſed breviter & compendiô memorata abſque verborum & ſententiarum ornamentis, nè panegyricum potiùs aut hiſtoricam commentationem, quàm elogium, cujus præcipua dos in brevitate reponitur, ſcripſiſſe videamur. Mirum eſt omninò, quô pactô fieri potuerit, ùt unus homo tot ac tantis, tam operoſis atque inter ſe diverſis in aulâ pariter & Academiâ laboribus ſufficeret, cùm illi ſanè pluribus defatigandis viderentur eſſe comparati, etiam ſolertiſſimis & in opere exercitatiſſimis. Attamen, quæ ſumma fuit in noſtri animo vivacitas, doctrina exquiſita, experientiâ multiplici, ſtudiôque nunquàm defeſſô ſuffulta, omnia iſtæc ingenii hujus ſtupendum robur adeò nec quidquàm laſſare poterant, ùt ſi reliquas ejuſdem curas, lucubrationes, itinera ſummorum paſſim per Germaniam Principum nutu inſtituta conſideres, iſta quidem inter leviores viri occupationes, quaſi reficiendi animi cauſâ ſuſceptas poſſint reputari. Longum eſſet excurſionum ſaltim præcipuas hìc recenſere, neque poſſent ſatis explicari innumeræ ab eô eventû ferè ſemper feli-

feliciſſimô expeditæ curationes, quibus per ſingularem *Dei* Soſpitatoris gratiam, tot Imperii Principes ac Magnates graviſſimis utiquè ac difficillimis morborum inſultibus petitos, ſæpenumerò ex orci faucibus eripuit, priſtinæque reſtituit ſanitati. Sufficiet eos ſaltim nominaſſe, qui Franci virtutem propiùs pernoſcentes, fidei ejus ac vigilantiæ ſuam ac ſuorum vitam ac Valetudinem unicè exiſtimârunt committendam, ſplendidaſque Archiatri & Conſiliarii partes eidem tradiderunt ſuſtinendas. Hos inter *Fridericus* primô locô memorandus Würtembergiæ Dux, qui Neoſtadii ad Cocharum gravi ancipitique morbô decumbens, Franci conſiliô ac ope ſalutari convaluit, & hunc propterea muneribus ac dignitatibus ampliſſimis ornatum abs ſe dimiſit, Electorique gratiam retulit ingentem, cujus mandatis ac nutui obſequens eò conceſſerat. Eandem pariter operam ſæpenumerò præſtitit à *Friderici* obitû, conjugi viduæ, incomparabili Principi, Filiiſque paternarum ditionum ac virtutum ex aſſe hæredibus, quos inter *Fridericum* imprimis *Auguſtum*, cui ſedes Goxhemium, clementem ac munificum expertus eſt, neque minùs *Ferdinandum Guilielmum* & *Carolum Rudolphum*, invictiſſimo Danorum Monarchæ, in bellicis expeditionibus Duces fortiſſimos geniô ſuô propitiavit, præſtitis omni fide ac ſolertiâ miniſteriis. *Fridericus* quoque *Magnus* Badenſis Marchio Durlacenus famâ viri permotus Archiatrum ſibi eum conſtituit & ſcriptô diplomate accivit, ùt ad S. Antonii vocatas acidulas Andernacô Vicinas unà cum Auguſtâ conjuge proficiſcentem comitaretur; quâ re ad votum confectâ *Guſtavum* pariter *Adolphum*, Principis fratrem, Cæſarei militis Ducem, cùm Caſtrenſi Febri ad Manhemium graviter periclitaretur, ſervavit ope divinâ, cujus ille rei memoriam gratâ multotiès celebratione recoluit. Hæc Franci virtus incomparabilis Eminentiſſimũ S. R. I. Principem, Electorem *Johannem Hugonem*, Archi-Epiſcopum Trevirenſem permovit, ùt eum pariter Archiatro munere dignaretur, ſcriptiſque ſæpiùs ſuâpte manû epiſtolis ſalutaret; aliaque plurima daret clementiæ ac favoris documenta, quæ fuſiùs hìc recenſere parùm attinet. Eâdem muneris ſplendidiſſimi excellentiâ charus fuit binis Elvacenſis Cleri Præpoſitis Principali dignitate conſpicuis *Johanni Chriſtophoro L. B. Adelmanno* ab *Adelmansfelden*, cui Francus *Floram* ſuam iteratâ editione adornatam inſcripſit; tùm *Henrico Chriſtophoro à Wolframsdorf*, Adelmanni ſucceſſori, qui quòd è Thuringiâ nobiliſſimæ ſtirpis originem traheret, non aliô quàm civis & patriotæ familiariori appellatione eum vocitare fuit ſolitus. Ità cùm undiquaquè Franci nominis fama inclareſceret, ùt certatim ab omnibus ferè unus expeteretur, Palatinatus tamen, qui prima fortunæ ac honorum auſpicia tulerat, ſibi maximè vindicandum ac ſervandum putavit, & aliis inſuper alia muneribus abundè cumulavit. Extinctæ in acerbô Caroli funere ſtirpi Simmerenſi, Neopyrgica ſucceſſit, & *Philippum Guilielmum* Electorali faſtigiô admovit, Principem annis & Conſiliô potentem, & Generis præcipuè diffuſâ in Cæſaream ac Regales familias amplitudine inter fortunatiſſimos ex Procerum cenſû collocandum. Hic etiam in ampliſſimis noſtrum muneribus firmavit, ſalaria auxit, & principem in Medicorum ordine locum adſignavit, cùm eſſet in graviſſimô morbô ejus ſolertiâ divinitùs quaſi recreatus & in Sereniſſimâ pariter conjuge, Gnatarumque ſummis Iberiæ ac Luſitaniæ Regibus poſteà elocatarum fulgentiſſima Synoride, quanta eſſet viri in arte præſtantia, experimentis fuiſſet edoctus longè feliciſſimis. Parenti nihil quidquàm in deamando *Franco* conceſſêre Filii, hæredes pietatis, ac virtutum æmuli. Ex quibus Sereniſſimus Elector *Johannes Gulielmus*, cujus propitium Muſis & doctrinarum amantibus nomen non ſine demiſſâ animi venerabundi religione hìc memoramus, ex Daniâ laboribus & annis jam gravem ſibi cenſuit revocandum, ùt priſtinis honoribus quaſi poſtliminiò reſtitutus, quod ſupereſſet ætatis inter Palatinos ſuos exigeret. Par huic inge[illegible], animique ſupra communem dominantium fortem erecti in homines eruditos propenſione *Ludovicus Antonius*, Magnus Teutonicorum Equitum Magiſter, Epiſcopus Wormatienſis, Præpoſitus Elvacenſis, Eminentiſſimoque Electori Moguntino in ſubſidium datus, ùt præclarè de imperiô meritum Principem nemo alius aliquando exciperet, præterquam, qui pari fide nec minori ſapientiæ laude inſtructus par eſſet arduis ſummorum & graviſſimorum negotiorum tractationibus. Hic, inquam, Procerum glorioſiſſimus, ſalutari Georgii curâ ſemel iterùmque ſervatus, animum ſervavit officii memorem, & Heidelbergâ ejectum in tutelam recepit, nec à latere dimiſit prius, quàm in Saxoniam ſecederet. Eadem fuit *Caroli Philippi*, Principis Celſiſſimi in tuendo noſtro conſtantia, Conjugiſque incomparabilis Ludovicæ Carolæ Radziviliæ, quæ nuper rebus humanis exemta inter Cœlitum choros refulget ſidus perenni luce ſplendentiſſimum. Nefas eſſet ſilentio præterire Illuſtriſſimum Principem *Johannem Eucharium*, Aichſtetenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Venerandâ Canitie, ſed magis præclarâ in *Deum* pietate, & clementiâ in ſubjectos cumprimis commendandum, cujus in Francum amor emicuit planè ſingularis, ùt eum Valetudini curandæ advocaret, & honoribus muneribuſque mactatum, haudquaquam libenter ex aulâ dimitteret. Hiſce graviſſimis difficillimiſque laboribus ac curis diſtringebatur noſter; his meritis, hâc virtute gratiam ſummorum ſibi in Imperiô Principum conciliaverat; his deniquè, ſane ampliſſimis, dignitatibus honorumque titulis ac emolumentis incedebat ornatus, cùm in Palatinis terris conſideret, aut in Sueviæ Franconiæque finibus, urbe Electorali pulſus, divagaretur. Sed anguſtiores erant pro immenſâ Viri virtute ac famâ termini, quare in ampliores eum campos fata deducebant, tametſi per vias, ut ſolet fieri in humanis, minimè omnium planas aut lætabiles. Devaſtatæ jam jacebant perfidâ Gallorum irruptione & miſerrimè afflictæ terræ Palatinæ, amœniſſimæ illæ & omnibus naturæ parentis donis largiter ditatæ; Hoſtium furore, cædibus, rapinis, incendiis omnia conſumta; expugnata munimenta, direptæ urbes, oppida ſolô æquata, extremam univerſæ illi parti Germaniæ ruinam præſagiis haud quaquam vanis minitabantur, & metû diſcruciabant animos mortalium. Et jam metropoli Heidelbergæ certum imminere videbatur exitium, cùm undiquè defugientium eam ſtragem incolarum agmina paſſim per vicina ad ſtationem tutiùs capiendam diffunderentur. Quibus turbis eliminata pariter Franci familia in urbem Francofurtenſem conceſſerat, illo intereà ad latus Magni Teutonicorum Magiſtri, quem modò laudavimus, adhærente, Herumque indulgentiſſimum per omnia fortunæ ac bellorum præcipitia ſectatô. Igitùr cum eſſet conſtitutum caſtra ad Rhenum ſequi, & Moguntiacæ obſidioni intereſſe, individuus noſter erat Principi comes, arcanorum etiam particeps ac conſiliorum. Quô pactô tum aliis per quam multis Imperii Principibus innotuit, tùm præcipuè Sere-

Sereniſſimo Saxoniæ Electori *Johanni Georgio* III. Heroi fortiſſimo, cui jam primis adoleſcentiæ annis, cùm Francofurti faucium deſtillationibus & ulceribus graviter laboraret, opem ſalutarem tulerat, & eâ ratione ſummum ſui deſiderium in animô Principis reliquerat, ùt plus ſimplici vice cùm ad ſe modis omnibus pertrahendum conſtituiſſet, litteris tamen eam ob rem ſcriptis, neſcio cujus reatu interceptis, certe nunquàm eò perlatis, quo juſſæ fuerant, abire. Ipſô igitur Electore in caſtris tum ex hemitritæô, graviter decumbente, Filiôque cognomine Electoratûs herede ac poſteà ſucceſſore, itemque *Heinone Flemingô* Polemarchô dyſenteriâ caſtrenſi miſerum in modum excruciatis, expetitus eſt præ cæteris Francus, qui labeſcentem horum valetudinem vigori priſtino reſtitueret; quæ res cùm planè ex votô, uti ejus omnia, ceſſiſſet, largiſſimis dignitatum & honorariorum oblationibus ſollicitatus fuit ingens Franci animus, ùt in patriam reduci ſe ſe pateretur, omnibus ibi, quæcunque expeteret, munerum ſplendoribus ac rei familiaris emolumentis ex votô cumulandus. Quid faceret in hôc biviô conſtitutus? Ecquid aliud, niſi quod quiſque, cui ſalus ſuorum cordi eſt, & qui deliberato animo omnia rerum momenta prudenter exputat, ſibi exiſtimaret faciendum? Actum videbatur cum Palatinâ ditione, dulciſſimâ hactenùs virtutis ſuæ nutriculâ deturbati ſedibus inquilini, Academiâ diſſipatâ; nec in eô diſcrimine pronum erat ſereniora ſperare, inter primordia belli proceſſû & contentione acerrimi. Igitùr tam benignis atque gratioſis Electoris clementiſſimi votis obſecundans, cùm exiſtimaret Divino hæc omnia nutû evenire, ùt ampliorem eô pactô locum virtuti exercendæ nanciſceretur, conſenſit demùm in eam migrationem, ſiquidem ab Herô indulgentiſſimô *Ludovico Antonio*, Magno Ordinis Theotiſci Magiſtro, cui hactenùs ſe ſuaque miniſteria præ cæteris addixerat, ùt eum ſine ingratiis dimitteret, poſſet impetrari. Quod quidem ægrè effectum, neque niſi ad tempus conceſſum Franco, ut alienô dominiô ſe ſubjiceret, & hâc ratione commodatus magis quàm è manû dimiſſus poſſet videri. Tranſit itaquè in familiam Saxonis annuô ſeptingentorum Joachimicorum ſtipendiô honoratus, munerisque pariter Profeſſorii ſpartam in Academiâ Vitembergenſi tùm fortè vacantem abivit, ùt pergeret de Principum non minùs Valetudine, quàm commodis philiatrorum, quod ſemper fecerat, benè mereri. Vix autem erat cum familiâ Vitembergam delatus, nonô atque octuageſimô labentis ſæculi annô exſpirante, cùm in aulam evocaretur à Principe ſuorum cumprimis amante, Franci longè amantiſſimo, ibique per hyemem detentus, ſub æſtatem rursùs in Caſtra Imperialia, ad Rhenum cum Domino concederet. Quas ibi morbis latè in campô graſſantibus ærumnas, quæ tædia, quâ animi nullis unquàm laboribus fatigati conſtantiâ ſuſtinuerit, facilè ſecum reputabunt, qui ei ferè quotidie ad ſeſquicentum ægrotantium fuiſſe ſublevandos, quod ex ejus conſtat pugillaribus, ſunt conſideraturi. Duxerat eò ſecum majorem natû ex filiis, Medicinæ Sacris jam initiatum, quæ nunc ſummâ cum laude nominis ab eô mirum in modum illuſtrantur, ſed parùm aberat, quin ambo perirent, caſtrenſis morbi vehementiâ, aut potius laborum tam ſtrenuè actorum magnitudine. *Dei* tamen benignâ ope, quamprimùm ad Helvetiæ fines eſſet deventum, uterque ſerenioris & magis defæcati aëris tractû mox convaluit. Indè domum reverſum primaria apud Lipſienſes Medicinam docendi cathedra, eidemque annexus Decurionatus ejus ordinis perpetuus præſtolabatur, quæ duo munia *Godefridus Welſchius*, nominis ac ſcriptorum famâ celeberrimus, per annos benè multos non ſine laude inſigni obiverat. Jamque adeò Francus Electorali mandatô ſucceſſor ei datus, invitatuſque humaniſſimis Profeſſorum literis, vaſa colligere occæperat, cùm ecce Leucorides Muſæ, non ferendum ſibi ratæ, ùt tam illuſtre ac decorum ſidus tam repentè ad Philyreum Parnaſſum radiis ſuis colluſtrandum abſcederet, precibus agunt apud Principem, omnemque in ſanctiori Conſiſtoriô movent lapidem, ùt nè transferretur ad vicinos, cujus abitus prorsùs ipſis videretur intolerabilis. Accedebat & Magnatum in Aulâ ſuaſus & amicorum recta ſentientium, quorum eò ferè tendebant monita, ùt ex Maronis Conſilio, laudanda quidem eſſe rura ingentia, exiguum tamen præcipuè colendum Francus intelligeret. Paret ille amicis compellationibus & pinguiori eminentiorique muneri, tenuius iſtud præfert, cui jam aſſueverat. Quam laudabilem profectò & raram animi continentiam ſeptemvir, ubi reſcivit, compenſandam meritò exiſtimans; ædes ſatis amplas & commodas in urbe, prædiaque in Agro Vitembergenſi neutiquàm ſpernenda, quæ fiſco ceſſerant, hoſtimenti qualiſcumque loco ad eum juſſit tranſcribi. Nova hæc gratiæ planè ſingularis documenta, uti arctiùs ad obeunda miniſteria adſtringebant generoſos *Franci* ſpiritus,ità nihil quidquam cunctatus Herum denuò ad Rhenum Nicrumque contra juratos Imperii hoſtes dimicaturum comitabatur, tametſi jam tam multa in hoc naturæ labeſcentis ex intemperie viſcerum multis modis corruptorum ſe ſe proderent indicia. Quæ paulò pòſt, ubi ad ipſam expeditionem eſſet deventum, in extrema conjiciebant Heroa fortiſſimum, ut quem nec barbarorum nec illis quidquam concedentium cæterorum Germanici nominis hoſtium tela in moriendi neceſſitatem conjecerant, nùnc brevi temporis ſpatiô febris vehementiâ confectus apud Tubingenſes exſpiraret, Princeps ſanè clementiâ in cives, ſeveritate ac invictô animi robore in perduelles & hoſtes nemini ſecundus, ac longiori eam ob rationem vitâ longè digniſſimus. Brevius fuit ſuccedentis in Patris locum *Johannis Georgii* IV. imperium, neque minùs tamen propitium Franci virtutibus, cui facta paulò antè donaria reſcriptô formavit, & cum nomine Academiæ facundus Orator fidem ei publicam ſolenni juramentô, quod homagium vocant, alligâſſet, conceptâ verbis diſertiſſimis oratione, itâ ſibi eam mirum in modum placuiſſe teſtatus eſt, ùt typorum miniſteriô expreſſam in omnes ditionum ſuarum angulos diffundi ſuis ſumtibus decerneret. Augebat pronam in eum Principis voluntatem felix & expedita curatio, cùm ab equô excuſſus graviſſimas læſiones perſentiſceret, facie contuſâ, ac miſerandum in modum deturpatâ, quæ tamen mala Franci conſiliis ac efficaciâ præſidiorum mox viſa miteſcere, unde Heilbronnam rursùs cum Electore concedens, in eo à morborum inſultibus tuendo, fidelis ac ſolliciti Archiatri partes omnes cumulatiſſimè explevit. Neutiquàm tamen præſtare potuit, quin ex Caſtris ad ſuos reverſus & Variolarum malignâ fœditate impetitus, mox rebus humanis eximeretur, ſumma regiminis ad Fratrem delata *Fridericum Auguſtum*, cui potentiſſimum deinceps Poloniarum regnum faſces ſubmiſit cum diademate. Hic eâdem prorsùs, quâ Divus Parens cum Fratre id egerant, clementiâ ac benignitate Franci virtutem eſt proſequutus, Comitem ſibi deligens, qui ad auſpicia

guber-

gubernationis capeſſenda proficiſcenti latus clauderet. In Pannoniam quoque ad Turcos ab Imperii finibus profligandos concedens, Franci officia præ cæteris ſibi commoda fore ratus expetierat; Verùm hic itinerum difficultate & mole curarum nimis adhùc fatigatus, quieſcendi ſpatium flagitavit, & ſingulari Principis Clementiſſimi, indulgentiâ facilè obtinuit. Jamque alii fatorum ordines inſtare videbantur, eò collineantium, ùt ingentis pretii depoſitum, quod Saxoniæ hactenùs utendum, fruendum commodaverant, nunc reddi ſibi juberent ac omninò repoſcerent, in eminentiori ſolio collocandum. Præluſerat ſubitariæ converſioni, quam Noſter extremam fuit expertus Reverendiſſimi Electoris Moguntini *Franciſci Anſelmi* deſiderium, Francum ad ſe modis omnibus pertrahere diſcupientis, cujus in medendo incomparabilis peritia ac fides in omnium ore verſabantur. Nec abnuerat noſter magnoperè priſtini cumprimis *Heri*, cui unicè ſe carum ſciebat, hortatû compulſus, (Magnum rursùs Cruciferorum Equitum Magiſtrum facilè intelliget, qui hæc legit) qui vices Electoris viventis gerens in ejus demortui locum ſucceſſor erat deſtinatus ſuffragiis Canonicorum. Aſt cùm jam in eô eſſent res, ùt in vota Principum, demiſſâ voluntatis ſubjectione, Francus conſentiret, improviſa hujus mors apud Leodienſes decedentis in flore ætatis, omnia turbavit, noſtrique animum luctû & ægrimoniâ oppreſſum, ad capienda longè alia conſilia commovit. Sollicitaverat virum jam aliis ſuper alias literis *Johannes Rudolphus Ringelmannus*, Sereniſſimæ *Chriſtiani* V. Daniæ Regis Majeſtati à Conſiliis Juſtitiariis & inter Archiatros planè eximius, ût in muneris ampliſſimi conſortium veniret, veteremque adeò, quæ in Academiâ, olim Ienenſi, coaluerat, amicitiam locorum ac temporum ſpatiis divulſam eô pactô redintegraret. Hic durum quidem videbatur Viro patriæ amantiſſimo, ingraveſcente jam ætate ex ejus ſinû, quæ omnibus honorum ac fortunæ blandimentis hactenùs foverat, in diſſitas admodùm regiones ſecedere; attamen cùm *Dei* nutû ſe vocari intelligeret, quem ſummum rerum ſuarum moderatorem ſemper eſt veneratus, cauſaſque ejus Conſilii ſuſcipiendi inveniret & multas & graves, quas hìc latiùs diducere nihil attinet, conceſſit tandem in vota amici, & eâdem animi conſtantiâ, quâ ex amæniſſimô ad Rhenum tractu ad Lares patrios tranſmiſerat ſedem fortunarum, eandem nùnc ad terras aliô penè ſub ſole calentes provehere nihil quidquam morabatur. Quàm ægrè dimiſerint ex complexû arctiſſimô Aula & Academia, pronum reor hariolari, qui & Viri ingenium noverit omnibus amabile, adverſum nemini, & innumera conſideraverit commoda, quibus carendum fuit amicis, eum abs ſe non ſine ſummô dolore ac violentiâ avelli incaſſùm quiritantibus. Sed eundum fuit omninò, quo fata vocabant, & ſupremus fatorum arbiter nutû compellebat, neque longinqua viarum, nec itineris per inhoſpita protracti difficultas moras debebant injicere animo ad omnes eventus compoſito, præſertim cùm tædia moleſtæ peregrinationis abundè compenſarentur ſublimi muneris novi dignitate, emolumenta ſecum ducentis ſuprà, quam credi poſſit aut ſcribi, invidenda. Cùm Lubecam tranſiret; elegantiſſimam ex earum cenſu, quas Hanſeaticas vocant, civitatem & opibus & commerciorum uſû affluentiſſimam, lautè admodùm atque opiparè per aliquot dies cum familiâ exceptus eſt ab ampliſſimô urbis Senatû cui merita viri ac famam ingeſſerat *Nicolaus Hannekenius*, Clariſſimi nominis Medicus, inter amicos virtutis Francicæ facilè primarius. Atque ità tandem per Vagriam, Lalandiam, Falſtriam Sialandiamque æſtivô itinere Soſpes cum ſuis ad urbium Regiarum Ocellum, Hafniam devenit, ibique, ad Solium Regis Auguſti humillimâ ſubjectione provolutus, ea benignitate ac gratiâ receptus eſt, ùt majorem nuſquàm ſe reperiſſe, immò nec ſperâſſe quidem lætus ac futurorum plenus ad amicos indè reſcriberet. Neque fefellit vatem hoc felix & optabile auſpicium; ità enim Regum optimo carus, ità Reginæ incomparabili gratus fuit, ùt utriuſque favorem, ſervaret illibatum, & novis honorum cumulis oneratus, vix alibi majora ſenectutis ſuæ præſidia ac familiæ firmamenta potuiſſe accidere, præterquam in beatis his regionibus, intelligeret. Paucis ab adventû menſibus Orphanotrophii ſumptibus planè Regiis exſtructi curam ùt gereret, omniaque ad ſalutis publicæ incrementa dirigeret, accepit in mandatis; alterô indè annô ad ſupremum juſtitiæ tribunal admotus, ùt conſiliis pariter ſuis rempublicam juvaret, inter purpuratos patres conſedit, inſtitutô ſanè ſapientiſſimô, cùm ab omni tempore ii habiti fuerint optimi regendæ Civitatis moderatores, qui humani corporis ejuſque morborum cognitione exactâ benè præparati & in arte ſalutari exercitati, Valetudinis ſervandæ ac reparandæ præcepta ad conſtituendam tuendamque rem publicam poſſent transferre. Intereà fatalis hora, cui fruſtrà ſolent obtendi probatiſſima artis præſidia, terris ereptam Regis maximi Majeſtatem Cœlo, quaſi novos ſplendores conciliatura, intulerat annô ſæcularem proximè prægreſsô, ùt ſolennes jubilæorum pompas caſus omnium maximè luctuoſus, & Regnô vix tolerandus antecederet. Ei caſui ſuccumbere fuiſſet viſa omnis regio, niſi ſucceſſorem habuiſſet Regiæ dignitatis, *Fridericum*, belli ac pacis gloriâ eminentẽ, & Divo Patri in omnibus æquiparandũ, quem ùt ſervent diù incolumem Dii im̃ortales, & fortunam deſtinatis parem, Victoriarũque impetus largiantur, omnis populorum Cœtus, omnis ordo ex animô vovet atque precatur. Hic Francum in ſtatione, quam maſculè tuebatur, firmavit & Archiatrorũ Comitẽ declaravit, opẽ ejus proficuâ ſibi & Regiæ familiæ aliquoties expertus, ùt hâc ratione pauciſſimi fortè vixerint, qui cum noſtrô conferri numerô & amplitudine munerum opidò illuſtrium mereantur. Duorum Regum egit Archiatrum & octo utique S. R. I. Octovirorum ùt de Principibus & Magnatibus nihil hìc porrò dicamus, quorũ calculos quis nobis expediat? Summa ſunt hæc, fateor, & fruſtrà ſanè à perquam multis ſæpiùs expetita ornamenta; eadẽ tamen fulgore etiam novô illuſtrata ſpectantur, ſi celeberrima Societatum Litterariarum commercia cogites, quibus ille nomen dedit, hæ nomini retulerunt immortalitatem. *Leopoldina* naturæ rerum perquirendæ dicata ſodalitas, eôdem ipſi annô, quô Heidelbergâ cathedram detulit, inter ſuos eſſe cooptatum ſignificavit, & cùm nemo unquam hôc unô minùs obſervatus fuiſſet otioſus, *Argi* cognomine condecoravit, ob miram excelſi ingenii felicitatem & perſpicaciam. Poſteà etiam inter primores hujus ordinis, quos Adjunctos vocant, eſt Cooptatus auctoritate celeberrimi per Germaniã & omnes terrarum partes Medici, *D. Johannis Georgii Volcameri*, qui tum erat Societati à præſidiis. Inter cætera eruditorum hominum ſodalitia, quibus Italia eminet, Academia eorũ, quos vernaculâ appellatione *Recuperati* vocãt, caput præcipuè effert, cujus Academiæ anteſignanũ, cùm ageret *Carolus Patinus* ex profeſſoriô ap. Patavinos ordine, numorum cũprimis veterũ exactiori cognitione celebris, tùm alios

alios ſatis multos ex Germanis litterarum uſû ſpectatioribus in eas partes pertraxit, tùm præcipuè Francum eâ honoris dignatione ornandum ſibi cenſuit, amicum veterem ac familiarem, & quod rei eſt caput, in Oratoriâ facultate & pangendo carmine nemini quidque concedentem. *Regia* deniquè Magnæ Britanniæ Societas præſtantiſſimis in ſtudiô naturalis ſcientiæ meritis effulgens, tametſi rariùs ad exteros viſa fuerit transferre ſua contubernia, Franci tamen famæ ac virtutibus id dedit, ùt in tabulas ſuas referret nomen ejus longè ſplendidiſſimum. Quod vivacioribus etiam mox fuit radiis colluſtratum, cùm Divus Imperator *Leopoldus* equeſtrem ei & familiæ nobiliſſimæ dignitatem conferret, quâ dudum pollebat ex doctrinæ meritô & munerum maximè ſublimium, quæ tamdiù cum laude ſuſtinuerat, amplitudine. Palatii etiam Lateranenſis Comitem fecit, quâ dignitate ornati, vices Cæſaris agunt in creandis omnium generum Doctoribus, Poëtis etiam laureâ decorandis, Notariis deſignandis, reſtituendis famæ ſpuriis, aliiſque hujuſmodi negotiis Imperiali auctoritate conficiendis. Huic noſtri nobilitati, ortu, doctrinâ, meritis, officiorum ſplendore, gratiâ deniquè Cæſaris ſtabilitæ ac firmatæ, ne quidquam deeſſet, providentiâ numinis factũ,ut eodem annô, quô doctoralis dignitas conferebatur, matrimonium accederet cum virgine generis ac virtutum fulgoribus nobiliſſima, *Maria Euphroſyna Chemnitia de Stromberg, Chriſtiani* filia, qui Judicem apud Argentoratenſes egerat in tribunali diſceptationibus circa rerum commercia forenſibus conſtitutô, neptè *Chriſtophori Chemnitii de Stromberg*, Icti, cui præclaris ap. Waldeccanos Comites, Electorem Palatinum & Vormatienſem Rempublicam muneribus defuncto, Cæſar locum ſuos inter Conſiliarios ac Senatores urbis Vindobonenſis fecerat. Pater hujus & ipſe multis ac magnis in Eccleſiam Simerenſium, quam regendam ſuſceperat, meritis illuſtris ex fratre fuerat prognatus immortalis famæ ac doctrinæ Theologi, *Martini* illius *Chemnitii*, cujus nomen & ſcripta cedrô digniſſima, nullæ unquàm temporum ac fatorum injuriæ obliterabunt. Huic annô ruentis ſæculi primô extinctæ & per omne, quod reliquum ducebat, vitæ ſpatium deſideratiſſimæ, cùm ſolitudinem nec vitæ genus perferret, nec ingruentis ſenectutis incommoda permitterent, ſucceſſit in thori conſortium *Catharina Wildia*, matrona, gravitate moris, peculiô, ac ſeverâ rei familiaris curâ ſpectabilis, quæ maritum cum lethali morbô confligantem ope nunquàm defeſſa juvit & in tumulum condidit. Amabile verò iſtud prius & ſex ſupra triginta annos mirâ animorum concordiâ exactum conjugium, ſeptem liberorum proventû fuerat ſecundum, ex quibus quatuor acerbô funere primis infantiæ annis extincti, tres per *Dei* gratiam ſuperſunt, partamque ab utrôque parentum nobilitatem, virtute nequâquam alienâ colluſtratam, factorum meritorumque gloriâ tuentur. *Maria Eliſabetha*, Decus elegantioris ſexûs & Gratiarum nobile myrothecium à Virô ampliſſimô, *D. Johanne Joannida*, Regi à reditibus ex Hadelenſi provinciâ colligendis, virginei pudoris præſidium paſſa eſt expugnari, cui in matrimonium ceſſit quinquenniô ante patris Obitum, nuptiali conviviô ſolenniter ex Regis munificentiâ adornatô. Inter filios primigenius *D. Georgius Fridericus*, Medicinam antehàc extra ordinem apud Vitembergenſes profiteri juſſus, nùnc in Regiâ Hafnienſium univerſitate artis pariter ſalutaris ac ſublimioris Philoſophiæ Profeſſor ordinarius, ingeniô par genitori, nec minor doctrinâ elegantiſſimis jam ſcriptis beavit orbem literarium, nec deſinet porrò de ſtudiis benè & præclarè mereri. Hujus etiam nuptiis Parens decem ante obitũ menſibus interfuit cum lectiſſimâ virgine *Mariâ Sibyllâ Rodriguezia* celebratis, cujus pater *Carolus* antiquâ ap. Madritenſes ſtirpe oriundus, *Chriſtiano* olim V. Sapientiſſimo Danorum Monarchæ linguarum in Europâ cultiori frequentatarum peritiam inſtillaverat, earundem poſteà in equeſtri, quæ apud Soranos eminet, Academiâ Profeſſor conſtitutus. *Gerardus Erneſtus*, Georgii Friderici frater alacris & ad omnia expromti ingenii felicitate patrem referens, facilitate etiam pangendi carminis penè extemporaneâ comendabilis, ad elegantioris doctrinæ ſtudia exactiorem Juris Romani eorumque, quæ eò pertinent, cumprimis hiſtoriarum omnis ævi cognitionem, adjecerat, quam ob rationem judiciô delectus fuit, qui Legatis Regiis ad tractationem Pinnebergicam miſſis, indè aliis in Sueciam, rursùmque in Hiſpaniam ablegatis ad ſcribendas ſecretiores literas miniſter adjungeretur. Quibus officiis dexterrimè & cum inſigni nominis laude perfunctus, *Themidos Hiſpanæ* arcana prodidit librô ſanè lectiſſimô ac bonæ frugis pleniſſimô, quô tanquam præclarô ſpecimine, quantos in ſe doctrinæ neutiquàm vulgaris theſauros contineat, evidenter monſtravit, rogandus propterea à peritis rerum æſtimatoribus, ùt plura hujuſmodi condere pergat induſtriæ ſuæ atque eruditionis reconditæ monumenta. Hâc filiorum ad laudem paterni nominis graſſantiũ virtute ecquis non beatiſſimum dicat Georgium, feſſum ætate ac laboribus Atlantem, qui Mauritaniæ illô Rege longè felicior, non in unius Herculis humeros ùt deponeret grave onus, neceſſe habebat, ſed duobus ſuffulciebatur iiſque ex ſe prognatis, fortiſſimi ſpiritûs juvenibus, qui traditum à parente illud famæ æternitatiſque depoſitum alacres in ſe ſuſciperent, & invicti animi ac ingenii robore erecti perferrent, nec gravati tantæ molis onere, nec defatigati. Hæc una omnium planiſſima ad immortalitatem via, cùm accifis ob ætatem viribus, & ſenili marcore confecti in progenie quaſi rejuveneſcimus, germinantemque novô flore nominis ac meritorum gloriam ſuccreſcere videmus & ad ſeram uſque poſteritatem propagari. Quâ ſuavitate, tanquam nepenthe aliquô, mirum in modum delinitus noſter vix ſentiebat procedentis ſenii tædia, fractique laboribus corporis infirmitatem penè ſolus ignorabat. Sed iſti tamen nihilominùs, qui obvenerant quinquagenario, languores incrementa ſumere obſervabantur, & arthriticos ſæpiùs dolores ſecum ducebant, quotannis ferè, præſertim ubi in Boreales oras conceſſerat, recurrentes, & extremô vitæ tempore relictis manibus pedibuſque, quibus anteà fuerant infeſti, ad humeros & brachium ſiniſtrum fatali impetû proruentes, ùt pronum eſſet in debili ac enervatô corpore funeſta omnia ſuſpicari. Huic malo accedebat vitalium humorum in vappam liqueſcentium intemperies, ſcorbutum vocare ſolent Balthici maris accolæ, undè pedes œdemate turgentes aquam inter cutem in propinquô eſſe minitabantur, reſpiratio ſuſpiriô & gravi aſthmate cohibita auram vitæ conſervatricem includebat, gravioraque in dies accedebant ſymptomata, quibus nonnihil ex uſû præſidiorum probatiſſimorum repreſſis, Reginæ Sereniſſimæ nutû, quæ mirè ſollicita erat de Archiatri ſui valetudine, ad vicina in arce Fridericiburgicâ tempè transferebatur, aëris ibi purioris trahendi causâ. Cùm acceſſiſſet nonnihil levaminis initiô percipere viſus erat ſibi & aliis, ſymptomatum vehementiâ tantillum mitigatâ, ùt ſpes ingens affulgeret feliciùs omnia caſura, nec rem planè eſſe in conclamato. Sed & hìc tamen, ut ille ait, in mediô Tibure Sardinia erat, cùm fato-

fatorum lege omnia poſteà in pejus ruerent, & corpus deniquè languore & pervigilio confectum febri decretoriâ penitùs opprimeretur. Cujus ille aſſultum forti & ad omnia præparatô pectore excipiens, poſt decendii in Fridericiburgenſi ſeceſſû moram, Hafnienſes lares repetiit gartiis priùs devotiſſimâ mente Reginæ pro tam effuſâ indulgentiâ perſolutis, amicis, quorum inſolabilis erat in hoc diſcrimine ægritudo, æternùm valere juſſis. Domum vix relatus, qui nemini unquàm in vitâ gravis fuerat, erga omnes mirum in modum placidus, placidâ morte, quaſi ſomnô preſſus, occubuit poſtridie Iduum Juniarum, annô quartô decimi octavi à natô Servatore ſæculi, ſexagenarium vix egreſſus, longiori ſanè vitâ, ſi quiſquàm alius, longè digniſſimus. Exuviis terræ matris gremiô illatis juſta funebria fecit D. *Bartholdus Botſaccus*, Theologiæ Profeſſor celeberrimus & ſacri cætûs, qui in D. Petri æde colligitur, antiſtes maximè venerabilis. Fuſiùs & curatiùs omnia, quæ nos hìc ſtrictim recenſuimus, enarrata legantur in diſertiſſimô programmate ad funeris ſolennia ſcriptô, quod nè cum aliis hujuſmodi palantibus chartis intercideret, ſummus vir *D. Henricus Pippingus*, ſacrorum in aulâ Electorali Saxonicâ Præſul Conſiſtorianus judiciô delegit ac ſacris ſcriniis illatum, in quibus ſeptuaginta Theologorum ac ſeptem ulteriùs quidem ordinis, ſed ſacris tamen ſtudiis atque operibus illuſtrium virorum memoriæ ſervantur, à ſitû & oblivione vindicavit.

Habitû corporis erat Francus robuſtô ac procerô, ſtaturâ firmâ & in decoram gravitatem erectâ. Facies ei aperta, plena, & mixtam cum lepore humanitatem ſpirans; oris mira concinnitas genarum roſeô nitore adornata, vox acuta & ex meraciori potû, cùm ætas ingraveſceret, nonnihil ſtridens, ſonora tamen & auribus perceptû non inſuavis; oculorum obtutus comitatem præ ſe ferebat & placidam manſuetudinem, quâ vultûs primô aſpectû ſeverioris lineamenta temperarentur; ſupercilia nec faſtum notabant, nec indignationem, ſed in ſinus leniter inflexos arcuata, quaſi geminâ iride coronabant feſtiva oculorum lumina; frontis eximius decor in ſerenam ſuavitatem exporrectus conciliandis ſibi omnium animis à naturâ factus videbatur. Ut verbô complectar; aut in hôc aut in nullô aliô obſervares illam filiis ſuis tantoperè abs Hippocrate commendatam habitûs ac moris elegantiam, adeò in ejus formatione omnia viderentur conſpirâſſe, ſummâ concordiâ, ùt gratioſus planè ac omnibus humanæ perfectionis numeris abſolutus Medicus naſceretur. Veſtitû utebatur commodô cumprimis & qui corporis dignitatem deceret, ùt nec in aulis verſantem protuſior luxus invidiæ palatinorum exponeret, nec in caſtris inficerent ſordes ſtratioticæ, neque quidquam eſſet in eô ineptiæ pædagogicæ (vulgus pedantiſmum vocat) ubi inter Academicos verſaretur. In animi dotibus recolendis, cùm ex anteà commemoratis facilè colligantur, vela licebit contrahere. Ingenium, quod à naturâ nactus erat amœnum, perſpicax, ſubtile & difficillimis etiam rerum momentis pertractandis idoneum, ſtudiô liberali ità perfecerat, ùt nihil ei eſſet abſtruſum, nihil inacceſſum, & de omnibus, quæ ad ſcientias quidquam attinent, ubi occaſio daretur, diſſereret copiosè, lucemque afferret ſine morâ obſcuriſſimis diſceptationibus, ſi eô præſente agerentur. Juvenem ad ſe ſuavitate ſuâ pertraxerant amœniorum literarum ſtudia ut ad criticen uſque proceſſerit, ac ſæpenumerò corrupta in Græcis ac Latinis auctoribus loca ex ingeniô emendaverit, quem in has delicias amorem neque pragmaticum poſteà vitæ genus, neque corporis ſeniô debilitati tædia potuerunt extinguere. Poëticæ facultatis præcipuè fuit compos, & extemporali facilitate verſiculos effudit, citiùs, quàm alii admorſis ad ſanguinem unguibus longô ſtudiô conficerent. Philoſophiam, qualis hodie nitore & concinnitate ſpectabilis docetur, parciùs attigit, præterquam illam rerum naturalium formas ac mutationes proſequentem, quam accuratô utiquè ſtudiô perveſtigavit, & probè perſpectâ utriuſque mundi ejuſque partium hiſtoriâ aditum ſibi paravit planum & expeditum, ad recondita atque abſtruſa artis, in quâ eminuit, miſteria. His initiatus, & in cadaverum ſectionibus, plantarum & hyles jatricæ cognitione, chemiciſque laboribus probè exercitatus nihil habuit antiquius, niſi ùt morborum naturam priùs intelligeret, quàm ad illos curandos proveheretur, neque cruda & immatura ſtudia propelleret ad lectulos decumbentium, ſed optimos & peritiſſimos ſectatus magiſtros, perſpectis demùm, atque accuratè expenſis rerum agendarum momentis, ad praxin Clinicam procederet. Salsè ridebat ſæpenumerò inſipientiam eorum, qui ad conſultationes vocati, ubi de proximô morbi genere conſtituendò tractatio eſt, ſaltim eſſe debet, in alia omnia dilapſi de triplicis elementi particulis garriunt, de humatis, de ſtriatis, de poris ætheri peregrino imperviis, quaſi inter occultas veterum qualitates, quas ineptiſſimô riſû exagitant, & hanc mirabilem peregrini moris ætherem quidquam differentiæ intercederet; deniquè ſi nihil iſtæc omnia ad rem profitearis, aures tibi commentis frigidiſſimis obtundunt; & moleculas ſuas vel centiès ingerunt ipſo nomine monſtroſas, cùm nemo, cui ſinciput ſanum eſt, gigantulas vel procellulas ſeriò dixerit. Certè qui hæc luxuriantis ingenii commenta quidquam ad morbos ſanandos conferre ſomniant, hos eôdem fermè veſaniæ genere correptos apparet, quô illi agitarentur, qui Tullii aliquam orationem aut Maronis Æneida in prima litterarum elementa diſcerptas veriùs, quàm reſolutas, adoleſcentibus rediculâ oſtentatione exponerent, & in mirô artificiô ſibi ac ſagacitati ſuæ plauderent, in hoc unô potiſſimas Poëtæ atque Oratoris partes contineri, & maximè abſolvi clamitantes. Incongruum eſt omne, quod è longinquô petitur, cùm ſalus hominum in diſcrimine verſatur, ſubſidium; nec remotiſſimæ hujuſmodi ab affectûs naturâ ideæ ad eum curandũ ducunt; adducunt magis & impediunt, imò (quod Thaleti contigit nocturnâ deambulatione ſidera contemplanti, cùm viæ potiùs ſalebras deberet) in foveam præcipitant. Propiùs debent noſci valetudinis hoſtes, cum quibus cominùs eſt pugnandum, ſi debellare velis & victos in triumphum ducere. Hâc in re, ſi verum fateri velimus, immane quantùm dicemus præſtitiſſe felicia artis noſtræ conditorum ingenia novorum hominum arrogantiæ, quorum ſciolis & frivolis plerumque vitilitigationibus eò ferè noſtris temporibus res devenerat, ùt vera genuinaque medicandi ratio inter amiſſa ac deperdita reputaretur. Verumtamen quæ læta eſt negotiorũ ſubindè conclamatorum converſio, excitati tanquam à veterno præclariſſimorum hujus ætatis virorũ animi fortiter ſe ſe opponunt futilibus ſtrophis jam ad meram barbariem proclivibus, & viam multô ab hinc tempore deſer-

deſertam relegunt monſtrantque diſcendi cupidis, qui calcata à Patribus veſtigia premendo per accuratas morborum ac ſymptomatum obſervationes, præſidiaque iiſdem ratione applicata rectè ac feliciter in artis operibus diſcunt progredi. Non aliâ ratione ad illum famæ & præclarè factorum, quem in arte obtinuit, apicem graſſatus eſt Francus; neque aliô in itinere alumnos deduxit, quorum ſanè plurimi ex ejus ſcholâ egreſſi optatô utiquè ſucceſſû Medicinam faciunt, & in civitatibus, in Academiis, in Regum Principumque palatiis gratiſſimâ cum meritorum tanti præceptoris commemoratione, verſantur. Neque inter hæc duntaxat pomœria ſe ſe continere poterat magnus noſtri animus; in omnem, quâcunque patet, doctrinarum ambitum diffuſus; juris etiam prudentiam, quæ ſororiô in quamplurimis nexû arti noſtræ jungitur, ſtudiô pertinaci attigerat, adeò ùt amici ſui *Johannis Wolffgangi Textoris*, ICti Celeberrimi ſuaſû & conſiliô oblatam lauream ſupremi in jure utrôque honoris indicem penè fuiſſet paſſus vertici ſuo imponi, niſi ſatiùs duxiſſet mereri ejuſmodi ornamenta, quàm adipiſci. Egregiæ certè acceſſiones, quibus præclarum *Pauli Zachiæ* de quæſtionibus medico-legalibus opus locupletavit, ſatis loquuntur ad omnia ſufficientis vigorem ingenii. De Sacris ſtudiis non dubitabit, qui exegeticos in divinum codicem commentarios cogitaverit, quorum è plus quàm ter mille auctoribus congeſtorum molem in plura volumina novimus excreviſſe. Scriptorum, ſaltem præcipuorum, ſeriem hìc recenſeremus, à filiô jam duodecimô abhìnc annô peculiari ſyntagmate conſignatam, niſi ea commodiùs ad calcem hujus ſcriptionis ſubjecta legi poſſe, in proclivi eſſet judicare. Hâc induſtriæ in omni doctrinarum Encyclopædiâ exercitatæ conſcientiâ, nunquàm fuit inflatus Georgii animus, ùt potiùs ſpicæ in morem granorum copiâ turgidæ caput demitteret, quod alii, in quibus, nihil aut parùm eſt bonæ frugis, ridendo faſtû attollunt & immenſos, niſi Diis diſpliceret, eruditionis ſuæ fines ſoli ac ſine æmulô admirantur. Norunt omnes, quibus Francum noſſe datum fuit, quàm feſtivô fuerit vir amœniſſimus ingeniô, quàm refertô ſalibus & lepore mirificô, ùt ejus conſuetudine nonniſi invitiſſimè carerent, quibus ſemel facta fuiſſet ſuaviſſimarum cum eô confabulationum copia, eſſetque eam ob rem non minùs gratus genio Virorum Principum, quàm ob medendi peritiam, quâ pollebat prorſùs ſingulari. Nihil enim magis decet curandæ mortalium ſalutis artificem, quàm hæc moris ſuavitas & elegantia, quâ mirum in modum mulcentur depreſſi ægrotantium animi & dolore angoribuſque miſerè confecti recreantur. Solent, qui ità ſunt affecti, erga omnes eſſe benefici & obviâ humanitate venientes opemque implorantes excipere. Franco nihil humanius, qui ſive conſiliô eſſet opus, ſive officiô, nunquàm deſeruit horum indigos, & ſæpè cum diſpendiô rei familiaris juvit egenos, etiam qui pudore intempeſtivô retenti, mala quibus conſumerentur, nollent exponere. Nemo ab ejus aſpectû triſtis receſſit unquàm, nemo cui dicta aut facta noſtri graviter ceciderint, aut quacunque in re fuerint damnoſa; è contrariô nullas eſt in vitâ defugiſſe viſus curarum ſollicitudines, laborumque moleſtias, non aliô conſiliô, niſi ùt opitularetur ejus auxilia implorantibus, & quâcunque operâ de Clinicis, de republicâ, de univerſis benè liberaliterque mereretur. Virtutum chorum, quarum ſanè nulla in Franco deſiderabatur, coronabat religioſa in *Deum* pietas, complementum ac cynoſura cæterarum omnium, quæ in mente noſtri, ſedem ac domicilium invenerant. Hæc una, cùm cæterarum monumenta diſpereant, ſuperſtes cælo intulit ac beatarum mentium habitationibus animam ſervatoris gratiâ ac meritô à nævis, qui humanæ conditioni obhæſerant, purgatam. Hæc & hujus vitæ commodorum & æternitatis promiſſionem habens, felicem modis omnibus reddidit ac verorum copiâ bonorum affluentem, animumque in adverſis æquè ac proſperis conſtanti ſerenitate gaudentem immortalitati conſecravit. Fuit autem hæc non fucata qualis eſt apud multos, ſed ſincera prorſùs & notis inſignis omnibus, quæ ad diſcernenda à verô ſimulata requiruntur. Ab eô ſanè tempore, quo matrimonium celebravit, Sacrum Bibliorum Codicem ſeptuagies quinquies perhibetur à capite ad calcem piô ſtudiô perlegiſſe, quòd probè ſciret proſpera omnia *Deum* ac divina amantibus, adverſa & triſtia ſpernentibus evenire, adeòque primam eſſe patrifamilias curam gerendam, ùt & ipſe majores quotidie in animi ſanctimoniâ profectus ſentiat, & ſuis exemplo ſit, ac facem præferat ad vitæ hujus curriculum ſummâ fidei ac probitatis contentione emetiendum. Neque lectione ſolùm vagâ & perfunctoriâ fuit delectatus; exegeticæ iſtæ, de quibus ſupra dictum, commentationes fidem faciant, quantam adhibuerit curam, ùt nihil intelligentiam fugeret eorum, quæ difficiliora poſſent haberi, & crucem figerent interpretibus. Hâc cùm eſſet mente, tametſi plures haberet Saxoniam relinquendi cauſas, eam tamen principem fuiſſe novimus, quòd, cùm propiùs intueretur, quâ paucorum hominum vafritie & technis, ceterorum væcordiâ & ſimplicitate, inſulſi de ſectâ pietaticultrice clamores in vulgus exirent, nihil tamen efficere poterat auctoritate ac ſalutaribus monitis, ut, quod optandum unicè erat, propudioſæ litis contentio in herbâ ſuffocaretur. Advenerat enim Vitembergam eô tempore, cùm invenuſtâ fabâ, penè fabulam dixiſſem, cuderetur, nec erat obſcurum, cujus exitio ea eſſet deſtinata; unde quæ turbarum ſemina infauſtum germen eſſet producturum, quô erat judiciô & perſpicaciâ, facilè prævidebat, & ùt in ſubitos animorum impotentium motus quôvis modô compeſceret, ſummô opere ac viribus nitebatur. Cùm nihil efficeret, dolebat ſeriò ſæculi infelicitatem, cujus uti primordia ridiculis de fraternitate rhodoſtaurotica commentis eſſent fœdata, ità nùnc termini fraudibus haud paulò magis pernicioſis à cohortis impietiſticæ fratribus contaminarentur. Igitùr rei motus indignitate ac moleſtiarum pertæſus, *Deo*, cui ſemper adhæſerat, ſe ſuaque omnia animô prorſùs tranquillô reſignabat, ejuſque nutum, cùm in Daniam vocaret, nihil quidquam obluctans aut refragatus ſequebatur, eâ cogitatione inter alia ſe firmans, breviorem ad polos & planè expeditam eſſe viam è ſeptemtrionibus. Nos augurii veritatem ex eventû æſtimantes, ùt æternum benè ſit animæ, ſi qua fuit unquàm, deſideratiſſimæ piô votô ac precibus obſecramus, ejuſdemque, quam luctû hactenùs ac ſuſpiriis ſumus proſequuti, nùnc erectis in lætiora animis veneramur immortalitatem. In cujus conſiderationem defixa mens hìc ſanè altiùs exſurgeret & barbitô correptô, quod prorſa occæpit, verſa ad finem oratione terminaret Elogium, niſi affinis C. V. *Rodriguezii*, Muſa prælusiſſet elegantiſſimô Carmine, quô, tanquàm fulgenti gemmulâ, hæc obſignamus;

Phœbe Pater, ſeu te tua poſſidet Inſula Delos,
Aut Paros Ægeis inſinuata vadis;
Sive Sacra inſpiras cortinæ murmura Delphis;
Vocalemve tuô reddis ab ore Claron;
Sive legis teneras in monte bi vertice frondes,
Atque Aganippeo perpluis imbre caput,

Facundæque agili plectuntur pectine chordæ.
Et ſocias animant, numina, caſta, deas;
Sive ſalutiferas arceſſis ab Iſide vires,
Poculaque infeſtam frangere nata luem,
Afficiant te ſi qua tuæ diſpendia gentis,
Et valeant pectus dilaceraſſe tuum,
Deliciis abſiſte tuis; involve nigranti
Faſtiditum ebur & lumina mœſta peplo.
Pulverea flavos caligine perde capillos,
Forficis aut atri dente premente ſeca.
Frange viam pullæ, quâ repis, ſyrmate veſtis,
Plange ſinus, tunicam deripe, tunde genas,
Buxeus ora, piô confectus pectora queſtû,
Inque meras lacrumis colliquefactus aquas.
Qualis cum trifidis proles, Epidaurius, armis
A Jove fulmineô percuteretur, eras.
Obriguit tandem, compoſtus & oſſa feretrô
Ille tuum exceſſit Philyridumque decus.
Nec juvat inſtantem naulô ſpoliaſſe Charontem,
Et Lacheſi longas præcipuiſſe moras.
Nec juvat in multas vitam eduxiſſe paleſtras,
Ingeniôque ipſos corripuiſſe Deos.
Nec juvat Aſtrææ ſervâſſe in lancibus æquum,
Atque animi nunquam contemeraſſe nives.
Deniquè nulla juvant laudum religata corymbis
Nomina & in varium didita ſolis iter.
Francus eheu! riguit cineres per omnia ſparſit
Germina Pœoniô nata, vel aucta, chorô,
Languefacitque gravi medicos,uredine campos,
Et poterunt herbæ cum moriente mori.
Jam ſibi laxatas Libitina arreptat habenas,
Invehiturque altis imperioſa rotis.
Convocat & famulos, examina pallida, morbos,
Jam volvens animô liberiore neces.
Hinc proreptat hydrops,& putres bajulat undas,
Indè ruunt clauſis tormina cœca minis.
Hinc nova febriles cudunt incendia flammæ,
Inde parat croceis icterus ire genis.
Colligit hinc nebulas vertigo, caputque rotare,
Inſtituit, mentis ſubruitura domos.
Indè coquit lentum ſcelotyrbe, verna trionum,
Virus, in indigenas pernicioſa ſuos.
Undiquè morborum nova concipit Ilias auſa,
Atque ſibi membrum quiſque rebelle legit.
Quòque magis poſſint vitæ convellere ſtamen,
Et trahere ultores in ſua vota Deos,
Funere cum tanto Themidi ſubducere lances
Mors velit, ùt recti commoriatur amor.
At vos mentitis petulantes viribus hoſtes,
Tuque Dea æternâ nocte revincta caput,
In mera quæſitis juratis funera cauſſis?
Creditis hos vobis reddere frena rogos?
In vanum conatus abit. Qui foſſus ab ictû
Mortis, amat ſoliô cominùs ire Jovis,
Sè totum expreſſâ compegit imagine terris;
Implebit, vindex nominis, illa vicés,
Non aliter Pharius ſe ſe ipſe reſeminat ales,
Ac ſuperûm incurrunt nomina magna plagis;
Ut conſanguineis Francus ſe ſe intulit aſtris
Quô teneat vultû proximiore *Deum.*
In geminum hæredem junctos diſtinxit honores,
Filius ùt junctim reddat uterque patrem.
Iuſtitiæ templum conſervandumque tribunal
Alter adit, medicam porrigit alter opem.

Scriptorum

A Georgio Franco de Frankenau operum ac Schediaſmatum Syllabus.

Edita.

Diſputatio de Colicâ, ſub præſidio Jo. Alb. Sebizii habita Argent. 1665. Q.

Inauguralis de Pleuritide. Ibid. 1666. Q.

Lexicon Plantarum uſualium. Ibid. 1672. D.

Flora Francica. Ibid. 1685. D.

Programma botanicum Floræ Napæiſque ſacratum. Heidelb. 1677. F.

Aliud genio naturæ ſacrum. Ibid. 1678. F.

Floralia terræ Palatinæ, ubi de re herbariâ, ejuſque ſcriptoribus, hortis Medicis, Creophagia antediluviana &c. Ibid. 1679. Q.

Viridaria agri Heidelbergenſis, in quibus de *palingeneſiâ* plantarum, animalium, hominum. Ibid. 1680. Q.

Chloris Palatina, de inſitione plurium arborum in unam, ac de iconibus plantarum. Ibid. 1681. Q.

Antheſphoria Palatina, ex antiquitate ad rem herbariam applicata. Ibid. 1683. F.

Ambarvalia Heidelbergenſia, ubi de fratribus arvalibus, ſolitaurilibus, ſuovetaurilibus &c. Ib. 1687. Q.

Synopſis inſtitutionum Medicinæ. Ibid. 1672. D.

Methodus docendi Medicinam. Ib. —— D.

Delineatio communis doſium medicamentorum. Ibid. D.

Diſſertatio principalis de Hæmorrhoïdibus. Ibid. 1672. Q.

De Muſicæ uſû in morbis, ibid. 1672. D.

De Reſtitutione in integrum, ſeu Chirurgiâ Curtorum. Ibid. 1672. Q.

De Umbilico, vaſis umbilicalibus, ſecundinis. Ibid. 1673. Q.

Inauguralis de Abortû. Ibid. 1673. Q.

Inauguralis de ſuffocatione hypochondriacâ. Ibid. 1673. Q.

Inauguralis de Philtris. Ibid. 1673. Q.

De ſalivâ & vaſis ſalivalibus. Ib. 1673. Q.

Inauguralis de ſterilitate muliebri. Ib. 1673. Q.

De Alapis earumque uſû in morbis & noxâ. Ibid. 1674. Q.

De Lupanaribus ex Republicâ proſcribendis & ſemine virili. Ibid. 1674. Q.

Inauguralis de Febre militum diætetica, ibid. 1674. Q.

Inauguralis de ſoldanella. Ibid. 1674. Q.

Inauguralis de ſcorbûto. Ibid. 1674. Q.

Inauguralis de amputatione artuum. Ibid. 1675. Q.

Oratio de ſtudiorum noxâ. Ibid. 1675. Q.

Satyra Medica, de Præputio, Hymene, Phœnice, Agno vegetabili, Pullitie Ægyptiorum, Homunculo Paracelſi, aliiſque in Phyſicâ & Medicinâ fabulis. Ibid. 1673. Q.

Satyræ Medicæ continuatio. I. de Caſtratione mulierum, ſuccino & venæ ſectione. Ibid. 1673. 1677. Q.

Continuatio II. de Purgantibus per auditum, aſpectum, guſtum, odoratum, inſomnia, contrectationem, inunctionem, Chirurgiam infuſoriam &c. agentibus, it. de Cryſtalli naturâ. Ib. 1674. Q.

Continuatio III. de generatione ac partû impuberum, de fœtû gravido, & mortuâ pariente, Ibid. 1674. Q.

IV. De Teſtium ſubſtantiâ in viris ac mulieribus, ibid. 1674. Q.

V. De ſanguinis menſtrui naturâ & curioſis. Ibid. 1674. Q.

VI. De defectû partium nobiliorum, vitâ ſalvâ. Ibid. 1675. Q.

VII. De Anguillis, laxatione oſſium pubis in puerperis, & methodo medendi in compendium redigenda. ibid. 1675. Q.

VIII. De Vaticiniis futurorum in ægris, ibid. 1675. Q.

IX. De Linguis peregrinis è morbô infuſis. Ibid. 1676. Q.

X. De auribus humanis mobilibus. Ibid. 1676. Q.

XI. De Noxis aſſerculorum, à Gallis *Planchettes* Vocatorum. Ibid. 1676. Q.

XII. De ſuperſœtatione. Ibid. 1676. Q.

XIII. De Terrâ Lemnia. Ibid. 1676. Q.

XIV. De Triplici Lacte Virginis, Phiſiologico, Therapeutico & Phyſico. Ibid. 1678. Q.

XV. De Vitrô & hyalophagis. Ibid. 1678. Q.

XVI. De Rachitide & Cometis. Ibid. 1680. Q.

XVII. Quamdiu ſit dormiendum? Ibid. 1681. Q.

XVIII. De Ovis Paſchalibus. Ibid. 1681. Q.

XIX. De Frenuli ſublingualis inciſione. Ibid. 1682. Q.

Tractatio Philologico-Medica de Cornutis. Ibid. 1676. Q.

Diſputatio inauguralis de Carbunculô. Ibid. 1682. Q.

Alia de Nakir Arabum. Ibid. 1684. Q.

Agoniſmata Phyſico-Medica I. de potû Aquarum coctarum, topicis ſtomachicis, electivè purgantibus, pilularum imparitate, convulſionibus, meconio, catarrhis hieme collectis, Ibid. 1682. Q.

Agoniſmata Phyſico-Medica II. de Transplantatione, Variolis, tuſſi, pinguedinis *lucii* inunctione, ſignis è linguâ petendis, Ibid. 1682. Q.

Agoniſmata III. de formulis medicamentorum ſeſquipedalibus, pretioſis cordialibus, pleuritide vernâ, antimonii diaphoretici noxâ, Ibid. 1682. Q.

IV. De Obſtetricum inſcitiâ, ſuperſtitione, uroſcopiæ fraudibus, lienis morbo, Agyrtarum audacia, liberorum pharmaca horrentium contumacia, de collo contra catarrhos muniendo. Ibid. 1682. Q.

V. De ſcabie capitis, Chirurgiæ præſtantiâ, ſeptô cordis pervio, febrifugis. Ibid. 1682. Q.

VI. De imprudentia in venæſectione & ad eam inſtrumentis, de ſiti hydropicorum immani. Ibid. 1682. Q.

VII. De Clyſterum uſû multiplici, eorumque pudicis injiciendorum ratione, de diverſô partium ſitû, Ibid. 1683. Q.

VIII. De Clyſterùm numerô, uſû in dyſenteriâ, & circa eoſdem cautelis, de rejectione eorum per os, de fonticulô in hydrocephalô & catarrhis ſanandis, de numerô dejectionum & purgante. Ibid. 1683. Q.

IX. De Cardiacâ infantum, nugis obſtetricum & ſuſceptorum, querelis practicorum & methodo medendi. Ibid. 1683. Q.

X. De Phyſicæ neceſſitate, nugis circa morbos puerperarum, erroribus circa nutrices ac ſuſceptores, ridiculo eryſipelatis remedio. Ibid. 1683. Q.

XI. De Pareſi & medicamentorum ſimplicium laudibus. Ibid. 1683. Q.

Diſputatio privato-publica I. de Nervis, Nutrimentô partium, Eclipſibus lunaribus, fluviorum origine ac arte Culinariâ. Ibid. 1679. F.

Diſputatio II. De Calidô innatô, concoctione ab acido, animalium origine ex putredine, aſtrorum influxû, plantis ſenſitivis, nævis Muſicæ uſu in morbis. Ibid. 1679. F.

III. De tranſmutatione metallorum, ſpiritû panis & à pane abhorrentibus. Ibid. 1679. F.

IV. De acido in aëre & alimentis, felle columbarum, glandularum diviſione, liene melancholiæ ſede, glandula pineali, & anguillarum productione. Ibid. 1679. F.

V. De Uromantiâ & præſtantiæ Medicos inter ac Ictos certamine. Ibid. 1679. F.

VI. De aëris ſubtilitate, aquis deſtillatis, cerumine. Ibid. 1679. F.

VII. De nutrimentô aquarum ex animalibus deſtillatarum, morbis ſupernaturalibus, Cænâ & prandiô. Ibid. 1680. F.

Collegii diſputatorii ad inſtitutiones Medicas Conamen 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Ibid. 1686. 1687. Q.

Bona nova Anatomica. Ibid. 1686. Q.

De Morbis acutis gravidarum. Ibid. 1684. Q.

De Præcipuis Anatomicis. Ibid. 1679. Q.

Parva Bibliotheca Zootomica. Ibib. 1680. Q.

De Autopſiâ & iconibus Anatomicis &c. Ibid. 1683. Q.

Programma ad exercitationes Anatomicas. Ibid. 1685. Q.

Aliud linguâ vernaculâ conſcriptum. Ibid. 1681. F.

Diſſertatio inauguralis de Atrophiâ. Ibid. 1683. Q.

Alia de Apoplexiâ. Ibid. 1676. Q.

Alia de Medicô monſtroſô. Ibid. 1677. Q.

Alia de Phthiriaſi. Ibid. 1680. Q.

Alia de Molâ. Ibid. 1680. Q.

Alia de millepedibus. Ibid. 1679. Q.

Alia de Maniâ. Ibid. 1680. Q.

Alia de Naſô. Ibid. 1679. Q.

Alia de Hecticâ. Ibid. 1679. Q.

Alia de morbô virgineô. Ibid. 1680. Q.

Alia de partû difficili. Ibid. 1680. Q.

Alia de ambuſtis. Ibid. 1681. Q.

Alia de halitû humanô. Ibid. 1681. Q.

Alia de riſû Sardonio. Ibid. 1683. Q.

Alia de Colicâ. Ibid. 1681. Q.

Diſſertatio de Coryza. Ibid. 1685. Q.

Inauguralis de empyemate expleuritide. Ibid. 1685. Q.

Alia de malô citreô. Ibid. 1686. Q.

Alia de primaria cauſâ morborum. Ibid. 1686. Q.

Alia de dyſuriâ ad ſtranguriam vergente. Ibid. 1686. Q.

Alia de labiis leporinis. Ibid. 1686. Q.

Alia de Verrucis. Ibid. 1688. Q.

De Calumniis in Medicos & Medicinam. Ibid. 1686. F.

De Medicô, ubi Phyſicus deſinit, incipiente. Ibid. 1686. F.

De Medicinâ Magneticâ Guil. Maxvelli liber à Georgiô Franco primùm editus. Francof. 1679. D.

Lapicidinæ Microſcomi præludium. Heidelberg. 1685. Q.

Lapicidina Microcoſmi in capite. Ibid. 1688. Q.

Lapicidina Microcoſmi in Thorace. Ibid. 1689. Q.

Paulli Zacchiæ Quæſtiones Medico-legales cũ notis Caſp. Ziegleri, Henr. Coccеii, Ulric. Huberi, Henr. Gunth. Tulmarii & Georg. Franci. Francof. 1688. F.

Mich. Etmulleri Opera cum Georg. Franci præfatione. Ibid. 1688. F.

Ovidii Montalbani Dendrologia, cum Præfatione ejuſdem, Ibid. 1690. F.

Chriſtiani Langii opera cum G. Franci præfatione. Ibid. 1688. Q.

De Academiis Europæ. Heidelberg. 1678. F.

Programma ad orationem de Heidelbergenſis Aca-

Academiæ ortû & progreſſû. Ibid. 1686. F.

Invitatio ad tertium Academiæ Sæculare feſtum. Ibid. 1686. F.

Comparatio Medicinæ cum Oceanô. Ibid. 1678. F.

De Origine Feudorum & claris eorum ſcriptoribus. Ibid. 1678. F.

Programma ad lectionem de Veneris noxâ. Ibid. 1677. F.

Programma ad orationem de ſalute Reipublicæ Medicâ. Vitemb. 1690. F.

Diſſertatio inauguralis de ſyphilide. Ibid. 1690. Q.

Alia de flumine dyſentericô. Ibid. 1690. Q.

Alia de Hydrope aſcite. Ibid. 1690. Q.

Alia de Theriacâ cœleſti. Ibid. 1691. Q.

Alia de Variolis. Ibid. 1692. Q.

Diſſertatio Epiſtolica de Medicis Philologis. Ibid. 1691. Q.

Programma decanale in honorem x. Medicinæ Doctorum conſcriptum. 1691. F.

Sole Oriente hilaritas publica. Ad Sereniſſimum Saxoniæ Electorem *Johannem Georgium* IV. regiminis auſpicia capientem allocutio G. *Franci* Academiæ Vitemb. Rectoris Magnifici. Dreſd. 1692. F.

Obſervationes Phyſico-Medicas Ephemeridibus noſtris illatas hîc non recenſemus, cùm in Decuriarum priorum indice facili operâ poſſint requiri.

Conſulto etiam, quæ ab annô 1692. edidit, hîc præterimus, cùm de iis certi nihil habeamus compertum.

Inedita.

Conſiliorum & Reſponſorum Medicorum aliquot Volumina.

Faviſſæ Medicæ ac Phyſicæ VIII. Voluminibus comprehenſæ.

De Vitis Medicorum quâvis ætate Illuſtrium opus magni laboris in III. Volumina digeſtum.

Obſervationum Medicarum Tomi II. ingens experientiæ Jatricæ theſaurus plurium annorum, quibus praxin feliciſſimam exercuit, induſtriâ collectus.

Carminum diverſis temporibus ſcriptorum, ex quibus pauciſſima lucem viderunt. III. Tomi.

Orationes varii generis ac *Programmata* tam ſuo, quàm aliorum nomine propoſita. II. incluſa voluminibus.

Animadverſiones in XII. Cæſarum hiſtoriam à Suetoniô ſcriptam, quibus ea præcipuè, quæ Phyſici aut Medici ſunt argumenti, attinguntur.

In Cœlium Aurelianum notæ bonæ frugis pleniſſimæ & cum primis expetendæ.

Epiſtolæ Ariſtæneti eroticæ, cum Mſto codice Joh. Sambuci collatæ & Petri Lambecii ineditis hactenus annotationibus illuſtratæ, cui ſuas adjecit Noſter, fructum ſtudii juvenilis doctrinâ atque amœnitate præſtantem.

Obſervationes in Linguam & Poëſin Germanicam.

Commentarii in ſacram ſcripturam exegetici, de quibus in elogiô dictum.

Epiſtolarum ad Reges, Principes, Magnates, horumque reſponſoriæ ſpiſſô ſatis volumini illatæ.

IV. Volumina Epiſtolarum ad Eruditos cujuſvis ordinis, in omnibus Europæ, & extra eam, angulis latitantes perſcriptarum, unà cum reſponſoriis. Opus elegantiſſimâ rerum varietate & ſelectû præ ceteris commendabile. Nomina omnium, qui commercii hujus epiſtolaris conſortes fuêre, anguſtiores chartæ termini non caperent. Aliqua ſaltem hîc deſignari, non abs re eſt futurum, ex quibus de cæteris pronum ſit judicare. Sunt autem iſta nullô aliô, quàm alphabeticô præter propter ordine diſpoſita; Joh. Henr. *Agerius*, Joh. Frid. *Almacher*, Theod. Janſſonius ab *Almeloveen*, Paul. *Ammannus*, Joh. Sam. *Anhorn*, ab Hartwill; Thom. *Bartholinus* P. Caſp. *Bartholinus* F. Joh. Caſp. *Bauhinus*, Nic. Guil. *Beckers*, L. B. à *Walhorn*, Joh. *Ferdin.* à Behamb, Joh. Nic. *Benningerus*, Reinoldus *Blumius*, Joh. Frid. Boëkelmanus. Joh. *Bohnius*, Ol. *Borrichius*, Barthold. *Botſaccus*, Robert. *Boyle*, Clem. Joſ. *Brechtius*, Ol. *Bromelius*, Jac. Panc. *Bruno*, Dan. *Bſcherer*, Joh. Rad. *Burcardus*; El. Rudolf. *Camerarius*, Rud. *Camerarius* F. Joh. Georg. *Cariſius*, Frid. Ben. *Carpzovius*, Moyſes *Charas*, Urb. *Chevræus*, And. *Cleyerus*, Joh. Laur. *Crollius*; Joh. *Dolæus*, Jo. Dan. *Dorſtenius*; Al. Maurit. *Eggerdes*, Huld. ab *Ebiben*, Henr. *Eyſſonius*; Joh. Matthias Faber, Joh. Alb. *Fabricius*, Joh. Mich. *Febrius*, Joach. Fellerus, Joh. Francus, Joh. Arn. *Fridericius*, Mart. Frid. *Friſius*, Joh. Chriſtoph. *Frommannus*; Joh. Godefr. *Geilfuſius*, Henr. *Glaſerus*, Joh. Georg. *Grævius*, Chriſtian. *Gryphius*; Joh. Jac. *Harderus*, Joh. Henr. *Heideggerus*, Mich. *Heilandus*, Godefr. *Hennike*, Magnus Heſenthalerus, Urban. *Hiarne*, Maur. *Hoffmannus*, P. Joh. Maur. Hoffmannus F. Joh. Dan. *Horſtius*, Pet. *Hotton.* Volrad. *Huxholtius*; Joh. Ferd. *Illmer* à Wartenberg, Joh. *Jonſtonus*, Joh. Helfr. *Jüngken*; Mart. *Kergerus*, Athan. *Kircherus*, Eman. *Kœnigius*, Joh. *Kuefferus*, Joach. *Kuhnius*; Chriſtian. Joh. *Langius*, Joſ. *Lanzonus*, Eccard. *Leichnerus*, Franc. *Leo* ab Erlsfeld, Mich. Frid. Lochnerus; Joh. *Mabilio*, Ant. *Magliabechius*, Marc. Mappus, Er. *Mauritius*, Otho *Menckenius*, Fel. Chriſtoph. *Menzerus*, Balth. Chriſtoph. *Metzgerus*, Joh. Sebaſt. *Mitternacht*, Joh. *Mæglingus*, Henr. à *Moinichen*, Dan. Guil. *Mollerus*; Dan. *Nebelius*, Laur. *Normannus*; Henr. *Oldenburgius*; Joh. *Palatius*, Guido *Patinus*, P. Car. *Patinus*, F. Matthæus *Paulli*, Joh. Guil. *Paulli*, Georg. Chriſtoph. Petri ab *Hartenfels*, Joh. Conr. *Pegerus*, Joh. Chriſtoph. *Pfeilius*; Georg. Pet. *Piererus*, Caſp. *Poſner*, Jo. *Pretenus*; Car. *Raygerus*, Jul. *Reichelius*, Chriſt. Ern. à *Reichenbach*, Sal. *Reiſelius*, Jac. *Rhenferdius*, Vit. *Riedlinus*, Joh. Lud. *Ringelmannus*, Aug. Quir. *Rivinus*, Guern. *Rolfincius*; Joh. Rod. *Salzmanus*, Alb. Gunth. *Saxo*, Seb. *Scheſferus*, Joh. Val. *Scheidius*, Luc. *Schroeckius*, P. Luc. *Schroeckius*, F. Henr. *Screta* à Zavorziz, Melchior *Sebizius*, P. Joh. Alb. *Sebizius*, F. Joh. Frid. L. B. à *Seilern*, Joh. Georg. *Sommerus*, Phil. Jac. *Spenerus*, Otho *Sperlingius*, Theoph. *Spizelius*; Joach. *Stollius*, Laur. *Strauſſius*, Joh. Wolfg. *Textor*, Mich. Bern. *Valentini*, El. *Veielius*, Joſ. du *Vernay*, Juſt. *Veſti*, Reinh. *Vitriarius*, Joh. Georgius *Volcamerus* P. Jo. Georg. *Volcamerus*, F. Georg. Henr. *Urſinus*; Joh. Jac. *Waldſchmidius*, Georg. Wolfg. *Wedelius*, Godefr. *Welſchius*, Joh. Jac. *Wepferus*, Th. *Wilbiſius*, Joh. *Winderus*, Joh. Lud. *Wittzelius*, Jac. *Witzelius*, Jac. *Wolffius*, Joh. Conr. *Wolfenius*; Theod. *Zuingerus*.

De eo rurſus reperitur in Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. *An.* 3.

Obſervatio X. *De Eryſipelate faciei exulceratô.*

CUm circa finem Decembris 1683. inſolitum ingrueret frigus, (cujus inclementiam

 ferè

ferè tota paſſa eſt Europa] accidit ùt adoleſcens I. W. S. XIII. ann. temper. choler. fortè cum aliis luderet pilis nivalibus & juſtò longiùs commoraretur ſub brumâ. Cœpit circa veſperam, languere; frigiſculum modò, modò calorem ſentire inſolitum; ceſſare appetitus & ſomnus; Nares primùm incipiunt tumere, & inflammari, adeò, ut ferè planè obſtruerentur; unde difficiliùs reſpirabat cum ſiti magnâ. Tumor dein malam ſiniſtram, mox verò dextram & quidem vehementiùs occupabat cum rubore & & dolore. Lecto dare ſe cogitur; interim per utramque malam aliquot veſiculæ pellucidæ, aquâ flavâ refertæ, diverſæ figuræ & magnitudinis apparebant cum ſummô dolore. Exhibentur interiùs diaphoretica admiſtis interdùm alexipharmacis, maximè ubi facies adeò intumebat, ùt quadrata videretur, oculique ferè penitùs eſſent abſconditi. Tumor ad utramque uſque & ultrà progrediebatur aurem, ità ùt exterior dextra auris ſimilibus veſicis in tota ora exteriore eſſet obſita. Veſiculæ omnes ſenſim ſponte aperiebantur, effluente materiâ flavâ, acri & viſcidâ; ſubſequebatur cruſta, quæ maximè in dextrâ malâ ad aliquot permanebat dies, donec tandem illitione balſami rubri Locatelli, intra paucas horas decideret, ipſeque adoleſcens per Dei clementiam reſtitueretur. Similem affectum in aliis quoque animadverti eôdem tempore; nec non ante biennium in ſene ſexagenariô 1. 1. in pedibus tumentibus eryſipelatoideis.

Scholium.

Non admodùm diſſimilem caſum, tempore quidem diversô, præterita ſcilicet fervidâ æſtate, in viro quadraginta circiter annos natô hic obſervavi, qui itidem præter languorem & alternantem cum calore frigiſculum, ſomnum impeditum, nec non appetitum imminutum, dextræ genæ tumore & inflammatione correptus, idem malum paulò pòſt non tantùm frontem & nares, ſed & ſiniſtram faciei partem invadere perſenſit, quod dein in dextrâ parte paulatim aliquantulùm remittens, per occiput progreſſum, denuòque ad partes faciei dextras reverſum fuerat, loca ſic affecta interim veſicis ſat magnis pellucidis, aquâ flavâ refertis, diverſæ figuræ & magnitudinis occupantibus; ex quibus & ſpontè apertis & chirurgi manû diſſectis ſerum flavum, acre & ſubviſcidum effluxerat. Cæterùm propinando præter Potiunculam leniter evacuantem, imprimis Antimonium illud diaphoreticum Martiale, vulgò ſpecificum ſtomachicum Poterii dictum, Chirurgô interim liquidiuſculô unguentô Saturninô partes affectas inungente, & Sparadrappô involvente, curam intra paucos dies feliciter abſolvi. Quod idem etiam paulò pôſt in alio virô obſervare mihi contigit, qui eôdem pulvere antimoniali, ut & Theriacâ Cœleſti Greiff. exhibitis convaluit.

Ibidem Obſervatio XI. *De Menſium Obſtructione cum Cachexiâ & ſedibus cruentis à ſaltatione.*

Ibidem Obſervatio XII. *De Varicum ſpontaneâ apertione.*

Ibidem Obſervatio 109. *De Aſcite cum Icterô & Comate lethali.*

Ibidem Obſervatio 110. *De quartanâ cum hydrope feliciter curatâ.*

Πολυθρύλλητον eſt;

ET reverà per nuperum Autumnum & præſentem hyemem ità ſe habere, fateri fermé cogimur. Hoc certé in multis Quartanariis obſervari licuit, ubi urente æſtû febrili nimiùm, ingurgitârunt potum, corpuſque non ſatis fuerat expurgatum, in fine plerùmque in Œdema pedum, alioſque tumores; imò etiam in hydropem aſciten abierunt. Nullos tamen; aut ſaltem longé pauciſſimos, qui morerentur, vidimus. Ad inſtantiam nuper Generoſi Dn. de Barſach; Sereniſſ. Dnæ. Electric. Palat. Viduæ aulæ magiſtri, viſitavi unum è veredariis Ejuſdem, qui ab aliquot ſeptimanis atrociter cum Quartanâ conflictabatur; homo ann. 33. temperamenti phlegmatici; tandem in hydropem aſciten totius corporis deſinebat, ità ùt non ſolùm pedes & abdomen, ſed pectus manuſque; immò & facies ipſa tantùm intumuerint, ùt vix oculos conſpicere potuerimus; inſtar hermathenæ pallentis, paroxiſmis quartanæ nihilominùs conſtanter ſuo tempore redeuntibus. Fateor me ferè deſperâſſe de recuperandâ valetudine, maximè cùm accederet ſymptomatum copia & gravitas, anorexia ciborum, ſitis, agrypnia, diſpnœa, alvi conſtipatio, iſchuria interdùm, interdum dyſuria; ob urinâ ſalinam craſſam atroque fubentem. Dedi ergò nodulum purgantem in vinô ex fol. ſenn. rhab. mechoac. agar. & irid. noſtr. addidi aperientia alia; unà cum ſale tartari. Mane bibit hauſtum ad ℔ß; per diem tamen nihil dejecit, nocte autem totâ ſeptiès & pluriès interdùm; ità ùt horrenda excerneretur humorum vitioſorum ſentina cum levamine molis aquoſæ in manibus primò & facie, dein in pectore, ubi tumor œdomatoſus inſtar ſcuti majoris; indè ſenſim & dyſpnœa minuebatur; continuavit hunc nodulum ad 18. dies. Dein ſingulô manè in juſculo ſpirit. Therebinth ℈j. aſſumſit noctu autem Tinct. Bezoard. & corall. r. Ver. cum ſpirit. ſal. comm. ad gtt. 40. vel 50. indè tanta urinæ prodiit copia, ùt duplô imò quandoque triplô ſuperaret potum aſſumtum, etiam cum ægri & adſtantium ſtupore, atque ità poſtremò abdominis & pedum tumor in totum deceſſit, rediit appetitus & reliqua valetudo. Quartanam autem quod ſpectat; illa ubi jam à x. diebus nodulô uſus erat, ceſſabat, ubi priùs per quatuor dies continuos circa veſperam pulv. Chin. Chin. ℈iv. ex vinô albô generoſô aſſumeret. Nec neglexìmus confortantia, aliaque generoſa adhibere remedia pro virium reſtauratione, atque ità *Deô* propitio, cum multorum applausû ex orci faucibus ereptus, jam ab aliquot ſeptimanis munere ſuô defungitur. Aliam in ſuburbiô fæminam 26. annorum eôdem modô quartanâ cum hydrope totius laborantem, jam iiſdem remediis [icteris paribus] tracto nec de bono deſpero eventû; cùm in dies malum minuatur.

Ibidem Obſervatio 201. *De quatuor fœtibus unô partû excluſis.*

Ibidem Obſervatio 202. *De Amblyopiâ ex febre malignâ.*

Ibidem Obſervatio 203. *De Fracturâ coſtæ & cruris in gravidâ.*

Ibidem Annô 5. *Obſervatio* 221. *Vermes cucurbitini in Infante.*

Ibidem Obſervatio 222. *Ex terrore Lochiorum ſupreſſio, & indè Phrenitis, Convulſio, ac tantum ferè non Mors.*

Ibidem Obſervatio 223. *De ſcrophulis in fœtû ex Imaginatione Matris.*

Ibidem Obſervatio 224. *De Convulſione & Morte*

Morte è ſcabie capitis evaneſcente.

Ibidem Obſervatio 225. *A. menſibus diu ſuppreſſis maxima cordis palpitatio, tandem cachexia Apoplexia & Mors*

Ibidem Obſervatio 226. *De ſectione Tumoris glanduloſi in ſexagenariæ collô dextrô.*

Ibidem Obſervatio 227. *De Tumore umbilici in infante.*

Ibidem Annô 6. *Obſervatio* 80. *De Abortû* VII. *Hebdomadum cum geminâ molâ pingui.*

Ibidem Obſervatio 81. *Ex fiſtulâ pedis Gangrænosâ in cæcô mors.*

Ibidem Obſervatio 82. *De Dyſenteriâ cum morbillis & convulſionibus lethali.*

Ibidem Obſervatio 83. *De viro menſtruô.*

Ibidem Obſervatio 193. *De Abſceſſû oſſis Cribriformis, ſubſequente lethargo, lethali.*

Ibidem Obſervatio 194. *De Hydrope pectoris cum abſceſſibus hepatis, & calculo ingenti folliculi fellei.*

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 234. *De Picæ variis exemplis.*

Ibidem Ann. 9. *Obſervatio* 200. *De Potu frigidi apud Puerperas noxâ.*

Ibidem Obſervatio 201. *De Variâ gravidarum malaciâ.*

Ibidem Obſervatio 202. *De Vomitione plurimæ meracæque bilis cum capitis & oculorum immani dolore, ſaccharique noxâ.*

ANnô CIↃXLↃCC. τῆς παρθενοπνκίας Juvenis 21. annos natus, temperamenti ſanguineo Cholerici, literis deditus, jam olim ſingulô ſemeſtri, vel trimeſtri interdùm, capitis dolore tentabatur, quem blandâ purgatione facilè prævertebat diætaque accuratiore. Nimium fiſus valetudini, dextræ prophylaxi repudium miſit omittendo vernam purgationem. Sed ecce accidit, ùt cum Amicô, inopinatò urbem, quam Juvenis incolebat noſter, tranſeunte, hilaritati Jovique Xenio unum alterumvè libaret vini Rhenenſis poculum (quod tamen à teneris ordinariè biberat modum rariſſimè excedens, ſed nuper admodùm anni ſpatium in aliâ vivens Academiâ, ubi cereviſiam probè coctam quotidie bibunt, eam ſine moleſtiâ ſuſtinuit, & modum aliquantiſper excederet in prandiô, demùm circa veſperam ab Agnatô miſſas confectiones Saccharatas & bellaria comederet. Inde acidùm vini cum alcali ſaccharinô admodùm efferbuit, flatus progenuit, bilem adauxit cũ nidoroſâ cacochymiâ, fermentum ventriculi corrupit, proſtravitque appetitum. Sequebatur ingens cephalalgia, ubi priſtinum recruduit malum cum aliquâ vertigine, anguſtiâ præcordiorum, & nauſeâ moleſtiſſimâ, quam tandem aſſumtorum ſentina putida excepit, cum angore & imbecillitate corporis. Ultimò non niſi meraca bilis, primò quidem flava ſeu vitellina, dein praſina ſeu porraceô colore conſpurcata copioſiſſimè aliquot inſequebatur vicibus. Duravit malum ad tres circiter hebdomadas, donec uſu Elixir Propr. P. cum rhab. præcipitantium ac abſorbentium & Cinnabarinorum ſedaretur; imprimis verò diætâ ſtrictiore. Rheda dein per aliquot vehitur milliaria, unde denuò ſtomachus irritabatur, concitabaturque bilis, ut anteà, meræ vomitio moleſtiſſima, quam potû frigidæ pane toſtô cum nuce moſchatâ correctas ſenſim ſenſimque aſſumtæ tranquillavit. Intereà temporis ulteriùs provectus, ac in itinere ex diætæ negligentiâ poſt quinque|ſeptimanas iterùm vomitione prædictâ turbatur, quam dolor capitis & oculorum immaniſſimus occupavit, ità ùt lectô affixus perpetuo; lucifuguſque omnem diem, omnem Candelæ accenſæ claritudinem cogeretur effugere, cum anorexiâ, ſiti tamen, agrypniâ, & virium notabili lapſu. Adhibentur vulgò appellata Cholagoga, præcipitantia, dein v. ſ. ac pone utramque aurem veſicatoria. Ità tandem malum demulcebatur & mutatô aëre victûque per *Dei* gratiam cum valetudine rediit.

Ibidem Decur. III. *Ann.* I. *Obſervat.* 159. *De Morbô hyemali Anni* 1691.

Ibidem Obſervat. 160. *De Caſû ab altô cum fracturâ molæ.*

Ibidem Obſervat. 161. *De Pleuritide cum purpurâ malignâ lethali.*

Ibidem Obſervat. 162. *De Dyſenteriâ lethali.*

Ibdem Annô 4. *Obſervatio* I. *De Variolarum reliquiis.*

MOrbus hic adeò vulgaris eſt, ùt omnes ferè corripiat homines, & ſuô modô Pandemius vocari poſſit; pauciſſimique ſunt, qui ad graviorem ſine hujus invaſione pervenerint ætatem. Eôque fit, ùt plerique hominum eum nauci æſtiment, videaſque in Germaniâ ruſticorum ac pauperiorum liberos variolis undique fermè obſeſſos in publicum prodire & diſcurrere ſine noxâ, cùm ditiorum liberi magis curatè tractati, poſthabitis generoſiſſimis remediis omnique curâ & ſollicitudine fruſtrà adhibitâ, inopinatò pereant. Ex iſtô verò neglectû multi incuriæ ſæpè ſæpius pœnas luunt, dum variolarum reliquiæ varias poſt ſe relinquunt moleſtias, noviſque morbis fomitem ſubminiſtrant. Audiamus *Guil. Fabricium* qui Cent. VI. Obſ. Chir. 82. f. m. 609. b. notatû digniſſima proponit exempla; Variolæ apud nos, inquit, varia poſt ſe relinquunt ſymptomata, præſertim in iis, qui non ex arte curantur. Hiſce diebus ex vicinô quôdam oppidô adducta mihi fuit puella, cui materia illa acris variolarum ità eroſerat corneam, ùt ex utrôque oculô facta eſſet cæca. Etiam nunc curandum habeo puerulum, cui poſt variolas circa juncturas ferè omnes tubercula & apoſtemata ex frigidâ viſcidâque materiâ remanſerunt. Nonnullos materia variolarum à facie & capite cum impetû ad pectus delabente catarrhô ſuffocante miſerè vitam finiviſſe vidi. Hiſce diebus qq. puerum paraphimoſi in ipſis variolis ortâ periculosè laborantem curandum habui. Feliciter curatâ paraphimoſi abſceſſus circa humerum ſiniſtrum exortus eſt; is antequam ad ſuppurationem perveniret, catarrhô ſuffocante ſuffocatus fuit. Puero cuidam, cùm caput & facies ſupra modum intumuiſſet, delapſa eſt materia peccans ad nervos recurrentes & muſculos laryngis, ità ùt mutus factus fuerit, divinâ tamen aſpirante gratiâ, ipſum reſtitui. Hactenùs Hildanus. Vidi ego qui poſt variolas in tuſſim ferinam, in tabem, hecticam & phthiſin inciderant. Puero ſeptenni poſt variolas ſupervenit febris tertiana, poſt quotidiana, ſeu obſervavit *Fr. Oſw. Grembs* in arb. integ. & ruin. hom. l. 2. c. 3. N. 50. p. m. 427. b. Vidi, qui in amblyopian, ophthalmias, cœcitatem, varia ulcera; ſcabiem malignam, apoſtemata & abſceſſus. Mihi ipſi puero poſt illas abſceſſus in collô ad gulam, vocem tantùm non abſtulit, ac raucitatem perpetuam induxit. Non ſemel indè convulſiones, Epilepſiam, aliaque graviſſima ſymptomata oriri vidi. Sic puella 3. Ann. quia in variolis reliquiæ materiæ malignæ è corpore non penitùs evacuabantur, ſubindè febriculâ & convulſionibus tentata fuit,

Dec.

Dec. I. Eph. Germ. Cur. Ann. II. Obſ. 201. Alia XII. ann. poſt variolas in febrim acutam, paralyſin univerſalem, poſteà etiam in petechias incidit, nihilominus ſanata. Ibid. Ann. IV. & V. Obſ. IX. Alia trima puella in maniam & mortem Ibid. Ann. VI. & VII. Obſ. 93. Pædarthrocacen inde ortam notârunt *M. A. Severinus, Pandolphinus, & Seb. Schefferus* in diſp. Inaug. In filiô Bregenſi poſt variolas pædarthrocace in manibus, pedibus & ſpinâ dorſi, ac tandem mors; Dec. I. Eph. Germ. Cur. Ann. VI. & VII. Obſ. 108. Alius in Galliâ puer poſt variolas curatas habebat in univerſô corpore prorumpentes fungos nucis magnitudine trecentos circiter, cauliculis totidem inhærentibus, circaque uniuſcujuſque fungi radices duo vel tria ulcuſcula erumpebant, fungi v. nigri erant & intùs ſanguinolenti; æger tamen curatus fuit, teſte *P. Borell.* Cent. I. hiſt. 34. Paſtoris Bleddinenſis Dn. Joh. Nappe filia ſeptennis, poſt variolas ultra ſex annos cephalalgiam ſporadicam in fronte ſæpiſſimè paſſa eſt. Vidi uvulam poſt variolas eroſam; immò iis qq. Ozænam ſucceſſiſſe. Heidelbergæ A. C. 1673. ubi epidemicæ graſſabantur variolæ, aliquos vidi poſt illas ſurdaſtros, alios paralyticos. Medici Neoſtadienſis D. D. J. F. W. filiæ Heidelbergæ poſt variolas oriebatur ægilopia, qualem in alia qq. minore ibidem obſervavi, A. C. 1695. tempore vernô Vitembergæ apud Saxonas plures infantes mihi afferebantur, qui poſt variolas hypopyô laborabant, pleroſque tamen Deô propitiô reſtitui uſu ungu. nihili noctu, & mane aquâ Reg. Hung. Quare omnibus auctor ero, nè ſpernant mali reliquias, fæcundam plurium morborum Iliada, ſed moderatis alexipharmacis, bezoarticis atque diaphoreticis, necnon aliis blandè evacuantibus etiam in declinatione inſiſtant, hìc enim, ſanô ſenſû, ſuperflua non nocent.

Ibidem Obſervatio 2. *De Vermibus cum urinâ emiſſis.*

Ibidem Obſervatio 3. *De Odoratû deperditô.*

Ibidem Obſervatio 4. *De Vulnere periculosô manûs dextræ curatô.*

Ibidem Obſervatio 5. *De Hæmorrhoidibus apertis puero ὀκταέτῃ.*

Ibidem Obſervatio 6. *A Medicinâ purgante intempeſtivè exhibitâ graviſſima ſymptomata & mors.*

Ibidem Annô 5. *&* 6. *Obſervatio* 172. *De Mercuriô vivô è vivô hominis corpore emanante.*

Ibidem Obſervatio 173. *De Phthiriaſi.*

Ibidem Obſervatio 174. *De Clyſtere frigidô.*

Ibidem Obſervatio 175. *De Strumâ ſtomachi.*

Ibidem Obſervatio 177. *De inteſtini tenuis parte per anum excluſâ.*

Ibidem Obſervatio 178. *De Bellide majore ter gemina monſtroſa.*

De eô ſic etiam in Actis Lipſienſibus ann. 1717. *p.* 115.

D. Georgii Franci de Frankenau, S. R. J. Equitis aurati, Conſiliarii atque Archiatri Regii, de Palingeneſiâ, ſive reſuſcitatione artificiali plantarum, hominum & animalium è ſuis cineribus, Liber ſingularis, jam reviſus, emendatus, nec non commentario & variorum ſuiſque experimentis quàmplurimis illuſtratus à Johanne Chriſtiano Nehringiô, Paſtore Eccleſiæ Morlenſis. Halæ, apud Felicem du Serre, 1717. 4.

SEptem luſtra cum duobus annis præterlapſa ſunt, cum illuſtris Francus de *Frankenau*, publicè Medicinam Heidelbergæ docens, in Programmate quodam palingeneſiam ex naturâ plantarum, animalium & hominum illuſtrâſſet, noviſque curis ſub Diſſertationis formâ elimâſſet & auxiſſet. Hancque palingeneſiam, cùm nemo manum ei admovere & curiosè inventis ulteriora addere voluerit, rariſſimam latere in tenebris diutiùs ferre non potuit plurimùm Reverendus Nehringius, ſed emendavit, quædam omiſſa a typographis reſtituit, in vernaculam vertit, & omnium oculis non ità pridem expoſuit, nùncque quæ apud alios & ex ſuâ experientiâ de hôc myſteriô invenit, unà cum ipſô illuſtris Autoris egregiô Latinô librô publici juris fecit. Quemadmodum igitùr in hoc ingens farrago Autorum allegatorum reperitur, ità in commentariô iſtô non ſolùm cumulum eorum auctum invenire, ſed & ipſa Autorum verba legere licet. Cui operi elogium Franci, à Vindicianô, hoc eſt, à D. Godofredô Thomaſiô, Norimbergenſis Reipublicæ Medicô celeberrimô, conſcriptum, præfixum eſt, ne quid, quo pientiſſimi ac illuſtris nominis Autoris generoſiſſimi in eruditorum virorum animis, piorũque omniumque cogitationibus memoria & palingeneſia renovari poſſit, deeſſe videatur.

Plantarum ſcilicèt combuſtarum è ſuis cineribus artifici manu reſurrectionem dari poſſe, qui à ſeculô abhinc aſſeveraverint Autores, copiosè non ſolùm allegantur ab illuſtri Francô, ſed & experientiâ eorum adducitur, qui vel ipſi manum operi adhibuerunt, vel ei ut teſtes adſtiterunt. Sali certè in cineribus latitanti omnis vis adſcribitur, quoties ex eis plantæ cujuſdam figura repræſentatur; ſiquidem per combuſtionem non planè emoritur inſita plantæ vis, quin ipſa depuratur per ignem à terreſtribus partibus. Diverſimodè autem tentari reſurrectionem plantarum artificialem, probatur, paſſim tamen vapulare ejuſdem aſſertores ab aliis, docetur; quanquam ſint, qui ſanum illud ἀπέχειν uſurpare, hocque arcanum experientiæ & ulteriori ſcrutinio indagandum relinquere maluerint. Cùm igitùr non nuda verba ſint, quæ Authores tradiderunt, ſed hiſtoriæ veræ, verbis quidem traditæ, rem in tantâ exemplorum copiâ, autorumque non levium teſtimoniô ſufficienti, ſine impudentiæ macula vix negari poſſe, credit Francus; quanquam enim quidam proceſſum tentârint, ſed ſemper fruſtra, πολυθρύλλητον illud: duo cùm faciunt idem, non eſt idem, etiam hic locum habere adſtruit. Et licèt nihil ſolidi ejuſmodi plantæ reſuſcitatæ ſubſit, ſufficere tamen putat, quæſiviſſe Autores τὸ δυνατὸν aliquale, ut è mortuis quaſi plantis ſubtiliorem quandam earumdem reſurrectionem, futuræ noſtræ perfectiſſimæ per Dei omnipotentiam prodromum, repræſentare valuerint.

De ceterô multùm impendit operæ plurimùm Reverendus Nehringius in illuſtrandis locis ù Frankiô allegatis, ſpatioſiùſque datâ occaſione divagatur, dum ex.gr. pag. 58. de ſpiritû mundi, pag. 156. de arbore philoſophicâ, pag. 165. de aliis arboribus metallicis, pag. 247. de terrâ Adamicâ prolixiùs edifferit, locupletemque indicem demùm libro adjunxit.

FRANCUS (*Johannes*,)

Ex eô habentur in Lindeniô Renovatô

De Arte Chimicâ, ejuſque cultoribus, Epiſtolæ IV. Budiſſinæ, in 4.

Caſtorologia, explicans Caſtoris animalis naturam, & uſum Medico-Chimicum, antehac à Joh. Mariô, Bollenſi & Phyſicô Ulmanô, poſtea Auguſtanô, labore inſolitô ſubjecta: Jam verò ejuſdẽ Autoris,

Autoris, & aliorum Medicorum Obſervationibus luculentis ineditis, affectibus omiſſis, & propriâ experientiâ, parili labore aucta &c. Auguſt. Vindelicorum, apud Viduam Theophili Gôbelij, 1685. 8.

De eo quoque extant

Thappuah Jeruſchalmi, ſeu Momordicæ Deſcriptio Medico-Chirurgico-Pharmaceutica, vel ejus præparatio & uſus in pleriſque corporis humani incommodis: Huic acceſſit de ſcordio herbâ, Schediaſma poſthumum, Joh. Jacobi Kleinknechti. Ulmæ apud Danielem Bartholomæum, 1720. in 8.

Veronica Theézans, *id eſt*, Collatio Veronicæ Europææ cùm Thée Chinitico. Accedit mantiſſæ loco conjectura de Alyſſo Dioſcoridis. Lipſiæ & Coburgi apud Paul. Pfotenhaverum, 1700. in 12. cum fig.

De eôdem prætereà extant in Miſcell. Cur. Decur. II. *ann.* 5.

Obſervatio 236. *De omni ſubitâ mutatione etiam in pejoribus periculoſâ.*

Ibidem Obſervat. 237. *De Dyſenteriâ Cereviſiâ Naumburgenſi curatâ.*

Ibidem Obſervat. 238. *De Mercuriô Vivô in Herniâ lethali.*

Ibidem Obſervat. 239. *De Triticô arte multiplicatô.*

Ibidem Obſervatio 240. *De Prodromô Arachnolithographiæ.*

HIc non plenam araneæ hiſtoriam texere, ſed quæ aliquandiù tanquam aliud agendo obſervavi in lucem proferre, atque doctiorum cogitationibus ſubjicere, animus erit. Scio quidem Arachnolithum doctos ſemper habuiſſe pro fabulâ; Fateor me quoque, an taliſmodi fuerit, ſubdubitâſſe, quid verò Antiquitas hâc fabulâ voluerit, nunquam penetrare potui. Hinc, quemadmodùm nihil credo, quicquid experientia evidens & invicta ratio non perſuadet, ità ſimpliciter nihil rejicio, quidquid Antiquitas abſque ſpecimine reliquit, ſed mediô tutiſſimus eo, indubitatâ ſpe fretus, progreſſû temporis dubitationem hanc retectum iri. Hæc dum molior fortè civis hinc meus Tobias Rinningerus taliſmodi lapidem relictis pedibus monſtrat, qualemque uſum habeat, ex me ſciſcitatur, miratus me neſcire, doctoſque pro nugis habere dixi. Paucis pôſt ſeptimanis Henricus Sebaſtianus Scrôhlinus Sartor, alium ſuperiore minorem in medium protulit, & jurejurando ſe firmaturum, hunc ab araneâ à ſe ante octiduum incluſa eſſe. Lapilli erant magnitudine fabæ, coloris ex Cœruleô Viridique miſti, non admodùm obſcuri & opaci, ſed ad Solis & candelæ lumen tranſparentes, in ultimô hôc jucundiſſimum viſû occurrebat ac ſi pedes lineis tenuiſſimis pulcherrimè depicti fuerint; dignum profectò argumentum ulteriore inquiſitione. Incluſi primos cum ſale communi quemadmodùm edoctus fui, & ecce ex decem incluſis ſpatiô 15. dierum unicum lapillum coloris cinerei punctulis nigricantibus diſtinctum omninò obſcurum reperiebam, & ſciô, multos fruſtrà tempore forte an incommodô menſium laborem ſumſiſſe, hinc plurimùm in autumni initiô vel æſtate exſpirante in pleriſque reperiri judico. Cùm verò à nullô in Muſæis & Spanothecis, quod ſcio, memoratus inveniatur neque à quôpiam exceptô *Antoniô Brelochiô Phyſicô Hallenſi Suevorum in Manuſcriptô* aliud quaſi agendo deſcriptus, Dominis curioſis ad indagationem ulteriorem naturæ ſcilicèt, differentiæ, uſûs varii imprimis medici proponere ratus ſum. Laudatus *Brelochius* ſequentia habet verba; *Lapis aranearum* in fluxû ſanguinis quôcunque vulgò adhibetur, cujus ad *febres*, imò ad peſtem efficacia quoque celebratur, atque interdùm *internis immiſcetur.* Feci periculum & filo alligatum de collô febricitantis, nullis ceremoniis ſuperſtitionem ſapientibus obſervatis, ſuſpendi curavi, cum paroxyſmi notabili remiſſione. Hôc lapide etiam reſtituimus juvenem hæmorrhagiâ periculosè laborantem; quomodò verò internè operetur, vel an piſtillum ferat, nunquàm experiri licuit, nè vel quopiam damnum inferam vel experiendi gratiâ lapillum amittam meum. Quaſnam autem præter has poſſideat vires, aliis relinquam, quamvis datâ experiendi occaſione indagare non deſiſtam, imò ſi vixero niſi mihi curioſior aliquis naturæ conſultus præcedat, accuratiùs deſcriptum exhibebo.

Ibidem Decur. III. *Ann.* 3. *Obſervatio* 71. *De Tuſſi lapillorum.*

Ibidem Obſervatio 72. *De Dignis notatû Anatomicis.*

Ibidem Obſervatio 73. *De Sanis difficulter Medicationes ferentibus.*

Ibidem Obſervatio 74. ἐνέργεια ἐνεργεμένε *ſive de repræſentatione obſeſſi à ſtygiô Cacodæmone.*

Ibidem Obſervatio 75. *De Morbillis Epidemicis cum tuſſi & diarrhœâ.*

De illô rursùs in Actis Lipſienſibus Ann. 1701. *pag.* 328.

Trifolii Fibrini Hiſtoria, ſelectis obſervationibus & perſpicuis exemplis illuſtrata. Francofurti apud Laurentium Kronigerum & Hæredes Theophili Goëbelii Bibliop. Auguſtani, 1701. 8.

NUllus equidem Botanographorum hactenùs extitit, qui Trifolium Fibrinum ex profeſſô deſcripſerit: operæ pretium hinc facturum ſe Author Clariſſimus exiſtimavit, ſi animi gratiâ hanc provinciam in ſe ſuſciperet.

Etymologiæ rationem ante omnia habet, atque Fibrinum vocari hoc Trifolium exiſtimat à Fibris, animalibus amphibiis, qui eô vel victitare, vel poſt id in ſpem prædæ latitare ſolent. Evoluta tum ſynonymia, idem noſtrum eſſe ac Iſopyrum Dioſcoridis, variis adductis rationibus negat; quin poſt Valerii Cordi demùm tempora cœpiſſe inclareſcere, exiſtimat. Monitis tum quibuſdam circa locum patrium & modum plantam colligendi, integram delineat, quoad radicem, folia, flores, & folliculos, ejuſque figuram omnibus numeris abſolutiſſimam in D. Chriſt. Frommanni Diſſertatione de Caſtore exhiberi docet. Succum ejus amarum, abſtergentem, acidum corrigentem, glutinoſum, & adſtringentem celebrat; hinc vires roborantes, digerentes, aperientes & incidentes collaudat; maximam tamen virtutem herbæ & ſemini inſidere perhibet. Obſervationes tùm allegat, quibus efficaciam Trifolii in capitis doloribus quibuſvis, tinnitû aurium, aſthmate, phthiſi, empyemate (cujus ſpecificum eſſe teſtatur) in febribus quibuſvis, in ſtomachi affectibus, ptyaliſmô, catarrhô ſuffocativô, icterô, hydrope, in menſium obſtructione, colicâ convulſivâ, cachexiâ, liene induratô, & tumidô, pruritû, arthritide vagâ, malô iſchiadicô, motûs impotentiâ, pareſi, in partû difficili &c.

&c. plus ſimplici vice notavit. Præ reliquis tamen, maxima ſcorbutum tollendi vi pollere ipſi dicitur, ità ut reliquis hactenùs cognitis antiſcorbuticis plantis palmam non dubiam reddat, ſed omninò præripiat. Curioſum eſt, quod in Virô obſervavit febre tertianâ laborante, qui ex uſû Trifolii à febre liberatus uxori ſatisfacere non poterat, præſcriptis autem contrariis, i. e. dulcibus, tentiginem iterùm ſentiebat. Rationem hujus phœnomeni redditurus Noſter, amaritiem accuſat Trifolii, quâ nutritioni minùs favet, ſed potiùs enervat; hinc eſſe perhibet, quod Eſſentiæ Caſtitatis agnoſcant amara pro baſi, quæ ichoreſcentiæ ſeminis, pollutionibus nocturnis, & gonorrhœæ, in genere ſunt contraria. Hinc noxas pariter delineat, quas inferre ſolet hujus uſus, & nec gravidis, nec mulieribus menſtrua patientibus, nec dyſentericis, nec hæmorrhoidibus ulceroſis laborantibus, nec omnibus tabidis, (niſi in refractâ doſi,) propinandum hoc eſſe tradit; imò ſi quôcunque in morbô doſis augeatur, raucedinem accerſi ſæpiùs obſervavit. Sed & externis uſibus inſervire Trifólium aſſerit Noſter, dùm ſcilicèt gingivas putridas & ſcorbuticas cum ejus decoctô abluere, in cephalalgiâ ſcorbuticâ in acetô & oleô tritum cum paucô crocô inſtar cataplaſmatis opponere, lieni induratô conquaſſatum & cum farinâ ſecal. albumine ovi & ſtercore columbinô applicare, contra paralyſin ſcorbuticam balneum confici vaporoſum jubet. Tandem virtutem ejus vulnerariam meritò deprædicat Author.

Ibidem Annô 1709. *pag.* 364.
Johannis Franci Herbæ Alleluja. Vlmæ, literis Gaſſenmajerianis, 1709. 12.

AUtor Clariſſimus, cujus *Hiſtoriam Trifolii Fibrini in Actis noſtris ann.* 1701. *Menſe Juliô pag.* 328. explicatum dedimus, ſtrenuè pergit in Regni Vegetabilis theſauris inveſtigandis; quapropter impræſentiarum Herbam Allelujam examini ſubjicit, cujus vires inſigniores in nuperâ anni 1703. & 1704. febre Epidemicâ Ulmæ obſervaverat. Alleluja ſcilicèt, Monachis ſic dicta, quæ aliis Authoribus Jecoraria, Lotus puſillus, domeſticus, Cucullaria, Trifolium acidum, vulgare, acetoſum, aureum, oxalis minima, tricordium, Acetoſa arvenſis lanceolata audit, eſt planta palmam alta, radicem habens ſubrufam, ſquamis contextam, parùm geniculatam, in tranſverſum longam, fruticoſam, & capillamentis multiplicem, ſaporis cum levi adſtrictione amaricantis, cauliculos plurimos, rotundos, ſubtiles & tenues, circa radicem ſubrubentes, lanugine obſitos, folia ferens terna in ſingulis petiolis longis extremo ſinuata in formâ cordis, coloris jucundiſſimi, viridis, omnem viridariorum amœnitatem ſuperantis. Flores in ſimplicibus pediculis inter folia è radice proſilientes pentapetaloides; ſtellæ figura, communiter lacteos, venis purpuraſcentibus contextos, rariùs purpuraſcentes vel ſubcœruleos & luteos obtinens; delapſis floſculis luteum ad albedinem vergens in lunatis ſiliquis ſemen latè vel ex maturitate vel levi attactû diſpergens. Ubique creſcit hæc planta, & locis imprimis ſabuloſis delectatur. Flos circa finem Aprilis & initium Maij emicat; ſemen Menſe Juniô & Juliô ſuam acquirit maturitatem. Adveniente nocte vel etiam appropinquante tempeſtate folia quaſi hebetata concidunt, & ſe ſe demittunt inſtar pileoli Japonenſium. Quod autem flores Allelujæ copioſi crebras illius anni pluvias & aquarum inundationes certô portendant, pauci contra ſiccitatem, ſalſum eſſe, annus, quô ſcripſit hæc Noſter, qui erat ſicciſſimus, evicit. Hoc inſuper mirandum plantæ huic ineſt, quod patiatur deliquium, & attacta ſemina ex lateribus ejaculetur, oſculis mox iterùm conniventibus, ut ſiliquas diſſiluiſſe non appareat. Tota planta obtinet particulas tartareas, ſalinas, volatiles, cum multô phlegmate mercuriali; hinc aperit, fluxilitatem humorum promovet, particulas tartareas dividit, cruditates corrigit, ſpiritus excitat, & adſtringit. Ut taceamus alios morbos, in quibus depellendis planta noſtra tam externè admota, quam internè propinata egregiarum obſervata fuit virium, ſpecificâ facultate febrium malignarum eſt antidotus & cordialis audit, quô ſub nomine in febre Epidemicâ ſuperiùs commemoratâ, quæ 4265. Gallorum & Bojorum, 3383. civium, 749. captivorum Cæſareorum è vivis ſuſtulit, egregiè ſe commendavit. Cujus in rei fidem ultra trecenta allegat Noſter exempla ægrorum, quorum plerique ex ejus uſû cum valetudine in gratiam redierunt, & quinque communicat medicamentorum ſibi uſitatorum compoſitiones, quarum baſis eſt Alleluja.

Ibidem, *Ann.* 1724. *p.* 228.
Johannis Franci Tractatus ſingularis de Vrticâ Vrente. Dilingæ, apud Johannem Libertum, 1723. 8.

NOta eſt vel ex his Actis induſtria, quam Clariſſimus Francus à primâ infantiâ ad ſenectutem uſque, in quâ etiam floret, ſeptuageſimum quintum ætatis annum ſupergreſſus, in conquirendis, examinandis & inveſtigandis Plantarum qualitatibus & effectibus adhibuit: hinc facilè credendum, plures adhuc ab eodem aſſervari tractatus, ut ipſemet refert, ultimam tamen manum nondum expertos, in quibus certas regni vegetabilis ſpecies ad examen vocavit. Impræſentiarum Urticam urentem communicat, herbam alias abjectiſſimam, & ingloriam, vixque conſideratu dignam, egregiis tamen virtutibus medicinalibus donatam; Quanquam autem de hâc Græci & Latini pauca, pauciſſima Arabes conſcripſerint, ipſe tamen pluribus annotationibus, tam propriis quàm alienis obſervationibus ac remediis efficaciæ mirabilis ex veterum Ulmenſium Medicorum monumentis erutis hunc ſuum tractatum illuſtrat, & ad hodierna Medicinæ principia accommodat. Poſtquam igitur in onomatologiam urticæ inquiſiverat, vegetationem ejus tam in genere, quàm in ſpecie, quoad radicem, caulem, folia, ſpinas, flores, ſemen, ætatem, explicat, hinc formam, locum natalem, ſpecies & differentias, imò & vermes, quibus ſcatet, exponit, præparata deſcribit, ut aquam, ſpiritum, ſuccum, ſyrupum tam ſimplicem quam compoſitum, conſervã, extractum, & ſal fixum, qualitates & craſin noxaſque notat, vires ſpecialiores in morbis tam internis, capitis, thoracis, & abdominis, quàm externis deprædicat, multiſque exemplis confirmat; ac denique, quem uſum extra medicinam in re cibariâ,in fœcundandis gallinis, in Cereviſiâ conſervandâ, in prognoſticô de ſalute ægri formandô & alibi præſtet, adjungit. Deſcribit autem urticam, quòd ſit planta duorum cubitorum altitudinis & ultra, herbacei coloris, caule purpureô & in quibuſdam candidô, foliis profundè ſerratis, pungentibus, odoris quandoque fœtentis, ſeminis nigri, radice durâ, præbens præſentiſſimum dirorum morborum medicamen. Vim urentem ejus explicaturus, quâ

quâ tangentis manum afficit, illorum inhæret ſententiæ, qui lanugini, quâ folia retis in morem inveſtiuntur, & ſpiculis diaphanis, rigidiſque aculeis, quibus armata ſunt, eandem in acceptum ferunt. Vidit enim & Noſter per microſcopium, ſpinulas circa extremitatem globulum oblongum, album, mollem, & pellucidum, liquore plenum gerere, unde eô ruptô per tactum levem liquorem cum aculeis cutis porulos intrare, & ejuſdem pruritum ac inflammationem excitare exiſtimat. Virtutem verò laxantem, adſtringentem, diureticam, emmenagogam, lithontripticam, &c. à particulis ſalinis, ſulphureis, & terreſtribus, quibus una præ alterâ pars plantæ, quæ in medicamentum cedit, abundat, derivat. De ceterô, annô 1717. habitam fuiſſe Jenæ ſub Præſidiô D. Johannis Hadriani *Slevogtii* Prof. Publ. Diſputationem Inauguralem à Johanne Melchiore *Drechsler*, Wanslebio Magdeburgenſi, eleganter conſcriptam, de Urticâ, additis figuris æneis, eò magis monendum eſſe duximus, quò minùs ejus in Tractatû ſuô mentionem feciſſe Francum, videmus.

FRANZIUS (*Wolfgangus*,) S. S. Theologiæ Doctor & in Academia Wittebergenſi P. P.

De eô extat

Hiſtoria Animalium Sacra. Wittebergæ, 1624. in 8.

Ex eô prætereà habetur in Actis Lipſienſ. Ann. 1688. *pag.* 265.

Johannis Cypriani S. Theologiæ Licentiati, & in Academiâ Lipſienſi Profeſſoris Phyſices, Hiſtoriæ Animalium à D. Wolfg. Franzio olim ſcriptæ Continuatio. Lipſiæ & Francof. apud M. G. Hübnerum, 1688. *in* 8.

*Ibidem, Ann.*1717.*Supplem. Tom.* VI.*p.* 175.

Wolffgangi Franzii Hiſtoria animalium, cum Commentariis & Supplementis Obſervationum ex recentiori Hiſtoria Naturali &c. Opera Johan. Cypriani, S. Theol. D. & P. P. in Acad. Lipſ. Francofurti & Lipſiæ, apud Götthofr. Leſchium, 1712. 4.

MEntio hujus libri facta in his Actis eſt annô 1688. Menſe Majo. Tum enim prodierat *Continuationis Hiſtoriæ Animalium Franzianæ Tomus prior*, dilucidationem quadrupedum complexus; in quô *Tomi alteriùs* de Avibus, Piſcibus, Serpentibus, Inſectis, annuô tempore inſecuturam promiſerat editionem Autor Summe Reverendus *D. Cyprianus*. Quòd promiſſum quominus ſervare poſſet; duæ res impediverunt: primum officia, quæ gerit, Academica, interdùm ſemeſtri ſpatiô, & amplius, nullam in opere lineam duci paſſa: deinde annotandorum copia incredibilis, quâ factum eſt, ut, quæ *poſteriorem* conſtituere *Tomum* debuerant, octuplo priora ſuperent, ampliora etiam futura, ſiquidem Serpentum hiſtoriam atque Inſectorum pari perſequi ubertate, ut Avium & Piſcium, Summe Rev. Autor voluiſſet. Ceterum ſe totum opus ſic habet. Primum in eô locum integra *Franzii Hiſtoria* occupat: hanc excipit *Continuationis Pars prima*, ab illis nihil differens, quæ edita in lucem annô 1688. eſt: ſequuntur deinceps *quatuor reliquæ Partes*, Franziano ordini reſpondentes: quibus noviſſimè accedunt *quinque Indices*, Capitum unus, alter Animalium, tertius Locorum Scripturæ S. quartus Hodego-Homileticus, quintus denique rerum imprimis memoriâ dignarum. Propoſitum Autoris in conficiendo hoc librô fuiſſe, tam corrigere paſſim; quam ſupplere *Hiſtoriam Franzianam* ex optimis ſcriptoribus Phyſicis, Anatomicis, Geographis, Hiſtoricis, prætereàque uſus animalium & abuſus notare, variaque ſingulis Capitibus annectere Moralia, oſtenſum à nobis jam tum eſt, cùm editionem A. 1688. recenſeremus. Quô locô cùm etiam ſingulariora quædam ex *Continuationis parte primâ* ſpeciminis loco dederimus; noſtrum nunc erit ex iis, quæ nova acceſſerunt, hoc eſt ex reliquis *Partibus*, itidem nonnulla expromere. Præmiſſum verò *Parti ſecundæ* Præloquium eſt, in quô de Avibus in univerſum, de illarum Nomine, Partibus, cum externis tùm interioribus, Diviſione, Definitione, uſû & abuſû, Aucupioque explicatur, additis Similitudinibus quibuſdam & Emblematibus. In ipſius Tractationis *Capite primô* Aquila conſideratur: Hujus undecim recenſentur Species: poſt de volatû ejus, de viſû, deque aliis rebus ad illam pertinentibus diſſeritur: §. IV. & ſequentibus de veterum Romanorum Aquilâ, & quemadmodum ab eâ diſtet hodiernum Imperii Romano-Germanici inſigne, diſquiritur: in abuſibus Aquilarum numeratur, tùm cultus divinus, quo eas perſecuti ſunt Thebæi, Arabes, alii, tum auſpicia ex earum volatû capta, tum etiam, quod Romani, ſuos conſecraturi Imperatores, Aquilam è rogo emiſerunt, quæ animam defuncti in cœlum ferre crederetur, & hujuſmodi plura. Tandem Chriſtum in cœlum aſcendentem, item reſurgentes Beatos cum Aquilâ comparat Noſter, multaſque alias ex natura Aquilarum depromptas ſimilitudines addit. *Capite Tertiô* Phœnix proponitur, primumque in Ægyptiacum diſpeſcitur & Græcũ: deinde quæritur utrùm vera ſit avis, an fabuloſa? Prolatis in utramque partem teſtimoniis, eorum accedit ſententiæ Autor, qui veram eſſe avem negant. Refellit igitùr argumenta contraria, in iiſque étiam illa, quæ ex quibuſdam Scripturæ S. locis deſumuntur, ut ex Job. 29. 18. ubi dicitur. וכחול *multiplicabo dies meos*: חול igitur neutiquam Phœnicem ſed arenam ſignificare oſtendit, abſurdoſque Rabbinos eſſe, fingentes, Evam, poſtquã comediſſet de fructû arboris prohibitæ, comedendum quoque cæteris animalibus dediſſe, quæ omnia obedierint ipſi, præter unam avem Phœnicem, ob eam rem non morientem, ſicut dicatur, כחול *ut phœnix multiplicabo dies meos*, l. c. Poſtea docet, à Sacerdotibus Ægyptiorum conſultò eſſe fabricatam Phœnicis fabulam, ut eſſet pro more ſymbolum aliquod & Hieroglyphicum, cùm variarum rerum, tùm verò præcipuè ipſius Mundi, ejuſdemque converſionis: cujus periodum, hoc eſt, Annum magnum ſive Platonicum, cum alii aliter computaverint, factum eſſe, ut diverſa item à diverſis tribueretur Phœnici ætas: itàque, exempli cauſa, 1461. annos concedere Phœnici apud Tacitum quoſdam, converſionem autem Anni magni, ſeu ἀποκατάστασιν ſiderum, à compluribus totidem definitam annis eſſe, ut ex Manethone, Dione, Firmico & Cenſorino probaverit Salmaſius. Poſtremò etiam quæ alii & Theologi & Philoſophi comparare cum Phœnice ſoleant, commemorat. Cap. II. Bocharti & Seb. Schmidii interpretationes expendit ſuper Renanim Jobi Cap. 39. quorum ille Struthionem avium maximam, hic alaudam è minimis unam intellexit. In fine hujus *Partis* duæ additæ *Appendices* ſunt, quarum alterâ de Avibus tractatur fabuloſis cùm Græcorum tùm Hebræorum Arabumque; prætereà de Faunis etiam, Ficariis; Satyris, Onocentauris, quorum nominâ in Eſaiæ

leguntur & Jeremiae Interpretibus : in alterâ autem Appendice variae recenſentur aves omiſſæ, tum domeſticæ tum exoticæ, Moraliaque mox adjunguntur. Sequitur *Pars tertia*, quæ piſces complectitur. Hæc omnium ampliſſima eſt, in ejuſdemque Capite primô, occaſione eorum, quæ Franzius habet, multa diſputantur de piſcibus in genere, de eorum diviſione, partibus, cognatione cum avibus, alimentis, generatione, reſpiratione & ſomnô, ſenſibus, morbis, captura, uſu denique & abuſû. Cap. II. de Cetis, diſſenſus de piſce Jonam deglutiente, cetuſnè propriè dictus, an Canis Carcharra fuerit, examinatur: eodem, Jobi textus de Leviathane, & Cap. III. de Behemoth explicantur. Cap. IV. de Torpedine ejuſque vi ſtupefactivâ agitur. Cap. VIII. de Teſtaceis, Purpuræ & Conchæ margariferæ hiſtoria prolixè traditur: Part. IV. Cap. I. eſt de ſerpentum differentiis, ſenecta, partibus, ſenſibus, venenô, ejuſque remediis; quibus inſerta eſt diſſertatio de donô, quod perhibent, naturali Regum Galliæ & Magnæ Britanniæ, contactû ſuô morbos tollendi. Cap. II. de Viperâ, inter alia in generandi modum inquirit. Pars V. Inſecta tum in genere tum in ſpecie contemplatur. In Apum memorabilibus Cap. III. obſervatur Monarchia fœminina: in Muſcis Cap. III. admirandam ſtructuram per microſcopium conſpicuam, & quarumdam lucem nocturnam, ephemerum ſimile Muſcas, Scarabæos multiplici ſpecie, interque eos Cantharides noctilucas cognoſces. Cap. IV. Locuſtarum non minor quam muſcarum diverſitas numeratur atque detrimenta integris regionibus illata recenſentur. Ad Erucas pertinent Bombyces, de quibus recentiorum obſervationes recenſentur. Cap. VIII. Araneorum multa genera, interque eos octo oculis, & binis oculis, generatio fœcundiſſima, centum plerumque plus minùs ovorum, fila, eorumque conjunctione telæ geometrico modo ſtructæ conſiderantur: ſimùlque notatur, Fila illa Meteorica, aliis Fila Mariæ, autumni tempore frequentia, araneaŕum eſſe telas. Ad finem Capitis de Tarantulis earumque affectû & curâ quædam ſubjiciuntur. Partes verò duæ iſtæ de ſerpentibus & inſectis prioribus contractiores ſunt. Plura ex librô integrô nolumus commemorare, cum ex dictis de utilitate ejus quivis haud difficulter judicare poſſit.

FRANZOSIUS (*Hieronymus*,) Veronenſis.

De eô extat

De Divinatione per ſomnum, & de Prophetiâ. Francofurti, apud Joh. Beyerum, 1632. in 4.

FRASCATA (*Gabriel*,) Brixienſis, apud nos Medicinam poſt Philoſophicam Theoriam didicit, & ejuſdem in Patavinô collegiô lauream reportavit. Claruit ex hâc arte in Inſubriâ, quò familiam tranſtulit ditavitque. Nam curâſſe dicitur penè omnes Italiæ Principes, eorumque morbis opportunas ſuppetias feliciter attuliſſe; unde illi præmia laborum atque operarum eximia. Præſtitit etiam linguarum notitiâ, nec Aſtrologiæ fuit expers; hâc maximè in curandis ægrotis uſus eſt, advocatô ad Canonem Therapeutices aſpectû ſiderum, & obſervatione Planetarum adhibitâ. Scripſit Commentarios *de Aquis Returbii Ticinenſibus*, harum Mineras, facultates & uſum explicantes. Hos inſcripſit Philippo II. Hiſpaniarum Regi, cui ferunt opus hujuſmodi placuiſſe uſque adeò, ùt illum in aulam venire Regiam juſſerit, cui itineri dum ſe parat, mediâ in ſpe fortunæ Medicis omnibus invidendæ, morte interceptus Ticini eſt, Ann. 1581. ut Ghilinus tradit; ibi ſolemni funere elatus, tumulum habet. *Hiſt. Gym. Patav. T. ij. pag.* 241.

Ex eô habetur in Lindeniô Renovatô.

De Aquis Returbii Ticinenſibus Commentarii, mineras, facultates & uſum earum explicantes. Quibus in Libris omnia, quæ ad Thermarum Theoricam & Practicam faciunt, accuratè tractantur. Ticini, apud Hieronymum Bartholum, 1575, 1580. in 4.

FRAUNDORFFERUS (*Philippus*,) Civitatis Circulique Brunenſis Phyſicus Provincialis.

De eô extat

Philippi Fraundorfferi Phil. & Med. D. in March. Morav. Phyſ. Provinc. Regii, Acad. Cæſar. Nat. Cur. Herodici, Tabula Smaragdina Medico-Pharmaceutica; in qua Octingentorum, contra omnis generis morbos probatiſſimorum ſelectiſſimorumque Medicamentorum, in nullo Diſpenſatoriorum, ſed partim ex optimis & hôc tempore Celeberrimis Practicis deſumptorum, partim ab Amicis communicatorum, partim ex privatis manuſcriptis erutorum, partim denique propriâ induſtriâ inventorum, fidelis & accurata Deſcriptio, ordine, ut vocant, alphabetico, inſculpta legitur. Cum Indice Morborum & Medicamentorum. Opus & Medicis, & Chirurgis, & Pharmacopœis perutile. Revidit, emendavit, auxit Joh. Abraham Mercklinus D. Reip. Norimberg. Phyſ. Ord. & Acad. Cæſ. Collega, dict. Chiron. II. Norībergæ, ſumptibus Viduæ Joh. Ziegeri annô 1699. in 12. & 1713. in 8.

De eôdem prætereà habentur in Miſcell. Cur. Dec. III. *ann.* 3.

Obſervatio 2. *De Partû Millepedarum.*

Ibidem Obſervatio 3. *De hydrope Tunicæ adnatæ oculi.*

Commiſſus eſt meæ curæ proximè elapsô autumnô puer aurifabri cujuſdam filius, cujus oculus ſiniſter affectus fuit, ut ſequitur. Tunica adnata, intra paucas horas, nullô aliô malô præcedente, per totum album oculi à tunicâ corneâ ſeceſſit, & undiquè circum iridem in annularem tumorem fornicis inſtar elevata fuit, ſpatiô inter utramque tunicam aquâ limpidiſſimâ per adnatam tranſparente plenô, adeò ùt puer præ annularis hujus tumoris altitudine vix oculum claudere, aut ſi hoc, cum magnâ difficultate præſtitiſſet, vix iterùm aperire poſſet, iride & pupillâ interim ſanis. Ego poſt purgatum corpus cataplaſma diſcutiens, & tandem poſt aurem veſicatorium applicare jubeo, quia licèt reſeratis per cataplaſma tunicæ adnatæ poris aqua aliqualem exitum inveniret & partim in formâ lachrymarum efflueret, tamen alia priori continuò ſuccedens, tumoris imminutionem impedivit, intereà in Carunculâ anguli exterioris oculi tumuſculus alius cum inflammatione ortus eſt, qui ſuppuratus & ſponte ruptus, cum pure quod fudit, toti aquæ incluſæ, ac ſi paracentheſis facta fuiſſet, exitum fecit, unde tunica adnata mox concidit, & patiens paucis exſiccantibus adhibitis, paulò poſt plenè convaluit. Hic affectus quia ab Authoribus, quantùm mihi ſaltem conſtat, non eſt annotatus, & nomine Hydropis tunicæ adnatæ fortè dignus, eum publicum facere volui.

Ibidem

Ibidem Obſervat. 4. *De Lue Venereâ citò & facilè Curatâ.*

VIr annorum triginta ſex, cujus Nomini parco, à tribus annis lue venereâ graviſſimè afflictus, poſtquàm varia tentaſſet, totus debilis, tandem meam opem imploravit; huic præmiſſis univerſalibus & ordinatâ ratione victûs, ſequens præſcripſi;

℞. *Theriac. Androm.* ʒß.
Mercurii præcip. ſpecif. D. Sorbait. gr. iiij. m.

quod ipſi unum vomitum materiæ acerrimæ & ſubviridis & unam ſedem fecit; ſequenti die doſim Mercurii unô granô auxi, & ſecuti ſunt duo vomitus materiæ priori ſimilis cum ſedibus tribus; tertiâ die prioribus adhùc unũ granum Mercurii adjeci, & ter iterùm vomuit ac ſeptiès dejecit cũ nonnullis torminibus. Quartâ die ab exhibitione medicamenti quievi, verùm nihilominùs alvum aliquotiès depoſuit, & ſemel vomuit, ob quam cauſam nec quintâ die illi quidquàm dedi, ſed quia ſine medicamentô etiam hâc die plures ſedes abſque tamen vomitû habuit, etiam ſextâ die medicamentum intermiſi, & ſic deincèps uſque ad duodecimam, quibus tamen omnibus diebus ſæpiùs purgatus, & nonnunquàm ad vomitum ſtimulatus eſt. Intereà cum Mercurii vi omnia ſymptomata in tantùm evanuerunt, ùt præter ulcerum (quæ tamen in quibuſdam partibus, præſertim ſupra naſum adeò horribilia & profunda erant, ùt oſſis cariem non parùm timuerim) veſtigia ſeu rubras maculas nec quidquam ampliùs appareret. Nihilominùs nè quid fortè poſt tempus repullulaturum in corpore remaneret, decimâ tertiâ die adhùc unam doſim ex Theriac. Androm. ʒß. & Mercurii prædicti gr. v. exhibui, poſt quam eâdem die ter vomuit, ſed materiam jam ſatis temperatam; purgatus verò eſt ſuaviter adhùc per quinque dies, nec aliô ampliùs opus habuit remediô. Vide de hôc Mercuriô Paulum de Sorbait tractat. 2. ſ. 6. de Morbô Gallicô.

Ibidem Annô 5. *&* 6. *Obſervatio* 18. *De Vomitû habituali Cati Domeſtici.*

Ibidem Obſervatio 19. *De Rubore & puſtulis oculorum & medicamentorum Camphoratorum ad eas utilitate.*

PUella elegans 5. annorum puſtulis compluribus ac rubore oculorum non ſine cæcitatis periculô vexata, mihi curanda oblata eſt. Huic præter medicamenta purgantia, veſicantia, hirudines, cucuphas exſiccantes &c. etiam multa alia topica oculis applicanda præſcripſi, ſed ſine fructû; tandem unguentum ſequens quod

℞. *Butyr. rec. ſine ſale in aq.*
Euphrag. aliquotiès
loti ℥iß.
Tutiæ præp. ʒjß.
Camphoræ ʒj. *M.*

ordinavi, & palpebris non tantùm illiniri, ſed etiam cum petiolis applicari præcepi, & ecce intra paucos dies & rubor & puſtulæ cum omnium admiratione diſparuerunt, & ægra plus quàm per medium annum optimâ ſanitate eſt uſa. Poſteà tamen propter errores, ut opinor, in diætâ commiſſos idem morbus denuò rediit, puſtulis non tantùm album ſed nigrum oculorum copioſè obſidentibus, ac totô ferè albô intenſô rubore obductô, cum venulis turgidis & non ſine dolore. Ego vocatus præmiſſo per 4. continuos dies laxativo Jalappato, idem ung. repetii, & rursùs quidem cum fructû ut ſupra, & ægra bene habuit quaſi per 9. menſes, tandem una iterùm puſtula in albo oculi eſt ſuborta cum aliquali rubore, ſed mox iterùm methodô modô laudatâ, ſublata, & jam ferè ab integrô annô ægra nihil mali eſt paſſa.

Ibidem Obſervatio 134. *De Aſthmate Cardiacô.*

Ibidem Obſervatio 135. *De affectû quodam ſingulari ſpaſmodicô curatô.*

ANnô proximè elapſô nobilis Dominus N. N. Annorum circiter 30. habitûs carnoſi, ſingulari quôdam affectû ſpaſmodicô, alternis ferè diebus ſemel recurrente & plùs minùs dimidium horæ quadrantem durante, laborare cœperat; corripiebatur enim ex improviſô ſpaſmis tremulis per muſculos & ſuperiorum & inferiorum artuum vagabundis, ſed ità levibus, ùt iis durantibus nihilominùs ſtare aut etiam ambulare, eſto non ſine difficultate, poſſet, his parùm perdurantibus acceſſit palpitatio cordis, oppreſſio pectoris, atque interceptio reſpirationis tanta, quæ ægrum fortè jacentem etiam ſurgere cogeret; tandem ſimiles ſpaſmi etiam cervicem, imò caput apprehenderunt, unde ejuſdem quaſi in gyrum actio, atque vertiginoſa confuſio, ità ùt niſi quô ſe ſuſtentaret ad manus haberet, etiam in terram procideret; verùm pauculis momentis elapſis, prior redivit ſerenitas, nihil niſi aliquali membrorum debilitate perſeverante. Huic conſilium meum imploranti, præmiſſô prognoſticô à affectum hunc facilè in epilepſiam degeneraturum, utpotè à quâ non niſi gradû differret, ἐπιπόθεως conſului ut ſequitur; Præmiſſâ convenienti purgatione, venam, ſi quidem plethora urgeret, incidi juſſi, quiqus peractis abſorbentia, præcipitantia, contemperantia, antiſpaſmodica, ſpecifica, & in ſpecie ad ſpiritum cornu Cervi ſuccinatum, acceſſi nec ſine fructû, nam intra paucas ſeptimanas (obſervatâ ſimùl debitâ victûs ratione) morbus in tantùm imminutus eſt, ùt in ſeptimanâ vix ſemel & quidem ſine comparatione levior fuerit obſervatus; attamen quia & ſic adhùc moleſtus, præſertim cùm & defluxio quædam faciem iteratò petens acceſſerit, repetitô denuò medicamentô purgante, reiteratâque venæſectione, decoctum ex lig. Guajac. ſaſſafr. Rad. Chinæ, ſalſæparillæ &c. pro ciendo ſudore præſcripſi & ecce, poſtquàm æger ſeptiès circiter ſudavit, totô corpore mirâ, & mihi ſaltem in tantâ copiâ nunquàm viſâ impetigine correptus eſt, cum pruritû inſigni, à quâ tamen continuatis ſudoribus denuò eſt liberatus & tam à prædictâ defluxione, quàm ipſô affectû ſpaſmodicô totaliter curatus. Hanc obſervationem bonô publicô ideò communicare placuit, ùt poſtquam cauſa Epilepſiæ hactenùs valdè controverſa atque obſcura exiſtit, quæ tamen hic cum causâ impetiginis eâdem; & ſaltem quoad locum affectum diverſa extitiſſe videtur, fortè ad illam clarius cognoſcendam demonſtrandamque ut & efficacius oppugnandam, aliquod indè lumen accendatur.

Ibidem Obſervatio 136. *De Affectione hyſtericâ typum febris quotidianæ imitante.*

MUlier maritata, hactenùs verò nunquàm gravida, per plures dies circa horam decimam

cimam matutinam oſcitare & laſſa torpidaque fieri incipiebat; circa horam ſecundam pomeridianam laſſitudo & torpor ità increſcebat, ùt nec ampliùs ſtare vel ambulare poſſet, ſed lecto ſe ſe committere opus haberet; circa ſeptimam Veſpertinam acceſſit ſomnus profundus cum ſtertore; circa undecimam noctis omnium ſenſuum tam internorum quàm externorum, item & pulsûs atque reſpirationis ac ſenſuum quaſi abolitio; circa horam ſecundam noctis fortiùs iterùm reſpirare cœpit & pulſus augeri, item ſenſus redire, ità ùt puncta aut vellicata ſentiret & fortiori clamore etiam excitaretur; circa horam quintam matutinam etiam ſponte fuit expergefacta, ſed adhùc torpida laſſaque uſque ad ſeptimam matutinam, ubi tota ſana, vegeta, & obeundis negotiis domeſticis plenè apta facta eſt. Circa horam decimam matutinam morbus prior denuò redivit, ut modò dictum, increvit, & decrevit, & ſic per quindecim dies continuos. Huic inter alia affectibus uterinis accommodata remedia maximè profuit pulvis meus hyſtericus in Tabulâ meâ Smaragdinâ deſcriptus & hæc mixtura: ℞. Aq. hyſteric. cum Caſtor. ℥iij. Eſſent. Caſtor. ʒiij. ſpir. C. C. ſuccin. ʒj. ſuccin. præpar. ʒiß. ſyr. de Cinamom. ʒj. m. detur cochleatim.

Ibidem Annô 7. & 8. Obſervatio 17. De Flatû Curioſô lactis uſû Curatô.

VIr podagricus & calculoſus, ante annos circiter duos tympaniticus factus, ſed tunc à me curatus, proximè incidit in flatum furioſum, (Nakir vocant) quô per omnes corporis partes, meatus, cavitates, imò etiam venas atque arterias cum impetû tranſeunte, adeò doloribus, vigiliis, inquietudinibus, conſtipatione, inappetentiâ, ſiti &c. debilitatus & exhauſtus eſt, ùt jam jam depoſitus videretur; medicamentis ſive purgantibus, ſive aperientibus, ſive carminativis, ſive ſtomachalibus, ſive præcipitantibus, ſive ſudoriferis, ſive refrigerantibus, ſive deniquè cordialibus pro variâ affectûs facie, præſcriptis, nec quidquàm ſolatii afferentibus. Huic tandem perpendens fermentum quoddam irrequietum & per totum quodammodò corpus diffuſum, idque probabiliter acidum adeſſe, quod fortè lacte copioſius hauſtô concentrari, figi, præcipitarique poſſet, lac bubulum coctum calidè ſumendum ſuaſi; & ecce! dictum, factum; aſſumpſit per ſeptem dies continuos perſcriptô modô lac, & quidem quotidiè ad libras tres, die verô octavâ medicamentum purgans ebibit, plurimaque ſcybala alba per alvum dejecit, & morbus nimiùm quantùm imminutus eſt; continuavit lac per alios ſeptem dies & medicamentum purgans ſubjecit, & ſic etiam tertiâ vice; atque æger plenè convaluit.

Ibidem Obſervatio 18. De linimentô ad ſerpiginem Euporiſtô.

AD ſerpigines, etiam rebelles & contumaces citò exſtirpandas, imò unicâ inunctione delendas efficaciſſimum eſt linimentum ex Grülingiô deſumptum, quod, ℞. Gum. Tragacanth. in aq. plantag. ſolut. ℥j.

Aluminis.

Mercurii ſublimat. ana. ʒj.

M.

Id quod ego multotiès probavi, & nunquam non probatum reperi.

Ibidem Obſervatio 19. De Muliere nunquàm in vitâ ſuâ menſes experta, nihilominùs fœcundâ.

Ibidem Obſervatio 20. De alterô teſticulô deficiente.

Ibidem Obſervatio 21. De pupillis oculorum Cordiformibus.

NOn ità pridem puellam quinquennem febre Continuâ laborantem curavi, quæ à nativitate pupillis oculorum Cordiformibus, id eſt figuram quâ pictores cor notare ſolent, perfectè referentibus, prædita erat; cæterùm rectè, diſtinctè, clarè videns.

Ibidem Obſervatio 22. De juvene ſupra ſiniſtrum Hypochondrium caput informe habente.

FREHERUS (*Paulus,*) Medicus Norimbergenſis ſcripſit Theatrum virorum Eruditione clarorum, à ſæculis aliquot ad hæc uſque tempora florentium, editum Norimbergæ A. C. 1688. curâ Caroli Joachimi ex ejus fratre nepotis; ipſe enim obiit A. C. 1682. ætatis 71. *Hoff. Dict. T. ij. pag.* 311.

FREIGIUS (*Joh. Thomas,*)

De eo extant

De Medicina Libellus. Extat cum ejuſdem Pædagogô, hoc eſt, Libellô, oſtendente, quâ ratione prima artium initia pueris quàm facillimè tradi poſſint. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri, 1582. in 8.

Quæſtiones Phyſicæ. In quibus Methodus, doctrinam Phyſicam legitimè docendi, deſcribendique, rudi Minervâ deſcripta eſt, Libris XXXVI. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri, 1585. in 8. Horum 26. de Metallis Lapidibus, Gemmis.

27. De Pſychologiâ.

28. De Dendrographiâ & Phyturgiâ.

29. De Botanologiâ.

30. De Georgiâ.

31. De Inſectis & Bombycibus, & Meliturgiâ.

32. De Avibus & Ornithogoniâ.

33. De Piſcibus & Ichthyographia & Ichthyotrophiis.

34. De Zoographiâ Animantium terreſtrium, Pecuariâ, Paſtoritiâ, & Κτηνοτροφίᾳ.

35. De Anthropologiâ & Anatomiâ, agit.

FREIHAUSEN (*Joh. Jac. Sweigkhardus à,*)

De eô extat

Ars Magneſia, hoc eſt, Diſquiſitio bipartita Empirica, ſeu, experimentalis, Phyſico-Mathematica, de naturâ, viribus, & prodigioſis effectibus Magnetis, cùm Theorematicè, tùm Problematicè propoſita, novâque methodô, ac apodicticâ, ſeu, demonſtrativâ tradita, variiſque uſibus, ac diuturnâ experientiâ comprobata; Herbipoli, apud Eliam Mich. Zinck, 1631. in 4.

FREILAS (*Alphonſus de,*) Giennenſis*, Doctor Medicus, & à Cubiculô D. Bernardo Sandovalio Præſuli Toletanô, ſcripſit

Conocimiento, Curacion y Preſervacion de la Peſte; ſimùlque

Vn Tratado del Arte de deſcontagiar las ropas de ſedas, telas de oro y plata, tapicerias y otras coſas: itemque

Vn diſcurſo, ſi los Melencolicos pueden ſaber lo que eſta por venir con la fuerza de la Imaginacion. Giennii 1606. 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 19.

FREINCH (*Johannes,*)

De eo extat

De Deſtillatione. Londini, 1653. in 4. Cum Figuris.

FREIND (*Johannes,*) Medicus Anglus, Coll. Med. Londin. & Soc. Reg. Socius, maximi apud omnes Doctos Nominis. Obiit hôc annô 1729.

De eô extant in Actis Lipſienſibus Ann. 1705. *pag.* 174.

Emmenologia : In quâ fluxus Muliebris. Menſtrui Phænomena, Periodi, Vitia, cum Medendi Methodo, ad Rationes Mechanicas exiguntur. Oxoniæ, è Theatrô Scheldonianô, Ann. 1703. *in* 4. & Roterodami 1711. in 8.

QUi naturæ veſtigia fideliter legunt Phyſici pariter ac Medici, abdita ejus eruunt felicius : neque enim ullâ ratione vel modo corporis humani affectiones innoteſcent planiùs, ac ſi leges eas, quas ſuis motibus præſcripſit Natura, ſeduló conſulamus. Hanc ipſam in explicandis Naturæ arcanis viam ſingulari cum induſtriâ ac laude ſequitur clariſſimus præſentis Emmenologiæ Auctor Joh. Freind. Non neſcius enim, quam infeliciter ceſſerit hactenùs pleriſque, qui de Menſibus ad nauſeam uſque ſcripſerunt, dum ingeniô ſuô abrepti, ſuorum potiùs ſomniorum, quàm naturæ fuerint interpretes ; operam ſuam haud malè collocâſſe ratus eſt, ſi Menſium naturam paulò accuratiùs explicare aggrederetur, deducta ab elementis mechanicis eorum Theoria. Capita, quibus abſolvitur tractatus elegantiſſimus, in univerſum ſunt XIV. I. de purgationis Menſtruæ natura, II. de variis circa hanc materiam opinionibus, III. de plethoræ cauſis, & quare fiat in fœminis, IV. de ſtructurâ uteri & vaginæ, V. de modô, quô menſes movet plethora, VI. de argumentis contra plethoram, VII. de periodis, VIII. de phœnomenis, IX. de iis, quæ aut citiùs cient, aut diutius retardant menſes, X. de ſymptomatis quæ à ſuppreſſis menſibus oriuntur, XI. de methodô in ſuppreſſis menſibus therapeuticâ, cui ſubnectuntur hiſtoriæ, XII. de ſymptomatis, quæ à menſium fluxû immodicô oriuntur, XIII. de methodô in fluxû menſium immodicô therapeuticâ, cui itidem adjiciuntur hiſtoriæ, XIV. de remediorum viribus & operatione. Notatû digniora ex ſingulis ſunt ſequentia :

Plethoram cum Galenô ſtatuit menſium cauſam, eandemque à perſpiratione impeditâ dependere perſuaſus eſt Clariſſimus Auctor. Minor enim in fœminis materiæ perſpirabilis ſecretio, ob minorem ſanguinis velocitatem, quæ ex pulsû, & capillarium vaſorum anguſtia, quæ ex texturâ in ſexû ſequiori delicatulâ probari poteſt, obſervatur. Aortæ truncus deſcendens multo amplior in fœminis, quàm in viris, ut non modò ad muſculos excludendo fœtui inſervientes, ſed ad uterum etiam major ſanguinis quantitas deferatur ; quæ vaſorum capacitas & multitudo facit, ut non alium, niſi per uterum, ſibi exitum quærant menſes. Cùm eò uſque increbuerit ſanguinis momentum, ut ei oppugnando, vaſa minimè ſufficiant, locum facilè cedunt, ut per ipſorum tunicas ſanguis erumpat ; vaſa verò uterina, ut potè carne parùm ſuffulta, ad cedendum ſunt facillima. Suum etiam in hôc negotiô confert ſymbolum valvularum in venis uterinis defectus ; nihil enim, hoc ſuppoſitô, obſtat, quò minùs ſanguis omnis, qui in ramis amplioribus continetur, retrò versùs capillarium anguſtias corruat, & tenella orificia ità premat, ut impulsû quôvis diſſiliant. Qui negant plethoram eſſe menſium cauſam, nihil probant, dum graciliſſimas etiam fœminas per uterum purgari opponunt. Has ipſas enim ſanguine præ obeſis exuberare, Galenus jam ſuô tempore novit, & quotidiana confirmat obſervatio, in lactantibus gracili corpore præditis, menſtrua ſolenniter ferè celebrari. Quod ſi tales à plethorâ ipſâ ſuppreſſionem menſium gigni aſſerant, fallaciâ non cauſæ ut cauſæ committunt, neque enim plethoræ tunc, ſed ſanguinis lentori potiùs eadem adſcribenda. Ratio periodorum quæ in menſium fluxû obſervantur, hæc eſt : quantitas ſanguinis menſe quolibet evacuati cum ſit circiter unciarum viginti, totius maſſæ ſanguineæ eſt pars ferè decima ; hâc igitùr ſanguini acceſſione factâ, ſub fine cujuſque currentis periodi momentum ſanguinis erit decimâ parte fortius, ſinguli porrò in corpore canales decimâ parte prementur magis & diſtendentur : ita canales preſſionem die unô aut alterô ante fluxum nonâ parte adauctam ſuſtinere poſſunt, decima verò accedente, locum cedunt, uti lancibus ad æquilibrium perductis, ſi quid ultra adjicias, præponderat. Menſtruis igitùr fluentibus, vaſa omni eô ſanguine, qui plethoram conſtituit, deplentur, ceſſantibus verò, ad conſuetum corporis pondus redeunt mulieres : unde iterùm deficiente perſpiratione, neceſſe eſt, ut intra idem tempus eadem accumuletur ſanguinis redundantia. Quod ſi detur, vaſa ſanguinea ab hujuſmodi plethorâ ſemel diſrumpi poſſe, ſequitur omninò, ſi ſimilis menſe quolibet redeat plethora, eundem etiam fluxum reverti debere : deficiente verò in fœminis perſpiratione, abundè ſufficit intervallum menſtruum, ut plethora talis increbeſcere & accumulari queat. Quod menſes communiter ultra ſeptimum ſeptenarium non perſiſtant, à mutatione fibrarum evenire ſtatuitur ; in ſenectute enim hæ ipſæ non modò rigidæ magis & renitentes fiunt, ut à ſanguinis momentô perfringi nequeant ſed capillarium oſcula etiam, ex quibus fluere conſueverunt menſes, continua tandem cicatrice, quaſi callo ità obducta ſunt, (quemadmodum in hæmorhoidibus ſæpius inciſis contingit,) ut per ea nullus ultra ſanguini pateat exitus. Adeò menſibus tandem deficientibus, alia in corpore ſecretoria aſſuetudine continuâ ità ſe tandem comparabunt, ut plethoram, quæ menſe quôlibet coacervatur, accipere ac deplere poſſint. Cauſam ſuppreſſionis menſium, vel à vaſorum vitiô, vel à plethorâ cum lentore conjunctâ, deducit Clariſſimus Autor. A vaſorum vitiô ſuppreſſionem veniſſe, ſignum diagnoſticum habetur, ſi adſit dolor circa uterum tenſivus, venarum tumor, faciei color floridus ; quod magis adhuc certum, ſi fortius inſimul increbeſcat pulſus. A plethorâ excedente autem ſanguinis qualitas vitiari ac lentore gravari poteſt, partim, quia in tantâ ſanguinis copiâ particulæ ejus in anguſtius ſpatium coguntur, adeòque facilè coaleſcunt, partim, quod ob intumeſcentiam fibrarum, motus cordis imminuatur, partim, quod in tali ſtatû, abſumptis per reliqua corporis ſecretoria tenuioribus & aquoſis ſanguinis particulis, ſpiſſiores remaneant. In curandâ menſium ſuppreſſione, venæſectio non niſi præmiſſis purgantibus atque emmenagogis ſuadetur. In his enim, cùm ea ſit operandi ratio, ut humores viſcidos diſſocient atque attenuent, ſanguis jam ante comminutus laxiuſque cohærens, copia detracta, facilius dimovetur, & fortius momentum concipit. Igitùr triduo ante conſuetum tēpus ſecatur vena, ut tùm præcipuè

novus ſanguini accreſcat impetus, cum augmenti ſummam attigerit plethora. Quoad locum, ubi vena ſecanda, cum citra lentorem ſanguis exuberans vaſorum vitiô reſtrictus fuerit, ſaphæna eligitur, quia à venâ cavâ pariter, ac iſta, quæ circa talum eſt, ducit originem: adeòque cum fluidô largius influente major ſit vaſorum diſtenſio, facilior aperietur ſanguini menſtruo egreſſus. Interdum tamen præſtat venam in brachiô priùs & deinde in malleolis aperire: diminuta quippe per venam in brachiô ſectam ſanguinis copia, augetur velocitas, poſteà verò, aperta ſaphæna, ſanguinis ad interiora ſe præcipitat, & auget eam, quæ ad vaſa uterina continuò increſcit, plethoram; unde auctâ plethorâ & velocitate, augetur etiam ad ipſorum latera ſanguinis momentum. In Hiſtoriâ primâ, quæ Capiti XI. annexa, de Catharticorum inconſtanti operatione hæc eſt Clariſſimi Auctoris opinio: in iis, quibus patientiora ſint lacteorum oſcula, ſive id à naturâ, ſive vitiô aliquô provenerit, ita, ut medicamentum omne in ſanguinem facilè tranſmittant, alvus minùs movetur: in iis verò, quibus arctiùs coaleſcunt, aut obſtruuntur lactea, ita, ut pars Cathartici maxima in inteſtinis ſubſiſtat, ſtimulus ad tunicas validior eſt, & proinde crebrior alvi dejectio. Hiſtoria ejuſdem Capitis V. fœminæ mentionem facit, quæ ex menſium ſuppreſſione omnium maximè queſta eſt de abdomine: in inteſtinis quippe ſenſit tormina quaſi colica, in ventriculo gravitatem, inflationem & nauſeam, &c. ſuaſit Clariſſimus Auctor emplaſtrum, quod humores reſolveret, & doloris vehementiam ſopiret:

℞. *Empl. Hyſter.*
de Galban. à q. ſ.
Opii. Camphoræ à ʒij.

M. F. Emplaſtr. Hoc Emplaſtro ſub noctem adhibitô, poſt aliquot horas vehementer incaleſcebat mulier, & humorum quandam quaſi inter ſe luctam ſibi viſa eſt ſentire: poſterô verò mane prorsùs evanuit in abdomine dolor, & diſſipata ſunt tubercula, cujus rei rationem reddit ſequentem; Camphoræ & opii particulæ tenuitate ſuâ intra vaſorum poros ſe inſinuant, ibique lentis humoribus, quorum vitiô oriuntur dolores & tubercula, commiſtæ, eos ità incidunt & exagitant, ut ſanguinis globuli non ultra ad oſcula arteriolarum hæreant, ſed jam in minima diviſi vel in venas trajici queant, vel perſpiratione foras extrudi. Ità penetrans reperitur opii & Camphoræ vis, ut nullum ferè ſit (ſi cantharides excipias) remedium, quod externè adhibitum cutim promptius pertranſeat & viam ſibi in ſanguinem aperiat: adeò parùm ſe oſtendit ignava illa & frigida qualitas, quam iis plerique ſolent affingere. Fluxum menſium nimium facilè excipere fluorem album, communis eſt obſervatio. Ratio ex mente Auctoris hæc eſt; ſi uteri tonus vacillet, glandularum, quæ internæ ipſius tunicæ interſeruntur, adeò dehiſcent oſcula, ut lympham ſuam in uterum copioſiùs effundant, ea verò continuò foras ſtillante, orietur morbus ille, qui apellatur fluor albus. In relictâ poſt abortum placentæ portione, à bienniô intùs retenta, ſequentem probatam deprehendit mixturam:

℞. *Tinctur. Croc.*
Laud. liqu. Sydenh. à ʒij.
Camphor. inſp. Vin. ℥ß. *diſſol.* ʒj.

M. D. ad guttas quadraginta ſæpiùs de die; quô remediô ità ſpiritus refecti ſunt, ut poſt diem unum & alterum, illa placentæ portio graveolens & planè putrida excluſa, omniſque dolor, & tandem etiam nimius menſium fluxus ſopitus fuerit.

De emmenagogis eorumdemque operandi ratione & modô ità ſentit Clariſſimus auctor: cùm partium tenuium ſint & maximè penetrantium omnia illa, quæ jure emmenagoga appellantur, molem ſanguineam ita incidunt & comminuunt, ut minor ſit globulorum inter ſe contactus & proinde compages rarior; ſanguis verò ad hunc modum attenuatus, non modò ſpatium ampliùs intra canales occupat, ſed ſpiritus etiam nervis uberiores ſufficit; unde iterùm corde vehementiùs contractô, fortiore impetû per arterias circulatur. His autem attenuandi viribus menſes pellentia inſtructa eſſe, confirmare ſatagit:

1. Per effectus ſenſibiles ex ſapore acri & amarô, odore fragranti, ſalis vol. indice, pulſus incitatione, colore auctô & diaphoreſi, patentes.

2. Per commixtionem emmenagogorum cum ſanguine adhuc tepente, ex quâ ſi color floridus & fruiditas tenuior emergat, de attenuandi ac diſſolvendi viribus dubitari non poſſe, perſuaſus eſt. Neque tamen ideò tincturas eas, quæ ſpiritû vini extrahuntur, ex numerô emmenagogorum excludit, licet ſanguini coagulum inducant: ipſe enim ſpiritus vini eas in ſe continet particulas, quæ in ſpiritus animales facilè migrare poſſunt; ſpiritibus verò in cor uberius influentibus, inducitur illa ſanguini rareſcentia quæ ad ciendos menſes ſatis efficax, cùm à vaſis præduris nimiumque renitentibus, ortum duxerit ſuppreſſio.

3. Per confuſionem emmenagogorum cum ſyrupô violarum, unde color viridis aut viridi affinis, ſalis alcalini index; alcalicorum autem eas eſſe vires fatentur omnes, quæ coagulum ſanguinis reſolvant.

4. Per injectiones in venas jugulares vivi animalis ſyringa inſtitutas, quibus nõ minùs vis emmenagogorum attenuatrix ad oculum demonſtratur.

Adſtringentium operationem quod attinet, ea non modò in fibris vellicandis & contrahendis, ſed & in humoribus coagulandis incraſſandiſque ſita eſt. Sanguinis igitùr particulis condenſatis, & arctiùs inter ſe cohærentibus, imminuitur velocitas, non modo, quia parcior fit ſpirituum ſecretio, ſed quia ea eſt humorum reſiſtentia, ut difficiliùs à corde protrudi queant. Velocitate verò languente, ità deficit ſanguinis momentum, ut Canales minùs jam diſtrahat, eorumque viribus contrariis impar evadat. Ità in ſanguinis debilitate tonum ſuum recolligunt & coaleſcunt vaſa. Quæ de adſtringentibus theoria, non minùs ac ea de emmenagogis, argumentis atque experimentis ſolidis à Cl. Auctore confirmatur.

Antequam recenſionem hanc finiamus, non poſſumus quin illam, quam de hydrargiri & Chalybis viribus fovet theoriam, brevibus allegemus. Et hydrargyrum quidem, partium tùm gravitate, tùm tenuitate, cohærentiam ſanguinis ità diffringere & ſegregare ſtatuit, ut humoribus plurimùm attenuatis, major fiat ſpirituum ſecretio, & vis cordis fortior; quod ſatis confirmari ſalivatione perſuaſus eſt, in quâ pulſus ità frequens & validus obſervatur, ut ad febrilem penè accedat. Etiam peractâ ſalivatione, ſanguinem tenuem admodùm & rarum relinqui, teſtatur experientia. Itàque reſtrictis menſibus nunquam felicius ſuccurritur, quam cum alterantibus per vices interpoſita ſunt purgantia Mercurialia. Etiam continuum Æthiopis mineralis uſum, non modò tutum, ſed & efficacem ſemper comperit. Chalybem ex iis eſſe docet Clariſſimus Auctor, quæ ſpiritibus quaſi cognata ſunt; quod ſatis oſtendere pulſum, chalybeatorum uſû ve-

ſû vehementer increbreſcentem, exiſtimat. Nam non ſolùm gravitatis momento, ſed & attenuandi ac rarefaciendi virtute chalybs pollet. Et hinc facilè innoteſcet, quomodo, uti vulgò fertur, & vaſa obſtructa aperiat, & nimis laxa reſtringat; quæ quidem in agendô vires pleriſque non contrariæ modò ſed & inexplicabiles videntur, cùm tamen, vaſis obſtructione liberatis, eorum latera adſtringi ſive contrahi neceſſe ſit. Fibræ enim, quæ, dum ſanguis ſtagnaret, relaxatæ ſunt, nunc remotô omni obſtaculô, vim ſuam naturalem exercent, h. e. elaſticitate forti ſe ſe tonô ſuô quidem roborat Chalybs non modò, quia vaſa obſtructione expedit, ſed quia ſpiritus etiam, uti dictum eſt, uberius ſufficit: à quibus pendet omnis fibrarum contractio.

Ibidem Ann. 1710. *p.* 412.

Præ lectiones Chymicæ, in quibus omnes ferè operationes Chymicæ ad vera principia & ipſius Naturæ leges rediguntur, Oxonii habitæ ab eodem. Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1710. 8.

CHymicos in experimentis cum laude hactenùs progreſſos eſſe agnoſcit Author, in iis autem explicandis parùm profeciſſe affirmat, talibus quippe uſos principiis, quæ vix intelligi poſſint. Artem igitur Chymicam illuſtraturus ſingulas operationes eo, quo inter ſe connexæ ſunt, ordine explicare & quâ potiſſimùm vi mechanicâ edantur, diſquirere intendit. Monet autem viam, quâ ad mechanica principia Chymia exigi poſſit, primùm aperuiſſe Johannem *Keil* in iis, quæ ex Tranſactionibus Anglicanis ſectioni ſextæ Tom. IV. ſupplementorum p. 272. & ſeqq. inſeruimus, & ſpem facit operis Phyſici ab ipſô edendi, in quô res maximè reconditas illuſtratum iri ait. Adhibet nimirùm præter notiſſima principia Arithmetica, Geometrica & Hydroſtatica, etiam hypotheſin *Keilianam* (quam locô citatô ipſis Autoris verbis deſcripſimus & jam in Actis Anni ſuperioris attigimus) de vi attractrice particularum minimarum. Verùm enim verò Dn. *Keilius* cum ſequacibus redit reapſe ad qualitates occultas, quales apud Scholæ Philoſophos ſymphatia & antipathia fuêre, dum vim quandam attractricem ſtatuit, quæ ſi (ut ipſe vult) primitiva eſt, omnique materiæ erga omnem materiam eſſentialiter competit, utique per rationes mechanicas explicari nequit, atque adeò vel erit aliquid abſurdum vel in miraculum ſeu voluntatem Dei extraordinariam reſolvetur, ad quam tamen in Phyſicis ſine neceſſitate confugiendum non eſſe, convenit inter intelligentes. Quod ſi aliter procedimus & fictionibus indulgemus, reditur ad Philoſophiam quandã phantaſticam Scholæ vel etiam Enthuſiaſticam, qualis *Fluddi* fuit. Ita uno ictû ſubvertentur, quæ in Angliâ ipsâ *Robertus Boylius* & alii viri docti de rebus naturalibus mechanicè, id eſt, rationabiliter explicandis magnô ſtudiô ſtabiliverunt, quæ *Boylius* etiam disertè ad Chymica applicuit. Juxta infelicem hanc philoſophandi rationem author adeò ſupponit, omnes materiæ partes à ſe invicem trahi; vim attractivam per exigua admodum ſpatiola diffundi & in contactû validiſſimam exiſtere, decreſcere autem in ratione majore, quam eſt duplicata diſtantiarum; eandem pro variâ particularum figurâ & denſitate diverſam eſſe; imò in unô latere fortiorem ſe ſe exerere quàm in aliô; particulas eo majore velocitate ad ſe invicem accedere, quo ſint minores; cohæſionem denique materiæ in corporibus ab hâc attractione oriri & pro variâ contactuum quantitate multifariam mutari. Sed hæc omnia ſine qualitate illa occulta attractrice, veræ Philoſophiæ principia confundente & in antiquum chaos redeunte, commodè explicari poſſunt; partim etiam à Viris doctis jam explicata ſunt, ſtatuendo plurimas materiæ particulas ſphærâ quâdam magneticâ fluidi ſubtilioris eſſe circumdatas, cujus motû (ut in magnetibus noſtris fieri videmus) attrahant ſe invicem aut repellant & ad ſitum convenientem diſponant; quoties ſcilicèt libertatem aliquam ſunt nacta. Ut alios multos modos mechanicos taceamus à pulſû ortos, quibus ſine *attractione proprie dictâ* explicari poteſt, cur corpora ad ſe invicem accedant, ut attrahi videantur; veluti cum aquâ per ſuctionem in tubos aſſurgit, vel cum guttæ binæ ejuſdem liquoris ex contactû ſubitò in unam coaleſcunt. Itaque ad aliquid precarium & minimè intelligibile confugere neceſſe non eſt. Et talibus ſemel admiſſis apertaque fingendi licentia, mox erunt qui alias hujuſmodi *qualitates occultas*, ſeu quas ipſi agnoſcant abſolutè inexplicabiles, comminiſcentur, & paulatim ad vetera ignorantiæ aſyla redibunt. Si detur vis attrahendi ſeu ſympathia, quidni pari jure detur vis repellendi ſeu antipathia. Ita facilè etiam dabitur Antiperiſtaſis, dabuntur qualitates emiſſæ per modum ſpecierum cum ſuis actû potentialibus; dabitur funiculus *Lini* attractivus à *Boylio* refutatus, dabitur in materiâ eâdem variatio extenſionis non apparentis tantum, ſed etiam veræ, ejuſdemque mrteriæ accurata in majus volumen diſtenſio, aut in minùs volumen compreſſio, ſine alienâ materiâ intrò admiſſâ vel expulſâ, ſeu rarefactio aut condenſatio propriè dicta, tanquam mater vis elaſticæ, imò hanc extenſionis variationem, ni fallor, Dn. *Keilius* jam ipſe introducere conatur loco ſupra laudato. Et ut verbo dicam, pleraque omnia monſtra ſcholaſtica, ſtudio *Baconi*, *Galilæi*, *Jungii*, *Carteſii*, *Hobii*, *Toricellii*, *Paſcalii*, *Boylii* profligata, velut agmine factô per poſticum iterùm in Philoſophiam, niſi cavemus, irrumpent. Videamus verò, quomodò Autor figmentô iſtô ad Chymicas operationes explicandas utatur.

Cùm Chymia ſit Ars corporum naturalium partes vel ſegregatas conjungendi, vel conjunctas ſegregandi, idque plerumque ignis auxilio; eam in *Diacriſin* & *Syncriſin* dividit. Ad illam calcinationem, diſtillationem, ſublimationem; ad hanc fermentationem, digeſtionem, extractionem, præcipitationem, & chryſtalliſationem refert. Calcinatio quoniam ſine liquatione nunquam ferè contingit, hanc primô locô explicat. Cohærent ex mente Autoris particulæ per mutuam attractionem, in ipſô contactû fortiſſimam. Liquantur ergo corpora, dum corpuſcula ignea in ea ſe inſinuant & ità ſegregant, ut particularum multò minor contactus fiat. Hanc ſegregationem à corporum liquefactorum rarefactione probat, & ex cohærentiæ diſcrepantia omnem in corporibus liquandis varietatem deducit. Calcinationem diuturnioris liquationis effectum pronuntiat, dum corpuſcula magis ſubtilia avolent & igneæ particulæ eâ multitudine in corpus ſe inſinuent, eique quaquaverſum ſe immiſceant ac intimiùs agglutinent, ut amplius perſiſtere nequeat fluiditas: id quod ex auctô corporum calcinatorum pondere probat. Ad calcinationem quoque vitrificationem revocat, & ſine ratione decrepitationem atque detonationem apud Chymicos ab eâ diſtingui, notat. Aſcenſum fluidi in deſtillatione duplici cauſæ ad

ſæ adſcribit, ſpecificæ nempè levitati & impulſui. Demonſtrat itàque, particulas rarefactas ſpecificè leviores fieri, e. g. moleculam aquæ, cujus gravitas eſt ad gravitatem aëris, ut 800. ad 1. ſi ejus diameter per rarefactionem decupla evadat. Sed leviora in gravioribus aſcendunt. Erit autem tantò promptior aſcenſus, quò corporum particulæ faciliùs rareſcunt. Impulſum à celeritate deducit, quâ ignea corpuſcula moventur, virium quantitatem ex factô maſſæ in celeritatem per communem errorem paſſim in his Actis notatum æſtimans. Ad elevationem particularum ſpecificè graviorum multum conferre ſuperficiem eorumdem, cùm plura ignea corpuſcula in eas impetum faciant, ſi lata fuerit, quàm ſi exigua exiſtat. In elevatione ſolidorum, quæ fit per ſublimationem, rareſcentiam vix locum habere, ſed ſoli impulſui aſcenſum tribui debere. Conſiderandum verò eſſe, quod in particularum ſejunctione vi ignis factâ gravitas minuatur in ratione cuborum, ſuperficiem in ratione quadratorum diametrorum, atque adeò abolitâ ferè gravitate lata ſatis ſuperficies particulæ evehendæ relinquatur. Ex. gr. ſit diameter corporis, 12. gravitas 12. ſi diameter evaſerit ſub duplâ, gravitas infra binarium ſubſiſtit, ſuperficies autem ad 36. aſſurgit. Fermentationem per motum partium inteſtinorum definit, qui ſuboritur, ſi ſalia in liquoribus ſeu menſtruis colliqueſcunt, eamque in diſſolutionem & ebullitionem dividit. Diſſolutionem fieri, ſi ſalia diſſolvenda validiùs attrahant particulas fluidi, quàm hæ à ſe invicem trahantur. Ità enim fieri, ut in viciniam ſalium propius ire contendant, ſicque in motum concitatæ cum quôdam impetû in ſalia ferantur & in eorum meatus aditû paratô eadem comminuant atque diffringant. Quod ſi particulæ ad motum concitatæ elaſticæ fuerint, fermentationem oriri, cum eâdem celeritate poſt ictum recedant, quâ priùs ad ſe invicem accedebant. Aërem rarefactum, dum expellitur, ebullitionem cauſari, & motû vehementiùs increſcente, calorem excitari. Amalgamationem & corroſionem eôdem modô explicat: nec aliter de digeſtione ſtatuit, niſi quod hic ignis in ſubſidium vocetur. Extractionem quoque per eandem particularum attractionem declarat: præcipitationem verò fieri ait, vel ſi liquor ſpecificè levior inſtillatus menſtrui gravitatem & conſequenter tenacitatem minuat, ut particulæ ſpecificè graviores, quæ huic ſeparandæ anteà pares non exiſtebant, nunc eam vincant, ſicque deſcendant; vel ſi liquoris ſpecificè gravioris, dum infunditur, particulæ fundum petentes, reliquas per fluidum diffuſas ſecum una abripiant, à fundô non ampliùs elevandæ, cùm per ſe fluidô ſpecificè graviores exiſtant. Cryſtalliſationem denique à vi particularum ſalinarum attractivâ immediatè ac unicè derivat. Similes meditationes paſſim habent recentiores Philoſophi, quando res Chymicas ad cauſas revocare conantur, niſi quod à vi illâ attractivâ meritò abſtineant, ne voculâ eleganter ſonante ignorantiam ſuam palliare videantur. Sed tùm demùm eos valde profeciſſe dicendum erit, cùm effecerint, ut experimenta nondùm capta ex conſtitutis principiis prædici poſſint.

Ibidem, *Ann.* 1717. *p.* 152.

Hippocratis de Morbis popularibus Liber primus & Tertius Græco-Latinus. His accommodavit Author novem de Febribus Commentarios. Londini, impenſis Guil. Innys, 1717. 4. *& Amſtelodami eodem annô in* 8.

Autor Clariſſimus hujus opuſculi, quod quidem Charactere nitidiſſimô editum eſt, hôc in animô habuit, ut primum & tertium Epidemiorum librum *Hippocratis*, qui ex ſeptem ſoli pro germanis habentur, publico daret. Hos ſimùl jungi voluit, non modò quod pulchrè unôque ſtyli acumine ſcripti ſint, ſed quod in eôdem argumentô verſati, unum quoddam idque perfectum opus conficiant. Siquidem in *Febribus* enarrandis toti ſunt, & quod in aliis *Hippocratis* ſcriptis minimè factum eſt, ſingulares ægrotantium Hiſtorias perſequuntur. Itàque id egit Cl. Editor, ut, quod à cæteris Hippocratis interpretibus præteritum videt, oſtendat ex hoc ipſô fonte hauriri poſſe & quæ deſiderantur adeò in febribus acutis, medendi indicia demonſtret. Quippe *quadraginta duas* Febre acutâ laborantium Hiſtorias deſcribit Hippocrates; ex his mortui ſunt viginti quinque: ex reliquis, qui ſalvi evaſerunt, nemo niſi evacuatione aliquâ interveniente ad ſanitatem perductus eſt. Perſpicuè hinc liquere Autor haud perperam judicat, quid in hiſce morbis depellendis moliatur natura, & quâ demum viâ ars, quæ ad naturæ regulam dirigenda eſt, debeat incedere. Igitùr inſtituit Evacuationes illas, quibus hæ Febres ſolutæ ſunt, percurrere: & deinceps de præcipuis *evacuandi* generibus, quæ vel à naturâ indicata vel ab arte exculta ſunt, pauca differere: neque enim ſui inſtituti eſſe ait, de Medicinâ integrum Volumen conſcribere, ſed ea tantùm, quæ apud alios aut intacta, aut non ſatis explicata reperit, perſtringere. Quare quæ de præſidiis in hoc Febrium genere maximè illuſtribus exponenda arbitratur, in *novem Commentarios* diſpeſcit, quorum 1. de ratione ſcribendi, quam in Epidemiorum libris tenuit Hippocrates, in 2. de Sanguinis Miſſione, præſertim de Venarum Jugularium Sectione, in 3. de Sudoribus, in 4. de Vomitione, in 5. de Excreatione purulentâ, de Pleuritide item, & Peripneumoniâ, in 6. de Abſceſſû, deque Coli & Veſicæ ulcere, in 7. de Purgatione, quam vim habeat in Febre putridâ, quæ Variolis confluentibus ſupervenit, inque capitis Eryſipelate & de Excretione Inteſtinali, in 8. de Vrinæ Profluvio, & in 9. de Veſicantibus, quæ Cantharides recipiunt, agit.

Commentariis hiſce multa inſerit Autor Clariſſ. quæ ad Hiſtoriam Medicam pertinent; quædam ad Anatomen ſpectantia attingit; præcipuè verò hunc de Evacuantibus Sermonem, quatenùs ad curandi Artem referantur, cautionibus obſervationibuſque propriis & nonnunquam ægrotantium Hiſtoriis illuſtrat.

De Purgatione in Febre putridâ, quæ *variolis* ſupervenit, quia illa medendi ratio ferè nova eſt & à paucis in uſum ducta, paulò longior exiſtit; eaque quæ de iſtiuſmodi curatione diſſerit, ſententiis illuſtrium Medicorum, *Frewin*, *Levett*, *Cade*, *Mead*, *Gibbons* confirmat; eorumque Epiſtolas ad ſe de hâc re miſſas adjungit.

In Præfatione, quid in hâc Editione præſtitum ſit, & in quô cæteræ *Hippocratis* Editiones defecerint, breviter Lectorem monet; & quædam obiter *de Dialecticô Jonica* notat.

Librum hunc tanquam munuſculum aliquod mittit amico ſuo, *Richardo Frewin*, Medico Oxonienſi: cùmque eô quaſi collocutus, de veterum Medicorum in ſcribendo præſtantia multa memorat, eoſque in morborum Hiſtoriis deſcriben-

ſcribendis ſigniſque explicandis fuiſſe accuratiſſimos, dicit. Horum maximè illuſtrium, *Celſi*, *Cælii Aureliani*, *Alexandri Tralliani*, *Galeni*, *Aretæi*, *Hippocratis* modum, quem quiſque in ſcribendô tenuit, & in quô quiſque maximè excelluit, brevi perſtringit; deinde oſtendit, quàm procùl ab hâc ſcribendi laude abſint, qui idem argumentum tractaverunt, Recentiores.

Ibidem Ann. 1722. *p.* 92.

De purgantibus in ſecundariâ Variolarum Confluentium Febre adhibendis Epiſtola. Londini apud Gul. & Joh. Jnnys, 1719. 4. & Roterodami apud Hofhout, 1720. in 8.

IN præſenti Epiſtolâ ad Richardum *Mead* datâ Clariſſimus *Freind* hoc ad abſolvendum, quod meditatur de Variolarum omni genere, opus provocat & adhortatur, ac nè dicendi materiam ei præripiat, de Variolarum Curatione, ea præſertim, quæ ſecundâ febre jam invaleſcente medicamentis purgantibus inſtituenda eſt, nunc agit. Ad quam denuò explicandam eò lubentiùs ſe accinxit, quo certius eſt, hoc purgandi inſtitutum novum pleriſque videri, atque inauditum, nonnulloſque ea, quæ hâc de re olim jam diſſeruit, vel parùm intellexiſſe, vel perversè interpretatos eſſe. Poſtquàm ſcilicèt Clariſſimus *Freind* in Commentariô VII. in Hippocratem de Morbis Popularibus de Purgatione, quam vim habeat in febre putridâ, quæ variolis confluentibus ſupervenit, egerat, prout in Actis his annô 1717. Menſe Aprili pag. 153: monuimus, fuerunt, quibus hæc methodus admodùm placuit. Angli enim non ſolùm in Epiſtolis, quas *D. Freind* modô laudatô ſuo tractatui adjecit, ſed & Vratiſlaviæ D. Chriſtianus *Hellwich* in Ephemeridum Naturæ Curioſorum Centuriâ VIII. Obſ. 60. ut in Actis his annô 1719. Menſe Auguſtô pag. 337. innuimus, publicè id teſtati ſunt. Fuerunt tamen etiam, qui eidem ſe oppoſuerunt, quos inter Johannem Woodwardum allegâſſe ſufficiat, prout in Actis annô 1720. Menſe Septembri pag. 408. librum ejus de Medicinæ & Morborum ſtatû recenſentes indicavimus.

Cùm igitur hæc methodus variis opus habeat cautelis, morbique ſigna omnia cum diligentiâ & judiciô notanda ſint, ſuum eſſe duxit Clariſſimus Autor, docere, quemadmodum ii, qui in hâc medendi arte minùs ſunt verſati, eam tandem aliquandò percipere ac aſſequi queant. Hinc Hiſtorias ſingulares decem proponit, partim ut continuata illa ſeries affectuum atque connexio, ad quam maximè in ægrotis tractandis attendere oportet, diſtinctius eluceſcat, partim ut ipſa medendi via faciliùs eruatur. Exhibent quidem hæ aliquot exempla Variolarum, non ex Confluentium, ſed Cohærentium genere; hæ tamen ab illis Autoris judiciô parùm differunt, ac eadem ferè ſui ſigna præbent, eandem planè matureſcendi tempore febrem accendunt, atque utplurimùm ptyaliſmum comitem habent; imò periculum, quod imminet, non tam ab ipſô puſtularum genere, quàm à numerô variolarum prorsùs oritur, non in facie tantùm ſed & in cæterô corpore computandô. Patet ſimùl ex hiſtoriis his, rationem medendi per cardiaca vehementiora inſtitutam, quam plerique ſcriptores nimiùm deprædicant, vix cum judiciô adhiberi niſi in eô unicô variolarum tempore, ubi hæ aut non ſatis proruperunt, aut etiam retroceſſerunt; atque hoc præſidii genus eò valentius pronunciat Noſter, quandò cum opiatis fuit commixtum; nec abhorruit Autor à Venæſectione die quartô in adultis, ubi reſpirandi difficultas & affectus comatoſus urgebat. Potiſſimùm tamen ex eis diſcere licet, ægros in orci faucibus hærere viſos purgandi beneficiô ex illis fuiſſe ereptos. Poſtquam igitùr Clariſſimus Autor variolas Græcis incognitas ab Arabum imperiô initium duxiſſe, evictum dedit, ſuarum eſſe partium ratus eſt, demonſtrare, doctrinam hanc pro novâ nullô modô venditandam eſſe. Docet enim, Arabibus in more poſitum fuiſſe, in febre auctâ ſub declinatione variolarum ad purgantium uſum ſe recipere, teſtimoniis à *Rhaſe* & *Alſaharavio* petitis. Quanquam autem per aliquot ſecula de hâc Methodô apud Medicos Europæos altum fuerit ſilentium, ſiquidem Avicenna, quem hi ſectabantur, ejus nullam fecit mentionem, litteris tamen aliquandò renatis & excuſſô ferè Arabum jugô, hominibuſque non ex aliorum autoritate, ſed experientiâ duce uti, ſuamque ſequi ſententiam annitentibus, purgandi viæ iterùm inſiſtere cœperunt Medici in variolarum curâ, quod ex Fernelii, Marcelli Donati, Mercurialis, Roderici à Fonſeca, Campolongi, Diomedis Amici, Paræi, Mercati, Ballonii, & Chicotii ſcriptis planum dat. Quæ tamen ab his Medicis de hôc argumentô tradita ſunt, nimiùm laxa, confuſa & ad morbi momenta non ſatis explicata eſſe pronuntiat, quia ſcilicèt ne febrem quidem ipſam, quæ maturationis tempore variolas confluentes perpetuò ſequitur, pro rei dignitate ſatis adverterunt, multò minùs ſtadiorum à variolis emenſorum, nec ptyaliſmi, in confluentibus perpetui, meminerunt. Donec Sydenhamus hoc, quicquid defuit, largiter ſuppleverit, morbi diverſa & ſtadia & genera luculentiùs expoſuerit, febrem ſecundariam accuratè deſcripſerit, & hanc alvum movendi methodum ab omni retrò antiquitate inſtitutam primus inter Anglos invexerit. Ab hoc tamen diſſentit Noſter in eô, quod ille decimô tertiô die, modò præmiſſa fuerit venæſectio, purgationem præ cæteris convenire remediis arbitratus, prorsùs ante hunc diem eam tentari vetuit; hic verò, cùm citiùs plerùmque, quàm die decimô tertiô, ad ultima ventum ſit, hoc auxilii paulò maturiùs etiam arripi debere exiſtimat. Hanc etiam purgandi rationem præter variolas in febribus putridis, aliiſque, quæ paulò difficiliùs ſolvuntur, ab omni retrò antiquitate ad nos tandem defluxiſſe, teſtimoniis Hippocratis, Galeni, Proſperi Martiani, Valleſii, Lommii, Herculis Saxoniæ, Fernelii & Sydenhami, qui in peripneumoniâ notha, in febre hyemali, imò in ipſâ febre peſtilenti, præmiſſis, quæ ſudores uberrimè provocarent, poſt viginti quatuor horas eâdem uſus eſt, confirmat. De cæterô opus hoc ſuum claudit Clariſſimus *Freind* epiſtolis, à *Sedgwick Harriſon* & Johanne *Bate* acceptis, in quibus purgationem in variolarum confluentium febre ſecundariâ non minùs proficuam quàm neceſſariam eſſe, variis hiſtoriis & curationibus confirmatur.

Edidit præterea Doctiſſimus Vir, Lingua Anglica, Librum eruditiſſimum cujus titulus ex traductione Gallicâ hic eſt.

Hiſtoire de la Medecine depuis Galien juſqu'au commencement du 16. *Siécle, ou l'on voit les progrés de cét Art de Siécle en Siécle, par raport principalement à la Pratique: Les nouvelles Maladies qu'on a veu naitre, & les noms des*

des Medecins, avec les circonſtances les plus remarquables de leur Vie, leurs Decouvertes, leurs Opinions; & enfin leur methode de traiter les Maladies &c. A. Leyde, chez Jean Arn. Langerack, 1727. 4.

i. e.

Hiſtoria Medicinæ, à Galeni temporibus, ad uſque Seculi 16. initia. In quâ hujus Artis progreſſus de Seculô in Seculum, reſpectu præcipuè ad Praxim, explicantur; Novi Morbi, qui per intervalla apparuere, enarrantur; Nomina Medicorum, cum notabilioribus circumſtantiis eorum vitæ, Inventorum, opinionum, ac denique Methodi in curandis Morbis adhibitæ, indicantur &c.

FREINSHEMIUS (*Johannes*,)

De eô extat

Diſſertatiuncula de Calidæ potû. Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1636. in 8.

FREITAGIUS (*Arnoldus*,) Embricenſis.

Ex eo habentur

De Eſculentorum Potulentorumque Facultatibus, Liber unus: Laconicâ quidem, at variâ jucundâque Medicâ & Hiſtoricâ eruditione refertus. Extat cum Jul. Cæſ. Baricelli Hortulô geniali. Genevæ, apud Phil. Albert. 1620. in 16.

Balthaſaris Piſanelli, de Eſculentorum Potulentorumque Facultatibus Librum ex Italicô in Latinum convertit. Herbornæ, apud Chriſtophorum Corvinum, 1593. in 8. Genevæ, apud Phill. Alberti in 16. Bruxellis, 1662. in 12. Oſnabrugæ, apud J. G. Schwändterum, 1677. in 12.

De Unguentô Armariô. Extat cum Theatrô Sympatheticô auctô Variorum Authorum; Noribergæ, apud Johan. Andr. & Wolffgang. Jun. Endterorum Hæredes, 1662. in 4.

FREITAGIUS (*Johannes*,)

Ex eô habentur

Diſputatio Medica, Calidi innati eſſentiam, juxta veteris Medicinæ & Philoſophiæ decreta, explicans, oppoſita neotericorum & novatorum paradoxis, Reſpondente Conrado Waltherô, *Hamburgenſi*. Gröningæ, apud Joh. Sas, 1632. in 8.

Diſputatio Medico-Philoſophica de Formarum origine, adverſus venerandæ antiquitati repugnantem Neotericorum doctrinam exhibita, Reſpondente Henricô Welman, Grôninganô. Grôningæ, apud Johan. Sas, 1633. in 8.

Diſputatio Medica de Morbis ſubſtantiæ, & cognatis Quæſtionibus, contra hujus temporis Novatores & Paradoxologos, Reſpondente Jacobo Martini, *Dantiſcanô*. Grôningæ, apud Joh. Sas, 1632. in 8.

Aurora Medicorum Galeno-Chymicorum ſeu de rectâ Purgandi methodô, è priſcæ ſapientiæ decretis, poſtliminiò in lucem reducta & medicamentis purgantibus ſimplicibus, compoſitiſque tam Veterum, quàm Neotericorum & Chymiatrorum Lib. IV. ſelectis obſervationibus & ad omnes penè morbos remediis, propriâ experientiâ comprobatis & ſecretioribus multifariam referti. Francof. apud Johan. Theobaldum Schönwetterum, 1630. in 4.

Noctes Medicæ, ſive de Abuſû Medicinæ Tractatus. Quo univerſum Medicaſtrorum examen, Empiricorum modernorum uberrima annona, Uromantes, ſeu, Lotiophyſici, Agyrtæ, Ophthalmici, Dentifranguli, Chirurgi, Genethliaci, Seplaſiario-inſtitores, Myropolæ, Pſeudochymici, Umbratici Doctores Paracelſiſtarum ſectæ, Mago-Medicaſtri, ſagæ, & ſuperſtitioſam vulgò curam exercentes, perſtringuntur, de Magiâ vetitâ & Magorum ſuppliciis agitur, Artis Paracelſicæ fundamenta luculenter traduntur, examinantur, & evertuntur, ſcitû neceſſariæ & jucundæ omnibus omnium facultatum ſtudioſis Quæſtiones moventur; Acceſſit Diſſertatio perſpicua de ſanitate & morbô novis veterum opinionum floſculis reſperſa. Francof. apud Joh. Bringerum, 1616. in 4.

Diſcurſus, de unguentô Armariô ex Noctibus Medicis. Extat cum Theatrô Sympatheticô auctô. Norimbergæ, apud Joh. Andream Endterum, & Wolffgangi Jun. Hæredes, 1662. in 4.

De Opii natura, & Medicamentis opiatis, ad omnes totius corporis affectus probatiſſimis, & rectâ, rationali, hactenùſque inexplicatâ iis utendi methodo, Liber ſingularis. Cui de novâ, Phthiſin curandi, ratione Conſilium, & diverſæ Conſultationes medicinales ſub finem acceſſêre. Grönningæ, apud Johan. Sas, 1632. in 8. Lipſiæ, apud Henningum Groſſium, 1635. in 8.

Oratio Panegyrica de Perſonâ & officiô Pharmacopœi & Pharmacopoliô ritè rectèque inſtruendô. Grôningæ, apud Johan. Sas, 1633. in 4.

De Lithotomiâ, ſeu, Calculi veſicæ ſectione Conſultatio. Extat cum Johan. Berovicii Lib. de Calculô. Lugd. Batav. ap. Elzevirios, 1638. in 12.

Detectio & ſolida Refutatio novæ ſectæ Sennerto-Paracelſicæ, recens in Philoſophiam & Medicinam introductæ. Quâ antiquæ veritatis oracula & Ariſtotelicæ ac Galenicæ doctrinæ fundamenta convellere & ſtirpitùs eruderare moliuntur novatores. Amſtelodami, apud Johan. Janſſonium, 1636. Ibid. apud Guil. Blaeu, 1637. in 8.

FREITAGIUS (*Joh. Henricus*,)

De eô extat

Catalogi teſtium Veritatis Chymiatricæ Prodromus, hoc eſt, Obſervationum, ſeu, Curationum Medico-Chirurgicarum ad Methodum Chymicam inſtitutarum, Centuria prima. Quedlinburgi, apud Ottonem Chriſtophorum Salfeldt, 1635. in 4. Ibid. 1636. in 8.

FREITAS (*Alphonſus de*,) Medicus Toletanus.

Ex eo habetur

De Curatione & Præſervatione Peſtis. Giennij, 1606. 4.

FREJUS (*Janus Cæcilius*,) Pariſienſis Facult. Medicinæ Doctor.

Ex eo habentur

Omnis homo: item Amor & Amicus: item Phyſiognomia, Chyromantia, Oniromantia: ad Philoſophorum & Medicorum mentem. Pariſiis, apud Samuelem Celernum, 1630. in 8.

Compendium Medicinæ. Extat cum Opuſculis ejus editis. Pariſiis, apud David, 1646. in 8.

FREUDENBERG (*Aetho Johannes.*)

De eo extat

De Abuſû & impoſturâ Medicantium Libellus, perquàm utilis, ac jucundus futurus, quibus cum Medicis erit negotium. Marpurgi, apud Cervicor-num, 1528. in 8.

FRIBE (*Melchior,*)

Ex eo habentur

Obſervatio, de Calculô Phaſeolatô lignoſô, extat Ephem. Academ. Natur. Curioſ. Germ. Ann. III. *N.* 61.

De ſcabie ex retentione menſium. Ibidem An. eod. N. 62.

De Contracturâ ex vermibus. Ibid. An. eod. N. 63.

De Excretione fecum per umbilicum. Ibid. An. eod. N. 64.

De Cordis Carnoſâ ſubſtantiâ planè conſumtâ. Ibid. An. eod. N. 65.

De Colicâ paſſione cum obſtructione, globulô plumbeô Mercuriô vivô illitô, curatâ. Ibid. An. eod. N. 96.

De Contagioſa cutis fœditate ex accubitû. Ibid. Ann. eod. N. 97.

De Pene in inferiore parte perforatô. Ibid. An. eod. N. 98.

De ſubitaneô membri virilis tumore tympaniticô. Ibid. An. eod. N. 99.

De liquore bilioſô corroſivô per ciſtidem felleam exſudante. Ibid. An. eod. N. 100.

De Partû monſtroſô bicipiti. Ibid. An. eod. N. 165.

Obſervatio, de Chamomillâ rarâ. Ibid. An. eod. N. 166.

De Epilepſiâ mirâ Melancholico-Hypochondriacâ merè Ecſtaticâ. Ibid. An. IV. *&* V. *N.* 81. *unà cum ſcholiô.*

FRICCIUS (*Melchior,*) Medicus Ulmenſis.

Ex eô habetur

Diſſertatio Medica de Peſte, ſeu, nova Methodus cognoſcendi & curandi Peſtem. Ulmæ, apud Hæredes Chriſtiani Balthaſaris Kühnii, 1684. in 12.

Icon Podagræ, repræſentans morbi podagrici hiſtoriam, cauſas, prognoſin, & curationem. Ulmæ, typis Gaſſenmejerianis, 1693. in 12.

Paradoxa Medica in quibus plurima curioſa & utilia contra communes Medicorum opiniones pertractantur, & affectuum aliquot, ut apoplexiæ, maniæ, vulnerum venenatorum hydrophobiæ & aliorum Theoria & Praxis oſtenditur. Ulmæ apud Georg. Wilhelmum 1699. in 12.

De eô præterea extat in Actis Lipſienſibus ann. 1702. *p.* 253.

Tractatus Medicus de Virtute Venenorum Medicâ. Ulmæ, impenſis Authoris 1693. *&* 1701. *in* 8.

Cum ea hominum animis hactenùs inſederit opinio, venenum rem eſſe maximè noxiam, & internecinum quaſi ac irreconciliabile gerere odium cum humanâ naturâ, nec quicquam boni ad hominis concedere ſanitatem, factû eſſe videtur, ut multi Medicorum de venenorum naturâ deleteria & nocendi modô ſcripſerint, nullus verò virtutem eorum ſalutarem, medicam, juvandi modum, & quomodo ex iis egregius remediorum apparatus comparari poſſit, edocuerit. Nihilominùs tamen, quod *Barclajus* de Typographiâ & pulvere nitratô judicavit, de venenis ſimiliter dici poteſt, videlicet dubium eſſe, an major eorum vis in nocendo, an utilitas major in juvandô ſit. Hinc eam in ſe ſumſit Vir Clariſſimus operam, & præſentem de virtute Venenorum Medicâ conſcripſit tractatum; in quô paradoxologice, & contra communem Medicorum opinionem, experimentis, rationibus & authoritatibus probatur, venena internè & externè uſurpata non eſſe noxia, ſed præſtantiſſima remedia, ac in morbis deſperatis ultimum Medicorum & ægrorum refugium. Audit ergo Noſtro venenum omne id, quod in parvâ quantitate magnas obtinet nocendi vires, eſtque vel *morboſum* ſeu *præternaturale,* quod ex putredine & corruptione humorum pronatum in modum fermenti hos corrumpit, ulterius putrefacit, & in ſuam naturam convertit, atque miaſma putridum, lentum & viſcidum de ſe emittit; quale eſt venenum peſtilentiale, febrium malignarum, dyſenteriæ, variolarum, luis venereæ, lepræ, morſus animalis rabidi &c. vel *naturale,* quod à rebus naturalibus ſanis, incorruptis, in ſe perfectis, provenit, ſive ſit minerale, ut arſenicum, lithargyrium; ſive vegetabile, ut opium, cicuta; ſive animale, ut cantharides; ſive arte paratum, ut butyrum antimonii, Mercurius ſublimatus &c. Hoc præcipuè in partes ſolidas & nervoſas corporis humani vim ſuam exerit, humorum vitia corrigit, eorumque labem tollit, ac contagio potentiſſimè reſiſtit. Quoniam igitùr non tota ſubſtantia, nec proprietate ſingulari, prout hactenùs creditum fuit, ſpiritibus & humoribus inimica exiſtunt, ſed opitulantur venena naturalia, (nam de morboſis ſermo ipſi non eſt) inter remedia eadem recenſere nullus dubitat, nec ullum vel maximè noxium & vehemens eſſe credit, quod non etiam ſalubribus conſtet qualitatibus, modò robuſtioribus ſubjectis, juſtô tempore, & in exili doſi propinetur. Quanquam enim in parvâ quantitate venena dixerit nocere, hanc tamen vel relativè conſiderat, quatenùs cùm aliarum noxiarum rerum quantitate comparatur, dùm ſcilicèt Mercurii ſublimati ſcrup. I. majores nanciſcitur vires morbos producendi, quam cucumerum, piperis maxima quantitas; vel abſolutè, dùm drachma I. arſenici maximas turbas, nullas verò grana ejus aliquot in conveniente morbô propinata concitant. Quas autem quidam ad tollendas noxas adhibent præparationes, & ſpagyricas venenorum reſolutiones, vanas pronuntiat Author, cùm non duplex eorum qualitas, prout communiter perhibetur, ſed unica ſit concipienda, quâ ſublatâ non remedium, ſed merum cadaver obtinueris. Cæterùm triplici modô hæc & prodeſſe ut remedia, & obeſſe ut venena dicuntur; quatenùs ſcilicèt vel virtute cauſticâ & corroſivâ, vel emeticâ & purganti, vel narcoticâ pollent. Hinc ſingulas venenorum ſpecies diſtinctis in capitibus examini ſubjicit Author Clariſſimus, & incipiendo à corroſivis & cauſticis, qualia vocat arſenicum, venena Mercurialia, napellum, aconitum, cantharides, & ſcarabæos, ad emetica & purgantia progreditur; cui claſſi annumerat euphorbium, eſulam, elaterium, colocynthidem, helleborum album, lapidem lazuli, nicotianam, lithargyrium, & alia Saturnina; & narcotica demum ſiſtit, ut opium, hyoſciamum, papaver, cicutam, mandragoram, ſolanum, cynogloſſam, nucem vomicam, & crocum: quorum omnium noxas, utilitates & antidota percenſet. Ut unicum de his exhibeamus ſpecimen, arſenicum dum commemorat, hoc improvidè aſſumtum dolores atrociſſimos, æſtus internos, ſingultum, ſitim incompeſcibilem & alia graviſſima ſymptomata vitâ hominem privantia inducere ſcribit; quia ſcilicet particulis ſuis acutiſſimis & pungentiſſimis ventriculi & inteſtinorum membranas corrodit, lancinat, perforat, & totum demùm genus nervoſum malè afficit. E diverſô variorum exemplis authorum probat, eximias ipſius non externas ſolùm, verùm etiam internas

internas eſſe virtutes, dum ſanguinis coagulum lentum, viſcidum, vel ſimplex, ut in obſtructionibus, catarrhis craſſis, aſthmate pituitoſô, humoribus duris, ſcirrhoſis, ſcrophulis &c. vel cum malignitate aliquali in febribus intermittentibus, vehementiore, ut in peſte, febribus malignis, leprâ, lue venereâ, conjunctum incidit, reſolvit, atque ſanguinem ab inquinamentis repurgat. Antidoti locô præter clyſteres & opiata, commendat ea, quæ ſuâ pinguedine, oleoſitate, & mucagine particulas ejus acutas infringere & obtundere valent; præ reliquis autem cryſtallum montanum ardorem & inflammationem ab arſenicô inductam mitigare dicit. Coronidis loco venenorum exhibendorum neceſſitatem adſtruit, atque dubium eorum, qui remediis tutioribus & infamiæ minùs obnoxiis idem, quod venenatis efficitur, præſtari poſſe credunt, ſolvit, ſupponendo (1) venena naturalia animali nocere, partes nervoſas & membranoſas, citra notabilem ſanguini & humoribus illatam noxam, lædendo, (2) eadem vim ſuam deleteriam modô non occultô, ſed manifeſtô, vel particulis ſuis acutis, vel exhalationibus fumoſis exerere. (3) Vim hanc noxiam, utilem & medicam reddi, ſi à corpore in cauſam morbificam convertatur, & quidem eò efficaciorem, quo (4) penetrantior ordinariò reliquis eſt remediis, quibus ut pote mitioribus (5) cauſa morbifica pertinax ſæpè non cedit; idque ex eô apparere, quod remedia venenata (6) extremis morbis deſtinari, & inſtar ſacræ anchoræ Medicis eſſe advertatur: quibus accedit (7) quod venenatorum noxa per methodicã exhibitionem & acciſam doſin impediri valeat. Quibus cunctis ut certior accedat fides, exemplis quibuſdam dicta confirmat.

FRIDÆVALLIUS (*Hugo*,) Sampaulinus.

De eo extant

De ſanitate tuendâ, Libri ſex. Antverpiæ, apud Plantinum, 1568. in 8.

De Balneis, & eorum uſû, Methodicum Syntagma. Duaci, apud Ludov. de Wande, 1565. in 8.

FRIDERICI (*Joh. Arnoldus*,) In hoc mundi Theatrum prodiit *Altenburgi* annô recuperatæ gratiæ 1637. D. 24. Jun. Patrem habuit Joh. Mauritium, virum ampliſſimum, qui longô tempore Sereniſſ. Domui Saxonicæ à literis ſecretioribus fuit. Matrem Reginam, Victorini Gruneri, ſupremo Conſiſtorio Eccleſiaſtico, quod *Altenburgi*, quondam à ſecretis, & Roſinæ, D. Tobia Fabro, Medico Ducali, natæ, filiam. Nutritus verò in ſinu parentum atque educatus, eas virtutes omnes, quibus vel mollior ætas, vel matura & plena ſolet ornari, imbibit. Cùm de gremiô exire inciperet, litterarum culturæ atque hauriendis artibus liberalibus fuit deſtinatus. In Gymnaſiô igitur patriô ſub Rectore Georgiô Crauſerô ità animum inſtruxit, ut D. XVII. Apr. 1655. dignus æſtimaretur, qui ad capeſcendum majorem ingenii cultum in Academias ſe conferret. Poſteaquam igitur publicâ Oratione Gymnaſio ac patriæ valedixiſſet, *Jenenſi* Academiæ civem dedit. Sereniſſima autem munificentia per octennium ſublevatus primo ſapientiæ Doctoribus operam navavit. Domeſticos Præceptores ſecutus fuit Clariſſimos M. Abrahamum Trillerum, Tobiam Heublerum & M. Mich. Chriſtianum Ludovici, præcipuè Magnifici D. Fridem. Bechmanni diſciplina in Philoſophiæ ſtudiô multùm profecit. Hujus auſpiciis quoque de *Enunciatione ſimplici* in genere Exercitationem publicè diſceptandam propoſuit. Annô 1657. D. XV. Febr. ſummus in Philoſophiâ gradus ipſi à Dn. Caſparô Poſnerô, naturalis ſcientiæ Profeſſore excellentiſſimo, conferebatur. Inde ad Medicinam totum ſe applicuit, cõvictu juxta ac inſtitutione viri experientiſſimi D. Joh. Theod. Schenckii uſus. Quadrienniô quaſi exactô de conſiliô ſuorum *Lipſiam* petiit, à D. Johanne Michaëlis, Medico celeberrimo, in diſciplinam & convictum receptus. Annô 1659. *in Italiam*, *Angliam*, *Belgium*, ac per *Germaniam* iter ſuſcepit. Proximi anni menſe Novembri redux in patriam & Academiam Jenenſem per ſeptem admodum annos apud Magnificum virum D. Guernerum *Rolfinckium* commoratus, nec unquam ferè animô, nunquam corpore ab hôc præceptore ſuô diviſus fuit. Annô 1661. Cal. Maij Doctoris Medici titulum atque inſignia petiit, quæ poſt edita ſpecimina & habitâ ſub ejuſdem Præſidio diſputatione de *Apoplexia*, etiam eſt conſecutus. Exiguô deinde temporum intervallô primùm Sereniſſimorum Salanæ Nutritorum mandato extra ordinem Profeſſorio muneri; mox *Altenburgenſi* Ducatui ad obeundas Phyſici ordinarii functiones; tandem *Anatomiæ*, *Chirurgiæ* ac *Botanices* Profeſſioni eſt præfectus. Demonſtrationes Botanicas ſingulis æſtatibus habuit in horto Medico, itemque Chirurgicas & Anatomicas non ſine magno inſtrumentorum apparatû. Septem utriûſque ſexûs cadavera publicè diſſecuit, à Sereniſſimis Academiæ Nutritoribus ſibi conceſſa, & jam in *Italiâ* nobilis puellæ quatuordecim annorum corpore idem feliciter præſtiterat. Denique & conſultatoria progymnaſmata magnô cum applauſu inſtituit. Decani officio, intra hos annos quinquies; Rectoris Academici bis eſt defunctus. In his autem dum verſaretur, ſimul etiam factum eſt, ut cum ornatiſſimâ virgine Annâ Magdalenâ, Dn. Joh. Chriſteridi Sagittarii, S. S. Theol. D. & Ducatus Saxo-*Altenburgici* Superint. Generalis &c. filia natu maxima annô 1666. D. 4. Decembr. matrimonium contraheret atque Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi *Moguntinenſis* duobus illuſtribus Legatis, Sereniſſimo Principe ac Domino, Dn. Friderico Wilhelmo II. unà cum Sereniſſimâ conjuge ac liberis nuptiarum ſolennitatem præſentiæ ſuæ ſplendore auguſtiorem reddentibus, ritè iniret. Ex illô conjugiô duas ſuſcepit filias, Annam Magdalenam & Reginam Mariam. Quod ad mores ipſius pertinet, devotus Deo, conſilio, curâ, vigilantiâ cuivis civium obvius, nihil intermiſit, quod ad ſalutem ægrotorum facere videretur. In caſuum adverſis, quibus conflictatus fuit, iſta præcipuè poni merentur, quod annô 1659. dum in Belgio viveret & annô 1670. in viciniâ infelici fatô bis aquis ſubmerſus ſummum vitæ periculum adierit. Valetudinis ſtatus fuit mediocris in hypochondriacum morbum ac ſcorbutum proclivis, catarrhis & tuſſi cum atrophia totiûs corporis accedentibus. Annô 1672. D. 25. Maij, rigore ac mox vehementi æſtû febrili correptus fuit, vomitus quoque ac gelidus ſudor per aliquot horarum ſpatium toto corpore manans, cum gravibus anguſtæ reſpirationis ſymptomatibus vires ægri proſternebat, ità ùt pretioſiſſimis remediis fruſtra adhibitis, animam ſacris myſteriis expiatam, D. 27. Maij, horâ II. pomeridianâ Deo reddiderit.

Diſputationes ſub ejus Præſidiô habitæ.

De Picâ: de Pæoniâ: de Abortû; de Malô Caſtrenſi ſeu Hungaricô; de Ileô; de Vertigine; de Aure; de Melancholiâ; de aloë; de Aſthmate; de Lethargô; de Hydrocephalô; de Atrophiâ; de Corpulentiâ nimiâ; De Diaphragmate ex vulnere læſô; de Fœminâ, naturæ miraculô; de Gangrænâ & Sphacelô: de Incubô;

cubo; de convulſione inferioris maxillæ; de oculô: de Tentigine; de Fluore albo mulierum; de Peripneumonia; de ventriculo; de Memoriæ læſione ſeu oblivione; de Liene; de Phthiſi; de Lethargo; de uteri hydrope; de Apoplexia; de Renum & Veſicæ calculô &c. *Zeümer. de Vit. Prof. Med. Jenenſ.*

FRIEDELIUS (*David*,)

De eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1726. *p.* 326.

Expedirter und bewährter Medicus.
i. e.
Promptus & expertus Medicus. Lipſiæ & Roſtochii, apud Georg. Ludov. Fritſch, 1626. 4.

IN conſpectum hic prodit Praxis Medica, in III. Volumina congeſta, quæ alia tria mox excipient, omnes complectens morbos atque ſymptomata, quæ tam interna viſcera cruciant, quàm externè corporis ſuperficiem lambunt, ità ut in I. Morbi interni, in II. Mulierum, in III. Infantum tam interni quam externi in peculiaribus libris & capitibus exhibeantur. In quibus explicandis ità ſe gerit Autor, ut præmiſſa breviſſima cujuſcunque morbi deſcriptione & inſinuatâ methodô medendi, ingentem ſuppeditet formularum farraginem, ex illis potiſſimùm Autoribus deſumtorum, qui medicamentorum εὐποριςων theſauros conſarcinârunt; ubi verò proprias adducit obſervationes, arcana ubique ſua crepet. Et quanquam parùm mereantur gratiæ apud Medicos genuinos, qui idiomate germanico ejuſmodi Praxes luci publicæ exponunt, variiſque formularum generibus locupletant, quod eô ipſô occaſio præbeatur empiricis, mulieribus, aliiſque imperitis Pſeudo-Medicis, illotas manus Sacris Apollineis ingerendi; hanc tamen noxam præcaviſſe ſe putat Autor, quod formulas eo ordine non appoſuit, quô juxta ſanam medendi methodum exhibere decet, quaſque ſeligere, non niſi periti Medici eſt. Et verum ſi fateri licet, actum eſſet e. g. cum dyſentericis ægris, ſi medicamenta aſſumerent eô ordine, prout in Part. I. Lib. XI. Cap. 4. in quô ultra quinquaginta formulæ & euporiſta medicamenta commendantur, conſcripta leguntur, ſiquidem abſtergentia & adſtringentia uſque adeò ſunt diſperſa, ut ſummô judiciô opus ſit, ea à ſe invicem diſcernere. Specimen exhibendi labore meritò ſuperſedere poſſumus.

FRIGIMELICA (*Franciſcus*,) Nobilis Patavinus; geminâ Philoſophiæ & Medicinæ Laureâ ornatus, 40. omninò annis in patriâ Academiâ, eloquentiâ, ac eruditione mirabili profeſſus eſt, mirabilis pariter, atque fœlix in ægris curandis. Pervagatâ ejus famâ, Julius III. Pont. Max. Romam vocavit ad Medici Pontificii munus obeundum, & optimè ſuo muneri ſatisfecit, laudiſque materiam undique invenit. Exponit Angelus Portenarius in Opere *Felicità di Padoua, Lib. 7. cap. 6. pag.* 252. Franciſcum Romæ alterum Æſculapium appellatum fuiſſe. Narrat Capivaccius *Lib.* 3. de Affect. Inteſtinor. pag. mihi 116. Franciſcum, inteſtinorum lancinante dolore correptum, calculum per alvum excreviſſe ad magnitudinem ovi gallinacei. Meminit etiam de eô Antonius Riccobonus in Vol. de Gymnaſiô Patavinô, Lib. I. Cap. 15. Videndus quoque Jacobus Philippus Tomaſinus in Elogiis Illuſtrium Virorum, Vol. I. pag. 51. Franciſci ingenium quamplures peperit fœtus, hæc verò haud ignorô.

Variarum rerum Medicinalium Tract. 36. quorum præcipui ſunt de Morbô Gallicô, de Capillorum defluvio, extant Tom. 2. Aphrodiſiaci ſive de lue venereâ, impreſſ. Venetiis, apud Baretium Baretium, & Socios, 1599. in fol.

Multas ac varias habuit Conſultationes cum viris præſtantiſſimis, impreſſ. cum Conſiliis Johan. Baptiſtæ Montani, collectis à Johanne Cratone. Scripſitque

Tractatum de Balneis Metallicis arte parandis, Patavii, 1659. in 8.

Pathologiam parvam, in quâ Methodus Galeni practica explicatur, & quam foràs emiſit Gaſpar Hoffmannus. Jenæ, 1640. & iterùm Pariſiis 1647. in 8. Norimbergæ apud Ziegerum 1679. in 8.

In Lycæo Patavinô Caroli Patini, pag. 12. ex hâc eâdem familiâ Phyſicum alium meritiſſimum, Hieronymum nempe Frigimelicam, elogiô illuſtratum invenies. Hujus Frigimelicæ familiæ nobilitatem & permultos alios eximios viros deſcribere prætereo, nè, quæ notiſſima ſunt, tranſcribam. Non ſileam tamen

Antonium Philoſophum politiſſimum, & Lectorem Celeberrimum Patavii An. 1528.

Antonium alterum, amœnioris literaturæ cultorem egregium, & Philoſophum, qui Orationes & Tragœdias elaboravit, necnon librum, *Dell' Onore Cavallereſco.* De quibus laudatus Portenarius pag. 256. 274.

Jacobum Ordinis Sancti Stephani Equitem, 1623. *Mandoſius in Vitis Archiatr. Pontific.*

FRISIUS (*Gemma*,) Natus Docconii in Friſiâ A. C. 1508. creatúſque Lovanienſi in Univerſitate Medicinæ Doctor, Medicinam publicè, & Mathematicas Artes eâdem in Univerſitate privatim docuit, obque eaſdem ſummam gratiam apud Carolum V. Imperator. varioſque Magnates meruit: Vir ſtaturâ parvâ, membris gracilibus, & facie pallidâ: Jeremiæ Thriverii familiariſſimus Amicus & Comes fidelis, etiam uſque ad mortem. Uterque enim medicamentis adverſus fatalem neceſſitatem penitùs aſpernatis, brevi temporis intervallô Lovanii peſte obiit; & hic quidem noſter A. C. 1558. ætatis ſuæ 50.

Ex eo habentur

Conſilia quædam de Arthritide. Extant eô in Opere; quod Henricus Garetius edidit. Francof. apud Joh. Wechelum, 1592. in 8.

FRISIUS (*Jacobus*,) Regiomontanus.

De eô extat

De Nephritide, Diſputatio. Extat Decade VI. Diſput. quas collegit & edidit Baſileæ, Johan. Jac. Genathius, 1622. in 4.

FRISIUS (*Joachimus*,)

Ex eo habetur

Obſervatio de Teli ferrei fruſtô in cerebrô hærente, Extat Act. Haſnienſ. Volum. II. No. 132.

FRISIUS (*Joh. Jacobus*, Tigurinus.

De eô extat

De Regimine iter agentium, Diſputatio. Extat Decade I. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ, Joh. Jac. Genathius, 1618. in 4.

FRISIUS (*Laurentius*,) Germanus, Aviceniſta inſignis. Vixit adhùc A. C. 1526. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur

Defeaſio Avicennæ, Medicorum Principis, ad Germaniæ Medicos. Argentorati, ap. Joh. Knoblochum, Juniorem, 1530. in 4. Lugduni, apud Benedictum Bounyon, 1533. in 8. cum Epiſtolis Phyſicis Symphoriani Campegii, &c.

Epitome Opuſculi de curandis Puſtulis, ulceribus & Doloribus Morbi Gallici, Mali Frantzos appellati. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1532. in 4. Extat etiam Tomô I. Operis de Morbô Gallicô, pag. 299.

Sudoris Anglici exitialis peſtiferique Morbi ratio, præſervatio & cura. Argentorati, apud Joh. Knoblochum Juniorem, 1529. in 4.

Synonyma Materiæ Medicæ, ſive ſimplicium Pharmacorum Latinis, Græcis, & Arabicis, Barbariſque Vocabulis. Argentinæ, apud Gruningerum, 1535. in fol.

FRITSCHIUS (*Ahaſverus*,)

De eo extat

De Peccatis Medicorum. Norimbergæ apud Endterum, 1684. in 12.

FRITZSCHIUS (*Bartholomæus*,) Budiſſinus.

De eô extat

De Morbis Venenoſis propriè ſic dictis in genere, Diſputatio. Extat Decade III. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Johann. Jacobus Genathius, 1620. in 4.

FRIZIMELICA, *vid.* FRIGIMELICA.

FROLICHIUS (*Joachimus*,) Baſilienſis.

Ex eô habetur

De Convulſionum cognitione & propulſione, Diſputatio. Extat Decade IV. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ, Joh. Jac. Genathius, 1620. in 4.

FROMANUS (*Conradus.*)

De eo extat

Tractatus Medico-Chirurgicus de Gangrænâ & ſphacelô. Argentorati, apud Autorem, 1654.

FROMMANNUS (*Joh. Chriſtianus*,)

Ex eo habentur

Diſcurſus Medicus, de venæſectione in Morbillorum declinatione, obortâ pleuritide, adminiſtrandâ. Lipſiæ apud Georgium Henricum Frommannum, 1668. in 8.

Tractatus de Faſcinatione, novus & ſingularis. In quô Faſcinatio vulgaris profligatur, naturalis confirmatur, & magica examinatur; hoc eſt, nec viſû, nec voce fieri poſſe Faſcinationem, probatur; Faſcinatio naturalis non per contagium, ſed aliô modô explicatur; Magos de ſe nec viſû, nec voce, nec contactû, nec aliô modô, lædere poſſe, roboratur, Theologis, Juriſperitis & Medicis, præſertim animarum ſacerdotibus provincialibus, quibus cum variis ſuperſtitionum monſtris ſæpiùs pugnandum, imò omnibus hôc ſeculô corruptô, quô non tantùm pravus circa faſcinum ſenſus ſimpliciorum ingenia faſcinat, ſed & præſervatio & curatio morborum verbalis (ad quam per occaſionem hìc ſit digreſſio) ad ἀκμὴν tendere videtur, lectu utilis. Adjectâ ſub finem Quæſtione unicâ prolixè deductâ: An Tranſplantatio morborum ex unô ſubjectô in aliud ſit Magica? Norimbergæ, apud Wolffgang. Mauritium Endterum & Johannis Andreæ Endteri Hæredes, 1675. in 4.

Tractatus ſingularis de Hæmorrhoidibus, Problematum Theoreticorum & Practicorum Centuriâ abſolutus. Ibidem, apud eundem, 1677. in 12.

Anſer Martinianus. Lipſiæ, apud Johannem Leonhardum Groſſium, 1683. in 4.

Obſervatio, de Molâ abdominis ſingulari. Extat Ephemer. Acad. Natur. Curioſ. Germ. Ann. II. N. 17.

De ſudore poſt mortem. Ibid. Ann. VI. & VII. N. 185.

De Variolarum in facie præſervatione. Ibid. Ann. eod. N. 186.

De Convulſivis motibus à vermibus & remediô ad hos. Ib. An. eod. N. 187.

De Verminoſô in ovibus & juvencis repertô hepate. Ibid. An. eod. N. 188.

De ſalubritate carnium animalium hepate verminoſô laborantium. Ibid. Ann. eod. Num. 189.

De ſerpente è corpore rejectô. Ib. Ann. eod. N. 190.

Ex eô præterea habetur in Miſcell. Nat. Cur. Decur. 2. Ann. 3.

Obſervatio 166. *De Veronicæ vi traumaticâ.*

JUvenculam divertenti mihi aliquandò ad hoſpitem quendam, cui Centurionis inſuper titulum in urbe quâdam minore ad Coburgum ſpectante ſuſtinebat, hoſpes idem ſiſtit, dicens; En Filiam meam, tuô Conſiliô brevi curatam. Quônam verò, hæc, repono ego, morbô laboravit? neque enim morbi,neque perſonæ recordor,ſi quid unquam factum, memoriâ id omne excidit. Hæc mea filia, inquit ille, fiſtulâ quâdam in confiniô thoracis laboravit, quæ Balneatoris curam & induſtriam annuam omniumque medicamentorum vires eluſit. Dn. D. verò domui ſuæ (relicta erat in ædibus meis filia) conſultus, ùt *Aquam Veronicæ*, quam mihi præ cæteris commendavit, in uſum filiæ traheret, ſuaſit. Paruit iſta, & ecce! elapſô paucarum ſeptimanarum ſpatiô, ſolius hujus aquæ uſû, neglectô omni aliorum medicamentorum apparatû, ulcus fiſtuloſum fuit curatum & foramen occluſum, quod mihi & filiæ meæ ſanitati redditæ gaudiô, Balneatori verò & nobis omnibus, ob longiorem prioris curationis moram delaſſatis, penè miraculô fuit.

Scholia.

V*Eronica* magnificô, quô apud Germanos ſuperbit, nomine ſeipſam commendat, quibus audit *Ehrenpreis*, q. d. *Honoris Gloria*, quô an nobilius mereri queat, dubito. Meretur autem propter elegantes & magnas, quibus gaudet, virtutes, inter quas præcipua vis eſt ulcera & vulnera, tàm interna, quàm externa ſanandi, quare etiam *Grundheil*, *Heyl aller Welt*, *Heyl aller Schaden*, *Schlangen-Wundkraut* iiſdem ſalutatur. Sanè plantas plurimas ſplendidô nomine à Majoribus noſtris mactatas nervoſam virtutem ſinû ſuô condere, experientia ipſa Practicis etiamnùm probat & confirmat. Appellationum autem Germanicarum quædam in genere plantæ excellentiam, quædam in ſpecie hunc vel illum morbum curandi facultatem eximiam & prærogativam produnt. *In genere*, V. G. *Tauſendgülden-Kraut*, q. d. *millium florenorum herba*, quæ *centaurium minus* eſt, quam veteres etiam magni æſtimaſſe ex his conjicere licet, quòd inter Galeni opera integer liber reperiatur, de virtute Centaureæ inſcriptus, in quô elogiô ſatis prolixô autor iſtius

libri

libri eam proſequitur, quod compendifecit his verbis, *reverâ*, inquiens, *incredibilia exiſtimantur ea, quæ de Centaureâ narrantur, itâ multas & difficiles paſſiones curat*, quas ut excell. Dn. D. Simon Paulli Præceptor quondam meus fideliſſimus, *Quadripartit. Botanic. Claſſ.* 3. *p. nu.* 244. tempori parcens recenſere ſibi renuit, ego quoque polychreſtæ hujus herbæ vires eandem ob cauſam prætereo. Sic *Wohlgemuth*, q. d. herba *boni animi*, ſeu, quæ animum ſuſcitat & gaudia parit, eſtque *Origanum*, quod ut Ciconiarum, Palumborum & Perdicum impoſitione hujus herbæ vulnus, quod acceperunt ſanantium, ſic & hominum ad varios corporis affectus eô utentium, eſt ſolamen. *Gottes Gnad, Kraut, Gnade Gottes*, q. d. *Gratia Dei*, eſtque *Gratiola* quæ amaricante & purgante ſuâ virtute morbis Chronicis confert, maximumque in hydrope arcanum Hartmannô *Prax. Chym. edit. Cardiluc. p. m.* 597. vocatur. *Beruff-Kraut, weil es wegen ſeiner guten Tugenden wohl beruffen, nicht wol es das Beſchreyen und Beruffen, ſo mit Worten geſchicht, vertreibet*, quem errorem in noſtrô de *Faſcinatione* Tractatû refutavimus; eſtque *ſideritis vulgaris erecta* Bauhinô dicta, Herba excellente abſtergendi virtute pororum obſtructionem & hinc ortos morbos, vitioſos ex altô humores evocando, tollens. *Geſegnete Diſtel, hochgelobte, gebenedeyte Diſtel Carduus benedictus* eſt, qui eam nominis celebritatem ob vires, quibus ſe commendat, reportavit, quæ cùm ſint multifariæ, *Aſylum languentium*, jure eum vocavit Dn. D. Georg. Chriſtoph. Petri in inſcriptione libri ſingularis, quem de *Carduô bened.* conſcripſit. *Sophien-Kraut*, Sophia Chirurgorum, *nach den Griechiſchen Wort, der Wund-Aerzt Weisheit*, quia glutinandis vulneribus & ulceribus eam præſens eſſe remedium Chirurgis eſt notiſſimum. *Augentroſt*, q. d. ſolamen oculorum, Euphraſia eſt, cujus conſervæ ſolius uſû continuô puella per decennium viſûs obſcuritate laborans reſtituta eſt, referente Foreſtô *Lib.* 11. *Obſ.* 32. Arnoldus de Villâ novâ *Lib.* 1. *Cap.* 18. herbam hanc quôcunque modô ſumtam in quôcunque defectû oculis prodeſſe notat, quod tamen cum granô ſalis accipiendum eſſe Hoffmannus *Lib.* 2. *de Medic. Officin. cap.* 89. doctè advertit; ſpeciales appellationes morbos, quibus in ſpecie hæc vel illa herba præcipuè conveniat, primâ fronte indicant, à potiori quaſi virtute appellationis ratione deſumtâ. Præcipuè dico, quòd pluribus etiam affectibus eandem herbam non opponi poſſe, non intelligendum veniat. Sic *Grimkraut*, q. d. *Herba torminalis, Senecio* eſt, quia torminibus ventris à bile contractis ſuccurrit, teſte Dioſcoride *Cap.* 97. *Lib.* 4. quæ tamen etiam ſcabiei, hæmorrhoidibus dolentibus, teſtibus & mammis inflammatis auxiliatur. *Harnkraut*, q. d. *Herba urinalis.* Hoc nomine & Linaria & Reſta bovis ſalutatur, quia utraque herba urinam pellit, ita quidem, ùt illa κατ' ἐξοχὴν urinaria dicatur, & propterea Ictericis & Hydrope laborantibus ingenti commodô propinatur. Hujus Schorerus exemplum notatû dignum *in Medicinâ peregrinantium* tradit. Unde in veſicæ ac renum calculô non ſuppar haberi remedium ſcribit Fried. Hoffmannus *in Clave Schröder. pag.* 517. *Fieberkraut, Febrifuga*, idem eſt centaurium minus, cujus mentionem antè fecimus, ejuſque virtutem ratio nominis aperit. *Giffrwurzel, radix eſt contra venena*, Alexipharmaca, Bezoardica, quæ etiam Tincturam Bezoardicam Dn. D. Michaëlis ingreditur. *Lungenkraut, Pulmonaria*, quia pulmonum affectibus, eorundem præprimis vulneribus & ulceribus medetur, quô tamen nomine Germanicô non una, ſed plures herbæ veniunt, nim. Botrys, Marrubium, album, & Pulmonaria κατ' ἐξοχὴν ſymphytum, maculoſum, etiam Bauhinô, dicta. *Gelbjucht-wurtzel, radix icteritia, curcuma* ſpecificum in icterô remedium *ut vel nomen inde apud Germanos ſortita, quòd nempè unicè partibus amaricantibus acribus, detergentibus polleat*, ut loquar verbis Excell. Dn. D. Wedelii quæ fecit in *Amœnitat. Materia Medica pag.* 171. quibus ſe curcumam cum ſale abſinthii ana. in Icterô cum ſucceſſû propinare ſubjungit, *Wilzkraut*, q. d. *Splenica herba*, quam nominis appellationem plures reportant, ſingulæ ideò, quia ſplenis affectibus medentur, & quidem 1. Urtica iners, ſive Lamium. 2. Geniſtella. 3. Lonchitis aſpera. 4. Scolopendrium, quarum ultima prærogativam præ cæteris obtinet. Tranſeant ſimilis conditionis nomina Botanica Germanis uſitata, V. G. *Bruchkraut, Herniaria*, Herniis dicata. *Apoſtemkraut*, q. d. *Apoſtematica*, quæ ſcabioſa eſt, apoſtematibus curandis Sacra. *Leberkraut, Hepatica*, ſine epithetô quidem pronunciari ſolet, non tamen ſine cautelâ uſurpari poteſt, cùm Hepaticæ nomen multis ſpecie & formâ inter ſe differentibus plantis tam à Medicis quàm à Pharmacopœis imponatur, notante S. Paulli, L. C. p. 344. Sic & reliquos morbos & corporis partes, quibus conveniunt, ſignantes appellationes Germanis uſitatas mittimus, V. G. *Feigwärzenkraut, Mutterkraut, Bruſtwurz, Beinwell, Schwindelkraut*, &c. Ad *Veronicam* revertimur. Si placeret, uberiorem laudis gloriam in ea venerandi, & à recentioribus meritò, quaſi φερονίκη, quòd inter plantas triumphet, dici, demonſtrandi campus nobis pateret. Præter conſolidandi & ſanandi vulnera & ulcera virtutem *Veronicam* calculum exturbandi vim obtinere Crato in Cenſiliis ſuis paſſim tradit, idque Dn. D. Elſnerus eleganti hiſtoriâ, quæ habetur *Ann.* 1. *Ephem. German. Obſerv.* 107. confirmat. Obſtructionibus hepatis convenire & ſi quid ſeri ibi infarctum eſt materiæ per urinam expellere *extractum Veronicæ*, ſcribit Hildanus Epiſt. 73. Tibiarum ulceribus aquam Veronicæ, linteis in eâ madefactis & applicatis; item ſterilitati mulierum pulverem Veronicæ in aquâ ejuſdem propinatam mederi S. Paulli *L. C.* docet, & utrumque hiſtoriâ ſingulari confirmat. Plura conferre ſuperſedeo, Lectoremque plura ſcire deſiderantem ad Botanicorum monumenta, ut & memorabilia J. Rud. Camerarii denuò recuſa & aucta, Cent. 5. ſ. 74. & Cent. 18. ſ. 74. remitto.

Ibidem Obſervatio 167. *De Fumi Tabaci vi in ulceribus tibiarum excellenti.*

VEteramentarius quidam vir robuſtus, & quadratus Schalcoviâ reverſus, febris malignæ ibidem graſſantis ſeminia Coburgum reportat. Lectô affixus per uxorem ſuam conſilium à me petit, quæ, ubi in circumſtantias inquiſivi, totum corpus mariti in lectô æſtuantis, veſiculis parvis refertum eſſe referebat. Præſcripſi bezoardici ad ſudandum uſum. Sudore cum ἱνφορίᾳ finitô diſparuerunt veſicæ. Viſitanti brevi poſt, atque vitæ antè actæ ſanitatiſque ſtatum priorem exploranti mihi æger narrabat, ſe ulceribus aliquot in cruribus ſatis diù laborâſſe, tandemque per uxorem ſuam à me remedium rogâſſe, me verò reſpondiſſe; Ohe phleg-

phlegmatici temperamenti maritum tuum eſſe intelligo, ideò, reſpiciendo ejus paupertatem, ſaltem ùt *fumô tabaci* per fiſtulam ore trahendo aſſueſcat, ſuadeo. Conſilio dato, inquit Clinicus, obſequor, & tabaci fumum, quem antehàc nunquàm traxi, in uſum quotidiè traho & ecce! quatuor hebdomadum ſpatiô elapſô ſenſim ſenſimque fonticuli iſti naturales, ſeu ulcera tibiarum, exaruerunt. An verò idem uſum ejuſdem deinceps, profligatô in totum febris impetû, continuarit & crurum aliarumque partium conſtitutio naturalis ſalva manſerit, me latet.

Ibidem Obſervatio 168. *Ex Omentô putrefactô mors.*

Ibidem Obſervatio 196. *De Cephalalgiâ ex uterô feliciter curatâ.* In formâ Conſilii.

Ibidem Obſervat. 197. In *Nive pulices.*

Ibidem Annô 6. *Obſervatio* 235. *De Dolore inteſtinorum primùm à venenato lacte ortô, poſteà quotannis eôdem menſe recurrente & demum baccis Juniperi curatô.*

EVolventi mihi nuper animi gratiâ *Ephemeridum Germanicarum Decur.* I. *Annum* 4. & 5. & legenti *Obſervationem* 127. hâc inſcriptione notatam; De ſymptomate quotannis certô menſe & die recurrente, quod à venenô cum eſcâ hauſtô fuit ortum; ſuccurrit affinis Hiſtoria jam tradenda. Miles quidam præſidiarius (ex cujus de ſe ipsô ſequentia referentis ore hoc olim accepi) Caſtra Cæſareanorum in obſidione Magdeburgicâ ſecutus latranti ſtomacho ſolatium juxta cum duobus Commilitonibus in pagô quodam quærit. Cellam quandã tres hi ingrediuntur, ollãque lacte, quaſi ferculô palato gratiſſimô, ſed ſanitati inimiciſſimô, quia venenatũ erat, offendunt. Largiùs hìc ſe ſe non invitati invitant, ſed cũ largiori ſanitatis & vitæ incommodô. Iſtius enim eſum & uſum brevi vomitûs & ſitis clamoſa cum ventris intumeſcentia & virium imbecillitate ſummâ excepit. Sitis ſedandæ gratiâ ad fontem incolis communem repunt, ſed eâdem viâ, quâ hauſtâ, nullâ intercedente morâ, fuit aqua reddita, & cum hâc animam Commilitones duo reddiderunt. Tertius ſuperſtes vix ſibi naturæ ſuæ bonitate tandem redditus, ærumnoſam deincèps egit vitam. Eô ipſô enim menſe, quô venenatum lac hauſerat, ſingulis deinceps annis acutiſſimos in abdomine ſenſit dolores, nullis cedentes alexipharmacis, nec Theriacæ nec Mithridatio, nec aliis in forô Medicô decantatis remediis, etiam à Medicis experientiſſimis, quos conſuluerat præſcriptis. Idem miles aliô nomine aliquandò me convenit, verbiſque ultrò citròque de variis factis caſum inter alia hunc ſuum fortunâ exponit, cui, nè plures ſumptus forſan fruſtrà, quòd egenus eſſet, faceret, Baccarum juniperi uſum ſuaſi. Euporiſton hoc ad nutum & conſilium meum in uſum mox eôdem annô cum quâdam dolorum alleviatione traxit; ſequentibus annis magnam baccarum copiam ipſe collegit, iiſque non tantùm crudis aut acetô maceratis, ſed & imprimis decoctô earumdem uſus, minorem quotannis recurſum ſenſit, donec tandem impreſſus inteſtinis veneni character planè fuit deletus & obliteratus.

Ibidem Annô 10. *Obſervat.* 204. *De Inflammatione inteſtinorum.*

FRONTO.

De eo extant

De Re Ruſticâ, Fragmenta aliquot. Extant in Γεωπονικῶν ſive de Re Ruſticâ ſelectorum Lib. XX. Græcè, Joh. Alex. Braſſicani operâ editis. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinè autem Janô Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1538. in 8.

FRUNDECK (*Johannes,*) Ludovicus à

Ex eo habetur

Tractatus de Elixire Arboris Vitæ. Hagæ Comitis, apud Ulacq. 1660. in 8.

FUCHSIUS (*Johannes,*) Buthon.

De eô extat

Compendium Abuſuum, autoritate Galeni & Hippocratis damnatorum, cùm pro novitiis Medicis, tum pro illis, qui Medicinâ & ſanguinis detractione utuntur. Monachii, ap. Corn. Leyſterium 1629. in 8.

FUCHSIUS (*Leonhardus,*) Natus eſt Wemdingæ, Rhetiæ oppido, A. C. 1501. Patre Johanne Fuchſiô: creatus Medicinæ Doctor Ingolſtadii 1521. quô titulô impetratô, ſtatim Monacum, Bavariæ urbem commigravit, ibique Medicinam exercuit: indè Ingolſtadium 1526. rediit, nactus ibi Profeſſoris Medic. Spartam: quam cùm non niſi biennium ornaſſet, Onoltzbachium ſeceſſit, electus 1528. Marchionis Brandenburgici Archiater: Tandem 1535. Tubingam vocatus, in eâ Academiâ Medicinam publicè docuit, & Anatomiam ad vitæ uſque finem exercuit: ab Imperatore Carolô V. Inſignia & Nobilitatis ornamenta ultrò accepit: & à Coſmô Medicô, Florentiæ Duce, dictô annô, 600. Coronatorum ſtipendiô, invitatus, comparere noluit. Obiit Tubingæ, cùm anteà nullum ferè corporis dolorem unquàm ſenſiſſet, A. C. 1566. ætatis ſuæ 65.

Ex eo habentur

Operum Didacticorum Pars I. II. III. IV. Continentes I. Inſtitutiones Medicinæ, ſive, Methodum ad Hippocratis, Galeni, aliorumque Veterum ſcripta rectè intelligenda. II. Libros de Humani Corporis Fabricâ. III. Medicamentorum omnium præparandi, componendi, miſcendique rationem, ac modum legitimum & è nativis fontibus petitum, IV. Omnium membrorum à capite ad calcem uſque, medelam. V. Paradoxorum Medicinæ ſynopſin. Francof. apud Palthenium, 1604. in fol.

Epitome, de Humani Corporis Fabricâ, ex Galeni, & Andreæ Veſalii Libris concinnata: Partes duæ. Tubingæ, per Ulricum Morhardum, 1551. in 8.

De Compoſitione Medicamentorum Libri IV. Lugduni 1563. in 12.

De Medendi methodô Libri quatuor. Hippocratis Coi de Medicamentis Purgantibus Libellus, jam recèns in lucem editus. Pariſiis, apud Conrad. Neobarium, 1539. in 8.

Medendi methodus, ſeu, ratio compendiaria perveniendi ad veram ſolidamque Medicinam: ad Hippocratis & Galeni ſcripta rectè intelligenda mirè utilis. Item de uſitatâ hujus temporis componendorum miſcendorumque Medicamentorum ratione Lib. III. iis, qui Praxin Medicam exercent, maximè neceſſarii. Baſileæ apud Iſingrinium, 1541. in fol. Lugduni, 1541. in 8. Pariſiis, apud Jacobum Dupuys, 1550. in 8. Hæc Editio tot in locis aucta & emendata eſt, ùt quaſi de novô, poſtremùm tamen edita eſſe videatur.

De ſanandis totius humani corporis ejuſdemque partium tam externis, quàm internis Malis, Lib. v. Baſileæ apud Joh. Oporinum, 1542. 1568. in 8. Lugd. apud Frellonium, 1547. in 16.

Ad quinque priores ſuos Libros de curandi ratione, ſeu, de ſanandis totiùs humani corporis ejuſdemque partium tam internis, quàm externis Malis, Appendix jam recens edita. In quâ Chirurgica maximè tractantur. Lugduni, apud Frellonium, 1548. in 16. & Venetiis 1556. in 8.

Tabulæ aliquot univerſæ Medicinæ ſummam & diviſionem compendiô complectentes. Baſileæ apud Robertum Winter, 1538. in 4.

Inſtitutionum Medicinæ, ad Hippocratis, Galeni, aliorumque veterum ſcripta rectè intelligenda mirè utiles, Libri quinque. Baſileæ, apud Paulum Quecum, 1567. in 8. apud Oporinum, 1572. 1583. in 8. apud Gemuſæum, 1594. in 8. apud Conradum Waldkirch, 1605. in 8. Baſileæ, apud Ludov. Regem, 1618. in 8. Operâ & ſtudiô Emmanuelis Stupani ab innumeris penè repurgati erroribus, plurimiſque in locis auctiores redditi.

Paradoxorum Medicorum Libri tres. In quibus multa à nemine hactenùs prodita, Arabum, ætatiſque noſtræ Medicorum errata non tantùm indicantur, ſed & probatiſſimorum Authorum ſcriptis, firmiſſimiſque rationibus ac argumentis confutantur. Obiter denique Sebaſt. Montuo Medico Rivorienſi, reſpondetur, ejuſque, Annotatiunculæ velut omnium frigidiſſimæ prorsùs exploduntur. Baſileæ, apud Johannem Bebelium, 1535. in fol. Pariſiis apud Carol. Guillard, 1555. in 8. apud Martinum Juvenem, 1555. in 8.

Apologiæ tres, quarum prima adverſus Guil. Puteanum docet, Aloën aperire ora venarum: ſecunda adversùs Sebaſt. Montuum nonnulla Paradoxorum capita defendit: Tertia adverſus Jeremiam Thriverium, in internis inflammationibus, Pleuritide præſertim, è directô partis affectæ ſanguinem mittendum eſſe: Item explicationes aliquot Paradoxorum continet. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1540. in 4.

De Hiſtoriâ Stirpium, Commentarii inſignes: adjectis earumdem vivis pluſquàm quingentis Imaginibus, nunquam antea ad naturæ imitationem artificioſiùs effectis, & expreſſis. Acceſſit iis ſuccincta admodùm Vocum difficilium & obſcurarum paſſim in eô opere occurentium Explicatio. Baſileæ, apud Mich. Iſingrinium, 1542. in fol. Lugduni, apud Balthas. Arnolletum, 1551. 1596. in 8.

Primi de ſtirpium Hiſtoriâ Commentariorũ Tomi vivæ Imagines, in exiguam anguſtioremque formam contractæ, ac, quàm fieri poteſt, artificioſiſſimè expreſſæ, ùt quicunque rei herbariæ radicitùs cognoſcendæ deſideriô tenentur, eas vel deambulantes, vel peregrinantes in ſinû commodiùs geſtare, adque nativas herbas conferre queant. Baſileæ, apud Michaëlem Iſingrinium, 1549. in 8.

Errata recentiorum Medicorum, 60. numero: adjectis eorumdem confutationibus. Hagenoæ, apud Johan. Secerium, 1530. in 4.

Libri tres, difficilium aliquot Quæſtionum & hodie paſſim controverſarum Explicationes continentes. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1540. in 4.

An morbifica aliqua ſit, de Galeni ſententiâ, cauſa continens? Baſileæ, apud Johan. Oporinum, 1557. in 8.

Apologia. Quâ criminationibus ac Calumniis Johan. Placotomi reſpondet; Francof. apud Sigiſm. Feyrabendium, 1566. in 8. cum opere de Componendis Medicamentis, additô, ut vocant, Diſpenſatoriô.

Adverſus Chriſt. Egenolphi, Typographi Francofurtenſis, Calumnias Reſponſio. Baſileæ, apud Joh. Bebelium, 1535. in 8.

Cornarius furens. Baſileæ, apud Eraſmum Xylotectum, 1533. in 8.

Apologia adverſus Gualtherum Ryffium. Baſileæ, apud eundem, 1536. in 8.

Hippocratis Epidemicon Liber ſextus Latinitate donatus; & luculentiſſimâ Enarratione illuſtratus. Baſileæ, apud Joh. Bebelium, & Mich. Iſingrinium, 1537. in fol.

Hippocratis Aphoriſmorum ſectiones ſeptem, Latinitate donatæ, & luculentiſſimis Commentariis illuſtratæ: adjectis Annotationibus, in quibus, quotquot ſunt in Galeni Commentariis loci difficiles, ad unguem explicantur. Baſileæ, apud Joh. Oporinum 1544. in 4. Lugd. apud Hæredes Jac. Juntæ, 1558. in 8.

Claudii Galeni, *Pergameni*, aliquot Opera, Latinitate donata, & Commentariis illuſtrata. De Inæquali Intemperie Liber unus. De Differentiis & Cauſis Morborum, ſymptomatumque Libri ſex. De Judiciis Libri tres. De curatione per ſanguinis miſſionem Liber unus. Pariſiis apud Jac. Dupuys, 1549. in fol.

De Temperamentis Libri tres. De Differentiis Febrium Libri duo Latinitate, & Commentariis illuſtrati. Tomus ſecundus. Pariſiis, apud eundem, 1554. in fol.

De Laborantium Locorum notitiâ Libri ſex, Latinitate donati, & Commentariis illuſtrati. Tomus tertius. Ibidem, apud eundem, 1554. in fol.

De Balneis Excerpta. Extant pag. 272. Operis Veneti de Balneis.

Nicolai Myrepſi Medicamentorum opus, in Latinum à ſe converſum; Annotationibus luculentiſſimis illuſtravit. De componendorum miſcendorumque Medicamentorum ratione Libri quatuor. Lugduni 1563. in 12.

FUCHSIUS (*Remaclus*,) Natus eſt Leodici: Ibidem Canonicus ad Div. Paulum & Medicus, Frater Gilberti Philareti, Limburgi cognomentô apud externos maximè notus: ſtirpium & naturalium rerum indagator ſolertiſſimus. Obiit Leodici A. C. 1587.

De eo extant

Illuſtrium Medicorum, qui ſuperiori ſeculô floruerunt, ac ſcripſerunt, Vitæ, ut diligenter, ità & fideliter excerptæ. Annexus in calce quorumdam Neotericorum Medicorum Catalogus, qui noſtris temporibus ſcripſerunt, Autore Symphorianô Campegiô. Pariſiis, apud Petr. Gromorſum, 1542. in 8.

De Herbarũ notitiâ, naturâ atque viribus, deq; iis tum ratione, tum experientiâ inveſtigandis, Dialogus. De ſimplicium Medicamentorum, quorum apud Pharmacopolas frequens uſus eſt, electione ſeu delectû, Tabella: omnia nunc primùm nata & excuſa cùm Medicinæ Herbariæ ſtudioſis, tùm Pharmacopolis apprimè neceſſaria. Antverpiæ, ap. Mart. Nutium, 1544. in 16.

Nomenclaturæ Plantarum omnium, quarum hodie apud Pharmacopolas uſus eſt magis frequens, juxtà Græcorum, Latinorum, Gallorum, Italorum, Germanorum ſententiam collectæ ordine Alphabeticô. Pariis, apud Gorbinum, 1541. in 4. Venetiis, ap. Arrivabenum, 1542, in 8. Antverpiæ, ap. Martinum Nutium, 1544. in 8.

De ſimplicium Medicamentorum delectû, Tabella. Item Dialogus de Herbarum notitiâ. Antverpiæ, apud Martinum Nutium, 1544. in 8.

Hiſtoria omnium Aquarum, quæ in communi ſunt hodie Practicantium uſû: Item Conditorum & ſpecierum aromaticarum, quarum uſus frequentior eſt apud Pharmacopolas. Venetiis, apud Arrivabenum, 1542. in 8.

Pharmacorum omnium, quæ in communi ſunt Practicantium uſû, Tabulæ decem. Venetiis, apud Octav. Scotúm, 1598. in fol. Extat etiam cum Bern. Gordonii Liliô Medicinæ. Pariſiis, apud *Ægidium* Gorbinum, 1569. in 8. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1574. in 8.

Methodus curandi Luem Venereum per Ligni Guajaci decoctum. Pariſiis, apud Wechelum, 1541. in 8.

FUCHSIUS (*Samuel*,) Cuſtino-Pomeranus.

De eô extat

Metopoſcopia, & Ophthalmoſcopia. Argentinæ, apud Theodoſium Glaſerum, 1615. in 8.

FUENTA Pierola (*Hieronymus de la*,)

Ex eo habetur

Fons & Speculum claritatis, per quem diverſi modi &c. præcipuè Lotiones, ſecundùm Meſuen clariſſimè collucent. Matriti, 1609. 1647. fol.

FUHRMANNUS (*Jacobus*,)

Ex eô habentur

Aphoriſmorum Medicinalium ad Diæteticen & Pharmaceuticen partem illuſtrandam Centuriæ duæ priores. Roſtochii, apud Joh. Hallervordium, 1615. in 8.

FUHRMANNUS (*Petrus*,)

De eo extat

De Conſolidatione, p. n. partium genitalium, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. priorib. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. pag. 510.

FUIREN (*Georgius*,)

Ex eô habetur

Catalogus Plantarum indigenarum, ſcilicèt Danicarum. Hafniæ, 1662. in 4.

FUIREN (*Henricus*,)

ORATIO

In obitum

Meritiſſimi Viri,

HENRICI FUIREN,

Medic. Doctoris, & in Regia Acad. Hafnienſi Profeſſoris Publ.

Dicta

Hafniæ VII. Cal. Jun. An. M. DC. LIX.

à

THOMA BARTHOLINO.

INuſitatum candoris virtutiſque omnis exemplum nobis orbique ſubreptû in *Henrico Fuirenio*, Clariſſ. Medicinæ utriuſque Doctore, deploramus, cui juſta perſoluturi, dolendum ſne in publica magis calamitate, quam privato amici luctu jure dubitamus. Æſtimanti enim utriuſque jacturæ, pacis & amicitiæ, fortunæ & virtutis conditionem, illa potior occurrit, cujus damnum eſt irreparabile, quæque meliora exempla mortalium animis impreſſit. Æſtuantis quidem belli exempla deteſtamur, quibus veluti pilæ hinc inde varia fortuna, ſed dura ſemper, jactamur, milleque miſeri involvimur ruinis, cœlo infenſo & ſuperis iratis in noſtri perniciem conjurantibus, quum ubique proſtent miſeriarum argumenta, & velut victimæ homines paſſim immolentur, ut patriam tandem in patria quæramus, & alia opus ſit infelicitate ad iſtam tuendam infelicitatem. Malorum omnium in bello ſummam contraxit *Deus* ſcelerum vindex, quia noſtra ſcelera vindictam merebantur, & ſuppliciis noſtris acerbæ Numinis iræ litandum erat, quæ tanto urgent premuntque vehementius, quo ſunt juſtiora: Sed tamen, quia pacis tantum cauſa ex *Platonis* ſententia ſuſcipiendum, mediis bellorum fluctibus haud dubia ſpe erigimur, quod pace poſtliminio nobis reſtituenda, aliquando ſit terminandum, quodque vitiis ceſſit, virtute poſſit revocari. Quis verò integros illos mores reducet, antiquam conſtantiam & candidam mentem, quibus cum *Fuirenio* ivimus nuper exſequias? Vellem nobis blandiri, ſi poſſem, ſi ſeculi iniquitas pateretur. Prona jam mihi in pejus fides. Mala multa patimur, ſed majora vel experiemur vel merebimur, quia exulat candor, proſcripta ex animis recti verique voluntas, in *Deum* hominesque amor, & quicquid denique beatos nos reddit & felices, laudare malumus quam imitari. Bellorum finem prævidemus, ſed nunquam vitiorum, quæ inſanabilia, quia ferro exaſperantur. Nos igitur publicis his ærumnis irretiti, quibus ſe ſubtraxit præſcia futurorum *Fuirenii* mens, tantum virum privatim, ſed publico quoque nomine grata in beatos manes recordatione deflemus, quod vitæ tædio inter maxima mala exiſtimaverit vivere, morique maluerit natus divinâ, quam didicerat arte, mortales ſervare, quam inter vivos quotidiana funera intueri, & perverſos mores. Utinam eo amico diutius frui licuiſſet, ut tantarum virtutum commercio publicis facilius incommodis ſufficeremus, quibus tantò urgentius premimur, quo acerbior eſt doloris magnitudine amici memoria. Ego tot annorum itinerum ſtudiorumque comes, ſanguinis vinculo, ſed majori amicitiæ veritatiſque jure obſtrictus, committere nolui, ut beati *Fuirenii* & in publicum, & in me merita, totque illuſtres virtutes, quibus velut gemmis vita ejus inſigni fulgore coruſcavit, alta oblivione ſacri vatis defectu ſopirentur. Pauca ex multis libabo, quia cuncta paucis pagellis comprehendere, nec mea tenuitas nec fœcunda bonis exemplis *Fuirenii* vita patitur, in qua ſola beatiſſimæ vitæ habuimus compendium. Plura tamen dicturus ſum, quam voto conceperam. Enimverò, quod ſi ipſum redivivum quotidiè intueri, & velut in ſpeculo non fictam virtutum maximarum ſpeciem admirari in ſuperſtite liceret, jucundius opera hac ſuperſederem. Nunc quia nobis fata Virum inviderunt, penè dixerim, virtutem omnem ex mortalium contubernio cum illo abduxerunt, in hoc erimus facundi, ut præ multitudine excellentium virtutum vel minima dicantur. Nota narrabo, à primis tyrocinij annis conſuetudine mihi perſpecta, quorum fidem non commendabo Lectoribus, quibus vel *Fuirenii* virtus, vel noſtra fama innotuit, ego inſuetus mentiri, ille nec mentientes ferre.

Sicco pede præclaros *Fuirenii* natales præterirem, niſi & hi inter virtutis argumenta eſſent, quibus inflammati poſteri, ad gloriam concitatiori curſu graſſantur. Non terræ filius fuit noſter, ſed ex familia Aſclepiadea ſatus, Patre Medico con-

conſummato, ſed extra ſeculi faſtum D. *Georgio Fuirenio*, Botanico & Chymico nulli ſecundo, Matre verò Matrona incomparabili *Margareta Finchia*, ſummi Medici D. *Thomæ Finchii*, Avi noſtri, filia lectiſſima. Dies erat XXVIII. formoſiſſimi Maij, quarto decimo ſeculi currentis anno, quo lucem primam vidit beatus *Fuirenius*, & primam parentibus laudatiſſimis, Avoque Paterno tum adhuc ſuperſtiti, Spectatiſſimo Viro *Henrico Fuirenio* Seniori, ſpem & exſpectationem concitavit, quam cum ætate egregia pueruli indoles in dies exauxit confirmavitque. Eluxere enim in prima ætate haud obſcura indicia, quibus & ſe tantis parentibus dignum aſſereret, & ſequuturæ vitæ præclarum initium faceret. Ab utroque Avo, rariſſimo & venerando ſenum pari, gravitatem primis annis didicit à Patre Doctiſſimo literarum ſemina, à Matre, qua nihil inter fœminas ſanctius, cum ipſo lacte pietatem, probitatem cœloque dignas virtutes cæteras imbibit, ex omnibus compoſitos mores & vitæ integritatem, quam ſemper ſervavit, laudabili æmulatione expreſſit animo & concepit. Hauſtis domi à ſeveris magiſtris ſtudiorum fundamentis, altius poſteà aliis ſe neutiquam immerſit, quibus ad ornatum potius quam utilitatem eruditi utuntur, ſed quum artem longam, vitam perbrevem ex *Coo* intelligeret, ſtatim patriæ Academiæ initiatus, initia meditabatur artis ad quam naturæ quadam propenſione, & parentum exemplo ferebatur. Tantum tamen aliis indulſit, ut linguis Latina & Græca ſcientiiſque Philoſophicis, inprimis Matheſi, eſſet abundè ad eruditionem Medicam inſtructus. Et hæc & illa acriter urſit auſpiciis beati Parentis noſtri, in cujus familia per tempus vixit, moxque morienti adſtitit, & fideli operâ Magni Avi ſui *Thomæ Finchij* cujus convictu poſteà & eruditione quotidie utebatur, denique conſiliis D. *Olai Wormij* Affinis & M. *Jacobi Finchij* Avunculi, plurimum adjutus, quorum omnium ductu tantùm profecit, ut capacior animus per latiorem orbis campum eſſet explicandus. Itaque Soram cum Parente noſtro & fratre ſeniore *Bartolo Bartholino* conceſſit, ut D. *Joachimo Burſero* Celebri Floræ Amaſio, familiarius innoteſceret. Nunquam eo fuit animo, quo multorum ſtultitia pervenit, quibus patriæ bona ſordent, & externa quæcunque ſingulari ſe fuco adornant. Famam & eruditionem magnorum Medicorum, qui ea tempeſtate in patria noſtra eminuerunt, *Finchii*, *Wormii*, *Arniſæi*, *Fabricii*, *Burſeri*, *Laurenbergii*, *Foſſii*, *Paſcaſii*, *Sperlingii*, *Severini*, *Lalii*, aliorumque, ſuſpexit ſemper & ad imitandum ſeriò, nec infelici ſucceſſu elegit. Inſigni Parente ſuo præmaturè orbatus, ab aliis hauſit ſcientiam, qua ad ſtuporem domi illi abundabat, filioque eandem inſeviſſet, ſi mors non interveniſſet, magnis inimica conatibus. Poſteaquam Soræ Clariſſimo *Burſeri* ſucco victitaſſet propter Epidemiam luem, quæ patriam depopulabatur, & Exceſſum Parentis noſtri *Caſpari Bartholini*, ad ſuos reverſus alios ſoles meditabatur, quibus ulterius inclareſceret virtus domi ſpectata. Belgium primò adiit, & in florentiſſima Leidenſ. Academia, viciniſque bonarum literarum emporiis, quatuor annorum decurſu univerſum Medicinæ ſtudium abſolvit. Cadaverum ſectionibus apud *Adrianum Falcoburgium*, nitidum Profectorem, vacavit, Botanico ſub *Adolfo Vorſtio* Floræ genio & Polyhiſtore excoluit, crebriſque excurſionibus inquilinas Bataviæ plantas collegit, Praxin auſpiciis *Ottonis Heurnii* & *Ewaldi Screvelii* exorſus, Noſodochium frequentavit, & duce *Joanne Walæo* Medico ſubacti judicij ſingula accuratiori cura percurrit. Subindè Amſtelodami ſummos in arte ſecandi & medendi Magiſtros *Nicolaum Tulpium* & *Zacutum Luſitanum* audivit inviſitque. Franekeræ nonnunquam ſtudia ſua *Menelao Winshemio* notæ famæ Medico, ſubmiſit. Trajecti quoque ad Rhenum, cujus ſolenni inaugurationi interfuit, *Henrico Regio*, *Reimero*, aliiſque raræ doctrinæ Profeſſoribus innotuit. Enchyſæ denique Paludani Muſæum, Naturæ illud theatrum, curioſis oculis perluſtravit. Ubique hoc egit, ne locatæ operæ temporiſque pœniteret, ab omnibus quos eruditio Medica evexit, mutuatus eſt, quod arti ſuæ ſciret profuturum, & ubique modeſtiæ, candoris & inſignis doctrinæ famam poſt ſe reliquit. Maturus deindè eruditione & judicio ad Gallos abiit, cultiſſimam gentem, ut officioſam linguam amplioremque doctrinæ proventum ſibi compararet. Lutetiæ in ſcholis Medicorum diſcendi cupidus frequens viſebatur, in Theatro Anatomico Medicorum & Chirurgorum aſſiduus erat Diſſectorum ſpectator, privatoque cultro exta animalium evolvit, in Noſocomiis inſtructiſſimis variorum morborum hiſtorias vidit & curationes, ſub *Daviſonio* Chymico Clariſſimo arcana Naturæ ignis artificio ſollicitavit & invenit, Hortum Regium variis plantis ſub *Dn. de la Broſſe* magnificè nuper inſtructum, amore Floræ ſæpiculè ingrediebatur, & quicquid denique ad artis ſuæ perfectionem ubique in urbe vaſtiſſima extabat ſine tædio viarum aut ſumptuum avidiſſimo animo venabatur. Reliquas Galliæ Provincias eadem ſolicitudine percurrit, non tam videndi ſtudio, quod plurimis ſufficit, quam ut naturæ varietatem in elegantiſſimo imperio, & doctorum de ſingulis judicia exquireret. Bone *Deus*! quam turpiter hic alij ſe dare ſolent, qui terras oberrant, veluti pecora, luxum peregrinum tantum ſectantur & ad ſuos referunt, neglectis præclaris gentium inſtitutis, ſola vitia, habitum peregrinum, & peregrinos morbos pro uſu patrio mercantur. Rectiùs domi manerent illi, & focum patrium inſtruerent. Oceanum, ad quem ſanctius vivitur, ſuis moribus inficiunt, & dum alienos errores imitantur, propriæ pœnæ miſerè ſuccumbunt. Noſter *Fuirenius* ubique incorruptos mores ſervavit. Vitia aliorum vidit multa, ſed correxit & exſecratus eſt, omniaque præclara amplexus didicit in peregrinatione ſervare modum. Peccant enim & illi, qui nimis curioſâ diligentia per omnia vagantur quæque multi ſcire debent, ſoli volunt. Non omnia mens humana capit, & omnium intervenire ſecretis in peregrinatione periculoſum. Id per univerſam vitam *Fuirenius* egit, ut ſine ulla Polyhiſtoris ambitione, ſola illa ſectaretur modeſtiſſimè, quæ maxime facerent ad Medicæ artis complementum. Pluribus illam temperantiam optaremus, qui univerſum ingenio ſuo metiuntur, & intra diligentiæ ſuæ ambitum conſtringunt. Faſtidientis ſtomachi eſt, omnia Apicij fercula deguſtare, quæ inquinant corpus, non alunt. Ut ciborum, ita & doctrinæ ſuus eſt modus. Nimia eruditio onerat, moderata prodeſt. Hinc, dum omnia nonnunquam nimia ſciendi aviditate ſectamur, quæ neceſſaria ſunt vel negligimus vel non aſſequimur. Latè patet Medicinæ campus, per quem decurſurus, caveat, ne vel nimiis ſarcinis oneri ſuccumbat, vel ſerius tardiuſque iter aggrediatur. Antiqui amplitudinem artis emendaturi, ut ſingulis pares eſſent, ſingulas partium affectiones ſuis Medicis aſſignarunt. Noſtro ſeculo omnium particularum ſalus uni Medico incumbit, qui vix partibus ſuis ex

ex voto ægrorum defungetur, ſi per varia Criticorum, Hiſtoricorum, Antiquariorum, Philoſophorum, Politicorum, JCtorum, Theologorum ſtudia nimio temporis diſpendio & audaci temeritate fuerit divagatus. In immenſum quoque crevit Medicorum inter noſtros ſcientia. Anatomes, Botanices & Chymiæ amplitudo, & novorum morborum infelix ortus, potiorem hominis ætatem ſolitariaſque curas requirit. Itaque accuratum *Fuirenius* cum ſtudiis calculum ſubduxit, & neglectis in itinere quiſquiliis ſeriora Medicorum apprehendit. Quo animo ab itinere ſuſcepto ad Montem Pelium deflexit, illuſtre illud Medicorum domicilium, ubi copioſius per campos ſuas opes Flora & ornamenta ſpargit, & in Urbis horto luxuriat. Gratâ præſentiâ *Fr. Ranchini* & *R. Bellevali* Medicorum in orbe notorum favorem ibidem meruit, & *Catellanum* celebrem Compoſitionis Alkermes Diſpenſatorem convenit. Marſilia Genoam vectus, per Liburnum, Piſas, Florentiam, & Bononiam, Patavium appulit, quam ſtudiorum optatiſſimam ſedem ſex annorum ſpatio ſibi delegit. In familia *Joannis Rhodii* Polyhiſtoris & Medici, maximo Reipublicæ Literariæ damno non ita pridem defuncti, ex cujus familiaritate quotidiana tantum diſcere potuit, quantum fruſtra alibi paſſimque per orbem quæſiviſſet, cum fratre *Thoma Fuirenio*, Viro Eruditiſſimo, naturæ artiſque Medicæ abditis nocturna diurnaque induſtria ſe immerſit. Ingentes conatus juvit *Joannis Veslingij* in diſſecandis cadaveribus dexteritas, & in Creticis Plantis facundia, quem etiam ad Baldi montes amicum comitabatur; Magna *Veslingij* erat fama, & major eloquentia, quam accurata manus comitabatur. Quum duraturo ad omnem memoriam operi Anatomicas figuras per cælatorem ex vivis cadaveribus exprimendas adjungeret, præter *Fuirenium* noſtrum, Me & *Leonicenum* admiſit neminem. Eodem *Joanne Leoniceno*, artis perito, præeunte, homines animaliaque privata manu *Fuirenius* eviſceravit, & artificioſas venarum, arteriarum & nervorum, magna cura ex unius hominis cadavere exſectorum, tabellas ſtupendo opere exſtruxit patriæ Academiæ deſtinatas. Chirurgicas operationes apud *Petrum* de *Marchettis*, unicum *Aquapendentis* diſcipulum ſuperſtitem, manu promptum & conſilio, accuratè perdidicit. Chymiam cum J. *Zwelfero*, domeſtico tum noſtro, jam benè de Re Pharmaceuticâ merito, recoluit. Conſultationibus graviſſimorum Medicorum *Benedicti de Benedictis*, *Jo. Dom. Salæ*, *Benedicti Sylvatici*, *Jo. Veslingii*, *Fr. Frigimelicæ*, aliorumque, ſubciſivas horas impendit, & perpetuus Exercitatiſſ. Medici *Jo. Dom. Salæ* laudati erat comes, cujus favore & incredibili humanitate ad omnes ægros cum illo admittebamur. Referebat ad Diarium ſingulorum ægrotorum affectiones, cauſas morborum, ſigna, curandi Methodum, remediorum formulas à Sene noſtro præſcriptas, denique eventum, qua exercitatione nihil ad rectè feliciterque medendum utilius, quum fruſtrà in univerſalibus ſcientia noſtra occupetur, niſi in Cajo vel Titio exerceatur. Bibliothecæ interim illuſtris Nationis Germanicæ cum laude præfuit, reſque ejuſdem tantâ prudentiâ, Conſiliarii titulo, adminiſtravit, ut omnium applauſum meruerit, & ſupremum in Gymnaſio Patavino magiſtratum obtinuiſſet, ſi à modeſtia ejus id impetrare potuiſſemus; Cæterum gloriæ contemptor maluit honores mereri, quam accipere, & quanquam civili abundaret prudentia, eruditioneque Medica excelleret, nunquam tamen vel inde laudem, vel hinc lucrum ambivit. Sibi maluit privatim vivere & cum ſapientia habitare, quam publicæ omnium ſe invidiæ exponere. Felicius degunt, qui hac animi moderatione vitam quietam ſine ambitu ducunt, verè illi vivunt, nec ſpiritum ab aliis precariò trahunt. Honores declinare quos meremur, magnæ opus eſt prudentiæ, majoris tamen ſeipſum prudenter ſine faſtu gerere, & ſua felicitate contentum ſibi ipſi imperare. *Fuirenius* noſter ſibi oblatum honorem Naturæ artique Medicæ detulit, dum ſpretis aliorum ſuperbis curis, honorumque blandimentis unius veri utiliſque inveſtigationi ſeſe unicum addixit, ut ſciret penitius naturæ procus, quid ſinu interiori condiderit natura, quid amaſiis ſuis aperuerit, quid de naturæ vitiis & morborum incantamentis vel uſus probaverit, vel majores tradiderint. Utrumque in prolixo itinere quæſivit & invenit. Majorum juniorumque Medicorum placita ex editis monumentis inveſtigavit, quæ tantâ curâ tantoque delectu paſſim in itinere & patriæ redditus congeſſit, ut paucæ in orbe medico huic Bibliothecæ conferri poſſint. Naturæ varietatem & inſolitos morborum caſus ſedula inter itinerum moleſtias invenit exercitatione. Hac mente animatus, quum diutius moram utilem Patavii traxiſſet, reliquas Italiæ urbes data oportunitate perluſtravit. Venetiis *Cœcilii Folii* Anatomici & aliorum conatus publico dedicatos expendit. Bononiæ, *Fortunii Liceti*, Philoſophi tum eminentis, poſtea primi in Gymnaſio Patavino, *Sala* defuncto, Profeſſoris Medici amicitiæ ſe inſinuavit. Ibidem opera *Barth. Ambroſini* in Muſæum Aldrovandinum admiſſus Naturam variam venerabatur. Florentiæ Magni Ducis Etruriæ officinam Chymicam & alia viſu digna inviſit: In urbium Reginâ Româ benevolè ab Equite Illuſtri *Caſſiano à Puteo*, naturæ & antiquitatis promocondo exceptus, eruditos *P. Athanaſii Kircheri* utiles *Pauli Zacchiæ*, & Curioſos *Petri Servii* labores admirabatur. Neapoli Chirurgorum Principem *Marcum Aurelium Severinum*, hoſpitem olim noſtrum ſibi demeruit. Inde Veſuvij vidit ignes, thermas Puteolanas, fontes Tiburtinos, & quicquid rarum aliiſque terris inviſum florentiſſima Italia exteris ſolet monſtrare. Omnium ſingulari amore tenebatur & de natura ſollicitus, viſis imperati Neapolitani & Calceolarij Veronenſis naturæ theſauris, ipſe collegit quicquid hinc inde illuſtre ſpectantium oculos animoſque exſatiat. Digna profectò ſeveris ingeniis diligentia, unde preſſius naturam velut nudam & ſine velo intuemur. Ludunt illi operam, qui Naturam inter Sophiſtarum tricas & diſputationum contentiones quærunt. Monſtrari debent hæc, non diſputari, & ſexcentis Sophiſtarum diſtinctionibus ne culicem æſtate mediâ profligaveris. Peſſimè ſe proſtituunt multi, qui pleno ore de plantis certant, de animalibus differunt, de Metallis commentantur, de natura Rerum litigant, & ſi ad rem ventum fuerit præter olus & aſinos norunt nihil, quia in cerebro naturam formant, & ingenij acumine conſtringunt. Inſpicienda ipſa Natura eſt ut intelligatur, & ſenſibus inveſtiganda, quæ ſenſibus capiuntur. Ingredere Muſæum *Fuirenii*, quicunque Philoſophi nomen inanibus altercationibus ambis, ut Philoſophus egrediaris, diſcaſque, quod ignoras, aliud eſſe naturam noſſe, aliud rationem. Videbis ibi artificioſas oſſium humanorum omnis ætatis compages, nervorum venarumque ſpecioſas tabellas, metallorum genera, mineralia, terrarum varietates, gummata, lapides ſuis claſſibus per ſpecies diſtinctos, animalia peregrina, monſtroſos piſces, ſerpentum exuvias, lacertos ſquamoſos, inſecta varie-

variegata, miras concharum facies & infinita alia Naturæ ludentis miracula, ex quibus ad publicum commodum & ſolidam eruditionem plus erues, quam ex mille libris, aut bis mille diſputationibus. Hiſce in itinere accuratè conquiſitis domique poſtea digeſtis, animum verâ Naturæ cognitione imbuit *Fuirenius* & per omnem vitam inſigni voluptate pavit. Hoc Medicæ doctrinæ theſauro, uſu rerum præclararum, ſelectiſſimorum librorum & univerſæ Naturæ copiâ inſtructus, velut amplis ſpoliis, relictâ Italiâ per Parmam, Placentiam, Mantuam, Mediolanum, perque Alpes invios cum fratre *Theodoro Fuiren*, illibato illo pectore, Helvetos ſalutavit maſculam & cordatam gentem, inprimis Baſileæ, laude medentium claræ, videndi deſiderio tenebatur. Summa humanitate Medicinæ Proceres, *Emanuel Stupanus*, *Jo. Jacobus à Brunn*, *Joh. Caſp. Bauhinus*, *Felix Platerus Junior*, junctos nos exceperunt, utriuſque Parentis memoriâ & amicitiâ. Paſſus eſt hic *Fuirenius* noſter ſe exorari, & à ſe tandem difficillimè obtinuit, ut antequam patrios reviſeret lares, exantlatorum laborum ſolidæ eruditionis Medicæ teſtimonium, ſolenni ritu publicè exambiret. Ab omni faſtu ſemper fuit alieniſſimus, doctuſque maluit eſſe, quam videri. Ne tamen præter majorum conſuetudinem ſibi diffidere videretur, hoc mecum elegit Brabeuterium, in quo utriuſque Parentes, Avi & affines lauream Medicinæ ſupremam reportarunt, ubi cum delectu ingeniorum honores digni conferuntur. Igitur Patres Baſileenſes, juſti humanique candidatorum cenſores, audita in privato examine *Fuirenii* in Re Medica eruditione, ad publicas Lectiones admiſerunt, quas diſputationis vicarias, urgente pectoris neceſſitate, data optione elegit. Hydropem Aſciten triduanis prælectionibus in Medicorum Collegio eo eruditæ caveæ applauſu abſolvit, ut qui publicam alioquin lucem de induſtria declinaverat, ſuaſu tamen Clariſſimorum Virorum typis Baſileenſibus poſterorum memoriæ commiſerit. Ita publico conſenſu Doctoralem mittam diribitore Celeberrimo *Bauhino* in eadem mecum Cathedra jure meritiſſimo Pridie Idus Octobr. cIɔ Iɔc XLV. obtinuit. Gratulabar impensè mihi, quod in partem præmiorum admitterer, qui eruditione rerumque uſu libenter illi & ex merito cedebam. Senſimus & aliud Doctorum Rauracorum beneficium, quod in Collegium Medicorum adoptati Principibus illis Achivis permiſceremur. Quæcunque *Fuirenio* hic & ubique conſignabantur virtutum laudumque documenta, minora meritis cenſebantur. Laudari ab omnibus virtus, ſatis tamen à nemine æſtimari poterat. Ægrè hinc divulſus, per Solodurum, Bernam, Lauſannam, Genevam, Lugdunum & Aureliam, tandem Lutetiam rediit, difficillimis itineribus hybernis, ubi luſtratis reviſiſque quæ digna videbantur, intimiuſque cognitis quæ ex uſu exiſtimavit, magnam Britanniam magnorum ingeniorum feracem meditabatur. Temporum verò injuria & bellorum civilium tempeſtate ſæviente, in Belgium regreſſus, amicis veteri neceſſitudine conjunctis *Vorſtio*, *Walæo*, & conſanguineo *Andrea Bickero*, Conſule Amſtelodamenſi & Fœderatarum Provinciarum Ordine Illuſtri, officioſè valere juſſis, ad reditum in patriam ſe mecum compoſuit. Comite *Petro Chariſio*, cognato noſtro honorando, per Friſiam utramque, Groningam, Bremam, & Cimbriam ad deſideratam Matrem & Amicos, ad patriam urbem poſt decem & trium annorum iter, animo ad rectas ſpes ſublevato properavit. Ingenti doctrinarum & experientiæ ſupellectile onuſtus, privatos ſuos lares redux compoſuit, ſibique vixit & amicis. Modeſtus nemini, omnibus gratus morum integritate & vitæ innocentia ad exemplum ſtupendæ. Bibliothecam magno paſſim ſtudio & ſumptu collectam erexit, omnium ætatum Medicis inſtructiſſimam, & in ſuas claſſes ordineſque diſpoſuit, ut non tam propriis quam amicorum uſibus inſerviret. Nullum enim ex commodo hujus theſauri uſu exclusit, nec canis ad præſepe excubabat. Ipſe neceſſarios per vices & temporum indulgentiam revolvit perlegitque, ut hauſta foris Medicinæ arcana, continuis domi lucubrationibus perficeret. Conſulebatur in dubiis rerum eventibus, & librorum uſuram omnibus literatis amicè conceſſit, ſed Medicis; Sicut enim reliqua ſtudia arti ſuæ poſtpoſuit, ita nec ullum in Bibliotheca patiebatur librum, qui vel Medicam rem vel Naturalem hiſtoriam non complecteretur, Logicorum, Grammaticorum, & Criticorum farraginem averſatus. Hoc unum in vita quieta ſtudioſè curavit, ne inutili aliarum rerum vel lectione vel poſſeſſione ſeria interrumperet, & utilia obfuſcaret. Ita enim vita potuit æquali & uno tenore procedere, quam alii propoſitis diverſiſſimis ſcindunt. Curas ſeriores horti urbani cultura interpunxit, *Dioſcoridis*, *Theophraſti*, *Cluſij*, *Bauhinorum* ſtudia æmulatus. Rariores plantas & exoticas curioſè collegit, & quotannis conſervavit. Et ut corporis falleret imbecillitatem levaretque, ſubinde æſtivis menſibus in prædio Eberrodiano cum *Varrone*, *Columella*, *Palladio* & Conſtantino Cæſare ruſticabatur. Numeroſam ægrorum multitudinem nunquam ambivit, commiſſorum tamen ſibi curam habuit diligentem. Quanquam enim ad intima Medicinæ admiſſus in artis operibus eſſet exercitatus, non conceſſit tamen corpuſculi valetudo pluribus vacare. Rogatus nulli operam ſuam denegavit. Quos anguſta res domi premebat, & conſilio & ope ſubvenit. Nec publicis reipublicæ muneribus inhiavit, quæque in aliis venerabatur, neglexit ipſe, non contemptu ſed neceſſario valetudinis prætextu. Publicam illam ſervitutem magnæ fortunæ declinavit, ubi nihil ex arbitrio noſtro nobis licet, ſed ſæpius opprimit invidia virtutes. Optima cum lare ſuo ſecreto ratio conſtabat, quem legendo & meditando ſplendidè ornavit, ſecumque ea egit, per quæ poſteris profuit. Magnificam à ſe exſtructam in fundo paterno domum, Democriti ſpeluncam eſſe voluit & naturæ collegium, mutis Bibliothecæ Doctoribus refertum, Muſæo raris Naturæ operibus mirandum, hyeme exoticis plantis vireſcens, avibus perſonans, ſemper variis experimentis occupatum, amicorum denique quos conſtanti & incorrupta fide dilexit, eruditis colloquiis ſæpiſſime illuſtre. Sobrietate vitam fragilem temperabat, ſine libra, ſed non ſine modo vivens. Parcè prandebat, primo ſemper ferculo parabiliis cibi contentus, ne animo nebulas & corpori pravorum humorum materiam offerret. Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, non ratione ducimur, ſed conſuetudine. Ille verò egregio ſuo exemplo ſine exemplo contentus, luxum omnem deteſtabatur. Legis Oppiæ abrogationem truci magis quam Porcius olim Cato oratione inhibuit, nec unquam vehementius excanduit, quam ob conſuetam in conviviis & veſtibus patriæ profuſam licentiam. Cæteroquin mitiſſimo erat ingenio, nullos lædere, ſed nec lædentes ferre. Famæ popularis contemptor, ita ſe tamen geſſit, ut maximâ famâ inter omnes maximos & medioxumos dignus

dignus eſſet. Nunquam ſilentio involvenda *Fuirenii* merita, æterna ſit beneficiorum illius apud cives noſtros memoria, quod in Academiæ ornamentum & civium utilitatem publico teſtamento inſtructiſſimam Medicam Bibliothecam dedicarit, publicis omnium uſibus inſervituram, ſalariumque illius exauxerit, qui Bibliothecæ curam eſt habiturus. Legatum ſatis æſtimari à nemine poteſt, niſi à ſapiente, cui notum eſt, quanti res tanta ſit taxanda. Præivit olim *Petrus Albertius* Academiæ noſtræ Rector, & ſumma prudentia apud Majores ſpectatur, qui librariam ſuam ſupellectilem Academiæ primus conſecravit. Crevit numerus clementiâ Auguſtiſſ. Regis Divi *Chriſtiani* IV. Quibus ſymbolam contulit *Andreas Lymvicus* meritiſſimus in Acad. Medicinæ Doctor. Majorum liberalitatem in immenſum auxit incomparabilis Epiſcopus Selandiæ, *Caſp. Eraſmi Brochmannus*, cujus nulla ætas delebit apud nos memoriam. *Fuirenii* verò Bibliotheca, quam non Apollinis, ſicut olim Auguſti ævo, ſed SS. Trinitatis templo conſignavit moribundus, ut ex divinis ingeniorum monumentis, ſurgens mortalium gloria & ſalus in *Dei* T. O. M. tutela eſſet; primam inter Medicos laudem meretur, quos ingenti librorum rariſſimorum numero ſolus inſtruit. Quidquid ab antiquis Græcis, Romanis & Arabibus præclari in chartas relatum fuit, quidquid medij ævi Scriptores de re Medica commentati ſunt, quidquid denique diligens ſequentium ſeculorum induſtria vel novi invenit, vel ex antiquis invenit, ſtabilivit confirmavitque, *Fuirenius* collegit, & æternis ſtudioſorum uſibus deſtinavit. Nec in hiſtoria Naturali quiddam deſiderari voluit, quod hactenus quidem ſub incude venit, & ære pretioque comparari potuit. Defectum publici juvandi promptitudine ſupplevit frater *Thomas Fuirenius*, cui idcirco immortales gratiæ debentur, quod in omnium ſeculorum cogitationes admittamur, nec ullo penè Medico nobis ſit interdictum. Ne verò naturam ex libris ſolis venaremur, inæſtimabili liberalitate ex Muſæo addidit ſecretiſſima Naturæ miracula & oſtenta, quibus colligendis domi foriſque deſudavit, ſumptuſque neceſſarios ſuppeditavit, quibus & in dies excreſcerent, novorum acceſſione, & Medicorum Collegium commodius hoc loco hoſpitaretur. Videmur jam ubique, dum in Muſæo Academico verſamur, provida *Fuirenii* cura locupletato, quod terrarum omnium & aquarum, animalium hominumque portenta claudit. Quæ fuſa oratione libri adumbrarunt, hic oculis obverſantur, quæque illi conjecturâ inveſtigarunt, nos palpamus, & cum rerum natura in conſortium omnis naturæ pariter incedimus. Habet hic quo ſe Medicus exerceat, quod tyrones diſcant, quod admirentur omnes, quo nomine tibi, *Fuireni* beate, patria univerſa obſtrictam & debendi ream ſe profitetur. Hæc erunt virtutis tuæ tropæa, hæc publica monumenta, quibus nomen æternitati apud nos poſteroſque conſecraſti. Nec minus illi Reſpublica noſtra Medica debet, quod in Diſpenſatorio Hafnienſi conficiendo præclaram cum cæteris Medicis operam contulerit, claſſeſque ipſi ſorte divina oblatas cum laude abſolverit. Mirum dictu quanta alacritate ad publicum bonum promovendum excubaverit. Quicquid egit, ſeriò egit, præclaro quodam perficiendi impetu. Sententiam in Collegio Medico rogatus, paucis ſed quibus pondus inerat, rerum momenta expendit. Nunquam verborum quæſivit lenocinia, nec ſermones ſeſamo aut papavere adſperſit, ſine fuco & fallaciis, ſine pompa ulla ſimplici oratione mentem cordatè aperuit. Et quod in illo excelluit, candore omnes mortales ſuperavit, & ſeipſum. Plebeja illa exolevit virtus, & ad rus plurimorum calculis ableganda. Felicius tamen ſingulorum ſe fata explicarent, ſi intra domeſticos urbis parietes admitteretur. Neminem ille fallere, & fallentes odiſſe. Cor in fronte gerebat, & pectus apertum, nullis dolis conſutum aut fucatum, omnibus patebat. Nullius unquam famæ inſidiabatur. Submiſit ſe omnibus, tumque ſe maximum inter amicos exiſtimavit, quum minimum de ſeipſo ſentiret, nihil ſibi, cuncta aliis indulgens. Infra modeſtiam cætera, quibus gloriari poterat, reputabat. Animo invictus, damna iniquæ ſanitatis Spartana nobilitate concoxit, nec ullis ceſſit voluptatibus, ut etiam caſtis amoribus licitiſque nunquam ab otio ſapientis & animi tranquillitate, cui ſacramentum dixit, potuerit dimoveri. Majum, nativitatis menſem, perpetuo coluit, quo Romani uxores non ducebant. Noluit libertatem ſuam incerto Venereo, &, ſi malè ceciderit, impotentiæ muliebri ſubjicere, quæ ſubinde domi devicta, in foro quoque, ut ille ait, obteritur & calcatur. Amavit *Hippocratem*, non uxorem *Hippocratis*, quæ ſemper quo modeſtè coerceretur opus habebat. Amore interim divinæ pulchritudinis rerumque à *Deo* creaturarum unicè captus, non damnavit conjugia, ſed aliis reliquit, poſteritatem ſuam in libris ſuperfuturam ratus, memoriamque, quam tanti tamen non putavit, inter amicos & inculpatæ virtutis gloriam apud omnes duraturam. Secum habitare & vivere, *Deo* ſervire & amicis, inter maxima felicitatis dona numerabat. Fortunæ ampliſſimæ bona, pro ſuis non computans, quia peritura, cum iis patiebatur quos vel bona mens commendabat, vel ſocia paupertas urgebat. Benè precantur alumni, viduæ, Noſodochia, quibus in vitæ ſubſidium aliquot mille Coronatis proſpexit. Optimè de Deo ipſo meritus cujus Eccleſiis ex ſuo patrimonio, ne migraturo hinc oneri eſſet, devotè legavit ſignati argenti ſummam, velut donarium ſacris aris ſuſpendendum. Ita officia cum amicis, bona cum egenis, utrumque cum Deo diviſit, nihil pro ſuo venditans, niſi infractam vitiis mentem, recti conſcientiam & animi conſtantiam, quam inter peregrinationum tædia, inter languidi corpuſculi injurias, inter ſeculi fatiſcentis perverſitatem, ſemper ſervavit integram. Hac animi beatitudine & virtutum ſatellitio, peritura omnia neglexit, frequenſque cum Deo immortali commercium exercuit. Primus in templo viſebatur & ultimus, & Numinis præcepta non ore tantum, ſed, quod divinum, vita expreſſit. Immortalia quotidie meditabatur, & ad æternitatem ſe tacitè compoſuit. Minabatur à teneris unguiculis corpuſculi imbecillitas, caſu an ab interna origine, in vitales partes, reſpirationis difficultatem, quæ per complures annos pectori compreſſo inimica, creſcente ætate, ſed decreſcentibus viribus, aſthma moleſtum excitavit. Inclementiores hyemes binæ, patriæ exitioſæ, pectori quoque illius tam fuerunt moleſtæ, ut arctatis animæ meatibus vix ſpiritum liberè duceret, quo tandem in patriæ urbis obſidione & publica calamitate, auctis injuriarum aſthmatiſque cauſis, ſenſim intercepto, anni currentis initio, ætatis verò XLV. inter mortales deſiit eſſe mortalis. Nos tibi, beatiſſime *Fuireni*, felicitatem, qua cum Patre & Fratre *Theodoro*, heu quondam noſtris, in cœlo frueris, non invidemus, ſed noſtram infelicitatem deploramus, & tui memoriam colimus. Manent in animis noſtris admirandæ dotes, inuſitatæ virtutes, in publicum merita, incredibilis tuus

tuus in nos amor, & deſiderium teſtamur. Virtutis omnis in Te vidimus exemplum, nec ſequi poſſimus. Ignoſce quæſo, beatiſſima anima, quod parcius tua, nec pro dignitate ſatis expreſſerim. Vita tota modeſtia fuit, nec laudari Te æquo animo es paſſus, & dum omnia animo complector, ſub ſingulis hæret lingua, tuis colloquiis aſſueta. Quia verò pietatis meæ extare volui monumentum, ſi in ſingulis penna defecit, univerſa condonabis, & dolori juſto tribues, quicquid meritis tuis deceſſit. Nos interim dum inter æterna ſidera fulges, malis innumeris, quæ effugiſti, ſuccumbimus, ſeculi iniquitate, quam ſuperaſti, premimur, & fato, quod ſpreviſti, debemus ludibrium. Ego & hoc nomine infelicior, quod inter extrema tua ultimum Vale forte abſenti non dixeris, quem in itineribus habuiſti comitem, in ſtudiis ſocium, in amicitia parem, ubique fratrem. DIXI.

DE D. FUIRENIO

In Urbis obſidione defuncto.

Dum Patria obſeſſos cingunt infenſa penates,
Signa, per inſolitas exitioſa vias;
Non potuit clauſos urbis perferre receſſus
Aſſuetus cœlo liberiore frui.
Mutat mente domos, urbiſque & pectoris orbem
Deſerit, auxilio Numinis alta petens.
Sic licet hoſtiles includant mœnia turmas,
Claudere nulla animos vis inimica poteſt.

De eodem circa anni initium denato.

Iratus vitiis perituro infenſior ævo,
Faſtidit noſtros connumerare dies.
Anni principium nobis fecêre Calendæ,
Olli cui ſpirant ſecula finis erant.

TH. BARTHOLINUS. D.

EPITAPHIUM.

VIATOR. QUI. TRANSIS.
HENRICUM FUIREN.
FAMILIÆ. DECUS.
SOLATIUM. ÆGRORUM.
NOBISCUM. DEPLORA. LACHRYMIS.
QUI.
LONGIS. ANNOR. PEREGRINATIONIBUS.
ANIMO. SEMPER. QUIETUS.
VITA. EXPRESSIT. QUOD. FAMÆ. FUSA.
NOLUIT. ELOQUI.
CLARUS. ERUDIT. QUAM. OCCULTAVIT.
MODESTIA.
QUUM. NIHIL. OSTENTARET.
OMNIA. POSSEDIT.
VIRTUTEM. SOLAM. DISSIMULARE.
NESCIUS. ET. CANDOREM.
DUM. PATRIÆ. DUM. AMICIS. DUM. EGENIS.
VIXIT.
QUI. PER. ILLUM. SEMPER. VIVUNT.
DUM. MORITUR. PER. NATURAM.
PER. MERITA. VIVIT.
PER. DEUM. QUEM. COLUIT.
CUM. DEO. VIVIT. IN. ÆTERNITATE.
VIXIT. HACTENUS. INTER. MORTALES.
ANN. XLIV. MENS. VII. DIES X.
PERPETUA. APUD. PLURES.
FAMA. SUPERSTES.
ABI. VIATOR.
ET.
MORTUO. LEVEM.
QUÆ. VIVO. GRAVIS.
PRECARE. TERRAM.
POS.
D. Th. BARTH.

De eo extant

Prælectiones Baſileenſes, de Aſcite. Baſileæ, apud Georg. Deckerum, 1645. in 8.

Catalogus Bibliothecæ Henrici Fuiren, editus à Fratre Thomâ Fuiren. Hafn. 1660. 4.

Rariora Muſæi Henrici Fuiren, ab eôdem edita. Ibid. 1663. 4.

FULGINAS (*Gentilis.*) Natus Peruſiæ Ital. vel, ut alii volunt, Fulginii circa A. C. 1230. hincque à patriâ à nonnullis dictus de Fulginiô, in patriâ per plures annos Medicinam celeberrimâ nominis ſui famâ fecit. Fuit Thaddæi Florentini Diſcipulus, & Avicennæ accuratiſſimus Commentator, hincque Avicennæ Anima exiſtimatus. Obiit Bononiæ, circa A. C. 1310. ibidemque apud Patres Dominicanos ſepultus jacet, ætatis ſuæ fermè 80.

Ex eô habentur

Expoſitiones cum Textû Avicennæ. Venetiis apud Octav. Scotum, 1484. 1486. in fol. apud Baptiſtam de Tortis, 1492. in fol 4. Voll. His adjecta ſunt Quæſtio de Febre: de Actuatione Medicinarum: de Phthiſi: de Majoritate morbi: Tractatus de proportione medicinarum, ſeu, doſi: & Conſilia varia.

Conſilia peregregia ad quævis morborum totius corporis genera. Ejuſdem Tractatus de Herniâ: & receptæ ſuper primum Fen quarti Avicennæ ordinatæ: & de Balneis nos circumſtantibus & naturis ipſorum, & temporibus ipſa viſitandi. Extant hæc omnia cum Antonii Cermiſoni Conſiliis. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1503. in fol.

De Febribus. Venetiis, 1526. in fol.

De Leprâ Tractatus. Extat cum Dini de Garbô Chirurgiâ. Venetiis, apud Luc. Antonium Juntam, 1536. in fol. pag. 54.

De Balneis Tractatus duo. Extant pag. 181. 182. Operis Veneti de Balneis.

Excerpta de Balneis ex Commentariis in Avicennam. Extant p. 347. ejuſdem operis de Balneis.

De Proportionibus Medicinarum: & de Modô inveſtigandi complexiones eorum, & ad ſciendum convenientem Doſim cujuſlibet Medicinæ. Extat inter opuſcula illuſtrium Medicorum de Doſibus. Patavii, apud Gratioſum Perchacinum, 1556. in 8. apud Paulum Mejettum, 1579. in 4. Lugd. ap. Johan. Mareſchallum, 1584. in 8.

Quæſtiones & Tractatus extravagantes noviter cum ſummô labore collecti, & cum magnâ diligentiâ emendati. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1520. in fol.

Expoſitio cum Commentô Ægidii, Monachi Benedictini, Lib. 1. Judiciorum de Urinis: & Lib. 1. de Pulſibus. Venetiis, 1494. in 8. Lugd. 1505. in 8.

FULGINAS (*Lucius Lælius,*)

De eô extat

Conſultatio de Sarmaticâ Lue. Ferrariæ, 1600. in fol.

FULLERUS (*Franciſcus,*)

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1707. pag. 274.

Medicina Gymnaſtica: or, a Treatiſe concerning the Power of Exerciſe &c.

i. e.

Tractatus declarans Exercitationum potentiam, reſpectû Oeconomiæ animalis, magnamque earundem in morbis diverſis curandis neceſſitatem. Editio,

Editio ſecunda cum Additionibus. Londini, apud Robertum Knaplock, 1705. *in* 8.

QUo Exercitationum uſus in talibus ſæpe morbis curandis, in quibus alia vix quicquam valent, elucescat certiſſimus, *Autor* in Medicinâ Gymnaſticâ præſenti, tam Exercitationum in corpus noſtrum efficaciam in genere, quàm morborum, in quibus conferant, & motuum, qui proſint, nonnullos in ſpecie explanat, omniaque tum Praxi Veterum, tum Appendice ſingulari confirmat. Exercitationis videlicèt nomine omnem intelligit motionem ſive agitationem corporis humani, cujuſcunque illa ſit generis, ſeu voluntaria, ſeu involuntaria, & quocunque fiat modo, quæ abſque remediis internis poſſit (vel, ſine quâ remedia interna ſola non ſemper poſſint) naturæ roborandæ ad expellendum inimicum à quô opprimitur, ſufficere. Modos verò, quibus natura in oppreſſionis periculum veniens ſibi ipſi opituletur, ut & naturæ conatus, qui vel externorum applicationem, vel internorum, nec ſanguini, nec ſpiritibus aſſimilandorum, aſſumptionem inſequantur, priùs percurrit, quam rationem oſtendat, quâ naturâ, exercitiô moderatô eôque continuatô adjuta, ſe à morbis quibuſdam liberare poſſit. Eum namque in finem in corpore noſtrô, nunc ſternutationem, oſcitationem, pandiculationem, ſingultum, riſumve fieri, nunc ſtimulô, aut externô, aut internô, v. g. emeticô fortiori, ſpiritus animales excitari, ut aliquid naturæ adverſi eliminetur. Tametſi autem producta humanæ artis perfectiſſima motû atterantur & conſumantur, corpus nihilominùs humanum, ceù mechaniſmi divini exemplar, motû frequenti ad diutiùs perſeverandum diſponi, in quantum hic in partes corporis, & fluidas & ſolidas, agens æquilibriū utraſque inter reſtauret optime. Ne de motus tamē potentia, quâ in fluidas & ſolidas corporis noſtri partes exerit, ullum relinquatur dubium, ad ſtructuram arteriarum conicam, ſanguinis circuli promovendi gratiâ motum muſculorum exigentem, ad exactiorem particularum ſanguinis homogenearum mixtionem, occaſione majoris caloris digeſtorii per motionem excitati contingentem, ad uberiorem particularum è maſſâ ſanguineâ, cum excrementitiarum, tum laudabilium denuò admiſcendarum, ſecretionem, à velociori poſt motum corporis circulatione obtinendam, ad hypercatharſin, à motû poſt hauſtum purgans illatam, ad majorem denique partium ſolidarum tenſionem & ad nervoſarum ſenſationem gratam, motione inducendas, pluribus provocat. Ad morbos verò motû abigendos motionis præcipuè moderatæ induſtriam continuationem non minùs poſtulat, ac medicamenta alia quævis alterantia ſedulò continuari præcipiuntur; neque moleſtiam, quam primæ creant exercitationes adeò ægrô metuendam eſſe, ut eaſdem propterea omittat, cum natura iis pariter atque aliis, quorum exempla adducuntur, ſoleat adſueſcere, ægrotuſque frequenti moderatorum exercitiorum uſû tantùm acquirere queat robur, quantô alter, ſimili morbô affectus, ob motionem omnem neglectam penitùs deſtituitur, prout ſani quoque robuſtiores deprehendantur aliis, quo violentioribus motibus corpus conſueverint ſubigere. Exercitationem itàque excellens haberi remedium, partim ratione medicaminum, v. g. decoctorum lignorum, Martialium & balſamicorum, quorum vires exaltet, partim intuitû morborum, quos pellat, ubi evidenter collegit, ad morbos ſpeciatim motû curandos, atque exercitationes huic ſcopo ſatisfacientes progreditur, ibique phthiſin, hydropem & malum hypochondriacum, hic autem equitationem, frictionem & balnea frigida, non ſolùm nominat ſed & declarat. Phthiſi ſiquidem à motione, imprimis ab equitatione, eò certius pollicetur auxilium, quò laxius particulæ morbificæ in maſſâ ſanguineâ cum reliquis cohæreant, & quo æqualiùs moleculæ acres per emunctoria ubique ſecerni debeant, diligentem ſimùl uſum balſamicorum non aliorum, quàm temperatorum, acrimoniam obtundentium & nutrientium, e. g. tuſſilaginis, liquiritiæ, cynogloſſi, &c. admittens. Hydropis titulô, cui exercitatio medeatur, talem præcisè innuit Anaſarcam, in quâ vel ægroti catharticorum uſû intempeſtivô ità debilitati fuerunt, ut diuretica & corroborantia nequicquam ferre poſſint auxilii, vel quâ homines adultioris ætatis, fœminæ hyſtericæ, aut ſubjecta aſthmatica, afficiuntur; in quali non tam purgantia fortiora, veluti ſanguinis craſin & ventriculi tonum deſtruentia, quàm diuretica, in majori ſaltem doſi & cum motû, ſuadet uſurpanda. In affectione hypochondriacâ & hyſtericâ, ſpiritus & nervos potiſſimùm occupante, remedia haud violentiora, v. g. cathartica diuretica, ſanguinis miſſionem &c. ſed leniora & cordialia, atque præſertim exercitationes, primùm equitationem vel vectionem, tùm balnea frigida vel frictionem ideò commendat, quod ſpiritus ac nervi primario hiſce corroborentur, nec pauperes laborem ſuſtinentes morbis iſtis unquam corripiantur. Sed ea prætereriens, quæ de Rheumatiſmô ſcorbuticô, Atrophiâ nervoſâ & Debilitate ex mœrore, motû pariter curandis, potuiſſet addere, equitationi primum inter exercitationes concedit locum, quia hæc infinitis ſuccuſſionibus non meſenterii tantùm & inteſtinorum glandulas obſtructas aperiat tonumque reſtituat, ac morbificas à glandulis inteſtinorum ſecretas particulas immutet, ſed & præter alias ſecretiones tranſpirationem æqualiorem vultumque vividiorem efficiat, atque animum majoribus voluptatibus perfundat, quam exercitationes aliæ; quantùm verò commodum ab equitatione in phthiſicos, hypochondriacos, & cachecticos redundet, obſervationibus, cum Sydenhamii, & Baynardi, tùm propriis, demonſtrat. Hinc frictionem, multùm à veteribus adhibitam, intuitû inſenſibilis tranſpirationis, quam egregiè promovet, & quam reliquis evacuationibus cunctis notabiliter præpollere Recentiorum experientia teſtatur, ſubjungit, nulluſque dubitat, quin frictio aſſiduè repetita, glandularum cutanearum obſtructiones reſerando, mucum glutinoſum in muſculorum interſtitiis attenuando, & ſpiritus excitando, in Rachitide recenti, Rheumatiſmô ſcorbuticô, certa Atrophia, & hypochondriacis ac hyſtericis obeſioribus, magnum edere valeat effectum, cùm vel ganglia ipſa ſub cute demùm ſoleat diſſolvere. Balnea denique frigida propter actionem, quâ ſpiritus repellunt impelluntque, ut unitis viribus materiam morbificam aggrediantur, exercitationibus à *Noſtro* cū Veteribus annumerantur; de efficaciâ verò eorumdē *Floyeri Inquiſitio in uſum & abuſum balneorum* laudatur, *in Actis A.* 1698. *p.* 524. à nobis recenſita. Atque hanc morbis exercitatione ſubveniendi rationem Veteribus quondam maximè ſolennem fuiſſe, ex Hippocrate, Galenô, Celſô, aliiſque non minùs luculenter, quàm ſummum equitationis in nervorum affectibus emolumentum exemplô Autoris propriô, quod in Appendice fuſius enarratur, comprobatur.

FULLERUS (*Thomas*,) M. D.

De eô extant in Actis Lipſienſibus Ann. 1702. *pag.* 258.

Pharmacopœia extemporanea ſive Præſcriptorum Sylloge. Londini apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1701. 12.

Qui

QUi omnem ætatem ægrotis curandis tranſegit clariſſimus Auctor, nunc dum ætate ingraveſcente, abdicatô laborioſô vitæ genere, quieti ſe tradidit, non deſinere tamen voluit prodeſſe aliis. Itàque inſignem opuſculô hôc collegit publicôque uſui expoſuit Præſcriptorum Medicorum farraginem, à ſemet partem maximam praxi propriâ longoque uſû probatorum, partim etiam petitorum ab amicis, aut ex optimæ notæ libris decerptorum. Exhibentur Præſcripta ordine alphabeticô, ſubjectis cujuſque viribus virtutibuſque genuinis, doſibus etiam & modo operandi. Præſcripta ipſa index morborum excipit, quibus illa medentur, ordine item alphabeticô. Ipſe verò in Præfatione Lectorem de tribus præcipuè monendum cenſuit; primum, quoad Materiam Medicam, eò ſe collimâſſe, ut præ cæteris maximè efficacia, tuta, jucunda, & facilè parabilia eligeret; dein, quoad Formulas, ſimplicium, quantum res tulerit, paucitatem, proportionem exactam, totiùſque concinnitatem ubique adhibere ſe conatum; denique remediorum multitudini ac varietati operam ſe dediſſe. Nec enim probari ſibi innuit aliorum inſtitutum, qui Materiam Medicam intra arctos adeò limites contraxerint, ut quinque vel ſex ſimplicibus & paucis numerò Formulis innixum, profligandis morbis omnibus parem putârint. Hos enim eô ipſô, licèt inopinatô, artem præſcribendi tam tritam queritur omnibùſque obviam reddidiſſe, ut proſtituatur jam apud vulgus & planè profanetur.

Ibidem Ann. 1713. *Suppl. Tom* 5. *p.* 238.
A Body of preſcripts : ſeu Pharmacopœia extemporanea. Londini, *apud Benjaminum Walford*, 1710. 8. & Amſtelodami 1709. & 1717. apud Wetſtein in 8.

QUis ſcopus fuerit Autori Clariſſimo in Pharmacopœia hâc Extemporanea edenda, quis ordo, quæve methodus, abundè à nobis indicatum eſt, cum in Actis his Annô 1702. Menſe Junio pag. 258. primam ejus editionem Latinam commendaremus. Novam hanc adornavit ipſe Autor, & Anglica lingua ornavit librum, poſtquam is eo inſciô aliquoties hactenùs fuerat recuſus. Præſcriptorum ordo hic immutatus eſt, Anglico ſcilicet idiomati adaptatus; pluraque addita ſunt, quæ in prioribus deſiderantur.

FUMANELLUS (*Antonius*,) Veronenſis, Medicus longô rerum uſû per totam Italiam exercitatiſſimus. Floruit A. C. 1529. Juſtus in Chronol. Medic.

De eo extant

Opera multa & varia, cùm ad tuendam ſanitatem, tùm ad profligandos morbos plurimùm conducentia. Tiguri, apud Andr. Geſnerum, 1557. in fol. Pariſiis, apud Claud. Morellum, in fol. Magdeburgi, apud Joh. Franck, 1592. in fol.

Librorum tituli ſunt :

De Vitâ & moribus Galeni, Compendium.

De ſenum regimine, ſive, de eorum ſalubri victû, Commentarius.

De Balneis Aquæ potabilis, Libellus.

De Vini temperaturâ & facultatibus, Commentarii.

Bacchi ſylva, de Vitium, uvæ, vinique facultatibus.

Reſponſiones ad Librum Conſalvi Barredæ, *Hiſpani*, de Vini facultatibus.

Epiſtola medicinalis ad Andaſium, in quâ quorumdam errata corriguntur de Vini facultatibus.

Propugnacula tria contra aſſerentes, Vinum humidum eſſe.

De Roſarum partiumque ipſarum, & omnium quæ ex roſis fiunt, facultatibus.

De Compoſitione medicamentorum generis cujuſcunque, ad morbos diverſos.

Febrium dignoſcendarum & curandarum abſolutiſſima Methodus.

De Peſtis curatione Liber.

De Leprâ & Elephante morbô, eorumque curatione, Libellus.

De Rheumate, ſeu, deſtillatione à Capite Libellus.

De Capitis uſtione, in oculorum & pulmonis morbis, ab humorum defluxû.

De Calvariæ fracturâ & ejus curatione, vulnere pectoris, & pulmonis, phlegmoneque, Conſilium.

De Ventriculi affectibus præter naturam Epiſtola.

De Recrementorum corporis humani præternaturali retentione, & evacuatione, Liber.

De ſanguinis ab ore rejectatione, pulſûs intermiſſione, ſonitu & gravedine, in imô pectoris perceptis, Conſilium.

De totius corporis virium imbecillitate, Capitis præcipuè, vertigine, renum dolore, & calculô Conſilium.

De Morbis Variis, in viis urinariis contingentibus, Commentarius.

Seorſim prodierunt

Febrium dignoſcendarum & curandarum abſoluta Methodus, Conſilium chirurgicum, de Calvariæ fracturâ, pectoris & pulmonis vulnere, phlegmoneque. Hiſtoria & curandi ratio pro urinæ reddendæ difficultate. Item, an mineralis aqua, urinæ conveniat? De Balnei ferrati facultatibus, ferrique naturâ. De Balneis aquæ ſimplicis. Conjunctim edita Baſileæ, apud Joh. Oporinum, 1542. in 4.

De Balneorum Aquæ ferratæ facultatibus & præſertim Calderianæ. Extat operis Veneti de Balneis, pag. 183.

De Compoſitione medicamentorum, & Peſtis curatione, Libri duo. Venetiis, apud Hier. Scotum, 1548. in 8.

Commentarius de Vinô, & Facultatibus Vini, deque quorundam Quæſitorum diſſolutione. Venetiis, apud Johannem Patavinum & Venturinum Roffinellum, 1536. in 4.

FUNCCIUS (*Chriſtophorus*,) Saganus Sileſius.

Ex eo habetur

De ſterilitate Muliebri, Diſputatio. Extat Decade II. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jac. Genathius, 1619. in 4.

FURICHIUS (*Joh. Nicolaus*,) Argentoratenſis. *De eô extat*

Chryſeidos Libri quatuor, ſive, Poëma de Lapide Philoſophorum. Adjunctis Poëmatibus nonnullis aliis. Argentorati, apud Eberh. Welperum, 1631. in 4.

FURLANUS (*Daniel*,) Rhethymnæ in Cretâ natus genere nobili, quod oriundum è Carniâ, ſeu Forô Julii, inter nobiles Coloniæ Cretenſis cooptatum eſt, à primâ ætate Venetiis, bonis & humanioribus Diſciplinis à Planeriô imbutus, ut ipſe ſcribit in Procœmiô ſuô operum ad Philoſophiam, Juriſprudentiam, & Medicinam addiſcendam Patavium venit, immoratuſque annos octo ex his ſcientiis omnibus lauream reportavit. Nam eum Philoſophiæ ac Medicinæ Doctorem fuiſſe conſtat ex ejus libris, adeptum verò Juriſconſultorum inſignia teſtatur Diarium Sanſoni,

Sanſoni. Reverſus in Patriam, cum aliquandiu cauſſas egiſſet, ac negotia politica, dirimendaſque lites ex juriſdictione demandata, accitus eſt primùm quidem à Marco Quirino, qui ſinui Adriatico præerat, mox ab Antonio Canali, ſupremo claſſis Venetæ Proviſore; cùm hoc ubi Venetias remeavit, politicorum Magiſtratuum, pertæſus cœpit Philoſophiam privatis auſpiciis profiteri, habuitque diſcipulos nobiliſſimos juvenes, quorum ambitione apud parentes factum, ut ad exedram Patavinam extraordinariæ Philoſophiæ in primô loco proveheretur. Obiitque munus illud egregiè uſque ad annum peſtilentiæ 1576. quô illâ afflatus occubuit nondùm planè ſenex Venetiis. Edidit ibi typis Somaſchi *Commentarium* pereruditum in Lib. I. *Ariſtotelis de partibus Animalium*: tradiditque Salomonius ex Lignamineô Synchrono Furlani, & peramico, multa eum lucubrâſſe tùm in *Aphoriſmos Hippocratis*; tum *ad Titul. Decretal.* & *Pandectar. de Judiciis*, quorum aliqua ſunt edita apud Franciſcum Bolzettam Typographum Patavinum *Hiſt. Gym. Patav. T. j. pag.* 324.

Ex eô habetur præterea in Lind. Renov.

Theophraſti Ereſii, Peripateticorum, poſt Ariſtotelen, principiis, pleraque antehac Latinè nunquam, nùnc Græcè & Latinè edita. Interpretibus Dan. Furlano & Adriano Turnebo. Acceſſerunt Lib. de Innatô ſpiritu, Ariſtoteli attributus, & D. F. uberes ad omnia Commentarii. Ex Bibliothecâ Johannis Vincentii Pinelli Hanoviæ, apud Marnium, & Hæredes Aubrii, 1605. in fol.

FURNERIUS (*Andreas*,) Medicus Pariſienſis; qui ſi *Coſmeticen* tanquàm Chirurgiæ partem admittamus, non adparet, cur locum inter ſcriptores Chirurgiæ ipſi diſputemus? ſcripſit autem idiomate gallicô tractatum tribus libris comprehenſum de decoratione C. H. in quorum *primô* multa ad Chirurgiam pertinentia continentur, in *ſecundô* agitur de ornatû muliebri, *in tertiô* verò de diverſis unguentis ad ſcabiem, ulcera, excoriationem cutis, aduſtionem & ignem volaticum. *Goelike Hiſt. Chir. p.* 136.

FURNO (*Vitalis de*,) Medicus Clarus A. C. 1486. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extat

De Conſervandâ ſanitate, tuendâque proſperâ valetudine, ac totiùs humani corporis ſalutarium remediorum curationumque, Liber. Moguntiæ, apud Ivonem Scheffer, 1531. in fol.

FURST (*Joh. Zacharias*,) Franco-Dettelbacenſis, Medecinæ Doctor Aulæ Trevirenſis Archiater, & Academiæ Naturæ Curioſ. Collega, dictus *Æolus.*

Ex eo habetur

Dialogus Hygiaſticus *id eſt* Colloquium Phyſico-Medicum, inter Hygiophilum & Jatrophilum, in quo præter manuductionem ad vitam ſanam & longam de Annis Climactericis, termino vitæ &c. utilia non tantùm ſed & curioſa quædam ſecundùm Neotericorum Philoſophorum æquè ac Medicorum fundamenta in gratiam Hygiobiophilorum proponuntur ac luci publicæ ſiſtuntur. Francofurti typis Andreæ Deutſchmanni, 1692. in 12.

De eô præterea extant in Miſcell. Cur. Dec. 2. ann. 3.

Obſervatio 112. *De puella ſine ano.*

NAtivitatis Culpâ quandoque fieri, ùt clauſô anô alvi fæcus per vulvam excernantur, teſtante id ex aliis *Thom. Bartholinô Centur. 2. Hiſtor.* 63. adeò diligenter unius rei defectum aliô compendiô compenſat natura nunquàm magis æqua, quàm cum maximè eſt iniqua. In feſtis Natalitiis evocatus ad Sereniſſimum Landtgravium Haſſiæ Erneſtum in Rheinfels, in certô affectû Conſilium meum expoſtulantem; Ubi à loci illius Sancti Goaris ordinario Medico Dn. Doctore Huxolt ad aliquam octo circiter ſeptimanarum puellam ductus, inveni illam excrementa per vulvam emittere, cùm natura in ani locô maculam tantum in carne durâ tanquam vulneris ſanati veſtigium delineaſſet; Quid Conſilii, an anus perforanda? Voluit hoc ibidem Medicus, & felices ſæpè ani perforationes de quibus & authores & Ephemerides Miſcell. Natur. Curioſ. ſuadebant; At cùm diductâ nonnihil vulvâ, abſterſiſque excrementis, naturæ iſthùc aberrantis compendium accuratiùs perluſtrarer, adverto incurvatô flexû inteſtinum rectum, ſuum in vulvæ parte inferiore ſortitum eſſe exitum per quam moleſtam ſemper fœcum ſarcinam expellendo deponeret; Ani itàque perforationem diſuaſi, jam facilè idem fatenti Medico hâc accuratiore examinatione inducti ambo. Viderint ergò attendantque ad ſimilia naturæ aberrantis compendia omnes, quibus hujuſmodi obtingunt, nè immaturô nimis conſiliô pernicioſas ſæpè auſpicentur ſectiones. Si verò quis putet anô perforatâ, inteſtinôque rectô eò deductô, vulnus remanente liberâ alvi excretione conſolidari commodè potuiſſe, ab eô libenter adhùc inſtrui cupio.

Ibidem Ann. eôd. Obſervatio 113. *De Corde vulneratô in quartum diem vivente.*

Ibidem Dec. 2. *Ann.* 10. *Obſervatio* 174. *De Reſpiratione difficili à Polypô Cordis.*

Ibidem Ann. eôd. Obſervatio 175. *De Reſpiratione difficili & urinæ incontinentiâ à nimiâ pinguedine & diverſis aliis cauſis proveniente.*

Ibidem Ann. eôd. Obſervatio 176. *De Empyemate ex pleuritide Paracenteſi curatô, tandem hydrope mortuô.*

FURSTENAU (*Joh. Hermannus*,) Natus eſt Herfordiæ Veſtphalorum cIɔ Iɔ.CLXXXVIII. Majo Menſe, parente uſus M. Joh. Fürſtenau, verbi divini in aula Bieſterfeldenſi Lippiaca, abhinc in Eccleſiis, Hiddenhu ſana, Schildeſienſi, & demum Herfordienſi patria, eademque Cathedrali, ultra XL. annos Miniſtro vigilantiſſimo, Matre Modeſta Eliſabetha Backrhuſia. Avum Paternum agnovit, Bernhardum Fürſtenau, Civem & Mercatorem, ut & Judicij Provincialis Adſeſſorem, Aviam Maternam, Annam Redekeriam. Avus Maternus fuit D. Johan. Adolphus Barckhauſen, Judex Electoralis Brandenburgicus, ejuſdemque judici Provincialis, quod Herfordiæ olim floruit, Vice-Præſes, Gogravius. Avia Materna Margareta Slipſteinia.

A teneris pietate, & bonarum artium ſtudiis imbutus, præter Domeſticos Præceptores, in Gymnaſio publico Herfordienſi Werfelij, Fockerodi, Laarij, & Foppij fideli inſtitutione uſus, M. Thomæ Mülleri adſiduam in litteris humanioribus exercitationem, & ad ſtudium, quod elegit, medicum, manuductionem non unam, gratus hodieque

hodieque deprædicat anno ætatis octavo & decimo, ſeculi præſentis ſexto ad Academias Saxonicas miſſus, Vitenbergenſem primo adiit, inque ea per annum cum dimidio commoratus, D. D. C. Vaterum inprimis, hinc vero & J. G. Bergerum, P. G. Sperlingium, I. H. Heücherum, & A. Brendelium in arte ſalutari, in matheſi vero H. Klauſingium civem ſuum ſecutus eſt. Hinc ad Jenenſem Academiam pergens ab ore D. D. G. W. Wedelij, tum vero & I. H. Slevogti, & H. E. Wedelij, & G. A. Hambergeri per anni ſpatium aſſiduus pependit. Denique in Hallenſi Academia D. D. J. Hoffmanno & G. E. Stahlio per ſemeſtre ſpatium ſedulò auſcultavit, inque iſta licentiam conſequendi ſummos in arte ſalutari honores, habita de deſideratis Anatomico-Phyſiologicis diſſertatione, præſide licet nemine, impetravit.

Suſceptorem ex Sacro Baptiſmatis lavacro veneratus eſt L. Hermannum Barckhauſen, Sacrorum in Epiſcopatu Oſnabrugenſi, & ducatu Hannoverano, Antiſtitem primarium.

Annô ſeculi nonô ſalutatis in itinere data occaſione, viris Celeberrimis P. Lyſero, G. G. Leibnitio, & Steigerthalio, viſoque Cellis Muſeo Heinſiano, ex mandato parentis patriam repetens, praxeos Medicæ haud infelicia auſpicia, Deo propitio, fecit. Sed annô ſeculi undecimô videndi & ſciendi cupidus, in Belgium profectus eſt, poſteaquam Monaſterij penes D. D. Craterum Chemicum præſtantiſſimum plura vidiſſet curioſa & memoria digna. Et Amſtelodami quidem F. & H. Ruyſchios, I. I. Rau, Commelinum, I. P. Guenelon, I. C. Ammannum, ac data occaſione T. J. ab Almeloveen, cui & diſſertationem epiſtolarem de deſideratis Pathologico-Semeioticis inſcripſit, vidit, ſalutavit, ac præterea I. Clericum, L. Küſterum, Hemſterhuyſium, alioſque viros eruditos non ſemel convenit, Noſocomia fere quotidie, hortum medicum frequenter, præeuntibus viris modo dictis celeberrimis viſitavit, & Muſea, præſertim Ruyſchianum & Vincentinũ perluſtravit; Hinc Trajecti ad Rhenum D. D. Vallan Relandum, & Serrurier, Lugduni Batavorum D. D. Bidloo, Deckerum, le Mort, Albinum, Boerhavium, & F. Schraderum, Hagæ Comitis D. D. Reverhorſtium, Eüthium, & Meuſchenium, Delffis D. D. Storckium, Lubeckium, Coäquey, & van der Houk, Roterodami D. D. Lavonium, Dordraci D. D. de Mann alioſque adiit, nec niſi doctior ab iiſdem receſſit. Facto demum per utramque Friſiam reditu, Franecqueræ Remferdum, van der Weyen & Patanè, Gröningæ vero Lammers, de Moor & Meükens, ac Bremæ, D. D. à Cappel, von den Buſch, Tilingium, Rennerum, & Regemannum ſalutavit, & autumno ejuſdem anni ſalvus Dei gratia domum rediit, ac praxi rurſus Medicæ ſedulò, nec ſine fructu, benedictione adjutus divina invigilavit. Anno ſeculi ſexto & decimo inſtituto rurſus per Caſſellas itinere ibidemque D. D. Wolfarti humanitatem expertus, Marpurgum ubi D. D. van der Felde & Borellum, Gieſſam, ubi D. D. Valentini, & Verdrieſium ſalutavit, & hinc Francofurtum ad Mœnum petiit: ibi præter cognatos ſuos, de Barckhauſen, ampliſſimis ex parte muneribus inſignes, D. D. Jungkenium, Burggravium, Kiſtnerum & Ochſium inviſit, & cum Z. C. ab Uffenbach, Icto & Polyhiſtore itemque Conſule Francofurtenſi Ampliſſimo amicitiam contraxit; ad eumque epiſtolam de morbis Ictorum exaravit; hinc vero Norimbergam perrexit ac D. D. G. Thomaſio, G. Volckamero, M. J. Lochnero, Altorffi vero I. I. Baiero, L. Heiſtero, & Tantkenio, ut & Helenæ Sibyllæ Wagenſeiliæ, viduæ Molleriæ, fœminæ Græcè & Latinè doctæ innotuit: Porro Jenam, viſendi Fratris Germani Syndici Jenenſis cauſa, repetiit, & reſalutatis præceptoribus optimis Wedelio & Slevogtio, iiſdem ultimum dixit vale.

Atque inſtitutò porro per Helmſtadium, ubi D. D. I. A. Schmidium, B. Meibomium, Gackenholzium & Wagnerum, Hamburgum ubi D. D. Fabritium, Wolfium, Hübnerum, Bieſterum, & Kirchofium, Lubecamque ubi D. D. Hannekenios, Borghelium, Svantenium alioſque allocutus eſt, itinere patrios iterum lares reviſit, annoque ſequente ſeptimo & decimo ſacrum matrimonij fœdus iniit cum Sophia Eleonora Büſchingia B. Jo. Ludolphi Büſchingij, Eccleſiaſtæ quondam Hagenſis Schavenburgi Vigilantiſſimi filia, ex qua quinque liberos, quatuor filias, duas denatas, totidemque ſuperſtites, & filium hactenus unicum Joh. Fridericum procreavit.

Annô ſeculi vigeſimô à Sereniſſimo Haſſiæ-Landgravio Carolo I. ad Academiam Rintelenſem vocatus, & Medicinæ Profeſſor primum extraordinarius, mox ordinarius denominatus eſt.

Scripta Edita.

Deſiderata Medica, ſeorſim variis in locis Halæ, Amſtelodami, Francofurti ad Mœnum, Rintelij, demùm Lipſiæ junctim edita. 8. ſumptibus F. Gleditſch.

De Morbis Ictorum ep. ad. Z. C. ab Uffenbach. 1720. 8.

De Fatis Medicorum Orat. Inaug. Rintel. 1720. 4.

De Dyſenteria Alba in puerpera Diſſ. Inaug. A. F. Bauch. Eüt. Holſat. Rintel. 1723. 4.

Programmata nonnulla, tempore Magiſtratûs Academici impreſſa. Rintel. fol. 1724. 1725.

Promiſſa.

De Morbis Medicorum.

De illuſtribus Medicorum Familiis.

Obſervationes Medicæ.

Vitæ Medicorum Dec. I. II. ſeq.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus ann. 1727. *p.* 275.

Deſiderata Medica. Lipſiæ, apud Johannis Friderici Gleditſchii B. Filium, 1727. 8.

QUæ in ſcientiis in genere deſiderantur, poſt *Henricum Cornelium Agrippam*, *Franciſcus Baro de Verulamio*, Anglus quidam, nomine *Waſſe*, & alius inſuper in Mercurii Francofurtenſis P. IV. monuerunt, in arte verò ſalutari, præter laudatum *Verulamium*, *Georgius Hieronymus Velſchius* primus & ſolus exſtat, qui deſiderata Medicinæ per ſumma veluti capita in *Somnô Vindiciani* indigitavit, quem imitatus eſt *Johannes Daniel Major* in *Genio Errante*. Poſtquam etiam noſtrô ævô non defuerunt Medici eruditi, & de incremento artis ſolliciti, qui deſiderata Medica paſſim & quaſi aliud agendo recenſent, ingemiſcunt, & medelam optant, *Thomas*, puta, *Sydenhamius*, *Georgius Baglivius*, *Bernhardinus Ramazzini*, & *Bartholomæus de Moor*, ac Clariſſ. *Furſtenau* à Præceptoribus ſuis, quos in Academiis Saxonicis audivit, varia in variis artis partibus occurrere deſiderata, in quibus poſterorum induſtria ſemet poſſit debeatque exercere, comperit, incitamento hæc ipſi fuerunt, primamque ſuppeditarunt occaſionem, deſiderata Medica paulò accuratiùs inveſti-

inveſtigandi. Inde factum, ut annô ſeculi hujus nonô deſiderata Anatomico-Phyſiologica publicè & pro Licentia ſummos in arte ſalutari honores adipiſcendi in Academiâ Halenſi ad diſceptandum propoſuerit. Secuta ſunt A. 1712. deſiderata Pathologico-Semiotica, quæ Diſſertationis forma Epiſtolaris ad Theodorum Janſonium ab Almeloveen, & A. 1720. deſiderata Practica, quæ ad Godofridum Thomaſium, Medicum Norimbergenſem primarium, exaravit. A Sereniſſimô Haſſorum Principe hinc ad munus Profeſſorium abeundum Rintelium vocatus, annô poſt in Actû ſolenni Doctorali deſiderata Phyſico-Chymica expoſuit, & ſequenti annô deſiderata Chirurgica Diſſertatione publicâ & ſolenni comprehenſa vulgavit. Quæ verò circa Materiam Medicam occurrunt deſiderata, A. 1724. oratione, quâ Magiſtratum Academicum auſpicatus eſt, enarravit, demùmque annô ſequenti deſideratis ſuis, habita de deſideratis Medico-Forenſibus Oratione, colophonem impoſuit; prout Autor in Præfatione Epiſtolari ad Celeb. Collegam noſtrum inde à multis annis planè indefeſſum, D. Mich. Erneſt. Ettmüllerum Prof. publ. teſtatur. Has igitur ſchedas in unum faſciculum collegit Clariſſ. *Furſtenau*, ut unô obtutû paterent Lectorum oculis, & IX. partes exhibuit, quarum I. deſiderata Anatomico-Phyſiologica, II. Pathologica, III. Semiotica, IV. Practica, V. in Materiâ Medicâ, VI. Phyſico-Chymica, VII. Chirurgica & VIII. Medico-Forenſia exhibet, quibus addita eſt IX. de docta Medicorum Ignorantiâ. Et cùm priora deſiderata, ſub Diſſertationum aut Epiſtolarum formâ divulgata, vel ex hoc capite ſe commendaverint, quod Hiſtoriam Litterariam variis in capitibus ſimul exhibeant, & in omnium jam verſentur manibus, de illis plura addere non attinet, de ultima ſolummodò monemus quod agat illa de doctâ ignorantiâ Medicorum tam in genere, quâ quoad τὸ θεῖον in morbis & cauſam proximam, pulſus ad mentem Medicorum Sinenſium contrectationem, uroſcopiam promiſcuam, panaceas, ſpeciatim adverſus ſenectutis vitia, viſus hebetudinem, & mortem, quibus adjecti ſunt ſcriptores de doctâ ignorantiâ. Et quemadmodum Clariſſ. Autor, in omnibus hiſce deſideratis ſummorum in arte virorum verbis potiùs quam ſuis uſus eſt, nè ſcilicet ſibi occinatur; tu, quod neſcis, & in deſideratorum ſerie collocas, aliis forſan te doctioribus dudum cognitum atque perſpectum eſt; ità & hanc Partem claudit verbis Lactantii: *Alii putarunt, ſciri poſſe omnia, hi ſapientes utiquè non fuerunt; alii nihil, neque hi ſapientes fuerunt; illi, quia plus homini dederunt, hi, quia minus. Utriſque in utramque partem modus defuit. Ubi ergò ſapientia eſt? ut neque omnia te ſcire putes quod Dei eſt, neque omnia neſcire, quod pecudis; eſt enim aliquid medium, quod ſit hominis, ſcilicèt ſcientia cum ignorantia conjuncta & temperata.*

FUSCUS (*Placidus*,) Italus, è Monte Florum, Philoſophiæ, ac Medicinæ laureâ ornatus, non medendi magis arte, quàm vitæ probitate ſpectatus, Pii V. Sanctiſſimi Pontificis Medicus, & intimus familiaris, cujus notitiam mihi dedit Magiſter Gaudentius Robertus, ordinis Carmelitarum, meus amicus, doctrinæ titulis, domi foriſque clarus, qui ab hâc vitâ ad meliorem migravit annô 1695. non ſine maximâ ſtudioſorum jacturâ, literis ad me datis Parmæ 28. Decemb. 1692. Hæc ſunt verba. *Non ſo ſe V. S. Illuſtriſſima habbia cognitione di Placido Foſco, Medico del Beato Pio V. autore di un' opera intitolata.*

De uſû & abuſû Aſtrologiæ in Arte Medicâ. Autore Placidô Fuſcô, Pij V. P. M. Medicô, & intimô familiari

Haveua queſt' Opera mſ. Girolamo Avanzolini, onde penſo poſſa ritrovarſi a ſorte nella Libraria de Signori Gambalunga in Rimini, e lo potrà V. S. Illuſtriſſima ſapere dal Garuffi, al preſente Bibliotecario di quella &c.

Exceſſit Placidus Romæ, annô 1574. ſepultus fuit in Eccleſiâ S. Gregorii, in locô qui dicitur Clivus ſcauri, meruitque hâc honorificâ memoriâ celebrari, uti legitur in opere Floravantis Martinelli, prænotato Roma ex Ethnicâ Sacrâ, pag. mihi 108.

I. C. R.
Placido Fuſco.
E Monte Florum Ariminen.
Med. Q. Dom. Com. Palatino
Qui
Tum in Flamina
Tum Melitæ atque Siciliæ
Pleriſque civitatibus
Ob admirabilem
prædicendi facultatem
prognoſtes vocatus eſt
Tum Romæ à Piô V.
In familiam cooptatus
Et ante & poſt eum
In S. Spiritus noſocomium
Atque in S. inquiſitionis
Carcerem miſſos.
Alioſque pietatis erga pauperes
Annos XVI. curando.
Obiit pridie Id. Martii 1574.
Vixit An. 64. Menſ. 5. D. I.
Thomas Fuſcus Filius
I. V. D. unicus Heres
Teſtamento rogatus cum lachrymis
P.

Poſt obitum vivo melius, doleoque medendi
Artibus, extremum ſæpè fugaſſe diem.

Claruit æquè Lactantius Fuſcus, Placidi frater, vir apprimè doctus, ut teſtatur inſcriptio in Eccleſiâ S. Honuphrii in Janiculô, ſupra viam longam, & eſt

D. O. M.
Lactantio Fuſco I. V. D.
Archipresbyterô M. Flor.
Ariminenſi Canonico
Hebraicis, Græcis Latiniſque literis,
Erudito.
Pietate, Probitate, Comitate
Omni deniquè Virtute Clariſſimo
Ætatis Flore morte ſubrepto.
Placidus Fuſcus orbatus tantâ ſpe
Fratri Cariſſimo B. L. P.
Natus eſt poſthumus 3. Non. Septemb.
An. 1512.
Obiit 5. Id. Junij 1559.
Vixit An. 47. Mens. 10. D. 22.

Hic vicit ſortem, potuit non vincere mortem;
Dum ſortem vicit, mortuus occubuit.

Extat hæc inſcriptio quoque apud Laudatum Martinellum in librô laudatô, pag. mihi 265. nec non apud Gaſparem Alverum in opere, Roma in ogni ſtato, par. 2. pag. 293. *Mandoſius, in Vitis Archiatr. Pontific.*

BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM MEDICORUM VETERUM AC RECENTIORUM

LIBER SEPTIMUS.

In Quo illi recenſentur quorum Nomina incipiunt à Literâ G

GABELCHOVERUS (*Wolffgangus*,)

Ex eô habentur

Curationum & Obſervationum Medicinalium Centuriæ ſex. Quarum IV. priores edidit Tubingæ Joh. Bernerus, 1611, 1612. reliquas Ehil. Brunnius, 1627. in 8.

Expoſitio Latina ex Italicô, cum Annotationibus & Obſervationibus Andr. Baccii, de Gemmis & Lapidibus pretioſis. Acceſſit Diſputatio, de Generatione Auri & ejus Temperamento. Francofurti, ap. Matth. Beckerum, 1603. in 8. apud Johan. Davidem Zunnerum, 1648. in 8.

Ejuſdem Baccii Interpretatio Latina ex Italicô de Alce & Cornû Monocerotis. Stutgardiæ, apud Marcum Furſterum, 1598. in 8.

GABELLA (*Philippus*,)

De eô extat

Secretioris Philoſophiæ Conſideratio brevis, unà cum confeſſione Fraternitatis R. C. Caſſellis, apud Guilielmum Weſſelium, 1615. in 4.

GABRIELIUS (*Gabriel*,) Patavinus, nobilis Philoſophus, & Medicus inſignis. Vixit circa annum Chriſti 1550. Juſtus in Chronologiâ Medicâ.

Ex eô habentur

In Quæſtionem Hieronymi Boniperti, *Novarienſis*, de Materiæ imminutione in principio morbi, Diſſolutiones. Ejuſdem de totius evacuandæ materiæ ratione, explicatio. Patavii, apud Jacobum Fabrianum, 1550. in 4.

GABRIELIUS (*Andreas*,) Senogalienſis.

De eô extat

De Peſte opus perutile, ac præſidiô locupletiſſimorum Auctorum roboratum. Bononiæ, apud Peregrinum Bonardum, 1577. in 4.

GABRIELLIUS (*Pyrrhus Maria*) Patritius Senenſis, in publico Senarum Lyceo Medicinæ Theoriæ & Botanicæ Profeſſor Primarius, Academicus Senarum Phyſio-Criticus, & S. R. J. Curioſus, dictus *Strato*.

Ex eô habentur in Miſcell. Nat. Cur. Decur. 3. Annô 2. Obſervatio 1. De ſtupendô brachii tumore, ejuſque Anatome.

Ibidem Obſervatio 2. De Sanie in brachiô per alvum expurgatâ.

Mulier annorum 40. temperie pituitoſâ prædita, Carnoſi habitûs, tumore œdematoſô totum brachium dextrum occupante, per plures dies laboravit; febris acceſſit, atque interim inflammatio augebatur, unde auctâ tumoris magnitudine, ſigna ſuppurationis apparuerunt, atque hinc fuit decretum, die ſequenti cum inſtrumentô opportunô ad ipſius apoſtematis inciſionem devenire. At natura, quæ eſt morborum vera medicatrix, & vias quandoque nobis incognitas, invenire ſolet, ex improviſo, noctû per 25. vices alvô magnam humorum quantitatem ejecit, qui quidem erant ſeroſi & pingues, nec non cum ſanie permixti; hinc ſtatim apoſtema evanuit & mulier convaluit. Unde deduci poteſt, non eſſe impoſſibile, ut voluêre nonnulli, quòd ſanies pertranſeat per totum genus venoſum & arterioſum, atque per cor ipſum; per quod ſecundum ſanguinis circulationis leges in his caſibus ſemper tranſire debet. Miles etiam quidam præſidii noſtri Ferrarienſis, vulneratâ thoracis parte ſiniſtrâ, ſeptem dierum ſpatiô cruorem per urinæ vias emiſit, at methodicè curato vulnere, ſanatus eſt; quod idem olim obſervavit *Plazzonus*, unà cum *Joh. Rhodio Cent. 2. Obſ. Med.*

Scholion.

Confer. *Obſervation.* 10. *D. Steph. Blancardi Anat. pract. ration.* quâ poſt brachii vulnus materiæ purulentæ per alvum & urinam excretio recenſetur.

Ibidem Obſervatio 3. De Oſſium mirâ mollitie.

Ibidem Annô 4. Obſervatio 40. De Mirabili motû ſpaſmodicô in hepatis regione.

Mulieri 40. annorum natæ, boni corporis habitûs, nuptæ viro, Menſium diminutione duobus abhinc annis laboranti obortus eſt motus quidam pulſatorius internus in hepatis regione, ſingulis menſibus per unam, quandoque verò per duas aut tres horas circa menſtruorum eruptionem, in octo vel decem dierum decurſû quotidie eandem invadens; qui quidem dum paulatim augebatur,

& ſæpè ſæpiùs patientem affligebat, tale ſumſit incrementum nè dùm in frequentiâ, verùm etiam in majori pulſatione at ferè quotidie eandem cruciaret, undè, propter vehementem motum, coacta fuit in lectô decumbere.

Accerſitus ego eô temporis ſpatiô, quô vix aderat motus prædictus, nam ſingulis horis, tribus aut quatuor vicibus eandem invadebat, obſervavi hepatis regionem tractabilem, & abſque ullô obſtructionis veſtigiô; Incipiente autem dictô motû, ſpatiô unius horæ quadrantis ad tantam elevationem ipſa hepatis regio ſe extollebat cum motû violentiſſimô pulſatoriô, quem ego vocabam ſpaſmodicum, ùt per palmum & ampliùs elevaretur in tumorem cum concuſſione totius corporis & præſertim thoracis in dextrâ parte; & tùnc temporis ipſa hepatis regio ad contactum adeò apparebat dura ùt ferè videretur lapidea; unde patiens taliter laborabat, ùt ceſſante motû debilis ac languida jaceret in lectô. Atque iterùm poſt dimidiam horam plùs minùſve motus adveniebat, & ſemper durabat per octavam horæ partem aut ſemiquadrantem, paulatim incipiendo, nimirum primis pulſationibus mediocriter, reliquis autem gradatim augeſcentibus uſque ad partis elevationem per palmum & ampliùs, cum maximâ adſtantium admiratione. Mulier hæc ſpatiô 25. dierum in Noſocomio S. Mariæ de Scalâ medicamentis purgantibus leniter purgata, ut adhibitis à me remediis ex antimoniô diaphoreticô, oleô ſuccini & aſſâ fœtidâ compoſitis, celebratâ ſanguinis miſſione in brachiô & ex Saphenâ, meliùs ſe habuit atque in præſenti vivit & ambulat minori cum pulſatione, unde conſuetas ac domeſticas operationes faciliùs exercet.

Puella decem annos agens, gracilis ſed benè valens, adeò erat timida, ùt, ſicut annô 1690. obſervavi, auditâ voce ex improviſô prolatâ ſtatim procideret in terram, ibique ſemimortua & ferè ſine ullâ reſpiratione per horæ quadrantem clauſis oculis jaceret & immobilis; hinc ſine ullâ ceſſione ſurgebat abſque ullô impedimentô, ambulabat, & conſueta ſubibat exercitia; at iterùm ſiquis clamorem aut ſonum vel pedibus terram percutiendo aut manibus ſimul percuſſis, nèdum propè eandem puellam ſed etiam è longinquô dummodò ad ipſius aures ſonitus perveniret, rursùs ſtatim decumbebat ut ſuprà; ſic perduravit duos annos, inde febre correpta mortua eſt.

Ibidem in Appendice pag. 179. *Reſolutio Caſûs de ſtupendô Brachii tumore, jam deſcripti ſub* I. *Obſervatione Anni* II. *Dec.* III. *Ephemeridum Acad. Leopold. Nat. Cur. ſenis in Academiâ Phyſio-Criticorum expoſita à Dn. D. Gabriellii.*

Ibidem Annô 5. *&* 6. *Obſervatio* 278. *De Aſcite ſine Medicamentis ex improviſô ſanatô.*

LAboravit Mulier quædam Aſcite per plures Annos, cum moleſtiſſimis doloribus in totô Abdomine; derepentè duobus abhinc annis per vomitum, unâ ſimùl ac per ſeceſſum & per urinam eôdem tempore, necnon per uterum, & per foramen in umbilicô ſubortum, magnam unicâ nocte ſeroſitatis copiam evomuit, dejecit, minxit, ab uterô depoſuit, & per umbilicum dimiſit maximô cum adſtantium ſtupore. Res utiquè mira, diebus enim ſequentibus per alvum, & per uterum ſanies cruenta extillavit. Hæc patiens adhùc convaleſcens vivit, ſed doloribus vagis in Abdomine ſæpiſſimè cruciatur.

Ibidem Obſervatio 279. *De Hydrope cum maximâ Abdominis intumeſcentiâ, à lienis Apoſtemate ſubortô.*

MUlier 25. Annorum, febre acutâ, ac tumore Lienis regione, cum dolore tenſivô, ac pulſativô ejuſdem partis, per 20. circiter dies, magnâ cum moleſtiâ laboravit. Hinc paulatim ceſſavit febris acuties, & dolor ſplenis mitior factus eſt. Poſt menſem Abdomen in tumorem cœpit elevari, & paucô temporis intervallô aquâ fuiſſe repletum obſervavi; qui quidem quatuor aut quinque menſium ſpatiô in tantam molem excrevit, ùt tumor ab imâ inferioris ventris parte, ad jugulum uſque, maximâ cum elevatione in immenſum extenderetur.

Hæc autem Patiens, nonnullis adhibitis Medicamentis hydragogis, magnâ cum adſtantium admiratione, trium dierum ſpatiô ejecit per ſeceſſum maximam ſeroſitatis copiam & Abdomen prorsùs detumuit.

At eâ fere celeritate, quâ ſeroſus humor effluxerat, iterùm redundavit in corpore, & in immenſam molem ab imô abdominis ad juguli ſummitatem, mirum in modum totus venter intumuit; unde cùm non fuerit remedio locus, obiit.

Poſt mortem, perforatô Abdomine, effluxit aqua in tantâ copiâ, ùt tercentum librarum pondus æquaverit; atque hinc diſſectâ cute cum reliquis integumentis, exceptô peritonæô, fuit obſervatum aquam non contineri in cavitate abdominis, ſed inter Peritonæum & Muſculos; ob id nil mirum ſi ventris tumor uſque ad Jugulum ſe dilataverit. Inciſô Peritonæô, hepar, Ventriculus & Inteſtina, cum reliquis, benè, ac in ſtatû naturali fuère obſervata, exceptô liene, in quô aderant ſinus nonnulli ulceroſi, cum Peritonæô mediis quibuſdam membranulis connexi ac colligati; taliter ùt canalicum quendam conſtituerent, per quem à Liene ſeroſitas tranſmittebatur inter Peritonæum & Muſculos Abdominis.

In deſcriptâ Aſcite, miranda ſunt, primò ſeroſitatis maxima copia; 2. ejus citâ excretio per hydragoga; 3. Canaliculus ſubortus in Liene cum Peritonæi connexione, pro tranſitû ſeroſitatis extra abdominis cavitatem; ob id in Arte Medicâ peritis quomodo hæc acciderint, ut explicare velint, pro nùnc linquere non erubeſco.

Ibidem Annô 7. *&* 8. *Obſervatio* 52. *De Virô ſeptuagenariô, tribus quartanis laborante, Boreæ validè afflanti expoſitô, convaleſcente.*

Ibidem Obſervatio 288. *De Orthopnœâ ex Vermibus.*

MUlier quadragenaria, ſana & benè valens, ex improviſô cœpit Orthopnœâ taliter laborare ùt putarem brevi perituram. Ipſa nè verbum quidem proferebat, ſed propriis Manibus ſe tangendo circa fauces, ac ſi haberet Materiam ſtrangulantem, maximâ cum anxietate mihi clamitabat, unde ſollicitus de ipſius ſalute, dubitando de vermibus in œſophagô exiſtentibus, qui propter anguſtiam comprimerent trachœam, & per conſequens quibus læderetur reſpiratio, ordinavi Medicamenta vermes enecantia, præcipuèque Mercurium dulcem in ſummâ doſi cum diagrydio, ex quibus poſt duas circiter horas Patiens

ſtiens ſummum levamen obtinuit, indeque verò per Alvum cum fecibus ejecit triginta Vermes, teretes, & oblongos, partim vivos, partim ſemivivos, & mortuos; & tunc benè convaluit.

Virum quoque ſanum & robuſtum orthopneeâ ex improviſò laborantem vidi, qui remediis cum ſaccharô paratis ad lambendum propriô marte utebatur; ſed fruſtrà, paucis enim diebus mortuus eſt. Apertô ipſius cadavere, vermes quamplurimi in œſophagô, & tracheæ fuêre inventi, œſophagus verò & ipſa trachæa cum multis foraminibus à vermibus factis fuit obſervata, ex quibus mors dubiô procul originem duxit.

Ibidem Obſervatio 189. De vermibus è naribus & ex Dorſô erumpentibus.

Ibidem Obſervatio 190. De Doloribus Nephreticis periodicis.

Ibidem Obſervatio 191. De Lapide Lapidi Bezoardico ſimili, in Ventriculô Capreoli adinvento, nucleum plumbeum continente.

GABUCINUS (*Hieronymus*,) Fanenſis.

Ex eô habentur

De Lumbricis alvum occupantibus ac de ratione curandi eos, qui ab illis infeſtantur, commentarius. Venetiis, apud Hier. Scotum, 1547. in 8. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1549. in 16.

De Podagrâ, commentarius, ad faciendam Medicinam accommodatus. Venetiis, apud Somaſchum, 1569. in 4.

De Morbô Comitiali, Libri tres. Venetiis, apud Aldum, 1561. in 4. apud Somaſchum, 1568. in 4.

GADALDINUS (*Auguſtinus*,) Mutinenſis.

De eo extant

Galeni de Libris propriis expoſitio, cujus latinam interpretationem Johan. Fichardi emendatiorem reddidit, multis in locis. Item, ejuſdem de ordine Librorum ſuorum, ad Eugenianum.

Item, Ars medicinalis. Item, De Oſſibus, ad Tyrones; item, de Muſculorum diſſectione; item, de Nervorum diſſectione; item, de Venarum arteriarumque diſſectione. Item: De uſu partium corporis humani. Item: De Alimentorum facultatibus, Lib. III. cum Emendatione Interpretationis Martini Gregorii. Item: De Conſuetudinibus: Item, de ſanitate tuendâ: Lib. V. cum Emendatione Donzellini & Linacri. Item: De Differentiis Febrium: De Marcore: De Comate, ex Hippocratis ſententiâ: De Tremore, Palpitatione, Convulſione, & Rigore: De Difficultate Reſpirationis; De Typis commentaria, in primum Hippocratis & tertium Librum: De Morbis Vulgaribus: De Locis affectis Lib. VI. De Pulſibus cum ſynopſi eorumdem Lib. XVI. De Criſibus Lib. III. De Diebus Decretoriis: Commentaria primi Prorrhetici Libri, Hippocrati attributi; De Dignotione ex Inſomniis: De ſimpliciorum Medicamentorum facultatibus Lib. XI. De Compoſitione Medicamentorum: De Ponderibus & Menſuris: De Venæſectione adverſus Eraſiſtratum: De Curandi ratione per ſanguinis miſſionem Libr. XIV. Methodi Medendi: Libr. II. de Arte curativâ ad Glauconem: Commentarios IV. in Lib. Hipp. de Victûs ratione in acutis: Commentarios VII. in Aph. Hipp. Obſoletarum Hippocratis Vocum explanatio: De Aquis: De Vinis: De Humoribus: De iis, quæ medicè dicta ſunt in Platonis Timæô. Vocalium inſtrumentorum diſſectio. Sermo adverſus Empiricos Medicos.

GADALDINUS (*Beliſarius*,)

Victoris Trincavellii Explanationes in Galeni Libros de Differentiis Febrium, primus edidit.

GADESDEN (*Johannes de*,) aliàs *Joh. Anglicus*. Vid. ANGLICUS (*Johannes*.)

GŒRINGUS (*Philippus*,) Trudonopolitanus.

Ex eo habetur

Fontium acidorum Pagi ſpa, & ferrati Tungrenſis accurata deſcriptio, ex Gallicâ Latina facta à Thomâ Ricciô, cujus & acceſſerunt in deſcriptionem & ſuper naturâ & uſû eorumdem Fontium Obſervationes. Leodii, ap. Henricum Hovium, 1592. in 8.

GAFFARELLUS (*Jacobus*,)

De eô extant

Curioſitates Inauditæ de Figuris Perſarum Taliſmannicis; Horoſcopô Patriarcharum & Characteribus Cœleſtibus. Hamburgi, apud Gottofredum Schultzen; & Amſtelodami, apud Janſonio-Waësbergios, 1676. in 8.

GAGLIARDUS (*Dominicus*,) Romæ Medicinæ Profeſſor. Annô 1689. elegantiſſimum, ac curioſiſſimum conſcripſit Libellum; cui titulus, Anatomes Oſſium novis Inventis illuſtratæ, pars prima. Qui itidem Libellus reperitur in fine Tom. II. Bibliothecæ Anatomicæ ſecundæ Editionis, apud Joh. Antonium Chouet, & Davidem Ritter, Genevæ, 1699. fol. Lucem iterùm vidit Lugduni Batav. apud Mulhovium, 1723. in 8.

GAGLIARDUS (*Joh. Antonius*,) Medicus, ac Practicus Mediolanenſis, feliciſſimus, celeberrimus.

Ex eo habentur

Nova ratio univerſalis medendi Febribus Humoralibus. Mediolani, ex Typographiâ Ambroſianâ, 1632. 4.

Conſultationes variæ. Coloniæ, 1637.

Cognitione è Cura de Morbi Communi, eſtivi & autonnali. In Milano, & indi in Genoua, 1643.

Dalla ragione e quantita del Vitto nelle Febri Peſtifere, Maligne, & Acute, di Uberto Gagliardi, data in luce per Gionn. Anton. ſuo figliuolo. In Milano, 1645. Trattato dell' Acciaio, in uſo della Medicina, 1645.

GAGLIO (*Joh. Martinus*,) Pactenſis Sacræ Theologiæ & Medicinæ Doctor, deceſſit annô 1626. ut ex Rocchô Pirrô, in not. Eccl. Pact. pag. 421.

Scripſit,

De ſemine. De Febre malignâ. De Puerperiis & enixis. Conſilia Medica. *Anton. Mong. Bibl. Sicula T. 1. p. 352.*

GAGNA (*Petrus Michael*,) Claraſcenſis, Sereniſſimarum Celſitudin. Mariæ Cathar. Eſtenſis, Mariæ & Iſabellæ, à Sabaudiâ Cariniani Principum, Medicus.

De eo extat

Tractatus de Peſte Hiſtorico-Medicus, Latinè ac Italicô idiomate deſcriptus. Aug. Taurinorum, 1715. 12.

GAHRLIEP (*Guſtavus Caſimirus*,) Archiater Elect. Brandenb. Academicus Curioſus.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 2. ann. 8.

 Obſerv.

Obſervatio 20. De Conyzâ monſtroſâ, Caticauli, criſtatâ.

Ibidem Obſervatio 195. De Cyſtide monſtroſâ in Gallinâ domeſticâ.

Ibidem Annô 9. Obſervatio 68. De Diarrhœâ XIII. *menſium, ſuccedente aſcite ; caſu partim, partim arte ; curatâ.*

CUm annô 1662. ſub finem menſis Decembris, in Vicariam meam Patriam Dantiſcum reverſus, praxi me devoverem, primus, qui curæ meæ ſubmittebatur ſutor erat, iſque Veteramentarius, vir ætatis triginta ſex fortè annorum, conſtitutionis, dum valeret, athleticæ; ſed cùm ipſum adirem exhauſtus planè atque exſanguis. Hic annô præcedente feſtum Nativitatis Dominicæ inter gaudia tranſacturus, à ſuô, cui anteà operam locaverat, uti vocant opifices, Magiſtro, ad epulas invitatus, finitâ cœnâ, cùm temporis fallendi ergò chartis luſoriis de juglandibus certarent, joci gratiâ, quas lucratus erat, omnes ſucceſſivè devoraverat, ſed magnô ſuæ valetudinis diſpendiô; Cùm enim cereviſiæ Dantiſcanæ fortioris, craſſæ illius & fæculentæ largiores aliquot hauſtus ſuperbibiſſet, eâdem noɛte in diarrhœam incidit admodum violentam, adeò ùt viginti quatuor horarum ſpatiô octogiès dejiceret; Humorum autem ac virium jacturam, ſtrenuâ ejuſdem cereviſiæ ingurgitatione, cùm in dies ſarcire ſtuderet, continuata fuit illa diarrhœa integros duodecim menſes; donec amicorum hortatû partim, partim commiſeratione motus, quòd omnem ſuam ſubſtantiam per utrumque guttur helluo tranſmiſiſſet, viribus æquè ac ære omni exhauſtum curandum ſuſciperem. Secedebat tùnc ſingulis diebus & noctibus quinquagiès nec alia ſupererat indicatio, quàm remediis ad id aptis immanem illum alvi fluxum ſedare, id quod *Deô* clementer ſecundante, intra triduum ex parte præſtitum, ità ùt plus quinque vicibus non dejiceret; Sed ecce! ceſſante alvi fluxû ille jam helluationi aſſuetus, non ceſſabat more ſolitô potum largiſſimè ingerere. Fiebat id me inſciô, ideò nec prohibente; ſed intra paucos dies tumor abdominis ac pedum immanis diætæ hoc delictum ſatis manifeſtè prodebat; oblectabar quantum poteram remediis viſcera roborantibus, diaphoreticis, ſudoriferis, diureticis, ſed fruſtrà, ſuperabat enim omnium remediorum virtutem ingeſti humoris copia, nec, aſſueta largioribus hauſtibus gula, continuâ ſiti ſtimulata diſſueſcere tam properè ac coërceri poterat; Eò ergò res brevi deducebatur, ùt pedibus & abdomine in immenſum tumentibus decumbere ampliùs reſpirationis causâ nequiret; ſed in lectô erectus, exporrectis & propendentibus in pavimentum pedibus, dies noctesque tranſigere cogeretur. Spes erat in anguſto, remedium præter paracenteſin, eamque dubii admodùm eventûs, ob labefactatâ tantô temporis intervallô diurnis nocturniſque potationibus viſcera, nullum. Hanc & æger admittere detrectabat, & ego urgere non audebam. Quid fit? Dum ità funeſtum uterque præſtolamur eventum, ecce! Cattella domeſtica ædis illius, cujus cellæ, more urbis illius, æger hic erat inquilinus, ante morbum eidem familiaris, per apertam fortè fortunâ januam in hypocauſtum irrepit, utrôque pede anteriori in pedes ægri nudos abblanditura inſilit, ac unguibus cuticulam, tumore immani diſtentam adeòque tenuiſſimam plurimis hinc indè vulnuſculis ſauciat, unde copioſum erumpens ſerum, paucorum dierum ſpatiô omnem exhaurit laticem hydropicum. Intereà ſtrenuè mihi in præcavendâ inflammatione ac gangrænâ atque roborandis viſceribus dies noctesque deſudandum erat. Nec deerat Divina gratia, nam intra duos fortè menſes & dimidium ab inceptâ curatione, integræ valetudini reſtituebatur, ùt Sacras ædes, imo animi etiam causâ campos inviſere poſſet; at ob tanti temporis decubitum continuum, labefactatô muſculorum ſpinæ dorſi tonô, non erectus, ſed ſilicernii inſtar cernuus diu incedere cogeretur.

Ibidem Obſervatio 69. De Avellanarum ingeſtarum noxâ.

Ibidem Obſervatio 70. De Trochleâ Sclopeti in naſi & frontis ac utriuſque oculi interſtitium explosâ, ac per triennium ferè abſque inſigni ſanitatis diſpendio geſtatâ.

Ibidem Obſervatio 71. De Organô auditûs Lupini.

Ibidem Annô 10. Obſervatio 4. De Notabilibus quibuſdam circa formationem pulli gallinacii.

Ibidem Obſervatio 5. De Cryſtallis ſalis marini ſingularibus.

Ibidem Obſervatio 6. De Annulô aureô, ab infante unius anni & quod excurrit, octiduî, deglutitô, ſeptem ferè hebdomadum ſpatiô in viſceribus commorante.

Ibidem Obſervatio 77. Lernâ morborum.

Ibidem Obſervatio 78. De Calculô prægrandi è veſicâ fœminæ 56. annorum per dilatationem ſphincteris eductô.

Ibidem Obſervatio 79. De ſpinâ gutturi infixâ.

Ibidem Obſervatio 80. De Opiô ſingulari quadam.

DE Opii uſû & abuſû, variiſque effectibus ſ virtutibus ac vitiis variæ hinc inde obſervationes traduntur ac leguntur. Laudatur ab his, culpatur ab illis, pro diverſô, quem hic vel ille illius uſû ſucceſſum ſortitus, non tam à medicamentô ſæpenumerò, quàm ab utentis fortè aut exhibentis culpâ pendentem. Mihi authoritate plurimorum Excellentiſſimorum Practicorum, ac illos inter præcipuè Celeberrimi *Franciſci de le Boë Sylvii* (cui in proverbiô ſolebat eſſe, Medicum, qui ab opiô abhorreret, nihil quicquam laude dignum, in praxi præſtiturum) nitenti, ſatis frequens eſt uſus, ſed magnâ cautione ac parſimoniâ diſpenſati. Nec, (*Deo* ſit laus & Gloria,) unquàm pœnitendus ex illiûs uſû accidit eventus; licèt ſæpiùs præter expectationem effectus quoſdam ſubſecutos fatear, non tàm pœnitendos, quàm admirandos. Quos inter numerò, quòd in convenienti doſi propinatum anodynam potiùs quam narcoticam exſeruerit virtutem. Pluriès id expertus ſum, ſed unum tantùm aut alterû proferam exemplum. Refinator quidam Sacchari (liceat nomine parùm Latinô commodioris defectû uti) cui nomen *Sehaar*, incontinentiâ urinæ & ejuſdem ſtillicidiô perpetuô à calculô laborans, intolerabilibus exercitus cruciatibus, inſomnes ſæpè noctes ex ordine plures ducere ſolitus, ab ordinatô competenti doſi opiatô dolorum quidem inducias ex votô obtinebat; adeò ùt tranquillô decubitû (quem ille ſingulari emphaſi vernaculâ ſolebat exprimere; *als wenn er unſerm HErren GOtt im Schooſſe lege*) noctem tranſigeret, at ſomni, licèt admodùm deſiderati, tne gry quidem illi obrepebat. Sic virgo quædam Auſtriaca, à ſervitiis Cameræ Illuſtri cuidam Dominæ hìc pro tempore commoranti, dolore immensô in inguine ſiniſtrô continuò affligente,

gente, indeque ſtatis periodis totum latus abdominis ſiniſtrum horrendis cruciatibus invadente, ac noctem ſæpiùs integram torquente, menſes aliquot divexata, auxilium hactenùs, quicquid tentatum aliundè, quàm ab opiô nullum ſenſit; ſomnô tamen, eôdem licèt ſatis magnâ doſi nonnunquam exhibitô penitùs defraudata. Nùnc tandem aliis remediis tam internis, quàm externis nihil proficientibus, poſt uſum iteratum balnei aquæ tepidæ è ſpeciebus reſolventibus ac anodynis in eâ decoctis parati, ac poſteà applicatô loco continuè dolenti topicô, acrimoniâ humorum, quæ dolorem hunc immenſum hactenùs aluerat, foras evocatâ, in phlogoſin totius ventris inferioris, veſicas, ac ſi aquâ fervente perfuſus eſſet, excitantem incidit; cujus ardore etiam vicinas ac circumjacentes partes, abdomen integrum, pectus ad collum uſque, imò quidquid partes illas inflammatas modò contingeret, brachia & manus igne quaſi Perſicô, occupante, tandem convenientibus remediis ſopitô, ſpes nunc aliqua reconvaleſcentiæ affulgere incipit. Prætereà in Virô quôdam elimatæ eruditionis qui à ſecretis eſt Sereniſſimo noſtro, idem comperi. Hic malo nephritico à longo tempore obnoxius, opiatorum propriô conſiliô ſubindè aſſumtorum minori quidem doſi, ſomnum quandoque ſibi conciliat ſed largiori, dolorum modò ac moleſtiarum) intercapedinem at nullam planè narcoſin ſentit; verùm, quod notatû non indignum ſomnô planè deſtitutô tantùm abeſt, ùt ſenſus interni quàm externi ſopiantur aut ſtupeſcant, ùt è diverſô ſpiritûs alacriores potiùs reddantur, ac Mẽs ad meditationes etiam maximè ſublimes, per integrã noctem continuandas & concatenandas excitetur ac aptetur. Imò nocte ſic inſomni peractâ, nihilô ad officii munia peragenda ſegnior aut ineptior, ſed alacrior potiùs aut expeditior reſurgat. Simile quid aliô quoque, eôque ſatis notabili experimentô didici, prætereàque 1. quòd opiô crebriùs aſſumtô natura tandem aſſueſcat, nec ſolitus ab eô effectus, niſi auctiori rursùs doſi exhibeatur, expectandus ſit. 2. Diuturniori uſu familiare redditum, non Turcis modò, ſed & Europæis haud facilè noceat, ſed potiùs proſit. Duxerat Vir quidam juvenis, cujus Parens à rationibus Publicis Electoralibus erat, ipſe verò Legationis ad tractatus Pacis Neomagenſis à Sereniſſimô noſtrô miſſæ, ſtabuli, quem dicunt, Magiſter, durantibus illis tractatibus in Belgiô, Viduam quandam nobilem, ac triduô à nuptiis dotis locô morbum contraxerat, doloribus noctû præcipuè intolerabilibus artus infeſtantem, huic poſt reditum in patriam curæ ſe meæ committenti, ùt halcyonia quædam quandoque compararem, laudani opiati granorum duo in octo pilulas diviſorum, unam primùm & illâ parùm proficiente, duas, dolore verſus noctem ſæviente, aſſumendas præſcribo, à quibus cùm levamen aliquod perciperet, me etiam non ordinante parem numerum ſequenti nocte, & ſic quoque tertiâ cum levamine capit. Tentat & quartâ ſed fruſtrà, de quô poſterâ die conqueritur. Suaſi unam adhùc ſuperadderet, at non ſingulis noctibus, ſed unâ alterâve interpoſitâ, eis uteretur; Ille verò dolorum vehementiâ & impatientiâ victus, poſthabitô monitû meô, ſex & poſt triduum, incrudeſcente nihilominus dolore, tandem etiam integrum granum capit, ſicque per unam iterùm alteramvè noctem dolorum ſævitiem ſufflaminat. Qui cùm tertiâ aut quartâ nocte medicamenti vim denuò eluderent, ille ſucceſſivè, me licèt contradicente, doſin ad duo grana, poſteà ad tria, quatuor, quinque, tandem malô nullis remediis etiam fortiſſimis, Laconiæ cum diætâ ſudoriferâ, ptyaliſmô, inunctione Mercuriali, conciliatô &c. non cedente, ſed contumaci in integrum & quod excurrebat annum protractô, ad ſcrupulum ſemis & integrum Laudani opiati aut fermenti anodyni ſingulis noctibus aſſumti aſcendit. Imò cùm opiata illa correcta carè nimis à pharmacopœis eſſent redimenda, ad opium crudum deſcendit, ejuſque tantumdèm ſingulis vicibus aſſumſit, ac tractû temporis ad integram drachmam doſin auxit, in eâque doſi continuavit, atque adeò id ſibi familiare reddidit, ùt ejus uſû caſu aut neceſſariâ de cauſâ neglectô, languidus, exhauſtus viribus & ad quævis inhabilis, illô verò aſſumtô, non modò nocte à doloribus immunis, ſed & poſterâ quoque die vegetus, validus, & ad officii negotia tractanda aptus eſſet, ad extremum uſque diem, quem catarrhus illi ſuffocativus, in itinere ab aëre frigidô ac nimboſô, corpore ac capite non ſatis præmunitô, contractus accerſebat.

Ibidem Decur. 3. *Ann.* 1. *Obſervatio* 81. *De Acinô Uvæ decuplatô, ac Erucâ Meliſſæ incola.*

Ibidem Obſervatio 82. *De Vermiculô Erucæ ſimili per urethram excretô.*

Ibidem Obſervatio 83. *De Vomitû muriæ limpidiſſimæ copioſô.*

Ibidem Obſervatio 84. *De Fiſtulâ quintuplici, in pene & ſcrotô, Caruncula in urethrâ juncta, pro incurabili ab omnibus habita, ſed tandem feliciter curata.*

Ibidem Obſervatio 85. *De vulnere horrendô brevi ac feliciter curatô.*

Ibidem Ann. 2. *Obſervatio* 1. *De ſtupendô brachii dextri tumore, ejuſque Anatome.*

Ibidem Obſervatio 61. *De Hydrope quem ſaccatum vocare ſolent, ſingulari.*

Ibidem Obſervatio 62. *De Oſſe gutturi, quatuordecim dies inhærente tandemque feliciter excluſô.*

Ibidem Obſervatio 109. *De Aneuriſmate grandi ac ejuſdem cautè ſatis adminiſtratâ, at infeliciter cedente curâ.*

Ibidem Obſervatio 110. *De Epate galli gallinacei monſtroſæ magnitudinis.*

Ibidem Obſervatio 111. *De Luſû Naturæ in Aſpagarô.*

Ibidem Ann. 3. *Obſervatio* 169. *De Muſcâ, innumerorum minorum reptilium nutritiâ.*

Ibidem Ann. 4. *in Append. p.* 121. *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Ann.* 1696. *Dn. D. Guſtavi Caſimiri Gabrliep. miſſa D.* 25. *Februarii Ann.* 1697. *Berolino Auguſtam Vindelicorum.*

Ibidem Annô 5. & 6. *Obſervatio* 4. *De oſſe monſtroſô è Canthô ſiniſtrô oculi dextri protuberante.*

Ibidem Obſervatio 5. *De Carcinomate horrendô, dextrum fœminæ brachium occupante, & in immenſam molem adaugente.*

Ibidem Obſervatio 162. *De Hydrope uteri thermis curatô.*

Ibidem Obſervatio 163. *De Carcinomate latente, deliberatô conſiliô, ſed infauſtô ſidere, dextrâ ſatis manû, dubio diù ſucceſſû, funeſtâ tandem (extiû) extirpatô.*

Ibidem Obſervatio 164. *De Ovô Gallopavi, ut rarô, ſic monſtroſô.*

Ibidem Obſervatio 239. *De Terrâ quâdam Freyenwaldenſi.*

Ibidem Obſervatio 240. *De Luxationis oſſis coccygis periculoſæ facili, ut ut empiricæ, ſatis tamen rationali curatione Chirurgica.*

Quantos

QUantos lapſus in os Coccygis dolores cieat in juventute non ſemel expertus, adhùc dum memor, horreo, vox faucibus ſæpè numerò hæſit, aut hæſitavit potiùs rauca, ſuſpirioſa, anhela. Periculô tamen tenerâ in ætate ille ut plurimùm vacat; rarò enim ab ejuſmodi infantum lapſû aliquid funeſti, tùm quòd impetus ob pondus corporis exiguum non adeò ſit gravis, tùm quòd cartilagines & oſſicula tenera adhùc oneri faciliùs, abſque dearticulatione, cedant; at in grandibus & grandævis impetus alliſionis ob corporis molem multò vehementior, ac cartilagines jam ſolidiores cedere ſponte neſciæ, è ſede ſuâ vi dejectæ neceſſariò exarthroſin patiuntur, eamque, uti ſequens docet caſus, periculô haud vacantem.

Socer primi mei matrimonii, ſeptuagenarius circiter, viduus, dùm è Baſilicâ Mercurio Gedani dicata, quæ ab Arturi Regis Daniæ, ut potè à quô extracta fertur, nomine *Artus* aut vulgò *Junckernoff* dicitur, ſcalis lapideis, à nivibus ac hybernô gelû admodùm lubricis, in forum ſubjacens negotiorum cauſâ deſcendit, utrôque pede antrorsùm proruente, retrorsùm cadit ac poſteriora duro impingit graduum ſaxo, ſicque os coccygis non ſine immani dolore luxat. Domum proindè maximâ cum moleſtiâ tendit, filiæ autem, quæ ipſi unica erat, tum temporis adhùc virgini, nil ejus quod factum, aperit, ſicque dolores tacitus ſenſim decoquens, quatriduum tranſigit, alvô intereà onus debitum neutiquàm deponente, unde malè habere incipit, ac moleſtias, quas obſtructa alvus parere ſolet, de die in diem majores patitur, donec vehementiâ tandem ſymptomàtum caſûs ipſi confeſſionem extorquet. Filia conſilii inops, hinc inde conſtipati ventris remedia quærit; ſed verâ cauſâ latente, de luxatione etiam oſſis coccygis nec Medico nec Chirurgo, nec cuiquam alii quicquàm ſubolebat, fruſtrà. Donec quintô tandem die, quô peſſimè jam habere cœperat, ac abdominis turgeſcentis dolores, flatus, borborygmi, ructus, nauſea, inappetentia, cephalæa, febricula, ſiniſtrum portenderent eventum, ex Ambabajarum Collegiô Thekoitæ cuidam ſagaci fors incidit, dum in poſteriora lapſum audit & recordatur, num etiam os coccygis introrsùm forſitan luxatum, fæcibus ex inteſtinô rectô tranſitum præſtruens, hujus tragœdiæ Choragus ſit. Suadet itàquè, ut veſtibus exutus æger, ſolô induſiô tectus, pronus ſcamnô ligneô incubet, ac duæ robuſtæ mulieres ab utrôque latere ſtantes alternatim coxendices unà cum clunibus, utrâque manû utrinque applicatâ decuſſatim, ſursùm, deorsùm, rursùm, prorsùm, trudendo agitent. Arripitur Conſilium dubium pro nullô, & dictum factum executioni non ſine effectû optato datur. Os coccygis, quod interiora verſus adactum erat, unâ alterâve motitatione in nativum reducitur ſitum, alvus oppeſſulata remotô obice, cum impetû ſummô laxatur, ac omnes indè natæ ægritudines momentô quaſi ſolvuntur.

Ibidem in Appendice pag. 162. *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anni* 1697.

Ibidem pag. 167. *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anni* 1698.

Ibidem Ann. 7. *&* 8. *Obſervatio* 53. *De Affectû gravi ac diuturnô, variis ſymptomatis & accidentibus comitatô, inter alia Ceraſi nucleô cum urinâ redditô.*

Ibidem Obſervatio 54. *De Lumbagine ſeu Dorſi & Lumborum rigiditate cum dolore atroci.*

Ibidem Obſervatio 55. *De Fœtûs præter opinionem & intentionem parentum admirandâ in uterô Maternô conſervatione.*

DEcadis 2. Ephem. Naturæ Curioſorum. An. 8. Obſerv. 565. variæ adducuntur hiſtoriæ, quibus fruſtraneos in exturbandô fœtû tam artis, quàm Naturæ conatus narrando, difficultatem provocandi vel directè vel indirectè abortum aſtruere ſatagit Author. Haud multum abludens ab illis notabile aliquod exemplum mihi quondam obſervare contigit.

Annô 1666. ad Juvenculam Profeſſoris cujuſdam juvenis ſanguinei ac toroſi uxorem, qui hanc comprivignam ſuam paucos ante menſes duxerat, vocabar, de colicâ & motû quôdam, ut ajebat, præternaturali, in ventre & ſub hypochondriis ac iliis conquerentem, ac meum de illis judicium ac conſilium expoſcentem. Reprobè penſitatâ & cum conſtitutione utriuſque Neonuptorum, ac tempore nuptiarum collatâ, prægnantem illam eſſe judicabam, motumque à fœtû oriri aſſerebam, ſed tam ab ipſâ quàm à maritô, & quod majus à ſocerô & ſocrû, patre matreque nimirùm utriuſque, conjugum, ſatis, ut ſaperent, annoſis non ſine indignatione explodebar, imò, qui aliàs familiæ illius Medicus eram ordinarius, derelinquebar, atque alius me quidem ſenior, at hôc in caſû vix oculatior vocabatur; Qui aſſenſum parentibus præbens illam ſtrenuè contra Colicam tam carminantibus, quàm purgantibus, nec venæſectione omiſſâ, pugnando exercebat, ſed fruſtrà. Motus illi & ſubindè quidam dolores continuabant nihilominus; Tertius itaquè & huic adjungebatur, & uterque collatô conſiliô nil quicquam, quod vel alterando vel purgando, aut externè etiam applicando ad Colicam hanc, uti illam vocabant, intermittebant; ſed flatulentam debellandam ullô modô facere poſſe videretur, haud majori quàm antè ſucceſſû. Parentes prætereà ipſi cum maritô ex ambubajarum, Medicaſtrarum & Medicaſtrorum conſiliô tentabant quàm plurima tam interna quàm externa, eaque inter quædam ſatis violenta & periculoſa auxilia; Alia inter ad compeſcendum motum illum uti ipſis putabatur, præternaturalem, alliſô & angulo menſæ quadratæ violenter impactô ventre aliquandiù illam detinebant, donec nimirùm laſſatus ac debilitatus hâc violentiâ fœtus aliquantiſper à motû ceſſaret; aliàs humi aut in lectum proſtratæ utrôque genu incumbentes alvum deprimebant, ùt colicam illam exorbitantem cohiberent ſed & hæc omnia irritô effectû. Unde ſuffraganti Medicorum illorum conſilio Berolinum eam deducebant, atque illic celebriores Medicorum anteſignanos in conſilium aſciſcebant, qui ſiniſtrâ relatione, patientis mariti & parentum dementati aliquotiès illam purgârant, & quidem ſatis largiter & copioſè & cum virium non exiguâ jacturâ, ter, niſi omnis fallor, venam ſecuerant, ac ſanguinis inſignem copiam profuderant, præter omnem neceſſitatem in ſubjectô gracili ac nil minùs quàm plethorico. Sed & hoc abſque omni, quem intendebant, & ſperabant fructû; Reverti itàquè poſt exactum illic ferè trimeſtre ſpatium domum coacti, turgeſcente jam magis magiſque uterô, ac tempore partûs paulatim appropinquante, non intermiſsâ tamen intereà ſolitâ, quàm ante narravi tragœdiâ & torturâ, me rursùs vocabant, ſpe fortè mutandæ à me ſententiæ; ſed manifeſtioribus jam in illâ confirmatus indiciis, colicam illam brevi vitalem fore prædicebam, ideòque denuò cum indignatione dimittor. Biduô vix elapſô, motûque

motûque validiùs quàm ante continuante & perſeverante, Matrona quædam è viciniâ, honeſta, ac Lucinæ Myſteriis ſatis imbuta, Conſulis cujuſdam vidua, invitatur, ut ſuam & illa de Colicâ illâ moleſtâ ſententiam ferret, hæc, re prudenter expensâ, ſcrutatis quoque ipſis Naturæ adytis, obſtetricem quantocyùs advocandam indicat, periculum & quidem ſummum tam matri quam infanti in morâ eſſe. indignantur & contradicunt & huic adhùc illi ſtupidi; Illa verò ſeriis tam maritum quàm parentes affata terminis, niſi & matris & fœtûs velint fieri homicidæ è veſtigiô obſtetricem accerſunt, ad ſingula enim momenta partum imminere; Hâc igitùr ocyſſimè accurrente, vix dimidii quadrantis horæ ſpatiô præterlapſô; vivum ac vitalem ſatis grandem fœtum, nil remorantibus omnibus illis objectis valde violentis ac periculoſis obicibus & obſtaculis, enixa eſt. Manifeſtô exemplô, Deum vitæ noſtræ ut Authorem, ſic fœtûs in uterô Maternô conſervatorem eſſe omnipotentem, quem ſervatum velit ac vitalem, hunc contra nulla valere etiam violentiſſima mortalium machinamenta.

Ibidem Obſervatio 56. *De Materna phantaſia in fœtum deſpotico quaſi imperio.*

Ibidem Obſervatio 138. *De Minutis animalibus curioſis ſeu inſectô minimô ovô & antehàc vix à me ſaltem, unquàm viſô genere.*

Ibidem Obſervatio 139. *De Minutis vegetabilibus curioſis, foliorum ſambucinorum floſculis minutiſſimis ſoboleſcentibus.*

Ibidem Obſervatio 140. *De Puella primô à nativitate octiduô, fluore tam albô quàm rubrô tentata & quaſi menſtruô laborante.*

Ibidem Obſervatio 141. *De Termitibus è naſo excretis.*

Ibidem in Appendice pag. 94. *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anni* 1699.

Ibidem pag. 109. *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anni* 1700.

Ibidem Ann. 9. & 10. *Obſervatio* 43. *De Oſſibus inter pleuram & tunicam pulmonum genitis.*

Ibidem Obſervatio 44. *De Horrendô & inauditô hactenùs vulnere.*

Ibidem Obſervatio 45. *De Calculis per octennium ferè in urethrâ geſtatis.*

Ibidem Obſervatio 46. *De Gallinâ Cœca pilulis Cochiis curata.*

Ibidem Obſervatio 95. *De Ingenti & tragicô effectû ab exili cauſâ.*

Ibidem Obſervatio 96. *De ſudore Moſchum redolente.*

Ibidem Obſervatio 172. *De enormibus & funeſtis flatuum in corpore humanô tragædiis.*

Ibidem Obſervatio 173. *De Motuum Convulſivorum univerſalium raro & notabili exemplo.*

Ibidem Obſervatio 174. *De Hyſtericæ paſſionis admirandis ſymptomatis.*

De eô habentur in Ephemeridibus Nat. Cur. Decur. 1. & 2.

Obſervatio 1. *De Fracturâ ſpinæ dorſi admirandâ, in Virô quinquagenario; octo annos ab illâ fracturâ ſuperſtite, poſt obitum demùm exenteratione detectâ.*

Ibidem Obſervatio 126. *De Hiſtoriâ Sarcoceles ingentis, variis iiſque notatû non indignis accidentibus ſtipatæ; Obſervationi* 19. *Dec. Ephem.* 2. *anni tertii quadantenùs analoga.*

VIr honeſtus à teneris mihi familiariſſimus, dum in Academiâ Francofurtenſi ſtudiis mecum vacaret, ab Ephorô Nobili duorum Comitum Polonorum, quem dicteriis ſe vexantem dum aliqualis vindictæ locô titillando paulò nimis irritârat, jactû crepidæ ſiniſtrum inguen & ſcrotum graviter non ſine inſigni dolore læſus, poſtquam ictus paululùm dedoluerat, contuſionem illìc factam, ut ſolet juvenilis ætas, ſuſque deque habens, poſt ſatis ingens temporis intervallum, teſticulum ſiniſtrum læſum ſenſim ac ſine ſenſû incrementum aliquod notabile cœpiſſe ac multò majorem ſuô à dextris vicinô factum animadvertit. Quod tamen, cùm indè incommodum notabile nullum adhùc ſentiret, patienter tulit. Præſertim cùm poſteà annô ætatis 33. contractô matrimoniô, generationi prolis utriûſque ſexûs obicem nullum obtrudere, à nativitate filii primogeniti ſatis grandis, ſeptimô à partû die Epilepſiâ ſublati, & filiarum duarum, quarum prior annô ætatis duodecimô, poſterior quintâ à partû ſeptimanâ fatis ceſſêre, deprehenderet. Nihilô tamen minùs augmentum continuari, marceſcente intereâ, ob præreptum à compare ſuô nutrimentum, didymorum alterô. Defunctâ, poſt quindecim annorum conjugium, priori uxore, liberis orbus, ſocerô ſolô ſuperſtite ſeptuagenariô majore, quem hactenùs altum, in eâ orbitate deſerere religioni ſibi ducebat, à bienii viduitate ad ſecunda vota tranſire coactus, iteratô matrimoniô duorum filiorum ac filiarum duarum proliferô factus pater. Quorum tres, filius nimirùm ex illô connubiô primogenitus ac filiæ duæ adhùc ſuperſtites. Unde, ùt in parentheſi quaſi hoc addam, incertitudo illius aſſerti Democritici, cujus columella Lib. 6, C. 28. meminit, ſatis apertè liquet, quô à dextrô teſticulô mares, à ſiniſtrô fæminas derivari ex Democritô aſſerit, ac ligatô (de Caballis agens) ſiniſtrô teſticulô mares, dextrô ligatô fœminas generari contendit, cùm unicus hìc, iſque læſus & æger, emarcidô alterô, ad utriuſque ſexûs generationem penſum contribuerit ſufficiens.. Sublatâ demùm poſt tredecim annorum connubium & hâc alterâ uxore,ac ſubſtitutâ illi ob liberorũ,filiarũ præſertim educationem, poſt unius & dimidii anni viduatum tertiâ, Sarcocele jam manifeſta ſuo indicia prodens, ob parciùs fortè, ætate jam provectâ, Veneris exercitium, brevi tempore immenſum aucta, ùt caput infantis propè biennis facilè æquaret, ac ab ulteriori tandem illius uſû planè arceret, interim nec mole prægrandi, nec pondere ſatis gravi, nec greſſui aut inceſſui eâ ætate adhùc ſatis alacri & expedito, incommodum ullum aut impedimentum ultra 70. annum jam provecto adtulerit. Donèc 78. ætatis annô, poſt multas ærumnas ſimul irruentes corporis animique ægritudines & afflictiones in ſcorbutum, hypochondriacum malum, febrem quotidianam lentam cum conſumtione carnis & ſpirituum ferè omnimodâ incideret, ſublatô penitùs appetitû, cum nauſeâ aſſumendorum omnium ferè invincibili ac virium totali proſtratione facies Hippocratica in procinctû, deque recuperatione ſanitatis ferè conclamatum eſſet. *Deô. Opt. Max.* ſic clementer dubio procul diſponente, Natura fidelis ejus ſerva ac ſui conſervatrix planè ſedula in ipſâ Sarcocele abſceſſum molita; ſublatô in tumorem Coniformem paucis diebus ſatis grandem monſtrô illô ſarcomatis ſcrotô contenti; Verùm, (quod ſanè mirandum) ſine inſigni aliquo dolore, niſi fortè tenſivô ſatis tolerabili, ſine ullâ pulſatione, quæ in abſceſſibus dùm pus ſit rariſſimè abeſſe ſolet, fortè quia hìc nullum ſuberat, ſine omni

omni moleſtiâ aut incommodô admodùm ſenſibili; nec ullô ſignô omnis ſiniſtri, niſi quòd in apice coni illius macula initiô parùm, ſucceſſû magis rubeſcens, vix piſi circulum magnitudine æquans, ſenſim in puſtulam epidermidem elevans, mutata appareret, quæ poſt unum alterumvè octavâ tandem Auguſti die circa meridiem præter omnem expectationem ſpontè abſque ullô ſenſû ullius doloris rupta madore ſolô linteaminum adjacentium aperturam proderet, ac ſubitò tantam, non ſanguinis meri, nec cruoris nec ſaniei vel puris propriè dicti, ut potè omni odore aut fœtore deſtituti, nec ichoris, ſed humoris craſſiuſculi copiam eructaret, ùt non ſolùm linteamina circumjacentia omnia contaminaret, ſed & ipſas, (ſit venia verbo,) caligas inundaret, & ſqualore immenſô, ùt vix eſſet ferendo, ſaburraret. Unde tanta illius copia & quâ cavitate collecta, cùm tumor ſupradictus capiendo illi non ſufſeciſſet, meum non eſt determinare. Triduum fluxus ille copioſus continuavit, qui puri nihil analogum, præter aliqualem conſiſtentiam, ab illius planè difformem habebat, miſcelæ potiùs ſimilis laticis, cui pollen lateritius commixtus, qui linteô exceptus exhalante paulatim liquore & exſiccatô penitùs, minutiſſimis micantibus ſalinis quaſi cryſtallis ſcatere videbatur. Conſternabat initiô patientem inopinatum illud profluvium, hìnc cùm diem unum ac alterum continuaret nec ſponte ſiſteretur, nec plagulis aut emplaſtris, nedùm difficulter admodùm illi plagæ applicandis aut ſpleniis coerceri poſſet, vocatur tandem & accerſitur in ſubſidium chirurgus, aliàs non inhabilis, qui attonitus phœnomenon illud contemplatur & nunquàm tale anteà ſibi viſum aſſerit, tandem ampliandam eſſe aperturam cenſet, quò materiæ effluenti liberior pateat exitus, nè fortè partes reliquæ ſcrotô contentæ, à putrilagine iſta (ab acrimoniâ tamen omni, quantùm adverti potuit, planè immuni) illìc diutiùs morante in partem corruptionis traherentur; turundam itàquè applicat paulatim ab humore turgeſcentem, & foramen ad piſi paulò majoris capacitatem redactum, turundulâ è linô carptô paratâ, ac balſamô Arcæi imbutâ obdurat, ſicque dietim ſemel deligatum aliquot hebdomadas tractat, nec quicquàm fluore in dies continuante proficit, ſed palliatiativè, inter ſpem & metum ægri, curat. Materiâ interim tam quà conſiſtantiam quàm colorem & copiam ſubindè variante, ac pulvere illô ruſô paulatim magis minuſvè deficiente; in liquorem tandem, loturæ carnis aliquatenùs ſimilem, mutatâ; quandoquè dilutiorem nonnunquam & ſufflavum, amyli inſtar diluti lintea, ubi ſiccata roborantis colorem & conſiſtentiam induente. Demùm chirurgus à tempore medelam patienter præſtolandam præfatus, expectationis curæ malum committit, additô prognoſticô ægrô nequaquàm acceptô, fonticuli vices ſubiturum illud foramen, ac à multis incommodis ætatem hanc provectam aliàs ſæpiùs gravaturis præſervaturum cenſet, ſicque cùm nec conſilii nec auxilii ulteriùs nil ab illô expectandum, ab ægro corporis ſui chirurgum poſthàc acturô dimittitur. Ab eô tempore varias ſubiit abſceſſus ille mutationes, nùnc fluxum aliquot dies continuos ſervavit, nunc verſô quaſi Epiſtomiô eundem diem unum alterumvè, ac ſi plenam ſanitatem promitteret, ſufflaminavit, ac ne guttam quidem liquoris ſtillavit. Intereà, temporis ſucceſſû papulæ, una prius, mox & altera piſum in mediô ſectum referentes, à cute emerſerunt, haud procùl à foramine priori, quæ rectâ ferè lineâ viciniam prioris occupârunt, Calami anſerini minoris tranſverſi ſpatiô ab invicem diſtantes, proxima priori nunc rurſus paulùm coarctô, paulo major tertiâ, colorem cutis, initiô non mutantes, poſt unius aut alterius ſeptimanæ lapſum ſenſim rubeſcentes, humorem tamen nullùm adhùc ſudantes. Poſtmodùm media illa papilla major cuticulâ, quâ tegebatur, adtritû ſpoliata liquorem priori ſimilem quoque cœpit fundere, priori quaſi obliteratâ, quæ tamen poſt unum alterumve diem recruduit, madorem priore tenuiorem exſudans; ſemel etiam lapillum (an officulum dicam ambigo) ſemen ſinapi magnitudine æquantem, unà cum latice extruſit. Demùm & tertia lapilla utut rariùs & parciùs lacrymas quaſdam ſudare cœpit. Nunc quandoque alternant, modò illa, modò altera, raro tertia, modò duæ, modò omnes, licèt rariùs, lympham ſuam nùnc rariùs, nùnc parciùs aut laticem exſtillant, quandoquè nùnc una, nùnc duæ, nùnc omnes tres rurſus ad tempus clauduntur, ſicque ægrum inter ſpem & metum ſuſpenſum tenentes, an unquam an nonnunquam à fonticulis illis ſpontaneis liberandus ſit, placidam tandem analyſin à divinâ gratiâ expectare jubent.

Cùm obligatura vulnerum, quæ ſpleniis ac vinculis fit, ab initiô admodùm in hâc plagâ moleſtâ, coactus eſt æger locô ſpleniorum ac vinculorum burſam aut bulgam aut capſam, vocet quiſque prout ipſi viſum, cupream ſtannô internè obductam, & externè coriô molliori veſtitam excogitare, ſibique comparare, qua reculas ſuas, patrimonium iſtud carnoſum, impoſitô foraminibus emplaſtrô tribus turundulis balſamô Arcæi præmunitis, & applicatô deſuper pulvillô, ab ulteriori deligatione immunis, bis dietim recondere, ſicque hôc adminiculô, à cingulo forti coriaceo, ilia ambiente duobus loris connexo ac ſuſpenſo, adjutus dies noctêſque geſtare, ac ſi ſatis commodè tolerare poſſit. Plurima eaque notatû non indigna circa hunc caſum occurrunt, unde nimirùm abſceſſus ille ſine omni dolore, ſine pulſatione in parte admodùm ſenſibili tam ſubitô congeſtus & ortus, tam properè auctus, tam inopinatò abſque ullo doloris prodromo ſpontè apertus, tantam ſaburræ copiam (cui capiendæ tumoris capacitas neutiquàm ſuffeciſſet) eructaverit? An pro evacuatione critica habendus ſit ille fluxus, quô morbum præcedentem gravem in maraſmum tendentem ſolvere Natura ſit conata? Annon Naturæ conatus ille, præcipuæ indicationi virium inſtaurandarum, quæ corporis marceſcentis nutrimentum potiùs & augmentum efflagitare videtur, quàm tantæ humoris copiæ, in ſene præſertim ſubtractionem, è diametrô contrarius ſit judicandus; An fluxus ille etiam nunc perſeverans, pro infauſtô an pro ſalutari indiciô ſit habendus, an ægro à majoribus incommodis præſervando, ut quidam non infimi nominis Medici cenſuerunt, ſervire poſſit? Nùm verò pro lethiferô cum tempore ſit habendus perſtans ille laticis fluor? Multum humoris, fortaſſis & nutritii, corpori ſubtrahendo, eoque exhauriendo potiùs, ſuôque vigore, ſatis jam exhauſtô, ulteriùs ſpoliando, aptus ſit judicandus? Qualis illa & unde derivanda pulveris illius lateritio pollini ſimilis, ruffi ab initio tanta copia; & illiùs per aliquod tempus continuata eructatio, jam verò ſenſim deficientis paucitas? Quæ inodori illius, ac quantum ſenſuum judiciô aſſequi datum, omni penè acrimoniâ carentis, laticis, cui pulvis hic immixtus, origo? An vas aliquod lymphaticum in ſcrotô per diæreſin, vel diapediſin aut anaſtomoſin apertum illum ſenſim excernat, aut exſudet; Verùm horum evolutio

evolutio ac reſolutio animi mei ac judicii provecta hàc ætate aliquatenus jam torpentis horizontem tranſcendunt. Aliis ergo ingenio vegetiori præditis meque ſagacioribus lampada trado.

Manuit poſteà d. 6. Jun. Ann. 1710. Nob. hujus Obſervationis Author, faciem ulceris deſcripti quotidie ferè aliam induere faciem, tum quoad exteriorem aſpectum, quàm quâ redundantem materiam, tum conſiſtentiâ, tum colore, tùm copiâ ſemper variam; ab aliquot hebdomadis præter ſaniem paulo quàm ante craſſiorem, fruſtulatim aliquando cum impetû tanquam è ſiphone ejaculatas ad diſtans nonnunquam proſilire particulas carnulentas, pallidè rubentes, diverſas tàm copiâ, quàm magnitudine, ſeminis papaverini & cannabini, piſi etiam tam majoris quam minoris, quas ipſam teſtis eſſe ſubſtantiam ſuſpicatur, paulatim fatiſcentem ac ſecedentem, ſed abſque omni dolore ac fœtore, cum aliquâ tamen, ſed vix ſenſibili corporis alteratione, viriumque jacturâ.

Ibidem in Append. p. 19. *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis, Ann.* 1701.

Ibidem p. 24. *Conſtitutio Epidemica Aëris Berolinenſis, Anni* 1703.

Ibidem p. 32. *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis, Anni* 1704.

Ibidem Centur. 3. & 4. *Obſervatio* 22. *De Bubonocele periculoſa.*

PHilippina honeſtorum Parentum filia proba, natu Palatina, teneræ conſtitutionis, ſexto fortè ætatis annô, Parentibus ob Gallorum, Palatinatum invadentium, tyrannidem extorribus extra patriam denatis, orba, à cognata quadam conſulis uxore in familiam ſuſcepta, & ſat rigidè educata, ſervilibus & pro ætate ac viribus nimis gravibus laboribus exercita, decimô quintô ætatis annô ab onere nimiô, cui tollendo impar, dolorem cum aliquali tumore in inguine ſiniſtrô ſenſit, qui poſteà in bubonem excreſcens, dein inflammatus in apoſtema tranſiit, obſtructionibus, febri, torminibus, aliiſque ſymptomatis, ſuperveniente quoque interdum Ileô, horrendis ſtipatum; tandem poſt unius alteriuſve diei moram, perforatô bubonis cacumine, tribus ſucceſſivè indè erumpentibus lumbricis, ſpithamam & ultrà longis, exulceratum, quod diù ſaniem purulentam cum quibuſdam excernendorum indiciis fœtidis eructavit. Herâ neglectiùs licèt illud tractante, remediis quibusdam domeſticis, interque ea decocti herbarum quarundam dubio procul vulnerariarum, usû, *Dei* potiſſimùm gratiâ & ætatis juvenilis, ſi quid illa contribuere valuit, beneficio, ulcus illud diuturnum ac periculoſum tandem coaluit. Ipſa ſanitati quidem aliquatenus reſtituta, variis tamen infirmitatibus ac accidentibus ſubindè infeſtantibus obnoxia. Tandem ab Herâ illâ ſeverâ dimiſſa, Berolinum venit, novôque miniſteriô paulò tolerabiliori mancipata, triennium ferè firmiori, valetudine gaviſa. A trimeſtri autem malum illud tandiù ſopitum recrudeſcere cœpit, occaſione nimirum rurſus oneri nimii elevati, à quo in dolores colicos aut Iliacos, quantùm recordatur, denuò incidit intolerabiles, quibus ſub hypochondriô ſiniſtrô ad inguen uſque vergentibus, & immenſum dies noctéſque torquentibus, graviſſimè afflictâ; obſtructionibus quoque alvi pertinacibus in perniciem ſimul conſpirantibus eodem quô ante inguinis locô, prope cicatricem ab ulcere priori relictam, tumor rurſus bubonem, aut bubonocelem potius, mentitus emerſit. Adhibentur, uti ſolet, in talibus ab aſtantibus egenis, graves in Medicos, Pharmacopolas & Chirurgos, erogandas impenſas vitantibus, rurſus domeſtica, & euporiſta tam internè, quam externè, ſed fruſtrà; tumor ille, neutiquam iis cedens, in dies potius augetur & altius attollitur, ac gravia illa ſymptomata magis ingraveſcunt, gemente interim & miſerandum ejulante ægerrimâ & miſerrimâ patiente, demum & vomitus fœtidi ſuperveniunt, Ilei inſtantis prodromi haud obſcuri. Sollicitor tandem, eouſque cum deventum, ùt opem ægræ feram. Symptomati itaque urgentiori, ut aliquomodo ſaltem occurrerem, ſubventurus, primum Enema ſatis validum emolliens ac ſtimulans, in Pharmacopolio Regio parandum, & protinus applicandum ordino, ſed irritô effectû. Paratur poſteà, me inſcio, à Chirurgo pauperum, ex meâ urinâ; ſale & oleô aliud, ſed eôdem ſucceſſu; accurritur denuò ad me, præſcribo cataplaſma, validè admodum emolliens, tumori aliquotiès calidè adhibendum, cujus ope cacumen tumoris ſub epidermide aliquatenùs attenuatur, quô auditô, enema aliud validius præſcribo, paulo poſt iteratam cataplaſmatis applicationem adminiſtrandû alvo pertinaciter adeò aſtricta magis lubricanda & ad viam ordinariam ſollicitanda. Quô vix dum peractô, Bubo ingenti cum fragore, diſploſæ inſtar bombardæ, præſente & aſſidente Chirurgô, crepat, atque copia inſignis ſtercoris liquidi, cum pure admodùm fœtidô, tandem & injecti enematis liquore ſuccedente, effluit. Unde mox inſigne levamen cruciatuum, quibus miſerrima hactenus torta, obortum. Deterſô tandem ſollicitè ſqualore, ulcere mundatô, ac ritè penſatô vulnere, ut & propinatis interdum vehiculô commodô guttis aliquot eſſentiæ traumaticæ D. Wedelii, alvus demùm ad officium debitum rediit, conſuetâ viâ recrementa ſecernens & eliminans. Vulnere itaquè medii ferè digiti longitudinem ac tranſverſi latitudinem æquante, ſicque tranſverſim ab inguine ad pubem deſcendente, chirurgorum duorum dexteritati ac ſollicitudini commiſſô, ſub ſpe recuperandæ propediem ſanationis, ac integræ tandem valetudinis ulteriori me ejus curæ ſubducens, penè reſtitutam deſtitui.

Poſteà, illam aliquandiù ſatis incolumem vixiſſe; verùm haud ità pridem eſſe paſſam recidivam, ac malum illud recruduiſſe, quô eventû, cùm in auxilium non fuerim vocatus, ignoro.

Ibidem Obſervatio 87. *Sarcoceles exulceratæ, cujus Ephemeridum Naturæ Curioſorum Centur.* 1. *Obſerv.* 126. *tragœdia ex parte enarrata, fauſta Cataſtrophe.*

AB annô 1710. Varias illa, tam quoad externam faciem, quàm quoad internam materia, ſive contentæ ſive ſingulis deligationibus, excretæ, tum quâ conſiſtentiam, tum quâ colorem, tum quà quoque excernendi modum & varietatem, paſſa metamorphoſis diuturnitas mali indeque ſucceſſivè naſcentia quædam incommoda, præſertim cùm burſa illa cuprea coriô tenui veſtita, cujus in dictâ obſer-

vatione mentio facta, continuô uſû, & attritû, tandem quâ tegumentum coriaceum, lacera, proindè malignitas metallica cupri denudati, adjacentes utrinquè partes perpetim calentes tangendo afficeret, ac exanthemata copioſa cum pruritû vix tolerabili eliceret, Coætaneus ille mihi amiciſſimus de mutandâ illa bursâ metallicâ cogitare coactus aliàs multò commodiores, è linteô crudô duplicatô conſutas, ac habenâ perindè lineâ à cervice utrinquè pendulas, ligulis firmiter illi alligatas excogitavit, incommodis à cupreâ excitatis egregie medentes, ſicque inſigne levamen tam quà deligandi laborem longè commodiorem, quàm geſtandi moleſtiam multò quàm antè minorem, eatenùs prætereà oppidò aptiores, quòd ſubindè mutari lavari ac elotæ mundè reapplicari facili negotiô potuerint; Hactenùs itaquè plurimùm ſublevatus, quòd moleſtiam, quam diutina quotidie bis repetenda deligatio afferebat, multò tolerabiliorem experiretur, innumeras illas in abſceſſû ipſô varietates, non ſine admiratione contemplabatur ac obſervabat, tandem unô alterôve fonticulorum ſponte coeunte, præter primam & ut ità dicam originalem aperturam, unô modô adhùc reſtibabat foraminulum, & materia indeſinenter mirè variegata fœtorem aliqualem, putredinis alicujus intùs latitantis indicium ſpirante, inflammationis aut gangrenæ ſequelam metuens, Balſamô Peruvianô melli roſaceô mixtô, ſiphunculi adminiculô in aperturam illam ampliorem injectô, ſed per alterum reſtans minùs foraminulum identidem mox regurgitandô, putredini obviam iturus, fœtori iſti mederi tentavit, nec id quidem malè; materia enim poſt excreta laudabilior ac fœtore rursùs exuta ſpem aliquam meliorationis alicujus faciebat, ut ut variè illam, tam quâ quantitatem, quàm quâ qualitates reliquas, aliquandiù adhùc luderet, donec continuatô priſtinô cum turunculis Balſamô Arcæi imbutis, ac ſuper impoſitô emplaſtrô, hîc miraculoſô dictô, (licèt tandem, quod Smegmatis Veneti ratione, poſt diutinum illius uſum epidermide extenuatâ; haud parùm incommodaret) meô conſiliô, omiſſô ſapone paratô, benignô ſatis ac epidermidem conſervante, deligandi modô, injectionibus balſami prædicti nonnunquàm pro renatâ interpolatô, Annô 1712. Verè appropinquante reſiduum etiam illud foraminulum coaleſcere incipiens, ulterioris ſanationis fiduciam quadantenùs ſtabiliret, ac materia in dies magis magiſque imminuta, ac laudabiliori, major quoque ille ac originalis abſceſſus circa finem menſis Junii ſenſim coarctari, & ſub initium Julii demùm quadriennium integrum penè hactenùs apertus, penitùs coaleſcere cœpit, ac amicô meô ab ulteriori deligationis moleſtia liberô gaudere; *Deo* pro hoc inſigni beneficio debitas & condignas gratias agere, & de reſtitutâ ſanitatis integritate, ſibimet eâ præſertim ætate, quâ octogenariô jam à triennio penè major gratulari conceſſit. Vivit nùnc à ſollicitudine priori per Clementiſſimam Divinam gratiam liber, ac ulteriorem paternam providentiam patienter præſtolando, ſic ſatis incolumis.

GAILHARDUS (*Johannes*,) Toloſas.

Ex eô habetur

De venæſectione diſquiſitio, ubi Quæſtio an in Apoplexiâ ſit vena ſecanda, ſolidis argumentis confirmatur. Hafniæ & Lipſiæ apud Samuel. Garmannum 1699. 12.

GAIONUS (*Bartholomæus*,)

De eô extat

Epiſtola ad Johan. Valdanium de ſectione Venæ, quæ eſt ad annularem digitum ſiniſtræ manûs, in Lienis affectibus. Patavii, apud Petrum Antonium Alciatum, 1567. in 8.

GAIUS. Illum inter Herophili Sectatores refert Cœlius Aurelianus; qui Morborum Acutorum Lib. 3. Cap. 14. ait eum de timore aquæ, ſeu Hydrophobiâ ſcripſiſſe; quâ in paſſione in primis cerebrum, ipſiuſque membranam adfici exiſtimat. Plura de illô non innotuere.

GALARATUS (*Joſephus*,) Patritius Novarienſis.

Ex eô habetur

Syſtema renovatum Phyſiologiæ Medicæ. Pariſiis, 1671. 12. Lugduni apud Aniſſonium 1677. 12. Idem juxtà Veterum Philoſophorum Hypotheſin iterùm prodiit; adjectô Librô III. de Animâ Senſitivâ, Bononiæ, 1684.

Specimen Medicum de Febrifugis Salinis, per Hypotheſin mechanicam explicatis. Bononiæ, 1694. in 12.

Diatriba Medico-Sceptica de Alcali & Acidô. Bononiæ, 1688. 12.

GALBANUS (*Dominicus*,)

Ex eô habetur

De Fontanellis. Patavii, 4. 1620.

GALEA (*Petrus*,)

De eô extat

De Pulſibus. Peruſiæ, 1597. in 4.

GALEANUS (*Joſephus*,) Panormitanus, Philoſophus, ac Medicus Doctiſſimus, natus circa annum 1605. literarum ſtudiis deditus, Sacræ Theologiæ, Philoſophiæ, & Medicinæ laureâ inſignitus eminuit. Ob ſingularem doctrinæ præſtantiam nedum Panormi & in Siciliâ, verùm etiam & in Italiâ aliiſque diſſitis Regionibus Celeberrimus, doctioribus viris numeris omnibus abſolutis, meritô accenſendus eſt. Apud Siciliæ Proreges, Præſules, Dynaſtas, ac ſupremi ordinis Viros veluti alter Galenus veneratus enituit. Elucebat enim in egregiô virô tùm ſingularis doctrina, tum praxis Medica eximia, quam in publicis Noſocomiis Panormi, & in Principum aliorumque ædibus, ad univerſalem omnium beneficium, ſalutari experientiâ probavit. His acceſſit Anatomiæ, ac plantarum pleniſſima ſcientia, quibus clariſſimum ſibi nomen vindicavit. Magnô cum plauſû Panormi Medicinam docuit annis propè quinquaginta, & ex ejus ſcholâ diſcipuli prodiêre doctiſſimi, qui Siciliam doctrinæ ſplendoribus illuſtrârunt, ejuſque prælectiones hodiè veluti Medicinæ Canones venerantur. In Panormitanâ Medicorũ Academiâ ad Principis gradum fuit evectus: Panormitani Prætoris in rebus ad ſanitatem ſpectantibus ſemel & iterùm Conſultor electus innotuit; & apud viros ſapientiâ illuſtres Medici præſtantiſſimi opinionem occupavit. Hinc ſæpiùs ad ipſum ex longinquis regionibus veluti ad oraculum confugere curârunt Viri doctiſſimi in difficillimis Medicæ facultatis quæſtionibus: ſæpiuſque epiſtolis laudibus refertiſſimis ad ipſum datis ab Italiâ, Hiſpa-

niâ,

niâ, Galliâ, Germaniâ, aliiſque remotiſſimis Provinciis doctrinæ ſuæ applauſit Medicorum præclariſſimorum coëtus. Ingenium rerum omnium capax, Theologicis etiam ac mathematicis diſciplinis erudivit: & amœnioribus etiam literis ex naturali propenſione excoluit: ideòque eloquentiâ, ac poëſi claruit; fœcundiſſimâ enim venâ munitus, Muſas Etruſcas, Latinas, Siculaſque egregiè dilexit. Omnigenâ eruditione locupletatus mirum in modum effulſit, & in Panormitanâ Reacenſorum Academiâ ab omnibus literatis meritò magnâ æſtimatione proſequutus, eximiis laudum præconiis, tanquam ſingulare elapſi ſeculi ornamentum venerabatur. Moralibus virtutibus inſtructus effloruit; Charitatis præſertim officia in pauperibus curandis adhibuit; quos ùt ad valetudinem revocaret, pharmaca componebat idonea, ùt inillos erogaret. Mortis cauſam egregii viri Barbitonſoris incuriæ adſcribunt; in morbum enim elapſus, cùm venæ ſectione ſaluti ſuæ conſuluiſſet, Barbitonſor lineis fruſtulis aquâ madefactis ſectionem occluſit (quem abuſum ipſe ab urbe Panormi, editô librô, exterminaverat, ut potè ſaluti noxium) ideòque incaleſcente febre tandem magnô omnium dolore, jam ſenectutem adeptus fatô ceſſit Panormi 28. Junii annô 1675. & in Eccleſiâ Domûs Profeſſorum Soc. Jesû ſepelitur. Filios poſt ſe reliquit Ignatium Ordinis S. Benedicti alumnum, dequô in hâc Bibliothecâ pag. 309. & Roſaliam, primùm una ex octo Fundatricibus Monaſterii Panormitani S. Juliani, exindè quarta inter Fundatrices Eremi admirabilis, ac celeberrimi Ven. Urſulæ Benincaſæ in urbe Neapolis, ex Franciſcô Mariâ Magiô *in vitâ, & Eremô ejuſdem Urſulæ pag.* 258. Joſephum celebrant Cyprianus Maroja Philippi IV. Catholici Regis Medicus *in Conſult. Medic. Lib.* 3. *pag.* 100. *&* 114. Gaſpar Bravus Hiſpaniarum Archiater, & Caroli II. Regis Medicus *in reſolut. Medicin.* pag. 579. Gaſpar Caldera in *illuſtrationibus*, Johannes Lazarus Gutterrez *in febrilogia cur.* 9. *Lect.* 4. *curſ.* 9. §. 4. 5. *& lect.* 6. §. *unicô.* Johann. Alphonſus Borellus de febre malignâ, Petrus Caſtellus *in præſervatione ab imminente lue pag.* 4. *&* 22. Gavinus Farina *in medicinali patrociniô pag.* 211. Nicolaus Gervaſius *in ſuccedaneis pag.* 93. Johannes Paulus ab Epiphaniâ in Librô *Stravaganze della Natura Lib.* 9. *pag.* 446. Johan. Bapt. de Judice *in carmin. par.* 1. *pag.* 83. *&* 95. Balthaſſar Falſaperla in *Poëſ.* Johannes Bapt. Vallegius *in carmin. pag.* 29. 30. *&* 54. *& in Lelvagiô pag.* 54. Didacus de Maſtrô in *Cauſâ Medicorum Poët. pag.* 56. Angelus Matthæus Bonfantes in Librô *Cygno Provocatô par.* 2. *cap.* 1. *pag.* 30. Auguſtinus Oldoinus *in Athenæô Liguſticô pag.* 374. qui origine Abintimillienſem fuiſſe tradit, Johannes Caramuel *in Rhytmicâ pag.*222. Franciſcus Maria Magius *in vitâ & Eremô Urſulæ Benincaſæ pag.* 259. Angelicus Aproſius in librô *Viſiera alzata pag.* 99. *&* 126. in librô: *Grillaja, Grill.* 38. *pag.* 435. *& in Biblioth. Aproſianâ pag.* 644. qui ob egregiam æſtimationem, quâ Galeanum proſequebatur, ipſius Imaginem cum aliis celebrium literatorum in eâdem Bibliothecâ, ad omnium venerationem, ſervabat; Ibidem pag. 203. habetur Epiſtola ad nonnullos viros à doctrinâ laudatiſſimos, inter quos noſter Galeanus. Ejus Imago pluries ære inſculpta prodiit, hâc inſcriptione exornata.

Joſeph Galeanus Philoſophus, ac Medicus Siculus Panormitanus ætatis ſuæ ann. 47.

Bis laurô cinctus; nam bis Galeanus Apollo eſt, Carmina ſeu pandat, Pharmaca ſeu tribuat.

Edidit

Epiſtolam Medicam, in quâ de Epidemicâ febre theoricè, & practicè agitur, tum controverſiæ omnes de diætâ, pharmatiâ, & chirurgiâ in malignis febribus enodantur. Panormi apud Alphonſum de Iſolâ 1648. in 4.

Smilacis aſperæ, & ſalſæ pariliæ cauſam. Ibid. apud. Decium Cyrillum 1653. in 4.

Politicam Medicam pro leproſis. Apologeticam epiſtolam, in quâ ſummatim quæcumque adverſus ſententiam italicè prius prolatam de explorandis leproſis Latinè fuerunt impugnata expurgantur. Panormi apud Auguſtinum Boſſium, 1657. in 4.

Hippocratem Redivivum Paraphraſibus illuſtratum, ſeu Aphoriſmorum Hippocratis ſectiones, Paraphraſes Joſephi Galeani. Panormi apud Joſephum Biſagnium 1650. in 12. apud Didacum Buam 1663. in 12. & Ibid. typis Felicis Marini, 1701. in 12.

Orationem de Medicinæ præſtantiâ. Panormi typis Joſephi Biſagni, 1649. in 4. quam eôdem annô Italicè verſam edidit Panormi Didacus de Maſtrô Neapolitanus.

Italicè etiam in lucem emiſit.

La lepra unita col mal franceſe, ò altro Contagioſo male, in quale degli ſpedali debba curarſi. Diſtintioni, e deciſioni medicinali. Panormi, apud Auguſtinum Boſſium, 1656. in 8.

Idea del cavar ſangue. Ibid. apud eundem 1659. in 12. pluriès recuſa.

Il Caffè con più diligenza eſaminato in ordine al conſervamento della ſalute de Corpi humani. Ibidem apud Dominicum Anſelmum, 1674. in 4.

Del conſervar la ſanità libri ſei di Galenô. Panormi, apud Nicolaum Buam, 1650. in 8.

La S. Roſalia Panegirico. Ibidem apud Joh. Ant. de Franciſcis, 1626. in 8.

La Roſalia Trionfante Poëma Sacro. Venetiis, apud Imbertos, 1632. in 12.

La S. Roſalia Vergine Romita Palermitana deſcritta. Panormi, apud Joſephum Biſagnium 1653. in 12. & Genuæ, apud Petrum Jo. Colenzanum 1662. in 8. & Ibid. eôdem annò, addita eſt Legendario S. S. Virginum.

L'Iride Colomba Ode Pindarica per la venuta dell' Illuſtriſſ. & Em. Signore il ſig. Cardinal Prencipe Teodoro Trivultio del Conſeglio di ſtato di S. C. M. e ſuo Luogotenente, o Capitan Generale nel Regno di Sicilia. Panormi, apud Decium Cyrillum, 1648. in 4.

Poëſie Liriche. Ibidem, apud Alphonſum de Iſola, 1634. in 12.

Il Trionfo di S. Caſimiro Prencipe di Polonia celebrato per otto giorni nella Chieſa di S. Nicolò Tolentino de R. R. P. P. Scalzi Agoſtiniani della Città di Palermo. Ibid. apud Antonium Martarellum, 1636. in 4. ſub nomine Joſephi Sanclementis.

L'Aquila del ſole Auſtriaco: Panegirico per la feſtività del racquiſto di Barcellona. Ibid. apud Petrum de Iſola, 1653, in 4.

Diporti Giovanili, compoſitioni Poëtiche. Ibidem apud Buam 1661. in 12.

Il Pelagio, o vero la ſpagna racquiſtata, Poëma Eroico. Ibid. apud Didacum Buam, & Petrum Camagnam, 1670. in 8.

Il Mare amariſſimo della Paſſione di Gieſù Chriſto, Ponderationi devote. Ibid. apud Carolum Adamum, 1674. in 8.

Sub nomine Bruni Cibaldi edidit, teſte Angelicô Aproſiô, in librô: *Viſiera alzata*, *pag.* 99.

Del vero metodo di conſervar la ſanità, e di curare ogni morbo col ſolo uſo dell' Acquavita, diſcorſo di Bruno Cibaldi Romano. Panormi, apud Petrum de Iſola 1662. in 12.

Diſcorſo intorno all'uſo dell' Acquavita, nel quale ſi demoſtra quante, e quali ſiano le Conditioni della perfetta Acquavita, accioche ſe ne poſſano ſervire i corpi per conſervamento della ſalute. Ibid. apud Boſſium 1667. in 12.

Ex eôdem Aproſiô, pag. 126. ſcripſit ſub anagrammaticâ larvâ Pelagii Sugapene.

Lettera del Dottor Pelagio Sugapene à Brunô Cibaldi in Approvatione del ſuo diſcorſo intorno all'uſo dell' Acquavita. Ibid. apud eundem 1667. in 12. Ideòque Brunô Cibaldus *ex Bibliothecâ Romanâ* Clariſſimi Proſperi Mandoſii *Tom.* 1. *cent.* 4. *num.* 32. *pag.* 234. delendus: hæc enim opuſcula Galeani fœtus fuiſſe, tum ex Aproſiô citatô, tum ex omnium conſenſû, Panormi ſatis liquet.

Collegit Cantiones Celebrium Poëtarum, qui Siculas Muſas coluêre, ac in quinque Tomos diſtribuit; & additô unicuique Auctori elogiô ſub Petri Joſephi Sanclementis edidit, his titulis inſcriptos:

Le Muſe Siciliane, overo ſcelta di tutte le Canzoni della Sicilia, Parte Prima, nella quale ſi contengono le più degne de' più famoſi Autori Antichi, con una Grammatica Siciliana, e con due tavole, la prima delle Canzoni, la ſeconda delle materie. Panormi, apud Buam, & Portamnovam, 1645. in 12. & iterùm apud Joſephum Biſagnium, 1662. in 12.

Tomo Primo della ſeconda Parte, nella quale ſi contengono le più degne de più famoſi Autori Moderni. Ibidem apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud J. Biſagnium, 1662. in 12.

Tomo ſecondo della ſeconda Parte. Ibidem apud eoſdem 1647. & 1662. in 12. & in hôc Tomô edidit Cantiones ſuas ſub D. Vincentii Valguarneræ nomine, ut mihi teſtatus eſt Vincentius Auria vir integerrimus, Galeani amicus, ac familiaris.

Parte Terza nella quale ſi contengono le più degne in ſtile burleſco de' più famoſi Autori, coſì Antichi, come Moderni, con una dichiaratione de Vocaboli più proprii, e più oſcuri Siciliani, riſcontratilo i Toſcani. Ibid. apud Biſagnium 1651. in 12. hîc etiam extant ejuſdem Galeani Carmina ſub memorati Vinc. Valguarneræ nomine.

Parte Quarta, nella quale ſi contengono le più degne de' più famoſi Autori Antichi, e Moderni per eccitare l'anime de' Chriſtiani alla devotione. Ibidem, apud eundem 1653. in 12. in quô & proprias ejuſdem Galeani invenies *à pag.* 186.

Advertendum hîc puto, quòd Auguſtinus Oldoinus *in Athenæo Liguſticô pag.* 374. ait Galeanum in ſui gloriam, poſterorumque commodum opuſcula plura Italicè, & Latinè ſcripſiſſe in quindecim Tomos collecta, ſtudiô Iſiodori Palleſtreros, edita apud Didacum Buam, 1663. & opuſculorum titulos exhibet: ſed quamvis hanc editionem in 12. aggreſſus fuiſſet Iſiodorus Palleſtreros noſtri Galeani Gener, cujus initium, titulô, *Vigiliarum medicinalium lucubrationes, cum Hippocrate Redivivô*, editum vidi, attamen editionem nec abſolvit, nec proſequutus eſt. In hâc autem editione plura ex ſuprà relatis recudere curabat, quorum titulos habes ſuprà, alia tunc primùm typis concedenda, quæ non prodiêre, hæc ſunt:

De Columbarum, & Veſicantium in malignis febribus medica amici contentio.

Academicæ lectiones, deciſiones, & conſultationes Medicæ.

Quotidiana Praxis de febribus in dies diſtincta.

Selectorum & ſecretorum medicinalium Partes tres.

Hippocrates Redivivus: Paraphraſis in omnia Hippocratis Prognoſtica.

Italicè

Della Nobiltà del Medico Libri tre.

Del conſervare la ſanità in univerſale, è in particolare Libri tre.

Elucubraverat etiam hæc alia omnibus numeris abſoluta, & jamjam ſeorſim typis tradenda, nempè,

In Zacutum Luſitanum Tomos II. in fol.

Polianteam Medicam, Theoricam, & Practicam, Tomos ſex, in fol.

Extant mſſ. apud me

Il Niſo. Amarilli. L'Amante Luntano. Idilii in Ottava. Rima Siciliana. Anton. Mong. Bibl. Siculæ T. j. pag. 38.

GALENUS (*Claudius,*)

Claudii Galeni Pergameni, Medicorum omnium ab Hippocrate Principis, Vita ex ipſô, & probatis Authoribus, à Renatô Charteriô collecta ac digeſta.

Laureatam Galeni omnium ab Hippocrate Medicorum Principis Vitam, præſtantiſſimis ac immortalibus vitæ humanæ functionibus inſignitam, morum probitate decoratam, virtutum illuſtratam amplitudine, ſcientiarum, ac doctrinæ ubertate locupletatam, ſapientiæ propugnaculis obvallatam, & quamplurimis rerum medicarum monumentis ab hominum ſilentio, & poſteritatis oblivione vindicatam nobis conſcribentibus, viri celebres tanti Medici memores, ac famæ ejus præcones tot immortalitatis amaranthos, tot triumphales epiniciorum lauros, tot vegetos gloriæ flores, & manibus lilia plenis confertim advehunt, ac tam conſpicuas encomiorum notas ſuppeditant; ut hæc univerſa, & quæ cætera hujus vitæ periodus ſole digna peperit, vita noſtra jam conſeneſcente neque complecti poſſimus, neque apud æquiſſimos ſapientium oculos expromere. Verùm quemadmodum immenſam univerſi orbis amplitudinem ductis quibuſdam lineis plana tabula, aut globulus complectitur, oculiſque addiſcendam ſubjicit: ſic peranguſtis in membranis vaſtum rerum præclare ac medicè geſtarum pelagus, ampliſſimus artium, ac ſcientiarum orbis, & altum morum, ac virtutum Cœlum delineabitur. Si quid autem memoria dignum à nobis inconſultò prætermiſſum, aut ſponte obtruncatum non in lucem emergat, id à ſapientiſſimis hiſtoriographis, ac Medicis, tum recentioribus, tum vetuſtioribus poſteros nobis accuratiores mutuat, ac in vulgus proferre concedimus. Quæcumque tamen ad encomiaſticam Galeni biographiam ſapienter acta, ac dictata ſpectare animadvertimus, ea jam ſingula non moleſto ordine, ac idonea ſerie ſcriptis prodidimus, tum ut perpetuæ Pergameni Archiatri memoriæ ſatisfaceremus, tum tanti ducis exemplo Medicinæ candidatis facilis pateret aditus, ac univerſa doc-

trina

trina compararetur. Nam quicumque Medicinæ adipiſcendæ, faciendæ, ac edocendæ ſtudio flagrant, eos omnes ut hancce Galeni hiſtoriam prælegant, Galenum legitimæ medendi artis præceptorem ſibi ducem eligant, quibus artibus, ac ſcientiis ſtuduit, eas omnes ſtudio conſequantur, & qua via medicam ſcientiam adeptus eſt, eadem tanquam omnium tutiſſima procedant adhortamur.

Jam verò quis ortus Medicinæ, quodque incrementum ab Apolline, & Eſculapio ad Hippocratem, & ab Hippocrate ad Galenum, quæque hujus artis facies adusque noſtrum ſæculum fuerit inprimis diſcendum eſt. Inventionem autem Medicinæ Græci omnes, Diis, aut Deorum filiis acceptam referunt. Eos autem Deos Apollinem, & Eſculapium fuiſſe à Romanis, Græcis, cæteriſque vetuſtatis hominibus conſtructa ipſis templa, poſitæ ſtatuæ, celebrati ludi publici, & facta ſacrificia teſtabantur. Apollinem ἰητρὸν, ac Medicinæ Deum vocat, ac invocat Hippocrates; veram medendi artem Apollini, & Eſculapio priſcos conceſſiſſe in libris methodi conſcripſit Galenus, & Apollinem remediorum ſalubrium inventorem Philo Judæus appellitat. At Apollinem Jovis, & Latonæ filium Eſculapii patrem intelligimus, qui quo ſeculo editi floruerint, id abditum hiſtoriographi non explicant. Quibuſdam tamen chronologicis placuit Eſculapium Judæ ſeculo vitam duxiſſe; nonnullis verò Pandionis quinti Athenarum Regis, qui annis quadricenis, & quadraginta ante Hippocratis ortum reipublicæ gubernaculum moderatus eſt. Tradunt itaque Eſculapium ab Apolline progenitore eruditum filios ſuos Machaonem, Podalirium, ejuſque nepotem Nicomacum, poſtea Medicinam docuiſſe, atque hunc in modum artem ipſam medendi cæptam divinis auſpiciis, ſucceſſione quadam hæreditaria à parentibus propagatam ſemper in liberos ad Hippocratem uſque ab Eſculapio quoque ipſo oriundum perveniſſe. Cautum ſiquidem erat in illa Aſclepiadarum familia ne quis artem Medicam poſſeſſionem planè divinam & à Deo ſolis ipſis conceſſam, cuiquam communem faceret, qui ab eodem non eſſet genere exortus, cujus rei gratia peritos artis illius Medicorum filios Græci perpetuò vocarunt. Hippocrates autem primo nonageſimæ olympiadis anno natus, omnium primus diſperſam prius, nec digeſtam artem, vel artis potius partes, & principia operaque collegit, & univerſalia præcepta rationali methodo condidit; nobiſque volumina octoginta reliquit, quæ incomparabilem ejus doctrinam, profuturamque mortalibus vitæ integritatem teſtantur. Enim verò poſtea ſequuti ſunt Diocles, Caryſtius, Praxagoras, Chryſyppus Sophiſta, ac Craſiſtratus ex Ariſtotelis filia genitus, qui rationalis ſectæ Profeſſores extiterunt. Nam ſub Philiſtino Coo eodem propè tempore Empirica ſecta exorta eſt, cujus authores, ac principes fuerunt Serapion Alexandrinus, Apollonius Antiochenus, & Menodotus qui ſanè diſſidebant à Rationalibus, quod illi quidem ratione ſimul & experientia uterentur ad præſidia inveſtiganda morbis ipſis congruentia; hi verò ſolo uſu niterentur eorum quæ aliàs aliquotiès obſervaverant. Ab utriſque receſſerunt pleræque methodici noncupati, cauſarum abditarum indaginem, quas Logici ſummo ſtudio explorabant reſpuentes, nec quicquam tribuentes, particularibus experimentis, quibus Empirici nitebantur. Ut verò hi particulares omnes affectus ad generales duos aſtrictum, & laxum reducebant: ſic univerſas ipſorum curationes ad duas ſimiliter, cùm laxorum adſtrictionem, tum aſtrictorum laxationem. Huic autem ſectæ auſpicia dedit Themiſon Laodiceus, eam verò abſolvit Theſſalus ille Trallianus, qui ſex dumtaxat menſibus ipſam artem accuratiſſimè ſe docturum pollicebatur. Quibus omnibus omnium ſapientiſſimus Galenus ſuccedens, medicinam in tot ſectas divulſam laceratamque ſuæ integritati atque nitori reſtituit; quæ prava ſuo tempore in hominum animos irrepſerant dogmata penitus evulſit, ac Germanam Hippocraticamque medendi artem per ſexcentos aut plures annos ſepultam neglectamque revocavit. Quo verò ſtudio, quaque fide id egerit, tum ejus monumenta, tum vitæ ſeries edocebit.

Quanquam Euripides in Alexandro ità vaticinetur, *haud nominum vocabulis mores explorandi ſunt*; Huic tamen obnixè reluctatur hiſce verbis Nicocles Iſocratis, *ut nomina res quæque ſortitæ ſunt, ita earum etiam vires, & effectus exiſtimetis reſpondere.* Hanc ſententiam veritati conſonam Galeno nomen proprium non temerè à parentibus impoſitum declarat. Γαληνὸς enim tranquillus, & ſerenus Latinis redditur, quod vocabulum Medicis præſtantioribus aptè datum eſt. Nam morbum omnem hominem vexare, ejuſque functiones interturbare, ac per ſe oblædere animadvertimus, cui profligando contrario opus eſt Medico tranquillo, tum remedio tranquillante, hoc eſt, quod intemperatum eſt, contemperante, & incommoderatum, commoderante; quod obtingit ubi depulſo morbo ſuccedit ſanitatis ſerenitas. Unde ſummus ſenex Medico ad laborantem accedenti, & curanti hilari, ac ſereno vultu eſſe imperat, memorem nihil cum perturbatione moliendi. Quas ob res quum Galeni pater, vir eruditiſſimus filio ſuo, quem in optimis quibuſcumque diſciplinis, quibus animi maximè tranquillantur, omneſque perturbationes ſerenantur, inſtituendum propoſuiſſet, impoſito hoc nomine feliciter ominatus eſt. Licet verò nomen adjectivè, vel appellativè uſurpatum ultimam ſyllabam tantùm acuat, primam verò quum proprium nomen habetur, nullam tamen ſubit dictio, celebris ſignificationis jacturam. Quidam Galeni biographi annotaverunt quædam nomina adjectivè, aut appellativè uſurpata eſſe oxytona, ut Γαληνὸς, Βουλὸς, Ἀδελφὸς, etiam Γλαυκὸς, χρυσὸς, ἀργὸς, quæ ſingula quum propria habentur nomina proparaxytona eſſe, qualia hæc polyſillaba, Γαληνὸς, Βούλος, Ἀδελφὸς. Verùm hæc Grammaticis, ut quæ ad inſtitutum noſtrum nihil conferant, reliquimus, quorum leges ſæpenumero ab authoribus abrogantur. Nam apud Suidam, & quos legimus cæteros, & adjectivè, & appellativè, & proprie ſumptum nomen Γαληνός oxytonum perpetuò compertum eſt. Enimvero Γαλήνὸς, ἢ γαλήνη non à vocabulo γαλὰ, imò potius à γελάω derivatur. Nec mehercule injuria. Nam ut nautis periclitantibus maris tempeſtas crebrò lacrymas, ità iiſdem in tuto navigantibus tranquillitas ſerenam faciem, ac riſum promovet. Γαλήνη maris νηνεμία ventorum tranquillitas eſt, quà mare placidum, ventis, ac fluctibus conquieſcit, inde ortum adagium, *ex tempeſtatibus tranquillitas*, quod de iis affertur qui gravia, ac moleſta effugere, & quibus res proſperrime ſublatis obſtaculis ſuccedunt. Hinc Xanthias Ariſtophanis.

Bono animo es; nam bene nobiſcum agitur; & idem nobis, quod Hegelocho dicere licet; è fluctibus ſerenitatem conſpicor. Γαλήνη quoque metaphoricè de vultus ſerenitate, & hilaritate explicatur, quam medicos decere dictat ſenex, quos temperatos eſſe præcipit, quique hilari, ac ſerena facie ægrum conſolentur. Age verò prænomen Galeno datum perquiramus, & exploremus. Claudium Galenum plerique vocitant; Sylvius, Linacer, Mirandula, Andernacus, aliique viri præſtantiſſimi ipſius interpretes. Nos quoque in quibuſdam manuſcriptis Galeni commentariis quos è Bibliotheca Regia conceſſos revolvimus, hocce prænomine Claudio Galenum nominatum eſſe conſpeximus. Verùm ipſe Galenus pleriſque in locis nomen ſuum meminit, nominavitque, ſed Claudium prænomen aut ſilentio condidit, aut minimè novit. At Romani Liberi omnes dumtaxat honoris cauſa ſuis nominibus prænomina præmittere conſueverunt, qui mos Græcis cæteriſque populis non uſitatus eſt. Quare Galeno honoris gratia prænomen illud à Romanis datum fuiſſe auguramur. Cæterum hæc ſingula nomina Claudius Galenus, tranquillus, ſerenus, quibus princeps noſter donatus eſt, præſtantiſſimis, ac illuſtriſſimis viris, Regibus, ac Imperatoribus, prius ac poſterius, data fuiſſe omnibus innotuit. Aſiam tertiam terræ partem Geographi delineaverunt, quæquam ampliſſima variis regionibus, & climatibus circumſcribatur, varias quoque temperaturas ſortiri, proindeque homines magnitudine, forma, & moribus diverſos parturire, ac alere neceſſe eſt. Hinc ad dilucidiorem plagæ dignotionem duplicem ipſi Aſiam definierunt, alteram majorem, alteram minorem. Hæc autem ipſa eſt, cujus deſcriptio ab Hippocrate magis, quam à quovis Geometra traditur Libro de aere, locis, & aquis; unde hæ depromptæ ſunt ſententiæ. Aſiam ab Europa plurimum differre dico ſecundum naturas, tum eorum omnium quæ è terra producuntur, tum hominum: Longe enim pulchriora, & majora omnia in Aſia gignuntur, regioque ipſa hac noſtra mitior, & hominum mores humaniores, & benigniores. Cauſa verò horum eſt tempeſtatum anni temperatio. At in ipſa Aſia Pergamus inſignis Urbs ita dicta, quod in edita rupe ſita ſit. Pergamum Jones Urbem, alii verò excelſa omnia vocitant. Suidas in vita Oribaſii. Ex hac autem famoſa urbe Pergamo viri illuſtriſſimi orti ſunt; Galenus noſter Medicorum clariſſimus, Apollodorus rhetor, & Auguſti præceptor, Dionyſius Atticus hujus diſcipulus, & Oribaſius Medicinæ Princeps, quem ob patriam Galeni nomine inſignitam Romæ quamprimum, aliiſque in locis magnam gloriam, & exiſtimationem ſibi comparaſſe memoriæ prodit Eunapius. Quod autem Galenus hujuſce Pergami fuerit ſoboles multi hiſtoriographi, multique Medici ſcriptis prodierunt. Ac primum id teſtatur vulgatum Galeni agnomen quo Pergamenum Galenum omnes appellitant, quoque omnium ejus operum titulus præfigitur, ac inſcribitur. Deinde vero ſelectæ quinque ex Galeni monumentis ſententiæ jamjam in medium adducendæ, quibus ipſe teſtis propriæ genealogiæ locupletiſſimus, tum Aſiaticus, tum Pergamenus judicatur. Prima ſcribitur ſecundo de tuenda ſanitate libro, ubi temperatum ad pondus, ac commoderatum corpus in Aſia dumtaxat reperiri aſſerit. At hujus noſtræ regionis, quæ ampliſſimam habet latitudinem, quod in medio habetur, id ſanè temperatiſſimum eſt. Secunda verò libro quinto de ſanitate tuenda legitur, ubi vinum calidioris facultatis ſenibus exibendum eſſe conſulit; & quod Myſium vocatur, non ex ea Myſia, quæ ad Iſtrum eſt, ſed ex ea, quæ Helleſpontia dicitur, quæ in noſtra eſt Aſia Pergamo vicina. Tertia vero inſignis revolvitur libro primo de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, quum de emplaſtro albo ita eloquitur. Hoc medicamentum non ex iis eſt, quæ à me primum compoſita ſunt, ſed jam ante multos annos à Rege noſtro Pergamenſibus imperante Attalo, viro cujuſcumque generis medicamentorum ſtudioſo. Quarta deinceps ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos libro, ita editur; nam & frigidorum fontium, & nivis multa Romæ eſt ubertas, quemadmodum apud nos Pergami, & plurimis Aſiæ Græciæque civitatibus. Ex eodem volumine quinta hæc ac poſtrema educitur ſententia. Noſtrum Pergamenum atramentum ſcriptorium præcellit. Ad hæc Suidas Galenum celeberrimum Medicum Pergamenum appellitat, imò omnes tum Medici, tum Philoſophi Pergamenum Galenum communi ſuffragio denominant. Taceant itaque quotquot aut hiſtoriarum, aut Geographiæ, aut Doctrinæ Galenicæ ignari, Galenum neque Aſiaticum, neque Pergamenum eſſe temerè pronunciant. Hæc autem Pergamus Aſiæ Civitas nobiliſſima, ingeniorumque optimorum altrix extitit, quæ diù ſub regibus Attalicæ familiæ floruit, poſteà verò Romanorum legibus paruit, civitas, inquam, ampliſſima, quæ quadraginta civium millia complectebatur alebatque, in regione temperatiſſima, Myſiæque vicina, à qua merito ſe oriundum eſſe Galenus gloriabatur. Civitatis hujus meminit Divus Joannes in Apocalypſi. Pergamenum autem vulgo dictum, aut Pergamenam membranam Pergami, vel Cumenes, vel Attalus primus inveniſſe dicitur, cujus beneficiò hominum res conceptæ, & actæ conſervantur. In hac itaque celeberrima civitate, vitæ & doctrinæ ortum ſortitus eſt Galenus, ubi percelebre Eſculapii Dei Medici fanum fuiſſe conſtat, quò quæcumque experimentis, & obſervationibus in ægrotantium curationibus inventa fuiſſent remedia deferebantur, & in cujus ambitû ſcripta veluti præcepta ac divina oracula religiosè ſervabantur.

Præclarè concinit Euripides. *Haud liberis eò eſt decus præſtantius, Parente quàm è probiſſimo natos eſſe.*

Te itaque ampliſſimis honoribus beatiſſimum amplectimur (*ò Galene*), quod tibi à natura, aut à Deo probum honeſtùmque parentem fueris conſequutus. Hippocrates legem tulit quâ ſanxit præſtantiſſimum Medicum eum evaſurum, qui ducem naturam fortunatam ſibi comparaverit. Sic autem effatur Medicorum omnium præſtantiſſimus; Primum igitur omnium naturâ opus eſt. Naturâ namque repugnante irrita ſunt omnia; naturâ verò ad optimum deducente, artis doctrina oboritur. Enimverò Galenus in climate, ac loco omnium temperatiſſimo in lucem eſt editus, ſed quem temperatiſſimus, & virtutibus univerſis cumulatiſſimus pater procreavit. Niconem eum vocitant germanum Galeni patrem generoſæ ac nobiliſſimæ familiæ, Pergami ſobolem, ac civem opulentum, juſtitia, frugalitate, temperantia, & clementia inſignem, ab omni iracundia alienum, liberalem, modeſtum, & omninò optimum virum, ac probis omnibus admirationem moventem, ut qui nullius rei jactura aut interitu commoveretur, ſed adverſus omnia, quæ adverſa fortuna mortalibus in vita obſervantur fortiſſimus, ac imperterritus inſurgeret, qui gloriam, honorem, ac divitias ſperneret; qui ſolam ac nudam veritatem amplecteretur rebuſque omnibus præponeret, iiſque

iiſque virtutibus ac moribus filium ſuum inſtitueret. Is Græcæ linguæ peritiſſimus extitit, eamque ad amuſſim ità comparavit, ut Græcas literas non citra ſplendorem edocuerit; Is variis diſciplinis humanioribus, philoſophicis, ac mathematicis fuit deditus. Is callebat Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam, potiſſimumque Architecturam, ut Pergami Architecti munere fungeretur. Is denique præſertim in ſenectute rei ruſticæ ſtudioſus operam navavit. Quibus pleriſque artibus avus quoque, & proavus Galeni non paululùm eruditi fuerant. Quum autem jam adoleſcentiam ingreſſus Galenus, doctrinæ ſtudiis ardentius, quam cæteri condiſcipuli interdiù, noctuque operam daret, pater in agrum agriculturæ ſtudio conceſſit; ubi quum jam ætate inclinante agricultura delectaretur, triticum, & hordeum aliquandò ſeminavit, omnibus diverſi generis ſeminibus, quæ ipſis erant admixta ſecretis, quò certè agnoſceret, num ex ipſorum mutatione lolium & ægilops naſcerentur, an propriam hæc quoque ſemina naturam retinerent. Idem aliquando adipem, & oleum recondit, ut illis quam antiquiſſimis aliquando uti liceret. At ut familiæ ſuæ de ſalubribus edulüs proſpiceret, ſemina, & fructus aliquot (ut amigdala, juglandes, avellanas, diverſa legumina, triticum) in aqua prius macerare, aut elixare ſolebat, ut inde, an intumeſcerent, & quantum, & quàm citò perciperet, atque ita de eorum ſalubritate ſtatueret. In unoquoque enim ſeminum generum alia quidem (pro ſoli natura, aliiſque cauſis diverſis) coqui & intumeſcere facilè ſolent, alia difficilè, hæc minus, illa magis ſalubria ſunt. Narrat Galenus parentem ſuum conſueviſſe vina debilia ab acore conſervare in cellis vinariis atque lagenis ſtabe multa calida obtectis. Vita autem functus eſt Nico, quum annum propè vigeſimum Galenus ageret. Mater autem licèt in ancillas, ac maritum quoque ardentiori ac frequentiore iracundia percelleretur, mulier tamen pudica, & de re familiari adaugenda, ac ſervanda ſolicita plurimum commendabatur. De parentibus autem propriis hæc Galenus. At magnam felicitatem adeptus ſum, quod patrem ab omni iracundia alienum, & juſtiſſimum, & optimum, & humaniſſimum ſortiar: At matrem habui adeò iracundam, ut interdum etiam ancillas morderet, ſemper autem & vociferaretur, & contenderet cum patre, ac magis, quam Xantippe illa cum Socrate. Hæc de parentibus Galeni vita, ac moribus dixiſſe ſatis.

Ex Hippocratis lege lata futuro Medico præſtantiſſimo pædomathia puerilisve inſtitutio ſancita eſt. Hæc enim tempeſtivæ ſationi, quam induſtrius agricola molitur, reſpondet. Si etenim in aratum arvum opportunè electa ſemina cadant, agriculturæ aderit feracitas, ac felicitas. Quod quā ſapienter animadverteret Nico Galenum ſuum ad ſapientiam ac Medicinam evecturus, prima primum elegit præcepta, & priores artes, ac ſcientias quibus decoratus adoleſcens facilius ac tutius ad Philoſophiam promoveretur. Itaque Nico tum pater temperatiſſimus, tum præceptor ſapientiſſimus Galeni extitit, proindeque literas omnes Græcas filium pater docuit, ac artes, quæ congruè; & ornatè, & cum ratione hominem loqui efficiunt, Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam, quas planè ignorabant medici Romani, qui Galeni temporibus medicam artem profitebantur, in quos frequentius invehitur. At quum Grammaticam proferimus, non eam dumtaxat, quæ ex literis ſyllabas, ex ſyllabis dictiones, & ex dictionibus congruam orationem conſtruit, intelligimus; verùm etiam artem poëticam, mythologiam, & hiſtoriam. Artem etenim adeptus eſt poëticam, & poëtas legit, qui varios verſus, multaſque poëtarum ſententias ſuis ſcriptis paſſim inſeruit, qui de poëtis ſuam profert ſententiam, qui poëtas delectare, ac auditores attonitos reddere, non idoneas ſæpe metaphoras uſurpare, argumentis ſophiſmatis conſimilia canere, iiſque nullam aut per exiguam probandi fidem ineſſe pronunciat. Nam ejuſmodi de poëtis tulit judicium Galenus in pleriſque libris, quemadmodum tertio de uſu partium, tertio de differentiis pulſuum, ſecundo de decretis Hippocratis, & Platonis. Imò in pleriſque commentariis, ut documentorum ſuorum fidem conſtruat, multos poëtas, maximè vero Homerum, Heſiodū, Pindarū, Ariſtolochū Euripidem, Sophoclem, Ariſtophanem, & Cleanthem commemorat, eorumque verſus, odas ac hymnos recinit. Hiſtoriam autem an minimè novit Galenus, qui ipſam medico neceſſariam eſſe commentario in tertium Epidemiorum profert? qui eam ut rerum antè actarum theſaurum ubique extollit? qui multas paſſim refert hiſtorias? Quas autem Mathematicas diſciplinas Galenum Nico parens docuit, eas prius ex Hippocrate didicerat Medico medenti fore neceſſarias, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, & Aſtrologiam, quas tanti duxit Galenus, ut qui in his minimè verſati ſunt, eos & ad Philoſophiam, & ad Medicinam, & alias ſublimiores ſcientias adipiſcendas tanquam aſinos ad Lyram accedere protulerit. Hippocrates Theſſalum filium ſuum ad Geometriæ & Arithmeticæ cognitionem ineundam pulcra Epiſtola adhortatur, tum ut gloriam, & uberiorem utilitatem, & acutiorem, ac dilucidiorem mentem ſibi comparet, tum ut affectuum dignotionem ineat, varios variorum affectuum, & febrium circuitus, mutationes, criſes, & curationes deprehendat. Imprimis itaque quod adagium ad rerum omnium ignaros refertur, id Galenum prorſus non læſit; (*haut numeros novit*) Arithmeticam etenim novit Medicorū ſapientiſſimus, quam nobilem, quā principem ſcientiam appellitat; cui architecturam, & aſtronomiam inniti aſſerit, quam adoleſcentum exercitationem eſſe prodit, cujus profeſſores apud Deum Mercurium primum chorum occupare in ſuaſoria ad artes oratione ampliſſimè ratiocinatur. Geometriam didicit Galenus qui ipſam ſcientiam nobilem, ac principem eſſe contendit, eamque quamplurimum ad artem medendi conferre ſcribit libro, qui inſcribitur optimum Medicum, eundem, & philoſophum eſſe, & ante medicamenta ediſcendam, in methodo medendi. Præclarè Philo, lactea animæ alimenta eſſe liberalis Muſices rudimenta, & ſapientiæ famulam appellat Muſicam; quam nobilem ſcientiam ante Medicinam ediſcendam Galenus per initia libri primi methodi percelebrat; quam in corde ſedem habere narrat author libri anatomes vivorum ſuperſtitis, ubi inter duos continuos motus ſyſtolen, & diaſtolen, quietem intercidere edocet, ubi muſica comperitur; quam denique ut & cæteras mathematicas diſciplinas Galenum didiciſſe ex propriis ipſius commentariis innoteſcit. Hippocrates, Aſtronomiam non minimum, ſed quam plurimum ad artem medendi conferre ſancivit, quam ſententiam in epidemiis, aliiſque operibus, ubi utrumque ſolſtitium, & occaſum meminit, veriſſimam eſſe comprobavit. Proinde non temerè Nico ſuum Galenum aſtronomiam docuit, quam ad medendi artem neceſſariam eſſe animadvertit, quamque nobilem ſcientiam, imò, ut Philo loquitur ſcientiarum reginam, ac Medicinæ prædiſcendam Galenus ipſe aſſeverat. Quum au-

tem architecturæ potiſſimum incumberet Nico, ipſam artem Galenum ſuum quoque docuiſſe rationi conſentaneum eſt, quam & arithmeticæ, & geometriæ inniti Galenus ipſe ſcripſerit, & architectos in ſecunda prope Mercurium ſede locaverit, rationalesque eſſe protulerit. Quod etiam innotuit ex comparatione architecti ædificatoribus ſibi inferioribus plurimis imperantis, cum Medico multis quoque, ac diverſis ſibi ſubjectis imperante, quam commentario ſexti Epidemiorum in medium protulit. Ad eam Architecturam intelligimus, quam Vitruvius ſcientiam definit pluribus diſciplinis, & variis eruditionibus ornatam, ac concomitatam, cujus participes ſoli ſunt geometræ, muſici, arithmetici, philoſophi, hiſtorici, Juriſconſulti, ac Medici.

Sapienter Philo. Equidem ſi quis vir plures linguas didicerit, quamprimum peritus admirandus eſt. Hinc δίγλωττος veteribus qui duas callebat linguas, miraculum videbatur. Admiremur itaque Galenum qui plurimarum linguarum cognitionem adeptus eſt; primum autem accuratius Jonicæ, ac Atticæ, parcius verò Doricæ & Eolicæ. Quod autem Jonicam linguam abunde calluerit Galenus, tum quæ de Jonicis dialectis prout pollicitus eſt commentaria edidit; tum doctrina Hippocratica Jonicè tradita, & ab eo exculta, & quæ exoletorum Hippocratis vocabulorum exegeſis poſteris ſacrata eſt, luculentam fidem faciunt. At communem dialectum ſive linguam ſibi propriam elegit Galenus, ac ſervare ſtuduit, neque in ejus leges quicquam committere, neque patrare, hancque Atticorum unam eſſe profert, Attica forſan perfectiorem, quod Athenienſium lingua multas induerit mutationes, multumque Galeni tempore à proprietate deciderit. An verò Romanam linguam agnovit Galenus? Per Romanam Linguam interdum Latinam, interdum Italicam vulgarem intelligimus. At utramque noviſſe Galenum ſua moſtent monumenta, in quibus primam multæ compoſitorum medicamentorum ſpecies comperiuntur, quas ex Latino ſermone in Græcum tranſlatas edidit, è Largo, Antonio, Muſa, aliiſque Romanis Medics depromptas. Deinde verò quum Romæ multos annos commoratus ſit Galenus, Medicorumque Romanorum conſuetudine, & conſultationibus uſus, & plurimos inſignes viros Latinitatis nectare præditos ægrotantes curandos ſuſceperit, rationi conſentaneum eſt ipſum tum Latinè, tum Italicè aut utroque ſermone loquutum fuiſſe; imò pleriſque in Galenicis contextibus quædam comperiuntur vocabula, quæ Latina Græcè comperta ſunt. Quidam tamen objiciunt Galenum Latinas dialectos ignoraſſe, tum quod ipſe Romam jam ætate provectior acceſſiſſet, illicque lucubrandi, & medendi muneribus addictus tantopere fuiſſet, ut latinæ loquutioni animum intendere ipſi tempus non conceſſerit; tum quod nihil ad hoc opus Grammaticum obeundum noſtrum Archiatrum impuliſſet, quia perpauca aut nulla philoſophica ac medica commentaria Latinè conſtructa aderant, quæ ex Græcorum operibus non fuiſſent excerpta, cæteras verò Linguas barbaras æſtimabat Galenus, ſolaſque Græcas colebat. Reſpondemus haſce rationes irritas eſſe, neque tantum virum tanto ingenio exornatum, tanto diſcendi ſtudio raptum, tam fecunda ac fauſta memoria donatum, Romanæ Linguæ aut etiam aliarum imperitia convincere. Perſicam prætera linguam, & Ethiopica ſe didiciſſe divulgat Galenus, qui Perſicam Ethiopicam meliorem eſſe judicium tulit. Cæterùm diverſarum Linguarum cognitionem quatuor conſequuntur, ἡ φιλία, κοινωνία, συνήθεια, καὶ διδασκαλία. Non itaque mirum eſt ſi quamplurimos Romæ, aliiſque in Regionibus amicos ſibi conciliavit Galenus, ſi cum viris virtute, authoritate ac divitiis Locupletioribus ſocietatem ac conſuetudinem τῷ ὁμοιογλώσσῳ inierit, ſi tantam ſcientiarum ac doctrinæ ubertatem accumulaverit. Verum Græcam ſibi vernaculam ac natalitiam Linguam cæteris omnibus prætulit à patre (quem doctorem, ac pædagoſum Græcum fuiſſe publicat.) comparatum, ac cæteras prope omnes, potiſſimumque Septentrionalium barbaras appellavit,& brutorum linguis comparavit,quod aliæ porcorũ, aliæ ranarum, aliæ graculorũ,vel corvorũ Linguas repræſentẽt,quas propterea rudes, ac inhumanas vocitat, Græcam vero omnium jucundiſſimam,humaniſſimã, & ornatiſſimã, cujus vocabulis ſenſus maximè explicatur, mens alterius percipitur, ac ſcientiæ omnes facillimè diſcuntur, ac edocentur. Notant Biographi Galenum tanta linguæ puritate excelluiſſe, ut nunquam barbariſmum, vel ſolæciſmum, vel minus benè, vel propriè dictum cuiquam obiecerit, aut ſcripſerit; proindeque ſe rerum, ac verborum ſtudioſiſſimum fuiſſe paſſim prodiderit. Galenum ſuorum ſtudiorum teſtem locupletiſſimum quicumque vel philoſophiam, vel medicinam, vel utramque conſequi deſiderant, hiſce verbis ita eloquentẽ percipiant, ut aliquis Philoſophiæ ac Medicinæ ſpeculationes probè ediſcat; ipſum duo ſortiri neceſſẽ eſt. Primum, eum ingenioſum,& memorèm,& laborioſum eſſe oportet,alterum eandẽ ſortitum felicitatem,quæ nobis obtigit,qui ſub patre docti, arithmetica, geometrica, gramaticaqueſumus inſtituti; in hiſque humanioribus diſciplinis aduſque decimum quintum ætatis annum enutriti, ad dialecticam tandem ab illo comtemplationem, ut ſoli deincèps philoſophiæ vacaremus, perducti ſumus. Cur autem diſſerendi partem Galenus ante cæteras ſubilimiores philoſophiæ partes Ethicam, Phyſicam, & Metaphyſicam ſtudio proſequutus eſt? Primum ut præſidia & propugnacula adverſus ſophiſticas fallacias ſibi compararet. Philo Logicam, agri ſepi, & maceriæ comparabat. Quemadmodum enim maceria fructus agri ſtirpeſque conſervat, & ab incidentium incurſionibus tuetur, ita logica tutiſſimum eſt cæterarum philoſophiæ partium præſidium. Deinde quo acutiori animo donatus ſolidis, ac certis veritatis ſermonibus ad altiora clariſſimus promoveretur. Quemadmodum inquit, nemo Olimpia vincere poteſt, niſi prius multo tempore ſit exercitatus: ſic in veritatis ſermonibus nemo clarus evadet, niſi etiam Luctas Logicas didicerit. Qui namque Logicam ſcientiam ignorantes naturali prius ſpeculationi, quam Logicæ incumbunt, eos & in fallaces hominum argumentationes ac ſophiſmata periculoſè lapſuros, de evidentibus tanquàm ſenſu, ac judicio ſpoliatos diſſerere Medicinæ coryphæus profert imò quum Athenæum erroris damnat & alios cum Athenæo in errorem labi prohibet, morborum dignotioni, & curationi obfuturos, teſtatur Deos citra opem Logicæ diſciplinæ accuratum aliquod decretum conſtituere poſſe neminem. Hoc autem ratiocinandi organo armatus Galenus tantopere claruit, ut coævis ſuis præſtantioribus Medicis,qui eo præſidio deſtituti neque probe definire, neque dividere, aut diſtinguere noverãt, ac proinde in ſophiſmatum, ac errorum Scyllam, & Caribdim irruebant præcipites,palmam præriperet. At ex Logicis operibus, quæ quamplurima Libro de Libris propriis ſe conſcripſiſſe ipſe refert Galenus, & quorum quædam quo tempore pacis templum conflagravit, perierunt, quædam verò adverſa ſorte, aut temporis injuriis, ſapientum damno poſteris

teris erepta ad nos non pervenerunt, eorum demonſtratione quindecim jactura digna lacrymis facta eſt, quæ plerique Græci Ariſtotelis interpretes, qualis Philoponus, & Arabes multi, ut Meſueus & Averroës maximis laudibus evehunt. Quod autem decrevit, ac ſtatuit bonorum omnium author ab omnibus habitus Hippocrates, id Galenus pro aris foci ſque tuetur. Ille Medicum, Philoſophum aut ſapientem Deo æqualem, & quæ ad ſapientiam requirunrur, ea in medendi arte eſſe univerſa, eandemque viam tum ad ſapientiam, tum ad Medicinam ſtudioſè conterendam eſſe protulit. Eam autem viam Philoſophiam intelligimus, quam divinorum bonorum maximum, omniumque artium parentem Pergamenus præceptor appellavit; hâc iter Elyſium Medicum Galeno, & omnibus Philiatris. Nam quod de Regibus vulgo dicebatur, aut Reges philoſophentur, aut Philoſophi imperent; id de medendi artificibus proferimus, aut Medici philoſophentur, aut Philoſophi Medicinam exerceant. Verum quamplurimas oppoſitis dogmatis inter ſe digladiantes ſectas contemplamur, quæ ſtudioſo noſtro Philoſophiæ candidato ſectandæ quamprimum occurſant. Ac primùm generales quatuor ſeſe proferunt, Stoica, Sceptica, Criſtica, & Mixta. Stoica cæteris ſtabilior quibuſdam firmis ratiſque fulta dogmatis, quædam conſtanter concedebat, quædam impugnabat, ac propellebat. Sceptica, ſeù Pyrrhonia de omnibus inquirit, ac de ſingulis dubitat, neque quicquam definit, decernitve, proindeque res ex æquo indifferentes, ſuſpenſas, ac indeterminatas relinquit. Criſtica ſeu contentioſa ſophiſmatis in concertationibus eſſe ſolet. Mixta denique quibuſdam in decretis collocata eſt, ac de multis dubitat, neque ut ea approbet, diſſerit. Deinde verò ad has aut illas propius, aut remotius accedunt aliæ multæ, Academica, Peripatetica, Epicurea, Cirenaica, Crytriaca, Celectica, & quæ duo prima omnium Philoſophiæ genera prædicantur Jonicum, & Italicum. At quænam eſt omnium præſtantiſſima, quam Galenus ſectaturus eſt? Reſpondet præceptor in Philoſophia quemque ſectam ſibi aliquam eligere Platonicam, Peripateticam aut Stoicam, aut Epicuream; & pleroſque eam profiteri in qua fuerunt à pueris enutriti, maxime vero quum jam aliam vitæ formam quam ſequantur, habeant nullam. Ille verò non in ſola Philoſophia conſeneſcere, ſed & in ſapientia, ac Medicina commorari, ac commori, imò vivere ſibi proponebat, propterea ut ſcientiarum omnium avidus, opinionum ac dogmatum æquiſſimus, & ſapientiſſimus arbiter evaderet, nullius addictus jurare in verba magiſtri, ſectas quidem omnes adhortante patre ſcriptis aut præceptoribus percepit, & quæcunque in iis meliora, & rationi magis conſona condiebantur, animo amplexatus eſt, adeo ut veluti Celecticus Philoſophus habebatur. Sectas autem omnes Galenum noviſſe produnt ſacratæ poſteritati ejus Lucubrationes. Primum enim adoleſcens Stoicam dogmaticamve Philoſophiam ſtudio ſectatus eſt, eamque inprimis tum ex Chryſippi operibus, tum communicatis ſibi cujuſdam diſcipuli Philopatoris præceptis, parentis conſilio deprompſit, Idque triplici ratione peractum eſt. Primum quod Stoica Philoſophia certis quibusdam firmisque dogmatis niteretur, quibus conſtanter propoſita quæque ſibi conſona concedebat, diſſona vero improbabat proindeque mentem adoleſcentis nullis adhuc philoſophiæ dotibus, aut præceptis imbutam huc illuc aberrare non ſineret. Denique quò magis ac magis candidati animus acueretur, quod ea ſecta validis argutiſque argumentis ac rationibus ſua dogmata tueatur, ac contentioſam ſectam aut æmuletur, aut invehere ſtudeat, etſi minus accuratè in dialecticis Stoici, quam Peripatetici verſabantur. Qui namque optima, & perfectiſſima ſibi proponunt, ad ea enitendo, & aſpirando ſi minus finem propoſiti ſui, medium certè aut propiorem fini locum plerumque aſſequuntur. Poſtremò quo animi impetus ac perturbationes coercerentur, vagæque cupiditates quibus adoleſcentia ab optimo ac feliciſſimo vitæ ſtatu plerumque deturbatur, emendarentur, actiones commoderarentur, qui hominem divinum doceant, mores formarentur, ac perpetuus virtutis amor inflammaretur, perennique exercitatione foveatur. Scio improbari ſtoicos qui requirant ἀπάθειαν, quæ tamen quò ejus ſtudio ad μετριοπάθειαν perveniamus, præcipienda fuerit. Hâc autem in Philoſophia tantopere præcelluit, ut quamprimum adoleſcens de ea ſecta, ejuſque dogmatis tredecim ampliſſimos libros compoſuerit, quibus quidquid in Philoſophia Stoica verum, utile ac honeſtum didicit, id commendat, probatque; quicquid verò inutile, & rationi diſſentaneum, contentioſum, ac inutile, improbat, validiſque rationibus evincit. Nam quum multa, ea in Philoſophia paradoxa tum ſenſum, tum rationem fugientia ſophiſticis quibuſdam contentionibus debilius propugnata, litigioſeque invecta animadvertiſſet, Philoſophiam ipſam contentioſam, Stoicoſque in rebus utilibus inexercitatiſſimos, in inutilibus exercitatos, libris de Hippocratis, & Platonis decretis vocitavit. Deinde verò Platonicam didicit coluitque doctrinam, Platonemque omnium Philoſophorum eminentiſſimum, ac divinum Philoſophum appellitat, cujus authoritatem ſummam agnovit, tantique facit, ut eum cum Hippocrate, medicorumque omnium placitis præ cæteris conſentire, privatim dicato rei huic volumine liquidò oſtenderit. Quod autem Academicam Platonicamque Philoſophiam animo conceperit, ac etiam illuſtraverit, teſtantur tria ac triginta volumina, quæ ad Platonicam hanc diſciplinam ſpectantia poſteris reliquit, quorum quædam temporis injuria perierunt. Ut autem huic Academicæ Philoſophiæ incumberet, Caium præceptorem habuit Platonicæ diſciplinæ Profeſſorem, quum is à civibus ſuis ad Rempublicam minus traheretur, optimum ſanè virum, manſuetum, & aditu facilem, quique Pergami ſolus ferè juſti, & pecuniis invicti exiſtimationem ſuſtineret. At licèt Platonem maximis encomiis evehat Galenus, ejuſque doctrinam amplexus ſit, quibuſdam tamen in operibus erroris ac negligentiæ divinum Platonem arguit, maximè verò quum reſpirationem & perſpirationem ipſum confundere; quum calorem nativum pravè ignem appellare; quum unguium uſum malè munimentum eſſe; quum aeris exuperantia febres quotidianas; ex aquæ verò tertianas, ex ignis continuas oboriri, & conſimilia dogmata erronea edidiſſe protulit. Præterea apud Galenum legimus Ariſtotelem ſolum veritatis oſtenſorem vocari; ejuſque ſcripta phyſiologiæ Hippocratis eſſe commentarios, ipſumque Ariſtotelem tum Hippocratis, tum Platonis germanum eſſe interpretem. Quare quamprimum Nico curavit filium ſuum Peripateticam Philoſophiam ediſcere, cui quò facilius incumberet, civem quendam Pergamenum, Aſpaſii Peripatetici diſcipulum accerſivit, qui poſt longam peregrinationem domum redierat, non minus in Ariſtotelica diſciplina, quam in morum probitate verſatus. Galenus huic diſ-

ciplinæ Ariſtotelicæ ſic animum adhibuit, ut viginti novem commentarios in Ariſtotelis Libros conſcripſerit, quos ipſe in tractatù de libris propriis recenſet. Veruntamen Galenus in Ariſtotelica Philoſophia tantopere prævaluit, ut Ariſtotelem præceptorem multis in dogmatis cæcutire notet. Primum quod triplicem facultatem naturalem, vitalem, & animalem in corde ſitum habere conſtituerit; quod vaſorum ſpermaticorum conjunctionem in mulieribus ignoraverit; quod unde ſomnus fieret non perceperit; quod confusè de nervis, & indiſtinctè tractaverit; quod cor temperamento frigidum poſuerit; quod cor ſanguinis & venarum, tum nervorum, ac motus voluntarii, tum ſenſus principium eſſe duxerit; quod caloris cordis refrigerandi cauſa cerebrum procreatum eſſe cenſuerit, & quamplurima alia dogmata à rei veritate aliena prodiderit, quæ Galenus doctrinæ acie, & rationibus oppugnat, & evincit. Age verò Epicuream Philoſophiam, quæ ſummum bonum, aut hominis felicitatem in ſola voluptate, vel ut Plutarchus ſcribit in altiſſima quiete, tanquam in portù ab undis tuto ac ſilente collocat. Galenum ſuum haud ignorare contendebat Nico clariſſimus, qui Athenis ad proprios Lares, aut ad urbem ſuam Epicureum quendam Philoſophum, tum in Epicurea Philoſophia, tum in morum probitate præſtantiſſimum accercivit, cujus documentis Galenus Epicuream illam Philoſophiam ità ſibi propriam adaptavit, ut quamprimum quæcumque in ea animadvertit, rei veritate, & rationi analoga laudibus evexerit, contraria vero erronea multis voluminibus improbaverit, octo namque commemorat volumina ſe ſe conſcripſiſſe, quæ ad Epicuream Philoſophiam ſpectabant, aut Epicureorum errores arguebant. Conſtat itaque Galenum adoleſcentem a Stoicis virtutum ac morum ſtudia, à Platonicis rerum divinarū cognitionē, Phyſicā ſpeculationem & ab Epicureis poſitam in voluptate felicitatē potiſſimum adeptum fuiſſe, quamvis à Peripateticis cæteras etam philoſophiæ partes ab his omnibus, ſed diverſis docendi modis didicerit. Philo Judeus Philoſophiam agro, agrique ſepimento Logicam, arboribus Phiſyologiam, fructibus Ethicam comparabat. Quis autem hujus agri cultorem Galenum beatiſſimis moralis Philoſophiæ fructibus locupletatum non admirabitur, qui tot Ethices authores legit, tot præceptores audivit, tot Ethica præcepta condidit tot ampliſſimos Moralis Philoſophiæ commentarios in lucem edidit. Quatuor enim, & trigenta libros ad Moralem Philoſophiam ſpectantes ab eo conſtructos numeravimus. Phyſicam denique Galenum didiciſſe nemo negabit Medicus qui tantillum temporis Galeni volumina evolverit, quibus Phyſicam exordium aditumque Medicinæ & Phyſicam priuſquam medendi artem addiſcendam eſſe ipſe præceptor edocet, qui niſi prius naturalia innoteſcant, quæ præter naturam ſunt haud innoteſcere profitetur qui Phyſicam Medicinæ, & Medico neceſſariam eſſe publicavit; qui huic diſciplinæ ſe operam navaſſe loquitur? quod hujus penuria artificioſum aliquod opus inveniri nequeat. Quas ob res Galenum Pergamenum Logicum, Ethicum, Phyſicum, imo univerſæ Philoſophiæ ἀφεγδήτην καὶ λύεγον, præterea ἰατρὸν φιλόσοφον ac proinde ἰσόθεον eſſe concludimus.

Quatuor Galenum ad medendi artem promoverunt divinum numen, paternum imperium, Medicinæ nobilitas, & rerum ad Medicinam conſequendam neceſſariarum concurſus. Primum enim divinum numen eſt, quod ſomnium, divinitus, ac cælitùs miſſum Niconem adhortatus eſt, ut filium ejus ad Medicinam deduceret. Atque hujuſce rei fidem faciunt quæ ab ejus eloquentia verba profluunt. *Annum poſtea decimum ſeptimum agentem claris ſomniis monitus pater me movit, ut medicinam ſimul cum Philoſophia adiſcerem; At etiam talem ego felicitatem ſortitus, quod celerius cæteris omnibus quæcumque docebar ediſcerem, niſi tamen per univerſam meam vitam in illis tum Medicinæ, tum philoſophiæ theorematis me exercuiſſem, nihil magnum arduumque noviſſem.* Deinde verò in eo paternum imperium deprehenditur, ubi Galeno denuntiavit pater omnium, quo cælitus miſſo filium ad artem medendi duci imperabatur. Parentes hèrcle magna ſunt numina prudentibus, quibus tam proſpera incidunt imperia. Ad hæc quæ verè bona, quæ pulchra quæ nobilia, divina & neceſſaria ſunt, à prudentibus per ſe expetuntur, indagantur, comparantur. Medicinam autem omnium artium nobiliſſimam ſapientia excultam eſſe tradit Medicorum ſapientiſſimus Hippocrates; omnium ſcientiarum præſtantiſſimam, neceſſariam, divinam ab Eſculapio ad hominum ſalutem, & ad uſum vitæ inventam agnovit, & publicavit Galenus, à Deo deniqne potentiſſimo procreatam divulgat Eccleſiaſtes; cur itaque Galenus adoleſcens, omnibus Philoſophiæ dotibus adornatus ſapientiæque igniculis inflammatus Medicinam ſapientiæ amicam & ſororem ſtudio non proſequeretur. Poſtremo denique philiatro cuique ut Medicinam conſequatur tria in ipſum concurrant neceſſe eſt, idonea natura, puerilis inſtitutio, & perpetuum ſtudium. Quæ tria in Galeno comperta eſſe tum ipſe fatetur, tum ejus monumenta ampliſſimè declarant; pleriſque tamen Medicinam profitentibus omnino denegata, quemadmodum hiſce verbis ipſe teſtatur. *At id minimè mirum eſt cur magna hominum tum Medicinam, tum Philoſophiam profitentium multitudo in earum neutra rectè, ac feliciter proficiant; aut enim non idoneam naturam ſortiti ſunt, aut non ut decebat ſunt inſtituti, aut non in exercitationibus remanſerunt, aut ad civilia negotia digreſſi ſunt.* Cum his autem tribus, quartum etiam concurrere neceſſe eſt, facultatum ſuppeditationem, quarum penuriâ, philoſophari, ſapere, ac mederi nemo poteſt. At Galenus ſibi omnia ad vitæ uſum neceſſaria à parente Nicone ſuppeditata fuiſſe multoties paternorum beneficiorum memor teſtatur, ſuaſque facultates hiſcè ſententiis ſatis commemorat. *Hunc primum illarum quæ poſſidentur divitiarum finem pater ſtatuebat, non eſurire, non algere, non ſitim perpeti; quod ſi cui plura, quam horum uſus poſtulat, fuerint, iis ſanè utatur ad res honeſtas agendas. Mihi autem adhuc tantus pecuniarum ſupereſt uſus, ut ea etiam ad ejuſmodi probas actiones ſuppetant.* Galenum tanquam ſtrenuum Argaunautam ſpeculamini, qui quo medendi arte illuſtraretur, ipſamque Medicinam Medicorum Coryphæus ac princeps illuſtraret, libros omnes veterum, & coævorum Medicorum ſtudioſè revoluit, præceptores quamplurimos audivit, varias ſcholas adivit, ſingulas Medicorum ſectas ſcrutatus eſt; multas regiones peragravit, mentem ſpeculationi, oculos & manus operibus adhibuit, adeout quod aureum vellus conquiſivit, ampliſſimè ſit adeptus. Quos itaque apud Xenophontem commendat Socrates, profuturos que auguratur theſauros ſapientum priſcorum, quos ipſi literis mandatos reliquerunt, evolvit Galenus, & quæcumque Medica, ac Philoſophica mens concepit, aut comperit, inde hæc exauſit univerſa. Sed quos, & quot authores, & quæ authorum opera Galenus revolvit? Multa hercle aut propè innumera

vix

vix ſub fidem prolabentia, quorum quædam in medium proferam unde phyſiologica, pathologica, ſemeiotica, hygieina, therapeutica, diætetica, chirurgica, pharmaceutica, & alia deprompſit. Prodeant itaque omnium authorum illuſtriſſimi quos in ſuis ac patriæ, Pergami, Alexandriæ, Romæ, cæteriſque inſignibus Bibliothecis comperit Galenus, Hippocrates, omnium tum priſcorum tum ſuccedentium Medicorum Princeps, & Hippocratis interpretes quamplurimi, Aeron Agrigentinus, auctor ſectæ Empiricæ, Andromachus Neronis Medicus memoria digniſſimus; Antigonus inſignis Medicus; Antipater Methodicæ ſectæ author; Antonius Muſa; Archigenes Apanæus Syrius, Methodicæ ſectæ author exercitatiſſimus; Eraſiſtratus Chius, author ſectæ rationalis, par dictus Hippocrati; Eudemus, qui reſtauravit Anatomen, & Herophilus poſt Hippocratem inſignis; Chryſippus proavus ſectæ Archigenis; Herophilus Chalcedonius author ſectæ Rationalis; Philinus Cous auctor ſectæ Empiricæ; Philotimus Medicus graviſſimus; Euriphon antiquus ſcriptor anatomiæ, cui Cnidiæ ſententiæ aſcriptæ ſunt; Heraclides Erytræus interpres ſexti Epidemiorum; Heraclides, & Zeuxis, qui omnia Hippocratis opera commentati ſunt; Leonides Alexandrinus Methodicæ ſectæ princeps; Menemachus Aphrodiſicus Methodicæ ſectæ auctor; Menodotus Empiricæ ſectæ auctor in libris ſuis longiſſimis; Metrodorus Hippocratis interpres; Mnaſias Methodicæ ſectæ auctor; Mneſitheus Athenienſis auctor ſectæ rationalis; Athenæus Pneumaticæ ſectæ auctor; Theſſalus filius Hippocratis; Polybus diſcipulus Hipppocratis; Praxagoras Cous Princeps ſectæ Rationalis, ejuſque diſcipulus Herophilus; Proclus Methodicæ ſectæ auctor; Serapio ex primis Empiricis unus; Soranus Epheſius in methodica ſecta princeps; Themiſon Laodiceus Syrius Methodicæ ſectæ auctor; Alexander Philalethes ejuſque diſcipulus Ariſtoxenus; Bacchius antiquus Empiricus; Carterus inſignis Medicus pharmaceuticus; Demetrius Bithynus in theriaca primarius; Eraſiſtratus Sicxonius; Heraclianus novus ſcriptor anatomes; Lycus interpres Hippocratis; Sextus Empiricus; Helius Hallus qui antidoto Cæſarem liberavit, Elius Gallus; Antiochus; Baſilius; Cajus Neapolitanus; Charicles; Cornelius; Epagathus Delicius; Euclides Palatianus; Nicodemus Romæ Medicus; Olympiacus Mileſius, Methodicæ ſectæ auctor; Pamphilus; Philiſtonicus antiquus Medicus; Harpocras; Herodotus; Lecanius Areus; Lyſias; Marcus Talentius Aſclepiades; Menecrates qui ante Andromachum extitit; Moſchio; Nicoſtratus; Paſicrates; Diocles; Theophanus; Teutas; Xenocrates; Elius Talius; Antigenes; Antonius Epicureus; Apollonius diſcipulus Hippocratis, Alderitanus; Apollonius Empiricus; Arathus Athenienſis; Aſclepiades Arius; Brevitus; Charixenes; Evergetes Ptolomæus; Herax Cappadox; Magnus Tarſenſis; Meneſteus; Nileus; Paccius Antiochus; Philiſtion unus ex primis Empiricis; Philiſtonicus graviſſimus; Poſſidonius; Tryphon Gortyniates; Eſopus Mantica; Agalhonius Alcetius; Antiochus Iſidorus; Apollonius Claudius; Biennius; Epigonus Eugenius; Erophilus graviſſimus; Ligorius; Marcus Gallus Aſclepiadæus; Philonides Siculus; Prodicus; Thelamon; Theſſalus; Trellianus; Teophilus; Theophraſtus; Scribonius Largus, Menetus; Menelaus; Maſſiliota Demoſthenes; Eunomus Aſclepiades; Agathius; Agrippa Julius; Antyrentinus; Hipparchus Hygienus; Macherio; Acrito; Agargeus; Agathocles; Anithao; Betinus; Cteſiphon; Ciclas Apollonius; Largus; Meliton; Elianus; Pelops, & Lycus, quorum diſſectio muſculorum in pretio habita eſt; Eſcrion Empiricus; Alcimion; Amatho; Amoro; Andronicus; Baſſus; Hieras Thebanus; Hipparchus; Arathus Athenienſis; Melitus; Menemon; Archelaus; Denique cæteri longè plurimi, quorum opera tum Medica, tum Philoſophica ſtudioſè perlegit Galenus, adeo ut tum librorum, tum Bibliothecarum vorax ſeu Bibliophagos appellari jure poſſit. Licèt verò librorum coemptionem comparationemque Galenus inter res egregias numeret; attamen eum non latuit libros, neque univerſa complecti, neque ſi deſint qui accuratè eos explicent, facilè intelligi, neque ad diſcendum præceptoribus eſſe meliores; neque idem à libro, & à viva voce condiſci. Quare tum paterno conſilio, cui nunquam reluctabatur, tum nativa, aut cœlitùs conceſſa genii providentia præceptores Empiricos, Dogmaticos, & Rationales conquiſivit. Primum enim annum ætatis agens decimum nonum, quendam Athenæi ſectatorem ſortitus eſt, à quò de Elementis ſcientiam ediſcere, ac ſententiam audire deſiderabat, cuius cum in Logica ſpeculatione imperitiam agnoviſſet, & pugnantes inter ſe Athenæi ſententias non dilueret; ad alios eruditiores convolavit. Hic notandum eſt Galenum primum hunc præceptorem ob imperitiam non nominaſſe, ne nominis prolatione in perpetuam ignorantiæ labem ipſum deturbaret. Itaque ſatyrus Quinti Medici magni nominis diſcipulus, rei anatomicæ peritiſſimus primus Galeni præceptor extitit, quemadmodum ipſe multis in commentariis preclare commemorat, ad quem Pergami quarto jam anno cum Coſtunio Rufino qui Divi Eſculapii templum extruxerat, degentem acceſſit, anatomen reliquaſque Medicinæ partes ab eo percepturus. Secundus verò præceptor Pelops qui Smyrnæ docebat, diſcipulus celeberrimus Quinti (qui ea ætate, ſecundum habuit neminem) hic Pelops in Anatomicis præclarus habebatur, etiam in reliquis Medicinæ partibus; quemadmodum multoties eloquitur Galenus. Tertius Numiſianus, qui Corinthi docebat, auditor quoque Quinti celeberrimus. At quæ de Pelope ac Numiſiano verba profert Galenus, abundè demonſtrant eos præceptores Hippocraticæ doctrinæ, proindèque Rationales fuiſſe peritiſſimos. *Utinam*, inquit, *Pelopis mei præceptoris*, *& Numiſiani*, (*pauca enim illorum monumenta ab interitu ſalva manent*), *& præterea Sabini*, *Rufique Epheſii in Hippocratem interpretationes omnes haberentur.* Alios prætereà Medicos præceptores agnovit Galenus, Fecianum Quinti quoque diſcipulum, & Satyri condiſcipulum, Sratonicum Sabini Hippocratici auditorem; Albinum Platonicum; Lucium cujus in medicamenti compoſitione ad fracturas ipſe meminit; & quos Romæ cæteros libello de theriacæ uſu enunciat. Hic autem apud Græcos, & Aſiaticos etiam apud Romanos multis in urbibus Medicinæ cultura ac propagatio ex variis locis ad quæ Galenus edocendus appulit, notanda eſt. Nam Smyrnæ ſub Pelope, Corinthi ſub Numiſiano, Pergami ſub Stratonico, Alexandriæ ſub quibuſdam Quinti diſcipulis, Medicinæ operam navavit. Strabo ſcriptis prodidit ſua tempeſtate inter Laodiceam, & Carura fuiſſe ſcholam Medicinæ Herophileæ, quemadmodum parentum

ſuorum

ſuorum temporibus Smyrnae Eraſiſtrateæ ea ſchola fuit Præſide Nicæſio. Licet vero Archiatros noſter amicos præceptores habuerit, amiciorem tamen perpetuò coluit rei veritatem, proindeque quum quis paradoxum, aut diſſonum rationi aliquod dogma aſtrueret, aut proponeret, quamprimum data occaſione Galenus non præceptori, ſed ejus doctrinæ reluctabatur, eamque validiſſimis rationibus deſtruebat. Pelops Hippocratis interpres rei anatomicæ peritiſſimus à Galeno decantatur, præceptorque à diſcipulo elogiis effertur; ſed is quum cerebrum vaſorum omnium originem aſtruere niteretur, huic reluctatus eſt Galenus, qui cor arteriarum, hepar venarum, ac nervorum dumtaxat cerebrum initium eſſe demonſtravit, Stratonicus autem Phyſicus marem à muliere venis, & arteriis differre duxit, ſed eum præceptorem arguit anatomes imperitia, & utrumque maſculum, ac fœminam non modo venarum, & arteriarum numero, diſtributione,ſitu, verum etiam forma conſimili præditum eſſe demonſtrat. Quintus ille Celeberrimus Medicus præceptorum Galeni præceptor arguitur à Galeno, quod Hippocratis minimè ſententias intellexerit, quod gymnaſtæ interroganti quanam facultate præpolleret unctio, veſtis ſubmovendæ, reſponderit; quod urinarum cognitionem ad pictores pertinere, ac conſimilia erronea protulerit; verumtamen à Galeno protegitur, quum Quintum nullum opus medicum poſteris reliquiſſe, ſed diſcipulos habuiſſe doctiſſimarum ejus interpretationum, ac præceptorum optimorum, aut minimè participes, aut immemores, ſuis operibus paſſim inſeruit. Quum autem triplex Medicorum ſecta Galeni temporibus floruerit, quænam à Galeno celebrior & Medico dignior habita eſt? An Empirica, aut Methodica, an verò Logica? Sectas omnes agnovit Galenus, omneſque Medico præſtantiſſimo digniſſimas judicavit, omnes didicit, omnes quibuſcumque amicis explicavit, de his conſcripſit, imò omnium ſectarum ſeſe peritiſſimum eſſe gloriatur, ſed nullam reliquis neglectis unicam ſectatus eſt, ut nullam mentiendi fallendique cauſam haberet; *Non enim*, inquit, *mihi mentiendi, aut fallendi cauſa eſt, quemadmodum iis qui uni ſectæ addicti ſibi mox penitus, ac omnino clari in ea evadere prius propoſuerunt, iis ſiquidem neceſſarium eſt obnixè de ſectæ veritate contendere, quam unicam noverunt, ut qui ex alterius vitæ inſtituti diſpoſitionibus gloriam comparare nequeunt. Ego verò rem & privatim, & publicè iis demonſtravi qui quamcumque ſectam a me ediſcere voluerunt, quum nemine minus (ut ne quid majus proferam) ipſas univerſas agnoſcant. Enimverò quamvis tempeſtivarum rationum penuria unius ſectæ patrocinium ſuſcipere noluerim, non tamen ab aliquo convinci toleravi: non enim ex Libris, ut quidam didici, ſed ex principibus in quaque ſecta præceptoribus. Neque ſanè odiſſe Empiricos; quorum ſermonibus ſum inſtitutus, neque ullos dogmaticos, pari enim ſtudio omnibus dedi operam, verſatusque ſum cum præſtantiſſimis in unaquaque ſecta præceptoribus.* Quod autem in ſectarum omnium Medicarum præceptis, ac doctrina præcelluerit Galenus, quamplurima de iis ab eo conſcripta volumina fidem faciunt ampliſſimam. Primum enim novem ad Aſclepiadem, ejuſque dogmata ſpectantes libros edidit Galenus; ad Logicam deinde ſectam quamplurimos. Præterea verò contra Empiricos triginta quatuor, quorum errores validis rationibus detegit ac evincit; ſeptem denique commentarios qui ad methodicam hæreſim referuntur.

Quum Medicina ſit ars ampliſſima, nullis prope limitibus circumſcripta (ſi perfectus ſit Medicus, qui, quæ poſſunt dignoſci, & quia non poſſunt, poteſt dignoſcere) priuſquam univerſa Medicinæ præcepta philiatris integra tradantur, quædam opuſcula, quibus ad artem medicam ipſi facilius introducantur, condenda, ac delineanda ſunt,quæ vulgo Iſagogica nuncupantur. Multa herclè hujus generis opuſcula condidit Galenus, quorum quædam in ſecundo noſtræ editionis tomo locavimus, quædam verò in cæteris tomis prodita ſunt; quædam dèmum multiplicia ad interitum celeriùs, quàm ad noſtrum conſpectum pervenerunt. Quæ ordine conſcripſimus, & Iſagogicis Hippocratis documentis adornavimus, ea ſunt quibus Sacroſanctum ſummi præceptoris Jusjurandum præfiguratum eſt; Galeni Pergameni paraphraſtæ Menodoti ſuaſoria ad artes oratio; Liber de optima doctrina; aſcriptus Liber, Quod qualitates incorporeæ ſint; Fragmentum ex Simplicio; Fragmentum ex Averroë à nobis emendatum, ac Græcè traditum; Notæ Galeni in Hippocratem ex Stobæo; Libellus de ſophiſmatis penes dictionem; Explicatio Linguarum exoletarum Hippocratis, cui Herotiani Lexicum adjunximus, & Herodoti onomaſticum quarundam dictionum Hippocratis. Quatuor deinceps inſeruntur Hippocratis libelli; unus inſcribitur lex Hippocratis; alter de Arte; tertius de Priſca Medicina; quartus, Præceptiones, quibus explicationis lucem adferunt ſubſequentia Galeni volumina; Libellus de conſtitutione artis Medicæ ad Patrophilum; Ars Medica ſeu parva; Aſcriptæ Galeno definitiones Medicæ, quas ex manuſcripto Regio emendavimus, illuſtravimus, & amplificavimus; Liber de artis Medicæ partibus; Liber de ſectis ad eos qui introducuntur; Liber de optima ſecta ad Thraſybulum; Fragmentum de ſubfiguratione Empirica; & productis duobus Hippocratis libellis, altero Medico, altero de decenti habitu finem imponunt duo Libri Galeni; alter inſcriptus, Optimum Medicum eundem eſſe & Philoſophum; alter aſcriptus eſt, Introductio ſeù Medicus. Duos prætermittimus Libellos qui tomo primo continentur, alterũ de libris propriis,alterum de librorum ſuorum ordine.Quod autem his in opuſculis docetur, mente revolvat Philiatros, primum Jusjurandum, legem, & præcepta quibus obtemperet, & directas ad medendi artem vias comperiat. His ſuccedente oratione Galenus, ratione homines Deorum ſocietatem inire, brutis præcellere, atque non fortunæ, non corporis, ſed animi bona comparanda edocet; plurimiſque tum ſententiis, tum exemplis ad bonarum artium, potiſſimumque Medicinæ ſtudia adoleſcentes exhortatur. Deinde verò adverſus Favorinum, & cæteros qui veritatis judicium e rerum naturâ ſuſtulerunt librum de optima doctrina inſcripſit. Quum verò Medicum prius Philoſophũ eſſe deceat,quę ſit Philoſophi ſciẽtia, doctrina, ac materia copioſa,conciſis multis rerũ propè omniũ ac maximè Phyſicarum ſententiis aperit.In parvo ex Philoponi fragmento quod quicquid interitus, non omnino id & ortus expers neceſſe ſit, & quod Plato ſit ejuſdem ſententiæ, Qualitates incorporeas eſſe, & pravè à Stoicis qualitates, & accidentia corpora appellari, aliàs abſurda in primam materiam, ac in Jovem cadere, & corporis definitionem. Ne verò in dictionibus Medicinæ candidati decipiantur, ſophiſmata penes dictionem explicat. Ut autem Jonica Hippocratis oratio percipiatur, difficiliorem ejuſmodi dictionum explanationem adhibuit, ut

ut & Erotianus, & Herodotus. Poſtea verò quum Hippocrates lege Medicinam præſtantiſſimam artem docuit, & ad quam comparandam ſeptem res enumeravit, quas prius ſortiri oportet, & verum medicum explicavit; Mox Medicinam artem eſſe, & arti non ſorti curationem tribuendam demonſtrat; ac ſubjungit priſcam Medicinam, qua probat Medicinam exiſtere; ubi de vario victu tum ſanorum, tum ægrorum agit; de cauſis probè ac pravè hominem afficientibus, & morbos propulſantibus; demùm breviſſimas adfert præceptiones quibus ad artem medendi tum adipiſcendam, tum exercendam Medicum inſtruit. Galenus fidus Hippocratis interpres omnes Medicinæ partes ex finis cognitione conſtituit, libello quo finem, ſubjectum Medicinæ, & corporis partes ſimilares, & organicas, & elementa, unde ipſæ comparantur, edocet, pauca quoque ὑγιεινὰ, pathologica, diagnoſtica, ſemiotica, therapeutica, & prophylactica. Deinde Medicam artem conſtituit ex corporum, ſignorum, & cauſarum definitione, ubi paucis omnes Medicinæ partes, maximè verò generalem therapeuticem explicat. Sequitur Medicarum definitionum collectio introducendis omnibus perutilis; quod opus breviſſimas cujusque rei Medicæ definitiones complectitur. Galenus varias artis Medicæ partes ex variis authoribus, & à diverſis rebus petitas adfert. Ne verò ſectarum, quas Galenus nactus eſt pugnantibus dogmatis Philiatri aberrarent, ſectas ipſas explicat, & numerat tres præcipuas, Rationalem, Empiricam, & Methodicam. At præſtantiſſimam omnium ſectam libro declarat, ubi agit de præceptis probis utilibus, ac cuique ſectæ propriis; illic ſectarum omnium principem, ac primariũ interpretem ſe prodit Galenus; ubi adverſus Empiricos, & Methodicos præclarè diſputat, eorum errores arguit, ac Rationalem cæteris præfert. Adverſus Empiricos latinus qui ſupereſt libellus obtruncatus nonnulla dumtaxat quæ in Empiricos Galenus narravit, explicat. ὑποτύπωσις ἐμπειρικὴ, Empiricam ſectam, ejuſque doctrinam, experientiam, rei ſimilis ad ſimile tranſitum, & ſymptomatum concurſus, & hiſtoriam complectitur. Ubi verò ars Medica explicata eſt, Hippocrates deinceps Medicum idoneo tum corporis, tum animi cultu illuſtrat; Medicam officinam Medico, luce inſtrumentis, medicamentis, operationibus, cucurbitularum admotione, ſcarificatione, phlebotomia, telorum extractione, ulceribus & tuberculis curandis extruit; Deinde Medicum inſtruit de iis omnibus quæ illi apud ægros obſervanda ſunt, ut doctus prudens, ac pervigil habeatur. Ne quis verò philoſophiæ præceptis haud imbutus ad Medicinam profanus accedat, docet primùm Galenus Medicum eundem, & Philoſophum eſſe; deinde Philoſophum Philiatrum in Medicinam introducit libello pulcherrimo, in quo inventio Medicinæ, principia, ſectæ, ſectarum principes divulgantur; quid Medicina, an ars, an ſcientia; Medicinæ partes, hominis elementa, partium corporis nomina, ac anatome, oſteologia, humores, facultates, morbi, morborum cauſæ, curationes, purgationum compoſitiones, curationum diviſiones, interiores, & exteriores oculorum, capitis, & cutis affectus, Chirurgia, & Chirurgiæ ſpecies, fracturæ & luxationes compendiosè edocentur.

At verò quem ſtudiorum Medicæ artis ordinem triverit Galenus, & in quibus Medicinæ partibus magis excelluerit, an verò in omnibus parem paritiam fuerit conſequutus, jam nobis ſpeculandum occurrit. Ac primum Medicorum omnium conſenſus eſt Phyſiologiam primam eſſe Medicinæ partem (cujus prolatione elementa, temperamenta, humores, partes, facultates, functiones, & ſpiritus complectimur, ex quibus corpus humanum artis Medicæ ſubjectum conſtruitur.) Hanc autem naturalem ſcientiam medendi neceſſariam eſſe hoc ſacro Hippocratis Medicum alloquentis oraculo ſancitum eſt, *ſed conare* (inquit) *ut phyſicus ſit ad hominis habitum, ac robur reſpiciendo.* Phyſiologica namque, *ea tibi ſunt elementa.* At Phyſicæ navavit operam Galenus, ut veris uſus principiis artificioſa inveniret, quemadmodum hiſce ſententiis ipſe prodidit. *Ego quidem opus aliquod artificioſum haud invenire poſſum, niſi veris utar principiis, quare naturalem ſcientiam accuratè perdiſcere mihi fuit neceſſarium.* Quod autem Phyſiologica præcepta non modo per initia ſtudiorum Medicinæ didicerit, verùm etiam toto vitæ curſu illuſtraverit, luculentam fidem faciunt quamplurima Pergameni Medici monumenta, quorum pleraque temporum injuria perierunt; reſidua verò in tomis tertio, quarto, & quinto noſtræ editionis potiſſimum continentur, quorum quædam στοιχειακὰ à nobis vocantur, quæ de elementis, temperamentis, & humoribus agunt; De elementis libri duo; De temperamentis libri tres; in Hippocratis libros de natura humana duo commentarii, quorum ſecundus pathologicus eſt; Liber unus, An ſanguis in arteriis natura contineatur; Libellus de atra bile; Libellus de humoribus; libri tres de ſemine, quorum poſtremus aſcititius habetur. Quæ verò his in libris comprehenduntur, aut elementa ſunt omnia, aut ad elementa referuntur. Elementa quidem ſunt corporis Phyſici quatuor, ignis, aër, aqua, & terra; hominis verò quatuor humores, bilis flava, ſanguis, pituita, & humor melancholicus; generationis denique ſemen, & ſanguis menſtruus. Quum autem de elementis agit, quid & quotuplex ſit elementum edocet; nec unicum eſſe forma, & poteſtate hominis elementum Hippocratis ratione, & experientia demonſtrat. Epicuri, Democriti, & Leucippi ſententiam evertit, qui omnia unum numero eſſe ſtatuebant, ac proinde hominis naturam unum eſſe profitebantur. Eorum qui unum elementum poſuêre, in quo ſibi ipſi pugnant, ac conſentiunt id explicat. Qui hominem unum eſſe humorem proferunt eorum ſententiam explodit, rationeſque prius adductas rationibus validioribus evincit. Docet rerum omnium naturam ex quatuor elementis conſtitui. Adverſus Athenæum primas qualitates non eſſe prima elementa. Crebrò qualitatum vocabulis omnium corporum elementa Hippocratem appellare. Calidum, frigidum, humidum, & ſiccum elementa, ac cætera quæ alterantur corpora conſtituere, & primas eſſe qualitates, quæ totam ſubſtantiam alterant, & tranſmutant. Corpori humano ineſſe plura, quod à primis & ſecundis qualitatibus alteretur, & varios inde morbos, & dolores patiatur. Elementa, prout corporis corpus conſtituunt, alimenti vel medicamenti uſum præſtare & egere nos medicamentis, & cibis ob ſubſtantiæ noſtræ alterationem ac difflationem. Animalium ſanguine præditorum, ac proinde hominis proxima elementa quatuor humores eſſe, & in ſanguine natura contineri. Hominem non unum eſſe humorem, ſed ex quatuor humoribus conſtare, quibus ipſe valet, dolet, & ægrotat. Hominem non unum eſſe ſanguinem, aut bilem, ætates, & anni tempeſtates in quibus prædominatur humor, arguere. Quæ conſtituunt hominem, ipſa in eo perpetuo, & lege, & natura ineſſe ſimilia. Non ab uno generationem fieri. Ex humoribus quatuor procreari, nutriri, & augeri & animalium ſanguine donatorum corpora. Homini quatuor in eſſe humores; eorumque nullum abſolute calidum, frigidum, humidum, & ſiccum eſſe. Humores quatuor ab invicem differre nomine, ſpecie, qualitate, colore conſiſtentia. Humores ſpecie, & facultate diſcrepantes non unum eſſe. Pituitam

Pituitam frigidiſſimam hyeme augeri, ſanguinem, calidum humorem vere; bilem flavam, calidam ſiccam æſtate; atram denique bilem, autumno eamque pauciſſimam generari. Humores pro tempeſtatum mutationibus, & augeri & imminui. Varias & mutabiles tum anni, tum hominis temperaturas, univerſum annum calidi, frigidi, humidi, & ſicci eſſe participem, nec elementum purum dari. Quod quæ generant, ea miſceri, ejuſdemque generis, ac facultatis eſſe oporteat. Commoderatum & conſentaneum temperamentum tum uteri, tum ſeminis ad generationem conducere. Non ab uno, neque à pluribus, niſi hæc mutuam temperiem probè ſortita ſint, generationem fieri. Qualem quodque ad generationem contulit, talem id in corpore facultatem habere. Ab hominis interitu quo diremptorum elementorum quodque in ſuam naturam ſecedit, hominem non ex uno conſtare probat. Sanitatem hominis tum in ſymmetria tum in eucraſia conſiſtere. Hominem aut ab humorum copia, vel penuria, & ab intemperie dolere. Dolorem ab humorum affluxu, tranſlatione, & decubitu in tempore fieri. Dolorem ab immoderata vacuatione oboriri. Ab humorum defluxu, unde & quo fertur partem dolere. Inſuper purgationibus humorum omnium vacuationem mortis cauſam eſſe. Adverſus Aſclepiadem pharmaca proprium humorem vacuare. Purgans medicamentum primum familiarem ſibi humorem, deinde reliquos attrahere. Quod phlegmaſogum ſuper purgationem adfert mortis cauſam, id primum pituitam, deinde reliquos humores evacuare. Purgantia medicamenta, generationis principia ſanguis effuſus, & alimenta ex quatuor humoribus conſtare probant. Ex mortuis inſuper purgationibus, & jugulatis hominem ſanguinem, aut humorem aliquem eſſe ferunt, negantque. Oppoſitas anni tempeſtates morborum eſſe medicatrices. Morbos anni tempeſtatibus analogos, & quod naturam univerſalem priuſquam particularem præſcire oporteat. Quum verò temperamenta edocenda aggreditur, primum de vocabulis temperamenta ſignificātibus agit, deinde docet rationes quibus multi duo tantum temperamenta, nonnulli quatuor poſuere. Malè veteres temperatam naturam omiſiſſe, eamque non eſſe calidam, & humidam. Veris temperamentum calidum & humidum & ἔυκρατον eſſe. Priſcos in temperamentis erraſſe quod rectam nominum ſignificationem perſpectam non haberent, quæ temperamentis adhibentur. Idem nonnunquam nomen ſuſcipienti, ſuſceptæque rei accommodari. Quot numero temperamenta ſint. Quomodo medium, temperamentum, ac cætera dignoſcantur. Poſtea vero de homine temperatiſſimo differit; de ætatum, partium, ac univerſi corporis temperamentis, ratione, & actu, craſſitie, & gracilitate; pilis & glabritie dignoſcendis. Denique de rerum externarum temperamentis; & quot modis poteſtate aliquid tale dicatur, ubi quæ aſſumuntur, quæque medicamenta foris admoventur, eorum differentiæ, actiones, & alterationes dignoſcuntur. Deinde verò humores quatuor deſcribit quos quatuor primis elementis, igni, aëri, aquæ, & terræ; quatuor anni tempeſtatibus, veri, æſtati, autumno, & hyemi, quatuor ætatibus, adoleſcentiæ, juventuti, declinanti ætati, & ſenectuti; quatuor oppoſitis univerſi angulis, Orienti, Occidenti, Meridiei, & Septentrioni; primis & ſecundis qualitatibus, temperamentis, & mutationibus analogos eſſe demonſtrat; procreationem, ac domicilia humorū quoque delineat qui ſanguinem in arteriis contineri docet, & oppoſitum Eraſiſtrati dogma evertit, & Eraſiſtrateos Eraſiſtratum non ſatis intelligere prodit; & quid Eraſiſtratum in errorem induxerit, exponit, ac imperitiam dialectices errandi occaſionem hominibus præbere. Paucis verò deinceps humorum ſpecies, ac differentias iterum explicat, & generationis atræ bilis neceſſitatem, & morbos ab humore melancholico oriundos divulgat, denique de lienis uſu, & nigrorum excretione in Eraſiſtratum controverſias movet ac diluit. Hippocrates quum de genitura agit quæ ad venerem ſpectat, dictat, ac de conceptione, voluptate venerea, ſpuma ſeminis, pollutionibus nocturnis, de iis qui ſemen non profundunt, de liberorum ad parentes ſimilitudine ac diſſimilitudine differit. Galenus Hippocratem interpretatur, ac primum hominis procreationem deſcribit, quum ſeminis naturam, ſubſtantiam, facultatem, ac uſum edocet, & quo pacto, & quibus inſtrumentis id aptum ſit ad animal formandum. Semen muliebre deinceps, ejuſque facultatem, uſum, & accidentia explicat. Quæ de marium ſemine, ac vaſis ſpermaticis narrat, ea ad fœmineum refert, & dilucidam animalium generationem demonſtrat, ubi primum Hippocratis, & Ariſtotelis diſſenſionem in facultate ſeminis notat; deinde adverſus Ariſtotelem, qui in utero ſemen diſſolvi, & in flatum verti exiſtimat, doctiſſimè differit. Præterea fœminas ſemen emittere, ejuſque uſum ad fœtus generationem concurrere adverſus Herophilum, Ariſtotelem, & Athenæum concertat. Concertat & adverſus Empedoclem, qui divulſas futuri fœtus partes in maris, & fœminæ ſeminibus ineſſe opinatus eſt. Adverſus Athenæum, Ariſtotelem, & Empedoclem de ſeminis uſu; de triplici ſimilitudine fœtus adverſus Stratonicum Phyſicum, & alios; denique de paraſtatum ſeu aſtitum uſu differit à veteribus ignorato; quod inventum pro ſuo jure ſuum ſibi Galenus arrogat. Et hæc ϛοιχειωκα ſunt quæ numeris omnibus complevit Galenus, in quibus Medicæ doctrinæ ſeries ſtudioſos ſumma recreat oblectatione. Quum homini ſeipſum agnoſcere Delphicus præcipiebat Apollo, Medicum hominem ſapientiſſimum maximè alloquebatur, & ad corpus humanum Medicinæ ſubjectum adipiſcendum adhortabatur. Quis enim ſeipſum novit, qui divinam corporis humani ſtructuram ignorat; quis læſas partium functiones integros reſtituet, qui partium ſubſtantiam, temperiem, conformationem (quæ in ſymmetria, & naturali conſtitutione multorum conſiſtit, figuræ, magnitudinis, numeri, & ſitus) actionem, & uſum non intelligit. Quis λόγῳ καὶ τῷ ἔργῳ Medicus celebrabitur quem prorſus fugit anatomes peritia? Quod cum animadverteret Medicorum Corypheus primùm ac quamprimū rebus anatomicis incubuit, partibus diſſecandis manus & animum adhibuit, adeo ut ante, & poſt Galenum in re anatomica noſtro Pergameno præſtantior floruerit. Fidem autem orationis faciunt divina ejus monumenta anatomica quæ Medicos erudiunt, & ad nobilem Medicinæ partem digniſſimos evehant. Quæ nobis ſuperſunt, ea quarto noſtræ editionis tomo concluſa ea ſerie præleguntur. Præcedit autē Hippocratis libellus de oſſium natura, quē ſequitur Galeni liber de oſſibus ad tyrones; Poſtea verò novē ſuperſtites libri de adminiſtrationibus anatomicis; aſcriptus liber de vivorū anatome; Galeno aſcriptus liber de anatomia parva; libellus de vocaliū inſtrumentorū diſſectione; Galeno aſcriptus liber de oculorū anatomia; liber de venarum, arteriarumque diſſectione; liber de nervorum diſſectione; de muſculis liber quem ex Oribaſii codice Græco mutuati ſumus. Subſequitur libellus Hippocratis de corde, & libellus de glandulis, liber de uteri diſſectione, & divini de uſu partiū libri ſeptēdecim. Quid autem his in operibus docetur, ac ab eo inventum comperitur, paucis aperiendum Le-

giſlator

giſlator Medicinæ Hippocrates primum rem anatomicam ſubjicit oculis quum quarundam corporis partium, ac præcipuè oſſium, ac venarum naturam, ſitum, & numerum, & uſum, nervorum, ac venarum in corporis partes propagationem, ac diſtributionem edocet. Fidus deinde Hippocratis interpres celebri ordine oſſa ſingula oſſiumque differentias, partes, epiphyſes, apophyſes, ſyntheſim duplicem diarthroſim, & ſynarthroſin, numerum, ac uſum tyronibus explicat. Ac deinceps primo anatomicarum adminiſtrationum libro muſculorum, & ligamentorum manus anatomen edocet, quæ quo minus ardua compareretur ſceletum præmittit, & veterum anatomicorum in muſculis diſſecandis negligentiam arguit; curque Galenus ipſis, curque ipſi invicem adverſentur rationes profert. Secundo anatomen, tum musculorum, tum ligamentorum pedis, & quæ prætermiſerunt anatomica ſponte, aut negligentia veteres, divulgat, ac de unguibus adverſus Eraſiſtratum movet, diluitque controverſias; quosque tibiæ muſculos invenit priſcis ignotos ſibi arrogat. Tertio artuum anatomen, nervorum, venarum, & arteriarum in artus, ac ſingulas corporis partes, & cutim propagationem uſumque, accurata methodo deſcribit. Quarto capitis, cervicis, faciei & ſcapularum anatomen, & muſculos, genas, labra, maxillam inferiorem, caput, cervicem, & ſcapulas moventes aggreditur, ubi quod veteribus fuit ignoratum aperit. Quinto thoracis, abdominis, lumborum, ac ſpinæ muſculos diſſecat. Sexto quæ organa alimentum conficiunt ac diſtribuunt, quæque excrementa recipiunt, & excretioni inſerviunt, inteſtina, ventriculum, hepar, ſplenem, renes, veſicam, & cæteras partes imo ventre concluſas ſubjicit oculis. Septimo de ſpiritalibus organis, corde, pulmone, arteriis, ſuccingente membrana, pericardio, ac de ſubſtantia ac motu cordis adverſus Veteres diſſerit, ubi pueri hiſtoriam narrat, cujus ſternum aperuit, & abſceſſu liberavit, ſanavitque; Eraſiſtrati quoque ſectatores deridet, qui arterias ſanguine vacuas oſtendere pollicebantur. Octavo reliqua univerſi thoracis ut coſtarum anatome concluditur, & errores veterum de thoracis motu notantur, & quæ ſectionem intercoſtalium muſculorum ſequuntur ſymptomata quæque nervorum, ac muſculorum ſectionem, qua totus thorax immobilis redditur, & noxæ partium, quæ ex medullæ dorſi ſectione oboriuntur, ac demum qui à pulmone in amplam thoracis capacitatem ſpiritus trajicitur. Abſolutâ verò partium inferioris ac mediæ regionis corporis anatome, partium ſuperioris, ut cerebri, ac ſpinalis medullæ diſſectionem adit, ubi de cerebri meningibus, ac meningum venis, & venarum in cerebrum aditu, de plexu choroide, de conario, pſalloide corpore, ſeù fornice, cerebri ventriculis, natibus, de corpore vermiformi ampliſſime diſſerit. Conquerebatur Galenus de obliteratis præceptorum ſuorum Pelopio & Numeſiani operibus, nos verò de cæteris adminiſtrationum anatomicarum libris, ut & quamplurimis Galeni monumentis quæ in jacturam ſanitatis hominum poſteris erepta ſunt, graviori animo conquerimur. In quibuſdam præterea libris Galeno aſcriptis partium corporis diviſio, natura ac dignitas; arteriarum, venarum, nervorum, membranarum, medullæ, oſſium, ligamentorum, carnis, cartilaginum, muſculorum, tendonum, oculorum, aurium, oris, linguæ, dentium, ſtomachi, inteſtinorum, hepatis, veſicæ, fellis, ſplenis, veſicæ, uteri, ſecundarum, pudendorum, cordis, pulmonis, diaphragmatis, cerebri, & cæterarum partium Anatome revolvitur. Nec verò parvi ducendum eſt opuſculum quod cauſam, materiam, inſtrumenta, locum, & modum vocis declarat. Huic ſuccedit oculorum Anatome, & venarum, arteriarum, ac nervorum ubi ut venarum, & arteriarum propagationes, ſic & variæ nervorum tum cerebri, tum ſpinalis medullæ συζυγίαι conſpiciuntur. Succedit inſignis tum exortu, tum inſertione explicata μυολογία, quam excipit præclara ex Hippocrate cordis hiſtoria, qua figura cordis, color, ſtructura, temperamentum, humor quo id viget, ſubſtantia, ſitus, oſcula, involucra, tunica, ventriculi, fontes, aures, folles, vaſa, & ſingulæ ipſius partes explicantur. Ex eodem Hippocratis fonte glandularum quoque exurgit Anatome; qua glandularum natura, ſtructura, affectus, tubercula, ſtrumæ, ſitus, & uſus innoteſcunt. Poſtea verò Galenus ſitum uteri, magnitudinem, figuram, partes ejus proprias, & adjacentes, teſtes, & vaſa ſpermatica mulierum, fœtum, & ſecundas declarat. Jam vero quæ Anatomica quiſque fert divinus liber de uſu partium cum admiratione ſpeculemur. Omnes libri ex actionibus ſingularum corporis partium uſus ſcrutantur. Primus partium extremæ manus, digitorum, unguium, carnis, oſſium, ac conſimilium, & aberraſſe in unguium uſu Platonem, & Ariſtotelem prodit; & Socratis de pulcritudine ſententiam explicat; ac de tendonibus adverſus Epicuri & Aſclepiadis ſectatores diſſerit. Secundus reliquas totius manus, carpi, cubiti, & brachii partes exponit. Tertius naturæ artem in cruribus, ac pedis uſum complectitur, ubi adverſus Pindarum de centauris diſſerit; cur homo bipes, cur ſolus ſit rectus, ac ſolus ſedeat, cur exanguia polypede; ac de bonitate, ſapientia, ac admirabili virtute Creatoris, ac de ſitu pedis externi contra Eudemum loquitur. Quartus, & quintus nutritionis organa, œſophagum, ventriculum, omentum, peritonæum, hepar, lienem, tenuia, & craſſa inteſtina, diaphragma, renes, ureteres, veſicam, anum, anique muſculos, ſphincteres explanant. Sextus, uſus interiorum thoracis partium, cordis, pulmonũ, venæ cavæ, arteriæ magnæ, & aliarum explicat, ubi antiquos de uſu arterioſæ venæ, & venoſæ arteriæ convincit, & Aſclepiadem de vaſis à corde ad pulmonem prodeuntibus; ac ſanguinem in arteriis contineri, ac de arteriarum cum venis anaſtomoſi adverſus Eraſiſtratum diſſerit. Septimus, quæ ad thoracem, & pulmonem ſpectant partes, aſpera arteria, larynx, os hyoides, ſtomachus, diaphragma, mammæ arteriæ, earum ſtructuram, ſubſtantiam, ſitum, ac uſum coercet. Octavus partium capitis, cerebri, colli & nervorum à cerebro ortorum uſus; ubi cerebrum ob cordis refrigerium factum non fuiſſe, nec caput ob cerebrum, & adverſus Ariſtotelem, & Philotimum de cerebri uſu diſſeritur. Nonus excrementorum cerebri vias, & evacuationes, cranium, meningas, venas, arterias, plexum retiformem, nervos, cerebri propagines, eorumque conjugationes, ac nervos in faciei muſculos, & gingivas, tunicas narium, & palati inſertos, & ſuturas denique, ac oſſa ſquamoſa profert. Decimus uſum oculorum, ac partium viſioni inſervientium exponit, ubi admirabilis oculorum hiſtoria ac doctrina detegitur. Undecimus reliquas faciei, & capitis proprias partes abſolvit. Agit namque de temporũ muſculis, ac iis qui aperiendo, & claudendo ori, & maſticationi inſerviunt; de ortu nervorum faciei; de dentibus, ore, lingua, ac partibus oris, deglutitioni, voci, ac reſpirationi inſervientibus; auribus, naſi alis, pilis, cute, labii muſculis, oſſibus, ac oſſium ſuturis capitis. Duodecimus cervicem, ac ſpinam dorſi, utriuſque vertebras, cartilagines, nervos, tendones, muſculos, ac cæteras partes explanat, earumque uſum prodit,

ubi adverſus ſophiſtas de capitis diarthroſi concertat. Tertius decimus reliquas dorſi partes, & ſcapulas exponit. Quartus decimus quæ ad genitales virorum, & mulierum partes attinent, explicat; ubi agitur de operum naturæ ſucceſſione; & an mulier viro imperfectior, & quare fœtus maſculi, aut fœminæ procreentur; de vaſorum uteri, & mammarum ſocietate, de venerea voluptate, de ſeminis generatione, & emiſſione, & uſu, ac de utero. Quintus decimus reliquas partes genitales, fœtuum humores ac tunicas, ac muſculos articulum coxendicis moventes congerit. Sextus decimus nervorum, arteriarum, & venarum communes univerſo corpori diſtributiones exequitur. Decimus ſeptimus quid uſus ab actione differat, de partium corporis proportione, & commodis quæ ex horum librorum lectione depromuntur uberrimis, agit. Quanquam verò Galenus ſuis inventis, ac commentariis Anatomicorum omnium princeps ab omnibus Medicis judicetur, & Veſalius tantum tribuat Galeno, ut eum Medicinæ parentem, rarum naturæ miraculum, ſummum naturæ admiratorem, & omnium bonorum authorem appellitet, Veſalius tamen ipſe, Columbus, & Fallopius neoterici rei Anatomicæ ſcriptores oppoſitis quibusdam ſententiis ſuum principem læſerunt. Siquidem fatentur Galenum ex frequenti anatomes ſpec ulatione multa neutiquam prius conſpecta animadvertiſſe, ſed plurima ipſum fugiſſe, ac ignoraſſe. Primum, Galenum corpus humanum nunquam diſſecuiſſe proferunt, ſed in ſimiæ diſſectionibus ſeſe dumtaxat exercuiſſe, & utriuſque anatomen confudiſſe, ac eum in errores incidiſſe, hiſce conſimiles; ſyntheſin oſſium ac connexionem per articulationem ac ſymphiſin fieri; mixtam eſſe naturam muſculorum, mediamque inter ligamentum, & nervum, muſculos omnes in tendines deſinere. Tendonem primum eſſe motus organum, peritonæo tanquam manu premente ſicci alimenti excrementa celerius propelli, venas ab hepate oriri; oſſa capitis eſſe trilatera, & cæteros quos plures hic recenſere ut & his reſpondere nefas, quũ præſertim Henrici Magni Archiatros Laurentius Veſalium, Columbum, Fallopium, & alios audaciores, ac temerarios ignorantiæ arguerit, & pravis eorum objectis ſubſequenti ſerie, & cæteris concertationibus Anatomicis ſatisfecerit.

Galenum Græci propè omnes, Arabes, & Latini alterum ab Hippocrate Medicinæ parentem non immeritò prædicant. Is enim univerſam medendi artem divinis planè ſcriptis tantopere & exornavit, & amplificavit, ut ſub eo rurſum nata Medicina videatur. Multa quidem extabant monumenta veterum, ſed confuſa & ἄτακτα erant omnia, quibus ſummus ille vir ornamentum attulit, ſparſa colligens, inculta illuſtrans, confuſa certo ordine diſtinguens, multa particularibus experimentis obſervans. De cæteris Medicinæ partibus nihil dicam, hoc unum audacter affirmabo, Galenum rem anatomicam ita illuſtraſſe, ut quum prioris ſæculi tenebras diſcuſſerit, poſteriori lucem ſplendoremque attulerit eximium. Nam quum tria ſint media, quæ ad perfectam anatomes cognitionem, quaſi manû nos ducunt ſectiones partium, actiones earundem, & uſus; ſingula ità accuratè deſcripſit, ut in eo ſcribendi genere omnibus excelluerit. Sectionis modum libris De Anatomicis adminiſtrationibus, de muſculorum & nervorum ſectione, aperuit. Actiones partium indicavit, libris de facultatibus naturalibus, de Placitis Hippocratis, & Platonis; de uſu verò ſingularum corporis partium libros edidit ſeptemdecim, qui poſteros in tantam pertraxerunt admirationem, ut divini ab omnibus appellentur. Maxima ergo ſunt Galeni in eos beneficia. Hunc tamen (proh dolor!) Neoterici ferè omnes ubique carpunt, imò diſcerpunt; hunc quo jure quaque injuria lancinant? hic ambitionis ſtimulo, ille cavillandi gratia, pauci veritatis ſtudio. Sed quemadmodum fluctus in ſcopulum impingentes, quanto violentius ſe ſe inferunt, tantò miſerius diſſipantur, ita inanes, & ridiculos eorum conatus exiſtimo, qui alieni nominis, maximè verò præceptorum ruina, gradum ſibi parant ad gloriam. Accuſatur Galenus à Neotericis; primum quod brutorum non hominis anatomen deſcripſerit, neque enim humana corpora unquam ſecuiſſe dicunt. Deinde, multa eum ignoraſſe, quæ hodie ſunt notiſſima, ubique jactitant. Tertio pugnantia, & diſſentientia ſæpè locutum fuiſſe. Poſtremò, omnia confusè, & ſine methodo ſcripſiſſe. Quæ enim (aiunt) in libris de uſu partium, quos divinos vocatis, methodus obſervari poteſt? Primum enim de manu, deinde de cruribus & pedibus, poſmodum de imo ventre, & partibus naturalibus diſſerit. Verùm quàm futiles ſint hæ calumniæ & quàm miſerè hi hallucinentur, audiant omnes. Namque, ut à prima aggrediar, dico non ſimiarum modo, ſed etiam hominum cadavera ſæpè Galenum ſecuiſſe, proferam auctoris ipſius teſtimonia. Libro decimo tertio de uſû partium: Propoſitum mihi eſt (inquit) ſolius hominis ſtructuram explicare. Primò de anatomicis adminiſtrationibus; inſpicere oportet quamque particulam præſertim in hominibus. Secundo Libro; jam (inquit) ſimiæ pes ab humano differt, quod ſtructura digitorum huic animali ſit diſſimilis. Quarto de Anatomicis adminiſtrationibus, & tertio de uſu partium, diſcrimen affert tendinum, qui in crura, & pedes feruntur. Primò de Anatomicis adminiſtrationibus, femoris caput obliquius eſſe vult, & muſculos diſſimiles, qui in tibiam inſeruntur; tradit etiam lumborum differentiam inter hominem & ſimiam. Secundo de ratione victus, hominem differre ait à quibuſdam animalibus in exortu venæ injugatæ decimo tertio de uſu partium, humanum uterum ab aliis animalibus differre ſcribit. Si ergo quid habeant ſimile, quid item diſſimile hominum, & ſimiarum corpora, agnovit Galenus, veriſimile eſt eum humana corpora ſecuiſſe; nam in ſimilibus diſſimilia dignoſcere ſolius eſt artificis, ejuſque periti. Atque hæc prima ſit in Galeni calumniatores depulſio. Dicunt multa ignoraſſe Galenum, quæ ad humani corporis ſtructuram ſpectabant, quaſi verò proprium hominis non ſit ignorare. Nunquid Veſalius multa ignoravit, quæ poſt hæc à Fallopio ſunt animadverſa, & nos multa quotidie prioribus ſeculis incognita obſervamus. Sumus, ut bonus dicebat Cauliacenſis, in collo gigantis, & ut vetuſtiſſimus canit Poëta εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ.

Quod autem objiciunt, Galenum ſibi ipſi non conſentire, ſed pugnantia ſæpe ſcripſiſſe: diſcant fuiſſe veteribus hoc in more poſitum, ut ſæpe ex aliorum ſententia multa proferant. Sic Hippocratem, Ariſtotelem, & Platonem more vulgari ſæpè loquutos fuiſſe, teſtantur interpretes. Dum ergo ex aliorum ſententia loquutus eſt Galenus, diſſentientia fortaſſe ſcripſit; at dum ex profeſſo de re Anatomica diſputat, ſibi ipſi conſenſit perpetuò. Poſtremo libros de uſu partium confusè, & ſine methodo ſcripſiſſe clamitant. Sed neſcio quo rapiat eos contradicendi, & calumniandi æſtus; admirabilis enim eſt eorum librorum methodus, quam multis incognitam, nunc ego in perpetuũ proferã. Propoſitũ eſt (inquit Galenus) hominis ſtructuram, & ſingularum ejus partium explicare, ergo quid habeat in ſui ſtructura peculiare, quidque à cæteris animalibus diſtet, prius aperiendum. Habet autem pro nuditate, animæ, rationem, quæ ars eſt ante omnes artes; & pro

& pro nuditate corporis manum organum ante omnia organa. De manu itaque quam ſolus habuit homo, primo, & ſecundo libris tam accuratè, & eleganter diſſerit, ut poſteris gloriam omnem eripuerit. Quia verò crura maximam cum manibus habent affinitatem, eſtque in eorum ſtructura quid peculiare; nam ſolus ad amuſſim rectus crurum beneficio incedit homo, ideò de cruribus libro tertio agit; id enim doctrinæ ordo poſtulare videtur, ut quæ ſimilia ſunt, ſimul explicentur. His explicatis, quæ homini propria ſunt, ad ea quæ ſunt homini cum cæteris animantibus communia, accedit. Earum autem partium, quæ hominis, & perfectorum animalium corpora conſtituunt, quum aliæ conſervent, vel individuum, vel ſpeciem, aliæ conſervantibus famulentur, ut venæ, arteriæ, nervi, de his quæ individuum conſervant, primo loco diſſerit. Hæ porrò vel naturales ſunt, vel vitales, vel animales, unde corpus in tres regiones diremptum; de naturalibus quarto, & quinto libris; de vitalibus, ſexto, & ſeptimo; de animalibus, cerebro quippè, octavo, & nono; de his quæ à cerebro pendent, ſenſuum quippè αἰσθητηρίοις, decimo, undecimo, duodecimo, tertiodecimo libris, ornatè diſſerit, qui ordo naturæ dici poteſt. Quæ ſpeciei propagandæ dicata ſunt organa, genitales partes intelligo, tum virorum, tum mulierum libris decimo quarto, & decimo quinto deſcribuntur. Quæ verò his omnibus famulantur, venæ, arteriæ, & nervi, decimo ſexto, & decimo ſeptimo delineantur. Poſtremus liber eſt velut omnium epilogus. Abeant ergo iſti calumniatores,

Sapientèr Plato, quicumque corpus cognoſcit, ſua quidem, non ſeipſum novit. Animam igitur noſſe jubet Apollo Delphicus cui præcipit noſſe ſeipſum; pars enim hominis princeps major eſt, ac ſuperior, quæ quò noſcatur, ac homo, illius τὰ ψυχικὰ, facultates, actiones, & corporis animæ vincula ſpiritus agnoſcat Medicus oportet, de quibus ampliſſima conſcripſit Galenus opera, quæ tomo quinto à nobis concluſa revolvuntur; Ac primum ex Nemeſiô Fragmentum Galeni de anima, quô conſtat Galenum de anima plura quam quæ nobis ſuperſunt, conſcripſiſſe, ac animam eſſe temperamentum edidiſſe, ſed non aſſeruiſſe. Multi enim Philoſophi, at Theologi, tum Medici Galeno objectant ipſum protuliſſe animam τὴν κρᾶσιν temperamentum, ſeu temperiem eſſe, ac proinde mortalem. Non omnem animam Galenus intelligere reſpondet Nemeſius; ſed brutam ſolam animam. Qua de re ità ratiocinatur Laurentius. Dum animam temperiem appellat Galenus, non vult temperiem formam eſſe hominis ratione utentis, ſed formam Medicam, quæ ſola in Medici conſiderationem cadit. Illud namque quod nec ſervari poteſt præſens, nec abſens reſtitui, non cadit in Medici contemplationem; at intelligens anima, nec præſens ſervari poteſt, nec abſens reſtitui, ſolum autem temperamentum, & præſens ſervari, & abſens reſtitui poteſt. Erit igitur ſolum temperamentum forma hominis Medica, quia Medicus humanum corpus conſiderat, non quatenus Phyſicum, materia conſtans & forma; ſed quatenus ſanitati ac morbo obnoxium. Quod mortalem aſſeruerit animam eſſe, hiſce verbis abnegat. Rationalem animæ partem eſſe immortalem Plato credidit. Ego verò (inquit) ſit ne, an non ſit, quid adverſus ipſum objiciam, non hábeo. Differit itaque, non aſſerit Galenus. Deinde verò ſequitur Fragmentum Galeni de ſubſtantia facultatum naturalium; & libellus de facultatibus corpus noſtrum diſpenſantibus, ubi triplicem facultatem eſſe naturalem, vitalem, & animalem edocet, quibus humanum corpus gubernatur. Tres libri de naturalibus facultatibus ſubſequuntur, qui naturæ facultatum numerum, & officia complectuntur. In priore Galenus de facultate procreatrice, auctrice, & nutrice diſſerit, ubi de attractrice facultate, & quibuſdam aliis in Priſcos Aſclepiadem, Eraſiſtratum, & Epicurum controverſiam movet diluitque. In altero de alimenti diſtributione, de urinæ, & bilis ſecretione, de nutritione, concoctione cibi, ac humorum generatione contra Eraſiſtratum. In poſteriori de retentrice ac expultrice facultatibus, ac de mutua facultatum naturalium conſequutione pertractat. Succedunt novem libri de placitis Hippocratis, & Platonis, qui Philoſophica multa, multa Phyſiologica; ac maximè ψυχικὰ Medica concludunt. Primus enim (quem Græcum à Caio Britannico datum edidimus) nervorum cerebrum, arteriarum cor eſſe principium prodit. Secundus agit de ſumptionum abſurditate, quibus Stoici, ac Peripatetici in rationalis facultatis ſede probanda utebantur, ac ex diſſectionibus, actionum omnium principia docet eſſe dignoſcenda. Tertius iterum meminit ſumptionum, numerum & ſubſtantias facultatum docet, & quæ deſunt ad dicta Chryſippi refellenda perſequitur. Quartus errores Chryſippi de animi affectibus, ac de eâ à quâ ipſi manant facultate comprehendit. Quintus tres animæ facultates, & affectus eſſe probat; Chryſippique errores in affectibus animi dignoſcendis curandiſque prodit. Sextus tres animæ facultates ſedibus eſſe diſtinctas, ac jecur venarum, ſanguinis, & concupiſcibilis facultatis principium eſſe; ut cor arteriarum, & iraſcibilis facultatis. Septimus, cerebrum nervorum, & omnis tum ſenſus, tum motus originem eſſe, & quomodo ad ſentiendi, & movendi organa facultas à cerebro deferatur, & organa ipſa alterentur. Octavus Hippocratis, & Platonis ſententiam de quatuor Elementis explicat, de prima corporũ, ex ipſis, & de ſecundâ ex quatuor humoribus conſtitutione, de ſanitatis, & morbi cauſis; de calido innato, ac de reſpiratione. Nonus denique rationem docet ſimilitudinis & diſſimilitudinis diſtinguendæ, & veritatis in univerſum indagandæ, propoſitis exemplis ex Hippocrate, & Platone. Hos ſequitur Fragmentum Libri in Timæum Platonis, quo rurſum de facultatibus, functionibus; de venis & arteriis; nutritione, & reſpiratione; & tres eſſe animæ facultates ſedibus, functionibus, pugna, & ope diſtinctas diſſeritur. Præclariſſimus deinde libellus de fœtuum formatione, qui numerum, & ordinem ſingularum partium quibus fœtus abſolvitur, declarat; ac etiamnum inveſtigat quid de cauſa formatrice, omiſſis Philoſophorum erroribus, ſentiendum. Ne quid verò ψυχικῷ tomo deſit, & Hippocrates Galeno explicetur, cedrinos libros Hippocratis unum inſcriptum de carnibus, ſeu principiis, alterum de natura pueri ſubjunximus, quos tum interpretatione, tum capitibus illuſtravimus; Ille quidem de ſingularum partium principiis, generatione, & formatione; de viſus, odoratus, & auditus organis; de ſeptenarii numeri facultate in partû, morbis acutis, ulceribus, inflammationibus, dentiumque complemento. Hic vere de fœtus procreatione, ac principiis; de omnibus tum ad fœtum, tum ad fœtam ſpectantibus; de tempore formationis; de motu in utroque ſexu; de menſibus, & lactis generatione, quæ omnia cum terræ plantis, & ovis conferuntur; de gemellis ex diverſo ſexu. Tres libelli Latinè dumtaxat ſuperſtites hac ſerie

rie ſequuntur. Primus inſcribitur, an omnes partes animalis quod procreatur, fiant ſimul, qui haud ſimul fieri concludit. Secundus aſcriptus Galeno de natura, & ordine cujusque corporis, qui de humoribus, de fœtus formatione, ac de febribus tractat. Poſterior Galeno quoque aſcriptus, de compage membrorum, ſive de natura humana titulum gerit, qui de cerebro, de quinque ſenſibus, de reſpirationis organis, de corde, œſophago, ſtomacho, de coitu, ſemine, embryone, & planetis fœtui conferentibus. Galeni liber inſcriptus an animal ſit, quod in utero eſt, fœtum tametſi utero radicitus inhæſerit, naturæ & animæ participem, ac omnino animal eſſe probat. Libro de ſeptimeſtri partu docet Hippocrates quot dierum numero ſeptimeſtris partus perficiatur, & cur vitalis; agit de ſeptenariis numeri in menſibus ac diebus vi ac præſtantia; de octimeſtri partu, nonimeſtri, decimeſtri nonnulla; ac de maſculi & fœminei fœtus perfectionis tempore. Huncce verò Hippocratis librum explicat alter Galeni de ſeptimeſtri partu ex manuſcripto Regio, & Ricco à nobis depromptus. Huic ſubnectitur Hippocratis liber de octimeſtri partu quo docetur cur octimeſtris partus minimè ſit vitalis, decimeſtris frequentiſſimus, & fœtus quomodo ſecurius edatur; de umbilico quædam; de menſtruis purgationibus, & de undecimo partus menſe. Galeni liber de inſtrumento odoratus, quid ſit odoratus, & odoratus organum in anterioribus cerebri ventriculis ſitum eſſe fert. Eduntur præterea duo inſignes de motu muſculorum libri, quorum alter unicam eſſe muſculorum actionem, plures motus, & accidentium quæ in motu contigunt cauſas explicat; alter de figuris, quæ per motum variantur, ac de motu naturali, & voluntario doctrinam complectitur. Galeno aſcriptus liber de motibus manifeſtis, & obſcuris, agit, de partium corporis naturali, ac voluntario motu. Hunc Galeni fragmenta pauca ex Themiſtio excipiunt, ut & de motu thoracis, & pulmonis fragmentum; & Galeno aſcriptus liber de reſpirationis uſu, quo celebrior alter eſt legitimus, de uſu reſpirationis liber, quo reſpirationis uſu calorem innatum conſervari, & ſpiritum animalem nutriri divulgat. Hunc comitatur de cauſis reſpirationis libellus, qui tres eſſe reſpirationis cauſas, facultatem voluntariam inſtrumenta deſervientia, & uſum proponit. Galeno aſcriptus eſt de voce, & anhelitû. Liber de pulſuum uſu, uſum pulſuum eſſe in caloris innati ſingularum partium conſervatione, quæ ventilatione, refrigeratione, & noxii eductione perficitur, declarat. Liber Galeni Quod animi mores corporis temperamenta ſequantur, temperamentum eſſe animam, cujus mores mutantur, locorum, alimentorum, ac in univerſum temperamenti ratione, ſubjicit oculis. Et hæc ſuperſunt τὰ ψυχικὰ Galeni opera quæ præceptorem totum ψυχικὸν fuiſſe produnt.

Præclarè, ut perpetuò Hippocrates, Res eſt hominibus pretioſiſſima ſanitas, cui conſervandæ dicata eſt ὑγιεινὴ dicta pars medicinæ; quæ res non naturales, vulgò dictas complectitur ſex numero, aerem, cibum, potum, motum, & quietem; ſomnum, & vigiliam; excretorum, & retentorum ametriam; & animi pathemata; quas omnes ſtudioſe didicit adoleſcens Galenus, accurateque ſuis edocuit operibus, quæ poſteris conſcripta reliquit. Res autem ipſas ſalubres ad actum redegit, & uſum, ubi hominum ſanitati tuendæ multis in urbibus, ac regionibus ſuas dicavit, ac tulit operas. Prodeant in conſpectum præclara ſerie τὰ ὑγιεινὰ ſalubria Galeni opera, quæ ſextus noſtræ editionis tomus concludit, ſalubribus Hippocratis operibus conjuncta. Primum eſt Galeni de optima noſtri corporis conſtitutione liber, qui proprium ſanitatis ſubjectum; quid ſit optima corporis humani conſtitutio; quomodo dignoſcenda, ac oblædentibus reluctetur, aperit. Secundum, de bono habitu liber, quo quid habitus; quid bonus habitus; quid bonus habitus ſimpliciter, & ad aliquid; & ubi bonus habitus ſimpliciter, & quid ab Athletarum habitu differat, ediſcitur. Tertium, Galeni ad Thraſybulum liber inſcriptus, utrum Medicinæ ſit, an Gymnaſtices hygiene, quo quid Medicina; quid Gymnaſtice; quid, & ubi ſanitas; quæ & quot artes circa humanum corpus verſentur, ac plurima notatu digna narrantur. Quartum, complent ſex pretioſi de ſanitate tuenda libri, quorum primo ſumma quædam proponitur earum rerum, quibus ars ſanitatis tuendæ continetur, vitæque ratio aduſque tertium ſeptennium præſcribitur. Secundo, differentiæ omnes, ac vires frictionis, & exercitationis explicantur; & quo pacto ſanitas tertio ſeptennio ſervetur. Tertio, plena laſſitudinum, & cæterorum affectuum dignotio & curatio exhibetur, quatenus exercitationes ſequuntur, & ſunt ſanorum hominum ſymptomata. Quarto, docet quo pacto laſſitudines perſanandæ ſint, quum aliunde, quam ab exercitatione oboriuntur. Quinto ſenum victus ratio abſolvitur; ac communia præcepta docentur, quibus affectus morboſi omnes emendantur, & intemperies corrigitur. Sexto denique demonſtrantur præcepta quæ ad omnes lapſus, & affectus providendos, & declinandos attinent in iis corporibus, quæ ab optima ſanitate labuntur. Quintum opus tres in Hippocratis librum de aëre, locis, & aquis commentarii perficiunt quorum Græca nobis deeſt oratio. Hi quas vires ambientis aëris, aquarum & regionum varietas, ad naturam hominis immutandam, mores formandos, & affectus concitandos conſequatur, edocent. Prior de aëris, ac locorum differentiis, quæ ex diverſo ad quatuor mundi partes ſitu, & ventorum flatibus eliciantur. Alter de aquis, earumque natura, cauſis & facultatibus in diverſis temperie corporibus differit. Poſterior; quæ anni conſtitutiones ſalubres ſint, quæ morboſæ; quomodo cœli, aëriſque temperies, & conditio ad humanorum corporum naturam conſpiret, quæ ſit ſocietas & conſenſus ſyſtematum aëris cum illis ſecundum ætates, ſexus, temperamenta, & anni tempora explanat. His ſubnectitur Hippocratis de flatibus Liber, quo flatus tum externi tenuiores ſivè aer ambiens, tum interni craſſiores corpus permeantes, omnes plurimorum morborum cauſæ explicanrur, ubi multiplices generationis morborum modi advertuntur. Sextum opus Galeni Commentarius eſt in Hippocratis vel Polybi librum de ſalubri victus ratione privatorum, ubi Archiatros rationem victus iis qui ſibi vivunt, inſtituit, pro temporis, habitus, ætatis, affectuum, ſexus, & conſuetudinis ratione. Septimum quatuor commentarii formant in Hippocratis Librum de alimento conſtructi, qui quid alimentum, alimentorum genera & facultates explicant, & à quibus, per quas, & ad quas devehantur partes; aſſimilationem alimenti coctione triplici, plenitudinem, penuriam, exuperantiam, & conſectaria divulgant. Octavum conſtruunt Galeni de alimentorum facultatibus tres libri quibus facultates alimentorum ratione, & experientia compertas enarrat. Prior de ſeminibus univerſis agit, quæ in uſum alimenti prodierunt. Alter de

de fructibus, qui vel ex arboribus, vel oleribus proveniunt; ac de ipſis oleribus quæ ad corpus alendum aſſumuntur. Poſterior De alimentis quæ ex animalibus parantur; ac poſtremò de melle, de vino, de ſale condiendis, ac mediis eduliis pertractat. Nonum aſcriptus liber de diſſolutione continua; qui de alimentorum facultatibus quartus eſt, ubi varia alimentorum genera deſcribuntur. Decimum, De attenuante victus ratione liber, qui de eduliis agit, quibus tenues ac ſalubres humores in corpore redduntur. Undecimum, De probis praviſque alimentorum ſuccis, ex quibus probos, pravoſque corporum humores procreari; indeque affectus ſecundum, & præter naturam, ſanitatem, & morbos oboriri docet. Duodecimum, Præceptum Galeno aſcriptum eſt, meo judicio, quod ex manuſcriptis Regiis codicibus Græcum deprompſimus, & Latinè dedimus, quo dicta quatuor anni tempeſtatum, & duodecim menſium præſcribitur. Hic opera duo Hippocratis inſeruntur ad τὸ ὑγιεινὸν ſpectantia. Primum eſt Hippocratis de liquidorum ſive humidorum uſu liber, in quo aquarum calidarum frigidarumque, nec non maris aquæ, vini acetique affectus & facultates; & quæ partes, & qui effectus calidis magis quam frigidis delectentur, afficianturque. Alterum Hippocratis De victus ratione ſanorum tres libri conficiunt. Primus docet quæ diætam ſalubrem inſtituenti prænoſcenda ſint, ex quibus animantium corpora conſtituantur; humanos artifices cum natura confert; nec non maſculos cum fæminis in corporis robore, auctione, & nutritione; de temperamentis ætatum, ſexuumque agit, ac de variis animi pathematis. Altero, enarrationem principiorum, & differentiam humani corporis ſequitur diætæ tractatio, qua corpus humanum vel conſervatur in eodem ſtatu, vel ſecundum qualitatem, & quantitatem mutatur. Ubi agitur de ventorum, ac regionum ſingularum naturis, ac ſitu, de alimentorum facultatibus, ac differentiis ex animalibus, ac plantis petitis, de balneis & externis rebus, ac de variis exercitiis. Poſteriore diætæ applicandæ methodum inſtituit Hippocrates; Quod perarduum ſit diætam præſcribere, laboribus analogam; quæ diæta ſingulis anni tempeſtatibus, tum divitibus, tum plebi ſit idonea; de repletionibus, laſſitudinibus earumque ſignis, & curatione, de diarrhæis, cruditatibus, faciei decoloratione, ructibus, ſtercoris vomitione, & cæteris ſimilibus. Decimum tertium Galeni opus conſtruunt, De aquis vinis & pane quædam fragmenta, à nobis ex Oribaſio, Rufo, Diocle, & Athenæo collecta. Decimum quartum eſt de Ptiſana liber, qui ptiſanæ confectionem, facultates, menſuram, & idoneum uſum declarat. Decimum quintum De parvæ pilæ exercitio libellus, quo parvæ pilæ exercitatio cæterarum omnium ſaluberrima, ac præſtantiſſima judicatur. Decimum ſextum eſt Fragmentum De Venereis, quo quando ſalubris fuerit Venus, aperitur. Decimum ſeptimum eſt De dignotione ex inſomniis libellus, qui quid, tum ſanis, tum ægris portendant inſomnia, prodit. Sed hunc ut commentarium præcedit Hippocratis liber de inſomniis, quo explicantur inſomnia ex quibus certa tum proſperæ tum adverſæ valetudinis ſigna depromuntur, & quæ anima in ſomniis imaginatur. Decimum octavum eſt de propriorum animi cujuſque affectuum dignotione, & curatione liber, qui quo pacto quis ſua ipſius, & aliorum vitia cognoſcat, ac emendet, explicat. Decimum nonum de cujuſque animi peccatorum dignotione atque medela Libellus. Vigeſimum, De conſuetudine Liber, quo conſuetudinis vires explicantur, earumque cauſæ ratione, & veterum auctoritate declarantur.

Qui tres affectus præter naturam à Medicis dignoſcuntur, morbus, cauſa morbi, & ſymptoma, pathologiam tertiam Medicinæ partem conſtituunt, quæ plerumque διαγνώσεως vocabulo involvitur, unde haud raro τὰ διαγνωστικὰ παθολογικὰ nuncupantur. Quum autem hi periculoſi hominum hoſtes ſanitatem proſcribant, ac dum corporis eucraſiam, ac ſymmetriam demoliuntur, ac partium omnium ἕνωσιν evertunt, id ad interitum deducant, eos diagnoſticis notis detegere, dignoſcere, ac profligare medentis hoc opus, hic labor eſt. Quare quum Medicorum Coryphæus Galenus habeatur, ac multa, doctaque pathologica, ac diagnoſtica volumina ſcriptis mandaverit, quis eum, pathologicis, ac diagnoſticis, Medicinæ Præceptis quam ampliſſime decoratum fuiſſe non profitebitur? Septimus autem Librorum Galeni tomus, à nobis congeſtus ac digeſtus hæc τὰ παθολογικὰ, quæ Galeni extant ſingula opera Hippocratis operibus inſerta complectitur, quorum priora quidem univerſalia καὶ κατὰ γένη; poſteriora verò κατὰ μέρη, pathologica diſcernantur, in quibus σημειωτικὰ multa, multa θεραπευτικὰ, ac permixta alia quamplurima prælegunt nr. Primum autem opus Liber unus eſt De morborum differentiis, quod quid morbus vocetur, quot morborum genera ſint, quot, & quæ morborum tum ſimplicium, ac ſimilarium, tum compoſitorum ac organicorum differentiæ ſint, explicatur. Secundum, Liber de cauſis morborum, quo morborum ſimilarium, organicorum, & communium cauſæ traduntur. Tertium De ſymptomatum differentiis Liber unus, quo quid ſanitas, morbus, πάθος, affectus, actio, cauſa, ac ſymptoma ſit, explicatur, & ad quæ capita differentiæ omnium ſymptomatum reducendæ ſint, ut ad ſimplices corporis affectus, actionum læſiones, & excretorum, & retentorum ametriam. Quartum, De ſymptomatum cauſis tribus libris coërcetur. Priore quidem ſymptomatum cauſæ recenſentur, quæ in ſenſuum organis, & ipſo fonte ſenſus conſtituunt; Altero cauſæ ſymptomatum declarantur, quæ motum ac principem actionem depravant; Poſteriore cauſæ ſymptomatum ad actiones naturales læſas, excrementa vitiata, & immutatas ſimplices qualitates ſpectantium innoteſcunt. Quintum De febrium differentiis libri duo conſtituunt, quibus prima quædam principia docentur, ac ſingularum febrium differentiæ intelliguntur. Primo de ephemeris, & hecticis febribus agitur, ſecundo de febrium putridarum differentiis, ac de morbis qui ex humorum defluxione generantur. Sextum, Liber de inæquali intemperie, qui quibus modis inæqualis intemperies, & in univerſo corpore, & aliqua animalis parte oriatur explanat. Septimum De marcore Liber, quo quid marcor ſit, quotuplex, quis curari quique curari nequeat, & quæ idonea curatio explicatur. Octavum De tumoribus præter naturam Liber, ubi quid & quotuplex ſit tumor præter naturam, & quæ quotque ſint tumoris cauſæ conſpiciuntur. Nonum, De plenitudine Liber, quo quid, quotuplex plenitudo, ejuſque cauſæ ac ſigna comprehenduntur, refelluntur que Empiricorum judicia, quibus plenitudinem percipi arbitrabantur. Decimum De cauſis procatarcticas, quo Galenus probat cauſas dari procatarcticas, & priſcorum Medicorum ſophiſmata refellit. Undecimum, De tremore, palpitatione, convulſione & rigore liber, quo quot,

& quæ motus genera, quæ differentiæ, quæ loca, quæ cauſæ tremoris, convulſionis, rigoris & palpitationis. Duodecimum de Comate ex Hippocratis ſententia libellus; quô quid Coma, quotuplex, ejuſque cauſæ, & ſigna declarantur. Decimum tertium tribus libris coërcetur, quibus tum ſimplicium, tum compoſitarum difficultatum reſpirationis cauſæ omnes enodantur. Priore tum primæ, ac ſimplices, tum ſecundæ ac compoſitæ difficultatis reſpirationis differentiæ ac cauſæ: Altero quæ ab Hippocrate primo & tertio libro Epidemiων de reſpiratione dicta ſunt, cum rationibus ſuperiori libro traditis convenire produntur; poſteriore, quæ cæteris libris Epidemiων Hippocrati aſcriptis continentur, iis quæ primo libro de differentiis reſpirationis prodita ſunt, aſtipulari. Decimum quartum de morborum temporibus liber, qui quot ad ſummum ſint particularia morbi tempora, & quàm hallucinentur Veteres, in temporibus morbi dignoſcendis explanat. Decimum quintum de totius morbi temporibus liber, quo indicia temporum totius morbi ſalutaris, lethalis, ſimplicis, & compoſiti declarantur. Decimum ſextum de Typis libellus, quo typorum tum ſimplicium, tum compoſitorum natura, ac differentiæ explicantur. Decimum ſeptimum contra eos qui de typis ſcripſerunt, liber; quo quot in errores lapſi ſunt Veteres Medici, qui ſpecies, & multitudinem typorum falſa methodo inquirebant, edocetur; his autem opuſcula duo ſuccedunt à nobis in manuſcriptis Regiis codicibus comperta ante hunc diem non edita; alterum de ſiti; alterum de Hemitritæo. Hæc verò univerſalia dicta ſint pathologica. Quæ ſequuntur παθολογικὰ κατὰ μέρη ſunt quæ partim θεραπευτικὰ, productis prius Hippocratis operibus prout comentaria ac ſcholia poſtulant, ſubjicientur. Primum Hippocratis opus περὶ νούσων, de morbis inſcriptum quatuor libris concluditur, quod ad Polybum Hippocratis diſcipulum quidam referunt. Alterum περὶ παθῶν, de affectionibus Polybo quoque à pleriſque aſcriptum; Tertium περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, de internis affectionibus, Quartum περὶ παρθενίων, de virgineis affectibus. Quintum de natura muliebri. Sextum ex duobus libris conflatum de mulierum morbis. Septimum περὶ ἀφόρων, de ſterilibus, quæ utero non gerunt. Octavum περὶ ἐπικυήσιος, de fœtatione & ſuperfœtatione. His omnibus ſuccedit liber Galeni περὶ γυναικείων παθῶν, de mulierum affectibus, qui aſcriptus eſt Galeno ex multis authoribus collectus, nondum prius editus, quem ex Bibliotheca Regia deſumptum, ac tranſcriptum Latinè Græcèque dedimus. Nonum Hippocratis opus περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον, de locis in homine, quem excipit celeberrimum Galeni opus de locis affectis, ſex libris adornatum. Primò docet Methodum univerſalem dignoſcendi locos affectos, qui ſenſum effugiunt, una cum multis partium quarundam exemplis. Secundò, dolorum exemplo docet exercitationem propoſitæ methodi, ac in Archigenem invehitur, qui in doloribus dignoſcendis aberravit. Tertio, propulſis veterum erroribus, ad dignoſcendos cerebri affectus pertranſit. Quarto, partium faciei, ſpinalis medullæ, pulmonis, & cæterarum ſpirabilium affectus venatur. Quinto affectus cordis, thoracis, diaphragmatis, gulæ, ſtomachi, & jecoris explicat. Sexto de lienis affectibus agit, inteſtinorum, renum, veſicæ, uteri, & colis. Subſequitur ultimum Hippocratis opuſculum de dentitione. At τῷ λόγῳ καὶ τῷ ἔργῳ, ratione duce, & comite experientia pathologicus, ac diagnoſticus Galenus extitit, qui à primo febrium inſultû, primo ipſo morbi die quoſcumque morbos, & ſingulas febrium ſpecies ita dignoſcebat, ut ægros finito paroxyſmo millies ad conſueta negotia, aut balnea remiſerit, quos ephemera laboraſſe perceperat. Optimum eſt (inquit) ſi in ipſo primo die, & tertianos, & quartanos, & quotidianos circuitus dignoſcamus, quos primo ſtatim die agnovimus. Ex denſata cute obortam ephemeram primo die Galenum noviſſe, & finito paroxyſmo laborantem laviſſe, libri methodi divulgant, quum Medici diatritarii diaria ſibi ignota laborantes διάτριτα conficerent. Hecticam febrem cum putrida incipientem ex pulsû, urina, & caloris qualitate Galenum noviſſe decimus methodi liber explicat. Novit Galenus Eudemi Peripatetici triplicem quartanã; novit uxoris Juſti amores abditos; novit depaſcentes artus ſenis cujuſdam mœrores; Novit Siculi Medici hepaticum affectum; immoderatiorem uxoris Boëthi fluorem; Commodi Cæſaris filii phlegmonem, & febrem; Marci Aurelii ventriculi gravitatem, & oppreſſionem, aliosque quamplurimos affectus præter naturam novit, & curavit Galenus, quorum hiſtorias huc referre prohibet hujuſce vitæ ſynopſis.

Σημειωτικὴν partem Medicinæ eſſe quæ morborum, & cauſarum morbificarum ſigna frequentius ex ſymptomatis prodeuntia edocet, cui propriè ſubjicitur Diagnoſtice, & Prognoſtice, quarum prior præſentia, poſterior futura ſpeculatur, prænoſcit, prædicit. Hippocrati, Medicum prænotionem adhibere optimum eſſe videtur. Optimus itaque Medicorum ab Hippocrate Galenus ducitur, quem in Prognoſticis, ac Criticis multopere floruiſſe, ac excelluiſſe ſua produnt monumenta, quæ Hippocraticis operibus copulata tomum octavum noſtræ editionis conſtruunt. At primum Galeni opus, de pulſibus ad tyrones, libellus eſt, quo pulſuum differentiæ cauſæque paucis eduntur, quæ candidatis medicinæ introducendis ſatis ſint. Secundum complent de pulſuum differentiis libri quatuor, quibus prima genera, ac ſingulæ pulſuum differentiæ produntur; Primo quidem de his ex propria opinione Galenus differit, ſecundo rationem propriorum & idoneorum nominum profert, & Archigenis errores prodit in omnibus pulſuum generibus ac differentiis adhibendis; Tertio vehementis pulſus & languidi, pleni & vacui, duri item & mollis exemplo, Archigenis, & reliquorum Pneumaticorum tractatio convincitur; Quarto refelluntur veterum definitiones quibus ſectæ unuſquiſque propriis placitis adhærens pulſuum ſe notitiam tradere opinabatur. Tertium conſtituunt quatuor quoque περὶ διαγνώσεως de dignotione pulſuum libri, quibus quæcumque pulſu noſtram notitiam ineunt, enodantur. Ac primò, de Diaſtole, & Syſtole primis, & principibus pulſus partibus ſenſu dignoſcendis differitur; ſecundo de iis quæ in diaſtole conſiderantur, ac de ratione moderati pulſus in unoquoque genere inveniendi. Tertio ratio docetur pulſuum dignoſcendorum, qui in qualitate motus, quantitate itẽ diſtentionis ac proportione motuum, & quietum conſtituunt. Quarto denique exponitur, quo pacto ictus in pulſu comprehendatur, refelluntúrque Archigenes, & Agathinus, qui in pleno pulſu dignoſcendo aberrarunt. Quartum componunt quatuor de pulſuum differentiis libri. Primus, vehementis, duri, magni, & crebri pulſus, & horum contrarii cauſas à quibus editur, explanat. Secundus inæqualium pulſuum cauſas, & eorum qui ordinem, & rhythmum ſervant, vel evertunt, explicat. Tertius, de naturalibus agit, ac non naturalibus cauſis, quæ,

quæ non per ſe,ſed continentibus, ac primis mutatis, cauſæ pulſuũ dicunur. & Iſagoges pulſuũ capita refert, explicatque. Quartus de cauſis præter naturã, quæ tum animi,tum corporis affectione pulſus immutantur. Quintum de præſagitione ex pulſibus libri quatuor efformant. Primò docetur, quo pacto ex pulſibus, qui in arteriæ diſtentione conſiſtunt, præſens diſpoſitio, & præcedentes ipſius cauſæ & externæ, deprehendantur. Secundo prænotio ex pulſibus, qui in contractione arteriæ, tempore quietis, inæqualitate, ordine, ac in ordinis perturbatione intelliguntur. Tertio de præſagitione ex pulſibus, qui in propriis & arteriarum affectibus deprehenduntur. Quarto prænotio ex pulſibus, qui reliquis affecti corporis affectibus tractô in conſenſum corde, oriuntur. Sextum, eſt librorum ſuorum ſexdecim de pulſibus ſynopſis. Septimum libellus ad Antonium ſtudioſum ac Philoſophum ex Regio manuſcripto codice à nobis depromptus, ac primum editus, qui licèt Galeno aſcribatur, à Stephano Athenienſi, vel Palladio proprius ducatur, genuinam tamen Galeni de pulſibus doctrinam paucis complectitur. Octavum libellus alter eſt Galeno aſcriptus cui titulus eſt, Compendium pulſuũ, Segmentũ librorũ de pulſibus Galeni pravè collectum ac Latinè dumtaxat editum. Nonum eſt liber de urinis, quo docetur quid ex urinæ ſubſtantia, colore, odore, ac contentis in ſanis, & ægrotantibus judicandum ſit. Duo libri de urinis quoque à nobis Græcè comperti ſunt Galeno dati, quorum alter conciſus Galeni libellus de urinis, alter verò liber de urinis ex Hippocrate, Galeno, aliiſque præſtantiſſimis Medicinæ principibus titulo inſignitus eſt, Græcè ex manuſcriptis codicibus Regiis uterque à nobis collectus, & primum editus. Decimum, experta ac omnino vera Galeni prænotio Græcè nunc tradita, & emendata. His inſeruntur Hippocratis Libri duo quorum prior περὶ κρισίων, de judicationibus morborum, aut ægrotantium; alter περὶ κρισίμων, de diebus judicatoriis morborum, aut ægrotantium; quos Hippocratis libros quæ ſubſequuntur Galeni opera explicant. Undecimum enim efficiunt Galeni opus, tres de Criſibus libri, quorum primus de dignoſcendis morborum temporibus agit, ac ſignorum omnium naturam explicat, quibus univerſa judicationis morborum prænotio conſiſtit. Secundus quibus ſignis morborum natura cognoſcatur, aperit, ex qua potiſſimum præſens ac futura in ipſis mutatio præſentitur. Tertius agit de fine omnium tum ſalubrium, tum lethalium morborum, ac de futuræ in eis criſis temporis, & modi præcognitione. Duodecimum libri tres περὶ τῶν κρισίμων ἡμερῶν, de diebus judicatoriis ſeu decretoriis conſtruunt, quorum primo judicatorii dies enumerantur, eorumque facultas, ut & ipſorum prænoſcendorum methodus explicatur. Secundo experientia, ac ratione judicatoriorum dierum vis explicatur; eorum item tum ordo, tum proportio indicatur, & qui quos ad morbos pertineant. Tertio de cœleſti ac materiali cauſa dierum judicatoriorum, ex quibus & ipſorum ordo, & facultas pendet univerſa, diſſerit. Decimum tertium tribus in Hippocratis librum περὶ χυμῶν, de humoribus commentariis nititur, ubi multa παθολογικὰ, σημειωτικὰ, καὶ κριτικὰ, ac variæ Medicis obſervandæ præceptiones revolvuntur; verum hæc commentaria lacunis, ac mendis plena Græci textus penuria in lucem proferuntur. Hic autem connectitur Hippocratis τὸ προγνωστικὸν, in quod decimum quartum opus Galeni ex tribus commentariis conflatum eſt. Hiſce verò libris prænotionis præſtantia, ac utilitas, quænam ex vultû, decubitû, geſtû, reſpiratione, ſudoribus, urinis, ſputis, aliiſque excrementis, & accidentibus præſagienda; quæ in ægris bona, ac mala, ac variorum affectuum naturæ ac notæ deteguntur. Decimum quintum tribus commentariis τὸ προῤῥητικὸν πρῶτον interpretantibus abſolvitur, quibus quæ morbis, & ægris ſuccedant prædicuntur. His tum alter προῤῥητικοῦ liber Hippocratis ſubnectitur, tum Coacarum prænotionum ampliſſimum opus, in varias diſtinctum ſententias. Decimum ſextum περὶ τοῦ προγινώσκειν, de præcognitione ad Epigenem, vel Poſthumum liber, quo Medicum poſſe quod ſingulis ægris eventurum ſit prænoſſe ac prædicere probatur. Decimum ſeptimum liber eſt Galeni περὶ προγνώσεως, de prænotione inſcriptus à me ex manuſcriptis Regiis codicibus collectus, & à ſapientiſſimo Prateolo Latinè redditus. Decimum octavum περὶ κατακλίσεως, de decubitu, prognoſtica ſunt ex mathematica ſcientia libello uno concluſa; Aſtrologiæ imperitis neglecta bardis ac ignaris lacerata, ſapientiſſimis perutilia, ac celeberrima; quibus conſona ſunt, conſimillima Mercurii Triſmegiſti prognoſtica. Decimum nonum Quomodo morbum ſimulantes ſint deprehendendi, libellus. Vigeſimum, fragmentum eſt Galeno aſcriptum ex prognoſticis, & aphoriſmis collectum cui titulus ineſt, Quæſita in Hippocratem; Cui etiam aſcribitur Libellus prædictionis qui capſula Eburnea in Hippocratis ſepulcro inventa vocitatur. Quæ multa huc cætera σημειωτικὰ Galeni non adducuntur, ea aut inter commentarios Galeni in Hippocratis libros ſcripta patent, aut negligentioribus ſæculis exciderunt, quemadmodum commentarii in Archigenis libros octo de pulſibus, ac conſimiles de quibus libello de propriis libris loquitur ipſe Pergamenus.

Præſtantiſſimam omnium Medicinæ partium eam eſſe auguramur, quæ cæteris imperat, ac τεραπευτικὴ, curandive methodus nominatur. Hanc qui ignorant, καὶ τὴν θεωρητικὴν, καὶ τεχνικὴν, mederi nequeunt, quæ propriè ipſa eſt Medicina. Quandoquidem curatio, morborum eſt ablatio, proindeque ſanitatis reſtauratio. An verò in Therapeutica, ut & cæteris Medicinæ partibus primas obtinet Galenus. Duo rei fidem faciunt tum permultæ ac celebres quas ipſe curationes peregit; tum quamplurima therapeutica volumina, quæ philiatris etiam Medicis certam ac tutam medendi curandique rationem edocent. Imprimis autem occurrunt admirandi quatuordecim libri therapeutici, qui doctrinæ Medicæ ubertate, ac certa remediorum inveniendorum, ac præſcribendorum methodo nullis cedunt. Ac primo quidem Galenus Theſſalum, & reliquos methodicos convincit, qui in ſanitate, ac morbo dignoſcendo plurimum aberrarunt, docetque principia methodi, qua morbus tum dignoſci, tum curari debeat. Secundo quid ſit morbus, ac quæ prima ipſius genera; & quo pacto ſtatuendæ ſint indicationes quibus univerſa morborum curandorum methodus tanquam fundamentis ſubſiſtit. Tertio docet qua methodo ulcera haud maligna curanda ſint. Quarto quâ methodo maligna ulcera curentur ex Hippocrate. Quinto ſanguinis profluvia, quæcumque venis, vel arteriis læſis ſuccedunt, ac penis & ſedis ulcera ſanantur. Sexto nervorum, tendinum, ligamentorum, & partium illis analogarum, oſſium quoque curatio abſolvitur. Septimo, ventriculi exemplo univerſa partium intemperies tum ſimplex ac nuda, tum compoſita ac humori conjuncta curatur. Octavo, univerſa curandi methodus abſolvitur qua diariæ febres percurentur.

Nono

Nono, continentium febrium curandarum methodus, ordo, ac dignitas indicationum continetur. Decimo, docetur quomodo præcavendæ ſint diariæ in hecticas mutationes, ac quo pacto ipſæ hecticæ curentur. Undecimo, indicationes explicantur quæcumque in putridis febribus curandis æſtimatur; ac diſſeritur de cataplaſmatis, perfuſionibus, & balneis quæ pro partium inflammatarum ratione admoventur, illic in methodicos invehitur Galenus, quod omiſſa phlebotomia, hypocondria cataplaſmatis & embrochis laxarent. Duodecimo, ſymptomatum graviorum vires evertentium ac cum febribus oborientium, maximè verò ſyncopes, ac dolorum curatio docetur. Decimo tertio, inflammationibus, ac reliquis præter naturam tumoribus medendi methodus comprehenditur, indicationibus diligenter aſcriptis, ac iis maximè quæ ab affecta parte ſumuntur, ubi Galenus in Attalum methodicum invehitur qui Theaginem Cynicum inflammatione jecoris laborantem laxantibus cataplaſmatis enecavit; ac de loco principis animæ facultatis adverſus Theſſali ſectatores diſſerit. Decimo quarto, de reliquis agitur tumoribus, & effectibus præter naturam curandis ſunpta ex ſingulorum generibus curandi indicatione. His therapeuticon ad Glauconem libri duo ſuccedunt quorum priore docet Galenus methodum medendi tum febrium exemplo, quæ vel citra putredinem vel cum putredine hominem invaſerint, tum propoſitis ſymptomatis frequentius, ac vehementius lædentibus, inſignis à me Stephani Athenienſis Græce ac Latinè commentarius edetur, ipſum Galeni librum explicaturus. Alter tumorum præter naturam omnium curandi methodum prodit. Decimus ſeptimus (libellus eſt de hyrudinibus, revulſione, cucurbitula, ſcarificatione) qui ſubſequenti Oribaſii libello explicatur, ubi de curatione per revulſionem ac derivationem agitur. Decimus octavus de venæ ſectione adverſus Eraſiſtratum liber in quo Galenus increpat Eraſiſtratum, qui poſthabito venæ ſectionis auxilio, neque efficacibus, neque tutis remediis uteretur; & quod phlebotomiæ inediam prætulerit. Decimus nonus de venæ ſectione adverſus Eraſiſtrateos Romæ degentes liber, quo oſtendit Galenus Eraſiſtratum venæ ſectione nunquã uſum fuiſſe; & quod his quũ non intellexiſſent ejus ſectatores, tum ſibi mutuò pugnaverint, tũ in graviſſimos errores inciderint. Vigeſimus liber de curãdi ratione per ſanguinis miſſionẽ, quô explicatur univerſa venarũ ſecandarũ methodus, effectus, ſcopi, menſura, locus, tempus, & quæ cætera ad venas & arterias cum ratione ſecandas neceſſariò intelligenda ſunt. His inſeritur fragmentum Hippocrati aſcriptum, ac inſcriptum περὶ φλεβοθομίας ἐκ τοῦ Ἱπποκράτους, à nobis in manuſcriptis codicibus Regiis compertum; quemadmodum aliud quoque Galeni de venæ ſectione quod ex libro poſteriori Galeni totum depromptum eſt. Subſequitur Hippocratis libellus περὶ τῶν φαρμάκων καθαιρόντων, de medicamentis purgantibus. Huic conſimili propè titulo donatus vigeſimus primus eſt Galeni περὶ τῆς φαρμάκων καθαιρόντων δυνάμεως, de purgantium medicamentorum facultate. Hunc excipit vigeſimus ſecundus Galeno aſcriptus, de catharticis Latinè ac mendosè prius editus. Vigeſimus tertius libellus eo inſignitus titulo, Quos, quibus, & quando purgare oporteat à nobis Latinè datus. His Hippocratis Magni de inſania Liber annectitur. Vigeſimus quartus eſt Liber de Melancholiâ ab Aëtio ex Galeno, & Rufo collectus. Vigeſimus quintus de puero epileptico præceptum ὑποθήκη Liber inſcribitur, qui pueri epilepſia laborantis curationem edocet. Sed hunc præcedit Liber Hippocratis περὶ ἱερῆς νόσου, de ſacro morbo, quem Galenum legiſſe ac probaſſe paſſim ſua monent monumenta. Præcedit quoque Hippocratis Libellus περὶ ὄψιος de videndi acie, ſeu viſione, aut oculis, Galeni librum vigeſimum ſextum de oculis, ubi quæ phyſiologica, pathologica, & therapeutica ad oculos ſpectant ampliſſimè deſcribuntur. Alter Galeni liber ex manuſcriptô Regiô codice collectus de oculorum affectibus inſcriptus eſt, à me primum editus eſt. Vigeſimus octavus ſubſequitur Galeni de colico dolore Liber, à Domino Moræo Collega noſtro mihi Græcè proditus. Vigeſimus nonus de icteri curâ Galeno aſcriptus. Trigeſimus, Galeno aſcriptus Liber qui affectuum renum dignotio atque curatio inſcribitur. Reliqui multi ſunt, Galeno aſcriptus liber de cura lapidis, ab Arabe quodam prius editus, ex manuſcripto codice collectus. Galeno inſcriptus liber de medicinis expertis ab Arabibus ad nos revocatus, ſed in concinna Latinitate donatus. Galeno aſcriptus liber ſecretorum ad Montæum qui licet Galenica quæque non complectatur, non tamen citra fructum colitur. Galeno aſcriptus liber De incantatione, adjuratione, & ſuſpenſione, quo meliorem libellum De Homerica medicatione Galenus compoſuit, cujus fragmentum ex Tralliani Libro nono collegimus. Tres libri de medicamentis paratu facilibus, quorum primus Galeno proprius judicatur cui principium obtruncatum deſiderabatur. Secundus autem ad Solonem medicorum principem aſcriptus eſt. Tertius Græcè nondum editus eſt, & hi duo proſteriores Galeno aſcripti comperiuntur. Duo libri Galeno attributi περὶ δυνάμεων ἰδίων, de propriis remediorum facultatibus inſcripti, quos barbari de dynamidiis vocitarunt, quorum prioris major pars deſideratur. Alter ex Aëtio quanquam deſumptus plurimis tamen ſquatet erroribus. Horum omnium librorum tomum nonum Hippocratis, & Oſantri Hippiatria à nobis primum ex Regio codice manuſcripto collecta perficiunt. Reliqua denique quamplurima Galeni opera aut aliis in tomis conſcripta patent, aut ad nos nondũ pervenerunt. At verò therapeuticam methodũ morborumve curationem non modo libris docuit Medicinæ princeps, verùm etiam proſperrimis ægrotantium rebus, multis in locis exercuit, non ut vulgus medicorum, qui quum opinioni ſapientiæ magis quam veritati inhiant, alios docere tentant, quæ nec ipſi unquam fecerunt, nec aliis demonſtrarunt. Nono methodi duos adoleſcentes, unum liberum palæſtræ periturum, alterum ſervum febribus ſynochis laborantes miro judicio curavit. Iuvenem febricitantem διάτριτον confectum a Diatriariis Medicis, non modo ab hectica febre liberavit, verum etiam ſanitati integræ reſtituit. Sexagenarius decimi quarti Methodi linguâ adeo prætumida laborabat, ut ore hominis haud contineri poſſet, ſed eum Galenus pilulis ex aloe, ſcammonio, & colocyntide compoſitis veſperi exibitis, ac admoto linguæ lactucæ ſucco percuravit. Romæ Eudemum Peripateticum magni nominis virum propè ſeptuagenarium, media hyeme triplici quartana laborantem prænunciata prognoſi tempeſtivo theriacæ uſû curavit, ac præter aliorum medicorum opinionem ac deſiderium ſanavit. Ad Juvenem 1. die primôque febris inſultu accerſitus ſpeciem febris quamprimum dignovit, & morbi ſolutionem præfatus ægrum ſanavit. Accerſitus à Poſthumô, familiarem Charilampi cubicularii nervo vulnerato laborantem curavit, quem aulicorum

Cæſaris

Cæſaris Medicorum nemo ſanare potuerat. Demadem Rhetorem ſanavit, cujus morbum Aulici præſtantiores Medici ignorabant. Ad Juſti uxorem citra cauſas manifeſtas tabeſcentem vocatus, ejus morbum, morbique cauſas ex pulſu, vultu, ac geſtu detexit, eamque non modo amore, ſed quem deperiret etiam miro artificio deprehendit. Servum divitis officio malè functum, hero haud ſatisfaciendi metu contabeſcentem agnovit. Ad Siculum Medicum ægrotantem proprium morbum ignorantem, à Glaucone Philoſopho deductus ægrum hepaticum eſſe prænovit, curavitque. Boëthi viri Conſularis uxorem aquoſo fluore uteri laborantem, tum quæ Romæ aderant optimæ obſtetrices, tum etiam principes Medici curaverant, ſed in dies deterior morbus reddebatur; tandem verò ſoli Galeno curatio demandata eſt; qui victus ratione univerſa optimè inſtituta, ac idoneis remediis præſcriptis, dierum quindecim ſpatio morbum propulit, & menſis circulo mulierem naturali colore decoratam ſalvam prorſus ac incolumem reddidit, cujus beneficii memor Boethus Galeno aureos quadringentos coronatos honorarium ſoluturus miſit. Oeconomum Romanum à cæcitatis periculo liberavit. Imò quicunque Magni Galeni ampliſſima volumina ſcrutabitur, ea certè quamplurimis ægris referta revolvet, quos tum morbis liberavit, tum ſanitati reſtituit.

Quæ non pauca Galeni opera ad pleraſque ac univerſas Medicinæ partes ſpectant, ea τὰ ἐπίμικτα, permixta vocavimus; quæ Hippocraticis connexa decimo noſtræ editionis tomo protulimus. Eorum autem omnium operum pars major τὰ αἰτιολογικὰ σημειωτικὰ, καὶ προγνωστικὰ ſubjicit oculis, ac Medica præcepta Medicis neceſſaria continet. Qui autem cæteros præcedit liber Hippocratis, eſt primus Epidedimiorum, quem Galenus tribus commentariis interpretatur. Ac priore Auſtrina cæli aut temporis conſtitutio ſubfrigida, pluvia, nubila, caliginoſa cum quibuſdam ſqualoribus deſcribitur, ac morbi hujus tempeſtatis propagines. Altero duæ cæli tempeſtates explicantur, altera humida frigida, aquilonia, & procelloſa; altera frigida ſicca, ac ex parte inæqualis & qui inde epidemici morbi orti ſunt. Poſteriore docentur præcepta quædam ad morbos dignoſcendos, & ad præſagendum utilia, & ad finem quatuordecim ægroti deſcribuntur. Liber ſecundus Epidemiorum Hippocratis temporum circumſcriptiones, & aëris tempeſtates, quibus morbi Epidemii procreantur, explanat, ac tumultuariam rerum variarum collectionem, περὶ φλεβῶν, φυσιογνωμίαν, καὶ τὸ φυσιογνωμονικὸν, & conſimilia complectitur. In hunc autem libellum commentarius unus Galeni nuper, ſed non integer editus eſt. Liber tertius Epidemiorum Hippocratis ægrotantium plurimas hiſtorias, & quæ ſymptomata pro peſtilenti illa aëris conſtitutione ægros invaſerunt, enumerat. Hunc librum tres Galeni commentarii explicant, quorum primus quæ ab Hippocrate in tribus ægris obſervata ſunt, explicat. Secundus obſervationem prodit ſymptomatum quæ novem ægris oborta ſunt. Tertius Auſtrinam, humidam, ac peſtilentem tempeſtatem deſcribit; ægrotis ſexdecim ad finem in medium productis. Quartum & quintum Epidemiorum libros aut ſuis commentariis non illuſtravit Galenus, aut ipſi nobis non ſuppeditant. Illo quidem ægri plurimi, & eorum affectus, & affectuum eventus, & judicationes recenſentur: hac vero ægrotantium hiſtoriæ proponuntur, ut & quæ remedia profuerunt aut obfuerunt, qui morbi ad ſalutem, & qui ad mortem deſierunt. Sextus ſuccedit Epidemiorum Hippocratis liber ſex Galeni commentariis explicatus; qui nullos prope Epidemios morbos complectitur, ſed aphoriſtica multa ab Hippocrate ad memoriam collecta. Qui Palladii in eum librum repertus eſt commentarius, ipſum honoris, & utilitatis gratia hic appoſuimus. Septimus Epidemiorum liber Hippocratis ægrotantium quoque hiſtorias, morbi naturas, ſymptomata, remedia, indicationes continet. Huc ſeptem Hippocratis libri aphoriſmorum adducuntur, totidem Galeni commentariis comitati. Primo judicationum ſcopi, vires ægrotantis, morbi natura, ætas, tempus, conſuetudo continentur. Secundo autem morborum cauſæ quæ ſemina, ſigna ſalubria, inſalubria, lethalia. Tertio, quæ morborum genera, quibus anni, cælique tempeſtatibus, quibus ætatum mutationibus oriantur. Quarto de purgationibus agitur tum arte; tum ſponte factis, & de ſingulis per quas fiunt partibus, ex quibus morborum eventus, moreſque cognoſcimus. Quinto de calidi, frigidi, humidi, & ſicci exuperantia ac immoderatione, unde variæ morborum ſpecies. Sexto corporis partium notæ, quibus futura in morbis prædicimus, edocentur. Septimo prædicendi in morbis ars, ea continens, quorum adventu pernicies, aut ſalus ægris accedit. Octavus à quibuſdam recentioribus adfertur aphoriſmorum liber, ex quibuſdam Hippocratis præceptionibus collectus. Eſt & Galeni adverſus Lycum, commentarius inſcriptus, Quod nihil in eo aphoriſmo Hippocrates peccet, cujus initium: Qui creſcunt plurimum habent innati caloris. Alter quoque Galeni commentarius contra ea, quæ à Juliano in Hippocratis aphoriſmos dicta ſunt. Fragmenta quædam Galeno attribuuntur, ex aphoriſmis Rabi Moyſis collecta, quæ meliori latinitate à me donata ſunt. Alia quoque ex Raſis libris excerpta, quæ ſingula tum Galeni tum Hippocratis doctrinam redolent.

Sapienter ut omnia Medica ſancivit Hippocrates, ac ſacro jureiurando devinxit Medicum idoneam ægris diætam pro facultate, judicioque præſcribere; ſi quis enim animadvertat ægrotantium victum, & ſanorum victui comparet, is certe ægrotantibus ſanorum nocentiorem victum comperiet, quam eum qui ferarum & aliorum animalium, ſanis, proindeque ut medicus ſuo perfungatur munere, idoneam ægris diætam religioſe præſcribat neceſſe eſt. At hancce Medicinæ partem maximam Galenum coluiſſe, & illuſtraſſe, tum diætetica quæcumque ſcriptis havavit præcepta ac commentaria, tum complures ægroti quos ſola diætæ lege percuravit fidem faciunt. Quum autem medendi ſcientia ratione duce, & comite experientia conſtituta tribus inſtrumentis morbum expugnet, diæta, pharmacia & chirurgia in tres propterea partes probè diſtribuitur, διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, καὶ χειρουργικήν; exquibus mutuo ſubſidio ac vinculo connexis conſtat θεραπευτικὴ, ita ut ſimul omnes in morbi expulſionem ac curationem concurrant, ac accedant opitulaturæ; proindeque διαιτητικὴ, θεραπευτικὴ, peculiari opere neque ab Hippocrate; neque à Galeno prodita eſt; ſed paſſim, & ubique in utriuſque operibus therapeuticis; tum univerſalibus, tum particularibus luculenter deſcripta. Quare in undecimo noſtri ordinis tomo διαιτητικὰ opera pauca continentur, ſed planè divina. Hippocratis, eſt liber de Diæta acutorum morborum, & Galeni in eum librum commentarii quatuor, quibus quæ in acutorum morborum, victu veteres omiſerint, & in quibus defecerint, edocetur. Ac primo quæ ſit ptiſanæ

conficiendæ

conficiendæ & exhibendæ ratio, & quæ facultates explicantur. Secundo primum exemplo pleuritidis, de fomentorum facultate ac uſu; deinde de repentina, tum in victu, tum in reliquis rebus mutatione fuſè latèque Galenus diſſerit. Tertio vini, mulſæ, oxymelii, aquarum, & balnearum facultates exponit. Quartus ex multis ac diverſis theorematis conflatus eſt, quorum plurima ad morbos acutos referuntur. Quintus commentarius Latine proſtat editus, qui Galeni liber de Diæta in morbis acutis inſcribitur, principio obtruncatus, quo in paroxyſmis quieſcendum, & quo tempore tum morbi, tum paroxyſmi alendum tractatur. Cæterum victus ratione febres immutari in libris de febribus docetur. Qualis debetur ægris victus, ſecundo de diebus decretoriis legitur. Quod ignorato morbo diæta non ſit præſcribenda, liber primus de criſibus aperit. Quod victus non ſtatim ante febrem, neque in febre, ſed in febris declinatione, ſi ferant vires, ſit exhibendus, in aphoriſmis revolvitur; ubi abundè de victu multiplici, tenui, tenuiſſimo, & pleno diſſeritur; hos & alios libros legite, & Galenum Diæteticum præſtantiſſimum extitiſſe judicabitis.

Hippocraticum illud oraculum magni ducendum eſt ac celebrandum; Medici fama quidem ac nomine multi, re verò, ſeu opere, quàm pauciſſimi curationem aggredi non probabili tantum ratiocinatione, ſed etiam exercitatione cum ratione copulata conſpiciuntur. Χειρουργικὴ, pars therapeutiches altera præcipua eſt quæ manu medetur ac θεῶν χεῖρες habet ſibi proprias, cujus oratio ac ratio ab Hippocrate laudabatur, ſic ab experimento principium ducat. Hanc artem Chirurgicam, non theoria dumtaxat, ſed & operâ ac manu tantopere coluit, ac excoluit Galenus, ut Chirurgum Medicum eo præſtantiorem neminem noverit poſteritas. Exploretur rei veritas primum chirurgicis operibus, quæ humano generi opitulentia ſuperſunt, quæque tomum noſtræ editionis duodecimum ſimul congeſta conſtituunt. Præcedit Hippocratis κατ' ἰητρεῖον, de Medici chirurgi officina, ſeu Medicatrina liber, tribus Galeni commentariis explicatus. Ac primus quibus inſtrumentis Medici officina adornari debeat, & chirurgus indigeat, explanat. Secundus deligationum, ſpecies, ac ferulas exprimit. Tertio quæ de deligationibus in genere dicta ſunt, ea ad fracturarum deligandarum rationem trahuntur. His ſubnectuntur quatuor Hippocratis libelli. Prior de ulceribus quopartiũ ulcera, acquę his ſuccedunt, tumores etiam explicantur, curanturque. Alter de fiſtulis liber, quo fiſtularum generatio, cauſæ, curationes, inteſtini recti inflammatio, humectatio, prolapſus, & ſtranguria exponuntur. Poſterior liber de hæmorrhoidibus, quo earum ortus varii que curandi modi proponuntur. Quartus de capitis vulneribus liber, quo capitis vulnera tractantur, ac curantur, quæ oſſe detecto, aut nudato, aut etiam perforato fieri ſolent aut quæ læſa membrana calvam tegente inferuntur. Hos libros quatuor quanquam commentariis non illuſtravit Galenus, eos tamen Galenum legiſſe, & celebraſſe ejus commemorant opera. Succedit Hippocratis de fracturis liber, tribus Galeni commentariis decoratus. Primo namque communis methodus curandi ſimplices cubiti fracturas tractatur. Ac primum brachio propoſito docetur quo pacto extenſiones, conformationes, deligationes, & poſituræ partium fractarum fieri debeant. Secundo curatio reliquarum fracturarum ſimplicium, luxationum, ac dimotionum, quæ in brachio ſumma manu, pede, tibia, calce, & femore contingunt, exponitur. Tertio fracturarum in quibus oſſa nudata ſunt aut partes exulceratæ, noxarumque gibbi cubiti, & genu curatio abſolvitur. Ut autem Galeni commentaria clariora fiant, & ad doctrinam Hippocraticam nihil frugiferum tenebris obliteretur, Palladii ſcholia in ipſum Hippocratis librum de fracturis in lucem protulimus. Serie verò ſua revolvitur Hippocratis liber de articulis, eximiis quatuor Galeni commentariis explicatus. At ut in libro de fracturis multa dicta ſunt, quæ ad luxationes attinent; ità his in libris multa de fracturis tractantur. In primo namque commentario de humeri articulo reſtituendo, de ſummo humero, ac de jugulo diſſeritur. Secundo de reliquis manus articulis, de maxillis, de naribus ac auribus curandis agitur, quum luxata vel fracta fuerint. Tertio luxationes abſolvuntur, ac quæ cæteræ manibus & cruribus obortæ noxæ manu tractantur. Intertexitur quoque excidendorum oſſium methodus, & ſtructuræ illius machinamenti, quod ſcamnum Hippocratis appellatur. Jam vero de faſciis tres auctores Galenum, Soranum, & Heliodorum advertimus, quorum libri prout in manuſcriptis Regiis codicibus comperiuntur, à nobis ſunt Græcè primum editi. Laudatur liber de laqueis a Galeno, in libris de faſciis, veruntamen qui de laqueis ex Heracle liber a nobis editur, is ad Oribaſium auctorem refertur. Id autem opus utiliſſimum eſt quum laquei non modo ad faſciandum, ſed etiam ad extendendum oſſa fracta, vel luxata, tum ad curanda, atque alliganda membra, dum manus adhibetur. Liber Oribaſii ſequitur ex Heliodoro de machinamentis, quæ ex Hippocrate, Galeno aliiſque auctoribus ab Oribaſio collecta, ad chirurgicas operationes, & morborum curationes maximè conducunt. Duo denique tomum hunc claudunt Hippocratis libri, quorum memor eſt Galenus; Prior mochlicus ſeu vectiarius, qui de oſſium per molitionem impellendorum ratione agit, alter de fœtus mortui exectione & extractione: In his autem omnibus ac pluribus cæteris in alias claſſes diſtributis operibus de chirurgia ampliſſimè diſſeritur, ubi Medicorum Chirurgorum indumenta, dotes, mores, ſtudia, ingenia, paratæ manus, ac manuum ungues, ſitus, inſtrumenta, ferramenta quamplurima, & conſimilia multa, tum chirurgicis operationibus obeundis, tum ægrotantibus curandis idonea enarrantur. Quod ſi tumores præter naturam, ulcera, vulnera, fracturæ & luxationes manus opem ac operam efflagitent, ac in chirurgorum manus incidant, ac de his omnibus dignoſcendis, præſagiendis, ac citò, tutò & jucunde curandis agat noſter Archiatros, non hercle oratione dumtaxat, verum etiam opere chirurgus agnoſcitur. Revolvite paululum libros de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους, καὶ κατὰ γένη; illic ſylva remediorum ratione compoſitorũ, & experientia comprobatorum comperietur, quibus tumores præter naturam detument, arcentur, reſolvuntur, ſuppurant, detergentur, munedantur, carne cava ulcera replentur, exiccantur, vulnera agglutinantur, & cicatricæ obducuntur, fracta oſſa, & luxata reponuntur; ac demum percurantur. Quam unitatis aut continui ſolutionem, Chirurgi ſibi propriam uſurpant, ad σύνθεσιν reducendam, ipſam Galenus excogitavit, ac in proprias partitus eſt differentias. Galenus Juvenis vigeſimum nonum ætatis annum incipiens, nervorum vulneratorum curationem invenit, quemadmodum palam ſignificavit, quum vulneratos gladiatores (quibus curandis a Pontificibus præficiebatur) in priore infernaque femoris parte

invento

invento præſidio curavit, qui prius aliorum Medicorum cura peribant. Mihi ne quidem unus, inquit, vel ex nervorum vulnere, vel alio mortem obiit. Qua verò methodo, & quibus remediis ipſos curavit, hiſtoria revolvenda perdocet. Galenus anno ſuæ ætatis trigeſimo quinto ſummi humeri laboravit luxatione, quam vinculi præſidio, & illitu ex oleo ipſe curavit. In anatomicis adminiſtrationibus pueri interiore ſterni abſceſſu laborantis hiſtoria legitur, cui ſanando curatrices manus attulit Galenus, qui aperto ſterno; & purulentæ materiæ data porta, ægrotantem ſanitati reſtituit. Quas ob res Galenum in chirurgicis operationibus Medicorum omnium celeberrimum, tum Medici, tum Chirurgi agnoſcunt, quorum præcepta; ac theoremata, ex Galeni operibus depromuntur.

Pharmaceuticen Medicinæ partem, quæ medicamentis perficitur, vocat Galenus; proinde numeros omnes artis Medicæ non complevit, qui pharmaceutices documenta, & exercitationes negligentiâ prætermiſerit. At non eam dumtaxat φαρμακευτικὴν intelligimus manuariam quæ delectu, præparatione, & compoſitione medicamentorum conſiſtit, quam artem quibuſdam Medicorum miniſtris pharmacopolis politica lex commiſit, ut medicamenta quæque, ad uſum Medicum parata ex Medicorum præſcriptis in officinis proſtarent, & aſſervarentur; verum etiam φαρμακευτικὴν Medicam quæ primum tum ſimplicium, tum compoſitorum medicamentorum facultates ſcrutatur; deinde indicationibus à morbo, cauſa morbifica, partibus affectis, & ægrotantium natura, ratione duce, & experientia comite petitis, medicamentum conficit, quum id parandum, aut componendum ex arte pharmacopolæ obſequenti miniſtro, pharmacopœus Medicus imperat. Utramque verò pharmaciam, tum manuariam, tum pharmacopœiam Medicam exercuit Galenus, licèt quidam imperiti, quos meritò ſues ſtolidos vocitat Sylvius, Galenum calumnientur, quòd operibus de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους καὶ κατὰ γένη, catalogum tantum compoſitorum, & à ſe, & cæteris, medicamentorum recenſeat, ſed componendi methodum nuſquam tradat. Probamus (inquit Sylvius) hanc methodum, ceu animam quandam Galenicis locis propè omnibus interſperſam. Prodeant itaque Pharmaceutica Galeni opera ultimo noſtræ editionis tomo concluſa, quo philiatri Galeni Medicinæ principis exemplo non modò medicamentorum theoriæ mentem adhibeant; ſed & compoſitioni ingenioſas manus admoveant, ſoloque nomine Medicos habeant, qui ſimplici pharmacô, ut ſennâ, & unicâ phlebotomiâ ægros omnes ſanandos impunè ſuſcipiunt. Imprimis autem revolvendi veniunt undecim illi germani Galeni libri de ſimplicium medicamentorum facultatibus; quorum primo exemplis aquæ, & aceti propoſitis, quibus rationibus explorandæ ſint ſimplicium medicamentorum facultates oſtenditur. Secundo unde veteres erraverint exponitur, pravæ eorum rationes propelluntur; ac olei, & roſacei exemplo vera docetur ratio facultatis medicamentorum judicandæ. Tertio quæſtiones logicæ de actione ſimplicium medicamentorum abſolvuntur, quæ ceu elementa ſunt totius tractationis de ipſorum facultatibus. Quartô agitur de tenuibus, & craſſis partibus; ſaporum & odorum eſſentia & facultate, quæ in medicamentis ſimplicibus conſpiciuntur. Quinto de cæteris principiis facultatum, quæ primis ſuccedentibus medicamentis inſunt, & ex affectibus quos edunt denominantur. Sexto agitur de effectricibus ſingulorum medicamentorum ex plantis ductorum qualitatibus, quorum hiſtoria ad nonum uſque librum excurrit. Nono itaque terrarum, ac metallicorum facultates explicantur. Decimô ſimplicium quæ ex animalibus ſumuntur medicamentorum facultates. Undecimo medicamenta ſimplicia quæ ex animalibus deprompta ſuprà haud explicata ſunt, ac quæ ex mari, & ſalſis aquis proveniunt, explanantur. Duodecimus eſt Galeni Liber, qui ſimplicium medicamentorum ſynopſis inſcribitur, ex manuſcriptis codicibus à nobis deſcriptus, ac Latinè proditus. Decimus tertius Galeno aſcriptus Liber De ſimplicibus medicamentis ad Paternianum. Decimus quartus aſcriptus Galeno Liber De plantis ab Arabicô in Latinum dumtaxat revocatus. Decimus quintus Galeno aſcriptus Liber De virtute centaureæ, qui quamvis haud Galeni ſit, Galenicam tamen Doctrinam ſapit. Decimus ſextus ſuccedanea complectitur ſimplicia. His ſuccedit opus De compoſitione medicamentorum ſecundum locos, decem libris illuſtratum, quorum primus pilorum, ac ſummæ cutis capitis idonea medicamenta complectitur. Secundus ad dolores, contuſiones, ulcera, & cæteros capitis affectus medicamenta. Tertius ad aurium, & narium affectiones medicamenta. Quartus medicamenta oculorum affectibus idonea. Quintus ad reliquas faciei, dentium, & gingivarum affectiones medicamenta. Octavus ad ventriculi, & hepatis affectus medicamenta. Nonus cætera affectuum hepatis, & lienis, inteſtinorum, ſedis, pudendorum, ac uteri medicamenta explicat. Decimus ſuccurrentia renum, veſicæ, coxæ, & articulorum affectibus remedia complectitur. Opus conſtruunt egregium ſeptem libri de compoſitione medicamentorum per genera. Primô namque methodus, & uſus componendorum medicamentorum, & emplaſtra quædam ἐπουλωτικὰ, ut candida exponuntur. Secundô emplaſtra viridia, melina, gilva, aliiſque donata coloribus, cephalica, & catagmatica. Tertiô quæ ad vulneratos, punctos, contuſos & quôcumque modô læſos nervos conferunt medicamenta proferuntur. Quarto quæ putridis ac malignis ulceribus, nomis, & δυσεπουλώτοις ſuccurrunt medicamenta, continentur. Quintô multiplicis uſus emplaſtra, paſtilli, & arida comprehenduntur. Sextô emplaſtra multiplicis uſus ad nomas conferentia, quæ attrahunt, concoquunt, & diſcutiunt, declarantur. Septimô agitur de emollientibus, laxantibus, & laborem tollentibus emplaſtris, quæ malagmata, chalaſtica, & acopa dicuntur. Opus de antidotis duo libri condiderunt. Primô theriacæ, tum Andromachi, tum Damocratis compoſitio docetur, & quæ eam ingrediuntur ſimplicia explicantur. Alterô de Mitridaticis, & quibuſdam Andromachi, Damocratis, Aſclepiadis, Apollonii medicamentis agitur ad phtiſim, venena, ſerpentium noxas, ſcorpiones, phalangiorum morſus, viperæ, canis rabidi morſum, & ſimiles affectus conferentibus antidotis. Subſequitur Liber de theriaca ad Piſonem in quô de theriacæ commendatione, & compoſitione tractatur; Alter quoque ad Pamphilianum, quem Galeno quidam aſcribunt. De clyſteribus fragmentum parvum editum eſt Galeni; ſed paulo majus nobis ſapientiſſimus Moræus in Philiatron benevolentiam ſuppeditavit. Duo denique Libelli tomum abſolvunt; alter de ponderibus, & menſuris inſcribitur;

alter τὰ ἀντιβαλλόμενα complectitur. At quatuor modis artis pharmaceuticæ ſummum Galenus adeptus eſt. Primò peregrinationibus quàcumque in plurimas Aſiæ, ac Europæ regiones deductis, ex quibus varia remedia variis gentibus uſitata in patriam devexit, quæ ſibi ac amicis Medicis exploranda partitus eſt. Nam ut tum nova & incomperta ſimplicia intueretur, & in unoquoque genere exquiſitiſſima ſibi compararet, navigavit Cyprum, Lemnum, Cretam, & Paleſtinam Syriæ, & quæ loca peragrare non potuit, inde ſibi adferri curavit. Itaque in operibus de compoſitione medicamentorum per genera, adhortor, inquit, amicos meos, ſi artis opera pulchre obire voluerint, ut me imitentur, qui ex omni natione quotannis præſtantiſſima medicamenta ut mihi adferantur curo, quod perditi illi rerum cujuſcumque generis emptores illa in dies depravent. Enimvero in ſimplicibus medicamentis non modò univerſè eruditus fuit Galenus, verum etiam in ſingulis ſummopere exercitatus. Quanquam nullum propè Medicamentum nominaverit, cujus Dioſcorides quique eum præceſſerunt Botanici Medici non meminerint; nihilque præterquam quod jam priſci docuerant, ipſe doceat, nihilominus non modo jam dictata ſcripta, & cognita ſimplicia ſummo ſtudio expertus eſt, verum etiam ea ad univerſalia quædam redigit & graduum differentias aſſignat; in quo certè plurimum judicii diligentiæque adhibuit, in iis præſertim quæ guſtare, & judicare accuratius voluit, & auſus eſt, quædam enim vehementiora guſtare non ſuſtinuit, ut thapſiam, aliaque erodentia, & univerſales, tertiaſque facultates ex primis, & ſecundis, quemadmodum & ex his primas quaſdam collegit, licet hæc non perpetuo ſuccedant. Quædam enim tota agunt ſubſtantia, aut qualitatibus, & facultatibus occultis, quædam vero per accidens, imo idem interdum à diverſis capitibus produci videtur. Deinde vero collectione tum ſimplicium, tum compoſitorum medicamentorum quæ paſſim apud expertos Medicos comperiebat, quorum multitudine ejus opera κατὰ τόπους καὶ κατὰ γένη de antidotis decorata, ac locupletata ſunt. Tertio medicamentorum ſedulo quæſitorum reconditorio (ἀποθήκην ipſe vocitat,) quo quæque tum ſimplicia rariora, tum compoſita pretioſa oculis perpetuo obſervabantur, manibus tractabantur, & promptiora ad morborum curationes prodibant. Quarto denique frequenti medicamentorum compoſitione quam ex ſimplicibus ab apotheca propria, aut Cæſaris, aut aliunde mutuatus conſtruebat, quemadmodum in libris de antidotis ſeſe Cæſari Antonio theriacam apparatè confeciſſe libris divulgavit.

Κομμωτικὴν artem comptoriam definitam quæ fucò aſcititiam pulchritudinem inducit, inter vitioſas artes reponit Galenus, Medicinæque partem eſſe negat & eam veteribus probro fuiſſe hiſtoriæ fidem faciunt. Rex Macedonum Philippus qui quemdam capillorum tinctura ſuperbientem ex ordine judicum proſcripſit. Vir Chius jam ſenex canitiem tinctura obliterare conatus, quum in publicum de rebus ſuſceptis orationem habiturus progreſſus eſſet, tum ſurgens Archidamus; Quid ille tandem (dixit) rectum diceret, qui mendacium non in animo ſolum ſed capite quoque circumfert? At verò (inquit Galenus) faciei colorem per pharmaca nitidiorem aut rubicundiorem efficere, aut pilos capitis criſpos, aut fulvos, aut nigros, quemadmodū mulieres aſſolent, in longitudinem porrectos & auctos, hæc ipſa, & ejuſmodi cætera comptoris maleficii exiſtunt, nòn Medicæ artis opera. Verum propter ſocietatem quam cum illis haberem, interdum ad regiarum fœminarum, atque adeo ipſorum regum imperium etiam comptoria adjungimus, quum his negare non liceat docendo tamen comptoria Medicinæ partes non eſſe. Licet verò Galenus comptoriam hanc artem ab arte Medica procul expulerit, ac de ea nulla præcepta quo ſæculi ſui calumnias vitaret, ſcriptis tradiderit, Heraclides tamen Tarentinus, Archigenes, Crito, aliique inſignes Medici ſcripſere, quorum ut & Cleopatræ quædam comptoria pharmaca libris κατὰ τόπους Galenus ipſe inſeruit, neque tam ſeverus extitit, ut omnem prorſus ornatum è Medicina ſubmoveret; propterea inter partes Medicinæ *exornatoriam* recipit, ut quæ naturalem corporis pulchritudinem tueatur. Si qua verò princeps, aut alia mulier faſtu non turgida, genuino aliquo pulchritudinis radio non donata, marito ſuò non placeat, ac de coſmeticis remediis quibus juſtos mariti venentur amores, medicum conſultat, is ni ipſa in aliena ac periculoſa agirtarum comptoria incidat, ut artem medendi rerum Phyſicarum univerſalium, ac particularium ſcientiam uberrimam eſſe, ſeque omnia ſapere ſignificet, ac ſi mihi ignoſcant Galeni manes, tam moleſto ac honeſto morbo ſuccurrere, quamprimum coſmetica; etiam commotica pharmaca præſcribere, ac conficere pietatis, ac medentis opus eſt; ſi neque corpori, neque ſanitati, neque animæ moribus officiant. Nemini verò venenum lethale precibus evictus dabo, neque hujuſce conſilii author ero, ita jusjurandum ſancivit Hippocrates; ſic etiam Galenus nunquam venenorum uſum probavit, quæ quia toto genere præter naturam ſunt, ea in hominum perniciem ac ſubitaneam necem edita philanthropos noſter à Medicorum ſchola ac probitate releganda ac reticenda eſſe cenſuit; ſcriptis verò mandare reprehenſionis; eorum compoſitiones docere, improbitatis; alicui propinare, ſupplicii mulcta digniſſimum judicavit. Orpheum namque Theologum, Horum, Mendeſium, Heliodorum Athenienſem, & Aratum arguit, quod deleteria pharmaca compoſuerint. Exemplum ipſe adfert Medici qui quod venenum præſcripſiſſet, meritas ſupplicii pœnas luit; deleterias tamen venenorum omnium qualitates, ac facultates ignorare Medicos non decet, imo ut homines veneno aliquo oblæſos veris ac propriis alexipharmacis, ac alexiteriis ipſi curent, ſanitatique reſtituant, venenorum theoriam omnem, ac pravos uſus ſapere neceſſe eſt, alias ab Apollineo tripode ac principum aula procul ò procul ite profani. Plena ſunt Galeni opera remediis quamplurimis, quibus quodve venenum certiſſimis prius ſignis detectum expugnari queat, & quæcumque horrenda ab eo prodeunt ſymptomata profligari. At magica opera φίλτρα, ἀγώγιμα, ὀνειρώπομπα, ac μίσητρα quæ amores conciliant, quæ ad voluptates pelliciunt, quæ ſomnia ac ſomnos mittunt, quæ odia pariunt ac concitant, nominavit dumtaxat Galenus, ſed hæc neque ſcriptis probavit, neque experiri voluit, aut ſi fuerit expertus, reticuit, quemadmodum & θανάσιμα φάρμακα lethalia venena, quæ παθοποιά vocitant. Item illa ſanè ridicula ſunt, conſtringere, ac vincire adverſarios, ut in judiciò nihil poſſint eloqui, aut gravidæ abortum adferre, aut ut ne unquam deinceps concipiat,

concipiat, efficere, & quæcumque ſunt hujus generis cætera, quorum plurima aut ſunt ἀδύνατα aut ſi confici queant, mortalium vitæ ſunt noxia. Hæc & plura de magicis, vanis, ac pernicioſis artibus loquitur ſapientiſſimus Hippocratis interpres, ac multis rationibus, ac documentis in tot nugarum ac ſcelerum authores invehitur. Utrum Galenus ſomniis fidem adhibuit? ea quæ ſequuntur ſolvunt. Quæ ſomnia divinitus ſomno ſepultis mittuntur θεοπέμπτους ὀνείρους Philo vocitat; theorematica Scaliger θεοπνεύς. Herophilus, & præ divina Plinius, quibus quod eſt cernitur; quod futurum eſt prædicitur; quod profuturum ac obfuturum beatioribus à Deo aut Angelo, aut ab arte denuntiatur. Galenus itaque ejuſque pater Nico θεοπέμπτῳ ὀνείρῳ fidem adhibuerunt, quo Æſculapius, aut ſanctior Angelus Niconi apparuit, imperavitque ut filium Galenum ad medendi ſcientiam adipiſcendam adhortaretur ac promoveret. Paruit ſomnio Nico, paruit Galenus, neutrumque fefellit ſomnium. Prætumente lingua ſexagenarius quidam ægrotus laborabat, cui curando Galenus revellentes pilulas deorſum annuentibus cæteris Medicis præſcripſit, repellens verò topicum in poſterum diem refrigerans ob diſſentaneam Pergamenæ propoſitionis aſtantium Medicorum ſententiam diſtulit, ſed per quietem ſomnio illud comprobatum ac judicatum remedium (quod Lactuca erat) parti laboranti admovit. Quum etiam Galenum Hypochondrii dextri diaphragmatis, & hepatis dolores vexarent, & abſceſſus metueretur, tum archiatros ſomnio monitus poſitam inter pollicem & indicem digitos dextri brachii arteriam ſecuit, quæ quoad ſanguis (qui aduſque prope libram effluxit) ſponte ſiſteretur, aperta relicta eſt; ſubindeque à pravo affectu liberatus eſt. Præterea Sacerdos Dei Æſculapii Pergami ſomnio monitus ſecta ſummæ manus arteria, lateris dolore ſolutus eſt. Quin etiam in pleriſque commentariorum Galeni foliis conſimiles hiſtoriæ revolvuntur, quæ Galenum ſomniis crediddiſſe divulgant. Enim verò partes morbis affectas prædominantes in corporibus humores, humorumque qualitates & exuperantias, judicia, & opportuna remedia ex inſomniis noviſſe, tum Hippocratem, tum Galenum eoſque ſomniorum interpretes, ac proinde vaticinantes, Jovis miniſtros (ab Jove namque ſomnia mitti, ac objici ſcribit Galenus) ac medicos ſomniorum conjectores, & ſcriptores eſſe animadvertimus ὀνειρολογίαν Medicam perutilem eſſe, non autem magicam & inanem quæ ultra Medicinæ limites divagatur commoticen.

Libros Galenus eô conſiliô ut divulgarentur perpaucos, tribus cauſis impulſus ſcriptis mandavit. Prima, quò amicis ac familiaribus præcipuè longam profectionem ſuſcipientibus gratificaretur, ut ſponte illis rogantibus, aut invitò propemodum exoratus. Ejuſmodi verò ſunt omnes, quos introducendis compoſuit. Ac præ cæteris libri; Quod animi mores corporis temperamenta ſequantur; De optimâ noſtri corporis conſtitutione; De bonô corporis habitû; de diebus decretoriis; In Epidemiorum libros commentarii; De Medicamentorum facultatibus, Contra Julianum; Adverſus Lycum; De differentiis pulſuum; Methodi medendi libri priores ad Hieronem, & eô defunctô reliqui ad Eugenianum. Commentarius in Prorrheticum Hippocratis. Sic in Glauconis Philoſophi, Boëthi viri conſularis, & aliorum quorundam primariorum gratiam multa conſcripſit; multa etiam in communem amicorum aut inferioris conditionis hominum uſum, quod eum facere non piguit, ut voce uti interdum non dubitarit humaniſſima illa, ſe vel unius tantum gratiâ, quem modo veritatis ſtudioſum noviſſet dicturum, ſcripturumque omnia. Altera ut commentando ad rem aliquam propoſitam ſeſe exerceret, & ingenium non ſineret otio languere, ſed lucubrando excitaret. Tertia denique ſuorum ſtudiorum opportuna commoditas, cujus gratiâ parvis tantum ſuorum inventorum capita conſignare ſolebat (amicis verò rogantibus poſtea elaborabat, & plenius explicabat) & ut Plato inquit, adverſus oblivionem Senii commentarios reponebat. Inprimis autem operam dedit ut quæ ante ipſum ab aliis obſcurius, aut imperfectius erant tradita, dilucidiùs, ac pleniùs exponeret. Ut autem veritatis unicæ aduſque divinum quendam furorem perpetuò ſtudioſus extitit: Ita neque loquendo, neque ſcribendo, gratiæ, aut odio quicquam dedit; & ut quam veriſſimè omnium literarum monumentis traderet, ſummoperè curavit, mentiendi cauſas nullas ſe habuiſſe teſtatus. Quinimo ſibi etiã ne quis credat niſi accedente ratione hortatur. Id verò eſt veritatem, quàm ſeipſum magis amare, quô nihil pulcriùs, nihil divinius, neque φιλοσοφώτερον quicquam homini contingit. Hinc adeo nihil niſi in ipſo medendi actu à ſe declaratum, aut aliter examinatum, probatumque in conſcriptos à ſe libros retulit. Quâ in re Medici priores multi aberrârunt, ac Eraſiſtratus, vir alias prædicandus, arguitur; & Dioſcorides Anazarbenſis notatur; & noſtrô quoque temporè factitare homines aſſolent, qui domi deſides quicquid in mentem venerit, promulgare ſtatim non verentur, & de remotiſſimis etiam rebus, quæ fortaſſis nunquam ad eas in quibus ſcribunt regiones accedent, ut trippotami aut elephanti ſanguine, aut re aliâ conſimili, aut peregrinâ, aut etiam deteſtandâ, citra experientiam, nulloque fructu aliqui nugantur. At Galenus accuratam dierum criticorũ explorationem fecit, priuſquam artem traderet. Nec enim ita movit ſenis authoritas, ut illi fidem citra ſenſus aſſertionem de rebus omnibus ſimpliciter haberet. Medicamentorum ſimplicium commentarios, quum longe priùs cœpiſſet, undecimô demùm annô pòſt in lucem edidit, quod pharmacorum quorundam naturam ipſemet adhuc non comperiſſet; ut comperiret autem ad diverſa remotaque ſe contulit, ut abundè prodidimus. In artis etiam uſû, alia haud adhibuit remedia quàm de quibus experientia ipſi conſtaret. Ab ambitione verò cum alias, tum ſcribendo, quam fuerit alienus, hoc unum luculenter aperit, quod nulli librorum ſuorum ſuum ipſe nomen inſcripſerit; quæ inter alias fortaſſis cauſa eſt cur ſpurii quidam pro germanis accepti ſint. At quum adoleſcens ſui exercendi cauſa potius quam alios docendi quædam opera condiderit: ac ætatis progreſſu ad ultimam uſque ſenectutem nunquam à lubricandi ac elaborandi labore deſtiterit, magnum ætatis ratione qua ſinguli ab eo conſcripti ſunt libri in eis diſcrimen eſſe quis dubitet? fatetur ipſe ſe juvenem ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum tertium curioſius, & ambitioſius quædam ſcripſiſſe, quid igitur de illis ſentiendum, quæ in adoleſcentia, ac fere puer etiamnum exaravit? ſed ea forſan pleraque non amplius extant. Tradit ſe anno ætatis ſuæ trigeſimo quarto multos jam

jam libros ſcripſiſſe ; rurſuſque eô tempore quo Romæ degeret. Secundò (circa trigeſimum quintum & trigeſimum ſextum ſuæ ætatis annum) quum Antonini è Germanico bello reditum expectaret, multos quoque ad Philoſophiam, ac Medicinam (de pulſibus præſertim, de ſignis aliis, criſibus, diebusque criticis, & de differentiis febrium) ſpectantes libros conſcripſiſſe ; quos poſtea amicis flagitantibus legendos permiſerit ; & apud illos tantum moraturos ſperaverit, quos indignis (qui non ut ediſcant, ſed ut calumnientur, legunt) offerendos arbitratus eſſet, ne amicis quidem præbuiſſet. At librum de locis affectis in ſenectute compoſuit. Plurima certè ſcripſit opera Galenus Philoſophica, Medica, Grammatica, Geometrica, & alia quorum numerum, rationem, & modum ipſe exponit duobus libris huic muneri dicatis, quibus partem eorum jam tum interiiſſe docet templi pacis incendio (quô ſimul omnes etiam bibliothecæ palatii conflagrârunt) in quô reponere ſuos labores conſueverant ejus temporis ſcriptores. Porro, qui Galenum ſcribendi commentandique diligentiâ vicerit, ſcriptorumque in ſingulis propè artibus numerô ſuperârit, invenias neminem. Ad quingentos enim omnes ſcripſit ; quot vix ſcribendo tantùm abſolvere quiſquam, nedum meditari ſimul, ac literis mandare potuiſſe credatur ; quorum tamen vix dimidia ad nos pars appulit, ut doctiſſimus Julianus Alexandrinus animadvertit. Horum autem quidam incendio ſunt abſumpti ; alii propter barbariem temporum, Aſiam, Græciamque obſidentem, aliaſque ob cauſas perierunt ; nonnulli forſan, quod declamatoriè & juveniliter eſſent inſcripti : Joannes verò Fernelius in Medicinæ ſuæ præfatione, præter ducentos, & quadraginta, inquit, quos de aliis diſciplinis, de Medicina ſupra quadringentos conſcripſit. Athenæus dipnoſophiſta, Galenus, inquit, tot philoſophica, & medica volumina condidit, ut ſcriptores ante ſe ſuperarit omnes. Hanc Galeni ſcriptorum excellentiam, non ita multo poſt doctiſſimorum hominum ſcholæ omnes agnoverunt, quum relictis ſectarum nugis, veram Hippocratis artem, ita tum ſtabilitam, ut nulla ſophiſtarum injuria ſubverti poſſet, amplecti ſolum & candidè colere cœperunt ; quo tempore ex ea ipſa certam opem, & auxilium tutum mortales homines percipere potuere, quum priùs non minùs periculi ab arte ſæpe, quam ab ipsô morbô extitiſſet. Agnoverunt quoque non poſtremi viri Arabes, impigri diſciplinarum cultores, qui monumenta ejus univerſa, & in ſuam linguam converterunt, & aſſiduâ manû verſarunt, donec ſublatis injuria temporum, aut certe ſuppreſſis Græcis exemplaribus, Latinis quoque ſcholis interpretationes ſuas commodarent, non quidem tanta cum fruge, quantam ex ipſo haurire ſtudio licebat ; attamen non ſine ſua quoque utilitate. Præſtitit enim ex illorum monumentis ita philoſophari, quàm in priſtinum ſectarum lubricum relabi rurſus. Sed rediit ille tandem nobis, & in gymnaſiis audiri iterum geſtit. Gallicis autem atque Italicis ſcholis vehementer gaudet, quarum ſoliditatem, integritatemque in diſciplinis utinam hodierna juventus ſtudioſiùs æmuletur.

Duo potiſſimum idoneo Philiatro, facili citoque modo medicinam adepturo neceſſaria, Hippocratis lege ſanciuntur εὐφυΐα ſeu φύσις ingenium, ac φιλοπονία ſtudium oblectabile ; quæ duo in Galeno comperta hanc in controverſiam concidunt, quodnam in eo majoris ſit admirationis. Tria apud Xenophontem acuta, ac proba ingenia ἀγαθὰς φύσεις ſequuntur, & explorant, celeriter diſcere, memoriâ tenere, & iis ſtudere diſciplinis, quibus proſpera ſuccedit utilitas. Quartum addit Philo, rebus inventis intuitu difficilia comminiſci. Nam magna ingenia multa nova ad ſcientias moliuntur. Quintum denique Tullius, explicandi ornandique ubertatem. Quæ ſingula Galenum ſi decoraverint, ipſum hercle ingenioſiſſimum venerabimur. Num celeriter didicit qui decimo quinto ætatis anno ſcientiarum liberalium encyclopediam univerſam adeptus eſt ? qui prævias Medicinæ diſciplinas nullas ignoravit, Grammaticam, Rethoricam, Poëticam, Hiſtoriam, Arithmeticam, Geometriam, Opticam, Muſicam, Coſmographiam, Geographiam, Chronologiam, Aſtrologiam, Logicam, Phyſicam, Ethicam, Metaphyſicam, Theologiam ? qui linguas univerſas novit Græcas, Jonicam, Atticam, Communem, Æolicam, Doricā, Latinas vernaculas, & barbaras? Num citò didicit qui condiſcipulos ſuos omnes cita doctrina ſuperavit ? Qui Sectas Philoſophicas omnes ſtudiô conſequutus eſt ? Qui univerſæ Medicinæ partes & ſectas anno ætatis vigeſimo non ignoravit ? At horum omnium theſaurum memoriam feliciſſimam habuiſſe Galenum operæ pretium eſt, qui innumeras Aſiæ & Europæ Bibliothecas adiit, cedrinoſque earum theſauros exhauſit ; qui plurimorum authorum volumina oculis ac mente revolvit ; qui pleroſque ſcientiarum profeſſores audivit ; qui multas regiones peragravit, & quæ in illis noſcebantur ac parabantur remedia, ea ſingula ad Pergamenſium uſum, ac deinceps ad poſterorum hominum ſalutem contulit, ? Age verò perpetuam ſibi memoriam conſtruxit Galenus propriis operibus quæ authorem ſuum emori ejuſque ſapientiam contabeſcere ac conſeneſcere prohibent. Nonne communi hominum utilitati ſtuduit, ac incubuit qui medendi artem omnium artium utiliſſimam, imò maximè neceſſariam numeris omnibus abſolutam ſuis commentariis reddidit ? Qui nugis ſophiſticis omnibus prætermiſſis nudam, unicamque veritatem optimam profeſſus indagavit, ac obtinuit ? Qui ſenſibus haud quaquam perpetuò immoratus, ad diviniorem partem, rationem, ſolam Diis, ac hominibus communem acceſſit ? Qui (inquit) poſteros homines juvare quantum in me ſitum eſt peropto ? admodum ſolers ac inventor Galenus dicendus eſt qui tot ac tam præclara præcepta tum Philoſophica tum Medica excogitavit docuitque, quamplurima verò marte ſuo, proprioque genio didicit, nullo edoctus ac ductus præceptore, adeò ut quæ de Moſe Philo, eadem de Galeno hæc effari cælitus cogat, anima bene nata præceptis obviam ſeſe offerens à ſe ipſa magis quàm à magiſtris adjuvatur. Quas enim partes in anatomicis adminiſtrationibus prius ignotas, poſteris ſuo marte per anatomen promulgatas non edidit ? Quos uſus, quas actiones partium ante ſuas diſſectiones nondum divulgatas in divinis de uſu partium libris, aliiſque in commentariis non edocuit ? Quæ de pulſibus nova ac admiranda non deſcripſit ? Quæ pharmaceutica, quæ diætetica, quæ Chirurgica, quæ denique therapeutica omnia ſanitati reſtituendæ, & morbis profligandis idonea non excogitavit, de quibus hic jam ſemel diſſeruimus ? Quum autem

autem aliquot dogma aſtruit Galenus, tot tantiſque rationibus illud explicat, tam manifeſtis experimentis tutatur, ac tanta verborum amœnitate, & ubertate proſequitur, ut certum ratumque ab omnibus judicetur. Quare certiſſima in Galeno conſpicitur Oratoris ſententia. Ut hominis decus eſt ingenium, ſic ingenii lumen eſt eloquentia, quæ ubique monumentorum Galenicorum deprehenditur. Quæ quum ita ſint, Galenum αὐτομαθῆ, εὐμαθέστατον, μνημονικώτατον, χρησιμώτατον, περιεπινοητικώτατον, ac proinde καὶ εὐθυῤῥήμονα, ingenioſum fuiſſe ſpeculati ſumus. An verò peræquè ſtudioſus fuerit, jamjam examinandum. Si certè ſtudium aſſidua ſit, ac vehemens ad rem aliquam applicata magna cum voluptate occupatio, quemadmodum eloquentiæ parens protulit, & in diſciplinis omnibus, ac potiſſimum in Medicina ediſcenda, & exornanda totus toto vitæ ſuæ curriculo occupatus fuerit, quemadmodum omnium prope operum ab eo conditorum pelagus declarat, quis præter otioſum, & ignarum noſtrum Hippocratis genium ſtudioſum fuiſſe negabit? Præclarè ſummus præceptor medendi ſcientiam adepturo φιλοπονίαν neceſſariam eſſe ſanciebat, laboris ſtudium ad multum tempus, quoad diſciplina veluti gravidata feliciter, ac proſperè creſcendo maturos fructus afferat, quales in Eliſyis Galenicis melle dulciores, & Panacæa ſalubriores quiſque Medicus bonis ægrotantium rebus colligit. Nonne ſtudioſus eſt qui per multas ſcientias, ac artes ſublimiores, & univerſam Medicinam ſtudio amplexus, & conſequutus excoluit, eorumque præcepta ac commentaria quamplurima conſtruxit? Qui plurimas regiones inſpiciendi ac diſcendi ſtudio ductus peragravit? Qui plantarum, metallicorum, & animalium facultates, proprietateſque omnes ſtudioſè perſcrutatus conſcripſit? Qui denique ſtudiorum ſuorum monumentis univerſum orbem ſaluberrimè replevit. Quas ob res utrum φιλοπονίαν magis quam εὐφυίαν aut utramque peræquè coluerit, aut in qua magis excelluerit Galenus, quiſque bonæ indolis, ſtudioſus, ac ingenioſus æquiſſimam dabit ſententiam.

Venerari principes priſca lex imperat. Hippocratem autem Medicorum ac Philoſophorum omnium Principem, divinum bonorum omnium authorem Galenus agnoſcit, ejuſque veriſſima dogmata ſequutus, ac æmulatus eſt. At quantopere Hippocratis doctrinam omnis ſolidioris medendi artis fundamentum & univerſam priſcam Medicinam excoluerit, ut & illuſtraverit multifariam ordine, methodo, ac præceptis, & argumentis confirmarit diſertiſſimè, oratione verò diſerta, ac eleganti expoſuerit uberrimè, & remediorum ſimplicium, compoſitorumque deſcriptionibus loupletârit copioſiſſimè, tanquam medicorum qui ſunt, quique fuerunt, omnium Διαλεκτικώτατος, ἢ φιλοσοφώτατος μᾶλλον, ἀματερητοεικώτατος, καὶ λόγῳ, καὶ Ἐμπειρείᾳ ἐπιφανέστατος reipſa, & omnium eruditorum conſenſus loquitur clarius, quam ut multis ad id explicandum ſit opus verbis, niſi quis in ipſam meridiem lumen inferri poſtulet. Pauca tamen, ut in ipſius laudibus animos paſcamus, tantique beneficii grata commemoratione nos oblectemus, & ad ejus exempli imitationem optimum ac ingenioſiſſimum quemque invitemus, dicenda fuerint. Quum igitur olim principes tantum viri philoſopharentur, Hippocratis præſertim ſeculo, & ante id ipſe etiam Hippocrates è magna gente Heraclidæ nimirum filius, ab Hercule, Æſculapioque genus ducens, genere, & opibus præclarus ad Philoſophiam, ac Medicinam acceſſit. Et quanquam gentiles ejus Aſclepiadæ, artem ſuæ familiæ hæreditariam detinerent, nec exteris communicarent, ipſe literis non ſolum particulares hiſtorias, & remedia ſingula, ſed artis etiam methodum, præcepta, & præcipua capita mandare cœpit ingenuo candore, & magna liberalitate, quaſi hoc ipſum ageret, ut non Aſclepiadæ ſolum qui degenerare poterant, & genus eorum extingui, ſed optimus quiſque ad artis communicationem omnibus neceſſariæ, ideoque in medium proponendæ admitteretur. Sed ut nihil inchoari ſimul, & perfici, perpetuoque integrum ſervari, à mortalibus poteſt; ita & ars Medica ab Hippocrate inchoata, & ſcriptis primum ratione tradita, multis poſtea ſeculis tanquam vaga variiſque divulſa ingeniis à Galeno demum, tanto poſt tempore veluti altero Hippocrate, quem in illo ἀναβιώναι dixeris, expoliata, & confirmata, perfectaque propemodum tota eſt. Quum enim peræquè ac Hippocrates in philoſophia præclarè verſatus, & ingenio liberali donatus eſſet, rebuſque ad hoc efficiendum, quantum tulit humanitas, omnibus inſtructus, opus tam eximium, & conari voluit, & perficere potuit. Videntur autem primi illi circa Hippocratem Medici, & ipſe primus in ſingularum tantummodo rerum, inquiſitione, quæ demonſtratione peragebatur, verſati. Qua ratione etſi permulta problemata ſubtiliter invenirentur, ac diſſolverentur, non tamen per illam conſtabat modus ullus totam diſciplinam conſtituendi, ex ſuis partibus in proprium ordinē digeſtis; ſed ſparſim, & abſque arte plerumq; tradebatur, quod præcepta artium tradendarum nondum haberentur; adeoque ne demonſtrationum quidem regulæ præſcribebantur; ſed utebantur quidem demonſtratione illi ad inquiſitionem rerum, artem verò demonſtrandi, quæ præceptis conſtaret, nullam tradebant, quemadmodum eodem tempore in Philoſophia etiam à Platone factum videmus; apparet enim ex ejus libris demonſtrativæ artis præcepta eum non ſatis calluiſſe, aut certè non abſolviſſe (& ea interdum, pro firmis ratiſque principiis poſuiſſe, quæ è ſacris literis, aut majorum authoritate petuntur; quæ ſi è ſacris ſumenda ſint ad demonſtrationes, eadem opera quæſtio ex eiſdem ſumi poterat, ut demonſtrari eam nihil neceſſe ſit) & ſcientiarum limites non obſervaſſe, ut qui multa è diverſis ſcientiis, in eundem librum congeſſerit. Sed Philoſophiam, ſtatim ſequutus Platonem, Ariſtoteles perfecit, præcepta demonſtrationum reliquit, ſcientiarum limites circumſcripſit; & ne quid ad perfectionem totius artificii in docendo deeſſet, quo diſciplinarum quæſtiones per inquiſitionem ἀποδεικτικὴν inventæ, ac diſſolutæ aptæ connecterentur, poſtremò ipſarum ordinem pulchrè digeſſit, quatenus jubet ab univerſalibus incipientes ad ſingularia deſcendere, idque cùm alibi diſertè, tum clariſſimè in Libro de generatione animalium oſtendit. Sic in Phyſiologia affectiones, τὰς καθόλου quæque rebus naturalibus univerſis conveniunt, primo loco expoſuit; deinde ea quæ ſunt minùs communia, & in pluribus rebus naturæ, non tamen omnibus conſpiciuntur; ultimo loco, quæ ſingulis ſpeciebus peculiariter inſunt. Eoque modo totam Phyſiologiam in totidem libros diviſit, quot ſunt affectionum differentiæ. Quum igitur univerſa diſciplinarum methodus conſiſtat in ſingularium quæſtionum inquiſitione, quæ demonſtratione fit; aut in poſitione, atque ordine partium totius diſciplinæ; ubi demonſtratione fuerint inventæ; illam totam abſolvit Ariſtoteles acceptis quibuſdam, à majoribus, ſeminariis, hanc autem pri-

mus ipſe commonſtravit ; & inſuper obſcurè ab illis, aut etiam ænigmaticè dicta, tanquam vel oſtentatione vel invidia quippiam, ipſe clarè, & dilucidè expoſuit. Hoc ipſo autem καὶ διὰ τὴν ἀκρίβειαν ἣν ταῖς ἀποδείξεσι προσέθηκε ſimplicius eum antiquioribus Philoſophis præfert ; Platoni verò καθόσον ἐυσθενεστέρας τίθησι τὰς τῶν ἀποδείξεων ἀνάγκας, καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτὸς ἀπό τε τῆς αἰσθήσεως, καὶ ἀπὸ τῶν προχείρων δοχῶν σπουδάζει λαμβάνειν. Cæterum eadem ferè Galenus in re Medica præſtitit, effecitque primus, quæ in Philoſophica Ariſtoteles. Nam pleriſque pulchrè inventis ab Hippocrate, ſed remiſſiùs atque debilius traditis, rationes validiores adjecit, & multas rerum cauſas aſſignavit, ab illo prætermiſſas, aut nondum fortaſſis cognitas, aut breviùs ſanè atque obſcurè traditas. Denique non modo quæſtionum ſingularum demonſtrationes perfecit, verùm etiam methodi ordinem addidit, ita ut triplicis methodi (neque enim plures laudatæ inveniuntur) uſum, & tractationem in arte Medica copioſè oſtenderit. In pleriſque enim ſuis libris Analyticam ſequitur methodum, in libro autem de conſtitutione artis, compoſitivam, ut definitivam in arte parvâ ; de quibus omnibus, & quomodo à Galeno ſint obſervatæ aut animadverſæ, qui plura noſſe deſiderat, doctiſſimam Gemuſæi in Græca Galeni opera præfationem adeat. Interea verò dum tanti ducimus Galenum, Hippocratis Medicinæ parentis laudibus, ac dignitati nihil detrahimus. Principii namque vis ubique maxima eſt, etiamſi reipſa perexiguum ſit. Et religio quædam, ac reverentia, rerum bonarum omnium cauſis, ac principiis debetur. Itaque, & veteribus qui nobis rudimenta quædam tradiderunt, & poſterioribus qui abſolvere niſi ab illis aliquid accepiſſent, nunquam potuiſſent, plurimùm nos debere, gratis animis fateri, & agnoſcere par eſt. Tantum profectò Galenus lucis addidit arti poſt Hippocratem, ut niſi medicinæ diu jam, multumque laboranti Medicinam adhibuiſſet, & tradita ab Hippocrate principia illuſtraſſet, jaceret fortaſſis etiamnum neglecta : Nunc verò quòd ars ſit exculta, quodque Hippocrates legatur, ac intelligatur, quod eum ex illo fructum capiamus, quem ſentimus, hoc Galeni beneficium totum eſt. Cætera nunc ut omittam, de arteriarum certè pulſibus propè nihil quum tractaſſet Hipprocrates, (id ad practicam magis quam theoreticam Medicinam pertinere ratus) de horum differentiis, cauſis, diagnoſi & prognoſi prolixè confecto ipſe opere, hac quoque ex parte Medicinam auxit, & locupletavit. Enimverò præter Hippocratem, & Galenum Medicinæ principes, cæteri fere omnes, tum Græci, tum Arabes, eorumque lectatores, nihil ad artis conſtitutionem contulerunt ; & ex illorum libris fere quicquid aut lectione, aut imitatione dignum habent, tanquam e puriſſimis fontibus hauſerunt, doctiſſimo viro Jacobo Sylvio teſte. Adeò, inquit, ingenioſa & ſtudioſa, & Diis accepta fuit veneranda illa antiquitas. Pauca quædam tamen, non ignava omninò poſteritas, rudis quidem, ſed exemplorum fide plena, aut clariora reddidit, aut uſû experientiâque frequenti certiora. Quæ unuſquiſque etiam mediocriter inſtitutus, his velut fundamentis adjungere potuit, hoc eſt Hippocratis Galenique placitis. Quibus de medio ſublatis, medicina ſit velut chaos antiquum, & certa hominum carnificina ; & id omne quod in ſtupidos ſuæ ætatis Medicos juſtiſſimè Plinius inclamat. At Galeni in Hippocratem ſcripti commentarii hi pauci, ſed præclari numerantur. Primum enim in Hippocratis librū de natura humana duo commentarii. Deinde de Hippocratis & Platonis decretis novem commentarii ; In Hippocratis librum de aere, locis, & aquis, tres ; In Hippocratis librum, de ſalubri victus ratione privatorum unus ; In Hippocratis librum de humoribus tres ; In Hippocratis prognoſtica commentarii tres ; In Hippocratis prorrheticum primum tres ; In libros Epidemiorum quatuordecim, aut plures ; In aphoriſmorum libros ſeptem, totidem commentarii ; In librum Hippocratis de Medici officina tres ; In librum Hippocratis de fracturis tres ; In Hippocratis librum de articulis, Galeni commentarii quatuor. Cæteri demùm temporum injuriis interierunt. Imò quæ Galeni opera typis mandantur, hæc univerſa ſunt Hippocraticæ doctrinæ commentaria.

Doctrinam Galeni jam adulti Philoſophi, ac Medici medentis ſpeculemur, quam ipſe tum conſcriptis operibus, tum productis dogmatis ampliſſimè prodit, quibus vir, & in Philoſophiæ, & Medicinæ cognitione omnium poſt Hippocratem præſtantiſſimus agnoſcitur. Ad hanc autem doctrinæ ubertatem Galenum perveniſſe minus mirùm eſt, tum propter illas quas attulimus cauſas, tum quòd per omnem vitam veritatis ſtudio demonſtrandique ſcientiæ unicè fuit deditus, cætera verò quibus divitias, voluptates, aut gloriam plerique venantur, prorsùs neglexit. Itaque jure libro περὶ ὑποτυπώσεως ἐμπειρικῆς, negat ſibi in artis muneribus occupatiſſimo tantùm otii ſupereſſe, ut ſterilibus nugis fabuliſque diſſerendis tempeſtivas Muſis horas conterat. Animadvertit enim haud in alia diſtractum eſſe negotia illum oportere, qui medendi artem exercere ſtatuerit, rem adeo per ſe immenſam, & amplam, ut præclarè nobiſcum agi augurandum ſit, ſi vel in primo ſenectutis limine hanc ipſam, quoad ſatis ſit, fuerimus aſſequuti ; nedum liceat alienis ac diverſis occupationibus detineri. Quamobrem hæc univerſa, ut & ebrietates, intempeſtivas comeſſationes, turpiſſimas libidinum ventriſque, & gulæ illecebras, fugere medentem decet. Itaque non ſolum illa ſcientiarum ac virtutum adipiſcendarum obſtacula vitavit, verum etiam tempus omne in literarum, & rei Medicæ amplificandæ ſtudiis aſſidue collocavit ; quo conſilio ductus, apud Cæſarem in Germaniam proficiſcentem religionis excuſatione uſus eſt, ut ab eâ bellicâ profectione, armorumque ſtrepitu ſolutus continuo diſcendi, ſcribendi, ac docendi ſtudio vacaret. At hic improbus ſtudiorum labor deprehenditur qui Galeni valetudini noxam attulit. Ob immoderatiores enim vigilias continuis lucubrationibus concitatas, diaria febre correptus eſt, & provectior ætate factus, dormiendi beneficio fuit orbatus. Hac tam aſſiduâ diligentiâ indefeſſus quæ arti adjecit quamplurima conſequutus eſt. Suis operibus teſtatur ſe pulſum cuidam ſex menſium ſpatio tetigiſſe, quumque de arteriæ ſyſtole, & quibuſdam aliis conſimilibus ancipiti agitaretur judicio, ea quâ pollebat rei perquirendæ conſtantiâ tandem reperiſſe. Eodem ſtudio ab adoleſcentia dies decretorios obſervare cepit, & omnem prope ſimplicium medicamentorum de quibus aliquid veteres conſcripſerant, materiam inſpicere, & facultates ſcrutari, & cognoſcere voluit, quemadmodum jam ſupra retulimus. Neque verò ſcribendo ſolum (ita ut nec in oratione puritas, & elegantia, nec in ſententiis, & tractatione, vel oratoria, vel dialectica, virtus deſideraretur) ſed etiam dicendo, diſſerendoque alio ſemper valuit, ut propoſitis in æde Pacis pro conſuetudine quæſtionibus improviſis,

proviſis, publicè ſæpiſſimè ad omnia reſponderit, idque juvenis, quum Romæ degeret. Anno ætatis nonodecimo Athenæi ſectatorem convicit; poſtea Stoicos, & Peripateticos de animæ ſede concertando ſuperavit, & ſæpenumero apud eruditos viros extemporales ſermones habuit. Anno trigeſimo publicè docuit. Sophiſticam perpetuo odio habuit, nihilque tam ſtuduit, quam ut demonſtrandi primum ſcientiam teneret, deinde ſummo ſtudio eam exerceret; quod ei haud arduum fuit, quod in mathematicis, & ſcientiam facientibus diſciplinis verſatus eſſet. Quinimo tanquam furore quodam percitus, & divino inſpiratus afflatu, ad veritatis ſtudia perſequenda, & vulgi famam ſtrenue nihili ducendam, ut ipſe methodi ſeptimo diſſerit, ferebatur. Quæ præcipua dogmata tum Philoſophica, tum Medica, Galenus probarit, ea nunc compendioſè ſcribere præter opus eſt, quum in ejus operibus ipſa ſparſim expoſita pateant. Quanquam verò in arte medendi veriſſima Hippocratis placita ſectabatur, ſervos tamen appellitabat quicumque ſe vel Hippocraticos, vel Praxagoricos, vel ab alio quocumque viro nominabant. Eligenda autem ex ſingulis cenſebat, quæ eſſent præſtantiſſima. Hippocratem ſummis honorum, ac encomiorum titulis ubique ſuorum operum evexit Galenus; ipſum dogmaticum, & rationalis ſectæ principem, probum virum, veracem, Philoſophum, ſenem venerandum, magnum, omnium Philoſophorum, & Medicorum primarium ac principem, accuratiſſimum, nobiliſſimum, omnium bonorum inventorem, bonarum diſciplinarum ducem, & authorem, optimum præceptorem, verum legitimæ gymnaſtices auctorem, maximè admirabilem, divinum, rectæ methodi inventorem, appellitat; ejuſque dogmata recta, ac vera, imo veriſſima eſſe cenſuit; Hippocratem nihil fruſtra ſcripſiſſe, nihil fruſtra protuliſſe, aſſeruit; denique Hippocratis dictionem tanquam Dei vocem ac oraculum admiratus excepit, ac ipſum tanquam parentem & artis medicæ conditorem celebravit, & æmulatus veriſſima ejus dogmata ſectatus eſt. Nihilominus quidam objiciunt, Galenum apud Hippocratem obſcurius enunciata, negligentius ſcripta, prætermiſſa, obtruncata, indefinita, incondita, animadvertiſſe, ac divulgaſſe. Veruntamen Hippocratem ſummum Medicæ reipublicæ legiſlatorem ſua præcepta, ſeu dogmata, ſuaſque leges Medicas conciſis, ac aphoriſticis ſententiis, ac proinde ſubobſcuris conſcripſiſſe, ac poſteris Medicis interpretibus ea uberius amplificanda, ac dilucidius explicanda reliquiſſe augurandum eſt. Neque verò Galenum rerum veriſſimarum profeſſorem Hippocratem aliquoties ſemel aberraſſe quiſquam ſapientiſſimus enunciavit, quicquid ediderint plerique Galeni Biographi; Imò ſi quid rationi diſſentaneum, & à rei veritate alienum apud Hippocratem nactus fuerit, id aut ſapientiſſimo ſeni aſcriptum, aut Hippocratis non eſſe palam profeſſus eſt. Nonne Galenus σολοικῷ λόγῳ in prorrhetici commentariis Hippocratem arguit? Minime verò, ſed quod σολοικὸς λόγος in prorrhetici oratione conſpiciatur, ideo librum hunc haud genuinū eſſe Hippocratis fœtum aſſerit. Hippocratem reprehendit Galenus quod hunc aphoriſmum indefinitè protulerit. *Dolores oculorum ſolvit meri potio aut balneum, aut fotus, aut phlebotomia, aut purgatio,* non autem adjecit quos dolores quodque curet.. Reſpondemus Hippocratem ἀφοριστικῶς loquutum fuiſſe, ac propterea uberiorem explicationem non attuliſſe. Hippocratem damnat, quod quum medicos convincit qui ſummam inediam infirmis præſcribunt; deinde eos, quamprimum alii ad ſorbitionem, alii ad potus uſum deducunt; nullam tamen eorum mentionem fecerit, qui cibos validiores ante morbi concoctionem miniſtrant. Conſuevit (inquit Galenus) interdum prætermiſſis maximis erroribus, leviores culpare, & eam quæ ex illis oritur, læſionem demonſtrare. Hic immeritò convincitur Hippocrates, quod nemo medicus cibum validiorem pleuriticis (de quibus agitur) offerat.

Stilus Galeni medius inter ſolutam orationem & carmen fluit tanta ſuavitate, & copia, ut Alexander Benedictus Galenum, & intelligendi & dicendi graviſſimum auctorem fuiſſe protulerit. Summa ſanè in eo paſſim eloquentiæ vis innoteſcit; oratio, & fœcunda, & elegans, non perplexa, non accerſita, ſed ſponte lateque fluens; admiranda quædam eloquendi quæcumque animo concepit facilitas, ſivè doctrinam ipſe explicat ſuam, ſive quæſtiones diſſolvit, ſive ambiguitates enodat. Dialecto Græcæ linguæ utitur communi, ſed elegantiore, & ad Atticam deflexa, ubicunque citra affectationem (à quâ prorſus alienus eſt, ità ut nec Atticus videri, nec affectator malit) fieri potuit. Quam verò Atticæ, & Jonicæ dialecticorum fuerit peritus, paulò ante commemoravimus. Athenæus herclè his de ipſo teſtatur, ὅτι οὐδενὸς τῶν ἀρχαίων τὴν ἑρμηνείαν ἀδυνατώτερος γέγονε. Proprietati dictionum vehementer ſtuduit; ita ut improprie loquutos non rarò notet; ac interdum, haud crebrò tamen, rerum, aut affectionum quibus vocabula nondum propria erant poſita, ipſe comminiſcetur. Utinam verò, quantum patrii ſermonis puritate, elegantia, & cæteris laudibus valuit, tantum etiam interpretum, quorum magna in ejus libris vertendis diverſitas, oratio valeret Latina, ac non multùm venuſtatis, gratiæ multùm, ſubito deponeret Latinus factus. Quod in interpretum ſugillationem minimè dictum intelligi volumus; ſed in arduum potius quoddam interpretandi munus, figurarum diverſitatem, & linguæ, ac verborum in illô copiam, paupertatem in hâc. Verùm ſic quoque quàm non impolitus, neque inelegans, imò verò, quàm nitidus, quàm lacteus totus fuit? ut quicumque his poſthabitis Arabum malunt, atque horum ſimilium quorundam meram ſequi barbariem; hos ego eô natos ingeniô exiſtimem, ut obſcura manifeſtis, perplexa explicitis, aſpera nitidis, tenebras luci præponere eodem exemplô poſſint. Quamquam autem ubique magnam in oratione perſpicuitatis curam adhibuit, adeò ut qui ſcripta ejus præcipua eo quo par eſt ordine legunt, ut ſine præceptoribus artem addiſcere queant, modò neque ingeniô tardiores ſint, neque in primis diſciplinis nimiùm rudes, & perexiguum aliquid adjumenti à præceptoribus, aut aliis in arte peritis aliqua demonſtrantibus ſentiant; non tamen humi repit ipſius dictio, nec artificio caret collocatio, ùt neque contrà nimium vel aſcendit, vel affectat, vel παθητικώτερος eſt juſtô, ſed auream planè mediocritatem ſervat, & modò κάλλος, modò σεμνότητα, modò alias opportunas ideas, & laudatas in oratione virtutes repræſentat. Hinc neſcio, quæ dulcedo ex doctrinæ ſimul, & eloquutionis ejus temperamentô oborta, mirificè legentium omnium animos allicit, ut qui ſemel guſtarit, abſtinere amplius ab ejus ſcriptis non poſſit. Librum quidem de venæſectione adverſus Eraſiſtrateos humiliore ſtilo à ſe ſcriptum conqueritur. Arguitur à multis prolixitate, cujus tamen juſtas videtur interdum cauſas habuiſſe; non enim unum in omnibus libris ei conſilium fuit. In multis ſe accom-

modat introducendis, & illorum captui, atque uſui privatim in quorum gratiam quædam ſcribebat, quorum nonnulli præceptoribus carebant, & procul ab eo diſcedebant. Itaque in his libris; quædam alibi copioſius explicata contrahit, alia verò fuſius exponit. Galenum (inquit fernelius in ſua præfatione) multi Aſiaticæ redundantiæ inſimulant, quod πολύγραφος nimirùm multa artium, librorumque congerie, multorum ſtudia reſtinguat, & ad rem properantes detineat. Eumquidem fatemur mira perſuadendi neceſſitate diſputaſſe ſubtiliùs; ſed quòd initiô minimè ſtatuiſſet univerſam artem complere, brevem præcipiendi legem non obſervaſſe; eadem identidem locis compluribus inculcaſſe, nunc huc, nunc illuc, ſtudio reprehendendi avidè ferri, ſicque ſæpius ambiguitate lectoris animum diſtrahere. Hæc ille. Sed utcumque eſt, qui præceptoribus deſtituuntur, ii certè Galeno plurimum debent, quòd fundamenta, & præcipua artis capita tam plenè, & διεξοδικῶς ſit perſequutus. Eſt uti ſeculi ejus mores, & in re medica ſectarum perverſitas, aut Philoſophophorum quorundam pertinacia, hanc prolixiùs quædam diſcutiendi abundantiam ei extorſerint. Huc accedit quod natura ipſe Aſiaticus, in dicendo copioſior erat; & inſuper ingenii bonitas, qua præditus, cupiebat ſummo candore, & optima fide omnes omnia quam liberaliſſimè καὶ ὡς ἀφθονώτατα edocere, ita ut ne hebetiores quidem deſiderare in eo quicquam poſſent; atque ita factum eſt, ut plerumque ſit prolixior, in iis præſertim libris, quos adhuc junior condidit. Sed ut in multis quantum dicendi copia poſſit, oſtendit; ita in duobus ad Glauconem therapeuticis, Arte Medica, & aliis fortè paucis quantùm artificioſa brevitate valeat, declaravit. In libro tertio de reſpirationis difficultate, malle ſe eſſe loquacem ſcribit, quam ſuſpicionem falſi dogmatis incurrere; hujus enim nulla ſolatia eſſe ait; loquacitatis verò aliqua, deinde hortatur eos, qui etiam pauca faſtidiunt, ut quæ voluerint ſibi deligant, reliqua ſeu non ſcripta tranſgrediantur. Quemadmodum (inquit) in ſplendido epulo, quum multa ſint apparata, alius aliud eligit, hoc quidem ut dulce, aliud verò ut ſalubre; ſic etiam ſermonum apparatum, opiparum eſſe oportet, electionem autem in utentibus. In fine tertii de pulſibus dignoſcendis, quum eos conviciſſet qui φιλοριγίας, ceu morbo laborãtes, omnia definir evolunt, & jam manifeſta, & de quorũ recta ſignificatione nulla eſt dubitatio, quum interdum veras definiendi rationes non didicerint. *Ego* (inquit,) *de quaque re ad definiendum propoſita, demonſtravi dici poſſe totum diem; nec alios hac in re nimios accuſo, quod ipſe verbis ad definiendum accommodatis, deſtituar: ſed quum omnium me ad eam loquacitatem eſſe inſtructiſſimum intelligerem, humanitatis duxi eſſe, ſi actibus inſuadentium haberem rationem, veritatemque ſine oſtentatione aperirem, & eorum quæ noviſſem ſemper diſtinguerem utilia ab inutilibus.* Libro ſeptimo Methodi; *neque*, (inquit) *gravari debemus, iterum atque iterum ſermonem repetere, quò nunc ſaltem Medicorum vulgus veram methodum condiſcat.* Et libro tertio de differentiis pulſuum; *Ubi ergo* (inquit) *homines qui nec logicam ſpeculationem accuratè tenent, nec interpretari queunt, ad res aſpirare, quæ ſuperant ipſorum facultatem audent, cùm ipſi verba funditant tum reprehenſiones impellunt, licèt maximè ſtudeant brevitati, in eandem orationis prolixitatem, id ſcilicèt, quod mihi nunc uſu venit. Siquidem à mea perpetuâ brevitate divellit ipſorum me numerus eratorum, tamen faciam etiam hic ut ſim, quantum poſſum brevis. Brevitatis quidem ſtudiô, plerumque minoris momenti quædam prætereo datâ operâ.*

Democritum Hippocrati hæc ſcripſiſſe legimus, *omnes homines artem medicam ſcire oportet, ad vitam namque præclara ſimulque perutilis res exiſtit.* Ubi verò ars hæc Divina condiſcitur? Ubi tantæ ſcientiæ præcepta conſcripta proſtant? In cedrinis Galeni operibus. Artis quidem fundamenta, ac elementa jecit Hippocrates, ſed eam numeris omnibus integram edidit Galenus doctiſſimis ejus monumentis proditã. Hæc autẽ medicis omnibus pernecesſaria, cæteris verò hominibus eſſe perutilia concedendum. Hominibus certè univerſis ſalubris vita ſummo deſiderio deſideratur, proſcripta ſanitas revocanda, ac reſtituenda; præſens conſervanda; concidens erigenda; convaleſcens, ſtabilienda, ſed ea quam libri ſex de ſanitate tuenda ſcripti edocent, methodo, & libri de alimentorum facultatibus, ac de probis praviſque ſuccis, & in librum Hippocratis de alimento commentarii, quemadmodum & qui in Hippocratem de aëre, locis & aquis, & qui cæteri ſexto noſtræ editionis tomo comprehenduntur. Cuique homini ſaluberrimun eſt Apollinis oraculum ſapere, quod ad ſui cognitionem quemque virum concitat. Hanc autem ex corporum diſſectione, prout ipſa in adminiſtrationibus anatomicis, in libris de uſu partium & cæteris tomo quarto concluſis conſcribitur, facillime conſequemur. Homini proſperrimum, ac ſanctiſſimum eſt Dei notitiam aſſequi, *hic enim proſperitatis, ac felicitatis finis eſt*, quemadmodum Philo ſpeculabatur. At divinos de uſu partium libros revolvite, & his vobis ſummi naturæ humanæ Archetypi cognoſcendi, & adorandi ſcientia demonſtrabitur. Non enim ἀόρατος Deus niſi per ſuam imaginem aſpectabilem, quod δημιούργημα divinum homo ipſe eſt, agnoſcitur, cujus ſtructura his & cæteris anatomicis operibus innoteſcit. Quod autem literatis omnibus Galeni opera profutura ſint, & ex his cuique arti emolumentum ac decus exurgat mecum jamjam perpendite. Ac primum huc accedant Grammatici linguæ Græcæ ſtudioſi; qui Attica aut Jonica, aut communi dialecto orationem congruam contexere poſtulant; ſi namque Theſſalum, aut etiam Hippocratem σολοικῷ λόγῳ, convincat Galenus (quemadmodum jam ex prorrhetici commentariis annotavimus) hi ab omni ſolæciſmo, ac loquendi erroribus alieni procul emergent. Deinde verò qui rethores ac oratores pleni atque perfecti futuri ſunt, ut de omnibus rebus variè copioſeque dicere, ac verbis ad audiendum jucundis, & ſententiis ad probandum datis uti queant, hi tum ad ſubjectum Medicinæ corpus humanum anatomicis Galeni libris deſcriptum, ac diſſectum, tum ad ea ſubjectum illud ſpectantia quamplurima, quæ de ſimplicibus, ac compoſitis medicamentis, & alimentis agunt opera ſtudio properent, illic puritatem, delectum, & copiam verborum, ſtili elegantiam, ſententiarum, dogmatum, & argumentorum meſſem ac vim prodigioſam colligent. Privatim ſanè philologi homines, qui vocabula magis, ceù umbras rerum, quam ipſas res captant, & veluti venantur οἱ ονομαποθῆραι, πολυΐστορες magnam nominum ſylvam ex his libris haurient, ut omne genus ſtirpium, ac ſimplicium medicamentorum, morborum, & humani corporis partium, & alia quædam Medicæ artis, ejuſque partibus Chirurgicæ, ac Therapeuticæ peculiaria; variæ autem cognitionis miſcellaneam congeriem ex Aphoriſmis, aut Aphoriſmorum Commentariis & cæteris quibuſdam,

buſdam ; ita continget , ut eruditione inſtructis multiplici , quovis in loco , apud quoſvis homines , de qualibet re doctius ac elegantius vulgo hominum diſſerendi materia eis non deſit. Si pictores qui quæ cernunt, ea ductis coloribus delineant, corpus humanum partibus omnibus abſolutum cum decenti reformatione , & partium ſymmetria depingere voluerint, adeant prius anatomica Galeni opera, ac potiſſimum adminiſtrationes anatomicas , libros de muſculis , & oſſibus ; ſi hominem morbo aliquo, vel febre hectica , vel hydrope laborantem pathologica conſpiciant Galeni opera ; ſi herbam aliquam, arborem, aut aliam ſtirpem , de ſimplicium medicamentorum facultatibus libros revolvant. Quæ pictores coloribus ea verſibus efformant ac parturiunt Poëtæ. Hi verò ſi poëticum opus perfectum edere, quemadmodum ſuam Minervam Phidias, optaverint, temperiem ac ſymmetriam, intemperiem ac ammetriam, tum univerſi, tum partium corporis humani Galeni operibus concluſas ſcrutentur , & examinent; ſi fabulas quaſdam conſtruere velint, aut novas metamorphoſes quæ tectam rei veritatem adumbrent (quales de Daphne, de Croco, de Electro, ac ſimilibus plerique concinunt) adeant prius de ſimplicium medicamentorum facultatibus libros, ne in eorum facultatibus deſcribendis inconcinnos, ac diſſonos in errores procidant. Præclarè Philo Medicis conſimiles eſſe in civitate leges , & magiſtratus legitimos , Senatores, judiceſque tulit, *qui communi ſaluti ac ſecuritati inexorabiles provident.* Quare judicibus, juriſperitis , magiſtratibus ac principibus medica præcepta , ac dogmata perutilia , proindeque Galeni libros quibus hæc concluduntur , revolvendos , ac legendos eſſe contendimus. Nam quemadmodum in optima corporis humani ſtructura , in humorum , & partium ſimilarium εὐκρασία organicarum ſymmetria, & omnium ἑνώσει , ſanitas; in depravato autem corporis ſtatu, partium ſimilarium dyſcraſia , & organicarum ἀμετρία καὶ ἑνώσεως λύσει morbus aſtruitur; ſic etiam in optimè conſtituta , ac gubernata civitate , ac Monarchia, actionum , ac ordinum civilium harmonia , & triplicis hominum ſtatus, Theologorum , nobilium , ac plebeiorum ſymmetria , & omnium unione , & conſpiratione ſalus, ut & depravato ſtatû, diſcordia, ac divortio publicum exitium reſidet. Et quemadmodum Medici pravos corporis humani humores alloioticis remediis, attenuātibus, incidentibus ad purgationem præparant, & purgando evacuant; & ubi ferinum ulcus, aut gangræna partem obſederit, ne pars emortua corpus quoque univerſum perimat, ipſam igne, & ferro reſecant : ſic qui reipublicæ præſunt , vitioſos mores & pravos civium actiones quibuſdam remediis reprimunt ac coërcent, graviores gravioribus pœnis evertunt, ac flagitioſos, perditoſque homines, laqueo, ferrô, & igne è medio tollunt, ſicque univerſam rempublicam ſalvam, & incolumem tuentur.

Non equidem umbras Philoſophia, ſed res ipſas certis circumſcripta limitibus, & conſpicua veritatis lumina ſectatur. Huic autem Medicinam junxit Galenus, & Philoſophiæ Medicinam univerſi ſororem agnoſcunt. Quemadmodum ad artem medendi adipiſcendam planè neceſſaria eſt Philoſophia, ſic ad Philoſophiam univerſè conſequendam, Medicina rerum omnium complementum adfert. Utrique corpus naturale ſubjectum eſt, huic quidem ſanabile, illi vero mobile. At philoſophiæ prior pars logica præcurrit, quam Medicis omnibus perutilem, imo neceſſariam eſſe profitetur Galenus, qui in Romanos ſui temporis Medicos invehitur, qui nullis logicæ præceptis armati vera à falſis ſecernere, & genera ſumma ad ſpecies uſque infimas dividere penitus ignorabant ; Quæ in Logica prius diſcenda ſint ; Quod logicæ initium ſit prædicamenta dividere ; Quæ logicæ ſint principia, & quod illis ſit adhibenda fides ſi quid demonſtrandum ſit; & conſimilia multa in libris methodi leguntur. Utinam libri de demonſtratione Galenica nobis ſuppeterent, his ſanè tum Logica, tum Ars Medica illuſtrior, ac perfectior conſpiceretur. Quæ pars Philoſophiæ omnium utiliſſima pleriſque probatur, Ethica ſeu moralis vocata eſt, quæ mores, actiones, & ſtudia vitæ privatim publicæque informat. Qui morales Philoſophi morum, & affectuum animi ſive perturbationum cauſas intelligunt, & quod animi mores corporis temperamentum ſequantur, & quæ ſingularum animæ partium in hominis corpore ſunt inſtrumenta, quantumque pro diverſis temperamentis diverſa ſint; & quî ex immoderatioribus perturbationibus, quot, & quanta naturæ vehiculo mala oboriantur animadvertunt ii, & opportunius ac doctius de his diſſerere, & ſibi ſapere, & ipſa vita, agendique ſtudiis veram doctrinam, & virtutem præ ſe ferre poterunt. Extant inter alios egregii duo, & ἠθικώτατοι hujus authoris libri, de dignoſcendis, & curandis animi affectibus, ac vitiis in quibus ut & in libris de Hippocratis, & Platonis placitis virtutes, ac probas actiones laudibus evehit, vitia verò, ac potiſſimùm ambitionē, & avaritiam ita dammat, ut paſſim ejus virtutes ſcriptis, & oratione tanquam ſpeculo eluceſcant, ad quas viri exemplo, & doctrina quiſque lector raptus non modo moralem, verùm etiam Chriſtianam felicitatem conſequetur. Phyſicam pulcherrimam Philoſophiæ partem vocitant, quòd naturam ſpeculetur pulchritudine floreſcentem, à qua tanquam uberrimo fonte artes quamplurimæ ac Medica ſcaturiunt. At non ſolum naturæ cognitio ad Medicinam confert, cui ſibi ſubjectæ, & ὑπαλλήλῳ arti principia, dogmata, & axiomata ſuppeditant; verùm etiam viciſſim ars Medica rerum ad corpus humanum ſpectantium, quas complectitur, amplitudine Phyſicam illuſtrat. Nam utrique corpus ſubjectum eſt, huic naturale, mixtum, mobile, illi humanum ac ſanabile. Enimverò Medicina tota circa humanum corpus verſatur, ad quod quæcumque cæteris inſunt corporibus, aut quæ externa patent, ἀναλογικῶς referuntur. Ignotiora namque, ad id quod notius eſt referri perpetuò aſſolent. Itaque multarum rerum cognitio ex poſterioribus, ut quæ nobis ac ſenſibus manifeſtiora ſint, magis eluceſcit ; ut animæ partium ſeu facultatum ex ipſis actionibus ; harum verò ex corporis partibus ipſis adjectis quæ per anatomen cognoſcuntur. Anatome autem partium internarum & externarum univerſi corporis Phyſicæ Philoſophiæ opus eſt ab Ariſtotele primum accuratè explicata, à Phyſicis tamen propè deſerta, ſolis exculta eſt Medicis, quorum Galenus omnium accuratiſſimus extitit. Hujus rei fidem faciunt ampliſſimam multa anatomica opera, in quibus non ſimplicem dumtaxat hiſtoriam tradit ut in animalium hiſtoria Ariſtoteles ; ſed in aliis quoque libris uſum, & cauſas ſingulorum adjecit, ut in libris de partibus animalium, earumque cauſis Ariſtoteles, cui multa certè ſunt ignorata circa præcipuas etiam corporis noſtri partes, & principum animæ facultatum inſtrumenta. Galenus verò multa imperfectè, aut obſcurè ab Ariſtotele dicta complevit, & explicavit ; multa etiam falsò redarguit ; unde univer-

ſa

ſa etiam animæ, qua vivimus, ſentimus, movemur natura, ac vires, multò pleniùs quàm Ariſtotelis ſeculo, hodie conſtant. Age verò aliis quoque ſuis partibus Medicina Phyſicam vel perficit, vel illuſtrat, & plurima ſibi ac ipſi communia complectitur, non enim circa finem ſolum totius Phyſicæ ſpeculationis, quæ in hominem deſinit, à cujus naturæ circa corpus, & facultatum corpori, animæque communium conſideratione incipit Medicus, ſed ſingularum ferè partium, & librorum Phyſicæ Philoſophiæ exitus ad Medicam aliquam tractationem ingreſſum præbent, ut ubicunque Phyſicus deſinit, incipiat Medicus: Primum enim de elementis universè agit Phyſicus: Medicus verò ſumptis ab eo principiis quibusdam de elementis hominis duntaxat, ejus naturam indagaſſe contentus, etiamſi quæ homini conveniunt, cæteris etiam pleriſque animalibus communia ſint, ita ut, qui hominis hiſtoriam novit, animalium hiſtoriam magnâ ex parte noverit. Deinde de iis qualitatibus quæ primæ dicuntur, & elementis primum inſunt, quibuſque omnes rerum naturalium mutationes aſcribuntur, ut calidi, frigidi, humidi, & ſicci actionibus, ac paſſionibus, tum Phyſici docent, ut in quarto meteororum inſcriptô Ariſtoteles, tum in libris de temperamentis ac alibi Galenus. Tertio ad mixta corpora tranſeunt, quæ ex elementis conſtant; quorum prima ſunt inanimata, ut omne lapidum, metallorumque genus; de quibus pauciſſimum veteres Phyſici, quod extet, tradiderunt. Apud Galenum verò alioſque Græcos Medicos, & nominum copia eſt, & deſcriptiones, facultateſque multorum ſunt explicatæ; unde ſumpta occaſione doctiſſimus Gregorius Agricola, Medicus, plenam eorum hiſtoriam Phyſicè ſimul ac Medicè conſcripſit. Quartò univerſum ſtirpium genus ſequitur, de quibus etſi Theophraſti libros habeamus doctiſſimos, ad imitationem Ariſtotelis librorum de hiſtoria & partibus animalium conditos, ii tamen ne intelligerentur quidem, niſi ex Dioſcoride, Galeno, & paucis aliis præcipuè Medicis veteribus Græcis, occaſione ſumpta recentiores Medici Matthiolus, Dalechampus, Fuchius, Matthias, Lobelius, Petrus Pena, Cluſius, Geſnerus & nonnulli pauci, obliteratam fere penitus omnis ſtirpium generis cognitionem revocaſſent, uſque adeo, & Philoſophi Phyſici, & omnes aliarum artium Profeſſores ceſſant, ſolis verò Medicis, anatomica, metallica, phyſica, & hujus generis cætera relinquunt; ita ut periculum ſit in tanta hominum tum negligentia, tum luxuria, ne tota ferè Philoſophia ad ſolos deveniret Medicos, qui per initia quidem Phyſicis theorematis ſtudent, propter Medicam artem, quæ ad rem familiarem eorum pleriſque neceſſaria eſt, multi verò jam provecti, & acrioris ingenii, ex eis quæ neceſſario didicerunt, altius, à gradibus exempliſque naturæ, ad virtutes & ad Deum aſcendunt. Quinto ad animalia procedimus, quorum in animam ac corpus Hiſtoria dividitur. De anima autem, & diverſis ejus facultatibus naturalibus, vitalibus, ac animalibus, multa multis in locis ſcribit Galenus, maxime verò in libris, de naturalibus facultatibus, deque placitis Hippocratis, & Platonis. Partium verò corporis accuratiſſimas deſcriptiones, & rationem omnem in Anatomicis, ut jam enarratum eſt, explicat. Singulorum verò plurimorum in diverſis generibus Medicæ ſimul, & alimentariæ materiæ rationes, & nomina in diverſis libris exponit, ex quibus itidem & paucis aliorum veterum, ut Athenæi, & Plinii libris, recentiores Medici prima occaſione ſumpta, rebus ipſis cognitis ex eorum ſcripiſt integras animalium hiſtorias perfecerunt, quemadmodum Geſnerus in quadrupedum, avium piſciumque hiſtoria; Avium verò, & aquatilium Bellonius, Aquatilium duntaxat Rondeletius. Quod ſi argumenta librorum qui phyſici minores vulgo apud Ariſtotelem dicuntur (quales inſcribuntur de ſenſu, & ſenſili, de memoria, reſpiratione, juventute, & ſenectute, longitudine, ac brevitate vitæ; de vita, & morte) ſpectes; de iiſdem omnibus Medici quoque diſſerunt, & multa ſane melius opportuniuſve docent, quam hactenus Phyſici Philoſophi. Itaque genuina doctrina Phyſicæ nuſquam extat, aut accuratius, aut uberius, quam in pleriſque Galeni libris tradita. Quæ verò & quanta Medicinæ ac Phyſicæ ſocietas, ac cognitio ſit, pulcherrime Ariſtoteles in libro de reſpiratione his verbis explicat. *At de ſanitate ac morbo non ſolum Medici, ſed & Phyſici eſt aduſque cauſas diſſerere. Quatenus verò hi defferant, & quatenus diversè contemplentur, haud ignorandum eſt. Equidem quod confinis ſit quadantenus hæc Medici Phyſicique tractatio, res ipſa teſtatur. Nam & Medici quicunque paulo elegantiores, aut diligentiores ſunt, de natura diſſerunt, & artis ſuæ principia inde ſumere dignantur, & Phyſici omnes fere, quicunque concinnitatis aliquid habent, naturæ tractationem aduſque Medicinæ principia perſequuntur.* Legat igitur Phyſicus Phyſiologicos primum omnes Galeni libros de elementis, temperamentis, & naturalibus facultatibus, deinde libros tum adminiſtrationum anatomicarum, & de uſu partium & cæteros ad humani corporis naturam ſpectantes, quos ſigillatim jam jam enumeravimus. His præterea addat pathologica opera quorum univerſam doctrinam complectuntur, quæ morborum, & ſymptomatum differentias explicant, & quæ ſimplicium medicamentorum elementorumque materiam continent. Licet enim Medico prior ſit Phyſicus κοινότερον, καὶ βραχύτερον protulit id μερικώτερον καὶ διεξοδικώτερον pertractare; & quæ Phyſicus ratione magis conſiderarit, hæc ille ad ſenſum magis transferat, & quæ Phyſicus generatim de animalibus omnibus, aut pluribus (cum alias tum in morborum tum in remediorum genere) Medicus ad hominem contrahat. Denique cauſæ prope omnes, rerum Medicarum Phyſicis acceptæ ferendæ fuerint. Cauſæ namque principia quædam ſunt. Principia verò ab artificibus ſuperioribus mutuari conſuevimus. Sic autem propemodum ad Phyſicum ſe habet Medicus, ut artes, & ſcientiæ omnes ad primam Philoſophiam, ſeu veram dialecticam, quæ prima, & communia omnium principia, ac veritatis methodum edocet. Hæc inquam, & conſimilia Medicum oportebat à Phyſiologis mutuari, quod herclè paſſim præſtitiſſet Galenus ſi à Phyſicis prodita comperiſſet. Quoniam verò Phyſiologia, ne hodie quidem à quoquam Phyſicis numeris omnibus perfecta eſt (etſi methodum, & ſumma capita præclariſſimis ſcriptis mandaverit Ariſtoteles) coactus eſt ipſe aggredi, id quod ei adeo feliciter ceſſit (ut & poſtea cæteris Medicinæ auctoribus aliis in libris) ut contra quam fieri debebàt, plura nunc habeant Philoſophi naturales, quæ ex Medicorum libris addiſcant, & ſibi ſumant, quam ex ipſorum libris, Medici. Quum ergo ad Phyſicam tantopere conducat Medicina, adeoque in omnibus ei cognata, conjunctaque ſit, eædem omnino laudes, quæ totius Phyſicæ ſunt, de ipſa quoque poterunt prædicari. Nam ut Phyſici ſubjectum eſt μεγαλόκοσμος mundus major, & res in es naturales omnes; ita Medici

Medici μικρόκοσμος mundus minor. Nihil autem in illo reperias rerum, affectionum, & actionum cui non aliquid in homine reſponderit, quemadmodum in pleriſque Galeni operibus cuique Phyſico revolvendis conſcriptum eſt.

Divinam Philoſophiam rerum divinarum ſcientiam Theologiam vocitant, quod ipſa Deum ſpeculetur, & ad divinam felicitatem ſuis præceptis hominem provehat. Quum autem verum amorem cognitio præcedat, hancque doctrina procreet Theologica, Deum ſanè altiſſimum primum agnoſcant Theologi neceſſe eſt. At is univerſi creator, ac moderator potentiſſimus non ipſis humanis ſenſibus, ſed pia mente comprehenditur; Is λόγος τῷ fidei λόγῳ concipitur, & agnoſcitur; is magnus orbis univerſi architectus non oculis, ſed ſolis ejus operibus conſpicitur. Celeberrimum autem omnium Dei opus homo eſt, quem *characterem quendam & effigiem divinæ potentiæ* Philo, & propriô nomine Moſes vocat imaginem. Hunc ἄρχοντα ſtirpium, animalium, & rerum mortalium principem, apud Galenum, partibus omnibus adornatum, quales mundi conditor condidit, quærat Theologus, & notâ ſibi Dei imagine Deus ipſe prototypus quamprimum innoteſcet. Deum verum unum eſſe Theologi credendum prædicant, univerſi motorem primarium, qui ſolis fidei oculis conſpicitur; animam quoque corporis humani motricem ſola fide aſpectabilem proponunt. Age verò Sanctiſſimam Triadem Theologi agnoſcunt triplici perſona, patre, filio, & ſpiritu ſancto diſtinctam, quæ perſonæ ſeſe ſub aſpectabili forma conſpicuas hominibus tradiderunt. Pater procreavit, reſque procreatas uberrimis alimentis cuique ſpeciei propriis aluit, auxitque. Filius propè omnes emortuas creaturas nobiliores vitali ſanguinis nectare reſtauravit, & æterna vita decoratas aſtruxit, Spiritus Sanctus facultatum, tum patris, tum filii vector, creaturis ſalutis motum, & ſenſum elargitus eſt. Hæc Trias in auguſta Dei imagine facultas triplex triplici parti principii incidens elucеſcit. Naturalis hepati inſita, univerſum partium orbem procreat, alit, auget; vitalis cordi incumbens per arterias vitæ ſpiritum partibus allatura aut ſervatura vehitur; animalis in cerebro ſedens, per nervos motum & ſpiritum partibus elargitur. Homo τὸ ζῶον λογικὸν divinitatis radium, ac ſobolem animam rationemque Deo ſibique communem, à Deo ſortitus eſt. Sed anima animæque mens ſolis actionibus perſpectis, exploratiſque per anatomen earum inſtrumentis agnoſcitur. Ergo ut nos ipſos, ut animam, ut Deum noſcamus, notumque colamus, juſtis honoribus veneremur, & pia religione metuamus, amemus, adoremus hoc animæ domicilium Medicinæ ſubjectum ab eo conſtructum, ut mens ſancta, quæ ſola Deum capit, templum Dei optimi maximi ſacroſanctum inhabitet, admirari; & mirabilem partium omnium ſtructuram, proportionem, & opificium univerſum ſpeculari oportet. Hæc in ipſa admiratione, qui copioſiùs, & eruditiùs omnia noſtro Galeno inveſtigârit, docueritque, ante, & poſt ipſum invenio neminem. Certè ex fabricæ noſtri corporis inſpectione, quæ & quanta architecti omnium parentis potentia, ſapientia, atque bonitas elucеſcit. Unde proculdubio, ſi vel naturæ ductu ſequamur, perfectiſſimum bonum ipſum eſſe, intelligimus; quis autem potentiſſimum non metuat, non revereatur ſapientiſſimum, non adoret juſtiſſimum, non amet pulcherrimum ſimul, ac benigniſſimum? Et quoniam ex vera cognitione actiones etiam rectæ manant, quis non ad ſummi illius boni (quod tanti facit, ut id unicum cæteris omnibus anteponat) imitationem ſeſe comparet. In his autem duobus conjunctis ut vera Theologia, ita quoque recta hominis Chriſtiani vita conſiſtit, cognitione, dico, & actionibus (quemadmodum ars Medica, aliæque plurimæ in ratione, & experientia) in his quidem magis, quod ad homines quibuſcum verſamur, attinet; in illa verò tanquam fundamento cum firma perſuaſione, & fiducia conjuncto, tum magis, tum priùs, quod ad Deum. Actio namque hominibus utilior eſt, animus verò Deo acceptior, ut in arte medendi utilior eſt experientia, prior verò, & nobilior ratio. Sed eo revertor, unde digreſſus ſum. Itaque ſi ad Dei cognitionem ſimul, & ſecundum eam actiones non politicas ſolum, ſed etiam meliores, & noſtræ religioni congruentes, corporis noſtri, ejuſque partium cognitio ex Galeni libris potiſſimum petenda, utilis ſit, ad Theologiam profectò plurimum confert, quod ipſe etiam Galenus intellexit qui ſub finem librorum de uſu partium hæc ſcriptis prodit. *Nam ſi quis nulli ſectæ addictus libera ſententia rerum ſpeculationem inierit, conſpicatus in tanta carnium, & humorum colluvie, tantam mentem habitare, conſpicatus quoque, & cujuſcumque animalis conſtructionem (omnia namque declarant opificis ſapientiam) mentis, quæ homini cælo ineſt, excellentiam intelliget, tum opus de partium uſu, quod prius exiguum ſibi eſſe videbatur, perfectiſſimæ Theologiæ rerum principium conſtituet, quæ quidem Theologia multò eſt major atque præſtantior univerſa Medicina.* Non igitur Medico hi libri ſunt tantum utiles ſed multo certè magis Medico Philoſopho, qui totius naturæ ſcientiam ſtudeat ſibi comparare, eumque oportet his potius ſacris (quæ perſpicua Naturæ opera in omnibus animantibus explicant) quam Eleuſiniis, aut Samothratiis, nimis, quæ profitentur, obſcurè docentibus initiari. Tria potiſſimum artem Medicam complere videntur; ſubjectum artis corpus humanum, finis, ſanitas; & materia Medica triplex, ex tribus deprompta, animalibus, ſtirpibus, ac metallicis. Quis Theologus ſacras ſcripturas ipſorum trium ignarus interpretabitur? Quis Theologus ſtructuræ ac conformationis naturalis hominis inſcius pſalmum huncce explicabit? *Celebrabo te Domine, quia mirabiliter ſum formatus.* Num hoc canticum faciliùs enodabit? *Confitebor tibi Domine, quia tuæ ſapientiæ magnitudinem declaraſti in mei corporis fabrica.* Nonnullas humanæ ſtructuræ partes ſpeculemur, ac Theologicè diſſecemus, & à capillis exorſi adusque pedum extrema orationem perducamus. Cur Moſes Levitis, ut omnes ſui corporis pilos abraderent, imperavit? Cur in divinis literis animæ, mentiſque cogitationes capilli hieroglyficè ſignificant? Cur Deus pater canitie figuratur, de quo apud Danielem hoc edictum, *capilli capitis ejus quaſi lana munda*, prædicatur? Caput divinitatis, ac divinæ providentiæ ſymbolum exiſtit, barba ſapientiæ, & perfectionis, hinc Dominus ad Aronis filios, *non radent caput, neque barbam*: ſuperbiæ, cervix; hinc Eſaias, *filiæ Sion ambulaverunt intento collo*: Dorſum, fugæ; hinc pſalmus, *quoniam pones eos dorſum*: humerus, virium; hinc Eſaias, *poteſtas ſuper humerum ejus*: Oculus humanus, Dei; hinc à Jacobo *pater luminum Deus* nuncupatur: Naſus, ſagacitatis; hinc illud ex libro Regum, *aſcendat fumus de naribus ejus*; Lingua, ſermonis; Cor, conſilii, & facultatis ratiocinatricis; hinc Paulus, *qui oſtendunt opus Legis ſcriptum*

in cordibus ſuis. Jecur cupidinis, hinc Salomon *donec transfigat ſagitta, jecur ejus.* Exciſus umbilicus, caſtimoniæ; hinc Ezechiel ità lamentatur, *in qua die nata es non eſt excíſus umbilicus, vulva igitur matris adhæreſcit.* Pellis mortalitatis; hinc Geneſis; *& fecit eis tunicas pelliceas.* Manus, operis, & filii Dei; hinc Eſaias, *omnia hæc manus mea fecit.* Pedes vacillationis; hinc in pſalmo legitur, *mei penè moti ſunt pedes*, vacillarunt. Genua; miſericordiæ, & humilitatis; Digiti, Prophetarum; hinc David, *videbo Cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Haſce omnes corporis partes, partiumque ſpeculationem, & doctrinam apud Galenum quærant, & ediſcant Theologi, ut inſpecta partium natura, Metaphyſica, & Hieroglyphica quæque miſteria doctius enuncient. Jam verò quæ materia medica ad hominem reducitur Theologis perutilis, ipſam paululum advertamus; à metallicis corporibus, quæ è terræ aut aquæ penetralibus eruuntur, exordiô ductô. Ut autem terra Maltenſis, & bolus Armena alexipharmaca, & alexiteria ſignificant; ſic Lapis, pietatis noſtræ ſtabilitatem; hinc Hebræi, *Quia petra mea, & munitio mea;* etiam Chriſtum noſtrum; hinc Eſaias, *Ecce ego mitto in fundamenta Sion lapidem pretioſum, electum, ſummum, angularem, honorificum.* Lapis molaris, vitæ commercia. Aurum prudentum inventa & præſentium pretia; hinc Propheta, *odi illius aurum & argentum.* Carbunculus, animæ noſtræ igniculum; ſmaragdus, virorem, vivacitatem, & virginitatem. Adamas in expugnabilem virum, ac Chriſtum, de quo Deus Pater. *Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei.* Sapphyrus, imperium, ſummum ſacerdotium, Dei optimi maximi ſedem, & cælum decimum; hinc Divinæ literæ. *Intuebuntur pii quæ ſub pedibus Dei ſunt, quaſi opus Lapidis ſapphyri.* Jaſpis, gratiam; Amethyſtus, ſobretiatem; uniones, lachrymas; Hortos Medicinæ ingrediamur, ac inde nobiliores ſtirpes Theologis explicandas concedamus. Ac primum in divinis literis palma, juſtitiam ac piorum vitam ſignificat; hinc Pſalmographus, *juſtus ut palma germinabit ac florebit.* Innocentiam ex Ambroſio & Canticô, *ſtatura tua ſimilis facta eſt palmæ.* Laurus victoriam, ac remedium. Cedrus excelſiorem potentiam; hinc Eſaias, *confringet Dominus cedros Libani.* Myrthus, orationem. Quercus imperium firmum. Amygdala, ſenectutem, aut ſenectutis canitiem ut & capparis concupiſcentiam; hinc Eccleſiaſtes, *florebit amygdalus, & pingueſcet locuſta, & diſſipabitur capparis,* atque hæc inceptabunt, homine jam in domum æternitatis ſuæ profecturô. Cupreſſus, ac pinus, mortem, Colocynthis, amaritudinem; Apium, luctum; ſalices, caſtitatem; hinc Eſaias, *quaſi ſalix ſuper fluentem aquarum oriuntur.* Morus prudentiam; lotus, Dei adventum; olea, pacem, condonationem, Eleemoſynam, hinc Pſalmus, *Oliva fructifera in domô Domini;* vitis, lætitiam, hilaritatem, Eccleſiam; ſanguinem; hinc Pſalmographus, *ſanguinem uvæ biberunt.* Ficus; ſuavitatem ſublatam; hinc Dominus Nathanaeli, *quum eſſes ſub ficu, vidi te.* Malus punica, multarum gentium ſocietatem; hinc Eccleſia, *& cortex mali punici genæ tuæ, & floruit vitis, floruerunt mali granatæ.* Roſa, bonum malo circumſeptum, vepres, ſcelera, ac iniquitates; hinc apud Salomonem, *ſpinæ naſcuntur in manu tumulenti.* Lilium album, Chriſtum, Angelos; hinc apud Salomonem, *flos campi, & lilium convallium.* Lolium pravos mores; hinc in Evangelio, *inimicus ſuperſeminavit Zizamam*, hoc eſt, lolium inter triticum. Verbenæ, Divi præcurſoris caput; hyſſopus, elotionem, & gratiam ſpiritalem; hinc pſalmographus; *aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.* Mandragora, lætitiam, hinc ad Rachelem Lia, *parumne tibi videtur, quod maritum mihi præripueris, niſi mandragoras etiam filii mei induſtria conquiſitas tibi vendicare cogites?* Sed à plantis ad animalia progrediamur. Num Leo fortitudinis, roboris, ac Chriſti hieroglyphicum exiſtit? num elephantus, temperantiæ, æquitatis, pietatis, ac manſuetudinis? Rhinoceros robuſtum ac fortem ſignificat; hinc Jobus, *Nunquid vult Rhinoceros ſervire tibi? terribilis fera Rhinoceros, cui geminâ in naribus cornua.* Taurus continentiam, ac temperantiam, modeſtiam, juſtitiam, Chriſtum; hinc Paulus ex Moſe, *alligabis os bovis triturantis. Quaſi bos ductus ad victimam.* Canis rerum ſacrarum Profeſſores, ac Prophetas, hinc Paulus, *cavete canes, cavete malos operarios.* Equus immoderatum impetum; hinc Deuteronomos, *Qui Rex fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi æquos, nec reducet populum in Ægyptum.* Aſinus, populum Judaicum; lepus vigilantiam, vulpes, dolum. Ovis, & Agnus, Innocentiam; Camelus, fortem; talpa, hereticos; Baſiliſcus, æternitatem; vipera filium in matrem conſpirantem; ſcorpius, innocuam pravitatem in hoc Evangelio, *Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones.* Ciconia, pietatem & animum divinis intentum; hinc pſalmographus, *Ciconia nidum ſuum ponit in abiete.* Miluus rapacitatem; aquila Apoſtolos, hinc Matthæus, *ubi fuerit cadaver, illic & aquilæ congregabuntur.* Paſſer voluptates, & nequitiæ laqueos, hinc Pſalmus, *anima mea ſicut paſſer erepta eſt de venantium laqueis.* Columba, Cignus, Anſer, & alia volatilia aliorum conſimilium ſunt ſymbola. Sed quid hæc ac plura huc referenda prodeunt, quæ in Galeni libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus, in libris de ſanitate tuenda, in commentariis libri de alimento aliiſque in operibus ita prodita ſunt & eorum omnium temperamenta, facultates, proprietates, & effectus deſcribuntur, ut inde Theologi ſuas parabolas, ſuas allegorias, ſua hieroglyphica depromere, ac levi negotio doctius in vulgus efferre ac explicare valuerint.

Scholæ univerſi orbis, ſapientiæ ac literarum, Platonem & Ariſtotelem Philoſophiæ; Hippocratem, & Galenum Medicinæ præ cæteris principes extitiſſe communi ſuffragio concedunt; ac quidam tum Philoſophi tum Medici cum Platone, quidã cum Ariſtotele Galenum ipſum conferunt. Quod autem Galenus Platonicam, & Ariſtotelicam Philoſophiam didicerit, & amplificaverit, paulo ante jam à nobis enunciatum eſt, & quæ ab utroque diſſentanea dogmata prodierint. Plato tanta Græcæ facundiæ amoenitate decoratus & divinæ ſapientiæ ubertate locupletatus fuit, ut melle dulcior ejus flueret oratio, adeo ut ſi e cælo in terras migraſſet Jupiter lingua humana uſurus, ipſum Platonicam eloquentiam eloquuturum eſſe vulgus protulerit. Deinde verò Plato de hominum fine, ac de divina natura, cæteris altius Philoſophis diſſerit, hinc ſapientiæ Philoſophus Plato, ac divinæ Philoſophiæ princeps; imo à Labeone ſemideus vocatus eſt, Deo quidem inferior, ſed homine ſuperior. Poſtremo Plato non modo omni doctrina eruditus eſt, ſed & omnium naturalium, & divinarum rerum cognitionem, omnium denique bonarum artium experientiam ſortitus eſt. At

Galenus

Galenus artium præcepta conſcripſit, Plato minime. Galenus Græco idiomate loquutus eſt, non obſcuris, aut conciſis orationis periodis, ſed qua pollebat eloquentia Aſiatica uberiùs ita contextis, ut prælegentibus ſtudioſis flumina tum lactis, tum flumina nectaris fluere videantur. Neque verò jam prius inventa ac dictata ſcripſit, ac repetivit Galenus, ſed plerumque memoratu digna Philoſophica multa, ac Medica quamplurima ſuapte ingenio addidit. Hinc Avicenna Arabum Medicorum princeps, Galenum inter Medicos principem vocitat, qui univerſos Medicos ingenio, & ſapientia ſuperavit, cujus ſeſe dicit eſſe interpretem. Averrhoes autem Philoſophorum Arabum Coryphæus, verus Ariſtotelis interpres veracem Galenum vocitat, cui nullus poſſit comparari. Admirantur omnes Galeni vitam, doctrinam, eruditionem, ſapientiam, omnium denique optimarum artium, diſciplinarumque peritiam. Ab hac Averrhois ſententia nemo deflectit, nemo ipſum improbat. Quare factam Galeni cum Platone comparationem non iniquam eſſe concedimus. Jam verò Galenum cum Ariſtotele collatum contemplemur. Hi namque duo Illuſtriſſimi viri conformes extiterunt; qui propria virtute, non majorum ſtemmate, aut opibus ad rerum naturalium cognitionem acceſſerunt; verùm Ariſtoteles nondum prominentibus, ac palmas ferentibus Philoſophis Athenis claruit Peripateticæ ſcholæ princeps; Galenus autem ex parvo municipio ampliſſimam urbem, orbis caput ingreſſus eſt. Aliud verò fuit Empedoclem, Meliſſum, Parmenidem jam mortuos inimicos habuiſſe; aliud fuit cum Theſſalo, & cum Romanis Medicis ac Philoſophis pro rei veritate, ac doctrina decertaſſe. Ariſtoteles in Philoſophia à Platone ſecundas habuit ſedes, ac præclara ſerie Philoſophica præcepta Logica, Phyſica, Metaphyſica, Ethica, & Politica præclariſſimè tradidit. Galenus in Medicina principatum adeptus eſt, Medicorumque omnium ab Hippocrate princeps præcepta Medica, imo univerſam artem partibus omnibus decoratam, ac abſolutam reddidit. Ab omnibus Philoſophis, ut Philoſophiæ Coryphæus laudatur Ariſtoteles, ſed nemo Philoſophus Galenum non probat, laudat, admiratur, tum præſertim in Logica, Philoſophia cujus nobiliorem partem explicabant libri de demonſtratione quamplurimi, qui hominum interitu interierunt, tum in Phyſica, cujus celebriorem partem Anatomica, & de uſu partium opera complectuntur in rebus naturalibus, & ad hominis ſtructuram ſpectantibus omnes citra controverſiam palmam Galeno tribuunt, eumque tanquam Phyſicorum dogmatum Legiſlatorem ſectantur; ac Medici pleraſque Ariſtotelis ſententias Medicos decipere proferunt, ſed Damaſcenus palam profitebatur, ubi Galenus & Ariſtoteles diſſentiunt, difficile verùm inveniri. An verò Avicennas Galeno conferendus eſt? Avicennas quidem Arabum Medicorum, & Cordubæ princeps fuit, qui multa Medicinæ opera Arabicè conſcripſit, ac multa medicamenta invenit, ac compoſuit, quæ priorum temporum Arabes etiam Græci non agnoverant. Utinam illa ex Arabico idiomate in latinam, aut Græcam loqutionem nobis eo ſenſu eſſent prodita, quali prius Arabicè fuerunt primum edita. Ex iis enim tutiorem doctrinam docti, & utiliorem opem ægroti perciperent. Galenus quoque, & Medica quamplurima ſcripſiſſe, ac inveniſſe opera jam ſatis innoteſcit. Uterque domi, foriſque ſuos habuit æmulos, ſuos expugnavit adverſarios, & arte, ac ingenio, conſilioque res geſſit maximas. Galenus enim ſi expugnatis in Aſia Philoſophis, in Italiam erumpere, Romanos docere, & contra Theſſalum ſcribere ſit auſus, quis ſapientiam ejus non mirabitur? Laudi quoque datur quod aperto Marte in Eraſiſtrati, Themiſtii, Aſclepiadis, ac Dioclis dogmata, ſuas rationes, ac decreta æquô animô protulerit. Avicennas Averrhoem maximum Philoſophum, imò fidum Ariſtotelis interpretem promulgatum, rationibus aggreſſus expugnavit. Quicquid tamen in Avicennæ decus ac commendationem tum Philoſophi tum Medici enunciarunt, id ipſum Arabem haud ſatis à vulgari Medicorum turba provehit, ut cum Galeno prodeat conferendus. Hebræus Raby Moyſes eſto judex, qui utriuſque conſortio uſus de Galeno hæc protulit. Galenus quidem in arte Medica univerſa novit, ac plura quàm quivis alius cujus famam audivimus, aut ſcripta vidimus; & in re Medicâ, cui mentem totam addixit, ſaniùs quàm Ariſtoteles edidit. Doctrina verò tanta in Galeno fuit, ut Rhaſis Galenum, & intelligendi, ac dicendi graviſſimum authorem fuiſſe divulgaverit. Ut autem Tullius malebat cum Platone errare, quam cum cæteris rectè ſentire, ita ſanè malint viri Medici potiſſimumque Galli cum Galenô in errores procidere, quàm cum Avicenna, aut Averrhoe vera ſapere. Ut enim Avicennas ac Arabes cæteri Medici à Græcis artes, ac ſcientias mutuati ſunt, ità ex Galeni operibus ſuas Medicinæ Synopſes, ac Logica dogmata collegerunt. Denique Avicennas ſe dumtaxat Galeni interpretem, non autem parem Medicorum omnium principem vocitat. In convivio illo celeberrimô, quod Athenæus Dipnoſophiſtarum titulo deſcripſit, & quô Laurentius quidam Romanus doctiſſimos quoſque ex omni ſcientiarum genere excipiebat (omitto Philoſophos, Juriſconſultos, Poëtas, Rethores, Grammaticos) tres Medici aderant, Galenus, Rufinus Nicaenſis, & Daphnus Epheſius, qui & Medicus veluti ſacer habebatur, & Academicus excellens. Sed Daphni, & Rufini, præter hæc nomina, nihil opinor ſupereſt; Galeni verò ſcripta optima, & maxima quæque; adeò ne nominatiſſimi quidem ejuſdem ætatis Medici vel aliqua ex parte cum eô comparari potuerunt? An verò cum Hippocrate Galenus conferendus? Uterque Græcus erat Medicorum omnium princeps, virtutum, & ſcientiarum omnium amaſius. Verùm Hippocrates Galenum tempore præceſſit; primus artis ſemina, & fundamenta jecit; primus medica documenta poſteris tradidit: Galenus verò ſucceſſit Hippocrati; projecta artis ſemina excoluit, irrigavit, propagavit; artis fundamenta aſtruxit, obſcuriora præcepta dilucidavit; conciſa amplificavit, & artem numeris omnibus integram efformavit, deditque. His paucis, ſed præclaris encomiis Champerius Medicus Galenum evexit. Erat in Galeno Chryſippi dialectica, Ariſtotelis Philoſophia, Platonis Theologia, Euclidis Geometria, Ptolomæi Aſtrologia, Pythagoræ Muſica, Demoſthenis facundia, Homeri ars Poëtica, Hippocratis Medicina. Quas ob res uterque Medicinæ ac Medicorum omnium princeps, ut veteribus omnibus, ſic poſteris in perpetuum ævum erit admirationi.

Ex Hippocratis lege Medicos, *Ejus artis Medicæ vera cognitione percepta, hoc modo urbes obeundo, non ſolum nomine, ſed etiam opere Medici exiſtimationem tueri oportet.* Galenus Hippocratis legibus ac præceptis prorſus addictus, omnibus Medicinæ præceptis prius imbutus Pergamo diſceſſit, alias regiones, & gentes; aliud cœlum, & ſolum; alias ſcientias, & artes; alias ſi quæ ſint medendi methodos; alios affectus, & alia remedia indagaturus. Primum namque totam Græciam ac Aſiam, maximè verò eminentiores, ac celebriores civitates ac regiones peragravit, Alexandriam, ac vicinam Ægyptum perluſtravit, ad Paleſtinam Syriæ, in Cyprum inſulam inſignem, metallorum inſpiciendorum gratia, appulit, ac inde Cadmiam, pompholygem, diphryges, ac ingentem chalchanti copiam in patriam exportavit. Lyciam quoque ſola rerum inveſtigatione pellectus parvo navigio totam prætervectus eſt. In Ciliciam, Phœniciam, Palæſtinâ, Scyrum, ac Cretam venit. Præterea verò in plures Orientis provincias ſe contuliſſe teſtatur, inter quas præcipuas Ciliciam, & Syriam intelligit. Quidam, ſed citra teſtes, narrant, Galenum Athenis Philoſophiæ ac Medicinæ primum ſtuduiſſe, ac poſtea adoleſcentem Romam adiiſſe, illicque Philoſophos, Mathematicos, ac Medicos omnium præſtantiſſimos quæſiviſſe, ac conveniſſe, eorum doctrinam ſcrutaturum, & adepturum, unde quum de Athenis, ac Roma loquitur, ſeſe utriuſque encomiaſten prodit, quum Athenis paucos fatuos, ac imprudentes, Philoſophos verò fuiſſe quamplurimos; & probos Romæ haud pravos evadere profert. Verum ex ejus commentariis certius conſtat ipſum prius quas memoravi regiones peragraſſe, deinde verò annos octo, & viginti natum ex Alexandriâ in patriam ſe recepiſſe, & quæcumque nova in externis locis noverat eorum participes ſuos amicos feciſſe, & quæ inde attulerat medicamenta patriis Medicis exploranda medendo dediſſe. Quum autem Galenum juvenem Medicum, ſedulum, vigilem, & expertum Pergameni communi civium ſuffragio extollerent, quod eo tempore vulnerum nervorum curationem primus excogitaſſet, urbis Pontifex, gladiatorum curationem ei ſoli quamvis juveni commiſit, quæ tam feliciter ſucceſſit, ut quamvis plerique à prioribus ac ſenioribus Medicis curati interiiſſent, nemo tamen aut nervorum, aut alio vulnere oblæſus occubuerit, proindeque meritò ſuccedentes, tres aut quatuor Pontifices, Galeno gladiatores curandos tradiderunt. At oborta Pergami ſeditione, Galenus haud diu in patria commoratus trigeſimo tertio ætatis anno Romam juvenis profectus eſt, quam urbem caput mundi cum Polemone ob hominum multitudinem, orbis terrarum compendium in libris de articulis appellavit. Sed quid Romæ geſſit Galenus? Quicquid Philiatros, aut Medicus ubicunque peregrinus ad artis gloriam, ac nominis incrementum geſturus eſt. Primum namque Cives Romanos, moribus, virtutibus, authoritate, ac fama percelebres, ſibi amicos, ſibique benevolos conciliavit, quales fuiſſe prædicat Eudemum Peripateticum, & Alexandrum Damaſcenum, qui poſtea Athenis publica Peripateticæ diſciplinæ profeſſione dignabatur; Sergium Paulum Conſularem qui paulo poſt Prætor urbanus extitit, virum tum rebus publicis, tum diſciplinis Philoſophicis in omnibus inſignem, Fabium Boëthum virum ſingularem, & alios multos, quibus præſentibus multas diſſectiones moliebatur, ac demonſtrabat. Deinde verò tum Philoſophos, tum Medicos quæſivit, eorum conſortium iniit, omnium doctiſſimos, ac ſapientiſſimos ſibi habuit præceptores, imperitos verò aut edocuit, aut ne ab illis oblæderetur, deſeruit. Quòd autem præceptores Romæ Medicos habuerit Galenus, id libro de Theriaca ad Pamphilum hiſce verbis explanat. *Romæ quoſdam e præceptoribus meis obſervavimus in* αἱμοπτυϊκοῖς *hominibus eô remediô uti conſueviſſe quod ex ſubere conſtat.* Tertio, loci tum ſitum, tum gradum latitudinis, & longitudinis percepit, & animadvertit, ut urbis ſtatum, & incolarum temperamenta, ingenia, mores, ac naturales, & præter naturam, etiam vernaculos affectus agnoſceret. Ipſe rei fidem facit, quum maximos dies ac noctes Romæ quindecim horarum, aut paulo majores in libris de ſanitate tuenda notavit. Hinc Romæ bonos non malos fieri protulit, ſed pravos prius exiſtentes malè agendi materiam nanciſci. Quartò quæ ad τὰ Romanorum ὑγιεινὰ ſpectabant, ſcrutatus eſt, unde commentario in ſexto Epidemiorum, eorum qui Romæ erant fontium elegantiam ac multitudinem admirabilem laudat, quorum nullus fætidas aquas, aut medicatas, aut turbidas, aut aſperas crudaſque effundebat. Damnat autem eas quæ ex Tiburtinis montibus per lapideos ductus Romam derivabantur, tanquam crudas ac omnino vitioſas; Damnat quoque aquas nive & glacie refrigeratas, Romæ, ut Pergami copioſiſſimas. In tertio de alimentorum facultatibus librô, duo caſei genera cæteris præfert, alterum Pergamenum, quem oxygalactinum, alterum Romanum quem βαθὺν nuncupat. Quinto medicamenta tum ſimplicia tum compoſita, quæ Romanis erant uſui, conſpexit, ſcrutatus, & expertus eſt. Hinc in libro de Antidotis narrat Romæ ſimplicia optima eſſe, & quotannis præſtantiſſima quæque ſimplicia ex omnibus provinciis Romam comportari. Paulò poſt, *Medicus*, inquit, *omnium ſtirpium ſi fieri poteſt peritiam habeat, conſulto, ſin minus, plurium ſaltem, quibus frequentèr utimur. Ego equidem in Italia multis in locis inveni, quæ neque in ortu, neque in incremento iſti Medici noverunt, qui ſtirpes ſiccas tantummodo cognoſcunt. Nullus extat Romæ unguentarius, qui Cretâ allatas herbas, & ipſarum ſemina non agnoſcat, at in ſuburbanis urbis non paucas ex ipſis naſcentes prorsùs ignorant, idcircoque nec quo tempore ſemen ferant, obſervant. Ipſe verò & chamæpityn, & chamædryn, & thlaſpim, & centaureum, & hipericum, & polium, & cæteras id genus herbas Romæ vidi, quas obſervato vigoris tempore, neque æſtivo Sole arefactas, neque citius quam par fuit, evulſas collegi, nondum maturis ſeminibus.* Quod autem pharmaca, electuaria, antidota & cætera compoſuerit Galenus jam ampliſſimè innotuit tum ex iis, quæ inter τὰ φάρμακα recenſuimus, tum ex compoſitionum principe Theriaca, quæ tunc temporis apud Romanos Imperatores tantô in pretiô fuit, ut ipſius parandæ ac conficiendæ munus ſolis primariis Aulæ Imperatoriæ Medicis committeretur. Quùmque Antoninus Archiatro ſuo Demetrio Theriacam paranti, & componenti Galenum ſemper aſtitiſſe animadvertiſſet, eô mortuô id munus ſoli Galeno Auguſtiſſima Majeſtas demandavit, quæ quum Theriacam quotidie aſſumeret, ejus facultates accuratiſſimè dignoſcebat, unde quæ à Galeno prima confecta fuit antidotus, ea cæteris adeò præſtare viſa eſt, ut deguſtata, medicamenti concoctionem (quod in aliis fieri ſolebat) expectare noluerit, ſed quamprimum

ea

ea uſus ſit Cæſar etiam ante duos menſes à peracta compoſitione elapſos. Qui Antonium ſubſequutus eſt Commodus, nec theriacæ nec aliorum curam habuit ullam, quô factum eſt, ut Imperator poſtea Severus quum theriacam conficere eodem modo quo Antoninus, Galeno præcepiſſet, ſimplicium materia, quæ Trajani, & Antonini temporibus repoſita fuerat. Sexto Endemios familiares, ac frequentiores civitatis morbos animadvertit, & agnovit, ac occurrentium ægrorum curationem ſuſcepit. Hinc Commentario in primum Epidemiorum ſecundo hæmitritæum, febrem Romæ incolis vernaculam, ac frequentiſſimam conſpexit. Quod autem ægrotos Romæ plurimos curaverit, ac ſanaverit, teſtantur ejus opera, quibus innoteſcit Eudemium ætate jam ingraveſcentem quartana triplici per hyemem ob intempeſtivum theriacæ uſum laborantem, tempeſtivo ejuſdem antidoti uſu à Galeno ſanitatem recuperaſſe; ſic & juvenem quartana quoque jacentem, eventum morbi præfatus ſanavit. Sic familiarem Charilampi cubicularii nervo vulnerato proſtratum curavit. Curavit Demadem Rhetorem, uxoris Juſti amores detexit curavitque, quemadmodum, & ſervum divitis ob pravam rei domeſticæ adminiſtrationem obortô metû contabeſcentem. Siculum Medicum hepaticum; Boëthi uxorem humida intemperie, & muliebri fluore aquoſo, proindeque fædis coloribus affectam, alioſque quamplurimos curavit, quos ejus opera ſtudioſis ampliſſime divulgant. Quum autem rerum quamplurimarum Medici ſapientiæ digniſſimarum inſpectione noſtri archiatri animus continuò teneretur, Romam celeriori qua potuit occaſione reliquit, ac tres annos ibi commoratus, & ingruente magna peſte expulſus, in Alexandriam denuò profectus eſt, unde, quod antea res ejus ſingulares ac pretioſas jam noviſſet quamprimum diſceſſit, & ad Palæſtinam opobalſami quærendi ac aſportandi, & bituminis inſpiciendi deſiderio devectus eſt. In Lyciam minoris Aſiæ regionem navigavit, quò quæcunque in ea rara ſunt, inſpiceret. Univerſum Lyciæ littus perluſtravit ut Gagatem fluvium in quo plerique lapidem inde Gagatem dictum procreari jactitant, detegeret; ſed neque fluvium illic, neque lapidem Gagatem ſeſe comperiſſe aſſerit; ſed cruſtaceos lapides nigros, qui in ignem projecti exilem flammam ederent, compluresque ex Celeſyria aſportaſſe, in colle mare mortuum circumdante productos. Bis in Lemnum Egæi maris inſulam navigavit, ut quæ de terra Lemnia tradebantur verane eſſent præſens inſpiceret, & ipſius copiam ſecum aſportaret. Prima namque profectione, quum ex Aſia Romam Imperatoris juſſu pedeſtri itinere per Thraciam, & Macedoniam proficiſceretur, potius à Troade, Alexandria in Lemnum adnavigavit, non tamen ad eum, ubi terra Lemnia reperitur, locum à Nauclerô deductus eſt, itaque ad ſuum in Aſiam reditum diſtulit. Secundâ verò, quum in Aſiam ab Italia rediret, Macedoniam trajecit, totamque pedeſtri itinere peragravit, Philippos pervenit, civitatem Thraciæ finitimam, in mare deſcendit, Thaſon tranſit, in Lemnum Heſpheſtiada deductus eſt, ubi ſacerdotem terram Lemniam colligere, ac citra ſanguinem hircinum, aut caprinum parare, ejuſque facultates ex libro patrio conſcriptas agnovit. Quum autem de aquoſo vino febricitantibus idoneo loquitur Galenus, plurimas regiones memorat, ubi ejuſmodi vina proveniunt, ut in Italia imbecillum Sabinum, in Aſia Zitacazenum, & Tibicenum; talia comperit in Cilicia, Phænicia, Paleſtina, Scyro, Bithinia, & Creta, etiam in Ægypto, quas omnes regiones noſter Coryphæus Medicinæ peragravit. Ac ſanè Alexander ſcribit in Ægypto vina fieri debilia, quod calore regionis inteſtinus terræ calor expirans, vites quibuſcunque alterationibus obnoxias non tueatur, neque fructum validum concoquat procreetque. Contrarium verò in Scythia evenire. Campaniam quoque ſe adiiſſe prodit Galenus quum illic quendam renum arenulis, aut lapillis laborantem gracili donatum corpore, cui attenuantia inſalubria, ac inimica erant, hordei cremore ſeu ptiſana, ac piſcium ſaxatilium, & pelagiorum, carnium quoque lentæ ac glutinoſæ ſubſtantiæ expertium usû curavit. Quum ex Alexandriâ in partiam rediret, ex itinere in Villam quandam divertit, ubi ægrotabat Dominus, ac penè uvulæ, ac amigdalarum glandium tumore ſuffocabatur; Quum autem illic deeſſent alia remedia, ac jam nuces matureſcerent conſiderata corticum natura, auſtera, & aſtringente, ex illis corticibus expreſſit ſuccum, cui mel addidit, quo remedio ægrum ſubito liberavit, eodemque ſemper ſe feliciſſimè uſum narrat. Imò libro de locis affectis quarto ægrotos, quales ſuffuſione affectos, antea ſibi ignotos, nec conſpectos, quod in alienis terris degerent, ſe curaſſe profitetur. Sic ex Iberia, Celtica, Aſia, Thracia, cæteriſque regionibus per epiſtolas ab eo poſtulata remedia oculorum affectibus curandis idonea, qualem hieram picram eſſe memorat, acceperunt. Quidam juvenis quintum morbi diem agebat, quo quum Medici venam incidere decreviſſent, nec mittendi ſanguinis indicationes dehortarentur, Galenus optimè quidem eos in opinionem mittendi ſanguinis veniſſe protulit; verùm naturam ad ſarcinam qua graviter premebatur evacuandum properare (nam accurate quæcunque hæmorrhagias futuras ex Hippocrate portendunt, ſpeculatus erat) ac brevi admodum quod Medici obeundum decreviſſent, idem ultrò acturam. Dum Medici hæc admirantur, æger è lecto proſilire tentavit, qui cur exilire vellet interrogatus, rubri coloris ſerpentem per laquearia repere à ſe viſum reſpondit, ideoque è lectulo ſe aufugere velle. Reliquis Medicis nihil id adfuturum ſanguinis profluvium pertinere viſum eſt, verùm Galeno, tum alia ſingula perpendenti, tum ruborem, qui prius in dextera naſi parte ad malam uſque obſcurius fuerat auctum, valdè intuenti, ſanguinis paulò poſt è dextera nare fluxuri, manifeſtum id attulit indicium, quod ita contigit. Quum autem immoderatus ſanguis proflueret, irritis aliis remediis ipſum cucurbitula Hypochondrio dextro appoſita ſedavit. Qui plures hujuſmodi hiſtorias expoſtulaverint, adeant Galeni libros, aut Symphoriani Campegii campos hiſtoricos Galeni, in quibus res Medicas præclare geſtas archiatrũ digniſſimas, ampliſſimasque conſpicient.

Galenum non modo peſtis Romæ ingruentis metu, verum etiam oborto Medicorum odio, & ſuccenſo, rerum aliis in regionibus inſpiciendarum deſiderio, caput mundi reliquiſſe animadvertimus. Pervulgata namque per orbem cum Imperatore Marco Aurelio Antonino Galeni gloria, Medicum Cæſar quamprimum accerſivit ſecum in bellum quod contra Germanos movebat, abduc-

abducturus. Quum autem Galenus ſe abſceſſu periculoſo laborantem auſpice Æſculapio ſervatum fuiſſe; ac proinde Deum ipſum patrium non Imperatorio comitatui, ſed votis ſolvendis annuere propoſuiſſet; ita perſuaſus Antoninus, Archiatrum Romæ reliquit, ac Pitholao Commodi Antonini filii gubernatori imperavit, ut ſi quando puer ægrotaret Galenum accerſeret, ipſi arte medendi opitulaturum. Relictus itaque Romæ Galenus toto Germanici belli tempore memor pravitatis Medicorum, ac Philoſophorum, qui tum in Urbe medebantur, ac Philoſophabantur ex civitate frequentius ſecedebat, ad eum locum in quo puer princeps Commodus alebatur, qui quum in phlegmonem, ac febrem comitem incidiſſet, proſpera Archiatri cura repentè ſanus evaſit; Reverſo tandem Imperatore, ſextus alter Antonini filius acuto morbo correptus ita ægrotabat, ut ſeptimo morbi die criſim futuram quarto die Galenus cognoverit, ac eum ſeptimo, vel ſexto die prorſus judicatum iri prædixit. Quod ſi ſexto judicaretur, reverſurum; ſin ſeptimo, integram tum ſolutionem fore, eamque per ſudorem. Criſis autem die ſexto contigit, & quanquam poſt id tempus Princeps ſextus, ut Galeni prædictionem argueret, & febris non rediret exquiſita victus ratione uteretur; die tertio decimo tamen iterum febrire cœpit, quum rurſum vocatus Galenus poſt tres dies eam febrem, quæ magna iterum eſſet futura, deſituram, atque ſeptimo decimo die à priore decubitu criſin facturam prædixit; ac rurſus die quinto decimo ſententiam ſuam rogatus, in eadem permanere ſe reſpondit, hoc etiam addens ſeptimo decimo die accedente ſudorem hora ſecunda noctis erupturum, quæ omnia prout prænunciata ſunt, evenerunt. Præterea verò reverſus ex bello M. Aurelius ſe aliquando febrire credidit, quod & Medici ejus peregrinationis comites autumabant; Aſcitus Galenus, juſſuſque arteriam tangere, dixit nullam ſubeſſe febrem, ſed potius ab aſſumpto cibo immoderatiore ventriculum opprimi, quod mox Imperator ipſe ter ita rem ſe habere repetens confirmavit; ſentire namque ſe cibo frigido gravari, ventriculum enim fovens nardino unguento purpurea lana excepto calido, ac epoto Sabino vino cum pipere, quemadmodum Galenus præſcripſerat, minimo negotio fuit reſtitutus; unde Galenum poſtea ſummis laudibus crebro Antoninus evehebat, eumque Medicorum præſtantiſſimum eſſe, virum ingenuum, ac ſummum Philoſophum prædicabat. Neque verò argumentum vulgare Galeni doctrinæ, atque morum integritatis eſt quòd Marcus Imperator omnium juſtiſſimus, qui à ſingulari ſapientia philoſophi nomen adeptus eſt, eum & Laudibus ornaverit, ac Medicum aſciverit. Interea verò in Galenum, tum Philoſophorum, tum Medicorum inſurgunt odia, invidiæ accenduntur, ac parantur inſidiæ, quibus propagatæ viri ſcientiæ, prolatæ rationes, detecta veritas, inſignes curationes, probatæ virtutes, & parti honores ortum, & incrementum advexerunt, *ſemper omnia præcellentia comitem habent invidiam.* Ex eodem fonte tum *μισολογίας* tum *μισανθρωπίας* ſcaturit. Medici Romani quod vix eſſent Grammatici, ac nullo modo Dialectici, nec congruè, nec probabiliter loquebantur, quumque rationibus logicis uteretur Galenus, tum rationes, tum hominem rationum authorem odio proſequebantur, hinc ipſi *μισόλογοι* ac *μισάνθρωποι* oblatrabant, qui quum tales à Galeno notarentur, ipſum nunc dialecticum, nunc phyſicum, nunc rethorem, nunc Grammaticum ſubdole vocitabant, & quum eorum imperitiâ longiori concertatione rationibus detegeretur, res agitatas ſibi ignotas parvi ducentes, & cætera omnia ſe noſſe jactitantes, ad τὰ πάρεργα quædam ſibi forſan notiora *πάρεργοι* confugiebant. Hi æmuli quò Galeni gloriæ inſidiarentur, contumeliaſque apud populum pararent, variis eum cognominibus notabant. Nam λογίατρον appellabant in maximam qua pollebat eloquentiam *παραδοξόλογον*, in rationes quibus exuberabat optimas à vulgi medicorum ignorantia alienas; *παραδοξοποιόν* in eas haud vulgares quas edebat ſententias; interdum præſtigiatorem, ac vatem, in eas quas proferebat prænotiones, ac prædictiones. Sed iſti Æſopicam limam rodebant, quem enim opprimere ſtudebant, ut palma perpetuis florens laudibus exurgit, vivitque. Quod Galenus coram omnibus Romæ, aut omnium ſapientiſſimis corpora diſſecaret, ac anatomicas quæſtiones ex ſubjecto doctiſſimè dilueret, quod plurimis ægris ſanitatem reſtitueret, ventura ſingula præfatus, quod à Caſaribus accerſitus eos benevolos curaret, ac proinde primorum Medicorum famam everteret, aut obſcuraret, eo Medicos ſibi invidioſos, odioſos, ac malevolos comparavit. Optabat Galenus, æquumque augurabatur ejuſmodi Medicos rationes patienter audire, & amice quæ ignorabant addiſcere, non autem in eos qui vera, ac rationi conſona prius ignota edocent, odio divexare. In libello de purgantium medicamentorum facultatibus; *quidam*, inquit, *Medicus ſtatim atque novit me ſola purgatione plures capillorum defluvio liberaſſe, me ilicò proſequi odio cæpit. Sic alter quum incipiens carcinoma, elephantiaſim, depaſcentia, aliaque ulcera ſanaſſem.* Sic alii Medici, quod ſolis purgationibus, ſcotomata, ægros mania affectos, epilepticos, melancholicos, alioſque diuturnis capitis, & aliarum partium doloribus cruciatos Galenus curaſſet, ipſum repentino odio proſequuti ſunt. Quum Galenus Eudemum ſexageſimum tertium annum agentem, tribus quartanis laborantem, media hyeme ventura præfatus curaſſet, tum invidiæ primordium Galeno obortum eſt. Cui Antigenes, qui tunc temporis inter Medicos Romæ principatum tenebat; Martianus quoque, aliique Medici primò hominem Græcum illudebant; deinde attoniti admirati ſunt, qui Deos precabantur, ut ſucceſſu fruſtraretur. Verùm quum Galenus votis ac ſapientiæ, bonis ægrotantium votis curationes ſucceſſiſſent, ipſi Romanorum Medicorum principes Galenum divinum Medicum agnoverunt, & humi coram Galeno proſtrati, temerarias in Pergamenum latas obloquutiones magnis encomiorum celebrationibus eluerunt. Ità ſolent malevoli, quum vincere nequeunt, doctorum amicitiam ambiunt, ut hoc nomine apud vulgus poſtea famam tueantur. Quum itaque ſapientiſſimus medicorum Galenus, iſtorum medicorum odia; injurias ac ſcelera perferre diutius haud valeret, de his apud Eudemum conqueſtus eſt (quos à latronibus dumtaxat eſſe diſſimiles protulit, quod illi in urbe, hi in montibus ſua facinora perpetrent) & quod in eum conjurati agerent; quum primum, inquit, ſeditio, ac belli tumultus in patria mea ceſſaverit, conſpicies me ex hac urbe diſceſſurum, & brevem hic moram facturũ, quò citò celerius ab improbis iſtis nebulonibus liberer. Cui Eudemus dixit eos, ſi non improbis vafrамẽtis oblæderẽt, ad inſidias pharmacis deſcenſuros.

Orationem

Orationem autem recenti hiſtoria comprobavit juvenis Medici, qui quum Romam acceſſiſſet & experientia peritiam ſuam, & utramque operibus proderet, eum deleteriis pharmacis cum famulis duobus è vivis ſublatum fuiſſe narravit. Qua audita, gratias Eudemo egit Galenus, qui pauciſſimis poſt diebus Româ digreſſus anno ætatis trigeſimo ſeptimo in patriam ſeſe recepit, ubi à Pergamenis acceptus, honoratus, ac tranquillus reliquum ævum traduxit, quemadmodum plures hiſtoriæ fidem faciunt. Quod verò Galenus diuturniorem Romæ moram fecerit, nonnullos legimus hiſce verbis ratiocinari. Quum Galenus theriacam Severo Imperatori confecerit, ob idque ſe dicat cinnamomum accepiſſe, Trajani, & Hadriani tempore reconditum, æquum eſſe videtur, ipſum Romæ fuiſſe quo tempore jam ſexageſimum annum erat prætergreſſus, etiamſi Severi qui 18. annos imperavit, primum principatus annum accipiamus. Imo verò ſi recte conſiderentur quæ à Galeno ſcribuntur tractatu de libris propriis, dicit ſe Româ in patriam profectum jam annos 37. natum; ſed paulo poſt ab Imperatoribus Aquileam revocatum, ac inde Romam profectum, ubi quum ultra duos annos permanſiſſet, jam quadragenarium in patriam iterum rediiſſe neceſſario proferendum eſt.

Quum tria bonorum genera numerentur, animi, corporis, & fortunæ; ac conſtet Galenum bonis tum animi, tum corporis, præditum fuiſſe; jam quæruntur quintuplicia fortunæ bona, nobilitas, amicitia, honores, gloria, divitiæ. Nobilitatem Galeni, genus, patria, doctrina, ac res præclarè geſtæ ampliſſimè prodierunt. Nobilitatem generis virtutem eſſe tradit Ariſtoteles. Niconem nobilem Galeni parentem eſſe narravimus, qui civis Pergamenus è nobili ſtirpe ortus, morum probitate, virtutum celebritate & ſenatoria dignitate nobilis habebatur: *Nobilis fuerit vir bonus.* Quis degenerem Galenum imaginabitur? imo eum ab ortu nobilem ad ſumma ac altiora nobilitatis faſtigia virtutum gradibus provectum eſſe non profitebitur. Amicos habuit veritatis amicus quamplurimos, quos ei familiares εὐφυΐα ſocios litterarum ſtudia, gratos ars medendi, ac benevolos blanda conſuetudo. Amicos habuit Galenus Pergami, Romæ, aliiſque in Civitatibus, ac regionibus quas peragravit, non inopes dumtaxat, ac plebeios quibus gratis medebatur; ſed & divites viros Conſulares, qualem Boethum; Philoſophos, qualem Eudemum; Medicos Pelopem, Fecianum, Satyrum & cæteros non paucos; Cæſares Antoninum, Commodum, Severum; patrios innumeros. Præclarè Iſocrates, *Amicos tibi compara non omnes qui id deſiderant, ſed qui ingenio tuo digni ſunt.* Probi viri ac ſapientiſſimi Galeni amicitiam, & conſuetudinem inibant avidi; Improbi verò, ac ignari ejus conſortium ſubterfugiebant, de quibus his verbis ità conqueritur. *Millies ſum expertus qui jucundè, ac libenter mea conſuetudine uterentur, propter mea in agros opera, in quibus illis videbar exercitatiſſimus, quodque me in diſciplinis quoque verſatum eſſe noviſſent, eos plerumque mihi inſultare, neque admodum meo amplius conſortio delectari.* Age verò à prioribus Galeni laboribus, ac temporibus ad hoc uſque ſæculum quot Pergamenos, Alexandrinos, Græcos, Aſiaticos, ſibi amicos conciliavit? quot Romanos, Italos, Gallos, Anglos, Germanos, Europæos, imò univerſi terrarum orbis incolas ſibi amicos ſuis devinxit operibus quibus veri Medici edocentur, ſanis ſanitas conſervatur, ægrotiſque reſtituitur. Conſulantur Medicinæ facultates univerſi orbis, hæ præceptorem Galenum proclamant, ejus dogmata, ac præcepta ſectantur, Principem honoribus evehunt, & editos Archiatri libros Philiatris explicant. Primarios itaque honores, ac titulos, primariamque gloriam medicam Galenus conſequutus eſt, qui inter muſas, ac doctores optimus, ac doctiſſimus vixit, inter ægrotos ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ εὐδαίμων, inter Cæſares ægrotantes, Eſculapius: inter Medicos, Apollo; inter Philoſophos σοφώτατος, huic immortalis gloriæ hieroglyphicum laurus tribuitur, hunc Roma in patriam reverſus ſenatorio magiſtratu indutum fuiſſe conſtat; denique ab Hippocrate Medicorum omnium principem, & Corypheum, ſapientum omnium ſuffragia declarant. Quicunque doctoratus laureolam medicam, aut medici nomen citra Galenum, aut neglectis Galeni voluminibus ſibi arrogant, eos profanos, agirtas, nebulones, ignaros, aſinos, reſpublicæ bene moratæ, ac æquiſſimi judices proſcribunt, aut graviori mulctâ avertunt. Ad quas divitias Galenum promovit fortuna? Præclarè Euſebius, qui ſe ſatis poſſidere ſibi perſuaſit, dives exiſtimandus eſt. Locupletiſſimus itaque Galenus, qui divitias ſibi nunquam defuiſſe profert, cui tantus pecuniarum uſus aderat, ut ad res honeſtas agendas, ſcientias adipiſcendas, & adverſus ſitim, famem, ac frigus ipſæ tanquam antidoti perpetuò ſuppetierint. Seſe jactitat Pergamenus fortunis omnibus nunquam ſpoliatum fuiſſe, neque ulla ignominia notatum, quem parens ita alloquutus eſt.

Haud me latet te fortunarum plus duplo, quam me poſſidere, & in noſtra civitate non mediocri honore præditum. Num Galenus multas tum à parente divite traditas, tum ab arte propagatas facultates comparavit? Legimus à Boetho viro Conſulari ſolummodo quadrigentos numos aureos pro honorario accepiſſe. Et quemadmodum Nico aſſueverat filium ſuum, & gloriam, & honorem, ſic & divitias pauci ducere; unam verò ac nudam veritatem in pretio habere, ac maximi facere. Divitiis, inquit, præſtare, non virtutis, ſed fortunæ eſt munus, quæ & ſervos, & liberos facit plerumque nobis qui generoſi, & nobiles appellemur ditiores. Ego verò (loquitur Galenus) quemcumque mihi pater proventum reliquit, eum totum relinquo, qui ex eo neque quicquam reſidui repoſui, neque theſaurum ullum congeſſi, neque amplius quam impenderim quicquam recondidi. Ex his patet Galenum pluris virtutes quàm divitias feciſſe, neque ſorti, ſed arti amicitias, honores, gloriam, nobilitatem, ac facultates retuliſſe. Nonnulli tamen Galenum fortunam magni duxiſſe, proferunt, quam in curationibus ſibi ducem fuiſſe interpretantur. Unde quum à Glaucone ad Medicum quendam ægrotantem duceretur Galenus, & animadverteret laborantem hepatide non pleuritide, (qua ſe obſeſſum æger putabat) dixit fortunam ſibi viam præbere, qua apud Glauconem clarum nomen eſſet adepturus. Ità verò res accidit. Nam primum, & partem affectam novit Galenus, & morbi ſpeciem; deinde certam prænotionem attulit, unde non parvam tum apud Medicum decumbentem, tum apud Glauconem conſequutus eſt Pergamenus. Sed per hanc fortunam occaſionem intelligit quam vir prudens ſibi objectam manibus arripit. Hinc paulo poſt, ſæpe, inquit, fortuna haud contemnendam adipiſcendæ laudis anſam ſugerit, ea tamen vulgus medicorum ob imperitiam uti neſcit; ſed doctiſſimus quiſque quum ſymptomatum aliquod hujuſmodi conſpexerit, haud levi negotio cætera quoque comperiet, quorum alia

alia quidem neceſſariò, alia verò magna ex parte, & locum affectum, & morbum ipſum ſequuntur. Atque hæc ex quinto de locis affectis. Quare mihi quidem cum ſatyrico fortuna rationem, & prudentiam ſequi videtur, non ſeparata aliqua vis, vel cauſa eſſe.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus, fortuna, Deam, cœloque locamus.

Præclarè Hippocrates in Medico τὴν ξύνεσιν prudentiam deſiderat, cujus eſt, & morbos dignoſcere, & curare. Orientales autem viros Borealibus, & Aſiaticos Europæis prudentiores judicat. Quare quum Galenus Aſiaticus, Orientalis, & Archiatros extiterit, eum prudentiſſimum fuiſſe decebat. Ac ſanè qui virtutum omnium erat hoſpes, quam virtutum principem prudentiam Jamblicus vocitat, & Deum magnum, Agatho, eam ipſam divinum medicorum principem ſibi priorem quam cæteras virtutes conciliaſſe concedendum. Ex Ariſtotele. Res autem, & effectus prudentiæ ſunt probum inire conſilium; proba, ac prava diſcernere; & quâcunque in vitâ ſequenda, & fugienda ſunt; probè bonis exiſtentibus uti; honeſtam habere conſuetudinem; occaſiones opportunas ſpeculari; ſolerter verbo, & rebus uti; utilium omnium experientiam habere. Vir conſultus extitit Galenus, qui divino ſomnio, ac venerando parenti conſulentibus obſequutus, artem medendi, peractis humanioribus diſciplinis amplexus eſt; qui ab adoleſcentia aſſidua conſuetudine ductus, præcipitem ac temerarium aſſenſus refugit; quamobrem nulli ſectarum addictus, rationes omnium audivit, percepit, dijudicavit. Imo his in omnibus quæ ſenſu aut ratione cognoſcuntur, niſi horum alterutro, vel utroque impulſus, nihil ratum certumque habuit. Eodem conſilio ab omni ſuperſtitione, ac præſtigiis, quarum hæ ferè ſenſibus, illa rationi pugnat, ſemper alienus fuit. Arduum judicium eſt; verum Galenus judicia, & inſtrumenta per quæ tum ſermones veri parantur, tum quæ ab aliis dicuntur judicare poſſimus in univerſum, ſe traditurum pollicetur περὶ τῆς διδασκαλίας libello. Cui tum exquiſitum ſenſum, tum mentis aciem naturam dediſſe, ac proinde ampliſſimum judicium conceſſiſſe, ſcriptorum ejus veritas edocet. Eo autem judicio vera à falſis, proba ab improbis, tum Philoſophica, tum Medica variarum ſectarum dogmata dijudicabat, ac ſeligebat. Solers viſus eſt tum ſermonibus extimis, tum intimis rationibus, qui logicas demonſtrationes adeptus, libros quamplurimos de demonſtratione condidit, qui logicis rationibus ſui ſæculi tum Philoſophos, tum Medicos evicit, qui Romanis Medicis diſſerendi ſcientiam ignorantibus palmam eripuit. Opere ſolers extitit, qui res præſertim anatomicas perſcrutatus, & remedia ſimplicia, & compoſita expertus, de his ſuas lucubrationes Medicis omnibus perutiles, & ægrotantibus ſaluberrimas conſcripſit. At mira ejus ingenii ſagacitas & animi ſolertia fuit ex multis diverſiſque circumſtantiis aliquid prompte colligendi, adeo ut ea quæ peritia & ſagacitate præſtabat, divinatione quædam, aut etiam præſtigiis, moliri videretur, multis illud ignorantibus μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς. Num prudentiſſimum Galenum in ſuperſtitionem conciđiſſe quædam commentaria detegunt? Medicamentum hydropicis utile ex cancri, & azari pulveribus compoſitum refert, ſed cancros in qua nati ſunt aquâ vult incoqui, quod ſuperſtitionis eſt. Ex ſeminis dauci, aniſi, cucumeris, petroſelini, myrrhæ, ſingulorum drachmis quinque, & caſiæ, daphnidis, cinnamomi, nardi celticæ, ſingulorum drachmis quatuor nephriticum parat remedium, idque tanta religione, ut pila lignea, & piſtillo conſimili terenda teri oporteat; & qui tundit terit ve, eum neque annulum ferreum, neque calceamenta clavis ferreis transfixa gerere. Nonne hæc ſuperſtitionis? ſi quis comedendo aliquid quo ſuffocetur devoraverit, & rei devoratæ portio utrique auri & capiti ſuperponatur, quod res deglutita ac ſtrangulans ſtatim devolvatur, num ſuperſtitionis, quemadmodum, & aſſum muris jecur Luna ſilente eductum, ac epipletico datum? Alia conſimilia in libris κατὰ γένη καὶ κατὰ τόπους & περὶ εὐπορίστων. Undique collecta narrantur quæ Galenum ſuperſtitione convincunt. Imo ſapientiſſimum, ac prudentiſſimum Galenum judicant quæcumque ab eo conſcripta ſunt. Quæ verò objiciuntur, ea aut ex Archigene, aut Andromacho, aut Aſclepiade, aut aliis à Galeno collecta referuntur, aut Galeno aſcribuntur. Quam enim δεισιδαιμονίαν ſuperbiæ tanquam parenti morigeram eſſe dicebat Socrates, ei Galenum ullo modo faviſſe nequaquam proferendum eſt.

Ex Menandro, *Penus virtutis eſt temperantia*; quæ virtus non modo viris morũ probitati incumbentibus, verum etiam, ac præcipue ſapientiã æmulantibus, Philoſophis ac Medicis idonea, ac neceſſaria eſt. Hanc autem virtutem prudentiæ comitem coluit Galenus, qui voluptates, venerem, ebrietatem, ingluviem, divitias immoderatiores, & excandeſcentiam perpetuò adverſatus eſt, damnavit, fugit. Quum enim Medico aſſiduè ſtudendum, aut medendum ſit, nihilque ſuperſit temporis, aut otio, aut oblectationibus conterendum, ipſe præceptor, *integer vitæ ſcelerisque purus*, omnium Medicorum vigilantiſſimus, ac temperantiſſimus, primum depravatos ſui temporis hominum mores arguit, qui ſcientias nobiliſſimas, ac ſapientiam nihili ducentes, ad voluptates, pecunias, civilia munera advolabant; qui ad uberes epulas, fœcundoſque calices ferebantur, ubi de mutua vini propinatione, de poculorum magnitudine, ac numero concertabant, crapula rumpebantur, inebriabantur, ſcorta, ac fœdas Veneres adibant, ac veluti luto ſues volutati languidos artus ſopore placabant. Deinde verò in Theſſalum aliosque Romanos Medicos invehitur, qui matutinis horis ad urbis potentiores ſalutem nunciaturi prodibant, appulſi adulabantur, qui frigidam, qui balneum concedebant, qui nivem vinumque poſtulantibus porrigebant, quicquid denique deſiderabatur, juſſi tanquam mancipia moliebantur. His pranſuris, ac cœnaturis ædium fores quotidie patebant, qui brevi evadebant divites. At his pravis moribus, & adulationibus, huic honoris Medici, ac temporum jacturæ prorſus temperavit Galenus, ratus utilibus honeſta præferenda eſſe, & majorum qui ab Eſculapio oriundi ſuis ægris tanquam duces militibus, & reges ſubditis imperabant, ſequenda opportunius veſtigia quam Getarum, & Tibiorum, & Phrygium emptitiorumque ritu obſequi. Præceptor autem à voluptatibus omnibus, ac potiſſimum venereis abhorruit, ut cælibem vitam duxiſſe multi augurentur, ne conjugis commercio, & rei domeſticæ onere à Philoſophia ac arte medendi deturbaretur; aut Hippocratis jurejurando addictus ita loquebatur; *caſtam verò & ab omni ſcelere puram, tum vitam, tum artem meam perpetuo ſervabo.* Ad pecunias accumulandas haud animum attulit qui paterna hæreditate ſatisfactus alebatur, ac neceſſariis veſtimentis induebatur. Quum autem adoleſcens fugacium fructuum uſu in morbum incidiſſet, & ſanitatis tuendæ methodum didiciſſet, his adeò temperavit, ut incolumis diuturnum ævum deinceps traduxerit. Is re, no-

mine

mine, & moribus adeo tranquillus, gravis, manſuetus, ac minimè iracundus extitit, ut qui nunquam ira percitus famulos, aut manu, aut baculo, aut injuriis, quemadmodum, & pater etiam commeritos, læſerit, ſed tum minis, tum paternis exhortationibus eorum errores emendaverit, qui iraſcentis impetum, haud ab inſaniâ, ac furore diſcrepare prædicabat. Illum certè qui nihil antiquius ſtudio veritatis, nihil dulcius artis ad hominum ſalutem inventæ amplificatione duxit, in quibuſcunque rebus, propter quas homines plerique incontinentię, aut luxus,& intemperantiæ accuſantur, quamminimum deliquiſſe conſentaneum eſt. Quin & ægros moribus ſemper placidiſſimis ita exhilarabat, ut vel ſolo ſermone videretur eos ſanitati reſtituere. Contra in diſputando adeo gravis, atque ſeverus extitit, ut perpetuo ſuis antagoniſtis pudorem, ſibique gloriam maximam conciliarit. Fuit enim tam acris & vehemens in refellendis, ſive ſermone, ſive ſcripto, aliorum, tam Medicorum, quam Philoſophorum erratis, ut aſperioribus etiam verbis, & conviciis non abſtineat (quemadmodum contra Theſſalum, & Julianum) tantumque valuit, ut eorum quos proſequutus eſt, univerſa ſcripta perierint.

Τὴν ἀνδρείαν μεσότατα δειλίας καὶ θρασύτητος, fortitudinem timiditatis ac temeritatis medium obtinere philoſophatur Ariſtoteles ab Hippocrate, ac Platone altiore smutuatus ſententias. Ut autem ex Hippocrate timiditas impotentiam, temeritas artis ignorationem arguit, ſic doctrinam ampliſſimã *ἡ ἀνδρεία καὶ μεγαλοψυχία* prodit, qualem Galeno Medicorum Coryphæo ſapientiſſimi viri universè concedunt. Fortiſſimum virum Galenum fuiſſe multa detegunt, primùm autẽ quod mortis metu inconcuſſus fuerit, ut qui mare ac terras plurimas peregrinus oppugnantibus periculis peragravit; qui ad tot ægros Græciæ ac Italiæ acceſitus à mortis via ſeu morbis, nullô eorum cacoëthiæ ac corruptionis metu commotus, ad tutum ſalutis portum revocavit. Deinde conſtans, ac intrepidus ad pericula quæcumque in vita quotidie oboriuntur (qualem quoque fuiſſe parentem prædicat) æquam quibuſcunque in rebus, aut caſibus mentem ſervare conſuevit. Quum autem Romæ propè omnes, Medicos æmulatione, imò invidiâ, ac odiô in eum commoveri, ac flagrare animadvertiſſet, & quoſdam vitæ clanculum inſidiari, urbe relictâ, Pergamenum minorem civitatem, ceù tranquilliorem, & ubi omnes incolæ inter ſe noti eſſent, ſimulationis verò, & invidiæ minus obreperet, migrare ſtatuit, non timiditate, ut quidam conjiciunt, ſed partim tranquillitatis ſtudio, partim ut improbis hominibus maleficii occaſionem ſubtraheret. Quæ tranquillitas ab Epicharmo gratioſa eſt, ac vicina temperantiæ, quæ ad ſcientiarum, & prudentiæ exercitationem perutilis exiſtit, quæ Deo ſimilem reddit ſui participem; eam Galenus paternis documentis cedens, ſibi comparavit, gloriam honòremque ſprevit; unicam dumtaxat, eamque nudam veritatem amplexus. Rerum quantumvis humanæ vitæ perutilium interitu, quemadmodum jactura, in mœrorem unquam prolapſus eſt, iisſolis recreatus, quæ corpori tuendo idonea ſuppeterent. Præclara probi parentis documenta ſe perpetua memoria, & continua exercitatione coluiſſe, & his ob nullam rerum fortunæque viciſſitudinem, animo perturbatum fuiſſe ſcriptis aperuit. Irritam gloriam, & popularem auram ſic perpetuo neglexit, ut nulli librorum ſuorum ſuum nomen præſcripſerit, & amicos etiam ne id facerent, rogaverit, utpotè, *μόνης τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπιςήμης ἐπιθυμῶν, καὶ ὐδὲν εἶναι νομίσας, ὔτε θειότερον ἀνθρώποις, ὔτε κάλλιον κτῆμα*, quibus de ſe conſcriptis ſeptimo therapeutices, hæc mox ſuccedunt, *διὰ ταῦτ, ὐδ' ἐπεγραψά ποτε ἐμὸν ὄνομα τῶν ὑπ' ἐμῶν γεγραμμένων βιβλίων ὐδενί.* In libelli quidem de libris propriis initio, non ſimpliciter nullis ſuorum librorum, ſed illis, quos introducendis, aut in diſcipulorum, vel amicorum rogantium gratiam ad privatum ipſorum caput, uſumque conſcripſiſſet, non editionis gratia nomen ſuum ſe addidiſſe profert. Conſtat autem aliquos etiam, ut ederentur, ab eô conditos, proindeque ipſum ſibi pugnare. Verum oppoſitam ſe res habet. Nam in libello ad Baſſum de libris propriis cauſam reddens, cur quidam ex libris ab eo conſcriptis ab aliis atque aliis commutati, & corrupti, a nonnullis etiam ſibi ipſis vendicati ſint, ſubdit hujus rei cauſam eſſe, quod nomen ſuum ipſe non addiderit. Quæ tamen verba haud inferunt ipſum accuratius, & ad editionem conditis libris nomen ſuum inſcripſiſſe; ſed potius neque his ne quid ambitioni, & gloriæ daret, neque illis, ut imperfectioribus. De gloria populari, & laude apud multos ita ſentiebat, nonnullis viventibus eam aliquando commodum ceu inſtrumentum eſſe; mortuis autem nihil omnino prodeſſe; imo nec viventium quibuſdam; quum his quamplurimum Philoſophiæ indulgentibus, non levi foret obſtaculo apud vulgus fama, quæ ipſos à rebus pulcherrimis immerſos evocaret. Quod Galenus gloriam ac ſui commendationẽ nihili duxerit, paradoxũ advertitur. Nam ipſe ſua crebro invẽta promulgat, ſuas medelas, & prædictiones prolixe comẽmorat, cùm aliis in operibus, tum in vulnerum, potiſſimumque nervorum curationibus propriis encomiis effertur, quorum unicum ex libris de locis affectis collectũ id precor ſpeculamini; quum ipſe ſe ſectaturum omnium dogmata didiciſſe, & coryphæum eſſe prædicat. *Innotui Romæ* (inquit) *tum primoribus ejus urbis civibus, tum Imperatoribus, deinceps omnibus, & quidem ob artis opera, non ob ſophiſticas rationes.* Ego verò, rem & privatim, & publicè iis demonſtravi qui quamcũque ſectam à me ediſcere voluerint, quum nemine minus (ut ne quid majus proferam) ipſas univerſas agnoſcant. Num igitur Galenus ſeſe inani gloriâ jactitat, qui ſuarum laudum præconem ſe denunciat? His objectis pauca ſatisfaciunt. Quas namque Galenus comparatas laboribus virtutes, ac ſcientias, reſque Medicas proprio marte inventas ſibi pro ſuo jure ac merito vendicat, eorum herclè ſe auctorem clariſſimum propria encomiorum tuba proclamare poteſt. Verùm non tam ſeipſum quam res præclariſſimas à ſe compertas, ac humano generi ſaluberrimas modeſte prædicat. Qui verò gloriam tanquam bonum aliquod ſpectant ac venantur ambitioſi, & jactatores, ii gloriam ipſam veritati plerumque anteponunt, & ſi quid fortè veri bonique invenerint, ſeſe tamen potiùs quàm res ipſas extolli exoptant. Præterea quum gloria alia popularis ſit quæ *τὸ φαινόμενον* magis quàm *τὸ ὂν* affectat; alia verò contra, quæ non tam multis quam paucis ingenuè bonis, & eruditis innoteſcere quærit; Hanc poſteriorem, & virtuti conjunctam gloriam Galenum non pauci duxiſſe dicimus. Denique quum res novæ quanquam præclaræ à paucis probentur ac in uſum prodeant, niſi majori aliquo præconio commendentur, Galenum utiliſſima vitæ inventa ſua, & artis excellentiam generis humani juvandi animo extuliſſe augurandum eſt. Plerique autem obtuſiori in veritate indaganda mentis acie, majori impulſione, & animi impetû, ut quæ bona ſunt,

bona eſſe credant, ac amplectantur, indigent.

Xenophontem politicum nobiliſſimum cunctis Regibus ac imperatoribus tutò conſulentem, Juſtitiam *Regum autem* τῶν βασιλέων τέχνην τε, καὶ βασιλικὴν *& Regiam* nuncupare legimus, quam non unicam Philoſophus conſtituit; ſed omnium primam πρὸς τοὺς θεοὺς *erga Deos*, aliàs in Dæmonas, in patriam, in parentes, in defunctos, in quibus eſt pietas, vel pars juſtitiæ, vel ejus comes. Hac autem regia virtute imbutum fuiſſe Galenum multa ejus pietatis argumenta in Deos immortales, in parentes, in patriam, in præceptores, & eos à quibus, aut diſciplinas, aut artes, aut dogmata conſequutus eſt, in amicos, in egenos, in artem ipſam, ac univerſos denique homines fidem faciunt. Εὐσέβειαν θεοῦ θεραπείαν pietatem, Dei cultum, qualem profeſſus ſit Galenus pauxillum perpendamus. Si Deum agnoſcere, amare, hymnis invocare, adorare, ac pura mente colere, pietatis ſint effectus ac opera, pius ſanè noſter Pergamenus prædicandus eſt. Primùm namque Deum agnovit unum eſſe ſummum Deorum principem, optimum maximumque, & cogitationum noſtrarum conſcium exiſtimavit. Nono de Hippocratis & Platonis placitis, Deum mundi authorem, & conditorem eſſe credidit. Illic quoque noſtri corporis fabricatorem agnovit. Libro Quod animi mores corporis temperamenta ſequantur, ab æterno Deum bonum eſſe protulit & naturaliter amari. Ad Deum aut naturam pertinere vult tota per tota miſceri elementa, quum ex his mixta producantur, ex primo de temperamentis. Ex Deo, & cœlo omne pulchrum, ordinatum, & artificioſum eſſe, primo de diebus decretoriis edidit. Deum fœtum formare; primo noviſſe, an quod in utero eſt, ſit animal; ſolum Deum noſſe quæ pars in generatione prima conſtiterit. In tertio de locis affectis, *Deum igitur*, inquit, *teſtem facio, me dicturum eſſe, quod poſt diuturnam inquiſitionem in ipſo artis exercitio, & in diſceptationibus, cum doctiſſimis viris comperi, & veriſſimum eſſe ſtatuo.* Quis vero talem animum, tantopere veritatis amantem, & humani generis juvandi cupidum, non perpetua laude dignum eſſe judicet? Cæterum, ut alibi non raro, ita potiſſimum in ſeptemdecim de uſu partium corporis humani libris, veluti totidem hymnos, ut ipſe vocitat, conditori compoſitos, opificis noſtri ſapientiam, providentiam, juſtitiam, ac bonitatem, non ſolum lubens agnoſcit, ſed & magna cum admiratione & reverentia ubique prædicat, & extollit. Imo hoc ſacrificium Deo acceptiſſimum eſſe cenſet, non ſi hecatombas, victimaſque offerat quiſpiam cruentas, aut caſiam & thura accendat; verum ſi illius myſteria, operaque primum unuſquiſque cognoſcat, expendatque, poſtea verò aliis communicet; in horum enim ignoratione ſummam impietatem conſiſtere profitetur; ut veram pietatem in opifice noſtro laudando, cujus ſapientia ſit infinita, potentia invicta, benignitas perfecta. Prodeant ejus verba, ne quis addi, aut fingi à nobis quicquam ſuſpicetur.

Ὃν ἱερὸν λόγον ἐγὼ τοῦ δημιουργήσαντος ἡμᾶς ὕμνον ἀληθινὸν συντίθημι, καὶ νομίζω τοῦτ᾽ εἶναι τὴν ὄντως εὐσέβειαν. οὐχὶ εἰ ταύρων ἑκατόμβας αὐτῷ παμπόλλας καταθύσαιμι, καὶ τ᾽ ἄλλα μυρία μύρα, θυμιάσαιμι, καὶ κασίας. ἀλλ᾽ εἰ γνοίην μὲν αὐτὸς πρῶτος, ἔπειτα δὲ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξηγησαίμην, οἷος μέν ἐστι τὴν σοφίαν, οἷος δὲ τὴν δύναμιν, ὁποῖος δὲ τὴν χρηστότητα. τὸ μὲν γὰρ ἐθέλειν ἅπαντα τὸν ἐνδεχόμενον κόσμον, καὶ μηδενὶ φθονεῖν τῶν ἀγαθῶν, τῆς τελεωτάτης χρηστότητος, ἐγὼ δεῖγμα τίθεμαι. καὶ ταύτῃ μὲν ὡς ἀγαθὸς ἡμῖν ὑμνείσθω. τὸ δ᾽ ὡς ἂν μάλιστα κοσμηθείη, πᾶν ἐξευρεῖν ἄκρας σοφίας. τὸ δὲ, καὶ δρᾶσαι πάνθ᾽ ὅσα προείλετο, δυνάμεως ἀηττήτου. Alibi; ἐγὼ μὲν οὐδ᾽ ἐπαινεῖν ἔτι κατὰ τὴν ἀξίαν τοῦ δημιουργήσαντος τὰ ζῶα, τήν τε σοφίαν, καὶ τὴν δύναμιν ἱκανὸς εἶναι νομίζω. μείζονα γὰρ οὐκ ἐπαίνων μόνων, ἀλλὰ καὶ ὕμνων τὰ τοιαῦτα τῶν ἔργων ἐστίν.

Miror quidem quorundam hominum imperitiam, aut temeritatem, qui quum Galenum ſapientiſſimũ ac pietate inſignem virum conſpiciant, ipſi nihilominus probra quædam diluenda nobis objectant. Primùm ſui oblitum, non Deum, ſed naturam hoc principium vocare, quanquam hanc principem eſſe cauſam haud quam ſenſerit. Sic autem de natura Galenus. Ad quam diſtributionem nervorum ſi quis in diſſectionibus inſpexerit, conſideràritque, utrum inconcinnè, aut juſtè natura nervos non eadem menſura omnibus partibus diſtribuerit, ſed aliis quidem liberaliùs, aliis verò parciùs, eadem cum Hippocrate velit nolit, de natura omninò pronunciabit, quod ſagax, juſta, artificioſa, animaliumque provida, ac conſultrix ſit. Nam ſi pro merito cuique proſpicere, ac diſtribuere juſtitiæ ſit officium, quid oberit, quominus omnium juſtiſſima ſit natura? Quod ſi natura juſtiſſima ſit, perita, arte prædita, & provida, quorum nihil ſine ratione eſt; jam rationalis quoque videbitur, & plane Deus apparebit ſicuti dolabræ; aut cujus inſtrumento fabri ſi rationem, & artem aliquis attribuat, fabri etiam nomen merebitur. Alicubi Galenus, ut gentilium vulgus, naturam, veluti ſubſtantiam quandam per ſe, aut numen quoddam exiſtimavit. Nam ſub finem ultimi de uſu partium mentem unam per omnia, diffuſam, quæ, in cœleſtibus corporibus nobiliſſima, & ſumma ſit, ignobilior verò in terreſtribus, naturam facere videtur, eamque rationis compotem (quam quidam veterum Philoſophorum animam mundi appellârunt) hujuſque ſubſtantiam in corporibus ſolidis eſſe putat, cum Hippocrate calorem innatum, aut calidi, frigidi, humidi, & ſicci temperaturam; & Platonem ait naturam appellaſſe creatoris noſtri authorem, de ſubſtantia verò ejus nihil auſum eſſe pronunciare. Atque huic ſæpius opificium, artificiumque omne, quod in noſtris, & animalium corporibus eſt, aſcribit. Libro undecimo de uſu partium aliiſque in operibus diſertè duo principia, Deum, quem opificem κατ᾽ ἐξοχὴν nominare conſuevit, & naturam diſtinguit; ita ut Deum ex iis quæ ſecundum naturam fieri poſſunt, ubi materia proſtat commoda, id quod melius eſt, ac ſimul materiam ad id aptam eligere, ac expetere dicat; quæ verò natura facere non poteſt, ut quum deeſt materia, aut inepta adeſt, ea ipſum ne aggredi quidem, medium quodammodo inter Epicuri, & Moſis ſententiam ſe eſſe profeſſus; quoniam hic Deum ſimpliciter omnia poſſe, & facere dixerit; ille verò prorsùs otioſum fecerit; Ac ſi Deus non quidem potentior, quàm natura ſit, ſed duntaxat ſapientior; quum interim non rarò naturam nihil prorsùs ſine cauſa aut temerè facere ſcribat, ſed omnia ſummâ cum ſagacitate, ac providentiâ. Verùm de his plura dicendi locus non eſt. Nos qui altiorem feliciorem que, quam ratio noſtra per ſe conſequi potuiſſet, doctrinam hauſimus ab unigenito Dei filio, qui omnia ſui parentis ſacra myſteria nobis per Eccleſiam Catholicam tradita revelavit, Deum non omnium ſolum ſecundum naturam rerum, ſed ipſius quoque naturæ totius, ac materiæ univerſæ

verſæ

verſæ creatorem, dominum, & opificem eſſe, ac tanquam organum movere naturam, informare verò materiam quamcunque qua ipſe voluerit forma, & ſupra contraque naturam quæ voluerit efficere, ut verè ſit omnipotens, & à natura, & artificibus reliquis differat, qui ſine idonea materia perficere nihil poſſunt, didicimus, atque credimus: Et ut in rebus naturalibus, atque Medicis ingenium ac doctrinam Galeni ſuſcipimus; ità in iis, quæ ad Deum ſpectant, quoniam Deum ex ipſa natura, & ratione humana inveſtigari poſſe exiſtimavit, neutiquam approbamus. Non extendimus quidem univerſam, ac immenſam Dei potentiam ad mala, & falſa, vel quæ inter ſe pugnant, ita ut ſimul conſiſtere nequeant; quæ ideò non poteſt Deus, quia ne vult quidem, ne ſecum ipſe, qui ſummum eſt bonum, & ſumma veritas, pugnet. At quæcunque vult, ea poteſt omnia ut ſunt non ſolum, quæ ſecundum naturam ſunt; nam hæc quoque omnia in ſuo genere bona ſunt, & in aliquem mortalium uſum, divinitatis bonitate conceſſa; ſed etiam ſupra, contrave naturam aliqua, quæ ſcilicet iis quæ ſecundum naturam ſint, meliora fuerint, ut noſtra etiam mens in nobis ad Dei imaginem condita, ſæpè quæ contra naturam (corporis ſaltem) ſunt bona, naturalibus profert. Ut verò naturalia ut plurimum vult Deus, neque ſolitum, & inſtitutum à ſe naturæ curſum ſine cauſa abrumpit, ita quæ veritatis & Juſtitiæ ſunt perpetuò, nulla re excepta vult; mala quidem univerſalia nunquam; particularia verò non raro quæ ad bonum univerſorum revocat. Ac tum naturæ imperium ſuo imperio ſubjici manifeſtavit, quum Solis eclipſim contra naturam fecit, quum pateretur unigenitus ejus, ut homines inde naturam non eſſe Deum, ſed aliquod ea prius meliuſque principiũ intelligant. Hac ratione à Chriſto noſtro, & mortui excitati ſunt, & à morbis lethalibus ægri ſanitati reſtituti, & multa contra naturam facta miracula, ut per hæc ipſa naturæ Dominus ſe nobis detegeret probaretque. Hæc jam in Latina Juntarum Venetorum editione fortaſſis à Geſnero conſcripta, in Galenum fuerunt edita. Sed quicunque hæc aut conſimilia Galeno objectant, ac ſi naturam Deo altiſſimo ſuperiorem, aut parem ipſe ſtatueret, ii certè Galeni doctrinam haud ſapiunt, aut negligentius ejus opera legerunt, aut authoris mentem non aſſequuti ſunt, aut Phyſica, ac Medica à Metaphyſicis ac Theologicis ſejungere non didicerunt, aut ipſum modo ex Platone, Ariſtotele, & Hippocrate, modo ex proprio ingenio loquutum fuiſſe non percipiunt. Paucis, precor advertite, quæ tum de natura, tum de Deo protulerit oracula noſter Pergamenus. Nonne naturam ad omnia minus idoneam, quam animam eſſe pronunciavit? Naturam mortalem, ejuſque opus mortale dixit, quæ ſi potuiſſet, inquit, ſuum opus eſſe immortale, voluiſſet, ſed propter materiam non licuit. Naturam ſemper per ſimilia inſtrumenta ſimiliter operari voluit. Hanc naturam humorum copia aut vitio phlebotomia, & catharſi medentis ope juvari, & exonerari præcipit, alias ipſam cum animali cui primo ineſt, interituram. De Deo autem præter prius commemorata, hæc loquutus eſt ad naturam haud quaquam ſpectantia, niſi primariam univerſalem ad Metaphyſicam naturam Deum eſſe meditemur, quem immortalem, quem citra materiam eſſe, qualem ſapientiſſimus hominum Socrates, & Plato quibus annuit, exiſtimabant, quem ſolum exactam motuum mixtionem noſſe; quem fœtum formare, quem primum, an animal ſit quod in utero eſt, & quæ pars prior efformetur noviſſe pronunciavit. Sed quid plura? Num quæcunque Medica docentur, ea ſub ſenſum ac rationem cadere, Theologica verò ſola fide inniti à ſapientiſſimis viris conceſſum eſt? Objiciunt, Galenum Moſis, & Chriſti ſcholas repudiaſſe ceu nulla ſtabilitas demonſtratione, ac proinde ipſum temerarium ac impium appellitant. Procul abeant calumniæ quas Chriſtiana pietas proferri non ſinit; ſed Galenum ut Phyſicum, & Medicum loquutum fuiſſe animadvertant. Quæque ſcientia ſuas ſibi quibus probetur demonſtrationes complectitur, alteri plerumque denegatas quales Medicina Phyſicas, & Theologia Metaphyſicas. Neque verò negaverim Galenum tum prodigioſis Chriſtianorum miraculis ac Catholicæ religionis incremento raptum, tum adoleſcente, ac inſurgente in tyrannica ſupplicia Chriſtianorun conſtantia commotum, Chriſtianum evaſiſſe, qualem noſtra peroratio declarabit. Sed non vulgaris Galeni apparet pietas, qui Deum unum, rerum omnium opificem, motorem ac conſervatorem, & naturæ principem agnoſcit, ejuſque magnitudinem, & providentiam magna cum alacritate plurimis in locis prædicat; & ut naturæ cauſam, opificem ac gubernatorem inquirant, homines ſtudioſos ſerio hortatur; modeſtia verò, quod licet ab adoleſcentia opifex ille rerum, quiſnam eſſet, à Philoſophis addiſcere cupierit, de ejus tamen ſubſtantia, ut etiam animæ nunquam dogma pronunciare auſus eſt.

Qua verò in homines pietate ductus fuerit Galenus, eam paululum ſpeculemur. Ex Theognide, nihil inter homines patre, & matre præſtantius habetur. Quare ex Menandro, lex jubet parentibus honores divinis æquales præſtare. Parentem ſuum Niconem maximis honorum titulis perpetuo evexit, honoravitque Galenus; idque pietatis veſtigium permultis in operibus ita piè inſignitum reliquit, ut nunquam ſuaviorem ſibi vocem ediderit, quam quæ parentis ſui laudes decantare ubique appareat. Hiſtoriæ veritatem objicit oculis commentarius de dignoſcendis curandiſque animi affectibus, quod ſanè opus veluti paternarum virtutum encomiaſticum eſt, ſed jam de Galeni parentibus ſemel dixiſſe ſatis. At patriam & cives ſuos tanto amore proſequutus eſt, ut tanquam Ulyſſes alter, præ horum amore maximorum Imperatorum favorem, ac ſtudia negligeret. Neque enim cæterorũ more ſtulta ambitione illectus (quod ſæpenumero inſectari, & damnare in artis profeſſoribus ſolitus eſt) neglecto veritatis ſtudio, aſſentationibus, & reliquis impoſturis principum favores venari tentavit. Et quanquam utplurimũ nemo ſit patriæ acceptus (ſic enim à natura ferè inter homines comparatum eſt, ut exotica quidem, & adventitia ingenia admirentur; ſua verò, domeſticaque ob familiarem uſum deſpiciant) Galenum tamen Pergamenſes ſui tam ſtudioſè redamabant, colebant, & obſervabant, ut ipſum, & ſervatorem ſuum, & patrem patriæ, omnes communi ore vocarent, neque id injuriâ; ſiquidem non modo curabat ſedulò, ut ſuorum civium rectè valerent corpora; ſed quemadmodum Legiſlator, ſummuſque Philoſophus, etiam erat ſolicitus ut eorum animi optimis documentis inſtituerentur. Quocirca varios commentarios ſcripſit ad excolenda juventutis ingenia admodum ſalutares. Conciliavit autem ſibi maximè plebis, & tenuioris fortunæ hominum animos, quod medicamentis ſimplicibus, vulgaribuſque, & paratu facilibus plurimum utens, & recta victus ratione ſine pharmacis, ubi id fieri poterat, curans eorum

quos

quos ſuſcipiebat, facultates minimè apprimeret; contra quam faciunt plurimi noſtra ætate Medici, qui in aggerandis plerumque pharmacis, oſtentationi ſuæ indulgent, & ſi ægrotos iis non lædunt, pharmacopolarum certè (à quibus plerunque vel muneribus corrumpuntur, vel lucri partem habent communem aliqui) majorem, quam ægrotantium, rationẽ habent; aut ſi etiam juvant, poterant tamen, & debebant præſertim anguſtioris fortunæ ægros citra apparatum, minoremque ſumptum juvare, ſi qua in ipſos pietate moverentur; quæ in Galeno certè erga pauperes major extitit, quam in pleriſque hodie Chriſtum ore non opere profitentibus Medicis. Itaque ſeplaſiariis, aromatariis, & inſtitutoribus ejuſmodi (qui ſæpè utiliſſimis calculis, aut vitro gemmas, ac pretioſiſſima quæque, nullius aut minimi pretii, ſive ſponte, ſive per imperitiam ementiuntur) relictis, Galenus, ut meliori fide, ac leviori ſumptu medicamenta haberet compoſita, ſuis manibus plerunque confecta, officioſiſſimè ægris adminiſtrabat; in egenos interea non exiguam ſuarum facultatum portionem erogans; artemque ipſam, non per avaritiam, aut cupiditatem, ſed propter ſolam virtutem, piè ſimul & religioſè exercens. Quod ſequi minus locupletes ſint, quam Galenus fuerit, Medici, nec eis redundat fortaſſis quod egenis largiantur, tanto majore ſtudio illi hoc agere debeant, ne ſuis etiam facultatibus eos defraudent; ſed victus imprimis ratione, & medicamentis minimi ſumptus, illis conſulere. Jam quod ſæpius interdiù noctuque ad eundem quandoque ægrum ut ipſe de ſe ſcribit, Galenus acceſſit, diligentiæ ſimul ejus (qua ſubinde magis magiſque in arte profecit, & hominum in ſe animos convertit) & humanitatis, & pietatis in ægros argumentum eſt. Quin, & pernoctare interdum apud ægros ſolebat, quum miniſtrorum ei ſuſpecta erat diligentia; interdum etiam domum ſuam curandos deducebat. Eadem pietate nihil unquam (ex validioribus præſertim auxiliis) ægrotis adhibuit, cujus vis & uſus ei per experientiam non conſtaret, ut ipſe ſcribit in primum Epidemiorum Hippocratis Commentariô ſecundô; idque inprimis ſtuduit ut ſi non multum juvaret, ægrotum ſuis conſiliis, ſaltem non læderet. In ſe vero pleraque ipſe expertus eſt, quæ non ſolum colore, odore, & ſapore judicabat, ſed etiam tactu, ut quæ cuti ſuæ imponebat. Sic aceti facultates adepturus in ſeipſo periculum fecit; & oxyrhodino ſæpè perfuſus eſt, ut certiorem ejus facultatem exploraret. Quum ab initio juvenis etiamnum multa egregia, & à præceptoribus cæteriſque ſapientibus celebrata pharmaca nactus eſſet, quò celerius certiuſque de omnibus conſtaret, nulla invidia, ſummo candore amicis Medicis, ut experirentur, communicavit. Quinto quoque libro, horum, inquit, quæ retuli, vel modo, vel ante, ſivè ea inveni ipſe, ſivè ex Hippocratis methodo uſurpavi, nihil ſanè non examinatum, aut judicio comprobatum eſt, ſed per experientiam omnia judicata, in quibus erroris pericula ipſi pertulimus.

Quo ſtudio in ſuos cives fuit Galenus eodem in amicos ac familiares eum fuiſſe dicimus, quorum gratia tum in curationibus obeundis, tum in libris conſcribendis graviſſimos labores, ac vigilias, etiam interdum non citra vitæ periculum toleravit, idque non honoris, non ambitionis, ſed ſolius pietatis, & philantropiæ ſtudio accenſus peregit. Amicos ac familiares prudentiores, ac ſapientiores ſibi comparabat. Amicos διαφερομένους conciliavit, lugentes blanda oratione recreavit; injuriis laceſſitos ſolatus eſt; ira percitos demulxit; ægrotantibus ſanitatem reſtituebat; indigentibus res neceſſarias ſuppeditabat, ac periclitantibus opitulatus eſt. In præceptores, quos ante protulimus, eo fuit cultu, ac ità eos reverenter habuit, ut nuſquam non magna religione, illorum commemorationem idque frequenter ac perſtudiosè faciat; ſic libros eorum quoque nonnunquam deſiderat, quanquam haud par tantùm illis omnibus eſſet, ſed & longo eos intervallo in arte ſuperaret. Hippocratem verò omnium primarium ità admiratus eſt, ubi eorum quæ tradidit obſervatione, ac experientia viri fidem cognovit, ut religioſiſſimè perpetuò coleret, omniaque ejus inventa ingenuè agnoſceret, rarò aut nunquam, aut veritate coactus, & perpetua honoris pace ab eo diſſentiret. Hunc paſſim prudentiſſimum, & ſapientiſſimum ſenem, ſummumque Medicinæ parentem, & authorem, bonorumque omnium inſtitutorum largitorem prædicat. Viſus eſt artem illi authori univerſam acceptam referre, quamvis non minus ipſi Hippocrates, quam ipſe illi debeat. Atque hæc omnia ingenui ſunt candoris, & magnæ pietatis indicia. Poterat namque piorum Medicorum illuſtrium exemplo novam ſectam conſtruere, ſeque hæreſeos alicujus, proprii nominis authoramento principem conſtituere, cui ſolus præficeretur, ac imperaret; ad quod opus moliendum, ſi id in votis habuiſſet, nihil eorum ſane quæ huc ſpectabant, defuit. Quod tamen fieri, ſumma ejus modeſtia prohibuit. Sed quemadmodum Trajanus olim omnes Italiæ vias præruptas, aut rupibus invias ac inacceſſas, refecit, inſtauravitque: ſic ille fatetur ſe non quidem artem condere (quam tamen laudem jure ſibi vendicare potuiſſet) ſed jam ab Hippocrate inventam, incultam tamen, & aſperam explanare, ut ab omnibus intelligi ac percipi queat. De probis autem Galeni moribus cuique noſtra ſatisfecerit oratio, ſi virum illum prudentem, ingenioſum, ſolertem, frugalem, temperantem, fortem, magnanimum, liberalem, humanum, juſtum, innoxium, integrum, veracem, undique bonum; neque ſolum patriæ & amicis, ſed & toti humano generi juvando natum, & ab alto datum fuiſſe peroraverimus.

Quum Galeni ævô prolabente ad multos Cæſares imperium conciderit, pleriſque ſtudioſis, quo in ſæculo, quoque ſub Imperatore vitam traduxerit Medicorum princeps, controverſia oborta eſt, jamjam tum hiſtoriarum fide, tum propriis Galeni monumentis ita dirimenda. Sub Adriano Cæſare anno Imperii propè quinto decimo, ætatis ſuæ primordium ortumque duxit Galenus, totamque infantiam complevit. Hic Imperator Latinis, Græciſque literis ornatus, artes omnes ac ſcientias ſublimiores magis magiſque abditas profitebatur; cujus imperium anno Domini centeſimo vigeſimo cœpiſſe; ac viginti annos, decem menſes, & viginti novem dies perduraſſe hiſtoriæ prodiderunt. Hunc Adrianum tum libro de dignoſcendis curandiſque animi morbis, tum libro de typis meminit. Illic enim Adrianum ſervo ſuo oculum ſtilo eruiſſe ac μονόφθαλμον reddidiſſe legimus, cujus rei calamitate commotus Imperator, ſervo quæ vellet petere, conceſſit, ea daturus, optavit ſervus oculum deperditum, quod nullo munere Adrianus inſtaurare potuit. Enimverò, inquit Galenus, quod tandem munus comperitur quo erutus oculus rependatur? Hic verò Antoninum Pium Adriano in Imperium ſucceſſiſſe profert. Itaque Adriani interitû Antoninus Pius nullo reclamante Roma-

Romano, imò applaudentium omnium ordinum ſuffragio Imperii clavum tenuit imperavitque. Is in Deos, in populum Romanum, ac in literatos viros pius erat, qui proſtrata Deorum templa reſtauravit, qui jus ſuum cuique tribuit, qui populos vectigalibus obrui, vexarique provinciarũ gubernatoribus prohibuit; qui populos pace felicitavit, qui ſcientiarum Philoſophiæ artiũque profeſſores ſtipendiis honoravit, fovitque, qui familiares honeſta conſuetudine complexus eſt. Ille, ille Pius, pater populi duos & viginti annos, menſes ſeptem, ac dies ſex & viginti imperium gubernavit, cui anno ſalutis centeſimo, ac vigeſimo ſucceſſerat. Hujus autem Imperatoris meminit Galenus libro de typis. Diceſſerat, inquit, paulò ante de vitâ Antoninus, qui Adriano in imperium ſucceſſerat. Quidam objicient Galenum non de Antonino Pio, ſed de Aurelio Antonino loquutum fuiſſe, quod reliqua Galeni ſeries explicare videtur. Regnabat autem, inquit, Severus qui ſe ipſum nomine mutato Antoninum appellavit, Lucium verò, quem Imperii fecerat participem, Severum nominavit. Verum poſt Antonini Pii obitum, annis unde viginti, & undecim diebus, Marcus Aurelius Antoninus Philoſophus, tum ſcientiarum encyclopedia, tum virtutum Imperatoriarum ſplendoribus illuſtratus, Reipublicæ Romanæ gubernaculum tenuit; collegamque Lucium Aurelium ſibi adjunxit, utrique innotuit Galenus Severi nondum Imperatoris commendatione notatus. Severus (inquit) mentionem de me facere ſolebat apud Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, qui Romæ tunc degebat; nam Lucius jam ad Parthicum bellum à Vologeſo illatum ab urbe deceſſerat. Sub his Imperatoribus, Galenus Romæ aliiſque in Regionibus Medicinæ Imperium conſequutus eſt, qui narrat in libro de libris propriis jam ſe trigeſimum ſeptimum ætatis annum prætergreſſum eſſe, quando ab Imperatore Marco Aurelio, & Lucio verò Aquileiam è patria, quo Romam ſeſe contulerat, revocatus eſt. Quo vero tempore Marcus, & Lucius Aquileiæ hybernantes ob peſtem coacti diſceſſerunt, Lucius qui per octo annos cum Aurelio imperaverat, in itinere obiit, & Galenus Romam Marcum Aurelium ſequutus eſt. Claruit quoque ſub Commodo, omnibus Romanis per duodecim, quibus imperavit, annos, octo menſes, & dies quindecim incommodo Galenus. Vixit & imperante per tres menſes Pertinace, & Læto interfecto. Vixit & ſub Dido Juliano qui vix Imperator capite mulctatus potentiori Severo ceſſit Imperium, huic theriacam ſe feciſſe primo de antidotis Galenus conſcripſit. Is Severus annis duodecim, menſibus octo, ac diebus quindecim imperavit. Vixit Galenus, & obiit imperante Antonino Baſſiano Caracalla. Quas ob res Euſebius, Suidas, cæterique præſtantiſſimi viri, qui Galenum meminerunt, merito omnes ipſum imperantibus Cæſaribus Adriano, Antonino Pio, Marco Aurelio cum Lucio, Commodo, Pertinace, Juliano, Severo, & Caracalla, vitæ periodum duxiſſe conſentiunt; ac ex Suida annos ſeptuaginta; ex Laërtio & Camperio, ſeptem, & octoginta; ex Imperatoribus enumeratis, octo & nonaginta cum ſex menſibus, & diebus viginti quatuor; aut ad ſummum annos centum, & quinque, non autem centum, & quadraginta vixiſſe, quicquid Rhodiginus ſcriptis mandaverit.

Utrum proſpera, an adverſa valetudine donatus fuerit Galenus, & utrum quibuſdam aliquoties morbis correptus, controverſia jamjam diluenda eſt. Primum namque ut corpus ſumma ſanitate fruatur, id imprimis tria ſortiri, naturalem ſtructuram numeros omnes adæquantem, partium ſolidarum, humorum, & ſpirituum εὐκρασίαν ac συμμετρίαν; eaſque dotes optimo rerum naturalium uſu tueri neceſſe eſt. Deinde verò pauciſſimis aut nullis unquam morborum incurſionibus obſideri. Quæ ſi univerſa ac ſingula Galenum cumulatè adornaverint, eum ſane ſanum totam vitæ ſuæ periodum traduxiſſe proferendum eſt. Enim verò Galenum in regionum omnium temperatiſſima, à temperatiſſimis progenitoribus procreatum εὐκράτῳ καὶ συμμέτρῳ corpore, ſtatura magno, craſſis, latiſque ſcapulis, & humeris præditum, obatro colore decoratum, ipſumque εὔσαρκον ac proinde concinnè conſtitutum fuiſſe ab ejus biographis editum legimus. Omnes præterea conſcribunt eum diuturnam vitam vixiſſe, imo totam vitæ humanæ periodum confeciſſe, aut prætergreſſum fuiſſe, tantaque in cibo, & potu frugalitate uſum, ut ad ſatietatem nunquam comederit, aut biberit, nec crudum quicquam unquam delibaverit; unde fragrantem perpetuò ſpiritum expiraverit; & citra ullam pravam affectionem ſola ſenectute defecerit; hinc etiam adagio exorto, ut Galeni valetudinem proferamus; pro ea quæ ultra humanum captum, nimis ſit proſpera, nimiſque inoffenſa; hæc Cælius Rhodiginus, quibus annuit hiſce verbis Galenus. Ego utique (inquit) plerumque multis athletis, qui præſtantiſſimi eſſe videbantur, quique multas in certaminibus coronas meriti ſunt, me ipſum valentiorem eſſe expertus ſum; quandoquidem illi in omnibus itineribus faciendis, in militaribus actionibus magis, præterea in civitatibus atque ruſticis negotiis inutiles prorſùs reperiebantur. Nihilominus Galenum puerum ac adoleſcentem valetudinarium extitiſſe, ipſe ſuis prodit monumentis, ſed ſumma parentis vigilantia priorem pueritiam ſanum traduxiſſe. Me pater, inquit, puerum etiamnum morbo illæſum ſervaverat præſcripta victus ratione. Adoleſcens autem abſente parente, fervente canicula, tum immoderatioribus ſtudiis, ac lucubrationibus, tum fugacium fructuum eſû, per autumnum acuta febre laboravit, ad cujus curationem phlebotomia ex arte celebrata eſt: ad priſtinum autem victum à patre revocatus anno ætatis undevigeſimo evaſit incolumis. Anno ſequenti mortuo parente adoleſcentis moderatore, coëtaneorum ſodalium conſuetudine ad fugaces iterum fructus obrepſit, quorum inſalubri uſu in febrem priori conſimilem acutam concidit, ita ut ad phlebotomiam tanquam ἡγεμονικὸν remedium confugerit; ſingulis autem aut alternis deinceps annis aduſque vigeſimum octavum aliquo morbo correptus vixit. Quum verò eô tempore ne abſceſſus in hypochondrio dextro periculoſè ſtabularetur metueret, tum interdicto ſibi prorſus fugacium omnium fructuum (præterquam ficuum ac uvarum maturarum) uſu, tum ſalubriori quam ſequutus eſt, vivendi methodo, & proſcriptis per exercitationem cruditatibus à morbis multorum annorum ſpatio immunis perſeveravit. Unde ætate provectior hiſce verbis libri quinti de ſanitate tuenda loquitur. Ex laſſitudine nonnunquam febricitavimus, nullum aliàs morbum experti. Quin etiam percuſſis quibuſdam corporis partibus, unde alii in phlegmones, buboneſque prolapſi febricitarunt, ipſe nunquam phlegmonem bubonemve ſenſi, nec febre laboravi, non aliundè ſanè quam ex ſervandæ ſanitatis arte, tanta commoda conſequutus; quum alioqui nec ſalubrem corporis ſtatum ab ortu ipſo ſim nactus, nec vitam planè liberam ſortitus, ſed in qua tum artis officiis ſervierim, tum amicis, cognatis & civibus, in pluribus inſervierim, tum plurimam noctium

noctium partem nonnunquam ægrotantium ipſorum cauſa; ſemper autem dulcedinis ſtudiorum gratia pervigilaverim; nec tamen ullo ſenſi mè eorum qui è corpore originem ducunt morbo obſeſſum multis jam annis, excepta, ut dixi, diaria quandoque febre, quæ tamen, & rariſſimè, nec niſi ex laſſitudine oborta eſt, quamvis in puerili ætate, atque etiam in ἐφηβείᾳ & adoleſcentia, morbis nec paucis, nec his levibus premerer. Sed poſt octavum, & vigeſimum annum quum perſuaſiſſem mihi eſſe conſervandæ ſanitatis rationem quandam, præceptis ejus per totam deinceps vitam ita parui ut ne minimo morbo poſt laborarim, niſi fortè (quæ tamen rarius incidit) diaria febre. Hæc Galenus qui ſe juvenem quater tertiana febre, ſemel cauſo, quartana nunquam laboraſſe, ac proinde non quartanarios, ſed tertianos, & cauſi rigores expertum fuiſſe, ac de eorum qualitatibus teſtimonium ferrè poſſe ſcriptis prodidit. Imo tantopere cauſo fuit accenſus ut ſuccedente phrenitide floccos velleret, & feſtucas colligeret. Quum autem mens adhuc conſtaret, & rationalem facultatem in ſe vacillare animadverteret, embrochis caput perfundi juſſit, & poſtero die phrenitica abierunt ſymptomata. Juvenis Galenus bile ſcatebat qua aſſiduè cruciabatur ventriculus, ad quem refrigerandum lactuca utebatur, ætate autem inclinante, eodem olere adverſus vigilias veſperi utebatur; junior autem crudo, ſenex verò quod ex dentibus malè haberet, elixo. Quin & tenebricoſa vertigine ſtomachi faſtidio, nauſea, anxietate, & jactatione nonunquam laboravit; Interdum verò vehementiſſimum ventris dolorem ita tulit, ut in intimo ventre terebrâ perforari videretur, in eo potiſſimùm ſpatio per quod à renibus ad veſicam ureteres porriguntur, & injecto rutaceo oleo graviſſimō cum dolore humorem vitreum à Praxagora appellatum excrevit. Denique anno ætatis trigeſimo quinto ſummi humeri luxationē, vel potius claviculæ curvaturam expertus eſt, quemadmodum ipſe commentario in textum ſexageſimum ſecundum libri primi de articulis hiſce verbis teſtatur. Ego in meipſo expertus ſum ac ſenſi claviculam curvari, quod ego pertuli quadraginta dies, quibus clavicula ad humeri caput ita adacta eſt, ut iis qui nunc aſpiciunt, nunquam deceſſiſſe videatur; quippe tunc quum receſſit, diductum intervallo trium digitorum viderunt, rem admirantur; inde tamen factum eſt, ut humerus id temporis minimè nutriretur, ita ut penitus emarceſceret, cumque eo brachium etiam nutriri deſineret. Sed his omnibus, uno vinculi præſidio ſuccurrens non multo tempore à ſoluto vinculo totum membrum refeci. Ego verò quum id mihi accidit, in paleſtra annum agebam trigeſimum quintum. At periculum illud, quod ſupra retuli de abſceſſu dextri hypochondrii non aliud eſſe auguror, quam cujus meminit ſub finem libri de curandi ratione per phlebotomiam; nempe quod in juventute duobus evidentibus inſomniis monitus, arteriam quæ inter pollicem, & indicem dextri brachii ſita eſt ſecuerit, & donec ſanguis ſponte ſiſteretur (nam hoc quoque in ſomnium dictarat) expectarit, ſubſtitiſſe autem ſanguinem ſcribit, antequam integra libra effluxiſſet, & continuo diuturnum dolorem, in illo præcipuè loco fixum, qua jecur cum diaphragmate committitur, ceſſaſſe; ac ſimiliter ſacerdotem Dei (Æſculapii) Pergami, in ſomnio monitum, ſecta in ſumma manu arteria, diuturno lateris dolore liberatum fuiſſe. Hoc idem etiam conjicio lethale illud apoſtema eſſe à quo ſe per Æſculapium olim liberatum dixit Antonino Cæſari excuſans ſe à profectione in Germaniam cum ipſo, quaſi tunc etiam idem Deus per inſomnium prohibuiſſet. Adſunt morbi omnes quibus Galenus in pueritia, adoleſcentia, ac juventute divexatus eſt, quoſque ipſe conſcripſit. Reliquam verò ætatem tum probo eduliorum ac potulentorum uſu, tum maximè exercitio ſalvam, ac incolumem peregit. In libris de ſanitate tuenda. Ipſe, (inquit) aliquando per hyemem deprehenſus in agro tum ligna findere, tum hordeum tundere exercendi corporis cauſa ſum coactus, quæ nimirum agreſtes quotidie pro opere faciebant.

Sapientèr Philoſophus ἄφυκτον ἴσθι τὸ τῆς πεπρωμένης κακὸν *Inevitabile malum fati.* Vitæ ortus, bonum; malum, interitus. Malum mors, quæ tantum virum quibuſcunque hominibus arte opitulantem è vivis eripuit. Ecce Laureatus Medicorum Princeps virtutum ac ſcientiarum omnium ornamentis decoratus, ab omnibus literatis viris ac ſapientiſſimis Medicis celebratus, humanam vitam cum morte commutavit. Imò corpus duntaxat Galeni ſenio confectum caloris nativi extinctione, & humidi primigenii jactura laborans ὁ θάνατος λοῖσθος ἰατρὸς νόσων, ut concinit Sophocles, ultimus morborum Medicus mors abſtulit; anima verò, quemadmodum de Claudio Cæſare Seneca, Diis omnibus Romæ ac Græciæ relictis, ſola febre comite in Cælum evolavit. Quum enim prodigioſa Chriſtianorum miracula è Judea Romam, Pergamum, ac in univerſum terrarum orbem fama deveherentur, audiretque ſenex Medicus à Chriſtianis ſolo Chriſti nomine infirmos quamplurimos ipſis oblatos curari, ſurdos audire, cæcos videre, claudos & paralyticos rectà incedere, febres ſedari, omnes cacodæmonas hominum corpora poſſidentes, aut obſidentes fugari, mortuos denique, ab inferis ad priſtinam vitam revocari, aliaque in dies majora Medicorum αἰσθητηρίοις reluctantia aboriri prodigia, quæ non modo vulgus indoctum, verum etiam viros doctiſſimos, & Reipublicæ & ſacris præfectos in admirationem rapiebant; hæc abdita ac divina diſcendi, ac cernendi deſiderio accenſus, & occaſionem paratæ navigationis nactus cum ſocia hominum multitudine mare conſcendit, in Judeam profecturus. Verùm in medio itinere eâ quâ ipſe vehebatur navis magna tempeſtate jactata ac periclitata ad littus appulit, terramque navigantes adepti, ſaluti conſuluerunt. Interea verò Galenus violentis tum aëris, ac ventorum, tum aquarum injuriis ferendis impar ſæviſſima febre correptus eſt, quæ tanta in ſpiritus, humores, & ſolidas partes jam ſeniô tabeſcentes ſævitiæ graſſata eſt, ut eluſis ac evictis remediorum omnium arte, & methodo paratorum generibus, decimo die Medicorum, & Philoſophorum Principem incendio deleverit. At quomodo ipſe ſe in morbo geſſerit, & quid egerit, nemo in medium profert, ſed aut in mari, aut maris littore Galenum ad miracula Chriſtianorum conſpicienda accedentem morti accubuiſſe hiſtorici plerique, & Biographi quidam, qualis Mundinus Bononienſis, & Hartmannus Schedela Nurembergenſis fidem faciunt; unde Crito in Paleſtina Galenum mortuum eſſe aſſerit. Veruntamen quibuſdam placuit ſeptuagenarium, aut octogenarium, aut etiam ſeniorem ſe in patriam recepiſſe, proindeque ipſum in Græcia, ac Pergami, è vita diſceſſiſſe proponunt, non tamen aſſerunt. Quas ob res quum prior ſententia poſteriorem evertat, nos Galenum Sancti Spiritus remigiô ad prodigioſa Chriſti miracula conſpicienda provectum, & in peregrinatione mortuum, ad cœlum, ubi Chriſtiani ſempiterno felicitatis ævô fruuntur;

tur;

tur, convoluiſſe melioribus auſpiciis ducti concludimus.

De Galeni Operibus ſic in Mercklini Lindenio Renovato.

Galenus de Oſſibus Græcè & Latinè. Accedunt Veſalii, Sylvii, Heneri, Euſtachii, ad Galeni doctrinam Exercitationes. Ex Bibliotheca Johannis van Horne. Lugduni-Batavorum, apud Danielem van der Boxe, 1665. in 12.

Opera, quæ extant, omnia, ſingulari ſtudio, ſummâque diligentiâ Johan. Baptiſtæ Raſarii, emendata, novo ordine, cujus reddita eſt ratio, diſpoſita, Librorum nuper inventorum acceſſione aucta, & magnâ ex parte in Latinam Linguam converſa. Venetiis, apud Vincentium Valgriſium, 1562. in fol. Iidem Libri nuper inventi, ac à Joh. Bapt. Raſario Latinitate donati, ſeparatim. Cæſarauguſtæ, 1576. in 4. Græcè. Venetiis, apud Aldum & Andream Aſulanum, 1525. in fol. V voll. Baſileæ, apud Cratandrum, Hervagium, & Bebelium, 1538. in fol. V. Tomis. Latinè; Ex variorum interpretatione, ut oſtendemus in Catalogo Librorum ſingulorum. Lugduni, apud Sim. Colinæum, 1536. in fol. Hæc editio, ut prima, valde mutila eſt. Venetiis, apud Joh. Farreum, 1542. in 8. Baſileæ, apud Frobenium, 1541. 1549. 1562. in fol. In poſtremam hanc editionem præfatus eſt Conradus Geſnerus, & de Galeni Vita, ejuſque Libris & interpretibus elegantiſſima ac doctiſſima prolegomena præmiſit. Lugduni, apud Johannem Frellonium, 1554. in fol. Longè hæc omnium pulcherrima eſt & nitidiſſima. Venetiis, apud Juntas Editio prima prodiit 1541, altera 1550. tertia 1556. quarta 1563. quinta 1570. ſexta 1576. ſeptima 1586. octava 1600. nona 1609. & 1625. omnes in fol. E quibus ut elegantiſſima eſt octava, ita completiſſima omnium etiam præcedentium, nona. Græcè & Latinè conjunctim Hippocratis & Galeni. Univerſa, quæ extant, Opera Renatus Charterius, *Vindocinenſis*, plurima interpretatus, univerſa emendavit, inſtauravit, notavit, auxit, ſecundùm diſtinctas Medicinæ Partes in tredecim Tomos digeſſit edidítque. Lutetiæ Pariſiorum, 1639. in fol. XIII. Voll. quorum ſingulo, quæ contineantur, vide ſis ſub titulô HIPPOCRATES.

Sunt autem Operum GALENI *juxta nonam, & ultimam Juntarum Editionem Tomi octo: quorum.*

I. Prolegomena complectitur, & Libros Iſagogicos.
II. Phyſiologica, & Claſſem primam.
III. Ygieina, & Ætiologica: ſeu Claſſem ſecundam, & tertiam.
IV. Semeiotica, & Claſſem quartam.
V. Pharmaceutica, & Inſtrumenta Medica: ſeu, Claſſem quintam, & ſextam.
VI. Therapeutica, & Claſſem ſeptimam.
VII. Aphoriſtica, & Notha; ſeu, Libros extra ordinem Claſſium, ſpurios, & Fragmenta.
VIII. Antonii Muſæ Braſavoli Indicem refertiſſimum in omnes Galeni Libros.

Continentur verò

PROLEGOMENIS:

Fabii Paulini Epiſtola ad Venetorum Medicorum Collegium.

Ejuſdem Epiſtola ad Græcarum Literarum & Galeni Studioſos.

Johannis Coſtæi Epiſtola ad Uſyſſem Aldrovandum.

Hier. Mercurialis ad Lucam Antonium Juntam Epiſtola, in qua de Ordine Librorum Galeni.

Galeni Vita nunc recognita, & aliquot adnotationibus aucta.

Index Librorum omnium Galeni, qui in omnibus Voluminibus continentur.

Omnium Galeni Operum Synopſis, quæ breviter complectitur quidquid in unoquoque Libro, & in ejuſdem Libri ſingulis Capitibus continetur, quod ad propoſitæ rei argumentum ſpectet. Lucii Scarani Phil. ac Med. operâ, & labore nunc denuò confecta.

ISAGOGICIS LIBRIS:

Qui, cùm in totam Artem Medicam introducunt, in principio totius Operis ſunt locati: ut prius in ipſis Tyrones exerceantur, quàm ad difficiliora Artis accedant.

Τὸ εἰσαγωγικὸν.

Galeni Paraphraſtæ Menodoti Filii Suaſoria ad Artes Oratio; Ludovico Belliſario, *Mutinenſi*, interprete. pag. 1. ſeorſim Græcè, adjectâ verſione Latinâ D. Eraſmi Rot. Pariſiis, apud Chriſtianum Wechelum, 1541. in 4. apud Feder. Morellum, 1583. in 4. à Federico Jamotio, Bethunienſi Medico recognita, & Annotationibus illuſtrata. Accedit & ſeorſim Paraphraſis ipſa Græcè multis in locis hac Editione caſtigata.

Si quis Optimus Medicus eſt, eundem eſſe Philoſophum, Ludovico Belliſario *Mutinenſi*, interprete. p. 6. ſeorſim Græcè, cum verſione Latina D. Eraſmi Rot. Pariſiis, apud Chriſtianum Wechelum, 1541. in 4.

De Sophiſmatis in verbo contingentibus, Horatio Limano interprete. pag. 7.

Galeno adſcriptus Liber, quòd Qualitates incorporeæ ſunt. Horatio Limano interprete. p. 8. ✠.

Galeni de Libris propriis Liber, à Johanne Fichardo, *Francofordiano*, aliàs Latinitate donatus, nunc verò ad Græci Exemplaris fidem emendatior multis in locis ab Auguſtino Gadaldino redditus. pag. 10. ✠.

De ordine Librorum ſuorum, Liber ad Eugenianum, à Johanne Fichardo, *Francofordiano*, olim Latinitate donatus, poſtea verò ad Græci Exemplaris fidem ab Auguſtino Gadaldino aliquot in locis emendatus. pag. 13.

De Sectis, ad eos, qui introducuntur, Horatio Limano interprete. Denuo emendatus, p. 15. ✠.

De Optima Sectâ, Liber ad Thraſybulum; Junio Paulo Craſſo, *Patavino*, interprete. pag. 19. ✠.

De optimo docendi genere Liber, Eraſmo Roterod. interprete. pag. 30. Seorſim Græcè, & Latinè ſeparatim. Pariſiis, apud Chriſt. Wechelum, 1541. in 4.

De Subfiguratione Empirica, incerto interprete. p. 31.

Fragmentum quoddam exiguum, ac mendoſum Gal. adſcriptum, Græcè adhuc non impreſſum, ex eis fortaſſe Libris ſuperſtes, quos ipſe ad Empiricos ſpectantes conſcripſerat, cujus titulus eſt: Sermo adverſus Empiricos Medicos, Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. p. 35.

De Conſtitutione Artis Medicæ ad Patrophilum, Victore Trincavellio interprete. pag. 36.

Galeno adſcriptæ Finitiones Medicæ, Bartholomæo Sylviano, *Salonenſi,* interprete. pag. 43.

Galeno adſcripta Introductio, ſeu, Medicus. Johannes Guintherius Andernacus Latinum fecit: recognovit Bartholomæus Sylvanius: nuper autem cum Græco exemplari eſt collatus. p. 50. ✠.

Quomodo Morbum ſimulantes ſint deprehendendi? Libellus. Joh. Fichardo, *Francofordiano,* interprete, ad Græci exemplaris fidem recognitus. pag. 61.

Ars Medicinalis, Nicolao Leoniceno interprete. Ad Græcorum veterum exemplarium fidem ab Auguſtino Gadaldino aliquibus in locis emendata. Seorſim Græcè. Antverpiæ, apud Johan. Loëum, 1549. in 8. Latine. Venetiis, apud Franc. Bolzettam, 1606. in 24. Argentorati, apud Antonium Bertramum, 1586. in 8. Helmæſtadii, apud Jacobum Lucium, 1587. in 8.

Seorſim prodierunt Ejuſdem de Conſtitutione Artis Medicæ. Item, de Partibus Artis Medicæ. Item, Introductio, ſeu, Medicus. Item, Ars Medicinalis, Nicolao Leoniceno interprete. Lugduni, 1552. in 12.

CLASSE PRIMA:

Naturam Corporis humani; hoc eſt, Elementa, Temperaturas, Humores, Structuræ, Habitudiniſque modos, Partium Anatomas, Uſus, Facultates, Seminis denique, Fœtuumque, Tractationes complectente.

Τὸ φυσιολογικόν.

Galeni de Elementis ex Hippocratis ſententia, Lib. duo. Victore Trincavellio interprete. pag. 2. 8. ✠. Seorſim Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1548. in 16. Adjectus eſt in calce Hippocratis Liber de Elementis, unà cum Commentario in Eundem Jacobi Sylvii Medici. Ibidem, 1550. in 12.

De Temperamentis, Libri tres, Thoma Linacro interprete. Rurſus adhuc diligentiùs recogniti. pag. 10. 15. ✠. 21. ✠. Seorſim editi ſunt Pariſiis, apud Sim. Colinæum, 1523. in fol. Accedit Ejuſdem de inæquali intemperie, Liber, eodem interprete, cum Commentariis Jacobi Sylvii, Lugd. 1549. in 12.

In librum Hippocratis de Natura humana, Commentarius primus, Victore Trincavellio interprete. pag. 25. ✠. Seorſim Johanne Guintherio Andernaco interprete. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1553. in 16. Acceſſerunt Jacobi Sylvii Scholia locupletiora.

De Atra Bile Libellus, Barthol. Sylvanio, *Salonenſi*, interprete. pag. 34.

De optima noſtri corporis Conſtitutione, Liber, Ferdinando Balamio, *Siculo,* interprete. Ad Græcorum Exemplarium fidem caſtigatus. pag. 37. ✠. Seorſim Johanne Lalamantio interprete. Lugduni, 1578. in 8.

De Bona Habitudine, Ferdinando Balamio, *Siculo*, interprete. pag. 39.

De Oſſibus ad Tyrones, Liber. Ferdinando Balamio, *Siculo*, interprete. Ad fidem Codicis Græci ab Auguſtino Gadaldino emendatus. pag. 39. ✠. Seorſim Ferdinando Balamio interprete. Lugduni, 1549. in 12. Item Salom. Alberto interprete, 1579. in 8.

De Muſculorum Diſſectione ad Tyrones, Auguſtino Gadaldino interprete. pag. 44.

De Nervorum Diſſectione ad Tyrones, Liber integer, Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. Liber hic in Græcis Exemplaribus impreſſis corruptus ac mutilus legitur, pag. 53.

De Venarum Arteriarumque Diſſectione ad Tyrones, Liber, ab Antonio Fortolo, *Joſerienſi*, Latinitate donatus. Poſt Andreæ Veſalii, *Bruxellenſis*, caſtigationem, pleriſque in locis ad antiquioris Exemplaris Græci fidem nuperrime ab Auguſtino Gadaldino emendatus. p. 55. ✠.

An Sanguis in Arteriis naturâ contineatur? Juliô Martianô Rotâ interprete: ex ultima interpretis recognitione. pag. 60. Seorſim Victore Trincavellio interprete. Lugduni, 1550. in 12.

De Anatomicis Adminiſtrationibus, Libri novem. A Johanne Andernaco Latinitate donati. Et poſt diligentiſſimas Andreæ Veſalii, *Bruxellenſis*, & aliorum quoque Caſtigationes, pluribus in locis emendati. pag. 63. 68. ✠. 72. 79. ✠. 84. ✠. 89. 94. 99. 103. ✠. Seorſim Johanne Andernaco interprete. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1551. in 16.

De Inſtrumento odoratus, Ludovico Belliſario, *Mutinenſi*, interprete. pag. 109.

De Uſu Partium corporis humani, Lib. XVII. Nicolao Rhegino, *Calabro*, interprete. Denuo ab Auguſtino Gadaldino pleriſque in locis emendati. pag. 113. 120. ✠. 127. ✠. 135. ✠. 142. 147. ✠. 157. 164. ✠. 171. 177. ✠. 184. ✠. 192. ✠. 198. ✠. 204. 210. 214. 221.

De Utilitate Reſpirationis, Liber unus, Quodam Excellente Viro interprete. pag. 223. ✠.

De Cauſis Reſpirationis, Liber unus. Quodam excellente Viro interprete. pag. 226. ✠.

De Pulſuum Uſu, Thomâ Linacrô, *Anglo*, interprete. pag. 227.

De Hippocratis & Platonis Decretis, Libri novem. In quorum primo quædam in principio deſiderantur. Johanne Bernhardo Feliciano interprete: Ab Alexandro Juſtiniano, *Chio*, ad vetuſtorum Exemplarium Græcorum fidem accuratiſſimè caſtigati. pag. 231. 234. 241. 248. 254. 260. ✠. 267. ✠. 273. 279. Seorſim Baſileæ, apud Paulum Miralllietum, 1550. in 16. Lugduni eodem anno, parique formâ.

De Naturalibus Facultatibus, Libri tres, Thomâ Linacrô, *Anglo*, interprete. pag. 289. 296. ✠. 302. Seorſim eodem interprete. Acceſſerunt Jacobi Sylvii Scholia & Epitome, de Naturalium Facultatum Subſtantia. Lugduni, 1548. 1550. in 12.

De Motu Muſculorum, Libri duo. Nicolao Leoniceno interprete. p. 308. ✠. 313.

Quòd Animi vires corporis temperaturas ſequantur, Junio Paulo Craſſo, *Patav.* interprete. pag. 317.

De Fœtus formatione Liber. Johanne Bernhardo Feliciano interprete. pag. 322.

Liber, in quo inquirit, an omnes particulæ animalis, quod fœtatur, fiant ſimul? Nicolao Rhegino, *Calabro,* interprete. pag. 326.

Galeno Liber falsò adſcriptus: An animal ſit id, quod in utero eſt, Horatio Limano interprete. pag. 326. ✠.

Galeni de Semine, Libri duo: Johanne Bernhardo Feliciano interprete. p. 328. ✠. 335. ✠. Seorſim Joh. Guintherio Andernaco interprete. Pariſiis, apud Simonem Colinæum, 1533. in 8. Adjectæ ſunt ad calcem, Græci Exemplaris Caſtigationes aliquot.

De Septimeſtri Partu, Johan. Bernhardo Feliciano interprete. pag. 340. ✠.

CLASSE

CLASSE SECUNDA:

Materiam Sanitatis conſervatricem tradente: quæ circa Aerem, Cibum & Potum, Somnum & Vigiliam; Motum & Quietem, Inanitionem & Repletionem, Animi denique affectus verſatur.

Τὸ Ὑγιεινόν.

Galeni in Hippocratem, de Aëre, Aquis, & Locis, Commentarius primus, Moyſe Alatino, Med. Hebræo, interprete. Præmiſsâ ejuſdem Præfatione. pag. 1.

In Hippocratem, de Aëre, Aquis, & Locis, Commentarius ſecundus, Eodem interprete. p. 3. ℣.

In Hipp. de Aëre, Aquis, & Locis, Commentarius tertius, Eodem interprete, pag. 5℣.

De Alimentorum Facultatibus, Libri tres, Martino Gregorio interprete, Ab Auguſtino Gadaldino pleriſque in locis emendati. pag. 7. 16. 25.℣. Martino Gregorio interprete ſeorſim extat. Lugduni, apud Gul. Rovillium, 1547. in 16.

De Succorum Bonitate, & Vitio, à Julio Alexandrino, *Tridentino*, olim translatus, & nunc ab eodem diligenter recognitus. pag. 33. ℣. In Latinum autem converſus à Sebaſtiano Scrofa, multiſque in locis caſtigatus & explicatus. Lugduni, apud Paulum Mirallietum, 1547. in 16. Huic adſcripta ſunt non pœnitenda, in margine Scholia: breviſque, de Cibo & Potu, ex Fuchſio aſſumpta Diſputatio, in Libri calce adjecta.

In Librum Hippocratis de Salubri Diæta, Commentarius, Hermanno Cruſerio, *Campenſi*, interprete. pag. 39.℣.

De Attenuante Victus ratione, Liber unus, Martino Gregorio interprete. pag.43. ℣. Seorſim editus Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1547. & Philibert. Rolletium & Barthol. Frænum, 1549. in 16.

De Ptiſana, Liber, ex antiquiſſimi Græci exemplaris fide, ab Hier. Donzellino, *Veronenſi*, in Latinum verſus, ac ad priſtinam integritatem reſtitutus: cùm prius in Græcis etiam Codicibus multis laberetur. pag. 46.℣. Seorſim Johanne Lalamantio interprete, Lugduni, 1578. in 8.

De Parvæ Pilæ Exercitio, Valeriano Centannio, *Vicentino*, interprete. pag. 48.℣.

De Dignoſcendis curandiſque Animi Morbis, (quos perturbationes Latini apellant) libellus; Bernhardino Donato, *Veronenſi*, interprete, nunc diligenter recognitus. pag. 50.

De cujuſque Animi peccatorum cognitione, atque Medela, Libellus. Quem olim Junius Paulus Craſſus, *Patav.* interpretatus, & denuo accuratiſſimè recognovit. pag. 56.

De Conſuetudinibus, Liber, ab Auguſtino Gadaldino è Græco ad verbum ferè Latinè expreſſus. pag. 59. ℣.

De Sanitate tuenda, Libri ſex, Thóma Linacro, *Anglo*, interprete. Poſt diligentiſſimam Hier. Donzellini recognitionem, ab Auguſtino Gadaldino aliquot in locis, veterum Exemplarium Græcorum ope, emendati. pag. 62. 69. 76. 82. 90. 95. Seorſim Thomâ Linacrô interprete. Pariſiis, apud. Claud. Chevallonium, 1538. in 8. Lugduni, 1548. in 12.

Ars tuendæ ſanitatis, num ad Medicinalem Artem ſpectet, an ad Exercitatoriam? Liber ad Thraſybulum. Junio Paulo Craſſo, *Patavino*, interprete. pag. 101. ℣.

CLASSE TERTIA:

Morborum, ac Symptomatum differentias omnes & cauſas, & tempora explicante.

Τὸ Αἰτιολογικόν.

Galeni, de Differentiis Morborum, Liber; Nicolao Leoniceno interprete. Ab Auguſtino Gadaldino recognitus. pag. 2. Seorſim Græcè. Antverpiæ, apud Joh. Loëum, 1550. in 8.

De Cauſis Morborum, Liber unus, Nicol. Leoniceno interprete. pag. 6. Seorſim Græcè. Antverpiæ, apud Joh. Loëum, 1550. in 8.

De Symptomatum Differentiis, Liber unus, Thoma Linacro, *Anglo*, interprete. pag.10. Seorſim Græcè. Antverpiæ, apud Johan. Loëum, 1550. in 8.

De Symptomatum cauſis, Libri tres, Thoma Linacro, *Anglo*, interprete. pag. 15. 19. ℣. 24. ℣. Seorſim Græcè. Antverpiæ apud Johan. Loëum, 1550. in 8. Omnes hi ſex Libri junctim prodierunt Guilielmo Copo interprete. Lugduni, 1550. in 12.

De Differentiis Febrium, Libri duo, Nicolao Leoniceno, *Vicentino*, interprete. Ad vetuſtorum Exemplarium Græcorum fidem diligenter emendati ab Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*. pag. 20. ℣. 36. Seorſim Laurentio Laurentiano, *Florentino*, interprete, accuratè per Simonem Thomam recogniti, & ex fide Græci Exemplaris penè alii facti. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1548. 1550. in 16. Cum Hectoris Gibalti Commentariis. Ibid. 1561. in 12. & Operis Veneti de Febribus pag. 7. lit. B.

De Inæquali Intemperie, Liber, Thoma Linacro, *Anglo*, interprete. pag. 43. Seorſim editus Pariſiis, apud Simonem Colinæum, 1523. in fol. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1549. in 16. Cum Iſagoge in eoſdem Libros, & Scholiis marginalibus longè doctiſſimis, per Jacobum Sylvium, Johanne Lalamantio interprete. Lugduni, 1578. in 8.

De Marcore, Liber. Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. pag. 45.

De Comate ex Hippocratis ſententia, Libellus, ab Auguſtino Gadaldino tranſlatus, & multis in locis emendatus, pag. 48. ℣.

De Tremore, Palpitatione, Convulſione, & Rigore, Liber, Johan. Guintherio Andernaco interprete. Ab Auguſtino Gadaldino ad Græcorum Exemplarium fidem emendatus. pag. 51.

De Difficultate Reſpirationis Libri tres, Jano Cornario interprete, Ab Auguſtino Gadaldino accuratiùs emendati. pag. 56. ℣. 63. 69.

Liber de Plenitudine, Victore Trincavellio interprete. pag. 76. Johan. Guintherio Andernaco interprete. Pariſiis apud Chriſtianum Wechelum, 1528. in fol. 1531. in 8. Johanne Lalamantio interprete, Lugduni, 1578. in 8.

De Tumoribus præter naturam, Liber, Horatio Limano interprete. pag. 82. ℣. Seorſim Lugd. Batav. apud Elzevirios, 1626, in 4.

De Morborum Temporibus, Liber unus, Johanne Guintherio Andernaco interprete. pag. 85.

De Totius Morbi Temporibus, Liber, Johanne Guintherio Andernaco interprete. pag. 88.

De Typis, Liber, ab Auguſtino Gadaldino, antiquorum Exemplarium, & tranſlationis veteris ope, Latinitate donatus, pag. 90.

Liber contra eos, qui de Typis ſcripſerunt, Victore Trincavellio interprete, nunc ſummâ curâ diligenter recognitus, pag. 91. ℣.

Liber, de Cauſis procatarcticis, Nicolao Rhegino, *Calabro*, interprete. pag. 95.

In primum Hippocratis de Morbis vulgaribus Librum, Commentarii tres, Hermanno Cruſerio interprete, ab Auguſtino Gadaldino pluribus in locis emendati. p. 100. ℣. 107. ℣. 117.

In librum tertium Hippocratis de Morbis vulgaribus, Commentarii tres, Hermanno Cruſerio, *Campenſi*, interprete, ab Auguſtino Gadaldino ad antiquiſſimorum Exemplarium Græcorum fidem diligentiſſimè emendati. pag. 127. 134. ℣. 140. ℣.

In ſextum Hippocratis de Morbis popularibus Librum, Explanationes, à Junio Craſſo, *Patavino*, in linguam Latinam verſæ; denuo rurſus ab Eodem recognitæ. pag. 152. 160. ℣. 169. ℣. 179. 187. ℣. 194. ℣. In hoſce tres Libros Commentarii ſeorſim prodierunt, Johanne Vaſſæo interprete. Lugduni 1550. in 12.

In ſecundum Hippocratis de Morbis vulgaribus Librum, Commentarius ſecundus. Noviſſimè repertus, & ab Excellentiſſ. Johanne Baptiſta Raſario è Græco in Latinum ſermonem tranſlatus. p. 198. Seorſim à Joh. Sozomeno Græcè & Latinè editus. Venetiis, apud Rubie Miettum, 1617. in 8.

In ſecundum Hippocratis de Morbis vulgaribus Librum, Commentarius tertius. pag. 204. ℣. Seorſum, Johanne Sozomeno interprete. Venetiis, 1617. in 8.

Reliquum ſexti Commentarii in ſextum de Morbis vulgaribus Librum, quod in impreſſis antehac non extabat, nuper in lucem prolatum, Johanne Baptiſtâ Raſario interprete. pag. 212. ℣.

In ſextum Hippocratis de Morbis vulgaribus, Commentarius ſeptimus, Johanne Baptiſta Raſario interprete. pag. 215.

In ſextum Hippocratis de Morbis vulgaribus, Commentarius octavus, Johanne Baptiſta Raſario interprete. pag. 220.

In Librum Hippocratis de Humoribus, Commentarii tres, nuper in lucem editi, & Latinitate donati à Johanne Baptiſta Raſario. p. 225. ℣. 242. 254.

CLASSE QUARTA:

Signa, quibus tum dignoſcere morbos, & locos affectos, tum præſcire futura poſſimus, docente.

Τὸ σημειωτικόν.

Galeni de Locis affectis Libri ſex, Guilielmo Copo, *Baſilienſi*, interprete, ab Auguſtino Gadaldino pluribus locis emendati, adhibitis etiam vetuſtiſſimis Codicibus Græcis, ſummâ curâ hinc inde conquiſitis, p. 2. 8. 14. 21. ℣. 28. ℣. 36. Seorſim Guil. Copo interprete. Lugd. apud Guil. Rovillium, 1527. in 12. 1547. 1549. in 16. Singulari diligentiâ recogniti, brevique, atque eâdem dilucidâ expoſitione marginali non vulgariter illuſtrati.

De Pulſibus, Libellus ad Tyrones, Hermanno Cruſerio, *Campenſi*, interprete. Hic Liber una cum aliis, qui de Pulſibus tractant, pluribus locis ab Auguſtino Gadaldino nunc denuo eſt caſtigatus, adhibitis etiam emendatiſſimis codicibus Græcis manuſcriptis. pag. 43.

De Pulſuum Differentiis, Libri quatuor, Hermanno Cruſerio, *Campenſi*, interprete. pag. 46. ℣. 53. 59. 64.

De Dignoſcendis Pulſibus, Libri quatuor, Hermanno Cruſerio, *Campenſi*, interprete. pag. 70. 75. 79. ℣. 82. ℣.

De Cauſis Pulſuum, Libri quatuor, Hermanno Cruſerio, *Campenſi*, interprete. pag. 86. ℣. 91. 95. 99. ℣.

De Præſagitione ex Pulſibus, Libri quatuor, Hermanno Cruſerio, *Campenſi*, interprete. pag. 104. 109. ℣. 114. ℣. 119. ℣.

Synopſis Librorum ſuorum ſexdecim de Pulſibus, Auguſtino Gadaldino interprete. p. α CXXIII.

Aſcriptus Liber de Urinis, Joſepho Struthio, *Polono*, interprete. Maximâ diligentiâ reſtitutus Codicis Græci fide. pag. 123.

De Criſibus, Libri tres, Nicolao Leoniceno interprete. Denuo etiam ab Auguſtino Gadaldino ad optimorum Exemplarium Græcorum veritatem multis in locis emendati. pag. 125. ℣. 133. ℣. 139. Seorſim Nic. Leoniceno interprete. Lugd. 1558. in 12.

De Diebus Decretoriis, Libri tres. Johanne Guintherio Andernaco interprete, ab Auguſtino Gadaldino accuratè emendati. pag. 145. 151. ℣. 156. ℣. Seorſim eodem Guintherio interprete. Lugduni, 1553. in 12.

In primum Prorrhetici Librum Hippocrati attributum Commentarii tres, Johanne Vaſſæo, *Meldenſi*, interprete. Plurimis locis ad veterum Codicum Græcorum fidem ab Auguſtino Gadaldino nunc rurſum emendati. p. 160. ℣. 168. ℣. 178.

Prognoſtica Hippocratis, cum Commentariis Galeni, Laurentio Laurentiano, *Florentino*, interprete. Ad veterum Exemplarium fidem recognita. p. 189. 197. ℣. 206. Seorſim Pariſiis, apud Carolum Guillard. 1543. in 8. Johanne Gorræo interprete. Lugduni, 1552. in 12.

Ex Galeni Libris de Dignotione ex Inſomniis. Auguſtino Gadaldino interprete. pag. 223.

De Præcognitione Liber ad Poſthumum, Jul. Martiano Rotâ interprete. pag. 223. ℣.

CLASSE QUINTA:

Eam Medicinæ Partem, quæ ad Pharmaciam ſpectat, exponente: Simplicium Medicamentorum, Subſtitutorum, Purgantium, Antidotorum, Componendorum tam per locos, quàm per genera Medicamentorum, Ponderum denique, ac Menſurarum doctrinam comprehendente.

Τὸ φαρμακευτικόν.

Galeni de ſimplicium Medicamentorum Facultatibus, Libri undecim, Theodorico Gerardo Gaudano interprete. Denuo ab Auguſtino Gadaldino multis in locis emendati. p. 2. 9. ℣. 16. ℣. 24. 31. ℣. 39. 49. 56. ℣. 64. 71. ℣. 77. ℣. Seorſim Theod. Ger. Gaudano interprete. Lugduni 1547. in 12. apud Guil. Rovillium, 1561. in 16. Emendatiores facti, locis compluribus ſuo nitori reſtitutis, ex Græci exemplaris collatione.

De Subſtitutis Medicinis, Liber, Juliô Martianô Rotâ interprete. pag. 84.

De Purgantium Medicamentorum Facultate; Julio Martiano Rotâ interprete. pag. 86.

Quos purgare conveniat, quibus Medicamentis, & quo tempore, Liber, Julio Martiano Rotâ interprete. p. 88. Seorſim cum Commentariis Sebaſtiani Coquillati. Lugduni, 1553. in 12.

Hieronymi Mercurialis, *Foroliviēnſis*, Judicium de Libro Theriaces ad Piſonem, pag. 89.

De Theriaca ad Piſonem, Julio Mart. Rotâ interprete. p. 89. ℣.

De Uſu Theriacæ ad Pamphilianum, Julio Martiano Rotâ interprete. pag. 97.

De Antidotis, Libri duo, Julio Martiano Rotâ interprete. pag. 99. ℣. 100. De

De Compoſitione Medicamentorum localium, ſive, ſecundùm locos, Libri decem, à Jano Cornario Med. jam in Latinum ſermonem converſi, ac denuo poſt Nicolai Machelli, *Mutinenſis*, emendationem, plurimis in locis ad veterum Græcorum Codicum amuſſim caſtigati. pag. 121. 131. ℣. 140. ℣. 149. 158. ℣. 166. ℣. 177. 187. 197. 205. ℣. Seorſim Jano Cornario interprete. Lugduni, 1549. in 12.

De Compoſitione Medicamentorum per genera, Libri ſeptem, Johanne Andernaco interprete. Ad vetuſtiſſimorum Græcorum Codicum fidem diligenter alias ab Auguſtino Gadaldino recogniti, & nunc etiam ab eodem aliquibus in locis emendati. pag. 209. ℣. 218. 228. 235. ℣. 245. ℣. 254. ℣. 263. Seorſim, Johanne Andernaco interprete, & ad antiquiſſimorum Græcorum Exemplarium fidem Caſtigati, Capitibuſque diſtincti, ac Argumentis & Annotationibus illuſtrati. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1552. in 16. Baſileæ, 1537 in fol.

Falsò adſcriptus Liber de Ponderibus, & Menſuris, Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. pag. 275.

CLASSE SEXTA:

De Cucurbitulis, Scarificationibus, Hirudinibus, & Phlebotomia, præcipuo Artis remedio, tradente.

Ὄργανα εἰς κλινικὴν

Galeni de Hirudinibus, Revulſione, Cucurbitulâ, Cutis Conciſione, ſive, Scarificatione, Ferdinando Balamio, *Siculo*, interprete. p. 2.

De Venæſectione adverſus Eraſiſtratum, Liber, Joſepho Tectandro, *Cracovienſi*, interprete. Denuo ab Auguſtino Gadaldino ad Græcorum Exemplarium fidem emendatus. pag. 7.

De Venæſectione adverſus Eraſiſtraceos, qui Romæ degebant, Liber, Joſepho Tectandro, *Cracovienſi*, interprete. Ab Auguſtino Gadaldino, ad vetuſtiſſimorum Exemplarium Græcorum fidem diligenti curâ emendatus. p. 9.

De curandi ratione per Sanguinis Miſſionem, Liber, Theodorico Gaudano interprete. Denuo ad Græcorum Exemplarium fidem ab Auguſtino Gadaldino diligentius recognitus. pag. 15. ℣. Seorſim cum Comment. Leonhardi Fuchſii. Lugduni 1550. in 12.

CLASSE SEPTIMA:

Curativam methodum tum diffuſè, tum breviter deſcriptam, Victus rationem in morbis acutis, ſingulorum morborum facilè paranda remedia, Privatam quorundam morborum curationem, Chirurgiæ conſtitutionem, Fracturarum, ac Luxationum ſanationem, Faſciarum denique, & Laqueorum, & Machinamentorum Tractatum continente.

Τὸ Θεραπευτικόν.

Galeni Methodi Medendi, id eſt, de Morbis curandis, Libri quatuordecim, Thoma Linacro, *Anglo*, interprete. Denuo ad Græcorum Codicum fidem ab Auguſtino Gadaldino aliquot in locis emendati. p. 2. 9. 16. 23. 29. ℣. 36. ℣. 43. 49. ℣. 55. ℣. 61. 67. ℣. 74. ℣. 80. 86. ℣. Seorſim Thoma Linacro interprete, Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1547. in 16. Acceſſerunt huic Editioni ad cujuſcunque varietatis Exemplarium fidem collatæ & reſtitutæ, peritiſſimorum quorundam Medicorum induſtriâ, nova quædam Partitio Librorum in ſua Capita, item & Annotationes complures in margine: cum interpretatione Græcorum nominum, quæ in toto Opere extant. Ex his VIII. IX. X. XI. & XII. qui de Febribus curandis agunt, exhibentur Operis Veneti de febribus. p. 20. lit. D. 2.

De Arte Curativa ad Glauconem Libri duo, Nicolao Leoniceno interprete. Ab Auguſtino Gadaldino recogniti. pag. 94. 100. ℣. Horum primus ſeorſim extat Operis Veneti de Febribus pag. 34. ambo Martino Akakia interprete, Lugduni, 1551. in 12.

In Librum Hippocratis de Victus ratione in morbis acutis, Commentarii quatuor, Johanne Vaſſæo, *Meldenſi*, interprete, ab Auguſtino Gadaldino pleriſque in locis emendati. pag. 108. 116. 125. 134. Seorſim Pariſiis, apud Jacobum Bogardum. 1543. in 8.

De Diæta Hippocratis in Morbis acutis, Auguſtino Gadaldino interprete. p. 149.

De Remediis paratu facilibus, ab Huberto Barlando Latino ſermoni traditus, nunc denuo accuratiſſimè caſtigatus, & ab omni labe purgatus. p. 153. Seorſim, Antverpiæ, apud Joh. Stelſmanum, 1533. in 8.

Aſcriptus Liber de Medicinis facilè parabilibus ad Solonem Medicorum principem, Junio Paulo Craſſo, *Patavino*, interprete. pag. 161.

Liber tertius de Medicamentis, quæ ad manum ſunt, Gal. adſcriptus, Junio Paulo Craſſo, *Patavino*, interprete. pag. 170.

Documentum de Puero Epileptico, Nicolao Leoniceno Thomeo, *Patavino*, interprete. p. 178. ℣. Seorſim Venetiis, 1533.

In librum de Natura Humana Commentarius ſecundus, Victore Trincavellio interprete. p. 180. ℣.

De Oculis à Demetrio tranſlatus, nuper à variis mendis expurgatus. p. 186.

Aſcriptus Liber de Renum Affectuum Dignotione, & Medicatione, Chriſtophoro Heylio *Wyſſbadenſi*, interprete. Seorſim Moguntiæ, apud Joh. Schœffer. 1530. in 8. Nunc primùm ad Græcorum Codicum fidem accuratiſſimè recognitus. pag. 195. ℣.

In Hippocratem de Officina Medici Commentarii tres, Vido Vidio, *Florentino*, interprete. pag. 197. 205. 214.

In Hippocratem de Fracturis, Commentariorum Libri tres, Vido Vidio, *Florentino*, interprete. Ab eodem denuo multis locis ex veſtutis manuſcriptis Græcis Exemplaribus caſtigati. pag. 223. 231. ℣. 242.

In Hippocratem de Articulis, Commentariorum libri quatuor, Vido Vidio, *Florentino*, interprete. pag. 251. 262. 268. ℣. 283.

De Faſciis, Vido Vidio, *Florentino*, interprete. pag. 293.

De Laqueis ex Heracle, Vido Vidio *Florentino*, interprete. p. 306. ℣.

Oribaſius ex Heliodoro de Machinamentis, Vido Vidio, *Florentino*, interprete. pag. 309.

EXTRA ORDINEM CLASSIUM LIBRIS:

In quibus breves rerum determinationes traduntur; quarum perceptio Superiorum librorum Lectionem requirit.

Τὸ ἀφορισικόν.

Galeni in Aphoriſmos Hippocratis Commentarii ſeptem, quos à Nicolao Leoniceno tranſlatos Jul. Martianus Rota, & Auguſtinus Gadaldinus è compluribus Græcis Codicibus illuſtraverunt. Aliquot etiam locis nuperrimè ab Auguſtino Gadaldino expurgatis. p. 2. 11. 19. ℣. 27. 37. 45. ℣. 54. Seorſim per Guilielmum Plantium

Plantium Cenomanũ Latinitate donati, ejuſdemque Annotationibus illuſtrati. Lugduni, apud Guil. Rovillium, 1554. in 16. & ab Adriano Toll. Lugd. Bat. noviter repurgati, Lugduni Batav. apud Johan. Maire, 1636. in 12.

Adverſus Lycum, quòd nihil in eo Aphoriſmo Hippocrates peccet, cujus initium: Qui creſcunt, plurimum habent caloris innati, Julio Alexandrino, *Tridentino*, interprete. Ex poſtrema recognitione interpretis ad veterum Exemplarium Græcorum fidem. pag. 61. ў.

Contra ea, quæ à Juliano in Hippocratis Aphoriſmos dicta ſunt, Julio Alexandrino, *Tridentino*, interprete. Ex poſtrema interpretis recognitione ad veterum Exemplarium Græcorum fidem. p. 66.

Linguarum, hoc eſt, Obſoletarum Hippocratis Vocum Explanatio, Mariâ Nizolio, *Bruxellenſi*, interprete. Hunc Librum Auguſtinus Gadaldinus ex plurium Græcorum Codicum collatione, pluribus in locis nuperrimè emendavit. p. 71.

SPURIIS GALENO ADSCRIPTIS LIBRIS:

Qui variam Artis Medicæ farraginem ex variis Authoribus excerptam continentes, optimo, quo fieri potuit, ordine ſunt diſpoſiti, & in unum corpus redacti.

Τὰ νόθα.

De Hiſtoria Philoſophica, Julio Martiano Rotâ interprete. p. 2.

Liber, cui titulus: Prognoſtica de decubitu ex Mathematica ſcientia, Jacobo Antonio Mariſcotto, *Florentino*, interprete. Expreſſa autem ferè ſunt Græca verba Latinis verbis, ne qua forte fiat ſenſus permutatio aut ambiguitas. Atque ex collatione vetuſtorum exemplarium multa loca caſtigata, & reſtituta. p. 12. Seorſim Lugduni, apud Theobaldum Paganum, 1550. in 8. cum Paraphraſi Claudii Fabri.

De Partibus Artis Medicæ, p. 16.

De Dynamidiis. p. 18. ў. 19.

De Spermate. p. 36.

De Incantatione, Adjuratione, & Suſpenſione. p. 41.

De Natura, & ordine cujuslibet corporis. p. 42.

De Anatomia parva. p. 43. ў.

De Anatomia Vivorum. p. 44. ў.

De Anatomia Oculorum, Nicolao Rhegino, *Calabro*, interprete. p. 58.

De Compagine Membrorum, ſive, de Natura humana. p. 59.

De Virtutibus noſtrum corpus diſpenſantibus. p. 61.

De Voce, & Anhelitu. p. 61. ў.

De Utilitate Reſpirationis. p. 63.

Compendium Pulſuum. p. 66.

De Motibus manifeſtis & obſcuris, quem Johannitius de Græca lingua in Arabicam tranſtulit: Marcus autem Toletanus de Arabica in Latinam. p. 67.

De Diſſolutione continuâ. p. 72.

Ex Galeno, & aliis præſtantiſſimis Medicis de Aquis. Capita ſex Oribaſii, Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. p. 76. ў.

De Vinis ex Galeno, Caput ſextum Libri quinti Collectionum Medicinalium Oribaſii ad Julianum Imperatorem', Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. p. 79.

Præſagium experientiâ confirmatum, Georgio Vallâ, *Placentino*, interprete. p. 81.

De Urinæ Significatione ex Hippocrate, Georgio Vallâ, *Placentino*, interprete. p. 83.

De Simplicibus Medicaminibus ad Paternianum. p. 84.

De Virtute Centaureæ. p. 97. ў. Extat apud Practicam Serapionis. 1527. in 4.

De Catharticis. p. 99.

De Gynæceis, id eſt Paſſionibus Mulierum, Nicolao Rhegino, *Calabro*, interprete. p. 100. ў.

Secretorum ad Monteum, Liber. p. 101. ў.

De Medicinis expertis, cui titulus eſt: Medicinalis Experimentatio. p. 108. ў.

De Melancholia ex Galeno, Ruffo, & Poſidonio, Caput nonum Libri ſexti Aëtii, Julio Martiano Rotâ interprete. p. 114.

De Cura Icteri. p. 115. ў.

De Cura Lapidis. p. 116. ў.

Quæſita in Hippocratem. p. 118.

De Humoribus, Auguſtino Gadaldino interprete. pag. 118. ў. Seorſim Græco-Latine, interprete Bernhardo Bertrando Rhegino. Argentorati, apud Samuelem Emmelium, 1558. in 8. Huic ab eodem interprete inſertæ ſunt in ipſo margine utiles Annotationes: atque ad finem Libri adjecta eſt Tabella, quæ totius Libri ſumma capita complectitur.

De Plantis. Et eſt de Medicinis occultis, quas noluit propalare, nec conſignare in Libris ſuis aliis: quæ ſunt experimentatæ, & probatæ, per D. Grumerum, Judicem de Placentia, & per Magiſtrum Abraham. Med. de Arabico in Latinum Marſiliæ translatus. p. 120.

De Clyſteribus, & Colica. Ab Humain, id eſt, Johannitio è Græca in Arabicam, & inde à Kalonymo in Hebræam Linguam translatus. pag. 123. Seorſim Lugduni, apud Franc. Raphelengium, 1591. in 8.

Operum quorundam, quæ in aliquo mutilata ad nos pervenere.

FRAGMENTIS:

Ad varias Medicinæ partes attinentibus, quæ proximæ tantùm, ante hanc, editiones evulgaverant.

Hippocratis Coi Liber de Alimento pag. 3.

Galeni in Hippocratis Librum de Alimento, Commentarii quatuor, Johanne Baptiſta Raſario, *Novarienſi*, interprete. pag. 4. 5. 6. ў. 17. ў.

Fragmentum Comm. in 11. Lib. Epidem. Hippocratis, Hieronymo Mercuriali interprete. pag. 21. ў. Integer Commentarius nunquam antea vel Græcè, vel Latinè editus nunc Latinè redditus à Johanne Zozomeno. Venetiis 1617. in 8.

Brevis denotatio Dogmatum Hippocr. ex Sermone XCIX. Johannis Stobæi pag. 22. ў.

Fragmentum ex quatuor Commentariis, quos ipſe inſcripſit: De iis, quæ Medicè dicta ſunt in Platonis Timæo, Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. p. 23.

De Motu Thoracis & Pulmonis, Fragmentum. p. 27. ў.

Vocalium Inſtrumentorum diſſectio, Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. p. 28.

De Subſtantia Facultatum naturalium Fragmentum, Bartholomæo Sylvanio, *Salonenſi*, interprete. p. 30.

Sermo adverſus Empiricos Medicos, Auguſtino Gadaldino, *Mutinenſi*, interprete. p. 31. ў.

Fragmenta ex Aphoriſmis Rabi Moyſis collecta. p. 33.

Fragmenta ex Razis Lib. Continent collecta. p. 38. ў.

Ex Athenæo primo Deipnoſoph. p. 41.

Ex

Ex Libro Nemeſii, de Anima, cap. II. & XX. p. 42.
Ex Themiſtio in Paraphraſi quarti de Naturali auſcult. &c. p. 42. *&c.*
Ex Simplicio in quartum de Naturali Auſcult. Ariſtot. Comment. XIV. &c. p. 43.
Ex Averroë Libro Priorum Ariſtotelis primo, cap. VIII. pag. 44.

INDEX ALPHABETICUS

Librorum omnium Galeni, qui in hiſce Voluminibus continentur,

Juxta ejuſdem nonæ Juntarum Editionis diſpoſitionem.

A.

Adverſus Lycum, Quòd nihil in eo Aphoriſmo Hippocrates peccet, cujus initium: Qui creſcunt, plurimum habent caloris innati. Tom. 7. ext. Ord. fol. 62.
de Alimentorum Facultatibus, Libri tres. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 7.
de Alimento, Hippocratis Liber. Tom. 7. int. Fragm. fol. 3.
de Anatomicis Adminiſtrationibus, Libri IX. Tom. I. Claſſ. I. fol. 63.
de Anatomia Oculorum, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 58.
de Anatomia Parva, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 44.
de Anatomia Vivorum, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 45.
an Animal ſit id, quod in utero eſt? Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 327.
de Antidotis, Libri duo. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 100.
de Aquis Variorum varia. Tom. 7. int. Spur. fol. 77.
Ars Medicinalis. Tom. I. int. Iſag. fol 62.
Ars tuendæ ſanitatis, ad Thraſybulum, Tom. 3. Claſſ. II. fol. 102.
de Arte curativa ad Glauconem, Libri duo. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 94.
de Atra Bile, Libellus. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 34.
de Attenuante Victus ratione, Liber. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 44.

B.

de Bona habitudine, Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 39.
de Bonitate Aquæ, Libellus. Tom. 7. int. Spur. fol. 75.

C.

de Catharticis, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 99.
de Cauſis Morborum, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 6.
de Cauſis Procatarcticis, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 95.
de Cauſis Pulſuum, Libri IV. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 87.
de Cauſis Reſpirationis, Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 227.
de Clyſteribus, & Colica, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 123.
de Colico dolore, Libellus. Tom. 7. int. Spur. fol. 125.
de Comate, ex Hippocratis ſententia, Libellus. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 49.
de Compagine Membrorum, ſive de Natura humana. Tom. 7. int. Spur. fol. 59.
Compendium Pulſuum. Tom. 7. int Spur. fol. 66.
de Compoſitione Medicamentorum localium, Libri X. Tom. 5. Claſſ. X. fol. 121.
de Compoſitione Medicamentorum per genera, Libri VII. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 210.
de Conſtitutione Artis Medicæ, Liber. Tom. I. int. Iſag. fol. 36.
de Conſuetudinibus, Liber. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 60.
Contra ea, quæ à Juliano in Hippocratis Aphoriſmos dicta ſunt. Tom. 7. ext. Ord. fol. 66.
Contra eos, qui de Typis ſcripſerunt, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 92.
de Criſibus, Libri tres. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 126.
de Cujusque Animi peccatorum cognitione, & medela, Libellus. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 56.
de Cura Icteri, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 116.
de Cura Lapidis, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 117.
de Curandi ratione per Sanguinis miſſionem, Liber. Tom. 5. Claſſ. VI. fol. 16.
de Cucurbitulis, Scarificatione, Hirudinibus, Derivatione, & Revulſione. Tom. 5. Claſſ. VI. fol. 3.

D.

Denotatio brevis Dogmatum Hippocratis ex Sermone XCIX. Johannis Stobæi. Tom. 7. int. Spur. fol. 23.
de Diæta Hippocratis in morbis acutis, Liber. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 149.
de Diebus Decretoriis, Libri tres. Tom 4. Claſſ. IV. fol. 145.
de Differentiis Febrium, Libri duo. Tom 3. Claſſ. III. fol. 31.
de Differentiis Morborum, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 2.
de Difficultate Reſpirationis, Librit res. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 57.
de Dignoſcendis, curandiſque animi Morbis, Libellus. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 50.
de Dignoſcendis Pulſibus, Liber. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 70.
de Dignotione ex Inſomniis, Libellus. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 213.
de Diſſectione Vulvæ, Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 108.
de Diſſolutione continui, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 72.
de Dynamidiis, Liber unus, & alter. Tom. 7. int. Spur. fol. 19.

E.

de Elementis ex Hippocratis Sententia, Libri duo. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 2.

F.

de Facultatibus naturalibus, Libri tres. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 289.
de Faſciis, Liber. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 293.
Finitiones Medicæ. Tom. I. int. Iſag. fol. 43.
de Fœtuum Formatione, Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 322.
Fragmenta Galeni ex Aphoriſmis Raby Moyſis collecta. Tom. 7. int. Fragm. fol. 33.
ex Athenæo : I & III. Deipnoſophiſtῶν. Ibid f. 41.
ex Averrhoe, Lib. Priorum Ariſt. primo, cap. 8. Ibid. fol. 44.
ex Nemeſii de Anima c. II. & XX. Ibid. fol. 42.
ex Rhazis Lib. Continent collecta. Ibid. fol. 40.

ex Simplicio in IV. de Naturali Auſcultatione Commentario XIV. Ibid. fol. 43.
ex Themiſtio in paraphraſi quarti de Naturali Auſcultatione. Ibid. fol. 42.

G.

de Gynæceis, id eſt, Paſſionibus Mulierum, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 161.

H.

Hieronymi Mercurialis Judicium de Libro Theriaces ad Piſonem. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 89.
de Hippocratis & Platonis Decretis, Libri IX. Tom. 2. Claſſ. I. f. 231.
in Hippocratis de Aëre, Aquis, & Locis, Librum Commentarii tres. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 1.
in Hippocratis de Alimento Librum Commentarii quatuor. Tom. 7. int. Fragm. fol. 4.
in Hippocratis Aphoriſmorum Libros VII. Commentarii totidem. Tom. 7. ext. Ord. fol. 2.
in Hippocratis de Articulis Librum Commentarii quatuor. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 251.
in Hippocratis de Fracturis, Librum Commentarii tres. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 223.
in Hippocratis de Humoribus Librum Commentarii tres. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 226.
in Hippocratis de Natura humana Librum Commentarius primus. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 26.
in Hippocratis de Natura humana Librum Commentarius alter. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 181.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum I. Commentarii tres. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 101.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum II. Commentarii Fragmentum. Tom. 7. int. Fragm. fol. 22.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum II. Commentarius ſecundus. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 198.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum III. Commentarii tres. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 127.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum VI. Commentarii ſex priores. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 152.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum VI. Commentarii ſexti pars deſiderata. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 213.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum VI. Commentarius ſeptimus. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 215.
in Hippocratis de Morbis Vulgaribus Librum VI. Commentarius octavus, Tom. 3. Claſſ. III. fol. 220.
in Hippocratis de Officina Medici, ſeu, Iis, quæ in Medicatrina fiunt, Lib. Commentarii tres. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 193.
in Hippocratis Prorrheticῶn Librum I. Commentarii tres. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 161.
in Hippocratis Prognoſtica Comment. tres. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 189.
in Hippocratis de Salubri Diæta Librum Commentarius unus. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 40.
in Hippocratis de Victus ratione in morbis acutis Librum Commentarii quatuor. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 108.
de Hirudinibus, Revulſione, Cucurbitula, & Scarificatione Lib. Tom. 5. Claſſ. VI. fol. 2.
de Hiſtoria Philoſophica, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 2.
de Humoribus Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 119.

I.

de Iis, quæ Medicè dicta ſunt in Platonis Timæo, Liber. Tom. 7. int. Fragm. fol. 23.
de Inæquali Intemperie, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 43.
de Incantatione, Adjuratione, & Suſpenſione, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 41.
Introductio, ſeu, Medicus. Tom. 1. int. Iſag. fol. 51.
de Inſtrumento Odoratus, Liber. Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 110.

L.

de Laqueis ex Heracle, Libellus. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 307.
de Locis Affectis, Libri ſex. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 2.

M.

de Machinamentis Oribaſius ex Heliodoro. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 309.
de Marcore, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 45.
Medicinalis Experimentatio, ſeu, de Medicinis expertis, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 109.
de Medicinis facilè parabilibus ad Solonem, Liber. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 161.
de Melancholia ex Galeno, Ruffo, aliiſque. Tom. 7. int. Spur. fol. 114.
Methodus Medendi, ſeu, de Morbis curandis, Lib. XIV. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 2.
de Morborum Temporibus, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 85.
de Motibus manifeſtis, & obſcuris, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 67.
de Motu Muſculorum, Libri duo. Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 309.
de Motu Thoracis, & Pulmonis, Libellus. Tom. 7. int. Fragm. fol. 28.
de Muſculorum diſſectione ad Tyrones, Liber. Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 44.

N.

de Natura, & ordine cujuslibet corporis, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 42.
de Nervorum diſſectione ad Tyrones, Liber. Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 53.

O.

Obſoletarum Hippocratis Vocum Explanatio. Tom. 7. ext. Ord. fol. 71.
de Oculis, Liber. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 186.
an Omnes particulæ animalis, quod fœtatur, ſimul fiant? Liber. Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 326.
de Optima corporis noſtri conſtitutione, Liber. Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 38.
de Optima Secta ad Thraſybulum, Lib. Tom. 1. int. Iſag. fol. 19.
de Optimo docendi genere, Liber. Tom. 1. int. Iſag. fol. 30.
Oratio Suaſoria ad Artes. Tom. 1. int. Iſag. fol. 2.
de Ordine Librorum ſuorum, Liber. Tom. 1. int. Iſag. fol. 15.
de Oſſibus ad Tyrones, Liber. Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 40.

P.

de Partibus Artis Medicæ, Lib. Tom. 7. int. Spur. fol. 16.
de Parvæ pilæ Exercitio, Lib. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 49.
de Plantis, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 120.
de Plenitudine, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 76.
de Præcognitione ad Poſthumum, Liber. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 214.
de Præſagitione ex Pulſibus, Libri quatuor. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 104.
Præſagium experientiâ confirmatum. Tom. 7. int. Spur. fol. 81.

Prognoſticâ de Decubitu ex Mathematica ſcientia. Tom. 7. int. Spur. fol. 12.
de Propriis Libris, Liber. Tom. 1. int. Iſag. fol. 11.
de Ptiſana, Liber. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 47.
de Puero Epileptico, Documentum. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 179.
de Pulſibus ad Tyrones, Libellus. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 43.
de Pulſuum Differentiis, Libri quatuor. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. 47.
de Pulſuum Uſu, Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 227.
de Purgantium Medicamentorum Facultate, Lib. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 86.

Q.

an Qualitates incorporeæ ſint? Liber. Tom. 1. int. Iſag. fol. 9.
Quæſita in Hippocratem. Tom. 7. int. Spur. fol. 118.
Quòd animi mores corporis temperaturas ſequantur, Lib. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 317.
Quos purgare conveniat, quibus medicamentis, & quo tempore? Liber. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 88.

R.

de Remediis paratu facilibus, Libellus. Tom. 3. Claſſ. VII. fol. 154.
de Renum Affectuum dignotione, & medicatione, Liber. Tom. 6. Claſſ. VII. fol. 196.

S.

de Sanitate tuenda, Libri ſex. Tom. 3. Claſſ. II. fol. 62.
an Sanguis in Arteriis naturâ contineatur? Liber. Tom. 2. Claſſ. 2. fol. 60.
Secretorum ad Monteum, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 102.
de Sectis ad eos, qui introducuntur, Liber. Tom. 1. int. Iſag. fol. 16.
de Semine, Libri duo, Tom. 2. Claſſ. 1. fol. 329.
de Septimeſtri Partu, Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 341.
Sermo, adverſus Empiricos Medicos. Tom. 1. int. Iſag. fol. 35.
Sermonis adverſus Empiricos Medicos, Fragmentum quoddam. Tom. 7. int. Fragm. fol. 32.
de Simplicibus medicamentis ad Paternianum, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 84.
de Simplicium Medicamentorum Facultatibus, Libri XI. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 2.
Si quis optimus Medicus eſt, eundem eſſe Philoſophum, Liber. Tom. 1. int. Iſag. fol. 6.
de Sophiſmatis in verbo contingentibus, Liber. Tom. 1. int. Iſag. f. 7.
de Spermate, Libellus. Tom. 7. int. Spur. fol. 36.
de Subfiguratione Empirica, Liber. Tom. 1. int. Iſag. fol. 31.
de Subſtantia Facultatum naturalium, Fragmentum. Tom. 7. int. Fragm. fol. 30.
de Subſtitutis Medicinis, Libellus. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 84.
de Succorum bonitate, & vitio, Liber. Tom. 3, Claſſ. II. fol. 34.
de Symptomatum Cauſis, Libri tres. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 14.
de Symptomatum Differentiis, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 10.
Synopſis Librorum ſedecim de Pulſibus. Tom. 4. Claſſ. IV. fol. CXXIII. ∞.
Synopſis omnium Gal. Operum, argumenta continens ſingulorum capitum cujuſque Libri. Tom. 1. in Proleg. lit. D.

T.

de Temperamentis, Libri tres. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 10.
de Theriaca ad Piſonem, Liber. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 90.
de Theriacæ uſu ad Pamphilianum, Liber. Tom. 5. Claſſ. V. fol. 98.
de Totius morbi temporibus, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 88.
de Tremore, Palpitatione, Convulſione, & Rigore Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 51.
de Tumoribus præter naturam, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 83.
de Typis, Liber. Tom. 3. Claſſ. III. fol. 90.

V.

de Venæ ſectione, adverſus Eraſiſtratum, Lib. Tom. 5. Claſſ. VI. fol. 7.
de Venæ ſectione, adverſus Eraſiſtratæos, qui Romæ degebant, Liber. Tom. 5. Claſſ. VI. fol. 9.
de Venarum Arteriarumque diſſectione, ad Tyrones, Liber. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 56.
de Vinis, Libellus. Tom. 7. int. Spur. fol. 80.
de Virtute Centaureæ, Lib. Tom. 7. int. Spur. fol. 98.
de Virtutibus noſtrum corpus diſpenſantibus, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 61.
Vita Galeni. Tom. 1. in Proleg. lit. B. 2.
de Vocalium Inſtrumentorum diſſectione, Liber. Tom. 7. int. Spur. fol. 62.
de Voce, & Anhelitu, Liber. Tom. 7. int. Fragm. fol. 28.
de Urinis, Liber. Tom. 4. Claſſ. 4. fol. 123.
de Urinæ Significatione, ex Hippocrate, Lib. Tom. 7. int. Spur. fol. 83.
de Uſu partium corporis humani, Lib. XVII. Tom. 3. Claſſ. I. fol. 113.
de Utilitate Reſpirationis, Liber genuinus. Tom. 2. Claſſ. I. fol. 223.
de Utilitate Reſpirationis, Liber ſpurius. Tom. 7. int. Spur. fol. 63.

GALEO (*Petrus Paulus,*) Peruſinus.

De eô extat

De Pulſibus. Peruſiæ, 1597. in 4.

GALERUS.

Ex eo habetur

De mutandâ victûs ratione iis qui Caſtra ſequuntur Epiſtola. Colon. 4. 1544.

GALESIUS (*Bartholomæus*,) Bononienſis, Philoſoph. & Medic. Doctor. A. 1597. Logicæ, Medicinæ, ejuſque Praxeos Publicus Lector, *Scripſit*

Epiſtolam reſponſivam ad Cardinalem Capponium, & Principem ſuper Morbo hiſce temporibus graſſante, cum ſuis antidotis. Bonon. 1630. per Franciſc. Cattaneum, 4. De parallelo motûs terræ & microcoſmi, Bonon. 1633. Typis Ferronii, 4.

GALFREDUS (*Antonius,*) Condriaceus.

Ex eo habetur

In Librum novæ Academiæ Hetruſcorum, ac contra Avicennam & Meſuem, Apologia. Extat cum Cribratione Medicamentorum Symphoriani Campegii. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1534. in 8.

GALLEGO (*Geneſius Paſtor de,*) Orcelitanus.

De eô extat

Brevis Epitome valdè utilis ad prædicendum futura

futura in morbis acutis. Oriolæ, apud Auguſt. Martinez, 1624. in 8.

GALLEGO de la Serna (*Johannes*,) Malacitanus, Doctor Medicus, & à cubiculô Regum noſtrorum Philippi III. & IV.

Prodire in publicum fecit

Opera Phyſica, Medica, Ethica, quinque tractatibus comprehenſa; *ſcilicet*

De Generationis principiis omnium viventium.

De conſervatione Infantis in uterô, & de bonô & malô pariendi modô, ac de ſummô naturæ artificiô, quod ſervat in partû: nec non de Obſtetricis officio.

De Puerorum alendi ratione, & ſanitate tuendâ, ubi & de calculi & epilepſiæ præcautione & curatione.

De communi Puerorum educandi ratione. Lugduni, apud Jacobum & Petrum Proſt. 1634. in fol.

Poſt hæc edidit

De Naturali Animarum origine Invectivam adverſus Danielem Sennertum; Bruxellis, 1640. in 4. Diſplicuerant Sennerto quædam ex priore Librô illô de Generationis principiis, quorum in opere ſuô *de Hypomnematibus Phyſicis* meminerat.

Extat nuncupatus Johanni noſtro, Æmilii Pariſani Romani De Principiis generationis, aliàs Tractatus in Exercitationum ejuſdem de ſubtilitate part. III. Venetiis, 1638. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T.* I. *p.* 530.

GALLEGUS (*Antoninus*,) Panormitanus, Philoſophus, ac Medicus Doctor: ab eruditione & doctrina laudatus.

Edidit

Orationem habitam in funere Artium, & Medicinæ Doctoris D. Gerardi Natalis, cùm parentalia perſolverentur, in ſalutari Jatrophyſicorum Academiâ Panormitanâ, de tantô fundatore benè optimèque promeritâ. Panormi, typis Dominici de Anſelinô 1667. in 4. *Anton. Mongitor. Bibl. Sicul. T. j. pag.* 47.

GALLINA (*Franciſcus*,) è Carmagnoliâ Pedemontanus, Med. Doct.

De eô extat

Opuſculum de Balneis Minadii & Valderii. Taurini 1575. Piſanelli præterea Tractatum de Alimentis auxit, & annotationibus illuſtravit.

GALLUCCIUS (*Carolus*,) Meſſanenſis, Joſephi Galluci mercatoris Calabri ex familiâ Neapolitanâ filius, in lucem editus eſt 24. Januarii 1633. Literarum ſtudiis deditus, Medicinæ lauream accepit Meſſanæ annô 1656. & inter Meſſanenſis Collegii Medicos recenſitus effulſit. Vivit nunc doctrinâ clarus, ac apud doctos magna æſtimatione eminet.

Edidit

Medicinam completam ad Galeniſtarum mentem, in duos diviſam Tomos, in primam totam continentem Theoricam, partemque Praxis, & in ſecundam totam habentem praxim. Tomum primum, Meſſanæ, typis Vincentii de Amicô 1705. in 4. *Anton Mong. Bibl. Sicul. T. j. pag.* 124.

GALLUCIUS (*Joh. Paulus*,) Saloenſis.

De eô extat

De Temporibus ad medendum accommodatis. Extat cum Joh. Hasfurtô de cognoſcendis & medendis morbis ex corporum cœleſtium poſitione: cui Argumenta & Explicationem inſcripſit. Venetiis, apud Damianum Zenarium, 1548. in 4.

GALLUS (*Andreas*,) Tridentinus, Invict. Rom. Imper. P. M. Ferdinandi, Sereniſſimorumque Archiducum Auſtriæ Archiater ac Conſiliar.

Ex eô habentur

Faſcis de Peſte, & Peripneumoniâ peſtilentiali, cum ſputô ſanguinis, febre peſtilentiali, ac de quibuſdam ſymptomatis, in quinque faſciculos digeſtus. Brixiæ, apud Johan. Bapt. Bozolam, 1565. in fol.

Faſcis Aureus, de Peſte ac Febre Peſtilentiali, quâ ejus venenum atrociſſimum per præcautionem ac curationem partim eradicatur, partim demitur; tum varia earum ſymptomata reſecantur. Francof. apud Johan. Saurium, 1606. in 8.

Homo afflictus & jacens; in quem aſtra, elementa, meteora, impreſſioneſque meteorologicæ, quales ſunt Aër corruptus, Aquæ ſubterraneæ, &c. quin etiam ipſiuſmet proprii corporis humores vitiati, conſpirant, mugiunt, ſæviunt, funeſtamque important Peſtem; divinô prævió auxiliô atque gratiâ, ſublevatur, Venenumque Peſtis atrociſſimum præcavetur, curatur, eradicatur, variaque ejus ſymptomata reſecantur. Francof. apud Egenolphum Emmelium, 1608. in 8.

Conſilia Medica. Extant eô in opere Conſiliorum quod Laurentius Scholzius edidit, Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol.

GALLUS (*Antonius*,)

De eô extant

De Lignô ſanctô non permiſcendô. Idem in imperitos fucatoſque Medicos. Pariſiis, apud Simonem Colineum, 1540. in 8.

De Arthritide, Conſilia quædam. Extant eô in opere, quod Henricus Garetius edidit Francof. apud Joh. Wechelum & Petr. Fiſcherum, 1592. in 8.

GALLUS (*Arragoſius*,)

Ex eô habetur

Epiſtola inſignis Medica. Extat eô in opere quod Laurentius Scholzius edidit Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. pag. 67.

GALLUS (*Auguſtinus*,) Breſcianus.

De eô extat

De Agriculturâ Italicâ. Venetiis, 1569. in 4.

GALLUS (*Carolus*,)

Ex eô habetur

De Febribus peſtilentibus & malignis, Tractatus bipartitus. Ferrariæ, apud Caſp. Bandonum, 1600. in 4.

GALLUS (*Marbodeus*,) Cenomanenſis.

Ex eô extat

De Gemmarum, Lapidumque pretioſorum formis, naturis, atque viribus, Opuſculum, Scholiis illuſtratum per Alardum Amſtelredamum. Coloniæ, apud Heronem Alopecium, 1539. in 8.

GALLUS (*Paſchalis*,) Villæfanenſis Picto.

De eô extat

Bibliotheca Medica, ſive, Catalogus illorum, qui ex profeſſô Artem Medicam in hunc uſque annum ſcriptis illuſtrârunt; nempè quid ſcripſerint, ubi, quâ formâ, quôve tempore ſcripta, excuſa, aut mſ. habeantur. Baſileæ, apud Conr. Wald-

Waldkirch, 1590. in 8. In hâc Bibliothecâ Medicâ etiam continetur Catalogus illorum, qui ſpeciatim & ex profeſſô hucuſque ſcripſerunt in Medicinâ aliquid ſermone Gallicô: In Medicinâ aliquid idiomate Germanicô: In Hippocratem: In Aphoriſmos Hippocratis: In Galenum: In Avicennam; In Dioſcoridem: De re Chirurgicâ: de re Anatomicâ: de re Herbariâ: Pharmacopœas, Practicas Medendi vulgo dictas; Conſilia medica; De Peſte; de lue Venereâ.

GALLUS (*Strabus*,) Vixit Circa A. C. 1163. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extat

Hortulus Vernantiſſimus, Scholiis Johannis Atrociani illuſtratus. Extat cum Æmilii Macri de Herbarum Virtutibus librô, Baſileæ, apud Joh. Fabrum Emmeum, 1627. in 8. Venetiis, apud Aldum, 1547. in fol. cum Medicis Antiquis, pag. 247.

GANIVETUS (*Johannes*)

De eô extat

Amicus Medicorum, continens differentias, I. de numerô Cœleſtium Orbium, &c. II. de diſtinctione Zodiaci, &c. III. de Inquiſitione Epidemiorum, & Mortis. IV. de modis conſervandi ſanitatem & obviandi ægritudinibus. Cui acceſſerunt Opuſculum: Cœli enarrant: Liber Abrahami Aben-Ezræ de Diebus Criticis. Directorium de Figurâ Cœli in Amicum Medicorum: Et Aſtronomia Hippocratis. Omnia primùm à Gondiſalvô Toledô emiſſa &c. Francof. apud Jacobum Fiſcherum, 1614. in 12. Lugduni, apud Joh. Trechſel, 1596. in 4. apud Johan. Clein, 1508. in 4.

GANTIUS (*Johan. Ludovicus*)

Ex eô habentur

Corallorum Hiſtoria. Quâ mirabilis eorum ortus, locus natalis, varia genera, præparationes chymicæ quamplurimæ, vires eximiæ, proponuntur. Francofurti, apud Lucam Jenniſium, 1630. 1638. in 8. Ibidem, apud Hermannum à Sande, 1669. in 8. & in 12. Hæc Editio ex variis Authoribus aucta eſt.

Hippocratis Aphoriſmi Carminicè. Viennæ, 1622. Argentorati, 1624. in 12.

GARANCIERS (*Theophilus de*,)

Ex eo habetur

Flagellum Angliæ, ſeu, Tabes Anglica, numeris omnibus abſoluta. Londini, apud Withakerum, 1647. in 12.

GARBO (*Dinus de*,) Italus, Florentinus, cui ob excellentem modum exponendi Galenum, & Avicennam, expoſitoris nomen conceſſum fuit, Brunonis del Garbo, Chirurgiæ peritiſſimi filius, Thaddæi Florentini, Medici clariſſimi diſcipulus, Medicus itaquè atque Philoſophus Dinus diſertiſſimus, & omnium ſuô tempore ſermone celebratus vixit; ac Pontificiæ Valetudinis, Johannis ſcilicet XXI. dicti XXII. conſpicuus moderator enituit: Summuſque Pontifex non mediocriter Dinum dilexit, multiſque honoribus auxit, ac divitiis apprimè munivit. Bononiæ Medicinæ Profeſſor fuit: Claruit ſecundum Trithemium, annô Chriſti 1300, ſub Alberto I. Auſtriaco, & Roberto Siciliæ Rege: ſecundum alios, A.C. 1343. ſub Ludovico Bavaro. Obiit Bononiæ, circa A. C. 1360.

Ex eô habentur in Lindeniô renovatô.

De Cœna, & Prandiô epiſtola. Extat cum Andr. Turini Operibus. Romæ, apud Hieronymum de Cartulariis, 1545. in fol.

Recollectiones in Hippocratem de naturâ fœtus. Venetiis, apud Octavium Scotum, 1502. in fol. cum aliis ejuſdem argumenti Libris.

Chirurgiam, cum Tractatû ejuſdem de Ponderibus & Menſuris: necnon de Emplaſtris, & Unguentis. Ferrariæ, apud Andr. Gallicum, 1485. in fol. Venetiis, apud Lucam Antonium Juntam. 1536. in fol.

Enarrationem Cantionis Guidonis de Cavalcantibus, de naturâ & motû Amoris. Venetiis, in fol.

Super 4. Fen. primi Avicennæ præclariſſima Commentaria, quæ Dilucidatorium totiûs Practicæ Generalis Medicinalis ſcientiæ nuncupatur. Venetiis, 1514. in fol.

Expoſitionem ſuper Canones generales de virtutibus Medicamentorum ſimplicium ſecundi Canonis Avicennæ. Venetiis, 1514. in fol.

Videndi pariter ſunt de Dinô tractantes Jacobus Gaddius, Tom. I de ſcriptoribus pag. 166. Johannes Tritemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, pag. mihi 117. Jacobus Philippus Bergomenſis in ſupplem. Cronic. Lib. 13. pag. mihi 329. à tergo. Andreas Tiraquellus in Nomenclatura Medicorum per Alphabetum, pag. mihi 130. à tergô. Auguſtinus Oldoinus in Additione Ciaconiana ad Johannem XXI. Pont. Max. Tom. 2. col. 406. Johannes Tarcagnota in Hiſtoriis, par. 4. Lib. quinquageſimô ſextô, pag. mihi 185. à tergo. Johannes Andreas Quenſtedt, in Dialogo de Patriis illuſtrium doctrinâ, & ſcriptis virorum, pag. 312. Gerardus Johannes Voſſius in vol. de ſcientiis Mathematicis, pag. 422. Scipio Ammiratus, par. I. tom. I. lib. 7. p. mihi 342. Hiſtoriarum Florentinarum, & par. I. tom. 2. lib. 13. pag 663.

GARBO (*Thomas de*,) Dini filius, Medicus acutiſſimus quoque floruit, egregiè laudatus, qui elaboravit Summam Medicinalem. Expoſitionem ſuper Capitulô de Generatione Embryonis 3. Canonis Fen 25. Avicennæ. De reductione Medicamentorum ad actum, & de gradibus eorumdem. Commentaria in libros Galeni de Febrium differentiis &c. *Mandoſius in vitis Archiatror. Pontifical.*

Explicatius de ejuſdem operibus hæc habentur in Lindeniô Renovatô.

Summa Medicinalis. Cui accedunt Tractatus duo: I. de reſtauratione Humidi radicalis: II. de Reductione Medicinarum ad actum. Venetiis, 1521. in fol. Lugd. apud Jacob. Giuntam, 1529. in fol.

Expoſitio ſuper Capitulô de Generatione Embryonis III. Canonis Fen XXV. Avicennæ. Vener. apud Octav. Scotum, 1502. in fol. cum Dini Patris ſui, & Jac. de Foroliviô utriuſque ſuper eôdem argumentô Commentariis.

De Reductione Medicamentorum ad actum & de gradibus eorumdem, Tractatus. Extat cum Libellis de Doſibus. Patavii, apud Gratioſum Perchacinum, 1556. in 8. ap. Paul. Mejettum, 1579. in 4. Lugd. apud Joh. Mareſchallum, 1584. in 8.

Commentaria in Libros Galeni de Febrium differentiis, cum Textûs Galeni, ſeu, Commentariorum Annotatione, ſecundum Nicol. Leoniceni & antiquam Traductionem. Pariſ. in 4.

GARCIAS Carrero (*Petrus*,) Vid. CARRERO (*Petrus Garcias*)

GARDINIUS (*Ludovicus*,)

Ex

Ex eô habentur

Medicamenta purgantia, ſimplicia & compoſita, ſelecta, uſitata, & ſufficientia. Acceſſit ejuſdem Remedium erroris in Ponderibus Medicis. Duaci, apud Petrum Auroy, 1631. in 12.

Hortenſii Manuductio, per omnes Medicinæ partes, ſeu, Inſtitutiones Medicinæ. Duaci, apud Petrum Auroy, 1626, in 8.

Hortenſii Manuductio ad Pathologiam, ſeu, Inſtitutionum Medicinæ Pars altera. Duaci, apud eundem 1626. in 8.

Contra Peſtem, ſive, de Peſtis naturâ, cauſis, ſignis, prognoſticis, & curatione, Epitome medica, per Concluſiones diſtributa, & ab Authore recognita. Acceſſit ejuſdem remedium erroris in Ponderibus Medicis. Duaci, apud eundem, 1631. in 12.

De Animatione Fœtus, Quæſtio. In qua oſtenditur quod anima rationalis ante organizationem non infundatur. Duaci, apud eundem, 1623. in 8.

Anima rationalis reſtituta in integrum, ſive, altera Refutatio opinionis, quæ ſibi perſuadet, animam rationalem ante omnem organizationem infundi in ſemen. Duaci, apud eundem, 1629. in 8.

Circumſtantiæ & tempora de variis Venis, Pleuritidis ratione ſecandis, inter varios Medicinæ proceres litem dirimentia. Duaci, ap. Vid. Petri Auroy, 1632. in 4. Eſt in fine ejuſdem Anticharis ad Analyſin cujuſdam.

Inſtitutionum Medicinæ Liber tertius, ſive, ſubſidiaria Medicina, vel, de Rebus non naturalibus. Opus poſthumum, operâ & ſtudiô Jacobi Briffault, Medici Duacenſis, nunc primùm editum. Ibidem, 1638. in 4.

Remedium erroris. Duaci, 1630. in 12.

GARDINUS (*Hieronymus*,)

De eô extant

In Hippocratis de Aëre, Aquis, & Locis opus, Commentarii, quibus & alia antea non impreſſa accedunt. Baſileæ, 1570. in fol.

GARETIUS (*Henricus*,) Lovanienſis.

Ex eô habentur

De Arthritidis Præſervatione & curatione, Clarorum doctiſſimorumque noſtræ ætatis Medicorum Conſilia. Francof. apud Joh. Wechelum. 1592. in 8.

GARIOPONTUS, Africanus Medicus vetuſtus. Cujus ſcripta ſub nomine Paſſionarii Galeni, annô C. 1516. ſunt in lucem emiſſa. Ipſe quô tempore vixerit, certò non conſtat. Renat. Moreau de V. S. in Pleurit.

De eô extant

De Morborum cauſis, accidentibus, & curationibus libri octo. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1531 in 4. 1536. in 8. Lugduni apud Blanchardum, 1516. 1526. in 4. titulô: Paſſionarius Galeni de Ægritudinibus à capite ad pedes.

De Febribus Liber. Extat Operis Veneti de Febribus p. 187.

GARLANDIUS (*Johannes*,) Anglus.

De eô extat

Compendium Alchymiæ, cum Dictionariô ejuſdẽ artis & de Metallorum tinctura, præparationeque eorundem Libellô. Adjecta eſt ejuſdem Compendii per Arnoldum de Villanovâ explicatio. Cum Tractatu de Salium Aluminumque varietate, compoſitione & uſu, ſcriptoris incerti. Baſileæ, apud Baſilium Johan. Heróld. 1560. in 8.

GARMANNUS (*Chriſtianus Fridericus*,) Martisburgenſis, Medicus R.E.S. Provinc. Chemnicenſis, Academicus Curioſus.

De eô habentur in Lind. Renovatô.

De Miraculis Mortuorum. Lipſiæ, apud Chriſtianum Kirchnerum, 1670. in 4. & apud Zimerman. an. 1709.

Diſcurſus Phyſico-Medicus, de Gemellis & Partû Numeroſiore. Lipſiæ, 1667. in 4.

De Plantis Monſtroſis.

Homo ex ovô. Chemnitii, 1672. in 4.

Obſervatio, de Muſcô terreſtri. Extat Ephemer. Acad. Nat. Cur. Germ. An. I. *nu.* 97.

De Horrore à Vermibus. Ibid. Ann. eôd. num. 104.

De Araneis, quòd aëre nutriantur. Ibid. Ann. eodem, N. 120.

De Aranearum cum bombyce antipathiâ. Ibid. An. eôd. N. 121.

De Bombycum nutrimentô. Ibid. An. eôd. N. 122.

De Serpentum & Bofonum antipathiâ. Ibid. Ann. eôd. N. 137.

De ſcolopendræ luce innatâ. Ibid. Ann. eôd. N. 138.

De Pallitiei nocumentis. Ibidem Annô eôd. N. 139.

De ovô inſolitæ figuræ. Ibid. An. eôd. N. 140.

De præſagio mortis ab odore. Ibid. A. eôd. N. 144.

De Vermibus inteſtina perforantibus, reſtitutô ægrô. Ibid. Ann. eôd. N. 145.

De Variarum rerum excretione. Ibid. Ann. eôd. N. 147.

Continens experimenta de Mercuriô. Ibid. Ann. eôd. N. 148.

De Aceti & acidorum uſû nimiô fœtui noxiô. Ibid. Ann. II. *N.* 149.

De Terrore, Tertianæ & Quartanæ remediô. Ibid. Ann. eôd. N. 150.

De Impotentiâ ex frigore. Ibid. Ann. III. *N.* 41.

De mentulâ ex Capite. Ibid. Ann. eôd. N. 42.

De Tophis ſub linguâ. Ibid. Ann. eôd. N. 43.

De Nephritide ſpuriâ ſcorbuticâ. Ibid. Ann. eôd. N. 44.

De ſingulari vi imaginationis & certâ quâdam Idioſyncraſiâ. Ibid. Ann. eôd. N. 201.

De Extracti Colocynthidos uſu. Ibid. Ann. eôd. N. 202.

De ſingularibus quibuſdam in variolis & morbillis Epidemiis. Ibid. Ann. eôd. N. 203. *& in Ann.* IV. *&* V. *Analectis ad eam.*

De Varicis apertione periculoſâ. Ibid. Ann. eôd. N. 204.

De Hæmorrhoidibus in fœminis. Ibid. Ann. IV. *&* V. *In analectis ad Ann.* III. *Obſer.* 22.

De Mictû fungorum. Ibid. Ann. VI. *&* VII. *N.* 81.

De ſuffocatione ſubmerſorum. Ibid. Ann. eôd. N. 89.

De variis fungis fungoſiſque excreſcentiis. Ibid. Ann. eôd. N. 174.

De Aſcitæ peculiari ſymptomate. Ibid. Ann. VIII. *N.* 27. *unâ cum ſcholiô ad eam.*

De fungis Microcoſmicis. Ibid. Ann. IX. *&* X. *N.* 63.

De ſene plusquàm nonagenariô dentiente. Ibid. Ann. eôd. N. 171.

De eôdem prætereà extant in Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. *Ann.* 3.

Obſervatiô 114. *De Vulnere cordis non ſtatim lethali.*

Ruſticus quidam ætatis conſiſtentis, Andreas Roſcher, inter pocula cultrô oblongô & acutô Annô 1682. D. 15. Octobr. horâ ſextâ veſpertinâ punctim in thoracis latere dextrô vulneratur. Culter per ſterni cartilaginem, ubi coſtæ quintæ venæ junguntur mediaſtinum, pericardium ad dextri ventriculi cordis cavitatem uſque penetraret;

penetraret; & cordi atteſtante id poſt mortem ſectione, tres digitos tranſverſos ſupra mucronem vulnuſculum hujus——Longitudinis inflixerat. Accerſitus ad vulneratum temulentum, eundem vomitibus crebris, lipothymiis, cum ſudore frigidô correptum invenio, & vulnus multum ſanguinis & humoris lymphathici, qualis in pericardiô fluctuat, eructaſſe conſpicio. Vulnere decentèr deligato, & adhibitis medicamentis, vomitus, lipothymiæ & ſudor frigidus ceſſabant, noctem tamen agebat inſomnem. Sequentibus diebus meliùs habere videbatur, cibum appetebat, ſpiritum liberè ducebat, & pulſû adhùc parùm immutatô, aliquotiès in hypocauſtô deambulabat. Dolor externus ſterni maximè ipſum affligebat, in cavitate verò thoracis nullum ſe ſentire dolorem totiès rogatus aſſeverabat. Anxietatibus Cordis intermittentibus & vigiliis continuis tentabatur, & ſicubi forſan ſe ſomnô dare conſtituerat, variis imaginibus, & phantaſiis miris ſomnum increpantibus exercebatur. Per vulnus nil puris, multum verò fluidi ſanguinis quotidiè egerebat, ut & per alvum & veſicam. Die 21. D. M. circa noctem mediam doloribus capitis, anxietatibuſque cordis, reſpiratione difficili & inſigni virium languore, & pulsû inæquali, ſubſequente V. die deliriô miti abſque febre corripiebatur, & circa 10. veſpertinam placidè expirabat.

Apertô thorace in ejus cavitate dextrâ, magna ſanguinis fluidi, non congrumati aut purulenti, cum humore pericardii mixti copia, in cordis verò thalamis & vaſis eorumdem majoribus nè gutta quidem ſanguinis in conſpectum veniebat, cadaver rigebat, purpureis vibicibus ubiquè notatum.

Similes hiſtoriæ, quibus poſt acceptum vulnus cordis etiam ad quartum decimum diem adhùc inter vivos extitiſſe vulnerati notantur, apud Obſervationum Medicarum ſcriptores paſſim proſtant; in quibus hæc deſidero, quòd poſt inflicta vulnera, ſymptomatibus neglectis, in ſolô computô dierum & horarum occupati fuerint. Hi ſi in ſymptomatis recenſendis majorem curioſitatem exercuiſſent, hiſtoriam cordis, me judice, multùm illuſtrare potuiſſent.

Ibidem, Anno 8. *Obſervatio* 151. *De Raucedinis diuturnæ causâ abditâ.*

Ibid. Annô eod. Obſervatio 152. *A menſium ſuppreſſione triduana ſternutatio.*

Ibid. Annô eôd. Obſervatio 153. *A calculô veſicæ involuntaria urinæ excretio.*

Ibidem Annô eôd. Obſervatio 157. *De Muſculô vomitû rejectô.*

HOminem inde etiam nomen Microcoſmi accepiſſe, quidam ſuſpicantur, quòd, quæ Macrocoſmo inſunt, non rarò in eôdem deprehendantur. Lumbricorum & Aſcaridum patria ſunt Inteſtina, pediculorum caput & in Phtiriaſi totum corpus, alias partes alia ſibi vendicant inſecta. Cimices in fœminæ calvaria intra meninges natos, vidit Corn. Gemma Lib. 2. Coſmocrit. C. 4. pag. 241. Scorpiones in homine naſci poſſe aſtruit P. 1. Faber L. 3. Panchym. C. 2. pag. 470. quos & ex crebrô, ut putat, ocymi olfactû in Itali cerebrô genitos recenſuit Hollerius, Lib. 1. de morb. int. C. 1. p. 3. depinxit Paræus, l. 19. cap. 3. p. 474. Vermem bombyci ſimilem puella quædam per nares rejecit teſte Hertodiô Dec. 1. M. C. Obſ. 147. p. 343. Bruchum ſiliquæ carneæ incluſum vomitû quidam, Scarabæum alius apud Foreſtum l. 18. Obſ. Med. 19. p. 161. De vomitû rejectis araneis Borellus Cent. 3. Obſ. 19. p. 212. de Erucis Phil. Jac. *Schonfelder* C. 1. hiſt. 2. p. 6. quas & è locellis fœminæ prodiiſſe ſcripſit Solenander ſ. 5. Conſil. Med. 14. p. 488. & ex auribus & inteſtinis Phil. Salmuth Cent. 2. Obſ. 39. p. 77. & Obſ. 51. p. 87. De ſerpentibus, viperis, lacertis, ſalamandris, hyrudinibus, bufonibus, ranis per ſuperius & inferius guttur excretis hiſtorias offerre ſuperſedeo, cùm quòd res notiſſima ſit, tum quòd locus eorundem natalis corpus noſtrum non reputetur à multis, eò quod ſperma eorundem hauſtum, aut ipſa animalcula adhuc teneriora cum aquâ, aut per ſe dormientibus per os apertum in ventriculi cavitatem ſubire potuerint. Cæterum Millepedes cum urinâ emiſſos narrat iterum Salmuth. C. 1. Obſ. 49. pag. 32. Olig. Jacobæus apud Thom. Bartholin. V. 5. Act. Hafn. Obſ. 105. pag. 476. cum crepitû ventris Kozak lib. 2. de Hæmorrhag. C. 6. pag. 491. Scarabæi ſolares è figuli alvô prodierunt ap. Timæum à Güldenklee l. 3. Caſ. Med. 20. p. 170. Limaces etiam apud Binning. Cent. 5. Obſ. Med. 63. pag. 563. & Henr. ab Heer Obſ. 13. p. 173. Philoxenus, allegante Franciſcô Peccetiô l. 1. Chirurg. C. 25. p. 127. dixit, ſe aliquando reperiſſe in Atheromatum humore animalia culicibus & parvis muſcis ſimilia. Sed & Neptuniis regnis dicata pecora in humano corpore aliquando fluctuare, ſcimus. De Anguilla è Corn. Gemma l. 2. Coſmocrit. C. 2. p. 75. & C. 4. pag. 200. & 215. res nota, de fundulô vomitû rejectô Segeri obſervatio Dec. 1. M. C. A. 3. Obſ. 227. p. 415. legi meretur. De verme cancro ſimili evolvatur Rhodius, Cent. 3. Obſ. 66. p. 156. Sed nec deſunt animalia terreſtria alia perfecta multis vocata. Legimus Catos & muſtelas in hominis ſtomachô prognatas; item anſeres in uterô cujuſdam fœminæ generatos ſcribit Hirnhaim Typh. gen. human. Cap. 9. n. 5. p. 101. Quandam muſtelam viventem vomitû exturbaſſe ex Ariſtotele non nemo narrat, locum tamen non addens, nec fortè reperiet, ſi rectè memini, quiſpiam. Forſan legit, muſtelam ore parere, Ariſtotelem tradidiſſe, ſed id quoque falſo. Nuſquam enim in Ariſtotele hoc quiſpiam inveniet, benè verò l. 3. de Gen. animal. C. 6. advertet curioſus Ariſtotelem id inter errores recenſere. Prætereà cati ex ore mulieris prognati Sceleton monſtravit D. Valentinô Andreæ Möllenbroccio, & Joh. Fried. Bilgero Medicus Freibergenſis D. Tobias Matthæi, qui iiſdem narravit, ſibi fuiſſe anſerculum vivum ex uterô mulieris cujuſdam progreſſum, quem Dreſdam Sereniſſimo Electori Saxoniæ miſerat. Vid. Dec. 1. M. C. Ann. 1. Obſ. 109. pag. 251. Catulos duos albos, vivos, repentes, & nondùm videntes ſartor Hannoveranus A. 1580. evomuit, quod ex Meibomio Cynographiæ ſuæ inſeruit S. 1. C. 3. S. 58. p. 66. Noſter Paullinius. Add. Zeiler. Cent. 3. Epiſt. 92. p. m. 860. Camerar. Cent. 3. n. 63. p. m. 1560. De fœtû caninô per alvum excretô Carol. Rayer Dec. 1. M. C. A. 8. Obſ. 58. p. 98. Cum Annô 1687. apud nos fama percrebuiſſet, Juſtinam Michaëlis *Schüppels* in pagô Claſſenbach uxorem, Murem vivum evomuiſſe, illicò ad juſtitiæ Præfectum illius loci famam detuli, & petii, ùt me præſente in hujus caſus certitudinem inquireret: Aſſurgebat vir juris peritiſſimus, mihique amicus, in cujus & meâ præſentiâ prædicta Juſtina ſanctè affirmavit ſe ſanam feſtô Aſcen-

ſionis Dominicae matutina ſacra adiiſſe, iiſque peractis ſitim ingentem ſenſiſſe. Sumptô prandiô, horâ 4. pomeridianâ horrore percutitur quem inſequuntur nauſea, & enormia ventris tormina, & hæc vomitus aliquot, donec tandem magnô conatû muſculum vivum, ſed debilem vomitû expulit. Vixit muſculus tumidô abdomine horas XXVIII. & tandem urinâ excretâ moritur. Deferre juſſit inſolitum hunc ventriculi partum, ad in viciniâ habitantem Ruſticum Medicaſtrum, qui egregiam & lepidam, ſi Diis placet, rationem protulit: *Sie hätte etwan ſolchen* (*Mäuſe*) *Schmauchmit hinein geſoffen*,) muſculumque in fimetô abſcondit. Durârunt poſt excretum hoc animalculum per aliquot dies adhùc ventris tormina, ità ùt quotiès ſe erigeret, lipothymiâ corriperetur, tandem remanente levi ſaltem ventriculi nauſeâ convaluit. Rara putabitur multis hæc obſervatio, ſed huic gemellas obſervationum ſcriptores literis mandârunt. Vidit in quâdam obſeſſâ puellâ Dæmonem ſub ſummâ cute muris figurâ variè diſcurrentem Peucerus de divinat. gener. p. m. 258. Sed hæc hiſtoria ſcopum noſtrum non ferit, uti nec illa quandô Platerus tr. 3. Med. Prax. L. 2. Cap. 16. p. 1023. in ſinum uteri murem aliquouſquè penetrâſſe ſibi relatum narrat. Animalcula muribus ſive ſoricibus ſimilia è mulieris corpore exemta recenſet Lemnius L. 2. de occult. nat. mir. C. 40. p. 237. Quinque mures à muliere unô partû excluſos memorat Salmuth Cent. 1. Obſerv. 62. pag. 40. Mures aliquotiès edidiſſe fœminam Borellus Cent. 3. Obſ. 73. pag. 254. & Cent. 4. Obſerv. 100. pag. 253. collegit, & allegat quædam Caſp. à Rejes Camp. Elyſ. quæſt. 56. pag. 432. Muris domeſtici à muliere non ſine maximô conatû & dolore cum fecibus alvinis ann. 1662.d. 25. Maii excreti hiſtoriam notavit Noſter Bauſchius Schediaſm. D.cœrul.procœm. pag.23. Quis jam generationis modum quô in corpore humanô proveniunt ejuſmodi animalia, explicabit? Generationis æquivocæ, aut, ut eandem vocabat tr. Imago ferment. imprægn. maſſam ſem. num. 30. pag. 92. anomalæ Patroni in & è ſinû putredinis eadem generari & naſci profitentur. Et hæc eſt Ariſtotelicorum ſententia, quam etiam ex Chymicis ſequi videtur Baſilius Valentin. de L. P. Clav. 8. p. m. 96. Mures autem è putredine limi & aquæ Niloticæ facilè provenire jam olim Plinius L. 9. C. 58. ſcripſit. Ex boum ſtercore mures natos, teſte Kircherô, L. 12. M. S. L. 1. C. 10. pag. 372. Scaliger in Theophraſt. ſe obſervâſſe ſcripſit. Et ex hôc & ſale marinô murium proventum in navibus quidam derivant. Vid. Rejes qu. 41. num. 15. pag. 499. Quiſquiliis eoſdem ortum ſuum debere aliquando *le Grand* pag. 8. Hiſt. Nat. art. 1. n. 2. pag. 353. autor eſt. Et quid experimentô Helmontianô, C. l. num. 9. clariùs, ubi è frumentô & induſiô ſordidô putrefactis mures non quidem parvulos, aut lactantes, nec minutulos aut abortivos, ſed prorſus formatos exilire tradidit. Hanc ipſam verò generationem anomalam cùm adverſentur & rideant moderni, quibuſve magnus non eſt Ariſtoteles, pro quô totis viribus ſed parùm feliciter pugnavit Licetus, omnia generabilia ex ſuis ſeminibus & ovis prodire, rigidè decreverunt. Et ſanè illud decretum quamvis & Naturæ & veritati ſatis conforme videatur, tale tamen non eſt, ùt multis non prematur difficultatibus. Dicunt ab Inſectis ovula fructibus, etiam eorum floribus, ſaccharo, conditis, pultibus, lacti, caſeo, pani & carni inſinuari, quæ ingeſta à calore noſtrô foventur, & animalcula ſive vermes ex iiſdem excluduntur. Sed cur non iſta ſemina maſticatione, ciborum in ventriculô & inteſtinis diſſolutione, variâque alteratione peſſundantur, viſque πλαςικὴ & Idea in illis latens alteratur & perit? Cur non tanquàm heterogenea unà cum excrementis aut ovula dicta, aut eorum producta ex Inteſtinis exturbantur? Undè, ut hoc addam, & ex quâ inſectorum ſpecie lumbrici inteſtinales teretes? an ex lumbricorum terreſtrium ovis deglutitis? ſed nec hi illa ingerendis commode miſcere poſſunt, nec terræ qui debent hoſpitium inteſtinalium formam & figuram obtinent. Nec inſecta, qualia muſcæ, ovô è quô lumbrici excludi poſſint exponendo a Naturâ deſtinata multumque à termitibus & qui in Pomis, Pyris, & aliis fructibus naſcuntur, vermibus, figurâ & magnitudine diſtant. Joachimi Vorſtii, aut Fortii, prout Jonſtonô Cl. 8. Thaumatogr. Nat. C. 24. Art. 3. p. 375. appellatur, experimentum, quod lib. 6. de Inſect. cap. 4. recitat Aldrovandus de verme Corylino lacte nutritô & in ſerpentem mutatô, quis non fabulam reputet, cùm nullum animal deſtinatæ ſuæ figuræ & magnitudinis fines excedat? Nec lumbrici iſti poſt aliquot mutationes in Inſecta Volatilia faceſſunt, & quamvis rationem, cur id non fiat, dare nitatur Steph. Blancard. Theatr. Eruc. in Append. p. 176. parùm tamen ea ad rem facit. Quid ſi de cucurbitinis & lumbricô latô (an hi differant necnè, non diſputo in cane olim cucurbitinos ſeparatos, perfectos, & à particulis lati multùm diſtantes inveni, quod etiam Exc. noſter Harderus Apiar. Obſ. 98. p. 370. obſervavit) ſermo habeatur, quibus inſectis illi ſuam debebunt originem? unde demùm monſtroſi vermes? quorum hiſtorias Wierus l. 3. de præſt. Dæmon. C. 15. p. m. 430. Fr. Ranchin. tr. de morb. pueror. S. 2. C. 6. pag. 326. & 332. Helmont. de inject. mater. num. 6. pag. 476. cum aliis pandunt. Quas cauſas agnoſcent in Embryonibus nondùm natis inteſtinorum ſpiris inquilini vermiculi? Ranarum ſpermate deglutitô, ranas in corpore animali excludi poſſe non inficior, cùm amphibiæ ſint, de muſcarum autem & aliorum Inſectorum ovis, id, utut modò dicta non obſtent, affirmare non auſim, cum continua humiditas ejuſmodi Inſectorum & Vermium generationi non faveat. Quis incautus cutem deglutiet ova ſerpentum membrana, ut monile, quo mulieres collum ornant, ſecundum Ariſtotelem l. 5. Hiſt. Anat. C. 35. aut ut coronæ precariæ, quod placuit Harveo Exerc. 3. de gener. anim. p. m. 9. connexa, & id jam olim Sebizius apud Gregor. Horſt. l. 1. Epiſt. Med. S. 6. p. 412. monuit. Quomodò ova Murium malacoderma ingerendis miſcebuntur, illæſa à dentibus ventriculum ſubibunt? qui vaſa eorumdem vaſis ventriculi combinabuntur? an ſecundina poſt partum à ventriculô concoquetur? aut quorsùm abibit? Oſtracoderma tandem Anſerum & aliarum Avium ova, quæ gula deglutiet? quis ventriculus fovebit & exludet? Quis fabuloſo aut nimium credulo Phil. Salmutho fidem habebit fœtum per os fuiſſe rejectum? & ex his principiis concludet ovulum fœmininum maſculinô ſemine imprægnatum eandem abſorbuiſſe? Si de lumbricis inteſtinorum regeras, eos ex ovulis in ovariô aut uterô excluſis, (prout ſunt, qui gravidos & viviparos lumbricos annotârunt, inter quos Amat. Cent. 5. Cur. 46. Salmut. Cent. 3.

Obſ.

Obſ. 24. q. 122. Panarol. pent. 5. Obſ. 15. p. 151. Borell. Cent. I. Obſ. 89. p. 88. quod & olim Hippocrates l. 4. de morb. p. m. 71. de teretibus aſſeruit) aut ex ovulis expoſitis & mucô inteſtinorum, nè cum excrementorum amurcâ egerantur, implicatis, provenire, unde primi generabunturne cum homine in ejus ſemine latentes? Reperiuntur præterea in brutis, v. g. canibus & quod præteritô autumnô in porcis ex esû glandium notavi. In ſtercore gallinarum & columbarum vermiculos animadvertit Levenhoëck & contempl. Microſc. part. 2. pag. 20. & in Ranâ fœmininâ vermes ſimiles lumbricis infantum part. 1. p. 67. ſed nec illi in omnibus individuis nec ſemper reperiuntur. Ol. Borrichius Vol. IV. Act. Hafn. Obſ. 54. p. 157. videbatur in lumbricô ſibi per ventrem beſtiolæ tranſlucentem alias ſed minores videre, ſed apertô corpore fila illa albentia non vermes, ſed inteſtina eſſe deprehendebat. Et lumbricos in nobis abſque prolificatione contendit Helmont. tr. ſext. digeſt. alim. hum. n. 83. p. 180. Aſcarides autem parere ova non inficiatur, quod cur aſſerat, hariolô opus eſt. De ovulis in aëre volitantibus inviſibilibus, de quibus Theod. Craan. Diſſ. de Hom. C. 10. p. 83. & Cetis ſive balænimorphis animalibus in rubrô oceanô microcoſmicô notantibus Borellianis Cent. 3. Obſ. med. 4. p. 198. Paracelſi præterea, Helmontii & Carteſianorum, quomodò è putri ſemen & ex hôc verminoſa progenies educatur lib. 3. de Mirac. Mort. Tit. I. & Oolog. Curioſ. Diſſ. 2. fuſiùs egi, meamque expoſui Epicriſin. De Muſculô vomitu rejectô nihil habeo quòd dicam, niſi illud: Forsàn apertô ore dormienti mulierculæ in ventriculum deſcendit. Conjecturam fulcit quòd perfectè ſana vomitibuſque anteà nunquàm tentata ſubitaneas iſtas ventriculi & inteſtinorum ſenſit roſiones, & ab his poſt aliquot dierum ſpatium penitùs liberata, ſana adhùc degit.

Ibid. Annô 9. Decur. II. Obſervatio 212. De ſerâ Dentitione.

Ibidem Obſerv. 213. De Nimiô menſtruorum profluviô à terrore.

Ibid. Anno X. Obſervatio 185. De Rei deglutitæ per umbilicum excretione.

Deglutita aliquando non per inteſtina ocyùs exturbari, ſed moram in corpore agere ſatis diuturnam & per inſueta loca demùm expelli, Obſervationes Medicæ ſatis ſuperque loquuntur. Cumulum harum abundè ſuppeditant *Jo. Schenckius* Lib. III. Obſ. Med. p. m. 505. *Isbrand. à Diemerbrock* L. I. Anat. C. 17. p. 148. & *Cornel. Stalpart Vander Wiel* Cent. II. Obſ. 18. p. 200. ſeqq. qui res deglutitas v. g. aciculas, clavos, globulos plumbeos, fungorum particulas, ſemina & nucleos vegetabilium, per veſicam redditas commemorant. Addam his aliud exemplum raritate ſuâ citatis forſan ſuperiùs, & quod ab oblivionis injuriis vindicetur, non indignum. Matrona quædam apud noſtros pietate & reliquis virtutibus conſpicua, Viri plur. Reverendi Dn. M. A. S. amici, dum viveret, conjunctiſſimi conjux, dum in prandiô coctæ gallinæ alam comedit, & hujus extremitatem in ore tenens mandit & exſugit, oſſiculum triangulare in alæ extremitate conſtitutum ex improvisô deglutit. Terretur, ſibique incommodum inde futurum ominatur, ſed fruſtrà: Nihil indè mali, nec oſſiculum illud per aliquot dies in ſcybalis quæſitum comparet. Metû libera tandem omnem hujus memoriam & curam abjicit. Quid fit? Poſt tres menſes tuberculum furunculi inſtar, pruritum magis quàm dolorem acutum concitans ſuper umbilicum ſentit, quô apertô, oſſiculum illud incorruptum planè oculis intuentium ſe objicit, quod ſanctè aſſervabat, & curioſis ſubindè exponere ſolebat. Adeſte curioſi! mentis aciem hùc convertite Lyncei! & ingenii divitias & facultates explicate. Oedipô conjectore hic opus eſt, per quas vias è ventriculô aut inteſtinis ad corporis peripheriam oſſiculum illud tranſiit? ſingulare æquè & tantùm non prodigioſum eſt, quod recitat *Helmontius Tr. de inject. mat. ſ. 8. p. 477. Prægnantem*, ſcribit, *libido evaſit edendi conchylia nigra. Edit autem aliquot præcipitanter, ut & teſtas crudas bis tervè dente conciſas devoraret. Dein mox intra horam fœtum parit ſanum & adultum cum iiſdem ſemimanſis teſtis, & vulneratum in abdomine. Ergo teſtæ*, quærit Helmontius mecum, *abſque aperturâ membranarum ſtatim penetrarunt ſtomachum, uterum, & ſecundinas? Vel novæ teſtæ generatæ ſunt ſuper fœtum? Neque enim poſterius verum eſſe poteſt. Nam fuerunt vera fragmenta conchyliorum, non autem ad imitationem figuraliter æmulata.* Idem de oſſiculô. An igitur penetrationem demenſionum vindicabimus naturæ cum *Helmontio*, qui hanc l. C. & Tract. Progymn. Meteor. n. 39. pag. 57. eidem vernaculam demonſtrare fategit? ſed nec hæc omnes difficultates expediet, parumque ad rhombum facere multis videbitur. An ξύῤῥοια illa *Hippocratica* de quâ VI. Epidem. ſect. VI. text. I. lib. de aër. aq. & loc. & lib. de aliment. ex orco revocanda, quam multorum in arte paradoxorum matrem Tr. de hepat. defunct. p. 574. proclamavit *Th. Bartholinus*.

Ibid. Obſerv. 186. Non reſiſtere putredini Cadavera fulguritorum.

Ibidem Decur. III. A. 7. & 8. Obſerv. 66. De Hyoſcyamô Alterco.

Ibid. Obſerv. 136. de Tonitrû obſtetricante.

Ibid. Obſerv. 137. De locô ap. Plinium l. II. Cap. 37. Conjecturæ.

Ibid. Anno 9. & 10. Obſ. 56. De Epilepſiâ à terrore.

Ibid. Obſerv. 57. De Epilepſiâ à terrore diuturnâ & incurabili.

De eô etiam extant in Actis Lipſienſibus An. 1709. p. 125.

De Miraculis Mortuorum Libri tres, quibus præmiſſa Diſſertatio de Cadavere & Miraculis in genere. Opus Phyſico-Medicum, curioſis Obſervationibus, Experimentis, aliiſque rebus, quæ ad elegantiores literas ſpectant, exornatum; diu deſideratum & expetitum, beato Autoris obitû interveniente, editum à L. Immanuele Henrico Garmanno, Autoris Fil. Poliatro Sneebergenſi, cum Indicibus neceſſariis. Dreſdæ & Lipſiæ, ſumptibus Johannis Chriſtophori Zimmermanni, 1709. in 4.

Ante annos jam quadraginta ferè primum aſpexit lucem publicam *Garmanni de Miraculis Mortuorum* Tractatus, mancus tunc quidem, ac Librô ſecundô ac tertiô privatus, alphabeto unico, vix ac ne vix quidem conſtans; quem jam indefeſſo B. Autoris ſtudio & curis ſecundis mirum quantum auctum, primumque adeò ſpecimen pluſquam octies ſuperatum videmus. Notiſſimum quidem apud Medicos *Garmanni* nomen

men, ut pote quod jam ab illô tempore, quo Ephemerides Nat. Cur. Germ. inclaruerunt, clarum atque famigeratiſſimum fieri cœpit; neque enim ſolum Obſervationibus ſuis Medicis illam Curioſorum Academiam egregiè illuſtravit, ſed & primum ferè inter Academicos Germanos fœtum, ad mentem Nat. Curioſorum elaboratum, præſens noſtrum opus puta, edidit, quod & ſecundô primæ Decuriæ annô inſertum, præſentis quaſi prodromum, conſtat. Totum opus, uti jam apparet in publicô, poſthumum, ex Diſſertatione Procemiali bipartita, & tribus ipſius tractationis Libris componitur. Procemii ſectio prima, de *Cadavere* agit, ſecunda *de Miraculis in genere.* Libri primi ipſius tractationis undecim ſunt Tituli. I. *agit de Capillorum in cadaveribus augmento*, II. *de Naſi inſititii ſympathia*, III. *de Cadaveribus porcorum mandentium inſtar in cryptis feralibus ſonantibus*, IV. *de Faciei mutatione in cadaveribus*, V. *de miris quibuſdam circa Os & Faciem phœnomenis*, VI. *de Dentium ſingularibus*, VII. *de Cordis augmento & in igne duratione*, VIII. *de Abdominis rupturâ & viſcerum egeſtione*, IX. *de Partû Cadaverum*, X. *de Unguium, Cornuum & Oſſium incrementô*, XI. *de Penis in cadaveribus erectione.* Libri ſecundi, qui una cum tertiô & Diſſertatione Procemiali, huic novæ operis editioni acceſſit, decem ſunt Tituli. I. de Maculis Cadaverum, II. de Contagio, III. de Levitate & Gravitate, IV. de Frigiditate, Rigiditate, Caliditate ac Mollitie, V. de Motû, VI. de Sudôre aquoſô & cruentô, VII. de Cruentatione, VIII. de Fragrantiâ, IX. de Luce, X. de Spectris. Libri tertii ambitus quatuor abſolvitur Titulis, quorum I. de Cadaverum putredine, II. de Cadaverum incorruptibilitate & Mumiis, III. de Cadaverum Petrefactione, IV. de Cadaverum Reſurrectione ac Reſuſcitatione diſſerit. Agmen claudunt quatuor Indices, quorum I. Diſſertationes, II. Loca S. Scripturæ explicata, III. Autores, IV. Res memorabiles in genere ſiſtit. Hîc totius operis conſpectus. Modum tractandi quod attinet, miſcellaneam ſectatur doctrinam Cl. Auctor. Invenient Theologi, Jureconſulti, Politici, Oeconomi, Mechanici, Poëtæ, Autorum claſſicorum Interpretes, quod in uſum haud contemnendum convertere queant. Quamvis enim præcipuus Autori ſcopus ſit Naturæ mira in cadaveribus pandere phœnomena, eaque ad Phyſices & Medicæ Artis regulas ac trutinam expendere, ac perpetuis obſervationibus & parallelis hiſtoriis illuſtrare, non tamen perpetuo Artis hujus immoratur ſacris, ſed latius evagatur, atque indirectâ via lucem theſi fœnerari ſolet. Hinc tam frequentes Autorum citationes, ſtupendam librorum notitiam innuentes: hinc digreſſiones eo uſque extenſæ, ut ſæpiùs Medicum cum cadaveribus ſuis ac miraculis longiſſimè abeſſe, vel ecſtaſin pati exiſtimaveris. Unico Tituli cujuſdam ſummario pateſcere poteſt, quanta ſit Autoris in tractando ubertas. Exempli locô ſit Libri Secundi Titulus I. de Maculis Cadaverum inſcriptus, quâ occaſione diſſerit de Stigmatibus variis: de Signô Crucis, quô, Chriſtianorum veterum frontes notabantur: de Ignominiæ ac Servitutis notis ſervis quondam ac Chriſtianis inuſtis: de iiſdem æternæ captivitatis teſtimoniis apud Turcas: de Diabolô ſtigmatizante Magos: de Cauteriis Medicorum, Scarificatione & v. Sect. de Hominibus & Imaginibus fœtui inſcriptis; de Maculis in morbis, peſte, febre malignâ: de Maculis ſcorbuticis in morituris, inmortuis in peſte extinctis; de Signis peſte, violentâ morte, à venenis extinctorũ: de Cadaveribus venenatorum, an aperienda? de Corroſivis venenorum vices ſupplentibus; de Venenis vaſa Porcellana & ſtomachum maculantibus: de Venenis in corpore generabilibus: de Venenis inſpiratis: de erectis à vaporibus putridis: de Fulminatis; de Syncopticis, Apoplecticis & Epilepticis: de βλήτοις veterum: de Maculis ante mortem diſparentibus, poſt mortem iterùm apparentibus, & harum cauſis: de Crucibus in veſtimentis & cadaveribus: de Maculis embryonum naturalibus & Magicis: de Maculis ab Inſectis venenatis: de Maculis internis à plagis externis non ſemper conſpicuis: de Labiis vulnerum à morſibus venenatis: de capitis apertione non negligenda, ubi de plagâ inflictâ conſtat, licet nullis apparentibus maculis externis: de ſingularibus Incantatorum notis. Videmus hôc unicô ſpecimine, quam curioſè vagabundus ſit pro re nata Cl. Autor, quam variæ & multæ lectionis, ità ut Polyhiſtorem ſe in hôc opere non minùs quàm in Oologiâ ſuâ curioſâ, præſtet, Conr. Vict. Schneiderum, Chriſt. Langium, Joh. Dan. Majorem, Georg. Francum, illuſtres Medicos Polyhiſtores, egregiè ſecutus, quorum choro jure meritoque accenſetur, paremque cum his famam & honores tuebitur in ſecula duraturos. Beati Autoris Filius, præſentis operis Editor ſtrenuus, ſi, quam in Præfatione de *Halitûs Humani Salubritate & noxa* Diſſertationem, opus noſtri Autoris itidem poſthumum, promittit, pari benevolentiâ publico largietur, de Medicâ non minùs quam univerſa Republica Literaria optimè meriturus eſt.

Ibidem Anno 1714. *p.* 524.

Ejuſdem & aliorum Virorum Clariſſimorum Epiſtolarum Centuria, è Muſeô L. Immanuëlis Henrici Garmanni. Roſtochii & Lipſiæ, ſumtibus Chriſtiani Gotthold Garmanni, 1714. 8.

VArii ſunt argumenti Epiſtolæ, quas beatè defunctus Garmannus ad Viros συγχρόνους clariſſimos vel dedit, vel ab iiſdem recepit, in hunc faſciculum collectæ. Rem Phyſico-Medicam quæ concernunt, ſpeciminis loco nunc ſumus relaturi, neglectis tamen illis, quæ vel in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum, vel in Majoris Chirurgiâ Infuſoriâ alibive jamdum leguntur.

In *Epiſtolâ* 4. 38. & 60. de Chryſanthemô monſtroſô, aliiſque plantis monſtroſis agitur, quarum monſtroſitatum cauſæ in *Epiſtolâ* 20. allegantur, partim materiæ exceſſus & anomala ſucci nutritii fermentantis ad indebitas plantarum partes latio; partim ars, quæ ſolertem hic ſeſe modò inſitione, modò aliis ab artifice excogitatis modis præſtat; partim cœli humiditas, partim caſus. In *Epiſtolâ* 12. contra principia chymica eoſque, qui ex elementis ſal, ſulphur & mercurium elicere ſatagunt, diſputatur. *In Epiſtolâ* 32. macularum ſcorbuticarum poſt mortem effloreſcentia in virtutem caloris præternaturalis, extinctô naturali, transfertur. Per calorem verò præternaturalem intelligitur putredinalis, qui aliquando tantus eſt, ut ægrotantium corpora gelidiſſima aut frigidiſſima marmora excalefaciant, imò poſt mortem calidiora ſint, ac fuerint in vitâ; nam luxurians putredine ſanguis turgenteſque humores, calore naturali, cujus dominio ſubjecti erant, extincto, ſui juris facti ebulliunt, ac impetû, quocunque libet, facto erumpunt, unde cadaverum maculæ, livores, rubores, ſtigmata & cruentationes contingunt. In ſcorbuticorũ potiſſimùm cada-

cadaveribus hoc phœnomenon obſervatur ob ſalium ſylveſtrium & inter ſe contrariorum, in ipſorum ſanguine abundantium, ebullitionem & pugnam, qualem quoque in præparatione tartari vitriolati videmus. Nec harum macularum propulſio naturæ robori ſemper, ſed non rarò materiæ copiæ imputanda eſt. Pediculos verò, in ſanguine ob nimiam ejus corruptionem genitos, ex poris cutis agminatim alias excurrentes, & cadaver denegata ſanguinis dulcedine deſerturos, ob ingratos, tetros, & malignos ex cadavere tali exhalantes vapores, inanimes quaſi ac debilitatos ulterius progredi non voluiſſe, atque ita ibidem detentos fuiſſe exiſtimatur. In *Epiſtolâ* 37. cauſa quod injectione medicamentorum in chirurgiâ infuſoriâ vomitus ſequatur, in ventriculi partim tonum à morbô læſum, partim in pravos humores in ejus cavitate ſtagnantes rejicitur; præcaveri igitur poterit præmiſſô leni purgante ſymptoma iſtud moleſtiſſimum. Medicamenti qualitas purgans huc etiam facit; ab alterantibus enim in venam immiſſis nec nauſea nec vomitus obſervatur, ſi à cruditatibus liber exiſtit ventriculus. Concludendum exinde, cauſam vomitus non ſemper in ipſô ventriculô latêre, ſed etiam in vaſis, quod in febribus ad oculum patet, ut malè idcircò ſemper nauſeam & vomitum vomitû curandum exiſtiment. In *Epiſtolâ* 60. thermarum probationes per præcipitationis modum inſtitui poſſe, ità ut genuina earum principia mineralia aqueo tegmine velata exinde poſſint in apertum produci, negatur. Cùm enim per modum efferveſcentiæ ſalium mineralium cum venis minerarum, in ſpecie metallicarum, generari videantur thermæ, ſane in iſtâ effervefcentiâ ex reciprocâ actione & mutuô concurſû & agens & patiens inſigniter alterari, & utrumque non leviter immutari, novumque ità productum in aquis thermarum ex utriſque compoſitum generari videtur; ità ut, licèt inſtituatur præcipitatio quædam artificioſa, præcipitata tamen non in formâ nativâ, aut naturâ propriâ, ſed potiùs ex concurſû nova induta larva apparitura ſint. Ad hæc omnes præcipitationes cùm fiant additione cujuſdam tertii, quod vel præcipitandæ rei ſe jungendo eam ad fundum trahit, vel liquori continenti ſe uniendo præcipitatum ejus poris extrudit, ſane utrôque in caſû per tertium præcipitans & liquor continens, & præcipitatum ipſum novâ factâ unione cum præcipitante, novô productô à nativâ facie multum diverſô, ſenſibus denuò illudet. In *Epiſtolâ* 88. viri mentio fit doctiſſimi, qui quoties in ſcholâ vel alibi puerum quemdam caſtigare, braccas privari ac ferulis cædere videt, illumque plorantem audit, toties ſine membri virilis tenſione atque tentigine ſemen copioſius emittere cogitur, tantâ animi commotione, ac ſi in lipothymiam incidere deberet, quod etiam ei dormienti ſæpiùs accidit quandò hâc de re ſomniat. In *Epiſtolâ* 91. & 113. an ovorum humanorum progenies Veteribus cognita fuerit, diſquiritur. In *Epiſtolâ* 114. hydropici mentio fit, per ſcroti apertionem curati. Mittimus, quæ *in Epiſtolâ* 33. de ſericô, in 34. de pulvere licopodii & pini differuntur, & Liquorem refectivum Sachſii unà cum ſpiritû terræ ſolaris, qui in *Epiſtolâ* 50. deſcribuntur.

GARMERUS (*Johannes*,)

Franciſci Rubei Nocturnas Exercitationes in Medicas Hiſtorias denuo edidit & Præfationem Notaſque, & Indicem accuratum adjunxit. Hamburgi, apud Johannem Naumannum, 1660. in 8.

De eô præterea extat

Diſſertatio de Theriacâ in officinâ Henrici Sonnenbergeri, Pharmacop. Civitatis Hamburg. xv. Novembr. annô 1678. habita, ad Magnificos & Prudentiſſimos Conſules Dn. Johannem Schulten; & Dn. Broderum Pauli, Hamburgi, apud David. Volckerum, 1678. in 4.

GARNERUS (*Georgius*,)

Ex eô habetur

Epitome, ſeu, Brachylogia loimodes, deſumta ex librô magnô de Peſte, quæ graſſata eſt Venetiis, annô D. 1576. & Bruntruti annô D. 1582. & iiſce periculoſis temporibus: diligenter reviſa, atque multis egregiis maximeque probatis remediis locupletata, & ad totius reipublicæ Chriſtianæ veritatem promulgata, atque excuſa. Bruntruti apud Chriſtoph. Kracau, 1610. in 8.

GARZIA *ſeu Garſia* (*Marcus*,) in Noſocomiô generali Matritenſi Chirurgus, & hujus artis Magiſter, dedit foras

Honor de la Medicina, y aplauſo de la Cirugia Caſtellana.

Necnon joco ſerium aliud opus ita nuncupatum *La Flema de Pedro Hernandez*, Matriti, 1657. in 8. *Nicol. Ant. Bibl. Hiſp. T.* 2. *pag.* 68.

GARZIA *Carrero* (*Petrus*)

De eô jam ſub titulô CARRERO (*Petrus Garcias*) *Hic rurſus quædam ex Nicol. Antonii Biblioth. Hiſpan. Tom.* 2. *pag.* 155.

Domô Calagurritanus, profeſſione Medicus, atque hujus artis Doctor, primariuſque in Complutenſi Academiâ Profeſſor, doctrinæ ob excellentiam annumerari his meruit, qui ſalutem Philippi III. ex munere tuebantur: quô locô & famâ non vulgaris doctrinæ quæ æqualium nemini cedebat, oſtendit ſeſe dignum, editis his lucubrationibus;

Diſputationibus nempè Medicis, & Commentariis in I. Fen. Libri IV. Avicennæ, in quibus non ſolùm quæ pertinent ad Theoricam, ſed etiam ad praxim, locupletiſſimè reperiuntur. Quas edidit Petrus Ferriolus authoris diſcipulus. Burdigalæ, in officina Guilielmi Milangii, 1628. in folio.

Diſputationibus Medicis & Commentariis ad Fen. I. lib. I. Avicennæ, hoc eſt de Febribus. Compluti apud Johannem Gratianum 1612. deindè & Burdegalæ 1628. in fol.

Diſputationibus tandem Medicis & Commentariis in omnes libros Galeni de locis affectis. Compluti 1605. & 1612. in fol. quibus intricatiſſimas diſputationes in omnes hos Galeni libros ſubtiliſſimè enucleavit, ut ait Zacutus Luſitanus.

GARZONI (*Fabricius*,) Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, in Archigymnaſii Bononienſis primariâ Cathedrâ Medic. Lector eminentiſſimus ac Magni Cardani ſucceſſor. Scripſit de rebus Ripanis. M. S. verò ſunt lectiones Medicæ, & Epiſtolæ quæ magni ponderis viſæ fuêre ac propterea in variis Autorum Collectionibus inſertæ. Obiit A. 1574. die Aprilis 18. & ſepultus fuit cum ſolemniſſimâ pompâ in S. Dominici Æde. *Orlandus in Notit. ſcriptorum Bononienſ.*

GASPARIS (*Stephanus de*,)

De eô extat

Opobalſami Romæ in Theriacâ adhibiti oppugnatio. Romæ, 1640.

GASSARIUS (*Achilles Pirminius*,) Natus Lindavii ad Lacum Bodamicum A. C. 1505. Patre Ulricô Gaſſarô, vel, ut alii ſcribunt, Gaſſerô, Chirurgô Imperatoris Maximiliani I. & poſteà Centurione militum patriæ ſuæ: In Galliâ Avenione Medicinæ Doctor creatus eſt An. C. 1528. indè in Germaniam reverſus Auguſtæ Vindelicorum uſque ad finem vitæ ſuæ Medici ſpartam ornavit, ibidemque melancholiâ & febri ardente obiit, A. C. 1577. ætatis ſuæ 72.

Ex eô habentur

Aphoriſmorum Hippocratis methodus nova, primùm quinque Lib. diſtincta; Conr. Geſneri, *Tigurini*, verò operâ illuſtrata. Huic accedunt præterea libelli de Re Medicâ aliquot priùs non editi. Omnia nunc primùm operâ & ſtudio Caſparis Wolffii, *Tigurini*, in lucem data. Sangalli, 1584. in 8.

Epiſtola Medica ad Conr. Geſnerum. Extat inter hujuſdem Epiſtolas, pag. 43. edit. Tigurinæ, apud Chriſtophorum Froſchoverum, 1577. in 4.

Curationes & Obſervationes Medicæ. Extant cum Georgii Hieronymi Velſchii Sylloge Obſervationum & Curationum Medicinalium. Auguſtæ Vindelic. apud Gottlieb Gobelium, 1668. in 4.

Collectanea Practica, & experimenta propria. Extant cum ejuſdem Velſchii Conſil. Medicinal. Centuriis V. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4. Itemque cum ejuſdem Exotic. Curat. & Obſerv. Medicinal. Chiliad. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem.

Hiſtoria de Geſtatione Fœtûs mortui. Extat cum Remberti Dodonæi Medicinalium Obſervationum exemplis raris. Vide Rembert. Dodon.

GASSENDUS, (*Petrus*,) Philoſophus Gallus Præſtantiſſimus.

De eô extant

De ſeptô Cordis perviô, Obſervationes. Extant cum Sev. Pinæi Lib. de Notis Virginitatis. Lugd. Batav. apud Franciſcos Hegerum & Hackium, 1639. in 12.

De Nutritione Animalium: ubi & de venis lacteis: De Pulſû, & Reſpiratione: Item de ſanguinis circulatione, agitur. Extat in Appendice Tom. tertii de Philoſophia Epicuri. Lugd. apud Guil. Barbier, 1649. in fol.

GASTO (*Flaminius*,)

Ex eô habetur

Tractatus de Peſte. Görlacii, apud Chriſtophorum Zipperum, 1660. in 12.

GATINARIA (*Marcus*,) Ticinenſis Medicus. Vixit circa A. C. 1440. Renat. Moreau de V. S. in Pleurit. Secundum Juſtum in Chronol. Medic. ſub Alexandrô VI. & Juliô II. Pontiſicibus A. C. 1506.

De eô extant

De Curis Ægritudinum particularium, ſive, Expoſitio in nonum Almanſoris. Blaſii Aſtarii de Curis Febrium Libellus. Blaſii Cæſaris Landulphi de curis earumdem, Opuſculum. Sebaſtiani Aquilani Tractatus de Morbô Gallicô. Ejuſdem quæſtio de Febre ſanguinis. Lugduni, apud Bevelaque, 1506. in 4. apud Johan. Moulin, 1525. in 8. ap. Vinc. de Portonariis, 1532. in 8. apud Ægid. & Jac. Huguetan, Fratres 1542. in 8. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1537. in 8. Pariſ. ap. Guil. Richardum, 1540. in 8. Ven. 1569. in 8. ap. Joh. Baptiſtam Somaſchum, 1575. in 12. Francof. apud Joh. Bernerum, 1604. in 8. Lugduni, apud Flajolettum, 1639. in 8. Duabus poſtremis Editionibus hic datus eſt titulus: De Medendis humani corporis Malis Practica uberrima: omnibus Medicinæ ſtudioſis permaximè utilis: Jam antè etiam edita, nùnc verò dènuò reviſa, & omni, quâ fieri potuit diligentiâ, emaculata. Cum iiſdem, quæ in prioribus Editionibus jam acceſſerunt.

Annotatio una & altera de Taraxaco, Cichoreô, Ivâ, Eſulâ & Soldanellâ. Extat Tomô II. Herbarii Ottonis Brunsfelſii, in fol.

GAVASSETIUS (*Michael*,) Novellarienſis.

Ex eô habentur

Exercitatio Methodi Anatomicæ. Patavii, apud Paul. Mejettum, 1584. in 4.

Libri duo. Alter de Rebus præter naturam: alter de Indicationibus curativis, ſeu, de Methodô Medendi. Venetiis, apud Paul. Mejettum, 1586. in 4.

Libri duo. Alter de Naturâ Cauterii & ejus accidentibus: alter de Præludiis Anatomicis, ſeu, totius Artis Medicæ fundamentis. Venetiis, apud Paul. Mejettum, 1584. in 4. Acceſſit Liber Tertius de Methodô Anatomicâ. Venetiis, 1587. in 4.

Conſilium de ſtranguriâ. Extat eô Opere, quod Lautenbachius collegit. Francof. 1605. in 4.

GAUBIUS (*Johannes*,)

De eô extant

Epiſtolæ tres Anatomicæ. Amſtelodami, apud Wolters A. 1696. in 4. cum figuris.

Aliæ ejuſdem & aliorum Epiſtolæ, ibidem editæ.

GAUDINUS (*Alexis*,)

De eô extant

Epiſtolæ, ſeu Diſputationes duæ ad Laur. Joubertum, de iteranda ſæpiùs Phlebotomiâ. Extant cum operibus Jouberti Tom. 2. pag. 136. edit. Francofurt. apud Hæred. Andr. Wecheli 1599. in fol.

GAVETUS (*Jacobus*,) Academiæ Monſpelienſis Alumnus, Avenionenſis Doctor Medicus, & apud Camberienſes Practicus.

De eô extat

Nova febris idea, *ſeu* Novæ conjecturæ Phyſicæ circa febris naturam: Quibus præmittitur ſimplex & brevis Explicatio motûs Fermentationis: Generationis Animantium: Materiæ & motûs ſanguinis: Motûs Cordis & Arteriarum, tandemque ſecretionis humorum. Genevæ ſumptibus ſocietatis, an. 1700. in 12.

GAUKES (*Yvo*) Med. Doct. & Chirurg.

Ex eo habetur

Praxis Chirurgico-Medica, experimentis propriis, iiſque infinitis, viginti ſex annorum ſpatio, & quod excurrit, magno negotio collecta. In quâ morborum qui ob vitia ſuccorum ſanguinem antecedentium, & ipſius quoque Sanguinis contingunt, cauſæ, phænomena, atque curationes ſuccinctè ac methodicè deſcribuntur. Amſtelædami apud Johan. Wolters, 1708. 8.

De eô præterea extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1713. *p.* 32.

Diſſertatio de Medicinâ ad certitudinem Mathematicam evehenda, continens certa hujus artis principia, & quomodo ex iis omnia mechanicè & methodô Mathematica demonſtrari poſſint.

Amſtelodami, apud R. & G. Wetſtenios, 1712. 8.

QUoniam Autori animus eſt, Medicinam ad certitudinem Mathematicam evehere, in cauſas certitudinis Mathematum ab initiô inquirit. In earum numerum refert principia certa & indubitata; objecta ſimplicia atque certa; horum veritates ex illis demonſtratas; quod demonſtrationes intellectû fiant; ordinem objectorum naturalem. Hic de definitionibus, axiomatis & poſtulatis agit; partes demonſtrationis, explicationem, præparationem, concluſionem declarat; propoſitionum genera, theorema, problema, lemma, corollarium, itemque ſcholion conſiderat; varias methodos demonſtrandi, ſyntheticam, analyticam, methodum ad abſurdū & indiviſibiliumN, ewtonianam methodum infinitorum & approximationis, genitivam atque mixtam recenſet. Hæc ad Medicinam applicaturus monet, Medicinæ certitudinem ſimiliter à principiis pendere. Medicinam conſtare ait ex homine, ex introductione in praxin, & ex praxi ipſa. Inde veritates demonſtrandas 10. ſuppeditari, nempe 1 cauſas morborum internorum remotas, 2 proximas, 3 cauſas morborum externorum fluidas, 4 phœnomena morborum aliarumque rerum, 5 diætas, remedia, inſtrumenta, 6 vires diætarum & remediorum modi agendi naturales, 7 functiones & integras, & labefactatas, 8 cauſas morborum externorum ſtabiles, 9 operationes chirurgicas per inſtrumenta, 10 functionum, læſionum externarum, & operationum chirurgicarum varietates. Principia certa & indubitata Medicinæ eſſe cenſet vel phyſica, vel chymica, vel mechanica, vel hydraulica. Per Phyſica materiam, motum & formam atque tria *Cartesii* elementa, quæ perſpicaciores noſtrâ ætate non admittunt; per chymica particulas & moleculas, quas machinas inviſibiles vocat & ut majus ac minus diſtinguit; per mechanica potentias mechanicas vulgares; per hydraulica denique machinas & inſtrumenta hydraulica intelligit; Phyſica & Chymica ſæpè priorum; mechanica & hydraulica quatuor poſteriorum veritatum generibus demonſtrandis inſervire. Objectorum Medicinæ certitudinem defendit, quæ ipſi ſunt corporis partes tam ſolidæ quam fluidæ, cum functionibus vitalibus, animalibus generationi inſervientibus; diætæ, remedia, inſtrumenta, morborum cauſæ, ſigna & methodus medendi. In demonſtrationibus ea obſervanda eſſe inculcat, quæ de mathematicis annotaverat. Affert tandem demonſtrationum mathematicarum exempla in demonſtrandis 10. veritatum generibus ante commemoratis. Equidem Cl. autor Carteſianorum placita plerumque ſecutus tantum profeciſſe in arte demonſtrandi ſibi videtur, ut hiſtoriam morbi ſingularem Geometricè à ſe demonſtratam arbitretur; ſed qui indolem Demonſtrationum Mathematicarum animô comprehenderunt, primô intuitû animadvertent, demonſtrationes Autoris cum Mathematicis nil niſi nomen commune habere, cæteroquin ab iis admodum differre. Ne temerè aliquid affirmâſſe videamur, ſpeciminis locô propoſitionem primam & ſecundam cum adjectis pſeudo-demonſtrationibus in medium afferre libet. Eſt igitùr in demonſtratione, juxta noſtrum, hiſtoriæ morbi *Propoſitio* I. *Homo quidam triginta annos natus febrim accepit.* Additur demonſtrationis locô: *Quoniam hominis triginta annos nati ideòque mediâ ætate fruentis ſanguis calidior fuit*, per hypoth. I. *idcircò calori febrili febris continuæ recipiendo aptior erat.* Hypotheſis prima urget, in mediâ ætate ſanguinis calorem maximum eſſe: quod ex majori corporis robore concludit, juxta ipſum à copiâ ſucci nervoſi pendente, tantô quidem largiùs ſecernendi, quantò calidior ſanguis eſt. Propoſitionem demonſtraturus rationes afferre debebat, cur trigeſimô ætatis annô affectû febrili correptus fuerit æger. Ipſe autem tantum probare conatur, quod annô ætatis trigeſimô faciliùs in febrim incidere potuerit. Non igitur præcisè probat, quod erat probandum. Enimverò nec hoc mathematicè demonſtravit. Supponit enim, non probat, hominem faciliùs in febrim incidere, quo ſanguis ejus naturaliter calidior: cùm tamen alii Medici ingenii acumine præſtantes rectiùs ſentiant, calorem febris præternaturalem magis ejus effectum, quam cauſam eſſe. Sine probatione itàque aſſumit pro certô, quod ab aliis tanquam veritati minùs conſentaneum rejicitur. Similiter hypotheſis ejus, quod annô ætatis trigeſimô calor ſanguinis maximus ſit, non ſatis firmo ſtat talo. Neque enim probat, robur calori ſanguinis proportionari. Quin potiùs experientia nos docuit, homines quoſdam, quorum ſanguis admodùm calet, pulſuſque celer, robore perquam exiguô pollere. Nec oſtendit trigeſimô ætatis annô robur hominis eſſe majus. Prætenſa igitùr demonſtratio non differt à communi philoſophantium probatione. Propoſitio II. ità habet: *Febris 10. dies duravit.* Demonſtrationis loco additur: *Quia febri liberatus eſt eò quod auxiliis quibuſdam, vel per ſe, materia viſcida & ſalſa, è quâ nata fuit, è ſanguine ſecreta eſt*, per hypoth. 8. *Quod quia* 10. *diebus factum eſt, ideò febris etiam decem dies duravit*: Hypotheſi octavâ aſſeritur, febrim continuam oriri à materiâ viſcidâ & ſalſâ jugiter ſanguini inhærenti, quæ, ut aliquis liberetur, è ſanguine per fermentationem ſecerni debeat & è corpore expelli: id quod ipſi manifeſtum videtur ex ſedimentô ſalsô & viſcidô urinæ, dum febris ſolvitur. Hypotheſis illa octava nihil ad rem facit, neque enim inde infertur febris duratio. Vis omnis argumenti hùc redit: decem diebus ſublata eſt cauſa morbi. Ergò febris decem dies duravit. Sed unde quæſo novit Cl. Autor, cauſam morbi ſublatam eſſe intra 10. dies? Nonne inde quod decem dies duravit? Ex propoſitionis igitur corollariô infert propoſitionem, hoc eſt, circulum committit. Alia longè demonſtrationum mathematicarum indoles. Non aſſumuntur in iis ſine probatione, niſi propoſitiones identicæ aut certis experientiis innitentes; à demonſtrationibus aliena arcentur, quod in propoſitione continetur, præcisè demonſtratur, nec idem per idem probatur. Quamvis autem Cl. Autor, Carteſianorum principiis innutritus, ſcopum ſuum non fuerit aſſecutus, ejus tamen laudamus conatum, nec dubitamus fore, ut propius ad eum accedat (quamvis eundem attingere præſenti rerum ſtatû adhuc nemini detur) ubi iſtiuſmodi Autorum lectioni vacaverit, qui accuratam in Matheſi demonſtrandi viam ingrediuntur; neque enim diffitendum, eſſe inter recentiores, qui ſtudium Matheſeos facilitatori à priſcô & genuinô demonſtrandi rigore deſciverunt. Dolendum adeò, ſi quis Matheſi operam dans, ut methodi vires cognoſcat, in iſtiuſmodi ducem inciderit.

GAURICUS (*Lucas,*) Neapolitanus.

Ex eô habetur

De conceptû natorum, & ſeptimeſtri partû, ex Valente Antiocheno. Venetiis, 1533. in 4.

GAURICUS (*Pomponius*,) Neapolitanus.

De eô extat

Tractatus de Symmetriis, Lineamentis & Phyſiognomiâ ejuſque ſpeciebus. Extat cum Joh. ab Indagine Introductionibus Apoteleſmaticis. Argentorati, apud Hæred. Laz. Zetzneri, 1622. 1630. in 8. p. 317.

GAZA (*Theodorus*,)

Interpretatus eſt Ariſtotelis de Naturâ Animalium Libr. IX. ejuſdem de Partibus animalium Libr. IV. ejuſdem de Generatione Animalium Lib. II. Theophraſti de Hiſtoriâ Plantarum Libr. IX. & decimi principium duntaxat. Ejuſdem de Cauſis Plantarum Libr. VI. Ariſtotelis Problemata in ſuum locum reſtituit: Et alios tres Tractatus è Græcô in Latinum traduxit atque edidit; quorum primus omnia ea continet, quæ in Ariſtotelis Animalibus & Theophraſti Plantis habentur: Alter complectitur nomina omnium Ariſtotelis & Theophraſti Plantarum & partium corporis humani ſecundum ordinem Literarum diſpoſitarum. Tertius eſt Latinus ſecundum Literas Alphabeti eorum ipſorum, quæ in Græcô Tractatû notata viſuntur. Atque hæc omnia in unô Volumine continentur. Venetiis, apud Aldum & Andr. Aſulanum, 1504. in fol.

Ex eô præterea habentur

Expoſitio Latina Lib. VII. Aphoriſmorum Hippocratis, cum Jac. Forolivienſis, Marſiliique Expoſitionibus. Edidit Jac. Forolivienſis, Papiæ, apud Jac. de Burgofranco, 1512. in fol.

Item Problemata Ariſtotelis. Extant in Petri de Aponô Expoſitione eorumdem.

Item, Theophraſti Ereſii Lib. X. de Hiſtoriâ Plantarum.

GAZIUS (*Antonius*,)

Ad Annum 1530. refert obitum Antonii Gazii Pignorius, qui ex ejus extremis tabulis conſtituit, eum hôc annô teſtamentum condidiſſe quô caverit, nè corpus ſuum ſepulchrô Majorum, quod ſtatuâ ſuâ fictili auxerat, conderetur; quippè eam regreſſus in patriam non invenit occluſam ſed patefactam, & mutilam; quamobrem ſe condi voluit ad D. Franciſci, quo in locô ſculptoris incuriâ factum ſit, ùt pro annô quem ſignavimus, irrepſerit An. 1528. quem ſequitur Scardeonius, & ex eo cæteri cum Salomonio. Hæc familia, quæ honeſta admodùm eſt Patavii, Cremonâ oriunda eſt, undè hùc migraſſe videtur ex traduce cum Jambonino de Gazo Cremonenſi, qui Doctor Pariſienſis ſcientiæ Medicæ, hìc fortè artem eandem profeſſus eſt, jacetque in templo in urnâ marmoreâ poſitâ ſublimi locô ad D. Auguſtini. Ex ejus poſteritate ortus Antonius, Doctor Medicus, non admodùm feliciter Medicinam fecit in patriâ, undè profectus accituſque ad praxim à multis urbibus, diù extra Patavium artem exercuit, ſummâ ſapientiæ peritiæque Iatricæ cum exiſtimatione. Dives congeſtis mercedum, ac ſtipendiorum opibus nondum ſenex rediit Patavium, ùt ſcribendis, poliendiſque multis quæ ſcripſerat, ætatem reliquam daret. Sed eum immatura mors abſtulit III. Nonas Septembris, anni proximè relati. Annô ætatis 28. edidit librum de conſervatione ſanitatis, quem *Coronam floridam* appellavit. Laudatur ex hôc ſummoperè, & Medicus dicitur in Philoſophiâ egregiè doctus à Symphoriano Camperio, quô teſte, fuit in ſacris quoque litteris non mediocriter eruditus, ingeniô ſubtilis, eloquiô clarus, qui multa ſcripſerit, & præclara. Ea recenſet prolixè Pignorius ex Bibliothecâ D. Franciſci Patavii, quæ quod nobis nota haud ſunt, & fortè ibijam pridem in forulis pabulum tinearum ſint, indicta nobis ſunto & apud Pignorium à curioſioribus leguntur. *Hiſt. Gym. Patav. T. II. p.* 191.

De eô extant in Lindeniô Renovatô

Florida Corona, quæ ad ſanitatis hominum conſervationem ac longævam vitam perducendam ſunt pernecesſaria, continens. Venetiis, apud Johannem de Foroliviô, & Gregorium, Fratres, 1491. in fol. Lugduni, apud Gilbertum Villiers, 1514. in 4. Ib. apud Scipionem de Gabianô, 1534. in 8.

Ærarium ſanitatis. Ejuſdem de Vinô & Cereviſiâ, Tractatio. Auguſtæ, 1546. in 8. Patavii, apud Jacob. Fabianum, 1549. in 8.

De Somnô & Vigiliâ, Libellus. Extat cum Conſtantini Aphricani operibus reliquis. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1539. in fol.

Quo medicamentorum genere Purgationes fieri debeant; ſive, de Ratione evacuandi, Libellus. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1541. in fol. Extat etiam cum Methodo Medendi Albucaſæ: itemque cum Arnoldi Catalani Regulis univerſalibus Curationis Morborum. Baſileæ, apud Henricum Petri, 1565. in 8.

GAZOLA (*Joſephus*,) Veronenſis, Medicus Cæſareus, & Promotor Academiæ Aletophilorum.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1713. *Supplem. Tom. V. p.* 460.

Origine, preſervativo, è rimedio del corrente contagio peſtilenziale del bue,

i. e.

De Origine, Præſervatione, & Remediô præſentis Contagii peſtilentialis inter boves graſſantis. Veronæ, apud Fratres Merli, 1712. *in* 4.

Autor hic eandem, quoad mali originem, cum Ramazzinô fovet ſententiam, illos irridens, qui ab infauſtô ſiderum influxû eandem deducere malunt. In Cura alcalia commendat, cùm malum ipſum ab acidô volatili ortum exiſtimet; in ſpecie verò Zedoariam, ſcordium, dictamnum Creticum, in vinô generoſô, vaſe benè clauſô, per paucum tempus, bullire, eoque ſpongiam, imprægnare & nares cum palatô & linguâ probè fricare jubet; & ſi forſan hæ partes ſauciatæ fuerint, eaſdem bombace Elyxiri ſuô antipeſtilentiali, ex myrrhâ, aloë & balſamô Peruviano per ſpiritum vini rectificatum extractô, impregnata fovet. Quod etiam Elyxir cum ſpiritû vini camphoratô mixtum pro ſtomachô confortandô infundi poteſt. Ex diæteticô fonte juſculum vel modò commemoratum decoctum, vel aqua cum farinâ frumenti vel milii aut cum furfuribus, & ſole miſcendum, propinari jubet. Pabulum verò ſit fœnum optimum, vel folia vitis, fraxini, &c. Pro præſervatione in pagis ſæpius hinc inde recens lignum juniperi, ramos lauri, cypreſſi, pini, laricis, abietis, &c. accendi vult. In ſtabulis verò pix navalis ardeat, vel ſuffumigium fiat ex baccis juniperi, myrti, lauri, &c. vel ex paſtillis ex pulvere pyriô, ſuccinô ſulphure, cum paucis guttis, ſtyracis liquidæ vel pice navali paratis. De ceterò munditiei ubique opera eſt danda. Mortuorum caput, pedes & cauda concremari, corium præparari, interranea verò profundè ſatis ſub fimô ſepeliri debent, cui affundenda aqua bulliens, calx viva aſpergenda, aliuſque fimus ſuperimponendus eſt.

GEBA-

GEBAVERUS (*Georg. Chriſtianus,*)

De eô extat in Actis Lipſienſibus Annô 1721. *pag.* 354.

De Caldæ & Caldi apud Veteres potû Liber ſingularis. Lipſiæ, apud Jacobum Schuſter, 1721. 8.

CLariſſimus Gebaverus, qui cum juriſprudentiâ ſolidiore elegantiores literas, & in his antiquitatis quoque ſtudium ſuaviſſimô nexû dudum conjunxit, & hujus rei ſuperiore annô aliquod fecit eruditis indicium Exercitatione in Marmor Iſiacum ad Cl. *Olivæ* de eôdem libellum, Actis noſtris Menſe Auguſt. p. 395. inſerta, novô hoc eôque ſingulari de Caldæ & Caldi apud Veteres potû libro ſingularem ſuum in has literas amorem uberius declaravit, & ſimùl inſigne doctrinæ ſuæ antiquariæ documentum cum orbe literariô communicavit.

Octo Capitibus totam tractationem abſolvit doctiſſimus Autor, & poſtquam Cap. I. nonnulla de aquâ generatim præfatus erat, Cap. II. de Calda Veterum diſputare aggrediens *Calidam & Caldam,* voces ità nudè uſurpatas, omiſſô per ellipſin *aquæ* nomine, ab eô quod *caleant,* traxiſſe nomen, & utrumque Latinè dici oſtendit. Mox ipſam rem aggreditur, & poſtquam monuit, *Lipſiô* in Electis primâ Caldæ aſſertæ deberi gloriâ, deinde *Freinſhemium* cum *Mercuriali & Caſtalione,* illô in variarum Lectionum opere, hoc in obſervationum Decade, Caldæ inimicis, in ſua de Calidæ potû Diſſertatiunculâ pugnaſſe, ſibi verò cum illis etiam & in primis cum *Andreâ Bacciô,* acerrimô *Caldæ* adverſariô, rem fore; in Caldæ ætatem inquirit, & cum eâ non ità manifeſtè colligi poſſe videatur, bibiſſe tamen Veteres Caldam, bibiſſe dulcibus infectam, bibiſſe etiam puram, bibiſſe ſanitatis cauſâ, bibiſſe etiam ad delicias, locis autorum luculentiſſimis, magnâ copiâ & ordine allatis adſtruit; mox ad pugnam ſe accingit, Caldamque, ut promiſerat, à *Mercuriali, Caſtalione & Baccio* impugnatam vindicare ſtudet Cap. III. Hic uniuſcujuſque argumenta & loca non ſolùm in aciem producit, & ad ea doctè admodum reſpondet, ſed & Lipſium ab injuriâ Baccii defendit, adjuncta virorum doctiſſimorum corona, qui Lipſio hâc in re acceſſerunt. Hinc Cl. Autor lectores ſuos in Thermopolium ipſum deducit Cap. IV. in quô Thermopolium ἀπὸ τῦ θερμῦ καὶ πωλεῖν dictum (Latinè tabernam Caldariam) deſcribit, quod fuerit locus publicus, amplus, fornicatus, luce diurnâ illuſtratus, aquæ caldæ parandæ vendendæque inſtructus. In eô Calda, aut pura aut infecta defruto, melle, & aliis dulcibus, odoratiſque calicibus bibebatur, urceolis etiam miniſtratoriis excepta, domum ad diluenda aut temperanda vina deferebatur, tantâ quidem copiâ, ùt in re clariſſimâ ratio brevi adeo tempore eandem parandi ſemper viſa fuerit obſcuriſſima. Hic iterum cum Bacciô eſt pugna, qui uti, obſervatis *Vitruvii & Senecæ* locis, viam ſtravit aliis, ita ipſam penitus ignoravit, Thermopoliô ſuô ex ſententiâ Noſtri admodum inconcinnè conſtructô. Errores Baccii hi ferè ſunt: in miliariis conſtructos fuiſſe dracones, vaſa tubæ inſtar ære tenui ſæpe eundem ignem ambientia; cum ipſa miliaria ità à formâ externâ appellata ſunt dracones: miliaria dicta fuiſſe omnia vaſa, cum caldariô id nominis proprium ſit: vaſa eum perperam ſibi invicem imponere, cum in hypocauſtô ponenda fuiſſent, illô enim modô igne ſurſum tendente, omnium vaſorum munia tandem confundi, ut alia incommoda taceamus. quæ pro ſua ἀκριβείᾳ elicit Autor, monitus hoc Baccii caſû, ut *Vitruvii & Senecæ* veſtigiis preſſius inſiſteret. Ille autem Lib. V. c. 10. *Ahena,* inquit, *ſupra hypocauſtum tria ſunt componenda, ita collocanda, ut ex tepidariô in calidarium, quantum calidæ exierit, influat; de frigidariô in tepidario ad eundem modum.* Hic autem in Naturalibus Quæſtionibus Lib. III. Cap. 24. *Facere,* ait, *ſolemus, dracones & miliaria, & complures alias formas, in quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus per declive circumdatas; ut ſæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat ſpatii, quantum calori efficiendo ſat eſt. Frigida itaque intrat, effluit calida.* Jam verò in Thermopoliô mente fingendum vel in figurâ huc tranſlata inſpiciendum eſt ſubſtructum aliquod, quod hypocauſtum appellat, (intùs enim ignem alit) latericium, formâ quadratâ ex partibus tribus, altitudine inter ſe diverſis, conſtans, ità ut graduum ſpeciem referant, quas toros doctiſſimô Autori vocare placet. Horum tororum altiſſimus & ſolidus planè junctus eſt parieti, ex quô emiſſarium publicum applicato epiſtomio prominet, clauſum intereà, uſque dum vaſa collocata erunt. Siſtit ergò illorum primum *Frigidarium* aheneum ingens, apertum, tribus oſtus inſtructum, quorum duo ab utrôque latere ſub ipſô margine collocata, ex aquæductû nimia copia emiſſam aquam in alia ingentia vaſa ænea humi ab utrôque latere repoſta exonerant, tertium in fundô ferè locatum frigidam per canaliculum in alterum vas dimittit. Alter autem torus priore depreſſior eidemque contiguus, magnam partem concavus, alterum exhibet vas *Tepidarium,* ubique clauſum, niſi quod duobus orificiis & epiſtomiis ſit inſtructum. Per orificium alterum, in quod canaliculus, qui inter frigidarium tepidariumque eſt medius, deſinit, ingreditur frigida, per alterum verò egreditur tepida, epiſtomia ab utrôque latere iis inſerviunt, qui tepidâ opus habent. Ultimus & reliquis minor torus *miliario* ornatus eſt, ſeu aheno *Caldario,* junctus ſecundo, cavus quàm maximè, ut pote in quô mulciber regnat, non tantùm impoſitum vas fervens, verum & proximum vas medio toro impoſitum, vapore in cavitatem illius tori immiſſo, tepidum reddens. Vas illud Caldarium, quod vulgô miliarium, ſæpius draconem, aliis quoque nominibus pro diverſitate formarum Antiqui vocârunt, ex Cl. Autoris ſententiâ æneum fuit, planè clauſum, niſi quod in inferiore regione magnô orificiô & quidem per foramen hypocauſti in hoc ipſum, medium nempè focum, pateat, ut hâc ratione ignis ſubjectus ipſum miliarium ingrediatur, & viſcera quaſi torreat, per quæ intelligit fiſtulam ære tenui, è tepidariô prodeuntem, miliariô in ſuperiore parte inſertam, & per omne illud vas, inſtar lineæ ſpiralis, aut anguis perpetuis gyris contortuplicati per declive diſperſam, per quam tepida intrat, igne verò per tantum ſpatii eandem ambiente calida effluit. His eleganti loco *Athenæi* ex Lib. III. c. 20. Dipnoſ. depromtô illuſtratis, memorat doctiſſimus Autor, non heri demùm aut nudius tertius hanc Thermopolii Romani ſtructuram ſibi ſubnatam eſſe, ne quis *Pauli Alexandri Maffei* ſe ſcrinia compilâſſe putet, qui in Collectione Statuarum antiquarum & modernarum (*Raccolta di ſtatue antiche e moderne*) Romæ, 1704. in fol. edita picturam veterem ex Thermis Titi ornamenti cauſa inſeruit, & in ea vaſa tria, frigidarium, tepidarium, caldarium in hypocauſtô ex ingeniô exemplô non optimô antiquæ imagini addita,

addita, attamen eôdem ferè quô dudum, pretioſiſſimô librô nondum inſpectô, fecerat Cl. *Gebaverus*, collocavit. Gratulatur ſibi meritò doctiſſimus Autor, illuſtri Viro idem de illis Vitruvii & Senecæ locis, quod ſibi, viſum, neque omninò improbat, modum parandi fontes calidos thermis quoque illatum eſſe, quanquam omninò fatendum ſit, & hunc doctiſſimum antiquarium, quod ad miliaria attinet, Baccii errorem erràſſe, nec quid Senecæ dracones voluerint, ſatis intellexiſſe.

Deſcripto itaque & denuò exſtructô Thermopoliô Romanô, ad Caldariæ antiquitatis reſidua progreditur Autor Cap. v. inter quæ primum *Gemmam Sardam* ex Muſeô Cel. *Rinkii* Prof. Altorf. æri inſculptam exhibet, quam nos hic quoque repetiimus. Eſt illa antiqui operis, oblonga, annularis & ſigillaris eô certè modô inciſa, quam majorem longè, accuratè tamen & naturalis magnitudinis orbe additô communicavit. Siſtit illa hominem in columellâ ſedentem, in cujus ſiniſtrâ calix, ante pedes machina thermopotica, dubio procùl ænea, portatilis apparet, è focô cylindraceô, infimâ nempè parte, media, miliario minore & ſuprema tepidario conſtructa, ità ut tepidarium, operculô nodatô ornatum, aquam ope fiſtulæ ære tenui, ſpiralis, variis gyris & ambagibus per Caldarium ahenum diſpergat, ſubjectus focus, aut igne iſtam fiſtulam lambente, aut aqua perpetuò in miliariô clauſa fervefacta in fiſtulâ confervefaciat.

Exhibet deinde præter gemmam jam deſcriptam in figuris æneis etiam *tria vaſa fictilia* Moguntiæ eruta, nunc autem in Muſeô Rinkiano obvia, coloris, ſi externam ſuperficiem ſpectes, ſubflavi, ſin internam, ſubfuſci aut nigricantis. Vas majus concavum maximè duplici crepidine *Cotylam* Græco vocabulô appellat, reliqui duo gemelli ſunt fratres pocula, anguſtiore fundo quam ſummitate, ſuis etiam crepidinibus, quibus inſiſtunt, ornata, quæ ad *Cymbiorum* genera pertinent. Confirmat hæc ex Athenæi loco, & genuinam horum vaſorum antiquitatem & uſum thermopoticum multis rationibus corroborat.

Cap. vi. de reliquô inſtrumentô Thermopoticô inſcriptum legis Julii Pauli §. 18. D. de inſtructô vel inſtrumentô legatô luculenter explicat. Docet ibi, quid ſint *Caccabus*, *Patinæ*, *Pulmentaria*, *ahenum*, *urcei* & *urceoli*, atque allatô egregiô Julii Pollucis loco de reliqua ſupellectile Thermopotica, *Ollarum Rhodiarum* meminit, de quibus Athenæus Lib. vi. c. 3. commentatus eſt, cujus etiam loci ingenioſam & eruditam explicationem Noſter ſuppeditat, poſteà ſervorum Caldariorum mentionem facit, Paulumque, Ulpianum & Papinianum conciliat.

Sed ſatis de Calda. Nunc de caldo etiam nonnihil ex Cap. vii. dicendum erit. Miſcuerunt veteres vinum vino, fortius putà meliore, quod χαλίκρατον appellarunt, miſcuerunt aqua, cùm marina, tum fontana, ſed egelida, an etiam fervente & calda? ita eſt; & vinum ità miſtum eſt caldum, de quô Noſtrô hic ſermo eſt. Hujus meminerunt Dio Caſſius, Philo, Plinius, Athenæus, Martialis, Clemens Alexandrinus, Ariſtænetus, Apulejus, Lucianus, quorum locis in medium allatis, denuo cum Bacciô in arenam deſcendit, & mox de verô ſenſû Plautinorum ſalium in Curculione Act. ii. Sc. 3. in Milite Glorioſô Act. iii. Sc. 2. & in Trinummô Act. iv. Sc. 3. mox de Martialis Epigrammate 113. mox de Apuleii locô Lib. ii. mox de Galeni Aph. xxxix. Sect. 5. contra eum diſputat, non oblitus etiam ἀγίας ζώσιμς Græcorum. Tandem Cap. viii. in originem Calidi potus inquiſivit doctiſſimus Autor, & mantiſſæ loco nonnulla ex noviſſimis Cel. Rinkii litteris de inventione vaſorum ſupra memoratorum adjecit, argumentum libri & ſingulorum capitum repetiit, atque indice autorum allegatorum, illuſtratorum, & emendatorum elegantiſſimo huic opuſculo coronidem impoſuit.

Quanquam autem vel ex iis, quæ à nobis delibata ſunt, patere arbitremur, doctiſſimum & diligentiſſimum Collegam noſtrum Caldam Antiquorum non primis, quod ajunt, labris deguſtaſſe, ſed illam magnâ cum curâ ex Oceanô ſcriptorum Græcorum & Latinorum ſelectam omnium optimè reſtituiſſe, non poſſumus tamen non hic ſuperaddere, Clariſſimum *Gebaverum* etiam aliis Autorum locis haud infelicem operam attuliſſe, uti ex iis videre eſt, quæ ad *Quintiliani*, vel potius Auguſti locum de vocibus Calida & Calda, ad *Lampridium* de luxuriâ Antonini Eliogabali ad *Martialis* Epigramma in Apophoretis 105. ad *Plinii* verba in Hiſt. Natur. Lib. 19. Sect. 19. animadverſa fuerunt. Quæ omnia uti ſine dubiô ad palatum lectorum has delicias amantium ſunt futura; ita nulli dubitamus, quin iidem alia Cl. Autoris, quæ illum moliri novimus, majoris molis opera & lucubrationes, eo majore cum cupiditate nobiſcum ſint exſpectaturi.

GEBELIUS (*Johannes*,)

De eô extat

Διαγραφὴ Thermalium aquarum apud Hermunduros ſitarum, prope Annæbergum, & Wolkenſteinium, in duos diſtincta Libros. Cui acceſſit Appendix Thermarum Germaniæ. Lipſiæ, apud Joh. Steinman, 1576. in 8.

GEBER, Medicus & Aſtronomus Arabs, Sec. 9. Expoſuit ſyſtema Ptolomæi, à Petreiô editum, A. C. 1533. à quibuſdam Algebræ inventor creditur. Medica quoque ſcripſit; à Cardanô inter 12. ſubtiliſſima ingenia collocatus. Geſner. T. i. *Biblioth.* Simler. *Epit.* Blancanus, *Chron. Mathem.* p. 56. Voſſ. de *Matth.* c. 35. S. 9. de Phil. C. 14. Ricciol. *Chron. Reform.* Hoff. Dict. T. ij. p. 365.

De Gebrô hæc reperiuntur in Prolegomen. ad Clariſſ. Boerhaave Inſtitutiones Chemiæ.

Leo Aphricanus, qui Græcus fuit & multa deſcripſit, ex antiquis Arabibus, dicit Gebrum natione Græcum fuiſſe, ſed derogaſſe ſuam Religionem, & ſe dediſſe Mahomedicæ, ac ſeptimô ſæculô vixiſſe. Hic ſcripſit volumina quæ eruditiſſimus Golius tranſtulit ex Arabicâ in linguam Latinam. Scripſit de naturâ Metallorum, quomodo inveniri poſſunt, inventa depurari, depurata ſeparari, ſeparata in uſus humanos conformari, & dein metallum optimum confici. In ejus librô infinita experimenta, & quidem veriſſima, ac hodie pro novis habita, ſæpe miratus ſum, (exceptis illis quæ de Lapide Philoſophorum.) Opus hoc impreſſum eſt in fol. & 4. ſub titulô Lapis Philoſophorum &c.

De eô extant

De Alchimiâ, Traditio ſummæ perfectionis, in duos Libros diviſa. Item, Liber Inveſtigationis Magiſterii ejuſdem. Argentorati, apud Laz. Zetznerum, 1598. in 8.

Summa perfectionis Magiſterii in ſuâ naturâ. Romæ, apud Marcellum Silber, in 8. Venetiis, 1542. in 8. Gedani apud Brunonem Laurentium Tancken, 1682. in 8. Hæc poſtrema Editio ex Bibliothecæ Vaticanæ Exemplari undecunquè emendatiſſimo correcta eſt. Cum vera genuinaque

que Delineatione Vaſorum & Fornacum. Adjecti ſunt Libri Inveſtigacionis Magiſterii, & Teſtamenti ejuſdem Gebri, ac Aurei trium verborum Libelli, & Avicennæ, ſummi Medici & acutiſſimi Philoſophi, Mineralium Additio caſtigatiſſima.

Περὶ χημείας, Libellus, quem inſcripſit de Inveſtigatione perfectionis incertô interprete. Extat cum veræ Alchemiæ aliquot ſcriptoribus, à Guil. Grataroló collectis. Baſileæ, apud Henr. Petri & Petrum Pernam, 1561. in fol. pag. 112.

Liber Fornacum ad exercendam χημείαν pertinentium, interprete Rodogerô, *Hiſpalenſi*. Extat ibidem pag. 193. uterque ſeorſim apud Petrum Pernam 1572. in 8.

Chimia, ſive Traditio ſummæ perfectionis, & Inveſtigatio Magiſterii, innumeris locis emendata à Caſparô Horniô. Acceſſit Ejuſdem Medulla Alchimiæ Gebricæ: omnia edita à Georgio Hornio. Lugduni Batavorum, 1668. in 12.

Enarratio Methodica trium Gebri Medicinarum. In quibus continentur Lapidis Philoſophici vera confectio: Authore Anonymô, ſub nomine Ægrenæi Philalethes, natû *Angli*, habitatione Coſmopolitæ. Amſtelodami, apud Danielem Elzevirium, 1678. in 8.

GEHEMA (*Janus Abrahamus à*,) Eq. Med. Doct. S. R. M. Polon. Conſil. & Medic. Extraord.

De eô extant

Diatriba de Febribus. In quâ auctor complures Medicorum Antiquorum juxta ac Recentiorum detegit errores, cum ratione eorumdem Theoriæ, tùm Praxeos; Belgicè conſcripta à Cornelio Bontekoë, dein in Gallicum, tùm verò Italicum verſa, tandem latinitate donata à dictô Gehemâ. Ad calcem hujus appoſita eſt Epiſtola Auctoris ad interpretem, necnon ejuſdem Provocatio, quæ legere licet in editione Belgicâ quartâ, nunc quoque Latinè tranſlata. Hagæ Comitis, apud Petrum Hagium, 1683. in 8.

Decas Obſervationum Medicarum. I. Ventriculi excoriatio cucumerum eſu perſanata. II. Miranda per anum excretio. III. Singultus & Sternutationis extemporalis curatio. IV. Hydrops ſingulari paracenteſi abſumptus. V. Febres intermittentes verbis curatæ. VI. Uteri fœcunditas promota. VII. Dyſenteria deſperata. VIII. Phthyſis ſolo odore curata. IX. Lumbricorum tumulus. X. Moxa ſine noxâ. Bremæ, typis Herm. Braver 1686. 12.

Diætetica vera ſanæ rationi ac experientiæ certæ innixa; in gratiam, vitam & ſanitatem longam exoptantium conſcripta, Sedini apud Johan. Adam. Plenerum, 1690. 12.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1683. *p.* 201.

De Morbô vulgò dictô Plica Polonica, Literulæ ad D. Cornel. Bontekoe Hagæ Comitis, 1683. *&* 1685. *in* 8. *&* *Hamburgi, in* 12.

Quiviles & centurio hactenus extiterat, è caſtris Martialibus ad Medica tranſit Scriptor præſens, non tantùm de Moxæ in Podagrâ uſû hoc ipſô annô editô tractatû, ſed & Epiſtola hac publicata. Sc. cùm videret, raram hanc de Plicâ Polonicâ materiam à paucis admodum Medicis ſufficienter fuiſſe enucleatam, imò ipſos Poloniæ Practicos ad alios, ſc. Italos, ſuos quos morbô hoc affectos obſervant, non ſine Nationis ſuæ dedecore ablegare, quaſdam à ſe in eôdem malô obſervatas circumſtantias congeſſit, harumque cauſas & medelam à Dn. *Bontekoë*, ut Practicô celeberrimô, petit. Præprimis autem Ruſſis potius, quam Polonis, morbum hunc gentilitium ſeu inquilinum aſſerit; per contagium eundem propagari, variiſque, præter plicas capillorum ſymptomatis, v. g. paralyſi, arthritide, contracturis, colicâ, viſûs imbecillitate, cœcitate &c. ſtipari: imò certis aquis vim plicandi, & quidem in momentô ferè, ſubeſſe. Gloriari in his plicis Sarmatas ait, eaſque non ſaltem in capite, ſed in pube quoque geſtare: imò Scythiæ, Poloniæ & Ruſſiæ bruta nonnulla, oves ſcilicet, canes, ac frequentius equos, iis infuſcari: & quod ſtupendum, fœtus quoque, calvaſtros natos, per ſolius imaginationis maternæ vim temporis tractû plicas contrahere.

GEHLERUS (*Michaël*,) Gorlicius.

De eô extat

De Plicâ Diſputatio. Extat Decade III. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ, Joh. Jac. Genathius 1620. in 4.

GEIGER (*Malachias*,)

Ex eô habentur

Kelegraphia, ſeu, Deſcriptio Herniarum, cum earundem Curationibus tam Medicis, quam Chirurgicis. Monachii, apud Nicol. Henricum, 1631. in 8.

Microcoſmus Hypochondriacus, ſive, de Melancholiâ Hypochondriacâ, Tractatus. In quô non ſolùm Phyſicè, ſed etiam Practicè de illius eſſentiâ & naturâ, omnia, prout modernô tempore & ſeculô, in Macrocoſmô & Microcoſmô deprehenduntur, ſignificantur. Curatio hujus Affectûs, in quantum ſanabilis & curabilis eſt, ex triplici curationis fonte, Diæteticô, Chirurgicô, & Pharmaceuticô, deſumta, non minùs jucundè, quam utiliter proponitur, tam ſecundum communem & conſuetum, quàm inaſſuetum & extraordinarium vitæ noſtræ uſum. Quibus Emblemata varia, tam Galenica, quàm Hermetica, ornatus & utilitatis gratiâ cum explicationibus ſuis addita ſunt: intermixtis Controverſiis, Obſervationibus, Hiſtoriis, & Politicis doctrinis: Remediis etiam ſelectiſſimis tum Galenicis tùm Chymicis, & moralibus: omnibus cujuſcunque conditionis Microcoſmis, uti ſpero, acceptabilibus, utilibus & ſcitû neceſſariis. Monachii, apud Lucam Strave, 1651. in 4.

GEILFUSIUS (*Joh. Chriſtophorus*,)

De eô extant

Inſtitutiones Medicæ, Hiſtoriis, Obſervationibus rarioribus, ſecretiſque multis auctæ. Auguſtæ Vindelicorum, apud Johan. Prætorium, 1658. in 12.

GEISLER (*Fridericus*,) Freibergâ-Syleſius.

Ex eo habetur

Excellens noſtri viridis Panacæa Leonis Cabaliſticè deſumpta ex illô ſapientum Antiquorum ænigmate: Viſitabis interiora terræ; rectificando invenies occultum lapidem veræ ac univerſæ Medicinæ. Norimbergæ, apud Paulum Fürſtium, 1678. in 12.

GEITZCOFLER *à Geilenbach* (*Zacharias*,)

De eô extant

Calculi veſicæ ſingularis Hiſtoria. Extat Cent. I. Epiſt. Guil. Fabr. Hildani. Oppenheimi apud Joh.

Joh. Theodor. de Bry 1619. in 4. pag. 217. Francof. 1646. in fol.

Molæ & eam ſequentium ſymptomatum ſingularis Hiſtoria. Extat ibidem, pag. 328.

GELEINEN (*Georgius Phædro de*) Scripſit Chirurgiam minorem ſeu methodum perfectæ Curationis omnium ulcerum. *Goëlicke.*

GELENIUS (*Sigiſmundus,*)

Caji Plinii Hiſtoriarum Lib. 37. ſummâ fide caſtigatos edidit : additis ad marginem variis Lectionibus ex Rintiani, Turnebi, Lipſii, aliorumque ſcriptis.

GELLIUS (*Johannes,*)

De eô extat

De internis Oculorum affectibus, Diſputatio. Extat Decade VII. Diſputationum Baſilienſium à Ghenatiô editarum. Baſileæ, 1631. in 4.

GELLO (*Joh. Baptiſta de,*) Florentinus.

Ex eô habentur

De Naturæ humanæ Fabricâ, Dialogi decem; in quibus Uliſſes cum aliis quibuſdam Græcis, qui in varias belluarum formas tranſmutati erant, de hominis animantiumque reliquorum præſtantiâ ac miſeriâ diſputat. Opuſculum olim à Johanne Baptiſta de Gellô, Academicô Florentinô, Italicô ſermone proditum, nunc multis in locis reſtitutum & in Latinum converſum à Johan. Wolfiô. Ambergæ, apud Michaëlem Forſterum, 1609. in 12.

GEMINUS (*Thomas,*) Lyſienſis.

De eô extat

Compendioſa totius Anatomiæ Delineatio, ære exarata. Londini, apud Joh. Herfordie, 1545. in fol.

GEMMA (*Cornelius,*) Lovanienſis.

De eô extant

De Naturæ divinis Characteriſmis, ſeu, raris & admirandis ſpectaculis, cauſis indiciis, proprietatibus, rerum in partibus ſingulis univerſi, Libri II. Antverpiæ, apud Chriſtoph. Plantinum, 1575. in 8. ſub finem hujus operis adjecta ſunt : Caſus mirabilis cujusdam abſceſſûs in puellâ Lovanienſi : relatus puer in prodigiorum claſſem, iſtic uberius in Medicorum gratiam explicatur. De rarô genere Epidemicæ Febris ac Peſtilentis, quæ ad Galeni Hemitritæos accedens proximè, magnâ contagii vi totum biennium pergraſſata eſt, etiamnùm durans in hanc æſtatem anni 1574. Quô quidem Exemplô longè aptiſſimô Methodus univerſa tum ad cauſæ inventionem, tum ad curationem in Morbis abditiſſimis aperitur. De ulteriore tranſmutatione Febris peſtilentis in Peſtilentiam veram, quæ ſævire affatim cœpit æſtate anni 1574. deque illius Methodô curatrice.

De Arte Cydognomicâ Tomi 3. Doctrinam ordinum univerſam, unàque Philoſophiam Hippocratis, Platonis, Galeni, & Ariſtotelis in unius communiſſimæ ac circularis Methodi ſpeciem referentes, quæ per animorum triplices orbes ad ſpheræ cœleſtis ſimilitudinem fabricatos, non Medicinæ tantum arcana pandit myſteria, ſed & inveniendis conſtituendiſque artibus ac ſcientiis cæteris viam compendiariam patefacit. Antverpiæ, apud Chriſtophorum Plantinum, 1569. in 4.

GEMMA *Friſius*, Natus Docconii in Friſiâ A. C. 1508. creatuſque Lovanienſi in Univerſitate Medicinæ Doctor, Medicinam publicè, & Mathematicas Artes eadem in Univerſitate privatim docuit, obque eaſdem ſummam gratiam apud Carolum V. Imperatorem, variosque Magnates meruit : Vir ſtaturâ parvâ, membris gracilibus, & facie pallida : Jeremiæ Thriverii familiariſſimus Amicus & Comes fidelis, etiam uſque ad mortem. Uterque enim Medicamentis adverſus fatalem neceſſitatem penitus aſpernatis, brevi temporis intervallô Lovanii peſte obiit ; & hic quidem noſter A. C. 1558. ætatis ſuæ 50.

De eô extant

Conſilia quædam de Arthritide. Extant eô in opere, quod Henricus Garetius edidit, Francof. apud Joh. Wechelum, 1592. in 8.

GEMMA (*Joh. Baptiſta,*) Venetus, Sereniſſ. Poloniarum & Sueciæ Regis Sigiſmundi III. Medicus &c.

Ex eô habetur

De verâ ratione curandi Bubonis atque Carbunculi peſtilentis, deque eorumdem præcautione, Commentarius. Dantiſci, apud Jac. Rhodum, 1599. in 4. Venetiis, apud Johan. de Albertis, 1602. in 4.

GEMUSÆUS (*Hieronymus*) Helvetius Medicus & Philoſophus præclarus, in Taurinenſi & Baſilienſi Gymnaſiis. Mortuus A. C. 1543. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extant

In Libros Pauli Æginetæ omnes Annotationes nùnc & primùm concinnatæ, & in lucem editæ. Baſileæ, apud Andr. Cratandrum, 1545. in fol.

Præfatio in Theophraſti Ereſii Opera.

GENATHIUS (*Joh. Jacobus,*)

Ex eô habentur

Decas prima Diſputationum Medicarum ſelect. nobiliſſimas & utiliſſimas materias continentium : in gratiam plurimorum Artis Aſclepiadeæ ſtudioſorum, oretenus & ſcriptis tale quid ſæpiſſimè deſiderantium nùnc de novô recuſarum. Baſileæ, ex propriâ Typographiâ, 1618. in 4.

Decas ſecunda Diſputationum Medicarum ſelect. &c. Ibidem 1619. *in* 4.

Decas tertia Diſputationum Medicarum ſelect. &c. Ibidem, 1620. *in* 4.

Decas quarta Diſputationum Medicarum ſelect. &c. Ibidem, 1620. *in* 4.

Decas quinta Diſputationum Medicarum ſelect. &c. Ibidem 1621. *in* 4.

Decas ſexta Diſputationum Medicarum ſelect. &c. Ibidem, 1622. *in* 4.

Decas ſeptima Diſputationum Medicarum ſelect. &c. Ibidem, 1631. *in* 4.

GENDRE (*Antonius,*) Arvernus.

De eô extat

De Febre Epidemicâ in Montis-Albani obſidione graſſatâ, Medica Diſſertatio. Quâ popularium morborum, febriliumque ſymptomatum diagnoſin, prophylacticem, & therapeiam Charus Apollineæ diſciplinæ alumnus acutiſſimè rimabitur. Lugduni, apud Anton. Chard. 1626. in 8.

GENDRON (*Des Haies,*) Doctor Medicus in Univerſitate Monſpelienſi.

Ex eô habentur in Actis Lipſiens. Ann. 1701. *p.* 304.

recher-

Recherches ſur la nature & la Gueriſon des Cancers &c.
i. e.
Diſquiſitio de naturâ & curâ Cancri. Pariſiis; apud Florentinum & Petrum Delaulne, 1700. *in* 12.

INter tumores, qui præter naturam hominem affligere ſolent, periculoſiſſimus ſine dubio eſt, qui Cancri nomine inſignitur. Sive enim refractarium ejuſdem genium attendas; ſive loca, quæ non raro ſatis nobilia infeſtat, perluſtres; ſive graviora ſymptomata concurrentia dubiumque curationis eventum contempleris; nil niſi miſerrimam hâc labe laborantis ægri conditionem deprehendes. Quandoquidem verò quæ majori cum periculô conjuncta, majori etiam ſtudio pertractanda ſunt, laudem haud exiguam merentur, qui poſthabitis omnibus præconceptis opinionibus, in naturam & curam pertinaciſſimi hujus mali inquirere, operæ pretium ducunt. Videamus brevibus, quid hôc in Librô Dn. *Gendron*, Medicus Mõſpelienſis, præſtiterit, ac quibus rationibus præſentem ſuam de Cancrô diſquiſitionem ſuperſtruxerit. Obſervamus autem primô ſtatim limite, in explicandâ hujus affectus naturâ Autorem ab antiquorum juxta & modernorum dogmatis penitùs recedere: & cùm veterum doctrina ex humore atrabiliosô aduſtô ac curruptô originem hujus mali deduxerit; modernorum verò plerique acidum fermentum in generandô hoc tumore accuſare ſoleant; Autor noſter neque hanc, neque illam approbare ſententiam videtur, dum naturam & cauſam hujus mali in partibus corporis noſtri ſolidis quærendam eſſe ſtatuit. Unô verbô, nihil aliud ſub Cancrô concipiendum eſſe putat, quam partium nervoſarum, glanduloſarum, vaſorumque lymphaticorum transformationem omnimodam in ſubſtantiam quandam homogeneam, duram, compactam, accretionis atque exulcerationis capacem, quam à ſolô defectû & ceſſatione ſucceſſivâ roboris fibrarum, vaſorum excretoriorum & glandularum naturalis originem trahere perſuaſus eſt.

Præmiſſis igitur capite primô de cognoſcendo hoc tumore generalibus, incipit capite ſecundô tractationem ipſam cum deſcriptione Cancri accuratiori. Siquidem autem malum hoc, reſpectû originis, progreſſus & ſituationis ſuæ, adeò diverſè ſe repræſentare ſolet, ut ſimplici quadam definitione comprehendi nequeat, optimô conſiliô ſingulas Cancri ſpecies ſingulari deſcriptione proponit, initium faciendo à Cancrô mammarum, progrediendo poſtmodùm ad uteri, oris, narium, cutis, aurium atque oculorum, tumores cancroſos, quos ſigillatim à primô germine ad ultimum uſque exulcerationis terminum exactè deſcribit.

Capite tertio examen ſubſtantiæ cancroſæ anatomicum inſtituit: ad quod ſuſcipiendû certæ quædã Autorem circumſtantiæ invitabant, in cura Cancri frontis obſervatæ, quæ tales erant: applicabat ulceri cancroſo in medio frontis viri cujuſdam conſpicuo remediû corroſivum, atque eſchara hinc excitata & delapſa, vulnus conſolidabat. Elapsô aliquô tempore, juxta cicatricẽ de novô apparebat durities quædam exigua, livida & valdè dolens, quam applicatô eodem corroſivô extirpare ſatagebat. Cùm autem, poſt decurſum aliquot menſium, æger eodem malô iterum infeſtaretur, tertiâ vice, auctâ tamen dóſi, corroſivum illud remedium repetebat: tentabat autem hâc vice, impatientia motus, eſcharam cum ſtylô commovendô, ex ſede ſuâ eandem deturbare, obſervabatque in interſtitiô illô, quod carnem atque eſcharam intercedebat, alba quædam filamenta, dura quodammodô, quæ ope forcipiculæ unà cum eſchara tandem extrahebat, non ſine inſigni tamen patientis dolore. Erant autem hæc colore, & ſubſtantia filamentis radicum porri non abſimilia, atque originem ex diverſis frontis partibus ducebant. Poſtquam tandem ſimplici quodam emplaſtrô vulnus conſolidaverat, malum poſteà nunquam apparebat, ſed perfectè curatum deprehendebatur. Ex quô, ut & aliis Cancri examinibus anatomicis quamplurimis, per integros octo annos, ſedulâ attentione inſtitutis, ſequentia formare non dubitat axiomata:

1. Cancrum naſci in partibus glanduloſis, nervoſis & locis illis omnibus, ubi vaſa lymphatica atque excretoria occurrunt numeroſiora, eundemque perpetuò ſub una eademque comparere ſubſtantia dura, compactâ, plus minuſvè dolente, accretionis itidem atque exulcerationis capaci.

2. Subſtantiam illam perfectiorem obſervari in mammis atque uterô, ubi cum cornû teneriori & vaſis ſanguineis refertô comparari non incongruè poſſit.

3. Subſtantiam illam compactam & duram, quæ in Cancrô ſemper & ubique invenitur, Cancrum conſtituere eſſentialiter, ac formatam eſſe per deſtructionem ſtructuræ glandularum vaſorumque lymphaticorum, quæ, ceſſante functione conſuetâ, ad filtrationem ampliùs non ſint idonea, atque ideò, tractû temporis, in ſubſtantiam abeant jam deſcriptam.

4. Non confundendam eſſe cum ſubſtantiâ Cancri ipsâ excreſcentiam illam fungoſam, in Cancrô exulceratô aliquandò conſpicuam, quippe quæ formetur ſaltem ex ſolâ diſciſſione fibrarum carnoſarum vel muſculorum, qui, factâ jam exulceratione, denudantur; hinc etiam ſubſtantiam ejuſdem mollem eſſe, minus ſenſatam atque extirpatu faciliorem.

5. Livorem circa tumores cancroſos conſpicuum, qui ut effectus acidi corroſivi communiter ab autoribus conſideratur, ex ſolâ interruptione circuli ſanguinis eſſe deducendum.

Poſtquam ſub initium capitis quarti objectionibus veterum & modernorum, de causâ hujus mali in acidô quodã corroſivô quærenda ſatisfecit, ſuam de genuinâ Cancri causâ in eôdem hoc capite proponit ſententiam, quæ, ut ſuprà jam facta eſt mentio, hæc eſt: nimirùm veram tumoris cancroſi cauſam nullam eſſe aliam, quam deſtructionem ſucceſſivam roboris canalium vaſorumque excretoriorum naturalis, quæ (ſc. vaſa,) ceſſante functione ſuâ ordinariâ, in ſubſtantiam illam duram & compactam, quam Cancrum appellamus, abire neceſſe ſit.

Non ſufficit autem Autori, dediſſe naturam & cauſam hujus affectûs; pergit itaque capite quintô explicando accretionem vel incrementum ejuſdem. Hoc ſequentem ferè in modum fieri ſibi concipit: ſuppoſitô ſcilicet perpetuô illô commerciô, quod glandulæ ratione uſus & functionis inter ſe habent invicem, fieri aliter non poſſe putat, quam ut Cancri germen, vel indurata illa parva ſubſtantia, cum vicinis glandulis, vaſis ſanguiferis ac nervis communicet per compreſſionem continuam certas quaſdam alterationes, quæ impediant, quominus ſpirituum & ſanguinis ſufficiens quantitas ad partes illas deferri queat; quô factô, robur earumdẽ naturale labefactari, & functiones conſuetas ceſſare, atque hôc modô corruptionẽ illã, quæ in induratione partium conſiſtit, ulterius propagari evidens ſit. Atque ex hoc ipſô fundamẽtô, quod ſcilicet maſſa cancroſa ex deſtructione & coalitione fibrarum

fibrarum nervoſarum & glanduloſarum formetur, ex humore lymphaticô nutritionem capiat, atque abſque ullô impedimentô in dies ad ſenſum accreſcat, putat non inconvenienter poſſe incrementum hujus mali per cornuum generationem in quadrupedibus explicari. Imò prout ejuſmodi cornua, accretione ſuâ continuâ, dolorem vel pruritum animalibus in fronte excitare ſolent, ità & Cancri ſubſtantiam duritie ſuâ partes nervoſas ſatis moleſtè comprimentem, ad dolores excitandos ſufficere poſſe, abſque falsâ acidi corroſivi ſuppoſitione, omnino perſuaſus eſt. Negat prætereà, per bonam conſequentiam dolorem eſſe charactere Cancri ſpecificum atque individualem; id quod nec Avicennæ ignotum fuiſſe aſſerit, quippe qui jam ſuô tempore differentiam inter Cancrum dolentem atque indolentem agnoverit.

Caput in ordine ſextum orditur à cautelâ illâ, quæ in diſtinguendâ exulceratione Cancri & Cancrô ipſô obſervari debet. Putat enim, diverſam omninò eſſe cauſam Cancri ab exulcerationis ejuſdem cauſâ; hanc autem neceſſariò ſupervenire Cancro putat, ſtatim ac tumor cancroſus integumento cutis naturali ſpoliatur. Rupta enim, propter accreſcentem quotidie Cancri tumorem, cute, ſimul & vaſa illa dilacerantur, quæ ad ſubſtantiam Cancroſam ſuccum afferre ſolebant nutritium, quibus diſruptis imprimi humoribus illis extravaſatis aceſcentiæ cujuſdam ſpeciem, quæ à corruptione nullô modô defendi poteſt, probabile ſit. Eandem enim cauſam proximam, ex Autoris noſtri ſententiâ, Cancri exulceratio agnoſcit, quam reliqua ulcera pleraque experiuntur: quod autem adeò differant, ratione difficillimæ curationis, ulcera cancroſa ab aliis ulceribus, à ſolâ dependere videtur ſtructura cancroſæ ſubſtantiæ, quæ adeò quidem à ſtatû naturali recedit, ut nihil ſuperſit quo natura ad reductionem in ſtatum priſtinum uti queat.

Explicatis hôc modô naturâ, cauſâ, incrementô atque exulceratione Cancri, neceſſarium ducit Autor applicare ideam illam, quam de ortû & naturâ Cancri dedit, phænomenis in aliis tumoribus, qui in cancroſos degenerare ſolent, obſervandis. Agit itaque capite ſeptimô de ſcirrhô, ſcrophulis, polypô, ſarcomatis, epulide atque ozæna, i. e. tumoribus illis, qui tractû temporis, ſi negligantur, cancroſi fieri ſolent. Horum autem transformationem facillimè concipi poſſe putat, ſi conſideremus, ſecundum autoris opinionem; quod omne id quod durum eſt, compactum, cornu teneriori ſubſtantiâ ſuâ ſimile, cancroſum appellari mereatur, & quod durities illa compacta nihil aliud ſit, quàm transformatio partium nervoſarum vaſorumque lymphaticorum in corpus ejuſmodi calloſum, quod denique per collectionem partium homogenearum ac nutritionem illam, quam continuò recipit; incrementi ſenſibilis, ac ſi ulterius augeatur, exulcerationis capax evadit; uti jam explicatum in præcedentibus fuit.

Supereſt caput ultimum, octavum nimirum, in quô curam Cancri tam veram, quàm palliativam proponit. Et veram quidem duplicem iterùm facit, aliam nimirùm per exſectionem vel amputationem partis cancroſæ; aliam per applicationem cauteriorum inſtituendam. Et quamvis alias autorum nonnulli operationes chirurgicas omnes in Cancrô maximè ancipites faciant, nihilominùs tamen Autor noſter ferrô inſtituendam extirpationem ejuſdem eſſe aſſerit in tali caſû, quando tumor cancroſus mobilis eſt adhuc ad ſenſum, & nullibi lateraliter adhæret, conſequenter nulla de ſe ſpargit adhùc filamenta, quæ vicinas partes jam inquinaverint. Hujus autem naturæ Cancrum eſſe omnem, qui a ſcirrhosô vel ſcrophulosô tumore originem trahit, conſequenter huic curationem ferro inſtituendam nunquam denegandam eſſe, ſatis ingenioſè probat. Annotari etiam meretur quam hac occaſione inculcat cautelam, factâ jam ſectione tumoris cancroſi probè obſervandam: intempeſtivô nimirum conſiliô à quibusdam præcipi, ut paulò diutiùs ſanguis effluì è vulnere permittatur; id quod omnibus modis improbat, & ſibi potiùs conſuetum eſſe docet, ſtatim poſt operationem linea carpta corroſivô quodam arſenicali imbuta applicare, ad vaſa ſanguinea cauteriſanda, eſcharamque ità ſeparandam, ut ſimul evellatur quod de filamentis cancroſis ſupereſſe poteſt. Neque verò alteram curandi rationem per ſic dicta eſcharotica penitùs improbat, quamvis eandem ab imprudentibus Helmontianis ac Paracelſiſtis infelici ut plurimùm ſucceſſû in uſum vocari frequentiùs non neſciat, quin potiùs duo diverſa proponat exempla curatorum per eſcharotica à ſe ipsô ejuſmodi tumorum: alterius quidem in gingivâ mandibulæ ſuperioris, alterius verò in palpebrâ oculi ſiniſtri ſuperiori; quâ occaſione ſimul artificium illud publicare non dubitat, quô mediante, oculi bulbum à contactû applicati corroſivi, maximè nocivô, defendit, aurô nimirùm foliatô, quod inter palpebram & bulbum ipſum, ante cauterii applicationem, ſummâ cum circumſpectione intruſerit. Monet autem in curatione per eſcharotica in genere maximâ opus eſſe cautione, ut cauſticum illud vel corroſivum remedium inter partem ſanam & duritiem ipſam cancroſam ſemper applicetur; quod ſi enim cauſticum imponatur ſubſtantiæ cancroſæ ipſi, facilè poſſe per dolorem illum, quem producere ſolet, occaſionem dari filamentis nervoſis vaſiſque lymphaticis abeundi in ſimilem cancroſam ſubſtantiam, atque ità ex tumore cancroſô ſimplici occultum fieri atque incurabilem.

Hæc de curâ cancri verâ & radicali. Supereſt, ut de palliativâ ad mentem Autoris quædam proferamus. Putat autem quod ante omnia monendum, curæ huic palliativæ nullô modô contrarium eſſe Hippocratis aphoriſmum 38. Sect. 6. ubi hæc leguntur verba: quibus occulti cancri fiunt, non curare melius. Nunquam enim Hippocratem, ut falsò nonnulli aſſerere audent, docuiſſe, penitùs relinquendos eſſe ejuſmodi ægros, qui cancrô occultô, i. e. incurabili, laborant: ſed dicendo *non curare melius*, illorum ſaltem inſtitutum improbare, qui ferro aut cauteriis cancrum occultum i. e. per diſperſas jam hinc inde ac profundiùs infixas radices ſuas incurabilem, tractare temerario auſu conantur. Impoſſibilem enim in ejuſmodi cancro induratæ ſubſtantiæ reſolutionem, atque exulcerationis conſtantem conſolidationem, haud ignoràſſe Hippocratem, certiſſimum eſſe putat. Quam funeſtum autem temerariæ cancri occulti curationes ferrô aut cauteriis inſtitutæ exitum communiter habeant, comprobat illuſtri Reginæ Galliæ, Annæ Auſtriacæ, hodierni Regis Galliarum matris exemplo, quæ cancrô occultô mammæ ſiniſtræ affecta, reiteratis multoties Regis atque Aulicorum ſuorum precibus, cogebatur curam ejuſdem temerario cuidam Helmontiano committere, adeò infelici autem ſucceſſû, ut non ſolùm à malô hôc non liberata, ſed & inſuper in longè pejorem ſtatum tranſlata fuerit, ità ut paucis ab inſtitutâ curâ annis, ex eôdem cancrô tandem interierit. Colligit inde ſatis judicioſè, nunquam curam Cancri occulti radicalem à conſcientioſô Medicô tentandam eſſe;

eſſe; interim tamen tam ante, quam poſt ejuſdem exulcerationem, palliativa remedia locum omnino habere. Ex his autem palliativis remediis alia, ſecundum Autorem, interna ſunt, quæ non niſi in tali caſû conveniunt, ubi ab internâ causâ malum hoc originem trahit, e. g. aurum diaphoreticum Poterii, remedia ♂ alia, præparationes lumbricorum terreſtr. variæ, & Tinct. ♁ ii, ad mentem Baſilii Valentini parata. In applicatione externorum ſequentia ſedulo advertenda eſſe docet: nimirùm præſente dolore nimis pruriginoſo aut pungente cavendum, nè per diuturniorem ejuſdem continuationem cancri involucrum ad exulcerationem uſque augeatur, id quod impediendum narcoticis potiſſimùm, quale eſt ſolanum furioſum, ab Italis *Bella Donna* dictum, quo Abbas *Gendron*, Autoris cognatus, in cancri curâ ſuô tempore omnium feliciſſimus, & Percivallus Willughby, Anglus, ut arcano uſi fuiſſe feruntur; huic autem Autor noſter tantillum ſacchari ♄ ni, pro rei exigentiâ & cum cautione, addere ſolet; ſtatim ac verò dolores iterum ceſſaverint, narcotica hæc etiam auferenda eſſe ſeriò ſuadet, quippe quæ, ſi continuentur nimis diù, pejora prioribus ſymptomata excitare valeant. Contra nimiam partis cancroſæ indurationem commendat ſacculos Abbatis illius cujus, jam facta eſt mentio, quorum præparatio conſiſtit in calcinatione lapidis cujuſdam poroſi, in Belſiâ, Franciæ juxta Ligerim provincia, reperiundi, ex quô ſal lixivioſum extrahere ſolebat; hujus autem topici virtutem per additionem 🜔 is ♂ is, ♄ ni & ♀ is multum augeri poſſe ſimùl monet.

Exulceratione jam factâ, ita tractandum eſſe malum hoc Autor noſter docet, nè à ſimplici & ſuperficiali exulceratione ſtatim degeneret in ulcus profundum, cum effuſione continuâ tinctæ ſeroſitatis, fœtore cadaveroſô, labiis durioribus inverſis, atque excreſcentiis fungoſis conjunctum. Hunc in finem non inconvenienter applicari poſſe linea carpta ſucco plantaginis, ſolani & melle imbuta, hac tamen cautione, nè per diuturniorem eorundem uſum, extremitates fibrarum exulceratarū plus juſtô emolliantur, atque ita conſuetis alterationibus magis obnoxiæ reddantur. Ab hoc remediô deveniendum ad uſum aquæ ex plantagine, bella donna, albumine ovorum, melle, vitriolô albô & cancris fluviatilibus deſtillatæ, quâ ulcus non ſolùm lavandum, ſed faſciæ etiam imbuendæ. Hâc ipſâ aquâ enim valdè demulceri dolores, certiſſimô experimentô affirmat; ne tamen plus juſto emolliatur ulceris fundus, ſtatim poſt ejuſdem uſum adhibere iterum aquam plantaginis deſtillatam, in quâ lapidis medicamentoſi Crollii parùm ſolutum fuerit, neceſſarium ducit. Prout autem ultimô hôc ulceris fundus nimium etiam deſiccari poſſit, ad mentem Autoris neceſſe erit interponere applicationem mumiæ mineralis Poterii cum tantillô myrrhæ, quibus conſpergendum ulcus, ac contegendum probè linteô duplicatô oleô olivarum & lithargyriô imbutô, pro arcendô aëris acceſſû, ulceribus ejuſmodi admodùm nocivo. Ad extirpandam ulceris excreſcentiam fungoſam commendat Autor præ cæteris pulverem arſenici & Realgar ad mentem Theophr. Paracelſi paratum. Aquam autem quandam phagædenicam cum tantillô myrrhæ atque aloës mixtam, in tali caſû convenire aſſerit, ubi ulcus ipſam ſubſtantiam cancroſam penetret profundius, & diſpoſitio ad putredinem vel ſphacelum jam adſit. Tandem finiendo totum tractatum, fatetur, cardinē curationis unicè in hôc cōſiſtere, ùt probè obſerventur à Medicô indicationes omnes, quæ commutationem jam allegatorum topicorum poſtulant.

GENGA (*Bernhardus*,) de Mundulpho ſtatus Urbini, Phil. ac Med. Doct. in venerabili Archioſpitali SS. Chirurgus, Primarius Decanus ac Chirurg. & Anatom. Profeſſ.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1695. *p.* 125.

In Hippocratis Aphoriſmos ad Chirurgiam ſpectantes commentaria, Latinô ac Italicô idiomate ad communiorem intelligentiam exarata. Romæ, typis Rev. Cam. Apoſt. 1694. *in* 8. poſteaque Bononiæ 1697. in 8.

UT in genere, qui inexhauſti quaſi ſunt textus, diverſimodè tractati viſuntur in omni genere literaturæ; ita idem & circa Aphoriſmos Hippocratis factum videas. Hinc & non univerſi æque & conjunctim à commentatoribus illuſtrati ſæpè, ſed hi illi ſolum, pro authorum placitô. Inter hos nobiliſſimus hic noſter quinquaginta ſibi è reliquorum numerô ſelegit, eoſque ad Chirurgiam ſpectantes ſolum.

Explicat ergò eoſdem in hunc ſcopum & applicat. v. gr. in carbunculis neceſſariam ſcarificationem commendans, ſenes cautius heroicis operationibus ſubjiciendos monet, imprimis hyeme, ubi ſenes bis ſenes, ſicut æſtate ſemiſenes vocat. Conſultationes plurium Chirurgorum & Medicorum damnoſas ſæpè ſcribit, non aliter, ac ſi vitrum mundandum pluribus committatur. Tumores circa anum & in cantô internô oculi quam citiſſimè aperiendos memorat, ne in fiſtuloſa ulcera abeant.

Materiam puris cum Anglis à ſuccô nutritiô, non à ſanguine derivat, ſecretione partium albarum & lactearum, in ipſomet ſanguine contentarum, facta, conferente acidô. Nervos & tendines vulneratos conſutos fuiſſe & ad perfectam ſanitatem perductos, nugas cenſet & ridiculas jactationes. A contuſione capitis ſanguinem extravaſatum poſt aliquod tempus, tum per alias partes, tum per oculos extrudi, apparentibus ecchymomatibus; ubi cavendū monet à repellentibus. Nō promiſcuè ad trepanationem vel paracenteſin thoracis vel abdominis deveniendum eſſe, ſed ſolùm quando ipſa natura repurgandi modum non aſſequitur.

Per cancrum occultum intelligit non tantùm non exulceratum, vel in reconditâ aliquâ parte, ſed in ſanguine latentem cum ſuô inquinamentô, unde etiam curatos per duos plus minùs annos viſos redundante tandem ad lienem malo, ibique cancrô contractô, mortuos refert; in quibuſdam etiam ſymptomata cancri, modò in mammâ, modò in totô ſe exerentia reciprocaſſe, hiſtoria monialis confirmat.

Oſſium ſeparationem in ulceribus, non tam ſiccantibus & raſione, quam facilius longè humidis, & pinguibus præſtari aſſerit. Oſſium glutinationem interdum difficillimam, quin impoſſibilem eſſe, peculiari naturæ vitiô, & non artis defectû, exemplis comprobat. Obſervavit etiam ligamenti rotundi femoris defectum, uſtionem iſchiadicam cum ſucceſſû, dolore ſtatim ſedatô factam, & modum hepatis inurendi docet.

Hinc inde quoque quæſtiones dilucidat & problemata, ut de Medicô ſene, Chirurgô juvene, de uſu albuminis ovi in recentibus vulneribus &c. Addit animadverſiones, interſpergit exempla & obſervationes, ut abſceſſus circa umbilicum aliaque, quæ partim directè & ſpeciatim ſpectant ad Chirurgiam, partim cōmunia ſunt, & illuc applicari queunt, ex veterum & recentiorum hypotheſi.

GENGERUS (*Jacobus*,) Eycſtadius, Medicus Celeberrimus, Vixit A. C. circiter 1534. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extat

Conſilium de Peſtis regimine, præſervatione, & cura. Auguſtæ Vindel. apud Philipp. Ulhardum, 1534. in 8.

GENOVA (*Georgius*,) Chirurg.

De eô extat

Oſpitale publico di varii mali, & eſperimentati Secreti. In Bologna, 1673. 12.

GENSELIUS (*Joh. Adamus*,)

De ejus Vitâ ſic in Appendice Cent. IX. *&* X. *Ephemer. German.*

Memoria viri nobiliſſimi Dn. Johannis Adami Genſelii, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Inclyt. Regiæ Liberæ Civitatis Sempronienſis Phyſici, Academiæ Cæſareæ naturæ Curioſorum adjuncti, & Societatis Regiæ Boruſſiæ Collegæ, poſteritati, nomine præfatæ Academiæ, à Dn. Johanne Mauriciô Hoffmannô dicata.

CUm eximias virtutes ſponte ſuum conſequatur decus, nec ulla pretioſior ſtatua, quàm honorifica vitæ anteactæ memoria erigi poſſit, optarem ego, dum *Joh. Adami Genſelii*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris de re literariâ, cumprimis de plurimornm mortalium incolumitate in patriâ, liberâ civitate inferioris Hungariæ Regiâ Sempronienſi Phyſici maximè meriti, Academiæ noſtræ Imperialis Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum, Adjuncti, & Societatis Regiæ Boruſſiæ Membri digniſſimi vitam reſque optimè geſtas deſcribere, atque ab oblivione vindicare annitor, ut voluntati promtiſſimæ æqua facultas ſuppeteret. Et verò meritus eſt multis præ aliis vir ille, ut gratam ſui recordationem ſanctè ſervemus, & qui conſiliis ſuis, divinâ gratiâ adjutus, ex Charontis cymbâ feliciter innumeros extraxit, ejuſdem nomen ac honorem laudeſque lethæis etiam undis eripiamus, ac voce calamôque feræ poſteritati ea recenſeamus, quæ ad beatè defuncti ortum, ſtudia, famam, merita & obitum pertinent.

Primùm adeòque natalem ſedem Genſelio noſtro præbuit dictum Sempronium, ob Regiæ Hungariæ Coronæ tutelam ipſi concreditam celebratiſſimum, fortium ac eruditiſſimorum virorum feraciſſimum, in lucem ibi editô, annô proximè elapſi ſeculi ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimô ſeptimô, vigeſimô ſextô Octobris die, patre Corneliô Genſeliô, Patritiô Sempronienſi primiceriô, matre nobili Juditha de Zuanna, Georgii Melchioris de Zuanna, nobiliſſimi & ſingulari prudentiæ encomiô conſpicui Sempronienſis Judicis filia. Gaviſi parentes auſpicatiſſimô hôc thori pignore, Deo creatori & ſervatori ſub ſacro baptiſmatis miniſteriô illud mox offerri curarunt, lætiſſimâ ſpe freti, ſupremô Numine propitiatô, felices fructus fortunatoſque omnium rerum ſubſecuturos eventus; & ſanè tale non poterat fallere præſagium, quandò in educatione, quæ maximam, teſte Senecâ, diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat, nunquam ſatis laudandi parentes officio ſuo neutiquam defuerunt, ſed quemadmodum in agrô in vere primo tantum ſementis quantum neceſſarium injicitur, ut ſubſecuturæ æſtatis ſperandos fructus colligere liceat, ità filioli inter primæ ætatis incrementa congenita optimæ indolis & ſolertiæ ſeminia fidelium Informatorum curæ commiſerunt, meſſis, quæ mox lacteſcere incipiebat, maturitatem fœcundam hinc præſtolaturi. Exegit itaque puer & adoleſcens ſub fideli inſtitutione Johannis Fridelii, Rectoris Gymnaſii Sempronienſis vigilantiſſimi teneram ætatē, pietatis, probitatis & ſolertiæ cultor indefeſſus, atque ad decus & palmam doctrinæ ſolidioris tam acriter contendit ut humanioris literaturæ & Philoſophiæ adminiculis, per gradus conquiſitis, ex Gymnaſticâ in Academicam ſtationem transmigrandi idoneus habitus fuerit. Annô igitur à nativitate Chriſti milleſimô ſexcenteſimô nonageſimô ſextô, ætatis autem ſuæ decimô ſeptimô Salanam adiit Muſarum ſedem cultiſſimam, ubi non degenerum quorumdam more ociô marcuit aut luxu, quin potius ingenium bonis artibus ac ſcientiis, vitam rectis moribus perpolivit, ac primùm quidem ducibus clariſſimis & circumſpectiſſimis, magnis proceſſit paſſibus in Philoſophiæ tum contemplatricis tum activæ ſtudio, ac perluſtratis hiſtoriarum & antiquitatis priſci ac propioris ævi monumentis, ſpeciatim linguas Orientales ſub felici ungue Johannis Andreæ Danzii, latinas græcaſque literas ſub Doctore Schubarto, veluti earumdem peritiſſimis Magiſtris impenſè excoluit, Logicam, Metaphyſicam, Ethicam, Politicam, Jus naturæ & gentium ſub Philoſophi & Theologi famigeratiſſimi Johannis Pauli Hebentreitii ſcholis, Phyſicam, Matheſin curioſam ſub Archimedis quondam noſtri ſeculi alteriûs incomparabilis, Erhardi Weigelii, hujuſque ſucceſſoris meritiſſimi Hambergeri acroaſibus edoctus eſt, haud ſecutus præpoſterum quorumdam ingeniorum morem, qui illotis, quod ajunt, manibus, ac nullô ejuſmodi litteraturæ cultû, ſuperiorum ſcientiarum ſacra temerariô & pluſquam Icariô auſû involant, ſicque cruda adhùc ſtudia in publicum orbis theatrum propellunt, atque inconditâ orationis ac ſtyli barbarie omnia fœdant; quin adeò potius Genſelius ſubſidiis iſtis elegantioribus ac firmioribus ornatus ac præmunitus, animum propius applicuit ad ſacræ Theologiæ culturam, atque Theologorum conſummatiſſimorum, Mülleri, Völthemii, Gôzii, Bechmanni, Collegia, quà publica quà privata, attentiſſimè auſcultavit, comparatæque doctrinæ publicum documentum in concionum trigâ ex ſuggeſtû ad populum inſigni cum applauſû habitâ dedit. Jam verò valetudo admodum tenuis & infirma, pectoris robur invalidum, aliæque cauſæ ſonticæ poſteà mentis Medicinam, cui hactenùs indefeſſam ſuam commodaverat operam, cum corporis medelâ permutare ipſum coëgerant, ſed neque hoc malè factum erat, ſiquidem uti Philippus Melanchton in locis ſuis communibus Theologicis quondam annotaverat, *Deus* ut authoritatem aliquam Patribus & Prophetis circundaret, indè uſquè ab initiô ornavit eos donô ſanandi. Solertiſſimus itaquè Genſelius noſter ſicuti ægrotis ſalutaribus præceptis ſuggeſtis animum ad curæ optatum finem præparare ideò gnarus erat, ità & præſcribendas regulas atque remedia ad ſanitatem tam præſentem conſervandam, quàm amiſſam recuperandam, uſumque rerum omnium ei ſcopo neceſſarium percallebat, ut potè quibus inſtructus erat à Doctoribus, Georgio Wolffgango Wedelio & Adriano Slevogtio, eô tempore medicandi autem fama gloriaque nominum ſuorum per utramque Solis domum longè latiſſimèque diffuſa, Salano in Lyceo profeſſis; atque nè Genſelii celata virtus & peritia à ſepulta parùm videretur diſtare inertia, non ſolum opponentis & reſpondentis vices in palæſtrâ Academicâ ſæpius obiit, ſed etiam Diſputationem de Genitoris ſui optimi emortuali morbô, iſchuriâ,

proprió Marte conſcriptam, ex cathedrâ maſculè defendit, tuncque jamdùm ſatis idoneus ſuperiorum calculo cenſebatur, qui laureâ condecoraretur Doctorali. Sed quemadmodum aquilæ gaudent motû, nec teſtudinum more contentæ ſunt unô ſtatôque domiciliô, ità ad exemplum nobilium & ad maxima natorum animorum, peregrinas luſtrare terras, viroſque ab eruditione ſingulari commendatos ulterius adire, & familiarius cum iiſdem converſari noſter intendit. Ultimas quippè terras Pythagoram, Democritum, Platonem peragraſſe accepimus, ubi enim quid eſſet quod diſci poſſet eô veniendum, teſte Cicerone, judicaverùnt, & ut plures alios ſilentiô involvamus, Apollonius Tyanæus Perſas intravit, Caucaſum pertranſiit, Albanos, Scythas, Maſſagetas, regna Indiæ opulentiſſima penetravit, & ad extremum Piſon latiſſimô amne tranſmiſſô, pervenit ad Brachmannos, ùt Hiarchum in thronô ſedentem aureô, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de naturâ, de moribus, ac curſu dierum & ſiderum docentem audiret. Indè per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Paleſtinos, reverſus Alexandriam, perrexit in Æthiopiam, ùt Gymnoſophiſtas & famoſiſſimam Solis menſam videret in ſabulô, invenit autẽ ubiquẽ quod diſceret, & ſemper proficiens ſemper ſe melior fieret. Adiit igitur plura cognoſcẽdi ardore flagrantiſſimô Genſelius culta regna, Auſonia, atque urbes ſplendidiſſimas ampliſſimaſque, Bononiam, Florentiam, Romam inviſit, inque iſtis non ſolum virorum celeberrimorum Doctrinam percepit, amicitiam & favorem ſibi conciliavit, conſultationibus Medicis interfuit, ſed & Chirurgicis operationibus in famoſiſſimis Xenodochiis tempus utiliſſimè impendit, hinc autem in antiquiſſimam Antenoris urbem, Patavium, florens illud artis Pæoniæ Domicilium, Phœbi theatrum, & Apollinis fanum ſe recepit, ibi per bienniũ comoratus, doctrinâ, colloquio & converſatione illuſtriſſimi Borromæi, Ramazzini, Donoli, Valliſnerii, Marchetti, Calafatti, Sacchi, Leali, Molinetti, Viſcardi, proh quantorũ nomina! ineffabili emolumentô gaviſus eſt, interimque ſimul Conſiliarii Anatomici munere bis laudabiliter defunctus, mox inclytæ Nationis Germanicæ Artiſtarum Vice-Syndicus electus, poſtea ad Sereniſſimum Venetorum Ducem Aloyſium Mocenigum recèns conſtitutum delegatus, propter regimen Ducale ſuſceptum Nationis Germanicæ nomine vota fecit, eâ hinc obtentâ gratiâ, ùt Equitis Divi Marci illuſtri dignitate ornatus diſceſſerit, ſimiliter à prædictâ inclyta Natione ad Legatum Cæſareum, excellentiſſimum Comitem de Berka amandatus eſt, ùt hunc cùm Venetias appuliſſet, ſubmiſſâ gratulatione exciperet. Reliquos quos Patavii ſingulari cum laude conſumpſerat dies & annos, præter lectiones publicas & privatas, quas ſedulò frequentavit, impendit præcipuè conſultationibus Medicis adſtando, atque cum Medico experientiſſimo Capivaccio ægrotos viſitando, ſicque ad futuram praxin clinicam citam, tutam, jucundam tandem exercendam facultatem ſibi conciliavit; nè autem aliquandò horridioris præſidii ingruente neceſſitate aut audaciâ prolaberetur, aut trepidaret metû, in Hoſpitali ad D. Franciſcum majorem chirurgicas operationes addidicit, & æmulâ manû perficere attentavit, Hippocratici effati ſect. VIII. Aph. 6. quotidianæ experientiæ teſtimoniô comprobati memor; quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat; Chirurgia ſiquidem efficax eſt illa Medicina, uti ſcribit Johannes von Horne in prooemio microtechnes, quâ herculeâ quaſi manû ferri igniſque viribus armatâ, ſive externa ſive interna contumaciora mala proteruntur atque extinguntur, adeòque iſta pars, quæ manû curat, omnium eſt non ſolùm antiquiſſima, ſed etiam maximè certa & evidens; quippè authorem agnoſcit Æſculapium, cujus filii Podalirius & Machaon in bellô Trojanô commilitonibus ſuis non mediocrem opem attulerunt, dum vulneribus eorumdem medebantur ferro & medicamentis; quinimò ab Æſculapiô genus ducens Hippocrates, ſeptimus decimus in ordine, ſummoperè hanc artem excoluit, uti teſtantur ejuſdem libri de officinâ Medici, de articulis, de vulneribus &c. inſcripti. Et hucuſquè quidem Genſelio prima cura erat factorum, certiſſimè perſuaſo, gloriam ultrò conſecuturam; hæc quippè ex Ciceronis ſententia veriſſima rectè factorum comes bonis viris non eſt repudianda, virtutiſque reſonat tanquàm imago, eſtque ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata, utpotè conſentiens laus bonorum & incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute. Quare apud Medicinæ anteſignanos Patavinos idem ſueta ſubiit tentamina, & examina, atque peritiâ ſuâ evidentiſſimè demonſtrata annô currentis hujus ſecundô Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, unanimi ſuffragiô, nemine contradicente, imò ne hæſitante quidem, renunciatus ac creatus, theſes multâ Doctrinâ conſpicuas, glorioſiſſimæ memoriæ *Joſepho* I. Romanorum Imperatori inſcriptas in conſeſſû Academiæ publico exhibuit, doctæque victoriæ triumphum egit, dignus omnium calculô habitus, qui non in ſubſelliis auditorum diſcentium poſthàc ſubſideret, ſed potiùs Doctorum in Academia ſublimiori ordini adſciſceretur. At enim verò ſi nos id, quod maximè debet, noſtra patria delectat, cujuſque rei tanta eſt vis ac tanta natura, ùt Ithacam illam maris Jonii Inſulam, in aſperrimis ſaxulis tanquàm nidulum affixam, Ulyſſes ſapientiſſimus immortalitati anteponeret, Genſelium natale ſolum dulcedine ſuâ allicuit nec immemorem eſſe ſivit ſui, utpotè non ſibi ſolùm natum, ſed patriæ maximam partem ſibi vindicanti. Revocavit itaquè greſſus ſuos ad patrios penates, obviis exceptus amplexibus amiciſſimis; hìc verò patentiſſimus mox ſeſe offerebat campus, ubi experientiam ſuam medicam ratione ſuffultam popularibus ſuis comprobaret, his etenim mox conſiliô auxiliôque promtiſſimè ſemper adfuit, nulli unquàm labori pepercit, dies nocteſque τὴν χεῖρος πρακτικὴ adminiſtrando inſumſit, atque ob cives ſervatos innumeros vitæ ſalutiſque perceptæ, teſte coronâ civicâ, donatus, annô ſuperiori hujus ſeculi IX. d. 17. ſeptembris, feliciſſimô ſeptenarii numeri auguriô, ab inclyto & magnifico Senatu Semproníenſi Phyſicus ordinarius conſtitutus eſt, cùm antehàc in civitate Euſenburgenſi, peſte ſæviter graſſante, plurimis opem ſalutiferam tuliſſet afflictis. Non poterat autem eruditionis meritorumque Genſelianorum fama intra Hungariæ fines coerceri, quin longè lateque ſe diffundebat, ideòque annô ſubſequente ſeculi hujus duodecimo, menſe Februariô ab illuſtri & excellentiſſimo D. D. Luca Schröckio, Archiatrô & Comite Palatino Cæſareo, S. R. I. Nobili, Academiæ noſtræ Curioſorum Præſide Academicus curioſus ſub agnomine Deodori declaratus, & bienniô abhinc d. 31. Julii ejuſdem Academiæ Adjunctus conſtitutus, nec minùs in Regiam Societatem ſcientiarum Boruſſicam receptus, ſummè adeò per omnia

omnia Homericum illud præconium ; ὁ ἰατρὸς μὲν ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, promeritus eſt. Teſtantur ejuſdem Obſervationes in Ephemeridum noſtrarum Centur. 2. 3. 4. & VI. itemque hiſtoriæ conſtitutionis epidemicæ Hungaricæ, Annis 1711. 1712. & 1713. conſignatæ, quantæ experientiæ, quantæ induſtriæ, quantæ ſolertiæ Genſelius fuerit. Ità omnes me herclè actiones, quas Genſelius multô labore, ſtudiô indefeſſô, noctibus etiam inſomnibus ſuſceperat, ex votô ſuccedebant, nec poterant aliter ; vir namque erat ſincerus, ſupremi Numinis cultor, ac mane & veſperi devotis precibus ejuſdem auxilium invocabat, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in iis ſunt; qui creavit Medicinam de terrâ & ſalutiferis viribus univerſi hujus creaturas imprægnavit; qui pietati ſociam ὁ μακαρίτης aſſociabat prudentiam; nam, uti Philippus Scherbius, in univerſitate Altdorffinâ ſui ævi Philoſophus & Medicus ſine pari, dicere ſolitus fuerat, Medicina aut ex prudentia aut non ſine prudentia, hâc ideô ille adjutus, præterita ſcitû neceſſaria ad mentem revocare, præſentia ritè diſcernere & futura promptè proſpicere, atque ſingula ad judicii trutinam exactè perpendere ſcite noverat. Luculentiſſimam facem negotiis Genſelianis ſimùl præferebat eruditio, quam ſicuti à teneris unguiculis ſibi comparare nunquam intermittebat noſter, ità in reliquô ætatis virilis decurſû proſequebatur, dum ſcriptorum, experimentorum, ac tentaminum Phyſicorum Medicorumque recentiorum notitiam ſibi perſpectam reddere, ſingulari animi cupiditate, contendebat, Hippocratis veſtigia premens, qui ſemper diſcendo ſe inſenuiſſe ipſe profeſſus eſt. Præterea gratioſam, Medico comparem, ægris humanitatem exhibebat, cunctoſque alloquiô morumque ſuorum ſuavitate demulcebat, ſuper omnia ingenuus candor & nuda veritas inter ſplendida ambitionis mendacia & fallaces blanditias eminebat, nec duræ fores præcludebantur, aut audiendi dedignatio, aut moroſa impatientia unquàm obveniebat ægris & afflictis miſeris, ſive luce adhùc dubiâ ſurgendum, aut nocte concubiâ more verendarii diſcurrendum, pererrandæ ædes, luſtranda noſocomia, ſententiæ diſceptandæ, inter mulierculárum querelas ægrorumque immorigerorum convicia tempus conſumendum, an potius perdendum dicam, erat. Ità enim me herclè in ſervandorum hominum arte exercenda non molle otium aut deliciæ blandientes obveniunt, ſed improbô labore, perpetuis animi & corporis contentionibus, ærumnis ac vigiliis res omnis conſtat, adeòque demum Medici, uti flamma aliis inſerviendo, conſumendo, nec arte ſuâ, quâ tot tantoſque mortis faucibus eripuerunt, ſeipſos ſervare valent. Idem enim inexorabile mortalitatis fatum Genſelium noſtrum manſit, dum marcida tabes phthiſiſque paulatim paulatimque vires deſtruxit, ût rugoſa cutis vix oſſa obtegeret, lingua arida per rimas dehiſceret, vox faucibus præcluderetur, tuſſiſque continua ſpiritû tenta quateret præcordia ; monumentum igitur ſequens Genſelius noſter ipſe ſibi erexit, & ſcriptum poſteritati reliquit.

Multos olim juvandos antidotis juvans
Fati neceſſitate nondum occupatos,
Se verò eadem præventum juvare
Voluit, debuit, non potuit
Ortus, mortuus, oriturus.

Et mundanis abdicatis curis omnibus, ad cœleſtia mentem preceſque ſeriô convertit, ſupremo Creatori, Redemptori & ſanctificatori Numini propitio ſe totum reddidit, atque cum Auguſtinô latus Chriſti lanceâ apertum intrare, atque animam ſuam iſthoc in petræ foramine tanquam columbam quieſcere exoravit, peccatorum præmiſsâ confeſſione & impetratâ abſolutione, ſacræque Euchariſtiæ uſû confirmatus, ad æthereas ſubeundas ſedes ſe compoſuit ; Turpis cenſetur navigii rector, cui gubernacula fluctus eripit, ſi fluctuantia vela deſerat ; ut ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem & obnixum, ſic Genſelium non irruentes tentationum procellæ, non imminentis mortis turbo mente quatere poterant ſolidâ, quin Chriſtianæ fiduciæ & ſpei anchorâ ſuffultus calamitatum mundanarum ſyrtibus evitatis, ad portum illum tutiſſimum pervenit, ubi ipſum

Nunc requies æterna beat, nos ſubdola verſat
Nunc ſpes, nunc formido, & mens incerta futuri,
Gaudiaque inſtabiles animos evanida pulpant
Deteriorque malis bona ſors, quæ fronte ſerenat
Inſidias, captiſque illudit ſenſibus.

Sed heu ! rebus humanis exemtus Genſelius, civibus & exteris, pro quorum ſalute ſolertiſſime excubuerat, triſte tamen ſui deſiderium reliquit: Academia verò noſtra Cæſarea acerbo ejus funeri meritô indoluit, extinctum ſibi lumen clariſſimum, ereptum dulce decus, munificum Patronum & Tutorem benigniſſimum Collegiô ſuô exemptum deplorans ; nec enim ulla dies ingratô condet oblivii ſilentiô, quin fama loquetur ejus munificam liberalitatem, quâ ex legato ſex mille florenorum reduntantibus uſuris, Academiæ proſpexit, quas etiam, uti ὁ μακαρίτης in ultimæ voluntatis ſolemni teſtamentô ſeriò juſſit, Nobiliſſimos Hæredes eidem conceſſuros certiſſimâ animi fiduciâ præſumit. Quos verò Tibi, ô beate Genſeli, arcus aut ſtatuas ſtruemus, aut Effigiem Tuam marmore aut ære ſacrabimus ! etenim nec ejuſmodi monumenta ab ingratitudinis injuriâ nos non tam vindicabunt, quàm ſi pulcherrimam Vitæ Tuæ imaginem veræ virtutis lineamenta & doctrinæ ornamenta pectori noſtro inſigamus, memoriâ perpetuâ recolamus, atque condignâ celebratione longiùs in ævum propagemus : non Te ignobilis abſcondet urna, ſed gloria Tua nunquàm intermorietur,

Dùm pietas, dum priſca fides reſtabit in orbe,
Semper honos, nomenque Tuum, laudeſque manebunt.

De eô habentur in Ephemerid. Nat. Cur. Centur. 1. & 2.

Obſervatio 193. De Procidentiâ uteri totali, quoad fundum cum febri maligna.

Foëmina 28. annorum uxor pannificis hujus loci, temperamenti ſanguinei, corripitur febri malignâ, curatâ vel potiùs deſtructâ per novem dies continuos à quodam Barbitonſore; decimâ die accerſitus omnia in peſſimô inveni ſtatû, venæſectionem neglectam, totalem virium proſtrationem, reſpirationem difficillimam, deliria immania; acceſſit procidentia uteri totalis cum urinæ ſuppreſſione ; uterus quidem vinculis undiquaquè alligatur, ut Hollerius inquit, antè, retrò, ſuperiùs, inferiùs, obliquè ad collum & inguina, oſſi pubis & ſacro per tunicam à peritonæô dextrâ & ſiniſtrâ parte annectitur ; vaſis etiam magnis, per arterias & venas, præſertim ſpermaticas, ſpinali medullæ per nervos, recto inteſtino & veſicæ per fibras tenues, unde & maximus uteri conſenſus cum totô corpore ; aſt in hoc ſubjectô uterus totaliter inſtar marſupii inverſus, non quoad orificium, ſed quoad fundum

fundum deſcendit, extra vaginam deſcendens tumore liveſcente, cucurbitam duarum librarum æquans, omnibus fimbriis, vinculis, ligamentis nerveis, latiſque ac membranoſis & rotundis laxatis, imò quibuſdam ruptis, nullô planè penitùs penitùſque apparente foramine; magna lis eſt inter doctiſſimos etiam recentiores Medicos de procidentiâ uteri, adeò ùt de nullô fœminarum affectû magis diſquiſitum ſit, quàm de hoc: ùt taceam ex Græcis Aëtium & plures, D. Beckius cum Garmerô, Medicô Hamburgenſi, diù diſceptavit de prolapſû matricis, & præ indignatione (ut Pechlinus retulit) mortuus, Helvius item & Lindenius mordicùs illum negârunt, miror tamen Hornium peritiſſimum aliàs anatomicum eundem negaſſe, experientiâ ſine dubio carens, ſolâ ſpeculatione utens; eundem verò affirmant ex Arabibus Avicenna; & ex noſtris Platerus Obſerv. p. 761. Carpius in Iſagog. Anatom. p. 23. Rolfincius de part. genital. p. 164. Paræus L. 23. C. 4. Hildan. Cent. 4. Obſ. 60. Regn. de Graef. p. 143. Brunnerus de morb. mul. Lib. 2. C. 18. Diemerbrock Anat. Lib. 4. C. 6. Solingen, Harveus Lib. de partû p. 347. Blaſius P. 3. Obſ. 1. Bartholinus C. 2. Hiſt. 91. Act. Hafn. Vol. 2. Obſerv. 44. Corn. Stalpart. Von der Wiel Obſerv. rar. Cent. 1. C. 67. & Hippocrates noſter in multis locis, imprimis Lib. 2. de morb. mul. C. 33. teſtatur; ego quoque oculatus ſum teſtis, manibuſque palpavi, fuit verò hæc procidentia externa completa, ùt verbis utar Wedelii, inter omnes Medicos noſtri ſeculi de totâ re litterariâ, præprimis Medicâ, tam ſcribendo quàm docendo per quadraginta & plures annos, certò meritiſſimi, quam & in Italiâ aliquotiès in Xenodochiô Romanô, Patavinô ac Venetô obſervavi; abſurdum itaquè foret ſenſuum teſtimonio ac experientiæ rerum magiſtræ contradicere, una quippè experientia & hîc plus valet quàm centum rationes. Cauſam verò hujus procidentiæ ægra attribuit imperitiæ obſtetricis, vaginam intempeſtivè ante aliquot ſeptimanas in partû loco ſecundinæ vi trahentis ac arripientis; ſanguinis tamen eruptionem non vidi, quam Rodericus à Caſtrô & Primeroſius ſine ratione affirmant in tali procidentia; vaſis enim ruptis ſanguis non tam extra corpus, quàm intra abdomen profunditur, imò uteri fundum omnibus ligamentis ſolutis in aëre quaſi pendentem extravaſatus ille ſanguis pondere ſuô ità aggravat ac comprimit, ùt prolabi neceſſitaretur, nec niſi mentis impotem eundem negare poſſe crediderim. Vigeſimâ die durantibus adhùc deliriis acceſſerunt ſuffocationes uterinæ ac convulſiones ſummô cum tremore ob partium nervearum, membranoſarumque partim diſtenſionem, partim ruptionem, uterus à continuâ femorum alliſione, ac excrementorum contaminatione, nimiùm quantùm tumefactus, ab attritû & incubitû intertriginoſus ex lividô rubens gangrænam minitabatur, cùmque talis præcipitatio uteri totalis obſervetur, exiguam ſpem de ſalute ægræ hujus concepi, continuatis tamen Bezoardicis, analepticis, traumaticis, uterinis ac nervinis, adhibui fotus emollientes ex rad. lil. alb. alth. ſymph. Herb. ſanic. pariet. malv. cham. melil. verbaſc. ſem. lin. fœn. græc. in lacte coctos, uterumque clunibus elevatis, femoribus decuſſatis, poplitibus reflexis ac divaricatis per obſtetricem reponi, ac candelâ cereâ ol. lib. alb. & momord. inunctâ blandè intrudi curavi, reiteratis fotibus ac cataplaſmatibus, impoſitô quoque circulô è ſubere confectô cerâ obductô, & pectini ac offi ſacro emplaſtr. contr. rupt. cum maſtich. ſuccin. tacamah. galb. lap. magnet. tandem vigeſimâ primâ die, quæ ut plurimùm terminus eſt acutorum morborum, meliorem ſpem concepi, deliria tamen ad trigeſimum octavum duraverunt diem, parùm vel nihil quaſi intermittentia, rarô cum exemplô, trigeſimâ nonâ deliriis jamjam ceſſantibus, meliùs valere cœpit, & adhùc, laus ſit Deo, vivit; multùm faſtidii verò ipſi cauſatus eſt decubitus longior, à quô excoriata quaſi fuit, multis partibus circa lumbos & clunes jam ſphacelatis, quibus ſcarificatis & ſeparatis, pedetentim totaliter convaluit, annoque ſequente concepit, & partum robuſtum adhùc viventem, (imò ab illô tempore jam quatuor) in lucem edidit, & quod quàm maximè notandum, uterum menſibus inſtantibus non eminere extrorsùm, ſed in centrô ſuô ſemper jam contineri.

Ibidem Obſervatio 195. De Procidentiâ Oculi dextri quoad totum.

FŒmina 60. annorum, temperamenti cholerico melancholici patitur procidentiam Oculi cum excreſcentiâ maximâ & carne luxuriante; Lindenius in pathologiâ eandem negat dicendo; ani procidentia eſt frequens, uteri minùs, oculi minimè datur, & quamplurimi cum ipsô impugnant, verùm oculatus ſum teſtis, manibuſque hunc prolapſum palpavi oculum, cauſa verò hujus procidentiæ fuit contuſio, vel potius alliſio oculi ſat vehemens ad vitem ante ſeptem annos facta, ubi in principiô Ecchymoſis, effuſô extra ſphæram ſuam ordinariam ſanguine, obſervabatur cum rubore ac ſubſequente livore; ςάσις itaque hæc inducta auferenda, motuſque inteſtinus ac progreſſivus ſanguinis vigorandus, ac elater partis affectæ roborandus fuiſſet, aſt incautus medicaſter Barbitonſor quidam, locô diaphoreticorum, reſolventium ac blandorum fotuum diſcutientium, adhibuit in initio repellentia, & inter cætera acetum roſaceum cum alumine, quæ eccentricum humorem magis adhùc fixerunt, collyria item nimis acria muſculos corrodentia, tandem corroſis muſculis oculus cum fragore proſiliit ac procidit, accedente ſphacelô ac νεκρώσει plenariâ, ςάσει irreparabili, neque ad ſuppurationem reducibili, unde paupercula neceſſariò fatis debuit cedere; factâ per me anatome, notatû dignum, quod cranium tam in occipite, quam ſyncipite pollicem viri craſſitie adæquaverit; reſciſſô oculô cum excreſcentiâ ſphacelatâ inveni in cavitate oculi materiam nigricantem, tetrum ſpirantem odorem, quæ non tantùm omnes muſculos, tunicas ac humores, ſed etiam oſſa orbitaria naſi item ac palati corroſit cum totali carie.

Ibidem Obſervatio 195. De Picâ virili appetitû inordinatô, rerum vitioſarum, & à naturâ humanâ alienarum, ac inedilium.

Ibidem Cent. 3. & 4. Obſervatio 48. De Febri malignâ ſummè periculoſâ & jam quaſi deſperatâ, aſt feliciter curatâ, in quâ Τὸ Θεῖον emicuit Hippocraticum.

VIr 54. annorum, Sopronienſis, temperamenti ſanguineo-cholerici, corripitur febri malignâ cum cardialgiâ & continuâ cephalalgiâ ac ſopore, peſſimo cum augurio, juxta Hippocrat. Prænot. 1. Coac. aph. 48. *ex præcordiorum dolore febres obortæ, malignæ ſunt, in his profundus ac altus ſomnus peſſimus.* Ordinavi bezoardica, diaphoretica, interpo-

terpolatis analepticis; ſecundâ die curavi venam manè ſecari in brachiô, circa veſperum in pede, ſanguis erat incoctus & abſque guttâ ſeri; tertiâ nimium quantùm tuſſivit cum calore auctô à fermentô illô turbativô redditô fortiori, quod itidem malum, juxta Hipp. aph. 43. ſect. 4. ac ejecit materiam purulentam copioſam; abſceſſum quippè habuit in pulmonibus; quartâ incepit, quod aliàs bonum, ſurdeſcere; quinta continuatô ſputô acceſſerunt deliria & morbus regius, quod malum, juxtà Hipp. Coac. prænot. ſect. 1. aphoriſm. 172. it. De judicationibus Sect. 8. & aphoriſm. 62. ſect. 4. imprimis cum duritie hypochondriorum ab obſtructione ſcirrhoſâ tartareâ, juxta Hipp. aph. 42. ſect. VI. ſicuti in hôc ſubjectô fuit. Sexta tyrannô quaſi exiſtente ſputum ceſſavit, licet tuſſis plusquam ferina ipſum excruciaverit, quod alias lethale, juxta Hipp. aph. 17. ſect. VII. ulcere enim non amplius abſterſô per ἀνακάθαρσιν, poriſque calloſis redditis & obſtructis, natura ſuccumbit. Septimâ die, excretione ſymptomaticâ, prorumpentibus exanthematibus purpureis floccos legit cum torvis oculis, deliriiſque ferocibus ob eccentricum motum ſpirituum ac obverſantium indè idearum, ronchis ſonoris ac pulsû vermiculari & intermittente, exteriora frigebant, interiora urebantur, deficiente tamen ſiti cum oppreſſivis frigidis ſudoribus, extremum notantibus conatum, & difficillimâ reſpiratione, quæ juxta omnes Practicos lethalia ſunt ſigna, ſymptomatibus ultra æquatorem quaſi & ſphæram naturæ tranſgreſſis, imprimis ſecundum Hipp. Aph. 50. ſect. 4. *ubi in febre non intermittente, difficultas ſpirandi & delirium fit, lethale eſt*; facultate vitali & animali ſimul graviùs læſis, indiciô circulationis ceſſaturæ, & aph. 72. ſect. 7. it. aph. 46. ſect. 4. frigus quippè emorientis facultatis & caloris conſectarium mortem portendit, calore ad ſumma & ultra ſphæram naturæ progreſſô, poſt ſe morticinum relinquit frigus, aph. 48. ſect. 4. & aph. 37. ſect. 4. Frigidi ſudores cum acutâ febri, mortem ſignificant, circa ſeptimum veſpertinum acceſſit, ſingultus cum convulſionibus, quod peſſimum, juxta Hipp. Lib. 1. prædict. ſect. 3. & voce tremulâ, quod itidem lethale, juxta Hipp. Coac. prænot. ſect. 1. aph. 131. & ſeqq. delirium in ſpiritû & ſudore ac ſingultû lethale eſt; & aph. 66. ſect. 4. aph. 13. ſect. VII. Coac. prænot. ſect. 3. abſumtâ enim plus juſtô lymphâ & ſanguini incoctâ, ſpiritibus & nervoſo generi motus irregulares inferuntur. Divus noſter ſenex quidem dicit ſect. 2. aph. 13. Quibuſcunque Criſis fit, his nox gravis ante acceſſionem, profectò hic graviſſima erat; nam æger extremos habuit labores, oculos concavos, naſum acutum, tempora collapſa, aures frigidas ac contractas, ungues nigros, cutem duram, palpebras lividas, colorem morticinum ac cadaveroſum; neminem ex agnatis novit, in agone jamjam quaſi conſtitutus, & pro ſemimortuo reputatus. Si enim talia evenerint, mors proxima eſt juxta Hipp. aph. 49. ſect. 4. & ſect. 8. aph. 12. 14. 16. & licèt juxtà Hipp. aph. 19. ſect 2. acutorum morborum non dentur certæ prædictiones nec ratione ſalutis, nec ratione mortis: tamen in hoc ſubjecto poſitis omnibus ſignis diagnoſticis lethalibus, etiam ab ipſo Hippocrate juxta ſuperius allegata prognoſis fatalis pronunciata fuiſſet; verùm Τὸ Θεῖον, illi ceu Ethnico jam notum (vide prænot. Hipp. ſect. 1.) hìc Sole meridianô clariùs emicuit. Deus quippè ut ubiquè, ità & in Medicinâ ſupernaturali, incomprehenſibili admirandôque operatur modô; datis enim bezoardicis, ac analepticis temperatis, calidi innati vigorem roborantibus ac conſervantibus, rarefactionem & reſolutionem peregrinam domantibus, intermixtis thoracicis, eâdem die ſudor provenit calidus per totum corpus, qui optimus juxta Hipp. prænot. Coac. ſect. 4. & febrem ſolvit. Sicque ſeptimâ, criſi factâ perfectâ, finitâ ultimâ naturæ luctâ cum morbô, incidit in ſomnum profundum, qui delirium ſedavit, quod bonum, juxta Hipp. aph. 2. ſect. 2. & prænot. Coac. Sect. 1. æſtuantibus itaquè undis maſſæ ſanguineæ, morbique procellis ſuaviter placatis, & à lymphâ reparatâ, ſpiritibus placidè irretitis; octavâ die malaciâ, quaſi toti indictâ corpori; nonâ remittente calore ſequentibus diebus halcyoniis meliùs valere cœpit, & laus ſit Deo, ſaluti indefeſsè ſtudens Patriæ adhuc vivit. Atque ſic in præſenti casû ceu Medicus miniſtrum tantùm non magiſtrum egi naturæ, eum adjuvando, motuſque illius criticos promovendo licèt ſciolæ ac veſanæ quædam mulierculæ, vetulæ medicaſtræ, laudem, more hic loci ſolitô deteſtando, hujus curæ ſibi temerariô arrogaverint auſû, quòd nimirùm ægrum hunc tincturâ quâdam Lunæ vel Solis ex faucibus mortis abſque meâ ope eripuerint.

Ibidem Obſervatio 49. *De Conceptione in ſomnô.*
Ibidem Obſervatio 50. *De Hydrophobiâ.*
Ibidem Obſervatio 51. *De Hæmorrhagia penis.*
Ibidem Obſervatio 137. *De Pilorum defluviô totius Corporis.*
Ibidem, Centur. 5. *&* 6. *Obſervatio* 84. *De Carunculâ urethræ in lue Venereâ.*
Ibidem Obſervatio 85. *Anatomica de ſubmerſô.*
Ibidem Centur. 7. *&* 8. *in Append. pag.* 1. *Conſtitutio Epidemica inferioris Hungariæ, Anni* 1711.
Ibidem pag. 2. *Conſtitutio Epidemica inferioris Hungariæ, Anni* 1712. *cum hiſtoricis & meteorologicis Obſervationibus.*
Ibidem pag. 6. *Conſtitutio Epidemica inferioris Hungariæ Anni* 1713. *Unà cum hiſtoricis & meteorologicis Obſervationibus.*

De eô præterea extat in Actis Lipſienſ. Ann. 1715. *p.* 122.

Obſervatio Medico-Phyſiologica curioſa, de conceptione in ſomnô.

PUella 20. annorum, mercatoris Sopronienſis ancilla, ipſa inſcia ac non animadvertente, nihilque penitus ſentiente concepit & impræegnata fuit, coram judicio conſtituta & examinata faſſa eſt ad conſcientiam, ac antequam obiiſſet, in agone jamjam conſtituta idem confirmavit, quod ſcienter cum nullô concubuerit virô; ſed quod ſodalis prædicti mercatoris poculum vini ſemel illi porrexerit, quô exhauſtô, ſomnô profundô, non ſine ſuſpicione narcotici cujuſdam propinati (à quâ tamen juramentô ſodalis ſe liberavit) obruta, credidítque, ſe in illô quamvis ſine ſenſibilitate, impræegnatam fuiſſe. Magiſtratus ſuper hoc judicium meum expetiit, utrum fœmina in ſomnô, ipſâ non animadvertente, concipere poſſit? affirmativè reſpondi, cùm alia quoque ſimilia proſtent exempla, (vide Zeileri Roſett. p. 345. Montan. L. 2. C. 2.) datis enim omnibus requiſitis ad conceptionem neceſſariis, non poteſt non eadem ſubſequi, licet præter voluntatem, ſive citra appetitum naturalem coitus contingat, illud in plurimis puellis toto quaſi obſervatur die, quæ contra voluntatem ſuam & intentionem, ipſis quaſi invitis, impræegnantur, hoc

hoc verò in certis mulierculis temperamenti phlegmatici (quales ipſemet novi) cernitur, quæ abſque minimâ delectatione, voluptatiſque ac titillationis ſenſû, atque ſic ſine appetitû concumbentes, tamen concipiunt, quod etiam firmant Rodericus à Caſtrô lib. 2. de Nat. mul. C. 1. & Platerus Lib. 1. Obſerv. p. 261. multique alii. Non video itaque cur non etiam in ſomnô fœminæ concipere poſſint, facta efficaci ſufficiente ovulorum per ſpiritus ſeu contagium, ſeu fermentum ſeminale fœcundatione. Quæ enim Averroes 2. Collig. C. 10. Amatus Luſitanus, & Fabr. ab Aquapend. Lib. 1. de Chir. oper. p. 93. referunt, poſſe fœminam abſque coitû propter vim uteri attractricem, ſemine maris ante genitale arvum vel in balneô tantum emiſſo, concipere, meritò pro fabulis anilibus & impoſturis habentur: nam licet ſemen ad fœtûs generationem non καθ' ὄγκον ſed καθ' ἐνέργειαν concurrat, quod experimentis Charleton, Regn. de Graaf, imprimis verò Guilielmi Harvei innotuit, qui, diſſectionibus cervarum & damarum, tum ante finitum earundem coeundi terminum, tum etiam poſteà inſtitutis, in uteri cavitate aut ejus cornibus, tubis fœminarum analogis, nunquam ſeminis aut ſanguinis veſtigium reperierunt propter nimiam diſtantiam, nihilominus tamen ovulorum requiritur irroratio: vel ſi quis cum Veteribus mixtionem ſeminis fœminæ, (quo tamen conſenſû plurimorum carent) cum maris ſtatuat, ſciat fœminas quoque pollutionibus infeſtari nocturnis, & ſic etiam juxta hanc hypotheſin, conceptionem in ſomnô, facta ſolummodò carnali copulâ, fieri poſſe. Poſſibilitatem porrò hujus conceptionis exempla quorumdam maleferiatorum comprobant, qui ligna, candelas, aliaque abſurda, meretricularum vinô ſomnôque ſepultarum pudendis ſine minimâ ſenſatione intruſerunt, quare non etiam mentulam potuiſſent? quandò profundiùs imprimis immerſi delitescunt ac ſopiuntur ſpiritus. Veritati denique hujus caſûs ſuffragatur hiſtoria Lothi, vinô ſomnôque ſepulti, nec ſcientis, nec ſentientis actum concubitûs filiarum ſuarum, prout Vulgata Geneſ. XIX. 33. & 35. notanter reddidit, id quod verbum ידע innuit, adhiberi aliàs ſolitum de illis qui noſcunt, ſciunt ac ſentiunt, ſicuti linguam Hebraicam callentibus conſtat, verum Loth ceu agens & operans, nec ſcivit, nec novit, nec ſenſit actum illum, quare igitùr non etiam in patiente & recipiente ſimile contingere poſſet? Ut taceam vinô purpuratos, illôque dementatos, homicidia inſcienter committentes, fuſtibus benè oneratos vel graviter vulneratos, nihil planè per aliquot horas propter ſpiritus bacchô ſomnôque oppreſſos, ſcientes & ſentientes. Cum verò Medicus quidam, tanquam pro aris & focis pugnans, poſſibilitatem hujus imprægnationis negâſſet, expetii Germaniæ noſtræ Hippocratis Wedelii duntaxat deſuper judicium, cui tunc ratione uxoricidii Sophronii inhumanè patrati ſcripſeram, qui mihi ſequentem in modum reſpondit:

S. T.

SImùl literas gratiſſimas tuas accepi, exhibui incluſas Facultati noſtræ Medicæ, cujus reſponſum hiſce meis junxi cum gratiarum actione & ſalutatione humaniſſima ejuſdem nomine nunciata &c. Quod alterum poſtulatum attinet: an Virgo altô ſomnô ſepulta deflorari & impprægnari inſenſibiliter poſſit? itidem affirmandum eſt meritò, ſi ſcilicet ſomnus ſit profundior, vel ſecundum naturam, ut primus eſſe ſolet, & in aliis magis profundus, vel non naturalis à laboribus, fatigatione, potû largiori, imprimis prægreſſis vigiliis, ſeu immiſſionem perfectam & completam, ſeu irradiationem ſolùm ſeminalem, ut recentiores quidam volunt, ſtatuamus: videri de hoc poteſt Zittmannus in Medicinâ forenſi, Cent. V. Caſ. 21. p. 1156. & Cent. VI. Caſ. 77. p. 1642. ibique laudati. Servet Te Deus. Dabam raptim Jenæ, 1712. D. 25. Aug.

Ibidem Annô 1716. p. 224.

Obſervatio Curioſa de Procidentiâ uteri totali quoad fundum cum Febri maligna.

FŒmina 28. annorum uxor pannificis hujus loci *Kraus* dicti, temperamenti ſanguinei, corripitur febri malignâ, curatâ vel potius deſtructâ per novem dies continuos â quodam barbitonſore; decima accerſitus omnia in peſſimô inveni ſtatû, venæſectionem neglectam, totalem virium proſtrationem, reſpirationem difficillimam, deliria immania, acceſſit procidentia uteri totalis cum urinæ ſuppreſſione. Uterus quidem vinculis undiquaque alligatur, ut Hollerius inquit, antè, retrò, ſuperiùs, inferius, obliquè ad collum & inguina, oſſi pubis & ſacro per tunicam à peritonæô dextrâ & ſiniſtrâ parte annectitur: vaſis etiam magnis, per arterias & venas, præſertim ſpermaticas, ſpinali medullæ per nervos, rectô inteſtinô & veſicæ per fibras tenues, unde & maximus uteri conſenſus cum totô corpore: aſt in hôc ſubjectô uterus totaliter inſtar marſupii inverſus, non quoad orificium, ſed quoad fundum deſcendit, extra vaginam propendens tumore liveſcente, cucurbitam duarum librarum æquans, omnibus fimbriis, vinculis, ligamentis nerveis, latiſque ac membranoſis & rotundis laxatis, imò quibuſdam ruptis, nullô planè penitùs penitùſque apparente foramine. Magna lis eſt inter doctiſſimos etiam recentiores Medicos de procidentiâ uteri, adeò ut de nullô fœminarum affectû magis diſquiſitum ſit quam de hôc: ut taceam ex Græcis Aëtium & plures, D. Beckius cum Garmerô Medicô Hamburgenſi diu diſceptavit de prolapſû matricis, & præ indignatione (ut *Pechlinus* retulit) mortuus, Helvius item & Lindenius mordicùs illum negarunt; miror tamen Hornium peritiſſimum aliàs Anatomicum eundem negâſſe, qui experientiâ ſine dubiô caruit, ſola ſpeculatione uſus: eundem verò affirmant ex Arabibus Avicenna, & ex noſtris Platerus Obſerv. p. 761. Carpius in Iſagog. Anat. p. 23. Rolfincius de part. genital. p. 164. Paræus L. 23. C. 4. Hildan. Cent. 4. Obſ. 60. Regn. de Graaff p. 143. Brunnerus de morb. mul. L. 2. C. 18. Diemerbrok Anat. L. 1. C. 24. Marchettus Obſ. 61. Maurit. de Morb. mul. L. 4. C. 6. Solingen. Harveus L. de partû p. 347. Plaſius P. 3. Obſerv. 1. Bartholinus C. 2. Hiſt. 91. Act. Hafn. Vol. 2. Obſerv. 44. Corn. Stalpart. von der Wiel Obſerv. rar. Cent. 1. C. 67. & Hippocrates noſter in multis locis, imprimis L. 2. de morb. mul. C. 33. teſtatur: ego quoque oculatus ſum teſtis, manibuſque palpavi, fuit verò hæc procidentia externa completa, ut verbis utar Wedelii, inter omnes Medicos noſtri ſeculi de totâ re litterariâ imprimis Medicâ, tam ſcribendô quàm docendô per novem luſtra certo meritiſſimi; quam & aliquoties in Italiâ in Xenodochiô Romanô, Patavinô & Venetô obſervavi; abſurdum itàque foret ſenſuum teſtimonio ac experientiæ rerum magiſtræ contradicere, una quippe experientia & hic plus valet, quàm centum rationes. Cauſam verò hujus procidentiæ ægra attribuit imperitiæ obſtetricis, vaginam intempeſtivè ante aliquot

ſepti-

ſeptimanas in partû locô ſecundinæ vi trahentis & arripientis. Sanguinis tamen eruptionem non vidi, quam Rodericus à Caſtrô & Primoroſius ſine ratione affirmant in tali procidentiâ : vaſis enim ruptis ſanguis non tam extrà corpus, quàm intra abdomen profunditur, imò uteri fundum omnibus ligamentis ſolutis in aëre quaſi pendentem, extravaſatus ille ſanguis pondere ſuô ità aggravat ac comprimit, ut prolabi neceſſitetur; nec, niſi mentis impotem id negare poſſe crediderim. Vigeſimâ die durantibus adhuc deliriis acceſſerunt ſuffocationes uterinæ ac convulſiones ſummô cum tremore ob partium nervearum membranoſarumque partim diſtenſionem, partim ruptionem : uterus à continuâ femorum alliſione, ac excrementorum contaminatione nimiùm quantùm tumefactus, ab attritû & incubitû intertriginoſus ex lividô rubens gangrænam minitabatur; cùmque talis præcipitatio uteri totalis cum inverſione, imprimis in febri malignâ, utplurimùm lethalis obſervetur, exiguam ſpem de ſalute ægræ hujus concepi. Continuatis tamen bezoardicis, analepticis, traumaticis, uterinis ac nervinis, adhibui fotus emollientes ex rad. lil. alb. alth. ſymph. Hb. ſanic. pariet. malv. chamm. melil. verbaſc. ſem. lin. fœn. græc. in lacte coctos, uterumque clunibus elevatis, femoribus decuſſatis, poplitibus reflexis ac divaricatis, per obſtetricem reponi, ac candela cerea ol. lil. alb. & momord. inuncta blandè intrudi curavi, reiteratis fotibus & cataplaſmatibus, impoſito quoque circulô è ſubere confectô cera obductô, ac pectini oſſique ſacro empl. contr. rupt. cum maſtich. ſuccin. tacamah. galb. lap. magn. Tandem vigeſimâ primâ die, quæ utplurimùm terminus eſt acutorum morborum, meliorem ſpem concepi, deliria tamen ad trigeſimum octavum duraverunt diem, parùm vel nihil quaſi intermittentia, rarô cum exemplô, trigeſima nona, deliriis jamjam ceſſantibus, meliùs valere cœpit, & adhùc, laus ſit Deo, vivit, multùm faſtidii verò ipſi cauſatus eſt decubitus longior, à quô excoriata quaſi fuit multis partibus circa lumbos & clunes jam ſphacelatis, quibus ſcarificatis & ſeparatis, pedetentim totaliter convaluit, annôque ſequente concepit, & partum robuſtum adhùc viventem (imò ab illô tempore jam quatuor) in lucem edidit, & quàm maximè notandum, uterùm menſibus inſtantibus non eminere extrorſum, ſed in centrô ſuô ſemper jam contineri.

GENSONIUS (*Antonius*,)

De eô habetur

Secretum naturæ, ſive, Diſquiſitio de Rebus Naturalibus. Amſtelodami, in 12.

GENTILIS (*Matthæus*,) Medicus Italus ex nobiliſſimâ Marchiæ Anconitanæ familiâ ortus, qui uxorem patriamque ſuam circa finem Sæculi XVI. deſeruit ut Reformatorum amplecteretur Religionem. Secum eduxit filium ſuum primogenitum Albericum, Scipionemque, natorum, quos habebat, penultimum, & Carniolam ſeſe tranſtulit; ubi hujus Provinciæ Medici titulô donatus fuit, non ſine magnô ſtipendiô. Deinde etiam Angliam petiit, ubi filium primogenitum miſerat.

De eô extat in Linden. Renov.

De naſcendi tempore, Diſputatio. Witebergæ, apud Cratonianum, 1586. in 8.

GENTILIS (*Albericus*,) præcedentis filius, Juris Doctor ab anno ætatis 21. Peruſæ creatus erat, Judexque Aſculi in Picenis fuerat, antequàm cum Patre ex Italiâ egrederetur. Poſtea in Angliâ ſtetit, ubi anno 1582. Cathedram Juris Profeſſoris obtinuit, objitque Londini 19. Junii anno 1608. ætatis 58. Plura reliquit ſcripta, in quibus Proteſtantium Doctrinam non accurate ſempe ſequutus eſt. Præcipua ejus opera hæc ſunt, Libri tres de Jure belli, Libri tres de Legationibus, cætera de Juris Interpretibus, de Advocatione Hiſpanica, quem ultimum compoſuit Librum quia omnium Litium, quæ ab Hiſpaniæ ſubjectis moveri potuiſſent in Angliâ, perpetuus Patronus ſtatutus erat. *Bayl. in Diction. Criticô.*

GENTILIS (*Gentilis*,) Italus, Fulginas; ſpeculator nuncupatus, alterius Gentilis Medici filius, Bononienſi Peruſinâque donatus Civitate, Medicinæ Profeſſor ſolertiſſimus, qui magnô apud omnes in honore vixit, ejuſque opera omnium judiciô probantur, & accuratè, ſtudioſeque leguntur. Teſte Auguſtinô Oldoinô, in Athenæô Auguſtô, Johannis 21. dicti 22. Pont. Max. Medicus, quem Pontifex mirum in modum plurimis muneribus cumulavit, hinc Gentilis ſe rerum opulentiâ valdè auxit. A Communi Peruſiæ (ſunt ipſiſſima verba Ludovici Jacobilli in Bibliothecâ Umbriæ) ob ejus ſapientiam, obtinuit non ſolum Civitatem, ſed etiam domum apud Eccleſiam S. Auguſtini Peruſiæ, in quâ Civitate plantavit; familiam de Gentilibus per Franciſcum ejus ſecundogenitum : & in dictâ Eccleſiâ S. Auguſtini erexit Sacellum S. Antonii Abb. Et à Jacobo ejus primogenito veniunt Gentiles Fulginiæ. *Scripſit* tantus hic Medicus, ut in Lib. I. De ſcriptis Medicis refert Johan. Anton. Vander Linden.

Expoſitiones cum textû Avicennæ. Venetiis, apud Octavium Scotum, 1484. 1486. in fol. apud Baptiſtam de Tortis 1492. in fol 4. Voll. His adjecta ſunt, Quæſtio de Febre. De Actuatione Medicinarum. De Phthiſi. De Majoritate Morbi. Tractatus de Proportione Medicinarum, ſeu, Doſi, & Conſilia varia.

Concilia peregregia ad quævis morborum totius corporis genera; Ejuſdemque Tractatus de Herniâ : & Receptæ ſuper primam Fen. Quarti Avicennæ ordinatæ : ac de Balneis apud nos circumſtantibus & naturis ipſorum & temporibus ipſa viſitandi. Extant hæc omnia cum Antonii Cermiſoni Conſiliis. Venetiis, apud Octavium Scotum, 1503. in fol.

De Febribus. Venetiis, 1526. in fol.

De Leprâ Tract. Extat cum Dini de Garbo Chirurgia. Venetiis, apud Lucam Antonium Juntam, 1536. in fol.

De Balneis Tract. 2. Extant pag. 181. 182. Operis Veneti de Balneis.

Excerpta de Balneis ex commentariis in Avicennam. Extant pag. 347. ejuſdem Operis de Balneis.

De Proportionibus Medicinarum, & de modô inveſtigandi complexiones eorum, & ad ſciendum convenientem doſim cujuſlibet medicinæ. Extat inter opuſcula illuſtrium Medicorum de Doſibus. Patavii, apud Gratioſum Perchacinum, 1556. in 8. Apud Paulum Mejettum, 1579. in 4. Lugduni, apud Johannem Mareſchallum, 1584. in 8.

Quæſtiones, & Tractatus extravagantes, noviter cum ſummô labore collecti, & cum magnâ diligentiâ emendati. Venetiis, apud Octavium Scotum, 1520. in fol.

Expoſitio cum Commentô Ægidii Monachi Benedictini, Lib. I. judiciorum de Urinis : & Lib. I. de Pulſibus. Venetiis, 1494. 8. Lugduni 1505. in 8.

Cùm

Cùm Peruſinam urbem ſæva devaſtaret Epidemia anno 1348. ità Gentilis cum Collegiô Magiſtrorum pro urbis, infirmorumque regimine incubuit, ut ex frequenti ægrorum viſitatione, peſtilentiâ correptus, tandem ſex dierum ſpatiô, extremis fatis conceſſerit, quod fuit die 12. Junii ſupradicti anni. Mox ejus corpus delatum fuiſſe Fulgineum, ibique in Templô Eremitarum S. Auguſtini depoſitum teſtatur Franciſcus de Fulgineô, qui Gentilis ægritudini interfuit, & ad obitum uſque nunquàm ipſum dimiſit.

Tractant inſuper de eô Johan. Tritemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, pag. mihi 119. à tergô. Jacobus Philippus Bergomenſis in Supplem. Cronic. pag. mihi 331. à tergô. Andreas Tiraquellus in Medicorum per Alphabetum Nomenclatura, pag. mihi 132. à tergô. Johannes Andreas Quenſtedt in Dialogô de Patriis Illuſtrium Doctrinâ, & ſcriptis virorum, pag. 348. Leander Albertus in Deſcriptione totiûs Italiæ, pag. mihi 89. & alii multi.

Alios quoque peperit hæc de Gentilibus familia nobiles viros, laudibus extollendos, uti Gentilem Juniorem, ex eôdem Jacobillô in Catalogô Scriptorum Provinciæ Umbriæ, Matthæi filium, & alterius Matthæi Juris Conſulti, & Camerini An. 1461. Prætoris pronepotem, qui obiit annô 1576. claruitque probus, & egregius Legum Doctor, ac reliquit Conſiliorum Volumen, & Commentarium in Statuta Fulginia.

Sebaſtianum virum integerrimum, in omni Diſciplinarum genere verſatum, utriûſque ſignaturæ Referendarium, & Contradictarum Auditorem, qui multas civitates prudentiſſimè rexit, mox Vicarii Urbis Locum tenens, ſacræque Conſultæ Præſul, deindè Epiſcopus Anagninus, & demùm ad Eccleſiam Interamnenſem tranſlatus fuit. Edidit de Sancti Caroli Felicitate Panegyricum ad Urbanum VIII. Conſtitutiones, & Decreta Synodi Anagninæ: De ſtatu Civitatis, & Diœceſis Anagninæ, ad Innocentium X. Conſtitutiones Synodi Interamnen.

Hujus etiam meminit Ferdinandus Ughellus in Italiâ Sacrâ, Tom. I. Col. 366. *Mandoſius p.* 83.

GENUENSIS, (*Simon*)

Ex eo habentur

In Mart. Sylvatici Opus Pandectarum Medicinæ Annotationes. Jenæ apud Martinum Spieſſium. Lugduni, apud Jac. Giuntam, 1541. in fol.

GEOCRINUS (*Franciſcus*,)

De eô extat

Apologia in Victorem Bonagentem. Quâ refutantur, quæ adverſus Celeberrimam Quæſtionem Hier. Boniperti de minuendis humoribus in morborum initiis ab eôdem conſcripta, & publicata ſunt. Venetiis, 1547. in 8.

GEOPRETIUS (*Robertus*,) Atrebas.

De eô extat

Regimen ſanitatis. Ejuſdem Tractatus de Peſte. Pariſiis, apud Chriſtoph. Wechelum, 1539. in 4. Ibid. apud Petrum Sergeant, 1540. in 12.

GEORGIUS (*Matthæus*,) Patricius Albiganenſis, Phil. & Medicin. Doctor.

De eô extat

Summa ſupremæ partis Philoſophiæ bipartita, ſeu de Homine Lib. II. Genuæ, 1713.

Dall' Arte piccola di medicare, overo della ragione e temerità in Medicinâ, diviſamento di Matt. Giorgi; ſeconda Impreſſ. ſtamp. In Genovâ, 1722.

Matthæi Georgii Summa inſtitutionum Rationalis Medicinæ, aliaque opera Medica; quorum hæc ſeries eſt. 1°. Medicinæ Definitio, ſanitatis idea, & Higuicines, ſummarium. 2°. Pathologia generalis. 3°. Recenſio Semeiotices. 4°. Epiſtola de Febribus. 5°. Summa Pyretologiæ, aliorumque Morborum febres comitantium. 6°. Methodus tutò curandarum febrium, aliorumque morborum curabilium, certitudini ſcientiæ innixa, etiamſi additæ cauſarum differentiæ nos lateant. 7°. Apologia pro ſanguinis miſſione. Genuæ, 1697. 4. & poſteà Ann. 1722.

GEPPINGENSIS (*Johannes*,)

De eô extat

Antidotarium Chirurgicum. Extat cum Georg. Hieronymi Velſchii Exotic. Curat. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

GERARDIUS (*Gelenus*,) Flandrus.

Ex eô habetur

Hippocratis Coi, de Medicamentis Purgatoriis Libellus, è Græcô integer, breviterque & dilucide explicatus: Cuivis, in ſanitatis ratione, perquam utilis. Antverpiæ, apud Joh. Bellerum, 1583. in 8.

GERARDUS de Carmonâ Urbe Andaluſiæ, vivebat circa medium Seculi 13. & ex commerciô cum Mauris inter quos habitabat, peritus in eorum linguâ factus, plures ipſorum Autores Medicos latinitate donavit.

GERARDUS [*Johannes*,]

De eô extant

Decas Quæſtionum Phyſico-Chymicarum ſelectiorum & graviorum, omnibus tam Hermeticæ quàm Peripateticæ Philoſophiæ ſtudioſis ſcitû neceſſarium, lectû jucundarum, atque utilium de Metallis. Cui adjuncta eſt Medulla Gebrica, de Lapide Philoſophorum, extracta ex Librô ſummæ perfectionis Geberi. Tubingæ, apud Philibert. Brunnium, 1643. in 8.

Panaceæ Hermeticæ, ſive Medicinæ univerſalis aſſertio ac defenſio Galeno-Chymica. Cui adjecta ſunt; I. Ventilatio ac diſcuſſio arduæ illius Quæſtionis in Medicinâ: utrùm autem obryzatum, foliatum, aut in pollinem redactum, aut etiam ignitum, in vinô vel aquâ deſtillata, vel aliô liquore extinctum intra corpus aſſumtum, uſum & effectum habeat medicinalem ſalutarem? II. Arcanum Lullianum, ſeu modus ſecretiſſimus conficiendi & componendi univerſalem medicinam, per verum & genuinum Artis Spagiricæ artificium. Ulmæ, apud Balthaſarem Kühnen, 1640. in 8.

Commentatio perbrevis, & perſpicua in Apertorium Raymundi Lulli, de Lapide Philoſophorum: cum adjectâ interpretatione Teſtamenti noviſſimi Arnoldo de Villâ novâ attributi, de eôdem Lapide. Tubingæ, apud Philibertum Brunnium, 1641. 8.

Exercitationes in Gebri Arabis, Philoſophi Chimici Lib. II. Tubingæ, 1643. 8.

Anatomiæ Corporis Humani ſuccincta Comprehenſio. Tubingæ, 1653. 8.

GERARDUS (*Joh. Conradus*,)

De eô extant

Extractum Chimicarum Quæſtionũ, ſive Reſponſionis ad Theoriam Lapidis Philoſophici, editam in AcademiâRegiomontanâ à quodãAntichimiſtâ:Ubi veritas

veritas Artis Chimicæ, etiam contra Principia negantem, etiam aſſeritur, & multæ difficiles & jucundæ Quæſtiones diſcutiuntur. Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1616. 8.

Tractatus Practicus de Chimiatriâ, i. e. de Aquarum, Oleorum, Salium, Eſſentiarum extractione, & Thermarum probatione. Baſileæ, apud Joh. Jac. Genathium, 1631. 4.

GERARDUS (*Theodoricus*,)

De eô extat

Galeni de Simplicium Medicamentorum Facultatibus Lib. v. Latina Interpretatio. Item de Curandi ratione per Sanguinis Miſſionem.

GERBEZIUS (*Marcus*,) Practicus Labacenſis, in Carniolia

De eô extant in Miſcell. Cur. Dec. 2. Anno. 8.

Obſervatio 69. De Fomentationum, evaporationum, & ſtillicidiorum in tumore uteri regionem occupante uſû.

QUantô in pretiô Magnifico noſtrô Domino Acad. Nat. Curioſorum Præſidi meritiſimo Domino Johanni Georgio Volckamero ſit balneorum ritè adhibitorum uſus, in Ephemeridibus Nat. Curioſ. Dec. 2. Anni 6. Obſ. 239. luculenter atteſtatus eſt.

Probiſſimæ ipſius opinioni ùt & ego meam ſubſcribam, multiplex eorum felix uſus me commovet, ità ùt eorum vicarias fomentationes, evaporationes, ſtillicidiavè non minoris (ubi balneare non licet) faciam, inter plura alia, præcipuè ſequens mihi perſuadet exemplum.

Erat virgo etiamnùm in vivis exiſtens Angelica Peklin. Hæc poſtquam à perpeſſa febre maligna, vix æqualiter ſeſe recolligere incepiſſet, circa ſolſtitium hyemale incidit in tumorem in regione uteri cæteræ cuti ferè concolorem, plus latum, quàm elatum, valde tamen dolorificum à me menſibus per aliquot lunationes diminutè fluentibus potiſſimùm adſcriptum vel certè humoribus excrementitiis poſt ſuperatam febrem à naturâ per modum criſeos illuc depoſitis. Cui ſucceſſit urinæ difficultas, & ferè totalis ſuppreſſio, hinc colica cum bilis porraceæ per ſuperiora rejectione tandem etiam univerſi corporis per ſe, & ad tactum intolerabilis dolor cum variis hyſtericis accidentibus.

Huic meæ curæ commiſſæ Ego variè ſuppetias ferre attentabam, aſt omnia incaſſum donec tandem, ùt rem breviter perſtringam ad Roitſchenſium, quas non ità pridem cum magna ſui nominis commendatione in ſuâ Roitſchecrene deſcripſit Excellent. Noſter Cælius Aurelianus Dominus. Joh. Benedictus Grundelius, Phyſicus Marpurgenſis in Styria, Acidularum uſum me accinxi, quibus quidem ſolum per quatriduum propinatis tantum effeci, ùt non ſolùm dolores colici jam in alteram ſeptimanam perſeverantes in totum evanuerint, verum etiam iſtos conſecuti cæterorum artuum dolores, aliàs procul dubio ſucceſſû temporis contracturam veram, quemadmodùm id non ità infrequenter accidere videmus, introducturi. Quòd is verò, quem memoratus in regione uteri tumor cauſaverat, non intermitteret, neque urina procul dubio ob veſicæ à tumore illô compreſſionem liberius prodiret & alias corpus jam ſatis expurgatum ulteriore acidularum continuatione indigere non videretur, de aliis, quibus præfatum tumorem diſcutere liceret cogitare cœpi, atque ſiquidem hactenus adhibitis variis ad id facientibus topicis unguentis & emplaſtris emollientibus, diſcutientibus ſeu reſolventibus anodyniſque nihil profeciſſem, balneis ſeu inſeſſibus ſimili virtute pollentibus id attentare determinaveram, quoniam verò pro eis, ut potè virium magis reſolutivis ægram jam totam enervatam, debiliorem viderem, vix enim impoſita mox animô deficere cœpit, ſuaſi ùt balnei locô fomentationibus & ſtillicidiis ter de die, manè ſcilicet, paulò antè meridianum paſtum, & veſperi cum ſpongiis validè in parte affecta uteretur, evaporationes quoque infrà ponendarum ſpecierum, per ſellam exciperet. Continuavit hoc per ſolum biduum, & ecce rebellis ille tumor, tot hactenùs tantiſque fruſtrà oppugnatus unà cùm dolore in totum diſcuſſus eſt, urina fluere cœpit, atque ità miſera patiens (laus æterno Deo) præter ſpem feliciter convaluit. Species verò memorati decocti pro fomentatione erant; malva, althæa cum toto, parietaria, ſummit. chamom. melilot. aneth. puleg. matricar. meliſſæ, capill. vener. & flor. verbaci; cui ſuccedebat ſemper partis inunctio cum ung. de althæa, anodyn. ol. chamom. lib. alb. & ſcorpionum.

Scholium.

Quid balnea ſint, & inſeſſus, quid fomentationes, ſtillicidia, & evaporationes, quiſque iis utendi modus, ſatis luculenter in inſtitutionibus ſuis ſcriptum reliquit Sennertus. Juvabit proindè ſaltem circa acidulatum uſum quæpiam adnotare; primò ordinarium quidem & magis aptum tempus eas bibendi eſſe æſtatem, & in ea præcipuè caniculares, ut potè quô tempore bilis & quantitate copioſior, & qualitate ſolet eſſe acrior, ac fervidior, nullum tamen tempus eis adeò repugnare, quod eas urgente neceſſitate abſolutè non admitteret. Attamen ſi tempore hyemis bibantur, procurandum, ùt cubiculum in quô acidulæ bibuntur, ſit benè calefactum, ùt tempore potationis ægri venter continuò cum calidis linteis foveatur, & ùt acidulæ non tùnc ſint ex fonte, ut potè tùm pluviis, tum niveis aquis plerumquè diluto, accepta, ſed ab æſtate in aptis ad id amphoris aſſervatæ.

Secundò licèt ordinariè ſoleant bibi per longius tempus, & ad minimum per dies 14. attamen neque illud eſſe neceſſarium; ſed ſufficere, quòd Medici intentioni, & morbi neceſſitati fuerit ſatisfactum; qui mos apud nos jam adeò invaluit, ùt vix aliquis eas ultra ſeptimanam bibat. Multò minùs eas continuant illi, quibus vel non tranſeunt, vel quæpiam accidentia graviora ut vomitum, & ſimilia inducunt. Et reverà præſtat alia ſecuriora, licet minùs efficacia uſurpare, quàm cum acidulis naturam periculosè cogere.

Ibidem Obſervatio 70. Hydrops per abſceſſum in ſcrotô factum integrè ſanatus.

Ibidem Obſervatio 71. De Plicâ ſubcutaneâ.

Ibidem Obſervatio 72. De Gangrænâ prolapſi inteſtini recti expurgantibus in obſtinatâ alvi aſtrictione ineptè adhibitis.

Ibidem Obſervatio 73. De Ridiculô, ſed non omninò irridendô alvum reſerandi modô.

Ibidem Annô 9. Obſervatio 59. Crocitatus Corvorum interitûs jumentorum præſagus.

Ibidem Obſervatio 60. Glires ovibus infenſi.

Ibidem Obſervatio 61. De Iſchuriâ inopinatâ terrore curatâ.

Ibidem Obſervatio 62. De Quartanâ ſingulariter curatâ.

Ibidem Obſervatio 63. Plantago febrifuga.

IN plantagine jam olim febres fugandi virtutem agnovit Dioſcorides L. 2. C. 114. dum dicit; Creduntur poſtremò plantaginis integræ radices tres in vini cyathis tribus, & pari aquæ potæ tertianas; quatuor verò quartanas febres ſolvere. Sed vix credent id illi, qui omnia compoſitis ſolùm percurari vanè arbitrantur. Rem ità tamen ſe habere, habeo ex fide digniſſimâ Illuſtriſſimâ quadàm Matronâ, quæ cum dictâ herbâ ſe quotannis quampluримos febricitantes tertianarios liberare pro certô mihi aſſeverat. Accipit illa verò non quamcumque plantaginem, ſed acutam illam ſeu anguſtifoliam in arenoſis collibus creſcentem. Neque radices ſaltem tres; uti præſcribit Dioſcorides, ſed 5. 6. 9. uſque ad 11. cum foliolis duobus vel tribus minimis, ligat in petia, & infundit per noctem in aceti cyathum unum, exprimit, & meunte paroxyſmô febrili expreſſum ſuccum propinat. Repetere ſe id dicit rarò ſæpiùs, & febris infallibiliter ceſſat. Quod ipſum licet probare & in quartanis, ſed poſtquàm ea jam per plures ſeptimanas duravit, adeòque materia peccans jam nonnihil digeſta eſt. Licet id etiam repetere ad placitum.

Ibidem Obſervatio 64. De Febri malignâ cum vomitu Caſeoſô & Convulſionibus epilepticis curatâ.

AD initium præterlapſi anni 1690. eram vocatus in abſentia Domini ordinarii Aulæ Averſpergicæ Medici Domini Caſpari Coruſii, Collegæ & Amici mei honorandi, ad virginem Natione Corintham ætatis 21. circiter anni, temperamenti ſanguinei, habitûs floridi, obeſam, & plethoricam; febre malignâ, quam intra paucum tempus in eâdem aulâ, octo vel novem ex ejus ſervitiô non obſtante diligenti Domini ordinarii circa eos habitâ curâ, ſibi funeſtam experti erant, detentam. Erat verò jam morbi dies, quâ primùm eam adivi, duodecima, & reperi eam ſub crepuſculô ejuſdem diei quaſi altum dormientem, totam largiſſimô ſudore perfuſam, cum labiis & ore nigerrimis, dentibuſque atro phlegmate, quod pro malô habet 4. aph. 53. Hipp. obductis, manibus verò pedibuſque totis rigidis & inflexibilibus ad intrò nonnihil contortis, cum pulſû frequente quidem valdè, & inæquali, non tamen durô, qualis in præſentiâ convulſionum eſſe communiter ſolet, ſed molliuſculô, & utcunquè mediocri. Excitari tamen nullatenùs poterat, multò minùs eô veſpere aliquid ſumere undè circa eam agenda in craſtinum diſtuli, quò fortè ad ſe rediret, aut ſaltem aliqualiter mutaretur. Suſcitanti intereà mihi ex adſtantibus de hactenùs actis tum ex parte ægræ, tùm ex parte Domini Medici ordinarii, referebatur eam ex peregrinatione quâdam reducem extraordinarium in totô corpore æſtum perſenſiſſe cum capitis dolore gravativô, & ſiti intolerabili, quæ tamen omnia facto pedibus itineri, & exindè conſecutæ laſſitudini adſcribebat; quò ſitim tamen falleret, feciſſe in penariô, ubi inter cætera victualia quoque lac aſſervabatur, aliquot largiſſimos lactis hauſtus, indè poſt meridiem incepiſſe præter prædicta conqueri de ventriculi inflatione, & dolore quôdam tenſivô, tandem etiam de nauſeâ, ultimatim verò ſub veſperam eam etiam multùm phlegmaticæ & bilioſæ materiæ, unà cum aliquot ferè mediam ſpithamam longis, & binos digitos craſſis phlegmate flaveſcente obductis fruſtis veri caſei evomuiſſe, deſuper verò habuiſſe noctem inquietam & inſomnem. Quod videns alterâ die Medicus, atque ægram adhùc de nauſeâ, & ſtomachi dolorificâ inflatione conquerentem audiens, ei mox vomitorium aliquod in potione præſcripſerit, quô acceptô rurſùs ferè tantumdem caſei fuit rejectum; poſt quod meliùs quidem ſe quoad ventriculum & cordis anxietates habuiſſe ægram, calorem tamen nihilô fuiſſe factum mitiorem. Inſupèr ei fuiſſe ſectam venam, clyſteres binos applicatos, & aliâ quæpiam, quæ ſe ſpecificare non poſſe aſſerebant. Quibus perceptis receſſi, &, quò ſic eam uſque ad meum reditum ſinerent, juſſi. Manè alterô, quod decimus tertius morbi dies erat, redux ægram quidem jam excitatam reperi, aſt totam confuſam, & torvè nos adſtantes, unum poſt alterum, quaſi noſcere nos vellet, benè verò non poſſet, ſpectitantem, præ linguæ verò tumore, & oris ariditate prunellâ vulgò dictâ, nihil intelligibile ad interrogata reſpondentem; juſculum tamen, quod rectè tùnc ei afferri curaveram, non repudiantem, quod pro bonô, pulſû aliàs molliuſculô, & non admodùm exili exiſtente, habui, experientiâ edoctus, tales quantumcùnque malè ſe habeant, non facilè interire. Et proindè ejus curam etiam tantò confidentiùs aggreſſus ſum. Atque cùm aliis remediis jam pro tunc ampliùs locus non daretur, quàm alexipharmacis, vires roborantibus, & externis tùm per clyſteres, tùm veſicatoria à capite revellentibus; hiſce ſaltem inſiſtendum ferventiùs eſſe duxi, juſſique ùt quoad cibum aliud ipſi non præberetur, quàm jura pullorum & caponum, panatellæ, cremor hordei, vel etiam pomum ſi cuperet aſſum. Quoad potum verò aqua cum radice Scorzon. C. C. viſco querc. & modico ſem. Coriandri decocta, quam tamen vel cum additione lap. prunellæ, vel ſpir. vitrioli ad gratiam acidulare liceat, imò proſit. Cæterùm verò mox talis pulvis Epileptico-alexipharmacus porrigeretur; ℞. ſpec. de hyacinth. ʒj. flor. Nitri. Mynſ. ℈ij pulv. epilept. March. ℈j. lap. Bezoard. or. gr. v. M. F. pulvis; dividatur in 4. partes æq. quarum una detur ſubitò ex tali vehiculô; ℞. aq. ſcorzon. galeg. ceraſ. nigr. ãã. ℥ij. ſyr. acetoſ. citr. ℥ß. M. Pro viribus roborandis ei prætereà frequenter de tali mixturâ cochleatim propinaretur. ℞. aq. Cord. Hercul. Sax. ſecundæ ℥jß. meliſſ. ceraſſ. nigr. totius citr. ãã. ℥j. confect. alkerm. in compl. ʒß. man. Chr. perl. ʒj. pulv. epil. March. ʒß. ſmaragd. præp. coral. rub. præp. unic. Ver. ãã. ℈ß. fol. Auri num. j. M. detur ad vitrum pro uſû præfatô. Pro oris humectatione etiam, & nigredinis illius abſterſione de tali mucilagine frequentiſſimè aliquid ori inderetur; ℞. mucilag. ſem. pſyll. & cydon. aq. ſemper v. & aq. prunel. ãã. ʒjj. extract. diamor. uſit. ʒvj. lap. prunell. ʒj. detur ut ſupra. Et locô ejus aliquandò caſtaneæ magnitudine de butyro recenti inſulsô, & cum modicô nitri præp. permiſtô, abſterſâ ſemper deſupèr cum dentiſcalpio linguâ. Quibus pro interim ſic ordinatis receſſi, atque verſus veſperam redux ægram ab uſû unius pulverum præſcriptorum egregiè ſudâſſe inaudivi, paulò pòſt tamen ab ejuſdem ſumptione nova in eundem ſtatum ſimilem heſterno recidiſſe. Quare commendavi ùt eô adhuc veſpere quatuor ſat magna veſicatoria cruribus & brachiis applicarentur, quod etiam factum fuit. Decimâ quartâ die manè rurſùs quadantenùs præſentiorem ſibi, tametſi totam confuſam reperi, & quamvis de applicatis ſibi veſicatoriis nihil hactenùs ſciverit, ad eorum tamen apertionem maximè ejulavit, extraxerant verò ferè ad ℔ß. ſeri flavo vireſcentis; quibus uti decet religatis offerebatur ægræ juſculum quod etiam libenter aſſumpſit, poſt aliquod intervallum verò rurſùs una doſis de ſuprà ordinatis pulviſculis. Paulò pòſt in tantas convulſiones cum horribili

ejulatu incidit, ùt è lectô ferè dejiceretur, cum ſubſequente inexcitabili quaſi veternô, quem etſi per varia, ut acria, qualis erat ruta cum acetô contrita naribus ſuppoſita, extremorum frictiones, acres clyſteres per inferiora pluriès injectos &c. diſcutere, & interrumpere conabamur, nihilô tamen plùs non effecimus. Imò ſi ægra multùm inquietabatur, novis convulſionibus prehendebatur, ùt propterea eam conſultiùs ſibi ſinere quàm turbare fuerit. Atque ſic permanſit, abſque eô, quòd vel momentô ad ſe rediret, aut excitaretur; uſque in tertiam diem, quæ erat morbi dies 17. continuò ferè ſudore nùnc magis, nùnc minùs diffluens. Quæ perſpiciens tandem ferè de reconvaleſcentiâ deſperaveram, non capiens qualiter natura tam gravia accidentia tandiù perferre poſſet. Contigit tamen, ùt dictâ die 17. verſus auroram ægra rursùs ad ſe nonnihil redierit, & loqui intelligibilius, ore nimium per totiès etiam vi infuſam memoratam mucilaginem rursùs quodammodo humectatô, inceperit, unde de novô meliùs ſperare cepiſſem, niſi novo timori mihi fuiſſent locutiones ejuſdem adeò perturbatæ, & communiter morti vicinis uſitatæ, nempe de veſtium mutatione, itineribus, neſcio quo inſtituendis &c. Juſſi tamen ut præſcriptis inſiſterent; atque ſi ægra aſſumere poſſit, de ordinatis pulviſculis bis de die ei porrigerent, cum frequentioribus juſculorum reſtaurativorum ſorbillationibus, pro viribus rursùs quodammodo reſtaurandis. Quibus etiam uſque ad 21. morbi diem ſic adminiſtratis tantùm effectum fuit, ùt ægra in dies præſentior ſibi fieri, cibum appetere, & meliùs ſe habere quoad omnia ceperit, exceptâ ſolâ, de quâ adhùc maximè conquerebatur, corporis laſſitudine, & quaſi concuſſa eſſet atque tota confracta dolore, ut propterea nec nimiùm movere ſe poſſet, & præcipuè quidem lumbos ſibi & femur dextrum dolere. Quoad quæ proindè, ùt eam etiam conſolarer, dixi ipſi iſtam laſſitudinem, & totius corporis dolorem à perpeſſô tam gravi, & diuturnô morbô procedere, & utrumque (ſi Deus volet) eum in dies accreſcentibus viribus brevi tranſiturum; Lumborum verò tam atrocem dolorem ex tam diuturnô ſupinô decubitû fuiſſe ortum, ad inunctionem verò unguenti refrig. Gal. & roſacei ſimiliter mox receſſurum. Sed quid fit? dum miniſtra eam cum dictis unguentis illinire vellet, lumborum regionem in variis locis nigram, adeòque gangrænoſam & ipſum femur dextrum cum tribus puſtulis ſat magnis pariter nigris conſpicit, & propterea inunctionem uſque in meum reditum differt. Ego verò quòd abraſæ Epidermidi gangrænam ſucceſſiſſe judicarem, mox Chirurgum Dominum Hermannum Elke advocari curavi, atque hoc negotium totum ipſi commiſi, mihi ulteriùs nihil reſervans, quàm ùt ægra adhuc ſemel à morbi reliquiis, quæ aliàs in corpore relictæ, teſte Hipp. 2. Aph. 12. recidivas facere conſueverunt, ritè expurgaretur, quod etiam mox poſterâ die factum eſt, & ægra recuperatis ſenſim viribus (laus ſupremo Archiatro *Deo*!) præter omnium ſpem convaluit, quàm feliciſſimè.

Undè nùnc clarè, ùt ſcholii locô aliquid adjiciam, apparet, ægros morbis acutis detentos, quantumcunquè etiam periculosè ſeſe habentes, non facilè eſſe ſine remediis tanquàm deploratos relinquendos, neque de vitâ eorum facilè deſperandum, præſertim ſi juvenes illi ſint, & ad tactum non valdè aridi, cum pulſû non admodùm exili & duro, ſed potiùs molliuſculo & quaſi undoſo, neque cibum omninò averſentur. Sic dicta ægra plura in ſe habuit, quæ me ab aſſumendâ jam tam tardè, duodecimâ ſcilicet morbi die, ejuſdem curâ meritò abſterrere debuiſſent; præterquàm nimirùm quòd morbô laboraverit acutô, adeòque teſte Hipp. 2. Aph. 19. periculoſô, & ratione ſalutis & mortis incertæ prædictionis, inſupèr delirabat, convellebatur, & lentoribus dentes obductos habebat, quorum primum pro malô ſignô habetur ab eôdem Hipp. 2. aph. 33. imò 4. aph. 50. planè pro lethali; ſecundum damnatur non ſolùm 2. aph. 24. verùm etiam 4. aph. 66. tertium verò 4. aph. 53. Et quod exitum adhùc magis dubium reddebat, erat id, quod eâdem febre intra paucum tempus eorum, uti ſuperiùs dixi, aliquot in eâdem aulâ, qui tamen æquè juvenes & robuſti erant, ac iſta patiens interierint, quòd præter iſta mala ſigna tamen, memorata bona & non facilè fallentia ſigna adfuerint, de ejuſdem ſalute ſtatim deſperare non poteram. Etſi Machaon noſter primus febres has ejus genii eſſe dicat, ùt, dùm maximè blandiuntur, noceant, & dum maximè nocent, decipiant, adeòque eis fidendum nunquàm eſſe.

Apparet deniquè & lac non vanè jam olim febricitantibus ab Hippocrate fuiſſe prohibitum. Neque hoc quidem ſolùm propterea quòd facilè in nidorem & bilem convertatur, verùm etiam quòd ab acidô pancreaticô in talibus ſolitô acidiore, & ex inteſtinô duodenô ad ventriculum regurgitante, facilè in caſeum coaguletur, qui poſteà ſit majorum obſtructionum cauſa.

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 41. *De ſiliginis pluviâ.*

Quantum eſt in rebus inane!

Ibidem Obſervatio 42. *De Dentis ocularis infauſtâ extractione.*

Ibidem Obſervatio 43. *De Pulſus mirâ inconſtantiâ.*

Ibidem Obſervatio 44. *Judicia* Dei *abyſſus multa*! Pſalm. 35.

Ibidem Decur. 3. *Annô* 1. *Obſervatio* 72. *De rarâ Epilepſia per dyſenteriam in gravidâ ſolutione.*

ILluſtriſſimâ hujus provinciæ Comitiſſa, ætatis annorum circiter 33. temperamenti cholerici, & propterea corporis ſicci, agilis, & ad iram prona in ſeptimum menſem gravida, ob illuſtriſſimi ſui D. Mariti diuturnam corporis indiſpoſitionem multùm anxia, ad finem elapſi menſis Auguſti, leves quaſdam ventris roſiones, inde & capitis dolores ſentire cœpit, tandem verò ad initium menſis Septembris epilepticis convulſionibus repentè prehenſa in 15. interpolatis paroxyſmis, adeò exagitata fuit, ùt dentes anteriores omnes tam ſuperiori, quàm inferiori maxillæ inſertos, exceptis ſolis duobus caninis aliàs dictis, utpotè altiùs implantatis amiſerit, ſingulos eboris ad inſtar candidos, longioreſque ſe ipſis radices habentes. Ad quam propterea ego ad extrema Provinciæ hujus confinia vocatus, etſi affectum quidem cognoverim non ſolùm ſui, verùm etiam præſentis graviditatis ratione eſſe periculoſiſſimum, quin imò in perſonâ tam tenerâ vix ſuperabilem, nè intentatum tamen quid permitterem, mox eô, quô per poſtam appuleram, veſpere, talem Clyſterem ei pro materiæ peccantis à capite revulſione injici curavi; ℞. decoct. emoll. cum Summit. Chamom. & rutæ āā. mſ. facti, ℥vi. Sacchar. Thom. ℥j. mel. anthoſ. ℥ſ. vitel. ov. N. 1. ϴ. p. 1. M. F. Clyſter. qui injectus ſubcalidè & ſyringâ verſus os iſchiaticum magis directâ, tantùm

tantum effectum præter omnem expectationem habuit, ùt cum ſit ingens alvi profluvium materiæ ferè merè æruginoſæ conſecutum, cum ſanguine ſtriatim ipſi permiſtô; unde ſubſequutum eſt optatum quidem quoad caput, levamen; mens ſcilicèt ſerenari, & ulteriores epileptici paroxyſmi evaneſcere, verùm tormina ventrem laceſſere, inteſtinum rectum teneſmô inſupportabili torqueri, crura dolore rodente excruciari, & ſpaſmô quodam, ita ùt extendi liberè non potuerint, affici cœperunt; unô verbô, materia peccans memoratô clyſtere à capite ad inferiora revulſa, quâ ſui parte ad crura delatâ dolorum dictorum ibidem cauſa extitit, quâ verò ad inteſtina detracta ibidem veram dyſenteriam cauſata eſt, metaſtaſi quidem in tantum planè felici, in quantum materia peccans tranſlata fuit a parte nobiliore, cerebrô nempè, ad partem ignobiliorem, nimirùm inteſtina & crura, in tantum tamen terrifica, quod per id fœtui majus periculum extructum fuerit; teſte ſiquidem Hipp. 5. aph. 31. *Mulieri uterum gerenti, ſi alvus multum fluat, periculum eſt, nè abortiat*, & 7. aphor. 27. *ſi prægnanti teneſmus ſupervenerit, abortûs eſt cauſa.* Ad quod periculum propterea præcavendum procul dubio mox aſtrictoriis fuiſſet utendum, abſtergentibus & anodynis, quòd id verò ante materiæ peccantis ulteriorem expurgationem recidivæ in epilepſiam metus, tanquàm quid ipſô abortu gravius vetaret, conſultum mihi videbatur fluxum illum cum expurgante aliquo adhuc potiùs proritare, quàm aſtrictoriis ſiſtere; hinc ſubſequente mane ei mox talem pulviſculum ſumendum porrexeram; ℞. Rhab. toſti ℈iiß. cort. myrobal. citr. ℈ß. ol. nuciſt. expreſſ. ſuccin. ãã. gt. I. extr. caſtor. gr. I. M. F. pulv. qui ſuam operationem rurſus cum notabili non ſolùm torminum in ventre, & corroſionum in cruribus remiſſione, verum etiam adhuc majori mentis ſerenitate perfecit. Et propterea eâ die ab ulterioribus remediis ſuperſedimus, præterquam à fœtum roborantibus, panis ſcilicet toſti vino malvatico infuſi, & nuc. moſchat. maſtich. Caryophyll. & balſam. embryon. perſperſi umbilicô applicatione & regionis uteri tam ab ante, quàm à poſteriori parte cum ungu. Comitiſſ. inunctione, nec non vires corroborantibus Cardiacô-epilepticis. Subſequente die, quæ erat 8. Septemb. quia de nocte tormina ventris unà cum teneſmô rurſùs increverant, ſummô mane pro materiæ peccantis ulteriori abſterſione, & dictorum tum torminum tum teneſmi lenitione talis clyſter anodynus & abſtergens injectus fuit, ℞. Lactis vaccini cum hord. integri, flor. roſ. & verbaſc. aa. mß. decocti ℥vi. adde mell. roſ. col. ℥i. ol. hyperic. ʒvi. vitell. ovi N. I. M. F. clyſter, quem quidem rurſùs plurimùm materiæ æruginoſæ cum ſanguine permiſtæ ſubſecutum eſt cum præfatorum ſymptomatum rurſùs notabili lenitione, quæ verò quòd paulò poſt rurſùs increſcerent, idem clyſter etiam ad veſperam ejusdem diei repetitus eſt, ſed additô ei inſupèr ſevô hircinô, ex quô, vitellô ovi & thure etiam ſuppoſitoria pro teneſmi lenitione ſubindè indebantur, ſuffiebaturque anus cum trochiſc. de verbaſc. & pice navali. Die 10. Sept. quidem eam rurſùs cum Rhab. toſto expurgare deſtinaveram, ſed ſummô mane ſubſecutus eſt, quem hactenùs partim metuimus, partim optavimus, abortus; metuimus ſcilicèt ob maximum illuſtriſſimæ patientis aliàs in aliis purperiis conſuetum ſanguinis profluvium, quod vires aliàs extremè fractas, facilè præcipitâſſet; optavimus verò (ſi ſcilicèt per accidens contingeret) quia ſperabamus inde & teneſmi & cæterorum accidentium remiſſionem ſicut & majorem ratione epilepſiæ ſecuritatem. Sed ecce novas difficultates! Abortus quidem ſubſecutus eſt, teneſmus, dolores crurum, imò & ipſa ventris tormina tolerantiora reddita, ſed lochiorum, ad puerperarum tamen ſalutem teſte Hipp. de morb. mul. adeò neceſſariorum nec gutta quidem eſt ſubſecuta. Quid ergò factô opus? Lochiane cum aperientibus proritanda, vel potiùs dyſentericus alvi fluxus cum adſtringentibus erat ſiſtendus? utrumque tempeſtivâ ope indigebat, neutrum ferri poſſe videbatur citra alterius offenſam. Aperientia ſiquidem pro lochiis proritandis tanquam calefacientia non ſolùm humores acriores redditura videbantur, febriculamque, quam una quoque adeſſe pulsûs frequentia arguebat, auctura, verùm etiam orificia venularum ad ipſa inteſtina tendentium ulteriùs reſeratura, adeòque dyſenteriam exacerbatura, aſtringentia verò cum dyſentericô fluxû etiam lochiorum profluvium impeditura. Utrum ergò erat agendum? Ego in principio lochia cenſebam eſſe ducenda, dyſenteriâ intereà ſaltem cum anodynis, & abſtergentibus tractatâ, ſperabamque taliter fore, ut ſi lochia fortè fluerent, revulſô ab inteſtinis ad uterum tùm ſanguine, tum cæteris peccantibus humoribus, per accidens dyſenteria ipſa ſucceſſivè intermitteret. Eum propterea in finem uſus quidẽ ſum lochia proritantibus, externis tamen potiùs quàm internis, utpotè dyſenteriam unà cum febriculâ minùs quàm interna exacerbare valentibus; ſaphenæ ſcilicèt in pede ſectione, crurum frictionibus, & ligaturis &c. Internè in defectû aliorum ob procul diſtantem pharmacopœam remediorum aliô non, quàm aquâ puleg. chamom. & meliſſ. cum infuſione modici caſtorei ſubindè cochleatim propinatâ. Ad quorum uſum prodière quidem lochia, verùm in minimâ quantitate & quæ mox iterùm diſparuère; cum quibus proinde cùm viderem me nihil profecturum, Illuſtriſſima patiens ſe etiam de horâ in horam ad dyſentericas evacuationes meliùs haberet, concluſi tandem lochiorum nullam ampliùs curam habere, ſed potiùs totum in eô eſſe, ùt fluxus iſte dyſentericus, tanquam lochiorum vicarius continuaret; nè exulcerationem tamen aliquam in inteſtinis excitaret, aut vires nimiùm depaſceret, conatus fui eum cum abſtergentibus & anodynis pro viribus demulcere. Indè mox tertiâ à partû die ei rursùs unam ex rhabarbarô toſtô pulveriſatô doſin aſſumendam porrexi, cæteram verò curam totam cum abſtergentibus & anodynis, quales erant clyſteres ſuprà ſcripti, ſuffumigia ex troch. de verbaſc. & ſuppoſitoria ex ſevô cervinô, thure, maſtich. & croco confecta proſecutus ſum; atque taliter factum eſt, ùt dyſentericô illô fluxû intra paucos dies in nudam diarrhœam degenerante, illôque, ipſâ diarrhœâ ſenſim & ſenſim evaneſcente Illuſtriſſima patiens intra 3. ſeptimanas, opitulante *Deo*, cui propterea ſit perennis gloria, ſe feliciſſimè recollegerit, abſque eo, quòd aut conſueta, & ad puerperarum ſalutem aliàs maximè neceſſaria lochia provocata fuerint, aut pro dyſenteriâ quicquam aſtringentium remediorum uſurpatum. Ex quâ quidem curatione colligere licet, primò lochiorum fluxum quandoque feliciter etiam per alios fluxus ſuppleri, & proindè, ſi in tali caſû lochia procurari non poſſunt, eorum provocationi non multùm eſſe inſiſtendum, neque tamen etiam fluxum ipſum, ſive diarrhœa ille ſit, ſive dyſenteria, & multò quidem minùs ſi dyſenteria, aſtringentibus eſſe ſiſtendum; ſed

ſed nè intereà deteriùs quid, puto inteſtinorum exulcerationem, aut præ dolore nimiô convulſiones, aut quid ſimile inducat, ſolis abſtergentibus & anodynis eſſe tractandum. Secundùm, clyſteres quidem etiam uterô gerentibus eſſe ſecuros, ſicut & ſuppoſitoria, purgantiaque, aſt omnia mitia, & ſolum talia, quæ ex ſpecialiter acribus confecta non ſunt, neque clyſteres in doſi ordinariâ injici debere, ſed minore, ſyringâque non verſus uterum ſurſum, ſed verſus poſteriora magis directa, prouti iſta omnia, & plurima alia ad ritè curandos affectus tum cum graviditate, tum cum puerperio complicatos fuſiùs & clariùs videre licet in Intricato Extricato noſtro Medico, ſeu *Tractatû de Morbis complicatis* nuperrimè à me in lucem dato.

Ibidem Obſervatio 73. *De Purgantium in Menſium fluxû uſurpatione.*

Ibidem Obſervatio 74. *De Rerum abſurdarum, Monſtroſarumque aſpectû gravidis cavendo.*

Ibidem Obſervatio 75. *De Uberibus ſcyrrhoſis in hydropicis notatis.*

Ibidem Obſervatio 76. *De Quartanæ febris per evomitionem Carnis Verminoſæ rarâ ſolutione.*

Ibidem Obſervatio 77. *De Purgantium in Colicis doloribus uſû.*

Ibidem Obſervatio 78. *De Acidularum Roitſchenſium in Colicâ bilioſâ & contracturæ metû, ſingulari virtute.*

Ibidem Obſervatio 129. *De Gangrænâ pedum podagram mentiente.*

Ibidem Obſerv. 130. *Dum pus fit, non ſemper dolores magis accidunt.*

Ibidem Obſerv. 131. *De Iſchuriæ curioſa curatione.*

Ibidem Obſerv. 132. *De Piſcium Copia ſterilitatis prænuntia.*

Ibidem Obſerv. 133. *De ſaccharo Saturni egregio Ophthalmico.*

Ibidem Obſerv. 134. *De Cuticulæ abraſione menſtruatim recurrente.*

Ibidem Obſerv. 135. *De ſerpente radice Jalappæ è Corpore expulſo.*

Ibidem Obſerv. 136. *De febre quartana verminoſa.*

Ibidem Obſerv. 137. *De febre quartana matrimoniô ſanata.*

Ibidem Obſerv. 138. *De vena in febribus petechialibus ſecanda.*

Ibidem Annô 2. *Obſ.* 165. *De Iſchuriâ à Calculô, Collum veſicæ obturante, dependente, per caſû ſupervenientem gangrænam curatâ.*

Ibidem Obſervatio 166. *De Frigidæ potû jejunis funeſto.*

Ibidem Obſervatio 167. *De ſcabioſis cautè medicandis.*

Ibidem Obſervatio 168. *De Fungi auris lobô poſt perforationem adnati extirpatione.*

Ibidem Annô 3. *Obſervatio* 5. *De Deglutitione à cauſâ ignotâ impedita.*

Ibidem Obſerv. 6. *De Phthiſicis utrùm diu vivant.*

Ibidem Obſerv. 7. *De Dentibus connatis ante tempus evulſis.*

Ibidem Obſerv. 8. *De Vino pueris noxio.*

Ibidem Obſerv. 9. *De Surditate ex capitis lotione.*

Ibidem Obſ. 10. *De Pudendorum in gravida intumeſcentia.*

Ibidem Obſ. 11. *De Hydrope penis.*

Ibidem Obſ. 12. *De Hæmorrhagia nimia, ex raninarum inciſione.*

Ibidem Obſ. 13. *De Strepitu Mandibularum.*

Ibidem Obſ. 14. *De Cachexiâ cum inſigni Hypochondriorum obſtructione & duritie.*

POrtæ Teutonicæ Janitor, profeſſionis ſuæ ſutor, totus Cachecticus, & inflatus, hypochondria adeò undique tumida & indurata habebat, ùt panis libonem ibidem aſſervatum dixiſſes; tuſſiebat, difficulter reſpirabat, exceſſivè ſitiebat, & præ crurum tumore œdematoſô incedere vix poterat, pulsû frequente, & inæquali exiſtente. Me de remediis conſulenti, quod media pro pharmacopolio exſolvendo non haberet, aliud non ſuaſi, quam ut ſibi ℥j. rad. Jalappæ & Crem. tart. ℥ß. emeret, in pulverem redigeret, invicem permiſceret, & in octo partes æquales divideret, ſingulisque ſex vel ſeptem diebus unam partem ex vino vel jure aſſumeret, reliquis verò diebus quotidie mane & veſperi, dum lectô ſe committeret, acciperet ad caſtaneæ magnitudinem de conſervâ abſynthii, quam ſibi pariter domi ipſe conficere poſſit, contundendo Comas abſynth. in mortariô marmoreô, & addendo ipſi ſaccharum ſeorſim prius contuſum in triplô. Præterea ſibi hypochondria pariter bis quotidie inungeret ung. deoppil. rub. cum modicâ ſpir. vin. quantitate ſubactô. Tumidis cruribus chelidonium maj. abſinth. & caprillum ſtercus contuſa, & invicem ſubacta ſupponeret, & penes omnia hæcce in diætâ cuncta cruda, difficulter digeſtibilia, & quæ deterioris eſſent ſubſtantiæ, aut copioſioris excrementi, vitaret. In potû uteretur vinô albô & diureticô, cui radix enulæ Camp. eſſet infuſa. Et convaluit his ſolis à tam contumaci & vix alias ſuperabili malo ſenſim & ſenſim, quam feliciſſimè; Abſynthio præparantis, aperientis, diuretici, diſcutientis, & corroborantis vices agente, jalap. verò cum Crem. tart. purgantis & deobſtruentis.

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 114. *De Febre petechiali, melioris conſtitutionis hominibus funeſtiore, curatâ.*

MAgnus in parvis *Deus*! Graſſabantur præter variolas teneriori præcipuè ætati infeſtas, præterlapsô vere in noſtrâ hâc provinciâ paſſim febres malignæ petechiales, præcipuè tamen eis, quod admiratione dignum, funeſtæ, qui laudabilioris erant temperamenti, corporis habitûs melioris, & nil unquàm aliquô morbô afflicti, ab eis contrà; qui ab aliis jam pridem ob, quoad oculum, dexteriorem corporis conſtitutionem pro minùs durabilibus erant habiti, facilius ſuperabantur. Ut propterea non injuſtè edixerit ille; *Nimium ne Crede Colori*; Nec non Gal. *Lib.* 2. *de præſag. ex pulſib. Cap.* 4. *Itaquè qui habitû ſunt valente & admodùm diu in morbos non inciderunt, periclitantur, ſi incidant, at verò imbecilli quique aſſiduè objecti ad omnes cauſas ſunt, facillimè ſervantur.* Sic inter reliquos ſervatus per *Dei* gratiam ex ſimili malô à me fuit prænobilis Stephanus Floriantſchitſch J. V. D. Amicus meus, ex mille unus, corporis habitu teneriore & minùs coloratô præditus, dum tamen eô ipſô tempore plures de tam præproperô interitû ne ſomniantes quidem, perierunt, ſervatus, inquam eſt ſequentibus remediis.

Primò, quia corpus biduô triduôve ante; utcunque fuit expurgatum, mox, ut vocatus eram, ex dextri brachii medianâ ad ℥v. Sanguinis ei extrahi curavi.

Secundò quòd febris indè imminui non videretur, poſtridiè rurſus ex ſiniſtri brachii ſalvatella tantumdem ſanguinis eduxi.

Tertiò

Tertiò pro febrilis æſtûs attemperatione, putredinis correctione, & malignitatis oppugnatione quotidie bis, manè ſcilicet horâ ſextâ, à meridie verò horâ quintâ porrigebatur ex aquâ Scorzoneræ talis pulviſculus; ℞. Spec. de Hyacint. Compl. C. C. Philoſoph. præp. Ebor. S. △. Calc. Arcan. dupl. ſacch. perl. an. ʒß. M. F. pulv. quibus quidem perſtitit morbus uſque ad nonam diem utcunque tolerabilis, omni ſcilicet inſolitò accedente expers, exceptâ ſolâ urinâ, quæ ſemper & mingebatur turbida, & perſiſtebat talis; teſte Hipp. 4. Aph. 70. Capitis dolorum (qui quidem etiam aderant) *& Chriſt. à Vega in Comment.* magnæ humorum perturbationis & cruditatis ſignum. Tandem verò accedebant præter majorem virium jacturam etiam vigiliæ ferè continuæ, cordis terrificæ anxietates, corporis inquietudo, & linguæ ingens ariditas; quorum propterea ratione, venæ ſublinguales incidebantur, linguaque humectabatur, cum mucilagine ſem. Cydon. & Pſyllii, aq. ſemperv. maj. & pruneli. extracta, additis ei Rob. Diamor. Syr. granat. acid. melle roſ. col. & nit. depuratô. Et ecce die morbi undecimâ urina clara apparuit, cum notabili hypoſtaſi, adeòque ſpe magnâ ſubſecuturæ, 14. die, cujus, teſte rursùs Hipp. index eſt undecima, criſeos, quamvis in hiſce noſtris regionibus non adeò, ac in calidioribus, frequentis. Die 12. & 13. verò rursùs intentiora ſingula, cum deliriô perpetuô & corporis inquietudine tantâ, ùt diû noctûque ſe denudaret æger, manibuſque quaſi confligeret, omnibus ſubtùs eô inſciô euntibus, peſſimô Hipp. omine. Conſpectæ etiam maculæ petechiales ſcarlatini coloris, præcipuè in brachiis cruribuſque. Unde propterea ad malignitatem adhùc efficaciùs oppugnandam præfatis pulviſculis addebatur, Sal. C. C. volat. ſal. viperar. volat. & Bezoard. min. cruribus etiam brachiiſque veſicatoria admota. Et ecce ad decimæ quartæ morbi diei principium, ex inſperatô ad ſe redit æger, urinale deſiderat, & urinæ, quæ jam ab undecimâ die eô inſciô excernebatur, ad duas menſuras conſequenter emittit concoctiſſimæ, cum omnium ſymptomatum remiſſione, adeòque criſi, apud nos, uti dixi, aliàs rara, perfectiſſimâ.

Ubi quidem, quantam cognationem diaphoretica cum diureticis propriè talibus habeant, pluſquàm manifeſtum evadit; ea videlicèt inter ſe virtute non differre, ſed operari potiùs pro naturæ inclinatione, nunc per ductum urinarium, nunc per cutis poros; prouti iſtud jam etiam à nobis tactum fuit in *Intricati extric.* noſtri *Medici* part. 1. cap. 14. ſuper quæ omnia tandem purgabatur æger, nè quid nimirùm poſt criſim in corpore relictum recidivam, quam ex intermiſſione purgationis metuit Hipp. in Aph. facere poſſet, conſervabaturque in probâ diætâ, donec recuperavit vires priſtinas, quibus etiamnùm gaudet, (*laus Deo*) pleniſſimis.

Ibidem, Annô 5. & 6. Obſervatio 137. De Icterô auripigmentô curatô.

Ibidem Obſervatio 138. De Ovô Galli Gallinaceô ſemicircularis Figuræ.

Ibidem Obſervatio 139. De Intertriginibus ſeu cuticulæ ex longiore decubitû abraſione.

Ibidem Annô 7. & 8. Obſervatio 76. De Gravidâ ex nimiô ſanguinis profluviô demortuâ.

Ibidem Obſervatio 186. De Hepate in hydropicâ injuſtè inculpatô.

Ibidem Obſervatio 187. De Epilepſiâ duorum annorum virgis curata.

Ibidem Ann. 9. & 10. Obſervatio 85. De Modô frangendi ſoleas ferreas, clavoſque, & ſindendi vitra, fiſſaque ſeu diffracta rurſus glutinandi.

Ibidem Obſervatio 199. De Liene citra ſanitatis læſionem exciſo.

Ibidem Obſervatio 200. De Epilepſiâ ex Eryſipelate perfrigeratô.

Ibidem Obſervatio 223. De Corde magnô.

De eô extant in Ephemerid. Nat. Cur. Centur. 1. & 2.

Obſervatio 57. De Bile in veſiculâ fellis lapideſcente.

Ibidem Obſervatio 100. De Roris corroſivitate, & inde ortis puſtulis.

Ibidem Obſervatio 101. De Maculis ſcorbuticis.

Ibidem Obſervatio 130. De Epilepſiæ mirâ metaſtaſi in repentinam cæcitatem & inſperatam viſûs recuperationem.

Ibidem Obſervatio 131. De Remediô in hæmorrhoidibus quà fluentibus, quà dolentibus expertô.

QUid hæmorrhoides ſint, quæque mala eas ſubindè adoriri ſoleant, legere eſt apud Hippocratem & paſſim apud Medicos practicos, præſertim apud Fromannum, Phyſicum Coburgenſem, qui de eis ſpecialem tractatum cum ſingulari ſui commendatione conſcripſit. Relego propterea eo Lectorem, qui de eis planè exactam notitiam addiſcere deſiderat. Hìc ego verò ſolùm refero, quid ego in memetipsô eis tam dolentibus, quàm fluentibus præ aliis remediis proficuum fuiſſe expertus fuerim. Patiebar autem earumdem, interpolatum tamen, fluxum jam ferè per quindecim annos, priuſquam eæ mihi dolore vel nimiô fluxû moleſtæ eſſe incœperant, poſtquàm ante triennium autem ex itinere equô factô nimium incaluiſſem; eis ſubindè adeò doluerам, ùt dolori ſufferendo vix par fuerim. Tranſierat verò, ſucceſſivè tamen, rursùs dolor hic; ſed qui poſt annum circa idem ferè tempus ad ſimillimam ex equitatione incaleſcentiam cum non impari moleſtiâ, tamen rurſus redierat, & præterea cum eâ ſanguinei fluxûs continuatione, & diarrhœâ, ùt indè vix peſſundatâ ventriculi digeſtione, & attritis viribus vix non ſuccubuerim, non obſtantibus quamplurimis pro tunc in ſubſidium vocatis remediis. Demùm eiſdem tamen tantùm effeceram, ùt ſucceſſivè rursùs me utcunquè recollegerim. Quod pertimeſcerem verò, nè ſæpiùs recurrens tam periculoſum malum me demùm præcipitaret; cogitandam mihi eſſe rebar de certioribus remediis, quibus ulteriori recidivæ obviam irem. Et deprehenderam, quòd ſcrophularia, telephium, chelidonium minus, & millefolium præ aliis talia eſſent, quæ hoc malum cicurare, & demùm etiam radicitùs extirpare valeant. Reſolveram propterea eorum effectum experiri, atque, quòd commodiſſimus eorum uſus mihi videretur eſſe decoctô, ea cum totô minutim conciſa in aquâ inſtar herbæ Thè decoquere ſolitus eram, & cum tantillô ſacchari ſingulis, vel ſaltem alternis matutinis quantitate octo circiter unciarum calidè ſorbilare; & ſanctè dico me intra duos menſes (obſervatâ intereà probâ victûs ratione) rem (laudes ſummô Archiatro!) eò perduxiſſe, ùt jam in alterum annum, etſi intereà pluries equô peregrè profectus fuerim, inde penitùs nullam perpeſſus fuerim moleſtiam; quin potiùs inde notabiliter carnoſior, & coloratior effectus veluti renatus eſſe mihi

mihi videar, fluxû eorum quidem ſubindè intereà tamen recurrente ; ſed moderatiſſimô & minimè moleſtô ; quin imò vel ex eô proficuô, quòd eô mediante humorum p. n. particulæ, quôcunque demùm titulô fortè ſanitati aliàs nociturae, evacuentur, ad mentem Hippocratis, qui diuturnas hæmorrhoides omninò cohibere prohibet 6. Aph. 12. ſalutares è contra eſſe deprædicat, ſi moderatè fluant, 6. Aph. 11. & 21. Nec non 4. Aph. 25. Non dubito, quin idem remedium, quâcunque demùm formâ, præmiſſis præmittendis & ſuppoſitâ debitâ victûs regulâ ſufficienti tempore continuatum, & prætereà radix telephii ex collô per dorſum ſuſpenſa (qualiter eam geſtavi ego, & geſto etiamnùm) geſtata ſit, infallibiliter quoque aliis ſimiliter affectis profuturum. Quod opto ex Corde.

Ibidem in Append. pag. 41. Conſtitutio Anni 1709. *Apud Labacenſes in Carniola notata.*

Ibidem pag. 46. *Conſtitutio Anni* 1710.

Ibidem Centur. 3. *&* 4. *in Append. pag.* 29. *Conſtitutio Anni* 1712. *apud Labacenſes in Carniolia à Dn. D. Marcô* Gerbezio *apud eoſdem Phyſico, & Medico ord. Medicè conſiderata, & Auguſtam Vindelicorum D.* 28. *Decembris* 1712. *communicata.*

Ibidem pag. 38. *Conſtitutio Anni* 1713. *Medico Labacenſi, communicata d.* 15. *Januarii. A.* 1714.

Ibidem pag. 44. *Conſtitutio Anni* 1714. *Medico Labacenſi, Labaci in Carniolia obſervata.*

Ibidem Centur. 5. *&* 6. *Obſervatio* 45. *De Febre tertianâ ſimplici præpoſterô ſpecificorum uſu in Cachecticô infeliciter curatâ.*

Ibidem Obſervatio 46. *De ſingultû potû acidularum excitatô.*

Ibidem Obſervatio 47. *De Febribus intermittentibus quaſcunque ſingularis eaque perdextra curandi methodus.*

Ibidem in Append. pag. 3. *Conſtitutio Anni* 1715. *à Marco Gerbezio, Med. Doctore apud Labacenſes in Carniolia Medico-notata ; & Medico-Phyſicè conſiderata.*

Ibidem pag. 7. *Conſtitutio Anni* 1716. *apud Labacenſes in Carniolia notata à Marco Gerbezio apud Labacenſes Phyſico & Medico ordinario.*

Ibidem Annô 7. *&* 8. *Obſervatio* 4. *De Hæmorrhoidibus Cæcis.*

DE Hæmorrhoidibus, circaque eas frequenter accidere ſolitis incommodis plurima quidem hactenus annotata leguntur apud Hippocratem, Galenum, & alios, præſertim apud Frommannum in tractatû ſpeciali de *hæmorrhoidibus* ; nondum tamen adeò exacta omnia ut eis adhuc quidpiam ſuperaddi non poſſit, & quidem illud ipſum, quod Ego elapſæ æſtatis Juliô menſe ad finem vergente in memetipſo expertus ſum ; nempè ſingularis affectûs *ſuffitus* terebinthinæ anô excepti, applicationis *unguenti albi camphorati, & pulveris Cochlearum Oeſtrearum calcinatarum, nec non potûs decocti rad. & herb. ſcrophal. & Chelidonii min.* prænotatum verò velim me hæmorrhoidum fluxui jam à pluſquam 20. annis fuiſſe ſæpius per annum obnoxium & quidem primis aliquot annis abſque notabili moleſtiâ, poſtea verò ſubinde cum aliquali intumeſcentia & dolore, præſertim poſt violentiorem in itineribus motum, corporis incaleſcentiam, meracioris vini hauſtum, & casû ſubindè incurrentes bilioſas diarrhœas. Utcunque verò me ſive fluxûs copia, ſive dolorum vehementia cruciarint, eis ſemper tempeſtivum, & opportunum remedium adinveniendi ſortem habui, exceptâ ſolâ elapsâ æſtate, dum poſt triduanam, ceraſorum eſu, uti reor, excitatam diarrhœam me tantus hæmorrhoidum cæcarum dolor inceſſerat, ùt ei ſufferendo ferè impar factus fuerim, dum tamen aliis vicibus, quoties in ſimilem diarrhœam me incidere contingeret, eæ ſemper ſponte ſuâ aperiri, & fluere ſolitæ ſunt, dolore, ſi quis ſupervenerat, paulò poſt ſponte ſuâ, vel remediis conſopitô. Hac vice verò, quidquid adhibui; adhibui fruſtra ; quinimò pinguia, & oleoſa quæcunque, inter quæ erat etiam famoſum illud unguentum de *Linaria*, item quæcunque actû calida notavi mihi notabiliter dolorem exacerbaſſe ; exceptâ ſolâ *capâ aſſâ*, & ſacculis paregoricis ex herba & floribus *linariæ, verbaſci, & hyoſcyami cum farinâ ſem. lini, fænugr.* & pſyllii in lacte decoctis & tepidè applicatis, quæ ſucceſſivè tamen utcunquè conducere videbantur. Purgare non auſus fueram, eo quòd ad quaslibet vel ſolis clyſteribus emollientibus cum ungu. Clyſmatico, & populeô paratis promotas ſubindè ſedes, dolores maximè exacerbari experirer. Hinc ad applicandas hæmorrhoidibus ſanguiſugas recurrendum eſſe rebar, tanquam ad remedium alias etiam, præſertim in ſuppreſſis hæmorrhoidibus, ſingulare. Etiamſi verò quatuor earum externis nonnihil tumentibus venis fuiſſent applicitæ, duæ internis ; tamen vix una ſanguinis uncia fuit prolicita. Neſcio quare : dùm ex eis aliàs ſponte apertis ſubindè plures libræ effluere ſolebant. Hiſce tamen rem eò redegeram, ùt non niſi ante, poſt, & ſub alvi exonerationibus ſolitos dolores perciperem. Hinc cogitandum mihi ſupererat, qualiternam quoque alvum mihi redderem indolentem ; cùmque conjicerem ad id neceſſarium fore, ùt fæces alvinæ redderentur molles, ſique ſponte non ſecederent ſaltem alternis, vel ternis diebus, eæ leni aliquô laxativô ſubducerentur ; determinaveram prunis aliquid fol. ſennæ incoquere, & de eis una cum eorum jure, quoties neceſſe eſſe videretur, aliquot ſemper ante paſtum deglutire. Secundô quòd præterea adverterem, in excretionibus ſemper inteſtinum rectum mihi inſolentiùs protrudi ſolere & inde dolores tantò magis exacerbari ; ſollicitus eram, qualiter & his opportunum repagulum opponerem ? Et fortunatè mihi inciderat uſus terebinthinæ, cujus ſuffitus anô exceptus in tenebris, & ani procidentiis ſolet eſſe proficuus, necnon pulvis oſtrearum calcinatarum, qui bombace exceptus inque ani procidentiis applicitus, ſolet eſſe perefficax ; quibus poſtquam aliquoties fuiſſem uſus, deprehendi, quòd reverà & dejectiones inde redditæ fuerint molliores, & liberiores, & protruſio ani minor, ac minus dolorifica, quòd tamen adhùc in externis hæmorrhoidibus ſupereſſet tumor quidam dolorificus ; huic quoque remedium erat reperiendum ; & occurrebat unguentum illud, quod vulgò camphoratum album nominatur ; propterea illud in linteolô molli extenſum, quoties ſedere dabatur, & veſperi dum lectum ingrederer, aliquotiès tumentibus, & dolentibus venis ſedalibus admoveram ; cum tantô effectû, ùt intra paucos dies univerſus tumor & dolor penitùs evanuerit ; adeo ùt in tam acri, tamque pertinaci hæmorrhoidalium venarum malo nulli ex uſurpatis remedio tantam efficaciam adſcribere valuerim, quàm prunis laxativis, *ſuffitui terebinthinæ anô excepto, pulveri oſtrearum calcinatarum cum goſſypio excepto & admoto, & unguento illi album Camphoratum dicto*, ſed cum

cum adjectione liſtargyrii priùs in acetô coċti, præparatô. Quamvis mihi paulò poſt ſanċtè retulerit certus presbyter, ſe a ſuis dolenter tumentibus hæmorrhoidibus *ſolâ ceruſsâ alba pulv. in acetô* per noċtem maceratâ, *& mane abjeċtô acetô cum ſ. q. olei olivarum in linimenti formam commiſtâ*, dictô modô aliquotiès admotâ optatiſſimè reſanaſſe.

Nè verò ex taliter ſemel ſuppreſſis, & fortè à ſexagenariâ meâ ætate nunquam ampliùs fluxuris hæmorrhoidibus mihi ea, quæ 6. Aph. 12. prædicit Hipp. obveniant; obviandum fore rebar fonticulô tibiæ pedis internæ inurendo idoneâ diætâ, & geſtatione in dorſô radicis telephii, & ſcrophulariæ adeò decantatarum in hujuſmodi doloribus; quin & in potû per modum thee, ſaltem vere, & autumno, vel etiam ſanguiſugarum applicatione.

Ibidem Obſervatio 5. de Fertilitate nimia ſibi ipſi exitiali.

Ibidem Obſervatio 6. de Podagra non podagra.

Ibidem in Append. pag. 22. Conſtitutio Anni 1717. à Dn. D. Marco Gerbeziô Labaco 10. Decembris deſcripta.

Ibidem pag. 143. Epiſtola reſponſoria Marci Gerbezii, ad Epiſtolam ab Exc. Domino Franciſco Sigiſmundo Catharinio, Medico & Practico Græcenſi in Stiria famigeratiſſimô, 3. Jan. 1718. ad ipſum, ut ſuam febres malignas, & petechiales curandi methodum communicet, ſcripta, Labaco, 2. Martii Ann. 1718. transmiſſa.

GERHARDUS *vid.* GERARDUS.

GERLACHIUS (*Joh. Chriſtoph.*) Conſiliar. & Archiater Wurtenbergicus.

De eô extat in Ephemer. Germ. Cent. VI.

Obſervatio 49. de Vitriolô, Euporiſtô contra Cancrum.

FŒmina vicini pagi paupercula laborat ulcere oris atque narium depaſcente, omnium Chirurgorum judiciô, cancroſô: ſed poſt varia incaſsùm adhibita, ſuo relinquitur fato; incurabilis habita, creſcente in dies malô; adhibitæ etiam fruſtra planè, imò cum detrimentô, intùs & in cute, Aquæ per aliquot annos celebres in Ducatûs noſtri verſùs Palatinatum finibus, Zaiſenhuſanæ. Deſperanti tandem curationem omnem Mendica, eleemoſynam fortè petens, ſuaſi vitriolum cœruleum contuſum vel ſolitariè, ſed majorem dolorem excitaturum, vel minori cum moleſtiâ, cum oleo olivarum, applicandum. Paruit ægra, applicuit aliquotiès, modò cum oleô olivarum, modò ſolitarium vitriolum, ſtititque non modò ulteriorem depaſcentis interim dimidiam fermè faciem ulceris rabiem, ſed & illud planè conſolidavit; ità ut ſana nunc ſit, per biennium & quod excurrit; reliċtâ non niſi miſerandâ & horribili faciei forma.

Ibidem Obſerv. 50. De Veneris Virtute antivenereâ.

ANnus circiter eſt, ex quo probatæ fidei Chirurgus Caſtrenſis primarius mihi retulit hiſtoriam militis gregarii, Venereâ lue adeo infeċti, ùt, conſuetis per Ligna quin & Mercurium curationibus ſollicitè licèt adhibitis nil proficientibus relinquere volentem ità ægrum empiricæ alterius gregarii militis curationi coaċtus fuerit, qui brevi etiam integræ illum reſtituerit ſanitati ſolo *Viridis æris uſû internô* cum vinô rubrô &c. Hâc occaſione comperiſſe ſe retulit porro vir ſolertiſſimus, *euporiſton* hoc *antivenereum* apud gregarios milites ab aliquô tempore familiare planè eſſe; pluresque id in perâ tanquam ſuppelleċtilem maximè neceſſariam, ſecum circumgeſtare. Quæ ipſa relatio refricuit mihi memoriam *ejuſdem arcani*, quod dudùm anteà mecum communicaverat Amicus quidam Chirurgus Ducalis, ſtrenuus affeċtuum Venereorum debellator, quô ipſe quidem nunquàm, alius verò quiſpiam Chirurgus vel balneator potiùs, cetera parùm ſapiens, edoċtus id à ruſticô Hercyniæ; ſæpiſſimè cum ſucceſſû uſus eſt; Methodum in ſchedis meis reperio talem; ℞. Virid. ær. Vitriol. Virid. & cœrul. ana quant. trium cultri cuſpid. coq. in vin. rub. ℥xiiij. xv. ad conſumptionem duorum digit. decantet. ſenſim liquor. dos. manè & veſperi Cochlear. I. inungantur ſimul articuli brachii, manûs &c. unguentô ex 3. ſuperioribus ingredientibus cum axungia porcina factô; bibendo ſimùl Decoċt. ex cort. quern. radice rubi ſive communis. *Brombeer* (ſive idæi, *Hinbeer.*) & herb. agrimon. Exulceratæ fortè exindè fauces inungantur Linimentô ex tribus ſuperioribus cum melle. Operatur ruſtica hæc panacea modò per aliqualem ſalivationem, modò per ſeceſſum. Hæc dum ſcribo, refert fœmina noſtras, maritum ſuum laborare adhùc ex opthalmia, *ulcera* verò *oris*, quorum venereâ indoles erat indubia omnem haċtenùs aliorum medicaminum vim eludentia, curata eſſe jam medicamentô euporiſtô, à milite monſtratô: ſcilicèt Vitriolô cœruleô contuſô & cum ſpiritû vini ulceribus aliquotiès affriċtô.

Scholium.

Siſtit utraque hæc obſervatio Medicamenta ex venere ſive cuprô, ſatis licèt rudia, in uſum tamen Medicum externum, tot ex ærugine, flor. æris, vitriolô, ære uſtô, pluribuſque hujus familiæ, unguentorum, emplaſtrorum, &c. teſtimoniô, à Recentioribus æquè ac Veteribus duci frequenter ſolita; Rudi tamen ejusmodi atque ſimplici rudium & ſimplicium vitriolorum &c. affriċtione curare ulcera cancroſa & venerea haud facilè doċtiſſimorum Chirurgorum quiſpiam præſumpſerit: quid? quòd eò plerumquè fidere ejuſmodi ſimplicibus ſoleat minùs, quò doċtior quis vel eſt vel eſſe creditur, prudentia vel affeċtata vel certè nimia: miſcelis enim noſtris ſimplicium virtutes quin ſæpiſſimè vel infringamus vel impediamus, nullus dubito. Cæterùm uſus rudium horum internus rudis nimiùm plurimis fortè non ſine ratione videbitur: quoniam autem lues iſta frequentior quotidie fit, nec Nobilium ſaltem plerique pudori ſibi ducunt, lue venereâ non laboraſſe, vel ſaltem non meliùs multi noſſe quid ſit *Chaudpiſſe*, quid *corde*, quid *poulain*, quid *Chancre* &c. quàm quid ſit *Regeneratio*, quid Abnegatio ſui, quippè quæ abjeċtæ nimis res non niſi ignobile vulgus, *la canaille* (ſtylô iſtorum hominum) decent, ſed elegantiæ illæ ex aulis & palatiis in gregariorum quoque militum caſulas pauperumque & ruſticorum tuguria atque gurguſtia migrârunt, quærenda certè erunt medicamenta euporiſta, viliora, decenteſque labra talia laċtucæ; Traumatica certè poſtulat ulceroſa venerei laticis indoles, qualia mineralibus ſuperaddit è vegetabilium familia ſuperior ſive ruſticus ſive tonſor: at miror quare contempta tamdiu jaceant Carrichteri non niſi domeſtica traumatica, paucô vel nullô habitô ad ſpecifica Indica reſpeċtû, e. g. fraxinum

num (quam quadruplo fortiorem in curandâ lue credit Guajacô) chelidon. filic. ſcrophular. ſcabioſ. pyrol. ſanicul. &c. commendantis conſilia; ſint licèt nonnulli qui fortè vel bardanam vel ſaponariam, ſed non niſi Indicis junctam, præſcribant: & quotuſquiſque eſt, qui totum curationis negotium ſimplici *gentianæ cruciatæ*, Zapatæ exemplô, committere auſit? ſed & animatæ pathologiæ amaſii in venereis noſtris antivenereis ſuis fortè vermibus anthelminticum invenient. Modus operandi variare pro variâ ægrotantium diſpoſitione dicitur, moverique alvus modò, modò ſaliva; blandam certè à vitriolô ſalivationem in lue ſpondet, juxta cum aliis Dn. Prof. Vicarius. Sed nec opus neceſſariò eſt ſenſibili evacuatione, *extingui* enim ſenſim virus venereum poſſe, teſtatur hodie non infrequens experientia, ſecurior licèt & certior videatur, quæ vel ad ſenſum virus expellit, curatio. Superſedere fortè an poterimus inſanis *Quintarum vitrioli, arſenici &c. Eſſentiarum* laboribus, ſi rudia iſthæc præſtare talia frequentior porrò experientia teſtatum dederit, cujus autem evictionem præſtare nec volo nec teneor; experiantur quibus volupe eſt, aut occaſio & dicta modò, & illud *Ruſtici Tirolenſis* euporiſton antivenereum oleum ſcil. deſtill. ex *Calce vivâ & reſinâ piceæ*, τῆς πεύκης, cujus doſ. gutt. 30. in decoct. caulium κράμβης κεφαλώδους quô multùm ſæpè præſtitiſſe ruſticum dicunt autoptæ: ſolatiô non exiguô illis, quorum crumena vel Heinſiana, vel Munkiana, vel *præcipitatum ſolis* ex amalgamate Sol. & Mercur. cum ſpirit. ſulphuris &c. magnarum, quod experti teſtantur, virium, etiam ubi ſalivatio vel fruſtranea fuit vel etiam noxia, vel alia ejuſmodi pretioſa arcana, ferre recuſat.

GERMAIN (*Carolus de St.*) Doct. Medicus Pariſinus.

De eô extat

Hippocratis Aphoriſmorum Methodica Praxis. In quâ totiûs Medicinæ Praxis, ex Hipp. Aphoriſmorum clarâ, facili, correctiore atque ex multis probatioribus, collectâ, necnon diligenti noſtrâ cum Græcô Idiomate collatâ, interpretatione, Illuſtratorum contextû, ordinate & methodicè explicatur. Pariſiis, 1650. 8. & 12. ibid. an. eôd. apud Clouſier.

GERMAIN (*Claudius*,) Pariſinus.

Ex eô habetur

Icon Philoſophiæ occultæ, ſive, vera Methodus componendi magnum antiquorum Philoſophorum Lapidem. Roterodami, apud Viduam Arnoldi Leers, 1678. in 8.

GERMANNUS (*Didacus*,)

Ex eô habetur

Judicium Philoſophico-Ethico-Chymico-Medicum de illâ veteri toties jam ventilata & nec dùm reſoluta Controverſia, an detur Lapis Philoſophorum & ejuſdem indefinita in Morbis tam præſervandis quàm curandis Virtus? leviter mota à D. Jacob. Johan. Wenceſlaô Dobrzensku de Nigrô Ponte, acriter defenſa à D. Johan. Friderico à Rain, Germanè, id eſt, candidè, formâ Epiſtolari conſcriptum à nominatô Authore; ſine locô & nomine ejus apud quem proſtet, 1682. in 8.

GERSDORF (*Johannes*,) Argentinenſis, Chirurgiam præcipuè exercuiſſe dicitur, in eaque famoſus valdè fuit. *Gœlicke.*

De eô extat

De Chirurgiâ & Corporis humani Anatomia, Liber. Francof. apud Hermannum Gulferich, 1551. in 8.

GERVASIUS (*Auguſtinus*,) Panormitanus, Nicolai Gervaſii filius, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor eximius. Doctrinâ excultus Panormi vivit. Antidotarium Panormitanum Nicolai Patris recognitum, ac locupletatum recudere curavit, hoc adjectô titulô.

Gervaſius redivivus, ſeu Nicolai Gervaſii Antidotarium Panormitanum Galeno-Chimicum omnium medicaminum, quæ Panormi parantur venalia, ſelectiorumque arcanorum, ex quibuſcumque Pharmacologis, Chimiatris, & clariſſimis inter recentiores practicis depromptorum acceſſione locupletatum, nec non pluris notis illuſtratum ab Auguſtinô Gervaſiô &c. Panormi, apud Michaëlem Conſtantium, 1700. in 4. *Anton. Mong. Bibl. Sicul. T.* 1. *pag.* 87.

Item ad Auguſtinum Gervaſium, *adde:* Panormitanæ Urbis Archiater electus, doctrinâ, eruditione, & experimentis clariſſimus; Edidit etiam orationem inſcriptam

Perfecti Medici ſpecimen, ſeu Ars muta, cum Eloquentiâ glorioſè conjuncta. Oratio funebris in obitum immarceſſibilis Famæ viri, D. Dominici Alaymi, Medici, dum viveret, longè celeberrimi. Romæ 1709. in 8. *Anton. Mong. Bibl. Sicul. T.* II. *in Append.* 2.

GERVASIUS (*Nicolaus*,) Panormitanus, natus annô 1632. Pharmacopola fuit inſignis, Spagyricus, ac Botanicus eximius. In plantarum cognitione, earumque virtutibus perſcrutandis egregius. Hortulum ſibi concinnavit propè urbis Panormitanæ mœnia, in quô rariores plantas excolere curavit, ùt earumdem vires accuratiſſimè examinaret, ideòque ob præclarum doctrinæ ornamentum nedùm apud Pharmacopolas, verum etiam & apud Doctiores Medicos Panormi magnâ valuit æſtimatione. Pharmacopolarum Conſulem egit cum laude; & defunctâ uxore ad clericalem militiam tranſiit; ac Sacerdotiô inſignitus, poſt exactam laudabiliter vitam, deceſſit, Panormi 30. Maij an. 1681. & in Cœmeteriô P. P. Capuccinorum ſepultus, pluriès adhùc integrum vidi. Ipſum laudat Franciſcus Cupanus *in epiſt. ad Lectorem Horti catholici* & pag. 18.

Edidit

Antidotarium Panormitanum Pharmaco-Chymicum. Panormi, typis Petri de Iſolâ 1670. in 4. & ab Auguſtinô Gervaſiô Filiô, nunc Panormitanæ urbis Prothomedicô eximiô, correctum & magnâ rerum acceſſione locupletatum, iterùm in lucem prodiit, hôc appoſitô titulô: *Gervaſius Redivivus, ſeu Nicolai Gervaſii Antidotarium Panormitanum Galeno-Chimicum.* Panormi, ex typographiâ Michaëlis Conſtantii 1700. in 4.

Succedanea. Ib. apud Petrum Iſola 1670. in 4.

Norma Tyronum Pharmacopolarum Galeno-Spagyrica. Neapoli, apud Novellum de Bonis 1673. in 4. Italicè

Bizarrie Botaniche d'alcuni Semplicisti di Sicilia publicate, è dichiarate. Ibid. apud eundem 1673. in 4. *Anton. Mongitor. Bibl. Sicul. T. ij. p.* 88.

GESLERUS (*Johannes*,) Anglipolitanus.

De eô extant

Præſtantiora ac dudum modò experta contra peſtem aliqua remedia, ex antiquiſſimis Medicis excerpta. Ingolſtadii, apud Alex. Weiſſenhorn. 1544. in 8.

GESNERUS

GESNERUS (*Conradus*) Natus Tiguri Helvet. A. C. 1516. Patre Cive Plebeiô, eôque Pellione. Annô 1536. ætatis 20. uxorem duxit, tùmque in ſcholâ patriâ pueros Grammaticam aliquandiù docuit; domi verò per otium Medicinæ operam dedit, quam Baſileæ & Monſpelii ſedulò continuavit. Annô ſequente Lauſannam vocatus in ſcholam Reipubl. Bernenſis tunc inſtitutam, in eâ triennium literas Græcas profeſſus eſt. Circa annum 1540. Baſileæ nactô Medicinæ Doctoris titulô, patriam reverſus, Medicinam ibi facere cœpit, & Philoſophiam publicô ſtipendiô docuit, Phyſicam imprimis & Ethicam per annos 24. interpretatus eſt. Annô Chriſti 1565. peſte Tiguri graſſante, eâdem correptus obiit, ætatis ſuæ 49.

De eô extant

Hiſtoriæ animalium, Liber I. de Quadrupedibus Viviparis. Tiguri, apud Chriſtophor. Froſchoverum, 1551. in fol.

Hiſtoriæ animalium, Liber II. qui eſt de Quadrupedibus Oviparis. Francof. apud Johann. Wechelum, 1586. in fol.

Hiſtoriæ Animalium, Liber III. qui eſt de Avium naturâ. Tiguri, apud Chriſtoph. Froſchoverum, 1555. in fol. Francof. apud Robertum Cambierum, 1585. in fol.

Hiſtoriæ animalium, Liber IV. qui eſt de Piſcium & Aquatilium animantium naturâ. Tiguri, apud eundem, 1558. in fol.

Hiſtoriæ Animalium, Liber V. qui eſt de Serpentum naturâ. Ex variis Schedis & Collectaneis ejuſdem compoſitus, per Jacobum Carronum. Adjecta eſt ad calcem ſcorpionis infecti hiſtoria, à D. Caſparô Wolphiô, *Tigurinô*, ex ejuſdem Paralipomenis conſcripta. Tiguri, apud Chriſtoph. Froſchoverum, 1587. in fol. ſunt autem hi libri omnes cum Iconibus ad vivum excuſi primùm; poſteà recuſi Francof. apud Henricum Laurentii, 1604. in fol. 5. Voll.

P. Ovidii Naſonis Halicuticon: hoc eſt, de Piſcibus Libellus, multò quàm antehàc emendatior & ſcholiis illuſtratus. Emendantur & Plinii aliquot loca. Accedit Aquatilium Animantium Enumeratio, juxta Plinium; emendata & explicata per C. G. ordine Alphabeticô. Earumdem nomina Germanica, eôdem ordine. Tiguri, apud Geſneros FF. 1556. in 8.

Hiſtoria Plantarum & vires ex Dioſcoride, Paulo Ægineta, Theophraſtô, Pliniô, & Recentioribus Græcis, juxta Elementorum ordinem. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1541. in 8. Venetiis, apud Melchiorem Seſſam, 1541. in 16.

De raris & admirandis Herbis, quæ, ſive quòd noctû luceant, ſive alias ob cauſas, Lunariæ nominantur, Commentariolus: & obiter de aliis etiam rebus, quæ in tenebris lucent. Inſeruntur & Icones quædam herbarum novæ. Ejuſdem Deſcriptio Montis-fracti, ſive, Montis Pilati, juxta Lucernam in Helvetiâ. His accedunt Johan. du Choul G. F. *Lugdunenſis*, Pilati Montis in Galliâ Deſcriptio: Johannis Rhellicani Stockhornias, quâ Stockhornus Mons altiſſimus in Bernenſium Helvetiorum agrô, verſibus heroicis deſcribitur. Tiguri, apud Andr. Geſnerum, F. & Jacobum Geſnerum, Fratres, 1555. in 4. Extat etiam cum Thomæ Bartholini de Luce hominum & brutorum Libris III. Hafniæ, 1663. in 8. Ibidem, apud Petrum Hauboldum, 1669. in 8. ſed omiſſâ Deſcriptione Montis-fracti ſive Pilati atque Johannis Rhellicani Stockhorniæ, ſive Montis Stockhorni.

Catalogus Plantarum, Latinè, Græcè, Germanicè & Gallicè deſcriptus. Additæ ſunt Herbarum Nomenclaturæ variarum gentium Dioſcoridi adſcriptæ, ſecundum literarum ordinem expoſitæ. Tiguri, apud Froſchoverum, 1552. in 4.

De Stirpium aliquot vetuſtis nominibus, cujuſmodi ſunt, Mamyras, Moly, Oloconitis, Doronicum, Bulbocaſtanum, Granum Alzalin, & Habbaziz, & alia complura. Epiſtolæ duæ, I. Melchioris Guilandini, II. hæc ipſa Geſneri. Cum Iconibus novis tribus. Baſileæ, apud Epiſcopium Juniorem, 1557. in 8.

Tabulæ Collectionum ſtirpium; quibus per ſingulos anni menſes, quæ ſtirpes in ſingulis per Germaniam Flores Fructuſque ùt plurimùm proferant, recenſentur. Extat etiam cum Lexicô Rei Herbariæ trilingui Davidis Kyberi. Argentinæ, apud Wendelium Rihelium, 1553. in 8. Tiguri, apud Froſchoverum, 1587. in 8. Additis per Caſparum Wolphium Geſneri Tabulis de ſtirpibus, eorumque partibus, ex Theophraſtô potiſſimùm confectis.

De rerum Foſſilium, Lapidum & Gemmarum maximè, figuris & ſimilitudinibus, Liber. Tiguri, apud Jacobum Geſnerum, 1565. in 8. Huic Conr. Geſneri operâ præmiſſi ſunt de omni rerum Foſſilium genere, Gemmis, Lapidibus, Metallis, & hujuſmodi, Libri aliquot, plerique nùnc primùm editi.

Excerptorum, & obſervationum de Thermis tum Helveticis, tum Germaniæ aliis, Libri duo. Extant p. 289. Operis Veneti de Balneis.

Libellus, de Lacte, & operibus Lactariis, Philologus pariter ac Medicus, cum Epiſtola ad Jacobum Avienum de Montium admiratione. Tiguri, apud Chriſtophor. Froſchoverum, 1541. in 8.

Apparatus & Delectus ſimplicium Medicamentorum. De Compoſitione Medicamentorum, ſecundum genera ex Paulô Ægineta. De Compoſitione Medicamentorum ſecundum genera, univerſalis Methodus ex Galenô. Lugduni, apud Frellonios F. F. 1543. in 8. Venetiis, apud Joh. Ant. & Petr. de Nicolinis de Sabio, 1543. in 16.

Enchiridion Rei Medicæ triplicis, illiùs primùm quæ ſigna ex Pulſibus & urinis dijudicat; deindè Therapeuticæ de omni morborum genere curando ſigillatim; tertiò Diæteticæ, vel de ratione victûs, præſertim in febribus. Continentur autem, de Pulſibus Libellus ex Galeni Libris collectus ac veluti in Formulam redactus auctore incertô. De judiciis Urinarum, Tractatus Johannis Vaſſæi, *Meldenſis*. Morborum internorum propè omnium curatio brevi methodô comprehenſa per Jac. Sylvium de ratione victûs in febribus ſecundum Hippocratem, in genere, & ſigillatim, Libri III. Autore Brudô Luſitanô Medicô. Tiguri, apud Geſneros F. F. 1555. in 8.

Evonymus. De Remediis ſecretis Liber Phyſicus, Medicus, & partim etiam Chymicus, & Oëconomicus, in vinorum diverſi ſaporis apparatû: Medicis & Pharmacopolis omnibus præcipuè neceſſarius. Tiguri, apud Jacobum Geſnerum, 1556. in 8. Francof. 1578. in 8. Extat etiam cum Petri de Vege Pace Methodicorum cum Spagyricis. Lugduni apud Bernhardum Vincentium, 1620. in 12.

Evonymus. De Remediis ſecretis Liber ſecundus: nùnc primùm operâ & ſtudio Caſpari Wolphii, *Tigurini*, in lucem editus. Tiguri, apud Chriſtophorum Froſchoverum, 1569. in 8. Francof. 1578. in 8.

Caſſii

Caſſii Jatroſophiſtæ Medicinales & Naturales Quæſtiones Græco-Latinas fecit. Extat cum Anton. Suebergeri, de Medicamentis ſimplicibus, contra peſtem. Tiguri, apud Jac. Geſnerum, 1562. in 8.

De Chirurgiâ Scriptores optimi quinque veteres & recentiores in unum conjuncti Volumen. Tiguri, apud Andr. & Jac. Geſnerum Fratres. 1555. in fol.

De Hortis Germaniæ. Extat cum Valerii Cordi Annotationibus in Dioſcoridem. Tiguri, 1561. in fol.

Compendium ex Actuarii Zachariæ libris de differentiis Urinarum, judiciis & prævidentiis. Univerſalis doctrina Cl. Galeni, *Pergameni*, de Compoſitione Pharmacorum, ſecundum locos affectos à Capite ad Calcem, particularibus medicamentis remotis. Sylvula Galeni Experimentorum & aliorum aliquot. Tiguri, apud Chriſtophorum Froſchoverum, 1541. in 8.

Enumeratio Medicamentorum Purgantium, vomitoriorum & alvum bonum facientium, ordine Alphabeticô deſcripta. Baſileæ, apud Frobenium, 1646. in 8.Extat etiam cum Antonii Muſæ Braſavoli Libellô de Catapotiis, quem vide.

Sanitatis tuendæ Præcepta, Literatis præcipue, & qui minùs exercentur, neceſſaria. Item contra Luxum Conviviorum: & contra Notas Aſtrologicas Ephemeridum de ſecandis venis. Tiguri apud Jac. Geſnerum, 1556. & 1562. in 8.

Succedaneorum Medicaminum Tabula, quorum uſus habetur reciprocus, Græcè & Latinè. Eadem è Galeni, Dioſcoridis, Aëtii, & Pauli Æginetæ Libris paſſim excerpta, & in unum diligenter conſcripta, nùncque primùm in lucem edita. Baſileæ, apud Rob. Winter, 1540. in 8. cum Actuariô de Medicamentorum Compoſitione.

Menſuræ, apud Veteres Græcos & Latinos Scriptores, uſitatæ Liquidorum & Aridorum, ita diſpoſitæ, ùt quæ ſunt majoris ponderis ſemper præcedant. Sic enim veteribus facilius noſtræ atque aliarum gentium menſuræ conferentur. Tiguri, apud Chriſtophorum Froſchoverum 1584. in 8. Extat etiam cum Dominici Maſſarii de Pōderibus,& Menſuris Medicinalibus Libris tribus. Vid. Dominic. Maſſarius.

Epiſtolarum Medicinalium Lib. III. Hìc acceſſerunt ejuſdem Aconiti primi Dioſcoridis Aſſeveratio, & de Oxymelitis Elleborati utriûſque deſcriptione & uſû, Libellus. Omnia nunc primùm per Caſparum Wolphium, *Tigurinum*, in lucem data. Tiguri, apud Chriſt. Froſchoverum, 1577. in 4.

Epiſtolæ à Caſparô Bauhinô nùnc primùm editæ. Extant cum Johannis Bauhini de Plantis, à Divis Sanctiſve nomen habentibus, Capite. Baſileæ, apud Conr. Waldkirch. 1591. in 8.

Achillis Pirminii Gaſſari Aphoriſmorum Hippocratis Methodum novam quinque Libris diſtinctam illuſtravit. Sangalli, 1584. in 8.

Claudii Æliani de Animalium natura Libros XVII. cum Petrô Gilliô interpretatus eſt. Vid. *Claud.* ÆLIANUS.

GEUDERUS (*Melchior. Frider.*) Med. Doct.

De eô extat in Actis Lipſ. Ann. 1689. *p.* 389.

Diatriba de Fermentis variarum corporis animalis partium ſpecificis & particularibus. Cui ſubjicitur Diſſertatio de Ortû Animalium. Amſtelodami, apud Johannem Wolters, 1689. *in* 8.

POſtquam Chymia hoc noſtrô ſeculô inſigni cum fructû apud Medicos vigere cœpit, plurimi eorum *Helmontii* famigeratiſſimi illius per ignem Philoſophi veſtigia legentes, quo ſolennes corporis Animalis functiones, inanibus Facultatum nominibus exploſis enodarent, ſæpius non ſine applauſû peculiaria in ſubſidium vocârunt Fermenta, ratione partis certæ ſolidæ, cui inſideant & propria ſint, inſita & ſpecifica ipſis appellata. Verùm annon hæc eaſdem cum facultatibus experiantur difficultates, i. e. annon ſupponantur magis, quàm ſolidè demonſtrentur, paucis abhinc annis, *Borellus*, *Bohnius*, *Charletonus*, aliique mechanicam rationem in actionibus pleriſque animalium extricandis ſeligentes, multùm hæſitârunt. Quibus ſubſcribere nec Autor noſter in Diatriba præſenti veritus, rem omnem *duplici* abſolvit *ſectione*. *Prima* harum fermenta corporis animalis in genere examinaturus, ante omnia ingenuè fatetur, eandem de fermentis hypotheſin aliquandiu ſibi arriſiſſe, utpotè mox ſub incunabulis à plurimis approbatam, nec aliorum dogmatum novorum adinſtar multis contradictionibus vexatam; poſteà nihilominùs modernorum, cumprimis *Borelli*, *Bohnii*, *Rivini* & *Kemperi*, ſcriptis ſedulò evolutis ſententiam ſe mutâſſe, methodumque phœnomena in animalibus obvia mechanicas ad leges revocandi arripuiſſe, ceu magis expeditam, omnibus etiamſi difficultatibus haud deſtitutam. Hinc diverſô fermentationis ſenſu conſideratô, hanc ſanguini modò denegat, modò attribuit: ſcilicèt fermentatio ſi inteſtinum ſaltem denotet motum materiæ ad perfectionem tendentis, cujus effectus ſpiritus ſit ſulphureus ſive ardens, nullam ſanguini ſimilis ſpiritûs experti ineſſe; aſt ubi generalius paulò pro quôvis liquidi alicujus heterogenei motû inteſtinô, à corpuſculorum ſubtilium niſu expanſivô dependente, accipiatur, quem variæ inſequantur alterationes, fermentationem omninò ſanguini videri concedendam, ità tamen, ut minùs repugnet, ſi quis neglectis effervecentiæ, fermentationis aut ebullitionis nominibus litigioſis, genericos magis vel rarefactionis, vel tumultuationis, cōmotionis aut agitationis terminos malit adhibere. Fermenta verò ab Helmontiô obſcurius, clarius ab aliis deſcripta, quemadmodùm in animali machina vel adventitia perhibentur, vel innata ſive inſita; ità horum præſertim exiſtentiam multis deſtruere rationibus nititur. Etenim primò, ſi fermenta ejuſmodi in corpore animali præſto eſſent, partium ejuſdem mereri titulum; interim nec ſolidas partes dici, nec fluidis, nec ſpirituoſis, cùm propriis hæ non contineantur terminis, poſſe accenſeri. Ad hæc genuinam eorum originem, non minùs ac naturam, dubiam eſſe & ignotam, ſecùs ac *Williſio*, *Helvetio* iiſque, qui ſpiritus inſitos ſomniant, videatur. Porrò ipſam viſcerum ſtructuram fermentationi adverſari, veluti intuitu ſtrictiſſimorum canaliculorum omnem fermentationis motum vertiginoſum & rareſcentem impedientem. Sanguinis denique circulationem celerrimam tantum temporis haud largiri, ut fermenta in canalibus adeò multis iiſque anguſtiſſimis, tum in omnes partes fluidi miſti ſeſe diffundant, tum eaſdem abſque ſubſtantiæ partium deſtructione ab invicem ſeparent, tum corpuſculorum diſcretorum inter ſe homogeneorum in unum locum colligendorum ergo, novus diſſolutioni factæ motus ſuperveniat, niſi forſan ex momentaneâ fermenti actione idem ſanguinis maſſæ contingere

gere deberet, quod in filtrationibus ſolutionum v. g. auri, ſulphuris &c. intempeſtivè adornatis ſolet obſervari, quippe quæ confeſtim ab inſtillatô præcipitante. v. g. ſale tartari, aceto, &c. filtro commiſſæ, ſub liquoris turbidi ſpecie integræ chartam bibulam permeant. E diversô ad Recentiorum mentem convenientius longè fluidorum in animali corpore indagari ſecretiones, ſi motû ſanguinis inteſtinô pariter ac progreſſivo à corde & arteriis jugiter ad ſecernentium partium canaliculos vibrato,unà cum diverſarum particularum è ſanguine ſecernendarum aptitudine, ſuppoſitis, ſola pororum (præter debitum fibrarum à ſpirituum animalium influxû dependentem tonum) in viſceribus, glandulis, aliiſque partibus probè perpendatur diſpoſitio, figuræ, & magnitudini ſeparandarum molecularum congrua, à variis demonſtrata phœnomenis, & tùnc etiam, ubi vel maximè fermenti cujuſdam quacunque ratione corpuſcula ſegreganda ad ſeceſſum diſponentis concederetur præſentia, in ipsô ſecretionis actû omninò admittenda. Iſti tamen porulorum configurationi forſan particularum ex conformatione variâ oriundum niſum, tendentias, ad hunc illumvè motum facilius ſuſcipiendum promptitudinem, indeque ſub utrôque ſanguinis motû reſultantes impulſuum differentias, adjungi poſſe; cùm corpus aliquod verſus proportionatum foramen projectum pro diversâ vel rectâ, vel obliquâ, vel aliâ incidendi ratione, modò facilius, difficiliùs modò, modò planè non pertranſeat. Quæ ſingula quidem quamvis in genere facilem mereantur aſſenſum, attamen ubi ad explicationem minimorum perventum fuerit, propter ignotam partium configurationem internam nihil prorſus de ſpeciali ſecretionum modo conſtare. Atque ſic fermentis ſolidarum partium innatis in genere rejectis, antequam priorem ſectionem dimittat, in *Guilielmi Cole & Johannis Paſcalii* inquirit ſententias, quorum ille de *Secretione animali* ſuccô nervoſô in fermentorum numerum recepto primas in mixtis ſecretionibus efficiendis defert, hic verò *Explicatione novâ fermentationis in Corpore humano*, fermenta vel fixa, vel volatilia conſtituens, fixorum exiſtentiam ab effectibus demonſtrat, volatilium autem originem à nervis petit ſpirituſque animales acidos declarat: utrumque nihilominùs ficulneis inſiſtere fundamentis ſæpiùſque ſibimet contradicere, fuſiùs exponit. Ad *poſteriorem* verò *ſectionem* perveniens, quâ de certis corporis animalis partium fermentis in ſpecie diſquirit, mox ſalivam, liquorem gaſtricum, bilem, ſuccum pancreaticum, liquorem nervoſum &c. ſeu fermenta ad ſecretiones præcedanea ab allegatô modò *Cole* ſalutata, è fermentorum genuinorum claſſe propterea expungit, quod non in exiguâ, ſed inſigni ſatis ad corpora proportione admiſceantur. Argumenta dehinc, quibus vel fermentum ventriculi acidum propugnari, vel chylificationis negotium per fermentationem explanari ſolet, promptè diluit, ac ad chylificationem abſolvendam ſalivam & alimentorum reliquias, liquorem gaſtricum, fluidum nervorum, nec non viſcerum ventriculô adjacentium calorem concurrere, ſe invicem juvare, adjuvarique à propriô ventriculi motû, probabilius aſſerit. Neque in ullam bilis cum ſuccô pancreaticô conſentit effervefcentiam, cui utriùſque ductûs inſertio magnô potius ſit obſtaculô. Fermentum autem ſtercoreum in inteſtinô cæcô ab *Helmontio* locatum, merum appellitat figmentum; præterquam enim, quod *Helmontius* ſibi contradicat, omne fermentum vitale, ſtercoreum verò corruptivum nuncupans, in inteſtinis jamdum tenuibus à fæculentiis emitti fœtorem, multaque animalia, quorum nomina adduntur, cæcô penitùs carere. Glandularum itidem conglomeratarum, præſertim parotidum, æque ac conglomeratarum meſenterii aliarumque fermenta, acida quæ creduntur, conſtanter negat; ibi namque ſalivam minimè acidam, etiamſi ſola colatura ſegregetur, idcirco tamen haud penitùs coincidere cum ſerô, eò quòd novô ſpirituum acceſſû ſit roborata ſimùlque aëre fœta; nec pleraque interna ſalivam moventia acida eſſe, v. g. maſticatoria, ſale potius volatili acri turgentia, item Mercurius ratione molecularum rotundarum, lævium, ſummèque mobilium ſerum fundens; hic verò ſive in conglobatis glandulis acidô præſente, nec chylum, nec lympham, nec lac ſuam tueri poſſe conſiſtentiam, cùm fluida nominata ab acidô quôvis, teſte experientiâ, coagulentur. Lympham prætereà quâ maximam ſui partem ſecedere potiùs à maſſâ ſanguineâ, per poros tùm tunicarum arteriæ antequam in vas capillare minimum deſinat, tùm veſicularum minimarum à vaſis capillaribus formatarum, quam operosè glandularum, ceù plurium vaſculorum contortorum, miniſterio ſecerni; eam verò lymphæ portionem, quæ in glandulis meſenterii ex ſanguine arterioſô ibidem depoſita, una cum inſigni fluidi nervoſi copiâ chylo accedit, menſtrui potiùs & vehiculi, quam fermenti titulô venire inſigniendum. Unde & lympham à vaſculis lymphaticis excipi, ne in partium ſolidarum nutritione gelatinoſarum molecularum coagulationem impediat, à calore ſanguinis abſque ullius inexplicabilis fermenti aſſimilantis adminiculô præſtandam, concurrentibus ſaltem ſpiritibus animalibus debitum fibris & poris tonum conciliando. De cæterô ſenſibilem Cordis texturam muſculoſam nullum in Ventriculis ejus concedere fermentum innatum, multò minùs, ut tale vel per calcinationem, vel per aceſcentiam inibi produci poſſit. Similiter ſpiritus animales ſubtiliores longè eſſe, quàm ùt in cerebrô à fermentô peculiari ſive ſale, licèt maximè volatili, poſſint ac debeant acùi & volatiliſari: ſal ſiquidem volatile deſtillatione acquiſitum à nullô fermentô oriri, ſed particulas eſſe ſeri roſcidas, intra cerebri poros congeſtas ac putrefactionis motû reſolutas; neque cerebri fermentum pro ſpirituum ad ſenſum & motum determinatione exigi neceſſarium,cùm hæc partim pororum diſpoſitioni, partim ipſis ſpiritibus commodè aſſignari poſſit. Rationes inſuper quibus à diverſis aliquod lieni fermentum affingitur,evidenter oſtenduntur vanæ; lienem namque hepati inſervire, in quantum ſanguis in amplioribus ejus cellulis nervorum fluido copiosè irroratus, à lymphâ liberatus, ſimùlque à membranâ fibroſâ conquaſſatus, ad bilificationem diſponitur. Nec bilem, etiamſi non qualitate eadem ſanguini ineſſe concedatur, neceſſariò fermentum requirere tranſmutans, quia ſimplex particularum ab aliis liberatarum unio, mediante pororum diſpoſitione facilè efficienda ſufficit; in hôc ſaltem bilis ſecretionem ab aliorum humorum percolatione differre, quod tardiùs & facilius peragatur abſque eô, ut ſanguis tanta vi ad hepatis colatorium propellatur. Quoad renes, nulla in his fermenti, vel putrefactivi, vel fuſorii, deprehendi veſtigia, quin ſerum urinoſum laxius Maſſæ Sanguineæ cohærens, ſine præcedaneâ fermenti divellentis energiâ, mediante ſolô ſanguinis per ſtrictiſſima vaſcula capil-

capillaria impulſû & pororum certâ configuratione ſecedere poſſe. Tandem quod teſticulorum in viris, ac uteri & mammarum in fœminis attinet fermenta, hæc non magis quàm reliqua concipi poſſe; mutationes quandoquidem pubertatis tempore in utrôque ſexû evenientes, neutiquam à teſtium vel uteri connatô dependere fermentô, ſed cauſam imprimis ipſam maſſam ſanguineam agnoſcere, quatenus hæc ſuâ ſponte tùnc à particulis nutrititiis & ſpirituoſis, in ſolidarum nutritionem non adeò copioſè amplius abſumendis, magis exaltatur, prætereàque à ſubtiliori ſeminis portione ad ipſam è teſtibus & ovariô regurgitante vigoratur & commovetur. Circa mammarum verò fermentum planè non apparere, quidnam illud per tantum temporis ſpatium iners & latitans integrum ſervet; & quid illud ipſum tunc demum, ubi lac generari incipit, in actum deducat.

In Diſſertatione autem, quæ annectitur, de Animalium ortû ad Excell. *Sturmium* exarata, diverſis circa generationis negotium hypotheſibus, quibus hoc vel facultati formatrici, vel Animæ rationali aut ſenſitivæ vel formæ ſubſtantiali, vel ideis ſeminalibus vel ſeminibus motis, vel ſpiritibus ideis inſtructis acceptum fertur, probè ponderatis iiſque repudiatis, *in Swammerdammii, Malebranche, Perraltii, Peyeri &c.* ipſiuſque *Sturmii* concedit ſententiam, quibus non ſine rationum momentis, in ovulis ſingulis integram & abſolutiſſimam partium omnium admirandum in modum conſtructarum ideam ac delineationem ſubtiliſſimam latere videtur, à ſummô omnium Creatore immediatè inditam, ac à ſpirituoſô ſeminis virilis contagiô evolvendam & in motum ſuſcitandam. Cui equidem dogmati à multis multa objici dubia, quæ tamen non ſolùm hic recenſentur, ſed & ſolidè evelluntur. Unius *Leeuwenhœckii* hic adduxiſſe ſufficiat rationes à noſtrô labefactatas, quibus ille & contra ovulorum aſſignatum uſum diſputat, & novam quoque Hypotheſin proponit. Scilicèt ipſum ſemen maſculinum non neceſſariò matricem intrare debere, galli gallinacei exemplo, in momentô tantillô ſeminis ejectô integrum ovorum racemum fœcundantis. Nec ſemper eandem ovulorum in fœtibus magnitudinem, ſicut in adultis obſervari; quin poſitô quoque hoc phænomenô perpetuô, nondùm tamen exin ovulorum ad generationem elici ineptitudinem, quoniam non magnitudo hæc ovula ad officium ſuum apta reddat, ſed liquoris quem continent laudabilis conſtitutio & reliqua tum ad intromittendam ſeminis maſculini auram, tùm ad ſui à reliquâ ovarii ſubſtantiâ liberationem diſpoſitio, imò ovulum, obſervante *Bohniô*, poſt ſui ab ovariô ſeceſſum, minùs, quam anteà, deprehendatur. Interim quæ ovula intra brutorum aliquot poſt eorum coitum diebus ſectorum, uterum ejuſque cornua *Leeuwenhœckiô* non apparuêre, ab aliis Anatomicis oculatiſſimis fuiſſe viſa, neque metuendum, nè vel reliquiæ ſeminis virilis in globuli formam coagulatæ, vel alteriûs generis particulæ excrementitiæ undiquaque æquali vi compreſſæ, adeòque globoſæ redditæ, pro veris ovulis habitæ fuerint, cum nec ſemen maſculinum ad tubas uſque pertingat, nec excrementitiarum particularum origo innoteſcat aut concipi poſſit, quomodò excrementa æquali vi preſſa ideò ſtatim in veſiculas membranaceas liquore turgidas efformentur. Quod vermiculos autem concernit, in ſemine maſculinô microſcopii ope incredibili copiâ annotatos, ac ſecundum *Leeuwenhœckium* fœtuum ſtamina conſtituentes, primò quæſtionem de ortû illorum redire, inſignemque difficultatem remanere expediendam, quomodo illi vermiculi præcisè in corpore maris tam artificiosè elaborati ad teſtes vaſaque ſeminalia reliqua deferantur, & ſuperſtites, ibi aliquandiù exiſtentes in uterum maternum provenire queant. Deinde minùs pateſcere, cur in tantâ vermiculorum copiâ omniumque pari vigore non plures unô in fœtus excreſcant tam in uterô, quam hujus tubis; etenim ſi animalcula ejuſmodi cum ſemine virili injecta aliquot poſt coitum diebus utrobique, *Leeuwenhœckio* narrante, ſupervixerunt, opus omninò habuiſſe nutrimento non aliundè, quàm ex uterô hujuſque tubis ſugendo. Quô conceſſô, utrobique ingentem loculorum copiam, ex quibus animalcula iſta alimentum ſugere queant, neceſſariò adeſſe, conſequenter majorem ſemper fœtuum numerum gigni, ac frequentiùs conceptiones quoque tubarias contingere debere, cùm nil impediat, quominùs animalcula, ſi ſemel locum invenerint nutrimentum ſuppeditantem ibi perſiſtant & in fœtus excreſcant. Tandem *Leeuwenhœckii* hypotheſin enervari, quod ovariis fœmellarum caſtratione ademtis, aut caſû vel morbô deſtructis fœmellæ pariter ac mares exſectis teſtibus ſteriteſcant nec ampliùs concipiant.

GEUSS (*Wolffius*) Norimbergenſis.

De eô extat

Methodus curandorum Morborum Mathematica. Quæ morborum depellendorum, ex Aſtrorum concordanti influxû, ratio certa oſtenditur. Francofurti, apud Anton. Hummium, 1613. in 4.

GEYERUS (*Joh. Daniel.*) Ratisbona-Boius, Seren. Elect. Palatini Phyſ. Ord. Præſidii Fridericiburg. & Manheim. ac Academicus Curioſus.

Ex eo habetur

Thargelus, Apollini Sacer, continens Trigam Medicam, ex Regno Animali, Minerali & Vegetabili. I. De Cantharidibus, II. De montibus Conchiferis, & Gloſſopetris Alzeienſibus Archipalatinis. III. Διγταμνογραφία ſive Brevis Dictamni deſcriptio. Francofurti, apud Georg. Henr. Oehrlingium, 1687. 4.

De eô præterea extant in Miſcell. Nat. Cur. Dec. 2. Anno 5.

Obſervatio 228. *De Membranâ per urinam excretâ.*

CHirurgus Alzeienſis, nomine Philippus Fack, cùm duplici tertianâ laboraſſet atque præ æſtû ferè defeciſſet, urinam reddidit inflammatam, in quâ natabat membrana alba primùm, poſteà verò pellucida, quæ extenſa quadrantis ulnæ longitudinem æquabato, in latitudine tres ferè digitos excedebat.

Ibidem Obſerv. 229. *De Mirâ ſympathiâ patris & filioli in paroxyſmô febris tertianæ.*

Ibidem Obſervatio 230. *De Omentô mirabili Hydropici.*

Ibidem Obſervatio 231. *De Calculô Veſicæ.*

Ibidem Obſervatio 232. *De Aquâ petrificante & muſeô petrefactô.*

Ibidem Obſervatio 233. *De Abortu, inque hujus placenta uterina incluſo embryone cum propriâ ſecundinâ.*

Ibidem Obſervatio 234. *De Mirâ Antipathiâ & exindè animi deliquiô ortô.*

Ibidem Obſervatio 235. *De Variis nævis.*

Ibidem Anno 6. *Obſervatio* 84. *De Cadavere in antiquô ſepulchretô repertô unà cum urnis ſepulchralibus.*

Ibidem Obſervatio 85. *De Variis oſſibus lapidefactis animantium ac gigantum.*

Ibidem Obſervatio 86. *De Hepate gallinæ macilentæ magnô.*

Ibidem Obſervatio 87. *De Lumbricô longô.*

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 136. *De Nidô Halcyonis.*

Ibidem Obſervatio 137. *De Vernice ad conſervanda inſecta & animalia.*

IN Schediaſmate meô de Cantharidibus mentionem feci de Conſervatione inſectorum, fecique periculum ductus luſu naturæ, quô

Et latet & lucet Phaëtontide condita guttâ
Ut videatur apis nectare clauſa ſuo.

Modus verò talis eſt; ℞. Spiritus Vini rectif. ℔j. ſuccin. alb. ℥ij. digere in B. M. per 48. horas, adde pulverem Sandarachæ alb. maſtich. alb. a. ℥j. terebinth. Venet. ℥jß. & itidem B. M. impone per 24. horas, donec omnia ſint ſoluta; Dein ℞. inſecta probe exenterata, immitte ſpir. Vini rectif. mixtô Saccharô Canthi clarificatô per aliquot dies, dein obdue aut inunge vernice, uſque dum inſtar vitri albi ſplendeant, ſic ad longum tempus durabunt. Similiter ſuccedit in vegetabilibus fructibus; qui, ſi aër externus arceatur, putredini non ſunt obnoxii, id quod demus in ceraſis, prunis cerâ albâ obductis.

Ibidem Obſervatio 138. *De Mirô Scillæ effectû in Meleagride.*

Ibidem Obſervatio 139. *De Vulnere juxta Suturam Spuriam temporum minimè lethali.*

MIles gregarius in Obſidione Moguntinenſi ex legione Sereniſſ. Principis Chriſtiani Zeizenſis, pone aures circa futuram ſpuriam tranſverſim globo vulnerabatur, adeò ut ambobus oculis ob læſionem nervi optici privaretur, hôc rerum ſtatû, dum potiùs hujus mortem quàm vitam ſuſpicabar, tamen benedicente *Deô* convaluit ac mendicat. Ex quo patet illud θανατῶδες Hippocraticum in vulneribus capitis non eſſe adeò abſolutum, quia potius ipſemet apponat τὸ, ut plurimum.

Ibidem Obſervatio 140. *De Indorum Semine Dotter ſive Dattura.*

GEYGERUS (*Daniel*)

Ex eo habetur

Reſponſum Medicum defenſivum de Morbô & Morte Cardinalis Würtenbergici ad Johannem Helwigium. Auguſtæ Vindelicorum, 1662. in 4.

GHIARESCHUS (*Joh. Marianus*,) Lucenſis Medicus.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1688. *p.* 483.

Obſervationes de vegetabilibus abſque terræ adminiculo producendis. Excerpta ex Ephemeridibus Parmenſibus A. 1687. *N.* III. VI. & IX.

HAud ignotum eſt, dari plantas, quæ ut ut humum non attingant, ſed aliis modò arboribus aut vegetabilibus innaſcantur & adhæreſcant, nihilo tamen ſeciùs læte creſcere & germinare deprehendantur; quô in numerô ſunt Cuſcuta, Viſcum, Hedera aliæque. Veruntamen licet hæ tales immediate telluri non cohæreant; indeque nutrimenta nanciſcantur; idem mediatè ſaltem faciunt, dum ex arboribus, quibus velut nutricibus utuntur, alimentum, quod hæ crudum è terrâ traxerant, præparatum jam magiſque elaboratum aſſugunt atque hinc majora indies incrementa ſumunt. Num autem abſque omni, tam immediatô, quàm mediatô terræ commerciô plantas producere, & quatenus eas ſic educare detur, experimentis indagare inſtituit ſolertiſſimus Ghiareſchius. Et initio quidem circa vegetabilia imperfectiora, fungos nempe, occupatus fuit, & aliquoties, variis etiam anni temporibus, è nudis iſtis involucris tortilibus, quibus lagenæ vitreæ circumveſtiri ſolent, in vaſe huic rei aptato aquâ tepidâ irrigatis, abſque ullo terræ interventu, intra duodecim circiter dies, produxit fungos diverſæ magnitudinis; palmum aliquando longitudine, pennam anſerinam caulis craſſitie adæquantes. Quem caulem intùs concavum, & in ſubtiliſſimas ac ſine microſcopii ope vix conſpicuas radices deſinentem deprehendit. Obſervavit, quandoque ante eorum productionem per triduum aut quatriduum apparuiſſe ſpeciem quandam ſitûs ſeu lanuginis, è cujus mediô dein fungi ſint enati; & horum quidem ſummitatem primo non abſimilem eſſe turionibus aſparagi, & vitri auxiliô umbellam clauſam oſtendere, quæ poſteà ad latitudinem tranſverſi pollicis ſemet expandat, ex parte quidem concava ſtriis nigris, ex convexâ verò punctis albentibus ſignata. Vidit etiam fungos tales à radiculis licèt avulſos, at in vaſe relictos, ad tertiam adhùc longitudinis, quam priùs habebant, partem creviſſe unius diei ſpatio, quin & circa eorum extremitatem alios duos aut tres exiliores propullulâſſe: dum interim illi, qui non avulſi fuerant, dimidio altius ſurrexerant. Præterea obſervavit aliquandò, non tamen niſi ſemel; abrupta à caule ſuo umbella, inde prodiiſſe ingentem numerum animalculorum velociſſimè currentium, coloris flavi ſummè tranſparentis, quæ adhibitô microſcopio, inſtructa comparuerint ſex pedibus, duobus cornibus, piliſque rarioribus. Denique compertus eſt, tametſi ad indagandam quadantenus virtutem ſeminalem horum fungorum, prædicta lagenarum involucra priùs in aquâ bulliente cocta fuiſſent, nihil tamen inde, aut parum diverſi, quoad hanc fungorum productionem contigiſſe.

Ulterius dein ſemet applicuit Noſter culturæ aliarum plantarum, ſimili modô perficiendæ. Nimirùm in iſtô ſuô vaſe, ſuper dimidia talis modi lagenæ veſte ſeu involucrô, varii generis ſemina conſevit, fabas putà, piſa, phaſeolos, ciceris grana, vicias, triticum, ſecale, panicum, frumentum Saracenicum, cucumeres, melopepones & fœniculum; nec omni ſucceſſu tentamen caruit, nam mediante calore Solis moderatô, & humiditate neceſſariâ, varia iſta ſemina, diverſis licèt temporibus, germinârunt; alia tamen aliis felicius. Fœniculum enim, frumentum Saracenicum & milium, altitudinem trium digitorum tranſverſorũ creſcendo non ſuperârunt; reliqua ferè ultra ſemipedem excreverunt; aſt dein ſucceſſivè rurſus marcuerunt; niſi quòd ciceris ſemina, poſtquam dictam altitudinem attigerant, evulſa & in vas terrâ plenum tranſplantata, flores fructusque maturos tulerunt,

Inter alia obſervavit, duas fabas, quarum quælibet ante ſationem 10. grana pependerat, poſtquam ad determinatum creſcendi terminum pervenerant, eradicatas in tantum pondere auctas fuiſſe, ut ſingulæ 72. grana haberent, computatis ſimùl radicibus, caule & foliis; unde concludit, incrementum iſtud non niſi ſoli aquæ communi affuſæ adſcribi poſſe, nec ullatenus hic terram concurriſſe; id quod in experimentô acutiſſimi Helmontii in ſalice, itemque clariſſimi *Boylei* in pepone Indicô, inſtitutô ſuſpicari quem facilius poſſe, autumat. Cæterùm ipſum illarum fabarum corpus, quod nullatenùs ferè alteratum apparuit, à caule avulſum pependit 14. grana, & in Sole ſiccatum deinde grana 7. ut adeo grana omninò 3. depondere, quod ante ſationem habuerat, amiſiſſe viſum ſit; quod quidem decrementum nimium ferè Noſter arguit, intuitû ſententiæ modernorum quorumdam Philoſophorum ſtatuentium, puriorem illam particulam, quæ verum ſemen contineat, non niſi 2800.mam partem efficere ſeminis craſſô modô ità vocati; exiſtimat nihilominùs, in fabis illis partes quaſdam magis volatiles, diuturnô humore & calore ſolutas, facilè evaneſcere & avolare potuiſſe.

Poſteà temporis, quò feliciùs adhùc procederet experimentum, loco involucrorum talis modi lagenas veſtientium, (cum ea ſufficientem plantis humiditatem vix præbere videret, maximè ſi non vetuſtiora ſed recentia adhibeantur,) adſumſit ſcobem ligneam ſiccatam; utpote quam aptiorem judicavit recipiendæ humiditati, radicibuſque plantarum intra ſe admittendis; prætereà ad irrigandum non aqua ſaltem communi uſus eſt, ſed & ſubinde alia, in quâ prius materia quædam, ut ait, aquea & ignea, calida & frigida, fuit diſſoluta. Hôc pactô ſeminum germina & altiùs aſſurgere creſcendo, & virorem magis vividum oſtendere deprehendit, ſpeciatim tres fabas narrat ità ſuccreviſſe ad ſeſquipedis ferè altitudinem, nec gemmas modo protruſiſſe, ſed & flores ſucceſſivè per mentis ferè ſpatium erumpentes oſtendiſſe. Non diffitetur tamen, in aliis plantis ſucceſſum experimenti haud ità expectationi reſpondiſſe: nimirùm lupinum, ſecale, ac hordeum non ultra dimidium palmum enata rursùs exaruiſſe; id quod etiam in ſemine cucumeris contigit. Baſilicum protrûſis aliquot foliis virorem quidem retinuit, at altius ſuccreſcere haud obſervatum eſt; id quod Noſter vel ideò miratur, cum herba hæc alias humoris amica, ſi vel exilis è terrâ eruatur vaſique aquâ pleno immittatur, lætè florere ſoleat: non tamen abſque ratione hôc nomine incuſat frigus, vegetationi quippe plantarum haud parùm inimicum; dum poſtrema hæc experimenta ab initiô modò Septembris ad medium Novembris facta fuerunt; eandemque cauſam fuiſſe arguit, cùr fabæ illæ, cùm tam vividè flores dediſſent, non etiam fructus & ſiliquas tulerint, ſed marceſcere dein cœperint. Spondet proinde ſe plura hujus rei experimenta facturum, curioſiſque poſthàc communicaturum; quouſque etiam differt deſcriptionem tam vaſis, ad hoc negotium accommodati, (quod microcoſmicum vocat, ob effectus quoſdam ſimile quid macrocoſmi naturæ exhibentes) ut & materiæ illius ad irrigandum adhibitæ; de quâ tamen nondùm pro certô aſſerere audet, an multum contulerit ad maturandum vegetabilium incrementum; dum ſe non ſatis per experientiam noviſſe ait, quantum temporis alias ſemina illa ad germinandum requirant. Cæterùm variâ hâc occaſione circa plantarum vegetationem obſervare ipſi obtigit; v. g. ſi poſt factam radicationem granum ſeminis evertatur conſulto, ità ut radix ſurſum ſpectet, fieri ut hæc intra ſpatium unicâ nocte minùs cuſpidem deorſùm flectat, & modò per ſpiralem, modò ſerpentinam, modò aliam lineam fundo ſemet inſerere laboret. Expertùs eſt præterea radicem ſemper priùs è granô enaſci, eamque non rumpere corticem, ſed perforare ſolùm, quem deinde germen ſubſequens demùm diſſilire faciat; quâ in re nonnullos è veteribus philoſophis falſos fuiſſe perhibet, perinde ac in eo, quod autument, ſemen non priùs germinare, quam nigrô colore imbutum appareat; id quod pariter à ſe nunquam obſervari potuiſſe teſtatur.

GHINUS (*Lucas*,) Bononienſis

De eô extant

Morbi Neapolitani curandi ratio perbrevis. Extat cum Practica Joh. Marquardi. Spiræ, apud Bernhardinum Albinum, 1689. in 8. Francofurti, 1610. in 8.

Experimenta in Praxi. Extant cum Georg. Hieronym. Velſchii Exotic. Curat. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

GIANNINIUS (*Thomas*) Ferrarienſis

Ex eô habentur

De ſubſtantiâ Cœli & Stellarum efficientiâ; Diſputationes Ariſtotelicæ. In quibus non ſolùm natura in Cœlis ſubjecta, Anima Cœleſtis & Siderum vis conſideratur, verùm etiam Aſtrologorum divinatio accuſatur; de motû ignis in orbem, de ſtellis recens in cœlô viſis, de occultis mixtorum proprietatibus, de annô Climactericô, & de numeris Pythagoricis diſſeritur & diſputatur; cauſæque inquiruntur Dierum Criticorum, Æſtûs Marini, infelicitatis Partus octimeſtris, & Stigmatum, quibus in uterô Fœtus obſignatur: atque de Dei intelligentiâ, de contingentiâ, & de Fatô, quid Ariſtoteles ſenſerit, diſquiritur, atque enucleatur. Venet. apud Robertum Mejettum, 1618. in 4.

GIARDINUS (*Claudius*)

De eô extat

De Partû dierum ducentorum ſeptuaginta unius, Liber. Anconæ, apud Aſtulphum de Grandis 1573. in 4.

GIBALTUS (*Hector*)

Ex eô habetur

In Cl. Galeni Pergameni Libros de Febribus, Commentarius, quæ ad Febrium cognitionem ſpectant univerſa fermè complectens. Lugduni, ap. Guil. Rovillium, 1562. in 16.

GIBSON (*Thomas*;) Anglus, Med. Doct. & Collegii Med. Londin. Socius; edidit Compendiariam totius Corporis Humani Anatomen, in quâ nihil ſingulare præſtitit, quod ab aliis jam abundè præſtitum non fuiſſet. *Goelicke.*

De eô præterea extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1694. p. 444.

The anatomy of Humane Bodies epitomized. i. e.

Compendiaria Corporis Humani Anatome. Autore

tore Thom. Gibſon, M. D. atque Collegii Medici Londinenſis ſocio. Londini, apud Awnsham & Johan. Curchill, 1694. *in* 8.

GIBSS, (*D.*)

Ex eô habentur in Actis Lipſienſibus A. 1712. *p.* 548.

Obſervations of various eminent Cures of ſcrophulous Diſtempers &c.

h. e.

Obſervationes de variis ſingularibus Curationibus Scrofularum aliorumque agnatorum morborum, qui vulgò Mali Regii nomine veniunt, tumorum ſuta, ulcerum, cariei oſſium, cæcitatis & tabis &c. Londini, apud W. Innys & Philippum Yeo, 1712. 8.

Cum nonnemo Autoris famam, quam in curandis ſtrumis aliiſque morbis agnatis conſecutus fuerat, ideò laceſſeret, nè pretium promiſſum pro curatione filiæ feliciter facta ſolvere teneretur; ipſe tandem id conſilii cepit, ut in brevi aliquô Tractatû peritiam ſuam publicè comprobaret. Meliùs autem ſcopum ſuum aſſecutus fuiſſet, ſi non tantum theoriam expoſuiſſet, ſed inſuper methodum curandi, quâ cum ſucceſſû utitur, cum cautelis practicis addidiſſet. Cauſam Scrofularum, tumorum, ulcerum, cariei oſſium aliorumque iſtiumodi morborum ſtatuit acidum, quo lympha in glandulis lymphaticis coagulatur. Unde multos morbos eoſdem cum ſcrofulis eſſe agnoſcit, omneſque propèmodùm corporis partes malô iſtô corripi poſſe ſtatuit, quia glandulæ lymphaticæ ubique occurrunt. Varia ſymptomata recenſet ab iſtô malô procedentia, quæ inter cæcitatem refert, & propriis obſervationibus dicta confirmat. Rejicit celeberrimi *Etmülleri* methodum curandi ſtrumas, remediis diſcutientibus utentis: quia multa damna inde oriri expertus, ſi materia peccans ad alias corporis partes abigitur. Quoniam verò acidum lympham in glandulis lymphaticis coagulat; de his & ſecretione animali differit & quædam affert aliis nondùm obſervata. Monſtrat nempe novum glandularum uſum, in earum conſtrictione conſiſtentem, quâ liquorum ſecretorum particulæ ad firmiorem cohæſionem adducuntur, ut fluidum reſultet, quod ſanguini nondum inerat. Provocat ad experimentum. Gutta bilis ſanguini permixta eum amarum reddit. Si igitur bilis ſecerneretur à ſanguine, qualis poſt ſecretionem apparet, amarus eſſe deberet. Hanc glandularum conſtrictionem ſpiritibus animalibus adſcribit, quos cum vaporibus liquorum fermenteſcentium comparat. Ab iis igitur fibræ intumeſcunt & ideò ſecundum longitudinem contrahuntur. Unde conſequitur, ob ſpirituum defectum glandulas relaxari; Quare cum ſpirituum operationes maximam partem ceſſent in ſomnô; cibô nondum concoctô ſi quis cubitum eat, chylum nondum elaboratum ad ſanguinem tranſire colligit. Eandem rationem reddit, cur lympha nondum elaborata ſecernatur, ſtrumis materiam præbitura. Lympham compoſitam arbitratur ex ſale volatili, & aliquo ſulphure, fluido aqueo innatantibus. Sale volatili exhalante, lympham fieri ſpiſſiorem & ab acidô coagulari, quemadmodum lac ab acetô coagulatur. Acidum illud conſtare ex particulis admodum exiguis, acutis & rigidis, quoniam oſſa ipſa arrodunt. Effectus malos coagulationis memoratæ fuſius deſcribit. In omnibus verò iſtiuſmodi caſibus, ubi lympha coagulatur, Mercurialia rejicit, quæ nihil profuiſſe obſervatione ſingulari docet. Suam medendi methodum (quod nos dolere ſupra jam confeſſi ſumus) celat, more plurimis Medicis communi, qui profectum Artis ſalutaris ſuo lucrò poſtponunt. Lunæ influxum in corpora infirma exemplis & rationibus parùm firmis corroborare nititur. Subjungitur tentamen de ſpiritibus animalibus & curatione convulſionum, unà cum alterô de formâ & qualitatibus particularum eſſentialium in ſalibus & ſulphuribus. Obſervat, opium plurimum conferre ad robur & agilitatem ſpirituum; interdum tamen in iis excitare fermentationem irregularem, immò ſulphur opii interdùm enecat ſpiritus, ut expanſionem naturalem nunquam recuperare valeant. Salia volatilia alcalina rarò excitare fermentum expanſivum ſpirituum. Deliria furioſa corrigi acidis volatilibus, & ſpirituoſis. Unde infert ſpiritus animales eſſe fluidum, quod talium fermentationum & alterationum capax ſit, qualis in ſanguine deprehenditur, & componi ex ſalibus volatilibus partim alcalinis, partim nitroſis, ſulphuribuſque rarefactis, paucis quibuſdam particulis aqueis admixtis. Eſſentiales ſalis particulæ Autori noſtro ſunt corpuſcula minuta, aliquantum rigida & acuminata. A diverſitate acuminum, pororum, ſuperficierum, rigiditatis & molis ſalium diverſitatem derivat. Quamlibet verò olei vel ſulphuris particulam pro fibrâ flexili & ductili habet. Hinc lignum ipſi flexile videtur, quia ſulphureæ particulæ inſunt: carbones verò flexiles non ſunt, ſulphure amiſſô. Diverſitatem ſulphurum à diverſâ mole, robore, tenuitate, denſitate fibrarum deducit.

GIESWEIN (*Joh. Philippus*)

De eô extat

Hodegus Medicus, ſive, Syſtema univerſæ Materiæ Medicæ Galeno-Chemicum. Medicamenta tùm univerſalia, ſeu, communis operationis tùm affectuum humani corporis ferè omnium particularia juxtà & ſpecifica, vulgò appropriata dicta, ſimplicia non minùs, quàm compoſita, inſertâ ubique ſuccinctâ Theoriâ, continens. Ex optimis quibuſque rei Medicæ ſcriptoribus primò privatum in uſum ſelectum; indè induſtriâ & experientiâ propriâ per vices auctum ac ſubindè locupletatum. Jam verò Medicinæ Practicæ Candidatorum commodô, commodiori hâc formâ & methodô, concinnatum, vulgatumque. Francofurti, apud Hæredes Johannis Beyeri, 1676. in 8.

GIGARD (*Antonius*) Medicus Savonenſis.

De eô extant

Conſilia Medica. Monteregali, 1666.

GILBERTUS, cognomine Anglicus.

De eô ſic ſcribit Clariſſ. D. Freind in ſuâ Hiſt. Med. part. 3.

Gilbertus cognomine Anglus, quem Bayle in ſuô Diction. Criticô A. 1214. ſub Johannis Regno vixiſſe tradit, & quem Lelandus multò recentiorem facit, nullâ ſuæ aſſertionis additâ ratione, inter alios tractatus ſcripſit Compendium Medicinæ quod etiam hodiè extat. Ex hoc libro concludere fas eſt eum recentiùs adhuc vixiſſe, quàm jamjam diximus. Averrhoëm enim laudat, qui ad metam ſeculi duodecimi pervenit, & cujus opera necdùm tranſlata eſſe potuerant; Imò juxta

Baconem hujus rei optimum teſtem, circa medium tantùm ſæculi tredecimi hæc tranſlata fuere. Gilbertus mentionem quoque facit Libri *De Speculis*, qui ſine dubio idem eſt quem Baco ſcripſerat. Prætereà quædam de Leprâ ex Theodorico tranſcribit; Undè evidentiſſimum eſt eum circa finem ſæculi hujus vixiſſe, ad initium ſcilicèt Regni Eduardi. I. Lelandus illius honorifice admodum meminit, tum ob eruditionem ſummam, tum etiam ob ſuam in Philoſophiâ atque in Medicinâ eminentiorem doctrinam, quam per aſſiduum ſtudium, itineraque ſibi peperit. Eum de curationibus quas peregerat magnoperè laudat, de præſcriptis optimiſque ad ſanitatis conſervationem tradidit, præcipuè etiam quòd nitidè perſpicuèque admodùm, quæcumque ad vires plantarum, ſimpliciumque proprietates ſpectant, explanaverit. Equidem coævorum ſuorum non inferior dici poteſt: Quòd ſi multa in ſcriptis ſuis ex Arabibus qui eum præceſſere collegerit, non aliter ſe geſſerunt alii omnes. Verum quidèm eſt eum liberius egiſſe,cùm capita integra, nè verbô ullô mutatô, ex Rhaze tranſcribit, præſertim dum de Arthritide diſſerit. Notandum tamen quòd ſæpius etiam Alexandrum dum laudat, quaſdam & hujuſce Autoris potiores Obſervationes tradit; ex quo judicare eſt, eum rectè, quæ meliora eſſent elegiſſe. Si quæritur nunc qualis erat menſura ipſius eruditionis, de eâ facile erit pronunciare ex etimologia quam tradit de *Hiera Logodion Menſicum*, quô locô errorem ſubrepſiſſe autumo, viceque hujus legendum eſſe *Hiera Logadii*, *vel Memphitæ*. Logodion hoc à voce græcâ λόγος deducit, aitque id ſignificare medicamentum ad linguæ difficultatem tollendam. Explicat etiã *Philonium* per *Amicum novum*. Sui quoque temporis conſuetudinem, barbaris vocibus utendi, imitabatur. Sic, *Plagellam* vocat *Panniculum*, ſeu Linamentum quod vulneribus intruditur; *Argalia* apud eum eſt *Ergaleum*, quod inſtrumentum eſt ad dignoſcendum num calculus adſit in veſicâ, &c. De Balneis aquarum ſulfuratarum mentionem facit, & veriſimillimum eſt eum per ipſas intellexiſſe Aquas Bathonianas. Conjecturæ huic ſi fides adhibenda, uti & probabilis videtur, ratio erit credendi has aquas 300. annis, ante quàm narrent hiſtoriæ omnes, epotatas fuiſſe. Gilbertus caput unum inter cætera habet, attentione digniſſimum, in quo agit de infirmitatibus quæ ſuperveniunt iis qui coivere cum fœminâ quæ priùs cum Leprâ affectô rem habuerit. Hujus morbi, inquit, Symptomata juxta hominis habitum differunt. Qui calidô temperamentô gaudent, punctiunculas in cute & quaſi ardores quoſdam ſentiunt, color mutatur, facieſque rubicunda apparet, videtur ipſis neſcio quid per faciem totam manare, plurimùmque conſopiti ſunt. Qui verò frigidô extant temperamentô, colorem citiùs, magiſque mutant; vultus eorum ſubtumidus videtur, capitis gravedinem maximam patiuntur, ſenſus quaſi obruti ſunt, & in corpore toto frigidus humor cum pruritu aliquali, titillationeve effunditur. Hæc eadem eſt præciſè Deſcriptio quæ in *Rogerinâ* legitur, reverâ etiam ex Theodoricô ferè totâ conſcripta eſt.

De eô extat in Linden. Renov.

Compendium Medicinæ tam morborum univerſalium, quàm particularium. Lugduni, apud Jacobum Saccon 1510. in 4. Genevæ, apud Eſaiam le Preux, 1608. in 4. in 12. titulô *Laurea Anglicana*, ſive *Compendium totius Medicinæ.*

GILBERTUS (*Guilielmus*) Colceſtrenſis, Medicus Londinenſis.

De eô extat

De Magnete, Magneticiſque Corporibus, & de magnô Magnete, Tellure, Phyſiologia nova, plurimis & Argumentis & Experimentis demonſtrata. Londini, A. 1600.

GILINUS (*Coradinus*)

De eô extat

De Morbô Gallicô, Opuſculum. Extat Tomô 1. Operis Veneti de Morbô Gallicô, pag. 266.

GILLIUS (*Petrus*) Albienſis.

Ex eô habentur

Elephanti nova Deſcriptio. Extat cum Æliani de Hiſtoriâ Animalium Lib. XVII. à ſe è Græcô in Latinum verſis. Lugduni, apud Guiliel. Rovillium, 1562. in 8. Hamburgi, ap. Michael. Hering. 1614. in 8.

Demetrii de Re Accipitrariâ Librum Græcè & Latinè reddidit. Vid. DEMETRIUS.

Claudii Æliani Libros 17. cum Conradô Geſnerô è Græcô in Latinum vertit. Vid. *Claud.* ÆLIAN.

GIPSON (*Thom.*) Vid. GIBSON.

GIRALDUS (*Joh. Baptiſta*) Bononienſis, Philoſophiæ & Medic. Doctor.

De eô extant

Rupes inſuperabilis in pelagô Medicô &c. Bonon. 1693. Ex Typographiâ Camerali, 12.

Morborum exitialium tyrannica ſævitia, per annos nobilem mulierem dirimentium Syntomia, in Medicam Hiſtoriam redacta. Bonon. 1693. ibidem.

Delibatio Philoſophiæ Moralis. Bonon. 1708. Typis Petri Barbiroli, 12. &c.

GIRARDETUS (*Petrus*) Facultat. Medicæ Pariſienſ. Doctor.

Ludov. Dureti Commentarios, in Hippocr. Lib. de Humoribus purgandis, & de Diætâ Acutorum, edidit. Additâ, ad calcem, accuratâ Conſtitutionis primæ Lib. II. Epidemiòn interpretatione. Pariſiis, apud Johannem Joſt, 1631. in 8.

GISCAFERIUS (*Guilielmus*) Belocarenſis

Ex eô habentur

De Febrium naturâ & curatione, Libri duo. Pariſiis, apud Robertum Colombel, 1581. in 8.

GISELERUS (*Laurentius*) Oſterodenſis, M. D. & Phyſ. Brunſvic. Reipublicæ Ordinarius.

De eô extant

Diſſertatio Philoſophico-Medica de Pinguedine. Brunſvigæ, apud Johan. Henricum Dunckerum, 1665. in 4.

Obſervationes Medicæ de peſte Brunſvicenſi Anni 1667. Ibidem apud Chriſtophor. Frid. Zilligerum, 1673. in 4.

Obſervatio, de monſtrô penna anſerinæ. Extat Ephem. Acad. Natur. Curioſ. German. An. II. *N.* 80.

De Curâ Cancri & vermibus in ulceratô Cancrô. Ibid. An. eod. N. 148.

De Puncturâ patellæ lethali: Ibid. An. III. *Num.* 73.

De nauſeâ fœminis retrorſum vectis familiari. Ibid. Ann. eod. Num. 74.

De

De Capitis dolore diuturnô periodicô. Ibid. Ann. eôd. N. 75.

GISELINUS (*Victor*) Natus eſt Sandforti, in Flandriâ, A. C. 1549. fuit perfamiliaris Juſto Lipſio, ſociusque peregrinationum: Medicinam fecit Bergis, Winnoci honorariô publicô dotatus. Mortis horam ex Artis Medicæ prognoſticis prænuntians, in flore ætatis ibidem obiit. Floruit circa A. C. 1580.

De eô habetur

Epiſtola de Hydrargyri uſû, ad Martinum Everhartum. Extat cum Joh. Fernelii de Lue venereâ Librô à ſe primûm editô. Antverpiæ, apud Chriſtoph. Plantinum, 1579. in 8.

GIURIUS (*Petrus*) Med. Doct.

De eô extat

Arcanum Acidularum noviſſimè proditum, principiorum Chymicorum Diſquiſitionis auxilio. In quô communis Opinio de Aquarum mineralium aciditate convellitur. Amſtelodami, 1682. in 12.

De eâ librô hæc habentur in Actis Lipſienſibus A. 1682. p. 303.

Arcanum Acidularum noviſſimè proditum, principiorum Chymicorum diſquiſitionis auxiliô, in quô communis Opinio de Aquarum mineralium aciditate convellitur. Amſtelodami in 12. *A.* 1682.

Scriptum hoc jam diù eſt, quod Pariſiis Gallicè, annô ſcilicèt 1667. publicæ luci primitùs expoſitum fuit. Divulgatur autem hac vice denuò, latinô ſub habitû, & quidem inſigni ſui parte auctius & locupletius; adeò ut quicquid à p. 206. uſque ad finem, ſeu paginam 366. in eôdem reperire licet, id omne huic demùm editioni acceſſerit. Inſtitutum Autoris eſt, receptam communiter, & ab accuratioribus Chymicis dilucidatam, de Acidularum natura Vitriolica-Martiali ſententiam convellere, & omni conatû demonſtrare, quod mineræ, à quibus acidularum ſapor aliaque attributa dependent, ſint tantum Ferrum & Alumen: ità ut Vitriolum ſeu Calcanthum in illis nec deprehendatur, nec deprehendi poſſit. Idque ex eô probare nititur, quod vitriolum alteret, corrumpat, & in Cuprum convertat ferrum; cùm ex oppoſitô, ex alumine oriatur aciditas aquarum ferruginoſarum & alumen ac ferrum mutuâ conſpirent ſympathiâ, parili modo, ac Vitriolum cum Cuprô conſpirare ſoleat. Abſolvitur his ferè tota ſcripti pars prima, in quâ tamen ſimul ſpecialius in acidularum Pruvinearum in Galliâ, (non neglectis aliarum acidularum plurium, præſertim in Galliâ obviarum, ſcrutiniis) & Spadanarum compoſitionem inquiritur, eâque dictâ ratione explicatur; hâc tamen obſervatâ differentiâ, quod Pruvineæ iſtæ plus de ferrô participent, Spadanæ verò Alumine ditiores exiſtant. Subjunguntur his facultates Pruvinearum, plurium exemplorum enumeratione confirmatæ, cum debito ſub eorum uſû Diætæ regimine.

Haud æque arriſit omnibus recenſita Autoris hypotheſis, cùm haud tanta Vitriolum inter & ferrum diſparitas eſſe videatur, quin vitriolum promiſcuè nunc ferreum, nunc cupreum ſit, prout ſcilicet idem ſpiritus ſulphuris embryonati acidus, mineram vel ferri vel cupri roſerit: & præcipitatio quidem Vitrioli ferrei ab illô cupri, nulla verò mutatio ferri in cuprum locum obtineat. Plures itaque eruditi in Galliis Medici novitias iſtas Autoris opiniones evertere moliti ſunt, indeque ſua dubia ac objectiones per epiſtolare commercium cum Autore communicarunt, quibus is ipſe debitis reſponſis ſatisfacere annisus eſt; quales literariæ contentiones tantùm non totam ſecundam partem ſcripti hujus conſtituunt. Utut præter eaſdem, ob argumenti convenientiam, excutiantur ſimul *Obſervationes circa aquas minerales plurium Galliæ Provinciarum, coram Academiâ Regiâ ſcientiarum annô* 1670. *&* 1671. *factæ, & annô* 1676. *Pariſiis in* 12. *à Dn. Du Clos*, Conſiliariô & Medicô Regiô, Chimiatro longô rerum uſû egregio, divulgatæ; earumque cum hypotheſi ſuâ & conformitatem & difformitatem imprimis expendat Auctor.

GLACANUS (*Nellanus*) Tirconallienſis Hibernus, apud Toloſates, Peſtiferorum pro tempore Medicus.

Ex eô habentur

Tractatus de peſte, ſeu brevis, facilis & experta methodus curandi peſtem; in quo ſcilicet de Peſtis eſſentiâ, cauſis, ſpeciebus, ſignis ac prognoſi: de victûs ratione: de phlebotomiâ: de purgatione: oſtenditur ſedem peſtis eſſe maſſam ſanguinariam; purgantia nominantur: de clyſterium uſû agitur; ac de remediis curativis & præſervativis authorum: Alexiteria non debere eſſe calida, dicitur; de curativis ac præſervativis ab Authore expertis; de remediis pauperum expertis: de bubone, carbunculo, morbillis: de dolore capitis & ſomno profundo; de vomitu & alvi profluvio. His ſuccedit Methodus domos & ſuppellectilia ſuffumigandi; aliaque expurgandi omnes à peſte vindicatos & ſanatos, antequam ad tegurria, caſas, aliave loca quadragenariis dicata adeant. Librum claudit Appendix Apologetica pro Galeniſtis adverſus Dn. Fabrum Medicum Spagyricum. Toloſæ, typis Raym. Colomerii, 1629. 12.

Curſus Medicus, Libris 13. propoſitus, & in tres Tomos diviſus. I. continet Phyſiologiam, & Prolegomena. II. Pathologiam, ſeu, Morbos, Morborum Cauſas, & Symptomata. III. Semeiotica: de Signis, Criſibus, Pulſibus & Urinis. Bononiæ, apud Sebaſt. Combi, & Johan. Lanou, 1655. in 4.

GLADBACH (*Bernhardus*) Med. Doct. Comes Palat. Cæſ. & Reipubl. Ordin. Francofurt. Phyſic.

De eô habetur in Actis Lipſ. A. 1694. *p.* 359.

Praxeos Medicæ idea noviſſima, in quâ ſecundum ſolidiora veræ Phyſicæ & ſanioris Medicinæ fundamenta, omnium Morborum origo ex quatuor morbis Cardinalibus concatenatâ ſerie deducitur, eorumque ſuccincta ac perſpicua medendi methodus explicatur. Herbornæ, apud Joh. Nic. Andr. 1694. *in* 8.

Cum in eô eſſet experientiſſimus hujus Libri Auctor, ut ea quæ ex Clariſſimorum ſuorum præceptorum, Harmeſii cumprimis & Overcampii, fideliſſima informatione hauſerat, attenta mentis conſideratione reputaret & in certum ſyſtema digereret, conceptibus ſuis ordinem, qui anima rerum eſt, deeſſe ſenſit. Alios ergò conſulendos ſibi Auctores cenſuit, qui morbos ad certas claſſes retulerunt; ſed cùm nullus ex ipſis deſiderio ejus omni ex parte ſatisfaceret, ſuô quoque ingeniô aliquid vindicandum putavit, tantumque ſeriâ medita-

meditatione in conceptibus ſuis ordine diſponendis profecit, ùt morbos in praxi occurrentes ad quatuor fontes aut morbos Cardinales referendos eſſe non dubitaret, ex quibus innumeri manant rivuli, qui eandem agnoſcunt cauſam & generalem ſui curam indicant.

Primus Morbus Cardinalis ipſi eſt *febris*, cujus naturam ùt exponat, explicat primùm ſtatum œconomiæ animalis naturalem, oſtenditque ſanitatem noſtram conſiſtere in liberô ſanguinis omniumque ab eô dependentium ſuccorum circuitû, necnon æquali juſtâque omnium particularum commixtione & blandâ commotione, illi efferveſcentiæ analoga, quæ contingit, quando ſali volatili oleoſo paucæ guttulæ ſpiritus vitrioli affunduntur. Febris ergò cauſam conſtituit in turbatâ ſanguinis mixtione, h. e. perversâ ac irregulari particularum ejus commotione, quâ ſingulæ non agitantur eô locô, ſitû ac numerô, quibus in regulari efferveſcentiâ comoveri debebant, nec mutuis vinculis & amplexibus ampliùs continentur, ſed acidæ deſtituuntur ſpirituoſis, oleoſis & terreſtribus; ſpirituoſæ & volatiles privantur acidis, oleoſis; ſalinæ orbantur aquoſis, oleoſis: quô fiat ùt divortium à ſe invicem faciant, & amicum illum conſenſum, quô antea inter ſe conſpirabant, deſerant, & hic acidæ, illic ſalinæ, ibi oleoſæ, alibi ſpirituoſæ ſeorſim exiſtant. Hujus autem turbatæ mixtionis tres ponit cauſas, nempè inordinatam particularum compreſſionem, ſpirituum defectum, & ſpirituum ſuppreſſionem, cum aliarum particularum quaſi compedibus ligantur. Signum febrium pathognomonicum eſſe pulſum præter naturam frequentiorem cenſet, illos refellens qui ipſum pro infallibili auctæ efferveſcentiæ & circulationis ſignô habent, cùm tamen ideo cor repetitis ictibus opus habeat, quia ſanguis viſcidus & craſſus unâ conſtrictione expelli nequit, & in febrium quoque horrore, ubi circulatio aucta fingi nequit, pulſus ſit frequentior. Explicat deinde ſymptomata febris, & horrorem ac frigus ex tranſitû materiæ ſubtili intercluſô, calorem verò ex materiæ ſubtilis viam ſibi liberiorem parantis motû derivat. Intermiſſionem verò & reditum hinc oriri exiſtimat, quod ſanguis quidem ceſſante calore febrili priſtinam ferè adipiſcitur mixtionem, nihilominùs tamen ſucceſſû temporis tenacior evadit, obſtruitque poros, præſertim glandularum, ùt ſucci in motû ſuô impediti evadant acriores, & tandem in ſanguinem effundantur, novumque pariant paroxyſmum. Quoniam verò ſucci illi non poſſent in ſanguinem irruere, niſi à tergô ſucci premant, atque certa horum requiritur quantitas, quæ tempore certô quoque à reliquis humoribus ſecerni poteſt, hinc manifeſtum eſſe adſerit, cur ſtatis temporibus redeant paroxyſmi.

Secundus Morbus Cardinalis eſt *Scorbutus*, originē trahens ex ſanguine ſuffocatô & rancidô, viſcidô acidô, viſcidô ſalsô aut acidô ſalsô, in quô ſcilicet genus aliquod particularum ad fermentationem felicius peragendam neceſſarium, præcipuè volatilium, deficit aut ſupprimitur; unde minùs agitatur, nec ad debitum volatilitatis aut exaltationis gradum evehitur, & hinc rancidus fit, ſeu leviorem & incipientem putredinem contrahit. Originem hujus imprimis ex aëre vitiatô & diæta corrupta, reliquarumque rerum non naturalium abusû arceſſit.

Tertius morbus eſt *Cachexia*, quæ ortum habet ex ſanguine craſſô, viſcidô, tenace, acidô, auſterô, & immaturis particulis fœtô, unde duplex eſt viſcida & acida. In illâ prædominium obtinent particulæ viſcidæ & glutinoſæ, in hâc particulæ acidæ; ſuntque duo hæc genera ità copulata inter ſe, ut unum abſque alterô vix conſpiciatur. Differt Cachexia à Scorbutô, quod in illâ ſanguis omneſque ab eô dependentes humores ſint viſcoſiores, in hôc autem ſint ſuffocati pejuſque mixti. Hanc autem ſanguini labem ſex res non naturales malè adminiſtratas affricare, pluribus demonſtrat Autor experientiſſimus.

Ultimus tandem Cardinalis morbus eſt *Catharrus*, quô nomine intelligūtur obſtructiones in variis corporis partibus ortæ ab injuriis externis, quę humores incraſſant, ac interdū plus minuſvè perturbatè commiſcent, quales ſunt imprimis aër potuſque frigidus. Ex hiſce quatuor radicibus innumera propullulant, Autore judice, ſymptomata ſeu morbi particulares. Nimirum ad *Febrem* referuntur dolor capitis, vigiliæ, lethargus, phrenetis, delirium, convulſiones, ſitis, aphtæ, appetitus proſtratus, nauſea, vomitus, diarrhœa, dyſenteria, alvus adſtricta, proſtratio virium, anxietates, inquietudines, variolæ, morbilli &c. Ad *Scorbutum* pertinent dolor capitis, vertigo, apoplexia, paralyſis, convulſiones, ſpaſmi, halitus oris fœtidus, ptyaliſmus, cruentatio gingivarum, dentium vacillatio & caries, palpitatio cordis, appetitus proſtratus, fames canina, cardialgia, dolores inteſtinorum, alvus adſtricta, diarrhœa, dyſenteria, dolores artuum fixi & vagi, maculæ diverſi coloris & magnitudinis, puſtulæ, ulcera, pruritus, phthiſis ſeu tabes, ſudores nocturni, laſſitudo ſpontanea &c. Ad *Cachexiam* ſpectant, præter nonnullos cum ſcorbutô communes, melancholia, delirium melancholicum, mania, vigiliæ, epilepſia, catalepſis, hæmorrhagia narium, aſthma, palpitatio cordis, ſyncope, appetitus proſtratus, fames canina, pica, malacia, ructus, inflatio ventriculi, murmura abdominis, borborygmi, flatus, tympanites, incubus, paſſio hyſterica, hydrops, menſium ſuppreſſio eorumque nimius fluxus, fluor albus, calculus renum & veſicæ, iſchuria, diabetes, icterus, arthritis, varii generis tumores, puſtulæ, ulcera, tumores tonſillarum, œdema, ſcabies, ſtrumæ, tumores cancroſi & ſcirrhoſi &c. Ex *Catarrhô* fluunt gravedo, coryza, dolor capitis, convulſiones, apoplexia, hydrocephalus, ophthalmia, inflammatio, aurium tinnitus, ſonitus, obauditio & ſurditas, dolor dentium, angina, pleuritis, tuſſis, hæmoptyſis, phthiſis, palpitatio cordis, ſyncope, appetitus proſtratus, nauſea, vomitus, cholera, alvi fluxus, colica, inflammatio ventriculi & inteſtinorum, paſſio iliaca, ſtranguria, febres inflammatoriæ, lymphaticæ aut catarrhales dictæ, paralyſes nùnc univerſales, nùnc particulares, tumores & inflammationes glandularum parotidum, tonſillarum, uvulæ, aliarumque partium, arthritis fixa & vaga.

Curationis autem omne momentum in eô ſitum exiſtimat Auctor, ùt maxima ratio habeatur morborum cardinalium, in iiſque funditus eradicandis omnis collocetur opera, niſi interdùm ſymptomatibus urgentibus ſit ſuccurrendum, quô in caſû cavendum, ne ſymptoma mitigaturi cauſam cardinalem exaſperemus.

Hæc ergò ipſi lex eſt generaliſſima, languentem humorum circulationem intendere, imminutam particularum fermentationem reſtituere, ſufflaminatam inſenſibilem tranſpirationem augere, viſcidum incidere & attenuare, acidumque non tam præcipitantibus terreis, quæ malum nunquam penitus eradicant, concentrare, quam volatilibus & ſpirituoſis exaltare, comminuere, infringere, cum aliis particulis digerere, aut illud

illud per inſenſibilem tranſpirationem aut diureſin eliminare & excludere. Sedulò quoque, præſertim in ſcorbutô & cachexiâ, ad primas vias reſpicere jubet, atque à vomitoriis plurimorum morborum, curam exordiri, quia cruditates in primis viis hoſpitantes non raro eludunt omnem digeſtivorum & attenuantium remediorum præſtantiam. Medicamenta hunc in finem commendat, non multa quidem, ſed ſelecta & ipſô uſû comprobata. In primis laudat inter antiſcorbutica elixir vitæ Overcampii, cujus deſcriptionem genuinam candidè aliàs ſe communicaturum pollicetur; inter confortantia oleum camphoræ ex radice cinnamomi, quod in locum confectionum alkermes & hyacinthorum optimô jure poſſit ſubſtitui, & quò ſolô diligenter in uſum externè vocatô conſummatum paralyticum curaverit D. Overcamp; inter diaphoretica bezoar orientale, quod vulgarium præcipitantium efficaciam longè antecellat, & utiliſſimè volatilibus commiſceatur: inter anticachectica pilulas ex gummatibus, quorum continuô uſû multos cachecticos, ab aliis Medicis relictos, ab experientiſſimô ſuô Patre curatos teſtatur. Earum ſequens eſt formula.

Rec. Gumm. Ammon.
Aſſ. fœtid.
Galban. an. ℥j.
Tartar. Vitriol.
Vitriol. Mart. an. ℈j.
Ol ſuccin. vel cinnam. gutt. v.
M. F. pil. Doſ. à ℈ß. *ad* ʒß.

Libri mox recenſiti altera prodiit editio priori longè emendatior. Herbornæ, ap. eundem 1711. in 12.

GLANDORPIUS (*Matthias Ludovicus*) Colonienſis, Chirurg. ac Med. Doct. & Reipubl. Brem. Med. Phyſ. Patrem habuit Chirurgum Colonienſ. virum in Arte ſuâ eximium.

De eô extant

Speculum Chirurgorum; In quô quid in unôquôque vulnere faciendum, quidve omittendum, præmiſſâ Partis affectæ Anatomicâ Explicatione, Obſervationibuſque ad unumquodque vulnus pertinentibus adjunctis, conſpicitur ac pertractatur. Bremæ, apud Thomam Villerianum, 1619. in 8.

Tractatus de Polypô Narium, Affectû graviſſimô, Obſervationibus illuſtratus. Bremæ apud Weſſelium, 1628. in 4.

Methodus Medendæ Paronychiæ. Cui acceſſit Decas obſervationum. Bremæ, apud Villerianum, 1623. in 8.

Gazophylacium Polypluſium Fonticulorum & Setonum reſeratum. E quô variæ illorum dotes, loca, inſtrumenta, modi infigendi diverſi, conſervandique depromuntur, ſimulque quatuor Tabulis non minus neceſſariis, quam utiliſſimis æri inſculptis, in Medicorum & Chirurgorum gratiam explicantur. Bremæ ap. Villerium, 1632. & 1633. in 4.

GLASERUS (*Arn.*)

Ex eô habetur

Triumphus Podagræ. Hagæ Com. 8. 1643.

GLASERUS (*Joh. Henricus*)

De eô extat

Tractatus poſthumus de cerebrô. In quô hujus non fabrica tantum, ſed actiones omnes principes, ſenſus ac motus, ex Veterum & Recentiorum placitis & obſervationibus perſpicuè ac methodicè explicantur. Baſileæ, apud Jacobum Bertſchium, 1680. in 8. Francofurti, apud Rudigerum, anno formaque iiſdem.

GLAUBERUS (*Joh. Rudolphus*)

De eô extant

Explicatio Miraculi Mundi. Francofurti, ap. Thom. Matth. Götz. 1656. in 8. Amſtelodami, 1656. in 8.

Diſſertatio Medico-Hermetica de Catholica Magni Naturæ Magiſterialis Myſterii. Francof. apud eundem, 165[illegible]. in 8.

Furni novi Philoſophici, ſive, Deſcriptio Artis Deſtillatoriæ novæ, nec non Spirituum, Oleorum, Florum, aliorumque Medicamentorum illius beneficiô, facillimâ quâdam & peculiari è Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus conficiendorum & quidem magnô cum lucrô: agens quoque de illorum uſû tam Chymicô, quam Medicô. Amſtelædami, apud Joh. Janſſonium, 1651. in 8. Ibidem 1661. in 8.

De Auri Tincturâ, ſive de Aurô potabili verô. Francofurti, 1651. in 8. Amſtel. 1658. in 8.

Operis Mineralis Partes tres. Pars I. de ſeparatione Auri è ſilicibus, Arenâ Argillâ, &c. Item Panacea.

Pharmacopœa Spagyrica, Pars I. Ibid. 1654. in 8.

Proſperitatis Germaniæ Pars I. Ibid. 1650. in 8.

Miraculum Mundi. Ibid. 1653. in. 8.

De Tartaro ex vini fecibus. Ibid. 1655. in 8.

Conſolatio Navigantium. Ibidem 1657. in 8.

Opera Omnia Chymica. Amſtelodami, apud Waeſbergios, 1661. in 8.

GLISSENTIUS (*Fabius*)

Ex eô habetur

Tractatus de Lapide Philoſophorum Latinitate donatus à Laurentiô Strauſſiô. Gieſſæ, 1671. in 8.

GLISSONIUS (*Franciſcus*) Anglus, Med. Doct. ejuſdemque Profeſſor in Academiâ Cantabrigienſi, ac Collegii Medici Londin. Socius.

De eô extant

Anatomia hepatis. Cui præmittuntur quædam ad rem Anatomicam univerſè ſpectantia: & ad calcem operis ſubjiciuntur nonnulla de Lymphæ-ductibus nuper repertis. Londini, apud Octav. Pullein, 1654. in 8. Amſtelodami, apud Johan. Ravenſteyn, 1659. in 12. Ibid. apud Joh. Janſſonium à Waesberge & Elizæum Wegerſtraten, 1665. in 12. Hagæ, apud Leers, 1681. in 12. quæ Editio cæteris emendatior eſt.

Tractatus de Rachitide, ſeu Morbo puerili. Rikets dictô. Londini, apud Sadlerum, 1650. in 8. Ibidem, 1660. in 12. Lugduni Batavorum 1671. in 8. Hagæ Comitis, apud Arnoldum Leers 1682. in 12.

Huic poſtremæ Editioni, continuè Obſervationes ſubtexuit Georgius Bate, & Ahaſſuerus Regemorterus.

Tractatus de Natura ſubſtantiæ Energeticæ, ſeu, de Vita Naturæ, ejuſque tribus Primis Facultatibus: I. Perceptivâ, II. Appetitivâ, & III. Motiva, Naturalibus &c. Londini, apud H. Brome & N. Hooke, 1672. in 4.

Tractatus de ventriculo & inteſtinis; cui præmittitur alius, de Partibus Continentibus in genere; & in ſpecie de iis Abdominis. Ibid. apud eundem, 1677. in 4. Amſtelodami, apud Jacobum Juniorem, 1676. in 12.

Anatomia Hepatis. Extat etaim cum Daniel. Le Clerc & Joh. Jac. Mangeti Bibliotheca Anatomica; Genevæ, apud Joh. Chouët, 1685, in fol.

Tractatus de ventriculo, & inteſtinis, itemque de Partibus Continentibus &c. Extat etiam ibidem apud eundem annô & formâ iiſdem.

Opera omnia Medico-Anatomica in unum corpus collecta, & tribus voluminibus comprehenſa. Lugduni Batav. apud Petrum Vander Aa 1711. 12.

Tom. I. continetur Tractatus de Rachitide.

Tom. II. Anatomia Hepatis; cui præmittuntur quædam ad rem Anatomicam univerſè ſpectantia &c.

Tom. III. Tractatus de ventriculo & inteſtinis.

GLOBICZ de Buczinâ (*Joh. Daniel*)

Ex eô habetur

Tripus Medicinæ, Oracula Hippocratica divulgans, ſeu Hippocratis Aphoriſmorum omnium in III. Sectiones nova Digeſtio, ad mentem ipſius in Aphoriſmo primo inſinuatam. At ſic Sectiones poſitæ ſunt, ùt in primâ Aphoriſmi curativi & prognoſtici; in tertiâ curativi, prognoſtici, & reliqui contineantur; ſingulæ verò Sectiones in certas ſubſectiones diviſæ, & rurſus Aphoriſmi ſinguli ſecundùm connexionem, quam invicem habent, ita diſpoſiti ſunt, ùt eorum ſenſus clarius cognoſcatur, & certius confirmetur, quod etiam, imò multò exactius, Index Alphabeticus manifeſtat. Aphoriſmi deniquè ex Tilemanno juxta recognitionem Vorſtii interpoſitis Annotationibus Viſceri, & ſubnexâ vel ſaltem citatâ verſione Celſi (quæ deinde ſequitur) deſcribuntur. Ubi ſimul demonſtratur, quòd nullus Aphoriſmus remanſerit indigeſtus. Noribergæ, ap. Joh. Ziegerum, 1681. in 12.

GLUCKRADT (*Chriſtophorus*)

Johannis Beguini Tyrocinio Chymico notas addidit elegantes.

GOCKELIUS (*Chriſtian. Ludov.*) Phyſicus Herſbruceo-Noricus.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 2.

Annô 4. Obſervatio 112. *De Abſceſſû inguinis periculoſô curatô.*

LÆſionis in corpore *magnitudo* ex partium nobilitate fluit, inteſtinorum vulnera quis omnia à lethalitate vindicabit? *Modus* tamen *Læſionis* limites hìc ponit notabiles, jubetque, quæ circumſtant, conditiones attentè trutinare. Ut de vulneribus cæſim punctimvè immiſſis ſileam, quantum inter ſe differunt foris & intùs, ſenſim & cum impetû eidem quamvis membro, in locô licet eôdem inflicta. Natura interim arbiter horum optimus eſt & quovis judice certior. Non facit nec patitur hæc ſaltum; hoſtem, qui per interpretes veluti agit & dat inducias, oppugnat & fugat nonnunquam, ἀθρόως invadentem ipſa fugit vitæque diſpendium in prædam non rarò relinquere cogitur. Iſtius exempli copiam obſervatio ſequens pathologica porrigit, quâ fidem nuperrimè datam liberabo. Virgo ruri nata in pagô *Agerſdorff*, 26. annorum, menſe Majô anni ferè elapſi cruciatus enormes in abdomine, circa umbilicum præprimis, per intervalla ſentit, paulam ad tempus laboribus conſuetis injicientes. Urget quandoque vomitus ventriculô nunc inani, nunc cibis refertô, munia autem ſua paroxyſmo velut exantlato repetit; appetitus benè ſe habet, quin ſolito major eſt. Parentes malum pro colicâ habent & hauſtum frigidæ ex proximô lacû æſtuanti nuper ſtomachô ingeſtum in culpam vocant, parùm de remediô ſolliciti. Junio ſubſequente abſceſſus in inguine dextrô à nucis juglandis ad pugni molem excreſcit; adhibitis emollientibus rumpitur, proſilitque ſimùl ac ſemel materia purulenta fœtoris teterrimi ad libram unam & amplius. Poſt dies aliquot lumbrici in conſpectum prodeunt, quorum decem à Chirurgô per vices eximuntur, ſinguli viventes & ſpithamæ longitudine haud inferiores. Repurgato ſic maximam partem ulcere, paucis à paſtû horis quotidie magna primo chyloſum elabitur, ſequuntur ſummo cum ardore aſſumtorum recrementa lymphæ ichoreſcenti immerſa. Moleſtiſſimo huic non minùs, ac periculoſiſſimo affectui ut conſuleretur, internè traumatica, anthelminticis maritata propinavi ſucceſſû adeò felici, ùt fluxus ille chyloſo-ſtercoreus (ſit venia verbo) in dies imminutus, penitùs tolleretur; externè præter emplaſtra appropriata in arcendâ verminoſâ putredine mirè ſe geſſit balſamus ſulphuris terebinthinatus cum oleô tartari fœtidô mixtus & inſtillatus calidè. Hiſce Divini Numinis gratiâ ægra priſtinam ſanitatem recuperavit, nullius rei quàm frigoris impatiens.

Ibidem Annô 5. Obſervatio 43. De veſicâ ſpongioſâ extra abdomen poſitâ cum defectu penis.

Ibidem Annô 6. Obſervatio 149. *De Paralyſi intentata incurabili.*

Ibidem Obſervatio 150. *De Virtute plaſticâ fœminæ in uterô gerentis.*

Ibidem Ob. 151. *De Excoriatione fœtus in uterô.*

GOCKELIUS (*Chriſtoph. Ludov.*)

De eô habentur in Ephm. Germ. Cent. VI.

Obſer. No. 94. Hiſtoria morbi & ſectionis poſt mortem Illuſtriſſimi Domini, Domini Comitis Henrici Joſephi Gabrielis de Solms &c. D. 14. Octobris horâ ſeptimâ Veſpertinâ 1716. *hydrope & atrophiâ, diarrhœæ* 14. *menſium incurabili ſuccedentibus piè placidiſſimeque hic loci defuncti.*

QUàm Jure Conſultis in rectè judicandô facilitatem æque ac certitudinem præbet inventum corpus, ut vocant, delicti exquiſitumque ejus examen, eandem (ſit venia deſumtæ huic alienô ex forô allegoriæ) licebit etiam in lucem ac rationes dicendi de morbis mortiſque generibus conſtantiſſimas ſanitatis morborumque conſultis ſuis petere ex cadaveribus, ſi ſubtiliſſimâ oculorum, cultrorumque acie accuratè & iteratâ ſæpiùs vice inveſtigentur. Commendandum hìnc venit, imò quam ſeveriſſimè inculcandum crebrius Anatomiæ ſic dictæ Practicæ exercitium, non abſtruſa tantum naturæ, Medicis etiam ſæpe peritiſſimis illudentis ludibria dicam, an ludos revelans vitiaque intùs abſcondita eô expromens fine, ùt cùm quilibet ſui etiam ipſius ſit Medicus, qui talia ſe in ſinû fovere deprehendet, imminens exindè exitium ſtudeat præcavere fiatque alienô ex periculô cautus: verùm etiam ad praxim Medicum ipſum rectô dirigens tramite, contra omnia rationis figmenta manus ejuſdem reddendo oculatas, oculoſque judices planiſſimè in eâ confirmans, ac in diagnoſi, quæ præcipuum praxeos fundamentum, perficiens feliciſſimum. Dolendum verò, imò deplorandum meritò, iniquiſſimum ejus fatum, quòd paucos hactenùs invenerit patronos, pauciores que adhuc cultores.

cultores. Neque enim, ſi vel unicum hôc de ſtudiô, quàm optimè meritum excipiamus Bonetum, habemus alios aut recentiores aut veteres, per quos utiliſſima hæc medicinæ pars magis fuerit promota; In ſpecie quoque apoplexiam ejuſque cauſas & locum adfectum hâc itidem methodô à Doctiſſimô Wepferô in Obſervationibus Anatomicis ex cadaveribus eorum, quos ſuſtulit apoplexia, cum exercitationibus de ejus locô adfectô Schaffhuſi 1675. editis eſſe examinatam, haud quidem ignoro, integram autem pathologiam, qui lumine hoc egregiè reddiderint clariorem, præter ſupra laudatum Bonetum, &, pace tanti viri dixerim, leviores Blancardi conatus novi neminem. Fateor equidem non unius nec cujuſvis hoc eſſe practici opus, unita utpote plurium ſtudia & concordes expoſcens fideleſque labores, deinde multa & varia eaque ardua etiam occurrunt, quæ ſtudii hujus remorantur progreſſus, impedimenta, non Medicorum tantùm ex parte, quæ quidem prolixè hìc recenſere meum non eſt, verùm & imprimis ex parte reliqui generis humani, (cujus tamen inde vita promoveretur ſaluſque,) dum cadavera mox tamen vermibus putredinique relinquenda, inde ſi non violari, attamen lædi perverſâ plurimis mente obſervetur religio. Foret autem huic quoque labi remedium non leve, ſi tum qui Noſocomiis, quæ vaſtiſſimum hæc excolendi liberrimè theatrum, præſunt Medici, tum qui ampliſſimam poſſident praxin alii communibus id agere ſuſciperent operis, ut in rariori non tantum, verum & obvio morborum genere defunctis quæ morbi fuerit ſedes, quæ cauſa, qui exitus antecedentium ſymptomatum, qui demùm effectuum omnium in antecedenti morbô obſervatorum eventus, cultrô, in quantum poſſibile, manibuſque & oculis accuratè inveſtigarent, inveſtigataque & judicii ulterius lance examinata, nullis tamen ſpeculationum adulterata fucis, ſed utcunque fuerint, delineata communicarent benevolè, ad exemplum viri poſt fata etiam adhuc omni eô nomine laude digniſſimi, D. Philippi Jacobi Hartmanni, Doctoris Medicinæ & Anatomiæ Profeſſoris Regiomontani meritiſſimi, aliorumque, quorum pluribus ità concinnatis ſocietatique communicatis obſervationibus aurô omni carioribus, ceu gemmis meritò pretioſiſſimis noſtræ undiquè ſplendent eximiè Ephemerides. Liceat hiſce & meos ſubjungere qualeſcunque conatus elaboratione utut, utilitate tamen non minùs ac dignitate haud leviores, ut ſpero iiſdem futuros.

Illuſtriſſimus Dominus Henricus Joſephus Gabriel Comes de Salms &c. quadragenariô proximus, melancholico-cholericus, hypochondriaco-ſcorbuticus, habitû corporis gracili ac tenerô, caſtra olim magnâ cum gloriâ plures per annos ſequutus, inque iis à tempeſtatum injuriis haud parva perpeſſus, nullo tamen unquam graviori inde tentatus morbo, diætæ, ut potè quovis tempore exactiſſimæ & ſobrio vivendi generi, vini item Burgundiaci aqua multa diluti, potui adſuetiſſimus, hâc autem per omnem vitam maximè adflictus idiopathiâ, quòd alvus ſemper eſſet ſegnior ac durior, hincque ſuppoſitoriis ipſis aut globulis ſaccharinis moſchatis ſæpiſſimè ſollicitanda: Annô 1715. proficiſcebatur è Belgiô Viennam Auſtriæ, ibique aliquandiù commoratus à mutatô, neſcio quâ de cauſâ, potulentorum genere, vinis nimirùm Auſtriacis Hungaricisque pro potu magis expetitis, incidebat in diarrhœam, primò quidem moderatam nec lectô ſtatim adfigentem, donec, nullis primô licèt initiô oppoſitis remediis probatiſſimis coërcenda majora ſenſim ſenſimque capiens augmenta, & ultra annum poſt hæc continuans integrum graviorem in ſingulos ferè dies & ventriculi atoniam & totiùs involveret debilitatem ac atrophiam, adeòque ex immorigerâ, & rebelli evaderet denique incurabilis, tarditatemque gravitate compenſare inciperet, Illuſtriſſimo ſimùl ægrô tot tantiſque & Medicorum Celeberrimorum, & ipſorum etiam hìnc indè advolitantium Empiricorum, Conſiliis, inani tamen ſemper effectû jam adhibitis, cum viribus patientiam æquè ac reconvaleſcendi animum tantùm non penitùs amittente. In tantis ergò rerum anguſtiis animam prorſùs exhalare languidam inter ſuos exoptans, propriô motus conſiliô, menſe Septembri anni CIↃIↃCCXVI. reditui in Belgium ſeſe accingebat; mox autem exacerbatis ab itinere omnibus infirmitatibus, viribuſque proſequendo ulteriùs curſui imparibus redditis, pedem hìc figere & quieti rurſùs ſe dare cogebatur. Vocatus hìnc ego deprehendi ægrum Illuſtriſſimum & morbi & itineris inſuper longinquitate ſummoperè defatigatum, facie planè jam Hippocraticâ, dicam an Cacheticâ, conſpicuum, totôque corporis habitû, exceptis abdomine modicum turgidulô, pedeque ſiniſtrô levia œdematis monſtrante initia, valdè emaciatum, appetitus languebat, ſitis erat modica, reſpiratio ſatis libera, ſomnus interruptus & paucus, pulſus debilis, urina potui vix quantitate reſpondens, lixivioſa, craſſa, ſedimentoſa, cuticulâque ſcorbuticâ tecta, ructus & flatus exaudiebantur rariores: ſedes contra urgebant citra ulla tamen tormina aut eroſiones inteſtini recti, nocturnô præſertim tempore multiplicatæ: dolores accuſabat utriuſque hypochondrii ad ſenſum etiam elevati ac juſtò durioris, præſertim ſiniſtri, gravativos, diſtenſionem abdominis maximè moleſtam, regurgitationes è ventriculô tam jejunô, quàm à cibis aut potulentis quibuſvis acres, nec acidas tamen nec amaricantes, bili, ùtùt falſò, ab ipſô Illuſtriſſimô ægrô tributas: calores in palmis maximè manuum particulares, nonnunquam verò & univerſales, veſpertinis præſertim horis volaticos momentaneos, ſine ullâ quidem unquam cephalalgiâ: continuum autem pedum, imprimis plantarum, frigus. In morbô igitùr tam deſperatô, rebelli ac vel centenis, imò millenis, quibus jam tentatus erat remediis probatiſſimis aliis non expugnandô, quem ideo monſtri aliquid alere, labemque viſceris unius aut plurium digeſtioni nutritionique inſervientium incurabilem neceſſariò pro cauſâ agnoſcere haud erat difficile judicare, non meas unicè experturus vires, imprimis cùm & de perſonæ tam Illuſtris vitâ ageretur pretioſiſſimâ, & morbus ipſe altioris eſſet indaginis, ſiniſtrumque certò certiùs ominaretur eventum, dyſenteriæ non item, quòd nec ſanguis unquam per alvum ſeceſſiſſet, & tormina & febris deeſſent, quòdque maximum, chronicus eſſet, non acutus; nec fluxui hepatico, quòd carnis loturam non æmularentur excrementa ac lienteriæ & quidem inveteratæ, latiori tamen itidem ſignificatû accenſendus: (Scybala namque aſſumtorum non tam referentia integritatem, ùt agnoſci poſſent colore, odore, ac conſiſtentiâ, quod lienteriæ propriè ſic dictæ ſolet eſſe κεκινόμενον, quàm minùs tantùm digeſta, & liquida, pituitæque ſeroſæ ſignata charactere, mucumque inteſtinorum deterſum commixtum, vehentia deponebantur.) ut & alii in arte periti, conſiliis valentes, eas ob

ob cauſas in laborum mihi jungerentur conſortium, obnixè petii. Impetrato hinc eum in finem venerando Dominô Socero meo, Ephemeridum harum Directore Illuſtri ac digniſſimô, dubio, ut par erat, rem ambo adgreſſi prognoſticô omnibus quidem, quæ & ratio & experientia dictitabant tùm è culinâ, tùm è pharmaciâ petitis ac ſelectis analepticis, confortantibus, ſtomachicis, non quidem adſtringentibus, ſed tonicis internis & externis, balſamicis, amaricantibus, anticachecticis, antihecticis, ut & ſpiritus imprimis reficientibus temperatis pretioſiſſimis æquè ac uſû probatiſſimis, tentata ipſa etiam clyſmatum appropriatorum injectione, ſtrenuè ac indefeſsè pro experientiæ non minùs ac conſcientiæ modulô, Illuſtriſſimo ſuccurrere ægro non negleximus; malô autem nihilô ſecius continuô in pejus ruente, omniſque impatiente medelæ fieri deniquè aliter non potuit, quàm ùt œdemate mox & in dextrum tranſeunte pedem, abdomine etiam & ſiti magis in dies accreſcentibus, appetitû è contrariô ac urinâ craſſiſſimô ſedimentô lateritiô referta imminutis, caloribus itidem erraticis de die & nocte ſine typô multiplicatis, & frigore quoque ab ultimô octiduô interdum accedente univerſali, vix autem aliquot ſæpiùs durante momenta; peſſimo, quod nobis quidem videbatur indicio, majorem ùtpotè caloris adhùc reliqui per exigui nativi depauperationem liquidorumque ſtagnationem ſupponente, & ſic labaſcentibus ſimùl cum ſpe noſtra ad ſenſum magis magiſque ſpiritibus, ſenſibus adhuc omnibus, & animo quoque ac voce ad extremum uſque halitum pleniſſimè ſibi conſtantibus, ſomnolenti admodum obdormiſcens, fatis deniquè ex prædictô, quod jam vitâ longiore digniſſimus Baglivus p. m. 108. in operibus ſuis notavit, atrophiâ conſumtus, concederet, quàm placidiſſimè D. 14. Octobris horâ ſeptimâ veſpertinâ.

Exenterantibus, More Magnatibus ſolenni, corpus defunctum.

I. In ventre ejus ſupremô ſive capite in conſpectum prodiit (1) cerebrum cum meningibus ſuperiùs præter naturam flaccidiſſimum, in baſi verò mediocri lymphæ quantitate madidum, ceteroquin ſanum omniſque labis notabilis expers; eôque intimiùs magis luſtratô; (2) glandula pinealis pluribus granulis albicantibus minutiſſimis laxè inter ſe cohærentibus & collectivè ſumtis lentem magnitudine adæquantibus, quoad ſubſtantiam ceræ paululùm duriori comparandis referta.

II. Nec medius venter quicquam exhibuit præternaturalis, niſi quod lobi pulmonum utriûſque lateris variis tuberculis crudis ſcirrhoſis atri coloris, non æquà quidem magnitudine conſpicuis, ſed ſuperficiariis tantummodò eſſent notati: Cor erat magnum, at pallidum & flaccidum, aqua pericardii pauca, diaphragma eâ, quâ pectus reſpicit parte, colore & ſubſtantiâ ſibi conſtans, & integerrimum.

III. Infimus venter, omnis mali fons & origo multas ipſius deniquè mortis cauſas in ſe continebat monſtroſas.

1. Menſuras $4\frac{2}{1}$ civiles aquarum hydropicarum limpidarum, non æque ſalſarum aut putrilaginoſarum.

2. Omentum conformationis ad ſtuporem prodigioſæ, præpingue, ſcirrhoſum & innumeris hydatidibus partim ruptis, partim integris ſcatens: Pendebat quippe $3\frac{4}{1}$ libras civiles latitudineque ulnam unam noſtratem, quæ cum Brabandicâ convenit, longitudine tertiam ulnæ partem, craſſitie utut inæquali & non niſi ubi ventriculo adhærebat, tenuiſſimâ, plurimis in locis tres digitos tranſverſos emetiens. Adnatum erat ſuperiùs diaphragmati, hepati, veſiculæ felleæ, ventriculô & lieni, quem ipſum integebat planè & involvebat, dextrô in latere ad ſpinam dorſi uſque extenſum, in ſiniſtrô duplicaturæ peritonei internæ coſtas obtegenti coalitum, inferius cum toto inteſtini coli tractû, ubi è cæcô aſſurgens per medium abdomen tranſit ad ſiniſtrum hypogaſtrii latus, cohærens & in dextrô rurſùs latere ad ipſum peritonei proceſſum uſque vaſorum ſpermaticorum vaginam extenſum, ibidemque affixum.

3. Ventriculum cum totô inteſtinorum omni planè muco naturali deſtitutorum tractu, cæco & vermiformi exceptis, tenuiſſimum papyraceæ ferè ſubtilitatis.

4. Inteſtinum cæcum & proceſſum vermiformem naturali quidem loco poſita, at quoad ſubſtantiam & figuram externam penitùs præter naturam conformata & obliterata: loco enim ſucci appendiciſque membranoſorum glomeramen inveniebatur, duorum pugnorum excedens magnitudinem, pinguedinoſum, ſcirrhoſum, ac interiùs ità quidem excavatum, ùt & ileo ſuperiùs, inferiùs colo exactè reſponderet, appendicem autem vermiformem penitùs in callum aut ſcirrhum potiùs degeneratam tectam ſub ſe comprehendens.

5. Meſenterium & meſocolon quanta p. n. pinguedine multâ ſcirrhoſâ ſebaceâ obſita & innumeris papillulis lenticularibus ſcirrhoſis notata.

6. Hepar cum veſiculâ felleâ minore & flaccidâ, ſimili etiam pinguedine morboſâ quoad ductus maximè cyſticos obſita, præter id, quòd colore plus juſtô appareret exſangue, & vena umbilicalis ligamentumque ſuſpenſorium eadem luxuriante per univerſum infimum ventrem pinguedine glandulosâ ſcirrhoſâ eſſent conſpicua, nihil fovens præternaturalis.

7. Denique lienem minimum, vix renem humanum magnitudine æquantem, non planum ſed globoſum, mediante iſtâ omenti pinguedine morboſâ totum quantum abſconditum & involutum & hinc, dum viveret, Illuſtriſſimus æger, in ſiniſtrô hypochondriô tumore ac renitentia ſua turgentibus ſcirrhum exactè mentientem.

Omnes reliquæ partes exactè ſibi & integerrimè conſtitere. Quo autem, quæ & de omentô & inteſtini cœci conſtitutione ſingulari morboſâ fuſiùs ſuperiùs dicta ſunt, eo clariùs pateſent, ut accuratè olim ambo delineata hic etiam æri, minori tamen modulô inciſa ad juvandos magis lectorum conceptus ſubjungere volui.

Cæterum plures quoque eâ addi poſſent occaſione & latiùs deduci poſitiones aliæ, utiles æquè ac curioſæ: imprimis de uſû inteſtini cœci ac proceſſûs vermiformis in ſcybalis formandis ac promovendis ſingulari: de meſenterii ac omenti præcipua & abſoluta ad elaborandam & facilitandam digeſtionem ac nutritionem totiûs neceſſitate: de omentô, quod, teſtibus Bonetô in Sepulchretô & Doctiſſimô Hofmannô in Diſquiſit. Corpor. human. Anatomico Pathologica, aliiſque, communiter aliàs in hydrope potiùs abſumi & evaneſcere aut ipſam in putredinem abire ſolet, hic modô planè contrariô mirum quantum auctô, hujuſque phœnomeni omnium rariſſimi cauſis ac conjecturis abſtruſioribus de morbis item conformationis internis incurabilibus æque ac difficillimè cognoſcendis: & an deniquè

què hæc prava omenti inteſtini cœci ac proceſſus vermiformis conſtitutio morbi ultimi lethalis complicati cauſa fuerit an productum & quæ hujus ſunt generis aliæ: Verùm hiſtoriam, non tractatum aut diſſertationem hîc meditatus abrumpo, additô tantum coronidis locô, quod Prudentiſſimus Cheſneau Lib. III. Capiti VI. de diarrhoeâ ſubjunxit, epiphonemate: O felices Medici, qui in ejuſmodi affectus fortunatè non incurrunt! Impoſſibile enim eſt, opprobrium effugere, niſi maturè prædicatur, quid ſit futurum: quia vulgus morbos non curari exiſtimat, niſi propter Medicorum inſcitiam.

Ibidem Obſervatio 100. *De Ecpieſmate cum vulnere cerebri profundiore feliciter curatô.*

TAm provida fuit infinita ſummi Creatoris in formandô corpore humanô ſapientia, ùt quò aliqua pars eſſet tenerior ac nobilior, eò firmiore muniretur propugnaculô. Valet id vel imprimis de cerebrô, artificioſiſſimô ac diviniſſimô corporis totius membrô, mentis ſacrariô & animæ ipſius acropoli, oſſeô eapropter quantum cinctus munimentô, nè quibuſvis adeò facilè exponatur injuriis. Non obſtante tamen hoc & ſua quoque experitur fata, tantò ſemper periculoſiora, quò majorem ſupponunt prægreſſam violentiam. Nec negligenda igitur ſunt leviſſima capitis, multò magis cerebri, vulnera, ſollicitaſque expoſcunt Chirurgi manus: neque verò prognoſticô ſtatim relinquenda graviora, quia interdum ſanantur aliqui abſque ſpe, prudentiſſimè monente Avicennâ: Cauti proindè ſint Medici & Chirurgi, ſi audiant Berengarium Carpum in aureô ſuô de Fract. Cranii tractat. p. m. 29. in prognoſticando de læſione capitis, quia etiam lævis læſio non caret ſuſpicione, primò quia læſio eſt in nobiliſſimô membrô, & de ſimilibus vidimus multos periclitari: Nec unquam pro honore artis utantur prognoſticô determinatô, ſed dicant itidem ſic jubente laudatô modò Auctore p. 36 illud aureum Damaſceni in ſuis aphoriſmis: Si interrogatus fueris, ſemper velociter reſpondeas, dubitandum eſt. Quorſùm hæc dicta ſint, ſubjuncta modò hiſtoria docebit, vel ideò imprimis notanda, quòd quamplurimi capite vulnerati, utùt leniter, ex negligentiâ, aut regiminis non ritè ſervati culpa magis, quam vi læſionis intereant, aliis contrà graviùs læſis, majori medentium diligentiâ ac curâ & diætâ maximè ad præſcriptum Medicorum exactiſſime obſervatâ, felici eventû inde emergentibus.

Annô CIↃ IↃ CCXIV. D. 18. Julii matutinô tempore *Georg. Binſchleter*, Ruſticus Selingenſis, ſubditus Badenſis, filium ſuum *Johann. Binſchleter*, puerum 10. annorum ruri cum equis haud ita pridem coëmtis miſerat, ùt in littore Rheni non longè à pagô diſtante eoſdem paſceret, injunctô circa horam ſecundam pomeridianam reditû. Puerô autem cum equis nec tertiâ horâ, nec quartâ, imò nec elapſâ ſextâ reverſô, parentes de infortuniô ſibi fortè illatô ſolliciti, ad locum ipſum adeunt, equoſque ibidem videntes ſolos nec puerum, eum de littore fortè in Rhenum delapſum, adeoque undis ſubmerſum ſuſpicientes, magnô cum ejulatû, & filii nomen iteratum plus mille vicibus clamantes, diu in agris, nullô inventô nec reſpondente puerô diſcurſitant, donec poſitus ex oppoſitô in cuſtodiâ miles Gallicus perceptis miſerrimis lamentationibus in cauſas earundem inquirens, locum, ubi è longinquô viderat jacentem puerum, dormienti ſimilem indicaret. Eô perventi puerum quidem, at humi proſtratum, in capite graviter ab equorum aliquô ſoleâ ferreâ vulneratum, ſanguine multô & ex vulnere & ex naribus & auribus depluente madidum, ſenſuumque omnium & motûs planè expertem, lethargicum magnô cum luctû deprehendunt, domumque ſecum mœſtiſſimi auferunt. Vocatur ex pagô vicinô Chirurgus, leviori, ut ſolet pro conditione loci, imbutus in arte ſuâ experientiâ, capillisque circa vulnus raſis, & ſanguine vinô calidô deterſô, linteis illud concerptis ſiccis, emplaſtrô de betonicâ, fotibuſque ex cephalicis paratis deſuper impoſitis deligans, eâque methodô ſolô, additô unguentô digeſtivô, citra ulterius vulneris examen per ſex ſubſequos dies primos continuans, ægro interim quotidie febre magis incaleſcente, & lethargô, vomitibusque ſemper permanentibus. Moti hinc Parentes nullô hactenùs viſo levamine, præſens magis ſollicitare auxilium. D. 24. Julii ad nos Raſtadtiam confugiunt, meam Chirurgique noſtri aulici, viri in arte ſuâ peritiſſimi, Dn. Lamberti Galli, quæ hodie natio in Chirurgiâ palmam omnibus præripere aliis videtur, implorantes opem: Sequebamur petitum miſerorum, deproperabamus ad lectum ægri, eumque deprehendebamus capite graviſſimè læſum, febre continuâ acutiſſimâ, vomitibus & hæmorrhagiâ narium & aurium vulneri junctis miſerè decumbentem & lethargicum ſudoribus ferè diffluentem; interdùm quidem at indiſtinctâ voce oculiſque clauſis ejulantem & balbutientem, ceterùm continuô in ſomnô delirantem omniſque expertem judicii, liquida tamen juſcula & potulenta oblata avidè quidem haurientem, at illicò revomentem. Vulnus erat in regione mediâ & inferiore oſſis parietalis ſiniſtri, integumentorum ratione non quidem adeò magnum; labia enim vix digiti uniûs ſpatiô diſtabant: ipſa verò cerebri ſubſtantia interpoſita & aliquantulum ad nucis glandis magnitudinem propullulante diſtenſa.

Neceſſum ergò fuit, mediante inciſione prudenti ac debitâ, diductis paulò magis labiis, & iſta cerebri protruſi ac à reliquô jam ſeparati, portione emortuâ & in putredinem proniſſimâ cautè remotâ interiora accuratiùs magis luſtrare. Quô factô in conſpectum prodiit fractura cranii, Græcis Ecpieſma dicta: in portione oſſis parietalis majore, unum & dimidium digitum lata, duos autem cum dimidiô longa, triangularem ferè in modum ità diffracta, ac intra ipſam cerebri ſubſtantiam depreſſa, ùt, quæ intra duos angulos ſuperiores intercedebat, lata oſſis fracti portio, aliquâ quidem ex parte, quoad tabulam nempè ſecundam, cum oſſe ſanô adhùc ſuperius cohæreret, inferior autem & tertius angulus, perforatis durâ & piâ matre, in ipſam cerebri ſubſtantiam corticalem, ad binos angulos ſuperiores uſque eſſet detruſus, ſicque integrum oſſis diviſi fruſtum latitaret intra cerebrum, cujus notabilem ſatis quantitatem & alter Chirurgus, cùm primâ deligaſſet vice, ſeſe, falſo autem pro pure agnoſcens, jam abſtuliſſe referebat, & nos hâc quoque vice removere denuò cogebamur: In eô ergò, rebus ſic ſeſe habentibus, verſabatur medendi cardo, ùt extraneum illud intra cerebrum hærens oſſis fruſtum quantocyus eximeretur, quod quidem dictû quàm factû erat facilius; Licet enim illa, quæ cum ſecundâ adhùc cohærebat ex parte tabulâ, extremitas, mox inde penitùs eſſet ſeparata, duo tamen anguli ejus ſuperiores,

periores, per quæ intruſa erant loca, nunquam reducendi, nec ſine majore meningum & cerebri læſione in alterutrum verti poterant latus. Hoc itaquè opus, hic labor.

Tentavimus diu variis id efficere encheiriſibus, & auctâ ſucceſſivè violentiâ, donec ſudoribus ferè exhauſti, voti deniquè noſtri compotes fieremus, infixamque hanc ſpinam, laborum tantorum præmium obtineremus lætiſſimè. Neque verò unquam citra graviorem & cerebri & meningum dilacerationem obtinuiſſemus, niſi, quod tamen eventus magis nos docuit, nec ob cerebrum, quo tecta erant omnia æque fuit prævidendum, ipſiſſimum hoc deliteſcens in cerebrô fruſtum, prope angulum ſuperiorem & poſteriorem denuò aliquâ fuiſſet ex parte jam fractum: hinc enim accidit, ùt intenſiori paulò cum vi fruſtô majore ſurſùm tractô, illud minùs diſtinctiùs adhùc concipiendum & circumſcriptum, itidem tabulæ ſecundæ tantummodò adhærens, tandem à majori avelleretur, abbreviatiſque ſic angulis binis ſuperioribus majori demùm fruſtô exitus concederetur feliciter. Finitis hiſce, quod & æger anteà jam debilior, ex diuturniore hìnc morâ magis adhùc eſſet defatigatus, & præcavendæ majoris hæmorrhagiæ ergò neceſſum erat, vulnus citra ulterius ejuſdem examen, & linteis quidẽ concerptis, vinò tantùm tepidô,quod nihil ad manus eſſet aliud, imbutis, tam piæ matri cerebrôque læſô, quâ reliquis partibus unà cum fotibus cephalicis ſuſuper impoſitis deligare, ægrũque ſic deligatum remediis euporiſtis, traumaticis, antifebrilibus & confortantibus proſpectum, dubiâ valdè conceptâ de reconvaleſcentiâ ejus ſpe, ſedulæ prioris Chirurgi curæ commendavimus; abeuntes hôc in mandatis relictô ùt & fotus ſæpiùs repeteret, & ſuperſtite alterô adhùc die ægrô, nuncium illicò nobis mitteret, ſine morâ tùnc ad ulteriorem opem ferendam redituris. Mittitur nuncius, nos vi promiſſorum revertimur, ægrô, ſolis exceptis vomitibus, qui mox ab heſternâ ceſſabant operatione, eandem interim ludente tragœdiam. Vulneris explorantibus conditionem, remotô omni apparatû heſternô, alterum oſſis fracti fruſtum minùs notatum, in poſteriore vulneris regione tabulæ itidem ſecundæ tantùm adhærens in conſpectum quidem illicò prodiit, omniaque recentiſſima & cerebrum maximè ſanum apparebant: opus autem erat ulteriore rurſûs labiorum verſùs occiput diviſione, ùt laudata oſſis diffracti pars reſidua eò totiùs & commodiùs eximi poſſet: quâ factâ omnia ex votô ſuccedebant, & vulnus denuò lege artis ut heri, plumaceolis, quæ piæ & duræ matri interiùs imponebantur, melle roſatô cum ſpiritû vini rectificatô dilutô, quæ verò exterius, ungentô digeſtivô imbutis deligabatur, illi hinc methodo per 15. omninò dies inſiſtentes, cum majore quotidie vulneris emolumentô & εὐφορίᾳ ægroti, qui ſimùl ad evitanda graviora ſymptomata internè præſcriptâ potione cordiali diaphoreticâ cochleatim ſæpiùs de die utebatur, & diætâ tenuiſſimâ, ſeu ut Hippocrates loquitur, λεπτῇ καὶ ἀκριβεῖ.

Mox enim exindè æger intervalla quædam experiebatur lucida, ùt quæſitis interdum decenter reſponderet, momento tamen pòſt recidivante deliriô, & dura mater incipiebat primò benè ſuppurare, hìnc ſuppuratione finitâ fieri magis magiſque terſa, ſuaviter rubeſcens & punctulis multis minutiſſimis glandulosis quaſi conſpicua, tantâque ſuccreſcere velocitate, ùt die à factâ operatione undecimô, multa jam ex parte cicatriſatam eô, quô tenuiſſima erat, locô paululùm rurſùs dilatare conſultiùs judicaremus, nè ſi pus aliquod, vulnere cerebri nondùm exactè fortè conſolidatô inferiùs contineretur, nullum ampliùs reperiens ſeſe evacuandi ſpatium, ſtagnando ibidem & acrimoniam tùnc concipiendo, nova denuò excitare poſſit ſymptomata: Impeditô eâ igitur ratione & hôc, alias non ſine cauſâ metuendô incommodô, vulnùs itidem more conſuetô tractavimus, quemadmodùm & die redeuntes decimô quintô, ægro hilari nos excipiente vultû, & quoad mentem rurſùs ſibi conſtante, nec febre ampliùs adflictô, vulnere item inventô quàm optimè conſtitutô, & cicatrice duræ matri denuò obductâ, ſubalbidâ & molli, lympham quaſi inſpiſſatam æmulante cùm nihil planè puris nuper ſub durâ matre eſſet viſum, eôdem omnia ſtatû reliquimus, balſamô Fioravanti ſolo, (quod inſigne eſt remedium traumaticum exſiccans in vulneribus membranoſarum aut nervoſarum partium, Gallis probatiſſimum, ex terebinthin. ℥j. aloës nitr. ſanguin. Dracon āā. ℥ij. Colophon. ſarcocol. āā. ʒj. cum ſpirit. vin. ℔jv. & albumin. ovor. n. xij. in balneô Mariæ paratum) & melle roſato vulnus debitè deligantes.

Diebus autem poſteris, decimô ſeptimô, vigeſimô & vigeſimô ſecundô è fundô vulneris, cæteròqui perbellè ſeſe habentis, inſtrumentô Gallis dicto *Lenticulaire*, depreſſâ leniter durâ matre colore naturali & ſuaviter ex albô rubente conſpicua pauxillum ſemper puris cocti laudabilis evacuavimus, pulſûque ægri nihilominùs ſatis benè viventis duriore paulò & celeriore exiſtente, doſes aliquot ſpecif. cephal. Mich. bonô propinavimus ſucceſſû. Die vigeſimô octavô os lætô omine prima exfoliationis futuræ indicia exhibebat, trigeſimô primô quædam carnis fungoſæ excreſcentiæ & duram matrem & reliquam vulneris ſuperficiem circumſidebant, ſolô autem ſpiritûs vini rectificati uſû externô, plumaceolis nimirùm eô madidis ſuperimpoſitis brevi tam feliciter rurſùs ablatæ, ùt triduô poſt omnes evanuiſſent, oſſe ſimùl notabile ſatis deponente foliolum; quorum & quamplurima alia ad ſexageſimum uſque diem, quotidie meliùs ſeſe habente ſimùl vulnere, ſecedebant & eximebantur. Cùm autem poſt hæc renueret dura mater penitus in cicatricem convenire, ad mel roſatum paucô ſpiritû vini dilutum denuò fuit confugiendum, cujus etiam ope impetrabatur, ùt die deniquè unô & centeſimô non tantùm coalita perfectiſſimè, verùm & carne jam multâ & bonæ notæ tecta reperiretur, ipſis etiam integumentorum labiis ſimul quàm elegantiſſimè coeuntibus. Interim dum hæc fiunt, exoriebatur abſceſſus pone aurem ejuſdem lateris in regione oſſis parietalis inferiore, ubi cum oſſe petroſô, inter apophyſin maſtoideam & concham auris ſiniſtræ conjungitur, rectâ lineâ infrà vulnus, in magnum & febrilem calorem, cum amaritie oris & diarrhœa conjunctum, & dolores novos ægrum inſupèr per aliquot dies conjiciens, donec factâ die centeſimô quartô inciſione, poſt multum evacuatum pus tenue, albidum, illique per omnia ſimile, quod ante hæc è durâ matre effluxerat, omnia mox remitterent ſymptomata, tum hôc tùm aliô vulnere primariô brevi hinc tempore coaleſcentibus quàm perfectiſſimè, ita ùt paucis ab ultimâ deligatione diebus, die centeſimô & vigeſimô ſextô facta, æger ſibi integerrimè reſtitutus incolumis, vulnere & abſceſſû ſanatis, in publicum & ad priſtina exire poſſet obeunda officia, nunquàm tamen reminiſcens;

cens, quâ eſſet ratione vulneratus & linguam indè reportans balbutientem.

GOCKELIUS (*Eberhardus*) Archiater Würtembergico-Weilting. Reipubl. Ulmenſis ac diverſ. S. R. Imp. Statuum Phyſicus Ord. nec non Illuſtr. Academiæ Naturæ Curioſorum Collega.

De eô extant

Enchiridium Medico-Practicum de Peſte, atque ejus origine, cauſis, & ſignis prognoſticis: Quinetiam Curationis modô, & Antidotis; partim ex probatiſſimorum Medicorum; utpote Joſephi Quercetani, Gregorii Horſtii, Raymundi Mündereri, Athanaſii Kircheri, aliorumque ſcriptis; partim ex αὐτοψίᾳ & Practicis Obſervationibus Dn. Parentis concinnatum. Cui annexus eſt libellus de Venenis. Auguſtæ Vindelicorum, apud Theophilum Goëbelium, 1669. 8.

Conſiliorum & Obſervationum Medicinalium Decad. VI. collectæ, & per experientiam comprobatæ. Aug., Vindel. apud Theoph. Göebel. 1682. 8.

Gallicinium Medico-Practicum, ſive Conſiliorum, Obſervationum, & Curationum Medicinalium novarum Centuriæ duæ, cum dimidia. In quibus omnibus non ſolum varii ſingulares caſus enumerantur, ſed etiam per cauſas, rationes, & principia tam Antiquorum, quam Neotericorum Medicorum, dilucidè pertractantur ac reſolvuntur, atque Selectioribus per 44. annos propriâ experientiâ comprobatis remediis illuſtrantur: Omnibus praxim Medicam excercentibus tam jucundæ quàm utiliſſimæ. Ulmæ apud Georg. Wilhel. Kuhnium 1700. 4.

De eô præterea habentur in Miſcell. Curioſ. Decur. 2 Ann. 4.

Obſervatio 27. De Aphoniâ & convulſione à terrore.

Ibidem Obſervatio 28. De Puerô decenni, ex dentitione febricitante, convulsô, & ſyncopticô.

Georgius Wilhelmus Holzhaii, Orphanotrophii publici Ulmenſis Moderatoris integerrimi filius, puer decennis, Annô 1681. die 28. Februarii Diarrhœâ ſymptomaticâ laborabat, quæ ob metum dejectionis virium, adſtringente & roborante Electuario, (quia nemo de dentitione ſuſpicabatur) ſublata fuit; Quô factô, per inſequentes tres vel quatuor ſeptimanas, materiâ peccante ad interiores partes regurgitante, tam malè habuit, ùt præ laſſitudine caput vix erigere potuerit: Hanc laſſitudinem febris erratica intermittens excipiebat; quæ poſteà quotidiana facta, bis de die patientem invaſit, ac totiès quotiès reverſa, ad amuſſim per hores duas durabat, quos paroxyſmos febriles ſub finem animi deliquia, per quadrantem horæ manentia, comitabantur; quocirca urina craſſa, rubra & turbida, extra paroxyſmum verò nonnunquam clara, naturaliſque coloris ac conſiſtentiæ conſpiciebatur. Et hic Affectus procedente tempore in tantum auctus & exacerbatus eſt, ùt bini paroxyſmi febriles, qui de die anteà diverſis temporibus ægrotantem divexabant, tandem in unum combinati, quaſi conjurati hoſtes, unitis viribus, unôque impetû, circa meridiem per quatuor integras horas, ſingulô paroxyſmô duplum graviore exiſtente, in miſerè decumbentem ſævierint, quorum unô paroxyſmô vix finitô ſtatim convulſio, & poſt hanc, confeſtim animi deliquium ſecutum eſt, quæ ſymptomata, per tres quadrantes anni quotidie ac ſine intermiſſione ægrotantem invaſerunt. Hique paroxyſmi tam ſtrictè durationis ſuæ tempus obſervârunt ùt uniuſcujuſque finis, inversâ ac elapsâ clepſydrâ exactiſſimè & ad arenulam menſurari præſcirique potuerit. Poſtquam verò febris emanſit, nihilominùs violenta convulſio, cum mox inſequenti infirmitate ſyncopticâ patientem aggredi perrexit, quæ in dies unô paroxyſmô adaucta, tali incrementô quotidianô, tribus elapſis ſeptimanis, alternatim de die viciès reverſa eſt, cùmque ſic ſummum curſûs ſui faſtigium attigiſſet, tandè, ſingulis diebus, unô paroxyſmô abſciſſô, elapſis viginti Solis luminibus, cum erumpentibus inferioribus dentibus Canis, dira hæc ſymptomata evanuerunt. Cùmque poſteà duo dentes Canini ſuperiores, ac molares quatuor Caninis vicini, dextri ac ſiniſtri lateris ſuperiores ac inferiores, per alveolos ſibi exitum parare ac erumpere moliebantur, dicta ſymptomata paroxyſmorum Convulſivorum & Syncopticorum redierunt, ac creſcendo decreſcendoque fermè ſuperiùs deſignatum typum, (exceptô numerô, qui ultra tredecim paroxyſmos de die non excedebat) retinuerunt, iterumque per tres quadrantes anni, aſcendendo & deſcendendo, perſeverârunt, donec quatuor poſteriores dentes molares terebrando, gingivaſque diſcindendo, exitum ſibi quæſiverunt, quibus erumpentibus, locô prioris convulſionis, hiſtrionica, & fidicula pandiculatio brachiorum ac manuum obſervata fuit, quæ, poſtquam dicti dentes in lucem prodierunt, etiam evanuit.

Durante hujus affectûs tempore, corporis vires maximè defecerunt, pedeſque in tantum infirmati ſunt ùt per integrum biennium, ab annô videlicèt 1681. uſque ad annum 1683. neque pedibus inſiſtere, multò minùs ambulare potuerit, ac interdùm ambobus genubus, de locô ad locum in hypocauſtô, rependo quaſi, ſe moverit; Quotieſcunquè etiam pedes ipſius, vel manibus duriùs apprehenſi, vel fortiùs fricati vel inuncti ſunt, patiens ſemper & ex tempore, ob conſenſum cordis ac cerebri, animo deficere, magnumque dolorem in capite ſentire cœpit; Ac inſuper, dum molares erumpebant, tanta Cephalalgia & Odontalgia per viciſſitudines invaluit, ùt ipſi, ad evitandum majus malum, & præcavenda pejora ſymptomata, opiatis internis, ac cataplaſmatibus anodynis, aliiſque externis ſuccurrendum fuerit.

Cæterùm, per totum morbum, Patiens, extra paroxyſmos, animô ſibi conſtabat, pulſus erat æqualis & eurythmos, in paroxyſmis verò, pro febris, convulſionis, & deliquii ratione, mutabilis, celer, ac debilis, ciboſque boni ac laudabilis ſucci capiebat ac concoquebat, alvuſque naturaliter reſpondebat. Interim pleraque remedia, Purgantia, Antifebrilia, Epileptica, Cordialia, Cephalica, Emulſiones, Clyſmata, Epithemata, Unguenta, & quæ fuerunt alia, magnô pretiô comparata, præter pauca roborantia & anodyna, totô dentitionis terminô, donec dentes numeroſô apparatû, in apricum exibant, fruſtrà fermè, cumque parvô commodô ipſi adhibebantur.

Tandem dentibus novis maximâ parte excluſis; patiens annô 1683. ſedatô morbô & ſymptomatibus, vires recuperavit, ſolus ambulare, & munia naturalia, rurſus obire didicit, denteſque intereà temporis, ab an. 1681. uſque ad annum 1685. antiquiores omnes præter unicum, (qui ſine dubiô priores ſequetur) abjiciendo amiſit, ac horum locô recentes, firmos, ac ſtabiles, à Deô & naturâ obtin, uit ſicque jam Diu vinâ favente gratiâ, proſperâ valetudine fruitur.

Similem etiam dentitionem, unô eodemque tem-

tempore, in virgine quâdam nobili, hîc Ulmae, pari ſymptomatum ſyndrome gravata; vidimus, quae pariter lecto, per longum tempus affixa, febricitans, convulſa, & ſincoptica, ſeptem tantum dentes, annô aetatis decimô quintô, excludebat.

Ibidem Annô 5. Obſervatio 54. De Picâ ſeu Globô Cupreô magnitudine ſuâ ovum anſerinum longè ſuperans, per octodecim annos geſtatô, & è vaginâ uteri feliciter extractô.

Ibidem Obſervatio 55. De oculi vulnere cum maximô dolore conjunctô, mucrone gladii inflictô atque curatô.

ANte paucos annos, cùm milites in diverſoriô quodam Ulmenſi Carcheſiis poculis Bacchi liberaliter certarent, & arx Palladis eorum, cum expulſione & poſthabitione ſanae rationis denſiſſimis temulentiae nebulis obvoluta diverſiſque motibus errabundis navigium in altô ferocientique mari procellis expoſitum repraeſentabat, unus eorum, neſcio an ex petulantiâ, vel bilis fervore, diſtrictô gladiô hypocauſtum percurrit; quo enſe, ſolo hypocauſti ſuperficietenùs infixo, poſteà impetuoſè ad arcûs formam inflexo, momentaneôque inſuper quaſi ſaltû, motûque velociori rurſùs ad priſtinam formam redactô, ac extenſô, praeter expectationem & ex improviſô ancillae oculum propè iridem non leviter tetigit, & ſauciavit, quam laeſionem maximus dolor, cum humoris aquei aliquali exſtillatione, inſecutus eſt.

Ego ad hanc Patientem vocatus, vulnus ex continui ſolutione membranae conjunctivae, & corneae, probè contemplatus, ac proinde ante omnia vulneris doloriſque, ac inſequentis inflammationis rationem eſſe habendam ratus ſum, hôc Prognoſticô appoſitô, quòd dicta Patiens ratione viſus amittendi in maximô diſcrimine verſetur.

Ad hujus itaque vulneris curationem, ante omnia columbae ſanguinem ſub alâ per venaeſectionem emanantem laeſô oculô calidè immiſſi, poſteàque tale Collyrium, ſaepius tepidè oculo inſtillandum & extra etiam cum intinctis linteis applicandum, ordinavi. ℞. Tutiae praep. aloës pulv. ſief. alb. Rhas. ãã. ℈ß. ac roſar. plantag. ãã. ℥ij. vini rubr. ℥j. mucilag. ſem. pſyll. tragacanth. ãã. ʒj. M. externè ſupra oculum, quia lac muliebre recèns mulctum calidumque haberi non poterat, ſequens Cataplaſma ad dolorem leniendum ac inflammationem compeſcendam inhibendamque applicavi. ℞. Pomor. putridor. vel aſſator. dulc. ℥ij. mucilag. ſem. pſyll. ʒij. farin. ſem. lini ℥ß. opii crud. ℈j. Croc. or. gr. v. vitell. ovor. q. ſ. M. f. Cataplaſma cum linteis calidè imponendum; Ab horum uſû dolor cum lymphae ſtillicidiô ceſſavit, ac inflammatio cohibita eſt, oculique vulnus poſteà coaluit. Quia verò nihilominùs de oculi caligine conquerebatur, & in laeſâ parte nubecula quaedam conſpicienda erat, idcircò haſce pilulas cephalicas ad Rheumata oculi praecavenda, humoreſque noxios è capite eliminandos, praeſcripſi. ℞. Extr. pill. lucis, aurear. Cochiar, ãã. ℈ß. Mag. gialapp. gr. v. M. f. cum aq. foenic. pill. num. 27. unâ vice deglutiendae. Ponè aurem partis laeſae, Emplaſtrô veſicatoriô Horſtii veſica fuit excitata. Et ad nubeculam in oculô reſolvendam, & diſcutiendam, poſt perfectam ocuſi laeſi conglutinationem & conſolidationem, ſequentibus uſa eſt. ℞. Tutiae praep. ʒß. Margarit. praep. ℈ß. Camphor. vitriol. alb. ãã. gr. ij. ſacch. Cand. alb. ʒj. M. f. pulv. ſubtil. M. & v. oculo piſi magnitudine inſpergendus; Et, abſoluto hoc, ℞. Pingued. tithymali piſcis (Germ. *Aſchem Schmaltz.*) ℈jj. fel. lucii piſcis ℈j. f. mixtura, M. & V. lentis quantitate oculi cantho majori indenda.

Tandem, non neglectâ bonâ ac laudabili Diaetâ, ſequentem Trageam pro viſûs corroboratione aſſumſit. ℞. ſem. foenicul. ʒvj. anis ʒij. Carvi. ʒj. Macis ℈jj. Cubed. Cardamom. M. ãã. gr. xv. pulv. flor. Euphras. ʒj. Sacch. albiſſ. ℥ij. M. f. Tragea, de die aliquotiès, quantum cultri cuſpide majori capi poteſt, aſſumenda.

Ab horum remediorum uſû haec ancilla, aliquot ſeptimanarum ſpatiô, per Dei gratiam, ita convaluit, ut non ſolùm viſûs aliqua portio, ſed etiam oculi fabrica in ſuâ naturali formâ ac magnitudine manſerit, atque cicatricis macula vix videri oculiſque comprehendi potuerit.

Ibidem Annô 6. Obſervatio 126. De infante ex fortiſſimâ umbilici relaxatione, ac inteſtinorum extra corpus propendentium prolapſû, natô.

Ibidem Obſervatio 127. De Pyrô monſtroſô.

Ibidem Obſervatio 128 De Ovis, Sole ſignatis.

Ibidem Obſervatio 129. De Ceraſis acidis, per quadraginta annos incorruptis conſervatis.

Ibidem Annô 7. Obſervatio 125. De Empyemate, ex intermiſſâ Paracentheſi, lethali.

Ibidem Obſervatio 126. De Cephalalgiâ bimeſtri, accedente auris dextrae intolerabili dolore poſt ruptum abſceſſum evaneſcente.

Ibidem Obſervatio 127. De Foetû monſtroſô cum ſuperiori maxillâ & labiô in utroque latere fiſſô.

Ibidem Obſervatio 128. De Aſthmate periodicô, ſuffocationem minitante, optimô ſucceſſû curatô.

Ibidem Obſervatio 129. De Dolore hypochondrii ſiniſtri periodicô feliciter curatô.

Ibidem Annô 8. Obſervatio 64. De Convulſionibus admirandis abſque ſenſuum inſigni laeſione.

Ibidem Obſervatio 65. De Mercuriô ſublimatô devoratô, legitimis verò Remediis debellatô.

Ibidem Obſervatio 66. Natta è dextrae mammae papilla funiculo alligata, inſtar uvae dependens.

Ibidem Obſervatio 67. De Naſdâ glanduloſâ in inteſtinô rectô prognatâ, periculoſam haemorrhagiam excitante.

Ibidem Anno 9. Obſervatio 65. De Muſcae majoris ictu admiranda ſymptomata invehente.

Ibidem Obſervatio 66. De Daemonis fraudibus in decipiendis ac obſidendis hominibus.

Ibidem Obſervatio 203. De Horrendâ ambuſtione à pulvere tormentariô factâ.

Ibidem Annô 10. Obſervatio 164. De Colicâ convulſivâ bilioſâ pertinaciſſimâ, peſſimâ ſymptomatum ſyndrome concomitatâ, & feliciter curatâ.

ANnô 1691. Matrona quaedam honeſtiſſima, conſanguinitate mihi proximè juncta, temperamenti ſanguineo-cholerici annos quinquaginta duo cum dimidio habens, tempore vernali de capitis dolore & vertigine conqueſta eſt, quam etiam non rarò ſpaſmus in pedibus divexavit; ſubſequente aeſtate, cùm foenum falce in duobus hortis ſat ſpatioſis demeteretur, illa cum ſuis domeſticis in foenificio, ſpontaneô motû ſibimet ipſi multum laboris in eradendo raſtilli foeno, pyramidibus extruendis, foenum furculis verſando, in ſeriem contrahendo,

do, &c. impoſuit, inter quem laborem exæſtuans, & defatigata è præſenti puteô inſignem quantitatem aquæ frigidæ bibit, ſtomachumque cum inteſtinis haud parum læſit. Poſteà in Feſtô S. Johannis Baptiſtæ ob levem cauſam irata, & ob inſecutum ſubitaneum terrorem valdè percuſſa fuit, ubi ſtatim, (uti ipſi videbatur) catarrhalem materiam unô quaſi impetû è capite ad ventriculum, & poſt horæ quadrans ulteriùs ad umbilici regionem, cum ventriculi perturbatione & colicis doloribus ruere ſenſit, quem dolorem adhùc ambulans quatuordecim dies ſuſtinuit, poſteà ineffabilibus lancinantibus & pulſantibus circa umbilicum, à materia bilioſâ & acido-corroſiva in plexibus nervoſis coli inteſtini contenta, & impacta, fixis doloribus indufium circa locum affectum continuo motû concutientibus exortis, in lectum dejecta, & ſine omni interſtitiô ac induciis, per dies & noctes, ſomnô totaliter deſtituta, uſque ad Feſtum Divi Michaëlis cruciata fuit; In quô tempore, ob ventriculi conſenſum omnis appetitus ad cibum proſtratus, cibuſque ac potus ſtatim cum inſequente Cardialgia, rejectus fuit. Præter hæc, in ſiniſtrô latere circa regionem lienis tenſio & inflatio dolorifica exorta eſt; quam uteri murmura, doloreſque ſyncoptici, ſubitaneam mortem ſæpiùs minitantes, exceperunt. Febris inſuper intermittens putrida, octo vel novem ſeptimanas durans, cujus paroxyſmi ſingulis noctibus præcisè circa horam decimam tumultuarunt, acceſſit quæ tota alterâ die uſque ad horam ſextam veſpertinam perduravit, ac Patienti, concurrentibus præfatis continuis doloribus colicis convulſivis & ſpaſmodicis, omnes vires, ipſamque carnem exuit. Et quia ſuſpicabatur, quòd forſan menſium defectus etiam aliquid ad hujus mali complicati atrociam contribuere poſſet, circa Feſtum Michaëlis ambæ venæ ſaphenæ in pedibus ſectæ, & apertæ ſunt, poſtquam venæ ſectionem totâ die ob Mariti abitum & peregrinationem mœſta ac puſillanimis, ſine omni cibô ac potû decubuit, tandemque languida obdormivit; poſt ſomnum expergefactata, horrendâ Arthritide, omnes artus & membra, brachia, manus & pedes cum incredibilibus doloribus infeſtante, correpta fuit, nec ullum membrum ſine adſtantium adminiculô movere potuit, ſed à Filiola cibata, quaſi ſtatua in lectô decubuit; qui affectus ægrotam cum inſigni atrophiâ corporis, ab uſque Cineralium vernale tempus inſequentis anni cruciavit, adeòque defatigavit, ut in die Palmarum manum adhùc nec capiti admovere, nec brachia ſurſum attollere, nec lorum nectere vel ligare potuerit. Totô decubitûs tempore alvus pigerrima fuit, quæ ſæpiùs & multoties remediis proritari neceſſe habuit. Elapsô hôc tempore, vires per Dei gratiam quodammodo incrementum ſumſerunt, illaque è lectô ſola ſurgere, ambulare, ac munia œconomica ſucceſſive obire cœpit, appetitus ad Cibum cum ſomno naturali rediit; In exteriori manuum adhùc infirmarum mediâ ſuperficie tumor valdè ſenſibilis, tactumque ægrè admittens ſe prodidit, qui procedente tempore ganglii inſtar induruit, & hactenùs cauſa fuit, quominus tres poſteriores digitos rectè, ſine cæterorum digitorum juvamine aperire atque extendere potuerit; Proximè præteritis diebus Pentecoſtalibus (licèt de cætero œconomia Microcoſmica rursùs naturaliter conſtituta ſit) manus & brachia adhùcdùm debilia identidem dolores periodicos ſenſerunt, quapropter ad plenariam, Deô Duce, recuperandam bonam valetdinem, aquarum mineralium Krumbacenſium uſum præmeditatô conſiliô elegit.

Periculoſiſſimi hujus affectûs, (qui multis experientiſſimis Medicis deploratus & deſperatus videbatur) ingruentiumque ſymptomatum curationem quod attinet.

1. Colicæ ſtatim ab initiô ſequenti potiuncula pro duabus vicibus ad dimidiam partem ſumenda, ſubventum eſt. ℞. Croc. Or. ℥ß. Macis ℈j. Tripher. magn. ℥ß. Vini Malvat. ℥ij. M. f. potio pro duabus doſibus; quâ potiunculâ ſumtâ melius quidem habuit, ſed poſtliminio præfatus dolor recruduit, quem repetita hæc potiuncula non adimebat, quapropter illum ſeqq. Clyſteribus refrenare moliebatur, ℞. Herb. 5. emoll. ãã. Mß. Rad. alth. lil. alb. ãã ʒj. ſem. lini. fœnugr. ãã. ℥ß. M. f. decoct. cum brod. carn. ℔j. Colatur. ℞. ℥vj. in quâ diſſolv. Elect. Lenitiv. Florenz. Diacathol. ãã. ʒvj. Mell. roſ. Col. ℥j. Ol. lini ℥ij. vitell. ovor. Numer. 2. f. Clyſter, qui applicatus ad affectum locum primâ vice cum levamine aſcendit, ſed poſteriores omnes ex brodiô Carnis & lacte vaccinô cum floribus chamomillæ alteratô, & cum oleô lini ac vitellis ovor. permixtô, nec non purô oleô lini vitelliſque ovorum conficiebantur, doloris punctum non attigerunt, ſed ſine omni auxiliô & ſolatiô, effluxerunt. Præter clyſteres, ad expellendam cauſam morbi atque materiam peccantem, ſyrupô de Cichoriô cum rhabarbarô & diaſereos Andernaci, cum permixtô pulvere radicum Jalappæ uſa eſt, qui autem præter conſuetudinem nullum effectum monſtravit. Hinc per ſeq. potiunculam ſæpiùs conſolata, alvuſque ſubducta fuit. ℞. Fol. ſen. el. ſ. ſt. ʒjj. Rhabarb. ver. Crem. Tartar. ãã. ʒß. Aq. Ceraſ. nigr. ℥iij. M. f. lenis ebullitio, in Colatur. diſſolv. Mann. Calabr. elect. ℥jß. M. f. potio. Ad fortiora purgantia, nè malum, (ut multi Medici adhortantur) exacerbaretur, progredi inconſultum duxi, ſed firmiter credo, ut infrà patebit, ſi materiam illam bilioſam & acido-vitriolatam ſtatim in morbi principio, antequam ſeſe nervoſis plexibus inteſtinorum tam firmiter inſinuaſſet, aggreſſus fuiſſem, quòd malum nunquam ad talem ferociam degeneraſſet. Ex conſilio celeberrimi cujuſdam Medici, ad acidum hocce vitriolatum & corroſivum eradicandum tali tincturâ (aliàs proficuâ) uſa eſt. ℞. ſpirit. ſalis Armoniaci Chalybeat. ℥ß. flaved Cortic. arantior. minutiſſ. conciſor. ʒij. fiunt infuſa per aliquot horas, poſteà fortiter exprimantur, cui expreſſioni add. Eſſent. arantior. ʒj. M. D. ad. vitr. cujus guttæ ſex unâ vice in aquâ carminativâ ſumantur, ex cujus uſû malum è veſtigiô exaſperatum fuit, ità ùt Patiens hôcce remediô ampliùs uti noluerit; Et poſtmodùm experientia docuit, quòd omnia ſpirituoſa atque volatilia hoſce dolores colicos auxerint, proindè ab his omnibus totaliter abſtinere coacta fuit. Nec Electuaria anodyna ac opiata conduxerunt, ſed malum potiùs aggravarunt. Oleum quoque amygdal. dulcium necnon ol. olivar. & lini aliquotiès, ſed ſine ſingulari fructû, bibit. Ad atrociſſimos hoſce dolores compeſcendos nullum remedium, majus ſolatium attulit, quàm pilulæ Theriacæ cœleſtis, & Pulvis lapidis Bezoardici Orientalis, quarum pilularum una vice grana quatuor, & Pulveris lapid. Bezoard. Or. grana quinque in vinô malvaticô ſumſit, ac per aliquod temporis ſpatium aliquale levamen ſenſit, atque quievit. Externè inſeſſus ac balnea, herbis, floribus, radicibus & ſeminibus emollientibus ac anodynis impræegnata, necnon diverſos ſacculos, furfuribus, ſemine Carvi, & ſale toſtô

tô impletos ventrique impoſitos, quin etiam veſicam bubulam lacte, herbis, floribus, & ſeminibus alteratô repletam & applicatam, ut & olea, emplaſtra, & unguenta lenientia, ſed omnia ſine ſingulari commodo uſurpavit.

II. Ad Cardialgiam auferendam, ſtomachumque roborandum, Electuarium ex Conſerva menthæ, Elect. diacydon. ſimpl. Theriac. Androm. & Philon. Roman. cum ſyrup. papav. err. invicem mixtis, It. Elix. Propriet. Paracelſ. & Trageæ ex Cinnam. Nuc. Moſch. Macere, Caryophill. Corall. rubr. præp. C.C. præp. Ocul. Cancr. præp. & ſaccharô propinata ſunt, quæ tamen, (exceptis Trageis) ferre non potuit; Pilulas Theriacæ Cœleſtis, ac vinum Hiſpanicum & Malvaticum, cochleatim ſumptum, non ſine levamine & refectione virium toleravit. Externè emplaſtrum ſtomachicum de cruſtâ panis & de Tacamahaca, cum ol. Maſtich. & Cydon. malaxatum, item cataplaſmata ex tritis cruſtis mellitis, aromatibus mixtis, vinôque Hiſpanicô ad formam pulmenti coctis, adhibita, regioque ventriculi oleô, nuciſtæ inuncta, pulvilliſque calidis ſemper munita fuit.

III. Contra hypochondrii inflationem & dolores punctorios in ſiniſtrô latere ſub coſtis ſpuriis circa regionem lienis, Patiens internè Cremore Tartari, cum oculis Cancr. permixtô; externè, inunctione cum ol. chamomill. & de Capparibus, necnon Emplaſtrô de melilotô ceratô de ammoniaco permixtô, oleôque de Capparib. malaxato, uſa eſt.

IV. Uteri vaporibus tetris & malignis cor caputque petentibus, animique crebriora deliquia invehentibus, internè aquis cordialibus & hyſtericis ac Tinctura Bezoard. Michaëlis, (quam ferre non potuit,) imprimis v. pillulis Theriacalibus cœleſtibus, externè v. aq. odorif. Reginæ Hungariæ (*Eau de la Reyne d'Hongrie*,) quæ illam optimè refecit, ſubventum eſt.

V. Febris ſeqq. pulveribus antifebrili & Bezoardico, alternatim ſumtis, felici ſucceſſû expugnata fuit. ℞. CC. Philoſ. præp. Corall. rubr. præp. Ocul. Cancr. præp. Eboris ſine Igne Calcinat. Magiſt. Saturn. ãã. ʒjß. M. f. pulvis de quô ante horam paroxyſmi ʒß. in aq. Cordiali ſumatur. Pulvis verò Bezoardicus compoſitus fuit talis. ℞. Gelatin. C. C. ʒj. Ebor. rec. in Alcohol. redact. ʒjß. Matr. perlar. præp. ʒß. Ocul. Cancr. præp. ʒj. Lap. Chryſol. præp. ℈ij. Lap. Bezoard. Or. ℈j. ſpec. diamargarit. frig. ʒjß. Sal. Corall. ℈ß. M. f. pulv. priori modo utendus.

VI. Ad Arthritidem, (poſt tuſionem venarum ſaphenarum, materiâ videlicèt peccante ſale volatili ſcorbuticô imbutâ, & cum ſanguine à centrô ad peripheriam parteſque externas propulſatâ, orbatam) exterminandam, internè, manè drachmam unam, & veſperi circa horam quartam drachmam dimidiam, de ſeq. pulvere cum aq. ſerpilli lumbricatâ ſumſit. ℞. Lumbric. terr. præp. ℥ß. C. C. Philoſ. præp. Ungul. alcis præp. ãã. ʒj. ſem. aquileg. ʒj. Ol. nuc. moſch. expr. gr. iiij. ſacch. finiſſ. ℥jß. M. f. pulv. ſubtil. Externè, pedes, manus & brachia axungiâ humanâ, Unguentis anodynis, Cataplaſmatibus, Oleo, Chamomill. lumbric. ac anethi invicem mixtis ſpiritû lumbricorum &c. inuncta, & continuâ impoſitione ſacculorum furfuribus calidis repletorum mitigata fuêre, à quibus remediis dicta incommoda omnia in meliorem ſtatum redacta fuerunt.

Quia verò adhucdùm cibos, præſertim verò carnes averſabatur & abhorrebat, ac continua nauſea cum propenſione ad vomitum ægram torquebat, alvuſque naturale ſuum officium facere recuſabat, ſtomachuſque continuè dolebat, ac proinde materiam vitioſam, putrilaginoſam & corruptam plicis ventriculi tenaciter impactam eſſe non ſine ratione ſuſpicabatur, Patiens diſtinctis vicibus ac temporibus ſyrupi Emetici ℥j. hauſit, & materiam ſpumoſam, viſcidam, biloſam, & porraceam, optimô cum ſucceſſû & levamine, copioſiſſimè evomuit.

Tandem, ſeq. ſacculum laxativum quinque vini quartariis immerſit, ac quotidie manè jejunô ſtomachô dimidium quartarium bibit. ℞. Herb. abſynth. Card. Bened. Centaur. min. agrimon. ſcolopendr. Capill. Ven. Chamædr. fumar. ãã. p. j. Rad. 5. aperient. maj. ãã. ʒj. helleb. nigr. præp. Calam. aromat. Caryophillat. ãã. ʒij. Cortic. tamariſc. Cappar. ãã. ʒij. Rhabarb. ver. ʒiij. fol. ſen. cl. ſ. St. ℥j. jalapp. Turpeth. opt. Agar. troch. polypod. quern. ã ʒij. cinnam. ʒj. Maciſ. ℈j. Crem. Tart. ʒij. Chalyb. C. ſulph. præp. & in petia ligat. ℥j. M. & Conciſ. f. cum ſyndone alb. nodulus. Quod vinum medicatum optimè conduxit, appetitus cum ſomnô naturali anteà per multas ſeptimanas interruptô, rediit, alvus naturaliter reſpondit, corpus quotidie cum viribus incrementum ſumſit, & ſic per *Dei* gratiam præter cunctorum ſpem ac expectationem convaluit. Toto decubitûs tempore hypocauſtum fuit tolerabiliter calidum, cibi facilis concoctionis & confortantes, ſed & ob nauſeam pauci; Potus, decoctum C. C. hordei, prunor. & paſſular. minor. cum ſem. anis. & fœnic. ut & vinum album Necarinum, quod ferre potuit, ac ab illô, (quia cibos ſumere non poterat,) vires recepit & conſervavit. Balneum Krumbacenſe, quô jam utitur, ex votô proficit, ità ut jam ſtabilis futuræ ſanitatis nullum dubium exiſtat.

Ibidem Obſerv. 165. *De Tumore ſiniſtri brachii circa ulnam ingenti & horrendô, ab infelici venæſectione obortô, lethalem hæmorrhagiam & gangrænam minitante, ex votô curatô.*

Ibidem Obſerv. 166. *De Convulſionibus Epilepticis per uſum Acidularum & excretionem animalculi curatis.*

Ibidem Decur. 3. *Anno* 1. *Obſervatio* 79. *De Deglutitione à fumô Nicotianæ læſâ.*

Ibidem Obſervatio 80. *De Brachiô ſiniſtrô ab infelici venæſectione ac ſimul arteriæ læſione horrendè intumefactô, feliciter curatô.*

Ibidem Annô 2. *Obſerv.* 142. *De Febre tertiana ſpuria convulſiva, cæcitatem invehente.*

Ibidem Obſervatio 143. *De Abſceſſû fiſtuloſô in abdomine.*

Ibidem Obſervatio 144. *De Milite, à Dæmoniô nocturnô, divexatô.*

Ibidem Obſerv. 145. *De Micâ clavi rotarii ſiniſtrô oculô infixâ, poſt quatuor demùm menſes exterſâ.*

Ibidem Annô 3. *Obſerv.* 53. *De Colicâ ſpaſmodicâ, cum inſequente arthritide vaga, quatuor homines unô eôdemque modô & tempore invadente, omnibus, exceptô unicô, exitiali.*

Ibidem Obſerv. 54. *De Rebus alienis per urinam, mediante faſcinô, è corporis excretis.*

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 30. *De vini acidi per acetum Litargyri, cum maximô bibentium damnô dulcificatione.*

Ibidem Annô 5. & 6. *Obſervatio* 37. *De ſpaſmô ſectioni herniæ ſuperveniente lethali.*

Ibidem Obſervatio 38. *De ſpaſmô incipiente poſt ſectionem herniæ curatô.*

Ibidem

Ibidem Obſervatio 132. *De ruptione & dilaceratione venarum cervicis uteri, & colli veſicæ, ex caſu.*

ANnô 1697. Menſe Februario, Eva Lindin, Ephippiarii filia, Giengenſis, in hypocauſtô improvidè obambulans; totô dextrô pede, uſque ad inguen, per quadratum ſoli foramen, per quod textores panos in tetrinam ſubterraneam dimittere ſolent, decidit, ubi per ſubitaneam, ac violentam divaricationem & expanſionem crurum, venas colli uteri diſrupit, & ſimùl collum veſicæ dilaceravit, quam læſionem ſtatim uberrima hæmorrhagia ſecuta eſt, quæ tibialia ſanguine implevit, & ſolum hypocauſti copioſiſſimô ſanguine conſpurcavit. Hanc hæmorrhagiam ingens dolor, cum pudendorum tumore & inflammatione inſecutus eſt, qui unguentô ex ſambucô, floribus calendulæ, & butyrô paratô oblinitus fuit. Hinc patiens dolorem quidem tolerare potuit, ſed non ſine dolore urinam, cum ſedimentô craſſô ac copioſô pure permixtam, reddidit. Poſteà verò urinæ incontinentiâ laboravit, quæ identidem præter voluntatem effluxit.

Quòd ergò hic affectus à dictô caſû pervenerit, venæque cervicis uteri ruptæ, & collum veſicæ læſum ac dilaceratum fuerit, idipſum fuſiſſima ſtatim poſt caſum inſecuta hæmorrhagia, dolorifica item urinæ effluxio, ac materia purulenta urinæ permixta & excreta, ſatis ſuperque teſtantur. Et quia ſtatim in principiô cura legitima neglecta, parteſque læſæ & exulceratæ, medicamentis lenientibus, mundificantibus, ſiccantibus & conſolidantibus tractatæ non fuerunt, materia hæc purulenta inſignem acredinem nacta eſt, vicinaſque partes, ac muſculum ſphincterem veſicæ, ejuſdemque nervum inſertum corrodendo in tantùm læſit & exedit, ùt muſculus colli veſicæ ſe non ampliùs contrahere, veſicam claudere, ac urinam retinere potuerit, ex quâ causâ urinæ incontinentia ſecuta eſt, quæ exulceratio poſteà in ulcus ſordidum ac cacoëthes, cum affluxû variorum, acrium, impurorum ac ſordidorum humorum, conſolidationem impedientium degeneravit.

Et licèt curatio hujus mali dubia & difficilis ſit, ea tamen per ſequentia remedia tali modô tentari poterit, ùt 1. Corpus præparetur, & pravi ac vitioſi humores expurgentur. 2. Partes exulceratæ mundificentur. 3. Eædemque per fomenta, inſeſſus & medicamenta adſtringentia, ſiccantia, epulotica, ac cicatrizantia conſolidentur, & 4. bona ac conveniens Diæta obſervetur.

In quem finem ſequentia remedia à me præſcripta fuerunt.

Et quidem 1. ad vitioſorum humorum expurgationem. ℞. Raſur. lign. Guajac. ℥iiij. ſaſſafr. ʒvj. Rad. ſarſæparill. ℥jß. Chinæ ℥j. Macerentur per noctem calidè in aq. pur. ℔v. dein in vaſe clauſô ſ. a. coquantur: add. Rad. polypod. qu. ℥jß. Turbith. gummos ʒv. Herb. ſanicul. pyrol. Veronic. Agrimon. ãã Mj. pulp. Colocynth. ʒj. Liquirit. raſ. ʒvj. M. F. Decoctio ad remanentiam ℔iij. d. Colatura ad vaſculum. De quô Decoctô manè jejunô ſtomachô, & meridie circa horam ſecundam ℥v. vel quartarium dimidium bibatur.

2. Pro mundificatione fiat injectio per ſyphonem. ℞. Aq. alumin. ſeu Mercurialis ℥iß. Plantag. ℥iij. Roſar. ℥j. Mell. Roſat. Colat. ℥j. Ung. Ægyptiac. ʒß. M. D. ad vitrum.

3. Pro ſiccatione & carnis generatione. ℞. plumbi uſti & loti, Pulv. teſtar. oſtreor. Calcinat. Rad. Irid. Florentin. ãã, ʒj. ung. diapompholyg. de tutiâ ãã. ʒvj. vel ℥j. M. D. ad fictile: Quod Unguentum, turundis illitum partibus læſis applicetur.

Pro fomentô, Cortices ligni quercini & radices conſolidæ majoris in aquâ fabrorum, in quâ candentia ferramenta extinguuntur, coquantur, ac ille vapor decocti in vaſe aptô excepti, cui patiens inſideat, divaricatis cruribus, pudendis excipiatur, ſæpiùſque repetatur.

Hinc ℞. Fol. Betonic. Agrimon. ſalv. Lauri, Roriſmarin. Myrt. Puleg. Origan. Flor. Stœchad. Arab. balauſt. ãã. M. j. Rad. conſolid. maj. ℥iij. biſtort. tormentill. ariſtol. long. ãã. ℥ß. alumin. roch. ℥ij, M. & conciſ. d. ad chartam. Coquantur in aqua fabrorum modò dicta pro inſeſſû, ſæpiùs ac multotiès repetendo.

4. Quod Diætam concernit, Aër ſit temperatus, cibi euchymi & laudabiles, bonum ſuccum ac ſanguinem generantes, ut juſcula carnium, ptiſana hordeacea, pruna, pulmenta ex ovis parata, mala elixa &c. è contra cruda, coctû difficilia, acria, ſalſa, fumô indurata &c. vitentur.

Pro potû ordinariô confert tale decoctum. ℞. ſcob. lig. Saſſafr. Guajac. ãã. ℥ß. Rad. Chin. ʒij. Conſolid. Maj. ℥ß. herb. agrimon. M. j. ſanicul. Alchymill. ã. p. j. liquirit. ℥j. paſſul. min. ℥jß. ſem. anis. fœnic. ãã. ʒß. Miſceantur & coquantur omnia cum duabus menſuris aquæ fontanæ ad tertias. De ceterô quies procuretur ac patiens in lectô decumbat; alvus ſit aperta; ac fortiores animi commotiones refrenentur.

Quibus dictis adhibitis remediis patiens meliùs habuit, ac urinam retinere potuit.

Ibidem Annô 7. *&* 8. *Obſervatio* 192. *De ulcere inguinis ſiniſtri fiſtuloſô, ex quô vermes prodierunt.*

Ibidem Obſervatio 193. *De Febre malignâ petechiali, ab olfactis floribus, quibus cadaver puerili, febre acutâ defuncti ornatum erat, proveniente.*

Ibidem Annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 74. *Inhabitatione Conclavis nuperrimè extructi & contramerati, ac Calce noviter illiti, mala ac periculoſiſſima ſymptomata excitata.*

Ibidem Obſerv. 75. *De Milite, ex improviſô Convulſionibus epilepticis ſine manifeſtâ cauſâ tentatô, ac ſpatiô aliquot horarum trucidatô.*

GOCKELIUS (*Joh. Georgius*,)

De eô extat in Append. A. V. *Dec.* 2. *Miſcell. Curioſ.*

Joh. Georgii Gôckelii, Medici Ulmenſis Senioris, atque Decani, jam octuagenarii, Epiſtola de Mirabilibus quorundam Animalium, 1687.

GOCLENIUS (*Rudolphus*) Marpurgenſis.

Ex eô habentur

De Peſtis, Febriſque peſtilentialis cauſis, ſubjecto, differentiis, & ſignis, Liber. Marpurgi, apud Rudolphum Hutwalcker, 1607. in 8.

Loimographia. In qua graves quædam arduæque Quæſtiones, Medicorum quorumdam ignorantiam & errorem in curandâ peſte detegentes explicantur: ſymptomata omnia, quæ Peſte laborantes inquietare ſolent, enumerantur: Contagionis quoque natura & cauſæ eruuntur, & quid in ſpecie in Peſte Marpurgenſi annô 1611. evenerit, paſſim inſeritur. Francofurti, apud Petrum Muſculum & Robertum Piſtorium, 1613. in 8.

De Vitâ prorogandâ, Tractatus. Francof. apud Meullium, 1608. Moguntiæ, 1608. in 8.

Phyſicæ Generalis Libri duo. Francof. 1613. in 8.

Tractatus Phyſicus & Medicus, de Sanorum Diætâ, ſeu, de ſeptem Rebus Non-naturalibus. Aëre: Cibo & Potû; Somnô & Vigiliâ: Motû & Quiete: Perturbationibus: Excretis & Retentis: cum Appendice præcipuorum corporis humani Morborum & ſymptomatum. Adjunctâ Methodô generali, & compendiariâ, &c. Alphonſi Bertotii, & Johan. Cratonis de Krafftheim, &c. Francof. apud Joh. Carol. Unckelium, 1621. in 8. apud Chriſtianum Sigifridum, 1645. in 8.

Chiromantica & Phyſiognomica ſpecialis cum Experimentis memorabilibus. Marpurgi, 1621. in 8. Hamburgi, 1661. in 8.

Uranoſcopia. II. Chinoſcopia. III. Metopoſcopia, & IV. Ophthalmoſcopia. Francofurti, 1608. in 12.

Enchiridion Remediorum facilè parabilium olim per Q. Apollinarem vernaculâ linguâ conſcriptum, nunc è Germanicô in Latinum ſermonem verſum. Francofurti, apud Guilielmum Hoffmannum, 1610. in 8.

Phyſiologia Crepitûs ventris, & Riſûs, cum Ritû Depoſitionis Scholaſticæ Friderici Widebrandi & Oratione M. Johan. Dinkelii de Origine, de Cauſis, Typô, & Ceremoniis illius Ritus, qui vulgô in ſcholis Depoſitio appellatur. Additô Judiciô Rev. D. Doct. Martini Lutheri, de hôc Ritû. Francofurti, apud Palthenium, 1607. in 8.

Tractatus de Magneticâ curatione Vulneris citra ullam & ſuperſtitionem & dolorem & remedii applicationem; orationis formâ conſcriptus, à priori tum ob rerum & cauſarum, tum exemplorum etiam augmentum longè diverſus. Acceſſerunt enim antiquiſſimorum Sophorum, Rhagaëlis, Thetelis, Chaëlis, Solomonis & Hermetis Periapta & ſignaturæ, quibus, quouſque & quantùm ſit habenda fides, ſimùl indicatur. Marpurgi, apud Rud. Hutwalckerum, 1608. in 8. 1609. in 12. Francof. apud Johan. Saurium, 1613. in 12. Acceſſit in fine Oratio de Luxurioſis & Portentoſis. Idem Tractatus, ſine Oratione de Luxurioſis & Portentoſis extat etiam cum Theatrô Sympatheticô auctô, exhibente varios authores de pulvere ſympatheticô & unguentô Armariô. Norimbergæ ap. Johan. Andr. Endterum, & Wolffgang. Jun. Hæredes, 1662. in 4. Extat etiam cum Longini Cæſaris Trinô Magicô ſive Secretorum Magicorum opere. Francof. 1673. in 12.

Synarthroſis Magnetica, oppoſita infauſtæ Anatomiæ Johannis Roberti, Jeſuitæ, pro defenſione Tractatûs de Magneticâ Vulnerum curatione. Marpurgi, apud Johan. Saurium, 1617. in 8. Extat etiam cum Theatrô Sympatheticô auctô. Norimbergæ, apud Johan. Andr. Endterum & Wolffgang. Jun. Hæredes, 1662. in 4.

Adverſaria ad Exotericas aliquot Julii Cæſaris Scaligeri Exercitationes. Marpurgi, apud Paulum Egenolphum, 1594. in 8.

Ψυχολογία, hoc eſt, de Hominis perfectione, Animâ, & imprimis Ortû hujus, Commentationes ac Diſputationes quorumdam Clariſſimorum Virorum, correctæ & auctæ. Marpurgi, apud Paulum Egenolphum, 1597. in 8.

Tractatus de Portentoſis, Luxurioſis, & Monſtroſis noſtri ſæculi Conviviis, eorumque artificibus, Auctoribus, origine & aſſeclis. Acceſſit in fine Quæſtio; An ſympoſia homini Chriſtiano ſint fugienda, liceatque huic cum impiis convivari. Marpurgi, apud Hutwalckerum, 1609. in 12.

Aſſertio Medicinæ univerſalis, adverſus univerſalem vulgò jactatam. Francof. apud Johan. Carol. Unckel, 1620. in 4.

Mirabilium Naturæ, Liber, concordantias & repugnantias rerum in Plantis, Animalibus, Animaliumque Morbis & partibus manifeſtans. Adjecta eſt in fine brevis & nova defenſio Magneticæ Curationis Vulnerum ex ſolidis principiis. Francof. 1625. in 8. apud Joh. Davidem Zunnerum, 1643. in 8.

Auguſtini Niphi Philothei, de Angujus Libr. II. edidit. Marpurgi, apud Paulum Egenolphum, 1614. in 4.

Acroteleution Aſtrologicum. Marpurgi, 1618. 4.

GOEBELIUS (*Severinus*)

De eô extant

De Succinô, Libri duo, cum Conradi Geſneri de Bitumine, & cognatis ei, Napthâ (id eſt, vulgi petroleo) Piſaſphaltô & Electrô Corollario. Extant cum Libris de omni rerum foſſilium genere, &c. Tiguri, apud Jacobum Geſnerum, 1565. in 8.

GOECENUS (*Georgius*)

Ex eô habetur

Carmen Elegiacum de Metallis feliciter provenientibus in Territoriô circa Thermas Carolinas poſitô, ut & de ipſis Thermis, earumdemque cauſis & utilitatibus. Extat cum Wenceslai Payeri de Cubitô Tractatû, de Thermis Carolinis à Michaële Reudeniô cum Epiſtolis Clariſſimorum quorumdam Medicorum editô. Lipſiæ, apud Thomam Schurerum, 1614. in 8.

GOEDARTIUS (*Johannes*)

De eô extant

Metamorphoſeos & Hiſtoriæ Naturalis Inſectorum Partes tres, auctæ Obſervationibus & Appendicibus Johannis de Mey. Cum Figuris æneis. In Tribus Voluminibus. Medioburgi, 1668. in 8.

De Inſectis Tractatus in Methodum redactus & cum Notulis editus à Martinô Liſterô. Londini, apud Smith, 1685. in 4.

GOELICKE (*Andr. Ottomar.*) Medicus Germanus longè Celeberrimus, primò in Friederic. Regiâ, deinde in Teutoburgenſi Civiæ, nunc verò in Almâ Viadrinâ P. P. Ordin.

De eô habentur in Actis Lipſienſ. Ann. 1713. *p.* 358.

Hiſtoria Anatomiæ nova æquè ac antiqua. Halæ Magdeb. ex officinâ Rengerianâ, 1713. 8.

QUanquam res difficultatibus pleniſſima ſit, Hiſtoriam Literariam adornare, & juſta de ſcriptoribus, eorumdemque moribus & operibus ferre judicia; cùm alii, vel promiſcuè & ſine diſcrimine omnia approbare, vel omnia temerè alii rejicere ſoleant; Autor tamen Clariſſ. qui, ſicuti adulandi artem nunquam vel didicit, vel diſcere voluit, ità è contrariô libertatem ſentiendi tanquam bonum inæſtimabile ſemper magni æſtimavit, prout in tractatûs hujus præfatione loquitur, à propoſitô ſemel cœptô deterreri ſe paſſus non eſt, vel animum timidè deſpondit. Poſtquam enim obſervaret, multos egregios viros certatim hactenùs in excolendâ Hiſtoriâ Literariâ variæ & omni genæ eruditionis laboráſſe, idem

idem in Medicinâ conari operæ pretiū duxit. Totius igitùr Medicinæ & omnium ejus partium accuratam Hiſtoriam tam antiquam, quàm recentiorem pandere, & quidem non ſolummodò ſcriptorum vitas & ſcripta, prout ſerie naturali temporis occurrunt, ſed & potiora illorum inventa, ſingulares item hypotheſes, controverſias & alias memorabiles hùc pertinentes circumſtantias ordine recenſere in ſe ſuſcepit. Placuit autem eidem ab Hiſtoriâ Anatomiæ, tanquam fundamentô totius Artis Medicæ, initium facere, quam brevi Hiſtoria Chirurgiæ, & ſuô tempore Pharmaciæ, Botanices, &c. excipiet. Quibus ità expeditis ad pandendam totius Artis Hiſtoriam ſe accinget. Ad quos labores exantlandos ut Deus T. O. M. proſperam ei valetudinem otiumque ſufficiens largiatur, omnes boni nobiſcum precantur. In hoc tractatû, quem jam ſiſtimus, Hippocratem Coum, tanquam vetuſtiſſimum, uti totiûs Medicinæ, ità potiſſimùm Anatomiæ, ſcriptorem, præ reliquis in ſcenam producit; quamvis negandum non eſſe doceat, etiam ante ipſum extitiſſe quoſdam, qui Anatomiam excoluerunt, etiamſi non libros argumenti Anatomici conſignârint. Hippocratis interim Anatomica partim cruda eſſe, ac rudia, partim falſa, aliena & confuſa, partim verò titulos libris præfixos argumento in illis tractato rariſſimè, imò vix ac ne vix, quidem, reſpondere obſervat, laudat verò ejus de ſtructurâ & ſubſtantiâ cordis muſculoſâ, de cerebri glandulis & de texturâ renum glanduloſâ ſententiam. Ab Hippocrate progreditur ad Democritum, inde ad Ariſtotelem, Ruffum Epheſium, Galenum, & ſic ad alios ad noſtra uſque tempora Anatomicos, Appendicis locô ſubjungit huic Hiſtoriæ Aantomicæ Clariſſ. Goëlicke decadem Obſervationum Phyſico-Anatomico-Chirurgicarum, quarum I. de Sarcomate penſili ſex librarum ex claviculâ ſiniſtrâ ad inguinâ uſque propendente, II. de Anatome pueri $2\frac{1}{2}$ annorum, macie penitùs conſumti ob glandulam meſenterii centralem ſteutomatoſam, III. de Hepate Inſolitæ magnitudinis, extremæ maciei cauſa in puellâ 7. annorum, Anatomiæ ſubjecta, IV. de Agnô Monſtroſô in viciniâ natô, V. de miris convulſionibus, mulierem pauperculam ultra biennium exagitantibus, VI. de Cancrô labii inferioris ex imprudenti uſû corroſivorum, aliiſque funeſtis effectibus ex inflammatione partium delicatiorum, VII. de puellâ abſceſſum abdominis paſſa ex abuſû fortiorum pellentium in menſium ſuppreſſione, VIII. de halitû tetrô, dulci veluti ac nauſeabundo, mulieri ex naribus exhalante, certiſſimô menſium inſtantium indiciô, IX. de novô Inſtrumentô uterinô, quod aliàs peſſulum vocant, in prolapſû uteri cum ſucceſſû adhibendo, X. de prolapſû uteri ſpuriô ex elevatione magni ponderis in puerperâ agit.

Ibidem Annô eôd. p. 510.

Hiſtoria Chirurgiæ Antiqua. Halæ Magdeburgicæ, in Officinâ Rengerianâ, 1713. 8.

INduſtriam, quam in Condendâ Medicinæ Hiſt. haud ità pridem collocare cœpit Cl. Goëlicke, ſtrenuè continuaturus ad Chirurgiæ hiſtoriam exponendam ſe nunc confert, poſtquam in præfatione vulgi judicia ſpreverat, ſciolorumque calumnias, quas Hiſtoriæ Anatomiæ occaſione in eum evomuerunt, removerat, ſuumque conatum ſtudioſos Chirurgiæ in Anatomicis & Chirurgicis inſtruendi ab omni ignominiâ vindicaverat. Placuit autem ipſi univerſam Chirurgices hiſtoriam duabus diſtinctis partibus comprehendere, in quarum priore Scriptores antiqui à primis artis naturalibus ad ſeculum uſque decimum quintum (rectiùs decimum ſextum dicendum) incluſivè, poſteriore verò recentiores exhibentur. In hâc Hiſtoriâ Chirurgiæ antiquæ, quam jam commendamus, expoſita, quam externa hæc Medicina præ interna habet, ex ipſiûs antiquitate evidentia, efficaciâ, neceſſitate & prærogativâ, declaratâque variâ methodô, quâ hactenùs Scriptores Chirurgiam docuerunt, eandem tractandi rationem ſecutus eſt, quâ jam in Hiſtoriâ Anatomiæ uſus fuit. Promiſcuè enim & indifferenter recenſet omnes illos Scriptores, qui vel ſolam organicam vel una cum illâ etiam Pharmaceutico-Medicam Chirurgiæ partem vel artem obſtetriciam, vel vulnerum renuntiatoriam, vel coſmeticen, vel medicinam militarem, vel quicquid demùm hùc revocari poteſt; pro ingenii ſui modulo pertractârunt; & eô quidem ordine recenſet, ſicuti naturali temporis ſerie ipſi occurrerunt, ſemper tamen inter diverſas rationes neceſſarium ordinem obſervans. Exordium dicendi facit de Chirurgiâ Arabum atque Ægyptiorum, hinc, cùm præſertim omnis medendi peritia ad Græcos tranſierit, ad eorumdem Chirurgiam progreditur. Quod verò Hiſtoriam Scriptorum Chirurgicorum recentiorem ſeculi potiſſimum ſuperioris, & in quô nos vivimus, attinet; eam ſeorſim pertractare conſultiùs duxit, quia majorem materiæ molem hæc ſubminiſtrabit, quam omnia præcedentia ſecula ſimul ſumta.

Ibidem Annô 1714. *p.* 143.

Hiſtoria Chirurgiæ Recentior. Halæ Magdeburgicæ, in officinâ Rengerianâ, 1713. 8.

QUanquam Autor Clariſſ. partim negotiis, tam domeſticis, quàm publicis hactenùs diſtractus, partim itinere in Ducatum Cliviæ, quô ad ſuſcipiendam Artis Medicæ Profeſſionem in Academiâ Duisburgenſi à Sereniſſ. & Potentiſſ. Boruſſiæ Rege ire juſſus eſt, ſuſcepto, in laboribus ſuis admodùm fuerit præpeditus, promiſſô tamen ſuo ſtetit, atque nunc alterum Hiſtoriæ Chirurgicæ partem, recentiorem nempè, quâ ſcriptores præcipui, qui ſeculô proximè elapſô, & circa initium hujus, in quô per Dei gratiam verſamur, vixerunt, vel adhùc vivunt, ordine naturali recenſentur, publici juris fecit. Majore in hâc libertate propterea uſus eſt, ut in prooemiô fatetur, quia plerique ſcriptorum noviſſimorum noſtri temporis adhùc in vivis ſunt, & hinc, ſi quas conquerendi cauſas juſtas habeant, ipſum, ut actorum ſuorum rationes reddat, tantò meliùs compellere poſſunt, quò abſurdius plerumque eſt mortuorum famam vel ſcripta acerbiori ſtylô perſtringere, qui ſe defendere nequeunt. Antequam autem ſingulorum Chirurgorum ſcripta vel inventa recenſeat, meritò conqueritur, in plurimis Germaniæ provinciis Chirurgos, Anatomiam profundiſſimè ignorantes, ultra barbarum tonſuram vix ſapere, ejuſque rei cauſam eſſe putat, quòd Profeſſores ob ædificiorum publicorum defectum exercitiorum Anatomico-Chirurgicorum demonſtrationibus vacare nequeant, quibus tamen Belgium fœderatum, Anglia, Gallia, Italia, aliaque cultiora Europæ regna & regiones ſuperbiunt. Rem ipſam dum aggreditur, à ſcriptoribus Gallicis dicendi initium faciens, ad Italos, Hiſpanos, aliosque conterminos, & tandem ad Germanos progre-

progreditur; ità tamen, ùt etiam Anglis, Belgis, Suecis, & Danis ſuum, quem merentur, locum relinquat.

Ibidem Annô 1718. *p.* 181.

Hiſtoria Medicinæ Univerſalis. Francofurti ad Viadrum, apud Johan. Godofr. Conradi, 1717. 8.

EX quô Clariſſimus Gœlicke Hiſtoriam Anatomiæ & Chirurgiæ antiquam pariter ac novam feliciter abſolvit, Medicinæ Hiſtoriam Univerſalem pandere nunc aggreditur, cùm nulla gens tam barbara fuerit, quæ non ſive fortuitò in utilia quædam artis inventa inciderit, ſive prorsùs abſoluta quâdam neceſſitate coacta fuerit, ad medicinam vel inveniendam vel incrementa ejus quomodocunquè promovenda. Eum quidem ordinem ſervabit in hôc opere, ut quales quôlibet ſeculô Medici celebritatem quandam conſecuti ſint, qualia ſcripta ediderint, quæ nova inventa detexerint, quas novas hypotheſes effinxerint, vel quas novas ſectas ſtabiliverint, quas innovationes ſyſtema Medicum diverſis temporum intervallis paſſum fuerit, & quæ ſunt plura alia memoratû digna, ſimplici, & temporum maximè rationi accommodatâ methodô enarret, adjectis hinc indè obſervationibus criticis. In varios diſtribuet opus Tomos, in quorum primô quatuor diſtinctis periodis deſcribet univerſum Medicinæ ſtatum, qualis à conditô mundô, & primis artis originibus ad Hippocratis uſque tempora fuit, ità quidem ut primâ periodô univerſæ gentis Hebreæ res Medica declaretur; in ſecundâ Phœnicum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Indorum, ac præcipuè Ægyptiorum fragmenta exhibeantur; in tertiâ Græcorum, & quidem nimiæ prolixitatis vitandæ causâ, à temporibus Æſculapii ad bellum uſque Trojanum, & in quartâ ad tempora uſque magni Hippocratis univerſus Medicinæ ſtatus ſiſtatur. Impræſentiarum binæ priores ſaltem periodi exhibentur. Quamvis autem obſcuræ ſint primæ Medicinæ origines, nihilominùs tamen ſumma ſaluberrimæ medendi Artis neceſſitas dubitare non ſinit, quin à triſti primorum Parentum lapſû, ſua ſtatim ceperit primordia, ad poſteros propagata, & ipſius Philoſophiæ partem quandam conſtituerit, circa diætam potiſſimùm atque chirurgiam tantùm occupata. Medicinæ quidem inventio Deo eſt tribuenda, quod etiam Paganos non latuit, ſalvâ tamen hâc divinâ providentiâ aſſerere licet, multa remedia primis hominibus innotuiſſe, partim caſû & experientiâ, partim verò ratiocinatione. Ex Hebræis ergò, qui Philoſopho-Medici extiterunt, potiſſimi ſunt, Adamus, Noachus, ejuſque filii, Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Joſephus, Moyſes, Mirjam & Salomo. Poſt hujus autem tempora res Judæorum magis magiſque tam quoad politiam, quàm quoad ſapientiæ ſtudia in præceps ruere cœperunt, donec tandem captivitate Babylonica ſubſecuta penitùs extinguerentur. Promotus eſt ſcientiarum interitus, poſtquam more Ethnicorum in ſectas quoque abierunt Hebræorum Philoſophi, unde alii Phariſæi, alii Sadducæi, & alii deniquè Eſſæi vocati fuerunt; ab his ultimis nihilominùs Medicinæ ſtudium fuit excultum, ſecundum eminentiam, ea propter Therapeutæ dictis. In tantâ igitùr Reipublicæ, morum ſtudiorumque corruptione reſtauratore certè opus erat, qui fuit Meſſias, Salvator mundi, veruſque Medicus. Tantùm verò abeſt, ùt Judæi refractarii melliſluam ejus ſapientiam fuerint amplexi, ùt potiùs eadem obſtinatè repudiata ſuis tantum fabuloſis commentis ſeſe paſcerent, ridiculas traditiones ſectarentur, & Arti Medicæ ità incumberent, ùt præter ſuperſtitioſa amuleta, nominaque Angelorum illi præſidentium, vix ulla Medicinæ à Judæis excultæ reperiantur documenta. Poſt Hebræos nullus æquè populus antiquitatis famâ illuſtrior fuit, quàm Phœnices, Aſſyrii, Babylonii, atque Ægyptii, ad quos ab Hebræis non pauca doctrinæ ſemina propagata ſunt. Nec ulla gens eſt, quæ majori ſolertiâ ſtudium medicum excoluit, quàm iidem Ægyptii. Sacerdotes autem potiſſimùm erant, qui univerſam non ſolùm Philoſophiam profitebantur, ſed ipſam quoque Medicinam exercebant. Quapropter etiam victum, quô utebantur, tam ſtudioſè eligebant, ùt mentem puram ſanamque in corpore ſanô ſervantes, tam ſtudiô ſapientiæ invigilare, quàm Artis Jatricæ ſacra tractare poſſent. Phyſicam in ſpecie quod concernit, rectiùs ſenſére Ægyptii de quantitate lunæ ac terræ, illiuſque Eclypſibus, de principiis rerum, de mundi origine, interitû & figurâ, de ſtellarum ſubſtantiâ, & effectû, de immortalitate animæ; multa quoque præſtiterunt in reformandis lapidibus, imitandiſque per artificium gemmis naturalibus, & in cicurandis beſtiis; ut calices Alaſſontes, ipſô aurô pretioſiores, nunc taceamus. In Phyſiologiâ & Pathologiâ Medicâ laudabiles fuiſſe Ægyptiorum conatus, vel ex eô conſtat, quòd ipſi quoque Reges mortuorum corpora ad ſcrutandos morbos ſecuerint. Ceterùm ex quatuor elementis omnia animantium corpora conflata eſſe; maſculum in opere generationis habere ſe activè, fœmellam verò paſſivè; frequentiſſimam morborum cauſam in cibis, vel potiùs ciborum copiâ reſidere, crediderunt. Imò tota de annis climactericis doctrina illis in acceptum eſt referenda. Quæ verò de nervulô quôdam à corde ad digitum ſiniſtræ manûs minimô proximum, & de diviſione corporis humani in triginta ſex partes comminiſcuntur, ipſis tanquam primis Medicinæ inventoribus in primâ iſtâ artis infantiâ condonanda ſunt. Materiæ Medicæ ſedulam quoque eoſdem navâſſe operam, exindè colligere licet, quod Ægyptus variarum plantarum & ad Medicum & domeſticum uſum aptarum feraciſſima ſit, varia animalia ferat, quorum partes in uſum Medicum venerunt, terram alat, viribus medicamentoſis fœtam, nec mineralibus deſtituatur, e. g. ſale ammoniacô, nitrô, alumine, magnete, coralliis, ſuccinô, lapidumque pretioſorum fragmentis. Circa medendi rationem primi clyſmatum introduxerunt uſum, vomitoria, emplaſtra, cauteria admovebant, ſanguinem mittebant, per venas, arterias, cucurbitulas, imò variarum partium ſpecialium, v. g. aurium ſcarificationibus utebantur. Imò nec hoſpites eos in Chirurgiâ fuiſſe, inuſtiones docent, quas variis in partibus inſtituebant. Ipſam praxin Medicam magnâ non ſolùm dexteritate ſed & ſucceſſibus haud infelicibus exercuerunt. Singulorum enim morborum ſinguli conſtituebantur Medici; & artificiô vix à quôpiam imitabili mumias parabant. Atque hæc primaria veluti ſpecimina ſunt, in quibus univerſa Ægyptiorum Medicina conſiſtit. Primi verò ſtatores ac velut anteſignani, quorum imprimis induſtriâ atque ſolertiâ ſalutaris medendi ſcientia hæc cepit initia, & qualiacunque incrementa, fuerunt Hermes ſeu Mercurius, Bacchus, Aſſyriorum, Indiarum ac Lybiæ Rex, Hammon, Zoroaſter, Bactrianorum Rex, Oſiris atque Iſis antiquiſſimus Rex & Regina Ægyptiorum, Athoſtas,

tas, Seſorthus, Apollo, Aſclepius, ſeu Æſculapius, Prometheus, Necepſus, Petoſiris, & Jachenes. Sed ſaltus adhùc faciendus eſt ad Indias Orientales, ubi inprimis Sinenſium incolæ occurrunt, qui præter Philoſophiam naturalem ac moralem à *Confucio* acceptam, & in ipſâ Medicâ arte laudabiles fecêre progreſſus, quorum dogmata hùc ferè redeunt: vitam ac ſanitatem hominis conſiſtere in certa calidi innati & humidi primigenii contemperatione; humanum corpus in tres ventres dividi, intra quos tamen artus quoque comprehendebantur; ex incongrua qualitatũ conjunctione aut violentâ ſeparatione ſanitatem corporis primùm alterari, & languere, deinde diſſolvi, ac tandem prorſùs extingui. Pulſuum imprimis accuratiſſimi ſunt obſervatores Sinenſes, & miri artifices, quorum theoriæ totam quoque medendi rationem ſuperſtruunt, & propriè non morborum, ſed pulſuum curam habent, imò verò morbos per pulſus curant; ùt taceamus univerſam ſemioticam, tam diagnoſticam, quàm prognoſticam, in eâdem doctrinâ fundatam. Gaudent inſupèr opulentiſſimâ materiâ Medicâ ex quâ rhabarbarum & corticem Chinæ nominâſſe ſufficiat. Præ aliis remediorum formulis, potionibus, pilulis, atque pulveribus omnibus malis mederi conantur. In diætâ verò præſcribendâ accuratiſſimi ſunt. Tantorum beneficiorum primos veluti datores & inventores venerantur Imperatores ſuos Ciningo vel Xinnum, & Hoamti.

Ibidem Anni 1719. *p.* 228.

Hiſtoria Medicinæ univerſalis Periodus **III. & IV.** ***Francofurti ad Viadrum, apud Joh. Godofred. Conradi*, 1718. 8.**

DIſcuſſô duabus prioribus periodis univerſô Medicinæ ſtatû, qualis Hebræorum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Indorum, præcipuè Ægyptiorum, aliarumque antiquiorum gentium tempore fuit, nunc in Græcorum Rem Medicam ab Æſculapii temporibus ad Magnum uſque Hippocratem inquirit Clariſſimus Gœlicke. Quanquam autem, quæ de his temporibus recenſentur, multa obſcura, fabularumque nebulis obvoluta eſſe, ſponte fateatur, non tamen in dubium vocat, ſub fabuloſis hiſce narrationibus multa latere vera. In ſcenam igitur primùm producit *Melampum*, qui Paſtor, Augur, & Medicus fuit feliciſſimus, ùt in proverbium quondam abierit, rem uſque adeò difficilem eſſe, ùt ipſa Melampode indigere videatur. Lacte caprarum melampodiô veſcentium fœminas Argivas ab inſaniâ quâ in vaccas ſe transmutatas fingebant, liberavit, unde Καθάρτης vocatus fuit. Idque forſan primum actus purgatorii ſolenniter à Medicis inſtituti exemplum eſt. Sequitur *Chiron Centaurus*, qui & hominibus & brutis medelam attulit, magnamque rei herbariæ habuit notitiam, unde & eidem centaurium minus ſuum debet nomen. Non internos autem ſaltem morbos, ſed & potiſſimùm externos curare docuit, hinc ulcera penè incurabilia, Chironia dicta ſunt. In arte militari, cujus pariter peritiſſimus, non minùs ac in Medicinâ præter Æſculapium fortiſſimos atque celeberrimos ævi ſui Heroës, *Herculem* ſcilicèt, *Ariſtæum*, *Theſeum*, *Telamonem*, *Teucrum*, *Jaſonem*, *Peleum*, ejuſque filium *Achillem* liberaliter inſtruxit. *Hercules* quidem Ἀλεξίκακος & Σωτὴρ vocatus fuit, vel quòd morbos à mortalibus depulerit, vel quòd à diverſis monſtris terram liberaverit. *Ariſtæus*, Arcadiæ Rex, primus parandi olea, coagulandi lac, colligendi mel, aliaſque ad ſocietatis humanæ conſervationem apprimè utiles artes hominibus demonſtravit. A *Teucrô* herbam *teucrion*, ab *Achille achilleam* ſuam traxiſſe denominationem, probabile eſt. Ad Heroum horum tempora pertinet quoque *Palamedes*, qui diram peſtem, Helleſpontum, ipſamque Trojam mirè devaſtantem, à Caſtris Græcorum, quæ ante Trojana mœnia metati fuerant, ità avertit, ùt nemo eâdem invaderetur. Hic *Orpheus* nobis commemorandus venit, Magus, Aſtronomus, Muſicus, & Medicus, qui primus curioſiùs aliqua de herbis prodidit, & in exemplum continentiæ, tanquam efficaciſſimi conſervandæ valetudinis remedii, ab eſû carnium providè ſemper abſtinuit. Ejus diſcipulus fuit *Muſæus*, qui pariter varia curandorum morborum media hominibus oſtendiſſe dicitur. Eôdem tempore vixit *Eribotes* & *Cadmus*, Medicorum vel Chirurgorum numerô accenſendi. Sed ad *Æſculapium* tranſitum hunc facimus, omnium Medicinæ Inventorum famoſiſſimum, & maximè celebratum. Cùm enim ante iſta tempora ſolô uſû & experimentis res Medica conflata fuerit, atque adeò ſola experientia ratione vacua, Medicinam nondùm rationalem effecerit, eandem perfectam & omnibus numeris abſolutam *Æſculapius* ſolus invenit, ejuſque ſucceſſores Aſclepiades eandem poſteà velut hæreditariô jure acceptam poſteris tradiderunt, inter quos facilè omnibus præcelluit Hippocrates, quippè qui primus conſummatum apud Græcos Medicinam in lucem protulit. Præceptores habuit *Æſculapius*, primùm Apollinem, Patrem, à quô deinde Chironi Centauro, & alendus & erudiendus traditus eſt. Sub quorum manuductione tantos in Arte Apollineâ fecit progreſſus, ùt non affectus tantùm externos, vulnera & ulcera, ſed & internos, febres, doloreſque varii generis per potiones anodynas, inciſiones, aliaque remedia exteriùs applicata curaverit, uſque adeò ùt mortuos etiam in vitam revocâſſe creditus fuerit, unde poſteà ἀποθέωσιν nactus. Primus etiam Clinicem exercuiſſe, & Medicinam Gymnaſticam ſucceſſivis temporibus tantoperè celebratam commendâſſe dicitur. Rationali Medicinæ veterinariam adjunxit, & patronus fuit amuletorum, aliorumque ſuperſtitioſorum remediorum. Ex ejus lumbis prodiêre duo filii, *Machaon* & *Podalyrius*, qui in bellô Trojanô Chirurgiam magis quàm Medicinam exercuerunt, & plures filias paternæ profeſſionis peritas, inque Dearum numerum receptas; *Hygieiam* ſcilicèt, *Panaceam*, *Jaſonem*, vel *Aceſonem*, *Aeylen* & *Romam*. Dùm de mulieribus Medicis loquitur Author, aliarum inſimùl facit mentionem, ut *Minervæ*, ſeu *Palladis*, *Cybeles*, *Medeæ*, quæ balnea calida, & quidem fortaſſis prima commendavit, *Circes*, à qua herba *Circæa* dicta, *Angitiæ*, aliàs *Angeronæ* vocatæ, Helenæ, à Nepenthe claræ, cui & helenium ſuum debet nomen, *Enones*, *Agnodices* & *Aſpaſiæ*, quarum ſingulæ Artem ſalutarem profeſſæ dicuntur. Sed ùt ad Æſculapium redeamus, ejus familia ferè ſola Profeſſionem Medicam ſibi propriam vindicaverat tum temporis, quæ oretenùs à Patre tranſierat in filium & nepotes, donec hinc indè Aſclepiades publicas erexerint ſcholas, quas inter celebriores fuerunt Rhodia, Coa & Cnidia. Rhodia ſicut omnium prima inclareſcere cœpit, ità etiam prima iterùm extincta eſt. Coa reliquas omnes famâ atq; celebritate ſuperavit. Et Cnidii quidem Medici accuratam morborum ſymptomatumque conſignârunt hiſtoriam, de cauſis eventûque eorum parùm ſolliciti, & medicamen-

ta

ta adhibuerunt ſimplicia quidem, ſed exploratarum virium, uti ſunt ſuccus elaterii, lac, ſerum lactis, aliaque ejus generis plura. Eorumque veſtigia preſſerunt Coi, uti clarè teſtantur Coaca Præſagia Hippocratis, in quibus plurimorum mortiferorum effectuum & eventuum certitudo occurrit, rationes verò illorum ubiquè deſiderantur. Sed non puri Empirici fuerunt Aſclepiadei, ſed principiis Anatomicis probè imbuti. Præter has ſcholas fuit etiam Cyrenaica & Crotoniana, ex quâ ultima prodiit *Democedes*, celeber Medicus. Citrà hæc propemodùm tempora Medicina à Philoſophis uſurpari cœpit, quorum plerique in ſolis ſpeculationibus ſubſtiterunt, artique plus damni quàm emolumenti attulerunt. Inter hos fuerunt *Thales Mileſius*, *Pherecydes*, *Epimenides Cretenſis*, *Pythagoras Samius*, cum ſuis aſſeclis, *Zamolxi*, ſive *Samolſi Thrace*; *Empedocle*, *Pauſania*, Anchiti filio, *Alcmeone Crotoniate*; *Epicharmo*, *Timæo Locro*, *& Eudoxo*. Præter Pythagoræos, & aliarum ſectarum Philoſophi Arti Apollineæ operam navârunt, ut *Heraclitus*, *Democritus*, *Diagoras Melius*, & *Cyprius*. In eadem tempora incidit *Acron Agrigentinus*, ſectæ Empiricæ Autor atque Fundator, qui repudiatis Philoſophorum ſpeculationibus aliam planè viam ingreſſus eſt, & ſoli experientiæ primatum eſſe deferendum acriter contendit. Excipiunt hunc *Apollonides*; Medicus Cous, *Ægimius*, qui primus de pulſibus ſcripſit, *Philiſtion Locrenſis*, *Antiphon*, *Anacharſis*, & quos Galenus & Plato citant, *Phaeon* ſive *Phaon*, *Ariſton*, *Philotas*, *Aceſias*, *Archidamus*, *Ærixymachus*, *& Leucippus* Philoſophus. Hippocratis denique Præceptor fuit *Herodicus*, qui medicinam Gymmaſticam in artis formam redegit, cui corporis exercitationi etiam admodum addictus fuit *Iccus Tarentinus*. Quorum ſingulorum placita recenſere, nimis prolixum foret. De ceterô monendus eſt. L. B. hiſce Periodis Præfationem eſſe præmiſſam, dictatoriis Cenſorum quorumdam Halenſium Criſibus, quibus Autoris Scripta acriter perſtrinxerunt, oppoſitam, quas lites noſtras non facimus.

Ibidem Annô eôd. p. 519.

Hiſtoriæ Medicinæ Univerſalis Periodus quinta. Francorfurti ad Viadrum, *apud Johan. Godofredum Conradi*, 1719. 8.

Abſolutis quatuor prioribus in deſcribendâ Hiſtoriâ Medicinæ Univerſali Periodis, prout in Actis noſtris hôc ipſô annò p. 228. monuimus, quintam nùnc aggreditur Clariſſimus *Goëlicke*, quâ univerſa Hippocratis Coi Medicina ſiſtitur. Hic ſcilicèt in Inſulâ Cos circa finem ſeculi trigeſimi quinti natus, genus ſuum ad Æſculapium & Herculem, adeòque ad ſtirpem Regiam, retulit. A Patre Heraclidâ & Prodicô Gorgiâque in Arte ſalutari inſtructus, ſectæ Dogmaticæ primus ſtator atque conditor fuit, rationem cum experientiâ tam feliciter conjungens, ùt æqualem eâ in re neminem ante ſe habuerit; cujus hinc fama tam latè diffuſa fuit, ùt Reges conſilium & auxilium ejus expeterent. Religionem ejus quidam tantoperè evexerunt, ùt etiam Theologiam Hippocraticam, ex ſcriptis ejus eruere non dubitaverint, alii verò ſuſpectam habere, imò Atheiſmi notam loco noſtro inurere auſi ſunt; quam ultimam tamen opinionem Autor ante hos ſex annos in oratione Inaugurali jam refutavit. Quoad placita Hippocratis, omnium quidem errorum non immunis hic pronuntiandus, nec tamen debitis ac meritis ſuis laudibus intereà defraudandus eſt. Quemadmodùm autem Medicina omnium artium nobiliſſima exiſtit, verùm propter eorum, qui eam exercent, ignorantiam, & qui temerè de his judicant, imperitiam, omnibus artibus inferior habetur; ità ideam boni Medici Hippocrates hinc inde in ſcriptis ſuis graphicè delineat. Qualem autem in Phyſicâ, Phyſiologiâ, Pathologiâ, Anatomiâ, Chirurgiâ & Materiâ Medicâ ſe geſſerit, qualiaque reliquerit ſcripta, ſeorſim exponit Goëlickius, quæ ſingula recenſere, ſupervacaneum eſſe ducimus, ut pote nulli incognita, qui diurna nocturnaque illa verſant manû. De Autore noſtrô quædam adhùc ſunt notanda. Negat ſcilicèt hic partum octimeſtrem juxta Hippocratis placitum ſuâ naturâ vitalem non eſſe; ovaria mulierum, vaſa lymphatica & lactea ad mammas tendentia, Coo cognita fuiſſe; naturam inſimùl criſium explicat; & doctrinam de ſignis tam diagnoſticis quàm prognoſticis, tam dextrè calluiſſe Hippocratem dicit, ut hodieque omnibus medentibus admirationi ſit, idque vel ex eô pateſcere, quòd cùm non pauci Medici multas novas hypotheſes in Medicinam introduxerint, in doctrinâ tamen de ſignis nihil mutarint. Affectus poſtquàm commemoraverat Noſter, quorum mentio apud Hipocratem facta reperitur, nullô modô eos excuſandos eſſe putat, qui omnia promiſcuè quæ hodie inventa ſunt, noſtro Medicorum Principi vindicare non erubeſcunt, & loca quædam ex ejus ſcriptis inventa & repugnante ipsâ morborum indole allegare, noviſque morbis applicare allaborant. Et hiſce Veteribus minùs cognitis affectibus annumerat Variolas, Morbillos, Luem Veneream, Febrem Hungaricam, Purpuram puerperarum, ſudorem Anglicum, Rachitidem, alioſque. Porrò Chymiæ peritum fuiſſe Hippocratem, conſtanter negat, felicem verò eundem deprædicat in Hiſtoriâ morborum conſignanda, ut poté quam tantâ cum ſolertiâ tractavit, ùt hodieque ruborem & pudorem incutiat Medicis ſpeculatoribus, à priſcâ illâ obſervandi ingenuitate turpiter deſciſcentibus, fidemque hiſtoricam mirificè temerantibus. Denique monet *Goëlickius*, editionem Vanderlindianam operum Hippocraticorum, multò deterioris eſſe conditionis, quàm Fœſianam, utpotè ad Manuſcriptorum fidem caſtigatam, & egregiis annotationibus illuſtratam. Sed nec reticendum eſt, præmiſſam eſſe huic Periodo Præfationem Autoris apologeticam, Vindiciis Recenſionum atque Cenſurarum Hallenſium oppoſitam.

Ibidem Annô 1721. *Supplem. Tom.* VII. *pag.* 332.

Hiſtoriæ Medicinæ Univerſalis Periodus VI. *Francofurti ad Viadrum*, *apud Joh. Godofr. Conradi*, 1720. 8.

Poſtquam Clariſſimus Gœlicke, qualis fuerit Medicinæ facies temporibus Magni Hippocratis Coi, in Periodô V. explicatum dederat, ſtatum ejuſdem ſub hippocratis poſteritate ejuſque coævis, & nonnullis Græcorum Philoſophis ad fatalem uſque Artis ſalutaris in Diæteticen, Pharmaceuticen atque Chirurgicen diviſionem nunc delineat. Inter Medicos vetuſtiores commemorantur Euryphon, ſententiarum Cnidianarum autor, cui uſtiones in empyicis ſolennes fuerunt; Pythocles, qui ægris aquam, & lac multâ aquâ dilutum propinavit; Pittalus, ſeu Spittalus, Agathocles, Anaxilaus, Antonius Caſtor, inſignis Botanicus; Tleopolemus, qui ad

ad quartanas ſemen aniſi & fœniculi cum aceto & melle propinavit; Soſimenes, qui aniſum in oleô decoctum ad omnes durities & laſſitudines adhibuit; Simus, Anteus, ſeu Antheus, Ampilochus, Androcydas, Ariſtogitones, Artemon, Protagoræ Pater; Apollodorus, Athamas, qui Plantæ Meo nomen dedit; Callimachus, Cleemporus, Democrates, Glaucia, Miletus, Metrodorus, Agenor, Cleodemus, Moſchion, Paſithemes, Mida, Timon, Phliaſius, & Mneſitheus, ac ex fœminis Olympias Thebana. Inter Hippocratis poſteros clari fuerunt ambo ejus filii, Theſſalus ac Draco, & gener Polybus, qui extra familiam Æſculapiadem, peregrinos pariter ad addiſcendam artem ſalutarem admiſit, cognatuſque Cnidius, & Theomedon. Mentio ſimùl fit Prodici ſeu Herodici, qui quidem non diſcipulus ſed præceptor fuit Hippocratis; rectiùs verò ejus auditoribus interſeruntur Dexippus, ſeu Dioxippus; Apollonius, & Salimachus ſeu Silimachus. Reliqui verò, quorum ingens numerus fuit, maximam partem ſunt ignoti. Philoſophi iſtius ævi, quos Medicorum ordini adſcribere decet, ſunt Plato Athenienſis, Nicomachus Stagirita, Critobulus, Periander, Menecrates Syracuſanus, & Ariſtoteles Stagirita, quem Pharmacopolam fuiſſe, id eſt, medicamenta præparâſſe, non quidem negat Noſter, ſiquidem tum temporis, & pharmacia & medicina conjunctim ab unâ eâdemque adminiſtrabatur perſonâ; defendit tamen eundem contra ejus inimicos, qui aliorum irriſioni eum exponere hoc ex capite anniſi ſunt, quòd puellis atque matronis oſtiatim obambulando globulos ſaponarios, ad maculas veſtibus eluendas, & coſmetica varia vendiderit. Hos Philoſophos, quanquam confusè & maximam partem erroneè de œconomiâ animali ejuſque functionibus aliqua balbutientes protulerint, Medicorum tamen ordini annumerare non dubitavit Clariſſimus *Goëlicke*, ſiquidem in hunc uſque diem Phyſico-Medici eôdem ſe modô gerere ſolent, quorum plerique, qui Medici haberi cupiunt, in theoriâ ſubſiſtunt, & ad praxin clinicam rarò adſpirant. Eadem tempeſtate in aulâ Regis Macedoniæ floruerunt Philippus, Alexandri M. Medicus, Philippus Epirotes, Glaucias, quem idem Rex, quod in curandô Hephæſtione negligentior creditus fuerit, ſuſpendi juſſit; Theſſalus, Pauſanias, Alexippus, Critodemus, & Calliſthenes; qui quidem omnes ſuâ famâ non caruerunt; nullus tamen illorum poſt Hippocratis fata majorem acquiſivit exiſtimationem quàm Diocles Cariſthius, quem Hippocratis ſecundi glorioſô nomine condecoratum ab Athenienſibus, primum fuiſſe, qui de adminiſtrationibus Anatomicis, ſeu de modô & ordine partes corporis artificialiter ſecandi, aliquid commentatus eſt, refert Galenus; certum pariter hic inſtrumentum Chirurgicum, cujus ope lata tela è vulneribus educuntur, faſciæque genus capiti applicandum invenit, quæ utraque ab eô nomen deducunt. Non minoris famæ fuit Praxagoras Cous, ex Aſclepiadarum familia ultimus, & Petrona. Citantur & alii Medici ab Ariſtotele, Syenneſis Cyprius & Diogenes Apolloniata; à Theophraſtô Thraſia Mantineenſis; & à Cæliô Aureliano Antiphanes, Evenor. Iſiperius, Lucius ſeu Luſius, Mileſius, Mnaſeas, Nileus, à quô malagma à veteribus in peripneumoniâ adhibitum denominationem ſuam traxit, & Niger: qui quidem omnes citra dubium poſt Hippocratem vixerunt, quâ verò ætate incertum eſt. Ad Chryſippum pergimus, cui pleraque eorum, qui diuturnô uſû & experientiâ præcedentium ſeculorum Medici detexerant, & comprobaverant, ſummoperè diſplicuerunt; venæſectionis & purgantium uſum explodens, quem ejus, diſcipuli Medias, Ariſtogenes, Metrodorus & Eraſiſtratus preſſô pede ſecuti ſunt. Hic ultimus non ſola tantùm animantia bruta, ut Ariſtoteles, ſed corpora mortuorum, imô planè nocentes homines à Regibus ex carcere receptos vivos incidit; vaſa lactea per meſenterium decurrentia, ſi non in hominibus, ſaltem in hœdis nuper lactatis primus obſervavit; genuinum & principem cerebri ac nervorum uſum agnovit; valvulas principiis arteriarum & terminis venarum in corde appoſitas deſcripſit; & Antiochum prohibito erga novercam amore flagrare, manû cordi admotâ, vel pulsû arteriarum exploratô, detexit. Reliquit etiam diſcipulos & ſectatores, qui Magiſtri ſui famam ad ipſa Galeni tempora uſque, quanquam quadringentis plus annis poſt ipſum vixerit, tuiti ſunt, atque de placitis ejus adeo magnificè ſenſerunt, ùt eum tanquam Deum ſuſpexerint, omniaque ab eô dicta vera eſſe putaverint, imò nonnulli illorum, nihil eum latuiſſe, ſibi perſuaſerint. Quos inter Hiceſius, Heraclides, Xenophon, Apollonius Memphites, Martialis, Ptolemæus, Ariſtophanes, Artemidorus Sidenſis, Caridemus, Hermogenes, Chryſippus & Menodorus recenſentur. Coætaneus ejus fuit Herophilus, qui artis ſuæ exercitiô parem ſibi comparavit gloriam, cui in Anatomicis contradicere, eſſe contradicere Evangelio, Fallopius perhibuit. Non enim ingentem in ſecando peritiam acquirere ſibi non potuit, cum plures quàm ſeptingentos homines, & vivos quidem, prout plerique eum criminantur, cultrô Anatomicô ſubjecit. Primus hic inteſtino cum pyloro continuo nomen duodeni impertitus eſt; arteriam pulmonalem, venam arterioſam, & venam arteriam venoſam nuncupavit; duobus oculorum tunicis, retinæ nempè & arachnoideæ, nomina ſua & cerebri membranæ choroides, glandulis autem, ad radicem membri virilis ſitis, proſtatarum appellationem conceſſit. Ab eô quoque cavitas, quæ quartum cerebri ventriculum conſtituit, torcular Herophili etiamnùm dicitur. Doctrinam de pulſibus eorundemque differentiis à nemine anteà tractatum exquiſitâ exactitudine primus proſecutus eſt; memoravit quoque ſingularem cordis paſſionem, quam viſceris hujus paralyſin vocat, indeque repentinam mortem nullâ ex manifeſtâ cauſâ provenientem derivat; & in primis fuit, qui diæteticæ, quæ ſola ferè ad ea tempora uſque viguerat, Medicamentariam adjunxit, adeò ùt nullum propemodùm morbi genus ſine remediis curari poſſe, perſuaſum ſibi habuerit. Sectatores ejus, Gajus, Demetrius, Apollonius Herophilus ſeu Herophileus, Apollonius Muys ſeu Mus, Zeno, qui medicamentum diaſœchados contra colicam efficaciſſimum invenit; Andreas, Plinius Cous, Zeuxis Tarentinus, Alexander Philalethes, Demoſthenes Philalethes, Callianax, Bacchius, Chryſermus, Heraclides Erythræus, Speuſippus, Ariſtoxenes, Callimachus, Dioſcorides Phacas, & Mautias, recenſentur. Superſunt adhùc alii Philoſophi, Medici & Chirurgi, qui licèt veſtigia Herophili atque Eraſiſtrati non preſſerint, circa eadem tamen circiter tempora floruerunt. Inter Medicos nominantur Cleophantus, cum ſuis ſectatoribus, Antigene & Mnemone Sidenſi; Philotinus, Pliſtonicus, Eudemus, Simon, Paſithemis, Apollodorus, Ariſtarchus, Dieuches, Numenius, Mneſithei duo, Athenienſis alter, alter Cyzicenienſis, Argelaus Ægyptius, Archibius,

bius, Jolla, ſive Jollæus Bythinus, Nicias Solenſis, & Nicander Colophonius. Inter Philoſophos numerantur Theophraſtus Ereſius, qui aliorum inſimùl Medicorum celebrium in ſcriptis ſuis mentionem facit, Clidemi puta Platæenſis, Thraſiæ Montinenſis, Alexiæ & Eudemi Pharmacopolæ: Strato, Heraclides Ponticus, Meno, Timon, & Phliaſius. Commemorandi reſtant celebriores aliquot Chirurgi, qui circa tempora fatalis ſeparationis Chirurgiæ & Pharmaciæ à reliquô artis Medicæ corpore vixerunt. Chirurgia enim cùm vetuſtiſſima ſit, magis tamen ab Hippocrate, quàm à prioribus exculta eſt, docente Celſô. Deinde verò poſteaquàm diducta ab aliis habere Profeſſores ſuos cœpit, in Ægyptô quoque increvit, Philoxenô maximè Autore; & excelluerunt in eâ Soſtrates, Herones & Apollonii duo, ac Ammonius Alexandrinus. Romæ clari fuerunt Trypho, Ephelpiſtus, Meges, Nileus, qui malagma reſolvens ac emolliens, ut & machinamenta quædam ad extendendum femur luxatum, reperit, Protarchus, Nymphodorus, Andreas, & alii, quibus Cœlius Aurelianus Socratem Chirurgum adjungit. Circa Herophili & Eraſiſtrati ætatem propemodùm, ut Celſus monet, in tres diſtinctas partes Medicina diviſa eſt, ut nempè una eſſet, quæ victû, altera, quæ medicamentis, ac tertia, quæ manû mederetur, quarumque primam διαιτητικὴν, ſecundam φαρμακευτικὴν, ac tertiam χειρουργικὴν Græci nominaverunt. Fuit autem Chirurgorum pariter ac Pharmacopæorum longè alia conditio ac functio Celſi, quam noſtris temporibus; Illi enim præter ſolam operatoriam artis partem manibus vel inſtrumentis expediendam, nihil aliud exercebant, curationem morborum externorum, ut vulnerum, ulcerum, tumorum &c. aliis permittentes, niſi quatenùs apertione vel inciſione indigere viderentur, quod utrumque Chirurgi noſtri moderni plenô ſibi jure vindicant, Affectuum interim externorum curatione, quatenùs vel hæmorrhagiæ nimiæ reſtrictione, vel materiæ reſtagnantis reſolutione, vel maturatione & ſuppuratione, abſceſſum inde natorum mundificatione, deterſione, novarum carnium generatione, & conſolidatione, unô verbô, medicamentorum externorum applicatione opus eſſet, Pharmaceutis relicta, quô iterùm intuitû hi à noſtris Pharmacopolis longiſſimè differunt.

Atque ſic abſolutô primô Hiſtoriæ Medicinæ univerſalis tomô, gradum tantiſper ſiſtet Clariſſimus Gœlicke, tranſiturus proximè ad Hiſtoriam literariam ſcriptorum, qui partem Artis Medicæ elementarem (Inſtitutiones vulgò vocant) operibus ſuis illuſtrârunt, ſimùlque ideam quandam exhibiturus, ſecundum quam dictæ Inſtitutiones Medicinæ reformari, à ſuperfluis & otioſis antiquorum pariter ac recentiorum ſpeculationibus liberari, & juxta principia mechanico-organica ità attemperari ac digeri valeant, ùt dulcis nexus atque harmonia inter theoriam & praxin ubique conſpiciatur, habeantque tyrones artis, unde prima ejuſdem principia cum fructû haurire queant; proùt in Præfatione teſtatur atque pollicetur. Cui labori perficiendo ùt Deus vitam ſanitatemque largiatur Autori clariſſimo, omnes nobiſcum boni precantur.

Ibidem Annô 1723. *p.* 406.

Medicina Forenſis, demonſtrativâ methodô tradita. Francofurti ad Viadrum, apud Joh. Godefred. Conradi, 1723. 4.

QUæſtiones Medico-Forenſes non minùs olim in Academiâ Fridericianâ, quàm hactenùs in Viadrinâ Clariſſimus Gœlicke ſedulò poſtquam expoſuit ſtudioſæ juventuti, ùt exactiùs digeſtas in chartam conjiceret, atque ex Cathedrâ Medicâ publicè ventilandas proponeret, admodùm hæc ſollicitavit. Cui deſiderio tam ardenti repugnare, religioni ducens Autor, manum admovit operi, unde prima hæc decas enata fuit, quam duas in Sectiones partitus eſt, ità quidem, ut prior ſpecimina Hallenſia bina, poſterior verò reliqua Francofurtana complecteretur. Præmiſſâ igitùr Oratione de ſororiô vinculô; quod eſt inter Juriſprudentiam & Medicinam, dictâ Francofurti, in Auditoriô Medicorum, nuper demum reparatô, cùm Lectiones Publicas Medico-Forenſes auſpicaretur Autor, primùm in hôc faſciculô leguntur Specimina Hallenſia, quæ de partû octimeſtri vitali & legitimô; & de mutilô Medicinæ corpore per Chirurgiam & Pharmaciam, poſtliminio revocandas, reſarciendo agunt. Hæc excipiunt Francofurtenſia, in quibus de Partûs citerioris ac ulterioris differentiâ; de ſuperfœtatione; de Infanticidii indiciis; de Inſpectione gravidarum; de Animatione Fœtûs; de Stuprô violentô; de Vulnerum Lethalitate tractatur. Hocque Collegium Diſputatorium gnaviter ſe continuaturum, atque, ſi Deus vitam, vires ſanitatemque porrò largitus fuerit, quod nobiſcum ipſi omnes Boni apprecantur, alteram Decadem ſuô tempore additurum eſſe, pollicetur. Ut ſpecimen aliquod exhibeamus, ubi de Animatione Fœtûs agit, in eô totus eſt clariſſimus Gœlicke, ùt demonſtret, Animationem Fœtûs ipſi conceptioni eſſe contemporaneam, ſive Fœtum à primô conceptionis ſuæ momentô animatum eſſe atque vitalem, atque adeò verum & perfectum hominem; proindèque, qui quocunque graviditatis tempore abortum moverit, pœnâ ordinariâ indifferenter dignum eſſe, dummodò de verâ poculi abortivi efficaciâ rectè conſtiterit. Supponit igitùr & probat, (1) unumquodque vivens animal pollere energiâ ſeu virtute ſpeciem ſuam mediante generatione vi benedictionis primævæ multiplicandi; (2) iſtam energiam propagandi ſpeciem ſuam non de ſolô corpore, ſed de principiô rationali ſeu anima ſimùl, quæ quippe animalium viventium nulli deneganda ſit, intelligi debere; (3) illud ipſum tantò eminentius de homine, viventium omnium perfectiſſimô, prædicari poſſe; Parentes nempè generando non corpus tantùm, ſed ipſam quoque animam propagare & in liberos traducere; (4) iſtam tamen propagationem, de unôquoque eô, quô decet, modô intelligendam eſſe; i. e. corpus, quod materiale, extenſum atque corporeum eſt, corporeo, animam, quæ incorporea & ſpiritualis, modo imateriali atque adeò indoli utriûſque convenienter à parentibus in liberos traduci; (5) quod ex antecedentibus manifeſtè ſequitur, animationem fœtus ipſi conceptioni eſſe contemporaneam, neque tempus cogitari poſſe, quô fœtus inanimatus, i. e. ſine animâ exiſtere queat; (6) perfectum deſtrui hominem, verumque committi homicidium, quôcunque quis tempore à conceptione, quæ ab animatione inſeparabilis eſt, abortum nefarium procuraverit; (7) quod ex prioribus evidenter conſequitur, peſſimè Jure-Conſultos, illos præcipuè, qui Traducianorum ſectæ addicti, animæ cum corpore congenerationem credunt atque propugnant, pœnam extraordinariam tantùm illis decernere, qui fœtum (ex hypotheſi) inanimatum abegerunt. Hujus demonſtrationis nexum, imò

imò, nervum, hunc ſimùl adjungit; ſi anima rationalis, quæ (per præſuppoſitum I.) vi pollet ſemetipſam multiplicandi, generando, à Parentibus (per præſupp. III.) traducatur in liberos atque adeò (per præſupp. V.) animatio & vitalitas fœtûs ejuſdem conceptioni ſit contemporanea, actibus formationis & explicationis partium atque organorum,nutritionis & augmentationis primordialis id abundè teſtantibus; ſequitur, verum atque perfectum committi homicidium, ultimô ſemper ſuppliciô afficiendum; quôcunque poſt factam conceptionem tempore abortûs nefariè cientur. Q. E. D. De ceterô poſtquam ſtudii hujus amatores de defectû hiſtoriæ literariæ, quâ ſcriptores, qui Medicinam Forenſem operibus ſuis illuſtrârunt, recenſerentur, conqueſti ſunt, ut huic defectui medeatur Clariſſimus Autor, brevem atque ſuccinctam Introductionem in Hiſtoriam literariam Autorum qui hanc Artis Soteriæ partem, quam cum Jure-Conſultis communem habet, commentariis ſuis exornârunt, adjecit.

De eô præterea habetur in Biblioth. German. T. 10. p. 232.

Spiritus animalis ex forô Medicô relegatus, ſive diſquiſitionum Phyſiologico-Pathologicarum Trias, qua fabuloſæ Medicorum traditiones de ſpirituum animalium exiſtentiâ, naturâ, proprietatibus & effectibus morboſis enarrantur, totum ſyſtema vanitatis falſitatiſque coarguitur, tandemque in exilium illud relegandum eſſe concluditur: in 4.

GOELLERUS (*Georgius Chriſtophorus*)

Ex eo habetur

Obſervatio, ex Anatome Abortûs humani monſtroſi. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Decur. II. Ann. II. N. 143. unâ cum ſcholiis ad eam.

GOETZ (*Sigiſmundus à*) Marchiacus.

Ex eo habetur

Oratio pro Philoſophis, contra Medicos, quâ Medicorum pharmaca: diætam ac victûs rationem: Corporum ſectiones, Carminat. Extat Tomo, I. pag. 116. Orationum Argentinenſium. Argentorat. apud Laz. Zetznerum, 1611. in 8.

GOETZIUS (*Joh. Chriſtoph.*) vide de eô ſub Titulô STAHLIUS.

GOLDASTUS (*Melchior*)

De eô extat

Paradoxon de Honore Medicorum, ad Clariſſimum Dominum Hermannum Conerdingium. Francof. 1620. in 12.

GOMEDI (*Ciricius de*)

Ex eo habetur

Prognoſticon Medicinale in annum 1642. Brixiæ, 1642. in 12.

GOMESIUS Miede (*Bernhardinus*)

De eô extat

Ἁλογραφία, ſive, Diaſcepſeon de ſale, Libri quatuor. Quorum primus eſt de ſale Phyſicô, ſeu, Philoſophicô: II. Medicô, ſeu Empiricô: III. Geniali, ſive iocoſô, IV. Myſticô. Nunc denuò reviſi, & in certa quædam capita diſtincta, ab Autore locis plus ſexaginta aucti, cnm Appendicibus. Valentiæ, apud Petrum Huetæ, 1579. in 4. Per Petrum Uffenbachium, Francof. Urſellis, apud Johan. Bernerum, 1605. in 8.

GOMESIUS (*Emmanuel*) Luſitanus, (vere- or nè Antverpiæ ex parentibus Luſitanis natus ſit: nam Antverpienſem eum appellat Zacutus) ſcripſit in medicâ re, cujus erat Profeſſor,

De Peſtilentiæ curatione methodicam tractationem. Antverpiæ, apud Johannem Trogneſium, 1603. in 4. Lovanii, apud Jacobum Zegers 1637. in 8. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p. 268.*

GOMEZ, de la Parra, & Arevalo (*Alphonſus*) Medicus oppidi Tembleque Agri Toletani.

Ex eô habetur

Polyanthæa Medicis ſpecioſa, Chirurgis mirifica, Mirepſicis valde utilis & neceſſaria, in quinque partes diviſa. Matriti, apud Johan Gonzalez, 1625. in 4. *Nicol. Anton. Ibid. p. 20.*

GOMEZ Pereira (*Georgius*) Medicus Hiſpanus, natus Medinæ del Campo, Sæculô XVI. vixit; primus fuit, qui bruta puras eſſe machinas nullôque ſensû præditas auſerit ſcribere. Quam evulgavit ſententiam annô 1554. in Librô quem per 30. annos elaboraverat, cuique *Antonianæ Margaritæ* titulum præfixit, in nominum utriuſque parentis honorem. Hanc in rem vividè vellicatus eſt à Michaële de Palaciô, Salamancæ Theologô; cui & vividè iterùm reſcripſit. Nullius autem ſectæ Auctor fuit, doctrinaque ejus ſtatim invaluit. Ab hôc Medicô Hiſpanô dogma ſuum mutuâſſe Carteſium voluere; quidam etiam dixere veriſimillum eſſe hunc Philoſophum, qui pauca legebat, de Pereira, ejuſque operibus nihil unquàm audiviſſe. Prætereà hæc ipſa Quæſtio, num bruta animâ polleant tempore Cæſarum jam in Controverſiis erat, Creditur & Stoicos omnes in hâc fuiſſe ſententiâ uſque adeò ùt ſuis in ſcholis tuerentur ſimilitudinem tantum inter brutorum & noſtras actiones eſſe; ſed in brutis & hominibus abſolutè diverſam ineſſe earum naturam. Imò & iracundiæ affectû bruta etiam privabant, quoſque hujús effectus in iis novimus, à ſanguinis illorum fremitû æſtûque tantum pendere, qui inauſpicatò ab objectis naturæ ipſorum contrariis perturbatus efferuſque redderetur. Hâc in opinione non modò Stoici Romani verſabantur, verùm etiam 300. annis anteà, Cynicus, qui creditur eſſe Diogenes docuerat bruta notionibus ſenſibuſque carere: hæc omnia ſi Pereiræ non ignota fuiſſent, ea in uſum traxiſſet, adverſus eos à quibus culpabatur quòd nova ac ſtupenda protuliſſet, adverſariorumque ſuorum ſummam litteraturam irriſiſſet. Præter hanc Doctrinam bruta nimirum machinas eſſe, inſectatur etiam in ſuâ *Antoniniâ Margaritâ*, Materiem primam Ariſtotelis, ſententiamque Galeni de febrium Naturâ. Alterum edidit etiam opus Annô 1558. cui titulus *Novâ veraque Medicina, Chriſtianâ ratione comprobata.* Bayle in Diction. Crit.

De mox memoratis extant in Lind. Renovatô.

Antoniana Margarita. In quâ omnium penè morborum Diſcurſus proponuntur. Methymnæ Duelli, apud Antonium Graſbeet, 1554. & 1587. in fol.

Nova veraque Medicina, Chriſtianâ ratione comprobata. Methymnæ Duelli, 1558. in fol.

GOMEZ (*Gregorius*) Medicus Toletanus, ſcripſit non ſine laude ſibi datâ ab Alexiô Vanegas, qui eleganti Epigrammate opus commendavit,

De Ratione minuendi ſanguinem in morbô laterali. Toleti, apud Johannem de Aialâ, A. 1539. 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I.*

GOMEZIUS (*Alphonſus*) Hiſpalenſis Medicus & Doctor Complutenſis.

De eô extat

De Humorum Præparatione adverſus Arabes Tractatus. Hiſpali, 1546. in 8. *Nicol. Anton. Ibid. T. I. p.* 20.

GONZALES (*Alphonſus*) Medicus Oppidi *Priego*, edidit

Carta al Doctor Pedro de Parraga Palomino Medico de Granada, en que trata del Arte, y orden para conſervar la ſalud, y dilatar nueſtra vida, y buen uſo del bever con nieve. Granatæ, apud Martinum Fernandez, 1612. in 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p.* 20.

GORDONIUS (*Bernhardus*) Natus eſt in Galliâ : Medicus & Profeſſor Academiæ Montiſpeſſulanæ Celeberrimus : poſtquam Medicinam annos 20. docuiſſet, ſcribere demùm aggreſſus eſt ſuum *Lilium Medicinæ.* Obiit circa A. C. 1305. *Ex eo habentur*

Opus, Lilium Medicinæ inſcriptum, de Morborum propè omnium curatione, ſeptem particulis diſtributum; unà cum aliquot aliis ejus libellis: videlicèt, de indicationibus curandorum morborum : de victûs ratione & Pharmacorum uſû in morbis acutis : de Prognoſticis, Tractatus, quinque particulis diſtributus: de Urinis & Cautelis earum : de Pulſibus : Acceſſerunt præterea Pharmacorum, quæ hodie in frequenti ſunt Practicantium usû, aliquot ſchemata, omnibus Medicinam facere volentibus omninò neceſſaria, per Remaclum Fuchſium, *Limburgenſem.* Venetiis, apud Octav. Scotum, 1494. in fol. Pariſiis, apud Ponatum le Preux, 1542. in 8. Lugduni, apud Gul. Rovillium, 1559. in 8.

De Urinis, Tractatus. Ferrariæ, 1487. in fol.

De Conſervatione Vitæ humanæ, à die Nativitatis uſque ad ultimam horam mortis, Tractatus, nunc demùm editus operâ Joachimi Baudiſii. Lipſiæ, apud Johan. Rhambæ, 1570. in 8. Lugduni, apud Rovillium, 1580. in 8. Adjectis de Phlebotomiâ & Floribus Diætarum, Libris.

De Febribus, Liber. Extat Operis Veneti de Febribus, pag. 208.

GORIS (*Gerhardus*) Med. Doct. Examin. Chirurg. & Obſtetric. ac Inſpect. Cadav. V. O. in Rhenoland.

De eô extat

Medicina contempta propter Λολομαζιαν vel Ignorantiam Medicorum: Diſcurſus brevis, per vaſtiſſima utriuſque Medicinæ tam veteris quàm novæ ſpatia. In quo de integerrimæ artis vitiis, ob artificum indolem & mores, vulgique errores, obiter & ſuccinctè tractatur. Accedit Appendicula Obſervationum & Curationum aliquot Medicarum. Lugduni Batavorum, apud Abrah. de Swart, 1700. 4. Hoc in opere ſunt Capita XII. Obſervationes autem & Curationes Medicæ XXXVI. *Elenchus Capitum*

I. De Medicis in genere, & quinam veri ſint, & quomodo fiant tales.

II. De Medicis opinione & famâ.

III. De Novatoribus.

IV. De Myſteriarchis & ſuperſtitioſis.

V. De Uroſcopis, ſeu ex matula hariolis.

VI. Cæteri hodiernorum medentium ordines depinguntur.

VII. De Alchymiſtis & Paracelſi Morionibus, qui ſeſe (quanquam falsò admodum) Adeptores & poſſeſſores omnepollentis Lapidis Philoſophorum gloriantur.

VIII. De utriuſque ſexûs agyrtis.

IX. De vulgò dictis Medicorum Opprobriis, & de iis, qui morborum hoc nomine infamium Curationes indiſcriminatim promittunt.

X. Auxiliorum materia diſpunctis vanis & inutilibus evolvitur, cum exhortatione ad Medicinæ Tyrones, utpræ omnibus utrique Pharmaciæ tam Galenicæ quàm Chymicæ gnaviter incumbant, ad acquirendam ſuâ propriâ manû Medicamenta componendi, ſuiſque ægris propinandi dexteritatem.

XI. Tædia Medicorum, ſeu varii vulgi in Medicinâ errores adumbrantur.

XII. De tuendâ bonâ valetudine, per rectam vivendi normam uſumque moderatum rerum ad feliciter vivendum neceſſariarum.

Index Obſervationum & Curationum Medicarum.

I. Apoplexiæ. II. Epilepſiæ. III. Vertiginis & Syncopes. IV. Syncopes. V. Tertianæ intermittentis. VI. Quartanæ duplicis cum aphthis. VII. Quotidianæ. VIII. Febris intermittentis &c. IX. Continuæ cum diarrhœâ. X. Diuturnæ Infirmitatis. XI. Febris intermittentis, *in alio.* XII. Laſſitudinis & vomitus. XIII. Intermittentis cum aphthis. XIV. Caſus ab alto. XV. Intermittentis cum tuſſi. XVI. Obſtructionum & Aſthmatis. XVII. Puerperæ graviter ægrotantis. XVIII. Continuæ cum exacerbationibus. XIX. Continuæ remittentis. XX. Debilitatis. XXI. Febris quotidianæ. XXII. Ardoris linguæ & nimiar. vigil. XXIII. Capitis & præcord. doloris. XXIV. Icteri cum febricula continua. XXV. Odontalgiæ & Otalgiæ cum febricula. XXVI. Ventris doloris &c. XXVII. Surditatis & aurium tinnitus. XXVIII. Graviter decumbentis. XXIX. Variolarum. XXX. Nephritici. XXXI. Morbi Caſtrenſis. XXXII. Quartanæ & Scorbuti. XXXIII. Morbi frigidi ex ingluvie. XXXIV. Febris continuæ in puero. XXXV. Alvi fluxus & debilitatis. XXXVI. Suffocationis uterinæ.

Ex eô præterea habetur in Act. Lipſienſ. Ann. 1717. *pag.* 154.

Mercurius Triumphator, continens Argenti vivi Hiſtoriam, Indolem, Prærogativam & Noxas in morborum chronicorum, præſertim Luis Venereæ curatione. Annectitur de Curationibus Sympatheticis Tractatus. Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haack, 1717. 8.

INtegram hic Argenti vivi Hiſtoriam reperiet Lector curioſus, à Clariſſimô Gerardô *Goris* traditam, ex quâ potiora excerpemus. Cùm miraculorum plena ſint omnia in rerum naturâ, vix ullum mirabilius inter ea reperire licet, quod mirificâ ſuâ texturâ, atque haud omnibus ſatis conſpicua efficacia & viribus conſiderantis animum magis ſuſpenſum & attonitum reddat, quam ſtupendum illud Autoris naturæ miraculum, æternique liquoris vomica, uti Noſtrô audit, Argentum vivum. Dubium enim ſané eſt, majorine damnô quâm emolumento mortalibus primò innotuerit; nam ſi myriades malorum reſpicias, quæ humanum genus miſerè prægravârunt, poſtquam infidum hunc hoſpitem tam in mechanicis quàm medicis tractare cœperint, haud gravate penitus ejus uſum ſemper & in omnibus damnabis, præſertim è forô medicô relegabis ac proſcribes, tanquam truculentiſſimum, ubique locorum maximas impunè ſtrages edentem, graſſatorem atque nocentiſſimum ſemperque deleterium. Vix latere poteſt hydrargyrum in imis montium penetralibus, quin ſe prodat; lapidibus enim albis ſed valdè levibus inſtar calcis circumdatum vulgò reperitur. Herbæ, quæ in montibus his creſcunt, cæteris magis vernant, & majores videntur, arbores

arbores verò rariſſimè flores & fructus ferunt, eorumque folia tardiùs proveniunt. Ejus profluvia norunt metallurgi, qui menſe Majo vel Aprili ſerenô mane nebulas in vertice montium emergentes & inſtar lanæ goſſypii, cum craſſus hic vapor ultra terræ ſuperficiem ob gravitatem ſuam vix aſſurgat, ſupra herboſum ceſpitem pendulas reperiunt, argenti vivi venas ſubeſſe conjicientes. In hiſce locis tum hydrargyrum inveſtigant, præſertim in illis montis plagis, quæ ſeptentrionem ſpectant, quia venas ibidem ditiores judicant. Haud rarò quoque multùm aquæ circa has fodinas offendunt; & ipſum argentum vivum in ſuis latibulis & fodinis vel currens & fluidum vel fruſtillatim & ſolidum in formâ cinnabaris reperiunt; quod tamen haud ſæpè fit, quia mira & perniciſſimâ ſuâ fluiditate in cavernas, cryptas, rimas & fiſſuras terræ & lapidum reptat. Interim non plectuntur ſolùm, qui ei effodiendo ſuam collocant operam, & vel morti traduntur, vel omnium partium debilitati & tremori, paralyſi, convulſionibus, & aſthmati obnoxii redduntur, ſed & qui illud in igne tractant, aurifabri, ſpecularii, chymiſtæ, pictores & qui aurum & argentum ab admiſtis recrementis mineralibus mediante mercuriô ſeparant atque repurgant. Nec melius ſe exhibet, ſi improvidè in medicamentum vertitur. Alios enim horrendâ atque lethali mulctat ſalivatione, alios dentium vacillatione, & lapsû, oriſque ardore atque fœdâ exulceratione faucium afficit, alios alopecia fœdat, haud paucos ſubitò præfocat, alios catarrhis obnoxios facit, ac oſſa friabilia & carioſa reddit. Eſt autem mercurius liquor mineralis & metallicus volatilis, omnibus metallis cognatus, præcipuè aurô, ſed minimè ferro; ponderoſus, denſiſſimus, colore argento ſimilis, ignem fugiens. Mercurius dicitur triplex, nativus, artificialis & è metallis ac ſemimetallis extractus. Nativus etſi per ſe naturâ operatrice ſeparatus inveniatur, quem virgineum vocant, plerumque tamen ex terrâ minerali, quam cinnabarim nuncupant, vi ignis evocatur. Vena enim ejus in ollis excoquitur. Inferiores ſcilicèt ollæ uſque ad margines defodiuntur, in ſuperiores vena in particulas fracta injicitur, eæque repletæ obturantur muſcô, & inverſæ in ora inferiorum imponuntur, ac undique miſtura, quæ conſtat ex pulvere terræ comminutæ & à carbonibus reſolutô circumfunduntur, ut ex eâ ſuperiores palmam modò extent; ad utrumque foci latus ſaxa priùs ſtructa ſunt, eiſque ſuper impoſita tigna, quibus operarii longa ligna injiciunt tranverſa. Etſi verò ligna non attingant ollas, acris tamen ignis ardor eas calefaciens, argentum vivum per muſcum in ollas inferiores defluere cogit; ſi contra in inferioribus excoquitur, fertur in ſuperiores: ſi olla quædam vitium contraxerit, cum fumô aufugit. Dantur & aliæ venæ mercurii excoquendæ rationes, tam per aſcenſum, quàm deſcenſum, & ad latus per exhalationem in conclave concameratum ſub ſpecie ſublimationis cum mercurius recidit in arenam vel cinerem intermedium. Quoniam tamen vivus & currens propter fluiditatem ſuam difficulter tranſportari poteſt; magna ejus pars in formâ cinnabaris relinquitur, vel in cinnabarin, addendo ſulphuris vulgaris p. 1. tribus partibus mercurii, mediate ſublimatione, reducitur: poſteà ſuò tempore & locô, abſorptô per addita alcalia ſulphuris acidô, iterùm reviviscturus. Qui mercurium ſulphureis & nitroſis particulis conflari ſtatuunt, minùs extrà oleas vagari videntur, quanquam nec ſic intimior ejus textura ſatis pateat, à poſteritate forſan in apricum ponenda. Ex adunatis interim ejus minutiſſimis globulis haud difficulter ejus in igne volatilitatem, quamvis alias graviſſimus ſit, concipere poſſumus; quia ſcilicèt figura rotunda minus apta eſt pro particulis inter ſe invicem uniendis. Sub hâc formâ per os ſumtus nihil nocet, ſed in quibuſdam morbis, ut in iliacâ paſſione, inſigniter prodeſt. Ejus verò fluiditatem impediunt ſalia acida, eique vim corrodentem & deleteriam conciliant. Metalla potiſſimùm ingreditur mercurius, ut pote quæ nihil aliud ſunt quàm concreta ex ſuccô mercuriali, ſulphure & ſale; vapor enim viſcoſus mercurialis ignibus ſubterraneis ſublevatus reſolvit ſalia in fodinis ſeu venis, quæ reſoluta & confluentia corpus mixtum metallicum conſtituunt, quod tum pro majore vel minore ſalis & ſulphuris admiſtione modò in hoc, modò in aliud metallum concreſci. Metalla enim æquè ac lapides hodienum adhùc naſcuntur. Diſtinguunt tamen magis curioſi mercurium ab argentò vivô, ſeu hydrargyrô, illum metallorum proximam ponentes materiam, hoc mineralem vocantes liquorem, & veluti recrementum, aut incompletum partum, vel abortum deficientis naturæ, atque ille idem eſt, qui etiam ex metallis arte poteſt elici. Somnia interim ſunt, quæ Aſtrologi de planetis cœleſtibus metallificis perhibent, dum non ſolùm gignere illa aſtra, ſed & gubernare metalla, influereque viribus ſuis in proprium metallum, mordicùs aſſerunt. Atque ex eodem fonte, nec non ex Arabum officinis & commentis prodiit auri foliacei in pharmacis uſus, qui an magis vanus ſit an inſanus, dubium manet. Inter præparata mercurii primò depuratio ejus à ſordibus adhærentibus commemoranda venit, quem in finem exprimitur vulgò per corium; quæ tamen enchireſis non ſemper ſufficit, quia metalla intimiùs ei conjuncta ſimul tranſeunt. Aliàs infunditur aliquoties in ſpiritum vini & agitatur; optimus tamen modus eſt, ſi mercurius præcipitatus aut cinnabaris cum anâ tartari vel calcis vivæ deſtillatur, vel ſaltem ſimpliciter per ſe per retortam propulſus nihil recrementi relinquit. Sic enim puriſſimus mercurius ſe manifeſtat in receptaculô affuſa aqua frigida. Depuratur adhùc aliô modô, nec ità vulgari, per ſalia quædam mineralia ac ſingulares quaſdam enchireſes ad ſeparandum ab eô noxium ſulphur corroſivum à Gebrô, Arabe, deſcriptas. Nota puritatis eſt; quod carbonibus impoſitus totus effumet & ſine ſtrepitû, vel in cochleari argenteo evaporationi ſuper prunis expoſitus maculam relinquat flavam aut albicantem, non nigram aut fuſcam. Vulgò cenſetur optimus, qui eruitur è mineris aurô vel lunæ vicinis, & hinc præfertur Hungaricus aliis. In Medicinâ luis venereæ verum & ſpecificum ejus antidotum creditur, quale tamen, prout communiter adhibetur, non eſt, quatenùs ptyaliſmum excitando utiles pariter ac inutiles humores, eoſque ſubtiliſatos & fluidiores redditos per glandulas ſalivales exterminat. Hæc vis ſeu potiùs virus hôc in mercuriô vulgari ſolùm reſidet, ſiquidem ex metallis extractus ſalivationem inducit nullam, atque ità præſtantiſſimum & ſecuriſſimum ſimùl evadit medicamentum in morbis chronicis, præſertim venereis, polychreſtum & fermè catholicum. Uſitatiores magiſque vulgares mercurii præparationes medicinales ſunt præter depurationem præcipitatio ſeu potius calcinatio,

ſublimatio, deſtillatio, extractio, liquatio, & ſalificatio, quibus accedit cryſtalliſatio, unde arbor Dianæ, ſeu Philoſophica emergit. Pro impoſtoribus verò habendi ſunt qui ex mercuriô per ſe aquam, ſpiritum, oleum & ſal elicere volunt. Nec magis æſtimandi veniunt, qui ex mercuriô & viridi æris, lapide calaminari, ochra vel radice curcumæ aurum conficiunt ſophiſticum. Præparatio ejus cùm anaticâ ſulphuris communis portione, quæ æthiops mineralis audit, omnium ineptiſſima eſt, cùm nihil aliud ſit, quàm mera calx inutilis acido ſaturata. Omnium primus, qui ad luis venereæ curationem unguentum mercuriale ordinavit, Jacobus Carpenſis vulgò creditur. Huic tamen alii voluut facem prætuliſſe Judæum quendam Uliſſiponenſem, qui lue hoc affectus in opere quodam mechanico mercurium imprudentius tractaverat, & per inſequentem mox ptyaliſmum curatus fuit. Eum empirici quidam audaciores & ſagaciſſimi remediorum exploratores ſecuti, per analogiam quandam hoc remedium tranſtulerunt à curatione mentagræ & pudendagræ, ad quos affectus jam ante ſecula uſurpatum fuerat ab Arabibus, in luis venereæ curationem, tantô ſucceſsû & commodô, ut deinceps pro alexiterio & fœdæ hujus luis antidoto ſit habitum; quod tamen niſi optimè tractetur, debitè caſtigetur, opportunè detur, & prudenter atque circumſpectè adhibeatur, non ſatis tutum datur. Dolendum interim eſt, latere nos non minùs mercurii in corpore humanô operationes, veraque effecta, quàm vires plurimorum ſimplicium, quas nemo à priori explicare audebit. Luem veneream quod attinet, non hæc demùm ſua incunabula ætate Caroli VIII. Galliæ Regis, annô 1493. & 1494. ad Neapolin cum Alphonsô Rege bellum gerente, habuit, licèt plurimùm tùm temporis ſævierit; ſiquidem Gulielmus Salicetus & Valeſcus Tarantanus, diu ante hoc tempus viventes, plurima ejus commemoraverint ſymptomata. Certum interim eſt, hanc luem nulli jam adulto ſupervenire, niſi contagiô qui ſe polluerit. Poſthabitis autem omnibus aliis medicamentis, quæ ægri tales non ſine ſummô tædiô nec abſque periculô vel deglutiunt, vel ſibi illiniri permittunt, inveniſſe ſe dicit Autor novum modum mercurium præparandi, unde hic ingenita ſua virulentia exutus abſque ullâ ſalivatione omnia acidi maligni ſpicula & cuſpides diffringit, & comminuit, atque ex corpore per ſudores, urinam, inſenſibilem tranſpirationem &c. modô adeò placidô eliminat, ut ejus operationes etiamſi valdè ſint efficaces, vix ab aſſumentibus ſentiantur. Notum eſt in vulgus, quod mercurius ſalia acida alliciat, à quibus fluiditate ſuâ exuitur, & vim corrodentem & deleteriam acquirit. Cùm autem lues venerea ſua primordia ab acidô volatili, viſcidô quodam involucrô occultatô, capiat, neceſſariò mercurius cum eô combinatus reviviſcit, paſſim vulnerat, os fauceſque lædit, corrodit & excoriat, nec rarò ventriculum & inteſtina ſtimulat, eorumque vaſa ſanguinea dilacerat, & aperit, unde diarrhœa vel dyſenteria oritur. Salivatio, quam provocat, tamdiu durat, donec virus venereum vel ipſum argentum vivum aſſumtum foras fuerit eliminatum. Si è contrariò non ſatis ſalium acidorum oſtendat, tùnc per poros cutis tranſpirat, ſecum rapiens obvium viroſum acidum venereum, quâ ratione nonnulli admodum feliciter ſine ſalivatione in ſanitatem reſtitui poſſunt. Per intervalla verò ſi mercurialibus benè præparatis utamur, obſtructiones reſerandi, maſſamque ſanguineam depurandi cauſa, tùm perrarò ſalivationem, purgationem ut plurimùm, urinam verò & ſudores rarius, niſi quiſpiam peculiarem mercurium præparandi modum calleat, ciere ſolent. Cùm autem in duas partes abeant, qui luem veneream curandam ſuſcipiunt, & vel per ſalivationem, vel per decocta lignorum eandem debellare annituntur; Autor noſter lites has compoſiturus, ſalivationem non penitùs rejicit, ſed illam quoque haud temerè inſtituendam eſſe, & niſi cum morbus jam nimis inveteratus & pertinax aliis remediis non amplius cedat, locum invenire exiſtimat.

In tractatû de curâ Sympatheticâ id agit Autor Clariſſimus, ut ex ſympathiis & antipathiis, quæ in rerum naturâ occurrunt, probet, dari etiam curationem magneticam vel ſympatheticam, ex variorum Autorum autoritate & propriâ experientiâ convictus, etiamſi veræ & adæquatæ cauſæ ejuſdem etiamnum nos lateant. Coronidis loco appoſitæ ſunt quædam literæ ad authorem datæ, methodum ejus luem veneream curandi concernentes & confirmantes.

GORITZIUS (*Johan. Adamus*) Poliater Ratisbonenſis.

De eô extat Ephem. Germ. Cent. 7. & 8.

Obſerv. 15. De Théé Romanô.

SCire poteſtates herbarum uſumque medendi cùm Medicum deceat, præter Chymicos labores, & Botanophilus per æſtates hactenùs eſſe ſtudui. Innotuerunt ſic per excurſiones inſtitutas & in peregrinationibus pleraque, quæ circa Ratisbonam noſtram, (vel, quod malunt Critici, Reginoburgum) creſcunt, ad vegetabile regnum pertinentia, inter quæ multa reperias, quæ alibi non videas, de quibus ſuô tempore plura. Suffeciſſent mihi hæc inquilina, ad curandos, Deo benedicente, morbos quoſcunque: quippe quæ ſemper vera recentia colligi poſſunt & quæ naturæ noſtræ magis amica obſervantur, quàm peregrina alia adulterata, & certiorem experientiam deſiderantia. Aſt in Comitiis vivo, ubi homines obſervavi, qui non contenti ſunt cum Medico, qui facit quod ſui eſt officii, ſed curioſum ſimul eſſe volunt. Occaſione ergò hortuli mei domeſtici, exotica quoque inſpicere, & in eorum virtutem inquirere placuit. Annus jam agitur quartus, quô à perilluſtri quodam Dominô, hortulô meô donabantur plantæ quædam, Théé Romani nomine ſuperbientes. Has utpotè planè hìc ignotas lætus accepi & per hortulum ſparſim terræ demandare juſſi, ùt obſervarem, quam plagam mundi & quam terram creſcendo amarent. Fiebat hoc Menſe Maiô felici manû, vix una enim periit, illæ tamen, quæ verſùs meridiem ſtabant, altitudine reliquas ſuperabant. Menſe Auguſtô frutices erant ramoſi, ulnæ altitudinis, geſtantes floſculos albos, ramulos ambientes: quos ſequebatur ſemen copioſè, parvum, rotundum, viride, inſtar ſeminis botryos noſtratis, æquè graveolens, ac folia ipſa. Flos armatô oculô inſpectus videbatur tetrapetalus. Flore cadente, caules & inferiora folia rufeſcebant. Caulis maximus, rotundus ferè craſſitiem digiti mei minimi acquirebat, extùs glaber, ſulcos tamen habens, intùs medullam in cavitate gerens. Folia maxima longitudinem digiti medii & latitudinem pollicis habebant, acuminata & ſinuata, admodum atriplicis ſylveſtris vel ſpinachiæ: tactui ſeſe offerebant, ac ſi pinguedine

guedine obſita eſſet illorum ſuperficies. Radix planè nihil participat de graveolentiâ jam dictâ; eſt ferè inodora, alba, fibroſa, intùs lignoſa. Circa medium Septembris ſemen maturum erat, quod collectum ſtudiô ſervavi, idque ſequentis anni menſe Martiô ſerere juſſi, & plantas inde natas ſub initium Maii transferre in ſolum. Creverunt ex votô, & in Autummô ingens copia foliorum & ſeminis mihi collecta fuit. Hinc de medendi uſû cogitare cœpi, ad quod vel ſolus odor gravis, multum ſalis volatilis ſpondens, me invitaverat. Judicavi ergô, prodeſſe poſſe hoc Théé Romanum, naſturtium & raphanum ruſticanum redolens, in ſcorbutô, arthritide, calculô & aliis morbis tartareis. Deô ſic dirigente tùnc temporis pauper quidam mihi obveniebat, dyſuriâ ſæpiùs laborans ex ſabulô renâli. Portionem dedi hujus Théé, quô bis in die uteretur in infuſô. Eductô ſic in dies multô ſabulô & mucilagine, ex integrô convaluit. Puer V. annorum, conquerebatur de ſuppreſſione urinæ & dolore circa pudenda: Parentibus id negligentibus, auctô dolore epilepſia ſuccedebat, in quâ magna urinæ quantitas proſiliit, & cum illâ calculus albus, durus, hordei granum ſuperans, cum multis arenulis. Dedi Parentibus Théé Romanum in infuſo propinandum, & trageam quandam aromaticam cum ſemine hujus Théé, veſperi quotidie cum vinô parandam, & ſic hactenùs liber vixit ab hôc affectû. Fœmina 50. annorum, per multos annos calculô laboravit, horumque magnum mihi monſtravit numerum, diverſæ formæ & magnitudinis: poſtquam per ſemeſtre Théé noſtrum bibit, mane & veſperi, idque vinô ſuô imponit, non ampliùs calculos excrevit, ſed urinas craſſas tartareas, ùt integræ cruſtæ ex ſcaphiô eximi potuerint. His ità feliciter geſtis, experimenta inſtitui ſolvendi calculos: impoſui ergò albos & duros, à modò dictâ fœminâ dono mihi datos infuſo meo calido duplicato. Hos poſt 24. horas non quidem ſolutos, verùm adeò molles reperi, ùt intra digitos facilè comprimi potuerint, inſtar hordei cocti. Vocabar tunc temporis ad mercatorem hujus loci, 60. annorum, qui à multis annis calculô laborans, ſat multos hactenus excrevit. Hic ſe ſentire dicebat calculum in penis glande, urethram obſtruentem, nec urinam emittentem, erant autem tres. Poſt inſertam peni parvam candelam ceream, urina liberè fluxit, quod repetere neceſſe fuit, quoties mingere voluit. Juſſi glandi infundere ſæpiùs laudatum infuſum; ſed obſervavi, tam parvam quantitatem non ſufficere ad emolliendos latentes hoſpites. Hinc peculiarem juſſi parare forcipem, quâ Chirurgus in dies particulas defringere fluduit, donec tandem ſucceſſivè, ſpatio unius menſis omnes tres calculi exempti fuêre feliciter. Quotidie jam Théé hoc bibit & saniſſimus vivit. Exempla plura dare poſſum, ſi quis velit, ſed hæc ſufficere credo. Uſus ſum prætereà hactenùs iſthôc Théé Romanô in Catarrhis, ubi incidendum erat, bonô cum ſucceſſû, item in ſcabie & morbis venereis, quæ omnia hic recenſere nimis longum foret, & præter intentionem. Unicum ſaltem adhùc addam, quod contigit in priori annô, ad probandum, quod & utile topicum eſſe poſſit. Militis cujuſdam uxor lue venereâ affecta, conſilium meum petiit; aderant autem præter alia duo bubones in inguinibus, & tumor pudendorum, ùt præ dolore difficulter ſederet. Præmiſſis præmittendis & datis antivenereis cum decoctô lignorum, Théé Rom. in cereviſiâ infuſum, bubonibus pariter ac pudendorum tumori calido intra lintea applicuit miſera, felici eventû: reſolutis enim ſic bubonibus & tumor moleſtus diſparuit. Cæterùm cur iſtud Théé dicatur Romanum, hanc cauſam eſſe exiſtimo: quia ſemen Roma in Germaniam tranſlatum fuit, & quantum ego novi, primùm à Jeſuitis, quorum commendatione res eò rediit, ùt exoticum hoc deſideretur ab omnibus ferè Magnatibus; Théé autem nomen forſan gerit, quòd à conſuetudine hodiernâ, folia hæc, Théé Chinitici ſimilitudinem habentia cum aquâ fervente infundantur, & infuſum hocce ad ſorbillandum exhibeatur. Principem novi Reverendiſſimum & aliquot Nobiles, qui jam Théé Romanô utuntur pro Chiniticô: hinc dictorum plura teſtimonia impoſterùm ſecutura eſſe ſpero. Deſtillavi nuper hanc herbam cum ſemine, per ſe, ex retortâ vitreâ: prodiit primum phlegma ingrati odoris & ſaporis, limpidum tamen, quod ſequebatur, ſpiritus volatilis urinoſus, & hunc oleum nigrum empyreumaticum, æque fœtens ac cornu cervi vel tartari. Aqua deſtillata ex veſicâ inſtar naſturtii ſapit, magis tamen ingrata. Extractum dat largius fuſcum dulc-amarum, inter guſtandum linguam feriens, & ori frigus inducens, uti nitrum. Tandem quærenti, an exoticum hoc olim non cognitum fuerit? reſpondeo: mihi videtur idem eſſe quod Botrys Mexicana, de quâ ſcripſerunt Franc. Hernandez in hiſt. nat. Mexican. Joh. Rajus in hiſt. plant. Caſp. Bauhin. in app. ad Pinac. Ephemerides Nat. Cur. Dec. I. ann. IV. ne plures laudemus.

Ibidem Obſervatio 16. *Ileon diſciſſum & extra abdomen dependens.*

Ibidem Cent. 8. *Obſervatio* 19. *De Putredine bilis in phthiſico reperta, cui tribus annis ante obitum mamma ſiniſtra cancroſa feliciter abſciſſa & conſolidata fuit.*

Ibidem Obſervatio 20. *Pylorus ſcirrhoſus, itemque inteſtinum duodenum & pancreas, loco bilis autem calculus in veſiculâ fellea.*

GORNIA (*Joh. Baptiſta*) Philoſ. & Medic. Doctor, publicuſque ejuſdem Medic. Piſis Lector per annos 12. A. Coſmô III. Magnô Hetruriæ Duce Comes adhibitus fuit, ſub Archiatri titulô, in iis peregrinationibus quas per Hiſpaniam, Galliam, & Angliam perfecit; tumque adſcriptus fuit Societatibus Regiis, Pariſienſi & Anglicæ, ac præterea Academiis, Oxonienſi & Cantabrigienſi. Fuit in Anatomicis peritiſſimus. Manuſcriptas reliquit, Lectiones Medicas Cathedræ extraordinarias, & ordinarias, in Gymnaſ. Piſanô, & Obſervationum Medicinalium Volumen. *Orlandus in Notit. Script. Bononienſium.*

GORRÆUS (*Johannes,*) Natus Lutetiæ Pariſ. A. C. 1505. Patre Bituricenſe, itidem Medicô: fuit Medicinæ Profeſſor Regius: Græcæ Latinæque linguæ, ut & Poëſeos peritiſſimus. A. C. 1561. cùm Lutetiâ Melodunum, ad ejus loci Epiſcopum, pro reſtituendâ ejus valetudine, accerſeretur, in viâ ipſe morbô correptus, hincque domum reportatus, poſt aliquot annos perpetuus intereà valetudinarius, tàndem obiit Lutetiæ Pariſ. A. C. 1577. ætatis ſuæ 72.

Ex eô habentur

Opera. Definitionum Medicarum Lib. 24. à Joh. Gorræô F. locupletati, & acceſſione magnâ adaucti: Nicandri Theriaca & Alexipharmaca

pharmaca interpretatione & ſcholiis ejuſdem. Hippocratis libelli de Genitură, de Naturâ pueri, Juſjurandum, de Arte, de Priſcâ Medicinâ, de Medicô, eôdem interprete, cum Annotationibus, & adjectis unicuique libello brevibus ſcholiis. Formulæ remediorum quibus vulgò Medici utuntur, autore Petrô Gorræô, *Bituricenſi*. Pariſiis apud Societatem Minimam, 1622. in fol.

Definitionum Medicarum Libri 24. Litteris Græcis diſtincti. Luteſiæ Pariſiorum, apud Andream Wechelum, 1564. in fol. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1578, 1601, in fol.

In Hippocratis Lib. de Medicô Annotationes & Scholia. Pariſiis, apud Wechelum, 1543. in 8.

Nicandri Theriaca & Alexipharmaca, cum interpretatione & ſcholiis. Pariſiis, apud Vaſçoſanum, 1549. in 8.

Præfatio in Alexipharmaca Nicandri, omnem de Venenis diſputationem complectens. Acceſſit in fine ejuſdem de Lepore marinô ad Guilielmum Rondeletium Apologia. Extant cum Alexipharmacis Nicandri à ſe interpretatis & editis Pariſiis, apud Guil. Morelium, 1557. in 4.

Opuſcula quatuor. Quæſtiones duæ Cardinalitiæ Matutinis diſputationibus ad diſcutiendum propoſitæ in ſcholis Medicorum Pariſienſium. I. An Medicorum Pariſienſium Phlebotomiæ jure vel injuria accuſantur? II. An Methodus medendi Medicorum Pariſienſium omnium ſaluberrima? Quæſtionis utriûſque Aſſertiones ſingulæ confirmantur ex enarratis Hippocratis & Galeni locis. Item de uſû Venæſectionis ad curandos morbos δεύτεραι φροντίδες, ſecundæ Cogitationes. Necnon brevis Animadverſio in Libellum Johannis Lanæi Chirurgi togati Pariſienſis, quô Aphoriſmos Hippocratis in novum ordinem digeſſit. Pariſiis, apud Caſparum Meturas, 1660. in 4.

Galeni Prognoſtica Hippocratis Libri VI. Johanne Gorræô interprete. Lugduni, 1552. in 12.

GORRÆUS (*Petrus*,) Bituricenſis.

De eô extant

Praxis Medicinæ, quovis illuſtriori inſcribenda titulô, ad communem uſum totiûs ferè Europæ, in gratiam eorum, qui ſe à Theoricâ ad Practicam conferunt. Huic acceſſêre cognata quædam alia ac propemodùm neceſſaria Corn. Celſi Particula ex ſecundô de Naturâ ac proprietate cujuſque rei, quâ veſcimur; Liber de urinis ex optimis Auctoribus. Dioclis Epiſtola ad Antigonum Regem, ex ſecundô Pauli de Præcognoſcendis Ægritudinibus, hiſque impediendis, ne veniant: de tuendâ valetudine: de regimine vitæ per anni tempora. Venetiis, apud Mapheum Paſinium, & Franc. Bindonium, 1545. Lutetiæ, 1555. in 16. auctior.

Formulæ Remediorum, quibus vulgò Medici utuntur. Lutetiæ, apud Ægidium Gorbinum, 1560. in 16. Lugduni, apud Joh. Mareſchallum, 1584. in 8. inter opuſcula Illuſtrium Medicorum de Doſibus. Coloniæ Allobrogum, 1612. in 12.

GORUS (*Camillus*)

Ex eô habetur

De Calcanthô, ejuſque Oleô. Romæ, 1616. in 4. De Fracturâ brachii Diſcurſus. Ibid. 1617. in 4.

GOSIUS (*Joh. Vincentius*,) è Draconeriô Pedemontanus.

De eô extant

Tabulæ Anatomicæ ex optimorum Autorum ſententiâ. Auguſtæ Taurinorum, 1606. 4.

GOSVINUS (*Carolus*)

Ex eo habentur

Conſilia quædam de Arthritide. Extant eô in opere, quod Henr. Garetius edidit. Francof. apud Johan. Wechelum, 1592. in 8.

GOTTOFREDUS [*Nicolaus*]

Johannis Thalii Sylvam Hercyniam, ſive, Catalogum Plantarum ſpontè naſcentium in Montibus locis vicinis Hercyniæ, quæ reſpicit Saxoniam, ſeorſim auctiorem edidit. Northuſæ, 1674. in 4.

GOTTWALD (*Joh. Chriſtoph.*) Phyſicus Gedanenſis.

De eô extant in Miſcell. Cur. Dec. 3. Ann. 9. & 10.

Obſervatio 157. *De Molâ in gallinæ ovariô repertâ.*

Ibidem Annô eôd. Obſerv. 158. *De Crucifixô in medio Fagi Arboris trunco naturâ depictô.*

Ibidem Ann. eôd. Obſerv. 159. *De Molâ Veſiculari per naturalia Matronæ cujuſdam præter ſpem prociduâ.*

Accidit ùt Matrona quædam illuſtri nata ſtemmate à tribus præter propter menſibus gravida, erecta ſtans ad menſam, inter loquendum ſine ullâ moleſtiâ corpus globoſum lubricum ejiceret, flexô corpore quid rei ſit quærens, ex intuitû demùm perterrefacta, levi calore quaſi febrili corripiebatur, mulierculæ interim adſtantes prociduum illud ſuſtulerunt, de abortû paſſô immaturum dederunt judicium, nihil planè periculi ingravidationis ſubeſſe credentes, quod tamen ſubſequentia alia demonſtrârunt: ad lectum ducitur patiens, mox dolores parturientibus frequentiſſimos ſentit, vires proſternuntur, lochia fluunt; aderam ego opportunô propemodum tempore ad viſitandum alium ægrotum in eâdem decumbentem domô, quare quid acciderit præſentes mihi narrabant, ſimùlque quid de Abortû ſentiendum quærebant, examinatis circumſtantiis, expirâſſe jam cum ipſô hôc Abortû ingravidationis tempus, dixi: molam verò examinans planè ejus deprehendi generis eſſe, cujus Celeberrimus & ſedulus Naturæ ſcrutator Ph. Jac. Hartman, Regiomontanus Profeſſor, meminit, in Obſ. 157. Eph. N. C. An. X. Dec. II. ad quam curioſum lectorem, nè Crambe bis appoſita, nauſeam ipſi excitem, remitto. Præter hæc verò quæ in modò nominatâ obſervatione notata exiſtant, ſequentia adhùc poſt inciſionem in corpore globoſô & ſphæricô planè ab aquâ in ſe contentâ diſtentô, factam, notanda occurrebant; detegebantur duæ membranulæ parietibus internis conglutinatæ, poſt macerationem in ſp. Vini factam facillimè ſeparabiles, manente adhùc tertiâ integrâ ipſi ſubſtantiæ firmiter adhærente, unde in illam incidi opinionem eſſe has membranulas binas, urinariam alteram, alteram Amnion, ipſam ſubſtantiam autem Carnoſam illud, quod Placentam Uterinam facere debuiſſet: Microſcopii ope breviſſima illa veſtigia præcipuè circâ humores obſervavi, incurvata quaſi erant, cum levi eminentiâ in mediô, cubitum certò indigitans. Ex quibus omnibus jam patet, vitium formationis in eô hæſiſſe, quòd ſpiritus ille Architectonicus cum virtute plaſticâ cooperans impedimentô quôdam diſtractus aut retentus, di-

ductio-

ductionem partium pro dimenſione determinatâ promovere non potuerit. Stante hâc ſententiâ, ſequitur, Molam Veſicularem eſſe fœtum imperfectum: conſequenter, non poſſe generari abſque congreſſû maſculô: oriri ad partem ex eo, quòd non veram habeat communicationem cum Uterô; unde inſufficiens nutrimenti affluxus etiam inter cauſas molæ generandæ ſtat: & deniquè utriuſque cùm activi tùm paſſivi defectum in molâ generandâ concurrere.

Ibidem Obſervatio 160. De Equiſetô ſub marino Orientali lapidefactô.

GOULD (*Wilielmus*,) M. B. & Collegii Waldhamenſis, quod Oxoniæ eſt, ſocius.

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus A. 1685. p. 315.

Experimenta circa incrementum ponderis in oleô Vitrioli aëri expoſitô, unà cum inventis quibuſdam novis Hygroſcopicis. Ex Tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis, Menſ. Febr. 168 $\frac{3}{4}$ *N.* 156. *p.* 496.

Ex quo celeberrimus Boyleus doctrinam de magnete aëreo erudito orbi communicavit, variè ulterior negotii hujus inveſtigatio curioſos occupavit. Obſervatum inter alia eſt, corpora quamplurima, per ignem nonnullis ſui partibus conſtituentibus exuta, avidè poſtmodùm particulas aëreas imbibere, in tantùm ùt etiam pondere manifeſtô augeantur: cujuſmodi quid deprehenditur in calce, viva præſertim, itemque in capite mortuô ſalis, nitri, aluminis & vitrioli. Eodem ſpectat, quòd omnia ſalia fixa, per deliquium fluida redduntur; quodque terra, ex quâ nitrum fuerat extractum, ſpatio ſeptem annorum in locô umbroſô accumulata, plenè per aërem impræegnata de novô fuerit deprehenſa. Hactenùs tamen hæc de incrementô corporum ex aëre indagatio ferè circa ſolida ſubſtitit: de liquidis enim, cùm proprio, quô conſtant, humore jam abundè ſatiata crederentur, parcior ſuſpicio fuit, ea novum ex aëre pabulum appetere. Nihilominùs cùm caſû animadverſum à nonnullis eſſet, oleum vitrioli notabile ex ambiente aëre incrementum capere ſolere, rem dignam Gouldius exiſtimavit, quum experimento inſtituto curioſiùs inveſtigaret. Rem verò ita aggreſſus eſt. Tres drachmas olei vitrioli, in tantum dephlegmati, ùt filum craſſius corrodendo diſſolveret, vitrô apertô, cujus diameter trium pollicum erat, infudit, illudque bilanci accuratæ impoſitum ſtatuit in locô ab igne & ſole liberô, poſteàque pondus aliquoties quotidie examinavit ac conſignavit, adnotatis infimùl curioſè tempeſtatum ventorumque variationibus. Senſit itaquè pondus in dies augeri, in tantum, ut intrà ſpatium 57. dierum, à tribus drachmis, ad drachmas novem, & 30. grana adſcenderet. Incrementum autem hoc neutiquam æquale quotidie fuit, ſed ſingulis diebus decrevit, & adeò quidem, ùt cùm primæ diei augmentum mox fuiſſet dr. 1. gr. 8. ultima dies vix dimidium granum adjeciſſe ponderi notata fuerit: quò magis enim liquor ſaturatus, eò minùs quotidie incrementum accedere viſum, non æquâ quidem deſcenſûs proportione, ſed eâ modò auctâ, modò imminutâ, pro diverſâ aëris ventorumque temperie. Scilicet obſervatum eſt, incrementum largius fuiſſe tempeſtate humidâ, pluvioſâ, nebuloſâ, aut nivoſâ, flante item auſtrô aut zephyrô, quàm tempore gelidô, clarô & ſiccô, eurôve aut boreâ ſpirante; nocturnis itidem, quàm diurnis horis. Cauſam primariam hujus phœnomeni non aliam ſuſpicatur Gouldius, quàm humiditatem aëris, quam liquor hic tanquam ignis potentialis æquè avidè imbibat, ac nitrum ignis actualis depaſcit; ùt adeò incrementum hoc non aliud ſit, quàm mera aqua. Probat hoc non ex colore tantùm hujus liquoris, qui cùm anteà ſaturatè rubebet, limpidior poſteà evaſit; ſed & ex eô, quòd de materiâ hâc, deſtillationis examini ſubjectâ, liquor primùm prodiit æquè inſipidus ac aqua pura, poſteà verò, igne magis intenſô, guttæ evaſerunt acidæ; remanens in Retortâ oleum eandem corrodendi vim retinuit, ac initiô habuerat. Obſervatum ulterius eſt, quò amplior liquoris ſuperficies, proportione habitâ ad ejuſdem quantitatem, aëri pateat, eò celerius eſſe incrementum. Sic tria hujus olei grana fruſtô vitri infuſa ad latitudinem $\frac{4}{3}$ pollicis, mox primis 6. horis alia 3. gr. attraxerunt, & intra minùs quàm 48. horas liquor jam tantùm non plenè ſaturatus pluſquàm triplum primi ponderis exhibuit. Cæterùm eundem effectum, quem recenſitô hactenùs modô oleum Vitrioli præbuit, expectandum credit inventor ab oleô Sulphuris per Campanam, oleô tartari per deliquium, liquore item Nitri fixi, &c.

Cùm verò oleum Vitrioli, dictô modô ab aëre humidiſſimô plenè ſatiatum, poſtmodùm aut retineat aut remittat acquiſitum pondus, prout aër magis minùſve humoribus ſcatet; Gouldius exiſtimat, ope hujus obſervationis hygroſcopium conſtrui poſſe, accuratione nulli alii cedens. Scilicet liquore dictô modô comparatô libræ impoſitô, ſi ſiccior fuerit tempeſtas, pondera appenſa; ſin humidior, liquorem præponderare. Duplicem verò modum docet, libram talem conſtruendi, quô res accuratiùs procedat: nimirum ùt aut axiculô in mediô ſcapi poſitô, lingula examinis in arcû anſæ applicatô monſtret gradus humiditatis, alterum ſcapi brachium tam prolixum fiat, ùt ejus cuſpis in tabulâ appoſitâ limbum, gradibus diſtinctum, commodè ſtringat. Utrôque modô jubet lancem liquori dicatam fieri ex vitrô concavô, quatuor aut quinque pollicum diametrum habente, quò amplior olei ſuperficies aëri pateat.

Occaſione hujus inventi aliud hygroſcopium facile parabile conſtruere docet ex prolixiore nervô fidium (*Viol-ſtring.*) Jubet enim hunc ſuper aliquot trochleas ità protendi, ùt altera quidem extremitas paxillo infixo alligetur; altera verò pondus appenſum habeat, cui prolixior ſtylus ſuper axiculô verſatilis ſit applicatus: ſtylum nempe hunc in appoſitô limbô gradus deſignaturum, prout pondus, cui inhæret, aut chorda per aëris humiditatem laxata demittatur, aut per ſiccitatem contracta ſurſùm elevetur. Commodius adhuc rem proceſſuram exiſtimat, ſi ſtylus index centro ultimæ trochleæ applicetur.

GOUPYLUS (*Jacobus*) In Provinciâ Pictavienſi natus: Vir eruditiſſimus; Medicinam docuit Pariſiis, cum magnâ celebritate, circa annum 1560. Obiit præ tædiô quod conceperat ex raptû omnium ſuorum manuſcriptorum à militibus factô. *Ste. Marthe in Elog. Doct. Gall.*

Auberti Rhaſis libellum de Peſtilentiâ ex Sirorum linguâ in Græcam tranſtulit: Additis ſimul in eundem Caſtigationibus. Extat cum Alexandri Tralliani Lib. XII. Medicinalibus. Lutetiæ,

tetiæ, apud Robertum Stephanum, 1548. in fol.

Actuarii Joh. fil. Zachariæ, de Actionibus & Affectibus ſpiritus animalis, Græcè edidit.

Scholia in Pauli Æginetæ Libros VII. de Re Medicâ; Extant in iiſdem.

Interpretatio Latina Pedacii Dioſcoridis de Materiâ Medicâ: Additis Caſtigationibus. Vid. Dioſcorid.

Diſputatio de Partû cujuſdam Infantulæ Agennenſis; Extat Parte VI. Operum Jacobi Sylvij, in fol.

Ambroſii Leonis, Nolani, verſionem librorum Joh. Actuarii, ſeptem Annotationibus, & Scholiis illuſtravit. Pariſiis, apud Joh. Roygni, 1548. 8. Ultrajecti 1670. 8.

GOURMELINUS (*Stephanus*) Curioſolita.

De eô extant

Synopſeos Chirurgiæ Libri ſex. Lutetiæ, apud Ægidium Gorbinum, 1566. in 8.

Chirurgicæ Artis, ex Hippocratis & aliorum veterum Medicorum decretis ad rationis normam redactæ, Libri tres. Lutetiæ, apud Gillium, 1580. in 8.

Hippocratis de Alimentô, Liber, Latinitate donatus, & ſcholiis illuſtratus. Lutetiæ, apud Ægid. Gorbinum, 1572. in 8.

GOYNÆUS (*Joh. Baptiſta*) Pyranenſis Iſtrius.

Ex eô habetur

Enchiridion ad quotidianam Medendi Exercitationem. Dialogus item, quòd Philoſophi & Medici dogmatici Juriſconſultos dignitate præcedant. Cum humaniorum ſtudiorum Opuſculis aliquot aliis conjunctum. Venetiis, 1582. in 8.

GOZAR (*Laurentius*) Valentinus, Medicus Doctor, Dialogum ediddiſſe dicitur

De Medicinæ fonte; Valentiæ annô 1589. in quô, ut Andreas Schottus ait, Paracelſum magis quàm Celſum videtur ſequi, hoc eſt Chemiam commendare. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. 2. p. 3.*

GRABA (*Joh. Andreas*)

De eô extat

ἐλαφογραφία, ſive Cervi deſcriptio Phyſico-Medico-Chymica. In quâ tam Cervi in genere, quàm in ſpecie ipſius partiū Conſideratio Theorica & Practica inſtituitur: ad multifariū uſum, præſertim Medicum, omnibus ferè corporis humani affectibus ceu Panacea apprimè conveniens: ſecundum leges ac methodum Academiæ Naturæ Curioſorum elaborata, multiſque Medicinæ ſecretis inſtructa. Jenæ, apud Vitum Jacobum Treſcherum, 1667. in 8.

GRACCHUS (*Sempronius*) Maſſilienſis.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Annô 1694. p. 359.

Medicus hujus ſeculi, ſeu Herma Tyroni Medico expeditiſſimam, quâ eundum, viam monſtrans. Dreſdæ, apud Joh. Jac. Wincklerum, Annô 1693. in 8.

Cum tam vaſtum ſit Medicinæ ſtudium, atque è variis ſcientiis ampliſſimis coagmentatum, ùt iis omnibus, prout par eſt, accuratè cognoſcendis, tota hominis ætas, quouſque etiam extendatur, vix ſufficiat, de Methodô ſolliciti fuerunt artis principes nonnulli, Poſſevinus, Sennertus, Pons, Mercurialis, Hafenrefferus, Schenckius, Rhodius, Plempius, Bartholinus, aliique, quâ mediante longum iter brevius reddatur tyroni, & accuratiùs procedendo altera ejus addiſcendæ pars ad alteram viam præmonſtret regiam, ùt ne tyro præpoſterè agendo remoram ſentiat, aut huç illuc vagetur, ſed feliciori itinere curſum exſequatur. Hos dùm ſedulò evolvit præſentis libelli fictô ſub nomine deliteſcens Autor doctiſſimus, quædam ab iis omiſſa, quædam alio, quàm æquum ipſi videbatur, ordine tractata, haud difficulter obſervavit. Tyronis proinde in gratiam eundem laborem aggreditur, & modum benè addiſcendi artem & prudenter exercendi, ſuis ubique rationibus additis, præſenti bipartitô libellô exponit. Nimirum priori libri parte ea, quæ ad Medicum neceſſario hodie requiruntur, explicat, inculcatque tyroni, ut priùſquam ſe totum Medicinæ tradat, vocationis internæ ad hoc, nec ad aliud vitæ genus, examen ſubeat. Deinde vult, ut eruditionem ſolidam avidè appetat; eapropter & Methodum addiſcendi artem præſcribit, ſuadetque, ùt nec arti nec naturali ſcientiæ manum priùs admoveat, quam Matheſeos & Chymiæ accuratiori cognitione imbutum ſe noverit. Tertiò adhortatur, ùt bonæ famæ ſtudiô flagret, cujus parandæ media, tam ab ægrô, quàm ab adſtantibus, tum maximè à miniſtris Medicorum, eorumque prudenti regimine derivat, & ea prolixiùs indigitat, quæ vel in Chirurgorum, barbitonſorum, balneatorumque examinibus magiſtralibus, vel in obſtetricum novellarum tentaminibus, vel in officinarum pharmaceuticarum viſitationibus probè obſervanda tyroni veniunt. In poſteriori poſtmodùm parte de cauſis contemptæ adeò Medicinæ edifferit, copiam Medicorum; matrimonii, propter majorem ægrorum confidentiam & affluxum, ineundi neceſſitatem; invidiam & calumnias; foſtri tenuitatem; medicaſtrorum denique, pharmacopœorum, raſorum, ſcarificatorum impunè praxin Medicam exercentium patrocinium deplorat, tyronique exponit, ut num his & ſimilibus difficultatibus ſuperandis par ſit, expendat, nè poſtea in mediô ſtudiorum curſû hæreat, & ex genuinô artis filiô in ſemidoctum & empiricum degeneret, aut miſerè vitam ducat.

GRADI (*Antonius de,*) Mediolanenſis; Principis Ducatus Mediolanenſis Medicus. Vixit A. C. 1468. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eo habetur

De Febribus Tractatus, ſigna, cauſas & curas Febrium complectens. Lugduni, apud Jacobum Myt, 1517. in 4. cum aliis ejuſdem argumenti, apud Johan. Moulin, 1527. in 4. Extat etiam cum Joh. Matthæi de Gradibus Practicâ, quem vide: itemque cum Clementii Clementini Lucubrationibus. Baſileæ, apud Henricum Petri, 1535. in fol.

GRADIBUS (*Joh. Matthæus de,*) Natus eſt ex nobili familia Ferrariorum, cognominatus verò de Gradibus à patriâ Grado, prope Mediolanum ſitô oppidô: primum in Collegio patriô Medicus fuit excellentiſſimus & deindè in Gymnaſio Ticinenſi Medicinam publicè docuit: fuit etiam per multos annos Duciſſæ Mediolanenſis Archiater. Minimè mortuus eſt annô 1460. ſiquidem in fine dedicationis quam ipſe præmittit Parti ſecundæ commentarii ſui textualis in nonum Almanſoris, legitur: Dat. Papiæ, die 9. Menſ. Octobr. 1471.

De

De eô extant

Practicæ pars prima & ſecunda, vel, Commentarius textualis: Cum Ampliationibus & Additionibus Materiarum in nonum Rhazis ad Almanſorem: Adjunctô etiam textû. Papiæ, apud Aloyſium Comenſem, & Barthol. de Trottis, 1497. in fol. Lugduni, apud Johan. Moulin, 1527. in 4. Venetiis, apud Juntas, 1520. 1560. in fol. hoc titulô:

Practica, ſeu, Commentaria in nonum Rhaſis ad Almanſorem Johannis Matthæi Gradij, *Mediolanenſis*. In quibus Morborum omnium, qui unamquamque humani corporis partem invadunt, natura, ſigna, cauſæ, curationeſque luculentiſſimè explicantur. Antonii Gradi, Medici, de Febribus aureum Opuſculum. Jano Matthæo Duraſtante, Medicô, Cenſore.

Expoſitiones ſuper vigeſimam ſecundam Fen tertiæ Canonis Avicennæ. Mediolani, apud Jacobum de S. Nazario, 1494. in fol. Adjectæ ſunt expoſitiones ſuper lib. Avicennæ de Urinis.

Conſiliorum ſecundum vias Avicennæ ordinatorum utile Repertorium; Additis Antiquiſſimi Medici Rabbi Moyſis de Regimine vitæ, quinque Tractatibus, necnon Raymundi Lullii de ſecretis Naturæ libris duobus. Venetiis, apud Octav. Scottum, 1514 in fol. Lugduni, 1535. in fol.

Tractatus de Urinis. Mediolan. per Jacob. de Sto. Nazario de Rippà, 1594. 4.

GRÆBNERUS (*David*) Uratiſlav. Phil. & Med. D.

De eô extat in Actis Lipſienſibus A 1696. p. 147.

Medicina vetus reſtitutaqve ſive, Paragraphe Hippocratico-Galenica in Theodori Craanen Tractatum Phyſico-Medicum de Homine. Lipſiæ, apud Davidem Fleiſcherum, A. 1695. in 4.

NOli mirari, L. B. Medicinam novam Carteſianam, quam *Celeberrimus* quondam *Craanius* in eruditiſſimô de Homine tractatû A. 1689. p. 535. à nobis recenſitô fuit profeſſus, in Commentariô ſive Paragraphe præſenti ſub Medicinæ Veteris Reſtitutæ exhiberi titulo. *Nobiliſſimus* quippe *Græbnerus*, ex aſſiduâ Autorum lectione perſpectum habens, multa, ſi non omnia, in ſcriptô laudatô pro novis venditari, quæ tamen nec ipſos veteres licet acerbius paulò tractatos latuerint, ſtrenuam horum in ſe vindicationem hîc ſuſcipere annititur, ſimulque evidenter oſtendere, quod placita omninò majorum à *Craanio* non improbata, ſed multò magis comprobata fuerint illorum dogmata, quamvis tectè, rectè tamen explanata; unô verbô, Medicina priſcorum priſtinam in dignitatem reſtituta. Quem in finem, ùt pauca pro inſtituti ratione excerpamus, corporis animalis cum machinâ vel horologiô comparationem non Carteſio demùm, ſed Apulejo dudum, Ariſtoteli & Galeno innotuiſſe, è textibus, quos adſcribit, convincit. Neque novum Autoris eſſe dogma, quod vapores in cavitate abdominis obvelitantes veſicam penetrent, partemque aliquam urinæ ibi conſtituant, cum idem olim Heraclitus Philoſophus, teſte *Ariſtotele ſect.* 14. *Probl.* 6. tradiderit, ejuſque veſtigia Aſclepiades, *à Galenô lib.* 1. *de natur. facult. C.* 13. ideò refutatus, legerit. Qualitates occultas vel ipſi *Galeno* ſuſpectas fuiſſe advertit, quòd nihil ſcientes ad alterum de duobus confugere vel ad nomina ignota, vel ad qualitates occultas, *lib.* 3. *de Præſag. ex Pulſ. C.* 5. is pronunciet. Quemadmodum in reſpirationis doctrinâ, quâ pulmones paſſivè tantùm ſeſe habere, aërem autem à ventre & thorace propulſum ob vacui defectum ingredi pulmones declaratur, tum *Galenum* pariter, tum *Platonem* in medium adducit. Illum quidem, quia *lib.* 5. *de loc. aff. C.* 4. reſpirationis actionem ad thoracem referat, omnemque pulmonibus actionem deneget; hunc verò, quod in *Timæô C.* 17. reſpirationem per circumpulſionem ſive perioſin eodem ex fonte explanet. Dùmque pulmo ab *Hippocrate de Reſect.* antroſus, ac lien à *Galeno lib.* 4. *de uſû parte C.* 15. rarus admodum & inſtar ſpongiæ laxus deſcribuntur, non aliam viſcerum horum texturam innui aſſerit, quam qualem Malpighius poſtmodum diſtinctiùs enodaverit. Hinc inde nihilominùs *Craanio* contradicere Noſter haud veretur, quatenùs e. g. non modò hiſtoriam cultrivori Pruſſiaci, in dubium vocatam, ex Ephemeridibus Germanorum ipſâque inſcriptione Regiomonti in Bibliothecâ Elector. Brandenburg. à ſe viſâ confirmat, ſed & œnanthis ſuccum viroſum eſſe Botanicorum teſtimoniô ſuffultus pernegat, vaſiſque lymphaticis, quæ ex abdomine ad inteſtinum rectum tendant ac flatus & vapores eò deponant, fidem omnem derogat. Præterea tamen recentiorum quoque monumenta ſpiſſè citat, anſamque loca parallela evolvendi uberrimam ſubminiſtrat, propriis quandoque obſervationibus interſperſis; prout v. g. febrem ſeptanam nonalem & annalem, imò febrem in die natali ægri perpetuò invadentem, picam itidem in cane prægnanti, à ſe annotatas commemorat. Tandem locupletiſſimum rerum Indicem cum duplici numerô, quorum prior Craaniani operis, alter autem hujus libri paginam indigitat, curavit adjici.

GRAEFF (*Regnerus de,*) D. Medicus Delphenſis, ea quæ de ſtructurâ partium genitalium à præceptore ſuô, Johanne van Horne, demonſtrata viderat, in ordinem digeſſit, & quod ille morte præmaturâ præventus præſtare non potuerat, orbi literato communicavit. Hunc in finem ſeorſim edidit primum tractatum de organis virorum, generationi inſervientibus, deinde ſeorſim tractatum novum de organis mulierum, generationi dicatis, quô demonſtratur, tam homines quàm cætera animalia omnia, quæ vivipara dicuntur, haud minùs quàm ovipara ab ovô originem ducere. Scripſit quoque epiſtolam de nonnullis circa partes genitales inventis novis, item de uſû ſiphonis in Anatomiâ. Quæ omnia deinde conjunctim prodiere Lugduni-Batavorum ex officinâ Haackianâ 1677. in 8. Cum verò deinde lis ipſi moveretur de hiſce novis inventis, ſcripſit defenſionem partium genitalium. Multa quoque curioſè diſſerit de indole ſucci pancreatici, undè non ſolùm ſub præſidiô Franciſci de le Boe Sylvii in Academia Leidenſi publicè diſputationem habuit de pancreate ejuſque ſuccô; ſed & tractatum Anatomico-Medicum de naturâ & uſû ſucci pancreatici. Oſtendit præcipuè modum quô poſt varios fruſtraneos conatus in cane vivô ſuccus iſte colligi queat, eumque in præſentiâ multorum publicè demonſtravit annô 1665. ſumpſit nempe canem jejunum; cui trachea; (ore nempe, nè mordeat, vinculis obligatô) eſt reſerata, ùt per iſtam aperturam reſpirare queat. Hinc abdomine raptim apertô, mox cùm ſub pyloro, tum infra ductûs pancreatici exitum colligavit, inteſtinum, idque inter duas iſtas ligaturas parte ſui externâ à meſenteriô liberâ diſſe-

cuit & aperuit, ac ſpongiâ bilem, pituitam aliaque extergendo mundificavit; Tunc illicò tenuem calamum anatis ſylveſtris, cujus uni extremitati parvam lagenam vitream anguſti orificii firmiter adaptavit, in ductum Pancreaticum, alterâ extremitate immiſit, atque acû, filum duplicatum trahente, inteſtinum, eundemque ductum calamo atque lagenæ adſuit, ùt calamus cum lagenâ vitreâ extra abdomen pendula ab inteſtinô & ductû recedere non poſſet. Hoc factô inteſtina foris pendula verſùs interiora reduxit, & abdominis aperturam filo forti rurſùs conſuit, atque ſic canem, quouſque potuit (nempe ad horas octo vel decem) in vitâ ſervavit, talique modô hujus liquoris, ſpatio 7. vel 8. horarum, mediocrem quantitatem è ductû per calamum in lagenam vitream defluentis collegit, & ſaporis ſubacidi nonnihil ad auſterum inclinantis deprehendit. Quæ omnia in citatâ diſputatiòne latiùs comprehenduntur. *Gœlicke in Hiſt. Anat.*

De eô extant

Diſputatio Medica, de Naturâ & uſû ſucci Pancreatici. Lugduni Batavorum, ex officinâ Hackianâ, 1664. in 12.

Tractatus Anatomico-Medicus de ſucci Pancreatici Naturâ & uſû. Acceſſit Epiſtola, de Partibus Genitalibus Mulierum. Ibidem, ex eâd. 1671. in 8. Extat etiam cum Danielis le Clerc & Johann. Jacob. Mangeti Bibliotheca Anatomica: Genevæ apud Johan. A. Chouët, 1685. in fol.

De Virorum Organis, Generationi inſervientibus; de Clyſteribus: & de uſû ſiphonis in Anatomiâ. Lugduni Batavor. & Roterodami, ex officina Haackiana, 1668. in 8. Ibidem, 1670. in 8. Ibidem, 1672. in 8.

Tractatus de Virorum Organis Generationi inſervientibus: Seorſim etiam extat cum Danielis le Clerc & Joh. Jacob. Mangeti Bibliotheca Anatomica. Genevæ apud Joh. Anton. Chouët, 1685. in fol.

Epiſtola de nonnullis circa Partes Genitales Inventis novis. Lugduni Batav. 1668. in 12.

De Mulierum Organis Generationi inſervientibus, Tractatus novus: Demonſtrans, tam Homines & Animalia cætera omnia quæ Vivipara dicuntur, haud minùs quàm Ovipara, ab Ovô originem ducere. Ibidem ex Officinâ eâdem, 1672. in 8. Extat etiam cum Danielis le Clerc & Joh. Jacob. Mangeti Bibliotheca Anatomica. Genevæ, apud Joh. Antonium Chouët, 1685. in fol.

Defenſio Partium Genitalium. Lugduni Batavorum, 1673. in 8. Extat etiam cum Danielis le Clerc & Joh. Jacobi Mangeti Bibliotheca Anatomica. Genevæ, apud Joh. Anton. Chouët, 1685. in fol.

Opera omnia. In quibus continentur I. Tractat. De virorum organis Generationi inſervientibus. II. Epiſtola ad Vir. Cl. Lucam Schacht, Medicinæ profeſſorem in Academ. Lugdun. Batav. de Partibus Genitalibus Mulierum. III. De Mulierum Organis Generationi inſervientibus. IV. Partium Genitalium Defenſio. V. Tractat. de Succi Pancreatici Naturâ & uſû. VI. De Clyſteribus. VII. Epiſtola ad Vopiſc. Fortunat. Plempium. VIII. De uſû Siphonis in Anatomiâ. Lug. Batav. ex Officinâ Haackianâ, 1677. in 8. & Lugduni, apud Huguetan 1678. 8. *cum fig.*

Obſervatio de Arteriis Carotidibus induratis. Extat Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Germ. Ann. I. N. 127.

De Monſtroſô Uterô. Ibid. An. eod. N. 128.

GRAMANNUS (*Johannes*)

Ex eô habentur

Tractatus de Pharmaco purgante: Quod Galeni mancipia, Pſeudo-Medici, ac Logiatri ſuis catharticis, ſeu purgantibus, cùm ſint deleteria, venenoſa, corroſiva, nullô ſpagirices artificiô ſeparata, digeſta, atque correcta, plurimùm obſint. Erphordiæ, 1593. in 4.

Apologetica Refutatio Calumniæ, quâ Paracelſiſtæ Philoſophi & Medici ſaniores nimis violenta corroſiva deleteria ægris propinare dicuntur. Erphordiæ, 1593. in 4.

GRAMMATÆUS (*Henricus*)

De eô extat

Tabula cognoſcendorum humorum ſecundum horas Planetarum, 1524. in 4.

GRAMMIUS (*Caſo*,) Phyſices & Gr. Ling. Prof. Kilienſ. in Holſatia

De eô extant

Obſervatio de Fœtû in uterô putrefactô, & per partes, uſû vini medicati, excluſô. Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. II. N. 256, & de verbo ad verbũ, Ann. III. N. 18.

De Fonticulô naturali in abdomine & thorace. Ibid. Ann. eod. N. 257. & Ann. III. N. 18.

De Calculô Veſicæ pullum anſerinum figurâ referente. Ibid. Ann. III. N. 19.

De fonticulis in Capite, ubi ſutura coronalis ſagittali committitur. Ibid. Ann. eod. N. 81.

GRANADO (*Chriſt.*) Aſtigitanus.

Ex eô habetur

De Phlebotomiâ. Hiſpal. 8. 1618.

GRAND (*Antonius le*,) Duacenſis

Ex eô habentur

Hiſtoria Naturæ, variis Experimentis & Ratiociniis elucidata, ſecundum principia ſtabilita in Inſtitutione Philoſophiæ. Londini, apud J. Martin. 1673. in 8. Norimbergæ, apud Johan. Ziegerum, 1678. in 8. Londini, apud J. Martin. 1680. in 4. Hæc poſtrema Editio prioribus auctior eſt.

Diſſertatio, de carentiâ ſenſûs & cognitionis in brutis. Norimbergæ, apud Johannem Ziegerum, 1679. in 8.

Inſtitutio Philoſophiæ, ſecundum Principia D. Renati *Des-Cartes*, novâ methodô adornata & explicata. Londini, apud J. Martin, 1680. in 4. Norimbergæ, apud Johannem Ziegerum, 1683. in 4. Agit autem hæc parte I. de Logicâ: Part. II. de Theologiâ naturali, ſeu, de Summo Numine: Part. III. de Dæmonibus, ſeu de Intelligentiis & ſpiritibus creatis, Geniis, & Dæmonibus, quos Angelos vocare ſolemus: Part. IV. de Phyſicâ generali; Part. V. de Phyſicâ ſpeciali & quidem de Mundô & Cœlô in ſpecie: Part. VI. de quatuor Corporibus magnis, Terrâ, Aquâ, Aëre & Igne, & quæ mixta vel compoſita ex iis oriuntur: ubi etiam de Metallis & Meteoris: Part. VII. de Viventibus in genere, atque etiam in ſpecie de Plantis & Animalibus: Part. VIII. de Homine, quoad Corpus ejus ſpectatô: Part. IX. de Homine, quoad mentem (alterâ ejus parte) ſpectatô: Part. X. de vitâ Hominis rectè inſtituendâ.

Curioſus Rerum abditarum, Naturæque arcanorum Perſcrutator, ſeu, Compendium rerum jucundarum & memorabilium, in quô naturæ arcana,

arcana, multæ rerum ſympathiæ & antipathiæ & Autoris obſervationes referantur. Francofurti, 1861. in 12. ſine nomi mprimentis. Noribergæ, apud Johannem Ziegerum, 1681. in 8.

Apologia pro Renato *Des-Cartes*, contra Samuelem Parkerum, S. T. P. Archi-Diaconum Cantuarienſem. Norimbergæ, apud Johannem Ziegerum, 1681. in 8.

Animadverſiones in Jacobi Rohaulti Tractatum Phyſicum Gallicè emiſſum, & Latinitate donatum per Thomam Bonetum. Londini, 1682. in 8.

GRANDI (*Lazarus*) Med. Doct.

De eô extat

Alphabeto di ſecreti Medicinali. Milano, 1666. 8.

GRANDIUS (*Jacobus*) Medicus, Philoſophus, & Anatomicus.

De eô extat in Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. A. VI. in Append.

De פוך ſive Stibio, ejuſque uſu apud antiquos in re Coſmetica Diſſertatio per Epiſtolam, in cujus Exordio obiter de aquâ Niloticâ, deinde de Stibii mentione in ſacris Literis, & de Fucorum Materiâ diſquiritur, nonnullaque, tam Sacrorum Interpretum, quàm Veterum Autorum loca, expenduntur, illuſtrantur & emendantur: ad Virum Illuſtrem & Doctiſſimum Jobum Ludolfum S. C. M. Conſiliarium. Norimbergæ anno 1688.

GRANGERIUS (*Bonaventura*) Pariſienſis.

De eô extant

De Cautionibus, ſanguinis in Miſſione adhibendis. Pariſ. 1578. in 4.

In defenſionem Libelli Leon. Botalli, *Aſtenſis*, de curandi ratione per ſanguinis miſſionem à Georgiô Caſpiô, *Hannoniô* ſuſceptam Animadverſio. Baſileæ, apud Johannem Mareſchalkum 1580. in 8. Pariſiis apud Jac. Du Puys, 1581 in 8.

Theophraſti Philoſophi de ſudoribus Libellus unus: de Vertigine, Libellus alter, Latinè converſi & Annotationibus illuſtrati: Adjecta ſunt ſudorum prognoſtica ab Eodem verſibus Latinis deſcripta, ex Hipp. & Galeni ſcriptis. Pariſiis, apud Johann. de Bordeaux, 1576. in 8.

GRANITUS (*Conſtantinus*)

De eô extant

Epiſtolæ & Conſultationes Medicæ, in 4.

GRAPALDUS (*Franciſcus Marius*)

Ex eô habetur

De Partibus Ædium, cum Additamentis, opuſculum. In quô, quæ ad Medicinam illuſtrandam faciunt, plurima traduntur. Parmæ, apud Franc. Ugoletum, 1506. in 4.

GRAPHÆUS (*Beneventus*) de Jeruſalem.

Ex eô habetur

Ars probata, de oculorum affectibus. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1497. in fol.

GRAS (*Henricus*)

Anton. Saportæ, Lib. V. de Tumoribus præter naturam edidit, cum Johan. Saportæ, de Lue Vereneâ. Lugduni, apud Petrum Ravaud, 1624. in 12.

Item, Franciſci Ranchini Opuſcula Medica.

Item, Joh. Saportæ Tractatum de Lue Venereâ.

Johannis Varandæi Opera omnia, ad finem Codicum ipſius Autoris Manuſcriptorum recognovit & emendavit, poſtremâque hâc Editione multis Tractatibus nunquam antea editis auxit. Lugduni, apud Chriſtophorum Fourmium 1658. in fol.

GRASECCIUS (*Georgius*) Argentinenſis;

Ex eô habentur

Μικροκοσμικὸν θέατρον, in quô fabrica humani Corporis maſculum repræſentantis affabrè demonſtratur; unà cum Icone maſculi hominis diſſecti, ſeorſim expreſſa. Argentorati, apud Johan. Carolum, 1605. in 8.

Scatebra Petrina, ſive Acidularum D. Petri & Grieſbacenſium. Cui accedit præcipuorum humani corporis morborum Medica Praxis, ad Thermarum uſum accommodata. Argentinæ, apud Jobum. 1607. in 8.

Oratio de dictô vulgari: Medicè vivere, eſt peſſimè vivere. Extat Orationum Argentinenſium Tomo, II. pag. 165. edit. Argentorati, apud Lazar. Zetznerum, 1611. in 8.

GRASSIUS (*Erneſtus Sigiſmund.*) Phyſicus in Javer. Sileſ.

De eô extant in Miſcell. Decur. 2. Annô 4.

Obſervatio 22. De Calore poſt mortem perdurante.

Ibidem Obſervatio 23. De ſulciâ Hallenſi Tirolia.

Ibidem Annô 5. Obſervatio 44. Sitis Quartanam comitantis exemplum rarius.

Quemadmodùm ſub œconomiæ animalis regimine laudabili, dum per crebros & veloces fluidorum circulos multùm humoris conſumitur, humidi tandem defectus inferendo ſitim lymphatici liquoris, communis illius tot difformium particularum in corpore humanô vectoris reſtitutionem per potulentorum aſſumtionem non rarò permoleſtè ſatis urget; ità ab eôdem afflictionis genere longè magis excruciantur ægrotantium corpora, eorum imprimis, quorum præcordia febrili torrentur æſtû; ſitis enim eſt immediata caloris ſoboles; Non vero in continuis ſolùm & Cauſô, ſed & imò graviùs ſæpè in intermittentibus tormenti hoc genus adeſt, ùt ſingulâtem ſiticuloſarum ſpeciem conſtituere non dubitaverit *Sylvius.* Quartanarii ſaltem hâc vice vidimus ſitim, qualem me nunquam aliàs obſervâſſe memini. Generoſus è viciniâ Eques in 15. annorum decurſû ultra tredeciès febri tentatus tertianâ intermittente quam totiès irriguô Bacchi Ungarici nimbô feliciter ebrius citra medicamentum aliud fugaverat, Poliarchi illius è *Barclaiô* exemplum fortè ſecutus, tandem annô 1684. Menſe Juliô ultra quinquagenarius in gravem incidebat Quartanam, quam vinô pro more diluere veritus, curandam meis exponebat præſidiis. Certamen cum hâc verſatili febri in corpore valdè cacochymicô & ſcorbuticô mihi contigit acerbum, & per recidivas diuturniùs atque tædioſiùs quàm vix aliud unquam, finitum tamen feliciter, benedicente Divinô Numine, Menſe Novembri ejuſdem Anni. Inter plura alia nec levia ſymptomata, ubi non longè poſt initium curæ paroxyſmi jam erant infracti adeòque leviores & breves verſùs vel circa veſperam ingruere ſoliti, præcipuè ſitis inextinguibilis Nobiliſſ. ægrum, paroxyſmô, licèt ut plurimùm jam finitô, tanto-

perè torquebat, ùt pleniſſimis hauſtibus potulenta ingurgitaret totaſque noctes potando & frigidâ oris elotione conſumeret. Id verò notatû dignum erat, quòd plerumque ſitis, poſtquam ſic totâ nocte abſque febrili calore deſævierat, ſimùl ac diluculum appareret, incantamenti inſtar plenariè & in uno quaſi momentò diſpareret; imò unâ ſive alterâ vice, licèt paroxyſmus vel potiùs paroxyſmi jam ferè deleti ſaltem veſtigium ante unam circiter horam jam tranſiiſſet, ſitis illa indomita demùm cùm crepuſculô veſpertinô invaderet & accedente diluculô conſimili ratione ſubitò iterùm evaneſceret ſine ſenſibili cauſâ. Aliquando hujuſmodi ſitis tunc abſentis locum dolores hypochondriorum intenſi occupavêre, pari ratione cum lucis diuturnæ adventû ſponte fugati; Aliquotiès vehementia ſitis & diuturnitas imminui ſe paſſa fuit tum copioſiſſimâ aqueorum & diluentium ingeſtione, tum aliis ſitim ſedantibus medicamentis, inter quæ eminebat ſpiritus Croci Metall. clyſſiformis vitrioli phlegmate permiſtus.

Dubio equidem caret ſiticuloſum hocce phœnomenon à motû fermenti febrilis ſed concentrati & jam enervati ortum traxiſſe; ſed haud omni raritate, *quòd abſentiam ſolis tam accuratè obſervaverit.*

Ibidem Obſervatio 45. *De Vermibus inteſtina innoxiè perforantibus.*

Ibidem Annô 6. *Obſervatio* 141. *De Panacea Hippiatricâ.*

Ibidem Obſervatio 142. *De ſpina dorſi fracta Chirurgiâ crudeli.*

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 89. *De Lumbricorum Terreſtrium regeneratione.*

Ibidem Obſervatio 90. *De Vipera morſu.*

Ibidem Annô 9. *Obſervatio.* 57. *De vasculô Vitreô ſpiritû Nitri plenô ſponte ruptô.*

Ibidem Obſervatio 58. *De Volatilium externè adhibitorum virtute.*

NOtatu digniſſima omninò ſunt quæ Celebratiſſimus Lipſienſium Practicus B. D. Ettmullerus Diſſert. de Virtut. Opii Diaphor. C. 2. S. 21. &. C. 3. S. 13. de medicamentorum diverſis in caſibus præcordiis applicatorum efficaciâ, tum è doctiſſimi Fernelii, tum propriæ experientiæ penu deprompſit. Ad aliena jam non ulteriùs progrediar exempla, cùm nec mihi defuerint in Praxi ad majorem hujus Effati confirmationem apprimè facientia. Annô 1681. Menſ. Apr. me Fœmina quædam Nobilis adibat, conſilium petitura antiquartium. Per anni tres quadrantes variis jam medicamentis alibi fuerat vexata, eô quidem ſucceſſû ùt febris primò, in duplicem tandem mutaretur, menſes obſtruerentur & ventriculus nauſeabundus omnia reſpueret medicamenta interna. Quamvis verò Ægræ ſatis ſuperque oſtenderem, quòd curatio pertinaciſſimi hujus morbi à ſolis, quæ unicè urgebat, præſidiis externis ſperari minimè poſſet, adeòque omnia, quæ ex Artis præſcriptô requirebantur, præcipuè interna ordinarem; omnibus tamen domi ſepoſitis poſteà nil niſi externum quem ipſi unà cum aliis commendaveram, liquorem penetranti primùm ex Alcali quadam volatili Eſſ. Camph. & Oleo Caryophyll. compoſitum atque mane & veſperi imprimis ante ingruentem paroxyſmum febrilem ſcrobiculo cordis, adhibitâ ſimul frictione diligenter illinendum, uſurpavit, id quàm feliciſſimè. Cùm enim medicamenti hujus uſum per octiduum circiter continuaſſet, præter omnem expectationem meam, à febri diuturnâ libera atque immunis evaſit.

Annô 1689. M. Novembr. Illuſtr. C. ab H. œconomiæ Præfectus febri correptus petechiali, graviſſimè decumbebat ſymptomatum multitudinem, ex morbi in principiô neglectû, & macularum hinc proveniente modò eruptione, modò cum ſummis anxietatibus ad interiora receſſû. Dùm ergò ſic diutiùs protrahitur morbus & tuſſis accedit humida, ſubitò tandem exoritur dolor rodens, iſque atrociſſimus in hypochondriô ſiniſtrô cum tumore ibidem durô pugni magnitudinem æquante, & expectoratio quæ adfuit, ſupprimitur. Inter remedia tùm internè tùm externè ad doloris, atque tumoris diſcuſſionem adhibita vix præſentius attulit levamen, quàm liquor quidam volatilis mihi in Praxi familiariſſimus & Nervinus volatilis appellatus, qui ex Alcali volatili, ſpiritû Apoplect. Eſſent. Caſt. & Camph. Conſtat. Nam tumor emolliebatur & vagabundus jam verſus inguen, jam umbilicum verſùs declinabat; quod verò palmarium erat, ſputum anteà ſuppreſſum redibat, idque, ùt ipſe confitebatur, ex profundô tumoris antea narrati per Tuſſim accerſendum, ac medicamenti volatilis externè adhibiti odore pariter atque ſapore imbutum.

Ibidem Ann. 10. *Obſerv.* 55. *De Andriâ Sileſiacâ.*

Ibidem Obſerv. 56. *De Conceptû prodigioſô.*

Ibidem Obſervatio 57. *De Bezoardicô Martiali Reguli Parergon.*

Ibidem Obſervatio 58. *De Floribus ſulphuris ſimplicibus ſupervacaneis.*

Ibidem Obſervatio 59. *De ſudore viſcidô & ſalutari.*

Ibidem Obſervatio 60. *Ecchymoſes notabiles.*

Ibidem Dec. 3. *Annô* 1. *Obſervatio* 125. *De Brachiô faſcinatô.*

Ibidem Annô 3. *Obſervatio* 21. *De Calculâ per alvum excluſô.*

Ibidem Annô 5. *&* 6. *Obſervatio* 14. *De Veſicatoriorum efficaciâ.*

INter quamplurima, quæ in praxi contigêre Veſicantium proſperè adhibitorum exempla, eminere videntur ſequentia. Annô 1683. 28. Aug. Puerperam dignitate primariam hujus civitatis, 14. à partû diebus, Paroxyſmus ſubitò invadebat epilepticus, ad 17. uſque menſis ſequentis diem, ſeptimâ vice recurrens. Facies paroxyſmô incipiente rubore notabili ſuffundebatur, imò & collum & brachia, quouſquè nuda conſpiciebantur, rubeſcebant. Extra tales inſultus ſincipitis varias partes dolores infeſtabant acerbiſſimi & continui. Tollendis hiſce malis impariа erant omni ſtudio adhibita remedia tam interna quàm externa, interque ea ſectio ſaphænarum, hirudines fronti affixæ, ipſaque nuchæ applicata veſicatoria. Quin imò dolorum vehementia delirium primò mitius, tandem verò plenariam mentis emotionem furibundam pariebat. Idcircò aliis vel nihil proficientibus vel ampliùs non admiſſis, inter medios furores ægræ neſcienti duo veſicatoria majora ſupra malleolos pedum interiores per 10. horas fuêre applicata, eô quidem cum ſucceſſû, ùt paucis poſt admotionem horis adeòque ante veſicarum adhùc exortum quietior, ſequenti verò die, primô poſt tot vigilias obveniente ſomnô, à deliriô ſenſim libera fieret, ſibi reddita omnium præteritorum immemor, ſicque brevi integram ſanitatem recuperaret.

Vir

Vir illuſtris ac generoſiſſimus quinquagenario haud multùm major, & per annos 20. poſteriores arthriticus, tandem in Cephalæam incidebat graviſſimam, quam ſi in tali ſubjectô arthriticam cognominaveris, fortè non errabis; præſertim cùm & durante Capitis dolore arthritici paroxyſmi primordia gliſcerent. Atrocitas effectûs atque ſymptomatum concomitantium Nobiliſſimum ægrotum in ſtatum redigebant moribundo ſimilem: Nimirùm 16. 17. & 18. Martii 1686. cum pulsû languidiſſimô loquela deficiebat, atque interrogata rariſſimè & vix ampliùs intelligebat, urina involuntariè profluebat ſicut & alvinæ feces, corpore præter brachium dextrum plane immobili exiſtente, & ſpiritu quoque, quem ore hiante ducebat, tandem ſæpiùs interceptô. Imprimis verò 18. Mart. omnia ad interitum vergebant, quem adſtantium corona tanquam certiſſimum lacrymis jam urgebat acerbis, nec immeritò; ſenſus enim omnes, & motus etiam priùs adhuc ſponte mobilis brachii dextri erant aboliti, neque inclamationes in aures fortiſſimas audiebat æger, pervolutô in latus ſiniſtrum corpore priùs ſemper reſupinô, ex ore profluebat amurca nigreſcens, & dejectio alvi clyſtere ſollicitata, haud multùm abſimilis erat, acidiſſimi prætereà fœtoris. Mihi tamen tantillum ſpei repullulabat ex ſudore blandô univerſali cum corporis totius incaleſcentia oboriente, qui poſtea uſque ad 20. Mart. conſtanter continuavit. Hinc quamvis jam antequam res ad has anguſtias devenirent. 4. veſicatoria ad nucham & tibias adhibita periculum avertere nequiviſſent, tamen ad eandem denuò confugere anchoram non dubitavi, & dictâ die 18. Mart. poſt hor. 11. antemerid. etſi omnium oculis res penitus conclamata videbatur, ad 4. pedum malleolos 4. veſicatoria latiora unâ vice applicare juſſi, ad quorum effectum obtinendum uſque ad craſtinum mane adeòque triplô majori, quàm aliàs fieri ſolet, tempore expectandum erat, 19. Mart. mane ex veſicis tùm demùm apertis ichor flavus largiter emanabat, cujus effectum auſpicatum ſenſûs & motûs ut & loquelæ, quam verſus meridiem hujus diei recuperare incipiebat, tam parvô 4. vel 5. horarum intervallô reſtitutio abundè teſtabatur. Delirium ſuccedebat per plures dies cum ſiti valdè intenſâ & tandem menſe ſequenti ſanitatis redintegratio, licèt ſat brevis. Eâ namque diutius gaudere, Recidiva proximo menſe Maiô ſuperveniens lethalis haud permittebat, occaſionem ſubminiſtrante caſû ab equo graviſſimô. Laudibus tamen veſicantium hactenùs recenſitis tenebras fortè non offundet, quòd repetitus eorum variis in locis uſus hac vice non ampliùs ſuffecerit, vel enim planè non operabantur, vel ægerrimè & multô labore excitatæ veſicæ, mox iterùm exareſcebant, ſuccedente notabili partis excoriatæ intumeſcentiâ. Ubi imprimis relatû dignum, quod in pedis dextri malleolô externô veſica tandem obtenta inſtar ovi ſubventanei inanis & nullo planè humore ſtillans fuerit inventa, id quod concluſionem ex aliis id genus caſibus jam formatam magis confirmabat. Veſicatoria nempè eò difficiliùs effectum ſortiri, quò magis humores ad coagulationem tendunt, unde & actio earum fruſtrata in malignis ſemper mali ominis habenda.

Ibidem Annô 9. & 10. Obſervatio 22. De Venaſectione imminente Partû ſalutari.

GRASSIUS (*Lic. Sigiſmund.*) Phyſic. Suidnicenſ. in Sileſia.

De eô habentur

Obſervatio de Oculi Paralyſi ex caſu. Extat Ephemerid. Acad. Nat. Cur. German. A. I. N. 71.

De Saphanarum ſectione, an in menſium obſtructione cenſeri poſſit exitioſa. Ibidem A. III. N. 53.

De V. S. ſpontaneâ & naturali. Ibid. eôd. Ann. N. 54.

De V. S. in Variolis. Ibidem eôdem Annô, N. 55.

De Mercurio, Veneni Variolici Alexipharmaco. Ibid. eôdem Ann. N. 56.

De Iſchuriâ paroxyſmô Epileptico ſolutâ. Ibid. eôdem Ann. N. 212.

De viâ, quâ Pleuriticorum ſputa perveniunt ad Arteriam aſperam. Ibidem eôdem Ann. N. 213.

De Excreſcentiis floriformibus in Salice luxuriantibus. Ibid. eôd. Ann. N. 264.

De degeneratione roſarum. Ibidem Annô IV. & V. N. 93.

De roſâ proliferâ & liliô albô bulbiferô. Ibid. eôd. Ann. N. 94.

De Ceraſô pleniflorâ proliferâ. Ibid. N. 95.

De frigidâ vomitûs & diarrhœæ medelâ. Ibid. N. 96.

De acidulis Suidnicenſibus. Ibid. N. 97.

De Lacte per ſcarificationem extracto. Ibid. Ann. IX. & X. N. 65.

De Lactis è femore fluxu. Ibidem eôd. Ann. N. 66.

De urina & ſero ſanguinis nigro. Ibidem N. 67.

De urinæ rubore ex eſu fungorum Capreolinorum. Ibid. eôd. Ann. N. 68.

De Calculis & arenulis ex fonticulo ſpontaneo. Ibid. eôd. Ann. N. 69.

De Eryſipelate raro, fonticuli naturalis additamento. Ibidem eôdem Ann. N. 70.

De Cucurbitarum ſcarificatarum efficacia. Ibid. N. 71.

De Hæmorrhagia uterina ſalutari in ultraſeptuagenariâ. Ibidem Annô eôdem, N. 166.

GRASSIUS (*Samuel*) Practicus Uratiſlavienſis.

De eô extant in Miſcell. Cur. Dec. 3. Ann. 2.

Obſervatio 70. De Inauditâ mortis cauſâ.

Ibidem Anno 3. Obſervatio 40. De perforatô ventriculô Hydropis Aſcitis cauſa.

Ibidem Obſervatio 41. De Symptomate circà emiſſionem urinæ oppido rarô.

Generoſus quidam Liber Baro, ſeptuaginta jam annorum, ſtrenuus Veneris & in vegetâ ſenectute Cultor, ante duos abhinc annos cùm urinam ſine difficultate emitteret, obſervavit in crure ſiniſtrô, ſenſum quendam, ac ſi urina calida uſque ad talum internum deflueret, adeò quidem, ùt firmiter crederet, urinam reverâ in cute dimanare, niſi noctû tactus, interdiu viſus aliud perſuaderent. Duravit hoc ſymptoma per integrum menſem, poſtmodùm ſuâ ſponte remiſit.

Ibidem Annô 4. Obſervatio 54. De vulnere Capitis magnô, ſine magnis accidentibus.

Ibidem Obſervatio 55. De Clyſterum uſû in hydrope egregiô.

Ibidem Annô 5. & 6. Obſervatio 181. De Pathologiâ inverſâ.

Ibidem Obſervatio 182. *De Abſceſſu plumoſô.*

Ibidem Annô 7. & 8. *Obſervatio* 81. *De Abſceſſu muco-carnoſô botroydo ſiniſtri labii vulvæ feliciter exciſô.*

Ibidem Obſervatio 205. *De Mercuriô, Vermium l. pabulô, l. ſtabulô.*

De eô habentur in Ephem. Cur. Cent. 1. & 2.

Obſervatio 82. *De Porrigine univerſali ex defectû Veſicæ.*

Ibidem Obſervatio 180. *De Anatome pueri rachitide defuncti.*

Ibidem in Append. pag. 106. *Hiſtoria Compendioſa Peſtis in Confiniis Sileſiæ graſſantis Annô* 1708.

Ibidem Centur. 3. & 4. *Obſervatio* 57. *De ſectione Cæſareâ.*

INter Heroicas operationes facilè primum locum tenet ſectio Cæſarea. Hæc ſicuti in vivo corpore inſtituta, periculi pleniſſima eſt & ob crudelitatem operationis ab humanitate aliena, ità mortuâ matre, Chriſtianæ Charitatis eſt, vivo adhuc fœtui citâ ſectione ſuccurrere, eundemque ex mortis clauſtris eripere. Omnium Auctorum conſenſû, cita & momentanea quaſi operatio expetitur, nè deficiente circulô ſanguinis materni cum fœtû, luce vitali idem privetur. At enim verò quemadmodùm fœtui integro ſuus conſtat circulus vitalis, ſic etiam ad aliquot tempus vivere poteſt, denegatô quanquam maternô ſanguine vitali, quod ex ſequenti patet hiſtoria. Illuſtris quædam fœmina in noſtrâ Sileſiâ ſummè gravida & partui proxima, vitam cum morte commutat, vivente adhuc fœtû, interim fotibus ſpirituoſis, balſamô embryonum, vinôque generoſô aromaticô cum cultricis calidis continuo fovetur abdomen, uſque dum poſt quatuor horas ex Civitate Oppolienſi advocetur Barbitonſor; hic ſectô uterô, viventem extraxit elegantiſſimum puellum, qui ablutus ſacrô Baptiſmate ad tertium uſque diem vitales hauriebat auras. Vivit enim ut pluſimum fœtus, quanquam non ſemper apertè moveatur. Sic novi fœminam Uratiſlavienſem, quæ, apparentibus parturûs doloribus, fœtûs brachium primum excludebat, hoc cùm intrudi renueret, illudque lividum & frigidum, hinc mortuum fœtum & ob ſalvandam matrem, illud amputandum adſtantes judicarent, renuente verò & opitulante obſtetrice, tertiâ die vivum enixa eſt puellum. Ex hiſce patet, multos vitali auræ concredi poſſe fœtus, modò citâ Medici-Chirurgi manû ex uteri clauſtris eripiantur.

GRASSIUS (*Samuelis Fil.*) Practicus Uratiſlavienſis.

De eô extat in Ephem. Cur. Centur. 5. & 6.

Obſervatio 24. *De Scaturigine menſium.*

AB illo tempore, quô res naturales variis experimentis indagare Philoſophi didicêre, Phyſiologiam, Medicam majoribus incrementis in dies auctam conſpicimus. Cùm autem diverſus ſæpè experimentorum ſucceſſus obſervatoribus contingat, nec diſſenſu multiplici ſcientiæ carent. Ut de mente meâ clariùs conſtet, ſiſto menſium muliebrium fluxum, cujus ſcaturiginem tum antiquiores tum recentiores quidam Phyſiologi, ex ipſius uteri cavitate; major autem Recentiorum cohors, tantum ex vaginâ uteri derivarunt. Utrinquè rationibus & experimentis à ſtatû naturali & præternaturali deſumtis, inter Viros Celeberrimos actum, illi tamen inter Recentiores potiſſimum conſenſum aſſecuti fuêre, qui obſervationibus anatomicis, tum aliorum, tum propriis, iiſque repetitis litem dirimentes, locum ſecretionis hujus non in uteri cavitate ſed vaginâ tantùm poſuêre. Veneror quidem & ego Magnorum Virorum obſervationes, dum autem in Republicâ Litterariâ cuique experimentorum venia conceditur, non indignum judico, quicquid propriâ obſervatione deprehenſum explicare.

Annô 1712. Die 28. Januarii D. D. Oheimb, Peſtilentiarius & Noſocomii Uratiſlavienſis Medicus ordinarius, νῦν ἐν ἁγίοις, me ſociô cadaver fœminæ ad confinia quadrageſimi ætatis anni provectæ ſecuit, quæ ſervitiis per civitatem victum quærens, propter reſpirationem difficilem, palpitationem cordis, rheumatiſmos & lipothymias crebrò redeuntes, tandem languore virium confecta, dictô Noſocomiô inferebatur, & alterâ nocte ibidem animam, vix advertente quôpiam, efflabat, pro Apoplecticâ, ut moris eſt, habita. Quemadmodùm autem circa ægros Noſocomiorum publicorum plurimùm contingit, ut vitæ morborumque Hiſtoria ab hominibus rudibus & incuriis, undiquè illuc confluentibus, Medico non ſemper accuratè exhibeatur, ſic noſtra quoque, temporis brevitate potiſſimùm impedita, parum, quid ante egiſſet vel ſuſtinuiſſet, expoſuerat. Inveſtigaturi itaquè genuinam improviſæ mortis cauſam, cadaver habitûs macilenti nec notabili admodum livore conſpicuum cultro anatomico ſubmiſimus; & cùm dubiâ ſuſpicione Apoplexiæ duceremur, caput primùm aggreſſi, remotô craniô cerebrum vaſis ſanguiferis modicè, nec tamen præter naturam turgidis egregiè diſtinctum deprehendimus, interim nullâ extravaſatione vel hydatidibus uſpiam contaminatum.

Fruſtrà itaquè putatitiam Apoplexiam in cerebrô rimati, Thoracem aperuimus, ubi genuina ſubitæ mortis cauſa leviori operâ palam comparuit; ſcilicèt pulmones erant flaccidi & maculis ſanguineis paſſim conſpurcati, cor autem Pericardio (modico ſecundum naturam humore fœtô) cinctum, quoad Auriculam dextram conſuetam molem vel duplo ſuperabat, latitante inibi Polypô eximiæ magnitudinis qui levioribus ſurculis per ipſum ventriculum cordis, ad Arteriam pulmonariam tendebat, eandemque ſubito mole ſuâ iterum auctus quaſi infarciebat, alterâ verò divaricatione ex auriculâ venam cavam ultra diaphragmatis regionem, craſſô propagine permeabat. In Auriculâ cordis ſiniſtrâ & ventriculô appoſitô, itidem Polypum, exiguum tamen, minùsque firmioris conſiſtentiæ deprehendimus.

Viſcera Abdominis perluſtrantes, Pancreas & aliquot Meſenterii gandulas induratas, ventriculum teneriorem inteſtinaque flaccidiora vidimus; Hepar verò cum Liene nullius notabilis Acraſiæ arguendum erat; Renibus è contra congeriem ſabuloſam exhibentibus.

Organorum Genitalium Muliebrium internorum Demonſtrationem D. D. Oheimb obſtetricibus quibuſdam promiſerat, hinc cum dies & cadaver minus fœtidū permitteret, repetitionis anatomicæ gratiâ eorumdē ſtructura à nobis ſollicitè inveſtigata, quò poſtmodū in alio cadavere eô promptior demonſ-

demonſtratio ſuccederet. Hac occaſione ſingulare phœnomenon uterus exhibuit, quippè qui quoad omnem cavitatem ſanguine tinctus videbatur, vaginâ nè quidem veſtigia ullius cruentationis oſtentante.

Obſervationis tam gratæ occaſionem nacti, nihil omiſimus, quod ad inquiſitionem accuratam vel ullô modô pertinere videbatur; dubium tamen reſtabat; an uterus inſtans opus menſtruum moliretur, vel haud ita dudum abſolviſſet. Mulieres, quæ ſervitiis clinicis in Noſocomiô fungebantur, ægram ibidem menſtrua ſuſtinuiſſe negabant. Hera autem, cujus miniſtram hactenùs egerat, & ancilla ſocia ante triduum modicè purgatam fuiſſe aſſeverabant.

Certè dum πολυώνυμος, uterus ipſe eſt nec hæmorrhagiarum cæteròquin expers, & natura alias quoque idem opus non ſemper eôdem modô agat, quid obſtat, quin ſecundùm diverſas obſervationes judicemus, pro ratione individui, modò uterum modò vaginam menſtruis præbere ſcaturiginem. Vix enim aliquis nobis perſuadere poterit, Polypum arteriæ pulmonariæ quaſi infarctum, circulum ſanguinis turbando, cruentationis uteri cauſam proximam hôc locô conſtituiſſe. Metaſtaſin enim talem, nullibi per reliquum corpus vel intentatam ſaltem videbamus, nec circa reliqua vaſa hypogaſtrica ulla præternaturalis congeſtio ſanguinis comparuit.

GRASSUS (*Beneventus*)

De eô extat

De Oculis, eorumque Ægritudinibus, in 4.

GRATAROLUS (*Gulielmus*,) Virum hunc nobilem & opulentum Bergomum urbs in Ciſalpinis clara mundo edidit, Patavinum Gymnaſium diſciplinis liberalibus, Philoſophia & Medicinâ imbuit, aluit, & doctrinæ conceſſis inſignibus decoravit, ut ex albis & actis publicis conſtat. At Petrus Vermilius in hâc ipsâ veræ ſapientiæ ſede juvenem venenô infecit, atque ità injectâ tabe corrupit, ut regreſſus in patriam ſacra omnia deſpiceret, & emendatioris religionis velamentô quâ Lutheranorum, quà Sacramentariorum dogmata clam palam diſſeminaret. Tanti eſt, tantique faciendum, ſi vulpeculæ quædam, quæ vineam Domini demoliuntur, in magna gymnaſia ſinantur irripere. Ergò in ſuſpicionem Gratarolus Bergomi venit ejuratæ orthodoxæ fidei, reuſque apud ſacros Quæſitores factus, propè in carcerem, quem utique merebatur, conjiciendus, fugâ ſibi conſuluit, atque inops & miſer ad Rhœtos ſeceſſit, & Baſileæ ludum aperuit, ſimul Medicinam exercuit, laudatus à ſociô impietatis & concive Zanchio in Epiſtolis, ex quibus etiam à Teiſſerô, ut pietatis cuſtos imperterritus commendatur. Secluſâ religionis causâ, & Apoſtaſis crimine, fuit Medicus & Philoſophus excellens; Phyſiognomon, & naturæ ſpeculator ſolertiſſimus, qualem illum exiſtimat Janus Jacobus Boiſſardus. Docuit Medicinam in Academiâ Marpurgenſi, deindè in Baſileenſi, in quâ extremum diem obiit an. 1562. ætatis 52. Vitam ejus brevi carmine complexus eſt Petrus Nigidius ſenior apud Freherum.

Ejus Opera.

Prognoſtica naturalia de temporum mutatione perpetuâ.

De Thermis Rhœticis & Vallis Bergomenſis Liber; cum diverſorum Auctorum ſcriptis de Balneis.

Compendium de tuendâ valetudine literatorum, & fungentium Magiſtratibus publicis.

De vini naturâ, artificio, uſu, ac de re omni potabili.

De Peſte.

Praxis Medica.

Correctiones & additiones ad Librum Italicum falsô tributum Fallopio, inſcriptum Secreta Fallopii.

Cenſura, & additiones in librum Alexii Pedemontani, ubi de quintâ eſſentiâ ſimplici.

Modus veræ Alchymiæ.

Equorum & domeſticorum quorumdam animalium Medicina.

Recenſuit, auxit, vel illuſtravit aliorum Operà; Chymicorum præcipuorum volumen cum præfationibus & declarationibus; librum Chirurgicorum gallicè ſcriptum, Latinè redditum, & in Capita diſtinctum; ſcriptores & Conſilia & Curationes de ſudore Anglicô; Thaddæi Florentini & Guilielmi de Brixiâ Conſilia; Ejuſdem Proficiſcentium Medicinam; ejuſdem de tuendâ valetudine in univerſum; Ejuſdem de Viribus, & mixtione Aquæ ardentis; Petri Pomponatii Librum de Cauſis occultorum effectuum; ſeu de Incantatione cum præfat. & gloſſulis; Johannis de Rupeſciſſa Librum de extractione quintæ eſſentiæ omnium rerum pro uſu Medico; Petri Aponenſis Librum de Venenis cum additionibus; Theatrum Galenicum Mundellæ completum, & in meliorem ordinem redactum.

Scripſit etiam dogmatica; *De Votis Antichriſti Librum Hæreticum*; Librum etiam operum Medicorum poſtremum *de memoriâ reparandâ, augendâ, ſervandâ.* Hiſt. Gymn. Patav. T. II, pag. 213.

Specialius Ejus Scripta ſic recenſentur in Lindeniô Renovatô.

Liber de Memoriâ reparandâ, augendâ, conſervandâque, ac de Reminiſcentiâ; tutiora omnimoda remedia, & præceptiones optimas continens, cujuſvis Facultatis ſtudioſis apprimè utilis imò maximè neceſſarius. Tiguri, apud And. Geſnerum, 1554. in 8. Baſileæ, apud Nic. Epiſcopium, 1554. in 8. Francof. apud Johan. Wechelum, 1591. in 12. Ibidem, apud Viduam Petri Fiſcheri, 1596. in 12. Extat etiam cum aliquot Editionibus Henrici Rantzovii Librô de Conſervandâ Valetudine. Vid. Henric. *Rantzov.*

De Prædictione Morum, Naturarumque Hominum facili, & Inſpectione partium corporis, Liber. Tiguri, apud Eundem, 1555. in 8. Baſileæ, apud Nic. Epiſcopium, 1554. in 8.

Prognoſtica naturalia de temporum mutatione perpetuâ, ordine Litterarum. Baſileæ, apud Jacob. Parcum, 1552. in 8. Adjecta ſunt undecim ſigna terræ motûs, &c. Baſileæ, apud Nicol. Epiſcopium, 1554. in 8.

De Litteratorum & eorum, qui Magiſtratibus, funguntur, conſervandâ, præſervandâque Valetudine, illorum præcipuè, qui in ætate conſiſtentiæ vel non longè ab eâ abſunt, Compendium: Cùm ex probatioribus Autoribus, tum ex ratione ac fideli experientiâ concinnatum. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1555. in 8. Francof. apud Johan. Wechelum, 1591. in 12. ap. Nicol. Hoffmannum, 1617. in 16. Extat etiam cum Henr. Rantzovii, de Conſervandâ Valetudine, Libello, Vid. Henric. *Rantzovius.*

Petrum de Abanô de Venenis eorumque Remediis: Item Conſilium de Præſervatione à Venenis, ipsô Gratarolô Authore: Item Hermanni à Nuenare de novô, hactenuſque Germaniæ inauditô Morbô ἱδρωπυρετῷ hoc eſt ſudatoriâ Febre, quem vulgò ſudorem Britanni-

tannicum vocant. Libellum: Simoniſque Riquini Judicium doctiſſimum duabus Epiſtolis continentum; Aliorumque Doctiſſimorum Medicorum ſententias ac curationes probatas ejuſdem Febris: Item Curationem Sudoris Angliæ in Germaniâ expertam: Item Joachimi Schilleri *Herderenſis*, de Peſte Britannicâ Commentariolum aureum; Item Alexandri Benedicti Librum unum de Peſtilenti Febre, in quô compendiô omnia, quæ de eôdem morbô dici poſſunt, doctiſſime ſunt tradita. Omnia ex manuſcriptis Exemplaribus collegit, auxit & illuſtravit. Sine loco, annô & Impreſſore.

Opuſcula, ab ipsô Authore denuò correcta. Lugd. apud Gabrielem Coterium, 1555. in 16.

Sunt autem

De Memoriâ reparandâ, augendâ, conſervandâque, ac de Reminiſcentiâ, tutiora remedia, præceptioneſque optimæ.

De Prædictione Morum Naturarumque Hominum; cum ex Inſpectione partium corporis, tum aliis modis.

De Temporum omnimodâ Mutatione, perpetuâ & certiſſima ſigna & prognoſtica. Item XI. ſigna motûs terræ ex Mizaldo.

De Litteratorum & eorum, qui Magiſtratum gerunt, conſervandâ valetudine &c.

Peſtis deſcriptio, cauſæ, ſigna omnigena, & certa præſervatio.

De Thermis Rhœticis & Vallis Tranſcheri agri Bergomatis. Extat operis Veneti de Balneis; p. 192.

De Vini Naturâ, Artificiô, & uſu, deque omni Re Potabili. Baſileæ, ap. Henr. Petri. 1565. in 8.

De Peſte, Theſes. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1565. in 8.

De Regimine Iter agentium, vel Equitum, vel Peditum, vel navi, vel currû, ſeu rhedâ &c. Viatoribus, & Peregrinatoribus quibuſque utiliſſimi Libri duo. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1561. Argentorati, apud Wend. Rihelium, 1563. in 8. Coloniæ, ap. Petrum Horſt. 1571. in 8.

Artis Alchymiæ ſecretiſſimæ & certiſſimæ Defenſio. Extat cum veræ Alchymiæ ſcriptoribus aliquot à ſe editis. Baſileæ, apud Henr. Petri, & Petr. Pernam, 1561. in fol.

Lapidis Philoſophici Nomenclaturæ. Extat eôdem opere, pag. 265. Tom. II.

Veræ Alchymiæ ſcriptores aliquot collegit & unà edidit. Baſileæ, apud Henricum Petri & Petrum Pernam, 1561. in fol.

Johannis Braceſchi de Alchymiâ Dialogos duos: cum Propoſitionibus 129. idem argumentum compendioſâ brevitate complectentes ex Italicô Autoris autographô in latinum vertit & edidit. Extant cum ſcriptoribus aliquot Alchymiæ veræ ab eôdem Gratarolô collectis & unà editis. Baſileæ, apud Henricum Petri & Petrum Pernam, 1561. in fol. Hamburgi, apud Johannem Naumannum & Georg. Wolffium, 1673. in 8.

GRATIANUS.

De eô extant

Epoſtolæ binæ de Lapide Philoſophorum. Extant Decad. II. Harmoniæ Chymico Philoſophicæ, à Johanne Rhenanô collectæ. Francof. apud Conr. Eifridum, 1625. in 8.

GRATIANUS (*Joh.*) Bergomas, An. 1711. 5. Septembris, eô, quô in ſede hujus ordinis (Profeſſ. ſcilicet Philoſophiæ in primo gradu) altera merebat, quadringentorum ſtipendiô in vacuam, & à Fardellâ relictam ſubiit, magnâ & utilitate & felicitate Gymnaſii. Crevit illi merces ad flor. ſexcentos an. 1717. 20. Januarii, deinde ad octingentos an. 1724. 18. Novembris. Ea nùnc Gymnaſticam exaggerat gloriam vir, ex opulentiſſimo eruditionis, & ſapientiæ cenſu, ſingulari commendatione nominandus. Quippè qui, ſive facundiam ſpectes, eloquentiſſimè diſſerit, ſive naturæ ſecreta rimetur, ſolidiſſimè diſputat, ſive de Philoſophorum ſententiis calculum fert, ore profundô, acutâ, & vigili mente veritatem aſſequitur, ut ſummus, ità gravis reipſa, & ingenioſus Philoſophus, laudum interim, ac virtutum ſuarum tam circumſpectus, tam modeſtus diſſimulator, & cautus, ùt nobis, quamvis per immiſſos exploratores conatis, ab eô minimè licuerit aliquid expiſcari, quod ad hoc ejus elogium redundaret. Sed quantus, quantique habendus ſit, ipſa ejus opera, ipſa ejus prædicant ſcripta, nitida, caſtigata, erudita, docta, & quæ ſcriptori nominis æternitatem ampliſſimè pollicentur. Edidit adoleſcens; *Rerum Venetarum Hiſtoriam* de *Geſtis Franciſci Principis Mauroceni Peloponneſiaci*; mox *Commentarium de Thermis Patavinis*; cui acceſſit; *Diſſertatio de Fonte Lælio Acido Recobarii*; Opera eruditiſſima & elegantiſſima. Nùnc impendit latiniſſimum calamum hiſtoriis conſcribendis, quorum argumentum neſcimus. Noſcet hoc, & pretium ejus poſteritas. *Hiſt. Gym. Patav. T. I. p.* 173.

De eô habetur in Act. Lipſ. A. 1702. *p.* 1.

Thermarum Patavinarum Examen, cui acceſſit Diſſertatio de Fonte Læliô acidô Recobarii. Scriptore Johanne Gratianô, Bergomenſi. Patavii, ex Typographiâ Seminarii, 1701. 8.

ILluſtriſſimi Herois Franciſci Mauroceni, Venetiarum Principis, Geſta in Actis noſtris A. 1699. p. 97. & ſequentibus recenſuimus. Ex quô tempore nemo fortaſſis inter eruditos agit, cui de Johannis Gratiani, Viri Clariſſimi, nomine & famâ non conſtet. Is ipſe enim eſt, qui, dubium ſtylô elegantiori an graviori judiciô, diſertiſſimos illos commentarios, compoſuit. Pari omninò dexteritate modò laudatum Auctorem, qui eô tempore Hiſtoricum egit, in præſenti opere phyſicos juxta & Medicos labores ſuſcipere & feliciſſimè expedire videmus. Hoc ipſum enim, quod de aquis agri Patavini medicatis ſiſtit examen, nemo ante eum ordine ac methodô adeò accuratâ pertractavit. Et primum quidem de thermis Patavinis quod attinet tractatum, octo eundem abſolvit capitibus, quorum primum de thermarum deſcriptione agit & ſitû, (2) de origine fontium, (3) quomodò fontes ſimplicium aquarum medicati fiant, (4) de causâ caliditatis fontium, (5) de vario aquarũ medicatarum examine, (6) de minera thermarum Patavinarum, (7) de viribus, & quibus morbis conveniant, [8] de usû tam internô quam externo. Fontis Lælii autem examini peculiarẽ in calce operis impendit diſſertationem, quâ de ſitû, minerâ ac viribus ejuſdem accuratiſſimô ſtudiô agit. Ex utrôque jam, quæ notatû digniora viſa ſunt, ſummatim recenſebimus.

Sunt

Sunt autem, uti *primum prioris tractatus caput* nos inſtruit, *ſeptem* potiſſimùm *fontes* thermas nominatas conſtituentes, quos Euganeis montibus Natura largita eſt. Antiquior cæteris fons Aponi, ab urbe quinque ferè milliarium intervallô diſtans, cujus juxta ſcaturiginem collis vertici impoſitam tanta eſt caliditas, ùt nullus aquæ propterea hoc in locô balneantibus ſit uſus, benè autem in ſubjectis locis, quo de induſtriâ derivatur, atque ubi, vi ardoris infracta, ea menſura ferveſcit, quæ ſatis aptè ægrotantium corpora admittat. Vix ultra milliare à thermalibus Aponi aquis, contra meridiem, S. Petri balneum diſſitum eſt. Hujus conceptaculum paucis abhinc annis inopinato deſidens tellus plurimum auxit, ingenti hominum multitudine vix amotâ, quam ſubtus ortum murmur eôdem tempore perterruerat. Præter caleſcentiæ gradum quò ſupernè ſcaturiens humor, uti in Aponenſi, multum infra collectum antecellit, ſatis conſpicua in fundô coloris diverſitas eſt: namque Orientem verſus, à vulgari colore non abſimile cœnum videtur, è converſô verò ità inficitur, ùt æneum colorem repræſentet. A balneô S. Petri non ultra quingentos paſſus tertium, quod Domus Novæ nuncupatur, diſtat. Multùm hic aëris vitium, ſtatioque intuta animantibus. Uberem hic etiam olim ſalis communis copiam erutam fuiſſe, non modica aquæ lacuna, conficiendi ſalis gratiâ parata, & prope hanc ædes à Joh. de Dondis extructa teſtantur, qui tamen locus, ejuſdemque indigitatus uſus, his quidem temporibus tantum non exolevit. Montis Grotti thermales aquæ quartum in deſcriptione locum occupant, quas ab Aponenſibus duorum millium paſſuum intervallum diſterminat. Scaturiunt hæ ipſæ haud procùl à ſic dictô Ægrotorum monte in locô elatiori, circa quem plures hinc & inde ferventes rivuli prodeunt, ſubjectamque planitiem crebris in locis implent. Regio verò hujus loci, quemadmodum ubertate ſegetum ditior eſt cæteris, ità & innoxii aëris titulô enumerata loca multum antecellit. Patavio ad ſeptem paſſuum millia digredienti aliud balneum, quintum in ordine, obviam fit, quod à D. Helenæ templô, adhùcdum extante, cognomentum ſumſit. Humor amplâ admodum ſcaturigine fermè è vertice collis enaſcitur, adeò calidus, ut ſine ſenſû doloris tangi non poſſit. Et licèt paulum, ubi ab origine elongatur, deferveſcat, paſſim tamen immodica caliditas eidem ineſſe deprehenditur. Sextum à S. Bartholomæô nomen habet, & duodecimô ab urbe milliari ſitum eſt, ubi è collium lateribus ſcaturiens humor balneum conſtituit. Ipſius conceptaculi alveus hoc in balneô adeò cœnoſus ac pinguis balneantibus occurrit, ut licèt non ultrà duorum pedum altitudinem aqua ſuperemineat, eidem corpora credere intutum penitus ſit. His denique ſeptimum accenſetur, quod ab Orthonô monte nomen atque originem traxit, utpote è quô calidiſſimus humor exiliens contiguâ montibus planitie excipitur; alia autem vix tepentis aquæ ſcaturigo ipſius montis fundamentis adnaſcitur, propè quam Deiparæ Virginis templum hodie extructum cernitur. Locus hic partim ſalubris aëris experimento, partim aquarum B. Virginis excellentia, celebris adeò eſſe cœpit hoc tempore, ut omnibus ſupra memoratis balneis longè antecellere credatur. Et hi ipſi ſunt ſeptem illi thermarum Patavinarum fontes, de quibus ſimùl ſumtis, ſub finem hujus capitis, adhùc annotatur, nullô anni tempore eoſdem deficere aut minui; id quod adeò certum eſſe deprehendatur, ut maximè, quâ tempeſtate, ob aëris æſtum, fontes omninò exſiccantur, loca hæc conſuetô aquarum proventû gaudeant conſtanter: porrò nullas fervoris frigoriſvè vices ſatis conſpicuas his unquam ineſſe: cœnum, quod demittunt inter decurrendum hi fontes, & quod fundô ac lateribus locorum adhæreſcit, aliquando quidem molle perſtare, in uſumque medentium duci; nonnullis verò in locis arenam ſalinaſque particulas coëuntes in lapideam ferè duritiem obrigeſcere.

Suppeditata hoc modò exactiſſima ſitus fontium eorumdemque proprietatum deſcriptione, examen thermarum ipſum aggreditur Auctor. Hoc autem ut ſuô nitatur fundamentô, ex Phyſicis primùm doctrinam de origine fontium in genere, itemque Medicatorum in ſpecie, necnon de cauſâ caliditatis repetit; quâ occaſione, quod ſibi veroſimillimum viſum, ità proponit, ut & ſuum cuique, & ſibi ſuum, ſi quid intereà probabilius occurrat, judicium liberum ac ſolutum relinquat. *Capite* igitùr *ſecundô*, uti dictum, de *fontium origine* diſſerens, veterum ante omnia circa hoc negotium opiniones adducit, quas ſibi diſplicere multiplici de cauſâ, apertè fatetur. Nec à plerorumque è modernis Phyſicis ſtat ſententia, quæ pluvias, vapores & mare cauſas conſtituit fontium; ſed veritati propiorem hanc potiùs facit conjecturam, pendere fontium originem ab illis aquis, quæ deorsùm ſub terrâ ex internis lacubus colliguntur. Et huic probandæ ſententiæ communionem maris cum ſubterraneis aquis, perennem viſcerum terræ calorem ſatis ad elevandos vapores aptum, ipſamque telluris ſubſtantiam cavernoſam ſuccurrere, omninò perſuaſus eſt.

Quomodò fontes ſimplicium aquarum medicati fiant, explicare ſatagit Auctor *capite tertiô*. Aquam igitur puram prout vel ab omni mineralium mixtione immunem in ſummis rupibus ſcaturire, vel, ſi alienæ mixtionis inquinamentô expers non ſit, per ſaxa ſabulùmque nitidum, donec quælibet extranea corpuſcula, veluti cribrô ſecreta, dimittat, percolari exiſtimat; ità è contrariò in aquis medicatis triplici ferè ratione omnem mixtionem contingere ſtatuit Autor. Vel enim, ipſô decurrentis aquæ impetû adjuvante, terreſtres particulas, molleſque ac teneras mineralium metallorumvè radices arripiunt: vel per determinata loca tranſeundo, non unius naturæ atque indolis ſalibus imprægnantur, quorum ope durorum corporum poros dein penetrant, eorumdemque ſubſtantiæ partem tandem diſſolvunt; vel demùm vapores atque halitus intra tellurem excipiunt, quos per telluris ejudem poros, ac rimulas metallorum, mineraliumque matrices attollunt, eoſque aut ſimplices ſecum vehunt, aut per ipſos compactiora quælibet corporum clauſtra reſerant; indeque altioris miſcelæ initia promoveri putat. Cætera vero omnia de medicatarum aquarum principiis commenta, vel nulliûs momenti eſſe, vel ad enumerata facilè redigi poſſe exiſtimat. Pro certô igitùr atque omninò indubitato habet, aquas omnes ab ipſâ foſſilium ſubſtantiâ medicatas fieri, nec ullatenùs audire vult illos, qui metallorum virtutem, neſcio quam, (uti loquitur) aſſumi ab aquis, cæterùm nullam ſubſtantiam metallicam in eoſdem immigrare docent. Quod autem tot inter ſe ſummoperè diſcrepantium fontium genera reperiantur, pro moræ, caloris ac contentorum vario genere, pro facili itidem vel difficili horum ſolutione, levitate, gravitate, tenacitateque contingere exiſtimat. Has tamen omnes aquarum medicatarum ſpecies eò redigendas eſſe cenſet, ut in Acidulas ſoluti ac

ac Thermales dividantur.

Caput in ordine *quartum de cauſâ caliditatis fontium* agit. Miſſis hic veterum atque ex modernis quorumdam placitis de origine caloris ejuſmodi fontium, vel in ſole, vel in violentô aquarum ſubterranearum motû, vel in igne, vel in ſulphure, vel in halitû ſubterraneô quærenda, à ſolâ efferveſcentiâ ſalium, aliarumque rerum cum his commiſtarum, calorem thermarum ducendum eſſe, exiſtimat Auctor. Cæterùm ſupervacanea ipſi videtur ſpeculatio, à quibus præciſè principiis motus ad incaleſcentiam illam neceſſarius proficiſcatur: abundè enim rei huic proviſum eſſe cenſet, ubi appareat, per varias diſſolutiones poſſe facilè calorem eumque intenſiſſimum procreari, quemadmodum in experimentis, *de productione mechanicâ caloris & frigoris*, Clariſſ. Boyleus demonſtravit. Quibus poſitis non tamen negat Auctor, ſubterraneos halitus aliquid caloris tribuere aquis poſſe, & rurſus ullas aquas per ſubterraneos ignes incaleſcere; ſed ſicuti hujuſmodi loca ſubterranea non ſemper ardere manifeſtum, ità nec aquas ſecùs eadem decurrentes calidas ſemper eſſe debere, concedendum putat.

In generalibus adhùc ſubſiſtens Auctor, *Capite quintô varium medicatarum aquarum examen* proponit. Ubi ſummopere ſtatim miratur, reperiri nonnullos, inter naturæ peritos, quibus res nullius ferè laboris videatur aquarum cognitio, adeò ut ubi minera aquarum medicatarum ſtatuenda ſit, definita quædam, ac, uti pollicentur, certiſſima contentorum lineamenta depingere, imò & balneares quaſcunque arte parabiles eſſe docere audeant, non aliter, ac ſi ipſis ſuccorum, lapidum, aliarumque mineralium ac metallicarum rerum exordiis & concurſibus interfuiſſent. Juſta igitùr diligentia & cura ùt medicatorum fontium examen inſtituatur, duo potiſſimum perpendenda ſemper eſſe tradit, primò quot ea ſint, quæ immiſceri plerumque aquis conſueverunt, deinde quodnam ex illis in determinatô humore inveniatur. Quali intentioni illud cumprimis ſatisfacere ſtudium exiſtimat, quo per varias præcipitationes, colores de induſtriâ inductos, chymicoſque alios conatus veritatem eruere tentamus. Et hâc occaſione paulò fuſiùs diſſerit Auctor de variis ſalium ſpeciebus, eorumdem figurâ, figuræque mutatione, itemque de inſigni difficultate cognoſcendi diverſas ſalium ſpecies; porrò de latentiori metallorum mixtione, de impoſſibilitate ſimplicitatis mineralium, ac denique de aquarum medicatarum mutatione, quomodo eædem in horas facilè mutari, variéque ſoluta mineralium principia ſecum vehere poſſint. Quapropter dubium meritò facit, an conſtans contentorum cognitio ibi eſſe poſſit, ubi ſumma eſt ſubjectæ mineræ mixtioniſque viciſſitudo atque inconſtantia.

Abſolutâ jam generalium explicatione, ad ſpecialia devolvitur tractatio *Capite ſextô*, in quô exactiſſimè diſquiritur, quorum præcipuè mineralium ſubſtantiâ & viribus imbuantur thermæ Patavinæ. Primùm igitùr de veterum circa hoc negotium ſententiâ ſollicitus, haud quidem detrectat Auctor de balneô Aponenſi, quod olim inter reliqua ferè omnia maximè erat cognitum, nonnullas ſcriptorum allegare opiniones, *Georgii Agricolæ* nimirùm, *Barthol. Montagnanæ*, *Ludov. Paſini*, *Menghi Faventini*, *Franc. Frizimelicæ*, *Mich. Savonarolæ*, *Gabr. Fallopii*, *Andr. Baccii*, *Joh. de Dondis*, *Barth. à Clivolo* &c. quorum tamen pleroſque ità judicâſſe fatetur, ut ea mineralia immixta hiſce thermis voluerint, quæ non ratione vel experientiâ, ſed leviſſimô argumentô ex operationibus annotarint. Has igitùr opiniones, ut potè maximè inter ſe contrarias atque inconſtantes, non attendens amplius Auctor, ità ferè ſtatuere de Thermis Patavinis non dubitat, ut omnem aquarum hinc atque inde exorientium proventum, ſub unius fontis nomine non ineptè accipi poſſe, ſingulos autem fontes nonniſi ſecundum metallicæ mixtionis gradum diſſimiles eſſe exiſtimet. Quâ de cauſâ modicæ magnitudinis mineram ſibi concipit, ex quâ erumpentes circum aquæ, quicquid habent metallicarum virium, hauriant, ac deinde pro diverſitate locorum variè ad telluris ſuperficiem emergant. Hanc autem mineram non, niſi inſtitutô integræ aquæ thermalis examine, delineari poſſe omninò perſuaſus eſt. Quem in finem primò nullâ artis ope uſus, naturales potiſſimùm aquæ notas, colorem nimirùm, odorem, ſaporem, tactiles qualitates, pondus atque effectus communes rimatur; deinde verò per varias præcipitationes, colores de induſtriâ inductos, chymicoſque alios conatus, contentorum naturam accuratiùs examinat; quô factô ità ſentire non dubitat, ut primum inter mineralia thermarum Patavinarum locum ſpiritui aſſignet ſubterraneo acidulo, alterum ſulphuri, quod fontibus ineſſe commemoratis ſingulis, nemine exceptô, permultis experimentis ab odore, colore atque effectibus deſumptis demonſtrat: porrò cum ſapor hujus aquæ, ut leviter aquam attingenti patere poſſit, ſalſus omninò ſit, non ſine ratione aliquam ſalis ſpeciem, ad ſalem communem ferè accedentem ſubeſſe his aquis putat: de reliquis verò, vitriolô puta, nitrô, ferrô, ære atque alumine, quæ immigrare alias facilè in aquas minerales ſolent, nihil ineſſe his fontibus planè ſtatuit. Quinque igitùr potiſſimùm in his de quibus agit, thermis animadvertenda eſſe cenſet; aqueam nempè ſubſtantiam, ſpiritum, ſulphur, ſalis enixi genus, & terræ portionem quandam indeque uno nomine aquas has ſulphureo-ſalinas appellare non dubitat. Optimam autem contentorum omnium miſcelam fonti B. Virginis tribuit, utpote cujus aqua non modò cæteris clarior, vix tepida, modicam admodum ſalſedinem exprimens, ſed etiam minùs reliquis gravis, tenuiſſimumque duntaxat ſulphuris halitum continere videatur.

Caput in ordine *ſeptimum de thermarum Patavinarum Viribus & quibus morbis conveniant*, tractat. Ad vires igitur explicandas contentorum repetitur ſeries, ut erutis eorundem facultatibus, quibus mederi morbis queant, pateſcat clariùs. De aquâ quidem conſtare exiſtimat omnibus, aptiſſimum eſſe hanc rerum aliarum vehiculum, indeque quælibet ritè præparata & comminuta ejuſdem ope per corporum poros facilè trajici; ſpirituoſæ verò materiæ naturam in eô conſiſtere aſſerit, ut facilè ſeſe altum in quaſlibet partes inſinuet, objectos ſuccos incidat, penetret, reſolvat, ac, præ cæteris urinæ vias aperiendo, diverſim promoveat; ſulphuri præcipuam aperiendi, concoquendi, emolliendi, celeriter excutiendi, atque exſiccandi facultatem tribuit; ſali verò, præter notiſſimas abſtergendi ac digerendi vires, ſingularem etiam aſſignat virtutem, ad ſpiritum acidum, ſummè in corpore noxium, coagulandum, pro quô ſcopô aliàs etiam *Sylvium in praxi L.* 11. *cap.* 23. ſubtilem thermalium aquarum ſalem, tanquam unicum præſidium, commendâſſe meminit; terræ denique quæ proventû variô deſcriptis in aquis reperitur, præcipuas vires in adſtringendo, atque aciditate nimiâ temperandâ

perandâ, conſiſtere docet. Contentis his ità ſecundum principia Medica examinatis, duplicem thermarum uſum prolixe declarat. Et internô quidem uſui B. Virginis Aponique fontes potiſſimùm dicatos eſſe ſignificat, quorum actionum ſummam, ſumto ex Chronicis ac rebellibus, quos aptè curant, morbis argumento, conſiſtere ait in purgatione viſcerum & lotione quâdam interiori, quâ ductuum vitia, ac ſimùl depravatorum ſuccorum indoles corrigi, æquabilis itidem ſingulis in locis circuitus ac depuratio humorum adeò promoveri poſſint, ut indè altè infixa multarum ægritudinum ſemina demum eruantur. Non vacat hic ſpecialem ſiſtere recenſionem affectuum iſtorum omnium, quibus prædictis ex cauſis, teſteque experientiâ, mederi thermas has evincit Auctor. Sufficiat nobis indicaſſe, ſingulares præ reliquis fonti B. Virginis tribui vires, in curandis renum vitiis, ardore e. g. mictû cruentô & gonorrhœâ ſimplici: in menſtruarum purgationum retentione verò adeò convenientes facit Author has aquas, ut primas iiſdem inter reliquas deferendas non cenſuiſſet, niſi difficillimo huic negotio ſubvenirent; notari etiam de hôc ipſô fonte vult Auctor, quòd tutò utiliterque lue Gallicâ infectis præſcribi ejuſdem uſus poſſit: hujus enim aquæ ſales acidiſſimis particulis, unde ſæviſſima hujus morbi ſymptomata originem trahunt, plurimùm adverſari aſſerit. Aponenſes autem aquas, cùm ſulphure tùm ſale magis turgentes, in illô potiſſimùm excellere effectû animadvertit, quem thoracis affectibus laborantes, vel purulenta expuentes inde experiuntur; ſiquidem non ſolum corruptos ſuccos pulmonum parenchyma labefactantes, ab humore hoc potenter elui, ſed & infecta corpuſcula à ſanis ejuſdem ope diſſociari, totique ſanguinis maſſæ novum veluti fermentum inſpirari, ſuffragante experientiâ, planè credit. Reliquos fontes omnes, quorum in ſuperiori capite facta eſt mentio, exterius ſolùm, ad cruſtas e. g. ſquamoſa calloſaque ulcera & pruriginoſam ſcabiem, herpetes, ramices varicoſos atque id genus alia adhiberi hodie, indicat. Inſignem tamen prætereà iiſdem in catarrhalibus etiam affectibus, hemiplegiâ itidem, tremore, doloribus chronicis ſedandis, contractis, induratis aut reſolutis nervis priſtinum in ſtatum redigendis, nec non fœcundandis mulieribus virtutem adſcribit; magno etiam cum emolumentô, cùm per inſeſſionem, tum per enemata; in ulceribus inteſtinorum præſertim iis, quæ habentur, è fiſtulis in anô, aquam eorumdem adhiberi, Hier. Fabricii ſingulari obſervatione probat. Supereſt lutum; quod non minùs ac ipſa aqua ex prædictis fontibus in uſum trahitur, potiſſimùm quidem pro ſcopo emolliendi, digerendi, reſolvendi, exſiccandi & roborandi: quapropter in imbecillitate membrorum, in non paucis tumoribus ſcirrhoſis, in doloribus articulorum & ſcabie, præſertim autem in nervorum affectibus, ſummopere ab Auctore atque experientiâ commendatur.

Rectam adminiſtrationem medicamentorum omne ferè in medendo punctum ferre, cùm haud ignoraret Auctor, laudabili propoſito *capite ultimo de thermarum Patavinarum rectô uſu, tam internô quàm externô*, agendum duxit; ex quô ſcitû digniora ſaltem annotabimus. Improbatur ante omnia illorum opinio, quibus quacunque anni tempeſtate thermis his uti non diſplicet; aptiſſimum verò huic operi ver, cui ſuccedit autumnus, judicatur, calidiſſimæ verò frigidiſſimæque anni tempeſtates penitùs eximuntur. Plurimùm etiam facere ad feliciorem curam, ſi juxta ſcaturiginem aſſumantur aquæ, exiſtimat Auctor; ità enim uſurpatus humor & aptiùs ad deſtinata loca confluere & promptius laborantibus viſceribus opem ferre deprehenditur. Poſt hæc mentio aliqualis fit ordinis in bibendo, repetendaque per vices purgatio ſuadetur; innuitur etiam potûs menſura, quam tamen pro diſpari præſcribentium uſû, multiplicem eſſe, non negatur. Proferuntur porrò in medium de tempore nonnulla, quod thermopotationibus impendendum ſit, itemque quid agendum, ſi ſymptoma aliquod ingruat. Magnô inſuper eos omnes in errore verſari notatur, qui aut in cibariis, aut in potibus, aquas thermales Patavinas aſſumere ſolent; ſiquidem moleſtiſſimos humorum tumultus, difficultates urinæ, inflammationes viſcerum, alvi fluxus immodicos, necnon ſanguinis excretiones, aliaque non leviora his, inde exorta fuiſſe mala, obſervatum fuerit crebrius. In aquæ hujus uſû externô, inter alia purgatio ante balneum inſtituenda ſedulò ſuadetur; mora verò, necnon dierum numerus inter balneandum obſervanda, ab ætate, temperamentô, morbô ac ſimilibus, colligi ad mentem Auctoris debent. Et cùm non pauca ſuppetant eorum exempla, qui poſt balneationem ingens valetudinis detrimentum paſſi fuerunt, contempto ſex rerum non naturalium regimine, hoc ipſum omni curâ obſervandum ſuadetur, ut pote quod non ſolum ad balneantes, ſed etiam à balneis proficiſcentes omninò pertineat.

Annectitur, uti hujus tractatus rubrica indigitat, thermarum Patavinarum examini *Diſſertatio de ſitû, minera ac viribus fontis Lælii acidi Recobarii*, cujus cum nulli hactenùs ſcriptores meminerint, operæ pretium duxit Auctor, examine fontis pro viribus inſtituto, indolem ejus inquirere, atque eô ipſô non quæ vario vulgi rumore circumferuntur, ſed quæ magiſtra rerum experientia detexit, ingenuâ oratione conſcribere. Univerſam autem diſſertationem in quatuor ſumma partitam videbis capita, quorum primum fontis Lælii deſcriptionem exhibet ac ſitum, alterum ejuſdem mineram, tertium affectus quibus hic fons medetur, ac denique quartum regimen has aquas bibentium. *Situm* quod attinet, eſt ille inter montes, qui Vicentiam, quà Occidens ac Septentrio eſt, latè proſpectant; Recobarii (Ital. *Recoaro*) nomen locus ab auri mineris, quas ibi latitare vulgò crediderunt, traxiſſe videtur; Lælius autem appellatus fuit à Comite Læliô Ploveniô, Patritiô Venetô, qui ante duodecim ferè annos primum eundem detexit. Deſcriptio ſequitur, quæ accuratum fontis examen ab Auctore inſtitutum, factis juxta ipſam ſcaturiginem hunc in finem experimentis, ſiſtit, coloris primum, quem Cryſtalli inſtar pellucidum invenit; odoris, quem ſulphureum ac ferruginoſum deprehendit; ſaporis, qui gratum admodum acorem linguæ impreſſit; tactilium qualitatum, quæ præter mirandam frigiditatem, aſperitatem haud modicam præ ſe tulerunt non, aliter ac ſi chalcanthum ibi nitrumvè ſolutum fuiſſet. Poſt hæc contentorum aquæ hujus fontis inſpectio proponitur, ad quam pondus præſertim pertinet, quod communibus aquis levius, initô per ariometram ac bilancem, experimentô deprehendit, reliqua inductis de induſtriâ variis coloribus, factâ aquæ evaporatione, inſolatione, putrefactione, decoctione, ac deſtillatione, exploravit. Ex quibus tamen omnibus, in *alterô de minerâ Lælii fontis capite*, nihil apparuiſſe aliud fatetur, quàm tria potiſſimùm hoc in latice contenta

notatû digniſſima; ſpiritum nempe quemdam ſubtilem, penetrantem, acidum ac ſummè diſſolubilem; ferri venam corroſam vel ſponte ſubſidentem; atque effectus ferè omnes, qui ex vitriolô haberi conſueverunt. Quicquid igitur virium poſſident aquæ, id omne cùm à vitriolô Martis, à ſale acidô volatilique reſolutô, tùm à portione ſpiritus ejuſdem nondùm coagulata proficiſci exiſtimat Auctor. Quibus præmiſſis, facilis eſt ad *tertium* hujus diſſertationis *punctum* tranſitus, in quô demonſtratur, *quibus affectibus aqua hujus fontis mederi ſoleat.* Certiſſimam igitùr ex eâdem medelam cùm bilioſæ cacochymiæ, ubi acidum volatile oleoſum, tùm melancholicæ ubi acidum fixum moleſtum eſt, ut & vitiorum bilis ferè omnium haberi aſſerit; ſive enim iners ea ſit, ſive juſtò craſſior, ſeu dilutione indigeat, ſingulis in caſibus æquè benè corrigi ac temperari ejus ope poterit. Si autem eos inſpiciamus affectus, qui ab acidô proficiſcuntur, in regione ventriculi non modò mucoſas quiſquilias atteri, tonumque ejuſdem confirmari, ſed &, ubi appetitus langueat, utrâque ratione eundem, opera ejuſdem, reſtitui poſſe autumat: in inteſtinis verò aliiſque partibus, uti ferreæ venæ adminiculô acidum omne naturæ inimicum deſtrui, ità per inſignes excretionum vias facile etiam, humore hoc mediante acidulo, eliminari putat. Non patitur inſtituti noſtri ratio affectus illos omnes ordine hic recenſere, quos curatos ab his ipſis acidulis fuiſſe, ſpeciali relatione Auctor annotavit, non poſſumus tamen non illum in ſpecie relationis hujus laudare diſcurſum, quô de viribus fontis Lælii in curandis calculi atque articulorum vitiis diſputat. Reliquum eſſet, de *quartô* hujus diſſertationis *Capite* aliquid commemorare, *quô regimen has aquas bibentium proponitur.* Sed cùm generalia ſolùm ab Autore hic attingantur, curioſiores autem *ad Henr. ab Heers in Spadacrene, Joh. Ben. Gründel in Roitſchocrene, Eberh. Gockelium in Conſiliis & D. Langium* ablegentur, labore hoc ſuperſedere jubemur, nil niſi laudatiſſimam illam de uſû Acidularum adjicientes cautelam, quam ipſis Auctoris verbis, ſub finem diſſertationis, hanc inveniet L. B. *Dicere auſim, vix ad nullum aliud medicaminis genus exhibendum tanta circumſpectione atque tam accuratâ conſideratione opus eſſe, quantam in præſcribendis acidulis adhibeant Practici, neceſſum eſt. Et tamen ſcimus, inveniri non paucos qui inde intricatarum ægritudinum, quarum cauſas nondum fortaſſe noverunt, medelam quærunt; quique, eventû ſecundum vota non ſuccedente, culpam omnem in acidulam rejiciunt, quaſi hæc inepta comparandæ incolumitati ſit, non ii eandem inconſultò temerèque præſcripſerint.*

GRATIOLUS (*Andreas*) Salodianus.

De eô extat

Avicennæ Liber primus, de Univerſalibus Medicæ ſcientiæ præceptis, interpretatione, & ſcholiis, Hippocratis ac Galeni præcipua loca commonſtrantibus, illuſtratus. Venetiis apud Jordanum Zilettum 1580. in 4.

GRATIUS.

Ex eô habetur

De Venatione, Liber unus. Lugduni, apud Gryphium, 1537. in 8.

GRAVIUS (*Ludovicus*) Natus Heidelbergæ A. C. 1547. Patre Homonymo; Medicinæ verò Doctor 1571. in Academiâ patriâ renunciatus; biennio poſt ibidem Profeſſor; tandemque etiam Elector. Palatin. Friderici IV. Archiater conſtitutus eſt. Obiit Heidelbergæ A. C. 1615. ætatis ſuæ 68.

De eô extant

Theſes de Peſte. In quibus Peſtiferæ Luis natura, præſervatio & curatio methodicè exponuntur: nonnullæque Quæſtiones circa eam materiam controverſæ accuratè diſcutiuntur. Heidelbergæ, apud Jac. Milium, 1583. in 4.

De Camphoræ qualitatibus, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. poſterioribus. Ulmæ Suevorum, ap. Saurium, 1628. in 4.

De Acidulis Schwalbacenſibus, Epiſtola. Extat cum Reſponſis Medicis, quæ edidit Helvicus Dietericus. Francof. apud Matth. Merianum, 1631. in 4. pag. 48.

GRAVIUS (*Georgius*)

De eô extat

De majorana panacea vegetabili calida. Jenæ, apud Bielkium, 1689. 12.

GREGORA (*Nicephorus*) Patriarchia Conſtantinopolitanus.

De eô habentur

Interpretamenta ſomniorum, ſecundum ordinem Alphabeti, Verſibus Jambicis, Græco-Latinè. Lutetiæ, apud Marcum Orry, 1603. in 4. cum Artemidori Oneirocriticis à Nicolaô Rigaltiô editis.

Explicatio in Librum Syneſii de Inſomniis. Extat Græcè, cum Operibus Syneſii. Pariſiis, apud Adrianum Turnebum, 1553. in fol. Græcè & Latinè ex verſione Antonii Pichonii à Fed. Morellô recognita: unà cum Operibus Syneſii. Lutetiæ, apud Cl. Morellum, 1612. in fol. p. 249.

GREGORIUS (*Martinus*) Lutetiæ Pariſiorum Medicinæ Profeſſor, in utrâque linguâ peritus. Vixit A. C. 1542. Juſtus in Chronol. Medic.

Galeni Lib. III. de Alimentorum facultatibus interpretatus eſt. Item, De attenuante Victûs ratione. Lugd. 1555. in 12. Lugduni Batav. 1633. in 12.

Galeni Introductio in Pulſus, Martinô Gregoriô interprete. Lugduni, 1550. in 12.

GREIFFENHAGEN (*Johannes*)

De eô habetur

Epiſtola Medica. Extat cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

GREIFFIUS (*Fridericus*) Natus Tubingæ, A. C. 1601. Patre Michaële Greiffiô, Pharmacopolâ Tubingenſi: creatus in Academiâ patriâ A. C. 1620. Philoſophiæ Magiſter, ubi primum locum inter 35. Competitores tenuit. Cùm jam in eô eſſet, ùt honores Doctoris Medicinæ ambiret inter ipſum apparatum ex voluntate Parentis ſententiam mutans, curam officinæ publicæ ſuſcepit, ac proinde Chymiæ ſe totum addixit, quam officinam haud multò poſt, iterùm alteri ceſſit, ùt Medicamenta Chymicâ ſelectiora, interque ea imprimis Theriacam cœleſtem, cujus prima lineamenta Joſepho Quercetano debentur, tantò feliciùs conficere poſſet. Obiit in patriâ A. C. 1668. ætatis ſuæ 67.

De eô extant

Decas nobiliſſimorum Medicamentorum Galeno-Chymicorum. Tubingæ, 1641. in 4.

Conſigna-

Conſignatio Medicamentorum tam Galenicè quàm Chymicè præparatorum quæ in officinâ Greiſſianâ proſtant. Ibidem, eôdem annô & formâ.

GREISELIUS (*Joh. Georgius*) Colleg. Med. Viennens. Aſſeſſor, Anatom. Prof. Extraord. Acad. Curioſ.

De eô extant

Tractatus Medicus, de Curâ Lactis in Arthritide, in quô indagatâ naturâ Lactis & Arthritidis, tandem rationibus & experientiis allatis diætâ lacteâ optimâ Arthritidem curandi methodus proponitur. Viennæ, apud Johan. Jacob. Kürner, 1670. in 12. Budiſſin. apud Wilich, 1681. in 12.

Obſervatio, de ſuffocatione ex fruſtô rupti pulmonis. Extat Ephem. Acad. Nat. Cur. German. An. I. *N.* 41.

Ex Anatome Monſtri gemellorum humanorum. Ibid. Ann. eod. N. 55.

De Rene ſuccenturiatô monſtroſô cum ulcere. Ibid. Ann. eôd. N. 56.

De Rene conſumtô. Ibid. An. eôd. N. 64.

Obſervatio, de Lapillis cum ſanguine è venâ proſilientibus. Ibid. Ann. eôd. N. 65.

De Lapide in abſceſſu Hepatis. Ibid. An. eôd. N. 66.

De Corde Magnô: & materiâ arenaceâ in arteriâ magnâ reperta. Ibid. Ann. eôd. N. 70.

De Hæmorrhoidum fluxû albô. Ibid. Ann. eôd. N. 75.

Ex Anatome Leænæ morbo exſtinctæ. Ibid. Ann. II. *N.* 5.

Ex metalli fodinarum præcipuarum Bohemiæ perluſtratione. Ibid. Ann. eôd. N. 78.

De repentinâ ſuavi morte ex Pancreate ſphacelato & obiter de potentiâ Imaginationis. Ibid. Ann. III. *N.* 45.

De inſenſibili tranſpiratione in rarâ corporis texturâ. Ibid. Ann. eôd. N. 46.

De Copioſiſſimâ alvi excretione & febri continuâ ex Drachmâ dimidiâ Tartari Vitriolati. It. de morte ex Aquæ laxativæ mannatæ Unciis tribus. Ibid. An. eôd. N. 47.

De Deliriô Melancholicô. Ibid. Ann. eôd. N. 49.

De Empyemate à Parotidibus & Phthiſi, à Quartanâ. Ibid. Ann. eôd. N. 50.

GREMBS (*Franciſcus*) Oſwaldus.

Ex eô habetur

Arbor integra & ruinoſa Hominis, id eſt, Tractatus Medicus Theorico-practicus, in tres Libros diviſus. In quô Sana & Morboſa Hominis natura ex Archæis, ſeu, ſpiritibus innatis, tanquam ſuis radicibus, proveniens dilucidè demonſtratur, ac ſimul de rerum principiis & Elementis, Meteoris, Lapidibus, Mineralibus, Vegetabilibus, Animalibus; de Uſû & Defectibus Partium humani corporis, de Animâ, de Febribus, Peſte, Venenis, Vitâ longâ & brevi, & tandem de Remediis Paracelſicis, juxta Conſenſum & Diſſenſum Hippocratis, Galeni, & Helmontii, in Exegeſi Remediorum Galenicorum, & Chymicorum, Hiſtoriarumque Medicarum breviter & accuratè diſſeritur. Francof. apud Johan. Georg. Spörlinum, 1657. in 4. Ibidem, apud Richardum Stockium, 1671. in 4.

GREVERUS (*Jodocus*)

De eô extat

Secretum & Alani Philoſophi Dicta de lapide Philoſophicô. Item alia nonnulla ejuſdem materiæ pleraque jam primùm edita à Juſtô à Balbian. Lugduni Batav. apud Chriſtoph. Raphelengium, 1599. in 8. & Volumine tertiô Theatri Chymici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

GREVINUS (*Jacobus*) Medicus Claromontiô Ortus, ſæculô XVI. Celeberrimus, qui non Ferrariæ Duciſſæ Medicus fuit, uti vult Crucius Meduanenſis, verum Sabaudiæ Duciſſæ, juxta Thuanum, his verbis de eô loquentem Anno 1570. Nonis Novembribus, Auguſtæ Taurinorum, nondùm ſuperatô trigeſimô annô obiit Jacobus Grevinus Claromontio in Bellovacis natus, ingeniô & rarâ eruditione præſtans, qui cùm à pueritiâ induſtriam in poëticâ feliciſſime exercuiſſet, quod *Gelodacrys* & alia edita cum raris illius ævi Poëtis comparanda & æternum victura ad poſteritatem teſtantur, ad Medicinæ ſtudium animum appulit, in qua pari felicitate ingenium exercuit. Nicandrum elegantiſſimè à Joh. Gorræo Latinum factum Gallicis verſibus non cedente Græcis Latiniſque elegantiâ reddidit;& de Venenis commentarium Gallicè itidem ſcriptum adjecit; multa inſuper ſive edidit, ſive commentatus eſt, quæ morte præcipitata ultimam manum non receperunt. Hominem tot ingenii dotibus inſtructum & amœnitate ingenii cunctos in ſui amorem rapientem Margarita, quæ Philiberto Emanueli Sabaudiæ Duci nupſit, virtutum inſigne noſtrô ævô exemplar inter familiares adſcitum in Italia ſecum duxerat, eôque poſteà non ſolùm Medicô ſed & Conſiliariô in graviſſimis negotiis ſemper uſa eſt; adeò ùt Grevinô exſtinctô, ſe & valetudinis ſuæ curatore eximiô & in animi anxietatibus amicô ſolatore orbatam doleret. Itaquè & mortuo honorificum funus fecit,& viduam ac filiam ejus unicam Margaritam Emanuelida, quam de Sacro Lavacro ſuſceperat, quamdiù vixit, penes ſe retinuit & omni humanitatis ac beneficentiæ genere proſecuta eſt, ùt quæ virum dilexerat, etiam oſſa ac reliquias, quæ in vidua ejus ac cariſſima filia reſtabant, inſigni gratii animi exemplô ſe diligere oſtenderet. *Thuanus Hiſtoriar. Lib.* 47. *ſub finem.*

De eô extant in Linden. Renov.

De venenis Libri duo, Gallicè ſcripti & poſtmodùm operâ Jeremiæ Martii, *Auguſtani*, in Latinum ſermonem converſi. Quibus adjunctus eſt ejuſdem de Antimonio Tractatus, eôdem interprete. Antverpiæ, apud Plantinum, 1571. in 4.

Partium corporis humani tum ſimplicium; tùm compoſitarum brevis Elucidatio. Antverpiæ, apud Plantinum, 1572. in fol. cum Epitome Veſalii.

GREULICHIUS (*Johan. Georgius*) Med. Doct. Pract. Mogunt.

Ex eô habetur

Curandi Hydropis vera methodus, quam ex cauſis ſibi novitèr obſervatis deduxit, perque experientiam confirmavit, ac modò unà cum Diſſertatione de bile, fœcundâ morborum parente, in ordine, ad felicem, facilemque gravium affectuum curationem in lucem dedit. Francofurti, apud Hermannum à Sande 1681. in 8.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1684. *pag.* 186.

ΧΟΛΗΛΟΓΙΑ, *ſive Themata Paradoxa de Bile ſana*

ſanâ & ægrâ : illâ ſanitatis , ac morborum cauſâ &c. Francofurti, apud Herm. à Sande, 1682. in 8.

GREW (*Nehemias,*) Medicus Anglus Celeberrimus, Societatis Regiæ Secretarius &c.

Ex eô habentur

Anatomiæ Vegetabilium Primordia ; cum generali Theoriâ Vegetationis eidem ſuperſtructâ, ex Anglicâ in Latinam tranſlata. Extant cum Miſcellan. Curios. ſive Ephemerid. Medico-Phyſicar. German. Annô Octavô. Uratislaviæ, apud Joh. Chriſtophorum Jacobi, 1678. in 4.

Idea Hiſtoriæ Phytologicæ, cum continuatione, Anatomiæ Vegetabilium, ſpeciatim in Radicibus & Theoria Vegetationis Radicum eidem præcipuè ſuperſtructâ. Extat cum Miſcellan. Cur. ſive Ephemerid. Medico-Phyſicar. German. Ann. Nonô & Decimô, Ibid. apud eundem. 1680. in 4.

Comparativa Anatomia Truncorum : unà cum Theoriâ Vegetationis eorum eidem ſuperſtructâ, in duabus Partibus. Prior lecta coram Societate Regiâ, Febr. 25. 1674. poſterior, Jun. 17. 1675. tota explicata ſingulis Figuris in XIX. Tabulis æneis ; præſentata Regiæ Societati 1673. & 1674. Extat ibidem, annô & formâ eâdem.

Diſcurſus, habitus coram Societate Regiâ, Decembr. 10. 1674. concernens naturam,cauſas & vires Mixtionis. Extat ibidem, annô & formâ eâdem.

De eô præterea ſic in Actis Lipſienſibus, Ann. 1682. *p.* 1.

Muſæum Regalis Societatis.

Or a Catalogue & Deſcription, of the Natural and Artificial Rarities, Belonging to the Royal Society &c. Vvhereunto is ſubjoyned the comparative Anatomy of Stomachs and Guts : by the Same Author &c.

i. e.

Catalogus & Deſcriptio rariorum rerum Naturalium & Artificialium, quæ pertinent ad Societatem Regalem : Cui ſubjungitur Anatome comparata Ventriculorum & Inteſtinorum ; per eundem Autorem &c. Londini 1681. *fol.*

UTi felici hactenus progreſſu per plures annos ſtudia ſua, pro Naturalis ſcientiæ ac Medicinæ,hinc & aliarum artiū majori complementô, continuavit Illuſtris Societas Regia Anglicana, ità intereà temporis inſignem ſupellectilem plurium rerum, tam naturalium quàm artificialium collegit, & in Muſæum ſuum ceù Gazophylacium recondidit, primô hujus fundatore exiſtente *Daniele Collwall*, Armigerô. Ut verò recondita curioſa pluribus innoteſcerent, exactam eorum deſcriptionem inſtituit *Nehemias Grew*, Med. D. & dictæ Societatis olim, poſt defunctum Oldenburgium, Secretarius. Præmiſit verò Naturalia, quibus ſubjunxit Artificialia, obſervando in iſtis quidem trium naturæ regnorum ordinem. In deſcriptione ipſâ ità ſe geſſit, ut incognita, vel alias non delineata, exactè deſcribat, recenſita jam ab aliis, ſuis ubique ſcriptoribus debitâ allegatione tribuat, vitioſè ab aliis tradita ſtudioſè corrigat & emendet : ſubjungendo ſimùl ſubjectorum magis curioſorum figuras convenienter æri inciſas. Nec hiſtoricæ ſaltem enarrationi inhæſit, ſed ſubindè ſuccinctas etiam ac elegantes ſpeculationes, ut & curioſas obſervationes inſeruit, Lectori non minùs jucundas quàm utiles. Ex ingenti hoc Cornû Copiæ, ſaltem pauca quædam excerpere placuit.

Ex Animali Regnô ſe offert *Mumia Ægyptiaca* integra p. 2. in quâ non tantum molliores partes conditura balſamica undique penetravit, ſed etiam ipſa oſſa ità infecit, ùt penitùs nigra reddita, aduſta quaſi videantur. Unde probabiliter colligit autor, quod Ægyptii balſamanda corpora coxerint in Caldariô, in certâ quâdam balſami liquidi ſpecie, donec aqueæ partes corporis exhalaverint, oleoſa verò & gummoſa balſami ſubſtantia penitùs ſe inſinuaverit. Quâ occaſione ſimùl parilem condiendi corpora rationem, per coctionem aut macerationem eorum in oleô, v. g. juglandis nucis, pro uſû ſpeciatim Anatomico proponit. *Integrum* porrò *Syſtema, Arteriarum, Venarum & Nervorum,* artuum pariter ac viſcerum, ex corpore humanô, Patavii, ſub Anatome, extractum & in Tabulâ exactè explicatum, p. 4. *Ignavus* ſeu *Pigritia*, p. 11. *Tamandua* major,p. 14. Cranium *Hippopotami* ſeu potiùs *Bupotami*, in Scripturâ Sacrâ dicti *Behemoth*, ab aliorum erroneis deſcriptionibus vindicatum p. 14. *Echinus Braſilienſis* ſeu *Tatu* aut *Armadillo* p. 17. it. *Tatu* porcinus & *Tatu* Muſtelinus, nullibi deſcripti, p. 18. & 19. *Sciurus volans*, p. 20. idem apparenter animal, quod ſub nomine felis volantis deſignat Scaliger. *Cutis integra Rhinocerotis junioris* p. 29. *Crocodilus*, in ſacris dictus Leviathan, p. 41. ejuſque *ſceleton*, p. 42. exactè deſcriptum, ubi ſimùl motus maxillæ ſuperioris, tam hujus, quàm aliorum quorumvis animalium, ceu fictitius redarguitur, p. 45. *Caput Hungum* ſeu *Rhinocerotis avis*, h. e. Corvi cornuti p. 58. it. *Corvi Coronati*, p. 59. *Caput Toucan* ſeu *Picæ Braſilienſis* p. 60. *Aviculæ Guanumbi* p. 62. *Caput Ciconiæ Indicæ*, nullibi deſcriptæ, p. 64. *Penquin* ſeu *Anſer Magellanicus* Cluſii, p. 72. *Coſta Tritonis* p. 81. *Caput Xiphiæ inferioris*, p. 87. nondum deſcriptæ. *Monoceros Marinus minor*, nuſpiam aliàs, ſed hic accuratè deſcriptus, p. 104. *Remora piſcis*, ejuſque deſcriptio clarior, cum conſideratione traditionis, de potentia ejus ſiſtendi motum navium. p. 106. *Hirundo Marina* Salviani p. 116. *Stella Marina*, levior, arboreſcens, coronalis, hactenùs non deſcripta, p. 122. 123. Quibus accedunt *Conchyliorum* 600. *differentiæ*, eôdem in Muſæô aſſervatæ, p. 124. quæ inter, *Cochlea dactylata*, nondum deſcripta p. 135. it. *Cochlea turbine antico* p. 136. it. *Spondylus* Echinatus & Corallinus, nondum deſcripti, p. 145. quorum omnium differentias, in Tabulas ordinatè diſpoſitas, pro varietatis faciliori apprehenſione, ſedulus Autor ſubjunxit, p. 150. Sequuntur hæc, alia inter, *Muſca ſeu potiùs Locuſta ſpecies*, *Cucujus Peruvianus*, capite noctû lucente, penitùs differens ab eô quem deſcribit *Mouſetus*, adeòque ab aliô haud delineatus. p. 158. it. ex ſcarabeorum genere, *Carabus Indiæ Orientalis* maximus, it. craſſus, it. longus, à nemine adhùc expoſiti, p. 165. 166.

Animale regnum excipit Vegetabile : in quô imprimis ſe offert *Ramus arboris fœtidæ*, *p.* 180. ità dictæ, quòd fortiſſimum excrementorum humanorum fœtorem ſpiret, etiamſi aliquot annos jam aſſervata ſit, aſt dum comburitur, nullum odorem ſpargit. Hinc fructus, quos India utraque fert, plures ; in ſpecie *fructus Palmæ Cocciferæ, die* Coccos *Nuſſ*, exactè deſcriptus, p. 197. cum explicatione multiplicis uſus arboris cocciferæ ejuſque partium. *Nuci dactylus* nullibi deſcriptus p. 204. *Nux Cacaw*, p. 204. cum ratione parandi ex granis ejus, ſeu potiùs nucleis Chacawalatam ; quodque ex amygdal. dulc.

ſaccharô

ſaccharô ac ſpeciebus aromaticis potus æquè gratus, ac optima chacawlata, parari queat. *The Butter-Nut* ex novâ Angliâ, nuſpiàm deſcripta, p. 205. *Avellana purgatrix Mexicana*, exactè explicata, p. 206. unà cum obſervatione virtutis ejus laxativæ, ſimpliciter in tenui membranâ, interiùs, intra quaſi-nucleum, complicata reſidentis, p. 207. *Nux Metella*, & genuina, *Nux Vomica*, communiter ex nominum tranſpoſitione confuſæ, p. 210. *Conus Cedri Magnæ* ex Libanô. p. 212. *Maizum, ſeu frumentum Indicum*, p. 222. ubi autor ſimul varios præparandi iſtud modos, pro uſû tam alimentoſô quàm medicamentoſô recenſet. *Papyrus ſeu potiùs Cyperus Nilotica*, p. 226. cujus medulla (cùm aliorum vegetabilium vel cortex vel folia uſui ſcriptorio inſervierint) in paſtam contuſa, hinc in tenuia folia expanſa & hæc denuò aptè compoſita, papyrum ſcriptorium olim ſubminiſtravit. *Radix Ninſin*, Chinenſium quaſi panacea, p. 227. cujus planta penitùs hactenùs fuit incognita, pictura tamen ejus pariter in Muſæô hôc aſſervatur. p. 376. & ab autore delineatur, quod caulem exhibeat, triticei graminis craſſitie, pedis unius altitudinis, cum foliis ſimilibus iſtis leucoii lutei ſeu cheiri: flores dum adhùc complicati, rubeſcant, aperti verò conſpiciantur albi, trini ſemper juncti, ex 6. foliolis compoſiti, formati fere inſtar moly flor. orbiculato Bauhini, non tamen adeò magni, *Rad. Ari Ægyptiaci, p.* 228. circa quam obſervat Autor, radicem ejus annuatim regenerari novam, pro plantæ perennitate, ex ipſô ejus caule, id quod pariter in aliis plurimis plantis obtineat, minùs licet a Botanographis obſervatum; modum regenerationis vide c. l. Sequuntur *frutices marini* plures, tam lignei, quam corneo-lignei, p. 244. & ſq. cum conſideratione, quomodo nutriantur, ab ambiente fluido, per radices non ramoſas, ſed membranæ inſtar, ſuper ſolidum quoddam corpus expanſas, ob id molliuſculas, & quaſi ſpongioſas, præſertim recenter collectæ ſi fuerint.

Ibidem p. 33.

Muſeum Regalis Societatis. Londini A. 1681. *Proſtat Lipſiæ apud Joh. Groſſium & C. F. F. Hæredes.*

RECenſuimus Calendis Januarii pag. 1. ſeqq. Naturalia quædam ex animali & vegetabili Regnô, Muſeô hôc recondita. Superſunt quæ ad *Minerale* Regnum ſpectant, necnon *Artificialia* quæ nùnc promiſſi memores ſubjicimus.

MINERALE ergò quod attinet Regnum, ſe offerunt primò petrefacta, quæ inter pag. 255. *Ichthyites* in modum typi; hoc eſt lapis, cujus plano figura piſcis non eſt impreſſa, ſed cavitas lapidis interior in figuram ac typum piſcis exactè eſt formata, adeòque quaſi matricem aut formam exhibet, cui alia corpora, pro induendâ piſcis figurâ imprimenda ſint. Sequuntur plures entrochitarum, item Coralliorum ſpecies ac varietates; ſpeciatim *Corallium rubrum*, cujus radix ſupra truncum corallii albi expanſa, p. 275. *Rupes Adamantum*; ex quâ in formâ cryſtallorum ſexangulari excreſcunt. p. 281. *Lapis viridis, Smaragdi ſpecies*, quæ intenſiùs calefacta, in tenebris, ad tempus notabile, ſcilicet per $\frac{1}{16}$ horæ partem luceat; ità quidem ut color ejus viridis, (ſecundum ea, quæ obſervavit Autor) admotô igne incaleſcentis, in intenſiſſimè cæruleum mutetur, quem pariter retineat, quamdiù ſplendet, redeunte poſtmodum nativâ viriditate. p. 287. *qui lapis, ſi non idem eſt cum Phoſphorô Smaragdino Elsholzii, in obſervat. de 4. Phoſphoris, N. III. ſanè haud multùm ab eô diſcrepare videtur.* De *Turcoide* etiam refert Autor, ſpeciem eum videri æruginis, ſuô modô petrefactæ: id quod præter colorem & ſapor ejuſdem calcinati confirmet, unde minùs mirum videri poſſit, lapidem hunc tandem præſertim aëri diutiùs expoſitum, coloris elegantiam perdere, quæ poſſit reſtitui per Oleum vitrioli, quod abſumat fatiſcentem & deflorescentem ejus ſuperficiem. pag. 294. quod poſteriùs tamen experientiæ ſcrutiniô ulteriori committendum, cum aliàs haud facilè ſit, colorem Turcoidis deperditum reſtituere. Prout verò Autor hôc locô Turcoidis alterationem conſiderat, ità ſub lapidum & ſimilium foſſilium recenſione ubivis ferè obſervat, quomodo acidorum reſpectû ſe gerant, an cum iiſdem & cum quibus effervescant. Quæ inſerviunt illuſtrando ſimilis argumenti Autoris ſcripto, *of the Luctation, ariſing from the mixture of bodies*: hoc eſt, de luctâ è mixturâ corporum oriunda, quod ipſum jam Gallico Idiomate Pariſiis Ann. 79. prodiit, ſub Tit. *Experiences ſur le combat qui arrive du melange des Liqueurs diverſes, avec toutes ſortes de corps.* Recenſet porrò *Cryſtallum Talcoſam ſeu Cryſtallum Iſlandicam* Bartholini, pag. 309. Refractiones ſingulares hujus lapidis, ſtructuræ tribuit inæquali, ideo, quòd is non fruſtum unicum ſaltem, aut abſolutè continuum, ſed compoſitus ſit ex diſtinctis laminis ſeu bracteis, diverſimodè contiguis, adeò ùt in quibuſdam locis diſtinctæ iſtæ laminæ, ſaltem unam refractionem, in aliis duas, vel plures efficiant. pag. 310. Proſtat hinc *Magnes* ponderis 60. librarum, haud quidem ingens adeò pondus elevans, acum tamen novem pedes diſtantem movens. Partes quædam ipſius diffractæ, in proprium locum denuò repoſitæ, multum ejus robori addiderunt, pag. 317. Mutabile ſc. magnetis robur eſt, adeò ùt ſucceſſû temporis multum de ſuâ vi tractoriâ, & quæ inde pendet, appenſorum ferramentorum ſuſpenſoria amittat. Pro avertendô tamen hôc defectû, quin & pro eôdem, jam factô fortè, corrigendô, facit actionis ejus continuitas, ſimili ferè ratione, atque in moralibus exercitium virtutum generoſiores eas reddit, & animales motiones per crebriorem uſum fortiores evadere ſolent; id quod curioſa ab Autore recenſita confirmat obſervatio magnetis cujuſdam armati. Sedecuplum is proprii ſui ponderis initiô attollebat, ſed per aliquot annos ſepoſitus, quartam roboris partem amiſerat; cujus reſtituendi cauſa, tantùm eidem rurſus, quantùm ſuſtinere poterat, ponderis ferrei fuit appenſum, & ità aliquandiù relictus: hinc ab aliquot ſeptimanis denuò plus ponderis appenſi ferre poſſe obſervatus fuit: quod ubi pedetentim, addito novi ſemper ponderis augmento, repeteretur per biennium, lapis iſte non ſolùm priſtinum robur recuperavit, ſed vigoris etiam ſui incrementum cepit tantùm, ut vigecuplum proprii ponderis attolleret, p. 318. *Ingens minerarum Lunæ varietas p.* 323. *cùm vix ullum metallum, tantâ mineræ ſeu matricis varietate ludat, ac Luna: ſicut Cupri minera, præ aliis elegantiſſimorum colorum mixturâ conſpicua eſſe ſolet.* Item præter Lunam capillaceam, etiam *Cupri capillaris* 1 pag. 326. it. *Capillaceum & granulatum Cuprum* ſimul, nativum, in unô fruſtô. c. l. *Minera aliquot Jovis*: quâ occaſione mentionem Autor injicit mixturæ, contra morſum canis rabidi, ex Mithridatiô & ſtannô, plurimi à Venatoribus quibuſdam æſtimatæ. p. 329. *Plumbum Cryſtallinum*, hoc eſt in apices hexago-

nos

nos finiens, ex minerâ pag. 329. *Ferri minera*, ex quâ metallum, plurium longarum & rotundarum ſtiriarum formam, majorumque acicularum craſſitiem induens exſurgit. pag. 330. Duo *oſſa pedis* humani in ferrum mutata: item *fruſtum ſtiriæ lapideæ* (*Germ. Eropffſtein*) ferrificatum, p. 332. Fruſtulum naturalis *ſalis Ammoniaci*, per ſubterraneos calores, in lithantra cum fodina propè Civitatem Angliæ *Newcaſtle*, ſublimati p. 339. Idem ſal in formâ Coni ſacharini ex ſuâ matrice, prout ex terrâ dicti loci fuit eruta, arte ſublimatum, uti & ſpiritus vol. ex eodem ſale cum calce vivâ additâ deſtillatus. p. 353. *Sal quoddam ſingulare* (ſeu *anomalon*) ex montanis Teneriffæ deſumtum, ad alcaliſatorum naturam accedens, pag. 339. *Fruſtum ſuccini* $\frac{1}{1}$ pedis longitudine, foſſile, ſeu fodiendo repertum ſub propugnaculis Renſburgenſibus in Holſatiâ, pedes 18. ſub terrâ, loco 25. milliaria (intellige Anglicana) à Balticô pariter & Germanicô Oceanô diſtante, p. 343. *Fruſtum ſuccini flavi*, cum cicadâ incluſâ, p. 334. Ut & alia, cum culice, muſcis & ſimilibus inſectis reconditis. c. l. *Sulphur nativum* cryſtallizatum Peruvianum ſemi perſpicuum, p. 345. *Terra*, quæ pluviæ ad inſtar copioſa ex aëre decidit in Archipelago, ſub incendiô Veſuvii, A. 1631. eaque duplex, gryſea una, altera bolaris, ſimilis jalapæ pulveriſatæ: p. 346. hinc & *alia terra pluvialis*, ex Tenariffa, pallidi argillacei coloris & inſipida. Hæc cum Oleô vitrioli mox efferveſcit, illæ minimè.

Naturalibus ſuccedunt ARTIFICIALIA. *I. Chymica*; *ut Oleum Nicotianæ* ſeu tabaci per deſcenſum; hujus una vel duæ guttæ linguæ felis impoſitæ, immediatè horridas convulſiones excitarunt, & 1. minuti horæ ſpatio eam enecarunt: de eôdem oleô aliquoties autor Parenti ſuo, Tabaci fumo aſſueto, aliquantulum contra odontalgiam exhibuit, dentibus applicandum, felici planè cum ſucceſſû: ipſe verò Autor tabaci fumo minimè aſſuetus, eôdem modô aliquandò idem oleum cùm uſurpaſſet, tametſi nihil ſputi ſalivarii deglutiverat, nihilominùs ſummè debilis redditus fuit, cum ſuperveniente vomitû, p. 352. Oleum per Alembicum deſtillatum, ex *rad. arboris Cinamomi*, contuſa & in aquâ macerata, ſimillimum camphoræ, p. 352. *Oleum macis* recèns expreſſum, liquidum, colorem referens Tincturæ croci, & odoratiſſimum: id quod confirmat aſſertum *Linſchotti*, colorem originalem macis eſſe ſcarlatinum. *Salia fixa* plurium ſimplicium Vegetabilium, de quibus Autor aſſerit, quod ritè tractata, eadem ex diverſis ſubjectis, multum inter ſe differant, tam acrimonia, quàm modis aliis, etiamſi æqualiter ſint calcinata: adeò ut uſus eorum promiſcuus, in Medicinâ minus tutus ſit: cùm, exempli gratiâ, ſal Tartari ſcrup. ß. tam potens ſit, ac ſcrup. 1. Sal. abſinthii. p. 353. *Phoſphorus Hermeticus ſolidus*, qui luci vel Solis vel ignis expoſitus, in tenebris aliquandiu lucere ſolet. Autor hujus primus rectè dicitur *Balduinus*, nunc defunctus, qui tamen nec modum, nec ingredientia ullibi manifeſtavit. Eundem *Dr. Fr. Slare*, Anglus, An. 1679. felici ſucceſſû & præparavit & Societati Regiæ exhibuit. Cretam ſcilicet calcinatam ſolvit in ſ. q. ſpiritus nitri, ſolutionem filtratam evaporat ad ſalis conſiſtentiam: hoc in teſtâ ſub tegulâ fornicatâ calcinat, non abſque ebullitionis impetû ſucceſſivè, obſervando ubique debitas enchiriſes, (prolixiùs ab autore recenſitas,) reſtitante tandem, omnia ubi refrixerint, in teſta capite mortuô flaveſcentis coloris, qui quouſque conſpicitur, eô uſque etiam vis luminoſa ſe extendit; cuſtodienda maſſa hæc ſedulò ab aëre, aliàs ſeptimanæ intra ſpatium vim ſuam amittit. Obſervationes haud vulgares circa hunc Phoſphorum factæ, & ab auctore recenſitæ, ſequentes ſunt. Expoſitus auroræ ſplendori, paulò ante Solem exortum, exhibet lucidum quaſi roſeum nitorem: appropinquante verò Sole ad meridianum, ad intenſiorem ferri candefacti ſplendorem aſſurgit: paulò poſt Solis occaſum, ad pallidum colorem inſtar matris perlarum declinat. Luci candelæ vel faſciculi lignorum expoſitus, pallidi coloris lumen, ſimile illi, quod ſub Solis deſcenſum aſciſcit, contrahere ſolet; expoſitus verò ad notabile tempus Lunæ clariſſimæ radiis, nec tantillum hinc lucere obſervatur. In Vacuô Boylianô aſſervatus, etiam per 4. aut 5. menſes, proprietatem iſtam Luminis rapacem minùs ſolet perdere. Cauſam phœnomeni hujus in genere redditurus ſuprà laudatus *Dr. Slare*, 1. id, quod in miſturâ iſtâ lumen ſuggerit, arbitratur eſſe partes igneas puras ſpiritûs nitri, in cretâ concentratas: 2. modum quod attinet, fieri hoc ipſum non per imbibitionem lucis, ſed ſaltem per impreſſionem ab illâ factam, unde oriatur motus in miſturâ, luminis productivus: &c. Noſter verò Autor ſuſpendit propè judicium: imprimis enim quid lux ſit, preſſiùs declarari cupit: hinc arbitratur, quod in præſenti caſû Sal cretaceus, nitroſus, & aëreæ particulæ inſimùl inſerviant ad componendum ſubjectum aptum recipiendo genuino corpori lucidò &c. &c. p. 357. Sed præter hunc Phoſphorum ſolidum, Autor prætereà mentionem facit duplicis *Phoſphori liquidi*, quorum prioris quidem ſupponatur autor *Dn. Dan. Krafft*, (*reverâ tamen eſt Kunckelius*, *Electori Sax. olim à Laboribus Chymicis*, *qui ſecretum hoc ſe Krafftio communicâſſe affirmavit*) poſterioris verò inventor eſt *Dn. Boyle*, qui noctilucam aëriam appellavit.

Sequuntur 2. *Inſtrumenta ad Philoſophiam naturalem* pertinentia: In quibus eminet inprimis à *Weather Clock*, ſeu automaton, mutationes tempeſtatum & temperaturæ aëris oſtendens: conſtat principaliter ex horologiô cum pendulô, Barometrô, Thermometrô, menſurâ pluviali, Ventilogio & Hygroſcopiô, p. 358. Inſtrumentum *pro menſurandâ quantitate pluviæ*, quæ certô temporis ſpatiô, ſuper certam ſoli partem, v. g. jugerum defluat, deſcriptum p. 358. Autor ejus eſt D. *Wren*, nùnc Soc. Reg. Præſes Illuſtriſſimus. *Furnus Lampadis*, inſerviens tam excluſioni ovorum, pro obſervandô generationis proceſſû, quàm digeſtioni liquorum &c. p. 358. *Speculum uſtorium cavum*, h. e. compoſitum ex duobus vitris concavis, uti eo cùm volueris, aquâ communi replendis; p. 359. Inſtrumenta *Otocouſtica* tria, pro juvando auditû, ex ebore unum, alterum ex cupro, in formâ infundibuli, niſi quòd roſtrum ſit nonnihil inflexum, pro meliori ad aurem applicatione & ſoni receptione; unum ex ſtannô figuræ conicæ, cum incluſâ cochleâ, p. 359.

Hinc 3. *Artificialia Mathematica & Mechanica*, v. g. *Teleſcopium* reflectens, p. 360. *Inſtrumentum* demonſtrans, in quantùm navis adverſô ventô vela facere queat. p. 364. *Canoo* ſeu navicula Groënlandorum, p. 364. *Venenum Macaſſarenſium*, quô arma inficiunt. Cujus cùm varii ſint modi, in eô, quod hìc proſtat, apparent crura aliæque partes ſpeciei cujuſdam ex cantharidibus, quæ videntur miſta cum certô ſale corroſivô. p. 368.

Denique

Denique 4. *Purè Mechanica. Statera Chinenſis*, exactè deſcripta; p. 369. *Par follium* ligneorum. p. 369. *Sembradore Hiſpanicus*: hoc eſt machina, mediante quâ ſimul & aratur & ſeritur & occatur. Varia *Indorum Utenſilia* p. 372. item *Chirothecæ* & *Ocreæ* Iſlandorum p. 375.

Tandem *monetæ* & alia ad *antiquitatem* pertinentia Opus finiunt, p. 380.

Præter opinionem crevit ſub manibus recenſus Muſei. Sed eâ ratione conſultum voluimus Anglicanæ linguæ minùs gnaris, qui nihilominùs uti hôc librô ſuô cum fructû poterunt, ſi figuras quibus expreſſa cuncta ad amuſſim ſunt, conferre cum Excerptis his noſtris ſuſtinuerint. *Appendicem* verò *quæ* anatomen comparatam ventriculorum & inteſtinorum continet, *Calendis Martii ſumus exhibituri.*

Ibidem eôdem Annô pag. 57.

The Comparative Anatomy of Stomachs and guts begun:

id eſt

Inchoata Anatome comparativa ventriculorum & inteſtinorum. Londini, in fol. 1681.

Liber hic *Muſeo Societatis Regalis* à Clariſſimo Auctore Appendicis in modum annexus eſt, quo inteſtinorum & ventriculorum ſtructuram, pro animalium eorumque alimenti varietate diſtinctam exponit.

Cap. I. exhibet Anatomen *Ventriculi & Inteſtinorum* ſex Quadrupedum carnivororum, ſc. *Muſtelæ*, *Furonis*, *Putorii*, *Felis*, *Canis*, *Vulpis*, in iiſque ad tria imprimis reſpicit. 1. *Ad ſtructuram & texturam harum partium*, tam quoad ſubſtantiam plus minus membranoſam vel carneam, quâ ratione inteſtina felis in muſculare & membranaceum dividuntur, quàm quoad earumdem ſecundùm tres dimenſiones quantitatem; unà cum reſpectivis earum differentiis, cum muſtela ſimpliciſſimam inteſtinorum habeat conformationem, canis & vulpes ſolum obtineant cœcum, omnia careant colo.

2. Ad *glandulas* inteſtinorum horum animalium, non in muſtela quidem, at in cæteris, præſertim quatuor ultimis, copioſas, eaſque vel *ſociatim* in racemos junctas, & has ferè minores, ex oppoſito inſertionis vaſorum in inteſtina ſitas, quorum racemorum quilibet *pancreas inteſtinale* vocari poſſit, ſaltem quod non unum communem ductum habeant, cùm ſingulæ glandulæ propria habeant ſua orificia mucoſi liquoris excretoria: vel *ſeparatim* hinc inde diſperſas, eaſque majores & ampliores. 3. Ad *folliculos* binos, ſive ſacculos prope anum ſitos, quibus omnia hæc animalia gaudent, & quos exiſtimat proprios ſaltem carnivoris quadrupedibus, interiùs cavos, & liquorem, fœtorem animali proprium ſpirantem continentes; quos analogos arbitratur iſtis folliculis, in quibus Zibethum in Civetta continetur. Speciatim in muſtela expanſus eſt ſuper hos folliculos ſphincter, qui eos & anum unà comprimendo, ad ſimultaneam evacuationem has partes cogit.

Cap. II. Ventriculum & Inteſtina *Talpæ*, quæ inſectis veſci videtur: it. *Erinacei*, *Sciuri* & *Gliris*, qui principaliter fructuum voraces, conſiderat.

Cap. III. Ubi de Ventriculo & Inteſtinis Animalium, quæ ſimul ſunt frugum & graminis voracia, ut *Cuniculi*, *Equi* & *Porcelli*, tractat inter alia in genere, ſimplex eſſe cœcum horum animalium, non duplex, contra Gliſſonium obſervat. In ſpecie in Cuniculi inteſtinis ſtructuram Cœci mirabilem, tam quoad magnitudinem, quam quoad valvulam, in linea curioſè ſpirali, ab uno extremo Cœci ad alterum extenſam: Gulæ Equinæ amplitudinem, craſſitiem, ruborem, &c. proprietates Gulæ in omnibus voracioribus animalibus; Inteſtinorum, præſertim Cœci, & quaſi triplicis Coli ſingularis ſtructuram; tam quoad amplitudinem, quam quoad quadruplex ligamentum, dicta inteſtina in debita figura conſervans, & in plures cellulas ampliores & anguſtiores contrahens. Poſt Porcellini ventriculi quaſi duplicis, ventrem magnum inſtar carnivororũ quadrupedum figuratum & muſcularem, ibique ex oppoſito pylori ſituatam rotundam carunculam, magnitudinis avellanæ, ceu obturaculum pylori, partem huic animali propriam; appendumque majori illi, ſimili modo ac Cœcum aliis inteſtinis, ex ſiniſtro latere alium minorem ventriculum, ob id Cœcum vocandum, & mediante ligamento muſculari, tanquam ſemivalvula à priori ſeparatum deſcribit. Quoad Inteſtina in ſex vel ſeptem differentias diſcriminanda, ex omnibus Quadrupedibus, porcelli & equi Cœco peculiare eſſe notat, quod ejuſdem cum Colo ſint ſtructuræ: ſicut ex omnibus quadrupedibus, his ipſis & cuniculo (forſan etiam aſino ac lepori) proprium ſit, quod geminum habeant Colon.

In *Cap.* IV. de animalibus quadrupedibus graminivoris, *Ove* & *Vitulo* agit, ubi conſiderandam proponit gulæ ovinæ curioſam texturam ex quinque membranis: quarum intima & extima cuticulares ſunt, illa inſuper glanduloſa, candida, & friabilis. Cui proxima eſt nervoſa, in hoc & quibuſdam aliis animalibus adeò denſa, ut propriè corpus nervoſum dici queat, compoſitum ex fibris partim ſecundum longitudinem gulæ extenſis, partim per tranſverſum ad binas muſculares membranas excurrentibus: adeòque tendo fit duarum proximarum muſculoſarum membranarum, quarum fibræ nec ſpirales ſimpliciter ſecundum *Stenonem*, nec decuſſatæ tantum ſecundum *Williſium*, ſed mixta quadam ratione, ex adjecto ab Auctore ſchemate rectius intelligenda, inſtar ſcuticæ, qua equi incitantur, formatæ ſint. His quatuor ventriculi & inteſtinorum ſex vel octo connectuntur. Cùm modo recenſitis, quoad numerum, texturam & figuram Gula & Ventriculus *Vituli* conveniunt; inteſtina verò in ſeptem vel novem partes diviſibilia, multùm ab iſtis Ovium differunt, ſpeciatim horum partes tertia, quarta, & quinta, glandularum copiâ præ iſtis ovium maximè conſpicuæ ſunt.

His præmiſſis, *Cap.* 5. 6. & 7. uſum harum partium, quantum ex anatomica ſtructuræ earum conſideratione explicabilis eſt, ſubjungit, pluribus Gulæ officium deglutiendi, evomendi, eructandi vindicans: oſcitationem & expuitionem contra Williſium ab eadem removens: contra quem pariter genuinum gulæ motum, tam ſub deglutitione deorſùm, quàm ſub evomitione ſurſùm exponit, idque præſertim eleganti, quam ſupra attigimus, gulæ Ovillæ mechanica. Simili modo ex ſtructura partium ventriculi, præter alios uſus, quintuplicem ejus motum, corrugationem, adſtrictionem, undulationem, convulſionem (pro vomitu) & voluntariam motionem (pro ruminatione) eruit:

modum ejus perſpicuè ubique explicans. Idem circa inteſtinorum uſum & officium, ſecundum eorum ſtructuram diverſimodè exponendum agit. Speciatim Cæco inteſtino triplex officium aſſignat: 1. exactiorem alimentorum coctionem. 2. alimentorum & excrementorum receptionem. 3. contenti fluidi ejectione, excernendorum ex inferioribus promotam excretionem. Glandularum verò inteſtinalium muco tribuit hunc uſum, ut lubrica inteſtina reddat, & ceu quoddam fermentum alimentorum colliquationem adjuvet, ſicut in Diarrhœis naturalibus & artificialibus per illas ipſas humoris evacuandi, ex ſanguine fiat ſeparatio.

Cap. VIII. Ventriculos & Inteſtina Avium examinat: Ex quorum quadraginta ſpeciebus diſſectis, tantum tredecim recenſet Anatomen. 1. *Caſſowarii* (avis nobis incognitæ) 2. *Ulula.* 3. *Cuculi junioris.* 4. *Galli gallinacei.* 5. *Columbæ domeſticæ.* 6. *Monedulæ.* 7. *Sturni.* 8. *Luteolæ.* 9. *Rubicillæ.* 10. *Torquillæ* ſive *Verticillæ.* 11. *Terraneolæ.* (*Calandræ Carletoni*) 12. *Junconis* ſive paſſeris arundinacei. 13. *Hirundinis domeſticæ.*

Circa horum Anatomen in genere obſervat, quod omnes ferè aves bina Cœca habeant, quæ obtuſos faciant angulos cum recto, contra *Willougbys* Ornitol. Speciatim omnia gallinaceorum anatumque genera duo cœca admodùm longa obtinere, quæ in gallo in rectum hient, ſivè aperta ſint. *Torquillam* verò Cœcô carere. Rectum prope anum in quamplurimis avibus ſylveſtribus amplum, adeoque ferè pyriforme eſſe: *Caſſowarium, Cuculum, Anatem ſylveſtrem, Querquedulam,* & omnes hujus ſpecies, ingluvie deſtitui.

Porrò quoad *Galli Gallinacei* Ventriculum, in multis conſentit Autor, cum iis, quæ *J. J. Peyerus* circa ventriculi gallinacei Anatomen aliquot ab annis prodidit: (quam ipſam tamen, annô demùm, poſt lectam hanc ab auctore coram Soc. Reg. Anatomen, ſequenti, lucem aſpexiſſe aſſerit) In hoc tamen diverſus, quòd binis paribus muſculorum, ſive quatuor illis, molam ventriculi juxta Peyerum conformantibus, ab Autore verò molaribus appellatis, adhùc duos alios muſculos, quorum unum ex parte ſiniſtra, *deductorem*, alterum ex parte dextra, *reductorem* appellitat, ſuperaddit. Circa *Columbas* verò notat earum ingluviem, in *domeſtica*, parte inferiore, ſex vel ſeptem glanduloſis laciniis, eleganti figurâ expreſſis, concinnè inſtructam: In *Columba Turcica* verò curioſè præ cæteris conformatam & triplici quaſi ventre conſtantem ſeu cavitate; in *Columba* item *gutturoſa* ſimilis ferè figuræ; gulam verò admirandæ extenſibilitatis, modò tantillum infletur. Ventriculos harum ſimiles gallinaceo memorat. Circa inteſtina *Monedulæ*, obſervat fibras muſculares primarias, ſecundum longitudinem tenuium, & ex parte Recti quoque, curioſè eſſe ſinuatas ſive laciniatas, qualem ſtructuram ſupra in inteſtinis *Talpæ* quoque notaverat, quibus aliæ circulares, iſtas lacinias æqualiter dividentes, ſuperinſtratæ ſint. Similem fibrarum inteſtinalium conformationem in aliis pluribus aviculis, utut non ubique eôdem modô, nec eôdem locô, v. g. in Avicula Anadavadenſi, rubicilla, corruca, motacilla, paſſere ſolitario, paſſere domeſtico, fringilla, ſturno, luteola, hirundine &c. advertit.

His, ſequente *Cap.* 9. uſum iſtarum partium, in ſpecie illarum ventriculi Gallinacei, & ſinuatarum fibrarum inteſtinalium, ſubjungit.

Denique *Cap.* 10. Ventriculum & inteſtina Piſcium conſiderat. Circa quæ duo imprimis ſingularia notat: 1. multos non habere ventriculum, ſcil. in ſpecialem cavitatem expanſum, aut ſaltem exiguum, ut *Salmo, Tinca, Barbus, Abramus,* ſive *Cyprinus latus.* 2. Multos plura habere Cœca, tria vel quatuor *Percam*, novem vel decem *Rubellionem*, ſupra triginta *Truttam*, ſupra quadraginta invicem coacervata, *aſellum majorem & mollem, Salmonem* circiter octoginta, inteſtino craſſiori ſucceſſivè, ſimili ferè modô, ac juba collo, equino adhærentia, quæ ab aliis quibusdam pro tot pancreatis habita fuerunt.

Ibidem Annô 1684. *p.* 71.

The Anatomy of Plants, with an Idea of a Philoſophical Hiſtory of Plants, and ſeverall other Lectures.

hoc eſt.

Anatomia Plantarum, cum Ideâ Philoſophicæ Hiſtoriæ de plantis, & variis Lectionibus aliis. Londini, 1682. *in fol.*

QUæ fuerit Clariſſimo Autori occaſio ſcribendi, & quô ſucceſſû ipſe ſuſceptum opus perfecerit, de eô in præfatione, quam Libri principium offert, prolixè legi poteſt. Hanc enim apparet imprimis ſcriptam eſſe, ut pateat, numquid *Malpighio*, cujus in eôdem argumentô occupata fuit induſtria, ab Autore debeatur; & idcircô ſuccincta quædam hiſtoria totius Operis texitur, ut conſtet, quo ordine illius partes conſcriptæ ſint, & quo poſteà in lucem venerint. Nimirùm *Anatomia Plantarum*, ante hos duodecim annos, & amplius, primùm prodiit, ac eôdem die Regiæ Societati oblata fuit, quo *Malpighius* libros ſuos, nondùm adhùc typis excuſos, ſed manuſcriptos de eâdem materiâ, Londinum miſerat. *Idea* verò *Hiſtoriæ Plantarum*, & *Anatomia Radicum* ac *Truncorum*, *cum duabus lectionibus de mixtione*, aliquot annis pôſt lucem adſpexerunt. Et hæ quidem partes omnes ſuos nactæ ſunt interpretes, cùm Gallos tum Germanos, de quibus tamen non æquè benignum Autor judicium tulit. Ultimô *Pars quarta Anatomiæ Vegetabilium* conſcripta fuit, annis videlicèt 76. & 77. quæ nunc prioribus opuſculis eôdem volumine juncta invenitur. De eâ dùm referre hic paramus, rogandus eſt Lector, nè iniquè ferat, ſi nos capitum ſectiones ac numeros, eâdem methodô, quâ Author uſus eſt, ſequi viderit. Diviſa verò iterùm eſt in *partes quatuor*, quarum *prima* de *Foliis* inſcribitur, & ſex omninò capitibus de protectione & plicaturâ foliorum naſcentium, quibus, naturæ beneficio, à frigoris & ſolis injuriis defenduntur, agit; de iis item, quæ in externâ ſuperficie foliorum apparent; de ipſorum figurâ, ac fibrarum extrinſecâ diſpoſitione; de partibus & texturâ; de duratione ac tempore generationis; & denique de modo, quo folia in plantis atque arboribus producuntur. Et quià Autor de his ferè omnibus ſuperius, L. 1. *Anat. Plant.* C. 4. quædam dixit, ideò hic plerumque alias tantum obſervationes prioribus addit, nonnulla tamen planè nova, quæ vel anteà non animadverterat, vel ſaltem non memoraverat, affert. Ità cùm plicaturæ & corrugationis foliorum octo quondam ſpecies numeraſſet, eas nunc quatuor aliis, quas ex illo tẽpore repetitis experimentis deprehẽdit, auget,

get. Dum circa ea occupatur, quæ in foliorum externâ ſuperficie apparent, præter globulos, ſpinas, pilos, & ſtimulos, quorum omnium anteà mentionem fecerat, nunc etiam maculas nominat, quas teſtatur ſe inveniſſe non tantùm in *hyperico*, ubi & ab aliis obſervatæ ſunt, ſed in *rutâ* quoque, *hederâ terreſtri*, *anagallide*, & pluribus præterea plantis. Scribit autem eas naſci ab exſiccatione globulorum, quod vel inde conſtet, quia ipſæ in foliis adultis, globuli autem in modò natis extantiores ſunt. Alius generis maculas adventitias vocat, quales v. g. in *ſonchô* reperiuntur, earumque originem refert ad inſectum aliquod, ſextam pollicis partem longum, coloris cineracei, quòd intra cutem & pulpam folii repat, nec niſi extremam ſuperficiem, lineâ quaſi rectâ ſine ambagibus tortuoſis procedens, depaſcatur. Plerarumque plantarum folia regularem obtinere figuram, (exceptis *ſerpentariæ majoris*, *pæoniæ* & *ammios* foliis,) ſtatuit, quæ tum quâ longitudinem, tùm quâ circumferentiam ſatis accuratè definiri poſſit. Quod longitudinem attinet, ea utplurimùm ſecundum progreſſionem arithmeticam, ſervatâ æquali differentiâ, nonnunquam proportione duplâ, vel etiam majori imminuitur, ſive unius ſcapi plura folia, ſive unius folii plures lobi invicem comparentur. Reſpectû circuitûs agnoſcit Autor, plerorumque foliorum figuras compoſitas eſſe, obſervat tamen & ipſas menſurari poſſe circulis, vel ſingulas ſingulis, vel ſingulas duobus aut pluribus, & quidem pro diametris iſtorum circulorum principalis menſuræ loco ſtatui debere folii longitudinem, ſeu fibram ejus principalem. Hæc præcepta ipſe poſtmodum variorum exemplorum inductione confirmat, ac eleganter additis figuris, *pampinorum*, *foliorum malvæ*, *fragariæ*, *altheæ* &c. circumferentiam metitur. De fibrarum poſitû, qualis nudô oculô obſervari poteſt, monet, in quibuſdam foliis fibras collaterales majores cum maxima, quæ medium obtinere ſolet, rectos facere angulos, ut apparet in *acere*, ac *chelidoniô majori*, *chondrilla*, *aliiſque plantis generis intubacei*: fibras verò omnes, quæ præ aliis conſpicuæ ſunt, ſemper ſe ad acutos angulos ſecare, quemcunque tandem ſitum ad mediam, vel, ſi ea abſit, ad longitudinem folii comparatæ, obtineant. In partium folii enumeratione primum ſe offert cutis, quæ ſi vitrô oculi juventur, organicis partibus, inſtar cutis animantium, conſtare, & eas quidem regulariter mixtas habere deprehenditur. Obſervavit Autor, eam orificiis in pleriſque plantis perviam eſſe, tùm ut aër admitti, tùm ut avolare ſuccus ſuperfluus poſſit; iſta tamen orificia & magnitudine, & numerô & formâ plurimùm differre, ut planè alia ſint, quæ *pini* folium exhibet, quàm quæ in *liliô* aut *amaranthô* occurrunt. Cuti ſuccedit pulpa, quam parenchyma Autor vocat. Ea ex tenuibus fibris, figuram cylindricam obtinentibus, & in veſiculas coëuntibus conſiſtit. Tertiò fibræ ſeu funiculi, quos oculô cernimus, ex duorum generum vaſis componuntur, quorum unum ſucco, alterum aëri ferendo inſervit. Apparent autem viſui aëria illa vaſa, ſive arteriæ plantarum, ſi quis folia leviter frangat; fiet enim, ut ad utrumque extremum ſubſtantia quædam lanea, inſtar telæ araneæ, dependeat, quæ & videri & palpari poterit. Quô tempore folia primùm naſcantur, jucunda eſt præ reliquis ſpeculatio. In plantis, quæ duplicis formæ folia protrudunt, quales ſunt *dulcamarum*, *cardaminæ*, *valeriana*, *campanula vulgaris* & *aliæ*, ea, quæ inferius ſunt, in ipſô ſemine exiſtere Autor putat, reliqua verò tùm naſci, quùm ſemen terræ commiſſum radices egit, & ſuccum è ſolô alimentitium attraxit; ſed in arboribus & truncis perennibus folia, quæ ſingulis annis proveniunt, actû ſemper in germine eſſe, & quidem illô plerumque autumnô ibi naſci affirmat, qui vernum tempus, quô arbores frondent, antecedit. Cæterum cur quædam plantæ folia ſemper virentia habeant, cur item aliæ in hyeme etiam creſcant & augeantur, id è cauſis ſuis accuratè deducit. Tandem ubi de principiis foliorum agendum eſt, ſalia cumprimis nominat, & ea quidem quatuor generum, *marina* videlicet, *nitroſa*, *acida*, & *alcalia*: hæc inſtar oſſium ſe habere ſcribit, quæ reliquis principiis, quaſi carne, veſtiantur. Deducit hic cum curâ & ſtudiô ex iſtorum ſalium multiplici figurâ, quæ folii pars ex quovis potiſſimum conſtituatur.

Hactenùs *ſectio prima*, in quâ recenſendâ prolixiores fuimus; reliquas ſtrictim perſequi licebit, quoniam ex dictis, quantum Autor curæ in re novâ & haud vulgari adhibuerit, ſatis intelligi poteſt.

Sectio igitur *ſecunda* de *floribus* eſt, quos tribus partibus conſtare olim *Anatomia Plantarum* C. 5. obſervavit. Nunc rariora quædam adjiciuntur, ac initiô de ſepimentô florum imprimis notatur, quàm natura ſit ſtudioſa juſtarum proportionum obſervatrix, quippe quæ foliis floris, foliorum ſepimenti numerum vel æqualem, vel duplum conſtanter ſubjiciat. De foliatione floris ſequuntur poſtmodum quæcunque vel ad plicaturam, vel ad numerum foliorum, quæ in flore ſunt, vel ad partes florem conſtituentes, vel denique ad uſum & figuram floris pertinent, nec anteà fuerunt plenè pertractata. De comâ etiam duplici florum quædam afferuntur, ubi monet Autor, non eſſe omnes floris partes à ſe nominatas in quibuſvis plantis quærendas, ſed deficere modò has, modò illas. Deinde generationem plantarum, cum generatione animalium confert, & primùm quidem ſexûs differentiam in plantis dari negat, ſed unamquamque ἀῤῥενόθηλυν eſſe ſtatuit, ac eas partes conjunctas habere, quæ aliàs ſexum unum ab alterô diſtinguunt; mox quomodò plantæ quaſi concipiant ac fœtum alant, ediſſerit, donec is, ubi ad maturitatem venerit, prodeat, & novâ fœcunditate plantam aliam progeneret. Appendicis locô ſubjicit methodum, quâ quis poſſit quaſcunque plantas ex foliis & floribus expeditè, non adhibitô vitrô, nec factâ inciſione aut reſolutione partium, cognoſcere, ac pronunciare, ad quod unaquæque genus referenda ſit, ut poſtmodum apud Rei Herbariæ Scriptores eò faciliùs ac promptiùs inveniatur.

Sectio tertia de *Fructibus* agit, quos Autor ad quatuor genera refert, ità ut omnes omninò ſub pomis, piris, prunis & uvis complectatur. Deinde capſulam ſeminum cum fructû confert, ob ſimilitudinem quam hic cum illâ habet. In eô tamen iſta duo à ſe invicem differre fatetur, quod fructus, inſtar uteri carnoſi, quo ſemen ad maturitatem propius accedit, hoc humidior fiat ac ſucculentior, ſed capſula, quaſi membranaceus quidam uterus, tantò durior & ſiccior reddatur, quantò majora incrementa ſemen capit. Ultimò partium, è quibus quemvis fructum componi certum eſt, quaſque communiter tres, rarius plures eſſe conſtat, uſum, quem ipſæ cùm ſemini tùm fructui præſtant, exponit. Atque hic vaſorum conformationem ſuccique ſulphurei & oleoſi per ligneas, quas vocat, fibras advecti, diverſas qualitates uberius declarat.

Sectio quarta Semina pertractat, & eorum ante omnia varias figuras colligit, quarum diverſitas juxta Autorem oritur partim à ſitû, quem in uterô obtinere debent, partim à vaſorum fibrarumque diſtributione, partim denique à ſalinis principiis, quæ plantas componunt. Numerus ſeminum non peræquè magnus in omnibus plantis eſt. Eas enim, quæ faciliùs intereunt, ac deſtruuntur, aut in uſum animalium cedunt, natura copioſori ſemine inſtruxit. Sic imprimis *papaveris albi* ac *typhæ majoris* monſtroſam ſeminum multitudinem Autor annotavit. Membranas ſeminum quod attinet, quæ plerumque tres, rarò quatuor ſunt, notatû dignum eſt, quod in illis ſeminibus, quæ tenuioribus membranis involvuntur, cutis aliqua, fœtum proximè ambiens, inſtar vitelli ſe habeat, ac eidem primi optimique alimenti loco ſit, uti vitellus ovi pullo excludendo. Semen ſeu fœtum tribus conſtare partibus, *duobus lobis* (rarius unico) *radicula* & *germine*; harum autem ſingulas iterùm è cuticulâ, parenchymate, & vaſis ramificantibus componi Autor oſtendit, ac quô ordine, in ſeminis generatione, producantur, ſub hujus partis finem, in exemplô ſeminis *mali Armeniaci* ad oculum ſubjectis figuris ſeæneis demonſtrat. Natura nimirùm ante omnia de uterô ſollicita eſt, qui membranas minis calidas ac ſucculentas conſervet, fœtumque ipſum protegat, donec juſtô ac definitô tempore, terræ, ut vegetet, committatur. Quapropter initiô capſulam ſeminum facit, deinde membranas ordine producit, ita ùt quæ fœtum proximè ambit ultimò fiat. In hujus parte acuminatâ, ac baſi oppoſitâ, ligneæ fibræ tenerrimæ coëuntes nodum aliquem parvum efficiunt, qui ubi paulatim crevit, dividi in duos lobos incipit, quorum baſis contracta in radiculam ſeu eam partem, qui radices poſtea emittit, abit, ac denique intra medios eoſdem lobos nodus alius ſive germen prodit, quod, ubi ſemen terræ commiſſum eſt, caulem, folia, ac flores cujuſvis plantæ producit.

Adjecit Autor in hâc novâ & auctâ operum ſuorum Editione *duabus lectionibus*, ut vocantur, *de mixturis*, quarum priorem ingenioſiſſimi Germanicarum Ephemeridum Collectores, unà cum Anatomiæ vegetabilium tribus partibus, & Idea quoque Hiſtoriæ Philoſophicæ de Plantis, Latinâ linguâ donatam publici juris fecerunt, *quinque alias*, quæ de rebus, ab argumentô Libri haud alienis, agunt. *Prima* harum, quæ nunc reliquis addita, in ordine *tertia* eſt, tractat *de variâ proportione, quâ ſal lixivioſum plantis ineſt.* Initiô tradit, quantùm ſalis lixivioſi plantæ integræ diverſi generis, ſi calcinentur, concedant? deinde ejuſdem plantæ partes inter ſe confert, ac inquirit, quænam ex illis plus dicti ſalis præbeat? Proceditur autem per quæſtiones, & prima omnium ità habet; *utrum arbores, an verò herbæ ac frutices, ſi in æquali quantitate aſſumuntur, & cæteris paribus, majorem ſalis lixivioſi partem relinquant?* cujus reſponſio pro herbis ac fruticibus facit, & experimenta, acceptô *cortice fraxini* ex unâ, & *libanotide* ex alterâ parte, inſtituta enarrat. *Lectio quarta* de *ſale eſſentiali* & *marinô plantarum* eſt, ac aliud experimentum diverſis anni temporibus bis captum recenſet, quô è ſale lixivioſô *filicis*, in aquâ ſolutô ac libero aëri per aliquot menſes expoſitô duplex ſal prodiit, eſſentiale, quod Autor ità vocavit, quoniam nova ſalis ſpecies ab omnibus aliis differens viſa eſt & marinum. Utriuſque cryſtallos, quâ colorem, ſaporem & figuram cum curâ deſcribit. *Lectio quinta* de *Plantarum coloribus* agit, & tria evolvit. Primo quem colorem plantæ in ſuô ſtatû naturali obtineant in quibuſcunque partibus? Deinde quem colorem producant, ubi facta eſt infuſio aut coctio? Tertiò denique, quis color emergat è mixtura variarum infuſionum vel ſecum invicem vel cum alterius generis liquoribus? Monet verò Autor ante experimentorum ſuorum declarationem, ea non adverſari ſententiæ de coloribus quam hodie viri quique doctiſſimi fovent, ſe enim de partibus materialibus tantùm agere, quæ in plantis tanquam in ſubjectis, ad productionem colorum requirantur. *Lectio ſexta* inſcribitur *de varietate ac cauſis ſaporum, maximè in plantis.* Hic Autor primò ſapores generatim conſiderat, & quidem triplici modô: 1. ratione perceptionis ſeu ſenſationis, ubi calculum ſaporum ſimplicium & compoſitorum init, qui ſi per gradus, quos in ipſis ſat diſtinctè percipere poſſumus, multiplicentur, ad mille & octingentos aſcendunt: 2. ratione durationis ac termini; quô ſenſû ſaporum alii aliis longius durant, & diutiùs hærent: 3. ratione ſubjecti ſeu partis guſtantis, cujus reſpectû ſapor eſt aut fixus, aut diffuſivus, aut expanſivus: fixus iterum vel labia ſola, vel linguam, vel palatum afficit, de quibus univerſis ſub finem hujus lectionis, *duæ* inveniuntur *tabulæ* quæ ſaporum varietates latinè exprimunt. Dehìnc cauſas ſaporum Autor inquirit, & ſpeciatim quidem illorum tantum, qui plantis inſunt. Earum verò quinque nominat; 1. lectum ſeu locum unde plantæ proveniunt, & ubi naſcuntur; 2. aërem cui expoſitæ ſunt, & in quô incrementa ſumunt; 3. partes, è quibus conſtant; 4. varias fermentationes, quas illarum ſucci ſubeunt; 5. organa quibus ſapores percipiuntur. Ex his inprimis tertiam & quintam, tanquam cauſas immediatas conſiderari debere monet, utpotè à quibus ſaporum differentiæ eſſentiales dependeant. Atque per has ſaporum differentias notat obiter Autor, ſpecificam medicamentorum virtutem, toties negatam, ſi non demonſtrari, ſaltem probabilem reddi: conſentaneum enim eſſe, medicamentum corporis partem unam, altera intacta, afficere, cum id in ore ac partibus contiguis à ſaporibus fieri appareat. Appendicis loco quædam de odoribus ſubjiciuntur, qui uti organa parùm ab organis ſaporum diſtantia, ità & cauſas ferè eaſdem habent. Relinquit tamen hanc partem Autor ab aliis perficiendam. *Lectionis ultimæ* titulus eſt *de ſolutione ſalium in aquâ*. Hujus pars prior confirmat illam ſententiam, quæ aſſerit, poſſe in aquâ quæ ad ſatietatem ſalium ſpeciem unam imbibit, alius ſpeciei ſal ſine ignis ope ſolâ agitatione ſolvi, quod ipſum *ſuperimprægnationem* Autor appellat, & inde concluſionis loco deducit, atomos ipſas ſalium, vel ſaltem illas particulas, in quas ultimò in aquâ ſal quodvis ſolvitur, diverſas obtinere figuras, atque hinc fieri, ùt unum genus ſalium non poſſit perfectè omnes aquæ poros implere, ſed aliquas ab aliô genere implendas relinquat. Pars poſterior affirmat, per ſolutionem ſalium in aquâ ſpatium aliquod acquiri, & id quidem modò majus, modò minus. Quantum autem præciſè acquiratur, id ex ſaliũ ſingulorum naturâ ac figurâ partium, ipſorum etiam ſpatiolorum in aquâ, capacitate Autor inveſtigat. Ex his omnibus, quæ de ſalium inſinuatione in aquã, & de augmentô quod hinc aqua recipit, dicta ſunt, non tantùm ſpecifica quorumvis ſalium gravitas, ſed

ſed & vera cauſa facilè, Autoris ductû, cognoſci poteſt, cùr Mercurius in Barometrô adſcendat ac rurſùm delabatur? Nam quod ad hunc motum attinet non dependere illum à ſolô aëris incumbentis pondere, clarè hinc patet, quoniam Mercurius, poſtquam colligentibus ſe vaporibus, in tubô aſcendit, non tùm demum delabitur, cùm pluvia in terram decidit, ſed manente omninò eâdem aëris, vaporibus impraegnati, quantitate, pluviam pluribus horis, nonnunquam diebus, antè praeſagit. Genuina igitùr ejus ratio ex majori minorivè aëris preſſurâ petenda eſt. Scilicèt quamdiù in aëre ſalium particulae integrae ac nondùm ſolutae volitant, majus ipſae ſpatium obtinent, & ità efficiunt, ùt aër vehementiùs corpora ſibi ſubjecta premat: quamprimùm verò illa ſalia in aëre volitantia ſolvuntur, & aqueis partibus includuntur, tùm, manente eôdem pondere aëris, ſpatium ac inde pendens preſſura minuitur. Hinc etiam conſtat, quare ſpirantibus ventis frigidis Mercurius altiùs tollatur, quàm cùm calidi aërem perflant. Iſti enim quoniam ſicci ſunt, nitroſum ſal, cujus quàm plurimùm ſecum vehunt, diutiùs integrum ac inſolutum conſervant, quare aëris preſſura, ut dictum fuit, adaugetur.

Anatomiae Plantarum haec extat Gallica verſio.

Anatomie des Plantes, qui contient une Deſcription exacte de leurs parties & de leurs uſages, & qui fait voir comment elles ſe forment, & comment elles croiſſent. Traduite de l'Anglois de Monſieur Grew par M. Le Vaſſeur. à Paris chez Lambert Roulland, 1675. *in* 12.

Doctiſſ. Grew ad interpretem ſuum hic ſtet Epiſtola ante limina Verſionis excuſa.

Vir Ornatiſſime.

Cùm me tantô honore dignatus ſis, ùt meum de Plantis libellum Gallicâ verſione ornare volueris; cenſui quaedam mutanda ad te mittere; quin & pauca delenda; addidi inſuper nonnulla interpretata, quorum omnium, ecce Domine, indicem exhibui. Quicquid erratur in Typographia, nè oriretur confuſio, ubique Anglicè emendatum invenies: Caeterùm quaecumque immutanda habes, Latinè: & totidem verbis Gallicè legi velim. Plurima videntur, ſed ob incertam variationem repetere neceſſum habui. Meo nomine ſaluta fratrem tuum. Valeatis, & inter eruditos diù floreatis. Datum Londini, Novemb. $\frac{26}{16}$ 1674. Tui amantiſſimus Nehemias Grew.

De eô rurſus in Act. Lipſienſis Annô 1692. *p.* 534.

Obſervationes aliquot rariores de morboſô Liene, ab Authore cum Regia Societate communicatae. Ex Actis Philoſ. Anglican. pag. 543.

DOmini *Thomae Sedgwick* Mercatoris *Londinenſis* Filia, decimô quartô ſuae aetatis annô, ad operum acupictorum Magiſtram ſe erudiendam contulit. In quibus adeò mirae fuit indolis, ùt iis ſolis totos dies eoſque ferè continuos, per biennium inſumeret. Hinc melancholicum Temperamentum connatum in morboſum tranſiit: cui Pallor, Inappetentia, Menſium defectus, atque Tuſſis comitabantur, & poſt tres annos, gravativus dolor, in ſiniſtrô infimoque latere, qui ad extremum uſque diem perſtitit. Annô autem aetatis viceſimô ineunte, ex Febre obiit.

In apertô cadavere, Pulmones, Jecur, reliquaque Viſcera, exceptô ſolô Liene, ſana inveni. Hoc verò mirum in modum auctum & tumefactum; nempe craſſum ſupra duos digitos; quatuor latum; longum propè decem. Ità ut, cùm Lien Humanum, quotiès ſe rectè habet, vix quinque uncias pendat, in hâc virgine, quinque & viginti ſuperaret. Et cùm hoc Viſcus, ſicubi aegrotet, Tumoribus ſcirrhoſis & ſubnigris plerumquè indureſcat; hic è contrà, tota ejus ſubſtantia putreſcens, quendam emittebat foetorem; molliſque adeò fuit ac digitis palpantibus diſſolubilis, ùt videretur quaſi grumoſus ſanguis; atque altera pars apprehenſa altera, etiam ſuo pondere diſrumperetur. Nihilominùs tam exteriùs quàm intùs, rubicundô floruit colore, neque ullô Apoſtemate, aut materiâ verè purulentâ inficiebatur.

Ex ſolitariis Inſtantiis non eſt ſapientis δογματίζειν. Liceat tamen ut pauliſper inquirendo philoſophemur.

In hôc caſû iſta tria ſunt conſideranda, viz. Vitae genus, Aetas, Aetatiſque Periodus.

Primò enim à tam diuturnâ exercendi deſuetudine, vix potuit non evenire inaequalis Alimenti diſtributio. Quemadmodùm itàque oſſa & ſaepè viſcera, ex ineptâ Nutritione ſupra modum augentur in Rhachitide: pariter & hic Lien, ex eôdem Nutritionis vitiô, videtur ampliorem molem accepiſſe.

Praecipuè, cùm ſecundò, hâc vitae conſuetudine uſa eſt illa Virgo, non in provectiori aetate, ſed florente adhùc adoleſcentiâ. Exercitia enim neceſſaria ſunt, etiam ad debitam nutritionem: multò magis ad Partium aequale Incrementum.

Tertiò & in illâ ipſâ aetatis periodô, quâ Menſes primò effluere ſolent. Quibus inde ſuppreſſis, vel multum imminutis, iſte ſanguis, quem deſidioſa Natura omiſit eliminare per conſuetas vias, ex parte in Lienem, quaſi quoddam diverticulum, rejiciebatur.

Corollarium. Virginibus, nimia Exercitiorum intermiſſio, inprimis circa finem ſecundi, aut principium tertii aetatis ſeptenarii, peſſima.

Ibidem Annô 1696. *p.* 458.

Tractatus de Salis Catharctici amari in aquis Ebeshamenſibus & hujuſmodi aliis contenti Naturâ & Vſû. Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1695. *in* 12.

IN duas diviſus partes reperitur Tractatulus; quarum primâ ſalis catharctici amari natura; alterâ uſus exhibetur. Illa ſex circumſcripta capitibus, *primô* modos tradit, quibus ab annô 1620. non tantùm innotuerint hae aquae, ſed operationis quoque benignitate tantam indeptae ſint celebritatem, ùt unô die duo hominum millia ad bibendum viſendumve illas convenerint. Poſtmodùm verò à triginta annis Londinum aquae laborantibus advectae, pluresque alii fontes in uſum adhibiti memorantur, ut Barnetenſes, Northavenſes, Actonenſes, Cobhamenſes, Dulcivenſes, Strethamenſes &c. nec dubium putatur, quin plures poſthàc inveniantur iſthôc indiciô, quod aquae dulces ferè è montium jugis; amarae ex imis plerumque radicibus ſcaturiant. *Cap.* II. aquarum catharcticarum amareſcentium natura in genere traditur, quoad saporem, ſcilicèt mediocriter, ſed tamen ſenſibiliter amarum; quoad virtutes, quibus quaedam prae aliis magis pollent; quoad odores; quoad effectus, ſi cum ſirupò violarum, cum aquâ calcis, cum lacte &c. commiſceantur; vel ſi evaporetur, & cremorem

morem in ſuperficie coloris cineritii lapideum, & quodammodo gypſeum; ſedimentum verò in fundô partim muriaticô, partim propriô aquis ſale relinquant. *Cap.* III. ſalis aquarum purgantium proprii, h. e. amari natura ità evolvitur, ùt color ipſius inſtar nivis candidus, ſapor, figura, differentia ab aliis, ob oculos ponantur, ſubjunctis variis experimentis, quibus oſtenditur, ſalem iſtum amarum ex principiis ſaltem potentiâ acidis, & etiam alcalinis ſeu potentiâ aliquô modô lixivialibus conſtare. Figuræ autem deſcriptio p. 13. & ſeqq. exhibetur *Cap.* IV. preſſius exponitur, quomodo ſal catharcticus amarus ab alumine & ſale muriatico differat; ubi imprimis ratione ſpiritûs ex utrôque per ignem educti, deinde ratione ſaporis, qui in alumine non amarus, ſed acerbus, ac denique ratione figuræ comparatio inſtituitur, & quædam cum lacte experimenta adducuntur. *Cap.* V. è ſalis nitri genere catharcticum non prodire, ſaporis atque figuræ diverſitate imprimis declaratur. Præterea ad candelæ flammam facilè ſalem catharcticum; difficulter verò aut vix nitrum liquefieri; ac porrò differre inter ſe utrumque illorum lac coagulandi proprietate aſſeritur, quod hæc quidem in catharcticô, nullô tamen modô in nitroſô ſale reperiatur. Hinc ſolubilitate & gravitate inter ſe diſcrepare utrumque, experimentô evincitur. Quod verò nomine calcarii ſalis ſal amarus ille inſigniri nequeat, à variô effectû oſtenditur, quem hic ab illô diverſum præſtet. E. g. dum longè aſtrictiùs uberiùſque lac coagulet, quàm aqua calcis, item dùm ab aquâ affuſâ citiſſimè in maſſam abeat duriuſculam, poſt paucula momenta lapideſcentem; cùm è contrariô lapis calcarius uſtus ab affuſâ aquâ ſtatim ac ſponte in pulverem abeat, &c. Cæterùm ſalem catharticum amarum, ſi nullô aliô modô à ſuprà memoratis ſalibus omnibus, ſuâ tamen virtute medicinali eminentiſſimè diſtingui, pluribus affirmatur, ac fuſiùs parte II. hujus opuſculi tradetur. *Cap.* VI. de naturâ ſalis catharctici amari obſervationes quædam adduntur; ubi imprimis memoratur, quod ſapor ejus leniter & penè ſimpliciter amarus deprehendatur, atque huic ſaporis ſimilitudine argenti cryſtalli præ reliquis cunctis ſalibus proximè accedant. Cùm autem in lapide calaminari nonnullæ qualitates appareant cum argentô communes, ceù experimentô probatur, dubium relinquitur, utrùm ſal catharcticus ex aliquâ minerâ argenteâ perfectâ vel imperfectâ, vel lapidi calaminari cognatâ, an verò potiùs ex quâdam alia generetur. Hinc porrò proportio, natura atque unio principiorum ſalem catharcticum conſtituentium conſideratur, hâc geminâ imprimis annotatione; (1) quod alia purgantia quæcunque mitiora Medici ſcopum non rarò eludant; hic ſal verò nunquàm ſua vi catharctica deſtituatur; (2) quod ità puriſſimus hic ſal cenſendus ſit, quamvis è diverſis principiis compoſitus, ùt nè quidem milleſimam partem cujuſcunque rei extraneæ in ſe recipiat. Nam ſi ſtillatitia aqua hujus ſalis uncia una imprægnata evaporetur, nè granum ſalis heterogenei, aut ſedimenti lapidei, aut cremoris particulam, ſed denuò ſalis catharctici puriſſimi eandem unciam relinqui.

Altera hujus Opuſculi pars *ſeptem capita* complectitur, quorum *primô* catharctici ſalis amari uſus generalior præcellens ac multiplex traditur. In morbis enim permultis gravioribus efficaciſſimum remedium præbere dicitur, cùm ſcilicèt nulla inſalubri qualitate præditus ſit, nec unquam aliquid mali, ſi appoſite præſcribatur, procreet, purgantium propè omnium leniſſimum exiſtat, humores non exagitet, atque nunquam ægritudines, deliquia aut tormina excitet. Objectioni autem, quod aquæ Ebeshamenſes, ex quibus ſal paratur, inter coquendum lapideum cremorem exhibeant, adeòque generationi calculi in humanô corpore materiam ſuppeditare valeant, ſtatim obviam itur duplici ratione; (1) enim experientiâ Medicorum conſtare fertur, quod qui vel 30. annos affatim, & per multos dies continuos illas aquas potârunt, nunquam arthritide, veſicæ aut renum calculô laborarint. (2) Liberum omninò aëris appulſum requiri, ſi lapideus cremor in ſuperficie enaſci debeat. At verò hoc in corpore humanô non poſſe contingere, cum illud aër non ſine colaturâ ingrediatur. Cæterum ſalem catharcticum amarum præ aquâ, ex quâ paratur, laudem mereri, vel inde manifeſtum putatur, quod ipſe ab omni lapidificâ ſubſtantiâ & fece muriatica liberatus ſit, atque æqualem quovis tempore vim purgatoriam exerat; aqua autem à ſiccâ humidâve tempeſtate, tam æſtate quàm hyeme, nec non ab hydropolarum fraude auctam vel imminutam vim obtineat. *Caput.* II. modum præſcribendi ſalem catharcticum amarum explicat. In more autem dicitur poſitum, in quôvis vehiculô ægroti temperamentô convenientе, aut guſtui grato, ſalem ſolutum propinare, in aquâ ſcilicèt fontanâ, ſtillatitiâ, aliave puriſſimâ, decoctô hordei, avenæ, aut lactis ſero &c. Clariſſimo Auctori in frequenti uſû eſt aqua parùm cocta & mace condita, cujus libras duas, tres, vel quatuor, ſalis catharctici ſemiunciâ vel unciâ imprægnatas præſcribere ſolet, vel etiam majori doſi, e. g.

℞. aquæ fontanæ *Libras quatuor* ℔IV.
macis *drachmam unam*, ʒj.
Coquantur parùm, & in colaturâ diſſolv.
Salis catharct. amar. *uncia una* ℥j.
vel *drachma decem*, ʒx.

pro apozemate ſeu decoctô catharcticô mane; jejunô ventriculô, calidè vel tepidè, interdùm frigidè bibendo, bihorii ſpatiô, cum levi exercitio. Sumendum verò hoc apozema jubetur ab Auctore vel per ſe, vel durante aliorum catharcticorum operatione. Subnectuntur porrò quædam abhùc formulæ, in quibus vel fol. ſenn. vel manna ſali catharcticô por majori efficacia adjiciuntur, vel hic in aquâ bulliente ſolutus cum lacte alterari ſuadetur, coagulo per colatorium auferendo. Quin & clyſteribus acuendis commodè ſalem catharcticum ad ℥iij. vel ℥ß. Loco gemmei ſalis inſervire poſſe perhibetur. *Cap.* III. exponit ejuſdem ſalis uſum ſpecialem, imprimis in ventriculi morbis; ubi fuſiùs explicatur, quâ ratione & appetitum & digeſtionem promoveat. Hinc in compeſcendis vomitionibus, nec non in cardialgia & calidâ affectione hypochondriacâ, quomodo opem valeat ferre, adjectis quibuſdam præſcribendi formulis docetur. E. G. in dolore ſtomachi, colici affectus æmulo, ℞. Sennæ mundatæ ʒij. macis ʒj. Coqu. in aquæ fontanæ q. ſ. ad ℔iij. vel IV. Colaturæ adde ſalis catharctici amari ℥vj. vel ℥j. ad ʒx. ſir. chalyb. ℥jß. M. F. apozema catharcticum (vel m. ſine ſennâ) mane & pro more bibendum. Sumatur vel per ſe, vel cum pilulis ſequentibus; ℞. pil. ſtomach. c. gumm. gr. XXV. limatur. chalyb. ſubtiliſſ. gr. X. ſir. chalyb. q. ſ. M. F. pil. no. IV. horâ ſomni ſumendæ. Die proximô repetatur apozematis uſus, ut ſupra, & ſic per triduum vel diutius. *Cap.* IV. agitur de uſû ſalis catharctici in

in inteſtinorum partiumque adjacentium morbis, ut in colicô & nephriticô dolore, in vermibus, in urinæ ardore & ſuppreſſione, in diabete, in ictérô. In his omnibus affectibus quomodo partim per apozemata, partim per clyſteres ſal catharcticus valeat exhiberi, per formulas traditur. Ubi obiter notamus, quod in colicô & nephriticô dolore, nec non in icterô & urinæ ſuppreſſione, rarò venæ ſectionem omittendam eſſe nobiliſſimus Auctor arbitretur. *Cap.* V. Idem ſal amarus commendatur in capitis affectibus, mania, cephalalgia & vertigine. In mania præter venæſectionem & repetita vomitoria, unguenta cephalica, ſetaceum in nuchâ, veſicatoria tibiis appoſita, ſal amarus laudatur, ſi vel in apozemate, vel ſequenti modo propinetur; ℞. ſalis catharct. amari ℥j. diſſolve ʒj. in hauſtû aquæ Spadanæ vel cujuſcunque ferratæ, & bibantur hujuſmodi hauſtus octo. In vertigine, necnon in cephalalgiâ & oculorum inflammationibus, præmiſſâ venæſectione, cucurbitulas cum ſcarificatione non tantùm ſcapulis, ſed & ipſi raſo occipiti clariſſimus Auctor feliciter ſolet admovere. *Cap.* VI. quid ſal valeat catharcticus in hiſtericâ paſſione, arthritide vagâ & pruriginoſô affectû, declaratur. Ubi obiter obſervamus, quòd in arthritide vaga venæſectio alternis diebus ad quintam ſextamve vicem repetenda quidem ſuadeatur; catharctica tamen, eaque fortiora, potentiùs non raro unâ vice, quàm phlebotomiæ ter quaterve iteratæ, morbum enervare putentur. *Capite* VII. Tandem affectus quidam recenſentur, in quibus aquarum amareſcentium, earumque ſalis uſus noxæ eſſe deprehendatur; ut in hydrope, in ſynochâ & intermittente febre, in chloroſi, in hæmoptoſi, cholerâ, paralyſi, urinæ ſuppreſſione, ſi ſcilicet hæc ex ulcere veſicæ urinariæ calculove grandiore proveniat.

GRILLUS, vulgò Gril, (*Laurentius*) vide GRYLLUS

GRIMALDUS (*Franciſcus Maria*)

De eô extat

Phyſico-Matheſis de Lumine, Colore & Iride. Bonon. in 4.

GRIMALDUS (*Hyacinthus*) Panormitanus Medicus Doctor: aliquandò Senatûs Panormitani à Rationibus. Vixit eruditione & doctrinâ munitus annô 1650.

Edidit Italicè

Dell' Alchimia opera, che con fondamenti di buona Filoſofia, e perſpicacità ammirabile tratta della realtà, difficultà, e nobilta di tanta ſcienza, delle maraviglie della natura, dell' arte, e de metalli, e delle regole, & metodo da oſſervarſi nella Cõpoſitione dell' oro alchimico. Panormi, apud Alphonſum de Iſola, 1645. in 4. *Anton. Mongitor Bibl. Sicul. T.* 1. *p.* 295.

GRIMANUS (*Johannes*)

Ex eo habetur

Animi cultura in rebus Phyſicis. Venetiis, 1615. in 4.

GRIMBERGH (*Nicolaus*) Suecus

De eô extat in Act. Lipſienſ. Ann. 1689. *p.* 14.

Nicolai Grimbergh Med. Doct. Obſervationes Medicæ, quæ cum magnâ induſtriâ per aliquot annos ab eô collectæ & conſcriptæ ſunt. Amſtelodami, apud Janſonio-Waesbergios, Ann. 1689. in 12.

GRIMM (*Hermannus Nicolaus*) Danus, Chirurg. & Medic. Practicus, & Societat. Oriental. Medicus, Suecorum Regis Archiater.

De eô extant

Compendium Medico-Chymicum, ſeu accurata medendi Methodus, quæ excellentiſſimis Medicamentis tam Europæ, quàm Indiæ Orientali proficuis, repleta, rariores præterea obſervationes, & curioſum optimorum medicamentorum, in Libelli hujus formulis contentorum, præparationem exhibet. Bataviæ, apud Abrahamum Van den Eede, 1679. in 8. Auguſtæ Vindelicorum, apud Theophilum Göbelium, 1684. in 8. Hæc ſecunda Editio auctior eſt & emendatior.

Obſervatio, de Plantâ mirabili deſtillatoriâ. Extat Ephemerid. Acad. Nat. Cur. German. Dec. II. *An.* I. *N.* 146.

De Lapidibus quibuſdam Medicinalibus qui inter Luſitanos Cirgabenſes & Malabaros in uſû ſunt. Ibid. Ann. eod. N. 147.

De Gammaris in Lapidis converſis. Ibid. Ann. eôd. N. 148.

De Lapipibus de Bombaco vel Monbaza. Ibid. An. eôd. N. 149.

De Pedrô Pouw vel Lapidibus ex lignô factis. Ibid. Ann. eôd. N. 150.

De Generatione cujuſdam Mannæ. Ibid. Ann. eôd. N. 151.

Obſervatio, de Arbore Benzoini. Ibid. Ann. eôd. N. 152.

De Arbore Camphoræ. Ibid. An. eôd. N. 153.

De Oleô ſeu ſpiritû ſulphuris abſque igne præparatô. Ibid. Ann. eôd. N. 170.

De Ambrâ gryſeâ ex quibus partibus conſtet. Ibid. Ann. eôd. N. 171.

De vermibus raris lucentibus. Ibid. Ann. eôd. N. 172.

Anatome Coralliorum. Ibid. Ann. eôd. N. 173.

De Univerſali Timoreſorum Medicinâ. Ibid. An. eôd. N. 174.

Coquus de Maldive & Moſambique. Cortex Santali Citrini. Ruſa Ray nigri & albi: Cortex Sæda. & Cortex contra Pleuritidem. Ibid. Ann. eôd. N. 175.

De ſpiritû Cornû Rhinocerotis. Extat in Act. Haffniens. Volum. 3. *N.* 89.

De Arbore Cinamomi. Ibid. Volum. eôd. Num. 90. *& Volum.* V. *N.* 91.

De eô præterea ſic in Actis Lipſienſibus Ann. 1682. *pag.* 38.

Compendium Medico-Chymicum. Bataviæ Javanorum, Anno 1679. *in* 8.

PRæſens hoc ſcriptum eſt ſuccincta quædam Praxis medica, ex longæ experientiæ ſinû, ut in præfatione loquitur Autor, protracta. Primò quidem uniuſcujuſque affectûs ſpecialis remedia & formulas, ſibi tam in Europâ quàm Indiâ uſitatiora, in genere, ille ipſe recenſet; hinc Obſervationum nomine ſpeciales curationes, hiſtoriam morbi pauciſſimis enarrando, & remedia adminiſtrata adjiciendo, ſubjungit; denique in fine operis, curioſam variorum medicamentorum nonnullorum præparationem, annectit. Ipſas quod attinet curationes, & remedia adhibita, præter Vomitoria antimonialia & purgantia vegetabilia, alterantia adhibita maximam partem de naturâ Salium Vol. Oleoſorum exiſtunt, ſive præparatione jam ita elaborata, ſive pe, miſtionem in ipſis præſcriptionibus talia red-

 dita.

dita. In ſpecie *Lib.* I. *Cap.* I. *Obſ.* I. *pag.* 13. Hemicrania gravis ex acri ſalſa materia, exterioribus membranis infixa, applicatô cum linteis ſpiritû Corn. Cerv. brevi fuit fugata. *Obſ.* 15. *p.* 61. Virgo Epilepſiâ habituali à 3. ætatis annô, ad 15. uſque conflictata, iuterpoſitis laxativis debitis, ſequenti miſtura, crebrius eam capiendo fuit curata;

Rec. ſpir. ſangu. humani dr. j.
Tinctur. Caſtor.
Eſſ. Succini ana dr. ſ.
Sal. Succini volatil. ſcr. j.
Aqu. Secundinæ unc. ij.
Syr. Pæoniæ unc. ſ. M.

Obſerv. 99. referuntur modi, quibus reſtituti fuerint ii, qui ſub navali àd Indiam Orientalem itinere ſcorbutô correpti, membrorum rigore & aliis gravioribus ſymptomatis laborârunt; *L.* 3. *Obſ.* 26. & 27. Contra Jcterum, ſpiritus Salis ammoniaci acidus potui ordinario inſtillatus, mirè extollitur. *Obſerv.* 36. *pag.* 255. notatur Diabetes, cum macie, ex abuſû potûs *Thee*, curatus, cum diætâ, ut plurimùm ex lacte, ſequenti miſturâ, interponendo quandoque ſem. frigid. emulſiones;

Rec. Liquor. Sal. hæmatitis dr. ſ.
Tinct. roſarum,
Santal. rubr. ana dr. I.
Syr. Corall. unc. ſ.
Aqu. roſarum,
Nymphææ ana unc. ij. M.
Capiatur Cochleatim.

Quod denique præparationes medicamentorum attinet, obſervandum eſt, quod Autor præſentis ſcripti, jam annò 1677. Belgicô idiomate Bataviæ Indorum ediderit *Laboratorium Ceylonicum* ex inquilinis Ceyloniæ Inſulæ ſimplicibus concinnatum, ut patet *ex Compend. hujus L.* 3. *Obſ.* 25. *p.* 208. (in ſpecie ex Act. Haffniens. Vol. V. Obſ. 51. pag. 223.) quod *à Barthol. Pielat Med. D.* Latinitate donatum, publicæ luci, ſuppreſſo licèt penitùs Autoris nomine, expoſitum fuit. Plura ergo remediorum, præſenti ſcripto annexorum, jam *in illo Laboratoriô Ceylonenſi* fuerunt deſcripta, præter quæ tamen Spiritum Tartari ſaſſafratum, fuliginis ſuccinnatum, Sal. ammon. ſuccinatum, Sal. ammon. theriacalis, Sal. Vol. oleoſum ex rad. aromaticis deſtillando eliciendum, ſal. cran. human. aromaticum. Tincturam coralliorum, cum propriô eorum ſpiritû, Tincturam Sal. Liquorem Hæmatitis, Spiritum Sal. ammon. acidum, mediante quo Tincturam Martis parat, Elixir panis, Elixir Helmontii, Extractum Opii Tartariſatum Aromaticum, Hæmatitem Philoſophicum, aliaque nonnulla præparare docet.

De eô rurſus habentur in Miſcell. Cur. Decur. 2. *Annô* 3.

Obſervatio 36. *De Piſcaturâ Margaritarum apud Inſulam Manaar, non procul à Ceylone ſitam.*

Ibidem Obſervatio 37. *De Angſavâ.*

Ibidem Obſervatio 38. *De Arteriis in bove oſſeis.*

Ibidem Obſervatio 39. *De Marcaſita Veneris inſtar arboris enata.*

Ibidem Obſervatio 205. *De Turbith officinarum.*

Ibidem Obſervatio 206. *De Convolv. Sylvatico. fl. albô.*

Ibidem Obſervatio 207. *De Ariſtolochiâ Clematite.*

Ibidem Obſervatio 208. *De Zedoar Zeylanico.*

Ibidem Obſervatio 209. *De Cinamomô Veterum.*

Ibidem Obſervatio 210. *De Plantâ Stercorinâ.*

Ibidem Obſervatio 211. *De* Katuwala. *Arachidna Indica, ſuprà & infrà terram glandes proferens edules, gratos & dulces.*

Ibidem Obſervatio 212. *Abruz arborea ſemine rotundô, coccineô.*

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 56. *De Rore Indicô.*

Cum in Bataviâ Ind. degerem, occaſionem habui rorem explorandi, unde ſummô mane ante Solis exortum, eundem colligendum curavi; & cùm aliquando pueri eum àd me detuliſſent, magnâ cum admiratione ſals acidiuſculo atque nonnihil vitriolato ſapore præditum deprehendi. Filtratus & Leni B. M. calore evaporatus, ponderoſum flavôque colore tinctum liquorem dedit, admodùm ſalſum & vitriolatum; quô cùm varias ſolutiones, non ſine ſucceſſû, tentavi, aurum ſcilicèt cum eô in calore extrahendô; cui cum ejuſdem liquoris parum addidiſſem, pulviſculus ſubluteus præcipitabatur, aurô tamen parùm admodùm de pondere ſuô amittente. Luna aliquantùm faciliùs cum eôdem ſolvebatur; Venus itidem, quæ in evaporatione caudam pavonis eleganter præſentabat; Mars in dulce admodum vitriolum abibat; Mercurium etiam, Jovem, & Saturnum in liquorem album cum eô redigebam, qui deſtillando ſpiritum inſtar aceti deſtillati, ſed multô fortiorem ſuppeditabat; in collum retortæ candido Cryſtallinô ſale, inſtar Mercurii ſublimati, ſe ſublimante, atque in fundô ſale, marini æmulô, remanente. Quòd verò ros hoc præſtet Sol in cauſâ eſt, qui intenſô ſuô calore aquam marinam attrahit, & noctû eandem cum ſale terræ ac aëris unitam inſtar roris iterùm demittit.

Ibidem Obſervatio 57. *De Caprâ Sylveſtri Africanâ.*

Ibidem Obſervatio 58. *De Mercurii præſtantiâ medicâ.*

Equitis cujuſdam uxor à multis derelicta Medicis, guttur valde exulceratum habens; uvulâ in tantum conſumtâ, ut unô tantùm latere dependeret, & vox ferè ablata eſſet; naſus non tantùm inflammatus erat, ſed quoque cùm premeretur, oſſa invicem collidebantur. Rogatus itaquè curam ejus aggreſſus ſum, & in cubiculô calidô locatam ægram ſingulis ſeptimanis ſemel ſeqq. pilulis purgavi, ℞. Extr. panchymag. Croll. ʒß. cochiar. ℈j. Mercur. dulc. gr. xv. Miſc. F. pilulæ. Gargariſmum hunc continuò adhibuit; ℞. herb. agrimon. betonic. plantag. an. Mj. ſolani ſemperviv. an. Mß. rad. ariſtoloch. ℥ß. coq. in ſ. q. aq. ſimpl. In colat. ℥xxiiij. ſolve mell. roſar. chelidon. diamoron. an. ℥j. Alumin. Crud. ℥ß. M. F. Gargariſm. Pro exulceratione detergendâ cùm diutiùs fuiſſet uſa hâc Mixturâ: ℞. Ung. Ægyptiac. ℥ij. mell. roſat. chelidon. diamoron. an ℥ß. ſacch. Saturn. ʒß. Miſc. dent. in fict. Sequentem aliam ter quatervè in die uſurpavit; ℞. Aqua calc. viv. ℥iiij. ſucc. ſolani chelidon. an. ℥j. Mercur. Sublim. ℈j. Miſc. Decoctum hoc pro ſudore eliciendo inſerviit; ℞. Lign. Guaj. ℥iiij. Saſſafr. ℥j. rad. lapath. maj. ℥ß. aſari ʒiij. paſſul. minor. mond. ℥ij. antimon. crudi in petia ligati. ℥ß. aq. font. Lib. xvj. Macerentur per 24. in locô tepidô, dein bulliant ad tertiæ par-

tis

tis conſumtionem, vaſe probè coopertô, ſub finem addendo fol. ſenæ ℥j. Cinamon. ʒj. factis iterùm aliquot ebullitionibus, refrigeratum exprimatur & coletur; tùm ℞. hujus decocti ℥ij. Tinct. Antimon. ʒß. Antim. Diaphoret. ℈j. M. f. ſudoriferum. Pro potû ordinariô decoctum ex remanentiâ primi fuit paratum. Præparatô ſic corpore, curam ulteriùs inſtitui cum Mercuriô præcipitatô rubrô, qui cum ſpir. nitr. concentratô paratur, à quô dein ſæpius ſpir. vini fuit abſtractus; primò tria ejus grana dedi, doſin dein uſque ad lenem ſalivationem augens, & poſteà iterùm doſin diminuens, quô modô per 14. dies continuavi; hôcce durante tempore, ulcera planè fuerunt conſolidata, uvula iterùm firmior reddita, vox reſtituta, oſſicula naſi conglutinata ipſaque ſic plenariè reſtituta.

Ibidem Annô 5. Obſervatio 37. De Minerâ Auri & Argenti Sumatrenſi.

Ibidem Annô 7. Obſervatio 223. De Experimentis Chymicis.

I.

SAli fixo à ſublimatione hæmatites vel ferruginis cum ſale Ammoniacô facta reſiduo vel pulveriſato ſi larga Aquæ fortis vel ſpiritûs Nitri quantitas adfundatur, uſque dum ſcilicet ampliùs non ebulliant & poſteà cum multa aqua deſtillata fiat extractio, atque in B. M. leni calore deſtillatio ad remanentiam ſalis, hocque per arenam fortiori igne urgeatur, egregius prodit ſpiritus ſanguinis inſtar rubicundus, ex quô verus metallorum Crocus, ad methodum Polemanni, ſeparatur.

2. Cum hoc ſpiritû etiam Aurum ſolvi & propelli, ad ejuſdem mentem, poteſt.

3. Ferrum in concentratô Spiritû Nitri ſolutum & copioſâ aquâ dilutum, ab alcali præcipitatur in ſubtilem Crocum, ſi præcipitatio hæc continuetur, uſque dum nihil ampliùs ſeparetur, liquor reſtitans albus per evaporationem Nitrum inflammabile ſuppeditat.

4. Eôdem modô ſi Aqua regia fiat abſque ſale ammoniacô, Aquæ fortis à ſale communi ſolâ abſtractione, ſal remanens inſtar Nitri deflagrat.

5. Caput mortuum nigrum C. C. à deſtillatione ſpiritûs reſiduum, ſi pulveriſetur, adfundendo liquorem Salis Tartari, dat per abſtractionem ſpiritum volatilem, pinguem, ſalinum.

6. Sali aceti albo & acido adfuſus liquor Tartari itidem per deſtillationem ſpiritum volatilem pinguem & urinoſum; egregiæ virtutis largitur.

7. In deſtillatione ſpiritûs urinæ uſque ad ſiccitatem inſtituta, remanentia ulteriùs in igne ſi urgeatur, adſcendit ſal volatile non admodùm fœtidum in collum retortæ, unà cum eleganti rubro ardente ſulphure, quod per ſolutionem ſalis iſtius præcipitatur. Reſiduum verò cum aquâ deſtillatâ ſolutum relinquit terram nigram, quæ edulcorata, poſt Olei Vitrioli factam ab eâ abſtractionem, dat terram albiſſimam planè fixam, fuſione in vitrum album abeuntem, aqua verò continet ſal fixum inſtar ſalis communis, magis tamen fluxile.

8. Terra Vitrioli dulcis cum parte æquali Nitri per retortam forti igne ſi urgeatur, prodit ſpiritus Nitri, ex capite mortuô autem optimum Alcali extrahitur, quod carbonis accenſi inſtar, linguam mordet, non tamen aliorum Alcalium more cum acidô effervеſcit.

9. Metalla in menſtruis ſuis ſoluta, ſive Sol, Luna, Venus, Mercurius, ſive aliud aliquod fuerit, ſine aliis contrariis ſalibus præcipitari poſſunt per ſpiritûs vini ab eis abſtractionem; ſic enim ſpiritus vini ſalinos ſpiritus ſecum abripit, & metalla in fundum aguntur; Aurum eleganter inſtar foliorum præcipitatur, quæ in pulverem ſubtilem teri poſſunt, inſtar Terræ ſigillatæ.

10. Sulphuri Antimonii cum ſale Tartari vel aliô Alcali extractô & ſiccatô ſi ſpiritus Nitri infundatur, uſque dùm ampliùs non ebulliat, poſteàque exſiccetur, in lapidem abit, qui varias in formas pro lubitû fundi poteſt; exactè lapidem Bezoar repræſentans, pulveriſatus etiam eidem ſimilis, ùt non immeritò Lapis Bezoar mineralis vocari poſſit.

11. Sal Tartari in aëre p. d. ſolutum iterùmque coagulatum, ſæpiùs laborem ſic repetendô ſemper aliquid ſecum deponit; qui liquor tandem in B. M. abſtractus in cryſtallos magnos & longos coagulatur, & hâc ratione tandem volatilem naturam illud acquirere arbitror.

12. Si terra Vitrioli dulcis cum p. æ. ſalis Ammoniaci ſublimetur & cum Aquâ deſtillatâ ſal remanens elixivietur, tandem filtretur, & abſtrahatur, atque hoc ſal deſtilletur, elegans prodit ſalis ſpiritus; ſi verò ſpiritus Nitri addatur, per cohobationem rubrum oleum acquiritur, ex quô ſulphur anodynum verum ſeparatur.

GRIMMIUS (*Joh. Gaſparus*) Seren. Duc. Saxon. Iſenac. Archiater, & Poliater Lipſienſis.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 3. Anno 7. & 8.

Obſervatio 147. De Dyſentericô à Muſcis Cobaltô (Mückten oder Fliegen-pulver) *enectis & inopinatò epotis.*

CUm Civis & Aurifaber Lipſienſis in oppido quopiam, tria Milliaria Lipſiâ diſtante, intereſſet Convivio nuptiali Affinis cujuſdam, & poſtquam alterô nuptiarum die à prandiô unà cum aliis Convivis per hortum & plateam intenſô Solis æſtû obambularet, domum circa veſperam rediens apprehendendo, Crapulâ largiore onuſtus, ſcyphum vitreum, cereviſiâ ex aliis poculis congeſtâ ſ. commixtâ, & Muſcis Cobaltô (quod pro his abigendis in hypocauſtô expoſitum erat) enectis, refertâ, plenum unô hauſtû epotavit. Quô factô poſt duarum horarum ſpatium ſenſit circa umbilicum tormina, quæ ſic increbuêre, ùt cœnæ adeſſe minùs valuerit; circa noctem aliquot dejectiones cum inſigni cruciatû & vomitû perpetiebatur, pro his leniendis & compeſcendis omnem navârunt operam Oppidani amici, ſed prorſùs incaſſùm laboravêre, hinc Lipſiam maturavit, iter currû vectus, ad quem vocatus ipſum deprehendi miſerrimum, ſiquidem divexabatur ſingulis ferè momentis dejectionibus cruentis cum vomitû & cruciatû inſigni, quæ ſymptomata comitabantur Agrypnia, Cephalalgia, omnimoda virium proſtratio, faſtidium ciborum ac exæſtuatio ſanguinis enormior, quæ cuncta erant ſigna Dyſenteriæ perfectiſſimæ. Sub primo acceſſû ſymptomata maximè urgentia, quantùm fieri potuit, diſpellere operam dedi, quæ etiam tantillum intermiſerant, aſt alterô die recruduêre priſtina Accidentia, & medicamina licèt generoſiſſima, obtinuerunt ſingula effectum prorſùs fruſtraneum. Quarto die conqueſtus eſt æger de aſperitate & infarctû quôdam in mediô œſophagi, hinc Gargariſma ſiphone à Chirurgô injiciendum curavi, quô factô

tô proſiluerunt aliquot muſcæ ſemi-putridæ, quibus remotis ſenſim ſenſimque ceſſavêre dolores & dejectiones cruentæ, hinc certiſſimè ratus deprehendi cauſam hujus dyſenteriæ ſolitariam fuiſſe particulas Cobalti in muſcis latitantes. Ut pote quandò muſcæ intraverunt Ventriculi cavum, & quàmprimùm expertæ ſunt digeſtionem in ſtomachô ac chylificationem, particulæ aculeatæ ſ. ſpicula Cobalti vellicârunt tunicam interiorem ventriculi glanduloſam ac nerveam, unde Vomitus, hinc poſt Chymum ad reliqua inteſtina devolutum aculeis ſuis ità pupugêre membranam inteſtinorum glanduloſam pariter ac nervoſam ſimulque vaſa ſanguifera, ùt largum ſanguinis proventum in inteſtinorum cavum fuderint, hincque dejectiones cruentæ crebriores cum torminibus exquiſitiſſimis. Applicatis medicaminibus huic malo appropriatis, die duodecimô reconvaluit. In removendô hoc morbô præſentiſſimam & utiliſſimam medelam obſervavi in Enematibus ex lacte vaccinô & oleô lini, bis de die applicatis, & licèt hæc ultra inteſtinum Colon, ob hujus Valvulam, aſcendere nequeant, interim probabile eſt, modum operandi fieri, inteſtinorum reliquorum tunicam nervoſam fomentando & refocillando, in inteſtinô Colô verò operantur, obliniendo & demulcendo partes corroſas. Internè propinavi Balſamica leniora cum abſorbentibus mixta, ſimùlque oleoſa, inter quæ excelluerunt oleum amygdalarum dulcium & oleum papaveris albi, in parca doſi. Item ſummè proficuus fuit deprehenſus Potus Caffé cum lacte Caprillô mixtus, ſicque benè ſe habuit, jam quoque optimè valet hic Dyſentericus.

Ibidem Annô 9. & 10. Obſervatio 13. De Delirio jocoſô & ridiculô, ex nimiô abuſû ſpiritûs frumenti compoſiti.

ANnô 1700. Menſe Septembris, Rhedarius quidam, mediæ ætatis Vir, luxuriei, & imprimis Baccho, à multis retrò annis deditus, epotavit intra quatuor horarum ſpatium cum alio Compotatore inſigni, libras tres ſpiritûs frumenti compoſiti ſeu Aquæ vitæ; Quô factô Hercules iſte in potando, abituriens procumbit humi, omnibus ſenſibus prorsùs deſtitutus, & cùm hunc ſtrenuum potatorem nemo præteriverit ob noctem ingruentem, pernoctavit ibidem ſubdiô quaſi ſemi-mortuus; Manè expergefactus, domum redeundo, hunc ipſum domeſtici obſervârunt in ſummô caloris æſtû, cum inſigni vomitu, quare vocatus, ipſius pulſum deprehendi valdè robuſtum cum inſigni ſpirituum ataxiâ, hinc venam in brachiô ſecandam curavi, ipſe autem potator erat ferè citra omnem rationis uſum. Alterô die erat veſtibus indutus, hinc inde in hypocauſtô oberrandô ſaltabat, monetas in arenâ diſperſas digitis quærebat, Crumeniſecas in domô ipſius reconditos, uti ſibi imaginabatur, maximâ cum induſtriâ inveſtigabat, tibiis canendo & ſemper jocoſa proferendo cachinnabatur, imò quod maximum, tempore maximè pluvioſo excurrebat per plateam, & tanti erat roboris, ùt ipſum tres viri aliàs quadrati & robuſtiſſimi, domum reportare vix valuerint, lectum petere nolebat, quòd inibi exerceretur actus venereus à duobus perſonis ſibi notiſſimis, hìnc ſæpiſſimè digitis monſtrabat, an nemo videret, quid in ipſius lectô ageretur. Phœnomena hæc delira continuavêre per integrum quatriduum, dies noctesque ſine omni ſomnô ac quiete; Intrà 14. tamen dierum ſpatium priſtinæ ſanitati plenariè reſtitutus fuit, per venæſectionem ter in largiore quantitate inſtitutam, & per Medicamenta nitrata in majori doſi exhibita pro orgaſmô ſanguinis enormiore compeſcendô.

Ibidem Obſervatio 87. De Cranii depreſſione per Cataplaſma ex Herbis aromaticis curatâ.

ANnô 1700. Menſe Octobris Adoleſcens quidam 15. annorum à Dominô ſuô graviter ità percutiebatur calceô ùt inde depreſſio Cranii in Bregmate ſiniſtrô in peripheriâ inſtar Imperialis, cum ſymptomatibus gravioribus, v. g. delirio, vomitu, febre, &c. ſubſequeretur. Quare ſtatim in principiô ſequens ordinavi Cataplaſma, ex H. Roſmar. Origan. Baſilic. Abſynth. ſalv. ſerpill. & Cent. min. paratum, quod in vinô coctum calidè continuâ ſerie applicandum curavi, quô factô intra triduum felici cum ſucceſſû prorſus evanuit dicta depreſſio. Id quod ex ratione eâ factum fuiſſe reor quòd per applicationem Cataplaſmatis calidioris vis aëris elaſtica interna facta fuerit major, adeò ùt deinceps potens fuerit reprimere depreſſam Cranii particulam.

Ibidem Obſervatio 88. De Infante Tuſſi convulſivâ ex dentitione difficili per 9. Hebdomadas laborante.

De eô habentur in Ephem. Centur. 1. & 2.

Obſervatio 27. De Rene dextrô unius & dimidiæ libræ, inſtar capitis humani, ſpongioſo calculis & multô ſabulô repletô.

Ibidem Centur 3. & 4. Obſervatio 3. & 4. De Inſigni efficaciâ Corticis Peruviani in Rheumatiſmis, Cephalalgia inveterata & artritide.

GRIMMIUS (*Sigiſmundus*) Alzaharavii Librum Theoricæ, nec non Practicæ, ſummâ diligentiâ, & curâ depromſit in lucem. Auguſtæ Vindelicorum, 1519. in fol.

GRINÆUS (*Simon*)

De eô extat

Encomium Medicinæ. Baſileæ, ap. Robertum Winter, 1542. in 8. Cum Aphrodiſæi de Febribus, Damaſceni de Febribus, aliorumque Libellis.

GRISIGNANUS (*Paulus*)

Ex eô habentur

In Aphoriſmos Hippocratis expoſitio. Salerni, apud Franciſcum de Fabris, 1544. in fol.

Libellus de Pulſibus & Urinis. Salerni, apud Lilium Allifanum, 1543. in 8.

GRISLEUS (*Daniel*)

De eô extat

Viridarium Luſitanum. Olyſſiponæ, 1661. in 8.

GROENEVELT (*Johannes*) Tranſiſalanus Daventrienſis, M. D. & Collegii Medici Londinenſis membrum, rarô exemplô Artem Lithotomicam, poſtquam jam ſummos in Arte Medicâ honores in Academiâ Ultrajectinâ impetraverat, non ſolùm addidicit, ſed & ipſemet exercuit, uſus fideliſſimâ manuductione *Velthuſii*, Lithotomi Amſtelædamenſis, quem non ſolùm ejuſmodi operationes exercentem ſedulò comitatus, atque ità ipſâ praxi artificium adſequutus, verùm etiam illo mortalitatem deponente hæres totius apparatûs Chirurgici conſtitutus eſt, cum annexis precibus, ut poſt ſui obitum illô in miſerorum

torum ægrotantium ſalutem ipſemet uteretur; A quô proinde tempore cœpit propriô marte praxin chirurgicam exercere manumque operi admovere, plerſque aliis in ſolâ ſpeculatione ſubſiſtentibus; Ità paucorum annorum ſpatio plus quàm ſeptuaginta calculoſos periculoſè decumbentes ex orci faucibus eripuit. Proteſtatur tamen ſolenniter in præfatione ad Lectorem, ne ipſi imputetur, quod contra leges juramenti Hippocratici peccaverit, dum tanquam promotus Medicinæ Doctor Lithotomiam ſuſcepit; Quandoquidem legem illam non reſpicere niſi rudes & talis operationis imperitos quippe qui facillimè, operatione imprimis minùs proſperè ſuccedente, maculam famæ, ipſique adeò arti inurere poſſent, certiſſimè perſuaſus eſt. Conſcripſit igitùr Diſſertationem Lithologicam variis obſervationibus & figuris illuſtratam, in quâ miſſis hâc vice iis, quæ ad Medicum potius quàm Chirurgum pertinent, pro noſtrô ſcopô obſervamus, quod ſex diverſos modos ſectionem adornandi propoſuerit, ex quibus tamen omnibus ſolam *Hildani* methodum, quæ ſua etiam & D. *Colloti*, famoſi Lithotomi Pariſienſis fuerit, calculô ſuô approbat. Subjungitur deinde modus extrahendi calculum ex urethrâ, cum tractatione calculoſorum poſt peractam operationem; Quæ omnia obſervationibus non contemnendis ubique & illuſtrantur & confirmantur. *Gœlicke Hiſt. Chir. p.* 301.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus, Ann. 1685. *p.* 124.

Diſſertatio Lithologica variis Obſervationibus & figuris illuſtrata. Londini, apud Johannem Bringhurſt, 1684. & 1687. in 8.

Ibidem Annô 1707. *p.* 182.

A Treatiſe of the ſave, internal uſe of Cantharides;

h. e.

Tractatus de tutô Cantharidum in Medicinâ uſu internô, Latinè ſcriptus & à Johanne Marten, Chirurgô, in Anglicum Idioma translatus. Londini, apud Galfridum Wale & Joh. Iſted, 1706. *in* 8.

Novem præterlapſi ſunt anni, cùm Clariſſimus *Grœnevelt* Tractatum ſuum de tutô Cantharidum in Medicinâ uſû internô, dimidium Alphabeti vix excedentem, typis exprimi curaſſet, in quô Cantharidum non minùs quàm Camphoræ, cum quâ earum venenoſitas corrigi commodè poteſt & debet, naturam & virtutes tam propriâ quàm aliorum Medicorum experientiâ explicuit, illarùmque efficaciam in ulceribus renum & veſicæ, calculo, ſtranguriâ, & hydrope patefecit. Quô fatô verò factum fuerit, ùt libellus hic oculos noſtros hactenus ſubterfugerit, nos latet, alias ejus contenta, cum B. L. communicare nulli dubitaſſemus. Interim veſtigiis Clariſſimi hujus viri inſiſtens Johannes Marten, Chirurgus, & plus ultrà progrediens, Cantharidum uſum internum in quibuſdam luis venereæ ſymptomatibus maximè proficuum obſervavit. Quapropter facilè veniam impetravit ab Autore clariſſimô, ùt Latinum ejus Tractatum in Anglicam transferret linguam, eique ſuas pariter ac illius interea temporis factas obſervationes interſpergeret. Addidit præterea Clariſſ. *Grœnevelt*, quam in priori editione promiſerat, Anatomicam & Chymicam Cantharidum relationem. Sed nec minor in podagrâ profligandâ, quam in reliquis allegatis affectibus eradicandis ex earum uſû internô obſervatus fuit ſucceſſus; hinc tractatus, annô 1691. à D. *Grœnevelt* latinè exaratus & poſteà à D. Richardô *Brown* in Anglicum idioma traductus, ſchedis hiſce eſt adjectus. Nec dubitant tam D. *Grœnevelt*, quam *Marten*, non minori impoſterùm Cantharides utilitate ſe commendaturas eſſe, quam qualis hactenùs à Mercurialibus vel Antimonialibus medicamentis fuit expectata.

GROPRETIUS (*Robertus*) Atrebas.

De eô extant

Regimen ſanitatis. Ejuſdem Tractatus de Peſte. Pariſiis, apud Chriſtoph. Wechelum, 1539. in 4. Ibid. apud Petrum Sergeant, 1540. in 12.

GROSSCHEDELIUS ab Aicha (*Johannes Bapt.*)

Ex eo habentur

Proteus Mercurialis geminus, exhibens naturam Metallorum, id eſt Operis Philoſophici Theoriam, & ejuſdem Praxin, ſive, compoſitionem Lapidis ſecreti per Philoſophorum ſententias, & authoritates elucidatus. Francof. apud Lucam Jennifium, 1629. in 4.

Mineralis, ſeu, Phyſici Metallorum Lapidis diligens & accurata Deſcriptio; ad Macro & Microcoſmi Philoſophicam Metamorphoſin. Ibidem apud eundem, 1629. in 8.

GROSSIUS (*Joh. Georgius*)

De eô extat

Compendium Medicinæ, ex ſcripturâ ſacrâ depromptum, necnon ad eandem rectè intelligendam accommodatum; atque adeò nihil à Theologiæ ſtudioſis alieni, aut peregrini tradens. Ipſâ quidem Praxi, ùt & Theoriâ penitiori relictâ iis, quorum eſt propria. Baſileæ, apud Ludov. Regem, 1620. in 8.

GROSSIUS (*Thomas*) Sipontinus.

De eô extant

Lectiones de febribus, in quibus præter hanc exactiſſimam Febrium doctrinam, infinita problemata, plures etiam Hippocratis, Galeni, Avicennæ, & aliorum Autorum Controverſiæ explicantur, conciliaturve. Acceſſit Quæſtio de vinô exhibendô in Febribus à principiô. Venetiis apud Joh. Guerilium, 1627. in 4.

Quæſtio unica: an Morbi, qui in Italiâ & præſertim in Galliâ Ciſalpinâ, hoc annô evagantur, ſub nomine Peſtis, an verò inter Febres Peſtilentiales connumerari debeant. Ubi de eſſentiâ, cauſis, ſignis, & differentiis Contagii: de præſervatione & curatione Peſtis, Febriſque peſtilentialis brevi, & exactâ methodô multa præſcribuntur obſervâda à principe & à privatô in unâquâque Republicâ antequam Peſtis, ſeu Febris peſtilentialis adveniat, tempore, quo graſſatur, & poſtquam abierit, nè denuò recrudeſcat. Venetiis, apud Marcum Anton. Brogiollum, 1631. in 4.

Lectiones de Morbis Capitis & Thoracis. In quibus infinita Problemata, plures etiam Hippocratis, Galeni, Avicennæ, & aliorum Autorum controverſiæ explicantur, conciliaturve. Acceſſit Quæſtio: an Vinum Nive refrigeratum propinari debeat. Ferrariæ, ap. Franc. Succium, 1628. in 4.

De morbis Ventris infimi. Venet. in 4.

De Naturâ, differentiis, & uſû ſex rerum non naturalium, corpora noſtra alterantium, quæ ſunt Aër, Cibus & Potus, Motus & Quies, Somnus & Vigilia, Repletio & Exinanitio & Animi affectiones. Venetiis, apud Joh. Guerilium, 1617. in 4.

GRO-

GROVIUS (*Robertus*)

De eô extat

Carmen de ſanguinis circuitû. Londini Typis Gualteri Kettilby, 1685. 4.

GRUBE (*Hermannus*) Lubecenſis.

Ex eô habentur

Analyſis Mali Citrei compendioſa, ad Botanices, Philoſophicæ juxta ac Medicæ Cynoſuram redacta. Haffniæ apud Danielem Pauli, 1668. in 8.

Commentarius De Modô ſimplicium Medicamentorum facultates cognoſcendi, ad Praxin Medicam directus, & nonnullis obſervationibus, in gratiam Tyronum illuſtratus. Cui præfixa Thomæ Bartholini Epiſtola de ſimplicibus Medicamentis inquilinis cognoſcendis. Haffniæ & Francofurti apud Danielem Pauli, 1669. in 8.

De Arcanis Medicorum non Arcanis Commentatio, ex Inventis Recentiorum Harveianis, Bartholinianis, Sylvianis, Williſianis, & cæteris, in gratiam Tyronum breviter concinnata, obſervationibus nonnullis illuſtrata, & tota ad Praxin Medicam directa. Cui præfixa Thomæ Bartholini de Tranſplantatione Morborum Epiſtola. Haffniæ, apud Danielem Pauli, 1673. in 8.

De Tranſplantatione Morborum Analyſis nova. Hamburgi, ap. Gottofredum Schultzium & Amſtelodami, ap. Johan. Janſonium à Waesberge, 1674. in 8.

De Ictû Tarantulæ & vi Muſices in ejus curatione, conjecturæ Phyſico-Medicæ. Acceſſit Eraſmi Bartholini de Aëre Haffnienſi diſſertatio. Francofurti ex Bibliopoliô Haffnienſi Daniel. Pauli, 1679. in 8.

GRUBELIUS (*Joh. Georgius*,) Seren. Viduæ Electoralis Saxonicæ quondam Archiater.

De eô habentur

De malo ſimplicium medicamentorum facultates cognoſcendi uſu. Francofurti, apud Paulum 1665. 8.

De Arcanis Medicorum. Haffniæ 1673. 8.

De eô præterea extant in Miſcell. Cur. Decur. 2. Annô 8.

Obſervatio 34. De Abdominis abſceſſû recidivô curatô.

DE reconditâ abſceſſuum naturâ hîc agere prolixiùs, operæ non videtur eſſe pretium, cùm id ſatis nervosè peregerit diù *Marcus Aurelius Severinus* in abſolutiſſimô tractatû de Abſceſſibus, ad quem L. B. meritò ablegamus. Hos ut plurimùm inſanabiles eſſe judicârunt plurimi, unde & hos communis medendi methodus tanquam feras, quæ nunquam cicurantur, non attingit, ſed ut inſanabiles relinquit. Et ſanè non diffiteor, quòd graviore quâdam ratione ſtrenuiſque omninò præſidiis ſint oppugnandi; quòd verò planè ſint incurabiles, abſolutè aſſeverandum non judico, ſiquidem & alii, & noſter memorandus recidivus abſceſſus feliciter curatus contrarium ſatis demonſtrant. Cùm enim Cizæ praxim medicam exercerem, puella quædam 10. annorum circa medium Aprilis in languorem incidit totius corporis cum dolore maximô rodente & lancinante circa umbilicum. Ad hanc Medicus quidam ſatis Celebris vocatus nihil omiſit, quod morbi vim infringere poſſet. Sed omnibus fruſtrà adhibitis, contabuit in dies magis magiſque corpus cum puris expuitione continuè & virium languore maximô, adeò, ut ſceleti imaginem potiùs, quàm hominis induiſſe videretur. Phthiſi enim & hydrope incurabili illam laborare judicabant omnes, quicunque illius corpus ſtatumque morbi accuratiùs conſiderabant. Ad hanc autem ego 5. Julii annô 1685. à matre illius anxiè deſideratus diligenter ventris tumorem explorandô abſceſſum in abdomine latentem invenio parùmque de ſalute ſpei ſupereſſe judico. Cutis enim vix oſſibus hærebat, nihilque bibebat & comedebat niſi jus avenaceum, quô optimè ſe ſatiare poterat. In re igitur planè deſperatâ nil niſi ſpecies emollientes & maturantes in lacte coquendas & abdomini ſæpiùs applicandas præſcripſi, quibus triduum applicatis ad maturationem feliciter fuit perductus abſceſſus, adeò, ùt quartô die à Chirurgô juxta umbilicum me inſciô fuerit inciſus, ex quô nil niſi materia purulenta eique planè ſimilis, qualem quotidie per os copiosè exſpuebat, effluxit. In materiâ illâ expellendâ naturæ conatus erat ferè admirandus, dùm non per foramen tantùm, ſed & per umbilicum ſimul paucis poſt diebus eandem materiam purulentam excernebat, quô in laudabili tamen conatû nimis citò à Chirurgô fuit impeditus. Cùm enim hanc puellam Medico priori ab itinere reduci iterùm curandam traderem, ne illis, quibus res erat auguſta domi, duplices cauſarentur ſumptus, hìc verò ob officia ſua aulica illam ſoli Chirurgo ſanandam relinqueret, qui curæ moleſtæ pertæſus foramen non diutius, quàm per octiduum detinuit apertum, citiuſque quàm par erat, vulnus abdominis clauſit, puellamque quaſi optimè à ſe curatam reliquit. Hujus verò poſteà puellæ matrem ego fortè fortuna offendens quæro, quinam illius filiæ ſit ſtatus? Optimus, inquit, Chirurgum enim vulnus intra octiduum feliciſſimè ſanaſſe, jam patientem optimè habere dixit. Hâc reſponſione perterritus ego optabam, ùt idem maneret ſtatus, verebar enim nè illi accideret idem illud malum denuò, quod hactenùs illa filia ſatis eſſet experta; curam enim non ex fundamentô eſſe peractam, materiamque purulentam non ſatis expulſam me facilè augurare poſſe dixi, quod effatum citiùs etiam accidit, quàm ſperare potuerant illius parentes. Die enim 26. Decembris ejuſdem anni dictæ puellæ mater iterùm me convenit, maximè conquerens de ſtatû filiæ ſuæ jam peſſimô, ac de tumore ventris inſolitô. In hôc quid conſilii ſit capiendum, ſe neſcire quidem mater inquit, intereà filiam ſuam meæ jam concredere curæ, mihique optimè ponderandum relinquere, quâ ratione hic abſceſſus periculoſiſſimus radicitùs ſit extirpandus. Hujus igitùr curam cùm reciperem, eandemque filiam viſitarem, illam eôdem in ſtatû periculoſô, maximôque tumore ventris laborantem invenio, cui ſimiles ſpecies emollientes ac maturantes præſcripſi, ac ſuprà fuit relatum. His itaquè probè adhibitis, & præterlapſis vix tribus diebus abſceſſus iterùm per umbilicum fuit apertus, & materiam purulentam abundè expulit natura, ſuô onere ſatis moleſtô hoc modô ſe optimè ſublevatura, quem naturæ conatum intra tres ſeptimanas Chirurgus nè impediret, multò minùs me inſciô hoc vulnus iterùm clauderet, ſeriò præcepi. Præſcriptô igitùr elixiriô proprietatis ſine acidô & quotidie aliquoties à patiente aſſumtô, pilulîſque Ruffi veſperi uſurpatis ad evacuandam materiam excrementitiam atque puris generationem impediendam, tantùm emolumenti perſenſit patiens, ùt adhibitâ tantùm aquâ vulnerariâ Stullenſi aliquotiès in die ad uncias duas paucis ſeptimanis penitus convaluerit. Hæc filiæ reconvaleſcentia inopinata eò majorem parentibus offerebat

rebat

rebat lætitiam ſummamque admirationem, quò hanc letho propiorem eſſe ipſi judicaverant. Sic pia hæc benèque morata puella, quæ textum concionis ſuæ funebris jam tum ſibi elegerat, ex orci faucibus fuit erepta, quæque poſt 4. menſes etiam morbillos tunc temporis ſatis funeſtos feliciſſimè ſuperavit, cujus ſororcula tamen, non potuit ab illorum atrocia liberari, ſed diem ſuum obiit ſupremum. Pro quâ priori conceſſâ divinâ gratiâ ac benedictione Deo ſit laus, honor ac gloria in ſempiterna ſecula!

Ibidem Obſervatio 35. De Febre Petechiali cum convulſionibus conjuncta, curatâ.

Ibidem Obſervatio 36. Epilepſia graviſſima à manûs dextræ digitis oborta cura feliciſſima.

VArias Epilepſiæ dari differentias, variaſque illius eſſe ſedes, ex quibus truculentum ſuum ſpargit venenum, quò ipſô patiens ſæpiùs tollitur è mediô, niſi validiſſimis illi reſiſtatur remediis, res eſt notiſſima, nec opus, ut hîc explicetur prolixiùs. Inter alios, ſatis hoc ſuô exemplô comprobavit tabellarius quidam Cizenſis 43. annorum, vir robuſtus aliàs & quadrati ferè pectoris. Hic prope alios ſuæ conditionis homines in cellâ cereviſiaria ſedens digitique ſpaſmum in manû dextrâ percipiens altâ voce exclamavit; *Sehet doch wie mich der Krampff zencht.* Sed dictum factum totô hic convellitur corpore adeò, ùt non ſine admiratione & ſtupore omnium adſtantium maximô aſpici potuerit. Hujus igitur filius ad me miſſus anxiè rogabat, ùt patri ſuo jamjam morienti citò conſulerem. Hunc cùm ſequerer, patientem ſine omni ſenſû & abſque ullâ ferè paroxyſmorum epilepticorum intermiſſione offendi, adeò ùt mortem præforibus nullam reconvaleſcentiæ ſpem patienti eſſe relictam mecum judicarent omnes, quicunque illius erant ſpectatores. Brevi enim tempore viginti quinque paroxyſmos ferè horrendos erat expertus. Huic ſtatim unicornu foſſile noſtrum in hoc ſæpiùs expertum ad ℈j. adhibui cum tincturâ florum pœoniæ in cereviſiâ uſurpandâ, ulteriùs verò ùt applicaretur Veſicatorium in eâdem manû & ſequenti die ùt ſecaretur vena in brachiô ſiniſtrô conſilium dedi. Hiſce adhibitis, Deo benedicente, intermiſerunt atroces paroxyſmi ſenſuſque omnes redierunt illæſi. Die proximô idem unicornu foſſile ad ʒß. illi aſſumendum dedi, veſperi verò ſalis rutæ ℈j. non ſine ſingulari commodo uſurpandum præſcripſi. Cui curæ graviſſimæ finem feliciſſimè impoſui eôdem unicornu foſſili cum aliis præcipitantibus & ℈j. Cranii humani præparati. Sic deſperatus hic Epilepticus paucos intra dies feliciſſimè liberatus nunquam ejuſmodi convulſiones poſthàc, quantùm mihi conſtat, fuit expertus, prô quâ conceſſâ gratiâ Deo ſit laus & gloria in ſempiterna ſecula!

Ibidem Obſervatio 37. De Muliere quinquiès apoplexiam paſſâ, curatâ.

Ibidem Obſervatio 38. De Dyſenteria continua cum variolis conjuncta curatione.

Ibidem Obſerv. 39. De Abſceſſû thoracis ex retrogradis variolis obortô, per apertionem thoracis verò feliciter curatô.

Ibidem Ann. 9. Obſervatio 107. De Fœtû in uterô matris variolis infectô & ſemiputridô excluſô, matre benè conſtitutâ & optimè ſe habente.

Ibidem Obſervatio 108. De Excretione alvi inſenſibili in febribus malignis non ſemper lethali.

Ibidem Obſervatio 109. De Urinâ Cruentâ ex ruptione arteriæ minoris in ſeptuagenario curatâ.

VIr ſeptuagenarius Scholæ Neoſtadienſis ad Orilam Collega tertius, domeſticis rebus addictus, tempore meſſis exſpatiatur in agrum, obque rem nimis anguſtam domi ſuum frumentum in faſciculos colligare nititur. Hâc re aliquandiù feliciter peractâ tandem in arteriæ minoris ruptionem incidit, adeò, ùt tres dies nil niſi ſanguinem floridum excreverit. Cujus rei inopinatus caſus inſignem illi attulit mœrorem, neſciens quid conſilii ſit capiendum in re tam deſperatâ & ſibi inauditâ. Unde D. 26. Decembr. 1675. venit ad me periculum vitæ imminens avertendi ſeq; curationi meæ ſubjiciendi cauſâ. Cujus deſiderio ùt ſatisfacerem, Vulnerariam & conſolidantem illi mox præſcripſi potionem, quâ incaſſùm adhibitâ, aliam eamque magis conſolidantem adhibere juſſi ſequentem;

℞. *Aq. burſæ paſtor. Veron.*
Flor. bellid. conſolid. major. an. ℥ij.
Croci martis adſtring.
Ocul. Cancr. Contus. an. ʒß.
Syrup. de ſuccô veron. ſcabioſ. an. ℥ß.

Miſce, quâ in 4. doſes diviſâ & aſſumtâ urina cruenta ſtatim emanſit, ſenex decrepitus non parùm fuit exhilaratus, neque unquàm recidivam fuit expertus.

Ibidem Obſervatio 110. De Lotiô purulentô ex pleuritide.

Ibidem Obſervatio 111. De Variolis ſuperveniente menſium fluxû non lethali.

Ibidem Obſervatio 112. De Convulſionibus poſt variolarum eruptionem obortis non ſemper exitialibus.

Ibidem Obſervatio 113. De Dyſenteriâ epidemicâ cum petechiis atque ſingultû conjunctâ feliciter curatâ.

DYſenteriam Epidemicam cruentam, cumque febri junctam eſſe perículoſiorem, quàm quæ eſt ſine febri; periculoſiſſimam verò illam, quæ petechias habet comites, quæque cum ſingultû eſt conjuncta, cùm periculum ſubſit nè ipſe ſtomachus ſit affectus, nemo erit facilè, qui trahet in dubium. Tot enim tantiſque hoſtibus circumvallata natura ſufficienter reſiſtere non poteſt, nec mirum, ſi in tali acerrimô conflictû penitùs ſuccumbat. Aſt, Deo benedicente, victoriam reportâſſe juvenem quemdam tot hoſtibus diris circumdatum recordor. Hic enim nomine *Weiſe* annorum 17. dum D. 11. Septembris 1688. hic Dreſdæ ex errore diætæ incidiſſet in dyſenteriam, ſibi ipſi, ut putabat, optimè conſulere nitens die 12. Septembr. pilulas purgantes Cephalicas aſſumſit, quibus dyſenteria adeò fuit irritata, ùt meum implorare conſilium coactus fuit. Huic ergò varia anti-dyſenterica, cordialia atque ſudorifera à me fuerunt præſcripta, quorum longam ſeriem hìc recenſere non erit opus; ſed omnia videbantur eſſe irrita atque fruſtranea, neque meæ ſatisfaciebant expectationi. Indè aliquid monſtri alere hunc affectum non fruſtrà fui auguratus. Adhibitis enim bezoardicis & confortantibus quibuſdam, ecce! die ſeptimô alius patienti ſtruens inſidias ſe prodidit hoſtis, qui nos non parùm deterruit, dùm maculæ in toto corpore apparebant rubeo-nigricantes, quas nauſea inſolita, inquietudo maxima, anxietas, ſingultus continuus aliaque comitabantur ſymptomata. Hunc verò probæ indolis juvenem ùt ex orci

quaſi faucibus eriperem, die 20. Septembris hunc cum maximô emolumentô præſcripſi bolum, Regi Poloniæ quondam à clariſſimô D. D. *Cnœffelio* in dyſenteriâ malignâ ordinatum, qui exoptatam attulit ſanitatem, cujus ingredientia ſunt ſequentia:

℞. Conſerv. roſar. veter. ℨjß.
Pulver. Pannon. rubr. ℈j.
terræ Jappon. gr. v.
Laudan. opiat. gr. j. M. F. Bolus.

Reiteratô igitur hoc bolô ſæpiùs, & cum julebô confortante adhibitô, petechiæ quidem in diſenteriâ aliàs minùs uſitatæ, & ob id à plurimis practicis in dyſenteriæ tractatione exceptô Celeberrimô D. D. Ettmüllero Prax. p. m. 109. penitùs omiſſæ, ad decimum quartum morbi diem conſtantes permanſerunt more febrium malignarum, ſed cùm non minori patientis commodo, utpotè qui præter omnium ſpem & expectationem ab hiſce diris hoſtibus ſuis liberatus, adhùc ſanus vivit lætuſque.

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 39. *De Epilepſiâ per annulum appenſum curatâ.*

Ibidem Obſervatio 40. *De Fonticulô ſuturam inter Coronalem & Sagittalem applicatô in cephalæâ inveteratâ fruſtraneô.*

Ibidem Obſervatio 41. *De Apoplexiâ lethali ex bregmatis hiatûs, in ſeptuagenariâ majore, coaleſcentia obortâ.*

Ibidem Obſervatio 42. *De Hydrocephalô pro monſtrô habitô.*

Ibidem Obſervatio 43. *Ex temerariâ cruſta lacteæ curâ totiûs naſi decidentia.*

Ibidem Obſervatio 44. *Ex halitû hominis vitæ revocatio.*

Ibidem Decur. 3. *Annô* 1. *Obſervatio* 50. *De ſanguinis profluxû in brachiô, die tertiô poſt mortem, pro miraculô habitô.*

Ibidem Obſervatio 51. *De Verme umbilicali hiſtoria.*

Ibidem Obſervatio 52. *De Obſtructione alvi, ultra duodecim dies durante, fumô Nicotianæ curatâ.*

Ibidem Obſervatio 53. *De Hydrope pectoris lethali.*

Ibidem Obſervatio 54. *De Hydrope pectoris lethali aliud exemplum.*

Ibidem Obſervatio 55. *De Vomitû ad undecimum diem continuô variolarum præſervativô.*

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 93. *De Apoplexiâ fortiſſimâ cum Epilepſiâ deſperatâ feliciter curatâ.*

Ibidem Obſervatio 94. *De Apoplexiâ in Sene curatâ.*

AD Cantorem Neoſtadienſem virum antiquâ virtute & fide & annorum 60. die 29. Martii 1682. vocatus, illum ſine ſenſû pedeque ſiniſtrô claudicantem offendi, cui præmiſſâ Venæſectione mox hoc vomitorium præſcripſi.

℞. Sal. Vitrioli emetic. ℈ß.

Hoc aſſumtô ne conatum quidem vomendi perſenſit patiens, tantùm abeſt ut operationem exoptatam excitaverit, de quô valdè fui admiratus, cùm ex Helmontiô, Fabrô atque Langii Miſcell. Curioſis, p. 12. ſatis conſtet, ſecretum curandæ Apoplexiæ certiſſimum in vomitoriis conſiſtere. Hoc ergò ad votum non operante ad ſequentia ùt tranſgrederer cephalica, patientis ſtatus me jubebat peſſimus:

℞. Conſervæ roriſmarin. ℥iij.
Specif. cephal. Mich. ℈j.
Spec. diambr. diamoſch. dulc. an. ℨij.
Sirup. beton. flor. tunic. an. q. ſ. f. l. a.

Electuarium ſpiſſum in os patientis ſæpiùs detrudendum, adhibitâ tamen priùs hâc potiunculâ cum clyſtere acriore.

℞. Aqu. ſalv. C. vinô, lavend. C. vin. apoplect. opt. an ℥j.
Eſſent. Lil. convall. ſalviæ an ℨj. Eſſent. Caſtor. ℨß.
Spir. Sal. Ammoniaci ℈j. ol. ſuccin. deſtill. gutt. viij.
Sirup. Stœchad. beton. an. ℥ß. M. quæ potiuncula cochleatim patientis ori fuit infuſa non ſine maximô commodô.

Poſt felicem clyſmatis applicationem & ad materiam magis reſolvendam electuarium ſequens à me fuit præſcriptum:

℞. Rad. pyrethri, ireos flor. an. ℨj. Sinap. ℨß.
Zingiber. macis an. ℈j. Caryophyll. ℨß.

Probè pulveriſatis adde mellis anthoſat. q. ſ. f. l. a. Electuarium ſæpiùs aſſumendum & in ore tenendum. Ad linguam curandam ſequentia fuerunt ordinata:

℞. Spir. ligni guajaci, Eſſent. Lil. convall. an. ℨj.
Ol. ſtill. majoran. roriſmarin. an. gutt. vj.
Sirup. de beton. ℨvj. M. & per intervalla patientis linguæ adhibe.

Externè vertex, tempora, cervix & pulſus oleô ſuccini deſtillatô diligenter fuerunt inuncti, cui curæ Colophonem impoſuit clyſma ſequens;

℞. Herb. rutæ, ſalviæ, origan. cent. min. an. mj.
Flor. ſalviæ, Lil. Convall. prim. ver. Stœch. an. p. II.
Rad. ariſtol. rot. ℥ß. Cyclam. min. rut. an. ℨij.
Coq. in ſ. q. Aquæ colat. ℞. ℥viij. in quibus diſſolve
Elect. hier. C. agarit. ℥j.
Fellis tauri inſpiſſat. ℨj.
Sal. rutæ. ℨj. mellis anthoſat. ℥. J. M.

Hôc applicatô bene ſe habuit patiens cum ſumma liberorum ſuorum octo & uxoris lætitiâ, Deoque pro tantô beneficiô gratias egit maximas.

Ibidem Obſervatio 95. *De Paſſione Iliacâ ex eſû ribium.*

Ibidem Obſervatio 96. *De Iliacâ paſſione ex nimiô pyrorum eſû.*

Ibidem Obſervatio 97. *De Maniâ ex ſpiritûs vini juniperini ejuſque olei abuſû nimiô.*

Ibidem Obſervatio 98. *De Dyſenteriâ indolente non lethali.*

NObilis quidam vir & J. U. Doctor, aliàs gracilis & cui cutis vix oſſibus hærebat, annorum 58. die 20. Julii 1690. hic Dreſdæ dyſenteriâ afficitur indolente, quam ob virium conſtantiam & appetitum permanentem initiô parùm curavit, poſteà verò ne negligeret, die 21. Julii ſuum ad ſe Medicum poſtulavit, & illius conſilium rogavit, qui varia illi pro hâc tranſmiſit remedia, ſuaque in hoc malô non denegavit ſpecifica, quia amici erant & ſanguinitate maximè conjuncti. His verò omnibus irritis & incaſſum adhibitis d. 24. Julii meum implorat auxilium, ſtatumque morbi ob corporis ſui nimiam ſiccitatem partim, partim ob doloris abſentiam hoc in affectû aliàs minimè conſuetum non negligendum eſſe putavit, non obſtante, quòd vires videantur adhùc eſſe validæ, appetitus non penitùs proſtratus, ſomnuſque non planè abolitus, cùm tamen ſedes jam tum ſine ullis torminibus & cum ſanguine permixtas habuerit aliquot octoginta, ex quibus veræ dyſenteriæ ſigna pateſcerent. Hujus verò pulſum attingens febrem inſuper continuam huic malo conjunctam eſſe

eſſe deprehendi, quæ ipſa febris majus vitæ periculum adeſſe, huncque morbum aliquid monſtri alere indicabat, probè in hoc reminiſcens, quod viri de re medicâ meritiſſimi Dn. D. Bartholinus & Dn. D. Wedelius jamdiu eaſdem dyſenterias indolentes obſervaverint eſſe lethales, nullumque de hôc malô fuiſſe liberatum tam ob malignitatem maximam, quàm ob gangrænoſa viſcera, quæ in hoc patiente hernioſo aliàs & maximè ſcorbutico ſuſpicari non erat difficile. Hunc ergò, nè afflictionem adderem afflicto, bonô ùt eſſet animô ſum allocutus, curamque eò maximè dirigendam eſſe dixi, ùt unô oculô febris conſideretur malignitas, alterô ùt alvi fluxus impediretur cruentus, quod utrumque Deô benedicente, ſequentibus efficere medicamentis ſperarem, & quidem pulveribus duobus atque tincturâ cordiali confortante:

℞. Pulver. Pannon. rubr. ℈ij.
Terr. Jappon. gran. maſtich. an. ℈ß. M. Divid. in 2. part. æq. in aqu. tormentillæ ſumendas.

℞. Eſſent. tormentill. Tinct. corall. temper. an ℥j.
Lapid. bez. or. ʒß. M. Dentur guttæ 33. unâ horâ ante menſam.

His uſurpatis ſtatim remiſit febris maligna, fluxuſque alvi adeò fuit moderatus, ùt unô die vix duas vel tres habuerit ſedes, quæ ſymptomata deinde ſequenti potione Cordiali fuerunt penitùs ablata:

℞. Aquæ Cordial. Saxon. ℥ij. aqu. maſtich. compoſ. menth. C. vin. an ℥j. Tinct. cinam. flor. tunic. an. ʒij. Spir. maſtich. ʒj. Confect. alcherm. incompl. ʒj. Sirup. de corall. acetoſ. citri an. ʒiij. M.

De quâ per intervalla dentur cochlearia ij. quibus aſſumtis ſucceſſivè hic deſperatus patiens præter omnium opinionem fuit, Deô benedicente, feliciter reſtitutus.

Ibidem Annô 5. & 6. Obſervatio 53. De Vitri Antimonii vi emeticâ oppreſſâ.

Ibidem Obſervatio 54. De Opii funeſtô in febre malignâ uſû.

Ibidem Obſervatio 142. De Anatomiâ infantis à matre non manibus ſed pedibus enecati.

Ibidem Obſervatio 143. De Renibus per fruſta excretis.

Ibidem Obſervatio 144. De Febris malignæ curatione per ſola Vomitoria.

Ibidem Obſervatio 145. De Syncope Cardiacâ.

Ibidem Obſervatio 146. De externorum remediorum in IV. deſperatis effectû verè ſtupendô.

INterna longè præferenda eſſe Remediis externis, hæcque parùm emolumenti adferre Patientibus, non ſine ratione confirmant plurimi, ſtatuentes, medicamenti vim maximè diſſipatam eſſe priùſquam penetrare poſſit integumenta corporis noſtri ſatis valida ſatiſque craſſa, qualia ſunt cutis cuticula, panniculus carnoſus atque peritonæum, quæ omnia videntur eſſe in remorâ, nè adhibitum in actum deducatur Remedium. Neque rationibus his ſatis prægnantibus eſſem contrarius, niſi aliud mihi minimèque fallax, quæque ſæpiùs plus valet, quàm centum Rationes ad oculos demonſtraſſet experientia, ſicque me reduxiſſet in viam, cui experientiæ tamen, ſi modò conſideretur penitiùs, non deficiunt Rationes. Totum enim corpus eſſe poroſum, perque poros facilè penetrare medicamenta ſpirituoſa atque volatilia nemo, niſi fungum pro cerebrô gerens, ibit nobis inficias, id quod ſuo tempore docuit *Hippocrates* Lib. 6. de Morb. vulg. ſect. 6. Aphor. 1. *Corpus*, inquiens, *humanum tam foras quàm intrò ſpirabile eſt*, quod ex ſequentibus IV. magis elucebit exemplis, quorum

I.

Paſtor quidam Neoſtadii ad Orilam, ubi Medicus eram Territorialis Saxonicus, diù ex Inflammatione renum laborabat, & Tertianâ intermittente, quia ſpiritum vini quotidie nimis largâ aſſumpſerat quantitate. Huic Medicus quidam extraneus optimè conſulturus voti ſui nunquam fiebat compos, adeò ùt Patiens ad extrema redactus, jamjam videretur moriturus. Cutis enim vix oſſibus hærebat, neque loqui valebat, neque vis retentrix ſuum exercebat officium, ſed omnia ſinè ſensû fluebant per alvum, patienſque maximè delirabat, mortemque ad portas eſſe pronunciabant omnes. Ad hunc horâ x. noctis ego vocatus parùmque ſalutis ſupereſſe videns, cùm res eſſet deſperata, internè nihil, externè verò emplaſtrum dè cruſtâ panis oleô ſtillatitiô maſtichis & menthæ malaxatum præſcripſi, quod cùm ſtupore alvi fluxum cùm deliriô ſedavit. Hujus ergò operationem verè ſtupendam patiens cùm in ſe perciperet, die ſequente ità me fuit allocutus; Quænam hujus morbi metamorphoſis? Cui me hujus emplaſtri effectum non poſſe admirari, ſatis dixi; mortem tamen tam propinquam eſſe illi revelare nolui, nè fiduciam in Medicum ſuum depoſitam illi redderem dubiam, quæ tamen tertiô die tàm patientem, quàm Medicum maximè fefellit. Adveniente enim Medicô adveniebat quoque mortis hora, mortiſque comites perſentiebat nullos, nec mortem ipſam, qui in ipſis jam jacebat morbis faucibus.

II.

Puella 4. annos nata & unica parentum ſpes D. 13. Octobr. 1687. Cizæ incidit in febrem ardentem adeò periculoſam, ùt ſæpiùs parentes illius mortem citiùs quàm vitam exindè præſagire potuerint. Septimô enim die utpotè criticô, adeò viribus omnibus exhauſta jacebat, ùt nil niſi mortem expectandam eſſe judicarent omnes, ad cujus triſtiſſimum morbi exitum metuendum majorem parentibus occaſionem præbebat faſtidium omnium medicamentorum, quia ægrota nullis modis ad hæc recipienda perſuaderi poterat. In hôc ergò ſtatû maximè periculosô nil niſi externa cordialia pectori applicanda præſcripſi, dubius an quicquam in hôc atroci morbô ſint effectura? Verùm his per aliquot dierum ſpatium adhibitis, morbi remiſit ferocia, vires ſucceſſivè redierunt, Deôque adjuvante, puella præter omnium ſpem optimè fuit reſtituta.

III.

Juvenis quidam nomine *Stemlerus* 19. annorum, Die 17. Auguſti annô 1682. incidit in tertianam intermittentem, quâ de iterùm liberatus, hæmorrhagiam patitur adeò largam atque enormem, ut omnia in illô remedia viderentur eſſe fruſtranea. Sceleto enim potiùs, quàm homini videbatur eſſe ſimilis. Indè nimis ſerò ad illum vocatus, aquam ſolummodò externam cordialem præſcripſi, de quâ ſuas ſenſibiliter recuperavit vires, atque ità ſe benè habuit, ut non ſolùm gradum Magiſterii, ſed & officium paſtoris in ſe receperit, in quô officiô adhùc ſanus vivit lætuſque.

IV.

Parentem meum dilectiſſimum, jam beatæ memoriæ, diù auditûs difficultate laborantem memini, quæ ipſa ex ſiccitate tympani ſenibus conſuetâ ſuum videbatur habere ortum. Indè parùm ſpei in hâc curandâ eſſe reliquum putabam, quia ſenium erat in cauſâ, quod omnibus Medicis atteſtantibus eſt incorrigibile & à privatione ad habi-

habitum non datur regreſſus. Ne tamen quicquam in hoc maneret intentatum, butyrum majale non ſalitum quotidie vertici temporibuſque inunxit, tantùmque hôc remediô effecit, ùt auditus in octuagenario majore manſerit illæſus atque incolumis.

Ibidem Annô 7. & 8. Obſervatio 15. De Maniacô curatô.

MAniam horrendum eſſe affectum, nec paucis cedere remediis, ſed ad plures ſe extendere annos ſatis notum eſt Medicis. Paucis tamen, Deô bened. à me curatum remediis; Juvenem 24. annorum *Mich. Ehreinfried Lehn.* Neoſtadii ad Orilam annô 1675. die 26. Febr. qui jam tum 18. Septimanis eâdem maniâ atrociſſimâ laboraverat, quique manibus pedibuſque vinctus jacebat in terrâ, nè alios lædere, veſteſque ſuas dilacerare poſſet, apparebit ex ſequentibus. Et quia res apud illum erat anguſta domi, furorem illius opiatis conſopire ſtudebam appoſitis;

℞ Sirup. papav. errat. ℥j. Laudan. opiat. gr. IV. M. Externè verò ſequens unguentum applicare jubebam:

℞ Unguenti ſomnif. uſit. ℥jß. ol. papav. expreſſ. ʒj. Extract. opii gr. M. f. l. a. Unguent. temporibus applic.

His verò incaſſùm adhibitis ad vomitorium fui tranſgreſſus;

℞ Aſar. rad. pulver. ʒj. Mercurii vitæ gr. ij. M. quod ſuum probè fecit officium, cui ad vires reſtaurandas hanc præſcripſi potionem:

℞ Aq. anagallid. lactuc. borrag. bugloſſ. papav. errat. an. ℥. magiſt. anodyn. gr. VII. ſirup. fl. tunic. rub. idæi, papav. an ℥ß.

M. Hâc uſurpatâ ferocia illius fuit mitigata, cui d. 28. Febr. ſirupum præſcripſi ſeq.

℞. Extract. theriac. Laud. opiat. an. gr. iij. ſirup. papav. errat. ℥jß. M.

Hôc duabus vicibus receptô paulò meliùs ſe habere viſus fuit patiens, inde 1. die Martii iiſdem ferè remediis Opiatis continuavi, quale ſequens erat.

℞. Aq. anagallid. lactuc. papav. errat. an. ℥j. Extract. theriac. gr. V. laudan. Opiat. gr. iij. ſirup. papav. errat. ℥j. M.

Hiſcè delirium, præmiſſâ tamen venæſectione priùs, ut plurimùm fuit ſopitum. Indè ad purgantia feci progreſſum, inter quæ erat primùm:

℞. Extract. hellebori nigri g. XV. reſin. jalap. gr. ij. ſirup. roſ. ſolut. ℥j. M.

Cui hanc die ſequente præſcripſi potionem alterantem:

℞. Aq. fl. borrag. anagallid. an. ℥jj. ſirup. borrag. bugloſſ. an. ℥ß. ſir. roſ. ſolut. ℥ß. M.

Hâc aſſumtâ, magis ſe ſublevatum eſſe putabat. Ut verò reliquias mali planè expellerem, die 9. Martii ſequentem potionem præſcripſi;

℞. Aq. fl. hyperici, anagallid. borrag. bugloſſ. an. ℥ß. Extract. hellebor. nigri ℈j. lap. lazul. ppt. ℈ß. ſirup. violar. borrag. an. ℥ß. M.

Hiſce adhibitis feliciſſimè rediit ad ſe, pannificii munus optimè perſolvit, & paulò poſt cum ſponſa inivit conjugium feliciſſimum. Hanc ergo veram maniacos curandi methodum, eamque breviſſimam eſſe, non ſolùm ex hôc ſed ex ſequente feliciter curatô apparebit maniacô.

Cùm eôdem annô die 10. Auguſti, ibidem ad alium juvenem 25. annorum & unicum parentum ſuorum filium nomine *Fleiſchmann,* accederem, illum ſummâ ferociâ maximâque atrocitate laborantem deprehendi, qui ex eâdem ratione parentem ſuum interficere tentavit, ſed hic filium ſeum ſuperans, neſcit, quid conſilii ſit capiendum? & tandiù illum in hypocauſtô concluſum tenet, uſquedum illum viſito, quem torvis oculis, facie rubicundâ & maximè delirantem deprehendi, cui mox hanc potiunculam anodynam præſcripſi.

℞. Aq. anagallid. hyperici an. ℥jj. papav. nymph. an. ℥j. magiſt. anodyn. Mich. gr. VII. ſirup. nimph. papav. an. ℥ß.

M. quæ per intervalla adhibeatur. Hâc uſurpatâ meliùs ſe habuit, adeò ùt parentes fuerint perſuaſi, filium penitùs eſſe reſtitutum, ſed malum de novô incrementum ſumens die 19. Auguſt. iterùm meum implorârunt auxilium, cui hanc præſcripſi mixturam:

℞. Eſſent. flor. hyperici, anagallid. an. ʒjß. ſpir. Nitri dulcis, ſpir. vitrioli dulc. an. ʒjj. M.

Quæ cereviſiæ inſtillanda & pro lubitû ebibenda, quâ adhibitâ rectè ſe habuit. Exindè parentes iterùm de filii ſanitate maximè exhilarati fuerunt. Unicô enim remediô ſi Medicus tanti morbi ferociam radicitùs extinguere potuiſſet, illis fuiſſet gratiſſimus, nihilque niſi magna encomia & grates meruiſſet pro more hodie ſuperiores inter & inferiores uſitatô. Verùm hoc cùm tertiâ vice rediret malum die 19. Septembr. ejuſdem anni, meam de novô implorârunt opem, cui præmiſſâ venæſectione ſequentem potiunculam præſcripſi;

℞. Aq. nymph. anagallid. hyperici. an. ℥j. fl. papav. errat. borragin. an. ℥ß. magiſterii anodyn. Mich. gr. VII. ſirup. papav. errat. nymph. an. ℥ß. M.

Hâc adhibitâ meliùs ſe habuit patiens, ad cujus affectus ſaburram expurgandam, ſequentem nodulum non ſine incommodô præſcripſi:

℞. Fol. ſenn. ſ. ſt. ℥j. rad. hellebor. nig. ppt. ʒj. polipod. ʒjjß. tartari vitriolati ʒj. flor. hyperic. borrag. bugloſſ. an. p. 1. ſem. fœniculi ʒjj.

Inciſa groſſ. mod. D. quæ infuſa ſtent in locô calidô, de quô deinde aliquot dies bibatur, quô adhibitô, fuit feliciter Deô bened. curatus, manſitque impoſterum ſanus atque incolumis.

Ibidem Obſervatio 16. De Febri Quartanâ mutatione aëris curatâ.

GRUDIUS von Tours (*Joa.*)

Ex eo habetur

Anatomia & Phyſiognomia Simplicium. Stutg. 8. 1659.

GRUHLMANNUS (*Joh. Godofr.*) Med. Doct. & Pract.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1711. Supplem. T. IV. p. 221.

Specimen Medicum de Novô contra Oculorum Caliginem Remediô, Herniaria ſcilicet Ocularia. Jenæ, ſumptibus Henrici Chriſtophori Crœkeri, 1706. in 4.

CUm Herniariam à nemine Autorum contra oculorum caliginem adhibitam, hanc verò medelam non rationibus tantùm fundatam, ſed obſervationibus quoque comprobatam noverit Clar. Gruhlmannus, eandem ſenibus æque ac juvenibus, viſionem lectione ſcriptorum ſubtiliore charactere impreſſorum diù noctuque debilitantibus, in hôc ſpecimine commendare ſuſtinuit. Quemadmodùm autem oculorum caligo, illam viſus diminutionem, quæ citra manifeſtam oculorum alterationem accidit, denotans, ab influxû ſpirituum ad nervos opticos à materiâ viſcidâ obſtructos denegato

denegato ſæpè dependet; ità herniaria, quæ aliàs mucilaginoſæ in ventriculô & inteſtinis retentæ viſciditati, crudæque craſſitiei, incidendæ admodùm ab Autoribus commendari ſolet, egregiam præſtare operam, non ſolùm auguratur Noſter, verùm etiam ex adjectis obſervationibus propriam allegat experientiam. Hanc enim particulis terreis & acribus abundare, ſapor docet. Pulverem ſcilicèt ejus pani butyro illitô adſpergit, ac manè & veſperi propinat, vel extrahit ex eâ cum ſpiritû vini per infuſionem & digeſtionem eſſentiam, ſingulis auroris in juſculô vel aqua ejuſdem deſtillata exhibendam; quin imò pulverem ejus cum radice helenii, herba verbenæ, euphraſiæ, betonicæ, chelidonii majoris, majoranæ, rutæ, additô ſaccharô in formam trageæ non minori cum ſucceſſû redigit.

GRULINGIUS (*Philippus*) Stolbergenſis.

Ex eô habentur

Florilegium Chymicum, hoc eſt, Libellus inſignis de quorumdam Medicamentorum Chymicorum, ut potè, Eſſentiarum, Magiſteriorum, Extractorum, Salium, Tincturarum, Florum, Crocorum, Oleorum, Spirituum, Fœcularum, Balſamorum, Aquarum, Pulverum, &c. verâ præparatione, rectô uſû, & certâ doſi: multis exemplis, obſervationibuſque illuſtratus, & tali ordine diſpoſitus, ùt in curandis morbis cuilibet Medico cumulatè ſufficiat. Lipſiæ, apud Gottofred. Groſium, 1631. in 12. Ibidem, apud Hæredes Gottofredi Groſii, 1665. in 4. Hæc poſtrema Editio paulò alium & quidem hunc habet titulum; Florilegium Hippocrateo-Galeno-Chymicum novum, longè pluris priore auctum, & quaſi prodromus Practici Operis propediem inſecuturi. In quô præſcribitur plurimorum Medicamentorum tum Chymicorum è Metallis, Mineralibus & Vegetabilibus, præſertim novorum, rariorum & ſecretiorum tum Hippocratico-Galenicorum conficiendorum certa ratio: unà cum ipſorum virtute, uſû, doſi, notis, obſervationibus, & exemplis quàmplurimis.

Curationum Dogmatico-Hermeticarum, in certis locis & notis perſonis optimè expertarum & ritè probatarum Centuria prima. Lipſiæ, apud Hæredes Gottofred. Groſii, 1638. in 8.

Medicinæ Practicæ Libri quinque. In quibus non modò omnes ferè corporis humani Morbi deſcribuntur, verùm etiam eorum cauſæ, ſigna, prognoſes & curationes prolixiùs depinguntur. Lipſiæ, apud Georg. Henricum Fromannum, 1668. in 4. Ibidem, apud eundem, 1673. in 4. Quâ editione planè novâ poſt obitum Autoris, dicti Libri diligenter recenſiti & propè infinitis iiſque optimis experimentis ac obſervationibus locupletati ſunt.

Obſervationum & Curationum Medicinalium Dogmatico-Hermeticarum, in certis Locis & notis Perſonis optimè expertarum & probatarum, Centuriæ VII. Cum Appendice quorumdam Medicamentorum ſecretoriorum. Lipſiæ, 1662. in 4. Ibid. apud eundem, 1668. in 4.

De Triplici in Medicinâ Univerſalis Evacuationis genere & in ſpecie, I. de Venæſectione, Scarificatione, Hirudinibus, Hæmorrhoidum & Menſtruorum provocatione. II. de Medicamentis Purgantibus, Clyſteribus, Suppoſitoriis, Fotibus & Unguentis laxativis. III. de Sudoriferis, Diureticis, Balneis naturalibus & artificialibus, Fontanellis, inſenſibili Tranſpiratione, Somno, ac Veneris evacuatione. Novum ac Poſthumum Opus multiplici experientiâ ac fidâ ratione elaboratum, & Chymicis potiſſimùm Obſervationibus illuſtratum. Ibidem, apud eundem, 1671. in 4.

Tractatus ſingularis de Purgatione, quæ in Medicinâ fit: cum multis Obſervationibus à paucis hactenùs notatis. Lipſiæ, 1668. in 4.

De Calculô & ſuppreſſione urinæ. Lipſiæ, 1668. in 4.

Opera omnia in quatuor Tomos diſtributa. Lipſiæ, 1680. in 4.

GRUNBECKIUS (*Joſephus*) Medicus & Secretarius Regis, magni pretii. Vixit A. C. 1503. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

De Mentulagrâ, ſeu Morbô Regiô, Liber Venetiis, apud Scotum, 1503. in 4.

GRUNDELIUS (*Joh. Benedictus*) Inclyt. Styr. Statuum Phyſicus, & Marpurgi Practicus.

De eô habentur in Miſc. Cur. Decur. II. *Anno* 4.

Obſervatio 165. *De Sanguine per venæſectionem vel hæmorrhagiam narium evacuato, quoad tertiam partem chyloſô & lacteô.*

Ibidem Obſervatio 166. *De Maniâ Tartarô emeticô curatâ.*

Ibidem Obſervatio 167. *De Gangræna & morte ex levi vulnere ſub barbæ tonſione exorta.*

Ibidem Annô 5. *Obſervatio* 211. *De Gallô Gallinaceô Oviparô.*

Ibidem Obſervatio 212. *De aliô Gallô Oviparô.*

Ibidem Obſervatio 213. *De Conſtipatione alvi à melonibus comeſtis & à limacibus ſoluta.*

Ibidem Obſervatio 214. *A Fragis comeſtis varia inducta ſymptomata.*

Ibidem Obſervatio 215. *De uſû acidularum Roitſchenſium in febribus intermittentibus.*

Ibidem Anno 6. *Obſervatio* 147. *Ex Caſû omnimoda memoriæ abolitio, remanente tamen intellectû in ſuo vigore.*

PRoſocer meus, Dominus Johannes Kalmer de Raunach, dum Anno 1658. in Novembri Græcium proficiſceretur, unà cum currû, in quô ſedebat, violentô môtû dejicitur, ubi ciſtula quædam non adeò gravis ſupra occiput ejus accidit, & quanquàm neque ulla cutis læſio, neque acutus aliquis dolor fuerit animadverſus, protinus tamen tanta rerum inducta eſt oblivio, ut neque locum, quô proficiſceretur, neque negotia ibidem peragenda ſciret ampliùs, hinc filium ſuum, de factô meum ſocerum de hiſce ſæpiùs interrogavit, & quamvis ad eandem quæſtionem ultrà ſexies reſponſum acceperit, rurſus tamen ejuſdem immediatè oblitus eſt: Verbô, ignoravit viam, in quâ, & locum ad quem pergeret, item diem hebdomadis, jentaculum ſumtum, nomen ſuorum amicorum, imò & ipſiùs Auguſtiſſimi Cæſaris & omnia alia, quæ tamen priùs fuerunt notiſſima. Has igitùr inter miſerias conſtitutus ſocerum meum ità alloquitur; *Vides, mi fili, miſerabilem meum ſtatum, terrena enim omnia ex meâ ceciderunt memoriâ, ut præter meum nomen, uxoris, & liberorum meorum nihil ſciam amplius, ſimiliter de Cœleſtibus mihi factum eſt, quorum omnis notitia, exceptâ Sanctiſſimâ Trinitate, mihi pariter deleta eſt.* Poſteà flexis genubus in publicô campô hæc verba profert: *O immenſa & Sanc-*

Sanctiſſima Trinitas! Tibi gratias refero maximas, quod in tantâ rerum oblivione te adhuc poſſim agnoſcere, tuumque implorare auxilium; Te itaque æternum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum profiteor, & profitebor uſque ad vitæ exitum; Unicum adhuc ſupereſt; Miſerere: Socero interim meo ex commiſeratione lachrymanti, & reditum ad lares ſuos pro congruâ curâ inſtituendâ ſuadenti obedit tandem, & cùm vix mediâ horâ in currû ob viam valdè ſaxoſam fuiſſet hinc & inde agitatus, ſubitò exclamat; *Lætare mi fili ex hoc inſtanti, rerum omnium rurſus recordor, ecce negotium meum Græcii peragendum eſt apud hoc tribunal, advocatus talis &c.* Dùm itàque ex omni parte meliùs ſe haberet, neque ullum capitis dolorem ſentiret, inchoatum iter, verſùs Græciam rurſùs continuavit, & etiam ſalvus & incolumis eò venit, exiſtimans, humorem aliquem in partibus cerebelli fuiſſe extravaſatum, & tandem ope agitationis iterùm diſcuſſum, unde tam ſubitaneum levamen. Vitam poſtmodum ulteriorem abſque ullâ memoriæ & intellectûs debilitate feliciter peregit, donec tandem ferè ſeptuageſimum annum complens, ex maraſmô ſenili, & accedente inſuper fluxû hepaticô uſque ad ultimum quadrantem optimè ſibi præſens, piè in Dominô obierit.

Ibidem Obſervatio 148. *De Febribus intermittentibus Epidemicis Anni* 1687.

Ibidem Annô 7. *Obſervatio* 202. *De Arenis copioſis per alvum excretis.*

Ibidem Obſervatio 203. *De Venenô morſû canis rabidi inductô, & poſt octo annos in puellâ excitatô.*

NOvi puellam Civilem, dum Viennæ frequentarem Collegium Medicum, quæ ſextô ætatis annô in pede à Cane rabidô fuerat morſa, vulnus cùm leve erat, nec ullum malignitatis vel rabiei ſignum appareret, curabant domeſtici per remedia vulgaria, & etiam citò cicatricem inducebant; Puella iſta octo integris annis optimè valuit. Tandem decimô quartô ætatis annô variolis epidemicè tum graſſantibus corripitur, antequam autem illæ in cute ſe manifeſtans, variis cruciatur ſymptomatibus; jam delirat, modo inſtar canis latrat, (quod mirum dum & ipſi canes rabidi latratum omittunt:) Aquam autem coctam & omnia liquida, imò & aquam deſtillatam pro pulveribus alexipharmacis ſumendis ſummè fugit. Adhibentur varia remedia in formâ Boli ex Oculis cancri, radice Cynorrhod compoſita, & medicamentis ordinariis variolas expellentibus admixta, immerſio autem aquæ, in hydrophobia alias uſitata hîc omittitur, nè naturæ motus à centrô ad peripheriam impediatur. Tandem præter omnium ſpem, Variolis perfectè jam protruſis, præfata ſymptomata ceſſant, & medicamentis ulteriùs continuatis ex integrô convaluit.

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 103. *De Nigris capillis poſt mortem caneſcentibus.*

Ibidem Obſervatio 104. *De mirâ & ſalutari bufonis in peſte & febri quartanâ exhibitione.*

RUſticus quidam penes Pettovium in Kalles habitans & peſte Annô 1680. dirè graſſante correptus, intellexerat olim, bufonem multùm præſtare in ſimilibus affectibus, quare ſanitatis ſuæ recuperandæ avidus, veræ tamen doſeos ignarus, exſiccatum bufonem unà cum inteſtinis omnibus in acetô coquit, coctum inſtar teſtitudinis totum quantum comedit, & brodium poſteà ebibit haud infelici ſucceſſû, ſecutum eſt enim ingens ſudoris & urinæ profluvium integerrimô die durans, quô peſtis cauſa expulſa, & viribus paulatim redeuntibus ſanitas ex integrô reſtituta eſt. Sequenti annô vicinus quidam febri quartanâ corripitur, cui ruſticus iſte bufonem tanquam palmarium ſuum remedium ſummâ laude recommendat, ſanctè promittendo, facilè hunc affectum tali modô fore curabilem, cùm propriâ experientiâ in ſe viderit curatam peſtem, quæ longè crudelior quartanâ eſt; obedit pauperculus & acetô deficiente, in lacte bufonem laudatum coquit, coctumque totum aſſumit, felici pariter ſucceſſû, nam febrili materiâ, per vomitum, urinam, & ſudorem evacuatâ, à quartanâ radicaliter liberatus eſt. Vivunt ambo iſti ruſtici ſaniſſimi & remedium hoc polichreſton ſuperaſtra extollunt, reliqua omnia medicamenta omnia præſtantiſſima floccifacientes. Plura de bufone encomia videantur apud Buttlerum, Helmontium, & Clariſſimum Curioſorum Arionem D. D. Chriſtianum Franciſcùm Paullini, qui ex profeſſô hanc materiam Doctiſſimè tractavit.

Ibidem Decur. 3. *Anno* 1. *Obſervatio* 66. *De Febribus Continuis, aquâ muriatâ, caulium curatis.*

Ibidem Obſervatio 67. *De Febribus potû vini partim curatis partim lethalibus redditis.*

Ibidem Obſervatio 68. *De Febre Hungaricâ deſperatâ, curatâ.*

IN Caſtris Cæſareis opem Medicam ægris ferens habui vexilliferum curæ meæ commiſſum, febri Hungaricâ graviſſimâ decumbentem, & quamvis varia remedia, utpotè, Venæſectiones, Veſicatoria, Alexipharmaca, Cordialia, aliaque his affectibus convenientia, methodicè adminiſtrata fuerint, exiguum tamen videbam levamen; Imò petechiæ, deliria, animi deliquia, ſitis intenſa, diarrhœa linoſa, & vigiliæ peſſimam fecerunt prognoſim; In his miſeriis conſtitutus patiens ſupervixit diem decimum quintum, quô pulſus vix ſentiebatur, extrema frigebant, ùt omnibus videretur animam ſuo Creatori mox redditurus, imò de ſupellectili nonnulli litigare inceperint. Ego ab ætate juvenili ſpem aliquam, quamvis exiguam concipiens, adhibui adhuc duo cordialia, quibus Perilluſtris ac Magnificus Dominus Doctor *Illmerus*, Archiater Cæſareus & Profeſſor meus honorandiſſimus &c. in hiſce affectibus ſæpè mira ſe præſtitiſſe mihi narraverat; videlicèt mixturam ex Confect. Alkerm. Margarit. Oriental. lapid. Bezoard. Orient. Eſſent. Ambræ compoſitam, foris autem ad cor & pulſum applicari curavi epithema ex vinô Hiſpanicô, caryophyllis, macere, cinamomo &c. per quæ tandem paulatim convaluit, & vires ſuas recuperavit.

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 81. *De Fame caninâ.*

Ibidem Anno 5. & 6. *Obſervatio* 161. *De Odoratû deperditô.*

Ibidem Obſervatio 162. *De Hydrope uteri thermis curatô.*

Ibidem Annô 7. & 8. *Obſervatio* 16. *De Febri Quartanâ mutatione aëris curata.*

Ibidem Obſervatio 86. *De Lacte in Senibus & pueris generatô.*

Illuſtriſſima

ILluſtriſſima quædam vidua plethorica, 50. annorum, ab ultimô partû ætate 20. annos feliciter peractô bonâ hactenùs gaviſa fuit valetudine; per biennium jam animadvertit humorem albicantem è mammis effluere. Vidi ego eum aliquoties & nullam differentiam à lacte invenire potui. Effluit quotidie, in paucâ tamen quantitate, cum, & ſine compreſſione mammarum pro hac ætate adhùc ſatis turgentium; augetur fluxus, per nimium corporis motum, & per quietem diminuitur. Fruitur intereà bonâ valetudine, niſi quòd menſtrua adhuc copioſè fluant, debilitatem aliquam inducentia. Hic caſus videtur contrarius eſſe Aphoriſmo 39. ſect. 5. Hippocratis, ubi ait; Si Mulier quæ neque gravida eſt, neque peperit, lac habeat, ei menſtrua defecerunt.

Ante 10. annos mendicabat in noſtrâ Urbe puer quidam ſordidus & ſqualidus, 9. circiter annorum è cujus mamillis, ſi aliquomodo comprimeret, cum impetû proſiliebat humor lacteus, qui in orbe Stanneô collectus, 20. & plures guttas repræſentabat; mammæ erant paulò majores, quàm apud alios pueros. Hanc lactis evacuationem, ut mihi retulit, per diem quinquies aut ſexies habere potuit. Monſtravit ſuam lacteam fontanam Illuſtriſſimo Domino, Domino Comiti & Colonello *Kiſſel*, aliiſque nobilibus ob pecuniam aliquam emendicandam.

Ibidem Obſervatio 87. *De Menſtruorum fluxû periodicô ex ductibus ſalivalibus.*

SUppreſſa menſtrua varias vias & exitus in corpore quærere, paſſim confirmant plurimæ obſervationes, quibus & meam addere volui de ruſticâ quadam virgine cui per integrum vitæ curſum nè gutta ſanguinis ex uterô effluxit, ordinariô enim fluxûs menſtrui tempore, & quidem ut plurimùm in ipſô noviluniô, caput incipit dolere & calere, alterô autem die ſentit copioſiorem ſalivæ affluxum ſanguine permixtum per 4. 5. ſubindè etiam per plures dies durantem, dolore capitis interim ceſſante. Talem periodum ſingulis menſibus ab Annô 15. uſque ad 48. ſine interruptione experta eſt; vixit hùc uſque utcunquè ſana, jam verò tali fluxû ceſſante augetur cephalalgia, viſus diminuitur & gutta ſerena appropinquat; quam ob cauſam etiam mendicare cogitur.

Ibidem Annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 92. *De Napellô, Belladonna Cluſii, & Ranunculô ortenſi.*

GRUNEWALDT (*Blaſius*)

De eô extant

Conſilia quædam Medica. Extant eô in opere quod Johannes Wittichius collegit & edidit. Lipſiæ, apud Henningum Groſſium, 1605. in 4.

GRUTINIUS (*Andreas*)

Ex eô habetur

Solus Philoſophus, ſive novæ Medicinæ; & Chymicæ compendioſa Refutatio, Lib. II. comprehenſa. Patavii, apud Petr. Marinellum, 1591. in 4.

GRYLLUS (*Laurentius*) Natus eſt Landshuti in Bavariâ. Naturalium rerum amore per totam ferè Europam peregrinationem ſuſcepit, inque eâ propter id ſtudium Thermas, fodinas, variaque aromatum Emporia inviſit, & obſervatû digna annotavit; demùm Ingolſtadium reverſus, in eâ Academiâ Profeſſor publicus conſtitus eſt, ibique obiit A. C. 1561.

De eô extant

De ſapore dulci & amarô, Libri duo. In quibus non ex temerè collectis Autorum ſententiis, ſed rationibus, ex ipſâ rerum naturâ ſumtis oſtenditur, quid de his ſaporibus ſentiendum ſit: à nemine unquam eô judiciô diligentiâque conſcripti: ad cæterorum quoque ſaporum naturas cognoſcendas utiliſſimi. Quorum priori nonnihil de contrarietate ſaporum, & permutatione dulcium in alios ſapores, adjectum eſt. Nùnc primùm per Adamum Landavum in lucem editi. Acceſſit in fine oratio ejuſdem Laurentii Grylli de Peregrinatione ſtudii Medicinalis ergò ſuſcepta. Pragæ, apud Georg. Melantrichum, 1566. in 4.

GRYPHIUS (*Andreas*)

Ex eo habetur

Mumiæ Wratislavienſes. Wratislaviæ, apud Vitum Jacobum Treſcher, 1662. in 12.

GUAINERIUS (*Antonius*) Natus Ticini urbe Italicâ in Statû Mediolanenſi; Profeſſor publ. in Academiâ patriâ, & Medicinæ Practicus. Claruit tempore Concilii Baſilienſis, ſub Sigiſmundô & Albertô II. Imperatoribus. Obiit in patriâ circa A. C. 1440.

De eô extat

Opus præclarum ad praxin:

Cujus hi ſunt tituli:

De Ægritudinibus Capitis.
De Ægritudinibus Oculorum.
De Ægritudinibus Aurium.
De Ægritudinibus Narium.
De Ægritudinibus Gutturis.
De Ægritudinibus Pectoris & Pulmonis.
De Ægritudinibus Cordis.
De Pleureſi.
De Fluxibus.
De Ægritudinibus Matricis.
De Ægritudinibus Juncturarum.
De Calculoſâ Paſſione.
De Peſte.
De Venenis.
De Febribus.
De Balneis.
Antidotarium.

Cum Johan. Falconis in hæc omnia Additionibus. Papiæ, apud Bernhardinum de Garaldis 1518. in 4. Lugduni, ſumtibus Conſtant. Frœdin, in ædibus Jac. Myt, 1525. in 4.

De Balneis Aquæ civitatis antiquiſſimæ, Commentariolus. Extat in Opere Venetô de Balneis, pag. 43.

GUALTHERUS (*Rudolphus*)

De eô extat

Jul. Pollucis Onomaſticon ex Mſſ. Codd. Bibliothecarum Palatinæ atque Auguſtanæ: Variis item lucubrationibus Doctorum Virorum quantâ fieri potuit diligentiâ emendatum ſupplevit, illuſtravit, atque adjectâ Interpretatione Latinâ, Locis quàmplurimis meliùs reddidit. Additis etiam Indicibus novis prioribus locupletioribus. Francof. apud Claudium Marnium & Hæredes Aubrii, 1608. in 4.

GUARGANTHUS (*Horatius*) Soncinenſis.

De eô extant

Reſponſa varia ad varias Ægritudines: imprimis tres tractatus; unus de Dyſenteriâ; alter de Morbô Gallicô; & tertius de Febre peſtilentiali & de Peſte &c. Hùc accedit exactiſſima cognitio ſedandi, & curandi fluxus,

R. P. F. Cypriani Mantegarrii, Veneti, ſtudiô collecta, & edita. Venetiis, apud Ambroſium & Barthol. Dei, 1613. in 4.

GUARINONUS (*Chriſtophorus*) Veronæ in patria litteris Græcis & Latinis ab adoleſcentia ſubactus, Philoſophiæ & Medicinæ operam navavit Patavii, atque in hoc Gymnaſio Doctrinæ inſignibus ornatus rediit ad ſuos, ubi juvenis Philoſophiam privatis auſpiciis docuit, atque in Collegium Medicorum receptus cum laude Medicinam fecit, crevitque ex felicitate curationum in eam nominis famam, ut à non paucis Principibus expeteretur. Primùm Franciſco Mariæ Urbinatium Duci VI. Archiatrus fuit ſub honeſto ſtipendio, deindè à Rodulpho II. Pragam vocatus in ejus aula particeps Conſiliorum, ac Medicus Cæſaris ingenti ſalariô vixit, ditatus à munifico, & liberaliſſimo Principe crebris & pretioſis muneribus. Cùm Praga Romam cauſâ pietatis fuiſſet peregrinatus, hoſpes ibi Auguſtini Card. Valerii Epiſcopi Veronenſis tantum ſibi Procerum ac Purpuratorum, atque etiam Pontificis favorem conciliavit, ut Clemens VIII. profeſſus ſit, libenter ſe Guarinonum ad Conſilia Medica detenturum fuiſſe, ſi id conſenſu Cæſaris fieri potuiſſet. Pragam reverſus domi ſuæ Academiam Medicam erexit, in qua Jatricæ diſquiſitiones, ac Philoſophicæ ſingulis hebdomadibus haberentur: ibi quoque ſenex, non ſine Cæſaris & aulæ mœrore ac luctu deceſſit, circa ann. 1602.

Ex eô habentur

Conſilia Medicinalia. In quibus univerſa Praxis Medica exactè pertractatur. Venetiis, ap. Thom. Baglionum, 1610. in fol.

Commentaria in primum Librum Ariſtotelis, de Hiſtoriâ Animalium. In quibus Animantium differentiæ conſpicuæ fiunt, & ſedulò ad certam diviſionis normam ordinantur. Francof. apud Johan. Saurium, 1601. in 4.

Explanatio locorum Ariſtotelis de Immortalitate Animarum.

De Naturâ humanâ, ſermones IV. de Intellectu agente. Francof. apud Nicol. Steinium, 1601. in 4.

Tractatus de Methodô Doctrinarum. Ibidem, formâ & annô iiſdem.

De Generatione viventium, etiam naſcentium ex putredine. Ibid. in 4.

De Principiô Venarum.

Scripſiſſe eum etiam de Cauſa morborum libellum, illumque dicaſſe Collegio Veronenſi, teſtatur Chioccus. *Hiſt. Gymnaſ. Patav. T. II. p.* 263.

GUARINONIUS (*Hippolytus*) Tridentinus.

De eô extant

Chyloſophiæ Academicæ, Artis Æſculapiæ novi aſtris illuſtratæ, Tomi duo, ſcitû neceſſarii, lectû jucundi, primique Tomi pars prima. Oëniponti, apud Mich. Wagner, 1648. in fol.

Hydrœnogamia triumphans, ſeu, aquæ vinique Connubium vetuſtum, ſanctum, ſalutare, neceſſarium pro Rev. P. Hier. Drexelio: Oënohydromachæ triumphatæ oppoſitum. Oëniponti, 1640. in 8.

GUASTAVINUS (*Julius*) Genuenſis, Patritius, Anteceſſor in Piſanô Gymnaſio; Vixit A. C. 1614. Renatus Moreau, de V. S. in pleurit.

De eô extant

Locorum de Medicinâ ſelectorum Liber. Lugd. apud Horat. Cardon, 1616. in 4.

Locorum de Medicinâ ſelectorum, Liber alter. Florentiæ, apud Sermatellium, 1625. in 4.

Commentarii in priores decem Ariſtotelis Problematum ſectiones. Lugduni, apud Horat. Cardon, 1608. in fol.

GUELFALIONE (*Jul. Cæſar Benedictus à*)

Ex eô habetur

Tutelaris Columna, in quâ ſtatuitur Pleuritidem fieri dum una pulmonis ala afficitur: Rationum Hippocratis ſtabilitâ tutelâ. Romæ, 8. 1644.

GUENELLON (*Petrus*)

De eô extat

Epiſtolica Diſſertatio, de genuinâ Medicinam inſtituendi ratione, ad Johannem Munnicks, in Academiâ Ultrajectinâ Medicinæ Profeſſorem. Amſtelodami, apud Adrianum a Gaasbeeck, 1680. in 12.

De eô extant in Actis Lipſienſibus Ann. 1686. *p.* 319.

Excerpta ex Epiſtolâ Guenelloni Medici Amſtelodamenſis ad Charletonum Nobilem Anglum, die 15. Martii A. 1686. exarata, Anatomiam oculi concernentia.

GUERICKE (*Otto de*)

Ex eô habetur

Index Experimenti novi dicti Magdeburgici; de vacuô ſpatiô, in ſeptem Libros diſtributi. Extat cum Ephemerid. Medico-Phyſic. Germ. Curioſ. Annô ſecundô. Jenæ, apud Eſaiam Fellgibelium, Bibliop. Vratiſlav. 1671. in 4.

GUEROALDUS (*Guilielmus*)

Ex eô habetur

Interpretatiuncula in Macri Floridi de Viribus Herbarum, Librum. Cum Iconibus Herbarum. Cadomi, in 8.

GUEVARA (*Alphonſus Rodericus*)

De eô extat

De Re Anatomicâ, Liber. Conimbricæ, ex offic. Academiæ, 1592. in 4.

GUIBERTUS (*Nicolaus*,) Lotharingus.

Ex eô habentur

Aſſertio de Murrhinis, ſive de iis, quæ Murrhinô nomine exprimuntur, adverſus quoſdam, de iis minùs rectè diſſerentes. Francof. apud Hæredes Wecheli, 1597. in 8.

Alchymia, ratione & experientiâ ità demùm viriliter impugnata & expugnata; unà cum ſuis fallaciis & deliramentis, quibus homines inquinarat, ùt nunquam in poſterùm ſe erigere valeat. Item, de Balſamô, ejuſque Lachrymæ; quod Opobalſamum dicitur, naturâ, viribus, & facultatibus admirandis. Argentorati, apud Laz. Zetzuerum, 1603. in 8.

GUIBERTUS (*Philibertus*) Pariſienſis.

De eô extant

Medici officioſi Opera, centies antehàc Gallicè edita, nùnc primùm Latinè reddita. Pariſiis, apud viduam Th. Pepingue, & Stephanum Maucroy, 1649. in 8.

Index Tractatuum, qui in hoc Volumine continentur, cum nominibus Authorum.

I. Medicus officioſus, eſt D. Guiberti, pag. 1.
II. Pretium Medicamentorum D. Guiberti, p. 71.

Phar-

III. Pharmacopæus familiaris & domeſticus D. Guiberti. p. 124.

IV. De Electione & facultatibus Medicamentorum, D. Guiberti, pag. 258.

V. De Senâ, D. Anton. Mizaldi, pag. 279.

VI. Modus parandi quaſlibet Gelatinas, D. Guiberti. p. 293.

VII. De Conditis, D. Guiberti, pag. 305.

VIII. De valetudine tuendâ, D. Guidonis Partini, Doct. Medici Pariſienſis, p. 341.

IX. Quæſtio Medica de ſobrietate, ejuſdem Patini p. 446.

X. De Peſte, D. Nicolai Ellain Tractatus: cum Notis Guid. Patini in eum, p. 385.

XI. Liber de ſanguinis Miſſione, Galeni: cum Notis in eum Guid. Patini, pag. 538.

XII. Artificioſa Methodus medicandi plantas, fructuſque hortenſes, vites, carnes, vina, Ant. Mizaldi, p. 615.

XIII. Cadavera condiendi Modus, D. Guiberberti. p. 700.

Medicus domeſticus, ſeu, Medicina Charitativa, facilem minimèque ſumtuoſam ad pleroſque omnes morbos remediorum confectionem docens. Coloniæ Agripp. apud Petrum à Brachel, A 1628. in 12.

GUICHARDUS (*Petrus*)

De eô extat

Commentarius in Hippocratis Aphoriſmos. Extat cum Georg. Hieronym. Velſchii Exotic. Curat. & Obſervat. Medicinal. Chiliad. Ulmæ, apud Chriſtian. Balthaſar. Kuenium, 1676. in 4.

GUIDIUS (*Johannes*) Volaterranus.

De eô habetur

De Mineralibus Tractatus abſolutiſſimus in Libros quatuor diviſus. In quorum I. agitur de Metallariis, De Artificibus Metallorum, De Alchimiſtis. In II. de Metallis. De Aurô & Argentô. De Gemmis. De Ferrô & Armis, De ſalinis. In III. de Monetâ, de Theſauris, de rebus aureis & argenteis. De ornamentis. De veſtibus auratis. In IV. de publicâ utilitate. De privatâ utilitate. Francof. apud Egenolphum Emmelium, 1627. in 4.

GUIDO (*Bergomas.*)

Ex eô habetur

De Balneis Oppidi Bergomatis Tranſcheri. Bergomi, 1583. in 4. Cum aliis ejuſdem argumenti.

GUIDOTIUS (*Thomas*) Anglo-Britannus

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1703. *p.* 124.

Θεοφίλȣ περὶ ȣ̓́ρων &c.

Theophili de Urinis Libellus. Thomas Guidotius innumeras, quibus hactenùs ſcatuit, mendas ſuſtulit, hiulca ſupplevit, de novô vertit, & notas adjecit &c. Lugd. Batav. apud. Henricum Teering. 1703. *in* 8.

ERras B. L. ſi vel intempeſtivum Uromantiæ, vel abominandum Scatophagiæ amorem editioni hujus tractatus anſam dediſſe exiſtimes. Niſi enim apud Clariſſimum Guidotium, ſtyli elegantia, pietas, modeſtia, & brevitas Authoris hujus Græci Theophili, ſubjecti ipſius dignitatem præponderâſſent, blattis illum ac tineis corrodendum reliquiſſet; uti ex ipſius laudati *Guidotii* verbis, quæ in Prolegomenis ipſi tractatulo Græco præmiſſis leguntur, cognoſcimus plenius. Continent autem *Prolegomena*, ut de illis recenſionis hujus initium faciamus, elegantem diſſertationem & commentarium in vexatiſſimum illud problema Phyſiologicum, *per quas vias potus ad renes & veſicam transferatur?* uti & brevem quandam explicationem de *rectò Uroſcopiæ uſû.*

Primum illud quod attinet *de potulentorum tranſitû ad renes* problema, ità quidem in ſolvendô eôdem ſe gerit Clariſſ. Auctor, ùt primô locô proferat *aliorum*, tam veterum quàm modernorum *de ductibus potiferis* opiniones. Quâ ocaſione elegantiorem ſuam in lectione atque interpretatione veterum, *Hippocratis, Platonis, Dioxippi, Philiſtionis, Alcæi, Eratoſthenis, Euripidis, Homeri* &c. declarat literaturam, fuſiuſque demonſtrat, quam falſo pleriſque horum imputetur à nonnullis, ac ſi ſúſque deque habita Anatomes doctrina, crediddiſſent, non per gulam vel œſophagum, ſed per laryngem, i. e. pulmonum fiſtulam, aſſumtum potum deſcendere, atque hinc breviori via ad renes & veſicam properare; falſô, inquam, tale quid optimis his viris imputari, ut poté qui cum *Latino Tancredo, Theophilo de Garencieres, Ludovico Mercato, Jul. Cæſare Scaligero, & Bartholino, potus exiguum quidem per parietes & latera aſperæ arteriæ depluere, neque tamen ullam effatû dignam urinæ partem conſtituere*, docuerint. Quam ſententiam & ſibi ipſi non diſplicere fatetur apertè; ſiquidem non ſolùm naturalis epiglottidis conſtructio, à potulentorum hauſtu minùs gravata vel leviter ſaltem compreſſa, ſed & ipſa medendi methodus, eclegmata, linctus, trochiſcos ſublinguales aliaque pectoralia in affectibus thoracis præcipiens, ùt ſcilicèt per laryngis rimulam ejuſmodi medicamenta ſe inſinuare, & ſic partem affectam citiùs attingere queant, tale quid digitô quaſi monſtrare videantur; quin & illi, qui defluctionibus catharralibus laborare ſolent, humorem acrem & ſalſum ſenſim per guttur delabi affirment, manifeſtô indiciô, *poſſe etiam potus exiguum quid, inter deglutiendum, per rimas epiglottidis patulas, in tracheam deſcendere, ac laryngi humectandæ inſervire.*

Sequitur opinio eorum, qui potum quidem omnem per œſophagum in ventriculum deſcendere, cum pleriſque veterum crediderunt, ſed longiori illâ viâ ad renes, per circulationem detecta, non contenti, *potum è ventriculô in ſtrenuis præſertim potoribus, immediatè educi; & quidem per vias quaſdam ignotas è ventriculô in lienem & venam portæ patentes*, cum *Fabriciô ab Aquap. Conringiô & Williſiô* perſuaſi fuerunt. Alii, inviſô viarum occultarum nomine deterriti, *materiam potulentam per pylorum quidem ad inteſtina deſcendere, ſed poſtmodùm unà cum reliquô chylô ad receptaculum commune delatam, ex eô per peculiares ramulos, partim in capſulas atra-bilarias, partim in emulgentes arterias, partim in renes ipſos exprimi ſtatuerunt, Pecquetus* puta, *Bartholinus* atque *Walæus*, qui poſtremus tamen cum *Riolanô, Veslingiô* & *Harvejô*, & venas quaſdam lacteas in venam cavam, aut potiùs aortam, prope emulgentes deſinere, earumque miniſteriô magnam potûs partem ad renes tranſire exiſtimat. Laudatâ hâc, aſt non omni ex parte approbatâ virorum maximè Celebrium induſtriâ, litem inter hos ortam ità componere ſatagit Clariſſ. Auctor *Thomas Guidotius*, ut quæſtioni propoſitæ propriam ſuam ſolutionem aptet, quam quinque his ſequentibus incluſam voluit punctis: Putat nimirùm

(I.) *Tenuem & penetrantem potum, ut vinum, aquam vitæ &c. vacuô ventriculô aſſumptum, in mediocri quantitate, à tunicis ventriculi imbibi, & ſanguini verſus cor remeanti commiſceri.*

(2.) *Craſ-*

(2.) *Craſſum & repletô ventriculô aſſumtum maximam partem per pylorum deſcendere, minorem ejus portionem è ventriculô immediatè ad cor, modô jam explicatô, abire.*

(3.) *Craſſiorem & abſque cibô aſſumtum in magna quantitate, itidem quoad majorem partem per pylorum deſcendere, quoad minorem, è ventriculô immediatè ad cor abire.*

(4.) *Potum iſtum, jejunô præſertim ventriculô aſſumtum, atque per inteſtina delapſum, venas lacteas ingredi, ad receptaculum & glandulas lumbares tendere, atque inde, ſine ſanguinis miſcelâ, ſaltem diurnâ, ad emulgentes arterias rectà ferri, ex opinione Pecqueti, Bartholini & Bilſii, licèt ductus adhùc ſint incomperti.* Et hanc quartam in ordine aſſertionem ſequentibus potiſſimùm niti vult argumentis; (1.) quòd pulſus in diabete, bonoſis, & præcipuè aquarum mineralium potoribus, vix ac nè vix quidem alteratus, ſaltem minùs auctus deprehendatur, id quod in propriô ſuô corpore factô experimentô confirmat; (2.) quòd urina ſubitò excreta ſit limpida, nec ullum habeat colorem aut ſaporem, quæ ambo neceſſe eſſet ùt in gradû ſaltem remiſſiori haberet, ſi multùm cum ſanguine confundatur; diuretica etiam, ut terebinthinam, juniperum &c. odorem ſuum imprimere urinis, quem ſanguinis miſcela magna omninò aboleret. Nonnullos quoque materiam chyloſam, & aſſumta plurima, ſemen aniſi, e. g. grana alkekengi, carbones, olera &c. cum urinis reddidiſſe; alios liquores colore, conſiſtentia, odore & ſapore inalteratos minxiſſe, & ſpeciatim aquam quandam nigram, in ſtanni fodinis Cornubienſibus inventam, cujus meminit *Ill. Boyle*, quæ omnia breviori hac viâ, patentiori factâ, ad renes tranſiiſſe, omninò perſuaſus eſt Autor.

(5.) *Potum cibô miſtum, ac durante coctione in ventriculô manentem, ſive craſſiorem, ſive tenuiorem, chylum nunquam deſerere, ſed per inteſtina lacteas intrare, tum receptaculum aut glandulas Bartholinianas petere, inde ductus thoracicos, dein cordis ſinum dextrum, pulmonem ſiniſtrum, arterias, ac tum poſt unam aut alteram circulationem ad renes amandari.*

Tantùm de tranſitû potûs ad renes, ſecundùm Auctoris noſtri opinionem. Jam de alterô illô problemate, *rectô* nimirùm *Uroſcopiæ uſû*, referendum aliquid eſſet; ſed, cùm in eô potiſſimùm occupatus ſit *Clariſſ. Auctor*, ut abuſum ejuſdem accuratiùs perſtringat; pauciſſimis ſolùm hic annotabimus, quod & ſtatim ſub principiô hujus recenſionis monitum, acerrimum fallaciſſimæ Uromantiæ eſſe Auctorem noſtrum expugnatorem. Inſolita enim ferocia in perditiſſimos iſtos, uti loquitur, involat nebulones, qui lucrô inhiantes, ſuſque deque habitâ ægrorum ſalute, Uromantiam exercent, atque ex ſolâ urinæ inſpectione, de quocunque corporis malô judicium ferre non verentur. Interim non negat, quin urinæ ſuus etiam inter cætera ſigna detur locus, quodque ejuſdem obſervatio, ad morborum quorumdam, icteri nimirùm, calculi &c. cognitionem non parùm conferat. Putat tamen, uſum ejus potiùs eſſe prognoſticum, quàm diagnoſticum, & morbi aperti & cogniti eventus proſpiciendo, quàm ignoti & latentis naturæ inveſtigandæ magis inſervire: quid? quod & in morbis malignis ac peſtilentibus, ſive quoad diagnoſin, ſive quoad proagnoſin, quemvis parùm ex his aquis expiſcaturum eſſe exiſtimat. Unô verbô ad eum modum, quo *Williſius in Diſſert. Epiſtol. de Urinis, cap.* 6. de Uroſcopiæ uſû judicat, quo etiam curioſum Lectorem remittit.

Reſtat, ut jam de ipſô, quem noviter edit Clariſſ. Auctor, Græcô tractatû, in medium aliquid proferamus. Eſt nimirùm hic *Theophili de Urinis Libellus*, cujus editionem jam octavâ vice adornatam cernimus. Siquidem omnium primò Venetiis 1483. Latinè à Ponticô Virmiô, ut *Guidotius* conjicit, verſus unà cum libellis Medicis aliis in opere cui titulus eſt *Articella*, iterumque ibidem A. 1493. & 1523. in lucem prodiit, aliaque ejus verſio Latina ab Albano Torino Vitodurienſi confecta, tum Baſileæ, A. 1533. tum Pariſiis, inter Medicæ artis poſt Hippocratem & Galenum Principes, ab Henricô Stephanô A. 1567. fuit edita; Græcè & Latinè denique Pariſiis à Fedéricô Morellô A. 1608. & iterum à Renatô Chartariô cum Hippocratis & Galeni operibus, A. 1639. expoſitus Liber hic luci publicæ fuit. *Octavum* autem jam à Clariſſimo *Thoma Guidotio, Anglo-Britanno*, typis evulgatus, & quidem modò à prioribus editionibus non parùm differente. Siquidem non ſolùm textus ipſe Græcus ad exemplar illud MS. integrum, quod Bibliotheca Bodlejana ſuppeditavit, caſtigatus, in capita diviſus, ac ſummoperè emendatus & auctus deprehenditur; Græca enim à verbis Ἐςὶ μὲν ἓν ἡ ῥῦσις &c. pag. 104. ad εἰ δὲ καταλάβοι &c. p. 132. in nullâ aliarum quæ hactenus prodierunt, editionum inveniuntur; ſed & verſio planè nova & longè accuratiſſima in præſenti hâc editione adornata. Monendum etiam, *Theophili*, quem in calce hujus tractatûs adjectum videmus, *libellum* περὶ Διαχωρημάτων, luce & Latio nunc omnium primò donari, utpotè qui in MS. jam memorato Oxonienſi illum de Urinis immediatè ſequitur. Et cùm eôdem ſtylô ac methodô, quâ prior, pertractatus deprehendatur, operæ pretium duxit *Clariſſimus Auctor*, illum unà cum germanô ſuô fratre prælo ſubmittere.

In *Notis*, quas priori de Urinis libello ſubjecit *Thom. Guidotius*, ſtatim ſub initiô, non pauca de Auctoris ipſius Græci nomine ac vitæ conditione leguntur, ex quibus hìc loci ſummatim repetimus, falli maximoperè illos, qui *Theophilum* hunc cum S. Lucæ Evangeliſtæ Theophilô confundunt, utpotè quo longè fuit ætate poſterior: certiſſimum enim, eundem poſt Galenum vixiſſe, atque intra quartum & ſeptimum, ſi non quintum & decimum ſeculum floruiſſe. Illuſtri loco etiam natum, atque inſigni ac principali dignitate, dùm vixit, conſpicuum fuiſſe hunc ipſum Theophilum, perſuaſus eſt *Auctor*. In illis enim, quas in *Galenum de Uſû Partium* ſcripſit *Commentariis, à Juniô Paulô Craſſô Venetô Pariſiis A.* 1548. primùm evulgatis, illuſtre *Protoſpatharii* nomen gerit Theophilus, qualis dignitas in Aulâ Byzantinâ ſuô tempore magna erat, atque inter magnificas ſive illuſtres cenſebatur, teſte *Meurſio & Codinô* de Offic. Conſtantinopol. Cap. 5. N. 55. Reliqua, quæ in dictis his *Thomæ Guidotii* Notis leguntur emendationum factarum rationem, explicationem textus ipſius Græci, varianteſque lectiones potiſſimùm concernunt. Dici enim non poteſt, quantâ cũ induſtriâ *Clariſſimus Vir* mendas ubique auferat, hiulca ſuppleat ac luxata reſtituat, Græcum textum κατὰ πόδας ſecutus. Quod eò magis mirandum, quò rariores inter Medicos ſunt illi, qui Græcos veterum codices evolvere, ac dulciores aquas ex ipſis fontibus haurire cupiunt: cùm tamen vix ſupra vulgum ſapere, ſaltem Eruditorum nomen æquè facilè haud tueri videantur, qui Græca negligunt. Laudatiſſimam hanc ſuam ſi continuabit *Clariſſimus Auctor* erga literatos benevolentiam; atque illam, quam promittit, *Æſculapii Hiſtoriam, ex cujuſcunque generis ſcriptoribus excerptam*, curabit edendam, magis magiſque Rempublicam Literariam ſibi reddet obſtrictam.

GUIDUS (*Clemens*) Pedemontanus, Philoſ. & Medic. Doctor.

De eô extat

Tractatus de Venenis. Carmagnoliæ, 1611.



I. G. Seiller ſculpsit

GUIFFARTUS (*Petrus* Vallonianus.

De eo habetur

Cor vindicatum, ſeu, Tractatus de cordis officiô. Opus, in quô rationibus & autoritatibus probatur, Cor ipſum Chylum immediatè in ſanguinem convertere, vaſaque, Chylum ad Cor uſque deducentia, nuper Joh. Pecqueti labore reperta, pleniùs conſiderantur & aſſeruntur. Ejuſdem Exercitatio de proximâ lactis materiâ. Rothomagi, ſumtibus Autoris, apud Ludov. du Meſnel, 1652. in 4.

GUIGONIUS (*Iſoardus*) in Taurinenſi Academiâ Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor.

De eô extat

Autopſiomma: cum ejuſdem Oculi actionibus & uuhtatibus. Taurini, apud F. F. de Cavaleriis, 1629. in 4.

GUILLANDINUS (*Melchior*) Boruſſus Coningbergæ natus, ab infantiâ, Thuanô teſte, optimis artibus excultus Medicinam profeſſus eſt: diù vixit Romæ, & in Sicilia ſummâ preſſus egeſtate, atque adeò miſer, ùt operis poſitis in evellendis plantarum radicibus, & his locatis, aut venditis victitaret. Redemit eum ab his anguſtiis Oratoris Veneti Romæ liberalitas, cui ex re Botanica cùm innotuiſſet, hominem in familiam recepit, ſecumque Venetias tranſtulit, ubi probatus ex eadem plantarum ac ſtirpium notitiâ Marino Caballo Equiti atque ampliſſimo Senatori ac Gymnaſii noſtri Triumviro, hujus auſpiciis & ſumptû Aſiam, & Africam perluſtravit; in Indos quoque penetraſſe dicitur. Captus in reditu à Piratis Turcis, ac ferreis vinculis alligatus ad tranſtra, magnô animô fortunæ ſævos luſus, & barbarorum injurias toleravit, atque interim pertinax in re, quam ſibi propoſuerat exantlandam, mirum in modum in rei Botanicæ ſcientiâ profecit, ad eamque contulit, quicquid variis ornatum diſciplinis ingenium cognitioni Simplicium Medicamentorum utile aut meditari, aut effectum dare poteſt. Ære Fallopii redemptus, ac poſtliminio regreſſus Venetias ad Patavinam quietem ſeceſſit apud Fallopium, ubi à Senatu Veneto, poſt extinctum Fallopium, ejuſque ſucceſſorem breviſſimi temporis Bernardinum Triviſanum, horto Botanico præfectus ſtirpium virtutes publicè expoſuit, ſimul Medicinam magno cum plauſu profeſſus eſt ab ann. 1564. uſque ad obitum, qui contigit VIII. Kalend. Januarii ann. 1589. Claruit inter doctiſſimos ſui temporis viros, indeque laudatur à Thuano, Adamo, Teiſſero, magniſque celebratus præconiis à docto Dalechampio, cæteriſque Philologis qui de Papyro ſcribentes non alia probant, quàm quæ Guillandinus annotavit. Et tamen hæc opinio communis eruditorum virorum non placuit Fecialibus Criticorum Scaligero & Caſaubono, quorum alter contendit, Philologorum pro Guillandino ſententiam eſſe minimi habendam, alter exiſtimat nihil ineptius eſſe Guillandini Commentariô de Papyrô. Cenſet enim, in eo nullum perſpici veſtigium eruditionis: Auctorem ejus, nè rem quidem ipſam, quam ſibi proponit illuſtrandam, intellexiſſe; vix perlevem in eo fuiſſe Scriptorum Græcorum, & Latinorum notitiam; atque in Animadverſionibus ejus judicii perparùm apparere. Adeò Criticorum ſuperbiſſimorum ingenium ſævum eſt in eos, qui fari non poſſunt. Nam vivum Botanicum hunc non ſunt aggreſſi, claſſicum cecinerunt in non auditurum, ſcripſeruntque dicam ex adagio noſtro ὑποχθονίῳ. Vivum impugnavit Matthiolus, quæque Guillandinus in ejus libris accuſaverat, ultus eſt pluſquam Græcô tinctus acetô. Quinque in Epiſtolis paſſim ei arrogantiam impingit; inſcitiam, temeritatem, calumniandi libidinem; eòque progreditur, ùt alicubi nebulonum omnium Principem officiosè, ſi ſuperis placet, pronunciet. Eum hæc rabiosè declamantem prudenter Guillandinus tulit, ac librô editô atrocem dicacitatem pacatiùs, ſed efficaciùs refutavit. *Hiſt. Gymn. Patav. T. I. p.* 330.

Ex eô habentur

Papyrus, hoc eſt, Commentarius in tria C. Plinii Majoris de Papyrô, Capita. Acceſſit Hier. Mercurialis Repugnantia, quâ pro Galenô ſtrenuè pugnatur. Item Guillandini Aſſertio Sententiæ in Galenum à ſe pronunciatæ. Venetiis, apud Ant. Ulmum, 1572. in 4.

Apologiæ, adverſùs Petrum Andream Matthiolum, Liber primus, qui inſcribitur Theon. Item, de Stirpibus, Epiſtolæ quinque. Præterea Manucodiatæ, hoc eſt, Aviculæ Dei Deſcriptio. Patavii, apud Gratioſum Perchacinum, 1558. in 4. Deſcriptio hæc eſt Aviculæ Indicæ, quæ in perpetuo volatu eſt, quamque appellat Manuco-Diacam.

De Stirpium aliquot Nominibus vetuſtis ac novis, quæ multis jam ſeculis vel ignorarunt Medici vel de iis dubitârunt, ut ſunt, Mamiras, Moly, Oloconitis, Doronicum, Bullbocaſtanum, Granum Alzelin vel Habaziz, & alia complura. Epiſtolæ duæ; quarum una hæc eſt ipſa Guillandini; altera Conradi Geſneri. Cum Iconibus novis tribus. Baſileæ, apud Epiſcopium, Juniorem, 1557. in 4.

Epiſtola ad Conr. Geſnerum: Extat Libro II. Epiſt. Petri Andr. Matthioli, pag. 241.

Conjectanea Synonymica Plantarum, operâ Joh. Georgii Schenkii edita; cum Horti Patavini Catalogo, ſub annum 1591. Francofurti, 1600, in 8.

GUILIELMINUS (*Dominicus*) Med. Doct. Bononienſis, in Patrio Archigymnaſio Scientiarum Mathematicarum Primarius Profeſſor, & Aquarum Bononienſium Superintendens.

De eô extat in Ephemer. Nat. Cur. Cent. 3. & 4. in Append.

De Vitâ Dn. D. Dominici Guilielmini Commentariolus.

Dn. D. Jo. Baptiſtæ Morgagni.

MAjores Dominici Guilielmini Novariæ orti, Cravineam, quod in valle Antigorii eſt oppidum, migraſſe perhibentur. Hinc certè Avum centum circiter annis ante tranſiiſſe Bononiam, conſtat, & in eâ urbe conſediſſe.

Bononiæ Dominicus natus eſt v. Kal. Octobr. A. D. 1655. Principiô plura genera doctrinarum attigit; tùm verò id quæ magis ſe ferri naturâ intellexit, ad illa duo totum ſe contulit, Mathematicam Scientiam, & Medicam Artem, uſus in utrâque nobiliſſimis Præceptoribus Geminianô Montanariô, & Marcellô Malpighiô.

Annum agens 21. Mathematica illuſtrare cœpit, editis duabus *Volantis Flammæ Epitropejis*. Quibus porrò de *Cometarum naturâ & ortû Diſſertationem ac obſervationem* addidit *Solaris Eclipſis*. Has duo ſunt conſecuta Volumina de *Aquarum Fluentium Menſurâ*, totidemque *Epiſtolæ Hydroſtaticæ*; quibus nùnc tertia adjungenda eſt ex Berolinenſibus Miſcellaneis; & is demùm, quem Italicè ſcripſit, de *Naturâ fluminum* Liber.

Quam

Quam verò iis ſcriptis de ſuâ in Mathematicis præſtantiâ opinionem excitaverat, Opere (quod difficilius eſt) confirmavit. Johanni Dominico Caſſino, Aſtronomorum hujus ætatis facilè Principi, in Bononienſi illa celebratiſſima Meridiana Linea inſtauranda comes fuit. Padum autem flumen (ut de reliquis ejus operibus ſileamus) à Placentiæ mœnibus, quibus magis magiſque imminebat in dies, objectis molibus repulit.

Nec verò tanto Mathematico prœmia atque honores defuêre. Nam Patria 30. annos natum procurationi fluminum, & totius provinciæ aquariæ præfecit, paucíſque interjectis annis in Publicos Mathematum Profeſſores retulit. Ipſum Kalendarium, ut ibi poſitum eſt in more, conficeretipſū Hydrometriam primum omnium docere, in his deniquè cunctis, aliiſque præterea muneribus ipſius abſentis rationem haberi, & conſervari perpetuò voluit, ex quô ſcilicèt ab Ampliſſimô VenetorumSenatû Patavium honeſtiſſimis conditionibus evocatus, in Stephani Angeli Matematici Perilluſtris locum ſuffectus eſt A. D. 1698.

Itaquè Jam nulla in Italiâ ferè paulò difficilior Mathematica conſultatio accidebat, quin ejus ſententia à Magiſtratibus, Viriſque Principibus expeteretur. Hìnc Mantuam, hìnc Cremonam, hìnc Mutinam, hìnc ali ſæpè accerſebatur. Parmenſium autem Dux, præſertim poſt illud, de quô anteà dictum eſt, ad Placentiam opus feliciter abſolutum, & plurimi fecit, & propriâ aurô gemmiſque exornatâ imagine donavit. Cùm verò Ferdinandus de Abdua & Franciſcus Barberinus Cardinales ab Innocentiô XII. Pont. Max. legati eſſent, ùt de illis cognoſcerent, quæ inter Bononienſes & Ferrarienſes jam diù ſunt controverſiis circà Rheni in Padum derivationem; Dominicus non modò ſuorum apud illos cauſam egit, ſed & ab utrôque vehementer probatus, juſſus eſt pro ſuâ peritiâ, & fide de Aquis etiam Ferrarienſis Agri, & Ravennatis referre. Nec dubium eſt quin ea quæ ſunt ab illô propoſita, perplacuerint, quanquam ob graviſſimas, quas hîc referre non attinet, cauſas illæ quidem nondùm compoſitæ ſunt lites. Ab ſapientiſſimâ autem Venetorum Republicâ aliàs in Illyricum miſſus eſt ad Caſtri Novi munitiones inſtaurandas, aliàs in Forojulienſem Provinciam, ùt rapidum Amnem, Palmæ proximum, & quaſi impendentem, à munitiſſimô oppidô arceret. Quàm ſapè verò de rebus hujuſmodi conſuleretur, quàmque item charus haberetur, dici facilè non poteſt nec Venetis quidem ſolis, quamquam his plurimùm ſed & Reipublicæ Lucenſi, & Hetruſcis Principibus & optimo Ingeniorum Æſtimatori ac Patrono, Clementi XI. Pont. Max. ut à quibus omnibus & prætereà à ſuis Civibus magnis eôdem tempore propoſitis præmiis, & honoribus paulò antequam è vitâ diſcederet, eſt vocatus.

Neque in eô Mathematicæ tantùm ſcientiæ, ſed & Medica Doctrina ſpectabatur. Emiſerat namque Italicè ſcriptas *Conſiderationes ex Figuris ſalium erutas*, latinè autem *de ſanguinis naturâ, & conſtitutione Exercitationem*, *pro Theoriâ Medicâ adverſus Empiricam ſectam Præfectionem*, *de ſalibus Diſſertationem & de Idearum itiis, correctione & uſû ad ſtatuendam & inquirendam Morborum naturam Exercitationem*; qui ferè omnes libri rursùs Batavorum typis deſcripti ſunt. Annumerari his poſſunt Epiſtolæ ſex ad G. *Deſnoiies* Italicô ſermone ſcriptæ, ſed Gallicô tantùm editæ. Annumerari autem omninò debet *ſympoſium Medicū ſive Quæſtio Convivalis de uſû Mathematum in Arte Medicâ*; nam etſi *Joſephum Donzelinum Antonii Filium Coſſentinum* autorem præfert; ego tamen certum compertumque habeo, tam illam eſſe Guilielmi, qui ſub fictô nomine latere tum voluit, quàm quod maximè. His ut ferè contemplatricem Medicinæ Partem ornavit; ſic aliis viciſſim libris Activam erat ornaturus. Hùc enim priores illi tendebant, nimirùm ùt viam quaſi munirent acceſſuris ad libros *de Febribus*, & *de Methodô Medendi*, quos quidem affectos reliquit. Perfectæ autem plures ſuperſunt Diſſertationes, apud Filium aliæ, aliæ apud Alexandrum *Bonis*, Medicum Venetum, optimis cùm ſcientiis, tùm moribus ornatiſſimum, hiſque nominibus Guilielmino Chariſſimum, & in iis de *Materia Affectionibus* duæ. De *Principiô* autem *ſulphureô* novem, & de *Æthere* unica, quas vivens adhùc emitti juſſerat, poſt ejus mortam prodière, eôdem Alexandro *Bonis* curante, & ſe, atque earum ſcriptore dignam præfationem addente.

Annum agens 22. à Præclariſſimis Philoſophorum, Medicorumque Bononienſium Collegiis Doctor renunciatus, Medicinam domi foriſque cum laude fecit, eôque etiam nomine, in comitatû Virorum Principum fuit.

In Anatomicô Scholæ Bononienſis Theatrô ſolennem humani corporis diſſectionem adoleſcens non ſine honore adminiſtraverat. Poſteà in cuſtodiendô præclarô Ulyſſis Aldrovandi Muſeô Ovidio Montalbano ſucceſſor eſt datus. Librorum quoque cùm Philoſophicorum, tùm Medicorum factus eſt Cenſor. In Patavinô autem Gymnaſiô primarium Medici Theorici locum ab Ann. 1702. poſt diſceſſum Pompeii Sacci Parmenſis Medici Clariſſimi, pro ſuâ, & illius Gymnaſii dignitate, quæ eſt ampliſſima, tenuit.

Porrò ejus conſilium ſæpè in morbis difficillimis requirebatur; conſtatque, à Magnô Hetruriæ Principe, amplis, ùt ſibi Medicus eſſet, fuiſſe præmiis, & honoribus invitatum.

Tanti autem Mathematici & Medici famam non Italiæ modò, ſed Europæ univerſæ fines peragraſſe, eô præſertim agnoſci poteſt, quòd non in patrium tantùm, ſed & in externos Cœtus Doctorum Hominum Celeberrimos eſt lectus, Cæſareum N. C. Germanicum, Regioſque item Pariſienſem, Londinenſem, & Berolinenſem.

Acerrimô fuiſſe ingeniô & non deteriore judiciô etſi ſcripta ſatis oſtendunt, non alienum tamen eſt addere, qualem in ſcriptis, talem quoque in omni ſermone ſe præbuiſſe. Negare volebat Montanarius, præclariore, aut promptiore ingeniô noviſſe quemquam. Alter verò Præceptor Malpighius quanti ipſius judicium faceret, cùm ſæpè aliàs, tum præſertim vitâ excedens oſtendit, Poſthumi Operis editione illi, & Sylveſtri Bonfiliolo Viro Clariſſimo commendatâ.

Ad hæc atque alia, quæ natura dederat, animi bona ſingularis induſtria, & labor aſſiduus acceſſerunt. Nunquam non illum inveniſſes aut legentem aliquid, aut commentantem, aut ſcribentem, aut domi, & in publicô docentem, idque eâ diligentiâ, & copiâ, & acumine, &, quod ſemper eſt caput, ordine, ùt ex ejus Diſcipulis nominare poſſem plures nihil à tantô Præceptore degenerantes, niſi cùm plures nominaſſem, plures tamen ſuperfuturos eſſe, intelligerem. A publicô docendi officiô non illum poterat affecta valetudo, non ex recenti itinere languor avertere. Sed neque in graviſſimô quô confectus eſt, morbô, Amicorum monitis precibusve potuit adduci, ùt libros ſeponeret, quos pulvinô ſubditos illis diſcedentibus, ſumebat in manus.

Cæterùm

Cæterùm in Amicos officioſus, in Præceptores pius, in benè de ſe meritos quoſque gratus, modeſtus prætereà, æquus, unôque verbô moribus optimis & honeſtiſſimis fuit, ùt hâc etiam de cauſâ fieret, ùt qui illô familiariter uterentur, hi longè chariſſimum haberent, quô ex numerô Patricii Veneti duo non ſunt nobis prætermittendi, Sebaſtianus Fuſcarenus Eques, ac Ædis D. Marci Procurator, dum viveret, Ampliſſimus, Meritiſſimuſque, & Chriſtinus Martinellius Vir Doctiſſimus & Bonorum omnium Fautor ſummus.

Staturâ fuit procerâ, ampló corpore, atque robuſtô, ſed noviſſimè, credo ob aſſiduas lucubrationes, nonnihil incurvô. Nigros habuit vegetoſque oculos, nigra, denſa, magna, & contracta ſupercilia, colorem ſublividum, vultum verò naturâ adductum & tanquam ad ſeveritatem compoſitum, ùt primô aſpectû longè aliter atque erat, aſper auſteruſque putaretur. Valetudine uſus eſt proſperâ, niſi quòd adoleſcens pulmone ſanguinem rejecit, conſequente neque brevi, neque periculô vacuâ ægrotatione. Supremis quoque annis lumborum, imprimiſque faucium rheumate frequenter laboravit.

Cauſamque adeò noviſſimæ ægritudinis ex gravedine contraxit. Quæ poſtquam tribus interjectis menſibus remiſerat, iterùm ineunte Majô recruduit. Huic cùm febris non ſine quibuſdam mentis alienationibus, aliiſque gravioribus ſymptomatibus acceſſiſſet, viſus tamen æger rurſùs levari, & fortaſſè erat convaliturus: ſed vires à ſævô longôque morbô infirmatas ſanguis è naribus eôdem die ſemel atque iterùm profluens ſic dejecit, ùt dùm ad excipiendum ſanguinem pelvim poſceret, & ſe in cubitum reponere niteretur, extemplô deficeret IV Idus Jul. A. D. 1710. ætatis 54. ſuper Menſes 9. ac dies 15.

Aliquot ante illum diebus, quæcunque ex noſtris ritibus quos ſemper caſtè religioſèque ſervaverat, impendente morte fieri ſolent, ea omnia ſanctè perfecerat. Nec verò ſupremum boni prudentiſque Patrisfamilias neglexit officium, ſcriptô hærede Joſephô, quem ex Conſtantiâ Joannettâ Cive Bononienſi, Uxore obſequentiſſimâ tulerat, filiô, eôque cum ipſâ Uxore, communique alterâ Filiolâ, & Matre, quam grandævam admodùm reliquit, Viris graviſſimis amiciſſimiſque commendatô; nam duæ, quas ex eâdem Conſtantiâ tulerat, majores Filiæ inter ſacras Virgines ſe receperant.

Patavii, quâ in urbe deceſſit, in Delubrô, & ante Aram Divi Maximi humatus fuit, quadratô impoſitô lapide, in quô inſcriptum eſt;

Hic jacet
Dominicus Guglielmini
Bononienſis,
In Patavinô Gymnaſiô
Publicus Theoricæ Medicinæ
Profeſſor primarius.
Obiit Die 12. Julii Annô 1710.
ætatis ſuæ 54.

Felix autem Abbas Viale vir doctiſſimus atque integerrimus & quô erat Patavii cum Guilielminô conjunctior nemo, juſtum ex albô marmore monumentum in celeberrimô locô ſtatuit ad Divi Antonii Templum, quâ hoc ferè meridiem ſpectat. Scriptum in eô monumentô Elogium & qui prætereà Guilielmini libri quô ſint tempore, & quot, quibuſque typis commiſſi, adſcribemus.

D. O. M.
Dominico Gulielmino Bononienſi
In Patrio primùm, mox in Patavino Gymnaſiô
Matheſeos, inde Theoricæ Medicinæ
publico Profeſſori primario.
Viro morum probitate, ſcientiarum peritiâ,
Scriptis editis, edendiſque Clariſſimo
à Sereniſſimâ Venetorum Republicâ
Hùc ingentibus ſtipendiis accito & in arduis
adhibito.
Quem
Dum certatim magni Principes magnis muneribus
ambiunt,
Poſt longam, dubiam, vixque Medicis exploratam
Ægritudinem
In ipſô ætatis robore Fortunæque ſecundiſſimæ
plauſû
Principum Princeps Deus terris eripuit Cœloque
locavit.
Ætatis ſuæ anno 54. Seculi verò 18. annô 10.
Felix Abbas Viale Publicus Botanices Profeſſor,
Hortique Medici Patavini Præfectus
Amico & Collegæ deſideratiſſimo
Æternum hoc amoris & mœroris monumentum
poſuit.

De eô extant

Volantis flammæ à Per-Illuſtri & Excellentiſſ. D. Geminiano Montanario Bononienſis Archigymnaſii Profeſſore Mathematico opticè geometricè examinatæ Epitropeja. Concluſiones à Dominicô Gulielmino propugnandæ. Bononiæ, ex Typographiâ Manolaſſianâ 1677. in 4. Maj.

Volantis flammæ &c. Epitropeja, ſive propoſitiones Geographico-Aſtronomico-Geometrico-Opticæ à D.G. ejuſd. D. Montanarii diſcipulo demonſtratæ. Bononiæ, &c.

De Cometarum naturâ & ortû epiſtolica Diſſertatio, occaſione noviſſimi Cometæ ſub finem ſuperioris anni & inter initia currentis obſervati conſcripta. Bonon. typ. H. H. Dominici Barberii 1681. in 4. Maj.

Obſervatio Solaris Eclipſis anni 1684. Bononiæ, habita die 12. Jul. Bonon. apud H. H. Antonii Piſarrii 1684. in 4. Maj. & Patavii 1711. typ. Jo. Bapt. Conzatti in 4.

Rifleſſioni Filoſofiche dedotte dalle Figure de ſali, expreſſe in un diſcorſo recitato nell' Academia Filoſofica Experimentale di Monſig. Arcidiacono Marſigli la ſera delli 21. *Marzo* 1688. *In Bologna per gli Eredi del Piſarri*, 1688. *in* 4. *&* *in Padova per la Vedova Frambotti* 1706. *in* 4.

Aquarum fluentium menſura novâ methodô inquiſita, Pars 1. Bonon. ex Typographiâ Piſarr. 1690. in 4.

Aquarum fluentium menſura novâ methodô inquiſita, Pars altera. Bonon. ex Typograp. Piſarr. 1691. in 4. Extant ambæ cum duabus ſequentibus Epiſtolis etiam in Miſcellaneis Italicis Phyſico-Mathematicis collectis à Gaudentiô Robertô. Bonon. ex ead. Typogr. 1692. in 4.

Epiſtolæ duæ Hydroſtaticæ, altera Apologetica adverſùs Obſervationes contra menſuram Aquar. fluentium à Cl. V. Dionyſio Papino factas, & Actis Erud. Lipſ. anni 1691. inſertas; altera de velocitate & motû fluidorum in ſiphonibus recurvis ſuctoriis. Bonon. apud H. H. Anton. Piſarri, 1692. in 4.

De Sanguinis naturâ & conſtitutione Exercitatio Phyſico-Medica. Venetiis, ex Typograph. Andreæ Poleti, 1701. in 8. & Ultrajecti apud Guilielmum Van de Water, 1704. in 8.

Pro Theoricâ Medicâ adverſus Empiricam ſectam Prælectio habita Patavii, dùm à Mathematicarum Scientiarum Cathedrâ ad primam Theoreticæ Medicinæ tranſitum fecit. Venetiis, ex Typogr. Hieronymi Albricii 1702. in 8. & Ultrajecti, unà cum prædictâ de ſanguinis naturâ Exercitatione.

De Salibus Diſſertatio Epiſtolaris Phyſico-Medico-Mechanica. Venetiis, per Aloyſium Pavinum, 1705. in 8. & Lugduni Batavorum apud Fredericum Haaring 1707. in 8.

Lettres de G. Deſnoues, &c. de Mr. Guglielmini &c. & d'autres ſavans ſur differentes nouvelles decouvertes; à Rome, 1706. chez Antoine Roſſi, in 8.

Joſephi Donzelini Antonii Filii Coſſentini (reverà Dominici Gulielmini) Sympoſium Medicum, ſive Quæſtio Convivalis de Uſû Mathematum in Arte Medicâ. Venetiis, 1707. typ. Aloyſii Pavini in 8.

De Principiô Sulphureô Diſſertationes, quibus Mantiſſæ locô acceſſit Diſſertatio de Æthere: Opus Poſthumum. Venetiis, 1710. apud Andream Poleti, in 8.

Epiſtola ad G. G. Leibnitium de Aquarum fluentium menſurâ, quâ reſpondet Epiſtolæ Dionyſii Papini ad Hugenium. Extat in Miſcellaneis Berolinenſibus. Berolini, ſumt. Jo. Chriſt. Papenii, 1710. in 4.

Opera omnia Mathematica, Hydraulica, Medica & Phyſica, in duos Tomos digeſta, (quibus nempe continentur omnes ſupra memorati Tractatus.) Acceſſit ejus vita à Joh. Bapt. Morgagni ſcripta. Genevæ, apud Cramer, Perachon & Socios, 1719. in 4.

De eô præterea habentur in Actis Lipſicuſibus.
Ann. 1702. *p.* 145.

De Sanguinis naturâ & conſtitutione Exercitatio Phyſico-Medica, ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum D. Sebaſtianum Foſcarenum, Equitem & D. Marci Procuratorem. Venetiis ex Typographiâ Andreæ Poleti, 1701. *in* 8.

CArteſii dogmatis addicti Phyſici ac Medici, quorum à longô jam tempore ingens fuit numerus, uſque adeò Doctoris ſui, celeberrimi Mathematici, inhærent veſtigiis, ut non ſolùm partium in corpore humanô ſolidarum functiones regulis alligent Mathematicis, ſed in humoribus etiam vel partibus fluidis ſubtiliſſimas particularum & molecularum in longum, latum & profundum quærant dimenſiones. Singulari hinc excipiuntur ubique applauſû labores illi, quos in Phyſiologicis ac Medicis ſuppeditant Viri Mathematicis diſciplinis probè inſtructi.

Non malè itaque ſuam collocâſſe Cl. Guglielminum, in præſenti de Sanguinis Naturâ exercitatione, operam, unuſquiſque facilè fatebitur, cui Philoſophiæ Mechanicæ principia non diſplicent. Siquidem, quid in Mathematicis ſpeculationibus ab eô expectandum ſit, non ſolùm doctis illis, quæ ex Muſeô ejus Bononienſi ante aliquod tempus prodierunt, *Animadverſionibus Philoſophicis de Salium figuris*, demonſtravit, ſed &, quam hoc tempore in Patavinô Lyceô ſuſtinet, publica functio facilè docet. Brevis autem eſt, & paucis plagulis conſtat hæc ipſa diſſertatio; breviſſimis igitur ſummam ejuſdem, atque in ſpecie, quam proponit de ſanguinis humani naturâ ſententiam, recenſere decebit. Conſiſtit autem hæc ipſa in his ferè terminis: Demonſtrare nimirùm conatur Cl. Autor, *nihil aliud eſſe ſanguinem, quàm fluidum quoddam aqueum, in quô immediatè confuſæ ſint*, primò, *diverſorum & diverſi ſtatus ſalium particulæ, diverſæ ideò figuræ & molis*; ſecundò, *ſtamina albidæ concreſcibilis ſubſtantiæ*, (à Malpighio fibra ſanguinea appellata;) tertiò, *globuli rubri, atque inde aliquandò exſoluta plano-ovalia corpuſcula*; quartò, *quæ non modò ex hiſce ſubſtantiis, verùm ex chylô immediatè ſeſe explicant ſulphuris, ramenta*; ſextô, *partes chyli non ſatis attenuatæ*; & tandem ſeptimò, *aëreæ particulæ, cum craſſiores, quæ unà cum chylô advehuntur, tùm ſubtiliores, per reſpirationem auctæ, quæ omnem effugiunt analyſin.*

His ſuppoſitis, ſatis & naturam ſanguinis dignoſci, & explicari poſſe ſingulas ejus actiones & affectiones, tùm naturales, tum præternaturales, perſuaſus eſt, præſertim, ſi prædictæ partes ſic combinatæ cenſeantur, ùt in ſtatû naturali certa ſit earum quantitas, ſubſtantiæ diverſitas, proportio, motus, moles, figura & ſitus. Quapropter etiam ſtatim ſub hujus diſſertationis initium, fuſius & ordine agit de recenſitis jam, & ad ſanguinis conſtitutionem pertinentibus requiſitis. Et quod in ſpecie motum attinet, inſerit nonnulla, quæ novitate ſe commendant, & ſingularem merentur attentionem, quale eſt problema illud de ſanguinis per arterias & venas motu, *quomodô nimirum hic eſſe poſſit, uti revera eſt, continuus & nunquam interruptus; cùm tamen à cauſâ reciprocavi agente, ſyſtolæ cordis ac diaſtole dependere videatur*; quâ occaſione non ſolùm de mediâ vel carneâ arteriarum membranâ, ſed & de auriculis cordis atque arteriarum pulsû, ſingularia proponit. Progreditur hinc ad particularem ſanguinis explicationem, (ex quâ fluit, quam ſuperius jam allegavimus, definitio) & quinque hanc abſolvit punctis, quorum *primum* partes conſiderat & ſubſtantias in ejus maſſam confluentes, alimenta nimirùm & aërem; *ſecundum* ipſam ſanguinis ſubſtantiam rimatur; *tertium* diſſolvit ejus mixturam per analyſin chemicam; *quartum* elicit ex phœnomenis exiſtentiam cauſarum; *quintum* proponit liquidorum naturam, quæ ex ſanguine ſeparantur. Atque ſuper his omnibus elegantem atque eruditum format Autor diſcurſum, eumque ferè totum ex principiis illis, quæ de ſanguinis natura propoſita invenimus apud celeberrimos ætatis noſtræ Philoſophos & Medicos, *Boyleum* putà, *Lowerum*, *Malpighium*, *Bohnium* & *Leuwenhœck*, quorum ex parte propugnat, ex parte etiam refutare conatur hypotheſes. Sub finem autem Exercitationis, coronidis loco, ſiſtit problema ſequens; *Unde ſit, quod licèt conſumtô in functionum uſû ſanguini novus ſuccedat ex chylô generatus, adhuc tamen, procedente ætate, ſanguinea maſſa ita langueſcat, ut aliquandò uſui inepta reddatur, ob idque neceſſarii interitus radix fiat?* Solvit hoc quadruplici potiſſimùm reſponſione: (1) enim putat, id ipſum fieri propter laxationem atque inde ſuccedentem atoniam pororum; (2)

ex obſtructione atque incruſtatione fibrarum, carnearum juxtà & nervearum, à materiâ ſanguinis quaſi tartareâ; (3.) ex receptione particularum aëris craſſiorum in ſanguinem, vitiô pulmonum; & denique (4.) ex retentione humorum excrementitiorum, quæ ab indigitatâ jam atoniâ pororum dependere ſoleat. De cæterô neque etiam reticendum, multa huic themati inſervientia reſervare Cl. Autorem peculiari de *Naturâ & Cauſis Febrium* diſſertationi, cujus editio ſequetur proximè.

Ibidem Annô 1708. *p.* 72.

De Salibus Diſſertatio Epiſtolaris Phyſico-Medico-Mechanica, conſcripta ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum D. Chriſtianum Martinelli, Patritium Venetum. Lugduni Batavorum, apud Fredericum Haaring, 1707. 8.

Ex quô Clariſſimo Guilielmini, cujus frequens in Actis noſtris mentio facta eſt, Phyſiologiæ Medicæ in Lyceô Patavinô docendæ munus fuit demandatum, nihil priùs aut antiquiùs habuit, quàm omnes nervos eò intendere, quâ arte hæc diſciplina & magis perfici, & ad uſum praxeos dirigi poſſit. In eô verò totum negotium conſiſtere obſervavit, ùt vera corporis humani & medicamentorum & generaliter eorum omnium, quæ ſolidas fluidaſque partes componunt, aut alterant, principia, ſeu, quod ajunt, elementa invenirentur. Inter quæ & quidem prima cùm non minùs Analyſis chymica, quàm rigidum quantumvis examen mechanicum, & ſi quæ alia ſunt veritatum inveſtigandarum media, reponendam eſſe oſtendant ſubſtantiam ſalinam, hujus tractationem aggreſſus eſt.

Cùm verò ſalis nomen & particulæ elementari ſalis, & ejus aggregato elementari, & ſubſtantiæ compoſitæ ex ſalinô elementô aliiſque heterogeneis admixtis concedatur, hæc omnia, proprietatibus diverſis gaudentia, una eademque definitione comprehendi non poſſunt. Quoniam tamen à particulâ elementari proprietates & natura in eô, quod Elementum eſt, & in eô quod Elementum maximoperè participat, potiſſimum derivantur, videtur ex definitione particulæ elementaris via fieri poſſe definitionibus reliquis. In hoc igitùr ſenſû Salia ſunt Autori Clariſſimo corpuſcula inſectilia, terminata planis ſuperficiebus, ita invicem inclinatis, ut ſimplicem aliquam includant figuram. Ex quâ definitione ſequitur, particulas ſalinas eſſe inſenſiles, nec liquabiles, etiamſi liquabilitas in ſalia compoſita cadat. Quoad figuram, ſalis muriatici ſeu marini cryſtallos cubicas, vitrioli parallelepipedas rhomboideas, Aluminis rupei Octædricas, & Nitri priſmaticas obſervamus, atque hæ figuræ particularum primarum differentiam earum eſſentialem conſtituunt, hiſque radicaliter inexiſtunt, ſuntque omnes ſimplices, ſcilicèt aut ad pyramides, aut ad priſmata reducibiles. Multò verò plures in compoſitis ſalibus figurarum varietates experimur, quæ à primarum particularum diverſô ſchemate neceſſariò prodire non liquet, cùm à diverſâ compoſitione aut modô poſſint deſumi. Hinc ſalia diſtinguuntur in primigenia & non primigenia ſeu derivata. Illa quatuor dicta ſunt ſalia, hæc verò ex primigeniis vel ſolis vel cum aliis elementis combinatis componuntur. Nihilominus primigenia iſta configurata corpora triplici potiſſimùm de cauſâ diverſam ſui ſpeciem oculis ingerunt; ſcilicèt vel ex diverſâ oculorum poſitione ſeu projectione, vel ex imperfectione ſchematis ſuum complementum non obtinentis, vel ex irregulari additamentô, factô ad aliquam partem. Licèt autem hæ, aut quæ ex his componuntur, figuræ in aliis etiam ſalibus comperiantur, nihilominùs tamen non ad normam mutationis nominum aut affectionum ſalia primigenia multiplicanda ſunt, ſed ad prædicta reducenda, ex. gr. tartarus, vel ſaccharum propter eandem figuram ad vitriolum. Et cùm ſalium in primis particulis configuratio à creatione ortum ſuum habeat; ſequitur impoſſibilem eorum eſſe generationem & deſtructionem, vel unius ſalis in alterius naturam tranſitus. Sed pergit Autor Clariſſimus ad phœnomena, quæ ad elementum ſalinum pertinent explicanda, eaque in tres diſpeſcit claſſes, prout vel ſpectant ſalia primigenia in maximâ, quæ haberi poteſt, ſimplicitate ſumta, vel in majori mixtione radicantur, ſed non tali, quæ efficiat, ut ſubſtantia illa ad aliud genus transferatur, vel compoſitioni aliarum ſubſtantiarum ad aliam etiam, quam ad ſalis, categoriam ſpectantium debentur. Dùm ſalia in ſuâ ſimplicitate ſunt conſtituta, tres obtinent, quemadmodnm omnes particulæ primæ, affectiones primitivas, ſcilicèt quòd ſint impenetrabilia, quòd habeant molem determinatam, & quòd certa, conſtanti & immutabili figura donentur. Sin verò ejuſdem ſchematis ſalinæ primæ aut elementares particulæ ſimùl coëant, compoſitum quoddam reſultabit ſalinum, & quidem ſincerum & purum, ſineque ſalinarum diverſæ configurationis neque alterius generis elementarium particularum intervenerit commixtio, quod tamen rarum admodum eſt, & vix naturaliter poſſibile, imò per artem factû difficillimum. Cùm enim, quæ in hâc rerum univerſitate reperiuntur ſalinæ particulæ, per aërem, per aquam, per terram diſperſæ ſint, vix fieri poteſt, ùt, dùm congregantur, non ſuccedat ſaltem aquæ aut terræ commixtio. Proinde quæ maxima ſperari poteſt in compoſitis ſalinis homogeneitas, illa eſt, quæ fit ex prævalentiâ unius ſalis determinati cum terræ paucæ & aquæ mixtura, qualis in ſuccis concretis macris & primigeniis, quatuor nempe aſſignatis reperitur; quorum generationem ex primis particulis ſequenti modô inquirit. Aqua ſive per terræ ſuperficiem ſive per meatus ejus interiores excurrat, ſalinas particulas diſſolvit, & à locis, quæ perluit, ſecum rapit; quoniam autem in terræ gremiô non patulas ubique invenit vias, ibidem filtratur, & pro ratione filtri, quod matrix ſeu minera audit, ejuſque pororum configuratione, hæc vel illa ſalia ibidem relinquit, aliis cum aquâ abeuntibus. Sic replentur mineræ, donec omnis aquæ interdicatur tranſitus, hæcque aliorsùm ad alias ſaturandas mineras divertere cogatur. Sin verò pori nimis laxi aut cuniculi adſint, quos aqua tranſgredi queat, fieri poteſt, ut aqua non adeò ſatura continuô ſuô fluxû non modò ante depoſita ſalia denuò imbibat, ſed mineram eandem eluat, aut corrodat, & ramenta aliorſùm transferat. Quin imò aër ſalinas in ſe continet particulas, eaſque, ubi mineras invenit

venit, certo alicui ſali recipiendo idoneas, illuc deponit, vel intromittit. Nec minùs elevatæ ab igne vel calore ſubterraneô aut ſolari ſub formâ exhalationum ſalis particulæ abſque aëris vel aquæ interventû hùc illùc tranſire, & in proportionatis mineris retineri & coacervari poſſunt. Inde eſt, quod juxta diverſum modum ipſius irretitionis, juxta diverſam matricum naturam & juxtà alias circumſtantias à conditionibus loci & ejus liquidi, per quod ſalia ad mineram deferuntur, petitas hæ modò terræ ſimplices ſint, modò tophi, modò ſilices, modò ſui generis determinatæ ſubſtantiæ; inde etiam eſt, quod ſucci concreti modò à matricibus educantur, modò ab aquis excoquantur, modò etiam ſponte in locis determinatis concreſcant. Magnetiſmi allicientis ad matricem ſalia primigenia determinati generis duæ peculiares eſſe videntur radices, quarum altera in pororum certa figura, & ad ſalis retinēdi particulas proportione, altera in ſimilitudine figurarum & æqualitate molium, quæ in ejuſdem ſalis particulis reperiuntur, conſiſtit. Quod autem non obſtante pororum proportione minùs commoda, figurarumque in ſalibus diſſimilitudine nihilominus alterius ſchematis ſalinæ particulæ retineantur, plures ſunt accidentales cauſæ. Poſſunt enim laxiorum illorum meatuum, aquæ quocunque ſale imbutæ perviorum, internis ſuperficiebus admodum tartari adhæreſcere cruſtæ ſalinæ, aut cujuſcunque generis cryſtalli; ſive id fiat propter nimiam ſaturationem aquæ, ſive propter amiſſam velocitatem, ſive propter motum inteſtinum deficientem, ſive aliâ quâcunque de causâ. Inſuper efficere poteſt angulorum, qui in diverſis ſalibus ſunt, æqualitas, ut unius particula particulæ alterius adhæreat, & aliquandò reliqui corporis non ſequatur disjectio. Atque idem ad aërem & ſalinas exhalationes à calore elevatas applicari poteſt. Salium majora & craſſiora fruſtula, ſi aquæ immittentur, fundum petunt, quod eorum major ſit quàm aquæ gravitas ſpecifica; quod verò comminuta illa aſcendant, & diſpergantur per aquam, ibidemque ſuſpendantur, cauſa eſt, partim quod per aquæ virtutem ſolutæ & ſejunctæ, & ad tantam parvitatem molis redactæ ſint ſalium particulæ, quæ reſiſtere nequeat motus inteſtini, qui in aquâ eſt, impreſſionibus; partim quod intra poros aquæ ſalinæ moleculæ condantur. Imò etiamſi ſalium particulæ non includantur poris aquæ, ſed cum hujus particulis miſceantur & interjaceant, poterunt hæ in aquâ ſuſpendi, ſi ad eam redactæ fuerint molis, gravitatiſque parvitatem, quæ corpori non majorem tribuat deſcendendi virtutem, quam auferant reſiſtentiis occurrentes ſuperficies; adde quod gravitatum ſpecificarum differentia inter corpus fluidum & illud, quod eidem immergitur, per hujus ad minima diviſionem evaneſcat. Ut ſucci concreti ſolvi poſſint in aquâ, requiritur ex parte aquæ tenuitas partium, & motus, quô illæ agitantur, ex parte ſuccorum verò talis pororum apertura, quæ facilè particulas aquæ admittat, & partium nexus, qui ex motû eô, quô partes aquæ perenniter aguntur, non ægrè poſſit ſuperari. Indè enim fit ut cùm aquæ immittuntur ſalis craſſiora fruſtula, ſtatim à motû in eorum poros & rimas aquæ particulæ calore potiſſimûm adjutæ intromittantur; cùmque ſuum etiam motum conſervent in meatulis illis arietando partes, quibus pori illi & meatus concluduntur, has divellant à vicinis. Ubi autem una pars ſalis ab alterâ ſejunctâ, magis adhùc vi ſuæ gravitatis quàm motui fluidi obſecundet, tam diù diſſolutio continuatur, donec particulæ adeò parvæ evaſerint, ut motum aquæ ſequi poſſint, à quô perenniter impetuntur; quod ubi ſucceſſerit, conſtat, fore ut per univerſam aquam diſpergantur & in qualibet ejus parte ſuſpendantur. Quod ſi autem aqua ſale jamdum ſaturata extiterit, nihil ampliùs de ſale adjectô ſolvit, quia, quò magis augetur poſt ſalis exſolutionem materia in mobili, i. e. in aquâ, eò magis languet velocitas, quâ partes tam aquæ quam commixti ſalis moventur. Cùm autem hoc negotium in proportione quâdam fluidi ad reſiſtentiam, quam habet ad motum particula ſalis, conſiſtat; perſpicuum eſt, rem variari debere, ſi aut motus augeatur in fluidô, aut reſiſtentia in ſalis particulâ minuatur, quod fiet per ulteriorem ejus comminutionem; hinc aqua calida plus ſolvit quàm frigida; plus ebulliens quàm calida, & deſtillationes, cohobationes, circulationes, digeſtioneſque Chymicæ ſaturatiſſimas præbent ſolutiones. Quanquam autem aqua unius ſpeciei ſale impræguata fuerit, alterius tamen ſpeciei ſal imbibere adhùc & ſolvere poteſt eadem, partim quia pori ſecundi ſalis, non obſtante quod aqua aliô fuerit impræguata, illius adhùc particulas admittunt; cui operi aliquam præſtare poteſt opem antecedens ſolutio, quæ menſtrui vices gerat reſpectû ſecundi ſalis ſolvendi, illius poros vel laxans, vel diffringens; partim quia in antecedenti ſolutione motus ſaltem adeò validus durat, ut ſecum rapere poſſit jam comminutas particulas; partim quia diſſimiles ſunt ſalium particulæ. Sicut autem ſimilitudo & æqualitas particularum non permittit ejuſdem ſalis, niſi ad certam menſuram imbibitionem, ex eô quod ſimiles & æquales particulæ facilè ſeſe invicem apprehendunt, & in majores concreſcunt moleculas, unde earum præcipitatio contingit; ità diſſimilitudo potiſſima cauſa eſt, ut duobus imò pluribus diverſi generis ſalibus ſucceſſivè imbui poſſit aqua. Mittimus ea, quæ Autor Clariſſ. contra Gaſſendum ultimi hujus phœnomeni cauſam in pororum diverſitatem rejicientem diſputat, ad alia progredientes. Salia jam ſoluta ab aquæ amplexibus iterùm liberantur, vel per irretitionem, vel per præcipitationem. Illa vel per pororum, qui in ſubſtantiâ aliquâ reperiuntur, configurationem & proportionem cum ſchematibus ſalium irretiendorum, ut in mineris ſuccorum concretorum, quemadmodùm jam dictum; vel per ſimplicem pororum anguſtiam, ut in filtratione perficitur. Præcipitatio autem contingit per remotionem alicujus ex cauſis neceſſariis ad ſolutionem conſervandam, ſcilicet vel propter defectum humidi ſolventis, ut in evaporatione; vel propter defectum motûs exacti, ut in cryſtalliſatione, in locô frigidô celebrata; aut poſtquam aqua per ebullitionem violentam ſalibus ſaturata iterùm refriguit; vel propter defectum debitæ tenuitatis in ſalium particulis, quæ oriri poteſt aut ab imminutô motû, aut liquidô, aut augmentatione molis in particulâ ſolutâ. Sæpiùs tamen non unus ex prædictis defectibus contingit, ſed plerumque duo, & non rarò omnes copulantur. Quod autem ſalia ab aquæ vinculis liberata denuò concreſcant, tres allegari poſſunt cauſæ; videlicèt aut fluidi defectus, aut motûs diminutio, ſaltem mutata directio

rectio, aut conditio figurarum, aliarumque affectionum, quae in particulis mobilibus deprehenduntur. In ſpecie cryſtalliſationem rimatur Autor Clariſſimus, cujus naturam & modum poſtquam explicuit, negat totam plantae virtutem in ejuſdem ſale eſſentiali contrahi & contineri, cùm affectiones aut proprietates plantarum cunctae in unô ſale non radicentur, ſed multae etiam in ſulphure ſeu oleô plantarum pariter eſſentiali, multae in mixtione utriûſque, multae in aliis partibus tùm fluidis tùm ſolidis à ſale & ſulphure eſſentiali diverſis reſideant. Imò nec omnes virtutes à ſale in plantâ exiſtentes in ſal eſſentiale tranſire putat, cùm ſal non omne, quod in mixtô extat, neceſſariò in cryſtallos coaguletur, ſed pars in auras evaneſcat, unà cum fumô evaporantis ſucci; pars cum aquâ remanere commixta, pars cum aliis particulis alligata tertium aliquod ſubſtantiae genus componere poſſit. Nec ſalium lixivialium materiam pro eâdem habet, quae antecedenter in ſalibus eſſentialibus erat, ſiquidem tota ſalis eſſentialis ſubſtantia ex humidô, quod in mixtô viget, deſumitur, ut lixivialis non modò ex fluidô, ſed etiam ex ſiccâ parte hauritur; deinde fieri poteſt, ut ſal eſſentiale neque omninò fixum ſit, neque omninò macrum, cùm ſal lixiviale utrumque ferè neceſſariò ſit. Sed neque quoad formam ſeu partium texturam conveniunt utraque; in ſale enim eſſentiali combinantur ſalia diverſa, in lixiviali non item. Denique ad acidi & alcali conflictum, effervescentiam ſeu ebullitionem potiùſquam fermentationem dicendam, progreditur, aciditatiſque radicem in ſpiculis quibuſdam ſalinis vel per corpus, quod acidum nuncupatur, diſperſis, vel illud coagmentantibus ponit; ita tamen, ut ſpicula eadem in acutos angulos ſint acuminata, quae tolluntur, ſi cum alcalicis miſceantur, quatenùs alcalia corpora ſunt poros habentia, proportionatos ingreſſui anguloſarum partium in liquidô natantium, eoſque vacuos, i. e. ſolô aëre vel aliâ materiâ ſubtiliori, analogâ tamen aëri, repletos. Hinc vis illa, quâ liquidi partes mutuò ſe urgent, & quâ aequali undique exiſtente eaedem inter ſe manent libratae, ſi locum inveniat minùs reſiſtentem, eò fluidum adigit, aut eas, in eôdem fluidô ſolutas particulas, quae illum poſſunt ingredi. Cùm autem tales ſint pori alcalium reſpectû acidorum ſpiculorum magis quàm reſpectû aquae, neceſſariò intra poros alcalium acidae cuſpides urgentur, & in iis reconduntur. Nota Salium quoque eſt differentia, quâ fixa alia, alia volatilia dicuntur. Fixum audit corpus quodlibet, quod adversùs occurrentium agentium impetum ſuae ſubſtantiae unitatem & ſitum tuetur. Volatilitatis verò duplex eſt ſpecies, alia potentialis, actualis alia; illa conjunctô aliquo indiget, ut in actum exeratur, haec totum in ſe complectitur, ad actionem requiſitum. Ad potentialem volatilitatem requiritur, ut aliquid à calore pluri vel pauciori ad evolandum incitetur, parteſque habeat comminutas, leviſſimas, & paucô nexû inter ſe conjunctas. Volatilium verò ſalium actualem volatilitatem habentium ea videtur eſſe natura, ut 1. partes habeant probè comminutas, non ſolùm quantùm ad ſolutionem, ſed etiam quantùm ad evolutionem requiritur; 2. laxô inter ſe vinculô unitas, aut cum aliis ſubſtantiis, ſi quas fortè habent in eôdem mixtô combinatas; & 3. cum ſulphure volatili arctè implicitas. Denique quod actiones ſalium attinet, illas in duas diſpeſcit claſſes Autor Clar. Vel enim in corporibus hae fiunt, quorum partes ſalia non ſunt, vel exeruntur in mixtis, quorum compagem ingrediuntur. Ad priorem refert virtutem diſſolutivam, praecipitativam, & coagulativam. Effectus verò, quos ſalia in mixtis, in quibus reperiuntur, exhibent, trium ordinum obſervantur eſſe; vel enim ſal mixtis tribuit compactionem, ſoliditatem & pondus, ad quod genus congelationes & coagulationes referuntur; vel durationem, hinc arcentur diſſolutiones, putrefactiones, inflammationes; vel propagationem & fertilitatem, unde fermentationes exoriuntur. De caeterò, quâ ratione Hombergi ſententia in Tomô IV. Hiſtor. & Memorab. Acad. Reg. Scient. contenta, quâ ſalium fixorum configurationes non primis earum particulis deberi, ſed ab alcalibus, ex quibus cum acidô aliquô commixtis emergunt ſalia fixa, deduci cenſet, cum ſuâ conciliari poſſit, in Appendice docet Noſter.

Ibidem Annô 1684. *p.* 86. *Supplement. Tom.* V.

Exercitatio de idearum vitiis, correctione & uſu; ad ſtatuendam & inquirendam morborum naturam. Patavii, apud Joſephum Coronam, 1707. 4.

VEram morbi definitionem praxi reſpondentem dare intendit Celeberrimus Autor, quae unà ad morborum ſpecialium notiones eruendas manuducat. Eum in finem de ideis primùm in genere diſſerit & generalia deinde ad ideam morbi ſtatuendam applicat. Obſervat itaque, ſpectatores univerſos de differentiâ ſpecificâ primùm ſollicitos fuiſſe & radices diverſitatis rectè in iis affectionibus conſtituiſſe, quibus corpus in eſſe ſuô ultimo determinatur. Hinc ortam nominum verborumque ſeu ſermonis neceſſitatem. Dolet verò, quod ſermo varia contraxerit vitia, nempè 1. quod non omnibus vocibus clarae ac diſtinctae reſpondeant ideae; 2, quod ob verborum defectum metaphoris ſaepè ac circuitibus utendum; 3. quod non eadem ſemper ſignificatûs certitudô tum reſpectû objecti, tum reſpectû ideae; 4. quod idaeas ſaepè ingrediantur paſſiones; 5. quod ideas intellectualium ut plurimùm ingrediantur ſenſuum affectiones & mentis operationes. In ſcientiis ideae, nomina & objecta legitimè invicem conſentire debent, ſecùs aequivocationes & opinionum monſtra proveniunt. Oſtendit itàque, quomodo veteres, *Plato* imprimis, *Ariſtoteles* & *Galenus*, ideas rectificaverint, proprietatibus in accidentales & eſſentiales, in genericas & ſpecificas diſtinctis, eôſque reprehendit, quod ſic naturam non ſibi, ſed hominum imaginationi conformem effinxerit, & praeſertim *Ariſtoteles* principia compoſitionis per modum idearum abſtractarum explicaverit, quae nullam exiſtentiam realem habent. Commendat idearum cùm objectis conformatiouem per meditationem & analyſin proprietatum evidentium, per experimenta, per obſervationes, per analogias & comparationes &c. Monet, ejuſdem objecti varias poſſe eſſe ideas, ſi ad diverſos fines comparentur, eôdem modô perfectas & ſuo muneri aequè ſatisfacientes, ut nimirùm rem intellectui repraeſentent, & fundamentum diſtinctionis ab aliâ quâcunque ſuggerant. Peccatum verò eſſe à recentioribus, quod Logicas definitiones ideis vulgaribus innixas pro Phyſicis aſſumſerint.

Generalibus iſtis abſolutis, ad naturam morbi explicandam deſcendit; ubi notat, Medicos naturam morbi revelâſſe, non cùm ad leges Logicorum vulgi de eô ideam rectificârunt, aut ſtatum corporis aegrotantis ad modum Phyſicorum in conſpectum produxerunt; ſed cùm talem ideam com-

compoſuerunt, quæ ad finem artis, inventionem ſcilicèt opportunam remediorum, manû ducit. Definit verò *ſanitatem* per complexum potentiarum ſecundùm naturam; *morbum* contra per eum ſtatum, in quô non omnes ac ſingulæ potentiæ humani corporis ſe habent ſecundùm naturam. Brevius: Sanitas eſt potentia cujuſcunque ſubjecti ad actiones ſibi deſtinatas; morbus verò impotentia ad eaſdem. Intelligit autem per potentiam & impotentiam non modò virtutem activam & ejus negationem, ſed & diſpoſitionem ad patiendum; utramque internam, non externam; proximam, non remotam. Ut igitur morbus in ſpecie appareat, inquirendum eſſe, quænam ſint illæ actiones & quænam iis potentiæ reſpondeant. Obſervat, notionem ſanitatis in concretô non brevi oratione, ſed longâ enarratione complecti, quæ totam œconomiam animalem in homine concernunt. Addendas eſſe cauſas & conditiones, quibus ad actiones potentia conſervatur. Omnem nempè morbum Logicè per actiones læſas; Phyſicè per defectum conditionum ad actiones ſecundùm naturam requiſitarum exprimendum. Reſtitiſſe & reſtiturum ſemper in morborum particularium ideis inconſtantiam & difformitatem non parùm plerumque ab ideâ generali Phyſica, non rarò etiam à Logicâ abludentem, multô quidem cum artis detrimentô. Diſtinguendum eſſe, quænam ſe habeant ut effectus, quænam ùt cauſæ, vel ſuperiores vel inferiores. Ad curationem verò non requiri ſubtilem diſquiſitionem ejus inter cauſas, in quô ratio morbi conſiſtit. Phyſicam enim morbi definitionem non poſtulari à Medicô, niſi ad ſapientiam; definitionem Medicam cauſæ morbificæ determinationem petere, per quam morbi ad ſuam quique ſpeciem referuntur. Naturam morbi revelare idem eſſe ac omnes ejùs cauſas continentes indicare, ut adeò in ſenſû Medicô morbus ſit complexus, ſeu tota ſeries cauſarum continentium, incipiendo à primâ & deſcendendo uſque ad poſtremam, ſymptomatibus ſecluſis.

Ibidem p. 125.

De Principiô Sulphureô Diſſertationes, quibus Mantiſſæ loco acceſſit Diſſertatio de Æthere. Opus poſthumum. Venetiis, apud Andream Poleti, 1710. 8.

QUi Autoris Celeberrimi Diſſertationem de ſalibus, in Actis A. 1708. p. 72. & ſeq. recenſitam, perlegerunt; haud difficulter conjicient, quâ methodô & quô ingenii acumine Diſſertationes de principiô Sulphureô ſint conſcriptæ: ut enim paucis multa dicamus, hæ iſti quàm ſimillimæ deprehenduntur. Nimirùm *Diſſert.* 1. ideam Sulphuris inveſtigat & ejus atque ſulphureorum definitiones nominales expendit. *Diſſert.* 2 naturam ſulphuris elementaris ex phœnomenis determinat, & *Diſſert.* 3. eam uberius explicat atque confirmat. *Diſſert.* 4. modum & locum formationis particulæ ſulphureæ monſtrat: indè ad effectus ſulphuris progreditur, nempè *Diſſert.* 5. de calore; *Diſſert.* 6. verò de tranſitû ejus in ſubſtantiam decompoſitorum ſulphureorum agit. *Diſſert.* 7. explicat varios uſus ſulphurei elementi in mixtis cùm naturalibus, tum artificialibus: *Diſſert.* 8. ignis naturam conſiderat & tandem *Diſſert.* 9. recenſet, quænam in mixtis à ſulphure pendeant.

Diſtinguit Autor ingenioſus inter *Sulphur Philoſophorum & Sulphur Chymicum.* Hoc eſt ſubſtantia defragabilis per Chymiam ex corporibus elicienda: iſtud eſt principium hactenùs ignotum, à quô Sulphur Chymicum aliaque inflammabilia inflammabilitatem ſuam habent. De poſteriori Autor tractat, idque definit per elementum, quod eſt primum inflammationis principium. Inter inflammabilia, in quibus ſulphur elementare prævalet, refert ſpiritus inflammabiles ad alkaol naturam evectos, olea æetherea & petroleam ſeu naphtam, ſulphur vulgi & camphoram. Ex eorum conſideratione deducit, volatilitatem vel actu, vel potentiâ ſequi gradus deflagrabilitatis & hinc in elementô ſulphureô concipiendam eſſe plurimam volatilitatem, quæ & in deflagratione manifeſtetur, itemque in fermentatione aliiſque naturæ ac artis operibus. Cùm volatilitas ſit niſus tendendi ſurſùm, in volatili facilem concipi ſeparabilitatem partium & conſequenter minimum nexum, adeòque minimum molecularum contactum, qui figuram parvis contactibus aptam arguat. Inde ulteriùs colligit elementi ſulphurei levitatem, & ex hâc infert minimam in particulâ pro ratione molis materiam minorem certè eâ, quæ eſt in particulis mediorum fluidorum. Ut minimus ſit contactus, particulas curvis terminationibus donandas eſſe; quoniam tamen minimum materiæ iiſdem ineſt, plures adeſſe debere poros atque hiatus mediis quibuslibet, per quæ aſcendunt, impervios. Ut elementum ſulphureum ignis evadat, alias ex aëre particulas accedere debere; quas ſalinas eſſe probat, quia corpora, quæ decompoſitô ſulphureô maximè inflammabili abundant, nitrumque conjunctum habent, etiam minorem flammæ citra aëris præſentiam concipiendæ reſiſtentiam habere experimur. Ex ignis phœnomenis deducit, particulam Sulphuris eſſe elaſticam & compreſſibilem, quæ ſit cauſa rarefactionis in corporibus incaleſcentibus. Eam itàque conſtare ex partibus, quæ ſitum variare poſſunt & conſequenter contiguæ tantùm, non continuæ ſunt. Partium adeò cùm patiatur divulſionem, corruptibilem pronunciat; cùm partium ad invicem non renuat combinationem, generabilem ſtatuit. Superficiei aſperitatem quandam largitur, quod filamentis aliarum ſubſtantiarum implicetur, teſtibus iis corporibus, quæ calorem diù retinent. Quia denique organum ſenſorium afficit, idcircò eas in diverſos glomerulos coactas hàc illac evolare debere. Componi autem elementum Sulphuris ex ſale & æthere, quia non ſummæ, ſed temperatæ volatilitatis exiſtunt. Ex his ſequentem particulæ ſulphureæ definitionem exſtruit; *Particula ſulphurea eſt molecula exiliſſima ex materia partim æetherea, partim ſalina, figuræ Sphæricæ, ſed intùs poroſa, & cavernoſa, in ſuperficie recurvis filamentis donata, compreſſibilis & elaſtica.* Solem ignem eſſe negat, conſequenter nec ſulphureum eſſe concedit, quod ejus radii lucidi quidem ſint, at non calidi, cùm minùs calefaciant hyeme, quàm æſtate per lentem cauſticam refracti, utùt illô tempore Sol in Perigæô verſetur, nec frigus calorem impediat, teſtibus lentibus cauſticis ex glacie confectis; præterea radii Lunares, qui iidem ſunt cum Solaribus, inſuetæ magnitudinis lente cauſtica excepti, immò à duabus in eandem actionem conſpirantibus coacti in exquiſitiſſimis thermoſcopiis nullum caloris incrementum prodant. Idem de reliquis ſtellis judicat, atque hinc ſulphur in tribus naturæ regnis obvium Telluri indigenum, ex terrâ in plantas, ex plantis in animantia derivari putat. *Ignis ipſi eſt effluvium ſulphureum cum ſalibus vel aëreis vel analogis fermenteſcens, modô quodam ſenſibili, id eſt, tali, ut & calor intendatur, & lux effulgeat, &*

virtus

virtus combuſtiva ſuſcitetur. A principiô ſulphureô omnem ferè vim motricem in mixtis, volatilitatem omnem derivat. Modum internum in mixtis eſſe à ſulphure ; idem ſulphur eſſe vinculum mixtionis in mixtis homogeneis, cauſam ductilitatis in heterogeneis, & favere partium organicarum configurationi, ſeu, quod idem eſt, compoſitioni ac nutritioni earumdem, omnium denique corporum activitatem pendere à ſulphure.

Reſtat, ut de Diſſertatione ultimâ, cujus argumentum æther eſt, dicamus. Per *ætherem* Autor intelligit, quod ſpatia inter ſtellas tam fixas, quàm erraticas intermedia replet. Ejus exiſtentiam per diffuſionem luminis probat. Fluiditatem cum *Tychone* à tranſitû Cometarum liberô probat, & ejus cauſam non à motû, ſed cum *Carteſiô* à figurâ ſphæricâ petit ; in hôc tamen ab eô diſſentit, quod ſphærulas ſtatim exactas à Deô creatas & nulli mutationi obnoxias ſtatuat. Fluiditatem à motû eſſe negat, quòd non dentur tot diverſi gradus fluiditatis, quot ſunt celeritates, luminis enim per ætherem tranſeuntis non difformem eſſe refractionem. Motum ætheris vertigini Solis adſcribit, quia motus Planetarum periodici proportio refertur ad diſtantiam à Sole, & Planetæ pro eâdem diſtantiâ in orbitis ſuis velocitates mutant, in periheliis quippe velociores, in apheliis tardiores. Operosè autem adſtruit, quod æther Soli tantùmdem motûs rurſùs reddat, quantùm ab eô accepit, ut ſcilicèt eadem in Sole motûs quantitas continuò conſervetur. Motum ætheris rectilineum ob plenitudinem & reſiſtentiam ætheris circumpoſiti fieri circularem ; in terrâ alium eſſe, quàm in cœlô, quod ibi plurima motuum velocitatem imminuant, directionem varient, conſequenter vim infringant. Ei tribuit diverſarum ſubſtantiarum generationes non minùs in terræ viſceribus, quàm in ejus ſuperficie : mutationes enim corporum fieri per partium tranſpoſitionem, additionem & detractionem, hoc eſt, per operationes ætheri congruas. Hinc omnia corpora eſſe perforata & ætheri pervia, & in omnibus corporibus perennem dari particularum componentium motum, in aliis tardiſſimum, in aliis velociorem, corpora etiam quævis ſua emittere effluvia. Docet tandem, quomodo æther phœnomena magnetica & gravitatem corporum producat.

GUILLEMÆUS (*Carolus*,) Jacobi Fil. ſcabioſas ſimulque valdè ſcandaloſas agitavit controverſias cum Johanne Cortaud, Medico Monſpelienſi, in quem impudentiſſimas & virô honeſtô indignas evibravit injurias, & contumelioſis paſſim nominibus ipſum oneravit, eôque ipſô animi ſui malignitatem & rancorem ſatis prodidit : Dignus propterea, quem Medici ſuæ ætatis ex ſocietate ſuâ penitùs ejeciſſent, & conſortiô ſuô indignum judicaſſent. *Gœlicke Hiſt. Chirurg. p.* 135.

Ex eô habentur

Cani injuro, ſive, Curto fuſtis, hoc eſt, Reſponſio pro ſe ipsô ad alteram Apologiam imprudentiſſimi & importuniſſimi Curti, Monſpel. canis cellarii, hoc eſt, Joh. Cortaud Medicum Monſpelienſem. Lutetiæ, 1654. in 4.

Defenſio altera, adversùs impias, impuras & impudentes tùm in ſe, tùm in principem Medicinæ Scholam Pariſienſem, Anonymi Copreæ (nominatim, Joh. Cortaud Medici Monſpelienſis) calumnias ac contumelias. Ibid. 1655. in 4.

Margarita, ſcilicèt è ſterquiliniô & cloacâ Leonis *Abix*, Cotyttii Baptæ, Spurcidici, Barbari, Solæciſtæ, imò Holoborbori, Holoſolœci, Verberonis Curti, (ſive, ejuſdem Joh. Cortaud, Med. Monſpelienſis,) 1. Heroardi; veriſſimi Aniatri, indigniſſimi, quot fuerunt; Archiatri, ut vulgò loquuntur, Nepotis purulentia. Ad ſtolidos, lividos, indoctos, abſurdos ejus Amatores, Admiratores, buccinatores, & infamis operæ diribitores. Ibidem, 1655. in 4.

GUILLEMEAU (*Jacobus*) Aurelianenſis, Regius atque Pariſienſis Chirurgus, Opera *Ambroſii Parei* limatiora edidit, Latiô donavit, figuris & iconibus novis elegantiſſimis exornavit, nec non Marco-Mironi, *Henrici* III. Galliarum & Poloniæ Regis Archiatro clariſſimo dedicavit. Manum verò admovit operi eò lubentiùs, quia ſub *Ambroſii Parei* magnis in Chirurgiâ conatibus in Xenodochiô Pariſienſi, tanquam ampliſſimô quodam omnis generis vulnerum morborumque theatrô per integrum biennium non ſolùm diſciplinæ hujus rudimenta poſuerat, & multarum egregiarum operationum à *Pareô* inſtitutarum ſpectator αὐτόπτης fuerat ; verùm etiam ubique, domi foriſque, in acie, in caſtris, imò & Lutetiano totius orbis emporio ipſum & comitatus erat, ut, quotieſcunque circa Ducum, Heroum ac civium corpora curanda verſabatur, nunquam aliquid moliretur, niſi ipsô Guillemæô præſente, atque miniſtrô. Quis igitùr tanto operi expoliendo & illuſtrando capacior extitiſſet, quam Noſter Guillemæus, qui ſtudii hujus excolendi gratiâ non ſolùm univerſam Germaniam peragravit, ſed & Hiſpanorum in Belgis caſtra totum quadriennium ſequutus eſt ; Quô tempore non modò ſtrenuam ſauciis militibus operam attulit; ſed & providè ſimùlque attentè circumſpexit ; quam curandi viam tenerent, qui unà cum ipsô noſocomiô præerant, Itali, Hiſpani atque Germani, omnes Chirurgi exercitatiſſimi. *Gœlicke Hiſt. Chir. p.* 134.

Ambroſii Paræi Opera elimavit, novis Iconibus elegantiſſimis illuſtravit, & latinitate donavit. Pariſ. apud Jac. du Puys, 1582. in fol. Francof. apud Jacobum Fiſcherum, 1612. in fol. apud Feirabendium, cum novis Iconibus; 1593. in fol.

GUINTHERIUS (*Johannes*) Natus Andernaci Ubiorum oppido ad Rhenum ſito, A. C. 1497. Parentibus tenuis fortunæ ; primùm Lovanii linguam Græcam publicè docuit ; deinde demùm Lutetiæ Pariſ. Medicinæ lauream adeptus, Medicus Regius ſalutatus eſt ; tùmque non ſolùm Medicinam feliciter exercuit, ſed & Anatomiam hactenùs neglectam in uſum revocavit. Lutetiâ ob belli tempeſtates Metim, hincque exactis aliquot annis, tandem Argentoratum conceſſit, ubi Profeſſoris & Medici Practici munere functus eſt, donec ibidem obiit A. C. 1574. ætatis ſuæ 87. Cæteroquin, (addit *Gœlicke Hiſt. Chirurg. pag.* 58.) fuit Præceptor Veſalii, qui & honorificè admodùm de ipſo loquitur.

De eô extant

Anatomicarum Inſtitutionum, ſecundùm Galeni ſententiam, ad Candidatos Medicinæ Lib. IV. Baſileæ, apud Balthaſ. Laſium, & Thomam Platterum, 1536. in 8. apud Robertum Winter, 1539. in 4. Huic Edit. acceſſerunt Theophili Protoſpatarii de corporis humani Fabricâ, Libri V. Juniô Paulô Craſſô interprete. Item Hippocratis Coi de Medicamentis Purgatoriis Libellus, nunquam ante noſtra tempora in lucem editus, eôdem Jun. Paulô Craſſô interprete. Apud

pud eundem, 1556. in 8. Adjectô huic opuſculô Georgii Vallæ de Partibus humani corporis, Venetiis, 1555. in 16. Patavii, 1558. in 8. ab Andr. Veſaliô auctiores & emendatiores redditi, atque unà cum dictô Georgii Vallæ Opuſculô, ſed ſine cæteris prioribus Editionibus additis, editi. Wittebergæ, 1613. in 8.

De victûs & medendi ratione, tùm aliô, tum Peſtilentiæ maximè tempore obſervanda. Argentorati, apud Wendelium, 1542. in 8. Baſileæ, apud Hæredes Cratandri, 1549. in 8. cum Marſilii Ficini de Vitâ Lib. III. Pariſiis, apud Jacobum du Puys, 1577. in 16. cum Theſaurô Sanitatis, Johannis Liebaultii.

De Peſtilentiâ, Commentarius in quatuor Dialogos diſtinctus. Argentinæ, apud Chriſt. Mylium, 1565. in 8.

Gynæciorum Commentariolus de Gravidarum, Parturientium, Puerperarum, & Infantium curâ. Ex Bibliothecâ Schenckianâ emiſſus à Johanne Georgiô Schenckiô F. Argentorati, apud Lazar. Zetznerum, 1606. in 8.

Galeni de Diebus Decretoriis Libros III. interpretatus eſt. Lugduni 1553. in 12.

Ejuſdem de Anatomicis Adminiſtrationibus, Libros IX. itidem interpretatus eſt. Ibidem 1551. in 12.

De Medicinâ veteri & novâ, tùm cognoſcendâ, tum faciundâ, Commentarii duo. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1571. in fol. 2. Voll.

Commentarius de Balneis & Aquis medicatis, in tres Dialogos diſtinctus. Argentorati, apud Theodoſium Rihelium, 1565. in 8.

Interpretatio Græco-Latina Alex. Tralliani Librorum Medicinal. XII. Baſileæ, apud Henr. Petri, 1556. in 8.

Cl. Galeni Lib. de Plenitudine convertit. Extat cum Anton. Benivenii Opere, de abditis nonnullis morborum cauſis. Pariſiis, apud Chriſtoph. Wechelum, 1528. in fol.

Item ejuſdem Commentaria in Librum Hippocratis de Naturâ humanâ.

Item ejuſdem Introductionem ſeu Medicum.

Item de Anatomicis Adminiſtrationibus Lib. IX.

Item, de Semine Lib. II. De Tremore, Palpitatione, Convulſione & Rigore. De Plenitudine. De Morborum Temporibus. De Diebus Decretoriis Lib. III. De compoſitione Medicamentorum Lib. VII.

Item Libros X. de Compoſitione Medicamentorum ſecundùm locos Latinitate donavit Baſileæ, 1537. 1593. in fol.

Oribaſii Commentaria in Aphoriſmos Hippocratis velut è profundiſſimis eruta tenebris, edidit. Venetiis, apud Johan. Anton. de Nicolinis de Sabiô 1532. in 8.

Pauli Æginetæ, de Re Medicâ Lib. VII. in Latinum vertit: Adjectis Annotationibus in ſingulos Libros.

Polybi, de Diæta ſalubri.

GUIOTUS (*Johannes*)

Ex eô habetur

Enarratio & Enodatio affectus rari & inſignis. Baſileæ, 1653. in 8.

GUISSONIUS (*Petrus*) Avenionenſis.

De eô extat

Diſſertatio, de tribus Principiis Chemicis, & novâ Recentiorum medendi Methodô. Extat cum Petri Poterii Operibus omnibus Medicis & Chemicis. Francofurti, apud Wilhelm. Richardum Stockium, 1666. in 8.

GULLMANNUS (*Benedictus*) Poliater Auguſtan.

De eô habentur in Ephem. Curioſis, Centur. 7. & 8.

Obſerv. 89. De Anatome Virginis, cachexia cum variis ſymptomatibus ſtipata defunctæ.

Ibidem Obſervatio 90. De Motibus Convulſivis poſt puerperium.

Ibidem Obſerv. 91. De Hypercatharſi periculoſâ.

Mulier 48. annorum, ſartoris uxor, hypochondriaçæ conſtitutionis, cum maritô per plateas ambulans, circumforaneum quemdam medicamenta (ſi merentur ità nominari,) & inter illa morſellos anthelminticos, multis paraſangis, hiſtrionum iſtorum more, extollentem audiens, & maximè ſibi hos quadrare putans, quoniam interdùm unum & alterum lumbricum excernere ipſi ſolitum erat, unum morſellum ſex crucigeris conſtantem emit, alterôque mane, horâ ſecundâ matutinâ deglutit. Vix elapſô horæ ſpatiô enormes vomitus & frequentes, unà cum excretione urinæ ſanguinolentæ patitur, lectô ſurgens candelam accenſura animô linquitur, inque terram proſternitur; maritus caſum audiens, illam ſanguine pollutam invenit, vehementia enim draſtici illius, eum per nares & vaginam fluere fecit. Medicus mane vocatus, alexipharmaca cum theriacalibus, & opiatis præſcripſit, quibus effectum eſt, ùt tandem circa noctem affectus mitigatus fuerit, ſuperveniente à corporis concuſſione inſigni cephalalgiâ, malô autem à fortioribus adſtringentibus & anodynis tandem ſenſim ſenſimque cicuratô, & ægrotâ per Dei gratiam in totum reſtitutâ.

Ibidem Obſervatio 92. De Abortû cum molâ ſubſequente.

Domina triginta trium annorum, octo jam liberorum mater, ab ineunte ætate hæmorrhagiis narium frequentioribus, obnoxia, in ſtatû virginitatis menſium fluxû immodicô & irregulari vexata, maritata etiam aliquotiès eandem, inprimis quando animi pathematibus, iræ ſcilicèt aut terrori indulgebat, patiebatur, qui per roborantia leniterque adſtringentia coërcebatur. Verùm ante annum in recidivam incidebat tantam, ùt ſanguis per muliebria fluxerit ad matulas uſque, hinc viribus nimium exhauſta & melancholica quaſi reddita, duorum Medicorum petebat auxilium; qui morbô benè examinatô illôque priùs curatô, vinum medicatum ex roborantibus leniterque laxantibus præſcripſerunt, imprimis quia ægra de nullô ingravidationis ſignô ſibi conſtare dicebat. Hujus ex uſû cùm multùm materiæ peccantis fuerit eliminatum per alvum, adeò benè ſe habuit, ùt, quaſi rediviva ſibi ipſi videretur. Vinô ità ad finem perductô, balneô ex herbis & lapidibus Crumbadenſibus medicatô ſemel per diem inſedit, quô tertiâ vice exantlatô, propter œconomica ſcalas petens, aliquid ex vaginâ propendere animadvertit, quod cùm umbilicalem funiculum eſſe ſtatueretur, Medici molam unà cum fœtû ſubeſſe prædicunt, Balſamum embryonum ordinant, & quoniam Domina cæterùm benè valebat, balneum continuare jubent; unde factum eſt ùt tertiâ nocte fœtum ſextimeſtrem maſculinum mortuũ pepererit, cui occiput apertum cum pericranii extenſione magnâ, in quâ tota cerebri moles erat incluſa, puerpera intereà ſic ſatis benè valebat, niſi quòd ſecundinæ ad quartum uſque diem reſtiterunt; ubi poſt

obortos

obortos ventris dolores, unà cum multô ſanguine grumosô prodierunt, unà cum molâ carnoſâ pugni magnitudinem excedente, & inſequente vehementi lochiorum fluxû, ab adſtringentium & temperantium uſu iterum ceſſante, poſtquam Medici juſcula carnium cum crocô ſæpiùs ſumenda priùs ſuaſerunt, & mixturam ex uterinis & præcipitantibus porrexerunt.

GUNDELFINGER (*Henricus*)

De eô habentur

Excerpta de Balneis. Extant Operis Veneti de Balneis p. 290.

GUNTHERUS (*Albertus*) Saxo-Germanus, Med. & Philoſ. Doct. Romanus.

De eô extat in Miſc. Nat. Cur. Decur. II. *Anno* 5. *in Append.*

Coram Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Principe ac Domino Dn. Cardinale Felice Roſpiglioſo &c. De Arthritidis & Nephritidis causâ, atque de Acidi calefactivâ, & bilis frigefactivâ proprietate habita Lectio; d. 9. Novembr. annô 1682. in Congreſſu Medico & ædibus Exc. D. D. Hieronymi Braſaulæ, annô 1687.

GUNTHERUS (*Simon*) Granſovienſis.

De eô extat

Hortulus ſanitatis amœniſſimus, hoc eſt, de tuendâ & conſervandâ bonâ valetudine: omnibus Litteratis & Peregrinantibus Libellus accommodatiſſimus & maximè neceſſarius. Spiræ, apud Auguſtinum Scheiderum, 1608. in 16. Ibidem in folio patenti.

GURISCH (*D. Martinus*)

De eô extat

Conſideratio Phyſico-Medico-Forenſis de Salivâ humanâ; quâ ejus natura & uſus, inſimulque Morſus brutorum & hominis, rabies & hydrophobia, demorſorum delicta & defenſio: Item, Signa vitalitatis ex ſpumâ oris in fœtu mortuo deſumenda, & alia huc ſpectantia Quæſtionibus Medico-Forenſibus perpenduntur, Obſervationibus raris & ſelectis tradita. Lipſiæ, ſumptibus Weidmannianis, 1729. in 4.

GUTBERLETH (*Henricus*)

Ex eô habetur

Pathologia, hoc eſt, Doctrina de Humanis Affectibus. Herbornæ Naſſoviorum, 1615. in 8.

GUTIERREZ (*Johan. Lazarus*) Medicus, ſcripſit

De Faſcino opuſculum. Lugd. 1643. 4. Doctor Medicus hic Pincianus, in eâdem Univerſitate, poſtquam docuiſſet Philoſophiam, Profeſſor publicus Medicæ Artis, edidit

Febrilogiæ Lectiones Pincianas. Lugduni, apud Laurentium Aniſſon, 1668. in fol. hoc eſt, de *Febribus* Tractatum; cui ſubnectit

Appendicem ad Febrilogiam, doloris diagnoſim, prognoſim & curationem in communi; tum artem ſphygmicam continentem. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p.* 548.

GUTIERREZ de Codoy (*Johannes*) Doctor Complutenſis Philoſophiæ ac Medicæ Artis, primariuſque Profeſſor, in Collegiô Deiparæ Virginis Theologorum olim ſodalis; plures annos fecit Medicinam in urbe Giennenſi, deinde Matriti in cubiculô Regiô. Varia ſcripſit opuſcula, quorum hæc ad notitiam noſtram pervenerunt;

Quæſtio Medicâ non vulgaris, an poſſibile ſit in rabientium urinis canes parvos generari:

Item

Quæſtio Medica practica de miniſtrandâ aquâ nive refrigeratâ ægroto, die expurgationis.

Diſputationes Philoſophicæ & Medicæ ſuper Libros Ariſtotelis de memoriâ & reminiſcentiâ; duobus libris. Giennii, 1629. 4.

Hiſpanica hæc

Advertentias y preceptos generales, con los quales pueden facilmente los Medicos taſar qualeſquier recetas de las boticas. Giennii, 1632. in 4.

Tres diſcurſos para probar que eſtan obligadas à criar à ſus hijos a los pechos todas las madres, quando tienen buena ſalud, fuerzas, buen temperamento, buena leche y ſuficiente para alimentarlos. Giennii 1629. *in* 4. Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p. 541.

GUTIERREZ de Toledo (*Julianus*) Catholicorum Regum Ferdinandi & Eliſabethæ Medicus, ſcripſit

De la cura de la piedra, dolor de hijada, y Colica renal. Toleti, 1498. Hunc, quia ſic proximùm ſeculari anno M. D. huic parti non temerè adjudicavimus, *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p.* 631.

GUTIERREZ de Angulô (*Nicolaus*) Antiquarienſis, Medicus Excellentiſſimorum Ducum de *Arcos*, non vulgaris venæ Poëta, edidit, ut ex relatione habeo Antiquarienſi,

Tratado de la enfermedad del garrotillo. Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. *T. II.* p. 121.

GWIN (*Matthaus*)

De eô extat

Aurum non aurum, ſive, in Aſſertorem Chymicæ, ſed veræ Medicinæ deſertorem Fratr. Antonium Adverſaria. Antverpiæ, apud Hier. Verduſſen, 1613. in 4.

GYMNASTICA Medicina, Vid. de eâ ſub titulô HERODICUS.

GYRALDUS (*Lilius Gregorius*) Ferrarienſis.

Ex eô habetur

Simeonis Sethi Syntagmatis de Cibariorum Facultate interpretatio.

BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM MEDICORUM VETERUM AC RECENTIORUM

LIBER OCTAVUS.

In quô recenſentur illi quorum NOMINA incipiunt à Litera

H.

HAAN, (*Laurentius*) Hildesheimenſis.

Ex eô habetur

Conſultatio Peſtis. Quâ, mirâ brevitate, conſpicuâ tamen dexteritate, ea, quæ circa curationem ejus in diſputationem veniunt, adducuntur & deciduntur. Francof. apud Egenolphum Emmelium, 1610. in 8.

HABDARAMAHNUS, Aſiutenſis Ægyptius.

De eô extat

De Proprietatibus, ac virtutibus Medicis Animalium, Plantarum, ac Gemmarum, Tractatus triplex. Nunc primùm ex Arabicô idiomate Latinitate donatus ab Abrahamô Ecchelenſi Maronitâ. Ex Mſſ. Codice Bibliothecæ Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini. Pariſiis, apud Sebaſtian. & Gabr. Cramoiſy, 1647. in 8.

HABERNFELD (*Andreas à*)

De eô extat

Tractatus de Peſte, ex quintuplici ente, continens ex fundamentis Hermeticæ ſapientiæ veram Peſtis Anatomiam. Hagæ-Comitis, 1635. in 8.

HAESBAERTUS (*Martinus Johannes,*) Medicus Clivenſis.

Ex eô habetur

Obſervatio de Vermium copioſâ excretione. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Decur. II. Ann. II. n. 130.

Ibidem Ann. 4.

Obſervatio 126. *De Matre fœcundâ, quæ ſtante matrimoniô nunquam menſes paſſa.*

PRæteritâ æſtate, Vir quidam egregius, (cujus nomen uti petiit, ſupprimo) mihi præſentibus aliis, hiſtoriam retulit, cui nunquàm ſimilem me legiſſe vel audiviſſe recordor, *Fabricius* quidem *Hildanus* libr. Obſerv. hiſtoriam de menſibus ſine noxâ retentis refert; verùm longè alia ibi res eſt, non fluxêre menſes durante virginitate, neque in matrimoniô & tamen peperit. Affinis quoque caſus eſt, quem alibi legiſſe memini, ubi nec durante virginitate neque in matrimoniô fluxêre menſtrua, at ſterilis erat mulier. Hinc neminem experimentis vel leviter tinctum latere poteſt, quantùm ad ſanitatis rationem conferant diſpoſita benè fermenta, & quantam contrà damnum inferant eadem malè temperata. At nobis hìc alium caſum obſervatû digniſſimum exhibemus. Juvencula quædam eſt honeſta viginti annos ſeptem nata, judicis cujuſdam uxor; ea licèt durante virginitate fluxû menſtruali laboraverit toto matrimonii tempore (in quô tamen aliquot liberos peperit, quorum major pars adhùc in vivis eſt, & iterùm gravida) nunquàm menſes paſſa eſt, mulier egregiæ formæ, ſana atque vegeta. Unde hæc mixturæ turbatio procedat nunc dicendum eſſet, ſed me facilè excuſatum iri ſpero, ſi hoc in difficultatum pelago, in ſcopulos mediis in undis ſitos fortè impingam, videntes enim rem à nullô hactenùs explicatam ejuſque cauſam, ſacro adhùc tegi involucrô; hoc ſolùm dicemus, quòd corruptioni uſque adeò expoſita ſit corporis noſtri materia, ùt eô ipſô momentô, quô formari, cœpimus, ilicò corrumpi & alterari incipiamus. Sit ergò Oëdipus, qui hæc divinet neceſſe eſſe. Ego rem curioſis ulteriùs indagandam relinquo; Quid ulteriùs continget, Deo vitam & valetudinem conſervante ſignificabimus.

Scholium.

Præter illud à *Guil. Fabriciô Hildanô* recenſitum exemplum fœminæ fœcundæ, quæ nunquam tamen menſes paſſa fuerat, alia etiam leguntur apud *Dominic. Panarolum* pent. 1. Obſerv. 17. D. Laur. Strauſſium de fœtû Muſſipont. pag. 99. Hieron. Reuſnerum in Syll. obſ. Welſch. Obſ. med. 99. necnon Ephemeridum noſtrar. Dec. I. Annô 3. Obs. 132. Anno VI. Obſ. 64. necnon Dec. 2. Anno I. Obſ. 41. Confer. quoque Dan. Sennertus Med. pract. lib. 4. part. 2. ſect. 2. Cap. I. quæſt. I. Joh. Prævotius de morb. uter. Cap. 3. & Joh. Bened. Sinibaldus Geneanthrop. lib. 6. tract. I. Cap. II. an mulier concipere poſſet cui nunquam menſes fluxerunt, ibidem quæſtionem moventes. Rarum non minùs eſt, fœminæ eoſdem cùm gravida eſſet, tantùm prodiiſſe; ùt ità, cùm fluere inciperent, certa de impprægnatione fuerit, vid. d. d. Ephem. Dec. I. Ann. 3. Obſ. 348.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 127. *De Lumbricis inguina perforantibus, &c.*

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 73. *De Homine adultô, Urinam per viam inconſuetam reddente.*

PErcurrenti nuper Obſervationum Curioſarum Annum quintum Decur. II. oblata mihi eſt Excell. Domini Dolæi rara & notatû digna obſervatio, de puellâ urinam per inconſuetam viam reddente; ſimilem hiſtoriam in adverſaria mea (cui fidem vix adhiberem, niſi mea conſtaret experientia) retuli, & hîc inſeram quàm breviſſimè. Cùm praxim medicam exercerem Herbornæ Naſſoviorum, innotui cuidam viro honeſto Kirhbergenſi, (pagus eſt duabus vel tribus horis ab urbe Decia diſtans) qui multorum liberorum pater exiſtebat, quo cùm per aliquod tempus familiariter tùnc temporis vixi mihique aperiebat, præſente Generô ſuô, affectum ſatis mirabilem; conquerebatur enim, licèt Lyæo, ſecundum Horatium, curas ſæpè ſolveret, quòd nihil lotii per ordinarias vias ab aliquot annis emitteret, ſed maximâ cum difficultate & virium jacturâ, de nocte per poros cutis, præcipuè ab axillis ad inguina uſque tranſudaret liquor, urinæ perquam ſimilis in tali copiâ & quantitate, ùt ſpongiâ aut volâ manûs excipere ſit coactus, niſi innatare velit huic liquori; incaſſùm hactenùs diverſa fuêre propinata remedia, hìnc an ulla cura huic morbo poſſet adhiberi, quærebatur; ſtabam pro negativâ, quod etiam eventus docuit; Clarum ex hoc caſû fit, quòd natura in homine ſapientior ſit quôvis Medicô.

Ibidem Obſervatio 74. *De Pulſûs exploratione extra Carpum, & curâ hæmorrhagiæ per ſanguinem humanum.*

PUlſus ordinariè tangitur in interiore manuum Carpi parte, tamen aliquandò fruſtrà ibidem inquiri, ibit declaratum exemplum, quod ſequetur; huic veritati album calculum addere non veremur, imò quod ipſi vidimus, bonâ fide teſtamur; Chirurgi cujuſdam uxor habebat in ſolitô locô nullum arteriæ ramum, ità ùt ex ejus contactû nil præſagire licuerit, nam cùm eſſet occupata ad patellam terream eluendam, rumpitur patella & feriit arteriam, quod declarabat hæmorrhagia contumax, Maritus (cùm domeſticis occupationibus eſſet detentus extra civitatem) vocatus ſuaſû Medici ordinarii, generoſiſſima remedia ad ſiſtendum ſanguinem à Practicis amplâ ſegete recommendata incaſſùm applicat, ultimò cùm dubiô prognoſticô relinqueretur ægra, Maritus ſuam perquirit officinam, inveni remedium, inquiens? dictum factum, fecitque periculum, aplicat parti fluxum ſanguinis patienti, ſanguinem menſtruum exſiccatum cum juvamine, ſolummodò inſupèr notandum, quòd natura hîc collocaverit arteriam in manûs dorſô, quæ aliis communiter fertur per interiora Carpi; ſic majores vaſorum rami ſuô ſitû quandoque ludunt, proindè cautè hâc in re eſt procedendum ſi quid judicandum de virium conſtantiâ.

Scholium

Hæc quadrant cum iis quæ Annô 3. Decur. II. Ephemerid. Obſerv. 99. ab Excell. Ledeliô, ut & Scholio ei adjuncto, fuerunt prolata, &c.

Ibidem Obſervatio 75. *De Pene imperforato & Anô clauſô.*

CUm volumen Obſervationun Anni VII. Decur. 2. perluſtrarem, nonnulla annotata reperio de Anô & Pene imperforatô; ſimile etiam exemplum obſervavi in Vice-Capitaneô, olim Condiſcipulô meô, in cujus virga præputium fuerat retractum, & orificium clauſum, aſt cultellô apertum; plura exempla talium caſuum apud authores inveniuntur. Legimus inſuper apud Bartholinum, aliquando vitiô nativitatis fieri, ùt clauſô anô alvi fæces per vulvam excernantur, quod multorum optimæ fidei teſtimonia inſimùl perhibent, ùt de rei veritate haud liceat ambigere; nos quicquid hâc de materiâ, Amicus nobis communicavit, & à conſanguineis confirmatum habemus, Tibi Lector Benevole, candidè impertiemus, qui cùm in Veteri Herbornenſi Muſarum Caſtro, à Parentibus eô miſſus eſſet, innotuit Virgini honeſtæ, excrementa per muliebria clauſô anô excernenti, vitamque ad viginti aliquot annos producenti, quæ fortè in hunc uſque diem optimè valet; ſic unius rei defectum aliô compendiô compenſat natura.

Scholium.

Licèt Paræus & Tulpius imperforatos minimè vivaces, neque multos dies ſectioni ſuperſtites; eſſe ſtatuant, nihilominus tamen ſunt qui apertionem atque curationem approbant, eſſetque hîc amplus ſcribendi campus, ſi placeret omnes illas hùc trahere hiſtorias; brevibus dicemus quæ titulum hiſtoriæ exhauriunt, quòd dictus Vice-Capitaneus poſt ſectionem Coli adhuc vivat, & Virgo ad viginti aliquot annos vitam produxerit; quocum conferatur exemplum quod ex Minadoô memorat Clariſſimus Volgnadius Annô primô Ephemerid. pag. 36.

Ibidem Decur. 3. *Annô* 2. *Obſervatio* 41. *De Conchyliô & Ape petrefactis.*

HAFENREFFERUS (*Samuel*)

Ex eô habentur

Monochordon Symbolico-Biomanticum, abſtruſiſſimam Pulſuum doctrinam ex Harmoniis Muſicis dilucidè, Figuriſque oculariter demonſtrans, de Cauſis & Prognoſticis inde promulgandis fideliter inſtruens & jucundè per Praxin Medicam reſonans. Ulmæ, apud Balthaſ. Kühnen, 1640. in 8.

Πανδοχεῖον αἰολόδερμον. In quo Cutis eique adhærentium partium affectus omnes, ſingulari Methodô & cognoſcendi & curandi, fideliſſimè traduntur; quod etiam variis Medicamentis Galenicis, Chymicis, Coſmeticis, aliiſque Nobilibus ſelectioribus eſt illuſtratum. Opus tam Medicis, quàm Chirurgis jucundum & utile. Ubi & ſub calcem adjecti Tibicines, Lectorem, Arabica, Græca, Latina, & Germanica contenta, indagare, ſuccinctè informant. Tubingæ, apud Joh. Conr. Geyſſerum, 1630. in 8. Ulmæ, apud Balthaſ. Kuhnium, 1660. in 8.

Raphael Artem Medicam feliciter cùm inchoandi, tum continuandi, abſolvendi, tractandique fideliter informans, nec non Rationes peregrinandi & Pharmacopolia viſitandi aphoriſticè docens. Tubingæ, apud Theodoric. Werlin, 1622. in 12. Francof. apud Johannem Bernhar. 1629. in 12. Ulmæ, apud Balthaſarum Kühnen, 1642. in 8.

Vexillum Raphaeliticum per Artem Medicam & vitam communem volans. Tubingæ, apud Johan. Conradum Geyſſer, 1631. in 8.

Raphaël ὁ Δι@ de Arte Medicâ, velô temporis, Citationibus. Ulmæ, apud Balthaſarum Kühnen, 1641. in 8.

Officina

Officina Jatrica, continens pharmaca ſelecta, Hippocratico-Galenica & Hermetico-Paracelſica, juxta Morborum ſeriem, cauſarumque Indicem diſpoſita, & condita. Ulmæ, apud Balthaſarem Kühnen, 1653. in 8.

HAGECIUS, aliàs ab Hayck (*Thaddæus*)

De eô extant

Actio Medica, adverſus Philippum Fanchelium, *Belgam*, Incolam Buduicenſem, Medicaſtrum & Pſeudo-Paracelſiſtam. Ambergæ, apud Mich. Forſterum, 1596. in 8. Continet autem I. Exegeſin ſingularem curationis fœdæ ſcabiei in Filiolâ ſexenni Illuſtris Baronis Caſparis Zerotini, &c. Simul etiam juſtam querelam in Phil. Fanchelium quòd in extremô utrumque felicis curationis actû, eandem clandeſtinè & furtim deleteriis pharmacis crudeliter excarnificatam necaverit, II. Philippi Fanchelii Reſponſum ad eandem Exegeſin. III. Eidem Reſponſo, aliud Reſponſum oppoſitum ſub titulô; Anti-Fanchelius.

De Cereviſiâ ejuſque conficiendæ ratione, naturâ, viribus, & facultatibus, opuſculum. Francofurti, apud Hæredes Andr. Wecheli, 1585. in 8.

Aphoriſmorum Medicorum, Libellus unus. Ibidem in 8.

Metopoſcopia. Francof. ap. Hæredes Wecheli, 1584. in 8.

HAGENDORNIUS (*Ehrenfridus*) Med. Practicus Gorlicii in Luſatia, & Sereniſſ. Electoris Saxoniæ Medicus, ac S. R. I. Acad. Nat. Curioſorum Collega.

Præclariſſimi Hagendornii Vita oratoriè enarrata reperitur in Miſcellaneorum Curioſorum Decuriæ 3. Anni 2. Appendice; quam hic exhibere minimè ingratum futurum opinamur.

Vita Hagendorniana, templo Mnemoſynes inſerta à Samuele Ledeliô, D. Curioſorum Theſeô II.

Benedictam *Sileſiam*, Patriam agnovit Excellentiſſimus pièque defunctus *Hagendornius* noſter & in illâ civitatem *Wolaviam*, Ducatûs cognominis hujus Metropolim, olim ad *Lignicenſium* Ducum, hodie invictiſſimi Leopoldi Magni ſubjectionem pertinentem. Sileſiam inquam agnovit patriam, è quâ tanquàm ex equô *Trojanô* plures prodiere *Heroës* in arte etiam noſtra Machaoniâ, ùt aliarum Profeſſionum eruditos jam non attingam, quorum monumenta *Eruditorum* complent Muſæa, *Magnatum* Bibliothecas & Palatia.

Annus nativitatis erat, poſt Meſſiæ Incarnationem 1640. quâ nondùm irati *Mavortis* tela deferbuerant, *dies* 22. *Januarii*, ſtyli novi, horâ verò tertiâ matutinâ.

Uti dies jamjam creſcere incipiebant, & augmentum capeſſere, *Solſtitiô* Autumnali poſtpoſitô, Phœbuſque ultimum attigerat deſcenſionis punctum, & retrogradô curſû altiora petebat, uti *Aurora* tùnc temporis approperabat in ejus ortû & præſentis diei prænuncia exiſtebat, ità proficuum inde elici poterat omen, *Hagendornium* noſtrum alta petiturum, nec in fœce vulgi implicatum hæſurum, ſed plus ultrà, juxta ſymbolum *Caroli V.* Imperatoris, progreſſurum.

Si ſecundùm *Euripidis* pronunciatum, egregia eſt & inſignis inter homines nota, bonâ ſtirpe naſci, ſic ex hâc quoque parte feliciſſimus fuit beatus *Hagendornius*. Pater enim Senator erat *Wolavienſis*, & Pupillorum Antiſtes ibidem, Vir eruditus, probæque notæ Ictus, id quod & hîc loci ipſum promovit in Ordinem & Catalogum *Advocatorum* Juratorum ſupremæ *Luſatiæ* Curiæ. Matrem agnoſcebat *Annam* natam *Blumueriam*, piam & virtuoſam Matronam quam *Gorlicii* ſtudiis in purpurâ juventutis incumbens, ſemel iterùm tertiumve ſalutavi, & humaniſſimam ſimul, ſagacemque, reique domeſticæ procuratricem optimam. Dominus Adamus *Blumnerus*, beati noſtri Avus erat maternus, *Syndicus* Liberi Baronatûs Trachenbergenſis in Sileſiâ, uxorque hujus modeſtiſſima, *Urſula*, nata Kronickia.

Plures eruere inſignioris notæ viros è ſtirpe *Hagendornianâ*, uti mihi facillimum eſſet; ità ſuperfluum exiſtimo facem in die ſerenô accendere.

Alterô à nativitate die pro more & conſuetudine loci, *tenellus* noſter circulô Chriſtianorum, mediante ſacrô *Baptiſmatis* lavacrô, in nomine Sacroſanctæ Trinitatis inſertus, amicabile *Ehrenfridi* nomen adeptus fuit. Primogenitum hunc ſuum pietate conſpicui parentes, non ſolùm tutelæ & Gratiæ Divinæ per quotidianas preces commiſerunt, ſed & eâdem, ad omnia utili *pietate* imbuere conati ſunt, tùm domi, tùm foris, in ſcholâ *Wolavienſi*; & cùm Amatorem librorum deprehenderent, optatiſſimumque ingenium perſentiſcerent, in ipſô pueritiæ limine, Annô nempè quintô ætatis, ludo dicârunt literario.

Sed quæ *Conſtantia* in hâcce inconſtantis mundi palæſtrâ? Vix cæperat inviſere Muſarum atria, en harum amplexibus eripiebatur, ob ærumnoſum *Patriæ* ſtatum, & calamitates totius *Sileſiæ*, quod ipſum etiam commovit Parentes, ùt antiquâ ſede relictâ, meliora ſperantes, *Gorlicium* adierint, utpotè patriam Parentis noſtri *Hagendornii*. Periiſſet ſic nî periiſſet, quippè ſi enim *Sileſiâ* pulſus non *Görlicenſium* Orcheſtram literariam frequentâſſet, forſan in tantum *Virum* non èvaſiſſet, Gymnaſium namque noſtrum, à primô Reformationis Annô Palæſtra bonarum Artium extitit cum Deo annans perennans in ſanctiſſimi nominis honorem, & urbis *Görlicii* vernantem & immarceſcibilem laudem, ad Mundi interitum.

Hujus tùm Moderatori M. Mollero, exercitato in re ſcholaſticâ *Viro*, traditus fuit, qui tanquam *Cereum* flexit, omnis diſciplinæ capacem effingendo Mercurium. Hæc publicè; interim etiam intra paternos lares privatim formatus & informatus fuit.

Aſt cùm leve Muſis cum improbô Marte eſſe ſoleat commercium, haud adeò faventes noſter ſenſit Pierides, tubæ clangore pulſas & fermè ſilentes, hoc tamen non obfuit quominùs illas inſectatus fuerit inter armorum ſtrepitus enormes, ſtudiis penitùs ac penitùs immerſus. Acceſſit calamitati huic Martiali, maritalis *Hagendornianæ Matris* calamitas dùm implacabile Fatum decimo ætatis Annô, *Parentem*, Annô ſeculi 1650. D. 14. Februarii, è viventium numerô eripiens orphanorum numerô aſſociabat Noſtrum.

Ceſſaſſet ſic omne cum Muſis commercium *Viduâ* impoſſibilitatem continuationis ſtudiorum ruminante, niſi inſignis *Vechnerus*, (meus etiam fideliſſimus *Præceptor*, cui levem apprecor terram, & famam perennem) ad ſtivam ſcholaſticam veluti à Deo datus & donatus, bonitatem indolis penſitando, ipſam animâſſet, & inexplicabilem Dei providentiam & bonitatem ſeriò inculcâſſet, omnemque puſillanimitatis ſcrupulum exemiſſet. Sic filum Divinorum *Fatorum* nullum abrupit impedimentum.

Ex

Ex *ephebis* excedens, completô decimô nonô vitæ annô, menſe Septembri Anni Chriſt. 1659. conſentiente Matre, ſuaſû Præceptorum & ſanguine conjunctorum bonis avibus, *Görliciô* relictô, Inclytam intravit Academiam *tiliaceam*; & quod præfiſcini viſum, ſub ſceptrô integerrimi Medici Dn. D. Joh. Michaëlis albô ſtudioſorum inſcribebatur non abſque omine, ipſum futurum magni Nominis *Medicum*. Paucitas nummorum plures excitavit ad majorem ſtudiorum diligentiam quia nullum iis aliud refugium niſi ad ſtudia, quæ ipſis aliquandò nutrimenta & honeſtæ vitæ ſuſtentationem, ob eruditionem ſufficientem procurare apta ſunt. Idem &, noſter *ſtudioſus* ponderabat, eapropter Dic Cur Hic, optimè penſitabat Athenis *Lipſienſibus*; nec ullam aſpiciebat Lunam, Sole occidente, quin linea ducta ſuperfuiſſet.

Philoſophiam Medicinæ præmittere non in conſultum judicabat hujuſque Profeſſores tum temporis florentiſſimos & inter hos frequentiùs Dn. D. *Scherzerum* audiebat, quidquè in hoc ſtudiô præſtiterit, publicô teſtimoniô comprobabat, Diſputatione nempè de *Gemmis*, propriô marte conſcriptâ & ſub moderamine Celeberrimi *Thomaſii*, Eloqu. Prof. Pub. cum applauſû Muſarum & Gratiarum habitâ. Habilitatum proindè pronunciabant Profeſſores ipſi faventes, ad Gradum Magiſterii capeſſendum; Verùm quia laureæ *Doctorali* inhiabat, nolebat hìc quieſcere, ob penſum, quod ſibi propoſuerat, nondùm abſolutum.

Hôc itaquè fundamenti locô poſitô, totum ſe Arti ſervandorum hominum mancipavit, & non infelicem fuit nactus *Hodogetam*, Chymicum incomparabilem ſuprà laudatum Dn. D. *Michaëlis*, hem! quantum virum! Hic cum ſibi ſingulariter commendatum habuit, &. omni affectû proſequi non dubitavit, præprimis ob Amicitiam & commercium litterarium cum ſuprà laudato Dn. D. Johanne *Hagendornio*, Görlicenſium Phyſico famoſiſſimo, ut potè noſtro ſanguine juncto, agitatam.

Per *geminum Annum* hujus fideliſſimam laudavit informationem & dexteritatem, Bibliothecam ejus ampliſſimam perluſtravit, *Laboratorium* ſumptuoſum viſitavit, manum carbonibus & laboribus ſpagyricis applicavit, & quæ ſibi proficua hac occaſione judicavit, adiit & ambiit, ambabuſque manibus arripuit, ne poſthac ipſi obveniret occaſio calva, Excellentiſſimus proclamatur Botanicus ille, qui non adultam, ſed teneram novit & nominat herbam, adhùc in ſuo involucro, veluti matrice, latentem. Idem; ùt eſſet ὁ μαθητής noſter, omnem adhibuit operam, omnem movit ceſpitem, præeunte ipſi celebratiſſimo Lipſienſium Botanico Urſino, cujus ædibus eam ob rem ſe commiſerat, haud infelix futurus Botanicus, id quod quoque egregiè probavit Curioſâ *Cynosbatologiâ*, ſale & pipere eruditionis conditâ, quæ ipſi & Titulum Archiatri Saxonici procreavit, uti infra legere erit. Nec indictus relinquendus accuratè elaboratus Tractatus de Catechu ſeu Terra Japonica, quem noſter Botanicus curioſo ſeculo ſtitit, quodque confirmat & demonſtrat ipſum non proletarium fuiſſe Medico-Botanicum.

Noſter quoque Welſchio frequenter adſtitit, & omnes Anatomicorum ſubtilitates Lynceô percontatus eſt oculô nè & in hâc parte defectus ipſi exprobrari poſſet. Chymia non intacta relinquenda, quippè quæ hôc noſtrô ſeculô omnem fert gratiam. At cur non dicerem optimum Chymiatrum Hagendornium? cui facem prætulit Phoſphorus Chymicorum Europæ D. Michaëlis: & quid opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt: Medicamenta Rulandina ab Hagendornio edita non vulgarem ipſum monſtrant Chymicum.

His ſtudiis ità initiatum, per quadriennium Philurca remiſit Gorlicenſibus Annô 1663. ubi per triennium, quicquid vidit, audivit, legit, diligentiſſimè repetiit, quæ etiam futuram Praxin ſecundare & ſtabilire poſſe judicavit, acriter exercuit, ſeque habilitavit ad ſubſequendam promotionem.

Fructiferæ arbores non unâ nocte fructus protrudunt & ad maturitatem præferunt, ſed gradatim: ità & in ſtudio, non una dies videt & diſcentem & abſolutum, ſed per gradus eundum ad ſtudiorum complementum.

Nam natura non facit ſaltum. Iſtiuſmodi gradus optimè etiam obſervavit catus noſter Philiater: Poſtquam enim tot dotibus ſe auctum ſenſit quot requiruntur ad perfectum Medicum, & jam maturitatem ſtudiorum inſtare putavit, complere eadem deſtinavit, & præmii locô lauream Doctoralem ambiit, idque in Academia Salana, quò ſe benè præparatum contulit Annô 1666. menſe ſeptembri, ibidemque magnæ celebritatis Medico-Chymicum Rollfincium adiit, hujuſque eruditiſſimâ & ſat magnificâ converſatione uſus Paternô Michaëlis Lipſiæ tùm tumulô illatô, quam ob cauſam etiam, *Ienam* petere fuerit coactus.

Exactô inibi ſtudiis ſex menſium ſpatiô, ſub Decanatû Dn. D. Friderici, Candidatorum Catalogô ſe inſcripſit, & oculum ad *ſcopum* direxit, ſingularique cum laude Honorem *Licentiaturæ* in Medicis deportavit, examinibus omnibus ritê exantlatis & Diſputatione de *Macie Puerorum* ex *faſcinô*, ſolenniter habitâ, ubi tùm *opponentis* ſpartam ornavi, nodos propoſitos optimè ſolventem percepi. Ad umbilicum ſic feliciter deductô ſtudiô, amorem repetiit *Görlicium*, non attentô favore *Profeſſorum* & promiſſione *Promotionis* menſeque Septembri 1667. *Hexapolim* ſuam ſalvus adſpexit.

Praxi Medicæ tanquàm ſpartæ vacanti, Martha quoque obviabat, virgo nempè natalibus & virtutibus præfulgida, Anna Sabina Firlia, Nobiliſſimi Dn. Martini Firlii, Civis primarii, & Domini in *Schlauroth*, filia, quam præviis precibus matriſque conſensû Annô 1671. menſe Maji duxit, quem menſis diem non reformidavit ob malam Richteri noſtri prognoſin, ſcribentis; Nuptias menſe Majô contractas infauſtas & inauſpicatas eſſe, veteres cenſuerunt. Contrarium per Dei benignitatem vidit Noſter. Nam placidiſſima & ad votum & nutum ejus paratiſſima *Matrona* præter aliam felicitatem & ſex prolium fecit Parentem; quinque nempè filiarum adhùc ſuperſtitum, & unius filii paternarum virtutum & Eruditionis hæredis, quod Chriſtus det, Medicorum anteſignanus! Tria puncta in vitæ noſtræ curſû, parentibus notabilia numerantur, &, quæ, ſi ex votô attingimus, magno iis gaudio & ſolatio ſunt, Punctum Nativitatis, punctum honoris in certô vitæ genere, punctum ſociationis cum bellâ puellâ, aut amabili fœminâ. Tria hæcce puncta ſat optatè *Hagendornianæ Matris* oculos perſtrinxêre.

Licentiam etiam ſibi ſumſit Doctoratum adciſcendi quem ſolenniter collatum vidit Menſe Septembri Annô 1668. ſolita & conſueta pompa. Nec praxis Medica ipſi fuit interrupta, ut variabilia aliàs omnia ſunt in circulô mundi, ſed quô felici pede inchoavit, ivit uſque ad ultimum mortis articulum.

Practicum ipſum fuiſſe experientiſſimum, Hiſtoriæ declarant Medicæ, publicè typis exſcriptæ & erudito Orbi conſecratæ.

Non hæſit in lutô, nec latuit in obſcurô, ut μισάνθρωπος, ſed amicitiam excoluit epiſtolicam cum noſtri ævi primariis Medicis, *Fabrio, Volkamero, Schrockio, Sachſio, Wedelio, Majore, Schenckio, Janiſio, Mentzelio, Hannemanno, Fribe, Paullini, Ammanno, Garmanno,* & aliis, quorum nomina veneror, hîc autem ob prolixitatem honorificô ſilentiô involvo. Quod ipſum in cauſâ fuit ut in collegium *Cæſareo-Leopoldinæ ſocietatis reciperetur*, (*ad hoc non minimum conferente Wedelio & Sachſio*) cum inſigni Ephemeridum annuatim prodeuntium augmento. Quis enim non legit ingenioſas & omninò raras ejus obſervationes, hinc indè Tomis Curioſorum inſertas?

Honorificum ipſi inditum agnomen *Pegaſi ſecundi*, Pegaſi namque primi nomen jamdudùm ſibi adoptarat *Valentinus Andreas Mollenbrock*, tt. Profeſſor *Erffurtenſium* digniſſimus, dein *Hallenſium* Phyſicus graviſſimus. Hoc maſculè defendit, dum otium ipſi fuit negotium, & Lemma tenuit in recenti memoriâ, Curioſorum: *Nunquam Otioſus*.

Poëtæ de *Pegaſo* fingunt, quod fuerit equus alatus celerrimi motûs, cujus ope uſus *Perſeus* cùm ad *Gorgones* proficiſceretur; item *Bellerophon* cùm adverſùs Chymæram, expeditionem ſumeret. Quam appoſitè hîc applicamus *beato* noſtro. Fuit in Actionibus *velox*, quicquid enim domi concepit, in publicum edidit, nec in decimum Annum ſcripta preſſit. Nonnè medicamenta *Rulandina* Soli expoſita, Hiſtoriæ item Medicæ *Cynosbatologia*, *Catechu* ſtudioſis Medicinæ, & aliis Arti addictis; plurima proficua præſtitere, veluti *Pegaſus Perſeo* & *Bellerophonti*, dum Ignorantiæ velum disjecerunt, & cautelas varias Practico profitabiles exhibuerunt?

Tractatum ſub manû terebat oppidò jucundum & utilem, de rectâ *Officinarum Pharmaceuticarum Viſitatione & genuinis, tàm ſimplicium quàm compoſitorum Medicamentorum notis, ſignis & figuris*, qui fortem aliquandò cenſuram ſubibit publicam Deo vitæ filum mihi protelante; nondùm enim ultimam lineam adhibuit morte præpeditus, ſed *Sciagraphiam*, cum rudi elaboratione reliquit.

Uti tempore *Majali*, ubi omnia rident, & formôſiſſimus Annus eſt, non quivis *dies* tranquillam & continuam *ſerenitatem* vehit, ſed ſtillantes guttæ pluviarum & Solis ſplendores, veluti *interſcenia* agunt: ſupparem in modum in communi vitâ ejuſmodi viciſſitudines oberſant.

Gorlicenſis noſter Academicus Curioſus, ſtrenuus in muniis ſuis, Annô 1674. gravi obruitur *morbô* quô aliquantulùm ſuperatô, per beatam dilectiſſimæ Matris ἀνάλυσιν de novô alterationem ſentiens, graviùs laborare cæpit, per plures ſeptimanas lectû detentus, uſquedum à Deô reconvaleſcentiam exoravit plenariam.

Annô 1679. in numerum Archiatrorum *Johannis Georgii* II. beatiſſimæ memoriæ, recipiebatur, concordantibus reliquis *Aulæ* Medicis, quibuſcum familiarem colebat neceſſitudinem, iiſque libellum de Catechu dedicaverat. Glorioſiſſimô hôcce *Patre Patriæ* extinctô, *Johanni Georgio Tertio*, Magnanimo Felicique Electori innotuit, eundemque Archiatri *Saxonici* honorem acquiſivit, ſubjectiſſimè offerendo *Cynoſbatologiam* curioſam, quæ etiam gratioſè accepta, & *Bibliothecæ Saxonicæ* inſerta fuit. Vah autem dum præmaturè Parcæ *incomparabili* huic Principi vitæ filum abruperunt, tertiâ vice Thronum *Dreſdenſem* ſalutavit ex eâdem Gratiâ quâ *Sereniſſimi* Prædeceſſores ipſum exceperant, fuit etiam exceptus à tùm regnante Celſiſſimô Electore *Johanne Georgio* IV. ad ſidera hactenùs præmaturè evectô.

Quid defuit in *peregrinatione*, adfuit in frequenti librorum evolutione. Peregrinari in Muſæô tutiſſimum eſt, omneſque ità *peregrinantes* immunes ſunt à *Scylla* ut *Charybdi* vitiorum & periculorum. Quilibet bonus *Chriſtianus* eſt peregrinator in hôc mundô; Chriſtianus ſi es *Crucianus* & eris. Idem & *Hagendornius* boni Chriſtiani perſonam egit, ferendo & tolerando. Quicquid adverſi obvenit, in ſinum Dei depoſuit, ardenter orando, patienter ſuſtinendo, & conſtanter ſperando, ſimbolum ejus erat.

Dum ſpiro, ſpero, mea ſpes eſt unica Chriſtus.

Singulariter pietatem coluit ab ineunte pueritiâ, & ejus fructificam indolem ſenſit per omnem vitam, in quibuſvis humanis caſibus. Domum ſuam pietate replevit, bonô exemplô inquilinis præivit, & omnia pii *Chriſtiani* munia explevit, bonique *Patris-familias* perſonam egit & fidi Medici, id quod & commovit plures res ipſius *funeralia* largô lachrymarum imbre humectare.

Quemadmodùm in *theatrô* ubi perſonam noſtram præſentavimus, tandem expletis noſtris officiis diſcedimus; ità in theatrô hujus univerſi idem obſervamus.

Poſtquàm ſummo Archiatrorum Archiatro placuerat, Archiatro noſtro diſceſſum intimare; factum id erat leni inſultû *apoplecticô*, quem præceſſêre defluxiones à nimiâ & impurâ limphâ, (Corpus enim geſtabat Scorbutico-Succoſum,) vaſa vel diſtendente vel rumpente.

Eruditorum malum eſt, ob ſedentariam vitam, cumulare apparatum morbificum cui vitam dein reddit ærumnoſam, triſteſque inducit, & laſſitudine conſumendos dies.

Baccho non litabat *Pegaſus* noſter, ſed Apollini, ideò fugiebat omnes crapulantium *Cuneos*, non tamen erat moroſus, ſed converſabilis, & ubi honorificis conventibus intereſſe ob decorem & ſanguinis nexum oportebat; erat hilarioris mentis & præſentis animi, eruditô diſcurſû totum replens *ſympoſium*. Sic virtutis radii ubiquè emicant, lateant etiam quâcunque ſub nocte, tenebrarumque nigredine.

Summè deteſtabatur *bilingues*, aliud qui ore loquebantur, aliud tacitô ſub pectore condebant. Antiquam *Germanorum* * amabat fidem & ſinceritatem, & ubi hæc vigebat, tum aurea erant tempora; jam autem falſitate ſceptrum tenente & ſimulatione à conſiliis ſtante nulla fides pietaſque ampliùs viget, ſed omnia moventur ſurſùm deorſùm. Interim & hic alibi, latitat integer vitæ ſceleriſque purus, qui profanum vulgus odit & arcet, & horum ordinem augebat noſter. Hi ſunt, ut Poëta canit, *Juſti & tenaces propoſiti viri.*

Dies

Dies erat 27. Februarii præterlapſi (quem *Richterus* noſtras Medicis exitioſum pronunciat, & exemplis confirmat) quô poſt tertiam veſpertinam in publicâ plateâ, accinctus ad frequentandum *templum* cœnobii, ubi noſter erat conventus ob templum Cathedrale *Petro-Paulinum* miſerè exuſtum corripiebatur ſcotomiâ quam exceperat iterata Apoplexia, cum vomitu copioſiſſimo, ullo tamen abſque levamine. In domum Rhedâ vectô & lectô commiſſô vix minutiſſima intellectûs ſeſe exerebat ſcintilla, & cùm domeſtici conſternati inter ſacrum & ſacrum ſtantes, Medicum proximiorem, in plateâ à Fratribus dictâ, acceſſiſſent, omnia videbantur deſperata. Circa undecimam namque nocturnam & reſpiratio cum ſtertore & vita deſinebat, cum luctû & ſingultû uxoris, liberorum, agnatorum & omnium bonorum.

Hæc erat ultima linea rerum Hagendornianarum.

Poëtarum figmentum de Pegaſo eſt, quòd tandem in Cœlum fuerit ſublatus & inter ſidera locatus. Pegaſus noſter Chriſtianus, abſolutô vitæ terminô à ſummô Deô præfixô, aſtra petiit, & inter Angelicos choros triumphat.

In *Macrocoſmo* quandò ſingulares & notabiles mutationes inſtant, varia præeunt ſigna; ità in Microcoſmo prodromi exſurgunt qui de vacillatione & ruinâ ædificii nos certiores reddere ſatagunt. Domus etenim non facilè corruit, niſi concuſſio præceſſerit & tremor. Ità *Pegaſus* noſter jamdudum ſenſerat varia labaſcentis ſanitatis indicia. Nam difficilis reſpiratio à qualibet levi motione exorta, ipſum per plures annos exagitaverat, nec debitis adhibitis remediis, ceſſerat. Frigus hybernum ipſi imprimis erat moleſtum, excitando defluxiones, tuſſes, raucedines, cephalalgias & quæ plura. Prægreſſa lenis invaſio Apoplectica, de quâ ſuprà, iterationem paroxyſmi arguebat, exindè juſſerat, ut ſagax *Practicus*, venæ inciſionem in fortuitô inſultû, præterea generoſa in ſcatulam ſelegerat medicamenta, ipſi applicanda, certôque locô repoſuerat, quem priùs domeſticis intimârat. Aſt neceſſitate ingruente nemo de ſcatula, nemo de aſſervationis loco cogitabat. Sic ſumus miſeri in caſibus fortuitis, nec rectè ſapimus.

Incendium noſtrum *Görlicenſe*, antecedente *Annô* ruinam *urbi* minitans, fortiter ipſum commoverat, & ab illô temporis articulô ſanitatis ſtatum peſſundatum obſervaverat. Plures quippe agnatorum vorax hæc flamma tetigerat, initium exortûs capiens in ejus Affinis domo, quod non levem animi impreſſerat ægritudinem. Sapiens dominabitur aſtris, aphoriſmus ſonat; aſt Medicus vix ac ne vix quidem affectibus.

Mors præſupponit cauſam, quam evitare impoſſibile eſt, quia ille, cui omnia poſſibilia ſubjacent, ità jubet & imperiosè ordinat. Omnes enim una manet Nox, & calcanda ſemel via lethi.

Sic vitam traducit ad LII. annos, & quinque ſeptimanas. De Johanne Cratone à Kraffheim novimus, quòd Viennæ Trium Romanorum Imperatorum fuerit Medicus. Idem Hafniæ de *Simone Pauli* deprædicatur, quòd tribus Daniæ Regibus, ut Aulæ Medicus, adſtiterit. *Hagendornius* noſter Görlicenſis, Trium *Saxoniæ* Electorum Archiatri titulum geſſit. Ergò

Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.

Turpe eſſe ſi Medicus moriatur Juvenis, ſunt qui blaterant; verùm ſat diù vixit, qui benè vixit. Turpe eſt, regero, diu vixiſſe & nihil virtuoſi egiſſe. Qui maturè obit, maturè perfectionis centrum attingit. Quo collimat ſapientiſſimi Ethnici Senecæ dicterium, ità ſonans; Natura nihil hominibus brevitate vitæ præſtat melius. Diu enim vivere, diu torqueri Chriſtianus reponit. Qui quinquaginta Annos vivendi ſuperavit, attigit ætatem, hôc noſtrô ſeculô frequenter vitæ curſum abſolventem. Non jam tot numeramus ſeptuagenarios quot præcedentia calculabant tempora. Rarum certè eſt, & ùt poſteritati conſecretur, dignum, quòd Annô 1692. Viennæ in Imperatoriâ ſede ſacratiſſimi noſtri *Leopoldi* Dominus Doctor Paulus Eſaias *Plöckner*, exactis in matrimoniô L. Annis cum Maritâ, de novô Nuptias celebravit, plures Aulæ Cæſareæ Proceres invitavit, & novam hanc feſtivitatem nuptialem cum gaudiô & exultatione replevit & finiit. Verùm, ubi plures offendimus Medicos, quibus eadem obvenit felicitas? Vix erunt numerô totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili: At quid ſubtiles nectimus ſermocinationes, metam attigit *Poliater* noſter quam Deus ipſi præfixerat, hanc non poterat ſupergredi aut tranſilire.

Quieſce ergò in Tumulô Tuo *Eruditiſſime* Hagendorni: Præiviſti, Nos Te ſequemur cùm *Jehova* juſſerit, interim monſtravi hiſce lineolis incomtis & levidenſibus me fuiſſe Tuum Amicum uſque ad Urnam.

D. O. M. A.

Dum Roſa Sylveſtris florebit, crede, virebit
  Hagendorn, noſtri portio magna Chori.
Catechu Medicô velut eſt valor amplus in orbe;
  Hagendorn Phœbo ſic quoque gratus erit.
Donec erunt doctis *Rulandi* pharmaca nota,
  Hagendorn doctis laude decorus erit.
Hiſtorias medicas dùm cernet Turba medentum;
  Hagendorn ipſis Practicus aptus erit.
Donec Ephemerides Magnatum pulpita ſcandent
  Hagendorn Magnis nomine notus erit.
Ergò non totus moritur, mens enthea durat,
  Atque inter Muſas Fama ſuperſtes erit.

Affini, Compatri, Amico ſincero, ſincerè ſcribebat Görlici Luſatorum

Samuel Ledel, D. huc uſque Ducatûs Phyſicus, & loci Practicus Annô 1693. Die 27. Febr. qui tibi erat emortualis ante Annum.

De eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Tractatus Phyſico-Medicus, de Catechu, ſive terrâ Japonicâ, in vulgus ſic dictâ. Jenæ, apud Johann. Bielkium, 1679. in 8.

Cynosbatologia. Ibid apud eundem, 1681. in 8.

Martini Rulandi, Patris, ſecreta ſpagirica; ſive plerorumque Medicamentorum Rulandinorum genuinas deſcriptiones cum ſcholiis edidit. Jenæ, litteris Gollnerianis, 1676. in 12.

Hiſtoriæ Medico-Phyſicæ. Arnſtii apud Rudolprad. 1690. 8.

Obſervationum & Hiſtoriarum Medico-Practicarum rariorum Centuriæ tres. Quibus annexa Analecta quædam ad Hiſtorias nonnullas illuſtrandas. Francofurti & Lipſiæ, apud Joh. Wiliſchium, 1698. 8.

Obſervatio, de Vermiculis in fungis Cynosbatum inventis. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. 2. N. 189.

De vermiculis alatis in Roremarinô repertis. Ibid. Ann. eod. N. 190.

De fœtore in fœminâ perditiſſimô. Ibid. Ann. eod. N. 191.

De Hæmorrhoidibus in virô, ſingulis ſtillantibus menſibus. Ibid. annô eôd. N. 192.

De Columellæ abſentiâ à nativitate. Ibid. Ann. eôd. N. 239.

De Cryſtallis Benzoes. Ibid. Ann. eôd. N. 340.

De ovis duplici vitellô præditis. Ibid. Annô eôd. N. 341.

De Nucleô in aſperam arteriam illapsô & per tuſſim iterùm excretô. Ibid. Ann. eôd. N. 342.

Ex Exenteratione Chirurgi cujuſdam Gorlicenſis calculoſi. Ibid. Annô eôd. N. 343.

De Sanguine in Epilepſiâ V. S. emiſsô maculoſô. Ibid. Ann. eôd. N. 344.

De Convulſionibus miris. Ibid. Annô eôd. N. 355.

De Glandulis catenatim in febre malignâ per alvum rejectis. Ibid. Ann. eôd. N. 356.

De Cephalalgiâ ſtatâ affligente horâ, pediluviô ſanatâ. Ibid. Ann. eôd. N. 357.

De Sphacelô à forti ligaturâ. Ibid. Annô eôd. N. 358.

De Maculis quotannis ſtatô tempore efflorescentibus. Ibid. Annô eôd. N. 358.

De contumaciſſimâ alvi ſtipacitate curatâ. Ibid. Anno 3. *N.* 26.

De Sanguine poſt variolas per digitos pedum tranſſudante. Ibid. Ann. eôd. N. 27.

De Vermiculis aliquandiù poſt variolas cum urinâ excretis. Ibid. Annô eod. N. 28.

De Lacte ex Mammis non gravidæ nec puerperæ, nec lactantis. Ibid. Ann. eod. N. 136.

De ollis fictilibus in argillæ fodinis inventis. Ibid. Ann. eôd. N. 137.

De fonticulorum utilitate in ulceribus Chronicis. Ibid. Ann. eod. N. 214.

De Lineâ rubicucundâ cum veſiculis in hypochondriô ſiniſtrô. Ibid. Anno eod. N. 215.

De ſingulari Olei lini virtute. Ibid. Annô eod. N. 216.

De mirâ vermiculorum in ſpongiis Cynosbati metamorphoſi. Ibid. Ann. eod. N. 217.

De falsâ ingravidatione vomitû ſanguinis coagulati detectâ. Ibid. Anno eod. N. 218.

De inſolitis per crura hydropici excretis. Ibid. Annô eôd. N. 219.

De tremore linguæ poſt tertianam admirando. Ibid. Ann. VI. *&* VII. *N.* 15.

De Balſamô tertiæ Catechu Vulnerariô. Ibid. Ann. eôd. N. 16.

De Lithontriptico inſigni. Ibid. Anno IX. & X. *N.* 72.

De Gravidâ Melancholicâ nonniſi vomitoriis curatâ. Ibid. Anno eod. N. 73.

De usû Catechu in vulneribus oculorum. Ibid. Ann. eod. N. 74.

De ſingulari Calculorum humanorum figurâ. Ibid. Decur. 2. *Anno* I. *N.* 162.

De virtute liquoris ex Cantharidibus prolecti. Ibid. Ann. eôd. N. 163.

De eô præterea habentur in Miſcell. Cur. Dec. 2. *Annô* 3.

Obſervatio 28. *De Liquoribus per Alembicum coloratis deſtillandis.*

Ibidem Obſervatio 29. *De variis Colorum phænomenis.*

PErcolabam ſuperioribus annis *acetum Caryophyllorum hortenſium* per linteum, huic exſiccato linteo & tincturâ purpuraſcente adhùc prægnanti, casû quôdam affudi lixivium ex cineribus Centaur. min. factum, unde in momento, colore lintei rubicundô evaneſcente, mutabatur in viridiuſculum. Huic linteo viridi tincturâ impprægnato iterùm affudi acetum Caryophyllorum & color purpureus redibat priſtinus.

Eſſentiam nitri paraturus olim ſequens animadverti phœnomenon. Nitrô probè contusô & ſubtiliſſimè pulveratô affudi ſpirit. Vini alcoliſatum, factâ ſolutione colaturam filtravi quam per aliquot hebdomadas ſuper fornace digeſſi; unde apparuit *liquor Cæruleus* amabiliſſimi saporis odoriſque, *polychreſtum in febribus* non contemnendum.

Si cum decoctô calcis vivæ (pro impuritatibus cutaneis amoliendis) miſceas Mercur. dulcem Saccharum Saturni, & aquam roſarum; licèt omnia ritè fuerint præparata, videbis *Sedimentum* deponi *nigricans*.

Liquor lacteus prodibit, ſi oleum ſalis optimum miſceas cum floribus ſulphuris ut fiat quaſi pulticula eandemque poſteà per retortam deſtilles; in *hydrope* euporiſton.

Affunde limaturæ Mart. Spir. Nitr. p. II. Vitriol. p. I. & experieris, liquorem futurum eſſe *viridiuſculum* circa vitri latera viſcoſum, & in circulô folia inſtar Auri lamellati ſplendentia paſſim præſentantem.

Tincturæ bezoarticæ cum flor. papav. errat. paratæ, ſi ſpiritum ſalis Ammoniaci admiſceas, illicò liquor conſurget *niger & atramentoſus*.

Ibidem Obſervatio 30. *De Admirandis ſalium figuris.*

Ibidem Obſervatio 31. *De Palingeneſiâ.*

ANimus olim erat ſpirit. Vini præparare; omnibus quoque ad negotium hocce, ut decet, ritè adornatis, præterquam quòd liquor Vulcano committeretur. Avocatus autem præter ſpem ab ægrotante quodam iter peregrè faciendi causâ cucurbitam vinô repletam in arenâ quieſcere ſivi ſine igne ſubditô. Priuſquam verò domum redirem, frigus atrociſſimum inopinatò ingruens vinum in deſtillatoriô congelaſcere fecit. Hinc domum redux factus, & ſpirit. Vini deſtillaturus vidi vinum congelatum per totum ſimul *diſperſis ramuſculis cum foliis albicantibus vitem præſentantibus*, quod phœnomenon & mecum domeſtici tunc viderunt, per ignem tamen ſubditum iterùm evaneſcere.

Ibidem Obſervatio 32. *De Oleô Conulorum Pini deſtillatô.*

QUibus in Medicinâ virtutibus ſe commendet *Pinus* arbor ſcorbutica Belgis jam olim dicta, puto eſſe notiſſimum. Nec prolixiori opus erit Catalogô recenſere, quæ inde parari aſſolent pharmaca: Præſtitit id ante annos non ita multos notiſſimus ille *Crügnerus* in *Ehnmiſchen Tannebaum*. Ità ex eôdem aliiſque obvius quoque erit modus deſtillandi oleum, quod optimæ cenſetur notæ, ſi colore aureô alembicum tranſcendat, ſi odore gratiosô nares feriat, ſi ſapore oleosô-acri linguam afficiat. Licèt illud, colore viridiuſculô, quod ſe ſpectandum præbet, non minorum ſit virium.

Quantas in *arthritide vagâ* inter exhibitionem quoque internorum exſerat vires, non ſemel ſummâ cum admiratione obſervavi. Miſcui id ipſum quandoque cum ſpiritu lumbricorum terreſt. & formicarum, mandavique, ùt jam dolore ſæviente (ubi anti-arthritica externè citiùs & certiùs operantur) id crebriùs illinerent, ceſſante verò dolore ab eôdem quoque ceſſarent. In *ſtupore, Paralyſi* &c. miſceo cum vinô aduſtô, magnô ſanè cum emolumentô: In *dolore iſchiaticô*, itemque *nephriticô* externè utrumque fecit paginam. In *aſcite* cum *quartanâ*, præmiſſis univerſalibus, internè ad guttulas aliquot quotidie ex Cereviſiâ calidâ exhibitum juvenem pro deſperatô habitum reſtituit. Sic in *dolore Colicô* præmiſſô clyſtere cum aliis remiſſum multùm tulit levaminis. Hinc perſuaſus omninò ſum, & in aliis affectibus, ubi ſalia vol. oleoſa locum habent, non ſine egregii ſpe ſucceſſûs idem poſſe propinari. Tantâ enim ùt hæc obiter addam, ſi rectè fuerit præparatum, pollet acredine, ùt cuticulæ præprimis colli illitum moleſtiſſimum inferat pruritum, quòd cuidam ante triennium ex improviſô accidit, juranti ſe geminum inde pruritum ſenſiſſe illi, qualis vel ex alumine plumoſo, vel ex arillis cynosbati, joci cauſâ collo interdùm adſpergi ſolitis, ſubnaſci ſolet.

Ibidem Obſervatio 43. *De ſingulari Odontalgicô ex Magmate Olei Pini.*

INter ſexcenta illa, quæ odontalgiæ dicuntur eſſe ſopiendæ, experimenta, & ſequens apponi geſtit. Aſſumito viliſſimum illud Caput mortuum, neglectioni aliàs deſtinatum, poſt Olei pini deſtillationem reſtitans, nigricans, & auſteriuſculum. Hoc per chartam bibulam, vel linteum ſubtile colabis, colaturam in arenâ leniter evaporabis, atque ad conſiſtentiam extracti inſpiſſabis. Exinde ſive pilulas, ſive trochiſcos, prout lubido eſt, poteris efformare, eaſque ſive ſolummodò, ſive cum paucâ farinâ miſtas denti imponere doloroſo. Finitô vel quantillô temporis multùm lymphæ viſcoſæ per os rejicies, quaſi ſalivationem adminiſtrâſſes, dolorque ſenſim ſenſimque remiſſior tibi erit. Diſſolutâ primâ pilulâ, vel trochiſcô, applica alteram tertiamque & levamentum inde experieris non leve. Loco *ſuperpondii* addo; ſi quando magma modò dictum, purè colatum cum ſ. q. aquæ fontanæ miſcueris, idque gargariſmi locô *in faucium inflammationibus* tepidè uſurpaveris, majora debebis ipſi encomia, ac commendatiſſimo aliàs hoc in affectû nitro.

Ibidem Obſervatio 34. *De Araneis.*

Ibidem Obſervatio 35. *De Eſû Cancrorum noxiô.*

SUnt, qui non levi tenentur faſtidiô eorum quoque, quæ alioquin aliis in optima cedunt fercula, ſive id fiat ex quâdam idioſyncraſiâ; ſive ex nauſeâ ob frequentiam & multitudinem quorumdam Ciborum enatâ. Novi ego virum quendam quadragenariô majorem, qui ſuperioribus temporibus eſum Cancrorum tantô haberet in pretiô, tantiſque in deliciis, ùt ſepoſitis aliis ferculis, licèt lautioribus, iiſdem vel ſolis delectaretur. Aliquot jam ſunt anni quòd poſt comeſtionem Cancrorum ex improviſô ſenſit nauſeam primò, ſequente mox inflatione pectoris, colli capitiſque, cum anxietate quâdam conjunctâ, efflorеſcentibus unà maculis rubicundis ſeroſiſque per pectus & caput, quæ verò ſymptomata tandem ſudore ſive ſpontaneô, ſive arte factô, ſenſim ceſſârunt. Ab eô tempore, quamvis nè nauſeam quidem inde viſus ſit habere, tamen comedens ſaltim unum vel alterum Cancrum, mox in priſtina relabitur ſymptomata, quæ per annos præcedentes aliquotiès ipſum mirè exercuerunt, ùt hinc Cancrorum eſui penitùs valedicere coactus fuerit.

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 69. *De Partû numeroſô.*

Ibidem Obſervatio 70. *De Eſû abſurdorum.*

Ibidem Obſervatio 71. *De Ollis fictilibus oſſoſis.*

Ibidem Annô 5. *Obſervatio* 87. *De Fermentatô ex Brancâ Urſinâ, Bartſch dictô.*

Ibidem Obſervatio 88. *De Diarrhœâ ex Arcanô Tartari liquidô.*

Ibidem Obſervatio 89. *De Iſchuriâ Chalybe curatâ.*

PAnnifex quidam annis ſuperioribus ſaccos lanâ à ſe coëmta oppidò infarctos hincque difficilioris geſtationis factos, temerariô auſû removere manibuſque pro lubitû tractare ſategit. Hinc negotiô peractô, domum redux experitur ardorem urinæ, quæ primò guttatim effluxit, poſteà in totum retineri cœpit. Ea propter dolor exacerbatur, regio pubis intumeſcit neſcitque, quo ſe vertat, miſer. Ex variis, quas domus ſuggerit medelis nihil levaminis perſentiſcit, præter guttulas urinæ cruentas nonnullas, nonniſi magnô conamine quas eminxit. In conſilium ego vocatus exhibui diuretica ex tartaro, terebinthina &c. ſed ſine ſucceſſû. Tandem metû ſanguinis alicujus extravaſati circa vias urinarias reſtitantis, juſſi ùt pauperculus Chalybem ignitum in aquâ fontanâ aliquotiès extingueret, & hinc ejuſmodi aquam chalybeatam ſucceſſivè ad aliquot cochlearia uſurparet, ſic impetratum eſt, ut ſubortô priùs membri virilis dolore longè acerbiore, ſanguis grumoſus loco urinæ, prodiret, ſequente hinc ipſâ urinâ, & tandem integra valetudine. De Iſchuriâ ex grumô ſanguinis ſuborta videri quoque poteſt *Zacutus prax. admir. L.* 2. *Obſ.* 65. *p. m.* 186. 7. quô locô ſtercoris bovini recentis applicationem pro pube mirè deprædicat.

Ibidem Obſervatio 90. *De Tumore femoris monſtroſô.*

Ibidem Obſervatio 91. *De Liquore Quernô antipodagricô.*

ANnoſam quercum, emorique ferè neſciam, ob ſal ſuum vitriolicum ex mente *B. Hoffmanni* in *Clav. Schrod. tit. de quercû*, vel juxtà *B. Ettmüllerum* in Commentario *in hunc locum*, ob facultatem nitroſam, elegantiſſimas languentibus præbere medelas, in propatulo eſt. Quarum pleræque id habent commodi, ut ſanguinis ſerique fluores inordinatas coërceant, & in ordinem redigant naturæ accommodum. Hinc in hæmorrhagiis, diarrhœis, diabete &c. totô uſurpantur die. Ut taceam viſcum quernum hanc præ aliis hujus arboris partibus poſſidere prærogativam, quod Epilepſiæ medeatur ſpecificè.

Ex quercû autem euporiſton in podagrâ ſubnaſci, vel peti poſſe, non ità obvium quotidianum eſſe puto. Multi enim, quos in rem conſului, Botanographi nihilum de hâc in ſcriptis conſignarunt. Quemadmodùm igitùr dies diem docet, ſic etiam præter alias, quibus gaudet quercus, facultates, Antipodagrica inventa eſt. Novi virum ſeptuagenariô majorem in finibus Bohemiæ qui per decennium & ultrà, doloribus crurum periodicis inſigniter cruciantibus, cumque inflammatione & tumore conjunctis, conflictatus fuit. Primos per annos, ut fit, benè multos conſuluit, multis quoque uſus eſt antipodagricis ſic dictis, ſpe alicujus effectûs. Sed ſpes decollavit. Tandem è plebejô homine remedium, ut dicebat, minimè fallax propalatur. Nempè colligendum eſſe poſt cæſas quercus in ſummitate truncorum (*auf den alten Eichenen Stocken*) liquorem aquoſum facilè reperibilem, eundem ſtudiosè per linteum colandum & depurandum, hinc tepidè cum linteis locis dolentibus ſubindè applicandum, ſic fore, ùt in dies meliùs ſit habiturus patiens. Sequitur effectus quem homo prædixit, feliciſſimus. Cæteroquin, ut de meô aliquid in rem addam, novi per experientiam, decoctum ſcobis ligni querni, *wie ihn die Lohgerber brauchen*, in arthritide vagâ, fœtore & madore pedum inſignis eſſe emolumenti aliquotiès uſurpatum externè.

Scholium

Aquam in marceſcentium quercuum repertum cavitatibus, ſcabiem omnem ulceroſam etiam ſanare, Paul. Renealmus ſpécim. Hiſt. plantar. & Petr. Andr. Matthiolus Comment. in Dioſc. ſcribunt; quam uti à pluviali aqua ibidem collecta, & tractu temporis particulas ſolubiles è querni ligni tubulis extrahente ortum & vires deſumere, exiſtimo: ita & huc liquorem aquoſum in ſummitate truncorum reperibilem eſſe referendum, ſuſpicari liceat; cui itaquè ligni querni recentis cum aqua pluviali facta infuſio ſubſtitui, eâdem fortè efficaciâ, poterit.

Ibidem Obſervatio 92. De Euporiſtô ad ſtrumas.

QUæ ſtrumis amoliendis eſſe poſſunt, amplâ ſegete collecta hinc indè videas apud Practicos, ità ùt vix inveniatur ullus, qui ſingulare quid hîc poſſidere non glorietur. Liceat mihi vile quidem hoc, interim tamen fructuoſum, addere. Laborat puella quædam ex ſtrumâ per aliquot annos, in dies auctiore factâ. Parentes varias conquirunt artes pro medelâ, ſed incaſſùm. Deniquè inſtar arcani ipſis communicatur mus minor, quem jubentur capere, eundemque in conſpectû ſtrumoſæ filiolæ per medium diſſecare, ſanguine exſtillante ſtrumam calidè aliquotiès fricare, hinc filum cruore hôc madidum collo alligare, tandiù relinquendo uſquedum ſponte decidat filum. Sic factum eſt, ùt ſtrumam in dies decreſcere, deformemque anteà puellam poſtliminiô formoſam factam viderint parentes. An negotium hoc apud plures eôdem ſucceſſû ſit uſurpandum, propediem datâ occaſione experiar? Alias de ſanguinis hujus virtute ſtrumas abigente nil uſpiam legi, nec audivi, licèt non ignorem ex Schröderi Pharmac. Chym. l. 5. ſ. 1. p. m. 682. pellem junioris muris detractam gangliâ conſumere, itemque ex Clar. Hoffmanni ſuper. loc. cit. Clave, murem diſſectum aculeos extrahere, ſagittas & alia, impoſitum.

Ibidem Obſervatio 93. De Fungô Sorbi aucupariæ anti-dyſenterico.

FUngis arborum quarumdam à Medicis Practicis multæ magnæque paſſim aſſignantur vires. Sic fungus ſalicis rubræ inter alias dotes excellens perhibetur eſſe antiphthiſicum. Confer *Annum Ephemer. Germ.* II. *Dec.* II. *p. m.* 310. itemque *D. Ludovici Pharmaciam tit. de anod. p. m.* 688. à granis V. ad VIII. bibonibus præſertim phthiſicis exhibitos. Cynosbati fungos cum ſucceſſû uſurpari in lithiaſi, diarrhœâ, agrypniâ, præſertim infantum, ubi pulvinaribus, eorum ſupponuntur à mulierculis, notum eſt, de quô etiam in *Cynoſbatologia* olim pluribus egi. Item, *wenn die Kinder Schwamme haben*, fungos ſambuci in aquis appropriatis infuſos dilaudavit B. D. *Michaëlis* in *Collegio Schröderiano*. Quô locô & fungos quercubus adnatos pro egregiô antidyſentericô habuit vir laudatiſſimus. In fluxu ſanguinis quocunque præternaturali fungos betulæ commendat *Hartmannus in not. ad Croll. p. m.* 343. De fungis juniperinis menſe Majô ante exortum Solis tempore ſerenô, & ventis liberô, collectis, & in vitrô ad radios Solis liquorem ſolutis, pro ſpecificô antiparalyticô, legi poteſt. D. D. *Martinus Bernhardi de Berniz in faſciculô* II. *Medd. Cnöffelian. tit.* 25. *p. m.* 184. *Annô Ephem. Germ. VI. annexô.* Quibus fungis annumerare quoque viſum eſt fungum, ſorbo aucupariæ, *Eibraſchbaum* dictæ, adnaſcentem, inventûque equidem rariorem, quoniam inter decerpendas baccas utplurimùm à plebe, tanti uſûs neſciâ, ſimùl decerpi, perdique ſic ſoleat.

Fungus autem iſte levis eſt, albicans, ſpongioſus, cui in locô ſicciore aſſervato, ſiccatoque tanta tribuunt nonnulli ex ruricolis, ùt tanquam ad ſacram anchoram in morbis etiam deploratis, confugiant, in dyſenteriâ verò potiſſimùm ſummis eundem extollentes laudibus. Hinc fungi particulam groſsè contundunt, vel, quia difficulter in pulverem redigi poteſt, *reiben ihn auf einem Reibe-Eyſen*, atque à ℈ß. ad ʒß. in liquore idoneô ità propinant, iterando ejus uſum ad ceſſationem mali uſque. Et hoc euporiſton & ipſe apud alios proficuum expertus ſum, idque ipſum inter alia tùm curioſitatis, tùm neceſſitatis gratiâ, hactenùs aſſervavi.

Ibidem Obſervatio 94. De Pellis Leporinæ in Vigiliis uſû.

DEcumbit quidam juvenis ruſticus ex febre ardente, præter alia ſymptomata complura quoque vigiliis pertinaciſſimis conflictatus. Mater ægrotantis filii nihil petit à Medicô conſilii, neque auxilii, rata, modò agrypnia ceſſaret, rem omnem fore in ſalvô. Hinc ex commendatione, vicinæ cujuſdam conquirit pellem leporinam, recentem, adhùc ſanguinolentam, accelerandoque ad filium, eôdem neſciô, ſub pulvinari eandem recondit. Filius ſubſequente nocte ad votum dormivit, poſterô die ſalubriùs paulò ſe habens, Morbus tandem & ipſe, naturæ forſan robore magis, ſenſim decreſcit, ægerque ſic convaleſcit. Quare rumor fit in pagô de tantâ virtute leporinæ pellis in vigiliis tollendis. Singulare quid eſſet, niſi ſuperſtitio quædam in partes ſimùl veniret. An ex Helmontianâ hypotheſi dicendum, cùm lepus ſit animal pavidum & manſuetum, cruorem quoque ejus, ſub pavore mortis interfecti, ejuſmodi ideâ formidoloſâ ſigillari,

lari, huncque cruorem poſteà vel in ſubſtantiâ vel pelli adhùc illitum, externè applicitum perindè pavidâ ejuſmodi ideâ afficere Archeum hominis furentem, ùt furorem ſic, exuere, animali Oëconomiæ pacatiorem ſtatum & ſic per conſequens ſomnum reddere cogatur. Verùm, quoniam in cauſam rei curioſiùs ſine dubio inquiret D. D. *Paullini*, collega noſter Curioſus in *Lagographiâ* ſuâ, nè verbulum quidem placet addere ampliùs.

Ibidem Obſervatio 95. *De Capillis illitû aquæ apoplecticæ albedine tinctis.*

Biennium eſt, & quod excurrit, cùm ad me veniret nobilis quædam Vidua per plures annos ex hemicraniâ cum vertigine laborans. Adhibitis variis pro amolitione doloroſi hujus ſymptomatis, tandem ſuaſû amicæ cujuſdam totam propè calvariam aquâ apoplecticâ frequentiſſimè inunxit. Continuando hujus aquæ uſum, poſtmodum perſentiſcit non modò capillorum defluvium, ſed renaſcentes poſthàc capillos, antehàc colore ad nigredinem vergentes, effloreſcere nùnc ſubalbidos, & cineritii velut coloris, cœteris in confiniô, quos aqua non tetigerat, nigricantibus, ridiculô ſpectaculô, permanentibus.

Ibidem Annô 6. Obſervatio 144. *De Quartanâ pediluviô ſanatâ.*

Pedibus cum univerſi corporis machinâ multùm intercedere affinitatis, norunt illi, qui adminiculante Anatomiâ, artificioſam eorundem ſtructuram, atque arteriarum, venarum, nervorumque in eorum extremitatibus terminum, recurſumque intimiùs cognitum habent. Hinc & veteribus in more poſitum fuit in certi generis morbis pharmaca pedibus applicare, ceu in deliriis, cephalalgiâ, maniâ, febribus malignis, tuſſi, aliisque compluribus affectibus, de quibus Autores Medici uberiùs conſuli poſſunt, ut latius hìc non excurram, atque in favorem conſenſûs hujus plura conquirere videar argumenta, lubet aſſertionem hancce meam ſequente hiſtoriâ practicâ roborare. Litteratus quidam, declinante autumnô, ante annos non ità multos quartanæ paroxyſmis ſemel, iterùm, tertiùm corripitur. Medicinæ impatiens ob negotia domi foriſque expedienda, idoneum ſibi, febriſque amoliendæ ſpecificum poſſit remedium. In mentem venit egregius ille, multôque ſale conditus tractatus de ſale D. *Sophronii Kozabii*, quô *Cap.* 10. *Sect.* 12. *p. m.* 54. profitetur, omnia ſymptomata febrilia mirè abbreviari, ſi horâ unâ alteràque ante acceſſionem pedes febricitantis in lixivium tepidum immerſeris, immerſoſque in eodem cuſtodieris, hâcque methodô plures quartanas difficiles à ſe curatas fuiſſe, celebratâ pariter V. S. additâ quoque in rei fidem ratione, quòd in pedibus quieſcant intermittentium morborum ſeminaria, itemque p. 33. pergit aſſerendo, quòd ſemen febris in extremitate venarum vix ad drachmam unam, imò grani unius tantùm ponderis invenire liceat. Hinc optimi Authoris veſtigia ſecutus pediluvium ex herbis quibusdam antifebriticis cum Alumine, Sale &c. in lixiviô communi coquendis, diebus intercalaribus circa veſperam, diebus autem paroxyſmi inſtante mox rigore, utendum. Quid fit? pediluvium hocce talis fuit energiæ, ùt intra octiduum penitùs penitùsque ceſſaret paroxyſmus, ſecutô ſemper à pediluvii hujus uſû ſudore copioſô. Quare niſi optimô diætæ regimine hic quartanæ candidatus ampliùs uſus abſque recidivæ ſequelâ convaluit. Idem ſe cum ſucceſſû quoque aliquotiès feciſſe, pedes nempè in rigoris acceſſione in lixivium calidum immittendo, affirmat, *Exc. D. D. Wedelius in Pharmac. Acroamat. l.* 3. *Sect.* 2. *c.* 7. *p. m.* 352.

Ibidem Obſervatio 145. *De Nonagenariâ menſtruatâ.*

Sexus ſequioris proprium quaſi eſt, ùt à pubertatis annis ad ſenectæ incipientis annos, ſingulis menſibus, niſi vel morbus quidam obſtet, vel uterô gerant, fluxum menſium patiantur ordinarium. Videas tamen hunc Naturæ ordinem non raró vel anticipando vel poſtponendo inverti; ità ùt vel *quadrimæ* puellæ, notante *Tulpio Obſ. Med. l.* 3. *c.* 36. *p. m.* 255. Vel *Sexennes*, obſervante D. D. *Wedelio Annô V. Dec.* 2. *Ephemerid. Germ. Obſ.* 77. *p. m.* 184. Vel *Undecennes*, ex obſervatione *Timæi à Güldenflee Caſ. Med. l.* 4. *Caſ.* 13. *p. m.* 211. ab eodem non ſint immunes. In vetulis, tumulô licèt proximis, pariter hunc naturæ luſû aliquandò obſervare licet, dùm nonnullæ ad ſexageſimum uſque, quod ego notavi, quædam ad ſeptuageſimum, aliæ ad octuageſimum ætatis annum, lunare hoc tributum ſolvere coguntur; Cujuſmodi exempla ap. *Fabric. Hildanum Centur.* 2. *Obſ.* 61. *p. m.* 135. *Th. Bartholinum Hiſt. Anatom. Centur.* 3. *hiſt.* 90. *p. m.* 183. 4. *itemque in ejuſdem Epiſt. Med. Cent.* 2. *Epiſt.* 86. 7. *p. m.* 499. *& Centur.* IV. *Epiſt.* 87. *p. m.* 498. *Timæum à Güldenflee, in Caſ. Med. lib.* 4. *Caſ.* 14. *p. m.* 214. *Levinum Lemnium de occult. nat. mirac. claſſ.* 4. *c.* 24. *p. m.* 706. alioſque complures legi poſſunt. Admiratione autem non caret, tanquàm hiſtoria inter rariores rariſſima, quæ ſequitur.

Vixit hìc loci matrona quædam non infimæ conditionis, juvenilibus annis bis maritata, hinc ad mortis uſque articulum vidua. Huic optimus *Deus* id naturæ robur conceſſerat, ùt maximam ætatis partem ſine morborum inſultibus libera agere poſſet, quæ vellet; inſtructa quoque eâ valetudinis integritate, viſcerumque benignitate, ùt potum, licèt frigidiſſimum, ciboſque difficillimæ concoctionis ſine noxâ & aſſumere & perferre valeret, præterquam quòd circa annum ætatis nonageſimum de quâdam viſûs obſcuritate, & languore conqueri cœpiſſet. Annum ætatis nonageſimum ſecundum ſupergreſſa nihil tale cogitans, iiſdem per quadraginta circiter annos ſilentibus, perindè ac juvencula ſucci plena, experitur menſes ſtatô tempore fluentes, primò quidem ſibi, aliiſque formidine aliquâ inde incuſſâ, poſteà verò, cùm nihil detrimenti indè ſentiret, *Dei* arbitriô, naturæque extraordinariè ſic ludentis curſui, re totâ commiſſâ. Continuante ſic fluore hôc menſtruô per anni ſpatium, tandem is imminui, imò ſenſim ſenſimque evaneſcere cœpit. Subſequente poſtmodùm omnimodâ viſûs privatione, non ſine cordolio & lacrymis cognatorum, ſuccedente unà febrili quôdam calore cum aliis ſymptomatibus conjunctô, uſque dùm viribus fracta, vitæque & annorum, quos quatuor ſuprà nonaginta numerabat, ſatura, annô 1686. D. 7. Februar. animam *Deo* redderet.

Ibidem Obſervatio 146. *De Maſſâ Pilularum Ruffi odontalgicâ.*

Egregiæ & compoſitionis & utilitatis eſſe *Pilulas* illas ab inventore *Ruffô* antipeſtilentiales

 dictas,

dictas, hincque in Pharmacopoliâ translatas, vel me tacente non ignorabunt Medici practici. Baſin debent ſuam Aloë, ingredientibus pariter compoſitionem gummate Ammoniacô, Myrrhâ, & Succô limonum, à Veteribus pro antipeſtiferô medicamine commendatæ, nec à modernis faſtiditæ. Quæ ipſæ pilulæ præter dotes alias, quas largiter poſſident, & hoc habent commodi, *ut dolores dentium* etiam acerbiſſimos mirè ſopiant, & cum applauſû ægrotantium uſurpentur. Utendi autem modus hic eſt, ſolvuntur vel aliquot pilulæ, vel certa quædam pars maſſæ in acetô vini, liquorem ſolutum cum goſſypiô denti doloroſo applicant, unde quantocyùs levamen non exiguum percipitur, experimentô tùm in aliis, tùm in me ipſô plus vice ſimplici factô. Et hæc *maſſa pilularum Ruffi* ingreditur quoque maſſam illam Odontalgicam *à D. D. Bernhardô de Berniz in faſciculô 2. Medd. ſingular. Tit.* X. *p.* 77. *Annô* VI. *Ephem. Germ.* annexô, literis conſignatam, quæ ſic componitur; ℞. *Vitrioli uſti* ℥j. *Opii correct.* ℈ij. *cortic. mandragor. Ol. Philoſophor. āā.* ℈ß. *Maſſæ pilul. Ruffi, q. ſ. pro conſiſtentiâ.* Fiat maſſa.

Ibidem Annô 7. Obſervatio 157. Flores & Cryſtalli Nitri.

Ibidem Obſervatio 158. *Cinnabaris nativa & antimonialis vis dejectoria.*

HAGERUS (*Abrahamus Achatius*)

De eô extat

De Aloë aculeatâ Americanâ quæ Choræ, Miſniæ Oppido, in Hortô Generoſiſſ. Dn. Conrad. Lœſeri in Sahlitz. A. C. 1663. floruit. Altenburgi, 1663. in 4.

HAIN Paterſonius (*Johannes*) Boruſſus, Phyſicus Eperienſis in ſuperiore Hungariâ.

Ex eo habentur

Obſervatio, de Fœtûs extra uterum propendentis ejulatû, & reditû in uterum. Extat Ephemerid. Acad. Natur. Curioſ. German. An. 1. *N.* 62.

De Hypochondriaci excretis omnibus nigris. Ibid. An. eod. N. 63.

De Tincturâ Coralliorum. Ibid. Ann. eod. N. 150.

De Experimentis Microſcopicis. Ibid. An. 2. *N.* 27.

Obſervatio, de Mineralibus quibuſdam Hungariæ. Ibid. Anno eod. N. 28.

De Uterô dehiſcente ingravidâ. Ibid. An. eod. N. 29.

De Aurô Vegetabili ſeu vita Hungariæ aureâ. Ibid. An. eod. N. 113.

De Diarrhœâ malignâ. Ibid. Ann. eod. N. 114.

De Cochleâ in Lucii piſcis capite repertâ. Ibid. An. eod. N. 115.

De Helite in Onyche. Ibid. Ann. eod. N. 116.

De Experimentis quibuſdam Chymicis. Ibid. An. eod. N. 117. *& in Annotat. An.* 3. *ad eam.*

De Antipathiâ ad Mercurium. Ibid. Ann. eod. N. 118.

De Draconibus Carpathicis. Ibid. Ann. 3. *N.* 139. *&* 194.

De Plicâ pudendorum muliebrium. Ibid. Ann. eod. N. 220.

De Enematum utilitate & facili applicatione. Ibid. Ann. eod. Num. 221.

De Lappæ majoris experimentô. Ibid. Ann. eod. N. 222.

De Napellô. Ibid. Ann. eod. Num. 123.

De Vermibus ſtomachô rejectis. Ibid. Ann. 4. *&* 5. *N.* 80.

De Vermibus in acetô pomaceô. Ibid. An. 6. *&* 7. *N.* 175.

De Argentô vivô in majori quantumvis quantitate aſſumtô, ſex diebus in corpore retentô. Ibid. Ann. eod. N. 176.

Ex Anatome Epileptici. Ibid. An. eod. N. 177.

HALI (*Jeſus*)

De eô extat

De cognitione Infirmitatum Oculorum, & curatione eorum. Venetiis, apud Andr. Aſulanum, 1499. in fol. cum Guidonis Cauliaci, & aliorum Scriptis Chirurgicis; apud Octaviam Scotum, 1500. in fol. cum Albucaſis Chirurgia.

HALLER (*Albertus*) Helveto-Bernas.

De eô extant

Viri Clariſſimi Georgii Daniel. Coſchwitz Prof. Halenſ. Ductum Salivalem novum per glandulas maxillares, ſublinguales, linguamque excurrentem, &c. cum figuris æneis, Gratioſo Facultatis Medicæ Conſenſu Diſquiſitioni Anatomicæ ſubmittunt, Præſes Johan. Georg. Du Vernoi Med. D. & in Univ. Tubingenſi Prof. Publ. & Reſpondens Albertus Haller. Tubingæ, typis Joſephi Sigmundi, 1725. 4.

Diſſertatio inauguralis ſiſtens experimenta & dubia circa Ductum Salivalem Novum Coſchwitzianum. Pro Gradu Doctoratûs ſummiſque in Medicina Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis, Eruditorum examini ſubmittit Albertus Haller. Lugduni Batavorum, apud Conradum Wishoff. 1727. 4.

HALY vel Hali, Abbas, ſuô tempore reputabatur homo ſcientiæ eminentiſſimæ, ac proptereà Magi titulo ornabatur. Circa annum 980. ſuum *Almaleti*, id eſt, Opus Regium ſcripſit. Id tanquàm Syſtema Medicinæ abſolutum præbuit, Califoque *Adad' odaula* magnificis cum elogiis, hyperboliciſque verbis nuncupavit. Stephanus Antiochenus Haly Abbas in linguam tranſtulit Latinam annô 1127. hâc ipſâ in linguâ nobis hodiè notior eſt hùncque ità verſum habemus. Alii opus iſtud, *Iſaaco Iſraelitæ* ſub titulô *Pantechni*, ſeu *Complementum Medicinæ* tribuunt. Certum eſt plures eſſe locos in Haly Abbas, qui omninò iidem ſunt quos in Rhaſe citatos videas, tanquàm ad *Iſaacum* pertinentes. Equidem ab Iſaacô deprompſiſſe potuit Haly, ut & à Rhaſe plura itidem deſumpſit. Inter rationes quibus impulſus eſt Haly Abbas id ut ſcriberet Opus, hæc præcipua ipſi eſt, nimirùm, nullum adhùc fuiſſe Auctorem qui Complementum Medicinæ exhibuiſſet, qui non ſine multâ imperfectione illud exegiſſet. Locos ſingulariter notat, in quibus *Hippocrates*, *Galenus*, *Oribaſius*, *Paulus*que manci ſunt. Nihil omninò de Ætiô profert. Ad recentiores dein progreditur, initium ſumendo ab *Aarone*. Hunc inter recentiores ab ipſô annumeratum ſuppono, propterea quòd iſtius opera Syriacô idiomate conſcripta ſunt. Nam quoad tempus quô vixit *Aaron*, notiſſimum eſt, eum *Pauli* fuiſſe coævum, annô circumcirca 622. *Brevis*, inquit, *conciſusque nimiùm eſt, in differendo de rebus tum naturalibus, tum non-naturabilibus: Nihil ferè, vel planè nihil, de Conſervatione ſanitatis, vel de Chirurgiâ agit. Imperfectiſſimum alioquin eſt, obſcuriſſimumque, ſi cum Johanne conferatur.* Veriſimile eſt, per *Johannem* iſtum, alterum Medicum, cujus nomen *Serapio*, eum intellexiſſe. Certum eſt quòd ſi aliquod Syſtema Medicum in Doctrinâ Arabicâ fundatum ſeligendum veniat, illud

illud quod à noſtrô conſcriptum eſt Haly, minùs confuſum & intelligibilius ſe exhibet, quàm alia omnia; imò ejus partes magis inter ſe concordant, quàm v. g. concordent apud Avicennam. *D. Freind. Hiſtor. Medic. parte* 2.

De eô extant in Linden. Renov.

Regalis Diſpoſitionis Theoricæ libri decem, & Practicæ libri decem, quos Stephanus Phil. Diſcipulus ex Arabicâ in Latinam Linguam transtulit. Venetiis, apud Bernhardinum Ricium de Novaria, 1492. in regali fol. Lugduni, apud Jac. Myt. 1523. in 4. cum Synonymis, Michaëlis Capellæ.

De Febribus, Liber. Extat Operis Veneti de Febribus, pag. 165.

HALY *Roboam*, aliàs *Eben Rodan* Ægiptius, Aſtrologus, Phyſicus & Medicus nobiliſſimus. Vixit ſub Henrico II. & Conrado II. Imperatoribus. Wolfgang Iuſtus in Chronol. Medicorum.

De eô habentur

Commentarii in Artem parvam Galeni. Venetiis, apud Octav. Scotum, 1496. in fol. Lugduni, apud Joh. Marion, 1516 in 8.

HAMBERGERUS (*Georgius*)

Ex eô habentur

Diſputatio de Stomacace & Scelotyrbe, vulgò ſcorbutô nuncupatô. Tubingæ, 1586. in 4.

Diſputat. de Vertigine. Ibid. 1589. in 4.

Diſputatio de Phrenitide. Ibid. ap. Gruppenbuchium, 1589. in 4.

HAMED (*Hebuabes*)

De eô extant

Commentaria in libros Quartorum, ſeu, Stellicos Platonis. Vid. PLATO.

HAMEL (*Joh. Baptiſta du*) Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis Socius, & Secretarius.

De eo habentur

Operum Philoſophicorum Tom. 1. in quô continentur Tractatus hi ſequentes; 1. Aſtronomia Phyſica. 2. De Meteoris & Foſſilibus libri duo. 3. De conſenſû Veteris & novæ Philoſophiæ. Norimbergæ, apud Johannem Ziegerum, 1681. in 4.

Operum Philoſophicorum Tom. 2. In quô continentur ſequentes hi Tractatus; 4. De Corporum affectionibus cùm manifeſtis, tùm occultis libri duo. 5. De Mente Humanâ libri quatuor. 6. De Corpore animatô libri quatuor. Ibidem, apud Eundem, annô & formâ eâdem.

De Corporum affectionibus cùm manifeſtis, tùm occultis, libri duo: ſeu promotæ per experimenta Philoſophiæ ſpecimen, ubi non Qualitates modò & vires Corporum, ſed & illuſtriora quæ noſtrâ hâc ætate variis in locis facta ſunt experimenta, breviter & apertè explicantur. Pariſiis, apud Michaelem le Petit & Stephanum Michallet, 1670. 12.

De eô præterea extant in Actis Lipſienſibus Annô 1703. *p.* 208.

Regiæ Scientiarum Academiæ hiſtoria. Secunda editio, priori longè auctior. Pariſiis, apud Ioh. Bapt. Deleſpine, 1701. 4.

DE ſalibus plantarum C. 3. obſervat *D. Homberg*, unum tantummodò eſſe ſalium genus, quod citra ignem aut fermentationem ex plantis extrahitur, nempè ſalem eſſentialem; ſed analyſi per ignem factâ, tria eliciuntur, lixivialis & fixus, urinoſus & volatilis demùm acidus & volatilis. Duo ex his lixivialis & acidus, alter alterius formam, imò & olei aut ſpiritûs ardentis induere poſſunt, verùm urinoſi ſales iidem ſemper manent. Sal urinoſus, etſi admodùm volatilis, aliquandò tamen corporibus tenaciter adhæreſcit; aliquandò mediocri igne poteſt expediri, ut in ſale tartari, ex cujus duabus partibus & una aluminis rupei elicitur urinoſus liquor, imò & ſal volatilis concretus; quod non fit, ubi aluminis alterum tantùm apponitur. Et licet ambo hæc alcali lixiviale & urinoſum ſibi mutuo obſtare videntur, interdùm tamen ſal urinoſus plantæ aliis partibus benè odoratis adeò implicitus eſt, ut nonniſi novi ſalis lixivialis additione ſeipſum prodat, ut in moſchi cum ſpiritû vini infuſione, additô oleô tartari per deliquium, urinæ fœtor oritur. Sal ex terrâ multis añis incultâ extractus cum natro Ægypti convenire videtur, quod ſalis marini & ſalis alcali naturalis miſtarum continet. Quæ tandem de hydrargyri ſublimati cum æqualibus partibus ſalis decrepiti per retortam deſtillatione locô ſublimationis conſuetæ proferuntur, notatu digna ſunt, imprimis, quod cum lutatis omnibus juncturis, magna tamen pars ſublimati per eas erumperet, recipiens propè fundum parvo foramine in ſuperiori parte pertuſum (aëri hoc modo liberum exitum permittens) ſine diſpendio non obturatis juncturis, ſublimatum inſtar butyri antimonii ſtillans exceperit, operatione totâ intrà 2. horas abſolutâ, in 6. libris ſublimati, cùm in vulgari modô 3. libræ Spatio 12. Horarum non fuerint ſurſùm ſublatæ.

Quæ Cap. 4. Plantarum Hiſtoriam & Analyſin concernunt, ſigillatim recenſere non neceſſarium duxit Autor, quod præcipuæ unà cum deſcriptionibus aliquandò prodituræ ſint in lucem. Sed id majoris diſquiſitionis eſt: utrum ſales fixi è plantis per lixivia extracti in volatiles abire, & in alia principia ſimpliciora reſolvi queant. Res experimento tentata hæc eſt;

2. Unciis ſalis abſinthii fixi & recens calcinati, affuſæ ſexiesque per MB. cohobatæ.

4. Libræ.		Reliquerunt Salem mulctatum.
	Aquæ abſinthii recenti	20. Granis.
	Spiritus vini optimi.	2. Drach. 25. gr.
	Aquæ vini ardentis.	3. Drachm.
	Vini albi.	$6\frac{1}{2}$ Dr. tandem 13. gr. ſaltem 3. dr. remanentibus.

Spiritus itaque Sulphurei ſalis lixivialis partes ſic penetrant, ut earum naturam immutent. Hinc aqua abſinthii & acidi & ſulphurei diſſolventis expers, nihil ferè ſalis; ſpiritus & aqua ardens vini acidi expertes, parùm ex ſale; vinum album utriusque compos multùm ſolvit. Sales itaque fixi plantarum ſpiritû ſuphureô vini fiunt volatiles.

Cap. 5. de rebus Anatomicis, uſus illius canalis, per quem in fœtû vena porta cum venâ cavâ in jecore communicat, is ſtatuitur, ut aër, qui à matre per venam umbilicalem ad cor fœtûs pervenire debet, ſufficiat circulari in fœtû ſanguinis motui, longo aliàs itinere nimium de motû ſuô perditurus. Capræ Lybicæ, vulgò *Bazelle*, ventriculus accurata anatomia exhibetur, uti & aliorum animalium deſcriptiones. Peculiaris quoque occurrit obſervatio circa quoddam hydropis genus, ubi apertione in parte inferiori ventris factâ, exiit primùm pus valdè excoctum, tùm Corpus mediocris pruni

Arme-

Armeniaci magnitudine, tandem incredibilis multitudo globulorum, nonnullis pilæ palmariæ magnitudinem æquantibus. Hydropicos ſanatos fuiſſe aſſeritur, poſtquam arena operti Sole æſtivô per biduum aut triduum expoſiti fuiſſent ſereno aëri. Podagricis remedia indicantur, ranunculi pratenſis contuſi ſuccus; item ſaponis cum aquâ vini ardentis infuſio, circum partem affectam in coronæ modum applicata; porrò Muſcus Indicus in parte affectâ incenſus; demum Salvia in modum Thæi præparata. Anginæ remedium nidus eſt hirundinis, oleo aut recenti butyro imbutus, qui in modum cataplaſmatis gutturi applicatur. Chirurgis proderit nota, vulnera rariùs curata citiûs ſanari; aër enim iis infeſtus eſt maximè, & fruſtrà tam ſæpè mundantur; nam quædam velut cruſtula aut linimentum detrahitur, quod naturæ utile eſt ad carnes disjunctas conglutinandas. Curioſa tandem eſt obſervatio circa novum erucæ genus, quod quatuor illas mutationes (ubi primum ſunt ova, tùm vermes, deinde aureliæ, tandem alis inſtructæ volant, ut muſcæ & papiliones) non ſubit, & viviparum eſt.

Continuantur Cap. 4. & 5. Chymica, ubi quantitas ſalis acidi in aceti diſtillati 27. unciis inventa eſt 7. Drachmarum, ope retinentis eam ſalis tartari, & ex $30.\frac{1}{2}$ unciis una uncia ſalis acidi prodiit. Obſervationes circa ſalem calculi humani; item nitri ſpiritum cum oleô ſaſſaphræ rubrum fumum emittentem; marcaſitam quandam Mercurio divitem; fixationem ſpiritus vini per ſales fixos lixiviales; acidorum liquorum mitigationem per digeſtionem 4. annorum fruſtrà tentatam, indicaſſe ſufficiat. In Botanicis Cap. 6. pigmenti celebris *Cochenille* origo proditur ex arbore opuntia, in regione Americæ Guatemala, fructus proferente, qui ubi maturuerunt, finduntur, atque ex iis innumera exeunt inſecta, quæ excuſſa linteis excipiuntur; ex iis obtritis fit pigmentum *Cochenilla* dictum. Inſecti dein in Sycomoro inventi deſcriptio ſubjicitur. Diſcrimen quoque reſinarum (quæ ſucci aut Lacrymæ plantarum ſunt, menſtruo pingui & oleoſo diſſolubiles, cum aquâ non facilè miſcentur, & flammam concipiunt) & gummi, (quo nomine ſuccus intelligitur coagulatus ſolidior, in aquâ facilè diſſolubilis, nec facilè inflammabilis) ex differentiâ ſalium, quibus utriusque ſucci olea, (reſinæ quidem acidis, gummi verò alcali) concreſcunt, petitur.

Inter Anatomica Cap. 7. notabilis eſt defuncti cujusdam auricula dextra cordis adeò dilatata ut caput infantis recens nati æquaret, & $1\frac{1}{2}$ libram ſanguinis caperet. Ex irâ vehementi, ſed magnô conatû inhibitâ, morbus ante 12. annos cœptus eſt. Dentium formatio, juxta naturæ conſuetos progreſſus, compendio exhibetur; ut & explicatio aphoriſmi Hippocratis; *Concocta, non verò cruda medicari oportet, ac movere, niſi materia turgeat; ut plurimùm verò non turget*, traditur. Vermis in rene canis inventus $2\frac{1}{2}$ pedes longus deſcribitur. Ovaria mulieris in tumorem (qui graviditatis conjecturam diù fecerat) excreſcentia, poſtque mortem 35. librarum pondus æquantia referuntur. Tandem membrana quædam in avium oculis, nigrum marſupium à D. *Perrault* vocata, deſcribitur & Figura æri inciſa oculis ſiſtitur.

Ibidem Lib. VI. eorundem Actorum pag. 257.

DIſceptatio de ovali foramine in fœtû, illiusque uſû, Cap. 5. recenſetur, una cum argumentis, quæ ex accurata teſtudinis terreſtris diſſectione, pro ſyſtemate ovorum tuendo adducuntur. Singularis admodum eſt ſtructura cordis humani, tribus ventriculis inter ſe communicantibus inſtructi; ſed an circa quæſtionem de ovali foramine, ex tam inſuetis naturæ portentis ad conſuetum ordinem aliquid concludi poſſit, meritò dubitatur. Senis penè centenarii corpus diſſectum, novem poſtremas dorſi vertebras in os unum & continuum coalitas exhibuit. Circa dentes adultorum obſervatur, non ipſum os dentis, ſed ejus ſolùm cruſtam (ac velut encauſtum) ab oſſe omninò diverſam creſcere. Diſſectiones ſunt factæ circa aquilæ femur & pedem; item pelicanum & tigridem. Inſecti quoque cujusdam ſecùs flumina, *Demoiſelle* nuncupati, genus deſcribitur.

Circa Botanica Cap. 6. notatur paralleliſmus ramorum cum ſolô in patulis arboribus, fago, quercu &c. inclinatô nempè ad planum ſtipite, rami nihilominùs ad planum ſunt quodammodo paralleli; viciſſim ſtipite ad perpendiculum ſtante in inclinatô ſolô, rami ſunt itidem ſolô inclinatô paralleli; denique ſtipite eodem habitû in ſupercilio clivi ſtante, utrinque rami ſequuntur habitum ſoli, ſive ad planam, ſive ad devexam ejus partem. Cauſa ex habitû radicum & fibrarum tractione ſuper punctum divaricationis ramorum & radicum deducitur; radices enim una cum trunco & ramis ex iiſdem conſtant fibris & rectis & ſibi mutuo parallelis, eæque ab extremis radicibus ad caudicem uſque & ad ramorum apices extenduntur; duplicem itàque efficiunt angulum, unum in collô radicis, alterum in rami collô, eruntque adèo ut duæ lineæ in unam incidentes, vel angulis rectis vel obliquis alternis æqualibus, adeòque ſemper parallelæ. Experimentis porro quæſitum eſt circa ſtirpium ſales, utrùm eos è terrâ plantæ trahant, an fermentatione vel aliâ ratione in plantis ipſis formentur. Terra hortenſis & nigra, omni prius ſale per aquam calidam exuta, in varias capſas æquali mole diſtributa, eodemque naſturtii, fœniculi &c. ſemine cônſperſa eſt; duæ capſæ aqua ſolùm pura, duæ autem aqua nitrô imprægnata irrigatæ ſunt; grana in ſingulis optimè germinârunt, in ſale tandē nulla ſaporis differentia: unde patet, ſales in plantis maximâ ex parte formari, quales ſe produnt, & ſales qui terræ inſunt, configurationem ſuam in ipſis plantatarum organis, juxta fermenta inſita, prorſùs mutare. Occaſione ſalis eſſentialis tamariſci, obſervat D. de *Tournefort* præproperè nimis ſalem eſſentialem ex ſuccis plantarum extrahi ſolitum; horum enim eadem eſt ratio quæ tartari, quod à vinô, niſi poſt certum temporis ſpatium, non ſecernitur. Itàque diù expectandum eſt, donec ſucci ex plantis expreſſi ſalem omnem eſſentialem deponant, nevè mucorem contrahant, oleum ad digiti altitudinem aquæ affundi debet, & in vaſe fictili per annum ſunt relinquendi. Sic magna ſalis eſſentialis copia è fumariâ poſt 7. aut 8. menſes colligitur, cum vix aliquot grana poſt 7. aut 8. dies more ſolitô extrahantur. Exiſtimat idem, manna Calabriæ nil eſſe præter arboris orni ſalem eſſentialem ſulphuri admiſtum, manna Brigantinum eſſe ſalem Eſſent. laricis; imò & ſaccharum quarumdam arundinum in Ame-

Americâ Auſtrali ſalem eſſe eſſentialem. Hinc ſuccorum in plantis effluvia ad 4. genera revocat.

1. Sale eſſentiali abundat, ut manna, ſaccharum, mel &c. in florum parte infimâ.

2. Sunt reſinæ puræ & oleoſi ſucci extra ſua vaſa effuſi, ut in abiete.

3. Sunt ſucci aquoſi & glutinoſi inſtar mucilaginis ut gummi in ſolâ aquâ ſolubilia, ut in noſtris ceraſis & prunis.

4. Sunt reſinæ & gummi, partim in aquâ, partim in ſpiritû vini diſſolubilia.

Ibidem pag. 263.

INter Chymica cap. 2. de liquoris acidi ex antimoniô extractione diſquiritur. Egregio porrò experimento fulminis, tonitru & terræ motuum natura illuſtratur. Nempè, ex æquis limaturæ ferri & ſulphuris in pulverem contriti partibus aqua dilutis fit miſtura, quæ in maſſam redacta ſpatio 2. aut 3. horarum citra ignem manet. Hæc maſſa fermenteſcens incaleſcit, vapores ex eâ erumpunt calidi, ſi mediocris eſt quantitatis, ſed in majori mole, ut 30. aut 40. librarum, flammæ erumpunt. Eadem miſtura 50. librarum ollæ fictili longæ & anguſtæ impoſita, inque terram defoſſa, poſt 8. aut 9. horas facit terram ſuperpoſitam intumeſcere, quæ dehiſcens primùm exhalationibus, dein flammis erumpentibus exitum præbet, effuſo circùm flavo & ſubnigro quodam pulvere, in olla refrigerata pulvis ſolùm ater & gravis ſupereſt. Hinc terræ fremitum oriri, & cùm ventus ille ſulphureus exitum non habet, diu perſtare, probabile eſt; datô exitû, ventus prorumpens typhonem procreat; hinc ignes ſubterranei, fatui, thermæ, in nubibus fulmina. Hôc novô experimentô probari poteſt; Vaſi ſatis amplo, cui collum reſectum, 3. unciæ optimi ſpir. vitrioli, & 12. unciæ aquæ comm. affunduntur, cum miſturâ incaluerit, $1\frac{1}{2}$ unc. limat. ferri injiciatur iteratis vicibus; ſtatim vapores albi aſcendent, quibus filô ceratô incenſô propè orificium admotô, fulminatio cum ſtrepitû orietur. Ex materiâ in vaſe reſidente parat D. *Lemery* ſuum vitriolum Martis. Docetur inter artis medicæ arcana habita ſolutio calcis, quâ calcis recentis 1. libræ, 6. partes aquæ pluviæ & calidæ, ſpatio 24. hor. affunduntur; tum aqua per chartam emporeticam trajicitur. Adminiſtratio ejus in Bataviâ cum alterantibus, cum purgantibus, aut metallorum tinctura ex ſtannô, cuprô & regulô antim. martiali ſimul fuſis, dein pulveriſatis & carbonum nitrique additione detonatis, cùmque ſpiritu vini aut juniperi in digeſtione poſitis paratur; 2. libris aquæ calcis, 2. aut 3. unciæ hujus tincturæ affunduntur. Hujus miſturæ 6. unciæ quovis die hydropicis & ſcorbuticis præſcribuntur. Sed in regionibus Gallicis aliter ſe rem habere, docuit experientia. Poteſt hæc aqua cum lacte conjungi, aut cum ptiſanâ D. *Boyle*, qui 8. libris aquæ calcis lignum ſaſſafræ, aniſi, glycirrhiſæ, ana 4. unc. citra calorem infudit, uvarum Damaſc. aut Corinth. 2. unc. Doſis eſt 2. unc. bis unoquoque die. Panditur & myſterium guttarum Anglicanarum, quæ ſunt ſpiritus volatilis è ſericô crudô deſtillatus, cum oleô cinnamomi, aut quovis eſſentiali oleô rectificatus. Odorem habent magis tolerabilem, quàm præparatio ſalis ammoniaci, aut cornu cervi. Subjicitur quoque analyſis Chymica hypecacuanæ albæ, cinereæ & ſubnigræ. Vires ſalium alcali dimentiendi ratio docetur Cap. 3. quæ in eô conſiſtit, ut terreſtria alcali in pulverem trita primùm in 1. unc. ſpiritus nitri, dein in 1. unc. ſpiritus ſalis exſolvenda ponantur, & quantùm è ſingulis, & quàm citò fuerint diſſoluta, diligenter notetur; cujuſque alcali diverſa quantitas, ut eandem ſpiritus acidi quantitatem abſorbeat, acidi vim paſſivam dimetitur. De diſſolventibus Mercurii quoque agitur, qui utrorumque diſſolventium metallicorum, aquarum nempè tam regalium quàm fortium viribus ſolvitur, non eodem tamen modô; quamvis certa ratione præparatus citiùs in aquâ reg. quàm in aquâ forti exſolvi poſſit. Spiritu itàque ſalis ſimplici, aqua F. cui ſal ammon. acceſſit, ſpiritu nitri cùm ſpiritu ſalis conjunctô; ſpiritu nitri cum ſalê comm. cohobatô, ſed celerrimè ſi cum ſublimatô corroſivô aquam R. acuas, ſolvitur; nam ut 1. unc. mercurii diſſolvatur ſpiritu ſalis, 4. aut 5. menſibus opus eſt; per ſublimatum 1. hora id perficitur. Hydrargyri partes omnes non eſſe homogeneas, purgatio Mercurii, amalgamate cum Regulo Martis & Veneris, aquaque calda tam diù loti, dum aqua omnem nigrorem exuerit, docebit; mox exſiccatur amalgama, in retortâ extillatur, novum amalgama cum novô regulô paratur, idquè ut priùs lavari & diſtillari ſolet; poſt amalgama ſextò diſtillatum Mercurius fit nitidior, adeò ut nonâ, aut decimâ lotione peractâ, aqua omninô pelluceat. Sordes illæ non ex regulô, ſed Mercurii intimis oriuntur; nam aliàs novus regulus novas afferret ſordes. Hæ verò nil ſunt præter terreſtrem materiam & levem cinerei coloris, non fuſibilem, ſed quæ boracis & ſublimati additione, encauſti certis coloribus inuſti ſpeciem præbuit. Ex 3. hydrargyri libris $5\frac{1}{2}$ drachmæ hujus pulveris prodiêre.

In Botanicis Cap. 4. mira plantarum fœcunditas tam ſpontanea, quàm coacta prædicatur, ità ut arbor turbine ramis omnibus truncata ſic damnum compenſare poſſit, ut pro ſingulis ramis amiſſis 5760. aut 8280. reponere queat. Et ſeminum occultorum in unô granô latentium incredibilis ſumma in acetoſâ pratenſi eſſe perhibetur, nempe 1. 419. 581. 604. 410. Oleum uberius aut parcius ex plantis educi, ſecundùm artificis operandi modum, monetur; nec oleum fœtidum exire, niſi ſub finem diſtillationis, cùm pars acidior, & ſal urinoſus à plantâ ſeparata ſtillant, adeò ùt tria illa ſtirpium principia per retortæ roſtrum exeant ferè eodem tempore. Seminis fœniculi 1. libræ leviter contuſæ 6. libræ aquæ communis affuſæ, poſt 15. dies arenæ balneo exſtillatæ biſque cohobatæ, 2. dragmas, 56. grana olei eſſentialis dederunt. Itidem, 1. libræ ejuſdem ſeminis contuſi affuſæ ſunt 3. unciæ ſpir. ſalis dilutæ, 1. aquæ comm. libra; poſt 8. dies, 20. libræ aquæ tepidæ bis affuſæ; cunctis in digeſtione leni poſitis per 8. dies, 5. & amplius dragmæ olei eſſentialis prodierunt. Roſæ ante diſtillationem in aquâ communi ſpiritu vitrioli temperata per 15. dies maceratæ, penè tertiâ ſui parte oleum eſſentiale auctum largiuntur. D. *de Tournefort* de plantis, quæ in maris fundô naſcuntur, marinis notat eas nullis fulciri radicibus, ſed ſolidis quibuſdam corporibus lamella quædam terſa & polita, quæque nullas admittat fibras, adhæreſcentes, peculiari quodammodo creſcere ac ali. Ejuſdem iter, Regis juſſû in Græciam, Aſiam & Ægyptum ſuſceptum, quo plantas Dioſcoridis, Theophraſti &c. diligenti ſubjiceret examini, memoratur.

Inter

Inter Anatomica *Cap.* 5. paracenteſis puellæ hydropicæ notabilis eſt ; non enim aqua , ſed lac per tubulum exiit, ac operatione quovis decimo tertio die iteratâ 13. aut 14. pintæ Pariſ. ſeu 26. aut 28. libræ eductæ fuerunt. Hunc liquorem pro chylo, è lacteô vaſe diſruptô effuſô habitum, alii aquam hydropicorum, ſed chylo extra vaſa fuſô temperatam æſtimârunt. De naturâ medullæ agens ſcriptum rejicit veterum ſententiam , quâ eam oſſi alimento eſſe putaverant, ſtatuitque illam os emollire , & oleô ſuô minùs fragile efficere. Obſervationes Anatomicas, utpotè in Hiſtoriâ Gallicâ & Commentariis fuſiùs deſcriptas, omittit Autor. Notari autem meretur mulier 22. annorum , quæ poſt diuturnam ægritudinem cœpit paulatim decreſcere, ad 1. uſque pedis altitudinem, cujus poſt obitum oſſa quæque, exceptis dentibus, viſa ſunt inſtar ceræ mollia, & flexibilia, omnis cavitatis & medullæ expertia ; item vermis in ſinû ſuperiori cerebri infantis quinquennis de acerrimô dolore ad radices naſi conquerentis, 4. poll. longitudine inventus, terræ lumbricis conſimilis, qui per novem horas vivus perſtitit.

HAMILTON (*David*) Eques Auratus, Reg. Colleg. Medic. Londin. Regiæque Societ. Socius ; ac Magnæ Britanniæ Reginæ Medicus ordinarius.

De eô extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1711. *p.* 78.

Tractatus duplex , Prior de Praxeos Regulis, Alter de Febre Miliari. Londini, Impenſis J. Churchill, 1710. 8.

NOn arridet plerorumque recentiorum Medicorum mos Clariſſimo Autori, quod in excogitandis Theoriis occupati ſint, & modò principia Ariſtotelica, modò Atomica, modò Chymica, modò Mathematica ſuæ ſtructuræ hypotheticæ fundamentum adoptent , ſuadet potiùs, ùt quilibet circa morborum tam in viventibus quàm cadaveribus hiſtorias, ſimpliciumque pharmacorum virtutes accuratè deſcribendas, præcipuum ſuum collocet negotium. Operæ igitur pretium ſe futurum exiſtimavit , regulas aliquot , ſecundùm quas ſuam praxim, eamque non infelicem, inſtituit, cum Medicinæ alumnis communicare. Agit igitur in *Tractatûs de Praxeos Regulis Capite* 1. de Virtutis ad Praxin pertinentis Regulis, quam in eô poſitam eſſe dicit, ut Medicus viſitationibus aſſiduis ſe diligentem præbeat, ſecundùm deductas à morbis indicationes præſcribat, & in conſiliis Medicis ſuavitate morum ſe conſpicuum probet. Quemadmodùm autem notæ characteriſticæ, quibus Medicus verus ab empiricorum turbâ verè diſtinguitur, ſunt morbi originalis expiſcatio,& appoſita præſcriptio, ità in *C.*2. pergit ad Artis Regulas & integrum ægri examen. Jubet enim,Medicum ad antecedentia & primam vacillantem valetudinem reſpicere, ut ſymptomata morboſque ſecundarios à primariis accuratè diſtinguere diſcat, indeque methodum ſtabilem , ſimplicem, adeòque feliciorem adipiſcatur. Quod præſcribendi Regulas attinet, de quibus *Cap.* 3. agit, ſimplex remedium compoſitis præfert. Hoc enim modò virtutes magis ſpecificas remediorum experimur; è pluribus, quibus ſimilem virtutem Medici vulgò tribuunt, potiora ſeligere diſcimus ; ſimplicia ità componere poſſumus , ut variis indicationibus , imò & contrariis , aptè reſpondeant ; ſcientiam diverſis morbis eadem medicamenta rectè applicandi nanciſcimur ; & nocivam remediorum vim cernimus. Quæ omnia atque ſingula obſervationibus & exemplis fuſius illuſtrat.

In *Tractatû de Febre Miliari*, veſiculari potiùs dicenda, cauſam ejus internam partim in ſanguinis & ſucci nervoſi ſeroſitatem nimiam & acidam quandam acrimoniam, partim in ſucci nervoſi ſeu ſpirituum nimiam commotionem rejicit, unde ſequentes format Indicationes Curatorias; ſcilicèt ſanguinis & ſucci nervoſi aciditatem eſſe dulcificandam, ſeroſitatem imminuendam, & ſpiritus animales liberandos atque reſtaurandos. Ad aciditatem edulcorandam & ſeroſitatem imminuendam alcalina , & præcipuè teſtacea commendat ; veſicatoria verò non minùs ſerum evacuare, quàm ſpirituum animalium commotionem ſedare, ſomnumque conciliare, ac ſpiritus depreſſos levare perhibet. Hiſce denique faſciculum hiſtoriarum 17. Febris Miliaris adjecit. *Altera hujus libri prodiit editio* , Ulmæ , apud Bartholom. 1712. 8.

HAMMEN (*Ludovicus Von*)

De eô extat

De Herniis, Diſſertatio Academica ; de Crocodilô, ac Veſicæ mendaci Calculô , Epiſtolæ & Reſponſiones ad Clariſſ. D. Carol. Drelincurtium. Lugd. Batav. apud Cornel. Bouteſtein, 1681. 12.

HAMPIUS (*Joh. Hardovius*) Gottinga-Brunſvicenſ.

Ex eô habetur

Diſſertatio Medica de Rhagadibus, & imprimis earum Curatione. Argentorati, apud Georg. Andr. Dolhopffium, 1678. 4.

HAN (*Balthaſar*)

De eô extat

Epiſtola ad D. Sennertum ; miram Veneficii hiſtoriam exhibens. Extat cum lib. VI. Practicæ Medicinæ ejuſdem Sennerti.

HANHARDUS (*Joh. Vldricus*)

Ex eô habetur

Diſſertatio Medico-Chymica de Salibus, novis experimentis illuſtrata. Baſileæ, apud Reges, 1685. 4.

HANNÆUS (*Georgius*) Practicus Otthinienſis in Daniâ.

De eô extant

Obſervatio de Iſchuriâ rarâ. Extat Actor. Hafnienſ. Volum 3. *N.* 8.

De Oculis Cancri nomine Chriſtiani V. inſignitis. Ibid. Vol. eod. N. 65.

De Cephalalgiâ rarâ. Ibid. Vol. eod. N. 66.

De Icteri curâ infelici per pediculum. Ibid. Vol. eod. N. 91.

De ſilere acinacis formâ ſanguinolento. Ibid. Vol. eod. N. 92.

De fœmina Trimammia. Ibid. Volum. eod. N. 93.

*De Hermaphroditô. Ibid. Vol.*4. *N.* 79.

De rarâ monſtroſi Aſcitis Hiſtoriâ. Ibid. Vol. 5. *N.* 12.

De Antipathiâ ſingulari nomen proprium averſante. Ibid. Vol. eod. N. 15.

De eô habentur in Miſc. Cur. Decur. 2. *Anno* 3.

Obſervatio 213. *Ex Eſû ſquillarum minorum pruritus.*

Ibidem

Ibidem Obſervatio 214. *Ex Anguillarum aſſatarum odore, lipothymia.*
Ibidem Obſervatio 215. *Hæmorrhagia penis ſpontanea.*
Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 113. *De Rarô poſt Quartanam Symptomate.*
Ibidem Obſervatio 114. *de Abortû Bulliformi.*
Ibidem Obſervatio 115. *De Ovô gemellô.*
Ibidem Obſervatio 116. *De Bilis Deliramentis.*
Ibidem Annô 5. *Obſervatio* 167. *De Graviditate fruſtratâ.*
Ibidem Obſervatio 168. *De Deſperatô Aſcite curatô.*

DE quodam me legiſſe memini, quem manibus dederat hydrope comitata febris, quod per ignem & aquam tranſierit in æternæ vitæ refrigerium. Verum & de hâc ipſâ viâ & de hâc ipſâ metâ moderatiùs ſentire convenit; cùm illâc eatur, unde nemini redire contigit. Nec eſt quòd ſannis hos excipiamus morbos, qui tam dubiâ ſpe victoriæ Pharmacis ſeſe opponunt ſæpiùs, ùt alter, à multis inde uſque ſeculis, Medicorum audiverit ſcandalum. Et quid non audet Aſcites: ùt ſileatur nunc Tympanites & Anaſarca. Certè niſi maturè huic torrenti eatur obviam, latiſſimè evagandi ſibi viam faciet, omneſque, præter ſolos à Morte præfixos tandem vel convellet, vel tranſiliet limites. Deſcripſi ante aliquot annos, raram monſtroſi Aſcitis hiſtoriam, *Act. Med. Haffnienſ. Vol.* 5. *Obſervatio* 13. *pag.* 32. non niſi ipſâ morte acerbiſſimâ terminatam; nunc lætiorem proponam deſperati Aſcitis Cataſtrophen. Militem tenuioris ſortis, ſed tenuiſſimæ valetudinis, oppreſſerat ante biennium, è variis in diætâ commiſſis erroribus, graviſſimus Aſcites, qui, partim neglectus, partim malè tractatus, ipſum capulô vicinum conſtituit. Aderant ſymptomata atrociùs ſævientia, totius corporis ſumma laſſitudo, vigiles noctes, appetitus proſtratus, aſthma moleſtiſſimum, ſitis intoleranda, quam niſi gelidâ reſtinguere non potuit aquâ, hìnc tantùm acreverat, ſimùl cum pedibus & femoribus prætumidus venter, ùt à metû formidandæ rupturæ nunquam ſecurus eſſet, tutus nunquam. Huic, re miſero, exſpectatione multò miſeriori, ſanitatem, Deo gloria! perfectè reſtitui ſolis hiſce medicamentis, cum encomio memorandis non ſolùm ùt nobiliſſimis Auctoribus ſua deferatur laus meritiſſima; verùm etiam ut Excellentiſſimi *Oribaſii* obſervatû digniſſimo ſatisfiat voto, quô in *Ephemeridum Noſtrarum Tom. ult. Obſ.* 156. *pag.* 292. Illuſtres Naturæ Curioſos obteſtatur, ut Obſervationes practicas à Nobiliſſ. Collegis communicatas, datâ in eam rem occaſione, periclitentur, atque, ubi aut ſimilia obſervare, aut effectus dexter contigit, ſuô eaſdem teſtimoniô roborare non graventur. Cyathum vinô repletum, cui comæ abſinthii & baccæ juniperi infuſæ erant, ductû Nobiliſſimi Helianthi, *Ephemerid. Curioſ. Decur.* I. *Ann.* IX. & X. *Obſerv.* 18. *pag.* 63. mane atque veſperi hauſit quotidie miles, fractus membra dolore; addendo, quâvis vice guttas viginti quinque Eſſentiæ Alexipharmacæ Excellentiſſimi *Theſei* deſcriptæ, *Method. Balſ. Corp. Hum. pag.* 192. ubi his paucas ſeptimanas uſus fuiſſet, evanuit auſpicatò impetuoſus iſte, unà cum tot rivis profluens, nec vel tenuiſſimum ſui ſtagni reliquit veſtigium. Vivit hodie quôvis piſce ſanior mihique ante biduum lætabundus occurrens, gratias denuò egit ampliſſimas. Salutarem horum medicaminum uſum expertus ſum aliquoties in ſcorbutico-hydropicis; qui omnes enatavere ſalvi, niſi quotiès operam eluſerit accedens tuſſis, triſtiſſimum in Aſcite ſignum, & quaſi ultimæ fecialis horæ.

Ibidem Obſervatio 169. *Vermes Epidemii.*
Ibidem Obſervatio 170. *E vermibus cæca & muta reſtituta.*
Ibidem Obſervatio 171. *Petechiis Agonizans, reviviſcens.*
Ibidem Obſervatio 172. *De Virulentâ Gonorrhœâ ſanatâ.*

INter illa ſpolia, quæ, ſtipendii locô cedunt in caſtris illicitæ Veneris ſordidulè militantibus; primum ferè locum ſuô meritô obtinet Gonorrhœa virulenta peſſimæ notæ moneta. E tali prælio inglorius diſcedens vir ſatis robuſtus, poſtquam ad inguinatum plus ſatis incaluiſſet focum, aquas Hygieiæ Medicatas (quas è Chirurgorum pumice, jam undecim ſeptimanas fruſtrà elicere aliquoties tentaverat) anhelus, ſitiens, me, hôc annô, conſuluit. Verùm, quantùm me exercuerit pertinax iſtud malum, cum quo conflictabatur hicce luis Venereæ candidatus, ſcribere nolo. Hìc urgente, moram impatientiùs ferente, ægroto; atque illic obſtante, flecti neſciô, morbô. Ad normam Artis noſtræ rebellem tractavi, & tributum ubiquè imperans, juſſi, ùt primùm Decoctô Lignorum, ſudorem; indè, Catharticô, eluviem; tum, Chirurgicô ſcalpellô, ſanguinem, penderet. Sed laterem lavi! Perrexi ab his, ad ea, quæ acido-acres temperarent humores, ſed enormem moderari non potui fluxum, nec flaveſcentem ejus, vel tantillùm, immutare colorem! Subjunxi blandè aſtringentia, Terebinthinata, ſepiæ oſſa; & per ſiphunculum Chirurgi demulcentia membro illi, quô vir fuit, ſæpiùs injicienda curavi. Sed multùm movens, nihil promovi! Ergo, ſine tædio, eandem hanc remetiri viam cœpi, ùt curam abſolverem tutiùs, & tandem flavens magma in liquorem dilutum, eumque albicantem, converti. Ubi tantùm profeciſſem, forô utendum ratus, fugienti acriùs inſtare cœpi, quovis manè ſeptem devorandas ſuadens è Pilulis hiſce Riverianis; ℞. Gummi Arab. Tragac. ſuccin. præpar. Alumin. Bol. Armen. āā ʒj. pulveris. M. & cum ſyrup. de Ros. ſiccis, f. Pilul. N. 150. & quâvis veſperâ ʒß. ſequentis Pulveris, in aquâ Burſæ paſtoris. ℞. Roſar. rubr. ʒj. Herb. Menth. ſicc. ʒjjj. ſemin. Lactuc. ʒij. Agn. caſt. Rut. Rad. Ir. florent. Corall. rubr. præpar. ſuccin. alb. præpar. Hæmatit. Mum. āā. ʒj. Sacch. alb. ʒjj. inciſ. & contuſ. M. f. Pulvis. Atque ità profuerunt in tantùm hæc Medicamenta ùt fluxus remiſerit interdiù. Verùm, ubi his aſſueviſſet aliquandiù natura, ſolitam oſtentavit contumaciam, atque in flavedinem degeneravit iterùm materia peccans. Tandem venit mihi in mentem infuſum Cantharidum, cujus uſum in Gonorrhœâ virulentâ, à Divô & illuſtri *Bartholinô*, maximè commendari, ipſemet olim præſens audiveram. Paravi itaquè hoc infuſum, eôdem modô quô illud deſcripſit maximus hic meus Præceptor, *Hiſtor. Anatomic. Cent.* 5. *Obſ.* 82. *p.* 160. ſcrupulo uni integrarum Cantharidum (ſic enim ſumendas juſſerat laudatus Apollo, cùm partes exteriores ſint corpuſculô ipſarum magis innocentes; ideòque retinendæ ſunt, quotiès intrinſecùs vocabuntur in uſum, ſed rejiciendæ in veſicatoriis, nè veſiculis excitandis moras nectant) pulveratarum affudi uncias quatuor ſpiritûs vini atque poſt aliquot dies

dies, per chartam bibulam colavi; Percolati cochlearia duo quatuordecim Vini immiſcui; & juſſi, ut ex hâc Mixturâ biberet primô die unum, alterô bina, tertiô & ſequuturis, quotidiè tria cochlearia. Paruit, cum tam felici ſucceſſu, ùt ambo lætaremur, ego, de curatione proſperâ; ille, de ſanitate deſideratâ. Generoſum remedium eſt, nec recentem patietur inveteraſcere Gonorrhœam virulentam.

Ibidem Obſervatio 173. *De Secundinis retentis, inſperatò excluſis.*

Ibidem Obſervatio 174. *De Matre infantis mortui vivô ſepulcrô.*

Ibidem Obſervatio 175. *De Ovô Hydropicô.*

Ibidem Annô 6. *Obſervatio* 134. *De ſabulò urinariô in Microſcopiô examinatô.*

Ibidem Obſervatio 135. *De Aſphyxiâ indemni.*

Ibidem Obſervatio 136. *De Melancholicô ſanatô.*

JUvenis 19. annorum, in itinere nauticô juſtô triſtior primùm factus, inde etiam ægritudine animi nimioperè inquietari, tum varia mentis alienatæ ſigna edere cœpit, & nil niſi laqueos atque ſuſpendia crepare. Curationem ipſius à venæſectione exorſus, ſed ſerô ſuô caruit ſanguis, ab inimico congelatus acido. Convenientibus itaquè alterantibus ſuccurrendum ipſi ratus, hos pulveres matutinos, ſignatamque Mixturam veſpertinam cochleatim aſſumendam præſcripſi. ℞. Spec. Lætif. Galen. compl. drach. ſem. Vitriol. Mart. Ocul. Cancr. ppt. Crem. Tart. ãã. drach. j. M. f. Pulv, divid. in part. XI. ℞. Aq. Fumar. Lactuc. ãã. unc. IV. ſyrup. Pœon. unc. ij. M. d. in vitrô, pro vehiculô Pulverum, ℞. Tinct. ſuccin. Caſtor. ſpirit. ſal. Armon. ãã. drachm. ſem. Aq. Fumar. Vin. Roriſmar. ãã. unc. jj. ſyrup. Cinnam. dimid. M. d. in vitrô. S. Mixtura veſpertina. Undè bellè vividi redditi ſunt, unà cum ſanguine, ſpiritus. Ab his pérrexi ad Purgantia; Quibus fruſtra ſollicitamus Melancholicorum alvum, niſi commitigatis priùs humoribus. Subjunxi poſteà confortantia, de quibus in meâ *Libanotidographiâ.* Agmen medicamentorum clauſit hæc Mixtura Cephalica; ℞. Eſſent. Hyperic. Fumar. ãa. unc. j. Eſſent. Croc. Orient. drachm. ſem. ſpir. ſal. Armon. drach. j, cum dimid. M. cujus guttas quindecim manè & veſperi in vinô Roriſmarini ſorbillavit quotidiè. His cùm uſus fuiſſet medicaminibus, rectè valens & pulchrè ſapiens, Deo mihique pro ſanâ mente in corpore ſanô plurimas egit gratias.

Ibidem Obſervatio 137. *De Cœcitate, à ſtramine in nare fractô.*

Ibidem Obſervatio 138. *De Gravedine è Ribium eſû.*

Ibidem Obſervatio 139. *De Tartari Emetici abuſû.*

Ibidem Obſervatio 140. *De Morte ex inſperatô irruente, auſpicatô repulſâ.*

Ibidem Annô 7. *Obſervatio* 146. *De Anetho Anti-Venereô.*

Ibidem Obſervatio 147. *De Ventriculi vagâ intemperie, lethali.*

Ibidem Obſervatio 148. *De Tuſſi periodicâ.*

Ibidem Obſervatio 149. *De Antipathiâ Virginis cum Baccis Cynosbati.*

Ibidem Obſervatio 150. *De Lienis mutilatione indemni.*

Ibidem Obſervatio 151. *De Roriſmarini fabricâ, in Microſcopiô examinatâ.*

Ibidem Obſervatio 152. *De Cephalalgiæ Curatione per tonſuram.*

Ibidem Obſervatio 153. *De Aqua Reginæ Hungariæ abuſû.*

Ibidem Obſervatio 154. *De Dyſenteriâ bienni curatâ.*

Ibidem Obſervatio 155. *De Capillitiô viridi.*

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 106. *De Coronâ Imperiali rariſſimâ.*

Ibidem Obſervatio 107. *De Xiphiâ adumbratô.*

Ibidem Obſervatio 108. *De Raucedine Senili curatâ.*

VOci humanæ leviſſimam profectò non infligit ſecurim moleſtiſſima *Ravis*, quæ eandem infuſcat turpiter, quotiès Laryngem & Arteriam aſperam inveſtiens membrana, ſive lævigatur, ſive aſperatur immodicè. Malum eſt junioribus ſat grave, ſenioribus nimis triſte, imò tam ſonticum, ut dicere non dubitaverit Medicinæ ſtator Hippocrates, Aphor. 40. lib. 2. *Raucitates & Gravedines ſenio confectis non maturantur.* Inſanabilibus morbis Ravim haud immeritò annumerat Côs, ubi ſeniô cōfectos oppreſſerit, cùm in eorum pectoris ſentinam tam importunè confluant Catarrhi, ut nè quidem plurima Tuſſis illos ſatis exantlare poſſit. Exagitabat hôc An. ſeptuagenariū Heroëm, meæ curæ commiſſum, præter alia mala, tam dira *Raucedo* ùt nihil audiretur ab adſtantibus, præter humiles ſuſurros, quantumvis loqueretur enixiùs. Ego varia præſcripſi, etiam aliis proficua ſed eventû fruſtraneô; Tandem memineram Excellentiſſ. Sylvium, in pertinaciſſimâ Ravi, commendâſſe impenſiùs ſpiritum *ſalis Armoniaci*, vel in potû ordinariô guttatim propinatum; nec infrà exſpectatum ſtare hoc Tanti Viri elogium comperi. Talem itaquè conficiendam curavi Trageam. ℞. ſacch. cand. albiſſ. unc. tres. Spermat Cet. Drach. ſeſqui alteram. Aq. Vit. anis. q. ſ. ſpirit. ſal. Armon. drach. dimidiam. M. f. Pulvis, lambendus ſæpiuſculè. Hinc non mitificabatur modò ſeniô confecti Raucitas; ſed & commodum ſe ſubduxit! ità ùt non promptiùs hodienum, quàm clariùs loquatur ſtrenuiſſimus Heros.

Ibidem Obſervatio 109. *De Pleuritide, alternis diebus, Tuſſi & Fœtore ingraveſcente.*

Ibidem Obſervatio 110. *De vulnere in mediô Oeſophagi, ſeſqui annum patente.*

Ibidem Obſervatio 111. *De Colubri ictû lethali, mirô modô ſanatô.*

Ibidem Obſervatio 112. *De Ani procidentiâ inſolitâ, ſublatâ.*

Ibidem Obſervatio 113. *De Membrô Muliebri aliò translatô.*

Ibidem Obſervatio 114. *De Corde in Hypochondriô palpitante.*

Ibidem Obſervatio 115. *Macis, appetita, & neglecta.*

Ibidem Obſervatio 116. *De Scabie Brachii, utriuſque Valetudinis indice.*

Ibidem Obſervatio 117. *De Ligatione Veneficâ, ſolutâ.*

Ibidem Obſervatio 118. *De Gallinâ ſuperfœtante.*

Ibidem Annô 9. *Obſervatio* 167. *De Tuſſi moleſtiſſimâ, lethali.*

Ibidem Obſervatio 168. *De Conceptione eluſâ.*

Ibidem Obſervatio 169. *De Cornu Anatinô.*

Ibidem Obſervatio 170. *De Puerperiô infelici; mirô, ſecundatô, modô.*

SOllicitaverat, ſuperiore Annô, Lucinam vôtis infinitis miſera puerpera, per integrum triduum

duum ; ſed conſtantiùs , Eheu ! quàm felicius : Fruſtrà namque Diis Nixiis ſupplicatum eſt, cùm utero ſufflamen injicerent Poſtverta & Pertunda. Tandem, abeunte in furorem Patientiâ læſâ, è lectô ſe proripiens paritura, in lacum ſeſe mergit fidentiùs ; ibi ultima paſſura potiùs, quàm cum latentibus Hecates nodis, nexuſque celantibus, inter planctus & ejulatus, luctatura diutiùs. Inde cum omnium horrore extracta, vix benè intulerat tricliniô pedem, antequam gemellos peperiſſet, ſed infeliciſſimô ſibi adhærentes coalitû corporis. Nihilominùs, præter omnium exſpectationem vel implevit, vel eluſit Bonæ Deæ ſortem eadem fœmella, hôc unô felix, quòd, quos cum magno dolore pepererat, cum majore mœrore viderat, ſacrô expiatos lavacrô, tumulo lætabunda actutùm contegeret.

Ibidem Annô 10. *Obſerv.* 148. *De Lepuſculô, in Alvô Matris petrefactô.*

Ibidem Obſervatio 149. *De Uterô ovis, lapideſcente.*

Ibidem Obſervatio 150. *De Vomitû ſtercoreô, ſine diuturnâ præcedente, aut ſequente inexorabili Obſtructione alvinâ.*

Ibidem Obſervatio 151. *De Aquulâ curatâ.*

SEmel tantùm obſervare mihi contigit illam (non quidem leviculam & citò evaneſcentem, ſed benè & gnaviter conſummatam,) Palpebrarum intemperiem humidam, Aquulam Latinis, Græcis Ὑδάτιδα nuncupatam, quâ ità deprimitur intumeſcens Palpebra ſuperior, ab incumbente humore ſeroſo, ùt attolli nequaquam poſſit. En emiſſam in compendium Hiſtoriam : Cephalalgiâ corripiebatur Vir juvenis & ſatis robuſtus, quæ ipſum aliquot dies vexabat egregiè. Hâc diſcedente, acceſſit tumor ſuperioris Palpebræ oculi dextri, quem ſponte diſperiturum, ſibi promiſit. Dum autem brevi ſe ſubducturum Tumorem ſomniat, augetur quotidie incrementô tantô, ùt magnitudine infauſtâ, impenſiùſque rubente, ovum gallinaceum non æquaret modò ſed ſuperaret. Sic elapſô ſeſquimenſe ad me confugit mœſtus & oculo peſſimè affectô timens, mihique (ſi in re tam ſeriâ jocari liceat,) luſtrandum offerens.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum ; non enim disjunxerat tantummodò oculorum concordiam (quâ conjungitur amborum luminum viſus,) tumens horrendum in modum Palpebra, rupturam minitata, ſed & metum augebat per angulum, Oculi utrumque exſudans pus, adeò acre, ùt genam exulceraret.

Ego ab hoc purgante, ſaturitatem quinquiès everrente curationem exorſus, ℞. Pulver. Ialap. Scrup. I. Antim. Diaphor gran. IV. M. è veſiculis, ponè Aurem Cantharidibus excitatis, lympham extraxi copioſam. Tandemque hoc ἐπίθεμα, vinô incoctum, Oculo Frontique applicandum curavi ; ℞. Herb. Roriſmarin. M. ij. Melilot. Roſar. rubr. Furfur. Tritic. ãã. M. j. Flor. Anthos, Pugill. iij. Betonic. Chamomill. Salvi. Stœchad. ãã. P. j. Miſc. Nobilitabat hoc Epithema ſperatus eventus ! cujus divinos effectus, in abſorbendo commodiſſimè variorum membrorum Tumores Hydropicos, ipſe cum voluptate, non ſine tripudiô afflictorum, aliquoties expertus ſum.

Ibidem Obſervatio 152. *De Inſomniô, Mortem accelerante.*

Ibidem Obſervatio 153. *De Aurô fulminante ſine igne accenſô.*

Ibidem Decur. 3. *An.* 2. *Obſ. X. De Cachinnô inuſitatô, Mortis immaturæ prænuntiô.*

Ibidem Obſervatio XI. De Pinguedine Juvenis flaveſcente, & corde præpingui.

Ibidem Obſervatio XII. De Alvi Obſtructione, novem dies durante, cum triduanâ ſuppreſſione Urinæ, reſeratâ.

Ibidem Obſ. XIII. De Putei halitû lethiferô.

Ibidem Annô 5. & 6. *Obſervatio* 237. *De S. Viti Scholâ Saltatoriâ.*

Ibidem Obſervatio 238. *De Puerperum Gymnaſio.*

HANNEMANNUS (*Barthol. Joh. Otto*) Joh. Ludovici Filius.

De eo habentur in Miſcell. Cur. Dec. 3. *Annô* 5. & 6.

Obſervatio 201. *De Contracturâ crurum in Scorbuticô mirè averſâ.*

STudioſus quidam Juris, ſcorbuticô morbô diu detentus & ultra ſemeſtre ſpatium, ejus Tyrannidem adeò gravem ſenſit, ùt vix ſe ſe erigere ampliùs valeret, accedentibus atrociſſimis convulſionibus, quas acriores diuturnitate morbi redditi humores excitabant. Præcipuè autem crus utrumque magnâ vi ſurſùm ad ventrem convulſum, metum perpetuæ contracturæ cruris utriuſque faciebat, quam etiam vix effugiſſet, niſi ſoror ejus virgo nubilis, cruribus ejus inſidendo, illaque per integrum diem ferè vehementiùs premendo, convulſionum vehementiam repreſſiſſet, unde tandem æger ſuperior & ſine ullâ contracturâ ſalvus evaſit.

Ibidem Obſ. 202. *De Sudore unius lateris à Venere intempeſtivâ.*

VEnerem rectè matrem ſævam ab Horatio vocari ob multos affectus & morbos, qui præter riſus jocoſque eam comitantur, ſeq. hiſtoria ab amico mihi familiariſſimo & ἀξιοπίςῳ mihi relata, confirmabit. Juvenis quidam, cui Venus hactenùs intentata fuerat, cùm aliquandò Glyceræ cujusdam nitore ureretur, & gratâ ejus compede detentus, prælia acriter miſceret, hoc retulit brabæum, ùt poſt id tempus priſtinô vigore deſtitutus ſummâ ſemper virium debilitate laboraverit, unà cum hoc ſingulari phœnomeno, ùt quoties vel leviori exercitio incaleſceret, media pars corporis à fronte uſque ad talos ſudore maderet, alterô latere omninò ſiccô manente ; ità ùt ſæpiùs mirô illô ſudore rei infeliciter in caſtris cupidinis geſtæ memoriam renovaret. Cui an quid ſimile obſervatum ſit ab aliis neſcio.

Ibidem Obſervatio 203. *De Paſſere Piſce grandinoſô.*

HANNEMANNUS (*Joh. Ludovicus*) Med. Doct. & Profeſſor in Univerſitate Kilienſi (*Kiel*) Hamburgi Medicinam cùm exerceret, Kilium fuit advocatus, Profeſſoratum ſuum exercuit per 50. annos. Annô 1718. ætatis ſuæ ultrà 78. ad ſecundas nuptias convolavit, & obiit 25. Octobris, 1725. 84. annos circiter natus. Libros ſuos dono dedit Univerſitati Kilienſi.

De eô habentur in Actis Haffnienſibus, T. 2.

Obſerv. 100. *De Cataractæ metû.*

ANte X. menſes ferè oculis meis ſimulachra telarum aranearum inſtar obverſata, viſus verò

verò Dei gratiâ adhùc, licèt nullus dies ſine querelâ tranſigatur, dùm hæc ſcribo, tam acutus eſt ùt nec atomus fugiat eum, & ſplendidiſſimam lucem citra omnem ferunt laborem oculi mei, univerſum corpus ſæpiùs evacuavi, ut & caput pilulis cephalicis mundavi, interdùm quoque ad ſudorem eliciendum me compoſui, fonticulum in ſiniſtrô brachiô & jam per 9. menſes habui, veſicatoria quoque errorem, in diætâ angue & cane pejus vitavi, nihilominùs adhùc dum hæc ſpectra ante oculos fluitare, & varias juxta oculorum nutum induere formas, perſeverant. Periculoſam prognoſin mecum inſtituo, & nè tandem aliquandò, quod tamen cæleſtis avertat Archiater, ſuffuſio ſuccedat, paveo herclè; licèt Clariſſ. *Plempeio* à pueritiâ, Platero & ipſi ægro apud *Carolum Piſonem* talia citra notabilem noxam oculis fuerint obverſata & ipſe in hâc praxi meâ vidi virum, cui quaſi rete ante oculos expanſum per quod objecta videret, verùm jam citra ullam querelam acutè cernit, nihilominùs tamen ego mihi vereor, quare à Te imploro auxilium &c.

Th. Bartholini ad D. Hannemannum Reſponſio.

DOlendi cauſam ſubminiſtras, ſed telis aranearum, ut ſpero, fragiliorem. Times ſcilicèt à ſuffuſione, quòd ſimulachra quædam inſtar telarum aranearum ante oculos obverſentur. Sed noli metuere. Securum Te à ſuffuſione eſſe jubeo vel meô exemplô. Triginta & ampliùs anni effluxerunt, cùm primùm Patavii hæc ſpectra metum quoque mihi injicerent, ut conſilii gratia ad ſenem Medicum Io. Dom. Salam, in Praxi meum itidem ducem, accedens pro remediis ſolatium reportarem, plus hæc terrere quàm nocere. Ego certè ex illô tempore ſprevi iſta ſimulachra, quæ pro aëris humidi vel calidi conditione, vel augentur vel minuuntur, nullô viſûs impedimentô, quem Tibi quoque integrum & acutum ſupereſſe lætor. Cæterùm ſedulò ex illo tempore, cavi à lucubrationibus, à quibus mihi tempero, ut poſt cœnam ad lucernam nunquam vel legam vel ſcribam. Prætereà pulveri Tabaci magnam partem clarioris viſûs refero acceptam, derivanti per nares oculorum humiditates offuſcantes viſum. Quo remedii genere plures ſublevavi. Vel ſola Tabaci folia in pulviſculum comminuo, vel addo majoranam, euphratiam, Agaricum Trochiſcatum & ſem. fœniculi. Alia medicamenta ad ſuffuſionem præcavendam Tibi commendare nolo, nè noctuas Athenas. Ipſe quâ es experientiâ, plura & ſcis & rectè ſingulis uti noviſti. Axungiam viperinam laudatam vidimus in Miſcellaneis Curioſis Germanorum, quam etiam amicus quidam meus expertus nuper eſt, quem idem metus tecum terret. Simplex aqua Opthalmica ex vino albo Rhenano, in quô infuſa fuere fœniculum, bethonica, ruta, euphraſia, chelidonium majus, furfura, triticum, laudabatur mihi Patavii, ex *Bellocati* traditione. Non dubito quin corpore quotannis ritè expurgatô, ſervatâque decenti victus ratione, & à lucubrationibus abſtinentiâ, poſthàc ſimulachra iſta mecum diſcas ſpernere, quod ex animô precor, ùt diutiſſimè ſalvis oculis tuis perfruaris.

Ibidem Obſervatio 101. *De Organô ſanguificationis.*

HActenùs cum Ampliſſimô Collegiô Hallenſi & aliis celeberrimis Medicis de ſanguificandi Organô prolixè diſſerui, qui omnes pro corde ſtabant, ità ùt me etiam ferè ad palinodiam redegiſſent, ſed criſtam mea opinio iterùm erigit, ſub præſidio *Joachimi Georgii Elſneri*, viri ad invidiam Doctiſſimi; hic enim in Chylô in vaſis lacteis exiſtenti, ibidemque per ligaturam retentô poſt aliquot horas, cum amicis invenit liquorem rubicundiſſimum, ſanguinis inſtar, loco chyli, hinc ego iterùm in eam ivi ſententiam, quâ ſtatuo, ſanguinem à ſanguine modô aſſimilationis ex Chylô fieri, & ſic nullum viſcus, nullam venam vel arteriam & nullum locum ſanguine præditum, & naturaliter cruorem foventem à ſanguificandi facultate proſcribo, vel excludo, dummodò cordi non ſolùm elaboratio ſanguinis tribuatur, quod nobis non veriſimile, omnia enim illa requiſita ad ſanguificationem apprimè neceſſaria & cordi à cordis patronis aſſignata debentur eodem jure ſanguini, ſit cor primum vivens & ultimum moriens, juxta vulgare tritum, ego tamen provoco & peto Apoſtolos ad Clariſſimorum & Nobiliſſimorum virorum Cathedram *Gliſſonii* & Franciſci *Piens*, uterque vidit micans punctum ſanguineum ante omnium viſcerum exiſtentiam, licèt illud ſubtiliſſimus Hoffmannus in Mantiſſâ ſuæ Cardianaſtrophes ſubtili diſtinctione enervare conetur, ſtat ſic & theſis, quod ſanguis prior ſit corde & ſic ſuum rudimentum mimimè cordi debeat, & corruit effatum ipſius *Stagyritæ* Philoſophi reſpectû hujus puncti, quòd cor non ſit primum vivens. Eâdem facilitate etiam obtinerem, cor non eſſe ultimum moriens, ſed lubens mitto, quoniam theſin noſtram non arietat, verùm redeo ad obſervationem Clariſſimi *Elſneri*; illa ſubitanea chyli in liquorem rubicundiſſimum metamorphoſis nihil aliud eſt meô arbitratû, quàm inexiſtens forma intrinſeca ſanguinis chylô innata, quæ in actum ſui Entis completi, ſcilicèt ſanguinis ſurgere ſatagit, & quoniam chylus ipſe in vaſis lacteis jamjam maturus ad induendum Ens ſanguinis & ipſi denegatos acceſſus ad ductum thoracicum, cæteraſque venas & arterias nectare hoc vitali turgidas ipſa colchodea univerſalis egit in maſſam chyli & in cruorem rubicundiſſimum transſmutavit, & videmus hinc quòd ſpiritus ſanguificans non ſolummodò in corde, verùm in omni hoſpitet ſanguine, hinc & confirmatur noſtra theſis.

Th. Barth. ad D. Hannemannum Reſponſio.

TE jubente ad ſaxum Siſyphi revolvor, totiès à me olim, cùm his ſtudiis vacarem, tractatum, ùt repetendæ operæ pœniteat. Tuam tamen in gratiam ero breviſſimus, ſed ab omni ſtudio alienus, cùm veritati ſemper ſacramentum dixerim, nec mea referat an cor ſanguinem elaboret, an ſanguis, modò ſanguinem alteruter laudabilem conficiat. Vellem tamen ùt ea quæ hac de re diſſerui in Anatome nova videres, tuamque ſententiam illis lectis mihi aperires. Nunquam à veritate averſam mentem geſtavi, monitus ſemper meliora ſequuturus. Dubia interim Tua, quibus nimiùm fidis, paucis expendam. In experimentô Cl. *Elſneri*, cui univerſa tua theſis nititur, notandum arctam ligaturam non omnem ſanguinem ex vicinis venis, quô chylus inficiatur, poſſe excludere, cùm morâ illâ flacceſcant tunicæ & vincula laxentur. Prætereà in demortuô ſuppliciiſque enecatô animali corrumpitur chylus, à putredine autem ruborem elici variis exemplis vidi, qui quidem rubor rebus ineſt à ſulfure ſuô, nec ſanguinis veri indicium eſt. Ad hæc chylus ſi ſanguinem conficit, utiquè ruit tua theſis, quòd partes omnes quæ ſanguinem habent, ſanguificationis officiô defungantur, niſi velis chylum

cum

cum ſanguine confundere & chylifera vaſa pro ſanguineis reputare. Et quamquam id obtineres chylum in vivô corpore immutari in ſanguinem in proprio vaſe, certè in mortuô animali & impeditâ facultate tranſmutatoriâ vel torpente, vinculisque à ſuperioribus interceptâ, ſanguis vitalis quomodo generabitur? Taceo ex ſingularibus experimentis perpetuam theſin non poſſe conſtrui. Si ſanguis ubiquè ſanguinem generat, quid tantus viſcerum cordis &c. apparatus? Nulla viſcerum obſtructio, nullum vitium atrophiam membris induceret, ſi vaſa ſalva, ſi ſanguis in reliquô corpore oberrans, ſanguine confectô proſpicere partibus indigentibus de ſufficienti idoneôque alimentô poſſet. Verbô abſolvam, præparant venæ lacteæ materiam ſanguinis, ſeu nutrimentum corporis, Cor, velut machinæ noſtræ Sol & Præſes perficit & ſignat, quod mechanicis exemplis illuſtrari poſſet, ſi id ageremus. Punctum verò illud micans quod in primâ corpuſculi fabricâ conſpicitur, cùm cordis rudimentum eſſe non dubitem, alibique probavi, ſententiam Tuam promovere non poteſt, eô enim præexiſtente, ſanguis demùm ſequitur.

Ibidem Obſervatio 102. *De Errhinis & Calculoſô.*

DE morbô meô Ophthalmicô cum Excellentiſſimô Dominô *Kirſtenio* eandem habes ſententiam, & hic pro ſuffuſione non habet, quam Deus lucis creator avertat! Pulvere Naſali pro oculis, qui extat in Actis veſtris *Obſ.* 21. p. 50. quoniam perplacet, uſurus ſum, & tantò magis, quoniam tabaci uſum ad acuendum viſum prædicas *Cent.* 3. *Epiſt.* 66. *p.* 276. & in Tuô ad me datô reſponſô pergratô, poſthabitis aliorum practicorum ſententiis, ſternutationem in oculorum affectibus laudat Dn. *Sigiſmundus Graſſius*, *Obſ.* 71. Ephemeridum Anni primi p. 175. & ſic Centurionem *Battaville* reſtitutum commemoras *Cent.* 1. *Epiſt.* 92. p. 523. Et non infimæ nottæ Medicus quidam pulverem ex Mercuriô Lunæ factum mihi tranſmiſit, qui etiam citrà ſternutationem multam humiditatem ex cerebrô elicit, ſi naribus attrahatur, dùm adhùc jejuni ſumus. Ob affinitatem materiæ addo hiſtoriolam.

Ante annos ſex agyrta quidam Matrem meam de imbecillitate capitis & vertigine conquerentem acceſſit, pulverem qui evacuabat catarrhos ipſi dedit, eum in oleô olivarum infuſum naribus attraheret, hinc actutum, ex oculis, naribus, palato tenaciſſimus pluebat humor uſque ad guttam ſanguinis, quod pro bonô ſucceſſû interpretatus, cùm ex ipſô quærerem, quodnam genus medicamenti eſſet, gummi exoticum ex Indiâ allatum dixit, cùmque mihi oſtenderet aliquot fruſta, aliqua gummi ſpecies mihi viſa fuit, hanc catarrhi pluviam nominabat *Fluſs Abzafen*; nihil verò levaminis inde ſenſit mater mea, quare? ratio in promptû, quoniam corpus non ante præparatum vel evacuatum, ut oportuit; ſcis enim quànam præpoſterâ & ſiniſtrâ utantur medendi methodô, quâ homines magis bellè necant, quàm tutò ſonant. De catarrhorum extractione ſimilem Obſervationem Ephemeridum Curioſorum Anni primi Obſ. 34. p. 110. 111. 112. legi, cui hanc hiſtoriam meam ſocio, eamque dudum ad aliquod Academiæ membrum tranſcripſi, quæ dubio procul hujus anni meſſi inſeretur.

Ecce notabilem Obſervationem aliam; cùm ante annos ſeptem peſtis in Friſiâ Orientali graſſaretur, inter alios puerum calculô graviter laborantem invaſit, qui & periculoſè peſtis vehementiâ lectô affixus, hic enim cùm jam à peſte convaluiſſet, ſimul quoque à calculô curatus fuit, & nullum poſthàc calculi ſymptoma paſſus, quod miror, cauſam Tu dicito.

Th. Barthol. ad D. Hannemannum Reſponſio.

IN oculorum affectibus errhina magis laudaverim, quæ ſternutamentum non proritant, quia vehementi illâ capitis concuſſione liquor catarrhalis ad oculos potiùs propellitur quàm evacuatur. Sternutamentum levis eſt epilepſia, quam cautè advocabimus. Idcircò ex errhinis meis exeſſe jubeo lilium convallium, elleborum & alia, quæ cient ſternutamenta. In capitis gravedine & dolore ſternutamenta commendantur *Scriboniô* Comp. X. Pliniô L. 28. C. 6. aliisque, quia vi quadam craſſior materia capiti impacta excutienda, quô conſiliô ad ſecundas deturbandas ſternutatorium immittit *Hippocrates* V. Aph. 49. & in ſoporoſis affectibus Medici. In cataractæ tamen principiô ſternuere conducit ùt incipiens humor à corneâ diſcutiatur. Sed cautè id agendum nè plus advocetur mali quàm depellitur. Sunt etiam catarrhoſi, qui errhina quæcunque ferre nequeunt, magisque obſtruunt nares coryzâ, quàm liberant, quod in beatô noſtrô D. Mothiô obſervavi. Peccant deniquè qui vehementioribus irritant nares. Malô ſuô id expertus eſt nuperis annis Capitaneus Claſſis Regiæ, qui euphorbiô pro errhinô uſus, inflammationem cerebri concitavit.

Empirici errhinum, quod ad pluviam catarrhi adhibuit Matri Tuæ, ejuſdem forſan farinæ fuit. Vidi vel menſuram pottæ noſtræ liquore ex naribus ſtillante velut ex fonte perenni impletam à quodam Empiricô. Secretam autem hanc artem ſervant Agyrtæ, nec ſatis illi fidendum, cùm euphorbiô vix ſit melior. Rectè ille:

—— ignotum noli proponere notis.
Cognita judiciô conſtant, incognita caſû.

Optima quippè remedia, Hollerii judicio, quæ plurimis cognita, pluribus probata ſunt. His ergò utamur, præeunte *Vindiciano* ad Valentinianum Imperatorem, quibus ſumus benè experti, & quorum beneficiô, conſequuti ſumus optabilem ſanitatem. Non dubito ad eliciendam per nares aquam, quin *Agaricus*, gummi gutta quôcunque modô præparata plurimùm valeant.

Morbum morbô curari inſolens non eſt. Hydropem febris ſanet exſiccatione humorum, & valvulum copioſâ urinâ VI. *Aph.* 44. & capitis dolorem *Aph.* 51. Ità & febris peſtilentialis abſumere potuit in puerô calculoſam materiem illâ ætate fluidiorem: Obſervatum multis à peſte convaleſcentibus vocem diù læſam fuiſſe exſiccatis faucibus. Si bubones adfuerint, multorum in corpore puerili malorum evacuatio ſecuta. A calculô verò liberatum puerum poſthàc ſecurum eſſe juberem, niſi diſpoſitio hæreditaria adſit. Induciæ enim erunt, nulla pax.

Ibidem Obſ. 103. *De ſanguine vetitô & Lacteô.*

PUlvere naſali in Actis veſtris deſcriptô diligentiſſimè utor, ac ſingularem experior ſucceſſum, cerebrum mundificat, oculos clarificat, tibi loquor experto, crede mihi experto:

Quod porrò attinet, de ſanguine vetitô, Tuum Tractatum avidè perlegi, ac huic opinioni ſubſcriberem, niſi obſtaret locus *Pauli* Epiſtola Priori ad *Cor.* C. 10. v. 25. quem ſi removes ſcrupulum, non ſolùm tibi ſubſcribo, verùm etiam adverſus *Heideggerum* hâc de materiâ ſtringam calamum.

Hâc die hæc ſcribens ad ægrum vocatus ſum. Cum ad ipſum accederem, oſtendit mihi ſuum ſanguinem à medianâ à Chirurgô effuſum. Ille erat gelatinæ inſtar concretus punctis candidis interſtinctus, conſuetum ſanguinis ſerum ſero lactis coagulati quàm ſimillimum, veluti ſerum parùm flaveſcens, in omnibus ſerum lactis æmulabatur.

Th. Barth. ad D. Hannemannum Reſponſio.

BEnè Tibi auguror, ſi in uſû pulveris noſtri & caput purgiis perexeris, & lucubrationibus valedixeris. Quotidiana quoque ablutio cum lotio propriô matutinô plurimùm oculis conferet, cujus cauſam non ignoras. Crede mihi, quò magis maculæ illæ oculorum ſpernuntur, minùs nocere.

Gaudeo quod Diſquiſitio mea de Sanguine vetitô & lecta Tibi ſit & probata. Simplici quaſi narratione ſeculorum praxim expoſui, nec ullius conſcientiam obſtrinxi. Nunc verò miſſam illam curam facerem, niſi ad partem Medicinæ diæteticam pertinere ſcirem, Tuque ita in litteris juberes, ut hæc per tranſennam attingerem. Locus ille dubius *S. Pauli* I. *Cor.* 10. 25. non videtur mihi difficilem habere explicationem. Quanquam propriè me non feriat, quia de Idolothytis loquitur; attamen, cum ſanguine ſiquidem prohibentur hæc Act. 15. pari paſſû ambulare cum ſanguine videntur, diſpari licèt conditione, cùm ſanguis nuſquam exindè legatur conceſſus, idolothyta verò hic loci concedi videantur propter conſcientiam. Sed reverà etiam hic & ubiquè idolothyta prohibentur, ſicut apparet ex Capite 8. ejusdem Paulinæ Epiſtolæ ad Corinthios; Et *Capite* 10. Dæmoniorum cibis annumerantur, à Deô verô averſis. Conceduntur autem ut reliquæ carnes in macellô, quando idolothyta eſſe ignoremus. Igitur Apoſtolus vetat interrogare de genere carnium. Si enim conſtet Diis eſſe conſecratas carnes, prohibet illarum eſum propter conſcientiam, ne infidelis ſcandalum capiat, credatque Chriſtianum conſentire Paganis erroribus. Propter propriam conſcientiam anteà inter prohibitos cibos recenſuit S. *Paulus*, nè participes fiamus menſæ Dæmonum, ſi ſcilicet ſciamus dis cibos iſtos eſſe dedicatos. Tantùm abeſt conceſſa promiſcuè fuerint in Eccleſiâ primô ſeculô idolothyta, ùt in Apocalypſi B. *Ioannis* Cap. 2. 20. Angelo Thyatiræ Eccleſiæ infenſus ſit Deus, quòd permittat mulierem Ieſabel manducare de idolothytis. Domitiano autem imperante, in Patmo Johanni hæc revelata, longè poſt tempora S. Pauli ad Corinthios ſcribentis. Hinc in Hiſtoria Eccleſiaſticâ legimus, fame potiùs conſumi voluiſſe veteres Chriſtianos quàm carnes ex macellô emere, quas ſciebant ab imperatoribus Paganis omnes Dis fuiſſe conſecratas. Et poſterior *Leo Magnus* qui A. C. 440. vixit, Epiſtol. 59. C. 5. idolothytâ veſci vetuit ſub gravi cenſurâ. Nil his clariùs ſed alii viderint.

Ibidem Obs 104. *De Generatione hominis ex ovô & contra Arſenicum Euporiſton.*

DIebus paucis elapſis ab Excellentiſſimo D. D. Laurentiô *Gieſeler* Archiatrô Brunſvicenſi litteras indeptus, in quibus obſervationem quamdam adducit, quòd videlicèt in teſticulô puellæ 9. annorum hydrope exſtinctæ ova invenerit; hæc & talia obſervata generationem ex ovis jam à multis aſſertam aſtruunt. Quid tu de generatione ex ovô ſentias lubens ſcirem; ea opinio enim temnenda non eſt. Veteres Talmudiſtæ totum univerſum cum ovô comparârunt, hic etiam mundus ovum Thalmudicum audit. Ego ſubſcribo huic ſententiæ ſalvô Tuô judiciô. Ovum noſtrum Harveanum de generatione animalium, in quô aſſeritur quòd omnis generatio ex nihilô fiat, Magnô *Wedeliô* olim Archiatrô Gothano jam Profeſſori Jenenſi digniſſimo inſcriptum, Brunswigam ad Excell. *Gieſelenum* illinc Ienam ibit; Doleo verò quòd Tu generationem Harveanam pro paradoxô habeas, ſi enim Tu huic opinioni unà nobiscum ſubſcriberes, de tantô patronô gratularemur.

Addo, adverſùs Arſenicum cryſtalli foſſilis ℨj. cum oleô amygd. dulc. antidotum cenſetur; ut lapis Bezoar orientalis cum aquâ boraginis ad gran. 10. commendatur; Ecce verò Euporiſton; Carbonarius in Holſatiâ, cùm ibi adhùc praxin Fridrichſtadii exercerem, ad me accedit conſilium pro ſuâ uxore petens, quæ incautè arſenicum pro muribus expoſitum aſſumſerat, ego hominem pauperem reſpiciens, Radicem ſambuci inciſam in lacte incoquere, ſic exprimere ac multùm butyri in lacte calidô ſolvere, ſicque tepidum haurire juſſi, hinc evomuit ac deplorata ægra reſtituta eſt.

Th. Barth. ad D. Hannemannum Reſponſio.

DE Ovariô in foëminis humanis poſt Stenonii noſtri diligentiam nemo ambigit. De inventione hujus inter ſe litigant Belgæ Profeſſores accurati, *Swammerdammius* & *Graafius*, uti ex editis opuſculis liquet. Cl. *Swammerdammi* Figura nitida & accurata noſtro Operi Anatomico inſerta eſt, pro quâ ipſi gratias agimus. Primam occaſionem ovarii ſubminiſtravit. Cl. *Stenonius* in Obſ. de Muſculis Haffniæ ante complures annos editis, ſicut in Anatome Nova monui, qui etiam præteritâ nuper hyeme publicô in Theatrô Haffnienſis Academiæ, in cadavere foëminino demonſtravit ova, eaque coxit aliorum ovorum more, cunctisque utriusque ſexûs ſpectatoribus curioſis oſtendit. Ità decocta pellucida viſebantur, nullô vitelli veſtigiô, quod neque in ovinis ovis coctis deprehendit filius meus *Caſp. Bartholinus* ſed albumen duriuſculum ſolum. Quomodo ex ovariô in uterum per tubam uteri patentem ovum foëtus humani deſcendat, oſtendit in nuperâ figurâ *Fred. Ruiſchius* Anat. Amſtelodamenſis. Hiſtoriam ipſam mihi à Cl. Slado miſſam in Actis hiſce Obſerv. 4. legendum exhibui, cujus etiam meminit *Juſt. Schraderus* Dec. 11. Obſ. Med. 9. Generationem Harveanam non damnò, ſed de eâ delibero antequam aſſenſum meum contribuam. Ipſe *Harvejus* incomparabilis fabulam vocavit, cui tamen aliquid veri ſubeſſe poteſt. Expoſui difficultates in *Anatome meâ Novâ*, quæ brevi ex Belgarum torculari eluctabitur perfecta. Me erudiri ſemper patiar, & diffidentes amicos libenter fero, quanquam valdè exguus ſit inter nos opinionis diſſenſus, nullus voluntatis.

Euporiſton ex ſambucô, opportunum eſt. Omnia bona in ſambucô latent. Nuper apud ſtudioſam Matrem familias vidi ſpiritum Vini, cum quô flores ſambuci deſtillati fuerant, ad varios morbos

bos domeſticos internè exhibitum. Plura non addo de re manifeſtâ omniumque utilitati & oculis expoſita, ſed, quod dolendum, neglecta vel ſpreta.

Ibidem Obſ. 105. De Fermento Stomachicô.

CONſtat ab omnibus fermè Medicis fermentum ſtomachicum, ac circa febres, variolas, morbillos, fermentationem quandum ſanguinis vel etiam humorum aliquam concedi; Nobiliſ. *Polyhiſtor* D. *Schoockius* non ſolùm priùs, ſed & omnem fermentationem ab his prædictis humani corporis affectibus excludere videtur. De priori non amplius ambigo, id enim Tu Cent. 4. Ep. 98. p. 555. 556. 557. 558. ſatis aſſeruiſti. Verùmtamen adhuc quæſtio de eô manet quædam cùm connatâ aciditate præditum ſit, ſicque acidum hujusque aciditatis beneficio concoctio digeſtioque ciborum peragatur ac acceleretur? Pro hujus aſſertione non parùm facerent Medicamenta ea, quæ adverſùs anorexiam practici præſcribunt, quæ & plurimum talia ſunt, ut maximam partem acidis conſtent, qualia ſunt ſpiritus ſalis, Vitrioli, ſulphuris &c. verùm ſcio hæc ipſa D. D. *Schoockium* diſtinctione inter ſanum & ægrum eludere, ùt itaquè adhùc aqua hæreat, quid affirmandum ſit, niſi à Te certior fiam? Quæ cæteròquin præcellentiſſ. *Schoockius* ad negandum fermentum ſtomachicum affert, ea non ſunt tanti ponderis vel momenti ùt non facilè refutari queant. Feci hujus rei periculum in Epiſtolâ meâ reſponſoriâ ad Ampliſſimum *Matthiam Tillingium* quique hoc Autummô eruditiſſimum Tractatum Phyſico-Medicum de Fermentô & Fermentatione dabit, ſed an illud acidum aſſerendum ſit à Te informari cupio; ſi meum qualemcunque arbitratum hìc afferre fas ſit, ſtomachum noſtrum, ut & omnium animalium acidum aliquid habere connatum, quod ſe primò in cibos unà cum calore inſerit, ac ſic eorum ſubſtantiam deſtruere inque Chylum convertere arbitror. Non obſtat quòd hic in Gallinarum aliorumque animantium ventriculis ſapore & guſtû dignoſci nequeat, non etenim in viſibili cavitate ventriculi palpabilis jacet, verùm in ipſis plicis hic liquor reconditus eſt, ac prorùs inſipidus ſit, dum animal per mortem exſtinguitur, mors etenim, quæ membra gelida facit, actutum calore ſtomachi nativo exſtinctô peregrinos humores huic liquori commiſcet, ùt & hinc meritò ſuum ſaporem acidum perdat, ac inſipidus fiat, à mortuô itaque animali ad vivum argumentari mihi minùs videtur philoſophicum. An verò hic liquor ex Liene derivandus ſit. Tu & jam noviſſimè nos erudivit D. *Tillingius* in ſuâ Anatomiâ Lienis, tum tractatû ab ipſô promiſſô de vaſe brevi Lienis, quem ut aliquandò edat, hortari non intermittam.

Accedo ad fermentationem circa recenſita pathemata, ea ipſa ex peregrinô ente fermentativô ex cibis & potulentis elicitô, vel aëre ventôque ambiente provenire poſſe (ſalvô Tuô judiciô) autumo, ſæpiùs quoquè connatum acidum ſtomachi fermentativum præ nimiâ copiâ abundans ſanguini immiſcetur, ac quoniam huic maſſæ ens peregrinum eſt, eundem ad efferveſcentiam aliquam impellit, fermentationemque introducit, quandò verò primò hoc acidum ad ſanguinem in venas arteriaſque ingreditur, ſuô hôc recenti acceſſû horrorem & pandiculationem excitat cui ſi diu immiſtum maneat acidum inextinguibilem ſitim, intenſiſſimumque calorem febrilem facit, ſi verò contingat quòd hoc acidum ſimùl ſalſedine aliquâ prægnans ſit, facit ùt febricitantes dùm adhùc ſummè horrent frigentque, cum Tantalô ſitiant. Quàm præpoſterè ergò hic bilis accuſetur à nonnullis, hinc patet. Ità phrenitis hujusque ſylveſtris acidi ex inferioribus partibus vaporoſi & non bilis ſoboles eſt. Hoc ſylveſtre acidum infinitas beſtias in arâ Microcoſmi Morbonæ facit, ubi humores non entia accuſantur.

Th. Barth. ad D. Hannemannum Reſponſio.

TAm multa de fermentatione in ventriculô ſcripſi, acidôque lienis humore in *Anatome Nova*, ùt crambem hìc recoquere nolim. Grave Tibi amico non erit ſuſpendere judicium donec in publicum progrediatur quæ perfecta modò eſt & ex prælô evaſit. De Acidô animalium connatô certiores nos reddunt mulierculæ in villis, non inutile fieri per mortem animalis, quin vitulorum agnellorumque acidum ipſis plicis ventriculi congeſtum in caſei formatione à lacte ſeparandi adhiberi, hâc tamen conditione nè animalia fænô veſcantur, ſed ſolô lacte, ſimùl ac enim ablactatus ſit vitulus vel agnellus, inutile fieri illud acidum, quod Live vocant & putreſcere. In ſuibus ventriculum ipſum, ſed exſiccatum depuratumque pro ſeparatione caſei à lacte ſumi & in uſum trahi: Cætera quæ Tu acidô in morbis attribuis, ego lymphæ olim aſſignavi ad aciditatem, ſalſedinem, aliamque qualitatem peregrinam deflectenti & immutatæ. Acido pancreatici ſucci multùm quoque deberi, non dubito, quem ſaporem illi eſſe præternaturalem ſemper exiſtimavi & nuper quoque in variis piſcibus obſervârunt Amſtelodamenſes in obſervationibus hoc annô editis.

Ibidem Obſ. 106. De ſanguine vetitô dubia & de Potû nocturno.

QUôd præceptum hoc de ſanguine vetitô adhùc in Novô Teſtamentô locum habeat, adeòque nos obſtringat, probat hujus præcepti ſolennis repetitio *Act.* 15. 20. 29. ſi ad legem cæremonialem nude ſpectaret, non in novô tam ſeriò repeteretur ut conſtat, & præter ſanguinis eſum vetitum de cæremonialium legum claſſe nil adeò in novô Fœdere repetitum legimus, etiamſi decretum hoc temporaneum & non perpetuum eſſe urgeant quidam Theoſophi adque hoc utantur locis ſcripturæ ſacræ *Matth.* 15. 11. *Act.* X. 15. 1. *Cor.* X. 25. 26. 27. *Coloſſ.* II. 16. *Timoth.* IV. 3. 4. 5. *Tit.* I. 14. 15. Quæ loca ſi inſpiciantur, nihil ipſis famulantur, decretum ergò hoc perpetuum urgemus. Verùm tamen ùt nuper objeci locum 1. Cor. X. 25. quid difficultatis habere poteſt, etiamſi de idolothytis agat, cùm hoc certum ſit inter gentes ſanguinis eſum non fuiſſe prohibitum, ità quoque Ethnici ex ſuis macellis ſanguinem non proſcripſerunt, ſed venalem admiſerunt, ùt hinc majus ſcandalum Judæis facerent. Jam verò ſimpliciter Apoſtolus gentium omnia ad eſum permittit quæ venalia exponuntur in macellô. Quare etiam hic locus pro iis ſtare videtur, qui eſum ſanguinis pro re adiaphora habent.

Quid ſi quis inferret Judæorum gentem, quoniam ipſis ſanguinem edere fuit interdictum, hinc totiès lepræ præ aliis gentibus ſubjacuiſſe. Hebræi enim præ aliis gentibus hôc morbô tentabantur, nam dum ſanguis ut vitalis naturæ ſuccus, ac ipſius

ſius carnis condimentum, cujus beneficiô hujusque circulatione caro à putredine præſervatur; quoniam itaque caro mactatorum animalium hôc ſuô naturali deſtituebatur condimentô, hinc exſanguis ingeſta tantam malignitatem induit, lepramque induxit populo Iſraëlitico, & quoniam jam ſanguis hoc tempore indifferenter comeditur, hinc caro ſuum habet condimentum, ac non adeo lepra frequens eſt in populis hominum.

Valetudini noſtræ inimicum cenſetur à Medicis, quandô noctû bibimus, quod & rationi analogum, hinc *Valeſcus* de *Taranta* talem fecit Aphoriſmum L. IV. C. 8. p. 311. ſui Philonii Pharmac. Quicunque noctû & poſt ſomnum bibere aſſueſcunt, cacochymiam vel aquam intercutem non evadent, niſi morte immaturâ rapiantur. Veritatem hujus Aphoriſmi verâ hiſtoriolâ probabo; Socer meus jam piè defunctus anno 1673. die 27. Junii nomine *Petrus Johannis de Calis* Senator Urbis Fridrichſtadii, cùm ſpiraret, emeritus ac Mercator primarius ejus loci, Vir juſtus & honeſtus hic noctû poſt ſomnum aſſumere potum in more jam per aliquot annos habebat, qui pòſt incidit in pedum intumeſcentiam, ac deniquè in hydropem Aſcitem, quô morbi genere quoque extinctus die dictô. Quî ità nocturnus potus tam valetudini noxius ſit nos edoce in Actis Medicis, ego hinc ſanguificationem lædi, ſicque cacochymiam naſci (ſalvô tuô judiciô) arbitror, hìcque locum opinio Caroli Piſonis, quam etiam ſequitur Sennertus &c. habet.

Th. Barthol. ad D. Hannemannum Reſponſio.

Difficultatem novam moves ex locô Apoſtolicô de generali conceſſione omnium quæ in macellô veneunt, adeòque etiam ſanguinis, quem in macellis proſtetiſſe Corinthi exiſtimas, tecumque alii ejusdem ſententiæ. Breviter ad ſingula. Sanguinem in macellô publicô ementium ære proſtare potuiſſe conjenctura eſt, quæ eâdem facilitate rejicitur, quâ ſine autoritate aſſeritur. Macellum propriè carnibus mactatis deſtinatum. Hinc nominis origo. Græcis χρεοπώλιον à carne, pro quô Apoſtolus ex Romanâ voce μακελλὸν ſubſtituit. Et Danus Interpres noſter Kiſdtorffvet. Varoni quaſi maſtellum, à mactandis pecudibus. An hic ſanguis quoque venum expoſitus ſit, vel ſingulare ὀψοπώλιον conſtituerit incertum. In macellô non numeratur ſanguis *Plautô* Aulul. Act. 2. Scen. 8.

Venio ad macellum, rogito piſces, indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.

Neque ullus Cocus apud *Athenæum* L. 14. ſanguinis meminit. Conſtantinopoli certè in cauponarum foribus inteſtina ſanguine ſuillô plena propoſita conqueritur *Petrus Antiochenus* Epiſt. contra Cerularium. Sed ſi Apoſtolici loci ſenſum expendas, ſola idolothyta in macellô conceduntur, de quibus & in prioribus verſiculis & ſequentibus ſermo eſt, nullâ ſanguinis mentione, quanquam in eôdem macellô proſtaret, vel minimâ. Et idolothyta porrò in Eccleſiâ Chriſtianâ prohibita manſiſſe jam ante probavi.

Lepræ originem malè ex ſanguinis abſtinentiâ repetis. Neque enim hoc morbi vitium gentes infeſtat, quæ ſanguinem inter prohibita habent, Ruſſos, Æthiopes, Turcas, & inter Chriſtianos nonnullos abſtemios. Apud Judæos pœna videtur divinitùs illata, de quâ alibi. Primi Chriſtiani poſt Synodum primam ex abſtinentiâ hâc nihil mali ſenſerunt. Nec ſanguipotores alii barbari à leprâ immunes. Ratio à Te allata nihil evincit: ſanguis corpori vivo inſitus, carnes præſervat, neutiquàm in cadavere. Nec caro mortua voratur ab iis qui ſanguine ſine ſcrupulô veſcuntur, niſi ſanguine plurimô exhauſta. Suffocata & morticina excipio, quæ tamen nec viva cum ſuô ſanguine comeduntur à cultioribus.

Cur potus nocturnus damnandus ſit ex *Valeſcô de Taranta* rationem reddis neutiquàm ineptam. Sed diſtinctione hìc opus cenſeo. 1. In aſſuetis noxius non eſt. Novi virum Haffniæ optimum, 35. annorum, amicum noſtrum, qui à teneris aſſuevit mediâ nocte cereviſiam domeſticam haurire ſomnô excuſſô, nullô cum damnô. Suaſi quidem amicè, ùt abſtineret, & novella conjux omnem lapidem movit, ſed obſtinatè diſſuadere auſus non ſum, nè malè cederet abrogata conſuetudo: 11. Aph. 50. præſertim cùm calidô vividôque ſit temperamentô, adeòque humectatione & refrigeriô indigeat, ſive per ſomnum V. Aphoriſ. 27. ſive per potum. 2. Aquæ potum condemno, quâ concoctio impeditur vel vitiatur. At ſi calidior ventriculus cibos vel adurat, vel ſitim ex calidioribus aſſumtis excitet, cereviſiam mediocrem non diſſuaderem. Aliàs manè ante prandium Angli cereviſiam potant, ollam ſcilicèt eluentes antequam novus cibus ingeratur, idque conſiliô Scholæ Salernitanæ. Et aquam hordei & ſerum febricitantes media nocte & emulſiones hauriunt. Cùr non cereviſiam? ſi moderatô lupulô ſit tenuior.

3. Ventriculum debilem, & ſenilem frigidum offendit potus nocturnus, quia ventriculum in coctione tardâ turbat, & flaccidum reddit, hinc vitiatô chylô pravus ſanguis generatus cachexiæ & hydropis occaſionem præbet. Vidi juvenem imbecilli ventriculô poſt hauſtam cereviſiam ſubitò aquam ſibi inter cutem acceleraſſe. Idem ſocero Tuo ſeni exitium peperit.

Ibidem Obſ. 106. Alius de ſanguine vetitô ſcrupulus & de Terminô Vitæ.

Unô atque alterô Epiſtoliô de Eſû ſanguinis vetitô egimus, ubi omninò tuæ ſententiæ veriſſimæ ſacramentum dixi, licèt ſcrupulum mihi faciat, quoniam Chriſtus Jeſus in inſtitutione Sacræ Cænæ ſanguinem ſuum bibere præcipit, quô præceptô prohibitum ſanguinis eſum in veteri fœdere videtur abrogare, itemque ſanguinem ad eſum concedere. Quare nos forſan fruſtrà videremur cum *Curcellæô* ſanguinis Chriſtianis interdicere; cùm antiqui fœderis reformator quoad leges Cæremoniales ibi prohibitum eſum ſanguinis in Novô Teſtamentô ſtabiliat, dum proprium ſanguinem ſuum nobis in ſacrâ ſynaxi bibendum propinet. Profectò hìc ſumma videtur difficultas, huncque ſi mihi exemeris ſcrupulum, haud habeo quòd ampliùs opponam, ac ſanguinem valere jubebo.

De Terminô noſtræ vitæ, an ille mobilis vel fatalis ſit, quædam in medium afferas peto. Quidam eum mobilem rectè urgent, alii fatalem volunt, ſi poſterior ſententia prævaleat, actum eſt de Medicinâ noſtrâ, ut quæ tum parvi uſûs, quare rectè amplectimur priorem.

Admiratione dignum videtur, vergitque in omnipotentis Creatoris laudem, hujusque omni numerô abſolutam perfectionem innuit, quando in

in ipſis venenis antidotum invenimus, quô illorum vim eludimus enervamusque: nè jam alia in ſcenam afferam, ſolùm de pinguedine ſerpentinâ hiſtoriolam afferam. Pharmacopæus noſter junior multiplici experientiâ didicit, ſi homo vel animal à ſerpente læſum ſit, ſique tùm læſa pars axungiâ ſerpentinâ inungatur, certiſſimè curatum iri. Venit aliquandò ad ipſum Ruſticus, cujus puer à ſerpente læſus ità ùt crus cum vehementi dolore intumeſceret, ducitur ad Chirurgum, hic juxta artem plebeis Chirurgis notam tractat partem læſam, ſine ullô ſucceſſû ac ope, quare itur ad Pharmacopœum noſtrum petitum remedium ad ejusmodi malum, hic axungiam ſerpentinam pro aſſe vendit eâque partem læſam inungere mandat, quô factô evaneſcit dolor cum tumore, integritati reſtituitur puer hoc medicamentô; imo intrinſecè cum ſingulari auxiliô dare ſolitus. Verus itaquè Canon Metaphyſicus, omne Ens bonum, quod ego ità eloquor, omne venenum bonum & ſuæ virtutis venenatæ deſtructivum! Clariſſimus *Hoffmannus*, Medicus Hallenſis, in ſuâ M. M. L. a. c. 19. p. 228. mandragoram, napellum, & uvam inverſam, venenata cùm ſint, ſalutaria convulſioni remedia tradit; quod quidem verum, dummodò ejus legitimum aſſequi poſſemus, quem, quod ego ſciam, nullus Medicorum tradidit exactè, interim hoc certiſſimum eſt in his ipſis venenis quendam characterem divinæ omnipotentiæ genus humanum conſervantis amantisque latere. Felix qui aliquando eruet.

Th. Barthol. ad D. Hannemannum Reſponſio.

PErgis circa ſanguinem vetitum in ſcirpô nodum quærere. Ex ſacrô eſû uſûque ſanguinis Agni Dei immaculati profanam ſanguinis brutorum licentiam aſſeris. Nolim ad hæc myſteria adſcendere, credere malens quam de iis diſputare. Nec ea meæ Profeſſionis circulô includuntur, quanquam parati eſſe debeamus omni poſcenti, ſpei noſtræ rationem reddere, & de Deo ſemper & ubiquè loqui conveniat cum veneratione. Si igitùr rectè, uti ſpero, de his ſacris ſentio, Jeſus nobis ſuum ſanguinem dedit in ſacramentô bibendum, neutiquàm brutorum, nec aliorum hominum, quorum ſanguine & carne innoxiè & ſine piaculô veſceremur, ſi tuo argumento fidimus. Non conceſſit hôc exemplô licentiam nobis ſanguinis brutalis vel hominis, qui ſanguine ſuô ſacro-ſanctô nos beavit, ſed hôc holocauſtô ſacrificia veteris Teſtamenti abrogavit, ùt ſpirituales hoſtias offeramus deinceps, Deo acceptabiles per Jeſum Chriſtum I. *Petr.* II. 5. Quod myſterium Deo & Theologis relinquo.

De vitæ terminô omnem materiam ſcribendi exhauſerunt viri eruditi paſſim per orbem ſparſi, quos de hâc controverſiâ conſuluit Clariſſimus *Beverovicius*, nec volo poſt tot Homeros ſcribere Iliada. Medicorum autem artis dignitas permanet inconcuſſa, quamcunque ſententiam eligas, etiam in fatali termino. Præclarè enim dictum ab eruditô Medicô; Medicamentis utimur, non ùt fatalem horam evitemus, ſed ùt eandem ſalvi expectemus. De cæteris alibi.

Venena venenatorum eſſe remedia etiam ſcorpio docet. Morſus enim à ſcorpione, oleô ſcorpionis inunctô curatur, quod idcircò lectis noſtris ſemper in Italiâ appoſitum habuimus. Ipſe quoque ſcorpio vivus comprehenſus vulnerique affrictus pro medela eſt. Ità quoque obſervavit *Celſus* L. 5. c. 26. *Serenus Samonicus* & *Dioſcorides* L. 2. c. 62. Hinc ejusdem nominis herba, cujus ſemen ſimilitudinem caudæ ſcorpionis habet, remedio eſt, ſi credimus *Plinio* L. 22. c. 15. In Orvietanô ſcorpiones ſicci pro alexipharmaco adhibentur. De Bufone ſimilia annotavi in Diſſ. de *Transplantatione* Morborum, qui manû retentus læſam ab alterô bufone manum ſanat. Semen Lunariæ ceu toxicum, jumenta morti dat ſi eô veſcantur; herbam verò ſeu folia contrà reſtituere, ex *Geſnerô* annotat *Camerarius*. Herbæ mimoſæ folia venenata eſſe, nec ullum niſi in radice ejuſdem remedium eſſe monet *Guil. Piſo* L. 4. de Medic. Braſil. c. 96. Axungia ſerpentina tumorem diſcutit. Forſan alia axungia idem efficeret. Morſû enim magis ſerpentes iſti, uti & ſcorpiones, quàm venenô nocent, punctis læſisque nervulis in tumorem elatis.

Ibidem Obſervatio 107. *De Curatione Magneticâ.*

EX Actis veſtris de Anno 71. 72. video Te in patrocinium ſuſcipere à multis rejectam nihilominùs nobiliſſimam Medicinam morborumque tranſplantationem. Huic methodo curandi morboſque per tranſplantationem ſubſcripſi dudùm, ac in publicô quid unguento armario olim in Prodromo meo ſcripſerim, jacet. Narrabo veram hiſtoriam de Unguentô Armariô. In Friſiâ Orientali in pagô Sigelſum pia, honeſta & nobilis matrona ex nobili proſapiâ de Cruminga orta habitat, hæc quoslibet vulneratos abſentes inſtrumenta inungendo, quibus vulnera inflicta ſanat, eſtque quoque ea ipſa, cujus mentionem feci in meô Prodromô p. 509. 510. Præter allatam illic obſervationem ſcio quendam ligone ſaucium, ligonem ſaltem inungendo reſtituiſſe & perplures cultris læſos hôc pactô curâſſe; ità ùt de certitudine hujus artis minimè ampliùs dubitem. Neque hìc opus ad occultas qualitates non entia cum maximô noſtræ eruditionis ſcandalô confugiamus, cùmque ratio in promtû, quam adduxi in a. l. tantòque magis nùnc defendam unguentum armarium, cùm videam te noſtris ſimùl faventem. Qui itaque malo genio pactisque diabolicis hanc aſcribunt artem. hi homines, 1. in Deum, quaſi Deus tam infirmus rerum creator eſſet, ùt creaturæ nihil poſſent, 2. in naturam injurii ſunt, quam tam inermem volunt, ùt nil tale quid valeat, quod ſui creatoris omnipotentiam illuſtraret, cùm infinitis facultatibus dotata ſit, quæ Dei omnipotentiam probant & illuſtrant. Minimèque jam conceptô meô opere abſtinebo, hanc artem traditurus, hujusque beneficiô plurimos humani corporis morbos à capite ad calcem curari, & quomodo poſſint, demonſtraturus ſum.

De Tranſplantatione Morborum Reſponſio
Th. Barthol. ad D. Hannemannum.

QUæ de Tranſplantatione breviter publicè diſſerui, nolo alios ad credendum obſtringere, ſed ad explorandam naturam invitare. Non dubito multa Naturam occultare, aliquando hominum ſtudiô revelanda. Intereà de multis dubitamus, quia ratio multorum in profundo latet. Non poſſumus tamen aliorum experientiæ diffidere aut damnare omnia quæ vel non vidimus, vel ratione clarâ aſſequi non valemus. Pluſcula exempla attuli

attuli fide dignorum, quibus non pauca alia addi poſſunt. Ex annotationibus *Fabricianus* M.SS. in Crollium affert experimentum Magnus noſter D. *Simon Pauli* in Quadripartit. Botan. Claſſ. 2. pag. 32. quòd Brunellæ aridæ radix, denti dolenti tam diu affricta, donec ſanguinem ex gingivis exprimat, magneticâ vi dolorem ſopiat ſi cruentata ſalici aliquo uſque perforatæ indatur, mox iterùm foramen tubulo ex ſalice probè obturetur. Non ſuccedit ſemper imitatio, quia levis circumſtantia, rem infectam facit. Hafniæ Diabeten ſuam in canem transferre tentavit non ità pridem Ampliſſimus Urbis Præſes, *Petrus Bullichius*, olim Archiater Regius, exiguô quidem cum emolumentô, duo tamen, quæ hùc faciunt, ex illô experimentô didicimus, primum quòd cùm urina deſtillaretur, dolorem æger ſentiret pro calore fornacis intenſiore, deinde quòd ex potâ urinâ cani deciderint pili. Colicam in canem familiarem tranſplantatam in ædibus Avunculi mei obſervatum. Lumbrici podagricis appliciti contrahuntur, quaſi morbô infecti. Duobus exemplis Enterocelen in arborem tranſplantari poſſe, in Actis hujus anni confirmat Collega noſter multiſcius *Olaus Borrichius*. Ut alia omittam alibi à me ſignata. Neque ad Diaboli artes hìc confugiendum cenſeo, quæ ſupra naturam ſe non attollunt. Indignus ille hôc honore. Præſtigiis quidem illudere hominibus poteſt, ſed illis nulli morbi curantur, ùt per tranſplantationem ſanare non valeat, niſi ipſi naturæ hæc facultas inſit. Faciliùs ille tenebrio morbos inducit, quàm curat. Idem judicium eſſe de curâ vulnerum Magneticâ, per Unguentum Armarium, & pulverem ſympatheticum cujus virtutem in ſanguine ſiſtendo, ſicut & ligni ſympathetici, non ſemel expertus ſum. De Cauſis Tranſplantationis ſollicitus fui in Diſſertatione edita, à poris corporum & effluviis petitis. De Unguentô ſympatheticô *Crollius* in Baſilicâ ſuâ operoſus eſt, quem contra *Libavium* maſculè tuetur *Hartmannus*, cui hoc argumentum plurimum debet. Solidæ ejus videntur rationes, quibus cauſam ſuam defendit, quas repetam, ùt tuis noſtriſque lumen fœnerer. Quærit igitùr ex adverſariis.

1. Quamobrem ab hâc Chirurgiâ vulneris parùm aut omninò nihil efficiatur, ſi uſnea à capite ſuſpenſorum non admixta unguentô fuerit.

2. Quî fiat, quòd fruſtrà inungatur telum, niſi cruore è vulnere manante tinctum fuerit.

3. Quî fiat quòd Ægro vel dolores vel levamina ab eô, qui curat, pro lubitû ſuô & per intervalla conciliari poſſint.

4. Quid cauſæ ſubſit, quòd fractura oſſium non reſarciatur vel ſaltem non æquè benè, niſi vel Oſteocolla, vel radix ſymphiti majoris unguentô adjungatur?

5. Cur prout vulnus vel punctim, vel cæſim inflictum ſit, telum diverſimodè perungi oporteat?

6. Quòd deniquè ſi vulneratus diætæ limites à Medicô imperatos tranſgreſſus fuerit, totum id confeſtim proditur in teli ligaturâ?

Singula ex ſuis principiis illuſtrat ipſe *Hartmannus*. Ego ùt ſymbolum addam, quia in ſympathiâ rerum cardo vertitur, exiſtimarem habendam eſſe rationem ſingularum partium vulneratarum ùt ſympathia ſervetur accuratiùs, deinde ut remedia ſingulis partibus appropriata ſeligantur. Itaquè uſnea cranii ſuſpenſi, in vulneribus cranii tantùm locum habebit, in pedis, brachii &c. vulneribus ex pede, brachiô &c. ſuſpenſorum erunt remedia deſumenda, ùt baſis magnetici unguenti variare debeat pro variô morbô. Exemplô ſimili illuſtrabo aſſertionem meam. Pro eryſipelate ſingulari arcano adhibemus raſuram cranii humani ſi eryſipelas caput occupet, alterius verò oſſis, ſi in aliâ parte corporis ſit, ubi dolor ſentitur. Uſnea quin ex reliquis oſſibus colligi poſſit, non dubitandum. Si in cruce vel furcâ tardius provenit, promptum ſecretum revelabo quô uſnea in craniis ſuſpenſorum & oſſibus aliis producatur domi, aut in officinâ Pharmaceuticâ. Aſpergatur terra oſſibus, citòque uſnea germinabit. Deindè remedia partium ſingularum morbis appropriata addantur, quæ pari modô externè uſurpata iis proſint, quô intùs aſſumta. Sic uſnea cranii humani externum unguentum ingrediens, capiti dicatur. Sicut internè in Epilepſiâ & quâcunque hæmorrhagiâ à capitis venis profluente offertur, ità vel naribus indita, vel collo ſuſpenſa vel telô inuncta ſanguinem ſiſtit. In omni vulnere conſolidando oſteocolla radixque ſymphiti majoris & in unguentô armariô & ſine illô primas tenet.

Ut ad Tranſplantationem regrediar, cujus cauſâ ſermonem inſtituimus, ſuccedet illa feliciùs ſi eædem conditiones obſerventur in tranſplantatione morborum quæ fit in arbores plantaſque, ut ſympathia & affinitas ſervetur quæ his intercedit cum homine, v. g. morbus faciliùs transfertur in canes nobis familiares quàm in alia animalia, Tumores in nodoſas arbores citiùs tranſeunt, in tiliam capitis morbi, quibus illa communi experientia dicata eſt, & ſic conſequenter. Facillima in communi ſanguine fratrum vel amicorum infectio ſuccedit, vel affectuum communicatio, quod probavi in Diſſertatione. Maſſilienſium ritum ex *Serviô* Grammaticô ibidem expoſui, qui publicam peſtilentiam in hominem ad id ſaginatum transferre ſolebant. Hauſerat id ex *Petroniô*, cujus eâ de re fragmentum in fine Satyrici tale legitur; Maſſilienſes, quotiès peſtilentiâ laborabant, unus ſe ex pauperibus offerebat alendus annô integrô publicis & purioribus cibis; Hic poſteà ornatus verbenis & veſtibus ſacris circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ùt in ipſum reciderent mala civitatis, & ſic projiciebatur, vel, ut legendum putat ex verbô ſacrificantium P. *Danielis*, proficiebatur, aliis, ſaxis occidebatur à populô. Quanquam luſtratio hæc Paganam Gallorum crudelitatem & ſuperſtitionem ſapiat, quâ veteri more hoſtiis humanis litabant, in hominem tamen transferri luem publicam creditum fuit. Quem ritum ex Hebræorum Sacris ſuffurati ſunt & corruperunt, ubi per vervecem extra caſtra populi delicta expiantem, Chriſtus agnus immaculatus præfigurabatur, qui in ſe ſuſcepit peccata noſtra. Notat ex *Suidâ* & aliis Autoribus *Adagiorum ſcriptor* conſueviſſe veteres in exſecrationibus mala vertere cupientes, in Capras ſylveſtres imprecari: Idem & apud Italos vigere aſſerit in Cleombrotô *Petrus la Sena*, p. 163. C. 8. cùm in ſimilibus uſurpari ſæpè audiatur; *Venga al cane: à Cani ſia detto.* In ſacrificiô autem Maſſilienſium notatû dignum ad rem noſtram animadverti, quòd annuô ſpatiô aleretur emptus prece homo, ùt aſſueſceret incolarum victu & temperaturæ, deinde quod circumduceretur per civitatem ùt imbiberet auram publicam infectam.

Ibidem

Ibidem Obſerv. 108. *De eâdem Curatione Magneticâ.*

Cum annô 1667. quædam Generoſa Matrona adverſus quartanam meum imploraret auxilium placuit vim Transſplantationis experiri. Juſſi itaque panes calidos corporis juncturis applicaret, ſudoremque ſub tegmine exſpectaret, panes ità ſudore imbutos cani devorandos daret, dictum factum, hinc quoque curata fuit, neque ampliùs rediit febris. Pluribus Obſervationibus hanc artem tranſplantandi aliàs probaturus ſum. Cauſam hujus curationis ſpiritui mundi univerſali, corporum effluviis, poriſque fero acceptam; Mirum tranſplantandi modum habent Curioſi noſtri Obſervat. 89. T. 3. p. 145. Honeſtâ Matrona adhùc juvencula fruſtrà ſecundum legem artis inhibitis, ſuaſû cujuſdam mulierculæ ſubſecavit ſcilicet manuum pedumque ungues, eos in linteolô colligatos caudæ tineæ piſcis cum additione verborum quorumdam, à vetulâ illâ Viſtulæ fluviô urbem præterfluenti immiſſus eſt. Mirum ſanè dictû quòd à remediô hôc nullus ampliùs paroxyſmus febrilis eam invaſerit, ſed illa volens vitare Charybdin in Scyllam verè incidit miſera, in locum enim febris dolor colicus atrociſſimus ſucceſſit, qui tantò moleſtior fuit, quòd ſine intermiſſione duraverit, & vix ſelectiſſimis remediis poſt multos dies ceſſerit, ità ut ægra præ illô dolore priſtinam febrem! aliquoties ſibi exoptaverit. Plura parallela tranſplantationis exempla illic congeſſit Excel. *Simon Schultzius.*

Adderem jam obſervanda & cautelas in tranſplantandis morbis, quarum beneficiô cura per tranſplantationem feliciſſimè abſolvitur. Et hæc ſunt quadruplicis generis. 1. reſpectû ægri. 2. reſpectû medii tranſplantationis. 3. reſpectu recipientis, in quô morbi tranſplantantur. 4. reſpectu morbi. Hæc & alia non reſpexit vetula in curandâ febre; Verùm ne multorum deſiderio deſim, addam paucos aphoriſmos curam Magneticam concernentes. Reſpectû ægri primò conſiderandum eſt, quodnam temperamentum in ægrô prædominetur, & ex quô morbus originem ſumſerit: ſecundò ætas; 3. mores animique propenſio. Secundò Medium taanſplantationis non promiſcuè eligendum,ſed habebit cum morbo ægri hujuſque cauſa quandam analogiam, e. g. in morbis ex bile ortis, ibi medium tranſplantationis naturâ biliosum erit, idem de cæteris morborum generibus concludendum. Recipiens morbum quoque cùm temperamentô in ægro prædominante cumque morbi cauſa correſpondebit: Morbi, qui tranſplantandi ſunt, erunt curabiles inque talia animantia tranſplantari debent, quæ etiam iis morbis ſæpiùs laborant; ſic Epilepſia tutò, citò & jucundè in paſſeres tranſplantari valet. Podagram ab homine recipiunt canis, felis, gallus gallinaceus, pavo, modô tranſplantationis. Verùm, ut patet, morbum recipiens duplex animatum & inanimatum cenſetur. Morbi, quos comitatur dolor, omnium optimè recipiuntur ab iis, quæ in familiâ vegetabili ſpinoſa ſunt, hicque rerum ſignatura attendenda eſt. Morbos capitis, dolore comite, apprehendit arbor juniperi. Suppreſſionem menſium tollit ceraſus. Morbi illi, qui in piſces tranſmigrare debent, ex nimiâ humiditate ſuam originem habebunt. Omnes morbi qui ex viſcerum obſtructione oriuntur, malè quoque in piſces, commodè in inanimata tranſplantantur. Tranſplantationes morborum partim fiunt per ſudorem ut in allatâ à me Obſervatione; per excrementa ictericos reſtitui tradunt; ſi ex illorum urinâ cum farinâ fiant placentæ, eæque offerantur cani vel feli, omnium commodiſſimè vulpi; per ſegmenta unguium, ut in Obſerv. à Curioſis allatâ; per ſanguinem; ut in allatis ſubjectis per unguentum armarium curatis; per capillos, ut in affectibus capitis. Verùm enim verò quilibet morbus peculiare & ſpecificum tranſplantationis habet medium. Morbi, qui ſolvuntur ſudore, illi omnium optimè per ſudorem tranſplantantur, idem de cæteris concludendum.

Ibidem Obſervatio 109. *De Incontinentiâ Urinæ.*

Paſtor quidam Holſatus Fridrichſtadiô nuperrimè hanc obſervationem ad me perſcripſit; Cuidam hic apud nos mulieri quæ 7. annos incontinentiâ urinæ laboraverat, à circumforaneô præſcriptum tale medicamentum. R. Ficuum, Uvarum Corinthiacarum, paſſularum an. ℔ $\frac{1}{1}$ Inciſ. coq. in aq. pluvialis ℔iv, quibus deinde add. glycyrrhizæ ℥j. minutim conciſæ. Ex hâc potione ſæpiùs repetitâ & recoctâ bonum hauſtum cepit, tandemque inde convaluit.

Quomodò hæc potio incontinentiam urinæ curare potuerit, non meum, ſed veſtrum eſt definire, cùm à Practicis hic alia præſcribantur. Malum enim hoc cæteroquin aſtringentibus & conſolidantibus curari vult, cùm plurimùm à ſolutâ continuitate, ſcil. dilaceratione colli veſicæ ortum ducat, ubi quoque concurrit ſphincteris læſio.

Reſponſio Th. Barthol.

Quia in hiſtoriâ non additur cauſa quæ incontinentiam urinæ in muliere vel concitavit vel fovit, ſuſpicari licet vel ab acrimoniâ lotii dependere, vel in partû læſas eſſe urinæ vias. Si illa, abſtergentia & mitigantia ex ficû, & uvis magis profuerunt, quàm adſtringentia. Si hoc, conſolidationem perfecerunt eadem naturâ benignâ adjuvante. Ex ficû ad urinæ incontinentiam hoc rectiùs ab Italis laudatur. ℞. fol. ficûs, bacc. lauri an. ℥ij. f. pulv. doſ. ʒij. in vinô nigrô vel cum cibô. Neque enim ficubus levis adſtringendi facultas denegandа. Ex Diphilo *Athenæus* l. 3. Deipnoſoph. annotat,quarum remiſſior dulcedo eſt, illas ori placere cùm eduntur, & ob aliquantulam adſtrictionem ventriculo prodeſſe, orbicata, quibus adſtrictio jucunda eſt cum dulcedine, ventriculô conferre.

Ibidem Obſ. 110. *Infallibile remedium Euporiſton adverſus morſum Canis rabidi.*

Adverſus morſum canis rabidi infallibile Euporiſton Matris meæ dilectiſſimæ Annæ Giſena de Calis, cujus beneficiô multos commorſos, & aliquot jam actû rabidos feliciſſimè reſtituit, communicabo, &

℞. Rutæ
Abrotani
Betonicæ anguſti folii,
Salviæ anguſt. fol. an. M. j.

M. inciſ. aff. aceti vini optimi. Lib. 1. ſique tempus permittit, per aliquot horas maneat in infuſô, exprime, expreſſo adde

Theriac. Andromach. ʒij.

Adultus magnum de eô faciat hauſtum, junioribus & puerulis datur cochleatim; ſin verò periculum metuatur, additur

Herb.

Herb. Cardui fullonum M. j.
Vel hujus ſemen contuſ. ℥j.

Vulnus commorſum per 9. dies apertum tenendum ac prædictæ herbæ expreſſæ, poſt fricationem cum baccillô è vite, applicandæ omni mane, tamdiù dònec æger in portû naviget, ſi metus periculi adhùc ſit, repetatur potio. Tota Reſpublica Medica ſimile Euporiſton vix habet, quod æquè prodeſt.

Experientiſſimus Franciſcus Joël integram curandi Rabidi Canis Morſum Methodum tradit, qui videatur, ſi ſuperius Euporiſton in uſum vocare non lubet. Præprimis cataplaſmata venenum elicientia placent.

Sequens noſtrum etiam omni voto reſpondet. ℞. pulv. Semin. Card. fullon. ʒjj. C. C. præp. ℈ji. Lap. Bez. gr. xv. herb. Card. Benedict. ſcordii an. ʒß. Terræ ſigill. præp. gr. xx. Radic. Tormentill. ʒj. ocul. cancr. præp. ℈j. Magiſt. ♁. diaphoretic. ℈jß. Lapid. Percar. ℈jj. Cortic. citr. ℈jjß. M. f. l. a. P.

Ibidem Auctarium Th. Barthol.

Euporiſton expertum compendiô laudat Ferd. *Ponzett.* de Venen. L. 3. C. 19. R. pulv. Gentianæ ʒj. pulv. cancr. fluviat. uſtor. ʒjj. myrrh. ℥j. pro duabus doſibus cui ſimilis pulvis inter ſecretos à *Galilæô Galilæô*, Mathematicô percelebri habitus. R. pulv. cancr. fluviat. 18. Jul. capt. & in pulv. Comb. ℥v. Rad. Gentianæ ℥jjß. thur. pulv. ʒjjjj. f. pulv. ſubtil. in vitrô ſervetur. Doſ. ℥j. mane ʒß. veſperi in aquæ font. vel alterius quant. æq. 40. diebus.

Ex Galenô verò hæc deprompta l. XI. de Simpl. Med. Facult. quæ quomodo præparanda & miſcenda & augenda tradit laudatus *Fr. Joël.* quem ſemper magni feci à primis tyrocinii annis, quia cælo noſtro accommodantur remedia, facilia, & pleraque inquilina. Unde præfero Cataplaſma ejus ex cinere fraxini cum urinâ pueri, aut acetô. In eô enim totus ſum, ùt ex domeſticis remediis morbos noſtros curare doceam, nè in peregrinis incertis, mangoniô ſæpè corruptis, & naturæ noſtræ cæloque minùs convenientibus poſthàc indormiamus. Hinc ad Theriacam Danicam conficiendam curas converti, ſi cœptis Deus faverit, cui intereà ſubſtituatur pulvis Card. Ben. ſcordii, C. C. vel unicornu *Grônlandici*, Cancrorum, Cent. min. & alia quæ ex gentianâ noſtrâ, angelicâ, fraxinô, imprimis nuce juglande huic intenſioni ſufficiunt, nè peregrinis Diis litare ſemper cogamur. Euporiſton Matris Cl. *Hannemanni* omne punctum feret, ſi Theriacæ, quam ruri vulgus habere non poteſt, Rob ſambuci, uſus inter vulgus noſtrum quotidiani, ſubſtituatur, vel cancrorum decoctum, quos hujus Veneni bezoar vocat Guainerius. Ven. C. 12. Rabiei promptam Medicinam affert aqua ſola, ſi eam attingere rabioſus audeat, *Philoſtrato* autore de vitâ Apollonii Thyanei, Lib. VI. C. 18. Oleum lucernæ perennis à Canibus demorſos curabat, ſicut tradit Octav' *Rubeus.*

Ibidem Obſervatio III. *De Vermibus Piper arrodentibus.*

Obſervatio 54. p. 107. Actorum Hafnienſium An. 71. & 72. mentio fit Vermium in ſaccharô inventorum. Illud non adeò miror, cùm vermes delectantur dulcedine, piperata autem acria, horum generationi reſiſtere creduntur. Contrarium autem expertus ſum. Dum etenim ante dies aliquot in ſchedam aliquam inciderim in quâ piper conſervatum, reperi albos vermes capitibus rubris, qui non ſolùm arroſerant piper, ſed & in pollinem redegerant. Communis quoque fama eſt, lintea à vermibus non lædi. Verùm & hîc contrarium mater mea vidit.

T. B. Piper à muribus non arrodi noſtrorum experientiâ conſtat, qui horrea piperina libera ab his aliiſque mihi teſtantur.

Ibidem Obſervatio 112. *Volatica Scorbutica.*

Annô 1673. die 9. Novembris ad puellam quandam civis noſtri vocatus ſum. Illa laborat genere morbi, cùm rigore incipit dolere modò pes, modò manus, modò dentes & gengivæ cum tumore ac ſenſô gravativô, modò hanc modò aliam partem invadens & ſummè inſtabilis hic dolor, ità ùt rectè pro volaticâ accipiatur, & quod notàtû dignum modò friget, modò calet pars affecta. Curam ità inſtitui. Dedi ſequens Laxativum.

℞. ſcammonii crudi gr. x. cum aq. boraginis f. l. a. liquor lacteus.

Liquori lacteo adde Aq. Cinamomi ʒjj. Extr. noſtr. hydrocathartici gr. x. Manus Chriſti perlat. q. ſ. ad dulcedinem detur. ſign. laxativ.

Tum hoc diaphoreticum:
R. Magiſtr. ♁ diaphoretic. gr. x.
Sal. C. Bened. Cryſtalliſat. gr. x.
Magiſt. Perlar. gr. vj.
Sp. vitrioli gutt. v. M.

Hùc pertinet illa aurea obſervatio D. D. Caroli *Raygeri* Tom. 3. Ephem. Curioſ. Obſer. 286. pag. 504. de *Volatica.*

Cùm die 30. Novembr. ægram puellam viſerem tumor omniſque dolor horum Medicamentorum uſû remiſerat, pro quâ divinâ benedictione ſummo Medico Dei debentur gratiæ. Præſcripſi itaquè porrò ſequens.

℞. Spirit. noſtr. ſal. armoniac. Scorbutic. ʒj.
Cochleariæ ℈iiij.
Syrup. Violar. ℥j.

M. S. Mixtura, quôlibet mane ad aliquot guttas in vinô aſſumenda.

Ego hunc affectum Volaticam ſcorbuticam indigitavi. Volatica rectè dicitur, quoniam de locô ad locum movetur, ab inferioribus ad ſuperiores aſcendit, à pedibus ad dentes, hinc ad humerum, iſtinc ad cubitum, illinc ad manum cum vehementiſſimô dolore comite, incipientem præſagit horror & rigor totiûs corporis; ſcorbuticæ, illud prædicatum rectè additur, meô etenim (ſalvo Doctorum) judiciô, ex impurô ſanguine humore ſcorbuticô infectô originem trahit; quemadmodùm per lapſum adeò nobiſcum peccatum originale propagatur, ſic nobis omnibus ſcorbutus connaſcitur, qui noſter fideliſſimus comes eſt uſque ad corporis noſtri analyſin; ſæpiùſque videmus in recens natis ſcorbutum dominari; frequentem eam Epilepſiam, quâ his in oris infantes corripiuntur, ſeminario univerſali ſcorbutico acceptam refero, omnia tria elementa, ſcil. aër, aqua, terra, ſemine ſcorbuticô abundant, plenaque ſunt. Quod non cibô & potû capimus, illud inſpirando accipimus. Quæ ſi rectè attendantur, facilè rationem reddere poſſumus, quomodò *fel canis* Epilepſiam vincat, hujuſque infallibile Euporiſton ſit ut duabus obſervationibus communicatis probavi.

Ibidem

Ibidem Tom. 3. & 4. Obſ. 9. De Podagra remediô.

ANnô 1673. Menſe Majô vocatus fui ad quendam Virum Juvenem dolore podagræ ſimillimô laborantem, cui cùm lubens quibuſdam nuptiis alterô die intereſſe deſideraret, omnem ergò lapidem hìc moverem petiit, huic petito & deſiderio morem gerens, ſequens emplaſtrum à me in nomine Altiſſimi præſcriptum eſt, hocque veſperi pedibus dolentibus tantô cum ſucceſſû applicuit, ùt non ſolùm nuptiis intereſſe, verùm etiam choreas ducere potuerit citra noxam.

℞. Storac. Calamitæ. Gumm. Bdell. ſolut. in acetô ana. ℥ß.
Ol. verbaſci, chamomill. cærul. ana. gut. xxv.
Axung. Gallinæ gr. x. hominis ℥jß.
ſerpentis℈1.

Cum Tereb. Venet. q. ſ. f. l. a. Emplaſtrum ad alutam. Et non ſolùm tunc, ſed & ſæpiùs dolorem ingruentem hôc emplaſtrô ſuſtulit.

Ex litteris ejuſdem *D. Hannemanni* 20. Jan. 1674. Buxtehudæ.

Sequens compoſitio utramque paginam quoque implet.

℞. *Gummat. Galb. Ammoniac. Bdell. opop. an.* ℥j.
Reſinæ pini ℥ß. *Fulig. ex caminô, ubi nil præter lignum quercinum arſit* ℥iiij.
Lign. Junip. raſp. ℥jjß.
Opii Thebaic. ℥iii.
Ol. Chamom. verbaſc. amigd. dulc. an. ℥ij.
Tartari vini crudi ℥ij.
Miſc. cum liquore appropriato. F. l. a. Deſtillatum.

Ego adjicere ſoleo axungiam ciconiæ, vulp. Rupicapræ an. ℥ij. axung. ſerpentis ℥iiij. hominis ℥iij. & ſic. deſtil. uſum poſthâc indicaturus. Hoc enim vulgare Galbaneto Paracelſi à Cratone tantoperè commendato longè præfero. Illud verò certiſſimum eſt Opium omnem vim ſuam anodynam urgente Vulcanô etiam citra ſuum ſulphur nocivum hiſce ſpeciebus largiri, Hinc in praxi meâ magnifacio ipſa olea opii facultate animata & prædita, conſtituique mecum, ſicut promiſi in meâ Ideâ Diſpenſatorii, de quô oleoſô aliquandò integrum publicare tractatum de Medicamentis ex opiô oleiſque ad omnes humani corporis affectus curandis compoſitis. Sic mihi in uſû eſt unguentum aromaticum opiatum in omni affectû ex frigidâ intemperie ortô.

℞. *Aromat. omn. exotic. an.* ℥iij.
Aromat. inquilin. an. ℥vj.
(*Rationem hujus dictionis poſteà reddam*)
Opii optimi Thebaic. inciſ. ℥v.
Storacis calam: cum ſuô oleô. ℥vij.

Hæc omnia cum liq. appropriatô digerantur, circulentur & deſtill. l. noſtrâ.

Oleum noſtrum Opiatum hyſtericum ità fit;

℞. *Ol. ſuccin. abbiſſ.* ℥iv.
Succini abbiſſ. crudi pulveriſat. ℥ij.
Caſtor. inciſ. ℈iiij.
Myrrh. inciſ. contritæ. ℥iijß.
Opii Theb. ℥iv.
Succ. Liquirit. ℥iiijß.

M. cum liq. appropr. digere per longum tempus in vitrô aptatô; pòſt deſtilletur l. noſtrâ.

Sign. Oleum hyſtericum, & liquor hyſtericus ad uſus externos & internos.

Ego ſum in hâc hæreſi, quòd ſi detur Medicina univerſalis, tum ſanè Opium eſt, nam ex hôc ad omnes humani corporis paſſiones tutiſſimum remedium componi valet, in ejus verò facultate per Deſtillationem eliciendâ quædam cautelæ obſervandæ ſunt, quas alibi afferam; ſed antequam ad alia tranſgrediar, lubet hoc dicere, ſi in compoſitione Paracelſi Elixiris proprietatis juxta Methodum noſtram aliquid opii adjiciatur, divinum fit Medicamentum. Wildeganſii panacea componitur quoque ex Opio; & quanti ea æſtimanda ſit, docent nos Curioſi noſtri in Tomô 3. Ephemeridum.

Ibidem Obſervatio 10. *De Pernionibus, Tranſplantatione, Aurô vegetabili, Catechu, Maniaca.*

DE Pernionibus eruditiſſimum Tractatum nobis dedit Excell. Marc. Aur. Severinus in quô inter alia de ſede affectûs variorum opiniones adducit. Sit tamen quid ſit, non ſolùm pedes, verùm etiam manus, naſus, aures, labia hôc affectû ſæpiùs laborant, uti ipſe exemplô cujuſdam Medici Romani brumali tempore iter facientis a. l. probat. Ego novi Pharmacopolam (parco nomini); cui tempore brumæ naſus pernionibus infeſtatur. Manus ſæpiſſimè hôc vitiô corripiuntur. Adverſùs manuum perniones infallibile prophylacticum commendatur cruor adhùc calens ex bove recens mactatô effuſus; ſi eidem manus imponantur, cujus uſû quædam puella ab hôc vitiô ſingulis brumis recidivante jam immunis vivit.

De fœtore narium hanc addo hiſtoriolam; Paucis ante annis Auricæ Friſiorum quidam Comicus mihi viſus. Hic teterrimum ex naribus fœtorem ſpirabat; quod vitium ſibi ſummè moleſtum erat. Ozænam fuiſſe credo. Hanc hiſtoriam non propter materiæ raritatem, ſed ad demonſtrandam hujus rei turpitudinem affero.

Pergo in Medicinâ Tranſplantatoriâ.

Puella quædam in Holſatiâ involuntariâ mictione laborans, decantatiſſima remedia ſine ſucceſſû experta, tandem vitrum ſuâ urinâ impletum apud demortuum in ferali capulô recondit, poſt illud tempus urinam ad ſuum tempus benè retinet.

Cùm nuper animum meum à ſtudiis laſſum in Ephemeridibus Curioſorum noſtrorum recrearem, auſpicatâ ſorte incidi in obſerv. 113. Anni ſecundi p. 187. de aurô vegetabili & vitibus Pannonicis aureis, ad quam eruditiſſimum ſcholion adjecit Excell. *Sachs* (quem nimis maturè cum ingenti Reip. Medicæ luctû & viventium laboratorio ſubtraxit fatum.) Hìc meam conjecturam de ejuſmodi aurô vegetabili afferre lubet; licèt illic Excell. virorum allegatis placitis minimè adverſari velim, ac ſecundùm quid Marci Marci ſententiam admittam, tamen alia cauſa ſubeſt huic auro vegetabili vites inauranti; quod Metalla in ſuis fodinis ſæpiùs arborum, plantarum, ramorum figuram præ ſe ferant cauſa eſt. 1. Univerſalis rerùm Magnetiſmus ſympateticus, ſemen auri tanquam rerum ſublunarium perfectiſſimi Entis omni creato enti inſitum eſt, quemadmodum autem omne ſemen aliquô Magnetiſmô præditum, ſic etiam omne analogum homogeneumque attrahit, hinc ità illud ſemen ità figuratur ùt atomi analogæ affluxerint, & quoniam hæ res deorſùm depluunt, vel etiam ſurſùm aſcendunt, vel dextrorſùm ſiniſtrorſùmque advenerunt, hinc inſtar arboris cum ramis efformatur ſoboles auri; in nullô vegetabili quàm in vino, tantâ copiâ ineſt primum ens auri, hinc cum illô per calorem univerſalem atomi aureæ ſublimantur, viteſque tingunt, quòd autem aurum interdùm ſimile arenæ ac veluti granu

granulatum inveniatur, cauſa eſt, quòd illic loci in copiâ atomi aureæ confluxerint, & quoniam non adeò à ſuô heterogeneô purgatæ, hinc quoque ob præſentiam alicujus heterogeneitatis in maſſam coire nequeunt, ità aurum granulatum inſtar arenæ manet, quando autem iſtæ atomi ab omni heterogeneo puræ à Magnetiſmô univerſali attrahuntur, facilè color univerſalis in maſſam continuam compingat: idque non mirum ſi in mineris variæ rerum figuræ conſpiciantur, nunquàm variis anfractibus ambagibuſque venæ ad Magnetiſmum auri confluunt, tam variis anfractibus prædita maſſa in ſcenam producitur, & ſi tum etiam locus, in quô hoc aurum cumulatur, diverſis lineamentis gyriſque exornatus eſt, tantò mirabiliorem figuram aurum induit, variaſque rerum naturalium effigies delineat; fit etiam ſæpiùs quòd Harmonia i. e. Magnetiſmus arboreſcens, in hôc vel illô locô prædominans, ubi propriæ venæ metallicæ neque locus quicquàm ad figuram conferunt, in arborum, ramorumque figuras aurum cæteraque metalla ideet; & ſicut uterus nihil omninò confert ad ſimilitudinem & imaginem humanam, ſed ſaltem illud dependet ab Harmoniâ vel Magnetiſmô figurante cum quâ concurrit idea ideans.

Verùm ùt pateat quid Harmonia apud me ſignificet; Mihi harmonia idem eſt, quod Peripateticis forma, ac ubi illi formam ponunt, illic ego harmoniam dico, principiaque corporis naturalis mihi ſunt materia, idea, Harmonia, ordo, cauſæque concurrentes ſeptem Planetæ, cauſa efficiens rerum naturalium eſt mihi Archæus vel Ruah. Univerſalis. Si juxta hæc principia res naturales examinentur, clariorem rerum notitiam imbibimus, quàm vulgò Phyſici tradunt. Magnetiſmus mihi idem eſt ac Harmonia, ſuntque apud me ſimilis ſignificationis. Quare autem locô formæ harmoniam introduxerim, inter alia ratio quoque hæc eſt, quoniam rerum formæ (exceptâ animâ hominis) quid propriè ſint adhùc lateat, adhùcque anxiè controvertitur, an ſubſtantiales necne? Quandiù autem rei alicujus ratio formalis latet, tandiù ejus affectiones in obſcuro ſunt.

Obſervatio practica.

DE uſû catechu vel Terræ Japonicæ quædam ſingularia Collega noſter honoratiſſimus D. D. Georg. Wolff. Wedel digniſſimus Magni Rolfincii Succeſſor, Germaniæque noſtræ decus communicavit; quibus addo, ſi ſub linguâ teneatur, tuſſim curat, viſcidam & tenacem benè ſolvit pituitam, eamque commodè expectorare facit, quare in his affectibus pulmoniacis mihi in frequenti uſû eſt, ſemperque meo deſiderio reſpondet, exindè tales formo Trochiſcos ſublinguales cum ſaccharô, e. gr.

℞. Terr. Catechu ℥iiij.
Sacch. penid. g. ſ. in aq. roſar. ſolut.
F. l. a. Trochiſci ſtellati.

Vel ſine ſaccharô cum Gummi Tragacantha.

Obſervatio Phyſica.

HAbemus hîc puellam Maniacam, quæ tempore brumali etiam hiſce diebus licèt nuda, nihil tamen frigoris perſentiſcit. Cauſam hujus rei reddant me Doctiores in communiter allatis cauſis non acquieſco.

Ibidem Obſervatio 11. *De Verminoſô homine.*

OPpidò raram hiſtoriam de Virô verminoſô à Paſtore quodam mihi per Epiſtolam communicatam mitto.

De Verminoſo homine, cujus præteritâ æſtate præſens memini, hæc quæ deſideras, veriſſima, prout mihi 22. Febr. ab uxore ejus relata ſunt refero. Hìc viciniæ, in Parochia mea, in pagô Sarenſen, opilio quidam, nomine *Hans Zyeman*, decennium & ultrà, mutatione aëris & quidem adverſâ turbidâque imminente ac inſtante tempeſtate, tantos ſuſtinuit cruciatus, ùt vix dici poſſit. Ecce deinde maxima vermium caterva, ipſô vel in ſtratô decumbente vel ſedente, vel ambulante, vel aliud quid agente, ordinariâ viâ, non admixtis aliis excrementis, ex corpore ejus prodiit. Et hi vermes parvi admodùm, toti albi fuerunt, magnitudine aciculam æquantes, ultrò exitum quærentes. Sed & poſteà, ſumtâ catharſi quâdam vermes, rubrô nigrôque capite, majores tamen, quàm modò dicti, unà cum urina exierunt. Hoſce ſucceſſû temporis ſequuti omnium maximi, inſtar magnæ & oblongæ admodùm ſcuticæ, qui catervatim, numero 14. 15. & plures, intricati, & quaſi concatenati uſû pulveris cathartici, interdùm etiam allii & lactis equini, magis vi quàm arte ejecti, iis ſingulari divinâ gratiâ & frequenti medicamentorum uſû liberatus nunc benè valet.

Fridericus Erneſtus Mebeſius
Paſtor.

Hìc Buxtehudæ fœmina agrotat. Hæc per vomitum vermes adhùc vivos rejicit. Quod addo.

Ibidem Obſ. 12. *De Fonticulis.*

MEmini me ante annum 1673. duo ſingularia utilitatem fonticulorum probantia in malô Iſchiaticô & ſcrophularum curatione ad noſtros Curioſos tranſcripſiſſe. Huic materiæ ampliùs inhæreo. Chiliarcha quidam apud ſuos fortiſſimus, viſûs imbecillitate acrique defluxû cum rubedine oculorum laborans, cùm adverſus hoc malum omnia præſidia fruſtrà experiretur; fontanellam ipſi ſuaſit Medicus, cui conſilio obediens, tam ſingularem ſucceſſum jam experitur ùt & ea, quæ antehàc vix oculô perſpicillis armatô conſpiceret, nunc acutè ſine conſpicillis cernat, & quidem ſenex meliùs, quàm ante decennium.

Chirurgo cuidam hujus urbis ante oculos muſcæ & culices obſervari videbantur, hicque fontanellam facit in brachiô ſiniſtrô, hujus beneficiô viſus naturali claritati reſtitutus, muſcæque obvolantes evanuerunt.

Alius quidam puer Ruſtici filius in Holſatiâ ex Pagô Bargenhuſen omnimodâ oculorum imbecillitate laborans, ità ùt lucem ægrè ferret, hic primò in nuchâ habuit fontanellam ſine ſucceſſû, tandem conſolidatâ rurſum fontanellâ in nuchâ unum in brachiô, alterum in pede ipſi fecerunt fonticulum; hinc jam optimè habet, acutè cernit, ſplendidiſſimam lucem oculi admittunt.

Celeb. Cæſo Grammius Tom. 3. Ephem. Obſ. 81. p. 138. Fonticuli in capite, ubi ſutura coronalis ſagittali committitur in Cephalæâ inveterata ſcorbutica inſignem utilitatem vera aliqua hiſtoria probat. Licèt hiſtoriam magni illius viri ſuſpectam facere allaborem minimè, nihilominùs dubia quædam hunc fonticulum in capite diſſuadentia in medium proferam. Etiam

Etiam leviſſima vulnuſcula capitis ob parvum errorem in diæta commiſſum multis fatalem acceleràſſe diem. A Chirurgô quodam mihi relatum, Militē quendam juvenem cum aliô Nobili gladiis joci ergò ſeſe exercuiſſe, levemque ictum in capite accepiſſe, ità ùt cutis vix continui ſolutionem paſſa videretur, neglectimque habitus, hicque juvenis Veneri ſacra faciens, hinc tanta ſymptomatum caterva, vulnera comitari ſolita, ipſum invaſit, mortemque præmaturam intulerunt. Nè jam alia afferam ex obſervationum collectoribus. Hinc infero, ſi tam levia vulnuſcula capiti inflicta, tam tragicos caſus cauſari ſoleant, æquè grave periculum metuendum eſt ſi quis fontanellam in capite dictô locô haberet, hinc neceſſe eſt (meo arbitratû) caſtitati ſacramentum dicat, nunquam in Veneris ſeſe exerceat palæſtra, ſi Cymbam Carontis effugere velit. Improbat etiam hujuſmodi fontanellam Septalius, L. 4. S. 107. Nec memini me legiſſe in uxoratis vel conjugiô viventibus tale cauterium illìc locorum adhibitum.

Reſponſio T. B.

Difficultatem omnem de fonticulô ſincipitis expedivit Parens b. m. *Caſparus Bartholinus* in ſyntagmate de cauteriis cap. 8. ubi Hippocrates explicatur, vulnera omnia capitis periculoſa pronuncians. Poſt illum *Glandorphius* in Gazophylacio Fonticulorum cap. 11. ad eadem dubia reſpondet. Merentur quoque legi quæ *Caſparus Bartholinus* Thom. fil. Exercit. 3. diſſerit ad locum Herodoti L. IV. de Lybiæ populis puerorum ſuorum venas verticis adurentibus, & quid de fonticulis paſſim uſitatis ſtatuendum. Quid verò *Septalii* Cautioni addendum ſit, pluſculis animadverſionibus ex Medicis cum judiciô collectis indicavit *Rhodius* noſter in Analectis ad Septalii L. 6. C. 107. qui omninò legendus. Fruſtrà enim poſt Homerum Iliada ſcribimus.

Ibidem Obſervatio 13. *De hiatû palati & uvulæ.*

ANnô 1674. die 4. Aprilis evocatus ſum rus ad quendam Nobilem, cujus Generoſa uxor tum ante 21. ſeptimanas fœtum maſculum pulchrè formatum peperit, qui in oris palato quædam inſolita oſtendit. 1. magnum hiatum ab anteriori oris parte ad locum uvulæ vergentem, ibique (2) uvula duplex & in medio diviſa videbatur ità ùt quis uvulam geminam diceret. (3) Labia hujus hiatûs in palatô ab invicem digitum lata diſtant, ibique (4) palatum ſpurium maximè rubeſcere in locum naturalis productum cernitur, (5) liquida benè deglutit, niſi quandò importunè ingeruntur, tùm per nares effluunt, ſi autem placidè comedat, minimè, quomodo autem ſolidiora deglutiet, tempus docebit; (6) in ploratû per nares nihil revolvitur, & ſi quis juxta ploratum judicaret, nihil vitii ori ineſſe diceret. Hactenùs Hiſtoria.

Scholion.

Cauſam hujus affectûs ipſa Generoſa Matrona rejicit in hunc caſum; contigit aliquando, quidam Nobilis Ephebus cum ancillis nugaretur, ſtrophiolumque ad eas mitteret, quod cùm fortè adveniret generoſa Matrona, in ejus os invaſit; hæc idcircò terrore affecta, linguam in ore retrahens, hinc miſſili ſtrophiolo hæc inſolita accepta refert. An ergò imaginatio hìc locum habeat, dicant Naturæ Amaſii. Paulus Zacchias hanc vim adimit imaginationi, & cum eô alii. Verùm meô judiciô difficile & arduum erit contra tam receptam totque ſeculis aſſertam tamque innumerabilibus obſervationibus confirmatam ſententiam &c.

Nobiliſſimi Parentes triſtiſſimi ſunt, metuuntque inarticulatum ſermonem & Echo per nares. Omnia benè ſperare juſſi; non quidem diffiteri volo juxta Bauhinum L. Anatom. p. 202. uvulæ uſum eſſe, ut ſit plectrum vocis, dùm aëris percuſſio fit. Quare & hominibus, in margine, inquit, & avibus cantantibus ſolùm data. Alexander Benedictus L. 3. C. 19. p. 1226. m. ità de uvulâ loquitur; voci neceſſaria, quæ ſi præcidatur, voci ſplendorem auffert. Non hìc prolixus ero de uſû gurgulionis conquirendis ſententiis, unus Bartholinus hìc inſtar omnium eſt in Anatome ſuâ.

In Agloſſoſtomographia Ephemeridibus anni tertii adjectâ autor meminit ſe vidiſſe Andegavi hominem 39. annorum, qui duplicem habet uvulam, quæ legitimô locô pendebat, ſed digitum minorem propè lata, in mediô diviſa, in apice verò verſus Epiglottidem iterùm coaleſcens, ùt mirabilem præbuerit formam. Deglutiebat iſte ſine difficultate quodcunque, ſed lubentiùs liquida quàm ſolida, loquela tamen de naribus procedebat (*il parloit du nez*, ut Galli dicunt.) De uſû columellæ autor quædam annotat contra Fallopium, ut qui ſine vitiô loquelæ abeſſe poſſe opinatur. Verùmenimverò & Fallopium refutat fœmina quædam Fridrichſtadii in Holſaltiâ, quæ *parloit du nez* quoniam gurgulione plectrô vocis deſtituebatur, ut per putrefactionem evanuerat. Hæc & illa hactenùs adducta metum in Generoſiſſimis Parentibus adaugere poſſent: Verùm ea exempla, in quibus columella defuit, nos non feriunt, quare tranſeant. Hìc columella in exceſſû & in numerô peccat. Et quod attinet hiſtoriam de duplici columella & hæc ſpem noſtram non infringet. Meô conſiliô exſcindatur una inſtrumentô ad id inventô Danicô; vel juxta Scultetum procedatur Tab. 34. p. 129. Chirurgus partem uvulæ corruptam annulô apprehendat, dextrâque ſive ſiniſtrâ filum vehementer attrahat, & ſic unicam arctiſſimè conſtringat. Factô ad uvulam nodô, filum forcipe abſcindat, & extractô inſtrumentô, utrumque filum extra os propendere relinquat, donec uvula 2. vel 3. die decidat. Dubium autem movet Alex. Benedictus. Ob id aduri ſolet, nam præciſa difficulter ſanatur, unde oris graveolentia innaſcitur, ac demùm tabes ſubit, quoniam ut ait Alexander Aphrodiſæus, ea pars ſpiritum primùm temperat, nè ſtatim ad pulmones crudus deſcendat. Ad hoc dubium facilè reſpondetur ea operatio Chirurgica vel per inſtrumentum à Bartholinô deſcriptum, vel fili ope juxta Hildanum & ſcultetum vel per forficem juxta Barbettum plus habet timoris quàm periculi. Hæmorrhagia ſiſtitur vitriolô Cypriô. Unguentum Ægypticum aut ſimile ad curæ abſolutionem ſufficit. Et quomodo hâc particulâ deſtituti tabidi fiant; non capiò, acres deſtillationes os & nares temperare queunt, ut & medicamenta humores alterantia. Hiatus admittet facilè conſolidationem, & ſi ea obtineri nequeat, lamina aurea vel argentea vitium hoc corriget.

Ibidem Obſervatio 14. *De Partû difficili.*

MUlti extant modi, per quos in hanc lucem educuntur fœtus, me tamen ſimilem modum quem jam referam & ab obſtetrice noſtrâ ordinaria accepi, legiſſe non recordor.

Civis cujuſdam uxor devenit ad partum difficillimum & p. n. foetus porrexit unum pedem, alterô pede ad caput prorſùs reflexô, ſicque foetus duplicatus quaſi ac ſemper pes exitum moliens, licèt ab obſtetrice reponeretur ſæpiùs, tandem tamen annuente gratiâ divinâ, foetus ad ſitum naturalem & convenientem pro partû reductus, inque lucem poſt longum laborem editus. Itâ ùt hunc partum magis demirer, quàm eum apud Curioſos noſtros Ann. 1. Obſ. 49. p. 145. ab Exc. D. Friderico Ferdinando *Illinger* à Wartenberg uncô extractum communicatum. Magis hic foetus ſtupendus & omnium difficillimum conatum pariendi facit. Hæc quoque Obſtetrix referebat fideliter ſe non ſemel vidiſſe quòd foeminæ pepererint ſine aquis, ac harum aquarum receptaculum prorſùs ſiccum inventum, verùm partum tùm ſemper eſſe difficilem; Et ſi eveniret, quòd hæc ordinaria diluvies efflueret juſtô citiùs, tùm partum remorari ad ſex, 12. 24. horas vel etiam ad tres dies. Quo pertinet obſervatio Nobiliſſ. Alardi Hermanni Cummeni apud Curioſ. noſtr. ann. 3. Obſ. 132. p. 241. 242. Longiorem moram nondùm experta eſt. De Infantibus hoc referebat, quòd interdùm cum tumore in lucem edantur, qui tumor ſi rubet vel alterius ſit coloris nil mali metuendum, dum autem pallet, infauſtum ſignum eſt ac mortem denotat; illud ſeſe jam in tribus infantibus, quibus tumor palluit, verùm deprehendiſſe, omnes tres enim non multò poſt exſtincti ſunt. Tumorem hunc mulierculæ noſtræ vinô calidô butyratô fovent.

Ibidem Obſervatio 15. De ſuppreſſione Menſium.

DUæ puellæ ſuppreſſione menuſim laborantes implorarunt auxilium meum; Una Fridrichſtadii in Holſatiâ A. 1669. altera hîc Buxtehudæ, 1673. Utrique præſcripſi pilulas ex commentario *Heurnii* in Aphoriſmos Hippocratis, quarum hæc deſcriptio.

℞. Aloë ℥j.
Myrrhr. Gentian., Ariſtol. dictamn. Croc. à ʒß.
Rubi. major. Mithridat. an. ʒj.
M. cum ſyrup. de Artemis. F. l. a. pilulæ, doſis IV. vel V. tantô cum ſucceſſû, ùt jam utraque lunare tritibutum juſtè & bellè ſolvant. Illud verò notandum, in contumaci obſtructione, uſus dierum X. vel XII. parum faciet. Buxtehudana puella, quæ mihi nunc ſervit, veſpera uſque ad 20. dies uſa eſt, & hinc Dei gratiâ curata. Ubi illud obſervavi quòd ſi eas aſſumeret cum cereviſia calida, tùm ſolvebat alvum, ſi verò nudas deglutiret) nihil tale operatæ ſunt. Vena nulla in eâ ſecta fuit. Minimè igitùr probo illorum ægrorum morem, qui Medicamentum, ſi ſtatim non ſatisfaciat, dum ſaltem illud guſtarint, illicò ad aliud tranſeant, hinc multa egregia Medicamenta malè audiunt ob præpoſterum illorum uſum.

Ibidem Obſ. 16. De Lacte in gravidâ.

MUlier paupercula apud nos pane atrô veſcens, undam bibens, gravida 12. ſeptimanis ante partum tantam lactis habuit copiam in mammis, ùt coacta fuerit id evacuare.

Ibidem Obſ. 17. De Molâ Virginum, ſtigmate, Odontalgia gravidarum.

VErum eſt, quod hodie legi, Tuque olim ſcripſiſti Cent. 3. Epiſt. 28. p. 103. nunquam majora miracula & oſtenta videntur, quàm in humanô partû. Eſt enim uterus, ais, rerum mirabilium officina quædam. Hoc tuum aſſertum illic probas, probantque recentiorum ſcriptorum Volumina, tùm Academia noſtra Curioſa. Ad hæc pertinent quædam mirabiles hiſtoriæ, quas affert Cl. *Rallius* in eruditiſſimô ſuô Tractatû de Generatione animalium juxta mentem Harvei, Deuſingii, conſcriptô. Nuperrimis meis litteris quædam attuli de quæſitô, An virgo illæſâ virginitate molâ laborare queat? Id aſſerui rationibus, & ni fallor, etiam aliquâ hiſtoriâ. Pergo nùnc in eâdem materiâ, quamvis eleganter de quæſtione hâc pro & contrà diſputet Melchior Sebizius in Exercit. Medicis & Praxi ſuâ. Et meum aſſertum, quod eſt, Virgo illæſâ virginitate molâ laborare poteſt, probo & nùnc verâ aliquâ hiſtoriâ, quam mecum in eruditiſſimis litteris communicavit præcellentiſſ. *Lachmund* apud Hildeſienſes Practicus conſultiſſimus. Et ego ipſemet, inquit laudatus Vir, ante paucos annos vidi virginem quandam monialem & quidem Abbatiſſam Evangelicæ Religionis, quæ ventrem tumidum non aliter ac foemina partui vicina, per aliquot annos geſtabat. Quis quæſo vellet de hâc virgine religioſâ, quæ votô caſtitatis Eccleſiæ obſtricta erat, ſuſpicionem malam habere. Huic noſtræ aſſertioni quoque lucem foeneratur Obſervat. 17. Ann. 2. Ephem. Curioſ. p. 32. 33. Hactenùs Celeberrimus Vir, quocum & ego facio, itâ ampliùs dubium eſſe non poteſt, quin Virgo ſalvâ integritate Virginali molâ laborare poſſit.

Filiolus meus, qui tuô nomine Thomas inſignitus, cùm in lucem ederetur, in dextrô latere multô ſtigmate rubrô notatus, hinc ut conjicimus, quoniam mater ejus, uxor mea dilectiſſima, parte eâ cùm gravida eſſet, in locum impegerat, & quod mirandum, vix quatuor ſeptimanas à punctô conceptionis numerabat, cùm itâ impingendo læderetur; verum, (Deo ſit laus) ſtigma hoc nùnc evanuit ferè.

Odontalgia inter conceptionis ſigna numerari ſolet. Verùm uxor mea hâc dentium torturâ plurimùm quandò non eſt gravida, laborat, gravidaque facta dolor hic evaneſcit, neque priùs redit, quàm quando peperit.

Ibidem Obſ. 18. De hæmorrhagiâ & hæmorrhoidibus.

VIr quidam militaris, qui Adjutant dicitur, hæmorrhagiâ narium contumaciſſimâ laborans, cùm omne à Chirurgô adhibitum hunc fluxum non ſiſteret, cujuſdam Colonelli uxor hoc dedit conſilium; vivam araneam caperent atque in eam vivam cruorem derivarent huicque conſilio cùm obedierent, ſtatim hic fluxus ſanguinis deſiit fluere, non ſine adſtantium admiratione. Et hâc obſervatione Medicina Tranſplantatoria ſtabilitur. Contigit id hôc annô, 24. die Septembris Buxtehudæ.

Ad Ann. 2. Obſ. 112. p. 293. Ephemeridum Illuſtrium Curioſorum, hanc adjicio veriſſimam obſervationem; Paſtor quidam in hôc ducatû Bremenſi iiſdem hæmorrhoidibus laboravit, & ſi non fluerent ſtatô tempore, ea ſymptomata pati ſolebat, quæ patiuntur mulieres in menſium ſuppreſſione.

Ibidem Obſ. 19. De Foemina foetente.

FOeminæ cujuſdam perditiſſimô foetore laborantis hiſtoriam communicârunt Curioſi noſtri Annô 2. Obſ. 191. p. 293. Addo, & hîc foemina

mina Generoſa eſt, de quâ fama fert, quòd tam abominabilem ſpiret fœtorem, ùt nullus eum tolerare poſſit, niſi cum benè odoratis ſopiret, & idcircò Moſchum, & Ambram, Zibethum, aliaque balſama odorifera apud ſe geſtat, quorum beneficiò naturalis fœtor ſuffocatur. Quæ cauſa hujus perditiſſimi fœtoris ſit, dignum eſt ùt à Medicorum filiis inveſtigetur, egoque aliis hanc provinciam demando, alibi meam ſententiam promam, meô judiciô vitium in ſanguine eſt.

Ibidem Obſ. 20. *De Mirô viſûs ſymptomate & Epilepſiâ felle caninô curatâ.*

AN. 1674. die 1. Octobr. Buxtehudæ qui dum faber lignarius annorum 54. conqueſtus mihi eſt de quôdam viſûs ſymptomate quod ſubitò ipſum invaſit tabacum è fiſtulâ ſugentem; omnia enim objecta in aëre ſerenô & clarô ipſi ante viſum duplicantur ac geminata apparent. Suaſi caput purgantia & pulverem Bartholini naſalem mihi quàm maximè familiarem. Quomodò viſus duplicetur, præſertim quî tam citò id factum in allatô ægrô, mecum multi ſcire deſiderant. Fortè ſuctio tabaci humores nimium movit in nervum Opticum, eumque mediotenùs obſtruxit.

Fel canis adverſùs Epilepſiam infallibile eſſe Euporiſton duabus hiſtoriis probare queo. Ad puellam ſeptimanâ unâ quindecim paroxyſmis Epilepticis correptam vocatus fui, dedi ei pulveres anti-Epilepticos cum aquâ noſtrâ picarum & Epileptica Langii, quæque cæteroquin contra comitialem morbum laudantur, verùm omnia fruſtrà; tandem famoſum illud Euporiſton experiri placuit. Dedi infanti guttas quinque fellis recenter ex cane vivô extracti cum Aquâ Epilepticâ Langii, & ſic præter omnium opinionem ſana evaſit. Alii cuidam puero Epileptico guttas aliquot fellis recenter ex cane extracti cum aquâ noſtrâ picarum dedi, & hic quoque ab Epilepſia convaluit, hôcque remediô Ducis Buckingam filiolus curatus teſte Rolfinciô. Quæ D. D. Untzerus & alii monent de hoc felle, magis anilem & ſuperſtitioſam traditionem, quàm rationem ſanam ſapiunt. Adverſùs Epilepſiam in ſexû muliebri recommendat fel ex cane fœminini ſexûs, ſicque etiam fel ex cane maſculô utile prædicant adverſus Epilepſiam Virilis ſexûs, hæc & alia quæ de colore monent, inutilia ſunt. Puellæ dedi fel ex Cane maſculo & benè ſucceſſit.

Ibidem Vol. 4. *Obſervatio* XI. *De Molâ virginum.*

VIrgo quædam Generoſiſſima ex antiquiſſimâ Nobilium proſapiâ (nomen non addo) molâ laboravit, eademque morbô tandem extincta eſt, de cujus virginali integritate dubitare non permittit pietas, morumque probitas ac virtus, quibus ea dum viveret, addicta fuit.

Varia alia ſunt obſervata, quæ id confirmant. Allatam hiſtoriam habeo ex relatione cujuſdam fide digniſſimi Viri & quidem Paſtoris, olim hujus virginis Confeſſionarii, cui ergò virginis mores optimè fuêre cogniti, ac nulla unquam ſuſpicio defloratæ virginitatis fuit. Neque ſolùm obſervata illud probant, verùm etiam ſana ratio idem evincit.

1. Unde in uterô humanô formantur glires, piſciculi, teſte *Bartholinô*, ranæ, ſerpentes, animalcula rubetis ſimilia, alata animalia, &c. vide Ann. 1. Ephem. Curioſ. Obſ. 1. pag. 12. 13. Addo: novi juvenculam Buxtehudanam, fœminam, quæ cum partû ſimul peperit monſtrum Capite leonino præditum, ſed demortuum. Unde horum animalium & monſtrorum ſemen in uterô provenit? quòd ſi natura tantam metamorphoſin efficere valeat, ùt ex ſemine humanô longè diverſis formis prædita animalia producat, quid obſtabit, quòd non etiam molam in virginum uterô creare poſſit.

2. Ad molarum productionem (ut jam invitus retineam hypotheſin, erroneam de Generatione materiali, quam aliàs nego) non requiritur ſemen utriûſque parentis cùm non vivat in uterô vitam animalem & ſenſitivam ſed merè vegetativam & ſingulari attractivâ facultate prædita eſt, ità quoque illæſâ virginitate in uterô produci valet ex congeſtâ materiâ putridâ ſanguinis menſtrui, quæ à calore uterinô excoquitur; ac quotidiè plus ſanguinis allicit, donec tandem in magnam molam molemque excreſcat, hinc in ejuſmodi ægris partes ſuperiores marceſcunt & gracileſcunt, quoniam ob inſignem vim attractivam Molæ ſuperiores partes ſuô alimentô privantur. Ante biennium ægram habui in vicô quôdam Horneburg dictô, quæ molâ laborabat, ubi mola erat inſtar racemi uvarum colore albi; quæ fœmina tota conſumta, ac tandem quoque hôc morbô exſtincta eſt.

3. Quòd mola fiat ut plurimùm ex ſanguine maternô probat hiſtoria, quam Curioſi Collegæ noſtri afferunt ex *Alexandrô Benedictô*, l. 25. de Morb. Cur. C. 29. ubi intra molæ ambitum maſculinus fœtus inventus fuit &c. niſi ſuperfœtationem accuſare velis, ſed quid ſuperfœtatio in hâc re, ubi ſolus ſanguis maternus ſufficit; dum etenim punctum Cryſtallineum ſaliens primum mobile microcoſmicum ſummumque volatile figeretur ab intromiſſâ aurâ ſeminis maſculini, tantâ quoque copiâ locô alimenti affluxit maternus ſanguis ad nutriendum hoc fixum punctum, ùt quidem in lineamenta maſculini fœtus manticâ fuerit extenſa, verum quoniam nimia copia fuit ſanguinis materni, hînc circumvallatus ac extinctus eſt.

4. Stante theſi Harveanâ & Deuſingianâ, deniquè & nunc Rallianâ, quòd ſemen maſculinum in uterum non intret, ſed ſaltem aurâ aſpergat, quid tum opus accuſare virginitatem deflorationis ubi mola invenitur, aura etenim maſculini ſeminis molam non producit quoniam non eſt corporalis, ſed ſpirituoſa, ſufficit ergò ad Molam ſanguis menſtruus cum aliis humoribus affluentibus.

5. Neque ad generationem fœtûs humani ſemper requiri ſemen maſculinum probat hiſtoria, quam citat Excell. *Rallius*, l. de Generat. Animal. pag. 90. 91. ex *Martinô Leoparæô* Viſſenſi, qui ità loquitur; Virum quendam ſibi facie & moribus notum, conſueviſſe interdùm æſtû libidinis percitum, geniali deſideriô fervere, cui tamen cùm indulgebat, eâ mulcebatur ac perfundebatur veneris dulcedine, ùt impotens voluptatis, ſenſibus ferè omnibus deſtitutus, humi concideret, & quod erat magis admiratione dignum, ſeminis nihil effundebat. Hunc ipſum tamen virginem non ſolùm ſubagitâſſe, ſed & imprægnâſſe refert. Huic Martino Leoparæo ſubſcribit *Sinibaldus* & ſubſcribo ego, generationem enim immaterialem eſſe credo; ſed ùt ad molam redeam, Noſtram de eâ ſententiam probat Obſervatio D. Pauli *Sorbait*, Anno 3. Ephem. Curioſ. Obſ. 273. pag. 486. quò Lectorem remitto. Quô in punctô etiam nobiſcum facit *Petr. Joh. Faber* Curat. Inſign. Curat. 79. p. 731.

Ibidem Obſerv. XII. *De Impotentiâ virili.*

VIr quidam generoſus ac in militiâ ſtrenuus, de ſequenti affectû conqueſtus; Quando cum uxore propriâ æſtû libidinis percitus coire appetit, in momentô omnem appetitum coëundi evaneſcere, membrum virile flacceſcere; interdùm verò ab hôc morbô immunis eſt, verùm tum juſtô citiùs opus ſuum peragit, ſi verò cum meretricibus conſueſcit, tùm optimè ſeſe poſſe ſuæ virilitatis munere fungi, & nil tale ipſi evenit niſi cum propriâ conjuge. Ejus uxor mihi confeſſa eſt, Marito cum eâ coire volenti, tale quid accidere. Quæſtio eſt an naturale, vel Magicum vitium ſit?

Hic generoſus Dominus (nomini pareo) ſi curam poſceret, novâ hâc meâ methodô *Deô* auxiliante facilè reſtitueretur, quòd autem curam non poſcat, cauſa eſt, credit etenim faſcinum eſſe ac per malos homines ejus virilitatis magnanimitatem minui, hincque etiam Generoſa conjux ſterilis permanet. Hâc autem Methodô procederem, quam novam dico, quoniam nullibi ſimilem legi;

1. Generoſum virum ut & Generoſam conjugem appropriato pharmaco ſine aromatibus purgarem.

2. Generoſo viro venam mihi notam apud membrum virile ſecarem; Venam utriuſque tali ſaphænam dictam inciderem quoque in Generosâ conjuge.

3. Octiduô elapsô poſt hæc adminiſtrata, iterùm Dominum,& Dominam purgarem Pharmacô in formâ ſiccâ iterum abſque aromatibus.

4. Purgatum Herum ut & Heram introducerem in cameram aromaticum odorem ſpirantem, cujus pavimentum ſtratum radice ſatyrionis incisâ, inque eâ camerâ Domino balnea parata eſſe juberem, alterum pro Generoſo viro, alterum pro Generosâ fœminâ. Balneum pro virô hiſce conſtabit:

℞. Herb. Majoran. Meliſſæ, Betonic.
ſalviæ, ſerpilli an. M. iij.
Flor. roſar. boragin. bugloſſ. violar. an.M.ij.
4. Sem. frigid. maj. an. Drach. IV.
Carnis bovinæ, vitulin. coct. in jure balnei,an.l.II.
Panis Similaginei. M. v.
Radic. Satyrion. Incis. unc. v.
Pæoniæ, Bryoniæ unc. j.
M. f. l. a: Decoctum in Lacte & decoctô affunde
Vini Malvatici l. v.

In hôc balneô collocarem virum, cum carne utriuſque animalis ut & cum herbis fricarem integrum corpus; apud teſtes reponeret hunc ſacculum in vinô Hiſpanicô coctum ac ſequentibus refertum;

℞. Radic. Satyrion. incis. unc. j.
Pæoniæ incis. Bryon. incis. an. Drach. j.
Paſſerum Carnis unc. iij.
Celebr. paſſer. unc. j.
Mac. Nuc. Muſcat. an. Drach. j.
4. Sem. frig. maj. an. Drach. j.
M. f. Sacculus longus, ût commodè cingat inferiorem ventrem, & ſimùl involvat teſtes, per horam itâ detinerem in balneô, ſæpiùs verò hauſtum præberem ſequentis Mixturæ,

℞. Vin. Malvatic. unc. vj.
Aq. Roſar. unc. viij.
Deſtill. cum vin. Meliſſ. unc. j.
Succi Radic. Satyrionis Depurat. unc.ij.
Confect. Alkerm. complet. Drach. ij.
Symp. Rub. Idæi unc. VI.
Elixir propriet. Helmontii, unc. S.
M. f. Mixtura, Doſis unc. S.

Sæpiùs etiam darem in balneô Morſulos viriles *Mynſichti* per 4. Semin. frigid. major. correctos juxta noſtrum præſcriptum.

Dorſum adhùc balneo inſidentis inungerem pinguedine ex paſſeribus collecta cum momentô axungiæ Ciconiæ. Egreſſum ex balneô totum inungerem ſequenti linimentô.

℞. Ol. Verbaſci Deſtillat.
Chamom. cærul. deſt. an. Drach. I.
Amygd. dulc. ſcrup. j.
Piperini gutt. v.
Euphorbii gutt. iij.
M. f. Linimentum.

Poſt inungerem inferiorem ventrem, teſtem, penem, Balſamo meo Mulceberino Venereo. Morſulos verò viriles juxta noſtram deſcriptionem ſemper maſticaret, vel noſtrum electuarium, opiparè ſemper cœnaret, juberem.

Peractâ hâc methodô cum Nobiliſſimô virô; cum conjuge itâ procederem.

Hanc bellam fæminam obſtetrix in balneum ſequens collocaret:

℞. Herb. Meliſſ. Matricar. artemis. Puleg. an. M. j.
Sabinæ MS.
Caſtorei Scrup. ij.
Mac. croci in petiâ ligat. an. Scrup. j.
Carnis vitulin. l. ij.
Schænanthi; Drach. iij.
M. f. l. a. Balneum in lacte.

In hôc balneô detineretur per ſemihoram; ex quô deduceretur hauſtû primo confortanti potû in aliud balneum cujus beneficiô uterus ſeſe aperiret magis, quàm in prædictô, totum inferiorem ventrem inungeret obſtetrix in balneô unguentô aperitivô noſtrô, quô uterus pateret, in quem obſtetrix manum ſucceſſivè inſereret, ac decoctô noſtrô uterinô optimè elueret, ùt nihil ſordium ampliùs ſupereſſet, putreſcentem enim ſanguinem quidam Medicus ex ſterili uterô aliquando ademit. Itâ elotum uterum ſordibuſque ejectis hauſtûque factô confortativô ut & pulvere noſtrô confortativô aſſumtô duceretur in Balneum noſtrum aſtringens, cujus beneficiô uterus iterùm clauditur, tumque inungerent linimentô noſtrô aſtrictivô. His peractis ſemen generantia propinarem, & ad carnalem copulam cum viro ſubeundam, elapſis tribus horis poſt hæc (invocatô primò numine divinô) hortarer. Cuique poma mea Venerea maſculina & fœminina traderem. Cum viro bis in annô hunc proceſſum inſtituerem, mulierem confortarem ſaltem iis, quæ mihi tum ratio tùm natura ægræ ſuadebant. Hæc eſt mea nova Methodus curandi ſterilitatem in utrôque ſexû. Et niſi hæc efficeret, ad curam meam Magneticam confugerem, quæ poſthàc aperienda.

Ibidem Obſerv. 13. *De Reſpiratione ſub aquis.*

PRoblema philoſophico-Medicum nunc propono. Probant quotidiana experientia ac tot fideliſſimorum Hiſtoricorum relatio, quòd urinatores vel urnatores, ruſpatoreſque perlarum ſub aquis per tempus aliquod commodiſſimè vivant. Antiqui Glauci Boëtii mentionem faciunt, quô de *Natalis Comes* l. 8. c. 5. quòd hic multos paſſus ſub aquis viſum ſpectatorum fugiens natare potuerit. *Alexander ab Alexandriâ* Dier. Genial. l. 2. cap. 21. alicujus Colan dicti, & curioſiſſimus *Kircherus* maximus Naturæ ruſpator l. 2. c. 15. p. 98. Mundi ſui Subterranei

terranei Nicolai poſſecolæ, quòd ſub aquis vivere potuerit, meminerunt, & quòd piſcatores apud Inſulas Cubaga, Cumana & Terarequi quærendo perlas ad mediam etiam horam ſub aquis degant, teſte *Rembo* l. 6. hiſt. juxta Ormum ut tradit *Mandeſlov.* incolæ tam experti ſunt, ùt etiam poſt inunctionem quorumdam in corpore locorum etiam circa eam inunctionem ad longum tempus perlas & conchas margaritiferas venantes vivere valeant; in Ægyptô juxta urbem *Abuzin*, piſcatores etiam integrum diem ſub aquis ſeſe abſcondere poſſunt, teſtante *Urſino* in ſuô de Urbibus Turcicis Theatrô.

De hoc hominum genere nunc quæri poſſet an citra omnem reſpirationem ſub aquis degant, cùm apud Medicos in confeſſo ſit, hominem vel animal citra reſpirationem etiam ad minimùm tempus vivere non poſſe, quare ſtante eâ hypotheſi, neceſſariò reſpirant. Meo autem judicio, duplici reſpiratione omne animal gaudet, unâ ſenſibili, cujus beneficio aër attrahitur ſat ſenſibiliter illique homines liberè reſpirant, talis verò non poteſt tribui ſub aquis degentibus, tum etenim cum aëre lymphas ſummâ in copiâ haurirent, ſicque ſeſe ſuffocarent, hæcque fit per os & nares, eaque organa dilatando. Altera eſt reſpiratio inſenſibilis, hæcque præ cæteris competit dictis urinatoribus, qui cùm in aquas deſcendunt, ventrem aëre plenum & diſtentum habent, & cùm ità plenô aurâ ventre deſcendant, os nareſque claudunt, cùm autem nùnc ſub aquis exiſtant, hic aër, quô illorum ventres tumidi, in ipſis reciprocatur circulaturque, & cùm animal pluribus emunctoriis præditum eſt, ac infinitis poris gaudeat, tùm aër in aquis exiſtens, nullæ enim aquæ ſine aëre, & nullus aër ſine aquis, ſeſe inſerit per alia emunctoria in œconomiam corporis, & ut rectè aliquando ad me præſcripſit Experientiſſimus Mathematicus, Redivivus Germaniæ Archimedes, Ampliſſimus Dn. de *Geierick*, quòd aër per minutiſſima foraminula tranſeat, ſic etiam verò non abſonum, aërem aquis commixtum in animalis corpus per mille meatus intrare, ac ſic circulatum aërem primò in corporibus exiſtentem uſque ad neceſſitatem refrigerare ac confortare. Suffocatio etenim non tam motûs quàm juſti refrigerii privationi tribuenda eſt, niſi etenim corpus juſtô refrigeriô gaudeat, tùm ex denegatâ exſpiratione & inſpiratione incenditur ſanguis hujuſque particulæ ſulphureæ. Credo itaquè in apoplecticis juſtum refrigerium deeſſe, & quoniam illud deeſt, moriuntur.

Non injucunda quoque quæſtio eſt, unde plerique moribundi circa Oceanum cum receſsû maris animam proſcribant? Meô arbitratû id indè evenit, quòd quando Oceanus recedit cum ſuô refluxû tùm ſimùl inſitum in aëre pabulum ſpirituum ſecum rapiat, ac illud ipſum tùm in tantâ copiâ non perſiſtat, quantam ſufficit ad ſpiritus alendos & refocillandos, tùmque unà maximè conveniens refrigerium, dulce nectar ſpirituum vitalium & Oceano aſſurgens ſubtrahitur, quandiù etenim Oceanus ſubſiſtit in ſuô affluxû, quàm jucundiſſimè illud refrigerium alluit fauces & pulmones, imò cor ipſum ac hominem quaſi in vitâ retinet, cùm autem illud nùnc cum refluxu Oceani rapitur, neque novum ſuccedit recedente mari, homo exſtinguitur. Quare Oceanus ſuis accolis aërem purificando ac eum jucundiſſimâ refrigerii aurâ imprægnando uſui eſt, hinc etiam homines imbecilles, ut plurimùm recreantur rurſùm affluente Mari vel Oceanô.

Ibidem Obſervatio 14. *De Plantis noctû Odoriferis.*

QUænam ſit cauſa hujus nocturnæ fragrantiæ cumque Solis occaſû exſpirantis, *in Act. Haſn. Volum* 2. allatæ, non malè ipſe ſentis nec inſigniſſimi *Borrichii* ratio accuratà hìc vacillat, pace autem veſtrâ mentem meam hìc promam.

Planta hæc ſummam fragrantiam noćte edit, de die autem ejus odor ſilet. Botanici illi à verô minimè abludunt, qui plantas juxta Planetarum influentias dividunt, ſic aliæ ſunt Solares, aliæ Lunares, Martiales, Venereæ, Joviales, Saturninæ, Mercuriales, ibi quilibet Planetæ influxus ſuæ activitatis certam & individuatam Sphæram paſſivæ potentiæ rerum impreſſionem Planetæ recipientium reſpondentem harmonicè & ſympatheticè juxta vim magnetiſmi univerſalis organo ſtabulantis poſſidet. Hinc Solarium operationes de die ſunt vegetiores, quàm de nocte; quoniam Solis ſphæra activitatis tàm reſpectû ſpatii quàm energiæ cæterorum Planetarum activitatis ſphæris univerſalior eſt, ſic è contra Lunares & Venereæ majorem efficaciam nocturnô tempore premunt, Viola verò Matronalis flore variegatô Venereis plantis & ſtirpibus annumeratur meritò, ipſi multis modis hæc acceptiori & quoniam hinc rurſùm refocillatur, novas colligit vires ex hâc blandiſſimâ irroratione, tumque fragrantiam ſpirat, dum enim ejus vires temperantur per affluxum roris & ſpecificum influxum ſui aſtri, odor fœtidus uſtulationem aliquam innuens, tranſit mediante rore & influxû aſtri ſui in fragrantiam. Perpulchra ſunt quæ de ſympathiâ Florum cum Planetis affert Floræ & Artis noſtræ decus Excell. *Tilingius* in Tract. de Laudanô Opiatô Prooem. p. 3. m. Quodlibet ſidus in cœlô cum ſuô flore in terris mirabilem habet ſympathiam, ſtellarumque influxus velut per pyramidem ſuſcipit, in cœlô baſis eſt, in flore conus; Axioma Caballiſticum docet, non eſſe herbam inferiùs, quæ non habeat ſtellam ſuam ſuperiùs, quæ dicat illi; Creſce, Robur affla homini, alimentum ſuppedita homini. Hactenùs Muſarum ad Viſurgim Apollo. Certè in eâ plantarum familiâ infinitos Characteres Divinæ Omnipotentiæ, ac ipſum Alphabetum Naturæ univerſale latere probat Scriptura Sacra, cùm de Salomone dicat, quòd excoluerit cuncta uſque ad herbas ex murorum ruderibus pronaſcentes, probat id forma reſuſcitationis, in vegetabilium regnô pluriṁum ſeſe patefaciens.

Ibidem Obſervatio 15. *De Secretâ Opii præparatione.*

MEam Opii præparationem Actis veſtris nunc communico, habeo adhùc quandam ſecretam præparationem.

℞. Opii Thebaic. unc. ij. leniſſimô igne exſiccetur ſine omni aduſtione; Explicata aff. ſpir. vini ardentem ex baccis Juniperi, hic incendatur ſupra opium, & quandò exarſit, phlegma leni calore exhalet, tum idem proceſſus repetatur ter. Verùm inter ardendum pulverem ſuccini pulveriſati Drach. j. injice. Repetitô ter proceſſû, tùm addantur ſpecies C. C. ſine igne præparat. Drach. ij. ſ. Corall. præp. Drach. iiij. ſ. Sal Card. Ben. abſinth. Scord. an. Drach. ij. ſ.

ij. ſ. ocul. cancr. præp. Drach. iv. Magiſt. ♉nii Diaphor. Drach. ij. ſ. cinab. ♉ benè præp. Scrup. iij. Cinab. nativ. præp. ſcrup. j. radic. pæon. juſt. temp. effoſſ. unc. iiij. S. Gran. Pæon. excortic. Scrup. iij. (Ego radice pæoniæ ut & granis in omni ferè morbô utor. Habeo ſingularia quædam Experimenta circa uſum radicis pæoniæ.) M. f. l. a. p. doſ. gr. v. cum appropriatô vehiculô liquidô, vel conſervâ aliquâ.

Ibidem Obſervatio 16. *De Aphtharum remediô euporiſtô.*

APhthæ illæ flammantis oris puſtulæ, infantibus frequentes ſunt, adultos rariſſimè corripiunt & nunquam ſine periculô ferè. Annô 1669. cùm praxin Medicam Fridrichſtadii exercerem, hoc genere morbi tres puerperæ exſtinctæ ſunt. Hocque malum æquè ac morbill. & variolæ homines ſemel invadit. Tres mei filii & his puſtulis laborârunt, duo recens ſtatim iſtô malô correpti ſunt, natu verò maximus, qui nùnc quatuor annorum & dimidii eſt, nùnc paucis ante diebus iis quàm vehementiſſimè laboravit, & Coronidem impoſuerunt variolis, quæ & hìc graſſantes ipſum lectô affixerant. *Franciſcus Joël* hic recommendabat ℞. Mellis roſat. unc. S. Olei Vitriol. Drach. j. M. f. Linimentum. *Timæus à Gyldenclee* laudat florem lactis caprilli cum tantillo nitri puriſſimi, C. 5. caſ. IX. *Wolf. Höferus* in Medicat. Familiarib. p. 359. præſcribit. ℞. Syrup. è roſ. ſiccis Mellis roſati ſimplic. an. Drach. ij. S. Maſtich. elect. pulv. Drach. S. ſpir. vitriol. gutt. iij. M. & inunge ſæpiùs. Verùm uti ſimplicia amas, ſic quoque ſimplex euporiſton hìc recommendabo, quô uſus ſum in meis tribus dilectiſſimis filiis admirandô cum ſucceſſû, quô & præſtantius & certius non datur.

℞. Olei rapar. q. V. tantumque adde ſacchari, quantùm recipere poteſt, de eô ſæpiùs datô lingendum infantibus & infallibiliter curantur. Infantibus medicamen tutum, certum & jucundum eſt, & blandè in iis alvum ſolvit hoc oleum, & iſtô euporiſtô meus filius natu maximus nùnc quoque (Dei gratiâ) reſtitutus eſt. Batavæ fœminæ & obſtetrices rubetam filô alligatam ori infantum his puſtulis correptô imponunt, extractam in frigidam aquam injiciunt, ùt vires recolligat, tùm iterùm imponunt, ſed contingit ſæpiùs, imbibitô iſtô venenô flammante rubeta rumpatur, iſtâque rubetæ novæ impoſitione ſæpiùs reiteratâ infantes curantur, & iſtæ flammantes puſtulæ evaneſcunt. Cauſam hujus curæ per Rubetam ego in duo rejicio. 1. in modicam refrigerationem, quam affert Rubeta Ori hiſce ulcuſculis flammanti. 2. in attractionem malignitatis puſtularum, quam ſi attraxerint Rubetæ, ut plurimùm ſtatim rumpuntur & extinguntur. Malignitatem enim contagioſam poſſident iſtæ puſtulæ. Nuper mei Affinis, Senatoris Fridrichſtadienſis filiola his puſtulis laborans per Rubetarum inſertionem curata eſt. Sed quod notatû dignum, prior rubeta extracta ſtatim etiam in aquâ frigidâ exſpiravit, & altera etiam difficillimè in frigidâ lymphâ ſervata fuit. Tantam malignitatem habuerunt iſtæ puſtulæ. Addo de meô filiolô natû maximô, hic graviſſimè Variolis decumbens, floccos colligebat, lodicem complicabat, quod & cæteroquin infauſtum cenſetur ſignum, ut plurimum mortem præſagire dicitur; ſed & hìc ut & ſæpiùs fefellit. Ego hìc recordor quod ſcribit *Wolf. Höferus* in Hercule Medico p. 346. & 348. Et quod nòn ſemper infauſtum ſignum præbeant, plures probant obſervationes. Malo ergò hic *Cardano* credere, quàm *Galeno.* Tum demùm enim infauſtum ſignum eſt, ſi ſimùl facies Hippocratica adſit. Buxtehudæ quædam fœmina laborabat febri malignâ, floccos colligens, lodices explicans & complicans, ſeſe meæ curæ commiſit, & Dei gratiâ reſtituta eſt.

Ibidem Obſerv. 17. *De Anatome Æthiopis fœminæ.*

ÆThiops fœmina Nigritarum ſtirpe orta & exindè fugitiva, quod probant ſigna vel characteres ejus temporibus inſculpti, cuticula enim illic inciſa apparebat hunc in modum II II, ſed parùm longioris ductûs: Kilonii obambulabat, & ſtipem oſtiatim quærebat, ſecumque circumferens infantulum, ut dixerat duarum ſeptimanarum, qui & extinctus, & paulò poſt falcem in mœſtam Matrem Æthiopicam, quoque injecit atra mors, hæcque exſtincta ad Anatomicum Theatrum expetita eſt ab Excellentiſſ. D. D. *Majore*, qui tamen huic ſectioni manum non admovit, ſed jus ſuum in Dn. D. *Pechlinum* contulit, qui & cultrô Anatomicô eam ſolvit. Quæ miranda in eâ notata ſint, paucis accipe. Uterus caſtaneæ quantitatem vix excedebat, quod ego miror in novellâ puerperâ. Pulmo ſiniſter per fibras lateri adnatus videbatur. In venâ cavâ fruſtulum Carnis Thaleri Imperialis magnitudinem æquabat, ſed craſſius erat, hoc carnis concretum laudatus Anatomicus polypum cordis nuncupabat. Memini legiſſe apud noſtros Curioſos Tom. 1. Obſ. 31. p. 106. 107. hunc polypum ſæpius inventum fuiſſe in corde, quo & ſpectat Obſ. VI. p. 11. Tom. 2. Ephem. Polypum tamen *Kerckringius* negat. Forſan fibræ illæ in ſanguine ſubitò concrevêre, ob plus ſolitam refrigerationem ſanguinis, nam ſanguinem in noſtrô ſubjectô Anatomicô fuiſſe refrigeratum, ſatis conſtat, tenui enim veſtitû hæc paupercula erat amicta, & ſub Jove frigido decumbebat, ſub quô & mortua, nec ab ullô mortalium in domum recepta eſt; & ſub frigidô olympô animam ſuam Creatori reddidit, Chriſtiana enim dicitur. Mirum ergò non eſt tam intenſum frigus ſanguinem condensâſſe, inque fibras concretum, ſicque venam cavam obſtruxiſſe, hìnc vitæ jactura. Plures particulæ polypi ex ventriculis & aliis locis extractæ ſunt a D. D. Anatomico.

Ibid. Volum. 5. *Obſervatio* 6. *De Cataractæ cauſis & Monſtri Anatome.*

SI conjecturæ locus, ego de causâ & focô ſuffuſionis ſequentia ſtatuo, videlicèt (de ætiologiâ hujus affectûs ſecundum Galeni ſcholam nihil addo) ſuccum nutritium lymphaticum, qui humori cryſtallineo in nutrimentum cedit, extra ſuum locum eſſe propulſum, & in modum abſceſſûs vel alicujus excreſcentiæ tanquam appendicem aliquam humori cryſtallino tanquam ſuo foco. Hanc meam conjecturam ſtabilit, 1. quòd corpuſcula omni colore careant. 2. quòd etiam minimi pulviſculi in aëre volitantis intuitum licèt ea corpuſcula inter viſum & pulviſculum medium locum teneant, non tollant. Si ab aliquô humore hic affectus eſſet natus, qualiſcunque etiam ille foret, aliquâ coloris tincturâ gauderet, ſunt verò humori cryſtallineo ſimillima, i. e. omnis coloris expertia. Poſſet autem hic humoris

moris cryſtallinei abſceſſus facilè addenſari, ſi liberô affluxû quorumlibet humorum gauderet; eos exhauriunt fontanella, & pulvis naſalis Tuus, tumque emplaſtra temporibus applicata. Mirum nihilominùs eſt, quòd rerum à meô viſû contemplatarum ſimulachra, etiam poſtquàm eæ viſui meo ſint ſubtractæ, in oculis circumferam, veſtigiaque diutiùs inhæreant, e. g. diſcus ſolis & alia phœnomena lucidiora, cujus rei ætiologiam ego à fortiori rerum ſpectandarum apprehenſione, quæ fit in retinâ, deduco. Quemadmodùm nunc de ſuffuſionis ætiologiâ aliter ac alii philoſophor. eôdem modò divortium facio in cauſis reddendis vel foco guttæ ſerenæ aſſignando, quem communiter in obſtructione nervorum opticorum collocant, verùm enimverò; ſi nervi optici forent obſtructi, non ſolùm viſui cæcitatem, verùm etiam ob privationem alimenti, quod per hos nervos impellitur vel trahitur, tabem aut oculorum maraſmum conciliarent, quare hi nervi ſunt ſalvi & alibi focus quærendus.

Monſtri informis Ovini Anatomen ex Auctore non damus quia ſine figurâ manca foret.

De eô præterea habentur ſequentia in Lindeniô Renovatô Mercklini & alibi.

Ovum Hermetico--Paracelſico--Triſmegiſtum, *i. e.* Commentarius Philoſophico-Chemico Medicus, in quandam Epiſtolam *mezahab* dictam, de auro; & hiſtoria Philoſophico-Chemico Medica do eodem metallo nativo & artificiali. In quo & CVIII. Quæſtiones Chemicæ ab Excellentiſſ. D D. Morhofio propoſitæ, ab Authore ſolvuntur. Omnia, juxta adeptæ Paracelſicæ & Eclecticæ Philoſophiæ principia. Unà cum Faſciculo Epiſtolarum ad quoſdam noſtri Seculi Medicos Celeberrimos, & Appendice Apologetico. Francofurti, apud Frid. Knochium, 1694. 8.

Prodromus Lexici utriuſque Medicinæ practicæ; cum geminô rerum & morborum Indice locupletiſſimô. Hamburgi, ap. Johan. Naumannum, 1670. in 12.

נצה Univerſalis Mundo reſtitutus. Stadæ, apud Caſpar. Holwein, 1670. in 12.

Ovum Harvejanum Generationis Animantium Curioſum. Quo demonſtratur adverſùs Materialiſtas, quod Generatio Animalium fiat ex nihilô. Kilonii, apud Joach. Reum, 1675. in 4.

Exercitatio de verô & genuinô ſanguificandi organo, ad Thomam Bartholinum. Kilonii, 1675. in 4.

Ætiologia Philoſophico Medica curioſa Facultatis Purgatricis. Quâ oſtenditur contra Williſium & Williſianos, in reſinoſis particulis non eſſe collocandam Catharſin. Hamburgi, apud Arnoldum Lichtenſteinium, 1677. in 4.

Curioſum Scrutinium Nigredinis Poſterorum Cham, id eſt, Œthiopum, juxta principia Philoſophiæ corpuſcularis adornatum. Kilonii, apud Joachimum Reumannum, 1677.

Nova & accurata Methodus, cognoſcendi ſimplicia vegetabilia, juxta triplicem cognitionem, 1. Grammaticam, 2. Philoſophicam, 3. Medicam, Galenicam & chemicam Neotericorum Pholoſophorum & Medicorum, propriiſque principiis ſuperſtructa & curioſè adornata. Ibidem apud eundem: annô & formâ eâdem.

Diſſertatio Pharmaceutico-Therapeutica de usû & abusû Inebriaminum. Norimbergæ, apud Pauli Furſtii Haredes, 1679. in 4.

Obſervatio, de Aphthis. Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. IV. *&* V. *N.* 82.

De Durâ alvo in infantibus. Ibid. Anno eod. N. 83.

De Inſolitâ Lactis abundantiâ. Ibid. An. VI. *&* VII. *N.* 70.

De dorſi ineffabili prurîtû. Ibid. Decur. 2. *Ann.* 1. *N.* 68.

De Canitie in Juvene. Ibid. Ann. eod. N. 69.

De hæmorrhoidum menſtruô & ordinariô fluxû in virô. Ibid. Anno eod. N. 70. *unà cum ſcholiis ad eam.*

De Vertigine Cæcorum; & alia de Cæcis. Ibid. An. eod. N. 71. *unà cum ſcholiis ad eam.*

De Idioſyncraſia. Ibid. Ann. eod. N. 72.

De noxiô Ribium esû. Ibid. Ann. eod. N. 73.

De noxâ comeſtarum radicum Aconiti. Ibid. An. eod. N. 74.

De modô Mercurium eliciendi, ex lapide hæmatite. Ibid. Ann. eod. N. 75.

Obſervatio, de Puellâ Ecſtaticâ. Ibid. Ann. eod. N. 76. *unà cum ſcholiis ad eam.*

De venenô bufonis feliciter curatô. Ibid. Ann. eod. N. 134.

De Roriſmarini Reſuſcitatione. Ibid. Ann. eod. N. 135.

De Urticæ usû in Hæmorrhagiâ narium. Ibid. Decur. II. *Ann.* II. *N.* 45.

De usû fonticuli in Iſchiade, Ibid. Annô eod. N. 46.

De Picâ picis. Ibid. Ann. eod. N. 47.

De Pulsû deficiente, Ibid. Ann. eod. N. 48.

De Evulſione dentis lethali. Ibid. anno eod. N. 49.

De Antipathiâ cum felibus, Ibid. Ann. eod. N. 50.

De Linguâ magnâ. Ibid. Ann. eod. N. 51.

De fiſtulâ linguæ. Ibid. Ann. eod. N. 52.

De Febre ardente ſpiritû vini curatâ. Ibid. Ann. eod. N. 53.

De Aquæ fortis epotæ curâ. Ibid. Ann. eod. N. 54.

De Serpente cum fœtû excluſô. Ibid. Anno eod. N. 55. *unà cum ſcholiis ad eam.*

De Relaxatæ uvulæ curâ. Ibid. Ann. eod. N. 56.

De eô extant rurſus in Miſcell. Cur. Decur. 2. *Ann.* 3.

Obſervatio 47. *De Tumore gulæ ſingulari.*

Ibidem Obſervatio 48. *De Paralyſi gulæ lethali.*

Piſtor quidam & Civis Buxtehudanus in morbum febrilem incidit, quem actutùm muſculorum pharyngis & ſphincteris vel œſophagi tam vehemens paralyſis comitabatur, ut nihil quicquam, ſive ſolidum, ſive liquidum eſſet, deglutire poſſet; & hôc morbô fuit exſtinctus. Triſte ſanè ſpectaculum præbet talis paralyſis, cui aliàs cataplaſmata ex aromatibus & herbis aromaticis quas cephalicas vocamus, atque inunctiones ex oleis aromatum cum caſtorei pinguedine proſunt; ut & emplaſtra, quæ recipiunt oleum ſuccini & caſtorei axungiam vel oleum.

Scholium

Conferatur Scholium ad obſerv. med. Helwigianam, 49. ubi ſimilium paralyſeos gulæ exemplorum ex *Nic. Tulpiô, Petro Salio Diverſo & Thoma Willis* ſit mentio.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 49. *De Aphoniâ curatâ.*

DIe 30. Junii Annô 1681. ad quandam pediſſequam accerſitus ſum, quæ Zelô correpta (fuerant enim illi rixæ cum ſui ſimilibus) incidebat in contumacem aphoniam, ùt nè mutire quidem vel hiſcere poſſet, cum tam arctâ oris clauſurâ, ùt nullô modô os aperire vel quidquam aſſumere valeret, niſi inſtrumentô chirurgico maxillæ à ſe invicem divellerentur. Juſſi, ùt Chirurgus emplaſtrum de betonicâ applicaret, & ſuperimponeret cataplaſma ex herbis aromaticis, additô lignô guajacô, ſingulis diebus renovandum. Dedi etiam ſequentem mixturam, de quâ chirurgus ſæpiùs cochlear infunderet; ℞. Aq. ceraſorum ℥ij. Spir. ceraſor. ℥iß. Tinct. Caſtor. ʒj. Elæoſacch. ſuccin. ʒiß. Miſc. In nuchâ veſicatoria admota. Quartô die Julii ſcribebat chirurgus, quòd jam os pro lubitu dilatare & comedere poſſet. Dedi ergò mixturam ad ſudorem eliciendum, ex ſpiritû ligni guajaci, & Theriaca Androm. ad linguam verò inungendam Balſamum factum ex Theriacæ Andr. ʒij. olei caſtor. gt. v. pulv. caſtor. ℈j. Tum datô purgante, Dei gratiâ, convaluit.

Ibidem Obſervatio 50. *De Uvulæ relaxatæ curâ.*

Ibidem Obſervatio 51. *De Epilepſiæ curâ.*

Ibidem Obſervatio 52. *De Ictu Capitis periculoſô ſanatô.*

DIe 2. Octobr. A. 1673. ad quendam Equitem Lunæburgenſem, vocabar, qui à ruſticô ingenti baculô ictum in capite juxta tempora dextri lateris acceperat. Tertius erat dies poſt acceptam plagam quô vocabar; hic per vomitum ſtatim ab ictû multùm materiæ ejecerat, jacebat mutus abſque omni omninò ſenſatione inſtar trunci; Chirurgus ante meum adventum venam ſecuerat, & in nares pulverem pharmacum inſpiraverat, ſine omni levamine & ſucceſſû; quotiès illi quid dandum, os vi erat diducendum. Ego accedens ſuppoſitorium indere juſſi, cui additum ſulphur antimonii, quod bis cum fructû repetitum, in nares verò, meô juſſû, Chirurgus inſpiravit ſulphur antimon. & euphorbium; Caput inunctum oleis aromaticis, & emplaſtrum de betonicâ capiti admotum, cui ſuperimpoſiti ſacculi herbis cephalicis impleti & vinô incocti. Cùm 3. Oct. manè accederem, ſubmiſſè loqui cæpit, & conſtabat ipſi ratio, juſſi dare confortantia ac iterùm ſecare venam, clyſma acerrimum injicere, & ſpinam dorſi cum nuchâ unguentô quôdam antiſpaſmodicô, inungere. Horum uſû, Dei gratiâ, reſtitutus, niſi quòd duo digiti in manû manſerint immobiles.

Ibidem Obſervatio 53. *De Fœtibus vivis ex lepore mortuo exemptis.*

Ibidem Obſervatio 54. *De Hæmorrhagiâ narium curatâ.*

QUidam Studioſus-Tondera Holſatus, meorum filiorum præceptor, in tam contumacem hæmorrhagiam narium incidit, quam nullis medicamentis ſedare licuit, Euporiſta varia (exceptô decoctô Excell. D. D. Volckameri, cujus efficaciam in enormi fluxû ſanguinis ex intempeſtivâ venarum ſub linguâ ſectione expertus) adhibita, ſed omnia carebant optatô ſucceſſû. Tandem propinavi ſucci ex urticis recens expreſſi cochlearia tria, & urticis contuſis involvi membrum virile, ſic miraculi inſtar illicò ſubſtitit contumaciſſimus nectaris vitalis fluor, qui procul dubio hominem è mortalium ſocietate exemiſſet.

Ibidem Obſervatio 55. *De Fœcibus alvinis ex abſceſſû inguinis prodeuntibus.*

Ibidem Obſervatio 56. *Eboris analyſis chemica.*

Ibidem Obſervatio 57. *De Manibus ſphacelatis ab earum in frigidam immiſſione.*

Ibidem Obſervatio 64. *De Dyſenteriâ feliciter curatâ.*

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 50. *De Cicutâ ſine noxâ comeſtâ.*

Ibidem Obſervatio 51. *De Antipathiâ cum Menthâ.*

Ibidem Obſervatio. 52. *De Eryſipelate faciei exulceratô.*

Ibidem Obſervatio 53. *De Scopeliſmis Cymbricis.*

Ibidem Obſervatio 54. *De Memoriæ imbecillis curâ.*

Ibidem Obſervatio 55. *De Hæmorrhagiâ per pulverem ſympatheticum curatâ.*

Ibidem Obſervatio 59. *De Fulminis effectû mirô.*

Ibidem Obſervatio 60. *De Canitie à metû.*

Ibidem Obſervatio 61. *De dolorificâ ventriculi & diaphragmatis convulſione.*

Ibidem Obſervatio 108. *De Fœminâ, quæ limpidam aquam copioſè ex ore rejecit.*

Ibidem Annô 5. *Obſervatio* 85. *De Pathologiâ animatâ.*

Ibidem Obſervatio 86. *De Arenulis cum ſanguine exeuntibus.*

Ibidem Obſervatio 113. *De Potû calidô.*

Ibidem Obſervatio 114. *De Uſû Bufonum medicô.*

Ibidem Obſervatio 115. *De Cauſâ ardoris urinæ ſingulari.*

Ibidem Obſervatio 116. *De Arenarum innoxiô eſû & venenô.*

Ibidem Obſervatio 117. *De Mirô viſûs ſymptomate.*

Ibidem Obſervatio 118. *De Febre ſingultuoſâ.*

Ibidem Obſervatio 119. *De Contumaciſſimâ Menſium Obſtructione Curatâ.*

ANcilla quædam ex Toparchiâ *Borghorſt* (quæ pertinet ad quendam Generoſiſſimum & Perilluſtrem Dominum von Thinen, & duobus milliaribus Kiliâ diſtat) juſſû Generoſiſſ. Dn. Conjugis ad me acceſſit An. 1683. 27. Octobr. & me conſulit de contumaciſſimâ menſium obſtructione per triennium durante, itaque peſſimis ſymptomatibus, quæ ejuſmodi ſuppreſſionem ſequi comitarique ſolent, jampridem graviſſimo morbo decumbentem (Dei gratiâ) liberaveram & ancillæ in nomine Jeſu præſcripſi; (1), quod ſequitur ℞. Caſtorei optimi ʒj. Myrrhæ optimæ ℈ij. Sal. ſuccini volatil. Flor. Sal. Armoniac. Sal. C. C. vol. non depurat. Sal. artemiſ. ãã ʒij. croc. optim. ℈ijß. aff. ſpirit. vini rectificatiſſ. ℥viij. & inf. per horas 38. in vitrô optimè clauſô & pone in calidâ arenâ, poſt detur filtratum infuſum. ſign. *Oeffnungs-Tinctur*, (2) ℞. Reſidui magmat. q. M. pulv. ſabinæ ʒiij. Chalyb. aperitivi ʒijß. Cantharid. ℈ij. Conſerv. artemiſiæ ℥j. Boragin. ℥iß. Zingib. Condit. ʒvij. Pulv. Cinamon. ʒj. Brodii Radic. Zingib. Condit. q. ſ. Elæoſacch. petroſelin. ʒv. M. detur Electuarium. (3) ℞. Aloës lucidæ ʒj. pilul. fœtid. maj. Gumm. Armoniac. Myrrhæ magiſt. Chalyb. aperitivi ãã

aperitivi ãã ℥ij. Caſtor gr. x. Scammon. gr. x. Ol. ſuccini ℈ß. Sabinæ gutt. v. M. F. l. a. Pilulæ pro ℈jß. N. xv. cum aq. Sabinæ involvantur ſuccino. Horum Medicamentorum uſû (Dei auxiliô) reſtituta eſt, cum jam anteà multa adhibuiſſet ſine ſucceſſû.

Ibidem Obſervatio 120. *De aliô curatæ Menſium ſuppreſſionis Exemplô.*

Ibidem Obſervatio 121. *De Infantis à partû difficili quaſi emortui in vitam Reſtitutione.*

Ibidem Obſervatio 122. *De Viſus debilis reſtauratione.*

Ibidem Obſervatio 123. *De Uſû Aſtrologiæ in Venæſectione.*

Ibidem Obſervatio 124. *De Aëris inquinamentis.*

Ibidem Obſervatio 125. *De Cadavere ſanguinem ſtillante, præſente occiſore.*

Ibidem Obſervatio 126. *De Lapillis Tuſſi rejectis.*

Ibidem Obſervatio 127. *De Uvulæ prolongatæ curâ.*

Ibidem Obſervatio 128. *De Lochiâ aquoſâ.*

Ibidem Obſervatio 129. *De Deliriô ſingulari.*

Ibidem Obſervatio 130. *De Remediô nimii Hæmorrhoidum Fluxûs.*

Ibidem Obſervatio 131. *De potû calidô Puerperarum.*

Ibidem Anno 6. *Obſervatio* 31. *De Vermibus cum urinâ excretis.*

Ibidem Obſervatio 32. *De Calculô ex hypochondrii ſiniſtri ulcere prodeunte.*

Ibidem Obſervatio 33. *De Bulimô à vermibus.*

Ibidem Obſervatio 122. *De ſingulari dentium defectû.*

Ibidem Obſervatio 123. *De Surditate curatâ.*

Quidam Chirurgus in pagô Nerdorff aliquot ſurdos curavit hâc methodô, altè inſerit fiſtulam tabaci, & quidem ejus partem ſubtiliorem, in auris cavitatem, tunc vehementiſſimâ ſuctione ori admovens alteram fiſtulæ partem craſſiorem ſuxit, ægri hâc ſuctione perceperunt aliquid doloris in aure, aſt hâc methodô curati ſunt, audiendique facultas reſtituta eſt.

Ibidem Annô 7. *Obſervatio* 67. *De Fœtûs quaſi emortui in vitam per ſuctionem reſtitutione.*

Quâ minimè credas mors atra ſupervenit horâ,
Noſtraque crudeli gaudia falce metit.
Sic heu, ſic Miſeri labor, & ſpes certa coloni,
Immatura perit grandine quaſſa ſeges.
Sic gravidâ teneri velluntur ſub arbore fœtus;
Sic pubeſcentem decutit aura roſam.

Sicque cum *Poſthio Poëta & Medico* celeberrimo ſæpiùs conqueruntur mœſti parentes, quando vident quòd nec mors differat falcem ſuam immittere jam demùm in lucem egreſſos tenellos fœtus, qui & rectè ex eodem *Poëta* reſpondent;

Una mihi vitam dedit, & vitam abſtulit hora
——— *& juſtos mors venit ante dies.*

Talia autem mœrore plena Exempla accidunt, quando videlicet tenelli fœtus niſûs ſui labore, quô arctô illô clauſtrô egredi conantur, uſque ad mortem debilitati, faucibus mortis inhærent, quibus & certiſſimè abſorberentur, niſi interdùm obſtetricis prudentia & experientia ſuccurreret. Varia autem media ſunt, quibus obſtetrices in ejuſmodi caſû conſtitutis ſubveniunt, quorum recenſû hôc locô abſtinebo. Pergam autem plura fœtuum ſuctione in vitam reſtitutorum exempla commemorare. *An.* 1686. *in Ephem. Cur. Dec.* II. *Obſ.* 121. *Anni V. pag.* 242. 243. duos hôc mediô ſervatos cum Curioſis noſtris communicavi. Quam in vitam reſtituendi methodum & ſuô experimentô comprobavit Excell. D. *Samuel Ledelius Decur.* 2. *Anni* VI. *Obſ.* 59. *p.* 145. Ecce! Die 8. Julii Solis currentis Anni 1688. à quodam Generoſiſſimô Dominô in aulam accerſitus, ùt ejus conjugi puerperæ febre ardente laboranti conſiliô meô opem ferrem, quæ cura, (*Deo* debentur grates) optatum ſucceſſum habuit, brevi enim illa cum ſanitate rediit in gratiam. Hujus obſtetrix, cùm à me interrogaretur, quomodo hujuſmodi debilitatis puſillis ſubveniret, reſpondit; ſuctione papillæ ſiniſtræ mammæ, eâque methodô jam paucis ante diebus duos fermè emortuos in *pagô Kleinen Flinbeck* reſtituiſſe, vitæque aſſeruiſſe dicebat. Errorem alterius cujuſdam obſtetricis referebat, quæ ſcilicèt infanti adhùc vivô in partu conſiſtenti, manumque ſuam è clauſtro ſuo exſerenti adimere voluit, quod illa admittere nolens manum rurſùm in uterum inſeruit, paulò poſt ſemina peperit ſanum & incolumem fœtum, quem nequiſſima obſtetrix mutilare, manûque privare voluit. Tales obſtetricum errores merentur annotationem, magiſque ſeveram animadverſionem per carnificem. *Nutricis peccantis* Exc. D. D. *Paullini*, Academiæ noſtræ Decus, meminit. Contra iſtam obſtetricem obſervanda *Lex Cornelia* VIII. *Si quis necandi infantis piaculum aggreſſus aggreſſavè ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum.* Non diù poſt ad me inviſit obſtetrix noſtræ urbis ſenior & ordinaria, hæc, cùm à me interrogaretur de modô ſalvandi fœtus debilitatos; *Reſpondit*, ſe ſuctione papillæ ſiniſtræ mammæ jam pridem tres debilitatos in vigorem ac vitam reduxiſſe; addebat, ſeſe primò fricare mammam ſiniſtram; ſi illud voto non reſponderet, tùnc ſe papillam ſugere. Hôcque modô cujuſdam Bibliopegæ hujus oppidi infantem penè emortuum vitæ reſtituerat. Iſtô ritû jam item fœtus vivificatos *Samuel Ledelius* & ego commemoravimus; Quòd ſi tempus plura Exempla ſuppeditet, illa cum Curioſis noſtris, D. V. communicaturus ſum. Alii Nobiliſſimi Collegæ hunc modum ſuas obſtetrices Exempla Exc. D. D. *Ledelii* docere ac ſucceſſum referre dignentur, humaniſſimè à me rogantur. Meô arbitratû ad debilitatos fœtus plurimùm quoque conduceret, ſpongiam vinô calidô vel & ſpiritû vini imbutam mammæ ſiniſtræ & ſcrobiculô cordis apponere, vel & carpis pulſuum admovere.

Ibidem Obſervatio 68. *De Coronâ ſerpentum.*

Ibidem Obſervatio 69. *De Mirâ febris ardentis per frigidam curâ.*

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 40. *De Ardore ventriculi curatô.*

Ibidem Obſervatio 41. *De Vertigine gravi curatâ.*

Ibidem Obſervatio 42. *De Morbô comitiali curatô.*

Ibidem Obſervatio 90. *D. Viperæ morſû.*

Ibidem Obſervatio 91. *Mulgere hircum & caſeus hircinus.*

Ibidem Obſervatio 158. *De Mercurii vivi exhibiti noxâ.*

Ibidem Obſervatio 159. *De Longævitate.*

Ibidem Obſervatio 160. *De Urinæ excretione in mortuis.*

Ibidem Obſervatio 161. *Mirabilia Elephantum.*

Ibidem Obſervatio 162. *Euporiſton contra menſtrua*

rua ſuppreſſa.

Ibidem Obſervatio 163. *De Coloris plumarum in Gallinâ mutatione.*

Ibidem Obſervatio 164. *De Puſtulis in totô corpore erumpentibus.*

Ibidem Decur. 3. *Annô* 2. *Obſervatio* 19. *De Seminis Rapum uberrima Meſſe.*

Ibidem Obſervatio 20. *De Phoſphoris.*

Ibidem Obſervatio 137. *De Analyſi chimica urticæ marinæ.*

Ibidem Obſervatio 138. *De Navis muriformibus.*

Ibidem Anno 3. *Obſervatio* 55. *De Eſû Aranearum innoxiô.*

Ibidem Obſervatio 56. *De Fonticulorum usû.*

Ibidem Obſervatio 57. *De Antipathia cum Perdicibus.*

Ibidem Obſervatio 58. *De Æſtû circa regionem cordis.*

Ibidem Obſervatio 59. *De Narium frigore inſolitô.*

Ibidem Obſervatio 60. *De Gallinæ quibuſdam mirabilibus.*

Ibidem Obſervatio 61. *De Inſaniâ hæreditariâ.*

Ibidem Obſervatio 62. *De mirô mortis imminentis ſignô.*

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 25. *De Phoſphorô.*

Ibidem Anno 5. & 6. *Obſervatio* 60. *De Fonticulorum utilitate.*

Ibidem Obſervatio 61. *De Venarum delectû in ſectione.*

Ibidem Obſervatio 62. *De Dolore mammæ errabundô.*

EIdem materiæ *de Metaſtaſi & Epigeneſi* adhûc inhæreo, ùt ſi fieri poſſet, plures ad hunc laborem auſpicandum allicere poſſem. Quædam *generoſa Domina* ſeſe in hiſce nundinis, quæ dicuntur *fichſler Umſchlag* curæ meæ commiſit, hæc conquerebatur de dolore in mammâ ſiniſtrâ, quæ eam ſubitò invaſit. Quoties locum dolorificum inunxit *Tincturâ Bezoardicâ*, dolor locum migravit ſuum, & coſtam aliquam ſub mammâ invaſit. Quem locum coſtæ ſi eôdem liquore inungat, locum in mammâ repetit, petiit idcircò meum conſilium. Hæc medicamenta à me data ſunt; 10. Jan.

℞. Antimonii Diaphoretici ℈iij.
pulv. pannonici rubri ℈iiij.
Theriacæ cœleſt. gr. vij.
M. detur in 7. partes diviſus.
℞. Aq. Theriacalis ℥iiij.
Borragin.
Sambuci ãã ℥iij.
Spir. Sambuci.
Rub. idæi ãã ℥j.
Antim. Diaphoretici ʒj.
Man. Chriſti perlat. q. ſ. ad gratam dulcedinem M. detur.

Juſſi ut ℈j. hujus pulveris aſſumptô cum iſta aqua ad ſudorem ſeſe componeret, quolibet biduo antequam ſeſe ad ſudandum daret, primò inungeret *Eſſentiâ Bezoardicâ* locum dolore obſeſſum, dictô factô dolor hôc pactô ſæpè evanuit, ſed rediit, cùm diutiùs iſtâ methodô inſiſteret, factum, ùt dolor in totum evanuerit. Accidit aliquandò mihi ad illam inviſenti narraret, omnem dolorem eſſe jam ſedatum, verùm artus jam dolere cum virium imbecillitate, aſt dolore ſe rurſùm in mammâ prodente, artuum doloris exbers eſt facta, poſt aliquot ſeptimanas elapſas mihi ſcripſit, ſe iſtâ methodô à me præſcriptâ uſam eſſe ſemper & iſtius beneficio ſe id obtinuiſſe, quòd jam, *Dei gratiâ!* nullum dolorem ampliùs patiatur. *Deus* ulteriùs Generoſam matronam ſanam & incolumem conſervet. Quòd autem *Epigeneſis* & *Metaſtaſis* in morbis ſuam perſonam agant, notum. Felix Medicus, qui hoc naturæ negotium *Epigeneſis* & *Metaſtaſis* ſic dirigere & moderari novit, ùt in ægri commodum & ſalutem vergant. Aſt ille malè naturæ miniſter eſt, qui è circumferentiâ in centrum viſcerum repellit. Quemadmodùm ille, qui Eryſipelati multa applicuerat humida, quibus Eryſipelas intùs repulſa, ægro mortem attulit, in quô affectû & aërem frigidum vitandum eſſe quàm ſaluberrimè præcipit Excellentiſſ. *D. D. Vitus Riedlinus Ulmæ & Academiæ noſtræ Curioſorum* Decus inſigne, in ſuis lineis Medicis, labore aureô & maximè utili, *Linea* 1. *Menſe Februario* pag. 31. remedia, quæ hic prælaudatus vir commendat, etiam amplector.

Ibidem Obſervatio 63. *De Tuſſi ſabulosâ.*

Ibidem Obſervatio 64. *De Olei Juniperini Virtute.*

Ibidem Obſervatio 65. *De Obeſitate nimiâ curatâ.*

Ibidem Obſervatio 66. *De Gingivis oſſeis.*

Ibidem Obſervatio 196. *De Peſte fumô propagata.*

Ibidem Obſervatio 197. *De Menſtruis alvô excretis.*

Ibidem Obſervatio 198. *De Partû numeroſô.*

Ibidem Obſervatio 199. *De Phthiſi ſingulariâ.*

Ibidem Obſervatio 200. *De Olfactû deperditô.*

HANNEMANNUS (*Petrus Joh. Chriſtianus Fried-Reich.*) Medic. Candid.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 3. *Ann.* 3.

Obſervatio 63. *De Omnium pilorum caſu.*

JUvenis quidam nobilis in palæſtrâ arte pugilari ſeſe exercens, ſubitò inſtar trunci obriguit, ita ùt nullum membrum nec artus officiô ſuô fungi potuerint, qui affectus tamen ſubitò diſcuſſus. Triduo poſt omnes partes corporis, quæ aliàs pilis luxuriant, illis denudatas ſenſit, imò quod mirum, ipſa etiam cilia & ſupercilia exciderunt, mentum quoque barbâ ſuâ privatum, in ſummâ ubique partium à capite ad calcem pilorum caſum paſſus eſt, prorſùſque calvus inſtar ſenis factus; nec poſteà ullus in totô corpore renatus eſt pilus, licèt poſt hunc affectum adhùc trienniô ſupervixerit, quô tempore febre exſtinctus eſt.

Ibidem Obſervatio 64. *De Apiô Epilepticis noxiô.*

APio etſi gratia vulgò ſit, ejuſque rami largis portionibus per jura innatent, ac in condimentis peculiarem gratiam habeant, ut loquitur Plinius, Epilepticis tamen noxium eſſe & veteres, & recentiores obſervarunt Medici, idem comprobare poſſum exemplô ægri Epileptici, qui quoties apiô juſculis, aliiſque eſculentis mixtô, fruitur, longè graviorem inſultum magis horribilibus ſymptomatibus ſtipatum ferre cogitur.

Ibidem Obſervatio 65. *De Articulatione oſſium ſingulari.*

Ibidem Obſervatio 66. *De Cæcitate à veſicatoriô.*

HAPELLUS

HAPELLUS (*Nicolaus Niger*)

De eô extant

Cheiragogia Heliana de Aurô Philoſophicô necdùm cognitô. Unde juxtà facile percipi poteſt tam opus univerſaliſſimum totius Monarchiæ Chymicæ in Regnô minerali ; tum omnes in ſuô quique genere univerſales ejuſdem Regni mineralis Lapides Tincturæve particulares. Acceſſit Tractatus Venceſlai Lavini, *Moravi*, de Cælô terreſtri ; &c. Marpurgi Cattor. apud Rudolphum Hutwelckerum, 1612. in 8. & Volumine quarto Theatri Chemici editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

Aphoriſmi Baſiliani, ſive, Canones Hermetici de Spiritû, Animâ & Corpore, Medici, majoris, & minoris Mundi. Extat eodem volumine quartô Theatri Chemici.

HARCERUS, Chirurgus Hiſpanus ; qui præter alias intentiones, ob quas interdùm ad *paracentheſin* pectoris accedunt Chirurgi, phthiſeos ſeu ulceris pulmonalis gratiâ eandem commendaverit, imò & cum ſucceſſû adminiſtraverit, morbum aliàs inſuperabilem extraordinariô hôc, licèt ſimul admodùm temerariô mediô, nempè per decocta appropriata, perforatô pectore, ſyringæ ope injecta curando & radicitùs extirpando : De quâ tamen re ſit fides penes Auctorem. *Gœlicke Hiſt. Chir. p.* 97.

HARCHIUS (*Jodocus*,) Montenſis.

De eô extant

De Cauſis contemptæ Medicinæ Lib. unus. Laodii, apud Gualtherum Morberium, 1567. in 8.

Enchiridion Medicum, Simplicium Pharmacorum quæ in uſû ſunt, nomenclaturam, hiſtoriam, facultatem, & uſum eleganti Poëmate comprehendens. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1573. in 8.

HARDERUS (*Chriſtophorus*) Reipubl. Schafuſan. Phyſicus.

Ex eô habetur

Obſervatio, de Hydrope Aſcite cum tuberibus. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. 3. N. 180. unà cum ſcholiis ad eam.

HARDERUS (*Joh. Jacobus*,) Baſileenſis, Phil. & Med. Doct. Nat. A. C. 1656. Patre virô Ampliſſimô Joh. Conradô Harderô, Archigrammateô & Scholarchâ ; poſt multijugæ eruditionis, Medicæ præprimis fundamenta, domi foriſque jacta, ad profeſſionem Rhetoricæ in Academiâ Patriâ vocatus, A. C. 1678. edidit Anno ſeq. tractatus binos ; *Prodromum videl. Phyſiologicum de humoribus nutritioni & generationi dicatis ; cum examine Anatom. Cochleæ terreſtris Domiportæ.* Annô C. dehinc 1682. Pæonis & Pythagoræ Exercitationes Anatomico-Medicas S. R. J. Academiæ *Naturæ Curioſor.* (à cujus illuſtri Præſide Annô præc. Collega ſolenniter fuerat renuntiatus, & *Pæonis* agnomine inſignitus) conſecratas publici juris fecit : quas brevi, σὺν Θεῷ, ſequentur *Obſervationes Anatom. & Med. Curioſ. Admiranda item Cochleæ terr. Domiportæ cum Limacologia.* Cæterùm cum Medicis Celebratiſſimis Galliæ, Italiæ, Belgii, Germaniæ, Helvetiæque literarium fovet commercium, & haud pridem *Sereniſſ. Principi Badena-Durlacenſi* dignus viſus eſt, cui ſanitatis curam concrederet &c. Jam Anatomices ac Botanices Profeſſor. *Hoff. Diction. T. II. p.* 455. Obiit vir hic Celeberrimus circa ann. 1718.

De eô extant in Lind. Renov.

Prodromus Phyſiologicus, naturam explicans Humorum Nutritioni & Generationi dicatorum. Baſileæ, apud Jacobum Bertſchium, 1679. in 8.

Examen Anatomicum Cochleæ terreſtris domiportæ. Cum Appendice de Partibus Genitalibus Cochleæ terreſtris domiportæ. Cum Figuris. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eadem.

Pæonis & Pythagoræ, id eſt, Johannis Jacobi Harderi & Johannis Conradi Peyeri Exercitationes Anatomicæ & Medicæ familiares bis L. Hecatombe, non Hecatæ, ſed Illuſtri Academiæ Naturæ Curioſorum Sacra. Baſileæ, apud Emanuelem Konig & Fil. 1682. in 8.

Epiſtolæ aliquot de Partibus Genitalibus Cochlearum ; Generatione item Inſectorum, ad Antonium Felicem, Abbatem Marſilium, & Lucam Schrockium. Extant cum Antonii Felicis Epiſtolâ de Ovis Cochlearum. Auguſtæ Vindelicorum, apud Theophilum Gœbelium, 1684. in 12.

Diſſertatio ſuccincta, de Rupicaprarum Interaneis & Ægagropilis. Extat in Appendice ad Annum 1. Decur. 2. Ephem. Medico-Phyſicarum Natur. Curioſ. Germ. Norimbergæ, apud Wolffgangum Mauritium Endterum, 1683. in 4.

Obſervatio, de Puellâ rene dextrô cum ſuccenturiato carente. Extat Ephemer. Acad. Nat. Cur. Germ. Decur. 2. Ann. 1. N. 35. unà cum ſcholiis ad eam.

Ex Anatome Urinæ incontinentiâ laborantis. Ib. Decur. 2, An. 2. in ſcholiis ad Obſervat. N. 129.

Obſervatio de Molæ generatione & differentiis. Ibid. Ann. eod. N. 185.

De eô præterea extant in Miſcell. Cur. Dec. 2. Annô 3.

Obſervatio 115. *De Noxis Cicutæ terreſtris. Ad Virum Celebratiſſimum Joh. Jacobum Wepferum Archiatrum Schafuſanum.*

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 121. *De Viperarum morſû Diſſertatio.*

Ibidem Obſervatio 122. *De Anatome Muris alpini, ad Virum Celebratiſſimum Jacobum Waldſchmidium Archiatr. Haſſiac.*

Ibidem Annô VI. *Obſervatio* 100. *De Mingendi difficultate cum urinâ purulentâ.*

Ibidem Obſervatio 101. *De Glandulis ſcirrhoſis cum Pylori & Pancreatis ſcirrho inſigni.*

Ibidem Obſervatio 102. *Enterocele ex inteſtini Coli prolapſu.*

Ibidem Obſervatio 103. *De Corpuſculis in duodenô conſpicuis.*

Ibidem Obſervatio 104. *De Dyſenteriâ poſt febrim continuam malignam.*

Ibidem Obſervatio 105. *De Anatome Erinacei terreſtris.*

Ibidem Obſervatio 120. *De Meſenterii tumore in Cervô &c.*

Ibidem An. IX. Obſ. 90. *Sinus frontales in vitulo.*

Ibidem Obſervatio 91. *Polypus gelatinæ ſimilis.*

Ibidem Obſervatio 92. *Cor & Pericardium monſtroſa &c.*

Ibidem Obſervatio 93. *De Glande Sclopetô emiſſa pulmonis lobum alterum cum Oeſophagô perforante, cui naturâ felicem medelam paravit.*

JUvenis robuſtus 22. annos natus, temperamentô calidô & humidô, cùm in Pedemontiô pro Deô ſtrenuè pugnaret, ultimô conflictûs die, qui erat 14. 24. Aprilis 1686. à milite Gallô glande in ipſum è ſclopetô emiſſa è tergô circa 10. & 11. thoracis vertebram vulneratus, concidit ; vulneri hæmorrhagiâ nullâ ſuperveniente, ſcalpellô id

id fuit ampliatum, ac præter expectationem neque glans neque ſanguis prodiit, hanc cùm jubente Chirurgô æger tuſſiendo expellere conaretur, nil niſi oryzæ, cujus cochlearia aliquot in prandio aſſumſerat, grana aliquot expulit, quibus viſis Chirurgus impoſitô vulneri emplaſtrô ægrum velut moribundum reliquit, at occluſum id fuit atque æger præter omnium expectationem brevi convaluit, tantaſque in carcere, pane licèt & aquâ nutritus, recuperavit vires, ùt menſe Februariô 1687. immenſô urgente frigore, per altiſſimas nives horridum cum fidelibus aliis in Helvetiam ſuſceperit, & feliciſſimè ſuperaverit iter; Hinc munia quævis ruſtica alacriter obiit, uſquedum finem menſis Septembris vindemiantem, & aliquot dierum ſpatiô onera ſolitô graviora humeris geſtantem primò ſpirandi difficultas prehenderit, cui brevi febris continua acuta ſupervenit, urgentibus ſiti, oris amarore, deliriis, vigiliis, dolore capitis & pectoris; ſeptimô demùm morbi die, qui erat 1. Octobris, ad ægrum vocatus fuit Clariſſ. D. D. Veſtenius, cujus exteriora frigebant, interiora urebantur, pulſû exiſtente durotô, oculiſque rubentibus; convenientibus adhibitis remediis prædicta ſymptomata intra biduum ſaltem non penitùs evanuerant, rectè enim ratiocinabatur æger, interdiu vigilabat, noctû dormiebat, oblata alimenta ſolus abſque adſtantis miniſteriô aſſumebat, ſitis mitior erat, dolor capitis atque oculorum rubor evanuerunt; ſola pectoris anguſtia in eôdem perſiſtebat dum tandem circa veſperam D. 7. Octobris novus ſubortus rigor cum ſubſequentibus ſymptomatibus quàm anteà gravioribus (irritis medicamentis quibuſcunque) vires ſenſim fregerit, ùt h. 7. veſp. D. 10. Octobris piè in Dominô expiraverit. Cadaver intolerabiliter penè fœtens, in dorſô brachiorum & pedum poſterioribus admodùm livebat, anterioribus & latere utrôque maculis hinc indè conſitis, omentum in ûs computruerat, Lien tumebat, cum duritie & livore, hepar hinc indè livebat, in pulmonis lobo dextro externa & anterior quidem facies maculis liventibus plurimis erat conſperſa, at interior & poſterior tota livebat, Lobus ſiniſter pleuræ, diaphragmati & mediaſtino circumquaquè erat adnatus, ùt non niſi magnâ vi avelli potuerit; duorum ſupra hujus apicem digitorum ſpatiô in ipſâ pulmonis ſubſtantiâ hærebat glans plumbea pendens ℥jß. quam natura propriâ tunicâ inveſtierat. Vulnus exteriùs cicatrice, interiùs adnatô pulmone erat occluſum, quô avulſô vulneris locum conſpicere facillimum erat, at de vulnere œſophagi veſtigium nuſquam apparebat.

Ibidem Decur. 3. Annô 1. Obſervatio 96. De Glandulis inteſtini duodeni.

Ibidem Annô 11. Obſervatio 18. De polypo Cordis portentoſo.

Ibidem Obſervatio 100. De motibus Epilepticis in Primiparâ.

UT cum dolore pariant mulieres, primorum parentum lapſus effecit, fortè quò vel ità conceptæ initiô rerum labis, pœnæque huic debitæ ſenſus noviterque gignentibus imprimeretur; Meretricibus equidem, pariter atque barbaris hominibus, ceû aliorum ſcripta tradunt, magis propitiam eſſe Lucinam ſæpiùs audivimus & mirati ſumus; Matres tamen paucas vidimus quibus etſi non æquô, magnô tamen omnibus partus conſtiterit labore, imò quæ nunc inter anguſtias, num iiſdem feliciter exantlatis, dum jam liberiùs ſpirare ſatagebant, convulſionibus miſeræ prehenſæ fuerint; Fœminæ pellionis ante triennium adſtitimus, quia imminente partûs tempore, quotieſcunque enitendum erat, convelli graviter cœpit, atque inter hos ipſos motus, fœtum ſed jam jam expirantem excluſit, malè ſic luens infœcunditatem quam in primô conjugiô deplorabat; totô geſtationis tempore vegeta ſua munia obiit, uſque quantùm audivimus, de graviori incommodo conqueſta fuit. Venam quoque, quod roſeus faciei color imperare videbatur, aliquotiès tundi curavit; Cùm partûs tempus inſtaret, ad opus ſeſe læta accinxit, ſuôque munere ſtrenuè defuncta fuit, neque infelici cum ſucceſſu, filiolum enim formoſum, dolorum quos ſuſtinuit ἀντίδωρον mox vidit; vix autem ex anguſtiis cum ſecundinis fœtus evaſerat, & ecce matri in ſellâ obſtetriciâ adhùc locatæ, vox faucibus hæret, contorquentur artus, oculi torvum adſpiciunt, miſerè ſuccutitur lingua, genæ liveſcunt, tandemque ſpuma ſalivalis ore dimanat. Perterritæ adſtantes unà cum præſente Medico puerperam tantiſpèr linquunt, donec ad ſe paulùm rediret, recens edito infanti officium interim præſtituræ, mox illam è ſellâ manibus ſuis blandè ſublatam, ſtragulis in lectô cooperiunt, neque Medicus ſuis partibus deeſt, ſalubrium medicamentorum præſcriptione; Vix dum autem ſpirare incipit miſella, & ecce novis paroxyſmis, primò quem perpeſſa eſt, non minùs atrocibus corripitur, accurrunt hinc ad nos ſummô mane, atque ſalutarem operam unà feramus, expetunt: accedentes ab invaſione modò immunem ægrotam offendimus, & quæ vix dum ad ſe redierat, oculis ſemi rigidis nos contuebatur, neque ob linguam tumidam commodum effari poterat: Inquiſivimus indè in ſingula, quæ præceſſerant, accuratè, atque ùt mali ſævientis cauſam indigitaremus, cùm ex matre neceſſaria audire non liceret, utrum lochia decenter fluxerint ac fluant etiamnùm, ab adſtantibus ſciſcitati fuimus; Ad quod illæ; *Parcè admodùm tributum iſtud naturæ exſolvit;* Quod cùm fontem mali non parùm nobis oſtendere arbitraremur, de medicamentis idoneis cum Dominô Medicô ordinariô conferre cepimus, puerperâ novo interim cum paroxyſmo conflictante; Paratur clyſter ex plantis nervinis & antepilept. colat. addit. ol. amygd. dulc. rut. cum ℞. caſt. exhibetur. ℞. caſtor. ſingulis bihoriis guttatim præſcribitur mixtura, ex uterin. antepil. applicantur externa hypogaſtr. & de V. S. inſtituenda ſermo proponitur; differtur tamen iſta ad horas aliquot & cum dictis medicamentis periculum faciunt adſtantes, manus hinc tantiſper dedit hoſtis, ceu poſt trihorium reducibus nuntiârunt, præprimis ex clyſteris uſû neque tam frequenter ſæviit. Cùm autem induciis iſtis minùs fideremus, V. S. denuò ſuaſimus in pede inſtituendam, nec mora, acceſſitur Chirurgus; & calida pro pediluvio paratur, aſt dum præparatoriis ſe Chirurgus accinxiſſet graviſſimô inſultû hoſtis ægrotam petit, ùt tota obriguerit; expectamus hinc donec ſævire deſierat, atque ſibi tantiſper redderetur miſella, quod cum ſeſqui quadrantis horæ ſpatiô obtinuerimus, ùt officium promptè faceret ille, hortati ſumus, tundit hinc venam, ſanguiniſque roſei ac cum impetû proſilientis quantitatem juſtam educit, vulnuſculôque decenter deligatô, ægrotam in lectum adſtantium ope blandè reductam, quiete decumbere bonôque animô eſſe jubet; Nos interim ſicubi neceſſe fuerit, clyſterem iterare atque cum ℞. Caſtorei ſtrenuè pergere mandavimus, circa meridiem reduces nos fore polliciti; Unicus iſque levior abhinc

abhinc inſultus ægrotæ moleſtus fuit, ceu redeuntibus nobis nuntiarunt, atque optatum, & quem unicè præſtolati fuimus, ex ſanguinis miſſione effectum obtinuimus, lochiorum nempè profluxum, quod medicamentorum ſuprà nominatorum continuatô uſû eô ſucceſſû ſollicitavimus ùt diras hoſtis tam infenſi puerpera noſtra ampliùs non fuerit experta.

Ibidem Obſervatio 101, *De Motibus convulſivis alternis diebus recurrentibus.*

Ibidem Obſervatio 102. *De fluore albo mulierum ſ. lympha varii coloris naturalibus copioſè fluente.*

Ibidem Obſervatio 103. *De Muliere vermivomâ.*

MUlier juvenis, quæ ætatem cœlibem nullum experta morbum, ſana & incolumis per biennium à nuptiis uterum geſſit, dein prægnans evaſit, fauſtâ & illæſâ utens adhùc valetudine, ſine ullô ciborum faſtidiô cæteris prægnantibus adeò ſolenni, agilis & corpore vegetô, facie rubicundâ, corpore toroſa ſub ſeptimi menſis exitu, mox interdiù ἐμπροσθοτόνοις motibus & Κλόνοις corpus concutitur quibus antroſùm flectebatur, dentibus frendebat, oculis irretortis & apertis ſpectare videbatur, quamvis nè quicquam aſpectaret, agitabatur jam fœtus in uterô ùt ſubſilire crederetur; ore ſpumea ſaliva profluebat; nòn audiebat; ſilebat muliebris lingua, quæ tam garrire amat, os multô rubore ſuffuſum erat. Die 4. Decembris hæc omnia ſæpiùs recurrunt ſymptomata. Finitô epilepticæ agitationis paroxiſmô non meminerat eorum quæ egiſſet aut quæ egiſſent qui illi opem ferebant; ſeſe tunc fœtus ilibus condebat, & colligebat in globum. Quis conjecturæ eſt locus? Unde hic affectus epilepticus? Clamant mulieres hyſtericum affectum, illam cantilinam cantare ſolitæ: Refertur anteà vomituriiſſe: Queritur de globuloſô fruſtô in collô, quod deglutiri nequeat. Judico glomerem eſſe verminoſum; præſcribo ad deturbandum iſtum vermium globum & affectum epilepticum expugnandum hunc potum boſumque.

℞. Theriac. opt. Ven. ʒß. Extract. Caſt. ℈ß. Confect. de hyacinth. S. moſch. gr. X. miſc. F. c. Sacch. bol. ſuper bibat potum.

℞. aq. meliſſ. ceraſ. nigr. ā. ℥j. aq. nucl. perſic. ℥ß. Vires recepit ægra, & ſtatim aſſumſit aq. bened. Ruland. ℥ijß. quòd iterùm nauſearet. Geminos vermes vivos ejectavit ore, bilis aliquantulum. Dein alvus ter aut quater ſubducta eſt, vermibus cucurbitinis per anum dejectis. Sequentibus diebus non redierunt paroxyſmi epileptici; vermes etiam adhùc aliquos alvô deturbavit. Sanguinem ſputavit, venarum quæ œſophagum alluunt oſculis à vermibus qui procul dubiô in œſophago nidulabantur corroſis. Vermes illi ſinuoſis ſpiris convoluti ſibique invicem complicati globum imitabantur. Dolebat capite. Renuebat V. S. αἱματοφόβος & venæſectionem nunquam paſſa ægra. Moneo eſſe danda Helmintagoga & Cathartica quibus ſentina verminoſa elueretur. Præſcriptis remediis neglectis ab ægrâ muliere, convaluiſſe ſibi viſa. Die 9. Decembr. recurrunt epileptici inſultus, graviores, longiores, frequentiores, qui ſeſe ità conſequebantur, ùt ægra nunquam ſeſe recolligeret, neque fieret ſui compos. A graviſſimâ brachiorum quaſſatione intumuit utraque manus, ad cubitum uſque etiam intumuit, ùt pulſus carpum tangenti, non obſervaretur. Vena ſecatur, ſanguis floridus optimæque notæ educitur.

Dein emeticum propinavi quod jam ſaluti fuerat:

℞. ♁. emet. gran. XII. in aq. ceraſ. lib. alb. ſolut.

Emplaſtrum Epiſpaſticum brachiis veniſque parti non tumidæ prope ſcapulam admotum eſt. Ab epotô emeticô ſtatim vomuit & vomendo vermem expulit, non rediit paroxyſmus. Sed brevi pòſt puellam enixa eſt, per bihorium tormina parturitionis perpeſſa. A lochiorum multô fluxû meliùs habuit, ingentes cruciatus in unô brachiorum toleravit, quod latô & amplô, quamvis ſuperficiariô & ἐπιπολαίῳ vulnere laceraverat & perſtrinxerat.

Veſicatorium quod imperatô diutiùs infixum inhæſerat & è contrà (quod mirum aliquatenùs videri poſſet) alterum veſicatorium paris cum aliô energiæ, nulla fuit energia, cùm nullum ſui veſtigium brachio impreſſerit. Multô ichore exſtillante ex intertriginoſô vulnere à veſicatoriô inflictô, brachii tumor adeò ſubſedit, ùt torpidum quod diriguerat brachium inflectere valuerit. Ità nùnc ſe habet, eô temporis articulô, quô ſcribo. Inter ſcribendum audio mulierem referentem de puellâ quinquenni; dicit parens natam ſuam clamoſos vagitus edidiſſe, queſta de dolore ventris atrociſſimo, & poſteà de ſtomachi, qui ſedabatur appoſitô cataplaſmate ex ſuccô abſynth. & fol. abſynth. alliô piſtis & cum oleo frixis. Hâc nocte præteritâ, ſibi uri vulvam & interfemineum clamabat & ejulatus modò edebat præ uredinis dolore pruriginoſô, creberrimô fricatû mater κνησμώδη pruritum mitigabat & inter fricandum è pudendis vermiculum prodeuntem comprehendit & muliebrem ſinum pandens duos alios foràs eduxit, & evulſit. Plenum vermibus parens nata & verminoſum reformidabat.

Ibidem Obſervatio 172. *De Puellâ novenni pragnante.*

Ibidem Obſervatio 173 *De Uvulæ defectû.*

Ibidem Annô 5. *&* 6. *Obſervatio* 133. *De Funeſta uteri rupturâ ipſo partûs tempore.*

Ibidem in Append. pag. 162. *Conſtitutio Epidemica Baſileenſis Anni* 1698.

Ibidem Annô 7. *&* 8. *in Append. pag.* 99. *Conſtitutio Epidemica Baſileenſis Anni* 1699.

Ibidem Annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 62. *Ex Anatomiâ à gravi dorſi vulnere defuncti.*

Ibidem Obſervatio 63. *De Liene triplici.*

Ibidem in Ephemerid. Cur. German. Centur. 1. *&* 2. *Append. pag.* 18. *Conſtitutio Epidemica Baſileenſis Anni* 1700. *&* 1701.

De eô rursùs habentur in Actis Lipſienſibus Annô 1688. *p.* 115.

Apiarium. Baſileæ, impenſis Joh. Phil. Richteri, 1687. *in* 4.

QUæ aliàs apum eſt ſolertia in colligendâ undiquaque mellis ceræque copiâ, ea certè Harderi quoque induſtria fuit in congerendis jucundis pariter ac utilibus Obſervationibus Medicis, ità ut præſens hæc centuria non immeritò Apiarii nomine ſuperbire queat. Quid enim jucundius magiſque gratum accidere poteſt naturæ Curioſis, quàm accuratior corporum inquiſitio & examina anatomica, quorum largiorem numerum non parcâ manû exhibet præſens tractatus. Siſtitur hìc ſectio ciconiæ, aquilæ, tardæ avis atque gallinæ, ranæ, ſerpentum, lacertarum, talpæ, muris alpini,

pini, rupicapræ, hinnuli cervique, item uteri porcini & ovilli, fœtus vitulini, leporini, humanique &c. Ne verò quis exiſtimet in nudis ſpeculationibus acquieſcere Authorem, ſciendum eſt, Hiſtorias hic congeſtas ut plurimùm eſſe practicas, rariores, adeòque tales, quæ prodeſſe non minùs quàm delectare poterunt: *Sic vos non vobis mellificatis apes*; & utinam omnes cum *Harderô* æquè ingenuè in publicum conferrent commodum, quæ privatis laboribus acquiſita per invidiam celantur. Nam & in hoc imitatus eſt clariſſimus vir apum mellificia, quod non ea ſolum delibare quæ ſuavia, ſed & quæ virulenta voluerit. Hâc de causâ crebrius inſtitutô experimentô vires tentavit olei nicotianæ deſtillatique variis animantibus, ciconiâ, ranâ, ſerpente, lacertâ, moloſſôque lethalia induxiſſe ſymptomata, ſpaſmum præcipuè aut motus convulſivos aut tremorem, expertus eſt. Exhibuit autem oleum illud nùnc interius, vel ſolitariè, vel cum pane aut amygdalis dulcibus contuſis, nùnc exterius modò inunctum capiti vel dorſo, modò leviori vulnuſculo inſtillatum aut mediante acu trajectum cum filo; ubique verò mors ſecuta eſt, ſolis exceptis limacibus, quippe quorum connata lubricitas omnem iſtius olei acrioris virulentiam eluſiſſe viſa eſt. Aſt cicutæ terreſtris noxam in canibus, porcelliſque Indicis, item radicis lupariæ luteæ venenoſitatem in ciconiâ ſatis notabilem obſervavit, facto hunc in finem non unô tentamine. Neque tandem prætereundum duximus, irritatum à *Joh. Bapt. de Lampſwerde* in Hiſt. Nat. Molar. Uteri, *Harderum* ad defenſionem ſui eſſe jam paratiſſimum. Sentiet fortaſſis & ille aculeum Noſtri, qui uti aliàs ſolitus eſt nocere memini, ità non malè invectivas adverſarii decenti Apologia, occaſione Obſervationis 92. hic adjecta, obtundit.

Ibidem Annô. 1694. pag. 49.

Glandula nova Lachrymalis unà cum ductû excretoriô in cervis & damis à D. Joh. Jacobô Harderô annô proximè elapsô detecta & in binis literis ad---deſcripta.

Tecum communicare volui, quæ cum ſalivæ ſcrutiniô, tum etiam lachrymarum in cervis fonti, ab aliquot annis intentô, anatomicæ luſtrationes mihi detexerunt, Actis veſtris, ſi meruerint, inſerenda. De lachrymis cervinis equidem in ſcholiis obſervat. obiter quædam commemoravi. Ab illô tempore, *Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini Friderici Magni*, Marchion. Badenſ. & Hochbergenſ. Domini mei clementiſſimi gratioſiſſima liberalitate, capitibus cervorum cervarumque compluribus potitus, in haſce ipſas inquiſivi, & aſſervatorium ſeu mavis receptaculum ipſarum examinavi, nùm fortè vel glanduloſæ aut poroſæ texturæ ratione, concurrente vaſorum ſanguiferorum &c. diſſeminatione, taliter eſſet extructum, ut pro fonte primariô commodum agnoſci poſſet. Aſt tunc temporis, præter ſubſtantiam denſam & ligamentoſam, diſtinctiùs nihil deprehendere potui; de quâ pariter ac de muſculis in ejus ſeparatione ſatis conſpicuis, eruditè jam diſſeruiſſe video, *Helvetiæ* noſtræ *Coum*, celeberr. *Wepferum Obſ.* 118. *Ann.* 6. *Dec.* 2. *Ephemer. German.* cui incolumem ſenectutem animitùs precamur. Inde magis incenſus fui ad fontem dictarum lachrymarum inquirendum; præprimis quod in oculorum cervinorum anatome glandulam reperi inſignem, amplam latamque, & ex pluribus aliis conglomeratam ſubrubram, (ſecus ac reliquæ oculorum glandulæ) ſubſtantiæ friabilis ac mollicellæ, quâ damæ gaudent pariter ac cervi, quæque ſita eſt in interiore orbita oculi, in peculiari cavitate pone muſculum oculi adducentem, occaſione cujus quid animadverterim, paucis addam. Menſe Octobri proximi anni, cùm denuò hanc ipſam perveſtigarem, incidi in ductum ex hâc ipſâ, ſub glandulâ vulgò, ſed malè, dictâ lachrymali pergentem, quem cùm glandulam verſùs perſequerer, ejus inſignes ramificationes, ceù totidem ductus laterales diſtinctè commonſtravi, exitum autem & terminationem certò oſtendere non potui. Poſtridie hinc cum ad alterius oculi examen pergerem, ductum eundem è glandulâ exorientem, ſub prædictâ lachrymali glandulâ (citra ullam cum hâc communionem) progredi, & circa initium membranæ, vulgò nictitantis, ſeſe orificiô ſatis conſpicuô exonerare deprehendi, ceu etiam adjectæ figuræ docent, evidentibus in confiniô poris excretoriis duobus è glandulâ lachrymali vulgari provenientibus. Cujus rei teſtes ſunt viri Clariſſimi & præſtantiſſimi D. D. Eman. Konig, Acad. Cur. Soc. D. D. Stœhelinus, Dn. Köferlin, Dn. Feſſ, Dn. Spieſſius, Dn. Romberg, Dn. Wieſſ, aliique Philiatri.

Inſequentibus diebus damæ capite potiti, ductum eundem, immiſſa per orificium ſeta, citra oculi exſectionem, adſtantibus demonſtravimus. Vergit iſtud orificium verſùs canthum oculi interiorem, atque animali hoc pronis oculis pabulum quæritante, menſe præprimis Auguſto, quo lachrymæ cervinæ copioſiſſimæ deprehenduntur, commodum lachrymalem lympham ſtillare videtur, quæ mora in ſuprà nominatô receptaculô, in ejuſmodi ceruminoſam materiam concreſcit; quam conjecturam adhùc magis veriſimilem depilis crena, cantho interno proxima, in ſuperiori receptaculi parte, ceu canaliculus ſtudio exſtructus, efficere poſſet: ipſo verò æſtivô illô tempore, ſi Deus vitam concesſerit, fontem hunc lachrymalem denuò luſtrabimus. De ductibus quoque ſalivalibus inferioribus aliqua jam addemus. Ductus ſalivales inferiores bini ſunt, quorum alter Warthonianus, à Glandulâ vulgô maxillari inferiori exoritur, alter verò ex ſublinguali glandulâ oblongiuſculâ emergit, (ceu etiam Clariſſ. *Rivinus* veſter pridem notavit) uterque in vitulô peculiari oſtiolô ſive papillâ ſeſe oſtendit; hoſce ipſos autem in variis animantibus variè ludere deprehendi. Enimverò circa ſalivæ fontes in cervis occupatus reperi ductum ſublinguali glandulæ communiter addictum, cum alterô ſociô è glandulâ Warthonianâ exurgente conjungi, unciæ unius circiter diſtantia ab hujus terminatione, ſine papillâ ordinariâ, atque unô communi oſtiô ſatis patulô utrumque ſeſe exonerare; quod ipſum etiam in lupis obſervavi, in quibus ductus è glandulâ ſublinguali ad radicem linguæ incipiente & ad hujus medium ferè pertingente emergit, hocque ipſum emenſus uncias tres circiter à papillâ communi diſtantia, ſive oſtio communi, in ductum Warthonianum inſeritur, ſecus ac in cervis in quibus *glandula ſublingualis* duplex eſſe videtur, una *antica*, altera *poſtica*; ex hâc ductus ſuum ſumit exordium, indeque protenſus per glandulæ anticæ uncias tres plus minùs longæ medium pergit, modôque ſuprà dictô cum alterô combinatur, ductulos laterales haud dubiè in itinere iſthoc nactus. Cæterùm *ductus Warthonianus* amplus eſt, amplôque principiô glandulâ, vulgò maxillari, inſigni prodit,

quæ

quæ cum parotide conglomerata arctè ſatis eſt connexa, imò prout repetitum in cervis examen me docuit, glandulæ parotidi ſubſternitur, opeque plurimarum intercedentium membranarum nectitur, & verſus aures expandi cernitur; ſicque connexæ hæ glandulæ ductui ſalivali utrique, *ſuperiori* nempè *glandula ſuperior ſive parotis conglomerata*, *inferiori* autem *glandula ſubſtrata inferior* ſive *maxillaris* originem præbent.

Obſervationibus autem meis de glandula lachrymali nova in cervis & damis, quas tranſmiſi, ſequentia adhuc dum addenda habeo. *Glandulam* in dictis animalibus à me inventam, *novam* & *peculiarem* eſſe, vel hinc quoque elucescit, quod de *illâ* Authores taceant; quodque in aliis animantibus, quantum quidem ſcire datum eſt, non reperiatur, imò neque cum *glandula innominata*, neque cum *lachrymali vulgari*, quarum utraque cervi ac damæ gaudent, commercium habeat, ſed in inferiori orbitæ parte ſita, atque copioſa vaſorum ſerie inſtructa, per ductum excretorium proprium, quam ſecrevit lympham, eructet, & quidem eò copioſius, quo dictas binas glandulas magnitudine multùm ſuperat. Lympham hanc magna ſui parte materiæ ceruminoſæ, in receptaculis lachrymarum contentæ, natales præbere, per conjecturam veriſimilem & maximè probabilem ſtatui, eo quod alius fons hactenùs non fuerit detectus, fortè etiam non detegetur. Neque obſtat quod in ovium genere ſimilia receptacula ſive ſinus videre liceat, in quibus mucoſam materiam ipſe deprehendi, quæ tamen glandula ejuſmodi carent; enimverò ſinus iſti parvuli ſunt & anguſti, neque video, undenam materia hiſce commodius ſuppeditari poſſit, ſi lachrymas per crenam depilem ceu canaliculum illùc ſtillantes exceperis; glanduloſi enim in illis nihil obſervatur, præter foraminula tantillum madentia, quæ autem radices potiſſimùm fovere videntur. Quod ſi ergò in ſinus dictos in ovium genere lachrymarum portio aliqua extillet, quidni copia longè major in cervis &c. quàm peculiaris glandula ſubminiſtrat inſuper in receptaculum amplius & robuſtum? aut aliæ demonſtrandæ erunt viæ.

HARDERUS (*Matthæus*) Poliat. Scaphuſienſis.

De eô extant in Miſcell. Cur. Dec. 3. Ann. 5. & 6.

Obſervatio 93. De Anatome fœminæ ex ſuppreſſione lochiorum abdominis tumore defunctæ.

JOh. Schirmeri, textoris St. Gallenſis uxor, 32. circiter annorum, Maria *Walſerin* vocata, 6. liberorum mater, quorum binos abortû excluſerat, ac ultimâ vice, filiam Sabinam, ſub ipſis Calendis Februarii, Anni 1677. pepererat, vergente præteritâ æſtate morbô extinctam; hunc partum lochia in principiô ſat copiosè & ritè fluentia exceperunt, quæ autem ex improviſô fœminæ ſuſpectæ Pharmaceutriæ attactû è veſtigio rurſùs ſubſtitêre, nec ampliùs comparuêre, & quidem ad proximum autumnum uſque, ubi aliqua ſed obſcuriſſima catameniorum veſtigia denuò ſenſerat, abdominis intereà tumore à lochiorum ſubſiſtentiâ in dies incrementum ſumente, imò is medicaminum vim non tantùm eluſiſſe, verùm in majorem indè quoque aſſurrexiſſe molem fertur, fortè ob uterum irritantibus & moventibus medicinis nimiùm laceſſitum. Vixerat olim minimè valetudinaria, ſed ſana & vegeta, donec inſecuta à puerperio lochiorum infauſta ſuppreſſio, omnium malorum lerna, facta, necem poſt tot ærumnas miſeræ tandem attulerat. Et cùm ipſâ diem ſuum obeunte, opportunè St. Galli ſubſiſterem, fatô neſcio quô, pluribus Chirurgis & Pharmacopœis præſentibus ac ſectionem deſiderantibus, cadaver aperui, viſurus, num ſuſpecta mola, vel alius affectus, (meam enim de meſenterii abſceſſû conjecturam Rev. Dno. Paſtori Schlumfio ante ſectionem recenſueram) abſconditus lateat. Sciendum igitùr abdomen hujus fœminæ in tantùm intumuiſſe, ùt ſpitamæ duæ cum dimidiâ ſpatium ab umbilicô penitùs diſtentô, ad ſpinam dorſi uſque non emetirentur; circa hypogaſtrii regionem ſumma tumoris renitentia ac durities notabantur; unde fortè ſub molæ alicujus ſpecie impoſuiſſe potuit. Veſtigia digitorum impreſſa, nulli manebant, ſicut in aſciticis, pedes parùm vel nihil tumebant, ſupernè & ultra diaphragma trabida & extenuata fuit. Nec ſeroſam, nec gelatinæ ſimilem continebant ſubſtantiam diſſecta integumenta communia, verùm naturali inter ſe cohærebant nexû. Inciſione abdominis decuſſatim continuatâ; ac cultellô paulatim intra peritonæum prope regionem lumbarem ad λαγόνα verſus adactô, ingens ſeri ſubflavi copia ad amphoram ſemiſſem uſque ex ipſô abdominis cavô proſiliit, hôc emiſſô deprehendi corpus durum, peritonæô, regioni umbilicali, necnon epigaſtricæ & hypogaſtricæ ſubſtractô, quàm firmiſſimè annexum; quod ab hôc ſtudiosè dum liberarem, complures diverſæ magnitudinis & figuræ hydatides offendi, corpori huic ſuperficietenùs adhærentes; iſtô verò leviter pertuſô vera præconcepti abſceſſûs præſentia copioſô pûris effluxû ad ſex menſuras uſque ſeſe manifeſtavit; cujus folliculo craſſo & tenaci à peritonæô ſupernè ſeparatô perrexi ulteriùs, primordia ejus ſciſcitaturus, ubi totum ferè abdomen adimplere mox cernebatur; cuncta enim inteſtina quaquaverſùm locô detruſa abſceſſui cedebant; Hepar quod ſublividum erat, membranâ p. n. ceu aranearum, obvelatum, cum maxima felle flaviſſimo repleta cyſtide, abſceſſus pondere ſurſùm protruſum, diaphragma membranæ inſtar extendendo, pluſquàm thoracis medietatem occupavit; ipſi folliculo inteſtina alicubi firmiter connectebantur; alibi tamen facillimè ſeparabilia; omentum maximam partem putridum erat & conſumtum; Meſenterium itidem mera videbatur putredo, glandulis induratis tantùm ſpectabile nec ullam cum hoc abſceſſus iſte habebat connexionem, vel eò protendebatur; verùm bina efformabat crura (quorum quodlibet 3. digitos craſſum) utrinque uteri cornub. & tubis ſeſe inſerentia; quæ duo corpora in magnam glandulam induratam concreta videbantur; figura hinc naturalis eorum à craſſâ crurum inſertione ferè deformabatur, ità ut totiûs abſceſſûs ad minimum ultrà 6. libras civiles pendentis primordia exindè augurari haud videatur difficile; duobus igitùr his pediculis ceu fulcris notabilis hic abſceſſus innitebatur, tenaciſſimô folliculô cinctus, ac permultis variæ magnitudinis corporibus glanduloſis infarctus, quibus diverſæ formæ hydatides, majores, minores, flaveſcente lymphâ turgidæ undiquè adhærebant; pars abſceſſûs reliqua tum carnoſa, tum glanduloſa, eapropter in pus vertenda, hinc indè certas fovebat cellulas candidiſſimas & ferè cartilagineas, ſanieque refertas. Totô abſceſſû ubiquè liberatô & exemtô, alius minor pugni magnitudine comparuit, inteſtino cœco fortiter cohærens, aliquibus etiam hydatidibus corruſcans ac

ac eadem cum majori compage conſtans, cujus portio ad proximas meſenterii duras glandulas pertingebat, hinc ex iiſdem ortum habuiſſe dubium non eſt. Notandum omnes totius abdominis glandulas majores ac duriores fuiſſe, pancreatis & teſticulorum exceptis, quæ parùm majores ac molliores erant; Ventriculus & Colon flatibus diſtenta; Cœcum pariter ſat inflatum; Inteſtinum rectum ſphacelatum & nigerrimum, glandulis oblongis ceu Papillæ annulorum inſtar circundatum; tenuia paſſim inflammata fuerant. Extractô & alterô hôc abſceſſû, uterus cum cornubus turbi & teſticulis in apricum magis veniebat, horum ſiniſter, nigrior & ſubputridus, uterque tamen mollis; cavitas uteri vix piſum capiebat; craſſitie 3. digitos ſuperabat, extima ejus ſuperficies glandulofis portionibus ceu papillis undique conſita erat, ſicuti inteſtinum rectum, hinc glandulas uteri non omninò negandas cenſeo, orificium interius planè cartilagineum ac firmiſſimè coalitum; collum uteri peranguſtum ſanie concretum; renes cum veſicâ ritè ſe habebant. Lienis extimam partem ingens occupabat hydatis. Medici ventris ſectionem declinavit Dn. Paſtor Schlumf, vanis tamen rationibus.

HARDERUS (*Johannes*) Stadenſis Saxo.

Ex eô habentur

Themata Inauguralia de Ictero. Argentorati, typis Hæredum Pauli Ledertz, 1634. 4.

HARDUINUS (*Philippus*)

De eô extat

Codex Medicamentorum, ſeu, Pharmacopœa Pariſienſis. Pariſiis, apud Olivarium de Varennes, 1529. 1645. in 4.

HARRIS (*Gualterus*) Medicinæ Doct. Collegii Medicor. Londinenſ. Socius atque Cenſor: Medicus Regius meritiſſ.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1690. *p.* 296.

De Morbis acutis Infantum: Autore Gualtero Harris. Londini, impenſis Samuelis Smith, 1689. *in* 8.

MOdernos inter, qui poſt *Sylvium* magnam in Valetudinarium Infantile expoliendum contulerunt operam, primas hactenùs tenuerunt *Etmullerus* noſter, *Dolæus*, *Jungken*, & *Blancardus*. Aſſociandus verò hiſce nunc Autor præſens, famam jamjam è *Pharmacologia Anti-Empirica* ante ſeptennium idiomate Anglico edita, in *Supplementis* etiamnum à nobis recenſenda, indeptus; quippe qui experientiſſimi *Sydenhamii* inſtinctu, ſucceſſus in curandis Infantum periculoſioribus affectibus inſignes ſæpius compertos ingenuè hic communicare annititur. Scilicèt quamvis à multis curatio puerilium ægritudinum, ob diagnoſin incertam incerta & difficilis reputetur, Noſter nihilominùs infantum ſymptomata manifeſta, craſin molliculam, ſimpliciſſimamque diætam attentè trutinans; morbos eorumdem pauciſſimos eſſe, & gradû tantùm ſive loco differre, adeòque promptiùs longè, quàm in adultis cedere, liberè pronunciat. Quem in finem cunctorum morborum infantilium non niſi unicam rimatur cauſam proximam, nempe acidum, cùm in hôc humidiſſima puerorum temperies unicè degeneret facillimè, deque acidi quoque præſentia tùm cauſæ procatarcticæ, tùm ſingula ſymptomata, tum denique ipſa methodus medendi ſatis teſtentur. Etenim ratione ſuggeſtâ, quâ puerilium pathematum diagnoſis, apud plures incerta ob ineptum ſaltem medendi modum viſa, non tam ab infantum ſive puerorum narratione, vel à pulſû ſemper ferè acceleratô, aut urina naturaliter etiam craſſiſſima, quàm à nutricum reſponſis peti debeat; cauſæ eorumdem procatarcticæ, diſpoſitio nimirùm parentum morboſa, vel ſanorum licèt poſt ingravidationem factam frequentior cohabitatio conjugalis, frigus ſuſceptum, lac nutricis nimis craſſum, carnis deglutitio præmatura, & inſana vini aut liquoris alicujus ſpirituoſi indulgentia, non tantùm explanantur, ſed & in acidi, ceu cauſæ immediatæ, productione conſpirare indigitantur. Hiſtoria dehinc affectuum graviorum, quibus Infantes plerumque corripi ſolent, panditur, & quomodo acidam potiſſimùm ventriculi ipſorum temperiem Nauſea, Vomitus, Flatus, Puſtulæ, Aſthma, Tuſſis, Tormina, Diarrhœa, Febris, Rachitis, Scrophulæ, Lumbrici, Motus convulſivi aliaque mala inſequantur, unô verbô, quomodo univerſa ſymptomata ab acidi prædominio exoriantur, ſuccinctè traditur. Methodus denique medendi, à quâ ut & nutricibus magis vel minùs morem gerentibus Prognoſis cumprimis dependeat, duplici ſuperſtruitur Indicationi, quarum altera acidum, quò commodius eliminetur, præparandum, altera autem idem præparatum expurgandum, præcipit. Priori ſcopo apprimè inſervientia, non inertia Magiſteria, nec Salia, ſive volatilia, ſive fixa, nec ſpirituoſa vel aromatica, veluti ſingula calorem excitantia, neque opiata, viribus admodum debilibus neutiquam proportionata, ſed abſorbentia terrea ac teſtacea, omninò ſimul anodyna celebrantur, ſufficienti quantitate, i. e. ſæpiùs ad unciam unam aut alteram vicibus repetitis cum Julapiô quôdam propinanda. Quemadmodum enim inflammatio aut turgeſcentia ſanguinis notabilior, hujus uncias non tantummodò ſex, ſed viginti ad minimum cum levamine emittendas exigit, ità & graviora ſymptomata pulverum laudatorum uſum non tam drachmis, quàm unciis dimetiendum videntur dictare. Poſteriori autem intentioni, nec in ipſis Febribus negligendæ, ſatisfacientia Cathartica blanda; Rhabarbarum præcipuè, primâ vice Enemate mitiſſimô vel Cryſtallis etiam Tartari, imò nonnunquam v. g. in Tuſſibus convulſivis, Venæſectione, præmiſſis, commendantur, tanquam præcipitantium medicaminum primaria, abſque eô, ut vel criſis, à medendi ratione in totum dependens, expectari, vel malignitas quædam fictitia reſpici debeat. Qualis curandi methodus uti adverſùs objectiones aliorum propugnata, ſpecialius Febri annis elapſis maximè epidemicæ, difficili Dentitioni, Aphthis, Diarrhœæ, Vomitui, Torminibus, Convulſionibus, Variolis & Morbillis adaptatur, ità obſervationibus demùm aliquot adnexis ſummè proficua comprobatur.

Ibidem Annô 1707. *p.* 79.

De Morbis acutis Infantum: Editio ſecunda, priori auctior; cui acceſſit Liber, obſervationes de Morbis aliquot gravioribus Medicas complectens; annexis etiam quibuſdam de Luis Venereæ origine, naturâ & curatione. Londini, impenſis S. Smith, & B. Walford, 1705. *in* 8.

OCtodecim jam præterlapſi ſunt anni, cum Autor Clariſſimus ſuum de Morbis acutis infantum librum orbi literato communicâſſet, quem pariter annô 1690. in Actis Menſ. Juniô pag.

pag. 296. recenſuimus. Prodiit nunc altera ejus editio, quæ non ſolùm auctior priori exiſtit, hinc inde novos continens interjectos paragraphos, ſed Obſervationibus quibuſdam raris & ſcripto de Lue Venereâ eſt locupletata. Ut pauca delibemus ex novis illis additis, p. 52. Mercurium dulcem ſexies ſublimatum contra febres puerorum comatoſas commendat Autor Clariſſ. pag. 81. in vomitû pertinaci & præſertim in illô, qui à lacte vitioſô dependet, narcoticorum uſum admittit. Pag. 82. infantibus anniculis aut bimulis, pro ſaburrâ humorum ſeroſorum & noxiorum ex ventriculô educendâ, radicis Epicamannæ gr. XV. propinare jubet. Pag. 84. in Convulſionum intervallis ſanguinis modicam detractionem ſive per venæ ſectionem ſive per hirudines, retrò aures, aut brachiô adhibitas, conducere dicit. Pag. 78. calida alimenta dentientibus Infantibus ingerere prohibet; & ſub calce libri Materiam Medicam, à Veteribus Medicis traditam, non penitùs negligendam eſſe pronunciat, eamque in rem *Juſti Molleri*, Germani, *Faſciculum remediorum ex Dioſcoride & Matthiolô* Baſileæ excuſum, etiam atque etiam commendat; nullam verò Materiam Medicam ſine methodô medendi ex uſû eſſe aſſeverat. De cæterô etiamſi ſeculum noſtrum nihil nunc in ſublimibus cœli, neque in terræ penetralibus, notitiam ſuam effugere poſſe arbitretur, proponit tamen Noſter problemata quædam de fluxû & refluxû maris, de motu ſtellarum & terræ, de diſtantiâ cœli ſtellarum fixarum à terrâ, &c. quæ hactenùs à nullô ſatis explicata ei videantur. Certè ſi ſtellæ fixæ tantâ magnitudine donentur, quantâ Mathematici demonſtrant illas conſtare, ſupponeret Autor, lucidas illas regiones ſtellares eſſe poſſe ſpirituum cœleſtium proprias ac peculiares ſedes, eaſque fore corporum cœleſtium propria domicilia, cùm corpora mortalia ac pereuntia in cœleſtia & perennia fuerint transmutata, & orbes illos planetarum magnos aut ſpatium illud amplum, quo priùs errabant planetæ, poſt extinctum Solis, & planetarum lumen, & poſt conflagrationem poſtremam eſſe poſſe ſpirituum malorum, diriſque devotorum hominum receptacula tenebroſa.

In Obſervationibus, quarum decem numerantur, egregiæ terebinthinæ vires in paralyſi pag. 134. rhabarbari in diabete pag. 139. in dolore ventriculi & colico p. 160. ſulphuris tam vivi, quam ejus florum in anginâ & hæmorrhoidalibus tumoribus pag. 150. ſpiritus vini per fotum admiſſi in nimiô hæmorrhoidum & menſium fluxû pag. 165. & 166. collaudantur, noxæ verò ex opiatorum uſû, in affectione hyſtericâ & puerperarum torminibus & vigiliis propinatorum, pag. 157. depinguntur.

Denique in ſcriptô de Lue Venereâ in eam ferè abit Autor Cl. opinionem, natales ejus longius eſſe repetendos, quàm communiter fieri ſolet. Morbum enim venenatum & maximè deleterium vocat, ut potè cui eadem, quæ venenis, potiſſimùm acribus, aſſumtis competunt phœnomena; inſignis ſcilicèt faciei totiuſque pallor, & extremorum perfrigeratio; venenoſæ materiæ decubitus in ſuperficiem corporis & partes externas; faucium & ventriculi eroſiones, inteſtinorumque tormina; adde quod inſtar venenorum propria hic morbus exigat antidota. Quoad curam annotat, ligna exſiccantia tantùm ferè emolumenti naturæ humanæ conferre, & debilitatæ ſuppetiarum ſalutarium præbere, quantùm damni & nocumenti hydrargyroſis corpori infligit, eſſeque veneni venerei antidota, licèt, prætermiſſo mercuriô, imperfecta. Catharctica deleteria huic morbo expugnandô minùs convenire, quàm mitiora & blandiora medicamenta. Ab hydrargyroſi corpora craſſa, obeſa, phlegmatica & frigida maximè omnium lædi; ſi lue hâc infecti & per plyaliſmum aliquatenùs curati in atrophiam incidant, urgente licèt diarrhœâ, à narcoticis & adſtringentibus eſſe abſtinendum exiſtimat, ſed antivenereis inſiſtendum. Pro reliquiis Venereis corrigendis & educendis commendat nervina, antarthritrica, amara & antiſcorbutica, interpoſitis ſubinde catharcticis blandioribus. Infantes à nutricibus infectos, his mutatis, farinâ ſarſæparillæ & ſantali citrini polline pulticulis admiſſo curari commode perhibet. Curationem per remedia ſalivatione mitiora continuari debere injungit donec omne venenum penitùs fuerit ſubactum, & ſymptomata omnia prorsùs evanuerint. *Hanc iſtius libri editionem inſequuta eſt altera quæ prodiit* Amſtelodami apud Bernard. 1715. 8. Quæ poſterior reperitur cum Mortoni Operibus Genevæ editis, apud Perachon & Cramer, 1727. 4.

Ibidem Annô 1722. *p.* 87.

Diſſertatio de Peſte; cui acceſſit Deſcriptio Inoculationis Variolarum. Londini, Impenſis Guil. & Joh. Innys, 1721. 8.

CUm Peſtis in Galliæ parte Meridionali ſævire nondùm deſinat, nec Angli deſiſtunt Medici ſua ſuppeditare conſilia atque media, quibus dira hæc lues vel à finibus ſuæ Inſulæ arceri, vel ſi invecta fuerit, in tempore extirpari queat. Poſt tractatus enim, quos hunc in finem haud ità pridem D. *Mead*, D. *Browne*, D. *Bradley*, D. *Quincy* & alii ediderunt; à nobis annô ſuperiori Menſe Septembri pag. 406. ſeqq. recenſitos, Clariſſimus *Harris*, cujus nomen vel ex his Actis ignotum eſſe haud poteſt, ſuarum duxit eſſe partium ad ſalutem publicam tuendam aliquid conferre, in ſeniô licèt, ſed vegetô, conſtitutus. Propoſuit ſcilicèt ſibi in hâc Diſſertatione quædam ad peſtem ſpectantia perſtringere, quæ conducere quodammodô poſſint curando tam ſævo morbo. Peſtis Maſſilienſis, à quâ reliquum in Galliâ contagium ortum duxerat, cauſam naturalem, ſi non principalem in rei frumentariæ inopiam rejicit. Cùm enim provincia illa vineis & olivetis conſtet, aratri frugibus plurimùm deſtituta, hinc ex Italiâ, Genuâ, & Barbariâ annonam advehi ſibi curet, numerata verò pecunia propter novam ejus in ſchedulas incerti valoris metamorphoſin, quas mercatores peregrini pro frumentô ſolvendas accipere noluerunt, penitùs fuerit orbata, duo hoſtes internecini, λιμὸς & λοιμὸς illos populos conjunctim interficere, conſpirârunt. Primam peſtis calamitatem eſſe notat, quod omnes inquilini in eâdem degentes domô, ſimulac infectum aliquem eſſe pateſcit, incarcerentur, & aëre ſalubri ac ſerenô frui prohibeantur; cùm conſultiùs fuerit & humaniùs, ſi ſani ab infectis quamprimùm ſepararentur, & in domos quaſdam, tabernacula, aut tentoria extra urbem à magiſtratû aſſignanda, citò relegarentur, ubi annona debita inſtructi per aliquod tempus, v. g. quadraginta dies, aſſervarentur. Alteram peſtis calamitatem vocat errorem non magis popularem, quàm fatalem, qui ut plurimùm in ejus curatione committitur, dum febri ejuſmodi inflammatoriæ medicamenta acria, cauſtica, magiſque inflammantia opponuntur. Putat autem, in pri-

mô morbi inſultû emetica non eſſe negligenda, ut potè quæ nauſea, vomitus, cardialgia, & alia ventriculi ſymptomata, ut putridarum aliarum febrium, ità & peſtis primordia concomitantia, indicent; prô quô ſcopô tartarum emeticum, vitriolum album, vel radicem ippecacuanhæ commendat. Et cùm alexipharmaca eum in finem propinentur ut ſudores ſalutares eliciant, morbumque in internis & principibus corporis partibus ſævientem à centrô ad peripheriam propulſent & expellant, tutiora in promptû eſſe exiſtimat, temperata ſcilicèt diaphoretica, e. g. teſtacea, quæ cum bolô Armena, antimoniô diaphoreticô & paucô ſale abſynthii exhibita inflammationes peſtilentiales non augeant, ſed mitigent. Et quanquam ſudores perquam facilè in peſte moveri ſoleant, ægrorum tamen pervicaciam execratur, ob quam eoſdem ſatis diù ſuſtinere detrectant, quod tamen maximè neceſſarium eſt. Sin verò calida medicamenta exhibere fas ſit, radicem Serpentariæ Virginianæ in exili doſi propinatam omnibus aliis præfert. Hinc theriacam & mithridatium damnat propter opium, ſomnum invitans, qui tamen ſub hoc ſudoris regimine quàm maximè eſt avertendus; Diaſcordium tamen Fracaſtorii admittit. Si partem quandam magnus affligat dolor, emplaſtrum Angeli Salæ ad anthracem vel diachylum cum gummatibus pro tumore in glandulis promovendo & maturando commendat. Cùmque refocillatione opus habeant ægri, ſpiritum cornu cervi vel hauſtum vini Canarienſis aut cujuſcunque Hiſpanici, Gallici, Italici, vel Luſitanici, modò puriſſimum & generoſum fuerit, calefacti eum in finem imperat; venæſectionem verò periculô plenam vocat. Pro prophylaxi, ſi fugam capeſſere rerum domeſticarum ratio minùs permittat, fonticuli ut aperiantur, etiam atque etiam ſuadet, imò Medicum quendam in Hungariâ inter infectos converſatum, incolumem ſe conſervâſſe duobus ſetaceis utrique inguini applicatis refert. Præterea fruſtulum myrrhæ in ore detineri, fumum nicotianæ graveolentis, aquam ſalitam hauriri, faſciculum foliorum rutæ naribus adhiberi, enulæ campanæ aliquantulum deglutiri, ac Electuarium præſervativum Hermanni Van der Heyden quandoque uſurpari haud ſine fructû poſſe exiſtimat.

De Inoculatione Variolarum dum agit clariſſimus *Harris*, illum commemorat morem inter Conſtantinopolitanos à quinquaginta circiter annis receptum, quo infantibus benignas per tranſplantationem communicant variolas, ut eam ſubeuntes ab ulteriore metû morbi redituri & ab omni periculô variolarum deteriorum præſerventur. Quemadmodùm autem illum in Actis his Annô 1714. Menſe Auguſtô pag. 382. deſcripſimus, ità jam ſolùm ex Autore noſtrô notamus, varia eum allegare exempla infantum, in quibus operatio hæc benè ſucceſſit, inſimùlque dolere, Emanuelem Timonium, cujus benevolentiâ fideque Europæi enchireſeos hujus participes facti fuerunt, quique in amplâ fortunâ conſtitutus ac in nuperis itineribus, Doctoratum in Medicinâ tam Patavii quàm Oxonii conſecutus & ab ipſo Turcarum Imperatore ad Archiatri munus, quod quidem prudenter detrectavit, invitatus erat, vitæ ſuæ pertæſum in ætate florentiſſimâ mortem ſibi voluntariam haud ità pridem conſciviſſe. Monet quoque Autor, præter inoculationem hanc Turcicam pro variolis communicandis Chinenſibus in more poſitum eſſe, in nares infantum inter dormiendum Turundam è Goſſypiô parvulam purè è puſtulis punctis collectô imbutam, intrudere. Quem quidem modum minùs tutum eſſe, cerebrumque inde offendi, ſuſpicatur. De cæterô nec reticet aliam conſuetudinem Chinenſibus familiarem, quâ liberos ſuos à variolarum contagiô per totam vitam immunes præſtari poſſe, credunt, dùm ſcilicèt mox à partû ante vaſorum umbilicalium ſeparationem à placentâ, imò ſectione peractâ ante illorum deligationem ſanguinem iſtum vitioſum, variolarum parentem à quibuſdam venditatum, leni expreſſione extrorſum urgent. Huncque morem ſi non proficuum, certè innocuum eſſe judicat.

Ibidem Annô 1725. p. 328.

Diſſertationes Medicæ & Chirurgicæ, habitæ in Amphitheatrô Collegii Regalis Medicorum Londinenſium à Gualtherô Harris. Londini, Impenſis Guilielmi & Johannis Innys, 1725. 8.

NOn ignotum eſt nomen Clariſſimi *Harris* erudito orbi; ſiquidem ante hos triginta ſex annos Libro de Morbis Acutis Infantum, à nobis Annô 1690. M. Junio pag. 296. recenſitô, ſingularem in Scholis Medicis indeptus eſt famam. Diſſertationes nùnc idem intrà decennium habitas publici juris facit, certa ſub ſpe, fore, ut Obſervationes Practicæ per eas paſſim diſpertitæ, & ſpeculationum commentis plurimùm immunes, lucem aliquam afferant rebus quibuſdam Medicis & Chirurgicis, caligine quâdam obſcuratis, aut in deviâ ducentibus ſalutem ægris reddere percupientes. Ex ſingulis pauca delibabimus. In *Diſſ. 1.* quæ *de Febribus Continuis & Intermittentibus* agit, in continuarum curâ emeticum neceſſarium judicatur, quoties horrori aut rigori vomitus aut vomituritio ſuccedit, magiſque tutum, durante æſtatis fervore, quàm in gelidâ hyeme; venæſectio autem illa damnatur, quæ nimis ſero, in febris ſtatû, aut progreſſû, cùm vires dejiciuntur, inſtituitur; reliqua autem remedia pro diverſis morbi temporibus varianda eſſe, monetur, ità ut in principiô ad inflammationem compeſcendam refrigerantia & diluentia, quæ ſine calefactione viſciditatem lymphæ attenuant & liquefaciunt, facilèque ex paſſulis, hordeo, melle aut ſimilibus in aquâ, vel lacte coctis parantur, ac teſtacea ad calorem febrilem contemperandum; in vigore & ſtatû cardiaca, ut vinum tepefactum, ſive Luſitanicum, ſive Hiſpanicum; in declinatione laxans ex foliis ſennæ in uſum ſint vocanda. Intermittentium ſedes unica conſtituitur ventriculus, in quibus curandis annotat Autor, ſingulis aut alternis corticis Peruviani doſibus tres, vel quatuor guttas olei ſulphuris per campanam, aut aliquot drachmas ſucci limonum cum tantillô laudani liquidi, vel ſyrupi de meconio immiſceri debere pro viris, pro tenerioribus verò & præſertim fœminis infuſionem frigidam corticis ſufficere. Loco hujus febrifugi ipſemet pulveris è chelis cancrorum ſimplicis ſemidrachmam, aut ſcrupulos duos duabus horis ante paroxyſmum in cochleari aquæ lactis alexiteriæ, aut menthæ, vel ſeri lactis cum fructû propinat, alteramque ejuſdem pulveris doſin horâ unâ poſt priorem repetit, externè verò linteum duplicatum calefactum, & in ſpiritû vini madefactum, vel mithridatium cum oleô nucis moſchatæ expreſſô ventriculi regioni adhibet, atque ut æger tempore paroxyſmi ab omni cereviſiâ abſtineat, pro ſiti verò fallendâ potû ex vini albi & aquæ unciis quatuor in lactis vaccini libris duabus in-

coctis utatur, ſuadet. In *Diſſert.* II. ubi de *Variolis & morbillis* diſſerit, rejicit cardiaca, regimen calidum, cereviſiæ tenuis, vel pomacei, ut & emeticorum benedictorum uſum; ſin vomitorium indicetur, leniſſimum illud, venamque ſecari permittit. Ubi narcotica non conveniunt, caſtoreum adhiberi poſſe putat. Circà finem morbi tutò ad cardiaca refugium capi poſſe docet, veſicatoria verò exulare jubet, niſi ſubjectum ſit obeſum & ſucculentum. Gummi tragacanthæ in linctû vel decoctô pectorali ſoluti, pulveribus teſtaceis admixti, & copioſius ſumti in Morbillis Epidemicis efficaciam ſummam deprædicat. *Pro variolis, nè deteriores fiant, præcavendis*, non quidem damnat in *Diſſert.* 3. Inoculationem eorum, illam tamen pro magis tutâ venditat, ſi abſque uſû ſcalpelli, vel phlebotomi, & ſine præparationibus ſupervacaneis cuticula brachii radatur, vel pungatur acicula, ad eliciendam guttam ſanguinis, & ſtatim locô vulneratô linteum raſum tantillô puris imbutum imponatur; ſuaſor verò eſt ut in primô morbi principiô Medicus peritus accerſatur, antequam per errores domeſticorum res ægri in eum perductæ ſint ſtatum, ex quô eluctari ei vix conceditur. In *Diſſert IV.* *aliquot uſus Medici aquæ* delineantur. Quemadmodum aquæ potui Patriarcharum longævitas inter alia debetur; ità etiamnum magna hic ſe commendat utilitate, modò delicatulis magis arrideret. Præ cæteris fluminum aquæ reliquis ſalubriores deprædicantur, & quò major fuerit fluvius, eò magis ſalutarem aquam vehere dicitur. Ex Thameſis certè aquâ optima coquitur ceteviſia; ac poteſt hæc ad Indias uſque ſine labe tranſvehi. Nihil magis à calculô præſervare perhibetur ac hauſtus aquæ ſalubris unus aut alter horis matutinis jejunè, imò ante ſomni tempus propinatus, cui in hydrophobis *hydromel* ſubſtitui poteſt; imò aqua frigida manè pota calorem ſub decubitû nocturnô contractum oblinit, æſtumque computationum veſpertinarum compeſcit. Ipſe Autor, licèt jam ſeneſcens, talem aquæ hauſtum matutinum non ſine fructû in uſum ducit, poſt quem duo fruſta plumbi, utrumque ſex vel ſeptem librarum ponderis, manibus attollit; quod quidem exercitium non modò partes vitales præ aliis corroborare ſed, & functionibus tam naturalibus quam vitalibus ritè obeundis, ſanitatique conſervandæ admodùm conducere credit. Aquæ frigidæ potum in febribus incolis climatis borealis diſſuadet, quia ſudores, ſi qui adſunt, reprimit, tuſſim & peripneumoniam notham auget, naturis teneris & ventriculo debili macilentoque habitui, ut & frigidis ac phlegmaticis temperamentis planè noxius exiſtit. Si tamen in febribus acutis, ejus uſum ſuis concivibus ſuadere auderet, id conſilii daret non in ſtatû earum dubiô, ſed in principiô aut primô circiter febricitandi die, & quô tempore ſudores calorem contemperantibus facilè eliciuntur, certus, dùm hi tam citò & copioſè profunduntur, ac ſatis diu fluere permittuntur, febrem quamprimùm profligatum atque extinctum iri. Verùm cùm *Vinum* longè nobilius ſit ipſâ aquâ, de ejus *uſibus Medicis & Chirurgicis* quædam *in Diſſert.* V. præfari inſtituit. Vocat hoc ſummum medicamentum corpori roborando & animo exhilarando, potiſſimùm verò ventriculo languenti, faſtidioſo, cruditatibus ſcatenti & illuvie humorum perperam oblinito, deſtinatum; meliuſque emaciatis conducere lacte aſinino exiſtimat. Quoad uſum Chirurgicum, foco adhibitum, aut infuſum partem affectam refrigerare, caloremque ejus reſtinguere, quantumcumque etiam intrà ſumtum corpus ſoleat calefacere; hinc maximæ efficaciæ eſſe in vulneribus, ulceribus, abſceſſibus, inflammationibus, eryſipelate & ambuſtis putat. *In Diſſert.* VI. *de Venæſectione in genere* agit, quam facillimam quidem, ſed in quibuſdam ſubjectis difficillimam eſſe operationem adſtruit, hinc à Chirurgô requirit, ut ſit ſummâ oculorum acie inſtructus, ambidexter, manumque habeat firmam & inſtrumenta acutiſſima; vult etiam, ut phlebotomum in venam intruſum retrahens, ſcindat venam verſùs ſuperiora, hocque pactô orificium reddat amplius. Quantitatem verò ſanguinis detrahendi juxta magnitudinem morbi, ægrique vires naturales æſtimare, ac juxta regiones, & cibi potûſque uſitati rationem determinare jubet. *Quomodo* autem *venæſectio in ſuô climate & morbis ſuorum civium ſit adminiſtranda in Diſſert.* VII. docet. In *Diſſert.* VIII. in quâ *Varices & Aneuriſmata* examinat, dilatationi venæ anſam præbere putat valvulam, ſupra locum dilatatam poſitam, & vel à copiâ vel craſſitie ſanguinis læſam; adeòque curationem partim ad venam dilatatam, partim ad valvulam tumidam dirigendam eſſe monet. Quemadmodùm autem eos reprehendit, qui adſtringentia applicant, quæ tamen ſanguinem jamdum ſpiſſum magis incraſſant, & ad nobiliora viſcera repellunt, ità diſcutientia potiùs commendat, inter quæ mirrha primatum ducit, & ex hoc capite Emplaſtrum diaſulphuris Rulandi admodum convenit; atque refert Author ſe femoris varicem ſola tinctura mirrhæ feliciter curaviſſe. Tumorem duriuſculum valvulæ diſſipat per emplaſtrum de minió vel diachylum cum gummis. Horridam verò iſtam carnificinam, ſeu temerarias exſectiones tùm venæ tùm arteriæ in varicibus & aneuriſmatibus culpat. In *Diſſert* IX. ubi de *Oedemate & Scirrhô* agit, tumores pedum œdematoſos, neglectis aliquandò omnibus topicis, miſſiſque evacuationibus uſitatis, ſolis corroborantibus, videlicèt croco martis aperitivo cum cortice Peruvianô ſuſtulit. Pro ſcirrhô diſſipandô utitur mercuriô dulci, ſub noctem debitis intervallis & aliquandô cathartico ex ſennâ, helleborô nigrô, & hermodactylis inſequente aurora ſumendo. Conjungit etiam his diuturnum uſum ſarſæparillæ cum modicô Guajacô; externè poſt emollientia ſpiritum vini pro fotû & emplaſtrum diachylum applicat. Ad curandum *Cancrum* in *Diſſert* X. laudat decoctum corticis ulmi & foliorum ſaniculæ, cujus efficaciam in incipiente labii inferioris carcinomate expertus eſt; item terebinthinam ſplenio vel tæniolæ illitam; corroſiva verò & exciſionem cancri oris, labiorum, & linguæ periculoſam pronunciat. Atram bilem pro antecedente agnoſcit cauſa, flatus verò exinde ortos pro proximâ & immediatâ. Cancroſam mulieris mammam curavit pulvere ligni ſancti, radicis ſarſæparillæ, & ſantali citrini, parte interim à frigore defenſâ. Nec dubitat, fotum ſpiritûs vini egregiè conducturum, poſt quem pars læſa tenui plumbi lamina tegatur. Si quod emplaſtrum applicandum foret, illud de miniô admoveatur. Sequitur *Diſſertatio* XI. *de Gangrænâ & Sphacelô.* Cùm frequentiſſima gangrænæ cauſa ſit inflammatio, mirum videtur, quomodò calor partis intenſus morbum frigidiſſimum generare & membrum omni ſenſû privare queat; reſpondet Autor Clariſſimus, magnum incendium omnia in cineres redigere, formas rerum immu-

immutare, & niſi tempeſtivè exſtinguatur, nativum ſtatum furibundè abolere, ſicut gravis combuſtio externa nonnunquam gangrænam poſt ſe trahit. Certum etiam eſſe, inflammationem efficere tenſionem, hancque ſævos dolores excitare, cum ſummâ animi inquietudine; Exinde dolorem opprimere vires, quibus deletis, vitam partis prægravatæ & cruciatibus exhauſtæ ſenſim perire; calorem etiam intenſum tumefacere partem, humoribus ſuperfluis replere, omnem tranſpirationem prohibere, ut febris exurens illorum exitum è poris totius corporis intercludit; quin & incendiô ſuô ingenti temperiem partis nativam ſubvertere, ac ſpiritus eam vivificantes peſſundare, ſuffocare, & interimere. Ad omnes inflammationes maturiùs compeſcendas nihil utilius aut efficacius pronuntiat ſolutione unius unciæ nitri, in libris duabus vel tribus aquæ communis, addendo Coccinellæ granis duodecim, & ſacchari unciis tribus, ſi de illâ bibat æger uncias quinque vel ſex tertiâ aut quartâ quâque horâ. Si inflammatio in gangrænam mutari incipiat, ut pars in vinum rubrum calefactum immergatur, eôque foveatur, ulceri verò raſura lintei ſpiritû terebinthinæ ebria applicetur, jubet. *Diſſertat. XII. Herniarum* examini dicata eſt, ubi hernias umbilici mediocres ſine uſû faſciarum tolli putat, ſolummodò geſtando ſuper regionem umbilicalem laminam plumbi flexilem, emplaſtrô quôdam adhæſivô firmandam. In *Diſſertatione XIII. errores quoſdam Chirurgorum* tangit, & nimiam reprehendit audaciam ſeu temeritatem eorumdem, quod ſine neceſſitate urant, ſecent, lanient ad moleſtiam quandam diuturnam evitandam, ſeu lucrum quoddam corradendum; taxat quoque incongruum turundarum uſum, ac modum exſcindendi ſtrumas, ſcrophulas, excreſcentias inveteratas, ſcirrhos & lupias. In *Diſſertat. ult. de Medicamentis.* Simplicia equidem olim utramque in Medicinâ abſolviſſe paginam, ac etiamnùm ſuâ non debere defraudari laude, fatetur, monet tamen ſimùl, neceſſitatem quandòque imperare, ùt compoſita ſimùl adhibeantur, quorum compoſitio, quò ſimplicior fuerit, eò melior judicanda ſit.

HARTMANNUS (*Johannes*) Natus eſt Ambergæ; creatus Marpurgi A. C. 1591. Philoſophiæ Magiſter, moxque eâdem in Univerſitate Matheſeos Profeſſor declaratus, tandem etiam 1606. ibidem Medicinæ Doctor renunciatus, Chymiam vix nomine tenùs antehàc illic locorum notam, primus in eâ Academiâ publicè docere cœpit; factus poſtremò ſimul Archiater in Aulâ Caſſellanâ. Claruit circa A. C. 1625.

De eô extant

Praxis Chimiatrica; à Johanne Michaële & Georgio Everhardo Aut. Fil. edita. Lipſiæ, apud Gottofr. Groſſium, 1633. in 4. Francofurti, apud Caſp. Rotelium, 1634. in 8. Huic Editioni adjectus eſt, propter affinitatem materiæ, Tractatus novus de Oleis variis chimicè deſtillatis. Genevæ, apud Petrum Choüet, 1647. in 8. Huic Editioni adjecti ſunt propter materiæ affinitatem tres Tractatus novi. I. De Oleis variis Chymicè deſtillatis. II. Baſilicæ Antimonii Hameri Poppi Thallini. III. Marci Cornacchini methodus, quâ omnes humani corporis affectiones ab humoribus, copiâ vel qualitate peccantibus Chymicè & Galenicè curantur. Ibidem, apud Samuel. Choüet, 1649. in 8. Ibidem, apud eundem 1659. in 8. & poſteà ibidem, apud Leonard. Choüet & Socium in 8. 1682. Lugduni Batavorum, apud Jacobum Voorn, 1663. in 12. quæ editio recognita & præ omnibus hactenùs editionibus emendata eſt, Francofurti, apud Johann. Arn. Cholin, 1671. in 4. Noribergæ, apud Wolffgang Maurit. Endterum, & Johann. Andr. Endteri Hæredes, 1677. in 4. indefeſſô labore & pari Chymiatriæ experientiâ ab innumeris iſtis mendis & falſatione Typographicâ revindicata; nec non acceſſione prætermiſſæ ab Authore morborum Theoriæ, unà cum eorum ſignis diagnoſticis, cauſis & prognoſticis, præcipuarumque totius corporis partium Anatomicâ deſcriptione illuſtrata atque compluribus arcanis, experimentis & ſecretioribus præparationibus locupletata à Johan. Hiskia Cardilucio. Cui, eôdem Cardiluciô Authore, acceſſit Zodiacus Medicus ſive Libellus de Concordantiâ rerum medicarum cum Zodiaco cœleſti, ſeu duodecim Domibus ſolis & Lunæ, earumque virtutibus influentialibus multifariis, præcipuè tamen quadruplicibus, juxta quatuor trigonos ſeu qualitates elementares, videlicèt aëream, igneam, terream & aqueam, totidemque præcipuas hominum complexiones, nimirùm ſanguineam, cholericam, melancholicam & phlegmaticam. In quô legitima ſimplicium collectio, efficax præparatio, ſpecifica miſtio, atque opportuna adminiſtratio oſtenditur, tam pro medicaminibus ac vegetabilibus parabilibus quàm ipſorum Vehiculis appropriatis.

Diatribe de uſû Medico Microcoſmi, i. e. Diſquiſitio quomodo & qualia è corpore humanô vivente, ejuſque manente integritate, medicamenta in uſum medicum transferri queunt. Antehàc in Academiâ Marpurgenſi dictata, nùnc verò evulgata à Zachariâ Brendelio. Erfurti, ap. Joh. Reiffenbergerum, 1635. in fol.

Diſputationes Chymico-Medicæ, ſub ejus præſidio ab aliquot Medicinæ candidatis & ſtudioſis publicæ cenſuræ expoſitæ, Marpurgi, apud Paulum Egenolphum 1611. in 4. Secunda deinde Editio aliquot diſputationibus auctior, Ibidem, 1614. in 4. Cui quoque acceſſit Philoſophus, ſeu, Naturæ Conſultus Medicus.

Philoſophus, ſive, Naturæ-Conſultus Medicus: Oratione publicâ initio profeſſionis ſuæ ab authore factus & productus IV. Kal. Aprilis 1609. Acceſſit programma publicum ad Philoſophiæ & veræ Medicinæ ſtudioſos, futuræ profeſſionis Chymiatricæ conſilia & rationes indigitans; Marpurgi, apud Paulum Egenolphum, 1609. in 8.

Tractatus Phyſico-Medicus de Opio, in lucem editus à Joh. Georgio Pelshofero. Wittebergæ, apud Hæredes Clem. Bergeri, Typis Johan. Röhneri, 1635. in 8. Ibid. apud Frideric. Bergerum, 1658. in 8.

Epiſtolæ variæ medicæ. Extant cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Sim. Halbmayerum, 1625. in 4.

Oſwaldi Crollii Baſilicam Chymicam plurimis ſelectis & ſecretiſſimis propriâ manuali experientiâ approbatis Deſcriptionibus & uſû remediorum Chymicorum auxit.

Opera

Opera omnia Medico-Chymica. In quibus Praxis ejus Chymiatrica: Notæ in Baſilicam Crollii, & Beguini Tyrocinium; Diſputationes Chymico-Medicæ. Quibus acceſſit Philoſophus, ſive Naturæ Conſultus Medicus, initio Profeſſionis Chymiatricæ ab ipsô propoſitus; Tractatus de opiô; Miſcellanea Medico-Chymica; & Introductio in Vitalem Philoſophiam, continentur. Partim antehàc ſeorſim impreſſa, partim verò jam ex authoris MſſT. nondum anteà editis collecta & in unum volumen congeſta, atque pluribus aucta à Conrado Johrenio. Françofurti ad Mœnum, apud viduam Seylerianam, 1664. in fol.

HARTMANNUS (*Philipp. Jacob.*) Medicinæ & Hiſtoriarum Profeſſor publicus Regiomontanus, ac S. R. I. Naturæ Curioſorum Collega.

De eô extat

Succini Pruſſici Phyſica & Civilis Hiſtoria, cum demonſtratione ex autopſiâ & intimiori rerum experientiâ deducta. Francofurti, apud Martinum Hallervordum, 1677. in 8.

De hâc Succini hiſtoriâ ſic in Actis Lipſienſibus Ann. 1700. *p.* 332.

Succincta Succini Pruſſici Hiſtoria & Demonſtratio. Berolini, apud I. M. Rudiger, 1699. 4.

IN ſex potiſſimum ſectiones diſpeſcere præſentem tractatum placuit Autori Celeberrimo, ità ut in primâ regiones, in quibus per univerſum terrarum orbem ſuccinum generatur, vel generari perhibetur, evolvantur; in ſecundâ matrix ſuccini vera ex lignô foſſili conſtituatur, modusque quo generatur idem, demonſtretur; in tertiâ ipſa ſuccini ſubſtantia, & quæ in eadem apparent, aut ipſi adhærent, vel includuntur, conſiderentur; in quartâ, ad quam claſſem illud ſit referendum, determinetur, & quot modis à reliquis differat mineralibus, edoceatur; in quintâ non ſolùm ſuccinum, verùm etiam ejus matrix lignea, aliaque littoris Sudavici mineralia Chymico & Pharmaceutico examini ſubjiciantur; in ſextâ denique quomodo prudentia civilis ſuccinum in rem ſuam vertat, excutiatur.

Initio quidem, quanquam celebre ſuccini nomen, pluribus ante Chriſtum natum ſeculis, apud Scriptores Græcos, Philoſophos æque ac Hiſtoricos & Poëtas fuerit commemoratum, eorum tamen Auctor noſter non ſubſcribit opinioni, qui exiſtimant, in Africâ Heſperidum hortos, Ægyptum, Æthiopiam, Numidiam; in Aſiâ Indiam & Arabiam regiones ſucciniferas fuiſſe, nec recentiorum admittit auctoritatem, qui ſuccinum Orientale ex Aſiâ, Africâ, & Americâ afferri perhibent; non quod Naturæ impotentiam illis in locis accuſet, ſed quod certiora ſaltem hâc de re monumenta deſideret. Nomen verò Ambari ſive Ambræ, quod ſuccino cum fragrantiſſimo illo Orientali bitumine commune eſt, & reſinam Copal, ſuccini Orientalis nomine ab officinis adoptatam, non paucos in errorem induxiſſe credit. Idemque ſentiendum pronunciat de provinciis Europæ, Italiâ, Hiſpaniâ, Britanniâ, Pannoniâ, quod Gagates ſuccini nigri appellatione ſcriptoribus impoſuiſſe videatur. De Polonicis, Sileſiacis, Bohemicis ſuccinis illuſtriora adeſſe ait monumenta; Germanici verò ſuccini crebriorem & evidentiorem eſſe memoriam. Loca imprimis mari Baltico vicina ſuccinis obſervari feraciſſima, quorum magnus proventus reperiatur in Sueciâ Daniâque, & Inſulis Cimbriam & Holſatiam allambentibus; liberalior in Samogitia, Curonia & Livonia; copioſiſſimus in Pruſſiæ locis maritimis æquè ac à mari longè diſſitis, & montibus litoreis, ità ut totum Pruſſiæ fundum ſuccineum affirmare Autor non dubitet. Nec Pomerania ſuâ defraudatur laude, ut potè cujus maritima æque ac mediterranea tanta ſuccini copia abundent, ut Curoniæ & Samogitiæ palmam dubiam reddat. Quoniam verò ſuccina in Pruſſia littoris Sudavici amore præcipuè detinentur, hujus deſcriptionem Geographicam brevibus exhibet & interanea recenſens, vitrioli diverſas ſpecies, terram corticoſam, lignum quod litoreos montes longô tractû medios dividit, terram flaveſcentem quæ Ochram æmulatur, lutum cœruleum; ex lapidibus dactylos Idæos, ſaxa mari vicina, aliâ parte duriſſima, alia friabilia ligna petrefacta, lapides alga marina luxuriantes, adamantes, & jaſpides commemorat.

Matricem ſuccini indagans Auctor, eam non in omnibus corporibus in quibus hoc invenitur, ut in algâ, vitriolô, terra flava, ſabulo aut luto cœruleo, ſed in lignô, eoque non vegetabili, ſed foſſili quærit, quod ſequenti modo generari exiſtimat. Scilicet poſtquam colliculos, in littore Sudavico hinc inde exurgentes, nil niſi coacervatorum corticum cumulos obſervaverat, hos ab udâ tenaci ſeu bituminoſâ terrâ originem ſuam ſortiri credit, putatque hanc à maris ſalſugine aliis ſubterraneis ſalibus, vitriolicis putà, aluminoſis & nitroſis admiſta, ſubactam & maceratam, ſecedente humore ſuperfluo, ab aëre aut Solis calore exſiccari; ſiccitate verò partes, quarum pinguedo exhalavit, aut intus conceſſit, à ſe invicem ſecedere, alias glutine hoc abundantes, licèt in cruſtas compactæ fuerint, mutuò cohærere, ſpeciemque ligni referre, ubi juſta ſiccitas qualicunque multarum cruſtarum cohæſioni lignoſam formam conciliavit. Lignum enim niſi ſiccitate & qualicunque ſoliditate, quà magis compactum longiori fibrarum protenſione continuò cohæret, à corticibus iſtis non differre exiſtimat. Quâ cognitâ matrice, veram ſubjungit ſuccini generationem, quam, prout Autor refert, nemo hactenus Erudito Orbi perſpicuam reddidit; dicitque, calorem ſubterraneum bituminis exhalationes per interanea diſperſas undique conſociare & in guttas cogere, imprimis ex corticoſâ aut lignoſâ matrice eaſdem congregare, & eô ipſô vicina ſalia pervadere, horumque effluvia bituminoſis guttis admiſcere; ſalina tum ſpicula intra matricem adacta fluorem bituminoſum ſiſtere, &, ſi nullæ ſuppetiæ bituminoſarum guttarum à calore ſubmittantur, glebam pro modulô incunabuli formam ſubire, omnique exhalationum motû ſopitô, caloreque evaneſcente, ſalinas particulas rigorem recuperare, ſociataſque ſuccineam gemmam producere. Eandemque ſtatui debere generationem docet ſuccinorum, quæ ex mari hauriuntur, ex collibus ut potè vel litoreis vel ſubmarinis à fluctibus abraſorum, eorumque, quæ extra matricem lignoſam in lutô cœruleô, terra corticoſa, flava, ſabuloſa, vitriolica naſcuntur, cùm ex bituminoſis exhalationibus in guttas condenſatis ſalium juſta miſcela iſtæ glebæ compactæ fuerint; multò minùs in animalium ventriculis ſuccina generata credendum eſſe, quoniam omnis generis animalia, terreſtria, aquatilia &, volatilia ſuccineas glebas avidè

avidè deglutiant.

Cognitâ origine ſuccini, triplex hoc pronuntiat, hauſtile aliud, quod ex aqua hauritur; aliud lectum, quod in litore invenitur; aliud denique foſſile, quod fodiendo acquiritur. Quocunque verò modo colligatur illud, nunquam molle, ſed durum ubique deprehendi aſſerit, negatque ullam foſſilia inter & hauſtilia ſuccina ratione duritiei, puritatis & cruſtæ intercedere differentiam, cum utraque pro circumſtantiarum diverſitate diverſas extra matricem notas ſubire valeant. Poſthæc factâ variarum, ſub quibus rudes glebæ cernuntur, ſpecierum, concretorumque ſuccinis adhærentium mentione, animalcula hiſce incluſa altius rimatur, dicitque, inſecta, ſi tempeſtatum aut hyemis injuriâ compellantur in latebras & cavernas, inibique ſomno ſepulta deliteſcant, à liquore bituminoſô in ſuccini matricem tanquam horum dormitorium, deſtillante implicari & obtegi, & ſi à calore ſubterraneo excitentur, vel viva à fluore bituminoſo irretiantur, nullum invenire effugium; hinc iſta præcipuè inſecta quæ cavernas in dormitoria eligunt, ſuccino incluſa eſſe: perfectiora verò animalia, ut ranas, lacertas, piſciculos ſuccino nunquam, niſi per artis fallacias, condita deprehendi. Caſû haud abſimili, quæcunque ex plantis, ut ſemina, muſcum, cortices, ligna, feſtucas, mineralibuſvè, ut vitriolum, ferrum, pyritem, armaturam auream & argenteam, ſuccinum complectitur, dum in matricem illapſa ſunt, à fluore bituminoſô obſideri atque occupari exiſtimat. Aquearum verò guttarum intrà ſuccinum occluſarum eam dicit rationem; uda ſcilicèt matrice à calidâ bituminoſâ exhalatione obſepta, aquam intrò compulſam à calore ſubterraneô conſumi neſciam, ob copiam circumſtantis bituminoſi laticis nullam rimam, qua difflueret, invenire; præcluſô itaque exitû, captivam ſe includi paſſam eſſe.

Quid ſit ſuccinum, determinaturus *Hartmannus*, hoc non inter metalla, cùm nec ductile ſit, nec liquabile; nec inter terras aut ſalia, cum terris arctiùs cohæreat, & ſalibus ſit pinguius, utriſque etiam humidius; nec inter bitumina & ſulphura, cùm ſit nimis durum atque ſolidum; ſed inter lapides ratione duritiei, inter gemmas ratione ſplendoris collocat; ipſiuſque vim levia corporiſque humani humores attrahendi, oleoſis particulis adſcribendam deprædicat; odorem, ſaporem, colorem & ſuccini levitatem, quibus à pleriſque gemmis differt, collaudat; uſuſque medicos, quibus tam citrà quam per præparationem artis pharmaceuticæ corpori noſtro inſervit, recenſet; præ reliquis balſamum ſuum ſuccineum, in quô remotis terreſtribus graveolentibus partibus, volatiliores atque delicatiores amiciſſimo fluoris nexu cohærent, nullo alieno in ſocietatem admiſſo, commendat, ceù medicamentum, omnia, quæcunque à ſuccinô crudô aut arte quomodocunque præparato expectari poſſunt, citiùs, tutiùs, ac jucundiùs præſtans.

Sed intimiorem quoque ſuccini analyſin docet, modumque ſal, oleum, infuſionem, tincturam, & magiſterium ſuccini parandi tradit. Demùm & matricem ligneam deſtillationi & examini docimaſtico ſubjicit, atque vitriolum Pruſſicum non cum cuprô ſed cum marte ſociatum, terram corticoſam ejuſdem eſſe naturæ cum ligno foſſili, flavam verò ad martem inclinare & vitriolici quid traxiſſe advertit.

Quâ ratione prudentia civilis in rem ſuam vertat ſuccinum, tradens Author, munia recenſet, quæ circa ſuccinum colligendum & vendendum adminiſtratorem, litoris equites, ſervos cameræ &c. obire decet. Porrò quantùm lucri fiſco æque ac privatis apportet ſuccinum rude & elaboratum, breviter determinat. Denique quâ ratione illuſtre ſuccinei operis Muſæum, cui omnium, quotquot Europæus orbis celebrat, gazophylaciorum ſplendor cedat, extrui & adornari poſſit, delineat.

De eô præterea habentur in Miſcell. Cur. Decur. 2. Ann. 4.

Obſervatio 72. *De Lumbrico in Rene Canis ſanguineo.*

Ibidem Obſervatio 73. *Vermes Veſiculares ſive Hydateodes in Caprearum Omentis, & in Pulmonibus alterius furfuracea.*

Ibidem Ann. 5. *Obſervatio* 61. *De Anatome Puellæ Diarrhœâ confectæ.*

Ibidem Obſervatio 62 *De Anatome Phrenetici.*

Ibidem Obſervatio 63. *De Anatome Hernioſæ & Aſciticæ.*

Ibidem Obſervatio 64. *De Anatome Aſciticæ.*

Ibidem Obſervatio 65. *De Anatome tabidi.*

Ibidem Obſervatio 66. *De Anatome Anaſarcâ enecti.*

Ibidem Obſervatio 67. *De Anatome Hydrope uteri extinctæ.*

Ibidem Obſervatio 68. *De Anatome Hydrope & Molâ uteri afflictæ.*

Ibidem Obſervatio 69. *De Anatome infantis cui abſceſſus congenitus.*

Ibidem Obſervatio 70. *De Anatome infantis ſcirrhô viſcerum defuncti.*

Ibidem Obſervatio 71. *De Anatome Calculô Veſicæ enectæ.*

Ibidem Obſervatio 72. *De Anatome Aſcitici.*

Ibidem Obſervatio 73. *De Anatome pueri Calculô veſicæ enecti.*

Ibidem Obſervatio 74. *De Anatome puerperæ partûs difficultati ſuccumbentis.*

Ibidem Obſervatio 75. *De Anatome Matronæ febre confectæ.*

Ibidem Obſervatio 76. *De Anatome monſtroſi crediti Fœtûs.*

Ibidem Obſervatio 77. *De Anatome Aſcitici & Hernioſi.*

Ibidem Annô 7. *Obſervatio* 17. *De Anatome Caponis inediâ enecti.*

Ibidem Obſervatio 18. *De Anatome Carduelis fame peremtæ.*

Ibidem Obſervatio 19. *De Anatome Canis Diarrhœâ afflictæ.*

Ibidem Obſervatio 20. *De Anatome Ovillorum Uterorum Embryis intus ſceletis.*

Ibidem Obſervatio 21. *De Anatome Ventriculorum tophis intus concretis.*

Ibidem Obſervatio 22. *De Anatome renum & partium adjacentium non rectè ſe habentium.*

Ibidem Obſervatio 23. *De Anatome Veſicularum fellis & partium adjacentium non rectè ſe habentium.*

Ibidem Obſervatio 24. *De Anatome Glandiorum.*

Ibidem Obſervatio 25. *De Anatome Lienum.*

Ibidem Obſervatio 26. *De Anatome Porcellæ Hermaphroditæ creditæ.*

Ibidem Obſervatio 27. *De Anatome vitulæ Hermaphroditæ.*

Ibidem Obſervatio 28. *De Anatome ventriculorum intus latitantibus aciculis.*

Ibidem Obſervatio 29. *De Anatome Gallinæ Iliacæ.*

Ibidem Obſervatio 30. *De Anatome Scirrhorum.*

Ibidem Obſervatio 31. *De Anatome Uteri ſuilli Fœti-*

li Fœtibus diſparis magnitudinis.

Ibidem Obſervatio 32. *De Anatome Turturis pinguedine ſuffocatæ.*

Ibidem Obſervatio 33. *De Anatome Gruis pinguedine ſuffocatæ.*

Ibidem Obſervatio 34. *De Anatome Canis morbidi.*

Ibidem Obſervatio 35. *De Anatome Canis in partû mortuæ.*

Ibidem Obſervatio 36. *De Anatome Picæ glandariæ Epilepſiâ enectæ.*

Ibidem Obſervatio 37. *De Anatome Fringillæ Epilepticæ.*

Ibidem Obſervatio 38. *De Anatome Gallinæ Hernioſæ.*

Ibidem Obſervatio 39. *De Anatome Veſicæ monſtroſæ.*

Ibidem Obſerv. 40. *De Ventriculi piſcis Siluri, Welſſ dicti.*

Ibidem in Append. pag. 1.

Exercitatio de Generatione mineralium, vegetabilium, & animalium in Aëre, occaſione annonæ & telæ cœlitùs delapſarum Annô 1686. in Curoniâ Auctore Philippô Jacobô *Hartmann*, Phil. & Med. D. P. P. Regiomont. Academiæ Leopoldinæ Imperialis Naturæ Curioſorum Collegâ. Annô 1689.

Ibidem Anno 9. *Obſervatio* 9. *De Anatome Pueri tabidi.*

Ibidem Obſervatio 10. *De Anatome profluviô ſanguinis per alvum, & cordis anxietate laborantis.*

Ibidem Obſervatio 11. *De Anatome apoplexiâ defuncti.*

Ibidem Obſervatio 12. *De Anatome monſtroſorum Ureterum.*

Ibidem Obſervatio 13. *De Anatome Arthritici præ pinguedine mortui.*

Ibidem Obſervatio 14. *De Anatome ex gangrenâ veſicæ defunctæ.*

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 156. *Oſcheo-didymo-hydro-ſarcocele.*

Ibidem Obſervatio 157. *Abortus & Molæ.*

Ibidem Obſervatio 158. *Pueri ferâ tuſſi laborantis viſcera.*

Ibidem Obſervatio 159. *Atretâ.*

Ibidem Obſervatio 160. *De Anatome Nephriticæ & Pictocholæ κάτω.*

Ibidem Obſervatio 161. *De Anatome Apoplectici.*

Ibidem Obſervatio 162. *De Anatome Monſtri.*

Ibidem Obſervatio 163. *Colon occluſum.*

Ibidem Decur 3. *Anno* 2. *Obſervatio* 185. *De Anatome Pueri Aſthmatici.*

Ibidem Obſervatio 186. *De Anatome Trimuli, Febre, Diarrhœâ, & Bulimô confecti.*

Ibidem Obſervatio 187 *De Anatome Galli & Gallinæ Apoplecticorum.*

Ibidem Obſervatio 188. *De Anatome juvenis Aſthmatici.*

Ibidem Obſervatio 189. *De Anatome Canis Hydropici.*

Ibidem Obſervatio 190. *De Liene ſuillo hydropico.*

Ibidem Obſervatio 191. *De Gallinæ uterô hydropicô.*

Ibidem Obſervatio 192. *De Herniâ Pulli Gallinacei.*

Ibidem Obſervatio 193. *De Veſicularibus vermibus in Mure.*

Ibidem Obſervatio 194. *De Hepate Gallinaceo pingui.*

Ibidem Obſervatio 195. *De Liene ſuillô geminô.*

Ibidem in Appendice, pag. 1. *Dn. D. Philippi Jacobi Hartmanni, Prof. Publ. Regiomontani & Academici Curioſi Deſcriptio Anatomico-Phyſica Xiphiæ ſive Gladii Piſcis.*

Ibidem Anno 3. *Obſervatio* 121. *De Anatome ex febre mortui valvulis Cordis cartilagineis.*

Ibidem Obſervatio 122. *De Anatome Nephritici.*

Ibidem Obſervatio 123. *De Anatome in puerperiô defunctæ.*

Ibidem Anno 4. *Obſervatio* 83. *De Partû poſthumô.*

QUando mihi annô 1694. ab Amicis coram & literis referebatur, alterô à Matris morte die *fœtum ex釋 maternô uterô ullum ſubſidium prorupiſſe*, non quievi priuſquàm publicô teſtimoniô ſub ſigillô Civitatis de illâ re certior fierem.

I. Quantùm *in vivacitate fœtus* ſit ſitus, ùt *partus* obveniat facilis, ex hôc conjecturam capias.

II. Majoris momenti & uſûs hanc Hiſtoriam puta ad *Obſtetricum internecinam imprudentiam redarguendam*, ſiquidem pleræque illarum nec ad vires nec ad conatus fœtûs, reſpicientes afflictas matres neſcio ad quæ non cogunt, aut ipſæ manû immiſſâ uterum lacerant; *funeſtos* ejuſmodi *partus* non paucos adverti, ut contrà eos *faciles* aut minimè lethales ſi Matrem tranquillitati animi, & quieti corporis conſultum, atque reliquum viribus embryi permiſſum; *Neque* enim in *Matrum poteſtate prorſus eſt fœtum eniti*, bruta nos aliud edocent, edocere etiam nos aliud exempla Barbarorum poterunt, ex quibus ſine vehementiâ niſûs fœtus in lucem prodeunt. Non quidem Matres adnitentes accuſo, intempeſtivam ſolùm Obſtetricum imperitiam tanquam nocentiſſimam damno, perſuaſus utique, modò juſtus Embryi ſitus ſit, parùm Matrum conatus conferre, ſed quicquid eſt conatuum ab Embryi viribus ſucceſſus ſumere. *Multas* autem *Matres* occidi, aut *occiſas*, aut miſerrimè exagitatas ut ad priſtinam ſanitatem nunquam redierint, *ob immatura & præcipitia Obſtetricum ad nitendum conſilia & imperia*, Praxis cuilibet proh dolor! plurimis nocumentis commonſtrabit.

Ibidem Obſervatio 84. *De Abortû cum Molâ.*

Ibidem Obſervatio 85. *De Impotente & ſtupidô.*

Ibidem Obſervatio 86. *Ex Anatome Apoſtemate Hepatis defuncti.*

Ibidem Anno 5. & 6. *Obſervatio* 205. *De Anatome Pueri Phthiſici, latentibus in corde Polypis.*

Ibidem Obſervatio 206. *De Molâ.*

ANnô 1667. Matrona honeſta, triginta aut plurimum annorum, multorum liberorum parens, facili ſemper *partû* & hôc *ſingulari*, quòd eundem *nulla ſanguinis profluvia aut lochia* inſequantur, ſe enim Puerperam negat hôc judiciô deprehendi poſſe; Temperamenti alioquin optima, niſi quòd aliquot annorum ſpatiô variis intervallis præcordiorum anxietates in ſiniſtro latere perſentiſcat. Hæc ceſſante menſtruô tributô, per trimeſtre ſpatium, templum die 2. febr. feſtivô ingreſſa, aliquid *ſanguinis* ex muliebribus ſtillâſſe advertit; *ſequenti die Solis*, quum cultui ſacro rurſùs intereſſet, denuò *ſanguineas ſtillas* ſentit. Neque tamen ægrè illud ferre, ut ut ſubtilius amictam intenſum frigus affecerat. D. 6. demum cum angore & deliquio *profluvium* patitur, quod d. 7. gravius extitit, excretô ſimùl *cruore*. D. 8. à pran-

diô advocatus pallentem ſupra modum & vix reſpirantem inveni. Nimirùm uti poſtea referebat, quoties portio ſanguinis excernebatur, deliquiis & anxietatibus iſtis premebatur. Excreta, affuſâ tepidâ, perluſtravi, oſtendique non merum ſanguinem, ſed *Laciniosam partem eſſe* molæ; *Coagulatus* enim *ſanguis tunicis pluribus* arctè concreverat, ùt tepidâ nequaquam ſolveretur. Sed quum pulſus & inquietudo aliæque circumſtantiæ conatum plura excernendi arguerent, *adhibitô Balſamô* Embryonum & *vinô Rhenanô* ad firmandas ægræ vires, aquâque calidâ ſellæ ſuppoſitâ, pedibuſque adverſus frigus munitis ſumtâ *Tinctur. Corallior.* cum *Aq. Cinamomi* ſ. urgeri ad excretionem aliorum cœpit illicò, prodiitque *monſtrum horrendum*, ſed non *ingens*, cui tamen lumen ademtum. Mola erat murem corporis mole referens, ùt tamen *roſtrum porcellino ſimilius oſtenderit pedibuſque & caudâ eſſet deſtituta*; *Rudis indigeſtaque moles*, ſubrotunda, alterô extremô globoſô, alterô propendulô acuminatô, mediô ventriculô prominulô. Quum *pingui cuticulâ* eſſet *obvelata*, concretam pinguedinem primus obtutus volebat; ſed *cultrô omnia luſtrans, coagulum ſanguinis obſervavi pluribus tunicis, fibris, vaſis intertextum, intermixtis & albis. Offendi & veſiculam intus hærentem, quæ inciſa, non humorem ſed gelatinam dabat.* Idem culter *patefecit, quod ex ſanguine condenſatô natura diverſos lobos inſtar muſculorum* priùs conſtruxerit, quos deinceps in unum corpus compegit, affigens *tunicas*, ùt alienus hic fœtus non prodiret nullus; *Ex diverſis* enim *muſculis, membranâ ſuâ inveſtitis, contextum, quaſi opus carneum* monſtrabat, *niſi quòd laxioribus fibris, coagulô ſanguinis intercedente*, corpori juſtum *parenchyma* conciliari necdùm potuerat. Editâ molâ ſanguis parcè & citra dolores ſubſequi cœpit, oleumque amygdalarum dulce cum pulvere cordiali pretioſô ceſſit in remedium, Deôque opitulante convaluit.

Uſus ex hiſtoriâ de Molâ.

I. *Generatio* Molæ *eadem* fermè quæ *Polypi*; ex ſtagnante ſanguine ſeroſum diffluit, aut abit, cum parte magis fluidâ ipſius ſanguinis, fibroſum verò reſtitat cum mucoſo; novis acceſſionibus novi accreſcunt lobi; calor verò ſuperficiei inducit tunicas; ſed de his aliquando plenius mentem noſtram exponemus.

II. *Sæpè caſus dat quod conſilium non inveniat remedium.* Quô enim conſiliô niſi temerariô & præcipiti quod cum vitæ periculô fuiſſet conjunctum, hanc molam locô ſuô dimoviſſes? Imo quî in Matronâ iſtâ molam conjecturâ aſſecutus eſſes?

III. *Frigus abortûs cauſa*, in noſtra etiam monſtroſi.

IV. *Quæ* ſolùm ab auritis teſtibus de monſtroſis editis corporibus variè referuntur, illis parùm fidei tribuo. Aniculæ, quibus hæc viſa mola, aliæ muris, aliæ porcelli, aliæ canis memorabant ſpeciem. Nugæ nugaciſſimæ.

Ibidem Obſervatio 207. *De Anatome Pueri Hydropici & Phthiſici.*

Ibidem Obſervatio 208. *De Anatome ſeptuagenariæ quæ profluviô ſanguinis laborans per muliebria vermem excreverat.*

Ibidem Obſervatio 209. *Teſtis gemellipara tumor ſingularis.*

ACutiſſimis cum doloribus miſerè tempore graviditatis conflictata, marita aliquot annorum, *difficili* ſemper *partû*, *fatalem gemellorum*, Annô 1697. d. 20. Maji ſubiit, tribus, enim à partû filii filiæque horis expiravit, *Placenta unica* fuit, *funiculis* trium digitorum tranſverſorum ſpatiô à ſe invicem diſtantibus.

Mihi dexter teſtis conſpiciendus oblatus; Tumorem hic *præ ſe ferebat teres*, magnitudine Pomi Borſtorfferiani mediocris; *Exteriùs lividæ latæ maculæ*, *communis membrana Teſticuli in denſam tunicam degeneraverat*, quam incidens facilè à reliquô corpore detraxi; *Denſæ verò huic tunicæ* ſubſtratum erat *coagulum* quaſi *ſebaceo fibroſum album*; fibræ paſſim contextum carnis æmulabantur, ſed ut minùs firmiter cohærerent; veluti vitulorum cocta tenuia jejuna inteſtina, preſſuram cultelli à ſe invicem recedebant, & divellebantur. *Semotô coagulô ſebaceô, plurium glandularum congeries*, in lucem prodiit; *compreſſæ* omnes, atque *exſuccæ*, *albæ* ſ. plurimas glandularum diſſecui, *omnes* autem *cavas* obſervavi, majori, aliarum minori cavitate; *in quarumdam cavitatibus ſebacei coaguli modicum* detexi. Cohærebant autem hæ glandulæ *inſtar uvarum* paſſarum in racemo, *inæqualis figuræ* omnes, nullæ rotundæ; In confiniô alæ veſpertilionum *in fibras carneas pedunculis ſuis deſinebant* intercurrentibus vaſis ſanguineis.

Uſus ex Hiſtoriâ de Tumore Teſtis gemellparæ ſingulari.

I. Quando omnia ex ovo generari, noſtri ævi curioſitas aſſertum ibat, ego quoque innumeris anatomis omnis generis animalium, omnis ætatis, & conditionis Uteros exploravi, demonſtrationem de *Viviparorum ex ovô Generatione* ritè traditurus, illique *Tractatui* & hujus hiſtoriæ uſum vindico; *Veſicularis* autem *Teſtium muliebrium natura*, hâc egregiè exprimitur.

II. Quomodo autem *Veſicularum* in Mulieribus *Teſtibus officium ſit* non *ova*, ſed *humores excludere*, qualeſcunque ad ipſas à vaſis tranſmittuntur, puto ex eâdem itidem ob oculos egregiè ponetur.

III. Pariter, eadem commonſtrat, *prorſus ſemini analogum humorem intra Veſiculas Teſtium fœmininorum* recondi, pingui aëreum.

IV. Quando autem ab *inflammatione* quacunque *membrana communis* fuit correpta, *dextri teſtis* hujus liquor ex veſiculis exſudans, *intus concluſus*, *inſpiſſari*, caloreque teſtis p. n. partem cum *membranâ* compingente & hæc condenſari cœpit; tumor autem à novô ex veſiculis erumpente liquore, quouſque omnes aditus occluſi, incrementum cepit.

V. Dolorem partim ab inflammatione, partim *ab intumeſcentia Teſtis* gravida experta eſt.

VI. Illud autem conjiciendum aliis relinquo, an ad *gemellos ex unô teſticulô ſolum muliebris latex confluxerit*; *an tempore graviditatis adultæ iſtud dextro Teſti acciderit*; dolebam quòd *Tubas Fallopianas* introſpicere non dabatur, has enim *Maritus Chirurgiæ peritiâ celebris*, eximere neglexerat.

Ibidem Annô 7. *&* 8. *Obſervatio* 38. *De Genitalibus Vitulæ monſtroſis.*

Ibidem Annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 102. *Ex Anatome à Partû difficili defunctæ.*

Ibidem Obſervatio 103. *Ex Anatome Hœdi Hermaphroditi.*

Ibidem Obſ. 104. *De Uterô Ovillô Hydropicô.*

Ibidem Obſervatio 105. *Ex Anatome Puellæ triennis Meſenterio in tumorem ſanguinolento ſuppuratum conglobato.*

Ibidem Obſervatio 189. *Ex Hiſtoriâ & Anatome Gemellorum coalitorum Annô* 1702. *M. Mart. in Pruſſiâ natorum.*

Ibidem Obſervatio 190. *De Sceletô Gemellorum coalitorum janiformi.*

Ibidem

Ibidem Obſervatio 191. *Ex Uteri Ovilli, Collo in ligamentum coalito, fœtûque adulto emortuo, Anatome.*

Ibidem Obſervatio 192. *De duobus Abortibus uhmanis Oviformibus.*

Ibidem Obſervatio 193. *De ſecundina Abortiva Ovo Cotyledoniformi.*

HARTZIUS (*Philippus*)

Ex eô habetur

De cauſis contemptæ Medicinæ, Liber. Montibus Hannoniæ, in 8.

HARVETUS (*Iſraël*) Aurelianenſis

De eô extant

Defenſio Chymiæ, adverſùs Apologiam & Cenſuram Scholæ Medicorum Pariſienſium: Et in eaſdem Guilielmi Baucyneti, Medici Aurelianenſis, Notationes. Pariſiis, apud Guilielmum Awray, 1604. in 8.

Demonſtratio veritatis doctrinæ Chymiæ; adverſus Johann. Riolani comparationem veteris Medicinæ cum novâ, Hippocraticæ cum Hermeticâ, Dogmaticæ cum Spagyricâ. Hanoviæ, apud Claud. Marnium, 1605. in 8.

HARVEY (*Jacobus*)

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1707. *p.* 475.

Præſagium Medicum: or the Prognoſtick Signs of Acute Diſeaſes

i. e.

Signa prognoſtica morborum acutorum. Londini apud Georgium Strahan, 1706. *in* 8.

PArtem Semioticæ Prognoſticam traditurus Clariſſimus Autor, Hippocratis, qui hâc Medicinæ parte maximam ſibi comparaverat famam, non ſolùm inſiſtit veſtigiis, ſed & recentiorum Medicorum Obſervationes allegat, rationes phœnomenorum ubique adjungens. In ſedecim igitur Capita incluſit, quæcunque hoc de argumentô dici poterant. Scilicèt cap. 1. de deliriô, cap. 2. de ſenſoriis, cap. 3. de doloribus, cap. 4. de corporis habitû & poſitû, cap. 5. de pulſû, cap. 6. de urinâ, cap. 7. de ſomnô & vigiliis, cap. 8. de excretis per alvum & vomitum, cap. 9. de ptyaliſmô & ſanguinis ſputo, cap. 10. de ſudore, inſenſibili tranſpiratione, hæmorrhagiis & ſanguine ex venâ extractô, cap. 11. de reſpiratione, cap. 12. de convulſionibus, aphonia, vociſque alterationibus, cap. 13. de appetitû, colore faciei, genarum, linguæ, & adjacentium partium, cap. 14. de horroribus, tremoribus & palpitationibus, cap. 15. de abſceſſibus, bubonibus, ac carbunculis, & cap. 16. de criſi diebuſque criticis agit, & quæ ſigna prognoſtica ex hiſce fontibus peti poſſint, declarat. Speciminis loco quædam ex capite 1, quod deliria ſiſtit, excerpta dabimus. Circa primam febrium acutarum invaſionem liquor nerveus fixatus & confuſus, motuſque ſanguinis languidus obſervatur, mox tamen ſpiritus animales & ſanguis priſtinum vigorem recuperant, hinc calor frigus excipit, & ſanguis rarefactus ſuos canales vaſaque adjacentia diſtendit & comprimit, illa imprimis cerebri, utpote magis contorta & complicata; unde neceſſariò dolores, ſtagnationes fluidorum, & alia ſymptomata ſequuntur. Qui calor ſi aliquandiù continuet, ſanguis exhauſtô ſerô ſuô viſcidior redditur, nervi & fibræ, cerebri potiſſimùm, contrahuntur, & ſpirituum animalium motus producitur irregularis, ſub quo variæ ſpecies repræſentantur, & anima ad illas advertens ad delirium diſponitur; quod citius non deſinit, niſi calore extinctô, & ſanguinis rarefactione ſublatâ, id quod per ſomnum & evacuationes cujuſcunque generis obtinetur. Bonum igitur ſignum eſſe dicitur, ſi delirantes ſomnum capiant; calorem enim non æqualem ſemper ſervare gradum, ſed de vehementiâ ſuâ remittere quandoque, hoc ipſô innuitur. Contingit tamen ſubinde, ut poſt æſtum, vigilias & deliria nimis diu protracta, in ſomnum incidat æger; idque pro lethali habendum eſt ſignum; ſiquidem nervi & fibræ cerebri relaxatæ nimis ſenſibus tàm externis quàm internis vacare amplius neſciunt. Evacuationes quod attinet, hæ e. gr. per hæmorrhagiam narium pro bonô vulgò reputantur ſignô, ſed in principiô morbi hæc fiat, & ſit copioſa, neceſſe eſt; calor enim hôc modô reſtinguitur, efferveſcentia ſanguinis infringitur, & materiæ morbificæ pars eliminatur. Quod ſi verò guttatim exſtillet ſanguis, coloriſque ſit nigri, ſummam vaſorum capillarium laxitatem, ſanguinis aciditatem, & pertinacem ejus obſtructionem innuit, ægrumque in mortis faucibus hærere docet. Riſum delirantium equidem nil mali portendere vulgò dicitur; eô ipſô tamen, quod ille convulſionis à calore nimiô ſerique defectû productæ ſpecies eſt, omni periculo vacare non poteſt. Sic reſpiratio parva & debilis in delirantibus malum præbet omen; cùm enim ad reſpirationis negotium magnus ſpirituum animalium requiratur affluxus, in hoc caſû eoſdem deficere, vel quia ex ſanguine non elaborantur, vel quia ob obſtructiones influere in ſufficienti quantitate nequeunt, innuitur. Denique delirium affectibus ſoporoſis ſuperveniens meliùs equidem ominari ſuadet, quatenùs ſanguinis velocitatem reſtaurari, viſciditatem reſolvi, & ad excretiones diſponi, vel morbificam materiam in abſceſſum abiiſſe indicatur. Quòd ſi verò inflammatio ſit magna, aut diutiùs duret, delirium dentium ſtridore, oculorum fixitate, urinæ & alvi excrementorum involuntariâ excretione, linguæ ariditate & nigredine, ſitis defectû, gangrænâ cerebri, & machinæ animalis diſſolutione ſtipatur, & cum morte terminatur.

HARVEUS (*Gedeon*)

De eô extat

De Febribus Tractatus Theoreticus & Practicus præcipuè, quô, Praxin curandarum Febrium continuarum modernam eſſe lethiferam & barbaram, abundè pateſit. Londini, apud Gulielmum Thackeray, 1672. in 8.

De eô præterea habentur in Actis Lipſienſibus An. 1695. *p.* 382.

Ars curandi Morbos expectatione; item de vanitatibus, dolis & mendaciis Medicorum. Amſtelodami juxta exemplar Londinenſe, 1695. 12.

VUlgarem morbos curandi modum acerbè perſtringens Autor hôc in libellô, ideò artis morbos *expectatione* curandi titulum ei præfixit, quoniam totus eſt in eo, ut oſtendat, Medicorum vulgus nihil quicquam emolumenti ægris afferre ſuis remediis, & cùm nonnulli convaleſcunt, expectando uſque donec morbum naturæ vis fregerit, fruſtrà ſibi ſuiſque arrogare medicamentis, quod expectationi & naturæ debetur. Hinc Medicorum illorum ſectas diverſas ſex potiſſimùm conſtituit, vocando *ferream* quæ Martialibus, *aſinariam* quæ lacte aſinino, *Jeſuiticam* quæ cortice Peruviano, *aquariam* quæ aquis mineralibus, *laniariam* quæ venæſectione, *ſtercorariam* quæ purgantibus morbos promiſcuè curare ſatagat. Hæ ergò ſectæ quantùm afferant damni humano generi, ut demonſtret, pri-

mò de ferreis doctoribus agit, ac ſecundis, infauſtiſque chalybis effectibus; concedens in hujus ſulphure quiddam validè abſterſivum & diureticum eſſe, ſi acidos humores offendat; aliàs autem ferrum conſtipare vaſa aſſerit, ſi cum ſale vitriolicô in unum coëat & proinde omnibus illis in caſibus, ubi pulmones vel hæreditariè vel adventitiè fuliginoſum & uliginoſum inſpirando aërem redditi ſunt aſthmatici, è chalybe parata remedia, tàm humida quàm ſicca, omittenda eſſe, niſi præcipuum indicans extrema ſit neceſſitas. Idem confirmat enumeratione aliorum malorum è chalybe fluentium, imprimis quod noxam in cerebrum & nervos immedicabilem fundat uſus chalybis protractus. Sulphur tamen chalybis, particulis ſalinis penitùs exutum & vi conſtringendi privatum, commendat tanquam egregium deobſtruens, ejuſque ſuccedaneum laudat tincturam tartari: ad cujus præparationem aſſumit tartari duas vel tres uncias, affuſôque ſpiritû vini non rectificatô ad ſupereminentiam quatuor digitorum, per dies noctesque quatuor, in phiolâ in arenæ balneô digerit in colorem flavum; tincturæque decantatæ cochleare integrum mane & veſperi in vehiculô idoneô exhibet. Porrò de aſinô-doctoribus, ut vocat, agit, damna potûs lactis exaggerans, etiam ipſâ in phthiſi, vix medici nomen illum mereri aſſerens, qui abſque ilô hanc curare neſciat. Antihecticum Poterii planè rejicit, aliaque vulgaria antiphthiſica quæcunque, cùm unicum detur medicamentum, quod ad omnes pulmonariæ tabis indicationes quadret, ſolaque aëris commutatio ſanitati recuperandæ plurimùm conducat, quæ proinde cauſa ſine quâ non ſit cenſenda. Ab his ad aquarios accedit doctores, illoſque recenſet morbos, quibus medendis aquæ minerales vulgò adhibentur; in quibus cùm calculus facilè ſit præcipuus, ab hujus curâ removet illas pariter atque medicamenta lithontriptica quippe cùm unica & certa methodus hanc ægritudinem curandi in eô poſita ſit, ut cauſis procatarcticis internis, antecedentibus, materiali & adjuvantibus, ſubtractis & correctis, quô ſpirituum & fermenti emendatione natura calculum friabilem reddere poſſit, ductus excernentes probè relaxentur, & mucilagineis emollientibus lubricentur, necnon ſubinde molliter ac gradatim diureticis ſtimulentur, ut ſabulum deturbent. Enumerat quoque alios errores in curatione calculi committi ſolitos, taxatque catheteris abuſum. Porrò lanios doctores aggreditur, qui vagè imperent phlebotomias, in ætatis decurſû chroniciſque morbis vix ac ne vix quidem admittendas, cùm levamen præſentaneum ab eis collatum vix cum viſcerum defectione & imbecillitate hinc oriunda comparari mereatur. Quandoquidem autem plerorumque morborum curationem expectationi, non medicamentis deberi cenſet, hinc in apparatum inquirit pharmaceuticum, magis ad pompam quàm uſum comparatum, ſalsèque irridet ineptas præparationes, peculiari capite purgantium farraginem cenſoria notans virgula, neque diſſimulat medicaſtrorum fraudes modoſque impunè occidendi, in exemplum adducens Jacobum Cottier Ludovici XI. Galliarum Regis Medicum. Cæterùm parùm tribuit methodo medendi & ſubtilitatibus anatomicis, plurimùm pharmaceuticæ legitimæ & obſervationi effectus medicamentorum in morbis ſingulis, cùm vires illis vulgò adſcriptæ generatim ferè falſæ ſint, & his adhibitis nihil aliud agant Medici, quàm ut deludant ægros, tempuſque trahant præſcribendo medicamenta, quæ ſi non obſint, nihil tamen proſint, donec tandem natura morbum ſuperaverit. Id quod exemplô curationis febrium, morbillorum, variolarum, tuſſiumque illuſtrat, inquirens quoque in uſum & abuſum Medicorum collegiorum & conſultationum. Quod ſupereſt, quamvis multi expectatione ſanentur à Medicis, non paucos tamen ab illis quoque expectatione occidi contendit, dùm exhibentur medicamenta irrita, idque contingere præcipuè in pulmonum ulceroſâ tuſſi, marcore & febri hecticâ. Notat quoque illorum errorem, qui tuſſim & catharros à frigore derivant; cùm nihil aliud ſint quàm fermentationes, quibus heterogeneæ particulæ à ſanguine ſecernuntur, tutòque curentur vel venæ ſectione vel educendo humores mucilaginoſos & tartareos in œſophagi glandulis & infimô ventre ſtabulantes, non dulcibus bechicis. Cõmendat quoque in tuſſi purulentâ arcanum ſuum ex re vili paratum, quod mirè faciat ad ulcera totius corporis tam interna quàm externa abſtergenda & conſolidanda. Nè verò deſtruxiſſe omnia, nihil autem ad ſtabiliendã artem Medicam adduxiſſe videatur, de febribus ſuam ſententiam proponit, præmiſſâ de fermentatione & ebullitione hypotheſi, quæ hùc redit: (1) Corpora omnia tam ſolida quàm fluida conſiſtere ex triplici particularum genere, quorum duo ſint activa, ſibi invicem contraria & ſe mutuò oppugnantia, tertium neutrale, paſſivum, viſcoſum & glutinoſum, ut ſui interpoſitione inter particulas activas, eas non ſolùm ab hoſtilitate mutuâ detineat, ſed eaſdem quoque ſuâ tenacitate arctè compingat & connectat; paſſivaſque particulas in corporibus ſolidis eſſe duriores tenacioreſque, in fluidis autem molliores & laxiores. (2) Partes corporum alias eſſe circumferentiales, è parvis trium illorum generum particulis conſtantes, ſed laxiores; alias verò centrales ex iiſdem elementis compoſitas ſed magis denſas & compactas, & illas diſſolutioni & interitui magis quàm has eſſe obnoxias. (3) Fermentationem oriri, quandò in circumferentialibus partibus intermediæ particulæ paſſivæ ſecedunt ab activis, quas ex unâ parte acidas, ex adverſâ igneas, alcalicas, ſpirituoſaſque eſſe concipit, ut in ſe mutuò agere poſſint, donec altera alteram deſtruxerit; ebullitionem autem fieri quandò in ſe agunt particulæ activæ centrales, ut fiat totius mixti ſolutio & deſtructio. Porrò febris naturam explicat ſupponendo (1) Febris intermittentis ſedem cauſamque eſſe in meſenterii glandulis & pancreate, vaſiſque inde decurrentibus ad viſcera infimæ regionis & hinc per univerſum corpus (licèt fermentatio primò in ipſis glandulis & pancreate, & proximè in vaſis lymphaticis circa viſcera & imprimis ventriculum incipiat) eamque ſæpiùs in primordiô in particulis latere circumferentialibus, & poſtmodum in ipſis centralibus ſuccorum lymphaticorum, aliorumque in locis prædictis ſtabulantium. (2) Febrim intermittentem eſſe ebullitionem particularum centralium ſuccorum lymphaticorum & quandoque lacteorum, ſed continuam febrim eſſe ebullitionem centralium particularum ſanguinis. (3) Succos lymphaticos (quo nomine comprehendit ſuccum cerebri, nervorum, pancreatis cæterarumque glandularum) adpellentes quoquoverſùs ad membranas univerſum corpus inveſtientes eas pungente acritate vellicare, ac pro acrimoniæ gradû frigus, horrorem vel rigorem inducere; in membranas ventriculi impingentes, languorem ventriculi, nauſeam & vomitus movere; veſicæ membranis allidentes ſtranguriam & quandoque dyſuriam inferre; & inteſtinorum membranas

concutientes tormina & alvi fluxus parere. (4.) Enumerata ſymptomata non diutiùs permanere, quàm donec ebullientes ſucci lymphatici cum ſanguine in vaſis majoribus permiſti fuerint, cujus particulæ circumferentiales ſolutiores ſeu laxæ & ſeroſæ ab ebullientibus ſuccis lymphaticis in ingentem fervorem adiguntur, adeò ut ex utriſque commixtis tùnc ſummus iſte ardor oriatur, qui à tertianâ laborantibus perſentitur, quique pro ebullitionis gradû in quartanâ mitior exiſtit. (5.) Sedimentum rufum in tertianorum urinis, poſt paroxyſmum peractum, eſſe particulas viſcoſas ſecedentes cnm emortuis activis. (6.) Chinam de Chinâ exhibitam vires potiſſimas cominùs exerere, ſcil. in ventriculum, inteſtina tenuia, pancreas, & proximè adjacentes meſenterii glandulas, earumque omnium lymphatica vaſcula haud longè diſſita; quorum omnium ſuccorum in ipſis contentorum particulas mucoſas relaxataſque arctè compingat, cogat & condenſet; quâ ratione exemplo particulæ activæ compeſcantur & ebullitio inhibeatur; atque hinc fieri, ut, ſi auctiori doſi ingeratur primâ vice, & contenta in vaſis & viis inteſtinorum proximis valdè condenſet, cæmentet & obturet, doſibus ſubſequentibus introitus & ſimùl virtutum admiſſio penitùs præcludatur. Hinc autem deducit; (1.) ſi cauſa febris intermittentis in vaſorum meſaraicorum parte, quæ inteſtinis proximè adjacet, ſedem obtineat, largam Chinæ doſim unam vel alteram ebullitionem febrimque actutùm inhibere; ſed ſi in vaſorum dictorum partibus diſſitis lateat, à priori Chinæ doſi ampla ſequentibus viam præcludi, ipſaſque cum excrementis alvinis proturbari, alvique fluxum moveri; nihilominùs tamen febrim perſiſtere intermittentem, quin imò ob vias conſtipatas ingruere, & haud rarò in continuam lethalemque tranſire. (2.) In febribus continuis putridis, quæ cauſam & ſedem multò longius à primis viis diſtantem habent, Chinæ corticem grave damnum, imò mortem ipſam adducere; primis enim viis conſtipatis & humoribus compactis, nullum medicamentum febribus continuis obſiſtens ad vaſa majora penetrare, neque naturam ſedimentum album ob vias præcluſas poſſe expellere, quæ proinde in cruoris maſſam recedens febrim lethalem reddat. Suadet proinde ad curandas febres neque acida neque volatilia alcalia adhibere, cùm particularum activarum partem unam intendant, & ſic febrim vehementiorem reddant, ſed ſolùm neutra quædam peculiaria virtutibus prædita, quibus evidenter hic morbus debellari queat. Febrium autem diverſitatem, & paroxyſmorum rationem derivat ex materiæ febrilis naturâ & locô. Quô enim propiùs ventriculô vel inteſtinis accumbit, & quò majori vel minori copiâ, eò crebrioribus vel rarioribus paroxyſmis torquetur æger; ſcilicèt ſi procul à ventriculo & hepati ſit propinqua, parit tertianam, ſi propior lieni, quartanam. Item ſi materiæ febrilis particulæ intermediæ ceù neutrales ſolutiores laxioreſque fuerint, tertiana emergit; ſin minùs ſolutæ & laxatû difficiliores, quartana, quintana, ſextana, vel menſe unô pluribuſque paroxyſmus oritur. Porrò quâcunque in parte glandulæ ſuccum lymphaticum aſſumſerint, pars iſta ſingularis tantùm parteſque adjacentes paroxyſmis febrilibus typicis ſubjiciuntur. Porrò de ſpiritibus Auctor ſuam dicit ſententiam, opinatus partes ſubtiliſſimas ſanguinis in venis *naturales*, in arteriis *vitales*, partes verò ſubtiliſſimas ſuccorum nerveorum *animales*, glandulo-ſorum *glanduloſos ſpiritus* vocari, & animales quidem à cerebrô confici ſuccum iſtum tenuiſſimum & tenacem à ſerô ſanguinis ſeparandô, & trans poros ductuſque ſuos peranguſtos trajiciendo; ipſoſque poſtmodò ſub formâ tenuiſſimorum filorum in anguſtiſſimos nervorum canaliculos tùm directos tùm tranſverſos & obliquos impelli, atque hinc morborum à ſpirituum animalium vitiô dependentium ætiologiam arceſſendam eſſe; quod exemplo tumoris albi non curabilis niſi cauterio actuali illuſtrat. Tandem de aſthmate agit ex ſuccô glanduloſô incraſſatô oriundô, nec non apoplexiâ & lithiaſi ſpuriâ, abuſum catheteris perſtringens.

Ibidem Annô 1701. *p.* 436.

The Vanities of Philoſophy, and Phyſick.

i. e.

Vanitates Philoſophiæ & Medicinæ. Londini apud W. Turnerum, 1700. *in* 8.

VUlgarem medendi methodum ante aliquot annos acriter perſtrinxit Autor Clariſſimus in librô, quem inſcripſit; *Ars curandi morbos expectatione;* cujus contenta retulimus in *Actis* hisce, *A.* 1695. *p.* 382. Eundem nùnc laborem continuat in præſenti tractatu, erroreſque varios tam circà Theoreticam & Practicam Medicinæ partem, quàm circa Philoſophiam naturalem commiſſos notat. In *Capite I.* nimiam vulgi miratur credulitatem, quod præſcriptas formulas quovis auro præſtantiores æſtimet; Herbaria verò hortulanis magis neceſſaria eſſe docet quàm Medicis, ſiquidem illi ex figuris herbas cognoſcant, quæ in agris hinc inde creſcentes, plantiſque eſculentis nutrimentum detrahentes eradicari debent; atque conſultius eſſe putat, pueros ablegare in ſylvas & montium declivia, pro colligendis plantis, quàm Medicos; ſiquidem illi eum in finem eò excurrant, ùt pecoribus pabulum procurent; hi verò, ut novam plantæ faciem æri incidi curent, immenſa conſcribant volumina, & Aldrovandi inſtar varias beſtias, piſces, aves, muſcas &c. delineantis, nihil agendo vitam terant. Et cùm omnia ſimplicia non infallibiliter tollant morbum, tanta vegetabilium farragine ſuperſedere, & pauciſſimis contentos non eſſe poſſe, tradit. In *Cap. II.* monſtrat, Philoſophiam Corpuſcularem non minùs ac Peripateticam, res naturales malè explicare, & ſupponit (1.) quidquid in Philoſophiâ & Medicinâ nondum cognovimus eſſe plus, quàm cujus cognitionem acquiſivimus; (2.) pleraque in Medicinâ, quæ cognita & manifeſta pronuntiamus eſſe conjecturalia & incerta; (3.) falſum & erroneum eſſe ſæpè, nos rei hujus illiuſvè eſſentiam, cauſas & effectus penitus cognoviſſe. In *Cap.* 3. 4. & 5. de Chylificatione agit, diverſaſque Authorum allegat ſententias, eaſque refutat, negat enim, illam calore ſtomachi naturali, vel per arterias ab hepate, liene &c. adducto peragi; aut ab acidô fermentô perfici; nec ſalivæ præcipuam vel nimiam diſſolvendi vim in acceptis eſſe referendam; nec ſtomachum capacem judicat, qui ejuſmodi liquorem acidum contineat, quo oſſa, ligamenta, nervi & caro poſſint diſſolvi. Quin potiùs omnem digeſtionem putat abſolvi per ſpiritus animales, tanquam particulas corporis ſubtiliſſimas ſalinas, per nervos ſextæ conjugationis amplos in ſtomachi cavitatem

vitatem hiantes, & per ipſius tunicas diſtributos, eo depoſitas. Ut autem in Chylum redacta alimenta depurentur, formatum eſſe dicit ſuccum fermentativum, eumque acidum, per glutinoſas vel gummoſas particulas ſpiritibus igneis junctum; quæ fermentatio augeatur, poſtquam in inteſtinis humiditas ex pancreate & meſenterii glandulis deſtillans cum bile fuit miſta. Quemadmodùm autem omnem ventriculi dyſcraſiam nervorum à pituitâ, aut fæculentiis acidis, alimentis δυσπέπτοις vel in cruditates nidoroſas redactis obſtructorum debilitati adſcribit: ita omnia calida & reſtrictiva medicamenta ſtomacho magis obeſſe quàm prodeſſe, abſterſiva verò remedia vera eſſe ſtomachica pronunciat; quem in finem pilulas ſuas aloëticas, quarum præparationem prolixè deſcribit, commendat, iis verò, qui conſtitutionis calidæ & ſiccæ, aut hæmorrhoidibus obnoxii ſunt, Electuarium lenitivum, Caſſiam Fiſtularem, Rhabarbarum, Mechoacannam, Tartarum Rhenanum, Semen Fœniculi, & Syrupum Dialtheæ recipiens magis conducere ſcribit. De cæterô purgantia fortiora & venæſectiones repetitas ſeriò damnat. In *Cap. VI.* doloris nephritici, podagræ, colicæ, pleuritidis, rheumatiſmi, apoplexiæ, &c. cauſam in certam ſubtilem & acrem ſeroſitatem ſeu potius lympham vitiatam, à cerebrô per nervos ad extremitates derivatam, rejicit. In *Cap. VII.* Cordi & arteriis nullam vim movendi ſanguinem concedit, quin putat, hunc movere cor, eodem modo ac aër premens & replens pulmones eôdem tempore comprimit aërem in thoracis cavitate contentum & diaphragma dilatat. In *Cap. VIII.* ſpirituum animalium præſtantiam (Vitalium enim & naturalium exiſtentiam negat) collaudat, ut potè qui ad omnes omninò functiones concurrant, dum per nervorum non modò extremitates, verùm etiam poros laterales, ad omnes deferantur partes; hinc cerebrum pro unicâ totius corporis parte principali habet, quatenùs totum corpus externorum ſenſuum & motûs localis, & hæc ſenſuum internorum gratiâ facta ſupponit. Cor autem partem inſtrumentalem dicit; hinc eſſe contendit, quod remedia cordialia vulgò dicta, non cor, ſed cerebrum reſpiciant, cephalica rectiùs dicenda. Iiſdem ſpiritibus deberi monet, quod ſanguis circulariter moveatur; ſecùs ac Medicorum turba rem exponit, qui illos ab hoc moveri adſtruunt, cùm tamen ipſi doceant, ſanguinem multò eſſe craſſiorem ſpiritibus. Abſurdum pariter pronuntiat ſtatuere, per pulſationem arteriarum ſanguinem ex his ad venas urgeri; id potiùs contingere putat mediante rarefactione; per continuam agitationem à ſpiritibus factam ſanguini introducta, cui adſociat levem aliquam pulſationem venarum; negat tandem, in ſyſtole omnem ſanguinem ex corde expelli, & in diaſtole totam cordis concamerationem repleri. In fœtû ſpiritus functiones ſuas non præſtare aſſerit, quas in natis peragunt, ſed illum vivere vitam plantæ, & deſtitui omni reſpiratione, omni cordis & arteriarum pulsû, omni ſanguinis motû circulari. In *Cap. IX.* remedia antiphthiſica, hactenùs decantata, ut Syr. de Rapis, Hederam Terr. Fl. Hyperici, Conſervam Roſ. &c. irrita proclamat & opiatorum noxam exponit. In febribus putridis & malignis, de quibus *Cap. X.* agit, ſupponit putrefactionem, mixturam ſanguinis diſſolventem, & calorem p. n. producentem. Culpat igitur Medicos, quòd calorem pro causâ & eſſentiâ febrium habeant, ac refrigerantia propinent. Per venæſectionem ſemel vel bis inſtitutam ſpiritus libertati quidem reſtitui, & maſſam ſanguineam ſpatium capacius acquirere concedit, nihilominùs ſi frequentiùs repetatur eadem, ſpiritus diſſipari, & febri minùs conſuli putat. Vomitoria & purgantia licèt per ſe febrem non tollant, admittit tamen eadem in principiô, quatenùs malignos humores evacuant. Diaphoreticorum uſum ſuſpectum habet, quia ea ante declinationem, materia nondùm cocta, haud debeant propinari, & falſum ſit, ea augere & agitare ſpiritus, imò operatio ipſorum dubia notatur. Narcotica mitigare quidem ſymptomata ipſi dicuntur, poſt quorum operationem tamen malum augeatur. Ex quibus nullum verum dari antifebrile concludit; & licèt Cortex Peruvianus quibuſdam tale audiat, ſæpè tamen majores eum concitaſſe turbas docet. In *Cap. XI.* Medicorum vulgus irridet, qui calorem p. n. renum, aut facultatem λιθοποιητικὴν pro calculi cauſâ habent. Ipſe potiùs ad ejus generationem requirit 1.) ſpiritus animales depauperatos, ſerum non ſufficienter ſeparantes, & expellentes; 2.) ſerum cum ſale Ammoniacô ſaturatum; 3.) mucum, qui combinat ſal cum 4.) ſabuloſis ſanguinis particulis; 5.) anguſtias viarum in renibus; & 6.) gluten vitioſum ex nervis nephriticis exſtillans. Lithontriptica tùm examinat itaque negat, acida corroſiva tale quid præſtare; diuretica verò agere pronunciat vellicando; ſtimulando, vias conſtringendo, & ſic ſerum expellendo; ingentem tùm eorum apponit farraginem, inter quæ tamen delectum commendat. In *Cap. XII.* ſenſationem examinat, quam hôc ferè modô ſibi concipit. Scilicet ſenſus externi fiunt pel impulſum, ſeu impreſſionem, ſicque per contactum, eorumque ſubjectum primarium non eſt nervus, ſed membrana, adeòque viſûs ſubjectum tunica cornea ſeu ſclerotica eſt. Hæc impreſſio continuatur, juxta nervorum longitudinem, per ſpiritus animales uſque ad cerebrum, & producit ſenſum communem; ſin eadem per ramos nervorum laterales propagetur, & diù perſiſtat, memoria dicitur; ubi verò diverſæ impreſſiones modò componantur, modò dividantur, imaginatio exurgit, ità ut ſenſus internus una quidem ſit facultas, ex diverſis tamen actibus conſtet. Jam ſi ſpiritus animales irregulariter & violenter moveantur, & impreſſiones confundantur, mania oritur, cujus ſymptomata explicat, & curam ſuppeditat; in quâ Veneſectiones nimias & emetica nimis frequenter propinata rejicit, atque de ſe teſtatur, quod aliquot maniâcos per V. S. bis vel ter repetitas, lenes purgationes & medicamenta antihypochondriaca mineralia, intra 6. ſeptimanas feliciter curaverit. Tandem quædam oculorum vitia examinat, cataractam putà, ſuffuſionem, guttam ſerenam, & ophthalmiam; quâ ratione verò viſus integer conſervari queat, regulas tradit, illoſque ſalſè ridet, qui pilulas lucidas etiam atque etiam commendant, ſiquidem iſtas oculis non magis ac pedum digitis judicat appropriatas

De eô etiam Anglicè extat

Morbus Anglicus, ſive Diſcurſus Theoreticus & Practicus de Atrophia & Melancholia Hypochondriaca, comprehendens earum naturam, ſubjectum, differentias, cauſas, ſigna prognoſtica & curationem. in 12.

HARVEUS (*Gulielmus*) Medicus Anglus Celeberrimus, natus Folkſtoni in Comitatû Kent Cantabrigiæ, ubi Medicinæ Doctor creatus fuit

fuit, litterarum ac Medicinæ ſtudiis incubuit; atque etiam per quinquennium Patavii in Italiâ iiſdem ſe dedit. Plures per annos Regis Caroli I. Medicus fuit. Ipſi univerſè Circulationis inventum tribuitur, qnod primâ fronte vividè oppugnatum fuit, tandemque evidentiâ ſuâ oppugnatores omnes devicit. Quidam putant *Servetum*, qui Genevæ concrematus fuit, de hôc inventô, in unô ex ſuis libris mentionem feciſſe; quidam etiam alii, altiùs rem repetentes, vel apud ipſum Hippocratem illud ſe legiſſe volunt; Sed verè ineptè ex Clar. Pitkarniô Scotô. Harveus annô 1557. ætatis 80. mortem obiit, multaquê in Collegium Medicorum Londinenſium beneficia congeſſit. Nominis ſui immortalitati non mediocrem operam dedit, per aureos *De Circulatione Sanguinis, de Generatione, de Ovo*, &c. Tractatus.

De eô hæc in Lindeniô Renovatô.

Exercitatio Anatomica de Motû Cordis & ſanguinis in Animalibus. Francof. apud Guiliel. Fiſcherum, 1628. in 4. Lugduni Batav. apud Johan. Maire, 1639. in 4. cum Refutationibus Æmylii *Pariſani, Romani*, & Jacobi *Primiroſii, Londinenſis* Medici. 1639. 1647. in 4. Patavii, 1643. in 12. Extat etiam cum Johannis Walæi Epiſtolis duabus de Motu chyli & ſanguinis. Vid. *Joh. Walæus* ſuô locô; item cum Adriani Spigelii operibus, quæ extant, omnibus, à Joh. Antonid. van der Linden recenſitis. Amſtelodami, apud Johan. Blaeu, 1645. in fol. reg.

Exercitationes, de Generatione Animalium. Quibus accedunt quædam de Partû: de Membranis ac Humoribus uteri; & de Conceptione. Londini, apud Octav. Pulleyn, 1651. in 4. Amſtelodami, apud Ludov. Elzevirium, 1651. in 12. Ibidem ap. Joh. à Ravenſteyn 1651. in 12. Ibid. 1662. in 12. Hagæ Comitis, ap. Arnoldum Leers, 1680. in 12.

Exercitationes duæ Anatomicæ, de Circulatione ſanguinis, ad Johannem Riolanum Fil. Roterodami, apud Arnoldum Leers, 1649. in 12. Extant etiam cum ejuſdem Harvei Exercitationibus Anatomicis, de motû cordis & ſanguinis Circulatione. Quibus acceſſit Diſſertatio de Corde Jacobi de Back. Ibid. ap. eund. 1671. in 12.

Exercitationes Anatomicæ, de Motû Cordis & Sanguinis Circulatione unà editæ, cum duplici Indice Capitum & Rerum, necnon Diſſertatione de Corde, Jacobi de Back. Roterodami, 1661. in 12. Ibidem, apud Arnoldum Leers, 1671. in 12.

Exercitationes de Generatione Animalium. Extant etiam cum Daniel. le Clerc & Johan. Jacob. Mangeti Bibliothec. Anatom. Genevæ, apud Johan. Anton. Chouet, 1685. in fol.

Exercitatio Anatomica de Motû Cordis & Sanguinis. Extat etiam ibidem, apud eundem annô & formâ iiſdem.

HASFURTUS (*Johannes*,) Virgundus.

De eô extat

Nova Medicinæ Methodus, ex Mathematica ratione curandi morbos. Ettelingæ, apud Valentinum Kobian, 1532. in 4. Hagenoæ, 1533. in 4. Venetiis, apud Damianum Zenarium, 1584. in 4. Huic Johan. Paulus Gallutius argumenta & explicationem inſcripſit.

HASIUS (*Nicolaus*,) Leidenſis.

Ex eô habetur

Manuductio ad Artem Medicam. Extat cum ejuſdem Tractatu, de Modis Non-Entis & Entis; & de Religione in genere. Amſtelædami, apud Nicol. Ravenſtein, 1649. in 8. Ibid. 1664. in 4.

HASLERUS (*Johannes*,) Bernenſis.

De eô extat

De Logiſticâ Medicâ (hoc eſt, de Morborum & Medicaminum qualitatum gradus, purgantiumque doſes atque proprietates inveſtigandi, ratione apodicticâ) Problematis novem abſolutâ, Liber unus. Auguſtæ, apud Valentinum Schonigh, 1578. in 4.

HASSARDUS (*Petrus*) Armenterius-Flander.

De eô extant

De Morbô Gallicô, Tractatus. Lovanii, apud Bergagne, 1554. Extat etiam in Appendice ad Tomum I. Operis Veneti de morbo Gallico, pag. 72.

Saluberrima bonæ valetudinis tuendæ præcepta Eobani Heſſi, Poëtæ feſtiviſſimi, Elegiacô Carmine, ad imitationem Galeni, noviſque Commentariis illuſtrata. Francof. apud Chriſt. Egenolphum, 1568. in 8.

Clypeus Aſtrologicus, contra flagellum Aſtrologorum Franciſci Rapardi, Brugenſis Medici, cum Declaratione & Approbatione utilitatis Aſtrologiæ. Lovanii, apud Anton. Mariam Bergagne, 1552. in 8.

HATLEIUS (*Griff.*)

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1685. *p.* 371.

De Conchis foſſilibus ſeu Lapide Conchite Obſervatio excerpta ex Tranſact. Philoſ. Anglic. M. Jan. 1668. $\frac{4}{3}$ *Num.* 155. *pag.* 463.

Cum in Comitatû *Cantii* prope *Hunionienſe* oppidum in locô, quartâ milliaris parte à flumine *Medway* diſſito, piſcina amplificanda eſſet, inter fodiendum argilla primùm reperta eſt trium pedum profunditate; inde marga cœrulea optima trium pedum cum dimidiô; deinſtratum durum ex Conchis, ſeu conchi formibus lapidibus ſatis denſè coagmentatis, quorum interſtitia itidem marga replebantur. Stratum hoc pollicis ſaltem craſſitie ac ità planum, ut in eô commodè ambulari poſſet, procurrebat, quemadmodum ſolent venæ ſilicis in terrâ cretaceâ; ac ſub eô rurſus marga pedis circiter profunditate deprehendebatur. Concharum iſtarum pleræque exturbinatarum, reliquæ ex bivalvium claſſe erant, ex his tamen poſterioribus nullæ ambabus valvis invicem cohærentibus repertæ, ſed non niſi ſingulæ ſeu ſeparatæ. Ac turbinatas quidem ſeu contortas quod attinet, craſſities earum erat à vicia ad avellanam; figura omnium eadem, niſi quod in nonnullis latera nonnihil depreſſa eſſent; color, abluta marga ſeu terra lapidoſa, lapidi Bezoar ſimilis apparebat; coctæ tamen albeſcebant & cretacei quid in digitis tangentis relinquebant; quo ipſo à cochleis fricatione ablato, ſubtiliſſimæ ſtriæ nigricantes extrorſum emergebant. Obſervatum quoque, conchas has in acetô fortiter & cum bullis efferveſcere. Ex bivalvibus pleræque non excedebant craſſitiem phaſeoli, paucæ fabam majorem latitudine æquabant: valvæ tamen adeò erant tenues, ut conſimilibus animalium exuviis multùm hâc in parte cederent. Color idem, qui turbinatarum, niſi quod in paucis lineæ oblongæ, circulariter ad commiſſuram, quâ valvæ jungi ſolent,

ſolent, tendentes obſervatæ. Una tamen inter reliquas reperta ex diſtinctis quaſi lamellis compoſita, cujus convexa facies pulcherrimo nigrore ſplendebat, interiore margaritæ colorem referente. Ex bivalvularibus hiſce multæ imperfectæ apparebant, & ut ſcholæ loquuntur, in fieri; non quantùm ad figuram, ſed quantùm ad craſſitiem & duritiem: & in aliquibus velut prima ſtamina, in aliis quaſi gradus & profectus varii ad perfectam figurationem.

Ex hâc ipſâ jam imperfectâ in nonnullis formatione, ut & in jam completis valvarum ſingularitate arguit Hatlejus, conchas iſtas nunquam exuvias animalium fuiſſe; præſertim cùm non auditum fuerit, exundans flumen eò uſque unquam pertigiſſe, aut locum iſtum anteà fuiſſe detectum. Quin potius exiſtimat eas eſſe lapides ſui generis, tales ſcilicèt ex quibus Conchites, ut vocari ſolet, conſtat. Confirmat hoc ex eô quod fruſta prædicti concreti diſſimilaris, ubi marga induruit, perquam ſimilia appareant vulgari iſti marmori, quod circà *Pluckley* in *Canti* effoſſum adhiberi ſolet viis ſternendis, nam & hoc non aliud credit eſſe quàm coagmentationem ejuſmodi lapidum conchiformium, quibus interfuſa marga firmam ſoliditatem ac duritiem adquiſiverit: unde & fieri ait, quod marmor iſtud aëri expoſitum ſenſim exiguas oſtendere cavitates incipiat, interjectis ſcilicèt margæ portionibus, tanquam minùs duris, per temporis tractum eroſis. Pro alio adhùc ſuæ opinionis argumento allegat *Hatlejus*, quod non longè à locô illô priori in agrô Huntonienſi, & quidem profunditate eidem horizontaliter parallela ex quadam margæ fodinâ effoſſum fuerit marmoris fruſtum, quod teſſellato quaſi opere diſtinctum appareat lapidibus ejuſmodi conchiformibus; quodque adeò veriſimiliter eadem cum compoſitô anteà deſcriptô principia agnoſcat.

HAVENREUTER (*Joh. Ludovicus*) Natus Argentorati A. C. 1548. Patre Sebaldô Reip. illius per annos 50. Medicô; in patriâ 1574. Philoſophiæ Magiſter; Tubingæ verò 1585. Medicinæ Doctor, & eôdem annô in Univerſitate patriâ ejuſdem Profeſſor publ. renunciatus eſt. Verùm 1589. relictâ profeſſione Medicâ, Metaphyſicam & Phyſicam, hancque tandem ſolam ad finem uſque vitæ docuit, Medici munere feliciter unà functus. Obiit Argentorati, 1618. ætatis ſuæ 70.

De eô extant

Oratio de Arte Medicâ recitata in Academiâ Argentoratenſi. Francofurti, apud Nicolaum Baſſæum 1586. in 8.

Commentarii in Ariſtotelis de Animâ & parva naturalia dictos libros. Francofurti 1605. in 8.

Pharetra ſagittifera & Vexillum Raphaëliticum. Tubingæ, 1631. in 8.

Diſputatio Medico-Phyſica de Elementis. Argentorati, 1591.

Diſputatio Medica de iis, quæ in principiô Artis Medicæ Galeni traduntur; Reſpondente Johanne Sebaſtianô. Argentorati, 1586. in 4.

Diſputatio de Epilepſiâ. Argentorati, 1586. in 4.

HAVERS (*Cloptonus*) Doctor Med. Anglus, Societatis Regiæ Membrum, exhibuit publico Oſteologiam novam, ſeu potiùs Obſervationes novas de Oſſibus eorumque partibus; Quo in ſcripto non tam in eô verſatur Auctor, ùt extrinſecam oſſium figuram atque compagem, quippè ab aliis jam dudùm accuratè deſcriptas, delineet, verùm potiùs, ut, quæ ab aliis neglecta vel inſufficienter tractata ſunt, ſuppleat, atque ulteriùs illuſtret, adjectis variis experimentis & obſervationibus tam circa hominum quàm brutorum oſſa factis & inſtitutis. Aſt miſſis hâc vice iis, quæ ad propoſitum noſtrum non pertinent, primaria tantùm capita anatomici argumenti excerpemus. Pertinet hùc accuratior deſcriptio membranæ oſſa inveſtientis, quam aliàs perioſteum vocant. Hanc oſtendit Auctor à duplici veluti fonte ſcaturire, fibras nimirùm ex quibus componitur, quaſdam & eaſdem quidèm ſemper oſſi contiguas & ab unâ oſſis extremitate ad alteram excurrentes, à durâ matre, per diverſa cranii loca, prodeunte, & hic per univerſam oſſium compagem ſeſe diffundente; ipſis nè quidem articulationibus curſum ejus interrumpentibus, originem ducere; Alias verò his ſuperincumbentes, perioſtei fibras à muſculis atque tendinibus ſingularum corporis partium ſubnaſci & pro diverſô muſculorum ſitû diverſum quoque poſitum obtinere obſervavit. Dentium ſubſtantiam à reliquâ oſſium conditione non parùm differre atque ex duplici conſtare materiâ exiſtimat, alterâ nempè molliori & verè oſſeâ tantùm, alterâ verò duriori & quaſi lapideâ quæ alteri illi in partibus extra gingivas extantibus inſtar corticis incumbat, eamque à detritione immunem præſtet. Medullam oſſibus incluſam totam oleoſam eſſe aſſerit, neque tamen confuſô acervô intra cavitatem oſſium jacere, verùm intra utriculos ſeu lobulos membranaceos à communi illâ tunicâ, intrinſecam oſſis ſuperficiem inveſtiente, ſubminiſtratos comprehendi. Uſum medullari huic oleo hunc adſcribit, quòd non tam oſſium nutrimento impendatur quàm potiùs unctuoſitate ſuâ oſſa in debitô temperamentô jugiter conſervet, nè ob nimiam ſiccitatem evadant fragilia aut prorſùs rimas contrahant. Inſuper verò non minoris momenti uſum præbere in oſſibus articulatis, nempè inſervire inſtar axungiæ articulationibus lubricandis, ſicque prohibere, nè oſſa in ſeſe mutuò colliſa inter movendum aut invicem incaleſcant aut atterendo abſumantur. Singularem etiam format diſcurſum de *Glandulis Mucilaginoſis*, quarum naturam ac fontes à nemine ante ſe detectos inquirit, cui indagationi occaſionem ſibi dediſſe viſcidum illum liquorem, circa articulorum regionem nunquam non ſeſe offerentem, ipſemet fatetur. Haſce glandulas titulô *Mucilaginoſarum* inſignire placuit, quia viſcidæ cuidam mucagini ſecernendæ illas dicatas eſſe deprehendit. Duorum verò generum illas eſſe perhibuit, alias nempe puſillas & agminatim ſuper membranis articulationum diſperſas, æqualis omnes magnitudinis, alias verò majores & in locis quibuſdam dictæ membranæ oſſiumque articulatorum ſinubus adeò conglomeratas, ùt ſeparatas conſpicuaſque per ſe forment glandulas. *Gœlicke Hiſt. Anat.* p. 120.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Annô 1691. p. 573.

Oſteologia Nova,

Or ſome new Obſervations of the Bones and the Parts belonging to them,

ſive

Obſervationes novæ de Oſſibus partibuſque ad ea ſpectantibus. Londini, ſumtibus Samuelis Smith. 1691.

1691. *in* 8. *Poſterior editio lucem vidit anno ſequente, Francofurti apud Kuhnium.*

OSteologiæ novæ titulum haudquaquam præter meritum ingenioſo huic ſcripto præfixum fuiſſe, facilè cuivis ipſum pervolventi patefcet: dum in eô, poſthabitis iis, quæ extrinſecam oſſium figuram atque compagem aliasque circumſtantias, jam tùm paſſim annotatas ac deſcriptas concernunt, talia potiſſimùm proponere ſategit Nobiliſſimus Autor, quæ circa hanc humani corporis partem ab Anatomicis hujus ſeculi neglecta hactenùs, vel nondùm ſatis eruta fuere; quæque adeò ipſe aut acutâ ſpeculatione, aut oculari indagatione definienda ſibi atque illuſtranda ſumſit, ſedulò ubique in conſilium adhibitis variis experimentis & obſervationibus, tàm hominum, quàm brutorum circa oſſa factis. *Quinque* verò in univerſum *diſcurſibus* ſuum hunc-ce laborem incluſit, Regiæ etiam Societati, cujus ipſe perdignum eſt membrum, per intervalla communicatis atque prælectis, ejusdemque, competentis nempe talibus in cauſis tribunalis, ſuffragio haud obſcurè comprobatis, dum ipſius maximè hortatû ad eorum publicationem incitatum ſemet Autor profitetur; quorum ſingulis quid pertractetur, per compendium nùnc pro inſtituti ratione indicare aggredimur: utut prævideamus, difficile quodammodo fore, tantam materiæ ubertatem, quanta ſuccinctis his diſcurſibus comprehenditur, intrà paucarum pagellarum limites ità compingere, nè plurima, ſcitû tamen digniſſima, intacta relinquantur.

Et *primus* quidem in ordine *Diſcurſus* naturæ, oſſium & partibus ea tùm conſtituentibus, tùm obveſtientibus, explicandis deſtinatus eſt. Nimirùm ab ovô, quod ajunt, rem exorſus Autor, initiô breviter diſſerit de generatione, fœtusque formatione, ſcitè & ex mechanicis veluti legibus adumbrans, quâ ratione per fermentationem particularum in ovulô maternô excitatam, prima jam tùm uti cæterorum membrorum, ità & oſſium ſtamina continente, circulatio ſanguinis ſua capiat exordia, indeque poſtmodum juge molis incrementum & partis ad partem adpoſitio procedat. Sermone hinc propius ad propoſitum thema converſo, ad membranam, quæ ante alia in oſſibus ſpectandam ſemet exhibet, deſcribendam ſe confert, *Perioſteum* puta: de cujus origine cùm Anatomici non conſentiant, Noſter ſtrictiori examine præmiſſô comperiſſe ſe ait, illud, quâcunque demùm in parte corporis conſideretur, à duplici velùt fonte ſcaturire, fibrasque adeò ipſum conſtituentes duorum generum eſſe: nimirùm quaſdam & eas quidem ſemper oſſi ipſi contiguas, ac rectâ ab unâ ad alteram oſſis extremitatem procurrentes originem ducere à durâ matre, per diverſa nempè cranii loca prodeunte & à capite ſic ad univerſam oſſium compagem ſemet diffundente, ne quidem articulationibus curſum ejus interrumpentibus, cum ibi non obſcurè fibroſarum harum propaginum ſuper oſſium ligamentis continuatarum veſtigia legerit Autor. Alias verò his ſuperincumbentes, perioſtei fibras à muſculis ac tendinibus ſingularum corporis partium ſubnaſci & iſtùc propagari obſervat, easque non ità rectò, ut illas, tramite procurrere. Sed prò diverſo muſculorum ſitû & ipſas varium obtinere poſitum, ità ut alicubi planè aliæ alias decuſſare fuerint viſæ: & has quidem non rarò intrà ipſam oſſis ſubſtantiam radices agere animadvertit, penetrantes reliquam perioſtei membranam, eas inſtar circuli ambientem. Atque huic fibrillarum inſertioni non modò deberi putat exquiſitam illam oſſium ſenſationem, quam ſæpè in partibus etiam membranâ ſuâ denudatis habere deprehenſa ſunt, (nervos enim, quales nonnulli hic ſuſpicari voluere, Autor, accuratiſſimè licèt facta inquiſitione, in oſſium nullo, præterquam in dentibus reperire ſe potuiſſe teſtatur) ſed & quadantenùs firmam illam hujus cum illis cohæſionem acceptam refert: cujus tamen potiorem cauſam quærendam vult in gelatinoſa oſſium, dùm primùm naſcuntur, qualitate, liquato glutini æmula, unde non poſſint non contiguæ ſibi membranæ tenaciter adhæreſcere. Inter uſus perioſtei, quos diverſos allegat, potiſſimus eſt, quod animales ſpiritus ſufficiat oſſibus pro fovendo calore ac ſenſu, nec non accretione & nutritione eorum perficiendâ; prætereà verò eandem membranam inſervire (non ſolitariè tamen) ſtatuit ad limites incremento oſſium ponendos, dum nempè ulteriorem tenſionem admittere jam recuſet; cui quidem nil quidquam obſtare autumat hujus membranæ tenuitatem, quandoquidem experientia ſimile quid fieri oſtendat in arboribus, non rarò ob corticis anguſtiam ampliùs augmentum haud capientibus; nec non in morbô illô equorum, quem Angli *Hidebound* vocant, ubi pariter adſtricta nimis cutis, ut ut non omninò tenſionem reſpuens, impedimento eſſe credatur, ne animal ad juſtam ſtaturæ dimenſionem creſcere valeat. Progreditur hinc Autor ad examinandas partes oſſium conſtituentes, quas terreas partim, partim ſalinas ſtatuit: tametſi enim haud diffiteatur, cuncta demùm *principia Chymica* per ignis torturam ex iſtis elici poſſe (proportione licèt admodùm inæquali, dum terreſtrem quidem materiam ſolam $\frac{2}{3}$ aut ſaltem $\frac{5}{9}$ conſtituere, ſpiritum cum phlegmate circiter $\frac{1}{8}$ oleum non multum ultra $\frac{1}{24}$ ſal volatile forte $\frac{1}{30}$ efficere deprehendit) attamen eorùm pleraque pro peregrinis & adventitiis agnoſcit, dum ſpiritus quidem & phlegma vaſis ſanguiferis & interſtitiis oſſearum particularum, oleum verò medullæ per ea diffuſæ accepto ferenda ſint, adeòque non magis oſſium partem conſtituere dici queant, quàm ſanguis pro parte venarum aut arteriarum reputari. Sal tamen volatile aut potiorem ſaltem ejus portionem pro genuina rigidorum horum corporum parte habet; dùm obſervavit, illud non modò poſt deſtillationem brevi iterùm ſolideſcere, & cryſtalliſari, ſed & quoad ſaporem ſalibus fixis, ac ſpeciatim lapidi prunellæ, ratione frigiditatis multum affine eſſe. Porrò curioſè deſignat formam atque ſitum particularum, indeque conſtantem oſſium texturam, quam & pro faciliori captû per adjectam *figuram* adumbrare quodammodo annìſus eſt. Nimirùm ſtatuit materiæ hujus ſalino-terreſtris particulas formâ oblongas eſſe, directoque ſitû collocatas, ità quidem ut altera alterius extremitati jaceat contigua: ex his verò componi chordas, parallelas & rigidas, quarum plures contiguæ dein laminas, laminæque tandem oſſium parietes conſtituant. Et has quidem chordas in extima oſſis parte jugiter contiguas & parallelas manere vult, nec in extremitate oſſis terminatas, ſed illic arcûs in modum reflexas & chordis alterius lateris occurrentes; interiores verò chordarùm ordines quod attinet, annotat

tat Autor, eos licèt circa meditullium, ut paralleli perdurent, prope oſſis caput tamen, paulatim à ſitû hoc divergere & laminarum loco faſciculos formare, *cancellorum* inſtar decuſſatos, reliquarum verò chordarum ulterius non paucas à ſociarum agmine diſcedere, ad formandas cavernulas quibus oſſium capita ferè ſcatent; ut adeò evidens ſit, horum parietes in mediâ regione (ubi nempè ob majus fractionis periculum neceſſitas id maximè expoſcebat) longè craſſiores eſſe, quàm circa extrema: quemadmodùm & Autor in oſſe femoris propè medium eos reipſâ quater craſſiores, factâ dimenſione, deprehendit, quàm in capite oſſis. Cæterùm ne quis putet, circa haſce partes, cartilagine ſcilicèt munitas, chordarum contiguarum curſum interrumpi; contendit Autor, earum ſeriem vel ideò inde non turbari, cùm particularum cartilagines componentium parilis, ut in oſſibus, diſpoſitio obtineat, nec alia interſit differentia, niſi quod hic particularum una alterius extremitatem non plenè attingat; ſed alterna inter ſingulas ſpatiola interſlitio aëri humorivè relinquantur. Memorat ulterius Autor *poros* oſſium, eoſque duorum generum; alios nempè longitudinem eorum pervadentes, & ex interſtitiis parallelarum chordarum oſſearum ortos; alios tranſverſos, ac per ſingulas laminas nullâ certâ ſerie diſperſos, iſtis prioribus ſubſervientes, & in eos medullare oleum, gradatim ex interioribus in exteriores laminas tranſmiſſum, convehentes. Varias inſuper in extimâ oſſium ſuperficie obſervat ſtrias, ſulcos, aliaſque inæqualitates ad firmiorem perioſtei adhæſionem tendinumque implantationem facientes. Speciatim verò in oſſe frontis, nec non circa ſincipitis oſſa, ſuturamque ſagittalem, peculiare pororum genus annotavit, intra ipſam cranii ſubſtantiam penetrantium; quos proinde non adeò dictis modò finibus deſtinatos autumat, maximè cùm tendinum muſculorumque adjacentium ratio tale quid efflagitare haud videatur; quam potiùs aliis & nobilioribus uſibus dicatos conjicit, nimirùm ut ſpiracula quaſi ſint, per quæ immediatè (non demùm auxiliô glandularum cutanearum & maſſæ ſanguineæ miniſterio) eliminari ac diſſipari valeant noxii vapores intra cranium prognati, atque ſic ſupera hæc regio animæ ſedes à nubibus nebuliſve ſerena manere queat. Et ex poroſa hac cranii conformatione jam pateſcere putat, tùm cur ſudor è fronte citius & copioſiùs ferè, quàm ex ullâ aliâ corporis portione erumpat; tùm quâ ratione emplaſtra & epithemata partibus his applicata, nec non fonticuli in cervice aperti juvent in affectibus cephalicis citiùs, quàm ſi aliis locis adhiberentur, ubi per viam ſanguineæ circulationis demum evacuationem fieri oporteret. Fatetur tamen, ſe non in omnibus ſubjectis talismodi poros cranii reperire potuiſſe: unde hariolatur, hanc eorum abſentiam forſitan jugi quorumdam cephalalgiæ, aut etiam nativæ aliorum ſtupiditati cauſam præbere poſſe. Tranſit hinc ad exponendos meatus oſſa perforantium arteriarum atque venarum, cùm nutritiarum, tum medullarium; quarum has quidem nunquam rectâ intra oſſium cavitatem tendere; ſed plerumque obliquô itinere inter eorum laminas, more ureterum intrà veſicæ tunicas, ſerpere obſervat, adeò ut quandoque ſeſquipollicis longitudinem in medio oſſis emetiantur, licèt hujus craſſities vix octavam pollicis partem ſuperet; cæterùm hanc arteriarum inſertionem ratione numeri & loci tam mirè variare notat, ut vix bina quis offenſurus ſit ſceleta; quæ exactè hâc in parte conſonent; licèt reſpectû directionis, quâ vaſa hæc aut ſurſùm intra oſſis cavitatem tendant, aut deorſùm, unam eandemque in omnibus ejusdem ſpeciei individuis viam tenere, cujuslibet oſſis, cum ſimili ſuo collati intuitû ſoleant. Rationem verò, cùr hoc vel illo in membro ſurſùm potiùs quàm deorſum, & vice verſâ ferantur, Autor per pluſcula exempla à ſitû partium, reſpectû habitô ad poſitum trunci corporis & aortæ, indeque pendente commodiori inſertione deducit. Accedit inde ad deſcribendam internam oſſium cavitatem, non unô ubique modô comparatam, dùm in aliquibus quidem ampla eſt & unica, in meditulliô ſaltem; in aliis multiplex & ſpongiæ inſtar in plures cavernulas diſtincta: priorum ſuperficiem interiorem lævem ferè & uniformem (niſi ubi turgeſcentia nimis vaſa ſanguifera ſui veſtigium oſſi imprimant, ut in craniô & majorum articulationum oſſibus aliquando fieri obſervat,) circa extremitatem utramque in clathratam quaſi texturam, tandemque in cellulas ſpongioſas deſinere ait. Et *Cancellos* quidem iſtos oſſeos (quos in tibiis equorum aliorumque brutorum bajulantium elegantiſſimè omnium figuratos teſtatur) inſervire potiſſimùm reputat pro ſuſpendendâ maſſâ medullari, cujus nempè non modô vaſa ſanguifera hùc illùc trans cancellos continuentur, ſed communis quoque membrana undique medullam ambiens iiſdem intertexatur; ac proinde cùm in oſſibus bovinis parùm hujus texturæ cancellatæ adſit, non abſimile technaſma à providâ naturâ ſubſtitutum refert, dum medulla ſuper diverſis tenuibus ſchidiis oſſeis, tranſverſô ſitû per interiora latera diſpoſitis recumbat, quo ità ejus pondus in plures quaſi partes diviſum meliùs ſuſtineatur, nec medulla deorſùm in unum concidat cumulum. Rationem quoque reddere nititur, cùr certa modò oſſa, quorum catalogum dat, amplam talem cavitatem, (pro molis nempè proportione) nacta, reliqua verò intus non niſi minutis cellulis inſtructa ſint: cùm enim advertiſſet, oſſa articulata generaliter ſic excavata eſſe, judicavit id fieri, partim ut firmiora, laminis nempè magis compacti forent; partim ut pleniori medullaris olei penu inſtruerentur, cujus nempè majorem copiam continuô motû inſumerent: ac ideò oſſiculis etiam oſſis hyoidis largam cavitatem obtigiſſe obſervat, moventibus nempe, quotieſcumque quid aut deglutimus aut loquimur: uti & illis, quæ in corde bovino inveniri ſolent, quæ gemina ſemper & articulata ſe reperiſſe perhibet; cùm ipſa quoque motum in quâlibet cordis aut ſyſtole aut diaſtole exerant. Reſpondet etiam objectionibus, quæ contra hanc aſſertionem ab oſſium nonnullis, articulatis quidem, nec tamen largâ cavitate donatis, moveri poſſent: ſpeciatim de coſtis monet, quod licèt omnium frequentiſſimè, ſingulis nempè reſpirationibus, in motum cieantur, ille tamen levis admodùm & obſcurus ſit, nec ita magnas proinde medullæ expenſas exigat; dum factâ computatione conſtet, coſtas in parte ſui maximè à centrô remota, agitatione ſuâ non emetiri ultra $\frac{1}{192}$ ſui circuli; cùm è diverſo tibia regulari inceſſû $\frac{1}{12}$ & quandoque $\frac{1}{4}$ os cubiti verò nonnunquam $\frac{1}{3}$ circuli motû ſuô deſcribat. Cætera oſſa, uti dictum & aliàs notum eſt, loco amplæ cavitatis non niſi minuſculas eaſque numeroſas cavernulas

nulas intrà ſe habent; atque hæc rurſùm in triplici differentiâ eſſe Noſter expertus eſt: alia ſcilicèt unà cum cellulis etiam cancellorum oſſeorum aliquid includere; alia meris cavernulis iiſque ſimplicibùs referta eſſe; alia denique pariter quidem nil niſi cellulas continere, ſed quarum binæ, ternæ, aut etiam plures in unum coaleſcere videantur. Omnibus verò id commune eſſe advertit, quod cavernularum unà cum cæteris adjacentibus communicet ope pororum atque meatuum, per quos non modò oleoſus medullæ liquor ex unâ in alteram feratur, ſed & ejuſdem membrana nec non vaſa ſanguinea multifariam diſtribuantur; quandoquidem tàm in horum pororum numerô, quàm cellularum figurâ, miram ubique varietatem deprehendit. Curioſa quoque ſunt, quæ de meatibus arteriarum nutritiarum, per totidem diſtincta foraminula ferè in unam oſſis extremitatem, trunco corporis propiorem intrantium, venarumque ex oppoſitô extremô, inde ut plurimùm magis rubente, rurſus exeuntium annotavit. Sub finem denique hujus Diſcurſûs peculiarem *Dentibus*, tanquam ſingulari oſſium ſpeciei, nòn parùm à cæteris diſtinctæ, tractationem impendit. Nimirùm primò obſervat, è duplici dentes materiâ conſtare, alterâ molliori & verè oſſeâ tantùm, alterâ duriori & quaſi lapideâ, quæ alteri illi in partibus extra gingivas extantibus corticis inſtar incumbat, eamque à conſumptione & detritione immunem præſtet; unde fieri arguit, quod dentes poſt noxam ſemel acceptam tam citò computreſcere obſerventur; dum nempè gingivis (ut intrà quas dura hæcce cruſta mox deficere incipit) alicubi fortè læſis vel abſumtis, dentis portio munimine hoc velut ſiliceo deſtituta, & jam externis injuriis expoſita, non poſſit diù integro in ſtatû perdurare. Tametſi verò corticalis hæc dentium ſubſtantia nitore non minùs quàm ſoliditate ſilicem æmuletur; animadvertit tamen, eam ab aquâ forti, à cujus vi iſte indemnis manet, facilè arrodi; unde colligere jubet, quantùm damni dentibus inferatur per acida potentiora, oleum putà ſpiritumve vitrioli & ſimilia, quibus paſſim eos expolire moris eſt. Cæterùm notat, ſtrias corticis hujus lapidei ratione ſitûs neutiquam conſonare cum filis illis ſeu chordis, è quibus interior & oſſea dentis pars conſtet; quin potiùs manifeſtam, quam latiùs expromit, utrobique differentiam elucere: præterea licèt non modò *canini* & *inciſores* generaliter, durâ hâcce cruſtâ undique obveſtiantur; ratione molarium tamen non exiguam inter diverſa animalium genera diſcrepantiam Autor annotavit; dum in homine quidem, leone aliiſque carnivoris eos itidem totos, quatenùs extant, lapideo hoc munimine tectos ſcribit; at in equis, ovibus, capris aliiſque brutis, granis aut gramine paſci ſolitis, non baſin molarium, ſed latera tantùm, dura iſta materia, in aciem velut aſſurgente, ſtipari; imò & alicubi ipſi ſubſtantiæ oſſeæ velut intermixtam diverſis locis ultra iſtam acutè emicare, ac ad imas uſque radices inde deſcendentem ſæpiùs deprehendi refert. Porrò & hoc in dentibus tanquam peculiare obſervat, quod perioſteo deſtituantur, non modò quâ è gingivis extant, ubi nempè id eorum muneri obfuiſſet; ſed & in parte abſconditâ ipſiſque radicibus; quamvis enim hæ non omninò nudæ alveolis inſertæ ſtent, ſed membrana cum gingivis & palato communi obvelentur, cui in maxillâ ſuperiori accedit portio aliqua durioris & carnoſæ ſubſtantiæ, intra alveolos una deſcendens, pro majori firmamento; ipſum tamen, uti fert, perioſteum maxillas ſtipans ad dentes uſque non pertingit, utut propè ſatis ad eos accedat: dum alveolos intùs obducens, altero ſui latere horum ſubſtantiæ oſſeæ, altero dictæ membranæ & carni dentes firmanti ſit contiguum. Hunc autem perioſtei defectum abundè à providâ naturâ, nè ſcilicèt dentes ſpirituum influxû carerent, compenſari innuit per nervos, quos videlicèt, tanquam ſortem præ cæteris oſſibus præcipuam iidem obtinent. Nempè nervus, uti perhibet, ſeu potiùs faſciculus minorum nervorum, 16.12.7. nunc plurium nunc pauciorum, ſecundùm maxillæ longitudinem intùs procurrens, ad ſingulas cujuſque dentis radices ſuos propagat ramulos, nùnc in ipſâ extremitate, nùnc à latere (utrôque etiam, ubi una tantum denti radix eſt) oſſeam dentis ſubſtantiam ſubintrantes, foramine nonnunquam nudis oculis ſat conſpicuo. Denique confutat Autor ſententiam eorum qui dentes continuò creſcere, indèque unô evulſô oppoſitum longiorem fieri autumant; ait enim, ut maximè talis elongatio deprehenderetur, tamen id non tam pro genuinô incrementô, partis præſertim corticalis, haberi poſſe, quam pro aliquali protruſione ab extravaſatô ſuccô nutritiô factâ; ut de quô aliàs conſtet, quod dente exemtô è mandibulâ paulatim intra vacuum alveolum fluere, ejuſque cavitatem oſſea ſubſtantia complere ſoleat.

Diſcurſus ſecundus totus impenditur explicandò abſtruſo ſatis negotio accretionis atque nutritionis, cùm totius corporis in genere, tùm in ſpecie oſſium: quam quidem utramque à maſſâ potius ſanguineâ, quàm nervis procedere Autor agnoſcit; remotâ ſimul famoſâ illâ objectione, quam in atrophiâ paralyſin comitante quæſiverunt alterius opinionis patroni. Nimirùm ſtatuit, chylum ſanguini affuſum, dum ad cor appellit, circulando magis magiſque comminui & attenuari, unde paulatim ejus particulæ aptiores reddantur diverſis partium poris, quibus deſtinentur; & quemadmodum ſic quolibet in locô continuæ circulationis beneficio deponantur particulæ ſingularum glandularum poris figura congruæ, ità ſpeciatim in glandulis poriſvè nutritiis, (quibus non in extremitate, per glandulas ferè aliorum humorum, v. g. feri ſecretorias occupata, ſed in lateralibus arteriarum partibus ſuum adſignat locum,) à reliquâ maſſâ ſanguineâ ſeparari ſuccum alibilem; & ipſum quidem non unius ubique generis, quum diverſis membrorum partibus formandis dicatus ſit, generatim tamen ferè gelatinoſum; qui adeò continuô pulſû & affluxû ſequentium particularum propellatur tandem ad interſtitia fibrarum, necnon oſſearum chordarum, cæterarumque partium, ubi jam ſpirituum ea jugiter pervadentium motui ac poteſtati velut ſubjiciatur, magiſque immediatè accretioni animalis impendatur. Spiritibus nempè duplicem tribuit motum, alterum quidem directum, qui à terminô ad terminum tendat, alterum rotatorium circum propria ſua centra; (qualem duplicem motionem & in ſcintillis è ſilice excuſſis, & in lapide ex fundâ projectô ſpectari, & per ſimile à ſphærâ in planô provolutâ petitum declarari poſſe innuit;) cùm ergò ſpiritus ità moventes jugiter occupati ſint è viâ ſubmovere, quicquid eorum curſui objaceat, hinc fieri, ut occurrentes ità particulas gelatinoſas ſeu nutritias motû ſuô rotatoriô impellant atque urgeant intra ſpatia lateralia, quouſque ea pateant aut vi obtineri queant, ut quo ipſæ facilius, quàm in directum, propulſæ ſecedant. Ac obiter notat Autor, probabile eſſe, quod gelatinoſa viſcoſitas ſucci nutritii, motui ſpirituum obviam ſic poſita, non parùm retundat eorum impetum & rapi-

rapiditatem; indeque ſtatum fervorem temperet; quodque à defectû potiſſimùm hujus repaguli oriantur hectici illi calores, qui nimias evacuationes ſequi amant. Accretionem proinde omnem in eô conſiſtere autumat, quod, dum animal adhuc tenerum eſt, tonuſque partium laxior & fibræ magis tenſiles exiſtunt aptæque, ut laterali preſſioni cedere & locum facere poſſint, nutritiæ illæ particulæ in eas cuneorum inſtar impingantur, earumque dimenſionem continuò adaugeant, ac ſpeciatim in interſtitia chordarum oſſearum ſemet ingerant eaque compleant; uſquedum tandem fibræ ità tenſæ & partes contiguæ, extremitateſque particularum oſſa conſtituentium ità counitæ ſint, ut ulterius cedere neſciant; aut ſaltem ſingulæ partes tam fixum & ſolidum induerint habitum, ut earum quies à ſpirituum motû ampliùs ſuperari ſe aut disjungi haud patiatur; quô factô jam ſuccus nutritius ferè deſinat rotatoriô ſpirituum motû ad latera deponi, incipiatque magis directo eorum motui ſubeſſe, rectà nempè, cùm alius cedendi locus non ſuperſit, per anguſtos interſtitiorum vaſorumque canaliculos propulſus, donec ad horum extremitates variaſque glandulas excretorias perveniat. Atque hinc etiam unicè terminum figi judicat incremento corporum animalium, ſtaturæque adeò dimenſionem pendere, non parùm licèt in ejuſdem ſpeciei individuis variantem, proùt nempè in aliis fibræ citiùs vel ſeriùs tenſæ parteſque compactæ evadant, & oſſearum chordarum extremitates inter ſe conſolidentur; utut non inficietur, quandoque copioſiorem ſucci nutritii ſuffectionem, majoremve ſpirituum vel copiam vel vigorem, partes fortiori preſſurâ impetentium, dùm adhùc vel ad latera, vel in extremitatibus cedere aptæ ſunt, non exiguum hâc in re momentum addere poſſe; ſicut è diverſo certum ſit, alterutrius horum defectum ſolenni animalium incremento haud parùm detrahere. Ab explicatâ verò ſic accretione ejuſque proceſſû admodùm differre credit *nutritionem* ipſam: hanc etenim neutiquam in jugi appoſitione materiæ novæ ad partes ſolidas conſiſtere vult, ſed unicè in continuô ſupplementô fluidorum, ſpirituum putà humorumque neceſſariorũ pro implendis fiſtulis & canaliculis aliiſque vaſis, è quibus univerſam corporis machinam conſtare compertum eſt, ne iis quidem partibus exceptis quas pro meris parenchymatis antiqui habuêre. Et licèt haud neget, quin ſi per accidens ab ulcere aliôve caſû contingat ſolidas quaſdam partes abſumi aut deteri, novæ tum particulæ per rotatoriam ſpirituum motionem determinentur ad reſarciendum illud vacuum; regulariter tamen tali reſtauratione in ſtatû ſanô nequaquam opus eſſe ait, adeò ut ne ſemel quidem per integrum vitæ ſpatium totam partium ſolidarum ſubſtantiam univerſaliter reparari ſeu renovari credat; quas ipſas nempè in extremâ etiam tabe intemeratas perdurare inde arguit, quod tali conſtent materiâ, quæ nec exhalari ſe, nec colliquari patiatur, adeòque aliter quàm per modum eroſionis conſumi nequeat; quæ ipſa tamen nec abſque acutiſſimis doloribus, (quales in morbô illô non ſentiantur,) fieri poſſet, nec oſſibus (quæ nempè in aquâ forti faciliùs diſſolvantur, quàm fibræ muſculares,) probabiliter tùm parceret, quorum tamen magnitudini in tabidis nil decedere conſtet. Sub finem diſcurſûs hujus Autor ex datâ hâc hypotheſi deducit naturam & ortum tum *rachitidis*, tum *gummoſorum nodorum* à lue Venereâ naſcentium; & illius quidem hanc eſſe cauſam arguit, quod in pueris hoc morbô affectis unum oſſium latus alterô citiùs exuat primitivam ſuam conſiſtentiam cartilagineam, juſtôque celeriùs obrigeſcens ineptum evadat ſuſcipiendæ ulteriori accretioni, quâ interim in alterô & molliori oſſis latere continuatâ non poſſit non incurva tortuoſitas produci; horum verò, nodorum nempè Venereorum in oſſibus, non aliam eſſe materiam perhibet, quàm induratum ſuccum nutritium, per lacunas chordarum oſſearum, à venenoſis & acrimoniâ nimiâ præditis particulis ſanguineis eroſarum, impellente motû ſpirituum rotatoriô trajectum & exſudantem.

Tertius diſcurſus theſaurum oſſibus incluſum, *medullam* enucleat, ejuſque naturam & officium pleniùs, quàm hactenùs ferè ab aliis factum, ob oculos ponit. Licèt verò ſub hoc nomine communiter tota illa maſſa heterogenea, quæ oſſibus continetur, & communi quoque membranulâ tenuiſſima ac vitri inſtar pellucente ubique comprehenſa eſt, venire ſoleat; corporis tamen propriè ità dicti ac immediatè pro oſſium uſû hic depoſiti materiam totam oleoſam eſſe, Autor aſſeverat ejuſdemque ubivis naturæ; licèt alicubi ob copioſiorem nitroſarum particularum admixtionem ſolidioris, quàm alibi conſiſtentiæ ſit, itemque aliæ ejus partes, maximè minoribus cellulis incluſæ, aliis ob interſperſa numeroſa vaſcula ſanguinea, magis rubere videantur. Ne verò quis autumet, medullare hoc oleum confuſo tantùm acervo intra oſſium cavitatem jacere, curioſè monſtrat, quomodò communis illa tunica intrinſecam oſſis ſuperficiem inveſtiens eique hinc inde per tranſmiſſas venulas proprioſque poros connexa, diſtinctos intra ſe complectatur utriculos ſeu lobulos membraneos, tam figuræ quidẽ, quàm capacitatis ratione multùm inter ſe variantes, cavernularumque formæ, ubi ampla non eſt oſſis cavitas, reſpondentes, ac è pluribus veſiculis rotundis & mole æqualibus compoſitos. Ad harum jam veſicularum plurimas, glandularum ſcilicèt ſecretoriarum vice fungentes, derivari teſtatur totidẽ, imò plures quandoque arteriæ medullaris ramulos, oleoſum illic tributum deponentes: ex his verò ope pororum veſiculas inter ſe mutuò jungentium liquorem hunc porrò ad reliquas, arteriis deſtitutas, gradatim transfundi; quibus ad congruam diſtenſionem repletis, putat lobulos ſemet contrahendo (ad inſtar fibrarum in veſicâ & ſimilibus membranoſis cavitatibus) oleum ſuum, ope mutui illius pororum commercii, velut è ſpongiâ preſſâ diffluens, diſtribuere verſùs oſſium parietes & capita, ubi eô opus ſit; experimentô enim comperit, illud non peculiares per ductus eò derivari, ſed ſtillatim tantùm ex his in alias veſiculas tandemque ad oſſium poros ferri; quæ ipſæ veſiculæ, ſi medullam omnem ſic elabi, aut, ſi durior, ſuper ignem eliquatam effluere patiaris, exſiccatæ ſpongiæ figuram apprimè repræſentare dicuntur. Uſum tandem medullaris olei quod attinet, Noſter penitùs improbat eorum ſententiam, qui illud in oſſium nutrimentum impendi autumant, (id quod ſpeciatim de ſubſtantiâ medullari inter utramque cranii tabellam jacente ſolet aſſeri,) quandoquidem liquor hic pinguis aptus non ſit ad induendum oſſeam ſoliditatem; utùt non repugnet, ſi quis modô ſuprà dictô nutritionem capere non renuat pro continuô tantùm ſupplementô fluidæ volatiliſve materiæ, juſtam plenitudinem tonumque vaſorum conſervantis. Cæterùm uſum medullæ generalem quidem in eô conſiſtere ſtatuit, quod unctuoſitate ſuâ jugiter oſſa in debitô temperamentô tueatur; nec ob nimiam ſiccitatem evadant fragiliora aut planè rimas agant, quod nempè aëri expoſita ſponte non rarò facere obſerventur. Specialem verò & majoris momenti uſum præſtare

oleum

oleum hoc exiſtimat in oſſibus articulatis ; poſtquam obſervavit illud è peculiaribus poris circa eorum capita & ſinus ſitis notabili copia transfudare (fluxû nonnunquam aliquandiù poſt mortem adhùc continuante) ibidemque intimè permiſceri liquori iſti mucilaginoſo , pariter circa oſſium articulos hærere ſolito , de quô in ſequenti Diſcurſû pluribus diſſerit. Ex utriuſque ergò hujus liquoris connubiô iſtis in partibus initô produci perhibet axungiæ ſpeciem nulli alii ſecundam , & multiplicis utilitatis ; quippe quam non modò inſervire contendit lubricandis articulationibus, ſed & prohibere , ne oſſa inter movendum aut mutuò incaleſcant, aut atterendo abſumantur. Præterea verò & cartilagines & ligamenta tueri à ſiccitate & inde metuendâ rigiditate , quæ lubricum horum ſuper oſſibus motum non parùm retardare aliàs poſſet ; unde & ab hujus unguenti defectû commodè deducit cauſam crepitationis articulorum, quæ in ſubjectis gracilibus & ſcorbuticis ſubinde obſervatur ; tametſi agnoſcat , eam quandoque & à nimiâ ac præternaturali laxitate ligamentorum originem habere poſſe.

Quartus Diſcurſus de *glandulis mucilaginoſis* inſcribitur. Nimirùm cùm Autor in præcedenti mentionem feciſſet mucilaginis certæ cum oleô medullæ commiſceri circà articulationes ſolitæ, intimius hic in ejus naturam ac fontes , à nemine, ut putat, ante ſe detectos aut deſcriptos , inquirit. Occaſionem indagationi dedit viſcidus ille liquor nunquam non circa articulorum regionem ſemet offerens, qui cum ab oleoſâ medullæ ſubſtantiâ venire poſſe haud videretur , ſuſpicionem peculiarium organorum ſecretoriorum Noſtro primum injecit. Strictiùs ergò factô examine, tùm interſtitii articulationum , tum membranæ eas immediatè obtegentis & undique ambientis, reperit non modò intra ſinus oſſium partes quaſdam molliores & veſiculosâ ſpongioſâque texturâ conſpicuas ; ſed & ambientem illam membranam (quam laxam ſatis deprehendit , atque hinc probabiliter alii fini, quàm oſſium connexioni , fortiùs jam tùm per ligamenta factæ, deſtinatam judicavit) variis vidit protuberantiis & inæqualitatibus præditam ac reverâ glanduloſam ; quam ipſam conſequenter mucilagini ſecernendæ dicatam eſſe , dubitare deſiit Noſter, poſtquam exinde talem exprimere liquorem maniſeſtè licuit. Noviter ità à ſe detectas glandulas *Articularium* nomine inſignire primùm animus fuit ; poſtquam autem earum ſimiles dein etiam inter muſculos ac circà tendines, necnon in gulâ pro lubricandô ciborum deglutitorum itinere, reperit, maluit generali titulo *Glandularum Mucilaginoſarum* ipſas notare. Duorum verò generum eas eſſe perhibet , alias quidem puſillas , & agminatim ſuper membranis articulationum diſperſas, æqualis omnes magnitudinis , inſtar earum, quas in vaginali teſtium tunicâ , peritonæo , capſula cordis ac pleura diſſeminatas videre eſt,alias verò grandiores & in locis quibuſdam dictæ membranæ ſinibuſque oſſium articulatorum adeò conglomeratas , ut ſeparatas conſpicuaſque per ſe forment glandulas ; quas poſteriores potiſſimùm hoc Diſcurſû perſequi Autor intendit. Harum ergo Catalogum potiores ipſarum ſedes deſignantem communicat ; unde pateſcit, earum numerum non ubivis eundem eſſe, dum quibuſdam articulis nonniſi ſingulæ, aliis vel quaternæ quinæve in partem ceſſerunt. Perhibet autem eas generatim pellucidas eſſe , alicubi tamen ob intertexta vaſa ſanguifera rubentes , cæterùm molliculas quidem , non autem more aliarum glandularum friabiles aut compreſſione diſrumpi aptas ; contextaſque non ex lobulis, ſed pluſculis membranis veſicularum rotundarum , contiguarum , ac tenaciter cohærentium numerô haud exiguô obſitis , mutuòque ſibi ſuperſtratis , adeò ut vel ſeptenas alicubi dividere à ſe invicem liceat. Per poros ergo harum glandularum mucilaginem à maſſâ ſanguineâ per arterias advectâ ſecerni vult ; idque quo commodius fieret, ſanguiſque ſat temporis haberet ad lentum hunc liquorem hic deponendum , obſervat venas iiſdem conceſſas mirè anfractuoſas ſpectari, ut ſcilicet ſanguinis inde refluentis curſus nonnihil retardaretur. Figuram earum admodùm variare ait, perinde ut ſitum ; quem tamen generaliter ità comparatum eſſe teſtatur , ut injuriam quidem pati nequeant à mutuâ oſſium compreſſione ; at nihiloſecius aliqualem & leviculam ab articuli inflexione aut extenſione preſſuram ſubeant ; quæ ipſa verò non modò humoris iſtius excretionem pro inungendo , ubi opus , oſſis capite , juvet , ſed & ſimùl ſecuritatem præſtet ab obſtructione alioquin ob viſcidam ejus naturam metuenda. Externam earum formam delineatam ſiſtunt, quarum illa ſeparatam talem glandulam è ſinû oſſis humeri propè cubitum exemptam exhibet ; hæc verò per genu parte ſui anteriori apertum exprimit, triplici nempè hujuſmodi glandula ſtipatum; eſt membrana, immediatè ſuper interſtitio articuli jacens ; patellæ verò in mediô ſitæ faciem repræſentat. Ejuſdem generis glandulas Autor ſemet etiam reperiſſe narrat circa muſculos , dum communem eorum membranam undique iis ſtipatam vidit, ad inſtar anteà dictæ membranæ articulos veſtientis ; ſed & præterea plures conglomeratarum ſeu grandioris ſpeciei glandularum inter diverſos tendines politas reperit ; atque has ipſas affinem cum articulorum glandulis uſum præſtare conjicit , in lubricandis & ab attritione præſervandis muſculis, dum eorum alios paſſim ſuper aliis moveri oportet ; creditque mucilagini iſtic , olei medullaris loco admiſceri pinguedinem a glandulis adipoſis , magnô numerô per totum corpus diſperſis , affuſam ; quas nempè in gracilibus etiam ſubjectis munere hoc defungi putat, quandiù modo oleoſi quid à ſanguine ſeparari queat ; creditque macilentiæ cauſam non in eô tantùm quærendam eſſe , cùm ſufficiens adipoſi liquoris quantitas ab iis non elaboratur ; ſed & multoties exinde pendere , quod memoratâ muſculorum inunctione nimia ejus profuſio per immoderatos labores & membrorum motus fiat ; unde contingere exiſtimat, quod non facile operarii, utut habitû maximè ſanô & athleticô præditi , pingueſcere videantur, niſi cum abdicatâ vitâ laborioſâ , quieti & otio ſemet mancipent. Liquoris porrò per glandulas mucilaginoſas ſecreti qualitatem quod attinet, docet eum albumini ovorum conſiſtentia ſimilem, nec tamen ſemper ità limpidum , ſed quandoque ſubflavum ; cæterùm ſapore ſalſum eſſe compoſitumque ex particulis aquoſis & ſalino-terreis , quas circiter $\frac{1}{32}$ ejus partem efficere docuit evaporatio. Licèt autem agnoſcat, ſerum ſanguinis ei multùm affine ac probabiliter ejus portionem eſſe ; reverà tamen differre inde probat , quod ſerum igni expoſitum mox inſpiſſetur in gelatinam, & evaporatum ferè $\frac{1}{11}$ poſt ſe relinquat ; mucilago verò ſic maximâ ſui parte in liquorem magis tenuem convertatur & in ſummitate modò cuticulam cum pauxillô coaguli albidi contrahat, ac de eâ poſt totalem evaporationem vix $\frac{1}{30}$ remaneat. Cùm verò probabile judicet , liquorem

quorem tantoperè ad vitales functiones neceſſarium pro ſui elaboratione peculiarem officinam eſſe nactum, conſultum ducit munus hocce *lieni* adſignare, ut potè qui (dùm non abſolutè ad vitam animalis neceſſarium eſſe conſtet) tali officio deſtinatus videatur, quod ad commodiùs vivendum quidem faciat, ſed quo carere quodammodò liceat; in defectû enim mucilaginis, jamjam ſolùm oleoſum liquorem ei alioquin admiſceri ſolitum, axungiæ in muſculis & articulis lubricandis vices præſtare hariolatur; defectus verò hujus incommoda facilè animadverſum iri, ſi animalia viſcere hoc privata violentis motibus & exercitiis impenderentur. Conjecturæ occaſionem maximè dedit qualitas ſucci, quem nunquam non in lienis parenchymate offendere eſt, mucilagini ſcilicèt articulorum admodum affinis. Cæterùm pro magis ſtabiliendâ hâc hypotheſi Autor non modò rationem reddit, cur liquor hic nec receptaculum commune, nec proprios ductus pro ſui diſpenſatione nactus ſit, ſed & ingenioſè per experimentum quoddam adumbrat, quomodo ejus generatio in liene fiat; quæ quidem recenſere minùs longum fortè foret. Denique ex glandulis hiſce mucilaginoſis idem arceſſit originem duorum morborum, Medicis plerumque nimis negotii faceſſentium, *rheumatiſmi* putà & *arthritidis*; quorum utrumque quidem ex eôdem fonte fluere arguit, materia nempè heterogenea & morbifica, per glandulas has è maſſâ ſanguineâ tum temporis per ſolennem criſin ſeparari ſolitâ; hôc tantùm diſcrimine, quod in rheumatiſmô exoneratio talis materiæ fiat inter partes muſculares, in arthritide verò circa articulorum regionem. Pro cujus majori confirmatione & dilucidatione Autor varia communicat experimenta in mucilagine hâc per affuſionem diverſorum liquorum factâ, & ex iis ſecutos effectus; indeque porrò argutè diſſerit de naturâ & ſymptomatis obſtinatorum horum morborum; conjecturas ſimul experimentorum phœnomenis fultas ſuppeditans, quomodo huic hypotheſi convenienter eorum cura cautè inſtituenda ſit pro diverſitate humoris peccantis, nùnc acris, nùnc ſalſi, nunc acidi: quæ quidem omnia lectû uti digniſſima, ità jucundiſſima quilibet nobiscum fatebitur talium curioſus.

Reſtat ut de *quintô* & ultimô *Diſcursû* paucis dicamus, qui de *cartilaginibus* agit, oſſium naturæ nempe adeò cognatis, ut earum plurimas tractû temporis in oſſa converti conſtet; à quibus proinde Autor eas vix aliter differre ſtatuit, niſi quòd in his particulæ rigidæ extremitatibus ſuis non omninò contiguæ ſint, ſed pauliſper diſtantes. E quâ ipsâ conformatione porrò ingenioſè deducit earum tam flexibilitatem, quàm potentiam elaſticam reſtituendi ſemet in priorem ſitum poſt inflexionem, ſimilemque ſtructuram & in aliis corporibus parili qualitate præditis obtinere credit. Plura hinc de cartilaginum uſû, vaſis ſanguiferis, temperamentô aliiſque proprietatibus diſſerit: inter alia verò inſignem indicat uſum, quem cartilagines, quæ coſtas veras cum ſterno connectunt, in reſpirationis munere præbeant, utut hactenùs à nemine ſatis annotatum. Scilicèt in *inſpiratione* putat earum ope cavitatem thoracis notabiliter ampliari, dùm angulô, quô coſtis connectuntur, magis ad rectam lineam aut potiùs obtuſiorem ſaltem poſitum redactô, tam ſternum antrorſum, quàm coſtæ retrò, verſûs vertebras protrudi nonnihil videantur; unde majorem ſequi pectoris ampliationem neceſſum ſit, quàm per ſolam coſtarum elevationem à planô mediaſtini, quô aliàs acutiori angulo inclinant, in angulum minùs acutum. Hunc verò potiſſimùm cartilaginum harum ſcopum eſſe Noſter vel inde pateſcere arguit, quod angulus ipſe, quô appendices hæ cum coſtis uniuntur, ſemper maneat cartilagineus, utut reliqua pars cum tempore oſſeam induat rigiditatem, ne ſcilicèt mobilis illa flexilitas reſpirationem juvans ceſſaret cum tempore, cùm alioqui nil prohiberet, quominùs integer coſtarum arcus ex oſſe ſolidô conſtare æque commodè poſſet. Sed porrò non minorem harum cartilaginum inter *exſpirandum* etiam utilitatem eſſe agnoſcit, dum elaſtica ſua poſt factam extenſionem (quæ nempè in elaſticô corpore incurvô idem facit, quod in rectô inflexio) ſemet reſtituendi potentia ad priorem angulum revertentes, thoracis compreſſionem notabiliter augeant: unde & potiſſimùm pendere exiſtimat, quod in omni cadavere, ſive inter inſpirandum, ſive exſpirandum quis defunctus ſit, thorax contractus ſpectetur, appendicibus nempè coſtarum cartilagineis nativum ſuum poſitum & angulum ſponte & abſque ullâ muſculorum actione recuperantibus ſternumque adeò deprimentibus, quod nempe à ſolô pulmonum flacceſcentium collapſû vix in eum ſitum diſponi poſſet. Atque hæc ferè ſunt potiora Novæ hujus Oſteologiæ contenta, in quibus recenſendis ſi fortè quis obſervationum novitate & elegantiâ illectos nos modum exceſſiſſe cauſetur, librum ipſum, quæſumus, pervolvat, fatebiturque nos parcâ potiùs, quàm prodigâ manu ejus opes diſpenſâſſe: quartus certè Diſcurſus, ubi de indole & curâ Rheumatiſmi & Arthritidis tractatur, ob plurima, quæ continet, utilia & ſingularia, pleniorem jure merito, niſi materiæ copiâ obrutis fuiſſet properandum, relationem efflagitâſſe videbitur.

HAUPASIUS (*Nicolaus*) Atrebas.

De eô extant

Aphoriſmi Hippocratis, è Græcô in Latinum verſi & luculentiſſimis Enarrationibus illuſtrati. Duaci ap. Jacob. Boſcardum, 1563. in 4.

HAUPTMANNUS (*Auguſtus*,) Dreſdenſis.

Ex eô habetur

Epiſtola præliminaris, Tractatui de vivâ Mortis Imagine mox edendo ſacratâ. Francofurti, apud Thom. Matthiam Götzenium, 1650. in 8.

HAUSMANNUS (*David*)

De eô habetur in Miſcell. Cur. Dec. ij. Ann. viij. Obſervatio 235. De Fulgure mirabili.

HAW (*Conradus de*)

De eô extat

Menſa Philoſophica. Lovanii, apud Johannem de Weſtphalia, 1625. in 4.

HAWKINS (*Johannes*) Anglus

Ex eô habetur.

Diſcurſus de Melancholiâ hypochondriacâ potiſſimùm; ex occaſione Affectûs cujusdam Illuſtris Heroinæ, habitus. Heidelbergæ, ap. Wilh. Fitzerum, 1633. in 4.

HAYCK (*Taddæus ab*) Vid. HAGECIUS (*Taddæus*)

HEBBERERUS (*Jacobus*)

De eô extat

Phyſica Realis Spagyrica Medic. Alchymica. Heidelbergæ, 1635. in 8.

HEBENSTREIT (*Georgius*) Auguſtanus.

De eô habentur

Epiſtola Medica. Extat cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Sim. Halbmayerum, 1625. in 4.

De

De venenô canis rabidi Epiſtolæ binæ. Extant cum Gregorii Horſtii Obſerv. Medicinal. ſingular. Lib. IV. poſteriorib. Ulmæ Suevorum, apud Saurium, 1628. in 4.

Τέμπλας una quæſtionum Miſcellanearum Politico-Medicarum. Tubingæ, 1627. in 12.

HEBENSTREIT (*Joh. Baptiſta*)

De eô extat

De ſingulari Bilis effuſione, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingul. Lib. IV. poſterioribus. Ulmæ Suevorum, apud Saurium, 1628. in 4.

HEBERLING (*Johannes*) Gammundienſis.

Ex eô habetur

Lectio declarativa ſuper epidemiæ morbô. Dolæ, 1492. in 4.

HECHSTETTERUS (*Philippus*) Auguſtanus.

De eô extant

Rararum Obſervationum Medicinalium, Decades tres, continentes hiſtorias Medicas; Theorica & Practica varia, jucunda, utilia, & neceſſaria tàm ei, qui ad Praxin accedit, quàm qui eam operatur. Auguſtæ Vindel. apud Sebaſt. Mylium, 1624. in 8.

Rararum Obſervationum Medicinalium Pars ſecunda, continens Decades tres ſequentes, nimirùm quartam, quintam, & ſextam. In quibus non ſaltem Medicæ leguntur hiſtoriæ variæ & raræ, ſed etiam Theorica ac Practica jucunda, utilia ac neceſſaria tum & cui Praxis curæ eſt, tum cui cordi. Auguſtæ Vindel. apud Sebaſt. Mylium, 1627. in 8.

Rararum Obſervationum Medicinalium Decades ſex, antehàc editæ; quibus nunc acceſſêre quatuor Decades aliæ, nunquàm hactenùs viſæ; continentes hiſtorias, quæſita, obſervata, variaque monita Medica, jucunda & ſalutaria, utilia ei, tùm cui Praxis curæ eſt, tùm cui cordi: curante Johanne Philipp. Hechſtettero. Francofurti & Lipſiæ, apud Laurent. Sigiſmund. Cornerum, 1674. in 8.

HECKELIUS à Stegneck (*Henricus Chriſtophorus*)

De eô extat

Oratio, quòd nulla ars reperiatur, quæ Medicinâ Reipubl. aut utilior, aut neceſſaria magis, eaque apud cunctos omni tempore, ſit; ſine hâc neque animi bona conſiſtant, neque corporis locum inveniant commoda, neque fortunæ quæ tribuuntur, eſſe vel gaudio ac voluptati, vel uſui magno queant; Medici ſummis ſemper honoribus ac præmiis affecti fuerint; Philoſophis etiam & Oratoribus antehabiti. Extat Orationum Argentinenſium Tomô I. pag. 1106. edit. Argentorati, apud Laz. Zetznerum, 1611. in 8.

HECKIUS (*Johannes*)

Ex eô habetur

Diſputatio de Peſte; & quare præcipuè graſſetur tot annis in Belgiô. Daventriæ, apud Johannem Clopenburch, 1605. in 4.

HECQUET, Medicus Pariſienſis eruditiſſimus, ac celeberrimus.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Annô 1713. p. 555.

Traité des diſpenſes du Careme.

h. e.

Tractatus de Diſpenſatione jejunii quadrageſimalis. Tom. I. II. & III. Lutetiæ Pariſiorum, apud Franciſcum Fournier, 1710. 12.

Mangeti Bibl. Script. Medic. *Tom. I. Pars II.*

Secunda eſt hæc editio libri iſtius, poſtquam prior annô ante publicæ luci fuerat expoſita. In hâc quædam ab Autore, quem Hecquetum, Medicinæ Doctorem, Facultati Pariſienſi adſcriptum, eſſe comperimus, ſunt reviſa, alia correcta, quædam de novô addita. Quemadmodum autem jejunii quadrageſimalis obſervantia partim in abſtinentiâ à certis alimentis, partim in parciori ciborum uſû conſiſtit, ad utrumque etiam potulentorum genera referenda ſunt; ità tribus tomis integer tractatus comprehenditur, quorum I. de abſtinentiâ, II. de jejuniô, III. de potulentorum ratione agit.

Duæ potiſſimùm ſunt præconceptæ opiniones, quæ hominibus præ nimiô amore vitæ ſuſtentandæ & nimis anxiâ ſollicitudine pro ſanitate conſervandâ horrorem incutiunt, quamprimum jejunii quadrageſimalis tempus appropinquat, dùm ſcilicèt putant, quod carnium eſus hominibus maximè ſit naturalis, imò neceſſarius, & quod alimenta macra ſanitati admodùm ſint infenſa. Utraſque autem partim ex mechanicâ corporis humani; partim ex naturâ alimentorum deſtruere conatur Author. Supponit igitur, digeſtionem alimentorum ſimplici trituratione perfici; hanc in ore per commiſſuras maxillarum & dentium inchoari, in œſophagô continuari, & in ventriculô augeri. In hoc enim tanquam in muſculô concavô alimenta non minùs per fibrarum motricium myriades quàm proximorùm muſculorum, in ſpecie abdominis & diaphragmatis, continuâ actione alimenta conteri, & in cremorem delicatum converti. Exin concludit, carnes animalium, triturationi non facilè obtemperantes non tam probum præbere nutrimentum, quàm ſemina, grana, radices, fructus &c. Idque ulterius ex eô probat, quod jacturam, quam ſingulis momentis corpus patitur, nihil magis reſarciat, quàm ſuccus lacteus, qui tamen non niſi trituratione mediante perficiatur. Mirandum hinc ducit Autor, unde libido carnibus veſcendi homines invaſerit, cùm tamen earum uſum 1) ſtructura organorum in animalibus à prædâ viventibus à corporis humani mechanicâ planè diverſâ, 2) homines & nationes integræ abſque carnium eſû viventes, 3) ordo Creatoris, eundem prioribus ſedecim ſeculis interdicentis, 4) natura ipſa carnium, quæ malè digeruntur & pravos ſubminiſtrant ſuccos, diſſuadeant. Et quanquam quidam objiciant, terræ producta poſt diluvium multùm de virtute ſuâ priſtinâ perdidiſſe, indeque neceſſariò vitæ humanæ terminum fuiſſe abbreviatum; ad utrumque tamen ſolidè reſpondet Noſter. Explicatâ ſic corporis humani mechanicâ, ad alimentorum, quæ jejunii tempore concedi ſolent, naturam explicandam ſe accingit, incipiendo à leguminibus ad radices pergit, inde ad herbas & fructus, piſces denique examinat, & tandem concludit, alimenta macra homini magis eſſe naturalia, quàm carnes, minùs mali ſcilicèt inducendo, pluribusque morbis obviam eundo. Cauſas verò pravæ diſpoſitionis, quam vulgus malo vitæ regimini quadrageſimali tempore inſtituendo tribuit, rejicit Autor 1) in habitudinem, quam acquiſiverunt homines pinguia eſitando, & à quâ conſuetudine abduci ſe ægrè patiuntur, ne in ejusmodi pravam diatheſin dilabantur, veriti, cùm tamen hæc diſpoſitio fini jejuni quadrageſimalis, qui in eô conſiſtit, ut quilibet naturam ſuam mortificet & reprimat, nullô modô ſit adverſa; 2) in intemperantiam, quâ plerique hoc tempore magis quàm aliô ad plus cibandum inducuntur, 3) in potulentorum genera, quæ pro diverſô ciborum ſolidorum geniô non ſatis curioſè ſeliguntur; 4) in ineptam ali-

alimentorum varietatem ; 5) in condimentorum exceſſum. Ad diſpenſationes igitur ipſas progreditur Autor, quas omninò neceſſarias eſſe quandoque fatetur, inque earum naturam, antiquitatem, extenſionem & differentias inquirit, cauſaſque rimatur, ob quas illæ legitimæ haberi poſſint, easque vel à debilitate, vel morbis levioribus, chylificatione læſâ, putà vigiliis contumacibus, &c. vel ab ætate, infantili ſeu ſenili, vel à vitæ ratione, ut gravidarum, nutricum, peregrinantium, & mendicorum petitas, nullô modô admittendas cenſet. Unius igitur morbus ſupereſt, qui legitimam meretur veniam, ſed certus ſit, periculum minitans, actualis, & ex illorum claſſe, qui macrorum uſum ciborum ferre nequeunt, neceſſe eſt. Cautelas hinc ſubjungit, quibus quilibet hôc tempore ab omni moleſtiâ liber eſſe poteſt; quæ conſiſtunt in ſobrietate, in ciborum ſimplicitate, in butyri parſimoniâ & in permiſſione uſus ovorum, quæ quanquam aliàs in ſuô genere ſalubria ſint alimenta, varia tamen quandoque mala producunt, quatenùs agitando ſpiritus pravas excitant cogitationes, phantaſiam diverſimodè moventes, niſi probè fuerint correcta. Ad jejunium ſeu parciorem ciborum uſum dum properat Autor, miros ejus, quos producit, effectus exaggerat, & concludit tandem, ſanitati magis conducere bis cibum capere, quàm ſemel, & cœnâ largiore frui quàm prandio. Hinc in antiquitatem jejunii inquirens, demonſtrat, illud omni tempore & in omnibus religionibus in uſû fuiſſe, & inter Chriſtianos in primis incunabulis in eô conſtitiſſe, ut ſemel tantùm de die, idque veſperi cibum capere fuerit permiſſum: Modos inde allegat, quibus jejunii moleſtiam ſuperare allaborârunt, e. g. per merendam, ſub quâ initiô aquæ hauſtus intelligebatur, ſucceſſû verò temporis quivis eam ad uſum non ſolùm cujuscunque generis fructuum, herbarum, & radicum, ſed & juſculorum abſque butyrô paratorum, lactis, caſei, artocreatum & ciborum fixorum extenderunt. Examinatis hinc omnibus ſpeciebus, quæ pro merendâ aſſumi ſolent, nullam ætatem, vel ſexum, vel temperamentum vel quamcumque conditionem ab hôc jejuniô diſpenſationem mereri vult, exceptô ſolô morbô illius conditionis, quam in ſuperioribus deſcripſimus. Mitigari tamen poſſe hanc moleſtiam contendit, ſi lautiori merendâ, aut cibis ſucculentioribus frui, & jejunium non niſi bis vel ter per ſeptimanam ſuſtinere permittatur. Delicatis verò aut infirmis ſuadet, ut bis vel ter de die parùm, & nunquam ad ſatietatem uſque comedant, iſtô enim modô hi jejunii leges obſervare dici poſſunt, ſiquidem jejunium perferre idem ſit ac famem tolerare. Quemadmodùm autem jejunii ratio in eô conſiſtit, ut, quicquid ſuperfluum, præſcindatur, ita inter potulentorum genera ſimpliciſſimum, commune, neceſſarium, & multô apparatû non compoſitum, optimum cenſet, eaſque proprietates omnes aquam obtinere, & ſimul triturationi inſervire, ſuccumque nutritium ex alimentis optimè extrahere, contendit Autor, imprimis cùm alimenta jejunii tempore conceſſa aqueæ ſint naturæ. Vinum verò & omnes inebriantes liquores damnat. Superſedere etiam tùm temporis poſſe homines potionibus calidis, ut Thee, Caffe & Chocolade, exiſtimat, præſtare tamen putat, ſi ventriculi ratio habenda ſit, ejusmodi thermopoſia uti quàm ſpirituoſis. Tandem media proponit, quibus ſitim fallere deceat, ità ut non opus ſit veniam impetrare, ut extrà paſtum bibere liceat. De cæterò nicotianæ uſum jejunii tempore damnat, ſive ejus fumus hauriatur, ſive pulvis per nares admittatur, quod eô tempore Judæi quoque & Turcæ ab omnibus ſuffimigiis, balſamis & odoramentis abſtineant, & quod odores vel vapores interdùm nutriant. Et cùm omnes Autores in eô conveniant, quod Nicotianæ uſus præſervet, æque à fame ac ſiti, robur corporis conſervet, & novum vigorem concedat; ideò indifferenter Nicotianæ uſum admitti debere negat.

Ibidem Annô 1714. *p.* 172.

De la digeſtion & des maladies de l'Eſtomac. h. e.

De Digeſtione & morbis Ventriculi. Lutetiæ Pariſiorum, apud Franciſcum Furnierium, 1712. in 12.

Ex quô Clariſſimus Hecquetus tractatum *de diſpenſatione jejunii quadrageſimalis*, Menſe ultimô ſuperioris anni à nobis laudatum, publici juris fecit, tres potiſſimùm expertus eſt adverſarios; qui partim ſyſtema triturationis ab illo ſtabilitum, impugnarunt, partim fermentationis doctrinam confirmârunt; partim macrorum alimentorum eſum præ carnibus naturæ humanæ magis convenire, negarunt. Inter hos primùm nominandus venit *Vieuſſenius*, Senior, qui *de naturâ & proprietatibus fermenti ſtomachalis Diſſertationem* Actorum Trevoltienſium Menſi Januariô 1710. inſeruit. Eum excepit *Nicolaus Andry*, qui eôdem annô edidit tractatum, cujus titulus; *Le Regime du Careme, conſideré par rapport à la nature du corps, & des alimens*, i. e. *Regimen jejunii quadrageſimalis, habitô ad corporis & alimentorum naturam reſpectû*, à nobis nondum viſum. Quem ſecutus eſt *Aſtrucius* in librô; *Memoire ſur la cauſe de la digeſtion des alimens*, i. e. *Commentarius de digeſtione alimentorum*, Montiſpeſſulani 1711. editô, ſed ad nos nondùm delatô. Vieusſenii equidem placitis Hecquetus jam libellum 1710. ſub titulô; *La digeſtion des alimens, pour montrer, quelle ne ſe fait par moyen d'un levain, mais celui de la trituration ou du broyement; contre l'Article* 13. *des Memoires de Trevoux en Janvier* 1710. i. e. *Digeſtio alimentorum, ubi demonſtratur, eam non mediante fermentô, ſed per triturationem vel conquaſſationem fieri, contra articulum* 13. *Actorum Trevoltienſium Menſ. Januar.* 1710. oppoſuerat, ſeu ichnographiam potiùs tractatus, quem tum meditabatur, nos verò jam L. B. ſiſtimus. Quâ ratione igitur ex Autoris ſententiâ alimentorum digeſtio perficiatur, & quæ juxtà triturationis ſyſtema ſtomachicorum morborum ætiologia ſit, nunc breviter referemus.

Digeſtio ventriculi eſt operatio naturalis, per quam alimenta ità diſponuntur, ut poſſint nutrire. Nutrio verò talis eſt, per quam alimenta ita præparata partibus apponuntur nutriendis. Duplex hæc operatio ſupponit fluiditatem alimentorum, & convenientiam cum partibus alendis; quæ quidem convenientia per digeſtionem neutiquam acquiritur, hanc tamen fluiditas ſequitur. In digeſtione igitur non nova producitur ſubſtantia, ſed quæ anteà in alimentis detiteſcebat, extricatur. Jam, quibus nutrimur, alimenta ex animalibus & plantis deſumuntur, quæ talem jam continent materiam, quæ hactenùs pro nutritione fuit adhibita, hinc non opus eſt, ut naturam mutent hæc, ſed ſolùm locum & ſpatium, i. e cùm illa animal jam vel plantam quandam nutriverit, per digeſtionem abit in nutrimentum hominis. Digeſtio itàque conſiſtit in diſgregatione, ſeparatione & diſſolutione materiæ, quæ ſicut anteà in animalibus vel plantis vaſcula conſtituerat, ità per

per digeſtionem apta redditur, quæ in hominis vaſcula tranſeat. In ventriculô ulteriùs reperitur calor, non elixans, nec putrefactivus, nec macerans, ſed blandus & humidus, vaporis balneo optimè comparandus. Oritur hic à mirandâ copiâ vaſorum cujuſcunque generis, per tunicas ventriculi reptantium, ex quibus continuo nimbus ſpirituum vel atomorum ſpirituoſarum totam cavitatem replentium exhalat. Calor hic à perpetuô membranarum & muſculorum abdominis motû, propinquis vaſis majoribus, circumjacentibus viſceribus, & vapore calidô ex inteſtinis aſcendente ſuſtentatur. Multùm quidam ſudârunt in œconomiam naturalem introducere fermentationem, & varia comminiſci cœperunt fermenta, quibus functiones hæ earumque ſtatus præternaturalis in acceptum referri debeant, ſed fruſtrà. Haud enim, ſanô exiſtente corpore, ulla fermentatio locum invenit, quia 1) ſanguis non eſt liquor, qui fermentationi auſcultat; 2) quia motus ſanguinis eſt circulatorius, cum quô fermentatorius motus convenire non poteſt; 3) quia motus ſanguinis eſt perennis, blandus, ordinatus, tranquillus interim & imperceptibilis, & ſpiritus tam occultè moventur, ut ſuos motus non niſi per effectus demonſtrent; 4) quia multa anguſta & capillaria dantur vaſcula, per quæ fermentans ſanguis vehi non poſſet; 5) quia natura receptacula ſanguinis adeò ſollicitè cuſtodivit ab aëris acceſſû, qui tamen ad fermentationem neceſſarius eſt; 6) quia ſanguis nunquam quieſcit, ſed ſemper in circulum agitur; 7) quia ſanguis tanquam ſuccus à primâ pueritiâ jamdum depuratus fermentatoriâ perfectione non indiget; 8) quia ſpiritus, qui ex ſanguine prodeunt, nec ſunt acidi, nec vinoſi; 9) quia poſitô, quod alimenta, dum digeruntur, mediante fermentatione ad illum perfectionis gradum elevarentur, ſequeretur, quod ſanguis, qui ex fermentatô illô chylô producitur, non ampliùs capax ſit, ut fermentationem novam ſubeat. Nec fermentum aliquod ſanô in corpore admitti poteſt; illud enim aut in ſanguine hoſpitaretur, aut in viſceribus. Sed in ſanguine non reperitur, quia mediantibus fermentis non poteſt depurari, cùm jam ſit liquor ſatis purus; nec per illa in puritatis ſuæ ſtatû conſervari, aut à corruptione præſervari poteſt, quia liquor clarus adjecto fermento magis turbatur. Multò minùs in viſcere quôdam latere poteſt fermentum, ſive enim ſpiritus iſtud ſit, ſive humor, naturam certè fermenti in ergaſtulô exuet. Quis enim concipere poteſt fluidum vel volatile aliquod, quod continuò in motum proclive eſt, in angulô viſceris cujuſdam nidulari & quieſcere poſſe, donec tempus appropinquet, quô ſuas actiones præſtet; quod omninò contrà genium activorum fermentorum eſt. Quid? quod ſanguinis rapiditas non diù commorari patiatur ea in viſceribus. Ad hæc origo incerta eſt, quam fermentorum Patroni illi adſignant, & numerus tantus, quem intellectus vix capere poteſt. Cauſam quæris, quæ fermentorum doctrinam introduxit? ignorantia eſt, quâ circa ſanguinis naturam detinentur Autores. Chymici certè ſanguinem diſſociando, texturam ejus rumpendo, particulas dilacerando, ſitum mutando, ordinem turbando, & figuram alterando, non tam bonas ejus nos docuerunt qualitates quàm vitia. Pro naturali enim & verâ cruoris ſubſtantiâ nobis obtruſerunt, quicquid mediante analyſi & ignis torturâ ex eô extorſerunt. Inde enim orta ſunt ſalia volatilia, fixa, alcalia, acida, ſulphurea, ſpirituoſa; inde etiam natæ ſunt ideæ de fermentô, fermentatione, effervescentiâ, &c. quorū tamen neutrum in corpore noſtrô exiſtit. Vera autem ſanguinis conſtitutio omne excludit fermentum. Eſt enim ſanguis inſtrumentum vitæ & fulcrum ſanitatis, id quod mediante circulatione præſtat, quæ eſt motus liber, facilis, uniformis, imperceptibilis, non interruptus, ducens & reducens eum per tot myriades vaſorum anguſtiſſimorum, longiſſimorum, & mille modis incurvatorum. Depuratus ſanguis eſt liquor, dulcis, mollis, levis, cuivis motui aptus, omni ſitui obtemperans; in longum ducitur abſque rupturâ, attenuatur abſque attritione, communicat ſe abſque jacturâ; particulæ ejus miſcentur abſque confuſione, ſibi appropinquant abſque unione, inter ſe pugnant abſque perturbatione. Atque hæc omnia abſque omni figurarum vel ſaporum figmentô facili negotiô comprehendi poſſunt. Imò ſtructuræ partium ſolidarum & organorum nullum præſens eſſe fermentum evincunt. Partes enim ſolidæ ſunt faſciculi vaſorum, hæc ſunt glomeres fibrarum, hæ elateres, qui premunt, conquatiunt, & agitant liquores, quos concludunt. Plures enim quàm una ſunt ſyſtoles in corpore, nec ſolùm cor eadem ſuperbit, quia nulla eſt pars, nullum vaſculum, quam ſubtile etiam illud fuerit, ſive arteria, ſive vena, ſive nervus, quin habeat oſcillationem propriam, i. e. ſuam vibrationem & contractionem. Hæc vis vibratoria in ſolô corde abſque arteriis conſiderata æqualis eſt ponderi 3000. librarum in quâvis pulſatione, ſed arteriarum vi adjuta tantùm pollet, quantùm pondus 135000. librarum in æquilibriô. Organa quod attinet, ſecretoria maximè, qualia ſunt glandulæ & cribra famigerata, ſuum exequi officium non poſſent, ſi eam obtinerent ſtructuram, quæ vulgò illis tribuitur. Hæ glandulæ deberent habere cavitates particulares pro recipiendô fermentô; & hæ haberent poros aptos pro admittendô & rejiciendô fermentô determinatô, quod ſeparent. Verùm hæ ſuppoſitæ cavitates circulationem ſanguinis in unaquâque glandulâ ſufflaminarent. Sanguis enim ex arteriâ effuſus & cavitati glandulæ materiam fermenti apportans in multò largiore ſpatiô eſſet, quàm anteà, hinc quieſceret, & obicem poneret ſubſecuturo cruori, hinc circulatio ceſſaret. Nec figura pororum admitti poteſt; ſiquidem hi concipi nequeunt, niſi in vaſis fixis non mobilibus, quorum fibræ ſemper eundem ſervant ſitum & ordinem, cùm tamen vaſa, ex quibus glandulæ conſtant, continuò ſyſtolen ſuam ſervent & fibras obtineant motrices & elaſticas. Imò recentiores Autores in dubium vocârunt, num illæ partes, quæ tale fermentum capere debent, e. g. cerebrum, pancreas, lien, renes, hepar &c. glanduloſæ ſint. Nullum igitur vel fermentatio vel fermenta in corpore merentur locum. Motus enim inteſtinus non cadit niſi in liquores, qui ſuâ naturâ ſunt fluidi, nec ſuam fluiditatem ab externô corpore conſervant; quales ſunt aqua, vinum, lac &c. Sanguis autem aliunde ſuam adipiſcitur fluiditatem, à corde videlicèt, & arteriis pulſantibus, & quamprimùm vis hæc externa ceſſat, ſtagnat ſanguis, figitur & coagulatur. Nec fluida, quæ ex ſanguine ſecernuntur, pro fermentis haberi poſſunt. Cùm enim mediante fermentatione ſuccorum natura in apricum exponatur, & in ſpiritus, in volatilia, in ſulphurea transmutetur; neutrum in liquores corporis noſtri cadit. In ſpecie menſtruum ſtomachale nullum obtinet fermentum acidum; functio enim ventriculi conſiſtit in digeſtione, quæ nihil aliud eſt, quàm ſolutio; hæc

hæc enim mollia ſolùm reſpicit, cùm è contrariò acidum duris corrodendis & diſſolvendis dicatum induret mollia, inſpiſſet liquida, figat craſſa & lactea coagulet. Ad hæc cùm omne acidum omnia ſolvere non poſſit, certè in ventriculô ſupponenda venirent tot acidorum, quot alimentorum genera. Quid? quod corpora, quæ ab acidis facilè alias ſolvuntur, in ventriculô indigeſta remaneant. Imò producta ventriculi cum fermentationis effectibus nullô modô conveniunt, & alimenta, quæ fermentationi optimè auſcultant, difficillimè in chylum abeunt. Multò minùs putandum eſt, liquorem ſtomachalem propter vim ſepticam fermenti nomen mereri, quia putrefactio in corpore nulla concipi poteſt; quæ enim putreſiunt, quieta eſſe debent; in ventriculô autem alimenta continuò moventur & agitantur; dein ſuccus ſtomachalis nil eſt niſi ſeroſitas ſanguinis, quæ aliàs ante 24. horarum decurſum non corrumpitur, cùm tamen digeſtio ſtomachi citiùs abſolvatur; porrò putredo qualitas eſt præternaturalis, digeſtio verò actio naturalis. Nec vis ſeptica hæc ab aëre concluſô, vel ſulphure concentratô, vel materiâ tranſpirabili retentâ & acri redditâ oriri poteſt; aër enim concluſus res à corruptione præſervat, ſed nec in corpore aër concluſus dici vel fingi poteſt, quia cum exteriore communicat; nec ſulphur in ventriculô latet, quanquam alimenta, dum digeruntur, vapores exhalent; multò minùs concentratum hoc dici poteſt, cùm ubique inveniat vias, per quas exitus ei pateat. Denique materiam tranſpirabilem retentam acrem vel ſalinam eſſe ſudor non probat, quia aëris contactus immediatus ei tum ſaporem communicat peregrinum. In ſecretionis negotiô nullus fermento locus concedendus eſt, quoniam omnis impulſioni, preſſioni & conquaſſationi ſanguinis in acceptum eſt referenda. Alimenta igitur quod concernit, mediante trituratione illa in ventriculô digeruntur; id quod præter authoritates ſtructura ſtomachi, & obſervationes ſufficienter demonſtrant. Stomachus enim eſt ſuccus membranaceus, variis fibrarum generibus munitus, quæ plures ſortiuntur nervos, quam validiſſimus quivis muſculus, i. e. ſunt muſculoſæ. His autem contractis ventriculus à poſteriori ad anterius, & viciſſim à diaphragmate ab inferiori ad ſuperius & viciſſim movetur, cui motui muſculi abdominis non parùm tribuunt. Hi enim in ſe ſpectati tantam habent vim, quæ æqualis eſt ponderi 248235. librarum; cui ſi jungatur robur ventriculi ſolius, quæ æqualis eſt ponderi 12951. librarum, ſequitur, quod vis ventriculi quater ſuperet vim cordis; & quod vis muſculorum abdominis & ſtomachi conjuncta pondus 261186. librarum movere queat. Si trituratio & ſolutio chymica cum eâ, quæ in ventriculô peragitur, conferatur, res clarior evadet. Trituratio chymica non benè ſuccedit, niſi res, e. g. carnes & oſſa animalinm in fruſta ſecentur, & diffringantur; id quod in trituratione ventriculi dentes præſtant. In trituratione chymicâ rerum gummoſarum & mucilaginoſarum mortarium & piſtillus calida ſint, neceſſe eſt; aſt ventriculus & partes vicinæ ſemper ſunt calidæ. In trituratione chymicâ quædam opus habent aliô corpore intermediô, ne, quicquid volatile vel ſpirituoſum, perdatur; & hujus vires explet menſtruum ſtomachale. In Chymiâ alia diffringi, lævigari alia poſtulant, antequam ſolutioni exponantur; & priùs præſtant in corpore diaphragma, hepar & ſtomachus, ad ſe invicem continuò allidentes, poſterius verò motus periſtalticus ventriculi. In Chymiâ quædam limantur & raſpantur ante ſolutionem, & idem exequuntur inæqualitates palati in animalibus, rugoſitates & plicæ ventriculi, limæ in œſophagô avium, & ſabulum quod eædem deglutiunt. Tandem in digeſtione chymicâ quædam nutriri optant, nè acria & ſalina evadant; id quod in ventriculô à lymphâ ſtomachali expectandum venit. Et quidni in hominibus trituratio locum habeat, cùm animalia ruminatione eandem clarè demonſtrent, quod non ſolùm in quadrupedibus, ſed & inſectis, piſcibus, & avibus apertè patet. Quid? quod preſſio & trituratio in digeſtionibus Vegetabilium & Mineralium pariter ſit admittenda. Quanquàm igitùr *Vieuſſenius* multa huic triturationis ſyſtemati opponat dubia, non deſunt tamen rationes, quibus illa penitùs ſolvantur. Imò ſuppetunt argumenta, quibus ejuſdem de fermentatione in digeſtionis negotiô opinio funditùs deſtruitur. Tota igitur œconomia animalis huic triturationi ſubjacet; vix naſci incipimus, ubi mox punctum ſaliens oritur, quod motû ſuô preſſionem reliquis partibus concedit, quæ preſſio dein per totum vitæ ſpatium continuatur; hinc & omnes ſecretiones, quæ in corpore humanô contingunt, per preſſionem & triturationem ſanguinis commodè explicari poſſunt.

Quoniam igitur hoc triturationis ſyſtema partes ſolidas magis quàm fluidas reſpicit, meliorem profectò lucem affundet Medicis idem pro cognoſcendis morbis & eorum cauſis, indicationibuſque exinde formandis. Sic plethora ſæpè dependet à ſanguinis abundantiâ quam vaſorum conſtrictio cumulavit, & cacochymia nil aliud eſt, quàm ſuccorum indigeſtorum ſeu non benè trituratorum coacervatio; intemperies autem impreſſio particularum ſeſe explicantium, & propter quietem à ſe invicem ſecedentium. Et obſtructio oritur à liquoribus per preſſionem tonicam fixatis & in motû impeditis. Humores bilioſi, pituitoſi, ſeroſi vel melancholici non aliunde niſi ab oſcillationibus vitioſis procedunt. Vaſa enim per irritationem ſtimulata præternaturaliter concutiunt humores, & producunt ſuccos vel malè trituratos, vel nimis attenuatos, vel diſcontinuatos. Atque eandem originem agnoſcunt ſapores acidi, alcalici, & ſulphurei. Sanitas enim in æquilibriô inter partes ſolidas & fluidas conſiſtit, inter quas tamen partes ſolidæ ſuperpondium retinent, ſiquidem vis ſanguinis ad vim pulſantem ſe habet ut 1. ad 1000. exinde neceſſariò ſequitur, quod major ratio debeat haberi in morbis partium ſolidarum quàm fluidarum. Cùm igitur cauſæ, quæ vitam noſtram conſervant, nulli debeantur fermentationi, & motus inteſtinus ſanguinis, qui baſis fermentationis vulgò creditur, non detur, fruſtrà etiam morborum cauſa fermentationi tribuetur. Vaſorum enim capacitas in morbis aut eadem ſupponi debet, qualis fuit in ſtatû naturali, aut aucta; ſi eadem, inſufficiens erit pro recipiendis fermentis, ſi aucta, multi ſuperflui ſucci ibidem confluerent, & ſic fermentatio impediretur. Ad hæc principia fermentationis nondùm in ſanguine demonſtrata ſunt. Nullum enim ſulphureum adeſt; tale enim ſanguinem à fermentatione potiùs præſervaret; nec quiſquam effectus allegari poteſt, qui à ſulphure dependeat. Nec acidum morboſum ſupponere decet; quia ſanguis per impetum circulationis potiùs acris & lixivioſus evaderet. Conſiſtetne igitur fermentatio iſta in efferveſcentiâ, tumultû, ebullitione? ſed & tùm requireretur majus ſpatium pro hôc motû ſuſcipiendô, cùm tamen plerique morbi à retentis & accumulatis

latis humoribus originem ducant ſuam. Nec vaſa apta ſunt majorem recipiendi diametrum, quia tùm temporis ne minimam habent mollitiem, quod pulſus durus & ſiccitas cutis ſatis evincit. Adde, quod humores in morbis ſint crudi, & ad rarefactionem nullô modô diſpoſiti; & ſi vel maximè acidi forent, acidum hoc vitioſum, non dephlegmatum, eſt, adeòque potiùs coagularet, quàm rarefaceret. Volatile igitur erit, quod ſanguinem exaltet? ſed in exili nimis quantitate hoc in eô reperitur, & ad reliquas corporis particulas ſe habet ut 1. ad 32. dein volatile hoc non eſt acidum; nec ſufficiens calor vel ignis adeſt, qui illud explicare ſatis poſſit. Effectus igitur in morbis, laſſitudines putà, horrores, pulſationes in capite, & febres ipſæ oriuntur potiùs à partibus ſolidis, ſeu fibris tum afflictis; hæ enim reniti conantur & multiplicant ſuas ſyſtoles. Tandem cauſæ mortis maximè ſenſibiles nullam evincunt fermentationem. Venenorum e. g. maxima pars in ſolidas potiùs quàm fluidas partes operatur, ſuntque vel corroſiva, vel narcotica, vel coagulantia; fermentantia verò nulla dantur. In ſpecie ventriculi mala à nullâ impuritate producuntur, ſive hæc cruditatibus pituitoſis, ſive bilioſis vulgò adſcribatur, nec calor ejus imminutus accuſandus venit. Trituratio potiùs eſt turbulenta, violenta, & inæqualis, quæ tantas miſerias patrat; inde enim humores generantur aſperi, rudes, & inæquales, inde Salinæ potentiæ oriuntur, quæ aſperitatibus, angulis & ſpiculis ſuis pungunt & vellicant. Sola igitur ventriculi textura docet, quantùm turbarum hic ſuſcipere poſſit. Eſt enim totus nerveus, adeòque maximè ſenſibilis. Quod ſi enim ſuccus nerveus, qui eum ad placidum & æquabilem motum aliàs ſtimulat, copia vel acrimonia peccet, tenſionem illam augebit, elateres fibrarum intendet, & convulſionibus tradet; id quod animi pathemata & intemperantia potiſſimùm efficiunt. Illa quidem ſpiritus animales & genus nervoſum maximè petunt, & in confuſionem cient; hæc autem duplici modô nocet, quatenùs ſcilicèt vel ad nimiam copiam alimentorum aſſumendorum, vel ad condimentorum abuſum invitat. In priori caſû pondus alimentorum ventriculi fundum gravat, in poſteriori varii ſapores, ſalia varia & ſpicula eundem pungunt & vellicant; i. e. efficiunt, ut oſcillatio ventriculi lenis, mollis & æqualis, ſeu motus periſtalticus naturalis in coactum, irregularem & turbulentum mutetur. Et ſi vel maximè hi exceſſus non contingant, plerique tamen homines carnibus veſcuntur, & vinum bibunt, unde ſuccos ſulphureos, ſalinos & volatiles generant, cùm quibus nec ventriculi nec ſanguinis ſanitas ſtare poteſt. Laxitas & debilitas ventriculi, quæ vulgò accuſatur in ſtomachicis affectibus, adeò frequentet contingere non poteſt; ſin contingat, oritur illa à fibris nerveis juſtô denſioribus & compactis; inde enim in cavitatibus ejus turbæ oriuntur, efferveſcentiæ & fluctuoſitates. Eô ipſô enim, quod ventriculus in alimenta non validè ſatis agere poteſt, horum principia exaltantur & fermentantur. Fermentum igitur in hoc ſenſû inter cauſas affectuum ſtomachalium recenſeri poteſt, quatenùs ſcilicèt hoc depravatum ventriculi ſtatum inſequitur. Sed in modum inquirimus, quô remedia ventriculi morbis opitulentur; inter univerſalia venæſectio & purgatio laudanda venit. Quid ſanguinis miſſio tunicæ ventriculi muſculoſæ præſtet, illum latere non poteſt, qui relationem, quæ ſanguini & muſculis intercedit, in comperto habet. Multùm igitur ſolatii redundat in ventriculum à venæſectione, quando hic nimis irritatur, tenditur, aut movetur. Purgantia ſunt vel irritantia, ut emetica, vel laxantia, ut caſſia, vel reſinoſa, ut aloë. Irritantia juvant ventriculum, quatenùs oſcillationes ejus vitioſas interrumpunt, & naturales reſtituunt. Humores ſcilicèt capillarium extremitati impacti aggerem quaſi opponunt oſcillationibus naturalibus ventriculi, eumque irritant, quem rumpere hic ſuô motû quidem conatur, ſed fruſtrà, donec ab emetici vi adjuvetur, atque tum priſtinum recipit motum. Laxantia pariter in ſolidas partes ſuam exercent actionem. Sunt enim hæc ſucci ſpiſſi, glutinoſi, unctuoſi, qui ventriculi parietibus commodè adhærent, & mediantibus ſuis ſalibus vellicant membranas, glandulaſque diſponunt ad evomendum humorem vitioſum. Atque eôdem etiam modô reſinoſa operantur, utpote quæ ſunt ſalia concentrata viſcidô vehiculô involuta. Inter remedia particularia dantur amara, vel acida, vel irritantia, vel ſedantia. Amara ſunt admodùm ſalina, & inde valdè gravia, hinc fundo ventriculi ſe affigunt, eumque comprimunt, ex quô æquilibrium, quô gaudere debet ventriculus, naturale iterùm redit; imò adſtringendi & conſopiendi vi ſimul pollent, unde fibræ contrahuntur, & ab irritationis ſenſû liberantur. Acida ſi fixa fuerint, eôdem modô ventriculum ſolantur ac amara, ratione ſcilicèt ſui ponderis; ſin volatilia fuerint, tanquam totidem cunei ſe interponunt in interſtitia fibrarum, earumque motum ſiſtunt; vel ipſius petunt fibras, quas blandè movent. Sedantia denique in partes ſolidas ſuam exercent vim. Quod ſi enim ventriculus colicâ e. g. convulſivâ laborat, ſub quô motus ejus auctus, irregularis & convulſivus factus eſt, narcotica, tanquam ſubſtantiæ ſulphureæ, ſalinæ, ſpirituoſæ & volatiles in ſuccô gummeô-mucilaginoſô incluſæ fibris ſe apponunt, eaſdem emolliunt, & relaxant, unde neceſſariò hæ ſuam elaſticitatem, vibrationem & agilitatem perdere debent. His poſitis intemperies ventriculi, quanquam noſtrô ævô ùtplurimùm malè audiat, admitti tamen poteſt, ſi rectè explicetur; tam calida quàm frigida provenit à defectû æquilibrii inter ſolidas & fluidas partes. Sanguis nimis agilis & abundans multùm ſe opponit elaſticitati fibrarum, & inde calor præternaturalis deducendus venit. Elaſticitas verò nimia fibrarum curſui ſanguinis ſe opponit, hinc eo nòn niſi difficulter per fibras transfluente debitus calor viſceri ineſſe non poteſt. Ardor ventriculi oritur ex continuô ejus motû; ſanguis enim toties conquaſſatus inter membranas ejus, quæ ſe plicant, & explicant, quæ abbreviantur, & allongantur, quæ conſtringuntur & dilatantur continuò, facillimam concipit diſpoſitionem ad inflammationem, imprimis in illis ſubjectis, quæ condimentis & ſpirituoſis fruuntur liquoribus. Sic & tabes ſtomachi, cujus *Galenus* aliique mentionem fecerunt, haud difficulter in membranaceô hôc viſcere concipi poteſt; ſiquidem membranæ ejus ita contrahi & indurari poſſunt, ut oſſeam & lapideam concipiant conſiſtentiam; id quod contingit vel ab humoribus ſalinis, arrodentibus, vel ab uſû liquorum vinoſorum, aromaticorum & exſiccantium. Sitis, quæ omnis contra naturam eſt, dependet à lymphæ defectû, quâ fibræ ad motum continuandum indigent, aut à particulis acribus & ſalinis, quæ inſtar cuneorum penetrant, & fibras corrodendo oſcillationem ventriculi impediunt. Cruditates quod concernit, alimenta cruda manent, ſi vitium adſit in tritura-

turatione, quatenùs hæc illa vel imperfectè divîdit, vel malè concutit, ſicut ignis nimius carnem potiùs adurit quàm coquit. Anorexia oritur, quoties motùs oſcillatorius ventriculi ceſſat, quando nimia ſanguinis copia fibris ejus ſe interponit, aut elaſticitas ejus nimia æquilibrium illud tollit, quod fluida & ſolida aliàs intercedit. Inflationis ventriculi, flatuum, ructuum & borborygmorum ratio in hoc conſiſtit; quando aër in ventriculô incluſus à pravis halitibus ex ſanguineis & aliis vaſis, quæ ſtomachi tunicas perreptant, exhalantibus alteratur, aut membranæ minùs agiles aut magis tenſæ ſunt; tum enim corruptus aër, majorem nactus elaſticitatem, ſe nimis dilatat, hinc ventriculus inflatur, idque eò citiùs, quando alimenta de novo ingeruntur. Sic pariter alimenta maſticata & gravia, ſupra hunc aërem calidum & elaſticum deglutitione mediante illapſa, hunc comprimunt, & flatibus, ructibus & borborygmis cauſam præbent. Alvi retentio dependet à nimiâ rigiditate fibrarum inteſtinorum, ubi nervi ſcilicèt nimis ſunt elaſtici vel ſpaſmodici. Et quoniam ventriculus ratione tunicæ ſuæ nerveæ admodùm ſenſibilis exiſtit, primus ille eſt, qui percipit moleſtias, quæ in totô corpore vexans; hinc e. g. in febrium malignarum principio ſe contrahit, & conſtringit, unde vaſis anguſtatis circulatio ſanguinis turbatur & dolor ventriculi & præcordiorum anxietates exſurgunt. Sic colica ſtomachica eſt dolor ventriculi ſui generis, & ſpiritibus animalibus magis quàm humoribus adſcribenda, à tenſione particulari fibrarum ſtomachicarum dependens. Singultus qui ex ventriculi vitiô oritur, nil aliud eſt, quàm conatus ejus convulſivus; ſub quô humorem, quem continet, excludere tentat, hincque ſtimulum ad motum ejuſmodi extraordinarium impertit. Faſtidium ciborum, & quæ hoc ſequitur, nauſea in fundô ventriculi à plenitudine inter cauſas internas, & à rebus craſſis & unctuoſis inter cauſas externas producitur; quæ ſi ſint emollientes, debilitant fibras; ſin ſalinæ, eaſdem irritant; ità ut fibræ legitimam oſcillationem perdentes turbentur in motû, eum tamen non perdant; debilitentur, nec tamen cedant; reſiſtant, non tamen vincant. Inde ſenſatio triſtis oritur, imaginationem movens, quæ in quamplurimis ventriculi affectibus multum patitur, ut in picâ & malaciâ; in illâ ſiquidem oſcillationes ſunt auctæ, ſed naturales; in hâc auctæ, ſed præternaturales; utræque imaginationi certas ideas ſiſtunt. In fame caninâ fibræ ventriculi nimis elaſticæ redditæ majorem exigunt reſiſtentiam, quàm alimenta ordinariò ingerenda illi præbent; hinc âſſumtis licèt cibis oſcillatio tamen adhùc viget: in bulimo vis illa contractoria magis aucta eſt, & non tam ex ventriculi quàm totius corporis vitiô ortum ducit, i. e. conſiſtit hic in motû convulſivô fibrarum nervearum, ut totius corporis, ità præcipuè ventriculi, totius nervei. In vomitû liquida quidem è cauſarum numerô non ſunt excludenda, non tamen ſunt primariæ, nec principales, multò minùs per motum fermentativum in ventriculum agunt, ſed irritatorium; imprimis cùm non ſolùm fibræ ventriculi primariò afficiantur, ſed à vicinis, imò remotiſſimis viſceribus per conſenſum cùm ventriculô communicantibus vomitus excitetur. In lienteriâ motus periſtalticus ventriculi eſt præcipitatus, fibrarum contractio accelerata, unô verbô, eſt affectio convulſiva, quæ alimenta ex ventriculô expellit, antequam ſufficienter fuerint triturata; producitur autem hæc à copiâ tam eſculentorum, quàm potulentorum, vel immoderatô uſû oleoſorum & craſſorum ciborum. Et quemadmodum lienteriæ cauſa in nimiâ irritatione fibrarum ſtomachicarum conſiſtit; ità omnis alvi fluxus à fibris inteſtinorum nimis irritatis dependet. Objectiones, quæ Autori contra hoc triturationis ſyſtema, tam ab Aſtruciô, quàm aliis, factæ ſunt, & ad quas ſolidè reſpondet, ſiccô nùnc præterimus pede.

Hæc dum ſcribimus, peropportunè ad manus noſtras venit Ephemerid. Gallic. Menſis Januarius præſentis anni, qui p. 24. ſequentem Diſſertationem relatam ſuppeditat. *Quæſtio Medica propoſita ab Illuſtr. ac Nob. D. D. Johanne Baptiſtâ Gaſtaldi, Regis Chriſtianiſſimi Conſiliariô, Medicô ordinariô, Medicinæ Doctore in Avenionenſi Academiâ & Aggregatô Profeſſore primariô & Botanicô, an Alimentorum coctio ſeu digeſtio à fermentatione vel à tritû fiat?* &c. in quâ primùm exponitur quid fermentatio ex ſententiâ Medicorum ad digeſtionem alimentorum faciat, hinc opinio illorum allegatur, qui per triturationem alimentorum in ventriculô eandem perfici exiſtimant, & tandem priori ſententiæ ſubſcribitur, poſteriore rejectâ; quod B. L. latere noluimus.

Scripſit præterea Clariſſ. Dom. Hecquet alios Tractatus profundâ doctrinâ refertos, ac inter eos,

Traité de la Peſte, ou en répondant aux Queſtions d'un Medecin de Province ſur les moyens de s'en préſerver ou d'en guerir, on fait voir les dangers des Infirmeries forcées. Avec un Probleme ſur la Peſte &c.

h. e.

Tractatus de Peſte, in quô dum reſpondetur Quæſtionibus Medici cujuſdam Provincialis, ſuper ejus Morbi mediis Præſervativis ac Curativis, manifeſtantur damna Valetudinariorum, in quæ Ægri, quantumvis maxime repugnantes, deportantur. Additô Problemate ſuper Peſte. Pariſiis, apud Gulielmum Cavelier fil. 1722. 8.

Novus Medicinæ conſpectus. Accedit Appendix de Peſte. Ibidem, anno formaque iiſdem.

In Aphoriſmos Hippocratis Commentaria in duos Libros diviſa. Ibid. apud eundem, 1724. 12.

De purgandâ Medicinâ à curarum ſordibus: Ubi detectô evacuantium fucô, *Purgantium* fraudes & impoſturæ, ſcandalo artis & artificis opprobrio futuræ revelantur. Datoque partium *Mechaniſmo*, Purgandi leges, tempora, rationes emendatæ reſtituuntur. Ibique *tritûs*, ictibus everberatâ *fermentatione*, *fermentorum* obliteratur memoria, tum firmô *ſolidorum ſyſtemate*, ſtabiliuntur Morborum *ætiologiæ* ſolidiores, & nobiliores curæ. Ibid. apud eundem, 1714. in 12. & 1729. in 12. *Gallicè.*

Reflexiones circa opium: Liber Gallicè ſcriptus, ibidemque editus, apud eundem, 1726. in 12.

HEDENECCIUS (*Erhardus*) Villacenſis.

De eô extat

Μνημονευτικὸν ſeptem Hippocratis Aphoriſmorum ſectionum, in φιλιατρῶν gratiam & uſum Tabulis comprehenſum. Baſileæ, apud Sebaſt. Henric. Petri, 1585. in 4.

HEDENUS (*Eraſmus*)

Ex eô habetur

De Contagione & infectione Peſtiferâ admonitio. Lipſiæ, 1598.

HEER

HEER (*Henricus ab*) Tungerus.

Ex eô habentur

Spadacrene, hoc eſt, Fons Spadanus, accuratiſſimè deſcriptus. Acidas bibendi modus; Medicamina Oxipotis neceſſaria. Leodii, apud Arnold. de Corſwaremia, 1614. in 8. Ibidem, apud eundem, 1622. in 8. Lugduni Batavorum, apud Franciſcum Mojardum & Adrianum Wyngarden, 1645. in 12. Lipſiæ apud Andream Kühnen, 1645. in 12. Ibidem apud Adrianum Wyngarden, 1647. in 12. Lugduni Batavorum apud Petrum vander Aa, 1685. in 12.

Deplementum ſupplementi de Spadanis Fontibus, ſive, Vindiciæ pro ſua Spadacrene. In quibus etiam Aroph, certiſſimum Paracelſi ad calculos remedium, ſincerè explicantur. Ibidem, 1622. in 8.

Obſervationes Medicæ oppidò raræ in Spa & Leodii animadverſæ cum medicamentis aliquot ſelectis. Leodii, apud eundem, 1631. in 8. Lipſiæ, apud Andream Kühnen 1645. in 12. Lugduni Batavorum apud Petrum vander Aa, 1685. in 12. Cui acceſſit ejuſdem Spadacrene, in publicum emiſſa à Johanne Michaëlis. Extat & cum Johannis Baptiſtæ Helmontii, Medici & Philoſophi per ignem, Libro cui titulus, Propoſitiones notatû dignæ, & depromtæ ex ejus Diſputatione de Magneticâ vulnerum curatione, Pariſiis editâ. Quibus ſubnectuntur Henr. ab Heer Conſiderationes & Judicia Doctorum Medicorum. Leodii, apud Arnoldum de Corſwaremia, 1624. in 8. Extant etiam cum ejuſdem Spadacrenes pleriſque Editionibus.

HEER (*Martinus*) Luſatus.

De eô extat

Phyſiologia Helmontiana, ſive Tractatus X. de Archeo. I. De Archei Inventoribus. II. De Archei ſtatu integrô & corruptô. III. De Archeô Fabrô. IV. De Archeo Digeſtionis 1æ. V. De Archeo Digeſt. IIæ. VI. De Archeo Digeſt. IIIæ. VII. De Archeo Digeſt. IVæ. VIII. De Archeo Digeſt. Væ. IX. De Archeo Digeſt. VIæ. X. De Archeo Generante. In quibus ex unico Archei principio omnes operationes in corpore humano dexterrimè explicantur, multaque alia naturæ phœnomena in aliis hypotheſibus intricata; imo prorſûs inexplicabilia, facillimè ſolvuntur, maximè inſimul arduæ difficultates Theologicæ enodantur. Opus non omnibus ſolùm Medicinæ cultoribus ad veras morbi cauſas indagandas ſummè neceſſarium, ſed & ſingulis Naturæ ſcrutatoribus apprimè utile, quodque inſtar CLAVIS ad Scripta Helmontiana eſſe poteſt. Lipſiæ, apud Hæredes Frider. Lanckiſii, 1706. 4.

HEGENDORPHINUS (*Chriſtophorus*)

De eô extant

Ariſtotelis Libelli de Longitudine & Brevitate vitæ, & de Divinatione per ſomnum, Latinè tranſlati, & Scholiis illuſtrati; Additô Textû Græcô. Baſileæ, apud Wenthemerum 1536. in 4.

Encomion Sobrietatis. Lipſiæ, 1520. in 4.

Antidotum contra Peſtilentiam. Lipſiæ, 1540. in 8.

HEGNERUS (*Joh. Henricus*) Phyſicus Vitodurenſis in Helvetia.

Ex eô habetur

Obſervatio, de admirandis motibus convulſivis, in puellis nonnullis ruſticis, cum excretione ſegmentorum ligneorum, Serpentis, Teredinis, Hirudinum & Pilorum. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. IX. & X. N. 64.

HEIDE (*Antonius de*)

De eô extant in Actis Lipſienſibus Ann. 1683. p. 508.

Nieu Light der Apotekers &c. Beneffens eenige Ontleed-Genees-en Heelkundige Warnemingen &c.

id eſt

Novum lumen Pharmacopœorum, unà cum quibuſdam obſervationibus Anatomicis, Medicis, & Chirurgicis. Amſtelodami apud Hæredes Janſonianos 1682 in 8.

Qui Chirurgorum trivialium caliginem ac tenebras olim per facem luciſſimam, ſeu tractatum, cujus inſcriptio, *Nieu light end Fackel der Heelkonſt* diſcuſſerat Scriptor, idem vulgi quoque erroribus Pharmaceuticis mederi hôc opuſculô allaboravit; evincendo, multorum medicamentorum uſualiû virtutes, hactenùs ſuppoſitas, multum adhùc incertitudinis habere, praviſque operationibus ac præparationibus à Pharmacopœis ſubjici. Priùs ut præſtet, equidem nonnullorum ſimplicium, v. g. vitri antimonii, purgantium vegetabilium, opiique vires ſufficienter innoteſcere, concedit; plurimorum tamen effectus incertos oſtendit, quod per experientiam veram, quâ aliàs rerum potentiæ explorantur, illi nondum comprobati ſint. Scilicèt dum adæquatæ experientiæ quatuor eſſentialia concipit requiſita, 1. ut de morbi, cujus remedium aliquod ſimplex dicitur, natura conſtet, 2. ut illud frequentiùs ac utplurimum eundem in illô præſtiterit effectum, 3. ut ſine aliorum admiſtione fuerit propinatum, ac 4. ut ejus effectus manifeſtus & ſenſibilis ſatis exiſtat; tentamina autem hæc cuncta ſuſtinuerint aut ſuſtineant pauciſſima uſualium; multa, quorum virtus medicamentoſa incerta, quotidie præſcribi, ac Pharmacopolia plurimis inutilibus medicamentis obrui ſatis nervoſè colligit. Atque hæc ſua argumenta variis circa ſpecialiora, obſervationibus dilucidat, v. g. dum de uſû Chinæ Chinæ in febribus tertianis egregiô, de inſulsô cichorii contra calorem hepatis abuſû, de naturâ febrium, & quod harum formalitas non in calore conſiſtat, de virtutibus opii multivariis, ejuſque ac purgantium operandi ratione, de medicamentorum potentiis, ex colore aliiſque eorum ſignaturis illatis differit. Alterum, id eſt, circa ſimplicium præparationes commiſſas ineptias, dum aggreditur, primò inſignes illorum compoſitiones atque farragines culpat, utpote quæ nec palato ſerviant, nec aſſervationem medicaminum juvent eorumque corruptionem ſufflaminent, nec robur illorum augeant, neque ſeparationem partium activarum ab otioſis juvent; contrà loco remedii damnum corpori adferant, v. g. in Mercuriô ſublimatô, actionem medicamentorum incertam reddant, Pharmacopœorum denique labores cumulent, ægrorumque crumenas emungant. Deinde in mixturis illis officinalibus congruitatem ac incongruitatem miſcibilium minimè attendi, ſæpe iis talia addi, quæ compoſitionis activitatem vix augeant; v. g. aquis deſtillatis corallia & margaritas, ac denique minùs neceſſariis, ineptis ac damnoſis operationibus exponi demonſtrat; uſitatiora officinarum compoſita, v. g. aquas, aceta, ſyrupos, electuaria &c. examinando declarat, occaſione verò antidotorum, veneni & alexipharmacorum naturam,

ram, ac errores circa theriacam ac mithridatum perpetratos exponit.

Obſervationes annexæ varii objecti ſunt, ſcilicet de materiâ calli oſſa fracta conglutinantis, quam ſanguinem extravaſatum eſſe tradit; de tranſitû ſanguinis ex arteriis ad venas, quem per vaſorum anatomoſes fieri per aliquot experimenta ſuſpicatur; de ſanguine diverſorum animalium, Lacte, & Salivâ, per Microſcopium, & deſtillationem æquè ac affuſionem nonnullorum liquorum, luſtratis, ubi inter alia curioſa globoſam cruoris particularum figuram his non propriam & naturalem eſſe, ſed à fluidô forſan ſeroſô & heterogeneô imprimi auguratur, differentiam verò inter ſerum & ſalivam notabilem oſtendit. Porrò ex vulnerum cerebri & meningum Chirurgia, & circa hanc adornatis experimentis, poriſmata nonnulla, phyſiologica non minùs, ac practica, depromit. Puris, ſeri hydropicorum & urinæ variè à ſe inſtituta examina recenſet, ſimùlque Uromantiæ falſitatem atque fallacitatem declarat; Anginæ cauſam non tam in laryngis muſculorum inflammatione, quàm Cartilaginum Arytænoidarum & Epiglottidis glandularum tumoribus concipit, huicque malo remedium euporiſton vitriolum album commendat. Variorum liquorum per venas canum viventium injectorum, ac flatuum inſpiratorum phœnomena, item Nucis vomicæ, cani ac feli exhibitæ ſymptomata, necnon in illorum cadaveribns obſervata, refert. Colophonem denique opuſculo per deſcriptionem uteri reliquorumque organorum genitalium Ranæ fœmellæ imponit, conferendam. In cujus ovarii dimidium, Tubam dextram, in ſitû naturali & convolutam, dextram evolutam magiſque extenſam, & uterum faciem externâ bipartitum ſiſtit. Tubarum iſtarum extremum unum, circa pulmones & in ventre liberè fluctuans, ac pro excipiendis ovulis patulum exhibetur, ex latiore orificiô in meatum anguſtiorem abiens, mox denuò lateſcens; alterum verò, quô in uterum illæ hiant. Utero ſuperinſternitur inteſtinum rectum, reliquis inteſtinis, præprimis hyemali tempore latius, quod cum veſicæ urinariæ, pariter in duas quaſi eminentias diſtinctæ meatû excretoriô & uteri cervice in ductum communem abit. Præter interioris tubarum ſuperficiei areolos hexagonas, à vaſis ſanguineis circumſcriptas, nihil declarat.

Ibidem Annô 1684. *p.* 426.

Anatome Mytuli, Belgicè Moſſel, ſtructuram elegantem ejuſque motum mirandum exponens. Necnon Centuria Obſervationum Medicarum. Amſtelodami apud Janſſonio-Waesbergios, 1683. *in* 8.

CUm accuratior inſectorum perſcrutatio Anatomica, multùm ſæpiùs lucis perfectiorum ſic dictorum Animalium ſtructuræ, hôc quô degimus ſeculô, attuliſſe ab Autore animadverteretur, aliorum incitatus exemplô, propriam eidem operæ manum ſubciſivis horis admovere occepit. Nec conamen hoc ejus felici caruiſſe ſucceſſû præſens de Mytulô, quem Autor inter inſecta refert, ſatis evincit Anatome, ut potè in quâ non niſi illa, quæ ſuis uſurpavit oculis, recenſet, ſive teſtas ſpectemus, ſive corpus molle ſeu piſcem ipſum teſtis incluſum. Teſtarum ſiquidem poſtquam expoſuit conformationem, ipſius piſcis partes ordine evolvit, & in motum radioſum, quô illarum plurimæ gaudent, inquirit. Partes inter primo limbum, à quô totum ferè piſcis corpus circumdatur, quoad ſtructuram, motum ac ſubſtantiam conſiderat. Deinde portionem quandam, pinguedinis inſtar cuidam limbi aggeri adhærentem vel continuatam, examinat, obſervando de hâc, quod teſtæ utriuſque cavam ſuperficiem non tantum inſtar duorum ſtragulorum obtegat, ſed & interiùs in protuberantiam quandam, quam criſtam ſalutat, deſinat heparque & alias partes ambiat. Hinc elegantem cirrorum ſtructuram, pectinatorum æquè ſeu lateralium ac penniformium, qui branchiis aliorum piſcium forſan analogi, exarare inſtituit, hâcque occaſione, quod cirri accuratiùs luſtrati congeries fibrarum appareant, (quemadmodum earum quingentas minimùm in unicô cirrô pectinatô, & 150. in unicô penniformi numerare potuit,) fibram quamvis ex tubulis vel ſacculis mirè ramificatis conſtare ſuſpicatur. Tum ad linguam, cujus figura pro diverſitate motûs variatur, progreditur, quam demptâ membranâ fuſcâ, (quæ eleganti tubulorum, forſan ſudatoriorum; reti condecorata), è duplici ſubſtantiâ, carne videlicèt muſculoſâ & pulpâ, conflari annotat, in concurſu præterea utriuſque, vel potiùs in ipſâ pulpâ, tres patefaciendo ductus, cùm vaſis criſtam & hepatis ac pinguedinis ſuperficiem perreptantibus communicantes. Ad baſin linguæ quatuor muſculorum depingit paria, quorum tria extuberantiæ cuidam inſerantur, inſtructæ ſtamine comato, mediante quô & filis ex eô miſſis Mytulos vicinis Mytulis aliiſque corporibus ſolidis connecti, curioſo ſuffultus experimento adſtruit. A linguâ pergit ad ventriculum & inteſtina. Ventriculum membranoſum, ductibuſque forſan innumeris hepati continuum, pronunciat, in quô ſtyli, ob diaphaneitatem Cryſtallini dicti & in ductû inteſtinali latentis, protuberans vidit capitulum. Inteſtinorum autem extremum à duobus velaminibus triangularibus tegi obſervat, quorum alterum cavitatem inteſtini arctet ibidemque contenta exprimat, necnon inhibeat, ne excrementa Mytulo invito elabantur; alterum verò inſtar ſepimenti cogat excrementa per podicem egredi, nè in Mytuli deſcendant cavitatem. Porrò hepatis ſubſtantiam, ex lobulis majoribus, qui in minores oblongos, cohærentes ferè inſtar uvarum racemi, ſubdividantur, coagmentari ait; ultimum demùm locum inter partes concedens duobus muſculis, plano utriuſque teſtæ concavo ſeu interiori perpendicularibus, quorum alterum ratione figuræ cylindricum, alterum appellat planum, & figuræ cylindricæ intuitû, patere hinc ad eſſentiam muſculorum haud requiri, ut repræſentent parallelepipeda, exiſtimat. Atque his de Mytuli partibus delibatis, motum radioſum ſeu tremulum à nullô hactenùs obſervatum, in pleriſque tamen (præterquam in pinguedine & muſculis) partibus, potiſſimùm in cirris, vegetum ſatis, explicat, denominationis illius rationem ex eô, quod inſtar radiorum è totô cirri ambitû procedat, præſupponendo, ipſiuſque maximè conſpicua non ſolùm phœnomena, ſed cauſam quoque rimando, vero non abſimile judicans, cirrorum aliarumque partium motû hoc gaudentium fibras inſtructas eſſe tubulis vel poris aquam ambientem admittentibus, quâ eos ſubeunte expellantur particulæ minùs graves, & ſic excitetur motus radioſus, eodem modô, ac igneæ particulæ è prunâ aquæ immerſâ extrudantur. Cæterùm quæ de Mytulorum generatione, item de pectinum ſtructurâ, adhùc addere primum Autori fuit animus, in aliam differt occaſionem.

Obſervationes centum annexæ, (quarum quædam jamdum ab Autore *Novo Pharmacopœorum Lumini*, menſe Novembri ſuperioris anni à nobis expoſitô, adjectæ) quemadmodum triplex potiſſimùm reſpicere videntur objectum, Praxin nempè vel Medicam, vel Anatomicam, vel Chymicam, ità triplicis pariter commodè generis ſalutari poſſunt. Sic Practicis annumerandæ veniunt obſervationibus; Deglutitio difficilis purgantibus facilè curata; Aphtæ pertinaces vino fugatæ; Hiſtoriæ aliquot Arthritidem ſpectantes; Medicamina quædam cum bonô ſucceſſû contra Eryſipelata uſurpata, ubi experimentô ſe didiciſſe contra vulgarem ſententiam refert, nullô medicamentô citiùs commodiùſque fugari Eryſipelata, quàm unguentô quôdam valdè oleoſô & pingui; Calculus excretus poſt decoctum Biſmalvæ, aliæque plures. Anatomicarum verò titulum merentur, quòd temporalis muſculus in cane inciſus & pertuſa aſpera arteria gravia ſymptomata non excitarit; Meatus Urinarius in debitô locô perforatus; Oviforme quid utero excretum; Anatome murium, qui Arſenicum comederunt, in quâ hoc notatû dignum occurrit, quod dùm mortui diſſecarentur, ex eorum vaſis nihil effluxerit ſanguinis; it. Felis Catulus in locô anguſtô accenſi ſulphuris fumô interemptus & diſſectus. Chymiam demùm ſpectant diverſæ concretorum menſtruis diverſis factæ ſolutiones, maximam partem microſcopiô luſtratæ, v. g. ſolutio camphoræ, oculorum cancrorum, corallii rubri, Margaritarum, Lapidis Bezoar &c. it. Experimenta ad Boracis indolem detegendam inſtituta.

Ex eodem præterea habentur

Experimenta circa ſanguinis miſſionem, Fibras motrices, urticam marinam, &c. Accedunt ejuſdem Authoris Centuria Obſervationum Medicarum nec non Anatome Mytuli. Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1686. 8. cum figuris.

HEIDENECCIUS (*Eckerdius.*)

De eô extat

Mnemoneuticon in Aphoriſmos Hippocratis Tabulis comprehenſum. Baſileæ, apud Seb. Henr. Petri, in 4.

HEIL (*Chriſtophorus*) Wisbadenſis, Medicus Clarus, & Profeſſor Lipſienſis. Vixit A. C. circiter 1534. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habentur

Artificialis Medicatio, conſtans Paraphraſi in Galeni Librum de Artis Medicæ Conſtitutione. Moguntiæ, apud Johannem Schœffer, 1534. in 4.

Galeno adſcriptum Lib. de Renum Affectuum Dignotione & Medicatione interpretatus eſt.

HEILAND (*Michaël*) Anat. Chirurg. & Botanic. in Acad. Giſſenſi Prof. Ordinar.

De eô extat in Lind. Renov. Mercklini.

Monſtri Haſſiaci Diſquiſitio Medica, ſive, Hiſtoria Infantis Monſtroſi. Gieſſæ Haſſorum, apud Fridericum Kargerum, 1664. in 4. & 1677. in 8. ſine nominatione loci, quo typis excuſa ſit.

De eô præterea extant in Miſcell. Nat. Curioſ. dec. 3. anno 7. & 8. Obſerv. 157.

De viſus impotentiâ ob vitium nervi optici. Ibid. Obſerv. 158.

De Notabilibus nonnullis in Cadavere fœmininô obſervatis. Ibid. Obſerv. 159.

De Rarioribus in Virili Cadavere obſervatis. Ibid. Obſerv. 160.

De cohærentiâ craſſæ meningis cum Craniô &c. nullâ.

HEILMANNUS (*Joh. Jacobus*)

Theatri-Chemici volumen ſextum ex Germanicâ & Gallicâ Linguâ in Latinam tranſtulit ac edidit. Argentorati, apud Hæredes Eberhardi Zetzneri, 1661. in 8.

HEIMREICH (*Erneſtus Fridericus Juſtinus*) natus anno Chriſti MDCCI. die 29. Menſis Auguſti, Iſenaci, in Thuringiâ, Saxonici ſuperioris Circuli Provinciâ.

Parens fuit Johannes Heimereich, tunc Practicus Iſenacenſis, & Medicinæ, necnon Philoſophiæ Doctor, nunc Profeſſor Medicinæ, Phyſices & Linguarum Orientalium Coburgi in Franconiâ. Mater fuit, Maria Eliſabetha, Joh. Henrici Heſſii Rectoris Lubecenſis filia natu maxima.

Parentes tradiderunt filium E. F. I. H. ſupra dictum, præceptoribus privatis uſque ad annum ejuſdem duodecimum. Juni in Scholâ Iſenacenſi Rectorem Mullerum, & Profeſſorem Heumannum audivit. In ætate 15. annorum, ad Gymnaſium Academicum, Coburgi florens, ſe contulit, Parente Profeſſoris munere ſuſcipiente, ibi humaniora, Hiſtoriam, Geographiam, Matheſin, Linguas Orientales, & Gallicum addiſcere anniſus eſt, non neglectis ſcientiis Philoſophicis præcipuè Phiſicâ, & fundamentis Medicinæ; ibidemque plùs ſimplici vice, linguâ, Latinâ & Gallicâ Orationes ſolennes habuit, & ann. Chriſti 1717. publicè de Maſorâ, ad literaturam Orientalem ſpectante, diſputavit, & in ſcientiis phyſicis Commilitones erudivit. Anno Chriſti 1720. in Univerſitatem Jenenſem ſe contulit, inchoatis ſcientiis ſtrenuè ſe applicavit, præſertim ſtudio Mechanico, Aſtronomico, Phyſicæ experimentali modernæ, & Medicinæ ſe totum dicavit: & iterùm Diſſertationes varias habuit Academicas. Anno 1723. cùm Jubilæum Academiæ Altdorffinæ celebraretur, hanc Academiam petiit & habitâ die 21. Jun. Diſſertatione inaugurali de Pimpinellâ albâ, quam ſine Præſide defendit, & duo ſpecimina unum de Hepate & Bile, alterum de Epilepſiâ facultati, theoreticè & practicè reſpectivè elaborata, publicè examinanda tradidit, & aliquoties à Facultate Medicâ conſtitutus fuit, ut ejuſdem nomine in Diſſertationibus Candidatorum, opponentis munere fungeretur: gradum Doctoralem obtinuit. Coburgum repetiit, praxin Medicam, primò ſub ductu parentis, poſtea propriô Marte exercuit; Conventibus eruditorum de Re literariâ ſermones inſtituentium, ſedulò interfuit. Hinc ſcriptum hiſtorico-literarium ab anno 1724. uſque ad diem hodiernum continuatum, & ampliùs continuandum, menſtruatim edidit, quod in 6. Tomis apparet, ſub titulo: *Lirben Politiſch und gelehrten Hiſtorien der neüern Zeiten.* Cùm ſimul praxin felicem exerceret Medicam, Sereniſſima Domus Saxocoburgo Meningenſis, eundem annô 1725. conſtituit Medicum Aulicum & Civitatis ac Provinciæ Schalkovienſis Phyſicum ordinarium. Eôdem annô 1725. Academia Cæſarea-Leopoldina Carolina, eum in ſinum ſuum recepit & Arionis III. cognomine inſignivit; Academiæ tradidit Obſervationes & ſcripta, de oculorum Hæmorrhagiâ ex improvidâ hæmorrhagiæ narium ſuppreſſione ortâ; Holoſericum, remedium antepilepticum, ætiologicè conſideravit,

vit. De Arſenicô albô loco pulveris capillorum uſurpati, & inde ortis noxis, egit. Cùm ſimul ſcribere inciperet Acta erudita & curioſa Circuli Franconici, de quibus 18. Collectiones lucem adſpexerunt, & ſymbola ſua conferret, ad varia Diaria Eruditorum in Germaniâ, & extra eandem publicata, ſimulque variis modis in Negotia publica implicaretur, fiebat ut commercium Epiſtolicum acquireret, in præcipuas & ferè omnes Europæ Regiones ſe extendens, quodque non ſolùm cum eruditis magni nominis, ſed & cum Miniſtris ſtatus, imò cum ipſis Principibus Germaniæ, atque ſtatibus Imperii quibuſdam, ſuſtineret. Occaſione Manufacturæ in Gallia ſtabilitæ, de Mutatione Ferri in Cuprum, ſcriptum quoddam publici faciebat Juris, quod Societatem Regio-Boruſſicam Scientiarum excitabat, ut eundem Membrum Societatis ſolenniter renunciaret. Præter enumerata ſcripta, Tract. de Caffé, & Hiſtoriam Univerſalem ab initio Mundi ad annum 1728. prælo mandavit. In Manuſcriptô verò latent Tractatus de Vulpe quem Philoſophicè, Phyſicè, Hiſtoricè, & Medicè ſcripſit; item Phyſica ſcientia Siracidis; it. Tractatus de Aquis Mineralibus præcipuis Germaniæ, &c.

HEINIUS (*Chriſtophorus*)

Ex eô habetur

Diſputatio de Calculi Naturâ & Amotione. Extat inter Diſputationes Baſileenſes, quas collegit & edidit Joh. Jacob. Genathius. Baſileæ, 1631. in 4.

HEINIUS (*Nicolaus*) Wiſmarienſis.

De eô extat

De Phrenitidis Theoriâ & Therapiâ Diſputatio. Extat Decade 3. Diſput. quas collegit & edidit Baſileæ Joh. Jac. Genathius, 1620. in 4.

HEINSIUS (*Daniel*) S. Marci Eques, Politices & Hiſtoriarum, in Acad. Lugduno-Batavâ Profeſſor clariſſimus. Natus Gandavi A. C. 1580. ſtirpe Conſulari, inter maximos Reip. Belgicæ fluctus per multa dura & aſpera jactatus, vix triennis, patriâ exortis fuit, *Fortunæ privignum* ſe hinc vocare ſolitus; Hagæ Comitis initiis literarum jactis, inde in Zelandiam abiit breviqué tantum profecit ùt decimô ætatis annô commilitoni ſuo venuſtâ parentaverit elegiâ, cujus ultimum diſtichon.

Qui nondum undecimum vidi tranſire decembrem
Hæc ego de puerô carmina canto puer.

Poſt hæc, ſeverioribus ſtudiis deſtinatus, Franequeræ Henricum Scotanum audiit; Græcæ quoque & omnigenæ litteraturæ amore flagrans, Joſephum Scalig. Lugduni Bat. ἐργοδιώτην habuit in principatu litterarum, ejus poſteà ſucceſſor. Sic famâ quotidie creſcente, Annô Ætat. 18. publicè primùm Latinos, dein Græcos auctores profeſſus eſt, ultimò Politices & Hiſtoriarum Profeſſionem ſuſcepit; queis & Secretarii Acad. & Bibiothecarii nobile munus acceſſit. A Guſtavô poſt hæc Adolphô Sueciæ Rege in Conſiliariorum numerum aſcitus & à Sereniſſimâ Venetorum Republicâ Equeſtri D. Marci dignitate ornatus, ipſum Urbanum VIII. Pontif. Rom. eruditionis ſuæ admiratorem habuit, ampliſſimô honorariô Romam, ut eam à barbarie vindicaret, invitatus. Obiit A. C. 1655. Pater Nicolai. Ejus prodiere Poëmata, Notæ in Nov. Teſt. &c. *Hoffm. Dict. T. II. pag.* 469.

Theophraſti Ereſii Textum Græcum, Editionis 1613. in fol. apud Johan. Maire, locis infinitis partim ex ingeniô, partim è libris emendavit; hiulca ſupplevit; malè concepta recenſuit, interpretationem paſſim interpolavit.

HEINSIUS (*Erneſtus*)

De eô extat

De purgantium validiorum abuſu in febribus. Lipſiæ apud Weidman. 1693. 4.

HEINSIUS (*M. Uldar.*) Curonus, Ampliſſ. Facult. Philoſoph. Adjunctus.

Ex eô habetur

Diſſertatio de Alce. Jenæ apud Joh. Bielkium, 1697. 4.

HEINSTIUS (*Johannes*)

Ex eô habentur

Diacepſis de Pilis, eorumque naturâ; utrùm verè ſint corporis partes, nunc excutitur. Amſtelodami in 12.

Epiſtolæ variæ Medicæ. Extant cum Ciſtâ Medicâ Johan. Hornungi. Noribergæ, apud Sim. Halbmayerum, 1625. in 4.

HEINTKIUS (*Georgius*,) Phyſicus Uratiſlavienſis.

De eô habentur in Miſcell. Carioſ. Dec. 2. Annô 4.

Obſervatio 98. De Mercuriô diù in Corpore latente.

MUlieri temperamenti Phlegmatici, præter propter 49. annorum, aliquandò copioſis maculis ſcorbuticis cum alvi obſtructione validiſſimâ affectæ, poſtquam laxantibus & clyſmatibus ipſa per 14. ferè dies fruſtrà ſe tentâſſet, dedi binis vicibus ℥v. Mercur. vivi, ſicque conjunctim ℥x. cum laxantibus & ſtomachicis permiſtus; ſed ſine fructû; hinc tertiò porrexi potiunculam, ex reſinâ Jal. C. vitell. ovi ſubactâ, & purgata fuit ſufficienter, hinc aliis ſucceſſivè ad morbum reliquum directis, alterantibus &c. neceſſitate urgente, repetitæ fuêre aliquoties laxationes, & convaluit, non tamen ſine levi ſeu aliquali indiciô ſalivationis. Poſt 2. ſeptimanas ab aſſumtô Mercuriô è lectô ſurrexit, probè comedens & egerens munia ſua obiit, libera à ſalivatione viſaque reſtituta. Sed poſt iterùm 14. dies aliquandò ſedens in Gynæceô ſurgens præter propter, tota hauſta copia Mercurii excluſa fuit, cum ingenti riſû muliercularum neſcientium, quid in pavimento ſe manifeſtaret. Id mihi relatum miratus fui, quòd tam diù in corpore, tot adhibitis laxantibus & fortiore purgatione, item clyſmatibus cum dejectionibus etiam ſolius naturæ beneficiô ſubſecutis, Mercurius latere potuerit ſine copioſiori & diuturniori ſalivatione.

Ibidem Annô 5. Obſervatio 56. Quantùm Cibatio in avertendis & debellandis morbis interdum valeat.

Ibidem Obſervatio 57. De Menſtruatione dyſenteriæ remediô.

Ibidem Obſervatio 58. De Anatome Cachectici.

Ibidem Obſervatio 59. De Apertione ſcroti & ſcarificatione pedum ſæpiùs hydropis, ſalvis adhuc viſceribus, medelâ.

TRia mihi contigêre non ità pridem exempla in viris duobus pro deſperatis ferè habitis, unum in juvene aſcite univerſali penitùs decumbente. Huic juxtà cum internis magnô auxiliô fuit apertura ſcroti per binas vices celebrata, adeò, ùt nunc felix liberorum parens exiſtat. Alterius viri 45. annorum, qui quoad faciem & manus Hippocraticus videbatur, propter nimiam extenſionem abdominis jam tum Omphalocelen paſſus erat ingentem, ope hâc laudatâ Chirurgicâ optimè reſtitutus eſt. Tertium, viri, qui dies noctesque inſomnis extra lectum ſedere cogebatur ob ſummè difficilem reſpirationem, per veſicatoria verò & ſcarificationes in pedibus inſtituta manifeſtam ſenſit curam.

Ibidem Obſervatio 60. *Pinguia non ſemper oblinunt poros.*

Ibidem Annô 6. Obſervatio 124. *De poſſibilitate, non tantùm movendi, ſed & extrahendi fœtum; unà cum ſecundinis.*

QUæ & quanta adhùcdum ubique ferè locorum, obſtetricum ſit imperitia, dolendum magis, quàm dubitandum. De aliis, quæ imprudentiæ ipſas arguunt, nunc mihi non intereſt diſquirere; de motione fœtûs in uterô ſive mortui, ſive vivi, ſaltem verba facturo. Urbem noto, ubi lis & altercatio inter hujus farinæ mulieres ingens exoriebatur, quarum aliæ penitùs abjurabant mutationem fœtûs (*das Benden der Rinder*) admittentes ſolùmmodò retropulſum illius (*das Rucſchieben der Rinder*) aliis priùs aſſerentibus. Inter hæc diſſidia, re delatâ ad Magiſtratum, palmam reportabant poſterius ſtatuentes, eam ob cauſam, quia utplurimùm ſoli Politici, non Medici, Anatomiæ & excluſionis fœtûs ignari, decidendis hiſce controverſiis, abſque Medicorum conſiliô præficiuntur, ubi mulieres magis garrulæ reliquas rem meliùs intelligentes ſpecioſis ſuis ratiunculis ſupprimunt, ſententiâ verâ repudiatâ. Imò eò nonnunquam exſurgit obſtetricum arrogantia, ùt etiam eruditi & ſatis experti Medici eludant conſilium, atque inſtructionem reſpuentes ſeſe excuſent; *Es wäre wider ihren Eyd und Pflicht*, rem ejuſmodi inſolitam, & ab ipſis inexpertam ſuſcipere, quàm ùt aliquid novi addiſcere aut aliis exercitatioribus operationem permittere velint, cavillantes, ſibi nova obtrudi, atque ità omnem intendunt nervum, ùt alii homines in eôdem errore cum ipſis permaneant.

Cùm autem benè ſuam, etiam viris Medicinam facientibus hunc actum vocari in dubium, eum ſequentibus ſtabilitum dabo. Nolo autem præfari de artificioſô ſæpèque celebratô hôc labore ſpeculi beneficiô uterini à feliciſſimô in hôc opere D. D. *Faſchiô* P. P. Jenenſi. Intermittam quoque obſervationes ejuſmodi exercitii à Nobiliſſ. *Mercklinô Ephem. N. C. Annô III. Decad. II.* & à *Muraltô* de Medicinâ inſigniter merente *Ann. I. & II.* inſertas, cujus etiam *Collegium Anatomicum germanicè editum* multis oppidò raris talis modi obſervationibus refertum evolvi poteſt. Conformabo ſolùmmodò me cum Paulô Portal Magiſtrô Chirurgiæ Juratô Pariſiis, cujus etiam mentionem faciunt *Acta Eruditorum Lipſienſ. p.* 303. *Ann.* 1686. quandò mihi ſexiès vel ſeptiès obſervare contigit, dum præteritô annô Noribergæ moratus fui; ſcilicèt, degit ibidem Chirurgus, cujus in *Ephemerid.* aliquotiès jam cum laude facta fuit mentio, nomine *Brodmannus*, qui ſolâ manû in uteri cavitatem immiſſâ, non tantùm fœtum mortuum, ſed & vivum feliciſſimè primùm movet, poſtmodùm etiam extrahit. Imo ſecundinarum quoque ſtamina uteri lateribus adhærentia digitis quaſi abradit & avellit. Confeſſus mihi idem eſt contra obſtetricum opinionem, ſentientium, orificium matricis nè digitum quidem admittere extra dolores partûs conſtitutum, quod ſæpè facili negotiô, nondùm pertumida cùm ſit matrix, viam aperiat & manui introitum permittat, licèt anteà valdè clauſa viſa fuerit; exceptô verò caſû, dum naturalia tumor ingens occupat, ubi difficilis auſus ſit. Nempè matris priùs parùm ad quietem permotæ & genitalibus per emollientia fotis, ſicque ritè diſpoſitæ oſſi ſacro ſubmittit alterutram manum, alterâ oleô quôdam appropriatô illitâ, primò digitis leviter removendo obſtacula, ſibi viam ſternit, donec ſucceſſivè integra manus intrare naturæ ſecreta queat. Suſcipitur hic niſus præſentibus vel abſentibus doloribus partûs, faciliùs tamen abſentibus, qui contranitì interdùm ſolent operatori. Et hæc operatio interdùm citiùs, interdùm tardiùs, prout nempè fœtus vel diſpoſitus vel valdè irretitus, abſolvitur. Sique fieri poteſt, ad avertendas matri moleſtias, manum ſemel ingreſſam non extrahit totam, niſi poſtquam ſuo operi ſatisfeciſſe putet operans. Nonnunquàm ipſæ fatentur puerperæ, parùm incommodi, imò quandoque levaminis momentum exindè mox ſe ſentire, & ex niſû propriô ſummè debilitatæ peractô opere confeſtim reviviſcere, quaſi incipiunt. Quod ſi verò interanea nimium occluſerint aditum, & ſine læſione matris membra jam extra uterum exſtantia, minimè intrudi rurſùs queant, cultrô quôdam abſcindendo artus vel fœtum tumidum, ut extenuetur corpus, diſſecando, utitur. Aliàs utplurimùm abſque ferri ullius adminiculo agens. Aliquandò gemellarum matri, quæ excluſioni illarum impar erat, extrahebat primùm fœtum mortuum alterum, qui morti jam erat proximus, ſalvabat hâc ipſâ arte; qui ritè tractatur ac refocillatur, modò puella eſt optimè valens; reliqua, ad finem perductô opere, committit Medico. Ex litteris exercitatiſſimi ſuprà laudati D. D. de *Muraltô* habeo, quòd facilis ſit movendi fœtum ratio, ſi in temporè operans advocetur, antequam ſcilicèt infans in anguſtias abdominis propellatur, ſicque ſpatium pro manu operante adhùc ſuperſit, e. gr. ſi contingat quòd fœtus mox ſequatur egreſſas aquas cum alterutro brachio (quod communiter fit) tunc operans advocetur, materque ſine laboribus partûs in lectô jaceat neceſſe eſt; hinc operator illitâ dextrâ manû oleis appropriatis 1. 2. 3. 4. vel 5. digitis juxta brachiolum ſibi viam paret orificium uteri internum lentô modô recludendo, donec integræ manui, ſi poſſibile, introitus permittatur; ubi brachiolum circa axillarium flexuram apprehendendum, atque in uterum quomodocunque fieri poteſt, retrahendum; Caputque, quod ad latus jacet, verſus orificium dirigendum, vel, ſi aptiùs videatur, operans cum manû pergat ſupra infantis dorſum in fundum uſque uteri apprehendendo pedes movendoque fœtum, quod facile fit, talique modô extractionem moliatur. In priore circumſtantiâ, quando caput, poſt retractum brachiolum ritè ad orificium uteri eſt diſpoſitum, nullâ extractione opus eſt; ſed committendum potiùs naturæ opus, refocillentur verò interim mater infanſque confortantibus medicamentis cibiſque. Quod

Quòd ſi verò infans nimiùm propulſus ſit ad interiora, laborioſiſſima tunc evenit operatio, quia manus non ritè agere poteſt, infantisque vitæ parcendum eſt. Quando manus ſe manifeſtant, tùnc ut plurimùm pedes quærendi ſunt. Si caput ſub oſſe pubis jaceat, attollendum eſt, & ſupra manum artificis tanquam patinam per niſus matris expellendus erit fœtus. Sin verò caput extra matrem conſtitutum collumque conſtringatur, tunc orificium in circulum pollice extendendum, donec ſpatium pro axillarum egreſſû ſufficiens fiat. In promtû hìc ſemper eſſe debent appropriata olea, aërque, imprimis frigidus vitandus. Si autem infans mortuus ſit, excluſionemque adjuvare nequeat, præmiſſô tamen examine, utrum vivat necnè, manus in fundum uteri quantùm poſſibile mittenda pedeſque petendi. Si ſpatium deſit, non trahendum aut vis inferenda eſt, ſed membrum, quod extra matrem jam eſt, detorquendum; aut ſub alis apertura intra coſtas facienda ad efferenda viſcera & ſanguinis effluxum: intereà manus non extrahenda, ſed verſùs abdomen mota per eam pedes quærendi ſunt. Si contingat, quòd caput præ orificiô jaceat, apertio in fontanellâ faciendâ, cerebrum eximendum, futuræ cranii ſolvendæ aut ſuper ſeſe ponendæ, ùt ad extractionem partes apertiores fiant. Si nates præ pudendis ſitum habeant, digitus in anum prolis mittatur, & os ſacrum propiùs attrahatur quò reliquum etiam corpus propiùs accedat. Si materia ſive cruſta caſeoſa ſupra infantis cutem poſt elapſas aquas exſiccata in fœtû mortuô obſervetur, oleô roſar. & verbaſci probè calefactô inungenda, poſtmodùm corpus in quantùm poſſibile, vertendum & ad convenientem ſitum dirigendum. Quadrat autem non ineptè illud hùc; Audaces fortuna adjuvat, & ſucceſſus ſecundat auſum. Cognoſcitur verò etiam, quàm frequenter ex ignoratâ hâc arte & mater & infans neci dentur, aut ſi benè cedat, vix mater ſervetur, & quod è commodô publicô eſſet, erudiri obſtetrices in hôc agendi modô, nè antiquum ſemper obſtinatè obtineant. Quanquam eæ ipſæ minùs aptæ ad hoc opus mihi videantur, partim propter ignorantiam Anatomiæ, quæ ad hoc exſequendum prærequiritur, nè unum pro alterô arripiatur, partim etiam propter laborioſum periculoſumque negotium earumque timiditatem vacillanſque judicium, dum mox nimis citò, mox tardiùs ſe accingunt, tandem etiam quia vix informationem admittunt.

Ibidem Obſervatio 125. *De Bilis examine, quot modis illa ſaltim exercitii gratiâ adhuc dubia reddi poſſit in cauſâ Icteri.*

QUot & quibus nobile illud hominum decus, Cutis, vitietur nævis, atque à ſuâ amicabili venuſtate connatâ degeneret, ſatis ſuperque notum. Scimus, quando ex lævore illius ſit aſpredo rugoſa, imò & ſæpè variegata, nihil attinet effari de Aſrorum atque Cingarorum (quoad nos quidem, non quoad illos, quia ipſis color niger decus atque honor) ſpurcâ fœditate, deque aliis vel ab extra advenientibus mutatis qualitatibus, vel ex malâ conſtitutione internâ proficiſcentibus. De ſolô colore depravatô Ictericorum omnium ferè [illegible]ore à bile ortum trahente, nùnc agam. Bilis dicitur.

I. Tingere excrementa alvi. Aſt dubium infertur ex dejectionibus infantum, interdùm magis quàm apud adultos tinctis, quandò à canibus, amaritudinem bilis æquè ac homines aliàs abhorentibus, avidè lambantur. Imò ea ipſa excrementa manifeſtò acidum ſpirant, adeò, ùt interdùm aciditate ſuâ quaſi nares conſtringi obſerventur; unde etiam, acidum præcipitantibus curantur. Ergò vix videtur à bile prædominante color iſte. Sic obſervationibus pathologicis qui eſt attentus, animadvertere poteſt, ſæpiùs ægros flava, ſine ullâ amaritie, alvô excernere, & vice verſâ albicantia & limpida inſigniter amaricantia per vomitum rejici. Vid. *Sennert. de Conſenſû & Diſſenſ. Chymic. C.* 16. ubi de morborum cauſis. In canibus albeſcunt excrementa, etiamſi æquè ac in hominibus præſupponatur bilis. Taceo, quòd excrementa naturaliter demùm ſucceſſivè flaveſcant excluſô ſcilicèt ab iis chylô. Dici autem poteſt, quòd bilis retineat colorem, perditô ſapore, ſed ex inferiùs adductis exemplis liquet contrarium; id quod etiam in ſanguinis ſerô flaveſcente per venæſectionem emiſſi quilibet experiri valebit. Bilis dicitur.

II. Urinam tingere. Enimverò præter teſtimonium *Thomſonis* denegantis *in Epilogiſmi Chymicis*, uti ſudori & ſanguini, ità & urinæ amaritiem, licèt flava nonnunquam conſpiciantur; accepi ipſemet urinam ſanam cumque bile perfudi, ubi intincta linteamina mihi non æquè exhibuêre colorem illum, qui in Ictericorum urinâ ſe prodit. Porrò tali urinæ puræ inſtillavi guttulas ſaltem aliquot bilis, & minùs auctô colore ſapor amarus deprehenſus fuit. Alterâ vice ſumſi bilis caninæ conſiſtentiæ ſat viſcidæ gutt. VI. miſcens aquæ puræ ℥j. ubi color emergebat urinæ ſanæ ſimilis, huic liquori addidi ſalia Alkalica pariter ac fixa, experturus, utrùm fortè ſal urinoſum ſaporem bilis obtundat, exaltatô colore; ſed obſervavi colorem magis adhùc infringi ab iis ſuperſtite ſapore amarô. Ulteriùs progreſſus cepi ℥j. aquæ. c. ſale comm. item alkali fixo ad ſaporem urinoſum redactæ, producturus, uti ſuprà cum aquâ purâ feceram, ſimilem urinæ colorem, ſed admiſtæ, ut ſuperiùs 6. guttæ non ſuffecêre, nec priùs acquiſivi eundem colorem, quàm affuderim 12. gutt. qui liquor etiam paulò poſt citiùſque adhùc quàm ante, in virorem migravit, cum ingenti amarore. Prætereà, ſi chartæ albæ bilis gutt. ij. inſtillaveris, iiſque alkali fixi gr. ij. ſpatulâ ligneâ incorporando adjunxeris, virideſcens, ac ordinaria bilis flavedo ad ſenſum abſorbebitur, ferè deleta. Neque in aquâ ſimpl. ʒij. ſoluta hæc miſtura tam ſaturum procreabit colorem, quàm ſi gutt. iij. in aq. ſ. ℥ß. duplam ſcilicèt quantitatem inſtillares. Ex quibus pateſcit, colorem potiùs ab Alkalibus, minùs ſaporem immutari, uti c. urinâ, naturaliter ſe habente, accidit, nam Alkalia omnia præſertim fixa ejus colorem abſumunt, tam ante, quàm poſt ſedimenti ſeparationem, in tantùm, ùt urina filtrata adjectis Alkalibus ferè albeſcat. Quid ergò ſentiendum de Ictericorum urinæ colore? Bilis dicitur.

III. Tingere ſanguinis ſerum, quod interdùm adeò intenſâ flavedine obſervatur, ùt etiam ſtragula ſudor reddat flava, ſine tamen illius amarore, teſtificantibus hoc animadverſionibus Autorum. Quin propriam non erubeſco adjicere experientiam; ſcilicèt excepi ex venâ ſectâ cujuſdam Icterici linteô ſanguinem, ſerum innatans

tans ſanguini, croceô licèt colore tingeret linteum, nullam tamen linguæ idem guſtanti imprimebat amaritiei notam. Quòd non & deſtruatur amaror particulis oleoſo-volatilibus maſſæ ſanguineæ, exemplô lactis ſanguini proximè convenientis fit manifeſtum. Inſtillavi lacti bilem ad aliqualem ſaltem flavedinem, poſuique in digeſtionem, hinc guſtatô lacte amarities minimè occultata apparuit. Quî ergò obſcurari poterit amaror in tam ſaturâ ſeri flavedine, cùm conſtet, tenaciorem in bile qualitatem eſſe saporem, quàm colorem? quod & coquis notum, quando bile infectos piſces elixatos deguſtant. Sic & ſanguis naturaliter ſe habens è corpore prolectus & cum pauculâ bile permiſtus minimè amaritiem bilis velare potis eſt. Reſtant alia experimenta, quæ vincere poſſunt, prævalere ſaporem, à colore. Namque adhibui Acetum, item Spiritum Vitrioli, Salis & Nitri, ſed nullô horum amaror bilis periit, quanquam color factus ferè æruginoſus à fortioribus, ac cum aliquali turbulentiâ & pulviſculi ex albô ad pallidam viriditatem vergentis, ſucceſſivâ præcipitatione, propter Alkali occultum, quod conjunctum cum acidis reliquum concretum ad fundum dimittit. Ab acetô æruginoſitas fuit conſpecta pallidior tardiorque. Sic bili addidi nitrum, panaceam Holſaticam ſ. Arcan. dupl. Mynſ. it. Salis Tartari & Nitri ãã. per incenſionem in calcem redacta, quæ conjuncta aliàs colocynthidos amaritudinem tollunt, ſed ſapor hic juxta proportionem manſit amarus. Si ergò non Alkalia, nec acida neque nitroſa ſ. neutra neque pinguia ſ. oleaginoſa ſaporem bilis infringunt, quî ergò fit in Ictericis, ſi bilis cauſa Regii iſtius morbi exiſtat? Tandem emergit quæſtio, cùr Ictericis oculi minùs doleant, cùm aliàs unica fellis guttula in ejus bulbum inſtillata intenſiſſimum faciat dolorem, & quare bilis licèt humoribus fracta, in tantâ copiâ ſanguini Ictericorum infuſa, toti corpori non atrociora inducat ſymptomata?

Ibidem Annô 7. *Obſervatio* 144. *De Epilepticô Concionatore & Cantore.*

Ibidem Obſervatio 145. *De vinô Franconicô in febre petechiali innocuô.*

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 46. *De Gypſô, cognatô calci minerali, per vomitum rejectô.*

Ibidem Obſervatio 47. *De Lumbricis morborum ſymptomatumque gravium cauſis.*

Ibidem Obſervatio 48. *De ſuppoſitoriô Anodynô Dyſenteriæ periculoſiſſimæ remediô.*

INter fœdiſſimos, juxta omnium, qui ærumnoſis hominum calamitatibus præſunt, calculum, non ultimus ſanè morbus, nec rarò lethalis eſt illa doloroſa Dyſenteria, viſcera reddens gangrænoſa, imò interdùm ſphaceloſa ac ob id tantò periculoſiùs crudeliùsque ſerpens, quantò minùs malo in tempore obviam itur. Multùm verò imprimis negotii fideli faceſſit Medico, ejusque excruciat animum compatientem hydra iſta, quando ejuſmodi ægrorum corpus morſicat ac in interiora eorum ſpicula figit, qui cuncta ejus antidota reſpuunt atque monitis contrarii ſunt ſingulis. Talis farinæ bini ſub curam meam eôdem tempore venerunt elegantes ac teneri pueri, viri apud nos merentiſſimi filii, alter 12. alter 6. præterpropter annos nati. Uterque eorum clinicorum adeò abhorrens cujuſque exiſtit Pharmaci, ùt ne quidem mica aut guttula vel vi vel precariò obtrudi illis potuerit. Tandem malui ambiguum potiùs in hâc deſperatiſſimâ neceſſitate, quàm nullum experiri remedium, ſubſequens nempè ſuppoſitorium, recuſatis quippè enematibus, num fortè per illud ſuccurri naturâ poſſe. ℞. Thurif. Myrrh. Croc. à ʒß. Opii Thebaici ℈j. vitell. ovi & Mell. ãã. q. l. M. F. l. a. ſuppoſit. D. S. ſuô nomine. Sed hoc quoque admittere ægrotus renuit, ac propterea denique apud ipſum infelix ſubſecutus fuit morbi exitus. Natû minor poſtmodùm, me inſciô, ab adſtantibus ùt idem admitteret perſuaſus annuit. Quô intruſô non diù pòſt pacata fuêre omnia, ſomnus tam profundus ſubſecutus ad horas circiter 18. ùt per externa topica ſpirituoſa pulſibus & naribus adhibita foveri & quantùm licuit excitari eum oportuerit. Enimverò intumuit mox ejus abdomen, ob adhùc quædam excernenda ac flatuum inſupèr intenſionem, imprimis circa inguina, ùt nolentes volentes tandem ad enema conſentire Parentes æquè ac puer decumbens coacti fuerint, quorum beneficiô per Dei gratiam, fomentatis ſimul partibus tumentibus, orci faucibus miraculoſè ferè ereptus miſer iſte, quotidie in meliùs mutatô morbô, ad maximum contriſtatorum Parentum ſolatium convaluit.

HEISTERUS (*Laurentius*) Med. Doct. Anatom. ac Chirurg. Prof. Publ. in Univerſitate Altorfinâ, Academ. Cæſar. Nat. Curioſ. Regiæque Berolinenſis Scient. Societ. Collega.

De eô extant in Ephem. Nat. Cur. Centur. 1. *&* 2.

Obſervatio 196. *De Cataractâ & de mirâ Paralyſi.*

Ibidem Obſervatio 197. *De Homine pilis omnibus deſtitutô.*

Ibidem Obſervatio 198. *Obſervationes Anatomicæ variæ.*

Ibidem Centur. 3. *&* 4. *Obſervatio* 188. *De Chartâ maſticatâ ſclopetô majori (flinte vulgò) exploſâ, cranii perforati & mortis ſubitaneæ cauſâ.*

Ibidem Obſervatio 189. *De Tumore Cyſticô, meliceris dictô, avellanæ magnitudinis ex palpebrâ ſuperiori feliciter extirpatô.*

Ibidem Obſervatio 190. *De Tonſillarum novâ & accuratiore delineatione ac deſcriptione.*

Ibidem Obſervatio 191. *De Inſtrumenti novi pro tonſillarum abſceſſibus aperiendis deſcriptione.*

Ibidem Obſervatio 192. *De Obſervationibus ſingularibus in monſtroſô bicipiti vitulô.*

Ibidem Obſervatio 193. *De Infante anô clauſô natô, cum defectû inteſtini recti.*

Ibidem Obſervatio 194. *De Urachô in eodem infante uſque ad umbilicum rarô exemplô apertô & perviô repertô.*

Ibidem Obſervatio 195. *De ſingularibus vermibus in equô repertis.*

Ibidem Obſervatio 196. *De Vermibus in columbis ſingularibus.*

Ibidem Obſervatio 197. *De Cane, cui lienem extirpavi.*

Ibidem Obſervatio 198. *De Cataractâ quâdam lacteâ rarâ ac ſingulari in diſſectô oculô obſervatâ.*

ETiamſi in tractatû meô de Cataractâ & glaucomate, haud ità pridem divulgatô, multa exem-

exempla & obſervationes deſcripſerim, quae cataractam in humoris cryſtallini opacitate, & non in pelliculâ quâdam in humore aqueô concretâ exiſtere, probârunt; nullum tamen adhùc exemplum oculi diſſecti talia obſervanda dedit phœnomena, qualia nuperrimè hîc in ædibus meis obſervavi. Scripſi in Ephemeridibus Academiæ Cæſareæ Nat. Curioſ. Ann. 1712. editis, canem hîc eſſe Altorfii verâ cataractâ in utrôque oculô laborantem, eaſque non in pelliculâ, ſed in lentis cryſtallinæ opacitate conſiſtere, ſitus, color, convexitas &c. perſuadebant. Monui verò ſimùl, animal illud tam carum ſuo eſſe Domino, ut eum diſſecare non permitteret. Tandem tamen die 6. Februar. 1715. mortuus ad me deferebatur, ùt oculos ejus aperirem atque in cataractas has inquirerem. Et licèt nùnc à quinquenniô cœcus fuerit, tamen oculi cataractæ ejus hactenùs ſuper eadem ſpecie, ſicuti ante triennium, ſe præſentabant, ſine ullâ notabili differentiâ, niſi quòd pridie fortem percuſſionem ſive ictum in oculô ſiniſtrô acceperit, à quô oculus ſiniſter prorſùs erat contuſus & deſtructus, ùt nihil ampliùs diſtinctè magnô meô dolore in eô cognoſci potuerit, dextrô tamen integrô atque illæſô.

Aperui primùm præſentibus multis ſtudioſis oculum contuſum, ſed ità contritus erat, ùt in globô ſive bulbô oculi nihil niſi maſſam ſanguinis coagulati reperire liceret. Verùm dexter oculus priſtinam ſuam faciem ſervabat, & poſt pupillam corpus apparebat opacum, convexum, prout cataractæ ſe oſtendere ſolent.

Quod poſtquam omnes adſtantes probè perluſtraſſent, oculum hunc ex orbitâ cautè ſeparavi, & bulbum ejus ab omnibus muſculis & pinguedine liberavi. Hunc poſteà in menſam ità poſui, ùt tunicæ corneæ incumberet, nervus opticus ſurſùm ſpectaret. Reſecavi tunc forfice acutô nervum opticum cum poſteriori bulbi parte, quantùm pro facili inſpectione in oculum ſufficiebat, & omnes obſervavimus per humorem vitreum pellucidum, corpus lentiforme opacum, candicans in loco lentis cryſtallinæ; atque ùt eò diſtinctiùs conſpicerentur omnia, nec ulli dubitandi cauſa relinqueretur, bulbi partem poſteriorem tandem ultra dimidium forfice amputavi, ùt ſic undique exactè pateat corpus illud opacum eſſe lentem cryſtallinam. Quibus peractis corpus hoc acû novâ Briſſæi à cohæſione cum ligamentô ciliari (quocum naturaliter cohæret) ſeparavi, ùt & anterior ejus pars ritè perluſtrari poſſit; quô factô nulla membrana, nullumvè aliud corpus præternaturale aderat, quàm ſæpè dicta lens cryſtallina; reliquæ oculi partes rectè ſe habebant. Attamen in hâc ſeparatione quoties lentem hanc opacam acû premebam, rarum & inſolitum ſpectaculum ſe oſtendebat, nimirùm obſervavi ſemper foveam ab acû planâ huic corpori cryſtallino imprimi, acûque remotâ foveam illam mox rurſùs diſparere, eôdem prorſùs modô, ac ſi veſicam liquidô plenam digito premimus, quæ digitô remotô, mox priorem figuram, foveâ deletâ, denuò induit. Satis autem hôcce phœnomenô conſideratô, acû tandem membranam hujus lentis perforavi, & dictô citiùs humor candicans lacteus, membranam hanc modò replens atque diſtendens, effluebat, ac parietes membranacei, qui ante perforationem figuram lentis cryſtallinæ naturalem perfectè exhibuerunt, nùnc omninò concidebant, undè apparebat totam corporis cryſtallini ſubſtantiam in humorem lacteum diſſolutam aut transmutatam fuiſſe. Atque ſic hæc cataracta ſe habebat inſtar veſiculæ liquore lacteô plenæ.

Ex quâ obſervatione multa utilia ad cataractarum naturam illuſtrandam colligi ac diſci poterunt, nimirùm (1) quid cataractæ lacteæ ab Auctoribus ſæpiùs quidem obſervatæ, at non rectè intellectæ. Perhibebant plerumquè tales cataractas non fuiſſe ritè maturas, nec ſatis induratas, lacteumque colorem ex membranulâ diſfluente oriri; verùm eos erràſſe & naturam earum non ritè cognoviſſe in propatulo eſt; nam hæc cataracta jam ante triennium opaciſſima erat, ideòque etiamſi tunc nondum fuiſſet matura, & membrana dura, id intra hocce tempus fieri debuiſſet; verùm quoniam hæc alia cataractæ ſpecies eſt, & rebus ità conſtitutis, ſicut modò deſcripſi, profectò nunquàm perfectam duritiem induxiſſet. (2) Ex iiſdem meliùs explicari poſſe exiſtimo, quid ſint cataractæ purulentæ & caſeoſæ veteribus obſervatæ, quas ob materiam variam contentam aut collectam in membranâ cryſtallini differre puto. Dum modò in lacteum, modò in purulentum liquidum lens cryſtallina mutatur. (3) Diſcimus lentem cryſtallinam prorſùs in oculô diſſolvi & converti poſſe in liquidum. (4) Quare cataractæ lacteæ non ſint ex peſſimis, ſed ſæpiùs licèt liquidis oculi turbatis curari, ægriſque viſum reſtitui, ſicut in Tractatûs noſtri §. 88. & alibi monuimus; Lacteum enim hoc liquidum gravius humore aqueô, fundum petit, & ſic pelluciditas reliquorum humorum oculi redit. (5) Denique monere volo, poſſe aliquandò in oculô, qui cataractâ laboravit, inveniri membranulam ſive pelliculam, nam poſt effluxum liquidi lactei parietes ſive membranulæ lentis cryſtallinæ ità concidebant, ùt talem membranulam exhiberent, qualem aliàs cataractæ cauſam perhibuerunt. Verùm tùnc deficiet lens cryſtallina & non erit nova membrana ex humore aqueô vappeſcente generata, ſed membrana lentis cryſtallinæ.

Tandem non dubito fore, qui hanc obſervationem parvi momenti eſſe proclamabunt, quia ex cane eſt petita; verùm hanc objectionem infirmô ſtare talô, exindè manifeſtum eſt, quia 1. oculus humanus & caninus nullâ in re differunt, ex quâ concludi rectè poteſt, quòd id, quod in caninô oculô aut humore cryſtallinô contingit, non etiam in humanô contingere queat. 2. Quia reipſa cataractæ lacteæ, id eſt, ubi in operatione humor lacteus effluxit, ſæpè obſervatæ ſint in hominibus.

Ibidem Centur. 5. & 6. Obſervatio 82. De admirandâ Cerebelli ſtructurâ.

Ibidem Obſerv. 83. De Pylori ventriculi novâ delineatione ac deſcriptione.

Ibidem Obſervatio 84. De Tympanitidis variâ ſede, ex Cadaverum diſſectione petita, ejusque variâ curandi methodô.

Tympanites vulgò deſcribitur, quòd ſit tumor abdominis, à flatibus in cavitate ejus contentis, ortus. De verâ autem ſede Autores non conveniunt; utrùm ſcilicèt flatus intra vel extra inteſtina hæreant. Vulgaris opinio plerorumque Medicorum erat, quòd in cavô abdominis extra inteſtina flatus, aër, ſive ſpiritus ſint contenti, ſicut aqua in aſcite. Inter recentiores autem novi multos, qui hanc opinionem improbant,

bant, contendentes, flatus in hôc morbô non hærere extra inteſtina, ſed intra inteſtina; hocque probant (1) *ab experientiâ* è diſſectis talibus cadaveribus, ubi nullos flatus inter inteſtina & peritonæum ſive in abdominis cavitate repererunt; ſed tantùm inteſtina ab aëre & ſordibus pituitoſis quàm maximè diſtenta viderunt; ſicut tale exemplum in Ephemeridum harum Centur. II. Obſerv. 84. deſcribitur; atque ſic hunc morbum pro flacciditate ſive paralyſi fibrarum muſcularium inteſtinorum, nullam amplius vim contractilem habentium, reputandum cenſent, ùt flatus & ſordes expellere nequeant, ſed è contrario ſe mirum in modum ob aëris vim elaſticam in calore ſe expandi ſinant. (2) *Ex rationibus,* dum *α*) nullæ demonſtrari poſſint viæ, per quas flatus in cavum abdominis intrare queant; nam inteſtina inflari atque exſiccari poſſunt ſine flatûs eruptione ſive tranſitû per tunicas eorum; ex diſtenſione verò inteſtinorum ſequi & explicari poſſe tympanitidis omnia phœnomena. *β*) Quia flatus tam diù retineri non poſſent in cavô abdominis ſine corruptione & putrefactione contentorum; obſervari autem tympanitides decem & plurium annorum. *γ*) tympanitem in paralyſi inteſtinorum conſiſtere, ipſa mali diuturnitas innuere videtur; nam paralyſes per multos annos durare poſſunt in certis quibuſdam partibus ſine morte ſubitâ metuendâ, *δ*) tympaniticos ſæpe ab aſſumptione frigidorum, verbi gratiâ aquæ frigidæ, multùm levari; nam frigus aëris elaſticitatem cohibet. *ε*) morbum eſſe difficulter ſanabilem, ſicut omnes alias paralyſes, & quæ aliæ ab hujus opinionis patronis rationes adhùc afferri poſſunt, quibus evincere conantur, omnem tympanitem intra inteſtina & non extra ea ſedem ſuam habere.

Cùmque adhùc nuper in conſiliô quôdam eſſem cum aliis magnis Medicis, ubi de tympanitis ſede ageretur, eſſentque qui eam non in cavo, ſed in inteſtinis tantùm conſiſtere exiſtimarent, utile eſſe credidi, *Obſervationem hîc tradere quæ tympanitidem quoque, juxtà veterum mentem, in cavô abdominis exiſtere declarat*, ùt inde manifeſtum fiat, duplicem poſſe eſſe tympanitidis ſedem, ego enim non nego tympanitem quoque dari, ubi flatus tantùm in cavô inteſtinorum hæreant, quale exemplum quoque vidi; verùm hôc ipſô demonſtrare volui, quòd, juxta Philoſophorum prudens axioma, poſitô unô, non ſtatim excludatur alterum; ſed quòd utrumque poſſit eſſe verum eôque ſimul innuere, quòd pro diverſâ ſede, alia quoque ſanandi ratio obtineat. Exemplum autem, quod hîc deſcribere animus eſt, jam Amſtelodami 1706. obſervavi in muliere, quæ ſe gravidam putavit & ventrem habebat valdè diſtentum, ſed ob varia graviora ſymptomata Medicum Amſtelodamenſem doctiſſimum, Dn. D. *Petrum Voogdium*, Amicum quondam noſtrum egregium, advocari juſſit, qui præſtantiſſima adhibuit remedia ſymptomatibus oppoſita, verùm his non obſtantibus, poſt paucos dies mulier ſubitò interibat. In hujus ſubitaneæ mortis cauſam cùm inquirere intenderet laudatus Medicus, ſimul varios alios Medicos & Chirurgos rogavit, ùt certas ob rationes ſectioni intereſſent, inter quos etiam erat illuſtris *Ruyſchius*, quem cum quibuſdam aliis Medicinæ ſtudioſis ad locum aperturæ comitabar. Cùm itaquè mulieris abdomen detegeretur, illud tumidum obſervabatur ac in gravidâ partui vicinâ, & abdomen preſſum, renitebatur. Apertô abdomine, ſimul ac exiguum vulnus peritonæum perforaverat, magnô cum ſibilô ſive ſtrepitû ac fœtore aliquali aër prorumpebat, & abdomen ſubitò concidebat, ac ſi mulier non eſſet gravida, inteſtina prout aliàs in ſanis ſe habebant, attamen in uterô fœtus quoque reperiebatur quatuor circiter menſium. Jam prolixiùs in vias, per quas flatus in cavum penetrat, non inquiram, neque rationibus adverſariorum hujus opinionis tempus conſumere volo; ſed ſufficiet jam me exemplô hôc probaſſe, dari reverà etiam tales tympanitides, ubi flatus non in inteſtinis ſed extra inteſtina ſubſiſtant, & quòd ad hos expellendos medicamenta flatus pellentia vix aliquid efficere queant; verùm quòd fortè acû paracenticâ, quam Galli *trocar* appellant, breviori & certiori methodô educi queant. Quâ de re autem experientiâ erit opus, antequàm certi quid affirmare liceat. Quæ autem in paralyſi inteſtinorum conſiſtit, ea plerumque erit inſanabilis, vel non niſi medicamentis nervinis, antiparalyticis, atque elaſticitati aëris adverſis curari poterit. Ideòque ſi Medici in hanc diverſitatem diligentiùs quàm hactenùs attendant, plures fortè à tympanite ſanari poterunt, quàm hucuſque fuerunt.

Ibidem Obſervatio 85. *De Epiplocele duplice in eôdem ſubjectô.*

Ibidem Obſervatio 86. *De Diſſectione Mulieris miris ſpaſmis brevi defunctæ.*

Ibidem Centur. VI. Obſervatio 24. *De Tunicâ allantoide, vaſorumque ejus novâ delineatione.*

Ibidem Obſervatio 25. *De Cane liene orbatô continuatio.*

Ibidem Obſervatio 26. *Vaſa lactea in inteſtinis craſſis equi reperta, & fibræ annulares in ejuſdem equi ductû thoracicô detectæ.*

Ibidem Obſervatio 27. *De Venæ umbilicalis in fœtû verâ inſertione, & canalis venoſi accuratiori deſcriptione, errorumque, quos Autores circa hæc commiſerunt, emendatione.*

Ibidem Obſervatio 28. *De Diſſectione duorum cadaverum melancholicorum, quæ aquæ ſubmerſione ſibimet ipſis mortem intulerant; ubi imprimis quædam ſingularia curioſa circa ductus felleos cyſticos & pancreas deſcribuntur.*

Ibidem Centur. VII. Obſervatio 23. *De Oſſibus Seſamoideis.*

Ibidem Centur. VIII. Obſervatio 62. *De Cancrô exulceratô labri inferioris ſectione curatô.*

Ibidem Obſervatio 63. *Nova & accurata glandulæ thyroideæ, glandularum bronchialium & aſperæ arteriæ cum præcipuis ramis in magnitudine naturali delineatio.*

Ibidem Obſervatio 64. *De ſingulari & pulchrâ diſtributione venæ azygos, ſive ſine pari.*

Ibidem Obſervatio 65. *De Cancrô uteri externô.*

Auctores plerique, qui de Cancrô uteri ſcripſerunt, aut aliquam ejus mentionem fecerunt, raro aut vix de cancrô uteri externô, ſed de internô plerumque duntaxàt loquuti ſunt. Præcedenti verò annô Neogarum in Palatinatum Superiorem vocabar ad mulierem, quadraginta quaſi annorum cancrô uteri externô ſive cancrô pudendi muliebris eôque horrendô & graviſſimô laborantem. Utrumque ſcilicèt labrum pudendi à ſummâ ad infimam partem penitùs erat exeſum atque ferè ad oſſa pubis & utrinquè ad femora uſque eroſum, eôdemque ferè modô, ut lardum à muribus arroſum, totus quoque mons Veneris ad abdomen uſque fuit conſumtus, cum fœtore intolerabili & aſpectû teterrimô; Mulier illa anteà cæterò-

teròquin ſana erat; Verùm annô 1716. excreſcentia quædam pendula à labrô pudendi ſiniſtrô ipſi orta erat, quæ conſiliô Medici cujusdam ligaturâ, ope ſetæ equinæ, brevi & rectè tollebatur. Paulò pòſt tamen eôdem in locô novum rurſùs tuberculum oriebatur, circa quod cùm non à Medicô, ſed à Medicaſtrô quôdam auxilium quærebat, affirmavit hic, radicem præcedentis mali non fuiſſe ſublatam, ſe medicamenta adhibiturum eſſe quæ eam brevi tollerent. Adhibuit itaquè medicamenta (ſine dubio cauſtica) à quibus parvum tuberculum mox in magnum tumorem & ulcus fœtidum mutabatur, quod tandem ità ſe extendebat, ùt à ſiniſtrô latere primùm ad montem Veneris, & deinde ad dextrum labrum tranſiret, ùt brevi tempore magnis cum doloribus horrendôque fœtore, totum pudendum externum ad oſſa uſque conſumeret, & tandem etiam dolor in internis partibus ſe proderet. Hôc deplorandô in ſtatû, multis jam medicamentis ab eodem Medicaſtrô & dein aliis Chirurgis fruſtrà adhibitis, & ego accerſebar, oræ ulceris cancroſi tumidæ & valdè inflammatæ apparebant, ulcuſque ipſum ſordidum ac fœtidum erat & teterrimi aſpectûs. Verùm conclamatum eſſe amicis & marito indicabam, & proptereà morbi deſperati curationem (niſi palliativam ad dolores mitigandos) aggredi, monente *Hippocrate* recuſabam. Vixit tamen adhùc, malô in dies ingraveſcente, ſummis ſæpè cum cruciatibus, aliiſque variis gravibus ſymptomatibus uſque ad principium hujus anni 1718. in ſtatû miſerrimô, omnibus miſericordiam extorquente, donec tandem mors finem huic malo impoſuerit. Patet ex hâc hiſtoriâ primò, dari etiam cancros uteri externos, & deindè cauſticorum uſum in his partibus laxis & ſpongioſis periculoſum atque ſuſpectum eſſe, prudentiſſimèque cum iis eſſe agendum, ne graviſſima talia mala producant.

Ibidem Obſerv. 66. De Vaginæ uteri prolapſu ſingulari poſt partum difficilem.

Quamvis quidem vaginæ uteri prolapſus ab Auctoribus ſæpè ſit obſervatus, & à nonnullis quoque delineatus proſtet, placuit tamen ob ſingularem ab aliorum ſcriptorum delineatione & deſcriptione differentiam illam hic deſcribere, quam nos aliquando vidimus, præſertim in juniorum Practicorum gratiam, qui aliàs in diagnoſi & curatione hujus morbi facilè falli poſſunt, dum mulierculæ atque obſtetrices tales prolapſus ordinariò pro uteri ipſius procidentiâ habent, qui tamen non niſi vaginæ prolapſus ſunt, atque ſic niſi circumſpectè agatur, in curatione facilè errores magni eique periculoſi committi queunt.

Vocabar aliquandò ad mulierem, cui poſt partum laborioſum vagina extra pudendum ſive orificium uteri externum tam vehementer protuberabat, ùt omnes præſentes mulieres uterum ipſum extra corpus propendere opinatæ eſſent; orificium vaginæ tantùm connivebat, ùt facilè adhùc aliquot horis à partû quinque digiti manus in apicem conjuncti immitti potuerint; verùm circa hoc orificium vagina uteri inſtar farciminis craſſi in circulum ſive annuli formam complicati, craſſitie trium quaſi digitorum eminebat. Color hujus procidentiæ ex nigrô fuſcus erat, ferè ut partis ſphacelô correptæ; ad tactum verò nec mollis erat nec durus, ſed aëre quaſi diſtentus; atque ex his ſignis ac phœnomenis ſatis patebat, hanc procidentiam non uterum ipſum, ſed ſolùm vaginam eſſe, quæ tamen procidentia ob magnitudinem humorumque in eâ ſtagnantium copiam facilè in gangrænam, ſphacelum & conſequenter mortem tranſire potuiſſet, niſi quàm citiſſimè auxilium latum eſſet. Quoniam verò digitorum preſſione ob nimis magnam intumeſcentiam mox reponi ſive repelli non poterat, fomentationes reſolventes ex menthâ, matricar. abrotanô ſcordiô, malvâ, fl. verbaſc. & chamomill. in aquâ & lacte coctis ordinavi, eaſque ſæpiùs calidas iterandas juſſi, ſic pars prolapſa ſenſim detumuit, ùt reliquum deindè in locum naturalem recipi potuerit.

Ibidem Obſervatio 67. De Magnâ excreſcentiâ ex inteſtinô rectô feliciter ablatâ.

Ibidem Obſervatio 68. De Fiſtulâ lacrymali novâ Anelli methodô à nobis ſanatâ.

Eodem tempore Francofurti ad nobilem mulierem quinquaginta annos natam, unà cum Virô Excell. Experientiſſimôque D. D. *Kiſneri*, Phyſicô Ordinariô Celeberrimô vocabar, ad morbum quendam Oculi inſpiciendum, examinandumque, de quô jam anteà prælaudatus D. D. *Kiſnerus*, qui aliàs ipſius Medicus Ordinarius erat, mihi referebat, ſe eum pro fiſtulâ lachrymali habere. Cùm igitùr in ædibus ægrâ conveniebamus, ipſa referebat, ſe à ſex circiter menſibus aliquem moleſtum ſenſum aliquoties in diè percepiſſe in angulô oculi dextri majori, & dum eum fricâſſet, purulentam materiam indè effluxiſſe, lacrymaſque frequenter indè ex oculô hôc procidere, ſeque malô hôc deformi adeò contriſtari, ùt vix ampliùs audeat in aliorum hominum conſortium venire. Examinavimus deinde & inſpeximus oculum laborantem quàm accuratiſſimè, & nullum, neque in oculô ipſô, neque in palpebris, neque in carunculâ lacrymali conſpeximus vitium, verùm locus ſacci lacrymalis inter naſum & angulum paulò tumidior erat, quàm ad oculum ſiniſtrum. Hinc ad malum accuratiùs explorandum manû ſiniſtrâ palpebras hujus oculi ità diduxi, ùt puncta lacrymalia in conſpectum venirent, rogavique tunc D. D. *Kiſnerum* ùt attentè jam ad hæc puncta attenderet. Quô factô, indice dextræ manûs leniter compreſſi ſaccum lacrymalem, ſic perſpicuè vidimus verum pus largâ ſatis copiâ ex utrôque punctô lacrymali profluere; quô abſterſô idem aliquotiès iteravi eôdem ſemper eventû, ita ùt laudatus D. D. *Kiſnerus* mecum conſentiret, veram hic adeſſe fiſtulam lacrymalem, præſertim cùm ægra nil in nares influere perciperet. Proponebamus igitùr ægræ, de curatione valdè ſollicitæ, *Anelli* novam methodum, tanquam blandiſſimam & ſecuriſſimam hujus mali ſanandi rationem (a) cuï quidem ab initiô ob doloris aliorumque periculorum in organô tam nobili ac tam delicatô metum, præſertim cùm aliàs tenera eſſet, & conſtitutionis valdè ſenſilis, ſe ſubmittere haud facilis erat. Cùm verò ipſi magnam ſpem facerem, quia malum non adeò erat inveteratum, fore, ùt brevi à moleſtô hôc malô liberaretur, ſectionem, uſtionem, periculumque hìc abeſſe, affirmarem, mihique brevi rurſùs hinc Altorfium diſcedendum eſſe, annuit tandem, ſpecillumque huic operationi proprium ſine notabili dolore admiſit. Quo cùm omnes ſacci lacrymalis plagas percurrerem, nihil carioſi percepi, hinc tantò major curationis ſpes mihi affulgebat, quia anteà nullos tales ægros tractandos habueram, ſed

tales duntaxat, qui valdè inveteratis & carioſis fiſtulis laborabant. Inflectebam poſteà ſtylum meum verſus canalem naſalem, ibique aliquandiù aliquod notabile obſtaculum, membranæ obtenſæ ſimile offendebam, quod ipſius progreſſum ad nares impediebat. Tandem verò paulò fortiori preſſione penetrabat in nares, ità ùt partim ex ſenſû ægræ, partim ex longitudine ſpecilli conſtabat. Canali igitùr obſtructo reſerato, ſpecillum aliquandiù uſque deque motitavi, donec meatum ſatis liberum perciperem. Poſteà afferri curavi aquam mineralem, quæ æſtatis tempore copiosè Francofurti præſtò eſt, eamque paulò calefactam (extractô priùs ſpecillô) ope ſiphunculi mei per punctum lacrymale inferiùs injiciebam, quam ægra copiosè è naribus in fauces influere percepit. Quod verò ùt diſtinctiùs perciperet, infudi in illam aliquot guttas Eſſentiæ Cort. aurant. quæ fortè ad manum erat, atque injectionem iteravi. Eôdem verò momentô aſſeverabat os ſibi repleri ſapore Eſſentiæ Cort. aurantior. & liquidô injectô; id quod totiès contingebat, quotiès adhùc poſteà injectionem eôdem liquidô feceram. Pars tamen liquidi injecti ſemper etiam cum paucô pure per punctum lacrymale ſuperiùs reſiliebat.

Alterô die cùm ambo rurſùs ægram hanc inviſebamus, vix aliquid puris ampliùs ex ſaccô illô lacrymali exprimi aut aliàs obſervari potuit; & cùm ſtylum alterâ vice immitterem, facillimè in nares intrabat, id quod etiam cum injectione contingebat, cui tùnc aliquid Elixir. proprietat. ſine acidô miſcueramus, quod copiosè rursùs per os rejecit. Tertiô die nihil quicquam puris obſervabatur, hinc omiſſâ per ſpecillum exploratione, ſolùm aliquot injectiones inſtituebam; quæ feliciter ſemper in nares & os influebant. Die quartô ſimili modô nil ampliùs præternaturale reperiebatur, ſed injectiones iteravi. Quintô die Francofurtô mihi rurſùs diſcedendum erat Altorfium, quapropter inſtrumenta D. D. *Kiſnero*, relinquebam, ùt ſi opus eſſet, & fortè adhùc aliquid præternaturale occurreret, ipſe meâ methodô ulteriùs opem ferret. Sed poſt aliquot ſeptimanas, per litteras me certiorem fecit, ægram perfectè ſanatam eſſe, & nullô ampliùs remediô aut injectione indiguiſſe, id quod & poſteà ſæpiùs, & nuper adhùc confirmavit, morbumque illum hucuſque non rediiſſe, ſed oculum illum optimè ſe habere.

Tacere tamen aut diffiteri nolo, ſed ut boni viri eſt, ingenuè hîc fatebor, me in inveteratis talibus fiſtulis, quarum ſex intereà tractandas habui, quarum recentiſſima ultrà triennium jam duraverat, & in quibus omnibus oſſa lachrymalia nuda & carioſa deprehendi, hâc methodô nullam certam & conſtantem curationem obtinere potuiſſe; & quamvis quidem in omnibus meatum ad nares reſeraverim, ità ùt ſtylus & injectiones, nunc faciliùs, nunc difficiliùs, in nares intraverint; imò in nonnullis per tres menſes canalis naſalis ſponte ſine ulteriori ſtyli immiſſione apertus remanſerit, & intereà nil puris aut lacrymarum per puncta lacrymalia ſive per ſuperiores aperturas effluxerit, ſed hæc omnia ſolùm per inferiorem ductûs naſalis aperturam, ut in ſanis, in nares intraverint, tandem tamen obſtructio lacrymalis canalis rediit, & ſanatio conſtans à me in inveteratis talibus fiſtulis Anelli methodô obtineri non potuit, ſic ùt eam non in inveteratis & carioſis, ſed ſolùm in recentioribus & ubi caries aut oſſis denudatio abeſt, utilem deprehenderim, ſicuti etiam ab inventore nonniſi in talibus caſibus commendata fuit. Intereà tamen in laudem hujus methodi & loco refutationis adverſariorum, qui eam adeò periculoſam proclamârunt, affirmare ſanctèque teſtari poſſum, me ex hâc methodô nullam noxam, nullum grave aut novum ſymptoma, quod antè non fuerat, unquam obſervâſſe, & ubi non profuit, ibi etiam eam non nocuiſſe deprehendi, ità ùt tutò adhiberi poſſit, nullumque periculum inferat, ſi modò à prudenti manû adminiſtretur. At uſus ejus in recentibus fiſtulis lacrymalibus & aliis, ubi caries abeſt, itemque in oculis lacrymantibus ab obſtructione canalis naſalis oriundis ſanandis, egregius eſſe poteſt & ſatis laudari nequit, dùm hâc ratione hæc mala mox in principiô curari poſſunt, atque ſic impediri, nè ex oculis lacrymantibus fiant fiſtulæ, aut ex fiſtulis ſimplicibus metû ſectionis aut uſtionis, aut aliûs methodi moleſtioris, fiant complicatæ cum carie, oſſiumque eroſione, quæ poſteà methodos periculoſiores, crudeliores & moleſtiores requirunt; imò ſæpè nullam prorſùs curam admittunt, quod prolixiùs in ſuprà nominatâ diſſertatione noſtrâ docuimus.

Ibidem Obſervatio 69. *De Membranâ Hymene.*

Ibidem Obſervatio 70. *De Humore oculi aqueô, utrùm ante uveam an poſt illam ſit copioſior?*

Ibidem Obſervatio 71. *De Ventriculô enormis magnitudinis.*

De eô præterea habentur in Actis Lipſienſibus An. 1716. p. 526.

De Cataractâ, Glaucomate & Amauroſi Tractatiô in quâ multa nova opiniones & inventa contra vulgatas Medicorum, Chirurgorum, Philoſophorum, necnon Mathematicorum ſententias continentur. Altorfi, literis Jod. Guil. Kohleſii; 1713. 8.

Autoris in hoc librô ſcopus fuit, novam ſententiam de cataractâ, quam duo Galli, *Briſſeau* ſcilicèt & *Antonius Maitre-Jan*, Gallicô ſermone publicaverunt, iis quoque notam facere; qui vel Gallicam linguam non intelligunt, vel libros eorum extra Galliam rariſſimos obtinere non potuerunt. Hanc ſententiam cùm Autor noſter veram eſſe ſuâ quoque aliorumque præſtantiſſimorum virorum experientiâ obſervâverit, rei Medicæ intereſſe credidit, ut etiam extra Galliam magis innoteſceret. Quod autem, ut eô majori utilitate fieret, noluit tantùm eorum ſcripta Latinè reddere, aut ſolùm interpretem agere, ſed potiùs ſibi propoſuit ſecundum novum hoc ſyſtema integram Cataractæ hiſtoriam conſcribere, & quæ adhùc apud Autores iſtos deficere ipſi viſa ſunt, addere; diſperſa & inordinata in concinnum ordinem redigere; ſua aliorumque experimenta ac ratiocinia adjungere; & propterea etiam *Briſſaum* & *Antonium* non in omnibus ſecutus eſt, ſed ubi eos erraſſe putavit, à ſententiâ eorum receſſit, & ſuam protulit; ſic ut has ob cauſas haud immeritò pro librô peculiari, ab illorum ſcriptis multùm diverſô; ab æquis lectoribus haberi queat: præſertim etiam cùm non tam abſolutè & ſemper cauſam cataractæ in opacitate cryſtallini ponat, ſicut *Briſſæus* & *Antonius*, ſed interdùm etiam membranulam p. n. aut aliquid huic analogum in oculô generari poſſe variis in locis concedit. *Glaucoma* verò, (quod veteres quidem lentis cryſtallinæ vitium eſſe putabant)

cum *Briſſæô* potiùs *humoris vitrei opacitatem ſtatuit;* quia 1. multò rariùs occurrit, quàm cataracta, 2, opacitas profundiùs ſe oſtendit, quàm in cataracta, & 3. nullâ operatione curari poteſt, ſicuti veteres hæc attributa glaucomati ſemper adſcripſerunt, id quod §. 11. 26. 60. 61. 62. 86. & 89. prolixiùs exincit. Sed hæc in genere; percurramus breviter totum libellum. In §. 1. de cataractæ ſive ſuffuſionis onomatologiâ, in §. 11. de definitione & differentiis à morbis affinibus ſecundùm hypotheſin ſuam accuratè agit. Poſteà p. 9. *ſententiam vulgarem de cataractâ proponit*, de quâ vulgò putârunt, eam ſedem ſuam in humore aqueô habere, cauſamque ejus proximam conſtituere pelliculam quandam p. n. in dictô humore genitam, quæ foramen pupillæ occludat & cœcitatem producat. Adjungit quoque mox, quod veteres circa cauſas & generationem hujus pelliculæ tam ludicra & abſona figmenta excogitaverint, ut vix ſine riſû legi queant: Lectoreſque, qui talia figmenta legere deſiderant, brevitatis causâ ad *Sennertum* & *Riverium* ablegat, apud quos, ut & alios, reverà ridicula aſſerta reperiuntur. Deinde *novam ſententiam Antonii & Briſſæi recenſet*, quod ſcilicèt ſecundum hos, *ſedes illius morbi, quem Medici & Chirurgi præſtantiſſimi hactenùs pro cataractâ habuerunt* (ubi nimirùm in oculô mox poſt pupillam opacitas ſive color à nigrô diverſus apparet) *ſit in lente cryſtallinâ & quod cauſa proxima hujus mali non ſit pellicula ſed opacitas lentis cryſtallinæ.* Hoc ut probet Autor, primò duo experimenta recenſet à ſe ipsô peracta, ubi in diſſectione duorum oculorum cataractâ laborantium nullam pelliculam in humore aqueô, ſed lentem cryſtallinam opacam invenit. (*His jam addi poteſt ejuſdem Autoris curioſa obſervatio de cataractâ quâdam lacteâ rarâ in diſſectô oculô obſervatâ Ephem. Nat. Curioſ. Centur. IV. pag.* 469.) Ab his pergit ad *experimenta à Briſſæô deſcripta* Latinè recenſenda, quorum circiter viginti quinque ſunt, in quibus ſemper lens cryſtallina cataractæ cauſa & nulla pellicula reperta eſt; ubi ſimùl multæ curioſæ, lectû ſcitûque dignæ, circumſtantiæ deſcribuntur. Et ne de veritate horum experimentorum dubitari queat, multos teſtes oculatos fide digniſſimos citat, Medicos & Chirurgos Regios, qui experimentis interfuerunt, & illos oculos veris cataractis, non glaucomatibus laborare obſervarunt; quia cataractæ vera ſigna pathognomonica habebant, quos viros jure nemo arguere poterit, quod diagnoſeos cataractæ, morbi adeò frequentis, fuerint ignari, ſicuti adverſarii calumniantur, & quòd glaucomata pro cataractis habuerint, quæ tamen omni tempore pro morbis rariſſimis habita fuerunt, ſuis ſignis à cataractâ facilè diſtinguenda. Tertiò quoque *tres Antonii obſervationes* refert, & denique quinque ex Hiſtoriâ Acad. Reg. Scientiarum idem teſtantes. Fatetur tamen Autor, *inventum hoc non eſſe prorſus novum*, quoniam jam multis olim fuit cognitum; ut *Quareo, Rolfincio, Gaſſendo, Laſniero, Borello*, &c. attamen quia oblivioni rurſùs erat traditum, & tunc temporis ferè omnibus Medicis & Chirurgis incognitum, imò quod Regia Scientiarum Societas pro re novâ & incognitâ habuit, æquè pro novô rurſùs inventô haberi poſſe Autor putat, ac ſi quis aliam artem vel ſcientiam olim cognitam & oblivioni rurſùs traditam, denuò inſtauraret. Experimentis quadraginta circiter præmiſſis p. 84. & ſeq. oſtendit Autor, juxta *Briſſæum* & *Antonium theoriam cataractæ & omnia ejus phænomena meliùs ex novâ quàm ex vulgari hypotheſi explicari poſſe*; ubi verò varia addit ratiocinia, experimenta & Autorum loca, novam ſententiam confirmantia, quæ apud *Antonium* & *Briſſæum* non inveniuntur. Poſt hæc omnibus adverſariis reſpondet, & imprimis etiam illam objectionem, *quod lens cryſtallina ad viſum abſolutè ſit neceſſaria, & cum viſus reſtitutione ſupprimi non poſſit*, fortioribus argumentis refutat, quàm antea ab *Antoniô* & *Briſſæô* factum erat; dùm non ſolum per manifeſtas Mathematicas demonſtrationes, ſed etiam per curioſam machinam, oculum ſcilicèt *Hugenianum* & *Mullerianum*, ſolidè huic dubio ſatisfacit. Deinde Autor adhùc multas alias objectiones profert & refellit, quæ in illis Autoribus non extant. Prolixus verò non eſt in iis adverſariis refutandis, qui authoritatibus pugnare geſtiunt; nam quoniam hæc res ab experimentis dependet, ſine quibus authoritates nihil valent, duobus ferè tantùm verbis reſpondet, eas *non ſufficere* ad ſyſtema, tot experimentis comprobatum, deſtruendum. Inſimùl iis, qui hanc ſententiam rejicere, & ſolùm pelliculam cataractæ cauſam ſtatuere conantur, perſpicuè oſtendit, quid probare debeant, ſi argumenta alicujus valoris proferre velint; nam non ſufficere membranam p. n. in oculô oſtendere, ſed neceſſum eſſe, ut experimenta producant, in quibus vivis 1. cataracta fuerit depoſita, 2. æger poſteà viderit, 3. poſt mortem inventa ſit membrana ſuppreſſa, 4. lens verò cryſtallina illæſa & in locô naturali, ſicuti defenſores hujus hypotheſis fieri perhibent; talibus requiſitis ſi certa exempla producent, lubens Autor concedet, dari quoque cataractas membranoſas ſanabiles, attamen reliquis longè rariores, & ſimùl ſuſtinet, quod hanc ob cauſam ſua non deſtruatur ſententia, quia unius morbi plures poſſint eſſe cauſæ. Quandiù verò illud non præſtant, ſicut hactenùs nondùm præſtitum eſt, dubitat Autor, an per acum cataracta membranacea ſine cryſtallini aut uveæ læſione ſit ſanabilis. Progreditur hinc ad differentias, quas accuratè deſcribit, & in cauſis remotis tradendis multas opiniones Autorum falſas eſſe ſolidis argumentis demonſtrat. In diagnoſi primò tradit *ſigna, quibus cataracta à glaucomate diſtingui poteſt*; nimirùm in cataractâ opacitatem mox poſt pupillam obſervari; in glaucomate verò profundiùs retrò pupillam, in locô ſcilicèt humoris vitrei. Poſteà docet, quomodo cataracta matura ab immaturâ ſit dignoſcenda, ſimplex à complicatâ, vera à ſpuriâ &c. & tandem de appendiculis *Antonii*, quas hic in cataractis adeſſe aſſerit, ſuam ſententiam declarat Autor, eaſque non tam frequenter obſervari exiſtimat, ut ille perhibet. *Prognoſin cataractæ*, quoad viſûs recuperationem, valdè dubiam eſſe ait, attamen eam nullum mortis periculum inferre; ſimplices & perfectè materias reliquis certiùs curari, & de omnibus aliis ſpeciebus judicium ſuum aperit. In caſibus tamen dubiis præſtare operationem perficere, quàm intermittere; quia nec periculoſa, nec valdè dolorifica eſſet, atque bonus Chirurgus ſæpè adhùc prodeſſe, rarò autem vel nunquam nocere poſſet.

Adjungit *prognoſin glaucomatis*, quod partim ratione, partim experientiâ immedicabile pronunciat, idque adhùc, præter conſtantem Autorum obſervationem, duobus exemplis à ſe obſervatis comprobat. Denique *curationem* deſcribit; ubi verò non in eorum eſt opinione, qui putant nullam cataractam medicamentis eſſe ſana-

ſanabilem, & ſic deinde quando & quomodo curatio per medicamenta optimè inſtituatur, enarrat; ubi ſelectiſſima Auctorum medicamenta tam interna quàm externa recenſet. Quibus verò nihil proficientibus, ſi ulla adhùc curationis ſpes ſupereſt, ad *operationem pergendum eſſe docet*: ubi primò in genere, & deinde etiam in ſpecie Chirurgis multa ſalutaria præcepta tradit, 1. ratione operatoris, 2. cataractæ, 3. temporis & loci, 4. ægri ejuſque præparationis, 5. miniſtrorum, pacus & aparatus neceſſarii, 6. ratione ſitûs ægri, chirurgi & miniſtrorum (quod per figuram illuſtrat) & tandem ipſam operationem deſcribit, necnon quid poſt operationem agendum, diætam ægri; & quomodo ſymptomatibus in vel poſt operationem occurrendum. Denique *utilitates novæ doctrinæ* perſcrutatur, & imprimis etiam acus novæ *Briſſæi* accuratam delineationem exhibet, (quæ apud *Briſſæum* minor, quàm par eſt, repræſentatur) ejuſque præ reliquis præſtantiam oſtendit.

Poſtquam cataractæ & glaucomatis pertractationem abſolvit, *amauroſis* ſive *guttæ ſerenæ* deſcriptionem annectit; id quod facit partim ob affinitatem cum præcedentibus, partim verò & præcipuè ob fauſtam pertinaciſſimi aliàs hujus morbi curationem, quam Autor in fœminâ quâdam utroque oculo amauroſi laborante præſtitit, & quidem beneficio ſalivationis mercurialis. Quæ methodus cùm & aliis prodeſſe queat, eam in ſolatium talium ægrorum cum publicô communicare voluit: præſertim cùm multi ſint Medici qui miſeros hos ægros relinquunt, eoſque inſanabiles pronunciant. Atque hâc occaſione ſimùl affectûs hujus theoriam accuratè evolvit. Brevis quidem eſt tota tractatio, ſed concinna & perſpicua. Initium facit à recenſione morbi; poſteà ad onomatologiam & definitionem progreditur, eamque ità definit. *Amauroſis eſt abolita actio viſûs, ubi nullum vitium in oculô eſt conſpicuum, quam ſolùm pupilla ſolitô major & ferè immobilis.* Oſtendit poſteà partem affectam in hôc morbô (quam Autores vulgò ſolum nervum opticum eſſe ſtatuerunt) quatuor in locis exiſtere poſſe; nimirùm 1. in cerebri ſubſtantiâ corticali, 2. in medullari 3. in nervô opticô, 4. in retinâ; quia ad viſûs ſenſum perficiendum liber motus ſpirituum à ſubſtantiâ corticali uſque in retinam requiratur. Quintò etiam inquirit, an & quomodo reſolutio humoris vitrei & cryſtallini amauroſin producere poſſit? Pergit deinde ad cauſas recenſendas, & phœnomena hujus morbi explicat. Poſteà diagnoſin cauſarum & prognoſin tradit; ac tandem quomodò ſalivationem inſtituerit, totamque curationem abſolverit, omnibus circumſtantiis revelat.

Ibidem Ann. 1717. *p.* 267.

Apologia & uberior illuſtratio ſyſtematis ſui de Cataractâ, Glaucomate & Amauroſi, contra Wolhuſii, *Ocularii Pariſienſis, cavillationes, & objectiones itemque Pariſienſis Eruditorum Diarii iniquam cenſuram. Altorfii, typis Jod. Guil. Kohleſii, Acad. Typograph.* 1717. 8.

Recenſuimus ſuperiori annô, M. Novembri p. 526. ſſ. Tractatum hujus Autoris *de Cataractâ, Glaucomate & Amauroſi*, atque ex eô oſtendimus, Autorem noſtrum experimentis & rationibus egregiis demonſtrâſſe, morbum oculi, quem vulgò *ſuffuſionem* ſive *cataractam* vocârunt, & pro membranâ in humore aqueô ſemper habuerunt, plerumque humoris cryſtallini, & rariſſimè humoris aquei eſſe vitium. Hanc ſententiam, quamvis nemo hucùſque idoneis experimentis impugnaverit, & ne unicum experimentum proſtet, ubi cataracta curata membrana in oculô ſuppreſſa fuerit inventa; *Wolhuſius* tamen, tam in ſcriptis quibuſdam publicis, quàm in litteris ad Autorem alioſque datis, vehementer ſe ei oppoſuit, eam falſam proclamare magnô impetû annîſus eſt, illoſque, qui aliud ſentiunt, admodùm acerbè tractavit. Huic deinde acceſſerunt Scriptores Diarii Eruditorum Gallici (*Journal des Savans*,) qui ſuperiori annô in analyſi Tractatûs Autoris noſtri, A. 1713. editi, perquàm acerbam cenſuram exhibuerunt.

Has verò cenſuras quia Autor noſter cum veritate non convenire, nominique ſuo valdè ignominioſas eſſe putavit, hanc Apologiam contra hos adverſarios edidit, ut non ſolùm ſuam ſententiam ejuſque veritatem luculentiùs illuſtraret, & falſa confictaque (ut ait) crimina demonſtraret, quorum adverſarii ipſum inſimulârunt; ſed etiam ſimùl publicè oſtenderet, quàm iniquè illi ſecum egerint; id quod ſummatim in Præfatione indicat, & poſteà elenchum rerum ſubjungit, ex quô totius apologiæ argumenta in compendiô conſpici poſſunt.

Dividit autem ſuam apologiam in tres partes; in primâ reſpondet *Wolhuſii* objectionibus & cavillationibus, quas tàm in literis, nondùm anteà impreſſis, Autori noſtro oppoſuit, quàm contra hoc ſyſtema in Epiſtolâ ad *Palfinum*, Chirurgum & Anatomicum Gandavenſem, datâ habet; ubi Autor domonſtrat, *Wolhuſium* ne unicum quidem experimentum, neceſſariis requiſitis inſtructum, contra ſe protuliſſe; ſed loco talium, quamvis ab Autore anteà læſus non fuerit, ſcommatibus, amarulentis & ignominioſis verbis uti, & ſimùl cum Academicis Regiis Pariſinis indecorè agere; dum aſſeveraverat *Wolhuſius*, *Heiſterum* in ſuô de cataractâ tractatû non niſi FUTILIA *Academicorum* (Pariſienſium) *argumenta* refutâſſe, *ſcripta ipſius non niſi* VISIONES *eſſe*, *neque ipſum niſi interpretis partes egiſſe*, aliaque dicteria & accuſationes profert, quæ Autor gravibus argumentis in univerſum falſa eſſe oſtendit, eumque tam diſcipuli ſui teſtimoniô, quàm ex ipſis ſuis literis & aſſertis perſpicuè confutat; quæ verò copioſiora ſunt, quàm ùt hìc à nobis in compendium redigi queant.

In alterâ parte refellit *Cenſuram libri ſui à ſcriptoribus Diarii Gallici exhibitam*, ibidemque duplici ex capite demonſtrat, eam valdè eſſe iniquam; primò, quia omnis generis, ut perhibet, falſa ipſi imputârint, ſenſum verborum ſuorum inverterint, eumque hôc pactô ridiculum, imò plagiarium efficere conati ſint: quas tamen accuſationes falſas, & ex odiô & invidiâ ortas eſſe fuſè hic probat. Secundô locô analyſin Diarii Gallici iniquam, & ad contemptum Autoris noſtri eſſe compoſitam, ex eô patere docet, quia perhibeant tractatum ejus nihil continere, quod non jam ab *Antoniô Maitre-Jan* & *Briſæô* fuerit dictum, omniaque omittant, quæ Autor noſter notatû digna & curioſa præ illis habet, ſicut exemplis quàmplurimis comprobat; quæ, ſi ab odiô aut partium ſtudiô liberi videri voluiſſent, in analyſi publicâ, utilitatis publicæ cauſâ, commemorare debuiſſent. Imprimis autem oſtendit, hos ſcriptores unà cum *Wolhuſiô* non obſervâſſe, *ipſum ab omnibus aliis Autoribus circa cauſam cataractæ differre*, (id quod maximè notatû dignum erat) eôque nomine novam & propriam fovere ſententiam; dum non, ùt veteres & *Wolhuſius*, ſolam membranam,

nam, neque cum *Antoniô* & *Briſſaô* ſolam humoris cryſtallini opacitatem, cauſam cataractæ ſtatuit, ſed utramque cauſam conjungit; ſic tamen, ut rariſſimè membrana cataractæ cauſa & idoneis experimentis adhùc probanda ſit. 2. Manifeſtat, eos *Machinæ* illius *curioſæ* quam in Tractatû ſuô deſcripſit & delineatam exhibuit, pro demonſtratione viſûs ſine humore cryſtallinô, *nullam prorſus mentionem feciſſe*; quæ tamen, ut probat, Pariſiis non fuerit, & fortè nuſquam anteà viſa ſit. 3. Quia *in recenſendo capite de amauroſi præcipuum momentum, ob quod illam deſcripſit, nimirum curationem ejus ſalivatione feliciter peractam, omiſerint*; quod tamen publico, & præſertim Medicis in ſolatium talium miſerrimorum ægrorum ſcitû utiliſſimum fuerit. Silentio hìc prætermittimus multa alia curioſa additamenta, quæ Autor § 75. 76. 77. 78. 80. oſtendit à *Diarii* ſcriptoribus omiſſa & ſtudiô ſuppreſſa eſſe: ex quibus manifeſtum eſſe, ait, eos ex invidiâ vel odiô quôdam, quæ ipſe hic præſtitit, ſupprimere voluiſſe, ut ignominiâ nomen ejus afficiant, ac ſi nihil ſingulare præ *Antonio* & *Briſſao* egiſſet.

In tertiâ parte refutat objectiones *Wolhuſii* in itâ dictô Mercuriô eleganti (*Mercure Galant*) contentas, quas verò, etiamſi à *Wolhuſio* & *Diario* Pariſienſi magnoperè extollantur, omninò debiles ad ſyſtema ſuum refellendum ac plerùmque falſiſſimas eſſe demonſtrat, præſertim quia nulla experimenta, ſed tantùm ratiocinia contineant, quæ in hâc controverſiâ exigui ſint momenti, præſertim quia ſententiam Autoris & ſtatum controverſiæ non feriant, ſed ſolùm hypotheſes quaſdam minùs eſſentiales *Antonii*, quas tamen Autor non aſſumſit; hinc mirandum, cenſores hos has *Wolhuſii* objectiones tantùm extuliſſe, cùm, ut Autor innuit, idoneis experimentis potiùs, quàm cavillationibus pugnare debuiſſet, qualia verò, ut Autor oſtendit, nuſquam protulit.

Finem huic apologiæ impônit *Epilogus* in quô Autor præcipua controverſiæ hujus capita repetit, ut lectores de ſtatû controverſiæ, quem adverſarii haud ritè intellexiſſe videantur, eò meliùs judicare queant; quæ verò quia in breviùs compendium mittere non poſſumus, veriti, ne ſenſum Autoris obſcuremus, Lectoribus, hanc controverſiam ritè perſpicere deſiderantibus, ſuademus, ut ea ex ipſô Autore petant; nervoſè enim adverſarios ſuos refutat, cataractæ & glaucomatis doctrinam egregiè illuſtrat, nihilque ab illis ſibi oppoſitum prætermittit, quod non ſolidè luculenterque excuſſerit.

Ibidem p. 367.

Compendium Anatomicum, veterum recentiorumque Obſervationes & inventa breviſſimè complectens. Altorfi Noric. literis Jod. Guil. Kohleſii, 1717. 4.

Hujus opuſculi Autori Clariſſimo, (cujus *ſcripta de Cataractâ* in Actis anni 1716. p. 526. & A. 1717. p. 267. recenſuimus) propoſitum fuit totam rem anatomicam in novum, concinnumque, & quantùm fieri potuit, accuratum compendium redigere, quia hujus artis ſcita nullô in librô itâ conjuncta reperiuntur, ne tyrones magnâ cum moleſtiâ temporiſque diſpendiô tot ſcriptores, qui anatomen auxerunt, evolvere neceſſe habeant, ſed unicô in librô breviſſimè omnia & cum ſelectû tradita reperire queant, quæ ſparſim in tam multis libris fuiſſent quærenda.

Ut autem eò meliùs oſtenderet, quid in hoc compendiô præſtiterit, in ſcenam produxit *Clariſſ. Verheyeni* Anatomiam, tanquam Enchiridium Anatomicum recentiſſimum, & in Academiis uſitatiſſimum: ex eôque demonſtravit, hunc Autorem non ſolùm quàmplurimas pulchras ſcitûque dignas obſervationes omiſiſſe, ſed etiam adhùc erroribus multis ſcatere. In præfatione igitur multos recenſet Autores Anatomicos, quorum obſervationes & inventa, imò integri libri, *Verheyenum* fugiſſe videntur; uti *Guil. Cowperi* ſcripta, *Keilii* Anatome corp. hum. *Drakii* Antropologia, *Haveri* Oſteologia, *Ridlejus* de cerebrô, *Tranſactiones Anglicanæ*, aliaque ſcripta ſermone Anglicano exarata, quia nuſquam eorum mentionem facit. Ità eandem ob rationem nec relationes noviſſe videtur, quæ de his libris in *Ephemeridibus Gallorum*, *Actis* his *Eruditorum*, aliiſque ſimilibus ſcriptis jam diù Reipublicæ literariæ innotuerunt. Nec uſquàm meminit laborum Clariſſ. *Pauli*, quos impendit *Hornii microcoſmo* illuſtrando, univerſæque arti Anatomicæ locupletandæ. Sic quoque omiſiſſe dicitur *Swammerdamium de* uterô, *Gagliardi* obſervationes de oſſibus, *Bonclari*, & *Lealis* de teſtibus, ejuſdemque veſicularum ſeminalium curioſam reſolutionem. Prætermiſit quoque *Duvernejum* & *Valſalvam* de Aure, *Terraneum* de glandulis urelloræ, *Meibomium* de vaſis novis palpebrarum, *Rivinum* & *Bartholinum* de ductû ſalivali glandulis ſublingualis, *Pacchioni* obſervationes de durâ matre, *Peyerum* de glandulis inteſtinorum, *Nabothum* de Ovariô novô, *Thebeſium* de venis novis cordis, multaque quæ *Vieuſſenius* & *Ruyſchius* variis in ſcriptis ediderunt. Tacemus Autores, qui vel circà idem tempus, vel poſteà prodierunt, ut *Littrium*, *Alghiſium*, *Fantonum*, *Blancum*, *Saltzmannum*, *Henningerum*, *Vercellonium*, *Brunium*, *Ettmüllerum*, de ovariô novô, alioſque, quorum obſervationes *Verheyenus* ne quidem tum cognoſcere & in librum ſuum referre potuit.

Sed adhùc alios hujus compendii Autor errores à *Verheyenô* admiſſos obſervandos putat; & ſpeciatim quidem contrà hunc contendit, dextrum ventriculi orificium ſiniſtro altitudine non æquale eſſe; ſed dextrum ſiniſtrô eſſe inferius. 2. Valvulam pylori à *Verheyenô* malè eſſe deſcriptam atque delineatam, ejuſque ſitum non eſſe horizontalem, ſed inclinatum oſtendit, à dextrô verſùs ſiniſtrum. 3. Valvulam quoque coli non eſſe circularem, prout à *Verheyenô* delineatur, ſed longitudinalem, ex duabus membranis, quaſi ſemilunaribus, è regione poſitis, compoſitam. 4. Lieni tunicam duplicem adſcribit *Verheyenus*, quas quidem in vitulis adeſſe concedit Autor, ſed in homine tantùm unicam reperiri affirmat, eamque ſatis tenuem. Et in hoc viſcere in univerſum pleroſque recentiores erràſſe ſcriptores, quòd deſcriptionem lienis vitulini pro humanô dederint, cùm humanus nec cellulas nec venâ perforatam aut cribriformem habeat, ut vitulinus. 5. Bilem in homine per unum eundemque ductum cyſticum in veſiculam felleam influere, & inde quoque rursùs effluere poſſe; *Verheyenus* negat; quod verò Autor ex analogiâ veſicularum ſeminalium manifeſtum eſſe putat. 6. Capſulas atrabilarias in homine non ſitas eſſe inter renes & aortam, ut à *Verheyenô* delineantur, ſed ipſi renum parti ſuperiori ex parte incumbere, docet. 7. Proſtatas contrà *Verheyenum* non ex duobus corporibus, ſed ex unicô conſtare docet. 8. Glandem penis à *Verheyenô* peſſimè eſſe deſcriptam indicat, 9. Globulos in mam-

mammis mox ſub cute pro glandulis à *Verheyenô* aliiſque deſcriptos, Noſter ex pinguedine conſtare affirmat, eoſque minimè pro glandulis haberi poſſe; at in mediô mammæ ſub pinguedine latere ſubſtantiam glanduloſam, brutorum uberibus haud abſimilem. 10. Arterias cordis coronarias ſub valvulis ſemilunaribus aortæ oriri tradit *Verheyen*; cùm tamen ſuprà eas oriantur. 11. Per foraminula, in ventriculos cordis hiantia, fermentum cordis excerni affirmat ille; Autor verò nil niſi ſanguinem venoſum ex cordis ſubſtantiâ per hæc foraminula iufluere affirmat. 12. Glandulam thyroideam non duplicem eſſe, ſed unicam Autor ſuſtinet contra *Verheyenum*. 13. Corpora globoſa aut ovata in corticali cerebri ſubſtantiâ, qualia à *Verheyenô* aliiſque delineantur, ſe, cum *Ruyſchiô*, nullâ arte cognoſcere poſſe; ideòque talia ibidem dari negat. 14. Sic & cerebelli mirabilem fabricam, quæ ab Autore in Ephem. N. Cur. Cent. V. Obſ. 82. & ex his in Actis noſtris Menſe Juliô A. 1717. p. 308. 310. exhibita eſt, malè à *Verheyenô* aliiſque repræſentari ait. 15. *Vias* à glandulâ pituitariâ ad os vel nares, quas *Verheyenus* affirmat, Autor negat. 16. Muſculos palpebrarum, labrorum & oculorum à *Verheyenô* malè eſſe deſcriptos docet, aliaque curioſa circa oculum ab illô aut omiſſa eſſe aut malè deſcripta, oſtendit. 17. In deſcriptione linguæ tunicam reticularem, aliaque apud *Malpighium* &c. deſcripta, *Verheyenum* omiſiſſe, & vaſorum nervorumque linguæ nullam hic mentionem feciſſe innuit. 18. Etiam circa ductuum ſalivalium, uvulæ & muſculorum oſſis hyoidis deſcriptionem Autor varios errores indicat. 19. Capiti infantis recèns nati magnum proceſſum maſtoideum appingit *Verheyenus*, quem tamen in talibus prorſùs deficere Autor affirmat. Ità & muſculos quoſdam capitis omiſit, qui tamen è multis aliis jam deſcripti ſint, & facilè poſſint demonſtrari; alioſque adhùc multos dicitur commiſiſſe errores, quos verò ob prolixitatem hic enarrare non poſſumus.

His igitur cauſis adductus, ſe hoc compendium in uſum ſtudioſæ juventutis conſcripſiſſe, ait, ut ex eô hactenùs nota cognoſci & addiſci queant. In ipſâ verò tractatione anatomiæ partium mollium præmiſit ſuccinctam Oſteologiam. Poſteà, ſubjunctâ generaliori rerum anatomicarum notitiâ, ad partes molles progreſſum facit, ubi primùm tegumenta corporis deſcribit; deinde partes abdominis explicat; poſt has pergit ad thoracem, collum & caput; ac tandem ad ſyſtema arteriarum, venarum nervorumque deſcribendũ progreditur; denique myologiam exhibet. In totô verò hoc compendiô rem ità digerere ſtuduit, ut plerùmque ſingulas partes organicas, ut & ſyſtema arterioſum, venoſum & nervoſum unâ in paginâ, vel in duabus è regione poſitis, explicaverit, quô unicô aſpectû intueri queat Lector, quid in quâlibet parte, aut demonſtratione notandum occurrat, id quod tàm ad attentionem excitandam, quàm memoriam jùvenum adjuvandam multùm conferre poſſe exiſtimat. Cùm itaque Autor in hôc compendiô conſcribendô omnes ferè recentiores ſcriptores adhibuerit, eorumque inventa & obſervationes ſuos in loculos digeſſerit, concinnôque ordine diſpoſuerit, & ſic veteribus nova ſuperaddiderit, libellus hic non tantùm tyronibus, ſed etiam doctioribus pro enchiridiô commodè inſervire poterit; præſertim cùm haud pauci linguarum exoticarum ſint expertes, aut libros tales obtinere nequeant, aut alios ob labores tempus tot Autoribus evolvendis impendere haud poſſint. Cæterùm, quæ hâc in editione adhùc deficiunt, aliquandò in alterâ hujus compendii editione, aut in paulò majori opere Anatomicô, quod Autor molitur, ſe ſuppleturum, erroreſque hìc fortè commiſſos, obſervatione accuratiore emendaturum, & ſic adhùc perfectius compendium confecturum pollicetur. Denique etiam adhùc adverti vult Cl. Autor, Cl. *Mangetum*, quamvis Theatrum ejus Anatomicum ſit opus magnum & ſplendidum, nonnullos egregios ſcriptores Anatomicos recentes non habuiſſe, eorumque proptereà figuras & obſervationes in ſuô opere omiſiſſe, quorum Autor noſter aliquot indicavit; ſic, ut varia in compendiô hôc reperiri credat, quæ in magnô illius opere haud extent. Poſtremò etiam percepimus, Autorem clariſſimum jam in elaborandâ Chirurgiâ eſſe occupatum; in quâ quoque optimas Encheireſes, & quicquid in hâc arte novi & boni apud recentiſſimos ſcriptores Latinos, Gallos, Anglos, Italos, Belgas atque Germanos reperitur, unà cum ſuis obſervationibus patefaciet.

Ibidem Annô 1719. *p.* 20.

D. Laurentii Heiſteri, Epiſtola ad Collectores Actorum Eruditorum Lipſienſium; quâ reſpondetur Epiſtolæ cuidam, Diario Eruditorum Pariſienſi nuper inſertæ, & controverſia de Cataractâ illuſtratur.

PErvenit ad nos haud pridem Epiſtola *Geiſleri*, Chirurgi Norimbergenſis, quæ in Diariô Eruditorum Pariſienſi menſe Maji exhibetur, perſcripta ad *Wolhuſium*, Ocularium, Lutetiis Pariſiorum degentem; in quâ obſervatio deſcribitur de cataracta membranaceâ, Norimbergæ in muliere, præſentibus Medicis celeberrimis, nimirùm D. D. *Lochnerô*, *Thomaſiô*, *Bſchererô*, *Goeckeliô* & *Widmannô*, reperta, quâque Epiſtolæ hujus Autor orbi erudito perſuadere voluit, meam de cataractâ doctrinam nùnc everſam eſſe. Sed quoniam hic aliique nonnulli veram meam ſententiam non ritè intellexerunt, aut fortè intelligere noluerunt, triumphum ante victoriam cecinit. Quapropter liceat mihi paucis mentem meam tùm de hypotheſi meâ in univerſum, tùm ſigillatim dè obſervatione illâ aperire; ſic enim manifeſtum fore ſpero, eam meo ſyſtemati ne quidem eſſe contrariam, multò minùs illud evertere. Præ omnibus verò mihi demonſtrandum incumbit, *me non tantùm & abſolutè ſine limitatione aut reſtrictione humorem cryſtallinum cataractæ cauſam ſtatuiſſe*, uti Autor illius Epiſtolæ perhibet; quia non ſolùm ei ipſi ſed etiam Clariſſimis illis Medicis jam dudum coram declaravi, me quidem, tot inductum experimentis, tam aliorum præſtantiſſimorum virorum, quàm meis, in oculis, cataractâ laborantibus, inſtitutis, ubi eò uſque cryſtallinus opacus, & nulla membrana, repertus fuit, cryſtallini opacitatem cauſam cataractæ ſtatuere. Verùm licèt nullæ adhùc membranaceæ cataractæ certò demonſtratæ fuerant, aſſeveravi tamen, *tales quandoque dari poſſe*, meque eas à causâ cataractæ non excludere velle, ſi modò priùs ritè fuerint probatæ. Præterea in Tractat. meâ de Cataractâ, Anno 1713. editâ, variis in locis, præſertim verò pag. 216. perſpicuè indicavi, *me membranam à causâ cataractæ non prorſus excludere, modo prius certò probetur*: hinc deſideravi tantùm ibidem membranaceæ cataractæ per certa experimenta demonſtrationem; eam enim

enim ſi demonſtrâverint ſecundùm requiſita ibidem à me propoſita, *ultrò tùnc me profiteri velle, veterum hypotheſin ſimùl cum recentiori ſtare poſſe;* hoc enim ſine probatione admittere velle, ubi tot experimenta aliud docebant, Philoſophi aut prudentis Medici haud eſſe credidi. Et licèt primùm in Tract. de Cataractâ membranaceas in univerſum negaverim, factum hoc eſt, quia tales per tot annos nusquam reperiri potuerunt; è contrariô verò in quamplurimis oculis, quos cataractâ laborare præſtantiſſimi quivis Medici atque Chirurgi pronunciarunt, ſemper nonniſi cryſtallini opaci reperti ſunt. Quô tamen non obſtante generale illud aſſertum in eadem adhùc tractat. reſtrinxi, & conditionem poſui, ſub quâ etiam membranaceas cataractas admittere velim; nimirùm ſi certis experimentis priùs repertæ & demonſtratæ fuerint; rei enim dubiæ probationem qui deſiderat, ille profectò eam non abſolutè negat. Propterea paulò poſt in eâdem adhùc pag. 216. ità pergo; *ſi etiam fortaſſe* vulgaris ſententiæ propugnatores *cataracta membranaceæ vera exempla tandem producant*, tamen hæc recens ſyſtema meum non diruent, ob longè plura experimenta quæ pro ſe habet; *ſed ſolummodò eis probabunt interdum etiam veram cataractam eſſe poſſe membranaceam.* Ex quibus opinor, à præjudiciô liberis ſatis patet, me membranaceas cataractas non prorſùs negâſſe; ſed è contrariô verbis perſpicuis aſſeveraſſe, *cataractam veram eſſe interdum poſſe membranaceam, ſi modò id priùs certis experimentis fuerit comprobatum.* Tertio, poſtquam cognoverâm *Wolhuſium* hanc meam mentem ex primô meô Tractatû non ritè percepiſſe, eumque credere ac ſi abſolutè omnes membranas in cataractâ negarem, ad præjudicium hocce ipſi eradicandum, in Epiſtolâ meâ ſecundâ jam An. 1715. ad ipſum datâ (quam in Apolog. meâ. pag. 80. legere licet) his tandem verbis pag. 87. meam circa hoc momentum ſententiam ipſi aperui; *Morbum, quem veteres* (addo & recentiores) *pro cataractâ vulgò habuerunt, & curârunt, in lente* cryſtallina PLERUMQUE CONSISTERE, ET LONGE FREQUENTIUS, QUAM IN MEMBRANA &c. Quibus verbis ipſi denuò quàm clariſſimè indicavi, me ſtatuere, cataractam plerumque tantùm in cryſtallinô conſiſtere, at non ſemper; verùm frequentiùs quàm in membranâ. Hinc miror, *Wolhuſium*, ejuſque aſſeclas, explicatione etiam hâc factâ, tamen longè aliam mentem mihi nunc affingere & quaſi obtrudere, contra verba hæc adeò perſpicua, & tali experimento me jam convictum proclamare, cùm tamen rectè loquendo meæ hypotheſi haud adverſetur. Quartò ipſa Acta veſtra An. 1716. menſe Novembri, ubi tractatûs mei compendium exhibuerunt, clarè indicârunt, *me non abſolutè negare, membranam eſſe poſſe cauſam cataracta*, & idcircò me in hoc punctô *ſententiam ab omnibus aliis diverſam fovere;* hinc & ex his mentem meam rectiùs intelligere potuiſſent mei adverſarii. Accedit *quintò*, quod in Apologiâ meâ, tanquam in curis poſterioribus (ſecundum quas ſcriptoris ſententia judicari debet) antequam adhùc certum experimentum de membranâ in homine innotuerat, illam meam hypotheſin vel centies expoſuerim, monuerimque, illos fruſtrà me oppugnaturos eſſe, qui per aliquot obſervationes cataractarum membranacearum meum ſyſtema evertere velint. Hinc non video, quare poſt hæc omnia tam clarè propoſita, aliam jam mentem mihi affingant. Quæ cùm ità ſint, minimè fieri poteſt, ut unum vel alterum, imò aliquot talia exempla meam hypotheſin falſam efficere & convellere queant; maximè quia hæc exempla adhùc ſint rariſſima, & hoc primum fuerit genuinum, quod intrà duodecim annos, dum hæc controverſia agitatur, contra tot cryſtallinos opacos, innotuit, atque Pariſiis hùc uſque ſimile non fuerit obſervatum; quamvis ibi magna copia perpetuò ſit cataracta laborantium; ex eô ipſô autem patet, *membranas non niſi rariſſimè occurrere.* Permitto igitur hanc cauſam publico, id eſt, prudentibus & expertis dijudicandam: utrum hôc exemplô mea ſententia ſit deſtructa, an potiùs ea adhùc cum veritate & experientiâ conſentiat; & an non potiùs vulgaris ſententia, *quæ membranas morboſas frequentiſſimè, cryſtallinos verò opacos rariſſimè occurrere docet*, jam falſa & everſa appareat; præſertim cùm ſimul in illâ obſervatione in oculô dextrô cryſtallinus prorſùs opacus, in ſiniſtrô autem jam aliquô modô flaveſcens fuerit repertus; ſicuti D. *Widmannus* in ſcriptâ ſuâ relatione me certiorem fecit. Cæterùm ad ſententiam meam uberiùs comprobandam, illud prætereà monere volui, me annô ſuperiori, menſe Octobri, in juvene viginti annorum, & nuper adhùc die 3. Novembr. in cane, præſentibus variis Doctoribus, Profeſſoribus & ſtudioſis oculos, quos omnes præſentes cataractâ laborare agnoverunt, diſſecuiſſe, & in eis cryſtallinum opacum, nullam verò pelliculam repeiiſſe; id quod nunc in duobus oculis humanis, & tribus caninis, videre mihi licuit. In juvene illô cryſtallinus opacus tam firmiter oris pupillæ erat adnatus, ut profectò pro *Glaucomate* haberi non potuerit, quod profundam poſt pupillam opacitatem requirit. Ad hæc varii, iique doctiſſimi Medici, obſervationes meis ſimiles mihi perſcripſerunt: & inter hos primùm publicè collaudo Excell. D. *Mauchartum*, Medicum Wurtenbergicum, & Collegam Acad. Nat. Curioſ. digniſſimum, qui duo exempla cryſtallinorum opacorum obſervavit. Deinde D. *Weiſmannus*, Medicus primarius Civitatis Imperialis Winsheimenſis in Franconiâ, & in Anatome exercitatiſſimus, mihi ſignificavit, ſe varios oculos cataractâ affectos haud pridem diſſecuiſſe, & ſemper cryſtallinum opacum, nunquam membranam repeiiſſe. Ita & celeberrimus Medicus Hamburgenſis *Spregelius*, ſe cryſtallinum opacum in tali oculô inveniſſe mihi retulit. Prætereà Doctiſſ. D. *Wenkerus*, Argentoratenſis, Medicus & Anatomicus præſtantiſſimus in Civitate Imperiali Nerolingenſi, cataractæ naturam inveſtigandi gratiâ annô ſuperiori primò oculos diſſecuit, viri, qui ambo cataractâ laborârunt, in quibus nihil præternaturale, quàm cryſtallinum utrumque opacum invenit. Deinde (quod exemplum notatû digniſſimum) hoc annô, tempore veris, idem laudatiſſimus Medicus rurſùs oculos viri cujuſdam aperuit, in quibus operatio cataractæ tres annos ante mortem fuerat peracta; eô ſucceſſû, ut in dextrô viſus ad mortem uſque integer duraverit; in ſiniſtrô verò, poſtquam aliquandiù vidit, tandem rurſùs perierit. In utrôque hôc oculô, præſentibus Chirurgô & Operatore Nerolingenſi ſatis celebri, cui nomen *Langii*, & duobus hujus Amanuenſibus ſive famulis, itemque *Wenkero* filio, Medicinæ Candidato, cryſtallinos opacos depreſſos, ſub vitreô, in fundô oculi reperit; nullam verò membranam morboſam. Haud ſecùs Vir Clariſſimus *Morgagnius* Patavio mihi ſcripſit, Celeberrimum *Valſalvam* in oculô cataractâ affectô cryſtallinum opacum deprehendiſſe; idem ſæpiùs hactenùs Pariſiis obſervatum eſſe, varii ami-

amici mihi retulerunt Et quamvis Ampliſſ. Doctiſſimusque *Lanciſius* VIII. Kalend. Jun. hujus anni, tria exempla nobis perſcripſerit membranarum morbidarum, quas in ſectionibus repererit, tamen longum abeſt, ut hæc numerum cryſtallinorum opacorum æquent, ut multò minùs ſuperent; ſed cognoſcitur potiùs noſtram ſententiam ſibi adhùc conſtare; præſertim cùm ipſe *Wolhuſius* largiatur, quindecim ſemper vel viginti cryſtallinos opacos repertum iri, pro unâ cataractâ membranaceâ. Inter illas autem Ampliſſ. *Lanciſii* obſervationes admodùm ſingularis una recenſetur, ubi ſimul vitreus opacus erat, duritiemque ferè oſſeam induerat, cryſtallinus verò reſolutus reperiebatur; in alterâ verò humor aqueus penè deſiderabatur, & cryſtallinus ad colorem flavum propendebat; in tertiâ denique cryſtallinus quoque ad colorem flavum inclinabat, ità ùt etiam ex his appareat, in omnibus his exemplis cryſtallinum ſimul læſum fuiſſe, numerumque cryſtallinorum morbidorum longè excedere cataractas membranaceas, id quod & veteres & recentiores ignorârunt, plurimique eruditorum ſine meâ, qualicunque induſtriâ, adhùc ignorarent. Niſi igitùr in poſterùm plura exempla membranacearum cataractarum producantur, quàm cryſtallini opaci jam reperti, & adhùc in poſterùm reperientur, conſtabit ſponte, vulgarem ſententiam (quippe quæ illud docebat) falſam eſſe, meam verò cum experientiâ convenire. Unicum tantùm adhùc hic addo, nimirùm me à *Geiſlerô* olim deſideraſſe, ut ad ſectiones talium oculorum me accerſeret; id quod etiam promiſerat, ſed neſcio quare hoc non fecerit, meque inſciô illos diſſecuerit; fortè quædam in illis oculis adhùc obſervâſſem, ad quæ alii, ad quos hæc controverſia haud attinet, non attenderunt.

Ibidem, pag. 249.

Chirurgia, in quâ omnia, quæ ad Chirurgiam pertinent, ex recentiſſimis & optimis principiis, cum multis tabulis æneis, exhibentur. Norimbergæ, ſumptibus hæredum Joh. Hoffmanni, 1719. 4.

Quemadmodum Celeb. Autor Compendiô ſuô Anatomicô, nuper denuò auctiùs atque emendatiùs recuſô, hujus artis ſtudioſis omnia, quæ in Anatome hucuſque detecta atque cognita ſunt, unô librô conjunctim exhibere voluit, ita hoc opere cuncta, quæ in arte Chirurgicâ bona ſcitûque neceſſaria inventa ſunt, in unum corpus digerere inſtituit: ut hâc ratione quoque in unicô libro optima quæque, tam veterum quàm recentiorum, de morbis, encheiriſibus atque curationibus Chirurgicis hujus ſtudii cultoribus repræſentaret.

Diviſit autem totum opus in *tres partes*, in quibus omnia, quæ ad rem Chirurgicam ſpectare videntur, perſpicuô & facili modô pertractare annifus eſt. In *primâ* (præmiſſâ primò introductione generali in Chirurgiam, in quâ perquàm ſalutaria ad hanc artem probè addiſcendam præcepta exhibuit) egit de *Vulneribus*, *Fracturis*, *Luxationibus*, *Tumoribus & Ulceribus*; ubi verò generali pertractatione horum morborum, uti in multis libris Chirurgicis fieri ſolet, contentus non fuit, quippe ratus generalem ſolùm horum cognitionem futuro Chirurgo non ſufficere, qui aliàs haud rarò ſit hæſitaturus, ſi quando caſus, quorum ſpecialis medela deſideratur, inciderit. Verùm præceptis univerſalibus præmiſſis, ad ſpecialem vulnerum, fracturarum, luxationum &c. pertractationem progreditur; in quibus non ſolùm *praxin* ſive manualem operam (id quod rudes empyricos efficere credit) perſpicuè deſcribit, ſed etiam *Theoriam* ex recentioribus & optimis fundamentis, quantùm Chirurgo rationali ſufficere exiſtimavit, plenè & facili methodô tradit, non omiſſis optimis Medicamentis inſtrumentiſque maximè idoneis atque neceſſariis. In *alterâ parte* agit de ità dictis *operationibus Chirurgicis*, ſive de curandis iis morbis, qui vel ad præcedentes quinque claſſes commodè referri non potuerunt, aut peculiares, & à præcedentibus longè diverſas encheiriſes atque inſtrumenta requirunt; quarum operationum centum & ſexaginta duas hic deſcribit. Diviſit autem Autor operationum harum pertractationem in *ſex claſſes* earumque deſcriptionem incipit ab illis, quas *communes* vocat, id eſt *quæ in variis corporis humani partibus fieri ſolent*, uti eſt primò venæſectio, operationum Chirurgicarum vulgatiſſima ac frequentiſſima; de quâ priùs generatim docet, quid circa venæ ſectiones quaſcunque Chirurgo ſit obſervandũ ſcitûque neceſſarium; deinde verò ſpeciatim tractat de venæſectione in brachiô, manû, pede, fronte, collo, linguâ, & membrô virili, eorumque variis ſymptomatibus. Poſteà ad reliquas operationes communes progreditur, ad quas refert fonticulorum excitationem, veſicatoriorum & hirundinum, cataplaſmatum, cauſticorum, moxæ, inſtrumentorumque candentium applicationes, ſcarificationes, & injectiones; item & excreſcentiarum, tumorum cyſticorum & peregrinorum è vulneribus ablationem, ſuturas vulnerum; & denique artuum, digiti, manûs pediſve amputationem, aliaſque varias hujus generis curandi rationes.

In *alterâ ſectione* operationes pertractat quæ in *Capite* ejuſque ſpecialibus partibus, ut in craniô, palpebris, oculis, viis lacrymalibus, naſo, auribus, labris, dentibus, lingua, palato, tonſillis, &c. peraguntur. In *tertiâ* operationes in *Collô* perficiendas tradit, ut modum oſſa & ſpinas è faucibus & colio eximendi, curationem colli incurvi, aſperæ arteriæ apertionem, ſcrophulos, & ſetaceum in nuchâ. In *quartâ* eas, quæ in *thorace* fiunt, explicat; præſertim in mammis mulierum; & deinde paracentheſin pectoris & gibberis tractationem docet. *Quinta* verò *ſectio* ampliſſimam operationũ in *infimô ventre* occurrentium ſeriem exponit; ubi paracentheſin in aſcite perficiendi modum & præcipuè herniarum, tâm umbilicalium, quàm inguinalium atque ſcrotalium curationes tradit. Deinde ad eandem claſſem refert copioſas operationes; quæ in partibus genitalibus, & circa eas, tam virorum, quàm mulierum fiunt, inter quas præcipuè methodos diverſas *calculum extrahendi* è veſicâ in utrôque ſexû recenſet, inſimul artem *obſtetriciam*, fœtum, tam vivum, quàm mortuum, molas, & ſecundinas educendi, urinamque ſuppreſſam evocandi rationem docet &c. & denique operationes in anô curandô inſtituendas deſcribit. In *ſextâ* tandem claſſe operationes, quæ in *artubus* tam ſuperioribus, quàm inferioribus fieri ſolent, exponit. In quibus verò omnibus deſcribendis non tantùm manualem operam demonſtrat, verùm etiam præmittit accuratam morbi deſcriptionem, in quô quælibet operatio neceſſaria eſt, enarrans ſimul differentias, ſigna, tam diagnoſtica, quàm prognoſtica, ut & optima quævis medicamenta, cum methodô medendi, quibus ſæpè illi morbi curari poſſunt, antequam operationes ſuſcipiantur. Quandô verò Medicamentis, ſicuti multis in caſibus contingere ſolet, nihil effici poteſt, tùm demùm ad encheiriſin progrediendum docet, cujus optimam rationem & exquiſita inſtrumenta, inter quæ multa nova, in aliis *Chirurgiis* non occurentia, ſiſtit, figuriſque ſatis nitidis illuſtrat. In quâvis verò operatione tradendâ, ubi Cl. Autor

tor id opus eſſe judicavit, Chirurgis curatè inculcavit, primò quid ante operationem ſit agendum, quomodò ſcilicèt æger ſit præparandus & collocandus; quomodò & qualia inſtrumenta & requiſita alia ad operationem & deligationem neceſſaria optari debeant. Deinde docet, quid in operatione ipsâ agendum, ut ea citò, tutò, & jucundè fiat, & quomodò poſt operationem æger convenienter tractari debeat, ut ſanitati quàm optimè reſtituatur. Hæc enim omnia ad Chirurgiam pertinere cenſet, (licèt varii aliter ſentiant) imperfectum enim eſſe illum Chirurgum putat, qui operationẽ tantùm perficere poſſit, & reliqua ignoret. Intereà tamen, quia multi caſus occurrant, ubi talia exiſtunt ſymptomata, quæ medicamenta idonea interna requirant, hinc Chirurgos illos, qui Medicinam reliquam non ſimùl intelligunt, ſæpè monet, ut vel ſemper Medicum bonum, præſertim ubi hoc commodè fieri poteſt, in conſilium adhibeant, vel ſaltem, ubi gravia ſe exſerunt ſymptomata, mox arceſſant, ut his in tempore occurratur.

In parte tertiâ & ultimâ *faſciarum Chirurgicarum* legitimam præparationem, optimamque eas ritè ac decenter applicandi rationem edocet. Quoniam enim plerique Chirurgi, præſertim in Germaniâ, hæc non benè intelligunt, & in pauciſſimis Chirurgiis, præſertim vernaculâ noſtrâ ſcriptis, pro eô, ac par eſt, docentur, cùm tamen hujus ſcientiæ tanta ſit neceſſitas, ut multis in caſibus & potiſſimùm in fracturis, luxationibus, hæmorrhagiis vulnerum, amputationibus artuum, aliiſque caſibus, præcipuum auxilium, quod ab ope humanâ expectari poteſt, à legitimâ faſciarum applicatione dependeat; hinc præcipuas hodieque uſitatiſſimas, quæ in omnibus fracturis & luxationibus, ut & quæ in aliis capitis, colli, thoracis, abdominis, atque artuum morbis, applicari ſolent, tantâ perſpicuitate deſcribit, ut eos, qui naviter hæc legant, faſciarum applicandarum rationem etiam ſine magiſtrô diſcere poſſe, non dubitet.

Ut verò ſpeciatim pauca referamus, deſcriptionem dedit novæ methodi Anellianæ fiſtulas lachrymales non carioſas oculoſque lachrymantes ſanandi, unà cum inſtrumentis requiſitis; cataractæ naturam accuratiùs deſcripſit, oſtenditque eam ut plurimùm in opacitate cryſtallini, rariſſimè in membranâ conſiſtere; tonſillarum ſcarificationem in faucium vehementi inflammatione commendavit; Methodum Ravianam calculum veſicæ ſecandi deſcripſit, & quomodò à Monachi illius, lithotomi celeberrimi, *Frere Jacques* vulgò dicti, methodô differat, docuit. Loco puncturæ perinæi ſecuriùs veſicam mox ſuprà oſſa pubis pertundi ſuſtinet. Præterea, quomodò torcular pro Hæmorrhagiis avertendis & ſiſtendis, unico bacillo applicari debeat, figurâ illuſtravit, novumque inſtrumentũ ad Hæmorrhagias compeſcendas delineavit. Pro aneuryſmate ſanandô nova inſtrumenta; ſingulare inſtrumentum pro ſcarificatione, quo ſimùl & ſemel tot cuti infliguntur vulnuſcula, quot requiruntur, & quidem cum minori dolore, quàm olim factum eſt unicô ſcalpellô; ità quoque pro labrorum leporinorum operatione, & pro dentium extractione, ut & uvulæ amputatione, quædam inſtrumenta delineavit, quæ apud alios non exſtant. Varia quoque inſtrumenta deſcripſit, aliarumque rerum Chirurgicarum figuras dedit, quæ non ubivis obviæ, & ex rarioribus libris deſumtæ ſunt. Peculiarem & valdè utilem emendationem quoque fecit Unci, quô in fœtû mortuô extrahendo utitur; variaſque hinc inde obſervationes, è praxi ſuâ deſumtas, huic libro inſeruit.

Ibidem p. 325.

De valvulâ Coli Diſſertatio Anatomica, oppoſita Clariſſ. BIANCHI Anatomici Taurinenſis, Diſſertationi de ſuppoſitâ hucuſque inteſtinorum valvulâ. Altorfii Noric. Literis Jodoci Guil. Kohleſi, 1718. 4.

Clariſſimus *Bianchus*, Anatomicus Taurinenſis, ſingulari Diſſertatione, quæ in Cl. Mangeti Theatrô Anatomicô Tom. I. p. 300. exhibetur, & cui titulus eſt, de *Ingreſſu Ilei in Colon, ſeu de ſuppoſitâ hucuſque inteſtinorũ valvulâ, Obſervatio nova*, valvulam illam celebrem, ad ingreſſum inteſtinorum tenuium in craſſâ, ab Anatomicis deſcriptam, protsùs negare, & confictam proclamare non dubitavit, adeòque *novo*, ut ait, *invento*, valvulâ illâ, quæ vulgò hucuſque ab inventore *valvula Bauhini* dicta eſt, *& omne quodcunque aliud ad valvulæ miniſterium accedens*, ad ingreſſum ilei in colon & cœcum ſtatuerunt Anatomici, *falſum ſuppoſitumque* eſſe contendit, *atque nullam unquam ad ileum illius generis valvulam fuiſſe, quam aut depingunt, aut deſcribunt; affirmans Anatomicos circa hanc partem devios fuiſſe, illorumque neminem inſtituiſſe rei veritatem attentius indagare; ſed omnes ab accuratiori hujus partis examine, ob partem fœtentem & ſordidam deterritos fuiſſe, & lubenter in ſententiâ Bauhini ſemel receptâ, qui impunè ſuper hoc concurſû dixiſſet, quicquid primum in mentem obvenerit, acquieviſſe, ne hanc ſordidam & fœtidam partem uberiùs perveſtigare obligarentur; ſe verò comperiſſe*, inquit Bianchus, *nullam valvulam, nil valvuloſi, eo loco exiſtere*, ſed ſolummodò *annulum ſivè circulum muſculoſum adeſſe, qui fæcum à craſſis inteſtinis ad tenuia regreſſum impediret*, talemque etiam figurâ, ac deſcriptione exhibet.

Autori verò hujus, quam hic recenſemus, diſſertationis cum *Bianchi* ſententiâ non convenit: verùm experientia anatomica, ad quam provocat, atque diverſis figuris, ex cadaveribus humanis delineatis, demonſtrare ſatagit, *Bauhinum* alioſque quamplurimos egregios Anatomicos *non temerè valvulam illam ſtatuiſſe; ſed eam reverà exiſtere*; talem verò ſimplicẽ annulum muſculoſum non adeſſe.

Antequam verò hoc præſtet Autor, monet primò hanc *Bianchi* ſententiam *non*, ut perhibet, *eſſe novam*, quia varii alii jam dudum hujus valvulæ exiſtentiam negaverunt, inter quos à *Bianchô* ipsô allegantur *Hildanus*, *Pavius*, *Falcoburgius*, quibus verò ab *Heiſterô* adduntur *Gallus anonymus* atque *Schelhammerus*: monetque, omnes hos negantes paucos habuiſſe aſſeclas.

Verùm ut demonſtret Autor, non ſimplicem annulum muſculoſum, ſed reverà *valvuloſum corpus* ad finem ilei poſitum eſſe, magnitudine naturali exhibet, *quomodò hanc partem in cadaveribus recentibus invenerit*; oſtendendo eam ordinariò *non eſſe rotundam*, ut *Bianchus* vult, *ſed longitudinalem*, ferè tranſverſam ſive *horizontalem*, atque ſic à parte ſuperiore ac inferiore eminere, ut, ſi quid ex craſſis remeare vellet ad ileum, eminentes partes, tanquam valvulas, introrsùm versùs ileum premi, illudque ſic claudere ſive occludere. Ut verò luculentiùs appareat, membranas illas veras valvulas eſſe, ope ſequentis præparationis hoc optimè fieri poſſe docet. Nimirùm finis inteſtini ilei & principium coli ad pedis circiter longitudinem utrinque à reliquis inteſtinis reſecentur, atque aqua à ſordibus purgentur; deinde filo conſtringatur finis coli, & flatû per ileum injectô inteſtina hæc repleantur; denique & finis ilei filo claudatur, atque ſic inflata in aëre ſiccô ſuſpendantur; tunc, poſtquam exſiccata ſunt, ſi pars coli, ingreſſui ilei oppoſita, aperiatur, valvulam illam coli quam plerique poſt *Bauhinum* Anatomici ſtatuerunt, perſpicuè in conſpectum prodire; & quidem ità ut duplices potiùs ſint valvulæ, quàm unica, ſemilunares, ſibi invicem oppoſitæ, ſuperior & inferior; quas p. 8. deinde uberiùs explicat atque illuſtrat. Quia verò circà has valvulas notabiles varietates occurrunt, diverſas

diverſas earum dedit figuras, ut inde, non obſtante varietate, tantò meliùs conſtet, reverà ordinariè veras valvulas, non ſimplicem circulum muſculoſum hic adeſſe, variaque præſertim paſſionis iliacæ phœnomena, quæ Clar. *Bianchum* induxerunt, ut valvulæ exiſtentiam hic prorſùs negarit, aliæque difficultates meliùs ex hac fabricâ, ſi modò ad ſubjectorum diverſitatem reſpectus habeatur, quam ex hypotheſi Cl. *Bianchi* explicari poſſe, opinatur. Cæterùm, quia *Bianchus* ſuſtinet, *ileum ad angulum rectum inteſtina craſſa ingredi, & quidem parietem ejus dextrum perforare;* hinc Autor hanc ſententiam non ſolùm obſervationibus & delineationibus omnium ſcriptorum Anatomicorum, verùm etiam quotidianæ experientiæ adverſari docet, ileumque ſiniſtrum craſſorum parietem penetrare, & quidem plerùmque non ad angulum rectum, ſed ità ùt inferiùs angulus acutus, ſuperiùs verò obtuſus fiat.

Denique tanquam ſingulare quid, & ab aliis non obſervatum, adhùc notat Autor, *valvulas has coli non ab ingreſſu ilei in colon, ejuſque coarctatione oriri*, ut vulgò ſcribunt; *ſed à tunicis coli & cœci formari.* Indicat enim ſe in inteſtinis exſiccatis obſervâſſe, & unicuique oſtendere poſſe, fibrarum curſum cum fibris coli & cœci, minimè verò cum fibris ilei convenire; illumque in externis parietibus coli & cœci deſinere; coli verò & cœci tunicas intùs ità reflecti, ut cœcum valvulam inferiorem, colon verò valvulam ſuperiorem conficiat, ſicuti hoc illuſtravit.

Varia tandem argumenta, quæ *Biancho* pro annulô muſculoſô contra valvulam pugnare viſa ſunt, ſolvit, oſtenditque omnia phœnomena ex valvulæ naturâ, longè meliùs quàm ex annulo muſculoſô explicari poſſe.

Ibidem pag. 533.

Compendium Anatomicum, totam rem Anatomicam breviſſimè complectens. Editio altera, primâ longè auctior atque emendatior. Altorfii & Norimb. in Bibl. Kohleſiana & Adolphiana, 1719. 8. *Nuperrima demùm editio typis exorſa eſt Altorfii apud Weberum*, 1727. 8. *cum fig.*

QUoniam in recenſione prioris editionis hujus libri A. 1717. Menſ. Auguſt. p. 367. oſtendimus, quales Celeb. Autor in eô ad Anatomen Cl. *Verheyeni* additiones & emendationes fecerit; hinc ea, quæ tùnc recenſuimus, hic repetere nolumus, ſed ſolùm quid hâc in editione ſupra præcedentem præſtiterit, indicabimus. Ab initiô igitur generatim notamus, Autorem, ut ipſe in præfatione ait p. 33. alteram hanc editionem priori longè auctiorem & nitidiorem edendam allaboraſſe, eique figuras aliquot novas, ſuarum potiſſimùm obſervationum adjeciſſe. Apparet verò facilè opuſculum hoc non ſolùm meliori ordine, verùm ubi in priori nimis brevis fuit, majori quoque perſpicuitate ubique digeſtum eſſe. Deinde cùm uſui ſtudioſæ juventutis Academicæ maximè inſervire debeat, commodiori etiam formâ, quàm priùs, ut geſtabilius ſit, nimirùm formâ octopartitâ majori, ſive *medianâ*, ut vocant, nùnc imprimi curavit, atque etiam nitidiori chartâ & typô uſus eſt, imò magna exemplarium pars tam eleganti chartæ impreſſa eſt, ut cum nitore librorum in Belgiô aut Galliâ impreſſorum facilè certare queat. Uſus verò eſt in opuſculô hôc augendô atque emendandô, non tantùm ſuâ induſtriâ atque obſervationibus, verùm etiam alios ſcriptores Anatomicos, quibus, cùm primam editionem publicaret, carebat, præſertim verò noviſſimos, qui intereà prodierunt, adhùc pervolvit, eorumque novas & utiles obſervationes ſingulis ſuis locis inſeruit; ubi verò, ut ait, ità ſe geſſit, ut pauca pro certis ex illis deſcripſerit, quæ non ipſe in cadaveribus humanis exploraverit, & vera eſſe invenerit. Denique huic editioni *Adenologiam* ſive doctrinam de glandulis ſatis amplam, ac deinde *notas in loca controverſa & obſcuriora præcipua*, cum *indice rerum* locupletiſſimo addidit, ut ſic totius anatomes compendium ſit perfectiùs tantòque majori utilitati eſſe queat.

Ut verò ſpeciatim nonnulla commemoremus, quibus Autor hanc editionem locupletavit, p. 2. optimos *Scriptores Anatomicos*, cùm veteres tùm recentiores, tyronibus notos facit; deinde p. 7. & ſeq. partium ſimpliciorum ſive *ſimilarium* vulgò dictarum definitiones tradit. Pag. 23. foramina capitis in Sceletô eorumque *uſus* accuratè deſcribit, quæ à VERHEYENO (quem potiſſimùm illuſtrandum & emendandum ſibi ſumſit Autor,) valdè neglecta fuerunt. P. 43. *numerum oſſium*, in quô determinandô Anatomici tantòperè variant, peculiari tabulâ certiorem oſtendit, & in adultô 260. oſſa diſtincta numeranda eſſe contendit; ſuprà quæ verò in junioribus circa annos pubertatis adhuc 124. *Epiphyſes*, tanquam peculiaria oſſa demonſtrari poſſe docet; & hinc in junioribus longè plura eſſe, quàm in ſenioribus, nimirùm 384. perhibet, quæ verò ultima oſſa, epiphyſes dicta, poſteà inter ſe ità concreſcerent, ut circà annum 30. & ſequentibus tantùm 260. illa diſtincta ordinariò remaneant. In totâ *Splanchnologiâ* ſive viſcerum doctrinâ itemque in *Myologiâ* Lectores additiones & illuſtrationes quàmplurimas reperient. At tota *Adenologia* ſive de glandulis diſſertatio hìc omninò recens adjecta eſt; in quâ Autor haud perfunctoriè p. 168. & ſeqq. probare contendit, nullam hucùſque earum definitionem vel à præſtantiſſimis Anatomicis datam eſſe perfectam, quæ omnes veras glandulas comprehenderet, & nullis aliis partibus communis eſſet, & hinc multas in glandularum hiſtoriâ ortas eſſe confuſiones judicat. Docet verò ibidem, quid propriè glandula ſit vocandum; & quomodò τὸ *Vaſculoſum* & τὸ *Veſiculoſum* à glanduloſô ad æquivocationem & confuſionem evitandam ſit diſtinguendum, nullamque veram glandulæ definitionem dari poſſe, niſi ad exemplum maximorum Botanicorum *proprius glandulæ habitus* ſimul in auxilium adhibeatur; & quæcunque partes talem obtinerent habitum, quas veteres & vulgus glandulas appellârunt, has partes & non alias glandulas vocandas eſſe multis probatum ivit, atque hinc corticalem cerebri ſubſtantiam, hepar, lienem, renes, teſtes &c. minimè glanduloſa, ſed vaſculoſa corpora vocanda eſſe, ex fundamentis his deducit. Poſteà in *ſpeciali glandularum pertractatione* curatè per totum corpus examinat, quænam partes in numerô glandularum meritò retineri queant, & quænam inde rejici debeant, quô in examine inter alia etiam *Clar. Vercelloni* tangit ſententiam (qui thyroideam *nidum ovulorum verminoſorum* eſſe ſtatuit) & quid circa hanc rem obſervaverit, recenſet. Plura prætereà dubia de glandulis urethræ *Terranei* mucilaginoſis *Haveri*, glandulis cutaneis, aliaque excutit, ſuiſque obſervationibus illuſtrat. Poſtremò *Notas* ſive *Illuſtrationes* quorumdā locorum hujus Compendii argumentorumque anatomicorum controverſorum diſcuſſionem annectit; in quibus primò obſervationes ſiſtit de *oſſiculis ſeſamoideis quibuſdam*, in oſſibus femoris & digito auriculari collocatis, à pleriſque Anatomicis non deſcriptis, & à quibuſdam prorſùs negatis. Deinde ſententiam ſuam exponit *de cuticulæ generatione*, *glandulis recentiorum ſebaceis*, *ligamentis Poupartii*, *glandulis*

dulis ſpuriis peritonæi, pleuræ, pericardii, & ductibus Malpighii *adipoſis.* Poſteà deſcribit, quomodò in cadaveribus humanis *vaſa lactea* copioſiſſima & pulcherrima obſervaverit. In notâ 8. monet, *vaſa lymphatica* pauca haberi ex homine delineata; ſed pleraque partibus humanis ob analogiam cum brutis à ſcriptoribus eſſe addita. In notâ 9. *mirabiles valvulas in ductû bilariô cyſticô* à ſe obſervatas deſcribit; nota 10. ad 12. ſubſtantiam hepatis, lienis & renum, non glanduloſam eſſe, uberiùs probare contendit. In 13. *Tunicam celluloſam veſicæ* urinariæ deſcribit. In 14. duos *ductus excretorios veſicularum ſeminalium* ordinariò adeſſe ſuſtinet, contra nonnullos unicum tantùm admittentes. In 15. oſtendit, *glandulas Cowperi* à recenti Anatomicô Anglô in dubium vocari, Autorque noſter ipſe ſuſpicatur eas in multis ſubjectis deficere. In 16. *Membranam Hymenis* non figmentum eſſe, ut nonnulli perhibeant, ſed ſe eam in quam plurimis puellis ſemper reperiſſe. In 17. pulchram vaſorum ſanguiferorum *per tubas fallopianas mulierum* diſtributionem deſcribit. In 18. *venæ bronchialis* exiſtentiam confirmat. Nota 19. de *ductibus novis Vercellonii* agitur. Nota 20. Obſervationes continentur, quibus *nutritio fœtûs in uterô* per os confirmari videtur. Nota 21. Clar. MORGAGNI ſuâque experientiâ probat, *plus humoris aquei ante uveam, quàm poſt uveam in oculô exiſtere*, contra aſſertum adverſariorum ſuorum in controverſiâ de cataractâ. Nota 22 & 23. alias quaſdam hallucinationes Autorum *circa oculum* indicat. Nota 24. 25. & 26. de dubiis & controverſis quibuſdam rebus circa *auditûs organum* agit, & quidem ſpeciatim de *hiatû*, qui poſt Clar. RIVINUM à nonnullis in membranâ tympani ſtatuitur: deinde de numerô *oſſiculorum auditûs*, ut & de *nervi auditorii diſtributione* per organum auditûs. Nota 27. de numerô & conſtitutione *ramorum aortæ aſcendentium* diſſeritur. Nota 29. epicriſin ſuam exhibet de *renibus veſiculoſis* in fœtû quodam repertis, cum ureteribus clauſis, ſive coalitis; unde Autor noſter deducit, urinæ excretionem in fœtû humanô uterô incluſô non eſſe neceſſariam, adeòque nec *tunicam allantoidem*. Denique in tabulis æneis adjectis novam *Ravii apophyſin* notabilem mallei, quam ſolertiſſimi aliàs auris ſcrutatores prætermiſerunt, delineat. Oſſicula quædam *ſeſamoidea* ab aliis non delineata exhibet. *Pylori conſtitutio* ſiſtitur, quomodò novâ obſervatione Autoris ſe habeat. *Valvulæ coli & vaſorum lacteorum* ex homine novæ figuræ oſtenduntur. *Varietates Valvularum ductûs cyſtici* repræſentantur. *Tubæ Fallopianæ vaſa copioſiſſima*, mercurio repleta, oculis ſubjiciuntur, atque ex horum copia illarum in orgaſmô venereô erectio deducitur. Veram *venæ umbilicalis in ſinum venæ portæ* inſertionem, ductuſque venoſi in fœtû conſtitutionem docet. *Diaphragmatis* novam delineationem offert. *Varietates glandulæ thymi* exhibet. *Lobuloſa cerebelli humani & vitulini* conſtitutio delineatur. Demonſtratur *verus ſitus humorum in oculô* & ſpeciatim quod longè plus humoris aquei ſit ante uveam quàm poſt illam. *Tunicæ diverſæ linguæ*, exterior, reticularis, & corpus papillare nervoſum, delineatæ occurrunt. *Nervi auditorii* ſecundùm *Simoncellium* diſtributio per aurem ſiſtitur. Ex quibus ſpeciminibus præſtantiam utilitatemque hujus opuſculi ſatis patere arbitramur; illudque, cùm prima ejus editio ab eruditis jam benè fuerit ſuſcepta, nùnc longè majori cum applauſû ſuſceptum iri, non eſt quod dubitemus.

Ibidem Annô 1720. *p.* 181.

Vindictæ ſententiæ ſuæ de Cataractâ, Glaucomate & Amauroſi, adverſus ultimas animadverſiones atque objectiones Diarii Pariſienſis Eruditorum ut & Wolhuſii, Ocularii Pariſienſis, ejuſdemque aſſeclarum. Adjectus eſt Index in omnes tres libros de hôc argumentô à ſe editos. Altorfi, Literis Jod. Guil. Kohleſi, 1719. 8.

Quoniam ab eô tempore quo Autor Apologiam ſententiæ ſuæ de controverſis illis oculorum morbis edidit, quam A. 1717. in his Actis recenſuimus, in quâ omnibus adverſariorum objectionibus, ipſi notis, & ſententiæ ſuæ contrariis, reſponderat, novas hi objectiones in medium attulerunt, quibus non ſolùm ſententiam ejus invertere, verùm etiam gravium errorum & contradictionum aliarumque inculpationum ipſum reum agere voluerunt; hinc Autor, partim ut à falſis his criminationibus ſe liberaret, partim ut vera morborum illorum ocularium, de quibus jam per tot annos tam acriter diſceptatur, naturam & conſtitutionem evidentiùs explanaret, ſe inductum eſſe, ait, ut hâc etiam adhùc vice ipſis reſponderet; ne jure perhibere poſſent, ut aliàs fecerunt, ipſum objectiones ſuas evertere non valere; atque ut eruditi, à ſtudiô partium liberi, collatis utrinque experimentis atque rationibus, rectiùs judicare queant, cujuſnam in hâc controverſiâ ſententia cum veritate melius conveniat.

Ante omnia verò generatim contra adverſarios ſuos oſtendit, ſe in primô ſuô de his morbis tractatû neminem ullô duriô vel iniquô loquendi modô læſiſſe; & tamen ob illum tractatum ab ipſis acerbioribus verbis invaſum fuiſſe, quaſi hi de induſtriâ ignominiâ ipſum afficiendum ſibi ſumſerint; iiſque ſe impulſum eſſe, ut paulò duriori quoque modô ipſis rurſùs reſponderet; atque hinc multis argumentis demonſtrat, eos ipſos acerbioris contentionis Autores jure habendos eſſe. Etenim in rei hujus teſtimonium, præter dicteria, quibus adverſarii ſine omni cauſâ primi ipſum onerarint, etiam adducit verba Virorum Clariſſimorum, qui Memorias Trevoltienſes evulgant, qui pariter ſeverè redarguerunt modum, quô adverſarius primarius, *Wolhuſius*, quoſcunque à ſe diſſentientes aggredi & impugnare ſoleat, vid. p. 186. & 208.

Speciatim verò in paragraphô 1. & 30. oſtendit Autor, *adverſarios ſententiam ſuam de Cataractâ vel non intellexiſſe, vel datâ operâ intelligere noluiſſe*; cùm tamen eam *Wolhuſiô* tam perſpicuè literis ſcriptis expoſuerit, ſe ſcilicèt Cataractam PLERUMQUE (non ſemper) in humoris cryſtallini opacitate conſtituere; ideòque membranaceas cataractas, ſi modò eæ certò probentur, non prorſùs negare; hancque ſuam ſententiam experimentis quàmplurimis confirmatam eſſe demonſtrat. §. 2. ad 11. recenſet ſigillatim, *quomodo & quot modis adverſarii ipſum priùs inique tractaverint*, & quod propretereà duram quoque reſponſionem ſuâ culpâ promeruerint. §. 12. contra adverſariorum opinionem experimentis evincit, *plus humoris aquei ante uveam quàm poſt eam reperiri*: id quod deinde §. 35. & 37. uberiùs confirmat; unde ibidem evincit, adverſarios ex hypotheſi ipſorum, idoneam rationem, *quare Cataracta non ſæpiùs ante pupillam, quàm poſt eam criatur*, non dediſſe; quod fieri deberet, ſi cataracta ordinariè aut plerùmque in humore aqueô exiſteret. §. 13 ad 17. varias objectiones *Andryi* refutat, & ex ipſâ ejus cenſurâ probat, ſe nova, adeòque non omittenda, ſcripſiſſe. §. 18. oſtendit, *machinam illam curioſam*, à ſe in primô ſuô Tractatû de Cataractâ deſcriptam, quæ, viſum

viſum ſine cryſtallinô fieri poſſe, tam pulchrè illuſtrat, iniquè ab Andryô carpi; idcircò præſtantiam ejus uberiùs patefecit, ejuſdemque alias præterea objectiones §. 19. & 20. revellit. §. 21. ad 26. *Mercurii legitimum uſum* in morbis oculorum ſalutarem, contra ejuſdem Andryi cenſuram defendit, aliaſque hujus animadverſiones atque accuſationes refutat. *§.* 26. *Clar. Valliſnerii*, primarii Medicinæ Profeſſoris Patavini, Epiſtola, Autorem contrà Andryum defendens, exhibetur; *§.* 27. alia docti cujuſdam Viri Epiſtola in Wolhuſium ſcripta ſiſtitur. Poſteà reſponſio Autoris ſequitur ad objectiones *Wolhuſii*, quas in ſuis diſſertationibus, quas *doctas & criticas* vocat, protulit; ubi §. 28. ad 30. Autor falſa & iniqua ſibi ab editore illarum diſſertationum impingi tradit. §. 32. oſtendit, obſervatione *Wolhuſii* de cataractâ membranaceâ ſententiam ſuam non everti. *§.* 33. convellit ſententiam illam, quâ *Wolhuſius* contendit, *doctos nunquam voluiſſe, cataractam eſſe membranam præternaturalem*; id quod Autor Noſter *§.* 64. 65. & 66. uberiùs deducit. §. 34. redarguitur *Wolhuſius*, contendens, humorem vitreum in operatione conſuetâ cataractæ non perforari. §.38. & 41. unum ex primariis controverſiæ hujus capitibus excutitur, *de verâ ſcilicèt cataractæ atque glaucomatis differentiâ*; & ex ſignis pathognomonicis utriûſque evincit, cataractam in opacitate cryſtallini, glaucoma verò in vitrei humoris opacitate conſtituendum eſſe. §. 42. oſtenditur, *Wolhuſium* idonea experimenta non produxiſſe. *§.* 43. ad 73. examen inſtituitur animadverſionum *Wolhuſii*, quas hic in Tractatum primum Autoris de Cataractâ edidit; quas non ſolùm confutat, verùm etiam Autorum Memoriarum Trevoltienſium judiciô atque teſtimoniô oſtendit, eas in hâc controverſiâ nullius eſſe momenti, atque caput rei non attingere. Speciatim verò ab iniquis, quas vocat, inſimulationibus, & præſertim à plagiô, cujus adverſarius ipſum accuſavit, ſe *§.* 48. & 71. liberat, illudque potiùs in *Wolhuſium* devolvit; & ſimùl contradictiones & errata ipſius variis in locis hujus libri indicat. Conferantur pag. 122. 134. 139. 146. 148. &c. §. 60. Autor indicat, *Wolhuſium ſuâ experientiâ ne unicum exemplum cataractæ in humore aqueô ex homine hucuſque proferre potuiſſe. §.* 64. ad 68. contra *Wolhuſium* probat Autor, *ſcriptores cataractam omninò pro membranâ habuiſſe*; id quod ille negare voluit. A §. 70. ad 79. varias *Wolhuſii* iniquas objectiones refutat, variaſque contradictiones & errores ipſius indicat. §. 80. ad 89. Autor patefacit, quàm iniquè *Wolhuſius* multos viros præſtantiſſimos, ſpeciatim *Ruyſchium*, *Bartiſchium*, *Meryum*, *Cowardum*, *Kennedyum*, *Anellum*, alioſque multos tractaverit; qui verò à Noſtrô defenduntur, atque errores illius refutantur. §. 93. ad 95. reſpondetur epiſtolæ injurioſæ ſive maledicæ, quam *Wolhuſio* Noſter tribuit, ab eô tamen neutiquam agnoſci, accepimus; de quâ rursùs oſtendit, Autores Memoriarum Trevoltienſium eam pro ſcriptô prorsùs ignominioſô, quod nil niſi convitia contineat, declarare atque habere, quodque ad controverſiam nil quicquam faciat. §. 97. *Reſponſio Autoris ad obſervationem Norimbergenſium de Cataractâ membranaceâ*, exhibetur; quâ quidem probari indicat, cataractam *quandoque* eſſe membranam; verùm hoc non ordinarium eſſe, ut vulgaris erat opinio, ſed rarò contingere, inde patere oſtendit, quia in quamplurimis aliis cataractâ laborantibus oculis nulla membrana, ſed cryſtallinus opacus repertus fuerit. Ideòque inde concludit, cataractam *plerumque* in cryſtallini opacitate & non niſi rarò in corpore membranaceô conſiſtere. §. 98. *Analyſis Tractatûs primi Autoris de cataractâ* ex Memoriis Trevoltienſibus perquàm honorifica ſiſtitur; ut illi, ad quos hæc acta aliàs non perveniunt, indè cognoſcere queant, quid hi Viri Clariſſimi de hâc controverſiâ judicent, & quomodò magis cum *Heiſterô*, quàm cum parte adverſâ ſentiant. Cui analyſi *§.* 99. etiam ipſius Apologiæ epitome eorumdem Autorum adjecta eſt. Denique §. 100. *Diſſertationum Wolhuſii* (quibus titulus *doctarum & criticarum* præfixus eſt) analyſis ex illis ipſis Memoriis Trevoltienſibus refertur; quæ verò omnes *Wolhuſio* parùm favent, maximè cùm de eô judicent, *eum ex capite controverſiæ logomachiam facere.* His verò tribus Analyſibus, ex Memoriis Trevoltienſibus deſumtis, Autor noſter ubique notas atque animadverſiones ſubjecit, quibus ſententiam ſuam de his morbis eorumque veram conſtitutionem latiùs explicat. Poſtremò *§.* 102. nonnullos inſuper errores à *Wolhuſiô* commiſſos demonſtrat.

Ibidem Annô 1721. *p.* 273.

Oratio de Incrementis Anatomiæ in hôc ſeculô XVIII. *Wolffenbuttelæ, ſumptibus Godofredi Freytagii*, 1720. 8.

EX quô Clariſſimus Heiſterus, relictâ Academiâ Altorfinâ, à Sereniſſimâ Dòmô Brunſvico-Luneburgenſi ad publicè docendam Anatomiam, Chirurgiam & Phyſiologiam in Regiâ ac Ducali Juliâ Helmſtadienſi vocatus fuit; ſpartam hanc oratione iſtâ die 18. Julii anni ſuperioris auſpicari conſultum duxit, ad quam audiendam Proceres Programmate de novis Inventis Anatomicis hujus ſeculi invitaverat. Obſervavit ſcilicèt Autor Clariſſimus, ſeculi hujus, in quô vivimus, quanquam quinta tantùm hoc eſt, perquàm exigua, pars ſit præterlapſa, Anatomen nihilominùs intrà tam pauxillum tempus tanta feciſſe incrementa, ut omnes certè, qui rem æquô animô perpendent, ea ſint admiraturi. Multa enim omninò nova, præcedentibus ſeculis non obſervata, ſunt detecta, multa veterum inventa ad majorem perfectionem redacta, accuratiùſque vel deſcripta, vel elegantiùs aut meliùs delineata atque figuris expreſſa. In quibuſdam partibus melior uſus eſt inventus Phyſiologicus, in aliis Pathologicus, aut Practicus erutus eſt. Denique etiam ſcripta Anatomica, unde incrementa optimè perſpici poſſunt, & nova & emendatiora quamplurima hoc prodière ſeculo, quæ cum rebus præcipuis, quas Autores præſtiterunt, in hâc oratione juxta annorum ſeriem enarrat. Quæ jam recenſere, cùm nimis prolixum foret, lectorem potiùs, ut ipſam orationem, quæ juſti ſcripti loco eſſe poteſt, evolvat, monemus. Ea ſolummodò quæ Autor clariſſimus de ſuis inventis pag. 167. & ſeqq. refert, ſpeciminis locô hìc propriis ejus verbis recenſebimus. Quid ego, inquit, in Anatome & Compendiô meô Anatomicô, tam in erroribus aliorum emendandis, quàm in conquirendis & digerendis recentiorum Inventis, (præterea, quæ cùm Ephemeridibus Naturæ Curioſorum, variis annis, communicavi) præſtiterim, quilibet ex lectione ejus cognoſcere poteſt, aptôque tempore in eô explicandô Philiatris uberiùs conſtabit. Nonnullas tamen mearum obſervationum, ut hiſtoria incrementorum anatomicorum hìc per-

fectior exhibeatur, nunc recenſebo. Arteriæ aortæ quatuor ramos aſcendentes, ex truncô ſeorſim prodeuntes, aſſervo; cùm aliàs ordinariè tantùm tres ſint. Proceſſum mallei Ravianum, ut & minus oſſiculum ſeſamoideum, condylo femoris interno quandoque inſidens, primus, ni fallor, delineavi, ſtructuramque & ſitum pylori verum figuris exhibui. Prætereà vaſa lactea meſenterii & inteſtinorum ex cadavere humanô ubi copioſiſſima aderant, delineanda cuvavi. Ductus bilarii cyſtici valvulas ſpirales, aliaſque in eô occurrentes valvulas, ſæpiùs à me viſas, itemque ductum hepatis venoſum, ac venæ umbilicalis in ſinum venæ portæ legitimam inſertionem; circa quam tam multi ſcriptores errârunt, figuris oſtendi, &, quomodo verè ſe habeant, deſcripſi. Porrò vaſa ſanguifera quàm copioſa, factâ priùs eorum argentô vivô repletione, per tubas Fallopianas diſtribuantur, & quomodo horum vaſorum conſideratione functio illarum meliùs intelligi queat, exhibui. Cerebelli humani æquè ac vitulini mirabilem pulcherrimamque conformationem, proùt reverà ſe habet, dum tam multi in eâ delineandâ hallucinati ſunt, primus ob oculos poſui. Prætereà papillas linguæ, guſtûs organum, ejuſque tunicam reticularem, quam ab aliis rectè delineatam non novi, figurâ illuſtravi. Deinde veram humoris aquei per oculum diſtributionem, verumque cryſtallini ſitum, circa quæ tot controverſiæ, totque errores à pleriſque anatomicis commiſſi fuerunt, me docuiſſe, figuriſque rectè oſtendiſſe, opinor. Ligamenta duo penis lateralia, ab aliis, quantùm novi, non indicata, in omnibus cadaveribus virilibus, quæ ab aliquot annis examinavi, reperi: Glandularum hiſtoriam, & quid reverà glandulæ ſint, me haud parùm illuſtrâſſe credo. Uterum in parturiente ſponte ruptum, & fœtûs caput in abdomine offendi. Vermes ſingulares in equis & columbis deprehendi. Delineationem dedi, quomodò in vitulô bicipiti duas linguas, utque duo cerebra conjuncta invenerim. In infante, qui anô clauſô naſcebatur, inteſtinum rectum deficere vidi. Cataracta lactea quid ſit, ſectione inveni, reliquaſque cataractas frequentiùs in humoris cryſtallini opacitate, quàm in membranoſô corpore, multis ſuperatis litibus, me eviciſſe arbitror. In amauroſi defuncto humorem vitreum diſſolutum, & vaſa lactea in craſſis equi inteſtinis reperi, ut & fibras annulares in ejus ductû thoracicô. Pancreas in duobus melancholicis ſcirrhoſum ſe nobis exhibuit. Glandulas bronchiales, nuſquam naturali magnitudine anteà exhibitas, unà cum thyroideâ & aſperâ arteriâ in Ephem. Natur. Curioſ. dedi. Lumbricos inteſtina in puerô perforaſſe, & in abdomine hæſiſſe, conſpexi. Hymen in puellis ſæpiùs obſervavi, taleque admodùm notabile ex puellâ 14. annos natâ delineatum, ut & ſingularem venæ azygos conſtitutionem iiſdem in Ephemeridibus repræſentavi. Reliqua nunc prætermitto, aliquô tempore exponam.

De Anatomes ſubtilioris utilitate Diſſertatio, 4.

HELBIGIUS (*Joh. Otto,*) Thuringus, Medicus Novo-Batavienſis in Indiâ Orientali,

De eô extant

Introitus in veram atque inauditam Phyſicam, Epiſtolâ ex Indiâ Orientali in Europam, ad S. R. I. Academiam Nat. Curioſ. tranſmiſsâ, apertus. Batavii, apud Abraham. van der Eede, 1678. 8. Hamburgi, apud Gotofr. Schutzium, 1680. 8. Heidelbergæ, apud Joh. Michaelem Rüdiger 1680. 12. Cui poſtremæ editioni adjectæ ſunt duæ Epiſtolæ ejuſdem Helbigii, & quidem I. ad Libelli illius, qui intitulatus eſt Vis aliena Teſſæ, Autorem, D. W. F. I. Con. B. & II. ad Fraternitatem Roſeæ Crucis exarata.

Obſervatio de Rebus variis Indicis. Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. German. ann. 9. & 10. n. 194.

HELBLINUS (*Joh. Caſparus*),

Ex eô habetur

De Oculi Structurâ Epiſtola. Reperitur in Centur. I. Epiſtol. Fabric. Hildani. Openheimii, apud Joh. Theod. de Bry, 1619. 4. p. 284. Francof. 1646. fol.

HELDIUS (*Gothofredus*) Conſiliar. & Archiater Byrutinus.

De eô habentur in Ephem. Nat. Cur. Cent. 3. & 4.

Obſervatio 169. Calculi in Cyſtide felleâ reperti, Apoplexiæ Auctores.

Ibidem Obſervatio 170. Cortex Peruvianus vulgò China Chinæ dictus, polychreſtum Remedium, in ſpecie antipodagricum ſine pari.

EX Peruano Indiæ Occidentalis ſive Americæ Regno Cortex noſter, Peruanus inde, China Chinæ verò à Comite de Chinchon, Pro-Rege & Gubernatore Regni Peruani, denominatus, ad nos pervenit, quem Corticem Cardinalis de Lugo ante ſexaginta quinque annos, Annô nempe ſalutis 1649. primus ſecum Romam attulit, unde mox per totam Italiam, Hiſpaniam, Angliam, Belgium, & ſic ubique per Europam inclaruit. Arbor, ex quâ Cortex hic depromitur, indigenis Gannaperide, vel juxta alios Gannanaperide, quibuſdam Gentiana Indica fruticeſcens appellatur, magnitudine ceraſum æquans, foliis prunorum rubeorum, & floribus albis & cœruleis ornata, in Perua, præſertim in Præfecturâ, ſive ut Hiſpanis vulgò audit, Audientia Quiti, prope Urbem Logam ſeu Loxam, Zarca Antonio de *Herrera* in Indiæ Occidentalis deſcriptione Cap. 17. pag. 22. dictam, reperiunda. Ex hâc arbore Cortex noſter abſciſſus, ex flavô & nigrô fuſcus, saporis amaricantis, varia fata expertus eſt, laudatus ab his, culpatus ab illis; primò verò omnium ut ſpecificum antyperiticum, ad febres intermittentes dilaudatus; mox China febris; & antiquartium Peruvianum, Hiſpanis autem *Caſcarilla della Oja & Palo de Calenturas*, id eſt, Lignum febrium appellabatur, quamvis Lignum & flores, facultatem febrifugam non habeant, ſed ſolus Cortex. Cùm verò febris per hunc Corticem non ſemper ex votô tolleretur, ſed vel recidivaret, vel in alios, & quidem Chronicos morbos, nempè Cachexiam, Icterum, Tumores pedum œdematoſos, imò ipſum Hydropem, &c. degeneraret, planè ut inutilis damnatus & rejectus eſt; Cordatiores tamen Medici poſthàc circumſpectiùs Corticem Peruvianum Clinicis ſuis exhibentes, gloriam ejus & uſum revocârunt, tam verè intermittentes, quotidianas, tertianas & quartanas, quàm etiam continuas, quodammodò interdùm remittentes, & ab æſtû deflectentes, iterùmque ſuas exacerbationes habentes, quæ uſû hujus Corticis non raro ad apyrexiam perductæ, in febres intermittentes ſalutariter ſunt converſæ. Et reverà noſter, nun-

quàm

quàm ſatis laudandus cortex, certiſſimum antifebrile exiſtit remedium, ac ſpecificum, quoniam, non, ut vulgò & falsò creditur, adſtringendi & materiam febrilem concentrandi figendique vi præditus, ſed potiùs roborandi, incidendi, aperiendi, reſolvendi, abſtergendi, præcipitandique fermentum febrile & abſorbendi, imò juxta *Mortonum* alexipharmacâ virtute, ob blandam ſuam amaritiem, & ſal acriuſculum terreis particulis permixtum, inſigni gaudet, modò ante ejus uſum ratio habeatur primarum viarum & ipſius maſſæ ſanguineæ, & ſi ventriculus vel inteſtina cruditatibus pituitoſo-acido-bilioſis obſideantur, præmittatur emeticum, vel purgatum appropriatum, quale ego ex radice Gialappæ cum China Chinæ mixta ordinare ſoleo, ùt ſic ſanguis ſimul corrigatur.

Præter decantatam antifebrifugam corticis Peruviani virtutem, in multis aliis morbis, à fibrarum in viſceribus & aliis partibus relaxatione, & humorum colliquatione, corroborando conducit, e. gr. in Hecticâ, partim ad ſubdolam febrem mitigandam, partim ad ſudores nimios compeſcendos ſummè proficuus; item ad affectum hypochondriacum, & huic affinem hyſtericum egregiè prodeſt; hi enim ut potè morbi nervoſi generis & ſpaſmodici, omnium optimè cortice Peruvianô mitigantur, cùm is corroborando fibras nerveas, abſorbendo & eliminando humores ſtypticos, efficaciter agat. Porrò pro mulieribus ad nimium Menſium fluxum & fluorem album, item ad Hæmoptyſin, vomitum cruentum, & in genere ad omnes hæmorrhagias, corticem noſtrum inſtar arcani, experientiâ edoctus commendo. Sic Excellentiſſimi Uratislavienſium Doctores Medicinæ, ſeduli nec unquam otioſi Naturæ Curioſi, in hiſtoriâ ſuâ morbor. Uratislav. pag. 38. pulverem corticis Peruviani inter eximia anthelmintica meritò numerarunt; quod idem experimentô confirmat Nobil. Franciſcus *Redi* in Obſerv. Animal. viventium pag. 98. ſeq.

Taceo, nonnullos eundem ad Hydropem ipſum à febribus male tractatis ortum, ut & phthiſin commendare, aliós verò illum ut medicamentum panchreſtum extollere. Hoc unicum adhùc ut veriſſimum adjungo, corticem Peruvianum pro expertô & probatæ virtutis ſpecificô ad podagram meritò eſſe laudandum, ad cujus uſum me perduxit Celeb. D. Thomas *Sydenham*, famigeratiſſimus quondam Londinenſium Practicus, & cautelarum practicarum Obſervator ſedulus, qui ipſe Podagricus, in Tractatû de Podagrâ, pag. m. 570. corticem Peruvianum primas in doloroſô hôc affectû obtinere aſſeruit, cùm ſanguinem corroboret, vegetumque reddat, ſi ejus grana aliquot manè & ſerò aſſumantur. Ego verò hactenùs in praxi meâ hunc corticem non granis, ſed plerumque ad ℈j. vel ʒß. ordinavi, & illum quidem præſervativè ſemel vel bis in hebdomade, curativè verò, malô jam appropinquante, manè & circa noctem aſſumere juſſi, & ſine topicis tumor & dolores brevi remiſerunt, febris in paroxyſmô cum calore præſens mitigata, & appetitus ciborum, aliàs imminutus vel planè abolitus, reſuſcitatus & integer ſervatus, imò paroxyſmus omnis brevi ſublatus. Cortex enim noſter, ob blandum ſaporem amarum, fermentum gaſtricum vitioſum, idque vel aere bilioſum aut viſcidius acidum immutat, ſimulque, quod magnum in Podagrâ beneficium, alvum apertam ſervat, ſanguini quoque vigorem conciliat, ejuſque acrimoniam corrigit, ac fibras tendinoſas nerveas roborat & ſolatur, ſicque ſpaſmodicas ſurarum & aliarum partium contractiones & antevertit & abigit; anodynâ etiam virtute pollens, & blandum ſomnum inducit; & dolores demulcet, nec minùs cardiacum eſt & collapſas vires reſtaurat. Unô verbô, cortex Peruvianus in podagrâ divinum eſt remedium, quod multijugâ experientiâ edoctus, certò & firmiſſimè aſſeverare non nequeo.

Ibidem Obſervatio 180. Gutta Serena, imò ipſiſſima cæcitas ab enormi hæmorrhagiâ uteri.

Ibidem Obſervatio 181. Mercurius vitæ virgini durante menſtruô fluxû exhibitus, Mercurius vitæ æternæ evaſit.

Ibidem Annô 5. & 6. Obſervatio 86. Radix Ariſtolochiæ Clematitidis inſigne ac expertæ virtutis Antipodagricum.

DE *Ariſtolochiæ Clematitidis* virtute altum ubique ferè ſilentium; modò enim aſſeritur, eundem in officinas non venire, modò rarò in uſû occurrere, ut potè imbecilliorem; cùmque hæc vulgò ab auctoribus floccipendatur & negligatur, honorem ei jure competentem vindicare & reſtituere decrevi. Hæc virtutem antiſpaſmodicam, quam aliàs Galenus jam rotundæ & longæ attribuit, in excellentiori gradû poſſidet, quàm hæ ipſæ; fibras enim nerveas, membranoſas & muſculoſo-tendinoſas, à ſerô pituitoſô, acidô & bilioſô acri tartareô irritatas vi ſuâ blandè demulcente dulc-amarâ ſolatur, à violentâ ſpaſmodicâ contractione præmunit, ipſoſque jam factos ſpaſmos efficaciter depellit. Ex hâc ratione radicem *Ariſtolochiæ Clematitidis* in *Podagrâ*, affectû merè ſpaſmodicô in muſculorum fibris & membranis circa articulos variarum partium tyrannidem ſuam exercente, inveni efficaciſſimam. Sunt quidem, qui radices Ariſtolochiæ rotundæ & longæ veræ jam pridem ad furorem podagræ profligandum laudarunt, uti paſſim in libris practicis legi poteſt, & hinc vulgò pilulis antarthriticis prophylacticis Würzburgenſium inſignis virtus adſcribitur; enimverò præterquàm quòd tædioſa maximè ſit pilulas has aſſumendi methodus, ut potè longô nimis tempore continuanda, hæ pilulæ etiam ſæpè ſæpiùs effectum exoptatum non produxerunt, nec in extractô, eſſentiâ aliiſque formulis has radices in podagrâ profuiſſe compertus, ut potè alvum magis conſtipantes quàm apertam ſervantes, & ſanguinem nimis & vitioſè commoventes. E contrariô in radicis Ariſtolochiæ-Clematitidis uſû virtutem blandè laxantem animadverti, quæ inſigne in affectû podagricô beneficium: ſpaſmos etiam in ſuris pedum podagricorum, imminentem paroxyſmum podagricum præſagientes, indè feliciſſimè abactos vidi, ut tales clinici quibus anteà ob frequentes ejuſmodi ſpaſmodicas contractiones ferè non ampliùs ambulare poſſibile erat, frequenti hujus radicis uſû, partim in extractô, & pulvere, partim & imprimis in eſſentiâ, exhibitæ, ſine omni impedimentô & cum agilitate progredi potuerint; corrigit enim humores vitioſos, podagram aliàs producentes, imprimis verò fermentum gaſtricum mutat, & cum hoc productum morboſum; Radicem enim hujus morbi in ſtomachô hærere, indeque ex fermentô ejus acri aut acidô progerminare, & hinc ſerum ſanguinis vitioſum acre reddi, quod ad plenitudinem congeſtum circa æquinoctia deſpumat in articulos, ibique dolores inferre podagricos firmiter mihi perſuadeo; Unde etiam Eſſentia radicis Ariſtolochiæ Clematitidis, quam ſæpè in

uſum vocavi, præſervativè magis confert quàm curativè; hæc autem Eſſentia, quâ ad præcavendam Podagram feliciſſimè utor, eſt vel ſimplex vel compoſita; ſimplex paratur ſive cum ſpiritu vini ex fœcibus vini deſtillato, ad gutt. 60. vel 80. manè cum infusô herbæ theæ, circa noctem vel etiam pomeridie cum cereviſiâ ſumendâ; ſive, ubi eandem cochleatim adhibere placet, cum ſpiritû frumentaceô ſaltem paranda, qualem mihi Illuſtr. Dn. *Brunnerus*, Liber Baro de Brunn, Dominus in Hammerſtein, Elector. Palatini Conſil. intimus & Archiater primarius, Fautor meus honoratiſſimus, Anno 1714. Die 28. April. *Düſſeldorffiô* per literas benevolè communicavit hôc modô. ℞. Rad. Ariſtoloch. long. (*die dunneſten und längſten, die dicken ſeyn nichts nutz*) ℥ij. Conciſ. infund. in ſpiritus ex frumentô deſtill. (*Korn-Brandtwein*) ℔iij. digerantur per triduum. Doſis cochlearia duo quotidie in lectô per duos menſes, poſteà hebdomadatim bis per integrum annum, quâ Eſſentiâ ſe plures, imprimis temperamentô phlegmaticô præditos, penitùs à podagrâ liberatos noviſſe aſſeverabat illuſtris vir. Alii eandem eſſentiam ex ariſtolochiâ longâ verâ cum ſpiritû juniperi parant, qualem Epiſcopo Monaſterienſi in uſu fuiſſe Celeb. Dn. D. Valentini refert in prax. Med. infallibili pag. 380. aſt priori ex ariſtol. clematitide paratæ longè cedentem. Compoſitam cum hâc ipsâ radice Eſſentiam ſequentem Capitaneus quidam mirandô cum effectû adhibuit, qui inde à podagrâ penitùs liberatus, nimirùm; ℞. Rad. Ariſtoloch. Clematitid. ℥j. baccar. juniper. Virid. cum turionibus hujus fruticis Mj. Caryophyll. aromat. integr. Cinamomi acuti groſsè diffracti aa. ʒij. His ſuperfund. ſpiritus vini rectif. menſur. unam, ſtent in locô calidô ad ſufficientem digeſtionem. Ingruentibus doloribus podagricis de hâc Eſſentiâ ſumatur cochlear unum manè & veſperi per 3. dies ſucceſſivos; præſervativè autem, ſi quis noviluniô inſtante de hâc ipsâ Eſſentiâ ℥ß. pro doſi aſſumat, ſtupendum experitur effectum, integrâ hìnc gaviſurus ſanitate. Cùmque ordinariè Arthriticorum ſanguis venæſectione eductus cute albâ ſit obductus, poſt eſſentiæ ariſtolochiæ clematitidis continuatum uſum, ſanguis floridus magis redditur, nullâque ampliùs cute obductus obſervatur; ex quô evincitur, ſanguinem & ſerum hìnc inſigniter corrigi, & circulationem meliùs promoveri.

Nullum igitur efficacius præſervativum Antipodagricum inveniri poterit, quàm hæc ipſa eſſentia; & parem virtutem radici ariſtolochiæ polyrrhizæ ineſſe credo, quamvis eandem adhùc nondùm probaverim. Curativè verò magis proficuus cortex Peruvianus, præcedente hìnc Tomô Ephemeridum noſtrarum Nat. Curioſ. ſive Centur. IV. Obſ. 170. pag. 383. ſeqq. ut antipodagricum ſine pari à me condecoratus, qui & adhuc ſuas laudes tuetur, & ſe ut egregium antiſpaſmodicum & humorum correctorium gerit.

Folia Ariſtolochiæ Clematitidis Veterinariis pro equorum ulceribus ſanandis, quibus pulvis eorum inſpergitur, relinquuntur.

Corollarii locô adhuc de pſeudo-ariſtolochia, cava & fabacea, annotare placet, quòd cavæ pulvis denudatis oſſibus inſperſus, ea à carie præſervet, horum nimiam humiditatem imbibendo & abſorbendo, ut & acrimoniam ſalinam, recentis carnis generationem impedientem, temperando; fabaceæ etiam pulvis ulceribus rebellibus, pro iis conſolidandis, utiliter inſpergitur, atque pro eôdem uſû pulveribus internis admiſcetur; aliàs fabacea hæc pro ſpecificô ad guttam roſaceam, à Lobeliô autem in Adverſ. p. 339. ut inſigniter anthelmintica prædicatur.

Ibidem Obſervatio 87. *Flores vitrioli Philoſophici, ſive ſal album Alchemiſtarum, vulgo ſal volatile narcoticum Vitrioli Hombergio.*

Ibidem Obſervatio 88. *De Marte, virginum chloroticarum ſolatiô.*

Ibidem Centur. 7. *&* 8. *Obſervatio* 63. *Peſtis vera Origo ex Ventribus Turcorum à* Maſlach *frequenter comeſtô, cum ſubjunctâ funeſtiſſimi hujus Morbi aliquali ideâ & curatione.*

HELDIUS (*Matthæus*)

De eô extat

Diſſertatio de Arthritide. Stetini, 1645. 8.

HELDT (*Moyſes*)

Ex eô habetur

De læsâ ſubſtantiâ Cerebri, Obſervatio ſingularis; quæ extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingularibus lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. 4. p. 496.

HELIAS *Monachus Franciſcanus*

Ex eô habetur

Speculum Alchymiæ. Extat cum Opuſculis quibuſdam Chemicis, Francofurti, apud Joh. Bringerum, 1654. in 8. editis.

HELIAS, *Artiſta*

Ex eô habetur

Nova Diſquiſitio. Extat Vol. 4. Theatri Chemici, editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. 8.

HELLINGUS (*Martinus*) Noriberg.

De eô extant

De Phlebotomiâ Theſes. Marpurgi, apud Paul. Egenolphum, 1594. 4.

HELLWIGIUS (*Chriſtophorus*) Med. Doct. & Phyſicus Tennſtettenſis Thuringiæ, edidit V. Faſciculos variorum Caſuum, & Obſervationum admodùm curioſarum; Phyſicarum nempe, Chymicarum, Medicinalium, & Anatomicarum; Quibus tamen etiam quamplurimæ Chirurgicæ, ad noſtrum potiſſimùm cenſum pertinentes. Adjecta ſunt Caſibus & Relationibus, tam Medicorum, quàm Chirurgorum, Reſponſa Facultatum Medicarum &c. *Gœlicke Hiſt. Chirurg.* p. 198. *pag.* 248.

HELMONT (*Joh. Bapt. van*)

Vita Joannis Baptiſta van Helmont, Bruxellenſis, Philoſophi per Ignem, Toparchæ in Royenborgh, Pellines &c. deſcripta partim à ſe, partim à filio ejus, Franciſco Mercurio van Helmont, Philoſopho (ut ſe vocat) per unum, in quo omnia, Eremita peregrinante.

ANnô 1580. totius Belgii calamitoſiſſimô, parens meus obiit: Fratrum ac Sororum poſtremus, & viliſſimus ego. In ſtudiis enim educabar. Anno autem 1594. curſum Philoſophiæ abſolveram; qui erat mihi decimus ſeptimus. Itaque cùm ſolam matrem haberem, videbar Lovaniæ, totus mei juris & arbitrii factus. Quocirca videbam neminem ad examina admitti, niſi tunicâ talari & cucullâ larvatum, quaſi veſtis doctrinam ſponderet; cæpi cognoſcere, quod Profeſſores, ab olim, juvenes, in artibus proponendos, ludibrio exponerent: delirii quoddam genus in Profeſſoribus, adeòque in totô mundô admirabar, ut & ſimplicitatem credulitatis

tis juvenum. Contraxi me in calculum, ut ſaltem meo judicio cognoſcerem, quantus eſſem Philoſophus; an veritatem, an ſcientiam adeptus, ipſe examinabam. Comperi, me litera inflatum, & velut manducato pomo vetito, planè nudũ, præterquam quod artificiosè altercari didiceram. Tum priùs enotuit mihi, quod nihil ſcirem, & ſcirem quod nihili. Sphæra namque in Phyſicis aliquid ſcientiæ promittere videbatur, cui idcircò Aſtrolabium, uſum annuli, & theoricas Planetarum adjunxeram; Logiſticem ſimul & Algebram, loco oblectationis, quoties aliorum lectio tædia adduxerat, colebam: Quibus elementa Euclidis nectebam, hancque doctrinam, ſocialem feceram genio meo, eo quod veritatem contineret, fortuitò autem, ars Cyclognomica Cornelii Gemmæ, velut altera Metaphyſica in manus venit. Quæ cum Nicolaum Copernicum unicè commendaret, non deſtiti, donec eundem mihi familiarem feciſſem. Unde didici vanas excentricitates, alium cœlorum gyrum, adeòque non impenſo tempore dignum, quidquid de cœlis magnis laboribus acquiſiiſſe præſumebam. Cæpit itaque vileſcere ſtudium Aſtronomicum penes me, quod parùm certitudinis ac veritatis polliceretur, inania verò plurima. Peracto ergo curſu, cùm nihil ſolidi, nil veri ſcirem, titulum Magiſtri artium recuſavi; nolens, ut mecum morionem Profeſſores agerent, Magiſtrum ſeptem artium declararent, qui nondum eſſem diſcipulus. Quærens itaque veritatem & ſcientiam, non autem apparentiam, me Scholis ſubduxi. Canonicatus opimus mihi promittebatur, modò Theologiæ me emanciparem; ſed deterrebat me S. Bernardus, quod peccata populi comederem. Rogavi autem Dominum *Jeſum*, me dignaretur eò vocare, ubi maximè ipſi placerem. Annus enim erat, quo Jeſuitæ Lovanii cæperant docere Philoſophiam, Rege, Proceribus, & Univerſitate, invitis; idque cum illis à Clemente VIII. vetitum eſſet, diſcipuli verò illorum ad gradum aſpirantes, ad Pædagogia confluxiſſent, cæteros verò ac ditiores, plauſibili ſtudio alliciebant Geographico: alterque Profeſſorum Martinus del Rio, qui prius Judex Turmæ Hiſpanicæ, ac dein in Senatu Brabantico ſeſſus, ad Societatem allectus, confluxerat, Diſquiſitiones Magicas exponebat. Utramque lectionem ſuſcepi avidè. Ac tandem, pro meſſe, ſolas ſtipulas inanes rapſodiaque pauperrima collegi, judicio privatus. Interim ne hora abſque fruge evaneſceret, trivi L. Annæum Senecam, qui mihi impensè placuit, ac præſertim Epictetus. Videbar itaque in morali Philoſophia, veritatis ſuccum reperiſſe: Statim dein cogitavi, hanc eſſe, pro qua Pythagoras tot annorum ſtricta exigeret ſilentia, judicium excellens ac propterea obedientiam inſignem. Tandem paucis mutatis, videbam Capuccinum, eſſe Stoicum Chriſtianum. Arriſit quidem ſtudium pro æternitate: Sed pro tanta auſteritate, obſtabat valetudo tenerior. Oravi Principem vitæ aliquoties, vires daret, quibus nudam veritatem contemplarer, immediatèque amarem; auxit hoc mihi deſiderium Thomas à Kempis, ac deinde Taulerus. Cùmque per Stoiciſmum me proficere in perfectione Chriſtiana præſumerem, & certò fiderem, tandem poſt aliqualem in iſto exercitio moram & fatigationem, incidi in ſomnium. Videbar factus Bulla inanis, cujus diameter à terra in cœlum uſque vergeret: Supernè enim eminebat Sarcophagus, infernè verò, loco terræ, abyſſus erat obſcuritatis, horrui immenſum, ſimulque excidi extra omnem rerum meique notitiam. Ad me verò rediens, intellexi unico conceptu: Quod in *Chriſto Jeſu* vivimus, movemur, & ſumus. Quod nemo, vel nomen *Jeſu*, ad ſalutem dicere, ſine peculiari gratia *Dei* poſſit. Quod continuò orandum ſit; *& ne nos inducas in tentationem*, &c. Datus eſt mihi nimirùm intellectus, quod ſine peculiari gratia, ad quaslibet actiones, non niſi peccatum nos exſpectet. Quo conſpecto, & ſaporabiliter cognito, admiratus ſum priores meas ignorantias; & cognovi, quod Stoiciſmus me, inanem & tumidam belluam, inter abyſſum inferni & mortis imminentis neceſſitatem, detineret. Cognovi inquam hoc ſtudio, ſpecie mediocritatis fieri me arrogantiſſimum: quaſi libertatis arbitrii fretus, gratiæ divinæ renunciarem; ac quaſi, quæ velemus, per noſmet ipſos efficeremus. Abſit tale nefas, dixi. Quapropter iſtam blaſphemiam Paganiſmo quidem indulgendam; at Chriſtianum decedere cenſui, adeòque Philoſophiam Stoicam, hoc titulo, odibilem cenſui. Interim cum nimia rerum aliarum lectione, tædio afficerer, ac fatigarer, recreationis ergo, Matthiolum ac Dioſcoridem volvebam, ducens mecum, nil mortalibus æquè neceſſarium, quàm *Dei* gratiam, in vegetabilibus admirando, propriis miniſtrare neceſſitatibus, fructuſque eorundem carpere. Mox dein comperi, à diebus Dioſcoridis, nil artem herbariam increviſſe; quin imò hodiè ab ipſo traditis herbarum iconibus, nominibus atque faciebus plantarum, utrimque dumtaxat diſputari: nil verò virtutum, proprietatum, ac uſuum, eſſe adjectum priori inventioni, atque hiſtoriis: Præterquàm quòd poſteri confinxerint gradus qualitatum elementarium, quibus tota herbæ craſis tribuenda eſt. At cum ducentas fortè herbas, unius qualitatis & gradus, diverſas habere proprietates compeririſſem, atque aliquot diverſarum qualitatum, ac graduum, Symphoniam (puta in potionibus vulnerariis) habere in productione ejuſdem effectus, cæpêre mecum viléſcere, non quidem herbæ, (pentacula divini amoris) ſed ipſi herbarii: cùmque cauſam inſtabilitatis effectuum, tantæque obſcuritatis, in applicando, ac medendo, mirarer: Inquiſivi, num eſſet liber aliquis, tradens axiomata & regulas Medicinæ? Rebar namque Medicinam doceri, ac per diſciplinam tradi poſſe, inſtar artium & ſcientiarum, adeòque eſſe traditivam: Non autem, quod eſſet merum donum, ſaltem cùm Medicina ſit ſcientia, donum bonum deſcendens à Patre luminum, cogitabam, quod haberet ſua theoremata, ſuoſque Principes Authores, ſcientiâ infuſâ inſtructos, quibus, tanquam Beſaliel & Ooliab, Spiritus Domini inſpiraſſet morborum omnium cauſas, & cognitionem, ſimulque ſcientiam proprietatum rerum. Cogitabam itaque hos illuſtratos, eſſe Anteſignanos Profeſſores medendi. Inquiſivi inquam, an non eſſet alter, qui deſcripſiſſet vegetabilium dona, proprietates, applicationes, & convenientias, ab Hyſſopo uſque ad Cedrum Libani? Reſpondit mihi Profeſſor quidam Medicinæ, nil horum in Galeno, vel Avicenna deſiderari poſſe. At cùm non eſſem credulus, nec apud Scriptores reperirem certitudinem quæſitam, illam ſuſpicatus ſum juxta veritatem, quod dator Medicinæ maneret continuus ejuſdem diſpenſator. Itaque anxius, & incertus, cui profeſſioni me reſignarem, reſpexi ad populi mores, leges, ac Principum placita; vidi jus eſſe traditiones humanas, incertas proinde, inſtabiles, & veritatis expertes: Quippe quod in humanis nulla eſſet ſtabilitas, nullaque ſcientiæ medulla; videbar inutilem vitam tranſigere, ſi in placitis hominum illam traduce-

ducerem. Cognovi denique, me ipſius gubernationem mihi ſat fore difficilem, judicium verò de bonis, ac vitæ aliorum, eſſe obſcurum, & mille ſpinis obnoxium: Quapropter prorſus ſtudium juris, aliorumque regimen, abnegavi. Ex altera parte inſtabat vitæ humanæ ærumna, & *Dei* voluntas, qua quiſque ſe tueri debet, quàm poteſt longiſſimè: propendebam autem ſingulari aviditate, in rerum placidiſſimam naturalium cognitionem: & prout anima, ſerva advenit ſuis inclinationibus, omninò in ſcientiam naturalium, inſenſibiliter lapſus ſum. Legi itaque Inſtitutiones Fuchſii & Fernelii, quibus totam medendi Scientiam, velut per Epitomen, me inſpexiſſe cognovi, & ſubriſi mecum: Siccine ſcientia medendi traditur, abſque theoremate, & doctore, qui ex adepto medendi donum hauſerit? Itaque tota naturalium proprietatum hiſtoria, clauditur qualitatibus elementariis? Itaque legi opera Galeni bis, ſemel Hippocratem (cujus Aphoriſmos penè memoriter didici) totumque Avicennam, & tam Græcos, Arabes, quàm modernos fortè ſexcentos ſeriò, & attentè perlegi, ac per locos communes annotans, quidquid ſingulare mihi in iis, & calamo dignum videretur. Tandem collectam ſuppellectilem relegens, cognovi meam egeſtatem, piguitque me inſumpti laboris atque annorum. Cùm ſcilicet libros omnes, eandem cum inſtitutionibus cantilenam canentes, animadverterem, ſolidi nihil, nihil quod ſcientiam veritatis, aut veritatem ſcientiæ ſponderet. Interim vel ab initio comparaveram à Mercatore omnia ſimplicia, ut tantillum ſingulorum penes me ſervarem, deinde ab Amanuenſe officinarum, ſive ſimplicium collectore, habui omnes plantas uſuales patriæ noſtræ: Sicque plurium cognitionem per vultum eorundem, didici. Simulque perpendi mecum, quod faciem quidem ſimplicium, & nomina agnoſcerem: nil minùs autem, quàm eorundem proprietates. Volui itaque comitari practicantem Medicum; mox inſufficientiæ, incertitudinis, & conjecturarum medendi, me etiam atque etiam pœnituit. Noveram quidem problematicè diſputare de quovis morbo; at ne dolorem quidem dentium, radicitùs curare ſciebam, vel ſcabiem. Vidi denique febres, morboſque obvios, nec certò, nec ſcienter, nec tutò curari: Graviores autem, & qui non ſponte ceſſant, plerumque incurabilium in catalogum deſtitui. Subiit mihi tum in mentem, quod ars medendi inventum eſſet impoſturâ plenum, citra quod Romani feliciter quingentos egerant annos. Reputavi, artem medendi Græcorum falſam eſſe: remedia verò ipſa, aliquot velut experimenta, juvare abſque methodo non minùs, quàm quod eadem remedia cum methodo pleroſque fallerent. Utrobique, canonum medendi, in complexionum diverſitatibus fundatorum, fallaciam, atque incertitudinem deprehendens, dixi, corde meo, Bone *Deus!* quouſque eris mortalibus ſuccenſus? qui hactenùs ne unam quidem veritatem, medendo tuis Scholis recluſiſti? quouſque populo te confitenti, veritatem denegabis hiſce diebus pluſquam præteritis neceſſariam? At tibi placet holocauſtum Moloch? vis tibi vitas pauperum, viduarum & pupillorum, ſub miſerrima morborum incurabilium tortura, & deſperatione, conſecrari? Quomodo ergo non ceſſas, tot familias perdere, per medentium incertitudinem & ignorantiam? Concidi in faciem; & dixi, Domine, ignoſce: ſi favor in proximum me extra limites abripuit. Condona, condona Domine, indiſcretæ claritati meæ: nam tu es radicale bonũ ipſiuſmet bonitatis. Noſti ſuſpiria mea, & quod fatear, quod nihil ſim; ſciam, valeam; poſſim, & habeam; ſim egenus, nudus, vacuus, inanis: Da, Domine, da ſcientiam creaturæ, ut creaturam tuam intimè noſcat, ſe primùm, cætera præter ſe, propter mandatum tuum charitatis; ultimo in te, omnia, & ſuper omnia. Quod cùm à multo tædio, & animi fatigatione, intenſè oraſſem, fortè in ſomnium deductus ſum, & vidi totum univerſum, in conſpectu veritatis, tanquam aliquod informe chaos, quod merum penè nihil eſſet. Et hauſi inde conceptum unius verbi, qui ſignificabat mihi quæ ſequuntur: *Ecce tu, & quæ vides, ſunt nil; quicquid agas, minus quàm ipſum nihilum, in conſpectu Altiſſimi. Ipſe ſcit fines omnes rerum agendarum, tu tuæ ſaluti ſaltem intendas.* Imo in iſto conceptu erat præceptum intrinſecum, quod fierem Medicus, & quod mihi daretur quandoque ipſum Raphaël. Actutum ergo, ac deinceps per triginta ſolidos annos, ſubſequenteſque ordine noctes laboravi, meis impenſis, ac vitæ detrimentis, ut vegetabilium, & mineralium naturas, atque proprietatum cognitiones, adipiſcerer: interim non ſine oratione, lectione, ſcrutinio rerum, errorum meorum trutina, & experientiis diurnalibus conſcriptis vixi. Tandem cum Salomone cognovi, me fruſtra adhuc plerumque ſpiritum meum torſiſſe, vanamque eſſe ſcientiam omnium, quæ ſub Sole ſunt, vanas curioſitatum indagationes. Et quem Dominus Jeſus vocaverit ad ſapientiam, ille, & non alius venturus eſt: Imò qui ad faſtigium pervenerit, minimum adhuc poterit, niſi Domini favor benignus affulſerit. En ſic adolevi, factus Vir, & nunc quoque ſenex inutilis, & ingratus *Deo*, cui omnis honor.

Subjungit ejus filius, Fr. Mercurius van Helmont, quæ nunc ſequuntur: Incidit Genitoris mei *obitus* in *triceſimum Decembris diem, anni ſupra milleſimum ſexcenteſimi, quadrageſimi quarti, ad veſpertinam ſextam*, cùm plena adhuc ratione uteretur, priuſquam omnia ejus ſacra, ſolemnia & juſta ipſius poſtulâſſet, nactuſque eſſet, morbus ſibi fuit ejus ipſa vita, qui ipſi permanſit ſeptimanis ſeptem, hunc in modum ordiens: Aliquando gelidâ fætentique nebulâ ad meridiem ſubitò pedes domum revertebatur, quod ipſi fuit in cauſa, ut cum epiſtolium quindecim circiter linearum exarare conaretur, aut longiori nimis diſcurſui indulgeret, reſpiratio in tantùm ſibi deficeret, exſurgere cogeretur, perque feneſtram proximam ſpiritum haurire, quo binis diverſis vicibus Pleuritis ipſi accerſebatur, à quâ tamen omninò incolumem ſe reſtituebat; Imò pridie exitus ſui erectus adhuc ſcribebat amico cuidam Pariſios, inter cætera hæc inſequentia verba: *Deo laus & gloria in ſempiternum, cui placitum eſt hoc me mundo evocare; ac prout conjicio, non ultra viginti quatuor horarum ſpatium vita ſuppetet: Hodie ſiquidem primum febris inſultum ſuſtineo præ imbecillitate vitæ, ejuſque defectu, quibus mihi finiendum.* Quod ita inſecutum, poſtquam ſpecialem mihi benedictionem impertiviſſet, quàm ingens legatum duco, &c.

In Nobiliſſ. & Præclariſſ. D. J. B. Helmontii Opera contra Galeniſtas.

Claude Scholas, Galene, tuas: ſatis occiſorum eſt,
Ohe jam ſatis eſt: plena ſepulchra ſonant!
Namque cruor chyſterque tibi ſunt pharmaca: ſæpè
Das nihil: In Critico ſpes tibi ſola die.
Interea in tactu venæ, linguæque peruſtæ,
Totus & urinâ, ſtercoribuſque ſtupes.
Non ægrum juvat hoc: illi Medicina paranda;
Nil opus eſt morbi teſtibus: at Medico.

Attamen

Attamen exſpectas pretium poſt funera magnum
Sic vanis ægrotum ſpectat, amatque pecus.
Unus Apollineâ potis eſt HELMONTIUS *arte,*
Quos alter morti liquerat, eripere!

JANUS WALHORNIUS
D. Majeſt. ſuæ Conſiliarius.

Præter ea quæ hactenus de Helmontii Vitâ attulimus, addemus hic rursùs pauca ex Prolegomenis Chemiæ Clariſſ. D. Boerhave attributa, ubi Auctor ſic introducitur diſſerens.

Cùm Ego legiſſem ſcripta Paracelſi & Helmontii, abjectus fui ab omni ſpe faciendi Medicinam; nam cùm dicerent non opus eſſe Medico cognoſcere morbi cauſas, naturam, ſedem, effectum, diætas &c. ſed datô tantùm unô ſimplici parvô medicamentô, omnes morbos poſſe ſanari; hinc inquietus noctes & dies pervolvi horum ſcripta; nam non credebam tales Viros hæc poſſe fingere, cùm tot egregia ſcripſerant, & obteſtentur per Deos ſe poſſidere illa, niſi haberem certa documenta & experimenta: Sed reſcivi ab aliis, qui Helmontium adhuc viventem noverant, imò ipſô ejus filiô, eum omnia illa præ merâ jactatione, & procaci judiciô, laxâ nimis libertate & licentiâ ſibi imaginatum eſſe, & non vera fuiſſe quæ de illis tradidit. Veriſſimum ſanè eſt Medicinam incredibiliter juvari à Chemiâ; ſed tamen Chemiam ſolam omnia poſſe efficere falſiſſimum eſt. Novi homines nunc mortuos, qui ſæpe cum Helmontiô verſati erant, qui mihi affirmaverunt Helmontium tanquam ignotum vixiſſe, ſeque non dediſſe praxi, ſed rarò è domô prodiiſſe. Vocatus fuit à Cæſare Rudolphô, qui magnus erat Chemicus, ut Chemiſta Cæſaris eſſet; item vocatus fuit ab Electore Palatinô, ut ibi Chemicus eſſet & Medicus, ſed utrumque recuſavit. In illô quô degebat locô, vix notus fuit ob ſuam praxin, aliquot ruſticis impertiebat gratis ſua conſilia, cæterùm ferè nihil quoad praxin fecit. Filius ejus, qui pervenit ad nonageſimum ætatis annum, ſanus & candidus erat, peritiſſimus omnium experimentorum & rerum, noverat Artes Mechanicas & Chemicas; ſed nunquam fixus domi fuit, at divagatus quocunque, callebat omnes vires Medicamentorum, quas Pater noverat, ſed nequidem hoſpitam ſtomachi morbô afflictam potuit ſanare. Unde concludimus meram jactantiam, & præcocitatem judicii, abſque experimentis realibus in noſtrô fuiſſe, quô tamen nullus unquam illuſtrior Scholæ Galenicæ & Arabicæ reformator extitit. Scripſit ſtylô facundô & perclarô: Verùm dùm optimus ac ſagaciſſimus fuit in aliorum vitiis detegendis & deſtruendis, in contrarium, ut ſæpe fit, lapſus eſt.

Ex eô habentur

Febrium Doctrina inaudita. Antverpiæ, apud Vid. Johan. Cnobbari, 1642. in 12.

De Magneticâ Vulnerum naturali & legitimâ curatione, contra Johannem Roberti Soc. Jeſu Theologum. Pariſiis, apud Victorem le Roy, 1621. Extat etiam cum Theatrô Sympatheticô auctô. Norimbergæ, apud And. Endterum, & Wolffgangi Jun. Hæredes, 1662. in 4.

Opuſcula Medica inaudita; I. de Lithiaſi. II. de Febribus. III. de Humoribus Galeni. IV. de Peſte. Coloniæ Agrippinæ, apud Jodocum Kalcoyen, 1644. in 8. Extant etiam cum ejuſdem Authoris operibus omnibus.

Supplementum de Spadanis Fontibus. Leodii, apud Leon. Straël, 1624. in 8.

Ortus Medicinæ, id eſt, Initia Phyſicæ inaudita. Progreſſus Medicinæ novus, in Morborum ultionem, ad vitam longam; edente Autoris Filiô Franciſcô Mercuriô ab Helmont. Amſtelodami, apud Lud. Elzevirium, 1648. 1652. in 4. Venetiis, ap. Juntas, & Johannem Jacobum Hertz, 1651. in fol. Hæc editio emendatiùs multò & primùm auctiùs cum Indice Rerum & Verborum locupletiſſimo prodiit. Lugduni apud Joh. Antonium Huguetan & Guilielmum Barbier, 1667, in fol. In quâ quartâ Editione præter quædam Authoris Fragmenta adjecti fuerunt Indices tractatuum de Lithiaſi, Febribus, Humoribus & Peſte, qui in aliis deſiderabantur. Francofurti, apud Johannem Juſtum Erythropilum, 1682. in 4. Hæc editio prodiit ſub titulô Operum omnium; ut & alia poſterior quæ lucem vidit Hafniæ, apud Hieron. Chriſt. Paulli, 1707. 4. Quibus adduntur de novô Tractatus aliquot poſthumi ejuſdem Authoris, maximè curioſi pariter ac perutiliſſimi, antehàc non in lucem editi; qualis eſt ille de Virtute magnâ Rerum ac Verborum. Unâ cum Introductione atque clavi Mich. Bern. Valentini, atque Indicibus Rerum ac Verborum ut locupletiſſimis, itâ & accuratiſſimis.

Index Tractatuum hôc opere Editorum.

1. Vaticinium de Authore, Poëmate expreſſum.
2. Promiſſa Autoris.
3. Confeſſio Autoris.
4. Studia Autoris.
5. Venatio ſcientiarum.
6. Cauſæ & initia Naturalium.
7. Archeus Faber.
8. Logica Inutilis.
9. Phyſica Ariſtotelis & Galeni ignara.
10. Elementa.
11. Terra.
12. Aqua.
13. Aër.
14. Progymnaſmata Meteori.
15. Gas Aquæ.
16. Blas Meteoron.
17. Vacuum Naturæ.
18. Meteorum anomalum.
19. Terræ tremor.
20. Complexionum atque Miſtionum elementalium Figmentum.
21. Imago Fermenti imprægnat maſſam ſeminê.
22. Aſtra neceſſitant, non inclinant, nec ſignificant de vitâ, corpore, vel fortunis nati.
23. Formarum ortus.
24. Magnum oportet.
25. Natura contrariorum neſcia.
26. Blas humanum.
27. Endemica.
28. Spiritus vitæ.
29. Calor efficienter non digerit, ſed excitativè.
30. Triplex ſcholarum digeſtio.
31. Sextuplex digeſtio alimenti humani.
32. Pylorus rector.
33. Tartari hiſtoria.
34. Tartari vini hiſtoria.
35. Inventio Tartari in morbis temeraria.
36. Alimenta Tartari inſontia.
37. Tartarus non in potu.
38. Cuſtos errans.
39. Imago mentis.
40. Demens idea.
41. Sedes Animæ.
42. A ſede Animæ ad morbos.
43. Jus Duumviratûs.
44. Mentis Complementum.
45. Scabies & ulcera ſcholarum.

46. Ignota

46. Ignota actio regiminis.
47. Duumviratus.
48. Tractatus de Animâ.
49. Diſtinctio Mentis à ſenſitivâ animâ.
50. De Animæ noſtræ immortalitate.
51. Nexus ſenſitivæ & mentis.
52. Aſthma & Tuſſis.
53. Latex humor neglectus.
54. Cauterium.
55. Volupe viventium morbus antiquitùs putatus.
56. Pleura furens.
57. Tria prima Chymicorum principia, neque eorumdem eſſentias de morborum exercitû eſſe.
58. De Flatibus.
59. Catarrhi deliramenta.
60. Victûs ratio.
61. Pharmacopolium ad Diſpenſatorium modernum.
62. Poteſtas medicaminum.
63. Præfatio.
64. Ignotus hoſpes morbus.
65. Ignotus hydrops.
66. Puerilis humoriſtarum vindicta.
67. Reſpondet Author.

Tractatus de Morbis

1. Introductio diagnoſtica.
2. In punctô vitæ, ſubjectum inhæſionis morborum.
3. Progreditur ad morborum cognitionem.
4. De Ideis morboſis.
5. De Morbis Archealibus.
6. Ortus Imaginis morboſæ.
7. Aditus præcluſus ad Condum viſcerum.
8. Confirmatur morborum ſedes in animâ ſenſitivâ.
9. Morborum phalanx & diviſio.
10. Recepta injecta.
11. Quædam imperfectiora.
12. In verbis, herbis, & lapidibus eſt magna virtus.
13. Butler.
14. De Interjectis materialibus.
15. Injaculatorum modus intrandi.
16. De Conceptis.
17. Vis magnetica.
18. De Sympatheticis mediis.
19. De Inſpiratis.
20. Suſcepta.
21. Retenta.
22. Præfatio.
23. De tempore.
24. Vita longa, Ars brevis.
25. Mortis introitus in naturam humanam decus virginum.
26. Theſis.
27. Demonſtratur Theſis.

Supplementum.

1. De Spadanis fontibus, paradoxa ſex.
2. Supplementum paradoxorum numerô criticum.
3. Intellectus Adamicus.
4. Imago Dei.
5. Externorum proprietas.
6. Humidum radicale.
7. Aura vitalis.
8. Vita multiplex in homine.
9. Fluxus ad generationem.
10. Lunare tributum.
11. Vita.
12. Vita brevis.
13. Vita æterna.
14. Mortis occaſiones.
15. De Magneticâ vulnerum curatione.
16. In Sole tabernaculum.
17. Infantis nutritio ad vitam longam.
18. Arcana Paracelſi.
19. Mons Domini.
20. Arbor vitæ.

Opuſcula Medica inaudita.

1. De Lithiaſi.
2. De Febribus.
3. Scholarum Humoriſtarum paſſiva deceptio ac ignorantia.
4. Tumulus peſtis.

Apologia adverſus Doctrinæ novitatem prætendentes. Lugduni apud Devenet. 1655. 8.

Tractatus de magnâ virtute Verborũ & Rerum. Francofurti, 1659. Extat etiam cum ejuſdem Authoris operibus omnibus unà editis. Francofurti,ap. Johannem Juſtum Erythropilum, 1682 in 4.

Fundamenta Medicinæ recèns jacta ſub unum conceptum & intuitum breviter contracta de Cauſis ac Principiis Morborum conſtitutivis jam à temporibus Hippocratis Medici, XII. ſeculorum oblivione ſepultis, hactenùſque inter Chriſtianos ignotis, ultimis verò his noſtris diebus à Deo veritatis ſingulari ſuâ gratiâ ac mortales ægros miſericordiâ, miraculi inſtar, noviter unàque cum totiûs Phyſicæ Medicinæque hucuſque incognitæ initiis, progreſsû ac fine, manifeſtatis orbique Chriſtiano apertis ac evulgatis. Ulmæ, apud Georg. Wilhelmum Kühn, 1680. in 12.

HELMONT (*Franciſcus Mercurius ab*) Prioris Filius.

De eô extant

Obſervationes circa Hominem ejuſque Morbos, ſanæ rationi & experientiæ ſuperſtructæ &c. Amſtelædami, apud Johannem Wolters, 1692. 12.

HELVETIUS (*Hadrianus*) Med. Doct. Pariſienſ. Ducis Aurelian. Archiater, ac Inſpector Generalis Noſocomiorum in Flandriâ.

De eô extant in Actis Lipſienſibus Anno 1694. p. 334.

Methode pour guerir toute ſorte de Fievres &c. ſive

Methodus Febres omnis generis curandi abſque eô ut aliquid ore aſſumendum exhibeatur. Pariſiis, apud viduam Nicolai Oudot, A. 1694. in 12.

NUllum Febrifugorum habetur tot ſcriptis hactenùs totque encomiis, atque cortex Chinæ Chinæ, ab Autoribus celebratum. Multa tamen ſunt pathemata, de quibus ægri poſt internum ejus quâcunque etiam ratione præparati uſum conquerantur ſæpiſſimè. Alios nauſea, anorexia, dolor ventriculi gravativus alios, alios phlogoſis, &c. tantùm non omnes ipſe amaror, nullô modô à remediô hôc auferendus, inſigniter torquet. Cunctas proin moleſtias recenſitus Autor noſter evitaturus, Methodum prorsùs novam ſub enemate corticem laudatum in omnis generis febribus adhibendi excogitavit non ſine ſucceſsû. In febribus ſiquidem intermittentibus, ſi corticis uncia una, aquæ ſimplicis menſuræ dimidiæ exactè admixta, clyſmatis loco ſub paroxyſmi terminum applicetur, terque quotidie ad perfectam uſque reconvaleſcentiam reiteretur, paroxyſmum raro ſemel, rariùs bis, ter nunquam redire. In continuis autem febribus eandem Chinæ Chinæ quantitatem, forti potiùs hujus decocto adjectam, enematis vice ſub exacerbationis finem, aut eô etiam tempore, quô febris minorem

rem impetum facit, adaptandam eſſe, ſingulisque quaternis horis repetendam, donec febris ceſſet. Nec, febre quâcumque profligata, clyſmata commendata mox ſeponenda, ſed per duodecim etiamnum dies, priori ſiquidem ſextiduo bis, poſteriori verò ſemel tantùm de die, venire continuanda, imò diutiùs adhuc ab iis, qui diutiſſimè illa retinere haud valent. Horum in gratiam quoque, cùm omnis curationis cardo in diuturniori enematis retentione vertatur, ſyrupi papaveris albi unciam dimidiam, niſi ſomnolentia obſtet, præcipit adjungendam; quemadmodum è diverſô in aliis, qui nihil clyſteris rursùs excernere ſolent, enema aliquod purgans veſpertinum commendat. Summas abdominis tenſiones internoſque abſceſſus unica ſymptomata eſſe, quæ prohibeant ac fallant uſum remedii hujus, in febri aliàs quâcunque, etiam cum catarrhô v. gr. pectoris, raptû humorum ad caput, pleuritide, vulnere &c. complicata, ſummè proficui, modò pro ætatis diverſitate doſis à drachmis duabus ad unciam unam ritè obſervetur, eaque tùnc, quandò ægri temperamentô debiliori, ac viſceribus tenerioribus gaudent, aut hæmorrhoidibus vexantur, dimidia ſolummodò exhibeatur. Quod ſi verò in principiô febrium omnis Chinæ Chinæ uſus reſpuatur, tantùm abeſt, ut Autor improbet, ut venæſectionem atque purgationem præmittenda eſſe ſuadeat, eumque in finem purgans aliquod & emeticum non minùs deſcribat, atque potiones cordiales, febribus intermittentibus æque ac continuis & malignis appropriatas, quo gravioribus ſymptomatis ſublatis, China Chinæ ſub enemate uſurpata, tantò promptiùs fermentum febrile poſſit deſtruere. Febres namque multò expeditiùs indigitatâ debellari ratione, quâ ſpecificum pariter ſuum antidyſentericum, vomitum in tenerioribus provocans, feliciſſimè antehàc adminiſtraverit, argumentis pluribus comprobat. Quantitatem videlicet Chinæ Chinæ longè majorem ſub enemate præberi, quam quæ in os ingeri valeat: in ſubſtantiâ hanc ſemper exhiberi, adeòque potentiores etiam exercere vires; particulas denique Chinæ Chinæ ſubtiliores, unicè in febris fermentum agentes, ad ſanguinem per capillarium oſcula æquè facilè permeare, ac nutrientia & nicotianæ clyſmata propter nutritionem atque vomitionem. Ne ullum tamen relinquatur dubium, è duobus millibus febricitantium, triennium intrà beneficio hujus methodi reſtitutorum, eos cumprimis, qui Verſaliis ex mandatô Regis curæ ſuæ concrediti fuerint, in ſcenam producit; ſub finem reconvaleſcentiam quoque infantium & gravidarum commemorans, ad calumniam eorum retundendam, qui ulcera, fiſtulas, abortum ejuſque commatis pathemata alia inſecuta fuiſſe objecerant. Tandem ſummam annectit literarum Medici alicujus Vicentis, in quibus hic Helvetio de Methodo antifebrili inventa non modò multas habet gratias, ſed & experientia propria eandem confirmat. Eorum in gratiam, qui Gallicum Idioma non capiunt, verſionem Latinam *Friſchius* noſter, Bibliopola ſolertiſſimus, curavit adornandam.

Ibidem Annô 1702. *p.* 311. *Supplem. Tom. III.*

Traité des pertes de ſang &c.

i. e.

Tractatus de Hæmorrhagiis, cujuſcunque generis, unà cum remediô earum ſpecificô recenter inventô ab Adriano Helvetiô; cujus etiam Epiſtola de Naturâ & Curâ Cancri adnectitur. Pariſiis, apud Laurentium d'Houry, 1697. *in* 8.

QUâ methodô *Autor Nobiliſſimus* febres fugare, quôque remediô dyſentericos ſoleat ſervare, in *Actis* A. 1694. p. 334. & A. 1695. p. 560. prolixè commemoravimus; è præſenti autem ſcriptô paucis indigitandum erit, quâ ratione ab eôdem nunc quæcunque hæmorrhagia compeſcatur, nunc cancer quoque tollatur feliciſſimè. In ipsô nempè tractatû, ubi Autor dè ſanguinis ſtatû naturali & præternaturali, variiſque hæmorrhagiarum cauſis, non minùs ac de harum differentiis, vel utrique ſexui communibus, vel alterutri propriis, de prognoſi itidem & remediis generalioribus, diſſeruit, imprimis Specificum à ſe inventum ad omnem hæmorrhagiam tutò ſiſtendam commendat, uſum hujus genuinum tùm edocendo, tùm exemplis multis utriûſque ſexûs perſuadendo. Sicut namque ſpecificum ipſum è rupei aluminis depurati duabus unciis in cochleari argenteô fuſis, atque ſanguinis draconis pulveriſati uncia dimidia commixta in pilulas piſi magnitudine, habetur concinnatum; ità in leviori malô dimidiam ejuſdem drachmam in ſyrupi cydoniorum cochleari ter quaterve manè ac veſperi aſſumptam, decoctо hordei cum herbis capillaribus ſuperhauſto, innuitur ſufficere; in graviori tamen hæmorrhagiâ duos etiam ſcrupulos, vel integram drachmam requiri, ſingulis quatuor horis, præſcriptô ſimul regimine obſervatô, propinandam. E multis autem hiſtoriis, quibus laudati ſpecifici efficacia inſignis comprobatur, unicam fœminam nominaſſe ſufficiat, intra ſextiduum, non ſolùm auxiliô dimidiæ ſpecifici drachmæ, omnibus quatuor horis die nocteque ingeſtæ, à nimiô menſtruorum fluxû, quem animi deliquio, diſpnœa & convulſionibus ſtipatum, occaſione medicamenti cujuſdam martialis incautius adhibiti, quatuor jam menſes perpeſſa erat, liberatam, ſed & uſû ejuſdem per tres adhùc ſeptimanas bis de die continuatô, perfectè reſtitutam. Sed in Epiſtolâ, quam de Cancrô *Noſter* ad Dn. *Regis*, A. 1691. perſcripſit, hicque auctiorem ſubjunxit, ex ipſius cancri exortus atque progreſſus accuratiori conſideratione, hunc in principiô non niſi parvam alicujus guttæ humoris in quâdam glandulâ coagulationem adſtruit, ab internâ duorum humorum ſibi invicem occurrentium diſpoſitione rariſſimè, frequentiſſimè ab externâ compreſſione violentâ, introductam; tùncque facillimum curatû, vel portiunculam ejuſmodi humoris leviter coagulati diſſolvendo, vel cauſtico conſumendo. E diverſo in progreſſû, quandò ab aliûs humoris acceſſû majorique hujus cum priori coagulatione cancer increvit, ac inſtar cornu vel firmioris cruſtæ lardi induruit, ab omni prorsùs remediô externô abſtinendum eſſe præcipit, ne humor inde irritatus ſuum diſpergat fermentum, cancerque exulceratus evadat; reſtare hic ſolummodò, ut inciſâ cute, glandula ſubjecta Helvetiano tenaculo apprehendatur, appreheſaque, pro malô malique causâ ſimùl auferendis, extirpetur, vulnuſque primùm linteô carptô ſiccô, mox in modum vulneris ſimplicis deligetur atque conſolidetur. Huic enim theoriæ apprimè reſpondere praxim, exemplo tùm fœminæ in Angliâ natæ, tum aliarum, quibus moleſtum mammarum cancrum curavit exſurpandum, ſufficienter evincit. Quod ſi verò ægrotantis negligentiâ, vel culpâ Chirurgi, cancer in ulcus degenerârit, fermentumque diffuſum fuerit, abſque morâ, non neglectis tamen genera-

generalioribus, totam partem cancroſam, v. g. mammam, citiùs amputandam eſſe ſuadet, quàm fermentum cancri profundiùs penetrando glandulaſque muſculorum pectoralium inficiendo, malum incurabile reddiderit. Neque pertimeſcendam adeò eſſe talem amputationem, cùm ſubitò poſſit abſolvi, omniſque hæmorrhagia vel ſolô crepitû lupi compeſci, modò tota v. g. mamma tenaculô magnô, primùm apprehendatur; hinc cutis ſana, tenaculum & corpus interjacens, quantùm fieri poteſt, digitis revellatur, integra denique mamma inſtrumento, in novaculæ formam fabrefacto, ſubitò reſcindatur. Varia autem inter remedia vulneri poſt vaſorum ſanguiferorum coalitum adaptanda, unguentum extollit, è ceræ flavæ unciis ſex, & picis reſinoſæ unciis quatuor invicem liquefactis, ac petrolei & olei lini ana unciis tribus olei ſuccini & ſpicæ ana unciis duabus, olei chamomillæ, olivarum ac terebinthinæ ana uncia una, & ſpiritus vini unciis duabus admixtis, præparatum, tunc etiam optimum, quandò profundior portio cancroſa ne forfice quidem inflexa omnimodè removeri valuit, quemadmodum alias in gangrænâ etiam coërcendâ & doloribus arthriticis ſopiendis egregium.

Ibidem Annô 1713. *p.* 78. *Supplem. Tom. V.*
Recueil de Methodes,

i. e.

Collectio methodorum variis morbis medendi. Hagæ Comitum, apud Adrianum Moëtjens, 1710. 12.

Methode pour traiter la verole par les frictions & par les ſueurs,

i. e.

Methodus medendi lui Venereæ per frictiones & ſudores. Hagæ Comitum, apud Adrianum Moëtjens, 1710. 12.

MOrbi, quos curandi ratio in priori opuſculô docetur, ſunt pleuritis, variolæ, morbilli, febres tam continuæ & malignæ, quàm intermittentes, diarrhœa, fluxus ſanguineus, dyſenteria, hydrops, & ſcorbutus: Quæcumque enim Autori per longam experientiam in his morbis fuerint cognita & probata, candidè hìc communicantur. Hinc modus eos repellendi medicamentorum ope deſcribitur, ipſa quoque remediorum præparatio, eorumque dexter uſus delineatur. Hæcque methodus eâ potiſſimùm ex causâ in Præfatione commendatur, quod ægri, qnibus Medicorum abſentia vel res anguſta domi illos conſulere prohibet, ad ſui curationem manû quaſi ducantur. Et cùm alter Tractatus eadem ratione ſit conſcriptus, breviter methodum delineabimus, quâ Helvetius lue Venereâ affectos curare ſolet. Indicationes, quas ſibi format, ſunt; ut ſalia acida fixa deſtruantur & evacuentur. Hinc poſt clyſma laxans venæ ſectionem imperat, alterô die aliud clyſma, tertiô purgans per os pro primis viis eluendis ordinat, quarto & ſequentibus 8. vel 10. diebus balneo uti mane & veſperi jubet ægrum, ut ſanguis debitam conſiſtentiam & lympha juſtam fluiditatem acquirat; hinc nè ſudet æger, ſuadet. Ut autem ſal acre miaſmatis venerei corrigatur, & particulæ ſulphureæ ex maſsâ ſanguineâ expediantur, ante balneum juſculum ex borragine, bugloſſa, lactuca &c. vel ſerum lactis cum ſyrupô violatô hauriendum eſſe, judicat. Poſt balnea, venæ ſectionem & purgationem repetitam emeticum propinat, quod ἄνω καὶ κάτω humores crudos & bilioſos evacuandò impediat, ne humores fermenteſcibiles frictionis tempore ad ſanguinem ruant. Alterô die poſt hanc evacuationem bolum exhibet, ex Panaceâ Mercuriali unà cum hauſtû ptiſanæ ſaſſæparillæ, qui poſt ſemihorulam repeti debet. Duabus horis poſt juſculum hauriendum concedit. Hâc ratione præparatô ægrô ſub calidô regimine Unguentû Mercuriale applicat, quo primo die pedes ad genua uſque & brachia uſque ad cubitum fricat. Si poſt reiteratam alterô vel tertiô die frictionem nulla inſtantis ſalivationis ſigna compareant, tertiâ vice præter modò nominata extrema, inguina, lumbos, ſpinam dorſi, axillas & humeros inungit. Finitis hiſce frictionis diebus & ſalivâ probè effluente, ſudorem excitat ægro ſemel vel bis de die, idque per 10. vel 12. dies, ut particulæ ſcilicèt virulentæ magis attenuentur & diſponantur, quæ poſſint per colatoria commodè evacuari.

HELVETIUS (*Joh. Fridericus*)

De eô extant

Vitulus Aureus, quem mundus adorat & orat: In quô tractatur de rariſſimô Naturæ Miraculô, tranſmutandi metalla, nempè quomodo tota Plumbi ſubſtantia vel intra momentum ex quâvis minimâ lapidis veri Philoſophici particula in aurum obryzum commutata fuerit Hagæ Comitis. Amſtelodami, apud Johannem Janſſonium à Waësberge, 1667. in 8. Extat etiam cum Muſæô Hermeticô reformatô & amplificatô. Francofurti, apud Hermannum à Sande, 1677. in 4.

Microſcopium Phyſiognomiæ Medicum, id eſt, Tractatus de Phyſiognomiâ, cujus ope non ſolùm animi motus ſimûl ac corporis defectus interni, ſed & congrua iis remedia noſcuntur per externorum lineamentorum, formarum, colorum odorum, ſaporum, domiciliorum ac ſignaturarum intuitum, qui harmoniacam hominis conſtitutionem & medicandi notitiam ex ſimplicibus indicat. Ibidem, apud eundem, 1676. in 8.

Diribitorium Medicum de omnium Morborum accidentiumque in & externorum Definitionibus ac Curationibus, ex ſaporibus, odoribus, fœtoribuſve, provenientibus à fermentorum, effervescentiarum aut putrefactionum ſalibus, ſulphuribus vel mercuriis: Quæ malè inveniuntur in ſuccis alibilibus bene conſtitutis omnium ventriculorum, glandularum vaſorumque lymphaticorum totius corporis. Amſtelodami, apud Joh. Janſſonium à Waësberge 1670. in 8.

HELVIGIUS (*Johannes*,) Noribergenſis. Natus Noribergæ A. C. 1609. Patre Chriſtoph. *Helwigiô*, Mercatore ibidem primariô; creatus Philoſophiæ & Medicinæ Doctor Patavii 1634. mox in Patriam reverſus, inque Collegium Medicum receptus, & Xenodochii Medicus ordinarius conſtitutus eſt, ubi ſimûl Praxim Medicam feliciter exercuit, uſque ad annum 1649. quô Ratisbonam diſceſſit, quâ in urbe Medicinam eâdem felicitate facere perrexit, idque uſque ad obitum ſuum qui contigit A. C. 1674. ætatis ſuæ 65.

Ex eô habentur

ἀλφάβητον ἰατρικόν hoc eſt brevis totius Medicinæ Hippocraticæ in paucas Tabellas reductæ Delineatio. Noribergæ, 1631. in fol.

Obſervationes Phyſico-Medicæ poſthumæ CLXIII. in lucem editæ ſcholiiſque adauctæ à Luca Schrockio. Auguſtæ Vindelicorum, apud Theophilum Göbelium, 1680. in 4.

HELVINGS

HELVINGS (*Georg. Andreas*) Paſt. Angerburg & Reg. Scient. Societ. Brand. Membrum.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1713. *p.* 223.

Flora quaſi modo genita, ſive enumeratio aliquot plantarum indigenarum in Pruſſia, quarum in herbariis hactenus editis Boruſſicis aut nulla, aut ſuperficiaria facta eſt mentio, additis nonnullis iconibus, deſcriptionibus, & obſervationibus, necnon Florilegio ad clima Pruſſiæ accommodato; cum præfatione Joh. Philippi Breynii Med. Doct. &c. Gedani, Typis Jo. Dan. Stollii, 1712. 4.

A primâ jam ætate Botanices amore ſe captum fuiſſe, Autor doctiſſimus monet, hinc aliorum laudatiſſimo exemplo, qui, etiamſi præcipuè ſacrarum litterarum ſtudio ſe conſecraſſent, hæc naturæ arcana rimari non deſtiterunt, ſed divinam ex eô ſapientiam delaudandi occaſionem commodiſſimam arripuerunt, in ſui delectationem primò duo plantarum in patriâ ſuâ Boruſſiâ natarum, partim exſiccatarum, partim pictoris penicillô delineatarum, exempla collegit, quorum altero ſibi ſervato, alterum Regiæ Montis Regii bibliothecæ dono dedit, & cùm perſpiceret, reperiri inter ſuas aliquot plantarum ſpecies, quæ in hactenùs editis Boruſſicarum indicibus, imprimis Cl. Gottshedi Flora Pruſſica, noviſſimè conſcripta, vel planè non comparerent, vel leviter tactæ, & non ſatis accuratè deſcriptæ eſſent, in animum induxit ſuum, enumerationem inſtituere plantarum tam ſponte naſcentium, quàm inquilinarum, ſive quarum vulgaris in hortis cultura eſt, & quæ ſolo Pruſſico adſuefactæ ſunt; quod tam feliciter ceſſit, ut numerum ab aliis ante obſervatarum ad ducentas & quinquaginta auxerit, quas alphabeti, quod dicitur, ordine conſpiciendas præbet. Præfationem opuſculo præmiſit Jo. Philippus *Breynius*, apud Dantiſcanos Medicus, Celeberrimi Jacobi *Breynii* mercatoris botanophili filius, qui Helwingio ſuarum Obſervationum edendarum Autor fuit. Duo autem pertractare conſtituit Vir doctus; alterum, ſcriptorum rerum naturalium in Poloniâ & Boruſſiâ hiſtoriam texere; alterum, errores Loëſelii & Gottſchedi in nominibus plantarum conſtituendis admiſſos corrigere: ex utrôque pauca delibare ab inſtitutô alienum non erit. Inter ſcriptores hiſtoriæ naturalis Poloniæ primus locus adſignatur Jodoco Willichio, qui de Salinis Cracovienſibus obſervationem dedit Cracoviæ 1543. cùm præfatione Jo. Broſcii, 1645. in 8. Dantiſci recuſam, in cujus fine promiſit *Dialogos ſalinares*, quos vel deperditos eſſe, vel adhùc latere, dolet *Breynius*. *Guilielmus Hondius*, chalcographus, inde ſalisfodinas Wielicenſes quatuor tabulis majoribus æri inſculptis anno 1645. exhibuit, poſt quem *Martinus Bernardus* Catalogum plantarum tam exoticarum, quàm indigenarum, quæ annô 1651. in hortis regiis Varſaviæ, & circa eandem ſponte naſcuntur, conſignavit, Dantiſci 1652. impreſſum, qui Simonis Pauli viridariis, ſuppreſſô autoris nomine, inſertus eſt. Ad Lithuaniæ hiſtoriæ naturalis illuſtrationem facit Alberti *Tylnowski* Diſquiſitio Phyſica oſtenti duorum puerorum, quorum unus cum dente aureô, alter cum capite giganteô Vilnæ in Lithuaniâ ſpectabatur, quæ typis Monaſterii Olivenſis 1674. in 12. prodiit. Præter hæc nihil ſe comperiſſe fatetur doctiſſimus Breynius, de ſcriptoribus rerum naturæ in Poloniâ, ſed plures ſunt, qui hâc in parte illuſtrârunt res Boruſſiæ. Succinum, cujus primam ſibi inventionem vindicant Boruſſi, plurium excitavit ingenioſam operam, & primus quidem de illô literis aliquid mandâſſe creditur *Andreas Aurifaber* in ſuccinctâ Succini Hiſtoriâ vernaculâ linguâ primùm editâ, ut putatur, ann. 1551. & iterùm annô 1572. in 8. quam contractam, & Latinam factam à Laurentiô Scholziô 1593. invenimus in conſiliis Cratonis, ubi etiam legitur *Danielis Hermanni* carmen de ranâ & lacertâ ſuccino Boruſſico involutis. *Severinus Gœbelius* idem argumentum iterùm tractandum ſumſit & duos libros de ſuccinô conſcripſit 1558. quos Conradus Geſnerus ſuis de omni rerum foſſilium genere libris collectis addidit, & ipſe Gœbelius denuò librum de ſuccinô vernaculâ compoſuit 1567. quem ejuſdem filius 1616. 4. recudi curavit. Ulterius progreſſus eſt, eò magis laudando in ſui ordinis homine inſtitutô, non minimi nominis Theologus *Johannes Wigandus*, ultimus Pomeſanienſis Epiſcopus, qui veram hiſtoriam de ſuccinô Boruſſicô, de Alce Boruſſicâ, & de herbis in Boruſſiâ naſcentibus, de ſale conſiderationem methodicam & theologicam, conſcripſit; quam poſt Autoris obitum luci expoſuit Jo. Roſinus Jenæ, 1590. 8. Longius hinc intervallum habuit naturæ ſtudium in Boruſſiâ, nam mediô demùm ſeculi poſt Nicolaus *Oelhavius* elenchum plantarum circa nobile Dantiſcum ſua ſponte naſcentium publicavit Dantiſci 1643. 4. cui appendicem attexuit *Chriſtianus Mentzelius* 1650. de novô autem eundem recenſuit & locupletavit *Laurentius Eichſtadius*. Tandem ſecutus *Jo. Lœſelius*; qui cùm conflictaretur cum adverſâ valetudine, filii cognominis operâ edidit plantas in Boruſſiâ ſponte naſcentes Regiomonti 1654. 4. Interruptus hinc iterùm fuit aliquandiù Botanices cultus; quamvis omni laude propter inſigne herbariæ rei ſtudium decorandus Jacobus Breynius Pomerelliæ Viridarium edere animo conſtituiſſet, quod tamen morbô præpeditus & morte occupatus perficere non potuit, cujus quidem jacturam ſe compenſaturum liberaliter promittit clariſſimus hujus præfationis Autor, digniſſimus tantô parente filius, qui nè fruſtrà harum rerum amantibus ſalivam moverit, impensè optamus. Succinum illud, ſingulare Boruſſiæ donum, plures jam in ſui admirationem, & intimius ſcrutinium pertraxiſſe, monuimus, ſed necdùm ſatisfeciſſe arcanæ philoſophiæ parti viſi ſunt *Philippo Jacobo Hartmanno*, unde novam ſuccini Pruſſici phyſicam & civilem hiſtoriam adornavit Francofurti 1677. typis exſcriptam in 8. quam ſuccincta ſuccini Pruſſici hiſtoria & demonſtratio ſequuta eſt Berolini 1699. 4. cui ejuſdem filius de ſuccinô & ejus uſû in medicinâ diſſertationem, cùm Lugduni Batavorum Doctoris inſignia impetraret, ſubmiſit: ſed præter hæc, Hartmannus pater etiam de Phocâ & Gladiô diſputationes annô 1683. & 1693. habuit. Alce animal cùm Boruſſiæ imprimis ſuos natales debeat, hîc commemorantur quoque *Andreæ Baccii & Apollonii Menaheni* de Alce tractatus, cum Remberti Dodonæi Epiſtolâ, & *Jo. Frid. Leopoldi* (cujus mortem præmaturam propter merita in rem medicam & naturalem deplorat Autor, & iter ejus Suecicum adhùc ſperare jubet) diſſertatio de Alce Baſileæ 1700. ventilata. Et non minùs hùc pertinere videntur duæ diſſertationes M. Georgii Wendii, Gymnaſii Thorunienſis Rectoris & Profeſſoris, altera de figuratis quibusdam lapidibus propè Thorunium in Viſtulæ littoribus collectis, altera de paſſione Chriſti mirandis quibusdam figuris in regnô mineralium reperta, ibidem anno 1704. defenſæ; quibus additur M. *Chriſtiani Maſecovii* diſſer-

diſſertatio de Inſulâ natante Gerdavienſi Regiomonte 1707. expoſita. Sed iterùm revixit Botanices amor in Boruſſis, namque annô 1703. doctiſſimus Jo. *Gottshed Lœſelium* redivivum fecit, ſive Floram Pruſſicam, in quâ multis tabulis æneis catalogum Lœſelianum exornavit & illuſtravit, in quô tamen hoc notat Breynius, quod Lœſelii errores in plantarum nominibus & deſcriptionibus non diligenter ſatis correxerit, ut ante jam obſervavimus, ſed veniâ dignos eſſe & mitiore cenſurâ putamus & bonos & peritos in hiſce viros, quoniam ejuſmodi pati in proclivi eſt omnibus, qui rectæ Botanicæ ſcientiæ methodo recentius excogitatæ non adſtricti ſunt. Verùm illas potiſſimùm plantas collegerat *Lœſelius*, quæ circa Regiomontum, & in viciniâ naſcerentur, quod præter alia movit Cl. Noſtrum Helwingum, ut Floram quaſi modô genitam excerperet, quam ſuô ære, ne diutiùs in occultô deliteſceret, vel planè exareſceret, redemit Breynius, eandemque ſuâ curâ & impendiô evulgandam curavit, pro quo publicæ ipſi gratiæ utique debentur. Dubium hæſerat Helwingio circa tres plantas à Wigando productas, ſed incognitas, quod ſolvere doctiſſimus Breynius conatus eſt, at in ſecundâ explicandâ ipſe titubat, quam tamen ad mentem & methodum Excellentiſſimi Rivini noſtri, ſummi artis magiſtri, vel Cherefolium foliis liguſtici ſimilibus, ſi ſemen leve, vel myrrhis, ſi ſtriatum eſt, (quod magis radicis validitas poſtulare videtur) licebit dicere. Opuſculo ſubnexum eſt Florilegium Boruſſicum, in quô magnâ diligentiâ id curavit Autor, ut ſtudioſis herbarum novitiis quaſi præluceat, quô locô & ſolô, quôve anni tempore, ſingulæ plantarum conquirendæ ſint. Cæterùm promiſit & Helwingius *Viridarium Pruſſiæ cum Indice Latino-Polonicô-Boruſſico* ut & *Hiſtoriam Lapidum & Foſſilium quorumdam Boruſſiæ.*

Ibidem Annô 1717. *p.* 505.

Lithographia Angerburgica. Regiomonti, literis Joh. Stelteri, 1717, 4.

INſigni Botanices amore à primâ jam ætate flagrâſſe Autorem doctiſſimum, in Actis A. 1713. Menſe Majo, p. 223. monuimus, ubi ejus Floram quaſi modô genitam commendavimus; non minorem autem ejus ad regni mineralis theſauros recludendos eſſe propenſionem, præſens tractatus abundè docet. In quô conſcribendô non quidem generationem & originem lapidum vel præcipuarum cauſarum, qualitatum, virtutumque ex principiis Philoſophiæ Naturalis eruere rationes, multò minùs explicare differentias internas, animus ei fuit, cùm id quàm ſolertiſſimè curioſiſſimi naturæ myſtæ jam pridem præſtiterint; ſed ea tantùm, quæ ſub obtutum cadunt, & ad qualemcunque Hiſtoriæ Naturalis Pruſſiæ cognitionem ſpectare videbantur, recenſere ſuſtinuit. Agit itaque in genere de Terrâ Angerburgenſi, ſimùlque de lacubus & fluminibus, eorumque ſitû; quâ occaſione, quod alii Autores de totô globô terraqueô aſſeruerunt, illud pariter de terrâ Pruſſicâ, & in ſpecie de Angerburgicâ affirmandum eſſe judicat; proſtare ſcilicèt & hic univerſalis cataclyſmi teſtimonia. Adeſt enim mirificè variantis terræ mixtura; conſpiciuntur in eôdem ferè locô ſabuloſæ, argilloſæ, tophaceæ, margaceâ materiâ interſperſæ, & mox lapillis, mox teſtaceis varii generis perſtratæ terrarum compages. Clarius hoc ad littora & ripas ſeſe offerentia ſtrata, quorum alia ità locantur ſuper alia, ut diverſitatem ſoli, gravioris quidem profundiùs, levioris verò ſuperiùs locati, animadvertere poſſis, oſtendunt. Hinc terras in ſpecie, earùmque differentias luſtrat, quas inter argillam vulgarem flaveſcentem, rubicundam, cœruleam tenuem, quæ viſciditate, pinguedine & lentore ſuô ad quævis paranda figulina vaſa apta eſt, cineream, candidam, & nigram; margam duplicis generis; terram croceam, quam Alanam ab Alanis populis dictam eſſe credit; ochram, rubricam, & terram medicinalem vitriolatam, jure meritòque ſigillandam, commemorat. Inter lapides certâ figurâ carentes præter arenas varii generis, ſtatuarii, ſeu ſculptiles, calcarii, gypſei, alabaſtrum, tophi, pumex nigricans, ammochryſi, marmora, ſilices nominantur. De lapidibus diaphanis dum ſermonem facit, Achatis, Chalcedonii, Sardi, Adamantis degeneris, Boruſſici, alias Bohemici ſeu Pſeudoadamantis vocati, Cryſtalli, quam vicinia alit, Fluorum, Granatorum, & Rubini, prope Elbingam ab amne ejecti, mentio fit, quo & Jaſpis propter pretium refertur. Ex claſſe lapidum certâ figurâ præditorum in ſcenam producit ſphæricos, plumbeam ſphæram æmulantes, ovales, hemiſphæricos depreſſos, e. g. in caſei Belgici figuram formatos, item panibus ſimilagineis æmulos, ætitas, geodes; ſub conicâ figurâ Belemnites; ſub aliis mathematicis figuris aſtroites, trochos & entrochos, lapides certas literas referentes. Inde illos allegat, qui res naturales repræſentant. Sunt enim, qui ex Regnô Vegetabili vel fructus & ſemina mentiuntur, e. g. nucem moſchatam, glandem, amygdalas, fabas, frumenti, milii, papaveris ſemina; vel plantas, fungos, folia, ligna exhibent, e. g. herbam herniariæ, lignum abiegnum & quernum; vel à radicibus dependent, quibus unis & ſolis tota ſtructura oſteocollæ adſcribenda venit. Hùc corallia foſſilia ſpectant. Dantur etiam, qui ex Regnô Animali effigies humani corporis vel membrorum referunt, aut reliquorum animalium partes exprimunt, ut cornua, linguas, dentes, nidum veſparum, ſcarabæum in nidô quaſi deliteſcentem, favos, nidulos vermium aquatilium, ovula, ſpinam dorſi piſcis, caudam cancri, aut teſtacea petrificata. Imò conſpiciuntur, qui ex Regnô Minerali metalla continent, ut lapis ferè totus metallicus, quem fluorem cum pyrite vocat Noſter, item mineræ ferri; aut ſale ſcatent, e. g. nitrô & aphronitrô; aut bituminoſi ſunt, ut ceſpites bituminoſi, ſuccinum. Coronidem operi imponunt reliqui lapides & foſſilia, & quidem artefacta, ubi inter lapides ſuperſtitioſos fulminaris & ulceroſus, denique variæ reliquiæ ſepultorum atque numi diverſi effoſſi commemorantur.

Ibidem Annô 1718. *p.* 322.

Lithographia Angerburgica, ſive lapidum & foſſilium in diſtrictû Angerburgenſi & ejus viciniâ collectorum brevis & ſuccincta conſideratio. Regiomonte, literis Jo. Stelteri, 1717. 4.

AD quod olim avaritia mortales incitavit, ut in intima terræ penetrarent, & in ſuæ quaſi matris viſcera ſævirent, ad effodienda metalla colligendoſque ſplendore caros lapillos theſauris inferendos, ad id majore laude hâc noſtrâ ætate doctorum hominum fertur honeſta induſtria, quâ non ſolùm ſollicitè campos & ſylvas pererrant, lacus piſcantur & maria; ſed montium altitudines perrûpunt, duriſſimaſque rupes cædunt & in profundiſſimos terræ ſinus demittuntur, ut quicquid illa arcani condidit rimentur, & ſagaci ſolertiâ perſ-

perſcrutentur. Germani verò noſtri uti nulla in ſcientiarum percolendarum parte reliquis gentibus inferiores ſunt, ità quaſi in hâc reliquos ſuperare velle videntur; hinc producta ſunt Tenzelii, Lachmundi, Brunneri, Geyeri, Hertodi, Schœnbergii, Beyeri, Butneri, Hermanni, Liebknechti, Wolfarti, Mylii, aliorum docta ſolertiæ monumenta, quibus in ſuæ imprimis ſinguli patriæ ſinû reconditos & conſervatos fœtus protrahunt. Ergo neque à ſuô, ſacrorum curandorum, munere id alienum eſſe duxit, ab aliis jamdum editis operibus clarus divini verbi venerandus Præco, quem hic exhibemus, qui ſui Angerburgii in Pruſſiâ lapides ſedulâ curâ collegit, & ſagaci mente expoſuit, hôc incedens ordine, ut primô locô ipſius terræ Angerburgicæ ſitum & limites, aërisque temperiem exponat, ubi imprimis de lacubus, ſtagnis & fluviis, quæ adferuntur, notanda ſunt; non enim modò per ſubterraneas cryptas dimidii milliaris inter ſe cohærent diverſi lacus & fluvii, quod immiſſi alibi piſces & alibi capti prodiderunt; ſed & notando fluxû & refluxû, ſibique fortè propriô, inſignes ſunt, quo fit, ut per annos plures integros, aquis abundent; per alios verò exareſcant, ut ſegetem ferant meſſemque concedant. Inde progreſſus fit ad terræ ſpecies varias recenſendas, ubi nihil fortè, quo præ aliis emineat, invenias; ſed propiùs hinc acceditur ad lapides, & primô locô agitur de lapidibus non figuratis, quibus ſatis refertus eſt ager Angerburgicus, qui nec marmore caret. De lapidibus diaphanis agitur IV. capite, quô etiam refertur Jaſpis & Achates variæ ſpeciei, Chalædonius lapis, Sardus & Carneolus, Nephriticus etiam, imò occidentalis Adamantis ſpecies, ſequuntur lapides alterius cujuſdam corporis formam referentes, in quibus & illi ſunt, quos literatos dicunt, ſive qui literarum notas ſibi impreſſas exhibent, quorum aliquot exhibentur propterea magis notandi, quod civium nomina exactè deſcripta contineant, quorum fortè vera origo eſt, quod vel materia lapidum in cavâ notarum duri corporis, in quô ſcripta fuerunt nomina, confluxerit & in lapidem durata abrupta iterùm ſit, vel corpus literis ante notatum lapidem induerit. Caput VI. ſiſtit lapides diverſarum rerum naturalium æmulos in claſſes & ſectiones diſtributos, & prima claſſis eſt vegetabilium, cujus generis lapides, vel fructus, ſeminave, vel plantas ipſas, fungos, folia, ligna, & radices referunt. Oſteocolla quoque inter eos recenſetur, qui lapis ex vegetabilibus coaleſcit, eâ quidem methodô, quâ marga radicum arborum fibris adhæreſcens arenas affluentes implicat, & in unum corpus utrumque induratur, ea forma quam ipſa radix obtinuit, quô ipſô Cl. Autor diſcedit à receptâ ſententiâ, quâ oſteocolla ipſiûs naturæ opus, ad inſtar plantæ illam efformantis, & producentis, eſſe creditur. Corallia foſſilia quoque iis accenſentur ex aliorum autoritate, quorum hic diverſæ ſpecies reperiuntur. Claſſis ſecunda lapidum eſt, qui rebus animatis aliquâ parte ſimiles ſunt; ſectio verò prima eorum, qui humani corporis membra exprimunt, & tabulæ VII. eorum inſcriptæ formæ ſunt, qui veros hominis vultus oſtentant. Sectio ſecunda tributa eſt lapidibus, qui ad reliquorum animalium & inſectorum hiſtoriam pertinent, ut qui cornubus ſunt ſimiles, quadrupedum ungulis, dentibus, linguis, ubi plures adferuntur gloſſopetrarum ſpecies, & illos reperiri Angerburgi narratur lapides, qui apum favos exprimunt, quique ex veris favis apum ſylveſtrium in terræ cavernis nidulantium coaluiſſe non temerè putantur. Sectio tertia agit de teſtaceis petrefactis, quorum hic quoque aliquis proventus eſt, ex aquarum fluctibus, ut nauti itarum, cochlitarum, turbinatarum, echinatarum, aliorum. Claſſis tertia eſt mineralium, & ſectio prima metallorum. Et quamvis metalli ferax non ſit Pruſſia, lapides tamen gignit, qui metalli ſcorias admixtas habent, ferri etiam largior effoditur minera. Sulphuris, ſalis & bituminis non major hic reperitur copia, nec ad lithographiam quidem illa attinere videntur, agitur tamen de illis ſectione ſecundâ hujus claſſis, & ità tranſitur ad caput ſeptimum de lapidibus & foſſilibus arte factis, quorum ſectio prima ſiſtit lapides ſuperſtitioſos, ad quos refertur fulminaris, quem in nubibus generari vana plebis eſt opinio, ſed magnô numerô illos juxta Angerburgum erui Autor reperit, & datâ opportunitate afferuntur, quæ ad hiſtoriam & uſum horum lapidum apud antiquos Pruſſiæ incolas faciunt. Urnæ ſepulchrales factæ ſunt ex lapide, atque effodiuntur non rarò in agrô Angerburgicô, hinc earum, & variæ in illis contentæ ſupellectilis, recenſus datur ſecundâ ſectione VII. capitis. Numos etiam antiquos Romanos terra recondit Pruſſica & ager Angerburgicus, vomere aliquando erutos, quos in noviſſimâ ſectione conſpiciendos præbet Cl. Autor, ſed in eorum interpretatione brevior eſt, ne magis antiquitatis peritis accuratiùs verum indagandi occaſionem præripiat, neque enim indignum erudito foret examine, quâ occaſione, & quô tempore & modô Romani antiquiſſimi numi ad barbaras gentes, ante æris cuſi uſum delati fuerint.

Ibidem Ann. 1720. *p.* 140.

Floræ Campana ſeu Pulſatilla cum ſuis ſpeciebus, methodicè conſiderata & interſperſis variis Obſervationibus oculis curioſorum expoſita, cum XII. *iconibus. Lipſiæ, literis Imman. Titii,* 1720. 4.

PLuribus jam editis, ad hiſtoriam naturæ pertinentibus, opuſculis, innotuit diligentiſſimus Autor, cujus etiam Floram quaſi modò genitam, ſive enumerationem plantarum aliquot Pruſſiæ, quarum in herbariis aut nulla, aut minùs plena facta erat mentio, nec minùs Lithographiam Angerburgicam, recenſitas dedimus. Nihil inde remiſit ab induſtriâ, quin ea colligeret aſſiduè, quibus natura Pruſſiam patriam inprimis donavit: Pulſatillæ, quam Floræ campanam ingenioſo commento dicere amat, inſigni elegantiâ, & jucundâ varietate, quâ in Pruſſiâ luxuriat, maximè captus, luculentiùs ejus imaginem pingere, & uſus, quibus hominum ſanitati conducit, plenius exponere hic conſtituit. Duabus verò ſectionibus diſſertationem diviſit, quarum altera, quam Philologico-Botanicam inſcripſit, Pulſatillæ nomen, formam, & varias ſpecies, altera vires curioſè examinat. De nomine varia in primô capite primæ ſectionis affert; veteres ignoràſſe pulſatillæ nomen, non diſſimulat, quod barbarum eſſe origine pronunciat, ab Italis inde petitum, quod ſeminum pappus leni aurâ variè pulſari videretur Botanicis, vel, quod Autori non diſplicet, quod campanæ more anni oſtia, ut ait, pulſet, & ver inſtare indicet. Synonyma porrò hujus plantæ Cl. Autor ex diverſarum gentium linguis ſollicitè collegit. Ex Græcis Dioſcorides anemones ſpeciem feciſſe creditur, quam Plinius Limoniam dixit, ex interpretum vulgò ſententiâ; at propter eandem ſimilitudinem, quam cum anemone habet pulſatilla, ranunculis ali

aliis accenſuerunt, quamvis cum neutrâ ſpecie omninò integrè conveniat. Ut ergò conſtet certiùs, ad quam plantarum claſſem referenda ſit, recentiorum inventa probat Noſter, quibus certa conſtituta ſunt vegetabilium genera, ad quæ ſuæ revocantur ſpecies per naturæ ordinem, unde celeberrimorum hominum dilaudat induſtriam, quâ feliciter nùnc uti Botanicis in digerendis plantis licet. Sicut verò in primis ſunt, qui de arte meruerunt egregiè, Ammannus è noſtris & Rivinus, ità non capimus quid ab hoc relictum ſit aliis, Moriſono, Rajo, & præcipuè Tourneforrio, quod perficerent. Id certè, quod plantas huc uſque cognitas non ſolùm in certa capita collegerunt, verùm etiam in ſua genera, ſingulorum propriis notis recenſitis, ità diſtinxerunt, ut facilis jam, ad reliquas orbi erudito adhùc incognitas plantas gradus ſtudioſè quærentibus oſtendi poſſit, acutiſſimi Rivini invento non eſt poſterius uti autor quidem cenſet; ſed, quod hic ipſe feliciſſimo conatu egit, idem & aliis, ſi, quæ clarè ab ipſô tradita ſunt, ſatis capiant, præſtare non erit arduum. Ad definitionem inde pulſatillæ Autor progreditur, & poſtquam non exiguô apparatû plurimas deſcriptiores congeſſit, & ſingulas excuſſit, tandem Tournefortianam reliquis præfert, quamvis nec illam ſatis ad palatum eſſe prodat. Eſt igitùr planta flore roſaceô, plurimis petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus meditulliô ſurgit piſtillum ſtaminibus plerumque obſitum, quod abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur ſemina, in tenue capillamentum deſinentia. Cujus definitionis ſingula momenta Autor operosè ſatis, collectis, quæ ab aliis dicta ſunt, per hoc caput II. explicat. Hinc cap. III. natale pulſatillæ ſolum perquirit, quale plerique arenoſum, in montibus & ſylvis, conſtituunt, à quibus nec Noſter videtur longè diſcedere, quando Pruſſicas pulſatillas in pinetis & ericetis ſolo clivoſo & montano germinare aſſerit. Tempus floris ver eſt, cujus nuntia eſſe dicitur cap. IV. campana Floræ, quamvis nonnullæ ejus ſpecies Julio menſe luxurient, imò etiam alia autumni decus ſit. Capite V. variæ recenſentur ſpecies, in quibus enumerandis, alios vel falſos eſſe, vel minùs perfectos, Autor monet, & omnium, juxta diligentiores deſcriptiones, veras imagines, æri inciſas, ſingulari curâ exhibet. Prima ſpecies eſt anemones ſecundæ folio, ſeu ſubrotundo, in quâ deſcribendâ Bauhinus & Johan. Rajus non omne punctum tulerunt, ad quam etiam pulſatilla polyanthos anemones folio pertinet, quam Autor ex Cl. Breynii exoticis hùc tranſtulit, & quam locô quartô depingendam curavit flore obſoleto caule nudo, quæ pariter debetur Breynio. Nova autem ſpecies eſt candido flore, anemones folio, cum quâ illa conjungenda, quæ intùs alba quidem eſt, averſâ tamen parte cœrulea, quæ inter reliquas raro eminent. Hanc excipit pulſatilla anemones folio flore laciniato, & illa quæ folio convenit, flore verò duplice eſt conſpicua, quæ quidem haud dubiè laſcivientis ſæpè naturæ proles eſt. Aliæ, quæ vel ſolo colore, vel levi petalorum forma diverſæ ſunt, peculiarem locum non poſtulant. Poſtquam ergò recenſitæ ſunt pulſatillæ ſpecies, quæ anemones foliô inſignes ſunt, ſequitur pulſatilla folio craſſiore, & majore flore, & iterùm illæ, quæ apium folio referunt, quarum autumnalis, quæ tertia in ordine, florendi tempore à reliquis diverſa eſt, cujus imago non comparet inter reliquas. Sed pulſatilla flore clauſo obſoleto, petalis reflexis ſequitur, quamque ſuppeditavit Breynii ſtudium, & huic connectitur illla; quæ florem minorem nigricantem obtinet. Quibus indigenis ſuis, & quas ipſi oculis uſurpare licuit, ſubjungit Autor exoticas quaſdam, ex C. Bauhino maximam partem repetitas. Et indè ad ſecundam operis ſectionem, quæ eſt Practica, properat, vim pulſatillæ Medicam demonſtraturus, quò appareat, plantas creatorum, & imprimis Hominis gratiâ factas eſſe. Quamvis verò quæ in medium hic de uſû Medicô profert, maximè Artis filiis debere ſe profiteatur; Autor de ſuô tamen aliquid eſſe additum non negat. Eſt verò ex numerô acrium, & niſi ritè præparetur, deleteriorum, in tempore verò, & cautè ſatis adhibita, contra peſtem alexipharmaca; pro mundandis denique vulneribus imprimis valet. Cæterùm nihil omiſit Autor eorum quæ ad illuſtrandum pulſatillam pertinent: Sed nobis plura inde adducere non licet.

HELWICHIUS (*Chriſtianus*) Phil. & Med. Doct. Academ. Curioſ. Sereniſſ. Princ. Eliſabethæ Conſiliarius & Archiater, Poliater Vratislavienſis.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 3. Ann. 3.

Obſervatio 42. *De variolarum repulſione noxiâ.*

PUerulus quatuor circiter annorum poſt nauſeam & vomitum ſitimque immodicam, cum oris ſiccitate variolis conflictabatur, hyeme jam propemodùm ad finem declinante; paucæ vix eruperant, & ex tonſoris conſiliô formoſum corpus ad avertendam deformitatem & veſtigia variolarum lardô largè inungitur, cùm per nitrum, crocum, mel &c. deſideria ſua explere rectiùs Parentes potuiſſent. Unctus ità puer aliquandiù ſatis bellè ſeſe habere viſus eſt. Exponitur frigido aëri, poſt aliquod tempus, incidit in febrim ardentem, cùm iſtâc propemodùm quatuor per ſeptimanas luctatus quando erat, & jam de vitâ periclitabatur, mœſtus unici filioli parens ad me accurrit, de filii morbô exponit, & initiô maximoperè hæſitans tandem vi ſibi factâ turbidam offert urinam, in fine colloquii de multis à me interrogatus ad explorandam morbi cauſam, fatetur, filium variolis laboraſſe, & cuti denſè illitum fuiſſe lardum. Ex narratione illâ continuò conjeci, quòd, cùm variolarum eruptio per unicornu foſſile, myrrham electam, C. C. aut lapidem Contrayervæ, Mayernii &c. promovenda fuiſſet; occluſis per lardum poris inſenſibilique tranſpiratione impeditâ earum materia retroceſſerit. Quid facerem? Obſervabantur animo meo multa, & quæ deſiderabam medicamenta morbo depellendo utilia, præſto non erant præter aquam Card. bened. Antimon. diaphoret. & C. C. ſine igne, ex his itaque jubeo fieri medicamentum, & præſcribo juxta Celeberrimos Practicos, qualis ſit ſervanda diæta. Uſus fuerat tenellus propemodùm per duos dies, & parens lætabundus ad me properat, & de morbô penitùs devictô gloriatur. Mihi juxta ſenis noſtri monitum ſubita mutatio ſuſpecta erat, & jubeo parentem Medicinæ uſum continuare. Is conſilium parùm moratus, ſanitate filii lætus, eum implet carne &c. contra mea ex Sydenhamio hauſta monita. Proximis diebus gaudium vertebatur in triſtitiam, cùm propemodùm exanimatus genitor accedit, & ultimâ proli inſtare lacrymans narrat, intumeſcere enim corpuſculum, præprimis membrum virile & genua. Ego re benè expenſâ, varia molior, verùm ſudor exprimi nullô poterat modô, adeò arctè foramina ſudatoria obſtructa erant. Prælaudati Anglici Doct.

ci Doct. conſilia ſucceſſû optatô hìc deſtituebantur. Tandem poſt alia tentata præſcribo pulverem ex conchis præparatis, Arcano duplicato, Antimon. diaphoretico, ſale abſynthii cum felici eventu, tandem enim ſequebatur largus ſudor, & tametſi vires ſubindè initiô minuerentur, optata valetudo. Ex hâc obſervatione didiciſſe viſus mihi ſum, num variolarum cauſa ſit fermentatio ſanguinis, ut Williſio, Mortono, aliiſque viſum, an verò quædam illius coagulatio? Quod itidem multis placet, exploſâ ſententiâ eorum, qui vel lac maternum vel ſemen parentum vel intemperantiam ægrotantis accuſant tanquam proximam cauſam. Num etiam ſunt in hâc medicâ hiſtoriâ, unde ratio erui queat, cur quidam homines, quibus me etiam in trigeſimô ætatis annô annumerare hactenùs poſſum, variolis non laborent? An materia illa, quæ apud hunc in variolas faceſſit, apud alium in febrem aut alium morbum degenerat? ſi enim quædam pars materiæ varioloſæ ut hic videtur contigiſſe, in febrilem abit; num etiam tota non adeò copioſa in illam abit? verùm hæc obiter.

Ibidem Annô 4. Obſervatio 31. De Menſtruô quartô die poſt mortem effuſô.

Ibidem Obſervatio 32. De Eunuchô naturâ tali.

Ibidem Obſervatio 33. De Calculô, pueri figuram ex parte referente.

Ibidem Obſervatio 34. De Gonorrhœa Catarrhali.

Ibidem Obſervatio 35. De Gangrænâ in unô pede curatâ.

Ibidem Obſervatio 36. De Nocturni ſomni ab inſolitis interruptione.

Ibidem Annô 5. & 6. Obſervatio 67. De Aſciticô brevi tempore uxoris imprudentiâ curatô.

SExagenarius vilioris ſortis, cùm venter & pedes ſibi intumuiſſent & aquæ ſonum in converſione corporis ad alterutrum latus percepiſſet, cùm anteà ſæpè fuiſſet obſtructus, id quod erat, ex hydrope ſeſe laborare perſuaſus ad me Uxorem die 2. Maij A. C. miſit, quâ me de his & aliis, intolerabili cumprimis ſiti & decoloratione corporis edoceret, ac de urinâ intenſè rubicundâ teſtaretur. Poſtquàm quæ ſervanda eſſet diæta, edixiſſem, & Euporiſta diuretica ac fixiora, quia ad ſudorem vergebat, ſudorifera cum modô utendi expoſuiſſem, pulverem, quem herba gratiola ex hydragogis vulgò ità vocatis facilè princeps ingrediebatur, præſcripſi, iterùm iterùmque inculcans, bis tantùm ſingulis ſeptimanis, cùm ceſſaturus eſſet ab uſû reliquorum, eô eſſe utendum, ac ad officinam quæ munificentiâ Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Leopoldi liberi Baronis à Tharoult Prælati Uratiſlavienſis &c. omnibus patet egenis, eam remiſi. Segnem experta opem in diureticis & ſudoriferis, præſentiorem in Catharticô ſibi datô animadvertens, omiſſô illorum uſû per triduum ſingulis diebus bis pulverem hunc adhibet, qui ἄνω ϗ κάτω potentiſſimè cum εὐφορίᾳ eduxit, ùt videas Johannem Wierum in curâ hydropis non vanum hujus herbæ fuiſſe Encomiaſten. Mulier, quæ facta, poſt dies aliquot, narrat, addens indè tumorem ventris valdè minutum & ſic ſatis rectè habere maritum & requirere adhùc ex iis, quæ ſine corroborandi viſcera in antec. memoratis jam addideram, quibuſque is ſingulis diebus uſus fuerat; cùm hæc percepiſſem, attonitus ſtupui, quî iſtud ſine animi deliquiô ſuſtinere potuiſſet, acriter temeritatem hanc caſtigavi, verbis tamen meis parùm movebatur lætabunda; quòd maritus rediiſſet ex parte ad priſtinam ſanitatem, id ſibi ſatis eſſe cenſebatur. Certè æger qui deinde ad plenam rediit ſanitatem hic ſimilis fuit, quadantenùs ruſtico hydrope Anaſarca ac tandem Aſcite laboranti ac importunè Chirurgum ad iteratas aquæ miſſiones ſollicitanti, quam hiſtoriam recitat magni vir judicii *Pechlinus* Lib. 1. Obſerv. Medic. Phyſic. Obſerv. 62. certè quam ille ab operatione chirurgicâ hic à pharmacô temerariô auſû adhibitô ſanitatem eſt conſequutus. Non vani ergò ſunt illi Practici, qui obſervant tumorem abdominis etiam ſolis purgantibus poſſe minui, nam etſi de viâ quâ evacuatur, nondum ſatis conſtet, de effectû tamen dubitari non debet. Hippocrates in Coacis quoque non fruſtrà obſervavit, diarrhœam in hydrope incipiente eſſe ſalutarem. Conferri poteſt Timæus Lib. 3. C. 25.

Ibidem Obſervatio 68. De ulcere in labio, acidum & erodentem liquorem ſtillante.

Ibidem Obſervatio 69. De Hæmorrhagiâ poſt variolarum eruptionem non lethali.

Ibidem Obſervatio 70. De Oculis, Vitulinis ſimillimis, errore Matris, in Virgine quâdam.

Ibidem Obſervatio 186. De Palpitatione ac ſyncope, poſt Catharſin immoderatam ac Venæſectionem curata.

Ibidem Obſervatio 187. De ſomnô poſt febrim diuturniori.

Ibidem Obſervatio 188. De Febri cum cordis tremore, dolore pungente, animi deliquio &c. curatâ.

Ibidem Obſervatio 189. De Venæſectione in gravidâ, abſque noxâ bis ultimis geſtationis menſibus celebratâ.

Ibidem Obſervatio 190. De Notabiliori ad ſimplicioris enematis uſum conſecutâ evacuatione.

Ibidem Obſervatio 191. De Madore poſt mortem in corpore infantis dyſenteriâ ſublati.

Ibidem Obſervatio 192. De Cachexiâ in paralyſin deſinenti.

Ibidem Obſervatio 193. De Copiâ ſeri magnâ in corpore.

Ibidem Obſervatio. 194. De Febri cum tumoribus.

Ibidem Obſervatio 195. De laudatô Williſii medicamentô in tuſſi.

Ibidem in Appendice pag. 41. Brevis Diſſertatio de Motû bilis circulari.

Ibidem Annô 7. & 8. Obſervatio 6. De ſuppreſſione urinæ in pleuriticâ cum ſudoribus ſummis conjunctâ non inſalutari.

Ibidem Obſervatio 7. De ſalivatione in Arthritide & Scorbutô.

POſtquam à Jacobô Carpô felici ægris auſpiciô & inventori lucroſô ſalivatio ad debellandam ſyphilidem adhibita eſt, tùm alibi, tùm etiam in Germaniâ frequentem in uſum vocari ac ægris præ terribili illâ inunctione, quam ab *Ulricô Huttenô* ſævitiam ejus ſatis expertô, ut potè quam undecim vicibus ſubierat, antequam fœdo liberari malô poſſet, vivis coloribus deſcriptam memini, meritò arridere cœpit. Nec tamen hìc Medicorum ſagax ſtetit induſtria, ſed & in aliis contumacioribus affectibus vires ejus explorare placuit non ſine ſucceſſu. Legas enim ulcera inveterata, elephantiaſin, cephalalgiam contumacem, maniam, vertiginem, epilepſiam, paralyſin & alia morborum monſtra hâc Herculeâ clavâ feliciter eſſe domita. Cùm verò podagra medicamentorum omnium vim tanquam

invicta dolorum domina hactenùs eluſerit, imò eam *pharmacis placare volentibus ſubindè iratior occurrerit*, ut Lucianus Tom. 2. Edit. Batav. p. 715. in Trago-podagrâ, ipſam podagram introducit loquentem; res ea ſollicitos medentium animos habuit, quæſitumque, annon tyrannidem ejus per ſalivationem frangere liceret? Auxiliares ſanè copias hinc exſpectat doctiſſ. Rolfinc. in ordine & methodo Medic. ſpecial. lib. 6. ſect. 3. cap. 1. p. 590. & feliciſſimus morborum domitor *Sylvius* in tract. 8. Append. Prax. Medic. p. m. 787. *in quibuſdam multâ pituitâ eâque viſcidâ gravatis utilem fore ſalivationem extra Paroxyſmum, ubi conſtant vires confidit.* Sylvio & Rolfinc. ſuffragatur hujus digniſſimus ſucceſſor Wedel. in lib. 2. ſect. 2. cap. 12. p. 219. de Medicamentorum facultatibus. Quantùm autem poſſit, nuperrimè vidi in Dominô Caſparô Hanckiô Pharmacopœô Uratiſlav. dexterrimô, cujus curæ unà cum viris Experientiſſimis Dn. D. Oehmb Phyſicô & Dn. D. Preis Peſtilentiariô adſtiti. Illum cùm adeò malè mulctaſſet podagra, ut, quamvis vix quadrageſimum ætatis annum exceſſerit, corpore ſatis robuſtô & quadratô præditus, per biennium ferè pedibus vehementer tumidis inniti non potuerit, de cæterô expertus, *nullius unquam tantam eſſe vim pharmaci, quod inunctum podagræ vim ſciat compeſcere*, ut eſt apud Lucian. l. c. p. 821. æquiori animô ad tolerandas ptyaliſmi moleſtias ſeſe obtulit. Vix verò Mercurii dulcis ſcrupulos quinque impendimus toti curæ, quam exorſi ſumus die 14. Junii ſt. n. & drachmam quidem cum ſcrupulô per dies tres priores exhibuimus, quintum verò, cùm videretur elangueſcere ſalivatio, ad eam extimulandam poſt aliquot dies dedimus. In ſatis magnâ quantitate ſecundô die cœpit effluere ſaliva totumque corpus ſudore perfundi, nec ſegniter urina exſtillabat. Cùm tertiô accederemus die, multùm pedes detumuerant, ac brevi ad ſtatum naturalem reducti ſunt. Intereà debitè proceſſit ſalivatio ordinariis ſtipata ſymptomatibus, niſi quòd deliquia aliqua intercurrerent & ſubſultus fibrarum muſcularium ſpaſmodicis ſimiles convulſionis ingererent domeſticis metum, qui tamen vanus fuit. Dedimus hoc precibus ægri, ùt, cùm juſtô tardiùs fatiſceret ſalivatio, eam purgatione deprimere ſatageremus. Unde quidem aliquantùm imminuta, nondùm ceſſabat tamen noſtro faceſſere moleſtias, quas cùm ægerrimè ferret, confugimus ad flores ſulphuris, quos ptyaliſmum impedire proditum eſt à Theodorô *Mayern*, tract. de Lue Venereâ in Prolegomenis, p. m. 287. in Syntagmate alterô Prax. Mayern. ſed ſpe noſtrâ excidimus, atque hinc porrò purganti vim ſalivationis enervare coacti ſumus. Enimverò finis ſalivationis tantùm abeſt ùt optatum arthriticis doloribus finem attulerit, ùt potiùs illâ ceſſante, hi ſæviores exorti, qui, quod maximoperè notandum putamus, nè durante quidem iſtâ, inducias miſero dederunt, ſed eum bis adorti quartô inquam & undecimô ſalivationis die ſũt. Ex permoleſtâ ergò illâ curâ nihil aliud lucri reportavit, quàm quòd tumor pedum ille magnus, qui aliis medicamentis fuerat obluctatus, egregiè diſſipatus ſit, impeditô tamen nihilominùs ſicut anteà, eorundem uſû. Nec alium vidimus ſalivationis effectum in ſcorbuticô, quem cùm longô tempore ardor, roſio ac lancinatio in latere ſiniſtrô cum aliis complicatis affectibus torſiſſet, fruſtrà à repetitâ etiam ſalivatione opem ſibi pollicitus eſt. An, quòd *ſcorbuti infenſiſſimus hoſtis ſit Mercurius*, ut placuit Cl. *Ettmüllero* in annotatis Practicis, ad Inſtituta Medico-Phyſiologic. p. m. 95. propterea fauſtus non potuit eſſe eventus? Sanè L. C. ſalivationem, *apud nos non æquè (ut apud Gallos) aut crebrò in uſum trahi poſſe propter metum ſcorbuti* autumat, à quô tamen diſſentit Cl. Mangetus in Notis ad prax. Barbette, p. 121. Non poſſum, quin aliquod fauſti exitûs attexam exemplum. Virgo floridæ ætatis ac tenerrimæ conſtitutionis, ex perilluſtri proſapiâ, ante quatuor annos dolore & lancinatione à cubiti flexurâ uſque ad carpum in utrâque manû & ab Iſchii ſeu Coxendicis articulô ad laterales illas prominentias, levique tumore in ſummitate femoris corripitur, hôcque malô fatigata non ſegniùs fatigavit Medicos à quorum multis cùm tot medicamentis fruſtrà fuiſſet exercita etiam conſuluerat experientiſſ. Dn. D. Tralleſium, qui cùm ipſi ſpem feciſſet malum per ſalivationem eradicari poſſe, annô poſt diſceſſum ejus elapſô, me enixè rogavit, ùt curæ huic præeſſem. Ego, qui brevi ante videram, quàm parùm felix ſucceſſus fuiſſet in ſcorbuticô, cujus mentionem antè feci, etiam atque etiam negabam, & quantus dolor ex oris exulceratione nullâ arte protelandâ ipſi ferendus, ediſſerebam, illa tantô magis inſtare. Victus ejus precibus, dubiô factô prognoſticô, me ad curam accinxi feliciorem quàm quidem ipſe ſperaveram; Præmiſſô die 14. Julii A. C. purganti, 78. granis Mercurii dulcis in plures doſes diviſis ſatis copioſam per 14. dies excitavi ſalivationem. Non ſimpliciter ergò vera ſunt, quæ Cl. *le Mort* in Chymiâ Medico-Phyſicâ, vires Mercurii dulcis enarrans, prodit ità de eô ſcribens; *ſalivationem promovet in nimiâ quantitate aſſumtus vel diutiùs continuatus.* A Turpethô minerali, quod duobus aliis memini me exhibuiſſe, inpoſterùm ſtat ſententia prorſùs abſtinere qui quanta tormina, & anxietates excitârit præſens animô attonitô ſpectavi. Die 16. & 18. Julii quater poſt uſum Mercurii dulcis dejecit. Unde veſperi pulverem anodynum dedi & ſequentibus diebus Mercurium dulcem cum electuariô diaſcordii in bolô exhibui, viditque, ut ſæpè aliàs ab anodynis nullum ſalivationi obicem poni. Ipſa ægra decoctô ex lignô ſaſſafr. liquirit. & ſemine bardanæ commotam eſſe alvum ajebat, optans, ùt cereviſiam ei ſubſtituere liceret, quòd licèt vetarem aliumque potum ex decoctô hordei & Rad. polypod. Julepô modò hôc, modò illô parùm edulcoratum ordinarem, me inſciô eſſe factum finitâ curâ confitebatur, ſine noxâ, niſi quòd, ubi cereviſiam avidiùs hauſiſſet, in lipothymiam incidiſſet ſemel. Id certum eſt, quòd decocta lignorum, quæ jam ſuperiori ſeculo ad finem properante in Sileſiâ in uſum eſſe vocata intellexi ex manuſcriptô Epiſcoporum Uratislavienſium catalogô (in quô narratur, Martinum *Gerſtmannum* Epiſcopum ex Nicolai *Tinzmanni* conſilio in *moleſtiâ podagræ & ventriculi vitio ad opem* eorum, quamvis dubiam, (ut auctor cenſet confugiſſe) non omnibus in ſalivatione proſint. Quod etiam modò, dum hæc ſcribo, experior, nam homo de Lue Venereâ affectus, poſt hauſtum decocti illicò ſeſe torminibus affligi queritur, & ſcorbuticus ille memoratus ex uſû ejus exæſtuare ſibi viſcera ajebat. Sed ùt ad nobilem illam puellam revertar, benè durante curâ appetebat, & cibos, qui dentium miniſteriô non indigent, avidè ſatis ingerebat. Citò malum illud, quô eam fuiſſe afflictam narravi, ſalivationi obediens fuit, & modò libera à doloribus ſuis rectè valet. Obſecutus conſilio Cl. Sydenham; peractâ curâ nolui moleſtus eſſe virgini pharmacô purganti, quod

quod verò ego facere tergiverſabar, natura compenſavit, excitatâ diarrhœâ, quæ per biduum duravit.

Ibidem Obſervatio 8. De Phlebotomiâ in Arthritide.

IIs, qui in excutiendis præſtantiſſimorum monumentis hujus ſeculi, vel leviter ſolùm verſati ſunt, ignotum eſſe nequit, quòd Cl. viri Sydenham & Liſterus Angli, diverſas foveant opiniones tum de aliis tùm de V. S. uſû in Arthritide. Iſte non eſt, inquit, *adhibenda phlebothomia vel ad præcavendum paroxyſmum, qui timetur, vel ad iſtum, qui jam adeſt, mitigandum, in iis nempè, qui ætate ſunt provectiores*, Tract. de podagr. in oper. p. 560. ſi in intermiſſione quantumlibet diu poſt paroxyſmum ſanguis fuerit extractus, periculum eſſe ait, nè *à ſanguinis & humorum agitatione novus ſuccreſcat paroxyſmus, qui & priori diuturnior futurus eſt & ſymptomatibus enormibus ſtipandus ſanguinis robore & vigore retuſis.* Si verò non à paroxyſmo feriatur vena, ingens periculum eſſe contendit, *nè natura dum ſanguis adhuc languidior eſt & nondùm priſtinas vires à morbô ſuccisas redintegravit, ejuſmodi vulnere importunè inflictô uſque adeò infirmetur & ſuccumbat ut hydropi aditus aperiatur.* Liſterus autem in exercit. Medicinal. ſextâ de Arthritide p. m. 95. ità ſcribit; ſanguinis detractio modica & tempeſtiva cordis onus ſublevat, vitioſi chyli plenitudinem diminuendo, hìnc articulorum inflammationi ſummoque eorum dolori & febriculæ ſuccurritur, adeòque ſi id fiat ſub initiô morbi, citiùs multò morbus ſolvitur. Deinde etiam ætate provectiores plerique podagrici æquè intemperanter ex morbi naturâ in victûs ratione ac juvenes peccant; cui rei, ſi impotentia quoque eorum ad omne exercitium adjicitur, etiam ſanguinis miſſionem magis requirunt. Imò Lyſterus cùm ad Arthriticam vocaretur; cujus ſanitatis curam habuerat Sydenham; ſanguinem, etiamſi nimis tardè, è brachiô mitti juſſit, non ſine felici ſucceſſû. Ut appareat, eos non tantùm contraria ſcripſiſſe, ſed & feciſſe. Ego cùm perpenſis rationum momentis utriuſque ſententiæ perplexus hærerem, experientiam fidiſſimam rerum Magiſtram conſulendam eſſe duxi. Ac in intermiſſione quidem Arthriticus, ſi quiſquam alius affliƈtiſſimus Dn. *Hancke* antè laudatus venam ſibi pertundi voluit, nec tamen propterea novô eſt paroxyſmô oppreſſus, ſed potiùs induciis conſuetô longioribus gaviſus eſt. Sub initium verò inſultûs podagrici Virgini 50. propemodùm annos natæ, quæ ſingulis ferè menſibus ex podagrâ decumbere ſolet, aperta eſt vena non abſque ingenti doloris levamine; eademque breviori, quàm anteà ſolebat, tempore convaluit.

Ibidem Obſervatio 9. De Notatis in Anatome Mulieris tabidæ.

Ibidem Obſervatio 132. *De Febri Petechiali.*

Ibidem Obſervatio 198. *De Convulſione rariori.*

Ibidem Obſervatio 199. *De Tabe dorſali.*

Ibidem Obſervatio 200. *De Parotide.*

Ibidem Obſervatio 201. *De Febri ſcorbuticâ.*

Ibidem Obſervatio 202. *De Curâ Vomitûs poſt partum.*

ALiquotiès vomitus poſt exantlatos partus labores in fœminis catarrhalibus affectibus obnoxiis ac cibis flatulentis ac frigidioribus adſectis curavimus. Nuper etiam Medicinam fecimus cuidam enormibus ſtatim à partû vomitibus correptæ; quæ œdematoſô pedum tumore, ut Harpalidæ ſoror apud Hippocratem lib. 7. Epidem. c. 6. cùm aliis ſymptomatibus circa quintum geſtationis menſem tentata fuerat. Cùm verò ejuſmodi vomitus & lochiorum negotium turbet ac vires jam antè attritas vehementer dejiciat ac febrim minetur; neque tamen adſtringentia aut anodyna, quicquid etiam alii dicant, hic locum habeant, paucis attingemus, quomodo nos curam inſtituerimus. Ante omnia imperavimus ſollicitam frigidæ auræ excluſionem & ſummam corporis quietem, quam ut in febribus pro eliciendis ſudoribus, ità hìc compeſcendis vomitibus miræ efficaciæ eſſe ſæpiùs experti ſumus. Internè nervino-carminativa ſelectiora ordinavimus. Peculiaris quædam vis in radice pimpinellæ emicuit, ſed major in nitroſis, ſicuti ità, quibus experiri volupe erit, teſtabuntur. Uſum Caſtorei laudant alii, ego ſæpè poſt ejus ſumptionem memini mulieres conqueſtas fuiſſe de dolore quaſi gravativô & quaſi cardialgicô. Externè adhibita fuit aqua panis cum vinô malvaticô deſtillata, cui eſſentiam croci miſcuimus. Deindè ſacculos paregoricos, quorum eximia etiam eſt utilitas in doloribus partum excipientibus etiam tùm cùm convulſiones in procinctû ſunt, applicari fecimus ex radicib. Angelic. pimpinell. Zedoar. Ariſtoloch. fol. meliſſ. Roriſmar. flor. Cheiri, chamomill. Roman. bacc. lauri, ſemine ſileris Montan. nigellæ &c. Sed caput rei eſt providè & circumſpectè promovere lochia, abeſſe juſſis ſabinâ, myrrhâ, crocô, borrace Veneta aliiſque vehementioribus quæ ſæpè febriles æſtus accendunt ac varias in corpore turbas excitant. Nitroſa certè omne hìc ferent punctum.

Ibidem Obſervatio 203. *De Paralyſi lateris dextri evaneſcentem ſurditatem excipienti.*

Ibidem Obſervatio 204. *De uſû Omenti.*

Ibidem in Appendice pag. 143. *Schediaſma de Ære.*

Ibidem Annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 118. *De Hæmorrhoidibus oris.*

Ibidem Obſervatio 119. *De Hæmorrhoidibus veſicæ.*

Ibidem Obſervatio 120. *Complectens relationes quaſdam de vulneribus ad diverſos judices factas.*

Ibidem Obſervatio 121. *De Apoſtaſi per ſeceſſionem cum atrocibus doloribus conjuncta in ſcirrhum ſanguineum degenerante.*

De eô habentur in Ephemerid. Centur. 1. *&* 2.

Obſervatio 87. *De Febri cum punctoriô laterum dolore, tuſſi ac roncho lethali.*

Ibidem Obſervatio 88. *De variis puerperæ ſymptomatibus cum febri & ventris tumore complicatis.*

Ibidem Obſervatio 89. *De Rheumatiſmô cum convulſionibus & carie oſſium conjunctô.*

Ibidem Obſervatio 142. *De Lue Gallicâ cum puſtulis extuberantibus, motû febrili ſatis intenſô, ad peripheriam corporis protruſis.*

Ibidem Obſervatio 143. *De Peſte nuperâ Roſenbergenſi.*

Ibidem Obſervatio 144. *De Diuturnâ alvi obſtructione in variolis indemni.*

Ibidem Obſervatio 145. *De Noxâ ex internô Ceruſſæ uſû.*

Ibidem Obſervatio 146. *De Fluxû ſanguinis per muliebria in gravidis.*

Quibuſ-

QUibuſdam gravidis ſanguinem per locos fluere ſolere, pervulgatæ res eſt notitiæ. Non unius verò generis eſt fluxus ille, ac prægnantium intereſt, ùt cujuſlibet indolem Medicus accuratè habeat cognitam perſpectamque. Nonnullis præſertim verò plectoricis menſes fluunt aliis uſque ad quartum quintumve menſem, aliis verò totô geſtationis tempore, ut conſtat mihi ex experientiâ & *Obſervat. Hieronym. Reuſneri p.* 55. *Thom. Bartholin. Centur.* 3. *hiſt.* 13. *p.* 32. *Hildan. Cent.* 5. *Obſ.* 41. *Columb. lib.* 12. *de format. fœt. p.* 250. Et inter has pleriſque ferè (nam ſunt etiam, quibus fluxus admodùm eſt moleſtus, ut l. c. de Hafnienſi narrat Bartholinus) abſque doloribus ac torminibus placido curſu manat rivus, ſanguinis ex genitalibus, non cum impetu exundat, nec facilè grumos vehit. Et tantùm abeſt, ùt artis præſidiis, ad inhibendum hunc ſanguinis effluxum opus ſit, ùt potiùs per adſtringentia pharmaca in abortûs periculum mulier conjiciatur. Neque enim ullô modô negari poteſt, quòd ſanguis nimiâ copiâ turgidus in uterô fœtum ſæpè obruat, illumque vaſis umbilicalibus diſruptis foràs propellat, id quod contigiſſe Illuſtri Matronæ Clariſſ. Verzaſcha *Obſervat.* 82. non immeritò ſuſpicatur. Neque etiam ullum minatur vel matri vel fœtui periculum, quod non rarò poſt conceptionem, ſtatô menſium tempore, per paucas horas emicat ſanguinis ſtillicidium, ac alterô etiam menſe ſubindè recurrit. Sed aliud judicium ferendum eſt de fluxû illô ſanguinis, qui ſeſe *ſub finem ſecundi vel etiam tertii aut quarti menſis* geſtati uteri exerit. Tametſi enim primùm à typô evacuationis menſtruæ neque quantitate neque exeundi modô abeat, imò ſub hôc ſchemate ſe duobus, nonnunquàm etiam pluribus menſibus ſiſtat, nihilominùs grave abortûs periculum portendit tùm, quando terror, iracundia, vehementiores corporis motus, putà ſaltus, longiores curruum motilationes, crebriores ſternutationes, tuſſes impetuoſæ, enormes vomituritiones aliæque externæ violentiæ præceſſerunt. Et præmatura quidem fœtûs excluſio tùnc inſtare credenda eſt, cùm fluxus ex tranquillô mutatur in vehementem præcipitamque laticis vitalis profuſionem, quæ non rarò adeò invaleſcit, ùt ægræ animô liquantur, extrema frigeant, & jamjam exſpiraturæ videantur, quod etiam certò eveniret, niſi plerumque poſt aliquot horas immaturus fœtus expelleretur. Attentam verò conſiderationem illa inſolita animi dejectio, quæ ante vehementem iſtam hæmorrhagiam ſeſe exerere ſolet, meretur, ex quâ ſolâ inſtantem abortum & graviora ſymptomata tutò prædixeris, etiamſi tibi cognitum non ſit, an mammæ ſint extenuatæ aut cujus generis lac ex his fluxerit, an latera cum ventre ſuperiori viſa fuerint arctari ? &c. Quando autem confertim erumpit ſanguis, metuſque abortûs non eſt vanus, ut rariſſimè eſſe ſolet, Medico religioni ſit, ſanguinis exundantis torrenti adſtringentia tanquam aggerem objicere ; ſed analepticis ac emulſionibus gratioribus vires conſervet, orgaſmum reprimat & eliſâ uteri ſarcinâ hujus catharſi ſedulò vacet. Id enim niſi fiat, cùm uterô denuò gerunt, eôdem, quô priùs iiſdemque menſis diebus eadem fata experiuntur, quod etiam erumpente ſanguine prægreſſa lumbi coxæque gravitate ſibi ominantur, licèt ſpaſmi uteri admodùm ſint leves. Tandem ſub finem geſtationis, aliquandò uſu venire ſolet, ùt ſanguis ex genitalibus feratur, ac maturè fluxus illius inſoleſcat. Nè hic cum periculô gravidæ Medicus erret, eum ſcire oportet, an hic ſanguinis rivus ex uterô, an verò vaginâ & uteri collô manet. Ex utrôque enim hôc locô ipſos etiam menſes ſcaturire poſſe, cum Illuſtri Domino Schröckio Præſide noſtrô, *in Schol. ad Obſervat.* 91. *Helwigii* perſuaſi ſumus, non obſtantibus experimentis & rationibus *Cl. Regneri de Graaf tract. de organis mulierum generationi inſervientibus, c.* 9. *p.* 124. Si ex vaginâ ſtillaverit ſanguis, ſalva res eſt ; nec magnâ opus feſtinatione. At longè aliter judicandum, ſi ex ipſô uteri fundô ſanguis manaverit. Tum enim certiſſimum eſt indicium ſeparationis placentæ ab uterô, quæ ubi ſemel ab hôc fuerit avulſa, nunquàm ampliùs cùm eô coaleſcit. Nec ullô modô ſperandum, fore, ùt ante editum fœtum fluxus ſanguinis cohibeatur. Ne itàquè in judicio Medicus fallatur, admovenda manus eſt & explorandum, ſit ne internum uteri orificium apertum, an verò clauſum ? ſi iſtud fuerit, nullum eſt dubium, quin ſanguis ex uterô ipſô fluat, & tùm quantociùs partus eſt promovendus, nec exſpectandum ; nè per enormem hæmorrhagiam vires fatiſcant ac mulier ſub partûs laboribus deficiat, quod fit, quoties hæmorrhagia eſt continua & magna. ſi verò per intervalla fluxus in exiguâ copiâ recurrat, nec gravidæ vires valdè dejiciat, aliqua mora prudentiæ laudem merebitur, tutòque præſtolaberis, donec natura moliatur partionem, quod in negotiatoris Itali conjuge aliiſque à me factitatum recordor. Enim verò ſi effluxus ille, ut dixi, inſolens ſit, & fœta malô victa decumbat, omninò partus eſt accelerandus. Et cùm metuis, nè non ſit ferendo ægra tum ob eam quæ præceſſit hæmorrhagiam, tum ob eam, quæ apertis vaſorum oſculis reſeratiſque viis ſequi poſſet, quàmvis rarò ſequatur, non tamen ægra erit deſerenda, ſed in tam ancipiti caſû audendum eſt aliquid, & circumſtantibus explicandum, quòd ſine partus acceleratione, neceſſariò pereundum ſit fœtui & matri, ubi tamen aliqua adhùc ſpes affulget, hanc ſervari poſſe, ſi fuerit enixa. Et profectò ſi ſuperatis partûs doloribus per aliquot horas enalepticis circulus ſanguinis conſervari poteſt, in vadô res eſt & periculum mortis ex hæmorrhagiâ uteri ceſſat. Hæc omnia nobis ex multiplici experientiâ ſunt cognita. In ultimô caſû præeuntem hìc tutò ſequi poſſis celeberr. Chirurgum Gallicum *Mauriceau dans ſes Obſervations ſur la groſſeſſe & l'accouchement des femmes*, cujus perquàm multæ obſervationes hùc ſpectant.

Ibidem Obſervatio 147. *De Paralyſi linguæ faucium & œſophagi.*

Ibidem Obſervatio 148. *De Affectû muliebri mixtô rariori.*

OBſervatur hodie adhùc oculis meis & multò crebriùs omninò uxor Mercatoris, quæ & mihi & aliis Medicis multùm negotii hactenùs dedit. Temperamenti ea eſt ſanguineo-cholerici, ſi rectè judico, unius filiæ, quæ jam matrimoniô juncta eſt, mater. Vitam diætæ regulis conformen nunquam eſt ſectata. A mariti etiam cohabitatione per multos annos abhorruit. Ante dimidium luſtrum circiter non abſque moleſtiæ ſenſû per intervalla reddere cœpit urinam ſatis *gravem pondere & mole particularum, quæ fluidi ſpatiis excluſæ poſt refrigeratum lotium illicô fundum petere ſueverunt*, ac à pleriſque indicium calculi minimè fallax eſſe creduntur. Undè & ipſa non ſemel ſe calculô laborare profeſſa eſt. Nonnunquàm etiam paſſa eſt ſibi excidere verbum unum alterumve, ſed

ſed paulò obſcuriùs de *prurigine naturalium*, donec tandem proxenetis aliis mulierculis, pleniùs iſtud myſterium mihi detegeretur. Exhibita fuerunt, quæ & æſtum ſalſuginoſi ſanguinis ſuperficiem vaginæ pererrantis & lymphæ uterinæ acrimoniam corrigere apta nata ſunt, nec omiſſa, quæ verminoſam putredinem reſpicerent, ſi fortè & illa locorum prurigini occaſionem darent. Topica etiam, ubi ab eorum uſû eam non alienam eſſe cognovi, varia abſque utilitate fuerunt propoſita. In autumnô præterlapſi anni aſthmate laborare cœpit tam graviter, ut in ſuffocationis periculum ſeſe adduci crederet. Repetebat hæc ſpirandi difficultas poſt aliquot dierum inter capedinem & tum potiſſimùm veſperi primô ſomni tempore eam invadebat, & exactô ferè duarum horarum ſpatiô ſenſim lenteſcebat. Initiô, ùt verùm fatear, hydropem pectoris metuebam, memor eorum, quæ à me adducta ſunt in *obſervat. de hydrope pectoris.* Bis noctù vocatus inveni ægrotantem maximâ cum difficultate ſpiritum ducentem. Nulla aderat tuſſis vehementior, nulla ſputa, nulla deprehendebatur etiam febris, & ipſa res affatim docebat, quòd hòc aſthma eſſet convulſivum. Omnibus, quæ ad morbi cognitionem ſpectabant, accuratè perpenſis, ſuſpicatus ſum, *in hypochondriis*, licèt in eis nec dolor, nec reniſus, nec calor præter naturam conſiſterent, ac *in utero* ſymptomatis hujus ſubeſſe cauſam licèt in præſenti non vacet pluribus explicare; quomodo harum partium affectio difficultatem in reſpirandô afferat? Cæterum nec *pectoralia*, quæ me inconſulto affatim ingeſſerat, nec (quæ aliàs in aſthmate convulſivô omnis generis in paroxyſmô cum aliquo ſucceſſu dari ſolent,) *liquor C. C. ſuccinat. ſpir. ſalis ammon. galban. ſpir. fuliginis Elix. uterin.* Wedel. ſal. vol. oleoſ. Armoniacale, *eſſentia peti in diffuſioribus vehiculis* ut & pulveres varii interdum cum maſſ. pilul. de cynogloſſ. &c. mixti ullam præſtiterunt utilitatem. Non meliùs ceſſit uſus eorum, quæ ad removendam mali cauſam tempore intermiſſionis fuêre uſurpata, in formâ *nodulorum*, decoctorum, pilularum &c. Ut jam de venæſectione repetitâ, enematibus, pediluviis, ſemicupiis nihil dicamus. Deſii autem mirari, quòd nullum ægra ex his remediis reportaverit emolumentum, ubi intellexi, ſcintillas quaſdam μανίας ἐρωτικῆς ſub his cineribus occultari. Multa enim à circumſtantibus garrulis mulierculis de ejus immenſô coëundi deſideriô & ardentiſſimô Veneris appetitû paſſim per civitatem ſpargebantur, ùt ea non potuerint non ad aures meas pervenire. Intereà feſſa remediis meis, ad Veterinariorum, obſtetricum, Barbitonſoris cujuſdam & tandem aliorum conſilia Medicorum, me non invitô, delapſa eſt. Ab his verò tantùm abeſt, ùt adjuvaretur, ùt potiùs in dies morbi vehementia augeretur; ac res in pejus rueret. Denuò poſt aliquot ſeptimanas meam & Collegæ mei Domini D. P. opem imploravit. Multò deteriorem ejus conditionem eſſe, quàm antehàc ſub noſtrâ directione fuerat, deprehendimus. Cùm de aucti mali cauſis eſſemus ſolliciti; illa quidem *raſoris temeritatem* ob pulveres camphoratos plurimos callidè & fraudulentè obtruſos; *peregrinæ obſtetricis levitatem & ſtultitiam* propter cataplaſmata in acetô decocta & abdomini applicata, ac imperitam manualem muliebrium tractationem ac *procacis alterius cujuſdam vetulæ* crebrò laxantia ingerentis veſaniam accuſare, damnare execrari. Cùm altiùs adhùc miſeræ ſortis ejus originem indagaremus; illa ſine velô quidem abſque tamen omni verborum obſcœnitate & vernilitate nobis exponebat, quantâ vehementiâ in maritalem, quam per tot annos faſtidiverat, cohabitationem ferretur. Et licèt in præſentiâ noſtrâ muliebria ſibi non fricet, nec laſciva obſcœnaque loquatur, illud tamen naturalium incendium graphicè ſed modeſtè deſcribere non verecundatur. Hiat, ut ait, vagina, quaſi patratorem nervum cupidè admiſſura & amplexura. Κλειτορὶς æſtuat, erigit, intumeſcit. Præterea gravitatem quandam & pondus circa uteri regionem percipit. Cæterùm, quod mireris, non contabeſcit, nec multa deliriorum veſtigia in eâ cernere licet. Pulſus eſt durus ac tenſus. Urinæ quoque ſtillicidia eam vexant. Alvus eſt adſtrictiſſima. Noctes agit inſomnes, ſed hæc omnia ludus & jocus ſunt præ ſpaſmis horribilibus, qui illam diu noctuque fatigant. Venter cum diaphragmate multoties intra diem modò *in altum effertur*, modò ità *concidit*, *ut in ſe coactus ſpinæ dorſi incumbere videatur*; modò verò *una ejus pars in planum projicitur, altera verò deprimitur*, modò in ſulcos abdomen cavatur. Muſculorum intercoſtalium tam vehemens eſt ſtrictura, ùt reſpirationem omnem abolitam crederes. Collum intumeſcit. Fauces præcluduntur. Facies ſtrangulatorum faciei ſimilis horridum quippiam ſpirat. Oculi turgentes, prominentes ac immobiles ferè hærent. Strepitus maximus percipitur in pectore. Brachia an jactari, an torqueri dicenda ſint, incertum. Cælius Aurelianus *acutorum morborum lib.* 3. *cap.* 18. ſpaſmum inter ſymptomata omnia ultimò ſatyriaſi laborantibus accedere credit; *omnibus*, inquit, *in ultimô conductio nervorum fit, quam Græci ſpaſmum vocaverunt, & involuntarius ſeminis jactus.* Exitus docebit, an noſtra vitam ſub tantis convulſivis motibus, qui à Feſtô Paſchatos uſque ad hunc, quô hæc ſcribo; quintum Auguſti diem durant, ſit finitura, an alii adhùc acceſſuri morbi? Hactenùs quidem inutiliter certatum eſt adverſùs convulſivos affectus & νυμφομανίαν hanc variis remediis, quæ non tantùm acredinem & caliditatem humorum corrigere, ſed & ſemen minuere aut extinguere creduntur. Illa certè ad expugnandum hoſtem prorſùs eſſe invalida arma hâc occaſione & aliàs etiam expertus ſum; niſi animo cœleſtibus pharmacis Medicina fiat.

Ibidem Obſervatio 160. *De incertâ febris continuæ, quartanam diuturniorem excipientis, per abſceſſum ſolutione.*

Ibidem Obſervatio 161. *De Impotentiâ ad Venerem à nimium bonâ corporis habitudine.*

Ibidem Obſervatio 162. *De Raucedine per venæ ſectionem curatâ.*

Ibidem Obſervatio 163. *De Febribus intermittentibus malignis.*

Ibidem Annô 3. *&* 4. *Obſervatio* 142. *De Polypis cordis, multorum ſymptomatum ad aliud morbi genus relatorum cauſis.*

Ibidem Obſervatio 143. *De Gonorrhœâ inveteratâ, ſuppreſſionis urinæ & aliorum ſymptomatum cauſâ.*

Ibidem Obſervatio 144. *De Febris Catarrhalis ſolutione paulò apud nos rariori.*

Ibidem Annô 5. *&* 6. *Obſervatio* 59. *De Impeditâ deglutitione cum aliis ſymptomatibus.*

Ibidem Obſervatio 60. *De Mictu cruentô & tuſſi violentâ ex intertrigine nimis citò ſanatâ.*

TUm humores ſeroſi ichoreſcentes, tùm fortè etiam acrior urina, ſymbolum quoque attri-

attritione per motum conferente, cutim teneræ puellæ ſex circiter annorum circa muſculos femorales interiores eroſerant. Mater non cunctata excoriatam partem aquâ Roſarum, ni fallor, abluit, linteoliſque recentibus locum affectum munit, poſterô etiam die pulvere tutiæ conſpergit. Sine difficultate tenella iterùm cutis cuticulæ tegumento veſtitur. Enim verò elapſis paucis diebus puella ſine ullâ evidenti causâ repentè ſanguinem mingere cœpit, manifeſtiſſimô indiciô, acrius ſerum, cui exitus quodammodô patuerat in parte excoriata, exilia renum vaſa, quæ fortè etiam in tenerrimâ virgine, debilem, laxam & tenuem conſtitutionem naturalem ſortita fuerant, exediſſe ac ſanguinis exitum provocâſſe, urinam quoque cùm recrementis aliis per renum tubulos tranſeuntem acrimoniâ ſuâ vaſis ſaguiferis noxam attuliſſe, haud incredibile videri poteſt. Urina mihi oſtenſa & cui liquidi ſanguinis copia adhùc admixta erat, viſa quoque, in quâ coagulatus ſanguis fundum petierat, ità ùt ſerum urinoſum cruori ſupernataret. Huic fluxui admòdùm, ſi invaleſcat, pertinaci, ut aliquoties expertus ſum, tempeſtivè occurrendum ratus, cùm ventilationem ſanguinis in puellâ tantillæ ætatis noſtrates horreant, illicò præſcriptâ diætâ, & imperatâ corporis quiete, motû violentiori potiſſimùm prohibitô, ad idonea & corrigendis humoribus ac conſolidandis vaſis apta remedia, non omiſſis diapnoicis, ad eliminanda per corporis poros acriora recrementa priſtinamque per cutim excretionem revocandam progreſſus ſum. Non fefellit ſpem meam equiſetum, multiplici uſû in hôc affectû mihi probatum, cujus decoctum jam olim pro meritô & ex verô laudavi in Hiſtor. Morbor. Uratiſl. An. 1701. pag. 284. utut hujus locô ipſa herba cum millefoliô & ocul. 69. in pulverem comminuta cum conſervâ Roſarum & ſyrupô dialth. in formâ Electuarii nauſeabundæ puellæ fuerit exhibita. Conquievit poſt octo circiter dies ab uſû ejus fluxus ſanguinis omnis. Tametſi verò nobis probè eſſemus conſcii, quòd ſanguinis mictus adſtringendo à nobis oppreſſus non eſſet, metuebamus tamen, nè qua labes in corpuſculô ex cohibitô ſeroſô effluviô remaneret, & ùt correctioni ac evacuationi acrium humorum inſiſteretur, admonuimus, ſed fruſtrà. Effluxû enim ſanguinis ſedatô, ab uſû medicamentorum puella feriabatur. Poſt breve temporis intervallum vehementi adeò cœpit affligi tuſſi, ùt exulcerationem pulmonum formidarent parentes. Ac huic quoque malo obviam ibatur per decoctum ex Radice Chinæ, ſaſſaparill. Herb. Hed. terreſtr. Hyperic. florib. virg. aureæ ac ſyr. dialth. Fernel.

Ibidem Obſerv. 61. De interceptione vaſorum & ſpaſmô fibrillari ex malè curatâ gonorrhœâ, & febri, acremoranti hæmorrhoidum fluxû.

Ibidem Obſervatio 62. De infuſô Cantharidum, egregiô in ſuppreſſione urinæ remediô.

SEnex ſeptuagenariô propior, poſt vehementiorem in vinô generoſiſſimô Hungaricô exceſſum & abuſum calidioris Elixir. ſtomachico-balſamici in doſi enormi vel certè hactenùs apud nos non uſitatâ, in plenam urinæ ſuppreſſionem inciderat, ſive per nimiam ſanguinis effervеſcentiam & ebullitionem, humores corporis ità commiſti eſſent, unde ſerum urinoſum indè ſeparari non poſſet; (Lowerus certè & Williſius malunt in plethorâ à nimiâ humorum combinatione urinæ ſuppreſſionem deducere, quàm cum Riverio ab emulgentium vaſorum magnâ diſtenſione;) ſive quòd pori vel canaliculi renum, cavitatem pelvis ſpectantes per inflammationem juſtô anguſtiores forent redditi, ſive quòd paralyſi hinc data eſſet occaſio. Calculum nullum ſenex hactenùs, ut mihi narratum, excreverat, unde calculi commoti & vias urinarias obſtruentis, abſentibus etiam cæteris calculi ſignis, nulla erat ſuſpicio. Tres Medici operoſè medicamenta interna & externa nauſeabundo & ſtomachabundo ſeni diligenter præſcripſerant, quibus nulla urinæ gutta fuerat provocata. Exegerat inter maxima tormenta & vigilias perpetuas jam ſeptem dies, & ab omnibus conclamatus æger; ubi conſanguineis placuit & meam de tam gravi ſymptomate ejuſque medelâ audire ſententiam. Invitatus, cùm nulla inflammationis indicia, quæ primis morbi diebus ad fuiſſe Collegæ referebant, unde etiam venam aperuerant, deprehenderem, quod ſequenti die multò clariùs mihi ex pulſû & reliquis circumſtantiis innoteſcebat, poſtquam diligenter ex meô conſiliô adhibuiſſet miſturam ex vino Rhenanô, ſuccô limonum & ſyrupô Dialth. Fernel. mihi aliàs in Iſchuriâ ex ingurgitatione ferventioris potûs probatum remedium. Cùm nulla, inquam, adeſſet inflammatio, ſine ulteriori morâ infuſum Cantharidum propoſui, quod etiam à Dominis Collegis benevolè approbatum, tutiſſimô illô, quem Clariſſimus Thomas Bartholinus ex communicatione alterius Medici *Centur.* 5. *Hiſtor. Anatom. Hiſtor.* 82. nobis aperuit, modô præparabatur; ſcilicèt ſcrupulus unus Cantharidum in pulverem redactus tribus unciis vini Rhenani infundebatur, ac poſtquam per 24. horas ſaltem in infuſione ſtetiſſet, per chartam bibulam filtrabatur, ut ex ſubſtantiâ Cantharidum nihil admiſceretur. Ex colatô liquore cochlear unum ſeptem aliis vini Rhenani admiſcebatur, & ſic propinabatur cum tanta & in omnium oculos incurrente utilitate, ùt lotium ſuppreſſum in largâ quantitàte ab ægrô redderetur. Ex maniſeſtiſſimô vitæ periculô ereptus, in aliud propriâ culpâ ſibi funeſtum lapſus eſt, nempè in tetram melancholiam, quæ tantoperè cerebrum ejus conturbavit, ùt ſanitatis curam imperitiſſimo Medicaſtro crederet, ſub cujus ineptiſſimâ directione poſt aliquot ſeptimanas, urinæ curſû ſemper liberô ultimam attigit metam.

Ibidem Centur. 7. & 8. Obſervatio 59. De curâ tumoris oſſium.

Ibidem Obſervatio 60. De tutiſſimâ febris, variolas confluentes excipientis, curatione per blanda evacuantia.

NOn poteſt quemquam in medendo exercitatum latere, in quantô diſcrimine verſentur variolis confluentibus detenti, quibus juſtô citiùs, hoc eſt, ante perfectam variolarum maturationem, facies detumeſcit ac ptyaliſmus ceſſat, nullô ſuccedente extremorum tumore; quod plerumque nonô aut decimô à morbi inſultû die, rariùs apud nos decimô tertiô aut adhùc tardiùs contigiſſe hôc ſeculi decimi octavi annô decimô ſeptimô, morbillorum & variolarum feraciſſimô, perfrequenter vidimus. Quocunque verò die hoc eveniat ante maturationem; febris exardeſcit vehemens, præſentiſſimum imminet ſuffocationis periculum, ſumma adeſt deglutitionis difficultas ac incredibilis inquietudo præcipuè circa noctem, ut de inexplicabili anxietate, tremoribus aliiſque horrendis ſymptomatibus nihil dicamus.

dicamus. In his anguſtiis aut nullum eſt aut nimis tardum, quod ſperare queas, ab alexipharmacis & cardiacis auxilium. Irritum planè negotium eſt, papillas ſalivales acidulatis ad ſubſiſtentem ptyaliſmum revocandum ſollicitare; imbue pannum lineum, quantùm libet, melle roſato, colato, ſæpiùs fricentur ora ductuum ſalivalium ſpirit. ſulph. & oleo vitrioli & certò crede, te oleum & operam perditurum. Memini optato cum ſucceſſu ſalivationi ſubſtitutum fuiſſe à naturâ largius urinæ profluvium, ac ſi ex micturitione divinare licèt, etiam renum cataractas reſeraturam, ut per eas veneni reliquias protrudat; libenter fatemur cum Mortono in tract. *De Febrib. inflammatoriis univerſalibus Cap. IX.* Medicum oportere illi in hôc ultimô conatû manus adjutrices admovere, ac cardiacis admiſcere diuretica, quamvis præ cineribus bufonum à Mortono laudatis alia tutiora eligenda arbitremur. At verò ſi ſtimulus ad reddendam urinam abſit, ex diureticorum indole ac experientiâ oſtendi poteſt, quàm vanô nos conſiliô ad infidum diureticorum in hôc caſû auxilium convolemus. Anchora ſpei omnis in hôc procelloſô mari eſt Mortono *Cap. XI.* Cortex Peruvianus, quin imò tantoperè hoc remedium hiſt. 25. extollit, ùt aſſerere nullus dubitet, unicum tantùm caſum a ſe obſervatum, in quô praxin hanc infauſtus dedecoravit eventus, & Cortex expectationi non reſponderit, quamvis etiam unicum hunc, quem vidit, ſiniſtrum exitum vel parco vel nimis ſero alexipharmacorum & corticis uſui malit tribuere, quàm ipſi pharmaco. At verò cùm uſu rerum nobis ſit compertum, Corticem per tres dies exhibitum eſſe & tamen febrim ſymptomatibus multis ſtipatam circa noctem ægro gravius incubuiſſe; quilibet videt præſentiori adhùc nos in tantâ calamitate egere remediô. Sydenham, quô accuratiùs nemo de variolis egit, in *Schedul. monitoria* eâ eſt in ſententiâ, quòd nihil efficacius hanc febrim retundat, quàm copioſa venæſectio, hâc enim omnium optimè *putridas partes à puſtulis in ſanguinem reſorptas confeſtim ex hoc eliminari.* Ecquis verò Medicorum in pleriſque Germaniæ partibus auſit vel verbô meminiſſe venæſectionis, quotieſcunque teneri infantes aut pueri vel puellæ hâc febri correpti languent? Ad ſolum venæſectionis nomen parentes ac adſtantes cohorreſcunt. Quid ergò tandem agendum? Idem ſagaciſſimus Medicus Sydenham vidit longè minùs ægrô periculum eſſe ab aſſumtô catharticô lenienti quàm ab alvinarum fæcum retentione, imò & feliciter hauſtum laxantem ſe propinâſſe narrat; nihilominus in catharſeos negotio illud notari vult, *ægrum non eſſe purgandum, niſi faceſſente jam morbô, v. g. die decimô tertiô aut eorum aliquô, qui eum ſequuntur, imò nec per iſtos etiam dies, niſi ſanguis fuerit imminutus*, adeòque apud Germanos in his circumſtantiis nunquàm; hiſce enim ſanguinis miſſionem vix ac ne vix incurrentibus adhùc in oculos puſtulis, necdùm plenè exſiccatis & incruſtatis unquàm perſuaſeris, adeòque ſi Sydenhamium ſequi placet, illis eô tempore nunquam alvum ſubducere licebit. Verùm enim verò docuit me hôc annô quotidiana ac frequens ejuſmodi ægrorum tractatio, quòd ſine præmiſſâ venæſectione etiam decimô die lenientia non tantùm ſine omni noxâ, ſed etiam præſenti cum utilitate, diſparente juſtô citiùs in teneris vultûs tumore, ac ſalivatione ceſſante in adultis, exhibeantur. Ac certè actum eſt de teneris, niſi vel naturæ, vel artis beneficiô purulenta materia cum ſanguineô latice permiſſa, quæ febrim, reſpirationem brevem & frequentem, corporis jectigationem & anxietates excitat, blandiſſimè evacuetur. Non diſſimulare poſſum, me ab initio timidè in infantibus & pueris rem fuiſſe aggreſſum. Initiô enematis neceſſitatem & utilitatem parentibus conatus ſum perſuadere, quod ſatis fuit arduum. Non facilè quiſquam crediderit, quantùm Uratiſlaviæ ad ſolam clyſteris mentionem in variolis trepidetur; conſenſêre tandem cordatiores, poſtquàm iis clarè ob oculos poſitum, quòd fæces in colô diutiùs torpentes acriores reddantur & inteſtinorum membranas pungendô ac vellicando miſeros reddant inquietiores. Non rarò etiam fluctuantium ſuffragium erat expugnandum blandâ ſpe ac promiſſô, fore nimirum ùt demptâ opportunè clymatum ope ſaburrâ, corpus ſublevetur, periculum ſuffocationis minuatur, æſtuſque ſanguinis temperetur. Et profectò eventus ferè ſemper pulchrè reſpondit. Ubi deinceps re ipſâ compererunt, variolas enematibus ad interiora, qui vanus illorum metus eſt, non retrahi, corpori quadantenus adferri levationem, ægritudinemque molliri; non repugnaverunt ampliùs, quominùs alvus enematibus duceretur. In corporibus planè exhauſtis hoc præſidiô minimè uſus fui, nè calumnia clyſteris improbitati fatalem imputaret eventum, quem à morbi vehementiâ brevi inductum iri conſtabat. Majori cum ſollicitudine & circumſpectione in exhibendis lenientibus verſatus ſum. Ubi oleum Amygdalarum dulcium in juſculô exhibitum non ſatisfecit, ad decoctum florum & fructuum cum ſyrupô violarum ſolutivô progreſſus ſum, ac illud ſingulis diebus propinavi. Optimâ fide affirmare poſſum hinc ſecutam ſymptomatum mitigationem, quæ, ut proſperi ſucceſſus ſolent, me audaciorem fecit, ut decocto huic aut pectorali Auguſtanorum ▽ laxativam Vienenſium etiam in doſi largiori addere minimè dubitaverim. Spero omnes, qui veritatem aſſerti hujus experiri cupient, re ipſâ deprehenſuros, mitiora omnia eſſe, quando per diem alvus fuerit laxior, triſtiora verò omnia, ubi ea denuò adſtrictâ. Hâc viâ per integrum aliquandò octiduum inceſſi, & ſingulis horis duabus aliquot cochlearia manè potionis ejuſcemodi lenientis exhibui, circa quartam verò pomeridianam ac octavam veſpertinam alexipharmaca blandiora ſine omnibus anodynis adminiſtravi, ac ut plurimùm quidem dedi pulverem bezoardicum ad paroxyſmum febrilem efficaciùs retundendum ac avertendam inquietudinem nocturnam. Hâc medendi methodô aliquos in ſummô vitæ periculô conſtitutos, fuiſſe præter omnium ſpem ſervatos certum eſt. Diem dies docebit, & fortè poſteri, nec paulò fortiora, à quibus tamen hactenùs abſtinui, formidabunt, eandemque calcabunt viam, quam in Angliâ à Medicis eruditione ac experientiâ præſtantibus jam nunc teri ex Comment. 7. doctiſſimi viri Johannis *Freind* ad Hippocrat. de *Morbis Popularibus* non ſine animi voluptate perſpexi.

Ibidem Obſervatio 61. De Motibus ſpaſticis convulſivis, difficilioris dentitionis conſectariis.

HELWIGIUS, vid. HELVIGIUS

HEMMERLIN (*Felix*)

De eô extant

De Balneis naturalibus, Excerpta. Extant Operis Veneti de Balneis pag. 290.

HEMMINUS (*Nicolaus*)

Ex eô habetur

Antidotum adverſus Peſtem. Serveſtæ, 1690. in 8.

HEMSTERHUYS (*Siboldus*)

De eô extat

Meſſis aurea, ſeu, Collectanea Anatomica, continentia trium præſtantiſſimorū Anatomicorū Opuſcula. I. Joh. Pecqueti Experimenta nova Anatomica; II. Thomæ Bartholini de Lacteis Thoracicis Hiſtoriam Anatomicam, cum ejuſdem de iiſdem Dubiis; & vaſorum Lymphaticorum Hiſtoriam novam. III. Olai Rudbeck, Ductus Hepaticos Aquoſos; Vaſa Glandularum ſeroſa; Obſervationes; Epiſtolas variorum; ejuſdem de Vaſis Lymphaticis Tabulas XIII, æri inciſas. Lugduni Batavorum, 1654. in 12. Heidelbergæ, Typis Adriani Wyngaerden, 1659. in 8.

HENAUT (*Guilielmus de*) Rothomagenſis

Ex eô habetur

Clypeus, quo tela in Pecqueti cor, à Clariſſimô virô Carolô le *Noble*, Collegâ ſuô, conjecta, infringuntur & eluduntur. Rothomagi, apud Julianum Courant, 1655. in 12.

HENCKELIUS (*Joh. Fridericus,*) Med. Doct. & Reg. Maj. Polon. & Elect. Sax. Provinc. Miner. & Urb. Phyſicus Ordin.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus, Annô 1723. *p.* 408.

Werwandſchafft der Pflantzen mit dem Mineral-Reiche &c.

h. e.

Flora ſaturnizans, ſeu affinitas vegetabilium cum mineralibus. Accedit hiſtoria de Kali geniculatô Germanorum & de noviter inventô Ultramarinô. Lipſiæ, apud J. Chr. Martini, 1722. 8.

CL. Autor affinitatem regni mineralis & vegetabilis conſiderat 1. ſecundum originem, quâ edoceat prima plantarum productio, multiplicatio & augmentatio, tùm juxta cauſas tam internas, quàm externas, Solem & Aërem; 2. ſecundùm partium internarum craſin; 3. ex virtute eſſentialiter ingreſſiva vegetabilium in metalla & mineralia; 4. ex ipſarum tranſmutabilitate in vitrum, terram, lapidem & metallum. Princeps autem ſcribendi cauſa fuit herbæ *Kali* inveſtigatio atque in hâc repertum ſal commune commixtum, tanquam minerale claſſicum. Poſtquam igitùr *Cap.* 1. de productione primarum plantarum ex teſtimoniô *Moſis* egit, *Cap.* 2. diverſos eas multiplicandi modos deſcribit, veluti per ſemen, per ſurculos, radices, gemmas, truncos & folia: ubi etiam generationes æquivocas defendens, herbas ſeu plantas produci contendit ex ſemine potentiali, hoc eſt, ex terris certâ ratione diſpoſitis, tum quod hæc primarum in creatione plantarum fuerit origo, tum quod nonnullæ herbæ neque flores neque ſemina habeant, v. gr. tubera, fungi equiſeta &c. tùm quod herbæ aſpermaticæ iis in locis proveniant, quorſum nec ſurculos nec radices perveniſſe credibile ſit; tum quod herbæ ſeminiferæ v. gr. urticæ, atriplices &c. in terrâ nudius tertius è ſpecu profundiori erutæ creſcant ibi locorum, ubi nec ſeminatum, nec plantatum fuit; tum denique quod tota arva prataque non rarò conſpiciantur, quæ floribus unius generis obſita quaſi videantur. Tandem concluditur, & multiplicationem, & primam plantarum productionem ſine ſemine ex crudæ terræ ejuſque mineralis potentiis de affinitate regnorum vegetabilis & mineralis teſtari. *C.* 3. vegetationem conſiderat juxtà faciem externam, ubi agit de attractione nutrimenti per radices, de ſitû perpendiculari plantarum & quæ his gemina ſunt. *C.* 4. vegetationis cauſas internas, quas vocat, operoſiùs exponit; quorsùm refert aquam & terram, contra *Helmontium* diſputans, qui notiſſimô experimentô probare contendit, terræ nullas deferendas partes, cùm & aqua pluvialis ipſa terram contineat. Mentionem quoque injicit eorum; quæ ad fertilitatem conciliandam adhibentur, & varia terrarum genera contemplatur in ordine ad fertilitatem. In modum quoque inquirit, quo aqua & terra plantis accreſcant, nimirùm humidum per ſuam jam appropriatam tenuitatem, ſiccum per emollitionem & colliqueſcentiam. Arbitratur autem, in phœnomenis ſpecialibus vegetationis confugiendum eſſe ad principium aliquod dirigens ſeu vitale. *Cap.* 5. enumerat cauſas cooperantes, Solem & Aërem, earumque operationes deſcribit, ubi multus eſt in refellendo quorumdam Autorum materiali Solis influxû. *Cap.* 6. præmiſsô diſcursû de compoſitorum in plantis characteribus, ſal commune in herba *Kali* reperiundum exempli loco introducit, ubi varia chymica de ſale communi annotantur. *C.* 7. inquirit, quænam mixta plantis inſint, nempe pinguedo gelatinoſa, gummoſa, reſinoſa & ſal lixivioſum ſive alcali; ubi variorum experimentorum chymicorum fit mentio. Contendit autem, hæc duo mixta ut talia in plantas è terrâ ingredi. *C.* 8. varias variorum de ſimplicibus ſeu principiis vegetabilium ſententias expendit. Defendit autem, quod ſint terra & aqua, humidum & ſiccum, & quod aqueum & terreum in vegetabilibus idem ſit ac in mineralibus. *C.* 9. De ſulphure vegetabili putatio & de partibus ſulphuris in vegetabilibus agit, quæ ſunt phlogiſton & ſal acidum, cùm verum ſulphur conſtet ex terrâ inflammabili & acidô vitriolicô; ubi denuò varia experimenta chymica deſcribuntur in ſulphure ſumta. *C.* 10. virtutem vegetabilium in mineralia & metalla ingreſſivam exemplis probat, v. gr. ceræ in corallis rubris dealbandis, aquæ communis in argentum vivum, olei lini ad limum, carbonum in mineris excoquendis &c. ubi fuſiùs diſputat, utrùm ex regnô vegetabili ad maturanda & tranſmutanda metalla quicquam deſumendum ſit. *C.* 11. præmiſsô diſcursû de vitrificationis negotiô, ſecundùm *Nerium*, *Merettum*, *Kunckelium*, oſtendit, quam opem huic ferat materia vegetabilis & quam accedat vitrum ad naturam lapidis, adeòque mineralis. *C.* 12. de reductione vegetabilium in terram crudam diſſerit, veluti incinerando & putreſcendo. *C.* 13. de petrificatione vegetabilium exempla lithoxylorum adducit, & petrificationes contingere docet per naufragia, per inundationes provinciales & per diluvium Noachicum; ubi & de luſibus naturæ in lapidibus figuratis diſputat & multa curioſa naturæ miracula deſcribit. *C.* 14. exempla commemorat metallorum in plantis repertorum, veluti auri in uvis & tritici germine,

ſtanni

ſtanni in geniſtâ, plumbi in abſinthio &c. *C.* 15. diviſionem vegetabilium ſecundum ſeptem metalla expendit, quam metaphyſicam appellat, quod omnem captum tranſcendat & cerebrina ſit.

In Appendice de *Kali* geniculatô Saxonum Cl. Autor dividit *Kali* I. in herbaceum, 1. geniculatum, a) majus, b) minus, villoſum, 2 gramineum, 3. goſſuloides, 4. ſpinoſum ſeu tragum, a) foliis longioribus, b.) brevioribus, at craſſioribus, II in fruticoſum, 1. ſiculum, lignoſum, floribus membranaceis, 2. hiſpanicum, a) foliis tamariſci, b.) camphoratæ, c) roriſmarini ſeu Menzelianum, d.) geniſtæ, e) capillaceo folio villoſo. Deſcribit deinde *Kali* geniculatum, quod ſit herba humilis, ſediformis, aphyllon, quantùm ſciat, ananthon & aſpermon, in locis ſalſis atque hoc ipſum ad ſalinas *Tendicenſium* & *Kœtſchavienſium* non procul *Merſeburgo* creſcens. Addit quædam de uſu *Kali* diuretico & emmenagogo, tum deinde conficiendis Soda & vitro. Mox experimenta chymica herbæ *Kali* exponit. Recens ſcilicet deſtillatum reddere aquam planè inſipidam; ejus libram unam exſiccatam exhibere pulveris uncias tres; pulverem uſtum difficulter incinerari; cineres *Kali* in furnô figulorum exhibuiſſe maſſæ ſalſæ ſubalbicantis $1\frac{1}{2}$ drachmas; eundem parùm efferveſcere cum aquâ forti; decoctum ex recentis unciis quatuor cum aquâ fontanâ factum ſublentâ evaporatione porrigere ſalis communis eleganter cubici, ſed adhùc impuri, unciam dimidiam & drachmas ferè duas, ex reſiduô cryſtalliſationem reſpuente per gradus deſtillato poſt phlegma exſurgere ſal volatile ſiccum; ex impurô ſale communi primùm elixivatô & ex reſiduô ſiſti ſalis communis cubici puriſſimi ſex drachmas, atque ità *Kali* hoc recens reddere quintam ferè ſalis communis partem. *Kali* ſiccatum cum aqua fontanæ libris quinque ſuperinfuſæ coctum, filtratum, ad dimidium evaporatum redolere favum, porrò braſſicam coctam cœruleam; putrefactum olere excrementa animalium, ut nihil convenientiùs; immò hôc modô valdè vermiculari. Salis *Kali* cubici, ut verè communis naturam eluceſcere ex ſpiritû ſalis inde conficiendo, non dulcificando, ex luna cornua; ſalis volatilis indolem ex eminenti efferveſcentiâ cum acidis; ſuccum à cryſtalliſatione ſalis communis reſiduum calcinatum ſaporis parùm lixivioſi, ſed conſiſtentiæ terreſtris non colliqueſcentis cum ſpiritibus acidis, vitrioli imprimis, abire in præcipitatum egregiè cœruleum, ad *ultramarinum* accedens. *Kali* recens cum aquâ communi fermentatum redolere jam braſſicam muriaticam, jam lumbricos à ſpiritu vini enecatos, jam piſces paludoſos, jam haleces fumigatas. Ex illô per deſtillationem prodire ſpiritum, qui tartari ſpiritui rectificato gratiori prorſùs ſimilis; tandem oleum empyreumatis verè animalis. Spiritum & oleum confuſum ſpirare tabaci oleum; ſal volatile verò ex *Kali* putrefactô apparere planè nullum, neque per cohobationem obtinendum. *Sodam*, ut materiam agnatam, à cineribus purgatam, efferveſcere cum acidis & cum acidô vitrioli conſtituere ſal enixum, cum aquâ forti nitrum, cum ſpiritu ſalis ſal commune, cum omnibus acidis præbere ante dictum ultramarinum. Sal ſodæ vireſcere borracis inſtar; reſiduum *ſodæ* cinereum per aquam fortem reduci in ſubſtantiam gelatinoſam, ſaporis metallici; *ſodam* denique à *ſodâ* differre.

Ibidem Anno 1726. p. 270.

Ries Riſtorie.

hoc eſt,

Pyritologia. Lipſiæ, apud Johannem Chriſtianum Martini, 1725. 8.

NOn contemnendam hiſtoriæ naturalis partem hoc Tractatû complexus eſt Cl. *Henckelius*, rei metallicæ & artis chemicæ peritiſſimus. Non compilatorem egit in argumentô minùs tritô; ſed propriâ experientiâ ac experimentis domeſticis acquiſita fideliter expoſuit, hiſtoriæ naturalis incrementum pro virili promoturus. Animum enim ad pyritem, minerale præcipuum, cum curâ deſcribendum appulit, quod Autores celebratiſſimi *Capenarius* atque *Agricola* de hoc argumentô non tradiderint niſi confuſa atque incerta, ipſum autem minerale in fodinis maxima copia ubivis locorum ſeſe offerat, uſumque in re metallicâ ampliſſimum habeat. Experimenta cum inſtitueret, non elementa Chymicorum inde elicere intendit; ſed naturæ reliquit, quænam in ſolutione offerret. Nec deſcripta ab aliis experimenta imitatus, ſed quæ ratio & tentamen fortuitum ſuggereret, ea inſtituere allaboravit. Singula experimenta aliquoties iteravit, nè minùs explorata in lucem publicam proferret. Omnem quoque adhibuit curam, nè peregrina pyriti admixta experimenti eventum dubium redderent; & ne inſtrumenta & vaſa minùs pura eidem efficerent; id quod imprimis in coloribus immutandis facillimè accidit, tum etiam in ipſâ mixtione ac fermentatione nocuum exiſtit. Neque ipſum piguit ſingulas experimentorum circumſtantias diario ſuô inſerere, & vaſis, quibus producta aſſervabantur, ſchedulas affigere, unde appareret, ad quodnam experimentum pertinerent. Sumſit experimenta in ſexaginta, immò pluribus pyritæ ſpeciebus, quas magnô labore ac ſumtû cum ipſe ex fodinis patriis collegit, tum ex peregrinis oris ad ſe deferri curavit. Poſtquàm inſtitutum ſuum expoſuit, de diverſis nominibus diſſerit, quibus pyrites apellatur. Pyritæ nomen antiquiſſimum à Græcis ad nos veniſſe & Germanicè reddendum per vocem *Kieſſ*: multa enim ratione *Agricolam* inter *pyriten* & *chiſum* diſtinguere. Ab Arabibus hoc minerale appellari *marcaſitam*, à nonnullis Chymiæ ſecretioris cultoribus *magneſiam*, ab aliis *igniarium*, *lapidem luminis*, *ſideritem*, *pyropum*, *pyrobolum*, *pyrimachum*, *othonnam*, *corallum* &c. Germanicè *Buchſerſtein*, *Marſſtein*, *quaſi lapidem Martis*, *Atrament-Stein*. Oſtendit autem quanta in denominando hoc minerali confuſio ſit apud Autores, & quàm ambiguæ ſint interpretationis nomina adducta penes diverſos; ubi multam lectionem probat. Non minor confuſio quoad rem ipſam occurrit; id quod prolixè adſtruit Noſter. Certiora igitùr traditurus, obſervat, primariam pyritæ materiam eſſe terram martialem, eique vel ſulphur, vel arſenicum, vel ſubinde utrumque admixtum. Nonnunquam etiam admiſceri cuprum; argenti verò atque auri nonniſi contemnendam portionem adeſſe. Unde notat, *pyriten aurei coloris* nomen hoc tantummodò promeruiſſe à colore externô, cùm aurô quaſi tinctus appareat. Idem ipſius judicium eſt de *pyrite coloris argentei.* Nec probat, pyritas diſtingui à ſulphure & vitriolô, cùm ipſius judiciô ex omni pyrite elici poſſit vitriolum, ex quô ſulphur extrahitur, & contra. Majori ratione diſcrimen peti à ſulphure & arſenicô, cùm non proinde noſtri arbitrii ſit, num arſenicum, an ſulphur extrahi debeat,

debeat, quemadmodum ex omni pyrite, qui vitriolum dat, ſulphur elici poteſt. Etſi enim ſæpiſſimè arſenicum ſulphuri ſit admixtum, neque tamen ex ſulphure arſenicum vel ex arſenicô ſulphur paratur. Diſtinguuntur quoque pyritæ à figurâ externâ, e. g. in rotundos & anguloſos. Sunt autem cum rotundorum, tum anguloſorum variæ ſpecies. Inter rotundos occurrunt ſphæricus, hemiſphæricus, ovalis, botrytes, criſtatus; inter anguloſos tetraëdros, ſexaëdros, octaëdros &c. Tandem ratione coloris Noſter eos dividit in albos, ſubflavos & flavos. Album eſſe pyriten arſenicalem; ſubflavum, in quô Mars cum ſulphure prædominatur; flavum denique, in quô Venus ſulphuri ſociatur. Diſcrimen à colore petitum in hiſtoriâ naturali potiſſimum eſſe attendendum cenſet. Pyriten ſubflavum in omni lapidum genere reperiri; nec non in argillâ ac in terrâ quavis metallicâ, obſervat; flavum verò & album alicubi non occurrere, ubi ſedem ſuam figit ſubflavus. Non omnem à primâ creatione originem ſuam deducere, ſed eum hodienùm generari arbitratur, atque poſterius multiplici experientia confirmat. Nam ſtalactiten hodienum generari, nemo rerum naturalium curioſus ignorat; deprehendit autem Noſter etiam iis in locis, ubi ſtalactitæ recentior ætas minimè dubia, pyriten ejus ſuperficiei adhærentem, immò particulas metallicas intûs aggregatas. Probè monet, non partes pyritæ majores ab aquis aliundè advectas cum ſtalactite coaluiſſe, ſed particulas valdè exiles inſtar vaporis tenuis ſuperficiei ſucceſſivè adhæſiſſe; quod ipſa autopſia maniſeſtò prodit. Mittimus argumenta alia, quæ apud ipſum authorem legi merentur. Silentio tamen prætereundum non eſt experimentum Autoris, quo lapidis cryſtallini productionem illuſtrat. Vitrum rotundum majus urinâ recenti pueri dimidiâ parte repletum, veſica obducto colli longioris orificio, in locô temperatè calidô, veluti in hypocauſtô, per tres quatuorvè annos immotum conſervetur, ut vapores ſubtiles aſcendentes & in ſuperficie cavâ ſuperiori collecti rurſus defluant. Videbis enim non ſine jucunditate, tandem margini vitri accreſcere lapillos candidos, avenæ grana æmulantes, qui vitro adeò firmiter adhærent, ut ab urinâ effundendâ loco minimè dimoveantur. Figuram habent priſmaticam, nihil ſaporis ſalſi produnt, nec in aquâ fervente ſolvuntur. Veteres ignorârunt, Martem dominari in pyrite, qui nonniſi Venerem in eôdem agnovêre; etſi in plurimis pyritis rariſſimam. *Liſterum* primum fuiſſe fatetur Autor, qui in tractatû de fontibus medicatis Angliæ aſſeruerit, pyriten purum putum ferri metallum eſſe, quamvis id univerſaliter ſtatuiſſe non videatur. Cel. *Bergerum* in Commentariô de thermis Carolinis idem agnoviſſe. Etſi autem Noſter multùm tribuerit virorum doctiſſimorum autoritati, haudquaquam tamen diffitetur, quod aſſerti univerſalitatem ægrè admiſerit, cùm hoc minerale jam diù multùmque tractâſſet. Nunc verò multis argumentis eandem adſtruit, quæ inter primo loco comparet attentio materiæ pyritæ à magnete, ubi à ſulphure fuerit purificata. Probat ulteriùs, pyriten Marte non deſtitui, etſi Venus non exiguam ſibi partem vendicet, cùm è contrariô Veneris ſæpiſſimè nullum veſtigium appareat. Rationes quoque reddit, cur Venus cum Marte in pyrite copuletur. Præter Martem & Venerem, tanquam partes fixas pyritæ, oſtendit etiam adeſſe terram crudam minimè metallicam, quæ particulis Martis, Veneris, ſulphuris atque arſenici intimè permixta, ut nullo microſcopio diſtingui poſſint: ſed qualis eadem ſit, hactenus ipſi detegere non licuit. Sulphur in pyrite flavô & ſubflavô facilè detexit; aſt in albo iteratis experimentis vix ullum ejus veſtigium reperire licuit. In pyrite venereô, quamvis maximè arſenicali, magna copia idem obvium, maxima verò in martiali. Notatû admodùm dignum cenſet; quod in ſulphure crudo terra martialis contineatur; quod inde probat, quia ſcoriæ ſulphuris in teſtâ concrematæ relinquunt terram cinericiā, quam magnes trahit, in regulum martialem mutabilem. Arſenicum non eadem conſtanter forma apparere monet, ut adeò difficile ſit idem detegere. Ne igitùr labor fruſtretur, diverſas ejus formas deſcribit. Reperitur autem potiſſimùm in pyrite albo. Cùm nimis exigua argenti & auri portio in pyrite contineatur, pauca quoque de eâ re verba facit, atque inter ea refert aurum & argentum, quæ accidentaliter pyritæ admiſcentur. Vitriolum in pyrite non contineri cenſet, tanquam partem conſtitutivam, ſed ex eôdem produci, nempè coadunitis particulis aliis per pyriten diſperſis, acidi nempe, ſulphuris & terræ metallicæ. Multus eſt in deſcribendô modô vitriolum ex pyrite producendi. Quoniam verò Noſter falsè ridet eos, qui omnia mixta in ſal, ſulphur atque Mercurium reſolvere nituntur, cùm in reſolutione compoſitorum, nedùm decompoſitorum non per ſaltum progrediendum ſit ad prima quædam principia tanquam elementa; ideò hic quoque eadem obſervans, pyriten tanquam decompoſitum tantum reſolvit in ſuas partes conſtitutivas, quæ in compoſitorum numerô habentur, in ferrum, cuprum, ſulphur atque arſenicum, neque curæ ipſi eſt ulterior ferri, cupri, ſulphuris atque arſenici analyſis, etſi ultrò largiatur, naturam decompoſita non demùm ex compoſitis formare, verùm in ipsâ compoſitione mixta producere. Varia inſtituit experimenta de reductione metallorum ad æs minerale. Ipſius judiciô æs minerale conſiſtit ex terrâ metallicâ, ſulphure & arſenicô, ità ut ſulphur & arſenicum vel ſimùl inſint, vel alterutrum tantùm inſit, atque nonnunquam ex terrâ crudâ non metallicâ. Geneſin pyritis atque mineralium ceterorum deducit à vaporibus mineralibus, quorum adeò pariter geneſin explicare ſtudet. Uſum denique pyritis declarat in parando ſulphure, vitriolo, arſenico & fundendo metallo, atque appendicis loco varia notatû digna adjicit à præſenti argumentô non prorſùs aliena, veluti *Roſini* relationem hiſtoricam de terrâ Martis Haſſiacâ, *Meuderi* experimenta de gravitate ſpecificâ pyritis aliorumque mineralium & variorum fluidorum cùm naturalium, tùm artificialium, & obſervationes quaſdam miſcellaneas curioſas ad regnum minerale ſpectantes. Quamvis verò tantùm de pyrite agat Cl. *Henckelius*, univerſam tamen metallurgiam plurimùm illuſtrat, de regnô minerali præclarè meritus.

HENCKELIUS (*Elias Henricus*) Medic. Ordin. Civit. Aſfeldenſis.

De eô habentur in Actis Lipſienſibus Ann. 1690. *p.* 197.

Ordo & Methodus cognoſcendi & curandi energumenos ſeu à ſtygiô cacodæmone obſeſſos. Francofurti & Lipſiæ, ſumptibus Nicolai Forſteri, 1689. *in* 8.

MAgnam eſſe diaboli vim, quâ homines quatenùs licet affligere, eorumq; animos ad vitia impellere,

impellere, corpora cruciatibus morbiſque divexare conatur, nemo inficias ibit. Multos tamen morbos naturæ vitio aut ex aliâ non ſupernaturali cauſâ contractos, dæmonis artibus adſcribi, & corporis infirmitate laborantes pro obſeſſis aut dæmoniacis falsò haberi, notavit, & cavendi iſtum errorem rationes oſtendit *Danhaverus* in librô inſigni Germanicô, quem Colonienſi preſbytero oppoſuit A. 1654. Dæmoniacos ſeu energumenos cognoſcendi, iiſque medendi modos in hoc tractatû hiſtoricô-medicô tradidit Autor, & ne maniacos pro energumenis habeamus, in principiô ejus monuit, ac *Cap.* 2. de maniâ ſive deliriô ejuſque cauſis, vitio corporis ortis ab accenſione ſpirituum naturalium, in cerebri ſubſtantiâ & ventriculis ſtabulantium, diſſeruit, ejuſque intemperiei in cerebrô externas & internas cauſas ſcrutatus eſt. *Cap.* 4. dæmoniacorum ſeu obſeſſorum ſigna recenſuit, quæque circa eos plerumque evenire ſoleant, ex Medicorum & hiſtoricorum obſervationibus tradidit: eâque occaſione expoſuit, quâ ratione diabolus corpus humanum ingrediatur *p.* 60. & ex quibus ſignis id fieri cognoſcatur *p.* 112. ſimùl varia de ſomniis *p.* 68. de ſpectris *p.* 83. de voluntate hominum à diabolô cognitâ *p.* 115. de ignotis linguis, quas dæmoniaci proferre ſoleant *p.* 119. de oraculis *p.* 139. de Lychantropiâ *p.* 151. de inediâ obſeſſorum *p.* 162. diſſeruit, & quare dæmoniaci plerumque epilepſiâ affligantur, *p.* 176. diſquiſivit. *Cap.* 6. curationem obſeſſorum in magicam, naturalem & divinam diſpeſcens, primam quæ oraculorum ope, aut incubatione in fanis Deorum, aut fumigatione, aut exorciſmis peragitur, improbavit; ſecundam *Cap.* 7. expoſuit, deque venæ ſectione, trepanô, ac medicamentis vomitoriis, digerentibus, purgantibus, diureticis, alterantibus, roborantibus & ſpecificis, diætâ item & balneis diſſeruit, tertiam, oratione & jejuniô quæ conciliatur, *Cap.* 8. propoſuit exorciſmorum, peregrinationum votivarum, & ſacræ Euchariſtiæ à Pontificiis ad expellendos dæmonas adhibitæ mentionem faciens.

Ibidem, *pag.* 608.

De Philtris, eorumque efficaciâ ac remediis. Francofurti impenſis Nicolai Förſteri, 1690. *in* 8.

QUemadmodum Autor jamjam *Methodum cognoſcendi & curandi energumenos ſive à ſtygiô cacodæmone obſeſſos* nobis hôc annô p. 192. recenſendam dedit: ità hic è veneficiis ſeu morbis ab hominibus diabolo mancipatis per incantationem illatis, quos omninò dari magnâ autorum catervâ ſtipatus adversùs negantes aſſeverat, Philtra nunc pariter luſtranda exhibet. Denominatione horum expoſita, omnium primò inventionem Perſis atque Chaldæis, veluti primis Magiæ cultoribus, ad quam infamem Philtra ſpectent, adjudicat, idque eò probabiliùs, quòd Græci amatoria maleficia à Babyloniis didiciſſe in Pharmaceutria Theocriti ferantur. Hinc ut de naturâ & efficaciâ Philtrorum, furorem magis, quàm amorem concitantium, conſtet, tùm materiam eorum, modumque conficiendi, tùm pathemata varia loco ſignorum, quæ de aſſumtô teſtentur Philtrô, commemorat, v. g. totiùs corporis horrorem, diſpnœam, ſyncopen, ophthalgiam, cum omnium membrorum laſſitudine, inſignes ventriculi & inteſtinorum lancinationes, cum immoderatâ vitioſorum humorum, imò ſæpiùs rerum abſurdarum rejectione conjunctas, contabeſcentiam, melancholiam & maniam, cruſtam denique denſiſſimam, quâ non nemini à philtrô corpus undique obtectum perhibetur, ut ſex integris hebdomadis perdius pernoxque ſtare habuerit neceſſe. Quibus ſymptomatis naturaliter commovendis licèt multa philtra prorsùs inefficacia videantur, ſaltem ut ſymbolum è dæmonis conſtitutô valentia, nihilominùs ubi affligunt, potiorem partem ex depravatâ humorum diatheſi, à vaporibus imprimis nonnullorum philtrorum vel corrumpendo, vel fermentando operantium, inducta mox deducuntur, atque naturalis philtrorum virtus certi individui amorem conciliandi prolixè impugnatur, Helmontiique & aliorum eandem aſſerentium rationes expunguntur. Alia inter, quæ interſperſa habentur, & modus p. 43. occurrit, quo Judæi in incendiis reſtinguendis uti ſoleant, è manuſcriptô Judæi cujuſdam libellô ab Autore exſcriptus. Tandem peſſimorum ab amatoriô poculô excitatorum affectuum prognoſi & medendi methodô, emeticis, diaphoreticis & ſpecificis remediis perficiendæ, duæ ſubjiciuntur quæſtiones, quarum prior; *an in veneficiô illatô, ubi incaſſum omnia adhibita, ab ipsô maleficii Autore ſanitas petenda veniat.* Quod prorsùs negatur, niſi abſque ullô novô maleficiô, mediis naturalibus iiſque ſine ſuperſtitione uſurpatis, morbum ab eôdem propelli poſſe certum ſit, cùm nonnullæ mancipiorum quoque diaboli curationes in cauſis naturalibus videantur fundatæ. Altera quæſtio eſt: *an philtra à maleficis ligata, inſuta aut ſuppoſita, ſpe conſequendæ ſanitatis ab homine chriſtiano illæsâ conſcientiâ deſtrui poſſint?* Quod affirmatur, quia deſtructô maleficiô ægrotis illatô dæmon liberè à nocendo ceſſabit.

HENERUS (*Johannes*)

De eô extat

De triſtiſſimô Peſtilentiæ malô. Pariſiis, apud Cathar. Barbe, 1551. in 12.

HENERUS (*Renatus*) Lindoenſis Medicus Clarus. Vixit circa A. C. 1555. Juſtus in Chronol. Medic.

Ex eô habetur

Apologia, adversùs Jacobi Sylvii Depulſionum Anatomicarum calumnias, pro Andreâ Veſaliô. In quâ præcipuè totius penè negotii Anatomici Controverſiæ breviter explicantur. Venetiis, apud Jacobum Penyum, 1555. in 8.

HENISCHIUS (*Georgius*) Bartphanus.

De eô extant

Enchiridion Medicinæ, Medicamentorum tam ſimplicium quàm compoſitorum, in certos titulos diſtinctam ſylvam continens, quorum in Pharmacopoliis & Medicinis præcipuus uſus eſt. Baſileæ, apud Petrum Pernam, 1573. in 8.

Ætiologica, Semeiotica & Therapeutica Morborum Acutorum & Diuturnorum Aretæi Cappadocis, Græcè & Latinè conjunctim edita, tribus Mſſ. codicibus Veneto, Bavarico, Auguſtano collocatis. Cum commentariô quo obſcura doctrina de nominibus & parte affecta morborum ſingulorum cum ſuis ſignis perſpicuâ methodô illuſtratur. Auguſtæ Vindel. apud Georg. Willerum, 1603. in fol.

HENNICKIUS (*Gottofredus*) D. Illuſtr. Comit. Erpacenſium Archiater & Phyſicus Provincialis.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1689. p. 352.

De Panaceis Tractatio Medico-Chymica. Francof. ad Mœn. ſumtibus Chriſtiani Genſchii, 1689. in 8.

MEdici gratioſi omninò intereſt, ùt ſanitati aut conſervandæ, aut reſtaurandæ unicè incumbens, ſine ſuo citò, tutò & jucundè potiatur. Hoc per panaceas in effectum deducere alii vanè gloriantur, alii feliciter expediunt. Illi qui nubem pro Junone ampleċti aſſolent, unicô remediô inevitabilem mortalitatis neceſſitatem eludere ùtplurimùm ſatagunt, ùt ſterili ſpe lactatos pecuniâ emungant. Hi verò quibuſdam, at ſelectioribus remediis, circumſtantiarum diverſitati accommodatis, firmos morborum inſultibus arietes, quantùm poſſunt, objiciunt. Simili his gaudet inſtitutô clariſſimus Auctor, qui brevi hoc tractatulô panaceas ejuſmodi recludit, & ex thecis tribus, quæ circa illas animadvertenda ſint, depromit, quarum prima quinque, ſecunda tres, tertia unam continet capſulas, literis alphabeti diſtinctas. Quippe iiſdem medicamenta indigitat, non quæ actû omnem aboleant exſtinguantque morbum, homines ex orci faucibus eripiant, & ad ſeros annos perducant, ſed quæ ſummè activa vel ſimplicia, vel manû ortho-chymici elaborata, blandè, citò, parvâque doſi vires ſuas exerant. Quoniam verò à ſalivâ, humore ventriculi, ſuccô pancreaticô, bile &c. quæ in ventriculum aſſumta medicamenta per venas demùm lacteas, adeòque vias longiores, ad receptaculum chyli, & exinde ad M. S. feruntur, inſignem mutationem experiri neceſſe ſit, ea aliis præſtare ait, quæ ſpirituoſa ſint, & immediatè magis M. S. ſubeant. Ejuſmodi verò remedia à Chymicis promittit ingenuis, qui eadem per ignem, non vulgarem, utpotè ſale ſuo aëreô plurimis impuritatibus fœtô concreta notabiliter adulteratum, ſed per congrua inſtrumenta temperatum, recluſa intima & ſpecifica mixtorum connexione, evolvunt, ſubtiliſant, perficiunt. Atrô proin calculô notantur purgationes violentiores & venæſectiones annuatim aliquoties repetitæ; quod per illas malè cauſæ morbificæ, quam non attingant, remotio ex quantitate excrementorum, quæ ſemper multùm ſpirituoſi foveant, æſtimetur; per has verò tantùm abſit, ut ſemina morboſa cum ſanguine educantur, ut potiùs illa ſeſe poſteà validiùs exerant, & hinc febrium intermittentium duplicaturæ &c. ſuperveniant. Quippe cauſam morborum in ideâ morbi reſidere putat, quam e. g. in morbis hæreditariis cum ſemine delatam ad fœtum Formator ob teneritudinem facile recipiat, ut ſecundùm illius ceù potentioris indolem tota dein temperies determinetur. Quoniam autem in minimô illa conſiſtat, etiam doſi minimâ opponendas eſſe panaceas. Archeum enim noſtrum in regularitate ſuâ balſamico-ſalinâ, vigoris noſtri cuſtodem eſſe & conſervatorem, in ſtatû autem p. n. à degeneribus, ac per varios in ſextuplici digeſtione Helmontiana commiſſos errores genitis cruditatibus, tanquam totidem morboſis ideis in ataxias conjici exorbitantes. Et hæc theca prima conduntur. Secunda ipſas exhibet panaceas. Ducem hic veneratur celeberrimum *Ludovici*, quem limatiſſimæ Chymiæ, & ſaluberrimorum remediorum promum condum Medici unanimi applauſû mirantur. Eas verò vel naturales appellat, vel artificiales. Illarum in numerô recenſet radicem Ninſi, ſpiritum mundi, ſeu ſal univerſale Hermeticum ſeu aëreum, theam, baccar. Junip. & ſambuc. infuſum ſimili inſtituto ſorbillandum, Caffé &c. item opium. Ex his verò alias univerſales nuncupat, particulares alias, nempè vel in omni morborum genere, vel aliquibus tantùm celebratas. Q. E. hùc nullô liquore præcipitabiles, item Poterianas, ſalia volatilia aromatica, aliaque remedia celebrium Medicorum refert. Ex minerali regnô aliis palmam præripere contendit ex mercuriô & antimoniô paratas, & à variis Chymicorum coryphæis commendata medicamenta; effectus verò, qui à Sole deſiderantur, aut fruſtraneos eſſe, aut ab additamentis pendere. Ex regnô animali panaceas quaſdam vix innoteſcere, niſi quod melli inſignes *Langius*, lapidibus cancrorum omnes à margaritis & lapide bezoar ſpecificè vix differentes tribuant virtutes. Verùm enimverò quamvis ideas has ſuas lucis primigeniæ ſcintillas, eodem recidere aſſerat, quod alii per ſingularem corporum craſin, ſeu modificationem, proportionem, texturam particularum ſpecificam, & motum diſpoſitivum explicant; abs eorum tamen ſententiâ recedere videtur, quod theca ultima morborum cauſam immediatam non in humoribus, ſed in archeô conſtituat. Quod tandem panacearum operandi modum attinet, cum *Helmontiô* & *Thomſonô* conſpirat, eas ſpiritus vitales vel debiliores multiplicare, vel vitioſis ideis inquinatos iiſdem liberare, vel anomalos corrigere, acres edulcorare, parteſque à vitali conſortiô ſegregatas, per convenientes vias, ſine digeſtionum naturalium læſione evacuare. Pro hiſce ſcopis obtinendis panaceas vegetabiles ſpiritus magis confortare, animales novas ideas imprimere, minerales cauſas occaſionales removere, & humorum maſſam commovere affirmat.

HENNINGERUS (*Joh. Sigiſmundus*)

De eô extat in Ephem. Nat. Curioſ. Cent. 3. & 4. in Appendice.

Joh. Sigiſmundi Henningeri, Med. Doct. & Profeſſ. Publ. Ordinar. Argentor. nec non Capituli Thom. Canon. De Vaſis Lacteis, & modus novus inveniendi Ductum Thoracicum in corpore humano.

Edidit præterea Pauli Hermanni Cynoſuram Materiæ Medicæ &c. Argentorati, 1710. in 4.

Quadrigam Scriptorum Diæteticorum Celebriorum. I. Ars Sanctorii Sanctorii de Statica Medicina. II. Franc. Baconis de Verulamio Hiſtoria vitæ & mortis. III. De tuenda bona valetudine Libellus Eobani Heſſi & Cœna Baptiſtæ Fieræ Mantuani. IV. Medicina Salernitana. Argentorati, ſumptibus Theod. Lerſe, 1713. 8.

HENRICUS (*Erneſtus*)

De eô extant

Epiſtolæ quædam Medicæ. Reperiuntur cum Ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simon. Halbmayerum 1625. in 4.

HENRICUS (*Martinus*) Sangallenſis.

Ex eô habetur

Pulcherrimarum Quæſtionum Medicarum Tomus primus. Acceſſit de Diabete Conſilium. Papiæ, apud Bartolum & Sonanum, 1567. in 4.

HENRIQUES (*Georgius*) Luſitanus.

De eô extat

De Cibô & Potû. Matriti, ex officinâ regiâ, 1615. in 8.

HENRIQUEZ

HENRIQUEZ (*Franciſcus*)

De eô habentur

Opera Medica. Lugduni, 1670. in fol.

HENZIUS (*Nicolaus*) Bernas.

De eô extat

Oratio ſoſpitalis: In quâ Quæſtio; utrùm Peſtis tempore, mortem oppetere, vel, vitâ diuturniore frui, utiliùs fuiſſet, tractatur; quomodò vita ab iis, qui vel reſtituti, vel ab eâ conſervati ſunt, inſtituenda ſit, indicatur; Memoriaque Clariſſimorum Luminarium, quibus præcedenti annô Eccleſia & Reſpubl. Bernenſis per mortem privata eſt, celebratur; quid etiam de hôc morbi genere judicandum ſit, ἐκ περιδεξιμῆς oſtenditur. Bernæ, apud Joh. le Preux, 1612. in 8.

HERACLIDES, Medicus Erythræus, ab Erythris haud procul Epheſo Aſiæ Civitate; Apollonii, qui Mys cognominatus eſt, in ſcholâ ſocius, cujus meminit Galenus, Lib. IV. de Different. pulſ. cap. 10. ubi eum omnium Chryſermi diſcipulorum clariſſimum vocat, ac lib. ejus 7. de ſectâ Herophili, cui erat addictus, citat. Addit idem Galenus Tom. 9. Commentario 1. in Lib. 6. Epidem. Hippocr. interpretatum eſſe hos ipſos Hippocr. libros; Aphoriſmos item; imò omnia Hippocr. Opera Commentariis illuſtrâſſe, Comment. 1. in lib. Hippocr. de officinâ Medici. Strabo, lib. 14. ſuâ ætate floruiſſe eum ſignificat.

HERACLIDES, Ponticus, Ariſtotelis diſcipulus ſcripſerat de Morborum cauſis ut & de morbô in quô ſupprimitur reſpiratio.

HERACLIDES Tarentinus Empiricus. Vixit annô circiter ante Chriſtum natum 184. Eraſiſtratô & Philinô poſterior. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extat

Ad ſupercreſcentes in aurium ulceribus carnes, Fragmentum. Extat apud Aëtium Amidenum, tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 84.

HERACLITUS, Epheſius, vixit circa Olympiadem LXIX. Pythagoræ ferè tempore, Philoſophiam exercebat admodum ſingularem, Medicumque ſimulabat. Narrat hiſtoria hunc Philoſophum, alterum quaſi Timonem, cùm in locum ſolus ſeceſſiſſet, ad hominum conſortium vitandum, (undè illum continuô flere ſolitum dixêre) ibi aquâ oleribuſque tantùm victitando in Hydropem tandem incidiſſe; ad locos itaque cultiores ſeſe commodiùs curandi cauſâ acceſſiſſe, nec tamen Medicos conſuluiſſe; at è contra ipſe curam ſui, coram illis, ſuſcipiendo, pudorem iis incutere ambiiſſe. A Medicis igitur aliquando verbis, ùt ſolebat, obſcuris quæſivit, *nùm in imbrem ariditatem mutare poſſent?* quod cùm non intellexiſſent, eos dimiſit, ſtabulumque intrans fimô ſe condidit, eô modô putans redundantem viſcerum humiditatem conſumi poſſe; quod eſſe *imbrem in ſiccitatem mutare*, aiebat: verùm id infeliciter actum, paullò etenim pòſt obiit. Ariſtoteles dicit, hanc quam cum Medicis agitabat quæſtionem Heraclitus, ad id factam fuiſſe ut agnoſcerent ipſos inniti debere morbos hominum curare, eôdem modô quô Deus curat morbos ingentium illorum corporum, è quibus componitur orbis, horumcè ſcilicet inæqualitates adæquandô, contrariaque contrariis opponendô; *Namque*, aiebat, *in noſtrô omnia aguntur corpore velut in mundô. Urina fit in veſicâ, ſicut imber in ætheris regione ſecundâ; Nam ſicut pluvia à vaporibus è terrâ ſurſum evectis, producitur, ubi ſpiſſiores factæ ſunt nubes, ità urina ab exhalationibus prodit, quas alimenta mittunt, quæque in veſicam ſeſe inſinuant.* Quidam alii dixêre Heraclitum à Medicis quæſiviſſe, *an poſſibile ſit inteſtina alicujus comprimere, adeò ut omnis expellatur aqua in iis contenta?* Quod cùm Medici impoſſibile eſſe aſſeruiſſent, nudum ſe Soli objecit, deindè in ſtabulum, uti dictum eſt, ſe recepit, ubi in fimô poſitus, cùm ob nimiam corporis imbecillitatem exſurgere non potuiſſet, à canibus dilaceratus manducatuſque fuerit. Contrarium tandem cæteri affirmaverunt, contenderuntque Heraclitum, ementatô tumore, ex aliô longè pòſt morbô obiiſſe. Ejus opinionum famoſior, quoad Philoſophiam, hæc eſt, *omnium ignem eſſe elementum, omnia ab igne provenire, atque per ignem omnia facta fuiſſe;* Quæ ipſa ſententia in unô ex libris Hippocratis defenditur. Hujuſce etiam dicterii Auctor habetur Heraclitus; *Nihil ineptius in mundo eſſe Grammaticis, ni Medici.* Malè ſana opinio quam de Medicis conceperat in quibuſdam ex ſuis, quæ ſuperſunt, Epiſtolis, etiam manifeſtatur: ibi enim, cum contemptû de iis, qui hanc, ſuô ſæculô, profitebantur Artem; loquitur. At verò eos ità corripit, ùt clarè appareat ipſius non minùs obſcuram fuiſſe Medicinam, ac ſua fuit Philoſophia, uti ex ratiociniis ejus judicare eſt; inter quæ minùs obſcura ſunt quæ retulimus, ex ejus Epiſtolis deſumpta. *Clericus Hiſtor. Med. parte* I.

HERAS Cappadox, inter eos qui de Compoſitione Medicamentorum benè ſcripſêre à Galeno numeratur, obſervatque Heram hunc vel vixiſſe, vel ſaltem ſcripſiſſe poſt Menecratem, atque ante Andromachum, Neronis Midicum, id eſt, ab initiô Regni Tiberii, ad finem uſque Regni Claudii. Jam ſcripſiſſe eum neceſſe eſt ſub horumce primô Imperatore, cùm à Celſô lib. 5. cap. 22. laudetur, cujus & coævus fuiſſe potuit. *Cleric. in Hiſt. Med.*

HERCULANUS (*Johannes*) Vid. *Arculanus.*

HERDEN (*Balthaſar ab*) ſcripſit Epiſtolas quaſdam Medicas, quæ reperiuntur in Hornungi Ciſtâ Medicâ.

HEREDIA (*Caſpar Caldera de*) *Vid.* Caldera de Heredia (*Caſpar*)

HEREDIA (*Petrus Michael de*) Medicæ artis Profeſſor Complutenſis, ex primariâ Cathedrâ, ac profeſſionis ſuæ Decanus, vir ætate noſtrâ propter excellentem hujus Artis cognitionem in paucis celeberrimus, Medicinam quinquaginta annis fecit, viginti ſex docuit; accitus tandem ad Curiam Regiam curare valetudinem Regis noſtri Philippi IV. fuit juſſus. Moriens tamen ante annum 1662. inedita reliquit, quæ Petri Barea de Aſtorga ejus quondam auditoris, Regiæque familiæ Medici curâ in publicum tandem producta;

Operum Medicorum quatuor volumina, ſcilicèt

Primum in duas partes diviſum univerſalem continet doctrinam de Febribus.

Secundum hiſtorias epidemicas Hippocratis elucidat.

Tertium de Acutis tractat morbis.

Quartum & ultimum particularium aliquot affectuum tractationes perluſtrat, ac de morbis mulierum & uterogerentium diſſerit.

In fine tertii tomi adnexus item

De ſomnô & vigiliâ, necnon de Naturâ delirii & ejus cauſis Tractatus. Lugduni apud Philippum Borde, & ſocios, 1665. in foliô, & Antverpiæ apud Verduſſen, 1690. f. 4. Tom. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. ij. p.* 176.

HERESBACHIUS (*Conradus*)

Ex eô habentur

Rei Ruſticæ Libri quatuor; univerſam ruſticam diſciplinam complectentes, unà cum Appendice Oraculorum ruſticorum Coronidis vice adjectâ; Item de Venatione, Aucupio atque Piſcatione, Compendium, in uſum Heroum patrumque familias ruri agentium concinnatum. Coloniæ, apud Johannem Birckmannum, 1570. in 8. Spiræ Nemetum, apud Smeſmannium, 1595. in 8.

HERFELT (*Henr. Gerhardus*) *M. D.*

De eô extat

Philoſophicum hominis, de Corporis humani machinâ, deque centro nobili, ſede, ſeu vinculo mentis tractans; confirmatum Obſervationibus Anatomicis Clariſſ. virorum DD. Williſii, Bartholini, Malpighii, Fracaſſati, Harvei, aliorumque; Methodo Illuſt. D. Carteſii confirmatum. Lugd. Batavorum, apud Jordanum Luchtmans, 1687. 8.

HERILACUS (*Pamphilus*,) Reatinus.

De eô extat

Aquarum natura & facultates, per quinque libros digeſta; Vinorum & Aquarum effectuum invicem comparatorum, Tractatus. De Arthritide & Podagra Conſilium. Coloniæ, apud Johan. Baptiſtam Ciottum, 1591. in 8. Francofurti, apud Johan. Beyer, 1645. in 8.

HERINGIUS (*Honorius*,) Oldenburgenſis Friſius.

Ex eô habentur

Σχεδίασμα ἰατρικὸν, ſeu, Conſilium Medicinale extemporaneum Febrium erraticarum per oras haſce Septentrionales longè latèque diſſeminatarum, & planè domeſticarum, Theoriam & Therapiam per Aphoriſmos breviter delineatam exhibens. Bremæ, ap. Georg. Holſmannum, 1638. in 12.

Tractatus de Peſtilentiâ ſingularis, cui acceſſit Faſciculus Medicamentorum antipeſtilentialium inſigniorum, ex optimis Auctoribus ante annos aliquot collectorum & ordine concinnô in certas quaſdam claſſes, redactorum. Unà cum appendice Medicamentorum Auctoris. Ibidem, apud eundem, 1638. in 12.

De Melancholiâ in genere, & Affectione Hypochondriacâ in ſpecie. Unà cum appendice variorum exemplorum & Medicamentorum probatiſſimorum ex optimis Autoribus collectorum. Bremæ, apud Georg. Holſmanni Hæredes, 1638. in 12.

Syntagma Medicum Theoretico-Practicum tripartitum, de Arthritide in genere, & Podagrâ in ſpecie. Unà cum appendice variorum medicamentorum antipodagricorum probatiſſimorum, ex optimis auctoribus collectorum. Ibidem, apud eoſdem, 1699. in 12.

HERLICIUS (*David*)

Vita Excellentiſſimi, Experientiſſimique Viri, Dn. Davidis Herlicii, Philoſ. & Medic. Doctoris, Aſtronomi, Hiſtorici, Poëtæ Celeberrimi, & Practici, dum vixit, feliciſſimi; qui, cùm de Republica literaria præclarè meritus, adeòque immortalem nominis celebritatem conſecutus eſſet, tandem ſenio confectus, poſt multas eaſque arduas calamitates perpeſſas, Stargardiæ die XV. Aug. A. Chriſti cIɔ Iɔc XXXVI. *ex hac vita piè ac placidè deceſſit, deſcripta in Epiſtola quadam à Laurentio Eichſtadio Med. Doct. & Stetin. Phyſico Ordin.*

MIſſus eſt in hanc lucem, *Dei* benignitate, *D. Herlicius*, anno Epoches Chriſti exeunte ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptimo & quinquageſimo, die 28. ultimi menſis Decembris, memoriæ Innocentium Infantum Sacro, ſeu V. ante Calendas Januarias anni inſtantis 1558. feria 3. media quinta pomeridiana ad tempus æſtimatum, ſicut hoc tempus à ſua matre acceperat, & in *Ephemeridibus Petri Pitati* inſcripſerat. In Cizio autem non ignobili Miſniæ civitate, aëre, Eliſtrô flumine, ſituque peramæna genitus eſt, quam cap. 5. ſui Tract. Geographici, Anno 1592. Gryphiſwaldiæ publicati, *Ceitzam patriam ſuam dulciſſimam* appellat, & Latitud. 51. grad. 8. minut. circumſcribit. Parentes, *Andreas Herlicius*, Senator & Camerarius olim ibidem, & *Suſanna Hanemans*, cujus ſuæ matris loco præfato Tractatus Geographici patriam dicit *Salicetum*, oppidum in Voitlandia, per 28. minuta Cizio auſtralius, ſed ſub eadem Longitudine & proinde ab eo 7. milliari diſtans.

Quum autem Aſtrologi & rationibus & experientiâ perſuaſi exiſtiment, ingenia ſumere impetus aliquos à cœleſtibus cauſis, volui etiam poſitum ſiderum ex Tabulis Tychonis Rudolphinis in Mercurio & in reliquis planetis ex Tabb. Aſtronomiæ Danicæ Tychonis ſupputatum in peculiarem chartam referre & Aſtrophilis ob oculos proponere:

Sic eſt in promtu cœli fulgentis imago,
Sub qua denatus naſcitur Herlicius.

Fuit horoſcopus 23. gradus Cancri, cujus Domina Luna in Ariete, domo Martis & Medio Cœli, eſt ſupra reliquos Planetas in configuratione Solis & Jovis ac Trigono Mercurii feliciter elevata: Et amica illâ conjunctio Solis cum Jove non procul à cardine occidentis naturam moderatam, bonam valetudinem, vitamque longævam ſignificavit. Nec Sextilis ille Aſpectus Mercurii, Veneris & Martis ex domo Jovis ac Martis, & trigonus Saturni atque Mercurii efferam naturam, ſed docilem, diſciplinarum capacem & ad ſublimia ſtudia, Matheſin & Medicinam tractandam idoneam, ingeniumque alacre & acre oſtenderunt, bonitatemque temperamenti auxerunt. Plura periti Aſtrologiæ viderint.

Bonas literas cum pietatis fundamento à primis ſtatim annis in Schola patria hauſit, & quum pater plures liberos, opes non adeo amplas, haberet, agnati matris delectati præclarâ ejus indole eum Saliceti in Voitlandia liberaliter foverunt, ubi in ludo literario ibidem Grammaticalia pleniùs, & latinas græcaſque literas imbibit, atque ſponte ad Poëſin & Muſicam exercendam ſe dedit: à quo utroque ſtudio etiam poſtea in Academiis, quoties aliquâ inopiâ laborabat, fructus non pœnitendos percepit, eoque ſibi viros bonos & homines doctos patronos atque amicos conciliavit; ſicut & habuit duos alios fratres Stralſundi in Pomerania & Muſica Inſtrumentali & Vocali (quorum unus Cantorem Scholæ, alter Muſicum organicum in templô Nicolaitano ibi egit) celebres atque excellentes. Poſt deguſtatas autem ſcholaſticas diſciplinas

diſciplinas, *Wittebergenſem Academiam* ſuam ſedem atque ſtudiorum alumnam elegit, eoque abiit ad audiendum Celeberrimum Profeſſorem, *Caſparum Peucerum*: Verùm quia ille paulò poſt ad carcerem fuit damnatus & abductus, & abductus, atque ex hoc tunc Academia illa aliquam Eclipſim pati videbatur, non diù inibi loci ſubſtitit, ſed Lipſiam conceſſit bonæ famæ φρον-τίζειν. Hîc magis captus ſtudiorum amœnitate magnâ quadam vi ingenii per varia autorum genera pervolitavit: Latinos, Græcos, Poëtas, Oratores, Philologos, Hiſtoricos, Philoſophos, Mathematicos, Medicos animo ſe complecti poſſe credebat. In Matheſi *Dn. M. Steinmetzium* (cujus in ſuis Scriptis honorificam ſubinde fecit mentionem) profitentem diligenter audivit: Aliquoties etiam publicè ſpecimen aliquod ſuorum profectuum declamando in cathedra & diſputando dedit, ità ut à Profeſſoribus omni benignitate fuerit habitus, & ad ſtudia porrò fideliter tractanda incitatus & adjutus. Et quia cum Philologico ſtudio etiam Philoſophicum ſeriò conjungebat, per Phyſicam atque cognitionem rei herbariæ & anatomicæ ad excolendam quoque Medicinam fuit ductus. Rediens autem domum *D. Herlicius* ad proſpiciendum rebus ſuis domeſticis, defuncto jam parente, invenit matrem ſuam doloribus dentium graviter laborantem, cui pilulas ex ſemine apii, hyoſcyami & opii pauxillo aceto ſubactas paravit, unamque earum in cavitate dentium detineri juſſit, quo felici ὑποθέσει & experimento ſtatim ab immenſo dentium cruciatu liberata eſt, & *D. Herlicius* egregium ſpecimen ſuorum profectuum in Medicina dedit. Mater quoque ſtudio ejus Medico optatum ſucceſſum à *Deo* precata eſt: quod votum benedictionemque maternam non de nihilo fuiſſe ſæpe narrare ſolebat. Supervixit ea ad V. uſque Idus Novemb. anni 1601. ubi placidè in Domino obdormivit & pius hic filius funus ejus honorifico Epicedio, quod reperitur in volumine primo ſuorum carminum, proſecutus eſt. Porrò ad ſtudiorum delicias & divitias ulterius quærendas *Roſtochium* ſe contulit: ibi etiam Profeſſores ſibi propitios ob morum elegantiam & ſingularem doctrinam expertus eſt: quorum ope impetravit in magna Studioſorum frequentia privatim docendi licentiam, & titulum etiam Magiſtri in Philoſophia publicâ inauguratione ſumendi. Hoc gradu ornatus, & alios in Poëſi, Humanioribus literis, Philoſophia & Matheſi erudiendo ſibi ipſi & ſumtibus, qui ob obitum Patris ſui à Matre parciùs jam ſuppeditabantur, conſuluit. Et quum induſtria & diligentia ejus in docendo paſſim innoteſceret, ab Illuſtriſſimo Duce Megapolit. &c. *Vlrico*, anno octogeſimo ad Con-Rectorem Scholæ Guſtrovienſis ex Academia evocatus eſt, quam ſpartam etiam per biennium ſummâ curâ ornavit, & quicquid temporis extraordinarii lucrari potuit, Aſtrol. ſtudio, conſtructioni & judicio geniturarum tribuit, & inſuper ad Medicinam factitandam ſe applicuit. Elapſô bienniô oblata eſt ei conditio obeundi Phyſicatum Primiſlavienſem in Marchiâ, quâ rurſùs per bienne ſpatium ſaltim fideliter functus eſt: Nam alia vocatio eum anno 1583. ad Phyſicatum Anclamenſem pertraxit, ubi medicinam faciendo ægris inſervivit, & anno 1584. primum ſuum Calendarium & Prognoſticon de mutationibus auræ & tempeſtatum in hoc Phyſicatu publicavit, quod magno hominum applauſu ſtatim exceptum fuit. Hinc quùm ſingularis ejus peritia in Mathematicis diſciplinis per Pomeraniam clareſceret inciperet, autoritate Celſiſſimi Principis Pomeranorum Wolgaſtienſis, &c. *Erneſti Ludovici*, laudatiſſ. Memoriæ, defuncto Mathem. in Gryphiſwaldenſi Academia, accedentibus Dominorum Profeſſorum ibidem ſuffragiis, anno 1585. menſe Octobri ſucceſſit. In hac Univerſitate plus quàm antehac otii nactus in flore ævi & ingenii, nec valetudine titubante, multa utilia, neceſſaria, jucunda in Mathematicis, in Phyſicis, in Logicis, in Poëſi, in Latina & Græca lingua publicè docere & privatim ſcribere cœpit, præſertim *quum complures Studioſi tantâ aviditate & frequentiâ* (ſunt verba ejus in prima libri 1. orationum ſub finem) *ad eum audiendum confluerent, ut gaudens cathedram inſilierit ſæpius. Hinc & ſe laboribus nocturnis atque diurnis, in uſum & commodum eorum, quibus ſtudia videbat eſſe cordi, fregit. Illic enim per tredecim annos integros* (ſunt rurſùs verba ejus ex Præfatione libri primi Orationum) *juventutem ſtudioſam erudiit, ac ſubinde orationes varias de rebus non inutilibus publicè ad Collegas & Scholaſticos habuit, & librum unum Orationum nec non alios doctiſſimos libellos in Phyſica, Medicina, Mathematicis, Poëſi, Hiſtoriis* ſuo nomine dignos *emiſit.*

Anno 1593. honeſtiſſimam Virginem *Reginam Hungers*, primarii civis Primiſlavienſis filiam, in matrimonium accepit, cum qua tamen non adeò concorditer (cauſam novit *Deus*) vixit & ſine fructu matrimonii per 17. annos. Quamvis autem nihil magis optaſſet, quàm ſi ita *Deo* viſum fuiſſet, in Academiis conſeneſcere: tamen ſupremo Numini, omnium actionum noſtrarum moderatori, aliter placuit, quod eum Anno 1598. ordinariâ vocatione & liberali ſtipendio ad Phyſicatum Stargardienſem in Pomeraniam accerſivit. Sed proximo anno antequam Gryphiſwaldiâ abiret, Academicum Magnifici Rectoris munus ſuſtinuit, & ab Excellentiſſimis Medicis, *Dn. D. Chriſtiano Caleno* Promotore, & D. *Jacobo Seidelio*, Examinatore ſuo, peractis peragendis, autoritate publica ad ſummum honoris & dignitatis Scholaſticæ faſtigium in profeſſione praxique Medica evectus, & adhibitis debitis ſolennitatibus Medicinæ Doctor ibidem renunciatus eſt. Ubi Stargardiam ſe recepit, non ſolùm officio ſuo fideliter medendo ægris, ac viſitando reformandoque Pharmacopolia diligenter per bis quatuor annos ritè præfuit: Sed & prognoſtica annua de Statu aëris, quæ jam per quatuor ad decem annos conſcripſerat, maximo labore, ſumma fide, indefeſſiſque obſervationibus, in uſum Pomeraniæ & regionum regnorumque adjacentium quotannis per 52. annos continuavit.

Qui labor progreſſu annorum in tantam lucem venit, ut non tantùm à Germanis in ſuo idiomate expetitus, verùm etiam ab exteris in Latinam, Bohemicam, Polonicam, Danicam & denique Suecicam linguam tranſlatus, mox hinc inde in vicina climata illatus atque *Herlicius* noſter tam utili anniverſario opere decus & ornamentum Pomeraniæ factus ſit. Hunc Doctorem & Mathematicum omnium ſermone celebratum etiam *Reſpublica Lubecenſis* an. 1606. ſuum Phyſicum communibus ſuffragiis elegit, & honeſtiſſimo propoſito ſalario ad hanc functionem invitavit. In cujus Reip. & *Dei* voluntate lubenter acquieſcens cum conjuge atque ſupellectile ſua eò conceſſit. Hîc homines benignos & beneficos reperit, & in ampla praxi Medica vixit, ita ut mihi aliquoties retulerit, ſe ſæpiùs ſubobſcuro mane ægros ſuos viſitatum extra ædes pedem extuliſſe, & uſque ad veſpe-

veſperam, ut numerum eorum in chartam relatum abſolveret, contentiùs per plateas ambulaſſe, demumque tenebris obortis domum reverſum eſſe. In tanta praxi multa experimenta medica & admiranda curandiſque morbis peridonea obſervavit ac collegit, quæ forſan etiam poſt obitum ſuum publicam lucem axpexiſſent, niſi in Stargardienſi πανωλεθρίᾳ cum omnibus libris atque Manuſcriptis incendio periiſſent. Verum enim verò in hac urbe aliquam duntaxat ſtationem octennio circiter, non portum, habuit: Nam ut defatigatus iſtic plurimis negotijs, curis, turbis, honeſtum ſibi otium quæreret, & *Deo*, ſuis Muſis atque Affinibus vacare commodiùs poſſet, rurſùs valedicens Lubecæ anno 1614. cum univerſa ſua familia rebus compoſitis Stargardiam Pomeranorum ſe contulit, ubi majore tranquillitate literariâ ad abſolvendum & expoliendum opus illud magnum, quod de *triplici Kalendario, Eccleſiaſtico, Aſtronomico & Aſtrologico* conſcribere inceperat, ſed ante annum, proh dolor, in communi Civitatis Stargardenſis flamma unà conflagravit, ſe frui poſſe ſperabat. Ineunte anno 1611. etiam defunctâ priore conjuge, hoc in loco pudiciſſimam Virginem, *Urſulam*, Reverendi nec non Clariſſimi Viri *Jacobi Fuhrmanni*, Archi-Diaconi Stargardienſis b. m. filiam, relictam nunc Viduam, in ſecundi conjugii conſuetudinem aſciverat, quæ ſuum cariſſimum maritum, tanquam individua comes & ſocia, in itinere Lubecenſi ac Stargardienſi per communia pericula ſecuta eſt. In ea demceps civitate, ut ante quoque fecerat, doctrinam ſuam egregiam & peritiam in arte medica plurimis omnium ordinum hominibus, opem ſuam implorantibus, fide, induſtriâ & prudentia ſumma probavit domi non ſolùm, ſed & foris: In rus enim & loca remotiora meditationum causâ evocatus ſæpe longè lateque excurrit. Quin & univerſam ſuam vitam tum demum magis quàm ante magno conſilio & deliberatione in timore *Dei* ita rexit, ut non voluptates, otium & tranquillitatem vitæ, aut artes quæſtuoſas, quibus rem ſaltim faceret, ſectaretur; ſed gloriæ *Dei* & hominum ſaluti deſerviret. Natura quidem ejus libertatis atque otii erat avidior: ſed quemadmodum otio, quum dabatur, lubens utebatur; ita quoties poſcebat res, nemo mihi videbatur eo vigilantior & patientior. Ferunt nonnulli eum, quum ætas ferret, non abhorruiſſe à puellarum amoribus, id quod in geneſi ejus conjunctio quoque Veneris cum Marte præ ſe ferre videtur. Quod ſi quis hinc eum fortè ſalacem, & hinc multas turbas in priore matrimonio ortas eſſe dixerit, ille ſciat, *D. Herlicium* ex utraque ſua conjuge nullos liberos vel *Herliciolum* ſuſcepiſſe, illorum exortem fuiſſe, atque in ſterili agro, (ut dicere ſolebat,) laboraſſe, & proinde animo juvencularum mutuo potiùs, quàm coitu captum eſſe. *Hieron. Cardanus* quidem in judicio ſuæ genituræ ſe laſcivum fuiſſe, multitudine procreatorum liberorum probat. Qua quum *D. Herlicius* deſtitutus fuerit, contrarium magis inferre licet. Hominem & ideò etiam peccatorem & humanis erratis obnoxium ſe noverat, hæc quoque ſeriò calidis lacrymis deplorabat, & in album Amicorum inſcribere ſolebat dictum D. Bernhardi ſerm. 64. ſuper Cantica: *Lacrymas peccatorum eſſe delicias Angelorum. Divinum enim eſt, quod labe caret: Hinc & quamlibet firmi, quamlibet fortes in fide neceſſe habent orare: Demitte nobis debita noſtra: Alioquin ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Idem Bernhardus ſerm. 6. in Vigil. Nativitatis Chriſti. Ego tamen hoc verè teſtari poſſum, & multi Stargardienſes id mecum, quod cum altera ſua conjuge, jam ſuperſtite vidua, ultra 25. annos, durante matrimonio, comiter ſuaviterque vixerit; ita ut vix ullus maritus à ſua tantum obſequii impetret imperio atque ſeveritate, quantum hic blanditiis jociſque ſolebat. Aſtiti enim ſæpè & hanc mutuam benevolentiam inter hoſce conjuges admiratus fui. Ante duodeviginti annos malus quidam rumor Stargardiæ ſpargebatur, ac ſi bonus *D. Herlicius* in itinere Stetinenſi, à Landtrachtingero Typographo Stetinenſi vectus, & curru delapſus crus fregiſſet. Mota eo rumore Uxor ejus, licet ægra, ſtatim Stetinum advolavit. At quum Dominum ſuum adhuc incolumem & commodè ambulantem conſpiceret, mirum, quàm hilari vultu, quàm dulci amplexu eum acceperit & tenuerit, me, aliiſque amicis in ædibus quondam conſultiſſimi Viri, Dn. Friderici Neodorpii, Advocati & Senatoris olim Stetinenſis ſpectatiſſimi, tunc præſentibus, idque non ſine admiratione tanti amoris ſpectantibus.

Venio quoque ad ſtudiorum commemorationem, quæ me *D. Herlicio*, mihique *D. Herlicium* conciliârunt. Quum enim videret ex primo meo Calendario & Prognoſtico Aſtrologico, an. Chriſti 1615. accommodato & foris dato, me cum Medica Mathematicam quoque artem conjungere & excolere, mihi per Vitricum meum p. m. Dn. Tobiam Erdtmann, Mercatorem Stetinenſem, & dulciſſimam Materteram meam, civem ſuam Stargardienſem, quæ adhuc in vivis eſt, autor & ſuaſor extitit, ut ita pergerem. Proinde ad annum ſequentem 1616. iterum Prognoſticon de mutatione aëris unà cum calculo Eclipſis Lunaris ex lib. 1. Progymnaſmatum Aſtronomicorum Nobiliſſ. Tychonis Brahei (quorum lectione tunc valde delectabar) exaratum publicavi, Celeberrimo Mathematico & Ephemeridiſtæ *Dn. Origano* & Philoſopho *Dn. Jacobo Martini*, tunc hoſpiti meo, gratitudinis ergo dedicavi, unumque exemplar etiam *D. Herlicio* obtuli. Hoc ex literis tunc ad me datis ſibi complacuiſſe teſtatus eſt, & propoſitis conſtruendi Thematis & directionis inſtituendæ exemplis ut quoque ea in parte Aſtronomiæ aliquod ſpecimen ederem, voluit. Hac in re quum me facilem & obſequentem experiretur, meique profectus ei arriderent, exhibitis novis ſubinde paradigmarum documentis me exercuit atque magis magiſque in ſuam familiaritatem non ſolùm admiſit, ſed & invitavit & pertraxit. Quanquam autem hæc epiſtola, Integerrime Affinis, mihi ſcribenti videtur non nihil prolixa: tamen quum grata noſtri communis Dn. Amici & Compatris, dum vivebat, *Herlicii* optima recordatio cum ſingulari ſuavitate ſit conjuncta, ideoque de conſuetudine exercitationeque literaria in communi noſtra arte inter nos frequentata eâ, quâ fieri poterit brevitate, aliquid adhuc referam.

Diverſæ ſæpè nationes ad eum confluebant; & ob multa experimenta nominiſque celebritatem judicium de ſuis genituris ab eo poſcebant Germani & Exteri, præſertim Bohemi & Poloni, quorum liberalitatem præ reliquis prædicabat. Et quia in ſua ingraveſcente ætate parcere oculis & ad plures annos eorum uſum reſervare volebat, haud rarò à me petiit, ut ſibi ad calculum geniturarum perficiendum & aliquod breve judicium de iis ferendum ſubvenirem, cui lubens annui. Ille meum qualemcunque laborem vel aliquo utili libro Medico aut Mathematico, vel Inſtrumentis Aſtronomicis e. g. Baculo Jacobi, Annulo Aſtronomico, Cylindro & Conſpicillis, vel denique aureo dono remunerari ſolebat.

Nun-

Nunquam autem illis γενεθλιακὴν ſuum adornare volebat, qui ſine cognita nativitatis hora ad eum accedebant; maluitque dignitati Artis quàm pecuniæ turpique lucro conſulere. Sobriè quoque hanc artem tractari volebat, hinc aliquando in ſuis literis ita ad me perſcripſit: *Utinam amicis fortuna me intueretur oculis, ut ſine Aſtrologicis gerris ſenectuti meæ (quæ mihi cæcitatem minatur) proſpicere poſſem, nunquam γενέθλια calculo inquirerem. Interim quando multi plura inquirunt, & ſcire deſiderant, quàm Ars noſtra fert, aut patitur, aut habet, aut explicat, malo juxta conſcientiam agere, quàm Sanctam Uraniam noſtram deturpare & velut ſtuprare, eique nigrum ſalem vel atram notam aſpergere: Quum alias tot ſuperſtitionibus Chaldaicis noſtra Ars ſcateat, quas multi ex noſtratibus adhuc mordicus tenent. Multi ex me ſcire laborant, qui colores veſtimentorum & equorum fortunati ſibi ſint futuri? Hæc & alia monſtra quæſtionum ſæpè albis dentibus rideo, ſæpè etiam deteſtor. Amo enim virginitatem noſtræ Artis, nec patiar eam ita nefario ſtupro pollui, ne Miſaſtrologi hoſce abuſus in contemtum Aſtronomiæ nobis objicere poſſint.* Hactenus verba *D. Herlicii.* Interea ſuas obſervationes Aſtrologicas publici juris facere decreverat: ſæpe enim ad me ſcripſit, quod ultra mille & ducenta collegerit Themata, quæ ſuo tertio operi Calendariographico & Aſtrologico inſerere, iiſque veritatem aliquot Aphoriſmorum Aſtrologicorum probare nitebatur: e. g. *Quod Planetæ benefici, Jupiter & Venus conjuncti, inprimis in octava domo longam vitam & annos* (ultra 70.) *diuturnos polliceantur.* Item, *quod Fomahant, inſignis ſtella aſteriſmi Aquarii, in octava domo celebrem & glorioſum poſt mortem faciat.* Item, *quod Cauda Draconis in prima domo Cœli vel altero oculo carentem vel gibboſum fore minetur.* Ut complures alios taceam. At hæc cum reliqua ſua inſtructiſſima Bibliotheca (cujus ſimilem vix privatus alius tota noſtra in Pomerania quoad Mathematicos, Hiſtoricos & Medicos libros poſſedit) in communi Stargardienſi excidio flammis conflagrarunt. Horum librorum (quorum Catalogus adhuc penes me eſt) jacturam quotidiè ferè adhuc doleo. Sed *irreparabilium felix oblivio rerum.*

Chiromantiam parvi æſtimabat. Nam lineis & frontis & maximè manuum nihil incertius & mutabilius, quaſdam enim obliterari, deleri, prolongari, decurtari, item profundiores, interdum altiores vel eminentiores; multas quoque novas figuras (ut cruces, circulos, ſtellulas, puncta) in manibus exiſtere longa experientia didicerat.

Vanitatem quoque hujus ſtudii exemplo Medico-Aſtrologi aulam Wolgaſtenſem olim ſectantis (qui inepta Chiromantiæ tractatione omnem ſuam autoritatem amiſerat, adeò ut tandem ob multas vexationes aulâ excedere coactus fuerit.) oſtendebat. At hoc mihi in literis affirmavit, ſe ex directionibus exquiſitarum Geniturarum ſæpè tempus obitus Illuſtrium perſonarum præcisè fuiſſe aſſecutum, & in Calendariis ſuis annuis (quæ jam per 52. annos evulgavit) expreſſiſſe, id quod etiam in Illuſtriſſimis Pomeraniæ Principibus factum fuiſſe nonnulli Veteres Aulici adhuc meminerunt; In Joh. Friderico, Philippo Julio & Ulrico, auguſtæ memoriæ Ducibus Pomer. &c.

De rebus Medicis ſæpè quoque mecum contulit, & præ reliquis Medicinæ Doctoribus, *Montani, Mercurialis & Fernelii praxis atque conſilia ei perplacebant, eò quòd formulis medicamentorum uterentur exquiſitiſſimis & brevibus, non amplâ, aut longâ ingredientium ſerie* (ſunt verba ipſius ex quadam ad me Epiſtola excerpta) *& farragine conflatis, ſicut multi ſolent, ac ſæpè quidem per oſtentationem, ut crumenis pharmacopolarum conſulant; non attendentes tot ſimplicibus & compoſitis remediis indifferenter miſtis naturam corporis in errorem agi, ut ignoret, quid manibus, quid naribus attrahendum ſit.* Deinde ideò quoque hoſce Autores præferebat, *quod Phyſiologicis & Pathologicis aphoriſmis quaſi manu & juniores & ſeniores Medicos ad fundamentum practicum methodumque legitimè medendi deducant.* Sciſcitanti mihi aliquando ex eo judicium ſuum de Virtute celebratæ *Panaceæ Anwaldinæ*; recitabat per literas unam atque alteram obſervationem in ſua praxi occurrentem, quæ quia rara eſt, ideoque & hîc apponam. *D. Rungius*, inquiens, *elegantiſſimus quondam Medicus Stetinenſis, juſſu Nobiliſſimi Franciſci à Borcken jam demortui, ad quem curandum millies vocatus fui, proprium tabellarium ad Sylvaticum Medicum* (ita Anwaldum vocabat) *ablegaverat, & ab eo viginti doſes numeratis viginti aureis Rhenanis impetraverat. Unam doſin præfato Nobiliſſimo Viro in mea præſentia porrexit, à qua tot repentè angores ei moti ſunt, ut de vita ejus uterque deſperaret: Et ſtatim exhibitis cordialibus remediis vix ſymptomatum vehementiam angoreſque eos ſedare potuimus. Voluit Dn. Ægrotus etiam experiri operationem reliquarum doſium in aliis corporibus, unde mihi tres dedit doſes, qui duas exhibui uni, atque alteri quadrato ruſtico quartanâ laboranti. Uterque quidem ope hujus pulveris à quartana liberatus eſt: At ambo tantos morſus in regione cordis perſenſerunt, atque adeò ἄνω ἢ κάτω dejecerunt, ut vix animam retinuerint. Igitur baſis hujus Panaceæ ex argento vivo aut Cinnabari in turpe tum minerale aquis fortibus redacta conſtare arbitror, & ab eo tempore uſum hujus Panaceæ repudiavi.* Hactenus audiviſti verba *D. Herlicii.* Contra commendabat mihi *Aurum potabile Marſilii Ficini*, Medici Florentini, cujus deſcriptionem habet in grandi ſuo volumine fol. 518. & in lib. 2. de Studioſorum vita producenda & refocillanda cap. 10. quod & à *Luca Gaurico* Aſtrologo Tomo Tertio folio 1782. allegatur: Hoc enim ſe feliciter uſum fuiſſe affirmabat.

Cæterùm pietatis erat ſtudioſiſſimus, & precationibus, jejuniis, eleemoſynis, & conſimilibus operibus è fide & caritate profectis ſe bonum Chriſtianum probabat. Et de ſua confeſſione 1626. ita ad me perſcribebat: *Nihil mihi & cum Pontificiis & Calvinianis: à Luthero ſtabo confeſſione meâ uſque ad mortem.* Delectabatur etiam majuſculis literis & voce clarâ, quia ſe olim à Præceptoribus ſuis (qui Divi Lutheri fuiſſent auditores) in Schola triviali audiviſſe narrabat, huic Theologorum Heroi crebrò in ore fuiſſe hoc dictum: *Viro docto convenit habere craſſam vocem & craſſam manum.* Lentè & attentè ſolebat res ſuas peragere; dicebat enim canem ob nimiam in pariendo feſtinationem cæcos ejicere catulos. Pompoſos titulos e. g. nomen *Excellentiæ & Celeberrimi Mathematici* planè averſabatur, ſeque iis magis *onerari* quàm *ornari* ajebat: Et ſæpè dolebat, quod Aſtrologiæ abuſus nomen *Mathematici* non tam celebre, quàm infame *in Cod. juris textu de collatione veneni & gladii* 1. *Artem Geometriæ &c. & in Jure Canonico cauſa 26. decret. ſoc. c. 6.* audiat, quando Genethliaci, Aſtrologi & Planetarii olim Mathematici habiti ſunt, quæ artes tantum veræ ac intemeratæ Matheſeos Scoriæ ac quiſquiliæ ſunt. *Nagelii* quoque *Aſtrologiam*

Apoca-

Apocalypticam rejiciebat, hominemque impudentem & profligatæ audaciæ dicebat.

In Conſultationibus medicis (ſicut in triennali mea qualicunque praxi Stargardienſi expertus ſum) ſeſe ut Medicum eruditiſſimum, ſcientiſſimum & prudentiſſimum probabat, & charitate Chriſtianâ præditum; non avaritiæ, odio, ambitioni, invidiæ aut aliis vitiis deditum, ſed unice ſalutem decumbentium ſibi propoſitam habentem.

Multis uſus eſt dulciſſimis Amicis Theologis, Juris-Conſultis, Medicis, Philoſophis & Aſtronomis in Academia Gryphiswaldenſi, Roſtochienſi, Civitate Lubecenſi, Stetinenſi, Anclamenſi & aliis. Quum enim complures Viri Doctiſſimi diligentiam ejus ex publicis Scriptis agnoviſſent, certatim ad eum literas dederunt, cujus judicio multùm tribuebant. Commercium literarium nominatim cum Mathematicis eximiis, M. *Davide Origano*; p. mem. (cum quo Stetini Anno 1620. in ædibus paternis me præſente familiariter congrediebatur) Mathemat. Francofurtenſi, M. *Petro Grügero*, Mathemat. Dantiſcano, Amico ejus ſummo, M. *Adriano Metio*, Mathematico Franequerenſi, D. *Antonio Helvico*, M. *Burmeiſtero*, præclaris Aſtronomis, aliisque quorum Catalogum hic recenſere nimis prolixum foret, diligenter frequentabat. Quin & plures Illuſtriſſimarum Perſonarum ei per litteras ſuum favorem & gratiam ſingularem ſæpiuſcule deferebant, & operam ejus conſiliumque in rebus Aſtronomicis & Aſtrologicis requirebant, ſicut Tomum unum talium Epiſtolarum foris dare conſtituerat, ſi magnum illud opus Calendariographicum, cujus primus Tomus jam munditer deſcriptus erat, in publicum emanaſſet. Sed temporum injuria laudabile & utiliſſimum illud inſtitutum remorabatur, & tandem accedente vi ignis irritum reddebat.

In ingraveſcente ſua ætate nullum virium ingenii & corporis ſenſit detrimentum, niſi quod oculi fierent hebetiores; judicium autem eò erat acrius. *In potu temperantiſſimè vixit, & rarò præfato honore ac amore ſui Amici poculum* φιλοτήσιον (itâ cum Theognide loquebatur) *bibit*: Hinc & Symboli loco uſurpare ſolebat: *Medicè vivere, eſt modicè bibere.* At in cibis paulò indulgentiùs palato ſervivit, ut invenio in literis, Anno 1627. ad me datis. *Deus* quoque eum in peſtilentiſſima lue Stargardienſi anno 1625. quæ multos cives abſtulerat, benignè conſervavit: Pro quo beneficio ei ex intimis ſui cordis penetralibus maximas egit gratias, nec aliquid ſuæ arti, ſed potiùs *omnia Cœleſti Artifici tribuit, qui eſt dierum noſtrorum longitudo, & menſes greſſusque noſtros numerat, tanquam perfectiſſimus Arithmeticus.* Sic iterum verba ejus in quadam Epiſtola ſonant.

Non nunquam etiam de iniquis noſtris temporibus, in quæ reſervati ſumus, conqueri ſolebat. *Nam tot bellorum*, dicebat, *tumultus in Germania noſtra facit, ut doctrinæ & Artificum operæ lentè pereant, & in ipſo quoque Aſtronomico ſtudio intercidant. Ad quos jam pertinet cura conſervandi & illuſtrandi ſtudia, hi ad bellum gerendum avocantur, ita ut in illa utilem operam ponere nequeant: Multa etiam ingenia tædium cogitandi & indefeſſum ſtudium, quod in Aſtronomia requiritur, deterret. Quid de Nobilibus noſtris dicam, qui non modò perire literas patiuntur, ſed & votis exoptant? At hujus rei pulcherrimæ contemtus atque odium brevi nos in profundum ignorantiæ demerget: Interim manent tempora*, pergebat, *fertilia curioſorum, audacium, polypragmonum. O ſecula! O mores!* Et quia ſciebat tempus vitæ noſtræ breve eſſe & incertum, ideoque cavit ſibi bonus noſter Senior, ne conceſſis vitæ hujus bonis abuteretur, cum ſua penicie, quæ vix umbra ſunt verorum bonorum, quæque facilè evaneſcunt, & poſſeſſorem ſuum deſerunt. *Animus enim expeditus levisque & contentus modico emicat & veluti vinculis liberatus in originem redit, atque hoc habet argumentum divinitatis ſuæ, quod illum divina delectent*, ut ait Seneca lib. 1. quæſtionum naturalium. Proinde una omnium ſpes *Herlicio* fuit ſpes vitæ æternæ, quam mente concepit & nunquam depoſuit. Hinc & jacturam omnium ſuorum bonorum, quibus per publicum Stargardiæ incendium die 7. Octobris, fer. 4. anno 1635. brevi exutus fuit, eò faciliùs pertulit, & ab eo tempore cum majori deſiderio ad vera & æterna bona, quæ in cœlis fidelibus parata ſunt, aſpiravit. Nam hæc ætas provecta & vita ei habebatur via ad æternam patriam, in qua viator *Herlicius* opibus magis ſe onerari, quàm levari ſentiebat. Semper autem antehac in ſua geneſi Saturnum, ceu vitæ abſciſſorem, metuebat. Nam quum Luna Domina Horoſcopi ad eum dirigeretur, ſe graviter decubuiſſe aſſerebat. Hinc me jubebat obſervare directionem Saturni ad oppoſitos radios Solis & Jovis, & ad ipſum gradum vitæ aſcendentem. In annum igitur 1628. & menſem Octobris incidebat directio Saturni ad oppoſitionem Solis, ubi Stargardia peregrinis hoſtibus erat occupata, quorum favorem & promotionem initio quidem experiebatur, quia Soli Jupiter ſuccedebat: Sed abeunte hac directione, Saturnoque Horoſcopo appropinquante variis caſibus fuit jactatus, & Anno 1633. Stargardiam ad tempus deſerere, menſeque Octobri ad nos Stetinum verſus cum aliis ob metum irruentium hoſtium fugere coactus eſt. Ab eo tempore virium defectum & levem quandam Paralyſin ſenſit. Quemadmodum igitur viatores, qui varias graveſque itineris moleſtias ſunt perpeſſi, ſe quieti ſine ſtrepitu tradunt; ita & optimus noſter Senior, poſtquam tot peregrinationum & laborum moleſtiis fatigatus, curis confectus & ſenio defeſſus erat, in cellam ſuam (ut Scriptura loquitur) ſumta priùs Sacroſancta cœna Dominica εἰς ἀναθάνατως τὸ σύμβολον, monente eum Canone Concilii Niceni, ſe abſcondit, & vitam hanc die 18. Cal. Sept. fer. 2. an. 1636. mane circiter quintam ſine omni querela exuit & reliquit. Complevit annos ætatis octo & ſeptuaginta, menſes 7. dies 19. & Saturnus directione ad ipſum Horoſcopi gradum pervenit. Et tantùm de vita Beati Noſtri *Herlicii*. *Funebris* eidem *Concio* habita fuit ex 2. Tim. 4. 7. 8. à M. *Friderico Crugero*, Paſtore Stargardienſi.

EPICEDIA.

Mortuus Herlicius! *proh aſpera fata perennem*
Vitam pro merito vita manere nequit?
Mirum! qui ſanô medicamine ſæpe moratus
Mortem, nunc mœſtâ morte peremptus obit?
Syderis indicio rerum prædicere fata
Doctus, jam fatis ſuccubuit propriis.
Ambiguum lucro num damno hæc fata putentur;
Judico mœſta aliis; commoda in Herlicium
Poſt Patriæ cineres durum ſupereſſe, benignis
Damnatum fatis corpus it in cineres.
Artis habet pretium ſcrutarier aſtra peritus
Perpetuam vitam nunc ſuper aſtra colens.
Hic animæ domus eſt; poſt ultima fata ſub aſtris
Cum ſeclo & cyclo fama perennis erit.

DAVID MEVIUS J. U. D. & in Acad. Gryphisw. Prof. Ord.

Heu

Heu jacet Hippocrates, Polyhiſtor, Virgiliuſque,
Herlicius, *vetus & qui Ptolomaus erat.*
Vranies, Sophies, Hygiea, Palladis Artis
Atlas Lux, Præſes, gloria magna jacet.
Ingenii dotes, Prognoſtica, Carmina, libros
Italus & Gallus, Sarmata, Teuto tenent.
Hunc quivis meritò celebrat, commendat, honeſtat
Nomine, Carminibus, elogiiſque bonis.
Verùm ego quæ nequeo jam ſcribere, poſthuma fama
Dicet ad Eoos, dicet ad Heſperios.

LAURENTIUS EICHSTADIUS, D.

EPITAPHIUM.

T*V, qui vatidicâ præcedis mente, parumper*
Siſte gradum, & quid ſit vaticinare mihi.
Inclytus Uranometra, *perituſque arte* Macaon,
Hiſtoricus, Vates, Philoſophusque *bonus.*
Theologus *pius*, & Rhetor *facundus opaco*
In tumulo hoc (dolor heu!) poſt ſua fata jacent.
Septem hæc claudit humus, verùm unâ mente; quis ergò
Septemplex ille eſt? noſter *is* Herlicius.

ELIAS SCHACHTIUS.

SCRIPTA.

De Curationibus gravidarum puerperarum & infantium: *Ancklam* 1584. in 8. & emendat. 1602. in 4. Germanicè *Stetin.* 1618. in 8.
Diſcurſus hiſtorico-Phyſicus, de Iride Lunari: *ibid.* 1609.
Tractatus Geographicus de diſtantiis locorum Arithmeticè ſupplendis, per calculum in exemplis 1071. propoſitus: *Gryphiſwaldiæ* 1592.
Oratio in funere Barnini XI. Ducis Pomeraniæ.
Operis mirabilium Tomus primus: *Norimb.* 1614. in 4.
De extrahenda radice tractatus:
Exercitationum Philoſophicarum liber I. de lacrymis, riſu, ſaliva, pudore & ſternutatione: in 4.
De Academiis totius mundi:
Carminum variorum volumen primum in libros IX. diſtinctum: *Stetini* 1606. in 8.
De Raptu Pauli in tertium cœlum, ex ſententia variorum Philoſophorum & Theologorum: in 4.
Libri ſeptem Poëmatum; liber & regulæ de decoro poëtico: item commentarius in Horatium de arte Poëtica:
Orationes vel Declamationes in Acad. Gryphiſwaldenſi ſcriptæ & recitatæ: *Gryphiſw.* in 8. *Item alia plura Germanicâ linguâ.*

HERLOVIUS (*Martinus*)

De eô extat

Obſervatio de Sene, 127. annorum. Extat Actor. Hafnienſ. Volum IV. Num. 10.

HERLS (*Cornelius*) Mildeburgenſis

Ex eô habetur

Examen Tractatûs Medici de Moſchô à Davide Ultralæo in lucem editi. Middelburgi, apud Simonem Moulert, 1613. in 8.

HERMANNUS (*L. Auguſtinus*) in antiquâ Erfurtenſi Academiâ Anatom. & Botan. Prof. Ordinar.

De eô extant

Obſervatio ex ſectione fœminæ, quæ res inſolitas excreverat. Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. II. N. 171.

De Maſsâ membranoſâ ex Perinæô exciſâ. Ibid. Ann. eôdem, N. 172.

De humoribus acribus & flatibus, pro vermè ventriculi habitis. Ibid. Ann. eod. N. 173.

HERMANNUS Comes à Nevenare, Præpoſitus Colonienſis.

Ex eô habetur

De Novô hactenùs Germaniæ inauditô morbô ἱδρωπυρετῷ, hoc eſt, ſudatoriâ febri, quam vulgò ſudorem Britannicum vocant. Item, Simonis Riquini, de eôdem morbô judicium doctiſſimum. Duabus ſimùl Epiſtolis inter ſe explicata. Coloniæ, apud Johan. Soterem, 1529. in 4. & alibi in 8. cum Petri de Abanô de Venenis, Joach. Schilleri de Peſte Britannicâ libris. Annotationes aliquot Herbarum. Extant Tom. 2. Herbarii Ottonis Brunsfelſii, p. 232. edit. Argent. apud Scottum, 1537. fol. Octavii præterea Horatiani Rerum medicarum libros 4. integro ſuo nitori reſtituit.

HERMANNUS (*Benedictus*) Phyſ. Memmingenſis

De eô extant in Miſcell. Cur. Decur. 2. Ann. 1. Obſerv. 124. De Epilepſiâ rarâ.

Ann. 3. Obſervatio 66. Μόνορχις *Liberorum utriùſque ſexûs Parens.*

Ibidem Obſervatio 67. De Tartari emetici virtute.

JUvenis 22. annos natus, nonnihil hypochondriacus, præteritô menſe Juniô febri quotidianâ in itinere corripitur, cujus cùm aliquot ſuperâſſet paroxyſmos, præter conſueta aliàs ſymptomata, etiam cum moleſtâ imprimis circa ventriculi regionem compreſſione atque ſuccuſſione ingruentes; meô conſiliô primùm ſumit purgantem pulverem, quem ſuô munere ritè defunctum excepit; poſterâ die pulvis febrifugus, bihoriô circiter ante paroxyſmum ad ſudorem eliciendum, quamvis fruſtrà, exhibitus, cùm æger hic ſiccioris naturæ aliàs ad ſudorem ſit minùs proclivis. Recurrente itaque ſub paroxyſmi ſequentis initium illâ circa ventriculum conſtrictione atque concuſſione nauſeabundâ, offero Tartari Emetici ritè parati, & largos in aliis vomitus ſedeſque moventis grana iij. quæ unicum in hôc ægrô vomitum cum aliquô tamen levamine, movent. Poſt biduum pulveris febrifugi continuationi dicatum, Tartari Emetici iterùm gr. iiij. exhibeo, ſed en! nulla nec per ſuperius nec per inferius guttur dejectio, ſed turbulentus duntaxat in ventriculô motus, & mox leviſſimus ſubſequitur paroxyſmus quem à trimeſtri hactenùs ſpatiô nullus excepit alius, ægro interim pancraticè vivente. Videtur hinc concludi poſſe 1. febres intermittentes non malè acido cuidam p. n. fixiori, auſtero & obſtructiones cauſanti adſcribi, cùm ejuſmodi acida, juxta Celeber. Wedelium, Ettmüllerum, & alios, obtundant purgantia imprimis vomitoria, quatenùs acrimoniam illorum ſalino-ſulphuream volatilem hôc pactô infringunt; hinc gummi gamandræ vitriolatum, minùs vomitum ciet, quàm ſimplex; antimoniata vitrioli & nitri ſpiritû miteſcunt, hinc ſine dubiô & Tartarus Emeticus ægro noſtro ab acido figente infractus, & in tertium quiddam deobſtruens mutatus, vires nunc antifebriles potius quàm emeticas exeruit; Patet hinc 2. Hypochondriaco-Melancholicos, à quorum tempe-

temperamento non multum Noſter recedit, ob illud ipſum acidum concentrans fixius à purgantibus, in ſpecie vomitoriis, minus moveri, adeò ut deſideratiſſimus D. D. Ettmüllerus Id. præſer. form. C. 1. §. 10. benè notet, Tartarum Emeticum qui alios fortiter exagitet, hypochondriaco-melancholicos vix tantillùm, etiam ſub triplâ doſi movere. Patet hìnc 3. minùs verò conſentire quod Galenus 3. ſimp. c. 24. & ejus Aſſeclæ docent, purgantia, adeòque & vomitoria, in ſubſtantiam veneno finitimam mutari, ſi nihil purgent.

Ibidem Anno 4. Obſervatio 89. De ſingulari Epilepſiæ infantilis cauſâ.

VEnatio dat intellectum, πολυθρύλλητον hoc & mihi haud ità pridem ſe verum probavit, cùm menſe Aprili proximè præteritô filiolam lectiſſimam mihique chariſſimam, vix octavum ætatis menſem emenſam, nec ultrà quatriduum ægram, dura mihi fata ex improviſô eriperent. Erat nempè quandiù vivebat, optimè ſana, vegeta, benè colorata, ſanguinis ſuccique plena, donec d. 11. Aprilis circa nonam veſpertinam de ſubitô clamore & ejulatu totas repleret ædes, ſatiſque ſic innueret, ſe non levibus internè torqueri doloribus, totô mox corpore flaccidior, caput vix erectum ſuſtinebat, calore p. n. æſtuabat, vomitû rejiciebat aſſumta, eâ quin etiam nocte, vel ſepties deficiebat, hiſque perſeverantibus ſymptomatibus poſtridiè acceſſere convulſiones, quæ adeò exagitabant tenerum ejus corpuſculum, ùt tantis inſultibus ferendis impar, & fruſtrà in auxilium vocatis vel ſelectiſſimis remediis, d. 14. Aprilis redemptam à Salvatore ſuo animulam, & Sacrô Spiritus S. Lavacrô ablutam, Creatori ſuo redderet. Maximô itaque mœrore affectus in Phyſicam tam ſubitæ metamorphoſeos cauſam inquirens ſollicitè cui hanc adſcriberem reſcire nil aliud potui, quàm quòd uxor chariſſima pridiè morboſæ hujus acceſſionis nil mali cogitans, ſquamoſam illam in vertice cruſtam, ex continuis per cranii hiatum elevatis, & per aërem externum coagulatis vaporibus natam ut emolliretur & tolleretur poſteà, butyro inunxerit; cùmque meminerim, ante hos tres annos à ſimili inunctione in filiolo etiam convulſiones, licèt non lethales, eſſe ſubſecutas; uxor etiam admonita in memoriam ſibi revocaverit, & binos filiolos in primô ſuô conjugiô ſuſceptos brevi poſt ejuſmodi inunctiones convulſionibus extinctos; non dubitavi in hanc ipſam inconſideratam inunctionem (quæ oleoſis etiam aliis fieri ſolet) præcipuam hujus mali cauſam procatarcticam, mihi hactenùs non lectam, conjicere. Cogitavi ſiquidem quemadmodùm charta bibula ſibi relicta, liquoribus aquoſis, ſalſis, ſpirituoſis facilem; inuncta verò oleô vel aliâ pinguedine difficillimum concedit tranſitum; ità & obſtructi ab inunctione iſtâ cutis verticalis pori fuliginibus vaporibuſque heterogeneis conſuetam, & ab ipſâ Naturâ ſollicitè fabricatam viam denegant, qui adeò intra cerebrum coërciti, & tam quantitate quàm qualitate nervoſo generi infenſi, in hoc ſeſe retrogradi inſinuant, ſpirituum humorumque motum turbant, Archæum irritant, qui moleſtos ſibi hoſpites excuſſurus omnia tentat, vomitus ſedeſque movet, ſanguinis motum accelerat, convulſiones concitat, ſed perturbatâ tandem totâ animali œconomiâ delaſſatus victuſque fatiſcit. Meritò itaque mos iſte inungendi perquàm noxius, & mulierculis ſub ſpecioſô, ſordes nidum pediculis præbentes tollendi, titulô imponens inculpatur, &, ſi omninò illa cruſtæ remotio neceſſaria aliquando videatur, conſultiùs vel liquoribus magis reſolubilibus, aqueis aut ſpirituoſis, peragitur, vel ad omnimodam cranii coarctationem differtur.

Scholium

Ingenioſam hanc & rationi conformem conjecturam meritò Hippocraticam dicemus, cùm divinus Senex *libr. de Morbo Sacrô*, in fœtû pituitoſô, ſi ulcera in capite &c. erumpant, ſalutis ſpem denunciet, illi verò, qui purus fuerit, & neque ulcus ullum habuerit, periculum præſagiat, nè ſcil. is comitiali morbô corripiatur. Ex quô patet, quàm benignè Natura mater cum puerulis agat, dum cauſam illam, tanti morbi productricem, è corpore in partes externas eliminat; quam itaque in corpus repellere, non poteſt non maximum diſcrimen adferre; cùm non tantùm humoris copia, ſed imprimis ejuſdem etiam acrimonia cerebro & nervoſis partibus quàm maximè adverſetur; quam nempè acredinem veterum etiam nonnulli expreſsè nominant, & ſalſam craſſamque pituitam accuſant, à lacte eâdem qualitate donatô generatam. Ne autem gratis hæc dicantur, exemplum de Epilepſiâ ex achoribus repreſſis inductâ apud *Jerem. Martium*, *Obſerv. Med.* 24. legi poteſt, quô reſpectû etiam communiter Practici, remedia adſtringentia, frigida, & materiam in corpus repellentia, eſſe fugienda, innuunt. Intereà tamen eoſdem nihilominùs inunctionem cum oleoſis, quale butyrum eſt, in hôc affectû commendâſſe, legimus; ſic *Marcellus Cumanus* plurimos infantes, uti Obſ. 23. apud noſtrum *Welſchium* in *Sylloge Obſerv. Medd.* teſtatur, hôc modô curatos vidit, lavando caput cum decocto hordei, malvæ & hederæ, imponendo dein caules leviter torrefactos, & inde caput ungendo cum butyrô lotô; Confer. etiam *Bald. Timæi lib.* 5. *Caſ. med.* 3. Verùm cùm hæc non niſi poſt aliorum abſtergentium & quæ antiquorum methodus ut plurimùm præſupponit, univerſalium, eaque inter præcipuè purgantium uſum, adhibita fuerint, eô minori etiam cum periculô id factum fuiſſe, credibile eſt. Hìnc eſt, quòd Nob. D. *Joh. Dolæus Encyclop. med. lib. 6. c.* 11. lotiones & inunctiones non ſtatim eſſe adhibendas, moneat, ſed demùm, datis aliquandiù purgantibus & expellentibus; varia dein unctuoſa præſcribens, & imprimis butyrum geranii virtute imprægnatum, ad totum caput illinendum, ceù propriâ experientiâ comprobatum medicamentum, commendans.

Ibidem Obſervatio 90. De Euporiſtô externô in doloribus, tumoribuſque artuum.

ANnô præteritô Textoris ſervus viginti aliquot annos natus dolores primùm vagos per totum corpus oberrantes ſenſit, qui poſtmodum fixi magis, dextram potiſſimùm manum, pedemque ſiniſtrum, ab iſchiô ad plantam uſque, adeòque ſpatiô etiam inter juncturas mediô, occupârunt, ita ut, ſi vel manum vel ejus digitos flectere tentaret, quamplurimis in eâ parte compungi aciculis, ſi verò pedem verſùs abdomen retraheret, acutorum inſtar cultrorum ſenſum in hôc ſibi percipere videretur, pedi etiam huic abſque inſigni dolore inſiſtere vix auderet, nullô interim in partibus affectis

affectis vel tumoris vel mutati coloris apparente veſtigiô. Obtundendis his acrium humorum ſpiculis varia oppoſui, tam interna præcipitantia dicta, cinnabarina, anodyna, diaphoretica, purgantia, quàm externa lumbricalia, ſalina volatilia, ſpirituoſa, camphorata &c. vix ullò cum notabili levamine. Suadeo tandem recentia Raphani ruſticani folia, ad ſuccum eliciendum parùm contuſa, inſtar cataplaſmatis manui affectæ applicanda, eô quidem cum ſucceſſu, ùt primùm ſub aliquot horarum inhæſione non ſolùm vix ferendum contraherent fœtorem, ſed & poſtmodùm, novis ſemper ſubſtitutis, haud procul ab infimô minimi digiti articulô ulcuſculum excitarent, quod acre lenſim & flaveſcens ſtillavit ſerum, ſubſequente mox & doloris remiſſione, & liberiore manûs motû, & ſpontaneâ tandem ulcuſculi hujus occluſione. Cùm verò tùm temporis, menſe ſc. Octobri, ob ingraveſcens quotidiè hibernum frigus & tectas nive plantas, vegeta non ſuppeterent folia ad idem experimentum in affl.ctô quoque pede proſequendum; hôc demùm annô, ſuô Marte, illud in hoc pede reaſſumſit, eôdem quo in manû i. e. peroptatô cum ſucceſſu, ſimili etiam ſupra genu excitatô fonticulô, omnem doloris cauſam fundente, eâque fuſâ ſponte coaleſcente. Aliâ vice, cùm Ancilla mea tumorem pedis eryſipelatodem incurreret, cum tenſione ſummè & dolentem & rubentem, iſque tam internis quàm externis, acidum eryſipelaceum aliàs debellantibus & liberum hinc humoribus ſtagnantibus motum reconciliantibus vix auſcultaret; meô ſuaſû parti affectæ, jam ad colorem fuſcum inclinanti, Raphani ruſticani recentia folia leviter contuſa impoſuit, prioribuſque lenſim exſiccatis, alia ſubſtituit, eâ felicitate, ùt brevi omnis dolor, rubor, inſenſibiliter diſcuteretur.

Scholium.

Nob. *D. Thom. Bartholinus in addit. ad Diſſ. 4. de Medic. Danor. domeſt.* nobilem quandam fœminam doloris dentium remedium quærere, ſcribit, ex raphanô ruſticanô contuſô, venis cubiti lateris affecti impoſito; cujus remedii effectum dilucidat Exc. D. *Hermann. Grabe in tract. de Arcan. Medic. non Arcan. pag.* 190. & cauterii vicem quodammodo ſuſtinere judicat, quô lymphæ particulæ tenuiores & acriores abſorbeantur & educantur. Sic eaſdem radices iſchiadicis quoque impoſitas laudat *Joh. Theodorus Tabernæmontanus in herbar.* Quæ omnia, ceu & reliquas virtutes eidem adſcriptas, ſali volatili acerrimo, quô vegetabile hoc pollere, vel oculorum fide, quibus ſæpè lachrymas ejuſdem comeſti vel contuſi ſpicula exprimunt, adjudicanda eſſe, nemo diffitebitur.

Ibidem Annô 5. Obſervatio 30. De uſû raphani ruſticani in Pleuritide.

OCcaſione Obſervationis, quam de raphanô ruſticanô in *præteritô Ephemeridum harum Annô numerus XC.* dedit, communicare libet, quòd nuper demùm mihi pleuriticæ cuidam ancillæ Medicinam facienti, de raphani dicti in eôdem morbô virtute, illi quam *Th. Bartholinus* in dolore dentium recenſet, analoga, Matrona quædam retulit; videlicet quandam ſibi notam fœminam, filiæ ſuæ pleuriticæ, raphanum dictum abdomini imponendo, dolorem ex latere in abdomen derivâſſe; id quod & ipſa poſteà in librô aliquô notatum deprehenderit. Sed quomodo hoc cum obſtructione in vaſis pleuræ, ab acidô ſanguinem coagulante inducta, & à multis modernis accuſata conciliari queat, aliis dijudicandum relinquo.

Scholium.

Cùm ſal volatile in raphanô hôc & penetrantiſſimum & ſubtiliſſimum eſſe ſenſus doceat, impoſitus ille abdomini per poros cutaneos ubiquè patentes, intromittere atomos illas efficaciſſimas potuit, quæ ſanguini communicatæ, cum illô per corpus circulari, & obſtaculum circa pleuram offendentes, ſanguinem nempe ac ſerum ibi coagulatum, reſolvendo illa, atque ſi acorem contraxerint, eum deſtruendo, attenuare, ſicque ad priſtinum motum reducere valuit, præcipuè, quòd ſuſpicari hìc liceat, ſi illa ſanguinis ac ſeri ſtagnatio non enormis, ſed tolerabilior exſtiterit. Quamvis & hæc cura ſuccedere potuerit, quatenùs, id quod equidem in hiſtoria expreſſè non declaratur, effectum ante annum recenſitô analogum præſtitit, ulcuſculum nempè in abdomine excitando, per quod pars ſeri cùm evacuaretur, ſtagnans illud alterum, præcipuè ab adpellentibus, unà partibus raphani reſolventibus attenuatum, eò promptiùs in vaſa convenientia, nonnihil ſic inanita, readſumtum fuit.

Ibidem Obſervatio 216. De Hæmorrhoidum fluxû, Vomitoriô curatô.

PUrgantia omnia, cùm ob acres ſuas & volatiles ſalino-ſulphureas particulas, humores corporis & inter hos ſanguinem quoque, turbent, fundant, & Naturam ad excretionem irritent, hiſque effectibus vomitoria violentum adhùc motum, & totius corporis concuſſionem ſuperaddant; facilè concludendum videtur, minùs commodè hæc in quâvis ſanguinis excretione p. n. propinari; ut quæ promoveretur hinc magis quàm ſiſteretur; Dari tamen caſus, in quibus præſentanei ſint uſûs vomitoria, ſequens docet hiſtoriola Medica. Vir honeſtus quadraginta & aliquot annos natus, hæmorrhoidum fluxui non raro, ſed tùm imprimis & copioſiori & diuturniori obnoxius, cùm ex officii civilis ratione Baccho vel plùs vel ſæpiùs ſolitô litare tenetur; tali enim prægreſſâ cauſâ non dies dûntaxàt aliquot, ſed integras ſeptimanas nonnunquàm duravit, cum inappetentiâ, virium lapſû, colore faciei decolore &c. Sumtâ itaque aliquandò à dictâ cauſâ occaſionali & appetitû proſtratô indicatione, Tartari Emet. gr. IV. ſat aliàs robuſto exhibui, & en! vixdum ceſſante vomitû hiſce concitatô, omnis illico fluxus, qui à 14. diebus jam continuaverat, cum euphoriâ ceſſavit; Quô ſucceſſû permotus, aliquot poſteà vicibus in ſimili caſû ſimili uſus remediô, ſimili quoque ſemper, id eſt, optatô gaviſus eſt ſucceſſû. Nimirùm ſalinæ vini particulæ nimiâ copiâ in ventriculô congeſtæ, & fermentum ejus corruperunt, & cum chylô quoque ſanguini atque bili ſua ſpicula communicârunt, unde humores hi & fluidiores & acriores redditi, facilem ſibi per vaſa hæmorrhoidalia viam parârunt; ſalina verò hàc tam ventriculi quàm veſicæ felleæ ſaburrâ partim vomitû rejectâ, partim eâ, quæ maſſæ ſanguineæ jam tùm permixta erat, per colatoria forsàn in evacuatæ locum reſorptâ vel repoſitâ, ſanguis ſuæ reſtitutus craſi & conſiſtentiæ, jam multò pacatior, ſuis ſe ſponte continuit alveolis.

HERMANNUS (*Daniel*)

Ex eô habetur

De Ranâ & Lacertâ ſuccino Pruſſiaco inſitis, Diſcurſus.

HERMANNUS (*Gualtherus*) Riif. Argentoratenſis Medicus, & Dioſcoridis Explanator, claruit Moguntiæ circa A. C. 1539. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extant

Pedacii Dioſcoridis, *Anazarbei*, de Medicinali Materiâ, Libri ſex, Johanne Ruelliô, *Sueſſionenſi*, interprete : Singulis cùm Stirpium tùm Animantium Hiſtoriis, ad naturæ æmulationem expreſſis imaginibus, ſeu vivis picturis, ultrà millenarium numerum adjectis ; non ſine multiplici peregrinatione, ſumtû maximô, ſtudiô atque diligentiâ ſingulari ex diverſis regionibus conquiſitis. Additis etiam annotationibus, ſive, ſcholiis breviſſimis quidem, quæ tamen de Medicinali materiâ omnem controverſiam facilè tollant, per Gualt. Riifum. Acceſſerunt Valerii Cordi, *Simeſuſii*, Annotationes doctiſſimæ in Dioſcoridis de Medicâ materiâ Libros ; Judicium de herbis & ſimplicibus Medicinæ ; ac eorum, quæ apud Medicos controvertuntur, Explicatio ; Herbarum nomenclaturæ, variarum gentium Dioſcoridi adſcriptæ, ſecundum litterarum ordinem expoſitæ. Cum Indice quintuplici, omnium ferè ſimplicium nomenclaturas Græcas, Latinas, Gallicas, Germanicas, & curationes & remedia morborum complectente. Francof. ap. Chriſt. Egenolphum, 1549. in fol.

Joh. Baveri Conſilia de Re Medicâ recognita edidit.

Item Raymundi Lullii de Secretis Naturæ, ſeu, Quintâ Eſſentiâ, Librum.

De Memoriâ Artificiali, quam memorativam artem vocant, Opuſculum rarum ac inſigne, totius ejus negotii rationem, mirâ induſtriâ & brevitate complectens. Item de Naturali Memoriâ, quomodò Medicinæ beneficiô excitanda, augenda & confirmanda, Capitis & Cerebri bonâ contemperatione roborationeque, Libellus. Argentinæ, apud Georgium Machæropeum 1541. in 8.

Medicinæ Theoricæ & Practicæ breve quidem, ſed doctiſſimum pariter ac opulentum Enchiridion, totam rem mirè eruditis, dilucidis ac ſuccinctis Aphoriſmis complectens, in rei Medicæ ſtudioſorum gratiam, ex doctiſſimorum virorum Libris excerptum, & non ſine inſigni delectû congeſtum ; non modò Medicis, verùm & Chirurgis accommodum atque adeò neceſſarium. Quibus adjecimus A. Cornelii Celſi ſententias elegantiſſimas ex Libris ipſius diligenter ſelectas. Argentorati, apud Georgium Meſſerſchmid, 1542. in 12.

Jatromathematicæ, hoc eſt, Medicationis accommodatæ ad Aſtrologicam rationem Enchiridion, de Criſi, deque Inveſtigatione Dierum Criticorum, Indicativorum, Intercadentium, ſive Provocativorum, & Vacuorum, rationali modô, & planè Aſtrologicô : Cum Canonibus aliquot & multis aliis, futuro Medico admodùm neceſſariis. Argentorati, apud Georg. Machæropeum, 1542. in 12.

Alberti Magni Libros quinque de Mineralibus & Rebus Metallicis repurgavit & publicavit. Argentorati, apud Balthaſarem Beck, 1541. in 8.

Edidit prætereà Chirurgiam magnam, Linguâ Germanicâ conſcriptam.

HERMANNUS (*Johannes*)

Ex eô habentur

Oratio de Medicinæ uſû. Item de rerum ſympathiâ, & antipathiâ. Extat Tomo IV. Orationum Philippi Melancthonis, p. 708.

De cauſâ putredinis in corpore humanô & an definitiones putredinis ab Ariſtotele & Galeno poſitæ, rei ipſi conveniant, necne ? Wittebergæ, 1556. in 8.

HERMANNUS (*Paulus*) Luget hodiéque Hollandia Botanicum inſigem *Paulum Hermannum*, etſi jam ſub anni ſuperioris initium, die 29. Januarii vivis ereptum. Patriam is Halam Saxonum, aut ſi mavis, Magdeburgicam habuit ; ſed exteras regiones viſendi ſummâ cupiditate ductus, in Hollandiam primùm, indè in ipſam Indiam Orientalem profectus, Medici munus in Inſulâ Zeilanicâ aliquot annis ſuſtinuit, ab Illuſtriſſimis denique Academiæ Lugdunenſis Curatoribus A. 1679. ad Botanices profeſſionem publicam obeundam in Hollandiam revocatus; quam Spartam quòd exornaverit, vel Horti Academici Lugduno-Batavi Plantarum catalogus & Floræ Lugduno-Batavæ Flores, de quorum illô in Actis A. 1687. p. 245. his autem A. 1691. p. 217. diximus, dubitare neminem patiuntur. *Ex Act. Lipſienſ. Ann.* 1696. *p.* 50.

Ibidem, ſcilicet in Actis Lipſienſ. Annô 1687. *p.* 245.

Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogus Plantarum. Lugduni Batavorum, apud Cornelium Boutenſtein, A. 1687. *in* 8.

Nihil ſolidi ex Botanicis à temporibus Dioſcoridis, imò ipſô Theophraſti ævô, orbem vidiſſe litterarium, in turpe antiquitatis opprobrium, commemorat Fabius Columna. Nos jam contrarium optimô jure affirmamus, poſtquam nempè *Zannonius*, *Syenius*, *Moriſonus*, *Muntingius*, *Breynius*, *Ammannus*, *Dodartus*, *Triumfettus*, *Rajus*, & nunc quoque *Hermannus* artem hanc excolere, intimiuſque in plantarum ac fruticum naturas penetrare cœperunt. Remotis namque fatali credulitate, vanâ perſuaſione, nomina olim herbis imponentibus, ex ſolô naturali charactere rectiùs ſingularum plantarum fieri appellationem demonſtrârunt. Non vacat ſpeciatim Botanicorum ſupra nominatorum inſolitos labores examinare, digniſque præconiis extollere ; Hermanni ſolummodò notitiam plantarum exquiſitam, ſtudiumque rei herbariæ ſummum inpræſentiarum deprædicabimus. Hicce enim poſtquam à teneris ſtatim unguiculis ſtudio Botanico animum appulicuiſſet, fundamentis hujus ſcientiæ tam in Germaniâ, quàm Italiâ aliiſque regionibus poſitis, ad Indos quoque excurrere non detrectavit ; ubi etiam per aliquot annos hærens, non minùs perfectam ac raram herbarum exoticarum notitiam ſibi comparavit. Et ne forſan L. B. ex affectû nos hæc protuliſſe credas, inſpice, quæſo, ipſe catalogum, & niſi veritatis impudentiſſimus fueris hoſtis, aut planè peregrinus in Botanicis, dubio ſine nobiſcum fateberis ; noſtri temporis Botanicorum facilè principem eſſe Hermannum. Quo verò præguſtum ſaltim aliquem habeant Botanophili, antequam ad manus ipſorum perveniat hoc ſcriptum, ſciant hanc methodum adhibuiſſe Autorem, ut juxta Alphabeti ſeriem nomina plantarum horti Lugdunenſis ſuis legitimis characteriſticis notis convenientia recenſeat, reliquis, ſynonymis putà, virtutibus, aliiſque ad hiſtoriam ſpectantibus omiſſis. Ne tamen propterea manca ſit illarum deſcriptio, hinc inde Autoris cujuſdam librum ac pagi-

paginam, qui ſufficienter ea pertractavit, allegat. Sed cùm plures prætereà plantas à nemine hucuſque deſcriptas Noſter quoque ſuô in hortô coluerit, nomina quædam excerpta è catalogô, æſtimatoribus exoticarum plantarum dabimus. Sunt verò ipſa *Aloës Americana minor*, *Althæa ricini folio Virginiana*, *Cardiaca Americana annua nepetæ folio floribus brevibus phœniceis villoſis*, *Cnicus perennis cœruleus Tingitanus*, *Colutea Zeylanica argentea tota*, *Convolvulus maritimus Zeylanicus folio craſſo cordiformi*, *Crotalaria hirſuta minor*, *Geranium Africanum folio ibiſci*, *betonicæ*, *alchimillæ*, *uvæ criſpæ*, *Milium Indicum arundinaceo caule granis flaveſcentibus*, & *nigris*, *Nerium anguſtifolium Indicum floribus odoratis ſimplicibus*, & *plenis*, *Nux juglans Virginiana nigra*, *Tulipifera arbor Virginiana*, *Viola Indica ſcandens naſturtii ſapore maxima odorata*, *Jaſminum Americanum trifolium odoratiſſimum flore albo*, *Narciſſus Zeylanicus flore albo hexagono odorato &c.* Plures equidem potuiſſemus æque raras nominare plantas, ſed brevitati ſtudentes in his acquieſcimus. Scias interim de omnibus hiſce, tam recenſitis quàm omiſſis rarioribus vegetabilibus, deſcriptionem abſolutam & utplurimum delineationem etiam inſeruiſſe Autorem. Tabulis hinc ultra centum affabrè inciſis æri hortum hunc chartaceum exornatum reperies; & quandoquidem aliquot inter eas plantas antehàc minùs accuratâ manû expreſſæ fuerint ab aliis, exquiſitas magis illarum figuras hic quoque obſervabis.

Ibidem Ann. 1691. *p.* 217.

Floræ Lugduno-Batavæ Flores, ſive,

Enumeratio ſtirpium Horti Lugduno-Batavi, methodo Naturæ veſtigiis inſiſtente diſpoſitarum, & annô 1689. *in lectionibus tam publicis quàm privatis expoſitarum, à Paulô Hermannô, editarum opera Lotharii Zumbach Med. Cand. Lugd. Batav. apud Freder. Haaring,* 1690. *in* 8.

QUantum rei herbariæ numerus à Cl. Hermannô auctus ſit, id quidem vel ſolus Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogus, quem Menſe Majo anni 1687. recenſuimus, teſtari abundè poteſt. Accedit ejuſdem Prodromus Paradiſi Batavi, in quô Plantæ rariores omnes in Batavorum hortis hactenùs cultæ, & plurimam partem à nemine anteà deſcriptæ recenſentur; prout annexus Scholæ Botanicæ Clariſſimi Joſephi Pitton Tournefort, edente in lucem Simone Warthon Anglo, Amſtelodami annô 1689. prodiit.

Creſcente igitùr magis magiſque plantarum numerô, ſuarum eſſe partium arbitratus eſt Autor, ad imitationem Roberti Moriſon, Raii aliorumque recentiorum, cogitare ſeriò de ordine ac diſtributione illarum methodica: non ignarus, ejus beneficiô multùm levari difficultates ſtudii Botanici haud contemnendas. Eum ergò in finem non ea modò, quæ A. 1689. publicè privatimque diſſeruit hûc ſpectantia, ſub titulô Florum Floræ Lugduno-Batavæ edi à quodam ſuorum auditorum paſſus eſt; ſed & prætereà, quæ inibi corrigenda duxit, reviſa ſuperioris anni æſtate, meliorique digeſta ordine, in Appendice paulò poſt annexa exhiberi voluit. Erit autem Botanophilis non ingratum opus, ſi breviter recenſebimus ſumma plantarum genera ad mentem Authoris diſpoſita.

Nimirùm ante omnia dividuntur plantæ in *Gymnoſpermas* & *Angioſpermas*.

Illius generis ſunt 1. *Gymnopolyſpermæ*, ſeu ſeminibus poſt ſingulos flores plurimis nudis, uti ſunt Chelidonia minor, Ranunculus, Anemone, Pulſatilla, Clematis, Pentaphyllum, Fragaria, Cariophyllata, Filipendula, Ulmaria, Thalictrum, Plantago aquatica, Sagitta, Malva & Alcea.

2. *Gymnodiſpermæ* Umbellatæ ſeu ſeminibus poſt ſingulos flores binis; Fœniculum, Cuminum, Meum &c.

3. *Gymnomonoſpermæ*, ſeu ſeminibus poſt ſingulos flores ſolitariis; Valeriana, Valerianella, Limonium, Dentillaria, Mirabilis Peruviana & Fumaria. Quibus affines ſunt Monocarpæ, Circæa atque Agrimonia; quamvis & Unicapſularibus ſubjungi poſſint tanquam unicapſularia diſperma.

4. *Gymnoſpermæ* floribus compoſitis, & quædam *pappeſcentes* & *lacteſcentes*, Lactuca, Chondrilla, Sonchus, Hieracium, Scorzonera, Tragopogon; *pappeſcentes non lacteſcentes*, Helenium, Aſter, Doronicum, Conyza, Jacobæa, Senecio, Virga aurea, Eupatorium, Cacalia, Tuſſilago, Petaſites, Elichryſum, Gnaphalium, Xeranthemum; item *capitatæ pappeſcentes* floribus fiſtuloſis, Carduus, Cnicus, Cirſium, Cinara, Jacea, Centaurium majus, Serratula, Cyanus, Lappa: & *lacteſcentes non pappeſcentes*, Scolymus chryſanthemus, Intybus, Cichoreum: & tandem *Corymbiferæ nec pappeſcentes nec lacteſcentes*, Flos Solis, Chryſanthemum, Calendula, Tagetes, Bellis, Chamæmelum, Matricaria, Ptarmica, Millefolium, Abrotonum, Abſinthium, Artemiſia, Draco, Tanacetum, Ageratum. Quibus affines ſunt Scabioſa, Dipſacus & Eryngium.

5. Plantæ *Gymnodiſpermæ* ſtellatæ, Rubia; Mollugo, Aſperula, Aparine.

6. *Gymnotetraſpermæ aſperifoliæ*, Borrago, Bugloſſum, Cynogloſſum, Anchuſa, Heliotropium, Symphytum, Echium, Cerinthe.

7. *Gymnotetraſpermæ verticillatæ*, Lavendula, Stœchas, Stachys, Betonica &c.

Ex altera parte *Angioſpermæ* ſive quæ ſemina capſulis incluſa geſtant, ſunt:

1) *Unicapſulares polyſpermæ*, Primula veris, Auricula urſi, Cortuſa, Alſine, Lychnis, Caryophyllus, Nummularia, Anagallis, Portulaca, Hydrophyllon, Trifolium paluſtre, Glaux.

2) *Bicapſulares polyſpermæ*, Centaurium minus, Lyſimachia, Sanicula, Blattaria, Verbaſcum, Gentiana, Digitalis, Gratiola, Hyoſciamus, Nicotiana, Linaria, Antirrhinum, Scrophularia, Pedicularis, Melampyrum, Euphraſia, Veronica; quibus addantur *bicapſulares diſpermæ*, Branca Urſina, & Polygala.

3) *Tricapſulares polyſpermæ*, Hypericum; Ciſtus humilis, Pyrola, Gramen Parnaſſi, Viola, Aſarum, Convolvulus, Campanula, Rapunculus, Reſeda, Valeriana Græca. His annumerentur *Tricapſulares tricoccæ*, Ricinus & Tithymalus.

4) *Quadricapſulares*, Ruta & Stramonia.

5) *Quinquecapſulares pentacoccæ*, uti Geranium; & *polyſpermæ*, Althæa, Ciſtus, Balſamina, Oxys, Capparis folio portulacæ.

6) *Multicapſulares* polyſpermæ, Nymphæa, Nigella, Linum; & *Multiſiliquæ polyſpermæ*, Sedum, Telephium, Pœonia, Helleborus, Fraxinella, Caltha paluſtris, Staphiſagria, Aconitum, Aquilegia, Conſolida regalis.

7) *Siliquoſæ unicapſulares bivalves & polyſpermæ*, Chelidonium majus, Sinapiſtrum, Hypecoon,

pecoon, Epimedium, Fumaria ſiliquoſa, item *unicapſulares*, Clematis, Clematis Daphnoides, Aſclepias, Apocynum, Nerium.

8) *Quadricapſulares polyſpermæ*, Lyſimachia dicta Chamænerion & corniculata.

9) *Bicapſulares ſiliculoſæ tetrapetalæ* Thlaſpi, Burſa paſtoris, Naſturtium, Iberis, Lepidium, Myagrum, Cochlearia, Leucojum incanum, & luteum utriculato ſemine: & *ſiliquoſæ*, Braſſica, Rapum, Sinapi, Eruca, Eryſimum, Naſturtium ſylveſtre, Raphanus ruſticanus, Leucojum, Dentaria, Draba, Heſperis, Thlaſpi Mechlinenſe; cum *ſiliquoſis fungoſis*, Raphano, Raphaniſtro.

10.) *Leguminoſæ papilionaceæ* jam ſequuntur longa ſerie, *unicapſulares*, Phaſeolus, Piſum, Lathyrus, &c. *bicapſulares* Aſtragalus & Tragacantha; *unicapſulares ſiliculoſæ*, Onobrychis, Melilotus, Trifolium; *unicapſulares cochleatæ*, Medica. Quibus addantur *ſiliquis unicapſularibus papilionaceis affines*, Senna, & Mimoſa, ut & *ſiliculoſa quinque capſularis*, Tribulus terreſtris.

11) *Tricapſulares* Lilium, Corona Imperialis, Martagon, Fritillaria, Tulipa, Hyacinthus, Ornithogalum, Squilla, Phalangium, Aſphodelus, Dens canis, Leucojum bulboſum, Narciſſus &c.

12) Tandem ſequuntur *bacciferæ*, Rubus, Smilax, Bryonia, Chriſtophoriana, Laurus Alexandrina, Ruſcus, Polygonatum, Lilium convallium, Aſparagus, Solanum, Moſchatellina, Capſicum, Arum.

13) & *Pomiferæ*, Cucurbita, Pepo, Colocynthis, Anguria, Melo, Cucumis, Flos paſſionis; quibus affines ſunt Ficus Indica, Cereus, Ficoides, Ananas.

14) Plantæ autem *apetalæ* ſunt vel *monoſpermæ*, Pimpinella, Lapathum, Biſtorta, Perſicaria, Frumentum Saracenicum, Polygonum, Blitum, Atriplex, Parietaria, Alchimilla, Amaranthus tricolor, Urtica, Cannabis, Kali, Ambroſia, Spinachia; vel *diſpermæ*, Mercurialis, Xanthium, Plantago, Pſyllium; vel *polyſpermæ*, Beta, Amaranthus.

15) Præterea dantur & *Juliferæ*, Acorus, Ophiogloſſum, Equiſetum, Typha; & *pilulifere*, ut Sparganium; & *epiphylloſpermæ*, Phyllitis, Hæmionitis, Polypodium, Lonchitis, Aſplenium, Trichomanes, Adianthum, Filix.

16) *Graminifoliæ culmiferæ* ſunt frumentum Indicum, Triticum, Hordeum, Oryza, Panicum, Phalaris, Milium, Lachryma Jobi, Avena, Gramen; *non culmiferæ*, Cyperus, Juncus &c. Seorſim autem in Florâ pag. 153. & ſeqq. Arborum habetur diſpoſitio, quorsùm evitandæ prolixitatis gratiâ L. B. remittimus.

Ibidem Annô 1699. *p.* 237.

Paradiſus Batavus continens plus centum Plantas affabrè ære inciſas & deſcriptionibus illuſtratas. Cui acceſſit Catalogus Plantarum, quas pro tomis nondum editis delineandas curaverat Paulus Hermannus: Opus poſthumum. Lugduni Batav. apud Abrah. Elzevier, 1698. *in* 4.

MŒſtiſſimum Hermanni fatum haud levem intuliſſe calamitatem orbi literario eluceſcit imprimis exin, quod doctiſſimus hic Botanicus elegantiſſima divulgare ſcripta habuerit in animô, quæ tamen ob inopinatam ejus mortem manca mutilave posteritati reliquit. Non niſi prima enim poſuit fundamenta ſecundæ Floræ Batavæ editionis, Indicis Plantarum utriuſque Indiæ in certas redactarum claſſes, Muſæi Zeylanici, Catalogi plantarum in Promontoriô Bonæ Spei ſponte naſcentium, Tractatus de Materiâ Medicâ, nec non Paradiſi Batavi. Ne autem inelaborata licèt ac imperfecta hujus Viri monumenta perirent penitùs, *Guilielmus Sherardus*, Botanicus inſignis, Sociuſque Collegii S. Johannis in Illuſtri Academiâ Oxonienſi meritiſſimus, in ſe ſuſcepit curam, & ex ſchedulis pluribus conſtruxit Paradiſum, quem hic ſiſtimus, Batavum, promittens inſuper in Præfatione, & Catalogum Plantarum in Promontoriô Bonæ Spei ſponte naſcentium, & Tractatum de Materiâ Medicâ, brevi in lucem ſua opera prodituros.

Præſens Opus Botanicum plus centùm exhibet Plantas raras ſatis atque elegantes, ſerie alphabeticâ diſpoſitas, atque figuris æneis non minùs, quàm deſcriptionibus illuſtratas. Equidem olim in Plantarum deſcriptione ad fructificationem imprimis reſpiciebat Hermannus, deſumens notam, uti loquuntur, characteriſticam à ſeminum eorumque capſularum diſpoſitione; attamen in hoc Opere normam hancce non æquè ſecutus, à totius Plantæ habitu petiit deſcriptionem. Quantum enim ex Præfatione conſtat, mutavit Clariſſimus Autor ſuam de methodô Plantarum ſententiam, agnovitque omnem characterem inſufficientem minùſque univerſalem eſſe, qui depromitur vel à fructificatione ſolâ, vel à florendi modô, vel ab utrôque ſimùl junctô. Quippe character, qui à ſolâ derivatur fructificatione, exceptiones patitur in Fumariæ ſpeciebus, quarum aliæ ſunt ſiliculoſæ, aliæ ſiliquoſæ, aliæ ſemina inflatis veſiculis incluſa producentes, uti apparet in Fumariâ Africanâ Veſicariâ ſcandente; quæ difficultates annotantur porrò in Papavere, Hypericô, Ciſtô &c. Floris conſtitutionem præbere characterem incertum, probatur exemplo ſpecierum Solani, quarum aliæ florem gerunt tetrapetalum, ut Solanum tinctorium Barbadenſe & Zeylanicum, aliæ pentapetalum, ut Solanum ſeu Amaranthes Indicus baccifer. Sic Verbera urticæ folio, necnon Verbena ſpicâ multiplici, flores proferunt regulares; ſpecies reliquæ congeneres, irregulares. Inter Corymbiferos Plantæ ejuſdem generis proferunt flores diverſos, ſcilicèt radiatos, nudos, nunc nudos, nunc radiatos. Denique & incerta pronunciatur methodus, quæ pro fundamento agnoſcit & florem & fructum ſimùl ſumtos. Exiſtimatur proinde, non ab his tantùm ſed à totius Plantæ habitû creſcendique modô characterem eſſe derivandum. Quamvis verò Plantæ in Paradisô Batavô traditæ in certas claſſes haud ſint redactæ, deſcribuntur tamen ſecundùm methodum jam indicatam.

De eo exinde extant

Lapis Materiæ Medicæ Lydius, ſeu accuratum Medicamentorum ſimplicium Examen, ſecundum ductum partium eadem conſtituentium eorumque virtutes formantium, inſtitutum, accurante Chriſt. Ludov. Welſchio. Lugduni Batav. apud Henr. Teering. 1704. 8.

Cynoſura Materiæ Medicæ, ſeu brevis ac ſuccincta Methodus notitiam ſimplicium Medicamentorum comparandi, deſumpta ab interna partium conſtitutione, ubi ſimplicia juxta partes ſuas conſtitutivas in certas claſſes diſtribuuntur, poſt denominationem ſuccincta deſcriptio traditur, vires atque virtutes enarrantur, & modus

modus dextrè uſurpandi monſtratur, in lucem emiſſa à Joh. Sigiſmundo Henningero Med. Doct. & Prof. Publ. ordin. Argentorati, ap. Joh. Friderici Spoor viduam, 1710. in 4. & apud Beckium, 1726. 4.

HERMES vid. TRISMEGISTUS.

HERMOGENES, Adriani Imperatoris Medicus, plures reliquit Libros à Galeno non unâ vice laudatos. De eo etiam mentionem facit Xiphilinus.

HERMOPHILUS, Philochemicus.

De eô extant

Aphoriſmi Baſiliani, ſive Canones Hermetici, de Spiritû, Animâ & Corpore majoris & minoris Mundi. Marpurgi, apud Wolffgangum Kezelium, 1608. in 8. apud Rudolphum Hutwelckerum, 1609. in 8. Ibidem, 1612. in 8.

HERNANDEZ (*Henricus*) Luſitanus, Artium & Medicinæ Doctor, apud Salmanticenſes primarius Philoſophiæ naturalis Profeſſor, edidit

De Rerum naturalium primordiis ſectiones 8. Salmanticæ in foliô in ædibus Juntæ; hoc eſt, de rerum naturalium primordiis, de his quæ ad cauſas, ad mutationem & motum, ad locum & locatum, ad vacuum, ad tempus, ad infinitum pertinent. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. pag.* 431.

HERNANDEZ (*Franciſcus*) Medicus Philippi II. Regis Catholici, quem doctrinâ inſignem, ſibique amiciſſimum Ambroſius Morales in *Antiquitatum Hiſpaniæ* libellô (folio 17.) cum Hiſtoriâ editô appellat, miſſus ad Occidentales Indos à Rege ſuô talium providentiſſimô, ut quidquid animantium & avium atque plantarum in iis oris reperiretur Europæis ignotum, in commentaria digereret, iconiſmiſque ante omnia formas eorum deſcriberet, negotium ſibi commendatum ſtrenuè obivit: Cujus in re operam quindecim non minùs volumina oſtendunt, commendantque editioni matura, quæ adſervari ad Eſcurialenſe Monaſterium in Bibliothecâ manuſcripta, refert cum aliis Antonius Leonius in *Bibliothecâ Indicâ*, præter alia duo *Indicum* ſeu *Elenchorum* volumina. Inter ſuperiùs laudata eſt etiam liber *De Templô Mexicanô* inſcriptus. Cætera de *Plantis & Animalibus Novæ Hiſpaniæ*, quam ſolam percurriſſe videtur Autor, ſunt. Planè ex hâc uniùs hominis Bibliothecâ natum eſt, authore *Nardo Antoniô Reccô* Doctore Medico,

El Epitome de la Hiſtoria natural del Dotor Hernandez. Cujus exemplum M. S. Matriti eſſe monuit idem *Leonius*, qui ſe etiam refert Catalogorum Francofurtenſium fide ad editionem hujus Epitomes Germanicam, *Rerum Medicarum Novæ Hiſpaniæ* inſcriptam; atque hujus quidem editionis authorem eſſe Fridericum Cæſium *Aquæſpartæ* Ducem, plurium Commentariis, & Animadverſionibus, necnon & ejuſdem Ducis illuſtratæ, variiſque Iconibus condecoratæ, Leo affirmat Allatius in *Apibus Urbanis.* Prodierunt jam typis Romanis volumina duo hâc inſcriptione donata.

Franciſci Hernandez rerum Medicarum Novæ Hiſpaniæ Theſaurus; ſeu Plantarum, Animalium, Mineralium Mexicanorum Hiſtoria cum notis Johannis Terentii Lincæi, I Tomus editus fuit anno 1648. II anno 1651. in fol.

In cujuſdam amici ſchedis M. SS. vidimus Anonymi neſcio cujus, ad Didacum Stunicam Supremæ Indiarum Curiæ Senatorem, conſilium, ſive ſententiam de impenſis ad *Herbariam Epitomen Franciſci Ferdinandi* typis edendam neceſſariis. At Latinâ linguâ uſum fuiſſe in his commentariis Franciſcum Hernandez eô convincitur, quòd Mexici editum fuit opus talis inſcriptionis; *Plantas y animales de la Nueva Eſpanna y ſus virtudes por Franciſco Hernandez, y de Latin en Romance por Fr. Franciſco Ximenez. Mexici* 1615. Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p. 330.

HERNANDO Villarino (*Franciſcus*) Medicus Cæſarauguſtanus, laudatur Author

Canonis medendi, Tudelæ excuſi, annô 1573. in 8. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. pag.* 330.

HERODICUS Leontinus, Medicus inſignis, Gorgiæ Celeberrimi Oratoris Frater, ex Suidâ *Tom. I.* pag. 620. Laſcari apud Maurolycum *hiſt. Sicil. Lib.* 1. *pag.* 19. & Goltziô *in hiſt. poſtr. Siciliæ p.* 92. à Medicâ arte apud veteres celebratus, non inglorius vixit. Hippocratis Medici egregii, Socratis aliorumque Philoſophorum Præceptorem fuiſſe, ait Carolus Antonius Converſanus, in *Ætthereâ Leontinorum gloriâ p.* 9. Sanè in Hippocratis vitâ legimus, hunc, Gorgiam Leontinum, & Herodicum audiviſſe; at Andreas Tiraquellus *de Nobilitate cap.* 31. *p.* 191. Gorgiæ Leontini & Herodici Selymbriani diſcipulum fuiſſe tradit, non Herodici Leontini. De Herodicô etiam Plato *in Gorgiâ, & L.* 3. *Reipublicæ* & Philadelphus Maurus *in hiſt. SS. Alphii, Philadelphi, & Cirini Lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 71.

Scripſit

De rebus Medicis.

De Arte Gymnaſticâ, ex Converſanô cit. *Anton. Mongitor, Bibl. Sicul. T. I. pag.* 270.

HERODICUS Selymbrianus, ſeu ex Selymbriâ, Thraciæ urbe oriundus, Medicinæ, quam ſolemniter Gymnaſticam adpellare conſuevimus, primus auctor fuiſſe creditur, quâ & ad ſanitatem præſentem conſervandam, & ad amiſſam reſtituendam, jubebantur tam ſani quàm ægrotantes, corpora ſua variis modis exercere, idque nonnunquam proſperô, nonnunquam verò infelici ſucceſſû, quod etiam Hippocrates, ipſius diſcipulus, & aliquando imitator, variis in locis confiteri non erubeſcit. De eô Plutarchus ſic habet: Eſt ap. Platonem, Herodicum Selymbrianum, cùm incidiſſet in tabem, morbum inſanabilem, & primus hominum arti Medicæ artem exercendi corporis miſcuiſſet, tardiorem ſibi aliiſque eôdem morbô ægrotantibus mortem redegiſſe. Ceſſabimus ergo mirari Sydenhamium, Medicum Anglum, equitationem, tanquam ſpecificum antiphthiſicum ſuis commendaſſe; imò in eandem ſententiam iviſſe Stahlium, ut & præclariſſ. Boërhave, magnum Leidenſis Academiæ ornamentum. Verùm Herodicus noſter equitatione minimè contentus, totam Gymnaſticam, quæ priùs in ſacrificiis atque ludis, nec non in bellicis exercitationibus, autoritatem atque locum habebat, medicinæ adjunxit; h. e. exercitationes, quæ aliàs pro conſequendis præmiis & oblectandis hominibus in uſû erant, ad conſervandam ſanitatem & bonum habitum adquirendum, in Medicinam traduxit, atque ità in illa Artis formam induit *Gymnaſtica.* Hæc autem revera, jam ab Æſculapiô celebrata fuit, & proinde multò ante Herodici ac Hippocratis tempora: Sed, ut adnotat Plutarchus, certamina iſta tunc fuere admodum ſimplicia, atque varia eorum exercitia nullum alium ſibi præfixum

xum habebant finem, quàm ut robur corporis, quod aliàs otiô & inertiâ elanguescit, confirmaretur & roboraretur. Noſter autem, non promiſcuè, ac ſine methodô in medicinâ Gymnaſticis exercitationibus uſus eſt; ſed certis regulis atque præceptis concluſas adhibuit; quod quidem fecere Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Eraſiſtratus, Herophilus, & alii de quibus apud Galenum: Herodicus tamen harumce exercitationum commoda forſan paulò nimiùm extendebat, ac propterea Hippocratis reprehenſionem meruit. Qui plenè hæcce edoceri cupit, legat Mercurialis aureum de *Arte Gymnaſticâ* librum. *Hæc omnia præcipuè damus ex Clariſſ. Gœlicke Hiſtor. Medic.*

HERODOTUS Lycius.

Ex eô habetur, præter alia in Aëtiô reperibilia,

Dictionarium vocum Hippocratis Græco-Latinum; quod extat cum Hippocratis Operib. ab Hieronymô Mercuriali editis. Venetiis, fol. 1588.

HEROLDUS (*Hieronymus*,) Norimbergenſis.

De eô extant

Epiſtola ad Petr. Andr. Matthiolum, quâ agitur de Cythyſô, Petaſite, Meſue Eupatoriô, Gratiolâ, Silere, Antirrhinis, Betonicâ albâ, Lupinô Hiſpanicô, Flore S. Jacobi, Liliô convallium, Aquilegiô, Panicô pratenſi, & quibuſdam aliis, de quibus ſuam Heroldus declarat Cenſuram. Exhibetur Lib. III. Epiſt. Matth. p. 348. in 8.

Epiſtolæ quædam Medicæ ad Joachimum Camerarium. Extant eô in opere, quod Laurentius Scholzius edidit. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes, 1598. in fol. p. 146. & ſeqq.

HEROPHILUS Chalcedonius, vel ſecundum Galenum, Carthaginienſis, qui, Ptolomæo Sotere ſceptra Ægypti tenente vixit, tali hominum ſceleratorum morti à Regibus dicatorum *viviſectione* magnam ſed infamem ſibi famam comparavit. *Tertullianus* librô, *unum eſſe ſpiritum & animam*, ſexcentos ipſum ſecuiſſe adſtruit, quod procul dubio ſecundùm figuram rhetoricam intelligendum eſt. *Herophilus* ille, inquit Tertullianus, *Medicus aut lanius, qui ſexcentos exſecuit; ut naturam ſcrutaretur, qui hominem odiit, ut noſſet, neſcio an omnia interna ejus liquidò explorarit, ipſâ morte mutante, quæ vixerant & morte non ſimplici ſed ipſa inter artificia exſectionis.* Non eſt autem mirandum, *Herophilum* hominem Ethnicum, miſſâ omni humanitate, homines vivos, ut ut nocentes, ſecuiſſe; id potiùs vehementer miror, Chriſtianiſſimum Galliarum Regem, Ludovicum II. Medicis Pariſienſibus permiſiſſe, ut milites capite damnatos ſimulque calculô laborantes, in perinæô, vivos inciderent, ſicque calculi veſicæ extrahendi modum perquirerent, Barbaros, non Chriſtianos, talia exercuiſſe decet. Interim hâc ſecandi frequentiâ non vulgarem ſibi dexteritatem & peritiam practicam adquiſiviſſe Chirurgos Gallos, in propatulô eſt. Huic debetur exquiſitior pulſuum diſcretio & differentiæ, quamvis ad futiles uſque ſubtilitates eaſdem proſequutus ſit & hinc aliorum cenſuram non immeritò incurrat. Huic debemus, quòd nervorum ex cerebrô & medullâ ſpinali prodeuntium ſtructuram & uſum primus demonſtraverit. Herophilus eſt, qui primum inteſtinum, immediatè ventriculô continuum, vocavit Δωδεκαδάκτυλον ſeu duodenum; Ipſemet eſt, qui duabus oculorum tunicis nomen dedit retinæ & arachnoideæ; Hic eſt, qui membranæ, ventriculos cerebri inveſtienti, nomen *Choroïdes* dedit; Hic eſt, qui paraſtatis virilibus denominationem ſuam impoſuit: Idem denique eſt, qui vas ſanguineum ex dextrô cordis ventriculô ad pulmones tendens, primus *venam arterioſam* adpellavit, quòd venæ ſimilius quàm arteriæ ipſi adpareret, & contra vaſi ſanguineo, ex pulmonibus ad ventriculum cordis ſiniſtrum deproperanti, *arteria venoſa* nomen tribuit, quod magis ad indolem arteriæ accedere ipſi videretur. Ex quibus omnibus, quales in arte Anatomicâ progreſſus fecerit, haud difficulter colligi poteſt; Unde hiſce rationibus commotus *Gabriel Fallopius*, non dubitavit Herophilum adpellare *Evangeliſtam Anatomicorum*, & *Galenus* ipſe perhonorificum ipſi præbet teſtimonium, quòd longè exquiſitiſſimam in adminiſtrationibus Anatomicis peritiam poſſederit. *Gœlicke Hiſt. Anatom. p.* 22.

HERRERA (*Chriſtophorus Perez de*) Salmanticenſis, Doctor Medicus Ilerdenſis Gymnaſii, in patriâ ſcholâ, vices Ambroſii Nunneſii veſpertini Medicæ Artis Profeſſoris gerens, innotuit. Praxim jam exercere juſſus, regium apud triremes Hiſpanicas Philippi II. Regis Catholici Protomedicum diù præſtitit, atque indè ejuſdem Majeſtatis Medicum; his libris præterea ſpectatus pietate, prudentiâque, ac doctrinâ plenis;

Diſcurſo en razon de muchas coſas tocantes al buen govierno, y riqueza deſtos Reinos.

Unàque

Remedios para el bien de la ſalud del cuerpo de la Republica: Atque item

Diſcurſo de la forma, y traça como ſe pudieran remediar algunos pecados, y deſordenes. Matriti, apud Ludovicum Sanchez 1598. 4.

Diſcurſo del amparo de los legitimos pobres; y reduccion de los fingidos importante para el buen govierno de las ciudades, y pueblos. Matriti, 1595. 4. 1608. in 4. Quô ſcilicet in vulgus editô, continuiſque apud Regem ſuum precibus, & officiis pervicit, ùt Matriti ea hoſpitalis domus, quam Generalem vocant, excipiendis, exhibendis, & curandis pauperibus erigeretur, nempè ab annô 1596.

Defenſa de las criaturas de tierna edad. Pinciæ, 1608.

Proverbios morales, y Conſejos Chriſtianos, y enigmas filoſoficas naturales, y morales con comento. Matriti, 1618. 4.

Del Garrotillo. Hiſpanicè, & Latinè. Matriti, 1615.

Elogio à las eſclarecidas virtudes del Rey D. Felipe II. y Carta oratoria à ſu hijo D. Felipe III. Pinciæ, 1604. in 4. apud Ludovicum Sanchez.

Latinè edidit

Clypeum puerorum, ſive de eorum curatione immutandâ, necnon valetudine tuendâ animadverſiones aliquot. Pinciæ, 1604. in 8.

De Carbunculis Animadverſiones.

Compendium totius Medicinæ, tribus libris; quos non vidimus. Matriti, apud Ludovicum Sanctium, 1614. in 4. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p.* 190.

HERTIUS (*Joh. Chriſtophorus*) Archiater Naſſovicus.

De eô extant in Miſcell. Nat. Cur. Decur. 2. Annô 4.

Obſervatio 103. *De rarâ ſuffocationis cauſâ.*

Puer quidam nobilis, poſtquam ex lapſû graviori pectoris ſiniſtrum latus non parùm læſiſſet, de dolore pectoris obtuſô per plures menſes conqueri cœpit, cum aliquali ſaltem reſpirandi difficultate, appetitû interim conſtante, Puerôque in cæteris ſatis alacri, adeò ùt parentes eum magis morbum fingere, quàm reverà ægrotare exiſtimarent, donec tandem de morbo in dies increſcente meliùs informati, varios Medicos conſuluerunt, medicamentiſque uſi ſelectiſſimis, ſed fruſtrà & ſine ullô levamine; poſtremô morbi decurſû ſomnum non niſi menſæ decliviori inclinatô capite capeſſere potuit, cùmque aliquandò uvas liberaliùs ingurgitaſſet, ſubitò ſuffocatus periit. Recluſô thorace, molem quandam carneam pendulam pleuræ & coſtis proximè adhærentem invenimus, quæ diſſecta duo officula perſimilia illis, quæ in corde cervi reperiri ſolent,primò non adeò dura,ſed nunc duriſſima exhibuit; ab hôc ſanè corpore in pulmones incidente, eoſque comprimente & reſpirationem impeditam, & mortem illatam fuiſſe certum eſt.

Ibidem Obſervatio 104. *De Ardore manuum ac pedum intolerabili.*

Vidi hìc locorum Virginem 26. annorum, quæ diù affligebatur ardore ſive æſtû manuum ac pedum dolorificô ferè intolerabili, nullis remediis cedente. Plurimorum enim conſiliô ſine ullô ſucceſſû uſa, adeò ùt deſperata quaſi, propriô auſû, manus pedeſque aquæ frigidiſſimæ intermitteret per plures dies, eamque incaleſcentem (brevi autem incaleſcebat, quod admirandum, quaſi actuali igni fuiſſet appoſita) renovaret, continuaretque tamdiù, donec vigore vitali totaliter proſtratô, pedum & manuum gangrænâ fuerit correpta, omneſque digitos in pedibus, plurimos in manibus amiſerit; ſingula iterùm conſolidata, præter dextrum pedem carioſum, adeòque ferrô extirpandum, quod remedii genus hactenùs recuſavit.

Scholium

Lympha per totum corpus circumflua uti de aciditate naturaliter participare ſtatuitur, cujus acorem in glandulis ſpiriritus animales ibidem occurrentes temperent, ità vigoris ſui defectum illi ſi patiantur, ſicque lymphæ acorem non ſatis mitigare valeant, aut ejus in obvias partes furendi impetum non refrenent; aut ſi viciſſim ſpiritus iſti aliàs, ſive cerebri, ſive partium, ad quas perveniunt, vitio qualitatem peregrinam alcalinæ æmulam induant, à debiliori hìc lymphæ acido non ſatis ſaturandam; aut ubi lympha juſtô acidior exſtiterit, & ſic ubique debita ac naturalis ſalium horum proportio deſideretur, hoc vel illud prædominium habens in partes obvias agere, illas vellicare, agitare & ità colorem inducere haud deſinet; quanquam & idem accidere queat, ſi utrumque exceſſerit, ſic enim impetuoſiùs congrediendo eundem calorem excitare poterit; ceu ſimile quid ex gr. in ſpiritus vini, cui ſpiritus animales comparari à quibuſdam ſolent, rectificati, cum puri ſpiritus nitri, cujus indolem ob acorem lympha quodammodo repræſentat, mixturâ videmus; ùt potè quæ tantam in liquoribus iſtis ſalium agitationem & calorem producere valet, ùt vel in flammam ipſam erumpat. Et tale quid in præſenti caſu etiam contigiſſe, videtur eſſe veroſimile. Cùm verò liberalior aquæ frigidæ uſus non tam naturam ſalium horum peccantium enervet, quàm congreſſum eorum impediat, motumque in vaſis reprimat, à quô conſequenter ipſe etiam ſanguinis motus cohibeatur neceſſe eſt; quomodo is gangrænam partibus inducere queat, facilè hinc colligitur; *Confer. Obſervat.* 57. *Ephem. harum Anni præcedentis.*

Ibidem Obſervatio 105. *De Plicâ Polonicâ.*

Vidi ante aliquot ſeptimanas infantem quatuor circiter annorum, triplici plicâ Polonicâ laborantem, cui Parentes tres prædictas plicas præciderunt, ſine omni noxâ, & quod admirandum, unius trihorii ſpatiô plicæ abſciſſæ de novô ſunt conſpectæ intricatiſſimæ, ùt nullô artificiô extricari potuerint.

HERTIUS (*Joh. Henricus*) Conſiliarius & Archiater Darmſtad. Haſſiacus.

De eô habetur in Ephem. Cur. Germ. Centur. 3. & 4.

Obſervatio 91. *De Calculis veſicæ-bilariæ.*

Vir 45. annorum temperamenti melancholici & de reliquô cachecticum corporis habitum præ ſe ferens, ab aliquô tempore de laſſitudine corporis ſpontaneâ, appetitûs imminutione, dolore dextri lateris tenſivô atque gravativô conqueri cœpit,quibus gravis quoque atque pertinax cardialgicus dolor ſæpè ſupervenit, adeò quidem patientem vexans, ùt vel cauſam morbi in ventriculô hærere multi fuerint perſuaſi. Cùm verò ad tollendum hoc malum multa incaſſùm fuerint tentata, idque ipſum potiùs altiores ſemper egerit radices, augeſcente inter alia in dies malô illô corporis habitû; tandem in ipſam hydropem aſcitem incidit æger, eôdemque etiam paulò poſt mortuus eſt. Apertô verò corpore tres calculi in veſicâ felleâ reperti ſunt.

HERTODIUS (*Matthæus Franciſcus*) Inclytor. Statuum Marchionatûs Moraviæ Medicus Provincialis.

Ex eô habentur

Obſervatio de Vomitû Venereô.Extat Ephem.Acad. Nat. Cur. Germ. Ann. 1. *N.* 4.

De Cancrô Dentis. Extat ibid. Ann. eod. N. 5.

De Lactis uſû in Empyemate. Ibidem Annô eôdem N. 19.

De Alvi difficultatis novâ cauſâ. Ibidem Ann. eod. N. 126.

De Lapide Chymicô. Ibidem Ann. 11. *N.* 143.

De Panis antipathiâ. Ibidem Ann. eodem N. 144.

De Aphoniâ ex inſpectione Cancrorum. Ibidem Ann. eod. N. 145.

HERTODT à Totenfeld (*Joh. Ferdinandus*) Ph. & Med. D. Regiæ Civitatis Brunenſis, in Moraviâ, Phyſicus.

De eô extant

Tartaro-Maſtix Moraviæ, per quem rariora & admiranda à naturâ in fœcundô hujus Regionis gremiô effuſa, comprimis Tartarus, illiuſque effectus morboſi curioſè examinantur, & cura tam therapeutica quàm prophylactica proponitur. Viennæ Auſtriæ, apud Suſannam Rickeſin, 1669. in 8.

Crocologia, ſeu curioſa croci, Regis Vegetabilium, Enucleatio; continens illius Etymologiam, differentias, tempus quô viret, & floret, culturam, collectionem, uſum mechanicum, Pharmaceuticum Chymico-Medicum; omnibus penè humani corporis partibus deſtinatum; additis diverſis obſervationibus & quæſtionibus, crocum concernentibus. Jenæ, apud Vitum Jacobi Treſcherum, Bibliopol. Uratiſlavienſem, 1671. in 8.

Opus mirificum ſextæ diei, id eſt, Homo Phyſicè, Anatomicè, & Moraliter, in potentiores ſuas partes diſſectus. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem.

Obſervatio, de Lactis in Mammis generatione & ulcere Mammarum. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. German. Ann. 1. Num. 6.

De Uſu lactis in putridis. Ibid. An. eod. N. 22.

De Hæmorrhagiâ difficili ſanatâ. Ibid. Ann. eod. N. 24.

De Fracturis Gravidarum curatu difficilibus. Ibid. Annô eod. N. 25.

De Fœtu crocô in uterô tinctô. Ibid. Ann. eod. N. 60.

De Cancroſô ulcere Pancreatis. Ibid. Ann. eod. N. 99.

Obſervatio de Empyemate ſcabie ſolutô. Ibid. Ann. II. *N.* 146.

De Vermibus capitis. Ibid. Ann. eod. N. 147.

De Colli Aneuriſmate. Ibid. Ann. IV. & V. *N.* 98.

De Ictero ſingulari. Ibid. Annô eod. N. 99.

HERTOGUE, Hertogius (*Ægidius de*)

Ex eô habetur

De Geſtatione fœtûs mortui per tredecim annos, Hiſtoria memorabilis. Extat cum Matthiæ Cornacis Medicæ Conſultationis apud ægrotos inſtituendæ Enchiridiô. Baſileæ, apud Oporinum, 1564. in 8. Item cum Remberti Dodonæi Medicinalium Obſervationum exemplis raris. Vid. locô ſuô.

HERY (*Thierry de*)

De eô extat

Luis Venereæ curandæ Methodus. Lutetiæ, apud Matthæum Davidem in 8.

La Methode curatoire de la Maladie Venerienne, vulgairement appellée Groſſe Verolle; *& de la diverſité de ſes ſymptomes: Compoſé par Thierry de Hery Lieutenant General du premier Barbier Chirurgien. A Paris* 1552. 8.

i. e.

Methodus curatoria Morbi Venerei, ac de varietate ejus ſymptomatum &c.

HERZOG (*Chriſtianus*) Pharmacopola Aulicus Gothanus.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1717. p. 234.

Bericht von Egyptiſchen Mumien &c.

h. e.

Mumiographia Medica, ſeu narratio de Mumiis Ægyptiacis, ſpeciatim de Mumiâ in officinâ pharmaceuticâ Gothanâ aulicâ proſtante, variiſque in illâ repertis idolis & icunculis hieroglyphicis. Gothæ, typis Reyherianis, 1717. 8.

AD Sereniſſimum Ducem Saxo-Gothanum ſcriptus eſt hic libellus, quem rei Medicæ conſtituendæ & à Ludovicianâ accuſatione vindicandæ autorem, & vicinis exemplo fuiſſe ſignificat in limine; ut pote cujus ſtatuta medica Gothana cum adjectis pharmacorum pretiis aliis talium legum publicandarum occaſio fuerint, & penè norma. Nec diſſimulatur, tanti Principis clementiam cauſam extitiſſe Autori ornandi diligentius corpus ſuum pharmaceuticum, providendique, ne quid medico uſui ſervientium rerum deſit; atque eô conſiliô comparatum eſſe Ægyptiacum cadaver humanum, quod vulgò *mumia* appellatur, idque notæ melioris: quod hoc libello oſtenditur. Caput I. generatim Ægyptiacarum mumiarum notitiam aperit, pollincturæ in ſacris litteris veſtigia notat, ſepeliendi apud Ægyptios ritum ab Herodotô & Diodorô Siculô, aliisque Græcis, & Latinis Scriptoribus commemoratum, recenſet; obſervatque, primos Chriſtianos pollincturæ Ægyptiacæ quoſdam ritus imitatos eſſe: pollinctorum autem corporum uſum medicum introduxiſſe Arabes, & cum arte Medicâ Europæis nationibus tradidiſſe. Ibidem integrorum cadaverum, cum omni apparatû & ornatû ſepulchrali, ex Ægyptô in Europam translatorum occaſio notatur; & memorantur exempla ſcriptis illuſtrata Struppii, Kircheri, Gryphii, Kettneri, qui ex inſtitutô de Mumiis commentati ſunt; nec non aliorum ſcriptorum, qui paſſim mumiarum rationem habuerunt. Caput II. deſcribit mumiam Gothanam, & curatioris illi impenſæ pollincturæ ſigna indubitata. Hic diverſitas pollincturæ ab Herodotô & Diodorô Siculô inculcata probatur comparatione materiæ mumiæ Gothanæ cum fragmentis vulgaribus, & confirmatur authoritate D. Caſpari Ratzebergeri, qui in Herbariô vivô, inſigni opere manuſcriptô Bibliothecæ Irenopetreæ, illam differentiam obſervavit: oſtenditurque, nec vulgaribus fragmentis deeſſe virtutem, nec corrumpendi ea, vel permutandi cum aliô mumiarum genere, quod fieri contendunt hujus medicamenti oſores, cuiquam eſſe cauſam in tantâ genuinarum mumiarum copiâ, & vilitate; harumque fragmenta vulgaria, quæ in officinis pharmaceuticis proſtant, non temerè eſſe contemnenda, propter piſſaſphaltam, ſingulari medicandi facultate præditum bitumen, quod vilioris etiam pollincturæ materia fuit; fieri etiam poſſe, ut, quæ vulgò proſtant, fragmenta curatius conditorum corporum particulas habeant, & integra corpora vilioris minùsque ſumtuoſæ pollincturæ opus ſint. Optimæ notæ mumiam eſſe Gothanam, poſtquam hujus magnitudo & facies externa colorque deſcripta ſunt, probatur ex ejus odore, auro inductis unguibus, gemmis pluribus, idolorum & myſteriorum Ægyptiacorum hieroglyphicis ſimulachris ſub brachiis manibuſque in pectore percuſſo repertis; maximè autem ex inſtrumentô ſingulari, in abdomine cum ſiliquâ & maſſâ adhùc tractabili gravis odoris inventô. Hujus generis & notæ mumiam nondum obſervatam, atque in unô corpore tot, & tam pretioſæ materiæ ſimulacra, reſque rariſſimas, ac ipſum, quod Autor ſuſpicatur, ab Herodotô deſcriptum lapidem Æthiopicum, aperiendis cadaveribus, forſan etiam in ipſâ pollincturâ vinciendis, & ligandis adhibitum, à nullô adhùc ſcriptore de hujus generis antiquitatibus notatum, documento eſſe contenditur, curatiſſimæ pollincturæ cadaveris nobilis ac ſacræ originis; ſiliquam acaciæ fructum, vulgo *Sant*, vel *Cachia*, aut *Seſban*, vel *Sophira* fuiſſe,

fuiſſe, ex Proſperi Alpini deſcriptione harum plantarum in Tractatû *de Plantis Ægypti* colligitur; cujus & authoritate probatur, non defuiſſe Ægyptiis opobalſamum ipſum, quod ad perficiendam pollincturam ſumtuoſiorem potuerint adhibere, & hic adhibuiſſe videantur. Refelluntur his documentis *Nardius*, & *Grew*; qui ſolo aſphalto imbuendis coquendiſque cadaveribus totam pollincturam peractam fuiſſe affirmarunt; atque huic Gothanæ inſignis vetuſtas, ultrà Cambyſis tempora excurrens, aſſeritur. Caput III. expendit ſignificationem in Gothanâ mumiâ repertorum hieroglyphicorum ſimulacrorum. Negatur literarum inſtar ſignificare notas iſtas hieroglyphicas, vel tempus, nomen, ortum, dignitatemve defunctorum prodere; atque recentioris ævi fuiſſe repræſentata à Della Valle literata mumiæ inſcriptio arguitur, ex quô contra ritum veterum Ægyptiorum à ſiniſtrâ ad dextram ducta literatura Coptica invaluit, quam illa refert inſcriptio. Quid autem ſibi velint ſepulchris & ſepulchralibus faſciis inſcripti, expreſſique gemmis, vel ære, vel opere figulino characteres, ignoratum fuiſſe demonſtratur per plura ſecula, & falſò explicatum ab Hermapione apud Ammianum Marcellinum, Libro XVI. cap. 4. Rameſſenſem obeliſcum deſcribentem, ex parte inveſtigatum conjectumque ab Horo Apolline, Clemente Alexandrino, Diodoro Siculo, Epiphanio, Sympoſio, Pierio Valerio, clarius explanatum tandem ab Athanaſio Kirchero; è cujus ſententiâ vota preceſque pro defunctis contineant feralia illa ſigna hieroglyphica, atque, ut rata illa ſint, efficiant, maximè ſi conſtent ex materiâ vel lapidibus, quibus inſita credatur vis & facultas trahendi ad vota numen divinum. Delectari hôc errore mortales, monetur, ferrique ſuâ ſponte ad præſtigias theurgicas. Inſitum humano ingenio vitium eſſe, malle numen facere, quàm verum colere, ut ſuis poſſit aptum fingere cupiditatibus, fictoque abuti ad libidinem, inveniſſe primos gentium patres docendi ſubſidia, rerum cœleſtium ſigna illa hieroglyphica; his poſteros divini Numinis nomen atque vim tribuiſſe, pro fingendi vanitate & mentiendi libidine, idque initio ſub ſpecie non mala, & propter cauſam ipſis probabilem, ſed paulò poſt donatâ religione licentia ad omnem ſuperſtitionis turpitudinem provectos eſſe. Hoc pactô deceptos Iſraëlitas, nec præſentiſſimi Numinis veri documentis clariſſimis ab illâ inſaniâ theurgicâ potuiſſe revocari; ac ideò Moſaico interdicto ſublatum omnem ſimulacrorum uſum; atque Ezechielem VIII. 6. ſeqq. tantùm non nomine Ægyptiorum accuſare hieroglyphica. Oſtenſo ſuperſtitionis & corruptæ veterum ſapientiæ fonte & origine, tranſitur ad explicationem in Gothanâ mumiâ repertorum 72. hieroglyphicorum amuletorum, & quid horum ſingula ſignificent, eruitur ex obeliſcis & inſcriptionibus hieroglyphicis Kircherianis, notaturque, ubi Gothana explicata inveniantur. Quid autem univerſa, tanquam in contextû, ſignificent, conjicere poſſe affirmatur, quotquot verſati ſint in noſcendis placitis Ægyptiorum, Chaldæorum, Cabbaliſtarum, Pythagoræ & Platonicorum; atque his conſentanea conjectura de horum contextû, ac ſenſû, ad ſalutem animæ defuncti cadaveris pertinente, proponitur, & eruditis excutienda commendatur. Caput IV. ſingulorum lapidum hieroglyphicè effictorum naturam explicat, indicatque ſpeciatim eorum genera, figuram & pondus. Nimirùm ex lapide Lazuli Orientalis in Gothanâ mumiâ repertas eſſe imagines Iſidis tres, Apidis unam, Oſiridis unum, vas Niloticum unum, columnas Iſiacas duas, rhombum unam, vas Niloticum rotundum unum, Hori baculos minores duos, ſphæras duas; ex Jaſpide Harpocratis imagines duas, Apidis unam, columnam Iſiacam unam, vaſa Nilotica rotunda duo, baculos minores duos, ſphæras duas; ex Achate ſubviridi imagines Apidis tres; ranæ unam, Oſiridis unam, vas Niloticum unum; baculos duos; ex nigrô imaginem Canopi unam; Apidis duas, Oſiridis duas, amuletum piſci ſimile unum, ligonem cum cruce unum, altaria duo, pyramida unam, baculos minores tres; ſphæras duas; ex variegato lucidiore imagines Apidis duas; ex obſcuriore imaginem Apidis unam, tabulas nudas duas, amuletum piſci ſimile unum, menſam unam, vas Niloticum unum, columnam Iſiacam unam, baculum majorem unum; rhombum unum; ex alabaſtrô imaginem Hori unam, Apidis duas, ranam unam, Oſiridis imaginem unam, tabulam nudam unam, amuleta piſcibus ſimilia duo, vas Niloticum unum, rhombos duos; vas Niloticum rotundum unum; ex lapide duriſſimô nigrô, forſan Herodoti Æthiopicô, ſingulare illud ſuprà memoratum in Schemate n. 73. ſignatum inſtrumentum. Caput 5. materiæ Medicæ, quæ ex Ægyptiorum ſepulchris petitur, naturam excutit, contenditque veram eſſe D. Gabr. Clauderi ſententiam, qui in methodô balſamandi c. 4. ſcripſerat: *Corpora hæc mumiſata aliter ferè æſtimare non valeo, quàm pro thecis & capſulis mixturarum balſamicarum egregiarum in locis ſuis natalibus curioſè compoſitarum transportatoriis*; adeò ut materiam hanc Medicam non magis ingratam efficere debeat, quod in eâ de homine ſupereſt, quàm vina exotica, quibus deferantur pelles beſtiarum ritè præparatæ. Id confirmatur authoritate Struppii, & etymologia vocis mumiæ genuina, ex Kæmpfferi Amœnitatibus exoticis p. 316. depromta; qui cum Struppiô rebus ex minerali regno petitis, ille nempè perſico bitumini, hic Germanorum oſteocollæ, Mumiæ nomen tribuit. Junckenium etiam in Chymiâ experimentali p. 74. ed. 1702. non obſcurè ſtatuiſſe, Ægyptiorum pollinctura non humanam carnem conditam; ſed cutem & oſſa in thecas & receptacula aromatum, reſinæ & bituminis nobilioris fuiſſe præparata. Hinc vel propter hæc, ſi illa etiam, aromata videlicèt defuerint (quæ quomodo in Ægyptô deeſſe potuerint, non appareat) non contemnendas eſſe Mumias demonſtratur, redditurque ratio, cùr hæ Aſphalti magis, quàm aromatum referant odorem. Refelluntur, qui ideò negant, alio, quàm aſphalto, medicamine ulla corpora fuiſſe condita, vel particulas, quæ vulgò proſtant, aliud quid eſſe, quàm tale bitumen; idque vel exemplo mumiæ Gothanæ, & rationibus pluribus; quibus contrariæ deſcriptiones & ſententiæ de mumiis Myrepſi, Martinii, Matthioli, Cordi, Fuſchſii & horum authoritatem ſecutorum ſcriptorum pharmaceuticorum notantur & excutiuntur. Expenduntur & conſilia Matthioli, Fuchſii & Schroderi, necnon Paracelſi, de novâ ratione mumiarum præparandarum, & quicquid Lucius & ſectatores de mumialibus medicamentis & effectibus tradunt, commemoratur. Caput VI. exponit verarum & Ægyptiacarum mumiarum facultates Medicas, propter quas Struppius illas medicamentum *diacatholicon* appellat, & Fuchſius, qui in Paradoxis illas valdè improbaverat, ipſe in praxi Medicâ præſcribit; atque harum facultatum rationes inveſtigat, memoratque veterum Ægyptiorum panaceam à Kircherô ex Arabicô Autore;

re, *Ebi Ribdam*, deſcriptam. Caput VII. uſum mumiæ Ægyptiacæ repræſentat, olim Regi Galliarum Franciſco maximè commendatum, deinde improbatum à Galenicis, ſed retenum tamen in praxi; quod plurium formularum exemplis oſtenditur, ab illis ipſis præſcriptarum, qui hoc medicamentum damnant. His opponitur Schrœkii & Wedelii autoritas. Cur autem apud ipſos Ægyptios hodie non habeat uſum Medicum eorum mumia, ex Proſperi Alpini de Medicinâ Ægyptiorum libris Lectori expendendum relinquitur. Ceterùm integrum libellum, qui eruditis animadverſionibus paſſim refertus eſt, perlegiſſe neminem pœnitebit.

HESSUS (*Johannes*) Norimbergenſis.

Ex eô habetur

Epiſtolá ad Petrum Andr. Matthiolum: Quâ proponuntur Quæſtiones aliquot ſimplicium Medicamentorum, nempe Cardamomi, Gelſomini, Succini, Salſæparillæ, Glycyrrhiſæ, Hyoſcyami albi, Aluminis, Haloſanthi, Lapidis Morochti, & aliorum quorumdam. Extat Lib. 3. Epiſt. Matth. pag. 323.

HESSUS (*Martinus*) Friccenhauſanus

De eô extat

De Appetentiâ caninâ, Diſputatio; Extat Decade II. Diſputat. quas collegit & edidit Baſileæ, Johan. Jac. Genathius, 1619. in 4.

HESSUS (*Paulus*,) Uratiſlavienſis

Ex eô habetur

Defenſio viginti Problematum Melchioris Guilandini, adverſus quæ Petrus Andreas Matthiolus ex centum ſcripſit. Adjecta eſt Petri Andreæ Matthioli adverſus viginti Problemata Melchioris Guilandini Diſputatio. Patavii, apud M. Anton. Ulmum, 1562. in 8.

HESTOLE

De eô extat

Explicatio Librorum Quartorum, ſeu Stellicorum Platonis Diſſertatio. Panormi, 1636. in 4.

HEUNIUS (*Johannes*)

De eô habetur

De Hirudinum uſû & efficaciâ in Medicinâ, Tractatus. Gripſwaldiæ, 1652.

HEURNIUS (*Johannes*) Natus Ultrajecti, A. C. 1543. Patre Ottonô Heurniô; Medicinæ Doctor renunciatus Ticini 1571. A. C. 1573. in patriâ Medicinam exercere cœpit ſimulque ejuſdem Reipubl. Senator electus eſt. Anno 1581. nactô Lugduni Batavorum Profeſſoris publ. munere, unà Principis Auriaci, & omnium ferè Procerum Hollandiæ Medicus ordin. factus eſt; ubi etiam obiit calculô veſicæ A. C. 1598, ætatis ſuæ 59.

De eô extant

Opera omnia, tam ad Theoriam quàm ad Praxim Medicam ſpectantia, ab Ottone Heurniô F. in duos Tomos diſtributa ac edita. Lugduni Batavorum, apud Raphelengium 1608. in 4. Lugduni, apud Joh. Ant. Huguetan, & Marc. Ant. Ravaud, 1658. in fol.

Index contentorum.

1. Inſtitutiones Medicinæ.
2. Praxis Medicinæ generalis.
3. Praxis Medicinæ particularis, in quâ ſunt, de Morbis Capitis, Liber.
4. De Morbis Oculorum, Aurium, Naſi, Dentium, & Oris, Liber.
5. De Morbis Pectoris, Liber.
6. De Febribus, Liber.
7. De Peſte, Liber.
8. De Morbis Ventriculi, Liber.
9. De Morbis Mulierum, Liber.
10. Reſponſum ad Supremam Curiam *Hollandiæ; nullum eſſe aquæ innatationem Lamiarum indicium.*
11. Oratio de Medicinæ origine, Æſculapidum, ac Hippocratis ſtirpe & ſcriptis.
12. De Humanâ felicitate, Liber.
13. De Morbis novis & mirandis, Epiſtola.
14. Commentaria in Hippocratis Libros II. de Naturâ Humanâ.
15. Jusjurandum.
16. Librum de Medico.
17. Legem.
18. Librum de Arte.
19. Librum de veteri Medicina.
20. Librum de Elegantia.
21. Præceptiones.
22. Librum de Carnibus, ſive, Principiis.
23. Librum de Purgatoriis Remediis.
24. Libros tres Prognoſticon.
25. Libros IV. de victûs ratione in Morbis acutis.
26. Aphoriſmos.

Inſtitutiones Medicinæ. Acceſſit modus ratioque ſtudendi eorum, qui Medicinæ operam dicarunt. Lugd. Batav. apud Raphelingium; 1592. in 8. 1609. in 12. Hanoviæ, apud Gulielmum Antonium, 1595. in 8. Lugduni Batavor. ap. Salomonem Wagenes, 1666. in 12. quæ editio prioribus longè emendatior & auctior eſt.

De ſtudio Medicinæ benè inſtituendo, Diſſertatio. Extat cum H. Grotii & aliorum Diſſertationibus de ſtudiis inſtituendis. Amſtelodami, apud Lud. Elzevirium, 1645. in 12. Ultrajecti, 1651. 12.

Praxis Medicinæ nova ratio: Quâ Libris tribus Methodi ad Praxin Medicam aditus facillimus aperitur ad omnes Morbos curandos. Lugduni Batavorum, apud Raphelingium, 1587. 1590. in 4. Ibidem, 1599. in 8. 1609. in 4. Poſteà ex accurata recenſione Zachariæ Sylvii Medici Roterodamenſis. Roterodami, ap. Arnoldum Leers, 1650. in 8.

De Morbis, qui in ſingulis partibus humani capitis inſidere conſueverunt. Hìc artificioſâ methodô, & incredibili facilitate, morborum ideæ, cauſæ, & cujusque cauſæ morbificæ partiſque ægræ ſigna, progaoſes, & curatio rationalis, & empirica graphicè depinguntur. Lugduni-Batavorum ap. Raphelingium, 1594. in 4. Poſt mortem Autoris Otto Heurnius F. edidit. Ibidem, 1609. in 4.

De Morbis Oculorum, Aurium, Naſi, Dentium, & Oris, Liber, editus poſt mortem Autoris ab ejus filio Ottone Heurnio. Lugduni Batavorum apud Raphelingium, 1602. in 4.

De Morbis Pectoris, Liber, editus poſt mortem Autoris ab ejus filio &c. Lugduni Batavorum, apud eundem, eôdem annô & formâ.

De Morbis Ventriculi, Liber. Reſponſum ad Nobiliſſ. & Ampliſſ. Præſidem, Johannem Banchemium, & Conſiliarios Supremæ Curiæ Hollandiæ, Zelandiæ, & Weſt-Friſiæ: Nullum eſſe Aquæ innatationem Lamiarum indicium. Oratio de Medicinæ origine, Æſculapidum, ac Hippocratis ſtirpe & ſcriptis. Edidit poſt mortem Autoris ejus Filius Otto Heurnius, Ultrajectinus. Lugduni Batavorum, apud Raphelingium, 1608. in 4.

De graviſſimis Morbis Mulierum, Liber: de humana felicitate, Liber: & de Morbis novis & mirandis Epiſtola. Edidit, poſt mortem Autoris, ejus Filius Otto Heurnius. Lugd. Batav. ap. eundem, 1607. in 4.

De Febribus, Liber. Ibidem, apud eundem, 1598. in 4.

De Peſte, Liber. Ibidem, apud eundem, 1600. in 4.

In Hippocratis Coi de Hominis natura, Libros duos, Commentarius. Edidit poſt mortem Auctoris, ejus Filius Otto Heurnius. Ibid. ap. eundem, 1609. in 4.

In Hippocratis Coi de victûs ratione in morbis acutis Librum primum & ſecundum, Commentarius. Edidit Otto Heurnius Lugduni Batavorum, apud Raphelingium, 1609. in 4.

In Hippocratis Coi de victûs ratione in morbis acutis Librum tertium & quartum, Commentarius. Edidit Otto Heurnius. Ibidem, 1609. in 4.

Hippocratis Coi Aphoriſmi græcè & latinè, brevi enarratiône, fidâque interpretatione ita illuſtrati, ùt ab omnibus facilè intelligi poſſint. Cum hiſtoriis, obſervationibus, cautionibus, & remediis ſelectis. Lugduni Batavorum, apud Raphelingium, 1609. in 4. Ibid. ex Officinâ Plantinianâ Raphelingii, 1609. apud Joh. Le Maire, 1623. in 12. Ibid. apud eundem, 1638. in 12. Hagæ Comitis, apud Adrianum Ulacq, 1664. in 12. Jenæ & Lipſiæ, 1677. in 4.

Hippocratis Coi Prolegomena, & Prognoſticorum, Libri tres: Cum Paraphraſtica verſione, & brevibus Commentariis. Lugduni Batavorum, ex officinâ Plantinianâ, apud Franciſcum Raphelingium, 1597. in 4.

Elenchus Tractatuum, qui hoc Volumine continentur, quique ſub titulo Prolegomenon comprehenduntur.

Jusjurandum.	De Elegántiâ.
De Medico.	Præceptiones.
Lex.	De Carnibus, ſive Principiis.
De Arte.	De Purgatoriis Remediis.
De Veteri Medicinâ.	

Prognoſticorum Liber primus, ſecundus, tertius.

Notæ, Obſervationes & Remedia ſecreta ad Johannis Fernelii univerſam Medicinam. Extant cum eâdem Medicinâ universâ ejuſdem Fernelii, & quidem in illâ Editione, quæ cum Johannis & Ottonis Heurniorum & aliorum præſtantiſſimorum ſcholiis illuſtrata prodiit. Ultrajecti, 1656. in 4.

Commentarius in Hippocratis Librum de Medicamentis Purgantibus. Extat in Editione Operum ejuſdem Hippocratis, quæ ad mentem Erotiani diſtributa edidit Anutius Foëſius. Genevæ, 1657. in fol.

HEURNIUS (*Otto*) Natus Ultrajecti A. C. 1587. Patre Johanne Heurniô; Leydæ, quò cum Patre ſeceſſerat, 1599. Philoſophiæ Magiſter, annôque inſequente eâdem in Univerſitate ejuſdem Profeſſor renunciatus; & 1601. demùm Medicinæ Doctor creatus eſt; atque tùm ſucceſſit in locum Patris paulò antè defuncti.

Johannis Heurnii Parentis, Opera omnia tam ad Theoriam, quàm Praxim Medicam ſpectantia edidit & in duos Tomos diſtribuit. Lugduni Batavorum, apud Raphelengium, 1609. in 4. Lugduni, apud Joh. Anton. Huguetan, & Marc. Antonium Ravaud, 1658. in fol.

Notæ, Obſervationes & Remedia ſecreta ad Johannis Fernelii univerſam Medicinam. Extant cum ejuſdem Fernelii universâ Medicinâ; & quidem in illâ Editione quæ cum parentis & filii Heurniorum aliorumque præſtantiſſimorum ſcholiis prodiit. Ultrajecti, 1656. in 4.

Caſus & Obſervationes rariores, quas in Diariô Practicô annotavit. Extant cum universâ Medicinâ Fernelii, Editionis Ultrajectinæ, 1656. in 4.

HEYDEN (*Hermannus vander*)

De eo habentur

Diſcurſus. I. Seri lactis, in fluxû tormentali; & maximè dyſentericô. II. Aquæ frigidæ, inter inauditos & incredibiles alios effectus, Podagræ dolores vel ſiſtentis, vel mirabiliter demulcentis, & Iſchiadicos novitios penitùs extirpantis; & ſecurè abſque omni ſuppuratione & defiguratione, primô apparatû perſanantis vulnera. III. Et aceti vini, in præſervatione à peſte & ejuſdem curatione, aliiſque morbis venenatis, ut in præcautione ab Hydrophobiâ, præſtantiſſimæ facultates explicantur, & commendantur. Multis additis obſervationibus novis, & ſcitû neceſſariis. Gandavi, ex officinâ Servatii Manilii; 1649. in 8. Londini, 1653. in 12.

HEYL (*Chriſtophorus*) Wisbadenſis Medicus. Scripſit artificialem Medicationem, quæ conſtat Paraphraſi in Galeni libr. de Art. Medic. conſtitutione, excuſam Moguntiæ, 1524. cum Bertuciô, de Morbis noſcendis &c.

HEYNE (*Joh. Chriſt.*) Suecus.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1706. *p.* 56.

Tentamen Chirurgico-Medicum de præcipuis Oſſium Morbis. Amſtelædami & Gedani, apud Janſſonio-Waesbergios, 1705. *in* 8.

PRæmiſſô de corporis humani partibus diſcurſû, traditaque de inflammationibus & abſceſſibus partium mollium theoria, ad ipſa ſe convertit Oſſa Author Clariſſimus, quæ ex ejus ſententiâ, quantumvis ſolida & ferè lapidea, membranæ tamen tenues priùs fuerunt. Omnis autem membrana, mox in os tranſitura, conſtituit prius filamentorum membranaceorum complanatorum congeriem, & texturam nonnihil rigidam, ſubalbam, flexilem, lubricam ſeu cartilagineam; vel etiam quandam priùs format unguis ſpeciem, quæ tandem oſſeam induit ſoliditatem, quando exigui canales maximè verò nervoſi, complanantur probè & ſolidantur; quod fit (1) dum latera vaſculorum, propter lentorem & craſſitiem fluidi, quod percolare & ſuperare minimas anguſtias nequit, ad ſeſe invicem accedunt, concreſcuntque; (2) dum canales à corde remotiſſimi impetum fluida propellentem non recipiunt, unde collapſi coaleſcunt; (3) dum iners, ſegniſque cordis impulſus non ſufficit protrudendis liquidis, & apertis tenendis vaſorum minimorum fiſtulis, unde cauſâ diſtendente ſublata complanantur; (4) dum canales externè premuntur & verberantur, ità ùt liquidô, excluſô compaginentur eorum parietes & compingantur. Oſſea ergò compages conſtruitur ex pluribus filamentis membranaceis appoſitis, ſuperſtratis, ſuperpoſitiſque ſibi mutuò, ac reticulari inoſculatione implexis, tum conſolidatis, & induratis, ità ut cellulæ, ſeu areæ intermediæ relinquantur inter lamellas oſſeas ſibi mutuò contiguas. Has cellulas inveſtit ubique membrana ex perioſtiô externam oſſis ſuperficiem ambiente orta

orta tenerrima, ornatiſſimè picta, textaque reticularibus arterioſorum, venoſorum, lymphaticorum, ac oleoſorum canalium variâ inoſculatione ſibi occurrentium plexibus; quorum medium occupat exigua glanduloſa ſtructura cum folliculis adipoſis in medio relictis, medulloſâ pinguedine repletis & tubos ex ſe oleoſos emittentibus, qui forte in ſanguinis ſinum revehunt deponuntque tranſcolatum unctuoſum oleum. Sed pergimus ad ſtatum p. n. oſſium; in quô quanquam à pleriſque inflammatio in oſſa cadere negetur, Author tamen eandem illis omninò competere affirmat, quoniam reticulares arteriolarum recipiunt diſtributiones. Contingit enim in oſſibus ſtagnatio liquidi arterioſi, hujuſque impulſi in latera canalium impetus, levis tumor rutilus, quantùm ſcilicèt anguſtia & durities parietum oſſeorum permittit, cum quodam dolore lacerante & pulſante. Conciliatur autem illis ſtagnatio (1) per perioſtium prius inflammatum ac incenſum; (2) dum tenera membranula, internas inveſtiens oſſium cellulas aut has exornans, arterioſorum canalium plexus inflammationem incurrit; (3) in ipſâ oſſium medullâ. Convenit igitùr in hâc inflammatione venæſectio, purgatio, ſi opus fuerit, & ſudor ope copioſi potûs aquoſi, ſpecifica herbarum aromaticarum virtute roborati, & ſalibus fixis aut volatilibus conditi, provocatus. Continuata autem inflammatio, & impactio liquidorum ſtagnantium adaucta clauſtra tandem ſua diffringit, tenerosque diſrumpit canales, unde liquidum effunditur, effuſum putreſcit, putridum laceros canales lamellasque oſſeas in fluidum convertit, & conſtituit ſuppurationem, ſeu abſceſſum oſſium. Differt tamen ejusmodi apoſtema à reliquarum partium abſceſſibus, quod lentè admodùm ſolidæ & oſſeæ partes in liquidum convertantur, & non pus ſed ichor potiùs tenuis, ſubfuſcus, putridus, fœtidus, cui punctula ſquamoſa, cineritia, fuſca, flava, nigra innatant, elaboretur; hincque oſſium ſuppuratio immeritò abſceſſus vocatur, niſi liquidorum cum ſolidis corruptionem, & in fluidum converſionem, abſolvere abſceſſus requiſita dicere velis. Si lamellæ oſſeæ lentè admodùm conſumantur, ſquamulæ exiguæ furfuraceæ decidant, & pauxillum appareat recrementum, caries dicitur oſſis. Oritur hæc vel ab internâ cauſâ intra os latente, cuncta interiora rodente & emolliente, vel ab externâ, dum liquidum acre putridum apoſtematis in carne, tendine, ligamentô, perioſtiô graſſantis os alluit exeditque; quemadmodum & oleoſa obſtipantia, humida putreſcentia, emplaſtica unctuoſa obſtruentia, acria ſuppurantia, frigus, aërisque contactus conſtringens, contuſio oſſis, fiſſura, fractura, eam non rarò excitant. Sed aliud reſtat mali genus, ſpina ventoſa dictum, quæ cariei ſpecies eſt, ſed lentiſſima, & eò magis ſubdola vi oſſis ſubſtantiam exedens; cujus hiſtoria ſat accuratè ab Authore eſt tradita. In curâ horum morborum integra partium corruptarum à vivis ſaniſvè ſeparatio, & æqualitatis oſſis ſtudium, multùm difficultatis habet. Si quid tamen tentandum foret, eſſet fortè perforatio oſſis ad cavum uſque, & medullæ ipſius corruptæ exſciſſio. Sed Ars hujus nondum periculum fecit medelæ. Juxta methodum autem hactenùs receptam, applicantur in principiô ea, quæ vehementer attenuant, & potenter abradunt, quæque ulceribus malignis luxuriantibus & pertinacibus erodendis valdè conducunt. Sin irrita fuerit viſa horum exfoliantium applicatio, os vel ferro ſcalpendum, & radendum, vel terebra exfoliatoria terebrandum, vel cauterio actuali tangendum eſt. Improbat enim Author uſum ſpirituum ſalis, nitri, vitrioli, tartari, & aquæ fortis, in hunc finem adhibitorum, ut potè quorum actio determinari & intrà certos, qui exoptantur, limites & cancellos coërceri nequit. Tunc nigrô quoque notat lapillô in hunc quoque ſcopum applicata olea acerrima, caryophyllorum, cochleariæ, euphorbii, ſulphuris, & antimonii; ut pote quorum actio & determinatû difficilis exiſtit, & propter oleoſitatem nociva eſt, & parti ſinceræ cariem inducit. Depurato deterſoque oſſi applicanda ſunt catagmatica ſeu os reſtituentia.

HEYSEUS (*Erneſtus Gothofredus*,) Dantiſcanus

Caroli Drelincurtii Experimenta Anatomica ex vivorum ſectionibus petita edidit. Lugduni Batavorum, apud Cornelium Boutesteyn, 1681. & 1682. in 12.

HIARNA (*Urbanus*) Illuſtriſſ. Comitis de Tott, in Legatione Colonienſi Medicus Ordinar.

De eô extat

Obſervatio, de Anatome viri pro hydropico habiti. Extat Ephemer. Acad. Nat. Cur. Germ. Dec. I. A. I. N. 166.

Ex eô præterea habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1684. p. 79.

Den lilla Wattuprofwaren, hwarigenom de ratta och Hälſoſamma Suurbrunnar ifrån de falſta eller gemene Jernwatn ſom har och dar i Wårt R. Fådernesland finnas, igentanes och åthſkillies. Dem ſom til ſadant luſt haſwa, ſerdeles Medicinæ ſtudioſis *til efſterrättelſe i liuſet bracht aff Urban Hiarne D. Stockholm 1683. in 8.*

hoc eſt,

Brevis Aquarum explorator, genuinas & ſalutares Acidulas à ſpuriis & vulgaribus Aquis Martialibus, hinc inde in Sueciâ obſervatis, diſcernens &c. editus ab Urbano Hiärna D. Holmiæ, 1683. in 8.

NUm unquam hactenùs Sueco-Gothia irriguas biberit Acidulas, ex Annalibus ejus eruere haud licet, quamvis olim ad Regni hujus fontes quoſdam ſotirios & velut benedictos, certis diebus feſtis, magna ægrorum caterva ſuperſtitioſè ſatis confluxerit. Imò licèt quidam temporum horum curioſiores in variis Sueciæ provinciis, metallicis venis quàm refertiſſimis, Acidulas magno labore inveſtigare conati fuerint, nullas tamen huc uſque invenire valuerunt, donec Senator quidam regius, *Guſtavus Soop*, in prædiô quodam ſuo fontem indolis non vulgaris annò 1678. reperit, ac ad eundem luſtrandum ac explorandum, *D. Urbanum Hiarna*, *Medicum Regiæ Suec. Majeſtatis, & Societatis Regiæ Anglicæ Socium*, accerſivit, qui ut aquarum ejusmodi dignoſcendarum maximè peritus eſt, ſic fontem illum Medevienſem (a locô ità dictum) genuinarum acidularum nomen mereri, animadvertit. Libellum is proin ſtatim emiſit invitatorium, ut quam de efficacia hujus aquæ mineralis conceperat ſpem, reipſa, Deo benedicente, experiretur confirmatam. Succeſſitque inſtitutum adeò, ut eorum, qui proximâ æſtate copioſe hùc confugerant, ægrotorum magna pars domum ſana redierit. Quare ut deinceps ſingulis, ab aquis illis medelam expectantibus proſpiceretur, eundem libellum paulò auctio-

auctiorem denuò edidit, quo de diætâ aliisque curationis tempore obſervandis erudirentur. Accidit interim, ut divulgata Medevienſis hujus Fontis virtute, de aliis ſimilibusvè in Sueciâ aquis mineralibus nonnulli cogitarent: quibus ut ſatisfaceret *Hiarna*, Medevienſium verò præſtantiam vindicaret, illis viſitatis & luſtratis penè ſingulis, præſentem elapſô annô in publicum prodire juſſit Tractatum.

In cujus præfatione ad Lectorem, poſtquam cauſas ſcribendi recenſuit, primam Acidulas in Sueciâ inveniendi exponit occaſionem, ſibique easdem juſſû Excellentiſſimi Dn. Soopii viſitanti, inventionis hujus primæ gloriam vindicat Autor. Hinc neceſſaria & vera fontium mineralium exhibet criteria, ſimùlque duas illorum concipit ſpecies, Acidulas nempè propriè dictas, & fontes, variis in locis ſubitò erumpentes, poſtmodum verò ceſſantes, *Heyl Brunnen* communiter dictos. Miſſis poſterioribus, priorum tres format claſſes, *Acidorum, Vinoſorum, & Acido occulto gaudentium*; omnes verò minerâ quâdam peculiari, ut plurimùm Martiali, imprægnari, ſimùl tamen ſingulos aliquid quoque ſulphuris in ſinû ſuo geſtare autumat, ſive hoc per Gas ſuum acidum manifeſtum exiſtat, velut in fontibus Spadanis, Swalbacenſibus, Egranis, Andernacenſibus, & Pirmontenſibus, ſive abſconditum hoc lateat, vel ab occultô alcali ſolutum, vel adhùc in primô ſuô ente ſeminali exiſtens. Quô autem à laudatis fontibus vulgares aquæ minerales ſecernantur, ſequentes illorũ ſuppeditat notas. Sc. (1) adſit copia halituũ ſpirituoſorũ, è ſubtiliſſimô, ſive occultô, ſive manifeſtô ſulphure oriundorum, quos, Gas aliàs dictos, acidulis eſſentialem vitam præbere ait, ità ut ſine illis aquæ mortuæ & parvi uſûs cenſendæ veniant, qualis *der Wildbrunn* propè Egram, qui, utut ebulliat, inefficax tamen exiſtat; (2) ſit Aqua limpida nullisque heterogeneis ſcatens. (3) ultra annum ac diutiùs in ipſô fonte aut vaſis aſſervata non corrumpatur; (4) nulli ob inexiſtentiam nominati acidi in eâ ſubſiſtere queant animalia, v. g. ranæ, hirudines &c. quin ſtatim emoriantur; (5) putridas peregrinaſque minimè admittat aquas; (6) ex imô terræ prodeat vena; (7) fundum vaſis, quo excipitur, poſt aliquam ſpiritûs ſulphurei exhalationem, non niſi ſubtilis & fuſca ochra petat, cum largius ſedimentum fixioris ſubſtantiæ abundantiam denotet, & clauſis benè ante evaporationem vaſis, ſedimentum nullum appareat. (8) in ſummis rupibus, longè à fæce & inter ſaxa ſabulamque juxta *Helmontium*, ſecundum *Paracelſum weit von Erden, Letten und Schleim* prodeant; (9) à bibentibus abſque moleſtiâ magnâ aquæ queat aſſumi quantitas: (10) procùl ſint à littoribus maris; (11) in cavernis terræ immaturô imprægnentur metallô, immunes tamen ab halitibus Mercurialibus; item (12) à corroſivis arſenicalibusque mineris & metallis, e. g. Ærugine, Argento, Antimonio, Vitriolo &c. (13) Morbos profligent, aliis medicamentis minùs cedentes. Atque has quidem proprietates omnibus acidulis communes eſſe ait, excellentiores verò, (14) ſaporem & efficaciam, ob varium minerarum concurſum, non rarò mutare, v. g. Hornhuſanas, Egranas, Dunſtanienſes &c. (15) ad Solis ortum erumpere; (16) eâdem ſemper affluere copiâ, velut Swalbacenſes; (17) è ſummis ſalire collibus, ac velut longiore deſtillatione magis purificari ac volatiliſari. Hinc particularibus miſſis probationibus, an videlicèt ferrum, cuprum &c. inſit, (quas peculiari reſervat ſcripto) incertas ac ſuſpectas acidularum indagationes perſtringit. Nec enim præſtantiam earum explorari poſſe cenſet evaporatione, quâ fixior tantùm acidularum pars compareat; nec gallarum infuſione, cùm per eam nigreſcant aquæ Martiales quævis, item aqua ſalſa ollæ ferreæ aliquandiu infuſa; nec deſint optimæ acidulæ ex infuſione gallarum haud nigreſcentes, v. g. Hornhuſanæ, Bortfeldenſes &c. non carnis incoctæ tinctura, cùm caro aquæ cuilibet Martiali incocta tingatur; non ſapore linguam pungente, cùm is optimis acidulis deſit, v. g. Paderbornenſibus, quæ blandiſſimæ; è contrà acidiſſimus obſervetur fons Egranus, quem *Wild Brunn* appellant, ideò etiam dyſenteriam movens, & in Galliâ & Angliâ pariter ſeligantur blandiores. Nec porrò quæ longiùs ſe transferri patiuntur, ſemper optimas eſſe putat, cum Aquæ Charterienſes ob ſummam ſuam volatilitatem, quandò Lutetiam Pariſiorum portantur, ſaporem perdant, item Swalbacenſes facilè alterentur. Multò minùs Gallorum nonnullorum ex ſale, poſt evaporationem elixiviato, judicium alicujus momenti videri, ob deperditas particulas volatiles; præprimis cùm ut plurimùm tantillum ſalis remaneat, à ſale communi ad Nitrum inclinantis. Pariter ponderationem aquarum, ob volatiles ſpiritus gravitate deſtitutos, ineptam cenſet: intinctum verò linteum aquas quidem matura minera ſaturatas, non acidulas demonſtrare. *Thurnheiſſeri* verò phantaſias ineptas, & *Petri Guivrii Arcanum Acidularum* multa de nigrô Martis Mercurio, ſale Martis aluminoſô figmenta continere aſſerit. Tandem nec, quæ ebullitione prodeant, aquas ſemper ſalutiferas exiſtere, cùm ebullitio, ut talis, acidum ſulphuris in ſal terreum cum metallô impingens, minimè verò vividos arguat ſpiritus, ſicut Egrenſis *Wild Brunn*, maximè efferveſcens, nullius tamen efficaciæ exiſtat. Concludit proin, Acidum illud occultum & ſalutiferum aliis & genuinis magis dignoſci ſignis; quæ tamen peculiari reſervat tractatui. Dum autem varios luſtrat Sueciæ fontes, Medevienſem, ut pote cui notæ ſuperiùs recenſitæ competant, quique præprimis morbos graviſſimos, ſc. apoplexiam, paralyſin, maniam &c. ſanaverit, vimque expectorandi habeat, reliquos v. g. in *Starmarboo*, *Philipſtadt*, *Brahelund*, *Oßmoo-Sochn*, *Wayſtad*, *Blyſtad*, *Weſterhaninge &c.* antecellere, comprobat, vel crudis ſcatentes metallis, vel paucioribus tantùm ægritudinibus appropriatos.

HICESIUS Medicus Eraſiſtrateus, Athenæo Lib. 3. p. 87. quem idem ait librum ſcripſiſſe de Materiâ Medicâ, de Unguentis, de Piſcibus, Lib. 7. Paſſim non parvæ authoritatis Medicum vocat Plinius. De Conditurâ vini ſcripſiſſe dicitur in Indice, Lib. 15.

HIDALGO de Aguero (*Bartholomæus*) Hiſpalenſis, Doctor Medicus, eâ præſertim Chirurgicæ peritiæ, fœlicitatiſque in quibusvis vulneribus curandis apud ſuos inclaruit famâ, ùt vix eſſet aliqua vel deſperatæ ſanitatis plaga, cui non is mederi certô ac mirificô artis ſucceſſû poſſe videretur. Vulgata fuit ad poſteros ævi illius hæc perſuaſio; quâ ducti ejus gregis plures, qui ob levia quæque hâc in urbe quam alibi frequentiùs ad arma pervolare ſolent, Deo ſe, ac Doctori Hidalgo commendatos velle, clarô, ac velut auſpicatô clamore, cùm res manibus erat agenda, teſtabantur. Viæ particularis vulnera curandi, ſive primæ inventionis, ſuâ ætate inſtauratorem appellant, qui hominem laudant; quâ de re ſimultates cum Johanne Fragoſo geſſit. Extant, eô authore.

Teſoro de la verdadera Cirugia, y via particular contra la comun. Hiſpali, apud Franciſcum Perez, 1604. folio. Quô varii tractatus, & in his *antidotarium generale* continentur. Hic tamen poſthumus à Franciſcô Ximenez Guillen Authoris generô, Hiſpalenſi Medicô Doctore, in lucem emiſſus fuit liber. Prodierant verò jam ab annô 1584.

Aviſos de Cirugia contra la comun opinion. Rursûſque adverſus Fragoſum contradictorem

Reſpueſta à las Propoſiciones, que el Licenciado Fragoſo enſenna contra unos aviſos, &c.

Deceſſit in patriâ ſextum ſuper ſexageſimum agens annum, quintâ die Januarii 1597. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. p.* 152.

HIEBLINUS (*Chriſtophorus*)

De eô extat

De Lapide bezoar, Tractatus. S. Galli, apud Leonhardum Straubium, 1589. in 8.

HIERA, Cappadox.

De eô extat

Emplaſtrum è Pompholyge; Extat apud Aëtium Amidenum, Tetrab. 4. ſerm. 3. cap, 46.

HIELIUS (*Laurentius*) vitam hanc ingreſſus *Veſaliæ Belg.* Medicinæ Baccalaureus creatus eſt Roſtochii, A. 1555. Doctor verò *Jenæ* 1558. Diſputatione inaugurali priùs habitâ de *morbô Gallicô.* In *Jenenſi* Academiâ Profeſſorum Medicorum ordini annô 1559. adſcriptus, Magiſtratum Academicum geſſit menſe Juliô anni 1562. ac in album ſtudioſorum III. retulit. Tori ſociam habuit *Gertrudim*, Dn. Petri Schrœteri, Conſulis Vinarienſis filiam, Magni illius D. Johannis Schrœteri, ſororem annô 1561. ductam, ex quâ parens factus filioli unius. A. C. 1566. d. 16. Sept. peſte correptus unà cum iiſdem, ac domeſticis nonnullis, rebus humanis exemtus eſt. Memoriam ejus commendant

Epitome hiſtoriæ animalium quadrupedum.

Diſſertat. Inauguralis de Morbô Gallicô.

Zeumer. de Vit. Prof. Med. Jenenſ.

HIERNE (*Urbanus*) S. R. M. Suecicæ Archiater & Conſiliar. Metallic. idem procul dubiô qui ſuprà HIARNA.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus, Annô 1714. *p.* 128.

Acta & Tentamina Chymica in Regiô Laboratoriô Stockholmienſi elaborata & demonſtrata, in Decades redacta atque diviſa; unà cum præmiſsâ Paraſceve ſeu praviâ Manuductione ad experimenta ritè perficienda. Holmiæ, typis Joh. H. Werneri, 1712. 4.

JAm A. 1679. referente Cl. Autore, *Carolus* XI. Rex Suecorum Theſaurario ſuo, Illuſtriſſ. Comiti *Steroni Bielkio*, Laboratorii chymici inſtituendi ſumtibuſque neceſſariis fulciendi curam commiſerat. Enimverò, quod ipſe ob ſenectutem ingraveſcentem & valetudinem non ſatis firmam perficere non potuerat, perfecit tandem A. 1683. Illuſtr. Comes *Claudius Fleming*, Theſaurarius Regius ac Cameræ Regiæ Præſes, & ſub auſpiciis Regiis Laboratorii chymici fundamenta jecit. Hujus director conſtitutus eſt experientiſſimus Autor, ſumtus annuos ad inſtantiam ipſiûs A. 1685. ordinante Illuſtr. Comite *Fabianô Wrede*, Cameræ Regiæ & Collegii metallici Præſide. Ab eô tempore labores chymici ſuſcepti, qui etiamnum hodie ſub auſpiciis Regis nunc ſceptra tenentis *Caroli* XII. aſſiduè continuantur. Inſtitutum verò fuit Laboratorium chymicum propter rationes ac fines ſequentes; 1. ut interiora naturæ recluderentur firmaque reperirentur principia, quibus reliqua tutò ſuperſtrui poſſent; 2. ut omnes rerum naturalium partes analyſi ſubjicerentur, quo tandem conſtaret, quid in ſe continerent; 3. ut in naturam metallorum inquireretur, quatenùs meliorationis capacia; 4. ut conficerentur medicamenta majoris efficaciæ, quàm quæ vulgò in officinis proſtant; ut omnia excuterentur, quæ rei œconomicæ inſervire poſſint, e. g. temperatura terræ in horti agrique cultura, materia conficiendis ædium tectis commoda, ferri contra rubiginem munitiones, lignorum à putredine præſervatio &c. Quicquid verò laboris per tot annorum intervalla ſecundum tam egregias intentiones ſedulò peractum, in Diariis cum cura annotatum. Nullum itaque dubium ſupereſſe videtur, quin in iis multa præclara & cùm ad Chymiæ, tùm ad Phyſicæ atque praxis Medicæ perfectionem profutura contineantur. Unde non immeritò dolemus, quod, quæ titulus promittit, Acta Regii illius Laboratorii nondum comparuerint, ſed ſola exhibeatur Introductio ad opus ipſum faciliùs intelligendum adornata. Et quia Author conqueritur, quod infelici hoc tempore Camœnæ Marti cedant, quod in Sueciâ ipſimet Autores ſumtus in editionem impendere teneantur, quod ibi charta & opera typographica duplo propè carius quam alibi conſtet & potior tamen exemplarium pars blattas plerumque tineaſque paſcat, aut piper zingiberque apud aromatarios veſtiat, ac ideò exigua ſpes ſuperſit fore, ut Cl. Autori, qui ſeptuageſimum ſecundum ætatis annum jam ſuperavit, opus ipſum publico impertiri liceat; gratiorem ſanè orbi erudito operam præſtitiſſet, ſi introductionem, hypotheſes quaſdam magnâ ex parte complexam, in aliud commodius tempus rejeciſſet, ac experimenta ipſa, prout annotata ſunt, primum in lucem protuliſſet. Sed dum opus ipſum expectamus, introductionem paucis perluſtremus.

Partitur eandem Author in duas ſectiones, Priore de quatuor vulgò ſic dictis elementis, terra, aqua, aere, igne tractat & principiorum chymicorum, ſalis, ſulphuris & mercurii generationem ex iis explicare conatur. Elementorum numerum quaternarium admittit, quia antiquiſſimos Philoſophos eundem ab Ægyptiis accepiſſe credit, à quibus Philoſophia ad ſummum perfectionis faſtigium deducta ipſi videtur; quia *Hippocrates*, *Plato*, *Ariſtoteles*, eorumque aſſeclæ in eô acquieverunt; quia denique *Moſes* in creatione univerſi mentionem injicit terræ, aquæ, ſpiritûs & lucis. Ignis elementaris ſedem ſtatuit Solem; inde eum emanare per lumen in Planetas & ex iis combinari cum vaporibus aquarum ſupra cœleſtium aliiſque particulis. Sic immutatum ex Planetâ uno in alium tandemque in Lunam migrare & inde vires ſpecificas omnium Planetarum ad terram deferre. Hinc tandem prodire ſal aſtrale, ſulphur univerſi & mercurium univerſi. Sal aſtrale ex Planetarum influentiis maximâ partem componi, quarum principium ſit aqua ſupracœleſtis ex multâ terrâ elementari, pauciore aere & igne ſolari; ſulphur univerſi conſtare ex multâ materiâ ſolari, pauciori ſale aſtrali, terrâ inviſibili ac portione aliquâ aquæ; mercurium denique univerſi ex connubiô ſalis aſtralis & ſulphuris univerſi prognatum continere aërem ſubtilem, ignem pauciorem, aquam multam & ſubtiliſſimam. Differit quoque in ſpecie de ſalibus acidis & alcalibus cùm urinoſis ſeu volatilibus, tum

tum lixivioſis, ſeu fixis, itemque de compoſitis, ſale nimirum communi, nitroſô, Armeniacô, atque decompoſitis ſeu eſſentialibus; necnon de ſulphure atque mercuriô.

In Sectione poſteriore explicare conatur modos inveſtigandi, quale principium in datô quolibet corpore præpolleat, & quantum uniuſcujuſque in eo reperiatur. Commendat autem ſolutionem & præcipitationem, de quâ utraque prolixè diſſerit. Conſiderat menſtrua, quibus corpora ſolvuntur, cùm ſalina, tum ſulphurea, tum mercurialia ſive aquoſa. Conſiderat ſigna in præcipitatione attendenda, nempe conſiſtentiam præcipitati, æqualitatem, motum, tempus, colorem, odorem, ſonum, quantitatem, ſignorum ſyndromen. Conſiderat ſpecies præcipitationum atque materias, ſpiritum vitrioli, ſpiritum ſulphuris, ſpiritum nitri, ſpiritum ſalis, acetum deſtillatum, alumen, mercurium ſublimatum, ſolutionem Lunæ, ſaccharum Saturni, vitriolum Veneris, vitriolum Martis, ſolutiones Veneris, & Martis, ſal tartari, ſal Dreſdenſe, cineres elavellatos, nitrum fixum, ſyrupum violarum, ſuccum heliotropii, gallas Turcicas. Hinc oſtendit, ex quibus ſignis dignoſcantur 1. omne genus acidi, 2. acidum purum vel ſulphureum, 3. acidum eſſentiale, 4. alcali in genere, 5. alcali fixum, 6. alcali volatile ſeu urinoſum, 7. alcali utriuſque tam urinoſi, quàm fixi particeps, 8. ſal commune, 9. nitrum, 10. ſal Armoniacum, 11. ſal calcarium, 12. ſal tartareum, 13. alcalia fixa acidis refracta, 14. ſpiritus hermaphroditicus, qualis ſpiritus tartari, liquor ligni juniperi, 15. ſal adſtringens vel terreum pauco acido mixtum, 16. ſulphur ejuſque varia genera, 17. alumen. Tandem objectiones diluit, quæ contra ſtudium chymicum à nonnullis fieri ſolent.

Sequitur gemina appendix, altera brevior, altera prolixior. Brevior explicat colores in præcipitatione ritè obſervandos. Prolixior verò agit de calore, de igne ardente ſeu culinari, de igne centrali globi terreſtris & de ignibus ſubterraneis montibusque ignivomis, quam poſteriorem ad inſtantiam amicorum ipſius de iis rebus mentem noſſe cupientium adjecit.

HIERO (*Jola*) Tarentinus.

Epiphanii, de XII. Gemmis, quæ extant in veſte Aaronis, Latinè expoſuit.

HIEROCLES

De eô extant

De Mulomedicinâ Capita aliquot. Reperiuntur inter Veterinariæ Medicinæ Scriptores, qui editi ſunt Græcè, Baſileæ, apud Johan. Valderum, 1537. in 4. Latinè autem ex interpretatione Johannis Ruellii. Pariſiis, apud Simonem Colinæum, 1530. in fol.

De Re Ruſticâ Fragmenta aliquot. Extant in Γεωπονικῶν, ſeu, de Re Ruſticâ ſelectorum, Lib. 20. Græcis, Conſtantino quidem Cæſari nuncupatis; Joh. Alex. Braſſicani operâ in lucem editis, Baſileæ, apud Robertum Winter, 1549. in 8. Latinis autem, Janô Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8.

HIERONYMUS, Brunsvicenſis. Argentinæ Chirurgiam exercuit & Idiomate Germanicô Chirurgiam conſcripſit, quæ etiam in Urbe Argentinenſi, anno 1539. impreſſa eſt.

HIEROVIUS (*Bartholomæus*)

Ex eô habentur

Quæſtionum Medicinalium Decas prima, continens Quæſtiones lectu omninò jucundas ac dignas. Francofurti, apud Petrum Fiſcherum, 1595. in 8.

Methodus Chirurgica, docens, ſummâ facilitate & brevitate, rationem curandi apoſtemata, vulnera, & ulcera. Ibid. apud eundem, annô & formâ iiſdem. Bini hi Hierovii Tractatus extant cum Alberti Bottoni & Æmilii Campolongi Methodis Medicinalibus à Lazarô Suſenbetô editis.

HIGHMORUS (*Nathanael*) Oxonienſis Anglus.

De eô extant

Corporis humani Diſquiſitio Anatomica: In quâ ſanguinis circulationem in quâvis corporis particulâ, plurimis typis novis, ac ænigmatum Medicorum ſuccinctâ dilucidatione, ornatum proſecutus eſt. Hagæ Comitis apud Sam. Broun, 1651. in fol.

Exercitationes duæ; quarum prior de paſſione Hyſtericâ, altera de Affectione Hypochondriacâ. Oxoniæ, apud A. Lichfeld, 1660. in 12. Amſtelodami, apud Caſpar. Commelinum, 1660. in 12. quæ ſecunda editio priori emendatior eſt. Ienæ, apud Johan. Bielkium, 1677. in 12.

De Hyſtericâ & Hypochondriacâ paſſione Reſponſio Epiſtolaris ad D. Williſium. Londini, 1670. in 4.

HILDANUS (*Guilielmus Fabricius*) Natus Hildenæ Helvet. A. C. 1560. unde communiter à patriâ dicitur Hildanus. Fuit Georgii Friderici Marchionis Badenſis Medico-Chirurgus. An. 1586. primò Lauſannam venit, & Praxin Chirurgicam feliciter ibi exercuit. Hincque 1615. Bernam Helvet. à Senatû vocatus cum familiâ ſuâ eò conceſſit. Cùm doloribus podagricis per plures annos obnoxius, & ultimô ſeſquiannô planè immunis ab illis fuiſſet, aſthmate tandem confectus obiit Bernæ, A. C. 1634. ætatis ſuæ 74.

Ex eô habentur

Opera Obſervationum & Curationum Medico-Chirurgicarum, quæ extant omnia. Francof. apud Johan. Beyerum, 1646. in fol.

Elenchus Librorum contentorum.

I. Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Centuriæ ſex, pag. 1.

II. De conſervandâ valetudine, de Thermis Valleſianis & Acidulis Grisbaienſibus, Conſilium, pag. 635.

III. De Thermis Fabarienſibus, ſive Piperinis, in Rhetiâ, Epiſtola. pag. 655.

IV. De Dyſenteriâ, Liber unus. pag. 666.

V. De Lithotomiâ Veſicæ, Liber unus. p. 701.

VI. De Gangrænâ & Sphacelô. pag. 768.

VII. De Ichore & Meliceriâ Celſi. p. 831.

VIII. Herniæ Uterinæ Hiſtoria Michaëlis Döringii, 893. cum Reſponſione ad ejus Epiſtolam, in quâ varia de Affectibus uterinis, Extractione Fœtûs mortui, Mercurio & Antimonio. pag. 898.

IX. De Combuſtionibus, quæ oleô, aquâ fervidâ, ferrô candenti, pulvere tormentariô, fulmine, & quâvis aliâ materiâ ignitâ fiunt, Liber unus, p. 917.

X. De Vulnere graviſſimô, à ſclopeti ictû, Obſervatio, & curatio ſingularis; cum Inſtrumentorum novorum adumbratione, p. 935.

XI. Tractatus de ſclopetaria curatione, Latinè redditus per Johan. Henr. Cavalerum, p. 950.

XII. Epiſtolarum ad Amicos, eorumque ad Autorem, Centuria una. 958.

XIII. Ciſta militaris, hoc eſt, Deſignatio præcipuorum Medicamentorum, Inſtrumentorumque, quibus Medicum & Chirurgum Caſtrenſem inſtructum eſſe convenit. p. 1034.

Conſilium in quô de conſervandâ valetudine; Item, de Thermis Valleſianis, & Acidulis Griesbacenſibus, earum facultatibus, & uſû ſuccinctè agitur. Acceſſit Epiſtola ad D. Paulum Croquerum. In quâ de Magiſtralibus quorumdam Medicamentorum compoſitionibus; de Extractione item Fœtûs mortui, & de Thermis Piperinis agitur. Adjecta Thermarum illarum Tabulâ geminâ; quarum priore tractus terræ & vicina loca; poſteriore deſcenſus formidabilis, ipſarum aquarum calidarum ſcaturigo, hoſpitia, labra, & ſolia, totumque adeò antrum ſubterraneum novô conatû repræſentatur. Francof. ap. Matt. Merianum, 1629. in 4.

Obſervationum & Curationum Centuriæ, nunc primùm ſimul in unum opus congeſtæ, ac in duo volumina diſtributæ, ab Authore recognitæ, multiſque locis auctæ. In quâ editione Inſtrumenta quàmplurima, in præcedentibus Editionibus ineptè depicta, nunc ſingulari artificiô ad vivum adumbrantur. Acceſſêre, ob materiæ ἀδελφότητα, Marci Aurelii Severini, de Efficaci Medicinâ, Libri tres. Lugduni apud Johan. Anton. Huguetan, 1641. in 4. Francof. apud Johan. Beyerum, 1646. in fol.

Viginti quinque Obſervationes ſelectiores Chirurgicæ, ut & de Gangrænâ ac Sphacelô. Exſtant cum Practicâ Medicâ Dionyſii Fontanoni, Francof. apud Joh. Saurium, 1611. in 8.

Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Centuria. In quâ incluſæ ſunt viginti & quinque, anteà ſeorſim editæ; reliquæ nunc cum nonnullis Inſtrumentorum, ab Autore inventorum Delineationibus, in gratiam & utilitatem artis chirurgicæ, in lucem prodeunt. Baſileæ, apud Ludov. Regem, 1606. in 8.

Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Centuria ſecunda, Epiſtolis nonnullis Virorum doctiſſimorum, nec non Inſtrumentis Chirurgicis, ab Autore inventis, illuſtrata. Genevæ, apud Petrum & Jacobum Choüet, 1611. in 8.

Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Centuria tertia, Epiſtolis nonnullis Virorum doctiſſimorum; necnon Inſtrumentis Chirurgicis, ab Authore inventis, illuſtrata. Acceſſit Epiſtolâ de nova, rara & admiranda Herniæ, & Partûs Cæſarei Hiſtoria, ad Autorem ſcripta à Michaële Döringiô, *Breslavienſi*. Item Authoris ad hunc Reſponſio Epiſtolica: In quâ multa variaque rara & admiranda; de affectibus uterinis; Extractione Fœtûs mortui; Mercurio, & Antimoniô, recenſentur. Oppenheimi, apud Joh. Theod. de Bry, 1614. in 8.

Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Centuria quarta, Epiſtolis nonnullis Virorum doctiſſimorum, ſimul & Inſtrumentis, ab Autore inventis illuſtrata. Acceſſit ejuſdem Authoris Epiſtolarum ad Amicos, eorumdemque ad ipſum Centuria prima. In quâ paſſim Medica, Chirurgica, aliaque lectione digna, continentur. Ibidem, apud eundem, 1619. in 4.

Obſervationum & Curationum Chirurgicarum Centuria quinta, Epiſtolis Virorum doctorum, necnon Inſtrumentis ab Autore inventis, illuſtrata. Francof. apud Matth. Merianum, 1627. in 4.

De Gangrænâ & Sphacelo, Tractatus methodicus: In quô horum morborum differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſtica ac denique methodica curatio continentur. Francof. apud Nicol. Baſſæum, 1600. in 8. Oppenheimi, apud Johan. Theod. de Bry, 1617. in 4. Editio ultima omnium locupletiſſima, obſervationibus etiam raris, necnon Inſtrumentis neceſſariis ab Authore inventis, ità aucta, ut planè nova recenſeri poſſit.

Lithotomia veſicæ, hoc eſt, accurata Deſcriptio Calculi Veſicæ, ejuſdemque cauſarum, ſignorum pathognomicorum, imprimis verò Methodi, quâ tam in fœminis, quàm in viris ſit extrahendus; ubi quidem diverſæ operationes deſcribuntur, & inſtrumenta quædam ſingularia depinguntur, primùm ab Autore, Germanicô idiomate in lucem edita, jam verò ab eôdem Autore aucta, & à Diſcipulo & Commenſali ſuo, Henrico Schobingero, *Sangallenſi*, M. Candid. in Latinum tranſlata. Cui acceſſerunt Epiſtolæ aliquot Clariſſimorum Virorum, de uſû & abuſû Turundarum, poſt extractionem Calculi adhibendarum. Baſileæ, apud Ludov. König, 1628. in 4.

De Vulnere quôdam graviſſimô & periculoſô, ictû ſclopeti inflictô, Obſervatio & Curatio ſingularis. In quâ multa, variaque lectione digna, & Chirurgiæ ſtudioſis utiliſſima, recenſentur, & Inſtrumenta, ab Authore inventa, adumbrantur. Oppenheimi, apud Johan. Theod. de Bry, 1614. in 8.

De Combuſtionibus, quæ oleô & aquâ fervidâ, ferrô candente, pulvere tormentariô, fulmine, & quâvis aliâ materiâ, ignita fiunt, Libellus. In quo differentiæ, ſigna, prognoſtica, & curatio, tum ipſarum combuſtionum, tùm omnium ferè accidentium perſpicuè deſcribuntur. Cui acceſſit Buſtum, in quô accenſi ſunt odores ſuaviſſimi memoriæ Nobiliſſimi Viri D. Caroli Utenhovii C. F. Baſileæ, apud Ludov. Regem, 1607. in 8.

De Dyſenteriâ, Liber unus. In quô hujus morbi cauſæ, ſigna, prognoſtica & præſervatio continentur; Item, quomodo ſymptomata, quæ huic morbo ſupervenire ſolent, ſint removenda. Oppenheimi, apud Joh. Theod. de Bry, 1616. in 8.

De Trichiaſi, ſeu, Mictione Pilorum, Epiſtola, & Obſervatio. Extant cum Gregor. Horſtii Obſervat. Medicinalium ſingularium Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. pag. 334.

Semen Aniſi, Carbones, & Pili cum Urinâ rejecti, Obſervatio. Extat ibidem, pag. 397.

De Monſtrô Lauſannæ Equeſtrium excîſô. Oppenheimi, typis Galleri, 1614. in 8.

Omnia rurſus Opera edita ſunt Francofurti annô 1682. *ſub hôc titulô*.

Guilhelmi Fabricii Hildani, Illuſtriſſ. Marchionis Badenſis, & Hochbergenſis &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernenſis Medico-Chirurgi Ordinarii, Opera, quæ extant omnia; partim antehac excuſa, partim nunc recens in lucem edita. Omnia ab Autore recognita, multiſque in locis, tum Epiſtolis Clariſſ. Virorum, tum Obſervationibus & Exemplis novis aucta. In ultimâ hâc Editione, Inſtrumenta quàmplurima, in præcedentibus editionibus ineptè depicta, & ſculpta, nunc ſingulari artificiô ad vivum adumbrantur, multaque alia ab Autore inventa adjiciuntur. Cum duplici Indice, unô Morborum ſecundùm partes Corporis, alterô Rerum & Verborum locupletiſſimô. Additus quoque ob materiæ ſimilitudinem, Marci Aurelii Severini Liber de Efficaci Medicinâ, Chirurgiæ & Medicinæ Cultoribus maximè utilis. Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Joh. Ludov. Dufour, Genevenſis, Typis Balthaſ. Chriſtophori Wuſtii Jun. A. 1682. fol.

HIPPOCRATES.



Ἱπποκράτης Ἡρακλείδου Κῷος
Ἤκμαζε κατὰ τοὺς πελοποννησιακοὺς χρόνους
Hippocrates Heraclidæ Filius Cous
Floruit tempore belli Peloponneſiaci:

Οὗτος ἀκεσορίης χρυσίας ὤϊξε κελεύθους
Παιήων μερόπων Κώïος Ἱπποκράτης
Pandit Apollineæ calles doctiſsimus artis
Pæon terrigenum Coïus Hippocrates.

P. Aubry ſculpſit

HILDEBRAND (*Andreas,*)

Ex eô habentur

De Generatione calculi, de Cornû cervinô, de Hæmorrhagiâ, de Guttâ gamandrâ, Epiſtolæ. Extant cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. prioribus. Ulmæ apud Saurium, 1628. in 4. pag. 421.

Evangeliſtæ Quatrammi, de Præſervatione & Curatione Peſtis, Libr. ex Italicô Latinum fecit.

HILDESHEIMIUS (*Franciſcus*)

De eô extant

De Cerebri & Capitis Morbis internis, ſpicilegia. In quibus primò morbi cujuſque catholica proponuntur; indè conſilia & curationes variæ attexuntur; denique empirica morborum remedia, ipſiuſque Autoris experimenta hiſtorica adferuntur. Francof. apud Egenolphum Emmelium, 1611. in 8. apud Eraſmum Athletam, 1612. in 8.

HILLERUS (*Johannes*)

De eô extat

Curationum Obſervationumque Medicinalium, Centuria prima. Aureliæ, 1610. in 8.

HILLINGIUS (*Gregorius,*) Phyſicus Norimbergenſis.

Ex eô habetur

Obſervatio, de ungue utriuſque pedum pollicis monſtroſo. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Decur. II. Anno 1. Num. 160.

De Calculis in puerô per mictionem excretis. Ibid. Ann. eod. N. 161.

HIMERIUS

De eô extant

De Mulomedicinâ capita aliquot. Extant inter Veterinariæ Medicinæ Scriptores, qui editi ſunt Græcè quidem Baſileæ, apud Johan. Valderum, 1537. in 4. Latine autem ex interpretatione Johannis Ruellii, Pariſiis, apud Sim. Colinæum, 1530. in fol.

HIPPOCRATES aliquis

Ex eô habentur

De Mulomedicinâ capita aliquot. Extant inter Veterinariæ Medicinæ Scriptores, qui editi ſunt Græcè quidem Baſileæ, apud Johan. Valderum, 1537. in 4. Latinè autem ex interpretatione Johannis Ruellii, Pariſiis apud Simonem Colinæum, 1530. in fol.

De Re Ruſticâ fragmenta aliquot. Extant in γεωπονικῶν, ſeu de Re Ruſticâ Lib. XX. Græcis, Conſtantino quidem Cæſari nuncupatis, Johan. Alex. Braſſicani opera in lucem editis apud Rob. Winter, 1539. in 8. Latinis autem, Janô Cornariô interprete. Baſileæ, apud Frobenium, 1540. in 8.

HIPPOCRATES Cous.

Hippocratis Genus & Vita, ſic à Soranô deſcribuntur.

HIPPOCRATES genere quidem fuit Cous, Heraclidæ & Phænaretes filius; ad Herculem autem & Æſculapium genus referebat, ab hôc quidem vigeſimus, ab illô verò nonus decimus. Ejus autem generis ſeriem commemorat Eratoſthenes, & Pherecydes, & Apollodorus, & Arius Tarſenſis. Heraclidæ verò parentis ſui diſcipulus extitit, deinde Herodici, at ex quibuſdam etiam Gorgiæ Leontini rethoris, Philoſophi autem Democriti Abderitæ. Peloponneſiacis autem temporibus viguit, natus, (ut tradit Hiſtomachus in primo de Hippocratis ſecta) primo octogeſimæ Olympiadis anno; ut verò Soranus Cous, quæ in Co erant tabularia perſcrutatus addit, imperante Abriada, menſis Agriani, ſeptimo, & vigeſimo die, à quo, & ipſo huc uſque Coos Hippocrati parentare ait. Arte autem Medica, & liberalibus diſciplinis excultus, vita functis parentibus, è propria patria migravit, ut quidem maligne Andreas in libro de Medicinæ origine prodit, quod tabularium Cnidi incendiſſet; alii verò aſſerunt eo propoſito, ut quæ aliis in locis producebantur, ſpectaret, ſeque majori varietate exerceret. Ut verò Soranus Cous narrat, ſomnium ei adſtitit, jubens Theſſaliam terram incolere. Univerſæ autem Græciæ medendo admirationi fuit, adeò ut, & à Perdicca Macedonum Rege, qui tabidus habebatur publicè vocatus cum Euryphonte qui ætate ipſo major erat, ad eum venerit, & animi affectum eum eſſe ſignificarit. Nam poſt Alexandri patris mortem Phillam ejus pellicem deperibat, ad quam re delata, quum ea conſpecta illum prorſus mutari animadvertit, & morbum depulit, & Regem ſanitati reſtituit. Ab Abderitis etiam vocatus eſt, ut ad eos proficiſceretur, & Democritum quidem ut inſania laborantem curaret, totam verò urbem peſte liberaret. Quin & in Illiriorum, & Phæonum Barbarorum terras peſte ingruente, & earum gentium regibus ad ſe venire ipſum rogantibus, à legatis edoctus quinam illic venti plurimum flarent, illos quidem re infecta dimiſit: Ratiocinatus verò morbum in Atticam venturum, prædictô futurô & Civitatibus, & diſcipulis proſpexit. Græcorum autem amicus adeo extitit, ut ſparſa ejus gloriæ ad uſque Perſas fama, eaque de cauſa etiam Artaxerxi per Hyſtanidem Helleſpontiorum præfectum, eum magnis muneribus petenti, ut ad ſe veniret, id gravitate, & pecuniæ contemptû, & amore ſuorum, negaverit, ut & id miſſis ad eum literis proditur. Suam autem patriam à bello quod ei inferre parabant Athenienſes liberavit, Theſſalis in auxilium vocatis, ideoque ſplendidos honores apud Coos conſequutus eſt; imò, & apud Theſſalos, Argivos, & Athenienſes, qui & eum ab Hercule ſecundum publicè ſacris Eleuſiniis initiarunt, & Civem conſcripſerunt, & ei victum in Prytaneo, ac poſteris dederunt. Candidè autem idoneos artem edocuit, cum decenti jurejurando. Obiit autem apud Lariſſæos, quo tempore, & Democritus deceſſiſſe fertur, ætatis, ut quidam tradunt, anno nonageſimo, ut alii verò, octogeſimo quinto, alii centeſimo quarto, quidam autem centeſimo nono. Inter Gyrtonem & Lariſſam ſepultus eſt. Et in hunc uſque diem monumentum ejus oſtenditur, in quo multo tempore examen fuit, quod mel conficiebat, quo nutriculæ infantes aphthis affectos ad tumulum illinentes, facile liberabant. In pleriſque autem ſtatuis capite velato pingitur, in pileo, ut quidam dicunt, velut Ulyſſes, quod nobilitatis inſigne, alii verò in pallio; & ex his alii quidem propter decorum, quod calvus eſſet; alii verò propter capitis imbecillitatem; alii autem ex ſignificatione, quod principis animi ſedem munitam eſſe oporteat; alii peregrinandi ſtudium indicare id dicunt; alii ſcriptorum ejus obſcuritatem; alii verò ut demonſtretur, etiam quum valeas, vitanda quæ noceant; quidam verò, quod manu curans, ut liberæ ſibi manus eſſent, comprehenſum quod amiculi circumflueret in caput rejiciebat. De ipſius autem ſcriptis multa fuit diſſenſio, aliis alia opinatis.

Unde, quod variæ cauſæ judicio tenebras offundant, de his non eſt facile pronunciare. Primo quidem cognomen. Secundò, poſſe locutionis characterem obſervare. Tertiò, quòd unus, & idem quandoque robuſtius, alias autem remiſſius propter ætatem conſcribat. Sed & alias prætereà cauſas proferre licet. Pecuniæ non cupidus, & moribus gravis, & Græcorum amans fuit, quare etiam populares ſuos omni ſtudio curavit, adeò ut univerſas civitates, quemadmodum dictum eſt peſtilentia liberaverit. Unde, & præclaros honores, non apud Coos tantum, ſed & Argivos, & Athenienſes adeptus eſt. Moriens duos reliquit filios Theſſalum, & Draconem, ac diſcipulos permultos. Clariſſimos autem filios ſuos reliquiſſe dicitur.

Decretum Athenienſium, circa Hippocratem.

Senatus populuſque Athenienſis ſic cenſuit.

Quandoquidem Hippocrates Cous, Medicus, & ab Æſculapio oriundus, ſummam benevolentiam cum ſalute Græcis præſtitit; quum & peſte à barbaris in Græciam pervadente, miſſis per loca ſuis diſcipulis, præcepit quibus medelis utendum eſſet, ut inſtantem peſtem tutò effugerent; quôque modò Medicina Græcis tradita, eorum ægros tutò ſervaret. Sed & præcepta de Arte Medica accuratè conſcripta edidit, quum multos eſſe optaret Medicos, qui ſervare poſſent. Perſarum etiam Rege ipſum ad honores ſuis optimatibus pares, & munera, quæ ipſe Hippocrates poſtularet, accerſente Barbaî promiſſa, quod hoſtis, & communis Græcorum inimicus eſſet, contempſit. Ut igitur conſtet Populum Athenienſem Græcis ſemper utilia conſulere, utque dignam pro meritis Hippocrati gratiam referat, viſum eſt populo in magnis myſteriis, eum uti Herculem Jovis filium publicè initiare, & corona aurea mille aureorum coronare, & coronam ipſam Quinquatribus magnis, in gymnico certamine proclamare. Et omnibus Coorum liberis licere, non ſecus ac Athenienſium liberis Athenis pubertatem agere, quandoquidem patria ipſorum ejuſmodi virum procreavit. Eſſe autem Hippocrati, & jus Civitatis, & victum in Prytaneò, quoad vivat.

Pro ſtudiò Hippocraticò commendandò, multi, tum inter Veteres, tum inter Recentiores, multa ſcripſêre, quorum vel catalogum tantùm texere nimis longum foret: Contenti itaque erimus hic apponere Præclariſſ. Hermanni Boerhaave Diſſertatiunculam, paucis equidem, ſed perquam ſolidis, ac verè nervoſis verbis, quicquid in hôc argumentô præcipuum dicendum venit, elegantiſſimè nobis enarrantem; quæque ſic habet.

Exigit hujus Loci auctoritas, atque ipſa hæc, quam ago, perſona, ut de rebus Medicis verba faciam.

Illarum verò, quum magna ſit copia ad dicendum, eam eligendam putavi, cujus enarratio Medicinæ Cultoribus utilis imprimis eſſet, atque tempeſtiva.

His quippe omnis hicce apparatus, His omnis hæc dicata eſt feſtivitas.

Quid autem res ipſa monet? Quid tempus poſtulat? Niſi de eo agendum, quo, licet in arte Medicâ palmarium ſit, haud aliud tamen negligitur turpius, vel magis perfunctoriè tractatur.

Ea ſc. hoc ſeculo in ſcholâ Medicorum oſcitatio dominatur, an ſuperbia, ut ſpreta Hippocratis monumenta nullo in uſu, vix ullius habeantur pretii!

Hæc tamen ſcrutanda, hæc nocturnâ verſanda atque diurnâ manu priùs, quàm bonæ frugis quidpiam ab Medico in ægros redundare queat, perſuadere conabor.

Quæ dum in animum induco, late-patentem orationi campum nactus exſpatiarer pro rei copiâ; ſed reprimit impetum, verbaque mea in brevis horæ curriculum cogit, Veſtræ, P. C. Præſentiæ Majeſtas, Veſtri temporis Patriæ ſacrati juſta æſtimatio.

Illis minimè abuti, ſed eâ, quâ par eſt, cum veneratione frui animus dictat, dum contemplatur Veſtra in capeſſundâ feliciter Rep. Merita, atque Virtutes, quæ claro ſanctiſſimæ veritatis præconio æterno, gratæ Poſteritati laudis materiem, virtutum exempla, dabunt.

Atticâ ergo lege, nullâ exordii pompâ gravis, pauca in medium proferam, quibus juveniles animos excitem, ut inflammato ſtudio rapiantur ad puriſſimos ſalutis fontes, quorum ſalubri latice ſuâ conſcripſit Pater ille atque Princeps Medicorum.

Hoc agenti attentionem parat, benevolentiamque conciliat rei opportunæ dignitas: timorem verò tollit, addiitque animum propria Vobis & ſpectata in audiendo ſemper lenitas.

Ut itaque propoſitum abſolvam, ante pauca de Officio Medici explananda habeo, quam de ipſo Hippocrate dicam.

Medicum eſſe atque haberi eum, qui rectè corporis humani ſanitatem tueri, atque infeſtos ei morbos propulſare novit, omnibus in ore eſt.

Divinâ quiſquis hâc arte pollet, primum ſibi in conſeſſu Apollineo locum vindicare, eumque dignè exornare poterit.

Neque verò aliis habet opus, quo ægrorum votis, ſuoque animo ſatisfaciat.

Pauca quidem hæc atque pulchra, quæ medicinam conſummant, etiam ignaris apparent, ſed rerum peritis ardua comperta ſunt.

Enimverò, ſanitatis natura & morborum in obſcuro latet; illorum cauſæ ſunt imperſcrutabiles; remedia haud ſatis habentur explorata.

Hæc tamen perſpecta tenenda illi, qui ad artis adſpirat perfectionem, res ipſa clamat, conſentiunt omnes.

Sed magnum ſemper inter Auctores, Scriptoreſque rerum medicarum, certamen fuit, vine rationis, an experientiæ uſu medicina magis procederet?

Neque defuerunt unquam præclaro ingenio Viri, qui utrumque horum per ſe indigens, alterum alterius auxilio perficere, cum laude laboraverunt.

Ægri enim, ante nata medicinæ primordia, morborum cruciatibus impulſi ad certos dolores incerta tentaverunt remedia; quorum ubi nonnulla fortunâ magis, quàm arte, ſalutaria comperiſſent, eorum annotatione prima jecerunt artis fundamenta.

Poſtea verò ægrotos in forum & compita exponentes unumquemque prætereuntium ſimilia forte paſſum lege latâ compulêre, ut laboranti eſſet ſolatio, ut manifeſtaret remedium, cujus auxilio ipſe ejuſdem mali pericula effugerat.

Cernitis A. alterum Medicinæ ſtatum, quem ſapientiæ humanæ antiquiſſimi auctores Babylonii, & Chaldæi inchoaverunt; à quibus, ut artium reliquiæ, derivatus in Ægyptum, pro ſubtilitate atque induſtriâ Gentis, ſenſim magis magiſque fuit promotus.

Quid enim? morborum ſpecies, & auxilia votivis inſculpta tabulis ad delubra Deorum ſuſpendendo, atque unicuique malorum ſingulos

præficiendo medicos, indigeſtam experimentorum molem benè & compoſitè digeſſerunt in formam artis, uſui accommodatam.

Poſtremò, progreſſo cum tempore uſu, ſola remedia non ſufficere experti mortales judicium rationis implorabant, cujus ſibi luce imprimis opus eſſe, ad dignoſcenda & curanda mala, in plurimis & ſolius ratiocinii lumine diſtinguendis circumſtantiis, dudum obſervaverant.

Tumque ſtatim, ut in talibus fieri natum eſt, ſubtilitati ingenii magis, quam experiundi tædio dediti, ea, quæ ſapienter, & ex rei neceſſitate, à Majoribus conjuncta acceperant, ſeparaverunt.

Tum, ne conſultâ quidem experientiâ, excogitatam ſpeculatione rationis diſciplinam nobis obtulerunt.

Verum, licet ad eloquentiam compoſita, & Philoſophantibus accepta brevi adoleſceret, ægris tamen perniciosa comperta fuit & fatalis.

Neque mirum id videbitur ei, qui in rem ipſam introſpicere propiùs non dedignatur.

Eſt nempe tam ſanitas, quam morborum quilibet, definitus omninò effectus, oriundus ab determinato & ſingulari concurſu omnium illorum, quæ juncta, in illo effectu producendo, cauſæ officio funguntur.

Hanc ergo ut lege rationis inveſtigatam cauſam evidentiâ demonſtres mathematicâ, oportebit prius exactiſſimè cognitas habere ſingulas ejus proprietates & vires ſeorſim ſpectatas, atque deinde ex iis ad ſe mutuo comparationis ope relatis novas, quæ hinc deteguntur, invenire.

Quum verò mentis noſtræ intellectum non illuſtrent illæ proprietates, niſi per effecta ſua, quæ ſenſibus ſe cognoſcenda præbent; palam eſt, omnia illa, quæ cauſæ, accidentium, vel effectorum ratione in ſano vel morboſo ſtatu adſunt, indaganda & deſcribenda eſſe, antequam de proſperâ vel adversâ valetudine, atque utriuſque mediis, ſtatui quidquam poſſit.

Agitur hic enim de rebus ipſis, prout ab ſuis cauſis in rerum naturâ conſtituuntur: quæ ſemper ſingulariſſimæ, & à peculiaribus circumſtantiis undique dependentes ſunt; in quas proinde vis demonſtrationis abſtractæ, univerſalis, & indefinitæ non eam lucem infundit, quæ rebus gerendis requiritur.

Si autem tanta ægritudinum varietas, ſi in unaquâque illarum tam multa obſervanda, ut ratiocinii tantummodo colligantur fundamenta! quis erit, qui vitæ fluxam fragilitatem non deploret? ſtupiditatem attentionis quis non doleat? inprimis, quum tot impedimenta nullâ arte evitanda, occupatum in his animum quâvis horâ avocent, atque in averſa abripiant.

Tanta hæc, tamque difficilia ſunt, ut nulli mortalium ætas opportunitas, corporis vel animi vires ſufficiant, ut ab ſe uno hæc abſolvenda ſperet.

Quorſum igitur hæc diſputo? Ut intelligatis quàm neceſſarium ſit, ut ex aliorum laboribus eligamus, nobis quod ex uſu ſit; Ut videatis, conſulendos eſſe à nobis mortuos, ſi vivos imperitiæ primò diſcentium, ſi eos primorum experimentorum periculis, eripere ſtudemus.

Ita ſe res habet, vel de integro ſemper eſt ineunda ratio, adeoque unius ubique induſtriâ ſtabit vel cadet medicorum ſcientia, quod quam abſurdum ſit, patet; vel inevitabilis incumbit neceſſitas legendi ſcripta eorum, qui ante nos de hâc arte commentati ſunt.

De hoc quum liquidò conſtet; quod ſupereſt, inter illos præter omnes noſtrâ attentione digniſſimum eſſe Coorum Principem, haud equidem difficulter demonſtrabo.

Quodcunque in adverſaria medica referri meretur, ut ſcribendæ hiſtoriæ & dirigendo ratiocinio inſerviat, tam evidens ſit oportet, ut de eo ſanæ mentis dubitet nemo, vel cum ratione diſputet.

Neque minus neceſſe eſt eâdem illud narrari ſimplicitate, quâ ſenſibus ab ipſâ naturâ revelatur; Huic omnis nocet factorum immutatio, obeſt additamentum aut detrimentum rei vel minimæ.

Talia quæ ſunt, clara, vera, atque æterna erunt, & relata ad cauſas indagandas eam habebunt rationem, quam in Geometricis data habent ad quæſita.

Quisnam verò aptus erit, in factorum hiſtoriâ, ſolam naturam ducem ſequi? Quis non divagabitur? Quis dubitandi occaſionem evitabit? Solus ille, meâ quidem ſententiâ, qui omni partium ſtudio liber, nulli opinioni ſerviens, omni denique præjudiciorum amore vacuus, ea diſcit, ea recipit, ea narrat, quæ videt.

Hîc autem provocare juvat ad unumquemque Veſtrum, cui Veterum placita, vel Recentiorum ſuper hac re ſcripta excuſſiſſe, volupe fuit.

Recolatur memoria, atque inter tot Scriptorum millia, unus modo nominetur, qui & ſua tractet, & ad liberæ veritatis ſanctitatem caſtigatus ſit.

Solus ille noſtræ ſcientiæ Conditor, mirâ hîc puritate nitet, ſolus liber eſt.

Nuſquam precario quatuor elementorum figmento, vel editis inde ſuppoſitâ nativitate quatuor primariis qualitatibus morborum fata obſcurat, vel nativos ſanitatis inquinat colores.

Nunquam inanis de primâ temperie ſimplicium vitæ ſtaminum diſceptatio ejus animo offecit, quo minus in veros rerum eventus penetraret.

Fruſtrà in prudentiſſimo Viro acria illa de calido innato, de radicali humido certamina quæſiveris.

Non ullibi tot ſubtiles, atque adauctis evanidas diſtinctionibus morborum atque cauſarum differentias apud magnum medicinæ Parentem invenire eſt.

At joco quidem ille, refutatione dignus ſeriâ, qui ludicrâ operâ abutens, Chemicis deceptum fabellis Præclarum Senem, orbi imponit: quaſi ſc. ſuavia illa de acido, & ſale ex cineribus reſuſcitato ſomnia, tantum optimæ menti veternum incuſſiſſent, ut in deſcribendis naturâ & remediis malorum haud deliraviſſet aliud. Non ita eſt.

Meruit hanc laudem & meruit fere ſolus, quod non viſa nullibi effinxerit, quod videnda nunquam neglexerit, quod opera naturæ narraverit, non autem detorſerit, vel mutaverit, quo labili aliter Hypotheſi honos permaneret & perennitas.

Qui, quum talem ſe geſſerit omni vitâ, digniſſimus certè fuit, qui duraturam per tot ſecula obſervatorum delineationem poſteris conſecraret: atque vel hoc nomine omnem bonorum diligentiam, omnia ſtudia ad ſe trahere meretur: illi tamen jure adjungas paucos quidem, ſed ejuſdem caſtitatis obſervatores religioſos, ex ejus doctrinâ ſapientes Aretæum ex Cappadociâ, atque Rufum Epheſium, vel alios, ſed paucos admodum ante Galeni tempora, Græcos. Componantur vero Coorum oraculis cæterorum, qui de medicinâ ſcripſerunt, inventa.

Vah

Vah quot commenta opinionum! Quibus decepti, pars rerum apparentias eo narrant ordine, quem ſuaſit, cui ſerviunt, Philoſophorum ſecta, alii rerum faciem ementitis coloribus deturpant; reliqui verò parum ſolliciti de factis, indagini cauſæ Phyſicæ, omne applicant ingenium.

Alterum, quod in hiſtoriâ medicâ requirit ratio, eſt dictionis ſimplicitas res ipſas brevi & perſpicuo ſermone explanans.

Quo ſales? quo joci? quo fabulæ? ubi res agitur maximè ſeria, atque præ aliis graviſſima? Abſit ſtudio conquiſita vocum obſoletarum obſcuritas! abſint Rhetorum flores, & verborum lenocinia? abſit vana & in hoc negotio intempeſtiva Hiſtoriæ antiquæ oſtentatio! Neque ſubacti Vir judicii pompoſam variarum de quæſita veritate ſententiarum enumerationem deſiderat, neque ſubtilem & præmaturam cauſæ ultimæ inquiſitionem.

Literatorum epulis ſuaviſſima hæc condimenta ſtomachum movent illi, qui id unum ſedulò operam dat, ut certa & clara ſigna atque remedia utriuſque valetudinis addiſcat, qui id ſibi inprimis credit negotii datum, ægris ut placeat, non eloquentiâ, ſed ſanatione.

Nos, quibus nihil penſi eſt ſcire quid mellita lingua, quid acre ingenium de medicinâ dictet, Hippocratica folia, Sibyllinis veriora, revolvamus; in quibus gravia naturæ oracula ſonant. Illis intento, non obtunditur judicii acies verborum obſcuritate; ambagibus reſolvendis, conciliandis adverſis bonum non conteretur otium; ſed ſenſu turgens Laconum brevitas, Atticâ perſpicuitate facilis, graviſſima rerum pondera legentibus revelabit.

Si ab uno diſceſſeris Hippocrate, quis illi par? Si uſquam, hic vero locum habet vetus illud, rari boni.

Qui enim animi inſtruendi ergo ad reliquos adit Auctores, vel recoctâ reficietur crambe, aut meram offendet barbariem, aut poſtremò affectatam, ſed inopportunam oſtentationem linguarum, Antiquitatum, Hieroglyphicorum & fabularum.

Adeò pauci ſplendorem referunt artium præclariſſimæ debitum!

Dum enim inter Arabas, atque barbaros Galeni interpretes ſpurcitiem ſermonis deteſtamini, apud eruditos, qui in Hippocratica commentantur, plura invenietis, quibus diſertum oratorem, quam quibus utilem ægris perficiatis medicum.

Sed ego hæc omitto: reſtant enim alia, & majori pondere argumenta, quorum vi, omnibus aliis præferendus demonſtratur Hippocrates.

Verum ad quid me convertam? Quid dicam prius? Larga eſt & dubia rerum memorabilium copia. Quid itaque memorabo? An vividam illam, atque nullo fractam labore attentionem animi, quâ ad omnia circumſpexit? An admirabilem, neque unquam torpentem diligentiam, quâ quidquid ad rem facit, indagavit? An incomparabilem & pluſquam Humanam, quâ ſuo parta labore orbi communicavit, benevolentiam atque fidem? Quodcunque horum ſpeculatur animus, agnoſcit ubique ſupra invidiam clarum, ubique ſupra humanam ſortem felicem, ubique verum, Apollinis æmulum, Coorum Æſculapium! Quæ ſint, quæ fuerint, quæ ventura examuſſim omnia in qualibet ægritudine referre, ſoli datum fuit oculatiſſimo illi naturæ contemplatori.

Si quis advertit animum ad miram illam, quâ Prudentiâ diſtinguit natos per Medicum, Miniſtros, Medicamenta, atque ægrum, in morbis errores, ab iis malis, quæ ipſa morbi indoles produxit, Lynceum ſibi, Phoſphorum aliis fuiſſe pronunciabit.

Ego equidem, quod res cogit, ita ſentio A. omnes, quorum memoria exſtat, omnium ſeculorum viros medicos, tot in morbis phænomena, ne jurctis quidem operis deſcripſiſſe, quot nobis relinquenda curavit, ſolus ille arcanorum vitæ ſcrutator.

Quis anniverſarias cœli tempeſtates, ùt ſolennium morborum cauſas, evulgavit? Hippocrates.

Quis peculiares aëris viciſſitudines, æſtus, frigora, imbres, ſqualores, ventorum furores, horumve ſilentia, hos illoſve morbos generare, aperuit? Hippocrates.

Quis ex regionum ſitu, naturâ ſoli, aquarum copiâ, motu vel ſtagnis, quis ex telluris exhalationibus, ex montium poſiturâ; cauſas popularis necis detexit, quis integras hàc ſapientiâ gentes ſervavit? Hippocrates. O ſalutarem generi humano, neque unquam ſatis laudandum Virum. Nam quid Ego, de induſtriâ illius dicam? Quâ vitam, victum, potum, labores, atque mores Gentium examinans, in ortum vernaculi ipſis mali penetravit. Quid memorem relatas ab ipſo eas rerum minutias, quarum adſpectum refugerent ignari, quas tamen illius monitis prudentes ſatis graves experiuntur.

Vos, quibus in adyta veritatis penetrare amor eſt, intrate firmo pectore in penetralia Salutis, quorum atria tabulis Hippocraticis ſuperbiunt, quibus ille naturæ oracula de Aëre, locis, atque aquis inſcripſit.

Verum ſi major menti veſtræ cupido, neque veſtibuli ornamento contentis ipſum muſæum ingredi lubet; ite audaces, ut contemplemini Venerandum Senem deſcribendis epidemicis occupatiſſimum: neque mora erit, quin audituri ſitis gravem Sapientis vocem, quâ dictat ſuis; non obſervanda tantum ſexus, ætatis, atque indolis diſcrimina; non modo notanda exercitia, mores, victum ægrorum; neque aëris ſufficere deſcriptionem, quoties deſignandi ſunt illi, qui hâc illâve populari peſte præter cœteros egregiè infeſtati fuerunt. Sed videbitis præterea eum depingentem oculorum, capillorum atque cutis nativos colores; cernetis exarantem an lingua volubilis an balbutiens, an vox gracilis, an verò gravis fuerit; atque infinita quidem talia, non hic memoranda, ideo omnia vos docet; ut ſingulare cognoſcatis temperamentum eorum, qui graſſanti malo magis obnoxii erant, quàm reliqui, qui illis notis deſtituebantur.

Eo hæc vobis inculcat, ut ducem habeatis, cujus ad exemplum voſmet in obſervandis ægris geratis.

Eo hæc adfero, ut conſtet, ſigna dignoſcendi morbos neminem exactius, propria illis mala neminem accuratius, artem de illorum fatis vaticinandi neminem verius tradidiſſe.

Sive illorum primordia, incrementa, exitus, ſive & miras illas, atque rarò deſcriptas permutationes addiſcere juvat, ſolus ille honeſto ſatiſfaciet deſiderio.

Et dubitamus adhuc in noſtrum commodum uti tantorum laborum fructubus! Aut ex eo colligere facta ſine periculo, quæ novo aliter diſcrimine diſcenda erunt?

Sed deficeret dies, ſi cuncta attingerem; Et Vos A. qui perſpicientiam Viri in detegendis morbis

morbis admiramini, ut de felicitate, quâ eoſdem profligaverit, pauca dicam, exſpectatis.

Ita enim in artis exercitatione ſe geſſit, ut ſuo docuerit exemplo, poſt nitidam morborum delineationem, haud aliud medico incumbere, quàm ut probè compertam, atque ſucceſſuum proſperitate confirmatam eoſdem tollendi viam inveniat.

In his inveſtigandis, fueritne altiori uſus ſapientiâ, an in communicandis candore animi, haud facile dixerim.

Priori certè ſe, alterâ virtute nos, ab erroris periculo liberavit: Hanc gratos agnoſcere, mirari illam; imitari utramque decet.

Nulla Viro in applicando remedio temeritas.

Nulla illi in obſervando effectu feſtinatio.

Nulla in ſiniſtris eventibus occultatio.

Nulla in extollendis proſperis jactantia.

Obtemperans morbo, ei imperat: ſuis illum artibus vincit. Dumque deficientis vitæ vires erigit, vel furentis in ſua damna impetus temperat, pauca, ſed certa, vilia, ſed apta, remedia invenit.

Non in comparandâ horum varietate, quod vanum, ſed in cognoſcenda verâ & tempeſtivâ illorum neceſſitate, quod in hâc re ſummum, ſollicitus, quibus opus eſſet, & quali eorum exhibitione, cogitavit. Non ad abditas, ſed evidentes reſpiciendo cauſas, certa & explorata dubiis præferebat.

Quis veſtrum non ſuſpiciat? Quis medicorum non imitetur? Quis ægrorum non optet ſuis malis medicum, fulgentiſſimum illud Græciæ dicam, an Orbis Lumen?

Ille morborum itinera atque velocitates ſpeculatus, atros horum albosve dies obſervans, materiæ morboſæ motibus vel moderans vel obſecundans, ejus cruditates digerens, matura per vias ab ipſo morbo indicatas comitans, eorum ſeceſſus dirigens, expellenda promovens, imitator denique & auxiliator potiùs, quàm temerario auſu perturbator, omnibus ſalutis, nulli necis artifex celebrandus eſt.

Nocentia, quæ ſors, juvantia, quæ ars vel caſus, obtulit, rimatus, remedia reperit: tempus, modumque quo hoſtem viſceribus excutit ſibi permiſſa natura, contemplatus, utendi medicamentis regulas ſtabilivit.

Ea poſtquam annoſâ, & quotidie excultâ munivit experientiâ; poſtquam mille eventuum felicitate comprobata dedit; tum demum ſatis idoneè inſtructum ſe exiſtimavit, qui Herbarum, foſſilium atque animalium virtutes traderet. Neque nudas enarraviſſe illas contentus, cautelas addidit & monita, quibus artis imperitos ab ejus exercitio arceret. Si vera audire juvat, ſi vera eloqui ſine invidiâ licet, hæc vera eſt, hæc ſola eſt ægrotis ſuccurrendi via. Non eſt, non invenietur alia, niſi quâ in perniciem humani generis, non in ſalutem, itur. Unica hæc admirabilis, utilis, imo propè divina eſt, quam calcavit, quam nobis & opere & verbis præmonſtravit artis Auctor.

Vos, O præclari Juvenes, Sacrata Phœbo Pectora, quibus re quàm oratione convinci gratius, ipſam accedite ſcaturiginem in vitæ ſolatia ſalientem; cujus ſalutari lymphâ diffluunt; quæ de Morbis, de Affectionibus, de Internis, atque de prædicendi Arte vobis volumina dedicavit.

Heu! quantum deſcivit ſequutis dein ſeculis à priſcâ gloriâ Medicina! Quam turpiter ab efficaciſſimo artis Magiſtro, uſu, ad figmenta ludentis ingenii defecit!

Damnoſa quid nón imminuit inertia! dum ab laborioſâ obſervatione ad Philoſophorum placita, ab dictatis naturæ, ad garrulitatem, ab Hippocraticis effatis, ad lubidinem fingendi devolutam dolemus!

Quis æquo ferat animo jactari palam & ubique ſanationes malorum, quæ, ſi jactatâ medelâ pellere tentes, irritata & aucta, non ſublata, neque ſopita indignamur?

Cuinam ea lenitas, ut non commoveatur tot circulatorum Panacæis?

Apage anili vix dignas lucubratione Penſonatorum Chemicorum fabellas! Apage vana promiſſa, in artis Hermeticæ dedecus nata! Apage Cyclopas, qui Phœbi ſacra Vulcano dicant, qui artium utiliſſimæ Chemiæ uſum in cyclicorum technas convertunt! Quantæ tamen auctoritatis hæ nugæ pluribus habentur, neque naris tamen obeſæ viris! Quaſi ſatis non fuiſſet ſimplicium numero, compoſitorum confuſione, methodorum mole obrui, niſi in malorum complementum impudentis ignorantiæ portenta acceſſiſſent!

Sin verò ad alios te converteris, minus formidoloſa quidem, ſolida tamen in hâc re vix reperire dabitur: Qui enim rerum uſû occupati, rarò ſcripſere; cæteri inventa rationis diſputatione, vel tradita ab aliis deſcripſerunt remedia & medendi formam.

Reſtat ergo, nam plura urgere vetor, in omnes optimus Hippocrates.

Sed alia aliis mens eſt: durum his, atque alienum à veritate videtur, quod perſuaſum volumus; quos quia, neque rationis ſpecie carent, audire fas eſt.

Nonne, rogant, obſervationis uſu conſtat Medicina? Ajo.

Nunquid ergo temporis filia, ab eodem incrementa capit? annuo.

Ergo ſub Primæ artis Conditore infans imbellis humi ſerpſit? neque id negaverim.

Itaque ſub primo inventore Hippocrate rudis, tot dein ſeculorum cultu polita, hoc tempore maſculo vigore ſplendet. Id verò affirmantem multa neſcire neceſſe eſt: Errat qui ſuis modo ſapuiſſe Virum credit, & rem ignorat.

Teſtor Hiſtoriarum monumenta, quæ docent ab Apolline, primo inter Grajos Medico, oriundum Hippocratem, primævæ in Græciâ medicinæ arcana hæreditario jure poſſediſſe. Phœbi Æſculapius tradita ab eo ſecreta perfecit, ſuiſque inventis aucta poſteris reliquit: ab hoc dein deſcenderunt, quæ admiratur antiquitas, medicinæ lumina! celebrat enim Chriſamidē, Cleomuttadē, Theodorum, Soſtratem, Nebrum, Cnoſidicum Hippocratem majorem, atque noſtri Genitorū Heraclidem, omnes medicos, omnes arte claros. Adeo ut in Hippocratem de traduce in traducem propagata ſint artis myſteria; quem rectâ ſerie ab ſtirpe nonum decimum in ſuâ familiâ fuiſſe medicum accepimus.

His ubi curas, diligentiam, longævam ætatem, peregrinationes artis ergô per Babylonios, Ægyptios, Seras & Indos ſuſceptas, addideris, liberatus hoc errore; rudem Medicinæ admotum non arbitraberis.

At ille, quamvis tam amplis ſuæ gentis inſtructus eſſet præceptis, non acquievit: intelligenda aliorum dogmata putans, quæ jam tum evulgata erant expendit.

Erat eâ tēpeſtate famâ notiſſimū in Cnido fanum, cujus parietes undique obvelati tabulis, in quibus conti-

continebantur Hiſtoriæ pulcherrimarum in faciendâ medicinâ obſervationum; Hoc ille Juvenis admodum inviſit, ſibique exarata deſcripſit, factus Cnidiorum arcanorum Symmyſta.

Neque adeo infantem tum medicinam fuiſſe credet, cui, vel eo tempore in ſectas eam diviſam, ſcriptis evulgatam, atque adfinium diſciplinarum auxilio promotam fuiſſe ex hiſtoriâ notum eſt.

Plura adferre ſuper hâc re ſuperſedeo; inſpiciat, cui lubet, libros de priſcâ medicinâ, de victu ſalubri, de cibo acutorum, & de iis, quibus manus medetur, omnes Hippocratis conſcriptos ſtylo.

Unum addam, ex innumeris, quibus acceptam à Parentibus vel Extraneis medicinam ipſe provexit.

Atque tale quidem id fuit, ut ipſi uni proprium, ipſi ſingulare fuiſſe, rerum omnis memoria teſtetur.

Theſſalum majorem natu filium in Theſſaliam, Draconem, qui alter ab illo annis erat, in Helleſpontum, Polybium generum ſuum in aliam Græciæ regionem, tum ingentem Diſcipulorum numerum dimiſit per reliquam Hellada, omnes imbutos artis regulis, omnes inſtructos remediis, ut per totam Græciam ægris mederentur.

Hi expoſitos in trivia ſanare, morborum eventus, remediorum effectus annotare, ad Hippocratem cuncta referre.

En vobis adverſariorum Theſaurum! En modum adquirendæ ſapientiæ medicæ verum! Hæc felicia artis fata! Hæc fortunata tempora! Quum unus, atque idem Sapientiſſimus tot Artificum peritorum operâ uteretur! Quum omnium Coryphæus tot labores, tot experimenta aliorum ſuis perficiens in corpus redigeret ordinatum! Eant jam, qui ignorantiâ adflati vel invidia tanto Viro obtrectant.

Comparetur illi quem volunt; quam diſpar erit ratio!

Alii, quid unius, hic, quid plurium induſtria valeat, exhibet: Alii, ſuis modo vident oculis, hic multorum uſus eſt acie: Cæteri per ſingulos ægros, hic per eorum agmina experimenta fecit: Pauci, quid intra arcta unius Urbis pomæria morbi ſit, tradiderunt, Ille, quæ in tot vicos, urbes, regiones, & regna lues graſſaretur, obſervabat.

Hanc Ego cauſam, quominus alios huic pares ſtatuamus, inprimis magnam puto.

Profectò, Sapientia artis major longè in illo fuit, qui tantis ad medicinam auxiliis uſus eſt, quàm in reliquis, qui, quamvis cætera æquales, his deſtituti fuerunt.

Atque inde natam arbitror, eorum, quæ ſcripſit, æternitatem; Hinc ortam puto, illorum quâ viginti trium ſeculorum examen ſuſtinuerunt, integritatem.

Evolvatur illorum ordo, mutata Hippocraticæ veritatis facies nullibi apparebit.

Excutite Grajos, cognoſcite Romanos, verſate Arabas, repetitam atque confirmatam ubique invenietis doctrinam Hippocratis.

Ex his enim, quorum ad nos memoria pervenit, Diocles Caryſtius, Aretæus Cappadox, Ruffus Epheſius, Soranus, Galenus, Ægineta, Trallianus, Ætius, Oribaſius & alii, quidquid habent eximii, Illi debent.

Romani, quos inter Celſus excellit & Plinius, Hippocratem Numinis loco habent, ad ejus effata, ut ad oracula, confugiunt.

Arabum optimi purum putum deſcribunt Galenum, qui ubi verus ibi totus Hippocraticus eſt.

Inter recentiores de medicinæ uſu ſcriptores, paucos, ſi ulli ſunt, Veterum perfectionem attigiſſe dolendum, quum reliquas artis medicæ partes cum gloriâ eos exornaſſe, atque priſcorum inventa, longè ſuperaſſe exſultemus.

Unum eximium habeo Thomam Sydenham, Angliæ lumen, Artis Phæbum; cujus ego nomen ſine honorificâ præfatione memorare erubeſcerem: quem quoties contemplatur, occurrit animo vera Hippocratici Viri ſpecies, de cujus erga Remp. Medicam meritis nunquam ita magnificè dicam, quin ejus id ſit ſuperatura dignitas.

Sed reverſo, unde me deduxerat Optimi Viri contemplatio, objicitur: An ergo ſolius Hippocratis intellectum Medico ſufficere, aliorum labores illi nec decoros, nec utiles, neque neceſſarios exiſtimem?

Minimè. Ingentes Viri defectus, quos habuit, quos agnovit, ſciens, minimis tamen urgeri demonſtrans, optimum prædico.

Inter ignariſſimos autem habear, ſi Veſalii, Aſellii, Harvæi, Pecqueti, Uberii, Whartoni, Drelincurtii, atque Bartholinorum, quibus corporis humani fabricam explicarunt, inventa ignorem; ingratiſſimus audiam, niſi venerabundus illorum dignitati aſſurgam.

Uni Malpigio liquorum ſemitas, Spirituum rivos, Uni Malpigio Dædaleam viſcerum ſtructuram, Uni Malpigio quidquid ad totam corporis compagem ſpectat, patuiſſe, quis ignorat?

Summos in re Herbariâ profectus & novi utcunque & laudo; Caſtigatam ſeculi induſtriâ Chemiam amo, atque colo.

Mechanicorum, Aquilegum, atque Phyſicorum radiis illuſtratam eam ſcientiæ partem, quæ naturales corporis actiones explicat, atque hoc nomine Boylæi, Borelli, Bellini, Malpigii, Pitcarnii atque aliorum utiliſſimos eſſe conatus, omnis clamabit poſteritas.

Quapropter, ut quæ ſentiam liberè, ſed compendio dicam; non ineptè equidem, opinor, is, qui Geometrica atque Arithmetica primò inſtillanda, ſuadebit, animis eorum, qui Phœbo devoti ſunt.

Hujus conſilio ipſa ratio, ipſe ſuffragabitur Hippocrates; imo ejus ipſe filio ſuo, in datis ad eum litteris auctor eſt, addito illo argumentorum pondere, quo vel invitiſſimo aſſenſum exprimat.

His imbuto, præclara hujus ævi inventa addiſcenda per omnes medicinæ partes.

Poſtremò autem, ubi, quod primarium eſt, artis exercitio ſe accingere ſtudent, ubi morborum fata, ubi ſanandi regulas addiſcere cupiunt, tum vero ante omnes alios conſulenda Hippocratica, arbitror.

Unum reſtat hominum genus huic adverſum ſententiæ: quibus placet ex Univerſalibus rerum principiis, materiâ, motu atque figurâ corpuſculorum, à priori, ut vocant, demonſtrare ſanitatis, morborum, & medicamentorum naturas. Poſtulatorum illi copiâ, datorum inopiâ, haud quaquam deterriti, indeterminatam effingunt Hypotheſin, ex cujus aſſertione ſi viâ analyticâ & plauſibilis ratiocinii ſpecie unum alterumve ſatis generale deduxerint, rebus id applicant, atque inde ſanandi regulas ex ſuo ingenio excogitare non verentur.

Verum, quantâ ſpe decidant, tum demum conſtat, ubi hæc ſubtilitatis figmenta rebus gerundis adhibere, cum ſummo ægrorum damno experiuntur.

Atque

Atque utinam hi, quibus Mathematicorum viam laudare ſolenne eſt, re illos, non verbis modò, ſequerentur.

Diligentiùs data, prudentiùs demonſtrationes, tardiùs concluſionem, formarent.

In ſolvendo problemate non ad unam forte obviam, ſed ad omnes, quæ propoſitionem determinant, conditiones attenderent.

Figuras adeoque incognitas, velocitates incompertas, meatuum obſcuritates, Elementorum generalia, pro claris atque diſtinctis demonſtrationum fundamentis non admiſiſſent.

Quid enim jubent Geometrarum leges? in demonſtrationibus rerum naturalium, quæ ſemper ſingulares, definitæ, atque ab aliis omnibus per minima diverſæ ſunt, colligenda eſſe quæcunque ullo nomine ad eas ſpectare obſervantur, ſive has præcedant, comitentur, vel ſequantur: illa dein collecta monent cognoſcenda eſſe ſingula quàm clariſſimè, denique ad hæc omnia ſingulatim probè cognita attendendum quàm accuratiſſimè, atque ita demum concludendum, prout hæc omnia ſimul exigunt, ſeveritate ſummâ.

Ita res ratiocinia, non hæc illas, determinarent.

Ita concluſiones non vagæ eſſent, cuilibet aptandæ quæſito atque abſtractæ, ſed definitæ, exactæ, atque rem hanc ſingularem, prout eſt, deſcribentes.

Tantum ergo abeſt, detrahi obſervationum dignitati per Mathematicos, ut contra nulli clariùs earum pretium demonſtrent.

Sequantur itaque, id enim unicè ſperamus, optimos veritatis Cultores Geometras!

Quàm arctos fines ſuis habebunt fictionibus!

Quæ horum ſeveritas præcipiti illorum ratiocinio moderabitur!

Quàm dura ipſis incumbet neceſſitas imitandi Hippocratem, antequam ratiocinia valere in hâc arte poſſint.

Atque his hæc ſufficiant! Rationi enim quiſquis dicto audiens, haud difficulter ab errore reſipiſcit.

Alios autem non moramur, qui, neſcio quibus inſulſis ſalibus, aut tectis inviſibilium machinulis ſuperbi, vix ſibi viſum vilipendunt Naturæ genium.

Illis equidem, ſi quidquam fuiſſet penſi, non tam inepta de ſummo Viro judicia evùlgaviſſent.

Ad Vos, quorum pectora ſalutis humanæ amor inflammat, Ad Vos, egregia Juvenum manus, mea ſe tandem convertit Oratio.

Utile imprimis eſt, atque decorum conſilium, quo illi ætatem devovetis ſapientiæ, cujus uſus miſeris mortalibus cœleſtis habetur.

Omnem laudis meretur memoriam ſpectata ſatis ſollicitudo, atque induſtria, quâ perfectè priùs diſcere, quàm exercere, ſtudetis eam artem, cujus abuſus humanæ genti peſtiferus atque exitialis eſt.

Audiviſtis ea, quibus inſtructos eſſe decet Medicinæ candidatos; Audiviſtis, ubinam illorum vobis liberalis detur copia.

Quis enim Veſtrûm ignorat, quos ſuis Hippocratica Pandora Theſauros diſtribuat? Horum & cupidi & potiri eſtis capaces.

Eſt enim in medio poſita palma, volens faciliſque ſequitur, Vos imprimis, quibus innatæ dotes arte cultiores omnia felicia, omnia pulchra promittunt.

Divitiæ, decus, gloria vos exſpectant, quique hæc longe exſuperat, animus pulcherrimè actorum conſcientiâ lætus.

Si ergo ad Sapientiæ, cujus hæc præmia ſunt, Principatum adſpiratis, Illum ſectemini, qui eam condidit: facile iis artibus hanc ſcientiam augere eſt, quibus initio parta fuit.

Non eſt, quod ignorantiæ pericula, dubitationis ſcrupulos, temeritatis errores horreat, qui conſulit effata maximi Medici: luculenta eſt, pura, omnique errorum ſœce purgata doctrina, quæ tot ætatum, hominum, artium atque experimentorum operâ caliginem diſcuſſit, quâ involvebatur tecta veritas.

Qui medicæ laudis gloriâ ducitur, haud feliciùs eam conſequatur, quàm ſi audiverit Hippocratem: Hippocratem, qui peritiæ famâ perruptis Hellados clauſtris, in Perſiæ regiam atque hinc per totum tranſvolavit orbem: Hippocratem, qui æternâ artis gloriâ decoratus temporis edacitatem incolumis ſuſtinuit: Hippocratem, qui omnes humanos, quid humanos memoro? Qui divinos honores vivus accepit, mortuus ſibi confirmavit.

Eumne ſequi dedecori cuiquam ſiet?

Eum? Quem & Theſſali, & Coi, & Argivi, & Macedones & Athenienſes, quem & Phocenſes & Dorienſes ob ſervatam arte Patriam cæleſti honore decoraverunt?

Quàm laudabile, quàm glorioſum eſt eum imitari, ad quem colendum omnes bonos habemus auctores!

Quàm turpe, eum contemnere, quem Illyrii, quem Pæones, quem Barbari Reges publicis legationibus ut genium tutelarem imploravere!

At, ſi quem honeſta magis rerum, quibus vitâ commodè fertur, quam gloriæ cupido tenet, talem ſe gerat, ut illi reddatur ſimilis; cui Perſarum Rex, auri quantùm vellet, obtulit, cui tot Gentes tanta munera, virtutis præmia, miſerunt.

Quot nobis Hiſtoria Viros memorat, quos ſola Hippocratica doctrina Regibus charos, opibus affluentes, famâ celebres effecit?

Vos verò, qui altiora ſpiratis, qui virtutem ſibi ſolam habetis præmium, qui ſapientiam ambitis, cujus exercitatio ægris ſalutaris, Patriæ utilis, Parentibus glorioſa, Vobis honeſta ſit; in hujus Viri laboribus vos exercete.

An de peritiâ ejus dubitetis? quam ſcripta Viri, quam ſecula, quam omnes boni uno ore prædicant.

An verò de fide? Sed hanc res ipſa, hanc omnes celebrant Hiſtoriæ.

An de pretio ſcriptorum? Verùm artium inventrix, atque earundem æſtimatrix optima urbs Minervæ, eorum Auctori ob evulgata eadem ſacros honores decrevit.

At enim, quis dixerit genuinos ad nos codices perveniſſe? Stylus, res, omnes veteres ordine eum ſequuti, atque inter illos Princeps cum Erotiano Galenus.

Quid ergo! Quum tuta & expedita, quum decora atque utilia omnia cernatis, hunc amplectimini, qui horum Vobis Auctor.

Si placet, en paratum me adhortatorem, en ſocium, qualem vultis, habetote!

Vobis operam meam, Vobis, ſi quid in me laudabilis poſuit natura, ſi quid effecit exercitatio, id omne dico!

Veſtris prodeſſe ſtudiis; ea demum votorum mihi ſumma!

His dum invigilo erit hic mihi labor, hæc mei inſtituti ratio; Ut ſcilicet in deſcribendâ primo loco corporis humani fabricâ noſtri ſeculi locupletiſſima inventa promoyendæ medicinæ applicentur.

Illuſtratum ſpeculatione noſtræ compagis animum exhilarabit deinde contemplatio tot, tamque diverſæ indolis liquorum, qui per Mæandros dedaleæ machinæ circumacti, variis locis varii oberrantes, vitæ motuſque nobis officia præſtant.

In hâc verò materie exaſciandâ, Helmontii, Boylæi, Tachenii atque Travagini operâ utentes laudem Chemiæ juſtam agnoſcetis. Hac in parte fulgebunt luculenta illa de transfuſis atque injectis in vivorum venas liquoribus experimenta.

Hæc ubi experientia atque ratio illuſtraverit, dabo operam ut fide Hiſtoricâ enarrentur ea, quæ ægro vel ſano actiones eveniunt ſpontaneæ vel arbitrariæ: Ubi opus erit conſulere Veterum atque Recentiorum obſervationes, quibus præfulget Hippocrates;

Ex his dein ſummo collectis ſtudio, tanquam ex datis problemata naſcentur, in quibus ſolvendis Mechanicorum, Aquilegum atque Chemicorum imploranda auxilia, & Geometrarum methodus, eâ tamen lege, ut facta ſemper factis potiùs explicentur, quàm figmentorum licentiâ.

Recreatam hâc ſpeculatione & firmatam mentem res ipſa methodo medendi adjunget; in hâc verò ſtabilienda Hippocrates, Sydenhamus atque pauci præter hos veri Medici conſultores nobis & auctores erunt.

Denique horum præcepto firmis, obſervandi arte, dignoſcendi judicio, providendi ſagacitate, atque agendi prudentiâ inſtructis, quid aliud incumbet, quàm remedia horumque indicare fontes?

Veterum hîc ſimplicitate non contemtâ, quæ Chemicorum labor bona dedit, adjungam, horum præparationes ipſo vos opere docebo.

His finibus coërcebo mea; hæc decurſui meo meta erit.

In his quicunque meum conſilium, vel adjumentum ſibi aliquid efficere poſſe judicat, ſuo me jure utatur!

Altiora quidem illa quæ Medicum conſummant, clariſſima hujus Academiæ Lumina, Artis ſalutaris Profeſſores, vobis demonſtrabunt.

Cæterùm Ego Illos ætate, ſapientiâ, & loco priores, conſilii, factorumque meorum Auctores venerabor.

Ut ita unâ mente, uno animo ornandæ ſalutis ædi invigilemus!

Utinam his pro voto inchoandis, atque omnis vitæ curriculo perficiundis vires dederit aptas ſalutis Auctor & Conſummator Deus!

Tum demum confiderem aliquam me poſſe gratiam referre vobis, Viri Illuſtriſſimi, Minervæ Batavæ Curatores, Patriæ Patres.

Neque enim me fallit, quantum cum maximo Veſtro favore negotium ſuſtineam.

Veſtræ munificentiæ, Ampliſſimi Viri, me ſupra reliquos mortales devinctiſſimum ſemper profitebor.

Tantis beneficiis, Veſtriſque de me conceptis votis, ut pro eâ, quâ ſum tenuitate, utcunque reſpondeam, ſummis animi & corporis viribus acerrimè annitar!

Hanc à Vobis inire gratiam, quæ vigilando, agendo, bene conando conciliatur, ſummâ ope affectabo.

De Hippocratis Operibus hæc habet Mercklinus in Lindeniô Renovatô.

Opera omnia, Græcè. Venetiis, apud Aldum, & Aſulanum, 1526. in fol. Baſileæ, apud Frobenium, 1538. in fol.

Latinè. Ex Marci Fabii Calvi, *Ravennatis* verſione. Romæ, 1549. in fol. Baſileæ, apud Andr. Cratandrum, 1526. in fol. In hac editione de ratione victus in morbis acutis Lib. IV. & Præſagiorum, Lib. III. Guilielmus Copus: Aphoriſmorum Lib. VII. Nicolaus Leonicenus: De Natura hominis Lib. Andreas Brentius, verterunt. Ex Jani Cornarii interpretatione. Venetiis, apud Johan. Gryphium, 1545. in 8. Baſileæ, apud Frobenium, 1546. 1553. 1558. in fol. 1554. in 8. 2. Voll. Pariſiis, apud Carolum Guillard, 1546. in 8. Lugduni, 1562. in 8. apud Hæredes Jacobi Juntæ, 1564. in fol. Ex interpretatione Anutii Foëſii, *Mediomatrici*. Francof. apud Hæredes Andr. Wecheli, 1596. in 8.

℈ Græco-Latinè. Ab Hieronymo Mercuriali, veterum Codicum collatione reſtituta, novo ordine in quatuor claſſes digeſta, interpretationis Latinæ emendatione, & Scholiis illuſtrata. Venetiis, apud Juntas, 1588. in fol. Ab Anutio Foëſio, *Mediomatrico* in octo ſectiones ex Erotiani mente diſtributa, & recèns Latinâ interpretatione & Annotationibus illuſtrata. Adjectis ad VI. Sectionem Palladii Scholiis Græcis in Lib. περὶ ἀγμῶν, nondum antea excuſis, & nunc primùm Latinitate donatis. His præterea acceſſêre variæ in omnes Hippocr. Lib. Lectiones Græcæ, ex reconditiſſimis manuſcriptis exemplaribus ſummâ diligentiâ collectæ, necnon etiam quorundam doctiſſ. virorum in aliquot Hippocr. Libr. Obſervationes. Francof. apud Andr. Wecheli Hæredes 1595. 1621. 1624. 1645. in fol. Genevæ, 1657. in fol. apud Samuelem Chouet II. Tom. Lugduni-Batavorum, ap. Danielem, Abrahamum & Adrianum à Gaasbeeck, 1665. in 8. Hæc Editio duobus Voluminibus comprehenſa, & ad omnes alias editiones accommodata ac edita eſt à Johan. Anton. van der Linden.

Sunt autem Operum

HIPPOCRATIS

Juxta Erotiani mentem & Foëſii diſpoſitionem Sectiones octo: quarum **I.** *continentur:*

Ἱπποκράτους ὅρκος,	Hippocratis Jusjurandum.
Ἱπποκράτους νόμος,	Hippocratis Lex.
Περὶ τέχνης,	De Arte, Lib. I.
Περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς,	De Priſca Medicina, Lib. I.
Περὶ ἰητροῦ,	De Medico, Lib. I.
Περὶ εὐσχημοσύνης,	De Decente Habitu, aut Decoro, Lib. I.
Παραγγελίαι.	Præceptiones.
Sect.	II.
Προγνωστικόν,	Prænotionum, Lib. I.
Περὶ χυμῶν,	De Humoribus, Lib. I.
Περὶ κρισίων,	De Judicationibus, Lib. I.
Περὶ κρισίμων;	De Diebus Judicatoriis, Lib. I.

Prædictorum;

Προῤῥητικόν,	Prædictorum, Lib. II.
Κωακαὶ προγνώσεις.	Coacæ Prænotiones.

Sect. III.

Περὶ φύσεος ἀνθρώπου,	De Natura hominis.
Περὶ γονῆς,	De Genitura.
Περὶ φύσεος παιδίου,	De Natura Pueri.
Περὶ σαρκῶν,	De Carnibus.
Περὶ ἑπταμήνου,	De Septimeſtri Partu.
Περὶ ὀκταμήνου,	De Octimeſtri Partu.
Περὶ ἐπικυήσιος	De Superfœtatione.
Περὶ ὀδοντοφυΐης,	De Dentitione.
Περὶ καρδίας,	De Corde.
Περὶ ἀδένων.	De Glandulis.
Περὶ ὀστέων φύσεος,	De Oſſium natura.
Περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων.	De Aëre, Aquis, & Locis.
Περὶ φυσῶν,	De Flatibus.
Περὶ ἱερῆς νόσου.	De Morbo ſacro.

Sect. IV.

Περὶ διαίτης ὑγιεινῆς,	De Salubri victus ratione.
Περὶ διαίτης,	De Victus ratione, Lib. III.
Περὶ ἐνυπνίων,	De Inſomniis.
Περὶ τροφῆς,	De Alimento.
Περὶ διαίτης ὀξέων,	De Victus ratione in morbis acutis.
Περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον,	De Locis in homine.
Περὶ ὑγρῶν χρήσιος,	De Liquidorum uſu.

Sect. V.

Περὶ νοσῶν,	De Morbis, Lib. IV.
Περὶ παθῶν,	De Affectionibus, Lib. I.
Περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν,	De internis Affectionibus, Lib. I.
Περὶ παρθενίων,	De His, quæ ad Virgines ſpectant, Lib. I.
Περὶ γυναικείης φύσεος,	De Natura Muliebri, Lib. I.
Περὶ γυναικείων,	De Mulierum Morbis, Lib. II.
Περὶ ἀφόρων,	De His, quæ Uterum non gerunt, Lib. I.
Περὶ ὄψεος.	De Videndi acie, Lib. I.

Sect. VI.

Κατ' ἰητρεῖον,	Medici Officina, aut de Officio Medici, Lib. I.
Περὶ ἀγμῶν,	De Fracturis, Lib. I.
Περὶ ἄρθρων,	De Articulis, Lib. I.
Μοχλικόν.	Vectiarium, hoc eſt, de Oſſium per molitionem impellendorum ratione, Lib. I.
Περὶ ἑλκῶν,	De Ulceribus, Lib. I.
Περὶ συρίγγων,	De Fiſtulis, Lib. I.
Περὶ αἱμοῤῥοΐδων,	De Hæmorrhoïdibus, hoc eſt, de Venis in ano ſanguinem fundere ſolitis, Lib. I.
Περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων,	De Capitis Vulneribus, Lib. I.
Περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύου,	De Fœtus in utero mortui Exectione, Lib. I.
Περὶ ἀνατομῆς,	De Corporum Reſectione, Lib. I.

Sect. VII.

Τῶν ἐπιδημιῶν, hoc eſt, De morbis populariter graſſantibus, Lib. VII. Quorum Primus, Tertius, & Sextus, poſt Galeni Commentarios, Annotationibus ſunt illuſtrati. Secundus verò ante annos triginta cum Commentariis editus, denuo ab Authore eſt recognitus. Reliqui juſtis Annotationibus donati.

Τῶν ἀφορισμῶν, hoc eſt, Aphoriſmorum, L. I. cum brevibus Notis.

Sect. VIII.

Ἐπιστολαὶ,	Epiſtolæ aliquot.
Δόγμα Ἀθηναίων,	Athenienſium Senatuſconſultum.
Ἐπιβώμιος,	Oratio ad Aram.
Πρεσβευτικός,	Theſſali Legati Oratio.
Γένος καὶ βίος τοῦ Ἱπποκράτους κατὰ Σωρανόν,	Genus & vita Hippocratis, ſecundùm Soranum.

Magni Hippocratis Coi, & Claudii Galeni Pergameni, Archiatrωn, Univerſa, quæ extant Opera, Renatus Charterius, *Vindocinenſis*, Doctor Medicus Pariſienſis, Regis Chriſtianiſſimi Conſ. Medicus, ac Profeſſor Ordin. plurima interpretatus, univerſa emendavit, inſtauravit, notavit, auxit, ſecundùm diſtinctas Medicinæ Partes in tredecim Tomos digeſſit, & conjunctim Græcè & Latinè primus edidit, adſtruxit & Medicam Synopſin rerum his in Operibus contextarum Indicem. Lutetiæ Pariſiorum, 1639. in fol. Voll. XIV.

TOMO I.

Τὰ βιογραφικὰ, ἢ γενεαλογικὰ Hippocratis & Galeni opera continentur.

Hippocratis Genus & vita ex Sorano.	pag. 1	Ἱπποκράτους γένος καὶ βίος κατὰ Σωρανόν	σελὶς α.
Decretum Athenienſium.	2	Δόγμα Ἀθηναίων.	β'.
Theſſali Hippocratis Filii legati Oratio.	3	Πρεσβευτικὸς Θεσσαλοῦ Ἱπποκράτους υἱοῦ.	γ'.
Hippocratis Oratio ad Aram.	9	Ἱπποκράτους ἐπιβώμιος.	θ'.
Artaxerxis ad Pætum, Epiſtola.	9	Ἀρταξέρξου εἰς Παῖτον ἐπιστολή.	θ'.
Pæti ad Artaxerxem, Epiſtola.	10	Παίτου εἰς τὸν Ἀρταξέρξην ἐπιστολή.	ι'.
Artaxerxis ad Hyſtanem, Epiſtola.	10	Ἀρταξέρξου εἰς τὸν Ὑστάνην ἐπιστολή.	ι'.
Hyſtanis ad Hippocratem, Epiſtola.	11	Ὑστάνου εἰς τὸν Ἱπποκράτην ἐπιστολή.	ια'.
Hippocratis ad Hyſtanem, Epiſtola.	11	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Ὑστάνην ἐπιστολή.	ια'.
Hippocratis ad Demetrium, Epiſtola.	11	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Δημήτριον ἐπιστολή.	ια'.
Hyſtanis ad Artaxerxem, Epiſtola.	11	Ὑστάνου εἰς τὸν Ἀρταξέρξην ἐπιστολή.	ια'.
Artaxerxis ad Coos, Epiſtola.	11	Ἀρταξέρξου εἰς τοὺς Κώους ἐπιστολή.	ια'.
Coorum ad Artaxerxem, Reſponſum.	12	Ἡ τῶν Κώων ἀπόκρισις εἰς τὸν Ἀρταξέρξην	ιβ'.
Abderitarum ad Hippocratem, Epiſtola.	12	Ἀβδηριτῶν εἰς τὸν Ἱπποκράτην ἐπιστολή.	ιβ'.
Hippocratis ad Abderitas, Epiſtola.	13	Ἱπποκράτους εἰς τοὺς Ἀβδηρίτας ἐπιστολή.	ιγ'.
Hippocratis ad Philopœmenem, Epiſtola.	14	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Φιλοποίμενα ἐπιστολή.	ιδ'.
Hippocratis ad Dionyſium Epiſtola.	16	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Διονύσιον ἐπιστολή.	ις'.
Hippocratis ad Damagetum, Epiſtola.	16	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Δαμάγητον ἐπιστολή.	ις'.
Hippocratis ad Philopœmenem, Epiſtola.	17	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Φιλοποίμενα ἐπιστολή.	ιζ'.
Hippocratis ad Cratevam, Epiſtola.	18	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Κρατεύαν ἐπιστολή.	ιη'.
Hippocratis ad Damagetum, Epiſtola.	19	Ἱπποκράτους εἰς τὸν Δαμάγητον ἐπιστολή.	ιθ'.
Democriti ad Hippocratem, Epiſtola.	25	Δημοκρίτου εἰς τὸν Ἱπποκράτην ἐπιστολή.	κε'.
Hippocratis de Inſania Tractatus.	26	Ἱπποκράτους περὶ μανίης ὁ λόγος.	κέ.
Hippocratis ad Democritum, Epiſtola.	27	Ἱπποκράτους εἰς Δημόκριτον ἐπιστολή.	κζ'.
Hippocratis ad Democritum de Veratri purgatione, Epiſtola.	27	Ἱπποκράτους τῷ Δημοκρίτῳ περὶ ἐλλεβορισμοῦ, ἐπιστολή.	κζ'.
Hippocratis ad Theſſalum Filium, Epiſtola.	28	Ἱπποκράτους πρὸς τὸν υἱὸν Θεσσαλὸν, ἐπιστολή.	κη'.
Democriti, Hippocrati de Natura hominis, Epiſtola.	29	Δημοκρίτου Ἱπποκράτει, περὶ φύσεως ἀνθρώπων, ἐπιστολή.	κθ'.
Hippocratis ſalubre Conſilium ad Regem Demetrium.	30	Ἱπποκράτους ὑγιεινὸν πρὸς Δημήτριον βασιλέα.	λ'.
Erotiani, collectionis dictionum Hippocratis, Proœmium.	31	Ἐρωτιανοῦ τῆς τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων συναγωγῆς προοίμιον.	λα'.
Ex Suida, Vita Hippocratis, & Draconis, & Sorani, & Galeni.	33	Ἐκ τοῦ Σουΐδα βίος Ἱπποκράτους τε, καὶ Δράκοντος, καὶ Σωρανοῦ, καὶ Γαληνοῦ.	λγ'.
Galeni De Libris propriis, Liber.	35	Γαληνοῦ, περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων, βιβλίον α'.	λε'.
Galeni, De Ordine Librorum ſuorum ad Eugenianum. Lib. 1.	49	Γαληνοῦ, περὶ τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων πρὸς Εὐγενιανὸν, βιβλίον α'.	μθ'.
Hippocratis Apophthegma ex Joan. Stobæo.	42	Ἱπποκράτους ἀπόφθεγμα ἐκ Ἰωάννου Στοβαίου.	νβ'.
Galeni Biograph. ex R. Charterio.	53		
Conciſæ Notæ ac variæ Lection.	98		

TOMO II.

Τὰ Εἰσαγωγικὰ Hippocratis & Galeni opera continentur.

Hippocratis Jusjurandum.	pag 1	Ἱπποκράτους ὅρκος.	σελὶς α.
Galeni Pergameni Paraphraſtæ Menodoti Suaſoria ad Artes Oratio.	3	Γαληνοῦ Περγαμηνοῦ παραφραστοῦ τοῦ Μηνοδότου προτρεπτικὸς λόγος ἐπὶ τὰς τέχνας :	γ'.
Galeni, De Optima Doctrina, Liber.	16	Γαληνοῦ περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, βιβλίον α'.	ις'.
Galeni, De Hiſtoria Philoſophicâ, Lib. 1.	21	Γαληνοῦ περὶ φιλοσόφου ἱστορίας, βιβλίον α'.	κα'.
Galeni Fragmentum, ex Joanne Grammatico.	59	Γαληνοῦ τμῆμα, ἐκ τοῦ Ἰωάννου Γραμματικοῦ.	νθ'.
Galeno adſcriptus Liber: Quòd qualitates incorporeæ ſint, 1.	60	Γαληνοῦ ὅτι αἱ ποιότητες ἀσώματοι, τὸ βιβλίον προσγεγραμμένον, α'.	ξ'.
Galeni Fragmentum, ex Simplicio.	67	Γαληνοῦ τμῆμα ἐκ τοῦ Σιμπλικίου.	ξζ'.
Galeni Fragmentum, ex Averroe.	69	Γαληνοῦ τμῆμα ἐκ Ἀβερρόεως.	ξθ'.
Galeni Notæ in Hippocratem, ex Joan. Stobæo.	72	Γαληνοῦ χαρακτηρίζοντα εἰς Ἱπποκράτην, ἐκ τοῦ Ἰωάννου Στοβαίου.	οβ'.
Galeni, De Sophiſmatis penes dictionem, Liber.	73	Γαληνοῦ, περὶ τῶν παρὰ τὴν λέξιν σοφισμάτων, βιβλίον.	οβ'.
Galeni, Linguarum exoletarum Hippocratis, Explicatio.	79	Γαληνοῦ, τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις.	οθ'.
Erotiani Dictionarium.	106	Ἐρωτιανοῦ τὸ ὀνομαστικόν.	ρς'.
Herodoti Dictionarium quarundam dictionum Hippocratis.	140	Ἡροδότου λεξικὸν τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων τινων.	ρμ'.
Hippocratis Lex.	145	Ἱπποκράτους νόμος.	ρμε'.
Hippocratis, De Arte; Liber.	146	Ἱπποκράτους περὶ τέχνης, βιβλ.	ρμς'.
Hippocratis, De Priſca Medicina, Liber.	153	Ἱπποκράτους, περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, βιβλίον.	ρνγ'.

Hippo-

Hippocratis Præceptiones, Lib.	165	Ἱπποκράτους παραγγελίαι, βιβλίον.	ρξέ.
Galeni, De Conſtitutione Artis Medicæ, ad Patrophilum, Lib.	170	Γαληνοῦ, πρὸς Πατρόφιλον, περὶ συστάσεως, ἰατρικῆς, βιβλίον.	ρο.
Galeni, Ars Medica, Liber.	196	Γαληνοῦ, τέχνη ἰατρική, βιβλίον α'.	ρϟϛ'.
Galeni Definitiones Medicæ, Lib.	232	Γαληνοῦ ὅροι ἰατρικοί, βιβλίον.	σλβ'.
Galeni, De Partibus Artis Medicæ, Lib.	282	Γαληνοῦ, περὶ τῶν τῆς τέχνης ἰατρικῆς μορίων, βιβλ.	σπβ'.
Galeni, De Sectis ad eos, qui introducuntur, Lib.	286	Γαληνοῦ, περὶ αἱρέσεων τοῖς εἰσαγομένοις, βιβλ.	σπϛ'.
Galeni, De optima Secta ad Thraſybulum, Liber.	299	Γαληνοῦ, πρὸς Θρασύβουλον περὶ ἀρίστης αἱρέσεως, βιβλίον.	σϟθ'.
Fragmentum Galeno adſcriptum, ſeu ſermo adverſus Empiricos Medicos.	339	Γαληνῷ τομίον προσγεγραμμένον ἢ λόγος πρὸς Ἐμπειρικοὺς ἰατρούς.	τλθ'.
Galeni, De ſubfiguratione Empiricâ, Lib.	340	Γαληνοῦ, περὶ ὑποτυπώσεως τῆς Ἐμπειρικῆς. βιβλ.	τμ'.
Hippocratis, De Medico, Liber.	348	Ἱπποκράτους, περὶ ἰητροῦ, βιβλ.	τμη'.
Hippocratis, De decenti habitu, Liber.	352	Ἱπποκράτους, περὶ εὐσχημοσύνης, βιβλίον.	τνβ'.
Galeni, Quod optimus Medicus ſit quoque Philoſophus, Lib.	356	Γαληνοῦ, ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος, βιβλ.	τνϛ'.
Galeno adſcripta Introductio, ſeu Medicus, Liber.	360	Γαληνῷ εἰσαγωγή, ἢ ἰατρός, βιβλίον.	τξ'.
Conciſæ Notæ, ac variæ Lectiones.	400		

TOMO III.

Φυσιολογικὰ τὰ Στοιχειακά; *Elementa, Temperamenta, ac Humores continentur.*

Galeni, de Elementis, ex Hippocrate, Libri duo.	pag. 1.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων βιβλία β'.	σελὶς α'.
Galeni, De Temperamentis, Libri III.	32	Γαληνοῦ, περὶ κράσεων, βιβλία τρία.	λβ'.
Hippocratis, De natura hominis, Libri duo, & Galeni in eos Commentarii duo.	91	Ἱπποκράτους, περὶ φύσεως ἀνθρώπου, βιβλία β'. καὶ Γαληνοῦ εἰς αὐτὰ ὑπομνήματα β'.	ϟα'.
Galeni, De Humoribus, Liber.	150	Γαληνοῦ, περὶ χυμῶν, βιβλίον.	ρν'.
Galeni, An ſanguis in arteriis natura contineatur, Liber.	154	Γαληνοῦ, εἰ κατὰ φύσιν τὸ αἷμα ἐν ἀρτηρίαις περιέχηται, βιβλ.	ρνδ'.
Galeni, De atra bile, Liber.	165	Γαληνοῦ, περὶ μελαίνης χολῆς, βιβλ.	ρξέ.
Hippocratis, De genitura, Liber.	180	Ἱπποκράτους, περὶ γονῆς, βιβλ.	ρπ'.
Galeni, De Semine, Libri tres.	185	Γαληνοῦ, περὶ σπέρματος, βιβλία τρία.	ρπε'.
Conciſæ Notæ, ac variæ Lectiones.	241		

TOMO IV.

Τὰ Ἀνατομικά, καὶ τὰ Μόρια, *Diſſectiones ac Partes continentur.*

Hippocratis, De Oſſium natura, Liber.	pag. 1.	Ἱπποκράτους, περὶ ὀστέων φύσεως, βιβλίον.	σελὶς α'.
Galeni, De oſſibus ad Tyrones, Liber.	9	Γαληνοῦ, περὶ ὀστῶν τοῖς εἰσαγομένοις, βιβλίον.	θ'.
Galeni, De Anatomicis Adminiſtrationibus, Libri novem.	25	Γαληνοῦ, περὶ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων, βιβλία ἐννέα.	κε'.
Galeno adſcriptus Liber, De Anatomia vivorum.	194	Γαληνῷ, προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ τῆς τῶν ζώντων ἀνατομῆς.	ρϟδ'.
Galeno adſcriptus Liber, De Anatomia parva.	218	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ μικρᾶς ἀνατομῆς.	σιη'.
Galeni, Vocalium inſtrumentorum diſſectio.	219	Γαληνοῦ, ἡ τῶν φωνηέντων ὀργάνων ἀνατομή.	σιθ'.
Galeno adſcriptus Liber, De Anatomia oculorum.	223	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ τῆς τῶν ὀφθαλμῶν ἀνατομῆς.	σκγ'.
Galeni, De Venarum Arteriarumque Diſſectione, Liber.	225	Γαληνοῦ, περὶ φλεβῶν τε καὶ ἀρτηριῶν ἀνατομῆς, βιβλία δ'.	σκε'.
Galeni, De Nervorum Diſſectione, Liber.	241	Γαληνοῦ, περὶ νεύρων ἀνατομῆς, βιβλίον.	σμα'.
Oribaſii, De Muſculis, ex Galeno, Liber I.	250	Ὀρειβασίου, περὶ μυῶν, ἐκ τοῦ Γαληνοῦ, βιβλίον α'.	σν'.
Hippocratis, de Corde Liber.	269	Ἱπποκράτους, περὶ καρδίας, βιβλ.	σξθ'.
Hippocratis, De Glandulis, Liber.	271	Ἱπποκράτους, περὶ ἀδένων, βιβλίον.	σοα'.
Galeni, De Uteri diſſectione, Liber.	276	Γαληνοῦ, περὶ μήτρας ἀνατομῆς, βιβλίον.	σοϛ'.
Galeni, De Uſu Partium, Libri XVII.	284	Γαληνοῦ, περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων, λόγοι ιζ'.	σπδ'.
Hippocratis, De hominis Structura, ad Perdiccam, Macedonum Regem.	705	Ἱπποκράτους, βιβλίον, περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου πρὸς Περδίκκαν τῶν Μακεδόνων βασιλέα.	ψε'.
Conciſæ Notæ, ac variæ Lectiones.	706		

TOMO V.

Τὰ ψυχικὰ *Opera, quæ ad Animam ſpectant, Facultates, Functiones, & Spiritus continentur.*

Galeni, De Anima, Fragmentum ex Capite II. Libri Nemeſii De natura hominis.	pag. 1	Γαληνοῦ, τὸ περὶ ψυχῆς, τμῆμα ἐκ τοῦ κεφαλαίου β'. βιβλίου τοῦ Νεμεσίου, περὶ φύσεως ἀνθρώπου.	σελὶς α'.
Galeni Fragmentum, ex Nemeſii Capite XX. De Timore.	3	Γαληνοῦ τμῆμα ἐκ τοῦ κεφαλαίου κ'. τοῦ Νεμεσίου, περὶ φόβου.	γ'.
Galeni, De Subſtantia naturalium Facultatum, Segmentum.	3	Γαληνοῦ τομίον, περὶ οὐσίας τῶν φυσικῶν δυνάμεων.	γ'.

Galeno adſcriptus Liber, De facultatibus noſtrum corpus diſpenſantibus. 7	Γαλιωῶ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ δυνάμεως τῶν τὸ ἡμῶν σῶμα διοικουσῶν, ζ.
Galeni, De naturalibus facultatibus, Libri III. 8	Γαλιωοῦ, περὶ φυσικῶν δυνάμεων, βιβλία γ΄. η΄.
Galeni, de Placitis Hippocratis & Platonis, Libri novem. 78	Γαληνοῦ, περὶ τῶν Ιπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων, βιβλία ἐννέα. οη΄.
Galeni, Fragmentum in Timæum Platonis. 275	Γαληνοῦ, εἰς τὸν Τιμαῖον τοῦ Πλάτωνος, τομίον. σοε΄.
Galeni, De Fœtuum Formatione, Libellus. 285	Γαληνοῦ, περὶ κυουμένων διαπλάσεως, βιβλίον. σπε΄.
Hippocratis, de Carnibus, ſeu, Principiis, Liber. 302	Ιπποκράτους, περὶ σαρκῶν, ἢ ἀρχῶν, βιβλίον. τβ΄.
Hippocratis, De Natura Pueri, Liber. 310	Ιπποκράτους, περὶ φύσεως παιδίου, βιβλίον. τι΄.
Galeni Liber, An omnes partes animalis, quod procreatur, fiant ſimul. 326	Γαληνοῦ, εἰ τὰ πάντα ζώου τοῦ γενωμένου μόρια συγγίνηται, βιβλ. τκς΄.
Galeno adſcriptus Liber, De Natura & ordine cujuſque corporis. 327	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ φύσεώς τε καὶ τάξεως ἑκάστου σώματος. τκζ΄.
Galeno adſcriptus Liber, De compagine membrorum, ſive, De natura humana. 330	Γαλιωῶ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ συστάσεως μορίων, ἢ περὶ φύσεως ἀνθρωπίνης. τλ΄.
Galeni Liber, An animal ſit, quod in utero eſt. 334	Γαληνοῦ, εἰ ζῶον τὸ κατὰ γαστρὸς, βιβλίον. τλδ΄.
Hippocratis, De Septimeſtri Partu, Liber. 342	Ιπποκράτους, περὶ ἑπταμήνου, βιβλίον. τμβ΄.
Galeni, De Septimeſtri Partu, Lib. 347	Γαληνοῦ, περὶ ἑπταμήνων βρεφῶν, βιβλίον. τμζ΄.
Hippocratis, De Octimeſtri Partu, Liber. 251	Ιπποκράτους, περὶ ὀκταμήνου, βιβλίον. τνα΄.
Galeni, De Inſtrumento Odoratus, Liber. 354	Γαληνοῦ, περὶ ὀσφρήσεως ὀργάνου. βιβλίον. τνδ΄.
Galeni, De Muſculorum Motu, Libri duo. 364	Γαληνοῦ, περὶ μυῶν κινήσεως βιβλία δύο. τξδ΄.
Galeno adſcriptus Liber, De motibus manifeſtis & obſcuris. 397	Γαληνῷ, προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ κινήσεων εὐδήλων τε καὶ ἀδήλων. τϟζ΄.
Galeni Fragmentum, ex Themiſtio in paraphraſi quart. de Phyſica auſcultatione. 405	Γαληνοῦ τομίον, ἐκ Θεμιστίου ἐν τῇ παραφράσεως τοῦ τοῦ τετάρτου φυσικῆς ἀκροάσεως. υε΄.
Ex eadem paraphraſi Themiſtii, Fragmentum. 406	Εξ αὐτῆς τοῦ Θεμιστίου παραφράσεως τομίον. υς΄.
Ex Michaële Epheſio, De inſomniis Fragmentum, 406	Εκ Μιχαήλου Εφεσίου περὶ ἐνυπνίων, τομίον, υς΄.
Galeni Fragmentum, De Motu Thoracis, & Pulmonis. 407	Γαληνοῦ τομίον, περὶ κινήσεως τοῦ θώρακός τε καὶ πνεύμονος. υζ΄.
Galeno adſcriptus Liber, De Reſpirationis uſu. 407	Γαληνῷ, προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ χρείας ἀναπνοῆς. υζ΄.
Galeni, De Reſpirationis uſu, Liber legitimus. 413	Γαλιωοῦ, περὶ χρείας ἀναπνοῆς, βιβλίον. υιγ΄.
Galeni, De Cauſis Reſpirationis, Liber. 427	Γαλιωοῦ, περὶ τῶν τῆς ἀναπνοῆς αἰτιῶν, βιβλ. υκζ΄.
Galeno adſcriptus Liber, De voce & anhelitu, ſeu reſpiratione. 429	Γαληνῷ περὶ φωνῆς τε καὶ ἀναπνοῆς, προσγεγραμμένον, βιβλ. υκθ΄.
Galeni, De Uſu Pulſuum, Liber. 433	Γαλιωοῦ, περὶ χρείας σφυγμῶν, βιβλ. υλγ΄.
Galeni, Quòd animi mores corporis temperamenta ſequantur, Liber. 444	Γαλιωοῦ βιβλίον ὅτι τὰ ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται. υμγ΄.
Hippocratis ſegmentum, ex Philone de Mundi opificio. 461	Ιπποκράτους τομίον ἐκ τοῦ Φίλωνος τῆς κοσμοποιίας. υξα΄.
Conciſæ Notæ, ac variæ Lectiones. 462	

TOMO VI.

Τὰ ὑγιεινὰ *Salubria opera ad ſanitatem tuendam ſpectantia continentur.*

Galeni, de optima noſtri corporis conſtitutione, Liber. pag. 1	Γαλιωοῦ, περὶ ἀρίστης κατασκευῆς τοῦ σώματος ἡμῶν, βιβλίον. σελὶς α΄.
Galeni de bono habitu, Liber. 6	Γαλιωοῦ, περὶ εὐεξίας, βιβλ. ς΄.
Galeni, ad Thraſybulum Liber, utrum Medicinæ ſit, vel Gymnaſtices Hygieine. 8	Γαλιωοῦ, πρὸς Θρασύβουλον, πότερον ἰατρικῆς ἢ γυμναστικῆς ἐστι τὸ ὑγιεινὸν, βιβλ. η΄.
Galeni, de Sanitate tuenda, Lib. VI. 40	Γαλιωοῦ, ὑγιεινῶν λόγοι ς΄. μ΄.
Hippocratis Liber, de Aëre, Locis, & Aquis, & Galeni in eum Commentarii tres. 187	Ιπποκράτους, περὶ αέρων, καὶ ὑδάτων, καὶ τόπων, βιβλίον, καὶ εἰς αὐτὸ τὰ τοῦ ὑπομνήματα γ΄. ρπζ΄.
Hippocratis, de Flatibus, Liber. 213	Ιπποκράτους, περὶ φυσῶν, βιβλ. σιγ΄.
Hippocratis, vel Polybii Liber, de ſalubri victus ratione privatorum & Galeni in eum Comment. 220	Ιπποκράτους, ἢ Πολύβου βιβλίον, περὶ διαίτης ὑγιεινῆς τῶν ἰδιωτῶν, καὶ εἰς τοῦτο Γαλιωοῦ ὑπόμνημα. σκ΄.
Hippocratis, de Alimento, Liber, ac in eum Galeni Commentarii quatuor. 238	Ιπποκράτους, περὶ τροφῆς, βιβλίον, καὶ εἰς ταυτὸ Γαλιωοῦ ὑπομνήματα δ΄. σλη΄.
Galeni, de Alimentorum facultatibus, Libri III. 300	Γαληνοῦ, περὶ τροφῶν δυνάμεως, βιβλία τρία. τ΄.
Galeno adſcriptus Liber, De diſſolutione continui, ſeu, de Alimentorum Facultatibus, quartus. 403	Γαλιωῶ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ διαλύσεως συνεχοῦς, ἢ περὶ τροφῶν δυνάμεως, βιβλίον δ΄. υγ΄.
Galeni, De attenuante victus ratione, Liber. 411	Γαλιωοῦ, περὶ λεπτυνούσης διαίτης, βιβλ. υιβ΄.
Galeni, De probis praviſque alimentorum ſuccis, Liber. I	Γαλιωοῦ, περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας τροφῶν, βιβλ. α΄. υιζ.

Galeni

Galeni Præceptum, De humani corporis conſtitutione; de Diæta quatuor anni tempeſtatum, & duodecim menſium.	449	Γαληνοῦ, διαθήκη περὶ τῆς τοῦ ἀνθρωπείου σώματος κατασκευῆς περὶ τῆς τεσσάρων τῶν ὡρῶν τε, καὶ ιβ' μηνῶν διαίτης.	υμθ'.
Hippocratis, De liquidorum uſu, Liber.	343	Ἱπποκράτους, περὶ ὑγρῶν χρήσιος, βιβλ.	υμγ'.
Hippocratis, De Victus ratione ſanorum, Libri tres.	447	Ἱπποκράτους, περὶ διαίτης ὑγιεινῶν, βιβλία τρία.	υμζ'.
De Aquis, ex Galeno, Oribaſio, Rufo, Diocle, Athenæo, Fragmentum.	489	Περὶ ὑδάτων, ἐκ Γαληνοῦ Ὀρειβασίου, Ῥούφου, Διοκλέους καὶ Ἀθηναίου, τμῆμα.	υπθ'.
Galeni, De Vinis, ex Oribaſio, Fragmentum.	494	Γαληνοῦ, περὶ οἴνων, ἐξ Ὀρειβασίου τμῆμα.	υϟδ'.
Galeni, De Vinis ex Oribaſii Libro quinto Collectionum Medicarum, Fragmentum.	495	Γαληνοῦ, περὶ οἴνων ἐξ Ὀρειβασίου βιβλίου πέμπτου τῶν ἰατρικῶν συναγωγῶν, τμῆμα.	υϟε'.
Galeni, De Vinis ex Athenæo, Fragmentum.	497	Γαληνοῦ, περὶ οἴνων ἐξ Ἀθηναίου, τμῆμα.	υϟζ'.
Galeni, De Pane ex Athenæo, Fragmentum.	498	Γαληνοῦ, περὶ ἄρτου ἐξ Ἀθηναίου, τμῆμα.	υϟη'.
Galeni, De Ptiſſana, Liber.	499	Γαληνοῦ, περὶ πτισάνης, βιβλ.	υϟθ'.
Galeni, De Exercitio, quod parvâ pilâ fit, Liber.	505	Γαληνοῦ, περὶ τοῦ διὰ μικρᾶς σφαίρας γυμνασίου, βιβλίον.	φε'.
Galeni, De Venereis, Fragmentum.	509	Γαληνοῦ, περὶ ἀφροδισίων, τμῆμα.	φθ'.
Hippocratis, De Inſomniis; Lib.	511	Ἱπποκράτους, περὶ ἐνυπνίων, βιβλ.	φια'.
Galeni, De Dignotione ex Inſomniis, Libellus.	517	Γαληνοῦ, περὶ τῆς ἐξ ἐνυπνίων διαγνώσεως, βιβλ.	φιζ'.
Galeni, De propriorum animi cujuſque affectuum dignotione, & curatione, Liber.	519	Γαληνοῦ, περὶ διαγνώσεώς τε καὶ θεραπείας τῶν ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων παθῶν, βιβλ.	φιθ'.
Galeni, De cujuſque animi peccatorum dignotione, atque medela, Liber.	537	Γαληνοῦ, περὶ διαγνώσεώς τε καὶ θεραπείας τῶν ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἁμαρτημάτων, βιβλ.	φλζ'.
Galeni, De Conſuetudinibus, Lib.	553	Γαληνοῦ, περὶ τῶν ἐθῶν, βιβλ.	φνγ'.
Conciſæ Notæ, ac variæ Lectiones,	557		

TOMO VII.

Τὰ παθολογικὰ, quæ ad Morbos, Morborum cauſas, & ſymptomata ſpectant, continentur.

Galeni, De Morborum Differentiis, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ διαφορᾶς νοσημάτων, βιβλίον α'.
Galeni, De Morborum Cauſis, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν ἐν τοῖς νοσήμασιν αἰτιῶν, βιβλίον α'.
Galeni, De Symptomatum Differentiis, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ διαφορᾶς συμπτωμάτων, βιβλίον α'.
Galeni, De Symptomatum Cauſis, Libri III.	Γαληνοῦ, περὶ αἰτιῶν συμπτωμάτων, βιβλία γ'.
Galeni, De Febrium Differentiis, Libri II.	Γαληνοῦ, περὶ διαφορᾶς πυρετῶν, βιβλία β'.
Galeni, De inæquali intemperie, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ τῆς ἀνωμάλου δυσκρασίας, βιβλ. α'.
Galeni, De Tabe ſeu Maraſmo, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ μαρασμοῦ, βιβλίον α'.
Galeni, De Tumoribus præter naturam, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων, βιβλίον α'.
Galeni, De Plenitudine, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ πλήθους, βιβλ. α'.
Galeni, De Cauſis procatarcticis, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν προκαταρκτικῶν αἰτιῶν, βιβλίον α'.
Galeni, De Tremore, Palpitatione, Spaſmo, Rigore, Liber.	Γαληνοῦ, περὶ τρόμου, καὶ παλμοῦ, καὶ σπασμοῦ, καὶ ῥίγους, βιβλ. α'.
Galeni, De Comate, ex Hippocrate, Lib. I.	Γαληνοῦ, περὶ τοῦ παρ' Ἱπποκράτους, κώματος, βιβλ. α'.
Galeni, De Spirandi difficultate, Libri III.	Γαληνοῦ, περὶ δυσπνοίας, βιβλία γ'.
Galeni, De Morborum Temporibus, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν ἐν ταῖς νόσοις καιρῶν, βιβλίον α'.
Galeni, De Typis Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ τύπων, βιβλ. α'.
Galeni, adverſus eos, qui de Typis, ſeu circuitibus ſcripſerunt, Lib. I.	Γαληνοῦ, πρὸς τοὺς περὶ τύπων γράψαντας ἢ περὶ περιόδων, βιβλ. α'.
De Siti, Fragmentum Galeni.	Γαληνοῦ, περὶ δίψης, τμῆμα.
Galeni, De Hemitritæo, Tractatus.	Γαληνοῦ, περὶ ἡμιτριταίου, πραγματεία.

Παθολογικὰ τῶν μέρη, καὶ θεραπευτικά

Hippocratis, De Locis in homine, Liber I.	Ἱπποκράτους, περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον, βιβλίον α'.
Galeni, De Locis affectis, Libri VI.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν πεπονθότων τόπων, βιβλία ς'.
Hippocratis, De Morbis, Libri IV.	Ἱπποκράτους, περὶ νόσων, βιβλία δ'.
Hippocratis, De Affectionibus, Liber I.	Ἱπποκράτους, περὶ παθῶν, βιβλ. α'.
Hippocratis, de internis affectibus, Liber I.	Ἱπποκράτους, περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, βιβλίον α'.
Hippocratis, De Virginum affectibus, Liber I.	Ἱπποκράτους, περὶ παρθενείων, βιβλίον α'.
Hippocratis, De Natura muliebri, Libri II.	Ἱπποκράτους, περὶ γυναικείης φύσιος, βιβλία β'.
Hippocratis, De Mulierum Morbis, Libri II.	Ἱπποκράτους, περὶ γυναικείων, βιβλία β'.
Hippocratis, De Superfœtatione, Liber I.	Ἱπποκράτους περὶ ἐπικυήσιος. βιβλίον α'.
Galeni, De mulierum affectionibus, Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ γυναικείων παθῶν, βιβλίον α'.
Galeni, De mulierum affectionibus, Fragmentum.	Γαληνοῦ, περὶ γυναικείων παθῶν, τμῆμα.
Hippocratis, De Dentitione, Lib. I.	Ἱπποκράτους, περὶ ὀδοντοφυΐης, βιβλίον α'.

Tomo VIII.

Τὰ Σημειωτικὰ *Opera continentur.*

Galeni, De Pulſibus ad Tyrones, Libellus. pag.	1	Γαληνοῦ, περὶ σφυγμῶν τοῖς εἰσαγομένοις, βιβλίον. σελὶς	α.
Galeni, De Pulſuum differentiis, Libri IV.	14	Γαληνοῦ, περὶ διαφορᾶς σφυγμῶν, λόγοι δ′.	ιδ′.
Galeni, De Pulſibus dignoſcendis, Lib IV.	103	Γαληνοῦ, περὶ διαγνώσεως σφυγμῶν, λόγοι δ′.	ργ′.
Galeni. De Cauſis Pulſuum, Libri IV.	167	Γαληνοῦ, περὶ τῶν ἐν τοῖς σφυγμοῖς αἰτιῶν, λόγοι δ′.	ρξζ.
Galeni, De Præſagitione ex Pulſibus, Libri IV.	236	Γαληνοῦ, περὶ προγνώσεως διὰ σφυγμῶν, βιβλίον δ′.	σλς′.
Galeni Synopſis Librorum ſuorum XVI. de Pulſibus.	306	Γαληνοῦ, σύνοψις βιβλίων αὐτοῦ ις′ περὶ σφυγμῶν.	τϛ′.
Galeno adſcriptum Pulſuum Compendium	330	Γαληνῷ προσγεγραμμένη σύνοψις τῶν σφυγμῶν.	τλ.
Galeni ad Antonium Philoſophum de Pulſibus Libellus.	333	Γαληνοῦ πρὸς Ἀντώνιον Φιλόσοφον περὶ σφυγμῶν, βιβλ.	τλγ′.
Galeno adſcriptus Liber, De Urinis.	337	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ οὔρων.	τλζ.
Galeni, De urinis Compendium.	349	Γαληνοῦ, περὶ οὔρων ἐν συντόμῳ.	τμθ′.
De Urinis, ex Hippocrate, Galeno, & aliis quibuſdam, Libellus.	352	Περὶ οὔρων ἐκ τοῦ Ἱπποκράτους, καὶ Γαληνοῦ, καὶ ἄλλων τινῶν, βιβλίον.	τνβ′.
Theophili Jatroſophiſtæ, de Urinis, Liber.	359	Θεοφίλου Ἰατροσοφιστοῦ, περὶ οὔρων, βιβλίον.	τνθ′.
Hippocratis, De Judicationibus, Liber.	398	Ἱπποκράτους, περὶ κρίσεων, βιβλίον.	τξή.
Hippocratis, De Diebus Judicatoriis, Liber.	373	Ἱπποκράτους, περὶ κρισίμων, βιβλίον.	τογ′.
Galeni, De Criſibus, Libri tres.	377	Γαληνοῦ, περὶ κρίσεων, βιβλία τρία.	τοζ.
Galeni, De Diebus Decretoriis, Libri tres.	450	Γαληνοῦ, περὶ κρισίμων, βιβλία τρία.	υν.
Hippocratis, De Humoribus Liber, & Galeni in eum Commentarii tres.	508	Ἱπποκράτους, περὶ χυμῶν, τὸ βιβλίον καὶ τὰ εἰς αὐτὸ Γαληνοῦ ὑπομνήματα τρία.	φή.
Hippocratis Prognoſticon, & Galeni in eum Librum, Commentarii tres	683	Ἱπποκράτους, προγνωστικὸν καὶ Γαληνοῦ εἰς ταὐτὸ ὑπομνήματα τρία.	χπγ′.
Hippocratis, Prædictionum Libri duo, & Galeni in primum Commentarii tres.	692	Ἱπποκράτους, προῤῥητικῶν βιβλία δύο, καὶ Γαληνοῦ, εἰς τὸ πρῶτον, ὑπομνήματα τρία.	χϟγ′.
Galeni, de Prænotione ad Poſthumum, Liber I.	829	Γαληνοῦ, περὶ τοῦ προγινώσκειν πρὸς Ἐπιγένην, βιβλίον α.	ωκθ′.
Hippocratis Coacæ Prænotiones.	853	Ἱπποκράτους, Κωακαὶ προγνώσεις.	ωνγ′.
Galeni, De Prænotione, Libellus.	891	Γαληνοῦ, περὶ προγνώσεως, βιβλίον.	ωϟα.
Galeni omnino vera, expertaque Præſagitio.	895	Γαληνοῦ, πρόγνωσις πεπειραμένη, καὶ πάνυ ἀληθής.	ωϟε.
Galeni, De venæſectione, Fragmentum.	868	Γαληνοῦ, περὶ φλεβοτομίας, τομίον.	ωξή.
Galeni, De Ægrotantis decubitu, prognoſtica ex mathematica ſcientia.	901	Γαληνοῦ, περὶ κατακλίσεως, προγνωστικὰ ἐκ τῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης.	ϡα′.
Galeni, Liber, Quomodo morbum ſimulantes ſint deprehendendi	916	Γαληνοῦ βιβλίον, περὶ τοῦ πῶς δεῖ ἐξελέγχειν τοὺς προσποιουμένους νοσεῖν	ϡις′.
Galeno adſcripta Quæſita in Hippocratem	918	Γαληνῷ προσγεγραμμένα τὰ ζητηθέντα εἰς τὸν Ἱπποκράτην.	ϡιή.
Conciſæ Notæ, ac variæ Lectiones.	919		

Tomo IX.

Τὰ Ἐπίμικτα *permixta Opera continentur.*

Hippocratis Liber primus Epidemiorum, & Galeni hunc in Librum, Commentarii III.	Ἱπποκράτους τὸ πρῶτον βιβλίον τῶν ἐπιδημιῶν, καὶ εἰς τοῦτο τὰ Γαληνοῦ ὑπομνήματα γ′.
Hippocratis Epidemiorum Liber ſecundus, & Galeni in hunc Librum Commentarius I.	Ἱπποκράτους, δεύτερον βιβλίον τῶν ἐπιδημιῶν, καὶ εἰς αὐτὸ Γαληνοῦ ὑπόμνημα α.
Galeni, in eundem Librum, Fragmentum.	Γαληνοῦ εἰς ταὐτὸ βιβλίον τομίον.
Hippocratis Liber tertius Epidemiorum, & Galeni in hunc Librum Commentarii III.	Ἱπποκράτους βιβλίον τρίτον τῶν ἐπιδημιῶν, καὶ Γαληνοῦ εἰς αὐτὸ ὑπομνήματα τρία.
Hippocratis Epidemiorum Liber quartus.	Ἱπποκράτους, βιβλίον τέταρτον τῶν ἐπιδημιῶν.
Hippocratis Epidemiorum Liber quintus.	Ἱπποκράτους, βιβλίον πέμπτον τῶν ἐπιδημιῶν.
Hippocratis Epidemiorum Liber VI. & Galeni in hunc Librum Commentarii VI.	Ἱπποκράτους βιβλίον ἕκτον τῶν ἐπιδημιῶν, καὶ Γαληνοῦ εἰς αὐτὸ ὑπομνήματα ϛ′.
Palladii in ſextum Epidemiorum Commentarius.	Παλλαδίου εἰς ἕκτον τῶν ἐπιδημιῶν ὑπόμνημα.
Hippocratis Epidemiorum Liber ſeptimus.	Ἱπποκράτους βιβλίον ἕβδομον τῶν ἐπιδημιῶν.
Hippocratis Aphoriſmorum Lib VII. cum Galeni Comment. VII.	Ἱπποκράτους τῶν ἀφορισμῶν βιβλία ζ καὶ εἰς ταῦτα Γαληνοῦ ὑπομνήματα ζ.
Hippocratis Aphoriſmorum Libellus VIII.	Ἱπποκράτους ἀφορισμῶν βιβλίον ὄγδοον.
Galeni adverſus Lycum: Quòd nihil in eo Aphoriſmo Hippocrates peccet, cujus initium: *Qui creſcunt, plurimum habent caloris innati.*	Γαληνοῦ πρὸς Λύκον, ὅτι μηδὲν ἡμάρτηται κατὰ τὸν Ἱπποκράτους ἀφορισμὸν, οὗ ἡ ἀρχὴ, τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν.
Galeni, contra ea, quæ à Juliano in Aphoriſmis Hippocratis dicta ſunt, Libellus.	Γαληνοῦ, πρὸς τὰ ἀντειρημένα τοῖς Ἱπποκράτους ἀφορισμοῖς ὑπὸ Ἰουλιανοῦ, βιβλίον.
Galeni Fragmenta ex Aphoriſmis Raby Moyſis collecta.	Γαληνοῦ τομία ἐξ ἀφορισμῶν Ῥάβυ Μουσέως συλλεγέντα
Galeni Fragmentum ex Rhaſis Libro collectum.	Γαληνοῦ τομίον ἐκ Ῥάσεως βιβλίου σύλλεγεν.

TOMO X.

Τὰ Θεραπευτικὰ, *quæ ad Morborum curationem ſpectant, continentur.*

Galeni Methodi Medendi Lib. XIV.	Γαληνοῦ θεραπευτικῆς μεθόδου βιβλ. ιδ'.
Galeni ad Glauconem curativi Libri II.	Γαληνοῦ, τὰ πρὸς Γλαύκωνα θεραπευτικὰ βιβλία β'.
Galeni De Venæſectione adverſus Eraſiſtratum Liber I.	Γαληνοῦ περὶ φλεβοτομίας πρὸς Ἐρασίστρατον βιβλίον α'.
Galeni De Venæſectione adverſus Eraſiſtrateos Romæ degentes Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ φλεβοτομίας πρὸς Ἐρασιστρατείους τοὺς ἐν Ῥώμῃ, βιβλίον α'
Galeni de Curandi ratione per Venæſectionem Lib. I.	Γαληνοῦ, περὶ φλεβοτομίας θεραπευτικὸν, βιβλίον α'.
Galeni, De Hirudinibus, Revulſione, Cucurbitula, & Scarificatione vel Conciſione Liber I.	Γαληνοῦ περὶ βδελλῶν, ἀντισπάσεως, σικύας, καὶ ἐγχαράξεως, ἢ καλαχασμοῦ βιβλίον. α'.
Oribaſii De Hirudinibus, & Curatione per Revulſionem, ac Derivationem Liber I.	Ὀρειβασίου περὶ βδελλῶν, καὶ περὶ ἀντισπάσεως θεραπευτικοῦ, καὶ παροχετεύσεως, βιβλίον α'.
Hippocratis Libellus, De Medicamentis purgantibus.	Ἱπποκράτους βιβλίον περὶ καθαιρόντων φαρμάκων.
Galeni De Purgantium Medicamentorum Facultatibus Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ τῆς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων δυνάμεως, βιβλίον α'.
Galeno adſcriptus Liber de Catharticis.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ καθαρτικῶν.
Galeni, Quos, quibus medicamentis, & quando purgare oporteat, Libellus.	Γαληνοῦ, τινὰς δεῖ καθαίρειν, καὶ ποίοις καθαρτηρίοις, καὶ πότε, βιβλ. α'.
Hippocratis, De ſacro morbo, Libel.	Ἱπποκράτους, περὶ ἱερῆς νόσου, βιβλίον.
Galeni puero Epileptico Conſilium.	Γαληνοῦ, τῷ ἐπιληπτῷ παιδὶ, ὑποθήκη.
De Melancholia ex Galeno, Rufo, Poſſidonio, & à Sicamio Aetio.	Περὶ μελαγχολίας ἐκ τῶν Γαληνοῦ, καὶ Ῥούφου, καὶ Ποσειδωνίου, καὶ ἀπὸ Σικαμίου τοῦ Ἀετίου.
Hippocratis, De Viſione, Liber.	Ἱπποκράτους, περὶ ὄψεως, βιβλ.
Galeno adſcriptus Liber de Oculis.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλ. περὶ ὀφθαλμῶν.
Galeni de Colico dolore.	Γαληνοῦ περὶ κολικῆς ὀδύνης.
Galeni De Icteri cura Liber adſcriptus.	Γαληνοῦ περὶ τῆς τοῦ ἰκτέρου θεραπείας βιβλίον προσγεγραμμένον.
Affectuum renum dignotio, atque curatio, Liber ſpurius.	Διάγνωσις τῶν ἐν νεφροῖς παθῶν καὶ θεραπεία, βιβλ. νόθον.
Galeno adſcriptus Liber de Cura Lapidis.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ τῆς τοῦ λίθου θεραπείας.
Galeni De Iſchiade, Arthritide, & Podagra.	Γαληνοῦ περὶ ἰσχιάδος, ἀρθρίτιδος, καὶ ποδάγρας.
Galeno adſcriptus Liber de Medicinis expertis, ſeu, de Medicinali experientia.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλ. περὶ φαρμάκων τῶν πεπειραμένων, ἢ περὶ ἰατρικῆς ἐμπειρίας.
Galeno adſcriptus Liber Secretorum ad Monteum.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον τῶν ἐκκεκρυμμένων εἰς τὸν Μόντεον.
Galeno adſcriptus Lib. de Incantatione, Adjuratione & Suſpenſione.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ γοητείας, ἐπομώσεως καὶ ἀπαιωρήσεως.
Galeni Fragmentum ex Tralliani Libro IX. inſcriptum de Homerica Medicatione.	Γαληνοῦ τμῆμα ἐκ τοῦ θ'. Τραλλιανοῦ ἐπιγεγραμμένον, περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον ἰατρικῆς.
Galeni, de Remediis parabilibus Liber I.	Γαληνοῦ, περὶ εὐπορίστων, βιβλίον α'.
Galeni de Remediis parabilibus ad Solonem, Medicorum principem Liber II. adſcriptitius.	Γαληνοῦ περὶ εὐπορίστων, Σόλωνι ἀρχιατρῷ βιβλίον β'. προσγεγραμμένον.
Galeni de Remediis parabilibus Lib. III. adſcriptus.	Γαληνοῦ περὶ εὐπορίστων βιβλίον γ'. προσγέγραπτον.
Galeni de Dunamidiis (*propriis remediorum facultatibus*) Libri duo adſcriptitii.	Γαληνοῦ, περὶ δυναμιδίων, βιβλία β'. προσγεγραμμένα.
Hippocratis & Oſantri Veterinaria Medicina.	Ἱπποκράτους καὶ Ὀσάντρου τῶν ἰατρῶν ἱππιατρική.

TOMO XI.

Τὰ διαιτητικὰ *ad ægrotantium victûs rationem ſpectantia continentur.*

Hippocratis de Diæta in morbis acutis Liber, & Galeni in eum Commentarii quatuor.	Ἱπποκράτους περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων βιβλίον, καὶ εἰς αὐτὸ Γαληνοῦ ὑπομνήματα δ'.
Galeni de diæta in morbis acutis, Libellus.	Γαληνοῦ τὸ περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων βιβλίον.

TOMO XII.

Τὰ χειρουργικὰ, *ad Chirurgiam ſpectantia continentur.*

Hippocratis de Medici Officina, & Galeni in hunc Libellum Commentarii III.	Ἱπποκράτους κατ' ἰητρεῖον, καὶ Γαληνοῦ εἰς ταῦτο ὑπομνήματα γ'.
Hippocratis de Capitis vulneribus, Liber I.	Ἱπποκράτους, περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων βιβλ. α'.
Hippocratis de Ulceribus, Liber I.	Ἱπποκράτους περὶ ἑλκῶν, βιβλ. α'.
Hippocratis, de Fiſtulis, Liber I.	Ἱπποκράτους, περὶ συρίγγων, βιβλ. α'.
Hippocratis, de Hæmorrhoidibus, Liber I	Ἱπποκράτους, περὶ αἱμορροΐδων, βιβλ. α'.
Hippocratis de Fracturis, Liber, & Galeni in eum Commentarii III.	Ἱπποκράτους, περὶ ἀγμῶν βιβλίον, καὶ εἰς αὐτὸ Γαληνοῦ ὑπομνήματα γ'.
Palladii Scholia in Librum Hippocratis de Fracturis.	Παλλαδίου σχόλια εἰς τὸ περὶ ἀγμῶν Ἱπποκράτους.
Hippocratis de Articulis Liber, & Galeni in hunc Librum Commentarii IV.	Ἱπποκράτους, περὶ ἄρθρων βιβλίον, καὶ εἰς αὐτὸ Γαληνοῦ ὑπομνήματα δ'.
Galeni, de Faſciis, Liber.	Γαληνοῦ, περὶ συνδέσμων, βιβλ.
Oribaſii, de Laqueis ex Heraclide, Libellus.	Ὀρειβασίου, περὶ βρόχων ἐκ τοῦ Ἡρακλᾶ, βιβλ.

Oribaſii, de Machinamentis ex Heliodoro, Liber.		Ὀρειβασίου, περὶ μηχανημάτων ἐξ Ἡλιοδώρου βιβλίον.
Hippocratis, Vectiarium, Liber I.		Ἱπποκράτους, μοχλικὸν, βιβλίον α.
Hippocratis, de Fœtus mortui extractione, Liber. I.		Ἱπποκράτους, περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύου, βιβλίον α.
Hippocratis, de Anatome Liber.		Ἱπποκράτους, περὶ ἀνατομῆς, βιβλίον α.

Tomo XIII.

Τὰ φαρμακευτικὰ, quæ ad Pharmaciam & Medicamenta ſpectant, continentur.

Galeni de Simplicium Medicamentorum Facultatibus ac Temperamentis Libri XI.	pag. 1	Γαληνοῦ, περὶ κράσεων τε καὶ δυνάμεων τῶν ἁπλῶν φαρμάκων, βιβλία ια.
Galeni, De Compoſitione Medicamentorum ſecundùm locos, Libri X.	319	Γαληνοῦ, περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους βιβλία ι.
Galeni, De Compoſitione Medicamentorum ſecundùm genera, Libri VII.	640	Γαληνοῦ, περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ γένη, βιβλία ζ.
Galeni de Antidotis, Lib. II.	865	Γαληνοῦ, περὶ ἀντιδότων, βιβλ. β.
Galeni, De Theriaca ad Piſonem, Liber.	930	Γαληνοῦ, περὶ θηριακῆς πρὸς Πίσωνα, βιβλίον.
Galeni, De Theriaca ad Pamphilianum, Liber.	960	Γαληνοῦ, περὶ θηριακῆς πρὸς Παμφιλιανὸν βιβλ.
Galeni, De Succedaneis Medicamentis, Liber.	965	Γαληνοῦ, περὶ ἀντεμβαλλομένων βιβλ. α.
Galeni ſapientiſſimi, De Ponderibus & Menſuris, Doctrina.	975	Γαληνοῦ τοῦ σοφωτάτου, περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν διδασκαλία.
Galeno adſcriptus Liber, De Simplicibus Medicamentis ad Paternianum.	984	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ ἁπλῶν φαρμάκων πρὸς τὸν Πατερνιανόν.
Galeno adſcriptus Liber, De Plantis.	1004	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ φυτῶν.
Galeno adſcriptus Liber, De Centaureæ Facultatibus.	1010	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ τῶν τοῦ κενταυρείου δυνάμεων.
Galeni, De Clyſteribus, Libel.	1013	Γαληνοῦ, περὶ κλυστήρων, βιβλ.
Conciſæ Notæ, ac variæ Lectiones.	1016	

Tomo XIV.

Univerſæ Librorum aut Operum tredecim Tomis ſuperioribus incluſorum Materiæ locupletiſſimum Indicem amplexatur.

Ad hæc duos Indices conſcripſit Excellentiſſ. & æternâ memoriâ, ob tantos, tamque utiles cùm univerſæ literariæ, tum imprimis Medicæ reipublicæ labores exantlatos, digniſſimus D. Charterius; quorum alter Operum Galeni eſt Latinè dumtaxat editorum, quem in varias variarum regionum Univerſitates ac Bibliothecas miſit; alter verò Operum, neque Græce, neque Latine, ſed ſolo fortaſſis inſcriptionis nomine ſuperſtitum. Quos Indices eodem conſilio hîc virorum doctorum oculis ſubjicio, quo fecit ipſe in Oratione ad Ampliſſ. ac Conſultiſſ. Pariſienſium Medicorum ordinem: ſcilicet ut & nos invitemus eos, qui majori in hominum ſalutem pietate fervent, ſi quod opus Galeni, quod huic editioni deeſſe Indices iſti indicant, in Bibliothecis aut manuſcriptis codicibus nanciſcantur, id exſcribant, & Lutetiam ad Cl. D. Charterium, Medicum, mittant, quo ſenſim in magnum aſſurgat editionis incrementum, quod non citra præclara immortalium gratiarum elogia, & perpetuam reſtaurationis Galenicæ fœturæ memoriam à poſteris celebrabitur.

Primus Index Operum Latine dumtaxat editorum, quorum Græcus textus maxime deſideratur.

Galeni de Partibus Artis Medicæ Liber ſpurius.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν τῆς τέχνης ἰατρικῆς μορίων βιβλίον.
Galeni Fragmentum adſcriptum, aut Liber adverſus Empiricos Medicos.	Γαληνοῦ τμῆμα προσγεγραμμένον, ἢ λόγος πρὸς Ἐμπειρικοὺς ἰατρούς.
Galeni, de Subfiguratione Empiricâ, Libellus.	Γαληνοῦ, περὶ ὑποτυπώσεως τῆς ἐμπειρικῆς βιβλίον.
Galeni, de Anatomia vivorum, Liber.	Γαληνοῦ, περὶ τῆς τῶν ζώντων ἀνατομῆς, βιβλίον.
Galeni, de Anatomia parva, Libellus ſpurius.	Γαληνῷ, προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ μικρᾶς ἀνατομῆς.
Galeni, de Vocalium Inſtrumentorum diſſectione, Fragmentum.	Γαληνοῦ περὶ τῆς τῶν φωνούντων ὀργάνων ἀνατομῆς, τμῆμα.
Galeni, de Oculorum Anatomia, Liber.	Γαληνοῦ, περὶ τῆς τῶν ὀφθαλμῶν ἀνατομῆς, βιβλίον.
Galeni, de Muſculorum Anatomia, ſeu, Diſſectione ad Tyrones, Liber.	Γαληνοῦ, περὶ τῆς τῶν μυῶν ἀνατομῆς τοῖς προσαγουμένοις, βιβλίον.
Hippocratis Liber de Structura hominis ad Perdiccam, Macedonum Regem.	Ἱπποκράτους βιβλίον περὶ κατασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου πρὸς Περδίκκαν τῶν Μακεδόνων βασιλέα.
Galeno, de Compagine Membrorum, ſeu, de Natura humana, Liber adſcriptus.	Γαληνῷ περὶ συστάσεως τῶν μορίων, ἢ περὶ φύσεως ἀνθρωπίνης βιβλίον προσγεγραμμένον.

Galeno

Galeno de Facultatibus noſtrum corpus gubernantibus, Liber adſcriptus.	Γαληνῷ, περὶ δυνάμεων τῶν ἡμῶν σῶμα διοικουσῶν, βιβλίον προσγεγραμμένον.
Galeni Fragmentum in Platonis Timæum.	Γαληνοῦ, εἰς τὸν Τιμαῖον τοῦ Πλάτωνος τμῆμα.
Galeno, Liber adſcriptus de Spermate.	Γαληνῷ τὸ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ σπέρματος.
Galeni Liber inſcriptus, An omnes partes Animantis, quod in utero eſt, ſimul fiant?	Γαληνοῦ βιβλίον ἐπιγεγραμμένον εἰ τὰ πάντα τοῦ ζώου τοῦ κατὰ γαστρὸς, μόρια συγγίνηται.
Galeno adſcriptus Liber de Natura & ordine cujuslibet corporis.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ φύσεως τε καὶ τάξεως ἑκάστου σώματος.
Galeno adſcriptus Liber de Motibus manifeſtis & obſcuris.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ κινήσεων τῶν ἐνδήλων τε καὶ ἀδήλων.
Galeni, de Motu Thoracis & Pulmonis, Fragmentum.	Γαληνοῦ, περὶ κινήσεως τοῦ θώρακός τε καὶ πνεύμονος, τμῆμα.
Galeni Liber ſpurius de Uſu Reſpirationis.	Γαληνοῦ περὶ χρείας ἀναπνοῆς βιβλίον νόθον.
Galeno adſcriptus Liber de Voce & Anhelitu.	Γαληνῷ περὶ φωνῆς τε καὶ ἀναπνοῆς τὸ προσγεγραμμένον βιβλίον.
Galeni Commentarii tres in Librum Hippocratis de Aëre, Locis, & Aquis.	Γαληνοῦ, εἰς τὸ βιβλίον Ἱπποκράτους, περὶ ἀέρων, ὑδάτων, καὶ τόπων, ὑπομνήματα τρία.
Galeno adſcriptus Liber de continuo ſubſtantiæ effluvio, ſive, de Alimentorum Facultatibus Lib. IV.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον τὸ βιβλίον περὶ διαλύσεως συνεχοῦς, ἢ περὶ τῆς τῶν τροφῶν δυνάμεως, βιβλία δ'.
Galeni de Attenuante diæta Lib. I.	Γαληνοῦ, περὶ λεπτυνούσης διαίτης, βιβλ.
Galeni Lib. de Conſuetudinibus.	Γαληνοῦ, βιβλίον περὶ ἐθῶν.
Galeni, de Cauſis procatarcticis, Liber.	Γαληνοῦ, περὶ αἰτιῶν τῶν προκαταρκτικῶν, βιβλίον.
Galeni de Paſſionibus Mulierum Fragmentum.	Γαληνοῦ, περὶ γυναικείων παθῶν, τμῆμα.
Galeni Synopſis Librorum ſuorum ſexdecim de Pulſibus.	Γαληνοῦ σύνοψις βιβλίων αὐτοῦ ἑκκαίδεκα περὶ τῶν σφυγμῶν.
Galeni quæſita in Hippocratem adſcripta.	Γαληνοῦ τὰ ζητηθέντα εἰς τὸν Ἱπποκράτην προσγεγραμμένα.
Galeni Commentarii tres in Hippocratis Librum de Humoribus.	Γαληνοῦ, εἰς τὸ περὶ χυμῶν Ἱπποκράτους βιβλίον, ὑπομνήματα τρία.
Oribaſii de Hirudinibus & Curatione per Revulſionem ac Derivationem Liber I.	Ὀρειβασίου περὶ βδελλῶν καὶ τῆς ἀντισπάσεως θεραπευτικοῦ, καὶ παροχετεύσεως, βιβλίον.
Galeni de Oculis Liber ſpurius.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν ὀφθαλμῶν, βιβλίον νόθον.
Galeni de Colico dolore.	Γαληνοῦ περὶ κωλικῆς ὀδύνης.
Galeni de Cura Icteri.	Γαληνοῦ περὶ τῆς τοῦ ἰκτέρου θεραπείας.
Galeno adſcriptus Liber de Cura Lapidis.	Γαληνῷ περὶ θεραπείας λίθου προσγεγραμμένον τὸ βιβλίον.
Galeni de Diæta Hippocratis in Morbis acutis Liber.	Γαληνοῦ τὸ περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων βιβλ.
Galeno adſcriptus Liber de Simplicibus Medicamentis ad Paternianum.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον, περὶ ἁπλῶν δυνάμεων εἰς τὸν Πατερνιανόν.
Galeno adſcripti Libri duo de Dynamidiis.	Γαληνῷ προσγεγραμμένα βιβλία β. περὶ δυναμιδίων.
Galeno adſcriptus Liber de Centaurii Facultate.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ κενταυρείου δυνάμεως.
Galeni Lib. de Catharticis ſpurius.	Γαληνοῦ τὸ νόθον βιβλίον περὶ τῶν καθαρτικῶν.
Galeno adſcriptus Liber de Plantis.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον τὸ περὶ φυτῶν.
Galeno adſcriptus de Medicinis expertis, cui titulus eſt, Medicinalis Experientia.	Γαληνοῦ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ τῆς ἰατρικῆς ἐμπειρίας, ἢ περὶ φαρμακειῶν τῶν πεπειραμένων.
Galeni, Secretorum ad Monteum. Liber ſpurius.	Γαληνοῦ τῶν ἐκκεκρυμμένων εἰς τὸν Μόντεον, βιβλίον.
Galeno adſcriptus Libellus de Incantatione, Adjuratione, & Suſpenſione.	Γαληνῷ προσγεγραμμένον βιβλίον περὶ τῆς ἐπῳδῆς, ἐπομώσεως, καὶ ἐπαιωρήσεως.
Galeni de Clyſteribus Liber.	Γαληνοῦ, περὶ τῶν κλυστήρων, βιβλίον.

Secundus Index Operum Galeni, quæ neque Græcè, neque Latinè in Galliam pervenerunt.

De Nominibus, quæ apud Atticos Scriptores ſunt, Libri XLVIII.	Περὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς συγγραφεῦσιν ὀνομάτων, βιβλία μη'.
De Politicis nominibus ad Eupolidem Libri III.	Περὶ τῶν παρ' Εὐπόλιδι πολιτικῶν ὀνομάτων, βιβλία γ'.
De Civilibus nominibus apud Ariſtophanem 5.	Περὶ τῶν παρ' Ἀριστοφάνει πολιτικῶν ὀνομάτων, ε'.
De Civilibus nominibus apud Cratinum, 2.	Περὶ τῶν παρὰ Κρατίνῳ πολιτικῶν ὀνομάτων, β'.
De Propriorum Comicis nominum exemplis, I.	Περὶ παραδειγμάτων τῶν ἰδίων κωμικῶν ὀνομάτων, α'.
An utilis lectio ſit erudiendis vetus Comœdia?	Εἰ χρήσιμον ἀνάγνωσμα τοῖς σολοικίζουσι τῇ φωνῇ ἡ παλαιὰ κωμῳδία.
Ad eos, qui reprehendunt voce ſolœciſſantes 6. In aliis 7.	Πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας τοῖς σολοικίζουσι τῇ φωνῇ ς'. Ἐν ἄλλοις ζ'.
Atticorum inſignis Oratio, 1.	Ἀττικῶν παράσημος λόγος ἕν.
De Perſpicuitate & Obſcuritate.	Περὶ σαφηνείας καὶ ἀσαφείας.
Si quis poſſit eſſe Criticus & Grammaticus? 1.	Εἰ δύναταί τις εἶναι κριτικὸς, καὶ γραμματικός, ἕν.
In librum de Interpretatione Commentarii 3.	Εἰς τὸ περὶ ἑρμηνείας ὑπομνήματα γ'.
In priorum Reſolutionum priorem ultra 6.	Εἰς τὸ προτέρων ἀναλυτικῶν πρότερον περὶ ς'.
In priorum Reſolutionum poſteriorem 5.	Εἰς τὸ προτέρων ἀναλυτικῶν δεύτερον ε'.

In poſteriorum Analyticorum priorem 6.	Εἰς τὸ δευτέρων ἀναλυτικῶν πρότερον ϛ.
In poſteriorem poſteriorum Analyticorum 5.	Εἰς τὸ δευτέρων ἀναλυτικῶν δεύτερον, ε.
In decem Prædicamenta Comment. 4.	Εἰς τὰς ι. κατηγορίας ὑπομνήματα δ'.
In librum Theophraſti de Affirmatione & Negatione, ſex.	Εἰς τὸ περὶ καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως Θεοφράστου ὑπομνήματα ϛ'.
In Librum de eo, quot modis, Commentarii 3.	Εἰς τὸ περὶ του ποσαχῶς ὑπομνήματα γ'.
In primum movens immobile.	Εἰς τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον.
In Librum de dictione Eudemi Commentarii 3.	Εἰς τὸ περὶ λέξεως Εὐδήμου ὑπομνήματα γ'.
De Demonſtrationibus penes propter quid 1.	Περὶ τῶν κατὰ τὸ διότι ἀποδείξεων ἕν.
De Contingentibus propoſitionibus & Syllogiſmis 1.	Περὶ τῶν ἐνδεχομένων προτάσεων, καὶ συλλογισμῶν ἕν.
De Syllogiſmis ex mixtis propoſitionibus 1.	Περὶ τῶν ἐκ μικτῶν προτάσεων συλλογισμῶν ἕν.
De Platonis Secta Liber 1.	Περὶ τῆς Πλάτωνος αἱρέσεως, ἕν.
De Medicè dictis in Platonis Timæo Commentarii 4.	Περὶ τῶν ἐν τῷ Πλάτωνος Τιμαίῳ ἰατρικῶς εἰρημένων ὑπομνήματα δ'.
Ad Socios, ſeu, Plato.	Πρὸς τοὺς ἑταίρους, ἢ Πλάτων.
De propriis opinionibus 3.	Περὶ τῶν ἰδίων δοξάντων, γ'.
De rationali contemplatione ſecundùm Platonem.	Περὶ τῆς κατὰ Πλάτωνα λογικῆς θεωρίας.
Compendii dialogorum Platonicorum 8.	Πλατωνικῶν διαλόγων συνόψεως η'.
De Tranſitionibus in Philebo 1.	Περὶ τῶν Φιλήβῳ μεταβάσεων, ἕν.
De Partibus & Facultatibus animæ 3.	Περὶ τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν καὶ δυνάμεων γ'.
De Moribus 4.	Περὶ ἠθῶν δ'.
Adverſùs Favorinum pro Socrate de indolentia 1.	Πρὸς τὸν Φαβωρῖνον κατὰ Σωκράτους περὶ ἀλυπίας, ἕν.
De Fine ſecundùm Philoſophiam 1.	Περὶ του κατὰ φιλοσοφίαν τέλους, ἕν.
De eorum, qui documenta tradunt auditoribus congreſſu 1.	Περὶ τῆς τῶν ἐπιδεικνυμένων τοὺς ἀκούοντας συνουσίας, ἕν.
De clam legentibus 1.	Περὶ τῶν ἀναγινωσκόντων λάθρα, ἕν.
De peccatorum & pœnæ æqualitate 1.	Περὶ ἁμαρτημάτων καὶ κολάσεως, ἰσότητος, ἕν.
De Conſolatione, unus.	Περὶ παραμυθίας, ἕν.
De Commoratione in aula Menarchi ad Bacchidem & Cyrum, unus.	Περὶ τῆς ἐν αὐλῇ Μενάρχου διατριβῆς. πρὸς Βακχίδην καὶ Κῦρον, ἕν.
De Congreſſu in Dialogis, unus.	Περὶ τῆς ἐν τοῖς διαλόγοις συνουσίας, ἕν.
Ad Forenſes Oratores 1.	Πρὸς τοὺς ἀγοραίους ῥήτορας, ἕν.
De Voluptate & Dolore, unus.	Περὶ ἡδονῆς καὶ πόνου, ἕν.
De Conſentaneis cuique libris 1.	Περὶ τῶν ἀκολούθων ἑκάστου τῶν βιβλίων, ἕν.
De publicè dictis adverſus Sectarios, unus.	Περὶ τῶν δημοσίᾳ ῥηθέντων, πρὸς τοὺς ἀπὸ τῶν αἱρέσεων, ἕν.
De Concordia, unus.	Περὶ ὁμονοίας, ἕν.
De pudore 2.	Περὶ αἰδοῦς β'.
De publicè dictis contra Adulatores 2.	Περὶ τῶν δημοσίᾳ ῥηθέντων κατὰ κολάκων, β'.
De Calumnia, in quo & de Vita ſua.	Περὶ διαβολῆς, ἐν ᾧ καὶ περὶ τοῦ ἰδίου βίου.
Saturnales 7. in uno.	Κρονίσκοι ἢ χρονικοὶ ζ, ἐν ἑνί.
Adverſus Sectarios de publicè dictis coram Pertinace, unus.	Πρὸς τοὺς ἀπὸ τῶν αἱρέσεων περὶ τῶν ἐπὶ Περτίνακος δημοσίᾳ ῥηθέντων, ἕν.
Quatenus parvi ducere oporteat honorem & gloriam apud vulgus.	Μέχρι πόσου, τῆς παρὰ τοῖς πολλοῖς τιμῆς καὶ δόξης φροντιστέον ἐστίν.
De Teſtamentorum factione.	Περὶ διαθηκῶν ποιήσεως.
De rationali ſecundùm Chryſippum contemplatione Comment. 3.	Περὶ τῆς κατὰ Χρύσιππον λογικῆς θεωρίας ὑπομνήματα γ'.
Chryſippi Syllogiſticæ primæ Commentarii 3.	Τῆς Χρυσίππου συλλογιστικῆς πρώτης ὑπομνήματα γ'.
Secundæ unus.	Δευτέρας, ἕν.
De rationali Facultate & Contemplatione 7.	Περὶ τῆς λογικῆς δυνάμεως καὶ θεωρίας ζ'.
De uſu præceptorum ad Syllogiſmos 1.	Περὶ χρείας τῶν τοὺς συλλογισμοὺς θεωρημάτων, ἕν
Quòd geometrica reſolutio præſtantior ſit, quàm Stoïcorum 1.	Ὅτι ἡ γεωμετρικὴ ἀναλυτικὴ ἀμείνων τῆς τῶν Στοϊκῶν, ἕν.
De uſu Præceptorum ad Syllogiſmos 2.	Περὶ χρείας τῶν εἰς τοὺς συλλογισμοὺς θεωρημάτων, β'.
De felici ſecundùm Epicurum & beatâ vitâ 2.	Περὶ του κατ' Ἐπίκουρον εὐδαίμονος, καὶ μακαρίου βίου, β'.
De caduca Voluptate ſecundùm Epicurum 2.	Περὶ τῆς κατ' Ἐπίκουρον ἀμυδρᾶς ἡδονῆς, β'.
Quòd efficientia Voluptatum imperfectè ab Epicuro dicta ſint 1.	Ὅτι τὰ ποιητικὰ τῆς ἡδονῆς, ἐλλιπῶς Ἐπικούρῳ λέλεκται, ἕν.
De Voluptuaria Secta.	Περὶ της ἡδονικῆς αἱρέσεως.
An Philologia utilis ſit ad moralem Philoſophiam 1.	Εἰ ἡ φιλολογία χρήσιμος εἰς τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν, ἕν.
De iis, quæ adverſus Sophiſtas 1.	Περὶ τῶν πρὸς τοὺς σοφιστάς, ἕν.
Metrodori Epiſtola ad Celſum Epicureum.	Μητροδώρου ἐπιστολὴ πρὸς Κέλσον Ἐπικούρειον.
Epiſtola Pudentiani Epicurei.	Ἐπιστολὴ Πουδεντιανοῦ Ἐπικουρείου.
De Demonſtratione, Opus XV. Libris factum.	Περὶ τῆς ἀποδείξεως πραγματεία ἐν ιε βιβλίοις πεποιημένη.
De neceſſariis ad Demonſtrationes 1.	Περὶ τῶν ἀναγκαίων εἰς τὰς ἀποδείξεις, ἕν.
De propoſitionibus prætermiſſis in Tractatione demonſtrationum 1.	Περὶ τῶν παραλειπομένων προτάσεων ἐν τῇ λέξει τῶν ἀποδείξεων, ἕν.
De Æquipollentibus Propoſitionibus 1.	Περὶ τῶν ἰσοδυναμουσῶν προτάσεων, ἕν.

De

De Demonſtrationibus propter quid, unus.
De Syllogiſmorum numero 1.
De Exemplo 2.
De Inductione 1.
De Imagine.
De Similitudine 3.
De Principiis & Suppoſitione 1.
De iis, quæ ſecundùm genus & ſpeciem conjugatis ipſis ſignificatis nobis ſpontanea voce, unus.
De Poſſibili, unus.
De iis, quæ multis modis dicuntur 3.
De Communibus & propriis in artibus 1.
De Orationibus ſe ipſas evertentibus 1.
De Propoſitionibus contingentibus, unus.
De mixtis Propoſitionibus & Syllogiſmis 1.
Quomodo diſcernenda ſit quæſtio rei ab ea, quæ nominis, & ſignificati 1.
De Clitomacho & demonſtrationis ejus ſolutionibus, unus.
De Communi ·· tione 2.
De Uſu Syllogiſmorum.
De Uſu Præceptorum ad Syllogiſmos, unus & duo.
De Nominum rectitudine 3.
De eo, Entium quodque tum unum, tum plura eſſe.
De eo, quod oppoſitis, unum & idem ex neceſſitate conſequens eſſe, impoſſibile ſit 1.
De Demonſtrativa Secta 1.
De rationali altera & Speculatione 1.
Dialogi ad Philoſophum, & ſeorſim de eo, quod ſecundum communes notiones.
Adverſus eos, qui contumelioſè accipiunt nomina 1.
De propriis & communibus in Artibus.
De Artium Conſtitutione 3.
De ſignificatis ex voce, ſpeciei & generis, & ipſis adjacentibus.
Compendium Demonſtrativæ Contemplationis 1.
De Judicio diſcrepantium in decretis.
Quòd à prima ſubſtantia inſeparabilis ſit quantitas.
De Priori.
De demonſtratione per impoſſibile 1.
De iis, quæ ſui gratia fiunt. 1.
De iis, quæ multipliciter dicuntur 2.
De Quæſtione ſecundùm nomen & ſignificatum.
Theodæ Introductionis Commentarii 5.
De Scriptis Menodoti, Severo, 11.
De Libris Serapionis contra Sectas, duo.
De Medica experientia.
De Empiricorum diſſenſione 3.
Contra objecta iis de diſſenſione Empiricorum, & Theodæ ſummarii Commentarii.
In Librum Menodoti Severo.
Exhortatio ad Medicinam.
Synopſis Heraclideorum Librorum.
De Empirica Secta 7.
Methodicæ Sectæ 6.
De Anatomicis Adminiſtrationibus Liber decimus oculorum, linguæ, ſtomachi.
Undecimus partium Laryngis, & Oſſis, Formis, & quæ ipſis continuantur. prætereaque nervorum, qui ad eas perveniunt.
Duodecimus Arteriarum & Venarum.
Decimus tertius Nervorum à cerebro.
Decimus quartus Nervorum à dorſi medulla.
Decimus quintus Genitalium partium.
Epitomes Librorum Anatomicorum 20. Marini, Libri 4.

Περὶ τῆς κατὰ διότι ἀποδείξεων, ἕν.
Περὶ τοῦ τῶν συλλογισμῶν ἀριθμοῦ, ἕν.
Περὶ παραδείγματος, δύο.
Περὶ ἐπαγωγῆς, ἕν.
Περὶ εἰκόνος, ἕν.
Περὶ ὁμοιότητος, γ'.
Περὶ τῶν ἐξ ὑποθέσεων ἀρχῶν, ἕν.
Περὶ τῶν κατὰ τὸ γένος, καὶ τὸ εἶδος καὶ τῶν συζυγούντων αὐτοῖς σημαινομένων ἡμῖν κατὰ τὴν αὐτόματον φωνὴν, ἕν.
Περὶ δυνατοῦ, ἕν.
Περὶ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, γ'.
Περὶ τῶν ἐν ταῖς τέχναις κοινῶν, καὶ ἰδίων, ἕν.
Περὶ τῶν ἑαυτοὺς περιτρεπόντων λόγων, ἕν.
Περὶ τῶν ἐνδεχομένων προτάσεων.
Περὶ τῶν μικτῶν προτάσεων, καὶ συλλογισμῶν, ἕν.
Ὅπως χρὴ διακρίνειν τὴν πραγματικὴν ζήτησιν τῆς κατ' ὄνομα καὶ τὸ σημαινόμενον, ἕν.
Περὶ Κλειτομάχου, καὶ τῶν τῆς ἀποδείξεως αὐτοῦ λύσεων, ἕν.
Περὶ τοῦ κοινοῦ λόγου β'.
Περὶ χρείας συλλογισμῶν.
Περὶ χρείας τῶν εἰς τοὺς συλλογισμοὺς θεωρημάτων, α', καὶ β'.
Περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος, γ'.
Περὶ τοῦ, τῶν ὄντων ἕκαστον, ἕν τε εἶναι καὶ πολλά.
Περὶ τοῦ, ὅτι τοῖς ἀντικειμένοις, ἕν καὶ ταὐτὸν ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθεῖ ἀδύνατόν ἐστιν, ἕν.
Περὶ τῆς ἀποδεικτικῆς αἱρέσεως, ἕν.
Περὶ τῆς λογικῆς δευτέρας καὶ θεωρίας, ἕν.
Διάλογοι πρὸς φιλόσοφον, καὶ ἰδίως περὶ τοῦ κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας.
Πρὸς τοὺς ἐπηρεαστικῶς ἀκούοντας τῶν ὀνομάτων, ἕν.
Περὶ τῶν ἰδίων καὶ κοινῶν ἐν ταῖς τέχναις.
Περὶ τῆς τῶν τεχνῶν συστάσεως, γ'.
Περὶ τῶν σημαινομένων ἐκ τῆς καθ' εἶδος καὶ γένος φωνῆς, καὶ τῶν παρακειμένων αὐτοῖς.
Σύνοψις τῆς ἀποδεικτικῆς θεωρίας, ἕν.
Περὶ κρίσεως τῶν διαφωνούντων ἐν τοῖς δόγμασι.
Ὅτι τῆς πρώτης οὐσίας ἀχώριστος ἡ ποσότης, ἕν.
Περὶ προτέρου.
Περὶ τῆς διὰ ἀδυνάτου ἀποδείξεως, ἕν.
Περὶ τῶν ἕνεκα αὐτοῦ γινομένων, ἕν.
Περὶ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, β'.
Περὶ τῆς κατ' ὄνομα καὶ σημαινόμενον ζητήσεως.
Τῆς Θεοδᾶ εἰσαγωγῆς ὑπομνήματα ε'.
Περὶ τῶν Μηνοδότου, Σεβήρῳ, ἕνδεκα.
Περὶ τῶν Σεραπίωνος πρὸς τὰς αἱρέσεις, δύο.
Περὶ ἰατρικῆς Ἐμπειρίας.
Περὶ τῆς τῶν Ἐμπειρικῶν διαφωνίας, γ'.
Πρὸς τὰ ἀντειρημένα τῆς διαφωνίας τῶν Ἐμπειρικῶν, καὶ τοῦ τε Θεοδᾶ κεφάλαια ὑπομνήματα, γ'.
Εἰς τὸ Μηνοδότου Σεβήρῳ.
Προτρεπτικὸς ἐπὶ ἰατρικήν.
Σύνοψις Ηρακλειδείων βιβλίων.
Περὶ τῆς Ἐμπειρικῆς αἱρέσεως, ζ'.
Μεθοδικῆς αἱρέσεως ς'.
Περὶ τῶν ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων τὸ δέκατον ὀφθαλμῶν, καὶ γλώττης, καὶ στομάχου.
Τὸ δ' ἑνδέκατον, τὸν κατὰ τὴν λάρυγγα καὶ τὸ καλούμενον ὑοειδὲς ὀστοῦν, καὶ τῶν συνεχῶν αὐτοῖς, ἔτι τε τῶν εἰς αὐτὰ παραγινομένων νεύρων.
Τὸ δωδέκατον ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν.
Τὸ τρισκαιδέκατον τῶν ἀπ' ἐγκεφάλου νεύρων.
Τὸ ιδ'. τῶν ἀπὸ νωτιαίου.
Τὸ ιε'. τῶν γεννητικῶν μορίων.
Τὰ ἐπιτομῆς τῶν κ' Μαρίνου βιβλίων ἀνατομικῶν βιβλία δ'.

Epitomes omnium Lyci Anatomicorum Libri 2.
Anatomes Eraſiſtrati Libri tres.
De Aſclepiadæ Placitis 8.
De ſubſtantia animæ ſecundum Aſclepiadem 1.
De continentibus ſeu conjunctis cauſis 1.
Libri operis Archigenis de pulſibus expoſitionem & uſum continentem 8.
In Librum Hippocratis de ulceribus & vulneribus capitis Commentarius 1.
In Librum ſecundum Epidemiorum Hipp. Commentarii 6.
In Epidemiorum ſextum commentarius ſeptimus & octavus.
In Librum Hippocratis de natura hominis Commentarii tres ita inſcripti : Quòd in aliis ſcriptis ſuis videatur Hippocrates eandem habere ſententiam cum eo, de natura hominis.
In primum Eraſiſtrati de Febribus Commentaria 3.
De Voce 4.
Dignotio Affectuum oculi, libellus.
De Medica experientia 1.
De Pulmonis & Thoracis motu tres.
De Diſſectione mortuorum 1.
De Vivorum diſſectione 2.
De Diſſenſione Anatomica.
De Motu Thoracis & Pulmonis 3.
De Purgantium Medicamentorum facultate 1.

Ἐπιτομῆς τῶν Λύκου πάντων ἀνατομικῶν, βιβλία β.
Τὰ περὶ Ἐρασιστράτου ἀνατομῆς βιβλία γ'.
Περὶ τῶν Ἀσκληπιάδου δογμάτων η'.
Περὶ οὐσίας ψυχῆς κατ' Ἀσκληπιάδην, α'.
Περὶ τῶν συνεκτικῶν αἰτιῶν, α'.
Τὰ τῶν Ἀρχιγένους περὶ σφυγμῶν πραγματείας ἐξήγησίν τε καὶ χρῆσιν ἔχοντα, η'.
Εἰς τὸ Ἱπποκράτους περὶ ἑλκῶν, καὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, ὑπόμνημα α'.
Εἰς τὸ δεύτερον τῶν ἐπιδημιῶν ὑπομνήματα ϛ'.
Εἰς τὸ ἕκτον τῶν ἐπιδημιῶν ὑπόμνημα ζ καὶ η'.
Εἰς τὸ βιβλίον Ἱπποκράτους περὶ φύσιος ἀνθρώπου ὑπομνήματα τρία τὴν ἐπιγραφὴν ἔχοντα τήνδε ὅτι καὶ κατὰ τὰ ἄλλα συγγράμματα τὴν αὐτὴν δόξαν ἔχων ὁ Ἱπποκράτης φαίνεται, τῷ κατὰ τὸ τὸν φύσιος ἀνθρώπου.
Εἰς τὸ πρῶτον Ἐρασιστράτου τῶν περὶ πυρετῶν, ὑπομνήματα γ'.
Περὶ φωνῆς δ'.
Ἡ τῶν ἐν ὀφθαλμοῖς παθῶν διάγνωσις, α'.
Περὶ τον ἰατρικῆς ἐμπειρίας α'.
Περὶ τὸν τοῦ πνεύμονος καὶ θώρακος κινήσεως τρία.
Περὶ τεθνεώτων ἀνατομῆς, α'.
Περὶ ζώντων ἀνατομῆς β'.
Περὶ τὸν ἀνατομικῆς διαφωνίας β'.
Περὶ τὸν τοῦ θώρακός τε καὶ πνεύμονος κινήσεως γ'.
Περὶ τὸν τῶν καθαρτικῶν δυνάμεως, α'.

Seorſim extant :

Hippocratis Aphoriſmorum Libros VII. Nicolaus Leonicenus Latinè reddidit, ſimulque Græcè & Latinè edidit. Lugduni, 1668. in 16.

Aphoriſmi Rhythmicè redditi à Petro Berigardo. Utini, apud Nicolaum Schirattum, 1645. in 8.

Aphoriſmorum Libri ſex, Græcè. Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium, 1532. in 16. Græco-Latinè. Pariſiis, apud Jacob. Kerver, 1552. in 8. additis per Johannem Opſopœum, ad calcem, lectionum varietate ac verſione Cornelii Celſi & ibidem, apud Martinum Juvenem, 1555. in 16. Lugd. Bat. ex recognitione Adolphi Vorſtii M. P. apud Elzevirios, 1628. in 32. Apud Johan. Maire, 1633. in 32. Ex interpretatione Anutii Foeſii : quibus acceſſit Methodus, qua Aphoriſmi, in certum ordinem digeſti, & accurate diſpoſiti, exhibentur, à Joh. Erneſto Scheffler. Aphoriſmi Soluti & Metrici, Interprete Johan. Heurnio, metaphraſtis Johan. Frero Medico Poëta, & Rudolpho Wintertono, *Anglis*. Cantabrigiæ, apud Thom. Buck & Roger, Daniel. 1633. in 8. Aureliæ Allobrogum cum Commentariis Pauli Offredi, 1606. in 12. Cum Annotationibus Johannis Manelphi. Romæ, 1623. in 12. Patavii, 1638. cum gemino Indice & Prognoſticorum Libris 3. Genevæ, apud Jacobum Stöer, cum Guilielmi Plantii Latina interpretatione, & Johannis Lygæi luculenta eorundem paraphraſi. Additæ ſunt ad calcem inſigniores aliquot Cornelii Celſi Sententiæ. Ex interpretatione Johannis Ultrajectini. Lugd. Batav. ex officina Plantiniana, 1607. Ex recognitione Adolphi Vorſtii, cum Locis parallelis ex ipſo Hippocrate ut & Celſo petitis, & Indice luculento. Græco-Latinè. Lugdun. Batavorum, apud Gaſbeckios, in 24. Ex interpretatione Johannis Heurnii. Latinè. Jenæ, Lipſiæ & Rudolſtadi, apud Johannem Theodorum, Chriſtophorum & David Fleiſcherum, 1677. in 4. Rudolphopoli, apud Freyſchmidium, 1671. in 48. Ingolſtadii, apud Oſtermayerum, 1680. in 32. Græcè & Latinè, brevi enarratione, fidâque interpretatione ita illuſtrati, ut ab omnibus facilè intelligi poſſint. Cum Hiſtoriis, Obſervationibus, Cautionibus, & Remediis ſelectis, à J. Heurnio. Lugduni Batavorum, apud Raphelengium, 1609. in 4. Ibidem, apud Johannem le Maire, 1623. in 12. Hagæ Comitis, ap. Adrian. Ulacq; 1664. in 12.

Facili methodo digeſti cum ipſo Textu, aliiſque inſuper therapeuticis pro curatione Morborum omnium totius humani corporis. Marpurgi, apud Chemelinum, 1643. in 24. Ibidem 1650. in 12. Gieſſæ, apud Caſparum Vulpium, 1660. in 16.

Illuſtrati operâ Johannis Cunradi Dieterii, Græcè & Latinè. Gies. ex officinâ Chemlinianâ, 1656. in 4. Ulmæ, apud Balthaſar. Künium, 1661. in 4.

Libros VII. Græcè & Latinè edidit Lucas Verhoofd. Lugduni-Batavorum, 1676. in 24.

Commentaria & Controverſiæ in omnes Libros Aphoriſmorum Hippocratis Pauli de Sorbait. Viennæ Auſtriæ, apud Johannem van Ghelen, 1680. in 4.

Coaca Præſagia. Opus planè divinum, & veræ Medicinæ tanquam Theſaurus : Cum Interpretatione & Commentariis Jacobi Hollerii, *Stempani*; nunc primùm Deſiderii Jacotii operâ in lucem editis. Ejuſdem Jacotii Commentariorum ad idem Opus Libri tredecim, tribus Lectionibus diſtincti. In quibus ſymptomatum omnium, quæ in ægris apparent, cauſæ, vires & ſignificationes demonſtrantur. Lugduni, apud Guilielmum Rovillium, 1576. fol. Et ex verſione Anutii Foeſii cum Commentariis Johānis Jonſtoni, Amſtelodami, ex Officinâ Elzevirianâ, 1660. in 12.

Aphoriſmi Hippocratis, ſeu, Prænotiones, Coacæ, & Prædictiones, ſecundum propriam morborum omnium Nomenclaturam, Alphabetico digeſti ordine. Pariſiis, apud Andr. Saubron, 1638. in 16.

Epiſtolæ, Græcè. Venetiis, apud Aldum, 1499. in 4. Cum aliorum Epiſt. Græco-Latinè. Francof. ap. Commelinum, 1609. in 8. cum aliorum Epiſt. Ibidem per Eilhardum Lubinum editis.

Prognoſticorum

Prognoſticorum Libri tres. Latinè. Vincentiæ, apud Franc. Lenium, 1611. in 24. Pariſiis, apud Jacobum Bogardum; 1543. Guilielmo Copo interprete. Eodem interprete, Lugduni, 1552. in 12.

De Purgatoriis Medicamentis Libellus perutilis & deſideratus, à Junio Paulo Craſſo Latinitate donatus. Extat cum Theophilo Protoſpatario de corporis humani fabrica, edito Venetiis, apud Octavianum Scotum, 1536. in 8. pag. 111.

De Medicorum Aſtrologia Libellus: à Petro de Abbano in Latinum traductus. Venetiis, apud Erhardum Ratdolt de Auguſta, 1485. in 4.

De Salubri Diæta. Extat cum Schola Salernitana. Francof. 1612. in 12.

Epiſtolæ duæ de tuenda Valetudine. Extant cum Medicis antiquis in limine Marcelli Empirici, Venetiis, apud Aldum, 1547. in fol. p. 84. 85.

De Aquarum omnium natura Excerpta. Extant pag. 439. Operis Veneti de Balneis.

De Febribus Liber ex Comment. Johan. Marinelli in Lib. Hipp. Extat Operis Veneti de Febribus p. 1.

De Natura Hominis Lib. Lugd. Batav. 1627. in 8.

HIRE (*Philippus de la*)

De eô ſic in Actis Lipſienſibus Annô 1714. *pag.* 194.

Memoratû dignus eſt caſus, quem *Philippus de la Hire* refert. Cùm ſcilicèt Piſtor quidam Carnuti prunas, ex clibanô in cellam profundam & fornicatam deportaſſet, filius ejus, homo robuſtus, aliàs deportaturus vix per ſcalam deſcenderit, cùm magno clamore aliorum auxilium imploraret. Ipſo tamen mox ſilente, nec redeunte, frater ejus deſcendit ſimili prorſùs fato, quod etiam mater, ancilla, homo quidam vicinus, alius peregrinus, ruſticusque piſtori amicus experti. Prohibuit itaque magiſtratus, ne quis ampliùs in cellam deſcenderet, antequam medici, chirurgi ac fabri murarii in cauſam inquiſiviſſent. Hi adeò judicantes, à prunis non ſatis extinctis ob abundantiam ſalis petræ in cellis Carnutenſibus excitatum fuiſſe vaporem malignum, magnam aquæ quantitatem in cellam effundi curarunt, quô factô poſt aliquot dies ſecurè rurſùs in eam deſcendere licuit. Cùm cadavera mortua ex aquâ extraherentur, adeò corrupta apparebant, ut ea ſecare non liceret. Ruſticus ſtatim extrahebatur, ex quô mortuus fuerat, & cadaver aperiebatur. Erat autem cerebrum exſiccatum, meninges extraordinariô modô tenſæ, pulmones maculis nigris conſperſi, inteſtina valdè inflata, & inſtar ſanguinis rubra, muſculi denique brachiorum, coxendicum, & crurum à reliquâ ſubſtantiâ quaſi ſeparati.

HISPALENSIS (*Rodogerus*)

Geberis Arabis Librum Fornacum interpretatus eſt.

HISPANUS (*Petrus*) Portugalenſis (Hic poſteà ex Epiſcopô Tuſculanô factus eſt Papa Johannes XXI.)

De eô extant

Commentarii in Iſaacum de Diætis univerſalibus & particularibus; & in ejuſdem Iſaaci de Urinis, Commentarii; Extant cum Operibus Iſaaci. Lugduni apud Barthol. Trot; 1515. in fol.

Theſaurus Pauperum; ſeu de medendis humani corporis Morbis per experimenta euporiſta ſimplicia & particularia, Liber empiricus; ex omni genere Auctorum, & experientiâ propriâ congeſtus. Lugd. apud Jacobum Myt, 1525. cum Practicâ Joh. Serapionis. Pariſiis; apud Jacobum du Puys, 1577. in 16. cum Theſaurô ſanitatis Johannis Liebaultii, qui eum alterâ parte ferè auxit. Francof. apud Hæredes Chriſtophori Egenolphi, 1576. in 8. Hanc editionem Guilielmus Adolphus Scribonius, Marpurgenſis, multis in locis caſtigatam edidit.

HITZLERUS (*Georgius*)

Ex eô habetur

Oratio de Vitâ & Morte Cl. Philoſ. & Med. Leonhardi Fuchſii, Artis Medendi in Academiâ Tubingenſi Profeſſoris eximii, Tubingæ, 1566. in 4. & Tomô I. Operum Fuchſii, Francof. apud Wechelum, 1566. in fol. editorum.

HOBOKENUS (*Nicolaus*) Ultrajectini L. A. M. Phil. & Med. D. & in Acad. Hardervic. Med. Ordin. ac Matheſ. Extraord. Prof.

De eo extant

Conradi Redekeri brevis Deſcriptio initio Julii Anni 1666. detecti ſaluberrimi Bifeldiani Fontis, & uſus ejuſdem ſuccinctis ſelectioribus Senatorum exemplis, quam Latinitate reddidit, & nonnullis Animadverſionibus auxit. Amſtelodami, apud Johannem Janſonium à Waeſberge, 1668. in 8.

De ſede Animæ, ſeu Mentis humanæ in corpore humanô, Exercitatio bipartita. Quâ genuina conjunctionis humanæ Animæ cum corpore humanô ratio perſpicuè traditur. Arnhemiæ, apud Johan. Fridericum Hagium, 1668. in 12.

Oratio de obſervatô hodiè circa Medicinam abuſû & inordinatione, & de Doctoribus promotis propriô Medicinæ faciendæ & Conſiliorum dandorum jure. Ultrajecti, apud Henricum Verſteegh, 1668. in 4.

Anatomia ſecundinæ humanæ, quindecim figuris ad vivum propriâ Authoris manû delineatis illuſtrata. Cum annexô Spicilegiô Epiſtolarum, rem potiſſimùm generatoriam referentium. Trajecti ad Rhenum, apud Johannem Ribbium; 1669. in 8. Ibidem, 1672. in 8.

Cognitio Phyſiologica Medica, accuratiſſimâ & clariſſimâ methodô tradita. Quâ humani corporis ſanitas & quæ eam ſignificant imprimis ac probant, hominis actiones omni numerô abſolutæ, clarè & diſtinctè explicantur. Præfigitur ejuſdem Authoris Oratio de Medicorum Nobilitate. Ultrajecti, apud Henric. Verſteegh, 1670. in 4. Ibidem, apud Johannem Van de Water, 1685. in 4. Huic poſtremæ Editioni acceſſerunt Tabulæ Synopticæ hanc ipſam Cognitionem Medicam Phyſiologicam diſtinctiſſimè delineantes.

Anatomia ſecundinæ humanæ repetita, aucta, roborata, & quadraginta quatuor figuris, propriâ Authoris manû delineatis, inſuper illuſtrata, quæ præter noviſſimè obſervatam naturam ac conſtitutionem univerſæ ſecundinæ illius, ac partium ſingularum uſum quoque & utilitatem docet. Præmittuntur Litteræ D. Henrici Eyſſonii cum Autho-

Authoris Reſponſionibus. Ibid. apud Joh. Ribbium, 1675. in 8.

Anatomia ſecundinæ Vitulinæ, triginta octo Figuris, propriâ Authoris manû delineatis, illuſtrata; quæ præter obſervatam naturam & conſtitutionem univerſæ ſecundinæ illius ac partium ſingularum uſum quoque & utilitatem docet. Præmittuntur Litteræ Thomæ Bartholini, cum Authoris ad eundem Reſponſionibus. Ultrajecti, apud Johan. Ribbium, 1675. in 8.

HODGES (*Nathanael*) Med. Doct. & Colleg. Medic. Collega.

De eô habetur in Actis Lipſienſibus Annô 1721. *p.* 414.

Loimologia, ſeu Relatio Hiſtorica Peſtis Londinenſis Anni 1665. *Accedit Tentamen de diverſis cauſis peſtis & contagii natura, Authore Johanne Quincy, M. D. Londini, apud E. Bell & I. Oſborn,* 1720. 8.

QUantô elogiô celebranda ſit Hodgeſii Loimologia, neminem latet, cùm ante quinquaginta annos jam edita in omnium ferè verſetur manibus. Haud igitur opus eſt, multa de eâ nunc dicere. Quod verò D. Quincy Tentamen attinet, diverſas hîc allegat cauſas peſtis, ab Authoribus hinc inde commemoratas. Sunt enim, qui immediatam vim ſupernaturalem, iramque Dei, pro origine ejus adducunt, cùm alii in cauſas naturales inquirant, quæ diverſiſſimæ annotantur. Quidam enim accuſant influentias ſiderum, malignaſque corporum cœleſtium conjunctiones & irradiationes; quæ tamen in nos, niſi tempeſtates anni immutando, aërique diverſas conſtitutiones impertiendo, non operantur. Deſcribuntur etiam peſtes à vaporibus & exhalationibus corporum putrefactorum, aquarum ſtagnantium, effluviis cryptarum puteorumque apertorum malignis, aliæ à pravâ aëris conſtitutione ratione qualitatum primarum, aliæ denique à contagiô ortæ. Hujus igitur rei naturam explicaturus Autor Clariſſimus, dicit, febrem, ex errore quodam circa res non- naturales commiſſo excitatam, ſi ad ſummum malignitatis gradum pervenerit, uſque adeò alterare humores, ut quædam eorum particulæ venenoſæ evadant, aptæque, quæ ſimilem motum fermentatorium excitent in homine, cui fuêre communicatæ, etiamſi hic ejusmodi errorem non commiſerit. Cujus verò naturæ particulæ hæ venenatæ ſint, meliùs cognoſci haud poteſt, quàm ſi ad modum, quô producuntur illæ, attendamus. Supponit itàque Autor, quodvis corpus animatum ſal aliquod in majori minorive quantitate generare, ſeu rectiùs, pro diverſô virtutis digeſtricis robore particulas ſalinas ex alimentis acceptas plus minùs ſubtiliſare, cum quibus in ſtatû naturali ſulphur quoddam ſeu oleum admodùm ſubtile combinetur pro functionibus in œconomiâ animali commodè præſtandis, perque hanc modificationem principium vitalitatis exſurgere. Quotiescunque igitur in febribus humores ſummoperè agitantur, & coagulantur, unio talis aliquatenùs diſſolvitur, humidis & oleoſis particulis exhalantibus, rigidis verò ſalinisque in corpore relictis, quæ tantùm abeſt, ut lubricent, & humectent fibras elaſticas, quas tranſcurrunt, ut ſua acrimonia, ſuisque ſpiculis eaſdem potiùs ſtimulent, contrahant, indurent, motûque privent. Particulæ autem hæ acres per motum volatiliſatæ, ſub inſenſibili tranſpiratione exhalantes, hominibusque communicatæ, cùm ſibi ſimilibus particulis conjunguntur, ac eandem in novis hiſce ſubjectis ludunt tragœdiam, imò aëri admiſcentur, ſicque vera conſtituunt miaſmata contagioſa, quæ comitantur, propagant & continuant peſtem; etiamſi cauſa primaria dudum exſpiraverit. Sic bubones & carbunculi nihil aliud ſunt, quàm particularum collectiones ſeu coaleſcentiæ, ſub ejuſmodi motû irregulari formatæ, à circulationis legibus exemtæ, &, quoniam ad laudabilem frugem converti nequeunt, ad habitum depoſitæ, quarum materia, quoniam de eâdem participat ſubtili & fermentante naturâ, easdem movet turbas in humoribus aliorum hominum, quibus fuit communicata. Ex hâc hypotheſi fluit etiam præſervationis & curationis ratio. Antidota enim, quo pluribus aromaticis, volatilibus particulis conſtant, eò plus ſpiritibus animalibus naturalis ſubminiſtrant pabuli, corpusque totum ſubtili inficiunt oleô; quale encomium ſal volatile oleoſum benè præparatum meretur. Fœtida ſi quid præſtant, id in eo conſiſtit; quod aliquid corpori ſuppeditent, quo ſpiritus in debita ſua mixtura conſerventur, atque ſeparatio illa fatalis humidarum à ſalinis particulis impediatur; hinc pauperibus oleum Terebinthinæ non parùm conducet. Ad diſſipandum deſtruendumque vapores peſtilentiales non damnat Author luculentos ignes, jubet interim, ut paretur ex rebus nitroſis, e. g. lithantracibus, & accedantur in locis à domibus, quas incolæ inhabitant, paulò remotis. Admittit etiam ſuffimigia, e. g. ex aromatibus & reſinis, ſtorace, benzoe, thure, pice, &c. paranda, ut pote quæ ſpicula venenoſa in aëre fluctuantia non ſolùm inviſcant, ſed & ſpiritibus animalibus per os & poros mixta à contagiô præſervant. Ut aër ſtagnans in motum deducatur, non opus quidem eſſe judicat, ut tormenta exonerentur, ſufficere ratus, ſi pulveris pyrii una aut aliquot drachmæ ſupra laminam ferream à ſuppoſitô igne in auram dejiciantur. Frequentiorem denique camphoræ uſum tàm pro ſcopô præſervatoriô quàm curatoriô commendat.

HOECKELIUS à Steineck (*Henr. Chriſtophorus*) vide HECKELIUS.

HOECHSTETTERUS vid. HECHSTETTERUS.

HOECK de Brackenau (*Wendelinus*) Tractatum edidit de curandis ulceribus, Morbum Gallicum ut plurimùm conſequentibus; Unde etiam integrum ſcripſit tractatum de mentagra, ſeu de cauſis, præſervativis, regimine & curâ Morbi Gallici. *Goëlicke Hiſt. Chir. p.* 137.

De eô extat in Lindeniô Renovatô.

Mentagra, ſive, Tractatus de cauſis, præſervativis, regimine, & curâ Morbi Gallici, vulgò *Malo Franceſe.* Item Tractatus, de Curandis Ulceribus Morbum hunc utplurimum conſequentibus. Venetiis, apud Octavianum, 1502. Argentorati, apud Henr. Sybold. 1614. in 4. & Tomô I. Operis de Morbô Gallicô, pag. 268.

HOEFFERUS (*Wolfgangus*) Philoſ. & Med. Doctor. S. Cæſ. Majeſt. Aulæ Medicus.

Ex eô habentur

Herculis Medici, ſive Locorum communium Medicorum Tomus primus. Authoris ſumptibus, Viennæ Auſtriæ, apud Joh. Jacobum Kurner;

ner, Inferioris Auſtriæ Typographum, 1657. in 4.

Hercules Medicus, reviſus, interpolatus, ex Helmontiô & aliis Authoribus auctus, atque ad opera Horſtii Noribergenſia accommodatus, 1664. in 12.

Hercules Medicus, ſive, Locorum communium Liber. In quô plerorumque humani corporis affectuum curationes attinguntur, & quicquid in iis vel Theoreticô, vel Practicô conſideratione dignum, compendioſè pertractatur, ex probatiſſimis Autoribus, laborioſô ſtudiô collectus, propriiſque obſervationibus & experientiâ confirmatus & illuſtratus; Nunc denuò Autoris autographô recognitus, locisque innumeris auctus, necnon conſiliis aliquot, ac, ſub finem annexâ etiam ipſi olim medicationum familiarium farragine, locupletatus. Noribergæ, apud Michael. & Joh. Frideric. Endteros, 1665. in fol. & 1675. in 4.

HOENN (*Joh. Cornelius*) Noribergenſis Phyſicus.

Ex eô habetur

Obſervatio, de Virgine à mal ignô morbô interfectâ, cum graviſſimis poſt obitum ſymptomatibus. Extat Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Decur. II. Ann. I. N. 176.

HOESCHELIUS (*David*) Auguſtanus

Hermetis Triſmegiſti Jatromathematicam, cum notis, auctam & emendatiorem edidit.

HOFFMANNUS (*Caſparus*) Med. Elector. Brandeburg.

Ex eô habentur

De Thermis Hirsbergenſibus, Liber. Extat cum Conſiliis & Epiſtolis Medicinalibus, a Laurentiô Scholziô collectis & editis. Vid. Laurent. *Scholzius.*

Conſilia & Epiſtolæ Medicæ. Extant ibidem. Vid. eundem.

HOFFMANNUS (*Caſparus,*) alius.

Programma in Funere Nobilis, Excellentiſſ. & Experientiſſ. Viri, Dn. Caſpari Hoffmanni, Medic. Doct. & Profeſſor. Publici, ac in ſuâ Facult. Senior. meritiſſ. &c.

Rector Univerſitatis Althorph. Georgius König. S. S. Theol. Doctor & P. P. &c.

Civibus Academicis S. D.

QUi vitam humanam fabulæ comparârunt, ſive ea Comœdia ſit, ſive Tragœdia, ſive, ut Plautus loquitur, Tragicomœdia, appoſitè, imò rectiùs dixiſſe quàm ſenſiſſe videri poſſunt. Reſpexerunt enim, ut conjicere licet, ad ludos tantùm, & ludibria Fortunæ, quæ ut in Scenâ oculos ſpectatorum tenent, ita in hâc vitæ humanæ orcheſtrâ animos hominum non tam capiunt, quàm turbant, tangunt, cruciant, intentos ad eventum, multùm plerumque diverſum ab eô quem ſperârant. Verùm enim verò qui nihil hîc niſi fabulam videt, nihil videt. Ut enim in Comœdiis, qui vulgô ſagaciores ſunt, non tam ad id quod agitur, quàm ad ſolertiam Poëtæ, & dexteritatem ludentium reſpiciunt, hæc ſi laudabiliter ſeſe habent plauſu digna præ aliis judicant: ita in his vitæ noſtræ viciſſitudinibus is demum aliquid videt, qui poſt aulæa latentem ſummi Choragi *Providentiam* agnoſcit. Se verò non otioſum ſpectatorem, ſed vel medium in choro recordatur, cui unicè hoc debeat eſſe curæ, ut perſonam ſibi impoſitam rectè gerat, cura de eventu ante diem ventis commiſsâ. Tali tabellâ vitæ Humanæ exemplar exhibere, hoc potiſſimum tempore, quo juſta funebria ſolvenda ſunt *Viro Nobili, Clariſſimo, Experientiſſimo & Excellentiſſimo* Dn. Caſparo Hoffmanno, *Medicinæ Doctori ac Profeſſori Publico, & in ſua facultate Seniori meritiſſimo*; Religio nobis fuiſſet, prohibitis gravitate Viri, omni Scenâ ſuperiore, niſi & alii Magni & Graves Viri, inter quos etiam fuit *Auguſtus Imperator*, tùm ſuam tùm aliorum vitam eodem penicillo depinxiſſent: & ſingularis in curſu hujus NOSTRI gubernando DEI Providentia ſpectatum nos, tanquam in Theatrum, Tragicum, ſi Honeſtatem, Comicum verò, ſi beatam Cataſtrophen reſpicias, vel invitos deduxiſſet.

Natus eſt Vir laudatiſſimus *Gothæ Türingiæ*, A. C. cIɔ Icɔ LXXII. Ad V. Idus Nov. Hora IV. A. M. *Patre Viro Integerrimo* Johanne Hoffmanno *cive Gothano*, *Matre* verò *Matrona Honeſta* Anna Leuffera. Suſceptorem è S. S. Baptiſmatis lavacro habuit *Virum* itidem *Honoratum* Caſparum Munckium *Civem Gothanum.* Sed ecce tibi protaſin ejus quam diximus Comœdiæ, iis qui fortunam habere videntur iniquiorem, apprimè notabilem. Deus Pater pupillorum, ut vices parentis ipſe ſuſtineret, & quod ſuſtineat, tantò clarius oſtenderet, Patre ipſum primo ſtatim ætatis anno privavit. Orbum Patre *Avus Maternus Johannes Leuffer* pro filio educatum, & diſciplinâ domeſticâ ad omnia honeſta inſtitutum, *Scholæ* ibidem oppidanæ *Sexennum* admovit, ubi in annum uſque ætatis decimum nonum commoratus, in *Academiam Lipſienſem* de conſilio Scholæ Gothanæ Rectoris *Dn. M. Johannis Helderi*, & cum ejuſdem commendatitiis ad *Virum Clariſſimum* Dn. Matthæum Dreſſerum *Hiſtoriarum Profeſſorem* ſeſe contulit. Minus favente uti videbatur fortunâ huic conatui. Subſidiis quippe vitæ admodum exiguis, adverſa inſuper valetudine, ex conſtitutione loci, Naturæ ipſius minùs conveniente, afflicto. Poſt ſemeſtre igitur ægrè ibi peractum domum rediit, ubi per totam Hiemem Anni cIɔ Iɔ XCI. malè habens, adeò ut *Hydrops* etiam inſultum meditaretur, eò cum ſuis redactus eſt, ut quamvis reſtitutâ valetudine de abrumpendis tamen literarum ſtudiis cogitaret. Sed hîc apparuit, non humanis, ſed *Dei* Sapientiſſ. conſiliis geſtum eſſe, quod hactenus geſtum eſſet, prævidentis jam tunc, quanto bono carendum eſſet Reip. literariæ, ſi hoc Viro deſtitueretur. Venit in ipſius patriam præter opinionem Vere ſequentis A. cIɔ Iɔ XCII. Argent. Studioſus per-eruditus, nomine *Phil. Waldecker*, mirè prædicans *Univerſit. Argentinæ* tùm in ſeipsâ, pro tenuioris fortunæ Studioſis commoditatem, tùm verò Profeſſorum illius loci erga tales Humanitatem & ad inopiam illorum ſublevandam promptitudinem. Movit ea res tùm ipſum, tùm cognatos, & potiſſimùm Avum Maternum, ut ipſi eo proficiſcendi, viatico ſimul ſuppeditato, Autor fieret. Cui obſecutus, *Pædagogiis* in illa Academia *privatis* vitam ita, ut in hoc vitæ genere neceſſe eſt, tenuiter ſcilicet ſuſtentavit. De curſu tamen Studiorum tantò minùs interim remittens, quantò magis ſtimulaſſe ipſum conſentaneum erat Virgilianum illud:

- - - - - labor omnia vincit

Improbus & duris urgens in rebus egeſtas.

Biennio ibi exacto de promotorum ſententia *Noribergam* venit. Ubi iterum pro ipſo vigilans Divi-

Divina Providentia Fautorem ipſi ſingularem dedit *Virum Præſtantiſſ. atque Literatiſſ. Dn.* Matthiam Schilherum, *Inclytæ Reip. Norib. Proto-Notarium*, qui ejus virtutum apud Viros Reip. Primar. laudator, effecit, ut *Menſe Aug. Anni* cIↄIↄ XCV. cum Stipendio & *Diſcipulis privatis* ad nos *Altdorphium* mitteretur, ubi ſeptennium ita peregit, ut ſibi ſimul & concreditis fidei ipſius laudabiliter prodeſſet. Docentes audivit celeberrimos illius temporis Profeſſores, nominatim *Viros Clariſſ. atque Excellentiſſimos Dn.* Nicol. Taurellum, & Dn. Phil. Scherbium, *Med. Doctores*: quorum famam & celebritatem nominis beati cineres nec hodie ſpirare deſinunt. Ita denique ſeſe geſſit, ut cum ſuorum Præceptorum omniumque bonorum favore *Stipendium* etiam *Medic. Studioſis deſtinatum*, cum quo *in Italiam* proficiſceretur, impetraret. Declaravit autem ipſo facto in illo Eruditionis & Peritiæ mercatu, quàm ſciret foro uti; quippe qui & *Paduæ* nihil prætermitteret, quod ad locupletandum Studii Medici theſaurum facere videretur, & cum *triennio* ibi exacto reditum in patriam meditaretur, *alia* priùs etiam *Italiæ loca* rerum conſpiciendarum monumentis clara, ſibi contemplanda duxerit. Qua ratione præter aliorum multorum cognitionem *Italicæ* etiam *linguæ* expeditè eloquendæ dexteritatem ſibi comparavit. Autumno An. cIↄ Iↄc V. *Baſileam* venit, *Rect. Manif.* Felice Platero *Archiatro*, *Decano* verò in eadem Facultate *Spectatiſſ.* Petro Riſio *Mathem.* Ubi memor illius Horatiani

Parùm ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Doctoris gradum petiit, & pro ſua eruditione aliiſque ingenii morumque dotibus eâ cum laude impetravit, ut IV. Idus Dec. *primo loco inter quatuor Candidatos Doctor Medic.* ſolenniter renunciaretur. Hiſce adeò opibus apud exteros ſibi comparatis, Noribergam rediit circa Paſcha A. cIↄ Iↄc VI. cumque poſteà *Autumno ejuſdem*, *Peſtis* in hanc urbem & ipſam etiam Academiam noſtram graſſaretur, relato cum aliis in cenſum Libitinæ Dn. *Nicolao Taurello* ſuprà laudato, *à Nobiliſſimis atque Prudentiſſimis Inclytæ Reip. Noribergenſis Proceribus* nominatim tùm *Scholarchis*, *tùm Provinciarum Curatoribus, Dominis*, *Nutritiis ac Mœcenat. noſtris benigniſſimis*, *Medicus* eſt conſtitutus *peſte infectorum.* Quod iterum documentum ſingulare divinæ non modò directionis, ſed & proteſtationis & promotionis. Officio enim illo difficili & ſollicitudinis ac periculi pleniſſimo. cùm eſſet ita perfunctus, ut ejus benevolentiam & dexteritatem experirentur plurimi, omnes verò boni celebrarent; Humanitatis ſuæ putabant qui tunc erant Profeſſores, non modò complecti Virum omnium favore digniſſimum, ſed etiam ad *Nobiliſſimos atque Ampliſſimos Univerſit. Curatores* commendare, tanquam dignum, qui in locum Dn. *D. Taurelli* piè, ut diximus, defuncti, *Medicæ Facult. Profeſſor* conſtitueretur. Hanc ſpartam nactus, promiſſam Menſe Febr. Anni cIↄ Iↄc VII. *ſolennibus* autem *Petro-Paulinis* Publica ipſorum Nobiliſſimorum Dominorum Scholarcharum renunciatione ſibi commiſſam, *Conjugio* etiam ornandam duxit. Ducta *Honeſtiſſima Virgine*, nunc *Vidua mœſtiſſima* Maria Magdalena, *Viri Conſultiſſ. atque Clariſſ.* Dn. Johan. Buſenreuth, *Inclytæ Reip. Norib. Conſil. Primique in Facult. Philoſophica apud nos Decani, &* Mariæ *è Nobiliſſ. Führerorum* Familia oriundæ *Filiâ*, celebratis hic. *Altdorphii Nuptiis* IV. Idus Novembris An. C. cIↄ Iↄc VII. prolem è conjugio ſuſcepit ſequioris quidem tantùm ſexus, ſed virtute nulli ſecundam: *ſex* nimirum *filias*. Ex quibus duæ, *Anna Sibylla* & altera *Sabina* *nupſerunt Viris Clariſſimis atque Excellentiſſimis Medicinæ Doctoribus. Illa* Dn. Chriſtophoro Kern, *Medico Gothano*, ad Vitam meliorem ante paucos Annos cum ipsâ Conjuge tranſlato: *Hæc* Dn. Andreæ Lauxio, *inclytæ Reip. Noribergenſis Phyſ. Ordin.* piè & ipſi defuncto, viduâ tamen, & duabus, in ſpem creſcentis ſolatii filiabus vivis adhuc per *Dei* gratiam relictis. Cæteræ partim infantes, partim plenis quidem Annis nubiles, innuptæ tamen deceſſerunt. Ut omnibus quæ à Profeſſore requiruntur officii partibus in Annum uſque Quadrageſimum & primum; ita nominatim *Rectoris* munere *quater*, *Decani* in ſua Facultate à promulgatis Novis Academiæ in Univerſitatem elevatæ legibus *quinquies* cum laude perfunctus eſt. *Lectionum* verò, aliarumque cedro dignarum & Exteris dudùm celebratarum *lucubrationum*, & inter has Medicorum Principis *Galeni* enucleationum operas ut fama illuſtris dudum loquitur, ita poſteritas, niſi ingratiſſima ſit, nunquam conticeſcet. Ingraveſcente ſenectute, cùm vires inciperent decreſcere, aſſiduitas tamen in docendo nequaquam decrevit. *Manebit*, inquiebat, *verum* Prophetæ illud: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.* Cùm in publicum prodire non poſſet, domum ſuam auditores invitabat & comparentes fideliter docebat. Invaleſcente tandem & vires planè proſternente, lecto tandem ipſum defigente, *ſenectutis* quæ ipſa *morbus* eſt, ἀδυναμίᾳ, quod factum eſt VIII. Idus Oct. cum brevi ſibi migrandum intelligeret, de Viatico Cœleſti ante omnia ſibi proſpexit. S. S. *Cœnâ* poſtridie debita cum devot. uſurpatâ, quod vitæ adhuc erat reliquum, in eo ſpe & patientiâ plenus devotiſſ. ad fata ſua obſequium piis precibus aliiſque indiciis Chriſtiano homine dignis *Deo* declaravit & comprobavit. Donec tandem III. Non. Nov. *dimidiâ circiter primâ poſt merid. Spiritum* Deo *redderet.* cum pridie veſperi Uxori chariſſimæ, Filiæ & Neptibus ſuaviſſimis *extremum vale* dixiſſet, & de paterna *Dei* miſericordis ope, optimè ipſas, & *Dei* verbo, & ſuo ipſius exemplo doctas ſperare juſſiſſet. Atque hic eſt, Cives Academici cui contigit, quod paucis contingere ajunt Sapientes, ut *& diu* pro hodierna hominum ætate *& benè*, imò quod adhuc paucioribus *& ſibi & aliis* vixerit ſibi vixit, qui ita vixit, ut deinceps in æternum vivat, aliis vixit, qui plurimis profuit, imò pluribus adhuc, dum monumenta ipſius extabunt, proderit.

Prolixius jam Vos ad *cohoneſtandas* Exequias hortari, Cives Academici, ſuadet ſanè ſanctè defuncti dignitas & merita; diſſuadet contrà pleniſſima de Veſtra pietate & in præceptorum gratitudine, fiducia. Quod virtutes hæ vos jubent, facite. Ita funus frequentiâ veſtrâ, ritè & ut vos decet decoratum fore confidimus. Valete P. P. VII. Id. Novembr. A. Æ. C. cIↄ Iↄc XLIIX.

In Effigiem Celeberrimi Medici, Caſparis Hofmanni.

Hortorum Vitas qui in floribus excolit, Hofman *Dicitur, & Medici quid magis ornat opus?*

Ex eo habentur in Linden. Renovatô,

Philippi Scherbii Theſes Medicæ quas collegit & edidit

& edidit Lipſiæ, apud Johannem Bernerum & Eliam Rehefeldium, 1614. in 8.

De Thorace, ejuſque partibus, commentarius tripartitus. In quô diſcutiuntur præcipuè ea, quæ inter Ariſtotelem & Galenum controverſa ſunt. Francof. apud Aubrios, 1627 in fol.

De Uſû cerebri, ſecundùm Ariſtotelem, Diatriba. Lipſiæ, apud Eliam Rehefeldium, 1619. in 8.

De Uſû lienis ſecundùm Ariſtotelem, Liber ſingularis. Lipſiæ, apud Johannem Bernerum, 1615. in 8.

De Ichoribus, & in quibus illi apparent, affectibus, Collectanea. Lipſiæ, apud Eliam Rehefeldium, 1617. in 8. Hi tres Tractatus de uſû Lienis, de uſû Cerebri, & de Ichoribus, ſimùl poſteà editi ſunt Leidæ apud Franciſcum Hegerum & Hackium, 1639. in 12. Amſtelodami 1659. in 12. Francofurti, apud Thomam Matthiam Gotzium, 1664. in 12. Lipſiæ apud Ohrlingium, 1682. 12.

Commentarii in Galeni, de uſu partium corporis humani Lib. 17. cum variis Lectionibus in utrumque codicem, Græcum, & Latinum. Francof. apud Dan. & David. Aubrios, 1625. in fol.

Apologia Apologiæ, pro Germanis contra Galenum, quâ ſimùl ventilatur nobilis illa Quæſtio: Quibus in morbis, venæſectio purgationi ſit præferenda? Unà cum Inauguratione ſolenni in Promotione Dn. Caſpar. Hornii, *Dreſd.* habitâ Idibus Februarii, 1626. Ambergæ, apud Johannem Ruffium, anno dictô, in 4.

De Generatione Hominis, Libri quatuor, contra Mundinum Mundinium. Adjectâ ſententiâ ejuſdem de Formarum origine, ſecundùm Ariſtotelem. Francof. apud Clementem Schleichium, & Petrum de Zetter, 1629. in fol.

De locis affectis, Libri tres. His præmiſimus ſeptenarium Controverſiarum hùc facientium. Noribergæ, apud Wolfg. Endterum, 1642. in 12.

Relatio Hiſtorica Judicii acti in Campis Elyſiis coram Rhadamanto, contra Galenum, cum approbatione Apollinis in Parnaſſô, communicata per Mercurium. Noribergæ, apud Wolfg. Endterum, 1642. in 12.

Animadverſiones in Com. Montani Libros quinque de Morbis & Thomæ Eraſti Anatomen eorundem, necnon Ant-Eraſtica ejuſdem Montani. Cum Auctariô de Cauſâ continente. Amſtelodami, apud Joh. Janſſonium, 1641. in 12.

Inſtitutionum Medicarum, Lib. VI. Lugduni, apud Johannem Antonium Huguetan, 1645. in 4.

Inſtitutionum ſuarum Medicarum Epitome in ſex Libros digeſta. Ex ipſius Autoris autographô primùm edita, Pariſiis, apud Caſp. Meturas, 1648. in 12. Francofurti, 1670. in 12. Heidelbergæ, apud Johan. Petrum Zubrodt, 1672. in 12.

Rejectanea Pathologica, quâ de Morbis formæ & materiæ, à Ferneliô, Argenteriôque per ſomnum viſis. Helmæſtadii, apud Jeremiam Rixnerum, 1639. in 8. Extat etiam cum illô tractatû quem Autor inſcripſit; Pro veritate. Lutetiæ Pariſiorum, apud Caſparum Meturas, 1647. in 4.

Notæ perpetuæ in Cl. Galeni, de Oſſibus ad Tirones, Librum. Francofurti ad Mœnum, apud Clementem Schleichium, & Petrum de Zetter, 1629. in fol.

Pathologia in parva, quâ methodus Galeni Practica explicatur, quam olim Franciſcus Friſimelica promiſerat. Jenæ, apud Johannem Reifſenbergerum, 1640. in 8. Francofurti, 1664. in 12. Extat etiam cum illô Tractatû, quem idem Auctor inſcripſit; Pro veritate. Lutetiæ Pariſiorum, apud Caſparum Meturas, 1647. in 4.

De Medicamentis officinalibus, tàm ſimplicibus, quàm compoſitis, Libri duo. Acceſſerunt quaſi Paralipomena, quæ vel ex Animalibus, vel ex Mineralibus petuntur. Opus triginta annorum. Pariſiis, apud Caſparum Meturas, 1646. 1647. in 4. Francofurti, apud Thomam Matthiam Gotzium, in 4. Hæc editio Pariſinâ caſtigatior est & emendatior. Editio poſtrema Jenæ, apud Ohrlingium 1686. 4.

Variarum Lectionum, Lib. VI. in quibus loca multa Dioſcoridis, Athenæi, Plinii, Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni, aliorum, quà illuſtrantur, quà explicantur. Lipſiæ, apud Eliam Rehefeldium & Joh. Groſſium, 1619. in 8.

Epiſtolæ variæ Medicæ. Extant cum Ciſtâ Medicâ Joh. Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

Pro veritate; Quô tractatû continentur Opellæ tres. I. Adraſtea Galeni. II. Exercitationes Juveniles, contra Pariſanum, alioſque 17. Neotericos. III. Ant-Argenterius; Item Anti-Fernelius; necnon I. Auguſtini Buccii, Philoſophi Taurinenſis, Diſputatio de Principatû partium corporis, excuſa olim Taurini 1583. II. Ludov. Buccaferreæ, Philoſophi Bononienſis, Oratio de eôdem negotiô, quæ extat aliàs in Apologiâ Franciſci Putei, pro Galenô, contra Veſalium. Venetiis excuſa 1562. III. Jul. Cæſar. Claudini, Medici & Philoſophi Bononienſis, Quæſtio de ſede Facultatum Principum, excuſa Baſileæ, 1617. cum ἐπικρίσει Caſp. Hoffmanni; deinde Collatio doctrinæ Ariſtotelis cum doctrinâ Galeni de Animâ inſtitutæ: Poſteà Pathologia parva, in quâ Methodus Galeni practica explicatur, quam olim Franciſcus Friſimelica promiſerat; deniquè Rejectanea, Pathologica; quâ de Morbis Formæ & Materiæ, à Ferneliô, Argenteriôque per ſomnum viſis. Lutetiæ Pariſiorum, apud Caſparum Meturas, 1647. in 4.

Digreſſio ad circulationem ſanguinis in Angliâ natam. Extat cum Johannis Riolani Opuſcul. Lutetiæ Pariſ. apud Caſp. Meturas, 1647. in 4.

Tractatus de Febribus. Tubingæ, apud Johannem Georg. Gottam, 1663. in 12.

De Calidô innatô & Spiritibus ſyntagma, in duos Libros tributum, cum Præfatione de ſectis Philoſophorum. Francofurti ad Mœnum, apud Thomam Matthiam Gotzium, 1667. in 4.

De Partibus ſimilaribus, Liber ſingularis, defectum quoquô modô ſuppleturus, ejuſdem prorſùs argumenti Libri, quem Galenus ſcripſiſſe ſe ait 8. Sent. Hippocr. & Plat. 5. 1. Nat. Hum. Præfat. Ibidem, apud eundem, annô & formâ eâdem.

Iſagoge Medica, edita à Jacobô Pancratiô Brunone; Cui acceſſit Oratio ejuſdem de Vitâ, Moribus, & Scriptis laudati Hoffmanni. Curiæ Variſcorum, 1661. in 12. Lipſiæ, apud Johannem Bartholom. Oehlerum, 1664. in 12. Ibidem apud J. H. Ellingerum, 1678. in 12.

Apologiæ pro Galeno, ſivè χρηςομαθειῶν, Libri tres. Tomus prior, continens Iſagogica & Phyſiologica. Opus veritati Medicinalium Dogmatum illuſtrandæ, Galenique gloriæ aſſerendæ,

rendæ, utiliſſimum; omnibus deniquè ſanioris Medicinæ cultoribus ſummè neceſſarium. Lugduni apud Laurentium Aniſſon, 1668. in 4.

Praxis Medica Curioſa, hoc eſt, Galeni Methodi Libri XIV. novâ eâque omnium accuratiſſimâ verſione & perpetuis plùs vice ſimplici deſideratis commentariis & caſtigationibus prudentiſſimis illuſtrati. Adjectis nonnullis in Epidormiſmatum vicem, cumprimis de Dicteriô illô, Medicè vivere, eſſe peſſimè vivere; cum Oratione Johan. Georg. Volckameri, hanc ad rem apprimè facientibus: curante Sebaſtianô Schefferô. Francofurti, apud Johan. Juſtum Erythropilum, 1680. in 4.

Opuſcula Medica. Francofurti, apud Golzium 1667. in 4.

HOFFMANNUS (*Conradus*)

De eô extat

Analyſis Compoſitionis Theriacæ Andromachi, collatione factâ cum methodo medendi, & methodo componendi medicamenta; quâ oſtenditur ſummum artificium, quô ſenior Andromachus in hâc compoſitione omnium præſtantiſſimâ eſt uſus. Extat cum Thomæ Eraſti examine de Simplicibus, quæ ad compoſitionem Theriacæ Andromachi requiruntur. Lugduni, 1607. in 8.

HOFFMANNUS (*Fridericus Pater*)

Ex eô habentur

Opus, de Methodô Medendi, juxta ſeriem Wallæianam; annexis fundamentis Aſtrologicis, ex Veterum ac Recentiorum ſcriptis concinnatum, Dogmaticis Paracelſicis, Helmontianis principiis, & propriis obſervationibus illuſtratum; elegantiſſimis Chymicis floſculis adornatum. Cum Præfatione Johannis Michaëlis. Lipſiæ, apud Chriſtian. Kirhnerum, 1668. in 4.

Appendix, de Modô inſultum Apoplecticum curandi lethifero, ob ſalutem publicam, ad incipientium Practicorum & aliorum informationem, & ex ejuſmodi curâ orientis majoris mali evitationem. Ibidem, apud eundem, 1668. in 4.

Cardianaſtrophe admiranda, ſeu, cordis inverſio memorabilis tam Phyſicis, quàm Theologis ac Medicis ſcitû admodùm jucunda & utilis, obſervata à Collegiô Medico Civitatis Hallenſis in Anatomia cadaveris ſexus fœminei. Ibidem, apud eundem, 1671. in 4.

Clavis Pharmaceutica Schröderiana, ſeu, Animadverſiones cum Annotationibus in Pharmacopœiam Schröderianam; Baconianis, Carteſianis, & Helmontianis principiis illuſtratæ, & Johānis Michaëlis, aliorumque Celeberrimorū Medicorum Arcanis concinnatæ, in quibus Medicamentorum ſimplicium, tam exoticorum, quàm vernaculorum & compoſitorum ex regnô minerali, vegetabili & animali deſumptorum natura, origo & genuinæ præparationes, cum eorum virtutibus & uſû demonſtrantur & declarantur; cum Theſaurô Pharmaceuticô quorumdam Medicorum noſtri ſeculi. Halæ Saxonum, apud Chriſtophorum Mylium, 1675. in 4.

HOFFMANNUS (*Fridericus Frid. Filius*) Conſiliar. & Archiat. Reg. Med. & Philoſ. Experiment. in Academ. Frideric. P. P. Societ. Britan. ac Colleg. Med. Halens. Sodalis.

De eo extat in Lindeniô Renovatô

Exercitatio Medico-Chymica de Cinnabari Antimonii, ejuſque eximiis viribus, uſû tam ſecretiori, quàm vulgari, tam in Morbis huc-uſque cognitis quàm incognitis. Adjecta ſunt Ratiocinia varia ſat curioſa. Lugduni-Batavorum, apud Petrum Vander Aa, 1685. in 12.

Fundamenta Medicinæ. Halæ apud Hubnerum, 1695. 8.

Theſaurus Pharmaceuticus. Ibidem apud Mylium, 1681. 4.

Ex eô præterea habentur in Actis Lipſienſibus, An. 1689 pag. 349.

Exercitatio Acroamatica de acidi & viſcidi pro ſtabiliendis omnium morborum cauſis, & alkali fluidi pro eiſdem debellandis inſufficientiâ. Francof. ad Mœn. ſumptibus Chriſt. Genſchii, 1689. in 8.

Poſtquam Medici Peripateticorum in phænomenorum explicatione inſufficientes deprehenderunt, Chymia & Mechanica, tanquam ſolidiora fundamenta, licèt non eâdem ab omnibus methodô, adhiberi cœperunt. Non ignobilis initio videbatur doctrina, quam imprimis *Tachenius* & *Swalve* de acidô & alcali eum in finem profitebantur; ſed tertium jam vertitur luſtrum, ex quô cùm à celeberrimi *Bohnii* noſtri, tum illuſtris *Boylei* arietibus ità concuſſa eſt, ut pauciores hactenùs propugnatores obtinuerit. Verùm ab eâdem originem ſuam trahere videtur, variata licèt aliquantùm, hypotheſis, quæ *Bontekoe* præſertim & *Blanckardi*, celebrium ſatis in forô medicô nominum, auſpiciis augmenta hactenùs ſumſit. Nimirùm omnium morborum cauſam acido & viſcido adſcribunt, curationem ab alkali fluido expectant. Etenim œconomiæ noſtræ integritatem non tantum in congruâ partium ſolidarum corporis conformatione, & convenienti fluidarum mixtura & motu, ſed imprimis in utrarumque aptitudine & harmoniâ quæſiverunt. Hanc verò deſtrui aſſerunt, ſi humores fiant craſſiores & viſcidiores, adeòque canaliculos partium tranſire nequeant, & obſtructiones aliaque mala producant; & contrà unicè conſervari exiſtimant, aut amiſſam reſtitui ab illis, quæ incidendo, attenuandove illorum fluiditatem procurant, adeòque ſola ad obſtructiones reſerandas, & evacuationes juvandas conveniunt. Quare cum acida ſuccos noſtri corporis inſpiſſent, alkalia eosdem fluidos reddant, illa ex alimentorum pariter & medicamentorum numero proſcribunt, hæc verò, imprimis ſalia volatilia, potum infuſi theæ &c. unicè commendant, & cuncta medicamenta purgantia, frigida dicta, &c. item venæſectionem, cucurbitulas &c. tanquam inutilia & noxia, cane pejus & angue fugiunt. Itàque ne in Scyllam incidamus evitaturi Charybdim, novorum ejusmodi principiorum pondus & robur curatius examinari oportuit. Suſcepit hoc in ſe laboris *Frid. Hoffmannus*, celeberrimi illius Hallenſium Medici, νῦν ἐν ἁγίοις, filius paternis veſtigiis preſſè inſiſtens, & recenſiti (Cap. 1.) dogmatis (cujus autores ſilentio præterire modeſtè voluit) inſufficientiam erudito hoc ſcripto probare annixus eſt. Equidem tantum abeſt, ut ab acidô multos morbos in corpore humanô gigni, atque ſecretiones & excretiones naturales impediri diffiteatur; ut potiùs cùm à naturâ bilem (quam alkali eſſe, adeòque cum aqua forti efferveſcere, & ſyrupum violarum viridem reddere affirmat) tanquam ſuccum laudabilem ad acidi correctionem concedi, tùm Medicum eundem in finem alkalicis medicamentis vix poſſe carere (Cap. 2.) ambabus largiatur manibus. Siquidem nec infuſi theæ (quam ſalem medium, naturæ



Fridericus Hoffmannus
Friderici I. Regis Poruſsiæ Conſiliarius, et Archiater in Academia Fridericana Profeſſor Medicinæ primarius Societatis Scientiarum Imperatoricæ Britannicæ et Pruſsicæ ſodalis — n. 1660.

naturæ noſtræ non inimicum, poſſidere probat) moderatum uſum diſſuadet, (Cap. 3.) effectum tamen potiorem aquæ calidæ, quod viſciditates corrigere, & ſalia hoſtilia evacuare apta ſit, aſſignans. Similiter enim cum aliis vegetabilibus, e. g. cum rad. aſari, & ſem. fœnicul. in ophthalmiâ inveteratâ; cum herbis bezoardicis in febribus Hungarica & malignis aliis, propinatam eandem inſigniter profuiſſe aſſeverat. Nihilô tamen ſeciùs, ut, quod titulus promiſit, acidi & viſcidi in morborum ætiologiâ inſufficientiam demonſtret, alkalium medicamentorum dominatum deſtruat, & acidorum, frigidorum &c. genuinum uſum vindicet, id per plura capita in effectum dare laborat. Quamobrem quod nimia fluiditas æquè ac viſciditas humorum œconomiam animalem evertat, imò alkalia venæ vivi animalis infuſa texturam eorum ad lethalitatem uſque diſſolvant, volatilium abuſus hæmorrhagias, ſyncopen &c. inducant, theæ infuſum copioſiùs juſtô hauſtum & requiſita ad vitalitatem noſtram conſervandam ſalia unà cum ſuperfluis exterminet, (Cap. 4. & 5.) per exempla edocet. Ut autem porrò oſtendat, morbos etiam ab alkali, imprimis volatili oriri, humorem noſtri corporis præcipuorum anatomen (Cap. 6.) inſtituit. In ſanguine igitur, ſaliva, &c. diverſas, imò & acidas naturaliter contineri particulas, per experimenta concludit. Humorum enim noſtrorum temperiem ex aptâ & proportionatâ, diverſarum licèt particularum mixturâ; intemperiem verò ex quarumdam præ aliis, ſeu acidæ ſeu alkalicæ illæ fuerint, prædominio derivat. Plurimos deinde morbos, ſcabiem ſiccam, variolas & morbillos, ſcorbutum, arthritidem vagam, podagram, diarrhœam, dyſenteriam, morbum Hungaricum, peſtem ipſam, vermes, hydropem, & quæ funeſta ictus animalium venenatorum excipiunt ſymptomata, alkali cuidam accepta ferenda eſſe, eruditis ſatis argumentis (Cap. 7.) evincere ſtudet. Exempli gratiâ, de podagrâ hiſtoriam ex Actis Hafnienſ. allegat cujusdam eâ affecti, qui unicum levamen à ſudoris profluxû capiebat, hic verò in patinam collectus ſal præbuit celerrimè cum acidis confligens, Febre pariter Hungaricâ ultimâ obſidione Budenſi mortuorum ſectionem docuiſſe refert, bilem & contenta ventriculi cum acidis vehementiſſimè efferbuiſſe, ſecùs ac in hominis ſani violentâ morte interemti cadavere contingat. Quoniam igitur & nimia fluiditas corpori infeſta eſt, eam verò medicamenta acida, item frigida dicta corrigunt, experientiâ ſuffultus, iiſdem ſimùl cum alimentis valorem priſtinum (Cap. 8. & 9.) reſtituit, modò debitâ cum cautelâ, pro ut omnia etiam probatiſſima remedia, aſſumantur; ſimùlque præſtantiſſima quorumdam exempla enarrat. Quin imò acida & frigida non tanto corpori nocumento eſſe, quanto ſint alkalia, & calor, contendit. Illud probat per experimentum in Tranſact. Angl. deſcriptum, ubi canis, cujus venæ oleum ſulphuris infuſum eſt, mortem evaſit, quam alius ſubitò obiit, cui ſimili modo oleum tartari inſtillabatur. Notat item, quod frigori faciliùs, quàm calori ferendo pares ſimus, aqua frigida in cholerâ conducat, ſeptentrionaleſque populi meridionalibus vividiores & fœcundiores exiſtant. Ut proin quam exorſus eſt, telam pertexat, (Cap. 10.) oſtendit, etiam alia dari eaque excellentiſſima remedia, quæ non ſint alkalia. Exempli loco, opium, mercurium, ſulphurea medicamenta, camphoram &c. in ſcenam producit, & penitiùs examinat. Quandò in miros ab opiô proficiſci ſolitos effectus inquirit, illos nec ſali cuidam volatili oleoſo, nec ſulphuri, ſed ætheri particulis terreſtribus, viſcoſis &c. immixtô tribuit, quæ ſpiritus noſtros immediatè afficiant, in motû illis remoram injiciendo; ejus verò optimum corrigens alkalia, & hinc tincturam antimonii tartariſatam, item cinnabarim antimonii aſſerit. Mercurii pariter operationem nec acidô nec alkali volatili, ſed ſali cuidam æthereo penetrantiſſimô adſcribit. Eam ob cauſam (cap. 11.) demonſtrare ſatagit, medicamentorum effectus non tam ab alkali, aut acidô, quàm à texturâ & diſpoſitione particularum, & inſitô ſpiritû dependere. Imò nec alkalia fixa tantùm abſorbendo acidum vires ſuas exercere, ſed ſpecificâ inter ſe texturâ differre, per exempla exponit à lapidibus cancr. coralliis, martialibus, ſaturninis, jovialibus &c. depromta. Ultimò (cap. 12.) venæſectioni, cucurbitulis &c. patrocinatur; quod illa præſens in hæmorrhagiis, ſuppreſſionibus menſium &c. auxilium ferat, indicationibus ſatisfaciat, plethora ad vaſa dicta reverà contingat &c. Cathartica tandem vehementiora & ipſe damnat; genuinum verò uſum, ubi mixtura ſanguinis inturbata, ſero non eget, primæque viæ ſordibus ſcatent, corroborat, imò & alterandi cauſâ in paucâ quantitate talibus medicamentis mixta præſcribi debere præcipit.

Ibidem Ann. 1707. *p.* 127.

Idea fundamentalis Univerſæ Medicinæ ex Sanguinis Mechaniſmô methodô facili & demonſtrativâ in uſum tyronum adornata. Halæ Magdeburgicæ, apud Chriſtoph. Andr. Zeitlerum, Ann. 1707. 4.

Ut hôc noſtrô præſertim ævô viri doctrinâ & experientiâ Medicâ excellentes omnes Medicinæ partes ſummô cum ſtudiô, nec ſucceſſû infelici excoluerint egregiiſque inventis auxerint (id quod ipſa Acta noſtra ſatis ſuperque loquuntur;) haud quaquam tamen diffitetur Autor de re Medicâ dudum optimè meritus, *eſſe hanc Artem difficilem in diſcendo, perplexam & confuſam in ſentiendo, infidam & incertam in applicando.* Cauſam aſſignat duplicem, nempe inſufficientem hiſtoriæ morborum cognitionem & ſelectarum circa res corpori humano vel ſalutares, vel nocuas, obſervationum defectum; atque demonſtrationis ſolidæ inopiam, ſeu methodum tractandæ Medicæ theoriæ confuſam. Ad priorem defectum tollendum ſocia multorum requiritur opera. Quare celeberrimus Autor dudum optavit, ut Medici omnibus in locis accuratas quotannis morborum hiſtorias ederent, cùmque in Ideâ ſuâ evincat, aëris multum eſſe in ſanitatem influxum, obſervationes Meteorologicas ſimul adderent. Eum in finem jam 1701. *Obſervationes Barometrico Meteorologicas & Epidemicas Hallenſes Anni* 1700. publici juris fecit, Illuſtri *Leibnitio* inſtitutum hoc multùm probanti dicatas, in quibus ſingulis diebus per totum annum omnes mutationes tempeſtatis, ventorum & graduationum in Thermometrô & Barometrô annotantur, morbique menſibus ſingulis graſſati cum notabilioribus ſymptomatibus deſcribuntur, partim ut ſuô exemplô ad ſimile quid faciendum alios invitaret, partim ut viam, quâ eundum, monſtraret. Alterum impendimentum in præſente opuſculô removere conatur, in quo Artem Medicam in ſcientiæ formam redigere intendit; quod præſtiturus, unum clarum perſpi-

perſpicuumque principium, circulum nempe ſanguinis, aſſumit, ex quô, quicquid de vitâ & ſanitate corporis, de morborum origine, de modô agendi medicamentorum, de methodô curationis & methodô præſervationis cognitû neceſſarium, methodô demonſtrativâ deducat. In circulô verò ſanguinis duo diſtinctè conſiderat, ſolidum nempè & fluidum, illud ceu movens, hoc quod movetur & propellitur; in ſolidô expendit ſtrictum & laxum, in fluidô proportionem ac temperiem. Vita ipſi eſt perennis fluidorum per tubulos beneficiô impulſus ſolidorum progreſſio, corpus corruptibile à corruptione præſervans; ſanitas verò certus ordo motus ſanguinis circularis, in moderatô & liberô ſanguinis progreſſû beneficiô pulſûs cordis ac toni fibrarum æquabilis, ſeu æquilibriô ſolidorum & fluidorum conſiſtens. Nimirum in ſanitate impulſum ſolidorum eſſe debere moderatum & æquabilem, humorum proportionatam ad vaſa & robur fibrarum copiam, decentem elementorum componentium proportionem, vaſaque libera & aperta. Temperamentorum naturam & diverſitatem à fibrarum motricium copiâ, magnitudine, robore, ſanguinis materiâ & temperie, vaſorum copiâ, capacitate, & exilitate derivat. Morbum definit, quod ſit circulus ſanguinis vel immoderatus, vel impeditus, vel inæqualis propter læſum æquilibrium pulſûs ac toni ſolidorum & intemperiem ac indecentem proportionem fluidorum. Morborum varietatem à variis modis, quibus circulus ſanguinis lædi poteſt, petit. Quare cum partibus moventibus, cordi nempè ac fibris univerſi corporis, quæ ſubtiliſſimo ſanguinis & elaſtici aëris fluore animatæ omnis generis fluores conſtrictione per vaſa impellere ponuntur, ſyſtolen tribuat atque diaſtolen, utraque verò lædatur, ſi nimia fiat; ex ſyſtole læſâ ſpaſmorum, ex læſâ diaſtole reſolutionis, laxitatis ac debilitatis fibrarum originem explicat. Si pulſus in corde & vaſis augeatur, tonus in fibris intendatur, circulationem fieri celerrimam, febrimque excitari; ſi motus partium muſculoſarum nimis intendatur, ac ipſæ locum ſuum mutent, convulſionem fieri & circulationem partim inæqualem, partim immoderatam reddi notat. Morbos itaque omnes vel ad ſpaſmos referri debere, vel ad atoniam ſeu partium debilitatem, vel ad febres, vel ad convulſiones. Quibus in genere præmonitis, in ſpecie oſtendit, quinam morbi ad claſſem unamquamque ſint referendi, & quomodo unus idemque morbus pro diverſâ corporis, quam afficit, parte diverſa ſortiatur nomina. Expoſitâ morborum ratione formali, ad cauſas efficientes enumerandas progreditur, eas ſcilicet, quæ circulum ſanguinis turbant, & tonum partium ſolidarum lædunt. Conſiderat primò cauſas proximas; dein remotas. Ad proximas refert 1. *animi affectus*, quorum in partium ſolidarum tonum, robur ac impulſum actionum aliquibus exemplis declarat: 2. *venena*, tùm extrinſecùs advenientia, & vel putredinoſam fluidis fermentationem afferentia, vel partes ſolidas aggredientia, vel ſulphureo alieno principio circulum humorum ſiſtentia fluidumque ſpirituoſum nervorum exſtinguentia; tùm intra corpus genita, ut excrementa agiliſſima ſalino-ſulphurea, per habitum cutis propelli ſolita, ubi regrediuntur, putredinem ſive ſolidarum, ſive fluidarum partium; ſanguinis coagulum ſeu polypum; 3. *plethoram*, fibrarum tonum ac elaterem ſolventem vaſaque nimiùm diſtendentem, ut circulus fiat debilior; atque *cacochymiam*, impuritates generantem & ſanguinis circulum atque neceſſarias evacuationes; præſertim perſpirationem, minuentem. De cauſis remotis dum agit, monſtrat, quomodo temperamentum, ætas, ſexus, hæreditaria diſpoſitio, habitus corporis, conſuetudo partes ſolidas & fluidas ad morboſas affectiones diſponant; ubi ſimùl monet, annos climactericos non eſſe prorſùs negligendos, quod ſingulis ſeptenariis ſingularem corpori mutationem accedere omninò certum ſit. Oſtendit ulteriùs, quid in ſanguinis circulum poſſit aër frigidus, nimis fervidus, præhumidus; quid poſſint ipſi Planetarum adſpectus, quos aëri mutationes inducere ſupponit. Pro compertô aſſumit, Planetas ſuperiores ♄ & ♃ atmoſphæram valdè compreſſam, frigidam, rigidam & ventoſam reddere, & vehementiorem eſſe influxum, ſi inter ſe, mitiorem, ſi cum aliis jungantur: ♂ & ☉ aliis junctos calorem & ſerenitatem addere atmoſphæræ, inferiores ☽, ♀ & ☿ atmoſphæram ſiſtere leviorem ac ob id vaporibus replere. Unde infert, in caſû primô fibras corporis tendi & ſtringi, ſicque omnis generis ſpaſmos, athritidem, inflammatoriam & eryſipelaceam febrim, epilepſiam, hæmoptyſin excitari; in caſû alterô calidos morbos foveri ſanguinemque commoveri; in tertiô fibras laxari & corpus pronum fieri ad morbos ex atoniâ, ſtaſi & circulô ſanguinis languidô provenientes. Quia morbi partes ſolidas plerumque depravant, fluidas vitiant atque corrumpunt; morbos etiam generare alios morbos concludit. Pluribus denique exemplis declarat, quomodo morbi ex imprudente medicatione originem trahant. Similiter ſymptomatum generationem per varia exempla edocet; notat imprimis; quod ferè in omnium, qui è morbô moriuntur, cadaveribus diſſectis vel corruptio viſceris, vel putredo ſanguinis, vel nobilioris partis profundior inflammatio, vel ſanguinis ſerique extravaſatio, vel polypus vaſa majora obſidens deprehendatur. Ad remedia pede promotô, omnem in medendo Medici curam eò tendere evincit, ut per medicamenta circulum ſanguinis extrà ordinem delatum rurſûs reſtituat. Tollendas igitur eſſe cauſas morbificas; quæ cùm ſint vel proximæ, vel remotæ, medicamenta ſingulis tollendis apta generatim recenſet. Remediorum nempè genera in tot claſſes diſtribuit, quot conſtituit claſſes morborum. Morbis itaque ex ſpaſmô remedia opponit antiſpaſmodica; morbis ex atoniâ roborantia; febribus antifebrilia; convulſionibus antepileptica. Ad primam claſſem refert omnia oleoſa temperata & pinguia, omnia actû humida, omnia vaporoſa ſulphure expanſivô fragrante prædita; omnia nitroſa: ad alteram omnia balſamica, omnia oleô ſubtiliſſimô & gratiſſimô inſtructa, omnia gummata cum liquoribus ſuavi reſinâ & oleo inſtructis, omnia ſalia volatilia oleoſa, omnia fixiora terrea: ad tertiam omnia acida & martialia; ad quartam denique, præter antiſpaſmodica, omnia quæ ſulphure & oleo graveolente rancido inſtructa. Cùm hæc remedia plus in ſolidum, quàm in fluidum agere credat, in capite verò de remediis fluidum quoque conſiderari debere ſtatuat; humores vel quantitate, vel qualitate, vel motû peccare affirmat, hincque tria remediorū genera nova condit, nempè *evacuantia*, quæ quantitatem reſpiciunt, *alterantia*, quæ qualitatem noxiam corrigunt, & *derivantia*, quæ motus ſanguinis & humorum præternaturales à partibus affectis avertunt. Agit inſimùl de remediis cauſas morborum remotas antevertentibus. Medicamentorum enumerationi ſubjicit methodum medendi & fundamentum therapiæ explicandum ſibi ſumit. Ubi multus eſt, ut evincat, natu-

naturam eſſe Medicum omnium optimum & in medendo primas tenere partes præcipuamque partem abſolvere; Medici verò eſſe addiſcere illum ordinem nullôque modô ipſum impedire, ſed potiùs illum naturæ laudabilem motum quôvis modô adjuvare vel imitari. Eſſe enim Naturæ non Magiſtrum, ſed miniſtrum; Naturam in curandô eſſe Dominam, Medicum famulum. Imprimis Medicum ſpectatorem eſſe debere in morbis acutis, cùm natura in paſſionibus acutis & paroxyſmis chronicarum plus perficiat arte, quæ tamen in tollendis chronicis malis naturam antecellat. Recenſet aliquot medentium errores, & tandem de morborum præſervatione differens, ad eos avertendos præcipit, ut morborum cauſæ antevertantur. Commendat igitur animi tranquillitatem, abſtinentiam ab omnis generis miaſmatibus, exhalationibus morboſis contagioſis, plethoræ præcautionem per ciborum quantitatem viribus internis motuique externo proportionatam, cacochymiæ evitationem per purgationem primarum viarum vere, & autumnô, immò ſingulis menſibus inſtituendam, abſtinentiam ab omnibus alimentis corruptioni proximis, ſomnum ſufficientem, ſed moderatum, motum, laborem, temperantiam.

Ibidem Annô 1708. *p.* 223.

Diſſertationes Phyſico-Medicæ Curioſæ ſelectiores ad ſanitatem tuendam maximè pertinentes. Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak, 1708. *in* 8.

DIſſertationum, quæ in hoc faſciculô continentur, argumenta non minùs utilia ſunt, quàm curioſa. In primâ enim de methodo acquirendi vitam longam diſquiritur; in alterâ docetur, quomodo unuſquiſque ſui ipſius Medicus eſſe poſſit: in tertia animi in ſanitatem ac morbos influxus conſideratur; in quartâ ventorum cauſæ, vires ac operationes in corpora humana & barometra expenduntur; in quintâ tempora anni inſalubria notantur; in ſexta denique motus optima corporis Medicina adſtruitur. Ad rem attentus haud difficulter aſſequitur, diſſertationes poſteriores pro uberiore argumentorum quorumdam in primâ non ſufficienter diſcuſſorum declaratione haberi poſſe; quare nobis ſolam primam delineaſſe ſuffecerit.

Cùm & olim multi extiterint & hodienum exiſtant homines longævi, rectè omninò Autor doctiſſimus infert, dari aliquas longævitatis cauſas. Quoniam adeò methodum acquirendi vitam longam exhibere ipſi propoſitum, in cauſas longævitatis ſibi inquirendum eſſe arbitratur. Enimverò quænam vitam diu conſervent, quænam ejus conſervationi noceant, judicare nequis, niſi, quid vita ſit, conſtiterit. Diſtinctam itaque vitæ notæ notionem tanquam ſubſequentium concluſionum genuinum fundamentum præmittit. Dictum jam eſt à nobis in Actis anni ſuperioris p. 128. quod vita ipſi ſit perennis fluidorum per tubulos beneficio impulſus ſolidorum progreſſio; unde quivis colliget, inter cauſas longævitatis ab eô referri, quicquid vel immediatè, vel mediatè hanc fluidorum circulationem per corpus adjuvat & conſervat. Quoniam verò hic non modò fluidorum, ſed & ſolidorum, hoc eſt, fibrarum habenda ratio; tam illorum, quàm horum conſtitutionem deſcribit, qualis nimirùm eſſe debeat, ut vita hominis ſit longæva. Fibras requirit flexiles & compactas, tenſas tamen & ex tenerioribus filamentis contextas, cùm fibrarum duri-ties ſenectuti propria deprehendatur, id quod vel ſolæ animantium annoſorum carnes non niſi vi ignis fortiori emolliendæ loquantur; requirit vaſa ampla, propterea quod ſanguis per ea faciliùs, quàm per anguſta & exilia circuletur; requirit in fluidis juſtam ad vaſa proportionem & legitimam temperiem. Equidem fibrarum conformatio à naturæ in illorum productione operationibus pendet, & eatenùs vitæ longævitatem arbitrio noſtro minimè ſubeſſe agnoſcit Autor; dantur tamen adhuc aliæ cauſæ, quæ tùm in fibrarum motum ac ritè conſtitutorum conſervationem, tum in fluidorum conſtitutionem influunt, cumque hic influxus ab homine plerùmque moderari queat, ex illorum inprimis conſideratione regulæ, quas vitam longam (quatenùs in poteſtate eſt) acquiſituri obſervare tenentur, deducendæ ſunt. In iſtas igitur Autor cum curâ inquirit. Multùm autem aëri tùm in tono ac robore fibrarum muſculoſarum, tum in fluidô ſpirituoſô, quô fluidis pariter ac ſolidis vigor & robur infundatur, tribuendum eſſe contendit. Aërem commendat ſiccum, hoc eſt, vaporibus minùs repletum, eumque paulò compreſſiorem ac frigidiorem, quod is, calore accedente, dùm ſeſe expandit, fibras comprimat, tono ac robore illas inſtruat motumque inteſtinum ſpirituaſcentiæ fluidis fœnoret. Hinc deducit, cur homines ſub aëre frigidiore, qualis in *Iſlandiâ, Groenlandiâ ac Laponiâ,* in locis item montoſis occurrit, aliis plerùmque longæviores ac ſaniores exiſtant. Monet tamen aërem eſſe debere non frigidiſſimum, qualis ſub Polis datur, ſed temperatum, atque hujus imprimis temperiei æquabilitatem conſtantem laudat. Præterea quoque in circulum ſanguinis paſſiones animi influere monſtrat, & quod æquabilem ſolidorum, fluidorumque motum ſuſtineat mens tranquilla, hilaris, ab omni triſtitiâ, curis, deſideriis vacua, moderato gaudio, ſpe, fiduciâ ſeſe ſuſtentans omniumque affectuum domina, notat. Inde rationem longævitatis, à Deô in Sacris hominibus piis promiſſæ, admodùm ingenioſè reddit. Juſtam denique fluidorum ad vaſa proportionem atque temperiem diætæ moderatæ deberi multis exemplis comprobat & rationibus corroborat.

Jactis hiſce fundamentis, duplicis generis regulas iis commendat, quibus longævitas curæ cordique exiſtit. Claſſis prima eas complectitur, quæ innuunt, à quibus ſit abſtinendum; altera iis deſtinatur, quæ indicant, quænam ſint facienda. Evitandum eſſe monet 1. immaturum fœminarum complexum, quod per ſeminis ejaculationem fibris ſerum roſcidum ſpirituoſum ſubtrahatur, quo adoleſcere debitumque robur acquirere debent; 2. nimium vini uſum, quod intemperati ac calidi ſucci ex potationibus provenientes nervis firmandis inidonei: 3. affectuum animi inconſtantiam; 4. aeris humiditatem: 5. medicamenta in nimiâ copiâ ſumpta, purgantia præcipuè ac vomitoria, ventriculi, ac inteſtinorum robur debilitantia. Suadat contra 1. abſtinentiam à nimiô carnium uſu; 2. ciborum compactilium potiùs, quàm fluxilium uſum; 3. aërem purum & ſerenum; 4. aquæ vinique ſalubris potum (vina verò ſenibus ſalubria *Hungarica*, genuina *Toccavienſia*, ex *Helveticis Veltlinum* aromaticum; viridioris ætatis hominibus *Moſellana, Rhenana, Mœnana* ſalubria dicit;) 5. motum, tanquam optimam corporis Medicinam; 6. pharmaca corroborantia, quæ inter balſamus vitæ ab Autore parari ſolitus non poſtremum ſibi locum vendicat; 7. venæſectionem, non tamen

tamen nimis frequentem; & , ſi quis prolis longævitati proſpicere conſultum duxerit, 8. ſeminis per menſem *Majum* & autumnale tempus in uterum immiſſionem, per antecedentem venerem non debilitandi, ubi quoque peculiarem curam circa embryonem & fœtum enixum matri obſervandam injungit.

Ibidem Annô 1709. *pag* 74.

Diſſertationum Phyſico-Medicarum curioſarum ſelectiorum, ad ſanitatem tuendam maximè pertinentium, Pars altera. Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak, 1708. *in* 8.

CUm Celeberrimus Autor pro ratione muneris Profeſſorii (à quô nuperrimè à Potentiſſimo Boruſſiæ Rege ad Aulam vocatus, ut Sacræ Majeſtatis valetudinem tueatur & Conſiliarii aulici munere fungatur) omnes ingenii nervos hactenùs eò intenderit, quo Artem Medicam certis ac ſolidis fundamentis ſuperſtrueret, talia quoque argumenta quàm maximè elaboranda ſibi ſumſit, quæ ab aliis ferè neglecta primum in praxi medicâ obſervari debebant. Rectè enim ſentit, opus non modò eſſe Medico ad morbum tollendum, ſed etiam ad præcavendum. Et ad hunc poſteriorem ſcopum collimant quoque Diſſertationes volumine alterô contentæ. Diſſeritur de peregrinationibus ſanitatis cauſâ inſtituendis, de inediâ magnorum morborum remediô, de vini Rhenani præſtantiâ, de methodô examinandi aquas ſalubres, de thermis Carolinis, & de temperamentô morum & morborum in gentibus fundamento. Peregrinationes ſanitatem conducere non modò à poſteriori exemplô *Ciceronis*, *Zoſimi* apud *Plinium*, & Regum *Perſarum* ſedes imperiales ſanitatis gratiâ mutantium probat; ſed & à priori eleganter demonſtrat. Sanitatis juxta Autorem à moderatô circulô ſanguinis pendet. Ad eum procurandum itinera variis modis conducere arbitratur. Reddunt enim animum tranquillum. Tranquillitati animi reſpondet tranquillus ſpirituum, conſequenter cordis & arteriarum motus. Accedunt aëris mutationes, quarum multus in circulum ſanguinis influxus. Accedit aquarum ſalubrium uſus, inter ſanitatis cauſas utique comemorandus. Accedit denique corporis motus, ad ſanguinem ſubtiliorem reddendum conducens. Enarrat Autor loca ſalubria, quorſùm ſanitatis cauſâ excurrendum, *Inſulas Canarias*, *Hiſpaniam*, *Athenas*, *Bohemiam*, *Braſiliam*, *Italiam*, *Neapolim*, *Alexandriam*, & in genere loca montoſa aëre purô gaudentia; quæque moderatâ tempeſtate fruuntur, commendat, atque ruſticana præfert oppidanis. Peregrinationes phthiſicis præſertim & hæmopticis conducere monet, ac per aëris mutationem ulcera, morbos capitis & nervorum, vertiginem putà, melancholiam, maniam ſæpè ſanari obſervat, monſtrans inſimùl, quid præſidii in morbis chronicis, quid hypochondriacis à peregrinationibus expectandum. Tandem cautelas in iſtiusmodi itineribus obſervandas recenſet, quod e. g. aëris ſtatus probè explorandus, num ſit contrarius ei, qui morbum peperit; quænam cœli mutatio habitui corporis conveniat; quod nimius calor æquè ac nimium frigus ſollicitè vitari debeat. Similiter & rationibus & exemplis longævitatem diæta multùm juvari probat, damnans abuſum delitiarum hodiernarum. Quemadmodum verò prudens diætæ regimen in omnibus morbis curandis maximum habet pondus; ità potiſſimum eandem commendat in plethorâ, anorexiâ, cachexiâ, hydrope, ictero, viſcerum obſtructionibus & ſcirrhis, læſionibus & vulneribus ventriculi, tranſpiratione impedita, febribus, ſcabie, elephantiaſi & ulceribus, catarrhalibus defluxionibus, affectibus cerebri ab humorum copiâ vel craſſitie oriundis, ut paralyſi, affectibus ſoporoſis, cephalalgia, melancholia, incubo, epilepſia, podagra, arthritide, & affectibus ſpaſmodicis. Notat prætereà victum moderatum ingenii mentisque actionibus egregiè inſervire, cum à motû ſpirituum dependeant, qui tantò craſſiores, quò ſanguis copioſior & craſſior; ac regulas diæticas exhibet. Cùm de Vinô *Rhenanô* agit, quod omnium Germanicorum præſtantiſſimum judicat, ſimùl omnia reliqua vinorum genera enumerat, eorumque virtutes laudat. In vinô per analyſin Chymicam maximè conſpicua deprehendi ait quinque illa Chymicorum principia, à quorum diverſâ mixtione vinorum diverſitatem derivat. Vinis *Rhenanis* ineſſe contendit ſulphur admodum ſubtile, acidum tenerum, magnam ætheris & aquæ copiam. Et in genere, quæ fluida & ſubtilia ſunt elementa, vinorum Germanicorum conſtitutionem ingredi, quod grave, denſum, terreſtre & viſcoſum, ab eorum mixtura remptum eſſe. Mixtionis diverſæ cauſas in Solem, ſolum & vitem conjicit. Prolixè agit de vinorum conſervatione, corruptione, & virtute medicinali tam præſervatoriâ, quàm curativâ, & ſubinde vini hauſtum liberaliorem, non tamen ad ebrietatem uſque, corporis viribus ac ipſi vitæ inimicam, commendat. Aquam ex æthere, humidô & ſolidô terreô componi ſtatuit. Illum bullulæ produnt; de iſtô nemo dubitat: hoc per deſtillationem, etiam ſæpiùs iteratam, detegitur & in reſolutione aquarum conglaciatarum fundum petit. Aquas igitur optimas judicat, quæ copioſô ſpiritû gaudent, ex earum levitate per methodos hydroſtaticas examinanda, ex veloci ad ignem æqualiter ſtructum evaporatione, ex bullulis denique copioſè præſertim aſcendentibus, ſi per antliam pneumaticam aër externus ſubducitur, dignoſcendo. Hâc occaſione de aquis medicatis commentatur; & in ſpecie in cauſas caloris thermarum, *Carolinarum* præſertim, inquirit, cujus geneſin ità concipit. Quando, inquit, in terræ viſceribus ſulphur cum bitumine foſſili necnon cum martialibus mineris eſt commixtum & in magnos cumulos collectum, & aqua ad hæc mineralia accedit, tùm acidum vitrioli, quod in ſulphure eſt, ſolvitur & actione ſuâ in terram bituminoſam & ſulphureas martiales mineras efficit non modò calorem intenſiſſimum, ſed, ſi & terra eſt poroſa, & ſufficiens aëris quantitas accedit, luculenta flamma producitur. Explicat & modum utendi thermis, atque Carolinarum in morbis virtutem atque effectum, unà cum harum aquarum noxâ & abuſû. Quemadmodum verò claras atque diſtinctas amat rerum notiones, à nullâ re aliâ magis abhorrens, quàm à ſonis ſine mente editis; ità quoque eleganter temperamentum interpretatur. Monet nimirùm, temperamentum corporis vivi non tam in elementorum commixtione, quàm in motû fluidorum tam progreſſivô quàm inteſtinô, partiumque ſolidarum impulſû conſiſtere. De ſanguinis adeò & humorum circulô interpretandum eſſe, quod veteres de temperamentô affirmârunt. Monſtrat autem convenientiam inter motum ſanguinis & propenſiones animæ, ac ortum vitiorum, virium ingenii, morum,

morborum ex temperamentis declarat; ubi alias præterea commemorat cauſas mores alterantes, ætatem putà, aërem, victum, & temperamentorum ad conſtitutiones climatum relationes examinans de moribus, inclinationibus & aptitudinibus naturalibus plerarumque gentium judicat.

Ibidem Annô 1714. *pag.* 205.

Diſſertationum Phyſico-Medicarum ſelectiorum Decas. Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak, 1613. 8.

EST tertium volumen Diſſertationum Phyſico-Medicarum à Celeberrimô *Hoffmannô* editarum. De duobus prioribus dictum eſt in Actis A. 1708. pag. 223. & A. 1709. p. 74. in tertiô tractatus de annorum climactericorum rationali & medicâ explicatione, de duodenô plurimorum malorum ſede, de morbis certis regionibus & populis peculiaribus, de opiatorum novâ, eâque mechanicâ, operandi ratione, de pulſuum naturâ, genuinis differentiis & uſû in praxi, de inflammatione ventriculi, de origine & naturâ peſtis, de peſtis curandæ ratione, de naturâ corporis humani mechanici medicatrice & arte naturæ auxiliatrice, de metallurgiâ denique morbiferâ extant. Diſſertationes has omnes multâ cum eruditione & perſpicuitate conſcriptas eſſe, publicè jam agnovere alii. Et ut lectori ipſi judicium de iis ferre liceat, quædam uberius nobis exponenda ſunt.

Etſi plerique recentiores annis climactericis inter commenta unicè locum concedant; rationibus tamen perperam everti cenſet Cel. Autor, quod diuturnâ & conſtanti experientiâ nititur. De exiſtentiâ igitùr ſecurus hanc eorum rationem aſſignat. Voluiſſe Deum, ut mutationes, quæ corpori humano juxta leges mechanicas accidant, ſtatutô tempore eveniant, & quibusdam non ſine periculo ſanitatis. Ità obſervat, infantem ſeptimo menſe incipere dentire; ſeptimo annô finiri infantiam denteſque decidere; pueritiam extendi uſque ad annum decimum quartum, quo tempore fœminis menſtrua veniant & mammæ creſcant, pili in pube prodeant & potentia generandi accedat. Adoleſcentiam terminari anno vigeſimo primo, quo corpus ad debitam ſtaturam excreſcat & barba in mentô appareat. Juventutem durare uſque ad annum trigeſimum quintum, ætatem virilem uſque ad quadrageſimum nonum. Illi propriam eſſe venuſtatem, agilitatem; huic vim ac robur tam animi, quàm corporis. Senectutem primam extendi uſque ad annum ſexageſimum tertium, decrepitam uſque ad ſeptuageſimum. Illâ corpus contabeſcere, carnem fieri duram, rugas apparere in facie, memoriam debilitari; hâc denique corporis ac animi vires maximè deficere. Nullam tamen in numerô ſeptenariô agnoſcit fatalitatem, ſed hæc omnia providentiæ divinæ adſcribit. Plurimos ſub annô ſexageſimô tertiô è vitâ diſcedere monet, quòd circa hoc tempus præſentiſſimum fiat virium decrementum. Recenſet etiam morbos, qui ſingulis ætatibus ſunt familiares.

Non ignota eſt rerum Medicarum peritis hypotheſis *Sylvii*, omnem ſanitatis rationem omneſque morborum cauſas à bile, pituitâ & ſuccô pancreaticô deducentis. Quid veri eidem inſit, oſtendere conatur Noſter, dum duodenum plurimorum morborum ſedem incuſat. Poſtquam igitur inteſtini duodeni ſtructuram & officium ex anatomiâ repetiit; præternaturalem bilis in eô ſtagnationem conſiderat. Inde alvi duritiem & flatus, colicam nephriticam, in fœminis præſertim, dolorem chronicum fixum in lumbis, febres intermittentes, imprimis tertianas continuas, lentas, ardentes, cholericas, variolas, morbillos, diarrhœas, dyſenterias, cardialgias, tuſſes graviores chronicas, arthritides aliaque hujus generis plura derivat. Tuſſes ferinas ſe brevi tempore curaviſſe Autor eſt ſolô pulvere ex lapide cancrorum compoſitô, adjectô oleô aniſi, pro doſi drachman unam binis de die vicibus offerendo. In febribus intermittentibus leniora emetica, nitroſa, ſalina & abſorbentia commendat, necnon *Riverii* pulverem. Vertiginem quoque, epilepſiam, apoplexiam, purpuram (quod & morbi genus in his præſertim oris notiſſimum, alibi minùs notum) podagram aliaque mala ex duodenô originem ſuam trahere docet. Ubique verò per rationes mechanicas ortum mali explicare conatur medendique methodum deſcribit.

Dum morbos certis regionibus peculiares enarrat, initium capit ab Europa, inde in Aſiam, tandem in Africam ipſamque Americam progreditur. In locis montoſis notat ſtrumoſos colli tumores, quibus Helvetiæ, Carinthiæ, Styriæ, Hercyniæ, & in Tranſylvaniâ Cronſtadii urbis incolæ obnoxii. Oriuntur ſtrumæ, judice Noſtro, ex potû aquarum, quæ per montes calcarios fluunt. Gallos infeſtant febres atque lumbrici, hydrocele atque ſarcocele, quos tumores ab immodicô nucum caſtanearumque uſû provenire arbitratur. Angli affliguntur gravedine, raucedine, tuſſi, flore albo, dyſenteriâ malignâ, febribus, variolis, tabe pulmonali, pulmonum inflammatione & aliô quodam morbô, qui rachitis ipſis dicitur. In Italiâ offendes Neapoli luem veneream & roſeolas, ſeu maculas rubras; Venetiis hæmorrhoidum fluxus; Romæ febrim tertianam & lethargum; apud Hetruriæ incolas epilepſiam; in Apuliâ febres ardentes, pleuritidem, morſus tarantulæ. Hiſpanos vexat melancholia hypochondriaca, fluxus hæmorrhoidalis, apoplexia; Batavos ſcorbutus & renum atque veſicæ calculus; Danos, Suecos, Norvagos, Pomeranos, Livonos, Curlandos ſcorbutus. Notatû maximè dignum judicat, quod in Daniâ, Sueciâ & Livoniâ febres ſint frequentes, in Norvagiâ, Iſlandiâ, Laponiâ, Finniâ, planè exulent, ubi contrà ophthalmia & lippitudo, peripneumonia & dolor dorſi ac capitis valdè familiaris. Ruſſi & Tartari pernionibus laborant, hoc eſt, puſtulis & ulceribus à frigore ortis. In Poloniâ & Lithuaniâ Judæi imprimis plicâ infeſtantur, qui eſt horridus prolixuſque capillus in cirrhos inexplicabiles concretus & reſecari nequit ſine ſanguinis effuſione, viſûs læſione vitæque ſæpè ipſius periculo. Hungari podagrâ, arthritide, pediculorum pulicumque copiâ & peculiari morbi genere, quem *Cremer* appellant. Apud Germanos reperies in Weſtphalia peripneumoniam & ſcabiem; in Holſatiâ febres petechiales & malignas; in Sileſiâ, Franconiâ, Auſtriâ, Sueviâ, phtiſin, arthridem, febres ardentes, hæmorrhagicas excretiones, inflammationes; in Miſniâ purpuram (de quâ ſupra) tabem infantum, vermes comedones. In Græciâ, Macedoniâ & Thraciâ pauci ſunt morbi, dominantur autem ibi febres acutæ, dyſenteriæ, phrenitides. Conſtantinopoli omnibus añis graſſatur peſtis, lues verò venerea prorſus exulat. In Indiis magna eſt endemiorũ varietas, in Inſulâ Ceylô frequentes ſunt ventris tumores, in Malabariâ variolæ, apud Chinenſes & Japonenſes oculorũ vitia,

in inſulâ Formoſâ peſtis & variolæ, Goæ lues venerea, calculum & hernia, in Armenia oculorum dolores, in Perſiâ calculus & podagra. In Ægyptô deprehendes ſcabiem, lippitudinem, cœcitatem, melancholiam hypochondriacam, elephantiaſin; in Guineâ vermes quibus totum corpus vexatur. Americani morbis paucis obnoxii, interdum pleuritide laborant, in Canada variolis & lue vencreâ, quæ in Peruviâ vere endemia, unde annô 1494. in Europam primùm advectam & in obſidione Neapolis viſam obſervat Noſter.

Hypotheſis nova Cel. Autoris de mechanicâ operandi ratione opiatorum valdè probata fuit intelligentibus harum rerum æſtimatoribus, quamprimùm lucem publicam adſpexit. Statuit nempe, principium, quo opiata aliaque narcotica agunt, eſſe ſulphur reſolubile, quod debitô humidô ac calidô accedente in tenuiſſimos vapores & effluvia diſſolvitur, conſtans nimirùm ex humidô, ſale ac terrâ ſubtili æthereâ. Quando itàque opium aut aliud narcoticum aſſumitur, id in ventriculô ac inteſtinis per motum quendam fermentativum ac rarefactivum reſolvi, concurrente ſimul calore blando, menſtruo ſalivali & ipſo aëris fluido. Particulas ſulphureas ſolutas partim per ſubſtantiam poroſam ſanguini, tubulis membranaceis ac nerveis immediatè communicari, partim etiam cum ipſo chylo & lympha via regia ad ſanguinem tranſire. Sanguinem hunc in pulmonibus ſolito magis expandi & hinc tubulos tenuiſſimos arterioſos piam matrem inveſtientes nimis extendere, ut ſyſtole ac contractione tardiore & debiliore facta per caput & cerebrum lentior circuletur. Ex hâc impeditâ ſanguinis circulatione non ineleganter effectus narcoticorum deducit Cel. Autor.

Pulſum eſſe ſtatuit arteriæ dilatationem à ſanguine cordis contractione ex ſiniſtrô ventriculô protrusô & expulsô in arterias, quæ inde dilatatæ rursùs reſiliant, nec in priſtinum modò ſitum redeant, ſed & ultrà conſtrictæ ſanguinem nòvô impulsû ulterius propellant. Diſtinctionem inter pulſum celerem & frequentem hactenùs receptiſſimam ſolidis ex motûs naturâ deſumtis argumentis rejicit, cùm idem ſit frequens qui celer, nimirum ſi intra breve temporis ſpatium multi pulſus numerari debeant, neceſſe eſt ut ſinguli ſint celeres & contra, nullâ quippe morâ inter pulſum antecedentem & proximè ſequentem interjectâ. Celerem tamen à vehementi diſtinguit, quo major ſanguinis copia una cordis ſyſtole in arterias ejicitur. Differentias in pulsû has admittit, ut alius ſit robuſtus, alius debilis; alius celer, alius tardus; alius æqualis, alius inæqualis. Priores diſtinctiones ex antecedentibus manifeſtæ ſunt; æqualitatem æſtimat tum ex vehementiâ tum ex celeritate, & qualis pulſuum differentia pro diverſitate ætatis, temperamentorum, ſexûs, vitæ generis, ac in febribus præſertim obſervetur, exponit. Nec minùs ſolerter tradit pulſuum in praxi medicâ uſum.

Inflammationem ventriculi, quâ nihil periculoſius exiſtimat, agnoſci ex dolore fixô & immani circa præcordia, ex anxietate maximâ, ex febri cum ſiti magnâ, vigiliis, pulsû durô, parvô, frequenti & inæquali, ex vomitûs proclivitate & adſtrictione alvi. Hunc affectum communiſſimum judicat, atque ideò miratur, quod tam apud veteres, quàm recentiores raro ejus mentio fiat. Cauſam, cùr adeò periculoſus, poſitam exiſtimat in ſpaſmô violentiſſimô, qui unus non modò inflammationem progignat, verùm etiam poſt inflammationem valde augeatur, & indè quoque ſymptomatum ſuperius enarratorum rationem reddit. Oriri autem oſtendit ventriculi inflammationem ex irâ, ab aſſumtô venenô minerali, e. gr. arſenicô, vel mercuriô ſublimatô, venenis in nobis generatis, à podagrâ intrà corpus remanente, à variolis recedentibus, vel ad exteriora non ſatis exeuntibus, à bile, à dyſenteriâ malignâ, à potû nimis frigidô, à vermibus, nonnunquam à morsû beſtiarum. Denique remedia circumſpectè adhibenda cum curâ deſcribit.

Peſtis originem primam corporis putredinem vehementiſſimam eſſe ſtatuit; terrorem verò immanem contagium non modò fovere ac promovere, verùm & ſine infectione plures enecare. Quàm inimica ſit corpori humano putredo, prolixè monſtrat. Varios autem ejus gradus admittit & in peſte tenuiſſimam ac celerrimè penetrantem deprehendi pronunciat. Hinc ſub tenuiſſimæ auræ formâ miaſma aliis corporibus inſinuari & cum ſuccis corporis noſtri maximè excrementitiis ſeroſis commixtum univerſos ejus ſuccos corrumpere. Ex his principiis rationem reddit phœnomenorum circa peſtem non ſine admiratione obſervandorum. Monet autem, peſtis natalem ſemper eſſe in regionibus calidiſſimis & inde contagio ad noſtras oras deferri.

Poſtquam diſtinctè expoſuit, quomodo tum putridum, quod vocat, principium, tum etiam terror in corpus humanum agat, & quænam ſymptomata inde oriantur; ulterius explicat, quænam corpora ad peſtem diſponant, & quibus contra hoc malum utendum ſit remediis. Ad peſtem juxtà Cel. Autorem plurimùm conferunt fames, porcinarum carnium eſus, intemperantia, venus, balnea, mollities corporis. Ad eam avertendam nullum adhùc remedium inventum eſſe pronunciat. Aëris emendationē parùm præſidii præſtare credit; humida tamen & pulvia tempeſtate ſuffimigia laudat, cœlo ſereno prorsùs damnat. Rejicit itidem tabaci uſum & amuleta. Commendat contra fonticulos, fugam, vinum Rhenanum (quod præſtantiſſimum judicat remedium,) acetum, allium ex acetô, laxantia leniora, temperantiam, medicamenta ſudorifera, pulveres abſorbentes terreos & omnem curandi methodum deſcribit.

Per naturam, quæ corpus integrum conſervat, affectum ſanat, non animam rationalem cum ſcholaſticorum cohorte, ſed artificioſiſſimam partium tam ſolidarum quàm fluidarum corporis conſtructionē & coordinationē intelligit, circulūque ſanguinis unicum illud & maximū fundamentum vocat, cui univerſa œconomia animalis omneſque actiones corporis innitantur. Per ſanguinis motum putredinem è corpore arceri & eo ſalvo nullam materiam peccantem progigni, nec morbo ulli eſſe locum. Si motus ſanguinis progreſſivus intendatur, ſtagnationes ſanguinis removeri & plethoram tolli, ſerum ſuperfluum, impurum ac viſcidum attenuari & ejici, obſtructiones contumaces reſerari, ſordes acres, ſalinas & malignas ad exteriora propelli, ſicque cauſas morbi tolli, corpuſque ſanari. Quomodo motus corpori humano tam ſalutares à naturâ perficiantur, diſtinctè exponit. Quamvis autem naturæ vim medicatricem concedat in variolis & morbis, febribus intermittentibus & catarrhalibus, immò ardentibus rheumaticis, eryſipelaceis, pleuritide, peripneumonia; arte tamen opus eſſe in uteri vel ani procidentia, in herniis & calculo, in membri emortui exſtirpatione, ſecundinæ vel fœtûs extractione, ulceribus fiſtuloſis, tumoribus, cancro,

cro, ſcyrrhis, carioſa excreſcentia aliiſque vitiis externis, in morbis chronicis, lue venereâ, ſcorbutô, phthiſi, ſcabie, leprâ, podagrâ, affectione hypochondriacâ, epilepſiâ, colicâ convulſivâ, arſenicô hauſtô, morsû canis rabidi, paralyſi, guttâ ſerenâ, ſurditate, cachexiâ, gonorrhœâ, fluore albô, lumbricis inteſtinalibus, maniâ, apoplexiâ, febri tertianâ atque quartanâ. Quænam ſint artis hujus regulæ generales paucis docet.

In metallurgiâ denique morbiferâ conſiderat morbos metallurgis proprios, quos à mineralium ac metallorum effluviis potiſſimum derivat, dùm cum aëre os ſubeunt & cum ſalivâ deglutitâ ad ventriculum & inteſtina deferuntur, vel etiam in pulmones irruentia veſiculas conſtringunt & exulcerant. Nocere maximè cenſet effluvia ſulphurea, quæ copioſa in fodinis reperiri monſtrat; exhalationes ex vitriolô emiſſas, quas adeò corroſivas teſtatur, ut linteamina ac veſtes corrodant, adeòque Goſlariæ in monte Rammelio, ex quo vitriolum jam per aliquot ſecula eruitur, operarii nec veſtem, nec induſium induant, ſed prorſus nudi in fodinis vitriolum colligant; effluvia ex plumbô prodeuntia omnium virulentiſſima judicat &c. Quinam morbi inde oriantur & quænam contra eos remedia præſcribat Cel. Autor, noſtri inſtituti non eſt, ut hic prolixius recenſeamus.

Ibidem Annô 1718. *p.* 316.

Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomus prior, quo Philoſophia corporis humani vivi & ſani, ex ſolidis mechanicis & anatomicis principiis, methodô planè demonſtrativâ, per certa Theoremata & ſcholia, traditur, & Pathologiæ ac praxi Medicæ Clinicæ, ceu verum fundamentum, præmittitur. Halæ Magdeburgicæ, ex officinâ Rengerianâ, 1718. 8.

Solidiſſimi hujus operis rationes maximam partem perſpiciuntur ex præfatione, ad ſolidioris doctrinæ & peritiæ Medicos perſcripta, quorum integritati, judicio, necnon attentioni atque experientiæ permittitur, ut videant, quemadmodum cum praxi cohæreat hujus operis theoria, & quænam utilitas in certam & compendioſam medendi methodum inde redundet. Nam, quam inde ab artis ſalutaris primô ortû Medicinam ex rationum verarum principiis colere, digerere, & aptô nexû inter ſe conjungere plures allaboraverint; ſucceſſus tamen, vel ipsô diſſenſu teſte, conatus laude dignos deſtituit. Adeòque, quæ Hippocratem inſequutæ ſunt, methodicorum & Galenicorum antiquæ ſcholæ, magis ſectatorum pervicaciæ argumentum ſunt, quàm quod ipſi arti ex illis multùm perfectionis acceſſerit. Propiori ævo exſuſcitatæ tandem Philoſophiæ experimentalis, Chymiæ & Anatomes nobiliſſimæ diſciplinæ lucē veritatibus medicis accendere ſanè poterant clariſſimâ, niſi generi humano propè congenita feſtinatio in hypotheſium condendarum recidiſſet infelices ſcopulos, adeòque Paracelſi, Helmontii, Tackenii, Sylvii, Carteſii, aliorumque placitis, tanquam ſaxo, inhæſiſſent. Sectariæ hujus calamitatis cauſas Illuſtris Autor, Medicinæ in Almâ Fridericianâ Profeſſor celeberrimus, in eô maximè ſitas docet, quod perpauci ad litteras ſublimiores iis adminiculis inſtructi accedant, quæ veritatibus percipiendis, inveniendis & benè ordinandis ferè unicè inſerviunt. Quæ negligentia effecit, ut in ipſis diſciplinis, quid verum rectumque ſit, quid cohæreat, quidve repugnet, minimè perſpiciant aut dijudicent, ſed memoriæ potiùs quàm judicii laborem in rebus addiſcendis agitent. Theoriæ autem medicæ veræ tanquam fons & origo ſunt accuratæ obſervationes phœnomenorum in corpore hominis ſano & morbis obnoxio, imò etiam ſanitati ex morbo reddito vel morte extincto, cum attentione factæ & in unum collectæ; quo diſcendi adminiculo quiſquis ex veteribus, & recentioribus maximè uſus eſt is rem medicam potiſſimum ornavit & amplificavit. Sed hoc ſtudium ſine Anatomes & Phyſices luce non ſuccedit: hâc verò accedente operæ demum facit pretium, & in cognitionem verarum cauſarum penetrat. His itàque inſtructus ſubſidiis Autor in promovendâ atque explicatiùs tradendâ Medicinâ plurimis annis cū magnâ laude continuò uſus, ad hoc opus ſcribendum tandem acceſſit, in quô, repudiatis omnibus hypotheſibus, ex verâ definitione vitæ, quam conſervare conſiliô & auxiliô laborat medicus, integram theoriam orditur. Nam, quum hæc ſit ſanguinis & humorum continuus, à ſyſtole & diaſtole cordis & arteriarum, debitâque conſtitutione partium ſolidarum pendens motus; à quô vitali motû conſervatio ipſorum humorum, calor & robur corporis, ſecretiones & excretiones, hominum mores & inclinationes, naturarum individualis diverſitas, corporis nutritio & augmentum dependet, quandiù rectè procedit, quamprimùm autem turbatur & aufertur, morbi ipſaque mors producuntur; intelligitur ſanè hoc Medico ſufficere principium, ex quô rerum in corpore contingentium rationes reddat, & extra corpus poſitarum ſalubritatem vel inſalubritatem intelligat, morborum eſſentias, ſymptomatum æſtimationem, diagnoſin denique & prognoſin in ſingulis affectibus deſumat, medendique juſtas indicationes capiat. Mederi enim nihil aliud eſt, quàm motus & excretiones à naturali ſtatû deſciſcentes, in ordinem reducere, impeditos excitare, nimium intenſos ad æquabilem normam revocare. Hic ſanguinis auctior in febribus circulus eſt ipſa illa à veteribus toties decantata natura morborum medicatrix, cujus beneficia agnoſcebant, ſatis quidem bene, ſed quid eſſet in illâ artis infantiâ, ſatis eloqui rectè nondùm poterant.

Quoniam itàque multi in deſignandâ hujus naturæ eſſentiâ in diverſiſſimâ abierunt, multaque ſuppoſuerunt, quæ nec definiri, nec cognoſci, minùs autem demonſtrari poſſunt; Cl. Autor illis modeſtè diſcutiendis operam navat & maximè laborat in evolvendâ mechaniſmi verâ notione, vindicandoque Medicinæ principiô mechanicô adverſùs eos, qui mechanicam potiùs mobilitatis quàm motuum eſſe ſcientiam perhibuerunt; quippe tantùm abeſt, ut mechanica diſciplina tam anguſtis includatur terminis, ut potiùs in eô tota ſit occupata, ut vires motrices, quæ cum maſſâ corporeâ cohærent, in mutuâ actione, & reactione obſervet atque menſuret, & itâ immutabiles motuum leges, tam in elaſticis ſolidis quàm fluidis corporibus, condat, quæ ad effectus naturæ alios explicandos magno ſunt uſui. Cùmque jam pridem à doctiſſimis Philoſophis ſubruta ſit illa opinio, quod corpora ſint purè paſſiva, & eſſentiam ſuam in merâ extenſione habeant; ab iiſque edocti ſimus, omnia corpora vi ad motum eſſe inſtructa, eorumque phænomena ex hâc dependere; ipſa inſuper magiſtrâ experientiâ doceamur, alimenta, elementa, venena, medicamenta, omneſque res noxias poſſe animalium motus augere, imminuere, deſtruere, in ordinem redigere, itâ prorſus, ut pro veneni diverſitate diverſiſſimi in corpus reſultent pravi effectus, certis etiā remediorum generibus debellandi, ex eô ſanè elucet, quàm ſit Medico, cum rectâ ratione artem facturo, neceſſarium, vires corporibus inſitas, earumque invicem actiones & reactiones noſſe, hoc eſt, diſciplinam profiteri mechanicam.

Pendet autem ſanguinis & humorum circuitus à duplicis generis motû ſolidorum, nempè contractione & dilatatione, & ipſi hi duo motus in ſolidis viciſſim ab influxû humorum ſuam habent originem. Quippe cognoſcimus, nullum in parte quâdam ſolidâ fieri motum, niſi probè illa perfundatur ſanguine arterioſô & hujus ſubtiliſſimô elementô aëreo-æthereæ indolis, quod per nervos advehitur. Adeòque videmus, horum ſublatô liberô acceſſû aut vitiatâ temperie, movendi facultatem, robur atque tonum partibus auferri; è contrariô autem motus in iis rectè procedere, ubi hæc libera & integra ſunt, alimentaque commoda, aër purus & ſerenus, vinum ſpirituoſum, medicamenta benigniora & corpori amica ſubtiliorem illam ſanguinis partem movendo idoneam ſuppeditant. Quomodo autem ſanguis & fluidum nerveum efficiant perpetuam illam ſyſtoles ac diaſtoles in corde & vaſi viciſſitudinem; cognoſcitur ex ſtructurâ organorum, quippe ex fibris elaſticis coagmentatorum, quæ ſanguinis appulſû expanſa in locum priſtinum ſe reſtituere nituntur. Quod ſi itaque in cor ingreſſus ſanguis calidus ejus parietes extrorſùm movit; fibræ illius, ob ſanguinis ſubtilioris & roris nervei affluxum magnô reniſû inſtructæ, dum ſe contrahunt, ſanguinem in aortam, & ſimùl, per arteriam coronariam, in cordis ſubſtantiam propellunt, & hôc ipſô ſyſtolen quidem peragunt, ſed novæ diaſtoles motum producunt, quia cordis fibræ motrices novô influxû ſtimulantur. Sicque in humani corporis fabricâ videmus, quod arte perficere tantô conamine multi nituntur, perpetuum mobile. Quoniam verò fibræ, declinante ætate, denſiores redduntur, ut illarum vaſa minima minùs ſubire poſſit illud elementum ſanguinis ſubtiliſſimum; patet inde ratio mechanica, quare tunc vires vacillent, corporis functiones minùs ritè peragantur, & homo moriendi neceſſitati ſubjectus ſit.

Hoc fluidorum jugi motu illorum non ſolùm conſumtio, verùm etiam in excrementitios & inutiles humores fatiſcentia efficitur, quæ duæ res neceſſariò faciunt nutritionis & excretionum perpetuum in corpore ſucceſſum. Nutritio, ut corpori aptiſſimo fiat modo, non ſolum multis ſecretionibus opus eſt, quibus ſanguinis commercio idoneus ſuccus ex ingeſtis paretur: ſed maximè poſtulat diæteticarum regularum ſalutaria præcepta, quæ aſpernari temerarium eſſet, cùm ad vitam, ſanitatem, morbos, mortemque ducat diætæ recta vel prava ratio. Excretionum neceſſitatem cognoſcimus ex eo, quod jugi & inteſtino humorum motu multæ partes mixtioni minùs redduntur idoneæ; tùm verò etiam inde, quod homo conſtitutæ ætatis, ex tantâ alimentorum copiâ, vix ſenſibile incrementum capit. Hujus doctrinæ maxima eſt in pathologicis neceſſitas, quippe ſi, excretionum defectû, humores vel copiâ vel qualitate peccant, morbi producuntur, ſeu motuum naturalium læſiones. Poſſunt autem omnes morbi, ſecundum motuum duas ſpecies, referri ad duo ſumma genera, quippe in aliis motus nimii ſunt atque intenſi, quod ſpaſmum vocamus, ex quô humorum circuitus inæqualis redditur; in aliis nimis ſunt remiſſi, quod atonia dicitur, & impeditum facit ſanguinis circulum, maximèque valet ad tardos affectus producendos, quemadmodum ſpaſmus in acutis præcipuè regnat. Hæc morboſorum motuum vitia, pro eô, quod partes obſederunt, diverſos progignunt morbos. Nam, ſi univerſalis exacerbatio motûs intenſioris cor cum vaſis corripit, febres accendit: ſi nervoſas & membranaceas partes, epilepticos & convulſivos morbos inducit. A ſpaſmô partis cujuſdam ſingularis congeſtiones, dolores, tumores, ſanguinis effuſiones, ſeri defluxiones, inflammationes, cetera ſequuntur mala. Omnium verò motuum morboſorum effectus ſi quis velit rectè intelligere, lucem ex nervorum diſtributione indèque pendente partium conſenſû, necnon ex hydraulicâ & ſtaticâ diſciplinâ mutuari debet. Cauſæ morboſorum motuum, ſive à quantitate læſâ, ſive à qualitate depravatâ pendeant, maximam partem intra primarum viarum regionem ſedem ſuam habent, ex quô apparet, quàm rectè in praxi agant, qui ſemper eô reſpiciunt, ut gravium morborum fomes hic gliſcens exſtinguatur tempeſtivâ & commodâ evacuatione. Sed aliter ſe res habet in acutis paſſionibus, tota motuum, tam ſanguinis quàm fluidi nervei, turbata œconomia, ubi hoc medendi genus ſuas habet inſignes cautiones.

Quemadmodum in pathologicis effectus morboſi ad duo cauſarum revocantur genera; ità in therapiâ non niſi totidem ſunt medicamentorum claſſes ad illos expugnandos comparatæ; in quarum alterâ ſunt antiſpaſmodica ſeu ſedativa, in alterâ autem tonica ſeu roborantia. Ut verò effectuum morboſorum cauſas expugnemus & amoliamur, indigemus evacuantibus atque alterantibus; quorum pauca & ſelectiora Medicus pro ſcopô ſuô requirat, maximè verò ſimplicia, parabilia & temperatius agentia habeat commendata.

Ex hâc deſignatione totiûs ſyſtematis facilè dijudicari poterit, non ſolùm quis ſcopus in ſcribendâ hâc Medicinâ rationali fuerit, & quô nexû res tam variæ & difficiles inter ſe cohæreant, aut quid expectari in alterô Tomô liceat; verùm etiam apparebit, quantum omnes debeant Celeberrimo Autori, qui ad Medicinam adſpirantibus viam, tot remotis ſalebris, nunc planam & facilem reddidit, theoriam ubique praxi accommodavit, multarumque rerum feliciter explicuit rationes, quas dari poſſe alii deſperaverant vel prorſùs negarant.

Prior hic Tomus, poſt Prolegomena, de Medicinæ naturâ, fundamentis & principiô demonſtrandi, exhibet Phyſiologiam, & Hygieinen, quam Excellentiſſimus Autor, præter Scholarum morem, proximam à Phyſiologiâ locandam cenſuit, quia non ſolum hôc ordine, ob arctiſſimum utriûsque partis nexum, commodiſſimè docetur; verùm etiam Pathologia maximè ſupponit diæteticas regulas, quia omni die videmus ex harum neglectû morbos enaſci, vel aliunde in corpus negligentius habitum tranſlatos peculiarem conſiderationem depoſcere.

Methodus hæc omnia tradendi talis eſt, quæ legenti ad fructum capiendum aptiſſima ſit futura, ſcribenti autem multô labore & aſſiduâ meditatione conſtitit. Nempe, ut ſolent Geometræ, definitionibus claris atque theorematibus propoſitis, ad ulteriores concluſiones progreditur, & quæ ad illuſtrationem pertinent, Scholiis ſubjunctis declarat: ſimili ratione totum opus hoc adornatum eſt. Quare non eſt dubium, quin in hoc opere, rerum pulcherrimarum copia & ordinis nexûſque ratio ſtudioſiſſimè habita, lectori plurimùm utilitatis ſint allatura, præſertim cùm indicis copioſi beneficio, ſi quid alio loco fortè clariùs & copioſiùs de eôdem argumentô propoſitum fuerit, facilè reperiatur.

Ibidem

Ibidem Anno 1721. *p.* 397.

Diſſertationum Phyſico-Medicarum Decas II. Lugduni Batav. apud Theodor. Haak, 1719. 8.

QUartum hoc eſt volumen diſſertationum Hoffmannianarum quod ex hâc officinâ prodiit, & quoniam de prioribus in *Actis A.* 1708. *M. Maj. p.* 223. *A.* 1709. *M. Febr. p.* 75. *& A.* 1714. *M. Maj. p.* 207. diximus, par erit ut de hoc quoque nonnihil referamus. Complectitur autem ſequentes diſſertationes; de ratione, univerſæ Medicinæ præſide; de præmaturâ morte & morbis præcavendis; de ſeptem ſanitatis legibus; de magnô V. S. ad vitam ſanam & longam remediô; de aquâ, medicinâ univerſali; de acidularum & thermarum ratione ingredientium & virium convenientiâ; de medicamentis inſecuris & infidis; de medicamentis ſelectioribus; de medicamentis balſamicis; de præſtantiâ remediorum domeſticorum. Has ſingulas diverſis temporibus à ſe editas Celeberrimus earum Autor, rogatus à bibliopolâ, recognovit, hâcque formâ excudendas permiſit. Ut verò lectori guſtum præbeamus utiliſſimarum rerum, quas vir illuſtri ſuâ eruditione dudùm notiſſimus in iis propoſuit, aliqua hinc inde decerpta exhibebimus.

Qui in Medicinâ profitentur ſolâ ſe niti experientia fundamentô lubricô & nō ſatis firmô nituntur. Ad experientiā æquè provocant V. S. patroni, atque illi, qui eam maximè reformidant ac contemnunt, & quod maximū eſt, in ipſis illis morbis, ubi unicum in hôc remediô præſidiū aliqui ponunt, alii illud abſolutè rejiciunt. Ità res etiam comparata eſt cum evacuantibus, alexipharmacis, ſalibus volatilibus aromaticis, ſpiritibus acidis mineralibus, & ſuccis vegetabilium acidis, opiatis, martialibus, cortice Chinæ, mercurialibus, veſicatoriis, thermarum, acidularum & lactis uſū, quæ omnia diverſiſſimis encomiis à Practicis experientia ſua ſubnixis commendantur vel reprobantur. Et dubitandum eſt, an unquam ad firmam ſolidamque experientiam Medicina perduci poſſit, ob corporum, morborum, climatum magnam diverſitatem, vitæ brevitatem &c. Nihil igitùr Medico ſupereſt, ad vincendas tot difficultates, præter rationem? At verò hîc etiam novæ emergunt difficultates, cùm quilibet Medicus ſuas hypotheſes applicet ad Medicinam, & infinitus ſit circa principia phyſica æque ac medica diſſenſus; neque in morborum origine ac cauſis explicandis, neque in remediorum viribus & agendi modo deſignando omnes conveniant. Ex his difficultatibus nemo emerget, niſi qui intellectum ſuum compluribus veritatibus ex ſenſū, experientiâ & obſervatione petitis imbuat, haſque deinde benè connectere & in ordinem redigere diſcat. Ità facilè axiomata inveniet & incognita beneficio cognitorum, obſcura ex claris evolvet atque explicabit. Ante omnia præcipitantiam in judicio ferendo de quôvis obſervatô effectū fugiat, certusque ſit effectum cujusvis medicinæ adhibitæ non à ſolô remediô datô pendere, ſed plures ſimul cauſas, ex conditione utentis eruendas concurrere. Rectô igitùr rationis in medicinâ uſū ſolô medicina plus crevit quàm per experientiam.

Dolendum eſt, tam multos Medici opem non implorare priùs quàm gravi morbo ſæpèque planè deſperatô decumbant; cùm major medicæ artis poteſtas ſit in morbis avertendis quàm debellandis. Neque tamen Medicus in omnibus ſubjectis æque facilè morbos præoccupare & vitam conſervare valet, quoniam nativa corporum conſtitutio multùm differt. Alii à parentibus ſuis firmum ac robuſtum corpus nacti ſunt: alii debile & imbecillum. Notæ ergò, quibus durabile ac vivax corpus à minùs firmô dignoſcas, exhibentur. Debet verò Medicus hæc conſiderare, quando cuivis individuo conveniens vivendi regimen præſcribere cupit. Hanc differentiam Celſus & Hippocrates benè cognoverunt. Ante omnia adſumendorum proportio eſſe debet, ut & liquida ſolidis rectè reſpondeant, & hæc ſimùl excretorum rationi ac multitudini benè conveniant. Deindè proſpiciendum eſt, ut fluida in perpetuô ac liberô per minima vaſcula progreſſū maneant, quia excretionum rectus ſucceſſus ab hâc maximè cauſâ pendet. Hoc fine laudanda ſunt infuſa calida, acidularum & thermarum uſus, quippe hoc modo non ſolùm humores diluuntur & temperantur, verùm etiam libera circulatio cum excretionibus conſervatur. Cavendum autem eſt ab omni ſubitâ mutatione, nec poſt frigus aut calorem imodicum corpus ſtatim contrariis comitti, nec nimia repletio poſt famem magnamque debilitationem fieri; nec à conſuetis ſimùl ac ſemel recedi debet. Quum morbi ſint motuum vitalium turbationes & alterationes, facilè illos præcavebit, qui motus ordinatos conſervare noverit & ſtuduerit. Id verò quâ ratione in febribus malignis & quibusvis contagioſis ac axanthematicis, intermittentibus, hecticis ac lentis, in affectibus catarrhalibus, inflamationibus, hæmorrhagiis, malo hypochondriaco, affectu hyſterico, diarrhœa, dyſenteria, calculo, epilepſia, cordis palpitatione, apoplexia, phthiſi, aſthmate, cachexiâ, menſium ſuppreſſione, & infantum morbis fieri poſſit, copioſè diſſeritur.

Leges, quæ in tertiâ Diſſertatione præſcribuntur, ſunt ſequentes; Omne nimium, quia naturæ inimicum eſt, fuge. Ne ſubitò mutes aſſueta, quia conſuetudo eſt altera natura. Animo hilari ac tranquillo eſto. Aërem purum & temperatum vehementer ama, quia ad corporis & animi vigorem multùm confert. Quàm maximè ſelige alimenta corpori noſtro congrua, & quæ faciliùs ſolvuntur & corpus tranſeunt. Menſuram ſemper quærito inter alimenta & inter motū ac robur corporis. Fuge Medicos & medicamenta, ſi vis eſſe ſalvus.

Jam à longô tempore Medicorum ſcholæ inter ſe diſſident, quandò de V. S. quæritur; aliis ab hoc remedii genere penitùs abhorrentibus, dum alii ferè nimium tribuunt. Sanguinem dum liberum ac æquabilem motum habet, vitæ theſaurum eſſe, negari omninò nequit; ſed eundem motui ineptum aut planè ſubſiſtentem multa inferre mala extra dubium poni debet. Examinantur rationes, quæ adverſus V. S. proponi ſolent, ac refutantur tum rationibus, tùm etiam experientiâ; poſt hæc verò illius fructus multis commonſtrantur, plethoræque incommoda proponuntur, quam ſanè abſtinentiâ, inediâ, motûque laborioſiori vincere ac minuere licet; modò pleriſque ſatis perſuaderi poſſit, quàm neceſſarium ſit ſeriò ſibi vim facere & in hoc ſtudiô conſtantiam quoque probare. Oſtenſa hujus remedii neceſſitate, porrò indicatur, à quibus morbis maximè præſervet, nimirū ab apoplexiâ, polyporum generatione, acutis etiā affectibus inflamatoriis, abortu, hæmoptyſi, arthritide, nephritide, cachexiâ, hydrope, phthiſ.

In Medicinâ laudantur quidem ſpecifica: ſed revera medicamenta omnia non tam ſecundùm activitatem ſuam, quàm ſecundùm receptivitatem utentium operantur; quô conſideratô apparet, quid de magnificis quorumdam pollicitationibus exſpectari poſſit vel debeat. Aqua verò eſt remediū in ſe tutiſſimum, omnibusque intentionibus medici curatoriis æquè ac præſervatoriis accommodatum, quod omni tempore adhibere licet. Differunt au-

tem aquæ, nec ſingulæ ſunt æquè bonæ; quarum examen ut inſtitui poſſit, diſſeritur, multaque de aquarum & fluviorum vi & fontium differentia adducuntur notatû digna. His prælibatis deinceps docetur & ex corporis noſtri naturâ demonſtratur, quodnam & quàm multiplex ab aquæ uſû bonum expectandum ſit. Poteſt autem uſus aquæ puræ curatorius inſtitui ad graves morbos expugnandos, ut cachexiam, melancholiam, menſes retentos, capitis imbecillitatem, lippitudines, herpetem, rubedinem faciei, guttam roſaceam omneſque cutis pruriginoſos cum rubedine vel exulceratione affectûs, arthritidem, podagram, capitis dolorem, comitialem morbum. Quanta elogia theæ tribuuntur? & tamen plus efficaciæ ab aquâ calidâ, quàm ab illâ herbulâ provenit. Poſſumus tamen in quibuſdam affectibus cum fructû adhibere calidam, infuſione ſuper herbas convenienter viribus earum imbutam.

Fontium virtutes à montium vicinorum conditione ſunt repetendæ. His verò aquæ imbuuntur. Et martiale quidem principium ferè omnibus ineſt aquis; teſte ochrâ illâ, quam quieſcentes deponunt. Idem principium confirmat purpureus ab injectô gallarum pulvere color. Porrò conveniunt thermæ & acidulæ ſale, quod habent, alcalinæ naturæ. Mirum autem, ſed veriſſimum, acidulas ſal alcalinum etiam fovere; nam cum alcalinô non confligunt, ſed cum acido, & ſyrupum violarum reddunt viridem. Deinceps etiam conveniunt palmariò illi ingredienti, à quô præcipuæ vires pendent, ſubtili, volatili & minerali principio, quod ſe prodit bullarum frequentium in aquis recenter hauſtis adſcenſione, & quod facilè avolat, humore effœtô & in corruptionem prono remanente. Hoc principium ſpiritûs nomine Cel. Autori venit, cujus ſingulas proprietates latius examinat. Ejus ratio quam maximè haberi à potantibus debet, ne effugiat atque exhalet, effœtæque aquæ tùm magis nocere quàm prodeſſe poſſint.

Diſſ. 7. prima Sectio de inſecuris remediis agit. Non protinùs hoc nomine inſigniendum eſt, à quô noxium obſervamus effectum, nec inſecurum idem, quod potentes habet ad agendum vires: ſed quæ vel venenum intra ſe recondunt, vel veneni indolem in corpore noſtrô poſſunt induere, id eſt, quæ ob principium corpori valdè inimicum mediocri doſi celerrimè œconomiam motuum vitalium aut turbant aut deſtruunt. Talia ſunt cathartica fortiora, emetica, præſertim ſtibiata, narcotica. Hinc inter inſecura remedia referuntur ex regnô minerali aurum fulminans, cryſtalli Lunæ, vitriolica ex Venere parata, Saturnina, Mercurius vivus & dulcis, Arſenicum, ex regulinâ Antimonii ſubſtantiâ parata remedia, Magiſterium Biſmuthi & ſpiritus acidi mineralium. Ex animali regnô inſecura res eſt cantharidum uſus internus; idemque valet de millepedibus, araneis, bufonibus. Ex vegetabilibus radix authoræ, quam pro alexipharmaco multi commendant, ut & nux vomica. Altera Sectio de infidis remediis agit, id eſt, quæ malæ fidei ſunt, & medentis intentionem fallunt ac deſtituunt, dum palliativè curant vel mitigant morbum, cauſa ejus relicta. In horum claſſem primò referuntur loco adſtringentia, aluminoſa, martialia, chinchina, de quorum rectô & periculoſô uſû diſſeritur. Secundò fortiora alexipharmaca; tertiò diuretica ponuntur & conſiderantur. Tum de lactis uſû dicitur. Ab internè datis ad externa repellentia & conſtringentia tranſitur, eorumque noxæ indicantur.

Reliquarum argumenta ſuperius indicavimus; ſed quò minus æquè recenſeamus, brevitatis neceſſario ſtudio impedimur. Satis ex jam dictis apparebit, quam varia doctrinæ medicæ copia hic expectanda ſit, operæque pretium facturum eſſe, qui integras ſtudiosè evolverit.

Ibidem Annô 1722. *p.* 315.

Medicinæ rationalis ſyſtematicæ Tomus II. quô philoſophia corporis humani morboſi traditur, & vera pathologiæ fundamenta, necnon præſervatio ab omnis generis morbis, clarè exponuntur. Halæ Magdeb. ex officinâ Rengerianâ, 1722. 4.

ALter hic eſt Tomus Medicinæ rationalis ſyſtematicæ, quam Vir fama & meritis Illuſtris in lucem emiſit, eoque, quid morbos humano corpori mortemque inferat, perſpicuâ maximè ratione demonſtrat; tum verò etiam modum illas noxas à corpore avertendi genuinum exponit. Voluit autem, ut in præfatione admonet, in hunc librum illa conjicere, quæ rationalis pathologiæ & praxeos medicæ fundamentum complectuntur; ſpecialem autem pathologiam cum praxi clinicâ, quæ ordine ſequetur, conjungere. In demonſtrandis morborum primis principiis, & quomodo illi pullulent ac generentur, primariò ad firmas & ſtatutas motuum leges digitum intendit, pariterque monſtrat, qui motus naturam conſervent & à morbis liberent, quivè illos inferre & naturam vel labefactare vel deſtruere poſſint. Quantum ingeſtorum aut excernendorum vitiô ac defectû corpori noceatur; tum verò etiam quid res inſalubres, venena ac validiora medicamenta ad exitium corpori parandum valeant, dilucidè exponitur. Morborum fomites & mineras in inteſtinorum canali potiſſimùm ex variis confluentibus ſuccis per diuturnam moram concipi, ibique domicilium fixum ponere, clariſſimè oſtenditur. Acutas paſſiones & motus in morbis, ut ſunt febres, ſpaſmi, dolores, anxietates, convulſiones motricium partium eſſe affectus; chronicarum verò ægritudinum cauſas ex ſanguinis tardiori motû, qui plethoram & cacochymiam producit, originem ducere demonſtratur.

Ut verò pulcherrimi operis pleniorem conſpectum ſiſtamus, primò quidem totam illius œconomiam ordine exhibebimus, deinde ſpecimen aliquod, præbendi guſtûs cauſa, apponemus. Prolegomena, tribus capitibus diſtincta, de veræ pathologiæ medicæ naturâ, definitione ac fundamentis, de hypotheſium in arte medicâ damno, deque veritatibus pathologiæ fundamentalibus ex phyſiologiâ repetendis diſſerunt. Ipſum deinde opus tribus abſolvitur partibus, quarum prima ſex capitibus omnem doctrinam de mortis naturâ & cauſis, de morborum & ſymptomatum naturâ, de motuum microcoſmicorum legibus & effectibus in producendis morbis & ſymptomatibus, de morborum & motuum morboſorum cauſis, de morbificarum cauſarum ſede & operatione, deque morborum, ratione cauſarum, differente indole atque effectû, includit. Secunda pars, undecim capitibus diſtincta, diſſerit de rerum inſalubrium & nocentium naturâ & viribus, ſpeciatim de affectibus animi; de venenis eorumque naturâ; viribus & modô agendi; de venenis humani corporis; de iis, quæ in aëre continentur, & epidemiorum morborum cauſæ fiunt; de medicamentis veneni

vim

vim habentibus; de virulentâ mercurialium noxâ, ceu gravium malorum cauſâ: de ſoporiferis: de ceteris medicamentis virulentam naturam referentibus: de rebus venenatis in aëre interque eſculenta & potulenta reperiundis: de frigidô potû vitæ & ſanitati hominum inimiciſſimo, de rebus non venenatis ſed inſtar veneni in corpus humanum agentibus. Tertiæ partis novem capita de corporum imbecillitate morbis potiſſimùm obnoxiâ; de morborum origine ex copiâ & vitiô ingeſtorum, de alimentis intemperatis, ingenîique acidorum noxâ, de noxâ potûs ſpirituoſi vel nimis pauci; de excretionum defectû, præcipuô morborum fundamentô, de perniciali earum rerum, quæ excretiones cohibent, indole atque effectû; de morborum maximè epidemiorum origine ex aëris vitiô & tranſpiratione impeditâ: de morborum generatione ex nimiâ ſanguinis abundantiâ & humorum impuritate, & de genuinis corpora à morbis præſervandi præſidiis, exponunt.

Speciminis locô partis II. capitis IX. breviorem ſummam ſubjiciemus. Agit verò hoc de rebus venenatis in aëre, interque eſculenta & potulenta reperiundis. Aërem variis effluviis & exhalationibus imbui poſſe breviter monetur. Inter virulentas & infenſas exhalationes primô locô referuntur illæ ex carbonibus ligneis, qui ſenſuum opreſſionem & torporem, profundum ſoporem, mentis alienationem, graves cephalalgias, animi deliquia, aphoniam, ſummam artuum impotentiam viriumque languorem efficiunt. Qui eô fumô enectorum corpora ſecuerunt, vaſa meningum ſanguine nimium diſtenta, infarcta & inflammata deprehenderunt. Ineſt itàque huic vapori præter vim ſuffocativam, omni fumo concentrato communem, principium aliquod narcoticum ſive ſtupefactivum magnæ activitatis, cujus effectus vehementior eſt, ſi vel ab intenſô frigore, vel in conclavi minùs ſpatioſô coarctatur. Similis ferè malitiæ eſt vapor, quem ſpargunt parietes tectoriô calcis novô recenter obducti, utpote qui febres, anginam lethalem, ſternutatorium morbum, per multos annos contumacem & efferum, concitâſſe fuit obſervatus. Siquidem ſubtiliſſimæ, acris & corroſivæ indolis eſt & nervoſis arteriæ aſperæ aliisque capitis partibus ſe inſinuando ſpaſticas ſtricturas & commotiones cæteraque ſymptomata accerſit. Gravis & teter candelæ ſebaceæ extinctæ fœtor multos in graves cephalalgias, vertiginem, oculorum ruborem conjecit, fœminis hyſtericas paſſiones excitavit, fœtumque, quem uterô gerebant, exſtinxit: imò viſi ſunt, epileptici facti & vita ob hunc fœtorem privati. Metalli foſſoribus ſæpè plus nocent ellychniorum fumi, quam metallici vapores, quos terra emittit. Inter eſculenta lolium temulentum & ſecale nigrum corniculare epidemicos ſæpè morbos producunt. Fungi etiam comeſti ſæpè vomitus, præcordiorum oppreſſionem, ventris tormina, cardialgias & diarrhœas, animi deliquia, frigidum ſudorem, dyſenterias, ſingultum & tremores inducunt, ob acrimoniam ſubtilem cauſticam, quæ in recentibus & crudis magna eſt; exſiccatione, elixatione, aceti & pinguium adjectione autem cicuratur vel penitùs aufertur. Animalium ægrotantium & ex morbô mortuorum carnes in cibum appoſitæ, ſæpè incredibilem afferunt noxam; quia putredo, tanquam malum ſui multiplicativum illis paſtorum viſceribus infertur. Etiam piſcium mortuorum eſus, præſertim mytulorum, multis valdè nocuit, immò integras familias funeſtô damnô multavit. Braſſica criſpa rore vermiculoſo obſeſſa & cum hoc comeſta dyſenterias haud rarò excitavit. Veriſimile eſt hoc malum; quod Germani *Mehlthau* vocant, denominationem hanc accepiſſe ab eô, quod vermiculi illi æquant acaros caſeorum, quos vocamus *Mülben* vel *Müllen*, ut adeò *Müllenthau* in *Mehlthau* tranſmutatum ſit. Habent, ut omnia inſecta, ſal quoddam cauſticum; quare oportet, antequam braſſica in cibum paretur, illam probè lavare & infecta folia abjicere. Ex potulentis veneni naturam maximè habent aquæ ſtagnantes, putridæ & verminoſæ; immò exempla proſtant, etiam cereviſias ex talibus coctas ſtrages totis urbibus intuliſſe.

Hæc ſufficient ad cognoſcendum non ſolùm, quantùm pulcherrimarum rerum hic expectandum ſit, verùm etiam ad intelligendum, quô ordine & quam plana methodo ſingula proponantur. Nullum eſt dubium, quin omnes boni nobiſcùm meritiſſimo Viro vitam & otium apprecaturi ſint, ut, quæ ſuperſunt ad integrum Medicinæ Corpus abſolvendum, propediem, ut ſpes eſt, lucem publicam aſpiciant.

Atque nuper prodiit eôdem fermè titulo Opus ab Eruditis Lipſienſibus ſuprà laudatum, atque pro omnium deſiderio dimidiâ parte auctius: Baſileæ *quidem*, apud Joh. Ludov. Brandmullerum, *quamvis appoſitô nomine* Venetiis, apud Ballionem; anno 1730. in 4. quatuor diſtributum Tomis: quorum

I. Philoſophia corporis humani vivi & ſani, ex ſolidis Phyſico-Mechanicis & Anatomicis principiis, methodô planè demonſtrativâ per certa Theoremata ac Scholia traditur, & Pathologiæ ac Praxi Medicæ Clinicæ ceu verum Fundamentum præmittitur, in uſum docentium & diſcentium.

II. Philoſophia corporis humani morboſi ex accuratis obſervationibus, ſolidiſque Anatomicis & Mechanico-Phyſicis principiis, methodô planè demonſtrativâ per certa Theoremata ac Scholia traditur, & vera Pathologiæ Fundamenta nec non Præſervatio ab omnis generis morbis clarè exponuntur: in uſum docentium & diſcentium.

III. Vera Therapiæ Fundamenta, medendi methodus & leges tam naturæ quàm artis, nec non ſelectiſſima Remedia cum eorundem Phyſico-Mechanico operandi & dextrè applicandi modo fideliter traduntur: omnia ſolidis ratiociniis demonſtrantur & compluribus practicis obſervationibus illuſtrantur: Opus non tam ad Praxin vulgarem quàm rationalem tutam ac compendioſam adornandam perutile ac neceſſarium.

IV. Specialis morborum Pathologia & huic ſuperſtructa ſolida Therapia cum medendi methodo, cautelis Clinicis & Morborum enarrationibus adjuncta epicriſi exhibentur: In duas dividitur partes, quarum I. Doctrina de omnis generis febribus intermittentibus, altera de Febribus tam continuis quàm acutis inflammatoriis perſpicuâ & demonſtrativâ methodô traditur.

Ibidem Anno 1722. *p.* 358.

Medicina conſultatoria quinque Decades Conſiliorum & Reſponſorum Facultatis Medicæ exhibens, Pars I. Halæ Magdeb. ex officinâ Rengerianâ. 1721. 4.

QUam benè de Medicinâ mereantur, qui obſervationes probè conſignatas poſteritati tranſ-

tranſmittunt, iiſque difficilium curationum eventus, vel conſilia ægrotantibus ſuppeditata, vel judicium de dubiis caſibus ſolidè latum oblivioni eripiunt: quantumque fructum talia ſedulò legentibus ad judicium experientiâ ſubigendum afferant, fama meritiſque illuſtris orbique jam olim notiſſimus Autor in præfatione huic operi præmiſſa exponit. Ipſe igitur manum operi admovet, & ex iis, quæ tot annorum experientia artisque operum exercitatio ſuppeditârunt, cum publico communicat nunc quidem L. ſpecimina, inter quæ ſunt, quæ Facultatis Medicæ, multa, quæ ſuo nomine reſponſa aut conſilia requirentibus data fuerunt. Juvabit nonnullorum ſummas referre, ut Lectori pateat, quid nunc debeat meritiſſimo Autori, & quàm juſtè optemus, ut pluribus partibus ſucceſſivè edendis publico bono inſervire pergat. Primus caſus exhibet judicium Facultatis de morte ſubitâ viri 56. annorum, anteà vegeti & ſani, qui, quum ſummo mane ſe itineri equo perficiendo accingeret, à filia præparatam chocoladam cum lacte coctam biberat. Proficiſcitur tempeſtate incommodâ & pluvioſâ, ſed, quod valdè ægrotare cœperat, maturè revertitur & lectum petit ſummè infirmus. Vehementes vomitus, cum cardialgiâ & anxietate hominem torquent, dejectiones crebræ per alvum ſubſequuntur, extrema frigent, facies ſudore frigidô madet, omnia faſtidit, parùm loqui valet, horâ admodum nonâ poſt aſſumtam chocoladam moritur, quum priùs ſingultû & convulſionibus vexatus fuiſſet, & aphonus jacuiſſet. Ungues mortui cœrulei videbantur, & maculæ lividæ per collum & humerum, in pectore etiam & latere ſiniſtrô maculæ quædam obſervabantur, ſine notabili abdominis intumeſcentiâ. Quum non leves cauſæ de venenô propinatô cogitandi innotuerint, odium ſcilicèt filiæ erga parentem, nimia familiaritas cum ſervô, & quod emiſſe illam arſenicum conſtabat, conſulta Halenſis Facultas ità judicium tulit ſuum, ut virum hunc potiùs ab arſenicô chocoladæ admixto quàm morbo quodam obiiſſe diem declararet. Nam quum virum iſtum vehementibus ſpaſmodicis vel hypochondriacis pathematibus unquam laborâſſe non conſtet, neque choleram fuiſſe morbum, quo ſublatus eſt, ex ſignis appareat, illud minimè ad excitanda tam atrocia ſymptomata aut mortem accelerandam ſuffecit, quod flatulentiam aut acorem ventriculi ſæpè accuſavit, quod diebus prægreſſis vinum rubrum bibit, & chocolada cum lacte aſſumta, libero ſe eique pluvioſo aëri commiſit. Oportet igitur adfuiſſe cauſam, quæ proportionatas vires cum tantô effectû haberet; venenumque fuiſſe exhibitum, eò magis eluceſcit, quoniam die prægreſſo edit, bibit, inde dormivit, neque de ullô incommodô conqueſtus fuit, antequàm chocoladam ſumeret.

Primæ decadis caſus nonus conſilium ab Illuſtri Autore datum ſiſtit, agitque de mictûs cruenti perquàm rarâ ſpecie. Nimirùm Vir 60. annorum ſubitò corripitur colicis vehementibus doloribus, cum mingendi difficultate conjunctis, quæ conſtanter, illis etiam evaneſcentibus, hominem affligit. Accedit mictus cruentus per 8. ad 14. dies ſæpè durans, ſubinde quidem remittens, ſed ad quemvis corporis motum promtè recrudeſcens, doloribus nunquam penitùs ceſſantibus. Dum hæc per duos ferè annos fiunt, varia artis præſidia adhibita fuerunt, acidularumque Egranarum uſus bis inſtitutus fuit. Quum tandem ſanguinis per V. S. & hirudines fierent ventilationes, ſanguinis quidem ſinceri effluxus ceſſavit, urina tamen poſt refrigerationem ſedimentum rubicundum, tandemque moleculas congrumati ſanguinis exhibuit. Aliquandò unâ die ultrà viginti excretæ fuerunt tales moleculæ, quarum fuêre quædam digiti minimi longitudini æquales membranaque involutæ videbantur; quædam quaſi carnoſæ nullum ſanguinis veſtigium exhibebant. Ab hâc excretione conquieſcere morbum dixiſſes, niſi dolorifica mictio permanſiſſet. Sed brevi ſucceſſit vera colica nephritica, ſub cujus doloribus calculi exigui prodibant. Hâc expugnatâ lotium clarum fluxit, ſed nec dolores nec difficultas mingendi, cum crebrô tamen conatû, cui teneſmus accedit, quieverunt. Inter hæc ſomnus ſemper à doloribus interrumpitur, flatulentia crebrique ructus affligunt, appetitus proſtratus eſt; omniaque circa Lunæ phaſes exacerbantur. In regione pubis ſæpè pruritum, & interdùm dolorem interiùs quaſi prementem & lancinantem ſentit, tanquam à præternaturali corpore ibi latitante; quæ ſingula magis exacerbantur, quoties corpus à tuſſi, ſternutatione vel aliô motû concutitur. Urina ſæpè tantô impetû pellitur, ut ferè involuntariè erumpat.

Expoſitam morbi hiſtoriam ità reſolvit Vir celeberrimus. Ægrotum, cùm plethoricus valdè eſſet, propter denegatum ſanguinis per hæmorrhoides fluxum, colica ſpaſmodica correptum fuiſſe, quam dyſuria & mictus cruentus conſequutus fuit. Hic autem mictus non eſt aliquô renum vel vaſorum emulgentium vitiô ortus fuit, ſed originem ſuam debet venæ hæmorrhoidali externæ, cujus rami, præſertim in viris, veſicæ cervicem copioſis ſurculis ambiunt. Rariorem hanc mictûs cruenti ſpeciem, ſed non ſine exemplo eſſe, adductis obſervationibus probatur. Cognoſcitur autem ex eô, quod in lumbis & renibus nullus dolor obſervatur; ſed conatus & ſtimulus mingendi continuus cum teneſmo & ſenſû ardoris in anô, dolor quaſi ſcindens & urens in pene uſque ad glandem excurrens, cum rigidâ penis tenſione continuò affligit. Stagnante autem ſanguine in pelvis, veſicæ & inteſtini recti partibus, aperiuntur venarum oſcula, quæ ſi largum ſanguinem emittunt, ille ſincerus cum lotiô effluit; ſi parùm ſucceſſivè exſtillat, ille coagulatur & cum mucô veſicæ mixtus in moleculas congrumati ſanguinis, quaſi membranâ veſtitas, abit. Difficilis hic eſt morbus præſertim inveteratus, & quando ſenile corpus occupat; & neglectus planè corruptionem & lethalem ſphacelationem minatur. Suadetur ægroto venæſectio, ter quotannis in brachiô inſtituenda; commendatur alvi laxæ cura, quam ſegnem per paſſulas, rhabarbarina expedire, aloëtica autem & omnia acria vitare jubetur. Cereviſiarum vinique potus diſſuadetur, in cœnâ tamen modicum Burgundici guſtare permittitur. Cœna ipſa ſit moderatiſſima; potus autem aqua cum china, ſarſaparilla, ſantalis & glycyrrhyza decocta. Thermarum & acidularum uſus improbatur. Externè lintea in aquâ ad vulnera ſclopetorum (*l'Eau d'Arquebuſade*) madefacta pubi perinæoque imponenda, & per noctem relinquenda commendantur.

Decadis quartæ caſus II. exhibet hominem ſingulari pugnâ in abdomine, anguſtiori gladio, per lineam albam vulneratum, & ſeptimo à conflictu die mortuum. Quum cadaver ſecaretur, quatuor circiter libræ extravaſati ſanguinis, & in multis partibus gangræna deprehendebatur. In meſocolô vas arterioſum diſciſſum erat. Medicus & Chirurgus, qui vulneratum ſecundum artis

præſcriptum

præſcriptum tractaverant, & mortuum ſecuerant, in relatione magiſtratui exhibita vulnus abſolutè lethale pronunciaverant: ſed balneator quidam contenderat, vulneris labia debuiſſe amplificari, ſanguinem extravaſatum emitti & contra gangrænam pugnari; ſic vulneratum ſervari potuiſſe. Quæſita Facultas reſpondit, & vulnus abſolutè lethale & judicium balneatoris minimè fuiſſe fundatum.

Sunt etiam caſus, ubi diſſentientes integrorum collegiorum ſententiæ exhibentur. Notatû maximè dignus eſt decadis quartæ nonus, ubi quæritur, ſitne ſpiritus vitrioli copioſè ſumtus venenum, poſſitque hominem continuatô usû interimere? Quæſiti Rinthelenſes, Halenſes, Jenenſes, Gieſſenſes Medici, etiam privati quidam, judicium ſuum protulerunt, Halenſi Facultati, quæ negativam amplexa erat, ſcribendæ reſponſo ſuo apologiæ neceſſitas impoſita fuit. Singula hæc reſponſa conjunctim ibi leguntur; ad finem verò monetur, virum iſtum, qui controverſiæ occaſionem dederat, tandem confeſſum eſſe, ſe uxori interemtæ arſenicum propinaſſe.

Ibidem Annô 1723. *pag.* 98.

Obſervationum Phyſico-Chymicarum ſelectiorum Libri III. in quibus multa curioſa experimenta & lectiſſima virtutis medicamenta exhibentur, ad ſolidam & rationalem Chymiam ſtabiliendam præmiſſi. Halæ, in officinâ Rengerianâ, 1722. 4.

INſtitutum Celeberrimi Autoris titulus operis egregii loquitur, quod in grati animi teſſeram Societati Scientiarum Regiæ Britannicæ dedicavit, quod ipſum in ſuum ordinem cooptare dignata fuerit. Præmittitur præfatio epiſtolaris ad *Pium Nicolaum Garelli*, Archiatrum Cæſareum primarium, in quâ Cel. Autor de Chymiæ imperfectione conqueritur, cùm pauciſſimi fuerint, qui accuratas obſervationes & experimenta cum induſtriâ inſtituerint & phænomenorum cauſas elicere atque ad uſus in aliis ſcientiis transferre potuerint. Commendat Chymiæ in Phyſicâ & Medicinâ uſum, cùm artificium oſtendat, quo corpora mixta diſſolvi, eorumque textura transformari & proprietates inſitæ in alias mutari poſſint, atque per chymica experimenta ignis, caloris, lucis, frigoris, colorum, ſaporum, motuum terræ ignisque ſubterranei natura & cauſæ rectiùs intelligantur; cùm in Phyſiologiâ multa occurrant, quibus explicandis idoneus non ſit, niſi Chymiæ peritus; cùm per eam plures difficultates in Pathologiâ tollantur, multa ſcientiæ diæteticæ utilitas accedat, multum Semiologiæ lucis affundatur, vires medicamentorum in apricô ponantur, medicamenta denique ſelectiſſima conficiantur & ad dignoſcenda eadem via ſternatur. Monſtrat porrò, quamnam Chymia artibus mechanicis afferat utilitatem, cùm eidem ſuperſtructa ſit omnis metallurgia & non exiguum adjumentum afferat ad quoſdam aurifabrorum labores, varia etiam inventa ad vitam ſervientia inde propullularint. Præfationi ſubnectitur obſervationum conſpectus, ex quô apparet, librô primô contineri viginti octo, ſecundô triginta duo, tertiô viginti & unam, numerô omnium octogenarium ſuperante.

Librô primô ab Obſervatione primâ uſque ad decimam quartam multa de oleis in medium afferuntur. Quæ attritû & calore fortem odorem ſpargunt, ea vegetabilia per deſtillationem humidam oleum fundere ſubtile ac odori proportionatum; ſulphur enim eſſe odoris principium. Contra odore carentia, etſi forti atque acri ſapore prædita, perparùm olei fundere, ut adeò manifeſtum ſit, aliud eſſe odoris, aliud ſaporis principium. Aromata odoris fragrantis plus calefacere, quàm quæ odore carent. Multæ commendantur enchireſes in deſtillatione oleorum obſervandæ, quæ apud ipſum Authorem legi poſſunt. Illud quoque notatû dignum eſt, vegetabilia parum olei edere, niſi ad adultam ætatem pervenerint, & ſeneſcentium eandem ſortem eſſe, quam juvenilium. Tempeſtates variabiles in copiam oleorum influere perhibetur. Docetur etiam, quomodo olea deſtillata adulterari ſoleant, quâ datâ occaſione in ſpecie de oleô juniperi, ligni Saſſafras atque Cariophyllorum verò agitur, olea deſtillata rariora recenſentur, & pretioſa nonnulla ſingularibus obſervationibus illuſtrantur, veluti oleum roſarum & myrrhæ, oleum ex balſamô de Copahu deſtillatum &c. Reperies hic porrò cautelas in oleorum deſtillatione & conſervatione adhibendas, modum determinandi oleorum gravitates ſpecificas, experimenta cum ſpiritû nitri fumante, ante plurimos annos ab Autore inventô, variiſque oleis deſtillatis inſtituta, & ad horum indolem rectius detegendam applicata, ſolutionem oleorum ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutorum, camphoræ ac oleorum ex regnô animali derivatorum naturam atque virtutem explicatam; quibus multa atque præclara continentur, non ſolùm ad locupletandam Chymiam, verùm etiam ad incrementum ſcientiæ naturalis & artis ſalutaris proficua, non ex propriô ingeniô conficta, ſed longô atque multiplici rerum usû comprobata. Ab Obſervatione decimâ quintâ uſque ad trigeſimam octavam, quæ libri primi ultima, ſingularia experimenta occurrunt, quibus varia dogmata ſtabiliuntur, quorum nonnulla commemoràſſe juvat. In hunc cenſum venit, quod reſinæ ſint olea ſubtiliora ab acidô admixtô in coagulum denſata, quod olea deſtillata ex inſigni terræ copiâ mixta ſint, quod ſapores & odores à ſolâ diverſitate texturæ particularum ſalinarum & ſulphurearum pendeant; quod balſama tam liquida, quàm ſolida & reſinoſa gummata ex ſubtili oleô, ſale acidô & terreô principiô mixta ſint; quod balſama & reſinæ in uſum medicum menſtruô ſint diſſolvendæ, minimè autem igne fortiori exercendæ; quod eſſentia ſuccini in fluidas pariter atque ſolidas corporis noſtri partes intimè penetret atque à parvâ doſi non mediocris expectandus ſit effectus; quod ambra ad bituminis genus ſit referenda, in ſpiritu vini rectificatiſſimo phlegiſto difficulter reſolubilis; quod principia vinum conſtituentia ſint ſpiritus inflammabilis, phlegma, ſal acidum tartareum & ſulphurea quædam oleoſa ſubſtantia, atque vina pro variâ & multiplici horum elementorum mixtione ratione ſaporis, odoris & virtutis inter ſe differant. Deſcribitur inter alia eſſentia ſuccini & ambræ vera, balſamum liquidum, ex ſantalô flavô prodiens, hiſtoria vini Tockavienſis Hungarici & analyſis vinorum chymica, cylindrus ſtaticus ſpiritus vini bonitatem explorandi &c. Inter rariora refertur præparatio reſinæ rubicundæ ex ſantalô rubrô, cujus uſum in tingendis & occultandis medicamentis & ad injectiones vaſorum arterioſorum in capite, ſi ſanguine deſtituta fuerint, commendat, necnon reſinæ ex cortice thymiamatis, quæ tam fragrantis odoris, ut illi ſimilem vix reperire liceat, & cujus

& cujus uſum in tuſſi convulſivâ compeſcendâ laudat.

Liber ſecundus ab hiſtoriâ nitri incipit, additâ Anatomiâ Phyſico-Chymicâ, unà cum variis obſervationibus non ubivis obviis. Sequuntur animadverſiones circa magneſiam albam. Inventorem ejus laudat Cl. Autor *Johannem Sibol-dum*, Archiatrum Epiſcopi Magdeburgenſis, & rationes inquirit, cur pulvis iſte alcalinus & ſulphureus purget. Monet præterea, ſe id interdùm incommodi ab eô deprehendiſſe, quod flatulentias & tormina in imô ventre reliquerit, ſi præſertim frequentiùs in uſum tractus fuerit, & prima regio progignendis ſuccis corroſivis expoſita fuerit. Progreditur hinc ad ſpiritum nitri fumantem, qui cum oleo caryophyllorum commixtus ſponte in flammam abit; cujus inventionem ſibi vindicat. Docet etiam ſpiritum hunc corroſivum edulcorare, ut ejus in Medicinâ eſſe poſſit uſus. In numerô axiomatum à Chymicis habetur, ſpiritum vini rectificatiſſimum ſalia non ſolvere; oſtendit tamen Noſter, regulam hanc pati exceptionem, quâ comprobatâ, de ſalium diverſorum in aquâ ſolutione diſſerit, rationem imprimis inquirens, cur ſalia alia aliis promptiùs in aquâ ſolvantur. Declarat modum examinandi aquæ communis gravitatem ſpecificam ope aræometri ex globô æneô cavô conſtantis, ſubjunctis aliis quibuſdam experimentis. Corporum ſolutionem non fieri per receptionem menſtrui in poros contendit, ſolutionem enim fieri unione ſolventis & rei ſolubilis, præcipitationem verò eſſe novam ſolutionem, dum ſcilicèt præcipitans ſeſe arctiùs conjungit cum eô menſtruô, cum quô priùs corpus erat unitum, quoniam magis appetit illius, quàm hujus conſortium propter majorem partium convenientiam. Inter rariores efferveſcentiæ ſpecies refert, quod calx cum aquâ communi, oleum vitrioli cum eâdem & ſpiritû vini rectificatiſſimô, itemque cum ſale communi & ammoniacô efferveſcat; his enim labefactari Chymicorum axioma, quod acidum & alcali tantùm inter ſe efferveſcant. Operoſum nimis foret, ſi ſigillatim recenſeremus, quæ de calce vivâ, de differentiâ ſpiritûs ſalis ammoniaci cum calce vivâ & cum ſale alcali parati, de effectibus olei vitrioli cum variis ſalibus & mineralibus commixti, de verô oleô vitrioli dulci, de ſulphure vitrioli fixô anodynô, de vi cauſticâ ſalium, de ſale communi, de ſummâ ſubtilitate & ſpecificâ virtute ſpiritûs ſalis, de ſale Ebſonienſi, de ſalium mediorum naturâ & uſû, de ovis, ſanguine humanô & pane groſſiori Weſtphalorum, quem *Bompurnickel* vocant, de ſuccinô, carbonibus foſſilibus, calculorum renalium generatione, ſale volatili ſicco Anglicano, de methodô præparandi ſalia volatilia oleoſa in formâ ſiccâ, ſpiritu bezoardico volatili, differentia ſalium fixorum alcalinorum, itemque acidorum, tinctura denique ſulphuris volatilis & examine aquarum mineralium in medium proferuntur.

His itaque miſſis obſervationes Libri tertii contemplemur. Occurrunt hic primô locô experimenta de auripigmenti naturâ & viribus; quod perperàm inter venena referri contendit, omnis virulentiæ expers, cùm canibus magnâ ſatis doſi ſine noxâ offeratur. Concedit tamen, quod in concluſô vaſe liquatum vim venenatam acquirat. Succedit obſervatio altera de antimoniô ejuſque ſulphuris naturâ ac virtute & variis illud præparandi modis. Multis argumentis probat Cl. Autor, ſulphur, quod antimonio ineſt, idem eſſe cum ſulphure minerali vulgari, nec virtute ab eô differre. Progreditur Obſerv. 3. ad virtutem antimonii virulentam & medicam, oſtendens, quomodo una in alteram transmutetur, atque Obſerv. 4. medicamenta & experimenta circa regulum antimonii, immò porrò Obſerv. 5. & 6. experimenta cum ſale reguli antimonii martialis cauſticô inſtituta & ſelectiora ex antimoniô experimenta afferens. Obſerv. 7. deſcribit modum, quô vitriolum paratur in monte metallicô non procul Goſlaria ſitô, quem vulgò *Rammelsberg* vocant. Deſcribit modum præparandi oleum vitrioli & nonnulla circa idem experimenta. Obſerv. 8. in geneſin & naturam aluminis inquirit, quod pro vitrioli albi ſpecie habet, acidi aluminoſi & vitriolici convenientia experimentis ſtabilita. Obſerv. 9. ſulphuris vulgaris mixtionem ac generationem experimentis illuſtrat, ubi ſibi tribuit inventum præparandi ſulphur artificiale ex ſpiritû vitrioli opiô ſuperfuſô, & per retortam vitream in arenâ diſtillatô, & Obſerv. 10. cauſas fœtoris in ſulphure minerali deliteſcentis inveſtigat, diverſoſque Obſer. 11. ejus effectus in mineralia & metalla expendit. Obſerv. 12. calcinationis cauſas explicat. Obſerv. 13. experimenta circa carbones, & Obſerv. 14. circa Phoſphorum Anglicanum deſcribit. Obſerv. 15. ſtupendos deſcribit effectus balſami ſulphuris terebinthinati in ſatis firmâ retortâ vitreâ arenæ commiſſi, orificiô fortiter occluſô & igne vehementiore ſubminiſtratô. Vitrum horrendô cum fragore disjecit, alterâ ejus parte cum collô per feneſtras culinæ diffractas & excuſſas in aream longiùs projecta. Perfregit prætereà fores cellæ cibariæ eaſque unà cum aliquot ollis & patinis ex culinâ deturbavit in aream. Effregit januam, quæ ex cellâ iſtâ in laboratorium ducit, ferâ validiſſimâ avulſâ. Quoniam ex eâdem cellâ per cochleam in aliud conclave aſcenditur, ibi etiam fores clauſtris emovit. & loculamenta cum vaſis Batavis in pavimentum proſtravit, & in eodem conclavi aliquot ejuſdem generis vaſa ex reliquorum mediô ſublata ad imum dejecit, feneſtraſque marginibus excuſſas in arenam detruſit. Inſuper poſitas propè januam, quâ in plateam itur, feneſtras diverberavit atque in anguſtiori conclavi infima aſſamenta dirupit, revulſoſque, quibus januæ latera veſtiuntur, aſſeres unà cum clauſtrô & cardinibus devolvit in pavimentum. Denique januam conclavis, ubi aquæ deſtillatæ aſſervabantur, aliamque, quæ ex eô aditum in officinam concedit, vi & impetû aperuit. In ipsâ verô officinâ nonniſi feneſtrarum vitris ſtragem intulit, laxatis earum repagulis, quæ tamen ſecum non abripuit. Contigit hic caſus tragicus A. 1698. d. 7. Novembr. Zellerſeldæ in tractû Hercyniæ, viditque Cl. Autor effectus ſtupendos, quos commemoravimus. Obſerv. 15. uſque ad 18. experimenta circa colores chymica in medium affert. Obſerv. 19. agit de ſolutione cupri. Obſerv. denique 20. in naturam & proprietates auri per experimenta inquirit, & ultima de medicamentis ex aurô paratis judicium fert. Aurum fulminans conſtare putat ex innumeris tenuiſſimis compactiſſimiſque auri globulis, ſubtiliſſimâ, humidâ & elaſticâ materiâ repletis, qui accedente calore propter fortem expanſionem ſimul & ſemel cum impetû diffringuntur, cum experientia loquatur, globulos vitreos humidô quôdam ſemirepletos inſigni cum fragore disjici. Contra Alchymiſtas aſſurgit argumentô à gravitate ſpecificâ petitô, negans,

negans, quod color, ſplendor, fixitas in igne, aut perſeveratio in capellâ ſufficienres auri notas præbeant, quibus ab aliis metallicis maſſis diſtinguatur. Neque enim ullum in rerum naturâ proſtare exemplum, quô unius corporis inanimati gravitus ſpecifica in alteram exactè convertatur.

Ibidem Annô 1724. *p.* 320.

De Fatô Phyſicô & Medicô, ejuſque rationali explicatione Diſquiſitio. Halæ Magdeburgicæ, typis Chriſtiani Henckelii, 1724. 4.

NOtum eſt vel ex his actis, ob aſſertum in Meditationibus Metaphyſicis nexum rerum ſapientem in universô ſeu dependentiam à cauſis efficientibus & finalibus, Cl. *Wolfio* defenſionem *fati Stoici* ab adverſariis fuiſſe imputatam, & ob prærogativam, quam ſyſtemati harmoniæ præſtabilitæ *Leibnitiano* in explicando commercio inter mentem & corpus præ cæteris hypotheſibus tribuit, eidem fuiſſe exprobratum, quod ipſam animam fato Stoico ſubjiciat, ſicque omnem morum ac civilem doctrinam cum religione tam naturali, quàm revelatâ tollat, & ad atheiſmum viam ſternat. Cel. *Hoffmannus* itàque ſuam de hâc controverſiâ ſententiam publicè expoſiturus probat, quæ de nexû rerum ſapiente in universô docuit *Wolfius*; ſed circa harmoniam præſtabilitam adhuc hæret, in medium allatis rationibus, cur eidem ſubſcribere recuſet. Docet primùm, quid veteres de fatô docuerint, quod eos definiviſſe per inevitabilem eventuum neceſſitatem, ex *Senecâ*, *Cicerone*, *Hippocrate* aliiſque probat. Hanc neceſſitatem *Chaldæos*, *Aſſyrios* & *Ægyptios* eoſque ſecutum *Platonem* derivaſſe ab aſtris; quod *fatum aſtrologicum* etiam inter Chriſtianos multi defenderint, aliis in contrarium euntibus, veluti *Diodoro* Tarſi Epiſcopo, *Chryſoſtomo*, *Euſebio*, *Auguſtino*. Cl. Autor id rejicit, quod inde ſequatur, omnis philoſophiæ moralis, pietatis & doctinæ cœleſtis ſtudium vanum eſſe. Expendit deinde *fatum Stoicum*, quod *Seneca* per ſeriem implexam cauſarum, *Chryſippus* per naturalem quendam ordinem & connexionem rerum ab æternô, aliis ab aliis conſequentibus, ſed immutabili manente hujus complicatione, definiverit. Monſtrat autor teſtimonio *Ciceronis*, Stoicos quoque voluntatem fato alligaſſe, & ex *Seneca*, quod ipſum Deum eidem ſubjecerint. Hunc errorem inde profluxiſſe arbitratur, quod mundum æternum & materiam purè paſſivam ſtatuerint; quæ tamen conjectura cum verbis *Senecæ* adductis non ſatis convenit, aſſerentis ſcilicèt, non poſſe Deum è fatorum lege quicquam derogare, quia neceſſe ſit, ut eadem illi ſemper placeant, neque ob hoc illum minus liberum & potentem eſſe, quia ipſe ſit neceſſitas ſua. Scripſiſſe illum omnium conditorem & rectorem quidem fata, ſed ſequi; ſemel ſcripſiſſe, ſemper parere. Ex *Stoicorum* placitis & *Carteſii* doctrina de materiâ universi merè paſſivâ prodiiſſe *Spinoſæ* errores. Ipſe igitur *fatum phyſicum* ſtabiliturus, ad nexum rerum à *Wolfio* defenſum confugit, & *fatum phyſico-morale* ſubjuncturus, ad leges morales provocat, quas anima in determinandâ voluntate ſequitur. Univerſi contingentiam cum *Wolfio* probat, quod ſtructura & ordo universi etiam alio modo ſit poſſibilis; id quod ſumit, quia dubio procul ſupponit, ſuppoſitum hoc à *Wolfio* ſufficienter eſſe probatum. Ex hâc contingentiâ (quemadmodum à *Wolfio* factum eſt) exiſtentiam Dei adverſus atheos validiſſimè demonſtrari affirmat, ſuumque calculum iis adjicit, quæ ille de attributis divinis ex contemplatione universi à poſteriori demonſtrandis in Tractatû de finibus docuit. Fatetur igitur, fatum phyſicum admitti debere, ſi per ipſum intelligatur neceſſitas, aut, ſi mavis certitudo eventuum & effectuum in universô à certô rerum & cauſarum ordine, nexu ac ſerie dependens, cum Deus non modò potentiæ, ſed etiam ſapientiæ rationem habens, (quemadmodum denuò ex *Wolfii* Meditationibus Metaphyſicis tanquam probatum ſupponit) nihil abſolutè fieri voluerit in universô, ſed ex ſapientiſſimô, ab ipſô tamen liberè dependente rerum & cauſarum ordine, ſerie ac nexu. *Fati* hujus *phyſici*, quod cum *Ariſtotele* appellat, exemplum in macrocoſmô præbere ſiderum curſus ac inde pendentem in ſublunaria influxum; in microcoſmô motum cordis. *Uſum* hujus doctrinæ monſtrat, dum inde rationem reddit, cur inevitabilis ſit moriendi neceſſitas, cur terminus vitæ diverſus, cur anni climacterici ſint infeſti, cur dies dentur critici in morbis. Talia ſequi ait ex immutabili neceſſitate à cauſis phyſico-mechanicis, corporum mole, figurâ, ſitû, motû, quæ ex vi inſita aliter agere nequeant. *Fatum* denique *phyſico-morale* agnoſcit in iis, ubi liberæ hominis voluntati locus eſt, ipſumque definit per ſeriem cauſarum phyſicarum cum moralibus conjunctarum, ut ſi quis ab alterô lethaliter vulneretur. Agnoſcit cum *Wolfio* in determinatione voluntatis ordinem moralem, quem *Moraliſmum* vocat in oppoſitione ad mechaniſmum, & qui in motivis conſiſtat. Hâc verò occaſione incidit in quæſtionem, utrum voluntati animæ tribui poſſit actio phyſica in corpus, necne. Ubi monet, ſe ſyſtemati harmoniæ præſtabilitæ ſubſcribere non poſſe; 1. quoniam pro terminô ignorantiæ habet, ſeu ſpecioſo nomine, nullum realem & poſſibilem cauſalem conceptum involvente, ſed idem per idem explicante; 2. quod nullam adeſſe cauſam ſuſpicetur, quæ fluidum nerveum determinet ad arbitrium mentis in hunc præciſè muſculum influendum: 3. quod harmonia præſtabilita nullô modô nec concipi, nec demonſtrari, nec explicari poſſit: 4. quod cauſalis animæ influxus ob rationem hanc in dubium vocari non poſſit, quod modus, quô fiat, ratione capi nequeat; 5. quod quamplurimæ malè ſanæ conſequentiæ in moralibus, politicis & phyſico-medicis elici poſſint, ſi liberis entibus influxus in humanum corpus cauſalis non concedatur. Ad primum dubium jam reſpondit *Wolfius* in Meditationibus Metaphyſicis §. 766. alterum ibidem ſuſtulit §. 788. & ſeqq. ubi diſtinctè expoſuit, quomodo directio fluidi nervei in muſculum movendum ſequatur ex motû ejuſdem fluidi in cerebrô præexiſtente. De tertio §. 838. jam rationes in medium protulit, cur fieri non poſſit, ut ſingula diſtinctè ſatis explicentur; ſed ideò eandem rejicere velle perinde judicavit, ac ſi quis mechaniſmum corporis rejicere velit, quod nondum omnia, quæ ibidem ex mechanicis rationibus fiunt, ex iiſdem diſtinctè explicare poſſimus. De quartô §. 762. diſertè monuit, nec à *Carteſianis*, nec à *Leibnitiô* influxum phyſicum ideò negari, quod ejus nullum habeant conceptum, ſed quod omni ratione à priori, & à poſteriori deſtitutus legibus motûs, quibus continetur naturæ ordo, repugnat. Maleſanas conſequentias in moralibus & politicis denique ab adverſariis deductas, quæ *Carteſii* ſyſtema hodie in plurimis Academiis receptum perinde

inde ac *Leibnitianum* feriunt, ex malè intellectô ſyſtemate *Carteſii* atque *Leibnitii* fluere, docuit Cl. *Wolſius* tum in annotationibus ad viri cujuſdam celeberrimi cenſuram in Philoſophiam *Wolfianam*, tum in annotationibus ad meditationes ſuas Metaphyſicas de quibus paulò ante ex inſtitutô diximus. Quæ verò Medicus argutari poſſit, ad ea jam reſpondit in ipſis Meditationibus Metaphyſicis §. 816. 817. *Fortunam ſecundam* tanquam cauſam felicitatis Cel. Autor per prudentiam atque ſanam & rectam rationem diſponendi res per congrua media ad certum finem explicat; quemadmodum è contrariô *fortunam adverſam* imprudentiæ ac depravatis affectibus adſcribit; Cæterùm cum *Wolfiô* ordinem naturæ in ſe non immutabilem eſſe; ſed à Deô per miracula mutari poſſe, ſtatuit. Hæc potiſſimùm in exterorum gratiam commemorare libuit, ad quos fatorum *Wolfianorum* fama pervenit ex defenſione nexûs rerum ſapientis & harmoniæ præſtabilitæ enatorum.

Poſt ſupra memorata Viri Clariſſ. Opera, poſteriora prodierunt

Opuſcula Phyſico-Medica, antehac ſeorſim edita, jam reviſa, aucta, emendata & delectu habito recuſa Ulmæ apud Dan. Bartholomæum, Tom. I. An. 1725. II. A. 1726. in 8.

Tomo I. continentur

I. Obſervationes Barometrico-Meteorologicæ & Epidemicæ Halenſes, anni 1700.
II. Demonſtrationes Phyſicæ Curioſæ, experimentis & obſervationibus Mechanicis ac Chymicis illuſtratæ.
III. De fato Phyſico & Medico, ejuſque rationali explicatione diſquiſitio.
VI. De ſalinis Halenſibus commentatio, in quâ plures ſimul Phyſicæ quæſtiones de fontium ſalſorum origine, ipſiuſque ſalis differentiis, præparatione & utilitate illuſtrantur.
V. De Diaboli potentia in corpora.
VI. De Atheo convincendo ex artificioſiſſimâ machinæ humanæ ſtructura.
VII. De pane groſſiori Weſtphalorum, vulgo *Bonpourniĉtel.*
VIII. De methodo compendioſa plantarum vires & virtutes in medendo indagandi.
IX. De officio boni Theologi ex idea boni Medici.
X De rationis inſtructæ excellentia in rebus divinis & humanis.

Tomo II.

I. De elementis aquarum mineralium rectè dijudicandis & examinandis.
II. Scrutinium Phyſico-Medicum principiorum & virtutum in præcipuis medicatis Germaniæ fontibus.
III. De convenientia elementorum ac virium in thermis & acidulis.
IV. Obſervationes & cautelæ circa thermarum & acidularum uſum & abuſum.
V. Diſquiſitio Phyſico-Medica de thermis Càrolinis, earum caloris cauſſa, elementis, viribus, utilitate & uſu.
VI. Examen Chymico-Medicum fontis Sedlicenſis amari in Bohemiâ noviter detecti, nec non ſalis ex eodem parati.
VII. De fontis martiati Lauchſtadienſis viribus & uſu.
VIII. De aquâ Medicinâ univerſali.
IX. De balneorum ex aqua dulci præſtantiſſimo in affectibus internis uſu.
X. Obſervationes de acidulis, thermis & aliis fontibus ſalubribus ad imitationem naturalium per artificium parandis.

HOFFMANNUS, (*Joh. Mauritius*) Mauritii Fil. in Academiâ Altdorffinâ Prof. Ordinar. Sac. Cæſ. Maj. Archiater, Ser. Marchion. Onoldo-Brandenburgic. & Soliſbacenſis Conſiliar. Aulicus & Medic. Sen. Primar. Sac. Pal. Lateran. Aul. Cæſ. & Conſiſt. Imper. Comes; S. R. J. Nobilis, Acad. Cæſ. Nat. Curioſ. Director &c. Natus eſt Altdorfi, die VI. Octobris anno 1653.

Ex eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Diſſertationes Anatomico-Phyſiologicæ; ad Viri Clariſſimi, Johannis Van Horne, in Univerſitate Lugduno-Batavâ Profeſſ. quondam Meritiſſimi, Microcoſmum, annotatæ, obſervationibus & experimentis Anatomicis recentioribus variis illuſtratæ. Annexâ Appendicis loco Epiſtolâ de Genitalibus, Dn. D. Van Horne, cum notis Joh. Swammerdamii. Altdorffii, apud Henricum Meyerum, 1685. in 4.

Obſervatio, ex Anatome Ovis, fœtum uterô gerentis. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Decur. II. Ann. I. N. 154.

De eô prætereà extant in Miſcell. Cur. Decur. 2. Annô 3.

Obſervatio 26. *De Synovia Venæſectionem infauſtam ſubſequente.*

Ibidem Obſervatio 27. *De ſudore ſub axillis miniato.*

Ibidem Obſervatio 28. *De Liquoribus per alembicum coloratis deſtillandis.*

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 152. *De Monſtrô gemellô.*

Ibidem Obſervatio 153. *De Plexû Choroide.*

Ibidem Obſervatio 154. *De Uteri hæmorrhagiâ ſingulari.*

Ibidem Obſervatio 155. *De Inteſtinô cæcô.*

Ibidem Annô 5. *Obſervatio* 206. *De Vulnere capitis per cranium & duram meningem penetrante, atque ſinguiari ibidem notatô arteriarum pulſû.*

JUvenis 22. annorum, Menſe Martiô anni ſuprà milleſimum ſexcenteſimum octuageſimi quinti, tempore nocturnô, à milite ebriô, cui fores pulſanti, aditum pandere paratus erat, ex improviſô acinace graviter petebatur, vulnere ſuprà ſiniſtrum ſincipitis os & vicinam oſſis frontis partem, verſus ejuſdem lateris oculum, ad manûs tranſverſæ longitudinem inflictô, quod ſanguinis ſubita largaque profuſio inſequebatur, cui ſiſtendæ unicè intentus Chirurgus Caſtrenſis fortè obvius, an profundum eſſet necne inductum vulnus, haud attendit.

Enimverò cùm horâ poſt deligationem elapſâ vulneratus animô frequenter exſolvi cœpiſſet, parentes & adſtantes ſolliciti me accerſere jubent; Advenio, & in vulneris conditionem inquiro; refert Chirurgus, ſe ſuſpicari, illud præter integumenta capitis, ultrà laminam cranii exteriorem non pertigiſſe; aliud tamen ægri ſymptomata innuere videbantur, quare certior fieri cupiens vulnus mox religari curâſſem; niſi nox, ſumma patientis proſtratio virium, & parentum, ſanguinis denuò emanaturos largiores rivulos metuentium, preces obſtitiſſent. Solùm igitur præſcripſi aquam corroborantem, temperatam, cum pulvere Marchionis, Ocul. Cancr. & magiſteriô margaritarum ſolubili.

Alterô die vulneri, conſpectui meo à Chirurgô expoſito, oculos advertens, inter ejuſdem labia

labia ſanguinem in θρόμβον condenſatum reperio, profunditatem vulneris occupantem & occultantem, tenaciterque inhærentem; quapropter ùt terminum interius perſpicere poſſem, Chirurgum volui oleô roſaceô tepidô cruorem primum emollire, ac dein filamentis conceptis ſtilo obvolutis abſtergere, ſucceſſit negotium ex votô, atque demùm exactè patuit, vulnus per tegmen cranii oſſeum duramque menyngem ad piam uſque ſubjectam, illæſam tamen, penetrâſſe, cerebrô ipſô æquabili arteriarum pulſû vibratô viſum noſtrum ſubeunte.

Adhibebantur tunc ea remedia, quæ medendi methodus ſibi poſtulabat; Nempè enim Decoctum & eſſentia traumatica vulnerato ſubindè propinabatur; vulneri indebatur telâ exceptum teneriori digeſtivum, ex ol. roſac. ℥j. vitell. ovinum. I. terebinth. in aq. betonic. & ſalv. lot, ℥iij. gumm. elemi in ol. roſac. ſupra ignem lentum diſſol. & colat. ℥jß. thur. & croci ãã ℈ß. paratum, exteriùs confinia defenſionis locô ol. roſac. ac violaceô inungebantur; læſo capit empl. de betonic. applicabatur; ſacculus denique betonic. veronic. ſalv. chærefol. plantag. fl. chamæmel. melilot. ſambuc. roſ. rubr. hyperici, ſummit. roriſmarini &c. repletus, vinô rubellô oligophorô calidô immerſus ac expreſſus pro fomentô blandô ſuperimponebatur.

Atque ſic vulneratus triduum ſat commodè exigebat, quartô autem die conquerebatur de vehementiori in cerebrô, vulneri proximô, pulſatione, eratque iſta arteriarum, paulatim ita increbreſcens, ùt etiam in hypocauſtô è longinquô adſtantium aures feriret, veluti ictus obtuſus malleoli ad aſſerem impulſi; ſuccedebant vigiliæ, necnon quædam inflammationis indicia ſe ſe prodebant, quibus cùm per remedia idonea externa, moderatamque in manû celebratam Venæſectionem, obviam itum eſſet, vnlneratus quidem meliùs ſe habuit, revertente nihilominùs per intervalla motû iſthôc pulſatoriô vehemente, deligatô licèt vulnere, medicamentiſque coopertô ad notabile ſpatium perceptibili. Ex quô autem poſtea per poros ſubſtantiæ cranii ſolutionem continui perpeſſæ ac imprimis meditullium ros nutricius ſubinde exſtillans calli deſignavit primordia, dicta arteriarum pulſatio paulatim ceſſavit, prorſûſque evanuit, & tandem unguentô de betonicâ admotô, ac pulv. ex rad. ariſtoloch. rot. veræ, Irid. florent. atque tantillô myrrhæ oſſibus diviſis callô conglutinandis inſperſô, vulnus, divinâ favente gratiâ, feliciter conſolidatum eſt.

Ibidem Obſervatio 207. *de Ovarii fœminei hydatidibus.*

Ibidem Obſervatio 208. *De Tumore ſeroſô lymphaticô ad vertebrarum lumbalium ſecundam enatô.*

Ibidem Obſervatio 209. *De umbilici Exulceratione ſuctionem impediente feliciter curatâ.*

Ibidem Obſervatio 210. *De Meliceride pilorum faſciculum intùs ſimul continente.*

Ibidem Annô 6. *Obſervatio* 164. *De Partu mendoſô hydatidum.*

Ibidem Obſervatio 165. *De Fœtu monſtroſo.*

Ibidem Obſervatio 166. *De venâ in Carpô ſiniſtrô mulieri ſponte apertâ, aliiſque conjunctis ſymptomatibus.*

Ibidem Obſervatio 167. *De Gangrena pedis dextri.*

Ibidem Obſervatio 168. *De Puellæ ventre Lunæ mutationes imitante.*

PErſcripſit ad me paucis abhinc diebus Nobiliſſ. D. D. David Zollicoferus Practicus Sangallenſis experientiſſimus, curæ ſuæ ante aliquot menſes commiſſam fuiſſe puellam, annum ætatis agentem decimum quartum, matre olim epilepticâ, prognatam, cui venter Lunâ creſcente, paulatinis auctibus maximis quamdiù venter diſtenditur, quos præ aliis Terebinthina demulcet, materiâ craſſâ & limoſâ putridâ copioſiſſimâ per veſicam protruſâ, ſi in formâ lactis ſive Emulſionis exhibetur patienti.

Ibidem Annô 4. *Obſervatio* 242. *De Oſcheocele horrendâ cum hydrope aſcite.*

Ibidem Obſervatio 243. *De Teſtium tumore & ſingularibus aliis conjunctis pathematibus.*

VIr juvenis illuſtri ſtemmate natus temperamentô melancholicô-pituitoſô præditus, annum ætatis agens vigeſimum Octavum, cùm antehac per intervalla pollutiones habuiſſet, ſemine profluente quandoque naturali albo, quandòque viſcoſiori gryſeô; iiſdem ceſſantibus, poſt iter celeribus equis exactum, inſignem derepentè ſuſcepit utriuſque teſticuli tumorem, ovi gallinacei magnitudinem ferè adæquantem, à ſanguine acido-viſcoſiori per arteriarum ſpermaticarum propagines copioſiùs influente, materiâque ſeminali intra tubulos ipſam ſeparantes & digerendo elaborantes, magis rarefactâ aut liquatâ (ad utrumque diſponente prægreſſâ agitatione & concuſſione) enatum. Aderat ſimul dolor tenſivo-gravativus & pulſatorius, qui tamen mox ſubſidente & in arctiorem ſphæram ſe ſe contrahente teſticulô ſiniſtrô remittebat, dum tumor perſiſtebat dextri teſticuli ſcirrhi indolem poſteà nactus, & jam ultra annum pondere ſuô gravis. Intereà autem cœperunt denuò poſt inſomnia venerea Illuſtrem ægrum jucundæ titillationis illecebris ſæpiùs excitare pollutiones nocturnæ, quæ quidem communiter ſic dictæ & veræ neutiquàm fuerunt, nam etiamſi afflictus in urethrâ ſeminis quaſi profluentis motum perſenſerit, nè guttula tamen profluxit, ùt procul dubio halitus ſaltem ſpirituoſus & tenuis, auræ ſimilis, à ſemine, ob viſcoſitatem intra tubulos veſiculaſque ſeminales coërcitô dimiſſiſſis per urethram expiraverit, utrôque teſticulô ſolitô magis (quotiès id obtigerat) ſemper intumefactô. Acceſſit poſteà cirſocele, dextri præſertim teſticuli, culpâ ſanguinis ſpiſſioris vitioſi intra venarum ſpermaticarum mutuis ſurculis implicitarum anguſtias hærentis valvulaſque prementis inducta. Sed & adhuc aliud ex malô natum malum, teſticulus nempe dexter tumore ſcirrhoſô ultrà modum diſtentus ex rupturâ tunicarum in parte ſui imâ factâ indeque ſubſecutâ lymphæ nutriciæ tardæ retrogradæ emanatione excreſcentiam carnoſam veluti ſarcocelen paſſus eſt, quæ ſcrotum cæterôquin contractiùs coalitû ſibi proximô junxit. Pertulit hæc omnia Illuſtris Patiens æquô animô, & diutiùs pertuliſſet, niſi ex equitatione, vini potû, & aromaticornm aliorumque ſemini aut materiam aut ſpirituaſcentiam uberiorem ſuggerentium eduliorum uſû tumoris in dextrô teſticulô augmentum nec abſimilem in ſiniſtrô magnitudinem ſeſe exſerentem præternaturalem, dolore ſat exquiſitô comite ſenſiſſet. Moleſtiarum igitur pertæſus me vocavit in conſilium, tùm circumſtantiis omnibus probè penſitatis, imminutô primùm, per modicam venæ-ſectionem ſanguine,

atque exhibitis per intervalla Pilulis-Tartareis Bontii, præſcripſi medicamenta ſanguinem acido-viſcoſum corrigentia & reſolventia, tum ſpeciatim Catechu ſive Terram Japonicam cum Antimonio Martiali diaphoretico copulatam quâ herniam varicoſam in ſtudioſô quodam Excellentiſſ. Dn. D. Wedelium feliciter curâſſe ex *Ephemerid. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann.* 11. *Obſerv.* 131. memorat Celeberrimus Dn. D. *Ehrnfried. Hagendornius* in Tr. Phyſico-Medico De Catechu *Sect.* IV. *Cap.* 2. *Art.* 3. *ſ. 9. pag.* 68. cui poſteà ſubjunxi Rad. Ononidis Pulverem Elæoſaccharo Cinamomi permixtum, aliàs contrà herniam carnoſam laudatiſſimum; Exterius ſcrotô admoveri juſſi Emplaſtr. ex Gumm. Ammoniac. Bdell. Galban. āā. ℥ß. Axung. Anat. ℥jß. ceræ citrin. ℥ij. ol. lilior. alb. medull. crur. bovin. ā. ʒx. l. a. confectum. Quibus uſurpatis remediis tumor teſticuli dextri ſenſibiliter ſubſedit, duritieſque contactui paululùm cedere viſa eſt, poſt aliquot verò elapſos dies eô locô, quô ſcrotum eidem cohælerat teſticulô, foramen exiguum ſpontè ſe aperuit, per quod dein ſenſim ſenſimque materia non purulenta ſed chyloſa candida, & ut propriô compelletur nomine ſeminalis cum ἰυφορίᾳ effluxit, continuavit etiam fluxus talis per aliquot hebdomadas, demùm foramine rurſus ſe claudente deſiit, pejoribus tamen Ægri Illuſtris redeuntibus rebus, ex hôc etenim tempore denuò in tumorem ampliorem aſſurgere cœpit teſticulus non ſolùm dexter, ſed & ſiniſter; novô pathemate nè calamitas ejuſmodi ſola eſſet, ſimùl emergente, dum illuſtris Patiens poſt ſomnum exactum manè derepentè aliquotiès ἀναιςησίᾳ quâdam prehenſus eſt, cum membrorum omnium rigiditate, ſubitò tamen rurſus evaneſcente, ſudore ſyncopticô circa frontem & jugulum erumpente; Cui quidem afflctioni acidum coagulativum in nervosô ſanguineôque genere peccans arguenti obviam itum eſt Pulvere abſorbente nervinô Cinnabarinô, & ſpiritû ſalis Armoniaci ſuccinatô cum Tincturâ mihi uſuali anodynâ permixtô, horumque uſui perniciosum iſtud pathema mox ceſſit. Tunc autem propter motus bellicos ex improvisô exortos Illuſtris Patiens à colloquiô meô & commodô Epiſtolarum commerciô divulſus eſt.

Ibidem Obſervatio 244. *De Calculis bilioſis per alvum excretis.*

Ibidem Obſervatio 245. *De Chalazæ alterius in ovô figurâ ſingulari.*

Ibidem Obſervatio 246. *De Cartilagine mediâ oſſium pubis in primiparâ poſt mortem molli & ſpongioſâ.*

Ibidem Obſervatio 247. *De Repentinâ ex dolore Iliacô morte.*

Ibidem Obſervatio 248. *De Liquore & ſale volatili Meliſſæ.*

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 186. *De Puerô aquæ ſubmerſô & tanquam mortuô extractô, dein vitæ redditô.*

EXemplum memoratû dignum bienniô abhinc & quod excurrit, nobis ſuggeſſit puer annum agens ætatis duodecimum, is verò in molâ ſpatiô quartæ partis unius milliaris ab oppidô noſtrô diſtante, juxta fluvium Schwarz extructâ, & vernaculâ lingua die *Brettahl-Muhl* dictâ, Die Martis feſtum paſchale proximè præcedente cùm molitor, cui famulàm præſtabat ille operam, ad noſtras tum nundinas abiiſſet, à ſervis aliis ad largiorem cereviſiæ potum invitatus temulentus mox factus, nihilominùs rotæ unius molaris repagulo ſupponendo circumvolutionem intercipere juſſus, negotio demandato intentus prono capite in fluvium proruit; hujuſque celeri curſû ſub illam ipſam abreptus rotam, ejuſdem motum corpore propriô objectô coërcuit. Servi intereà nil ſiniſtri metuentes atque hilariter compotantes per quartam unius horæ partem miſerum puerum aquæ ſubmerſum & rotæ imminentis pondere, depreſſum omni auxiliô deſtituerunt, demùm unus ex illis fortè fortuna limine domûs egreſſus pueri ſub aquâ detenti togam conſpexit; atque perterritus ſodales in auxilium vocavit, ſinguli igitùr trepidi junctis viribus puerum ex Lethæô velùt flumine extraxerunt, gelidum prorsûs & exanimem viſum, ipſumque detractâ veſte ſtragulis involutum, nè juriſdictionis territorialis præjudicium quodpiam eveniret, confeſtim hùc advehi curaverunt. Et ecce poſtquam ad portam oppidi ſuperiorem perventum eſſet, puer pro mortuo habitus corpus tantillùm movere incepit, mox in balneatoris hypocauſtum delatus fomentis atque frictionibus calidis quaſi reſuſcitatus aut expergefactus eſt; Oculis verò admodùm torvis tum circumſtantes adſpexit, ſed, voce clarâ interrogatus licèt, nè verbulum pronunciavit, aut mentem ſibi conſtare ullô indiciô monſtravit; mox ſubſultus ſpaſmodici erumpentes artus pueri hùc & illùc violenter jactitari fecerunt, ſpumâ multâ inter labia ſimul profluente; his ceſſantibus opiſthotonos ſucceſſit, caput pueri cum cervice tantâ vi verſus poſteriora reflectens, ùt illud os ſacrum propinquô pulſaret vertice. Balneator idcircò me adiit, ùtque præſens opem medicam ferrem obnixè rogavit; annui, & cum eodem ad puerum me recepi, capiteque & corpore reliquô attentis perluſtratô oculis, nè minimum læſionis externæ veſtigium conſpexi, dum tantiſper ad ſui contemplationem me trahebant glandulæ ſcirrhoſæ aliquot, magnitudinem nucis avellanæ fermè æquantes, ad cervicis latera hìnc indè prominulæ, quas puerum ab aliquot jam retrò annis aluiſſe parens ejus affirmavit; jam verò ut muneris mei explerem partes, juſſi principium ſpinalis medullæ ol. lumbr. terreſtr. Caſtor. hiperic. lavendul. & ſuccin. illiniri, ſyncipiti capillitio deraſo Cerat. de Betonic. cum Tacamahac. & Carann. atque pulv. rad. pœon. & Caſtor. l. a. paratum applicari, adhæc frictiones artuum cum pannis calidis continuari, & ano ſuppoſitorium intrudi; internè autem ori pueri infundi mixturam ex aq. ceraſ. nigr. fl. tiliæ betonicæ, chærefolii, antepilept. lang. cum ſyr. de pœoniâ & liq. C. C. ſuccinatô, ſimulque cum hâc exhiberi pulv. antepilepticum abſorbentem & cinnabarinum; à quibus opiſthotonos remiſit, poſt tres autem horas elapſas denuò puerum prehendit, tandem horâ noctis undecimâ vomitus copioſus oleris inciſi & per fermentationem longiorem aciduli (*Sauers-Krauts*) in prandiô comeſti, non ventriculum ſolùm ſed ægrum ipſum mole noxiâ levavit, ità ùt mox ad mentem redierit, & interrogatus, paucula verba protulerit, reliquumque noctis ſomnô blandè tranſegerit, inſequente mane de nullô aliô ſymptomate, quàm virium proſtratione atque artuum laſſitudine conqueſtus, nec ullius rei niſi lapsûs ſub undas memor. Intereà

Intereà non immeritò quiſpiam in admirationem rapi poſſet, puerum iſtum ultra horæ quadrantem ſub fluviò non tàm detentum quàm à rotâ depreſſum, & aëris uſurâ conſuetâ privatum vitam recuperaſſe, gelidum tamen & quaſi exanimem indè extractum. Num foramen ovale patulum adhùc ſanguinis per cor commeatui etiamnùm patuerit? utrùm verò ſanguis ſalinus volatilis tenuior à coagulô diutiùs ſe vindicaverit, ùt ab aëre tardiùs licèt admiſſô denuò exagitari & animari (favente ſimul lecti fotû) ſe paſſus ſit, aliis dijudicandum relinquo; dum motus ſpaſmodicos & ipſum Opiſthotonon, à terrore, aquæ frigore, & oleris acido-nervoſo generi intenſo, fibrasque ventriculi nerveas ſenſiles ultra modum ſimùl diſtendente quis natales habuiſſe conjecerit, recordor ſiquidem juvenem quendam Civium noſtratium paucis abhinc annis poſt febrem tertianam ſuperſtitioſè globulô plumbeô, quô die paraſceves cervus trajectus credebatur, appenſô ablatam, paulò poſt ex oleris dicti eſû nimiò motibus convulſivis & aſthmate ſpaſmodicô affectum, uſû vomitorii à me præſcripti mox incolumem evaſiſſe.

Ibidem Obſervatio 187. *De Fœtû monſtroſô ex imaginatione matris.*

Ibidem Obſervatio 188. *De Epatis gallinacei lobulis & acinis lapideis.*

Ibidem Annô 9. *Obſervatio* 222. *De Amuletô contra dentium dolorem.*

Ibidem Obſervatio 223. *De Vulnere linguæ feliciter curatô.*

Ibidem Obſervatio 224. *Notabilium in Anatome corporis fœminini nuperrimâ viſorum.*

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 180. *De Partû ſingulari Catellorum glabrorum & piloſorum.*

Ibidem Obſervatio 181. *De Procidentiâ uteri nothâ.*

UTerum, primum illud viventium hoſpitium dicam an ergaſtulum? nonnunquam reverà inverti & poſt partum ab imperitis audaculisque obſtetricibus placentam utero adhùc arctiùs connexam cum funiculo umbilicali violenter nimis extrahere allaborantibus quaſi evelli, Cl. Fr. Ruyſchius in Obſervat. Anatom. Chirurg. Centur. Obſ. x. add. Figur. 12. eruditè demonſtravit, ſimilemque caſum aliquandò me obſervâſſe memini; Extra partum autem tunicæ interioris vaginam uterinam inveſtientis nimiam extenſionem, & inde ſubſecutam propenſionem ſub uteri ipſius prolapſi ſpecie Medicis & Chirurgis quandoque impoſuiſſe certum eſt, & à Jobô van Meckren Obſervat. Medico-Chirurgic. Cap. 54. pag. 250. & ſeqq. confirmatum: Confer. David. van der Becke Diſſert. Anatomico-practic. de procidentiâ uteri. Atque hanc in rem genuinam ego afferam Obſervationem; Nempe enim Mulier quædam paulò poſt medium geſtationis tempus torminibus ventris fortè correpta obſtetricem & matronas aliquot advocari deſideravit, atque parturiendi præſentes creditos conatus, illis annuentibus, ſtrenuiſſimè proſecuta eſt, ſed irritos, locô enim fœtûs expectati per validiora ſuſcepta molimina tunica interna vaginæ uterinæ rugoſa nimiùm protenſa ſe ſe in conſpectum dedit, & extra pudendum pendula adſtantes in ſtuporem abripuit, Perterritæ igitùr ſingulæ, cùm quid agendum eſſet, animi decem ipſis in pectore incerti certâſſent, Medicum expetierunt conſilium; vocatus ego comparui, atque prædictam tunicam ſub rotundo tumore prominulam, præmiſſô congruô fomentô, mediante candelâ cereâ ad eum uſum affabrefactâ blandè retrudi curavi, neque denuò excideret, linteô triplici aquæ fabrorum ferrariorum, cui rad. plantag. biſtort. pentaphyll. flor. roſar. rubr. ſumach. & cortex guajaci incocta erant, immerſô & poſtmodùm expreſſô, ſuperinductâ faſciâ conveniente, firmavi, demùm ſequens Emplaſtrum regioni pubis externè admoveri juſſi; ℞. Rad. biſtort. cyperi, fl. chamæm. roſar. rubr. balauſt. gallar. āā. ℥j. nuc. cupreſſ. acaciæ, thuris āā. ℥ß. Maſtich. caſtor. āā. ℈ij. G. laudani ℥ij. Picis & Colophon. āā ℥iß. M. f. Emplaſtrum. Horum autem remediorum ſuſceptô uſû optimè rurſùs ſe habuit patiens, & ſubſecutô juſtô partus tempore fœtum maſculum peperit adhùc vitalem. Sed ùt nùnc alteram qq. memorem obſervationem, talem mihi ſuggeſſit ancilla quæpiam paupercula ante aliquot annos defloràta, quæ ex intenſiſſimâ ſpiritûs cohibitione ſub ponderis gravioris elevatione inſtituta pariter tunicam internam vaginæ uterinæ ultra modum extendit, ùt extra pudendum proruperit, & inflammationem ſummè dolorificam ſuſceperit, ùt adeò coacta ſit opem implorare, quam etiam poſt decentem repoſitionem ex anodynorum, adſtringentium, ſiccantiumque remediorum uſû ſenſit.

Ibidem Obſervatio 182. *De Vulnere Oculi.*

JUvenis, annos natus decem ſupra octo, cultri acie violentô impetû in oculum dextrum adactâ vulnus paſſus eſt per corneam tunicam & diſſectum papillæ inferiorem ambitum verſus interiorem oculi concamerationem exporrectum, ad quod ſtatim inſequebatur humoris aquei ſuprà genas effuſio; Perterritus ille me illicò advocavit anxiè in auxilium, quod ùt præſtarem, per Chirurgum vulnerato oculo primùm inſtillavi, dein, cum petiâ admoveri juſſi albumen ovi probè conquaſſatum & tantillô aquæ roſar. alb. dilutum; (ut potè quô ſolô euporiſtô antehàc vulnus albugineæ & corneæ tunicæ conſolidaveram,) nec minùs juſta cum diætâ exactâ, atque quiete ægro demandatâ, inflammationi, dolori, aliisque metuendis ſymptomatibus remediis idoneis proſpexi; ſic idem optimè per quatriduum ſe ſe habuit, adeòque audacior redditus quintô die è lectô ſurrexit, & cum ſodalibus largiori cereviſiæ potui indulſit, peſſimè tamen rebus ſuis conſuluit, inſequente ſiquidem nocte vomitio atque ſub hâc facta violenta capitis concuſſio affluxum tantum ſanguinis ad oculum afflictum concitaverunt, ùt inflammatio ſummè dolorifica, lacrymarumque ſtillicidium comites ſeſe adjunxerint individuos, & vulneris labia jamdum contactû propinquô ſibi juncta rurſùs dehiſcere cœperint. Pro quibus coërcendis venæſectionem revulſoriam, veſicatoria ad nucham applicanda, & pediluvia ſalſo-nitroſa ſalubria futura ſuaſimus, oculo autem tale collyrium inſtillavimus;

℞. *Aq. plantag. euphraſ. roſar. alb. papav. errat. Sambuc. āā.* ℥j.
Sief. alb. ſine opio ʒß. *Sacch. Saturni* ℈ß. *Matris Perlar. præp. Nitri Sambucin. āā. gr.* v. *M. S. ad uſum.*

Poſteà palpebris impoſuimus aluminis crudi & boli armeni pulverem, cum albumine ovi in forman linimenti redactum; & linteolô molli exceptum. Placatô hunc in modum dolore & inflammatione mitigatâ, de vulneris conſolidatione nos apprimè ſollicitos eſſe decuit, quapropter oleum Saturni rubrum tantoperè à Fel. Würziô in chirurgiâ ſuâ laudatum oculô quotidie inſtillavimus, demùm autem ſequens collyrium cum linteolis intinctis applicuimus.

℞. *Boli armeni diligentiſſimè ſupra prophyrit. cum Aq. roſ. alb. lævigat.*
Sief. alb. ſ. o. āā. ℥ß.
Ceruſſ. lot. Tut. præp.
Lap. Calaminar. præp. āā. ℈j.
Aq. plantag. euphraſ. roſar. alb. āā. ℥j.
Syrup. de Roſis Siccis ʒiij.
M. S. Dr. ad uſum.

Atque ità divinâ adſpirante gratiâ feliciter curavimus prædictum vulnus, exiguâ cicatrice conſpicuâ relictâ, oculô autem globoſam figuram prominulam per humoris aquei anteà deperditi reſtaurationem à ductibus aquoſis novis, ſtudiô Celeberrimi Nuckii luci publicæ expoſitis, ſuggeſtam rurſùs adeptô.

Ibidem Obſervatio 183. *De ſalis Lixivi ſive alcaliſati citra acidi aſſociati beneficium eveniente & perdurante cryſtalliſatione.*

Ibidem Obſervatio 184. *De Chryſanthemô foliis matricariæ petalis fiſtuloſis.*

Ibidem Decur. 3. *Anno* 1. *Obſervatio* 139. *De Vomitu ſanguineo ex vociferatione.*

Ibidem Obſervatio 140. *De Verrucâ penſili ſcroti fungiformi.*

Ibidem Obſervatio 141. *De Vulnere thoracis cum pulmonis læſione globulô ſclopeti inflictô, feliciter curatô.*

CAupo in pago milliaris unius ſpatio hinc diſtante Oberferrieden dicto, cùm ad nundinos anniverſarios Neagorenſes Menſe Auguſto Anni ſuprà milleſimum, ſexcenteſimum nonageſimum ſecundùm tendiſſet, in viâ à latrone glandis ſclopetariæ mediocris ictû dorſum trajectus, atque pulmonis lateris dextri lobus non procul ab extremô perforatus fuit, unde is in terram proſtratus per horulæ ſpatium ſemianimis decubuit, donec à ruſticis ſupervenientibus in currum elevatus domum adveheretur. Per celeres equos ego cum Chirurgo in auxilium vocatus, vulneratum inviſo ad mortem ſe præparantem, & non niſi luctuoſa ob omnimodam virium jacturam ad cœlos mittentem; vulnus inflictum exploro, atque ſanguinem ſpumoſum emanantem, ſed & illô dilatatô ſub inſpiratione pulmonis appropinquantis lobum læſum eſſe video, dum æger ſpiritum difficulter ducere poterat, partim ob ſanguinem extravaſatum in thoracis cavô collectum, hujusque læſionem factam, partim ob glandem plumbeam ceſſante ictûs robore inde haud egreſſam, ſed diaphragmati juxta coſtarum ſpuriarum anteriorem ambitum, (ceu dolor & pondus gravativum ibi moleſtum innuere nobis videbatur) aliquantùm intruſam. Antè omnia igitur virium defectui conſulturus, ægro julapium propinavi ex Aq. plantag. rubi Idæi, veronic. chærefol. ceraſ. nigror. cinam. fl. cordial. & ſyrup. pap. errat. corticumque citri confectum, ſanguinis autem extravaſati coagulo reſolvendo & reſpirationi relevandæ pulvere ex antimoniô diaphoretic. ocul. cancr. præparat. ſpermat. ceti & ſpec. diair. uſit. atque cordialibus temperatis idoneâ proportione mixtis concinnatô, per vices datô proſpexi, dum intereà ſimùl Chirurgus muneris ſui partes peracturus digeſtivum ejus modi vulneri adaptatum cum turundâ immiſit, atque balneatori ejus loci ut ſubſequente nocte vulnerato adſtaret curâ commiſſâ, mecum Altdorfſium rediit. Altero die, ad vulneratum denuò parato itinere brevi, eundem meliùs paulò habere lætatus ſum, huic ad ulteriorem opem ferendam me accingens apozema traumatico-pectorale bis quotidie calidè bibendum obtuli, mane autem jejunô ventriculô balſam. ſulphuris aniſati gut. xv. ad xx. cum juſculo aſſumendas præcepi; ad ſitim coërcendam, febremque præſentem mitigandam decoctum C. C. crud. raſpat. Rad. Scorzon. Chinæ, Sarſæparill. ſem. fœnicul. bacc. alkek. Caric. ping. & liquiritiæ raſæ pro lubit. hauriendum conceſſi, & cum hoc ipſo ad vigilias demulcendas, emulſiones ex ſeminibus 4. frigidis majoribus, papav. alb. card. bened. & aliquot amygdalis dulc. rec. excorticatis elici volui; intereà vulnus à Chirurgô ſedulò & peritè porrò tractabatur, dum pro materiâ cruentô-purulentâ thoracis detergendâ, juvandâque pulmonis conſolidatione decoctum ſequens tepidè per ſiphonem bis quotidie injici juſſi; ℞. plantag. ʒvj. conſolid. major. ariſtoloch. rot. veræ āā. ʒij. H. agrimoniæ veronic. hyperic. alchimil. āā. M. ß. roriſmarin. P. ij. flor. roſ. rubr. prunell. āā. P. i. Myrrh. ℈ij. hordei M. j. inciſ. & contuſ. Mr. & Coq. in Aq. ſ. q. ad ℔iß. Colaturæ adde mell. roſac. ℥ij. Balſami vulnerarii ʒiß. Mr. ad uſum. Externè thorax tali linimentô calidè inungebatur, ♃. unguenti pectoral. rubr. potabilis āā. ʒiß. anodyn. ol. lumbric. terreſtr. hyperic. āā. ʒj. terebinthin. deſtill. ℈ß. ſuccin. deſtill. gut. vj. Miſc. mox eidem pro fomento, dein impoſitis ſacculis ex chærefol. agrimon. veronic. ſalv. fl. Chamæmel. melilot. roſar. rubr. repletis interpaſſatis, vino ferventi priùs immerſis dein expreſſis. Poſt hæc repurgatô ſatis vulnere omiſſâ injectione cum turundâ indebatur ſeq. unguentum: ℞. Unguent. de betonic. balſami vulnerarii noſtratis āā. ʒiß. Mell. roſac. ʒiij. miſc. atque ſic vulnus ex votô conſolidatum fuit, & caupo adhuc benè valet, niſi quod reſpirationem, haud prorſus, uti antehàc, liberam experiatur.

Ibidem Obſervatio 142. *De Pullô gallinaceô quadrupede.*

Ibidem Obſervatio 143. *De vitulô monſtroſô gemellô.*

Ibidem Anno 2. *Obſervatio* 207. *De Paralyſi ſcorbuticâ vagâ.*

Ibidem Obſervatio 208. *De Vertigine à Rhabarbarô.*

Ibidem Obſervatio 209. *complectens phœnomena aliqua circa ſpiritum fumantem geminum annotata.*

Ibidem Obſervatio 210. *De Diverticulis peritonæi novis.*

Ibidem

Ibidem Anno 3. Obſervatio 156. Singularia in Matronâ hyſterico--hypochondriacâ ſymptomata exhibens.

Ibidem Obſervatio 157. De Dolore brachii ſiniſtri exquiſitiſſimô apoplexiâ terminatô.

Ibidem Obſervatio 158. De Cephalalgiâ periodicâ ſpaſmodicâ.

Ibidem Anno 5. & 6. Obſervatio 96. De Liquore pro ⊕lo ♂tis parando collecto à frigore non coagulabili.

Ibidem Obſervatio 97. De Lixiviô ſalis Meliſſæ, à frigore cruſtam glacialem folia cum contextû fibroſô repræſentantem, adeptô.

Ibidem Obſervatio 98. De Terrâ foliatâ tartari botrioide.

Ibidem Obſervatio 99. De Tumore fungiformi ſupra genu dextrum feliciter ſublato.

TUmor hic genu dextrum Illuſtriſſimæ Comitiſſæ N. N. obſederat per biennium, & medicamentis non ſolùm ſed & præſtigioſis remediis atque incantamentis cedere renuerat, ità ùt ſpem medelæ futuræ omnem abjecerit; idem verò magnitudine ovum gallinaceum fermè æquaverat, albus, inſenſibilis, & contactui ſpongiæ inſtar obſequens; Illô igitur visô cùm ſciſcitatus eſſem, num ex contuſione, aut lapsû aut contorſione violentâ enatus fuerit, nil autem horum præceſſiſſe reſciviſſem, culpam attribui genubus propter preces religioſas diutiſſimè flexis, & ideô fibrillis genu afflictum tegentibus membranaceo-nerveo-tendinoſis ruptis ac divulſis indeque ſubſecutâ lymphæ effuſione & coagulô. Applicandum igitùr ſuaſi Emplaſtrum mixtum ex Malactico Emplaſtro & Cerato de galbano crocato Mynſichti, ſic paulatim tumor ſubſidere cœpit, tandemque evanuit. Emplaſtri malactici compoſitio ſeq. in modum ſe habet; ℞. olei communis ℥iij. In his coque ceruſſæ pulveriſatæ ℥iij. Dein admiſce Reſinæ pini ℥iiij. Ceræ ad lentum ignem liquefactæ ℥j. gummi galbani, ammoniaci in acetô ſoluti, myrrhæ pulveriſatæ aa. ℥ß. M. F. l. a. Emplaſtrum. Cæteroquin utriuſque nominati Emplaſtri amicô fœdere juncti ope Emphyſema in olecrano ex alliſione vehementiori ad pavimentum lapideum factâ, exortum brevi curavi, imò ſolô etiam malacticô imminentem ſtrumarum deformitatem in aliquot fœminis anteverti.

Ibidem Obſervatio 100. De Ceraſô acidô proliferô.

Ibidem Annô 9. & 10. Obſervatio 58. De virô fulminis ictû repentè exanimatô.

Ibidem Obſervatio 59. De Hæmorrhagiâ uterinâ fluore ſuccedente ſanioſô, atrophiâ tandem inſecutâ lethali, & poſt mortem in corpore apertô notabilibus.

Ibidem Obſervatio 60. De Diarrhœa cum excretione pellicularum plurimarum.

Ibidem Obſervatio 176. De Spinâ ventoſâ oppidò rarâ, cum inſigni oſſis femoris dextri fracturâ, ejuſdemque notabili fragmine per abſceſſum ſeparatô.

Ibidem Obſervatio 177. De Aquâ pericardii in Bove habitâ.

Ibidem Obſervatio 178. De Aneuriſmatis felici à ſe curatione.

BAlneator cùm in urbe N. Perilluſtri & Generoſiſſimæ cuidam Baroniſſæ mediante phlebotomô venam medianam ſecare juberetur, eandem non ſolùm violenter pertudit, ſed & vaſculum arterioſum ſubjectum læſit, unde ſanguis celerrimô cum impetû erumpens difficulter medicamentis ſtypticis, moneta argentea impoſita & arctiori adhibita deligatione coërcere potuit. Succeſſit nihilominùs poſt triduum vulnuſculi venoſi conſolidatio, brachium autem per interiorem ambitum univerſum ſuggillatione correptum apparuit, dehinc circa locum venæſectionis improvidè adminiſtratæ incepit eminere tumor nonnihil liveſcens mollis & laxus, digitorum compreſſioni majori ex parte cedens, ſed mox recurrens, qui tamen incrementô poſteà ſumtô durus evaſit, pulſum autem cordis æmulum ad contactum notabilem exhibuit, ut adeò aneuriſma juxta Cl. Nuckium in Experimentis Chirurgicis, Experiment. 29. ſpurium dicendum adeſſe patuerit, ex arterioſô ſiquidem vaſculô ſolutionem continui paſſo, ſanguis inter partes muſculoſas & ſubcutaneas effuſus tumorem illum viſibilem peperit. De majori igitùr Perilluſtris Matrona ſibi haud immeritò metuens periculo, opem meam anxiè imploravit, quapropter emplaſtrum ſtyptico-traumaticum quôlibet quatriduô renovandum ſupra corium figurâ & magnitudine tumori æquale extendi, aneuriſmati applicari, ſuprà illud verò laminam plumbeam imponi, ac faſciâ longiori decenter circumductâ ſingula firmari præcepi; cùmque ſuggillatio poſt illitum ſpiritum matricalem jamdùm evanuiſſet, aneuriſmatis tumor depreſſus ſubſedit, callô relictô duriori; nullum tamen motûs libertati obſtaculum ponente. Emplaſtri compoſitio erat ſequens;

℞. *Emplaſtri diapalma ℥ij.*
Pulv. Maſtichis.
Roſar. rubr.
Myrtill.
Rad. Symphyti ana ʒj.
Vitrioli albi ℈ij.
M. cum ſ. q. ol. roſac. & ceræ.
F. Magdalcon.
D. S.

De eô habentur præterea in Ephem. Curioſ. Centur. 1. & 2.

Obſervatio 134. De Cachexiâ, hinc inſecutâ febre tertianâ intermittente, ac demùm iſchuriâ 12. dierum feliciter curatâ.

ILluſtriſſimus & Excellentiſſimus quidàm Patiens, annos ſupra ſexaginta novem natus, tumore pedum œdematosô-cachecticô per plures annos afflictus, cum nec deambulandi diurnô, noc decumbendi facilitate nocturnô tempore gaudere potuerit, utramque retardante & aggravante tumoris pondere, tot moleſtiarum pertæſus me in conſilium ſub proximè elapſi anni principium vocari juſſit. Adveniens mox animadverti chylificationis negotium ſuccumbere, Patiente hydropotâ, prandium amplum diverſis cibis feriente, quietem tantùm non perpetuam admittente, atque in conclavi ſpatioſo, fornace deſtituto, camino quidem aſſidente, ſed nihilominùs aëris frigidi injurias, cum tranſpirationis inſenſibilis notabili interceptione ſuſtinente; obveniebant adeò cum reſpirationis difficultate mox plura cachexiæ ſolita ſigna, & vapeſcentis cum ſpiritibus ſanguinis indicia, quibus nephritici dolores ſeſe ſubindè aſſociabant. Medelam igitur anxiè expetenti daturus, nunc ad guttas 30. cum juſculô ſumendum præcepi Elixir meum ſtomachicum ſali volatili oleoſo aromatico & ſpiritui cochleas

cochleariæ nuptum, ei alternis vicibus ſubſtituendas ſuaſi ſpecies ad inſtar Theæ ſuperaffuſâ aquâ calidâ ſorbillandas, ex rad. Chinæ, graminis, ſarſæparillæ, bardanæ, liquiritiæ, ſcob. ligni ſaſſafras, baccis juniperi, caſſia lignea, cortic. Winterano, Santalo citrino, viſco querno, ſemine aniſi Indici ſtellati, & paſſulis majoribus exacinatis concinnatas; ſub prandii finem buccellam panis vino generoſo dulci canarienſi aut moſcato inebriatam deglutiendam ſuaſi, horâ 5. pomeridianâ pilulas præcepi aſſumendas numero 15. ex extractô trifolii fibrini, gentianæ, ligni aloës, caſtorei, croci, antimonio martiali diaphoretico Ludovici, radice ari crudâ, millepedibus præparatis, ſale volatili ſuccini, cinnabari nativâ & cinnabari antimonii rectificata, cum baſamo peruviano & oleo cinamom. maceris, menthæ Caryophyllorũ deſtillatorum aliquot guttulis pondere gr. i. efformatas. Per intervalla enema ex emollientibus & carminativis applicari curavi. Corpus univerſum ſemel uſû pilul. hydropicar. Bontii cum mercuriô dulci & trochiſcis alhandali ſtimulatarum purgavi. Tumori pedum pediluvio ex aquâ fabrorum ferrariorum, cui fol. roriſmarini, betonicæ, ſalviæ, chamæpytios, rutæ, flores chamæmeli, ſambuci, ſummitates ſerpilli, ſulphur. nitr. & alum. incocta fuerant, conſulere allaboravi. Et enumerata quædam remedia, Deo ex alto benedicente, ex votô profuerunt, ùt abſumto pedum tumore libertati reſtitutus Illuſtriſſ. Dn. Patiens arce egredi & breve ſubinde iter ſuſcipere valuerit. Obtigit autem, ùt cum ipſô Saturnalium feſtô ad epulas in viciniâ invitatus eſſet, piſciumque eſui indulſiſſet, in febrem tertianam intermittentem incideret, cui remediis idoneis relevatæ illicò dolor nephriticus ſucceſſit cum ſummô ciborum faſtidiô ac vomitu, ſiti intolerabili, ac urinæ omnimoda ſuppreſſione, quæ quidem ultra diem 12. perſtitit, niſi qùòd intereà bis terve quatuor urinæ ſabulô craſſô turbatæ guttulas ſaltem excreverit. Varia intereà adhibita ſunt medicamenta quà interna, quà externa; Inter illa erat Decoctum Foreſti, infuſum Theæ cum baccis juniperi, emulſio nephrocathartica Schroderi, coloſtrum terebinthinatum, ſal volatile oleoſum cum ligno ſaſſafras paratum, diureticum & lithontripticum aliàs uſû probatiſſimum, pulvis teſtarum ovi calcinatarum, oculi cancr. ſal volat. ſuccini, cinnabaris nativa, ſperma ceti tùm & alii pulveres lithontriptici compoſitir. Inter hæc, enemata ex emollientibus & carminativis ac diureticis, ſacculi & cataplaſmata ex herb. chærefol. matricariæ, malvæ, parietariæ, mercurialis, floribus Chamæmeli Romani, bacc. juniperi, alkakengi, ſeminibus dauci, aniſi, petroſelini, lini, fœnugræci, in lacte decoctis renum regioni admota, linimenta ex unguentô dialth. ol. amygdal. dulc. ſcorpionum lumbric. terreſtr. petrol. albo, cum oleis deſtillatis ſuccini, juniperi, terebinthinæ, roriſmarini, carvi, aniſi confecta, ſuccôque ceparum expreſſô admixtô attenuata. Irrita verò hæc omnia erant, accedebat angina ſpuria, tonſillarumque tumor deglutitionem intercipiens, injectis gargariſmis ope ſiphonis mucus ſanguineo-pituitoſo-purulentus viſcidiſſimus non tam ſcreatus repetito validiſſimo niſu rejiciebatur, quam mediantibus digitis ori immiſſis extrahebatur. Atque hæc peragebatur ad diem uſque duodecimum incluſivè fabula, inter querelas metumque mortis, ac ſalutis ſpem planè dubiam; dum Illuſtriſſimus Patiens vigiliis pertinaciſſimis ferè exhauſtus ac nauſeabundus nec alimenta nec medicamenta accipere ulla volebat, donec ingruente nocturnô tempore multis argumentis à me perſuaderi pateretur, ùt horâ 9. hauſtum largiorem emulſionis, ad præſcriptum meum ex amygdal. dulcibus N. 12. & nucleis perſicorum num. 8. cum aq. ceraſorum nigrorum ab amatiſſimâ Thori ſociâ paratæ ebiberet, idque bonum factum poſt horam elapſam repeteret; ſic circa noctis meridiem erumpere cœpit urina effractis quaſi clauſtris, & quidem primùm ad aliquot uncias tota quanta ſabuloſa, inſtar aquæ lutô ſabuloſô turbidæ, poſteà effluxit ſanorum ſimilis colore citrinô conſpicua, & quidem intra ſpatium quinque horarum ad menſuras Franconicas circiter octo, ùt adeò divinam benignitatem, quâ ab imminente extremô vitæ periculô Illuſtriſſimus Vir liberatus eſt, non ſatis deprædicare potuerimus. Cæterùm per inſequens biduum ipſe commodè ſatis vixit, niſi quòd crebriorem ad urinandum ſtimulum perſentiſceret, tunc demùm verò excrevit tres calculos, quorum ultimus ob angulum prominentem acutum intra urethram adhæreſcendo aliquandiù commoratus eſt, donec ùt urina ſtudiô aliquantillum retenta cum niſu ejaculatoris concitatiori foràs expelleretur. Ab illô tempore Illuſtriſſ. Dn. Patiens optimè ſe habuit, Thermis Embdenſibus Menſe Majo feliciter uſus.

Ibidem Obſervatio 135. ſiſtens os palati ſponte ruptum & cum ſonitû effractum.

Ibidem Obſervatio 136. proponens ptyaliſmum ſalutarem in epilepſiâ ex accidenti concitatum.

Ibidem Centur. 3. & 4. Obſervatio 108. De procidentiâ uteri cauſâ ſingulari.

Ibidem Obſervatio 109. De Elaphopila atque concreto membranaceo-cartilagineo in Damacervi ventriculo.

Ibidem Obſervatio 110. De Calculis ſiliceis cum mucô viſcidô per urethram excretis.

Ibidem Obſervatio 111. De Hæmorrhagiâ uteri veſiculari.

Ibidem Centur. 5. & 6. Obſervatio 44. De Ovô ligneô tornô elaboratô vaginæ uterinæ à muliere intruſô, cruſtâ lapideâ obductô.

Ibidem Obſervatio 45. Trichiaſis cum calculo veſicæ gemino ſibi in medio incumbente & excavato.

Ibidem Obſervatio 46. Hypercatharſis ex maſticatione & eſû quatuor baccarum mezerei.

Ibidem Obſervatio 47. Pſeudomolæ concreti ſanguinis polypoſæ ſub hæmorrhagiâ uteri protruſæ.

Ibidem Obſervatio 48. De Lapide ex tonſillâ dextrâ exciſô.

Ibidem Centur. 7. & 8. Obſervatio 27. In Extiſpicio, perilluſtris cujuſdam matronæ febre lentâ hecticâ defunctæ habita.

Ibidem Obſervatio 28. De ſpaſmô muſculi pſoas & iliaci interni dextri dolorificô prænunciô arthritidis.

ARthritidem, præſertim vagam, ſpaſticum affectum eſſe, à ſale modò bilioſô acri volatili, modò acidô, modò ſalinô-tartareô fixô, modò ſalſô mediô, pro temperamenti aut diſpoſitionis hæreditariæ congenitæ, hìnc indè ſub motû quadantenùs febrili circa articulos fibraſque ibidem membranaceo-nerveo tendinoſas, perioſtiô, membranis, ligamentis, tendinibus, quin & muſculis ac glandulis mucilaginoſis intertextas congeſtô, eaſdemque rodente, lancinante, mordente, atque ad ſtricturas ſpaſticas laceſſente, vir quidã ſexagenariô major in ſemet ipſo deprehendit nam, cùm antehàc

antehàc ante morbi hujus invaſionem, repentinam thoracis ſtricturam cum reſpirationis difficultate improviſâ perpeſſus eſſet, annô ſuperiori poſt æquinoctium autummale fortuitò ſpaſmum muſculi iliaci interni & pſoas dextri atque illic contermini muſculi inferioris diaphragmatis tendinoſâ expanſione ſenſit, qualis quidem corpore ad quietem compoſitô remiſit, ſed quoties ipſe aut corpus in alterutrum latus revolvere aut erigere intendebat, repentè invaleſcebat, & præter dolorem ſpaſticum acerbum reſpirationem repentè intercipiebat, nec cedebat, niſi corpore rurſùs aliquandiù ad quietem denuò compoſitô. Triduô exactô ſuperveniebat dolor iſchiadicus lateris afflicti, mox arthritis vaga manuum pedumque officium intercipiebat, & quò dolor plus affligere cœperat artus, eò magis ſpaſmus in nominatis muſculis cum reſpirationis redditâ libertate cedebat, hic ipſe autem ſolitô citiùs mitigabatur, radice Ipecacuannæ cum nitrô depuratô pro ſcopô emeticô aſſumta, & repurgatis per enema injectum alvinis ſordibus. Cæterùm inter remedia interna levamen præcipuum dedit ſequens decoctum: Recipe Rad. ſarſæparill. Chin. ā ℥j. bardan. graminis ā ℥ß. polypod. hermodactyl. ā ʒiij. viſci querni ſantal. citrin. ā ʒij. ſemin. cochleariæ, aniſi ā ʒj. Inc. & contuſ. coq. in aq. fontan. ℔iiij. v. cl. ad dimidias, colaturæ adde julep. roſac. citrati ā ℥ß. cum hoc decocto ſumebantur Liq. C. C. ſuccinat. & Tinct. ♁ 🜂 iſat. anaticâ portione mixtæ guttæ 30. Nocturno tempore ingruentes dolores demulcebant pilulæ ſequentes: ℞. Cort. Chin. Chin. elect. ʒj. lumbric. terreſtr. ppr. ungul. alcis ppt. cinnab. nativ. ♁. rectif. ā. ʒß. ſuccin. alb. ppt. myrrh. croci a ℈j. pulveriſata miſc. cum mucilag. tragacanth. per aq. roſar. extracta: Form. è ʒj. pilul. n. 40. Dentur ad ſcatul. pulv. lycopod. reſperſæ, quarum 25. pro Doſi capiebantur, additô nonnunquam ad vigilias compeſcendas pil. de Cynogloſſ. cum caſtorio gr. j. aut alterô; Inter externa Empl. diaſaponatum Barbette nonnihil immutatum profuit; ℞. Minii ceruſſ. ſaponis Venet. ana ℥x. Ol. olivar. ℔ij. axung. porci ℥j. opii in acetô ſoluti ℥ß. Coq. l. a addendo pro colore exaltando minii ℥vj. F. Empl. Nec minoris efficaciæ comprobatum fuit ſequens; ℞. ol. olivar. ℥vj. Ceruſſ. alb. ℥v. Coq. in lebete igne lentô ac probè agitando miſceantur, poſt addantur ceræ alb. ℥iiß. Tereb. ℥iij. maſtich. oliban. ana ʒjß. camphoræ ʒiij. F. L. a Empl. Paregoricam ad hæc virtutem præſtabat ceratum in Actis Hafnienſibus Vol. III. & IV. Obſ. 9. p. 14. deſcriptum, etſi non adeò concinna ſit compoſitio, tumoremque artuum arthriticum aliquantùm diſcutiebat, etſi, quoad poſteriorem uſum, radix bryoniæ alb. radula detrita & impoſita illi palmam præripuerit. Motûs demùm poſt dolores ſuperatos reſiduam impotentiam reſtaurabat balneum aquæ dulcis, cum notabili ſaponis vulgaris in eâdem ſoluti quantitate & rad. leviſtici, valerian. major. ariſtol. long. clematit. herb. ſabin. meliſſ. artemiſ. lavendul. origan. matricar. fl. chamæm. Roman. Sambuc. Calendul. bacc. laur. junip. ſemine urticæ vulgaris & cumini incoctis paratum. Auxilii ſalutaris intereà non minimam ſibi partem meritò vindicavit hœmorrhoidum internarum fluxus ſuperveniens Criticus, cum notabili euphoriâ obtingens.

Ibidem Obſervatio 29. Infans ex fiſſurâ oſſis frontis epilepſia mortua.

Ibidem Obſervatio 30. De Contuſione verticis & thoracis lateris dextri graviſſima, periculoſis ſymptomatibus ſtipata, feliciter curata.

Ibidem Obſervatio 31. De tumore parotidis dextræ œdematoſô-ſchirroſô.

Ex eô præterea habentur in Actis Lipſienſibus, An. 1704. pag. 63.

Idea Machinæ Humanæ Anatomico-Phyſiologicæ, ad obſervationes recentiores conformata, & ad methodum ſectionum ſolennium accommodata. Altdorfi, typis Henrici Meyeri, 1703. 4.

TRactatum hunc Anatomico-Phyſiologicum eum potiſſimum in finem delineavit Author Clariſſimus, tum ut pro ſupplementô eſſet Diſſertationum in Hornii Microcoſmum quondam ab ipſô editarum, tum ut doctrinæ inſerviret Philiatrorum, quotiès adminiſtrationes Anatomicæ publicæ exhibentur. Et quemadmodùm in exponendâ ſingularum partium corporis humani ſtructura, in id potiſſimum, ipſô in Præfatione fatente, incubuit, ut recentiorum Anatomicorum obſervationes eas præcipuè attenderet, quas ſolerti factâ indagine, ſenſuum & experimentorum fide comprobatas perſpexit, atque illas ipſas Inventoribus ſuis ex æquô & meritô ubique vindicaret; falſaſque, quas in Authoribus deprehendit, hypotheſes modeſtè redargueret, cuivis lecturo optimè ſe commendaturum fore librum hunc, penitus confidimus. Nos ea ſaltem delibabimus, quæ vel tanquam nova ab Authore celeberrimô per 27. annos publico ſecandi muneri vacante allata, vel ab aliis tradita confirmata ſunt.

Panniculum carnoſum nullum in homine exiſtere, ſed id, quod oſtenditur, nil aliud quam pinguedinis membranam eſſe, cum Petro Dionis ſtatuit. Omentum eum in finem diverſis partibus annexum eſſe credit, nè viſceribus oneri ſit, utque vaſorum ſanguiferorum ductuumque adipoſorum expanſioni, pro motû contenti fluidi neceſſariæ, inſervire, & ſtriis membranaceis piuguedine turgidis locum cedere queat; quæ pinguedo fœminas ſteriles reddat, non quod orificium uteri internum comprimat, uti viſum fuit Hippocrati ſect. V. aphor. 58. ſed quod ultra conſuetum terminum verſùs inferiora detractum ovarium utrumque comprimat, aut lentore oleaginoſo potiùs obvolvat, ſicque ſpiritus genitalis maſculini vim energeticam ſupprimat, vel intercipiat. Glandulæ meſenterii conglobatæ fluidum lymphatico-chyloſum non tam percolando depurare, quàm ſpiritus animalis connubio exaltare, & exactè ſubigere dicuntur, cum ſeptem plexus nervei in meſenteriô conſpiciantur. Humor in renibus ſuccenturiatis ſecretus bili analogus ſalino-volatili-oleoſus pronunciatur, ut ſanguis, relictô in renibus majori ſeroſi vehiculo parte, à grumeſcentiâ immunis ſit. In fœminâ 4. menſes gravidâ, arteriolarum tubulos in uteri cavitatem hiantes, ac calices & folliculos apertos præſentantes, dignoſcere haud potuit Noſter, benè tamen tunicam interiorem placentæ contiguam cavernulis ſpongioſo glanduloſis excavatam, intra quas acini glanduloſi placentæ immerſi erant, cum tuberculis quibuſdam intermediis perſpexit, quæ preſſæ nil quicquam ſanguinis, ſed ſeri mucaginoſi tantillùm fundebant. In fœtû quadrimeſtri ſeparavit ſuſpenſâ manû tertiam tunicam à choriô, cujus internæ ſuperficiei ante connexa erat, ità ut ambigat, utrum pro diſtinctâ membranâ, an pro chorii duplicaturâ haberi debeat eadem, nec tantillum fluidi eam inter & amnium interceſſiſſe, obſervare potuit. Per tunicas fœtûs ſerum ma-

tris tranſcolari, & ad amnii ambitum deponi, quondam credidit Noſter; num autem Hobokenii dubiis motus, perſuaſum ſibi habet, aut per vaſcula embryonis venoſa, ovuli membranas tranſgreſſa, radiceſque ſuas ad ſuperficiem uteri internam defigentia, aut per peculiares canaliculos chorii, utero quoad totum ſui ambitum interiorem connexos, ex lacunis uteri, poſt conceptionem ſeri materni chyloſi moleculas ad amnium deduci. Geminum in canibus cerni diaphragmatis muſculum, in homine verò rem haud adeò expeditam eſſe, pronunciat. In œconomiæ animalis ſtatû naturali aquam pericardio ineſſe confirmat, in majori tamen vel minori quantitate, pro temperamenti diſcrimine, & rerum n. n. prægreſsô variô usû, cumprimis etiam aëris ambientis diversâ habitudine, & craſi; quod autem in cónſpectum ſectionum magiſtris non ubique ſe dederit, eveniſſe putat, aut quod tùnc temporis à vaſis lymphaticis maximam partem reſorpta fuerit, aut aquæ conſiſtentiam non habuerit, in vaporem reſoluta tenuem; pro materiâ verò hanc agnoſcere lymphæ portionem, id quod color & ſapor non modò, verùm etiam illud phœnomenon doceat, dum aqua hæc in ſubjectis bilioſis magis flava in ſcorbuticis rubicunda, in hydropicis turbida vel lixivioſa, reſpectû coloris notetur. Scaturiginem nanciſci ab aſpredinibus glanduloſis minimis, duabus membranis interjectis, à Malpighiô deſcriptis; uſum eum poſſidere, ut fibras cordis motrices, blandâ ſuâ alluvie vel roridô madore, flexiles molleſque præſtet, ſuam membranam mollem ſervet, & ſui cum corde coalitum impediat. Intimam pulmonum ſubſtantiam omni ferè ſensû deſtitutam dicit, non quidem, prout Vieuſſenio videtur, quoniam fibræ nerveæ, quibus intertexitur, funiculorum formam retinent, nec in membranas explicantur, ſed potiùs quoniam eædem inter veſicularum ſubſtantiam arctiùs compreſſæ, in minimis propaginibus ſpirituum activitate derelictæ, aut potiùs membranaceis velamentis ſenſibilibus deſtitutæ, ἀναισθησίαν patiuntur; aut adeò profundè immerſæ ſunt, ut à violentâ læſione utplurimùm immunes perſtent. In fatali laqueô ſuffocatis cadaveribus, obſervavit membranam craſſiſſimam & laxiſſimam, ſupra epiglottida extenſam, carneis fibris inſtructam, quam Hier. Fabr. ab Aquapendente deſcripſerat, eamque muſculi attollentis officio parem eſſe judicat. Muſculos autem humanam epiglottidem deprimentes vel occludentes, nondum exactè dignoſcere ipſi licuit, nec forſan neceſſarios, quales in brutis, prono ad terram capite incedentibus cibumque ruminantibus, robuſtos & carnoſos, ab arytænoidibus ſupernè ab baſin epiglottidis internam exporrectos, conſpexit. Clariſſimi Verhayn collaudat ſagacitatem, quam in glandulis pluribus, & ultrà centum numerô, circa aſperæ arteriæ divaricationem eruendis adhibuit, etiamſi jam olim earum quatuor (Verhaynio id minùs advertente,) ab Olaô Borrichiô repertas fuiſſe, Thom. Bartholinus Anatom. Lib. II. cap. 10. teſtetur. Glandulam thymi chyli aliquam partem ex arteriolis recipere, ſicque diverticulum eidem præbere, autumat, ne ſi omnis ſimul & confeſtim ad cerebrum perveniret, aut cerebrum nimiâ copiâ aggravaret, aut ad minimum corticis exterioris poros & meatus ultrà modum infarciret. Hunc demùm chylum ex parte à venis & vaſis lymphaticis reſorberi, aut per peculiaria vaſcula paulatim ductui thoracico infundi. Chordam tympani membranæ ſubtenſam, ad ſenſationem mobilitatemque hujus membranæ, fibraſque ejuſdem per elaſticitatem in æquali tenſione ſervandas, comparatam eſſe exiſtimat; dum ipſa membrana aëri per aurem externam admiſſo, ab internâ quidem arcendo, ſed ſonorificis ejuſdem impulſibus primùm ſuſcipiendis, dein oſſiculis & aëri in cavitate ſubjecta concluſis communicandis, inſervire videtur. Ipſum autem labyrinthum, pro formali & proximo auditûs organo habet. Utrùm perioſtium figuram ac formam externam oſſium circumſcribere, ac certis limitibus determinare queat, uti Haverus ingenioſè commentatus eſt, ſubdubitat, perſuaſus membranaceo-tendinoſo-nerveas perioſtii fibrillas, flexiliores tenſileſque, rigidioribus oſſium ſtaminibus & lamellis cedere tantùm debere, in quantum eorum incrementum expoſcit, dum ceſſans augmentatio & induratio oſſeæ ſubſtantiæ, ipſa ſibi limites ponit ac præfigit.

De cæterô adjuncta eſt operi huic decas Programmatum Academicorum, à Clariſſimô Authore Anatomiis ſolennibus præmiſſorum, in quorum I. Anatomiæ ſtudium omnibus, quodcunque etiam profiteantur diſciplinarum genus, commendat. In II. contra eos diſputat, qui Anatomes exercitium, oculatâ manû celebrandum, Medico minùs neceſſarium eſſe contendunt, adminiculis aliis proſtantibus In III. Chemiam & Anatomiam omnibus, ad Artis medicæ faſtigium adſpiraturis, neceſſariam eſſe docet. In IV. ſexui fœminino parem cum maſculinô perfectionem competere demonſtrat. In V. cuncta animalia ortum ſuum ex ovô habere probat. In VI. & VII. hominis & brutorum, quoad præcipuas partes, notabile diſcrimen delineat. In VIII. Artem Medicam ab Anatomiæ ſydere illuſtratam ſiſtit. In IX. admirandam corporis proprii ſtructuram negligere, nefas pronunciat. In X. Virorum, qui Artem Anatomicam exercuerunt, catalogum pandit.

Ibidem Anno 1713. *p.* 452.

Diſquiſitio corporis humani Anatomico-Pathologica, Rationibus & Obſervationibus Veterum & Recentiorum, ſingulari ſtudio collectis, confirmata. Altdorffi Noricorum; typis Magni Danielis Meyeri, 1713. 4.

POſtquam Experientiſſimus *Autor* decem abhinc annis *in Idea Machinæ humanæ anatomico-phyſiologicâ*, in Actis Menſe Februariô A. 1704. à nobis recenſita, naturalem partium corporis noſtri dilucidavit ſtatum, huic præternaturalem pariter eôdem ſervatô ordine in præſenti *Diſquiſitione Anatomico-pathologicâ* non ſine ratione ſubnectit. Quamvis enim Riolanus *in Enchiridiô anatomicô*, Mœbius in *fundamentis Medicinæ Phyſiologicis*, Molinettus in *Diſſertationibus* ſuis *anatomico-pathologicis*, & alii Hiſtoriæ naturali partium præternaturalem quoque jamjam exhibuerint ſubjectam, ab eô tamen tempore quia Pathologia Recentiorum obſervationibus multùm increvit, conſultum Noſter duxit tales, cùm ex ævi hodierni ſcriptoribus, tùm ſpeciatim ex Ephemeridibus Academiæ Naturæ Curioſorum, reliquis hic adjungere. Quod ut æquè pateſcat, ac quomodò morborum & ſymptomatum ritè ab invicem diſcernendorum rationem ſimùl habuerit, effectuſque morbidos, quantùm præſentis inſtituti norma conceſſit, à ſuis deduxerit cauſis, ex *viginti ſpeciminibus*, in quibus Integumen-

gumentorum communium atque abdominis, thoracis, colli & capitis afflictiones enumerantur, nonniſi *no.um* de morboſis genitalium muliebrium affectibus excerpſiſſe ſufficiet. In iſtô nempe ſpecimine partim morbos vaſorum præparantium, ovarii, tubarum fallopianarum ſive oviductuum, novorum peritonæi diverticulorum, uteri, vaginæ atque pudendi explanat & tantum non ſingulos ſingularibus obſervationibus illuſtrat, partim ſymptomata uteri quoad menſes & fœtûs conceptionem, geſtationem partumque declarat. Morboſæ ſiquidem ſortis vaſorum præparantium licet apud Scriptores pathologicos rariſſima fiat mentio, credit nihilominùs Noſter, nec improbabile, nec impoſſibile fore, ut dicta vaſa à ſanguine, in nimiâ copiâ per arterias affluente, vel non liberè per venas ſocias refluente, plus æquô diſtendantur & varicoſa reddantur, vel à coagulô ſanguineô-grumoſô, lymphaticô-viſcoſô, tartareô-ſalinô obſtruantur, vel à partium vicinarum incumbentium tumore comprimantur, vel à cauſis internis & externis violenter tendendo, rumpendo, rodendo, lacerando ſolutam unitatem patiantur. Præter ovarii fœminei inflammationem, à ſanguine ſulphureo-ſalino fervidiori bilioſo extravaſato reſultantem ac hyſtero maniam ſubinde inferentem, alioſque tumores, hydropem cumprimis ejus ſtupendum ex *Miſcell. Natur. Curioſor. Harderi Apiario* atque *Juſti Theodori Shorkopff Diſputatione inaugurali* memorat. Sicuti autem rationi conforme reputat, ejuſcemodi hydropem ſenſim induci à lymphâ, ex vaſculis lymphaticis diſruptis inter membranaceum ovarii ambitum effuſa, ſive ejuſdem lymphæ copia, ſive lentor viſcoſus, ſive acrimonia ſalino-corroſiva cauſæ antecedentis rationem habuerit, ſive abdominis etiam concuſſio, conſtrictio, lapſus, contuſio, temerarii & intempeſtivi parturiendi conatus, aliæque cauſæ violentæ externæ præceſſerint. Ità hydatides pariter, in ovariô ſæpè obvias & tres earum aliquando in cadavere infanticidæ à ſe ità annotatas ut ab ovarii dextri membranâ externâ erumperent, atque magnitudine ovula ſeminalia vera excederent, ab extravaſatâ lymphâ folliculi proprii ambitû circumſcripta, aut eadem inter fibrillas membranæ ovarium obtegentis effuſa hancque in veſiculas attollente, aut ipſis etiam ovarii lymphaticis vaſculis, propter obſtructionem in veſicularum ſpeciem elatis, derivat. Neque oviductuum hydropem & hydatides facilè negligit, dum exempla illius ex *Tulpio* & *Muralto*, harum autem ex *Miſcellaneis Naturæ curioſorum* in conſpectum profert, conceptionem fœtûs tubariam, *à Thom. Bartholinô*, *Elsholziô*, *Tilingiô*, & *Cyprianô* deſcriptam, tùnc evenire cenſens, ubi ovulum intra cancellos oviductus, vel propter amplitudinem ſuam, vel ſegniorem fibrarum motricium motum, vel lentum humorem ad parietes oviductus ovulum agglutinantem, in mediô ſuô interciperetur itinere. Novorum peritonæi diverticulorum, occaſione inteſtini ob ponderis gravioris elevationem aliumvè vehementiorem corporis niſum in illâ protruſi atque ab anguſtiori illorum orificiô arctius compreſſi, inflammationem aliquandò, demùmque gangrænam obſervavit lethalem. Nè cunctas obſervationes tranſcribamus, quibus uteri inflammationem, figuram mirabilem, duritiem & magnitudinem extraordinariam, duplicitatem, extenſionem & cohæſionem præternaturalem, inflationem, ſcirrhum, hydropem, procidentiam triplicem, diſtorſionem, vulnera, ulcera, rupturam, omnimodam ferè conſumptionem & defectum, orificium itidem internum calloſum, deprehenditur explicare. Omittere tamen haud licèt ſingulare exemplum cujuſdam Religioſi Capucini, Neagovi in Palatinatû à Noſtrô viſi, quo vulnera utero, fœtum geſtanti inflicta, haud ſemper matri & proli lethifera exiſtere docemur; hujus videlicet mater ipſo gravida ex vehementi ad bacillum extremitate acutum alliſione non modò uterum ſibi, ſed & fœtus thoracem ſub papillâ dextrâ pertuderat, matre intereà poſt conſolidationem vivâ remanente, atque cicatrice in dictô Religioſo relictâ conſpicuâ. Circa morbos clauſuræ demùm pudendi connatæ, à *Fortunatô Fideli*, *Hier. Fabric. ab Aquapendente*, *Henricô van Ronhuyſen*, *Joh. Wierô*, *Bartholinô* & in *Miſcell. Natur. Curioſor.* annotatæ, accidentariam & aſcititiam ſubjungit, quæ ex violentô partû dilaceratæ aut vulneratæ, aut ex aliis cauſis prægreſſis exulceratæ & eroſæ, poſteà conſolidando conglutinatæ & occluſæ vaginæ ſoleat ſuccedere, eamque propriâ priùs obſervatione confirmat, quàm de variis genitalium excreſcentiis & rhagadibus, necnon de clitoride nimis elongatâ diſſerat. Quibus de morbis organorum muliebrium fuſius expoſitis, ad ſymptomata tandem accedit utero propria, hæcque vel circa menſes; vel fœtûs conceptionem, geſtationem ac partum diſtinctiùs evolvit ſingulorumque ſpecies v. g. menſium præmaturum fluxum, emanſionem vel morbidam ſuppreſſionem, ſtillicidium, fluxum nimium, vitioſam qualitatem, per aliena loca excretionem, cum aliis corporibus rejectionem; conceptionem aut abolitam, aut depravatam; geſtationem fœtûs in uterô vel ſimulatam in falſâ ingravidatione, vel abruptam in abortû, vel nimium prolongatam, vel in alienô locô peractam &c. nùnc experimentis, nùnc rationibus, adſtruit. De ceterô ſub calcem Clariſſimi *Autoris Programma Anatomicum* XI. de ſectionis cadaverum utilitate, atque XII. quo ſcrutanda in maſculinô cadavere per modum inſcriptionis indigitavit, non minùs reperiuntur, annexa, ac rerum Index, à Dn. *Joh. Georg. Haſenneſtiô* concinnatus.

Ibidem Annô 1720. *p.* 31.

Acta Laboratorii Chemici Altdorfini. Norimbergæ & Altdorf. apud Hæredes Joh. Dan. Tauberi; 1719. 4.

CHemiam non minori ſedulitate, quàm Anatomiam, ab Excellentiſſ. *Autore* in Noricorum univerſitate antehac traditam fuiſſe, quæ hic ſiſtimus, Acta Laboratorii Chemici Altdorfini luculentiſſimum perhibent teſtimonium. Poſtquam enim ille A. 1683. cum Anatomiâ, quam venerandi Parentis ſui Succeſſor cum plauſû per ſexennium jam docuerat, Pyrotechniam primus publicè profiteri ab inclytô Senatu Norimbergenſi eſſet juſſus, non modò tùnc Laboratorium Chemicum magnificâ laudati Senatûs munificentiâ fundìtùs extructum oratione doctiſſimâ de optimâ Chemiam addiſcendi methodo ſolenniter dedicavit, ſed & labores in eô pyrotechnicos, æque ac cadaverum ſectiones & demonſtrationes in Theatrô Anatomico, ſtrenuè plures exercuit annos. Acta tamen præſentia, literis infimùl conſignata, privatos intra parietes *Noſter* adhùc detinuiſſet, niſi amicorum preces publicam ipſorum editionem meritô ſollicitaſſent, quod in *utrâque* eorum, ex quâ conſtant, *Sectione* ſacris chemicis initiandi ſolida omnia fundamenta queant habere. In

In *priori* ſcilicet *Sectione*, 31. Capita comprehendente, Chemiæ tum definitio, objectum, finis, principia rerum conſtitutiva, ſumma operationum genera & inſtrumenta activa paſſivaque, tum ſingulæ operationes variaque horum miniſteriô producta ità recenſentur, ut experientia & ratio perpetuô ubique nexû præluceant. In *poſteriori* autem proceſſus ducenti cum peculiaribus enchireſibus omniumque ætiologia, necnon uſû medicô atque doſi conſuetâ promiſcuè quidem tali tamen evidentiâ exhibentur, ut philiatrorum memoriæ ac ſcientificæ doctrinæ non minùs promtè conſulant, quàm ipſos ad operationes æmulô ſtudiô ſuſcipiendas perducant. Speciminis loco ex ſectionis primæ Capite XIII. de Sublimatione atque Cap. 29. de Crocis, ex ſectionis autem ſecundæ Proceſſû 30. de Liquore ac Sale volatili Meliſſæ & Proceſſu 192. de Tincturâ lumbricorum terreſtrium anodynâ inſequentia ſufficiet adduxiſſe. Sublimatio nempe, quemadmodùm ſicci exhalabilis, præcipuè ſalini, ſulphurei & mercurialis, ex corporibus ab igne facta, ad ſublime vaſorum idoneorum aſſeritur propulſio & ſegregatio, hicque denuò ſub ſchemate plus minus diverſo in ſubſtantiam ſolidam eveniens collectio, ità ſine negotiô, pariter oſtenditur, quomodô ea ad operationum generalium utramque Diacriſin & Syncriſin poſſit referri atque ratione objecti & formæ deſtillationi debeat contra diſtingui. Cum corpora tamen nec quævis, ſed, quæ ſicco exhalabili gaudent, nec unô eôdemque modô ſublimari valeant, inter mineralia, ſulphur, antimonium, auripigmentum &c. nominantur, ob laxiorem ſui compagem à motore igne facilè in ſublime propellenda, dum metalla è contra firmiorem partium conſtitutivarum combinationem nacta pondere ſuo ſubſident, niſi disjuncta alas allevantes ab additamentis ſuſcipiant. Sic ferrum & cuprum à ſale armoniacô, veluti aquila, in altum educi, ſic aurum à *Rob. Boyle* parva cujusdam ſalinæ ſubſtantiæ ab ipſô paratæ copia in rubicundiorum cryſtallorum mediocris longitudinis formam fuiſſe ſublimatum, ſimileque experimentum à Caſſiô erudito orbi communicatum. Ignis quidem externus, tanquam cauſa movens, pro objecti particularum facilius aut difficilius ſegregandarum diverſitate, nunc remiſſior, nunc intenſior, requiritur, aliquando tamen ſolum ignem internum, per fermentationem aut putrefactionem excitatum, ſalibus volatilibus in ſublime evehendis ſufficere, exemplo globulorum glaſti cum Celeberrimô *Wedeliô* demonſtratur. Vaſa hinc, ſublimationi perficiendæ apta, ubi indigitata fuerunt, enchireſium loco, præter diverſos ignis gradus, denuò annotatur, corpora quædam ſola ſublimationi exponi, quædam verò cum adjectis aliis, iiſdemque vel fuſionem materiæ ſublimandæ per particularum, quam præſtant, diſcontinuationem præcaventibus, vel exhalabili ſuâ aptitudine moleculas in ſublime ſecum ducentibus & elevantibus, vel obſtacula aſcenſum particularum remorantia tollentibus aut enervantibus, quædam denique pro faciliori ſublimatione præviam digeſtionem vel ſolutionem requirere. Uſus demùm ſublimationis expenditur in floribus & ſulphuribus producendis, ſalibus volatilibus à terreſtriori fæce, phlegmate, acidô ligante vel oleoſô ſpiſſamentô impuriori ſecernendis, iiſdemque non minùs cum oleoſis æthereis particulis maritandis, mercuriô item vivô cum ſulphure in cinnabarim, vel cum ſalibus corroſivis in ſublimatum cryſtalliniforme redigendo. Aſt Croci à colore, croco vegetabili ſubinde ſimili, nomen adepti, calces dicuntur corporum mineralium fixæ à particulis eorum ſulphureoterreis, vel ignis, vel ſalium ſolventium beneficiô extraverſis provenientes, & vel pulveris formam jam jam habentes, vel promptè recipientes. Subjectum tamen, ex quo tales parari ſoleant, ſicuti aurum, ferrum & antimonium omnium cenſentur aptiſſima, ità & varii ſubjiciuntur modi crocum ex ſingulis obtinendi, quos nihilominùs, ceu notos, æquè tranſilire liceat ac vires medicamentoſas ipſis adſcriptas & potiùs ad præparationem, tum liquoris & ſalis volatilis Meliſſæ, tùm Tincturæ lumbricorum terreſtrium anodynæ, pergere. Ut *Noſter* namque ex Meliſſâ viridi ſal volatile per fermentationem & putrefactionem ad exemplum *Cox* atque *Wedelii* eliceret, menſe Auguſto folia ejus à caulibus ſeparata cucurbitæ vitreæ ampliori injecit, hancque ultra medietatem repletam & exactè clauſam ventri equino per menſes circiter tres eô effectû commiſit, ut Meliſſa poſt marcorem & ſitum in pultis tandem formam redigeretur. Hæc ex retortâ in arenâ deſtillatâ liquorem primùm gravem empyreumaticum, ſed ultimò igne admotô oleum nigrum fœtidum inſtar lamellarum tenuiſſimarum liquori innatans ſubminiſtrabat, remanente in fundô retortæ capite mortuô nigrô, quod prunis injectum fumum tabaci exquiſitè æmulum ſpargebat. Quamvis autem in primâ hâc deſtillatione ſal volatile nondum compareret, placuit tamen partem aliquam liquoris diverſimode examinare atque lingua ſaporem acrem, naribus odorem fracidum empyreumatico-urinoſum, & admiſcela ſpiritus vitrioli rectific. nullam, fuliginis autem & cornu cervi, itemque ſalis tartari aliqualem, effervefcentiam obſervare. Reſiduus hinc liquor ex phialâ oblongâ poſt alembici impoſitionem per arenam rectificatus ſpiritum præbebat ſtriis oblongis, aliquantum intortis, per alembici capitulum depluentem, non tam ſapore, quàm odore urinoſô priorem liquorem ſuperantem & cum ſpiritus vitrioli, non autem cum ſpiritus fuliginis, guttulis effervefcentem. Qui ipſe ſpiritus alterâ vice rectificatus ſal demum volatile album exhibebat, ſtriis cryſtallinis nitidiſſimis collo phialæ adhæreſcens, quod tamen ab inſequente ſpiritû ſolutum, atque elevatum in excipulum ſtillabat. Quemadmodum ergò ex proceſſû iſtô fermentationis & putrefactionis neceſſitas patuit, ut particulæ ſalinæ volatiles aqueis & acidis terreisque immerſæ explicarentur, ità liquor primùm deſtillatus ratione phlegmatis aciduli non tàm cum acidis, quàm cum urinoſis ſpiritibus & ſale lixivo ebulliit, cùm è diverſô in rectificatione ab acidô magis liberatus ebullitionem cum acidô, neutiquam verò cùm urinoſô ſpiritû ſuſciperet. Quod autem in ſecundâ demum rectificatione repetitâ ſal volatile diſtinctè ſe ſe conſpiciendum præbuerit, ideò factum conjicitur, quod tunc demùm ab aquearum particularum, quibus immerſum erat, conſortiô citiùs liberari potuerit, quàm ut hæ ipſæ in ſublime ſimul raperentur. Neque ſilentiô præterendum, in ultimâ rectificatione æthereum ſatis penetrans & colore citrinô præditum ſimul prodiiſſe. Cæterùm ab utrôque Meliſſæ liquore humores acido-viſcoſos in corpore nocivos incidi & attemperari, obſtructiones inde natas expediri, & conſequenter virtutem cordialem

dialem exerceri poſſe, haud temerè conjicitur, dum oleum eſſentiale alterius olei ætherei vires verò ſimiliter æmulatur. Pro tincturâ denique lumbricorum terreſtrium anodyna obtinendâ, lumbricis terreſtribus, menſe vernô vel æſtivô collectis, ſiccatis & pulveriſatis oleum tartari per deliquium affunditur, ut fiat mixtura inſtar pulticulæ, cui per 24. horas digeſtæ ſpiritus vini ad trium digitorum eminentiam ſuperfunditur, crocique auſtriaci drachma dimidia & caſtorei drachma una adjectis, relinquitur poſt biduum vel triduum ad uſum filtrandus. Quod ſi autem talis magis ſedatina Archei & opiata expetatur, jubentur lumbricorum terreſtrium vino lotorum unciæ duæ, Radicis Cynogloſſ. uncia una, Caſtorei drachmæ duæ, Croci auſtriac. drachma ſemis, Opii ſoluti cum phlegmate acidi ab ſale tartari abſtracti drachma una recipi, groſſôque modô pulveriſatis & contuſis ſpiritus vini rectificati quantitas ſufficiens affundi & poſt aliquot dierum digeſtionem levem fortiter exprimi, ſub finem ſpiritus cochleariæ drachmas ſex addendo. In priori deſcriptione lumbricis terreſtribus oleum tartari per deliquium præcipitur affundi, quod hoc optimè non ſolum compagem illorum inſectorum recludat, ſed aditum quoque ſpiritui vivi ad intimiorem pandat ſolutionem; prout crocus & caſtoreum recipiuntur, quia ille ſulphure ſuo vaporoſo cum ſale volatili expanſo, hoc autem ſale ſuo volatili oleoſo anodynam virtutem adjuvet. In alterâ verò radix cynogloſſ. aſſumitur ob mucaginem ſuam ſulphureo-ſalinoterream graveolentem, ſpirituum ſenſilium vim elaſticam coërcentem, imprimis ſi opio vis narcotica ulteriùs intendatur, cui refrænandæ Caſtoreum inſerviret. Utraque Tinctura ſingularis prædicatur efficaciæ in doloribus arthriticis & ſpaſmodicis compeſcendis, in cancri occulti ad exulcerationem vergentis roſionibus & lancinationibus demulcendis, in abigendô icterô, in aſthmate convulſivô ſolvendô, priorem à guttis 40. ad 60. poſteriorem verò ad guttas 15. vel 25. aſſumendo, nec minùs externè cum aquâ arthriticâ Auguſtan. ſambuci & vermicularis confuſa cruciatus arthriticos mitigare dicitur. De cæterô Chymicos inter proceſſus varia pariter tentamina curioſa occurrunt v. g Repræſentatio 4. elementorum, Atramentum ſympatheticum, experimenta circa colorum mutationes, ſcrutinium aquarum medicamentoſarum, liquores balſamici ad varia corpuſcula conſervanda &c. cuncta cum Chymicis promptiſſimè reperiunda in *Rerum Indice*, qui præter *ſectionis primæ Auctarium, Programma Chymicum inaugurale ac Monumentum ad memoriam poſteritatis publicè erectum* proſtat, cum *Auctarii Indice* ſubjunctus.

De eodem Authore præterea extat opus recèns editum, cui titulus.

Syntagma Pathologico-Therapeuticum ad Johannis Hartmanni Praxin Chymiatricam concinnatum. Morborum ibidem propoſitorum plurimorumque omiſſorum nunc additorum ſubjectum, cauſas, ſigna & curationem probatiſſimorum remediorum acceſſione auctam complectens. Unà cum proluſionibus XLIV. de Remediorum delectu. Lipſiæ, apud Petr. Conrad. Monath 1728. 4.

HOFFMANNUS (*Laurentius*) Halla-Saxo.

De eô habetur

De verô uſû, & ferô abuſû Medicamentorum Chymicorum, Commentatio. Halæ-Saxonum, ſine nominatione ejus, apud quem proſtet. 1611. in 4.

Roſarium Minerale ſpagyricum, Halæ 1611. in 4.

Balthaſaris Brunneri Conſilia Medica ſummô ſtudiô collecta & reviſa. Halæ-Saxonum, apud Petrum Fabrum, 1617. in 4.

HOFFMANNUS (*Lic. Daniel.*) Med. Tubingenſis, Acad. Cæſ. Carol. N. C. Coll. d. Nicerati.

De eo Extant.

Annotationes Medicæ ad Hypotheſes Goveyanas, de generatione fœtus ejuſque partu, tum naturali, tum violento. Quibus præmiſſa eſt Diſſertatio Epiſtolica de utilitate peregrinationis Gallicanæ, junctumque dehinc Methodi ſtudium Experimentale Phyſicum applicandi ad Scopum Medicum ſpecimen. Francofurti ad Mœnum, apud Wolf. Chriſt. Multzium 1719. 8.

Ex eô præterea habetur in Ephem. Nat. Cur. Centur. 7. & 8.

Obſervatio 47. De Largiſſimâ Mictione purulentâ Curatâ

Quàm incerta ſit Nephritidis Diagnoſis Prognoſiſque, & quàm difficile de occultis ejuſmodi affectibus judicium, id quidem intricati praxeos quotidianæ caſus abundè docent. Obſervamus enim graviſſima ſæpè ſymptomata à cauſâ leviuſculâ excitari, uti his ferè diebus in virô mihi Chariſſimô ſummam virium proſtrationem, omnium actionum torporem, capitis ſummam & gravitatem & debilitatem adverti, ex parvâ quidem origine, lapillis duobus exilibus, vix lenticulam minorem æquantibus, eorumque per ureteres tranſitû haud adeò tardô, nec diù nimis durante, illis tamen feliciter ac per urethram prodeuntibus cum urinâ tam graves adhuc reliquiæ ac tanta œconomiæ animalis impedimenta ſupererant, quæ à tam exilibus lapillis vix quiſquam expectaſſet, cùm ex adverſô in aliis majores etiam calculi ſubindè parvis doloribus excernantur, laxitate viarum, ac fibrarum tonô favente; ſunt tamen ſæpè ſymptomata acerbiſſima, quin & excretiones purulentæ, ubi de calculi præſentiâ incertitudo adhùc obtinet ſumma, paſſim ejus legere exempla licet, ſed libet impræſentiarum eam in rem hiſtoriam enarrare ſequentem. Juvenis an. 17. temperamenti ſanguinei, ingenii petulantis, ante menſes circiter novem gravi lumborum dorſi, ac ventris dolore, ac urinæ difficultate laboraverat, lapſui in terram graviori adſcribens iſtorum ſymptomatum originem; ab eô tempore urinam perpetuò quaſi, habuit craſſiorem, mucô ſubſidente ſpiſſiuſculô refertum, benè tamen atque ad votum vixit, aptus ad ſervitia, quæ præſtabat Juveni quidam generoſo, donec 14. abhinc diebus cum laſſitudine inſigni quereretur de dolore lumborum, qui dorſum dehinc, ac tandem abdomen occupavêre, ſine omni tamen ſtranguriâ notabili, donec octiduô abhinc, vehementer increſcerent dolores, augereturque laſſitudo, ut vix ſcalarum aſcendere gradus valeret, ea tandem fuit dolorum acerbitas, ùt nec decumbere ullibi quietè, nec dormire per triduum unquam ipſi licuerit, ſed perpetuis ejulatibus clamoribuſque inconditis mali vim ſummam anxiè nunquàm non teſtaretur tremens ac gemebundus. Exhibiti ſunt ſub id tempus pulveres abſorbentes, nitroſi, ac ſimùl demulcentes, infuſumque Theeforme vulnerarium ac leniens temperanſque, cùm dolores viderentur porrò intolerabiles exhibitæ quoque ſunt aliquot balſami ſulphuris doſes, ſub atrociſſimis verò iſtis dolo-

dolorum tantorum cruciatibus urina erat tenuis, citrina, ferè naturalis, vix nubeculam oſtendans, donec tandem ſub mediam noctem poſcens matulam unô tactû tres ferè libras urinæ redderet, craſſæ, turbidæ, repletæ mucô tenaci verè purulentô, cohærente, ac in tænias quaſi per bacillum immiſſum ductuli ac ſuſpendendo; brevi pòſt iterùm ultra libram reddidit craſſi iſtius fluidi, minùs tamen viſcidi, at æquè ſanioſi; ac tertiâ demùm vice iterùm ſeſquilibram circiter excrevit, cum remiſſione dolorum inſigni niſi quòd ſub excretionū finem, teneſmodes, ſtranguria novos pareret dolores, cœpit mox iterùm comedere, obambulare tantiſper, laſſitudinis obliviſci, dormire; altera die urinam craſſam turbidam pauciorem, eôdem modô cum ſtranguriæ niſibus in fine emiſit, die tertiâ urina parùm turbida erat, prodiens in fine cum dolore; quartâ die domô iterùm exire, auſus eſt; quintâ urina, ſtatum ferè naturalem acquiſiverat, paulò tamen & pallidior & ſubviridis, ac turbidior comparens; Quæ verò in fine paroxyſmi illius dolorifici ſummè excreta fuerat, ſpiſſa ac copioſa urina, verè purulenta quaſi tota fuit, ſanguinis tamen inter viſcidas iſtas quaſi lacinias vix unam alteramque guttam licuit animadvertere. Hic verò juvenis infantiâ uſus eſt minùs proſperâ, ac puer nondùm bimulus rariùs minxit, unde ſollicita mater obſervando accuratè linteola lecti, invenit excretum lapillum piſô majorem, oblongiuſculum; aliquot menſium intervallô lividum, ſubcœruleumque ac tumens genitale intuita advertit hærere in urethrâ calculum, qui & à Chirurgô erat eximendus, cùm echinaceus, extantibuſque cuſpidibus excretû eſſet difficilior. Ab eô indè tempore nihil calculorum obſervatum eſt, nihilque eò ſpectans, nec in ultimâ hâc morbi exacerbatione, interque purulenta hæc urinæ fluenta quidquam calculoſi, imò nè ſabuloſi quidem comparuit. Frater ejus natû major bis calculi ſectionem ſuſtinuit; alter natû minor pariter in ætate infantili calculis fuit obnoxius, quorum & nonnullos ſugendo ex urethrâ mater elicuit. Puerorum verò iſtorum vitæ genus fuit inordinatum, victus parvus, crebri diætæ errores. Necdum ab iis abſtinet noſter hic, juvenis imprudens, temeritatiſque graves procul dubiô daturus pœnas, cùm maximè dolores ſubindè ſentiat exquiſitos pòſt urinæ excretionem, ac nuper cùm pedes Stuttgardiam proficiſceretur, reddens in viâ urinam, tinctam cruore eandem non ſine terrore conſpexerit. Hactenùs verò per tres jam menſes egregiè valet.

Ibidem Obſervatio 48. *Ecbraſmata Cutis Sanguinea ſymphoreſi ſubita enata.*

QUæ impedito ſanguinis circulo, aut lege certa ſecernendorum ex ejus maſſâ improvidè facta repercuſſione, per συνάθροισμὸν fieri queant συμφορᾷ & μετάστασις humorum, innumeris dudùm innotuit exemplis, ſingulare tamen & minùs quotidianum viſum eſt ſequens. Mulier ruſtica annor. 40. robuſta, liberorum plurium mater, ſanitate hactenus integrâ firmâque gaudens, cui tamen ultra ſeptem jam hebdomadas emanſerant menſes, ipſô vitæ ſuæ genere, & œconomiæ pauperioris exigentiâ lotioni cannabis aliquot horas impendere coacta fuit, ipſa verò iſtius lotionis methodus moleſtiſſima requirit, ùt lavans cannabim mulier ad medium uſque & quod excurrit, corporis, aquæ immerſa aliquot ibi perduret horis, ſicque aquæ illius & frigore & humiditate pleniſſimè imbuatur, factum hinc, ut quemadmodùm generales iſtiuſmodi noxiæque corporis afflictiones aliquando tranſeunt ſine damnô evidenti, ſæpiùs verò varii generis ſymptomatibus miſellas exponant, ità & hæc rariori ac memorabili eventû, vix undis egreſſa domumque rediens, ſubitò obducta fuit per omnem quaſi corporis ambitum puſtulis atris, ſubrubentibus, erant illæ magnitudinis diverſæ, & cùm aliquæ piſa mole non excederent, parvulas aliæ avellanas æquabant, dolorem tamen ipſi inferebant nullum, ſecuta eſt ſimùl larga narium hæmorrhagia, ità tamen, ùt ſanguis & ex naribus & ex ore efflueret, videreturque partim ex puſtulis his ruptis emanâſſe, cùm fauces maximè earumque univerſus iſthmus adeò turgeſcerent tuberculis iſtis, ùt aſſereret videri ſibi fauces ſuas ab ingenti grumo ſanguinis occupari, ac obſideri totas, in linguâ cumprimis, ejus maximè apice, racematim aggeſtæ ac conglomeratæ puſtulæ frequentiſſimæ erant, ſed & totum corpus variolarum inſtar obduxerant eædem, cùmque in manibus nonnullæ attritû rumperentur, oſtenderunt ſubtùs carnem, recentem rubentemque, modus erumpendi ſubitaneus notatû dignus erat, ſed & mora earum ſingularis cùm ultra dies duodecim pleræque ſuſtiterint integræ, ſenſim demùm ſenſimque ſubſidentes exareſcenteſque. Multùm perdidit ſanguinis, cùm maximè puſtulis nondùm plenè ceſſantibus agrum denuò adiret, nova eaque ingens laſſitudo. Non libet digredi in ratiocinia, frigus aquæ ac humiditas, corpus tam diu graviter afficiendo nihil non inferre mali queunt, menſibus maximè quâcunque ex cauſâ tardantibus, ſanguineque auctô, aggeſtôque, & vaſis turgidis accedit fœtor iſtius aquæ cannabe imbutæ teter planè ac putridus, quæ tamen omnia momentaneam puſtularum geneſin, ſanguiniſque ſub cuticula coacervationem exanthematicam vix ſatis explicant, claramque reddunt; cùm maximè lingua ejuſque apex denſô eorum agmine obducta fuerit. Chirurgus venam illi mox ſecuit in brachiô, exhibuitque diaphoreticos ac nitroſos quoſdam pulveres; nec graviora præter ingentem virium deperditionem ſymptomata tùm acceſſêre.

HOFFMANNUS (*Mauritius*) Profeſſor Publ. Altdorffinus Primarius, Conſiliarius & Archiater Brandenburgicus & Würtenbergicus, Facultatis Medicæ Altdorffinæ Senior.

Ex eô habentur in Lindeniô Renovatô.

Floræ Altdorffinæ Deliciæ Hortenſes, ſive, Catalogus Plantarum Horti Medici quibus auctior erat Ann. 1660, Altdorffii apud Geog. Hagen, in 4.

Floræ Altdorffinæ Deliciæ Sylveſtres, ſive Catalogus Plantarum in Agrô Altdorffinô locíſque vicinis ſponte naſcentium, cum ſynonymis Auctorum, Deſignatione Locorum, atque Menſium, quibus vigent, Lapidumque ac Fungorum obſervatorum Hiſtoriâ auctior, editus Norimbergæ 1660. 4. Altdorffii, apud Georg. Hagen, 1662. in 4.

Botanotheca Laurembergiana, hoc eſt Methodus conficiendi Herbarium vivum. Ibidem apud eundem, annô & formâ eâdem.

Florilegium Altdorffinum, ſive Tabulæ, Loca, & Menſes, exhibentes, quibus Plantæ exoticæ & indigenæ ſub cœlo Norico vigere ac florere ſolent. Ibidem, apud Henricum Meyerum, 1676. in 4.

Synopſis

Synopſis Inſtit. Medicinæ ex ſanguinis naturâ, vitam longiorem, Artem breviorem, promittentis. Methodô novâ, perfacilique in Univerſitate Altdorffinâ Norimbergenſium diſputata. Ibidem, apud Georg. Hagen, 1663. in 8. Patavii, apud Joh. Baptiſt. Paſquatum, 1664. in 8. Cui Editioni acceſſerunt ejuſdem Authoris tres Methodi de Curandis Morbis ex principiis Circulationis ſanguinis; ſtudiô & operâ Bartholomæi Zornn.

Synopſis Inſtit. Anatomicar. ex ſanguinis naturâ, Partium plerarumque vitam declarans ordine Diſſectionibus commodo, in Univerſitate Altdorffinâ Norimbergenſium diſputata. Ibidem, apud Leonhardum Winterberger, 1661, in 8. Ibidem apud Henricum Meyerum, 1681. in 8. quæ editio auctior eſt.

Prudentiæ Medicæ, ex ſanguine, pro ſalute Mortalium agendorum rationes exponentis Fundamenta, in Univerſitate Altdorffinâ Norimbergenſium Ann. 1662. & ſeqq. publicè diſputata. Ibidem, apud Henric. Meyerum, 1672. in 8.

Sciagraphia Morborum Contagioſorum ex naturâ ſanguinis præcavendor. & curandorum, in Univerſitate Altdorffinâ, per Diſputationes XL. familiares exhibita. Ann. 1666. & ſeqq. Ibidem, apud eundem, 1672. in 8.

Obſervatio, ex Anatome Partûs cerebrô carentis. Extat Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Germ. Ann. 2. N. 36.

Ex Anatome vituli monſtroſi. Ib. Ann. 9. & 10. N. 4.

Ex Anatome vituli bicipitis. Ibid. Annô eod. N. 5.

De eô præterea extat in Miſcell. Cur. Decur. 3. Annô 3.

Obſervatio 67. De Chryſanthemô arvenſi monſtroſô circa Solisbacum in Palatinatu Superiori menſe Juliô A. 1695. obſervatô.

QUemadmodùm in generationis animalium opere, naturæ omnium optimô maximô, vis formatrix animata ſæpè ex variis læſionibus turbata partes quaſdam à conſuetô ordine & figurâ recedere jubet; ſic etiam in vegetabilibus violentia externa animam formatricem haud rarò ità cogit, ùt à priſtinâ conſuetudine digredi & aberrare videatur. Equidem in Hortô noſtrô Medicô Altdorffinô, ubi ultra duo millia plantarum Philiatris quotannis, jam per 10. ferè luſtra demonſtrantur, hactenùs Heſperis hortenſis, Ketmia *Tragi*, Cichorium ſylv. Lyſimachia virginiana, Flos cardinalis, Beta hortenſis alba, Hieracium ſabaudum folioſum, ſemel atque iterum caulem ſat latum floribus in ſummitate arctè cohærentibus exhibuerunt, ùt à reliquis ſpeciebus planè degenerâſſe dici potuerint, prout *Tragus* etiam in Piloſellæ majoris ſeu Pulmonariæ Gallor. extremitate piloſum murem referens corpus notavit, & nos in eadem capitulū aviculæ roſtratum repræſentans aliquandò obſervavimus, probabile cenſentes in demorſis ab ovibus aut alia ratione læſis ſummitatibus corpora illa originē traxiſſe. Nunquam tamen ſpecioſius monſtrum vegetabile in conſpectum noſtrum venit, quàm Chryſanthemum arvenſe *Tab.* ſegetum *Lobel.* Bellis lutea fol. profundè inciſis *Bauh.* Chamæmelum Chryſanthemum *Fuchs.* quod caule latô bifurcatô Græcorum γ & Latinorum V. vel lineam triquetram ſ repræſentans, à Sereniſſimô Duce Palatinô Chriſtianô Auguſtô Solisbac. Dominô noſtrô clementiſſimô &c. d. 12. Julii ſt. v. tranſmiſſum, cujus baſis ſeu caulis inferior, longitudine ſpithamæ, ante diviſionem, trium digitorum tranſverſorum latitudine præditus, poſt bifurcationem autem alter ramus ſive proceſſus duorum tantùm digitorum; alter ſeſqui digiti latitudinem æquat, & uterque in congeriem florum, recurvô ductû Latinum S. æmulante, elegantiſſimè contortuplicatam exhibet; diſcô aureô in tortuosâ longitùdine *petalis* quaſi fimbriam conſtituentibus ornatam ſplendente, inſtar monanthemi, deſinit, foliolis utrinque Tanaceti foliis minoribus pinnatis reſpondentibus, ordineque incertô adhærentibus, radicibuſque fibroſis abundans. An verò hoc naturæ ludibrium pro ſingulari omine aut portento habendum ſit, futura divinantibus relinquimus, tantùm concordiam Germaniæ & Brtianniæ permanentem ex florum unanimi quaſi cohæsû auguramur, precibuſque devotiſſimis à divini Numinis benignitate exoramus.

HOFFMANNUS (*Petrus*)

Ex eô habentur

Epiſtolæ aliquot Medicæ quæ extant cum ciſtâ Medicâ Johannis Hornungi. Noribergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

HOGELAND (*Cornelius ab*)

De eô extant

Cogitationes, quibus Dei exiſtentiam, item Animæ ſpiritualitas, & poſſibilis cum corpore unio, demonſtrantur. Nec non brevis hiſtoria œconomiæ corporis animalis proponitur, ac mechanicè explicatur. Amſtelodami, apud Ludovic. Elzevirium, 1646. in 12.

HOGELANDE (*Ewaldus ab*)

Ex eô habentur

Hiſtoriæ aliquot Tranſmutationis Metallicæ; conſcriptæ pro defenſione Alchymiæ, contra Hoſtium rabiem. Cui acceſſit Raymundi Lullii Vita, & alia quædam. Coloniæ Agripp. apud Bernhardum Gualtherium, 1604. in 8.

HOGSTRATEN (*David van*)

Ex eô habetur

Diſſertatio Epiſtolica de Hodiernô Medicinæ ſtatû, ad Virum Doctiſſ. Nicolaum Van der Kappen. Dordrechti, apud Johannem ab Hogſtraten, 1683. in 8.

HOLDERHOFF (*Engelbertus*)

Ex eô habentur

Animadverſiones in Franciſci de le Boë Sylvii Diſputationes Medicas de primariis corporis humani functionibus, demonſtrantes fundamenta illius nova veritati & experientiæ contraria. Coloniæ, 1675. in 12.

Diſcurſus Medicus, oſtendens errores Medicorum in curationibus aliquorum præcipuorum & frequentiùs occurrentium Morborum; Febrium putà, Pleuritidis, Phthiſis, & Dyſenteriæ. Coloniæ Agrippinæ, apud Johan. Henricum Kopp, 1676. in 4.

HOLLANDUS (*Iſaacus*)

De Iſaacô Hollandô & Johanne ejus Patre, ſic introducitur loquens Clariſſ. Boerhaave in Prolegomenis Chymiæ ipſi attributæ.

Johannes & Iſaacus Hollandus, Pater & Filius, diffuſiſſimô ſermone & magnâ eloquentiâ ſcripſerunt, & ſi unum vel alterum arcanum exceperis, pulcherrima experimenta fecerunt ſuper ſanguine & urinâ humanâ, quæ Helmontius poſtea

teà & Boylæus pro recentioribus inventis habuerunt. Inter eorum opera, Ars Encauſtica (*l'Art d'émailler*) omnium fortè pulcherrima ac magis completa eſt; nam omnia quæ de metallorum inventione, cognitione, fuſione, converſione, permutatione, ac ſeparatione dici poſſunt, ibi inveniuntur, ac examinantur, ut & quomodo vitra conficiantur colorata ex metallis. Hollandicæ eorum operum Linguæ puriſſimæ hinc inde intermiſcetur Anglicana: Unde apparet quòd quidem fuerint Hollandi; ſed in Britannicâ Linguâ verſatiſſimi.

De eô extat in Lindeniô Renov.

De Lapide Philoſophicô. Francofurti, 1669. in 8.

HOLLANDUS (*Philemon*)

Bricii Bauderoni Pharmacopœam è Gallicô in Latinum vertit. Londini, apud Edwardum Griffium, 1639. in fol.

HOLLERIUS (*Jacobus*) Stempanus, Medicus & Philoſophus inſignis, non tàm arte, quàm conſortii ac alloquii dulcedine ægros, etiam deſperatos, ſanare ſolitus. Lutetiæ diù, ſummâ cum gloriâ, in hâc functione verſatus. Obiit A. C. 1569. autor plurium ſcriptorum de quibus vide Elogia Sammarth. & Antonii Teiſſier. Pater fuit filii cognominis eruditione itidem, ac muneribus variis cum gloriâ obitis, inclyti. *Hoffmann. Diction. Tom. II.*

Ex eô habentur

Opera practica: doctiſſimis ejuſdem ſcholiis & obſervationibus illuſtrata, deinde Lud. Dureti in eundem Enarrationibus, Annotationibus, & Antonii Valerii Exercitationibus luculentis. Acceſſit etiam ad calcem Libri, Therapia Puerperarum J. le Bon. Genevæ, apud Jac. Stoer, 1623. apud Petr. Choüet, 1635. in 4. & Pariſiis apud Dallin 1664. fol.

De Morborum Curatione. Ejuſdem de Febribus: de Peſte: de Remediis κατὰ τόπους in Galeni Libros; de Materiâ Chirurgicâ; Deſiderii Jacotii, *Vandoperani*, & Chriſtophori Burgenſis, *Confolentanei*, operâ nùnc primùm (præter Chirurgiam) in lucem edita & Scholiis illuſtrata. Pariſiis, apud Jacobum Maceum, 1565. in 8.

De Morbis internis Libri duo, illuſtrati doctiſſimis Auctoris Scholiis & Obſervationibus; cum Ludovici Dureti in eundem adverſariis: Et Antonii Valerii Exercitationibus luculentis. Ejuſdem Hollerii de Febribus; de Peſte; de Remediis κατὰ τόπους in Gal. Libros. Omnia Antonii Valerii operâ caſtigatiora & auctiora tradita. Pariſiis, apud Andr. Wechelum, 1571. in 8. Venetiis, apud Valgriſium, 1572. in 8. Lugd. apud Guil. Rovillium, 1578. in 8. Francof. apud Johannem Wechelum, 1589. in 12. ibidem apud Jonam Rhodium, 1603. in 12. Pariſiis, apud Adrianum Perier, 1611. in 4. Poſtremis tribus Editionibus acceſſit prætereà ejuſdem Authoris Liber de Materiâ Chirurgicâ; & Therapeia Puerperarum Joh. le Bon: Et in ſpecie ultimam Editionem Pariſienſem, 1611. Renatus Charterius *Vindocinus* recenſuit & publicavit.

De Materiâ Chirurgicâ Libri tres. Pariſiis, apud Wechelum, 1552. & 1571. in 8. Francof. apud eundem, 1589. in 12. Ibidem apud Hæredes Petri Fiſcheri 1603. in 12. Extant etiam cum Libris V. de Chirurgicâ Inſtitutione *Johannis Tagaultii*, quem vide ſuô locô. Item cum ejuſdem Hollerii de Morbis internis Libris duobus: quem itidem vide ſuô locô.

Ad Libros Galeni de Compoſitione Medicamentorum κατὰ τόπους Periochæ VIII. Francof. apud Joh. Wechelum, 1589. in 12. Ibidem, apud Hæredes Petri Fiſcheri, 1603. in 12.

In Aphoriſmos Hippocratis Commentarii ſeptem. Recens per Johannem Liebautium *Divionenſem*, in lucem editi, ejuſdemque Scholiis doctiſſimis illuſtrati. Pariſiis, apud Jac. du Puys, 1579. & 1583. in 8. Lipſiæ, apud Henricum Oſthauſium, 1597. in 8. Francof. apud Paul. Brackfeld, 1597. in 16. apud Bitſchium, 1604. in 8. Lugduni, apud Petrum & Jac. Choüet, 1620. in 8. Genevæ, apud Petrum Choüet, 1644. & 1675. in 8.

Magni Hippocratis Coaca Præſagia. Opus planè divinum, & veræ Medicinæ tanquam Theſaurus cum Interpretatione & commentariis, nùnc primùm Deſiderii Jacotii, *Vandoperani*, operâ in lucem editis. Ejuſdem Deſiderii Jacotii Commentariorum ad idem opus Libri tredecim, tribus ſectionibus diſtincti: In quibus ſymptomatum omnium, quæ in ægris apparent, cauſæ, vires, & ſignificationes demonſtrantur. Lugd. ap. Gul. Rovillium, 1576. in fol.

HOLLERUS (*Blaſius*) Vinarienſis.

Ex eô habentur

Medicæ Artis Theoricæ, Libris duobus ſuccinctè comprehenſa, atque Medicinæ ſtudioſo apprimè neceſſaria. Argentinæ, 1565. in 8. Coloniæ, apud Petrum Horſt, 1572. in 8.

Morborum curandorum ex Gal. præcipuè ſententiâ, brevis Inſtitutio, utilis Medicis & Chirurgis. Baſileæ, apud Nicol. Brilingerum, 1556. in 8.

In Jusjurandum Hippocratis Commentarius. Baſileæ, apud Johannem Oporinum, 1558. in 8.

In Hippocratis Lib. de naturâ Hominis, Commentarius. Argentorati, 1558. in 8.

HOLLINGUS (*Edmundus*) Eboracenus Anglus.

Ex eô habentur

De Chyloſi, hoc eſt, prima ciborum, quæ in ventriculô fit, concoctione, pro veteri Medicorum Scholâ, Diſputatio. Ingolſtadii, apud Alexandrum Weiſſenhorn, 1592. in 8.

De Salubri ſtudioſorum victû, hoc eſt, de Literatorum omnium valetudine conſervandâ, vitâque diutiſſimè producendâ, Libellus. Ingolſtadii, apud Andream Angermarium, 1602. in 8.

Medicamentorum Œconomia nova. Ingolſtadii, apud Eliſabetham Angemariam, 1610. 1615. in 8.

Ad Epiſtolam quandam à Martinô Rulandô, Medicô Cæſareô, de Lapide Bezoar; & Fomite Luis Ungariæ typis editam, Reſponſio. Ingolſtadii, apud Andr. Angermarium, 1611. in 8.

HOLSTIUS (*Jacobus*)

Ex eô habetur

Diſſertatio de Flammulâ cordis. Extat cum Thom. Bartholini Epiſtolâ de Flammulâ cordis. Hafniæ, apud Danielem Paulli, in 8. ſine expreſſione anni.

HOLT (*Carolus*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1702. p. 524.

Excerpta ex Litteris ad Editorem Actorum Philoſophicorum Anglicorum, de Infante, cujus Inteſtina, Meſenterium, &c. in cavitate thoracis fuerunt reperta, perſcriptis à Carolô Holt. Tranſlata ex Actis Philoſophicis Anglicanis Anni 1702. *N.* 275.

Rogatus

ROgatus nuper ab amicô, ut unà cum duobus aliis viris eruditis, & peritiâ Anatomicâ celebribus, ſectioni infantis ſui duos menſes nati, & ex morbô minùs frequenti mortui intereſſem, in affectus æquè, atque mortis circumſtantias, ante omnia inquiſivi, quas mater ejus ſequenti modô ſuppeditavit.

Videlicèt infantem à primâ nativitate malè ſe habuiſſe, & præter inquietudines, continuâ reſpirandi difficultate laborâſſe, nullumque ex medicamentis, à peritô Medicô præſcriptis, in hôc morbô, cui ſimilem nunquam in infantibus obſervâſſe ſe affirmabat illa, levamen ſenſiſſe, ſed ſub continuis ſuſpiriis contabuiſſe, addidit pariter, ſe in infantis pectore nudo, inæqualem motum & reptatum utrinque, circa coſtas & pectus, quaſi anguillæ aut lumbrici in cavitate illâ hærerent, nunquam non advertiſſe.

Quæ relatio quamquam initio fidem invenire minimè videretur, eam tamen ipſa dein faciebat ſectio. Apertô enim abdomine, præter hepar, renes, veſicam urinariam, & inteſtinum rectum, nullum ſe viſcus oculis ſubjiciebat. Credebamus equidem, reliqua inteſtina ſub hepatis, ordinariam magnitudinem, in infantibus aliàs ſat magnam, ſuperantis mole latitare; verum ſub ejus verſùs diaphragma ſublati parte concavâ, ſolum ventriculum invenimus, eumque in ſitû p. n. Pylorus enim à duodenô, cujus pars per foramen, in diaphragmate à latere ſiniſtrô foraminis gulæ tranſitum concedentis factum, adſcenderat, circa vertebras dorſi, verſus fundum ſtomachi, erat retractus. Proſequebamur itaque inteſtinum rectum, ut ad meſenterium & inteſtina reliqua duceremur. Rectum hoc inteſtinum, ab anô verſus novum diaphragmatis foràmen obliquè protendebatur, ab eôque unà cum duodeni portione abſcondebatur. A primô ortû hoc foramen à naturâ videbatur formatum, ad transmittenda in thoracem inteſtina; quod ſi enim vi quâdam factum fuiſſet, latera ejus lacerata omninò fuiſſent conſpecta, cùm è contrariô eôdem modô hoc, quemadmodum foramina per quæ vena cava & gula tranſmittuntur, conſtitutum fuerit.

Remotô ſternô, meſenterium, cum adjunctis inteſtinis, ſuper cor & pulmones expanſum in thoracis cavitate conſpiciebatur. Omentum inteſtina obtegebat nullum, imò, ni omnia me fallunt, hoc cum mediaſtinô penitùs deſiderabatur. Satis denique admirati novum hunc inteſtinorum & meſenterii ſitum, in modum inquiſivimus, quô juxta hypotheſes in ſcholis Medicis receptas, nutriri potuerit infans. Abſque nutritione enim eum haud fuiſſe, alimenta, quæ quotidie aſſumſerat, & fæces rejectæ abundè teſtabantur. Quamcunque autem in inveſtigandâ pancreas inter & receptaculum chyli communicatione induſtriam adhibuerimus, nullo tamen modo eam detegere potuimus. Tota enim membrana meſaraica & inteſtina laxè ſuper cor & pulmones erant ſtrata, abſque ullâ cum quâvis aliâ parte communicatione.

Motum ſupra dictum vermicularem, circa coſtas & pectus, inteſtinorum motui periſtaltico abſcribebamus, & inteſtina cum meſenteriô pulmones comprimentia dyſpnœam concitâſſe, veriſimile videbatur; uſque adeò enim hæc thoracis cavum replebant, ut pulmonum lobi, in liberô impediti motû, inſpirationem & expirationem non niſi difficulter perficere potuerint.

HOLTZACHIUS (*Joh. Coſma*) Baſilienſis.

De eô habentur

Annotationes in Dioſcoridem. Lugduni, apud Frellonium, 1556. in 12.

Lepræ experimentum & examen, quo ſuccinctè & dilucidè edocetur, qui & quâ ratione examinare, & dijudicare eos conveniat, qui de Leprâ ſuſpecti ſunt. Tiguri, apud Froſchoverum, 1558. in 8.

HOLTZEMIUS (*Petrus*) Daventrienſis.

De eô extat

Diſſertatio, de tribus Principiis Chemicis, & novâ Recentiorum medendi Methodô. Extat cum Petri Poterii Operibus omnibus Medicis & Chemicis. Francofurti, apud Wilhelm. Richardum Stockium, 1666. in 8.

HOMMEIUS (*Antonius*)

Ex eô habentur

Aphoriſmi Hippocratis, verſibus Græcis & Latinis. Pariſiis, 1645.

HONAIN, Medicus Syrus, Hiræ natus, poſtquam linguas Græcam & Arabicam Ann. 840. & ſequent. addidiciſſet in Urbe Bagdad ſeptem Pauli Medici libros, alioſque non paucos in linguam Arabicam vertit, ſicque Interpretis, per excellentiam, epitheton meruit.

HONESTIS (*Chriſtoph. Georgius de*) Florentinus. Floruit circa A. C. 1468. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medic.

De eô extat

Expoſitio ſuper Antidotario Meſuæ. Additô Tractatû de Aquâ Hordei; & modô faciendi Ptiſanam, ſecundum communem modum Practicantium. Ferrariæ, apud Andr. Gallum, 1488. in fol. Venetiis, apud Luc. Ant. Iuntam, 1527. in f. cum Meſuæ Operibus. Ibidem 1541. in fol.

HONUPHRIIS (*Franciſcus de*)

Ex eô habetur in Actis Lipſienſibus Ann. 1691. pag. 388.

Abortus Bicorporeus monoceps Romæ A. 1691. editus, in Academiâ Phyſico-Mathematicâ examinatus à Franciſcô de Honuphriis M. D. Romæ, typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, 1691. in 4.

QUanquàm aliàs monſtris non delectemur adeò, non potuimus tamen, quin mentionem faceremus illius, quod circa initium Martii præſente annô natum abortûque ſeptimeſtri excluſum Romæ fuit, & in Academiâ Phyſicô-Mathematicâ, quæ in illuſtriſſimi Ciampini ædibus à multis annis celebratur, examinatum. Tabula quidem hic libro ſcilicet adjecta ſatis docet, quæ hujus monſtri conformatio fuerit externa, & quomodo in occipite alterum par aurium imperfectarum erroneam habuerit ſedem: quâ ratione pectora coaluerint, reliquis corporibus infrà umbilicum perfectè diſtinctis &c. Internarum autem partium ſtructuram, ab eximiô Chirurgiæ Profeſſore Hippolitô Magnanô obſervatam relatamque magis miramur. Unicum namque cerebrum, cerebella verò duo, ab interjectô quôdam ſeptô cartilagineô, duplicique durâ matre diviſa, intra cranium viſa ſunt. In pectore cor quoque unicum, & pulmo ſaltem binis conflatus lobis, nihilominùs bifida è corde aorta, quatuor ſtatim carotides præbens, apparuerunt; reliqua in utrôque abdomine contenta viſcerâ, ventriculus, epar, lien, pancreas, renes cum veſicâ uterôque debitè conformata.

Hâc præmiſſâ delineatione Anatomicâ, non dubitat Autor ulterius inquirere in cauſas modumque illius pravæ conformationis. Potiſſimùm adverſus opinionem recentiorum, qui teſtes muliebres pro ovariô habent, adeòque hominem ex ovô naſci arbitrantur, ſatis acriter pugnat, eam præcipuè ob cauſam, quod, cùm in ovulis, ut vocat, imaginariis, & quidem ſingulis, delineatio fiat perfecta totius hominis, non poſſit duplex ex eâdem cicatriculâ formari corpus, quale præſentis monſtri fuit. Multò minùs exiſtimat poſſibile, bina concurrentia ovula ità coaluiſſe, ut caputatque cor appareret unicum, cum cerebella & vaſa ſanguifera & reliqua viſcera abdominis duplicia deprehenſa eſſent. Quapropter neglecta modernorum hypotheſi, cauſam quærit in materiâ ſeminali ejusque virtute plaſticâ hoc pactô: Vulgatiſſima, inquit, experientia ſatis innotuit, ſales diverſi generis commixtos & aquoſô menſtruô diſſolutos, ſenſim ſe præcipitando, ſejungi ac ſeparari, & juxta eorum ſimilitudinem figuramque invicem uniri ac in cryſtallos coagulari. Non abſimili modô extricari putat ſeminis moleculas ſalino-volatiles magiſque ſpirituoſas, adeò ut aliæ ad cerebrum, aliæ ad cor, aliæ ad oſſa efformanda ſe explicent incumbantque. Sic illæ particulæ, quæ ad cor delineandum fuêre hoc in caſû aptæ, ubi duo aliàs effinxiſſent corda, uteri compreſſione vel fortaſſe matris imaginatione diverſimode agitatæ, per earumdem analogiam invicem conjunctæ & colligatæ, unicum corfabricarunt cerebrumque.

Ceterùm dum in monſtrum hoc incidimus, in memoriam nobis revocatur ſimile ferè aliud, in Diario Eruditorum Parmenſi A. 1690. No. 9. pag. 218. deſcriptum ac depictum, felis nempe bicorporeus monoceps, qui duo exhibet corpora infra umbilicum ex omni parte perfecta, ſupra umbilicum autem adeò connexa, ut in unum collum & caput, idque roſtratum, quale avium eſt, deſinant. Quod monſtrum felinum cum humanô hôc noſtrô conferri ab iis meretur, qui hiſtoriæ monſtrorum ſtudiô ducuntur.

HONUPHRIIS (*Honuphrius de*) Italus, Nobilis Fulginas, Philoſophus, & Medicus probatiſſimus, Petri item Medici ſuâ ætate longè ornatiſſimi filius, Sixti IV. Sum. Pontif. à Medelis Auguſtinus Oldoinus in laudatô librô. Mſ. Scriptorum multorum Italiæ, ità recenſuit. *Onofrio Onofrii da Fuligno, Medico celebre, è grandemente ſtimato per la felicita che haueua, e moltiſſima prattica nel medicare. Tu Lettore di Filoſophia, e Medicina in Perugia, e Medico di Papa Siſto Quarto. Laſciò mſſ. molte opere di Medicina. Io hò letto alcuni Diſcorſi di Onofrio, fatti in varie occaſioni molto eruditi, ſi ſpettanti alle materie medicinali, come alle filoſofiche.*

Laus quoque tribuitur Honuphrio à Ludovico Iacobillo in Bibliotheca Umbriæ, aſſerens quòd habebat ejuſdem mſſ.

Opuſcula varia de Re Medica,

Nonnullasque Lecturas.

Meminitque etiam Honuphrii alterius, noſtri Honuphrii pronepotis, Juris-Conſulti eximii, ac Nurſiæ Prætoris, anno 1577. qui ingenii ſui, doctrinæque monumenta poſteritati rèliquit, præſertim commentarium magnum in Jure per alphabetum, & multa Tractata in Jure, alphabeticô ordine digeſta.

Celebrat item Curtium, hujus fratrem germanum, militum Tribunum, pietate & armis inclytum.

Præconiis æquè ornat Honuphrium tertium, noſtrô ævô Juris Utriusque Doctorem, Poëtamque præſtantem & multorum operum authorem.

Et Chriſtophorum, Ord. Minorum Regul. Obſervant. Theologum, Concionatoremque inſignem, qui plura eruditè elucabravit opera, quemque Gregorius XIII. Papa plurimi fecit.

Neque prætermittit Pium de Honuphriis, ordinis Sancti Stephani Equitem elegantiſſimum.

Sed præter quamplures, qui ex hâc antiquiſſimâ & prænobili familiâ prodiêre, extollendus apprimè eſt Honuphrius alter, Fulginatenſis Epiſcopus, de quô Ferdinand Vghellus in Italiâ ſacrâ, Tom. 1. Col. 738. ut ſequitur. *Honuphrius, ex nobili gente, vulgò vocata, dell' Antico Romano, Fulginas. Hadriano Secundo mandante, patris gregi præpoſitus eſt annô 870. Inter hujus majores qui primus Fulginium venit, è clariſſimâ proſapiâ Ruſfia undecimo Magni Leonis anno, an. 451. Valerius fuit* (quâ de re fides eſto apud authorem) *Unde SS. Sylveſter Siriciuſque* P. P. M. M. aliique quàmplures Cardinales ac Principes prodiêre, cujus deinceps poſteritas, quod Valerius antiquus Romanus eſſet, dell' Antico Romano, ut non ſemel dico, appellata eſt. Deinde ab Honuphrio Fulginate Epiſcopo, magnarum virtutum vir, quique tantus eſſet, ùt ex ſuô nòmine, genti ſuæ videretur in poſterum poſſe decus afferre, Honuphriam gentem dixere. Quamquam patrum noſtrorum memoria, ex eâ gente non defuerit aliquis, qui Antiqui Romani cognomen mordicùs retinuerit, præſertim cùm in Senatû, ad illorum temporum morum cenſuram majorum exempla referenda eſſent. *Mandoſius de Vitis Archiatr. Pontific.*

HOOGSTRATEN Vid. *Hogſtraten.*

HOOKIUS (*Robertus.*)

De eô extat

Micrographia, ſive, Obſervationes per Microſcopia. Londini, in fol.

HOPE (*Richardus*)

Georgii Thompſonii Experimenta admiranda cum obſervationibus inſolitis Medico-Chymicis, edidit. Londini, apud Edv. Millington, 1680. in 8.

HOPFNERUS (*Henricus*)

De eo extant

De Signis virginitatis; item de Leprâ & Elephantiaſi, Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſerv. Medicinal. ſingular. Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. p. 378. Ibid. Edit. in fol.

De Anatomicis quibusdam Obſervationibus, Epiſtola. Extat ibidem p. 452.

HOPPERUS (*Marcus*)

Alexandri Benedicti, de Re Medicâ, Opus emendatius edidit.

HORATIANUS (*Octavianus*) Africanus Qui in Aldinô codice ſub nomine Theodori Priſciani exivit cum Medicis Latinis, Medicus clariſſimus. Præceptorem habuit Vindicianum Archiatrum Valentiniani Imperatoris. Floruit ſub Gratianô & Valentinianô Fratribus, Imperatoribus. A. C. 383. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum ſecundum Renat. Moreau de V. S. in Pleurit. Floruit circa A. C. 400.

De eô extant

Rerum Medicarum Libri quatuor. I. Logicus, de curationibus omnium ferè Morborum corporis humani ad Euporiſtum. II. de Acutis & Chronicis Paſſionibus, ad eundem. III, Gynæcia, de Mulierum accidentibus, & curis eorumdem, ad Victorium. IV. de Phyſicâ Scientiâ, Experimentorum Liber, ad Euſebium Filium. Per Hermannum Comitem à Nevenare, integro candori nuper reſtitutus Autor. Albucaſis Chirurgicorum omnium primarii Libri tres. I. de Cauteriô cum igne, & Medicinis acutis, per ſingula corporis humani membra. Cum inſtrumentorum delineatione. II. de Sectione & Perforatione, Phlebotomiâ, & Ventoſis. De Vulneribus & Extractione ſagittarum, & cæteris ſimilibus. Cum formis Inſtrumentorum. III. de Reſtauratione & Curatione Diſlocationis Membrorum. Cum typis item Inſtrumentorum. Argentinæ, apud Joh. Schottum, 1532. in fol.

HORCHIUS (*Chriſtophorus*) Militis Brandenburgici Medicus, & Serenitatis Elector. Protomedicus.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Decur. 2. *Ann.* 10.

Obſervatio 167. *Ephemeris tophi qui ex oſſe carioſô propullulârat, ſectione ablati.*

Ibid. Dec. 3. *Annô* 3.

Obſervatio 95. *De Malitioſâ abdominis per ſclopetum minus trajectione, ejuſque curatione feliciſſimâ.*

DIe undecimô Decembris 1693. horâ meridianâ Excubitorum quidam Magiſter, Nobilis de Schliching, cui, buccinatorem aulicum, ob commiſſum quoddam facinus, inermem facere ac carceri demandare imperatum erat, à jam dictô buccinatore, homine deſperatô, globô trium drachmarum pondus ſuperante, ſclopetô minori, quod Germanis *eine Sack-Piſtohle* audit, inflictô trajiciebatur, hinc ſemimortuus ad excubantium ſtationem magnam portabatur.

Juſſû Sereniſſimi Noſtri, ſtatim accerſitus ego, vulnus inflictum cavum abdominis intrans reperi, quàm proximè ſub cartilagine enſiformi dextrô à latere, & quamvis omnem adhiberem diligentiam ad detegendum introitum, tamen nec turundâ, nec ſpecillô intrare licebat, tam ob impoſſibilitatem, quàm ſingultum convulſivum ſupervenientem, quapropter turundâ tantùm breviori digeſtivôque illitâ deligavi.

Cùm autem ex oppoſitô circa ſpinam dorſi globi exitum inquirerem, ecce illum digitis meis ſe præbentem & profundè ſatis intra muſculos dorſi deliteſcentem, pollicis circiter unius latitudine infra coſtam ultimam, ejuſdemque diſtantiæ illius lateris, dextri ſcilicèt, à ſpinâ, quem eô ipsô momentô inciſione denudabam & forcipe eruebam; ſed nec hic ad cavum intrare permittebatur, non obſtante omni diligentiâ & omni poſitû corporis obſervatô; Incidebam tamen & denudabam cavitatem intra muſculos ſurſum verſus, quantùm poteram, ſpe reperiendi introitum.

Mox à vulnere inflictô aderat vomitus ferè continuus, pulveris combuſti pyrii odorem ſpirans, qui continuabat ad mediam noctem, horâ quintâ pomeridianâ jam ſtupebant oculi, & adſtantes dignoſcere nequibat ſauciatus, naſus, pedes, manus, malæque frigore rigeſcebant, & dolore ac ardore ſummô ventriculi ſe excruciari continuò exclamabat, omnia reddebat per vomitum cruentum aſſumta medicamenta & conclamatum jam videbatur de eô.

Poſtquam autem omni diligentiâ adhibitâ, frictionibus linteamentorum calidorum corpus calefacere, oleôque roſarum, chamom. hyperic. lumbricorum cum ſpirit. camphorat. commixtis abdomen & ſpinam illinere, ſacculiſque ex herbis aromaticis cum vinô coctis fomentare curaveram, mediâ noctè jam præterlapsâ, primam nùnc medicinam retinebat & acquieſcebat parùm, cum terrore tamen perpetuo.

Inſequenti die ſymptomata ceſſare aliquantò videbantur, vulneris anterioris faciem & circumferentiam lividam ſummèque contuſam in formam ſtellæ incidebam & linteamenta induſii combuſta per integumenta abdominis adacta, (nam proximus ſtetit vulnerato, ità ut attigerat illum ſclopetô) eximebam, turundam tamen ad fundum vulneris perducere non licebat abſque inſequenti ſingultû ſatis validô & periculosô, quapropter ſolis globulis ex hapſis linteis contortis, & digeſtivô ad hoc aptô perlitis, laxè tantummodò deligavi; Dorſi vulneris inciſionem parumper inſequutus ſum, ſpe detegendi tranſitum in cavum; juxta leges enim Chirurgiæ ſummè neceſſariam judicabam hujus detectionem, quò ſanguis extravaſatus in abdomine contentus foras eliminari quiret, ſed irrita omnia. Hâc cum deligatione continuavi ad nonum uſque diem, poſtquam per vices etiam ex dorſi vulnere linteamenta nigra combuſta ſatis dignoſcenda altiùs protraxiſſem; ſtatim poſt aſſumtum cibum ſolidum excitabatur vomitus, alvus erat conſtipata, cui clyſteribus proſpiciebatur, aſſumtâ tamen paucitate juſculorum ac ſæpè repetitis vicibus adhibitis cæteris medicamentis neceſſariis, vires jam totum deperditæ aliquantùm reviviſcebant.

Nonô autem die eſcharæ vulnerum nunc ſeparatæ cùm conſpicerentur, tenſio ſe præbebat ſatis manifeſta inguinis ſiniſtri cum dolore acutiſſimô, febre accidentali ex pulsu citatiſſimô ſitique continuâ inaugeſcente, vomitûque ſæpè reiteratô, hæc tenſio etiam abſceſſum jam perfectum ferè mentiebatur, ità ùt non ampliùs dubitarent mecum de extravaſatô & collectô in cavô abdominis cruore pureque cæteri Sereniſſimi Noſtri Electoris Medici ac Chirurgi; Dùm verò de hujus tumoris, qui pugni ferè magnitudinem referebat, apertura tempeſtiva & puris collecti in abdomine emiſſione conſultabatur, en! cum magnâ admiratione & contra omnem expectationem vidimus intra paucas horas tumorem diminutum, totumque poſt aliquot dies linimentis emollientibus & ſacculis ex herbis diſcutientibus diſcuſſum evanuiſſe, nullis tamen metaſtaſi aut criticis dejectionibus obſervatis. Quò brevis ſim, æger hic noſter omnem præter ſpem intra ſatis breve tempus feliciter reconvaluit, & adhùcdum plenâ ſanitate gaudet.

Scholium.

Quis unquam credidiſſet àut ſperâſſet, hujus trajectionis adeò fauſtum & felicem exitum, dum ex continuatione vomitûs, ſtatim ab ictû cum ſingultû concomitatô, de ventriculi læſione graviori nullus dubitaret, quin imò dum ipſa vomitio pulveris pyrii accenſi odorem ſpirabat; Ex eventû autem ventriculi convexitatem ſuperiorem, quæ eſt inter ambo orificia à globo contactam & læſam, (unde ardor ventriculi, vomitus & ſingûltus facillimè deducenda) nec diaphragmatis partem poſteriorem carnoſam, & quidē ſuperficiē ejus abdomen ſpectantem intactam & immunem fuiſſe, mihi ratione ſitûs & exitûs perſuadeo. Separatione itaque partium contuſarum ventriculi & diaphragmatis factâ, horum vulnera nunc recentia ſe invicem attin-

attingendo inoſculata ſunt, & ex longô ſupinôque decubitû tandem coaluerant. Humores ex ſauciatis tubulis extravaſati inguen ſeu fundum petebant, quoniam autem pauca eorum fuit quantitas & omni aëri externo acceſſus denegatus, nec fermentari nec putrefieri poterant, & neſcio quò tandem deſedit tumor. De linteamentorum combuſtorum, induſii nempè, penetratione per corpus hìc ſuperſedere licet. Sic effectus Naturæ varii.

Ibidem Obſervatio 96. De Connatâ frontis Excreſcentiâ feliciter ablatâ.

DIe decimô ſeptimô Julii Anni 1689. Matrona quædam honeſtiſſima Bernenſis Helvetica, ex nobiliſſimo & antiquô Wattenwileriano ſtemmate orta, noƈte præteritâ formoſum aliàs enixa eſt puſionem, cum tumore inter ambos oculos ad naſi radicem connatô, lividô, mobili, ac molli radice planâ, magnitudinemque juglandis ni ſuperante, æquante tamen.

Hic recèns natus infans ſtatim curæ Domini Alberti Baurencôningii, Manuduƈtoris in Chirurgiâ tunc mei optimi, ſincerrimi (cujus obitum multùm lugeo) committebatur, qui etiam horâ quartâ pomeridianâ curam in hunc modum aggreſſus eſt. Tumori cum cute, digitis quantùm poterat, allevato, filum injiciebatur ſericum, contortum & ceratum, quod, dum ſubtili inſtrumentô injeƈtum filum deprimendo & applicando, ità ùt etiam cutis ſanæ pars illô arriperetur, ſenſim quàm validiſſimè nodô ſimplici; naſi verſus apicem, poſteàque adhùc retrò ſuperiora verſus circumduƈtum nodô ſtriƈtiſſimô duplici conſtringebatur, filamenti extremitates reponebantur, & linteis exiguis contortis digeſtivô imbutis deligabatur.

Die inſequenti excreſcentiâ hæc livido flaveſcèns & mortificata, frigida ſe præbebat digitis, ſuppurationi proſpiciebatur ſolô digeſtivô, interim benè ſe gerebat infans.

Tertiô ab operationis die ſiniſtrum hujus tumoris latus, prope radicem lymphâ aliquâ flavâ crudeſcebat, aſt viſibili aperturâ nullâ, reliquâ tumoris ſubſtantiâ dum eſſet dura & livida, abſque tamen ſuppurationis odore, ad excipiendam lympham apponebantur lateri illi plumaceolæ ſiccæ, continuabatur digeſtivô ad accelerandam ſuppurationem temperatô.

Die quartô tumor nigricans indurabatur multùm, ità ùt tophum ſimularet, diminuebatur tamen magnitudine ſuâ, nullumque adhùc ſuppurationis ſpirabat odorem.

Die quintô plumaceolæ rubrô colore tinctæ à filô ſericô, vaſculum aliquod apertum mentiebantur, ſuppuratio jam ex odore advertebatur pauciſſima.

Dies ſextus & ſeptimus novi nihil ferebant.

Die oƈtavô tamen cutis radicis filô inferior excoriata & ſuppurans conſpiciebatur.

Die nonô, quoniam nimis exulcerabatur & recedebat à filô circumjacens cutis; Excreſcentia hæc cultellô inferiùs filô reſecabatur, totaque hæc vulneris facies groſſum Imperialem æquabat magnitudine, in cujus centrô protuberantia quædam calloſa & alba radicis inſtar ſe offerebat oculis, ſanguinis fuſio aderat nulla nec dolor, deligabatur ſolitô; veſpertinâ autem horâ in religatione ob metum recidivæ calloſa hæc protuberantia ferrô candente quintâ vice, ſuſpensâ tamen manû, attingebatur abſque gemitû puſionis, deligabatur emplaſtris contraƈtivis & glutinantibus in formam crucis, ut artis eſt.

Decimô ad ſeparandam eſcharam applicabatur unguentum ex ſuccô apii (quod nunquam ſatis laudandum ad promovendam ſeparationem in partibus membranoſis)

Undecimô die Glutinantia omittebantur & radix iſta calloſa ad calami craſſitiem præ reliqua vulneris carne prominebat.

Duodecimô ulceris nùnc facies exquiſitiſſimi erat ſensûs, rubeſcere incipiebat, & materiam tenacem fundebat multam.

Decimô tertiô Radix præfata nondùm ſatis exeſa, infernali lapide ſuſpensâ manû tangebatur, ex cujus taƈtû totum per diem ploraverat infans.

Decimô quartô Radicis ſeparabat ſe eſchara, parva tamen adhùc ſupererat protuberantia albicans, quapropter cauſticum imponebatur linteolum.

Die decimô quintô liquore deligabatur noſtrô vulnerariô, qui conſtat ex aquæ calcis vivæ cum mercurialis æquâ commixtione, aſt nimis exſiccabat hic liquor, quapropter ad emplaſtrum noſtrum galbanicum, tanquam ad certam & rariſſimè fallentem vulnerum & ulcerum conſolidandorum anchoram refugimus, ſicque optimô cum ſucceſsû continuavimus ad diem vigeſimum primum, cùm materia adeſſet nimia, & caro parumper luxuriaret, aſt ſemel reiteratô liquore præfatô caro ſolida ſe præbebat & optima, continuabatur ergò cum Emplaſtrô illô ad omnem uſque conſolidationem, ſicque hic infans deformitate ablatâ, vigeſimô oƈtavô die ſanatus, dimittebatur, remanente rubore aliquô, qui tamen ex taƈtû coſmetici brevi evanuit.

Scholium.

Arƈta quæ ſit & harmoniaca humorum & ſpirituum circulatio matris cum fœtû, ingenioſiſſimi Naturæ ſcrutatores ſatis clarè enucleârunt, hìc tantùm referam; Matrona gravida cùm eſſet, in oƈtavô menſe, ex improvisô & cum terrore aliquô obviâſſe hominem quendam vidit, ſtrumâ colli penſili maximâ oneratum, ex cujus improvisô aſpeƈtû atque imaginatione ſpiritus matris confusè permoti concurrerunt in illam partem naſi à matre fricatam, quia caro matris ſalis valida erat, ad recuſandam talem diſruptionem ſeu impreſſionem fibrarum, nihil illi nocebat, dum verò mater hæc videt & ſentit, idem & fœtus in ergaſtrio ſentit & videt, & quia hujus carnis fibrillæ nimis teneræ erant & reſiſtere curſui ſpirituum adeò violento & confuſo nequibant, diſtorquebantur ac diſſrumpebantur, figurâque visâ imprægnabantur. Suppurationis ſuprà præfatæ retardationem deduci poſſe credo, 1. ex defeƈtû caloris externi, quoniam nullis proſpiciebatur fomentationibus, quas magni facere ſoleo ad accelerandam ſuppurationem. 2. Ob lymphæ tranſudatæ profuſionem, unde partes particulis ſuis motricibus orbatæ, terreſtriores, difficillimè moventur, & ſuppurantur, quæ etiam cauſa duritiei induƈtæ eſſe poteſt; & 3. quoniam cutis conſtriƈta & ſuppuranda fuerat ſana, quæ arripiebatur filo ob metum remanentiæ alicujus lividitatis tumoris. Quod autem nihil immoraverimus ablationi excreſcentiæ, in cauſa fuit timor, nè incrementum capeſſiſſet majuſque ſpatium occupâſſet, & præſtat hujus farinæ tumores quamprimùm poſt partum removere.

Ibidem

Ibidem Obſervatio 97. De Puellâ cum coalitû inteſtini ilei nata & per viginti duos dies viventе.

QUantum valeat Matris impreſſio in embryon ſuum, multa hinc inde proſtant exempla, quibus etiam antecedens annumerandum, nec infimi fore momenti confido ſequens de coalitû inteſtini ilei infantis, tantùm temporis adhùc viventis. Annô 1687. Uratiſlaviæ cùm commorarer, Mulier cujuſdam militis Legionis rubræ ſic dictæ, puellam octodecim per dies benè valentem, maternôque lacte fruentem, nec ſemel ad mortem uſque excrementa alvina dejicientem pepererat, urinam tamen copioſiorem ſæpiùs miſit, die tandem vigeſimô tertiô flatibus excruciatâ & valdè intumefacta obiit, cùmque animam exſpiraret, excrementa quædam flava per os ejecit; Præſentibus Dominis Doctoribus Jænſio & Pauli, Chirurgi Dominus Jurmannus & Hahnius inſpectionem cadaveris inſtituebant.

Cutis ubique gracilis & ſubflava conſpiciebatur, capillis ac unguibus perfectis.

Apertô abdomine ventriculus & inteſtina tenuia turgida, excrementis luteis ſcatentia, parùm rubicunda; & ſanô colore conſtantia oculis ſe offerebant.

Locô verò inteſtinorum craſſorum inteſtinum ileon ſubſtantiâ quâdam carnosâ clauſum, & caudæ piſcis Tineæ figuram repræſentabat.

Ibique novum inteſtinum vacuum craſſitie pennæ anſerinæ, craſſorum locô, incipiebat meſenterio firmiſſimè annexum, aſt nullam habens continuitatem aut connexionem, multò minùs inſertionem niſi per vaſa quædam ſanguifera, cum ileô.

Hocque inteſtinum Coli & Recti circumflexum & ſitum occupabat, cum circumflexu ſuo Pyloro firmiſſimè adhærens, illumque aliquatenùs conſtringens, locô cœci parvum repræſentabat proceſſum, ejuſque continuitas inquirebatur tubulô per anum inflatô.

Renes, hepar, lien, &c. ut & uterus cum partibus genitalibus benè diſpoſita ac ſana conſpiciebantur.

Scholion.

Conjiciebatur à nonnullis, malam inteſtinorum conformationem hujus phœnomeni fuiſſe cauſam, ego tamen illius ortum potiùs matris ſympathiæ cum fœtû attribuo, quòd ſcilicèt mater, embryone adhùc tenerrimô in ergaſtriô ſuô hærente, colicâ paſſione, vel aliô inteſtinorum morbô cruciata ſit, præprimis circa valvulam coli, quos dolores mater quidem ſuſtinuit, embryon verò, cujus fibræ adhùc tenerrimæ fuêre, huncce ſpirituum fortiſſimum influxum ſuſtinere non valens, rupturam inteſtini coli & ilei variamque eorum diſtorſionem paſſum eſt; quomodo id fiat, ex antecedentis Obſervationis ſcholiô videre eſt. Memini per ſemihoram viventem, integumentis abdominis ab oſſe enſiformi ad umbilicum uſque apertis, illiſque calloſis, ita ut ventriculus cum meſenteriô, inteſtinis & hepate, quaſi evulſa prolapſa erant extra cavum abdominis, colore ſanguinolentô & inflammationem præceſſam indicante, mater nimirùm in tertiô graviditatis menſe bovem mactare conſpexerat.

HORDANUS (*Petrus*)

De eô extat

Meatus in ſiniſtrum Cordis ventriculum deſinens, æri inciſus.

HORLACHERUS (*Conradus*)

Ex eô habetur

Methodus Urinoſcopiæ. Ulmæ apud Kuhnium 1691. in 12.

HORMANNUS (*Guilielmus*) Sariſburienſis: Edidit Anatomiam Corporis humani, & obiit A. 1535.

HORN (*Bartholomæus*)

Ex eô habetur

Vates Medicus Hippocraticus, ſeu, Commentarius in Hippocratis Prognoſtica Stralſundi, 1645. in 8.

HORNE (*Johannes Van*,) Amſtelodamenſis, in Academia Lugduno-Batava Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor famigeratiſſimus, novum ductum Thoracicum circa annum 1650. & 52. primus detexiſſe videtur. Unde mox Tractatum edidit de Novo ductu Chylifero, nunc primùm delineato, deſcripto & eruditorum examini exhibito. Primus quoque fuit, qui teſticulos viriles dixit eſſe conglomerationes merorum ductuum ſeminalium, & mulierum teſtes vocavit Ovaria: Unde alienis plumis ſine dubio ſuperbivit Regnerus de Graeff, ejus auditor atque diſcipulus, ſicuti paullò poſt dicemus. Scripſit quoque Microcoſmum ſeu brevem manuductionem ad C. H. in gratiam diſcipulorum; cui profectò uſui ſi quod ullum aliud compendium, maximè accommodatum eſt. Quod propriô exemplô confirmare nullus vereor, qui jam ſæpiùs tam publicè quàm privatim hunc auctorem Auditoribus meis in Fridericianâ noſtrâ prælegi, & ingentem ſemper fructum indè percepi. Dedit inſuper Auctor noſter Epiſtolam Anatomicam ad Guernerum Rolfincium, Anatomicum celebrem in Academia Thuringorum Jenenſi, & quidem brevi ante obitum ſuum, in qua ea, quæ de conſtitutione & uſu genitalium utriuſque ſexûs noviter obſervaverat, declaravit, quæque Microcoſmo ſubjuncta eſt. Edidit quoque Obſervationes Anatomico-Medicas & Galeni Librum de Oſſibus, cum Veſalii, Sylvii, Heneri, Euſtachii exercitationibus. Adverſarium habuit Ludovicum de Bils, aliàs *Bilſium* dictum, nobilem, quem ſola curioſitas ad ſtudium anatomicum pertraxit: Unde quid valeat natura in diſciplinis perdiſcendis, hic potiſſimùm exemplô ſuô docuit. Quandoquidem ſine magiſtro in peritia ſecandi tam mirabiles fecit progreſſus, ut cum celeberrimis ſui temporis Medicis & Anatomicis contendere ferramque diſputationis reciprocare, non erubuerit. Cùm verò in ea, quam cum Hornio aliiſque agitabat, controverſia, non ſatis circumſpectè oculis ſuis uſus fuiſſet, non eſt mirum, ipſum cauſâ ſuâ excidiſſe. Non minus enim vehementer commotus fuit, cùm fama ebuccinaret, vivente adhuc Horniô noſtrô, Regnerum de Graeff opus abſolutum editurum de Partibus genitalibus utriuſque ſexûs: Tempeſtivum itaquè judicabat Johannes van Horne, publicum monere, antequam adhuc tale opus prodiret, inventa illa ſua eſſe, & falſò illa ſibi tribuere Graeffium; Quare ſumma ſtatim rei capita ad Rolfincium perſcribebat, promittens, ſe operoſiùs illa demonſtraturum peculiari tractatû, ſed morte præventus promiſſa iſta explere non potuit. *Gœlicke Hiſt. Anatom. pag.* 140.

Ex eô habentur

De Aneuriſmate Epiſtola. Extat cum Theod. Bartholini Anatomicâ Aneuriſmatis diſſecti Hiſtoriâ. Panormi, apud Alph. de Iſola, 1644. in 8.

Novus ductus Chyliferus, nunc primùm delineatus, deſcriptus & eruditorum examini expoſitus;

ſitus. Lugduni Batav. apud Franc. Hackium, 1652. in 4.

ΜΙΚΡΟΚΟΣΜΟΣ, ſeu, brevis Manuductio ad Hiſtoriam corporis humani; in gratiam Diſcipulorum edita. Lugduni Batavorum, apud Jac. Choüet, 1660. in 12. Ibidem, apud eundem, 1662. in 12. & 1665. in 12. Lipſiæ, apud Johannem Fritſchium, 1675. in 12. Cui poſtremæ Editioni acceſſit Epiſtola, ad Guerner. Rolfinkium, obſervationum, in ſexûs utriuſque partibus genitalibus, ſpecimen exhibens; & index priori locupletior & auctior.

Μικροτεχνη, id eſt, breviſſima Chirurgiæ Methodus. Lugduni Batavorum, apud Jacobum Chouët, 1663. in 12. Ibidem apud Gaaſbeekios, 1668. in 12. Lipſiæ, apud Johannem Fritſchium, 1675. in 12. Cui poſtremæ Editioni acceſſit copioſus rerum notabiliorum Index.

Leonardi Botalli Opera omnia Medica & Chirurgica à mendis repurgavit, methodicè diſpoſuit, paragraphis diſtinxit, notis marginalibus & Authorum teſtimoniis auxit, & hinc indè Annotationibus illuſtravit. Lugduni Batavor. apud Daniel. & Abrah. à Gaasbeeck, 1660. in 8.

Galenum de Oſſibus Græcè & Latinè cum Veſalii, Sylvii, Heneri, Euſtachii, Exercitationibus, ad eandem Galeni doctrinam edidit. Lugd. Batavorum apud Danielem Vander Boxe, 1665. in 12.

Prodromus Obſervationum ſuarum circa Partes Genitales in utrôque ſexû. Lugduni Batavor. 1668. in 12.

Obſervationes Anatômico-Medicæ. Extant cum aliorum ejuſdem generis Obſervationibus excuſis Amſtelodami, apud Abrah. Wolffgang, 1674. in 12.

De eô præterea extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1707. pag. 271.

Opuſcula Anatomico-Chirurgica, Annotationibus Recentiorum in Anatomicis pariter ac Chirurgicis induſtriam patefacientibus adaucta ſtudio & opera D. Johannis Guilielmi Pauli, Anat. & Chirurg. Prof. Publ. Lipſiæ, apud Thomam Fritſchium, 1707. *in* 8.

NUllo non tempore Johannis van Horne Opuſcula Anatomico-Chirurgica vel maximum merita ſunt applauſum; quo factum, ut aliquoties eadem non ſolùm fuerint recuſa, verùm etiam à variis Profeſſoribus in Academiis digna habita, quæ pro fundamento Anatomiæ & Chirurgiæ docendæ ponerentur. Quemadmodum olim D. Johannis Mauritius Hoffmannus in Prælectionibus Anatomicis in Academiâ Noricâ declarandum ſelegit Hornii Microcoſmum, ſuaſque in eundem Notas in Diſſertationibus publicis Anatomico-Phyſiologicis viginti duobus abhinc annis publici juris fecit. Hujus enim judicio eſt Hornii Microcoſmus (idque etiam de Microtechne ejus exiſtimandum) liber parvus, ſi oculis magis quàm animo legatur, ſi rerum contentarum amplitudo attendatur, magnus. Id quod permovit Clariſſ. D. Joh. Guilielmum Pauli, inde à viginti tribus annis Collegam noſtrum ſolertiſſimum & Anatomicum, ſi quis alius, accuratiſſimum, ut Microcoſmi & Microtechnes editionem Lipſienſem cum Lugdunenſi conferre, mendoſè allegata corrigere; reliqua Autoris addenda conquirere, atque paragraphis tantùm non ſingulis Annotationes aliquas apponere ſuſtinuerit. Tredecim equidem jam præterlapſi ſunt anni, cum laborem iſtum perfecit, quoniam verò Bibliopolæ aliorum librorum impreſſionibus occupatiſſimo minùs commodum hactenùs eum typis mandare viſum fuit, ampliſſimam nactus eſt Noſter occaſionem, omnem moram uberioribus obſervatis, tam propriis, quàm alienis compenſandi. Et ne opera hæc manca videretur, ſiquidem ultimis quinque annis, quibus Manuſcriptum ſub manû ejus eſſe deſiit, multa in re Anatomicâ cum orbe eruditô hinc indè communicata, imò ab ipſô in cadaveris fœminei anatomiâ publicâ ſub finem anni elapſi obſervata fuerunt, ſingula hæc in Præfatione uberiore addere non fuit gravatus. Speciminis loco ex hâc, quæ Clariſſ. Pauli ſunt Obſervata, ſiſtemus, ſicque de reliquis Annotationibus facile erit penes L. B. judicium.

Quam tunicam in œſophagô inter cárneam & nerveam vaſculoſam mediam Verhayen notavit, eam in ventriculô non ſolùm ſuillô & caninô, ſed humanô quoque atque jejuni humani portione vidit. Aquam in arteriam ſplenicam infuſam ventriculum cum liene adhùc cohærentem, non tamen ceram pariter repleviſſe, obſervavit. Ductus thoracicus in cadavere fœmineô cerâ rubrâ repletus thoracem intra ſub aorta primum inſigne vas recipiebat lymphaticum, ut duplex videretur, hinc notabilem efformabat inſulam, demùm ſub œſophagô ductû ſatis tortuoſô & ſerpentinô ferebatur, uſque per thymum variis ramis diſperſis in venam ſubclaviam ſiniſtram è regione venæ jugularis internæ oſculo terminaretur. Venas cum arteriis continuari, nec poros utrumque vaſorum genus intercedere, præter alios plures Pitcarnius, Cowerus, Vieuſſens atque Georg. Frider. Francus de Franckenau, propugnant, primus quidem, quod ſanguis, in poros effuſus, ac venarum parietes, conſequenter oſcula comprimens, ſibi ipſi aditum ad venas præcluderet, reliqui autem, quod Microſcopiorum uſu talis continuitas extra dubium omne eſſet reddita. Verùm quia microſcopiis adhibitis non tam ipſa vaſcula, ceu pellucida, quam globuli potiùs ſanguinis ſe invicem propellentes cernantur, haud immeritò ambigit Noſter, annon ſic arteriolarum & venularum continuitas cum ſanguineorum globorum contiguitate confundatur, quæ tamen poris majoribus etiam ſibi invicem reſpondentibus adhùc videri poteſt, quandiù globuli ejuſmodi ſenſibiles in minores inſenſibiles nondum redacti fuerint. Ad poros autem depoſitus ſanguis nullum omninò ejus judicio in venarum oſcula inveniret ingreſſum, niſi fibrillis intercedentibus venarum parietes æque ac arteriarum ſuffulcirentur; quemadmodum in liene vitulinô & pene humanô, in quibus ſanguis ab arteriis extravaſatus per patula venarum foramina remeat, ad oculum pateſcit. Tametſi ad reſpirationem parvam vel duo diaphragmatis muſculi poſſint ſufficere, in magnâ tamen, ubi coſtæ cum ſternô elevandæ ac deprimendæ, centum eorum, tum proprii, tum communes videntur concurrere. Præter 2. namque diaphragmatis, coſtæ utrinque à 27. propriis, nempe ſubclavio, 11. intercoſtalibus externis, 11. levatoribus coſtarum, Serrato antico minori, Serrato antico majori, Serrato poſtico ſuperiori ac Cervicali deſcendente Diemerbrockii & tribus communibus, Pectorali, Scaleno, & Levatore ſcapulæ attolluntur, cùm coſtæ è diverſô utrinque à 14. propriis, videlicèt 11. Intercoſtalibus internis, Triangulari, Sacrolumbo & Serrato poſtico inferiori, & 5, communibus, muſculis ſcilicèt abdominis ſoleant deprimi. Per orificium, quod in duodenô cum choledochô pancreaticus ductus habet commune, flatus in hunc immiſ-

ſus

ſus aliud ſimul minus oſculum canalis minoris detegebat, priori ferè oppoſitum, niſi quod paulò eſſet ſuperius. Non abſimilem quondam ductus pancreatici in equô videre licuit Clariſſ. Pauli conformationem, in quô alter duodenum orificiô cum cholidochô communi, alter autem propriô & quidem è regione ferè priori oppoſitô pertundebat. Mercurius in meatum auditorium infuſus in hoc ſubſiſtebat, adeòque cavitatem tympani haud illabendo nullum membranæ tympani detegebat hiatum, etiamſi aqua pro eâdem ſicciori humectandâ multis ante horis fuiſſet indita, caputque multùm unà concuteretur. Quamvis Epiglottidi humanæ 4. à Jacobô Sylviô adſcripti muſculi tantum non ab omnibus in dubium hactenùs fuerint vocati, nihilominùs non ſolùm duos attollentes, ſatis longos, ab oſſis hyoidis baſi ad poſticam epiglottidis radicem protenſos, ſed & duos deprimentes minores ab arytænoidearum cartilaginum apicibus obliquè & anterius ad epiglottidis latera delatos atque vel cum Bauhinô hyo- & arytænoglotteos, vel cum aliis rectis hyo- & arytæno-epiglotteos dicendos vidit.

De cæterô monendus eſt L. B. præter Microcoſmum & Microtechnen Hornii Notis illuſtratos, adjectam eſſe in hiſce opuſculis Thomæ Bartholini Hiſtoriam Anatomicam Aneuriſmatis diſſecti, Hornii ejuſdem argumenti Epiſtolam & Indicem rerum locupletiſſimum.

HORNEIUS (*Conradus.*)

De eô extat

Compendium Naturalis Philoſophiæ, de Lapidibus, Metallicis, & Mineralibus mediis. Helmſtadii, 1624. in 8.

HORNIUS (*Caſparus*) Natus eſt Freybergæ, Miſniæ oppidô, A. C. 1583. Patre & Avô homonymô, Mercatoribus ibidem. A Daniel. Sennertô Witteberg. cujus convictû per ſexennium uſus eſt, filii inſtar tum temporis diligebatur. Annô 1616. Baſileæ Doctoris Medicinæ titulô impetratô, ad ſuos reverſus, Dreſdæ Praxin Medic. per ſeptennium ferè exercuit, nempè uſque ad Annum Chriſti 1623. quô Plaviæ Nariſcor. Phyſicus ordinarius factus, per decennium Medicinam ibi facere feliciſſimè perrexit. Hinc iterùm annô 1633. Freybergam vocatus, Medici ordinarii munere per viginti annos ſummâ cum laude functus eſt, Obiit A. C. 1653. ætatis ſuæ 70.

Gebri Arabis Chymiam, ſive, Traditionem ſummæ perfectionis, & inveſtigationem Magiſterii, innumeris locis emendavit, additâ ſuâ Medullâ Alchymiæ Gebricæ. Lugduni Batavor. apud Arnoldum Doude, 1668. in 12.

HORNIUS (*Chriſtophorus*)

De eo extant

Hortulus Medicus; Hippocraticus, Spagyricus, Hermeticus, Poëticus. Caſſellis, apud Weſſelium 1610. in 4.

De Aurô Medicô Philoſophorum, Dialogus Scholaſticus. Extat Volumine quintô Theatri Chemici, editi Argentorati apud Laz. Zetznerum, 1622. in 8.

HORNIUS (*Georgius*,)

Gebri Arabis Chymiam, ſive, Traditionem ſummæ perfectionis, & Inveſtigationem Magiſterii, innumeris locis emendatam à Caſparô Horniô, Medic. Reipubl. Noribergenſis cum ejuſdem Medullâ Alchymiæ Gebricæ edidit. Lugduni-Batavorum, apud Arnoldum Doude, 1668. in 12.

HORNUNGUS (*Johannes*,) Rotenburgo-Tuberanus.

Ex eô habentur

Ciſta medica. In quâ Epiſtolæ Clariſſ. Germaniæ Medicorum familiares, & in re Medica, tum quoad Hermetica & Chymica, quàm etiam Galenica principia, lectû jucundæ & utiles, cum diu reconditis experimentis, aſſervantur; potiſſimum ex poſthuma Clariſſ. Doct. Sigiſmundi Schnitzeri, *Ulmenſis*, p. m. Bibliotheca; publico Medicorum bono communicatæ, & fideliter, non neceſſariis omiſſis, ad prælum elaboratæ, Norimbergæ, apud Simonem Halbmayerum, 1625. in 4. Lipſiæ 1661. in 4.

De Vulneribus Capitis & Omenti Tumore; Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Medicinal. ſingular. Lib. IV. prioribus. Ulmæ, apud Saurium, 1628. in 4. p. 487.

HOROZCO (*Chriſtophorus De*) Literarum, quibus humanitas fecit nomen, Salmanticæ, à Ferdinandô Pincianô, Græcæque linguæ notitiam hauſit, Medicinam ab aliis; cujus utriûſque ſtudii, alterum à Vigeſimô annum vix egreſſus, dedit ſpecimen, in publicum emittens

Caſtigationes in Interpretes Pauli Æginetæ. Venetiis, 1536. in foliô, apud Lucam Antonium Juntam. Sequutæ ſunt eô tempore, quô jam medendi artem publicè is Salmanticæ doceret; annô ſcilicèt 1538. ad D. Franciſcum Quignonium S. R. E. Cardinalem Sanctæ Crucis in Hieruſalem directæ.

Annotationes in Interpretes Aëtii Medici præclariſſimi nempè Baptiſtam Montanum Veronenſem, & Janum Cornarium Zuiccavienſem Medicos, Baſileæ editæ apud Robertum Winter; 1540. in 4. Manuſcriptô *Aëtii* Codice Græcô, qui Ferdinandi Pinciani erat, uſus eſt ad hanc cenſuram Oroſcius noſter *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. j. p.* 188.

HORSTIUS (*Giſbertus*) Amſtelodamus.

De eô extat

De Turpetô, & Thapſiâ Libellus. Romæ, apud Ant. Baldum, 1544. in 4.

HORSTIUS (*Gregorius*, *Senior.*)

Oratio Funebris, quâ Gregorio Horſtio, Archiatro Ulmenſi, parentavit Johan. Daniel Dieterich, Doctor Medicus. Ulmæ, in Auditorio Majori XI. Calend. Octobris Anno Chriſti M DC XXXVI.

De miſerâ Vitæ hum. conditione, non tantùm Sancti DEI homines proteſtati ſunt: verùm etiam ſaniorum Ethnicorum voces, in literas relatæ, ſuperſunt, quæ miſerrimam illam, & vel beſtiarum ſorte, (quod ſano ſenſu acceperis) abjectiorem diffamant. Audiebat aliquando Socrates, Athenis in Theatro, Euripideum illud pronunciari, quod Latinè ſic ſonat:

Vox nulla tàm moleſta proferri poteſt,
Nullus dolor, nullum à DEO invectum malum,
Cujus genus noſtrum haud gravetur pondere.

Hâc ſententiâ ita commotus eſt vir, vel Oraculo judicatus Sapientiſſimus, ut ſurgens, altâ voce hiſtrionem inclamaret, verſuſque modò editos repetere juberet. Sunt ſanè aurei verè, ſuoque autore digniſſimi illi, & omninò βιωφιλεῖς: quos comunis experientia nunquam fefelliſſe convincit. In hominem omnia tenduntur fortunæ tela: excipit is omnes adverſitatum ictus. Tum, ubi modò firmiùs, hilariùſque

que incedere viſus eſt,levi impulſu veſtigio excidit: quodque ſolum plantâ modò preſſerat, jam toto trunco proſtratus, anhelus; ad modulum corpuſculi, lineis diſtinguit. Objicit nobis dictorum exemplum ſpectatiſſimum,Nobilis,Excellentiſſimus, conſummatæque doctrinæ ac uſus.Virtutis & humanitatis, Dn. *Gregorius Horſtius,* Medicinarum Doctor, Conſiliarius Haſſiacus, Reip. noſtræ Phyſicus,Collegiique Med. Antiſtes meritiſſimus. Is enim poſteaquam ſecunda, quæ vocant, explêſſet vota, (id quod proximè ſuperioris anni Menſe Junio peractum : jamque conjugalem lineam ex animi ſententiâ duceret, amantiſſimè ab amantiſſima marita habitus, domique ac foris felix, optatâ εὐπραξίᾳ gauderet : ecce ! malo arthritico, quod multò antè non ſemel fortiter ſuſtinendo repulerat, invaditur : nec defuit comitatus aliorum ſymptomatum, imprimis ἀνορεξίας. Unde naturalia paulatim, & vitalia deficere cœperunt. Cæterum, quas Animales dicunt vires, eas tam vegetas, tàm expeditas ſervavit: ut divinis & humanis cogitandis, enunciandiſque,uſque ad ultimam vitæ incitam actus,ſufficeret. Succubuit nihilominus tandem Medentum alpha, inter Medentum curas,& miniſteria & placidiſſimè animam ſuam Conditori Summo, in æterno Beatorum Concilio fovendam reddidit.Hæc eſt Cataſtrophe Maximi Viri! Nam de reliquis vitæ actibus quæ exponenda hîc forent, plagulæ chartaceæ anguſtia non capit. Neque deerunt (ſumus certiſſimi) digni præcones; quorum alius aliud curriculi illius membrum efferet: omnia unus vix poterit. Nempe duo de LX. annos exegit : quod ſatis quidem longum vivendi ſpatium videatur, ſi ultimæ hujus ætatis penſitaveris ad ἀῤῥωστίαν : veruntamen breve quis dixerit, ad immenſitatē gloriæ, famæque reſpiciens. Clarus quippe fuit natalium nomine : Ortus ex *Myſis Torgæ*, Patre cognomine, Senatore ibi ac Ædili : Matre *Bornitiæ* gentis, *Annâ*.Quod decus,ut & plurima alia HORSTIAS *Hebenſtreittiana* ſtudioſè depinxit. Studia literarum ac Pietatis *in patriâ* primum : inde *Halberſtadii* : ulteriùs *Ilfeldæ* (ubi doctrina & virtus eminebat *Neandri* :) excoluit; Humanitatis illa, linguarum ſc. Poëſeos, & dulciſſimarum artium. Suſcepit deinde pleno gradu pergentem *Helmſtadium*: poſt idea *Witeberga* : quibus in Liceis cùm Philoſophiæ ſublimia, tùm Medicinæ oracula imbibit: *Laurum* verò *Philoſophicam Doctoralem* ſpecimina privatæ inſtitutionis dexterrime, ipſi in *Leucorea* pepererunt. Hinc Apodemicæ ſeſe expoſuit, & pulcherrimum circulum peragrando, nobiliſſimarum regionum (nominatim *Auſtriæ*) Dynaſtis populiſque innotuit. Adivit etiam *Alſatiam, & Helvetios*, excurrens ad *Gebennenſes* uſque : Mox *Baſileam adiens*, quod ſummum in vitâ exoptare poterat, vereque χρυσοῦν ἀνάδημα, *Docturæ Medicæ* Inſignib. ibid. exornatur : quod factum Anno cIↄ Iↄc VI. Protinus ab *Electore Saxon. Wittebergam* vocatus, functionem ſpectatiſſimam alii cedere non dubitavit. *Soltquellam* contrà migrare debuit: ivit;Anno VII. *Gieſſam* concedere: eò venit. An. VIII. Profeſſor iſtic honoratiſſimus: in Magiſtratu etiam Magnificus. Anno IX. Principi ſuo familiarior, *Archiater* audit : illumque quaquaverſum fidus Miniſter ſequitur. Interea & maritalem conditionem exoſculatus, *Hedwigen Stammiam*, Virginem lectiſſimam confarreatione ſibi ſacroſanctâ copulat : idque Anno XV. Anno denique XXII. ab *Vlmâ* noſtrâ ferventibus votis expetitus honeſtiſſimè excipitur, *Medicoque Corpori Director* præficitur. Hîc eum ſe præſtitit, ut intra Urbem ſummis & infimis : extra toti *Alemaniæ, Franconiæ, Bavariæ, Norico*, *Horſtiano* *nomine* nihil prædicatum fuerit nobilius. De divinæ Artis dexteritate : de dulciſſima ὁμιλίᾳ & converſatione, cujus ſenſus in nobis omnibus recentiſſimè palpitat : de placidiſſimâ, & planè ἠθικῇ morum compoſitione, omnis acerbitatis experte : de Conſiliorum in durioribus & periculoſis caſibus εὐπορίᾳ, de aliis omnibus verè πτεραγώνου Medici, Philoſophi, Inquilini, Chriſtiani, attributis verboſi eſſe, ſi ſynopticum hoc inſtitutum permitteret, cur detrectaremus? cùm vix vici Urbis, ædes & conclavia decumbentium à ſuſpiriis; & querulis vocibus ſibi temperare poſſe videantur. Quid ſtatuemus de defuncti *Liberis*, numero VI? de quibus tres filii inter Peregrinos hodie degunt : ſed omnes parentum indolem referre partim ſatagent, partim jam hoc agunt. *Scripta* vero & monimenta aurea, alia edita, alia affecta, totius Germaniæ, neque non Italiæ, Galliæ, aliarumque Chriſtiani Orbis terrarum Ingenia conſummata æſtimabunt, quorum omnium unum extabit ſuffragium : *Horſtium* Ulmanorum, fuiſſe ΜΙΜΗΜΑ ΔΑΙΜΟΝΙΟΝ. Tantum itaque decus amiſimus, ſed revera ad cœlos meliore ſenſu miſimus. Vivat ibi Animula, divin. & humanarum rerum cognitione apud nos abundantiſſima! Veſtrū eſt,Corporis exuviis honorem habere ultimum. Deducite ergo deinceps, (horam, locumque habetis cognitum) ſummâ cum veneratione tantorum donorum diverſorium, tàm πολυπρεπὲς σχῆμα in literatorum coronâ : & humanæ memores ξυμφορῆς *rectè vivere* ſtudete, Servi *Dei*, Miniſtri mortalium, veræ laudis, adminiculo καλοκαγαθίας inculpatæ, adipiſcendæ cupientes. Ita vos cœleſtis Prothymia, σκεύη ἐλέους faciat : & tandem æternæ felicitatis participes! Amen.

P. P. XII. Auguſti, *Anno* Ultimæ *Dei μακροθυμίας* cIↄ. Iↄc. XXXVI.

Director & Conſilium Gymnaſii Vlmenſis.

LAudandi defunctos conſuetudinem non tantùm gentes humanitate politiores probaverunt : verùm etiam barbaræ facto ipſo aſciverunt. De Ægyptiis conſulenda eſt Diodori Bibliotheca, Græci tamen Romanis ſeriùs Encomia legitimis funeris ritibus addiderunt, ſi Dionyſio credimus. Quòd ſi huic etiam in alia quadam re fidem habuerimus : profectò morem funebris laudationis apud iſtos prudentiùs, quàm apud illos conſtitutum deprehendemus. Attici quippè ex unicâ ferè virtute laudes Popularium metiebantur : ſi quis nimirum fortiter agendo, & patiendo, pro Patriâ occubuiſſet : Romam verò viris cùm togatâ, tùm bellicâ virtute, tùm etiam aliis in Rempubl. meritis inſignibus, honorem poſtremum habebant. Quanquam non ſolùm in Exequiis præſſtantium Virorum facta, dictaque verbis ornabantur; verùm etiam ἐν τοῖς κώμοις, in conviviis; indeque nata Encomii vox. Res autem ipſa non Græcis ſolis, ſed & populo *Dei* uſurpata de illis apud Athenæum; de hoc in Davidicâ imprimis Hiſtoriâ claræ extant expoſitiones. Cur autem actus hujuſmodi, curæque (τὰ κήδη,) ſuſceptæ fuerint, quis, niſi fungus, ignorat? Concurrunt ad illas ratio Juſtitiæ διανεμητικῆς, tùm officii παραινετικοῦ, καὶ παραδειγματικοῦ; denique muneris τοῦ συμπαθητικοῦ. Quid enim juſtius, quàm laudare laudem meritos? quid dignius, quàm exemplis cùm univerſos, tùm imprimis juventutem conſtantibus corroborare? Quid tandem humanius, quàm mœſtos ſolari, editâ ſignificatione doloris communis? Et huic fini Hierarchia,imprimis Scholaſtica ſervire conſuevit. Præter enim operam, etiam in vulgus notam, ejuſque captui commodantem

dantem, qualis in Eccleſia adhiberi ſolet, polito inſuper, adeoque literato hominum generi Imagines celebriores, adhuc proponere, non dubitavit. Id quod vel in noſtro Ludo ſummâ religione obſervari vidimus: & obſervandum fuiſſe in *Parentatione Horſtiana*) proh! quantum indignamus virum! quo de nihil tàm amplum, tàm eximium dici poterit, quin idè virtute ſit ſuâ ſupergreſſus:) pereleganter edocebit Præcellenti doctrinâ, virtute ac uſu Spectatiſſ. Vir, Dn. *Joh. Daniel Dietericus*, Medicus Doctor florentiſſimè eminens, amicus noſter dilectus. Neque hoc officii Profeſſioni, aut propinquitati tantùm exiſtimavit præſtandum: pietas virum hûc attraxit, ſtudiumque Heroi Incomparabili poſtremi honoris juſta exſolvendi. Verba itaque faciet, quantum permiſerit temporis, atque præſentium ratio, vel (ut ἐν ζηνόψεως τρόπῳ ex Polybio proponere liceat:) λέξει περὶ τετελευτηκότος τῆς ΑΡΕΤΗΣ, ϗ τὰς ἐπιτελευγμένας ἐν τῷ ζῆς ΠΡΆΞΕΙΣ. Nihil autem dubitationis habemus, quin, quotquot acceſſeritis ad μνημηκίαν noſtram, vix audito Magni *Horſtii* nomine, videre viſuri ſitis Erectam Viri Medici & Philoſophi τετραγώνου Figuram: in eandemque intuentes, præconiumque ſimul auribus percipientes, exclamaturi: Utinam conclamatus ad nos reverti poſſet! Verùm vota hæc à ſpe & uſu humano aliena ſunt. Magis eſt, ut conditionis communis memores, præterita ne negligamus: de præſentib. σωφρονοῦντες μᾶλλον, ἢ πολυπραγμονοῦντες futura autem nunquam ex oculis mentis dilabi ſinamus. Hæc, ô benevoli *Lectorum*, trutinantes, & *Horſtium* ipſum, & ejus Studioſiſſ. nervoſumque Præconem; utrumque debito proſequemini officio: nos præterea beneficio; cui paria facere, ubi opportunitas fuerit data magno ſtudio annitemur. Valete. P. P. Feſto Matthæi, Anno R. O. cIɔ Iɔc XXXVI.

ORATIO FUNEBRIS.

DOmine DEUS, irâ tuâ deficimus, & fervente indignatione tuâ terremur: iniquitates noſtras in conſpectum collocaſti tuum, occulta noſtra in lumen faciei tuæ. Nam cuncti dies noſtri te iraſcente dilabuntur, annos noſtros finimus dicto citius. Sed quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? *Liceat mihi*, Auditores omnium ordinum admodùm Rever. Magnifici, Nobiliſſimi, Venerandi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Humaniſſimi! *Liceat, inquam, mihi iiſdem verbis judiciorum Divinorum admirari magnitudinem, quibus vir ille divinæ familiaritatis Moſes, humanæ vitæ miſeriam deplorabat, ex eô, quòd peccatis Populi laceſſitus IEHOVAH, Iſraelitarum multas myriades è medio ſuſtulerat. Quanquam enim hoc ipſo decrepito noſtro tempore, non tanta ſævitiæ* δείγματα *præſtò ſunt; nec tam exiguo temporis curſu, tot millia eripiuntur: ſævus tamen Mars à longo jam dulciſſimam Patriam Germaniam perrepens, ſolùm ab Anno Milleſimo Sexcenteſimo octavo, ad Milleſimum Sexcenteſimum quartum & viceſimum, atteſtante Chronologo Alſtedio, octoginta millia Militum atrociſſimo ſuo acinace trucidavit. Nec minùs extra Militis jacturam ubique*

Miſta Senum ac Juvenum denſantur funera; nullum
Sæva caput Proſerpina fugit.

Nec de fæce dumtaxat hominum agmina fatis perfunguntur: ſed Curia ſuos luget; huic ſiquidem Magiſtratui Vlmico, quis ingentes columnas, aliaque florentia virentiaque Germina hactenus dereptа, & proſtrata non vidit? mœret Eccleſia DEI: cujus verè militantis Fulcimenta, Theologos adhuc dùm vigentes, Deus benigniſſimè conſervet. Totæ Regiones & amplæ civitates confectæ ſenio ſunt. Et quid non præterea? Forum Medicum, optimum & fidiſſimum ἐπιστάτην Gregorium Horſtium, *virum quà Scripta, quà Practica beneficia de hac noſtra Republica, ecquid dico de hac Republica? tota de Germania meritiſſimum, notiſſimum lamentatur. Quis itaque cum Moſe non jure exclamet?* Domine Deus, irâ tuâ deficimus, & fervente indignatione tuâ terremur: iniquitates noſtras in conſpectum tuum collocaſti, occulta noſtra in lumen faciei tuæ. Nam cuncti dies noſtri te iraſcente dilabuntur, annos noſtros finimus dicto citius. Sed quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Quandoquidem autem optimo veterum inſtituto obtinet, ut præcellentium atque diviniori quâdam mente præditorum virorum funera, laudatione ſolenni cohoneſtentur: id in celebratiſſimi HORSTII noſtri *funeſto funere, in iſto omnium laudandarum artium publico Athenæo neglectum iri, in humanum, & penè nefas arbitrabar. Non, quod me, facundiæ vacuo, laudum præcone indigeat: ſiquidem ſurperſtes adhuc dum, communi omnium calculo Ennianum illud dicere de ſe poterat,*

Nemo me lachrymis decoret, neque funera fletu
Faxit: Cur? volito vivus per ora virûm:

Sed ne in Beatum Affinem meum, quem vivum, Medicæ familiæ Coryphæum veneratus ſum, ingratus; neve populo Judaico à DEO illatam incurrere videar reprehenſionem: Juſtus perit, neque quiſquam hoc in corde reponit, homines benefici tolluntur, & nemo eſt qui expendat.

Si autem luctus veſter, Auditores, vehementiſſimus, in quem vos HORSTII noſtri *inſperatus exceſſus præcipitavit, mollia & ad amuſſim exquiſita verba deſideraret; aut ſi deceret eos, quos ſummæ triſtitiæ ſenſus occupavit, ad ſuavem aliquem ſermonis adparatum mentes erigere: non ego me vobis oſtenſum, Cathedram hanc conſcendiſſem. Alia enim quæ tracto Studia, perrarò mihi in hæc amœniora digreſſum permittunt; nec me unquam ad cultum Eloquentiæ urſit conditio vitæ: adeoque, ut ſi vos ex triſtitiæ ſitu ſqualoreque expergiſceremini, mihi cum dedecore diſcedendum foret, qui jam vix cum rubore conſiſto. Verùm interim oro vos, obteſtorque Auditores per manes Defuncti noſtri: ut cujus inacceſſam nullus non admiratus eſt virtutem, ejus vitæ ſeriem & gloriæ curriculum æquo animo audiatis.*

Qui de arte dicendi præcipiunt, vetant eorum, quos laudandos ſuſcepimus, patriam, & προγόνους *præterire; quod Parentum Majorumque virtus velut è fonte ducta, clarior auctiorque ad Poſteros emanet. Alij non parum momenti ſitum eſſe autumant in illo terræ ſinu, in quo orti, in quem excepti ſunt, ubi primùm hauſere cœlum; cùm, ut Simonides dicebat, beatè perfectâ ratione victuro, ante alia Patriam conveniat eſſe glorioſam. Hanc tamen ego legem mihi inſuper habendam duxi: quòd laudabilius videatur ſibi ipſi parere, quàm ab aliis per manus & quaſi trabatitium accipere nominis ſplendorem, quem illi jactare ſolent magnificè, qui in alienæ lucis objectu aut ſuas tenebras diſſimulant, aut turpitudinem verentur. Cancrorum genus eſt minimorum, quos Pinnotheras Plinius vocat; iſti, quò tutiores ſint, inanium oſtrearum teſtis ſe condunt, & cùm accreverint migrant in capaciores: Ita quidam majorum ſuorum titulis ſe tuentur, cum ſuis propriis diffidant virtutibus, & à fortunâ petunt, quod circa ſe non inveniunt, quæ fatuo ut plurimum*

delectu

delectu in eum munificentior, qui improbior. Neque id tamen à me propterea dici velim, quaſi Defunctus noſter ignobili Patriâ ortus, aut obſcuro genere natus ſit. Quid enim? an Saxoniam, illam Martialis populi altricem humum, an Miſniam Germaniæ noſtræ cellam penuariam, laudibus extollam? an de Jacobo Noſtri Patruo dicam, Medico olim conſummatiſſimo, Profeſſore Helmſtadienſi celebratiſſimo? an Parentem Georgium laudabo, Senatorem & Ædilem olim Republicæ Torgenſis meritiſſimum, hominem priſci illius ævi, ſine ceruſſâ aut ſimilagine hujus ſeculi? poſſem equidem, & quidem copioſè: cùm hic majorem ſe filium genuerit, Sed multò magis hominem æſtimamus ab iis, quæ in ipſo, quàm extra ipſum ſunt: quæ in poteſtate noſtra nec ſunt nec fuerunt, ita plerumque cœco novercantis fortunæ arbitrio diſpenſantur. Quapropter ſuſpenſis his omnibus, Medicum noſtrum cenſu ſuo divitem intueamur, & quam in hac vitæ fabula perſonam egerit, contemplemur.

Bono itaque publico natus eſt Gregorius Horſtius, Torgæ, amœno & pervetuſto ad Albim oppido; quod Dagoberto incunabula & fundationem ſuam debet; Anno æræ Chriſtianæ Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo Octavo, ex Matre (Patrem enim jam diximus:) de antiquâ Bornitiorum familiâ, Jacobi Bornitii p. m. civis Torgenſis Primarii, filia. Vix autem crepundiis valedixerat, literarum tamen rudimentis, quarum capax tenella ætas eſſe ſolet, patrio in Ludo prius hauſtis, cùm illum parentes ad Gymnaſium Göttingenſe ablegarunt, ut ejus ibi informes anni ulteriori literarum ſtudio imbuerentur, primoſque humanitatis rivos delibarent: ubi biennio verſatus, ad Scholam Halberſtadenſem mittitur, fideique ſui Patrui, venerandi Senis p. m. concreditur, Hic præclari ingenii Adoleſcentulus, in diſciplinarum incude poſitus, eos ſub ductu Præceptorum fecit progreſſus, ut celeriter coætaneos ſuos ingenii gloria antecelleret, & ſumto calidè Muſæo paſtu ad maturitatem judicii acceleraret, feſtinâque & feſtivâ indole multorum vota præcurreret. Quare promotione & ſuaſu modò dicti Patrui ſui, ſagacis ingeniorum æſtimatoris, in illuſtre Ilfeldenſe Collegium cooptatur; ubi pari ſedulitatis intentione ingenium magis magiſque excolens, primò omnium Linguarum uſu principum, Græcæ, Latinæ, nec minus Poëſeos hauſit opes, & ad amuſſim melioris illius ævi exegit, & perpolivit. Hinc illius jam capax virtutis, quâ olim Romæ Toga Pura dari ſolebat, Anno Milleſimo, Quingenteſimo, Septimo & Nonageſimo in Academiam Juliam conceſſit: ubi cùm in primâ jam limaturâ Philoſophiæ & Medicinæ poſitus eſſet, quadriennii ſpatio ferè elapſo Wittebergam fauſto pede adiit. Nam ut Plantæ interdum, ſi transferantur, felicius ſurgunt; ita Ingenia excelſa plerumque migrant cum fructu de Lyceo in Lyceum.

In his verò Academiis ita verſatus eſt, ut, quod olim in ſacris, & ludis ſolemnibus populo acclamabatur: Hoc Age; ſibi, qui ſacris Muſarum & ludo literario intereſſet, acclamari unicè crediderit, Cùm enim ſe, & ſtudia ſua Divinæ Meditrinæ deſtinaret, noluit peccare quod ferè ſolent, peccatum, maximo ſuo malo, ut illotis manibus ſacratiſſimam illam Artem contrectaret; ſed os prius linguis neceſſariis, pectuſque traditis Artium, & Philoſophiæ ita inſtruxit, (adſit hic teſtimoniorum Cornu, Laurea Magiſterii, Wittebergæ meritò lubenterque ſibi à Concilio Philoſophorum collata; hanc mox ſubſequuta Collegia Philoſophica, cum laude eximiâ ibidem actitata, in quibus incunabula futuri nominis glorioſi, Inſtitutiones Logicas, poſtmodum typis exſcriptas, poſuit, & firmavit:) ut dein meliore auſpicio eminentiſſimam illam Profeſſionem adſectaret, feliciuſque deinceps in eadem verſaretur. Felicius dico, quàm modernorum Iatrices Studioſorum plurimi, & amœniores literas & Philoſophiæ cultum partim pro inutili omninò, neque nebulæ cyatho redimenda curioſitate habentes, quaſi non ſint de pane lucrando, Qui, ubi primùm de Hippocrate, & Galeno, Præceptoribus noſtris communibus, ϗ τις πάνυ, certiores facti ſunt, credunt ſe jam in alium orbem delatos, imò cum ſuperis nectar bibere: mox θεραπείας deſcriptiones varias, in quibus neſcio quos aureos Picorum montes contineri Blenni & Bardi iſti ſomniant, hinc inde corradunt, & ad unguem memoriæ infigunt quas dein, ut & Senis noſtri Aphoriſmos, haud intellectos, fervidè uno ſpiritu citant, & recitant, extemplò Doctoratus Medici βραβεῖον ſitientes, ambientes, imò publicis in theſibus crudo ex judicio & Priſcorum & Neotericorum Præclariſſ. Medicorum ſententias perſtringentes & frigidè taxantes. Quo tandem id efficiunt, ut in immenſo Iatrices illo Oceano miſerè fluctuent, & cum Petroniano piſcatore ſine ſpe prædæ in ſcopulo morentur, inglorianque gloriationem ſuam doctioribus deridendam exponant. Verùm è diverticulo in viam. Cùm in Academia illa Wittebergenſi non tàm Philoſophiæ, quàm Medicinæ ſtudio uſque adeò incumberet, ut difficillima quæque in abſtruſis rerum latibulis, & abſconditis naturæ receſſibus demerſa, curioſa Ingenii acritudine, felici ſenſus perſpicaciâ, ſingulari mentis acie, verſaſſet, Praxeos quoque nomine jam ſatis benè inclaruiſſet, ibidemque ſatis diu manſiſſe ſibi videretur, (Septennium enim ibi fermè exegit:) ad Peregrinationes animum adjiciens ulteriore Praxeos ſtimulo impulſus, Wittebergâ ad peregrinos excucurrit Lares; qui etiam illum ſuperiori in Auſtriâ integrum ferè Biennium ambabus ulnis detinuerunt; nec minus apud Barones, Primates, Nobiles & Plebeios feliciſſimum & innoteſcentiſſimum Medicum Practicum ibidem viderunt, & foverunt.

O felicem Horſtium, qui, quod in rem ſuam, inque Rempublicam & Literariam & Civicam futurum eſſe, acquiſivit, judicium firmavit, atque ita ex varia rerum notitia Praxin ſuam virentem rigare, ei aliquid ipſe addere, famamque ſuam monimentis hiſce literariis per Orbem extendere voluit. Ex hâc itaque peregrinatione id reportavit Noſter, ut felicitate Praxeos velut individi Achatis, latus, excurſionem continuando, utramque Auſtriam, tum Bavariam, Sueviam, Alſatiam, Helvetiam tranſierit, harumque Regionum moribus dextrè obſervatis Genevam, hîc exigua moræ illius animum linguâ Gallicâ expoliverat,) tandemque in pervetuſtam, & celebrem illam Rauracorum Academiam Baſileam ſe reciperet; ubi cum ingens divinæ Artis Pœoniæ ſpatium legitimè emenſus, & ſecundò curſu in portum delatus eſſet, ſummos in eâ honores publico teſtimonio promeruit, retulitque, quos ſanè omnium ſtudia, & affectus jam dudum illi tribuebant.

En Auditores, uberrimum peregrinationis bonis avibus inſtitutæ fructum! alieniſſimum profectò illum, à præſentis ævi Peregrinantium inſtituto, qui, etſi inſanientem Boſphorum, & arentes arenas Aſſyrii Maris tentent, horum tamen morbus, palmaria quæque ridens, nil præter olentes illas Antiquitates indagare ſolet, ubi locorum Apicii Culinæ? ubi Meſſalinæ Fornix? ubi Apollo Luculli? cujas equus Curtius? & quod innutritum quaſi, Vinumvè Falernum Chio ſapidius? & talia tricarum & apinarum alia multa.

Sed

Sed quid inde GREGORIUS noſter *celſioris Numinis compos factus? pergit ille coronâ Medicâ exſplendeſcens in Patriam; ubi Coronationis illius proprio virtutum ſtimulo partæ fulgorem, & mente & manu latius protendere, inque poſteritatem transferre pleno curſu anhelans feſtinat. Quod deſiderium optimè etiam ceſſit. A Nativo enim receptus oſculoque exceptus ſolo, ſimul fuit: fama* Horſtiana *apud Saxones anteparta, novari incipit; Ejuſdem enim anni ſub excurſum; à Sereniſſimo Electore & Duce Saxoniæ* Chriſtiano II. *Wittebergam in Profeſſorum Medicorum numerum allectus eſt; quo in munere ita ſtetit, ut omnes labores Academicos, cum quadam voluptate & alacritate animi ſubiret, penſum ſuum probè accuraret, non modò pro Cathedrâ voce, ſed domi etiam calamo callidè res ſuas exequeretur; cujus rei fidiſſimum pignus, Nobiles illius, de Natura Humana Exercitationes, ibidem primùm publici juris factæ, largiuntur. Hic ſingularis in officio candor, judiciique vigor proſperè ipſi vertit, aureſque hominum & famæ patefecit. Incliti enim Proceres & Nobiles elapſo annuo ſpatio, eum Soltquellam Veteris Marchiæ Brandenburgicæ, Medicum ordinarium expetierunt, quò etiam advolitans, ita præclarè provinciam ſui muneris ſuſtinuit, ut illam non ſubiiſſe, ſed omnibus numeris impleviſſe meritò diceretur. Sed quid fit? Medicus noſter hâc ſuâ ſorte contentus, ex arcanâ cœleſtis providentiæ diſpoſitione, ab* Illuſtriſſimo Haſſiæ Landgravio LUDOVICO (*quem conſentiens famæ calculus Fidelitatis titulo decoravit,*) *non contemnendo ſalario propoſito evocatur, in Academia Ludoviciana Medici Profeſſoris titulò cohoneſtandus. Quod præ illuſtre* LUDOVICI *judicium egregiam meretur laudem, quam &* Noſter, *quia merebatur, accepit, viciſſimque plena manu Conferenti bona ſua reddidit, Academiam Novam & Muſarum & Gratiarum ſuarum uberrimo proventu copioſiorem, illuſtriorem, & clariorem reddendo. Dubium eſſe non poterat, Illuſtriſſimum* LUDOVICUM *pluribus virtutibus inſtar ſideris coruſcare, qui alienas raro exemplo inquireret ultrò, atque ad ſe traheret. Hic ergo* Medicus HORSTIUS *anteactos, & aliquà ſuſpenſos Profeſſorios labores repetens, ampliorem materiam virtutum ſuarum ad poſteritatem tranſmittere: hîc ulterius trophæum de perfecta ſua Jatrices eruditione ſtatuere pergit (Hoc enim à tempore, quà voce, quà calamo, quà privatim, quà pro Cathedra, partes indefeſſi Medici Profeſſoris executus eſt omnes, id operæ ſibi unicè dari credens, ut fidem in officio erga Studioſam Juventutem examuſſim demonſtraret. Quam ipſam etiam adeò feliciter locavit, uti plurimi inſigniores rivuli, medicâ ſcatentes arte, totam in Europam ab ipſo tanquam perenni fonte derivati, atque velut proba materia probum atteſtati ſunt artificem,) Longè ergò diverſus hic à valetudinario illorum Profeſſorum, qui præſentis noſtri ſeculi Studentes neque fide, neque arte adjutos, cum logis fictis ſeſquipedalibus commentitiis, omni virtutum dote vacuos ad Parentes remittunt, modò interim illi hydropicas iſtorum reddiderint crumenas. Porrò* Medicus noſter Profeſſor *de obſcuris perſpicuè, de dubiis accuratè diſſerebat, ſcribebat. Verſantur illius Libri tunc equidem temporis ſcripti, in luce famæ publicæ, qui velut germana pignora, virtutem Authoris ſui teſtantur. Edidit enim Anno* 1609. *accuratiſſimam univerſæ* ἰατρικῆς *elaborationem, locis Galenicis & Hippocraticis illuſtratam (mox inſequenti Anno) perneceſſariam Centuriam problematum* θεραπευτικῶν; *his acceſſit An.* 1612. *nervoſa* ἐξέτασις παθολογική: *Libri item duo de Natura humana, denuò incudi redditi, quibus ut & aliis, paulò poſt recenſendis, monumentis ad unguem factis, non tam Rem literariam, quàm Publicum, optimum ſibi maximè obligavit. Unum quippe hoc dies noctesque intendit, ut Medicinam agendo, docendo, altioris famæ faſtigium ſolidius conſtitueret. Unde ut publicum lumen mundi Sol, cum recenti manè radiis ſuis promicat, eorum luce anguſtiſſimas quaſque rimas trajicit: Ita* Horſtiani *luminis fulgor non ad inferiores duntaxat, ſed & intra laqueata Principum tecta lucis ſuæ radios immiſit: qui cùm in oculos quoque Illuſtriſſimi* LUDOVICI *incurrerent, eum etiam non ſine locuplete honoratæ virtutis puncto, Archiatrum ſuum Princeps Celſiſſimus conſtituit. Quantâ porrò apud Sereniſſima Heſſorum lumina aliosque Magnates, Satrapas, & Nobiles (qui omnes & ſinguli à conſiliis ipſius medicis pendebant,) gratiâ polluerit, ex conferto numero illuſtrium & nobilium Curarum (quarum recenſio Librum requireret, nedum horæ unius anguſtiam, cujus ego cancellis arctiſſimè ſum circumſeptus,) ex Itineribus item illuſtribus, Pragam, Coloniam, Erphordiam, ad Comitia Ratiſbonenſia, quo laudatiſſimus modò dictus* LUDOVICUS *conceſſit, publicâ in operâ inſtitutis, ubi tam Medicus, quàm gratioſus & acceptatus comes fuit, liquidum exiſtit. Non dicam jam de Numiſmatibus gratioſis variis, à Principibus & Magnatibus ipſi oblatis; quæ non niſi in bene merentes & gratioſos transferri novimus.*

Verum enim verò publicis hoc modo feliciter procuratis, Archiatro Noſtro Haſſiaco ſolitariæ vitæ pertæſo, ſibi privato quoque invigilare curatio fuit. Igitur vel tandem animum ad conjugium adpulit; exemploque ſuo vetus illud Euripidis comprobavit; Fatalem viro fœminæque torum eſſe. Itaque ex Academia cujus jam per quinquennium Profeſſor erat, ſibi Conjugem elegit. Nimirum & morum & virtutum & formæ ornamentis conſpicuam, lectiſſimamque Virginem, Hedwigen, *Viri integritatis famâ præcellentiſſimi,* Danielis Stammii *p. m. Quæſtoris Gieſſenſis, Filiam: quod factum Anno* 1615. *d. Decemb.* 4. *quo ipſo die ante annos ſexaginta octo mortalitatem explevit, Johan. Schneidwein, fulgentiſſimum illud Juriſprudentiæ Sidus. Huic optimæ conſorti ſuæ, dum fata Deuſque ſinebant, ex veteri formula feliciſſimè convixit, & optimè cohabitavit. Quid autem hic Archiater noſter glorioſus, conceſſit ne illorum in numerum, qui blandâ venere detenti, omnem Muſis remittunt nuntium? Nullatenus, ſed potiùs domeſticis, privatiſque omnibus ſcitè adornatis, famâ ſuæ gloriam & calamo, & ore, & Praxi expandere, & diffundere ſategit.*

Qui circa naturæ arcana occupantur, tradunt, non retibus, aut venabulis, ſed ſpeculo duntaxat Tigrides capi; quæ ita in medio viarum eriguntur, ut oriens ex adverſo Sol; ſuos in ea radios projiciendo, alterum velut Solem producat. Ad hæc ſpecula cùm maculoſæ iſtæ adrepunt feræ, in iiſque Solem alium, & ſeipſas juxtà intuentur, quaſi illaqueatæ ſubſiſtunt, nulloque negotio capiuntur. Non abſimili modo ſtudioſam juventutem medica in via deerrantem, laqueis medico rore madefactis irretire voluit Archiater, noſter ille Venator ſcitiſſimus: cui Philoſophiæ & Diis genitæ artis Machaoniæ ſpeculum, ex magno Scriptorum ſuorum proventu concinnatum; perſpectum dico Tractatum de tuenda ſanitate ſtudioſorum & literatorum, ſæpius recuſum objecit, qui non modo tironibus, ſed & doctioribus provectioribuſque viris apprimè ſaluti & voluptati eſſe poterit. Exquiſitas præterea Ungaricæ luis, Dyſenteriæ, Variolarum & Morbillorum enodationes. Libellum de Scorbuto germanico idiomate ſcriptum. Conciliatoris porrò eruditam enucleationem.

Diſſertationes item inſigniores Tres, de cauſis ſimilitudinis & diſſimilitudinis in fœtu: de Natura Amoris: de Natura Thermarum. Sic, inquam, ſtudioſæ Juventuti ſpeculum hoc eruditum, nec minus paulò ante enumerata monumenta literaria, oppoſuit: in quo ſalutaris Iatrices illa ſolem, atque adeò ſeipſam per avia deerrantem contemplaretur: tum profectò è veſtigio ſubſtitit velut incantata, nec minus impolitam mentem omni melliſluo ſucco inde emanante irrigavit, ſuoque captatori victas & gratioſas manus porrexit. Cur igitur noſtrum conſummatæ eruditionis Profeſſorem Medicum hoc nomine non admiremur? qui quos habebat dogmaticorum Conſiliorum theſauros, tantâ fidelitate & dexteritate depromſit, idque negotii unicè ſibi dari credidit, ne quid his in dictis litterariis loqueretur quod tacere, aut quid taceret, quod loqui præſtaret: Ludovicianam autem Academiam ita excultam redderet, ut publici boni ratio haberetur, nec Placentiam potius quam Veronam Studioſos ducere videretur.

Ex his itaque videmus, quam ſatis amplum gloriæ ſuæ theatrum HORSTIUS noſter apud Heſſos exſtruxerit, cujus rumor cùm & ad hanc noſtram Rempublicam Ulmanam, præcipuè ex ore venerandi Domini mei Parentis delatus eſſet, factum eſt divinitus, ut Ampliſſimus Magiſtratus noſter, ab Illuſtriſſimo Haſſiæ Landgravio LUDOVICO, Archiatrum Haſſiacum ſollicitaret in Ulmicum, quæ ſollicitatio etiam ad nutum cedens, & Horſtio, & Reipublicæ noſtræ honoratiſſima, & utiliſſima extitit. Quandoquidem ipſiſſimo tùm temporis eoque ſevero Martis in tumultu, Excubiis Angelicis, promotione item Reverendiſſimorum Principum, Abbatis Fuldenſis, & Epiſcopi Herbipolenſis (quibus utriſque erat à Conſiliis Medicis) adjutus Noribergam, hinc pridie Calendarum Julij Ulmam noſtram tam publico Magiſtratus, quàm privatorum cultu exceptus, feliciter cum ſuis appulit Archiater noſter.

Hæc eſt illa dies albo ſignanda lapillo!

Hæc dies, O Ulma, Perfectiſſimum, & admiraculum uſque doctum tibi attulit Medicum. Quid enim? antea quidem admirabaris Fuchſium, Rabus, Kuchelium, Verbezium, alioſque tùm florentes, nunc Horſtium ſatis demirari nequis, ſed attonita naturæ miraculum, & divinæ bonitatis argumentum deoſcularis.

Attigit jam oratio mea illud tempus, quo Magnificus noſter Archiater virtutis ſuæ glorioſæ aliud Trophæum nactus, agere partes ſuas pro authoritate, & eas naturæ dotes, quas glorioſè in Haſſiâ effuderat, in lucem conſpectumque Reipublicæ Ulmanæ proferre paulatim cœpit: ubi tanta mihi dicendi ſeges, & materia enaſcitur, ut vix meditando diſpicere poſſim, quid primùm, quid poſtremùm dicendum eſſe videatur. Quæ res tamen orationis curſum non ſufflaminabit, ſed quomodo & hic decurrerit, pauciſſimis porrò proſequemur. Vos, quæſo, nihil remittite de aurâ veſtræ benevolentiæ.

Tria à Sapientibus requiruntur in eo, qui circa Medicinam verſatur, quæ qui habet, hoc nec major, nec nobilior, nec perfectior Medicus eſſe poteſt. Sunt autem Ea Virtus, Doctrina, Felicitas in Praxi; quæ ſingula cùm in aliis diviſa inveniantur, eadem Archiater Noſter univerſa poſſedit. Ex univerſo autem Virtutum choro nulla eſt comparanda cum animi verâ & orthodoxâ pietate; quam & noſter ille à Parentibus acceptam, per omnem vitæ Spiritum, non ſolum Chariſſimam, arctiſſimamque incorruptâ mente & voce cuſtodiit: ſed eandem pari fide & induſtriâ, æquabilique vitæ tenore comprobatam dedit, ut proin hujus verè Lemniſcatam, ut Tullius ait, palmam habuerit. Ex hac ut principe cùm omnes cæteræ virtutes Sororio quodam vinculo erumpant, illarum age! pompam in brevi contemplemur, in illas non nil & inquiramus. Viris in Medicis palmarem obtinet laudem Humanitas, quæ ut nonnunquam rara, ita præ reliquis clara meritò habetur. Hâc virtute Noſter valdè eximius fuit: atque ab eadem profectò nunquam exorbitavit, ſed eam ubique expeditam habuit, promtam oſtendit; reapſe exercuit. Neminem ille ſermone, neminem congreſſu excluſit. Neminem non amabiliter exceptum lubentiorem reddidit, neminem non bona ſpe perfudit, neminem à ſe ſalutarium conſiliorum expertem dimiſit. Quo ipſo non modò totam Civitatem noſtram, ſed imò Ileram, Lacum Acronicum, Lycum, totum ferè Danubii tractum, Franconiam, Ducatum Würtembergicum, &c. ſua ad Conſilia Medica allexit: quod ipſum antehac, hactenuſque ſæpius commeans remeanſque Conſultantium Turma, nulli non notiſſima, comprobatum dedit; ubi promiſcuè omnes prothymè admittens, & ædes & animum ſuum, conſiliorumque lætificorum verè theſaurum illis largiter aperuit. Hinc etiam factum, ut ab omnium Ordinum choro ſingulari hâc ſuâ affabilitate excultus, ſummâ in exiſtimatione haberetur. Humanitatem hanc ut propriam noſter habuit, ita candorem animi in primore fronte gerebat, quem moribus cum maturitate ſuavibus, cum ſerietate amœnis egregiè miſcuerat. Candorem dico non Calliditatem: quâ pars mortalium multò maxima, ſub perſonâ civilis prudentiæ frontem aperit, mentem tegit: Ut vitiis nunc ſæpiſſimè faveamus, & in virtutum nomen, quæ proximæ illis ſunt, adoptemus. Sic temeritas interdum pro fortitudine colitur, & ſuperbiam erectæ viriliſque indolis titulo admiſcemus, tranſitque fœda humilitatis ingenium in humanitatis colorem. Utque margaritarum ſplendorem vitrum ſolerter imitari ſolet; ita ingenuitati admodum affinem ſe aliquando præbet ſimulatio. Quas artes etſi hæc labes temporum ut ſublimibus natu dignas æſtimat, noſter tamen ut fores Plutonias averſabatur. Hanc animi integritatem pulcherrimè exornavit veræ gloriæ ſeges, Modeſtia. Cum enim nonnunquam fieri ſoleat, ut, quemadmodum egreſſa ad Solem corpora umbrarum ſequitur opacitas, oſtentationis periculum eruditionis conſcientiæ adhæreat, quod vitium Tinea Sapientiæ appellatur: ſanè Archiater noſter illud non declinavit ſolùm, ſed raro exemplo ab ambitione, quæ ſuprema homini tunica noviſſimè exuitur, liber agebat. Nimirum hoc ingenuitatis, hoc modeſtiæ eſt, à pudore ſic deprimi, ut cùm plurimis præſtes, nulli te anteponas. Ex hac matre ſoboles naſcitur venuſtiſſima & amabiliſſima Manſuetudo: quam in eo virtutem adhuc hodie commendare illi ſciunt, quos inter amaræ prælia linguæ nonnunquam ſuborta ipſe arbiter ſcitiſſimè diſcrupit, & ſopivit. Collegium inſuper Medicum ex obitu ipſius tantùm non deſideratum ſe profitetur, cui in Directoris Officio, omni comitate & dexteritate præfuit. In Collegas ſcilicet dum vixit, vixit humanus, in alios facilis & benignus, ſic lenis ut non videretur gravis, ſic gravis ut non abiret in moroſum.

Venio ad alterum Medici requiſitum, quod Doctrinam eſſe dixi, quæ quin ſingularis, quin amuſſitata, quin admiranda in Defuncto noſtro Archiatro fuerit, niſi me animus fallit, aut non dubitatis ipſi, aut ego vobis jam probavi. Unde enim tot utilitatum eximiarum Rivuli, niſi à ſolidæ Eruditionis fonte? Iſtam igitur partem ampliùs non delibarem, ni adhuc uberior Scriptorum Horſtianorum Ulmæ hic editorum fœtus, haud oblivionis in campo

po detinendus, animum laceſſeret, nimirum Obſervationum Medicinalium Libri duo: Obſervationum item Pharmaceuticarum utilis Decas: At jam paulò ante obitum Problematum Medicorum θεραπευτικὰ *recocta, cum annexo medicinalium conſultationum accurato libro, ut & acceſſorium poſthumum opus Phyſicum, Numinis alicujus cultu, quà Praxin, quà Theoriam expolitus.*

Sed ad tertium, quod haud omnibus perinde obvenit, ſermonis mei vela dirigo, Felicitatem in Praxi. *Ea eſt Empiricorum, Thalmudicorum & Bullatorum Medicorum indoles & natura, ut mucoſam ſuam praxin pro admiranda felicitate venditantes, ſæpiſſimè animos Magnatum & Divitum (utpote hoc cenſu facile ſe defraudari patientium) à vero Medicorum vultu, & cultu abalienent, egregiam ſpem, & verè prodigioſæ ſuæ curæ (quippe illâ ipſâ excidium denunciant) expectationem concitando: quâ ſuperſtitioſâ, ſplendidiſque ſtrophis ſuffultâ infeliciſſimâ felicitate Microcoſmum argento ſimul, & ſanguine emungere ſceleratiſſimè norunt: quibus Plagiariis interim illud Poëtæ apprimè adaptari convenit,*

Es Medicus, ſimul Chirurgus,
Cur? mittis ſtygiam viros ad Orcum;
Et manu ſimul, & ſimul veneno:

Nequaquam autem hujuſmodi felicitatis exceſſum in Defuncto noſtro, *velut abſoluto Practici Exemplo, quæremus: quin potius fortunam illius in Praxi integram & illibatam, cumulatiſſimo rationis & experientiæ inſtructu partam demirabimur: quandoquidem in forum practicum progreſſus, primùm notis ſuis, Affectu, Affecti temperie probè cognitis, prognoſeos ex fonte prudenter de eventu ſtatuit, tempeſtivè convenientia egit, remque ſic totam geſſit, ne quid committeret, quod officio boni Medici repugnare, cujusque non potiſſimum rationem dare poſſit domeſtico ſuo cenſori, & animæ pædagogo, conſcientiæ. Hinc Accuratiſſimus hic & aurariâ quaſi trutinâ ponderatus Praxeos Anteceſſor,* Archiatrum noſtrum *non tantum ad arcem felicitatis practicæ evexit, atque in perpetuo illius curſu retinuit, verum etiam illam ipſi ſubjugavit, imo ipſam uſque ad ſandapilam individuo comitatu ſequutus eſt: qua de re cùm ex innumerorum affectuum deploratorum, inveteratorum, deſperatorum feliciſſimâ* Horſtianâ *curâ, nullibi non notâ, locupletiſſimè æſtimari liceat, diutius hic non morabor: ni adhuc paucis multa dicam.* Archiatrum noſtrum *apud nos tanquam aliquem victorem, imo alterum Alcidem in hac arenâ ab omnibus habitum fuiſſe. Pediſſequum illius, Conſilia Medica, quorum frequens ille & ſingulare diribitorium fuit, ſi excutere velimus: ita dilucidè, ita ſapienter atque ornatè dixit, ſcripſitque, ut illa multis ac mirabilibus ſapientiæ luminibus & aptiſſimis rerum coloribus, ſecretioris diviniorisque Medicinæ theſauris longè lateque illuſtraret, quaſique ex Delphici Oraculi reſponſis; aut cujuſpiam alterius divi numinis afflatu, rem egiſſe, omnium judicio videretur: propterea, illum in conſultandi munere, in auxiliorum delectu, in Morborum occurſu plurimis aliis præſtitiſſe meritò exiſtimabimus. Hunc publicæ felicitatis Solem, nullæ domeſticæ nubes, ſive eas diſcordia, ſive ſterilitas inducere ſolet, obſcurarunt. Ex lectiſſima enim Conjuge ſuperius dictâ, quatuor Filios, duos Heſſos tot idem Suevos: & duas Filias, unam Gieſſæ, alteram hic Ulmæ, omnes adhuc ſuperſtites, ſuſcepit. Quando autem factum ut Anno* 1634. *ſuaviſſimam hanc ipſius tori ſociam maligna febris deartuaret, in hoc infelix fuit, quod ſævam illam declinare neſciens; menſe Novembri miſeram viduitatem colere fuerit coactus: in quâ cum ſex Liberorum Pater & occupatiſſimo functionis muneri & moleſtiſſimæ rei familiaris curæ vix non ſuccumberet, divinâ adlucente gratiâ, ad vota ſecunda accedens, Præclariſſimi Medici* Fingerlini *p. m. relictæ viduæ matrimonialem addixit fidem, hoc ipſo iterum titulo felicitatis privatæ redonatus, quod hæc caſtiſſimis illius amoribus mirâ morum amabilitate reſpondebat: ita ut charitate Conjugem, ſedulitate Miniſtram præſtaret: aſſiduè cum votis ſuis luctata, ut viri vota officiis & obſequii alacritate præverteret; ac jugi quodam ſinceri affectus certamine pacem & concordiam domus firmaret: quam mentem ab accenſa nuptiali face ad funebrem uſque tædam, ſartam illibatamque perduxit.*

Devenio tandem, quò me vocari ſentio, eheu ad lectulum Archiatri noſtri, in quo ſe ad decretoriam illam & æternitatis Iudicem horam compoſuit: cùm vitam illius, dum vivere ſibi videtur, mors per anteambulonem ſuum aggreditur morbum. Prælapſo enim Menſis Iulii d. 16. *Gonagrâ, (quam nefandam ſævitiem multò ante ſæpius fortiter ſuſtinendo repulerat) infeſtari cœpit: cujus materia peccans, per Exteriora membra, ex paulò antegreſſo Balnei uſu roborata, exitu fruſtrata, ad interiora aufugit viſcera, ſtatim Anorexiam excitando; quæ initio quàmvis levior, illius tamen, ut & acrioris faſtidii ad quidlibet, minimum etiam Medicamenti vim habens, accedentis, diuturnior mora, virium vacillationem inducere viſa eſt. Hanc cum ipſe, Prognoſeos alter Parens, identidem creſcere animadverteret, aliquoties ſpontaneus denunciator proprii fati auditus fuit; quia propter etiam omnes ſortes ſuas in ſinum Domini effundens, eò cogitatione ſanctâ induxit Animam, ut illa divinis epulis ante omnia reficeretur, quibus etſi non ità pridem ante decubitum, in facie Eccleſiæ, in cœtu inſpectantis populi, uſus fuiſſet, denuò tamen in vulnera Servatoris* JESU *reclinatus, divinæ gratiæ efficaciſſimum ſigillum, animo confeſſione expiato, in Dominica Cœna accepit. Quo à tempore, Natura cum Neutrum dictorum Malorum profugare ſufficeret, quandoquidem modò dicta extrema nauſea omnem* θεραπείας, *nutrimentique uſum ſuſpendebat) imò planè nova lethiferaque adverſitatis ſpicula,* Inſomnes noctes, dolor Nephriticus, Hæmorrhagia, & per Nares & per veſicam conferta, *advolitarent, infirmitas jam imperium nacta; omnem ſpem vitæ, & Ægrotanti & Medicis præcidebat. Quid verò tum, ille noſter, cùm morti admodum propinquus? Hic virum oſtendere poſſumus, ubi magni alias viri infantiliter tremuerunt; ubi plerique inter mortis metum & vitæ tormenta miſeri fluctuant, pauci illam horam placidè expectant, cujus metus omnes alias inquietas facit: pauciſſimi æquo animo animam deponunt, & ita è vitâ exeunt, tanquam modò intraſſent. Ergo adverſus Ultimum illum agona compoſitus, totus in* Deum *revolutus, nil jam ulterius, niſi immerſam illam in ſereniſſimo ſempiternæ tranquillitatis portu futuram poſſeſſionem flammeâ meditabatur fide: quâ &* Deum *precatus, ſibi lethiferis in luctibus verſanti ad extremum uſque vitæ halitum quietam & intelligentem ad Divina mentem daret. Sui amor & permanendi conſervandique ſe inſita voluntas, atque difficultas diſſolutionis; quia videtur multa nobis bona eripere, & ex hâc, cui adſuevimus re-*

rum copia educere, nequaquam à Deſideratiſſimo æternitatis ambitu illum abſterruerunt. Quin potius in inſuperabili loco illius ſtat animus, qui externis valedicens, ante omnia Dei *cultum avito teſtamento ſibi commendatum Liberis ſuis precetur hæreditarium. Quique* Deum *ſuum complexus, in ſinu ſummi amoris quietus, ſanguine Divino rigatus, Solatore Spiritu plenus, ritè ab omnibus vitæ inquinamentis piatus, eâ fronte mortem hujuſque noviter in ſe projectâ telâ excipiat, ut inter exitura jam jam, & ad ſuam libertatem properantis animæ contentionem ſibi æternitatem deſtinaret: ſubvectam è terrenis animam & ſuo jam fonti penè refuſam æternitati ſubmittat; quam etiam à cœlitibus ſibi porrectam gratioſiſſimo animæ vidit lumine. Quant â fiduciâ abritramini, Archiatrum cùm morte congreſſum fuiſſe: qui nondum omni certamine defunctus ſibi ipſi æternitatis præmium præſtinavit. O ſi daretur nobis ſpectandus illius animus in agone mortis poſitus, in quo nexus* Deo, *ſuperior morte, exitui proximus Salutis aſylum acquirit. Videremus hoſpitem ſancto* Dei *Spiritu plenum: Perciperemus ſanctiſſima deſideria, quæ digreſſurus ab inquieto hoc orbe pro ejus ſalute remittit. Videremus mentem in mortalitatis & æternitatis confinio poſitam, &* Deo *ſe plena fide Præſentaturam. Nihil vulgare, nihil vile, nihil ad humanas ſordes recidivum, ſed omnia ſumma, æterna, divina præberentur delibanda.*

Sic igitur natum, ſic virtutibus conſpicuum, ſic doctrinâ Clarum, ſic fortunatum vidimus Magnificum noſtrum Archiatrum, Medicum hoc ævo facilè Principem, qui d. 9. Menſis Auguſti ſpiritum ſuum ad quinquaginta octo annos in hoc corporis diverſorio tanquam præſtantiſſimum hoſpitem commoratum, Deo *Creatori leniter transmiſit. Qui etſi obitu ſuo non parvam & noſtræ Reipublicæ, & toti foro Medico intulit ſtragem; ſatius tamen eſt illius bono immortali lætari, quàm rebus exemptum humanis, nil profuturis lachrymis deplorare. Quin potius, quibus multa reliquit, quæ collaudemus: innumera quæ imitemur, dotes ejus, quibus Ulmenſes laborantes ſæpe erexit, gratâ recordatione proſequamur: nec committamus, ut cujus ſuperſtitis honori, boni omnes favebant, de illius jam defuncti gloria in poſterum aliquid decerpatur. Attribuamus igitur meritò Defuncto noſtro Archiatro, Plinii illud in Scipionis exequiis uſurpatum:* Ite, celebrate exequias: nunquam majoris Viri funus videbitis. *Aut, ſi fortè invidioſum hoc videbitur, ſaltem hanc ejus memoriam ſervare, & audire liceat, cum æterno elogio.* Fuiſſe in hâc noſtrâ Republicâ Ulmenſi Medicum Archiatrum, quem qui cognoverunt, non potuerunt ſatis æſtimare; qui non æſtimarunt, nunquam ſatis cognoverunt.

IN EFFIGIEM

GREGORII HORSTII

Torgenſis,

Philoſ. & Medic. D. Archiatri Haſſiaci, & Reipubl. Ulmenſis Phyſici Primarii.

HORSTIUS hîc frontis, quantum pote, monſtrat honorem,
Orbe modò geſtis Cognitus, atque libris.
Nil fermè ſupereſt quod perdas, Patria. Sed vos
Manes, Divorum, Suſpicitote, manus!

Mœſtiter-habens poneb. deb.

M. J. B. Hebenſtreit,
P. & P. P.

De eô extant

Opera Medica. Norimbergæ, ap. Johan. Andr. & Wolffgang. Jun. Endteri Hæredes, 1660. in fol. Goudæ, apud Guilielmum, Van der Hoëvé, 1661. in 4. Tomis tribus.

Continet autem primus

Inſtitutiones Medicas, & reliqua ſcripta Theorica hùc ſpectantia, nempè Libros duos de Naturâ humanâ; Exercitationem ſingularem de Naturâ motûs Animalis & Voluntarii; Σκέψιν de Naturali conſervatione cadaverum; Librum de Morbis, eorumque cauſis; Methodum medendi Fernelianam enucleatam; Librum primum de Tuenda ſanitate Studioſorum; Exercitationes Pharmaceuticas, & Diſſertationes quatuor; 1. de Anatomiâ vitali & mortuâ; 2. de Naturâ Amoris; 3. de Naturâ Thermarum; 4. de Cauſis ſimilitudinis & diſſimilitudinis in fœtû, reſpectû Parentum.

Secundus

Obſervationes & Epiſtol. Medicinales in ordinem redactas & auctas.

Tertius

Centuriam Problematum Medicorum Therapeuticῶν, Diſputationes de Febribus; Prognoſin Febrium continuarum & malignarum, juxta textum Hippocraticum in principiô Coacarum Prænotionum; Librum ſecundum de Tuendâ ſanitate Studioſorum; Conſilium de Dyſenteriâ; Angeli Salæ Tractatum de Peſte, Gallicè conſcriptum & ab Authore pòſt Latinitate donatum; Herbarium Horſtianum; Inſtitutiones Phyſicas; Horſtiadem ſeu Familiæ Horſtianæ Deſcriptionem; & Orationem Funebrem, quâ Autori parentavit Joh. Daniel Dietericus.

Omnes cum locupletiſſimo Indice, Diſputationum ſcilicèt, Quæſtionum, Authorum, Capitum, Rerumque & Verborum magis notabilium.

Separatim autem extant

Herbarium Horſtianum, ſeu, de Selectis Plantis, & Radicibus Libri duo, olim Medicinæ Candidatis in Academiâ Juliâ An. 1687. à Celeberr. Dom. D. Jacobô Horſtiô p. m. propoſiti, in compendium redacti pluribuſque ſimplicibus enumeratis ac declaratis aucti, ſuiſque Auditoribus ante multos annos in Academiâ communicati. Acceſſit Dn. D. Jacobi Horſtii opuſculum de Vite vinifera. Marpurgi, apud Caſp. Chemlinum, 1630. in 8.

Decas Pharmaceuticarum Exercitationum. In quâ de ſimplicium & compoſitorum Medicamentorum naturâ necnon eorundem Præparatione tam Galenicâ, quàm Spagyricâ, dextrôque uſû, compendioſè tractatur. Additis totidem caſibus ſpecialibus. In gratiam Studioſæ Juventutis conſcripta, & in Academiâ Gieſſenâ propoſita. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1611. in 8. Extat etiam cum ejuſdem Authoris Obſervationum Medicinalium ſingularium Libris IV. prioribus. Ulmæ Suevorum, apud Jonam Saurium, 1618. in 4. Ibid. ap. eundem 1628. in 4.

Centuria Problematum Medicorum Θεραπευτικῶν, continens graviſſimorum affectuum cognitionem & curationem juxta principia Hippocratica, Galenica & Hermetica deductam. Noribergæ, apud Wolffgangum Endter 1635. in 4. apud Ulmanum, 1636. in 4. Editio nova multis additionibus aucta. Cui etiam acceſſit Conſultationum & Epiſtolarum Medicinalium de Re Medicâ variâ, Liber tertius. Wittebergæ, apud Clementem Bergerum, 1610. in 8.

De Tuendâ Sanitate. Addita ſunt ſelecta remedia ad pleroſque morbos, quibus ille uſus eſt, operâ I. D. Horſtii. Marpurgi, apud Hæredes Chemlini, 1648. in 12.

De Tuendâ Sanitate ſtudioſorum, & litteratorum, Libri duo. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1615. in 4. Ibidem, apud eundem, eôdem annô, & 1617. in 12. Marpurgi, typis Cheratinis, 1628. in 8. Ibid. 1648. in 12.

De Naturâ Humanâ, Libri duo; quorum prior de corporis ſtructurâ, poſterior de Animâ tractat, ultimò elaborati, Commentariis aucti, figuriſque novis Anatomicis ære inciſis exornati. Cum Præfatione de Anatomia vitali & mortuâ &c. Francof. apud Eraſmnm Kempferum, 1612. in 4. Wittebergæ, apud Bergerum, 1607. in 8.

Anatome Corporis humani menſe Octobri 1617. inſtituta, memoriæ causâ in gratiam Dnn. Spectatorum Tabulâ comprehenſa & ad Librum Primum de Naturâ hominis accommodata; Gieſſæ, 1617. in fol.

De Cauſis ſimilitudinis & diſſimilitudinis in fœtû, reſpectû Parentum, &c. Cui annexa eſt Reſolutio quæſtionis de diversô partûs tempore; imprimiſque quid de ſeptimeſtri & octimeſtri Partû ſentiendum. Gieſſæ, apud Caſpar. Chemlinum, 1619. in 4.

Medicarum inſtitutionum compendium, Diſputationibus univerſæ medicinæ delineationem, locis Hipp. & Galenicis utplurimùm illuſtratam continens. Acceſſerunt Jacobi Horſtii Diſputationes Theoreticæ & Practicæ. Wittebergæ, apud Clem. Bergerum, 1609. cum Methodô medendi Fernelianâ, 1630. in 8.

Fundamenta Medicinæ. Cum Diſputationibus D. Jacobi Horſtii, & Methodo medendi Fernelii enucleatâ. Wittebergæ, apud Andr. Hartmannum, 1654. in 8.

De Naturâ Thermarum Diſſertatio. Gieſſæ, 1618. in 4.

Febrium continuarum & malignarum Prognoſis, juxta textum Hippocraticum, in principiô Coac. Prænot. cum breviſſimis ad eundem notis. Gieſſæ, apud Nicol. Hampelium, 1622. in 4.

Inſtitutionum Phyſicarum Lib. II. Norimbergæ, ap. Wolffgang. Endterum, 1637. in 4.

De Naturâ motûs Animalis & Voluntarii Exercitatio ſingularis, ex principiis Phyſicis, Medicis, Geometricis, & Architectonicis deducta. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1617. in 4.

Diſſertatio de Naturâ Amoris, additis reſolutionibus de Curâ furoris amatorii; de Philtris, atque de Pulsû Amantium. Gieſſæ, ap. Caſp. Chemlinum, 1611. in 4.

Diſſertationes tres, de Naturâ Amoris, Thermarum, & Cauſis ſimilitudinis ac diſſimilitudinis in Fœtû, reſpectû Parentum: Quibus annexæ ſunt Reſolutiones illuſtrium quarumdam quæſtionum Medicarum. Marpurgi, apud Caſparem Chemlinum, 1642. in 4.

Σκέψις de naturali conſervatione & cruentatione cadaverum; ubi ex casû quôdam admirandô & ſingulari duo problemata deducuntur. Additâ exercitatione de ſommô & ſomniis. Wittebergæ, 1606. in 8. apud Clem. Bergerum, 1608. in 8.

Conciliator enucleatus, ſeu, Differentiarum Philoſophicarũ & Medicarum Petri Apponenſis compendium. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1615. in 4. Ibid. apud eundem, 1621. in 8.

Ἐξέτασιν παθολογικῶν de Morbis, eorumque cauſis, Liber. Cum Declaratione controverſiarum, in gratiam ſtudioſæ Juventutis in Academiâ Gieſſenâ, per ſemeſtre vernale 1612 propoſitus. Gieſſæ, apud. Caſp. Chemlinum, 1612. in 4. Marpurgi, apud eundem, 1629. in 8. Huic editioni acceſſerunt ejuſdem de febribus cognoſcendis & curandis Exercitationes.

Methodus Medendi Ferneliana enucleata, & Controverſiarum Deciſionibus illuſtrata. Wittebergæ, ap. Bergerum, 1630. in 8.

Prognoſis Febrium potiſſimùm continuarum & malignarum. Gieſſæ, apud Hampelium, 1622. in 4.

Diſputationes Medicæ viginti, continentes univerſæ Medicinæ delineationem. Acceſſere Jacobi Horſtii Diſputationes Catholicæ de rebus ſecundum & præter naturam. Wittebergæ, 1609. in 8.

Tractatus de Scorbutô, ſeu, de Magnis, Hipp. Lienibus, Pliniique ſtomacace ac ſcelotyrbe, in Acad. Gieſſenâ duabus Exercitationibus publicis in gratiam diſcentium propoſitus. Gieſſæ, apud Nicol. Hampelium, 1609. in 4. Ibidem, 1615. in 8.

Obſervationum Medicinalium ſingularium Libri quatuor priores, I. de Febribus, II. de Morbis capitis, III. de Morbis pectoris, IV. de Morbis viſcerum concoctionis. His acceſſit Epiſtolarum & Conſultationum Medicarum à Clariſſ. Germaniæ Medicis potiſſimùm, & aliis communicatarũ, Liber primus. Editio nova. Cui addita eſt Auctuarii locô Pharmaceuticarum Exercitationum Decas. Ulmæ, apud Johannem Saurium, 1628. in 4. Noribergæ, 1652. in 4.

Obſervationum Medicinalium ſingularium, Libri quatuor poſteriores. I. de Morbis Mulierum. II. de Morbis Contagioſis & Malignis, III. de Doloribus partium externarum, IV. de Chirurgicis quibuſdam caſibus. His acceſſit Epiſtolarum & Conſultationum Medicinalium, à Clariſſ. Germaniæ Medicis potiſſimùm, & aliis cum Autore communicatarum Liber ſecundus. Ulmæ, apud Joh. Saurium, 1628. in 4. Noribergæ, apud Wolffgangum Endterum, 1637. in 4. Francofurti, 1665. in 4.

Complementum ad Librum ſecundum Epiſtolarum & Conſultationum Medicinalium; continens IX. ſuperſtites ſectiones, in primâ editione omiſſas. Ulmæ, apud Henr. Eberkum, 1631. in 4. Heilbornæ 1631. in 4.

De Naturâ Thermarum &c. Cui annexa eſt Reſolutio quæſtionis de modô, quô mineralium virtutes aquis ſubterraneis communicantur. Gieſſæ, apud Caſp. Chemlinum, 1618. in 4.

Epiſtolæ quædam Medicæ. Extant cum Ciſtâ Medicâ Johan. Hornungi, Noribergæ, ap. Simonem Halbmayerum, 1625. in 4.

Epiſtola de Abusû Turundarum poſt extractionem calculi. Extat cum Lithotomiâ Veſicæ Guil. Fabr. Hildani. Baſileæ, apud Ludov. Konig. 1628. in 4.

Obſervatio de Juvene XV. annorum qui dormiens è lectô ſurgit, ambulat, ac tandem per feneſtram è cubiculo tertiæ contignationis domûs altioris ad altitudinem XIV. ulnarum decidit, ſed juvante divinâ gratiâ priſtinæ ſanitati reſtituitur, & à gravibus ſymptomatis liberatur. Extat cum Guil. Fabr. Hildani Obſerv. Chirurgic. Cent. II. Genevæ, apud Petrum Chcüet, 1611. in 8. p. 336.

De Vulnere pectoris cum pulmonis læſione, Obſervatio. Extat cum ejuſdem Obſerv. Cent. III. Oppenheimi, apud Johan. Theod. de Bry, 1614. in 8. pag. 161.

De Urinâ per vomitum, itemque per alvum rejectâ, Obſervationes. Extant Cent. V. earumdem Obſerv. Francof. apud Matth. Merianum, 1627. in 4. p. 147.

De Pilorum in internis Partibus generatione & affectû Pilari Puerorum, Epiſtola. Extat ibidem p. 163.

De Acidulis Schwalbacenſibus Epiſtola. Extat cum Reſponſis Medicis, quæ Helvicus Dietericus edidit. Francof. apud Matthæum Merianum 1631. in 4. pag. 25.

Verſio, ex Gallicô Latina Tractatûs de Peſte Angeli Salæ. Marpurgi, ap. Caſp. Chemlinum 1641. in 4.

Marcellum Donatum notis illuſtravit & integrô recentiorum Obſervationum Librô ſeptimô completum edidit. Francofurti, apud Joh. Martin. Porſtium, 1613. in 8. Ibid. apud eundem, 1664. in 8. Hæc editio præterea æneis Tabulis & variorum à faſcinô ortorum morborum enarratione & curatione aucta eſt ab eodem Gregor. Horſtio.

HORSTIUS (*Gregorius, prioris nepos*) Ulmenſis. Obiit Taurini, die 19. Februar. 1679. ætat. annô 27.

Ex eô habentur

Diſſertatio inauguralis de Maniâ. Giſſæ, 1677. 4.

De Linguæ ſtatû naturali & præternaturali. Altdorffi, 1677. 4.

Specimen Anatomiæ Practicæ in Academiâ Gieſſenâ aliquot Philiatris exhibitum; Adjecta ſunt quædam de Moxâ: Francof. apud Joh. Nicol. Hummium 1678. 4.

HORSTIUS (*Jacobus*) Medicinæ in Helmſtadienſi Academiâ Profeſſor, natus Torgæ 1. Maii 1537. Magiſter Artium in Academiâ Francofurtenſi ad Oderam annô 1556. habitus eſt, Medicinæque Doctor annô 1562. Diverſis in locis ei Medici publici munus oblatum eſt, quod ſucceſſivè, Sagani Suidnitzique in Sileſiâ, tum & Ighoviæ in Moraviâ exercuit, uſquedùm annô 1580 ad munus Medici Ordinarii Archiducatûs Auſtrienſis vocatus fuerit, quod per quatuor annos adimplevit, deindè ad Medicinæ Profeſſoratum in Academiâ Helmſtadienſi provectus eſt. Ejus oratio inauguralis *De remoris diſcentium Medicinam, & earum remediis*, optima eſt. Officium iſtud lautè adminiſtravit, quoſdam & evulgavit libros qui adeptam ſibi famam conſervavêre: quô annô obierit detegere non potui: id unum ſcio eum inter vivos adhùc fuiſſe annô 1595. eumque, Facultatis Medicæ Helmſtadienſis Decanum, atque Univerſitatis vice-Rectorem Magnificum tunc temporis fuiſſe, uti legitur in fine Libri cui titulus *Jacobi Horſtii Epiſtolæ Philoſophicæ & Medicinales, Lipſiæ, in* 8. 1596. In ipſius laudem Obſervandum quòd ſcientiæ ac praxi Medicæ pietatem veram copulavit. Dei benedictionem ſtudiosè in remedia ſua invocabat, atque formulam orationum eapropter inſtitutarum edidit. Primam duxit uxorem annô 1562. quam annô 1585. poſtquam liberos decem enixa erat, amiſit. In novas ſe conjecit nuptias, annô 1587. Frater erat *Georgii Horſtii*, qui 10. Maii 1592. mortuus eſt, quique Urbis Torgæ ſeptiès Conſul fuit, multâque exiſtimatione dignus erat, uti Reineccius nos edocet in ejus elogiô, Jacobi Horſtii Epiſtolis præfixô, *Bayle in Diction. Criticô.*

De eô extant in Lindeniô Renovatô.

De vite viniferâ, ejuſque partibus, opuſculum. In quô tum Vinorum, tum Aceti, tum Paſſularum differentiæ, uſus, ſubſtantia, complexio, eaque optima traduntur. Helmſtadii, apud Lucium, 1587. in 8. Marpurgi, 1630. in 8.

De Naturâ, differentiis, & cauſis eorum, qui dormientes ambulant, vigilantium opera, eaque difficillima perficiunt, & aliquando culmina tabulataque ædium perreptant; cum certa ratione tum περιφυλακτικῆς, hoc eſt, præſervandi eos, nè ad hoſce mores redeant; tùm θεραπευτικῆς, hoc eſt, curandi atque tractandi in ipſô paroxyſmô. Lipſiæ, apud Valentinum Voëgelin, 1593. in 8.

De Aureô Dente maxillari pueri Sileſii: primùm utrùm naturalis ejus generatio fuit, necne; deinde, an digna ejus interpretatio dari queat. Et de Noctambulonum naturâ, differentiis, & cauſis, eorumque tam præſervativâ quàm curativâ. Lipſiæ, ap eund. 1595. in 8. & 12.

Diſputationes Catholicæ de rebus ſecundum & præter naturam. Extant cum Gregorii Horſtii Medicarum Inſtitutionum Compendio, Wittebergæ apud Bergerium, 1630. in 8. Ibid. 1609. in 8.

Epiſtolæ Philoſophicæ & Medicinales, cum Vitâ Gregorii Horſtii, Conſulis Reipubl. Torgenſis, &c. ſcripta à Reinerô Reineccið. Addita eſt oratio de Remoris diſcentium Medicinam, & earum remediis, habita ab eôdem Jacobô Horſtiô. Lipſiæ, apud Valentinum Voëgelinum 1596. in 8.

Herbarium Horſtianum, ſeu, de Selectis Plantis & Radicibus Libri II. in compendium redacti à Gregoriô Horſtiô. Marpurgi, 1630. in 8.

Precationes Medicorum piæ. Helmſtadii, 1585. in 12. Francofurti, 1666. in 12.

Diſputatio de Febribus & Peſte, Reſpondente Adamô Hardiſlenô, *Bohemô*. Ibidem, 1587. in 4.

HORSTIUS (*Joh. Daniel*) Francofurtenſis.

De eô extant

Manuductio ad Medicinam, in Academiâ Marpurgenſi ſtudioſæ Juventuti prælecta. Marpurgi, apud Joſ. Dietericum Hampelium, 1648. in 8. 1657, in 12. Ulmæ apud Balthaſ. Kuhnium, 1660. in 12. Hæc Editio novis Recentiorum Inventis & Obſervationibus aucta eſt.

Compendium Phyſicæ Hippocraticæ. Ibidem apud eundem, 1646. in 8. Darmſtadii, 1662. in 8.

Phyſica Hippocrateâ, Tackeii, Helmontii, Carteſii, Eſpagmet, Boylei &c. aliorum Recentiorum Commentis illuſtrata. Francofurti, apud Fridericum Knochium, 1682. in 8.

Decas Obſervationum & Epiſtolarum Anatomicarum. Quibus ſingularia ſcitû digna, Lactearum nempè Thoracicarum & Vaſorum Lymphaticorum natura, Embryoniſque per os nutritio, atque alia rariora exponuntur. Francof. ap. Wilbelmum Serlinum & Georg. Fickwirthum, 1656. in 4.

Pharmacopœa Galeno-Chemica Catholica, poſt Renodæum, Quercetanum, alioſque hujus generis celeberrimos utriuſque Medicinæ Doctores Practicos adornata, ſelectiſque Medicamentorum compoſitionibus, experimentis, & obſervationibus ſpagyricis rariſſimis & novis, necnon morborum omnium appropriatis remediis probatiſſimis adaucta. Acceſſerunt Inſtitutiones Pharmaceuticæ, cum Methodô elegantiſſimâ præparandi Pharmaca, & Doctrina de totâ materiâ Medicâ. Francofurti, ap. Johan. Gottofredum Schonwetterum, 1651. in fol.

Anatome Corporis humani, Tabulis comprehenſa. Marpurgi, apud Chemlinum, 1639. in 4.

Ruminatio Detectionis novæ ſectæ Señerto-Paracelſicæ

celſicæ D. Freitagii. Marpurgi, apud Chemlinum 1640. in 4.

Malva arboreſcens lutea. Addita eſt replicatio adverſus Auguſtini Thonneri querimoniam. Gieſſæ Haſſorum, 1654. in 4.

Operum Medicorum Gregorii Horſtii Tomum ſecundum, in quô Obſervationes & Epiſtolæ Medicinales continentur, edi curavit. Norimbergæ, apud Johan. Andr. & Wolffgang. Jun. Hæredes, 1660. in fol. Goudæ, apud Guilielmum Van der Hœve, 1661. in 4.

Judicium de Chirurgiâ Infuſoriâ Joh. Daniel. Majoris. Francofurti, 1659. in 12. apud Georg. Fickwirt, 1665. in 12. cui Editioni adjectæ ſunt Epiſtolæ Bartholini, Tackii, & Hornii.

Pauli Zacchiæ Quæſtiones Medico-Legales in Tomos tres diviſas à variis mendis purgavit, paſſimque interpolavit, & novis Recentiorum Authorum inventis ac obſervationibus auxit, ediditque. Francofurti, apud Johan. Baptiſt. Schonwetterum, 1666. in fol.

Lazari Riverii Opera Medica Univerſa quibus continentur I. Inſtitutionum Medicarum Libri quinque: II. Praxeos Medicæ Libri ſeptemdecim: III. Obſervationum Medicarum & Curationum inſignium Centuriæ IV. cum Obſervationibus rarioribus, & ab aliis communicatis, auxit, correxit & edidit. Francofurti, apud Johannem Petrum Zubrodtum, 1674. in fol.

Obſervatio, de Filamentis in urinâ. Extat Actor. Hafnienſ. Vol. V. N. 2.

De Moxâ, ibidem N. 3.

HORTENSIUS (*Martinus*)

De eô extat

Oratio de Oculô ejuſque præſtantiâ. Amſtelodami 1645. in fol. Extat apud Nathanaëlis Highmori Diſquiſitiones Anatomicas Hagæ-Comitis, 1651. in fol.

HORTO (*Garcias ab*) Luſitanus.

Ex eô habetur

Aromatum & ſimplicium aliquot Medicamentorum apud Indos naſcentium, Hiſtoriæ; Luſitanicâ linguâ primùm per Dialogos conſcripta; nunc verò latinô Sermone in Epitomen contracta, & Iconibus ad vivum expreſſis, locupletioribus Annotatiunculis illuſtrata à Carolô Cluſiô *Atrebate.* Antverpiæ, apud Plantinum, 1574. 1593. in 8.

HOTTINGERUS (*Joh. Henricus*) Poliater Tigurinus.

De eô habentur in Miſcell. Cur. Dec. 3. An. 9. & 10.

Obſervatio 89. De Calculô Cordis in Hydropicô.

Ibidem Obſervatio 90. De Urinæ ſuppreſſione à calculô poſt ſextum diem ſolutâ.

Ibidem Obſervatio 91. A Mercuriô intempeſtivè aſſumtô poſt biennium exorta febris maligna Ptyaliſmô ſoluta.

Mulier nobilis annum 39. agens, quinque Liberorum mater, corpore magnô ac obeſô prædita, ſaccharatis ac alimentis minùs congruis aſſuefacta à quorum uſû, imò veriùs abuſû, maſſam ſanguineam ſalſam acrem ſcorbuticam reddidit, prædictæ conſtitutionis teſtes erant gingivæ tumentes ac cruentæ; manus pſora ſiccâ, ſeu potiùs Herpete miliari infectæ &c. Ad hanc manus deformitatem tollendam ac ſanandam, Medici conſulti interna ſanguinem purificantia, ſalſam iſtam ac ſcorbuticam colluviem educentia &c. ſuaſerunt, quæ etiam noſtra ægra non immorigera lubens aſſumſit, abſque tamen accurata diætæ ordinariæ ſibi præſcriptæ obſervatione, imò ſanitatem, quàm ſaccharata negligere maluit. Cùm ſuprà dicta non ex votô ſuccederent, malùmque non planè extra peripheriam cutis manuum relegaretur, illa medicamentorum imbecillitatem, ac non ſufficientem ἐνέργειαν accuſans, omnibus accedentibus & mox hoc, mox illud, quàm abſurda hæc fuerint, commendantibus, aures patulas præbuit, omnium ſibi oblatorum ſine diſcrimine periculum fecit, ut plurimùm interna ſprevit, contenta externis unguentis, aliiſque oleoſis ſtrenuè manus læſas inunxiſſe. Sed nec hiſce proficientibus, vetulæ cuidam, jactanti arcanum quoddam huic malo accommodatiſſimum non obſtrepebat, imò ambabus ulnis conſilium amplexa, pilulas propinatas ſemel iterùmque deglutivit, ipſarum effectum, ſummô cum deſideriô exſpectans, tertiô vel quartô die, loqui, comedere, ob linguam nimiùm tumefactam; ac os deformatum, neſciens Puſillanimis vetulam accerſit, quæ optimum ſucceſſum ſpondet, ac animum ipſi de novô injicit. Patientiſſimam ſequenti die ptyaliſmus ac nimius ſputi fluxus prehendit, cùm verò abindè ſummè debilis facta eſſet, petit Medicum, cui caſum fideliter enarrat, Medicus ſtatim videt Mercurialia nimis intempeſtivè ac ſiniſtrè fuiſſe adhibita; *Ægræ* perterritæ calorem maximè ac quietem commendavit, & putatitium illud Mercuriale Arcanum ſanitatis cupidiſſimæ ac adſtantibus patefecit. *Ægra* uti monebatur quieti atque calori ſeſe dat, ſaliva per octiduum copioſiſſimè exſtillat; Poſtquam hoc temporis octiduanum ſpatium effluxit, excretio hæc ſubſtitit, remanente totius corporis imbecillitate, manibuſque eâdem fœdâ labe infectis, unde cautiùs inpoſterùm mercari didicit. Vires ac quodammodo priſtinam ſanitatem à Medicô ab adhibitis roborantibus iterùm impetravit; Pruriginoſa illa manuum proles ſæpiùs oculos fugit, & receſſiſſe videbatur, præſertim æſtivô tempore, ſed autumnô accedente iterùm præſtò facta eſt. Balnea dulcia, Thermæ Badenſes inducias etiam fecerunt, nondùm autem hoſte quietatô. Tandem exactô à recenſitâ ſalivationis torturâ bienniô, die 2. Septembris 1700. prægreſſô ſummô horrore febrili, corripitur Febri Catarrhali, degenerante in malignam; æſtus aderat intenſiſſimus, cum ſummâ Cephalalgiâ, ſiti ardentiſſimâ, præcordiorum anguſtiâ, urina intenſè rubeſcens clara erat, noctes inquietas egit. V. S. in brachiô adminiſtrata nonnullam opem tulit. Septimô ab invaſione die delirium, ſed per intervalla remittens, acceſſerat, remediis tamen ad artis regulas accommodatis non neglectis, nocte ſubſequenti auctum & ſine intermiſſione continuum, ad nonum uſque diem ſeſe extendebat, quô furibunda quaſi & omnis generis remedia & julcula, nonniſi vi infuſa, reſpuerat, Epithemata ex fermento, Acetô Rutac. &c. calcibus pedum impoſita, intra paucum temporis decurſum arida reddita ſunt. Fauces blennâ viſcidâ, mucoſâ, ac ferè nullis inſtrumentis ac gargariſmatibus cedens obſidebat, abſque tamen ullâ inflammatione; Decimô die, quamquam maximè debilis, paulò iterùm ad ſe rediens, ſummam ariditatem oris, ac ſitim accuſabat, gargariſma aliquandiù in ore detentum, ſputi effluvium non ſine magnô levamine ſequitur, & fonticuli ſalivales poſtmodum copioſas ſeroſitates amandabant, illud quod criſeos indicium eſſe ſtatim autumavi, nec impediendum ſtatui, quod & eventus comprobavit. Somnus eam obruens ſalivæ exſtillationem retardavit, ſtatimque delirium eam corripuerat,

rat, expergefacta, non citò iterùm mentis compos facta eſt, ſed oris collutione, ac hanc concomitante ſalivâ, ægra oblita eſt præteritorum, delirium ab eâ ablatum eſt; Id tamen per aliquot vices recurrebat, uſquedum per biduum copioſiſſimam ſalivam ac ſi de novô Mercurium aſſumpſiſſet, (haud procùl erravero, omnem ſi culpam Mercurio ante biennium aſſumto, tamque diù in corpore latitanti attribuero) excreviſſet, materiâque malignâ itâ eliminatâ, reconvaleſcentiam, medicamentis ſcopo huic ſatisfacientibus adjuvantibus, ac omni ope pretioſiſſimam ſanitatem poſtliminiò iterùm acquiſivit.

Ibidem, Obſervatio 97. *De Adamantis innoxia deglutitione.*

Ibidem, Obſervatio 98. *De Febre in Tympanitidem deſinente feliciter curatâ.*

Ibidem, Obſervatio 99. *De Epilepſiâ in febrem acutam deſinente lethali in eodem, cum ſubjuncta cadaveris defuncti Anatomia.*

Ibidem, Obſervatio 100. *Anatomia cadaveris ex ulceribus Tibiæ defuncti.*

Ibidem, Obſervatio 130. *De mira labiorum intumeſcentia.*

Ibidem, Obſervatio 131. *De ſecundinarum in Nævis maternis delendi noxâ.*

Ibidem, Obſervatio 132. *De Roſis Proliferis.*

Ibidem, Obſervatio 133. *De Gravidæ Cancrorum nimio appetitu, in infantem propagato.*

Ibidem, de Flatuum per membrum virile copioſa eruptione.

Ibidem Obſervatio 224. *De Borraginis noxâ.*

Ibidem Obſervatio 225. *De Vulnere Thoracis gravi cum inſigni Pectoris contuſione feliciter ſanatô.*

QUamvis ex Thoracis ac Pectoris Vulneribus curatorum apud Medicorum antiſtites, ut *Tulpium*, *Schenkium*, *Pechlinum*, illuſtreſque *Nat. Cur. Collectores*, imò cum Pulmonum non tantùm læſione, ſed & eorum amputatione, abſque tamen Vulneratorum vitæ diſpendio, proſtent hiſtoriæ; Cum verò ii caſus aliis ſemper circumſtantiis, ſymptomatibus, perſonis, aliâ curandi methodô ſint comitati, quibus ſemper major additur lucula; Eruditorumque nec minùs animis afferuntur deliciæ & voluptates, hinc & hanc noſtram ſenis ſeptuagenarii hiſtoriam cum ſuis circumſtantiis aliis adhùc ſubnectimus. Vir hic aſthma leve, tuſſimque ſiccam, ſenibus familiarem, ſi excipias, vegetus, laboribus ſuis ruſticis diligenter intentus, ceraſum, per ſcalam ſedecim pedum altam, pro ceraſorum collectione, aſcendit, ramo ſed debili valdè ſeſe committit, qui ponderi huic impar, frangitur; Senex in delapsû ad baculum obvium obtuſum, ſatis tamen craſſum, thoracis ſiniſtrum latus ad palmæ longitudinem irruit, qui inter ſeptimam ac octavam coſtam cavum ejus intravit, ſed hic terræ firmiter infixus diſrumpitur, ùt rupta ejus pars thoracem inter dictas coſtas obſederit; In ulteriore delapſû pectus ſeu ſternum lapidi graviter alliſit, ùt horum oſſium fractura ac profunda impreſſio fuerit procreata; Miſer quò ſe vertat neſciens, animum tamen recolligit, palum extrahit, manum cum induſiô vulneri adhibet, domum ſuam quamvis longè hinc diſtantem incurvatô corpore petit; Chirurgum accerſi curat, qui induſiô remotô, unam vel alteram ſanguinis guttam animadvertit, ſed aërem, unà cum magnâ pulmonis quantitate cum impetû prodeuntem obſervat; Pulmonis portionem priùs ſpongiâ vinô calidô madidâ aſperſit, ac ægrè quamvis, cavitati ſuæ repoſuit, vulnus longum ac dehiſcens emplaſtris agglutinatoriis conjunxit, Vulnerariis poſteà obtexit & obligavit. Nunquam Lipothymia, vel alicujus debilitatis ſignum ægrotum noſtrum corripuit, ſed animô intrepidô omnia ſuſtinuit; dolorem majorem à pectoris fracturâ percipiebat, tumor inſignis hìc à ſanguine ſuggillatô exortus eſt, ac totum pectus ſyderatum apparuit; Chirurgus anceps ac dubius quid in ſtatû hôc periculoſô ulteriùs peragendum ſit, hæſitabat, imò inciſionem ac aperturam hujus tumoris inſtituere, ſibi propoſuit, vulneratus verò renuit, me advocarunt ùt coadjutrices ei afferrem manus. Patientem, impatientem potius deprehendi debilem valdè, ſtertorem vehementem, tuſſim ſiccam habentem, ac anhelantem, febricitantem, ſiti intenſa ardentem, ſomnum nullum, vigilias continuas, ſummoſque pectoris ac vulneris dolores accuſantem; Alvus erat adſtricta; Phlebotomiam ſtatim imperavi, pectori dolenti ac ſyderato, fotus vinô rubrô incoctos ex herbis diſcutientibus, reſolventibus, &c. imponi juſſi; vulnus benè ſeſe habebat; Internè ſperma ceti cum juſculo ei propinavi, Mixturam inſuper roborantem, ſanguinis grumos reſolventem cochleatim hauſit; Noctem ſubſequentem non planè inſomnem tranſegit, Tumor pectoris à fotibus applicatis ſubſedit, ejuſque dolor à parte remiſit, hujus continuationem ſuaſi, ſucceſſit ſputi ſanguine tincti excretio, ſtertor imminutus eſt, alvum ſuppoſitoriô, ob clyſterum defectum, cum levamine proritavi; Medicamentorum ſuperiorum, ut & decoctorum traumaticorum uſum aliquandiù continuandum ei commendavi, cui & paruit & de die in diem meliùs iterùm ſe ſe habuit, abſque ulteriore ſubſequente ſymptomate, ac intra octo dies lecto, graviter firmèque affixus, per cubiculum deambulavit, ſummâ cum aviditate cibos aſſumſit; Notandum tamen, Urinam ad aliquot dies ſanguinolentam, ac purulentam apparuiſſe, per quam viam ſanguinis extravaſati & in pectore collecti materia excreta fuiſſe videbatur. Mirum ſanè decrepitum talem intra quatuordecim dierum ſpatium ſanitatem imò vitam ſuam ferè amiſſam recuperare potuiſſe.

Ibidem Obſervatio 226. *De Catameniorum fluxû in Muliere octoginta trium annorum.*

Ibidem Obſervatio 227. *De Ulceribus pedum per ſpontaneam Gonorrhœam curatis.*

MIra ſæpiùs in praxi Medicâ accidunt, quæ ipſa ratio aſſequi nequit. Metaſtaſes morborum, criticæ variæ excretiones ac corporis à ſarcinâ ſuâ exonerationes tot & tantæ, imò nonnunquam ferè imperſcrutabiles annotantur; Empyematum, exempli loco, per urinam vel alvum evacuationes &c. Ejuſmodi Metaſtaſeos ſatis curioſæ ſpecimen vir quadraginta annorum nobis porriget; Is ab annis aliquot in brachiô, præcipuè verò pedibus, eorumque Tarſis ulcera cacoëthea & exedentia geſtavit; Plurimorum Chirurgorum, Medicaſtrorum etiam diverſorum opera, abſque tamen ullô optatô ſucceſſû uſus eſt: Omnia tentârunt, quæcunque acredinem iſtam corrigere, ulcera mundificare, mundificata conſolidare valerent; Sed omnium etiam experti ſſimorum manus eluſerunt: Vix enim unô conſolidatô, mox aliud tuberculum cum ſubſequente exulceratione prodiit; Imò haud omninò vanus erat oſſium Tarſi carioſorum metus, dum ægrè & non niſi baculô ac claudicans incedebat, quem metum pus fœtidum, fluidum & ſeroſum adaugebat.

gebat. Externis nihil proficientibus, ſuaſû meô ad interna, ſanguinem & lympham acrem corrigentia, depurantia, ac edulcorantia confugit, à quibus levamen ſtatim percepit, ſupervenit mox materiæ albicantis, ac ferè purulentæ per virgam fluxus, ſeu Gonorrhœa cùm membri erectione & dyſuriâ, ad quem inopinatum, ac ſibi ignotum fluorem maximè perterritus erat, neſciens quid hìc portendat; Ad aliquot dies præ nimiô pudore eum reticuit, neminique revelavit, animadvertens puris ex ulceribus egreſſum eſſe imminutum, nihilominùs tamen hanc rem ipſi ſecretiſſimam mihi patefecit, conſilium auxiliumque imploravit; Fluxum hunc, ob acceptum levamen, materiæ purulentæ ex ulceribus prodeuntis decrementum non ſtatim ſiſtendum, ſed potiùs promovendum, materiamque per hanc viam expurgandam eſſe, ſuaſor eram. Sed impatiens tædioſi hujus ac obſcœni affectûs pertæſus, ùt ulterius profluvium inhiberem & ſiſterem, petitionibus inſtabat; Quare me id proximè facturum eſſe, ſpe eum lactavi; Quietô hinc animô promiſi impletionem ac curam exſpectavit, quæ intra quatuor hebdomadas ſubſecuta eſt, quâ temporis intercapedine omnia ulcera perfectè conſolidata ſunt, abſque ullô relictô incommodô, ac cum omnium ipſius etiam Ægroti ſtupore ac gaudio quaſi exaruerunt, ùt nè gutta quidem puris ampliùs prodiret, imò & pedes œdematoſi ſubſidebant, Liber hinc ultra annum ab ejuſmodi ulceribus permanſit. Cum verò diætam minùs ſtrictam obſervaſſet, frenaque nimis in Bacchum relaxaſſet, maſſa ejus ſanguinea, pluribus acribus, ſalſis, acidiſque particulis referta exiſteret, tubercula de novô hinc indè propullulârunt, quæ verò internis ſolum ſanguinem depurantibus, præcipuè decoctô Trifolii Fibrini mox curata & abacta erant, quibus nunc, rariùs quamvis ſeſe manifeſtantibus, iiſdem remediis, optatô cum ſucceſſû, obviam imus.

Ibidem Obſervatio 228. De Diarrhœâ Colliquativâ, Diabethe nothâ ſolutâ.

Ibidem Obſervatio 229. De Barbâ ab Odontalgiâ præſervatrice.

Ibidem Obſervatio 230. Ex Anatome juvenis, ulceribus Thoracis in pectus penetrantibus, defuncti.

Ibidem Obſervatio 231. De Cadaveris Fœminini Omphalocele prægrandi defuncti diſſectione.

Ibidem Obſervatio 232. De Nephritide Calculum mentiente.

Ibidem Obſervatio 233. De Monſtrô humanô abſque ſexû, pedibus &c. in excreſcentiam caudiformem deſinente.

Ibidem in Appendice p. 48. Montium Glacialium Helveticorum Deſcriptio inſtituta à Dn. Joh. Henricô Hottingerô, Tigur. M. D.

HOTTON (*Petrus*) Med. & Botan. Profeſſ. in Acad. Lugd. Batav.

Ex eô habetur

De re herbaria ſermo Academicus. Lugduni Batav. apud Elzevirium 1595. 4.

Ex eô prætereà extat in Actis Lipſienſibus Ann. 1702. p. 138.

Excerpta ex litteris ejus ad Editorem Tranſact. Angl. de Acemella & ejus facultate lithontriptica. Deſumpta ex Actis Philoſ. Angl. 1701. Menſ. Januar. p. 760.

A*Tmella*, *Acemella*, & *Hacmella*; iſtis enim nominibus miſſa mihi anno 1691. ſemina ex inſulâ Ceylon, ubi naſcitur & familiaris eſt. An & in Malabar, aliiſve Indiæ regionibus proveniat, compertum non habeo.

Cùm barbarica ſint hujus plantæ nomina; de eorum originatione nil habeo, quod afferam.

Ipſa verò planta, quam colui ipſe annô 1692. flores fert in caulium ſummis, ex multis floſculis coagmentatos, in caput coactos, & peryanthiô, hexaphyllô aut polyphyllô ſuffultos, perquàm ſimiles Chryſanthemo Curaſſavico, alato caule, flore aurantio, cujus icon extat apud *Pluknet* Phythog. in Par. Batavo *Hermanni*. Horto Monſpel. Magnol. & Volkhameri Flora Noribergenſi; ſed luteolos, quibus excuſſis, ſequuntur ſemina ex fuſcô gryſea, longa, plana, ſummâ ſui parte duplici ariſtâ prædita, ipſis floſculis ſubjecta; caules edit quadratos, foliis conjugatis Lamii aut Urticæ longioribus acriuſculis veſtitos; Ex quibus conjicitur, ſpectare hanc plantam ad Corymboſarum gentem, & genuinam eſſe ſobolem ejus generis, quod Bidens à ſemine bidente vocat Cæſalpinus, eumque ſecutus Tourneſortius. Quare cùm hactenùs nomine careat hæc planta, hoc ex ipſius plantæ ingeniô ei imponendum cenſeo; *Bidens urticæ folio lithontriptica Zeylanica.*

Inter omnia enim medicamenta, quæ in comminuendo calculo valere perhibentur, planta hæc nuperis annis facta eſt celeberrima, inter noſtros homines, qui in memoratâ inſulâ vivunt, & noviſſimè quoque apud nos multam nacta eſt celebritatem.

Miles quidam, qui primus annô 1690. Societati noſtræ Indicæ indicium hujus herbæ dedit, profitebatur, ſe pluſquam centum ægros ejus ope liberâſſe à calculô & nephriticis doloribus; quam & cum ſucceſſû uſurpatam in duobus ægris calculoſis, teſtantur in literis eodem annô ad Societatem Indicam datis, Gubernator & Supremus Batavorum Conſeſſus in Inſulâ Ceylon; ajunt enim, in iis deturbatas expulſaſque fuiſſe multas arenulas, minutoſque calculos, abſque ullô ferè dolore.

Primus noſocomii urbis Colombo, quæ ſita eſt in memoratâ Inſulâ, Chirurgus, vir, ut videtur, induſtrius planè & diligens, in literis annô 1699. ad me datis, in rei veritate teſtari ſe poſſe aſſerit, efficacius medicamentum contra calculum & nephriticos dolores repertum hactenùs non fuiſſe; qui & porrò addit, tres ejus ſpecies à ſe multâ inveſtigatione inventas, quarum prima foliis amicitur dilutè virentibus, & ſemen producit itidem luteum: ſecunda folia edit ſaturè virentia, & ſemen producit itidem luteum; tertia ſemen nigrum profert, & longè majoribus foliis veſtitur, quàm reliquæ duæ, quas virtute præſtantiſſimas eſſe aſſerit; denique ſubjungit, fertiliſſimam eſſe hanc plantam, quæque pluſquam decem millia ſeminum gignat. Hujus uſurpantur folia, ſemen, quod præ cæteris partibus laudat Præfectus ille noſter noſocomii Zeylanenſis, radix, caules & rami.

Folia lecta, antequam flores prodeant, in umbrâ ſiccatâ & in pulverem comminuta, dantur in convenienti vehiculô, aut aquæ calidæ infunduntur, bibiturque ea infuſio inſtar infuſionis herbæ Thée; infunduntur & ſpiritui vini, & paratur per deſtillationem ſpiritus ex radice, caulibus & ramis.

Flores, radices, extractum & ſal in pleuritide, colica, & febribus feliciter ſe uſurpaſſe, teſtatur alius quidam noſocomii Zeylonenſis Præfectus.

Atque

Atque hæc ſunt, quæ mihi innotuêre ex literis Colombô ad Societatem noſtram Indicam & ad me datis, de herbæ hujus facultatibus, utendique modô. Ex duobus Chirurgis primò memoratus, qui ſatis accuratus mihi videtur obſervator, laudat quoque in ſuis literis à vi lithontriptica cortices radicum, ipſaſque radices herbæ cujuſdam *Mangul Caranda Poitu* Zeylanenſibus dictæ, at quæ illa ſit, me latet.

Etiamſi autem modus & ratio, quâ agant hæc aliave verè lithontriptica habita medicamenta, non facilis ſit explicatu, durum tamen videtur, nullam planè fidem habere viris fide dignis. Ego verò hæc experientiæ debitè inſtitutæ ſæpiuſque repetendæ committo.

HOVEL (*Nicolaus*) Pariſienſis.

De eô extant

Pharmaceutices, Libri duo. Prior continet omnia Meſuæ Theoremata, Canones univerſales vocant, in Tabulas redacta. Poſterior eſt Johan. Tagaultii, doctiſſimi Medici, de Simplicibus Medicamentis Purgantibus, Annotationibus illuſtratus per eundem Hovel. Pariſiis, apud Ægidium Gorbinum, 1571. in 8.

HOVIUS (*Jacobus*) P. F. Phil. & Med. Doct.

De eô extant in Actis Lipſienſibus Annô 1703. *p.* 221.

Circularis humorum ocularium motus detectus à Jacobô Hoviô.

NOn facilè prætermittimus in his Eruditorum Actis obſervationes ac inventa nova, quæ cum orbe literatô communicari operæ pretium cenſemus. Itaque cùm forte incideremus nuper in Viri Clariſſimi, *Jacobi Hovii*, Diſſertationem Inauguralem, pro gradû Doctorali in Academiâ Ultrajectinâ die 13. Julii anni ſuperioris ſolenni examini ſubmiſſam, ac deprehenderemus, circularem humorum ocularium motum, qui hactenùs publicè non innotuit, feliciter in eâ detectum, tametſi Academicas ejuſmodi Diſſertationes in Actis his recenſere non conſueverimus, temperare tamen nobis non potuimus, quominùs novi iſtius inventi cunctos harum rerum cupidos participes redderemus. Cùm enim ſanguinis circulatio, poſtquam detecta eſſet, & rationibus atque experimentis confirmatâ, tantô cum applauſû excepta olim fuerit, nunc quoque jucundum erit ac utile cognoviſſe quod humores oculares neque ſtagnent, neque per poros intro-foras ſpectâtes diſſipentur, ſed continuô fluxû refluxûque, ſanguinis ad inſtar, indeſinenter in orbem vertantur, ut oculi vigor perpetuò conſervetur, viſuſque rectius peragatur.

Ibidem Annô 1717. *p.* 404.

Tractatus de Circulari Humorum motu in Oculis. Lugduni Batavorum, ap. Jo. Arn. Langerack, 1716. 8.

QUem circularem humorum in oculis motum nobiliſſ. *Autor* ante A. 1700. Mercurii injecti ſubſidio primùm detexit ac in *Diſputatione* ſuâ *Inaugurali*, Anno 1702. Trajecti ad Rhenum habitâ, & à nobis in *Actis Erudit. Menſe Majo* A. 1703. p. 221. cum potioribus Figuris excerpta, deſcripſit, eundem multò accuratiorem & locupletiorem noviſque Figuris illuſtratum in præſenti ſiſtit Tractatu. Ingentem namque oculorum, ex variis animantium generibus deſumtorum, copiam denuò ſcrutatus, materiam pro injectione ſimul tam ſubtilem præparavit, ut hæc non minutiſſima ſolùm humoris vitrei ac cryſtallini vaſcula cum reliquis nevro-lymphaticis repleret, ſed & in iis frigefacta conſiſteret, plurimaque longè exactius cum novis nonnullis exhiberet. Vaſcula nempè quemadmodum in genere tam ea, quæ materiam ad oculorum humores nutriendos immediatè adducunt, quàm quæ eandem abducunt, inter ea nunc refert, quæ *Vieuſſens* in *Novô Vaſorum ſyſtemate* nevro-lymphatica ſalutavit, quorum priora obliquè ex arteriolis emergerent, poſteriora verò in venulas deſinerent, ità in ſpecie pro vaſculis aquoſis, materiam in humoris aquei conſervationem advehentibus, haud amplius arteriolas per uveam vermiculariter contortas, ſed numeroſiſſima potiùs vaſcula nevro-lymphatica obliquè à circuli arterioſi parte exteriori æquè ac arteriolis iſtis vermicularibus prodeuntia & propè limbum uveæ terminantia venditat. Quo genuinam verò ac naturalem vaſorum per choroideam diſtinctionem accuratius ſiſteret, tunicam hancce quinque è laminis conſtructam annotat: primam quippe earum & exteriorem, quæ tenuiſſima exiſteret è vaſis ſubtiliſſimis ſubjacentis laminæ undiquaque oriundis contexta, tenuique pigmento nigro, aquâ abſtergendo involuta, nigram & villoſam appellat. Inter ſecundam verò ac tertiam lamellam, itidem tenuiſſimas & à piâ meninge ſecundum Veteres productas, vaſa ferri perhibet; tum arterioſa, per ſcleroticam accepta & ad uveæ circulum arterioſum dimiſſa, tum venoſa cum arteriis continuata & ad venoſum uveæ circulum propagata. Quarta hinc lamella ob contextum reticuloſum & copioſa vaſcula nevrolymphatica cum ſuis non minus arteriis vermicularibus, à quibus emergunt, quam ſimilibus venis, materiam ab humoris vitrei & cryſtallini nutritione refluam excipientibus, nevro-lymphatica vel reticularis audit. Quinta denique è ſtriis oblongioribus, quaſi nerveis, conflata, dum præcedentis tunicæ ſive lamellæ nevro-lymphatica diſperſa in paulò majora, veluti papillas, conjungit, papilloſa denominatur. In humore vitreô, è nervis pellucidiſſimis ac nevro-lymphaticis, clariſſimum & limpidiſſimum humorem continentibus, contexto, ſextuplicem vaſculorum ejuſmodi deſcribit ordinem, prout alia eorum à fundô oculi cryſtallinum verſus aſcenderent, alia à cryſtallinô fundum verſus deſcenderent, alia juxta latitudinem à dextrô ad ſiniſtrum, aliâ à ſiniſtrô ad dextrum vergerent latus, & alia obliquè incederent & cruciatim ſe invicem ſecarent. In proceſſibus ciliaribus, omnium vaſculorum ordine mirabiliter inſtructis, vaſcula itidem vel è circulô arterioſô deſcendentia, vel è parte inferiori aſcendentia, expendit, ligamentum ciliare nil, niſi meram nevro-lymphaticorum nervorumque pellucidorum congeriem innuens, nigra villoſaque pellicula obductorum ac ſtriatim & funiculorum ad inſtar ad cryſtallinum & vitreum humorem pergentium ac utrumque intrantium. Quamvis autem humor cryſtallinus contextus pariter merè vaſculoſus haberetur, è nervis pellucidis nevroque lymphaticis, cum ad, tum abducentibus conflatus ac tenuiſſimâ & pellucidâ tunicâ obvelatus, ipſa tamen in cryſtallinô vaſcula arctiora & firmiùs compoſita cum ſubdiviſionibus imperſcrutabilibus deſignantur abſque eô, ut in oppoſitô latere illum defererent, cùm è diverſô in humore vitreô multò longiora illa occurrerent ſine ullis aut ſaltem perpaucis ſubdiviſionibus, ab unâ parte intrantia, & ex oppoſitâ humorem deferentia. Et nè in ipſô oculô humanô humorum hujus circulatio in dubium

bium vocetur, nunc vaſa arterioſa, fontium nomine indigitata & per ſcleroticam aſcendentia cum circulô arterioſô, nunc vaſcula per duplicaturam ſcleroticæ denſâ ſerie cum obviis venoſis diſſeminata & cum reunitis vermicularibus circulum arterioſum petentia, nunc nevro-lymphatica, tum adducentia, tum abducentia, aquoſa, vitrea & cryſtallina, prolixius in præſenti unà recenſet, etiamſi figuris omnia dilucidare inopiâ ſubjectorum prohibuerit. Glandulam in poſticâ oculi piſcium parte interius occurrentem pro peculiari habet ab animalium conglomeratis & conglobatis diſcrepante: glandulam enim conglomeratam contextum eſſe planè vaſculoſum, omnium vaſorum ordine mediantibus membranis firmiter ac fortiter colligatorum inſtructum, cujus arteria pro humoris ablegatione, antequam in venam terminetur, in omnibus ſuis circumvolutionibus copioſa lateralia emitteret vaſcula, variè in majora, & demùm in communem ductum excretorium, notabili humoris ablegationi dicatum, unienda. Conglobatam denſam exiſtere congeriem vaſorum ſanguineorum & nervorum fibris carneis æqualiter circumductorum, è quibus folliculi, ſive loculi membranoſi oblongi pro acidi humoris in hiſce ſecreti receptione efformarentur, quo hic lymphæ lymphaticorum pertranſeuntium admixtus eam pro novâ nutritione reſtauraret. Aſt internam oculi piſcium glandulam, corporis reticuloſo-glanduloſi titulô meritò inſigniendam, talem contextum videri vaſculoſum, cujus vaſa membranarum interventû nec tam arctè tamque fortiter conglomerarentur, neque lateraliter emiſſa pro communi ductû excretoriô corpus ſuum intra proprium recolligerentur. Quâ occaſione ſcriptum de glandulis conglobatis, præter aliud de vaſis lymphaticis pollicetur; beneficiô autem novæ ſuæ injectionis Chymicæ ſicuti pericardii humorem à vaſculis nevro-lymphaticis arteriarum cordis muſculoſi exteriorem ſubſtantiam perreptantium deducit, ita humiditatem pariter per tunicæ corneæ porulos tranſſudantem, neutiquam ipſum humorem aqueum eſſe, ſed partim à ſimilibus vaſculis arteriarum circa corneæ limbum vagantium, partim à duobus novis ductibus, quos in oculô vitulinô à glandulâ innominatâ detexit ac provenire oſtendit. Cataractam demum acu deponendi rationem ob multa mala inſequentia, ut fontium, ductuum per ligamentum ciliare excurrentium, circuli arterioſi, necnon vaſculorum nevro-lymphaticorum ex eodem ad aqueum tendentium, læſiones ac obſtructiones, prorsùs reſpuit, methodum potiùs à ſe excogitatam cataractam omnem omni tempore tutò removendi commendans. Cùm *Noſter* autem à Clariſſ. *Ruyſchio* in *Theſauri ſexti Prodromô* de plagio fuerit poſtulatus, in *Epiſtolâ apologeticâ* ſubjunctâ crimen tale ſtrenuè à ſe amoliri contendit, ex iis ipſis quæ *Ruyſchius* de oculis conſcripſit antea non viſa, ante omnium oculos clare ponendo, neque vaſa humorum oculorum circulationi deſtinata, vel in totum, vel quoad uſum, neque circulationem ipſam in totum *Ruyſchio* ſuam ante diſſertationem innotuiſſe. Erroris tamen inſimul eundem arguit, quod omnem humorum ſecretionem in ipſis arteriarum extremitatibus perfici exiſtimaret, poſtquam diverſorum humorum à ſanguine ſeparationem vaſculis potius deberi nevro-lymphaticis, è parietibus arteriarum obliquè prodeuntibus ac inſenſibilium oſtiolorum magnitudine, figurâ & ſitû variè differentibus, dum reliquus ſanguis rubicundus, nullam in extremitatibus arteriarum mutationem ſubiens, immediatè in venas, ceu vaſa ubivis cum arteriis continua propellitur, experientiſſimus *Vieuſſens* evidentiùs & accuratius demonſtraſſet. Ceterum ſub calcem *Diſſertatio* pariter medica, quam inauguralem *Adam Chriſtianus Thebeſius de Circulô ſanguinis in corde*, Lugduni Batavorum A. 1709. habuit, ac in quâ multâ venularum oſcula in apricum protulit, quæ non modò in dextrô cordis ventriculô, uti *Vieuſſens in novis de corde inventis* ad Boudinum gallicè perſcriptis, ſed & in ſiniſtrô ac in utrâque auriculâ vidiſſet, unà cum *Figurarum Tabulâ* occurrit annexa.

HOUST (*Philippus le*)

De eô extat

Exercitatio contraria aſſertioni Caroli Luſſaulæ de Functionibus Fœtûs Officialibus. Extat cum ejuſdem Luſſaulæ dictâ aſſertione. Niorti, apud Franciſcum Matthæum, 1651, in 8.

HOW (*Guilielmus*)

Matthiæ Lobelii Plantarum, ſive Stirpium hiſtoriam cum annexis Adverſariis illuſtravit, & edidit, Londini 1655. 4.

HOWEN (*Petrus van der*)

Ex eô habetur

De Sympathiâ, ſeu Affectû per conſenſum brevis tractatus. Roterodami, apud Johannem Waesbergium, 1621. 8.

HOYERUS (*Johannes Georgius*) Poliater Molhuſanus.

De eô extant in Miſcell. Nat. Cur. Decur. 3. Ann. 3.

Obſervatio 43. De Gulæ vulnere lethali.

Ibidem Obſervatio 44. De Fœtû, die tertiô poſt mortem matris enixô.

Ibidem Obſervatio 45. De Podagricô Inſultû ab uſû ceraſorum acidorum.

Ibidem Obſervatio 46. De Febris intermittentis Curâ lethiferâ.

Ibidem Obſervatio 47. De Febris curâ lethiferâ à terrore.

Ibidem Obſervatio 48. De Febris ardentis malignæ ex immerſione ſub undas Curatione.

UNanimiter cum magno Hippocrate τὸ θεῖον in morbis malignis admirantur, artis filii. Sæpiùs enim vident eos, quibus mortem præſagiunt, præter omnium ſpem reconvaleſcere; & è contrario quos ſecuros eſſe jubent celerius opinione mori. Vident alios abſurda & morbô prorsùs incongrua alimenta & medicamenta affectare & ab iis ſervari, alios ſtrictiſſimè licèt obſervatô regimine medicô perire. Sic virtus divina ſæpiùs illudit prudentiæ & experientiæ humanæ. Quamvis ex poſtfactô mortis & reconvaleſcentiæ jungi quandoque poſſit cauſa. Mirifica talis febris malignæ Epidemicæ curatio ab Experientiſſimô D. Unſeniô Claſſis Regiæ Danicæ Medicô ordinariô, annô 1688. notata. Referebat hic enim, Claſſe Regiâ in mari Baltico, tempore æſtivali, navigante, plures matelotas & milites febre malignâ variis ſymptomatibus ſtipatâ fuiſſe correptos. Apprimè non paucos febricitantium tantâ cum ferociâ deliráſſe, quin imò in mare ſe præcipites dare voluiſſe, ùt trium vel quatuor virorum iis cogendis vix ſuffecerit. E quorum cuſtodia qui fortè evaſiſſent, & ex navibus in mare ſe præcipitâſſent, ſi derepentè ex undis in naves retrahi potuiſſent, poſtmodùm à deliriô & ferociâ liberatos placidè quieviſſe,

eviſſe, viribuſque pedetentim recuperatis ex votô reconvaluiſſe. Alios è contrariô ſedulâ cuſtodiâ in navibus aſſervatis morbô periiſſe.

Ibidem Obſervatio 49. *De innoxio & ſalutari abuſu opii crudi.*

INfamis adeò Opiatorum fama, ùt plures auditô ſaltim pharmaci opiati nomine quaſi perterrefiant. Qui quidem licèt panicus terror ſit, ex unanimi tamen omnium conſenſû circa Opiatorum uſum cautiùs mercandum. Præſertim cum à tribus vel quatuor granis laudani opiatis propinatis, oculos quorundam in æternam noctem clauſos fuiſſe, notatum ſit. Interim tantùm abeſt, ùt quoſvis fortior etiam opii nè præparati quidem, ſed crudi & hinc magis noxii putati doſis lædat, ùt quoſdam potius eximiè juvet. Ita novimus Hafniæ Tornario cuidam morbô iſchiadicô laboranti à juniore Practicô propinatas fuiſſe pilulas ex opiô crudô confectas, egregiô dolorum cum levamine; primis quidem diebus ordinariâ doſi, ſed paulò poſt, cùm à minori doſi proſper & optatus eventus ampliùs haud reſponderet, uſque ad ſcrupulum ſemis, mox ad ſcrupulum unum aucta; ſingulis poſtmodum diebus Tornarius ille opii crudi ſcrupulum unum cogebatur aſſumere, ſi dolores lenire & labores conſ. etos exequi vellet. Quamprimùm verò ab ejuſmodi medicamine abſtinebat, illicò tantæ cruciatuum iſchiadicorum flammæ reſuſcitabantur, ùt neque pedes neque manus ſuis fungi poſſent muniis. Sic opii crudi doſis extraordinaria palliativè ſeu potius præſervativè morbum iſchiadicum curare valebat.

Ibidem Obſervatio 50. *De Ptyaliſmô graviditatis ſignô.*

Ibidem Obſervatio 51. *De Dyſenteriâ vitrô antimonii curatâ.*

EMpiricam periclitationem ridiculam quidem, ſaluberrimi tamen eventus ſæpiùs eſſe inventricem, ſequens evincit Obſervatio. Primarius quidam belli Præfectus propriô exemplô didicerat vix eſſe præſtantius remedium ad ventriculi quoſdam morbos curandos, imprimis ad vitioſam cruditatis bilioſæ ſaburram ἄνω ϰ κάτω exturbandam, quàm vitrum antimonii. Tantum arcanum, ùt ſibi perſuadebat, ſemper ſecum portabat, & quibuſvis de ventriculi imbecillitate conquerentibus obtrudebat. Fortè ſtudioſus quidam, cum quô in eôdem hoſpitiô commorabatur, dyſenteriâ tùnc temporis epidemicâ corripiebatur. Hic morbum diſſimulans ſaltim de appetitû proſtratô & ventriculi imbecillitate conquerebatur. Laudatus belli præfectus arcanum conſuetum mox offerebat, illudque propinando oleum quaſi affundebat igni, dum dyſentericus continuò maximam vitioſæ ſaburræ copiam ſurſum atque deorſùm excernebat, eòuſque donec viribus nimiùm proſtratis ſurgere non poſſet ampliùs, ſed altô ſomnô opprimeretur. Evigilans autem ab alvi fluxû ſe prorſùs liberatum ſentiebat, neque cruentas alvi dejectiones denuò experiebatur; ſed viribus lautiori diætâ pedetentim reſarcitis priſtinæ ſanitati reſtituebatur. Deinceps alium eâdem dyſenteriâ correptum, quin tertium & quartum ſingulos tamen robuſtioris conſtitutionis pari ſucceſſû eôdem remediô curabat. Quam medendi methodum, quamvis hactenus nunquam ex ullô practicô cognoverim, ratione tamen non prorſùs deſtitutam puto. In eô verò curationis ratio videtur conſiſtere, quoniam ab ejuſmodi pharmacô vitioſi bilioſi & acres corroſivi humores, ἀϑρόως ϰαὶ βιαίως, è primis viis exturbantur, & hôc pactô natura ab irritantibus moleſtiſſimis particulis liberatur, ſuique juris redditur.

Ibidem Obſervatio 52. *De Epilepſiâ magicâ causâ & curatione.*

Ibidem Ann. 7. & 8. *Obſervatio* 175. *De Ebore foſſili, ſeu de Sceletô Elephantis in colle ſabuloſô repertô.*

Ibidem Obſervatio 176. *De Deliriô cum ferociâ à Baccis Solani.*

Ibidem Obſervatio 177. *De Aquæ ſtygiæ hauſtû exitioſô remediis domeſticis curatô.*

GEneroſus Dominus ab H. Mediæ ætatis & robuſtæ conſtitutionis in pharmacopoliô quôdam oppidanô per famulum ſuum pro groſſô aquam fortem, ſimùl ac oleum juniperi pro groſſô ſibi coëmi curat. Hoc pro dyſuriâ mitigandâ ut aſſumeret; Illam alii, neſcio cui reſervaturus uſui. Enimverò ſucceſſû prorſùs infauſtô permutat oleum & aquam ſtygiam, deceptus incuriâ pharmacopæi qui ſignaturas neglexerat. Scilicèt cum modicô cereviſiæ tepidæ vehiculô unicô hauſtû abſorbet tantam aquæ fortis copiam. Hinc dictum factum reſpiratione difficiliori, tenſione convulſivâ & ſuffocativâ quaſi gulæ ſeu œſophagi potiùs, mox cardialgiâ, torminibus ventris variorumque phœnomenorum ſyndrome correptus. Abſente Medicô quævis obvia ſibi eligit remedia; jamjam menſuram aquæ fontanæ, dein olei olivarum quantitatem, mox lactis tepidi copiam ingurgitans; Qualibus ſymptomata dicta levat, non tollit. Deniquè aquæ frigidæ magnam copiam ad nauſeam abſorbet; Inde vomitionibus frequentioribus ſuſcitatis & ingeſtis quibuſvis ἄνω exturbatis, à moleſtiis citatis prorſùs liberatur. Nunc priſtinâ optatâ gaudens valetudine.

Ibidem Obſervatio 178. *De Colocynthidis Infuſô lethalem hypercatharſin ſuſcitante.*

Ibidem Obſervatio 179. *De Epilepſiâ Chronicâ unâ cum Febre Epidemicâ malignâ curatâ.*

FEbris quædam Epidemica non paucis funeſta, variis iiſque periculoſiſſimis ſymptomatibus ſtipata, annis præteritis nonageſimô octavô & nonô, tum finitimorum locorum quorumdam incolas, tùm præprimis concives meos afflixit, de quâ prolixiùs forſan aliô tempore, ſi Deo placuerit, diſſerendi dabitur occaſio. Eâdem febre corripiebatur puer decem annos natus & per tres annos epilepſiâ contumaciſſimâ, paroxyſmô interdiù pluribus vicibus recurrente, remedia generoſa quævis eludente, vexatus. Contingentibus itàque variis ſymptomatibus efferatô totius calore, ſiti, vigiliis, obtuſô capitis dolore, deliriô &c. afflictio quaſi addebatur afflictô. Rebus ſic ſtantibus à parente conſultus, ſpem faciebam non dubiam, fore ùt ſimùl cum febre moleſtiſſimus epilepſiæ fugaretur affectus; memor veriloquii Hippocratici Sect. II. Aphor. 26. & Sect. IV. Aphor. 57. Itaque datô ſub initium morbi ſpiritû quôdam bezoardicô volatili urinoſô vicibus iteratis largiores prolici curabam ſudores; Quibus exantlatis & febrilis calor miteſcebat & paroxiſmi epileptici ſuâ ſponte penitus ceſſabant; Attenuatis nempè & diſſipatis humoribus viſcidis & ſic obſtructionibus, epilepſiam cauſantibus,

tam

tam per calorem febrilem quàm per medicamentum volatile, reſeratis. In declinatione morbi pro conciliando ſomno & diaphoreſi continuanda pulveres quoſdam ex C. C. Philoſoph. oc. 69. coralliis rubr. terra ſigillat. &c. conflatos, additô, doſi refractâ, laudanô opiatô, propinare jubebam, atque perexiguô hôc apparatû Morbi complicati ſatis periculoſi curam ex votô ſigillabam. Singularem verò ſummi Archiatri Clementiam, quâ ſicut huic afflictiſſimo ægrotanti, ità pluribus aliis optatam perexiguis remediis opem fert, gratâ admiratione deprædico.

Ibidem Obſervatio 180. *Ex Cholerâ defuncti Anatome.*

Ibidem Obſervatio 181. *De Hæmorrhagiâ largiori è cavitate dentis maxillaris.*

Ibidem Obſervatio 182. *De Lochiorum ſive ſanguinis, immodici profluvii remediô domeſticô, probatiſſimô.*

FŒmina primaria annum trigeſimum ſextum peragens, ſanguinolenta, poſt abortum vexabatur immodicô Lochiorum profluviô per 4. hebdomades durante, evenientibus intereà temporis lipothymiis crebrioribus, cordis anxietatibus & pluribus phœnomenis periculoſiſſimis; conſultis eô nomine Medicis nonnullis experientiſſimis variiſque medicamentis ſtypticis & cordialibus ex tincturâ Terræ catech. antiphthiſicâ Gramanni, Corallior. Eſſent. traumat. anodynâ, pulveribus, è ſtypticis & bezoardicis conflatis; Potiunculis plurimis ex ſtypticis cordialibus & bezoardicis variis compoſitis, non neglectis externis; ſingulis & omnibus abſque ſucceſſû ſperatô adhibitis, prognoſtico fermè relinquitur, viribus vitalibus penè exhauſtis. Fortè fortunâ non nemo ex cognatis cui deploratus Matronæ ſtatus curæ cordique erat, ſuffumigium ſimpliciſſimô conſtans apparatû crebrioribus verò experimentis pro compeſcendo talis modi fluxû probatiſſimum ſuggerit.

℞. Segetis Secalinæ recentis, ſummit. arboris betulæ ana m iij. pulveriſentur groſſô modô pro ſuffumigiô ter interando. Admiratione profectò dignum eſt tale remedium dictum factum profuiſſe conſtanti cum eventû.

Ibidem Obſervatio 183. *De Tumore Axillæ cancroſo prægrandi, ejus Anatome, & infelici curatione.*

Ibidem Obſervatio 184. *De Prægrandibus & monſtroſis Naſi tumoribus, ſubligatô pilô camelinô feliciter curatis.*

Ibidem Annô 9. *&* 10. *Obſervatio* 93. *De Rore melleô vitioſô.*

Ibidem Obſervatio 94. *De Nebulâ ſingulari febris malignæ lethalis cauſâ.*

De eô extant præterea in Ephem. Curioſ. Centur. 1. *&* 2.

Obſervatio 50. *De Ploratû fœtus in Uterô.*

Ibidem Obſeravtio 51. *De Partû Septimeſtri & motô locali ſecundinarum retentarum expulſionem promovente.*

SIcut partus difficilis, ita ſecundinæ retentæ maximas afferre ſolent moleſtias. Quinimò tantò periculoſior ſecundinarum videtur expulſio, quantò vires, quæ poſt partum plerùmque nimis proſtratæ, imbecilliores ſunt. Adeò ùt ſæpiùs ad ultimum remedium, extractionem putâ cum uncô vel manû faciendam puerperis & Medicis moleſtiſſimam deveniendum ſit. Interim nè juſtô citiùs ad hanc anchoram properemus, nihil priùs intentatum relinquamus. Ità Longoſaliſſæ fœmina viginti annos nata, poſtquam primipara non legitimè fuerat tractata, jam ſecunda vice gravidata, mediis geſtationis menſibus continuò materiæ ſeroſæ cum ſanguine confuſæ fluxû, nullô remediô, conſtanti cum ſucceſſû compeſcendo, correpta. Poſt ſeptimum menſem partum valdè debilem vivum tamen, macilentum, lividi coloris & juſtô minorem edebat, cujus ligamentum umbilicale exſuccum penè manifeſtô indiciô, fœtum defeciſſe alimenta ſeu ſuccum nutritium. Poſt partum ſatis difficilem ob retentas ſecundinas in miſerrimô ſtatû decumbebat, variis remediis pellentibus mixturis ex Eſſ. caſtor. myrrh. ſuccin. ſpir. ſalis armon. vinoſ. Tinct. bez. &c. & pulveribus ex borrace, myrrhâ, cinnabarinis &c. aliàs probatiſſimis, ſine ſucceſſû in uſum vocatis. Sternutatoriis & aliis externis non neglectis. Viribus intereà temporis mirè proſtratis, & lipothymiis crebrioribus accedentibus cum manualem operationem vix tolerare poſſe videretur, ùt de locô in quô hactenùs quieverat, in alium locum tolleretur, ſuaſor eram; Idque tam ſperatô cum ſucceſſû, ùt ſtatim poſt motum illum localem ſine magno conatû facili labore ſecundinæ dictum factum eliminarentur, ipſaque priſtinæ ſanitati ex votô reſtitueretur.

Ibidem Obſervatio 52. *De Cardialgia & anxietatibus ab uſû medicamentorum Chymicorum ſpirituoſorum.*

Ibidem Obſervatio 53. *De Cardialgiâ cum lipothymiis à largiori doſi olei ſuccini.*

Ibidem Obſervatio 54. *De Motibus convulſivis & morte à largiori doſi Theriacæ.*

Ibidem Obſervatio 55. *De Alliô probatiſſimô præſervatoriô à calculô.*

MUlta in ſcriptis Medicis remedia à calculô præſervàtoria inveniuntur; plura fermè paſſim à vulgô commendantur; adeò ùt nephriticus valdè anceps ſit, quodnam inter plurima ſibi velit eligere, quô ſe à moleſtiſſimô affectû præſervet. Haud ita pridem à plurimùm reverendô quodam Paſtore & Archidiaconô, ſeptuagenariô in urbe vicinâ adhùc vivente, ſequens euporiſton miris elogiis mihi deprædicatum; Nimirùm recipiuntur tres, quatuor vel quinque allii particulæ à corticibus exterioribus liberatæ, quæ conſciſſæ & in cyathô cum ſpiritû vini vulgari ad digiti tranſverſi eminentiam infuſæ macerantur. Quale infuſum poſtquam per 24 horarum ſpatium ſtetit, in ipſo Novilunii momentô ſimùl ac ſemel ebibitur, idque per ſingulos anni menſes dictô modô tempore & momentô repetitur. Referebat mihi Venerandus ſenex tale remedium non ſolùm ſemetipſum ſed etiam multos alios, optatiſſimô cum ſucceſſû uſurpâſſe. Cùmque aliquandò ejuſdem uſum duobus menſibus intermiſiſſet, ineffabilibus calculi doloribus denuò afflictum fuiſſe; tandem verò poſt uſum variorum nephriticorum, calculum magnitudinem fabæ adæquantem, dubio procùl, intra dictum temporis intervallum generatum, excreviſſe. Poſtquam verò præſidium citatum ſequentibus annis conſtanter in uſum vocaſſet, ab omni doloris nephritici ſenſû in hunc uſque diem ſe præſervâſſe.

Ibidem Obſervatio 56. *De Equiſetô inſidô præſervatoriô à calculô.*

Ibidem Obſerv. 114. *De Hæmoptyſi Graviditatis inſidô ſignô.*

Ibidem Obſervatio 115. *De Fluxû menſtruô in Vetulâ.*

Ibidem Obſervatio 116. *De Curatione delirii à philtrô & erucis per vomitum & urinam excretis.*

Ibidem Obſervatio 117. *De Rore melleô, erucas producente.*

Ibidem Obſervatio 118. *De Febre tertianâ periculoſâ per ſympathiam curatâ.*

Ibidem in Appendice p. 48. *Diſſertatio Epiſtolica de Mulhuſini Territorii finitimorumque locorum conſtitutione epidemica Ann.* 1700. *Obſervata ad Dominum Luc. Schröckium, Cæſareo-Leopoldinæ Nat. Cur. Academiæ Præſidem &c. Auguſtam Vindelicorum tranſmiſſa à Johanne Georgiô* Hoyerô, *Philoſophô, Med. Doctore, & Cæſareo-Leopoldinæ Nat. Cur. Academiæ Collega Apollodorô dictô.*

Ibidem Centur. 3. & 4. *Obſervatio* 3. *De Hemiplexiâ cum Aphoniâ & totali omnium rerum oblivione, à cholerâ triduanâ, feliciter curatâ.*

PUer decem annos natus, diei cujuſdam tempore matutinô vehementer ſitiens & largiùs potulenta abſorbens, brevi pôſt horripilatione præviâ, vomitionibus & alvi dejectionibus crebrioribus per triduum fermè durantibus, cruentâque materiâ tertiô die notatâ, quin & lumbricô prægrandi per vomitum ſimùl eliminatô, mirè quidem defatigatus; hôc tamen rerum ſtatû licèt ſatis periculoſô, tam debitô regimine quàm neceſſariis remediis nihilominùs inſuper habitis, ipſe ægrotus ab aëre frigidiuſculô hypocauſti tempore brumali, non ſatis calefacti, ſæpiùs è lectô ſurgens, nonnihil refrigeratus, tertiâ nocte, horâ duodecimâ nondùm auditâ, præter morem minùs articulatè loquens, nec amplius ſurgere potens, mox ſenſû & motû, & voce penitùs deſtitutus, velut in agone mortis decumbere videbatur. Neque enim in conſilium vocatus, primâ fronte ægrotum hunc ab agonizante diſcernere poteram, ob phœnomenorum deſperatorum ſyndromen, quid potiſſimum, quid priùs faciendum, penè anceps. Mox verò conatus inanes vomendi & involuntarias alvi dejectiones adhùc moleſtas, obſervans, mixturam ex tinct. bez. eſſ. theriacal. caſtor. & anodyn. compoſitam propinabam, aquis cinamon. cydoniatâ, flor. anth. lavend. lil. convall. meliſſ. apoplect. locô vehiculi ſuperadditis. Præcordiis inſuper & ſtomachali regione linimentô ex oleis caryoph. ſalv. rut. ſuccin. chamomill. carv. & ſpir. ſal. ammoniac. b. n. inunctis. Ab his ſopitâ feliciter irritatione cholericâ, ægrotum deniquè meum lateris alterutrius ſaltim, dextri putà, ſenſû & motû prorſùs eſſe deſtitutum, animadvertebam. Quare præter dicta, pulveres ex nervinis, ſpec. diambr. pulv. epil. march. cinnabarinis, magiſter. perlar. corallior. &c. cum infuſis ex rad. & herb. nervinis & aromaticis in uſum vocabam; ſpinâ dorſi & articulis omnibus lateris paralytici linimentis ſpirituoſis & nervinis ſæpiùs inunctis, non neglectis pedum frictionibus &c. Linguæ præprimis unam atque alteram olei caryophyll. guttulam illiniendo. Quibus aliquandiù continuatis in dies meliùs habere videbatur, adeò ùt poſt dierum quorumdam decurſum, adſtantibus primùm particulâ affirmativâ; *ja* reſpondere poſſet. Poſt plures dies vocales, dein conſonantes pronunciabat, & elapſis quatuordecim ab invaſionis momentô diebus, denuò loqui diſcebat, ſenſimque membra paralytica inferiora movebat. Pro quo quidem membrorum paralyticorum motû recuperandô, balſami mercurialis (à ſylvæ ſemanæ accolis, è conis junioribus excelſiſſimarum abietum parati) uſum, præ reliquis ſummè proficuum notabam. Poſt tertiam ſeptimanam vocem articulatam motumque perfectiorem recuperabat, brachium ſenſim, ſed difficulter & cum doloris ſenſu, ſurſùm movendo; dolores enim quaſi arthritici vagi in omnibus lateris paralytici membris valdè moleſti, imò penè intolerabiles in manû & brachiô ſe exſerebant. Tandem verò poſt continuatum medicamentorum internorum & externorum uſum ex votô convaleſcebat. Qui adhùc hodie pancraticè valet, & arti piſtoriæ deditus, duros & improbos labores exequitur.

Plura notatû digna ex hôc caſû didici; & (1) quidem hemiplexiam hanc ſeu paralyſin cum aphoniâ dubiô procul ab exſiccatione tùm humorum vitalium tùm ſpirituum animalium ſeu ſubtiliſſimi ſucci nervoſi originem traxiſſe. Quamvis nonnulli dubitent, an exſiccatio inter paralyſeos cauſas referri poſſit? Vid. Craanen Obſervationes ad praxin Regii p. 62. Triduanam quippè choleram ſuccorum dictorum maximam partem exhauſiſſe probabile. Hinc etiam (2) oblivionem totalem & aphoniam à poris cerebri, ob defectum ſucci nervoſi ſeu ſpirituum animalium collapſis, ſubortam fuiſſe. Reſtitutis autem (3) & auctis ſenſim per medicamenta ſpirituoſa & nervina ſuccis vitalibus & animalibus, ægrotum hunc non ſolùm vocem, ſed memoriam quoque recuperâſſe, expanſis denuò à novô novorum ſuccorum vigore poris & tubulis cerebri & nervorum, priſtiniſque rerum veſtigiis poſtliminiò quaſi in integrum reſtitutis. (4) expanſionem talem nervorum fieri vix poſſe ſine doloris ſenſû, qui caſibus ejuſmodi in bonis habendus. (5) Notabilem naturæ progreſſum à facilioribus ad difficiliora. Hinc ægrum hunc primò vocales; dein conſonantes pronunciâſſe, porrò vocabula compoſuiſſe, tandem orationem dominicam rursùs didiciſſe, legiſſe, ſcripſiſſe, omnia ſucceſſivè. (6) Similibus in caſibus & quâvis cholerâ, inter morbos acutos & brevi lethales relatâ, non tam ad ſtomachica, & ſtyptica ſola, quàm nervina interna & externa, velut ad anchoram ſacram, in tempore confugiendum eſſe. Id quod ſi negligant, quid mirum quòd ſpe ſæpiùs fruſtrentur Practici nonnulli, cholerâ afflicti celeriùs opinione extinguantur, adeò ùt cholera defuncti, ſæpè quaſi à venenis extincti falsò credantur. De quo pluribus legi poteſt Obſervatio 180. Dec. 3. ann. 7. & 8. De Anatome cholerâ defuncti.

Ibidem Obſervatio 4. *De Lethalitate vulnerariâ ſubitaneâ ſine lethali vulnere.*

Ibidem Obſervatio 5. *De Enterocele magneticô ſeu per ſympathiam curatâ.*

Ibidem Obſervatio 6. *De Ulcere cancroſô per ſympathiam factô.*

Ibidem Obſervatio 7. *De viſûs acie in ſeptuagenariô uſû Nicotianæ conſervatâ.*

Ididem Ann. 5. & 6. *Obſervatio* 68. *De vanis eſſentiæ dulcis, ſeu Tincturæ auri encomiis & nefando ejuſdem in febribus malignis & peſtilentialibus abuſû.*

Ibidem Obſervatio 69. *De atretô feliciter curatô & vivace.*

Ibidem Obſervatio 70. *De Cochleis vivis, locô ſeminii ſeu nucleorum, in pyris inventis.*

Ibidem Obſervatio 71. *De Maniâ hæreditariâ incurabili à faſtû.*

Ibidem Obſervatio 72. *De ſerpente ex puellâ depulſâ.*

Ibidem Obſervatio 73. *De duobus vermibus articulatis in qualibet ani depoſitione articulum certum, aſcaridibus vivis plenum, demittentibus.*

Ibidem Obſervatio 74. *De muliere ſeptuagenariâ bis Menſes iterùm expertâ & tandem pro gravidâ habitâ.*

Mu-

MUlier 73. annorum in duobus matrimoniis fœcunda, in tertiô verò per 18. annos ſterilis, aliàs ſatis vegeta, corpore & animô in nuptiarū conſanguineæ ſolenniis paulò magis exagitatis, cum prægreſſô titillationis ſenſû de novô menſes eô, quô olim, ordine per aliquot dies experitur, qui, præterlapſô menſe quoque recurrunt. Quorum hoc tempore inſolitum recurſum marito denunciat, qui lætus pro omine futuræ fœcunditatis fauſto accipiens uxori cohabitat, menſes iterùm ceſſant, venter quidem, ſed inæqualiter, intumeſcit, in uterô quendam ſentit motum, mammæ præterlapſis aliquot menſibus turgidæ lac præbent & fundunt, quæ phœnomena non ſolùm uxorem & maritum, ſed & quoſdam Medicos de fœcunditate certiores faciunt, ùt propterea obſtetrices aliquotiès ad viſitandum accerſerentur, quæ unô conſenſû uxorem pronunciant gravidam, omnia propterea ad partum neceſſaria & hôc peractô ad convivium conſuetum læti præparant & coëmunt, quin planè novellis hanc extraordinariam & hactenùs inauditam impraegnationem, tanquàm quid novi, inſeri curant. Tempore inſtanſtis partûs conſuetô, dolores ſed abſque fœtû ſeſe ſiſtunt, qui etiam remittunt, recurrunt quoque nonnunquàm ùt hanc parturiendi ſcenam ultra trimeſtre ſpatium cum tumidô ventre & de reliquô, animô, corpore, & appetitû vegetô, agerent. Varia tam fœtum debilem, confortantia, quàm partum facilitantia ac promoventia & à Medicis & matronis variis, illuſtribus quoque mittuntur, & nullo tamen ſuccedente fœtû, propinantur. Tandem mihi ſingula jam relata, more ſolitô corruptô, cum urinâ citrinâ, flocculos leviſſimos & ſubtiliſſimos lymphaticos Chyloſos fundum petentes continente, referuntur, ex quibus inter ſe collatis propter intumeſcentiam ventris inæqualem & ſenectutem molam tantùm in uterô gerere, cum maximâ parentum triſtiâ prædixi, eamque propterea tantô citiùs medicamenta hanc eliminandi adhibere conſului. Quem in finem Pil. mearum Becheri ℥ij. in Aq. puleg. Menth. Criſp. & Meliſſ. ſolutarum. 1---3. cochlearia de die ſumenda per per octiduum cun Eſſ. Carminat. & Eſſ. Millefol. āā. ad 36. gut. nonnunquàm interponenda ordinavi, quibus per aliquot dies adhibitis dolores ad partum redeunt, magna aquæ quantitas ex uterô illos excipit, ùt tantô major ſpes futuri fœtûs matrem & obſtetricem cum adſtantibus erigeret; quæ vero ſequenti die citò iterùm evanuit, dum nôn ſolum aqua illa livida per nychthemerum, ad urnam & ultrà fluere continuabat, ſed & fruſtum carnis cum venis & 5. ad 6. libras ponderans quam molam dicimus, ſimul excrevit; quâ excretâ venter iterùm detumuit, vires reliqui corporis ex votô redierunt, & omnis omnium de fœcunditate ſpes fruſtrata hôc modô fuit.

Ibidem Obſervatio 75. De Menſibus Generoſæ Matronæ, tanquam infallibili impragnationis ſignô, & filia novem annorum menſes experiente.

Ibidem Obſervatio 76. De Duplici puerperiô ſine lochiis felici.

Ibidem Obſervatio 77. De Uſu pulveris bufonum in Hydrocele & Hydrope Anaſarcode incipiente ſalutari.

Ibidem Obſervatio 78. De Hydrope Aſcite per fortiora hydragoga curatâ.

DUro nodo durus quærendus eſt cuneus, quod per proverbium mali moris & genii aſperioris homines in vitâ communi depingere ſolent; non abſque fundamentô ad morbos malè morigeros in praxi Medicâ applicare hoc licet. Sicut & idem Celeb. Waldſchmidius in E. N. C. Decur. II. Ann. IX. & X. Obſ. 51. & 52. in pertinaciori malo hydropico fortiora hydragoga cum fructû adhibita, commendando, innuere videtur, id quod, viribus tamen patientis benè anteà conſideratis, & ſufficientibus, ſine damnô hydragoga fortiora, in malô hydropicô propinare nonnunquam neceſſe eſſe, ſequens virginis hydropicæ exemplum latiùs confirmare poterit. Virgo nempè 26. annorum temperamenti phlegmatici, malè menſtruata, in febrem primò quartanam ex malâ & inordinatâ diætâ, qualis ordinaria famulantium eſt, incidit, * per varia ἄνω καὶ κάτω purgantia fortiora à Chirurgô adhibita, cum tertianâ erraticâ & tandem duplicatâ in continuam acutam pronâ mutavit, quæ verò temperantibus abſorbentibus fixis pulveribus & diureticis cum carminativis ceſſavit, ùt ſuis laboribus paulisper ſatisfacere iterum potuerit. Quia verò menſes reſtitui poſthàc non curabat, hinc preſſô, ut dicunt, pede cachexia & tandem planè hydrops aſcites adeò inſequebatur, ùt pedes & totum abdomen tantam acquirerent intumeſcentiam & molem, ùt præ tumoris mole neque ſe ampliùs in lectô flectere, neque ſitum mutare, neque inferiores corporis partes aſpicere valeret. Quapropter variis præparantibus carminativis amaris præprimis pil. meis Becherianis & Tincturâ antimon. acri cum Eſſ. amaris junctâ præmiſſis, phlegmagoga & hydragoga leniora cum ſucceſſû quidem, ſed non conſtanti, adhibebantur, ùt neſcio, quô conſiliô propriâ authoritate ægræ mater decoctum fol. aridorum ebuli ter per diem ad menſuram dimidiam propinaret, quod decoctum tantâ vehementiâ ἄνω καὶ κάτω ſerum evacuabat, ùt in agone propterea conſtituta videretur, hinc meô conſiliô ſemel de die & poſteà alternis diebus hauſtum hujus decocti cum bono regimine & interpoſitis carminativis uſurpabat, quâ quoque methodô ſub gratiâ divinâ ab hôc malô ægra liberata & priſtinæ ſanitati fuit reſtituta.

Ibidem Obſervatio 79. De uſû decocti Rad. Chicorei in phthiſi polychreſtô.

VIr temperamenti melancholico-cholerici 44. circiter annos natus, per aliquot annos ſentit tuſſim primò ſiccam, poſteà purulentam, poſt prægreſſam aliqualem exagitationem corporis patheticam, menſe Martiô dicta tuſſis adeò exacerbatur, ùt non ſolùm totum corpus nimium quantum concuteret & ſenſum preſſorium lancinantem in pulmonibus cùm materiæ purulentæ ſanioſæ ſanguinolentæ per tuſſim excretione experiretur, quæ adeò valdè olebat, ùt conjux apud maritum diutiùs permanere denegaret, ſed & febris acuta hectica ſe aſſociaret, quæ patientis vires adeò proſternebat, ut ſe movere ex lectô ampliùs non ſufficerent. Quapropter petiit conſilium, cui rad. Cichorei cum lacte caprinô decoquendam & de die ad ℥ij. horis matutinis bibendam ordinavi, interponendam verò, æſtû febrili nonnihil remittente. Eſſ. Alexipharm. Dn. D. Stahlii ad gut. 20. 25. cum regimine moderatè calidô & diætâ eupeptâ, minimè ſalſâ aut acri aut acidâ, præſcripſi. Quibus, dictô modô, adhibitis non ſolùm hic vir, ſed multi alii miſerrimè phthiſi cum hecticâ decumbentes & ſeniores & juniores, emulſione ex aquâ Chærefol. Fœnicul. Hyſſop. Plantag. Pyrol. Sanicul. Scordii & veronicæ vinoſæ, cum ſem. Pap. alb. & Amygd. dulc. ſpeciebus pectoralibus anti-

tiphthiſicis adjectis, pro vehiculô dictæ Eſſentiæ in ditioribus ſubjunctâ, ſub benedicente divinâ gratiâ reſtituti fuerunt.

Ibidem Obſervatio 80. *De Variolis cum Diarrhœâ non noxiâ Epidemicis.*

Ibidem Obſervatio 81. *De Variolis Sanguinolentis in Sphacelum lethalem degenerantibus.*

Ibidem Annô 7. *&* 8. *Obſervatio* 76. *De Citationis in vallem Joſaphat eventû lethali, à cauſis phyſicis derivatô.*

Ibidem Obſervatio 77. *De Cochleis ſeu domiportis vivis per alvum ejectis.*

Ibidem Obſervatio 78. *De Melancholicâ veneficam ſe ſimulante.*

HUARTE de San Juan (*Johannes*) Doctor Medicus, curioſè, doctèque de Ingeniorum differentiis, & quæ, quibus artibus, ac ſcientiis conveniant, diſputavit in eô opere, quod vulgò & apud omnes gentes magni habetur, ità inſcripto.

Examen de *Ingenioſ.* Juliobrigæ, 1580. in 8. Beaciæ, apud Johan. Baptiſt. de Montoia, anno 1594. in 8. Barcinone, 1607. 8. Compluti, 1640. 8. apud Antonium Vaſquez. Lugduni etiam Batavorum apud Johan. de Maire, 1652. in 16. Latinè id vertit, cum Theodorus Arctogonius, Auſtriacus, Argentinæ editum annô 1612. tum Æſcaſius Major Dobreboranus, Coloniæ Anhaltinorum 1621. & Jenæ, apud Samuelem Krebs, 1663. in 8. Edidit & Poſſevinus Coloniæ, apud Gymnicum 1610. in 8. & apud Claudium Capellet in 12. Reprehendit tamen quædam ex hôc librô idem Poſſevinus in Bibliothecâ. Italicum dedit Camillus Camilli, editum Venetiis, 1582. in 8. Iterùmque Saluſtius Gratiis prodire fecit Venetiis apud Matthæum Valentinum 1603. in 8. Gallicum quoque Gabriel Chapuis Turonenſis, quod Lugduni editum eſt 1580.

Libet appendere Latini Interpretis Æſcaſii Majoris de hôc opere judicium; De cæterô viſus mihi eſt doctorum hominum noſtri ſæculi, ſi quiſquam longè ſubtiliſſimus: Cui & publicè ſumma omnia debeantur, & qui inter ſcriptores optimi commatis, majorumque gentium, quantùm, aut extare, aut extitiſſe meminerim jure ſuô tranſcribi mereatur. Retraxit enim in ævum noſtrum fugitivam ſubtilitatem, atque à fatali veluti metâ revocavit ad lucem ſolutam illam opinandi libertatem, quâ antiqui Sapientes (quos hâc ſcriptione in certamen quaſi acuminis vocâſſe videtur) ad intima naturæ adyta tam felici atque omni poſteritati ſubſequutæ proficuô auſû penetrarunt. Hæc ille, & alia. *Nicol. Anton. Bibl. Hiſp. T. I. pag.* 543.

HUBNERUS (*Bartholomæus*) Erphordienſis.

Ex eô habentur

Oratio de veris immotiſque fundamentis artis Medicæ & Philoſophiæ, deque impietate, portentoſis, & pernicioſis erroribus. Phil. Paracelſi, & ſectatorum ejus, quibus Theologiam pariter & Philoſophiam cum Medicinâ nefariè conſpurcarunt. Erphordiæ apud Johann. Piſtorium, 1593. in 8.

De Morbis incurabilibus, Liber. Erphordiæ, apud Johann. Piſtorium, 1589. in 4.

HUCHERUS (*Johannes*) Bellovacus.

De eo extant

De Prognoſi Medicâ, Libri duo. Lugduni, apud anton. de Harſy, 1602. in 8.

De Sterilitate utriuſque ſexus. Opus in quatuor Libros diſtributum, & nùnc primùm in lucem editum. Cui annexus eſt Liber de Diætâ & Therapeja Puerorum. Genevæ, apud Gabr. Cartier, 1609. in 8. Coloniæ Allobr. apud Samuelem Criſpinum, 1610. in 8.

De Febrium differentiis, cauſis, ſignisque & curatione, Libri quatuor. Lugduni, ap. Anton. de Harſy, 1601. in 8. Ibidem, apud Jacobum Choüet, eodem annô in 4.

Oratio habita in Promotionis & actûs fine; An cibi magis coctiles, ſint quoque magis ſalubres? Extat p. 276. Laureæ Apollineæ Monſpelienſis Andreæ Kragii.

Oratio pro Philoſophicâ Monſpelienſis Academiæ libertate, ad ejuſdem Principes, Doctores, Medicos habita X. Cal. Martii, annô 1667. Extat Tomô I. Operum Laur. Jouberti editorum. Lugduni apud Stephanum Michaelem, 1582. in fol.

Theſes Medicæ triduum diſputandæ, in Gymnaſiô Regiô Medicorum Monſpelienſium propoſitæ. Extant eôdem Tomô Operum Jouberti, Editionis ejuſdem.

HUEBER (*Georgius Ludovicus*) Herbipolenſis, AA. LL. & Philoſophiæ Baccalaureus, Medicinæ Candidatus.

Ex eô habetur

Lythographiæ Wirceburgenſis, ducentis lapidum figuratorum, à potiori inſectiformium, prodigioſis imaginibus exornatæ Specimen I. quod in diſſertatione Inaugurali Phyſico-Hiſtorica, cum annexis Corollariis Medicis, publicæ Litteratorum diſquiſitioni ſubmittit Author. Wirceburgi, apud Philip. Wilh. Fuggart, 1726. fol.

HUGGELIUS (*Joh. Jacobus*)

De eô extat

De Semeioticæ Medicinæ Parte, Tractatus. Ex probatis collectus Authoribus, & in tabulæ formam redactus. Baſileæ, apud Nicolaum Bryllingerum 1560. in fol.

HUGO (*Guilielmus*)

De eô extat

De Plantis Americanis. Londini, 12. 1672.

HUGO (*Senenſis*) Vid. BENTIUS (*Hugo*)

HULDENREICH (*Joh. Fridericus*) Phyſicus Vracenſis.

Ex eô habetur

Obſervatio, de Hepate inſolitæ magnitudinis, pendente quatuordecim libras civiles. Extat Ephem. Acad. Nat. Curioſ. German. Ann. VI. & VII. N. 209.

De Calculô in Veſiculâ fellis. Ibid. Ann. eod. N. 220.

De Calculis innumeris in ſubſtantia pulmonum repertis. Ibid. Ann. eod. N. 221.

HUMAIN, aliàs JOHANNITIUS, Arabs.

Ex eô habentur

Œconomiæ Librorum Canonis Avicennæ; cum Tabulis Iſagogicis in univerſam Medicinam. Extant in Canone editô per Fabium Paulinum, Venetiis, apud Juntas 1595. in fol.

Introductio in Artem parvam Galeni. Venetiis, apud Baptiſtam de Fortis, 1487. in fol. cum Galeatii de S. Sophia Opere in nonum Rhaſis ad Almanſorem, Operâ Georgii Kraut caſtigata. Hagenoæ, apud Valent. Kobiam, 1533. in fol. Extat quoque cum Bertrucii de Diætâ Librô & Cophonis Arte medendi, Argentorati, 1535. in 8.

Galeni de motibus manifeſtis & obſcuris, ex

ex Græcô in Arabicum tranſtulit; item de Clyſteribus & Colicâ.

HUMELBERGIUS (*Gabriel*) Ravenſpurgius.

De eô extant

In Quinti Sereni Sammonici, Poëtæ & Medici Clariſſimi, de Re Medicâ, ſive, Morborum Curationibus Librum tum elegantem, tum humanæ ſaluti perquàm utilem, & diligenter emendatum, Commentarii. Tiguri, apud Froſchoverum, 1540. 1591. in 4.

In Apicii Cœlii de Opſoniis & Condimentis, ſive, Arte Coquinariâ, Lib. X. Annotationes. Ibidem, apud eundem, 1542. in 4.

In Sexti Philoſophi Platonici de Medicinâ animalium, beſtiarum, pecorum, & avium. Lib. Scholia. Tiguri, apud Froſchoverum, 1539. in 4.

Antonii Muſæ de Herbâ Betonicâ Lib. unus. L. Apuleji de Medicaminibus herbarum. Lib. unus, recogniti & commentariis illuſtrati. Tiguri, apud Froſchoverum, 1537. in 4.

HUNAULD Med. Doct. & ejuſdem Profeſſor in Academiâ Andegavenſi Conſiliarius & Medicus Regis ordinarius.

Ex eô habentur

Diſſertation ſur les fiévres malignes qui regnent dans les ſaiſons de l'Eté & de l'Automne, & en particulier ſur celles de l'année 1710. *i. e.*

Diſſertatio de Febribus malignis, tempeſtatibus æſtivis ac autumnalibus regnantibus, & in ſpecie de illis ann. 1710. Andegavi, apud Joh. Hubault, 1710. 12.

Entretiens ſur la Rage & ſes Remedes; où par occaſion on propoſe un nouveau Syſteme de la ſanguification & de quelques autres matieres, tres importantes à l'Art de guerir, i. e.

Dialogi de Rabie & ejus Remediis; quâ occaſione novum proponitur Syſtema ſuper ſanguificatione, aliiſque maximi in Arte curatoriâ momenti. Châteaugontier, apud Joſephum Gentil. 1719. 12.

Accuratiſſimus hic de Rabie Tractatus, omninò legi meretur.

HUND (*Magnus*) Parthenopolitanus.

Ex eô habetur

Anthropologium de hominis dignitate, naturâ, & proprietatibus; de elementis; partibus corporis humani; de morbis; remediis; Phyſiognomiâ; deque Animâ hominis. Lipſiæ, apud Marcum Brandt, 1501. in 4.

HUNERWOLFFIUS (*Jacob. Auguſtinus*) Medic. Licent. & Phyſicus Arnſtadienſis.

De eô extat

Anatomia Pæoniæ, in quâ natales & qualitates Pæoniæ itemque præparationes & medicamenta ex eâ varia cum virtutibus & uſû ad plurimos humani corporis affectus exhibentur. Arnſtati, apud Henricum Meurerum, 1680. in 8.

Ex eô præterea habentur in Miſcell. Cur. Dec. 2. *Ann.* 3.

Obſervatio 91. *De Sordibus aurium dulcibus, inſtantis mortis præſagiô.*

Ibidem Obſervatio 92. *De Vulnere oculi humanâ ſalivâ curatô.*

Salivam hominis jejuni morſibus venenatis ſerpentum, canum rabidorum, ſimilibuſque mederi communiter dicunt. Saliva ad partem arthritide affectam contra novos inſultus muniendam infricata manè commendatur, quia temperat utrumque acre, & roborat partes, teſte Sylviô lib. 1. Prax. Med. C. 30. S. 177. Ganglia ſeu nodos in carpô exiſtentes frequenti cum ſalivâ frictione, abſque aliorum medicamentorum uſû ſæpè curavit Chalmeteus, quô de videatur, *Enchirid. Chir. Lib.* 1. *C.* 13. Salivæ illitus lichenes & tubercula hæmorrhoidalia curare affirmat incomparabilis D. D. Wedelius *Decur.* 2. *Anni I. Ephemer. Germ. Obſerv. II.* Memini cùm uterinus frater meus annô ætatis ſuæ duodecimô corium diſſecare vellet, cultri ſursùm abſcedentis cuſpide petiit oculum ſiniſtrum ſcævâ, & tunicam corneam, uveæque partem ità vulneravit, ut notabilis quantitas humoris aquei effluerit. Curabatur autem vulnus nullô aliô remediô, quàm ſalivâ matris. Ea enim diductis palpebris linguam ſalivâ madidam vulneri admovebat, idque lambendô jejunè & deligandô molliter curabat, remanente in bulbô iſtô parvô vulneris inflicti veſtigiô, cum pupillâ anguſtiore, & viſû acutiore.

Ibidem Obſervatio 93. *De Curatione febris tertianæ per terrorem.*

Ibidem Annô 5. *Obſ.* 17. *De Puelli deſperati curâ.*

Ibidem Obſervatio 18. *De Curatione affectûs ſpaſmodici ab incantatione.*

Ibidem Obſervatio 19. *De Ileô lethali à vermibus.*

Ibidem Obſervatio 20. *De Lachrymis Verminoſis.*

Ibidem Obſervatio 21. *De Brachiis ſcrofuloſis.*

Ibidem Obſervatio 22. *De Catarrhô ad nares ex roſarum odore.*

Ibidem Obſervatio 23. *De Hauſto Napelli venenô potatione extinctô.*

Ibidem Annô 6. *Obſervatio* 92. *De Curatione Maniæ per Emeticum.*

Ibidem Obſervatio 93. *De ſternutatione enormi ex uſû Cereviſiæ.*

Ibidem Obſervatio 94. *De Virtute ſtercoris ovilli.*

Nihil ſub Sole tàm abjectum eſt, quod non aliquandò proſit hominibus. A ſtercore animalium fertiles fiunt agri, homines ſani. Quis ergò negligeret hæc tempore neceſſitatis, aut illis invideret, quibus res anguſta domi eſt. Auxiliatricem diverſorum ſtercorum virtutem internam & externam in nonnullis expoſuit *D. Albrecht in Ephem. Decur.* II. *Annô* 4. *Obſervat.* 81. Modum operandi tradidit *D. Grube de Med. ſimpl. cognoſc. pag.* 57. Stercus ovillum præter uſum agrarium & vim emolliendi, diſcutiendi, dolores ſedandi, quam poſſidet, extrà etiam egregiè ſiccat, extergit, conſolidat, & hinc traumaticum audit. Priores virtutes demonſtrat fœmina quædam ruſtica, in contumaci obſtructione ac dolore alvi foliis ſenæ & rhabarbaro incaſsùm uſa, ſtercus recèns ovillum cataplaſmatis formâ alvô imponens, & naturam à ſarcinâ liberans. Altera virtus confirmatur hôc caſû: Chriſtophori *Neubavers*, figuli noſtratis filiolus biennio, poſt variolas epidemias phagadænica in tibiis ſervavit ulcera, quæ ſat diu Chirurgorum illuſêre manus, & tandem inſperſô pulvere ſtercoris ovilli feliciter à parentibus fuêre ſanata.

Ibidem Annô 7. *Obſervatio* 80. *De Cephalalgiâ, corroſivô formicarum liquore curatâ.*

Civis & fullo Arnſtadienſis, perpetuâ cephalalgiâ tentatus, ex infinitis remediorum generibus adminiſtratis nullum percepit commodum, hinc ea abdicavit omnia, malum patienter ferens. Cùm verò mihi in medicum uſum colligeret aliquando formicas, baculis acervô dirutô impoſitis, manibuſque deterſis & præcipitatis in lagenam vitream animalculis & manus ipſi excoriarentur à ſaliente liquore animali, oppidò ceſſavit, nec unquam dolor iſte capitis moleſtiſſimus eſt reverſus.

Ibidem Obſervatio 81. *De Verſicolore & exulceratâ cute à menſibus retentis.*

Ibidem Obſervatio 82. *De Gelatinâ Sabinæ.*

EX internodiis Stolonum annuorum juniperi poſt pluvias exudantem gelatinam, exteriùs in paralyſi affrictam, pro ſecretô habuit Cnöffelius in Ephem. Append. ad Ann. 6. & 7. p. 184. Gelatinam ſimilem in fungulos abeuntem, non ſemel in annoſæ ſabinæ ramis, humidâ tempeſtate obſervavi. Hanc in vitrô Soli expoſitam inque aquam redactam & propinatam, ſuppreſſos menſes blandè & ex votô ciêre ſcio.

Ibidem Obſervatio 83. *De Mole corporis à molâ & hydrope notabili.*

Ibidem Obſervatio 84. *De Euporiſtô in Hydrope.*

DEus in abſconditô ſemper poſuit maximum, in apertô autem minimum, inquit Crollius in præfat. de Signaturis. Fluitat & occultatur in aquâ, quod locô movet aquam in humanô corpore & in apertum profert, fœniculum ſcilicèt aquaticum, vulgò *Waſſer-Saum.* Si enim lympha extravaſata inundavit viſcera, & venter intumuit, planta hæc impoſitione ſolâ molem lymphaticam educit. Aſcitica Arnſtadii, ſuaſû cujuſdam ab eôdem malô ſic liberati, fœniculô aquaticô aridô pedes ſibi ſupra malleolum circundari juſſit, quod veſicatorii vicem, & unâ nocte plurimas veſicas effecit, quibus diſſectis, abdomen & crura feliciter ſe exonerârunt, aquâ fluente ſenſim ad multas libras, ægrâque ſe refocillante. Paganus Eſpenfeldenſis, hydropicus εὐσπλαγχνος eandem herbam pedibus admovit, & ex votô aquam eduxit. Quod verò miſerum, excoriati pedes ob effluxum continuum laticis ingenti dolore cruciari ſolent ægrotos, quos jubeo ſolari, & à periculô defendere ſequenti cerato; ℞. Gum. Elemi, Terebinth. āā ℥ß. Colophon. ʒj. Ol. Amygd. D. Roſar. Lumbr. terreſtr. ovor. āā ℨvj. Ceræ ℥j. Liquatis his leni calore adde Pulv. Rad. Ireos Flor. Lumbricor. terreſtr. Thuris, Myrrhæ, Tutiæ, Bol. Arm. āā. ʒij. Vitell. ovor. num. ij. M. exactè F. & S. *Heil-Pflaſter.* Paracenteſis ad umbilicum Chinenſis moxæ ſubſidiô inſtituta cum euphoriâ apud Gehemam Obſerv. Med. 4. Decad. 1.

Ibidem Obſervatio 85. *De pudendô ſuillô contra urinæ incontinentiam.*

POëta ſentit: *Obeſô nil melius turdô, nil vulvâ pulchrius amplâ.* Caro nempè ſuilla vulvæ contermina eſurientibus, ipſum verò vulvæ lectum mejentibus conducit. Vir quinquagenarius mandit vulvam cum parte ventriculi & inteſtinorum bovis coctam, conciſam, & cum acetô præparatam inſcius, & urinam continuit. Adoleſcens octodecim annorum ejuſmodi vulvam devoravit in botulô, & opem ſenſit. Puella ſexennis ex galreda conſumpſit hoc pudendum, & à pudendô malô liberata fuit. Eundem glabri murium pulli obtinent effectum *in Ephem. Decur. II. Ann.* 2. *Obſ.* 173.

Ibidem Obſervatio 86. *De Diabete lethali ab uſû Cantharidum externô.*

Ibidem Obſervatio 87. *De Curatione Dyſenteriæ deſperatæ.*

Ibidem Obſervatio 88. *De Calculô clavatô.*

Ibidem Obſervatio 89. *De Cerebrô Apri antipodagricô.*

Ibidem Obſervatio 90. *De Noxâ puerperarum à ſecundinis temerè abjectis.*

Ibidem Obſervatio 91. *De Maleficiis ſuffitû curatis.*

Ibidem Annô 8. *Obſervatio* 16. *Eſus Cricetorum parit Elephantiaſin.*

Ibidem Obſervatio 17. *Sonus Campanarum facilitat partum.*

Ibidem Obſervatio 18. *De Ileô perniciali à calculô, vermibus, flatibus.*

Ibidem Obſervatio 19. *De ἰσχαίμοις extemporaneis.*

Ibidem Obſervatio 92. *De Ileô & profundô inteſtini recti coalitû.*

Ibidem Obſervatio 93. *De Mirô dentium robore.*

Ibidem Obſervatio 94. *De Plicâ Polonicâ in barbâ.*

Ibidem Obſervatio 95. *De Priapô amiſſô.*

Ibidem Annô 9. *Obſervatio* 97. *De Euporiſtô in Dyſtokiâ.*

DUra vox ab ævô fertur conditô, quæ creatoris eſt, & omne genus ferit mortalium, labora. Hinc coloni, imperioſâ excitati inediâ, bibentes jactant. Alii manus operi imponunt, alii, ùt victitent. Artifices non ſine labore ſuô ſe tuentur & conſervant ingeniô. Imò certè ipſa vita noſtra incipit à labore durô, quô ſexus imprimis, Deô ſic ordinante, angitur fœmininus. In hôc, licèt haud raro naturâ ſopitâ impoſſibile videatur, ejuſdem ex votô referare clauſtra; attamen hoc, Deo benedicente, non ſine dulci parturientium ſolatio præſtitimus iterùm atque iterùm levis impenſæ medicamentô. Matrona nobilis multô ſudore & dolore partûs fruſtrà noctes dieſque defatigata me ſuaſore bis utebatur pulvere tali non quidem admirabili, ſecundô eventû; ℞. Myrrhæ Troglodyt. ℈j. Borac. Venet. Croci Orient. āā. ℈ß. Oleum ſuccini gutt. iij. M. D. in vinô. Lætam fecit eadem Medicina Cauponis conjugem, partû remorante quatriduum. Fabri lignarii puerperæ ſextô die ſuccurrimus feliciter eodem pulvere. Piſtoris uxorem in hoc labore prædurô ex fati faucibus laudatô ereptam vidimus euporiſtô. Villica in partû difficillimô à gemellis jucundè liberata fuit eôdem. Plura adderem, niſi tædium pararent exempla. Cùm hæc ſcriberem, me juſſit vocare operarii primâ vice parturiens conjux, quæ graviter quartum uſque ad diem laboravit incaſſum; veni, & hunc pulverem propinavi in aquâ pulegii; ſed ægra jam annum trigeſimum egreſſa, ob partium genitalium anguſtiam, non oppidò indè enixa eſt; juſſi ergò, ùt urgentibus doloribus acclamarent ipſi præſentes in adjutorium mulieres; conatus tamen ſemper fuerunt irriti. De novô partes ſuas peregit puerpera, ſed pariter ſine effectû, unde exclamavit; *Erdule ich kan nicht mehr!* Obſtetrices verò iterùm injungentes laborem, puſillâ & flebili voce hunc inter allocuta eſt puerpera; *Habt Ihrs nicht bald beym Oehrle?* Datur ergò pulvis noſter myrrhatus, parùm in pondere auctus, in aquâ pulegii, & imperatur decumbenti ut nihil operis adeò laudabilis intermittat, & itâ tandem puerulus, inter mortuos relatus, ruptis angiportis abſcedit commodâ manuductione ſalvus & incolumis. Ad ejuſmodi exempla monui obſtetrices nè ante maturum tempus ad pariendum incitent mulieres, quia notum, ejuſmodi feſtinationes ſæpè operantibus fuiſſe funeſtas. Pagani mulier in viciniâ, conſiliis paganis contenta, ad partûs laborem ineptô incitatur tempore, & fœtus, brachiô primùm prodiens, trahitur, idque vi à mulierculis avellitur, remanente in uterô infantili truncô. Quidam verò Medicus paganus in auxilium vocatus, manum indoctam miſit in uterum parturientis, non ſine maximô ejus cruciatû, ùt, auditô ejulatû miſerrimô, ille abſtinere coactus fuerit ab opere. Pulverem non nemo noſtrum ante hanc tragœdiam ſuadebat; ſed ſpretô hoc, nocte inertem ſequente torturam, ſponte cadaveroſa uteri excernuntur retenta, atque ſtatim, matris in æternam clauduntur lumina noctem.

Ibidem Obſerv. 98. *De Fœmellis duabus monſtroſis.*

Ibidem Obſerv. 99. *De Ovariô Hydropicâ monſtroſô.*

Ibidem

Ibidem Obſervatio 100. *De Puellâ, mox à nativitate menſtruum paſſâ.*

Ibidem Obſervatio 101. *De Urinâ viſcidâ ductili.*

Ibidem Obſervatio 102. *De Arthritide ptyaliſmô ſolutâ.*

Ibidem Obſervatio 103. *De Singultû, promiſſione doni curatô.*

Ibidem Obſervatio 104. *De Fumô Nicotianeô, ventriculi hoſte infeſtô.*

Ibidem Obſervatio 105. *De Veneficiô homerdâ & hyoſcyamô curatô.*

Ibidem Obſervatio 106. *De Verâ & ſuperſtitioſâ Incendiorum ſedatione.*

Ibidem Annô 10. *Obſervatio* 49. *De ſaccô abdominis, hydropem mentiente.*

Ibidem Obſervatio 50. *De Aliô inæquali & lethali abdominis tumore.*

Ibidem Obſerv. 51. *De Alvi excretione ſebaceâ.*

Ibidem Obſervatio 52. *De Plebeiis ad dyſenteriam remediis.*

Ibidem Obſervatio 53. *De Strumarum curatione tranſplantatoriâ.*

Ibidem Obſerv. 54. *De Orthopnœâ in Sene curatâ.*

DOminus Joh. Meie, ſexaginta & aliquot annorum, Arnſtadii ad juniperum Caupo, menſe Octobri, aſperô ſpirante boreâ, corripitur laſſitudine ſpontaneâ, cibi petit appetentia, ſpirandi emergit difficultas, & tumor pedes occupat œdematoſus. Confugiebat Vir bonus ad Medicos, hodièque conſulebat unum, cras alterum, & interdum plus confidebat aniculis medicatricibus, donec auctâ humorum circulantium aciditate & viſcoſitate major tubulorũ pulmonaliũ fieret coarctatio, unde crebrò & erectâ cogebatur reſpirare cervice, ſudore manante frigidô. A me tandem petiverunt opem. In paroxyſmô igitur, meô juſsû ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus cum oleô caryophyllorum per intervalla brevia naribus admotus, linguæ affrictus, ori guttatim cum aquâ calidâ ad deglutiendum infuſus, unàque frictiones pedum, brachiorum, pectoris cum linteis inſtitutæ calidis, aperiendo & reſolvendo, ſedenti conduxêre ſuſpirioſo. Linxit extra paroxyſmum idem etiam ovi luteum, ſpermate ceti, crocô, & ſpiritû cinamomi mixtum, & ſorbillavit interdum unam & alteram potûs theæ patellam. Clyſter acris alvum ſui admonuit, & pulvis radicis gialapii cum ſale abſynthii aſſumtus in juſculo calido, viſcidam corpori ſubtraxit ſaburram. Continuata frictio, & ſaponis nigri cum viridi rutâ contuſi, aridique muſci de quercû; alterna impoſitio, contumacem pedum unà ſuſtulêre tumorem. Altiſſimum ergo pro ſalute novâ, devotô pectore noſter laudavit Orthopnoicus.

Ibidem Decur. 3. *Ann.* 1. *Obſervatio* 112. *De Liliô cruentô Polyphyllô & Bellide monſtroſâ.*

Ibidem Obſervatio 113. *De Tumore inſolitô vulvæ.*

MUlier pagana ad quintum gravida menſem, durâ alvô, nauſeâ, cardialgiâ, dyſpnœâ, ventris femorumque tumore afflicta, petiit à me auxilium; cui ex gialapiô præbui pulverem, & benè hunc tulit. Nauſeam & dolorem ventriculi vici mixturâ theriacali. Tumor indè ceſſit de ventre, & inceſſit ad vulvam, cujus labia tali augebantur incrementô, ùt caput æquarent hominis robuſtiſſimi, & gravidæ impedirent penitus itum. Dura verò & vexata illa labia ad mollitiem & ſuppurationem reducta convenientibus rumpebantur, & magnam cruentæ purulentæque materiæ copiam fundebant: Sulcô poſteà genitali reſtitutô in integrum oleô hyperici compoſitô Lobelii, nixibus maturis, grandi capite puer in lucem fuit editus.

Ibidem Obſervatio 114. *De Prolapſu uteri & partû ex eô ſine dolore.*

Ibidem Obſervatio 115. *De Pane laxativô.*

Ibidem Obſervatio 116. *De Caſtore*, dem Bieber! *per abſtinentiam curatô.*

Ibidem Obſervatio 117. *De mirabili vermium copiâ feliciter ejectâ.*

Ibidem Obſervatio 118. *De Scabie Neo-gamorum, quam vocant* Braut-Krâze.

Ibidem Obſerv. 119. *De Hæmorrhoidibus malè curatis, in ulcus fiſtuloſum & Epilepſiam lethalem mutatis.*

Ibidem Obſerv. 120. *De Antepilepticorum præſertim pulveris farinacei ex corylô effectû diverſô.*

Ibidem Anno 2. *Obſervatio* 90. *De Coronâ Imperiali bifidâ.*

Ibidem Obſervatio 91. *De Perniciali philtrorum vi maturè devictâ.*

Ibidem Obſerv. 92. *De Noxâ radicum hyoſcyami nigri comeſtarum, à Naturâ ſponte repulſâ.*

Ibidem Obſervatio 93. *De Veſpertilione terrorem epilepticum incutiente.*

Ibidem Obſervatio 94. *De Febris deſperatæ ardentis felici curatione.*

MUltos decumbentes pro deploratis hactenùs habitos, febrilibus, juvante Deo, eripuimus furiis citrà jactantiam, ùt nonnullis miraculô fuerint curationes. Tot enim gravia & horrenda in hâc febre ſymptomata tolerare, vix miſeri hominis eſt. Principiô triſtis & demiſſus inſtans horret incendium, tremit, languet, pallet, deindè cor flammâ corripitur, & totum æſtû incandeſcit corpus, urit ſitis arida guttur, nunc caput & artus dolent, nùnc ità fit anxius febricitans, ùt ſanguinem fundat, ſudoremve cum notabili virium diſpendiô, nùnc in furorem actus, fabulatur falſa, & bellum indicit omnibus, ſique non poteſt nocere evadentibus, ſibi ipſi infert manus, agitque violentam haud raro tragœdiam. Invocatus autem intimô pectore Deus, miſericordiâ permovetur, ùt ejuſmodi miſeriis & calamitatibus opem ferat. Expectans hanc opem ut inſtrumentum, vocari me juſſit civis Arnſtadienſis, ex arte piſtor, cujus filius, viginti duo annorum hyemale circa ſolſtitium malè cœpit habere. Veni ad lectum ejus & quæſivi de eô quid pateretur. Abſolutâ ægroti confeſſione, quòd ſcilicèt primò correptus fuerit languore & horrore ſubitaneô, deinde capitis & præcordiorum dolore continuô, vidi ipſum in ſummô æſtu arripere cantharum cereviſiæ & ſemiplenum exhaurire avidiſſimè, ſed non reſtinguere ſitim. Tres jam præterierant dies, cùm incepit hic ægrotare: Viſum ergò mihi fuit non cunctari, ſed oppidò de globulis bezoardicis beati Bauſchii, lib. de unicornu foſſili deſcriptis, ſcrupulos duos in aquâ cardui ſancti exhibere patienti. Hòc factô medicamentum evomuit, & nauſeavit ad omnia; hinc aquam tepidam cum butyrô potare juſſi; paruit ægrotus & aliquoties ἄνω bilioſam excrevit amurcam; ideô que priori datô bezoardicô promovi ſudorem & poſteà propinavi potionem ex aquâ ſambuci, ſyrupô acetoſitatis citri, & tincturâ florum cordialium paratam. Nocte ſequenti nullus ægroto venit in oculos ſomnus. Quartô manè aſſumpſit de priori medicamento partem unam, & veſperi alteram, tempore intermediô & poſteà ſæpè tincturam florum papaveris rhæados cinamomeam cum granô unô laudani opiati, guttatim in potû; indè verò non meliùs habuit, ſed deliravit ægrotus, ſurrexit, & omnia per feneſtram ejecit. Pater vagabundum excipiens blandis & duris verbis in lectum reducere tentavit, ſed fruſtrà; ille enim furioſè patrem arripuit, manibus verberavit, & evulſit capillos, ùt nemo ipſi fidere ampliùs voluerit. Quid tandem? Veſpillo vocatur ad converſationem ejus, fores clauduntur, cereviſia apportatur, inque alutem propinatur ægroto; hic agnoſcit jam illum pro fratre, & ità potando & fabulando pergunt aliquantiſper; interim pilulas tres laudani opiati, quas anteà dederam, in vitrum injecit pro demente veſpillo; demens id obſervans, & pro veneno habens, cum Veſpillone rixatur; hic verò his componit rem verbis; *Du Narr, es ſind Hopffen-Körner, trinck nur*; ille confidens magis infuſum ebibit, nihilque reliquit & obdormiſcit; Veſpillo fatur ad hunc, veni frater, ſat habemus, in utrumvis nunc dormiens oculum, campanis dicto audit ægrotus, eique accumbit & dormit in ſtramine: interim Veſpillo laqueis, quos ſecum portavit, manus ligat ejuſque pedes, ne ſomnô excitus forſan novos faceret tumultus; ſed metus hic vanus erat; ſomno enim excuſſus, præ imbecillitate non valebat movere membrum

brum, & in totô aderat ſtupor. Vinculis ergò ſolutis, porrigebatur ipſi decoctum ex radice ſcorzoneræ, C. C. raſura, corticibus citri recentibus lignò ſantalino rubrò, ſcibebis. Die nonô & decimo eruperunt petechiæ; hinc bezoardicum ſuperius, aliaque confortantia interna & externa continuata fuerunt: Convulſiones & deliramenta tamen ſub uſu illorum, unàque opiatorum, uſque ad decimum quartum perſeverabant, ſordida blennæ expuitio uſque ad vigeſimum diem; auditus autem & guſtus deperditus ultrà. Quartâ poſt hæc hebdomade vicit hic juvenis & integre convaluit, Quare coram Deo ſtans gratias egit ſingulares, & humiliter omnia deprecatus eſt anteacta. Similem caſum alius juvenis non tranſmittam ſilentiô; Cauponis Arnſtadienſis filius robuſtus viginti annorum, Menſe Aprili hujus 1694. Anni, cùm ruri ſementum feciſſet, aura nivalis horrorem civit corpori, hinc reverſus eſt domum, ad fornacem appropinquavit, mox totus ſine ceſſatione æſtuavit, ſitis eum vexavit & vomitus, cor, caput, artus doluerunt, & languerunt. Ego in conſilium vocatus, jubeo ùt ſcrupulos duos Bezoardici prædicti ſtatim aſſumat, ex cujus uſû ſudavit, & cordi fuit melius. Poſteà propinavi ægroto aquam cardui ſancti, gratô ribium ſirupô, ſpiritus vitrioli momentô, & unicô laudani opiati granô permixtam, & ſitis quodammodo fuit reſtincta, non tamen æſtus & vigilia nec etiam ceſſavit in toto corpus jactare cubili. Alterô die idem bezoardicum & tincturam florum papaveris rhæados acidulam juſſi dare in potû. Tertiò die mentis non compos ſurrexit & exivit foràs; domeſtici verò eum reduxerunt in lectum. Noctû decumbens, enormem narium hæmorrhagiam paſſus, totum ſe conſpurcavit ſanguine, & truci nùnc magis omnes terruit vultû. Bezoardicis temperatis, acidisque blandis perrexi poſteris etiam diebus, ſextô & ſeptimô in ſedilibus equitavit, & verbere ea veluti equos coëgit. Dehortantes ipſum ab inſanô opere percuſſit, calcitravit, momordit, ùt nemo ei ferè potuerit reſiſtere; hinc iterum confugi ad laudanum opiatum, cujus grana duo præbui, ſed fruſtrà. Octavô die denuò ejuſdem uſus eſt narcotici granis duobus, nullô tamen ſecutô ſommô. Totas verò noctes diesque variis peregit clamoribus, & cotem ſuum rigidum, (quod forſan ab opio) arripuit, vique abrumpere tentavit quod tamen pater continuâ manuum retractione præcavit. Ideoque nonô die vice tertiâ laudani opiati grana iij. aſſumſit demens & quievit indè per horam unam & alteram, durante priapiſmô. Deindè medicamenta refrigerantia & confortantia prout convenit, continuata fuere. Nihilominùs à deliris cogitationibus & floccis legendis non deſtitit, nec rodere murmura ſecum omiſit uſque ad vigeſimum morbi diem, à quô rationis & corporis firmitas ſenſim rediit, & in hunc uſque diem, laus Deo, durat. Plura ejuſmodi exempla annumerare ſuperſedebos. Hoc tamen addere non erubeſcam; quòd amentes pro fideli curâ ſæpenumerò me inſputaverint, pugnis incurſaverint, jugulum petierint, & ſi dextra Dei meô me non ſervaſſet in negotiô, manû feroci, terrore, contagione occubuiſſem dudum; Gratia magna Deo.

Ibidem Obſervatio 95. De Febre tertianâ, unguinis vehicularis odore curatâ.

ANtonius de Guevara in Epiſtolis aureis part. 1. pag. mihi 137. exiſtimat: ſi Medicus ægrotum poteſt aquâ purâ ſanare non opus habet turbatâ; non ergò mixta quæ ab Hippocrate, ſed ſimplex à Naturâ quæ provenit Medicina, laudatur. In febre tertianâ retinet hæc laudem, & ſæpè æſtimatur illâ cariùs. Ex Ephemeridibus noſtris lapidem ſciſſilem in pulvere exhibitum, non ſemel hic auxilio fuiſſe notum eſt. Radices tormentillæ, biſtortæ, plantaginis excellunt in eâdem ſuper omnes alias. Mira etiam vis antifebrilis in myrrhâ meretur laudari. Nec ſuccus acris Chelidonii majoris ad tres, vel quatuor tantum guttas, ſed ad cochleare dimidium, vel integrum, cum vino aſſumtus ultimam in hâc febre fert opem. Externa inter lagenæ aquâ calidâ refertæ, & circum corpus poſitæ lardum muriaticum interſtitiis digitorum pedum impoſitum, exſiccati bufones, allium, camphora applicata, febricitantium explent deſideria. Axungiam ſive unguen vehiculare non piget hîc addere, quod nuper paganam mulierem docuit experimentum Carbonarius. Hic enim tertianâ febre prehenſus, olfecit continuò doliam unguine iſtô repletum, & ſolô ejuſmodi odore convaluit. Deindè hoc dixit & imperavit uxori & liberis ſuis eôdem incommodô tactis, pariterque ex eô evaſerunt omnes. Ventum eſt tandem ad ruſticam priorem, quæ novum unguinis emit dolium, obtulit hoc, & odorem captavit patulis naribus indeſinenter & febrem ſic expuiit majoribus abſque impenſis.

Ibidem Obſervatio 96. De Tertianâ diutinâ Vermium excretione ſolutâ.

Ibidem Obſervatio 97. De Cœcitate, à capitis immerſione in aquam frigidam, ſubortâ.

Ibidem Obſervatio 140. De Hydrope Veſicariô.

HURTERUS [*Leonhardus,*] Poliater Scaphuſanus.

De eô habentur in Ephem. Cur. Centur. 1. & 2.

Obſervatio 184. De Hydrope tympanite.

PUer octo annorum, bonâ indole præditus, vultû luridô, habitû corporis gracili, jam à quatuor annis ſucceſſivè in eum incidebat affectum quem hydropem tympaniam vocabat Antiquitas. Abdomen diſtendebatur & rugitû obmurmurans multa flatuum indicia exhibuit, ſic ùt omnes Medici eò uſque pro illius ſalute ſolliciti præſagirent, fore ùt tympaniticus periret, nec de nihilo eorum ſententia fuit. Intereà puer ejuſque parentes hunc morbum eò uſque haud tanti momenti æſtimabant atque periculi. Aſſumens indies avidè cibum potumque, etiam de nocte benè dormiebat, & de die more puerorum huc illuc circumcurrebat, omnesque corporis actiones adhuc quoquomodo naturaliter conſtitutæ videbantur, niſi quòd flatus copioſè redderet. Ab aliquibus ſeptimanis, ut è parentibus audivi, ſymptomata in dies ſeſe exaugere cœperunt, & aviditas cibi potûſque ſic diminui, ùt nè minimum ventriculus perferret, ſitis eum valdè vexabat, nec minus alvi ſegnities, noctes etiam fiebant inſomnes, & jam ſuperiora ſumma macies obſidebat. Octavô die antequam fatis ceſſit æger, vocabar. Veniens in deploratô ſtatû eum inveni, & præter dicta ſymptomata ſcrobiculus cordis admodum dolebat, abdomen erat valdè diſtentum, & de umbilici regione magnas movebat querelas, metuens nè dehiſceret. Hypochondrium dextrum erat etiam valdè durum atque infarctum ſimulque dolens, reſpiratio difficilis, urina pauca & lixivii colore tincta, pulſus ſubdurus atque celer, pedeſque ad extremum intumeſcebant. His ærumnis ſubtrahere ſtudui, ſed fuſtrà; ſiquidem omne medicamentorum genus reſpueret. Inter has calamitates octavô die, ex quô eum frequentavi, animam expiravit & creatori ſuo reddidit.

Diſſectô cadavere integumenta abdominis communia cum ejuſdem muſculis ſic extenuata inveni, ùt craſſitie cultri dorſum vix adæquarent, omentum totum erat conſumtum atque emaciatum, inteſtina præcipuè craſſa ſic erant diſtenta atque inflata, ùt credidiſſes, impoſſibile fuiſſe, neè dhiſcerent. Scitû cupidus quid monſtri alerent, illicò aperui; & ecce, materia ex albô flaveſcens, pultiformis, ſpumeſcens, levis & odoris expers ſeſe in conſpectum præbuit, & in inteſtino colo tanta ejus erat moles, ùt eâ parte, quâ hepar vergit, iſtòc è ſitû ejus naturali fuerit deſpulſum, & verſus ſiniſtrum hypochondrium diſlocatum, quod quidem propter ventriculum planè exinanitum & ad inſteſtini exiguitatem redactum eò faciliùs etiam fieri potuit. Credo quod etiam illa hepatis diſlocutio diri doloris circa ſcrobiculum cordis & umbilici regionem extiterit cauſa & hoc eò magis propter ligamenta ſummè tenſa atque elongata, quibus mediantibus his partibus connectitur. Quoad ſubſtantiam, erat durum, pallidum & ſcirrheſcens. Pancreatis glandulæ ſolitô majores, infarctæ & duriuſculæ obſervabantur, Veſicula fellea bile nigricante erat adimpleta & ductus choledocus obſtructus. Lien etiam erat nimis palleſcens. In abdominis ſinu aquæ extravaſatæ circiter ℔jj. continebantur. Meſenterſum cum ſuis glandulis quantum videre licebat, naturaliter erat conſtitutum. In thoracis cavo nil memorabile occurrit, niſi quòd lobus pulmonum ſiniſter pleuræ fuerat adnatus. Cætera ſatis ſana, & illæſa fuerunt.

HUSSOVIANUS (*Nicolaus*)

Ex eô habetur

De Biſonte, & ejus venatione Carmen. Cracoviæ, 1623. 8.

HUTTERI [*Vlricus de*]

De eo extant

De Guaiaci Medicinâ, & Morbô Gallicô, liber unus. Moguntiæ, apud Johanem Scheffer 1519. 4. Ibid. 1531. 8. & Tom. 1. Operis de Morbô Gallicô pag. 239.

Febris prima, & ſecunda: Dialogi. Moguntiæ, apud Johannem Scheffer, 1526. 4.

APPENDIX

Ad Libros III. ad VIII. ſive C--H.

C

CAPPELLA (*Johannes Antonius*) Neapolitanus, Philoſophus ac Medicus percelebris, dedit in Medicis de Hydrophobia, ſeu de Pavore aquæ in Rabie, Problema perdifficillimum. Neapoli, apud Matth. Nuccium, 1646. in 4. *Toppi Biblioth. Napolet. p.* 124.

CARCANUS (*Ignatius*) Med. ac Phyſ. Collegiatus Mediol. edidit Italicè

I. *Conſiderazioni alcune ſopra l'ultima epidemia bovina,* quæ Medicorum ac literatorum tam pluriũ ingenia occupavit. Mediolani, apud Marc. Ant. Pand. Malateſtam, ann. 1714.

II. *Rifleſſioni ſopra la naturalezza del lucimento veduto in un pezzo di carne leſſata il giorno* 11. *di Maggio* &c. *ed aſſieme un Diſcorſo del fiſico Collegiato Paolo Girol. Biumi* &c. Ibid. apud eund. 1716. in 4. Vid. *Diar. Italic.* Tom. 28. *p.* 432. & 433.

CASTELLUS (*Barthol.*)

Præter commemoratas *Lexici Medici* editiones, prodierunt aliæ tres quarum ultimam dedit Lipſiæ Thomas Fritſch ann. 1712. in 4. cum hoc titulo: *Jacobi Pancratii Brunonis Lexicon Caſtellianum, ad novam artem Medico-Pharmaceuticam accommodatum, & innumeris acceſſionibus ac vocabulis nunc quartâ vice amplificatum:* Ad eum additiones jam ediderat vir Cl. *Joh. Rhodius* Hafnienſis, Patavii, apud Jac. Cadorinum, 1699. in 4. *Diar. Italic.* Tom. 12. p. 397.

CASTELLUS (*Ludovicus*) in Civitate Forojulienſi Medicus ac Phyſicus primarius, ſcripſit Meditationem Phyſico-Medicam ad uſum Ill. Civit. Fori Julii, graſſante in ejus finibus boum epidemia. Venetiis, apud Aloyſ. Pavinum, 1712. in 8. *Diar. Italic.* T. II. p. 426.

CELSUS (*Aur. Corn.*) &c.

Prodiit iterùm opus *de Re Medicâ* Amſtelod. apud Joh. Wolters, 1713. in 8. quæ editio XXVI. numeratur, quam ſequutus dedit ultimam Patavii *Cominius* ann. 1722. in 8. Addidit autem Latinas *Epiſtolas tres* Celeb. *Joh. Bapt. Morgagni*, primarii in Patavino ſtudio Anat. Profeſſoris de *Celſo*, ſcriptas ad *Joh. Bapt. Vulpium* &c. in quarum *primâ*, textui Celſiano præmiſſâ, plurima *Celſi* corrupta loca reſtituuntur; obſcura alia ac difficilia, à nemine hactenùs enodata, illuſtrantur; varia ſua, hucuſque non collecta, fragmenta adducuntur: Duorum integrorum in *Celſi* libro IV. defectum, materiamque in iis tractatam detegit *Epiſt. I I.* ad calcem textûs, ut & *tertia*, repoſita: quod fit duorum manuſcriptorum ope: unde, in aliis editionibus vel nihil videbatur deeſſe, vel ſaltem defectus, ſi quis, tanquam minutiſſimus, ſimplici aſteriſco * aut alio quodam notabatur: ſupplementum verè notandum: Obſervationes XV. Dn. *Jacobi Facciolati* in totidem *Celſi* voces *tertia* præbet Epiſt. *Prima* quæ eſt prolixior, in margine venit annotata cum numeris romanis quæ paginas, & barbaris, quæ lineas citant. Adjicitur accuratus ſcriptorum à *Celſo* citatorum, nec non auctus ac emendatus illius editionum Catalogus, reviſus, correctus, ac elegantiori ordine diſpoſitus accedit rerum notabiliorum index. *Celſo* poſtponuntur *Q. Serenus Sammonicus* & *Quintus Remnius*, accuratè editi juxta editionem admodùm raram *Rob. Conſtantini*, Lugduni datam apud Rovillium in 8. poſt *Celſum.* Annotationes *Conſtantini* quæ ibi ad marginem erant appoſitæ, hîc textui ſubnectuntur, eo fine ut horum autorum editio in hoc etiam *Celſianæ* par dici poſſit; qui ſcilicet Autores unà cum opuſculo quod *Vindiciano*, qui ultimus venit, tribuitur, à mendis expurgatiſſimi exhibentur. *Sereno* præmittitur ſupralaudati *Morgagni* ad Dn. *Vulpium* Epiſtola, quæ circa autorem illum præprimis verſatur, licèt etiam circa Medicos alios ſcriptores, *Pſeudomacrum* nempè, *Strabonem Gallum*, *Trotulamque.* Hæc pariter infra textum *Sereni* identidem citatur: de quâ editione ſingulari ſtudio benemeritus eſt *Joh. Bapt. Vulpius*, qui fratrum imitator, celebriores non modò in Medicinâ, ſed & in Latinâ linguâ ſcriptores luci reddere curam ſibi ſumpſit: hanc dicavit Ill. *Morgagnio* &c. Vulpius, cujus altera ſubſequitur Epiſtola, ex quâ hæc fere omnia excerpta ſunt. Cæterùm Libri prolegomena, pag. 72. abſoluta, præfatis duobus *Vulpii* Epiſtolis conſtant, *Almelovenii* ac *Lindenii* ad *Celſum* præfationibus, hujus vitâ, à *Joh. Rhodiô* ſcriptâ, *Celſi* editorum ac editionum huic anteriorum Catalogo, teſtimoniis de ipſo à viris aliquot illuſtribus datis, ſcriptorumque à *Celſo* in ſuis Libris citatorum elencho. Conſtant autem hi pag. 558. quibus ſuccedunt uſque ad p. 576. variorum autorum ſcholia; indeque uſque ad pag. 598. veniunt *ſecunda* ac *tertia* Epiſtola Cl. *Morgagni*. Voluminis reliquum occupat rerum ac verborum notabiliorum index. Hinc alter ſeſe offert titulus: *Q. Sereni Sammonici de Medicina præcepta ſaluberrima, ex editione Lugdunenſi ann.* 1566. Rob. Conſtantini, *cum hujus notis & variis lectionibus:* Hæc additio complectitur Dn. *Morgagni* ad *Serenum* præfationem; & *Sereni Sammonici* poëma cui ſubjunguntur notæ; ſequitur dein poëma parvulum *Q. Remnii Fannii Palemonis*, de ponderibus & menſuris; ac tandem carmina *Vindiciano* tributa, quæ exiſtimant aliqui poëmatis *Sereni* finem eſſe. *Diar. Italic.* Tom. 24. *p.* 383. & *Tom.* 34. *p.* 462.

CESTONUS (*Hiacynthus*) Civis Liburnenſis.

De vitâ ſuâ hæc ipſe ſcribit ad D. *Valliſnerium* in Epiſtolâ datâ Liburni, ann. 1698. d. Januar. 10.

Il di 13. *Maggio* 1637. *fu la mia naſcità in una terra della Marca Anconitana tra Macerata e Fermo nominata* S. Maria in Giorgio, *poco lontano dalle Grotte di Montalto, dove ebbe il natale quel gran Pontefice Siſto V. Fui educato da' miei poveri genitori, e mandato a ſcuola fino all'anno* 1648. *Quando ero ne' latini de' gerundj e participi, mi levorno dalla ſcuola, e fui conſegnato ad uno ſpeziale, col quale reſtai circa due anni; e nel fine dell' anno ſanto* 1650. *mi mandorno à* Roma *in una ſpeziera, nella quale mi trattenni circa cinque anni. Onde l'anno* 1656. *per mio capriccio, ritrovandomi* 4 *ò* 5 *doppie, m'imbarcai in una barca, è all'aventura capitai in* Livorno, *dove fui ben ricevuto da uno ſpeziale miniſtro d'una ſpezieria. Non paſſarno due meſi, che ſi ſenti eſſere arrivata la peſte in* Roma *da* Napoli, *e poco dopo ancora ſi attacò a* Genova. *Jo ne alzai le mani al Cielo della grazia ricevuta di non eſſermi ritrovato in quelle miſerie; e doppo ebbi nuova, che morirno* 3 *de i* 4 *giovanni miei compagni, che laſciai in quella ſpeziaria. Mi guſtò* Livorno, *e mi trattenni circa* 10. *anni, finche l'anno* 1666. *per alcuni arzigogoli, che mi paſſavano per il cervello, m'imbarcai ſopra una barca*

barca, e paſſai a Marſilia, *di qui a* Lione, *e da Lione in* Ginevra, *dove dimorai in una ſpezieria circa* 4. *meſi, e quivi raffinai il mio cervello, elevai certi dubbii non mi piacque lo ſtarmi, mene ritornai per il medeſimo, e medeſima ſtrada in* Livorno. *E per tornar un paſſo addietro, andai a vedere appreſſo* Ginevra *il luogo dove il fiume Rodano ſi naſconde e ſi perde, eva camminando ſotto terra ben* 4. *ò* 5. *miglia, e poi ſi vede ſorgere di nuovo à* Seiſel, *e qui principiano a navigarlo ſin al mare. Jò ebbi gran ſatisfazione, veder riſorgere un fiume coſi grande e coſi rapido, e vi navigai di qui ſin in* Avignone. *Ritornato, come diſſi, in* Livorno, *nentrai nella medeſima ſpezieria per miniſtro, (giacche il proprietario di eſſa non era della profeſſione) e non paſſorno due anni, che il detto proprietario volſe che io mi maritaſſi, per fermarmi, accio io non ſcappaſſi più; e preſi in conſorte la ſorella della ſua moglie. Ma io non contento della fanciulla, volſi ancora il Prete ſuo fratello, che veniſſe a ſtar meco; e coſi da quella benedetta ora ſin adeſſo, che ſiamo a* 10 *Gennajo* 1698. *ſtiamo aſſieme d'amore e d'accordo; e ſempre ho ſeguitato a ſtar coſi al miniſtero di queſta ſpezieria, quale non è mia, ma è del mio Sig. cognato; che ſe io gli raccontaſſi, nel modo che io ſto, e che vivo, allorasi che potrebbe giudicare, ſe io ſia filoſofo o ſpeziale. Non credo, che in queſto mondo poſſa trovarſi un che tenga la vita libera come la mia; & abbenche qui io non poſſegga alcuna coſa, ad ogni modo queſti Signori della comunita mi hanno onorato (contro mia voglia) della cittadinanza, ſiccome il gran Duca* motu proprio *mi ha privilegiato e diſtinto dagli altri ſpeziali (come mi ſoviene d'haverle raccontato) ſenza che io ne abbia fatto alcuna iſtanza. Certo dico la pura verità. Il Gran Duca vien qui ogni anno, e vi dimora per ordinario circa un meſe; ma io non ho mai parlato ſeco: e ne meno il* Redi *ebbe parte alcuna in quel* motu proprio. *Anzi mi diſſe il* Redi *che il Gran Duca gli aveva detto, che lui mi aveva eletto per Protoſpeziale, e che lui gli riſpoſe:* Meritamente Sereniſſimo, *con altre parole* &c. *Perche il* Redi *era un uomo che diceva ben di tutti, e mai diceva mal di neſſuno. V. S. Illuſtriſſ. mi domanderà ſe la mia conſorte abbia partorito: Sig. ſi, Sig. ſi, in capo di* 7. *anni di matrimonio partori un figlivolo maſchio, quale viſſe tre meſi, e mori; e fu il primo e l'ultimo per la grazia di Dio; perche ſe io aveſſe avuto figlivoli, conſidero che ſarei ſtato, e viſſuto come gli altri, attacato all'intereſſe, per arrichire li figlivoli; e coſi mi ſon dato alla filoſofia; vivo come un paperottolo con ſanità e pace; e dormo li miei ſonni riposatamente; e quel che piu importa, ſon ricco, perche mi contento: e viva GIESU &c.*

Cæterùm fuit *Ceſtonus* vir exiſtimatione eò majori dignus, quòd ad ſcribenda opera (de quibus infra) non duxerit lectura librorum, nec fœnoris aviditas, ſed ſola mentis perſpicacitas, ac in arcanis naturæ detegendis genium. Fuit autem ſtaturæ mediocris, temperamenti ad melancholiam vergentis; in cogitando acutus; ſincerus, honeſtus, generoſus, fidelis ac incorruptibilis amicus; quoad cibum caſtigatus ac ſobrius; carnis perparùm edebat, hunc ſcilicet naturalem noſtrum cibum negans; fructus autem, olera, legumina, pro more primorum parentum, qui longâ adeò vitâ potiti ſunt. Calculis laboravit, quorum unus exitum non inveniens mortem ipſi intulit, Januar. d. 29. ann. 1718. anno ætat. 80. cum menſ. 8. & dieb. 6. Honorificæ in ejus honorem celebratæ fuerunt exequiæ; cadaver comites habuit Medicos omnes, Chirurgos, ac Aromatarios Liburnenſes, ad uſque Confraternitatem *S. Homoboni* dictam, repoſitumque in ſepultura *Salomonis*, ejus cognati, poſteaque in Sacello SS. Crucifixi, præfatæ Confraternitati contiguo, cum ſequenti epitaphio:

HYACINTHO CESTONO
CIVI LIBURNENSI
OPTIMO ET BENE MERENTI,
MEDICO & PHILOSOPHO,
CORPORIS INTEGRITATE
ET MAGIS ANIMI PRÆSTANTISS.
NATURALIS PHILOSOPHIÆ,
FALSITATE FELICITER SUBLATA,
CULTORI ET AMPLIFICATORI
INCLYTO,
CONSANGUINEI HONORIS
CAUSSA P.
OBIIT ANNO SAL. MDCCXVIII.
ÆTAT. SUÆ LXXX.

Hæc ejus Opera Italicè ſcripta:

I. *Oſſervazioni intorno à Pellicelli del corpo umano, inſieme con altre nuove oſſervazioni.* Has obſervationes fecit *Ciſtonus*; verùm eas ſub Epiſtolarum formâ publicas fecit Dn. *Redi*, ſub nomine Doct. *Giovancoſimo Bonomi* latens, & *Ceſtono* eas pertinere docet; laudatur *Redi* in Epiſt. Venetiis edita, apud Joh. Gabr. Hertz 1712. in 8. inter opera ſua, in Epiſt. p. 101. quod expreſſiùs profert *Ceſtonus* in Epiſt. ad Valliſnerium quæ extat ibid. in fine Tom. 1. Legantur quæ de his obſervationibus habet Epiſt. ad Lectorem, Tom. I. Operum Ill. *Redi* præfixa, in num. 5.

II. *Vere condizioni della ſalſa-pariglia, del modo di conoſcer la vera, e di darla, come venga adulterata ed in quali mali convenga, e in quale maniera piu efficace: ſcritta al Sig. Gio. Inglisch a Roma* &c. Extat hæc Epiſtola in opere inſcripto *la Galleria di Minerva*, Tom. VI. part. 3. p. 56.

III. *Vero modo di dare, e preparare la Chinachina, &c. participato al Sig. Ant. Valliſnieri nella ſua felice dimora in Livorno appreſſo il ſuddetto nell'autunno dell'anno* 1705. Reperitur Tractatulus iſte in præfato opere, volum. eod. p. 59.

IV. *Nuove e maraviglioſe ſcoperte dell'origine di molti animalucci ſu le foglie de' cavoli, come di molti inſetti dentro gl'inſetti* &c. Adjunctus reperitur Libellus iſte, Epiſtolæ formâ ad D. *Valliſnerium* ſcriptus, ad finem Tractatûs cujus Autor creditur Dn. *à S. Hilario*, ſic inſcripti: *Trattato de' rimedi per le malattie del corpo umano, tradotto dal Franceſe*, &c. Patavii, ex Typogr. Semin. apud Joh. Manfrè, 1709. in 4.

V. *Dell'origine delle pulci dall'uovo, e del ſeme dell'alga marina.* Hæc ſua, quæ cum *Valliſnerio* communicaverat inventa *Ceſtonus*, publica fecit ille cum opere ſuò cui titulus, *Eſperienze, ed Oſſervazioni intorno all'origine, ſviluppi, e coſtumi di vari inſetti, con altre ſpettanti alla naturale e medica ſtoria:* Patavii, apud eundem, 1713. in 4. *pag.* 83.

VI. In *Hiſtoria* ejuſd. Valliſnerii *Cameleontis Africani* &c. edita Venetiis apud Joh. Gabr. Hertz, 1715. in 4. in *pag.* 35. extat parvulum Ceſtoni *Diarium*, in quo modum à ſe in curandis aliquot cameleontibus ab Africâ ad ipſum adſportatis obſervatum, narrat.

VII. *Iſtoria della Grana del Kermes, e di un'altra nera grana, che ſi trova negli elici della cam-*

campagne di Livorno, *de' moſcherini ſpuri della medeſima*; *delle cimici degli agrumi*, *de' pidocchi de' fichi*, *de' ricci marini*, *del curcuglione o punteruolo del grano*, *de' tonchi o ſcarafaggetti de' legumi*, *e finalmente delle farfalline de' medeſimi.* Extat in præfato opere Valliſnerii, *pag.* 161.

Vid. *Diarium Italic.* Tom. I. p. 424. *XXIV.* p. 321. ac præprimis *Tom. XXX.* p. 327.

CLERICUS, Regis Medicus ordinarius *&c.* Prodiit ejus *Chirurgia completa* cum hoc titulo Gallico:

Chirurgie complete par Demandes & par Reponſes, laquelle contient ſes principes, ſur l'Oſteologie, la Myologie, les tumeurs, les ulceres, &c. Pariſiis, apud Laur. d'Houry, 1719. in 12. 2. vol.

La Medecine aiſée, où l'on donne à connoître les cauſes des maladies internes & externes, & les remedes propres à les guerir, avec une Pharmacie commode & facile à faire pour toutes ſortes de perſonnes &c. Editio nova, reviſa & aucta, iiſdem typis, anno ac formâ, tomiſque totidem edita. *Novell. Litter. Tom. XI.* p. 235.

COCCHIUS (*Antonius Cœleſt.*) in Romano Archilyceo publico Botanices Profeſſor, publici juris fecit

I. Epiſtolas Phyſico-Medicas ad Cl. Viros Lanciſium & Morgagnum. *Romæ*, *typis Ant. de Rubeis*, 1725. *in* 4. Illuſtrium horum Profeſſorum Epiſtolæ ſunt tantùm numero V. cum totidem duorum iſtorum ad eos qui dederunt reſponſis, circa certas quaſdam epidemicas febres, terræ motum, affectionem hiſtericam; aneuriſma in pectore, ac venæ cavæ dilatationes. Primam cum reſponſione jam dederat *Lanciſius* in lib. 20. *De noxiis paludum effluviis*: aliæ nunc primùm prodeunt.

II. Orationem habitam in aperitione horti Botanici ſuper Janiculum, juxta fontem aquæ, olim Trajanæ, nunc Paulæ, 10. Cal. Quintileis, 1726. Romæ, apud Salvionum, in 4.

COGROSSIUS (*Carolus Franciſcus*) priùs Phil. ac Med. Doct. Cremenſis, in Patavino Athenæo olim alumnus, publicus autem Medicinæ Profeſſor ann. 1721. conſtitutus.

De eô extant

I. *Della natura*, *effetti*, *ed uſo della Corteccia del Perù*, *o ſia China China*, *Conſiderazioni Fiſico-Mechaniche*, *e Mediche*, *eſteſe in una Lettera famigliare*, *con alcune non meno utili*, *che curioſe Oſſervazioni*, *e ſperienze concernenti alle febbri*, *e febbrifughi*; *conſagrato all' Eccell. Illuſtr. del Sig. Benedetto San Gio. Toſſetti*, &c. Cremæ, apud Mar. Carchenum, 1711. in 4. Huic Tractatui novas additiones fecit Author ann. 1711. ac recentiores anno 1718. apud eundem Carcanum editas, unà cum Epiſtolâ Dn. *Lanciſii*, aliâque Doct. *Boni* Brixienſis. Ibi fidem facit *Cogroſſius* ſe brevi daturum opus curioſis ſummè deſideratum, cum titulo: *De opinionum moderatione in arduo & gravi medicinæ ſtudio.*

Diar. Italic. *Tom.* 6. p. 496. *Tom.* 13. p. 387. *Tom.* 30. p. 384.

II. *Nuova Idea del Male contagioſo de' Buoi*, *partecipata al Sig. Ant. Valliſnieri*, *&c. e de queſto con nuove oſſervazioni*, *e rifleſſioni confermata cavati nuovi Indicanti*, *e propoſti nuovi rimedi.* Mediolani, apud Marc. Ant. Pand. Malateſtam, 1714. in 12.

Ibid. in *Tom.* 17. p. 419. & *Tom.* 19. p. 48. Mangeti Bibl. Script. Med. *Tom. I. Pars II.* Append.

III. De praxi medica promovenda, *exercitatio præliminaris*, ſub auſpiciis Ill. ac Nob. Com. & Equit. Hieroſ. Erneſti Griffoni a S. Angelo. *Cremæ*, *typis Marii Carcani*, 1714. *in* 8. Opus iſtud Prodromi tantùm nomine venit, in quo ſuorum circa hanc materiam ſtudiorum ſeriem optimâ methodô, hodierno guſtui accommodatâ, monſtrat nobiliſſ. Autor &c.

Ibid. in *Tom.* 19. p. 399.

IV. Pro medicorum virtute adverſùs fortunam medicam *Oratio*, quam primam habuit, poſt reditum in Patavino Athenæo *Car. Franc. Cogroſſius*, olim alumnus; nunc publicus Medic. Profeſſor, d. 19. Januar. 1721. *Brixiæ*, *apud Ricciardum* 1723. *in* 8.

Ibid. *Tom.* 35. p. 413.

V. *Saggi della medicina Italiana*, *diviſi in due Diſſertazioni epiſtolari*, *nelle quali le invenzioni del Santorio con nuove invenzioni ed oſſervazioni ſ'illuſtrano*; *aggiuntevi alcune digreſſioni*; *alla fiſica ſperimentale e alla pratica concernenti*; *conſagrati a S. Eccell. il Sig. Giovanni Sagredo*, *ampliſſimo Senatore e Patrizio Veneto.* Patavii, apud Joh. Bapt. Conzattum, 1727. in 4. Lectu perquam dignæ exiſtimantur duæ iſtæ diſſertationes, ad Illuſt. duos noſtri temporis Philoſophos ac Medicos, Dn. *Barthol. Corte*, Mediolanenſem, & Dn. *Franc. Roncallium*, directæ: in quibus varia non tantùm celeberr. *Sanctorii Sanctorii* dilucidat inventa, ſed & eum à falſis criminationibus in eum ab aliquot Italis ac exteris ſcriptoribus illatis defendit: ſimulque, hunc ipſum primum nobilium quorundam, quæ plurimi poſthac, ſuppreſſo vero nomine, publica tanquam ſua reddiderunt, inventorum autorem reſtauratoremque fuiſſe demonſtrat. Summâ ac omnigenâ eruditione refertum eſt opus, claroque ac eleganti ſtilo conſcriptum.

Ibid. in *Tom.* 38. *part.* 1. *p.* 464.

VI. *Panaceam*, *ſive univerſalem non modò deſiderari hactenus medicinam*, *verùm etiam fruſtrà quæri*: Prælectio habita in ſolemni ſtudiorum inſtauratione 7. Id. Nov. 1722. *Patavii*, *apud eund.* 1723. *in* 8. Ibid. *p.* 465.

COHAUSEN (*Joh. Henr.*) Monaſterienſis Epiſcopi Medicus.

De eo præter *Diſſertationem de Picâ Naſi*, ſequentia memorantur in *Novell. Litter.* Tom. 6. p. 78.

I. Decas Tentaminum Phyſico-Medicorum. *Francof.* 1699.

II. *Benthemorene*, ſeu deſcriptio fontis Benthimenſis.

III. Tractatus de Dyſenteria *&c.* Germanicè.

IV. De Febribus duabus contagioſis, Germanicè.

V. Oſſilegium Hiſtorico-Phyſicum ad Nunningii ſepulchretum Weſtphal.

VI. Neo Thea *&c.* ſeu Tabula herbæ Thèe recenter diſpoſita, Germanicè: quam brevi prodituram ſpem facit *Diar.* cit. ann. 1717. ex verſione Dn. *Henr. Graſperi.*

Alia quædam vid. *ibid.* quæ non ad nos.

COMERCIO (*Julius Cæſar*) Francica in Calabria ulteriore oriundus, Medicus magni nominis, ille fuit qui Regem Philippum II. à morbo pediculari liberavit, de quo *Toppi Biblioth. Napolet.* p. 166.

CONTARINUS (*Angelus*) Med. Doct. dedit Italicè

Chirurgiam practicam, ad uſum ſcholaſticum accommodatam, Dn. Valliſnerio dicatam: *Patavii apud Joſ. Cornam*, 1715. *in* 4. Hîc brevem Chirurgiæ ideam dare ſibi propoſuit Autor,

tor, in gratiam juvenum hujus ſcientiæ cupidorum, ut poſtea Licentiatûs gradum obtineant. Recens ei eſt methodus, morbum ſcilicet primò definiens; partem affectam dein conſiderans, hujus cauſam ac ſpeciem, ac denique ad curam deveniens, ſuper practicorum celebriorum obſervatione ac experientiâ ſemper fundatam, caſus etiam, ubi opus eſt, adferens.

CORTESIUS (*Petrus*) Neapolitanus, olim à Cubiculo Principum Sabaudiæ, poſtea verò à Cubiculo Exc. Navarchi Caſtellæ Generalis Ducis, & Proregis Regni Siciliæ, Medicus ac Protomedicus, Aſtronomus Celeberr. typis dedit præter memoratum tractatum *de Diebus decretoriis*,

I. Diſcurſum Aſtronomicum noviſſimum, *&c.* Panormi, apud Alph. de Iſola, 1642. in 4.

II. Diſcurſum duplicem, alterum circa excellentiam Aſtronomiæ, in ſalvandis Apparentiis Cæleſtibus: alterum circa neceſſitatem ejus ad medicam facultatem. Neapoli, apud Ægid. Longum, 1645. in 4.

CRESCENTIUS (*Nicolaus*) Med. Doct. Neapol. foras dedit librum cujus titulus

Tractatus Phyſico-Medicus, in quo morborum explicandorum, potiſſimùm febrium, nova exponitur ratio. Acceſſit de Medicina & Medico Dialogus. *Neapoli*, *typis Felic. Moſcæ*, 1711. in 4. Dividitur in *Lib. IV.* quorum *I* ad Phyſiologiam pertinet: *II* ad Pathologiam univerſalem: *III* ad Pathologiam ſolius febris: *IV* ad ejuſdem Therapeuticam: Vid. *Diar. Italic.* Tom. 9. p. 464.

CUCCHUS (*Caſparus*) Med. Doct. Bergomenſis, *librum dedit cum titulo*, Phlebotomia abſoluta, ad Poſtulationes juſtitiæ & charitatis: Reſponſiones apologeticæ cuidam libello publici juris facto ann. 1719. & typis tradito Mediol. apud Car. Bolzannum; cui titulus *Phlebotomia examinata, opus juſtitiæ & charitatis*: ſacræ Ill. Barth. Curtio, Jatro-Phyſico Mediol. famigeratiſſimo. Bergomi, apud fratres Rubeos 1720. in 8. Dividitur hæc opella ſicut ea quam aggreditur, in duodecim Capita. *Diar. Italic.* Tom. 33. *part.* 2. *p.* 339.

D.

DAVINUS (*Joh. Bapt.*) &c.

Ejus *De Potu vini Calidi Diſſertationis* prodiit Editio ſecunda ex eadem Typogr. ann. 1725. in 4. cui acceſſit Diſſertatio Clariſſ. *Valliſnerii* cujus titulus *Dell' uſo e dell' abuſo delle bevande e delle bagnature calde o fredde* &c. Conſtat pagg. 196. Addidit præterea Ill. *Valliſnerius* Epiſtolas aliquot diſſertatorias celebriorum hâc de re ſibi familiarium Profeſſorum.

Vid. *Diar. Italic.* Tom. 37. *p.* 458. *& ſeqq.*

DIONIS (*Petrus*) &c. de quo plura ſuo loco diximus, ſcripſit præterea Gallicè

Tractatum generalem de puerperiis, in quo docentur ſingula quæ ad obſtetriciam artem peritè exercendam neceſſaria exiſtimantur. *Pariſiis*, *apud Laur. d'Houry*, 1718. *in* 4.

Opus illud, in compendium præbens quicquid hâc de re docuerunt peritiores viri, ac ſpeciatim D. *Mauriceau*, in *ſex* libros dividitur; quorum *primus* circa hominis generationem & quæ ad eam ſpectant, verſatur: methodum gravidas gubernandi indicat *ſecundus*: eas à partu liberandi modum docet *tertius*; ac puerperas tractandi *quartus*: quomodo cum recèns natis agendum ſit indicat *quintus*: in *ſexto* examinatur quicquid ad obſtetricis, nutricis, ac puerperæ cuſtodis officium attinet.

Vid. *Novell. Litter. Tom.* 8. *p.* 71.

DONDUZZI (*Hieron. Maria Laur.*) Civis Bononienſis, Philoſ. ac Med. Collegiatus, Lector publicus, Chirurgiæque Profeſſor Bononiæ in Archihoſpitio S. Mariæ *della vita*, ſcripſit

Delle precauzioni e regole da uſarſi da Ceruſici in mezzo alle peſti, per governo di ſe ſteſſi, e de'gli infetti, ragionamento &c. Bononiæ, apud Jo. Bapt. Bianchi, 1721. in 4.

Dividitur in *duas* partes, quarum *prior* neceſſarias Chirurgis, occurrente peſte, ut ſeipſos ab eâ defendant, cautiones deſcribit: *Secunda* rationes ac regulas exponit, quibus officia his in caſibus ſibi propria aſſumunt ac exequuntur Chirurgi, ad utilitatem ac commodum tam de hoc morbo ſuſpectorum quàm infectorum. *Diar. Italic.* Tom. 35. *p.* 408.

DONOLI ſeu DONNOLI (*Franc. Alphonſus*) patrem habuit *Joannem Andream Donolum*, ex quo natus eſt ann. 1635. Mart. 21. Studuit *Senis*, ubi Medicinæ lauream doctoralem à *Nic. Piccolomineo* in hac Univerſitate Profeſſore accepit ann. 1657. d. Nov. 14. Obiit autem ann. 1724. Januar. d. 6. Sepultus jacet in Cathedra dicta di *S. Franceſco grande*, intra S. Antonii & S. Caroli altaria, cum hac inſcriptione:

D. O. M.
TUMULUS FAMILIÆ
FRANCISCI ALPHONSI DE DONNOLIS
NOBILIS ILCINENSIS
IN PATAVo. GYMNo. PUBLci.
MEDæ. PROFis.
OBIIT
VIII. IDUS JANii.
ANNO MDCCXXIV.

Superſtites habet filias duas, quarum una religionem intravit in monaſterio S. Mariæ Matris Domini; altera cœlebs vivit. Filios totidem reliquit; natu major *Joh. Andr. Caſparus*, Legum in eâdem Univerſitate Profeſſoratum exercet, in Cathedra *Authenticorum*; alter *Stephanus Laurentius* Medicinam feliciter facit, cujus ibidem doctoratum accepit. Quod ad noſtrum, ſiquidem ejus opera breviter ſuo loco recenſuimus, hîc addere liceat

I. Librum *de iis qui ſemel in die cibum capiunt*, &c. prodiiſſe Venetiis, apud Bened. Milocum, 1674. in 12.

II. Bellum civile medicum: *Proluſio*, Patavii ex typogr. hær. Penada, 1705. in 4.

III. *Poëſie liriche.* Venetiis, apud hær. Franc. Baba, 1669. in 12.

IV. *Il Giobbe Toſcano.* Venetiis apud Hier. Albritium, 1708. in 4. Eſt Paraphraſis *Jobi*, partim ſolutâ oratione, partim carmine varii generis.

Inedita ſervantur apud ejus hæredes ſequentia:

α) *Comentari ſopra gli Aforiſmi d'Ippocrate.*
β) *Comentari ſopra l'Arte piccola del medeſimo.*
γ) *Comentari ſu'l primo Fen d'Avicenna.*
δ) *Conſulti Medici.* Sunt ea in volumine magnæ molis, juxta ordinem temporum diſpoſita, ex graviſſimis authoribus, ac magni nominis Profeſſoribus ſelecta: de quorum variis methodis differit, eas utiliter, ubi opus eſt, inter ſe ponderando; antiquæ tamen Philoſophiæ

phiæ ac Medicinæ principiis fortius ſemper adhærens, quam ad uſque mortem conſtanter defendit ac profeſſus eſt.

ε) *Il ſuddito nobile* : de vita civili.

ζ) *Poeſie eroiche , drammatiche , ſacre , profane , varie*, in plures Tomos diſtinctas.

η) *Sonate* numero 30. ſupra inſtrumentum à ſe inventum, cui nomen impoſuerat *Serafica* :

Hæc præbet *Diar. Italic.* Tom. 36. p. 278. ſeqq.

DONZELLIUS (*Joſephus*) Neapolitanus, Doctor, Philoſophus, ac Medico-Chymicus, Baro *di Digliola.*

Editionem Romanam *Theatri Pharmaceutici* præceſſerat Neapolitana Hyac. Paſſari, ann. 1667. fol.

Liber de Opobolſamo prodiit rursùs cum hoc titulo : *Una Lettera familiare ſopra l' Opio, Balſamo Orientale, adoperato in Roma dalli Sigg. Ant. Maſcardi e Vinc. Panuzzi, in far le loro Teriache.* Patavii, apud Paul. Frambottum, 1643. in 4.

De eo præterea extant

Antidotario Napoletano, di nuovo riformato, e corretto. Neapoli, apud Rob. Mollium, 1649. in 4.

La Partenope liberata. Neapoli, per Octav. Beltranum, 1647. in 4.

DUCCINUS (*Joſephus*) Medicinæ in Univerſitate Piſanâ Lector ordinarius, ſcripſit Italicè

De Balneis Lucenſibus Tractatum Chymico-Medico-Anatomicum, *Lucæ, apud Pelegr. Fredianum*, 1711. *in* 8. de quo vid. *Diar. Italic.* Tom. 6. p. 506. & prolixiùs *Tom.* 11. *p.* 181.

E.

ERNDTELIUS (*Chriſtianus Henricus*) Phil. & Med. D. S. R. M. Polon. & Elect. Saxon. Archiater, & Natur. Curioſ. Germaniæ Collega.

De eo extat in Actis Lipſienſibus anno 1730. *pag.* 398.

Warſavia Phyſice Illuſtrata, ſive de Aëre, Aquis, Locis, & Incolis Warſaviæ, eorundem moribus & morbis Tractatus, cui annexum eſt Viridarium, vel Catalogus Plantarum circa Warſaviam naſcentium ; Dreſdæ apud Joh. Chriſtoph. Zimmermanni hæredes, & Joh. Nicol. Gerlachium, 1730. 4.

CUm nullus hactenus Medicorum de Sarmatia & methodo medendi Polonis aliquid ſingulare & curioſis lectoribus cumprimis acceptum literis tradiderit ; Clariſſimus *Erndtelius*, licet non ſit origine Polonus, poſtquam tamen per quatuor fere luſtra in Polonia, & maximam partem quidem ejus Metropoli, Warſaviæ vixit, & Praxin Medicam pro muneris publici ratione exercuit, laudabilem admodum navavit operam, ſcripto præſente, Warſaviæ ſingularia poſteritati commendandi. Invitavit eum ad hoc inſtitutum ipſa nationis Sarmaticæ dignitas & erga exteros bene merentes ſumma humanitas & benevolentia, quibuſcum hoſpitalitatis virtute junctis pleraſque ſuperant, ipſa invidia fatente, cultiores etiam gentes generoſi Poloni, quod in Præfatione de eis prædicat. Tractationem ipſam ſex Capitibus abſolvit, quorum I. ſufficientem de urbe ipſa ejuſdemque ſituatione & ædificiis propriis ; II. de aëre, quo ſoli & terræ ſimul conditiones includuntur ; III. de aquis ; IV. de incolis, eorumque victu, temperamento & moribus ; V. de morbis ; & VI. de ingreſſu ad infirmos, vel methodo medendi Polonis dat informationem. Multifariæ eruditionis plenum librum hunc judicabit quilibet, qui varias hinc inde factas digreſſiones obſervaverit. Cum ex ſingulis Capitibus excerptum quid dare nimis prolixum fuerit, pauca ſolum inde delibabimus. Pag. 21. Columnam, quam Vladislaus Rex Warſaviæ erexit, & memoriæ Patris ſui, Sigiſmundi, dedicavit, ex marmore, non ex jaſpide, ut Eques Galliæ *de Beaujeu* in Comment. pag. 146. tradidit, fabrefactam perhibet Clar. Erndtelius. Pag. 30. & 32. aëris gravitatem & elaſticitatem demonſtrat ; pag. 44. Catalogum conchyliorum & aliorum petrefactorum in littore Viſtulæ fluvii circa Warſaviam reperiundorum ſubnectit ; pag. 51. morem taxat cadavera humana in templis ſepeliendi ; pag. 53. modum deſcribit, quo lue venerea infecti in fimeto curam inſtituant ; pag. 56. vini Hungarici bonitatem à libero auræ Auſtralis acceſſu derivat ; pag. 61. nec Warſaviæ, nec uſpiam conſpectum fuiſſe baſiliſcum probat ; pag. 66. Ephemerides Meteorologicas ſeu Conſtitutionem aëris & tempeſtatum Warſaviæ, per annos 1725. 1726. 1727. 1728. quoad barometrum & ventos obſervatam, ſubminiſtrat, & in rationes phænomenorum barometri inquirit ; pag. 119. aquarum originem, circulum, differentiam & bonitatis ſigna inveſtigat. Singularis eſt & à nullo ante propoſita Plicæ Polonicæ theoria, quam pag. 153. Autor Clar. ſuppeditat. In eo ſcilicet conveniunt omnes, cirros iſtos in crinibus ſub finem ſeculi XIII. poſt varias à Tartaris factas invaſiones primum obſervatos fuiſſe, quo tempore iſtas Provincias innumeris ſtupris ab hac gente, ut pote in crapulam, libidinem, ceteraſque voluptates proniſſima, conſpurcatas eſſe credit. Licet enim Tartari nunquam forte ordinarie plica ipſa laboraverint, quia tamen ex belluino vivendi more, & propter annonæ tunc temporis apud ſuos caritatem ex abſurdis, carne equorum, fortaſſis etiam morticina, aliiſque præ fame devoratis, ſuccos in corpore colligebant impuriſſimos, quos poſtea miſeris, terrore, deſperatione, inedia confectis incolis per libidinoſam compreſſionem communicarunt, inde apud ingravidatas monſtroſum ejuſmodi malum fœtui impreſſum primam traxiſſe originem exiſtimat ; ſine dubio enim apud miſeras tales ſub ipſo congreſſu rigidas aſſurrexiſſe comas, vocem faucibus hæſiſſe, & totum corporis laticem coagulum quaſi & ſtagnationem præ terrore paſſum fuiſſe, dum Satyris illis & monſtris nolentes volentes corpora proſtituerunt, addit. Definit denique Plicam, quod ſit pilorum, capitis præſertim, confuſa complicatio, aut intricatio, ex contagio partim, partim ex hæreditate nata, & per ſpecificum quoddam inquinamentum producta, cujus eſſentia in Salino-ſulphureo acri, fermentifico & trichode miaſmate videtur conſiſtere, quod natura, ut noxiam materiam, non ad alia corporis emunctoria, quam per capillorum loculamenta ſola, ordinario modo expellit. Poſt hæc pag. 163. ſcorbutum Polonis endemium eſſe negat, felicem vero præ multis aliis Europæ civitatibus pag. 167. prædicat Warſaviam, quod epidemicis raro infeſtetur morbis ; pag. 177. de ærumnis Medicorum, quas tum ab ægris, tum me-

medicaſtris ſuſtinere coguntur, conqueritur. Pag. 183. dum de ingreſſu ad infirmos agit, docet, quomodo Warſavienſes tractandi ſint in morbis, qui à temperamento maxime oriuntur, quales ſunt catarrhus, & febres catarrhales, paralyſis, arthritis, rheumatiſmus, febres intermittentes, & in quos per luxum præſertim & aſotiam ſe præcipitant, uti ſunt hydrops, cachexia, icterus, tabes, phthiſis; aut quos ab aëris inclementia contrahunt, ophthalmia puta, peripneumonia, pleuritide, apoplexia, febribus acutis, putridis & malignis, dyſenteria, & peſte. Claudit librum pag. 214. relatio ſpecialis morborum Warſavienſium anni 1720. cum methodo medendi.

Viridarium quod attinet, Warſaviæ in tanta copia & varietate plantas officinales reperiri perhibet Clariſ. *Erndtelius*, ut vel ſolo hoc nomine ejus laudes ſcripto poſteritati commendare operæ pretium eſſet. Solas vero indigenas hic enumerat plantas juxta ſeriem Alphabeticam, omiſſis exoticis, quæ in hortis Regiis non exiguo numero aluntur. Præmittitur autem ſingulis plantis nomen, ut genus exinde cognoſcatur; quæ autem flore irregulari gaudent, *Rivini* nomine diſtinguuntur; & quæ apud *Rivinum* non inveniuntur, ſubjunctum gerunt aliquem Autorem claſſicum, qui optimam cujuſvis, & veram exhibuit iconem. Tandem etiam additum eſt nomen Polonicum, hinc tempus florendi, & in præcipuis officinalibus vel rarioribus character ipſe ſecundum methodum *Rivinianam*. Interdum & controverſiæ *Botanicæ* attinguntur, & erudite deciduntur.

F.

FABBRA (*Ludovicus della*) Ferrariæ natus eſt d. 25. Nov. ann. 1655. patre hujus urbis cive *Franciſco della Fabbra*, matre *Margarita Zaniolia*, quam ille tertiam duxerat uxorem. Philoſophiæ ſtuduit apud P. P. Dominicanos, cujus abſoluto curſu in Medicinâ audivit *Hieronymum Nigriſolum* Franciſci Mariæ patrem, qui *Ludovicum* noſtrum inter alios diſcipulos ſingulariter dilexit, eumque ann. 1678. Dec. 23. Philoſophiæ ac Medicinæ laurea doctorali in patriâ Univerſitate ornavit. Aliquot abhinc menſibus Trecatum vocatus fuit à Marchionibus *Hippol. Bentivoglio* & *Herc. Pepolo*, ubi per ſex annos commoratus eſt; electus poſtea in patria Univerſitate Medicinæ Lector publicus, Diſcipulos habuit quamplurimos, quorum plures ad Doctoratum promovit, qui Medici dein percelebres evaſerunt. Cathedras omnes in eâ Univerſitate occupavit, & primarius Medicinæ Practicæ Lector ſalutatus fuit uſque dùm ann. 1721. Lectorem emeritum eum declaraverint Socii Congregationis huic ſtudio præpoſiti. Ann. 1694. in numerum X. Collegii Philoſophorum ac Medicorum Votantium ſeniorum cooptatus fuerat: ex quibus unus per ſortem ſingulis quatuor menſibus cum Prioris & Protomedici titulo exiens, primùm ille ann. 1696. ac exinde pluries extractus fuit. Ann. 1697. primùm intra Supremi patriæ ſuæ Conſilii Conſiliarios fuit annumeratus: Primùm itidem anno ſequente inter ejuſdem Conſilii Magiſtratus electus eſt: quem titulum poſſedit ann. 1703. 1709. & 1717. quo, defuncto d. Maii 4. Com. *Nic. Strozza* Sapientum Judice, ejus locum, tanquam ſenior, tenuit Doctor *della Fabbra*; quod munus ad uſque diem 21. ejuſd. menſis ſuſtinuit, cùm ſuſciperet Marchio *Franc. Sacratus*. Ann. 1681. Nov. 27. in matrimonium ſibi junxit *Catharinam degli Azzi*, quam illi rapuit mors ann. 1693. Ex eâ ſuſceperat filium nomine *Ægidium*, qui paternis veſtigiis incedens, Medicinæ Doctoratum in patria accepit, ubi Magiſtraturam (ann. 1724.) exercet: filiam quoque habuit *Angelicam* dictam, quæ Religionem amplexa eſt in monaſterio *delle Rocchettine Lateranenſi*, dicto *di Mortara*.

Cæterùm fuit *Ludovicus* noſter ſtatura ultra mediam, tenui ac macilenta: in cibis ſobrius, ac pietate inſignis: in loquendo moderatus, pauca ſed ſucci plena proferebat verba: colloquii, cum amicis ac conſanguineis præſertim, ſed & ſuprà omnia cum religioſis viris litteratis, ſtudioſus amator, quibuſcum de variis ad eruditionem & doctrinam pertinentibus materiis diſſerebat: erga infirmos humanus ac benevolus: durus autem erga eos qui ſua remedia recuſabant, quos ſæpiùs derelinquere ſolitus erat: indulgentiam quoque denegans iis qui ſibimet inordinato vitæ regimine mortem inferunt. Eleemoſynam exercuit, ſed occultam; ideoque denarios pauperibus largiendos apud religioſos viros deponere ſtudebat. Obiit autem, variis morbis affectus, d. Maii 5. ann. 1723. Scripſit eruditas plurimas Diſſertationes, quas typis tradidit, variis illuſtribus viris inſcriptas; ſunt autem

I. De Arthritide, ac de ſacchari lactis uſu, Obſervatio. *Ferrariæ, apud Ant. Carraram*, 1699. *in* 8. Extat & in ſequenti collectione: *De novo ſacchero lactis, inventore* Lud. Teſti, *Regienſi* &c. *quorundam præſtantiſſimorum medicorum judicia, & rariſſimæ obſervationes*: Venetiis, apud Jac. & Joh. Gabr. Hertz. 1700. in 12. Ubi *pag.* 73. reperitur noſtri Authoris ad *Teſti* Epiſtola, in quâ variis ſuis obſervationibus ac experientiis, ſacchari lactis virtutem probat: quæ nullibi aliò legitur.

II. De Nucerina terra minerali, Diſſertatio. *Ferrariæ typis Ant. Carraræ*, 1700. *in* 8.

III. De terra Nucerina appendix epiſtolica, de tartaro ejuſdem inter aquæ maris metamorphoſeon invento: Epiſtola oratoria ad Anton. Camilli. *Ferrariæ* &c. *ut ſuprà*.

IV. Dioptra Phyſico-Medica pro nutritione aliiſque naturæ arcanis develandis, novâ methodô exculta. *Ferrariæ, typis Filoni*, 1701. *in* 4.

V. De animi affectionum phyſica cauſa, & loco; ac de tabaci uſu. *Ibid. apud Pomatellum*, 1702. *in* 4.

VI. Diſſertatio de meteoris, ac de morbis ab eis derivatis. *Ibid.* 1704. *in* 4.

VII. Diſſertatio Phyſico-Medica, de vitæ naturali termino, de ingeniorum varietate, de chocolata, caphé, herba théé *&c.* de ſpiritu vini ſeu aqua vitæ, & roſoli. *Ibid.* 1710. *in* 4.

Opera omnia in unum collecta prodierunt Latino idiomate cum hoc titulo.

Aloyſii della Fabbra in patria Ferrarienſi alma Univerſ. Med. Lect. primarii, Diſſertationes Phyſico-Medicæ: Ill. & Rev. Præſuli Cornelio Bentivolo de Aragonia, Eccleſiaſt. ditionis armorum Commiſſ. Generali, & ad Galliarum glorioſ. Regem Ludovicum Magnum XIV. Nuntio Apoſtolico electo, D.D.D. *Ferrariæ, apud hær. Bern. Pomatelli*, 1712. *in* 4.

Vid. Diar. Italic. *Tom.* 2. p. 487. *Tom.* 12. p. 401. & plura in *Tom.* 36. p. 260. *& ſeqq.*

FABBRI (*Laurentius Cajet.*) Medicinæ Profeſſor publicus Florentinus, ſcripſit circa peſtem Maſſilienſem ann. 1721.

Lezione detta nello ſtudio Fiorentino nel meſe di Mar-

Marzo 1721. *intorno alla ragione e alla natura della peſte.* Florentiæ, apud Mich. Neſtenum, 1722. in 4. Peculiare illi eſt Syſtema, aſſerens, nil aliud peſtem eſſe, quàm *una mancanza dell' ordinario ſpiritò dell'aria, imbrattata da' corpicciuoli nemici all'umana natura.* Rem ſubtiliter ac eruditè admodùm tractat Autor, ſtylo ſimplici ac pereleganti. *Diar. Italic.* Tom. 34. *p.* 377.

FANTASTI (*Franciſcus*) Med. Doct. Veronenſis celeberrimus, ſcripſit

I. De febre contagioſa, quæ in Veronenſi agro, & tota ferè Veneta ditione, boves ſolùm & juvencas exercuit & exercet, *Diſſertatio*, in quâ morbi indolem, cauſam, & remedia ſapienter quærit, & proponit: dicata Ill. Valliſnerio. Extat cum libro cui titulus *Teſoro di vari ſegreti, e rimedi provati contra il male contagioſo de' buoi.* Venetiis apud Hieron. Albritium, 1712. in 8.

II. *Il Fiore della Colocaſſia deſcritto e diſegnato dal ſig. Franc. Fantaſti &c. dal quale deduce, eſſere quella l'Aro, o la Fava di Egitto degli antichi.* Vid. *Diar. Italic.* Tom. 9. p. 473. *Tom.* 10. p. 64. & *Tom.* 17. p. 247.

FANTASTI (*Hieron. Ceſar*) filius *Franciſci*, Nob. S. R. I. Philoſophus itidem ac Med. Veronenſis, dedit

I. *L'inſegnamento alle famiglie del modo di preſervarſi dalla peſte* &c. Mantuæ, apud Alb. Pazzonum, typogr. Archid. 1715. in 8.

II. *Colloqui cinque tra Rodrigo ed Ergaſto, ambi paſtori* &c. adverſùs opus Doct. *Gazzolæ* contra Medicos. Tridenti, apud Joh. Ant. Brunat. 1717. in 8.

III. *Diſcorſo alla gente più ſaggia contra la lettera del ſig. Sebaſt. Rotario &c. intorno alla Jacintina, ed altri rimedi compoſiti.* Ibid. prodiit. *Diar.* cit. *Tom.* 23. p. 459. & *Tom.* 28. p. 454.

FERRARI (*Ferrantes*) inclyti Collegii DD. Medd. Mutinæ meritiſſ. Præſes, ſcripſit adversùs *Bern. Ramazzinum*, qui Mutinenſium Chinam Chinam ingerendi methodum improbaverat, librum cui titulus

Mutinenſium Medicorum methodus antipyretica vindicata, ſive ad nonnullorum ſcriptiones eidem methodo ſuccenſentes, hactenùs nonniſi feſtivè, per ſolam nempè repetitam editionem rejectas Notæ *Ferrant. Ferrari* &c. Collegarum juſſu exaratæ. *Mutinæ* ex *Typogr. Barth. Soliani*, 1719. *in* 4. Diar. Italic. *Tom.* 34. *p.* 420.

FERRARIUS (*Joh. Paul.*) Medicus Collegiatus Lucenſis dedit Italicè, ut in *Diar. Italic.* Tom. 10. p. 513.

Riſpoſta a ſei curioſi ed importanti queſiti intorno alla Medicina, propoſti dal Sig. Conte Andrea Maraſſi Nob. Pontremoleſe: dicata al P. Abate D. Ant. Franc. Caramelli, Viſitator Generale di tutto l'Ordine Camaldoleſe. Lucæ, apud Leon. Venturini, 1712. in 4.

Quæſitum *I.* eſt an acies ſit congruum in hydropiſia remedium? *II.* an in febre conveniat oleum amygdalarum dulcium? *III.* an ſanguinis eductio prævenire debeat medicinam ſolventem? *IV.* an extet morbus qui dicatur *morbus pectoris operti*? *V.* an in Epilepſia conveniant caſſia, ſerum, aqua, ſanguinis evacuatio &c. *VI.* ac ultimum, quid ſint acidum & alkali? &c. *Ferrarium* impugnavit *Matth. Georgius* de quo infrà dicemus.

FERRUS (*Joh. Paul.*) ex *Seſano*, in *Diario*, Philoſophus ac Medicus celebris, reliquit Mſſ. *volumen* Latinè ſcriptum *circa Medicinam*, eruditum quidem, ac perpolitum, cum carminibus plurimis initio quæſtionum appoſitis; quæ ſervantur apud ejus filios D. *Joſephum*, & *Diego Ferrum*, pariter Medicos.

Toppi Biblioth. Napolet. p. 149. c. 2.

FERRUS (*Michael*) Picinenſis, Medicinæ Aromatarius, Neapolitanus, ob ſummam in arte quam profitebatur peritiam celebris, *duo volumina* reliquit Mſ. quæ continent *varia ſecreta ac remedia ſingularia, cum practicis doſibus*: ſervantur apud dignum patre filium Marc. Ant. Ferrum, Neapoli commorantem in Typographia Buliſoniana, teſte *Nic. Toppi* in *Biblioth. Napolet.* p. 214. c. 1.

FLORIANIS (*Horatius de*) M. E. P. nomen ſuppoſititium.

De eo extat in Diar. Italic. Tom. 4. *p.* 276.

Epiſtola, quâ plùs C & L errores oſtenduntur in recenti libro inſcripto *Oculorum, & Mentis Vigiliæ*, &c. nec non inclyti viri, Philoſ. Medic. & Anatomiæ noſtræ ætatis facilè Principis *Marcelli Malpighii* innumeri loci propugnantur & exponuntur: In eâdem plures alii Recentiores obiter defenduntur, & emendantur. Huic præfixa eſt quaſi vice Præfationis altera *Epiſtola* in illud idem argumentum à *Luc. Terranova* M. S. Inveniet in utraque Lector multa ad ejuſd. Celeb. *Malpighii* Vitam atque Opera attinentia, nunquam antea edita. *Romæ, typis Franciſci Buagni*, 1705. *in* 4.

Quicunque ſit (aiunt Authores *Diarii* cit.) harum Epiſtolarum ſcriptor, eas exquiſito ac nervoſo admodùm ſtylo ſcriptas eſſe fatendum eſt. *&c.*

FOGLIA (*Johannes Antonius*) Geophanenſis, Philoſophus, Medicus, ac primarius (an. 1620.) Theoricæ Medicinæ in ſtudio Neapolitano Lector, ſcripſit opus (de quo jam diximus) cum titulo:

De Angioſa Paſſione cruſtoſis, maligniſque Tonſillarum & Faucium ulceribus, per inclytam Neapol. civitatem, multaque Regni loca vagantibus. Neapoli ex Typogr. Tarquinii Longhi, 1620. in 4.

FORTIS (*Decius*) à S. Angelo Phaſanella, in Sancta Hoſpitali domo Div. Mariæ Annunc. Neapoli Pharmacopola, typis tradidit

Commentarium in Meſuen & alia Opuſcula. Neapoli, apud hær. Matth. Cancer, 1588. in 4.

G

GAGLIARDUS (*Dominicus*) ultimò Romæ ac ſtatus Eccleſiaſtici Protomedicus generalis, cujus *Anatomen Oſſium* commemoravimus, Romæ editam apud Joh. Jac. Komarck, in 8. dedit & ſequentia Italicè conſcripta, ſcilicet

I. *l'Idea del vero medico fiſico e morale, formata ſecondo li documenti ed operazioni d'Ippocrate divisa in VI giornate, per commodo maggiore della gioventù che deſidera dapproſitarſi nella medicina per la via delle virtù.* Romæ, typ. Pet. Ferri, 1718. in 8.

II. *l'Infermo iſtruito nella ſcuola del diſingano; opera compoſta a benefizio di chi deſidera vivere lungamente; diviſa in due parti, che contengono XXXI. veglie ſalutari*: Pars I. *veglie XVI.* Romæ ex typogr. S. Michaëlis à Ripâ magnâ. 1719. 8.

Pars II. *veglie XV. che moſtrano gl'abuſi intro-*

detti ne' purganti, e quei mali che non devono eſſere curati, perche medicati peggiorano: con Antiveglia nel principio, che fa conoſcere in che conſiſta il benefizio della villeggiatura; e nel fine, con diſtinta Relazione ſi moſtran l'origine, progreſſi, differenze, cura, e preſervativo de' mali di petto che corrono, ricavati dall'aperture de' cadaveri, eſperienze fatte in S. Spirito, e da celebri Autori che a' loro tempi l'oſſervarono. Ibid. ann. 1720. Vid. *Diar. Italic.* Tom. XXXIII. *part.* 2. p. 510. *& ſeqq.*

GALLARATUS (*Auguſt. Lomenus*) Phyſicus Collegiatus primarius in Regia Univerſitate Ticinenſi ad Almanſorem Lector, ſcripſit circa epidemiam bovinam ann. 1714. librum Italicum cui titulus eſt

L'Idea della bovina infezione eſaminata da Agoſt. Lom. Gallarati &c. ove ſi diſcorre ſovra l'eſſenza dell'occorente infezione; de' ſintomi diverſi; delle loro cagioni; del pronoſtico; delle conſeguenze intorno all'uſo delle carni ammorbate; e ſi adducono importanti auvertimenti ad umana cauzione. Ticini, apud Joh. Bapt. & fr. Gradignanos, 1714. in 8. *Diar. Italic.* Tom. 20. p. 451.

GASTALDUS (*Joh. Bapt.*)

De eo extant in Novellis Litter. Tom. 7. p. 153. & 247.

I. Quæſtio Medica, eaque Therapeutica, propoſita ab Ill. ac Nob. Dn. *Gaſtaldy* &c. ſub hac verborum ſerie: An febribus intermittentibus Quinaquina, & quo pacto in ipſarum curatione operetur, *&c. Pariſiis*, 1717. 8.

Autor poſt varias experientiæ innixas obſervationes allegatas, concludit: *Chinam Chinam in febrium intermittentium curatione apprimè convenire, eamque operare curationem amaritudine, adſtrictione, ac volatilibus ſuis partibus, tum ſalinis, tum ſulphureis.*

II. Quæſtio Medica, eaque Therapeutica, *&c.* An variolarum una ſit eademque natura; & una eademque debeat eſſe curatio, *&c. Avenione* 1717. 8.

Hac in Theſi inquirit Autor hujus morbi naturam, & qualis eſſe debeat curatio *&c.*

Ibid. Tom. 9. *p.* 231.

III. Quæſtio medica: An Cataracta à vitio humoris aquei, aut cryſtallini oriatur, revera à Glaucomate differat, & aliter quàm operatione chirurgicâ curari poſſit, *&c. Pariſiis*, 1719. 8. Negativæ inhæret Autor *&c.*

GAZOLA (*Joſephus*) &c. obiit anno 1615. d. Febr. 14. anno ætat. 54.

Ex eo præter tractatum ſuo loco memoratum, habetur alter cui titulus

Il mondo ingannato da falſi Medici: Diſcorſi del Dottor Giuſ. Gazola &c, Opera poſtuma. *Pragæ apud Joh. Mayerum* 1716. *in* 8.

Diſcurſus hîc habentur *quinque*, in quorum *primo* demonſtrat Autor ſatius eſſe Medico carere, quàm imperito uti: in *ſecundo* exiſtere quidem Medicinam, ſed unumquemque, Medicum ſibimet eſſe poſſe: in *tertio* agitur de Medicinæ difficultate, ac celebriorum inter Medicos Sectarum, Dogmaticorum præprimis ut & Antiquitatis ſectatorum ſtratagematibus: *quartus* conſilia quædam continet ad longiùs vivendum & perdiu ſanitatem conſervandam: inquirit Author in *quinto* an Medicis modernis, an Galeniſtis uti præſtet. *De quo libro ut & de vita Authoris vid. Diar. Italic. Tom.* XXVII. p. 214. & ſeqq.

GEORGIUS (*Matthæus*) &c.

De eo præter ſuo loco recenſita hæc habentur in *Diar. Italic.* Tom. XIII. p. 472. XVII. 415. & XIX. 211. 232. 233. 238. 241.

I. *Parere intorno a' Veſicatori, ſcritto in una Lettera all' Ill. Sig. Paolo Franc. Spinola. Genua, ann.* 1699. *&* 1706. *in* 8. *apud Ant. Caſamaram.*

II. Elementa ſcientiæ naturalis, *ann.* 1707.

III. *Lettera all' Ill. Sig. Tom. Centurione, in cui ſi contiene la difeſa dell' Arte piccola, e la diſtenzione della Medicina razionale della ſetta numeroſa degli Artiſti liberi, e ſ'impugna l'abuſo de' Veſcicatori.* Genuæ, apud Ant. Caſamaram, 1712. in 8. *L'Arte piccola di medicare* &c. prodierat primò ann. 1709. Genuæ, apud Franchellum.

IV. *Diſputa intorno a principi di Renato delle Carte, ripigliata e finita, contro l'Autore della Riſpoſta alla terza lettera di Bened. Aletino.* Genuæ, apud Ant. Caſamaram 1713. in 8.

GHERLI (*Fulvius*) Mutinenſis, Philoſ. ac Medic. Doctor, Medicus actualis (ann. 1720.) Ser. Principis Foreſti Eſtenſis, ac Communitatis Scandianenſis, typis tradidit

Centurias duas Obſervationum rariorum Medicinæ, Chirurgiæque, quarum prima prodiit Venetiis, apud Dom. Loviſam, 1719. in 12. *ſecunda* ibid. apud Joſ. Coronam, ann. 1725.

Diar. Italic. Tom. *XXXIII. part.* 2. p. 535. & Tom. *XXXVII. p.* 530.

GLANDORPIUS (*Matthias*) &c.

De eô extant, præter ſuo loco memorata, in Act. Lipſienſ. An. 1730. *p.* 123.

Opera omnia, antehac ſeorſim edita, nunc ſimul collecta & plurimum emendata. Londini, impenſis F. Gyles, C. Davis & Vandenhœck, 1729. *in* 4.

De pretio horum Operum ſi non aliunde conſtaret, ſatis eſſet ad eorum commendationem, quod nunc primum junctim ab Anglis recudi meruerunt. In Epiſtola Amici, Præfationi inſerta, ex his ipſis Operibus docemur, natum fuiſſe Autorem A. 1595. Coloniæ Agrippinæ, patre Ludovico, celebri Chirurgo; Bremæ ſtudiis incubuiſſe, ac poſtea in Academia Colonienſi, imprimis vero Patavii, ubi in diſſectorum publicorum numerum receptus, ac Doctorali laurea inſignitus eſt; hinc ex Italia reducem anno ætatis 23. Bremæ Medicinæ & Chirurgiæ faciendæ cauſa ſedem fixiſſe, & poſtea Celſiſſ. Principis Archi-Epiſcopi Bremenſis Medicum, ac Reipublicæ Phyſicum conſtitutum, ibidem, quæ propria experientia & librorum præſtantiſſimorum aſſidua lectione didicerat, ſubinde in lucem edidiſſe. Prodiere vero quatuor illius ſcripta, nimirum A. 1619. *Speculum Chirurgiæ*, A. 1623. *Methodus medendæ Paronychiæ, cum Decade Obſervationum*, A. 1628. *Tractatus de Polypo narium affectu graviſſimo, Obſervationibus illuſtratus*, & A. 1633. *Gazophylacium Polyplusium Fonticulorum & Setonum:* quæ adeo hic uno Volumine continentur.

GOTTARDUS Regis Chriſt. & Sereniſſ. Delphinæ Medicus ordinarius, ſcripſit Gallicè

Traité des eaux minerales d'Abbecourt, où l'on demontre par l'analyſe & par pluſieurs experiences

ces qu'elle eſt la nature de ces eaux; où l'on fait le paralelle de ces eaux avec celles de Forges, & où l'on donne l'idée la plus juſte qu'on doit avoir des eaux ferrugineuſes & de Mars; avec l'explication des maladies auxquelles elles conviennent, & les Obſervations des perſonnes qui ont été gueries par leur uſage. Pariſiis, apud Laur. d'Houry, 1718. in 12.

Dividitur Tractatus in *quinque* Capita; in *primo* deſcribitur Fontis ſolum ac ſitus; in *ſecundo* aquarum ac in iis prædominantium mineralium fit analyſis; harum principia in *tertio* allegantur, ex quibus generatim proprietates deducuntur; effectus in *cap. quarto* pluribus obſervationibus enarrantur; in *quinto* agitur de neceſſariis in hoc remedio proficuo efficiendo cautionibus, ac præparatoriis. Vid. *Novell. Litter. Tom.* 9. *p.* 230.

GOTTUS (*Anton. Domin.*) Florentinus Med. Doct.

De eô extat in Diar. Italic. *Tom.* 5. *p.* 352.

De Hydrope, ejuſque cauſis, Exercitatio Medica. Florentiæ, apud Mich. Neſtenum, & Ant. Borghigianum, 1709. in 4.

GOURRAIGNE (*Hugo*) Univerſit. Monſpel. Medicinæ Vice-Profeſſor, & ejuſd. Urbis Charitatis Medicus.

De eo extat

Tractatus de Febribus, juxta Circulationis leges; ubi rejectâ ſanguinis fermentationis & fermentorum ſuppoſitione, ſolidorum ſyſtematis veritas demonſtratur in Theoriâ & in Praxi. *Monſpelii, apud Joh. Favre, ex typ. Joh. Martel*, 1730. *in* 12.

Libro, in *tres partes* diviſo, præmittitur Diſſertatio Phyſio-Pathologica ad Febrium Theoriæ intelligentiam. *Pars prima* capp. VIII. conſtans, agit de Febribus in genere: *ſecunda* in genere de Febribus continuis, ac ſpeciatim in *ſect.* I. (capp. IV.) de febribus continuis ſimplicibus & compoſitis: *ſect.* II. (capp. VIII.) de Febribus continuis accidentalibus: *ſect.* III. (capp. IV.) de Febribus malignis: *pars tertia* de Febribus intermittentibus in IV. capp. diſſerit.

Hujus Tractatûs ſpecimen dederat Author Monſpelii ann. 1725.

GRAMBS (*D. Joan. Jacob.*) Phyſicus Francofurtenſis.

De eô extat in Actis Lipſienſibus An. 1730. *pag.* 461.

Anatomiſche Beſchreibung eines monſtröſen Gewächſes:

i. e.

Deſcriptio Anatomica excreſcentiæ monſtroſæ meſenterio affixæ. Francof. ad Mœnum, apud Davidem Jacobum Cronau, 1730. 4.

NOtabilem caſum hoc in ſcripto commemorat Clariſſ. Autor, ejuſque Pathologiam ſubnectit ſat accurate, abſque eo, ut ad incantationem, cui adſcribebatur, refugium ceperit. Caſus eſt ſequens: *Anna Eliſabeth Pfaffenreuteria*, ſanæ conſtitutionis, tributumque lunare debito tempore ſolvens, priores binos matrimonii annos, quod quadrageſimo tertio ætatis anno inierat, vegeta tranſegit, tertio verò inſolitum in abdomine ſenſum & circa medium ſpinæ dorſi cum lancinationibus varia molimina percipere cœpit. Quanquam autem tum menſes debito ordine non fluxerint, ipſa tamen de impregnatione facta dubitavit; obſervavit interim tribus potiſſimum ultimis annis abdomen mole auctum, reliquum corpus emaciatum, pedes œdematoſos, reſpirationem difficilem & ad motum imbecillitatem. Fruſtra adhibitis remediis gravi lapſu in platea læſionem aliquam in abdomine ſe paſſam eſſe conqueritur, hinc lectum petere coacta octo dies poſt, die ſcilicet 11. Decembris anni præterlapſi, quinquageſimo tertio ætatis ſuæ anno obiit. Sub ſectione cadaveris obſervatum fuit, peripheriam abdominis æquaſſe 82. pollices, ex ejus cavitate ſex menſuras aquæ citrinæ profluxiſſe, intus vero excreſcentiam quandam carneo-membranoſam 18. libras ponderantem, & in ſex ſacculos, crines, dentes cujuſcunque generis, adipem, materiam purulentam & ſeroſam continentes diviſam, & ſuper omnia viſcera expanſam, meſenterii, tribus ſuperioribus lumborum vertebris affixi, portioni adhæſiſſe, cujus externa ſuperficies convexa & glabra, interna inæqualis fuerat. In ætiologiam hujus phænomeni inquirens Clar. Autor, culpam falſæ conceptioni eſſe tribuendam exiſtimat. Semen enim mariti, ſexageſimum jam ætatis annum ſuperantis, non ſatis fœcundum fuiſſe putat, ex parte vero mulieris annoſæ tubam Fallopianam non amplius vegetam non ad uterum deduxiſſe ovulum, ſed in abdominis cavitatem ex fimbriis relaxatis prolabi paſſam eſſe, quod meſenterio adhærens augmentum & nutrimentum per inoſculationem vaſorum cum vaſis meſenterii factam acquiſiverit; ita ut ovulum non ſatis fœcundatum in fœtum perfectum formari haud potuerit, ſed in ejuſmodi molam concreverit.

GRANITUS (*Conſtantinus*) è Caſſano in Calabria oriundus, Philoſ. ac Med. dedit in lucem, ut ſuo loco diximus,

Epiſtolas & Conſultationes Medicinales: hîc addimus, prodiiſſe Tomum primum, qui continet Libros VI. Neapoli, apud Franç. Savium, 1650. in 4. ut docet *Nic. Toppi* in *Biblioth. Napolet.* p. 68. c. 1.

GUALTHERIUS (*Marc. Ant.*) Anianenſis, Philoſ. ac Med. Lector ordinarius in ſtudio Neapol. ann. 1623. typis dedit *Orationem* habitam in eodem Regio ſtudio, cùm primùm illius adaperirentur fores, *in laudem virtutis, unà cum explanatione primi Textus primi Aphoriſmorum.* Neap. apud Jac. Carlinum, 1616. in 4. *Toppi Biblioth. Napolet.* p. 203. c. 2.

GUERRA (*Joſephus*) Prof. publ. in Univerſit. Patavina, ſcripſit adversùs Collegam quemdam ſuum,

La coagulazione non eſſere vera cauſa del male preſente ne' buoi, Diſſertazione auverſaria di Giuſ. Guerra &c. *umiliata all' Illuſtr. Sig. Ant. Valliſnieri* &c. Patavii, apud Joh. Bapt. Conzattum, 1719. in 8. Vid. *Diar. Italic.* Tom. *XXXII. p.* 554.

GUILIELMINUS (*Joſephus Ferdin.*) Dominici, cujus laudes ſuo loco celebravimus, meritiſſimus filius, Philoſ. & Med. Bononienſis, in patrio Gymnaſio Med. & Anat. Profeſſor, luci publicæ dedit cùm ad illam promoveretur Cathedram, Prælectionem ad Anatomen, ſeu *Conamen ad methodum de recto morboſorum cadaverum judicio ferendo.* Bononiæ, apud Lælium à Vulpe, 1724. in 4. de quo *Diar. Italic.* Tom. *XXXVI. p.* 333.

HILARIO

HILARIO (*à S.*) creditur Author operis Gallicè ſcripti quem Italicè vertit *Anton. Marc del Chiaro* Florentinus, edriditque hoc titulo : *Trattato de' Rimedi per le Malattie del corpo umano, tradotto dal Franceſe, con due Lettere in fine, l'una di Ragguaglio di varie Oſſervazioni nuove ne' Vermini del corpo umano, intorno alla loro origine, indicazioni, e rimedi ; l'altra ſopra gl' Inſetti dentro gl' Inſetti.* Patavii ex typogr. Semin. apud Joh. Manfré, 1709. in 4.

Dividitur iſte Tractatus in *L. V.* quorum *primus* remedia indicat adversùs morbos capitis ; colli & pectoris *ſecundus* ; ventri inferioris *tertius* ; quibus Tractatulus accedit de rariorum Medicinæ arcanorum præparatione, virtute, ac uſu ; in *quarto* agitur de remediis adversùs extremorum morbos ; in *quinto* nomina ac facultates recenſet Autor Herbarum, Radicum, Fructuum, Lignorum, Succorum, Gummi, Animalium, Lapidum, Mineralium ac Metallorum maximè uſualium, de quibus ſermonem habuit, cùm de remediis cuique morbo propriis tractaret &c. Sequuntur poſtea *Epiſtolæ duæ*, in titulo memoratæ, quarum I. eſt *Rocc. Domin. Maſtagni* ad Ill. March. *Scip. Maphæum* &c. *Secunda* ſcribit *Hyac. Ceſtonus* ad Celeb. Virum *Ant. Valliſnerium* &c. Vid. plura in *Diar. Ital.* Tom. I. p. 412. & *ſeqq.*

FINIS PART. II. TOM. I.

2V
C